Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/commentariainpri02fagn

294 (36) 151

PROSPERI FAGNANI COMMENTARIA IN SECUNDUM LIBRUM DECRETALIUM.



VENETIIS, MDCCXXIX.

Ex Typographia Balleoniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

LIBRARY
NOV 7 1968
UNIVERSITY OF TORONTO

BX
1935
F3
t. 2-3

RUBRICÆ,
ET CAPITULA
HUJUS SECUNDI LIBRI
DECRETALIUM.

de *Appellationibus recuſationibus, & relationibus.* pag. 189

AD noſtram. 189
Conſtitutis, il ſecondo. 198
Cùm cauſam. 204
De Priore. 195
Paſtoralis. 201
Super eo. 190

de *Cauſa poſſeſſionis, & proprietatis.* 108

CUm Eccleſia. 108

de *Confirmatione utili, vel inutili.* 206

SI quis. 206

de *Feriis.* 88

CApellanus. 88
Conqueſtus. 90

de *Fide inſtrumentorum*: 161

G. Perpetuus. 161

de *Foro competenti.* 34

CUm contingat. 68
Ex parte. 73
Licèt. 62
Nullus. 42
Propoſuiſti. 78
Si Clericus. 51
Significaſti. 75
Si quis. 34
Verum. 59

de *Judiciis.* 5

CÆterúm. 5
Cúm non ab homine. 8
Cùm veniſſent. 17
Decernimus. 5
Venerabilis. 30

de *Jurejurando*: 164

EGo N. 164
Veniens. 172

de *Litis conteſtatione.* 81

OLim. 81

de *Ordine cognitionum.* 98

INtelleximus. 98
Tuam. 101

de *Præſcriptionibus*. 174

AUditis. 174
Cùm olim. 177

de *Probationibus*. 124

EX Epiſtolæ. 124
In præſentia. 131
Per tuas. 142
Poſt ceſsionem. 129
Sicut. 127

de *Reſtitutione ſpoliatorum*. 112

COnquerente. 112
Gravis. 112
Literas. 123

de *Sententia, & re judicata*. 181

CUm inter vos. 186
Cùm olim. 183
Non poteſt. 181

de *Teſtibus, & atteſtationibus*. 145

COnſtitutis, il primo 152
In nomine Domini. 145
Intimavit. 149
Licèt univerſis. 150
Non debet. 158
Præſentata. 153
Venerabili. 154

de *Teſtibus cogendis, vel non*. 158

PErvenit, il primo. 158

PRO-

PROSPERI FAGNANI COMMENTARIA In Secundum Librum DECRETALIUM.

DE JUDICIIS.

Ex Synodo Eugenii Papæ.

CAPUT II.

DEcernimus, ut laici Eccleſiaſtica tractare negotia non præſumant. Sed Epiſcopi, Abbates, Archiepiſcopi, & alii Eccleſiarum Prælati de negotiis Eccleſiaſticis (maximè de illis quæ ſpiritualia eſſe noſcuntur) laicorum judicio non diſponant: Nec propter eorum prohibitionem, Eccleſiaſticam dimittant juſtitiam exercere.

1 D*Ecernimus*. Laici negotia Eccleſiæ tractare non poſſunt, Bald. vel non debent, Butr. & Cardin. vel magis perfectè ſecundùm Aretinum: Laicus non intromittat ſe in negotiis Eccleſiaſticis; nec ejus judicio, nec præcepto debent Judices Eccleſiaſtici juſtitiam miniſtrare. Hoc dicit: & ſunt tres partes. Secunda ibi, *Sed Epiſcopi*. Tertia ibi, *Nec propter*.

Pro intelligentia hujus textus vide quod ſcripſi *in c. Cum contingit, n.29. de arbitr.*

DE JUDICIIS.

Alexander III.

CAPUT V.

CÆterum quia in eos, quos ab Eccleſia tua conſtat poſſeſſiones tenere in feudum, occaſione ipſarum, excommunicationis ſeu interdicti ſententia promulgatur: Nos id diſtrictiùs inhibemus, quamdiu parati fuerint ſuper his in tua præſentia juſtitiam exhibere.

S U M M A R I U M.

1 V*Aſſallus paratus coram domino reſpondere, coram alio ſuper feudo conveniri non debet.*

2 *Feudi cauſam inter vaſſallos cognoſcit ſolus dominus quamdiu poteſt, vel non negligit exhibere juſtitiam, num.34.*

3 *Vaſſallus coram domino fundi conveniendus eſt.*

Declaratur primò, ſive feudum proveniat ab Eccleſia, ſive à laico, n.5.

Declaratur ſecundò, ſi quæſtio feudalis ſit inter duos vaſſallos confitentes rem eſſe feudalem, num.11.

Secùs ſi quæſtio ſit ſuper dominio directo inter dominum, & vaſſallum negantem feudum, n.13.

Et quid ſi quæſtio ſit ſuper dominio utili, vel alio jure ad vaſſallum pertinente, n.18.

Declaratur tertiò, niſi inter dominum & vaſſallum, vel inter vaſſallos agatur perſonali actione, quæ non ſit de jure feudali, n.24.

Declaratur quartò, niſi quæſtio ſit inter vaſſallum, & alium non vaſſallum actorem, n.25.

Declaratur quintò, ut habeat locum in judicio petitorio, non autem poſſeſſorio, n.26.

Niſi victoria poſſeſſorii adminiculetur proprietati, num.28.

Declaratur ſextò, niſi contra Clericum vaſſallum agatur criminaliter, n.29.

Declaratur ſeptimò, niſi Clericus vaſſallus fuerit ſpoliatus, n.31.

Declaratur octavò, dummodò vaſſallus coram domino feudi poſſit juſtitiam conſequi; aliàs ſecùs, n.34.

4 *Feudi dominus habet juriſdictionem ordinariam in vaſſallos reſpectu cauſæ concernentis feudum, n.5.*

6 *Clericus habens feudum à Principe laico in quæſtione feudali, coram eo conveniendus eſt.*

Idem in Eccleſia, n.8.

7 *Feudi dominus etiam laicus in cauſa feudali eſt judex ordniarius Clerici.*

9 *Feudales judices ſunt dominus feudi, Pares Curiæ, & Arbitri, quilibet tamen in ſuo caſu: & in cauſa appellationis juriſdictio non revertitur ad iſtos, ſed appellatur ad eum, ad quem appellaretur à ſententia Ordinarii.*

11 *Feudi contorverſia ſi ſit inter duos vaſſallos, cognitio ſpectat ad dominum,*

12 *Licèt dominus aliàs juriſdictionem non habeat.*

13 *Feudalis quæſtio coram Ordinario rei tractanda eſt, ſi dominus dicat rem eſſe feudalem, & reus neget, n.15.*

14 *Et ubi conſtiterit rem eſſe feudalem, cauſa rei remittitur ad dominum.*

15 *Feudi Regalis quæſtio inter Regem, & Epiſcopum, coram Metropolitano tractari debet, ſi Rex actor prætendat rem eſſe feudalem, & Epiſcopus neget.*

16 *Vaſſallus negans feudum ſi convincatur, eo ipſo cadit à jure feudi.*

17 *Niſi negaverit per ignorantiam, vel errorem juris, vel facti.*

18 *Feudi controverſia inter dominum, & vaſſallum ſuper dominio utili, vel alio jure ad vaſſallum ſpectante, coram Paribus Curiæ terminari debet, n.20.*

Et quid ſi dominus Pares Curiæ non habeat, n.22. & 23.

19 *Pares Curiæ qui ſint, & unde dicantur.*

21 *Et à quo eligendi.*

23 *Juriſdictio feudalis tamquam ſuperinducta, & præjudicans juriſdictioni ordinariæ eſt reſtringenda.*

24 *Feudalis cauſa tractari debet coram Ordinario rei, ſi inter dominum, & vaſſallum, vel inter duos vaſſallos agatur perſonali actione, quæ non ſit de jure feudali.*

26 *Feudalis quæſtio in poſſeſſorio ſive ſit inter dominum, & vaſſallum, ſive inter duos vaſſallos, ſive inter vaſſallum, & non vaſſallum, tractari debet coram Ordinario, non autem coram domino fundi.*

Et quid ſi victoria poſſeſſorii adminiculetur proprietati, num.28.

27 *Poſſeſſorii quæſtio eſt facti, non juris, nec tangit ſubſtantiam feudi.*

29 *Vaſſalli Clerici cauſa criminalis, vel civilis criminaliter intentata non cognoſcitur per dominum feudi, ſed per Ordinarium ipſius Clerici*

30 *Laicus nec directè, nec indirectè poteſt de crimine Clericorum cognoſcere.*

31 *Vaſſallus Clericus ſi fuerit ſpoliatus, non cognoſcit dominus feudi, ſed Ordinarius.*

Etiamſi dubium ſit de ſpoliatione, n.33.

32 *Spoliator violentus Clerici eſt ſacrilegus.*

Sacrilegii crimen eſt Eccleſiaſticum, ibid.

34 *Juriſdictionem à ſe excutit, qui eam deneget exhibere.*

1 CÆterum. Vaſſallus paratus coram domino reſpondere, coram alio ſuper feudo conveniri non debet. Hoc dicit Joann. Andr. Bald. Bellam. Ancharan. Imol. & Joann. de Anan. Vel ſic, cognitio feudi inter vaſſallos principaliter ſpectat ad dominum feudi, Anton. de Butr. Vel ſecundùm
2 Aretin. De cauſa feudi inter vaſſallos cognoſcit ſolus dominus, quamdiu poteſt, vel non negligit exhibere juſtitiam: Vel aliter, & pleniùs: Vaſſallus coram domino feudi conveniendus eſt, etiamſi dominus feudi ſit Eccleſiaſtica perſona, dummodò ibi actor poſſit ſuam juſtitiam conſequi, aliàs loci Ordinarius poſſet adiri: & ſecundùm hoc eſt caſus notabilis, Abb. Sicul. Felin. Dec. & Alexand. de Nævo: & tria facit, narrat, prohibet, & moderatur, ut hìc per Joan. Andr.

Ex textu, & ex gloſſa, & ex dictis Innocentii nota regu- 3
lam cum quibuſdam declarationibus, ex quibus habebis intellectum decretalis, & explicationem materiæ.

Regula eſt vaſſallus coram domino feudi conveniendus 4
eſt, Abb. Antiqu. Cardin. Abb. Sicul. & ſequaces *in ſumm. text.* Nam etſi regulariter Ordinarius ſit judex, *l. Nemo, C. de juriſd. omn. judic.* tamen fallit in feudis propter ipſius rei feudalis naturam, id eſt privilegium, Bald. hìc *num.1.* quia dominus habet juriſdictionem ordinariam in vaſſallos reſpectu cauſæ concernentis feudum, cùm ei tribuatur à lege, *ut cap. Imperialem, §. Præterea ſi inter duos, de prohib. feud. alien.* per Feder. *in uſibus feudorum*, & hìc, & in *cap. Verùm*, ubi Abb. *num.5. infrà de foro compet.* Lex autem confert juriſdictionem ordinariam, ut notat Innoc. in *cap. Cùm ab Eccleſiarum, num.3. verſ. Et quia lex, ſuprà de offic. Ordin.* ſecundùm Abb. *hìc in 1. notab.* Felin. & Aretin. *in princ.* inferentes ex hoc ad prorogationem juriſdictionis feudalis de perſona ad perſonam.

Declara primò hanc regulam, ut locum habeat, ſive 5
feudum proveniat ab Eccleſia, ſive à laico, ut hìc per Hoſtien. *num.10. circa finem in ver. Prohibemus*, Joan. Andr. *num.2. in ver. Eccleſia ſua*, Bald. *eodem num.* Abb. Felin. & Alexand. de Nævo *in ſummario text.* & per eumdem Abbatem *in dicto cap. Verùm num.12.* Unde ſi duo vaſſalli Archiepiſcopi Bononienſis litigarent ratione rerum exiſtentium in Diœceſi Mutinenſi, & unus eorum alterum impeteret coram Mutinenſi Epiſcopo; licèt aliàs forus ipſius
Epiſcopi eſſet competens ratione rei ſitæ, tamen in cauſa 6
feudali reus non cogetur reſpondere, niſi coram Archiepiſcopo Bononien. domino feudi: & ita hìc formar caſum Bald. *n.1. verſ. Caſus.* Et è converſo ſi Clericus habeat feudum à Principe ſæculari, licèt in aliis cauſis conveniri non poſſit niſi coram Ordinario Eccleſiaſtico, *ut cap. Si quis cum Clerico, 11. quæſt.1. & cap. Cùm ſit generale, infrà de foro compet.* tamen in quæſtione feudali tenebitur reſpondere coram domino feudi, ut ſunt jura clara *in cap.*
Verùm, & in cap. Ex tranſmiſſa, eodem tit. & utrobique 7
tradunt unanimiter Doctores, & Innoc. *in cap. Ex parte B. num.3. eodem tit.* nam hoc caſu dominus feudi etiam laicus dicitur judex Ordinarius Clerici, Mar. Socin. *in d. cap. Ex tranſmiſſa, in 5. limit.* Felin. *in dict. cap. Verùm, num.3. verſ. Et tenent moderni*, Curtius Junior *in tract. de feudi in 7. part. reg.2. in quæſt.* Jacobin. *eodem tract. in ver. Et dicti vaſſalli, num.3.* ex communi, Clar. *§. Feu-*
dum, quæſt.90. num.6. Et idem juris eſt, ſi Eccleſia ſit feu- 8
dataria: nam & ipſa erit convenienda coram judice laico domino feudi, Baldus *in leg. Sed ſi hac, §. Si libertus in fin. ff. de in jus vocan.* Pariſ. de Put. *in tractatu de reintegr. feud. cap 198. num.3.* Felin. *in cap Eccleſia S. Mariæ, num.6. circa medium de conſtitut.* Afflict. *ſuper conſtitutionem, Si quis Clericus num.5. rubr.66. de Cleric. convenien. lib.1.* Curtius Jun. *tract. de feud. part.1. in 2. quæſt. princ. num.5.* & alii apud Carol. de Graſſ. *d. effect.1. num.719.*
Et quod dixi, coram domino feudi, intellige, vel coram 9
ipſomet domino in capite, vel coram Paribus curiæ, vel coram Arbitris: nam hi tres ſunt judices feudales in cauſa principali, quilibet tamen in ſuo caſu, ut hìc per Baldum *num.1.* & patebit in ſequenti declaratione: ſed in cauſa appellationis non revertitur juriſdictio ad iſtos, ſed appellatur ad eum, ad quem appellaretur à ſententia judicis Ordinarii, ſecundùm Bald. *hìc d. num.* post Innoc. *eodem num.*
verſ. Hoc ſalvo, ubi quòd ſi Pares curiæ Eccleſiam grava- 10
rent, poſſet Eccleſia appellare ad proximum ſuperiorem, vel ad Papam, *ut c. Si quis noſtrum 2. q.6. & c. Romana, §. Debet, de appellat. lib.6.*

Declara ſecundò propoſitam regulam, dummodò quæ- 11
ſtio feudalis ſit inter duos vaſſallos, quia ſcilicet uterque ſe aſſerit vaſſallum, nec revocatur in dubium, quominus res ſit feudalis, ſed ſolùm controvertitur, quis eorum ſit potior in feudo; tunc enim quæſtio agitari, & terminari debet coram domino feudi, *ut cap. Imperialem, §. Præterea ſi inter duos, de prohibit. feud. alienat.* per Frider. ubi ad litteram dicitur: Si inter duos vaſſalos de feudo ſit controverſia, domini ſit cognitio, & per eum controveſia terminetur: & hìc notat gloſ. *poſt medium, verſ. Si verò inter duos vaſſallos*, Innocent. *num.2. verſ. Si verò inter duos vaſſallos*, Hoſt. *num.6. verſ. Si ergo inter duos vaſſallos*, Bald. *num.14.*

Etiam

12 Etiam ſi dominus ſit talis, ut aliàs juriſdictionem non habeat, ut notat Vincentius *in cap. Novit*, *infrà eodem*, Joan. Andr. *hîc n.3. verſ. Etiam ſi alias*, Bald. *num.2. verſ. Secundò oppono*, & Bellam. *num.4. col.2. ad finem*, *verſ. In quarto caſu*. Et ita intelligas hoc cap. ſecundùm Bernardum, Bald. & Abb. in figuratione caſus, Butr. & Aretin. *in Summario*
13 *textus*, & nullus diſcrepat. Verùm ſi quæſtio feudalis ſit inter dominum, & vaſſallum, tunc diſtinguitur ſecundum Bellam. *hîc num.4. col.3. ad fin. verſ. Circa quintum caſum*: nam aut eſt dubium, ſeu quæſtio de jure, ſeu dominio directo ad dominum ſpectante, ut quia Rector aſſerit ſe dominum feudi, & reus negat dicens rem eſſe allodialem; & tunc coram loci Ordinario eſt agendum, non autem coram illo, qui dicit ſe dominum, quia aliàs eſſet judex in cauſa propria, quod eſſe non debet, *ut l. Unica*, *C. Ne quis in ſua cauſa*: nec quæſtio agitari debet hoc caſu coram Paribus Curiæ, quia qui negat dominium, negat & Pares, facit textus *in l. Qui juriſdictioni*, *ff. de juriſdictione omn. judic.* & quia negato dominio, cauſa deſinit eſſe feudalis, nec debet eſſe in poteſtate domini alterius ſubditum ſuæ juriſdictioni ſubigere: & eo ipſo quòd reus conventus ne-
14 gat rem eſſe feudalem, hæc quæſtio tamquam præjudicialis priùs terminanda eſt coram loci Ordinario, *argum. cap. Titium*, *infrà de Ordin. cognit.* & §. *Præjudiciales*, *inſtitut. de action.* qui ſi cognoverit, rem eſſe feudalem, cauſam remittet ad dominum feudi. Et ita in hoc primo membro determinat Innoc. *hîc num.2. circa finem verſ. Et eodem modo*, Hoſtien. *in princ. num.6. verſ. Alii tamen dicunt*, Joann. Andr. *num.2. & 4. verſ. Nam ſi reus*, Bellam. *num.4. col.4.*
15 *poſt medium*, *verſ. In ſecundo caſu*, *& paulo ſuprà*, ubi ait certum eſſe, quòd ſi de feudo regali eſſet quæſtio cum Epiſcopo, & tertio, Rex eſſet judex competens: ſed ſi eſſet quæſtio inter Regem, & Epiſcopum, & Epiſcopus negaret rem eſſe feudalem, Rex actor conveniret Epiſcopum coram Metropolitano, Butr. *num.9. col.3. in fin. verſ. Poteſt ſecundò eſſe dubium*, Abb *num.20. circa fin. verſ. Aut negatur*, & alii communiter, Goffredus *in Summa tit. de foro compet. verſ. Et nota*, Hoſt. *in Summa tit. de feud. §. fin. verſ. Et tamen Goffredus*, Angel. *in l.1. in fin. C. Si à non compet. judic.* Bero *conſ. 82. n.1. & 2. lib.1.*

16 Adverte tamen, quia negans feudum, ſi convincatur, eo ipſo cadit à jure feudi, *arg. cap. Quo jure*, *8. diſt. leg. final. ff. de rei vendicat.* ſecundùm Innocen. *hîc in fin. verſ. Et hoc ipſo*; & eſt expreſſum *in cap. Si vaſſallus feudum*, *in tit. Si feudum controverſum fuerit*, *& in cap. Si fuerit in tit. de le-*
17 *gat. Corrad. in uſibus feud.* ſecundùm Hoſt. *hîc num.1.* Joann. Andr *num.2* Abb. *num.21.* & Bald. *num.6.* qui limitat, niſi negaverit per ignorantiam, vel per errorem juris, vel facti, quia tunc ei parcitur. Et ita debet, intelligi, quod ſolemniter notatur in *Authen. de trien. & ſemiſſe*, *§. penult. in leg. fin. ff. de rei vendicat. & in §. Item mixta eſt actio contra eos*, *inſtit. de action.* & hoc egregiè dicit text. *cap. Vaſſallus feudum*, *ſi de feud. fuerit controverſ.* Ubicumque enim in feudis fit mentio de amiſſione feudi, intelligitur culpa, & convictio judiciario ordine, ut in *c. Quicumque advocatur*, *de pace tenend.* & cum hac limitatione concordat
18 Abb. *dict. num.21.* Aut inter dominum, & vaſſallum non eſt quæſtio ſuper jure, ſeu dominio directo feudi ſpectante ad dominum, quia vaſſallus non negat rem eſſe feudalem; ſed ſolùm eſt quæſtio ſuper dominio utili vel alio jure ſpectante ad vaſſallum, ut quia inter dominum, & vaſſallum controvertitur, utrùm feudum ſit devolutum, & vaſſallus debeat illud perdere, vel retinere, ſeu habere; vel utrùm debeat tributum, vel aliud ſimile. Et tunc ſi dominus habeat Pares Curiæ, hujuſmodi quæſtio coram illis agi, ac terminari debet, *ut dict. cap. Imperialem*, §. *Præterea ſi inter duos*, *in ſecundo reſponſo*, *de prohibit. feud. alienat.* & de inveſtitura apud Pares Curiæ terminanda; & de milite vaſſallo, qui contumax eſt, *cap.1.* Et ita intelligas gloſſ.
19 hîc *verſ. Et nota ſuper hoc*, dum dicit in hoc caſu, in quo vertitur in dubium, an vaſſallus debeat feudum habere, vel non, cauſam eſſe terminandam per alios vaſſallos, ſcilicet per Pares Curiæ: nam vaſſalli ejuſdem domini Pares Curiæ dicuntur, *ut d. §. Si inter duos*, & dicuntur Pares à paritate feudorum, quia debent habere conſimilia feuda, ſecundùm Innoc. hîc *num.2. in fin.* Hoſt. *num. 10.*
20 & Abb. *num.14. verſ. Qui autem dicantur Pares*. Et ita hîc firmat idem Innoc. *num.1.* dicens: *Si quæſtio feudi inter dominum vertitur*, *& vaſſallum confitentem rem*, *Ad quam agitur*, *eſſe feudalem*, *ſcilicèt ut de ea reddat tributum*, *vel aliud ſimile coram Paribus Curiæ agitur*. Et cum eo concordat Hoſtien. *num.3. verſ. Sed & dominus noſter ſcripſit hîc*, Joan. Andr. *num.3. verſ. Scripſit autem*, Bellam. *num.4. col.3. ad fin. verſ. Circa quintum*, ubi etiam proſequitur 21
quomodo Pares Curiæ ſint eligendi, poſt Hoſt. *n.9. verſ. Sed quos intelligimus Pares*, *& in Summa titulo de feud. §. finali*, *verſ. Pares*, de quo etiam gloſ. *in d. l. Imperialem §. Prætereà ſi inter duos*, *in ver. Per Pares Curiæ*, & Abb. hîc *num.14.* Si 22
verò dominus feudi Pares Curiæ non habeat, eligentur Arbitri ad ſimilitudinem Judicis ſuſpecti, *c. Cùm ſpeciali*, *de appellat. cap. Si Clericus adverſus*, *11. qu.1.* ſecundùm Innocen. hîc *num.3. verſ. Dominus autem*, *& vaſſallus*. Quod verum putant Hoſt *num.9.* & Joann. Andr. *num.13.* quando dominus eſt actor; ſecus ſi vaſſallus, quia tunc aget coram Ordinario domini, *arg. d. c. Si Clericus*, *11. q.1.* Sed gloſſ. præalleg. & Jacob. de Belviſ. *in d. §. Prætereà inter duos*, dicunt agendum coram Ordinario rei indiſtinctè. Et hanc opinionem dicit eſſe veriorem Abb. *hîc num.14. verſ. Quid autem ſi non ſunt Pares Curiæ*: quia ex quo modus à lege inductus ſervari non poteſt, debet res, & juriſdictio redire ad naturam ſuam; & quia hæc juriſdictio tamquam ſuper 23
inducta, & præjudicans juriſdictioni ordinariæ videtur eſſe reſtringenda, ut in *Clem. fin. de offic. ordinar.* in gloſs. *penult.* Idem firmat Aretin. hîc *num.28.* dicens ita tenere communiter Doctores, & hanc quæſtionem determinari per textum, quem ipſe ſolus ponderat, in *cap.1. circa medium*, *Si de inveſt. fuer. contr. inter Dom. & Vaſſall.* Facit text. *in cap.1. circa med. de controverſ. feud. apud Pares terminan.* ubi textus dicit, quod inter dominum, & vaſſallos cognoſcunt Pares, ſi Pares habeat. Ergo ſi Pares non habeat, quæſtio remittitur ad diſpoſitionem juris communis, ut per eum.

Declara tertiò ſupradictam regulam, niſi inter dominum, & vaſſallum, vel inter vaſſallos agatur perſonali actione, quæ non ſit de jure feudali, licèt contra rem feudalem agatur, puta pignoratitia, vel depoſiti, vel alia conſimili, quia tunc non coram domino feudi, ſed coram Ordinario rei ſemper eſt agendum, ſecundùm Innocen. *num.2. verſ. Et idem dico & num.4.* Hoſtien. *num.10. verſ. Quid ſi ante dominum*, *& vaſſallum*. 24

Declara quartò, niſi quæſtio ſit inter vaſſallum, & alium non vaſſallum actorem, quia tunc dominus non cognoſcit, ne ſit judex in ſua cauſa; ſed Ordinarius vaſſalli, ut hîc, & in *d. cap. Imperialem*, *§. penult. de prohibit. feud. alienat. cap. Ex tranſmiſſa*, *& cap. Verùm*, *infrà de foro compet.* gloſs. hîc in *fin. verſ. Si verò inter vaſſallos*, Innoc. *num.2. circa medium verſ. Alii tamen dicunt*, Hoſt. *num.3. verſ. Et idem eſt ſi non vaſſallus à vaſſallo*, *& num.6. verſ. Alii tamen dicunt*, Joann. Andr. *n.3. col.2. in fin. verſ. Alii dicunt*, Bellam. *num.16. verſ. Circa ſeptimum*, *in ſecundo membro*, ibi, *Aut alter eorum negat*: & probatur *in cap. Unio*, *in tit. de controverſ. inter vaſſall. & alium col.10. in uſib. feudor.* 25

Declara quintò, ut locum habeat, ſi agatur judicio petitorio, ſecùs ſi poſſeſſorio; quia tunc ſive ſit quæſtio inter dominum, & vaſſallum, ſive inter duos vaſſallos, ſive inter vaſſallum, & non vaſſallum, indiſtinctè cognoſcit Ordinarius rei, non autem dominus feudi, *in cap. Ex parte B. infrà de foro compet.* nam exceptio illa, quòd Regina eſſet feudataria, & ideò agendum eſſet coram domino feudi, locum habet in petitorio tantùm, ut ibi dicitur circa finem in *verſ. Non obſtantibus exceptionibus aliis*, *quæ in petitorio potius*, *quam in poſſeſſorio*, *&c.* & ibi notat gloſs. ult. Sed ſi agatur judicio poſſeſſorio, tunc cognitio non ſpectat ad dominum feudi, ſed ad Ordinarium, gloſs. hîc *ante medium*, *verſ. Sed in judicio poſſeſſorio*, Hoſtien. *in fin.* Bald. *ante num.1. verſ. Et quia cauſa feudi*, *& num.2. verſ. Tertio oppono.* Ratio eſt, quia quæſtio poſſeſſoria non eſt feudalis. Fa- 26 27
cit ad hoc *Clem. final. de judic.* Nam quæſtio nudæ poſſeſſionis eſt quæſtio facti, & non juris, unde non tangit ſubſtantiam feudi, ſed quandam ſuperficialem, & materialem poſſeſſionem, quæ non tangit jus domini, ut inquit Bald. *hîc d. num.2. in 3. oppoſit. verſ. Ex quo nota talem concluſionem.* Item cauſa feudi eſt in rem, cauſa poſſeſſionis eſt in perſonam, ut idem ait ante *num.1.* Facit textus *in l. Naturaliter*, *§. Nihil commune*, *ff. de acquir. poſſeſſ.* Curt. Jun. *in tract. de feud. part.7. n.23. quæſt.6.* ubi aſſerit hanc eſſe communem opinionem, & alii apud Carol. de Graſs. *de effect. Cleric. effect.1. n.732.*

28 Pro concordia ſic poteſt diſtingui; nam aut ratione poſ-
ſeſſionis propter dominium, vel injuriam illatam in ſua
poſſeſſione vaſſallus agit ad injuriam, vel ad pœnam, vel
ad intereſſe ſimpliciter, vel pro poſſeſſione, qua eſt ſpolia-
tus, vult agere criminaliter; & tunc cognoſcit judex Or-
dinarius, & non feudi, quia hìc non vertitur quæſtio feu-
di. Aut agitur poſſeſſorio, cujus victoria adminiculatur
proprietati, veluti ſi peto mihi poſſeſſionem ablatam reſti-
tui, vel ſi peto te privari jure, quia propria auctoritate
occupaſti rem à me poſſeſſam, vel ſi ago interdicto *uti poſſi-
detis*, petens pronunciari me eſſe poſſeſſorem; hinc enim pa-
ratur magnum cōmodum judicio proprietatis, *ut in §. Com-
modum inſtitut. de interdict. & l. Sicuti, §. Sed ſi quæratur, ff.
ſi ſervitus vendicet.* & in his caſibus congnitio pertinet an
dominum, quia negari non poteſt, quin iſta quæſtio ſit de
pertinentibus ad cauſam proprietatis, Bald. *in §. Inter pares,
num. 2. de leg. Corrad. in uſibus feudor.* quem ſequitur, &
pluribus confirmat Aretin. hìc *n. 23. verſ. Baldus autem*, di-
cens hanc eſſe veritatem.

29 Declara ſextò eamdem regulam, ut reſpectu Clericorum
habeat locùm, ſi cauſa feudalis ſit merè civilis; ſecus verò ſi
contra Clericum vaſſallum agatur ad amiſſionem feudi cri-
minaliter, vel civiliter propter crimen, quia tunc non
poteſt de hoc cognoſcere dominus feudi, ſed remittenda
eſt cognitio ad Prælatum ipſius Clerici, etſi feudum ſit
paternum. Ita Innocent. *in cap. Verum num. 2. ad fin. verſ.*
30 *Licet dixerimus, infrà de foro compet.* Et ratio eſt ſecun-
dùm cum *num. 3.* quia de crimine Clericum nec directè,
nec incidenter poteſt laicus cognoſcere, ſicut nec de legi-
timitate, *argum. cap. Ex tranſmiſſa, eodem tit.* & eſt ſimi-
le in *cap. Tuam, infrà de Ordin. cognit. cap. Lator, qui filii
ſint legit. cap. Poſtulaſti de foro compet.* & cùm Innocent.
concordant *in d. cap. Verum*, Hoſtien. *num. 2. in fin. verſ.
Licet autem*, Jo. Andr. *n. 4.* Bellam. *n. 7. in 5. qu.* Butr. *n. 11. col.
4. poſt medium, verſ. Si autem cauſa eſt criminalis*, Imola *n. 6.*
Abb. *n. 17. verſ. Et procedunt hæc*, Alex de Nævo *n. 15. & 16.*
& reliqui omnes, Marian. Socin. *in c. Ex tranſmiſſa n. 32.
verſ. Hæc tamen concluſio, de foro competen.* Paris de Put. *in
tract. de integrit. feud c. 198. n. 3. & 8.* Aufrer. *in tract. de po-
teſtate judic. laic. ſuper perſon. Eccleſiaſt. reg. 2. n. 2.*

Declara ſeptimò, ut non procedat in vaſſallo Clerico 31
ſpoliato, quia non cognoſcit dominus feudi ſed ſtatim
ſpoliator per judicem Eccleſiaſticum eſt cogendus reſtitue-
re Clerico quod rapuit; nam violentus eſt ſacrilegus, quod 32
crimen Eccleſiaſticum eſt, *cap. in canonibus, 16. quæſt. 1.* &
patet *in cap. Conqueſtus, infrà de foro compet.* etiam ſi ſit du- 33
bium de ſpoliatione, quia nihilominùs cognoſcit Eccleſia,
*arg. cap. De potentibus 23. q. 2. & cap. Relatum, ubi de hoc, de
jurepatr.* ſecundùm Innoc. hìc *n. 2. verſ. Si autem fuerit Cle-
ricus ſpoliatus*, Hoſtien. *num. 4. & 5.* & Joan. Andr. *num. 3.
eodem verſ.*

Declara ultimò propoſitam regulam, dummodò vaſſal- 34
lus coram domino feudi poſſit juſtitiam conſequi, aliàs
enim Ordinarius rei erit adeundus, ut hic patet in *verſ.
Quamdiu parati fuerint*, & notant gloſſ. *in princ.* Abb. Are-
tin. & ſequaces, *in Summ.* text. & idem Abb. *n. 12.* Quamo-
brem ſi dominus malitiosè differat procedere, tunc coram
Ordinario agetur, Innoc. hìc *in fin.* nam ut inquit Bald. *n. 2.*
juriſdictionem à ſe excutit, qui eam denegat exhibere. Et
idem eſt, ſi dominus feudi ſit negligens, quia Eccleſia juſti-
tiam facit, *cap. Ex tranſmiſſa, cap. Licet, & cap. Ex tenore
infrà de foro compet.* Hoſtien. hìc *num. 11.* Bald. *d. n. 2. verſ.
Concedo, quòd propter negligentiam redit juriſdictio ad Or-
dinarium*, Imola *n. 4.* & Abb. *d. n. 12.*

DE JUDICIIS.

Cœleſtinus III.

CAPUT X.

CUm non ab homine: & infra. A nobis fuit ex parte tua quæſitum, utrùm liceat regi vel alicui ſæculari perſonæ judicare Clericos cujuſcumque ordinis, ſive in furto, ſive in homicidio, vel perjurio, ſeu quibuſcumque fuerint criminibus deprehenſi. Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quòd ſi Clericus in quocumque ordine conſtitutus, in furto, vel homicidio, vel perjurio, ſeu alio crimine fuerit deprehenſus legitimè atque convictus, ab Eccleſiaſtico judice deponendus eſt. Qui, ſi depoſitus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet, deinde contumacia creſcente anathematis mucrone feriri: poſtmodum verò ſi in profundum malorum veniens, contempſerit, cùm Eccleſia non habeat ultrà quid faciat, ne poſſit eſſe ultrà perditio plurimorum, per ſæcularem comprimendus eſt poteſtatem; ita quòd ei deputetur exilium, vel alia legitima pœna inferatur.

SUMMARIUM.

1 *CLericus depoſitus incorrigibilis per curiam ſæcularem comprimitur, n. 35. & 29.*
2 *Eccleſia optat hominis ſalutem, & non interitum; ideò gradatim emendando procedit, & non fulminat degradando.*
3 *Rex eſt ſæcularis perſona.*
4 *Reſponſio debet congruere interrogationi, n. 29.*
5 *Alternativa quando ponitur inter genus, & ſpeciem, ſtat reſtrictivè, & exponitur pro, id eſt.*
6 *Quando ſtatuit plura circa idem factum, ponitur pro conjuncta.*
7 *Laicis, quantacumque, & qualicumque fulgeant dignitate, non licet clericos judicare.*
8 *Dignitas nulla ſæculari Sacerdotio adæquatur.*
9 *Rex non ungitur chriſmate in capite, ſed oleo delinitur in brachio, ſive umero, vel in armo.*
10 *Epiſcopus chriſmate conſecratur in capite.*
11 *Clerici etiam primæ Tonſuræ non poſſunt à ſæculari poteſtati judicari.*
12 *Familia Epiſcopi gaudet privilegio fori.*
13 *Clericus etiam minorum Ordinum ratione delicti eſt deponendus.*
14 *Clericus pro furto, homicidio, vel perjurio deponi poteſt.*
15 *Depoſitus etiam pro crimine irregularitatem inducente non perdit ipſo jure privilegium fori.*
16 *Degradatus actualiter eſt ipſo facto nudatus omni privilegio Eccleſiaſtico, nec requiritur actualis traditio curiæ ſæculari, n. 90. & 91.*
17 *Irregularis ex homicidio non eſt depoſitus ipſo jure, ſed deponendus.*
18 *Deprehenſus in fraganti crimine non poteſt ſtatim condemnari, niſi etiam ſit convictus vel confeſſus.*
19 *Si tamen factum ſit notorium, ſtatim condemnari poteſt.*
20 *Clericus in crimine deprehenſus non poteſt capi à curia ſæculari, niſi authoritate Prælatorum.*
21 *Excommunicatio, & anathema an, & in quo differant, num. 13.*
22 *Excommunicationis verbo major excommunicatio intelligitur.*
23 *Depoſitio includit in ſe ſuſpenſionem.*

Ana-

24 *Anathematis ſolemnitas quæ ſit?*
25 *Clericus depoſitus, & incorrigibilis, an ſtatim efficiatur de foro ſæculari ante actualem degradationem, & traditionem, & n. ſeqq.*
Et quid ſi notoriè conſtet de incorrigibilitate, n.27.
26 *Clericus etiam non depoſitus, qui tertiò monitus ingerit ſe enormitatibus, perdit ipſo jure privilegium Clericale.*
28 *Incorrigibilis an ſit Clericus, cognoſci debet per Judicem Eccleſiaſticum.*
29 *Clericus depoſitus, & incorrigibilis ita demum comprimendus eſt per curiam ſæcularem, ſi Eccleſia de facto non habeat ultra quid faciat, & n.97.*
Et quis dicatur incorrigibilis, ibid. & num.33. & 34. & 96.
30 *Pœnæ canonicæ quæ ſint.*
31 *Exilii pœna eſt canonica.*
32 *Brachii ſæcularis auxilium Eccleſia poteſt implorare, & judex laicus illud præſtare tenetur.*
34 *Clericus incorrigibilis ut tradi poſſit curiæ ſæculari, qui gradus ſint ſervandi, quando pœna incipit à crimine.*
35 *Et quid ſi pœna incipiat à contumacia.*
36 *Clericus an pro crimine atrociſſimo, vel pro pluribus criminibus depoſitione dignis ſtatim ſit degradandus, & tradendus curiæ ſæculari, licèt non ſit incorrigibilis, & n. ſeqq. uſque in fin.*
37 *Referuntur Authores & fundamenta opiniones affirmativæ, & n.38. & ſeqq. uſque ad n.65.*
Item Authores, & fundamenta opinionis negativæ, à n. 65. uſque ad n.104.
Item Authores hoc relinquentes arbitrio Judicis, numer. 104.
Et conſulto Romano Pontifice, & n.105.
38 *Intellectus cap.1.* de homicidio, *& num. ſeqq. uſque ad num.47.*
39 Moriatur, *verbum in dubio intelligitur de morte naturali, & non de civili.*
40 *Lex, vel Conon habens plures intellectus, allegari non poteſt ad deciſionem cauſarum.*
41 *Homicida proditorius non gaudet immunitate Eccleſiaſtica.*
42 *Depoſitio habetur inſtar mortis.*
43 Moriatur, *verbum ad Eccleſiam relatum non intelligitur de morte corporali, ſed de ſpirituali.*
44 *Mors duplex.*
45 *Gladius ſpiritualis Eccleſiæ non eſt ad mortem, ſed ad medelam.*
46 *Eccleſia tradendo Clericum judici ſæculari, debet efficaciter interdicere, ut citra mortem ſententia moderetur.*
47 *Intellectus cap.* Novimus de verb. ſignificat.
48 *Degradatio Clerici, & traditio curiæ ſeculari fit pro quolibet flagitio damnabili, & damnoſo, & num. ſeqq.*
Declaratur, n.50.
49 Aliud, *dictio eſt repetitiva ſimilium, & n. ſeqq.*
52 *Delicti ob frequentiam ſeverius aliquid ſtatuitur.*
53 *Lex pœnalis, & exorbitans non extenditur ex identitate, vel majoritate rationis, & n.81. & 82.*
54 *Lex tribuens poteſtatem laico ſuper juribus, & perſonis Eccleſiaſticis, etiam ex majoritate rationis non extenditur, & n.82.*
55 *Flagitia quædam ſunt, quæ potiùs per judices ſæculares, quàm per Eccleſiaſticos vendicantur.*
56 *Degradationis pœna & traditionis curiæ ſæculari ſecundùm Canones ſuccedit in omnibus delictis, pro quibus ſecundùm leges imponitur pœna mortis naturalis.*
Contrarium, n.62.
57 *Pœnæ debent commenſurari delictis.*
58 *Et augentur ex delicti iteratione.*
59 *Iteratio peccati tranſit in conſuetudinem peccandi.*
60 *Carceris perpetui pœna proportionatur pœnæ mortis naturalis.*
61 *Pœna minor eſt ſtatim mori, quàm diù affligi, & ſalutem non ſperare*
63 *Adulterii pœna ſecundùm leges in laico eſt mors naturalis; ſecundùm canones in Clerico eſt depoſitio, & detruſio in Monaſterium.*
64 *Raptus pœna quæ ſit ſecundùm Leges, & Canones.*
66 *Clericorum exemptio à ſæculari poteſtate non tantùm Canonicis ſanctionibus, ſed etiam divina ordinatione fuit conſtituta, & n.79.*
67 *Et Papa ſolus poteſt hujuſmodi exemptionem limitare, ſeu declarare.*
68 *Degradationis pœna imponitur tantùm in caſibus in jure expreſſis, n.79. id eſt.*
69 *Hæreſis.*
70 *Falſificationis litterarum Apoſtolicarum.*
71 *Conſpirationis in proprium Epiſcopum.*
Incorrigibilitatis, n.75.
Vitii nefandi, n.76.
Miſſarum celebrationis, & auditionis Confeſſionis à non ordinato in Presbyterum, n.77.
Falſificationis monetæ, n.78.
72 *Aſſaſſinus abſque ulla depoſitione, vel ſententia, ſtatim relinquitur curiæ ſæculari.*
73 *Nec requiritur ſolemnis degradatio.*
74 *Requiritur tamen declaratio judicis Eccleſiaſtici.*
80 *Exceptio non excludit caſus ſimiles.*
81 *Ratio ubi eſt eadem, non dicitur extenſio, ſed comprehenſio.*
82 *Fallit.*
83 *Degradatio non fit extra caſus in jure expreſſos, etiam ex identitate, vel majoritate rationis, etiam ubi lex civilis imponit aliquam pœnam ex ſæviſſimis, & num.90.*
84 *Monetam Principis falſantes, de jure civili igne comburuntur.*
85 *In Gallia in aqua fervente ſuffocantur.*
86 *Aruſpices, & ſortilegi de jure Canonico deponuntur, & detruduntur in Monaſterium.*
87 *Et quid in laicis de jure civili.*
88 *Rebellantes Sedi Apoſtolicæ non traduntur curiæ ſæculari, niſi ſequuta incorrigibilitate.*
89 *Nefandi criminis rei, ſecundùm Canones deponuntur, & in Monaſterium detruduntur.*
90 *Degradandus non exuitur privilegio fori, antequam ab Epiſcopo fuerit actualiter degradatus, & traditus curiæ ſæculari, & n.102.*
91 *Traditio curiæ ſæculari quomodo fieri intelligatur.*
93 Quæcumque, *dictio facit venire majora expreſſis, non obſtante verbo,* alia.
94 *Furtum cum ſacrilegio non punitur pœna degradationis.*
95 *Homicidia, vel furta iterata non ſufficiunt ad tradendum Clericum curiæ ſæculari non data incorrigibilitate, & n. ſeqq.*
96 *Incorrigibilis quis dicatur.*
98 *Clericus incorrigibilis non eſt tradendus curiæ ſæculari, niſi prius Eccleſia ſit experta omnes modos correctionis.*
99 *Duo ubi copulativè requiruntur, non ſufficit alterum adimpleri.*
100 *Intellectus cap.* Tuæ, de pœnis.
101 *Latrocinium eſt delictum gravius, quàm furtum.*
103 *Intellectus cap.* Ut famæ, de ſentent. excommunicat.
106 *Sacerdos Regularis apoſtata, qui decem furta qualificata commiſit, ex voto Congregationis à Sanctiſſimo deputatæ ad triremes in perpetuum tranſmiſſus fuit.*

C*Um non ab homine.* Clericus depoſitus incorrigibilis per curiam ſæcularem comprimitur. Hoc dicit Abb. Antiq. Joan. Andr. Bald. Bellam. Burr. Cardin. Anchar. Imol. & Joan de Anan Sed communis hæc ſummario non placet Abbati Siculo, quia videtur contra text. unde ipſe ſummat ſic: Clericus depoſitus incorrigibilis excommunicandus eſt, & ſucceſſivè anathematizandus, & ſi ſic non reſipuerit, per judicem ſæcularem comprimendus eſt. Hoc dicit: & concordat Barbat. Felin. Aretin. & Hyppol. Riminald. Sed dici poteſt Joan. Andr. & ſequaces habuiſſe bonum intellectum; dum enim dixerunt incorrigibilem eſſe comprimendum per curiam ſæcularem, intellexerunt de incorrigibili ſecundùm gradus hic præſcriptos, & ſic non ſtatim poſt depoſitionem, ſed poſt excommunicationem, & anathema, ut fuſiùs patebit infra *in ult. notab.* Itaque Eccleſia optat hominis ſalutem, & non interitum, & ideò 1 2

& ideò gradatim emendando procedit, & non fulminat
degradando: & hoc ſecundùm Bald. intendit iſta Decreta-
lis. Communis diviſio ibi, *Conſultationi*.

3 Nota primò ibi, *Regi, vel alicui ſæculari perſonæ*, argu-
mentum quòd Rex non dicitur ſæcularis perſona, ut vide-
tur innuere particula disjunctiva, *vel*, ad text. *in cap. In-
ter cæteras ſuprà de reſcript. in l. Periculis, §. Argento, ff. de
aur. & arg. legat. & in l. Cum quidam in princ. C. de verbor.
ſignificat.* & pro hoc facit, quia Rex inungitur, *c. Unico, §.*
4 *Unde in veteri ſuprà de Sacram. Unct.* Oppoſitum tamen
firmant hìc Dec. *num. 1. & 2.* & Hippol. Riminald. *n. 3. in 3.
vol. repet. fol. 88.* verè enim Reges ſunt laici, ut probat tex.
in d. §. Unde in veteri, & ibi notat Abb. & ſatis probatur
hìc in illis verbis, *Per ſæcularem comprimendus eſt poteſta-
tem*; cum enim quæſtio proponatur de Rege, & ſæculari
perſona ut reſponſum quæſtioni conveniat, arg. §. *Præterea
inſtitut. de inutil. ſtipul.* dicendum eſt prædicta verba in deci-
ſione poſita Regem quoque comprehendere, & ita ipſum
5 veluti ſæcularem perſonam cenſeri. Et ad objectum reſ-
pondet Dec. alternativam hic poni inter genus, & ſpe-
ciem: & malè ſecundùm Hippol. Rimin. *ubi ſupra*, quia
verum non eſt illam alternativam, *vel*, hìc poni inter ge-
nus, & ſpeciem: nam dictio, *Rex*, ſpecialis eſt, non autem
genus: ſed rectè Dec. pro genere intellexit ſæcularem per-
ſonam, & pro ſpecie Regem; ex alio tamen capite Dec.
non videtur benè loqui, quia quando alternativa ponitur
inter genus, & ſpeciem, ſtat reſtrictivè, & exponitur pro,
id eſt, ut *l. Ubi pactum*, & ibi gloſſ. 2. & Bart. *C. de tranſact.
& l. 2.* & ibi etiam gloſſ. *in verb. vel pecudem, ff. ad l. Aquil.*
Quod hìc non benè adaptari poteſt, quia deciſio, ut ſæ-
cularis perſona non judicet Clericos, non reſtringitur ad
6 Reges; unde Riminald. *loco citato*, aliter ſolvit obje-
ctum, videlicet quòd ubi alternativa ſtatuit plura circa
idem factum, ut in hoc caſu; tunc ponitur pro conjun-
cta, ut notat Bart. *in l. Si is qui ducenta, §. Utrum in 5. op-
7 poſitione, ff. de rebus dub.* Ego verò exiſtimo alternativam
hìc ſtare propriè pro disjuncta, quia tex. dicit, Regi,
vel alicui ſæculari perſonæ; dicti autem, *Alicui*, oſten-
dit, ut nullus laicorum ſive ſit Rex, ſive quæcumque alia
perſona poſſit Clericos punire: & eſt ſimile quod hìc ſubji-
citur paulò infrà, ibi, In furto, vel homicidio, vel perju-
rio, ſeu aliquo crimine: nam dictio, *Aliquo*, habetur
8 in alia compilatione. Et propterea, ut benè ex hac Decre-
tali deducunt Abb. Dec. & Riminal. *in 1. notab.* laicis quan-
tacumque, & qualicumque fulgeant dignitate non licet
Clericos judicare: & rationem reddunt, quia nulla Di-
gnitas ſæcularis Sacerdotio adæquatur, *cap. Duo ſunt 96.
diſt. cap. Solitæ de majorit. & obed.* & ideò Rex oleo delini-
9 tur in brachio, ſive humero, vel in armo; Epiſcopus ve-
rò cujus eſt Clericos diſcutere, & judicare, *cap. Si Impe-
10 rator eâ diſt.* Chriſmate conſecratur in capite, ut oſten-
datur, quanta ſit differentia inter auctoritatem Sacerdota-
lem, & Regiam poteſtatem, ut legitur *in d. c. Unico, §. Un-
de in veteri de Sacr. Unction.*

11 Secundò nota ibi, *Cujuſcumque Ordinis*, Clericos non
poſſe à ſæculari poteſtate judicari in quocunque ordine
ſint conſtituti, & ſic etiamſi ſint prima tantùm tonſura
initiati, per id quod legitur, & notatur *in cap. Cùm con-
tingat ſuprà de ætat. & qualit.* & hìc notant Hoſt. *in princ.
in verb. Cujuſcumque Ordinis, & num. 4. in fin. in verb. Et ab
Eccleſiaſtico*, Joan. Andr. *num. 1. in fin. in verb. Ordinis*,
12 Imol. *in 1. notab.* & plerique alii. Quinimò *verb. Clericos*,
hìc ſumitur largè pro quacumque perſona Eccleſiaſtica,
quæ eodem privilegio gaudet, *c. Si quis ſuadente 17. qu. 4.
cap. Porrò de ſent. excommun.* Unde idem dicendum de
familia Epiſcopi, arg. *c. fin. §. 1. in fin. ſupra de offic. Archid.*
ſecundùm Hoſtien. *hìc in princ. in verb. Clericos*, & Joan.
Andr. *num. 2.* Sed certè hæc concluſio licèt ſit in ſe vera,
tamen non benè probatur hìc, quia verba illa, *Qui ſi de-
poſitus*, non conveniunt niſi habenti Ordinem, ut ac-
curatè obſervat Abb. *hìc in 2. not.* Nec obſtat text. *in cap.
Si quis Epiſcopus 16. qu. 7.* quem Andreas Barbatia dicit eſ-
ſe contra Abbatem. Quoniam verba illa, *Omneſque cui il-
li communicant*, non referuntur ad verbum, *Deponatur*,
cui non adaptantur, ſed ad verbum, *Segregetur*, ut patet
in c. Omnis electio, ibi, *Et ſegregentur ab Eccleſia omnes,
qui illi communicant, 63. diſt.*

13 Tertiò nota in eiſdem verbis, *Cujuſcumque Ordinis*, ra-
tione delicti eſſe deponendum Clericum non modò in ſa-
cris conſtitutum, ſed etiamſi ſit inferioris gradus, ſecun-
dùm Hoſtien. *hìc num. 3.* Cardin. *num. 2.* & Abb. *in 3. notab.*
facit ſecundùm eos *cap. 2.* & quod ibi notatur *infrà de Cler.
excomm. miniſtr.* Adde tu etiam in Clerico primæ tonſuræ
hoc apertiùs probari *in c. Degradatio, de pœn. lib. 6.* indu-
cendo illud, ut ſcripſi *in d. c. Cùm contingat à num. 62 de
ætat. & qualit.* ubi etiam *n. 64.* adduxi Pontificale Roma-
num *in tit. De degradatione à prima tonſura*.

Quartò nota ibi, *Sive in furto, &c.* textum expreſſum, 14
quòd pro furto, homicidio, vel perjurio, poteſt Clericus
deponi, Abb. Antiq. *hìc in verb. Perjurio*, qui licèt loqua-
tur de degradatione, tamen intelligi debet de degradatio-
ne verbali, juxta text. *in d. cap. Degradatio in princ. de
pœn. lib. 6.* & concordant hìc Hoſtien. *num. 1.* Joan. Andr.
num. 3. Butr. *eod. num.* Abb. Siculus *in 4. notab.* & alii com-
muniter.

Quintò nota ibi, *Vel homicidio*; Clericum depoſitum 15
etiam pro crimine irregularitatem inducente, quale eſt
homicidium, non perdere ipſo jure privilegium fori, ſed
adhuc remanere ſub juriſdictione Eccleſiæ, *cap. Sacerdos
cum multis ſeqq. 81. diſt.* Butr. *hìc num. 13.* Imol. *num. 4. verſ.
Item nota quod licet Abb. in 5. notab.* & alii communiter; 16
ſecus eſt ſi fuerit actualiter degradatus, quia ipſo facto nu-
datus eſt omni privilegio Eccleſiaſtico, *ut in d. cap. Degra-
datio de pœn. lib. 6.* Joan. Andr. *hìc num. 10.* Abb. *ubi ſuprà*;
neque hoc caſu requiritur traditio curiæ ſæculari: & eſt
communis opinio, ut hìc teſtatur Alciat. *num. 108.* prout il-
lum refert Villalob. *in ſua Collect. comm. opinion. littera C. n.
71.* & Jul. Clar. *in pract. crim. §. fin. q. 3. verſ. Scias autem*:
nam traditio intelligitur fieri in actu ipſius degradationis,
juxta formam *c. Novimus in fin. de verb. ſignific.* & ſic non
requiritur traditio manualis, ſed benè requiritur verbalis,
ut ibi dixi *num. 5. & 6.* poſt Joan. Andr. *num. 3.* & Abbatem
n. 7. & tangam infrà *n. 91.*

Sextò nota in eodem verb. *Homicidio*, juncto verbo, *De- 17
ponendus eſt*, Clericum irregularem etiam ex homicidio
voluntario non eſſe depoſitum ipſo jure, ſed deponen-
dum; nec pro tali crimine eſſe actualiter degradandum,
niſi ſit incorrigibilis, ut hìc patet apertè ſecundùm Anton.
de Butr. *n. 15.* Imol. *n. 5.*

Septimò nota ibi, *Fuerit deprehenſus legitimè, atque con- 18
victus*; ad deponendum Clericum non ſufficere, ut fue-
rit deprehenſus in crimine, niſi cùm hoc concurrat, ut ali-
ter de crimine convincatur, gloſſ. *in cap. Tuæ infrà de pœn.*
& hìc notant Abb. Antiq. *in verb. Atque convictus*, Goffred.
& Hoſtien. *num. 4. in eodem verb.* dicens non ſufficere ſo-
lam deprehenſionem, niſi quoad infamiam inducendam,
ut l. Palàm §. Quæ in adulterio, ff. De ritu nupt. Imò exigitur,
ut hoc confiteatur, vel inde convincatur, *ut in cap. Si quis
Diaconus 50 diſt.* Joan. Andr. *hìc num. 4.* Butr. *in 3. notab.*
& Imol. *num. 2. in fin.* Ad hoc *leg. capite quinta, ff. de adulter.
& l. Quomodo, §. fin. ff. de edilit. edict.*

Hoc tamen declara, niſi factum ſit notorium per evi- 19
dentiam facti, quia tunc deprehenſus in crimine ſtatim
condemnari poteſt, *l. Defenſores, C. de defenſ. civitat.* &
arg. *cap. ult. infrà de cohabit. Clericor. & mulier. & cap. De
manifeſt. 2. qu. 1.* & notat præcitata gloſſ. 1. *in cap. Tuæ, de
pœn.* de quo dic pleniùs, ut hìc per Imol. *num. 6. verſ. Et ſe-
cundùm hoc non eſt neceſſe*, & Abb. *num. 19.* Exigitur tamen, 20
ut deprehenſio Clerici ſit legitima, ut hìc in gloſſ 2. nec fiat
à miniſtris laicis, niſi auctoritate Prælatorum, ne ultra
ſe extendat violentia, quàm exegerit defenſio Clericorum,
cap. Et famæ infrà de ſentent. excomm. aliàs eſſent excom-
municati, ut ibi, & firmat d. gloſſ. 1. *hìc, & in d. c. Tuæ.*
Quod latiùs proſequere, ut per Abb. *hìc à num. 10.* & Are-
tin. *à num. 9. uſque ad num. 19.* maximè *num. 15.* ubi conclu-
dit.

Octavò nota ibi, *Excommunicari debet, deinde contu- 21
macia creſcente anathematis mucrone feriri*, aliud eſſe
excommunicationem, aliud anathema: excommunica-
tio enim hìc non ſumitur pro minori, ut voluerunt Gof-
fred. & Innoc. *in fin.* quia excommunicationis verbo ma- 22
jor excommunicatio intelligitur, *cap. Si quem infra de ſen-
tent. excomm.* nec debet exponi pro ſuſpenſione, prout ex- 23
poſuit gloſſ. *hìc in verb. Excommunicari*: nam quomodo
ſuſpendi poſſet jam depoſitus, cùm depoſitio includat in
ſe ſuſpenſionem? *cap. At ſi Clerici ſup. eodem*, Abbas *hìc
num. 23.* ſed debet intelligi de majori excommunicatione,
quæ fertur ſine ſolemnitate: anathema verò de illa, quæ
fer-

ſertur cum ſolemnitate, de qua *in cap. Debent* 11. *q.* 3.
Ad hoc Clem. *Si quis ſuadente verſ. Et quia*, *de pœn.* De
anathemate enim loquitur Apoſtolus ad *Galatas* 1. & ad
Corinth.ultim. & habetur *in §.fin.* 13. *qu.* 4. & dicunt Deri-
vatores,anathema derivari ab *Ana*, quod eſt ſurſum eſt, &
Thera, quæ eſt quædam figura ad formam litteræ E. cum
tractatu, quæ frontibus damnatorum imprimebatur.
Itaque anathema dicitur quaſi *Anathera*, id eſt, ſuperna
24 maleditio, de qua *cap. Guiliſarius* 23. *qu.*4. Solemnitas
autem talis anathematis eſt, quia hanc fulminat Epiſco-
pus cum duobus Presbyteris præſentibus, cùm candelis
accenſis, quas debent in fine anathematizationis in
terram projicere, & pedibus conculcare, ut moris eſt
Romani Pontificis in publicatione Bullæ in die Cœnæ Do-
mini. Et hanc differentiam inter excommunicationem,
& anathema, rejectis aliorum expoſitionibus, conſti-
tuunt hìc Abb. Antiq. *in verb. Excommunicari*, Ho-
ſtienſ. *num.* 6. *in eodem verb.* Joan. Andr. *num.* 6. *in
verb. Anathematis*, Butr. *num.* 32. Cardin. *num.* 3. *cir-
ca fin. verſ. In gloſſ.* & Abb. *nom.*23. Quomodo autem
fiat abſolutio ab anathemate vide *in cap. Cum aliquis* 11.
qu. 3.
25 Nonò nota ibi, *Poſtmodum verò ſi in profundum malo-
rum, &c.* Clericum depoſitum, etiamſi ſit incorrigibilis,
ſecundùm unum intellectum non eſſe ſub poteſtate ſæcula-
ri, nec perdere privilegium Clericale ante actualem tradi-
tionem,gloſſ.*ultim.hìc*, Hoſtien. *num.*8. Butr. *num.*7. *&* 17.
idque ſecurius eſſe dicit Henric. Boich. *num.*8. *verſ. Sed
ſecurius.* Sed ſecundùm alium intellectum Clericus quan-
do eſt depoſitus, & incorrigibilis, ſine alia degradatione,
& traditione ſtatim efficitur de foro ſæculari: & ita hìc
eſt caſus ſingularis ſecundùm Cardinalem *num.* 2. *verſ.*
26 *Item ibi comprimendus.* Intellige ſecundùm intellectum,
quem ſequitur Joan. Andr. *num.* 10. *&* 11. rationem red-
dit à fortiori, qui ſi abſque depoſitione Clericus tertiò
monitus ingerens ſe enormitatibus perdit, privilegium
Clericale, ut *c. Contingit*, *il ſecondo*, *cap. In audientia,&
cap. Perpendimus infra de ſentent. excommunic.* multò ma-
gis perdet jam depoſitus, qui tertiò monitus poſteà ſe non
27 correxit. Neque hìc dicitur quod tradatur ſæculari pote-
ſtati, ſed quòd ſæcularis poteſtas eum comprimit. Hoc
tamen intelligunt Cardin. *num.*6. *verſ. Hoc tamen*, Imol.
eodem num. verſ. Et ſecundum hoc, quando de incorrigibi-
litate notoriè conſtat, ut quia incedit armatus, & ſpernit
monitiones Epiſcopi: tunc enim non eſt neceſſe, ut con-
vincatur ordine judiciario ſervato, cum in notorio talis
probatio non requiratur, *cap. Ad noſtram*, *il terzo infrà
de jurejur. cap. Manifeſta*, *& cap. De manifeſta* 2. *quæſt.*1.
28 Alioquin, ſi non conſtaret de incorrigibilitate, & judex lai-
cus eum comprehenderet, & Clericus negaret ſe eſſe in-
corrigibilem, de hujuſmodi articulo an eſſet incorrigibilis
priùs cognoſcendum eſſet per Judicem Eccleſiaſticum, arg.
c. Si judex laicus, *de ſentent. excommun. lib.*6.
29 Decimò nota ibi, *Cùm Eccleſia non habeat ultra quid
faciat*, ita demum Clericum depoſitum incorrigibilem
eſſe comprimendum per Curiam ſæcularem, ſi Eccleſia
non habeat ultra quid faciat, ſcilicet de facto, prout in-
telligunt Doctores, non autem de jure, quia certum eſt
30 Eccleſiam de jure ultra pœnas depoſitionis, excommunica-
tionis, & anathematis, habere etiam alias pœnas, cùm
multæ ſint, ut notat gloſſ.2.*in cap. Ad reprimendam*, *de of-
fic. Ordin.* & Joan. Andr. *in cap. Pro humani*, *num.*4. *col* 3.
circa finem in verb. Excommunicationis, *de homicid. lib.*6.
& fuſiùs *in cap. Qualiter*, *& quando*, *il ſecondo*, *num.*18.
verſ. Secundùm Canones autem,infra de accuſat. Poteſt enim
omnia bona temporalia confiſcare, ut ibi, *& in cap. Ex-
communicamus*, §.*Damnati infrà de hæret.* Item habet pœ-
nam verberum citra ſanguinis effuſionem, ut *cap. In Ar-
chiepiſcopatu*, *de raptor.* Item imprimit characterem etiam
in facie, licèt non ita profundè, ut ſanguis eliciatur, ſed
cutis ſuperficiens deformetur in ſignum maleficii, ut *c. Ad
audientiam*, juncta gloſſ. *ult. de crimin. falſ.* Item inducit
ſervitutem, *cap. Ita quorumdam*, *de Judæis*, ubi Chriſtiani
deferentes merces prohibitas ad Saracenos, capientium
ſervi efficiuntur. Item poteſt diffidare Clericum cum om-
nibus bonis ſuis, ut à quocumque poſſit impunè offen-
di, ut in præalleg. *cap. Pro humani.* Item poteſt detrude-
re in Monaſterium ad tempus, vel in perpetuum, *c. De
31 lapſis* 16. *quæſt.* 6. *cap. Novimus*, §. 1. *de verbor. ſignificat.*
& in ſpecie habet pœnam exilii, ut *cap. Accuſatoribus* 3. *q.*
5. *cap. Probinum*, & ibi gloſſ. *fin.* 16. *quæſt.*6. *cap. Accedens*
50. *diſtinct. cap.*1. *de calumniator. cap. ult. de pœn.* idque
per omnes exilii ſpecies, de quibus notat gloſſ. in Extra-
vag. *Ad noſtri, Joannis XXII. in verb. Banniti*, *de privileg.*
Cùm ergo hic text. dicat Clericum incorrigibilem poſt de-
poſitionem, excommunicationem, & anathema, eſſe
comprimendum per ſæcularem poteſtatem, itaut ei pœna
exilii deputetur, eò quòd Eccleſia non habeat ultrà quid fa-
ciat; & tamem Eccleſia poſſit eamdem quoque pœnam exi-
lii infligere per omnes ejus ſpecies: utique cogimur fateri
ea verba non eſſe intelligenda de jure, itaut Eccleſia non
habeat ultra quid faciat ex defectu pœnarum, vel ex defe-
ctu poteſtatis; ſed de facto propter potentiam iſtius crimi-
noſi, qui ab Eccleſia corrigi, & comprimi non poteſt; &
ita hunc text. intelligit Abb. Antiqu. *ante num.*1. *in verb. Ul-
tra quid faciat*, dicens hoc cap. intelligi de nobilibus, &
potentibus, ad quorum correctionem non ſufficit Epiſco-
pus, vel Prælatus: & cum eo concordant Jo. Andr. *num.*
8. *in verb. Ultra*, Bald. *num.* 2. *in verb. Quid faciat*, Bel-
lam. *num.* 3. *in verb. Ultra*, Butr. *num.* 18. Cardin. *num.* 5.
verſ. Secus, ſi incorrigibilis, & Anchar. *n.*6. *verſ. Adver-
te tamen:* ex quibus patet hanc eſſe communem lecturam ad
iſtum text. prout etiam teſtatur Abb. Siculus *num.* 24. Nec
refragatur, quod Eccleſia poſſit invocare Judicis ſæcularis 32
auxilium, iſque teneatur illud præſtare tamquam Eccleſiæ
miniſter, *cap. Adminiſtratores* 23. *quæſt.* 5. *cap.* 1. *de offic.
Ordin. cap. Petimus* 11. *quæſt.*1. & eo invocato poſſit Ec-
cleſia imponere pœnam exilii, vel aliam canonicam, ut *in
cap. Ut famæ*, *de ſentent. excommunic.* ubi Clericos incor-
rigibiles Eccleſiaſticus Judex detrudit in arctam cuſtodiam.
Quoniam, ut benè reſpondet Abb. *hìc num* 25. *circa med.
verſ. Et ad contrarium*, fortè de facili capere non poterat 33
per familiam Poteſtatis fortaſſe ad hoc ſæpè, ac ſæpiùs adhi-
bitam; unde Eccleſia non vult ampliùs habere curam ip-
ſius, ſed dimittit eum Judici ſæculari, qui poterit habere
majorem ſolertiam in capiendo, eum cùm agnoverit illum
eſſe de foro ſuo; vel fortè, ut ſæpè de facto contingit, iſte
Clericus captus multoties capturam illuſit effringendo car-
ceres, & deteriora committendo; & ita Eccleſia non po-
tuit eum condignè caſtigare, cùm pœnam mortis non ha-
beat; quare ipſum relinquit Curiæ ſæculari, quæ legiti-
mam pœnam infligat. Et dic, legitimam, id eſt à legibus
ſæcularibus impoſitam, & ſic mortis, vel mutilationis mem-
bri, ſecundùm qualitatem delicti, ut hìc per Abb. Antiq.
in verb. Legitima; & hunc dicit eſſe verum intellectum
Abb. Sicul. *ubi ſupra*, quem etiam poſuit Archid. *in c. Si quis
Sacerdotum*, *n.*5. 6. *&* 7. 11. *q.*1. relatus a Bellam. *hìc n.*3.
in verb. Ultra, ubi ait tunc demum Clericum tradendum 34
eſſe Curiæ ſæculari, id eſt permittendum eſſe; imò præci-
piendum Judici ſæculari, ut eum capiat, & coerceat, ſi
per Eccleſiam corrigi non poſſit propter illius potentiam,
vel malitiam, vel quia detentus utendo arte necromantiæ
illudit carcerem, & ibi in pace eſſe non vult. Et concor-
dat Cardin. *hìc num.*5. *circa med. verſ. Secus, ſi incorrigibi-
lis*, dum ait Clericum eſſe incorrigibilem cùm non vult pœ-
nitere, nec poteſt capi per Judicem Eccleſiaſticum; & tunc
eſſe coercendum per Judicem ſæcularem, cùm Eccleſia non
habeat ultrà quid faciat. Et ex hoc intellectu notabiliter col-
lige Clericum depoſitum, & incorrigibilem, quamdiu, ut
vulgò dicitur, eſt in fortiis Curiæ Eccleſiaſticæ, nullate-
nùs eſſe tradendum Curiæ ſæculari, cùm Eccleſia poſſit
eum punire pœnis Canonicis, de quibus ſuprà. Quod ſin-
gulariter nota, quia multi in hoc decipiuntur.
Ultimò nota ex hoc textu, & memoriæ commenda 35
practicam procedendi contra Clericum crimincſum. Ser-
vandi ſunt enim quatuor gradus, ut hìc per Hoſt. *num.*5.
& 9. *in verb. Poteſtatem*, Joan. Andr. *à num.* 6. *ad* 9. Bald.
*num.*2. Imol. *num.*3. & alios communiter. Conſtito enim
de delicto, ſi delictum eſt depoſitione dignum, Cleri-
cus deponitur; & hic eſt primus gradus pœnæ infligen-
dæ: & ſi ſe corrigat, quia non iterat, nec continuat deli-
cta, & depoſitionem ſervat, & pœnitentiam injun-
ctam adimplet, non proceditur ulteriùs, ſed ſi ſit
incorrigibilis prædicta non ſervanda, & ſimilia, vel dete-
riora crimina perpetrando, excommunicatur: & hic eſt
ſecundus gradus. Creſcente verò contumacia anathema-
tizatur: & hic eſt tertius gradus. Demum, ſi non reſipue-
rit, quin potiùs in profundum malorum devenerit, ne ſit
per-

perditio plurimorum, ſcilicet per malum exemplum, vel etiam plurimos damnificando, mutilando, vel occidendo: tunc demum cum Eccleſia non habeat ultra quid faciat, non ex defectu pœnarum, vel poteſtatis ſed quia propter illius potentiam de facto non poteſt eum comprimere, & coercere, relinquet eum comprimendum per ſæcularem poteſtatem: qui eſt quartus gradus pœnæ infligendæ, & eſt ſimile *in c. Dictum* 81. *diſt cap. Clericus* 3. *q.*4. *c. Si quis Sacerdotum* 11. *q.*1. *cap. At ſi Clerici ſupra eod.*

35 Cæterùm adverte, quia, hæc procedendi forma locum habet, quando pœna incipit à crimine, ſeu quando proceditur propter crimen: tunc enim Clericus criminoſus primò deponitur, ſecundò excommunicatur, tertiò anathematizatur, & quartò loco per Curiam ſæcularem comprimitur, ut dictum eſt. Secus verò ſi pœna incipiat à contumacia, quia tunc procedendum eſt de ordine inverſo: nam primò, Clericus contumax ſuſpenditur, ſecundò, excommunicatur, tertiò deponitur, quartò & ultimò traditur Curiæ ſæculari. Et hunc ordinem reſpiciunt jura pro, & contra hic allegata, videlicet *c. Forte* 23. *qu.*4. *cap. Quorumdam* 23. *diſt. c. Honoratus* 74. *diſtinct. c. Quoniam*, *§. fin. infrà ut lit. non conſtat.* Et hic declarant gloſſ. *ultim.* Innocent. *num.*1. Hoſtienſ. *n.*9. *verſ. Et hoc verum eſt quando pœna incipit à crimine, & num.*11. *verſ. Ubi verò pœna incipit à contumacia*, Bald. *num.*2. Henric. Boich. *in fine, verſ. Si pœna incipiat à contumacia*, Butr. *num.* 33. & reliqui omnes.

36 Expeditis notabilibus, venio ad celebrem quæſtionem, an Clericus non ſervatis gradibus pœnarum hìc præſcriptis ſta im ſit degradandus, & tradendus Curiæ ſæculari, quando commiſit crimen aliquod atrociſſimum, puta homicidium cum proditione, vel parricidium, vel homicidium cum latrocinio ſeu ſpoliatione, vel homicidium cum ſacrilegio, ut in eo, qui occidit Presbyterum, vel perſonam ſacram, vel aliud ſimile, propter quod de jure civili, laico eſſet imponenda aliqua pœna ex atrociſſimis, verbi gratia pœna ignis pœna diſcerptionis, quæ infligitur, cùm reus ſecatur in plura fruſta, & pœna traditionis ad beſtias, vel aliæ, de quibus *in l. Pœna parricidii, ff. ad leg. Pompe de Parricid. in l. Sacrilegii, ff. ad leg. Jul. Peculta & in l. Capitalium per totam, ff. de pœn.* & quid ſi Clericus commiſerit plura homicidia, plures falſitates, vel plura latrocinia, ex quorum ſingulis eſſet depoſitione dignus.

37 Petrus de Ancharano *hìc à num.* 10. *verſ. Et quia ſuper illa materia, uſque ad num.*16. *verſ. Tertiò opponitur, & in repetitione cap. Ea quæ ſub num.*22. *verſ. Decimonono quærò, de reg. jur. lib.*6. *& in conſ.*158. *ex narratis in facto à n.*5. in publica diſputatione, quam habuit Bononiæ, & Abb. Siculus qui tunc erat illius Scholaris, repetita diſputatione *in cap. At ſi Clerici à num.*39. *uſque in fin. ſuprà eodem*, concluſerunt hunc text. qui pro homicidio, vel furto imponit tantùm pœnam depoſitionis, non autem degradationis, & traditionis Curiæ ſæculari, debere intelligi, & reſtringi ad homicidium, vel furtum non qualificatum, quod non tranſeat in aliam ſpeciem criminis graviorem. Item debere intelligi de uno homicidio, vel falſitate, vel furto, non autem de pluribus diu frequentatis, quorum unumquodque eſset dignum depoſitione. His enim caſibus putarunt non verificare ſibi locum hoc cap. nec communes theoricas DD. ſed tales ſtatim eſse per Epiſcopum degradandos, & tradendos Curiæ ſæculari, ut luant pœnam ultimi ſupplicii, & hanc opinionem Ancharani, & Abbatis poſtea probarunt Joan. de Anani *in cap.*1. *num.*5. *poſt med. verſ. Sed in foro contentioſo etiam ſecundum Canones, infrà de iis qui fil. occider. & in c.*1. *num.*4. *&* 5. *de homicid.* Felin. *in c.*1. *num.*49. *ante med. verſ. Et quid etiam emergentia caſus, de Conſtitution. in c. Inquiſitionis, n.*5. *de accuſat.* Dec *in d. cap. At ſi Clerici, num.*251. *verſ. Poſtremo*, Abbas *uſque in fin.* qui licèt hanc opinionem non ſequatur; tamen concludit eam habere magnam æquitatem, ut delicti puniantur debita pœna, & ſe vidiſſe illam ſervari Florentiæ per unum Commiſſarium. Quam pariter Silveſt. Aldobrand. *in addit. ibi litt. E. verb. Enormi*, fatetur veriorem, ac latè tuentur Mantica *num.*64. & Hippolyt. de Marſil. *in repetit. à num.*336. *verſ. Et refert uſque ad num.*342. *verſ. mihi autem*, ubi dixit ſibi placere dicta Abbatis per jura, & rationes, quas ipſe adducit, *& in conſ.*9. *num.*17. Gulielm. de Benedict. *in cap. Raynutius part.*3. *quæſtione de homicidio à num.*40. *verſ. Item & per conſequens uſque in fine de teſtam.* dicens eam communiorem, *propè fin. dicti num.*40. *verſ. Et per conſequens*, Alciat. *hìc à num.*22. *ad* 26. qui non ſolùm putat hanc opinionem veriorem eſse in puncto juris, ſed amplius inquit ſervari de facto in pluribus locis, Brunell. *in repet. dict. cap.*1. *de homicid. par.* 5. *n.*6. *verſ. Ego ſequor, & in tractat. de Conciliis lib.*9. *artr.*12. *n.*3. Alex. de Nævo *conſ.*59. *num.* 21. *verſ. Ad hoc facit*, Andr. Barbat. ſibi contrarius *conſ.*64. *num.*8. *in fin. verſ. Sed jura, & num.*9. *vol.*1. Angel. *de maleſic. verſ. Et ibi caput à ſpatulis amputetur, num.*38. *verſ. Adde quod notat Abbas*, ſubdens ſe eam vidiſse de facto ſervari Ferrariæ, & ibi Auguſtinus *n.* 43. *verſ. Et in quantum*, dicens communem, & ita vidiſse practicari Soccin. Sen. *de reg. jur. litt. C. reg.*16. *verſ. Quintò fallit*, Boſſius *tit. de foro competen. num.* 135. *verſ. Et in certis aliis delictis qualificatis, & num.* 141. *verſ. Scias quod in qualificatis*, Tiraquell. *de pœn. temperand. cap.*49. *n.* 36. *&* 37. Diaz. *in practic. criminal. canonica cap.*90. *alias* 96. referens duos caſus, alterum Pariſiis 1530. in Sacerdote, qui animo deprædandi necaverat Rectorem cujuſdam Oppidi: alterum Hiſpali anno 1536. in quatuor Religioſis, qui Provincialem laqueo ſuffocatum in lecto interfecerant, Decian. *tractat. criminal. lib.* 6. *cap.*28. *num.* 14. dicens communem, *& lib.*9 *cap.*16. *num.*35. *verſ. Tamen fallit*, ubi loquitur de Clerico parricida, *& lib.*7. *cap.*38. *num.*11. ubi de reo læſæ majeſtatis, Franch. *dec.* 571. qui non ſolùm *num.*4 *verſ. Pro fiſco*, refert Neapoli ſubjiſse pœnam ultimi ſupplicii Clericum, qui furtum commiſerat in Monte Pietatis, cùm fuerit degradatus per Curiam Eccleſiaſticam, & traditus Curiæ ſæculari: ſed *num.*1. teſtatur etiam pœna mortis animadverſum fuiſse in Clericum in ſacris conſtitutum, qui unà cum aliis decem furibus ingreſsus cum armis domum honeſtæ mulieris ſitam in Suburbio ſancti Antonii, accepta ab eadem clave unius capſæ, illa & filiabus incluſis in quadam camera inferiori, ſubripuit ducatos ſeptigentos, & quædam mobilia: nam prævia conſultatione Sac. Congregationis Cardinalium negotiis Epiſcoporum præpoſitæ degradatus fuit, & traditus magnæ Curiæ. Et ſequuntur plerique ex Junioribus. Et videtur ex mente Innocent. *hìc in verb. Deponendus eſt*, dum ait: *Ubi Clericus deponitur pro crimine, ſufficit depoſitio, niſi enormitas criminis aliud inducat*, & Bald. *ante num.*1. *verſ. Secus alternativè*, ubi ſimiliter limitat hunc text. niſi enormitas cauſæ aliud inducat.

Pro hac opinione Anchar. & Abb. inducitur primò text. *in cap.* 1. *de homicid.* ubi refertur illud *Exodi cap.* 21. *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur.* Nam dicendo, *Evelles eum ab altari*, oſtendit ſe intelligere de Clerico homicida per inſidias, & ſic qualificato, qui ſervit altari; non autem de laico, qui non ſervit, imò ſtare debet ab altari remotus, ut *cap.*1. *de vit. & honeſt. Clericor.* nam privatio, ſicut eſt evellere, præſupponit habitum *c. Ad diſſolvendum de diſponſat. impuber. l. Decem, ff. de verbor. obligat.* & evelli propriè dicitur quod eſt impreſſum, & infixum, ſicut eſt Clericus reſpectu ſervitii altaris, *c. Cùm ſecundùm de præb.* Intelligit ergo, *Evelles*, ſcilicet per depoſitionem, ſeu degradationem Judicis Eccleſiaſticis, itaut moriatur per executionem Judicis ſæcularis: idcircò enim littera dicit, *Moriatur*, in tertia perſona, quaſi non per Epiſcopum, qui evellit ab altari, cùm Eccleſia non proferat ſententiam ſanguinis, *c. Sententiam, ne Cler. vel Monach.* ſed per alium pœna mortis ſit imponenda, quia verbum, *Moriatur*, in dubio intel- 39
ligitur de morte naturali, & non civili, *in c. Suſcepti, de reſcript. lib.*6. *& in l. Ex ea parte, §. In inſulam, ff. de verb. obligat.* Et aliæ expoſitiones ibi poſitæ per Jo. Andr. *n.*1. *in verb. Moriatur*, videntur contra mentem legis Exodi, quæ homicidas ſimpliciter morte puniebat, & modò redacta eſt illa lex inter Eccleſiaſticas conſtitutiones, ut ſervetur, non ut fruſtra membranas occupet, *c. Si Romanorum* 19. *diſt.* Et eò magis hęc interpretatio videtur recipienda, quia concordat cùm jure civili, ut in Auth. *Ut Clerici apud propr. Epiſcop. ante fin.* & in Auth. *Clericus, C. de Epiſcopi, & Cler.* 38

Cæterùm advertendum eſt, *dict. cap.*1. *de homicid.* habere varios intellectus, ac proinde allegari non poſſe ad deciſionem cauſarum, ut notat Bart. *in l. In ambiguo, num.*2. *ff. de reb. dub.* Alex. *l.*1. *col.*2. *ff. ſol. matrim.* Felin. *in c.*1. *circa fin. de Conſtitut.* præſertim ad limitandam Clericorum exemptionem, ex iis, quæ dicam infra *num.*66. *&* 79. 40

Mul-

41 Multi enim intelligunt illum text. in laico, qui proditoriè homicidium committit; & hoc magis conſonat Scripturæ Sacræ, quæ ibi ponitur: & ſenſus eſt, ut ſi occidens confugiat ad Eccleſiam, & teneat altare, debeat tamen inde evelli, quia proditoriè occidit, nec gaudet immunitate, de qua *in cap. Inter alia, de Immunit. Eccleſiaſt.* Verbum enim, *Evelles*, ibi ſignificat abſtractionem facti, non autem ſeparationem Clerici ligati Eccleſiæ. Et hunc intellectum ponit ibi gloſſ *in verb. Per inſidias*, & Hoſtienſ. *in princ. in verb. Altari meo*, Alexan. *conſ.*145. *Viſo themate*, *n.*5. *lib.*7. & Aretin. *hic num.*59. & videtur hodie approbatus *in Conſtitutione* 7. Gregorii XIV. *de immunitat. Eccle-*
42 *ſiaſt.* ut dixi *in dicto cap Inter alia num.*31. *&* 51. Plerique autem exponunt verbum, *Moriatur*, ibi poſitum, id eſt, deponatur, quod habetur inſtar mortis, §. *Quia ergo* 2. *quæſt.* 7. Et hæc eſt communis ſententia, ut atteſtatur
43 Aretin. *dicto num.*59. Quamvis enim verbum, *Moriatur*, regulariter ſit intelligendum de morte naturali; tamen hoc fallit, quando refertur ad Eccleſiam, quæ hanc pœnam non infligit, cùm non habeat vindictam ſanguinis,
44 ut dictum eſt. Et eſt ſimile *in cap. Per venerabilem rationibus infrà qui fil. ſint legit.* ubi verba illa Deuteronomii, *Decreto Judicis morietur*, quæ in veteri teſtamento intelligebantur de morte naturali, in lege nova ab Eccleſia ſic exponuntur: Mori præcipitur, id eſt, per excommunicationis ſententiam velut mortuus à communione fidelium ſeparari: nam ut inquit Hoſt. *ibi num.*35. duplex eſt mors, ſcilicet corporalis, quam exercet Judex ſæcularis cum gladio materiali, per quem animadvertit in facinoroſos homines, *l.*3. *ff. de iuriſdict. omn. judic cap. Ille gladium* 24. *q.*4. id eſt, fundendo ſanguinem, animam, quæ dat vitam corpori, extra corpus vertit, & ſic anima ſeparata à corpore remanet ipſum corpus mortuum. Alia eſt mors ſpiritualis, quam exercet Princeps Eccleſiaſticus gladio ſpirituali, *c. Viſis* 16. *qu.*2. quo animadvertit in facinoroſos, ſcilicet expellendo, & ſeparando gratiam Dei, quæ eſt vita, ſive ſpiritualis anima animæ humanæ; & hac anima ſpirituali ab anima humana ſeparata, remanet anima humana mortua, *ut c. Si quis Presbyterorum, de reb. Eccl. non alien. cap. Corripiantur* 24. *qu.*3. *cap. Si quis, de maior. & obed.* Unde Auguſtinus *tom.*9. *tract* 49. *in Joannem: Eſt mors, quam homines timent, ſcilicet ſeparatio animæ à corpore, & eſt mors, quam non timent, ſcilicet ſeparatio Dei ab anima, qui eſt vera vita animarum.* Et de morte ſpirituali, ſcilicet depoſitionis, communiter intelligitur illa Decretalis *prima de homicid.* ut
45 prædixi. Et quamvis lex Exodi ibi poſita loqueretur de morte naturali, tamen illud præceptum, cùm ſit judiciale, fuit evacuatum per adventum Chriſti, ut docet S. Thomas *in* 1.2. *qu.* 103. *art.*4. *& qu* 104. *art.*3. & cùm ſit hodie redacta inter Conſtitutiones Canonicas, non debet intelligi ſecundùm rigorem, quo intelligebatur in lege veteri, ſed ſecundùm manſuetudinem Eccleſiæ in lege Evangelica, quæ utitur gladio ſpirituali non ad mortem, ſed ad medelam, *cap. Multi in princ.* 2. *q.* 1. *cap. Audi* 11. *q.*3. *& cap.*
46 *Cùm medicinalis, de ſentent. excomm. lib.*6. Nec ſatisfacit ponderatio Ancharani, & Abbatis, quòd verbum, *Moriatur*, ibi ponatur in tertia perſona, ſcilicet per executionem Judicis ſæcularis: quia Eccleſia dum tradit reum ſæculari poteſtati, non debet adjicere, ut moriatur: imò debet efficaciter intercedere, ut citra mortis periculum circa eum ſententia moderetur, quæ ſunt verba tex. *in cap. Novimus, de verbor. ſignificat.* & hic notant Hoſt *num.*8. *in verb Comprimendus*, Joan. Andr. *num.*9. *in eodem verb.* Nec refragatur text. *in c. Delatori* 4. *q. ult.* quia intelligitur myſticè, ut ibi notant Archid. & Turrecrem. & ſcripſi pleniùs *in d. c.*1. *num.*4. *de homicid.*

47 Secundo igitur loco pro opinione Ancharani, & Abbatis inducitur text. *in dict. cap. Novimus, de verbor. ſignificat.* ubi Papa occaſione explicandi contenta in Canonibus antiquis, & in ſuo Decreto contra falſarios promulgato ſuper forma degradationis, & traditionis faciendæ ſæculari
48 poteſtati, ſic ait, *Ut Clericus propter hoc, vel aliud flagitium grave non ſolum damnabile, ſed damnoſum fuerit degradatus, tamquam exutus privilegio Clericali, ſæculari foro per conſequentiam applicetur*: nam vis alternativæ oſtendit regulam degradationis, & traditionis Clerici facinoroſi non eſſe reſtringendam ad ſolum crimen falſi, ſed generaliter infligendam pro quolibet crimine gravi damnabili in ſe, & damnoſo quoad exemplum aliorum. Nec ſatisfacit reſponſio Aret. *hic n.*59. *verſ. Non obſtat text. in cap. Novimus*, & aliorum dicentium, delictum grave, & damnoſum intelligi, quando delinquens eſt incorrigibilis propter ſcandalum, ſeu malum exemplum. Quoniam huic interpretationi obſtat natura dictæ alternativæ: nam ſicut qualitas incorrigibilitatis non requiritur in prima parte alternativæ pro crimine falſi; ita nec in altera ſuper alio flagitio gravi, quia res dubia in una parte alternativæ declaratur habito reſpectu ad poſitam in alia, ſecundùm Bart. *in l.*1. *num.*1. & Soccin. ſen. *eod. num.*1. *ff. de reb. dub.* Tum quia dictio, 49
Aliud, oſtendit Summum Pontificem intellexiſſe de ſimili gravi quidem, ſed citra requiſitum incorrigibilitatis ſicut in falſo, quia ponitur comparativè ad illud, ſecundùm gloſſ. *in l Si fugitivi, in ver. Alia pœna, C. de ſerv. fugitiv.* & Bald. *in l. fin. num.*1. *C. de his qui non domin.* Et ita præallegatum *c. Novimus*, intellexit Innoc. *ibi num* 1. dum generaliter ait, *Nota quòd pro quolibet crimine, dummodò ſit damnabile, & damnoſum, poteſt aliquis tradi Curiæ ſæculari.*

Sed ad textum *in d. cap. Novimus*, ego reſpondeo, verba illa, *Vel aliud flagitium grave*, eſſe intelligenda de 50
criminibus, pro quibus eſt expreſſum in jure Clericum eſſe degradandum, & tradendum Curiæ ſæculari: nam cùm prima pars alternativæ loquatur de falſario litterarum Apoſtolicarum, de quo eſt in jure expreſſum, ut debeat degradari, *& c. ut in cap. Ad falſariorum, de crim. falſ.* utique dum text. dicit, *propter hoc*, ſcilicet crimen falſi, & poſtea ſubjungit, *vel aliud flagitium grave*, debet intelligi de alio flagitio ſimiliter in jure expreſſo, ponderando dictionem, *Aliud*, quæ eſt repetitiva ſimilium, juxta præcitatam gloſſ. *in dict. l. Si fugitivi*. Inter caſus autem in jure expreſſos non reperitur homicidium qualificatum, nec homidium, vel furtum iteratis vicibus repetitum, ut latiùs dicetur infrà *num.*68. *& ſeqq. & num.*83. Innocentius verò *in dicto cap. Novimus, num.*1 non reſidet in illa opinione, quòd pro quolibet crimine damnabili, & damnoſo poſſit quis degradari; ſed ſubjungit, *Vel aliter*, ut dicimus *in cap. Excommunicamus ſuprà de hæret.* ibi autem *num.*1. tenet pro tribus tantùm criminibus in jure expreſſis poſſe fieri degradationem, & traditionem Curiæ ſæculari; & ita Innocen. potiùs allegari poteſt pro contraria ſententia: & ſimiliter dum dicit hunc textum non procedere, ſi enormitas criminis aliud inducat, allegat textum *in d. cap. Ad falſariorum*; & ſic loquitur in caſibus exceptis in jure.

Tertiò, pro eadem opinione Abb. *in d. cap. At ſi Clerici* 51
*num.*41. *col. penult. ante med. ver. Allego etiam textum ſuprà eodem*, inducitur text. *in cap. Pro humani, de homicid. lib.*6. ubi cùm Clerici mandantes, ſeu facientes hominem Chriſtianum interfici per aſſaſſinum, & receptantes, defendentes, ſeu occultantes aſſaſſinum, habeantur ab omnibus diffidati: ex hac perpetua diffidatione ex veriſimili mente innuitur Eccleſiam nolle graviter delinquentes in ſuo foro retinere, ſed juxta delicti qualitatem puniendos dimittere Curiæ ſæculari.

Verùm ut reſpondet Aretin. *hic num.*59. *circa fin.* ille 52
caſus ſpecialis habuit cauſam, & occaſionem à frequentiſſimis cædibus, & magnis periculis, quæ imminebant propter illos aſſaſſinos; unde in aliis delictis, quantumcumque enormibus, non videtur militare eadem ratio: nam propter delicti frequentiam aliquid ſeverius ſtatuitur, *ut l.*
Aut facta in fin. ff. de pœn. Et nihilominùs etiamſi vigeret 53
eadem ratio; quia tamen lex iſta eſt pœnalis, & exorbitans, non deberet fieri extenſio, text. eſt notabilis *in l. Sed ſciendum, ff. ad l. Pompe de Parricid.* & benè facit gloſſ. notab. in Clem. *Ut ſic qui, in verb. Eiſdem, de ætat. & qualit.* Nec ob-
ſtat text. *in cap. de multa, de præbend.* quia dici poteſt ibi 54
fieri extenſionem propter favorem publicum Eccleſiarum: vel dicas, licèt aliàs fieret extenſio, non tamen fieri poſſe, ubicumque poteſtas conceditur laico ſuper juribus, vel perſonis ſpiritualibus, quià cùm hæc ſit odioſa, non extenditur etiam per majoritatem rationis, *ut in c. Tua, il primo infr. de decimis*, juncto *cap. Cùm in tua eod. tit.* ſecundùm Aretin. *hic n.*60. *&* 61.

Quartò, pro hac parte allegatur text. *in c. Sunt quædam* 55
23. *q.*5. ubi dicitur: Sunt quædam enormia flagitia, quæ potiùs per mundi judices, quàm per Antiſtites, & Rectores Eccleſiarum vendicantur: & in fine ſubjungitur, illos maximè conſtitutos eſſe propter latrones, homicidas, raptores, & ut illos damnent, & alios ſuo timore compeſcant.

Sed

Sed ille textus non loquitur de Clericis, ſed de laicis, qui, ut ibi dicitur, interficiunt Pontificem Apoſtolicum, Epiſcopum, Presbyterum, ſive Diconum. Tales enim vindicantur à ſæcularibus poteſtatibus, licèt puniri poſſint etiam per Eccleſiam, cùm crimen ſacrilegii ſit mixti fori, ut notatur *in cap. Cum ſit generale infrà de foro compet.* alioquin, ſi textum de Clericis intelligeremus, & de omnibus delictis ibi expreſſis, ſequeretur, ut Clerici pro quolibet homicidio, furto, vel raptu puniendi eſſent per Judicem ſæcularem, quod eſt de directo contra hoc cap. *& c. Tuæ infrà de pœn.*

Quintò, ad idem inducitur text. *in cap. At ſi Clerici in fine ſuprà eodem*, ibi, *Non debet quemlibet pro ſuis exceſſibus Judici tradere ſæculari*. Quæ verba innuunt, Epiſcopum poſſe hoc facere etiam non data incorrigibilitate, licèt facere non debeat indifferenter, & quandocumque, ſed tantummodò cùm delictum hoc exigit, vel ob ſui gravitatem, vel frequentationem, ſecundùm Abb. *ibid. col. penult. poſt medium, verſ. Item induco.*

Verùm hic intellectus deſumitur ex illis verbis, *Non debet quemlibet*, exponendo, *Non quemlibet*, id eſt, *Nullum;* ſed alii meliùs exponunt, *Quemlibet*, id eſt, depoſitum: & hoc modo ille text. potiùs facit pro hac parte, ſecundùm Aretin. *hic d. num.* 61.

56 Sextò & ultimò (quod eſt præcipuum fundamentum pro hac opinione) in hujuſmodi delictis atrociſſimis, quæ requirunt pœnam exceſſivam, non invenitur aliqua pœna Canonica, qua reus poſſit condignè puniri, ex theorica Innocentii *in Qualiter & quando, il ſecondo, num. 6. verſ. Secundum Canones autem*, & ibi etiam Joan. Andr. *num. 18. eodem verſ. Infrà de accuſat.* ubi æquiparando per modum regularem pœnas Canonicas legalibus pœnis, tradunt regulam, quòd in omnibus delictis, in quibus per leges ſæculi imponitur pœna mortis naturalis, ſecundùm Canones ſuccedit pœna degradationis, & traditionis Curiæ ſæculari: ergo contra Clericum, qui homicidium qualificatum perpetravit, vel plura homicidia, falſitates, vel latrocinia, Eccleſia uti poterit hac pœna degradationis, & traditionis Curiæ ſæculari, quia non habet ultra quid faciat, ut hìc dicitur, cùm ſecundùm Canones nunquam imponatur pœna mortis corporalis, *c. Clericis, & c. Sententiam infrà, ne Clerici, vel Monach. c. 1. & 2. 51. diſtn.* Cùm enim pro ſimplici homicidio, vel furto procedat ad depoſitionem, & detruſionem in Monaſterium, ut *hìc, & in c. Tuæ, de pœnis*; utique pro qualificato, vel iterato, cùm grvior pœna ei condigna non reperiatur inter Canones, recurrendum eri ad vindictam ſecundùm leges ſæculi mediante degradatione, & traditione judici ſæculari, ut pleniùs ratiocinatur Abb. ut ſupra *num. 39. verſ. Item præmittendum cum duob. ſeqq.*

57 Et confirmatur, quia pœnæ ita debent adæquari, & commenſurari delictis, ut quod ſceleratiùs eſt commiſſum, graviùs vindicetur, *c. Non afferamus 24. q. 1. c. Quæſivit de his quæ fiunt à major. par. Cap. cap. fin. in fin. de exceſſ. Præ-*
58 *lat.* & ex iteratione delicti pœnæ augeantur, ſecundùm gloſ. *in l. Quicumque in verb. Vel tertiò in fin. C. de ſerv. fugitiv. & in l. Servus in verb. Sæpiùs, Cod. ad leg. Jul. de vi publ. vel privat.* quia iteratio tranſit in conſuetudinem peccandi, *l. 3.*
59 *in fin. C. de Epiſcopal. audien.* At ſi homicidium, & furtum qualificatum, vel iteratum citrà incorrigibilitatem puniretur eadem pœna Canonica depoſitionis, ſeu detruſionis in Monaſterium, qua punitur ſimplex, & unicum, non ſervaretur juſtitia adæquationis: ergo pro illius obſervatione dicendum eſt in qualificato, ſeu iterato locum eſſe degradationi, & traditioni Curiæ ſæculari. Quod primo loco animadvertit Abb. *d. num. 39. verſ. Et prima*, & Anchar. *d. conſ. 158. num. 2.*

60 Cæterùm hoc fundamentum principale deſtruitur manifeſtè ex eo, quia pro atrociſſimis delictis, pro quibus ſecundùm leges imponenda eſſet pœna mortis, Eccleſia habet pœnam carceris perpetui, quæ proportionatur pœnæ mortis naturalis, ſaltem quando ſic detruſus debet ſuſtentari pane & aqua: nam ut inquit Cardin. *hic num. 4. verſ. Oppono*, eo caſu, quo Clericus detruditur in Monaſterium ad agendam perpetuam pœnitentiam, ut ſuſtentetur pane doloris, & aqua anguſtiæ, juxta text. *in c. Novimus, §. Pro illo vero falſario ſcelerato infrà de verbor. ſignificat.* hujuſmodi pœna eſt loco ultimi ſupplicii: ſic ergo
61 non eſt Clericus delinquens impunitus, imò acriùs affligitur, quia minor pœna eſt ſtatim mori, quàm diu affligi, & ſalutem non ſperare. Ita Cardin. cum quo concordat Aretin. *hic num. 53.* & facit text. *in c. Nihil enim, il ſecondo de conſecrat. diſt. 5.*

Nec adverſatur doctrina Innocentii *in dicto cap. Qualiter & quando, num. 6 verſ. Secundum Canones autem, de accuſat.* quia non dicit id, ad quod Anchar. eum allegat: 62
ejus enim verba hæc ſunt, *Secundum Canones autem nunquam imponitur pœna corporalis mortis, ſed eſt quadam, quæ quaſi ſimilis ei habetur, ſcilicet quia relinquitur ſæculari judici puniendus*: allegat *cap. Ad falſariorum, de crimin. falſ.* & alia jura, in quibus expreſſum eſt Clericum eſſe comprimendum à ſæculari poteſtate; atque ita Innoc. non conſtituit illam regulam, quam ex eo elicit Anchar. quòd in omnibus caſibus, in quibus lex civilis imponit pœnam mortis naturalis, ſecundùm Canones ſuccedat pœna degradationis, & traditionis Curiæ ſæculari: hoc enim eſt manifeſtè falſum, quia lex civilis in multis caſibus 63
pro magnis flagitiis imponit laico pœnam ultimi ſupplicii; & tamen lex Canonica non imponit pœnam degradationis actualis, nec traditionis Curiæ ſæculari, *ut in c. Tuæ infrà de pœnis*, & hìc ponderat Aretin. *num. 61. verſ. Nec eſt verum quod ſemper Canon imponat pœnam Clerico, quæ poſſit proportionari pœnæ civili, quæ imponitur laico.* Ideòque lex civilis pro adulterio imponit laico pœnam mortis corporalis, *ut in l. Quamvis, la ſeconda, Cod. de adult. de communi*, Alex. *conſ. 13. poſt num. 3. lib. 7.* & tamen Clericus pro adulterio ſecundùm Canones non degradatur, ſed deponitur, & in Monaſterium detruditur ad agendam perpetuam pœnitentiam, *cap. Si quis Epiſcopus* 64
81. diſtinct. gloſſ. 1. *in cap. Lator 2. quæſt. 7. de communi*, Clarus *in §. Adulterium, verſ. Sed quæro.* Item pro raptu lex civilis imponit laico pœnam ultimi ſupplicii, *l. unic. C. de raptu virgin.* & tamen lex Canonica non imponit Clerico pœnam actualis degradationis, nec traditionis Curiæ ſæculari, ſed depoſitionis, ut *cap. De puellis 36. qu. 2.* & notat Archid. *in cap. Lex illa in fin. 36. qu. 1.* & idem in raptu Monialis, ut *l. Si quis non dicam rapere, C. de Epiſcop. & Cleric.* juncto *cap. Nullus 36. q. 2.* Quinimò in pluribus delictis atrociſſimis, pro quibus lex civilis imponit pœnam exceſſivam, ſecundùm Canones non fit degradatio, ut dicam infrà *num. 83. & ſeqq.*

Deſtructis igitur fundamentis opinionis Anchar. & 65
Abb. magis placet cotraria opinio, quæ proculdubio validioribus fulcitur rationibus, & magnis eſt authoritatibus roborata: nam pro illa allegari poſſunt antiqui ferè omnes, qui tenuerunt non eſſe locum degradationi, nec traditioni Curiæ ſæculari, niſi in caſibus in jure expreſſis, de quibus dicam infra *num. 68. & ſeqq.* eamque tuetur in ſpecie, & communem dicit Aretin. *hìc à num. 51. ad 62.* Barbatia *in cap. At ſi Clerici à num. 120. uſque ad num. 158.* præſertim *verſ. 138. in fin. & ſeqq. ſuprà eodem*, & ibi etiam Dec. *num. 258. verſ. Alia tamen opinio*, dicens hanc veriorem de jure, Bero. *n. 181. & 182.* & Anton. Burgoſ. *n. 106. verſ. Tu autem cum tribus ſeqq.* Arnold. Albaſ. *in repetit. cap. Quoniam qu. 11. à num. 37. uſque ad 75. de hæret lib. 6.* Riminald. Jun. *conſ. 685. num. 30. & ſeqq. vol. 6.* Berett. *conſ. 76. num. 12.* Plaza *in Epitom. delict. lib. 1. cap. 21. n. 7. & 13. & cap. 22. num. 43.* Villalob. *commun. opinion. littera C. num. 83. & littera I. num. 8.* Bonacoſſ. *commun. opinio crimin. lib. 1. in verb. Clerici ſi per inſidias, & alii recetiores.* Et eam tenuit apertè Hoſt. *in c. 1. n. 2. de homic.* ubi firmat Clericum pro homicidio ex inſidiis, ſeu cum proditione, etſi qualificato de quo loquitur illud cap. ita demum eſſe tradendum Curiæ ſæculari, ſi ſit incorigibilis, & non aliàs, juxta text. hìc. Item Clericum pro homicidio depoſitum, ſi poſtea committat alia homicidia, non tamen eſſe tradendum Curiæ ſæculari, niſi ſit incorrigibilis, ſecundùm gradus hìc præſcriptos, ſenſit clarè Cardin. *hic num. 4. verſ. Oppono.*

Principale fundamentum hujus opinionis eſt, quia Ec- 66
cleſiaſtica libertas, & Clericorum exemptio à ſæculari poteſtate non tantùm Canonicis ſanctionibus, ſed etiam divina ordinatione fuit conſtituta, *cap. Si Imperator*, & ibi gloſſ. *in verb. Et diſcuti*, Turrecrem. & Præpoſ. *num. 1. 96. diſt.* in Concil. Triden. *ſeſſ. 25. de reform. c. 20.* & ſcripſi pleniùs *in c. Eccleſia Sanctæ Mariæ n. 10. & ſeqq. ſuprà de conſtitut.* & eſt communis opinio, ut dixit Rota inferiùs citan- 67
da *n. 79.* Ergo ſolus Papa poteſt hujuſmodi exemptionem limi-

limitare, ſeu declarare, præſcribendo, in quibus caſibus Clerici ſint per Eccleſiam degradandi, & comprimendi per Curiam ſæcularem, quia cùm non puri hominis, ſed veri Dei vice fungatur in terris, jus divinum non humana, ſed divina potiùs auctoritate diſtinguit, ſeu declarat, ut *in cap. Quanto ſup. de tranſlat. Epiſcop.* & plenè declarant Hoſtienſ. *in ſumm. de reſcript. §. Quas vires, verſic. Poteſt a tem, & ſeqq.* Joan. Andr. *in cap. Actus legitimi num.50. in fin. verſ. In contrarium allegatur in Evangelio, de regul. jur. lib.6.* Anchar. *conſil.373. verſ. Revocatur in dubium, & conſil.239. verſ. Parum dubitationis*, Præpoſitus *in cap. Latorem num.17. 1. quæſt.1.*

68 Certi autem ſunt caſus, in quibus Romani Pontifices per Conſtitutiones ſuas, vel in corpore juris inſertas, vel Extravagantes, ordinaverunt Clericos eſſe degradandos,
69 & tradendos Curiæ ſæculari, quorum primus eſt in crimine hæreſis, *cap. Excommunicamus, §. damnati, & cap. Ad abolendam, §. 1. de hæret cap. 1. & cap. Super eo, eod.*
70 *tit. lib.6.* Secundus eſt in crimine falſificationis litterarum
71 Apoſtolicarum, *cap. ad falſariorum, de crim. falſ.* Tertius in crimine inſidiarum, & conſpirationis contra proprium Epiſcopum, *Si quis Sacerdotum 11. quæſt. 1.* De quo dic pleniùs, ut ſcripſi *in d. cap. Ad abolendam num.44. de hæretic.* Et pro his tribus criminibus dumtaxat de jure communi Clericum poſſe degradari, & tradi Curiæ ſæculari, aliam verò tuendum eſſe per Eccleſiam, determinat Innocen. *in dict. cap. Excommunicamus num.1.* Gloſſ. *in dict. cap. Ad abolendam in verſ. Relinquatur*; cùm qua concordant ibi Hoſt. *num.5. verſ. Ab hac regula excipiuntur caſus* Joan. Andr. *num.5. verſ. In gloſſa tribus*, Henric. Boich. *num. 21. verſic. Fallit*, ubi etiam Joannem, & Tancredum in hanc ſententiam citat Butr. *num.20. verſ. Fallit in tribus caſibus*, Cardin. *num.7.* & Abb. *num 11. verſic. Sed fallit primò*, Gloſſa *in d. c. Si quis Sacerdotum, in ver. Mox depoſitus 11, quæſt.1.* ubi etiam Archid. *num.1.* Turrecrem. *num.5. verſic. Ad ſecundam quæſtionem*, Gemin. *num.4.* & Præpoſ. *num.5.* Gloſſ *in cap. Novimus, in verb. Tradatur, de verbor. ſignificat.* & ibi etiam Inno. *c num.1.* dum ſe remittit ad ea, quæ dixit *in dict. cap. Excommunicamus*, Hoſtienſ. *num.1. in verb. Sæculari traditur Curiæ*, & Cardin. *num.4.* & hic notat idem Hoſtienſ. *num. 11.* Ex quibus patet hanc eſſe unanimem Canoniſtarum ſententiam: & ita hanc eſſe communem theoricam Doctorum, affirmat Gulielm. de Benedict. *Poſt tertiam partem repet. cap. Raynutius de teſtam. in quæſtione de homicid. num.3. & ſeqq.* quem refert Foller. *in practic. crim. Canonic. fol.272. num.23.* & Jul. Clar. *in praxi crimin. § fin. quæſt.36. verſ. Scias etiam.* In aliis autem criminibus utcumque atrociſſimis ſufficit ſola depoſitio, nec debet actualiter degradari, ſi paratus ſit ſe corrigere; ſed debet detrudi in perpetuum carcerem, ut tenent omnes ſu-
72 pracitati, & hanc dicit eſſe communem opinionem Boſſ. *in tit. de foro competent. num.136.* Quartus caſus eſt in Clerico aſſaſſino, qui tamquam publicè diffidatus, abſque ulla depoſitione, vel ſententia, ipſo jure, & facto relinquitur Curiæ ſæculari, ut *in cap. Pro humani, de homicid. lib. 6.* Unde tradendus eſt curiæ ſæculari non expectata incorrigibilitate, & eſt communis opinio, ut atteſtatur Gulielm. de Benedict. *in dict. quæſt. de homicid.* quam poſuit poſt repetitionem *cap. Raynutius fol.41. in fin.* & Clar. *d. quæſt.36.*
73 *verſic. Quæro etiam.* Neque in hoc crimine aſſaſſinii requiritur ſolemnis degradatio, ut dicit, Caſſan. *in conſuet. Burgund. in tit. des ruſtiques rubr.1. in verb. Si aucun, fol.193. in 2. fallent.* & alii apud Clar. *d. quæſt. 36. verſic. Sed quæro*
74 *tu ſcis*, Franch. *deciſ. 571. num. 7.* Requiritur tamen declaratio Judicis Eccleſiaſtici, qua pronuntiet ipſum eſſe aſſaſſinum; & hæc eſt communis opinio, ut dicit Capyc.
75 *deciſ.112. num.2.* & alii apud eumdem Clar. *loc. cit.* Quintus caſus eſt in Clerico incorrigibili, qui ſervatis gradibus pœnarum præſcriptis in hoc cap. cùm Eccleſia non habet ultrà quid faciat, prævia degradatione traditur Curiæ ſæculari ſecundùm unum intellectum, vel ſecundùm aliam per Curiam ſæcularem comprimitur, ut dixi ſuprà
76 *num.25.* Sextus eſt in Præsbyteris, & Clericis ſæcularibus, & regularibus, crimen nefandum contra naturam exercentibus: nam ex Coſtitutione 72. S. Pii V. incipien. *Horrendum illud ſcelus, in Bullar. tom.2. pag. 269.* omni privilegio Clericali, omnique officio, dignitate, & beneficio Eccleſiaſtico illius Canonis auctoritate privantur, & ita ut per Judicem Eccleſiaſticum degradati, poteſtati ſtatim ſæculari tradantur, quæ de eis illud idem capiat ſuplicium, quod in laicos hoc in exitio devolutos legitimis reperitur ſanctionibus conſtitutum. Quod etiam de perpetrantibus hoc ſcelus, idem Pontifex prius ſtatuerat in Conſtitutione 5. incip. *Cum primum, §. 11. eodem tom. pag. 180.* de cujus Bullæ intellectu, vide quod ſcripſi *in cap. A falſariorum in 5. not. infrà de crimine falſi.* Septimus & octavus 77
eſt in his, qui ad Ordinem Presbyteratus minimè promoti, Miſſarum celebrationem reperti fuerint uſurpaſse, vel ſacramentalem confeſſionem audiviſse. Ab Inquiſitoribus enim, & locorum Ordinariis, ab Ordinibus, ſi quos habuerint, degradati, ſtatim Curiæ ſæculari traduntur debitis pœnis plectendi, ex Bulla 81. Clementis VIII. incipien. *Etſi alias, in Bullar. tom.3. pag.128.* Nonus & ultimus eſt in 78
perſonis Eccleſiaſticis tam ſæcularibus, quam regularibus quæ in Provinciis, Regnis, Civitatibus, & Locis in Italia dumtaxat exiſtentibus, aureas, vel argenteas monetas tondent, fabricant, colorant, vel alias adulterant, aut adulteratas ſcienter erogant, vel exponunt; nam prævia degradatione Curiæ ſæculari puniendæ traduntur, ex Conſtitutione Urbani VIII. incipien. *In ſuprema, edita Idibus Novembris anno 1627.*

Cùm igitur regula ſtet pro exemptione Clericorum à ſæ- 79
culari poteſtate ante omnem humanam Conſtitutionem à jure divino inductam, ut dicit præcitata Gloſsa *in cap. Si Imperator 96. diſt.* & Bald. *in Auth. Statuimus, in princ. C. de Epiſcopis, & Clericis*, & à prædicta regula certi tantùm caſus reperiantur excepti, ut dictum eſt: utique in aliis non exceptis firmatur regula in contrarium, ut non ſit locus huic pœnæ degradationis, nec traditionis Curiæ ſæculari, *leg. Quæſitum, §. Denique, ff. de feud. inſtruct. leg. Nam quod liquidè §. final. ff. de pœn. legat. cap.2. de conjugat. lepreſ.* & notat Dyn. *in rubr. de regul. jur. lib.6.* & in propriis terminis ratiocinatur Rota in Lucana juriſpatronatus 4. Junii 1607. coram Coecin. impreſs. poſt conſ. Proſp. Farinac. *deciſ.241.* ubi *num.3.* dicit, Clericos jure divino exemptos eſse à juriſdictione laicorum ex præcitata Gloſsa, quam Doctores commnniter ſequuntur, & *num.7.* firmat, Epiſcopum non poſse devenire ad actualem degradationem Clerici, neque eum tradere Curiæ ſæculari, niſi in caſibus à jure Canonico, & ex jure novo, ut ſuprà, expreſſis, quos ſigillatim commemorat, licèt mentionem non faciat de ultimo caſu Clerici monetarii, quia tunc temporis nondum edita fuerat Conſtitutio Urbani VIII.

Neque obſtat, quòd exceptio non excludat caſus ſimi- 80
les, imò ſimilia, & æquiparata exceptis cenſeantur exceptuata, ut notat Gloſſ. *in l.1. in ver. Judicati, C. de condiit. indebit.* & Abb. *in cap. Quoniam frequenter num.6. verſ. Si ergo eadem ratio, ut lit. non conteſtat.* & quando in uno caſu 81
eſt per omnia eadem ratio, non poſſit dici ampliatio, vel extenſio, ſed excluſio, ſeu comprehenſio ſub eodem caſu diſpoſito, ut in his teminis advertit Anchar. *hic num. 13. verſic. Non obſtat ſi dicatur*, & poſt eum Franch. *deciſ. 370. num.2.* Quoniam, ut ex Aretin. dixi ſupra *num. 53.* 82
hoc non procedit, quando lex eſt ſimul pœnalis, & exorbitans, quia tunc non proceditur de ſimilibus ad ſimilia ex identitate, vel majoritate rationis. Item non procedit, quando agitur de limitanda exemptione Clericorum à juriſdictione laicali, ut per eum.

Et quòd non ſit deveniendum ad actualem Clerici de- 83
gradationem extra caſus in jure expreſſos, etiamſi in aliis ſit eadem, & major ratio, ſic oſtendo apertiſſimè. Nam 84
laici cudentes falſam monetam, committunt crimen læſæ majeſtatis, & per leges civiles imponitur pœna exceſſiva, quia traduntur flammis exurendi, & eorum bona publicantur, *l.2. Cod. de falſ. monet.* ſecundùm interpretationem, quam dicit eſſe commmunem Vivius *comm. opin. in verb. Monetam falſam Imperatoris*, Covarr. *Veterum collatio Numiſmatum, cap.8. num.3.* & in Gallia falſificantes 85
monetam Regis, in aqua fervente, ſive bulliente ſuffocantur, ut refert Igne. *in repet. §. Non alias num.597. ff. ad Silanian.* & Jul. Clar. *in prax. crim. §. Falſum, verſic. Dixi etiam*; & tamen Clerici monetarii ante dictam Bullam Urbani VIII. non tradebantur Curiæ ſæculari, ut in Extravag. *unic. de crimin. falſ. inter communes*, cùm hoc eſſet ſpeciale in falſariis literarum Apoſtolicarum, ut *in dict. cap. Ad falſariorum, de crimin. falſ.* nec poſt Bullam traduntur, niſi in Italia. Similiter Clerici Idolorm cultores, Aruſpices, & 86
Sortilegi, de Jure Canonico deponuntur, & detruduntur in Mo-

Monaſterium, *ut cap. Si quis Epiſcopus cum cap. ſeqq. uſque*
87 *in fin. 26. quæſt. 5.* Et tamen de jure civili laici concremantur, & eorum bona publicantur, ſaltem in caſu *l. 3. C. De*
88 *malefic. & mathemat.* Item Epiſcopi, & Clerici rebellantes
Sedi Apoſtolicæ, non traduntur Curiæ ſæculari, niſi ſecuta incorrigibilitate, *cap. De Liguribus 23. qu. 5.* & tamen
committunt crimen atrociſſimum læſæ majeſtatis in primo
capite, ut *l. 1. in princip.* & quod ibi notatur, *ff. ad leg. Jul. majeſt.* & in Clem. *Paſtoralis, de re judicat.* Aretin. *hic. num 58.*
& ſervatur ubique, ut ſcindantur in fruſta, teſte Julio Claro
89 *in §. Læſæ majeſtatis, verſ. Sed quæro quæ ſit pœna.* Et eodem modo Clerici contra naturam incontinentes, ſecundùm Canones non traduntur Curiæ ſæculari, ſed deponuntur, & in Monaſterium detruduntur, ut *cap. Clerici, de exceſſ. Prælat.* licèt hoc crimen ſit atrociſſimum; & Bulla S. Pii V. reſtringitur ad exercentes, ut dictum eſt ſupra *num. 76.*

90 Ex quibus patet, verum non eſſe, quod tradit Abb. *in cap. At ſi Clerici num. 41. ſuprà eodem*, ubi ait, poſſe circa hoc dari novam doctrinam, quòd ubicumque per leges imponitur pro crimine atrociſſimo aliqua pœna ex ſæviſſimis, puta, ut reus damnetur ad beſtias, vel igne comburatur, aut in fruſta ſcindatur, contra Clericum talia committentem poſſit judex laicus procedere ſuper tali crimine atrociſſimo, & Epiſcopum in ſententia, & proceſſu prævenire, & eo degradato, legali pœna afficere: patet enim ex prædictis etiam, ubi lex imponit aliquam ex prædictis pœnis ſæviſſimis, & exceſſivis, nihilominùs non eſſe locum degradationi, & multò minus præventioni judicis laici, quia etiam caſibus, in quibus expreſſum eſt in jure, ut Clericus degradetur, nihilominùs non efficitur de foro ſæculari, niſi poſtquam degradatio fuerit celebrata ſæculari poteſtate præſente, ac pronunciatum eidem, cùm fuerit celebrata, ut in ſuum forum recipiat degradatum: &
91 ſic intelligitur tradi Curiæ ſæculari, ut eſt expreſsè *in cap. Novimus, de verbor. ſignificat.* & ibi dixi *num. 5. & 6.* facit *cap. Degradatio in fin. de pœn. lib. 6.* Cavendum eſt igitur ab hac nova doctrina, ſecundùm illud Apoſtoli 13. *ad Hebræos 9. Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci.* Ad hoc *cap. Qui neſciat 11. diſt.* & quod notat gloſſ. *ult. in cap. Cum conſuetudinis ſuprà de conſuetudin.*

92 Secundò principaliter pro hac opinione inducitur multipliciter hoc cap. Nam Papa hìc fuit conſultus, an Regibus liceat Clericos judicare, ſive in furto, ſive in homicidio, vel perjurio, ſeu quibuſcumque fuerint criminibus deprehenſi: & quamvis in reſponſione ſimpliciter dicat, pro furto, vel homicidio, vel perjurio, ſeu alio crimine, tamen illa dictio, *quibuſcumque*, cenſeri debet repetita, ut reſponſio congruat interrogationi, *l. Ut reſponſum, Cod. de tranſaction. §. Præterea inſtitut. de inutil. ſtipul.* Et ita intelligit hunc text. gloſſ. in figuratione caſus, dum dicit: Papa reſpondet, quòd ſi Clericus in furto, vel alio quocumque
93 crimine deprehenſus fuerit, &c. Dictio autem, *quocumque*, facit venire majora, non obſtante verbo, *alio*, adnotata per Aretin, *in l. Quicumque*, per illum text. *Cod. qui admitt.* & gloſſ. juncto text. *in cap Si ſibi abſenti in verſ. Quicumque alius, de præben. lib. 6.* & firmavit Rota coram Creſcentio *dec. 1. aliàs 32. de privileg.*

94 Præterea hic text. comprehendit homicidium, & furtum ſub unica verborum ſtructura, & determinatione: ergo debet utrumque caſum æqualiter determinare, *l. Jam hoc jure, §. Si autem*, & ibi Bart. *num. 1. ff. de vulgar. & l. fin. Cod. de ſentent. cum ſimil. ib.* Sed pro furto qualificato, ſcilicet rei ſacræ, & cum ſacrilegio, Canones non imponunt hanc pœnam traditionis Curiæ ſæculari, ut *cap. fin. de furt.* ergo nec pro homicidio cum ſacrilegio, vel aliàs qualificato.

95 Ulteriùs, quòd plura furta, vel plura homicidia non ſufficiant ad tradendum Clericum Curiæ ſæculari non data incorrigibilitate ſecundùm gradus hìc præſcriptos, probatur hìc evidenter: Nam dicit text. depoſitum pro homicidio, vel furto, ſeu perjurio, non ſtatim eſſe comprimendum per ſæcularem poteſtatem, ſed ſi ſit incorrigibilis, priùs eſſe excommunicandum, & creſcente contumacia anathe-
96 matizandum. Dicitur autem incorrigibilis, qui ſimilia, vel deteriora crimina committit, nec vult pœnitere ſecundùm Anton. de Butr. *hic n. 22.* Ergo iteratio delictorum non ſufficit ad tradendum Curiæ ſæculari, niſi deveniat in profundum malorum, & ſic ſequatur ultima incorrigibilitas, quæ ſuccedit poſt anathema. Tunc enim Eccleſia non habet ultra quid faciat, & ideò ne ille ſit perditio plurimorum, relinquit eum ſæculari poteſtati puniendum. Quod benè obſervat Hoſt. hìc propè *fin.* & Dec. *in d. c. At ſi Clerici num. 158. ſuprà eodem*, & latius dictum eſt ſuprà *in ult. notab.*

Ad hæc Clericus non eſt tradendus Curiæ ſæculari, niſi 97
quando Eccleſia non habet ultra quid faciat, id eſt, quando de facto propter illius potentiam non poteſt eum comprimere, ut oſtenſum eſt ſuprà *in 10. notab.* Ergo non debet attendi ad effectum traditionis, quale ſit delictum, quod Clericus commiſit, ſed an pro illo delicto poſſit per Eccleſiam coerceri de facto: & conſequenter nec pro homicidio qualificato, vel iterato, erit locus huic pœnæ, quamdiu Eccleſia de facto non impeditur pœnis Canonicis in eum animadvertere.

Sed eſto illa verba eſſent intelligenda de jure, & non de 98
facto: nihilominùs ut benè conſiderat Aretin. *hic num. 52.* quod hìc dicitur, non tantùm reſpicit pœnam criminis, ſed etiam remedium corrigibilitatis, & converſionis; & intendit Pontifex, ut quando Eccleſia eſt experta omnes modos converſionis, & non proſunt, tunc demùm Clericus comprimatur per ſæcularem poteſtatem. Quamvis ergo contra Clericum, qui homicidium qualificatum, vel iteratum commiſit, Eccleſia non habeat ultra quid faciat ad puniendum, habet tamen ultrà quid faciat ad corrrigendum: & hoc ponderat text. noſter, qui fortiſſimè facit contra opinionem Ancharani, & ſequacium: Nam, ut vides, Clericus non traditur Curiæ ſæculari, niſi his duobus concurrentibus, videlicet ut Eccleſia non habeat ultrà quid faciat, & Clericus ſit incorrigibilis, quod perindè eſt ac dicere, ut quoad pœnam, & quoad correctionem Eccleſia non habeat ultrà quid faciat ad converſionem, maximè ſi Clericus ſit paratus culpam fateri, & pœnitere, vel non neget ſe velle
pœnitentiam ſubire. Igitur cùm hæc duo copulativè requi- 99
rantur, non ſufficit alterum ad inducendum hunc effectum, ut *l. Si hæredi plures, ff. de condit. inſtit.* & notatur *in c. 2. ſuprà de reſcript.*

Tertiò principaliter pro hac opinione eſt tex. *in c. Tuæ in-* 100
frà de pœn. ubi Pontifex requiſitus, qualiter puniri debeant Clerici in latrociniis, vel aliis magnis ſceleribus deprehenſi, reſpondet eos à ſuis Ordinibus degradatos eſſe detrudendos in arcta Monaſteria ad pœnitentiam peragendam; nam 101
latrocinium eſt delictum gravius, quàm furtum, *c. 1. in fin. de homicid.* unde ſecundùm Hoſt. *in d. c. Tuæ in princ.* & Jo. And. *n. 1.* ille textus loquitur de iis, qui ſe immiſcent enormitatibus, juxta *c. Perpendimus, de ſent. excomm.* Et ſic loquitur de furibus qualificatis, & non de ſimplicibus, qui tamen & ipſi à ſuis Ordinibus ſunt deponedi, ut hìc patet, & degradatio, de qua *in d. c. Tuæ*, intelligitur de verbali, ſcilicet depoſitione, non de actuali, ſecundùm Jo. Andr. *ibi num. 2.* aliàs non congruerent, quæ ibi ſequuntur de pœna detruſionis in
Monaſterium: nam actualiter degradatus exuitur omni pri- 102
vilegio Clericali, & ſtatim efficitur de foro ſæculari, ut *cap. Degradatio, de pœnis lib 6. & cap. Novimus, de verbor. ſignificat* & latiùs dictum eſt ſuprà *n. 16. 90. & 91.* Item verba illa in latrociniis, vel aliis magnis ſceleribus, apta ſunt comprehendere etiam plura latrocinia, vel magna ſcelera: ergo eſt ibi text. expreſſus, quòd pro furto etiam qualificato, vel iterato, Eccleſia non imponit pœnam actualis degradationis.

Quartò, & ultimò, aliis omiſſis, ad idem eſt textus 103
apertus *in cap. Ut famæ infrà, de ſentent. excommunicat.* ubi deciditur, ut Clerici, qui graviter excedentes à Prælatis ſuis in Monaſterium detruſi carcerem clauſtri effugiunt, & prioribus ſe ſceleribus ſceleſtiùs immiſcent, ab iiſdem Prælatis poſſint, ac debeant arctæ cuſtodiæ mancipari, ne aliter ad ſimilia, vel deteriora labantur; nec Curia ſæcularis poſſit illos capere, niſi de mandato eorumdem Prælatorum, quia tunc non ſua, ſed illorum authoritate id facere videntur. Pondera illa verba, *graviter excedentes*, junctis verbis, *prioribus ſceleribus*, quæ oſtendunt hos Clericos gravia, ſeu magna ſcelera commiſiſſe; & ſic homicidia, vel furta, & ſimilia, de quibus loquitur hoc *cap. & d. cap. Tuæ, de pœnis.* Item pondera verba, *prioribus ſe ſceleribus ſceleſtius immiſcentes*, nec non illa, *ad pejora*, quæ demonſtrant eos deinde iterata, & graviora ſcelera commiſiſſe: Et nihilominùs à ſuis judicibus Eccleſiaſticis ſunt comprimendi, vel per ſeipſos, vel ſi neceſſe fuerit, invocato brachii ſæcularis auxilio. Ergo eſt ibi caſus expreſſus, quòd pro magnis ſceleribus iteratis, & pro homicidio qualificato, vel iterato Clericus non traditur Curiæ ſæculari non data incorrigibilitate.

litate. Ex quibus puto hanc opinionem veriſſimam, & non eſſe tutum ab ea recedere in judicando, vel conſulendo.

104 Porrò in hac opinionum contrarietate alii conſiderantes etiam ceſſante incorrigibilitate à Clericis perpetrari poſſe talia flagitia, quæ non valeant condignè puniri ſola depoſitione, vel detruſione in Monaſterium, cujus loco ſucceſſit tranſmiſſio ad triremes, nunc verò in ergaſtulum; exiſtimarunt hoc relinquendum eſſe arbitrio judicis Eccleſiaſtici, qui juxta qualitatem facti, & perſonarum decernat, an delinquens ſit degradandus, & Curiæ ſæculari tradendus, necne: inter quos Covarr. *pract.quæſt.lib.2.q.20.num.7.* ubi ait: *Nec tamen inficior poſſe contingere homicidium, aliudve crimen ita pernicioſum Reipublicæ inſpectis loci, temporis, & perſonarum qualitatibus, quod arbitrio diſcretorum judicum hanc traditionem juſtiſſimè patiatur.* Et ex illo idem repetunt Plaza *in Epitom.delict.lib.1.c.21.num.13.verſ.Nec me latet*, Didac.Perez *tom.3.comm.in ordin.regul.* Caſtell.*lib.8. tit.4.l.3.ſub verſ.Utrum autem degradatus*, Clar.*in §.fin.d.q. 36.verſ. Pariter etiam*, ubi poſtquam dixit opinionem Ancharani, & Abbatis ſervari in practica, ut ſcilicet propter homicidium proditorium, vel aliud enorme, & graviſſimum delictum, Clericus degradatus tradatur Curiæ ſæculari non expectata incorrigibilitate, ſeque etiam vidiſſe aliquando ita obſervari: concludit in hujuſmodi caſibus enormibus hoc relinquendum eſſe arbitrio ipſius judicis Eccleſiaſtici degradantis, qui ſecundùm qualitatem facti, & perſonarum decernat, an ſit tradendus Curiæ ſæculari, vel non; ſubdit tamen in dubio non eſſe faciendam traditionem Clerici delinquentis, qui non eſt incorrigibilis, niſi natura rei, & circumſtantiæ criminis aliud ſuadeant: & idem dicunt Scaccia *de judic.lib.1.c.11.num.66.verſ.Alii tamen ſunt, &*
105 *67.* Farinac. *q.8.num.81. verſ.Ego, & alii recentiores.* Addunt nonnulli hujuſmodi arbitrium non aliter explicandum eſſe, quàm conſulto priùs Summo Pontifice, ſecundùm ea, quæ tradit Epiſcopus Scradenſis *in tract. de cenſur. & irregularit.tit.de depoſit.& degradat.c.14.* Qui pluribus exemplis oſtendit in multis mundi partibus ſæpiùs ſervatam fuiſſe dictam opinionem Ancharani, & Abbatis, accedente tamen Summi Pontificis authoritate, & non alias. Quod etiam admittit Greg.Lopez *in leg.Partit.Hiſpan.l.61.verb. Homicidio tit.6.par.1.*& Farinac.*d.q.8.num.81.circa fin.* ibi, *Et tamen ſemper Pontifice conſulto*, qui propterea *conſ. 143. num.1.in fin.vol.2.* reſpondit, Presbyterum, qui occidit Præpoſitum Villæ Cerenaſchi, & bonis expoliavit, de jure potuiſſe etiam non expectata incorrigibilitate, prævia reali degradatione, tradi Curiæ ſæculari, ſaltem Papa conſulto: & hoc ſimiliter tutius eſſe dixit Martinus del Rio *diſquiſit. magicar.lib.5.ſect.16.ſub verſ.Si quæras.*

Sed quidquid dicant iſti, cùm jura in hoc articulo ſint clara, non relinquitur locus arbitrio judicis, *c.de Cauſis ſuprà de offic.deleg.* & ideò tenendum quod primò dixi.

Et ita die 16. Novembris 1650. in Congregatione à San- 106
ctiſſimo ſpecialiter deputata actum fuit de cauſa cujuſdam Marii Capponetti Siculi ſolemniter profeſſi in Religione Fratrum Capoccinorum Sancti Franciſci, qui in eadem commiſerat furtum excedens ſummam ſcutorum centum, & loco triremium, ad quas damnatus fuerat, ſeptennium manſerat in carcere; ac deindè ad ſacerdotium promotus, habitu religionis temerè dimiſſo, apoſtatavit, & per annum extra Religionem vagatus in habitu Clericali, tandem Romæ anno Jubilæi patravit decem magnam furta in Palatiis diverſorum Magnatum cum portarum, & ſcriniorum fractura, in quorum ultimo deprehenſus, & carceribus mancipatus omnia ſingillatim confeſſus fuit; & cùm dubitaretur, an propterea eſſet degradandus, & tradendus Curiæ ſæculari, ut lueret pœnam ultimi ſupplicii, articulo de mandato Sanctiſſimi accuratè diſcuſſo, reſolutum fuit contra opinionem Ancharani, & Abbatis non eſſe locum huic pœnæ degradationis, nec traditionis Curiæ ſæculari, ſed tantùm detruſionis in perpetuum carcerem, vel ad triremes. Quam Congregationis ſententiam Sanctitas Sua ad ſe relatam approbavit. Et ita prædictus reus in effectu ad triremes in perpetuum fuit tranſmiſſus, &c.

D E J U D I C I I S.

Innocentius III. Sancti Sergii, & Sancti Georgii Abbatibus.

C A P U T XII.

CUm veniſſent: & infrà. Cùm ſuper privilegiis Sedis Apoſtolicæ cauſa vertatur; nolumus de ipſis per alios judicari.

S U M M A R I U M.

1 *Concilii Trid.decreta an & quibus liceat interpretari, num 9.uſque in finem.*
Interpretationum quatuor ſunt ſpecies, Principis, Conſuetudinis, Judicis, & Magiſtrorum; & in quibus differant, ibid. & num.ſeqq.
2 *Interpretatio, quam Princeps facit non ut Legislator, ſed ut Magiſter, probabilis eſt, non neceſſaria.*
3 *Interpretatio translativa quæ ſit.*
4 *Interpretatio argumentalis, & extrinſeca, propriè non ineſt legis.*
5 *Interpretatio impropria quotuplex ſit.*
6 *Interpretatio quid ſit.*
7 *Verba legis cùm exponimus, legem non interpretamur, ſed declaramus.*
8 *Interpretatio alia eſt litteralis, alia quæ in obſcuritate ſenſus, ſeu dubietate verborum conſiſtit.*
9 *Bulla Pii IV. circa prohibitionem interpretationis Concilii Trid. refertur.*
10 *Bulla Pii IV. prohibens Trident. Concilii interpretationem, de qua interpretationis ſpeceie ſit intelligenda.*
Proſp. Fagnan. in II. Lib. Decretal.
11 *Concilii Trident. Canones, & Decreta nemo poteſt per modum legis univerſalis interpretari, niſi ſolus Papa, & num.ſeqq.*
12 *Canones, & Leges interpretari is poteſt tantùm, qui poteſt condere.*
13 *Declaratio dubiorum emergentium ex decretis generalium Conciliorum à Sede Apoſtolica petenda eſt.*
Cognitio quæ tendit ad deſtructionem, vel confirmationem actus, debet ab eo procedere, qui poteſt actum celebrare, ibid.verſ. Quæ concluſio.
14 *Papa poteſt Concilium Trident. interpretari tam per ſeipſum, quàm per eos, quibus id munus ſpecialiter demandaverit.*
15 *Legatus non modò ſuam conſtitutionem, ſed etiam reſcriptum Papæ poteſt interpretari.*
16 *Interpretatio Papæ, vel habentes authoritatem ab ipſo habet vim generalis Conſtitutionis, etiamſi in aliquo ſpeciali caſu, ad conſultationem alicujus edita fuerit.*
17 *Congregationis Concilii declarationes ſigillo, & ſubſcriptione munita, etiamſi editæ fuerint in aliquo ſpeciali caſu, faciunt jus quoad omnes, perinde ac ſi à Papa editæ fuiſſent.*

18 *Congregatio Epiſcoporum, & Regularium non habet jus Trident. Concilii decreta interpretandi, & num. ſeqq.*
Juriſdictio Papæ reſervata non comprehenditur in conceſſione juriſdictionis quantumcumque generali, ibidem.
19 *Interpretandi poteſtas cohæret perſonæ, & in alium non tranſit.*
20 *Legatus de Latere Tridentini Concilii decreta interpretari non poteſt abſque ſpeciali facultate.*
21 *Epiſcopi in ſuis decretis, & Conſtitutionibus, & Judices in ſuis ſententiis, & interlocutionibus interpretari non poſſunt decreta Concilii Tridentini, & num. ſeqq. uſque ad num. 52.*
22 *Judicibus an & quomodo liceat jura interpretari, & n. ſeqq. uſque ad n. 25. & n. 38. uſque ad n. 44.*
23 *Epiſcopi prohibentur generalium Conciliorum dubia interpretari.*
24 *Intellectus l. fin. C. de legib. l. 2. §. Si quid verò, C. de veter. jur. enucl. & l. Non poſſunt, ff. de legib.*
25 *Bulla Pii IV. dum prohibet, ne quis audeat ſtatuere ſuper decretis Concilii Tridentini, intelligitur de ſtatutis declaratoriis, & num. ſeqq.*
26 *Epiſcopis tamquam executoribus Concilii Trident. in ſua diœceſi licet pro hujuſmodi executione edicta proponere.*
27 *Reges efficere debent, ut cuſtodiantur leges, & præcepta Dei.*
28 *Prætextus, ſeu color quid ſit.*
29 *Verbum*, Statuere, *neceſſitatem inducit, & in materia declaratoria non importat, niſi interpretationem authoritativam.*
30 *Congregatio Concilii à Pio IV. ad Concilium Trid. non interpretandum, ſed exequendum aſſumpta, hæſitavit, an ab initio ei licuiſſet Concilium interpretari.*
31 *Rotæ Romanæ deciſiones ſunt Magiſtrales, & probabiles tantùm, licèt magnum habeant pondus authoritatis.*
32 *Rotæ Romanæ deciſiones prævalent communi opinioni.*
33 *Item faciunt jus in Curia adinſtar ſtyli, ſaltem ſi ſecundùm eas fuerit ſæpiùs judicatum.*
34 *Rotæ Romanæ in ſuis deciſionibus non licèt Tridentini Concilii decreta interpretari abſque ſpeciali facultate, & num. ſeqq.*
35 *Signatura Juſtitiæ cùm in generè, & confuse petitur commiſſio cauſæ, debet in commiſſione addere clauſulam*, Dummodò non agatur de interpretatione Decretorum Concilii Trident.
36 *Judex delegatus in cauſa ſibi commiſſa fungitur vice Papæ, & eſt major Ordinario.*
37 *Epiſcopis ſi in ſuis diœceſibus, & judicibus in cauſis pendentibus liceret Concilium Trident. interpretari, quæ incommoda ſequerentur.*
38 *Judicem oportet Legum, & Canonum ſenſus, & mentem ſcrutari, etiam poſthabita verborum proprietate, quod ſine interpretatione fieri non poteſt.*
39 *Judex ſuper paucis tantùm, quæ juridica ſententia decidi non poſſunt, debet Principem conſulere.*
Declaratur, num. 51.
40 *Interpretationis prohibitio non afficit, ubi copia Principis haberi non poteſt.*
41 *Judices ſuper dubiis litterarum Apoſtolicarum nullatenùs poſſunt judicare, ſeu pronuntiare, ſed tantùm cognoſcere incidenter.*
42 *Judex de dubio arduo, & inexplicabili ſuper litteris Apoſtolicis etiam incidenter cognoſcere non poteſt, ſed debet Papam conſulere.*
63 *Interpretatio dubiorum ſuper litteris Apoſtolicis emergentium indiſtinctè petenda eſt à Papa, ſi ſit præſens in loco.*
44 *Judex cùm incidit dubium concernens interpretationem Conc. Trid. quomodò ſe gerere debeat in cognitione, & expeditione cauſæ.*
45 *Interpretationi locus non eſt, ubi verba ſunt clara.*
46 *Judex cùm directè, & principaliter vertitur dubium ſuper intellectu alicujus decreti Concilii Trident. omninò abſtinere debet ab interpretatione.*
47 *Judex etiam incidenter de dubiis ſuper decretis Conc. Trident. cognoſcere non poteſt, ſi commodè pateat aditus ad Congregationem.*
48 *Judices, qui ob locorum diſtantiam, vel aliud legitimum impedimentum nequeunt ad Congregationem Concilii recurrere, poſſunt, ſi periculum ſit in mora, de dubiis non arduis decretorum Concilii incidenter cognoſcere, & ſuper negotio principali pronunciare.*
49 *Impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis, quod oritur ex matrimonio contra formam Concilii contracto per verba de præſenti, & non conſummato, non fuit à Concilio ſublatum, & durat uſque ad quartum gradum.*
50 *Epiſcopi & judices, etiamſi difficilis ſit acceſſus ad Sedem Apoſtolicam, dubium arduum, & difficile ſuper decretis Conc. Trident. etiam incidenter decidere non debent.*
51 *Judex in dubiis decidendis quem ordinem ſervare teneatur.*
52 *Doctores, & Magiſtri prohibentur gloſſas, commentarios, adnotationes, & ſcholia ſuper decretis Conc. Trid. typis mandare, atque impreſſa edere, & num. ſeqq. uſque ad num. 63.*
53 *Bulla S. Pii V. prohibens, ne quis edat ullum genus interpretationis ſuper decretis Conc. Trid. includit etiam interpretationem probabilem, & num. ſeqq.*
54 *Judices ſæculares minimè poſſunt leges Canonicas, & Conciliares interpretari.*
55 *Verba univerſalia includunt etiam ea, quæ aliàs in diſpoſitione generali non includerentur.*
56 *Canonum ſtatuta Principum Conſtitutionibus adjuvantur.*
57 *Juriſperitus, qui edidit gloſſam impreſſam Hiſpano idiomate ſuper Conc. Trid. declaratur excommunicatus à S. Congregatione.*
58 *Remiſſiones Auguſtini Barboſæ Indici librorum prohibitorum adjectæ ex ſententia S. Congregationis Concilii.*
59 *Legumlatores ferè omnes ſuarum legum interpretationem prohibuerunt.*
60 *Conſuetudo contra Conſtitutionem Apoſtolicam habentem decretum irritans, & infligens pœnam excommunicationis, validè introduci non poteſt.*
61 *Septimi libri Decretalium compilatio ſub Gregor. XIII. inchoata, & ſub Clemente VIII. abſoluta, cur publicata non fuerit, & num. ſeqq.*
62 *Decretalium quot compilationes fuerint, & qui illarum gloſſatores.*
63 *Doctoribus, & Magiſtris non licet gloſſas, commentarios, adnotationes, aut ſcholia ſuper Decreto Conc. Trid. manuſcripta evulgare, & num. ſeqq.*
Declaratur, num. 71. & 76.
64 *Verbum*, Edere, *quid importet propriè.*
65 *Typographiæ uſus quo tempore incœpit.*
66 *Librorum impreſſio, & evulgatio etiam in materia pœnali pari paſſu ambulant.*
67 *Communis uſus loquendi prævalet verborum proprietati.*
68 *Declaratur.*
69 *Statutum imponens pœnam pro homicidio quocumque patrato, an comprehendat etiam homicidium caſuale, & ſine dolo.*
70 *Dictio*, Quocumque modo, *extendit diſpoſitionem etiam ad impropria, & aliàs comprehenſa in diſpoſitione generali.*
72 *Opera etiam manuſcripta conſueverunt allegari, licèt minùs frequenter, quàm impreſſa, & cur, & num. ſeqq.*
73 *Vincentius profundiſſimæ ſcientiæ pater dictus à Joanne Andrea.*
74 *Doctores antiqui mittebant ſibi invicem libros manuſcriptos propter illorum penuriam.*
75 *Rationis finalis reliquiæ ſatis ſunt ad ſuſtinendam diſpoſitionem.*
76 *Doctores, qui gloſſas, & commentarios manuſcriptos ſuper decretis Conc. Trid. non evulgant, ſed ad uſum ſuum ſibi reſervant, non incidunt in pœnas Conſtitutionis Pii IV.*
77 *Gloſſæ Cardinalis Antonii Carafæ, & Epiſcopi Theani ſuper decretis Conc. Trid.*
78 *Congregationis Concilii Miniſtri an includantur in Bulla Pii IV. de non interpretandis decretis Conc. Trid.*

79 *Ratio expreſſa per gerundium cenſetur finalis.*

80 *Doctores, & Advocati, qui aliquod Tridentini Concilii decretum incidenter interpretantur, eamque interpretationem ſcriptam, aut impreſſam edunt, excuſantur à cenſuris Bullæ Pii IV.*

81 *Verba*, Quocumque modo, *includunt omnem modum tam principalem, & directum, quàm incidentem.*

82 *Navarri conſilia multa contra declarationes Sac. Congregationis Concilii.*

83 *Bulla Pii IV. accipit interpretationem ex communi obſervantia, ut non comprehendat editiones interpretationum, quas faciunt obiter Magiſtri, & Doctores ſuper aliquo decreto Concilii Tridentini.*

84 *Verba univerſalia*, quocumque modo, *reſtringuntur ad ſubjectam materiam.*

85 *Verba obſcura propter eorum generalitatem ex obſervantia veniunt declaranda.*

86 *Conſtitutio tollens conſuetudinem, non tollit interpretativam.*

87 *Conſuetudo in legibus interpretandis primo loco ſpectanda eſt, deindè propria ſignificatio verborum.*

88 *Interpretatione prohibita, non cenſetur prohibita interpretatio, quæ fit obiter, & incidenter.*

89 *Magiſtri, & Lectores licitè poſſunt in ſcholis Tridentini Concilii decreta oretenus interpretari, & num. ſeqq. in fin.*

90 *Concilium Tridentinum in Græcam, Arabicam, Chaldæam, aliaſque exteras linguas verſum.*

91 *Litteralis expoſitio abſolutè neceſſaria eſt ad intelligentiam legum.*

92 *Doctores, & Magiſtri de jure communi facultatem habent Leges, & Canones interpretandi.*

93 *Interpretandi licentia, quæ in Doctoratu confertur, quid operetur.*

94 *Bulla Pii IV. non ſuſtulit facultatem, quam Doctores habent publicè interpretandi Concilium Trid. & n. ſeqq. uſq. in fin.*

95 *Extenſio in pœnalibus non eſt facienda de caſu ad caſum.*

96 *Interpretatio legum naturaliter neceſſaria eſt, & ideo per Conſtitutionem, vel Statutum tolli non poteſt.*

97 *Statutum prohibens interpretationem, intelligitur de extrinſeca.*

98 *Argumentis frequenter, & collationibus latens veritas aperitur.*

99 *Concilii Trid. decretum in c. 2. ſeſſ. 25. de reform. expenditur.*

100 *Interpretatio Canonum ad dogmata pertinentium aliter fieri debet a lectoribus Theologiæ, atque à Profeſſoribus Juris Pontificii.*

101 *Canonum diſciplina eſt Theologiæ ſubalternata.*

102 *Inducta ad majorem confirmationem actus, non debent ejus infirmationem operari.*

103 *Intellectus l. Nemo Clericus, C. de Summ. Trinit. & Fide Cathol. & c. 2. §. Inhibemus de hæretic. in 6.*
Diſputare publicè, vel occultè de articulis Fidei, an liceat Clericis, vel laicis, ibid.

104 *Doctoribus, & Magiſtris an liceat interpretationes ſuper decretis Concilii ſcholaribus ſcribentibus publicè dictare.*

C*Um veniſſent*. De dubiis privilegiorum Apoſtolicæ Sedis ſolus Papa cognoſcit, & non inferior. Hoc dicit ſecundùm Anton. de Butr. & Abb. Vel ſecundùm Bald. & Cardin. De privilegiis Apoſtolicis non judicat alius à Papa. Vel ſic ſecundum Aretin. Interpretatio privilegii pertinet ad conditorem, non ad alium. In hoc habes jura concordantia infrà *num.* 12. *& ſeqq.* Breve eſt, & non dividitur; & eſt pars decretalis, quæ habetur ſupra in *cap. Cum veniſſent de in integr. reſtitut.* ſecundùm Goffred. Hoſtien. & Joann. Andr. quod pleniùs explicat Abb. Antiq.

QUÆRO, an & quibus liceat Tridentini Concilii decreta interpretari.

Ad evidentiam præmittendum eſt primò, reſpectu efficientis, ſeu interpretantis quatuor eſſe ſpecies interpretationum, quas recenſet gloſſa *in cap.* 1. *in ver. Interpretatus*: & ibi etiam Doct. *ſuprà de poſtul. Prælator.* item gloſſ. *fin. in c. Sicut, §. Ex his* 11. *q.* 1. *gloſs. in l. Si de interpretatione, ff. de legib. & in l.* 1. *in verſ. Juſque, C. eod.*

1 Prima interpretationis ſpecies eſt generalis, neceſſaria, & in ſcriptis redigenda, ut Principis, *cap. Inter alia infrà de ſent. excomm. & cap. fin. de conceſſ. præben. lib.* 9. *cum concord.* de quibus infra in prima concluſione; quam interpretationem appellat authoritativam Cardin. Jacob. *in tract. de Concil. cap.* 16.

Secunda ſpecies eſt generalis, & neceſſaria, ſed non in ſcriptis redigenda, ut conſuetudinis, *l. Minimè, ff. de legib. & d. l. Si de interpretatione.*

Tertia ſpecies eſt quidem neceſſaria, & in ſcriptis redigenda, ſed non generalis, ut Judicis, *l. Non poſſunt, & l. Nam ut ait, ff. de legib.* not. Innoc. *in d. c.* 1. *num.* 6. *in fin. de poſtol. Prælat.* & Silveſt. *in ver. Opinio num.* 2. *verſ. Quia Judex poteſt interpretari.* Et hæc interpretatio inter partes ſimiliter dici poteſt authoritativa, quia res judicata pro veritate habetur, *l. Ingenuum, ff. de ſtat. homin.* & judicium redditur in invitum. *l. Interſtipulantem, §.* 1. *ff. de verb. oblig.* Quamvis generalis dici non poſſit, quia jura litigatorum non egreditur, ut declarat Innoc. *in cap. Cùm ſpeciali num.* 4. *in fin. de appell.*

Quarta ſpecies interpretationis eſt, quæ nec generalis, nec in ſcriptis redigenda, nec neceſſaria eſt, ſed probabilis tantùm, quam nonnulli doctrinalem appellant, ſicut eſt interpretatio Gloſſarum, & Magiſtrorum, *l. Unica, Cod. de profeſſ. qui in urb. Conſtantin. lib.* 12. *cum aliis*, de quibus infrà *in* 6. *concluſ. num* 92.
2 Quod habet locum etiam ſi hanc interpretationem faciat Princeps, ſeu Legiſlator, ſed ut Magiſter, ſeu Doctor, ut de apparatu Innocentii IV. notat Joan. Andr. *in Addit. ad Specul. in rubr. ne Sede vacan.* Felin. *in cap.* 2. *de reſcript.* Jaſ. *in l.* 1. *ff. ſi cert. pet.* & docet idemmet Innoc. *in cap. Per tuas: il ſecondo ſub num.* 4. *verſ. Si tu dicas de Simon.* & Navarr. *conſ.* 11. incip. *Quibus ſignis cognoſcitur.*

3 Præmittendum ſecundò, reſpectu formæ, ſeu naturæ ipſius interpretationis, ſecundum Cardin. *in cap. Cùm dilectus n.* 11. *verſ. Octavò quæro de conſuet.* interpretationem duplicem eſſe: quædam enim eſt translativa, per quam ſcilicet unum idioma in aliud transfertur, juxta text. *in l.* 1. *in fin. ff. de verb. oblig.* Et ſic dicuntur Septuaginta interpretes S. Bibliæ. Et Hieronymus itidem dicitur interpres. Et hos etiam mediatores appellamus, ut per Card. *ubi ſupra*.

Quædam verò eſt interpretatio, quæ non fit per transla-
4 tionem unius idiomatis ad aliud, ſed circa idem idioma. Et hæc rurſus ſubdividitur: alia enim interpretatio eſt argumentalis, & extrinſeca, quæ propriè non ineſt legi, ut in-
5 quit Bald. *in cap.* 1. *num.* 52. *de conſtitut.* Et hanc dicit triplicem eſſe Card. *loc. cit.* videlicet abrogativam, extenſivam, & reſtrictivam. Quæ diviſio colligitur ex gloſſ. 2 *in l.* 1. *ff. de orig. jur.* dum dicit interpretationem largiùs poni pro correctione, pro arctatione, & prorogatione. Ad idem eſt gloſſ. *in l.* 1. *§. Qui operas in ver. Interpretatione, ff. ad Tertill.* & notat Paul. de Caſtr. *conſ.* 338. *Quia exceptiones, & num.* 2. *lib.* 1. dicens interpretationem ſumi poſſe etiam pro omnimoda correctione, & pro modificatione, quæ in augmento, vel diminutione conſiſtit. Nec diſſentit Bart. *in leg. Gallus, §. Etiamſi, ff. de liber. & poſthum.* corruptè enim legitur ibi interpretationem quandoque ſumi pro declaratione; & legendum videtur pro correctione cùm Bartolus ad hoc alleget text. in *d. §. Qui operas*, qui loquitur de interpretatione illa, quæ dicitur correctio, ut ibi per gloſſ. in *ver. Interpretatio*, niſi largè, & impropriè ſecundum gloſſ. *prææalleg. in d. l.* 1. *de orig. jur.* ſed potiùs correctio, vel modificatio, ut per Paul. de Caſtr. *d. conſ.* 338. *num.* 2. *lib.* 1. & de hac vide latè per Card. in *d. c. Cùm dilectus à n.* 14. *uſque in fin. de conſuet.*

Alia verò interpretatio, ut idem Bald. ait in *d. c.* 1. *num.* 52. *de conſtit.* eſt ſubſtantialis, & intrinſeca, & inſeparabilis à lege. Et hoc modo accipitur interpretatio propriè pro congrua verbi dubii declaratione, ſecundùm Paul. de Caſtr. *ubi ſuprà*: de qua ſcripſerunt Bart. in *l. Omnes populi, in* 3. *q. ſextæ quæſtionis principalis, num.* 56. *ff. de juſt. & jur.* Salyc. in *l.* 2. *in* 1. *C. de noxal. action.* Ludovic. Roman. in *repet. l. Si verò, §. De viro, circa princip. ff. ſolut. matrim.* & Petr. de Ancharan. in *repet. c. Canonum ſtatuta, in decima quarta quæſtione principali de conſtitut.*

Præmittenda eſt tertiò diffinitio interpretationis 6
pro-

propriè ſumptæ, quæ ſecundùm Bald. *in pœnam Decretal. num 95.* eſt ſermonum difficilium, vel perplexorum expoſitio, vel ſecundum Sylveſt. *in ver. Interpretat. o in princ.* eſt uni verbi per aliud, vel unius ſententiæ per aliam declara-
7 tio: propterea tamen cùm verba legis exponimus, legem non interpretamur, ſed declaramus, ut ſcripſi Bart. *in d l. Gallus*, §. *Etiamſi num. 1. ff. de liber. & poſthum.* licèt interpretationis verbum ſæpè accipiatur pro declaratione, ut in *leg. 1. ff. ſi cert. pet.* & alibi paſſim.

8 Præmittendum quartò, interpretationem, ſeu declarationem, ut proponitur, diffinitam, iterùm ſubdividi ſecundum Abb. in *cap Super quæſtionum num. 8. verſ. Et dic clarius de offic. deleg.* Alia enim eſt litteralis, per quam ſcilicet verbum, vel verbi ſenſus, ſeu conſtructio, quaſi grammaticaliter ad litteram exponitur, juxta text. in *cap. Exiit qui ſeminat*, §. *Itaque ſub pœna, de verbor. ſignificat. lib. 6. in l. 1. §. fin. ff. de verbor. obligat. & in l. Proſpexit, ff. Qui, & à quibus*. Et hanc appellat corium litteræ Oldrad. *conſ. 9. Poſito ſine præjudicio num. 4. ver. Præterea*. Item verborum corticem, *Clem. un. §. Verum de jurejur.* Item ſuperficiem, & ſermonum folia Hieron. *in Epiſt. ad Galat. cap. 1.* ut refertur *in cap. Marcion. 1. quæſt. 1.* Item verbum ex verbo Greg. in *cap. Præterea de verbor. ſignificat.* Item interpretationem linguarum, ut cum dicimus Euchariſtia, id eſt, bona gratia, Abb. *loc. cit.* Et groſſum modum intelligendi Bald. *in leg. Lege num. 7. Cod. de legit. hæred.* Alia eſt interpretatio, ut inquit ibidem Abb. quæ in obſcuritate ſenſus, ſeu dubietate verborum conſiſtit, quæ ſcilicet non nudam litteram, & verborum corticem explicat, ſed verba, & ſenſum ſimul, juxta text. *in d leg. Nominis & rei*, §. *Verbum ex legibus*, juncta gloſſ. *ff. de leg.* aut certè ſenſum, ſeu intellectum, qui legi intrinſecè, & eſſentialiter ineſt, ut in *cap. Intelligentia, de verbor. ſignificat. in l. Contra legem, verſ. In fraudem, & in l. Scire leges, ff. de legib. cum concordat.* de quibus per Oldrad. *loco citato*. Et hanc jura, & Sacri Canones appellant legis rationem intellectum, ſententiam, mentem, animam, vim, robur, ſpiritum, medullam, radicem, &c. ut *in d. Clement. 1. §. Verum de jurejur. & in d. c. Marcion 1. qu. 1. cum ſimil.* de quibus ibi per gloſſ. *in ver. Sed in ſenſu*, Feder. de Sen. *conſil. 4. Teſtator num. 7. verſ. Multum eſt*, & Abb. *conſ. 75. Primo eſt videndum num. 7. verſ. Nam mens legis lib. 1.*

9 Ultimò, præmittenda ſunt verba Bullæ Concilii à Pio IV. editæ 7. Kalend. Februarii 1564. incipien. *Benedictus Deus, in fin. Concilii*, quæ ſic ſe habent: *Ad vitandum præterea perverſionem, & confuſionem, quæ oriri poſſet, ſi unicuique liceret, prout ei liberet, in decreta Concilii commentarios, & interpretationes ſuas edere; Apoſtolica authoritate inhibemus omnibus tam Eccleſiaſticis perſonis cujuſcumque ſint ordinis, conditionis, & gradus, quàm laicis quocumque honore, ac poteſtate præditis. Prælatis quidem ſub interdicto ingreſſus Eccleſiæ; aliis verò quicumque fuerint ſub excomunicationis latæ ſententiæ pœnis, ne quis ſine authoritate noſtra audeat ullos commentarios, gloſſas, annotationes, ſcholia ullumve omninò interpretationis genus ſuper ipſius Concilii decretis quocumquem modo edere, aut quidquam quocumque nomine, etiam ſub prætextu majoris corroborationis, aut executionis, aliove quæſito colore ſtatuere. Si cui verò aliquid in eis obſcurius dictum, & ſtatutum fuiſſe, eamque ob cauſam interpretatione, aut deciſione aliqua egere viſu fuerit, aſcendat ad locum, quem Dominus elegit, ad Sedem videlicet Apoſtolicam omnium fidelium magiſtram, cujus authoritatem etiam ipſa S. Synodus tam reverenter agnovit. Nos enim difficultates, & controverſias, ſi quæ ex eis decretis ortæ fuerint, nobis declarandas, & decidendas, quemadmodum ipſa quoque S. Synodus decrevit, reſervamus.*

10 His præcognitis, quidam opinati ſunt, in Conſtitutione Pii IV. non prohiberi niſi interpretationem generalem, & neceſſariam, ſeu authoritativam, quæ in ſcriptis redigitur; & ſic primæ ſpeciei, de qua in principio primi ſuppoſiti *num. 1.* ut Salas *de legib. tract. 14. quæſt. 97. diſput. 21. ſect. 11. verſ. Neque obſtante prioris partis fundamenta, & verſ. Quantum ad primam*, poſt Henriqu. *lib. 7. de Indulg. cap. 29. num.* 4. & Eman. Rodriq. *tom. 1. regul. quæſt. in 11. quæſt. art. 3. §. Ad vitandum*: ſed hæc ſententia eſt nimis laxa, & reddit Conſtitutionem Pii IV. prorsùs inanem, & fruſtratoriam: nam cùm interpretatio hæc authoritativa, & generalis decretorum Conciliorum fieri non poſſit, niſi à Summo Pontifice, ut patebit intrà in prima concluſione; ineptè Pius IV. illam tam diſtinctè prohibuiſſet omnibus tam Eccleſiaſticis perſonis, quàm laicis. Et verba Bullæ univerſalia, & prægnantia, & tam crebrò inculcata, violentam hanc reſtrictionem non patiuntur, & ſimiliter patebit intra *in 4. concluſ. num. 54. verſ. Quinto expedenda ſunt verba*.

Alii è converſo fortè religioſiùs, quàm par eſt, exiſtimarunt, Pium IV interdixiſſe generaliter, & indiſtinctè quamcumque interpretationem etiam probabilem decretorum Concilii Tridentini. Sed hæc opinio eſt nimis rigida, & facilè poteſt injicere laqueum conſcientiis ob cenſuras in prædicta Conſtitutione inflictas, eaſque patitur difficultates, quæ inferiùs ſubjiciuntur in quinta, & ſexta concluſione.

Quamobrem pro veritate ſtatuendæ ſunt concluſiones infraſcriptæ.

Prima concluſio eſt, decreta, & Canones Concilii Tri- 11
dentini nemo poteſt authoritativè, ac per modum legis univerſalis interpretari, niſi Romanus Pontifex. Hæc concluſio eſt manifeſta.

Primò, quia generaliter ille ſolus habet jus interpretan- 12
di Canones, qui habet poteſtatem condendi eos: quæ ſunt verba text. *in § Ex his omnibus 11. qu. 1.* Et unde jus prodiit, interpretatio quoque debet procedere, *c. Inter alia infrà de ſent. excomm. c. Conſtitutionem eod. tit. in 6. c. Cùm veniſſent de judic. l. 1. l. Leges Sacratiſſimæ, & leg. fin. Cod. de leg.* ibi, *Si enim leges condere ſoli Imperatori conceſſum eſt, & leges interpretari ſolo dignum Imperio eſſe oportet.* Et infra: *Quis legum ænigmata ſolvere, & omnibus aperire idoneus eſſe videbitur, niſi is, cui ſoli Legiſlatorem eſſe conceſſum eſt?* Qui jura, ut vides loquuntur taxativè, itaut excludant omnem poteſtatem inferiorem à Principe. Et à gloſſ. & DD. communiter intelliguntur de interpretatione primæ ſpeciei, quæ ſcilicet in ſcriptis redigitur, ad differentiam juris non ſcripti, quæve generalis & neceſſaria eſt, & facit jus quoad omnes, juxta text. *in c. fin. de conſtitut.*

Deindè patet hæc concluſio, quia interpretatio genera- 13
lium Conciliorum, quæ per Romanæ Eccleſiæ authoritatem & fiunt, & robur accipiunt, *c. 1. & ſeqq. 17. diſt. c. Ideò 2. q. 6. & 22. diſt. per tot. c. Significaſti de elect.* omninò pertinet ad Summum Pontificem; *c. Ne licuit 17. diſt.* ibi, *Sed quoties aliqua de univerſali Synodo aliquibus dubitatio naſcitur, ad recipienda de eo, quod non intelligunt, rationem, ad Apoſtolicam Sedem conveniant, c. Dilect. de conceſſ. præb. in 6.* utrobique gloſſ. & DD. not. gloſſ. *in Extravag. Cùm inter nonnullos in ver. Declaramus de verb. ſignific.* Prepoſ. *in cap. Sicut num. 1. 15. diſt.* Turrecrem. *in Summa de Eccleſia lib. 3. c. 53.* Card. Jacob. *de Conc. cap.* 10. Ideòque in Conſtitutione Sixti V. edita 11. Kalend. Februarii 1587. quæ incipit, *Immenſa, in §. Deo autem Patri*, ſuper inſtitutione Sac. Congregationis Concilii, dicitur; ad ſingularem tantummodò Summi Pontificis authoritatem ſpectare, generalia Concilia indicere, confirmare, interpretari.

Ac demum, quia in individuo ipſummet Concilium Tridentinum *in decreto de recipiend. decret. Concil. ſeſſ. 25. de reformat.* declarationem eorum, quæ in eodem Concilio ſtatuta, ac diffinita fuerunt, remiſit ad Romanum Pontificem. Et Pius IV. in antedicta Conſtitutione decretorum Concilii Tridentini interpretationem ſibi, ac Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſervavit, ac cæteris omnibus interdixit. Quæ concluſio maximè procedit quoad interpretationem correctivam, ſeu modificativam, de qua ſupra in ſecundo ſuppoſito *num. 5.* Explorati enim juris eſt, inferiores à Summo Pontifice nequaquam poſſe decreta univerſalium Conciliorum obrogare, vel modificare, *cap. inferior 21. diſt. cap. Cùm inferior, de major. & obed.* Clemen. *Ne Romani de elect.* & habetur expreſſiùs in Extravagan. Joannis XXII. *Sancta Romana*, §. *Quædam autem de relig. domib.* ubi id notat gloſſ. *in ver. Concilii*, item gloſſ. *in cap. Cum dilectus in ver. In ætate*, & ibi etiam Abb. *col. 5. de elect* gloſſ. *in cap. Nec licuit in ver. Particularem 17. diſt.* Felin. *in cap. 1. de ſponſal.* Naturalem rationem redit hìc Petr. de Anchar. *in 2. notab. num. 1.* quia cognitio, quæ tendit ad deſtructionem, vel confirmationem actus, debet ab eo procedere, qui poteſt actum celebrare, ut in regula, *Nihil tam naturale, ff. de regul. jur.*

Se-

14 Secunda concluſio, Quemadmodum Romanus Pontifex poteſt decreta Tridentini Concilii per ſeipſum authoritativè interpretari, ita & per eos, quibus id munus interpretandi ſpecialiter demandaverit, eorumque interpretatio habebit legis authoritatem perinde, ac interpretatio Papæ, *l. Non ambigitur, ff. de legib. l.* 1. §. *fin. ff. A quib. appel. non lic. §. Lex eſt inſtit. de jure natural. & l. Formam, ff. de offic. Præfect. Prætor.* Quę jura ad hoc propoſitum adducit gloſ. magna *in l.* 1. *in fin. gloſſæ, verſ. Item contra, ff. de leg.* Sed melior text eſt *in l.* 1. §. *His itaque collectis*, juncto §. *Sed neque, C. de veter. jur. enuclean.* ponderando eum, ut diximus *in c. Quoniam n.* 8. *verſ. Ad idem eſt textus formalis ſup. de conſtit.*

15 Sic Legatus non modò ſuam Conſtitutionem, ut *in c. Ex parte, il terzo de verbor. ſignific.* ſed etiam reſcriptum Papę poteſt interpretari, *c.* 1. *de poſtul. Præl.* gl. *in d. c. Ex parte in verb. Interpretatione*, & gl. *in fin. in c. Sicut*, §. *Ex his omnibus* 11. *q.* 1. Et in Prætoriis ſtipulationibus ſi ambiguus ſermo acciderit, Prætoris eſt interpretatio, *l. In Prætoriis, ff. de Prætor. ſtipul.*

16 Porrò interpretatio, quàm facit Papa, vel generalem authoritatem habens ab ipſo, habet vim generalis Conſtitutionis, & facit jus quoad omnes, etiamſi non generaliter, & per modum legis, ſed in aliquo ſpeciali caſu, & ad conſultationem alicujus edita fuerit. Hic eſt textus *in leg. final. in princ. C. de leg.* cujus hęc ſunt verba, *Si Imperialis Majeſtas cauſam cognitionaliter examinaverit, & partibus cominus conſtitutis ſententiam dixerit omnes omninò judices ſciant hanc eſſe legem non ſolùm illi cauſæ, pro qua producta eſt, ſed & omnibus ſimilibus.* Quem textum ad hoc ponderat ibi Bald. *n.* 1. Ad idem eſt caſus *in c. Ex multa de voto*. Per quem textum ita tenet gl. *in cap. Ex tua in verb. Conſultationem de fil. Presbyt.* & Felin. qui alios adducit *in c.* 1. *n.* 17. *de conſtit.*

17 Ex duabus concluſionibus ut ſupra firmatis infertur primò, ut Sacra Congregatio Concilii poſſit decreta Tridentini Concilii ita interpretari, ut illius declarationes ſigillo, & ſubſcriptione munitæ, etiamſi editæ fuerint in aliquo particulari caſu, habeant vim Conſtitutionis generalis, earumque, ut ipſamet Congregatio declaravit, eadem habenda ſit ratio, ac ſi à Papa editæ eſſent, cùm authoritatem interpretandi Conc. habeat ex Conſtitutione Sixti V. proximè relata, quam propoſitionem latiſſimè probavimus *in d. c. Quoniam ſup. de conſtit. à nu.* 6. *uſq. ad numer.* 69.

Infertur ſecundò, ut Sacra Congregatio Epiſcoporum,
18 ac regularium, quamvis habeat à Papa authoritatem reſpondendi illorum conſultationibus proindeque ejus reſponſa etiam in caſibus particularibus edita faciant in ſimilibus caſibus jus generale quoad omnes ad inſtar declarationum Sacræ Congregationis Concilii; tamen facultatem non habeat Trid. Concilii decreta interpretandi: tum quia in generali commiſſione reſpondendi ad dubia Epiſcoporum, & Regularium non comprehenditur facultas interpretandi Concilium, quæ ex Bulla Pii IV. eſt Romano Pontifici ſpecialiter reſervata; *c.* 2. *de pœnit. & remiſſ. in* 6. *cap. ult. de offic. Vicar. eod. lib. c. Nuper, verſ. Quia tamen conditor Canonis, de ſent. excomm. in antiq.* & in ſpecie in conceſſione juriſdictionis quantumcumque generali non comprehendi juriſdictionem reſervatam Summo Pontificis, eſt caſus *in c. Quod translationem*, & ibi gloſſ. & DD. not. *de offic. leg.* Dec. *conſ.* 197. *in caſu inquiſitionis num.* 1. Rota *dec.* 119. *Legatus, vel Nuncius in novis, & dec.* 36. *nota Legatus in antiq.* ubi propterea decidit in conceſſione conferendi beneficia qualitercumque vacantia facta Legato non venire beneficia Papæ reſervata. Poteſtas autem interpretandi cohæret perſonæ, adeòut non tranſeat in alium, ut inquit Innoc. *in c. fin. de ſucceſſ. ab inteſt.* & notat gloſſ. *in l. Idem Pomponius in ver. Appareat, ff. de rei vendic.* Ideòque Greg. XIII. dixit nunquam ſuæ intentionis fuiſſe committere Epiſcoporum Congregationi, ut de iis, quæ ad interpretationem Concilii pertinerent, aut de ipſis Congregationis Concilii decretis cognoſceret. Illud autem ſe rectè meminiſſe ait Sanctitas Sua comiſiſſe Congregationi Concilii ea omnia, quæ ad Concilium interpretandum pertinent, ut eſt adnotatum in libris publicis ejuſdem Congregationis Concilii *to.* 10. *fol.* 557. Tum quia, & multò clariùs in præallegata Bulla Sixti V. incip.
19 *Immenſa, in* §. *Et nos quidem ſuper Inſtitutione S. Congregationis Epiſcoporum*; dum eidem Congregationi facultas tribuitur, Epiſcoporum, aliorumque Prælatorum, & Ordinariorum petitiones audiendi, eorumque conſultationibus reſpondendi; cauſas item, & controverſias inter Prælatos de juriſdictione aliave de cauſa exortas: item inter Capitula, aut obtinentes dignitates, ac inter quaſcũque ſingulares perſonas, & univerſitates, aut locorum in temporalibus dominos examinandi; expreſsè interſeritur exceptio illa, *Præter eas, quæ Tridentini Concilii interpretationem exigunt.* Et ſimiliter in eadem Bulla *in* §. *Nec ſane minus ſuper inſtitutione S. Congregatione regularium*, diſertis verbis ſtatuitur, ut Cardinales hujus Congregationis cùm inter Epiſcopos, & Regulares dubitationes inciderint, quę ſub decretorum Concilii diſpoſitione, aut interpretatione comprehendantur, eas ad eamdem Congregationem Concilii remittant. Et ex hac ſecunda 20
illatione ſatis clarè ſubinfertur, nec Legatum de latere poſſe interpretari decreta Concilii Tridentini, cùm hæc facultas ſit Papæ ſpecialiter reſervata; ideòque non includatur in facultatibus legati quantum cumque generalibus, juxta text *in dict. cap. Quod translationem, de offic. leg.* & predictam deciſionem Rotę 119. *in novis*.

Tertia concluſio, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, cæte- 21
riſque locorum Ordinariis in ſuis decretis, & Conſtitutionibus tam in Conciliis Provincialibus, vel diœceſanis, quàm extra: item in judicibus quibuſcumque in eorum ſententiis, & interlocutionibus prohibitum eſt Trid. Conc. decreta interpretari.

Probatio autem hujus concluſionis ſi petenda eſſet à ju- 22
re communi, eſſet ſatis dubia; non enim conſtat apud omnes, an & quomodo liceat Ordinariis, & judicibus jura interpretari: nam *in c. Nec licuit* 16. *diſt.* prohibetur Epi- 23
ſcopis generalium Conciliorum interpretatio, dum eis pręcipitur, ut quoties de univerſali Synodo dubitatio naſcitur pro deciſione conveniant ad Sedem Apoſtolicam. Qui textus in Polycarpo citatur ex Gregorio, & in margine eſt additum: Ad Epiſcopos Mauritaniæ. Item de judicibus loquuntur verba illa Deuteronomii *cap.* 17. *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem, &c & judicum intra portas tuas videris verba variari, &c. veniens ad judicem, qui fuerit illo tempore*, id eſt, *ad Papam*, ut exponit Innocent. III. *in c. Per ve-* 24
nerabilem, §. *Rationibus, qui fil. ſint legit.* Ad idem ſunt text. *in l. fin. C. de leg.* ibi, *Et quare omnes ambiguitates judicum, quas ex legibus oriri evenit aures accipiunt noſtræ, ſi non à nobis interpretatio procedit, & in l.* 2. *col. ult. C. de veter. jur. enucl.* ibi, *Si quid verò ambiguum viſum fuerit, hoc ad Imperialem culmen per Judices referatur.* Nec dicamus ea jura procedere in interpretatione generali, quæ facit jus quoad omnes, quoniam id verum quidem eſt in ea parte, in qua decidunt ſolum Principem legis conditorem poſſe jura interpretari: at dum prohibent, ne judices interpretentur leges, ſed Principem conſulant, intelligi non debent, niſi de interpretatione in cauſis particularibus. Indubitatum eſt enim judices, quorum juriſdictio ad certos limites territorii, vel perſonarum reſtricta eſt, nequaquam poſſe interpretationem facere per modum legis univerſalis, *l. fin. de juriſdict. omn. judic.* Et lex non fertur niſi in caſu dubio, *l. Labeo, ff. de Carbonian. edicto:* & in propoſ. not hìc Dec. *n.* 1.

Non obſtat textus *in l. Non poſſunt, ff. de legib.* quia habet locum quando dubium eſt ſuper negotio, non autem ſuper verbis legis, ut ibi gloſſ. & Doctores notant. Non enim eodem loco haberi debet quæſtio facti, & quæſtio juris. Quia ut dicitur *in leg. Non ſtatim, ff. ad l. Flaviam de plagiar.* cum incidit quæſtio facti, non Principem conſultare de ea re oportet, ſed quod veriſſimum in re præſenti cognoſcitur, ſequi judicem oportet.

Non obſtat *l. Neque leges, & l. Nam ut ait Pædius, ff. eod.* quia procedunt in interpretatione Juriſconſulti ſeu Principis ut *in d. l. Neque leges*, declarat gl. *in ver. Scribi poſſunt.*

Non obſtat *c.* 1. *de poſtul. Prælat.* quia habet locum in Legato, quia mandatum Apoſtolicum interpretatur ex commiſſione Papæ, ut notant DD. hìc.

Innocentius tamen in eodem *cap.* 1. *de poſtulat. Prælat. in* 6. *in fin.* ſimpliciter dicit quemlibet Judicem poſſe in cauſa legem interpretari. Et idem Innocentius *in c. Cum ſpecia-*

triali ſub num. 4. *de appellat.* poſteaquam dixit inferioribus judicibus non licere jura condere, neque interpretari, nec etiam inter jus ſcriptum, & æquitatem, cùm id ſolùm Principibus liceat; fatetur tamen in cauſis, quas coram ſe habent inferiores judices, benè poſſe quantum ad jus litigatoris pertinet, ſuper juribus, & interrogationibus etiam inter jus, & æquitatem interpretari. Et dictum Innoc. ſequitur ibi Jo. Andr. *col.* 3. *verſ. Quidam dicunt*, dicens inferiores Judices in cauſis, quas habent coram ſe, in præjudicium litigantis poſſe interpretari jus ſcriptum, & æquitatem, ſed talem interpretationem jus non facere, niſi inter partes, Ant. de Butr. *n.* 11. *verſ. Dicit tamen Innocentius*, & Petr. de Anchar *in repet. Canonum ſtatuta ſub n.* 35. *verſ. Et vide quod notat Jo. Andr. de conſtitut.*

Communiter tenetur, Judicem ſuper dubia legum, & Canonum non poſſe directè, & principaliter judicare, ſed tantùm poſſe cognoſcere indirectè, & incidenter, ita ut ſuper illis non pronunciet, ſed ſuper negotio principali dumtaxat, ut patebit infrà in hac ipſa concluſione *n.* 41. *& ſeqq.* Et hoc intelligunt Innoc. & Jo. And. ſupracitati, dum dicunt, Judicem poſſe interpretare leges in præjudicium litigatoris.

25 Cæterùm quicquid ſit de jure communi, quod pertinet ad decreta Concilii Tridentini, has altercationes omnes diremit Conſtitutio Pii IV. Ad cujus veritatis evidentiam, Quia Eman. Rodriq. *tom.* 1. *Regular. quæſt. in* 11. *quæſt. art.* 3. §. *Ad vitandum*, Henriq. *libr.* 7. *de Indulgent. c.* 29. *n.* 4. & Salas *de legib. tract.* 14. *qu.* 97. *diſp.* 21. *ſect.* 11. *verſ. Ad ſecundum reſpondet*, perperàm opinati ſunt Conſtitutionem Pii IV. non procedere quoad Judices in tribunalibus; ſupponendum eſt, dum Pius IV. *in* 2. *part.* §. *Ad vitandum*, inhibet, ne quis audeat ſuper Decretis Concilii Tridentini quidquam quocumque nomine etiam ſub prætextu majoris corroborationis, aut executionis ſtatuere, verbum illud, *Statuere*, eſſe intelligendum de ſtatutis declaratoriis tantùm. Patet tum ex clauſula, quæ immediatè ſubſequitur, ibi, *Si cui verò aliquid in eis obſcurius dictum, & ſtatutum fuiſſe, eamque ob cauſam interpretatione, aut deciſione aliqua egere viſum fuerit, accedat ad Sedem Apoſtolicam*: nam adverſativa illa, *Vero*, & ſingula verba hujus clauſulę non congruerent, niſi priùs egiſſet de ſtatutis declaratoriis: tum ex ratione proœmiali ejuſdem §. vitandę ſcilicet perverſionis, & confuſionis, quæ oriri poſſet, ſi unicuique liceret in decreta Concilii interpretationes ſuas edere: quæ indicant ſe inferiùs agere nolle, niſi de materia interpretationis, ad Clem. 1. cum ibi not. *de offic. Ordin.* Lap. *alleg.* 101. *In civitate num.* 24. *verſ. Circa ſecundum ſtatutum*: tum denique, quia illud verbum, *Statuere*, intelligi non poteſt de ſtatutis correctoriis Concilii, quia illis non conveniunt, imò adverſantur illa verba Conſtitutionis, *Etiam ſub prætextu majoris corroborationis*.
26 Nec intelligi poteſt de ſtatutis, & edictis merè executoriis: abſurdum enim eſſet, ut locorum Ordinariis non liceret edicta proponere pro obſervatione, & executione, Concilii, cum in eadem Conſtitutione Pii IV. *in* §. *Mandamus*, diſtrictè eis præcipiatur, ut ejuſdem Conc. decreta, & ſtatuta in Eccleſiis ſuis, civitatibus, & diœceſibus in judicio, & extra judicium diligenter obſervent, & à ſubditis quiſque ſuis inviolabiter faciant obſervari, contradictores, *&c.* Et propterea paſſim videmus in Synodis Provincialibus à S. Congregatione recognitis, & emendatis, & in Synodis diœceſanis inſeri ſtatuta, & ordinationes pro executione decretorum Concilii Trid. prorſùs tamen abſque ulla illorum interpretatione. Quinimò
27 in decreto *de recip. & obſervat. decret. Conc. ſeſſ.* 25. *de reform.* admonentur etiam Principes omnes ad operam ſuam ita præſtanda, ut quæ à S Synodo decreta ſunt, ab omnibus recipiantur, & obſerventur. Ad Reges enim ſpectat, ut cuſtodiri faciant leges, & præcepta Dei, & Eccleſiæ, ut Auguſtinus docet *epiſt.* 48. 50. *&* 156. Et fecerunt pii Imperatores, Conſtantinus, Theodoſius, Martianus, & alii, ut obſervat Card. Bellarm. *to.* 1. *lib.* 1. *de Conc. c.* 20. & conſtant ex *l. Cunctos populos, C. de Summ. Trin. & Fid. Cathol. cum concord.*

Cùm igitur verbum, *Statuere*, poſitum in Conſtitutione Pii IV. nec referri poſſit ad ſtatuta correctoria, neque ad executoria, ſupereſt, ut referri debeat ad declaratoria, itaut ſenſus Conſtitutionis ſit, ne ſub prætextu majoris corroborationis, vel executionis quiſquam audeat ſuper decretis Concilii quidquam ſtatuere, id eſt ſtatuendo declarare, quod eſt authoritativè interpretari: nam prætextus, ſeu color eſt ſimulatio, quęſita ad faciendum id, quod 28
alia via prohibetur, *c. Avaritiæ de elect. lib.* 6. *c. Eos qui de temp. ord. l. Sub prætextu, C. de tranſact.* & not. *in l. Illicita, ff. de offic. Præſid.*

Atque hoc pro conſtanti ſuppoſito, tertia, hæc concluſio probatur primò, quia illud verbum, *Statuere*, nullatenùs referri poteſt ad interpretationem probabilem Juriſperitorum, ſed ad neceſſariam, & authoritativam dumtaxat; verbum enim, *Statuere*, neceſſitatem inducit; *cap. In his de verb. ſignific.* gl. *in Extravag. Execrabili Joannis XXI. in ver. Statuimus*, & in materia declaratoria non importat, niſi interpretationem authoritativam, ut de verbo, *Decernere*, quod idem eſt, ac ſtatuere, *l.* 1. *ff. Quod quiſque juris*, eſt *text. in c. Conſtitutionem*, ibi, *Declarantes decernim. de ſent. excomm. in* 6. *& in c.* 1. & ibi Gem. *in* 2. *not. de Clerico ægrot. eod. lib.* Rurſus illud verbum, *Statuere*, referri non debeat interpretationem authoritativam primæ ſpeciei, id eſt generalem, quæ facit jus quoad omnes; hanc enim indubitatum eſt ſuper decretis Conciliaribus facere non poſſe, niſi ſolum Papam, neque in hoc erat opus prohibitione Pii IV. alioquin Conſtitutio eſſet ſuper caſu indubitabili, quod eſſe non debet, *l. Labeo, ff. de Carbon. edict.* Reliquum eſt igitur, ut referri debeat ſolummodò ad interpretationem authoritativam, quam circumſcripta prohibitione facere potuiſſent Epiſcopi in ſuis diœceſibus, & Judices in cauſis in eorum tribunali pendentibus. 29

Secundo loco idipſum probatur, quia interpretationem probabilem quartæ ſpeciei jam Pius IV. prohibuerat in prima parte illius, §. *Ad vitandum*, ut dicemus infrà in quarta concluſione *n.* 53. *uſq. ad* 63. Unde niſi poſteà egiſſet de interpretatione neceſſaria, & ſpeciali; ſecunda pars illius §. abundaret, & eſſet omninò ſuperflua, quod non eſſet dicendum, ut ibidem patebit.

Tertio, Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium authoritatem non habet interpretandi Concilium, 30
ut oſtenſum eſt ſuprà in ſecunda concluſione, *verſ. Infertur ſecundò, num.* 18. *& ſeqq.* Quinimò in eadem Bulla Pii IV. confirmationis Concilii, *Ullumvè omninò interpretationis genus*, propter ea verba fuit dubitatum à Sacra Congregatione Concilii, an ex quo Pius IV. in erectione dictæ Congregationis videtur tantùm deputaſſe eam ad executionem decretorum Concilii, non autem ad interpretationem, amplius ibi mandavit, ut ſi aliqua dubietas emergeret, ad Sanctitatem ſuam referret; & in hac Bulla hanc facultatem interpretandi etiam ſibi reſervavit: an Congr. ipſa inciderit in iſtam cenſuram decidendo multos caſus propoſitos ad interpretationem Concilii pertinentes abſque eo, quòd ullam relationem Sanctiſſimo fecerit. Et cùm Congreg. hac de re conſuluiſſet S. Pium V. Sanctitas Sua dixit ſe non credere Congregat. incidiſſe in hujuſmodi cenſuras, quoniam opinabatur hanc prohibitionem eos tantùm comprehendere, qui proprio auſu interpretari præſumpſiſſent, ut indicant illa verba, *Audeant interpretari*; tamen pro futuro dixit ſe tribuere facultatem Congregationi, ut abſque alia delegatione poſſet decidere caſus quas Congr. tamquam claros putaret decidendos; quos verò tamquam dubios putaret referendos, Sanctitati Suæ referret, prout poſteà fecit, ut diſertis verbis eſt adnotatum in libris publicis S. Congr. manu Cardinalis Carafæ. Si igitur ſupremis Urbis tribunalibus fas non eſt decreta ipſius Concil. interpretari, idque ne ipſi quidem Congr. Conc. licuit ab initio, niſi quoad caſus, quos tamquam claros putaſſet decidendos, pro quibus etiam opus fuit ſpeciali Sanctiſſimi facultate; quanto minus id licebit Ordinariis, & Judicibus inferioribus?

Quarto, quamvis Rotę Romanę deciſiones ſint probabiles tantùm, ſeu Magiſtrales ſecundum Gem. *in c. Duobus col.* 5. *n.* 9. & ibi etiam Franc. *n.* 10. *de reſcript. in* 6. & fatentur quatuor inſignes Rotæ Auditores, nempè Felin. *in c. Paſtoralis col. fin. n.* 10 *verſ. Et idem eſt de deciſionibus Rotæ de fide inſtrum.* Prępoſ. *in cap. Nemo* 9. *diſt.* dicens Deciſiones noſtræ non ſunt jura, & ideò poſſunt reprobari Bellam. *dec.* 42. *ſi in cauſa de lite conteſtata*, Caſſad. *dec.* 17. *num.* 7. *de præbend.* magnum tamen habent pondus authoritatis, ut per Chriſtophorum Ca- 31

ſtil.

32 ſtill. conſ. 7. Viſis prius col. fin. num. 20. & 21. Et prævalent communi opinioni, ſecundum Imolam in cap. 1. de lit. con-
33 teſt. quidquid ibi contra ſcripſerit Barbat. col. 15. Quinimò Joann. Franc. Pavinus ſimiliter Rotæ Auditor in præludiis Extravagan. Joan. XXII. col. 3. verſ. Deciſiones Rotæ, affirmat eas facere jus in curia ad inſtar ſtyli, ſaltem ſi ſecundùm eas fuerit ſæpius judicatum, cùm ad Rotam ſpectet interpretari verba & mentem Papæ in reſcriptis, & in hac quaſi poſſeſſione exiſtat ſciente & patiente, imò volente, & mandante Summo Pontifice, allegat c. Sicut, de re judic. & notata per Joann. Andr. poſt Hoſtien. in cap. 1. de poſtul. Prælat. Extra Curiam verò dicit eas fidem facere ſicut reſponſa Prudentum, & redarguit Gemin. & Petr. de An-
34 charan. qui contra Rotam conſulerunt. Quamobrem Rotæ interpretatio in ſuis deciſionibus videtur authoritativa, & conſequenter prohibita eſt quoad Concilium Tridentinum in Conſtitutionis Pii IV. Hinc. Gregor. XIII. die 4. Aprilis 1581. dixit eſſe admonendam Rotam ſuper deciſionibus, quas facit in materia Concilii. Et proptereà in cauſa Gadicen. adjunctorum die 14. Februarii 1582. Rota dixit ſe tractaſſe de ordine Sanctiſſimi de intellectu duorum decretorum Concilii Tridentini, ut habetur in impreſſis deciſ. 143. part. 1. diverſ. & die 21. Junii 1602. in Rota propoſitum fuit dubium ad eam tranſmiſſum à Sacra Congregatione Concilii ſuper intellectu c. 15. ſeſſ. 25. ex ordine Sanctiſſimi, ut apud Seraph. deciſ. 1442. Et quòd magis eſt, in Calaguritan. & Calaciaten. Juriſdictionis 27. Maji 1580. coram Bubalo, ſic legitur: Propoſui dubium, an Epiſcopus poſſit viſitare ſuas Cathedrales Eccleſias Calaguritan. & Calciaten. juxta decretum Sacroſancti Concilii Tridentini ſeſſ. 6. cap. 4. & ſeſſ. 25. cap. 6. pro cujus interpretatione in hac cauſa ſufficiens facultas mihi attributa erat vigore ſpecialis commiſſionis, ut in impreſſis deciſ. 328. part. 2 diverſ. Et ferè uſu receptum eſt, ut ſi quando in Rotam incidat quæſtio concernens interpretationem Concilii, & caſus ſit dubius, & à Sacra Congregatione non deciſus, vel Rota ipſa Congregationem conſulat, vel ſignificet partibus, ut adeant Congregationem, à qua ubi declarationem obtinuerint, redeant cum ipſa ad Rotam, quæ deinde procedit ad cauſæ expeditionem, juxta deciſionem Sacræ Congregationis, ut in ſpecie colligitur ex deciſ. 482. & deciſ. 750. part. 1. & deciſ. 325. part. 2. diverſ.

35 Quinimò idem Gregorius XIII die 7. Junii 1574. audita Congregatione juſſit ſignificari Cardinali Aquavivæ, ut quando in ſupplicationibus non exprimitur articulus certi juris, ſuper quo cognoſcendum eſt, ſed in genere, & confusè petitur commiſſio cauſæ, addatur ſemper hæc clauſula: *Dummodò non agatur de interpretatione decretorum Concilii:* ut idem Cardinalis Carafa adnotavit. Habemus ergo expreſſam declarationem intentionis Papæ nolentis, ut Judices, quibus cauſæ committuntur, ſe
36 ullatenus immiſceant in interpretatione Concilii. Quòd ſi id non licet Judicibus delegatis à Sede Apoſtolica, longè minùs licebit Ordinariis, quia delegatus in cauſa ſibi, ut præfertur, commiſſa, fungitur vice Papæ, & eſt major Ordinario, cap. Sanè, de off. deleg. gloſ. 2. in c. Paſtoralis, §. Præterea, de off. ordin.

37 Quintò, & ultimò, ſi Epiſcopis, Ordinariis, Judicibus Eccleſiaſticis liceret Concilium Tridentinum authoritativè in eorum diœceſibus, vel in cauſis pendentibus interpretari, reſervatio interpretationis, quam ſibi, & Sedi Apoſtolicæ fecit Pius IV. redderetur omninò eluſoria: nam quoties incideret quæſtio ſpectans ad intelligentiam Concilii, ſatis eſset, ut partes adirent Epiſcopum, aut Judicem cauſæ pro interpretatione obtinenda, nec oporteret aſcendere ad locum, quem Dominus elegit, ut in Conſtitutione Pii IV. præcipitur. Prætereà inanis eſset inſtitutio S. Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, ſi quilibet Epiſcopus poſset interpretari Concilium in ſua diœceſi: nemo enim ferè conſuevit S. Congregationem conſulere ea intentione, ut obtineat declarationem per modum legis univerſalis, ſed tantùm ut ea uti poſſit in aliquo ſuo particulari caſu vel controverſia tunc pendente; pro cujus declaratione ſi pateret aditus ad Judices, & Ordinarios, quid opus eſset ad Sacram Congregationem confugere? Prætereà multoties contingeret, ut unus Epiſcopus interpretaretur Concilium uno modo, & alius alio; unde ſequerentur graviſſima incommoda. Finge enim virum contradixiſse matrimonium in Parochia mulieris alterius diœceſis, & Epiſcopum Ordinarium viri declaraſse matrimonium eſse nullum, veluti contractum in aliena Parochia, vel coram Parocho contradicente: & è converſo Epiſcopum diœceſanum mulieris pronunciaſse matrimonium validum, eò quòd ſola præſentia Parochi, viri, vel mulieris, ubique locorum ſufficiat ad validitatem matrimonii, nec requiratur conſenſus; utique hæc mulier in ſua Parochia habebitur pro legitima uxore, & in Parochia viri habebitur pro concubina. Qui ſanè caſus atque alii conſimiles, qui frequenter acciderent propter naturalem hominum ad diſsentiendum facilitatem, ut Ulpianus ait in l. Item ſi unus, §. Principaliter, ff. de arbitr. vix eſse poſsent ſine ſcandalo. Sæpè etiam contingeret, ut Eiſcoporum interpretationes adverſarentur declarationibus S. Congregationis, atque ita undique oriretur perverſio illa, & confuſio, quam Pius IV. ſua Conſtitutione vitare voluit. Quin varietas interpretationum poſset accidere etiam circa Canones pertinentes ad dogmata, contra id quod habetur ad Corinth. 1. *Idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobi ſchiſmata*, in c. Loquitur Dominus, & per tot. 24. qu. 1. & in Extravagan. Bonifacii VIII. Unam Sanctam de major. & obed.

Sed prædictis objicies; oportet Judicem ſcire leges & ſta- 38
tuta Canonum, cùm teneatur ad illorum præſcriptum ſententiam ferre, cap. Judices, 3. quæſt. 7. cap. 1. de conſtitut. cum multis ſimilibus; & de decretis Concilii Tridentini patet ex eadem Conſtitutione Pii IV. Confirmationis ipſius Concilii. Id autem ſine interpretatione fieri non poteſt, quia ſcire leges non eſt verba earum tenere, ſed vim, ac poteſtatem habere, leg. Scire leges, ff. de leg. Quinimò verba legis, & Conſtitutionis offendere licet, ut mens ſervetur cap. Sedulo, 38. diſt. gloſ. in Extravag. Quorumdam, Joann. XXII. in ver. Convertens, quia dum plerumque attenditur verborum proprietas, veritatis ſenſus amittitur, cap. Is autem, 22. quæſt. 2. unde Hieronym. in cap. Marcion, 1. quæſt. 1. *Nec putemus*, inquit, *in verbis Scripturarum eſſe Evangelium, ſed in ſenſu: non in ſuperficie, ſed in medulla; non in ſermonum foliis, ſed in radice rationis.* Hinc dici ſolet verba Scripturarum non eſse Judaicè intelligenda; *Littera enim occidit, ſpiritus autem vivificat*, 2. ad Corinth. 3. Feder. de Sen. conſ. 4. num. 7. verſ. Multum eſt. Ergo cùm legum interpretatio abſolutè ſit neceſsaria, ut etiam patebit infrà in 6. & ultima concluſione num. 96. quomodo Ordinarii, ac Judices poterunt controverſias, & lites dirimere ad præſcriptum decretorum Concilii Tridentini, ſi eis non liceat etiam poſthabita verborum proprietate illius mentem, ac ſenſum ſcrutari, & partibus aperire, atque uti interpretatione illa, quæ tantoperè ad legum intelligentiam conducit, & veritatis manifeſtationem? ut in Extravag. Quia nonnumquam, de verb. ſignif. Prætereà
Conſtantinus Imperator Plotiano reſcripſit in l. 1. C. de re-
lat. in Codice Theodoſiano: *Super paucis, qui juridica ſen-* 39
tentia decidi non poſſunt, noſtram debes conſulere Majeſtatem, ne occupationes noſtras interrumpas, cum litigationibus legitimum maneat arbitrium à ſententia provocandi. Et plura in hac rem cumulat Briſon. lib. 3. de form. à pag. 342. Et ſanè vix ad praxim reduci poteſt, ut Ordinarii, ac Judices ſaltem ex remotioribus regionibus conſulant Sedem Apoſtolicam ſuper omnibus dubiis emergentibus circa intelligentiam Concilii. Et cùm cauſarum inſtantia ex ejuſdem Concilii decreto cap. 20. ſeſſ. 24. ad annum, & ex cauſa ad biennium reſtricta ſit, quomodo fieri poterit, ut Judices in Indiis expectent reſponſum ab urbe
in cauſis vertentibus coram eis? Hinc etſi legem inter- 40
pretatio etiam de jure communi judicibus ſit interdicta; tamen prohibitio hæc non afficit eos, ubi copia Principis haberi non poteſt, gloſ. unic. & DD. in l. Non poſſunt, ff. de legib.

Verùm ad hæc reſpondet gloſſ. ſingularis hîc in ver. Ju- 41
dicari: nam cùm hæc decretalis diſponat, ut ſolus Papa cognoſcat de dubiis privilegiorum Apoſtolicæ Sedis, non autem inferior; quærit gloſſ. ſed numquid incidenter poteſt alius cognoſcere, quàm Papa? Videtur quòd ſic, C. de Jud. l. Quoties, & de in integ. reſtit. cap. Cauſa in fin. Inſpiciendum privilegium; & ſi verba ſunt manifeſta, Judex poteſt dicere, non obſtat privilegium, arg. infr. de fid. inſtrum, cap. Accepimus. Deinde ſubdit gloſ. non obſtare leg. Quos prohibet, ff. de poſtul. cap. Exceptionem, in fin. de except. & cap. Lator, qui fil. ſint legitimi, quia habent locum, cùm

B 4 ver-

verba obſcura ſunt & ambigua; quia tunc ejus eſt interpretari, cujus eſt condere; ubi verò aperta ſunt, & clara poteſt judex dicere, obſtat privilegium, non obſtat privilegium, arg. prædictæ decretalis, *Accepimus*. Similiter Innocentius ibi *in ver. Judicari*, dicit judicem poſſe cognoſcere incidenter, an privilegia juvent cauſam, & iis non obſtantibus judicare ſuper quæſtione ſibi propoſita, ita tamen, ut privilegii non faciat mentionem. Item dicit judicem non poſſe judicare de privilegiis Sedis Apoſtolicæ quando agitur de illorum interpretatione tantùm, ſcilicet cùm de ipſorum verbis dubitatur; & ſequitur totidem verbis Hoſt. *num.*1. Sed & Jo. Andr. *in ver. Privilegiis*, affirmat judicem non poſſe de privilegiis congnoſcere, cùm agitur de interpretatione dubiorum in eis contentorum, Anton. de Butr. *num* 3. *Si verba*, inquit, *privilegii ſint aperta,& clara, itaut nulla ibi cadat dubitatio probabilis cognoſcit inferior, & dicere poteſt, obſtat, vel non obſtat, quia hoc non eſt cognoſcere, aut examinare, ſeu interpretari, cum talia cadant ſuper dubio. Si enim privilegium dicat*, Sub protectione recepimus, *clarum eſt quod non inducit exemptionem, & ſic poterit judicare. Secus ſi privilegii verba ſunt dubia*. Et infrà: *Si vertitur dubium de privilegii intentu, ſi dubium non eſt probabile, quia appareet caſus apertus, vel tale dubium eſt per gloſſas communes, vel communes opiniones decidibile, ſatis puto inferiorem de hoc poſſe cognoſcere, ſicut videmus quotidiè Judices de talibus judicare, quando incidenter venit. Secus ſi principaliter ſuper hoc adeatur, quia tunc Papa eſt adeundus, ut dicit hic Innocentius. At ſi ibi cadat probabilis dubitatio, quia non poteſt per regulas benè decidi, itaquòd omninò ſenſus privilegii eſt obſcurus, & dubitatio ſit ſolùm circa verba privilegii, tunc ſolus Papa interpretatur, maximè ſi quæritur de interpretatione generali, quæ omnibus præjudicet; inferior autem non, niſi fiat de mandato Papæ*. Hæc Butrius. Henric.Boich. *poſt med. verſ. Aut quærit, an alius*, ſimiliter dicit, inferiorem non poſſe principaliter, & directè cognoſcere de privilegiis Papæ, ſi ſit dubium de interpretatione dubiorum in eis contentorum, ſed indirectè, & incidenter, ut ſi quæratur, an juvent cauſam, de qua agitur, poſſe cognoſcere, & eis non obſtantibus judicare ſuper cauſa principali pendente coram eo, itaut de privilegiis non faciat mentionem; & ſic de incidenti cognoſcat, & de principali pronunciet, ſecundùm Innocentium, & Hoſtienſem.

Habes ex prædictis ſecundùm communem Canoniſtarum ſententiam, inferiores à Summo Pontifice ſuper dubiis literarum Sedis Apoſtolicæ nullatenus poſſe judicare ſeu pronuntiare, ſed cognoſcere tantùm poſſe incidenter, præterquam in duobus caſibus, in quibus etiam inciden-
42 ter de dubiis privilegii cognoſcere non poſſunt. Primus eſt, ſi dubium eſſet arduum, & ineſplicabile, ut notat Abb. *in cap.*1. *in* 1. *notab. de Juram.calum.* & Dec. *hic num* 20. & docuit Bart. *in l. Omnes populi in* 3. *quæſt.* 6. *quæſt. principalis*
43 *n.*56. *verſ. Ubi verò ſtatutum, ff. de Juſt. & jur.* Secundus eſt, cùm Papa eſt præſens in loco quia tunc etiam in illis caſibus, in quibus judex poteſt interpretari, recurrendum eſt ad ipſum Apoſtolicum pro interpretatione, ita poſt Bald. *in l. Cum de novo in fin.Cod.de legib.* declarat hic Felin. *num.*1.

44 Itaque applicando prædicta ad propoſitum noſtrum, quoties in negotiis, & cauſis inſurgit quæſtio ſuper intelligentia alicujus decreti Concilii Tridentini, ſi verba ſint clara, Ordinarius & Judex procedat juxta illorum tenorem ad expeditionem negotii, vel cauſæ; omninò autem abſtineat ab interpretatione, ut notat Bart. *in l. Cum ab executore in princip. col. penult. de appellat.* & alii apud Dec. hic
45 *num.*19. Ubi enim verba ſunt clara, non eſt interpretationi locus, *l. Ille, aut ille*, §. *Cùm in verbis, ff. de legat.*3. *l. Continuus*, §.1. *ff. de verb. obligat.*

46 Quòd ſi verba Concilii ſint dubia; tunc duo caſus ſunt diſtinguendi. Primus eſt cùm directè, ac principaliter vertitur quæſtio ſuper intellectu alicujus decreti Concilii. Et hoc primo caſu oportet Ordinarios, & judices omninò abſtinere ab interpretatione tam in cognoſcendo, quàm in pronuciando, & Sedem Apoſtolicam conſulere, & in hoc jura, & DD. omnes conveniunt hic, & paſſim alibi Neque verò tunc ſubeſt ullum inconveniens expectandi reſponſum ab Urbe etiam ex longinquis partibus, cùm dubitatio non oriatur occaſione alicujus negotii, vel cauſæ pendentis, quæ celerem expeditionem requirat; ſed principaliter, & in genere quæratur de intelligentia Concilii pro futuris caſibus. Et mos Epiſcoporum eſt de pluribus dubiis Sacram Congregationem conſulere, præſertim occaſione viſitationis liminum, ut illorum deciſione poſteà opportunè uti poſſint pro Eccleſiarum ſuarum regimine. Memini inter alios Archiepiſcopum Goanum in Indiis Occidentalibus in viſitatione liminum pro quarto decennio conſuluiſſe Sacram Congregationem ſuper dubiis ferè ducentis, & ſuper pleriſque reſponſum obtinuiſſe per litteras Sacræ Congregationis.

Secundus caſus eſt, cum occaſione alicujus negotii, vel 47
cauſæ pendentis, obiter, & indirectè incidit dubitatio ſuper aliquo Concilii decreto; & tunc ſi commodè pateat aditus ad Sacram Cogregationem, illa omninò eſt conſulenda, & interim abſtinendum à deciſione, ſecundùm doctrinam Baldi, & Felini, quos retuli ſuprà *num.*43. Sin autem non ſit facilis aditus ad Sac.Congregationem ob locorum diſtantiam, vel aliud legitimum impedimentum, & periculum ſit in mora; tunc ſubdiſtinguendi ſunt alii duo caſus. Primus eſt cùm dubium, de quo incidenter dubita- 48
tur, non eſt admodùm difficile, & arduum, ſed ut ait Butr, *hic ſub num.*3. decidibile per communes gloſſas, vel communes opiniones; & hoc caſu Judex poterit ſuper eo dubio cognoſcere, & juxta intellectum, quem veriorem judicaverit, ſuper negotio principali ſententiam ferre: dummodò tamen ſuper intellectu Concilii non pronunciet, & ſic cognoſcat ſuper incidenti, & pronunciet ſuper principali, ſecundùm Innoc. Hoſt. & Boich. ſupracitatos *num.*41. Ut ſi quæſtio principalis ſit, an matrimonium ſit validum, necne, & incidenter, & per modum exceptionis objiciatur nullitas ex eo, quòd celebratum fuerit coram Parocho non Sacerdote, Judex poterit ſtante difficultate recurrendi ad Urbem pro declaratione, congnoſcere & examinare, an decretum Concilii *cap.*1. *ſeſſ.*24. *de reformat. matrim.* qua parte ſtatuit, ut matrimonium non aliter valeat, quam ſi celebratum fuerit coram Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi licentia, requirat neceſſariò, ut Parochus ſit Sacerdos; ſed poſt hujuſmodi cognitionem non debebit pronunciare ſuper intellectu Concilii, declarando decretum illud non requirere, ut Parochus ſit Sacerdos; ſed ſimpliciter ſuper negotio principali decidendo matrimonium eſſe validum. Similiter ſi pro validitate 49
matrimonii obiter incidat dubitatio, an decretum *cap.*3. *ſeſſ.*24. *de reform. matrim.* dum publicæ honeſtatis impedimentum ex ſponſalibus nullis prorſus tollit, ex validis verò reſtringit ad primum gradum, vendicet ſibi locum in impedimento publicæ honeſtatis, quod oritur ex matrimonio contra formam Concilii Tridentini contracto per verba de præſenti, & non conſummato; judex ſtante difficultate recurſus poterit de hujuſmodi incidenti cognoſcere, & pronunciare matrimonium eſſe nullum; ſed non poterit in ſententia declarare decretum *d. cap.*3. non habere locum in matrimonio nulliter contracto; quia hæc declaratio, quamvis in ſe vera ſit, & ad mentem Sac. Congregationis, tamen ad judices inferiores non pertinet, ſed tantùm ad Summum Pontificem, vel ad Cardinales Tridentini Concilii, Sanctitatis Suæ authoritate, interpretes.

Secundus verò caſus eſt, cùm dubium eſt arduum, & 50
difficile; & tunc etiamſi de eo incidenter agatur, & non ſit facilis recurſus ad Sedem Apoſtolicam, nihilominus oportet Epiſcopos, ac Judices abſtinere ab illius deciſione, & Sacram Congregationem conſulere; quia ut dictum eſt ſuprà *num.*42. etiam in illis caſibus, in quibus Judex poteſt litteras Apoſtolicas interpretari; hoc tamen non habet locum, ſi agatur de dubio arduo, & inexplicabili.
Et hoc conſilium dedit Judicibus Matt. Matthæſil. *in ſuo* 51
Opuſcul. elect. var. opinion. ut ſcilicet ubi res eſt prorſus ambigua, & omnia utrimque ſunt paria, omninò abſtineant à judicio, & Principem conſulant. Hæc etiam eſt theorica gloſſæ unicæ *in l. Non poſſunt, ff. de legib.* ubi docet, Judicem, in cauſis dubiis legum primò recurrere debere ad interpretationem conſuetudinis; Secundò, ad verborum propriam ſignificationem; Tertiò, ad partem benigniorem; Quartò, ad ſimilia; Quintò, quando omnia ſunt dubia, ad conditorem Legum, & Canonum. Et ſequuntur *in cap.*1. *de conſtit.* Petr. de Anchar. *num.*34. *verſ. Quædam autem ſunt commiſſa*, & Abb. *num.* 14. & in his ter-

minis

minis loquitur text. *in d. l. 1. Cod. de relat. in Codice Theodoſ.* in illis verbis: *Super paucis, quæ juridica ſententia decidi non poſſunt, noſtram debes conſulere Majeſtatem.* Et *in cap. Per venerabilem, §. Rationibus, verſ. Si difficile, & ambiguum, qui fil. ſint legit.* Quæ omnia, ſi procedunt de jure communi, multò magis vendicat ſibi locum in terminis Concilii, ſtante diſtricta prohibibitione cujuſvis generis interpretationum, de qua in antedicta Conſtitutione Pii IV.

52 Quarta concluſio, Magiſtri & DD. prohibentur gloſſas commentarios, adnotationes, & ſcholia ſuper decretis Concilii Tridentini typis mandare atque impreſſa edere. Nec excuſantur à cenſuris ex eo, quòd eorum interpretatio probabilis ſit, & non neceſſaria, ſeu authoritativa.

53 Pro cujus concluſionis evidentia obſervanda ſunt verba Conſtitutionis Pii IV. quæ *in §. Ad vitandum*, tres habet partes. In prima inhibet, ne quis audeat ullos commentarios, gloſſas, adnotationes, ſcholia, ullumve omninò interpretationis genus ſuper ipſius Concilii decretis quocumque modo edere. In ſecunda, quæ incipit ibi, *Aut quidquam*, ſimiliter inhibet, ne quis audeat ſuper iiſdem decretis quidquam quocumque nomine etiam ſub prætextu majoris corroborationis, aut executionis, aliove quæſito colore ſtatuere. In tertia, quæ incipit ibi, *Si cui verò*, Pius IV. interpretationem dubiorum ſuper decretis Concilii emergentium ſibi, ac Sedi Apoſtolicæ reſervat.

Quibus ſuppoſitis, *in 1. part. ejuſdem §.* prohiberi editionem interpretationis probabilis Doctorum, ac Magiſtrorum, clarè probatur ex infraſcriptis.

Et primò, cùm *in 2. par. d §.* prohibita ſit interpretatio neceſſaria, & authoritativa, ut probatum eſt ſupra in præcedenti concluſione, *n. 25. verſ. Cæterum quidquid ſit*, ſi prima pars non includeret interpretationem probabilem, abundaret, & verba adeò prægnantia, & inculcata nihil operarentur. Et tamen in lege, vel conſtitutione nec ſyllaba debet eſſe ſuperflua, & ſine myſterio aliquid operandi, ut dicit gloſſ. *in l. 1. ff. Quod met. cau.* & Alex. *conſ. 52. circa hanc num. 22. lib. 4.* Etiam ad correctionem juris communis, Cravet. *conſ. 95 n. 5.*

Secundò, in eadem prima parte prohibetur editio gloſſarum, & commentariorum: at hæc verba referri non poſſunt ad Principem, vel Judices, qui non edunt commentarios ad leges, vel conſtitutiones: ergo neceſſariò referri debent ad Juriſperitos, & Gloſſatores, quorum interpretatio probabilis eſt ſecundùm gloſſas initio citatas in *1. ſuppoſito ſub num.* 2.

Tertiò, Conſtitutio in prima parte ejuſdem §. *Ad vitandum*, prohibet, ne quis edat quodcumque interpretationis genus ſuper decretis Concilii. Ergo comprehendit etiam interpretationem probabilem Magiſtrorum, que eſt una ex quatuor ſpeciebus interpretationum, ut conſtat ex dictis in eodem primo ſuppoſito, quia ſub prohibitione generi, verè & propriè includitur quælibet ejus ſpecies, *l. Semper in generalibus, ff. de reg. jur.* & notat Bald. *in l. 2. C. de jur. aur. annull.* ſicut in toto propriè & pars continetur, *l. Si quis cum totum in princip.* & ibi Soc. *ff. de except. rei judic.* notat Dec. *in reg. In toto in princip. ff. de reg. jur.*

Quartò, prohibitio editionis hujuſmodi fit in eo §. pariformiter perſonis tam Eclceſiaſticis, quàm laicis. At certum eſt reſpectu laicorum prohibitionem non eſſe intelligendam de interpretatione neceſſaria authoritativa,

54 ſed de probabili tantùm: ſupervacaneum enim fuiſſet, & præter intentionem Pontificis in ea Conſtitutione prohibere judicibus laicis interpretationem authoritativam in decretorum Concilii, cùm indubitati juris ſit, judices ſæculares non poſſe leges Canonicas, & Ciciliares authoritativè interpretari, gloſſ. 1. *in c. Ne licuit 18. diſtinct.* Hinc cùm Monaſterium Monialium quoſdam hæredes coram ſæculari conveniſſet, & ageretur de interpretatione Concilii: Sacra Congregatio rem ad ſe perlatam, ad Sanctiſſimum retulit, qui dixit, ſcribendum Nuncio, ut ſciſcitetur à Judicibus ſæcualribus, de quo dubitent ſuper interpretatione Concilii, & Congregationem conſulant, illiſque ſuggerentibus, ſcribat dubitationem ad Congregationem. Ergo etiam reſpectu Eccleſiaſticorum ea prohibitio intelligenda eſt de interpretatione probabili, quia una determinatio reſpiciens plura determinabilia, debet ea pariformiter determinare *l. Jam hoc jure, §. fin. ff. de vulgar. cap.* *Majores de Baptiſ cum ſimil.* Et ea, quæ reguntur ab eodem verbo, eandem recipiunt qualitatem, Bar. & alii *in l. Talis ſcriptum, ff. de legat. 1.* DD. *in cap. Secundo requiris de appell.* Seraph. *dec. 559. n. 5.*

Quinto, expendenda ſunt verba prohibitionis univerſalia, ac multoties repetita tam reſpectu perſonarum, quibus ſit prohibitio, quam reſpectu interpretationis inhibitæ. Et quidem reſpectu perſonarum, ibi, *Si unicuique liceret*, & ibi, *Omnibus Eccleſiaſticis perſonis, cujuſcumque ſint ordinis, & c. quàm laicis quocumque honore, & c.* Reſpectu verò interpretationis, ibi, *Ullumve omninò interpretationis genus, & c.* Quæ quidem verba reſtringi non poſſunt ad judices tantùm, & ad ſolam interpretationem neceſſariam, abſque eo, quòd vis manifeſta inferatur litteræ: cùm de natura verborum univerſalium ſit potiùs omnia includere, & comprehendere etiam ea, quæ aliàs in generali diſpoſitione non comprehenderentur, ut de dictione, *Quodcumque*, eſt text. *in c. Solitæ, verſ. Quodcumque ligaveris*, & ibi Abb. *in ult. notab. de majorit. & obed. cum concord.* de quibus per Roman. *conſ. 31. Viſis his, num.* 1. & notat gloſſ. *in c. Paſtoralis in ver. Temporaliter de donat.* Dec. *in cap. Sedes col. penult. in fine de reſcript.* Seraph *deciſ. 980. num. 8.* Et de verbis illis, *Cujuſcumque ſint conditionis, & c.* eſt text. *in cap. Quamvis*, & ibi notat Archid. *de off. Ordin. lib. 6.* Et eò magis, quia hoc caſu verba non ſolùm ſunt univerſalia, ſed etiam geminata, & ſæpius inculcata, Cravett. *conſ. 294. Verba tranſact. n 1. & ſeqq* 55

Sextò ad hoc ponderandus eſt textus *in l. § Noſtram autem conſummationem, Cod. de veter. jur enucl.* nam quemadmodùm Pius IV. ad vitandam perverſionem, & confuſionem inhibuit, ne quis ederet commentarios ſuper decretis Concilii Trideriini; ita & Juſtinianus ob eamdem rationem confuſionis inhibuit, ne ad ſuum Codicem applicarentur, Commentarii: ſed prohibitio Juſtiniani habet locum præcipuè in interpretatione probabili juriſperitorum, ut patet ibi, *Nulli Juriſperitis*, necnon ibi, *Cum per contrarias Interpretationum ſententias totum penè ius conturbatum eſt.* Ergo idem dicendum de prohibitione Pii IV. quia verba Comſtitutionum ad intellectum juris communis ſunt referenda, *c. Cum adeo, & c. Cauſamque de reſcript.* Anchar. *conſ. 153. Pro fratribus, n. 3.* Sicut enim leges non dedignantur ſacros Canones imitari, ita & ſcrorum ſtatuta Canonum, Principum Conſtitutionibus adjuvantur, *c. Intelleximus*, & ibi gloſſ. & Joan. Andr. *in ver. Adjuvantur de novi oper. nuntiat.* nam Leges & Canones ex uno utero, vel fonte divino proceſſerunt, ut Bald. inquit *in conſ. ſchiſmatis poſito poſt rubr C. de edict. D. Adrian. tollen. num.* 3. Ad hoc *cap. 1. de juram. calum.* 56

Septimò & ultimò, corroborantur prædicta ex obſervantia ſubſecuta: nam cum olim quidam juriſperitus edidiſſet gloſſam typis excuſam Hiſpano idiomate ad integrum corpus Concilii Tridetini, S. Congregatio declaravit eum incidiſſe in excommunicationem in Conſtitutione Pii IV. inflictam. 57

Et meo tempore, cùm in Sac. Congregatione examinatum eſſet, quid agendum de remiſſionibus, quas typis impreſſas edidit Auguſtinus Barboſa, ad univerſa decreta Concilii Tridentini; quamvis propriè remiſſiones illæ Conciliium non interpretentur, ſed ſimpliciter referant ſuo quemque loco Authores, qui ſingula decreta interpretati ſunt: tamen cùm relatum ſit in referente, & negari non poſſit, quin hæc ſit implicita interpretatio ex aliorum ſententia, & ſpecies quædam adnotationum ad Concilii decreta: Sac. Congregatio die 27. Aprilis 1621. de mandato Gregorii XV decrevit hujuſmodi remiſſiones Indici librorum prohibitorum eſſe adjiciendas, prout fuerunt adjectæ. 58

Atque ita non obſtat, quòd omnes ferè legumlatores ſuarum legum interpretationem, & commentationem prohibuerint, Deuter. 4. *in princ. & c. 5. in fin. l. 1. §. Noſtram autem conſummationem, & l. 2. §. Hoc autem propè finem, C. de veter. jur. enucl. l. 14. tit. 1. partit. 1. l. 4. tit. 4. lib. 1. ordinamen.* & tamen contrarium poſteà obtinuerit. 59

Nam præterquàm quòd contra Conſtitutionem Pii IV. quæ habet decretum irritans inficiens poſſeſſionem, & imponit ipſo facto pœnam excommunicationis, non poteſt validè introduci conſuetudo, quia contrafacientes ſtatim incidunt in pœnam, & in factum damnatum, *cap. Adivimus 24. quæſt. 1.* Hoſtien. *in cap. 1. num. 7. de tregu. & pac.* 60

pac. Alphon. à Caſtro *de poteſtate legis pœnalis, lib.2. cap 12. poſt primum concluſionem*; certè hoc caſu objectum tollitur ex facto; quia hujuſmodi conſuetudo applicandi Commentarios, & Gloſſas ad decreta Concilii Tridentini, minimè viget. Nemo enim hactenus id attentare præſumpſit, præter unum Hiſpanum, qui propterea fuit denunciatus excommunicatus, & Authorem adnotationum, quæ Indici librorum prohibitorum adjectæ fuerunt, ut ſupra proximè dictum eſt.

61 Imò quod eſt memoria digniſſimum, cum Gregorius XII. commiſiſſet prius Flavio Urſino, Franciſco Alciato, & Antonio Carafæ, S. R. E. Cardinalibus, licentiam compilandi ſeptimum librum Decretalium, multaque ipſe manu ſua exaraſſet, ac monuiſſet, ſed è vivis ereptus inchoatum opus dimiſiſſet: Sixtus V. ejus ſucceſſor eam curam impoſuit Dominico Cardinali Pinello anno 1587. eique collegas adjunxit Cardinales Aldobrandinum, Matthejum, Columnam. Ex quibus Cardinali Aldobrandino poſt obitum Sixti ad Pontificatum aſſumpto, & creatis Cardinalibus ex Prælatis ipſius congregationis Lucio Saxo, Laurentio Blanchetto, & Pompejo Arrigonio; extremo anno 1593. factus eſt finis ea undequaque ſeligendi, & recognoſcendi, quæ inſerenda in Canonum corpus eſſent.

62 Magnoperè autem hæſitatum eſt, num in extrema hac compilatione inſeri deberent œcumenicorum Concil. Florent. ac Trid. Canones etiam ad dogmata pertinentes: & tandem optimis rationibus in eam itum eſt ſententiam, ut insererentur, licèt Collectiones tam Gregorii IX. Bonifacii VIII. & Clementis V. quàm in antiquioribus Iſidori, Burchardi, Anſelmi, Photii, & aliorum, pauciſſimis dogmatibus ſint reſperſæ. Itaque volumen Pontificia jura, & Conciliorum decreta trecentorum propè annorum in quinque libros diſpoſita, ſuis propriis diſtributa titulis, compendiaria quadam ſumma complectens, extremam manum accepit die 25 Julii anno 1598. Sed cùm typis jam excuſſum ſub nomine ſeptimi libri Decretalium Clementis VIII. propediem eſſet publicandum, gravis emerſit difficultas, quòd cum decreta ferè omnia Concilii Trident. in eo inſerta jam in corpus Juris Canonici redacta eſſent, negandum non erat, quin juriſperitis liceret eis applicare gloſſas, & Commentarios; ita enim in præcedentibus compilationibus factum videmus: nam ut miſſas faciamus veteres Græcorum collectiones, quibus ſuas addiderunt interpretationes, non modò Alexius Ariſtenus, Joannes Zonaras, & Theodorus Balſamon, verùm etiam Joannes Scholaſticus, & Photius, ambo Conſtantinopolitani Antiſtites, & Matthæjus Baſtens Monachus, Conſtantinuſque Harmenopolus, atque Arſenius; apud Latinos prima Decretalium compilatio, quam tempore Alexandri III. ex decretis antiquorum Conciliorum, & Summorum Pontificum Conſtitutionibus à Gratiano omiſſis fecit Bernardus Præpoſitus Papienſis, mox Faventinus Epiſcopus, & Breviarium Extravagantium inſcripſit, licèt privato ejus nomine edita fuerit; Gloſſatores tamen habuit Vincentium, Alanum, Tancredum, Laurentium, & Rogerium. Similiter ad ſecundam privatam compilationem Gilberti, & Alani, quam ſuo nomine edidit Joannes Gallenſis eorum diſcipulus, gloſſemata fecerunt idem Joannes, Hugo Ferrarienſis Epiſcopus, & Bernardus major Compoſtellanus. Quemadmodum & ad tertiam, quæ à Bernardo Archidiacono Compoſtellano propria authoritate Romæ confecta, & ideò Romana appellata, ac deinde omnium prima Liber Decretalium conſcripta fuit, gloſſas fecerunt idem Vincentius, Alanus, Rogerius, Jacobus, & omnium copioſiſſimè Tancredus, ut conſtat ex vetuſto Codice antiquarum compilationum ab Anagnia civitate in Bibliothecam Vaticanam delato, licèt Jo. And. putaverit gloſſas ad hanc compilationem compoſuiſſe Paulum Hungarum. Quartæ itidem compilationi, cui addita fuerunt capita ſeptuaginta, & unum Generalis Concilii Lateranenſis paulò ante celebrati, gloſſæ fuerunt applicatæ, licèt de Authoribus variæ ſint opiniones; alii enim illas tribuunt Joanni, alii Roberto, ſive Rogerio. Et prætermiſſa quinta, quam idem Tancredus compaginavit ex Conſtitutionibus Honorii III. ad ſextam itidem compilationem, quam Gregorius IX. ex quinque compilationibus præcedentibus in quinque Libris Decretalium diſpoſuit, opera ſcilicet Raymundi tunc ejus Capellani, & Pœnitentiarii, mox Tertii Ordinis Prædicatorum Magiſtri Generalis, gloſſas edidit Bernardus de Botono Parmenſis, & Canonicus Bononiæ. Sed & ad ſextum Librum Decretalium Bonifacii VIII. quæ ſeptima fuit compilatio, Jo. Andr. Bononienſis applicuit gloſſas, quæ in hoc prævaluerunt gloſſis Joan. Monachi Cardinalis; fuerunt enim concurrentes, ut idemmet Joan. Andr. teſtatur *in præfationes ejus libri.* Ac demum ad compilationem Clementinarum Clementis V. à Joanne XXII. publicatam, gloſſas confecit idem Jo. Andr. Et ad Extravagantes, quæ una cum Decretalibus Gregorii IX. Sexto, Clementinis, corpus Juris Canonici conſtituunt, ut declaravit Gregor. XIII. in Conſtitutione, quæ incipit: *Cum pro munere*, Zenzelinus de Caſſanis, & Gulielmus de Monte Lauduno gloſſas applicaverunt, & Apoſtillas Joannes Franciſcus de Pavinis Rotæ Auditor. Itidem veterum Canonum Expoſitores, Ruffinum, Silveſtrum, Jo. Hiſpanum, Joannem Faventinum, Goffredum, Melendum, Bartholomæum Brixien Joannem de Deo, & alios quamplures recenſet Gulielmus Durand. *in procem. Spec. num.*14. & ibi fuſiùs Jo. Andr. *in aditione incipien. B. Parm. littera M.*

Quod igitur ad veteres Canonum Collectiones factum eſt, nulla ratio ſuadebat, cur non idem eſſet permittendum ad extremam hanc compilationem ſeptimi libri Decretalium. Id verò ex diametro adverſabatur Conſtitutioni Pii IV. prohibentis, ne ſuper decretis Concilii Tridentini edantur gloſsæ, & commentarii, ullumve omninò interpretationis genus. Tanti autem hujuſmodi prohibitio habita fuit, ut hanc unam ob cauſam ſubſtiterit hujus voluminis publicato miris elucubrata laboribus, ac vigiliis, & Præſulum, Gymnaſiorum, totiuſque Eccleſiæ vocibus efflagitata; ita ut propterea nullus reſtet dubitandi locus, quin Conſtitutio Pii IV. interdicat etiam probabilem Gloſsatorum interpretationem.

Sed hic quæritur, an concluſio ut ſupra firmata procedat etiam in his, qui gloſsas, & commentarios ad univerſa Concilii decreta non typis excuſsos, ſed ſcriptis evulgant. 63

Et quidem cùm Pius IV. *in* 1. *part. d.* §. *Ad vitandum*, 64
prohibeat, ne quis audeat ſuper decretis Concilii gloſsas, & commentarios edere; expendenda eſt propria hujus verbi, *Edere*, ſignificatio. Cùm enim gloſsæ ſuper decretis Concilii nec ſcripto evulgari conſueverint, ideòque recurri non poſſit ad conſuetudinem interpretativam, ſecundum ea, quæ dicentur infrà in ſequenti concluſione, *num.* 83. ſpectanda eſt primo loco propria verbi ſignificatio, juxta theoricam gloſsæ *in l. Non poſſunt*, *ff. de legib.* & Abb. *in cap.* 1. *num.*14. *de Conſtit.*

Inſpecta verò juris communis diſpoſitione, verbum *Edere*, referri non poſse ad impreſſionem typographorum, qua 65
nunc utimur, convincitur hoc uno argumento, quòd typographiæ uſus, teſte Polydoro Virgilio *de Inventor. rer. lib.2. cap.*7. initium duxit Moguntiæ, anno ſalutis 1542. vel ut alii maluerunt, 1451. à Joanne Cuthembergo nobili Alemanno, qui etiam inventor fuit atramenti, quo ad hæc uſque tempora utuntur typographi; indeque poſt annos ſexdecim delatus eſt in Italiam, & primi libri Romæ typis excuſi, ut refert Volterranus, fuerunt Auguſtini de Civitate Dei, & divinæ Inſtitutiones Lactantii Firmiani.

Igitur ex juris veteris ſignificatione, edere, eſt copiam 66
ſcribendi facere, vel dictare, ut alter ſcribendo excipiat, vel proferre ſcriptum, ut legatur, *l.*1. *in princ. & l. Si quis ex argentariis*, §. *Si initium*, *ff. de eden.* & ibi Budæus, & Simon Sipardus in Lexico Juris, in verbo, *Edere*. Et ſecundùm hoc prohibitio Pii IV. complectitur etiam eos, qui gloſsas manuſcriptas evulgant. Præterea in hunc ſenſum accipitur verbum, *Edere*, etiam poſtquàm libri cœperunt prælo committi, ut patet ex decreto Conc. Tridentini *de Editione, & uſ. ſacr. lib. ſeſſ.*4. nam rubrica ſimpliciter ibi inſcribitur, *De Editione librorum*; & deinde in corpore S. Synodus quaſi explicans ſignificationem illius verbi, *Editione*, ſtatuit, ut qui ſcripto ſacræ Scripturæ libros communicant, vel evulgant, niſi antea examinati, probatique fuerint, eiſdem pœnis ſubjaceant, quibus impreſſores: & probatio in fronte libri, vel ſcripti, vel impreſſi, authenticè appareat. Ex quo contextu duo colliguntur. Primum, editionis verbo contineri non ſolùm impreſſionem, verùm etiam evulgationem, ſeu communicationem in ſcriptis: & ſic nigrum declarat rubricam, ut per Alexan. *conſ.*13. *Circa primum, num.*8. *verſ. Et ſicut per rubricam lib.*3. Secundum, in ma-

materia prohibitionis etiam pœnalis impreſſionem, & e-
vulgationem hujuſmodi pari paſſu procedere. Atque ita-
non obſtat, quòd materia ſit pœnalis, & ſtrictè accipien-
da propter Cenſuras Conſtitutionis Pii IV. Etenim in ma-
teria etiam pœnali, & odioſa fit lata interpretatio, quate-
nus patitur verborum proprietas, *l. Cùm lege*, & ibi Are-
tin. *ff. de teſtam.* cum aliis adductis per Cagnol. *in l. 1. num.*
67 41. *Cod. qui adm.* Quemadmodum nec obſtat, quòd ubi a-
gitur de librorum editione, de impreſſis, & non de aliis
ſit intelligendum, ex communi uſu loquendi, qui pręva-
let verborum proprietati, *l. Librorum*, §. *Quod autem Caſ-
ſius*, *ff. de l. 3.* Anchar. *in repet. Canonum ſtatuta*, *n. 64. in
fin. de Conſtit.* cum vulgari uſui non ſolùm verba, ſed &
mentem accomodare Legislatores ſemper in dubio pręſu-
mantur, Alciat. *præſumpt.* 4. Duenn. *reg.* 56. Covarr. *lib.
3. var. reſ. c. 5. n. 1.*
68 Ceſſat enim objectum tum ex decreto Concilii ſuperiùs
ponderato; tum quia quod dicitur, communem uſum lo-
quendi prævalere proprietati verborum, non habet locum
in verbis legis, Bart. *in l. Ita vulneratus*, *verſ. Item nota,
quod verba legis*, *ff. quod met. cau.* tum quia Conſtitutio
non loquitur nominatim de editione librorum, ſed gloſſa-
rum, & cujuſvis generis interpretationis: tum denique
quia Pius IV. ibi non prohibet ſimpliciter, ne quis audeat
edere; ſed adjectis verbis univerſalibus, *Quocumque modo,
&c.* quę extendunt diſpoſitionem ad editionem, quæ fit in
ſcriptis, etiam ſi hujuſmodi editio aliàs ſub ſimplici editio-
nis verbo non comprehenderetur, ex ſingulari doctrina
69 Salyc. *in l. 2. C. de noxal.* ubi determinat ſtatutum imponens
pœnam pro homicidio quocumque modo patrato habere
locum etiam in homicidio caſuali, & ſine dolo. Et eum
ſequuntur Jaſ. *in l. 1. nu. 19. & ſeq & præſertim n. 25. ff. de
legib.* Socin. Jun. *conſ.* 113. *num.* 29 *lib.* 1. Ruin. *conſ.* 87. *nu.*
8. *lib.* 2. aliàs citat Menoch. *de recuperand. poſſ. remed.* 5. *nu.*
63. Et quidquid ſit de doctrina Salyceti, de qua plenè per
70 Cravettam *conſ.* 294. *n.* 2. certè propoſitio illa, quod dictio,
Quocumque modo, ſeu *Quovis modo*, vel *Quomodocumque*,
extendat diſpoſitionem etiam ad impropria, & non com-
prehenſa in diſpoſitione generali, veriſſima eſt, ut ibi per
Craver. & eam pluribus exemplis confirmant Ruin. *conſ.*
32. *n.* 5. *& ſeqq. lib.* 2. Alex. *conſ.* 95. *n.* 2. *& ſeqq. lib.* 4. & fu-
ſiùs Mandoſ. *ad Rom.* 31. *n.* 2.
71 Concludendo, aut quis Gloſſas, ſeu Commentarios ſuper
decretis Concilii ſcripto ita aliis communicat, ſeu evulgat
ut ad omnium manus pervenire poſſint; & non videtur ex-
cuſandus à cenſuris Conſtitutionis Pii IV. tum quia hoc ca-
ſu verificatur propria, & germana illis verbi, *Edere*, ſi-
gnificatio, ut patet ex dictis, *nu.* 64. *verſ. Igitur ex Juris
veteris*: tum quia in hujuſmodi evulgatione viget eadem
ratio perverſionis. & confuſionis in Bulla conſideratæ,
atque in impreſſione.
72 Nec refragatur, quòd libri impreſſi dumtaxat conſueve-
rint allegari non autem manuſcripti, ut obſervat Salas *de le
gib. tract.* 14. *qu.* 97. *diſp.* 21. *ſeſſ.* 11. *verſ. Nec obſtat, ſi
dictando.* Quandoquidem in prohibitione Pii IV. non con-
ſideratur allegatio, ſive citatio Authòrum, ſed edictio,
ſeu evulgatio interpretationum.
Ac prætereà verum non eſt, libros non impreſſos non
allegari; nam ante uſum impreſſionis Authores omnes
allegabantùr; & etiam nunc allegamus multos, quos im-
preſſos non habemus, ut in ſpecie Vincentium, teſtimo-
73 nio Joan. Andr. *in proœm. Decretal.* profundiſſimæ ſcien-
tiæ patrem, cujus gloſſa ſuper Decretalibus in inſignem
Bibliothecam Franciſci Cardinalis Barberini nuper delata,
ſperatur in pullicam utilitatem propediem impreſſum iri.
Item ex manuſcriptis nondum impreſſis hodie ſæpè nume-
ro allegamus Dynum ſuper Digeſto Veteri, Infort. & Di-
geſto Novo, Jacobum de Belvis ſuper Digeſto Veteri, Ray-
nerium de Forlivio ſuper Infort. Signorollum de Homo-
dæis ſuper Cod. Angelum Aretinum ſuper Digeſto Novo,
Baldum Novellum ſuper Infort. Paulum de Eleazaris ſuper
Clement. & alios plures. Et ante impreſſionem ſolebat al-
legari Lapus Abbas S. Minati ſuper 6. lib. Decret. cujus
Gloſſam manuſcriptam noſtris temporibus commiſit præ-
lo Dominicus Cardinalis Tuſchus, ut legitur in ejus Epi-
ſtola in princip. operis. Idemque ſervabatur de volumine
manuſcripto Conſiliorum Cardinalis Zabarellæ: quæ tri-
ginta annos latuerunt apud Feliuum Sandæum Rotæ Au-
ditorem, ejuſque ſtudio fuerunt excuſſa, utipſemet teſta-
tur ejuſdem voluminis initio. Ita etiam ſæpè adducimus
Codices manuſcriptos Bibliothecæ Vaticanæ, & aliarum
celebriorum Bibliothecarum.
Quòd verò id munus frequenter fiat, duplicem habet ra-
tionem. Altera eſt, quia Codices manuſcripti non ita faci-
lè multiplicantur, ſicut impreſſi; ideòque propter libro- 74
rum penuriam antiqui Doctores nonnumquam mittebant
libros, quos allegabant, ut patet ex Feder. de Sen. *conſ.* 166.
255. *&* 265. & Bald. *conſ.* 122. *Verba teſtamenti*, *circa prin-
cip. lib.* 1. ubi de lectura Odoffredi, *& conſ.* 477. *Punctus
quæſtionis*, *n.* 6. *in fin. & n.* 7. *lib.* 4. ubi ait, *Si mihi non cre-
dis, crede Jacobo de Belviſio, qui hoc dicit: & ſi vis illius
diſputationem, mittam illam tibi; & crede etiam Bartolo
hoc dicenti; ſcio tamen, quod tanta eſt ſapientia tua, quod
non cures de iſtis Doctorellis.*
Altera ratio, cur opera manuſcripta minùs frequenter
allegentur, eſt, quia in manuſcriptis adhuc retinetur an-
tiquus mos, ut non citentur niſi opera clariorum Scripto-
rum. Utinam idem mos ſervaretur etiam in impreſſis: mi
rum enim eſt, quàm parvo delectu hoc ſæculo allegentur
Authores, quotquot typis fuerunt excuſſi, etiam ad deci-
ſionem cauſarum, quaſi imprimendi licentia æqualem in-
fundat omnibus authoritatem.
Major verò, vel minor frequentia librorum, & ſic major, 75
vel minor ratio perverſionis, & confuſionis, diverſitatem
diſpoſitionis hoc caſu non inducit. Imò ſatis eſt ad ſuſti-
nendam diſpoſitionem, ut remaneant reliquiæ rationis fi-
nalis, *l. Unius*, §. *Servus*, *ff. de qu. l. fin. ff. de decur. & l.
2. & 3. ff. rer. amotar.* Bart. *in l. 2. §. fin. ff. de donat.* & ha-
betur magiſtraliter per Dyn. *in reg. Decet*, & per Jo. Andr.
in Mercurial.
Aut quis Gloſſas, & Commentarios ſuper decretis Con- 76
cilii ſcriptos compoſitos ſibi reſervat ad uſum, & commo-
ditatem ſuam dumtaxat: & non videtur incidere in pœnas
Conſtitutionis, quia nec illius ratio, nec verba huic caſui
applicari poſſunt; non enim propriè dici poteſt edidiſſe,
qui nec typis mandavit, nec aliis communicavit.
Atque ita his non adverſantur duæ gloſſę ſuper Conc. 77
Tridentino compoſitæ, altera à Cardinali Antonio Cara-
fa, olim Præfecto Sacræ Congregationis Concilii, altera
à Marincola Epiſcopo Theani: tum quia credendum eſt
eos non compoſuiſſe hujuſmodi gloſſas, ut evulgarentur,
& per manus omnium deferrentur: ſed ut aſſervarentur ad
uſum ipſorum, vel ipſius S. Congregationis: tum quia qua-
tenùs fuiſſet opus, veriſimile eſt eos id egiſſe ex ſpeciali li-
centia, & facultate: tum denique, quia ipſi tamquam 78
Congregationis Miniſtri non videntur comprehenſi in
prohibitione Pii IX. Neque enim in eis, qui veros & ger-
manos ſenſus S. Synodi ex ipſius Congregationis oraculis
perceperunt, viget ratio illa prohibitionis, vitandi ſcili-
cet perverſionem, & confuſionem, quæ oriri poſſet, ſi u-
nicuique liceret prout liberet ſuper decretis Concil. inter-
pretationes ſuas edere. Neque illis conveniunt illa verba:
Interpretationes ſuas, prout ei liberet; neque illa: *Proprio
auſu*, quæ ad hoc propoſitum olim ponderavit Pius IV. ut
dictum eſt *ſuprà n.* 30: Quin potiùs optandum eſſet, & ad
mentem Conſtitutionis propiùs accederet, ut quę ipſi hau-
ſerunt ex propriis S. Congr. fontibus, cęteris quoque com-
municarent: inde enim præberetur occaſio rejiciendi in-
terpretationes illas, quæ adverſus ſententiam S. Congre-
gationis apud Scriptores aliquando irrepſerunt, ut dicam
infrà n. 82.
Ratio autem illa Conſtitutionis cùm ſit expreſſa per illud 79
gerundium, *Ad evitandum*, cenſetur finalis, Bart. in Ex-
trav. *Ad reprimendum*, *verſ. Nec ex eorum abſentia*, *n.* 13.
& n. 14. *verſ. Et hoc apparet*; ac proinde ea ceſſante, ceſ-
ſat diſpoſitio *c. Etſi Chriſtus*, §. *Quedam*, & ibi gloſ. *in
ver. Ceſſat*, *de jurejur.* cum multis ſimilibus.
Quinta concluſio, Magiſtri, Doctores, & Advocati, 80
qui aliquod Tridentini Concilii decretum non principali-
ter, & directè, ſed occaſione ſolutionis, ſeu dilucidatio-
nis alicujus quæſtionis, aut cauſę expeditionis, obiter, &
indirectè interpretantur, atque hujuſmodi interpretatio-
nes ſcriptas, aut typis excuſſas edunt, non incidunt in cen-
ſuras, & pœnas Conſtitutionis Pii IV.
Hæc concluſio prima fronte videtur ſatis dubia. Primò,
quia prohibitio Pii IV. includit etiam quartam ſpeciem in-
terpretationis probabilis Magiſtrorum, ut oſtenſum eſt *ſu-
pra in 1. concl. à num* 53. *ad num.* 63. Quòd cum ſit indu-
bita-

bitatum quoad gloſſas, & commentarios, qui non fiunt niſi à Doctoribus & Magiſtris: idem videtur dicendum quoad aliud quodcumque interpretationis genus; quia in §. *Ad vitandum*, hęc omnia indifferenter prohibentur ſub eadem clauſula, & verborum ſtructura: ideòque eodem jure cenſeri debent, ut patet ex dictis *n.* 53. *verſ. Quartò prohibitio editionis*. Nec videtur afferri poſſe ſufficiens ratio diverſitatis inter interpretationem neceſſariam judicum, & probabilem juriſperitorum; imò magis digni excuſatione videntur Judices, qui neceſſitate expeditionis cauſæ quaſi coacti interpretantur Concilium, quàm Magiſtri, & Doctores, qui interpretationes edunt, ex mera voluntate, ex his quæ latè cumulat Felin. *in c. Querelam, in gloſſ. in ver. Neceſſitate, de jurejur.* præſertim ad vitandam pœnam excommunicationis, *cap. Inter alia, de ſent. excommunicationis*. Sed judicibus non licet interpretationes ſuas edere ſuper decretis Concilii, ut patet ex dictis *à n.* 21. *uſq. ad* 52. Ergo nec Magiſtris.

Secundò, quia Bulla Pii IV. prohibet, ne quis ſuper decretis Concil. edat ullum omninò interpretationis genus. At negari non poteſt, quin magiſtri, & Doctor. hoc caſu edant aliquod genus interpretationis ſuper decretis Concilii, licèt non ſuper univerſis, nec primò, & per ſe principaliter, ſed incidenter tantùm, ponderando negativam univerſalem, *Nec ullum omninò &c.* quę omnia negat poſſibilia, Rom. *conſ.* 199. *Præſens in princ. n.* 2. *verſ. Secundo, quia*, cum multis congeſtis per Cravett. *conſ.* 481. *in princ.* & excludit etiam ea, quæ ſub latiſſima vocabuli negativi ſignificatione continentur, Dec. *conſ.* 12. *n.* 12. *& ſeq. lib.* 1.

81 Tertiò, quia Bulla prohibet non ſolùm, ne quis edat ullum interpretationis genus; ſed adjicit etiam verba, *Quocumque modo, &c.* quæ includunt omnem modum, tam principalem, & directum, quàm incidentem, Et indirectum, ut ſcripſit Gemin. *conſ.* 29. *n.* 2. *verſ. Item addit quovis modo, & n.* 3. Plura cumulat Alex. *conſ.* 95. *Requiſitus, n.* 12. & *ſeq. verſ. Prætereà eſſet violare lib.* 7.

Quartò, ratio expreſſa in Bulla: Ad vitandam perverſionem, & confuſionem, &c. æquè viget in interpretationibus, quæ fiunt obiter, atque in his, quæ fiunt principaliter: utroque enim caſu decreta Concilii pervertuntur quod etiam docuit experientia, & non multorum annorum ſpatio experti ſumus multos in errores graves fuiſſe prolapſos
82 ex pravis interpretationibus, quas hauſerunt ex libris impreſſis: videmus enim Navarrum, virum alioquin doctum, & pium, & verſatum in Curia; ſæpè tamen conſuluiſſe in caſibus contingentibus, & decreta Concilii expoſuiſſe contra declarationes Sacræ Congregationis, licèt ignoranter, & fortè rariùs, quàm alii, ut in calce plurium illius conſiliorum eſt adnotatum, & præſertim *conſ.* 42. *de tempor. ord. conſ.* 9. *De iis, quæ vi met. cauſ. conſ.* 11. *de jurejur. conſ* 15. *de Cleric. non reſid. conſ.* 20. *de præb. conſ.* 81. *de regul. conſ.* 6. *&* 14. *de ſtat. Monach. conſ.* 9. *de conſanguin. & affin.* & ſæpè alibi. Itaque cùm editioni harum interpretationum, quæ obiter fiunt, conveniant verba & mens Conſtitutionis Pii IV. illius quoque diſpoſitio convenire debet *l. Hominis, & rei, §. Verbum ex legibus, ff. de verb. ſignificat. l.* 4. *§. Totius, ff. de damn. infect. cum vulg.*

Neque verò huic caſui applicari poſſunt rationes, quòd interpretatio legum ſit neceſſaria, & per legem vel ſtatutum tolli non poſſit; quod Doctores poſſint, imò debeant Tridentini Concilii Canones & Decreta interpretari; atque aliæ hujuſmodi, de quibus proximè in ſequenti concluſione. Siquidem illę vigent in interpretatione; nulla enim neceſſitas, vel naturalis ratio impellit Magiſtros, & DD. ad impreſſionem earum interpretationum, quas faciunt in Scholis, ſeu Academiis.

83 Sed in oppoſitum urget communis uſus; & obſervantia, quæ dicitur optima legum interpres, *c. Cùm dilectus, de conſuet. l. Si de interpretatione, ff. de leg.* & eſt ſecunda interpretationis ſpecies, *de qua ſupra in princ. primi ſuppoſiti; n.* 1. Plena enim ſunt volumina harum interpretationum Concilii Tridentini obiter factarum in operibus impreſſis tam Theologorum, quàm juriſperitorum. Et durum videtur condemnare, aut cenſuris irretitos judicare tot pios, & religioſos viros, qui de materiis moralibus ſcripſerunt; cùm præſertim hujuſmodi editiones non ſolùm proceſſerint ſcientibus, & patientibus Superioribus, ſed aliquando iiſdem conſentientibus, & approbantibus: nam videmus multos ex hujuſmodi libris fuiſſe impreſſos in Urbe prævio examine, & approbatione Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici. Et in Sacra Congregatione ſæpiùs vidi obſervatum, ut in aliquo articulo allegata fuerit ſententia Navarri, Medinæ, vel alterius Scriptoris aliquod decretum Concilii Tridentini interpretantis, & Congregationem non ſolùm non redarguiſſe Authores, quòd auſi fuerint hujuſmodi interpretationes typis excuſſas edere, ſed illorum etiam ſententiæ adhæſiſſe, ita ut aliquando etiam de illorum authoritate mentionem fecerit in ipſiſmet deciſionibus, non quidem iis, quæ eduntur in forma authentica, ſed quæ in libris publicis ad uſum ipſius Congregationis aſſervantur. Et tamen ſi exiſtimaſſet, hujuſmodi interpretationes inhiberi in Conſtitutione Pii IV. illas potiùs rejeciſſet unà cum earum authoribus tanquam excommunicatis ex facto notorio, & permanenti, ſicut fecit de Gloſſa edita Hiſpano idiomate, *ut dictum eſt ſup. n.* 57.

Quæ quidem obſervantia uſque adeò inolevit, ut proptereà nonnulli ex recentioribus Theologis, & in ſpecie Salas *d. ſect.* 11. *verſ. Ad ſecundum reſpondet* non dubitaverit affirmare Bullam Pii IV. hac in parte aut non fuiſſe uſu receptam, aut per contrarium uſum fuiſſe abrogtam Papa ſciente, & tolerante.

Sed hæc aſſertio multiplices, & intricabiles habet difficultates. Unde verius dicendum eſt, conſuetudinem hoc caſu non derogaſſe Conſtitutioni Pii IV. ſed tantùm interpretatam fuiſſe illa verba: *Ullumve omninò interpretationis genus ſuper decretis Concilii quocumque modo edere*, ut intelligantur de illa tantùm editione, quæ fit ſuper Corpus Concilii per modum Gloſſæ, aut Scholii, ſeu adnotationum, ut contigeret, ſi quis imprimeret Concilium cum adnotationibus in margine ad ſingula Decreta, aut commentarios eis applicaret, ſecundùm ea, quæ dicta ſunt *in quarta concluſione, nu.* 52. Ita enim intelligendo non infertur 84 vis litterę; quia verba univerſalia, *Ullum omninò interpretationis genus*, retinent propriam naturam, ita ut includant quamcumque formam interpretandi. Et ſimiliter verba: *Quocumque modo*, retinent proprium ſignificatum, ita ut comprehendant quemcumque modum editionis, ſive fiat per evulgationem in ſcriptis, ſive per impreſſionem; ſed tamen omnia reſtringuntur ad limites illorum verborum, *Super decretis Concilii*, & ad ſubjectam materiam, ut de hac ipſa dictione, *Quocumque modo*, ſeu *Quovis modo* declarat Gemin. *conſ.* 29. *num.* 3. *in fine verſ. Nec obſtant*, & Ang. *conſ.* 288. *num.* 3 *verſ. Hoc etiam coadjuvatur*. Cùm autem ea verba; *Super decretis Concilii*, referri 85 poſſint tam ad aliquot decreta diſtributivè, quàm collectivè ad univerſa, ſecundùm ea, quæ notantur *in l. Qui filiabus*, §. 1. *de l.* 1. & dubitari poſſit, an indefinita æquipolleat univerſali, *ut in c. In Geneſi*, cum ibi not. *de elect.* gl. *in cap. Venerabili, in ver. vices de offic. deleg.* & an pluralis locutio reſolvatur in ſingularitates, ſecundùm ea, quæ notantur *in cap. Omnis*, in gloſſ. 1. *diſt.* 1. & in Clem. 1. *in gloſſ. in ver. Alios de renunt.* benè potuerunt ea verba interpretationem accipere à conſuetudine, ut non includant interpretationem obiter factam extra Corpus Concilii. Verba enim obſcura propter eorum generalitatem ex obſervantia veniunt declaranda, Abb. *conſ.* 27. *in fin. num.* 4. *lib.* 2 Seraph. *dec.* 964. *num.* 4. Bulla enim Pii IV. eſto tollat 86 conſuetudinem, non tamen tollit interpretativam, Decian. *conſ.* 24. *num.* 28. *lib.* 3. Dec. *in cap. Cùm M. num.* 7. *de Conſtit.* Deindè quatenùs huic interpretationi repugnaret 87 verborum proprietas; tamen in legibus interpretandis primo loco recurrendum eſt ad conſuetudinem, deinde ad verborum propriam ſignificationem, ut dicit gloſſ. *unic. in l. Non poſſunt, ff. de legibus*, eſt communis Doctorum theorica *in cap.* 1. *de Conſtit.* ubi in ſpecie Anchar. *nu.* 34. *verſ. Quædam autem ſunt commiſſa*, & Abb. *num.* 14. Mattheſil. *in ſuo opuſc. elect. verior. opin.* Silveſt. *in ver. Opinio nu.* 2. Non enim ex opinionibus ſingulorum, ſed ex communi uſu nomina exaudiri debent, *l. Labeo, ff. de ſuppelect. legata*; unde magis ſtatur uſui, quàm ſignificationi vocis, *l. Uxori in princ. eod.* gl. *in ver. Ultra duas dietas*, & Hoſt. *n.* 20. *in c. Nonnulli*, & ibi dixi *n.* 18. *ſuprà de reſcriptis*.

Quæ quidem interpretatio hoc caſu eò rationabilior videtur 88, quòd regulàriter prohibita interpretatione, non cenſetur prohibita interpretatio, quę fit obiter & incidenter, ut

ut hìc per gloſ. Innoc. Hoſt. Jo. Andr. Butr. & DD. de quo latiùs dictum eſt *ſup. n.41. & ſeqq.*

Et per hæc ceſſat ratio ſuperiùs conſiderata *num.*83. quia quoad Judices non viget uſus, & obſervantia, ut in eorum ſententiis interpretentur verba Concilii Trident. ſicut viget quoad Magiſtros & Doctores in eorum diſputationibus, & conſiliis. Præterea non licet inferre ab interpretatione judicis, quæ inducit parendi neceſſitatem, ad interpretationem Magiſtrorum, quæ tantùm probabilis eſt, ut in primo ſuppoſito. Ac demum in judicibus vigent aliæ conſiderationes, de quibus ſuprà *à num.* 21. *uſque ad num.* 52.

89 Sexta, & ultima concluſio, Lectores, & Magiſtri licitè poſſunt in ſcholis Tridentini Concilii decreta oretenùs interpretari. Et quidem quoad interpretationem translativam, de qua ſupra *in ſecundo ſuppoſito num.*3. hæc concluſio procedit abſque difficultate; quia interpretatio hujuſmodi ad Concilii intelligentiam omninò eſt neceſſaria ſaltem rudibus, & illiteratis. Hinc jampridem curatum fuit, ut idem
90 Concilium in Græcam, Arabicam, Chaldæam, aliaſque exteras linguas verteretur. Et in Conſtitutione Clementis VIII. edita 31. *Auguſti* 1695. ſuper aliquibus tribus Græcorum pro Epiſcopis Latinis, in quorum diœceſibus Græci, vel Albanenſes Græco ritu viventes degunt, Ordinarii locorum jubentur curare, ut ipſius Concilii decretum de refor. matrim. vertatur in linguam Græcam vulgarem, & in locis, & Parochiis Græcorum, & Albanenſium evulgetur, & publicetur, *ut in Bullar. tom.*3. *pag.*48. Alioquin ſequeretur, ut cùm Epiſcopi in examine promovendorum ad ordines, & beneficia injungunt, ut Tridentini Concilii decreta materno idiomate exponantur; & cùm Magiſtri Grammatices in ſcholis eadem decreta explicant, aut à Scholaribus explicari jubent alia lingua, juxta text. *in l.* 1. §. *fin. ff. de verbor oblig.* omnes in pœnas Conſtitutionis inciderent; quod abſurdum eſſet aſſerere.

Generaliter tamen propoſito articulo de ordine Sanctiſſimi Domini Noſtri à Congregatione de propag. fide remiſſo, an translationes Sac. Concilii Tridentini in alias linguas ſint permiſſæ, an potiùs comprehendantur in Conſtitutione fel. rec. Pii IV. prohibente illius interpretationes, & gloſſas: *die* 2. *Junii* 1629 S. Congregatio Cardinalium Conc. Tridentini interpretum cenſuit, translationes ejuſdem Sacri Concilii Tridentini de lingua Latina in Gallicam, vel alias linguas, eſſe prohibitas: ideòque ſignificandum Sacr. Congregationi Indicis, ut omninò prohibeat translationes hujuſmodi factas, quæ abſque auctoritate hujus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ impreſſæ ſint. Et eadem Sac. Congregatio Indicis illas prohibuit 5. *Novembris ejuſdem anni* 1629. Specialis tamen verſio alicujus decretis ſine impreſſione non videtur prohibita, ut ſuperiùs dictum eſt.

91 Et idem concludendum de interpretatione, ſeu declaratione litterali, de qua ſupra *in quarto ſuppoſito*, *num.*8. nam hæc quoque declaratio, & expoſitio litteræ abſolutè neceſſaria eſt ad intelligentiam Concilii. Ideòque Pius IV. non eſt cenſendus hujuſmodi interpretationes, ſeu declarationes voluiſſe prohibere; quemadmodum nec Nicolaus IV. prohibuit, imò expreſsè præſervavit, *in cap. Exiit qui ſeminat*, §. *Itaque ſub pœna*, *de verb ſignif. lib.*6. ibi: *Super ipſa Conſtitutione non fiant, niſi forſan per quas verbum, vel verbi ſenſus, ſeu constructio, vel ipſa constructio quaſi grammaticaliter ad litteram, vel intelligibilius exponatur.*

92 Probatur, quia circumſcripta Principis reſervatione, ſeu prohibitione, Lectores & Magiſtri facultatem habent leges interpretandi, *cap.* 1. *verſ. At vero*, & ibi gloſſ. *in verſ. Magiſtrorum de Decim. leg.*1. *ff. de orig. jur. leg. Si negotium*, ibi, *Ita accepi*: ubi gloſſ. exponit, id eſt, à Præceptoribus, *ff. de privil. cred. l* 1. & ibi gloſſ. *ff. ſi cert. pet.* & habetur *in proœm. Decret. Sexti*, & Clem. Propterea enim publicæ Univerſitates fuerunt inſtitutæ, *leg. unic. C. de ſtudiis liberal. Urb. Roman. lib.*11. *c.*2. *de privil. in* 6. Ideòque inter alias qualitates, quas habere debent Lectores, jura recenſent interpretandi ſubtilitatem, *ut in l. unic. C. de Profeſſ. qui in Urb. Conſtantin. lib.*12. & notat Abb. *in c.*1. *n.*5.
93 *de Magiſtr.* Et mos eſt in publicis Univerſitatibus, ut in Doctoratu conferatur authoritas, ſeu licentia legendi, & interpretandi; quæ quidem licentia operatur, ut hæc poſſint publicè fieri, quod aliàs non liceret, ut dicit gloſ. *in* §. *Reſponſa Prudentum in ver. publicè*, *Inſtit. de jure natur.*

Hanc autem interpretandi facultatem non fuiſſe à Pio 94
IV. ſublatam, ex infraſcriptis ſuaderi poteſt. Et primò, quia *in* 1. *parte*, §. *Ad vitandum*, inhibetur tantummodò interpretationis editio neceſſaria; & in ſecunda non interdicitur niſi interpretatio neceſſaria, & authoritativa, ut oſtenſum eſt *ſuprà in quinta concluſione num.* 5. *& ſeqq.* At Magiſtri, & Lectores, qui Concilium in ſcholis oretenùs interpretantur, neque id faciunt authoritativè, cùm nemo ſit adſtrictus ſtare verbis Magiſtri, *l.*2. *C. de Profeſſ. lib.*10. gloſſ. *in l.*1. *in ver. Juſque de legibus*; nec interpretationes ſuas edunt. Ad hoc leg *Lex Cornelia*, § *Si quis librum*, *ff. de injur.* & patet ex dictis *ſuprà in quarta concluſione*, *verſ. Sed & hìc quæritur*, *num.*3. *& ſeqq.* Ergo verba Conſtitutionis hos non comprehendunt, & conſequenter nec ejus diſpoſitio, vulgata *l.*4. §. *Toties*, *ff. de damn. infect.* Quod enim quis verbo non expreſſit, mente non videtur cogitaſſe, Oldrad. *conſ.*266. *Quod autem num.*10. Et cùm verſe- 95
mur in materia pœnali, & correctoria juris communis, ut mox dicemus, non eſt facienda extenſio de caſu ad caſum, *c. Pœnæ*, *de pœn. diſt.*1. *cap. Statutum de elect. l.* 6. *c. Odia*, *cum concor.* de quibus ibi per gloſ. & Dyn. *de regul. jur. eod. lib.* Oldrad. *d. conſ.*266.

Secundò idipſum ſuaderi poteſt, quia legum interpreta- 96
tio naturaliter neceſſaria eſt, ut eſt tex. *in l.*2. §. *His legibus*, *ff. de orig. jur.* & ibi præter ordinarios adnotarunt Zaſ. & Cujac. Sed illud, quod eſt naturaliter neceſſarium, per leges civiles tolli non poteſt, §. *Sed naturalia*, *Inſtit. de jur. natur.* alioquin ex iſta generali prohibitione multæ ſequerentur abſurditates, ut ibi per eum. Et conſequenter per Conſtitutionem, ſeu ſtatutum tolli non poteſt, *arg. dict.* §. *Sed naturalia*, quod tenet expreſsè Bald. *in d.* §. *His legibus*, *n.*30. & ſequuntur Cujac. & Zaſ. ibidem, & Dec. *hìc num.*27. inferens propterea ſtatutum prohibens inter- 97
pretationem, eſſe intelligendum de intrinſeca, & non de extrinſeca: ad quod allegat eumdem Bald. *in leg.*3. *circa fin. C. de lib. præterit.*

Idem docuit Bart. *in leg. Omnes populi in ultima quæſtione ſextæ quæſtionis principalis, num* 65. *ff. de juſtit. & jur.* ubi dicit, ſtatutum prohibens interpretationem, gloſſationem, vel extraneum intellectum ſtatutorum, nihil, aut modicum operari; nam per dicta verba ſolùm frivola interpretatio videtur remota, *l.*1. §. *fin. C. de veter. jur. enucl.* At juſta interpretatio benè debet, & poteſt fieri, *leg.*1. *Cod. de leg.* Item hujuſmodi interpretationes ſunt neceſſariæ naturaliter, *d.* §. *His legibus*.

Tertiò ad idem affertur textus in Extrav *Quia nonnum- 98
quam de verb ſignif.* ubi Conſtitutionem *cap. Exiit*, in qua Nicolaus IV ſub certis pœnis interdixit, ne concordantiæ, ſeu contrarietates, ſeu adverſæ vel diverſæ opiniones ab ipſius Conſtitutionis Lectoribus, ſeu Expoſitoribus aliquatenus inducerentur, nec ſuper ea gloſſæ fierent, nec intellectus ipſius diſtorqueretur ad aliud, quàm littera ipſa ſonat, Joannes XXII. ea ratione ſuſpendit, quia argumentis frequenter & collationibus latens veritas aperitur, ac ſub eadem littera ſæpè latet multiplex intellectus; & quia difficile eſt volentibus conſtitutionem prædictam perfectè legere & intelligere, pœnas adjectas in Conſtitutione hujuſmodi devitare: Et propterea voluit per ſuſpenſionem dictæ prohibitionis viam veritatis aperire, & periculis, quæ poſſent litteratæ perſonæ, & præcipuè ſcholaſticæ incurrere, ſalubriter obviare. Ergo ob eaſdem rationes Pius IV. præſumi non debet voluiſſe hanc interpretationem Lectoribus interdicere: & eò magis, quòd cenſuræ & pœnæ in ejus Conſtitutione inflictæ ſunt latæ ſententiæ, cùm tamen appoſitæ in Conſtitutione Nicolai IV. ſint comminatoria tantùm.

Quartò, & ultimò pro prædictis adducitur decretum 99
ipſiuſmet Concilii Tridentini *in cap* 2. *ſeſ.*25. *de reformat. in* §. *Ad hæc*, ibi, *Præcipitur, ut omnes ii, ad quos Univerſitatum & ſtudiorum generalium cura pertinet, diligenter curent, ut ab iiſdem Univerſitatibus Canones, & decreta Concilii integrè recipiantur, ad eorumque normam Magiſtri & Doctores ea, quæ Catholicæ fidei ſunt, doceant, & interpretentur, ſeque ad hoc inſtitutum initio cujuslibet anni ſolemni juramento adſtringant.* Et quamvis Concilium non dicat expreſsè, ut Magiſtri, & Doctores interpretentur Canones & decreta Concilii; ſed tantummodò, ut interpretentur ea, quæ Catholicæ fidei ſunt; tamen cùm id jubeat fieri ad normam Canonum, & Decretorum S. Synodi,

ſub

100 ſub hoc præcepto videtur ſaltem implicitè contineri hujuſmodi interpretatio. Quæ tamen aliter fieri debet a Theologis, atque à Canoniſtis, ut olim perpendit Sac. Congregatio ſeptimi libri Decretalium ſub Clemente VIII. Nam juris Pontificii Profeſſoribus non proponuntur iſta dogmata, ut ea ſpeculativè, vel ex profeſſo in ſcholis legant, aut de illis tamquam de ſuis axiomatibus diſputent, quia cùm ex articulis fidei deducantur, ut talia ad Theologum pertinent. Juriſperitus verò debet ea ſcire, & præſupponere tamquam
101 certa, & ex puriſſimis Sacræ Theologiæ fontibus emanata, cùm Sacrorum Canonum diſciplina ſit ſubalternata ſacræ Theologiæ, & illam præſupponere debeat, ut Medicina præſupponit Philoſophiam naturalem, & Muſica Arithmeticam. Quapropter ſicut juris Canonici Profeſſor, qui in Gymnaſiis librum Decretalium legit, non interpretatur titulum de Summ. Trinit. & fid. Cathol. prout objectum eſt fidei, & principium à Theologo acceptum; ita cùm inciderit in materias de Juſtificatione, Prædeſtinatione, libero Arbitrio, & alias id genus in Canonibus S. Synodi diffinitas, non ſumet eas explicandas ſecundùm propria principia, ſed relinquet Theologis declarandas.

102 Hanc autem facultatem, ſeu potiùs obligationem, quam habent Sacræ Theologiæ, ac juris Pontificii Lectores, interpretandi ut ſupra Canones Concilii ad fidem pertinentes, abſurdum videtur, ut Pius IV. voluerit eis adimere: eſt enim inveriſimile, & ab illius mente prorſus alienum, ut in ipſamet Conſtitutione, in qua omnia, & ſingula Oecumenici Concilii decreta confirmavit, & ab omnibus ſuſcipienda, ac ſervanda eſſe decrevit, voluerit primus Concilium vulnerare, & decretum *d. cap. 2 ſeſſ. 25.* ſua Conſtitutione abrogare; facit regula leg. *Legata inutiliter, ff. de adimen. legat. l. Si judex, ff. de minor. l. Quod favore, C. de leg.* & quod not. Alex. *conſ. 79. Circa primum num. 8. verſ. Circa ſeptimum lib. 1.* dum dixit, inducta ad majorem confirmationem non debere infirmationem operari.

103 Sed prædictis videtur obſtare textus *in l. Nemo Clericus, C. de Summa Trinit. & fid. Cathol.* ubi diſtrictè interdicitur, ne quis de fide Chriſtiana publicè turbis coadunatis & audientibus tractare conetur impoſterùm. Et mox ſubnectitur ratio; quia & injuriam facit judicio Synodi, ſi quis ſemel judicata, ac rectè diſpoſita reſolvere, & publicè diſputare contenderit.

At reſpondetur, ibi non prohiberi niſi diſputationem illam, quæ publicè ſuſcipitur ad errores diſſeminandos, & excitandos tumultus, ut indicant illa verba: *Turbis coadunatis*; & clariùs illa: *Perfidiæ, & tumultus occaſionem requirens*; non autem illam, quæ fit gratia addiſcendi in ſcholis, vel ad errores confutandos, ut declarat ibi gloſſ. *in ver. Requirens*, Innoc. *in c. 2. de Summa Trinit. & fid. Cathol.* & Franciſcus Penia *in Director. Inquiſit. p. 1. ſchol. 5.* & in effectu conſentit D. Thom. *in 2. 2. q. 10. art. 7. ad 2.* dum dicit, *d. l. Martiani Auguſti* per Canones confirmatam prohibere publicam diſputationem de fide, quæ procedit ex dubitatione fidei; non autem illam, quæ eſt ad fidei confirmationem.

Fortiùs obſtat textus *in cap. 2. §. Inhibemus de hæret. lib. 6.* ubi Alexander IV. prohibet, ne cuiquam laicæ perſonæ liceat publicè, vel privatim de fide Catholica diſputare; qui verò contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.

Gloſſa in figuratione caſus, *& in ver. Laicæ perſonæ*, recenſet duas opiniones. Prima eſt eorum, qui pro laicis intelligunt illiteratos, juxta vulgare Gallicorum, qui hominem literatum appellant magnum Clericum: abſurdum enim videtur, ut Clericus ruralis diſputando de fide non incidat in hanc pœnam, & laicus Decretorum Doctor incidat; ut ibi per gloſſ. Unde Cajetanus *in 2. 2. d. q. 10. art. 7.* dicit, ideò diſputare de fide laicis prohiberi, quorum ut plurimùm ſunt illiterati, & leges de illis feruntur, quæ communiter contingere ſolent, *l. Nam ad ea, ff. de legibus*; ſi tamen reperirentur laici literati, poſſent de fide diſputare. Sed hanc opinionem reprobat gloſſ. præall. & Franc. *num. 1.* quia infert vim litteræ illius Decretalis. Et Albert. *in tract. de agnoſcen. aſſert. q. 13. num. 5. & ſeqq.* tenet indiſtinctè laicos prohiberi de fide diſputare, non quia illiterati ſunt, ſed quia laici ſunt ad eum modum, quo laicis univerſis interdicitur prædicationis officium *in c. Cùm ex injuncto, & in c. Sicut, il ſecondo de hæret.* Et huic ſententię adhęret Penia *in direct. Inquiſit. p. 1. Schol. 23. col. 4. in fin. verſ. Sed illud eſt hìc inquirendum*, ex rationibus per eum adductis, niſi quando diſputatio de fide ſuſciperetur honoris & exercitationis cauſa, ut ibi per eum *in 5. colum. verſ. Secundò poteſt*, poſt Cajetan. *d. art. 7.* id enim laudabile eſt, ut ait ibidem D. Thomas, & Emeric. *in director. part. 1. q. 10.*

Et quidquid ſit de aliis generibus diſputationum, certè quod pertinet ad propoſitum noſtrum, nulli prohibetur diſputatio illa, quæ fit ad majorem Scripturarum intelligentiam, gloſ. in Extravag. *Cùm inter nonnullos*, Joannis XXII. *in ver. Scripturæ de verbor. ſignific.* per text. in Can. *Satis evidenter 96. diſt.* nam ut legitur *in d. cap. Cùm ex injuncto de hæret.* deſiderium intelligendi divinas Scripturas, & ſecundùm eas ſtudium adhortandi, reprehendendum non eſt, ſed potiùs commendandum.

Ex quibus hæſitandum non videtur, quin Magiſtris, & Lectoribus liceat decreta, & Canones Concilii Tridentini verbotenus interpretari.

Sed QUÆRES, an liceat eis dictare has interpreta- 104
tiones Scholaribus ſcribentibus. Reſpondeo, licere, ſi id fiat obiter pro explicatione alicujus difficultatis; quia hoc caſu nedum dictatio, & evulgatio interpretationis, ſed ipſa quoque impreſſio permiſſa eſt, ut abundè oſtenſum eſt ſuprà in præcedenti concluſione, *num. 83.* Secus verò ſi id fiat principaliter, & directè per modum gloſſæ, vel ſcholii, ſeu commentarii: quia cùm ex propria ſignificatione vocabuli, *Edere*, ſit etiam dictare, ut alter ſcribendo excipiat, *l. 1. §. Edere, §. de eden.* qui ejuſmodi gloſſas dictat, offendit verba, & mentem Conſtitutionis Pii IV. ut patet ex dictis in quarta Concluſ. *num. 63.* Facit enim id quod Conſtitutio prohibet, & ſententiam ejus circumvenit, *l. Contra legem, ff. de legib.*

DE JUDICIIS.

Honorius III. Magiſtro Tancredo Canonico Bononienſi.

CAPUT XX.

VEnerabilis frater noſter Archiepiſcopus Ravennas propoſuit coram nobis, quòd, cùm deciſio cauſæ, quæ inter ipſum & communitatem Cerviæ, ſuper juriſdictione civitatis Cerviæ, & quibuſdam aliis articulis vertitur, ſit per ſubterfugia, & cavillationes eorum per triennium prorogata, dicti Cervienſes, aſſerentes inſtantiam judicii per decurſum triennii periiſſe, reſpondere ſub tuo examine recuſaverunt: & infrà. Mandamus, quatenùs exceptione hujuſmodi non obſtante, in negotio ipſo procedas, juxta traditam tibi formam.

S U M M A R I U M.

1 *Inſtantia judicii non perit per lapſum trienni de jure Canonico: ſecus de jure Civili, & n.ſeq.*
Et quæ ſit ratio diverſitatis, n.3.& ſeqq.
2 *Differentia ut inducatur inter jus Civile, & jus Canonicum, ſatis eſt, ut in foro Canonico jus Civile non fuerit uſu receptum.*
3 *Sopitum perfectè non eſt quod reiterari, & recidivari poteſt.*
Litium brevitati magis conſulitur per Canones, quàm per leges, & cur, ibid.
4 *Inſtantia perempta, omnia acta pereunt, datur novus libellus, lis iterum conteſtatur, & omnia fiunt de novo, & num.12.*
5 *Appellatio non datur ſecundùm leges niſi à diffinitiva, ſed ſecundum Canones appellatur à quocumque gravamine.*
Et quid ex Concilio Trid. num.12.
6 *Inſtantia non perit triennio ſecundùm Canones in cauſis tam ordinariis, quàm delegatis.*
Delegatus lapſu triennii non obſtante poteſt in cauſa procedere, ibid.
7 *Niſi Princeps delegans præfixiſſet inſtantiam triennio minorem.*
8 *Inſtantia in cauſa appellationis tam ſecundùm leges, quàm ſecundùm Canones perit lapſu unius anni, vel ex cauſa biennii.*
9 *Criminalium cauſarum inſtantia an de jure Canonico pereat per lapſum biennii, ſicut perit de jure Civili.*
10 *Inſtantia perit etiam de jure Canonico, quando reus abſolvitur propter irreptum judicium.*
11 *Cauſæ omnes ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, ex Concilio Trid. infrà biennium terminari debent, quo elapſo liberum eſt partibus Judices ſuperiores adire.*
13 *Tridentinum Concilium in quo diſcrepet à jure Civili in præfixione inſtantiæ, & num.ſeqq.*
Inſtantia de jure Civili perit biennio, ſed non perit juriſdictio judicis, ibid.
14 *Inſtantia ex Conc. Tridentino per lapſum biennii perit judici, cujus juriſdictio expirat, ſed non perit partibus, nec pereunt acta.*
15 *Cauſæ tam civiles, quàm criminales ex Conc. Tridentino coram Ordinario infrà biennium ſunt terminandæ.*
16 *Quod non procedit in Ordinario Commiſſario.*
17 *Et quid ſi cauſa Ordinario fuerit delegata ad juriſdictionem excitandam.*
18 *Conſervatores Religionum an ex Conc. Tridentino teneantur infra biennium cauſas terminare.*
19 *Inſtantia ex Conc. Trid. an currat, cùm non ſtat per Judicem, quo minus cauſa infrà biennium terminetur, ſed vel ob qualitatem cauſæ, vel ob partium cavillationes, & n.ſeqq. uſque in fin.*
20 *Inſtantia non currit, ſi lis protrahatur ultra præfixum tempus ob cauſæ magnitudinem.*
21 *Judex non impartitur officium ſuum niſi volenti, & petenti. & num.26.*
22 *Inſtantia non currit, cùm cauſa protrahitur partium cavillationibus.*
Contrarium, num.27.
23 *Judex debet litium brevitati ſtudere, & artibus litigatorum occurrere.*
24 *Sententia lata poſt inſtantiam peremptam nulla eſt.*
25 *Dictio*, omninò, *importat neceſſitatem præciſam.*

V*Enerabilis*. Legitur ſex modis, ut hìc per Abbatem *à num.2. poſt medium, verſ. Oppono expediendo gloſſam.* Et ideò ſummatur variè pro varietate lecturarum, ut per
1 Bero. *in princ.* Communiter tamen ſic ſummatur: Inſtantia judicii non perit per lapſum triennii. Hoc dicit, Joan. Andr. Bellam. Butr. Cardin. Anchar. Imol. Abb. Joan. de Anan. Aretin. & Berous. Et ita ex textu collige differentiam eſſe quoad peremptionem inſtantiæ inter jus Civile, & jus Canonicum: nam de jure Civili inſtantia judicii perit lapſu triennii poſt litem conteſtatam, *ut leg. Properandum, C. de Judiciis*, & tenent communiter Doctores, ut atteſtatur Joannes Andreas *in Addit. ad Speculat. in titul. de Judic. Deleg. §. Reſtat. in ver. Triennii littera D.* De jure Canonico ſecus, ut probatur *in cap. final. de probat.* nam lis illa fuit mota tempore Cœleſtini Papæ, ut ibi obſervat Hoſtienſis *num.1.* & tamen durabat tempore Gregorii Authoris illius Decretalis, & conſequenter inſtantia per lapſum triennii non perierat, cùm ab obitu Cœleſtini III. uſque ad Gregorium IX. anni viginti novem interceſſiſſent; & ita illum textum ad hoc ponderat Henric. Boich. *num. 3. in fin. verſ. Quæ opinio*, Felin. *in princ.* Idem probatur *in cap. Tum ex litteris, de in integrum reſtit.* nam, ut ibi notat gloſſa ſecunda, à tempore Eugenii, quo lis fuit introducta, uſque ad tempus Cæleſtini, effluxerant 45. anni. Ad idem Inducitur textus *in cap. Cùm olim, §. Judices de privileg.* ubi fuit facta condemnatio in expenſis factis per quadriennium, quo duravit judicium, & ſic inſtantia ibi non perierat per lapſum triennii. Ad quod etiam facit hoc cap. ubi Communitas Cervienſis aſſerebat, inſtantiam judicii periiſſe per lapſum triennii; & ideò recuſabat ſub Judicis examine reſpondere: & nihilominùs Papa hujuſmodi exceptione rejecta, mandat Judicibus, ut in negotio ad ulteriora
procedant: & ita innuit inſtantiam non periiſſe. Et quam- 2
vis neque hæc Decretalis, neque præallegata capitula per modum novæ Conſtitutionis decernant inſtantiam durare etiam lapſo triennio, prout videbatur neceſſarium ad hoc, ut induceretur differentia inter leges, & Canones, *ut cap. 1. de nov. oper. nunc.* & ibi notant Abb. Antiq. *num.2.* Joan. Andr. *num.5.* & alii communiter; tamen ſatis eſt, ut jura in caſibus contingentibus paſſim ſupponant, & admittant inſtantiam cauſarum durare etiam poſt triennium, licèt ſuper hoc nullum jus reperiatur expreſsè conditum: id enim potuit contingere, quia jus Civile, de quo in prædicta lege *Properandum, C. de judiciis*, non fuit in foro Eccleſiaſtico receptum moribus, ut clarè innuitur in juribus ſuperiùs allegatis, *arg. c. In iſtis, §. Leges, 4. diſt.* & conſiderat Abb. *hìc n.6. circa finem verſ. Sed dubium eſt.* Tene igitur concluſionem ſuperiùs firmatam, videlicet inſtantiam de jure Canonico non perire per lapſum triennii, quam tenet hìc gloſſa unica, & apertiùs gloſ. 1. *in c. final. de dolo, & contum.* quæ expreſsè dicit uſque ad triennium reſtringi lites ſecundum leges, ne immortales exiſtant; ſed ſecundùm jura Canonica non fieri inſtantiam judicii elapſo triennio: & cum illa gloſſa concordat ibi Hoſtienſis *n.1.* dicens, ſecundùm leges ſpatio triennii perire inſtantiam judicii, ſed ſecundùm Canones lites eſſe mortales, quia & invitis judicibus protelantur, Joan. Andr. *n.11.* Bald. *n.1.* Butr. *n.15. verſ. Gloſſa prima eſt clara*, & alii communiter, Gloſſa *in c. Anteriorum, §. Ad hæc in ver. Imperator ad fin. 2. qu.6.* item gloſ. Juris civilis *in dicta leg. Properandum in Princip. in ver. Triennii in fin. C. de judiciis*, & ibi Bart. *num.1.* dicens, illam legem fuiſſe correctam de jure Canonico, quia inſtantia litis non perit triennio, & ideò eam non ſervari in terris Eccleſiæ, ſed in terris Imperii dumtaxat. Innocent. *in cap. Conſuluit, num.2. in fin. verſ. Alio etiam modo, de offic. Delegat.* licèt hìc vacillaverit Speculat. *in titul. de Jud. Deleg. §. Reſtat, num.10. verſ. Item ſi inſtantia, & verſ. Sed ſecundum Canones.* Et hìc firmant Hoſtienſ. *num.3. verſ. Sed non placent hæ ſolutiones*, Abb. Antiq. *num.1. in fin.* dicens hanc opinionem eſſe inter omnes probabiliorem: & communiter DD. moderni, ut inquit Abb. Siculus *hìc num.5.* Hanc etiam dicit eſſe communem concluſionem Felin. *in princip.* Alex. *conſ.23. Viſis ſcripturis, num.2. lib.3.* Jaſ. *in d. leg. Properandum, num.27.* Roman. *conſ. 220. num.11.*
Et quamvis ipſe putet communem opinionem eſſe falſam, 3
eò quòd nullibi reperiatur cautum de jure Canonico, ut inſtantia cauſarum ſit perpetua; & Papa nihil magis cordi habeat, quàm ut lites abbrevientur, *ut cap. Finem litibus, de dolo, & contumac. & c. Venerabilis de appellat.* & idem conetur hìc tueri Andreas Siculus adverſus id, quod conſulerat inter conſilia Alex. *conſ.64. Circa præſentem, num.3. verſ. Modo in propoſito lib.4* tamen hæc ratio parùm ſtringit, quia, ut inquit Bald. *in cap. fin. num.1. de dolo, & contum.* relatus à Felin. *hìc num.1.* quamvis imponendus ſit finis litibus, ne immortales exiſtant, & hæc ſit ratio, quare ſecundùm leges pereat inſtantia, *ut in d. leg. Properandum;* tamen ſecundùm Canones ideò non perit, quia eſſet potiùs inſtantiam reiterare, quàm finem imponere litibus terminalem: non enim eſt perfectè ſopitum quod iterari, & recidivari poteſt, *ut l. Maritus, ff. Locati, & l. Quod ita ſervatur, ff. de edilit. edic.* Et ideò, ut ſubdit Felin. per jus Cano-

nonicum meliùs conſulitur immortalitati litium, quam per leges, cum per illas lites efficiantur prolixiores propter
4 tempus in reiterando conſumptum, ut per eum. Perempta enim inſtantia omnia acta pereunt, datur novus libellus, lis iterum conteſtatur, & omnia fiunt de novo, *ut in d. leg. Properandum, §. 1. & § Plerumque*, & notat gloſſa 1. *hìc in princ.* Innoc. *num.* 1. & Abb. *num.* 2. *in fin. verſ. Secunda lectura, & num.* 8. *verſ. Venio nunc*, Speculat. *in tit. de Judic. Deleg. §. Reſtat num.* 10. *verſ. Sed numquid omnia acta*
5 *pereunt?* Adde quòd cùm ſecundùm leges regulariter non appelletur ante ſententiam diffinitivam, *l. Ante ſententiæ tempus, C. Quor. appell. non reſcinden. & l. Si Clericus, C. de Epiſcop. aud.* diligentia Judicis benè poteſt infrà triennium cauſa finiri, cùm ejus jurisdictio per appellationem non impediatur, & nullus ipſo invito poſſit cauſam ultrà triennium protelare, *ut dicitur in dict. l. Properandum, in primo reſponſo.* Sed ſecundùm Canones poteſt à quolibet interlocutoria, & à quolibet gravamine appellari, & cauſa durare per annum, & quandoque per biennium, *cap. Super eo, il ſecondo de appellat.* Unde quemadmodùm ipſa vi Judice invito appellatùr, ita & ipſo invito inſtantia prorogatur, quia propter frequentes appellationes non poteſt Judex infrà præſcriptum tempus cauſam terminare: quare ſecundùm leges perit inſtantia decurſu triennii, ſecundùm Canones non; & hanc rationem diverſitatis inter leges & Canones aſſignant hìc Petr. de Samplone, & Abb. Antiquus *num.* 2. *verſ. Sed quæ eſt ratio*, Hoſtien. *num.* 3. *verſ. Et ſi quæras rationem*, Joan. And. *n.* 8. *verſ. Sed quæ erit ratio*, Henric. Boich. *n.* 4. Abb Sicul. *n.* 6 *in fin.* & plerique alii.

6 Procedit autem communis concluſio ſuperiùs firmata in cauſis tam ordinariis, quàm delegatis, in quibus ſecundùm Canones non perit inſtantia per lapſum triennii, ut in juribus ſupracitatis *num.* 1. & in hoc textu, quem ſic ſummat Abbas Siculus: Lapſu triennii non obſtante poteſt delegatus in cauſa ſibi commiſſa procedere; & hìc tenet gloſſ. 1. & idem Abb *num.* 8. *verſ. Venio nunc ad ſecundam lecturam*, & Felin. *num.* 3. licèt ſecus ſit ſecundùm leges, *ut in d. l. Properandum in princ. verſ. Sed omnes Judices, C. de Judic.* quæ promiſcuè loquitur de judicibus tam
7 ordinariis, quàm delegatis. Si tamen Princeps delegans præfixiſſet inſtantiam ipſi judici, & illa eſſet minor triennati, tunc benè periret Judici, licèt non partibus; & ideò ex eiſdem actis factis coram ipſo poſſet cauſa illi expediri, Ita Bald. *in d. l. Properandum, in princ. C. de Judiciis*, & Felinus *hìc num.* 3.

8 Fallit primò, communis concluſio in cauſa appellationis, in qua tam ſecundùm Canones, quàm ſecundùm leges ex lapſu unius anni vel ex cauſa biennii inſtantia finitur & perit, & appellatio cadit a cauſa, *ut c. Cùm ſit Romana infrà de appellat.* & in Auth. *Ei qui, C. de tempor. appellat. cum ſimilib.* Felin. *hìc n.* 1 *in fin. verſ. Fallit autem*, & Bero. *eod. num.* & licetur infra in proxima fallen.

9 Fallit ſecundò, in cauſis criminalibus, in quibus ſecundùm aliquos inſtantia judicii perit per lapſum biennii à tempore litis conteſtatæ tam de jure Civili, *ut l. 2. C. Ut infra certum temp.* quam de jure Canonico. Et in hac opinione fuit Henric. Boich. *num.* 4. Et potiſſima eſſe ratio, quia cum *d. l. 2.* non reperiatur per jus Canonicum correcta, vel immutata, ſervari debet etiam in foro Canonico, *arg. c. 1. cum ibi notat. de nov. oper. nunciat. l. Præcipimus in fin. C. de appellat. & l. Sancimus, C. de teſtam.* Sed certè contrarium probat hæc Decretalis, in qua Archiepiſcopus crimen ſacrilegii Civibus opponebat, & tamen nec per lapſum triennii inſtantia periit juxta communem intellectum, ut benè hìc per Bero. *num.* 2. Item ſi dicta ratio valeret, etiam lex *Properandum*, in foro Canonico ſervanda eſſet, cùm nullibi reperiatur expreſsè correcta per jus Canonicum; & tamen oppoſitum eſt verius, & communius, ut oſtenſum eſt ſupra *num.* 2. & 3.

10 Fallit tertiò, ubi reus abſolvitur propter irreptum judicium, *juxta cap. Examinata*, cum ibi traditis *ſup. eodem*, Felin. *hìc num.* 3. *verſ. Fallit ſecundò*.

11 Fallit quartò, notabiliter in omnibus cauſis ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus, quæ in prima inſtantia ex jure noviſſimo Concilii Tridentini omninò infrà biennium ſunt terminandæ; ita ut poſt id ſpatium liberum ſit partibus, vel alteri illarum judices ſuperiores adire, qui cauſam in ſtatu, quo fuerit, aſſumere debent, & quàm primùm terminare, *ut ſeſſ. 24. de reformat. c. 20. in princ.* Quippè poſt Concilium Tridentinum ceſſat ratio 12
à Doctoribus conſiderata, cur ſecundùm Canones inſtantia judicii non pereat per lapſum triennii, videlicet quòd cùm liceat appellare ab interlocutoria, & quocumque gravamine, appellationum frequentia ſæpè ſæpius impedit judices, quò minùs poſſint infrà id ſpatium cauſa definire: quod non contingit de jure Civili, ſecundùm quod ante ſententiam diffinitivam non appellatur, ut dictum eſt ſuprà *num.* 5. Etenim ex decretis Concilii in appellationibus recipiendis jus Canonicum exæquatum eſt juri civili; nam S. Synodus advertens reos criminis plerumque ad evitandas pœnas, & ſubterfugienda judicia Epiſcoporum gravamina ſimulare, & appellatione diffugio judicis proceſſum impedire, *in cap. 1. ſeſſ. 13.* ſtatuit, ut in cauſis viſitationis, & correctionis, ſive habilitatis, & inhabilitatis, nec non criminalibus, ab Epiſcopo, ſeu illius Vicario ante diffinitivam ſententiam ab interlocutoria, vel alio quocumque gravamine non appelletur, niſi gravamen hujuſmodi per diffinitivam ſententiam reparari, vel ab ipſa diffinitiva appellari non poſſit. Et poſteà hoc decretum extendendo ad cauſas omnes ad forum Eccleſiaſticum pertinentes, *in d. cap. 20. verſ. Neque appellationes ſeſſ. 24.* decrevit, ut appellationes per Superiores quoſcumque non recipiantur, niſi à diffinitiva, vel diffinitivæ vim habente, & cujus gravamen per appellationem à diffinitiva reparari nequeat. Quamobrem cùm appellationum diffugium jam nullum præſtent judicibus impedimentum, jure optimo ſancta Synodus cauſis expediendis biennium præfixit, ſicut jus civile ob eam cauſam præfixerat triennium, ut ſcripſi latiùs *ut cap. Super eo il ſecondo, num. 3. & 29. cum multis ſeqq. uſque ad num. 51. infra de appellation.* In 13
hoc tamen diſcrepat Concilium à jure civili, quòd inſtantia judicii ſecundùm leges perit omninò per lapſum triennii, ſed non perit jurisdictio judicis, quia eſt perpetua; *ut dict. l. Properandum, C. de Judic. l. 2. C. de Conſtitut. pecun. l. ult. C. de præſcript. 30. vel 40. annorum, l. Falſa, C. de diverſ. reſcript.* & hìc notat Innocentius *n.* 1. Hoſtienſ. *num.* 6. *circa finem, in ver. In negotio ipſo*, Joan. Andr. *num.* 5. & Abb. *num.* 8. *verſ. Venio nunc. ad ſecundam lecturam.* Et ideò iterantur acta, & omnia fiunt de novo; indeque provenit, ut lites fiant prolixiores, ut ex Bald. & Felin. ſuperiùs oſtendimus *num.* 3. At ex Concilio inſtantia perit 14
quidem judici, cujus jurisdictio expirat per lapſum biennii, *arg. l. Cum non eo die, C. quando provocar. non eſt neceſſ.* & conſtat ex dictis *ſupra num.* 7. & ex notatis per Joan. Andr. *in addit. ad Speculat. in tit. de Judic. Deleg. §. Reſtat, in magna addit. in ver. de Fano, littera K.* ſed non poterit partibus; imò liberum eſt eis, vel alteri illarum adire ſuperiores Judices, qui cauſam quam primùm terminare debent; nec pereunt acta, cum iidem judices ſuperiores debeant cauſam reaſſumere in ſtatu, in quo reperitur, ut diſertis verbis cavetur *in d. cap. 20. in princip.* ubi etiam *in §. Prætereà* diſponitur, *Ut ſi quis b lapſum biennii ad alium judicem recurrerit teneatur acta omnia coram primo judice geſta ad judicem ad quem expenſis ſuis transferre.* Et ſic acta ipſa non pereunt per lapſum biennii, ſicut pereunt de jure civili perempta inſtantia triennali. Et ceſſat illud inconveniens conſideratum à Baldo, quòd per reiterationem actorum coram eodem judice lites efficiantur recidivæ & immortales.

Complectitur autem decretum Concilii *in d. cap. 20. ſeſſ.* 15
24. tam cauſas civiles, quàm criminales, cum utatur verbis univerſalibus, & geminatis, ibi *Cauſæ omnes ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes*, ut ſæpiùs fuit reſolutum; & in hoc ſe conformavit cum jure civili, quod ſimiliter cauſis criminalibus terminandis præfixit biennium, *ut in l. ult. C. Si infra certum tempus*, & ita æquavit cauſas civiles, & criminales, cùm tamen jus civile cauſis civilibus triennium, criminalibus biennium præfixerit, *ut in d. l. Properandum in princ. C. de judic.*

Porrò cum dubitatum eſſet in Sac. Congregatione, an 16
cap. 1. ſeſſ. 24. diſponens cauſas in prima inſtantia coram locorum Ordinariis biennio terminandas, habeat locum in Ordinario etiam Commiſſario: Sac. Congregatio cen- 17
ſuit non habere. Quid tamen ſi eſſet cauſa, quæ aliàs jure ordinario potuiſſet cognoſci, & delegatio videatur tantùm facta cauſa excitandæ jurisdictionis; Sac. Congregatio nihil decidit.

Rurſus propoſito dubio, an idem *cap. 20. ſeſſ. 24. in princ.* 18
lo-

locum habeat in Judicibus conſervatoribus Religionum,ut lapſo coram ipſo biennio liberum ſit partibus adire Judices ſuperiores: Sac. Congregatio diſſenſit; nam quatuor ex ſeptem Cardinalibus affirmarunt comprehendi, tres negarunt. Itaque res ad Sanctiſſimum delata eſt: Sanctiſſimus reſpondit, non comprehendi, cùm decretum ſit editum in favorem juriſdictionis ordinariæ.

19 Sed quæritur, *an c.20. ſeſſ.24.* Concilii Tridentini diſponens cauſas à locorum Ordinariis intra biennium terminari debere; alioquin liberum ſit partibus, vel alteri illarum Judices ſuperiores adire; habeat locum, cùm non ſtetit per judicem, quo minus intra d. tempus cauſam definiret, ſed vel ob qualitatem cauſæ, vel ob partium cavillationes.

De jure civili cauſæ debent terminari intra tempus ſtatutum, *in l. Properandum, C. de judiciis*: ſed de jure Canonico cauſæ non habent inſtantiam limitatam, & poſſunt decidi quandocumque; ut latè oſtenſum eſt ſuprà *n.1. & ſeqq.* Concilium Tridentinum occurrere volens immortalitati litium, tempus decidendi cauſas intra biennium concluſit, ſtatuens, poſt illud tempus liberum eſſe partibus, vel alteri illorum judices ſuperiores adire, *ut in decreto d.c.*20. Cujus capitis diſpoſitio non videtur habere locum quoad primam partem dubii, nempè cùm cauſæ qualitas impedimento
20 fuit ne intra biennium decideretur. In clarè ſentit Abb. *hic num.*10 *& in conſ.*16. *In præſenti quæſtione n.*2 *lib.*2. ubi vult, ut ſi lis protrahatur ultra terminum ſtatutum à jure communi, vel municipali, non ob impedimentum alicujus, ſed ob cauſæ magnitudinem, poſſit etiam poſt terminum expediri, exemplificans in caſu, quo ſtatutum præfigit terminum duorum menſium ad lites finiendas,& Actor petit remiſſorias ad teſtes ultra mare examinandos cum dilatione longiori, quàm ſint termini totius inſtantiæ. Idem tradit poſt Dynum, & Cynum Baldus *in l. Si cùm ipſe n.*2. motus eo textu, juncta *l. Præcedenti, ff. de excuſ. tutor.* Jaſ. *in d.l. Properandum,n.*2. *C. de Judic.* Maranta *in Praxi in verſ. Et omnia fiant durante inſtantia, nu.* 18. Et ratio eſt, quam reddit Abbas *ubi ſuprà*, quia cùm non poſſit imputari partibus, vel Judici dilatio deciſionis cauſæ, terminus à Conſtitutione præfixus eſt intelligendus,ſi cauſa intra illum terminum potuerit expediri: ad hoc bonus textus *in l. final. in fin. C. de adult. in d. l. Si cùm ipſe, juncta leg. Præcedenti, ff. de excuſat. tutor.* facit text. *in l. Ita autem, ff. de adminiſtr. tutor.*

21 Dubitari magis poteſt de ſecunda parte dubii, cùm judex partium ſubterfugiis impedientibus intra biennium finem liti imponere nequivit, an ipſis partibus liberum ſit judices ſuperiores adire.

Pro ratione dubitandi primò adducitur, quòd judex non impartitur officium ſuum niſi volenti, & petenti, *l.*4. *§. Hoc autem judicium, ff. de damn. infect.* ubi Ripa *nu.*6. dicit ſtatutum mandans judici, ut litem finiat intra ſex menſes, eſſe intelligendum, ſi fuerit petitum; unde cùm Judex à partibus non requiſitus, ut terminet cauſam, non potuerit eam terminare, non eſt dicendus ſuæ juriſdictioni præjudicium feciſſe.

22 Secundò, quia cum ſubterfugiis, & cavillationibus partium cauſa in longum protrahitur, inſtantia non currit, ſenſit gloſſ. 1. *hic*, item gloſſ. *in l. Intra utiles, in ver. Intra ætatem, ff. de minoribus*, & fuit opinio Philippi, qui ita hoc cap. interpretatur, ut hic referunt Jo. Andr. *num.*7. & Abb. *n.*9. in qua videtur etiam reſidere Innoc. *hic in fin.* cùm eam recitet ultimo loco.

23 Contrarium videtur eſſe verius: nam judex partium ſubterfugia, & dilationes reſtringere debet, ut intra tempus à Concilio ſtatutum cauſa poſſit finem accipere, Innoc. *in c. De cauſis in princ.* & ibi etiam Abb. *n.*6. *de off. deleg.* & idem Innoc. *in c. In cauſis n.*3. *& 6. de appell.* Nullus enim tam audax invenitur, qui poſſit invito judice cauſam protelare, *d. l. Properandum in fin. princ.* Unde judex, qui hujuſmodi 24
cavillationibus indulgendo, ſinit labi tempus inſtantiæ, eſt in culpa, & aſpernatur Concilium, quod *c.* 10. *ſeſſ.*25. *in fin.* ipſum judicem cohortatur, ut cauſis terminandis, quanta fieri poteſt brevitate, ſtudeat, & litigatorum artibus modis omnibus occurrere: meritò igitur adeundus eſt judex ſuperior, *arg. c. Nullus de jurepatr.*

Confirmantur prædicta,quia tempus à Concilio præfigi- 25
tur inſtantiæ, non judici, cùm loquatur in rem,in illis verbis, *Cauſæ omnes, &c. omninò ſaltem infrà biennium à die motæ litis terminentur*, ut hic per Felin. *nu.* 19. & quamvis inſtantia non pereat partibus, petit tamen ipſi judici, ut ſuprà oſtendimus *n.*14. Ergo quidquid geritur à judice poſt inſtantiam ſibi peremptam, nullius eſt roboris, vel momenti, Abb. *d. conſ.*16. *n.*7. *poſt med. verſ. Non obſtant alia motiva lib.*2. & Felin. *hic n.*15. *verſ. De ſententia lata poſt inſtantiam*, dicens poſt Paulum de Caſtro, in hoc Doctores omnes concordare. Quod multò magis apparet ex illa dictione, *Omninò*, poſita *in d.c.*20. ibi: *Atque omnino ſaltem infrà biennium, &c.* quæ inducit neceſſitatem præciſam, *c. Cùm ex eo*, ibi, *Omnino adſtringi volumus*, cum ibi notatis per Archid. & Joan. Andr. *de elect. lib.* 6. Alex. *conſ.*88. *In cauſa in princ. lib.*4. Dec. *conſ* 582. *Profundamento, num.*2. Garmmat. in terminis noſtris, *vot.*31. *n.*3. *cum ſeqq.*

Non obſtant adducta in contrarium. Ad primum enim 26
reſpondetur, imò judicem cùm videt propè eſſe finem inſtantiæ, poſſe ex officio ſuo pervenire ad ſententiam, Bart. *in l. Sejus, & Agerius, ff. ad l. falcid. propè fin. verſ. Quæro, an iſtud pactum.*

Ad ſecundum reſpondetur, ſi ſubterfugia partis in cauſa 27
ſint, ne cauſa decidatur, verius eſſe inſtantiam currere, licèt contra partem ſubterfugientem competat actio de dolo, *l. Arbitrio, §. Dolo, ff. de dolo*, Alex. *conſ.*72. *Videtur prima conſideratione, n.*16. *lib.*3. dicens gloſſam, quæ hic tenuit oppoſitum, à Doctoribus reprehendi, Abbas *hic num.*9. gloſſ. & Bart. *d. §. Dolo*, ubi ait nec etiam competere reſtitutionem in integrum adverſus lapſum inſtantiæ: & Roman. ex communi *in conſ.* 220. *Circa primum num.* 9. alioquin eluderetur decretum Concilii, quod emanavit favore publicæ utilitatis, ſicut in terminis *l. Properandum*, conſiderat Abbas *ubi ſuprà*. Secundò reſpondetur, quatenùs verùm ſit inſtantiam ob partis cavillationem non currere, id tamen procedere in favorem partis, quæ non eſt in culpa, ut intelligunt Doctores in locis ſupra citatis. At nos loquimur reſpectu judicis, qui ſemper eſt in culpa non reſecando dilationes inutiles, ut dictum eſt; quo caſu parti nullum infertur præjudicium, ſi ab eo ad ſuperiorem devolvitur juriſdictio, ut declarat Innoc. *in c. de cauſis num.*5. *de offic. jud. deleg.* ubi etiam Abb. *n.*6.

Et ita propoſito in Sacr. Congregatione Concilii ſupraſcripto dubio, videlicet, *an c.*20. *ſeſſ.*24. quo cavetur, cauſas à locorum Ordinariis eſſe intra biennium terminandas; alioquin poſt id ſpatium liberum eſſe partibus, vel alteri illarum judices ſuperiores adire: habeat locum, ſi non ſtetit per judicem, quo minus intra dictum tempus cauſam definiret, ſed vel ob qualitatem cauſæ, vel partium cavillationes: Sacr. Congregatio cenſuit non habere locum, quando non ſtetit per judicem, ſed ob qualitatem cauſæ; quod ab ipſo judice docendum eſt: ſecus, ſi per cavillationes & ſubterfugia partium.

DE FORO COMPETENTI.

Ex Concilio Calcedonenſi.

CAPUT I.

SI quis Clericus adverſus Clericum negotium habeat, non deſerat proprium Epiſcopum; ſed priùs apud ipſum actio ventiletur, vel conſilio ejuſdem apud alios, quos utraque pars voluerit, judicium obtinebunt.

SUMMARIUM.

1 *Clericus coram ſuo Epiſcopo conveniri debet, & num. 9.*
2 *Negotii appellatione venit cauſa tam civilis, quàm criminalis.*
3 Actionis *verbum quandoque refertur ad ſimplicem petitionem in judicio factam.*
4 *Clericus non poteſt prorogare juriſdictionem alterius judicis etiam ordinarii abſque conſenſu Epiſcopi proprii, & n. 7.*
5 *Conſilium accipitur pro conſenſu, quando exigitur ab eo, de cujus ſuperioritatis præjudicio agitur.*
6 *Et prolatum à jure importat neceſſitatem.*
7 *Judex an dari debeat de partium conſenſu.*
8 *Et quid ſervet Curia.*
9 *Clericus an generaliter, & indiſtinctè coram proprio Epiſcopo ſit conveniendus, & n. ſeqq. uſque ad n. 27.*
20 *Epiſcopus proprius quis dicatur quoad hoc ut Clericus coram ipſo conveniri debeat.*
Forus domicilii cum cæteris omnibus concurrit, ibid.
11 *Forum qualiter ſortiatur Clericus ratione beneficii.*
12 *In foro originis propriæ, vel paternæ Clericus conveniri poteſt, dummodò ibi ſit præſens, licèt alibi domicilium habeat.*
13 *Forum an Clericus ſortiatur ratione Ordinis collati.*
14 *Prælatus inferior habens in loco juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, venit appellatione Epiſcopi proprii quoad hoc ut Clericus coram ipſo ſit conveniendus.*
15 *Clericus conveniendus eſt coram proprio Epiſcopo, ſive conveniatur à Clerico, ſive à laico.*
16 *Et in cauſis tam civilibus, quàm criminalibus.*
17 *Etiamſi ſit Clericus primæ tonſuræ, & n. 19.*
18 *Vel ſuſpenſus, excommunicatus, interdictus, depoſitus, aut irregularis.*
19 *Clericus ut fori privilegio gaudeat, quæ requirantur ex Concilio Tridentino.*
20 *Clericus ſi habitum à ſe geſtari ſolitum aliqua occaſione ad breve tempus depoſuerit, non ideò fori privilegium amittit.*
21 *Habitus an ſit clericalis, judex Eccleſiaſticus cognoſcit.*
Monitio non requiritur, ut Clericus carens qualitatibus à Concilio Tridentino requiſitis, fori privilegium amittat, ibid.
22 *Clericus in minoribus habitum & tonſuram deferens, & Eccleſiæ inſerviens, licèt ſine mandato Epiſcopi gaudet fori privilegio, & n. ſeqq.*
23 *Idem ſi inſerviat alteri Eccleſiæ, quam cui Epiſcopus mandavit.*
24 *Clericus beneficio privatus ex Bulla Sixti V. eo quòd habitum, & tonſuram non detulerit, fori privilegium non amittit ante latam à judice Eccleſiaſtico declaratoriam ſuper facto, & n. ſequent.*
25 *Declaratoria facti ſemper requiritur, quantumcumque lex imponat pœnam ipſo jure.*
26 *Clericus beneficiatus ſolitus incedere in habitu, & tonſura, licèt aliquando talem geſtationem intermiſerit, non incidit in pœnam privationis beneficii ex Bulla Sixti V.*
27 *Clericus primæ Tonſuræ de Capella Sacerdotali inſtitutus, an gaudeat privilegio fori, licèt illius poſſeſſionem ob litem ſibi motam non acquiſierit, & num. ſeq. uſque ad num. 46.*
28 *Ad beneficium Eccleſiaſticum conſtituendum quæ requirantur.*
29 *Beneficium nullius redditus obtinens non dicitur beneficium habere.*
30 *Beneficii ſola collatio, aut inſtitutio jus tribuit etiam ſine poſſeſſione.*
31 *Beneficia æquiparantur ultimis voluntatibus.*
32 *Beneficium vacat per obitum proviſi, licèt ſolam ſupplicationem ſignatam habeat.*
33 *Verba cum effectu ſunt intelligenda.*
34 *Verbum*, habere, *quid importet, & num. 37.*
35 *Epiſcopi Titulares, & Comites Palatini non dicuntur propriè tales, ſed abuſivè.*
Declaratur, num. 39.
36 *Verba ſunt accipienda in potentiori ſignificatu.*
38 *Intitulatus plenè non dicitur in beneficio, ſi alius percipit fructus.*
39 *Poſſeſſor beneficii habetur, qui titulum obtinet quoad honorem, & miniſterium, licèt beneficium ab alio poſſideatur.*
40 *Clerici ante Concilium Tridentinum an deberent eſſe in Eccleſia intitulati, aut illius ſervitio adſcripti, ad hoc ut fori privilegio gauderent, & n. ſeq. & n. 60.*
41 *Milites olim non gaudebant privilegiis militaribus, niſi in numeros eſſent relati.*
42 *Clericus Eccleſiæ deputatus, qui ad Sacrificium quotidianum non acceſſerit, pro Clerico non habetur ex Concilio Toletano.*
43 *Impetrans certo modo, qui litem infrà præſcriptum tempus non movit, tamquam beneficio privatus, ex vi regulæ de annali non gaudet fori privilegio, & num. ſeq.*
44 *Beneficiati duo in eodem beneficio ſimul eſſe non poſſunt.*
45 *Clericus non beneficiatus ſolitus Eccleſiæ inſervire, & in habitu, & tonſura incedere, ſi noctu, vel interdiu in habitu laicali deprehendatur cum armis, an fori privilegio gaudeat, & num. ſeq. uſque ad num. 59.*
46 *Clericus beneficiatus ex Concilio Tridentino fruitur fori privilegio, licèt habitum & tonſuram non deferat.*
47 *Clerici cælibes de jure communi etiam non beneficiati ante monitionem gaudent privilegio fori, licèt in habitu non incendant; Clerici conjugati ſecus.*
38 *Sed hæc differentia ſublata eſt à Concilio Tridentino.*
49 *Clericis non habentibus requiſita Concilii Tridentini non adimitur perpetuò privilegium fori, ſed ſuſpenditur ad tempus.*
50 *Animi judicium ex perſeverantia dijudicatur.*
51 *Habitus Clericalis non prodeſt ei, qui antea publicè ſe gerebat pro laico.*
52 *Verba legis civiliter, & non amarè ſunt intelligenda.*
53 *Continuè habitare in civitate quis dicitur, etiamſi tempore meſſium non permaneat.*
54 *Unitas orationis regulata ab eodem verbo operatur, ut æqualis ſit determinatio quoad omnes.*
55 *Religioſus, qui jocoſa levitate ad horam dimittit habitum, & alium aſſumit, non incidit in pœnã Apoſtaſiæ.*
56 *Clericus deferens ad breve tempus veſtes virgatas, & partitas, non incidit in pœnam Clement.* Quoniam, de vit. & honeſt. cleric.
57 *Tempus delicti attenditur quoad pœnam imponendam, non quoad competentiam Judicis.*

58 *Judex*

58 *Judex laicus retinens in carcere Clericum deprehenſum in habitu laicali, an, & quando excuſetur à cenſuris.*

59 *Conſuetudo, qua Clerici habitum, vel tonſuram deferentes fori privilegio gaudent, licèt beneficium non habeant, nec alicui Eccleſiæ inſerviant, an ſit obſervanda, & num. ſeqq. uſque ad num 72.*

60 *Clerici incedentes in habitu, vel tonſura, de jure communi gaudebant privilegio fori, licèt Eccleſiæ non inſervirent.*

61 *Conſuetudo juri communi conformis ſublata intelligitur eodem jure ſublato.*

62 *Conſuetudo cur fuerit ſublata à Concilio Tridentino ſeſſ. 23. cap. 6. quoad Clericos conjugatos tantùm.*

63 *Conſuetudo, quòd Clerici conjugati gaudeant privilegio fori, licèt habitum, & tonſuram non deferant, an valeat de jure communi.*

64 *Conſuetudo diſponens idem, quod jus antiquum correctum, præſumitur rationabilis, & num. 68. & 73.*

65 *Conſuetudo contra Concilia generalia non poteſt validè introduci, & num. ſeqq.*

66 *Concilia generalia cenſentur habere clauſulam derogatoriam ad ſequentes diſpoſitiones contrarias.*

67 *Et quid Concilio Tridentino.*

69 *Conſtitutiones Papales cenſentur effectum ſortitæ, cùm primum ſunt promulgatæ.*

70 *Et quando cenſeantur abrogatæ per contrarium uſum.*

71 *Exceptio quòd non fuerint uſu receptæ, non admittitur.*

72 *Canonis privilegium an fuerit ademptum Clericis non habentibus qualitates cap. 6. ſeſſ. 23. Concilii Tridentini, & num. ſeqq. uſque in fin.*

73 *Fori privilegium quas ob cauſas à Concilio Tridentino fuerit limitatum.*

74 *Canonis privilegium faciliùs amittitur de jure communi, quàm privilegium fori.*

75 *Clerici, quamvis fori privilegio non gaudeant, tamen puniri poſſunt ab Epiſcopo præveniente, ſi pro Clericis adhuc publicè ſegerant.*

1 S*I quis*. Clericus coram ſuo Epiſcopo conveniri debet. Hoc dicit. Et ponit duo dicta alternativè. Secundum ibi, *Vel conſilio*.

Nota primò ex textu, Clericum eſſe conveniendum coram proprio Epiſcopo. Dicitur autem Epiſcopus proprius, vel ſuus, ut habent aliæ editiones, relatæ ab Antonio Auguſtino *in notis ad primam Collectionem Decretal. lib. 2. titul. 2. c. 1.* tum ad excluſionem Epiſcopi alieni, qui non debet falcem mittere in alienam meſſem, *cap. Scriptum, 6. q. 3. cap. 3. infrà de Paroch. & 9. quæſt. 2. per totum* tum ad excluſionem Judicis ſæcularis, ut *cap. Inolita, & cap. Placuit, 11. quæſt. 1. cap. Prox & c. Si diligenti, infrà eod.* tum denique ad excluſionem inferioris Prælati: nam de jure communi Epiſcopus ſolus fundat intentionem ſuper juriſdictione ordinaria in tota diœceſi, *cap. Cùm Epiſcopus*, & ibi gloſſ. *in ver. Habere*, & Doctores notant. *de off. Ordin. lib. 6. cum concord.* De quo tamen pleniùs dicam infrà in prima quæſtione, in qua explicabo in ſpecie, quibus modis dicatur proprius Epiſcopus.

2 Secundò nota ibi, *Negotium*, appellatione negotii venire cauſam, ſeu quæſtionem, ſecundùm Innoc. & Abb. Antiq. *hìc in princ.* Hoſt. *in ver. Negotium*, & Io. Andr. *num.* 2. Unde & differt à negotiatione, quia negotium in cauſis, negotiatio in commerciis dicitur, ut legitur in *c. Forus, §. Negotium, infrà de verbor. ſignific.* Alius Codex habet; Si quis Clericus cum Clerico cauſam habuerit, ut refert Anton. Auguſtin. *loco citato*.

3 Tertiò nota ibi, *Actio ventiletur*, actionis nomen quandoque referri ad ſimplicem petitionem in judicio factam: nam ſecundùm Canones Clericus non tenetur actionem proponere, ſed ſatis eſt, ut quoquomodo de ſua petitione in libello appareat, *cap. Dilecti, & cap. Examinata, ſuprà de judic.* & hìc per gloſſ. *in ver. Actio*, Hoſt. *in eod. ver.* & Butr. *num.* 3. Licèt ſecundùm Abb. *num.* 3. Marian Socin. *num.* 2. verbum, *Actio*, ſtet propriè, quia textus non præcipit, ut actio proponatur, ſed ut ventiletur, ſcilicet ipſum jus competens: nam actio eſt jus proſequendi in judicio, quod ſibi debetur, ut *inſtitut. de act. in princ.* & ideò dicimus ſine actione neminem experiri, *l. Si pupilli, §. Videamus, ff. de negot. geſt.* Sed magis placet prima expoſitio gloſſæ, quia illud jus non ventilatur in judicio ſub formalitate actionis, ſed tamquam ſimplex, & nuda petitio. Et quamvis ſine actione de jure Civili nemo experiatur, tamen de jure Canonico non eſt neceſſe, ut hoc faciat per modum actionis, ut in juribus præallegatis. In prima compilatione Decretalium non habetur illud verbum, *Actio*, ſed legitur, *Accuſatio ventiletur*, ut refertur ab Antonio Auguſtino in *cap. 1. hoc tit.*

Quartò nota ibi, *Vel conſilio*, Clericum non poſſe 4
prorogare juriſdictionem alterius judicis etiam Ordinarii
abſque conſenſu Epiſcopi proprii, & ita conſilium hìc
accipitur pro conſenſu, ſeu licentia: nam ſolum conſilium 5
non ſufficit, *cap. Proximo, infrà eod. & cap. Romana, eod.
tit. lib. 6.* ſecundùm gloſſ. tertiam hìc, Hoſt. *in princ. in
ver. Vel conſilio*, Joan. Andr. *num.* 3. & Butr. *num. 2. & 3.*
Qui inde infert conſilium accipi pro conſenſu, ubi exigitur
conſilium ab eo, de cujus ſuperioritatis præjudicio agitur:
unde non ſufficit illud petere, & expectare, ſed oportet obtinere, ut notat gloſſ. & DD. in *cap. Si pro debilitate, de
offic. deleg.* licèt aliàs ex proprietate vocabuli aliud ſit conſilium, & aliud conſenſus, ut notatur in *cap. Cùm olim.
ſup. de arbitr.* Sed hìc impropriatur conſilii verbum propter ſubjectam materiam, ſecundùm Hoſt. *ubi ſup.* & Abb. 6
num. 3. verſ. Nota ex gloſſ. Vel dic ſecundùm Petr. de Anchar. *in 3. notab.* conſilium includere conſenſum, & prolatum à jure importare neceſſitatem, ita ut Clericus neceſſariò teneatur illud ſequi, juxta materiam *l. 1. §. Si plures,
ff. de exercit. act. & d. c. Cùm olim, de arbitr.*

Ultimò nota ibi, *Apud alios, quos utraque pars voluerit*: 7
ad hoc ut prorogari poſſit juriſdictio judicis non ſui, præter
licentiam proprii Epiſcopi requiri etiam conſenſum utriuſque partis: juſtum enim, & honeſtum eſt, ut judex communiter eligatur, ut hìc, & in *cap. Placuit, 2. q 6.* Hoc
declara primò, dummodò prorogatio fiat in judicem Eccleſiaſticum, *cap. Significaſti, infrà eod.* nam judicem laicum
Clericus ſibi conſtituere non poteſt, etiamſi Epiſcopi, &
adverſarii conſenſus accedat: nec prorogatio firmatur juramento, *c. Si diligenti, infrà eod.* ſed ad hoc requiritur auctoritas Papæ, *cac. Mennam, 2. quæſt. 5. cap. Cùm devotiſſimam, 12. quæſt. 2.* & tenent in *cap. Prox. infrà eod.* Hoſt.
num. 1. in ver. Pontificis, Joan. Andr. *num. 4. in eod. ver.* &
Butr. *num.* 7. Declara ſecundò, dummodò procedatur per
viam prorogationis: ad hoc enim formalis delegatio non
requiritur, ſecundùm Innoc. *in fin.* ſecùs ſi per viam delegationis, quia tunc non exigitur conſenſus partium, ſed
Epiſcopus ſolus dat judices: & quod hìc dicitur; Quos utraque pars voluerit, eſt de conſilio, ne judex poſſit recuſari;
ſed tamen commiſſio valet, etiam partibus non conſentientibus, dummodò fiat ſalvo jure recuſationis: & ita
procedit textus in *cap. Super quæſtionum, § Quem verò, &
§. fin. de offic. deleg.* ut hìc declarat Joan. Andr. *in fin.* cum
quo Butr. *num.* 6. & alii tranſeunt. Sed an hoc procedat
poſt Concilium Tridentinum, plenè dicam in *cap. Significaſti, infrà eodem*. Declara tertiò, dummodò utraque pars 8
ſit præſens; tunc enim ſecundùm conſuetudinem Curiæ fit
convenientia judicum: & ſi concordent, dantur judices de communi conſenſu, ut *l. Obſervandum, ff. de judic.*
ſi diſcordent, quælibet pars nominat unum, & Curia dat
tertium ex officio. Si verò altera pars ſit abſens, obtinet
præſens judices ad voluntatem ſuam ſalvo jure recuſationis; & in hoc caſu poteſt intelligi textus in *c. Cùm R. de offic. deleg.* ubi datur judex ad voluntatem unius partis.
Et de hoc ſtylo Curiæ Romanæ atteſtantur hìc gloſſ. *ult.* Jo.
Andr. *in fin.* Butr. *d. num.* 6. Abb. *num.* 4. & Marian. Socin.
num. 2. verſ. In gloſſa.

QUÆRO, an generaliter, & indiſtinctè Clericus ſit 9
coram ſuo Epiſcopo conveniendus.

Communis regula eſt, Clericum conveniri debere coram proprio Epiſcopo, ut hìc eſt caſus ſecundùm omnes. Concordat *cap. Si Clericus*, ibi, *Suum Epiſcopum*: necnon ibi, *Proprium Epiſcopum*, 11. *q.* 1. *cap Si quis contra Clericum*, ibi, *Epiſcopum ipſius adeat, infr. eod.* & in Auth. *Ut Cler. apud
prop. Epiſc. collat. 6. cum ſimil.* Et proprius Epiſcopus dicitur 10
primò, in cujus diœceſi Clericus conveniendus domicilium
habet: forus enim domicilii dicitur verus, & naturalis fo-

rus, ut notatur in cap. fin. & ibi dixi n. n. 9 poſt Innoc. Hoſt. & alios infrà eod. & cum cæteris omnibus concurrit, ut eſt textus in cap. Dilecti, & ibi gloſſ. in ver. Ubi domicilium infrà eod. l. Si fidei commiſſum, § Sed & reſcriptum, ff.
11 de judic. cum ſimil. Deindè dicitur Epiſcopus proprius, in cujus diœceſi Clericus beneficium obtinet Eccleſiaſticum, licèt ſit alterius diœceſis, textus eſt in c. Cum nullus, de tempor. ordin. lib. 6. Et quamvis loquatur reſpectu ordinis, tamen idem dicendum reſpectu juriſdictionis: nam qui poteſt ordinare, poteſt & judicare, cap. Nullus primas, 9. quæſt. 2. & cap. 3. de Paroch. Adverte tamen, quia aut beneficium perſonalem reſidentiam non requirit: & tunc poteſt Clericus in loco beneficii conveniri, quando agitur de illo beneficio tantùm, & non alias, arg. cap. Sanè infrà eod. l. fin. Cod. Ubi in rem act. & cap. Dilectus, il 2. ſup. de reſcript. Aut requirit perſonalem reſidentiam, & tunc cum rector beneficii ibi domicilium contrahat, cap. Poſtulaſti infr. eod. & notat Innoc. in c. Ex ore, de privileg. idem dicendum, quod ſuperiùs dictum eſt de Epiſcopo domicilii, ut ſcilicet ibi conveniri poſſit etiam de alibi geſtis, ſecundùm Abb. hic num. 6. de quo vide plenè per Marian. Socin. in cap. fin. num. 22. infrà eodem. Ad hoc Concilium Tridentinum in cap. 11. in fin. ſeſſ. 24. ubi privilegia, quæ competunt reſidentibus in Curia Romana ratione Eugenianæ Conſtitutionis, aut familiaritatis Cardinalium, non ſuffragantur beneficia obtinentibus, quo minùs ratione dictorum beneficiorum Ordinarii juriſdictioni ſubjecti permaneant; & ita ratione beneficii perſonalem reſidentiam non requirentis ſortitur quis forum Ordinarii, ubi beneficium obtinet, ratione illius beneficii dumtaxat, non obſtantibus pri-
12 vilegiis. Rurſùs dicitur proprius Epiſcopus, in cujus diœceſi Clericus habet originem propriam, vel paternam, licèt alibi domicilium habeat, ut probatur in d. c. Cùm nullus, de tempor. ordin. lib. 6. inducendo illud, ut dixi num. præcedenti, & in l. Aſſumptio, cum ibi notat. ff. ad municipal. & in l. 1. & in l. Origine, C. de municipal. & origin. lib. 10. Quod tamen ita tempora, ut in loco originis ita demùm poſſit conveniri, ſi ibi ſit præſens, aliàs ſecus ſecundùm Abb. hic n 6. & notat Bart. in d. l. Aſſumptio, §. 1. n. 2. verſ. Quarto casu, per textum in l. Hæres abſens in 1. reſponſ. ff. de judic. & in l. Relegatorum, § Dubitatum eſt, ff. de interdict. & rele-
13 gat. Præterea dici poteſt Epiſcopus proprius ratione ordinis collati, ut notat gloſſ. in d. l. Hæres abſens, §. Proindè, in ver. Debebit, verſ. Item ratione ordinis, & illam gloſſ. dicit ſingularem Abb. num 6. Item poteſt dici proprius, qui tamen eam intelligit procedere, quando Epiſcopus ordinavit nomine proprio; ſecus ſi ex commiſſione alterius, quia tunc ordinatio tribuitur illi cujus nomine fit, arg. c. Si Epiſcopus, de præb. lib. 6. Sed certè, quando Epiſcopus ordinat nomine proprio, jam eſt Epiſcopus proprius ante ordinationem, cùm aliàs ordinare non poſſit, ut eſt textus in d. c. Cùm nullus, & 9. q. 2. per tot. ergo non apparet, quomodo efficiatur proprius ratione ordinis collati. Fortè gloſſa habuit alium intellectum, videlicet, ut ratione ordinis forum quis ſortiatur, quia laicus effectus Clericus mutat forum, ac genus fori, & efficitur de foro Eccleſiæ, c. 1. 53. diſt. cap. Duo ſunt, 12. q. 1. Sed hoc non provenit propter Ordinis characterem: nam & ordinatus ab alieno ſine licentia Epiſcopi proprii, licèt ſit ſuſpenſus, tamen eſt effectus de foro Eccleſiæ, cap. 1. & ſeqq. de tempor. ordin. lib. 6. Concilium Tridentinum c. 8. ſeſſ. 23. Demùm ad effectum prædictum dicitur Epiſcopus proprius etiam ratione contractus initi, delicti commiſſi, aut rei ſitæ, ut in d. cap. fin. infrà eod. & generaliter omnibus aliis modis, quibus forum quis ſortitur, quos enumerat gloſſ. præalleg. in d. §. Proindè, & ibi Doctores; & latiſſimè Marian. Socin. in eod. c. fin. & ibi di-
14 xi n. 28. Epiſcopi autem appellatione in caſu hujus cap. venit etiam inferior Prælatus habens in loco juriſdictionem quaſi Epiſcopalem ex privilegio, vel conſuetudine, c. Cùm contingat, in fin. & ibi Doctores, præſertim Abb. n. 18. infrà eod. c. Auditis, de præſcript. & hoc non obſtante decreto Concilii Tridentini ſeſſ. 24. c. 20. §. Ad hæc, ut ſcripſi latiſſimè in c. Accedentibus, à n. 20. uſque in fin. de exceſſ. Prælat. Itaque ſecundùm has omnes acceptiones ſtat regula, ut Clericus coram proprio Epiſcopo conveniri debeat.

15 Extenditur primò hæc regula, ut locum habeat, ſive Clericus conveniatur à Clerico, ut hìc, ſive à laico, ut cap Si quis contra Clericum, infrà eod. actor enim ſequitur forum rei, cap. Experientiæ, 11. q. 1 cum ſimil. ſecundùm Marian. Socin. hìc in 1. notab. & tenent Hoſt. Joan. Andr. Card. & alii, qui verba, Si quis Clericus, ſupplent, Vel laicus.

Extenditur ſecundò, ad cauſas tam civiles, quàm crimi- 16
nales, c. Inclita, 11. q. 1. Auth. Statuimus, C. de Epiſcop. & Cler. & in Auth. Ut Cler. apud propter. Epiſc. collat. 6. & probatur hìc in ver. Negotium, quod ab Innocentio, & aliis exponitur pro cauſa, ſive quæſtione, ut dixi ſupra in 2. notab.

Extenditur tertiò, etiam ad Clericum primæ tonſuræ, ut probatur in c. Cùm non ab homine, ſuprà de judic. ibi, In quocumque ordine conſtitutus, juncto c. Cùm contingat, de ætat. & qualit. & in c. Prox. infr. eod. ibi, Clericum ullum, & ibi dixi in 2. notab. poſt Hoſt. Butr. & alios.

Extenditur quartò, etiam ad Clericos conjugatos non bi- 17
gamos, habitum, & tonſuram deferentes, cap. unic. de Cler. conjug. lib. 6. Joan. Andr. in c. Prox. num. 2. & ibi etiam Abb. num. 2. & 3. infrà eodem, Heric. Boich in cap. Ex litteris num. 18. de vita, & honeſt. Cler. Vitalin. in Clem. 1. num. 55. & 57. eod. tit. de quo tamen hodie dic, ut ſcripſi in cap. Propoſuiſti num. 27. & 28. infra eod.

Extenditur quintò, ad Clericum etiam ſuſpenſum, ex- 18
communicatum, interdictum, vel depoſitum etiam pro crimine irregularitatem irrogante: nam ante actualem degradationem remanet ſub juriſdictione Epiſcopi, ut probant jura in cap. Dictum, 81. diſt. in c. Cùm non ab homine, & ibi Dec. num. 6 de judic. & in c. Degradatio, de pœn. lib. 6. Marian. Socin. in cap. Ad abolendam num. 21. de hæret.

Extenditur ſextò ad omnes perſonas Eccleſiaſticas, & ad complures alios, qui ſunt de foro Eccleſiæ, licèt Clerici non ſint, de quibus ſcripſi latiſſimè in c. Prox. infrà eod. à n. 16. uſque in fin. poſt Marian. Socin. hìc à n. 4. uſque ad n. 24. qui fusè materiam explicat viginti quinque declarationibus.

Extenditur denique centum, & ſex modis, quos uberrimè cumulant Moderni in tract. de effect. Cleric. effect. 1. à num. 2. uſque ad num. 668.

Recipit tamen ſupradicta regula quamplures declaratio- 19
nes, ut dixi in c. Prox. n. 3. infrà eod. inter quas illa eſt præcipua, & uſu forenſi admodùm frequens, quam juri communi adjecit Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. c. 6. ubi ſtatuit, ut, Prima tonſura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus, fori privilegio non gaudeat, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut Clericalem habitum, & tonſuram deferens alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua ſchola, vel univerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad majores Ordines ſuſcipiendos verſetur. Hæc ibi: & S. Congreg. Cardinalium ejuſdem Concilii Interpretum declaravit, Ad hoc ut fori privilegio gaudeat, requiri, & ſufficere ea, quæ aliquo ex infraſcriptis capitibus ſigillatim ſunt adnotata. Ut obtineat beneficium Eccleſiaſticum, ut Clericalem habitum, & tonſuram deferens in aliquo Seminario de licentia Epiſcopi degat, ut in habitu, & tonſura incedens in aliqua ſchola de licentia Epiſcopi verſetur, ut habitum, & tonſuram geſtans in aliqua uni-
verſitate de licentia Epiſcopi moretur, Si vero, quæ in aliquo 20
ex his capitibus comprehenſa ſunt, in Clerico concurrant, ſed aliqua occaſione habitum à ſe geſtari ſolitum ad breve tempus depoſuerit, non ideo fori privilegium amittere. An verò habitus ſit Clericalis, ad judicis Eccleſiaſtici cognitionem
pertinere. Quibus autem caſibus Clericus ex Decreto Conci- 21
lii fori privilegium non gaudet, nullam requiri monitionem, ut illud amittat. Hactenùs S. Congregatio, Adverte tamen ad illa verba Concilii, De mandato Epiſcopi, & de licentia Epiſcopi; quia ex ipſius Congregationis ſententia non ſunt ſubſtantialia, ut in ſubiecta declaratione.

Joannes Cuperchinus Clericus Romanus, qui prima 22
tonſura in urbe initiatus, quatuor Ordines minores Panormi cũ dimiſſoriis Domini Cardinalis Urbis Vicarii ſuſcepit, Romam reverſus, & in habitu Clericali incedens ſtudiis incumbens frequentavit Collegium S. Thomæ, ubi Fratrẽ Donatum publicè Logicam tradentem quotidie audivit, prout in fide, quę datur ejuſdem Fratris Donati; & licèt nulli eſſet adſcriptus Eccleſiæ, tamen non deſtitit diebus præcipuè feſtivis, & aliis inſervire ſacrificio Miſſæ in Eccleſia S. Jacobi Incurabilium, & alibi, prout in fide Sacriſtæ, quæ ſimiliter datur. Mox ſororis infamia commotus, & ſtimulis incenſus honoris, eam pluribus vulneribus confodit, & rem omẽ ſine difficultate confeſſus eſt. Cùmq; inter alia pro ipſius defenſione dicatur, eum uti Clericũ pro tali homicidio

non

non poſſe tradi curiæ ſæculari, nec affici ultimo ſupplicio; opponitur à fiſco eum non gaudere privilegio fori, quia neque beneficium habet, neque eſt adſcriptus Eccleſiæ, neque verſatur in ſcholis de licentia Epiſcopi, ut requirit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 22. c. 6.* unde quæritur quid juris. Die 20. Junii 1609. Sac. Congregatio Concilii perpendit ſecundùm ea, quę proponuntur, in hoc caſu concurrere omnia requiſita, ut hìc Clericus gaudeat privilegio fori: eſt enim initiatus prima tonſura, incedebat in habitu, & tonſura Clericali, & Eccleſiæ inſerviebat; imò etiam in ſchola verſabatur, quia publicam Dialectices lectionem in ædibus S. Mariæ ſupra Minervam audiebat. Unus tamen ſupèreſt ſcrupulus, quòd nec ad inſerviendum, nec adverſandum in ſchola ulla præceſſit licentia, nullumque mandatum Vicarii urbis, ut requirit Concilium, dum *c. 6. ſeſſ. 23.* ſtatuit hujuſmodi Clericum privilegio fori potiri, ſi inſerviat Eccleſiæ de mandato Epiſcopi, vel in ſchola verſetur de Epiſcopi licentia. Sed hanc difficultatem ſuſtulerunt duæ antiquæ deciſiones Congregationis, quarum altera declaravit privilegio fori gaudere Clericum minorum Ordinum in habitu, & tonſura incedentem, inſervientemque Eccleſiæ, tametſi abſque ullo Epiſcopi mandato: altera determinavit talem Cleri-
23 cum inſervientem alteri Eccleſiæ, quàm ei cui mandaverat Epiſcopus, ut inſerviret, nihilominùs gaudere privilegio fori, nimirùm, quia qualitas mandati, vel licentię eſt levis, ſatiſque eſt concurrere, quæ potiora ſunt, nempè tonſuram, delationem ipſius cum habitu Clericali, ſervitium Eccleſiæ, vel commorationem in ſchola aliqua. Ita enim etiam ceſſante Epiſcopi mandato, vel licentia ſatisfit menti Concilii eò tendentis, ut ſolus Clericus, qui quaſi in via ad majores Ordines ſuſpiciendos verſabatur, nec cauſa effugiendi ſæculare forum vagus huc illuc diſcurrebat, ſed Eccleſiaſtico ſervitio inſiſtebat, fori privilegio ſe juvare poſſet; quæ qualitates in hoc Clerico cum fine Concilii concurrunt, quamvis non afferatur mandatum, vel licentia Epiſcopi. Itaque pro certo habentes hunc Clericum fori privilegio gaudere, Patres mandarunt Secretario, ut eorum nomine alloqueretur Gubernatorem urbis, ut ſuſpenderet in cauſa, donec res poſſet referri ad Sanctiſſimum.

24 Secundò QUÆRO, poſita Conſtitutione ſan. mem. Sixti V *de habitu, & tonſura Clericorum, &c.* quę incipit, *Sacroſancta;* an Clericus primæ tonſuræ, vel minorum Ordinum obtinentes beneficium Eccleſiaſticum, & habitum, ac tonſuram nequaquam deferens, tamquam propterea beneficio vigore dictæ Conſtitutionis ipſo facto privatus, intelligatur amiſiſſe fori privilegium, adeò ut etiam ante latam à judice Eccleſiaſtico declaratoriam ſuper facto, videlicet, quòd tonſuram, & habitum Clericalem non geſtaverit, fori privilegio minimè debeat gaudere.

25 Certum eſt, privatum beneficio ipſo jure, & ſic per ſententiam juris non poſſe amoveri à beneficio, quo privatus eſt, antequam crimen ſit probatum, & declaratum per ſententiam hominis: alioquin privatus poſſet agere ſpolio ut pluribus probat Oldrad. *conſ. 227. De toto themate, nu. 4. verſ. Secundò objicit,* & Petr. de Anchar. *conſ. 189. Tribus de cauſis, nu. 3. & 4.* Quantumcumque enim lex imponat pœnam ipſo jure, ſemper tamen requiritur declaratoria judicis ſuper facto, priuſquam pœna ipſa poſſit executioni demandari: caſus eſt apertus in *c. Cùm ſecundum, §. Confiſcationis,* & ibi omnes notant, præſertim Gemin. & Franc. *de hæret. lib. 6.* Joan. Andr. poſt Archid. in *c. Felicis, num. 2. de pœnis, eod. lib.* Bald. in *cap. 1. in fin. quibus mod. feud. amit.* Calder. *conſ. 95. num. 3. in fin. verſ. Eſt etiam juſtum, aliàs 1. de treg. & pac.* Rom. *conſ. 211. Allegationes n. 4. verſ. Secundò moveor,* & paſſim Doctores. Quamobrem die 6. Octobris 1612. in S. Congregatione Concilii, cui interfuerunt S. R. E. Cardinales S. Cæciliæ, de Monte, Plattus, Mantica, Arigonius, Millinus, & Lancellottus, propoſito ſupraſcripto dubio omnes abſque ulla diſcuſſione cenſuerunt hujuſmodi Clericum nullo pacto excludi à fori privilegio, niſi poſt latam à judice Eccleſiaſtico declaratoriam ſuper facto, ſeu delicto, id eſt, quòd
26 habitum, & tonſuram Clericalem minimè geſtaverit. Et ſubindè orta dubitatione, an Clericus beneficiatus non inſerviens alicui Eccleſię, qui habitum, & tonſuram geſtare conſuevit, licèt aliquoties hujuſmodi geſtationem intermiſerit, incidat in pœnam amiſſionis beneficii Conſtitutione Sixti V. ſan. mem. hac de re edita impoſitam, ita ut lata poſteà declaratoria ſuper facto, fori privilegio gaudere non debeat; omnes uno ore cenſuerunt reſpondendum, hujuſmodi Clericum habitum, & tonſuram geſtare ſolitum, tametſi aliquando talem geſtationem intermiſerit, nequaquàm incidiſſe in pœnam privationis dicta Sixti V. Conſtitutione impoſitam, & ex conſequenti non amiſiſſe fori privilegium, ſed eo tamquam beneficiatum debere potiri ad præſcriptum Decreti ejuſdem Concilii *capit. 6. ſeſſ. 23.*

Tertiò QUÆRO, an Clericus primæ tonſuræ præſentatus à Patrono ad Capellam Sacerdotalem, & à Summo Pontifice vigore præſentationis inſtitutus gaudeat privilegio fori, licèt tertiò in poſſeſſione Capellæ intruſo, poſſeſſionem ejus, ſuper qua litem movit, & introduxit, acquirere non potuerit. 27

Cùm Concilium Tridentinum *d. c. 6. ſeſſ. 23.* addendo juri antiquo ſtatuat, ut prima tonſura initiatus non gaudeat privilegio fori, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut Clericalem habitum &c. atque ita alternativè requirat, ut habeat ſaltem beneficium Eccleſiaſticum, *cap. Inter cæteras, de reſcr.* pro ſolutione queſtionis ſupponendum eſt dictam Capellam habere illa quatuor requiſita, ut conſtituat beneficium Eccleſiaſticum, quæ adnotavit Petrus de Anchar. *in c. Beneficium n. 2. de regul. in 6.* quem ſequuti ſunt Dec. *in rubr. de reſcript. num. 8.* Item ſupponendum 28 29
Capellam, de qua agitur, eſſe alicujus redditus; cùm aliàs ſi nullius eſſet redditus, illam obtinens non eſſet judicandus beneficium habere, arg. *c. Si quis objecerit, 1. q. 3.* & notat Collectar. *in c. 2. in 2. col. de conceſſ. præbend. & in cap. De multa,* ubi etiam Abb. *de præbend.* Sarnen. *in reg. de Annali q. 47. n. 3.* & tenet Rota *dec. 445. aliàs 26. tit. de præbend.* ibi, *Reali commodo, in novis.* Licèt ex iis, quæ ſubnectentur inferiùs, in terminis Concilii quoad fori privilegium aliud videatur dicendum.

Atque his ſuppoſitis, non videtur ambigendum, quin 30
hic Clericus ad effectum prædictum obtineat beneficium Eccleſiaſticum: ex ſola enim collatione, ſeu inſtitutione ſine alia traditione, vel adeptione poſſeſſionis, jus in beneficiis tribuitur, *c. Si tibi abſenti, de præben. lib. 6.* & notat gloſſ. in Extrav. Jo. XXII. *Execrabilis in §. Porrò, in ver. Competat jus;* beneficia enim æquiparantur ultimis volun-
tatibus, gl. *in c. 1. in ver. In ultimis voluntatibus, de conceſſ. præben. in 6.* & eſt textus in *cap. Authoritate; eodem tit. & lib.* Sed in ultimis voluntatibus dominia, ac jura recta via, ipſoque jure ſine traditione aliqua transferuntur, *l. A Titio, in fin. ff. de furt. l. Si tibi homo, §. Cum ſervus, ff. de legat. 1 l. ult. C. de ſacroſanct. Eccl.* Jaſ. *in l. 1. n. 13 ff. de legat. 1.* Ergo & in beneficiis Eccleſiaſticis. Ad quod facit text. in *cap. fin. §. Sanè,* ubi etiam Gemin. hoc adnotavit, *de conceſſ. præben. lib. 6.* Quinimò uſque adeò ut dicitur be- 31 32
neficium illius eſſe, qui ſolam collationem obtinuit, licèt alius poſſeſſionem occupet, ut beneficium dicatur vacare per obitum ipſius, & non poſſeſſoris, quamvis tantùm ſupplicationem ſignatam habuerit, ut decidit Rota *dec. ult. in antiq. ſub tit. de reſcript.* Collectar. *in c. Conſtitutus, verſ. Sed quid de quæſtione, de conceſſ. præben.* & Sarnen. *ſuper reg. Cancell. de impetran. benefic. vacan. per obit. familiar. Cardin. quæſt. 23.* & eſt caſus expreſſus *in d. cap. Si tibi abſenti, de præben. in 6.*

Sed objicies: Verba illa Concilii, *Niſi beneficium Eccle-* 33
ſiaſticum habeat, ſunt cum effectu intelligenda, *l. 1. §. Hæc verba, ff. quod quiſque jur.* ibi, *Cùm effectu, non verbotenùs intelligenda, & in cap. Relatum de Clericis non reſiden.* rebus enim, & non verbis jura ſunt impoſita, *c. Commiſſa, de elect. in 6.* Et ideò verbum, *Habere,* proprium effe- 34
ctum habendi ſignificat, Bald. *in l. Data opera n. 31. C. de iis, qui accuſ. non poſſ.* allegat textum *in l. Fideicommiſſa, §. Si filio de legat. 3.* Facit, quòd deeſſe videtur id, quod inutile eſt, *c. Fraternitatis, de frigid. & malefic.* Et in ſimili dicetur de Epiſcopis Nullatenenſibus, ſeu Titularibus, & 35
Comitibus Palatinis, qui non dicuntur propriè tales, ſed abuſivè tantùm, ut tradit Jaſ. in *l. Id quod num. 25. de legat. 1.* poſt Bald. in Auth. *Licentiam, C. de Epiſcop. & Cler.* ubi tenet illius Authenticę diſpoſitionem non habere locum in Epiſcopis, qui habent Eccleſias apud Saracenos, quarum nullos capiunt fructus; qui enim re privatur, nec nomen habere meretur, gloſſ. *in capitul. Corepiſcopi, 18. diſt.* ut de Cardinalibus Eccleſiæ Ravennaten

& Compoſtellanæ, dicit Cardin. poſt. gloſſam in Clem. 2. *in princ. de celebr. Miſſar.* Abb. in *cap. Bonæ*, *il 1m.3.col.2.*
36 *de poſtulat. Prælat.* Verba enim in potentiori ſignificatu ſunt ſuper intelligenda Abb. in *cap. Ex publico*, *de converſ. conjugat.* Præpoſ. *in cap. Rurſus*, *in 1. notab. qui Cler. vel voven.*

37 Verùm hæc objectio tollitur, quia verbum, *Habere*, dum ſimpliciter profertur à jure, verificatur non ſolùm in eo, qui plenum dominium rei habet, vel proprietatem nudam, ſed etiam in eo, qui habet tenutam. Caſus eſt expreſsus in *l. Stipulatio iſta*, §. *Hæc quoque*, *verſ. Habere*, *ff. de verb. obligat. & in l. Habere*, *ff. de verborum ſignific. & in l. Id apud ſe*, *eod. tit.* Id enim quis apud ſe habere videtur, de quo actionem habet; habetur enim quod peti poteſt, *l. Qui actionem*, *ff. de reg. jur.* Dum enim jura tantùm ſimpliciter de verbo, *Habere*, loquuntur, ſufficit dicto modo, vel altero
38 ipſorum habere. Sed ubi requirunt, ut plenè, vel pacificè quis habeat, tunc aliud eſt dicendum, ut eſt caſus in *c. Si tibi conceſſo*, *de præben. in 6.* ubi gloſſ. *in ver. Vacare*; intitulatus enim in beneficio plenè non habet, ſi alius percipit fructus beneficii, ut ibi per gloſſ. Idem procedit in verbis, *Pacificè obtinere*, *vel poſſidere beneficium*, quia requiritur actualis poſſeſſio majoris partis bonorum, vel liberum exercitium animarum, vel alia quæ notata ſunt in deciſione Rotæ *in novis n. 3. ſub tit. de conceſſ. præbend. in c. Gratia de reſcr. in 6.* in Clem. *Gratiæ eod. tit. & in c. ommiſſa de elect. in 6.* ubi ſunt caſus diverſi congruentes ſupradictæ interpretationi. Dum igitur Decretum Conc. *d. c. 6. ſeſſ.* 23. ſimpliciter requiri, ut habeat; ſatis eſt; ut titulum ex inſtitutione obtinuerit.

39 Nec verum eſt Epiſcopos Eccleſiarum, quæ ſunt apud Saracenos, abuſivè dici Epiſcopos, quia quamvis juriſdictionem actu non habeant tamquàm Clero, & populo carentes, habent tamen habitu, *cap. Paſtoralis*, 7. *qu.* 1. *c.* 2. *ſeſſ.* 14. Concilii Tridentini, & verè ſunt Epiſcopi, & pro talibus judicandi quoad honorem, & miniſterium, textus eſt expreſſus in *c. Si quis Epiſcopus ordinatus ad Parochiam* 92. *diſt.* ubi videtur caſus notabilis pro deciſione dubii propoſiti, & ad hoc ponderat illum textum accuratè Card. in Clem. *Ut hi*, §. *Illi vero*, *de ætat. & qualit. poſt. nu.* 10. dicens, pro poſſeſſore haberi eum, qui obtinuit beneficium, licet ab alio poſſideatur quoad honorem, & miniſterium: & dictum Baldi procedit non ex ratione, quia non poſſidet, ſed quia fructus non percipit ab Eccleſia; quam percepionem requirit textus illus Authenticæ, ut hodie dicimus de diſpoſitione *d. cap. Si tibi*; unde ibi non requirebatur ſimplex habere, ſed plenum, ut Eccleſiā ſuccederet Epiſcopo.

40 Præterea, quamvis *d. c. 6. ſeſs.* 23. reſtrinxerit privilegium, quod habebant Clerici, vel habitum, vel tonſuram deferentes, ad exemplum Clementis V. in Concilio Viennenſis in Clericis, qui ſordida officia publicè, ac perſonaliter exercent, ut in in Clem. *Unica*, *de vit. & honeſt. Cler.* necnon Clementis VII. in quadam Extravag. edita anno 1533. qua ademit fori privilegium Clericis non incedentibus in habitu, nec tonſuram Clericalem deferentibus ut
41 ſcripſi in *cap. Ad audientiam*, *il 2. num* 122. *de reſcript.* tamen conſiderandum eſt, Concilium dum ad fori privilegium requirit, vel beneficium Eccleſiaſticum, hoc eſt intitulationem, vel ſervitium Eccleſiæ videri aliquo modo conſentire cum juris antiqui diſpoſitione. Id enim eſt ad inſtar armatæ militiæ. Quamvis enim quis deſcriptus eſſet, & inter tyrones deputatus, & alia impleviſſet etiam nota publica, & ſtigmate militiæ, quibus milites inſigniri erant ſoliti, ut dignoſcerentur, *l. Stigmata*, *C. de fabric. lib.* 11. & alia præſtitiſſet, quæ notantur per gloſſ. *in l. penult. ff. ex quibus cauſ. major.* tamen privilegio militari non gaudebat, & præſertim exemptione ab ordinariis judicibus, niſi in numeros eſſet relatus, & aſſignatus ſub certo jure, vexillo, & loco, à quo nuſquam recedere poterat ſine commeatu: textus eſt in *l. Ex eo tempore*, *ff. de milit. teſtam.* ibi, *In numeros relatus eſt*, *& in l. ſeqq.* ibi, *In comitatu Principem retentus*. Quando autem hæc relatio in numeros facta intelligeretur, colligi poteſt ex text. *l. 1. cum ſeqq. uſque in fin. C. de off. magiſtr. milit.* Sic à ſimili frui non debet Clericus privilegio quoad forum, quamvis per ordinationem in cœleſti militia ſit adſcriptus, *cap. Cleros*, 21. *diſt.* habeatque clericalem coronam, quæ eſt ejuſdem militiæ ſtigma, juxta notata per gloſſ. in Clem. *Quoniam*, §. *Idem*, *in ver. Et tonſura*, *de vita*, *& honeſtate Cleric.* niſi etiam ſit relatus in numeros per aſſignationem beneficii, quod redditur intitulatus illi Eccleſiæ, & cenſetur ſtipendium habere, & ſub ſtipendio; *propter officium enim datur beneficium*, *cap. fin. de reſcript. lib 6.* & niſi militet, vel referatur in numeros, ut quia Eccleſiæ ſervitio deputaretur, in qua ſerviat in divinis, ad quod fuit ordinatus, & electus, ut ſcilicet militet Deo, cujus militiæ fuit adſcriptus. De beneficiato, & de deputato curæ Eccleſiæ, ut 42
omittantur jura Imperialia, quæ habentur in libro Authent. *in tit. Ut ſi determinat numer. Cleric. & in tit. de Sanctiſſ. Epiſcop.* in quibus hæc eadem fuerunt ordinata; reperi in Concilio Martini Papæ, idem tunc temporis ab Eccleſia obſervari. Ad quod videatur text. *in c. fin.* 92. *diſt.* & quæ ibi notat gloſſ. *in ver. Deputatus*; illic enim habetur deputatio certæ Eccleſiæ per inſtitutionem, ut de beneficio, & alio modo per aſſignationem in numerum Clericorum deſervientium; & ſtatuitur, ut qui non inſervit ad quotidianum pſallendi officium, deponatur à Clero: & ſic per Concilium videtur aliquo modo potiùs innovatum jus antiquum, quàm novum ſtatutum; licèt hunc, & alios ſimiles Canones, qui a Gratiano tribuuntur Concilio Martini Papæ, collectos fuiſſe à Martino Bracharenſi ex Synodis ſub Honorio I. adnotavit Covarr. *in relect. c.* 1. *n.* 1. *de teſtam.* Illud caput habetur ex Concilio Toletano I. ſub Anaſtaſio Papa anno Domini 400. *c.* 5. in hæc verba: *Presbyter*, *vel Diaconus*, *vel Subdiaconus*, *vel quilibet Eccleſiæ deputatus Clericus*, *ſi intra civitatem fuerit*, *vel in loco*, *in quo Eccleſia eſt*, *aut caſtello*, *aut vico*, *aut villa*, *& ad Eccleſiam ad Sacrificium quotidianum non acceſſerit*, *Clericus non habeatur*, *ſi caſtigatus per ſatisfactionem veniam ab Epiſcopo noluerit promereri*; refertur à Burchardo *lib.* 2. *cap.* 152. *Decret.* ab Ivo *par.* 6. *cap.* 213. *& Conciliorum tom.* 1. *pag.* 157. *litt F.*

Rurſùs objicies: Si ad fori privilegium ſufficeret ſolus 43
titulus beneficii abſque poſſeſſione, ſequeretur, ut eſſet in facultate cujuſque impetrare beneficium certo modo, & tenere, ut dicitur in manica ſupplicationem ſignatam, ad hoc ut tamquam intitulatus ſe tueretur adverſus juriſdictionem judicis ſæcularis, licèt Eccleſiæ non inſerviret: quo nimis læderetur juſtitia, & eſſet contra mentem Concilii.

Cæterum ad hanc objectionem tollendam conſultò in dubio ſuperiùs propoſito adjecta ſunt verba illa, *Super quo litem movit*: nam alioquin, ſi proviſus litem non intentaſ- 44
ſet intra præſcriptum tempus, poſſeſſor eſſet tutus regula de annali, vel de triennali, & titulus proviſi redactus eſſet ad non titulum, cùm duos in eadem re eodem tempore in ſolidum jus habere leges non permittant, *l. Si ut certo*, §. *Si duobus vehiculum*, *ff. commod. l.* 3. §. *Ex contrario*, & ibi Doctor. *ff. de acquiren. poſſeſſ.* Bald. *in l. Non ſolùm*, *poſt medium*, *verſ. Non obſtat*, *ff. ſolut. matr.* & duos veros beneficiatos in eodem beneficio eſſe non poſſe probat text. in *cap. Dilecto*, *verſ. Procurator tuus*, *& verſ. Uno individuo jure vacante*, *de præben.* & ſcripſit Pariſ. *conſ.* 101. *Si quærimus in.* 18. *verſ. Non obſtat*, *& conſ.* 117. *Si quærimus poſt num.* 31. *verſ. Unde ſi ponamus*, *& num.* 33. *vol.* 4. quem refert, & ſequitur Mandoſa *in reg. de annal. q.* 48. *nu.* 7. *verſ. Et in terminis noſtris*. Quamobrem impetrans, qui litem infra præſcriptum tempus contra poſſeſſorem non movit, cum beneficio ſit ipſo jure privatus ex vi regulæ, non poteſt ampliùs tamquam beneficiatus fori privilegio gaudere.

Ad extremum propoſito dubio, an Clericus primæ tonſuræ proviſus de beneficio poſſit gaudere privilegio fori, quamvis poſſeſſionem beneficii non habeat propter intruſum, contra quem litem movit: Sac. Congregatio cenſuit poſſe.

Quartò QUÆRO, poſito Decreto Tridentini Concilii *c.* 6 *ſeſſ.* 23. an Clericus non beneficiatus, ſolitus tamen 45
Eccleſiæ inſervire, & in habitu, & tonſura incedere, ſi noctu, vel interdiu in habitu laicali deprehendatur cum armis, gaudeat privilegio fori, necne.

Pro ſolutione quæſtionis præmittendum eſt primò, ad 46
privilegium fori alterutrum ſufficere, id eſt, ut Clericus vel beneficium Eccleſiaſticum habeat, vel habitum, & tonſuram deferens alicui Eccleſiæ inſerviat, ut jam reſolvit S. Congregatio, Siquidem conſulta, an Clericus beneficiatus,

tus, qui non deferens habitum, & tonſuram; immiſcuit ſe enormitatibus, poſſit à judice laico puniri non præcedente monitione: reſpondit ex *cap. 6. ſeſſ. 23. Clericum beneficiatum frui privilegio fori, licèt Clericalem habitum, & tonſuram non deferat, quia cap. 6. dat privilegium alternativè, vel beneficiatis, vel deferentibus habitum.* Haſtenùs verba declarationis; & idcircò in dubio adjecta ſunt illa verba, *Non beneficiatus*: nam ſi Clericus beneficiatus eſſet, ex hoc ſolo fori privilegio gauderet, quod ſpectat ad Concilii diſpoſitionem, & circumſcripta Bulla Sixti V. hac de re edita anno 1589. de qua dictum eſt ſuprà in ſecunda quæſtione; unde fruſtrà dubitaretur, an fori privilegium amiſiſſet ex eo, quòd ſine habitu Clericali deprehenſus fuiſſet.

47 Præmittendum eſt ſecundò, de jure veteri Clericos in minoribus non conjugatos, & non beneficiatos, nec in habitu incedentes, ante monitionem gaudere fori privilegio ſecundùm communem opinionem, de qua teſtatur Clar. *in §. fin. quæſt. 36. verſ. Hæc autem*, licèt ſecùs ſtatutum eſſet de Clericis conjugatis, per *cap. unic. de Cler. conjug. l. 6.*
48 ubi ita tradunt Anchar. Franch. & alii. Hanc differentiam quoad hoc ſuſtulit Concilium *d. cap. 16.* nam Clericus in minoribus non conjugatus, nec beneficiatus, etiam ante monitionem, niſi deferens habitum, & tonſuram inſerviat Eccleſiæ, non gaudet privilegio fori, ut Sac. Congregatio declaravit.

49 Præmittendum tertiò, Concilium ita voluiſſe occurrere Epiſcoporum conniventiæ erga Clericos delinquentes, & Clericos incitare ad delationem habitus Clericalis, ut tamen noluerit Clericos plus æquo laicorum poteſtati ſubjicere: proindèque Clericis non habentibus requiſita, fori privilegium non ademit perpetuò, ſed ſuſpendit ad tempus, ad ea, quæ de Clerico conjugato tradunt Archid. Jo. Andr. Anchar. & Felin. *in dict. cap. unic.* quos ſequuta fuit Sac. Congregatio, reſpondens Clericum conjugatum, qui poſt dimiſſum habitum Clericalem deliquit, quamvis pro eodem delicto in curia laicali citatus, & condemnatus fuerit, ſi deindè (modò non in fraudem) reaſſumpto habitu & tonſura Eccleſiæ deſerviat, non poſſe à judice laico pro eodem delicto perſonaliter diſtringi.

Ex his infertur, ut cum verſemur in materia correctoria juris veteris, etiam inſpecta mente ipſius Concilii, in favorem Ordinis Clericalis ſit pronunciandum, & inhærendum antiquorum Canonum diſpoſitioni, niſi quatenus expreſsè ſint correcti, *cap. Cùm expediat, de elect. lib. 6. cap. Eccleſia veſtra, il 2. eod. tit. l. Præcipimus in fin. C.*
50 *de appell. cum ſimil.* Quibus præmiſſis, ad dubium videtur reſpondendum, Clericum, de quo agitur, gaudere fori privilegio ex infraſcriptis. Et primò, quia animi indicium apparet ex perſeverantia; ideòque brevi reverſa uxor, nec divertiſſe videtur, *l. Divortium, ff. de divort. l. Quidquid calore, ff. de reg. jur.* & non dicitur veniſſe, qui non ſtetit, *cap. Si poſtquam*, & ibi gloſſ. *in ver. Mente, & c. Cupientes, §. Si per viginti*, ubi gloſſ. *in ver. Compareant de elect. lib. 6.* item non videtur poſſeſſionem adeptus, qui eam ſtatim amiſit, *l. Non videtur, ff. de acquir. poſſeſſ.* gloſſ. in *cap. Quærenti, in ver. Ad integrum, de offic. deleg.* nec dicitur verſum, quod verſum non durat, *l. Si pro patre, §. Verſum, ff. de in rem verſo.* Sic qui habitum Clericalem dimiſit illum ſtatim reaſſumpturus, cenſebitur non dimiſiſſe, confert *c. Ad noſtram*, ibi, *Statim pœnituit*, quòd habitum induiſſet, & ibi gloſſ. *de regul. cap. Conſtat*, & ibi etiam gloſſ. *in ver. Statim*, 1. q. 1. & quod notat Abb. *conſil. 69. Videtur num. 2. lib. 1.* Roman. *conſ. 236. Ut præmiſſa num. 4. verſ. Primò*: & eò magis, quia cum verſemur in materia pœnali, & odioſa amiſſionis privilegii fori, factum non dicitur, quod factum non durat, *cap. Nam & ego, de verbor. ſignific. cum concordant.* de quibus ibi per gloſſ. *in ver. Quaſi numquam eſſet*, Abb. *d. conſil. 69. num. 1. col. 1. verſ. Sed his non obſtantibus.* Animus autem reaſſumendi colligitur ex ipſa conſuetudine habitum jugiter deferendi, ex notat. per gloſſam in *cap. 1. in ver. Non timore, ſup. Quod met. cauſ.* & per Menoch. *lib. 6. præſumpt. 37. num. 28.* facit textus in *§. Pavonum, inſtit. de rer. diviſ.* & mutatio voluntatis non præſumitur, niſi probetur, *l. Qui voluntatem, ff. de probat.*

51 Secundò, habitus Clericalis non prodeſt ei, qui paulò ante capturam publicè ſe gerebat pro laico, *c. Si judex laicus*, ubi Doctores hoc notant, *de ſent. excommunic. lib. 6.* ergo multò minùs habitus laicalis nocebit ei, qui anteà ſe gerebat pro Clerico; cùm in primo caſu laicus agat de privilegio acquirendo, in ſecundo autem Clericus de privilegio jam quæſito non amittendo, ac proindè potior ſit cauſa Clerici, *l. fin. C. de jur. dot. l. ult. C. de Cod.* Federic. de Sen. *conſ. 112. Amicè cariſſime, num. 3. verſ. Sed quæritur*, & Roman. *conſil. 179. Ampliſſime Doctor, num. 17.*

Tertiò, verba legis intelligi debent civili modo, non ama- 52
rè, ut de continuo commenſali, continua reſidentia, vel continuo ſervitio, reſpondit Calder. *conſ. 88. An ſit legatus, aliàs 8. de offic. leg.* ubi allegat illud, *Numquam de manu tua exeat Pſalterium, hoc eſt, horis congruis*, Card. poſt. gloſſ. in Clem. 1. *in 12. q. de foro compet.* Ergo, quod dicitur de habitus delatione, ſicut & de tonſura, non ita accipi debet, ut cum primum Clericus ex quavis occaſione illum exuit, vel negligentia paſſus eſt creſcentes capillos tonſuram abſcondere, eo ipſo fori privilegium amiſerit: utrumque enim ſatis abſurdum videtur. Facit textus in *cap. Is qui, de ſepult. lib. 6.* & quod notat Imola *conſ. 9. in fin.* ubi tenet privilegium conceſſum illis de comitatu, qui per decem annos continuè habitaverint in civitate, intelligi, etiamſi habitantes civitatem tempore meſſium, & vindemiarum iverint in comitatum cum familia ad colligendos fructus; quia ex quo reverſi ſunt ad civitatem, dicuntur continuè habitaſſe. Et quod notat Bart. in *l. 4. §. Prætor, ff. de damn. infect.* ubi quòd habitare quis dicitur in Civitate, licèt tres 53
menſes ruri permaneat, & ſequitur Felin. in *cap. Quoniam num. 2. de obed. offic.* cum ſimil. adductis per Apoſtill. ad Roman. *conſ. 264. Ut is Nurſinus, in ver. Requiruntur, verſ. Circa ſecundum.* Ad quod confert etiam Decretum Concilii Tridentini *cap. 1. ſeſſ. 23.* ibi, *Qui aliquantiſper tantùm abſunt, ex veterum Canonum ſententia non videntur abeſſe, quia ſtatim reverſuri ſunt.*

Quartò, hæc verba Concilii *cap. 6. Niſi habitum, & ton-* 54
ſuram deferens Eccleſiæ inſerviat, reſolvuntur, niſi habitum, & tonſuram deferat, & inſerviat; ſed ex defectu ſervitii uno, aut altero die Clericum intelligi ſuſpenſum à privilegio fori, nemo æquus judex dixerit. Ergo neque ex prima, aut altera brevi habitus dimiſſione, ex reg. *l. Jam hoc jure, §. Sed ſi*, & ibi Bart *num. 1. ff. de vulg. & pupill.* Unitas enim orationis de pluribus loquens regulata ab eodem verbo operatur, ut æqualis ſit determinatio quoad omnes, *leg. Hæreditatem, & l. Quamvis, C. de impub. & aliis ſubſtitut.* Bonus textus *in l. fin. Cod. de ſent. & interlocut. om. judic.* & notat Bald. *in l. In teſtamento, C. de milit. teſtam.* Quod pluribus exemplis confirmat Florian. à S. Petro *conſ. 14. nu. 9. & ſeqq. per tot.*

Quintò, habitus regularis adeò eſt annexus oſſibus Mo- 55
nachorum, ut in quocumque loco conſiſtentes, ſive in lecto quieſcentes, conſtanter eo uti debeant, *c. Vidua, 20. quæſt. 1.* & *cap. Sanctimonialis, 23. diſt.* adeò ut temerè dimittentes, ipſo facto excommunicentur, in *cap. Ut periculoſa, ne Cler. vel Monach. lib. 6.* & nihilominus religioſus, qui jocoſa levitate ad horam dimittit habitum, ut currat, & lapidem projiciat, in excommunicationem non incidit, nec tamquam apoſtata amittit privilegia Ordinis, ſecundùm Petrum de Palude. Cujus ſententiam dicit rationabilem Silveſt. *in ver. Excommunicatio 9. nu. 5. verſ. Vigeſimaquarta*, ſubdens, non cenſeri Religioſum dimittere habitum, ſi illum dimittat non doloſè, & cum aſſumptione alterius ad utendum eo, ſed ad horam voluptuoſè nullo alio aſſumpto; vel aſſumpto quidem, ſed ad ſolatium ex levitate jocoſa, non autem ad utendum. Et fuit opinio Zenzelini aſſerentis profeſſum non incidere in pœnas, ſi habitum dimittat cum aſſumptione alterius ad horam, non ad notabile tempus, judicis, aut boni viri arbitrio limittandum, quia non dicitur quis aſſumpſiſſe, quod ſtatim eſt dimiſſurus: Ergo longè minùs ex dimiſſione habitus ad breve tempus incidere debet in pœnam amiſſionis privilegii fori Clericus ſæcularis, qui non eſt adeò adſtrictus ad continuam, & numquam interruptam habitus delationem, ſicut Regularis: & propterea idem Zenzeli-
nus in Clem. *Quoniam, de vit. & honeſt. Cleric.* tenet Cle- 56
ricum ſæcularem, qui non continuè defert veſtem virgatam, vel partitam, nec proprii uſus cauſa, ſed ob feſtum ſocii, qui uxorem duxit, vel militiam, aut Doctoratum aſſumpſit, non incidere in pœnam illius Decretalis; quia talia raro occurrunt, & jura coaptantur his, quæ ſæpè accidunt, *leg. Ex iis, cum duabus ll. ſeqq. ff. de legibus*, & Sequitur Silveſt. *loco cit.* Ultimò, ſi aliter reſponderetur, conſequens

eſſet, ut Clericus in minoribus numquam ferè in cauſa criminali gauderet privilegio fori, quia commiſſurus delictum regulariter non incedit in habitu, atque ita Concilium ſtatuiſſet de cauſa minùs frequenti, contra jura proximè citata.

57 Non obſtat, quòd regulariter attendatur tempus delicti, *l. 1. ff. de pœn.* quia procedit quoad pœnam imponendam à ſuo judice, non quoad judicis competentiam, ut declarat Dyn. *in l. Idem Ulpianus, ff. de excuſ. tutor.* quem refert Joan. Andr. in *cap. unic. nu. 19. verſ. Quanti dicunt, de oblig. ad ratioc.*

Item non obſtat dictum Alex. *conſil. 8. lib. 1.* ex Bald. *in l. Affinitati, Cod. commun. de ſucceſſ.* quòd attendi debeat tempus delicti ad cognoſcendum, ad quem forum ſpectet cognitio, quia negatur Clericum, de quo agitur, deprehenſum ſine habitu, fuiſſe etiam pro illo tempore extra juriſdictionem judicis Eccleſiaſtici, ex prædictis. Deindè reſpondetur, hoc dictum procedere in favorem fori Eccleſiaſtici, ut ſcilicet is, qui tempore commiſſi delicti reaſſumpſit habitum, licèt eundem poſteà dimiſerit, non poſſit à judice laico condemnari pro eo delicto; & in his terminis loquitur Alex. poſt DD. ibidem citatos. Quòd ſi acciperetur in alium ſenſum, adverſaretur deciſioni Sac. Congregationis in cauſa Nuſcana, quam retuli in *d. cap. unic. num. 73. de oblig. ad ratioc.* Sicut non obſtat, quod de Clerico conjungato videntur ſentire Doctores in *d. c. unic. de Cleric. conjug. lib. 6.* tum quia non loquuntur in terminis illius, qui ſolitus eſt habitum deferre; tum quia de Clerico conjugato ad non conjugatum non infertur ad diminutionem privilegiorum, quæ fortiùs inhærent non conjugato; tum quia in judicio præjudiciali ſtatus attenditur tempus, quod eſt magis favorabile, argum. §. *Sed & ſi quis inſtit. de ingen.* Ergo prævalebit conſuetudo deferendi habitum huic momento, quo deprehenſus eſt, attenta conſuetudine; circumſcripta alia conſideratione, quòd Clericorum gravitas nocturnis vagationibus inepta eſt; neque enim tunc viget ratio illa, ne Clerici vagentur inverecundè non agniti per habitum proprium, quam in Clericis Regularibus conſiderat text. in *d. cap. Ut periculoſa, Ne Cler. vel Monach. lib. 6.* ut per Silveſt. *ubi ſup. num. 43. in fin.* ac magis dedecens eſt vagatio ipſa.

58 Cæterùm, ſi talis Clericus noctu, aut interdiu ſine habitu repertus, à judice ſæculari ignoranter comprehenſus, & in carcerem conjectus eſſet, excuſaretur judex ſecundùm terminos *c. Si judex laicus, de ſent. excommun. lib. 6.* à ſententia excommunicationis; habitus enim facit præſumptionem, ut quis judicetur talis, qualem habitus, quem defert, demonſtrat, ut ibi, *& in l. Item apud, §. Si quis, ff. de injur.* Federic. de Sen. *conſil. 13. num. 3. verſ. Talis namque*; & qualis actus apparet in ſui figura, talis præſumitur in ſui eſſentia, Paul. de Caſtr. *conſil. 261. Viſis, & conſideratis, in princ. lib. 2.* Ac propterea Clerici incedentes in habitu ſæculari præſumuntur laici, & offendens eos, & interficiens, non eſt excommunicatus, quia ignorantia non ligat animam, ut inquit Hieronym. Tort. *conſ. ſuo poſt conſ.* Anton. de Butr. *num. 20.* ubi plura ad hoc allegat, & præcipuè textum, quem dicit meliorem de mundo, *in l. Si ignorans, ff. locati.* At ſi poſteà quàm cognovit illum eſſe Clericum, vellet eum invitum retinere, aut recuſaret ad judicem Eccleſiaſticum remittere ſub prætextu, quòd talis Clericus gaudere non poſſet privilegio fori; non evitaret cenſuras *d. cap. Si judex laicus, & cap. Si quis ſuadente, 17 quæſt. 4.* Porrò, an Clerici reperti cum armis prohibitis ex forma proclamationum Principis ſæcularis poſſint à judice laico puniri, & quomodo facienda ſit contra eos executio, quærit, & ſolvit Clar. *in §. fin. quæſt. 36.* & Covarr. *pract. quæſt. quæſt. 33. num. 7. & variar. reſol. lib. 2. cap. 20.* Sed in hoc dubio, de quo ad præſens non agitur, non videtur immorandum, cùm præſertim de eo ſatis dictum fuerit ſuprà in *cap. Eccleſia S. Mariæ, de conſtit.*

59 Quintò QUÆRO, utrùm conſuetudo, ſecundùm quam Clerici habitum, vel tonſuram deferentes, fori privilegio gaudent, licèt beneficium Eccleſiaſticum non habeant, nec alicui Eccleſiæ inſerviant, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Univerſitate de licentia Epiſcopi verſentur, juxta *cap. 6. ſeſſ. 23.* Concilii Tridentini; ſit, necne obſervanda.

Nuper Sac. Congregatio Concilii declaravit, Clericum conſtitutum in carceribus Curiæ Archiepiſcopalis Mediolanen. ſecundùm ea, quæ proponebantur, eò quòd qualitates à Concilio requiſitas non haberet, privilegio fori minimè gaudere. Sed cùm poſteà compertum eſſet, in eadem facti ſpecie enunciari, ac ſupponi conſuetudinem Mediolani exiſtentem, ut Clerici non beneficiati hoc privilegio fruantur, etiamſi Eccleſiæ non inſerviant; cujus tamen conſuetudinis Sac. Congregatio nullam habuit rationem; ideò iterùm quæſitum eſt, an prædicta conſuetudine ſuppoſita, dictus Clericus fori privilegio gaudere debeat.

Hæc quæſtio poteſt referri tam ad conſuetudinem ante 60
Concilium introductam, quàm ad eam, quæ poſteà inolevit: Si referatur ad conſuetudinem introductam ante Concilium, verius videtur illam fuiſſe ſublatam Decreto *d. cap. 6. ſeſſ. 23.* nam cùm de jure communi Clerici habitum, vel tonſuram deferentes, gauderent privilegio fori, etiamſi alicui Eccleſiæ non inſervirent, *cap. Si judex laicus, de ſentent. excommun. lib. 6.* Card. poſt. Joan. Andr. in *cap. Contingit, il 2. in 2. oppoſit. eod. tit.* Cepoll. *conſil. 11. num. 42.* Capra *concluſ. 97. num. 87. verſ. Aut incedit in habitu Clericali*; ſi quæ vigebat conſuetudo, ut Cle- 61
rici privilegio Clericali gauderent, illa erat conformis diſpoſitioni juris communis: ac propterea cùm Decretum *dict. cap. 6.* jus commune ſuſtulerit, eodem modo ſuſtulit conſuetudinem illi conformem. Sic docet Joan. Andr. *in cap. unic. num. 2. in ver. Nolumus, de Cler. conjug. lib. 6.* ubi probat, conſuetudinem, ſecundùm quam Clerici conjugati gaudebant fori privilegio, etiamſi carerent qualitatibus ibi requiſitis, eſſe ſublatam per illam Decretalem, licèt ibi nulla fiat mentio conſuetudinis, eò quòd cùm de jure communi Clericus gauderet privilegio fori abſque illis qualitatibus, conſuetudo conformis juri communi abrogatur ſublato jure communi, quo utentes non videntur voluiſſe novam conſuetudinem inducere: & opinionem Joan. Andr. ſequuntur ibi Anchar. Gemin. & alii, Fulgoſ. *conſil. 123. Præſuppoſitis num. 2.* Silveſt. *in verb. Clericus 1. in 7. quæſt. num. 6.* Ratio eſt, quia ubi nova Conſtitutio ſuſtulit veterem legem, cenſetur etiam ſuſtuliſſe conſuetudinem tamquam ipſius legis effectum; non enim illa dicenda erat propriè conſuetudo, ſed legis obſervantia, quæ extinguitur per legis abrogationem, ut animadvertit Alex. in *l. De quibus, in princ. ff. de legib.* & Roch. *de conſuet. num. 11* nam, ut ait Joan. Andr. *loco citat.* ſuper, jure non ſuper conſuetudine fundabantur actus præteriti, atque ita deficiebat animus conſuetudinis introducendæ. Quod alia etiam ratione probatur, quia ſi Concilium quoad Clericos non conjungatos ſuſtuliſſet jus commune, ſed non illius obſervantiam, nihil ſcilicet; ſuſtuliſſet enim jus, quod in uſu non erat, & quod tollere non oportebat, utpotè jam ſublatum ex non uſu. Atque hanc rationem uti evidentiſſimam ponit gloſſ. ſingularis in *cap. 1. in ver. Facti, verſ. Item probo id evidentiſſima ratione, de conſtit. lib. 6.* & ſequuntur in materia, de qua agitur, ibidem Gemin. *col. 1 in 2. oppoſit.* & Franc. *col. 7. verſ. In eo gloſs.* ibi, *Eſſet abſurdum.*

Neque obſtat huic concluſioni, quòd cùm Decretum 62
d. cap. 6. ſuſtulerit conſuetudinem quoad Clericos conjugatos tantùm, ut innuunt illa verba, *Quoad hoc*; videatur illam præſervaſſe quoad alios Clericos: nam ideò Concilium ſuſtulit conſuetudinem quoad Clericos conjugatos tantùm, quia illa erat contraria juri communi, nempè Conſtitutioni Bonifacii VIII. *in d. ſt. c. unic. de Cleric. conjug. lib. 6.* Quamobrem dum Concilium ibi innovavit dictam Conſtitutionem, neceſſe fuit, ut derogaret contrariæ conſuetudini, cùm alioquin per innovationem veteris legis non fuiſſet ſublata conſuetudo contraria, niſi eidem conſuetudini expreſſè derogatum fuiſſet, ſecundùm opinionem Jo. Manach. Joan. de Lign. & Prob. *in dict. cap. unico.* At verò quoad Clericos non conjugatos non fuit opus derogare conſuetudini, quia cùm illa eſſet juri conformis, fuit ſufficienter ſublata per juris abrogationem: & hæc quoad conſuetudinem ante Concilium.

Quo verò ad conſuetudinem, quæ poſteà introducta 63
eſt, Roch. de Curte *in tract. de Statut. ſect. 6. num. 11.* in terminis *d. cap. unic.* putat valere conſuetudinem, quòd Clerici gaudeant privilegio Clericali, etiamſi habitum, & tonſuram non deferant: & in hanc ſententiam citat Fulgoſ. *dicto conſil. 123. in 1. dub.* idemque ſupponit Bartho- 64
lom. Thegeus *in tract. de crim. par. 15. num. 19. inter tract.*

tract. comm. tom. 11. *par.* 1. & idem Roch. *in tract. de conſuet. num.* 207. aſſerit, conſuetudinem diſponentem idem quod jus antiquum correctum, qualis eſt hæc, ſecundum quàm Clerici habitum, & tonſuram deferentes gaudent privilegio fori, licèt non inſerviant alicui Eccleſiæ, præſumi rationabilem. Quod ipſum ſentit Gemin. *in cap. Accedens in fin.* 50. *diſt.*

65 Sed his non obſtantibus, verius videtur, propoſitam conſuetudinem Eccleſiæ Mediolanen. non eſſe obſervandam, quia contra Concilia generalia conſuetudo validè, ac legitimè introduci non poteſt, ut firmant Hoſtien. & Jo. Andr. *in cap. Cùm laicis propè fin. de rebus Eccleſ. non alien.* ubi per textum *in cap. Canones, & cap. Sicut ſancti Evangelii* 15. *diſt.* aſſeruit Concilium generale eſſe obſervandum, ſicuti Evangelium, ac propterea contra ipſum non poſſe conſuetudinem validè introduci, & ſequitur Bald. *in tit. de pace Conſtantiæ col.* 4. §. *Imperialis clementiæ in ver. Mos Romanorum ſub n.* 22. *in fin.* Jaſ. *in l. De quibus col.* 13. *n.* 54. *verſ. Addo quòd eodem modo nihil valet conſuetudo aliquid introducens contra Concilia generalia, ff. de legibus*, Roch. *in eodem tract. de conſuetud. n.* 546. *verſ. Secundò limita*.

66 Movetur etiam, quia lex edita in Concilio generali cenſetur habere clauſulam derogatoriam ad ſequentes contrarias diſpoſitiones, *cap. Ex parte de Capell. Monach.* & tradit Archid. *in cap.* 1. *in ver. Noſcatur, de Conſtit. lib.* 6. Bald. *in l. Humanum, C. de legibus*, Oldrad. *conſ.* 326. & *conſ.* 328. Gemin. *conſ.* 36. *n.* 2. latè Felin. *in cap. Nonnulli n.* 2. & ibi dixi *n.* 21. *ſuprà de reſcript.*

67 Neque obſtat, quòd Concilium Tridentinum non videatur habere hujuſmodi clauſulam derogatoriam, cùm ſæpiùs S. Congregatio declaravit non eſſe opus, ut Tridentino Concilio ſpecialiter derogetur; ſed ſatis eſſe, ut Pontifex ſtatuat contrarium ejus, quod Concilium diſponit: nam reſpondetur id procedere, ſi Pontifex expreſsè ſtatuat contra Concilium, non autem ſi ſimpliciter permittat, vel tacitè conſentiat, ut in conſuetudine; non enim, ut ait optimè Oldrad. *d. conſ.* 326. *ſub n.* 1. *Papa præſumi poteſt ne dum juri publico, ſed quaſi divino cum ſolemnitate, videlicet in ſacris generalibus Conciliis promulgato, ſub tali taciturnitate voluiſſe derogare*. Hæc ille: & requiri conſenſum expreſſum probat doctrina Franch. *in cap. Cùm de beneficio ſub n.* 2. *verſ. Secundò quæro de præb. lib.* 6. quam ſequuta eſt Rota coram Cavalerio in cauſa Romana Concordiæ S. Petri 12. Februarii 1610.

68 Rurſus non obſtat, quòd per hanc conſuetudinem reducamur ad jus commune, & quòd ea ſit in favorem fori Eccleſiaſtici: Nam verè juris communis diſpoſitionem Concilium non ſuſtuliſſet, niſi cenſuiſſet hoc in majus Eccleſiæ bonum, & Chriſtianæ Reipublicæ utilitatem redundare, arg. *cap. Non debet, de conſang. & affinit.* nimirum, ut Clerici Eccleſiæ promptiùs inſervirent, nec incertis vagarentur ſedibus, aut negotiis laicalibus ſe immiſcerent in opprobrium Ordinis Clericalis, arg. *cap. Neminem*, & *cap. Sanctorum* 70. *diſt.* & *cap.* 16. *ſeſſ.* 23. ejuſdem Concilii, & alias ob cauſas, de quibus infrà *n.* 73. Ad hoc textus optimus *in c. fin.* 92. *diſt.* & quod dixi ſuprà *in* 3. *quæſt. num.* 41. & 42.

69 Non obſtat poſtremò, quod afferunt Advocati pro dicto Clerico, quòd non verſetur in conſuetudine, ſed in non uſu, eò quòd Concilium in parte non fuerit Mediolani receptum, & quòd lex etiam lata in Concilio generali non obliget, niſi recepta fuerit, ſecundùm Abb. *in c. Cùm olim, de Cleric. conjug.* & in terminis Concilii Tridentini extat *conſ. Navarri primum de Conſtit.* Nam reſpondetur Conſtitutiones Papæ præſertim latas in Concilio generali cenſeri effectum ſortitas, cùm primum ſunt promulgatæ, & omnes ligare, *c.* 1. *de Conſtit.* gloſſ. magna *in procem. Clem.* & Card. *ibid.* Nec poteſt controverti, quominus Concilium Tridentinum quoad omnes ſui partes receptum fuerit Mediolani. Sed ſi quid ibi contra Concilium factum eſt, potiùs dici poteſt conſuetudo contra Concilium, quàm non acceptatio Concilii. Ac præterea lex ita demum deſinit per contrarium uſum obligare, ſi Pontifex ſciat, & non contradicat; tunc enim videtur illi contraventioni, & inobedientiæ acquieſcere, & mores contrarios approbare, gloſſ. *in cap. De libellis in fin.* 20. *diſt.* & Abb. *in d. cap. Cùm olim n.* 3. Felin. poſt alios *in cap.* 1. *ſub n.* 6. *verſ. Lex nova de tregu. & pac.* ubi teſtatur de communi opinione, Covarr. *variar. reſolut. lib.* 2. *c.* 16. *n.* 6. *verſ. Quintò ſunt*, Put. *dec.* 1. *in fin. lib.* 1. Quinimò nec ſufficit tacitus conſenſus Papæ, 70
ſed requiritur expreſſus, ſecundùm Franc. *in cap. Cùm de beneficio n.* 4. *de præbend. in* 6. Caputaq. *deciſ.* 204. *n.* 2. *par.* 3. & Rota in dicta Cauſa Romana Concordiæ S. Petri 12. Februarii 1610. De hac autem ſcientia, & approbatione Pontificis minimè conſtat in caſu præſenti. Verùm exceptio illa, quòd lex uſu recepta non fuerit, cùm conſtitu- 71
tiones Papæ non pendeant à populi voluntate, ſed à poteſtate Summo Pontifici à Deo attributa, nunquam debet admitti, ut determinat poſt alios Cardin. *in procem. Clem.* §. *Univerſitati n.* 2. Itaque videtur reſpondendum, propoſitam conſuetudinem nequaquam eſſe obſervandam, & ita S. Congregatio reſpondit.

Sexto QUÆRO, an Clericus non incedens in habitu, 72
& tonſura, vel alias non habens qualitates *cap.* 6. *ſeſſ.* 23. Concilii Tridentini, ſicut amittit privilegium fori ex dicto Concilii decreto, ita etiam privilegium Canonis amittere cenſeatur.

Noſtrum non eſt legem, vel canonem ultrà caſum ſuum extendere, arg. *l. Si verò*, §. *De viro, ff. ſol. matrim.* Si enim Concilium voluiſſet in caſu *cap.* 6. *ſeſſ.* 23. comprehendere etiam privilegium Canonis; ſicut ſtatuit de privilegio fori, ſtatuere potuiſſet de privilegio canonis, ut dicitur in ſimili *in c. Ad audientiam de decim.* vel ſaltem communi vocabulo de privilegio Clericali dixiſſet, juxta *c. Unicum de Cleric. conjug. lib.* 6. Quod igitur non eſt SS. Patrum Decreto ſancitum, ſuperſtitioſis non eſt adinventionibus præſumendum, *c. Conſuluiſti* 2. *q.* 5. & *cap. Inter corporalia, de translat. Epiſcop.*

Videtur etiam conſiderandum, limitationem quoad fori 73
privilegium rationabilem eſſe, cùm propter quærelas officialium ſæcularium, ad not. per Jo. Andr. *in d. c. un.* tum ut Clerici in officio contineantur, illorumque malitiis obvietur, *cap. Ex parte, l. ult. de privileg.* tum propter Epiſcopos, qui meritò excluduntur, ne poſſint repetere Clericos, incertis ſedibus vagantes: nam cùm debuerint illos alicujus Eccleſiæ ſervitio adſcribere, juxta *d. c.* 16 *ſeſſ.* 23. patiuntur etiam habitu dimiſſo incedere: tum denique, quia ex hoc quòd foro ſæculari ſupponuntur Clerici, nulla irrogatur injuria, neque Ordini Clericali, cùm authoritate Canonum ſupponantur, neque ipſis perſonis, quæ jure meritò juſtitiæ ſubjiciuntur. At privilegium canonis nullius juriſdictionem lædit; refrænat laicos ab injuriis inferendis Clericis, quibus infenſi ſunt, gloſſ. *in c. Si quis ſuadente*, 17. *q.* 4. Si illo privarentur, id contingeret interdum abſque illorum culpa nam etiamſi in habitu, & tonſura incederent, honeſtamque vitam ducerent; quia tamen fortè alterius culpa, vel impedimento beneficia non obtinerent, vel Eccleſiæ de mandato Epiſcopi non inſervirent; deſtituerentur privilegio Canonis in favorem Clerici conceſſo, expoſiti non quidem judicum judiciis, ſed privatorum injuriis, ac violentiis.

Accedit, quòd judex laicus procedens contra Clericum, ſi modò violentia abſtineat, de jure non eſt ipſo facto excommunicatus, textus eſt *in c. Prox.* & ibi dixi *n.* 13. *infrà eodem*. Nec facit actum, qui reparari non poſſit, ubi cognoverit illum eſſe talem, qui judici Eccleſiaſtico remitti debeat, juxta *c. Si judex laicus, de ſent. excommun. lib.* 6. At percutiens eum, quem ſcit, vel ſcire debet eſſe Clericum, incidit ipſo facto in excommunicationem; & tamen ſi limitatio Concilii haberet locum in privilegio Canonis, pœna excommunicationis, etiamſi Clericus in habitu, & tonſura apertè incedens percuſſus eſſet, non cenſeretur irrogata, niſi idem beneficium obtineret, vel Eccleſiæ ut ſuprà inſerviret; quod latere facilè poteſt percutientem, & interim injuriam percuſſio illatam non aufert ultio Canonica. Cùm igitur urgentes rationes adſint, cur privilegium fori limitari debuerit, privilegium canonis minimè, non eſt recedendum à verbis, & mente veriſimili ipſius Concilii vulg. *l. Non aliter, ff. de legat.* 3.

Nec movere debet, quòd faciliùs privilegium Canonis de 74
jure amitteretur, quàm fori privilegium, *c. Perpendimus*, cum ibi notat. *de ſent. excomm.* Quia ex hoc ipſo dici poteſt particulariter providendum fuiſſe circa privilegium fori, & quoad privilegium Canonis ſatis proviſum antea fuiſſe. Nec eſt omittendum communiter Doctores *in d. c. Perpendimus*, ex eo moveri, quòd in textu ibi, *Et in d. c. Cùm non ab homine*, fit mentio ſolùm de privilegio Canonis; unde inferunt non cenſeri idem diſpoſitum de privilegio fori.

Con-

Conſiderandum etiam, de jure communi in multis caſibus Clericos ſupponi foro laicali, ut in caſu reconventionis, & aliis conſimilibus, in quibus non gaudent privilegio fori, ut ſcripſi *in c. Proximè nu.* 3. *infrà eod.* & tamen gaudent privilegio Canonis. Ex quo apparet, ad privationem privilegii fori non ſequi alterius privilegii privationem: & quidquid eſſet de jure communi, cùm in lege nova ſpecialiter diſponatur, de uno privilegio ad aliud non eſt facienda illatio, præſertim in concluſionibus, ſeu limitationibus pœnalibus, *c. Pœnæ, de pœnit. diſt.* 1. *cum concord.* de quibus ibi per gloſſ. *in ver. Non excedunt.*

75 Rurſus Clerici hoc caſu, quo ſupponuntur foro ſæculari, non videntur eximi omninò à foro ſpirituali, ſed ſolummodò tunc non gaudent illo privilegio; unde hinc licet tantummodò inferre, ut ipſi privilegium exemptionis allegare nequeant ad declinandam judicis ſæcularis juriſdictionem. Sed non licet inferre, quin Epiſcopus non præventus poſſit illos judicare, ſi pro Clericis adhuc publicè ſe gerant: jam enim S. Congregatio conſulta, an Decretum Concilii *c. 6. verſ. Is etiam ſeſſ.* 23. obſtet Epiſcopo, quominus jure ſuo animadvertere poſſit in delinquentem, qui alioquin ex eodem Decreto fori privilegio non gaudeat: reſpondit, Clericos in minoribus Ordinibus conſtitutos, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeant, aut Clericalem habitum, & tonſuram deferentes Eccleſiæ deſerviant, vel in Seminario, aut aliqua ſchola, vel Univerſitate de licentia Epiſcopi verſentur juxta *cap. 6. ſeſſ.* 23. forum judicis laici declinare non poſſe; non tamen idem Decretum obſtare Epiſcopo, quominus jure ſuo in hujuſmodi Clericos delinquentes, ſi Clerici adhuc permaneant, poſſit animadvertere.

Neque obſtat, quòd aliàs Concilium eluderetur. Epiſcopus enim hanc juriſdictionem ſibi ſemper vendicaret, & ſic per indirectum hujuſmodi Clerici gauderent fori privilegio; & quòd in cauſa Maceraten. deciſum fuerit Clericum, qui non incedebat in habitu, & tonſura, comprehenſum, & detentum in carceribus Curiæ ſæcularis non fore remittendum ad Epiſcopum, qui tamquam ſuum Clericum repetebat: nam reſpondetur eo caſu inter judicem Eccleſiaſticum, & ſæcularem eſſe locum præventioni, quemadmodum poſteà reſolvit S. Congregatio. Atque ita ſalvatur deciſio Maceraten. ubi reus reperiebatur in carcere, eratque præventa executio in perſonam, juxta deciſionem Rotæ 3. *de ſent. excomm. in nov.* ſalvatur juriſdictio Epiſcopi, qui ob culpam Clerici dimittentis habitum non amittit omninò jus in eum; Reipublicæ magis conſulitur, quia minus periculi eſt, ut delicta remaneant impunita, & fraus in fraudolenti caput retorquetur: neque enim tanquam laicus evitabit judicem Eccleſiaſticum, neque ut Clericus judicem laicum; nec diſpoſitio Concilii contradicit, quia emanavit in odium dimittentis habitum, non autem in odium Epiſcopi, & verba diriguntur ad ipſum Clericum, ut non gaudet privilegio fori, non ad judicem Eccleſiaſticum, ut illum habeat tamquam exemptum, & alienum à ſua juriſdictione; neque mens, neque verba Concilii violantur. Ex quibus patet eò rationabiliùs Concilium ademiſſe Clericis tantummodò privilegium fori, quòd eo ſublato nullum præjudicium infertur juriſdictioni Eccleſiæ prævenientis, & in eo militant rationes, quæ nullatenus conſiderari poſſunt in privilegio Canonis. Demùm hanc ſententiam olim probavit eadem S. Congregatio: nam propoſito dubio, an Clerici, qui Decreto Concilii *cap.6. ſeſſ.* 23. privilegio fori privantur, intelligantur etiam privati privilegio Canonis: Die 16. Octobris 1582. Sac. Congregatio cenſuit non intelligi privatos.

DE FORO COMPETENTI:

Ex Concilio Pariſienſi.

CAPUT II.

NUllus judicum neque Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum ullum, aut minores Eccleſiæ, ſine permiſſu Pontificis, per ſe diſtringere, aut condemnare præſumat. Quod ſi fecerit, ab Eccleſia Dei, cui injuriam irrogare dignoſcitur, tandiu ſit ſequeſtratus, quouſque reatum ſuum cognoſcens, emendet.

SUMMARIUM.

1 *JUdex ſæcularis ſi Clericum per ſe diſtringit, aut condemnat, excommunicari debet.*

2 *Clerici res ſpirituales ſunt, & ante omnem humanam conſtitutionem exempti à juriſdictione Imperatoris, & num.* 4.

3 *Clericus in quatuor caſibus hìc expreſſis, & in aliis pluribus coram judice ſæculari conveniri poteſt.*

5 *Minores, ſeu juniores Eccleſiæ qui dicantur, & n.* 16. *& ſeqq.*

6 *Argumentum à contrario ſenſu, quamvis fortiſſimum in jure, tamen aliquando vacat, & n. ſeqq.*

7 *Judex laicus non poteſt Clericum judicare etiam ex delegatione Epiſcopi.*

8 *Judex Eccleſiaſticus qui ſine permiſſu Epiſcopi diſtringit Clericum alterius juriſdictionis, excommunicatus eſt.*

9 *Papa an poſſit generaliter concedere, ut judex laicus Clericum diſtringat, vel condemnet.*

10 *Judex laicus non prohibetur ex delegatione Epiſcopi cognoſcere cauſam Clerici merè civilem.*

11 *Judices laici, qui Clericos coercent, aut judicant, dicuntur Eccleſiæ Dei injuriam irrogare.*

12 *Excommunicatus poteſt iterum excommunicari, & num. ſeqq.*

13 *Judex laicus, qui ſine perſonali diſtrictione Clericum condemnat, non eſt excommunicatus, licèt excommunicari debeat.*

14 *Hodie ſecus ex Bulla Cœnæ.*

15 *Excommunicatus non debet abſolvi, niſi prius de injuria ſatisfaciat.*

16 *Fori privilegio quænam perſonæ præter Clericos gaudere debeant, latiſſimè diſſeritur uſque in fin.*

17 *Servi Eccleſiarum ſunt de foro Eccleſiæ.*

18 *Si perpetuo Eccleſiæ ſervitio ſint adſtricti; ſecùs ſi conductitii.*

19 *Diaconi ſelvatici quot in ſingulis Eccleſiis deputari poſſint, & quibus privilegiis fruantur ex Decreto juſſu Gregor. XV. hac de re edito.*

20 *Famuli Clericorum an gaudeant privilegio fori, & nu. ſeqq.*

21 *Familiæ appellatione qui contineantur.*

22 *Familiaris perpetuus habet privilegium perpetuum ſicut dominus, temporalis autem nonniſi durante familiaritate.*

23 *Familia Epiſcopi exempta eſt à ſæculari juriſdictione.*

24 *Intellectus* cap. fin. de offic. Archid.

25 *Concubina Clerici an ipſius Clerici forum ſortiatur, & n. ſeqq. uſque ad n.* 33.

26 *Concubina Clerici dicitur committere ſacrilegium.*

27 *Sacrilegii crimen eſt mixti fori.*

28 *Statuta laicorum pœnalia contra concubinas Clericorum an valeant, & n.* 32.

29 *In-*

29 *Intellectus* cap. Eos 32. diſtinct.
30 *Forum pr vilegiati ſortitur non privilegiatus in cauſa individua.*
31 *Judex laicus inſtituendo proceſſum contra mulierem ſuper delicto commiſſo cum tali Clerico incidit in excommunicationem Bullæ Cœnæ.*
33 *Uxor Clerici an gaudeat privilegio fori, & n. ſeqq. uſque ad n. 46.*
Quid in uxore Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti, num. 37.
Quid in uxore Clerici minorum Ordinum, n. 39.
Et quid in cauſis civilibus, ibid. & n. 40.
Et quid in criminalibus, n. 41.
34 *Vxores coruſcant radiis maritorum, & ex eorum perſona forum ſortiuntur, & n. 42.*
35 *Conjugium non repugnat ſubſtantiæ Ordinis ſacris, & prohibitio inducta eſt conſtitutione Eccleſiæ.*
36 *Fori privilegium conceſſum eſt Clerico propter characterem, qui extra perſonam non egreditur, & numer. 41.*
37 *Vxores Sacerdotum in Eccleſia Orientali gaudent privilegio fori etiam in civilibus.*
38 *Vxorem poteſt Clericus alere ex fructibus beneficii.*
43 *Vxores Clericorum majoribus privilegiis potiuntur, quàm uxores laicorum.*
44 *Privilegium competens uxori ex perſona viri expirat eo mortuo.*
45 *Canonis privilegium non extenditur ad uxores Clericorum, nec ad alias perſonas non Eccleſiaſticas fori privilegio gaudentes, & n. 58. & 61.*
46 *Ruſtici, & coloni Eccleſiæ, an & quibus caſibus ſint exempti à juriſdictione ſæculari.*
47 *Emphyteutæ laici ſi contendant de dominio utili, quod habent ab Eccleſia, cauſa coram judice Eccleſiaſtico agi debet.*
Conſuetudo dat juriſdictionem, ibid. & n. 64.
48 *Oblati alicujus Religionis an ſint de foro Eccleſiæ.*
49 *Religioſi omnes approbatam regulam profitentes, & eorum converſi, & Novitii fori privilegio gaudent, & num. 54.*
50 *Eremitæ an ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, & exemptæ à ſæculari poteſtate, & n. ſeqq. uſque ad n. 65.*
51 *Eremitæ quamvis non abrenuntient propriis, tamen annexum habent votum continentiæ, nec debent eſſe acephali, & n. 53. & 59.*
52 *Non ſunt tamen verè Religioſi, niſi dent ſe alicui ex religionibus approbatis, & n. ſeqq.*
53 *Eremitæ ſunt ſicut locuſtæ ſine Rege.*
Declaratur, n. 63.
54 *Eremitarum quatuor ſunt ſpecies.*
55 *Eremitæ viventes in Congregatione, & habentes modum vivendi ab Epiſcopo approbatum, non prohibentur teſtari.*
56 *Beguinæ, & Canonicæ ſæculares ſunt ſub juriſdictione Eccleſiæ, licèt earum ſtatus non ſit approbatus, & num. 59.*
57 *Eremiticam vitam ducentes de Superiorum licentia in habitaculis eremi non includuntur in prohibitione de novis domibus non recipiendis.*
59 *Mulieres Canonicè intrantes Monaſteria, in quibus Religio non eſt approbata, gaudent privilegio Canonis ex ſententia Rotæ.*
60 *Concilium Conſtantinopolitanum de Eremitis comatis ad ſolitudines rejiciendis expenditur.*
61 *Eremitæ, & alii exiſtentes in ſtatu Pœnitentium, & habitantes in Oratoriis authoritate Prælati, dicuntur perſonæ Eccleſiaſticæ, & eorum caput eſt Chriſtus.*
62 *Eremitæ an gaudeant privilegio Canonis.*
65 *Tertiarii, ſeu fratres de Pænitentia, & milites gaudentes, an ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, & fori privilegio gaudeant, & n. ſeqq. uſque ad n. 72.*
66 *Tertiarii ex Concilio Laterane ſi non potiuntur privilegiis Ordinis, & exemptione ab Ordinario, niſi Collegialiter vivant, ſeu cum clauſtralibus habitent. Niſi aliter ſe habeat conſuetudo, n. 70.*
67 *Tertiariæ domi ſuæ, vel conſanguineorum habitantes nulla exemptione fruuntur, niſi emiſerint expreſſum votum caſtitatis, vel cœlibatus, & n. 69.*
Sed etſi id votum emiſerint, tamen ſervari debet conſuetudo, qua Ordinarius jus adminiſtrandi Sacramenta, vel aliam in eas juriſdictionem acquiſivit, num. 69.
68 *Bulla S. Pii V. qua Tertiariæ ad clauſuram adſtringuntur, non comprehendit eas, quæ in ſuis, vel conſanguineorum domibus habitant.*
71 *Servientes militiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, vel Collegiis, an & quando fori privilegio gaudeant.*
72 *Hoſpitalarii, Leproſarii, & huiuſmodi, an ſint de foro Eccleſiæ, & n. ſeqq.*
73 *Templariorum Ordo extinctus à Clemente V. in Concilio Vienneſi.*
74 *Pœnitentes, diſciplinati, & conſimiles, an ſint exempti à juriſdictione ſæculari.*
75 *Jeſuatorum ſtatus fuit approbatus à Martino V. & hodie profitentur regulam S. Auguſtini, & gaudent privilegiis Mendicantium.*

NUllus. Judex ſæcularis ſi Clericum per ſe diſtringit, 1
aut condemnat, excommunicari debet. Hoc dicit:
& duo facit. Primò prohibet. Secundò adjicit pœnam,
ibi, *Quod ſi*.

Nota primò ex textu regulam univerſalem negativam,
videlicet, nullum judicem ſæcularem poſſe Clericum perſonaliter
diſtringere, aut condemnare; unde complectitur
hæc regula Judices, & Magiſtratus omnes, ac Principes
etiam ſupremos, *c. Si Imperator 96. diſt.* & arg. eorum,
quæ notat Archid. *in c. Nemo in princ. de elect. lib. 6.*
& hodie eſt expreſſum in Bulla Cœnæ, ut patebit infrà *nu.*
14. Clerici enim res ſpirituales ſunt, ex quo ex toto corpus, 2
& animam deputaverunt, & dederunt ſe in ſervitium, &
ſortem Chriſti, *cap. Cui portio 12. qu. 2.* & hac ratione exempti
ſunt à juriſdictione Imperatoris, & ſic cujuſcumque
Judicis ſæcularis, ut notat Innoc. *in c. 2. de major. & obed.*
& in c. Significantibus de offic. deleg. cujus dictum ſequitur
Abb. hìc *n. 6.* & Marianus Socin. *in c. Proximo num. 3.*
ſuprà eodem, plene Alex. *conſ. 8. incip. Videtur ſuper primo*
dubio libr. 1. plenè Domini de Rota *deciſ. 10. de conſuet. in*
antiq. Fallit primò hæc regula in cauſa feudali *c. Cæterum* 3
ſuprà de judic. c. Verum, & c. Ex tranſmiſſa infrà eodem.
Secundò in cauſa civili reconventionis, *c. Cujus in agendo*
3. q. 8. & notatur *in c. 1. & 2. infrà de mut. petit.* Tertiò
in Clerico incorrigibili, ut *in c. Cùm non ab homine ſuprà de judic.*
Quar.ò, cùm invocat Epiſcopus brachii ſæcularis
auxilium, ut hìc: & hos quatuor caſus hìc ponunt
Hoſtienſ. *n. 2.* Joan. Andr. *n. 7.* & plerique alii. Complures
alios caſus recenſet idem Hoſtien. *in ſumma de ſent. excom.*
§. Qui poſſit excommunicare ſub §. Super illo autem Canone.
Alios ponit gloſſ. *in c. fin. in ver. De jure, de except. lib. 6.*
Et caſus octodecim, in quibus Judex ſæcularis poteſt manus
in perſonas Clericorum injicere ſine metu excommunicationis,
enumerat Bernardus Laurentius *in tractatu hac*
de re edito inter tract. comm. tom. 14. pag. 406 Et caſum
unum, & viginti, in quibus judex laicus poteſt procedere
contra perſonas Eccleſiaſticas in cauſis criminalibus, &
triginta tres in cauſis civilbus, latè proſequitur Stephanus
Aufrer. *in ſuo tract. de poteſt. ſæcular. ſuper perſon. Eccleſ. in*
1. & 2. reg. eod. tom. 14. pag. 391. & ſeqq. Triginta duas limitationes
ad eamdem regulam ponit Marianus Socin. *in c.*
Proxim. à nu. 25. uſque in fin. ſuprà eod. Et ſexaginta ſe tem
cumulant Moderni *in tra. de effect. Cler. effectu primo à nu.*
668. uſque ad nu. 1257. Inter quas omnium frequentiſſima
eſt, quæ habetur ex jure noviſſimo Concilii Tridentini *c. 6.*
ſeſſ. 23. & plenè ſcripſi ſuprà *in c. Proxim. à num. 19. uſque*
ad fin. n. 72.

Secundò nota ibi, *Clericum ullum*, etiam Clericum 4
prima tonſura initiatum gaudere fori privilegio, prout ex
hac littera colligunt Hoſtienſ. Ioan. Andr. ambo *in princip.*
& Butr. *num. 5. verſ. Per litteram*, Dec. *in cap. Eccleſia*
S. Mariæ nu. 21. & 22. de Conſtit. Franc. March. *dec. 175.*
n. 1. lib. 1. Covarr. *pract. quæſt. c. 32. n. 1.* ubi teſtatur hanc
opinionem eſſe communem, & latè comprobat Alexand.
d. conſ. 8. nu. 1. lib. 1. ubi pluribus reſpondit, Clericos etiam
primæ tonſuræ ante omnem humanam Conſtitutionem
eſſe exemptos à juriſdictione Imperatoris: concordat
text. *in cap. 11. qu.* ubi dicitur: Clericum cujuslibet Ordinis
abſque Pontificis ſui permiſſu nullus præſumat

ad ſæcularem Judicem attrahere, *& in c. Cùm non ab homine ſuprà de judic.* ibi, *In quocumque Ordine conſtitutus*, *juncto c. Cùm contingat, de ætat. & qualit.* Hodie hoc eſt expreſſum in præallegat. Decr. Concil. Trident. *c. 6. ſeſſ.* 23. Unde Epiſcopus poſt collatam tonſuram dicit Clerico ordinato, *Hodie de foro Eccleſiæ factus es, & privilegia Clericalia ſortitus es*, ut in Pontificali Romano *in tit. de Cleric. facien.* & ſcripſi pleniùs in prædicta Decret. *Cùm contingat n.* 128.

5 Tertiò nota ibi, *Minores Eccleſiæ*, præter Clericos extare alias perſonas illis minores, quæ fori privilegio gaudent. Petr. de Anchar. *in* 1. *notab.* exemplificat hanc litteram in Clericis primæ tonſuræ, ſed non benè; quia tales jam erant comprehenſi in verbis univerſalibus immediatè præcedentibus, ibi, *Clericum ullum*; nam Clericorum appellatione certum eſt venire etiam Clericos prima tonſura initiatos, *ut c. Cleros* 21. *diſt. & c. Duo ſunt* 12. *qu.* 1. & notat gloſſ. in Clem. 2. *in ver. Clericus, de vita, & honeſt. Cleric.* Unde qui veniant appellatione minorum, de quibus loquitur hæc littera, latiſſimè dicam infrà *in* 1. *qu. à num.* 16.

6 Quartò nota ibi, *Sine permiſſu Pontificis*, juncta gloſ. 3. aliquando vacare argumentum à contrario ſenſu: nam ex eo, quòd ſine permiſſu Epiſcopi judex laicus non poſſit Clericum coercere, & judicare, ut hic dicitur; non licet
7 arguere: Ergo id poteſt Epiſcopo permittente. Certum eſt namque, judicem ſæcularem non poſſe Clericum judicare etiam ex delegatione Epiſcopi, *ut c. Significaſti*, cum ibi not. infrà, & hic notant gloſſ. præalleg. Hoſtienſ. *num.* 1. *in ver. Pontificis*, & Joan. Andr. *num.* 3. *in eodem ver. Niſi in certis caſibus*, ut notatur *in cap. Ut famæ*, §. *Laici de ſentent. excommun. & in cap. Cùm non ab homine de judic.* Unde Innoc. & Hoſt. ambo *in ver. Sine permiſſu Epiſcopi*, ſupplent adverbium, *Maximè*: & quamvis argumentum à contrario ſenſu ſit fortiſſimum in jure ut *l.* 1. §. *Hujus rei, ff. de offic. ejus, cui mandata eſt juriſdictio*: tamen non procedit in hoc ſpeciali caſu; quia hujus argumenti contrarium reperitur in jure ſtatutum, nempè in *d. c. Significaſti*, & eſt ſimile *in cap. Quos conſtiterit* 1. *qu.* 1. *cum ſuis concordantiis*: & quod notatur *in cap. Si qui à ſimoniacis in ult. gloſſ. eadem cauſa, & quæſtione*, & declarat Joan. Andr. *in c. Publicato num.* 18. *ſuprà de elect.*

8 Qui tamen primus intellectus locum habet, ſi exponamus litteram ibi, *Nullus judicum*, id eſt ſæcularium, prout exponit gloſſ. . & Abb. Antiq. *in princip.* Verùm ſi exponamus eadem verba, *Nullus Judicum*, id eſt ſæcularium, vel etiam Eccleſiaſticorum extraneorum, juxta ſecundam expoſitionem Innocentii, & Hoſtienſis; argumentum à contrario ſenſu non vacat reſpectu Eccleſiaſticorum, quia in illos poteſt prorogari juriſdictio de Epiſcopi conſenſu, ut patet in prædicta Decretali, *Significaſti*. Sed Epiſcopo non conſentiente judex Eccleſiaſticus Clericos alienos judicare non poteſt, *c. Scriptum* 6. *qu.* 3. *cap.* 3. *infra de Paroch. &* 9. *q.* 3. *per totam*: & juxta hunc ſecundùm intellectum etiam judex Eccleſiaſticus diſtringens, aut condemnans Clericos juriſdictionis alterius, eſt excommunicatus, vel ipſo facto ſi perſonaliter diſtringit, vel debet excommunicari ſi ſimpliciter condemnat. Quod eſt ſingulare, & notatu dignum ſecundùm Marianum Socin.
9 *num.* 6. *verſ. Ex quo ſingulariter nota*, & Felin. *in princ.* Vel tertiò, ut ſalvetur argumentum à contrario ſenſu, & verba illa, *Sine permiſſu Pontificis*, non ſint ſupervacua, exponi poteſt verbum, *Pontificis*, id eſt Papæ, qui ſolus poteſt concedere, ut judex laicus Clericum diſtringat, vel condemnet, *c. Mennam* 2. *qu.* 5. *cap. Cùm devotiſſimam* 12. *qu.* 2. etiam generaliter, ut notatur *in c. Contingit ſuprà de arbitr.* & hic tenet Hoſtienſ. *num.* 1. *in ver. Pontificis*, Joan. Andr. *num* 3. *in eodem ver.* & Butr. *num.* 7. Quod tamen intellige, ut declarat Cardinalis *in c. Perpendimus in* 7. *oppoſit. de ſent. excommun.* ubi probat Summum Pontificem non poſſe tollere Clericorum exemptionem à ſæculari poteſtate quoad omnes Clericos, & quoad omnes cauſas in univerſum, licèt poſſit quoad aliquos Clericos, & quoad aliquas cauſas; & hanc puto fuiſſe mentem Hoſtienſ. & Joan. Andr. dum dixerunt Papam id poſſe generaliter, id eſt, concedendo ex cauſa uni Principi laico poteſtatem judicandi de Clericis certi loci, vel territorii. Quam declarationem Cardinalis ſequuntur & ut ſupra interpretantur Felin. *in c.* 2. *col.* 1. *de majorit. & obed.* Steph. Aufrer. *in Clem.* 1. *de offic. Ordin. ſeu in tract. de poteſtate ſæculari ſuper perſon. Eccleſiaſt. in* 1. *reg. num.* 1. *in* 1. *fall.* & Covarr. *pract. quæſt. c.* 31. *num.* 4. latè Moderni *de effect. Clericat. effect.* 1. *nu.* 19. *& ſeqq.* Vel quartò, ſalvando idem argumentum, intellige ille verba, *Sine permiſſu Pontificis*, reſpectu minorum, ſeu juniorum Eccleſiæ, qui Clerici non ſunt: hi enim poſſunt judicem ſæcularem adire de Epiſcopi conſenſu, ſecundùm Joan. Andr. *num.* 4. *in ver. Condemnare*, & Butr. *num.* 7. Quod ego intelligo, ſi verbum, *Minores*, accipiatur pro ſervientibus Eccleſiæ; ſecus ſi pro Monachis, quia tales etiam de conſenſu Superiorum privilegiis Ordinis renuntiare non poſſunt, aut alterius judicis juriſdictionem prorogare, ut ſcripſi latiſſimè *in c. Quod ſuper his de major. & obed.* Vel denique intellige 10
verbum, *Condemnare*, in cauſa merè civili, quam judex laicus non prohibetur cognoſcere, ac diffinire ex delegatione Epiſcopi, ſecundùm ea, quæ notantur *in cap. Benè quidem* 96. *diſt. & in c. Decernimus ſuprà titul. prox.* & hic tradunt Joan. Andr. *n.* 6. in gloſſ. hic vacat. & Butr. *nu.* 7. *in fin.*

Quintò nota ibi, *Injuriam*, Judices ſæculares, qui Clericos coercent, aut judicant, Eccleſiæ Dei injuriam irrogare; injuria enim Clericorum ad Chriſtum pertinet, cujus legatione funguntur, *c. Accuſatio, il primo in fin.* 2. *q.* 6. Jo. Andr. hic *n.* 5. Imol. *in* 1. *notab.* Abb. Marianus Socin. & Alex. de Nævo, omnes *in* 2. *notab.* 11

Sextò nota ibi, *Sequeſtratus ſit*, excommunicatum poſſe iterùm excommunicari, ſecundùm Abb. *n.* 3. nam judex laicus Clericum diſtringens eſt ipſo jure excommunicatus *c. Si quis ſuadente* 17. *qu.* 4. & tamen hic jubetur excommunicari: hoc enim important illa verba, *A communione Eccleſiæ ſequeſtratus ſit*, quæ non ſunt latæ ſententiæ ſed 12
ferendæ, ſecundùm gloſſ. fin. & eſt communis intellectus 13
Joan. Andr. & DD. in ſumma hujus textus. Sed certè, ut advertit Marianus Socin. dictum Abbatis non probatur hic; quia verba illa, *Sequeſtratus ſit*, licèt reſpectu judicis perſonaliter diſtringentis importent excommunicationem ipſo jure, tamen ſecus eſt reſpectu condemnantis, qui non eſt ipſo jure excommunicatus, ſed excommunicandus, niſi in caſu *cap. Quoniam de immunit. Eccleſ. lib.* 6. Nec eſt novum in jure, aut inconveniens, ut unum, & idem verbum ab diverſa relatum ratione diverſæ ſubjectæ materiæ diverſimodè capiatur, ut eſt gloſſ. notab. in *c. Capitulum ſanctæ Crucis in ver. Relaxetis ſuprà de reſerv.* & gloſſ. fin. *in cap. Si Papa, de privileg. lib.* 6. dixi *in cap. Recolentes infra de ſtat. Monachorum*; dictum tamen Abb. eſt in ſe verum, ut patet *in c. Engeltruda* 3 *q.* 4. ubi hoc tenet plena gloſſ. *in ver. Anathemate*, & ſimilis gloſſ. *in cap. Ita quorundam in ver. Crebra, & ſolemnis infrà de Judæis*. Quid autem operetur ſecunda excommunicatio, 14
& quos habeat effectus, declarant gloſſæ præallegatæ. Verùm hodiè ſublata eſt hæc differentia inter diſtringentes perſonaliter, & condemnantes per ſententiam: utroque enim caſu judices ſæculares procedentes contra perſonas Eccleſiaſticas excommunicantur in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi conſuevit, ut patet in Bulla Gregorii XIII. *Conſueverunt in Bullar. tom.* 2. *pag.* 464. & in Bulla Pauli V. *Paſtoralis tom.* 3. *pag.* 251. Idque tam in cauſis civilibus quàm criminalibus: nam in civilibus §. XV. fertur excommunicatio in hæc verba, *Quive ex eorum prætenſo officio, vel ad inſtantiam partis, aut aliorum quorumcumque perſonas Eccleſiaſticas, Capitula, Conventus, Collegia Eccleſiarum quarumcumque coram ſe ad ſuum tribunal, audientiam, cancellariam, conſilium, vel parlamentum præter Juris Canonici diſpoſitionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè quovis quæſito colore*. Hoc caput paucis immutatis habetur etiam in Bulla Pauli III. *Conſueverunt*, §. 11. *in Bullar. tom.* 1. *pag.* 630. ſed non legitur in Bullis præcedentibus Urbani V. & Julii II. quæ habentur *eodem tomo pag.* 219. *&* 441. In criminalibus verò fertur excommunicatio his verbis, *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoſcumque Magiſtratus, & Judices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores quomodolibet ſe interponentes in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus contra perſonas Eccleſiaſticas, illas proceſſando, banniendo, capiendo, ſeu ſententias contra illas proferendo, vel exequendo ſine ſpeciali, ſpecifica, & expreſſa hujus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ licentia, quique ejuſmodi licentiam ad perſonas, & caſus non expreſſos ex-*

ten-

tendunt, *vel aliàs illa perperam abutuntur*, *etiamſi talia committens fuerint Conſiliarii*, *Senatores*, *Præſidentes*, *Cancellarii*, *aut quovis alio nomine nuncupati*, *ut in prædictis Bullis Gregorii XIII. & Pauli V.* §. 19

15 Ultimò nota ibi, *Emendet*, excommunicatum non eſſe abſolvendum, niſi priùs de injuria ſatisfaciat, ut hìc, & in *cap. Ex parte, il primo, & in c. Cùm olim, de verbor. ſignif.* de quo dic latè, ut per Marian. Soccin. *in cap. Venerabilis in 25. articulo principali, de ſent. excomm.*

16 QUÆRO, cùm textus dicat exemptos eſſe à judicibus ſæcularibus non tantùm Presbyteros, Diaconos, & Clericos, ſed etiam minores Eccleſiæ; qui ſint iſti, qui Clerici non ſunt, & tamen de juriſdictione Eccleſiæ exiſtunt, & fori privilegio gaudent. Præmitto hunc textum legi multipliciter: nam littera in præſenti habet *Minores Eccleſiæ*, alia littera habet *Juniores Eccleſiæ*, ut apud Buchar. ſeu *Eccleſiæ juniores*, *ut in cap. 2. 11. qu. 1.* quod olim habebatur pro palea. Unus ex veteribus Gratiani libris habet *Minores Eccleſiæ cultores*, & alter *Juniores Eccleſiæ cultores*, ut refert Anton. Auguſtinus *in notis ad primam Collect. Decretal. lib. 2. tit. 2. cap* 3.

Quibus præmiſſis inveſtigandum eſt, qui veniant appellatione iſtorum, qui non poſſunt diſtringi à judice ſæculari.

17 Et primò gloſſa hìc *in ver. Minores*, exemplificat textum in ſcholaribus, ſeu ſervientibus Eccleſiæ ad ejus obſequium deputatis, qui eodem privilegio gaudere debent, arg. *c. Eccleſiarum ſervos 11. q. 2. cap. fin. §. Petiit*, ubi de hoc, *ſuprà de offic. Archid. & cap Cùm contingat inf. eod.* Et inquantum gloſſa dixit de ſcholaribus, fortè habuit reſpectum ad nonnullas Eccleſias, maximè in Alemania, ubi ſunt ſcholares ſervientes Eccleſiæ, & addiſcentes, ut Clerici, prout hìc obſervant Cardin. *n. 2.* Abb. *n.* 5. Marian. Socin & Alexand. de Nævo, uterque *n. 6.* & idem Socin. ſuprà *in c. Proximo n.* 8. Facit *cap. 1. infrà de celebr. Miſſar.* Itaque Eccleſiarum ſervi ſunt de foro Eccleſiæ, & gaudent privilegio exemptionis à poteſtate ſæculari; ſecundùm intellectum gloſſæ, quem hic ſequuntur Hoſt. *nu.* 1. Butr. *n. 6.* Cardin. & Anchar. ambo *n.* 2. Abb. *nu* 5. & alii communiter, Specul. *in tit. de compet. juriſdict. §. 1 verſ. Vigeſimus ſeptimus*, Marian Socin. *loc. proximè citato*. Idem ſentit Vincent. dum exemplificat textum in janitoribus Eccleſiæ, & videtur intelligere de illis minoribus, qui Eccleſiæ obſequio ſunt ſub cuſtodia ſeniorum, ut adveniente ætate promoveantur ad Ordines, dum allegat *cap. Omnis ætas 12. q. 1.* Vincentium ſequuntur hìc Jo. Andr. *n.* 2. Butr. *n. 6.* & Abb. *n* 5.

18 Verùm hanc concluſionem notabiliter declarat Archid. *in c. 2. 11. q. 1.* & poſt eum Feder. de Sen. *conſ.* 11. incipien. *Quæſtio talis eſt n.* 10 ut procedat in his, qui ſervitio Eccleſiæ perpetuò ſunt adſtricti, ſeu in familia perpetua Eccleſiarum, ita intelligentes jura *in d. cap. Eccleſiarum ſervos, in cap. Indicatum 86. diſt. & in l. 2. C. de Epiſcop. & Cleric.* non autem in ſervis conductitiis; quia licèt incedant in habitu Clericali, & inſerviant Eccleſiæ in celebratione Miſſarum, & aliis Divinis Officiis; tamen cum non ſint Clerici, non gaudent privilegio fori. Et hæc videtur fuiſſe mens gloſſæ ſecundæ hìc, dum dicit, Deputatos Eccleſiæ, & facit text. in Clem. 2. *de decim in c. Per excepionem in ver. Perpetuo oblati, de privil. lib. 6.* Et hanc declarationem probant hìc Collectar. *n. 5.* Cardin. *n. 2 verſ. Dic idem de non converſis*, Abb. *num.* 5. Marian. Socin. *in cap. Proximo n. 8. ſupra eodem*, & Stephan. Aufrer. *in tract. de*
19 *poteſt. ſæcular. ſuper perſon. Eccleſ. in 2. reg. n.* 36. Hodie in iſtis ſervientibus, qui in Regno Neapolitano appellantur Diaconi Selvatici, ſervari debet Decretum tenoris infraſcripti, videlicet (Sacra Cardinalium Congregatio negotiis Regni Neapolitani Præpoſitorum certior reddita in nonnullis ejuſdem Regni Diœceſibus Diaconos, quos vocant Selvaticos, in maximum numerum citra Eccleſiarum neceſſitatem, aut utilitatem excreviſſe, volens eorumdem exemptionis cauſam declarare, & fraudibus quibuſcumque occurrere, de SS. D. N. Gregorii XV. mandato vivæ vocis oraculo deſuper habito, Diaconos Selvaticos hujuſmodi, pro Eccleſiarum, & Epiſcoporum ſervitio retineri, vel in locum quoquomodo deficientium aſſumi poſſe in Cathedralibus, ſeu ſuperioribus Eccleſiis ad ſummum quatuor, & Collegiatis, vel Parochialibus duos; in aliis verò Eccleſiis, in quibus Divina celebrantur, ſi Epiſcopo videbitur, unum: quos quidem Epiſcopi prorſus gratis, & tales, qui omninò per ſeipſos, non autem per interpoſitam perſonam ſervitium debitum præſtent, nec ullo modo criminoſos, aut malæ conditionis, & famæ eligere debeant; aliàs & hi nullo gaudeant privilegio, & eligentes judicium Sedis Apoſtolicæ ſeverum experientur: eos verò privilegio Canonis non gaudere; fori autem privilegio in criminalibus omninò, in civilibus quoad corporis diſtrictionem tantùm, & immunitate ab oneribus perſonalibus non autem durante ſervitio frui debere. Sed ſi alicubi majoribus utantur privilegiis, & immunitatibus ex legitima conſuetudine, cujus cognitionem, & declarationem in caſu controverſiæ eadem Sac. Congregatio ſibi reſervat, illam debere attendi; cognitionem verò aliorum præmiſſorum ad Ordinarios pertinere, hoc præſenti Decreto ſtatuit, præcepit, & declaravit. Romæ 10. Kal. Julii 1623.)

Secundò gaudent fori privilegio ſervi ſeu famuli Cleri- 20
corum, in quibus ponit exemplum Hoſt. hìc *n.* 1. & tenet gloſſ. 1. *in cap. Clericum*, *verſ. Idem dico de ſervientibus, & mancipiis Clericornm 11. q. 1.* Idem gloſſ. 1. *in cap. eos*, *verſ. Ad hoc poteſt dici quòd cum ſit de familia Sacerdotis, eſt de foro Eccleſiæ 32. diſt.* & gloſſ. *in c. Generaliter, §. Juxta in ver. Mancipia 16. q. 1.* Gemin. *in cap. unico de Cleric. conjug. lib. 6. & in d. cap. Eos*, Abb. *conſ.* 53. incip. *Quidam*, Andr. *n. 3. lib. 1.* ſed ibi tantùm recitat opiniones, & nihil firmat. Sed pro hac parte in facti contingentia conſuluit Calcan. *conſ.* 71. ubi poſt *num* 3. dicit hanc eſſe concluſionem ſecundùm omnes, ut famuli Clericorum laici gaudeant ipſorum privilegio, quoad fori declinationem. Hanc etiam eſſe communem opinionem Legiſtarum teſtatur hìc Alex. de Nævo *num.* 9. Pro qua inducunt primò textus *in l. 1. & 2. C. de Epiſc. & Cleric.* ubi famuli Clericorum in rebus ſuis collectari non poſſunt. Ergo ſi res ſunt exemptæ, fortiùs perſonæ, quibus res accedunt, *cap. Præcipimus 12. q. 2.* Cardin. in Clem. 1. *num. 9. verſ. Item ad hoc de præben.* Sed illa jura intelliguntur de mancipiis, ut in *d. l. 1.* & ſic de perpetuis, ſecundùm Felin. hìc *n.* 1. Secundò inducitur *c. fin. §. Petiit de offic. Archid.* ubi non dicitur eſſe ſpeciale in Epiſcopo, ut ejus familia ſit de foro Eccleſiæ; nec ulla ratio ſpecialitatis apparet. At reſpondetur textus loqui in Epiſcopo, & cum materia ſit ſtricta, ad alios extendi non debet: multa enim conceduntur Epiſcopo propter dignitatis prærogativam, quæ non aliis, *c. fin. de re judic. lib. 6. & c. Quia periculoſum, de ſent. excomm. eod. lib. cum ſimil.* Tertio gloſſæ prææallegatæ inducunt *cap. Indicatum 86. diſt. & cap. Eccleſiarum ſervos 12. q. 2.* Sed illa jura intelliguntur de ſervis Eccleſiarum perpetuis, non autem de temporalibus, & mercede conductis, ſecundùm Archid. & Feder. de Sen. ut dixi ſuprà *num.* 18. Vel aliter reſponde, ut notat gloſſ *in d. cap. Indicatum in ver. Inter eos*. Quartò Clericorum concubinæ illorum forum ſortiuntur, gloſſ. 1. *in cap. Eos 32. diſt.* Ergo multò magis famuli, qui cum Clerico non delinquunt. Sed nego aſſumptum, ut dicam infra *n.* 29. Tantùm enim ſubſunt Epiſcopo, ut ab ipſo puniantur, ut dicit textus ibi, ſed non privativè ad judices ſæculares. Quintò bona patrimonialia Clericorum gaudent privilegio fori, *cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ ſuprà de Conſtit.* Ergo fortiùs famulantes. Sed ſimiliter negari poteſt aſſumptum, ut per Butr. *in cap. Si diligenti n. 18. de præſcript.* & Felin. hìc *nu. 1. verſ. Tertiò bona Clericorum*. Contrariam opinionem in ſervis Clericorum mercede conductis probant Archid. & Feder. de Sen. *locis ſupracitatis n.* 18. & idem Archid. *in d. cap. Eccleſiarum ſervos n. 1. 22. q. 2.* Et eam amplectitur hìc Abb. *n. 6* Alex. de Nævo *n.* 11. & Felin. *d. n.* 1. dicens opinionem Abb. eſſe tutiorem. Idem dicit Stephan. Aufrer. *ſupracitatus n.* 18. qui etiam teſtatur eamdem de facto ſervari, & ſecundùm eam fuiſſe pluries judicatum in Senatu Taurinenſi, teſtatur Theſaur. *deciſ 22. verſ. Verùm in Urbe*, & communem dicunt Capyc. *deciſ. 12. num. 2. in fin.* & Julius Clar. *in praxi criminali lib. 5. §. fin. q. 35. verſ. Quæro nunquid familiares*. Pro hac parte inducitur *cap. penult. verſ. Non ſic autem, de privileg. lib. 6.* ubi privilegium datum Conventui non prodeſt familiaribus. Item inducitur *c. Per exemptionem eod. tit. & lib.* ubi oblati, quamvis eorum vita habeat aliquid ſpiritualitatis; tamen non ſunt exempti à poteſtate ſæculari, niſi habeant qualitatem perpetuitatis. Ergo multò minùs exempti erunt famuli tem- 21

po-

porales, & pretio conducti nihil ſpiritualitatis habentes:
21 facit quod notat Innoc. *in cap. Cum olim in princ. de arbitr.* ubi intelligit illum textum in familia perpetua, & religioſa; licèt aliàs nomine familiæ non ſolùm ſervi proprii, ſed etiam alieni, necnon liberti, qui in ſervitio, & miniſterio ſunt, ſicut etiam mercenarii, & ſimiles contineantur, ut *l. 1. §. Familiæ, ff. de publican. & vectigal. l. 1. §. Familiæ,*
22 *ff. de vi, & vi armat.* ſecundùm Innocen. ibi, & Hoſt. *n.* 1. Item facit quod notat Bald. *in l. 1. n. 5. C. de Epiſcop. & Cler.* ubi quòd familiaris perpetuus habet privilegium perpetuum ſicut dominus, temporalis autem nonniſi durante familiaritate. In hac veritate Albericus de Roſat. *l. 1. C. de Epiſcop. & Cleric.* conciliando opiniones dicit primam procedere in his, qui Clericis ſerviunt mercede dietim pro aliquo parvo tempore, & hos affirmat non gaudere fori privilegio, ſecundam verò in his, qui ſerviunt ad annum, vel ad longius tempus; & hoc placet Marian. Socin. *ſupra in c. Prox. n.* 21. qui ita intelligit dictum Baldi de familiari temporali, ut ſcilicet ita demum durante familiaritate gaudeat privilegio domini, ſi ſit conductus ad annum, vel ad longius tempus; non autem ſi dietim ſerviat. Sequitur Decianus *in tract. crim. par. 1. lib. 4. cap. 9. n.* 47. Sed certè hæc diſtinctio eſt potiùs imaginaria, quàm vera: nullibi enim reperitur jure cautum, ut familia debeat ſaltem eſſe annalis ad hoc, ut gaudeat privilegio domini. Quin potiùs jura videntur requirere qualitatem perpetuitatis, ut *in d. cap. Per exemptionem.* Et Concilium Tridentinum voluit familiares eſſe triennales in caſu ſpeciali *cap. 9. ſeſſ.* 23. Unde non diſceſſerim ab opinione Archidiaconi, quæ communior, & verior videtur, & ubique ſervatur in praxi. Et eſt ratio diverſitatis inter mancipia, ſeu ſervos proprios ipſius Clerici, & famulos conductitios, ſecundùm Alex. de Nævo hìc *num. 11. verſ. Et ſi dicis:* quia quando eſt ſervus proprius, & perpetuus ipſius Clerici, quicquid acquirit, ipſi Clerico acquirit, ſicut ſervus ipſius Clerici. Unde potiùs dicitur conveniri ipſe Clericus, ad quem commodum, vel incommodum pertinet, *l. 1. §. In propria, ff. Quando appellan. ſit, & cap. Biduum, ver. In propria 2. q. 6.* Secus in ſervo conductitio; quia non eſt ipſius Clerici, nec illi acquirit. Quod tamen limitabis, niſi aliàs dominus non poſſet commodè uti ſuo privilegio, niſi includeretur famulus; quia tunc etiam mercede conductus includeretur, *cap. penult. §. Cùm conceditur, de privil. lib. 6* Ita Felin. hìc *n. 2. verſ. Tene iſtam concluſionem,* Jo. Anton. de Nigr. *in Extravag. un. n. 9. verſ. Adverte, de vit. & honeſt. Cleric.* Menoch. alios adducens *de arbitr. Judic. centur. 6. caſu* 562. *n.* 11.

23 Tertiò gaudet fori privilegio familia Epiſcopi, ut eſt textus *in cap. fin. §. Petiit ſuprà de offic. Archid.* ubi hoc tenent omnes, & de communi opinione teſtantur Abbas hìc *n.* 6 Jo. de Monte Sperello *inter conſ. Calcan. conſ.* 72. quod eſt ſubſcriptio præcedentis conſilii, Capyc. *deciſ.* 12. *n.* 1. Theſaur. *deciſ. Pedemont.* 22. *nu.* 6. Boſſ. *in tit. de foro compet. poſt n.* 127. & Clar. *in d. §. fin. q. 15. verſ. Ab hac tamen concluſione.* Quam etiam ſervat Curia, ut ſcripſi in *cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ à n.* 43 *ſuprà de Conſtitutionibus.* Et in familia Epiſcopi intelligi poſſunt gloſſæ prællegat. in caſu præcedenti *n.* 20. ſecundùm Felin. hìc *n. 1. in fin.* Et quamvis Alex. de Nævo hìc *n.* 9. dicat communem opinionem veram non videri in puncto juris, quia text. *in d. cap. fin.* loquitur de conſuetudine, quæ ibi allegabatur præ-
24 ſcripta: tamen judicio meo fallitur in intellectu illius Decretalis: nam ille Archidiaconus Senonen. quamvis allegaret conſuetudinem eſſe, ut omnes de ditione Senonen. convenirentur priùs coram ſe, quàm coram Officiali Archiepiſcopi; tamen ab hac regula excipiebat cauſas Archiepiſcopi, & familiæ ſuæ: atque ita tex. fundat ſe ſuper conſuetudine reſpectu juriſdictionis dumtaxat, quàm Archidiaconus præſcripſerat: ſed non fundat ſe ſuper conſuetudine in exceptione familiarium Archiepiſcopi, qui conveniebantur coram illius Officiali; quin potiùs admittit eos remanſiſſe ſub juriſdictione Archiepiſcopi ex juris communis diſpoſitione, cùm contra eos nihil præſcripſiſſet Archidiaconus, *ut cap. Cùm olim de præſcript.* unde a communi opinione non eſt recedendum. De familiaribus Papæ, & Cardinalium dic, ut ſcripſi *in c. Ex parte, il ſecondo à n. 2. uſque in fin. infrà de privil.*

25 Quartò forum Clericorum ſortiuntur Clericorum concubinæ, ut innuit text. *in cap. Eos 32. diſt.* ubi indulgetur licentia Principibus ſæcularibus, ut niſi Clerici ſe correxerint, illorum concubinas mancipent ſervituti: ubi gl. 1. tenet uxorem non legitimam, ſeu concubinam Sacerdotis eſſe de foro Eccleſiæ; tum quia eſt de illius familia, tum quia delinquit in perſona Eccleſiæ, & ratione delicti efficitur quis de foro alterius, *cap. Placuit 6. q.* 3. Idem tenent ibi Archid. & Gemin. præſertim in concubina Clerici in ſacris conſtituti, prout loquitur ille textus: & ſequuntur Abb. *in cap. 2. de cohabitatione Clericorum, & Mulier. & in cap. Cùm ſit generale infrà eod.* Roman. *in ſingular.* 665. *n. 2. in ver. Concubina,* Joan. de Palat. *in l. 1. C. de Mulier. & in quo loco lib.* 10. Alii verò dicunt concubinam Clerici 26
committere ſacrilegium, *cap. Qui Chriſto, & c. Virginibus,* 27. *q.* 1. & notat Hoſtienſ. *in Summ. de cohabit. Cleric. & Mulier. §. Quam pœnam,* Henr. Boich. & Abb. *in cap. 2. eod. tit.* & idem Abb. *in cap. Ut Clericorum, de vit. & honeſt. Clericor.* Crimen autem ſacrilegii eſt mixti fori; unde con- 27
tra concubinas Clericorum poteſt procedere tam Judex Eccleſiaſticus, *ut cap. Quiſquis 17. q. 4. & cap. Cùm ſit generale infra eod.* quam judex ſæcularis; & ita in crimine ſacrilegii concludunt omnes, ut teſtatur Mantica *conſ.* 266. *n.* 8. Unde Petr. de Anchar. *in cap. Ea quæ in 24. qu. de reg. jur. lib. 6. & in conſ. ſuo 196. verſ. Super ſecundo dubio,* firmat Principem ſæcularem poſſe facere ſtatuta pœnalia contra prædictas concubinas Clericorum manifeſtas, & notorias; nec tunc ſecundùm eum honeſtas Eccleſiæ maculatur, ſed potiùs defenſatur, & ſacri Canones meliùs cuſtodiuntur; licèt contra occultas putet non poſſe judicem laicum ex officio procedere, ne detegat crimen Clericorum, ad hoc quod ait Conſtantinus *in cap. In ſcripturis 96. diſt.* & opinionem Ancharani ſequuntur Joan. de Anan. *in rubr. de adulter. col. ult.* Felin. *in d. c. Cùm ſit generale n. 14. infr. eodem*; eamque dicit fovere maximam æquitatem Stephan. Aufret. *in tract. de poteſt. ſæcular. ſuper perſon. Eccleſ. in 2. reg. n. 34. in fin. inter tract. comm. tom. 14. pag.* 396. Itaque contra concubinas Clericorum, cùm crimen hoc ſit com- 28
mune inter judicem Eccleſiaſticum, & ſæcularem, erit locus præventioni, prout concludit Marian. Socin. *in c. Proxim. nu. 21. verſ. Et prædicta ſuprà eod. & in d. cap. Cum ſit generale,* Felin. & Aufr. *loc. cit.*

Conclude veritatem. Aut quæritur quis judex poſſit 29
procedere contra concubinam pro crimine commiſſo cum perſona ipſius Clerici, & poteſt procedere ſolus judex Eccleſiaſticus: & in hoc caſu intelligo textum *in d. c. Eos 32. diſt.* tribuit enim facultatem Principatibus laicis coercendi concubinas pro ipſo delicto concubinatus cum Clericis perpetrato, ubi Clerici ſunt incorrigibiles: & hoc intendit gloſ. 1. dum dicit, uxorem non legitimam propterea Clerici forum ſortiri, quia delinquit in perſona Eccleſiæ. Et 30
ita procedat prima opinio Archid. & ſequacium. Ratio eſt, quia cùm cauſa concubinatus ſit individua inter concubinam, & Clericum, non poteſt contra ipſam inſtitui proceſſus, quin tangatur perſona ipſius Clerici, quæ exempta eſt à ſæculari poteſtate. Unde ratione individuitatis cauſæ concubina forum Clerici ſortitur; quia ſi non privilegiatus in materia individua concurrat cum privilegiato, illius privilegio utitur, *l. Si communem, ff. Quemadmodum ſervitus amittatur, & c. Per tuas de arbitr.* quam regulam conſtituit gloſſ. *in c. unic. in ver. Eccleſiaſticus, de jurepatron. lib. 6.* & pluribus confirmant Alexan. *conſ. 122. n. 16. & ſeqq. lib. 4.* & Jaſ. *in l. ſi emancipati à n. 5. C. de collat.* Unde cùm cauſa eſt communis inter Clericum, & laicum, propter adjunctionem Clerici agi debet coram Eccleſiaſtico, ut decidit Bart. *l. Præcipimus, §. eodem obſervando n. 2.* per illum textum, *C. de appellat. & in l. Solet ad fin. ff. de alim. legat. & in d. l. Si communem,* ſequitur Petr. de Anchar. *in cap. Romana n. 7. de appellat. lib 6.* Alex. *ubi ſuprà,* & Jaſ. *in d. l. Si emancipati n.* 13. Quamobrem ſi ju- 31
dex ſæcularis inſtitueret proceſſum contra mulierem in cauſa fornicationis cum Clerico perpetratæ individuando perſonam ipſius Clerici, eo ipſo incideret in excommunicationem, quæ in Bulla Cœnæ fertur in judices, qui ſe interponunt in cauſis criminalibus contra perſonas Eccleſiaſticas, eas proceſſando, ut dictum eſt ſuprà *num.* 14. Et ex his valdè dubito de doctrina Ancharani in *dict. conſ.* 197. 31
nam cùm concubinæ Clericorum pro delictis cum eis commiſſis non ſortiantur forum ſæcularem, ut oſtenſum eſt ſuprà, conſequenter nec ligantur ſtatutis illius fori; quia forum ſortiri, & ſtatutis ligari à pari procedunt, *cap. fin.*
de

de conſtit.lib.6. Archid. in *cap. Quæ contra num.9.8.diſt.* Specul. *tit.de conſt.§.1.* Butr. in *rubr. de conſuetud.num.7.* & Decius in *cap. Decernimus nu.197.de judic.* Præterquam quòd cederet in ignominiam, & infamiam Ordinis Clericalis, ut in Edictis, & legibus publicis Principum ſæcularium notarentur, licèt obiter, & per indirectum, crimina Clericorum, arg. *c. In ſcripturis 96. diſt.*

Aut quæritur, quis ſit judex competens contra concubinas Clericorum in delictis per eas commiſſis cum laicis, vel in cauſis civilibus ipſarum; & hoc caſu ſi delicta non ſint Eccleſiaſtica, vel mixti fori, ſecundùm ea, quæ notantur in *cap. Cùm ſit generale infrà eod.* ſolus judex laicus eſt competens: non enim hoc caſu concubinæ gaudent privilegio fori; quia non debent ex earum delicto commodum reportare, ut finaliter concludit Marian. Socin. ſuprà in *cap. Proxim. num22. in fin.* Unde nec relevat, quòd ſint de familia Clerici, ut dicit gloſſ. in *d. cap. Eos*, quoniam hæc familiaritas prodeſſe non debet, cùm ſit turpis, & à jure damnata, *cap.1.& per tot. infrà de cohabitat. Cleric. & Mulier.* Illud eſt indubitatum, videlicet contra concubinas etiam laicorum, non obſtante preventione judicis ſecularis, ſolum Epiſcopum poſſe procedere ad pœnam excommunicationis ex decreto Concilii Tridentini *cap.8.ſeſſ.24. de reform.matrim.* ut ſcripſi plenè in *cap. Perniciosſam à num 18. ſuprà de offic. Ordinarii.*

33 Quintò fori privilegio gaudent uxores Clericorum, ſecundùm unam opinionem, quam tenet gloſſ. 1. in *c. Eos 32.diſt.* & gloſſ.1. in *cap. Clericum 11 qu.1.* Joan. de Imol. & Gemin. in *cap.un.de Cleric.conjug.lib.6.* Abb. hìc *num.6. verſ. Quid de uxore Clerici.* Marian. Socin. in *cap. Proxim. nu 20. ſuprà eod.* Angelus in *ver. Excommunicatio 7.§.8.* & hanc eſſe communem opinionem fatetur hìc Alexan. de Nævo *num.21.* Pro qua allegatur primo textus in *l.2.C.de Epiſcop. & Cleric.* ubi uxor, & filius Clerici gaudent illius privilegio. Licèt ille textus non loquatur de privilegio fori, ſed
34 immunitatis à collectis, & impoſitionibus laicalibus. Secundò allegantur jura, quæ dicunt uxorem ſortiri forum ex perſona viri, ut *l. fin. §. Item reſcripſerunt*, & ibi Bart. *ff. ad municipal. l. Cùm quædam puella, ff. de juriſd. omn. judic. l. Exigere, ff. de judic. & l. fin. C. de incol. lib.10.* Demùm allegatur text. in *l. Fœminæ, ff. de Senator.* ubi uxores coruſcant radiis maritorum, & eorum dignitate, & privilegio gau-
35 dent. Et procedit hæc opinio, ſive matrimonium fuerit contractum ante Clericatum, prout loquitur textus in *d. l. 2.* & ibi notat gloſſ. in *ver. Conjugia*, ſive contractum fuerit poſt Clericatum, ſecundum Abb. hìc *num.7. verſ. Et licèt loquatur*: nam conjugium non repugnat ſubſtantiæ Ordinis etiam ſacri, ſed prohibitio inducta eſt ex conſtitutione Eccleſiæ, ut notatur in *cap. Cùm olim infrà de Cleric. conjugat. in cap. Quæ ad perpetuam 25. qu.1.* & per Innocen. in *cap. Placet, de converſ. conjug.* Non obſtat quòd uxor non habeat characterem Ordinis, quoniam plures alii gaudent fori privilegio, quibus tamen character non eſt impreſſus, ut patet in Monialibus, & Converſis, *c. de Monialibus, cap. Non dubium, & cap. Parochianos infrà de ſent. excomm.* in familia Epiſcopi, & conſimilibus.

36 Contrarium tenet Joan. Andr. in *dict. cap. unic. num.3. de Cleric. conjug. lib.6.* ubi dicit nunquam fuiſſe uſu receptum, ut uxor Clerici gaudeat privilegio Canonis, & fori: abſurdum enim eſſet, ut fœmina, quæ in civilibus eſt fori ſæcularis, in criminalibus à ſæculari judice puniri non poſſet. Nec obſtat ſecundum eum, quòd hoc contingat in Clerico conjugato, qui in criminalibus gaudet privilegio fori, & non in civilibus, ut in *d.cap.un.* quia hoc operatur character, qui perſonam Clerici non egreditur. Idem tenet ibi Ioann. de ſancto Georgio, & quamvis refellat rationem Ioann. Andr. dicens hoc privilegium non eſſe conceſſum characteri Ordinis Clericalis, cum & Converſi non habentes Ordinem, & Moniales eodem privilegio gaudeant, *d.cap. Non dubium, cap. De Monialibus, & c. Parochianos, de ſentent. excommun. & cap. Religioſo in 2 reſpon. eod. tit. lib.6.* verè tamen Joan. Andr. non negat, quin perſonæ Eccleſiaſticæ carentes Ordine gaudeant privilegio fori, & Canonis; ſed tamen aſſerit hoc privilegium in Clerico deſcendere à charactere Clericali, cùm ei competat ratione Ordinis. Unde malè reprehenditur à Joan. de ſancto Georgio, & Abbate hìc *num.8.* Eamdem opinionem ſequitur, & veriorem putat Alex. de Nævo hìc *num.21.* cum qua etiam tranſit Butr. *nu. 6. verſ. Gaudet etiam uxor Clerici*; eamque ſervari de facto teſtatur Stephanus Aufrer. in *tract. de poteſt. ſæcular. ſuper perſon. Eccleſiaſt. in 2. reg. num. 35.*

His in utramque partem adductis, pro ſolutione quæ- 37
ſtionis videntur mihi ſtatuendæ concluſiones infraſcriptæ.

Prima concluſio eſt: Uxor Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti in omnibus ſortitur forum ex perſona mariti. Hanc concluſionem ſequuntur omnes ſupracitati *num. 33.* & eſt communis opinio, ut teſtatur hìc Alex. de Nævo *num. 22.* Et quamvis ſubdat contrarium tenere Joann. Andr. & cum eo tranſire Anton. de Butr. tamen in hoc videtur falli; quia Butrius *loco citato*, loquitur ſimpliciter de uxore Clerici, & Ioann. Andr. ſi ſedulo expendatur, potiùs tenet uxorem Sacerdotis gaudere fori privilegio; conſiderat enim illud incoveniens, quòd uxor Clerici, quæ in civilibus eſt fori ſæcularis, in criminalibus ſit fori Eccleſiaſtici. Quæ ratio viget tantummodò in uxore Clerici in minoribus conſtituti, qui cùm gaudeat privilegio fori in criminalibus tantùm, & non in civilibus, ut in *d. cap. un. de Cler. conjug. lib.6.* ſi uxor ſortiretur illius forum, eodem modo gauderet in criminalibus, & non in civilibus; quod eſſet abſurdum ſecundùm Joan. Andr. Sed hæc ratio non viget in uxore Clerici in ſacris, quia is gaudet privilegio fori tam in civilibus, quàm in criminalibus. Unde ceſſat incoveniens, quòd uxor eſſet duplicis fori, quia erit tantùm de foro Eccleſiæ. Poteſt autem hic caſus dupliciter contingere. Primò ſcilicet in Eccleſia Orientali, quia Clerici in minoribus contrahunt, & in majoribus utuntur matrimonio jam contracto, ut *cap. Cùm olim de Cleric. conjug.* Unde uxores Græcorum gaudent privilegio fori, etiam in civilibus, ſecundùm Joan. de Imol. hìc *num.3. verſ. Et per hoc videtur*, & Stephan. Aufrer. in *d. tract. de poteſt. ſæcular. in 2. reg nu.35. verſ. Uxores verò Clericorum in ſacris.*
Secundò, hic caſus poteſt contingere in Eccleſia Occiden- 38
tali in conjugato, qui ad ſacros Ordines promovetur uxore conſentiente, & continentiam vovente, juxta textum in *cap. Conjugatus cum ibi notatis, de converſ. conjugat.* nam & illarum cura non eſt negligenda: imò Clericus de fructibus beneficii ſui poteſt uxorem alere, ſicut Apoſtoli faciebant, ut in *cap. Omnino 31. diſt.* ubi bonus textus cum gloſſ. *& in cap.1. de cohabit. Cleric. & Mulier.* ſecundum Abb. hic *num. 9.* Et idem eſt ſi Maritus Religionem profiteatur uxore in ſæculo remanente, & caſtitatem promittente, *cap. Cùm ſis, & cap. Sanè de converſ. conjun.* ſecundùm Marian. Socin. ſuprà in *c. Proxim. num.20.*

Secunda concluſio: Uxor Clerici in minoribus Ordi- 39
nibus conſtituti, qui in habitu, & tonſura non incedit, vel inſervit Eccleſiæ, nec in civilibus, nec in criminalibus gaudet fori privilegio: nam cùm talis Clericus hoc privilegio non gaudeat, ut in *d. c. un.* juncto Decreto Concilii Tridentini *cap.6. ſeſſ.2.* longè minùs gaudere debet illius uxor, quæ non ex perſona propria, ſed ex perſona mariti ſortitur forum: & hoc eſſe indubitatum affirmat Jo. Andr. in *d. c. un. n.3.* Abb. *num.7. verſ. Primo caſu*, & Alexan. de Nævo *num 16.*

Tertia concluſio: Uxor Clerici in minoribus etiam 40
deferentis habitum, & tonſuram Clericalem, & inſervientis Eccleſiæ ad præſcriptum *d. c. 6.* non gaudet privilegio fori in civilibus, ubi non agitur de perſonali diſtrictione: nam cùm tali privilegio non gaudeat Clericus illius maritus, ut eſt text. in *d. cap. un.* & ex ſententia S. Congregationis Concilii dixi in *c. Propoſuiſti n. 28. infrà eod.* conſequenter nec illius uxor gaudere debet, ex theorica Joan. Andr. de qua in præcedenti concluſione.

Quarta concluſio; Uxor Clerici in minoribus inceden- 41
tis in habitu, & tonſura Clericali, & inſervientis Eccleſiæ, gaudet privilegio fori in criminalibus etiam civiliter intentatis; & hoc ſecundùm unam opinionem, quæ communis eſt, ut patet ex dictis ſuprà *num. 33.* & mihi videtur etiam de jure verior: nam & ſi Alex. de Nævo hìc *num. 18.* affirmet contrarium poſſe defendi probabiliter, & magnam vim faciat in eo, quòd privilegium fori in Clerico deſcendat à charactere Clericali, cùm ſit de jure Divino, *cap. Si Imperator 96. diſt.* qui quidem character cum inhæreat perſonæ ipſius Clerici, ad alios extendi non poteſt: hoc tamen parum videtur urgere, quia privilegium fori in uxore non pervenit ab extenſione characteris, ſed ex
eo, quòd uxor ſortitur forum mariti. Dicit enim Impe- 42
rator in *l. fin. C. de incol. lib.10.* Mulieres honore maritorum eri-

erigimus, & genere nobilitamus, & forum ex eorum
43 perſona ſtatuimus, & dictum eſt ſuprà *num.* 34. Quòd ſi hoc procedit indifferenter in Uxoribus ſæcularium virorum, longè magis obtinere debet in Uxoribus Clericorum, quæ majoribus privilegiis decorantur, quàm uxores aliorum, ut patet in *l.* 1. *&* 2. *Cod. de Epiſcop. & Cler.* & conſiderat Abb. hìc *num.* 7. Neque enim ex eo, quòd maritus ſit clericus, uxor illius debet eſſe deterioris conditionis; imò melioris, ut *d. l.* 2. nec alioquin dignitas mariti dedecus uxoris retorqueatur, contra textum in *d. l. fin. & l. Fœminæ, ff. de Senator.* Item ſi eſt ita in uxoribus militum armatæ militiæ, ut forum viri ſortiantur, *d. l. fin. C. de Incol. lib.* 10. cur non idem dicendum ſit in uxoribus Clericorum, qui ſunt milites cœleſtis militiæ, *cap. Chriſtianis* 11. *q.* 1. *c. Nullus Epiſcoporum* 53. *diſt. & cap. Degradatio*, ibi, *Cœleſtis militiæ milites*, *de pœn. lib.* 6. Et huic fundamento, quod mihi videtur irrefragabile, non reſpon-
44 dent Alex. de Nævo, & alii ſequaces alterius opinionis. In oppoſitum tamen ſtat authoritas Joan. Andr. & communis obſervantia. *Sed* tenendo ſupradictam opinionem, eam limitabis, ut procedat, quamdiu vivit Clericus conjugatus; ſecus poſtquam obierit, ut hìc per eumdem Alex. de Nævo *nu.* 22. Porrò Sac. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum noluit decidere hunc articulum, fortè quia ad interpretationem Concilii non pertinet. Nam conſulta ab Epiſcopo Nuſcano, an uxor conjugati Clerici gaudeat privilegio fori, prout ejus maritus: Reſpondit non eſſe Congregationis id decidere, ſed quæſtionem eſſe ſolvendam ex diſpoſitione juris communis.

45 De privilegio Canonis, cùm ſit annexum clericali characteri, nuſquam fuit uſu receptum, ut extendatur ad uxores, ſecundùm Jo. Andr. in *d. cap. un. num.* 3. quem ibi ſequuntur Geminianus, Franc. & alii communiter, Cardin. in *Clem. Per litteras in* 12. *q. de præben.* & Alex. de Nævo *hìc num.* 21.

46 Sextò, ruſtici Eccleſiæ gaudent fori privilegio, ſecundùm Hoſtien. in *Summ. hoc tit.* §. 2. *verſ. Ex præmiſſis*, qui ad hoc allegat *c. Indicatum* 86. *diſt. cap. Eccleſiarum ſervos* 12. *q.* 1. *l.* 2. *C. de Epiſc. & Clericis, & l. Si quis, C. ubi cauſ. Fiſcal.* Verùm hoc procedit in duobus caſibus, quos notat gloſſ. 1. in *d. c. Indicatum*, & Jo. Andr. *hìc n.* 6. *in gloſſ.* 2. Primus eſt, cum Eccleſia ex privilegio Imperatoris habet juriſdictionem ſuper eos, arg. *c. Si duobus de appell.* Secundus eſt, quando ruſtici habent generalem bonorum adminiſtrationem ab Eccleſia, arg. *cap. Ei qui*, §. *Nulli quoque* 2. *q.* 6. Tertium caſum addit Speculator in *tit. de compet. Judic.* §. 1. *verſ. Vigeſimoſeptimo*, & Collect. *hìc num.* 5. videlicet quando conveniuntur ſuper re, quam tenent ab
47 Eccleſia. Quod locum habet, etiamſi duo emphyteutæ laici contendant inter ſe de dominio utili, quod habent ab Eccleſia: nam cauſa agi debet coram judice Eccleſiaſtico, ut pluribus decidunt Domini de Rota *dec.* 42. *part.* 6. *recent.* Sed his caſibus exceptis ruſtici Eccleſiæ generaliter in foro ſæculari conveniuntur, ſecundùm gloſſ. & Joan. Andr. *ubi ſuprà*, & ſequuntur hìc Butr. *num.* 6. Alexand. de Nævo *num.* 13. & Marian. Socin. in *cap. Prox. ſupra eod. in* 5. *declaratione num* 8. qui prædictis addit quartum caſum, videlicet ſi extaret conſuetudo, ut convenirentur in foro Eccleſiæ. Conſuetudo enim dat juriſdictionem, *l. Viros, C. de diverſ. offic. lib.* 12. *cap. Cùm contingat infrà eodem*, & ibi latiùs Doctores.

48 Septimò, gaudent privilegio fori Oblati alicujus Religionis, in quibus exemplificant hìc verbum, *Minores*, Innocent. Joann. Andr. & alii. *Sed de his dic*, ut ſcripſi latiſſimè in *cap. Ut privilegia à num.* 1. *uſque in fin. infrà de privileg.*

49 Octavò, eodem privilegio gaudent Monachi, & Converſi, ut *c. A Subdiacono* 93. *diſt. cap. Inolita* 11. *q.* 1. *cap. Parochianos, & c. Cùm illorum infrà de ſent. excommun.* & in his exponunt hanc litteram in *ver. Minores*, Hoſtien. Joan. Andr. & Butr. *num.* 6. Et idem dicendum de Monialibus, ut *d. c. De monialibus eod. tit.* Et de Religioſis omnibus approbatam regulam profitentibus tradit Marian. Socin. in *c. Prox. ſuprà eod. in* 7. *declarat. n.* 10.

Nonò, hoc privilegio gaudent Novitii, arg. *cap. Religioſo*, §. *Quamvis, de ſentent. excommun. lib.* 6. quamvis enim cum effectu non ſint Religioſi, ſunt tamen perſonæ Eccleſiaſticæ, gaudent privilegio Canonis, ut ibi dicitur, & ſunt de foro Eccleſiæ, ut per Cardin. in *Clem.* 2. *n.* 9. *verſ. Item Novitius de præben.* & ſcripſi poſt Hoſt. & alios in *cap. Statuimus num.* 45. *infrà de regular.*

Decimò, Eremitæ quoque dicuntur hoc privilegio gaudere, ut notat gloſſ. *ult. in cap. Nulla ratione* 93. *diſt.* & 50
gloſſ. in *c. Qui verè, in ver. Vero* 16. *q.* 1. ubi dicunt Eremitas ſubeſſe Epiſcopo, in cujus territorio degunt. Idem 51
voluit Innoc. in *c. Cùm Monaſterium num.* 1. *ſuprà de elect.* ubi concludit, Eremitas, quamvis poſſint habere proprium, quia non abrenunciant, tamen eſſe perſonas Eccleſiaſticas, & debere continentiam promittere, & ſervare, *cap. Scripſit*, §. *Ecce* 27. *q.* 2. & cum eo tranſeunt ibi Hoſtien. *num.* 3. & Joan. Andr. *num.* 12. Idem tenet Archid. in *d. cap. Qui vere n.* 3. 16. *q.* 1. *& in cap.* 1. *nu.* 1. *in ver. Eremiticam, de exceſſ. Prælat. lib.* 6. ubi aſſerit, Eremitas, quamvis non renuncient propriis, tamen habere annexum votum continentiæ, gaudere privilegiis Clericorum, & ſubeſſe Epiſcopo, in cujus territorio conſiſtunt, quia non
debent eſſe acephali, *d. c. Nulla ratione* 93. *diſt.* Licèt ſub- 52
dat eos non eſſe verè Religioſos, niſi dent ſe alicui ex Religionibus approbatis, ſecundùm ea, quæ notantur in *cap. De Viduis* 27. *q.* 2. ſequitur Abb. in *d. cap. Cùm Monaſterium num.* 2. *de elect.* & Butr. hìc *num.* 6. qui ſimpliciter ait tales gaudere fori privilegio; & hanc partem conatur hìc tueri, & veriorem putat Alex. de Nævo *num.* 27. ubi concludit Eremitas eſſe perſonas Eccleſiaſticas, & gaudere fori privilegio. Movetur primò per text. in *cap. Item cùm Joannes Baptiſta* 2. *q.* 7. ubi Sanctus Joannes Baptiſta dicitur vitam Eremiticam duxiſſe; ergo talis non eſt vita laicalis, ſed Eccleſiaſtica, ad idem §. *Ecce* 27. *quæſt.* 2. ubi Sanctus Macarius, & Sanctus Alexius poſt contracta ſponſalia de præſenti elegerunt vitam Eremiticam, ut Deo ſervirent, & ſic ſuas ſponſas reliquerunt. Ergo ſequitur ſecundum eum, ut non ſit vita ſæcularis, ſed Eccleſiaſtica, facit *d. c. Qui verè* 16. *q.* 1. ubi vita Eremitica laudatur. Deinde movetur per textum in *cap. Duo ſunt* 12. *q.* 1. ubi textus ponderat perſonas Eccleſiaſticas eſſe, nedum Clericos, ſed etiam perſonas Deo devotas, quæ ſunt deditæ orationi, & contemplationi, quæ ab omni ſtrepitu temporalium debent ceſſare. Sed Eremitæ ſunt tales. Ergo ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ. Idem firmat Felin. hìc *num.* 5. *verſ. Eremitæ ſunt de foro Eccleſiæ*, ubi alios adducit, & allegat textum, quia dicit eſſe novum, in *cap. fin.* §. *Item vitas Patrum* 15. *diſt.* ubi textus dicit: Vitam Eremitarum cum honore ſuſcipimus: & quamvis reſtringatur ad vitas, quas ſcripſit Hieronymus: tamen ut inquit Felin. hoc verum quoad hoc, ut illi dicantur ſancti: ſed non reſtat, quin ille text. probet vitam illorum religioſam eſſe, Unde ab Eccleſia invocantur Sancti Monachi, & Eremitæ. Demùm hanc dicit eſſe communem concluſionem, & ſequendam favore animæ, Aretin. hìc *num.* 9. & Boer. in *tract. de ſtat. & vit. Eremit. num.* 13. *&* 14.

Contrariam opinionem amplectuntur Laud. & Joan. de Lignano in *Clem.* 2. *de præbend.* Quia tales ex utero matris exierunt laici, nec poſteà ſupervenit aliquis actus, eripiens eos à juriſdictione Imperatoris, qualis eſt Ordinis receptio, & converſio ad aliquam ex Religionibus approbatis, ut in *cap. Si quis ſuadente* 17. *q.* 4. *in cap. fin. de relig. domib. & in cap. Non dubium, de ſent. excomm.* Idem 53
firmat Abb. hìc *num.* 10. ubi ait primam opinionem æquiorem eſſe, ſed hanc poſteriorem eſſe veriorem de jure, quia Eremitæ non habent certam regulam, ſed vivunt ſola voluntate, & ſunt ſicut locuſtæ ſine rege, ſecundùm Guliel. Naſonem & notat gloſſ. in *d. c. Qui vero in verb. verò* 16. *q.* 1. Et dictum Innocentii, quòd teneantur continentiam promittere, non probatur jure, ut idem Abb. affirmat in *d. c. Cùm Monaſterium num.* 2. & ſequitur Marian. Socin. in *c. Proxim. num.* 11. *ſuprà eod.* ubi dicit hanc opinionem ſibi magis placere, eamque tenere Gul. de Monte Lauduno in *d. Clem.* 2. *& in Clem. Cùm ex eo, de ſentent. excommun.* quia propriè loquendo iſti non ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ: non enim ſunt Clerici, & hoc clarum, nec ſunt religioſi alicujus religionis approbatæ, nec Converſi, nec Oblati, facit *c. Duo ſunt* 12. *qu.* 2. ſed ſunt meri laici, & recedunt ad libitum, nec deputati reperiuntur ad aliquem Eccleſiaſticum pium uſum authoritate Eccleſiæ, vel alicujus Prælati, & allegat Petr. de Anchar. idem tenentem in *d. Clem.* 2. *de præben. & in repet. cap. Ea quæ q.* 7. *de reg. jur. lib.* 6. qui utrobique refert ita conſuluiſſe Jo. de Calder. habetur ejus *conſ. in tit. de judic. conſ.* 7. quod incipit,

An

Ad fratres de Pœnitentia. Et hanc opinionem dicit eſſe jure veriorem, quæ etiam ſervatur in practica, Stephanus Aufrer. in *tract. de poteſt. ſæcular. ſuper perſon. Eccleſ. in 2. reg. num.* 37. ubi etiam refert ita judicatum fuiſſe in Curia Parlamenti in quodam Eremita, qui propter egregia furta, & rapinas, ultimo fuit affectus ſupplicio; licèt ipſe quoque ſubdat primam opinionem eſſe æquiorem favore Religionis, pro qua in dubio eſt judicandum, *l. Sunt perſonæ*, *ff. de Religioſ. & ſumptib. funer.*

Ego verò in hoc articulo conciliando opiniones exiſtimo diſtinguendas eſſe quatuor ſpecies Eremitarum.

54 Quidam enim ſunt Eremitæ, qui emittunt tria vota ſubſtantialia in aliqua ex religionibus approbatis, quales ſunt Eremitæ Camaldulenſes, Montis Coronæ, Montis Senarii, & conſimiles: & hos eorumque novitios indubitatum eſt gaudere non tantùm privilegio fori Eccleſiaſtici, id eſt exemptionis à ſæculari poteſtate, cùm ſint verè, & propriè Religioſi, ut *cap. 1. in fin. de exceſſ. Prælat. lib. 6.* ſecundum unum intellectum, *& c. Privilegium*, ibi, *In cellis ad Monaſterium ſpectantibus*, *de verb. ſignif. eod. lib.* & hìc notat Felin. *n. 6. verſ. Et adverte*; & de religioſis omnibus, & novitiis dictum eſt ſuprà *n.* 49. ſed etiam privilegio exemptionis à juriſdictione Epiſcopi, etiam ratione delicti perpetrati, contractus initi, vel rei ſitæ extra locum exemptum, ut ſcripſi latiſſimè in *c. Tuarum infrà de privil.* & hoc planū.

55 Quidam ſunt Eremitæ viventes in Congregatione, & habentes modum vivendi ab Epiſcopo approbatum: & tales licèt non ſint verè, & propriè Religioſi, quia non profitentur aliquam ex religionibus approbatis; ideòque nec teſtari prohibeantur, ſecundùm Archid. in *cap. unic. num.* 1. *in verb. Eremiticam*, *de exceſſ. Prælator. lib. 6.* Abb. in *rubric. de teſtam. num. 6.* Præpoſit. in *cap. Nulli dubium num.* 12. 12. *quæſt.* Alber. in *Auth. Ingreſſi num.* 32. *Cod. de Sa-*

56 *croſanct. Eccleſ.* Navarr. *comment. 2. num. 44. de regular.* exiſtimo tamen eſſe perſonas Eccleſiaſticas, & ſubeſſe juriſdictioni Epiſcopi diœceſani. Moveor primò per text. in *cap. Idemnitatibus*, *§. penult. de elect. lib. 6.* ubi patet, mulieres viventes in Congregatione, licèt non renuncient propriis, nec profeſſionem faciant, nihilominus inſtar Monialium eſſe ſub juriſdictione Eccleſiæ; & tamen illarum ſtatus, ſeu regula non approbatur, ut ibi dicitur. Idemque patet de Beguinis in *Extravag. Ratio*, Joan. XXII. *de religioſ. domib.* Et in mulieribus, quæ vulgò dicuntur Canonicæ ſæculares, ut eſt text. in *Clem. 2. §. Illas quoque mulieres*, *de ſtat. Monachor.* unde illas eſſe conveniendas coram Judice Eccleſiaſtico, tenent Domini de Rota *deciſ. 8. de jurepatr. in antiq.* quam ſequitur Felin. in *ca. Dilecta n. 2. de ma-*

57 *jor. & obed.* Idem Butr. hìc *num* 6. Ergo idem dicendum de Eremitis collegialiter viventibus. Moveor ſecundò per text. in *d. cap. 1. de exceſſ. Prælator. lib. 6.* ubi à probatione Mendicantibus facta de novis domibus non recipiendis, excipiuntur ducentes vitam Eremiticam in cellis, ſeu habitaculis Eremi de majorum ſuorum licentia. Quæ exceptio eſſet inepta, niſi Eremitę ſaltem largè eſſent Religioſi, *leg. Nam quod liquidè*, *§. penultim. ff. de penu legat.* Moveor tertiò exemplo virorum Tertiarorum, qui ſi collegialiter vivant, gaudent privilegio exemptionis, ut dicam infrà *n.* 6. Moveor quartò, quia in his Eremitis viventibus in communi authoritate Prælati non militant rationes, & inconvenientia, quæ conſiderantur ab authoribus contrariæ ſententiæ; & de his intelligo gloſſ. in *l. 2. in verb. Non poſſunt*, *ff. de in jus vocan.* quæ exemplificat illum textum in Monachis, & Eremitis, id eſt, collegialiter viventibus.

58 Et de his etiam videtur intelligenda authoritas Innocentii in *d. cap. Cùm Monaſterium num. 1. de elect.* dum dicit hos teneri continentiam ſervare, & promittere, & ſubeſſe Epiſcopo diœcæſano, per §. *Ecce 27. qu. 2.* Demùm hoc videtur ex mente D. Thomæ in *4. ſent. diſt. 27. in expoſitione litteræ*, ubi ſic ait, *Eremitæ etiam, quamvis obedientiam non promittant, tamen votum continentiæ habent annexum, & ex mora ſecundùm determinatum tempus eorum votum ſolemnizatur*, & in 2 2. *quæſt. 186. art. 5. ad* 3. docet eos non

59 excuſari ab obedientia Epiſcopi. Et expreſsè hoc tenet Silveſt. in *ver. Eremita quæſt. 1. num. 2. & in verb. Eccleſia 1. dicto 6. num.* 6. ubi concludit hos Eremitas gaudere privilegio non ſolùm fori, ſed etiam Canonis: & contrarium dicit procedere in vagis, & profugis, nulli Superiori, vel regulæ adſtrictis: nam ut ipſe ait, ſi laicum viventem in turba, prædicta diſtrictio facit gaudere hoc privilegio, cur non Eremitas vacantes Deo penitùs in ſolitudine? & eum refert, & ſequitur Navarr. in *Manual. cap. 27. num. 79. & alii recentiores*. Facit quod dicunt Domini de Rota *deciſ. 1. de regul. in antiq.* ubi contra opinionem Jo. Andr. in *cap. Dilecta*, *de majorat. & obed.* tenet mulieres aliàs canonicè intrantes Monaſteria, in quibus Religio non eſt approbata, quamdiu ſunt in Eccleſia; vel divino ſervitio, vel habent habitum religioſum, potiri debere privilegio immunitatis, ut illas percutiens ligetur ſententia Canonis; quia cùm de præſenti religioſè vivant, cenſentur perſonę Eccleſiaſticæ, & gaudere debent hoc privilegio ſicut Clerici ſimplices aliquo voto non ligati: & hoc tenet Rota; de quo tamen vide, quæ dicta ſunt ſuprà *num.* 19. *& num.* 45. & quod dicam infrà *num.* 61. & de talibus Eremitis intelligo authoritatem ſextæ Synodi Conſtantinopolitanæ *can. 42. Concil. tom. 3. pag.* 242. cujus DD. noſtri mentionem non faciunt: ibi enim ſic legitur, *Eos qui dicuntur Eremitæ, qui quidem nigris veſtibus induti, & capite comati urbes obeunt, & cum viris ſæcularibus, ac mulieribus verſantur, & propriæ profeſſioni faciunt injuriam; ſtatuimus ſi elegerint quidem tonſis comis reliquorum Monachorum amictum ſuſcipere, eos in Monaſterio conſtitui, & inter fratres referri. Quòd ſi hoc non elegerint, ex Urbibus expelli, & ſolitudines habitare, ex quibus ſibi etiam denominationes confinxere*. Hæc ibi. Quæ verba non 60
obſcurè inſinuant, hos Eremitas, quamvis non ſint propriè Religioſi, tamen profiteri aliquem vivendi modum ab Eccleſia permiſſum, & eſſe perſonas Eccleſiaſticas: aliàs enim ſi eſſent profeſſionis merè laicalis, Concilium non improbaret, ut verſarentur cum viris ſæcularibus in injuriam profeſſionis, argum. *c. In nova 16, qu. 7. & c. Cùm cauſam*, *de elect. cum ſimil.* neque in eos ſtatueret, niſi eſſent de foro Eccleſiæ, quia forum ſortiri, & ſtatutis ligari, à pari procedunt, *cap. 2. de conſtitut. lib. 6.* Butr. in *rubr. de conſuet. num.* 7. nec merè laicos diſtringit Concilium citrà materiam peccati, ut notat Innoc. in *cap. Correctam nu. 3. verſ. Nec ſunt iſtæ perſonæ de foro Eccleſiæ de regul.* & DD. in *cap. Novit*, *de judic.*

Quidam verò ſunt Eremitæ, qui quamvis nec ſint profeſſi alicujus Religionis, nec vivant in communi, tamen ſunt authoritate Epiſcopi deputati ſervitio alicujus Eccleſiæ, vel Oratorii, & de Epiſcopi manibus ſuſcipiunt habitum Eremiticum, & ſub illius obedientia vivunt, prout multos vidi in ſtatu Eccleſiaſtico, & alibi: & in his ſequor opinionem Cardinalis in *Clem. Per litteras num. 9. verſ. Verius tamen dic de præb.* ubi dicit, Eremitas, dummodò authoritate Prælati habentis poteſtatem ut Epiſcopi ſint deputati ad aliquem uſum perpetuum Eccleſiaſticum, vel pium, cenſeri perſonas Eccleſiaſticas, & privilegio Eccleſiaſtico gaudere: allegat *Clement. 1. de decim. & cap. Per exemptionem*, *de privileg. lib. 6.* Et ita ex facto conſuluit Anton. de Butr. *conſ. 19. num. 19. verſ. Unde ex hoc ſatis*, ubi concludit, Eremitas, & alios exiſtentes in ſtatu pęnitentium, & habitantes in Oratoriis etiam privatis, eſſe ſuppoſitos Epiſcopo, & haberi pro Eccleſiaſticis perſonis, & gaudere privilegio fori Eccleſiaſtici, quia eorum caput eſt Chriſtus; & ideò ſuperiorem non habent niſi Papam, Epiſcopum, & Parochum: & eſt ex mente Abbatis, Marian. Socin. & aliorum, quos citavi ſuprà *num.* 53. Subdit 62
tamen Cardinalis loco proximè citato, tales non gaudere privilegio *cap. Si quis ſuadente*; quia locum habet in percutiente Clericum, vel Monachum, ut ibi dicitur, & ſic non in aliis, niſi quatenus invenimus in jure expreſſum, ſicut exprimitur de Converſis in *cap. Non dubium*, *& c. Parochianos*, *de ſent. excomm.* quia & ipſi ſunt Religioſi, & de Novitiis in Religione, qui interim Religioſi cenſentur, ut *cap. Religioſo*, *§. Quamvis eod. tit. lib. 6.* ſed extra caſus expreſſos in jure non eſt locus *d. c. Si quis ſuadente*, ſecundum eum: quod etiam tenent Jo. Andr. Alex, de Nævo, & alii ſupracitati *num.* 45. & Marian. Socin. in *c. Proxim. num. 12. verſ. Et hoc caſu ſuprà eod.* De hoc tamen privilegio Canonis vide quod dixi ſuprà proximè in Eremitis viventibus in communi *num.* 59. & de Diaconis Selvaticis *nu.* 19. & de uxoribus Clericorum *num.* 45.

Quidam denique ſunt Eremitæ, qui non ſunt deputati 63
Eccleſiæ ſervitio authoritate alicujus Prælati Eccleſiaſtici, ſed voluntariè ſuſcipiunt, & ad ſui libitum deferunt habitum Eremiticum: & in his Doctores videntur convenire, ut non ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, nec ullo modo gau-

deant privilegio Clericali: ita Cardinal. in *d. Clement. Per litteras num. 9. in fin. verſ. Si verò à nemine eſt facta talis deputatio*: nam, ut ipſe ait, abſonum foret, ut cenſerentur Eccleſiaſticæ perſonæ, cùm ſint meri laici, & recedant ad ſui libitum, & ad nullum uſum Eccleſiaſticum, vel pium authoritate Eccleſiæ, id eſt, Prælati authoritatem habentis, ſint deputati: & dicit in hoc ultimo caſu procedere opinionem Lauduni: & in his verificatur illius dictum, quòd ſint ſicut locuſtæ ſine Rege. Prætereà abſurdum eſſe, ut tales pro ſola voluntate poſſent ſe eximere à jurisdictione Imperatoris, ut conſiderat Abb. hìc *nu.* 10.
64 & Marian. Socin. in *c. Prox. num.* 11. *ſuprà eod.* & Stephan. Aufrer. in *d. tract. de poteſt. ſecular. & c. in 2. reg. num.* 37. Facit optimè ſecundùm eos *c. Duo ſunt genera* 12. *q.* 1. Verumtamen ſi vigeret conſuetudo, ut Eremitæ hujuſmodi potirentur privilegio fori, talis conſuetudo eſſet utique obſervanda, ſecundùm Marian Socin. *d. num.* 11. *in fin. verſ. Sed retenta*: conferunt quæ dixi ſuprà *num.* 47. & quæ dicam infrà *num.* 70.

65 Undecimò, ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, & gaudent privilegio fori Fratres, & Sorores de Pœnitentia, ſeu Tertii Ordinis, & Milites S. Mariæ, qui dicuntur Fratres Gaudentes, ſecundum Bart. in *l.* 1. *in fin. ff. de pœn.* & fuſiùs in *l. Semper*, *§. fin. num.* 1. *ff. de jur. immunit.* ubi dicit ita conſuluiſſe multos Advocatos de Curia, & in ſpecie Guidon. Archid. Bononienſem, & Dynum, quorum tamen conſilia ſolùm loquebantur in Fratribus Gaudentibus, ſed idem dicendum eſſet in Fratribus de Penitentia, ſeu Tertii Ordinis, & conſentiunt hìc Butr. *num.* 6. & Alexan. de Nævo *num.* 31. Paulus in *Clem. Cum ex eo*, *de ſent. excommunicat.* dicens ita conſuluiſſe Joann. de Lignano. Idem firmant Butr. in *cap. un. num.* 13. *verſ. Hoc putat Bartolus, de obligat. ad ratioc.* Marian. Socin. in *cap. Prox. num.* 12. *verſ. Ego verò pro concordia ſuprà eod.* dummodò habitum, & modum vivendi ſine fraude aſſumant, & authoritate Superioris, & Angel. in *ver. Excommun.* 7. §. 8. Et hanc opinionem dicunt eſſe tutiorem, æquiorem, & favorabiliorem, Marian. Socin. in *d. cap. Prox. nu.* 12. *verſ. Et hanc opinionem*, Alex. de Nævo hìc *nu.* 31. *in fin.* & Stephanus Auferer. in *d. tract. de poteſt. ſecular. in 2. reg. num.* 39. Pro qua facit gloſſ. 3. in *d. Clem. Cum ex eo*, ubi refert ejuſmodi Ordinem fuiſſe approbatum per Nicolaum Papam. Quod patet ex Conſtitutione Nicolai IV. quæ incipit, *Supra montem*: & habetur in Bullar. *tom.* 1. *pag.* 126. & per illam gloſſam dicidit ſe ita pronuntiaſſe, Cardinalis in *cap. Si diligenti infrà eodem*; refert etiam Aufrerius *loco citato*, hodiè hoc eſſe deciſum in Extravag. Sixti IV. quæ incipit, *Sancta Romana*, ubi recitatur, multos ſolemniſſimos Doctores ita conſuluiſſe. Item teſtatur ſic obſervari in Civitate Tholoſana.

Contrarium, id eſt, Fratres Tertii Ordinis non eſſe de foro Eccleſiæ, pluribus conſuluit Joan. Calderinus *conſ.* 7. *de foro compet.* quod incipit, *Quæſitum eſt à me, an Fratres de Pœnitentia*, Feder. de Sen. *conſ.* 150. incipien. *Cum aliqui boni viri in princ.* Cardin. *conſ.* 13. *In Civitate in fin.* Abb. *conſ.* 31. *Ad claram deciſionem per totum lib.* 1. & idem Abb. hìc *num.* 11. *verſ. Item pro iſtis Fratribus*: quia tales licèt habeant modum vivendi à Sede Apoſtolica approbatum; non tamen ſunt verè Religioſi, cùm non profiteantur tria ſubſtantialia Regulæ, nec ſunt Clerici, nec uxores dimittunt. Idem tenent Gul. de Monte Laud. & Petrus de Ancharan. in *d. Clement. Cùm ex eo num.* 6. *de ſentent. excommun.* & ibi etiam Cardin. & plenius in *Clem. Per litteras in* 12. *quæſt. de præben.* Bald. in *leg. Placet num.* 13. *Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* Et hanc partem profitentur eſſe veriorem Abbas, Marian. Socin. Alex. de Nævo, & Aufrerius *locis cit.* quia ſi rectè conſideraretur illorum ſtatus, magis ad laicalem, quàm ad Eccleſiaſticam vitam accedunt: nam cùm tria ſint cujuslibet approbatæ Religionis ſubſtantialia, videlicet caſtitas, paupertas, & obedientia, *cap. Cùm ad Monaſterium infrà de ſtatu Monachorum*, ipſi nec continentiam ſervant, cùm uxores habeant; nec paupertatem, cùm proprium poſſideant; nec etiam poſſunt omnimodam ſervare obedientiam, quia cùm ſint conjugati, non habent integram ſui corporis poteſtatem, ut in *cap. Non debet infrà de conſangu. & affinit.* & ibi eis objicitur, quòd non benè concordat cithara cum pſalterio, hoc eſt, vita activa malè concordat cum contemplativa, ut dicit text. in *cap. Diverſis, de Cleric. conjugat.* Quare cùm ipſi magis accedant ad ſtatum laicalem, quàm ad Eccleſiaſticum, debent cenſeri laici; quia mixtum debet judicari ſecundum illud ſimplex, in quo magis incaleſcit, ut *l. Quæritur*, *ff. de ſtat. homin. & c. Si teſtes*, *§. Hermaphroditus* 4. *q.* 3. benè facit text. in *c. Duo ſunt* 12. *q.* 1 & ita ſervatur Peruſii, ubi Fratres Tertii Ordinis ſolvunt collectas, & conveniuntur coram judice ſæculari, ut de ſuo tempore teſtatur Bart. in *d. leg. Semper*, *ff. de jur. immunit.*

Hodiè tam ingens controverſia inter Primarios utriuſq; juris Interpretes ſopita eſt ex Concilio Lateranenſi noviſſimo *ſeſſ.* 11. *in fin. Concilior. tom.* 4. *part.* 2. *pag.* 123. & Conſtitutione Leonis X. ut in decreto S. Congregationis Concilii, tenoris infraſcripti, videlicet: *Sacra Congregatio cenſuit Tertiarios, Mantellatos, Corrigiatos, alioſque ſimiles ita demum Ordinis, cujus tertiæ regulæ habitum aſſumpſerunt, privilegiis potiri, & ab Ordinarii juriſdictione exemptos eſſe, ſi viri collegialiter vivant, ſeu cum clauſtralibus habitent: & mulieres virginalem, ſeu cœlibem, aut caſtam vidualem expreſſo voto, & ſub dicto habitu vitam traduxerint*; quemadmodum cavetur Conſtitutione Concilii Lateranenſis ſub Leone X. quæ habetur *ſeſſ.* 11. *in fin.* Hoc autem voto mulierum alia duo, ſcilicet paupertatis, & obedientiæ, nequaquam includi: quinimò hujuſmodi mulieres, ſi vitam virginalem, aut cœlibem ſimpliciter, expreſsè que voverint, etiam in conſanguineorum, & affinium ſuorum, aut propriis domibus, vel ſeorſim habitantes, ſupradictis privilegiis Ordinis, cujus regulæ habitum deferunt, exemptioneque ab Ordinarii juriſdictione frui debere, quemadmodum idem Leo poſtea declaravit die prima Martii 1518. Conſtitutionem autem ſan. mem. S. Pii V. qua Sorores Tertii Ordinis ad perpetuam clauſuram obſtringuntur, utpotè loquentem de his, quæ in communi, & in Congregatione vivunt, ad ſupradictas Sorores in conſanguineorum, vel propriis domibus habitantes, votumque unicum expreſſum virginalis, aut cœlibis, vel caſtæ vidualis vitæ emittentes, de quibus cavetur in dicto Concilio Lateranenſi, nihil pertinere; & propterea quoad illas dictam Conſtitutionem nec Concilium Lateranenſe correxiſſe, aut immutaſſe, nec quicquam novi juris induxiſſe. Et aliàs cenſuit Tertiarias domi ſuæ, vel ſuorum conſanguineorum habitantes, & habitum Religionis geſtantes, nulla exemptione potiri, niſi emiſerint expreſſum votum caſtitatis, vel cælibatus, juxta Decretum Concilii Lateranenſis ſub Leone X. *ſeſſ.* 11. Cæterùm etiamſi id votum emiſerint, ſi tamen Ordinarii, vel Parochi jus illi adminiſtrandi Sacramenta etiam tempore Paſchatis, vel aliàs in eis juriſdictionem acquiſierint; non poſſe ipſas de cætero adverſus Ordinarios, vel Parochos exemptione uti, ſed obſervandam eſſe conſuetudinem. Circa hoc vide quod ſcripſi in *c. Omnis utriuſque num.* 64. *infrà de pœnit. & remiſſ.* 66 67 68 69

70 Ampliùs cùm oblatus fuiſſet Sac. Congregationi ſupplex libellus ſequentis tenoris, videlicet: *Baro Terræ Aprocinæ Lecerinæ Diœceſis habet nonnullos vaſſallos Tertiarios nuncupatos Religionis Sancti Franciſci, uxoratos tamen, & extra clauſtra uti alios ſæculares in propriis ædibus, & de ſuis artificiis viventes, qui à juriſdictione Oratoris ſe fore exemptos, nec ad ſervitia Baronalia, & ad onera univerſitatis ſuſtinenda compelli poſſe prætendunt*; *ſupplicat igitur Baro præfatus Sac. Congregationi, ut dignetur declarare, & reſcribere loci Ordinario, prædictos Tertiarios laicos taliter viventes non debere gaudere privilegio fori Eccleſiaſtici. ſed illos poſſe per Oratorem, ejuſque Officiales ad ſervitia prædicta, & univerſitatis onera ſuſtinenda compelli*: *Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Trident. Interpretum reſpondit, hujuſmodi viros Tertiarios in Congregatione non viventes privilegiis Ordinis, cujus habitum geſtant, non potiri, quemadmodum diſertè cavetur decreto Generalis Concilii Lateranenſis. Sed ſi ex conſuetudine aliquid juris in hoc acquiſierint, conſuetudinem eſſe ſervandam.*

71 Duodecimò, gaudent privilegio fori Eccleſiaſtici ſervientes, ſeu quocumque alio titulo addicti Militiis, ſeu Monaſteriis, Hoſpitalibus, vel Collegiis Eccleſiaſticis, dummodò tamen tria copulativè concurrant. Primum eſt, ut ſupradictis locis, aut militiis actu ſerviant. Secundum, ut intra eorum ſepta, ac domos reſideant. Tertium, ut ſub eorum obedientia vivant, ut expreſsè ſtatuitur Decreto Concilii Tridentini *cap.* 11. *verſ. Exceptis ſeſſ.* 24. & in

& in ſpecie deſervientibus Militiæ S. Joan. Hieroſolymitani cautum eſt Conſtitutione Gregorii XIII. quæ incip. *Circumſpecta in Bullar. tom.2. pag.*448. Facit *cap.*11. *ſeſſ.*25. *ne regular.* ibi, *Præter eas, quæ ſunt de illorum Monaſteriorum, ſeu locorum familia perſonæ*.

72 Decimotertiò, olim controvertebatur, an eſſent de foro Eccleſiæ Rectores piorum locorum, videlicet Hoſpitalarii,
73 Leproſarii, & hujuſmodi. Et quidem de Templariis nullum dubium, quia profitebantur regulam S. Auguſtini, ut notat Petr. de Anchar. in Clem. *Cùm ex eo n.6. verſ. Non obſtat de ſent. excomm.* Sed hic Ordo fuit extinctus à Clemen. V. in Concilio Viennenſi, ut patet *tom.*3. *Concilior. p.*2. *pag.* 776. & idem dicendum de Hoſpitalariis S. Joan. Hieroſolymitani, ut notat gloſſ. 1. *in c. Mulier.* 25. *diſt.* & Felin. *hic n.*8. de Hoſpitalariis S. Spiritus in Saxia, B. Joannis de Deo, & conſimilibus tria vota ſubſtantialia emittentibus. Sed de aliis Hoſpitalariis, qui utuntur conjugio, nec renuntiant proprio, & aliquod ſignum deferunt in veſte, puta Crucem, vel quid ſimile; olim non levis erat controverſia: nam Joan. de Lignano, & Guliel. de Monte Laud. in Clem. *Per litteras de præbendis*, tenuerunt tales non gaudere privilegio fori Eccleſiaſtici, neque in perſona, neque in bonis, niſi pro bonis, quæ Hoſpitali obtuliſſent, quia tales non ſunt Clerici, nec Converſi alicujus approbatæ Religionis, de quibus *in c. Duo ſunt genera* 12. *q.*1. Sequitur ſimpliciter Petr. de Anchar. *in repet. c. Ea quæ* 15. *q. de reg. jur. lib.*6. & in d. Clem. *Cùm ex eo, n.*6. & ita obſervari de conſuetudine teſtatur Stephan. Aufr. *in tract. de poteſt. ſecular. ſuper perſon. Eccleſ. in* 2. *reg. n.*38. Verùm Hoſt. *in Summa de reg.* §. 1. *verſ. Quid de ruſticis*, videtur diſtinguere, an ædificaverint Hoſpitalia propria authoritate, & non gaudeant aliquo privilegio; an verò authoritate Epiſcopi, & tunc gaudeant, quia videntur Religioſæ perſonæ. Similem diſtinctionem facit Cardinalis in d. Clem. *Per litteras in* 12. *q. n.*9. *de præbend.* videlicet, aut Hoſpitalarii ſunt perpetuò deputati ad aliquem Eccleſiaſticum, vel pium uſum authoritate Epiſcopi, & tunc gaudeant fori privilegio; aliàs ſecus. Hoſt. tamen videtur poſteà limitare, & reſtringere ſuam concluſionem; dummodò in manibus Epiſcopi promiſerint caſtè vivere, & uxore mortua aliam non ducere: & hæc opinio placet Abbati *hic n.*11. & Marian. Socin. *in c. Prox. n.*19. *ſuprà eod.* quaſi tunc videantur Converſi; ſed iſtis non concurrentibus ſequuntur primam opinionem Joan. de Lignano, & Laudun. Hodie ſi Rectores Hoſpitalium reſideant intra illorum domos, hæc quæſtio parum videtur habere difficultatis propter Decretum Concilii Tridentini *c.*11. *ſeſſ.*24. nam ſi actu inſervientes Hoſpitalibus, qui intra illorum ſepta, & ſub eorum obedientia vivunt, privilegio exemptionis potiuntur, ut ibi cavetur, & fuſiùs dictum eſt ſuprà *nu* 72. fortiùs potiri debent eorumdem Hoſpitalium Rectores. Si verò degant extra ſepta, tunc teneri poteſt diſtinctio Cardinalis, niſi conſuetudo ſit in contrarium.

Præter ſupraſcriptos ſunt & alii, de quibus controvertitur, an ſint de foro Eccleſiæ, & exempti à juriſdictione 74
Judicis ſæcularis, & in ſpecie ambigitur de Pœnitentibus, qui ſcilicet ob aliquod crimen à Judice Eccleſiaſtico damnati ſunt ad agendam ſolemnem, vel publicam pœnitentiam, per text. *in c. Aliud* 11. *q.* 1 qui duplicatur *in c. Aliud, de pœnit. diſt.*1. & de his conſule Marian. Socin. *in c. Proximo ſuprà eodem in* 10. *declaratione*, *num.*13. & Covarr. latè de hoc articulo differentem *Pract. q. c.*34. *à nu.*3. Communis opinio videtur eſſe, ut tales ſint ſub protectione Eccleſiæ tamquam miſerabiles perſonæ, ſed non ſint exempti à ſæculari poteſtate. Similiter dubitari ſolet de Diſciplinatis, ſeu ſocietatibus diſciplinatorum. Et de his vide eumdem Marianum Socin. *loc. cit. in* 12. *declaratione*, *num.* 15. & Alexan. de Nævo *hic num.*36 poſt Bart. *in l. Sub prætextu, C. de Sacroſanct. Eccleſ.*

A nonnullis idem controvertitur de Jeſuatis, an ſcilicet 75
ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, & de foro Eccleſiæ, ut per Abbat. *n.*11. *verſ. Et ex his concludo*, Alex. de Nævo *n.*33. & alios hic, & Marian. Socin. *ubi ſuprà in* 11. *declaratione*, *n.*14. Sed malè, quia illorum ſtatus fuit approbatus à Martino V. & tunc conveniri non poterant, niſi coram Papa, vel ejus Delegatis, aut Ordinariis locorum, ut in ejus Conſtitutione, quæ incip. *Piæ poſtulatio voluntatis in Bullar. to.*1. *pag.*262. Sed poſteà obtinuerunt à Julio II. facultatem emittendi tria vota ſubſtantialia, & ſolemniter profitendi regulam S. Auguſtini. Unde hodie ſunt verè, & propriè Religioſi, & gaudent privilegiis Ordinum Mendicantium, ut patet in Bulla Clementis VII. incipien *Sacræ*, *eodem tom.*1. *pag.*604. & in alia S. Pii V. *Romanus Pontifex tom.*2. *pag.*245.

DE FORO COMPETENTI.

Alexander III.

CAPUT V.

SI Clericus laicum de rebus ſuis vel Eccleſiæ impetierit, & laicus rès ipſas non Eccleſiæ aut Clerici, ſed ſuas proprias aſſeverat: debet de rigore juris ad forenſem judicem trahi: cùm actor forum rei ſequi debeat. Licèt in pleriſque partibus aliter de conſuetudine habeatur.

SUMMARIUM.

1 *Laicus an, & quando pro rebus Eccleſiæ, vel Clerici conveniri poſſit coram Judice Eccleſiaſtico.*
2 *Litis conteſtatio an & quando inducatur per negationem rei conventi.*
3 *Negatio facit rem dubiam.*
4 *Si ſit veriſimilis, aliàs ſecus.*
5 *Notorium non inficitur ex ſola negatione, & num. ſeqq.*
6 *Clericus pro poſſeſſione præbendæ poteſt Laicum convenire coram Judice Eccleſiaſtico.*
7 *Qualitatem non ſufficit in libello allegare ad fundandam Judicis juriſdictionem, ſi probabiliter negetur, & num. ſeqq.*
Declaratur, num. 10. & 15.
8 *Judex, ubi negatur qualitas juriſdictionem tribuens, poteſt de qualitate illa ſummariè cognoſcere. ut videat, an ſua ſit juriſdictio, & num.* 10.
Declaratur, num. 15.
9 *Opinio Bartoli, & Jacobi de Arena, quòd ſufficiat ſola allegatio qualitatis tribuentis juriſdictionem, etiamſi negetur ab adverſario, refellitur.*
10 *Negatio qualitatis, in qua juriſdictio fundatur, non excludit funditùs juriſdictionem, ſed tamen impedit proceſſum ſuper principali, donec judex de qualitate illa ſummariè cognoverit.*
Declaratur, num. 16.
11 *Judex, cujus juriſdictio negatur, cognoſcere poteſt, an ſua ſit juriſdictio.*
12 *Res ſi negetur feudalis, de hoc ante omnia cognoſci debet.*
13 *Judex debet priùs cognoſcere, an quis contraxerit, vel deliquerit in ſuo territorio, ſi hoc negetur ad ejus juriſdictionem declinandam.*
14 *Conſervator, ſi offenſa negetur notoria, debet ſuper hoc priùs probationes recipere ad ſuam juriſdictionem fundandam.*
15 *Negatio qualitatis juriſdictionem tribuentis quid operetur.*
16 *Juriſdictio ſi fundetur ſuper ſola dubietate qualitatis juriſdictionem tribuentis, negatio qualitatis nihil operatur, ſed ſatis eſt illam in libello allegare.*

17 *Ut ſi negetur Clericatus, vel contractus uſurarius, aut matrimonialis.*
18 *Judex Eccleſiaſticus cognoſcit, ſi laicus neget raptum, vel invaſum in bonis Eccleſiæ.*
19 *Clericus ſi alleget oppreſſionem, vel fraudem, aut contractum minus legitimum, vel ſpolium, & laicus neget, procedit Judex Eccleſiaſticus.*
20 *Actor ſequitur forum rei.*
21 *Clericus agens contra laicum, poteſt & debet litigare coram judice ſæculari, & poteſt ab eo condemnari in expenſis.*
22 *Regulares convenire debent Laicum coram Judice ſæculari, non autem coram ſuis Conſervatoribus, niſi hoc habeant ex indulto Sedis Apoſtolicæ.*
23 *Accuſator in criminalibus forum rei ſequi debet.*
24 *Reus, ſi vigore ſuæ exceptionis agat præveniendo actorem, vel imploret officium Judicis, ſequi debet forum actoris.*
25 *Laicus pro rebus Clerici, vel Eccleſiæ, ſi id non neget, conveniri poteſt coram Judice Eccleſiaſtico.*
26 *Laici detinentes res Eccleſiæ, vel Clerici, dicuntur quaſi ſacrilegi, & malefactores Eccleſiarum.*
27 *Clericus agens rei vendicatione pro rebus ſuis, vel Eccleſiæ, poteſt convenire laicum in foro Eccleſiaſtico, etiam ceſſante allegatione ſacrilegii.*
28 *Et quid ſi agatur actione perſonali, ut ex legato, vel locato.*
29 *Actio ex locato, quamvis non ſit in rem ſcripta, tamen propter concurſum realis trahitur ad ejus naturam.*
30 *Clericus in cauſa merè civili poteſt convenire laicum coram Judice Eccleſiaſtico, ſi ita ſe habeat conſuetudo.*
31 *Conſuetudo in ordine judiciorum poteſt diſponere contra jus commune.*
32 *Conſuetudo trahendi Laicos ad forum Eccleſiaſticum ex qua cauſa fuerit introducta.*
33 *Clerico ex ſtylo Curiæ indiſtinctè dantur litteræ contra laicum ſuper quacumque quæſtione, ſive Judices ſæculares ſint negligentes, ſive non.*
34 *Et Laico opponenti declinatoriam fori, & appellanti non dantur litteræ in cauſa appellationis.*
35 *Nec Judex ſæcularis poteſt inhibere laico, ne reſpondeat coram Eccleſiaſtico.*
36 *Religioſi Societatis Jeſu, & eorum familiares Clerici obtinuerunt litteras Conſervatorias in omnibus cauſis ſive actores, ſive rei forent.*
37 *Laico contra Laicum Papa non concedit litteras, niſi in certis caſibus.*
38 *Regularibus an liceat in eorum cauſis civilibus petere Judices, vel Conſervatores à Magiſtratu ſæculari.*
39 *Conſtitutio Clementis VIII. de Conſervatoribus an ſit innovanda, & cum quibus additionibus, & clauſulis.*
40 *Judices in cauſis civilibus ut deputari poſſint Regularibus à magiſtratu ſæculari, quæ debeant concurrere, & num. 45*
41 *Regularium objecta ad Conſtitutionem Clementis VIII. de Conſervatoribus.*
42 *Conſervatores an poſſint vices ſuas alteri committere.*
43 *Conſtitutio de Conſervatoribus compilatur in Sacra Congregatione Concilii.*
44 *Regulares agentes contra Laicum an & quando teneantur ſequi forum judicis laici.*
45 *Regulares quibus concurrentibus poſſint petere judices in ſuis cauſis civilibus à Magiſtratu ſæculari.*
46 *Univerſitates generales an ſint comprerendendæ in Bulla de Conſervatoribus.*
47 *Conſervatores Regularium an poſſint procedere per cenſuras contra Ordinarium.*
48 *Et an poſſint exercere juriſdictionem extra locum in quo ſunt deputati.*
49 *Poſt Bullam de Conſervatoribus an ſint iterùm eligendi.*
50 *Et eorum mutatio qualiter ſit permittenda.*
51 *Regulares, conſervatoribus ab officio ſuſpenſis, coram quo conveniri debeant.*
52 *Epiſcopi, & eorum Vicarii an poſſint eligi in Conſervatores Regularium.*
53 *Conſtitutio Clementis VIII. de Conſervatoribus an ſit contra Concilium Tridentinum.*
54 *Regularia loca in quibus cenſeantur excepta à Concilio Tridentino in materia Conſervatorum.*
55 *Conſervatores Regularium an debeant eſſe judices Synodales.*
56 *Canonici Cathedralium de jure cummuni non poſſunt eligi in Conſervatores, ſecus poſt Conſtitutionem de Conſervatoribus.*
57 *Conſervatores, ubi non extant judices Synodales, quomodo eligendi, & num. 59.*
58 *Matrimonia, ubi non extant Parochi, qualiter ſint contrahenda.*

S*I Clericus*. Laicus, à quo Clericus, vel Eccleſia rem vendicat, debet coram ſuo judice laico conveniri. Sic ſummatur ſecundùm Joan. Andr. & DD. commniter; ſed ſecundùm Abbat. cui ſubſcribunt Alex. de Nævo, & Felin. hoc intendit: Super re Eccleſiæ, vel Clerici poteſt Laicus coram Eccleſiaſtico judice conveniri; ſed ſi probabiliter rem neget eſſe Clerici, vel Eccleſiæ, ad juriſdictionem Eccleſiaſticam declinandam convenitur coram ſuo judice. Ponit dictum, rationem dicti, & contrariam localem conſuetudinem, & partes patent.

Nota primò, Laicum conveniri poſſe coram judice Ec- 1
cleſiaſtico, ubi agitur de rebus Eccleſiæ, vel Clerici; & pondera quatuor caſus, quos in hoc decidit hæc Decretalis ſecundùm Antonium de Butr. *num.* 1. Imol. *num.* 2. & Alex. de Nævo *num.* 1.

Primus eſt, quando Clericus agit ſuper re propria, vel Eccleſiaſtica, & conſtat rem eſſe Eccleſiæ, vel propriam ipſius Clerici; & cognoſcit judex Eccleſiaſticus. Et colligitur hic primus caſus ex hac Decretali; quia ſi judex Eccleſiaſticus cognoſcit, quando laicus non negat rem eſſe Clerici, vel Eccleſiæ, à fortiori cognoſcere debet, quando de hoc conſtat: & hoc tenet Innocen. *hìc in princ.* Secundus caſus eſt, quando Laicus non negat rem eſſe Eccleſiæ, vel Clerici, ſed prætendit ſe aliter non teneri reſtituere: & eodem modo cognoſcit judex Eccleſiaſticus. Et hic caſus deciditur hìc à contrario ſenſu: nam ſi judex ſæcularis cognoſcit, quando Laicus negat rem eſſe Clericici, vel Eccleſiæ, ut hìc deciditur: ergo à contrario, ſi id non neget, juriſdictio ad judicem Eccleſiaſticum pertinebit. Tertius caſus eſt primo oppoſitus, quando conſtat rem non eſſe Eccleſiæ, vel Clerici; & tunc cognoſcit judex ſæcularis, & habet locum regula: Actor ſequitur forum rei. Et hic caſus deciditur in hoc Capitulo ex majoritate rationis, & à fortiori: nam ſi juriſdictio eſt judicis laici, quando dubium eſt, an res ſit Eccleſiæ, vel Clerici, multò magis idem erit dicendum, quando apparet rem non eſſe Eccleſiaſticam, aut propriam ipſius Clerici. Quartus denique caſus eſt, quando dubium eſt, an res ſit Eccleſiæ, vel Clerici, & Laicus conventus aſſeverat rem eſſe ſuam: & adhuc cognoſcit judex ſæcularis. Et hic eſt propriè caſus hujus Decretalis. Quod tamen intellige, ut dicam infrà *in 3 notab. verſ. Tertia principalis opinio num.*
10. *& num.* 15. Item intellige hoc verum, dummodò lai- 2
cus, qui negat rem eſſe Clerici, vel Eccleſiæ, coram judice Eccleſiaſtico proteſtetur, ſe per hoc non intendere in ejus juriſdictionem conſentire, nec litem conteſtari, *ut in cap. Inter Monaſterium infrà de ſenten. & re judicat.* aliàs enim ſi Laicus reſpondendo exciperet res petitas à Clerico non eſſe Eccleſiæ, ſed ſuas, & hoc ſine proteſtatione, facta eſſet litis conteſtatio, & oporteret eum coram Eccleſiaſtico judice reſpondere, *cap. Inſinuante ſuprà de offic. deleg.* ſecundùm Petrum de Sampſone, & Abbat. Antiq. *hic in ver. Aſſeveret*; vel certè, & meliùs, ut hìc dicebat Goffred. Laicus aſſeverabat res eſſe ſuas ad fori excluſionem, non ad judicii ordinationem. Et idem dixerunt Petr. & Abb. proximè citati, & poſt eos Hoſtienſ. *num.* 1. *in ver. Aſſeveret*, Joan. Andr. *num.* 2. *in eodem ver.* Butr. *n.* 5. Alex. de Nævo *num.* 9. & Abb. Siculus, qui proptereà in Summa hujus textus cautè appoſuit verba illa, *Ad juriſdictionem Eccleſiaſt. declinandam* Unde notabiliter concluditur, per negotiationem non induci litis conteſtationem, quando negatio concernit non ſolùm negotium principale, ſed etiam juriſdictionē, & competentiā judicis,

ut

ut poſt Petrus de Anchar. hic notat Joan. de Anan.
num. 4.
3 Secundò nota, ex negatione rem fieri dubiam, *cap. Pi-*
ſanis cum ibi not. de reſtit. ſpoliat. l. 3. C. Quibus ad libert.
proclam. non lic. not. gloſſ. *in cap. Veniens de renuntiat.* gl.
magna *in c.* 1. *de offic. deleg. lib.* 6. *&* *gloſſ.* 4. *in l. Plures*, C.
de fid. & inſtrum. Hoſtienſ. *hìc num.* 1. *in ver. Non Eccle-*
ſiæ, Joan. Andr. *num.* 2. *in eod. verb.* Abb. *num.* 4. & Felin.
num. 1. Et colligitur ex hac Decretali, quia dum decidit
cognitionem ad judicem ſæcularem ſpectare, ſi laicus ne-
get rem eſſe Eccleſiæ, vel Clerici: ſatis innuit ex hujuſ-
modi negatione rem dubiam reddi: aliàs enim, ſi certum
eſſet, rem eſſe Eccleſiæ, vel Clerici, non cognoſceret Ju-
dex ſæcularis, ſed Eccleſiaſticus, ut dictum eſt ſuprà *in* 1.
4 *notab. nu.* 1. Quod tamen intellige, dummodò negatio ſit
veriſimilis, ſeu probabilis, ut per Abbat. *d. nu.* 4. & Felin.
5 qui alios citat *nu.* 1. *verſ. Quintò fallit*. Secus, ſi noto-
rium eſſet, rem eſſe Clerici, vel Eccleſiæ, quia tunc non
prodeſſet laico talis negatio, quin teneretur in foro Eccle-
ſiaſtico reſpondere, ut dicunt hìc Anton. de Butrio in e-
xaminatione materiæ, Abbas *num.* 4. & Alexan. de Nevo
6 *num.* 5. inferentes propterea, ut ſi petatur poſſeſſio Præ-
bendæ, quia non poteſt eſſe non notorium in loco, quin
poſſeſſiones ſint præbendales, hujuſmodi negatio non ſuf-
ficit, ex notatis per Innocen. *in c. Venerabili de cenſib. &*
in cap. Tua de cohabit. Clericorum, & in c. Novit de judic.
in fin. Et generaliter notorium non infici per negationem,
probat textus *in cap. Super eo, de teſtib. cogen.* quem ad hoc
ibi notat Abb. *& in d. cap. Tua*, ubi ſimiliter Abb. *in princ.*
gloſſ. & Bart. *in l. Poſt rem, ff. de tranſact.* Felin. *hìc nu.* 1.
verſ. Fallit primò.
7 Tertiò nota, quod quando in libello proponitur certa
qualitas, in qua conſiſtit fundamentum juriſdictionis,
puta quòd res ſint Clerici, vel Eccleſiæ, non ſufficit ad
fundandam juriſdictionem ſola allegatio illius qualitatis,
ſi probabiliter negetur, ut per Butr. *hìc num.* 3. Imò quod
plus, eſt ſecundùm Abbat. *nu.* 6. & Alexand. de Nævo *n.*
8. *in ultimo notab.* non ſufficit ſola allegatio ſequuta ne-
gatione, etiamſi illa qualitas veniat poſteà probanda, &
examinanda ad merita cauſæ, ut hic clarè probatur; nam
ad merita cauſæ, & ad effectum ferendi ſententiam venit
hoc examinandum, an res petita ſit Eccleſiæ, vel Clerici.
Et tamen hoc non ſufficit ad fundandam juriſdictionem
Eccleſiaſtici, ſi hæc negetur. Quod eſt contra Bart. *in l.*
2. *ff. Si quis in jus voc.*
8 Sed huic theoricæ videtur obſtare, quòd ubi negatur
qualitas, vel cauſa juriſdictionem tribuens, poteſt judex
ad fundandam ſuam juriſdictionem de cauſa illa, vel quali-
tate cognoſcere, ut videat, an ſua ſit juriſdictio, ut pro-
batur *in c. Super litteris de reſcript. & in c. Cùm perſonæ,*
de privil. lib. 6. & not. *in l. Si quis ex aliena, ff. de judic. &*
in d. l. 2. *ff. Si quis in jus voc.*
9 Pro ſolutione DD. multùm ſe torquent & in ſpecie An-
ton de Butr. materiam latiſſimè examinat à *num.* 5. ſed ut
dicit Abb. *num.* 9. procedit ſtylo intricato, & obſcuro. Tu
dic clariùs. In hoc articulo ſunt tres principales opinio-
nes. Prima opinio eſt, ut ſufficiat ſola allegatio illius qua-
litatis, ſeu cauſæ deferentis juriſdictionem, licèt illa vera
non ſit, dummodò de hoc non conſtet, quia id, quod ex-
primitur in libello, habetur pro vero ad fundadam juriſdi-
ctionem. Ad quod facit *l. Cùm quædam puella in fin. ff. de*
juriſdict. omn. judic. & hæc fuit aperta opinio Bart. *in d. l.* 2.
ff. Si quis in jus voc. non ter. ubi decidit, ut quis citatus in
alieno territorio neget ſe ibi contraxiſſe, vel deliquiſſe,
non propterea excludatur, juriſdictio judicis, ne ſit opus
ut de hoc ſummariè cognoſcatur. Idemque ſenſit Guido de
Suza in Auth. *Qua in Provincia, C. Ubi de crimin. agi opor-*
teat, ubi dicit ſufficere allegare commiſſum fuiſſe crimen
in certo loco ad fundandam juriſdictionem judicis loci,
abſque eò quòd aliter probetur, vel cognoſcatur. Quòd ſi
poſteà apparuerit in proceſſu cauſę delictum non fuiſſe ini-
bi commiſſum, proceſſus non valebit, *ut C. Si à non com-*
peten. Judic. per tot.
Secunda principalis opinio fuit Jacobi de Arena, quam
ponit Lapus ſua *allegat.* 58. incip. *Prælatus*: dicit enim
ſufficere, ut cauſa, vel qualitas juriſdictionem tribuens,
allegetur, & poſteà probetur. Et adverſarius, ſi illam ne-
get, gravatur onere probandi, quia ex productione libel-
li fundata eſt intentio, *ut d. leg. Cùm quædam puella in fin.*

Verùm hę duę opiniones apertè pugnant cum hac Decre-
tali, ubi non fundatur juriſdictio judicis Eccleſiaſtici ex ſo-
la allegatione, quòd res ſit Clerici, vel Eccleſiæ, adverſa-
rius hoc neget, nec negans aggravatur onere probandi
ſuam exceptionem qualitatis negativam.
Præterea hoc modo eſſet in facultate actoris allegando
cauſam, vel qualitatem concludentem juriſdictionem, ſu-
bjicere reum juririſdict. judicis non ſui, vel eum aggravare
onere probandi defectum qualitatis, ſeu cauſæ juriſdictio-
nem concludentis, quod eſſet abſurdum. Unde meritò hu-
juſmodi opiniones hìc refellunt Butr. *nu.* 5. *verſ. Non pla-*
cet mihi opinio, & Abb. *num.* 9. *verſ. Unde iſtæ opiniones*
non placent, & communiter DD. & contrarium ſcripſit i-
demmet Bart. *in leg. Præſcriptione, C. Si contra jus, vel*
util. publ. ubi tenet de hoc qualitate debere priùs ſumma-
riè cognoſci. Et ad text. *in l. Cùm quædam puella in fin.*
de juriſdict. omn. judic. reſponde, ut per Butrius & Abb.
loc. cit.
Tertia igitur principalis opinio eſt, ut ſola negatio non 10
excludat funditùs juriſdictionem Judicis, ſed tantùm im-
pediat proceſſum ſuper principali, adeòut non teneatur
reus reſpondere ad libellum, niſi priùs ſummariè cognoſ-
catur de illa qualitate juriſdictionem tribuente, puta quòd
res ſit Clerici, vel Eccleſiæ, ſecundùm terminos hujus
Decretalis. Hæc tertia opinio originaliter fuit Goffredi,
quàm hìc poſt multa ſequuntur Butr. & Abb. *loc. cit.* & i-
dem Butr. Imol. & Gemin. *in dicto cap. Super litteris de re-*
ſcript. & alii citati à Felin. *hìc num.* 2. *in limitatione*, ubi
dicit hanc eſſe communem opinionem, pro qua op- 11
ptimè faciunt jura, quæ generaliter dicunt, judicem,
cujus juriſdictio negatur, cognoſcere poſſe, an ſua ſit ju-
riſdictio, *ut in dict. cap. Super litteris cum aliis ſupra alle-*
gat. quemadmodùm res ſi negetur eſſe feudalis, de hoc pri- 12
mò cognoſci debet, an ſit feudalis, ſecundùm Innocen-
tium *in cap. Cæterùm ſuprà eodem*. Item ſi quis alienæ ju- 13
riſdictionis citatus compareat, & dicat ſe non contraxiſ-
ſe, vel non deliquiſſe in loco, vel territorio, ubi citatur,
debet ante omnia diſcuti ſummariè, an ibi contraxerit, vel
deliquerit ſine prejudicio principalis quæſtionis; & ſi con-
ſtiterit ipſum inibi contraxiſſe, vel deliquiſſe, procede-
tur poſteà in principali, ut dicunt Innocen. *in cap. Super*
litteris, Archid. & Joan. Andr. *in cap. Romana*, §. *Contra-*
hentes, eodem tit. libr. 6. Joan. Calder. *in d. cap.* 1. *de ra-*
ptor. & Cyn. *in leg. Præſcript. Cod. Si contra jus, vel util.*
public. Et eſt communis opinio, ut teſtatur Marian. Socin.
in cap. fin. poſt n 9. *verſ. Circa decimumquartum infrà eo-*
dem, & Jul. Clar. *in praxi*, §. *fin. q.* 38. *num.* 12. *verſ. Ul-*
terius quæro. Et eodem modo, ſi coram Conſervatore A-
poſtolicæ Sedis, qui poteſt tantùm cognoſcere de manife- 14
ſtis injuriis, *ut in cap.* 1. *& in cap. fin. de offic. deleg. lib.* 6.
negetur offenſa notoria, probationes recipiet Conſerva-
tor, an factum ſit notorium, ut ſic videat, an ſua ſit juriſ-
ſdictio, ut dicit gloſſ. *in d. cap.* 1. *in ver. Conſervatores*,
verſ. Sed quid ſi negetur. Et idem voluit Archid. *in c. Ro-*
mana, §. *Notoria. de cenſib. lib.* 6. ibi enim decidit text.
Archiepiſcopum in viſitatione Provinciæ poſſe punire no-
toria crimina ſubditorum ſuorum Suffraganeorum.
Quærit Archid. quid ſi crimina negentur notoria? & re-
ſolvit Archiepiſcopum poſſe de hoc ſummariè cognoſcere
ad juriſdictionem ſuam fundandam per jura generalia ſu-
prà allegata. Ita ergo dicendum in propoſito; unde quod
deciditur in hac Decretali, ut Judex ſæcularis cognoſcat 15
rem eſſe Clerici, vel Eccleſiæ, intelligi debet procedere,
niſi Clericus, qui allegat qualitatem juriſdictionem tri-
buentem, offerat ſe illam probaturum; tunc enim judex
Eccleſiaſticus ſummariè cognoſcet de qualitate illa, ut vi-
deat, an ſua ſit juriſdictio. Et ſi conſtiterit rem eſſe Eccle-
ſiæ, vel Clerici, procedet ſuper principali? ſin minùs, re-
mittet partes ad judicem ſæcularem. Et ita denegatio qua-
litatis juriſdictionem deferentis, cùm de ea notoriè non
conſtat, hoc tantùm operatur, ut laicus interim non tenea-
tur in foro Eccleſiaſtico reſpondere, donec judex Eccleſia-
ſticus qualitatem illam ſummatim examinaverit, & pro-
nuntiaverit ſuam eſſe juriſdictionem. Et ita intellige
hunc textum ſecundùm communem, & veriorem opinio-
nem.
Declara modò hanc concluſionem, ut procedat, ſi juriſ-
dictio fundetur ſuper vera exiſtentia qualitatis; tunc enim 16
negatio impedit proceſſum in principali, donec judex

cognoverit, an ſua ſit juriſdictio; ſecus, ſi juriſdictio fun-
detur ſuper ſola dubietate qualitatis juriſdictionem tri-
buentis; quia tunc negotio nihil operatur, ſed ſufficit
qualitatem illam in libello allegare, ſecundùm diſtinctio-
nem Ant. de Butr. *hìc ſub n. 6. verſ. Dic quod ſi qualitas al-
legatur*, & Abb. *ſub n. 12. verſ. Aut enim fundatur juriſdi-
ctio*, Roman. *conſ.* 208. incip. *Hæc impetratio in fin.* Exem-
17 plum, ſi negetur Clericatus, vel res ſpiritualis, *ut in c. Si
judex laicus, de ſentent. excomm. lib. 6.* Covarr. *de commu-
ni practicarum quæſtionum cap. 33. num. 1.* vel contractus
eſſe uſurarius, *& in cap. Illos vos de pignor. & in c. Ad no-
ſtram, de empt. & vendit.* aut contractus matrimonii, *ut
in c. Tuam, de ordin. cognit. cap. Lator, & c. Cauſam, il
ſecondo qui fil. ſint legitim. cap. in Canonibus* 16. q. 1. Con-
cil. Trident. *ſeſſ.* 24. *de Sacram. matrim. can. ultim.* In his
enim caſibus, & aliis conſimilibus. In quibus ſola dubie-
tas fundat juriſdictionem Judicis Eccleſiaſtici, negatio
qualitatis nihil prodeſt laico, quominùs ſtatim teneatur
18 in foro Eccleſiæ reſpondere. Et idem in caſu ſacrilegii
ſecundùm Butr. & Abb. *in 2. membro principali*: & ita
procedit, quod not. Vincentius *in c. Conqueſtus infrà eo-
dem*: nam ſecundùm eum ſi laicus neget raptum, vel in-
vaſum bonis Eccleſiæ, Judex Eccleſiaſticus cognoſcet,
donec conſtet ſuam non eſſe juriſdictionem; & tunc con-
demnabit Clericum in expenſis, & remittet ad judicem
19 ſuum, *cap. Ut debitus, & c. Cùm ſpeciali, de appellat.* Et
ſic etiam procedit, quod not. Innocentius *in c. Cum ſit in-
frà eodem*: nam ut ipſe dicit, Clericus agens contra lai-
cum coram Judice Eccleſiaſtico ſuper oppreſſione, vel frau-
de, vel illicito contractu, in quibus caſibus in dubio fun-
datur juriſdictio Judicis Eccleſiaſtici, ut ibi not. debet in
petitione mentionem facere de oppreſſione, vel fraude,
aut minùs legitimo contractu, & ſuper illa cauſa fundare
ſuam intentionem; & ſi pars adverſa neget, nihilominùs
procedetur in cauſa principali. Et ſi non probaverit frau-
dem, vel illicitum contractum, abſolvetur reus ex illa
cauſa, ſed iterùm poterit agere ex alia, ut leg. *Et an ea-
dem, ff. de except. rei judic.* Quod ipſum ſentit idem Inno-
centius *in c. Cæterum ſupra tit prox.* quando Clericus dicit
ſe ſpoliatum, & laicus negat, ut ſi eſt dubium, cognoſ-
cat judex etiam de principali, ſequitur Lapus *allegat.* 58.
Prælatus, num. 4. verſ. In contrarium, & num. 5. Ita etiam
circa immunitatem Eccleſiæ, ſi dubitetur, an ſit locus re-
miſſioni, necne, ad judicem Ecleſiaſticum ſpectat cogni-
tio, ut deciditur noviſſimè in Conſtitutione Gregor. XIV.
quæ incipit, *Cum aliàs nonnulli edita 9. Kalen. Jun.* 1591.
quidquid ante Bullam dixerit Julius Clar. *in §. fin. qu. 32. n.*
20. In his planè caſibus negatio rei non proficit, quia ſola
dubietas fundat juriſdictionem Eccleſiaſtici.

20 Quartò nota regulam generalem, quòd actor ſequitur
forum rei, ut hìc *& in cap. Cum ſit generale infra eodem,
& in l. ultim. C. ubi in rem actio cum multis concordan.* de
21 quibus hìc per gloſſ. *in verb. Actor.* Et conſequenter Cle-
ricus cùm agit contra laicum, poteſt & debet litigare co-
ram judice ſæculari, ut eſt text. hìc, & judex laicus hoc
caſu poterit condemnare Clericum in expenſis, ſi in cauſa
ſuccubuerit, vel contumax fuerit, ſecundùm Petr. de An-
char. *n. 2. in 2. not.*

22 Et procedit hęc regula etiam in Regularibus, qui ſi a-
gant contra laicum, tenentur eum convenire coram judi-
ce ſæculari, non autem coram ſuis Conſervatoribus, *c. 1.
& c. fin. verſ. Ut autem Conſervatores, de offic. deleg. lib.*
6. niſi hoc habeant ex ſpeciali Indulto Sedis Apoſtolicæ,
ſicuti habent Religioſi Societatis JESU, per Conſerva-
toriam, quam ſuper hoc impetrarunt à S. Pio V. 8. *Ka-
lend. Jun. Pontif. anno* 3. ut in litteris expeditis in forma,
Rationi congruit, à Gregorio XIII. in Conſtitutione, quę
incipit, *Æquum reputantes, itidem 8. Kalend. Jun.* 1572.
in Bullar. pag. 361. *tom.* 2. Quæ tamen litteræ hodie reda-
ctæ ſunt ad formam Conſtitutionis Gregorii XV. de Con-
23 ſervatoribus, ut inferiùs patebit. Item procedit regula ſu-
pradicta non ſolùm in civilibus cauſis, ſed etiam in crimi-
nalibus, *ut in leg. In criminali, C. de juriſdict. omn. Judic.*
ubi dicitur: In criminali negotio rei forum accuſator ſe-
quatur, gl. *hìc in ver. Actor*, dum allegat illum text. & Jo.
And. *n. 5. in gl. 1.*

24 Rurſus procedit eadem regula, etiam ſi reus cui com-
petit exceptio vigore ſuæ exceptionis, agat præveniendo
actorem, vel imploret officium Judicis, ut notat Bart. *in
l. Societatem, §. Arbitrorum, ff. Pro Socio*, Federic. de Sen.
conſ. 237. *Factum tale eſt: Quidam nomine Thomeus in fin.*
Jo. de Anan. *hìc num.* 1. Roman. *conſ.* 412. *pro habenda in
princ.*

Quintò nota limitationem ejuſdem regulæ, ut non 25
procedat, quando Clericus agit contra Laicum pro rebus
Eccleſiæ, vel ſuis, ideſt patrimonialibus, ſeu peculiari-
bus ipſius Clerici, *ut infrà de pecul. Cler. per tot.* ſecundùm
Hoſtienſ. & Jo. Andr. & Bellam. *hìc omnes in princ. in ver.
Suis*: nam ſi Laicus id non neget, trahi poteſt à Clerico a-
gente ad judicem Eccleſiaſticum, ut hìc deciditur ſecun-
dùm omnes. Rationem hujus limitationis aſſignat Abb. 26
hìc in 1. not. nu. 2. quia ex mala detentione, quæ in dubio
præſumitur, cum res ſit Eccleſiæ, arg. *c. Nulli, & cap.
cap. Qui abſtulerit, 12. qu. 2. & cap. Epiſcopi*, cum ibi not.
per Innocen. *de rebus Eccleſiæ non alienan.* cauſatur quod-
dam ſacrilegium, cujus ratione etiam Eccleſia ſibi vendi-
cat juriſdictionem, *cap. Cùm ſit, & c. Conqueſtus infr. eo-
dem cum ſimilib.* Item poſſunt tales dici malè actores Ec-
cleſiarum ex injuſta detentione iſtarum rerum; & ideò eſt
in optione actoris, coram quo judice velit illos conveni-
re, ut *in d. c. Cùm ſit*. Similiter detentores rerum ipſius
Clerici, idcircò conveniri poſſunt in foro Eccleſiaſtico,
quia quaſi ſacrilegi ſunt cenſendi. Ad quod Abbas alle- 27
gat, quod notat Innocen. *in cap. Cæterùm ſuprà de Judic.*
ubi dicit Clericum ſpoliatum convenire poſſe ſuum ſpolia-
torem coram judice Eccleſiaſtico, quia ſacrilegium eſt
quoddam crimen Eccleſiaſticum, *cap. In Canonibus 16.
quæſt.* 1. & ita ſecundùm Abbatem laicus in caſu hujus c.
non trahitur ad judicem Eccleſiaſticum præciſè ratione
veri ſacrilegii, ſed quaſi ſacrilegii, & læſionis, quæ in-
fertur Eccleſiæ ex injuſta detentione rerum Eccleſiaſtica-
rum. Et idem concludit *ſub num. 12. in fin. verſ. Ideò puto*,
& ſequitur totidem verbis Alexand. de Nævo *num.* 2. &
Felin. *num. 4. verſ. Secunda concluſio*, ubi ſimiliter tenet
etiam ceſſante allegatione ſacrilegii poſſe Laicum à Cle-
rico agente rei vendicatione pro re propria, vel Eccleſiæ
coram Epiſcopo conveniri.

Quinimò procedit hęc concluſio qualitercumque agatur 28
de rebus Eccleſiæ, vel Clerici ſi agatur actione perſona-
li, ut ex locato, vel legato, ut tenet Innocen. *hìc in pr.*
ait enim: Si conſtat rem eſſe Eccleſiæ, etiamſi laicus poſſi-
deat, coram judice Eccleſiaſtico agi debet, puta, ſi aga-
tur ex locato, vel legato, & ſimilibus. Et ſic ſecundum
eum laicus trahi poteſt ad judicem Eccleſiaſticum non ſo-
lùm quando agitur rei vendicatione, ſed etiamſi agatur a-
lienatione perſonali occaſione rei Eccleſiaſticæ: ſecus, ſi
ageretur actione perſonali, & non de re Eccleſiaſtica,
qui a tunc ſæcularis cognoſceret. Et ita poteſt intelligi In-
nocen. *in c. Cùm ſit generale infrà eod.* ubi videtur contra-
riari dicto ſuo hìc, prout expreſsè declarat illum Abb. *nu.*
12. *verſ. Ideò puta*, & ita etiam illum intelligit Card. *nu.* 4.
ubi ſalvando Innocen. ab impugnationibus Hoſtienſ. &
Joan. Andr. dicit illius dictum procedere in actione locati,
quam intentat Clericus contra Laicum de rebus Eccleſiæ,
vel Clerici: & Laicus id fatetur; tunc enim actio locati
licèt perſonalis, tamen quia in rem ſcripta, id eſt, ad rem
intentatur; quia revera eſt merè perſonalis, ut hìc per I-
mol. quoad ſortiendum forum cenſetur realis, *cap. Ex in-
frà eodem*. Cùm autem agitur reali de re Eccleſiæ, cogno-
ſcit Eccleſiaſticus, ut clarè hìc probatur. In legato autem
minor ſubeſt difficultas, quia pro eo competit etiam rei
vendicatio, *ut leg. 1. Cod. comm. de leg.* & ſic ſi non ne-
gatur legatum, poteſt agi coram Eccleſiaſtico. Ita Car- 29
din. ſubdens, ſe ita in facto conſuluiſſe poſt longas alter-
cationes, & ſequitur Felin. *hìc n. 4. verſ. Amplia etiam*,
ubi dicit, quando Laicus fatetur rem eſſe Eccleſię, concur-
rere rei vendicationem cum illa actione perſonali, adeò ut
actio ex legato, quamvis non ſit in rem ſcripta, tamen
propter concurſum realis trahatur ad ejus naturam, ut in
l. Qui fundum, §. Si tu ex parte, ff. ad l. Falcidiam, & ibi
Dyn. & Bart. & hoc ſecundùm Felin. intendit Cardin. dum
requirit, ut agatur nedum ad mercedem, ſed etiam ad rem:
nam ſi ad mercedem tantùm ageretur, actio eſſet merè per-
ſonalis, & laicus conveniendus eſſet in ſuo foro, juxta re-
gulam hujus Decretalis.

Sextò nota aliam limitationem ejuſdem regulæ, quæ 30
habetur *hìc in fin.* videlicet, quando obtinet conſuetudo,
ut reus ſequatur forum actoris, & laicus in cauſa merè
ci-

31 civili per judicem Eccleſiaſticum judicetur. Et ſic nota conſuetudinem poſſe in ordine judiciorum diſponere contra jus commune: de quo *in c. Cum contingat infra eod.* & notat hic Joan. de Anan. *num. 3. verſ. Nota iſtam regulam*. Quæ quidem conſuetudo, ut hìc dicitur, pleriſque in partibus obtinuit, ut Pariſiis, *cap. Quod Clericis infrà*
32 *eod.* ſecundùm Joan. Andr. *hic num. 4. in verb. Partibus*. Et cauſa introductionis ſecundùm gloſſ. *fin.* hìc fuit negligentia judicum ſæcularium in adminiſtranda Clericis juſtitia, ut in juribus citatis in gloſſ. ſequitur Abbas *num. 7. verſ. Unde habuit ortum hæc conſuetudo*. Suadet tamen notabili-
33 ter gloſſ. præallegata, ſive judices ſæculares ſint negligentes, ſive non, Papam concedre quotidie litteras Clerico contra Laicum ſuper quacumque quæſtione. Et patet *in c. fin. ſuprà de alien. Jud. mut. cauſ. fact. & in cap. Conſtitutus, de reſtit. in integr.* ſecundùm Hoſtienſ. qui ſimiliter dicit Papam concedere litteras Clerico contra Laicum tota die: Romana enim Eccleſia in conceſſione litterarum contra Laicum præſcripſit hanc conſuetudinem, ut dicit Bellam. *hìc num. 2. verſ. Et nedum Romana Eccleſia*. Et ita indiſtinctè ſervari ex generali ſtylo Curiæ, teſtatur Abb. *num. 7. verſ. Dicit tamen unum notabile verbum*, de quo
34 ſtylo meminit etiam Butr. *num. 12.* Idem not. Archid. *in cap. Indicatum 89. diſt.* ubi refert ſe vidiſſe hoc de facto in quadam cauſa: additque notabiliter hoc adeò verum eſſe, ut ſi reus exciperet cauſam eſſe priùs tractandam in ſuo foro, & appellaret, non darentur litteræ in cauſa appellationis, ut dicit ſe expertum. Et huic ſtylo ſuffragatur *cap. fin. de Judic.* ſecundùm Abb. & idem not. Specul. *in tit. de competen. Judic. §. Regulariter in princip.* & clariùs *in verſ. 30. & verſ. ſeqq.* qui ſimiliter ampliat hoc procedere, etiamſi judex ſæcularis. & laicus conventus ſe paratos offerrent ad exhibendam juſtitiam: nam per hoc
35 non impediretur iuriſdictio delegati Papæ; nec poteſt hoc caſu judex ſæcularis inhibere laico, ne reſpondeat coram Eccleſiaſtico, ut ibi notatur. Idemque tradit Hoſtienſ. *in Summ. hujus titul. §. 2. verſ. Ex præmiſſis*, & ſequitur Abb. *hic d. num. 7.* & Felin. *num. 1. verſ. Dixeram olim*.

36 Quinimò Papa non ſolùm dat litteras Clerico in particulari contra laicum per modum reſcripti, ſed aliquando etiam concedit litteras in genere per modum privilegii perpetui, ut patet in litteris S. Pii V. quarum ſuperiùs meminimus *num. 22.* in quibus dantur Conſervatores, & Judices ordinarii Societati Jeſu, & eorum familiaribus Clericis in quibuſcumque cauſis tam civilibus, quàm criminalibus, ac mixtis, etiam in eis, in quibus actores, vel
37 conventi rei forent. Quid in cauſa feudali? vide hìc per Abb. *num. 7. verſ. Hoc commune dictum limito.* Laico autem contra laicum, Papa non concedit litteras, niſi in caſibus notatis *in cap. Cùm ſit, cap. Licet, & cap. Ex tenore infrà eod.* ſecundùm Abb. *eod. num. 7. verſ. Et nota benè hanc gloſſ.* de quo Hoſtienſ. *hìc in fin. in verb. De conſuetudine, verſ. Et nunquid laico*, remittit ad not. *in cap. Innotuit de arbitr.*

38 QUÆRO, an regularibus liceat in eorum cauſis civilibus petere Judices, vel Conſervatores à Magiſtratu ſæculari, & an expediat innovare Conſtitutionem Clemen. VIII. de Conſervatoribus, & cum quibus additionibus, & clauſulis.

Huic quæſtioni cauſam præbuit Senatus N. qui nuper cœpit deputare Regularibus Conſervatores in omnibus cauſis tam activè, quàm paſſivè. Hoc autem habet difficultates infraſcriptas, & Primò, Magiſtratus ſæcularis dat hujuſmodi Conſervatores, qui nonniſi à Sede Apoſtolica concedi conſueverunt, *cap. 1. & cap. fin. de offic. deleg. lib. 6.* Secundò, Senatores laici inhibent Ordinario Eccleſiaſtico, ne in cauſis Regularium ad ejus forum pertinentibus procedat, contra *cap. Sæculares judices de foro comp. lib. 6. cap. Si quis, cap. Omnes, & cap. Solitæ ſuprà de major. & obedien. & c. Monachi infrà de ſentent. excom.* unde crebra oriuntur diſſidia, & contentiones inter Ordinarium Eccleſiaſticum, & Judices ſæculares.

Tertiò, Regulares confugiunt ad Judices laicos, contra Bullam Cœnæ.

Quartò, præbetur illis occaſio vagandi in Curiis, & Tribunalibus ſæcularibus, contra *cap. Sed nec procurationes, ne Cleric. vel Monach. cum concord.*

Quintò, dantur Conſervatores, ſive regulares ſint actores, ſive rei; cùm tamen neque ex juris communis diſpoſitione, *ut in d. c. 1. & fin.* nec in vim generalium privilegiorum eis liceat alios convenire coram ſuis Conſervatoribus.

Sextò, Conſervatores à laicis deputati procedunt etiam in cauſis ſpiritualibus, contra *cap. Decernimus de Judic. & cap. fin. de for. compet. lib. 6.* Et inter perſonas Eccleſiaſticas, contra *cap. Nullus judicium ſuprà eod.*

Ac denique aliis omiſſis actus omnes coram dictis Conſervatoribus geſti ex defectu juriſdictionis ſunt nulli, *d. c. fin. in fin. de off. deleg. lib. 6.*

Quamobrem ut huic malo occuratur, antequam la- 39
tiùs ſerpat, propoſui deliberandum in Sac. Congregatione Concilii, an expediat innovare Conſtitutionem, ſeu decretum Clem. VIII editum 19. Martii 1591. quo priùs revocantur, atque irritæ declarantur, & ſubreptitiæ quæcumque Judicum, ſeu Conſervatorum deputationes, qui qualitates non habent requiſitas, & deſcriptas in Conſtitutione Bonifacii VIII. quæ incipit, *Statutum*; quique etiam in Conciliis provincialibus, aut diœceſanis, juxta decretum Concilii Tridentini electi, & deſignati non ſunt: præterquam quoad negotia jam cœpta, vel quoad ea, in quibus hujuſmodi deputationes ſuum ſunt ſortitæ effectum: ac deinde ſtatuitur, ut deinceps dictæ litteræ conſervatoriæ non aliis dirigantur, quàm habentibus qualitates ſupraſcriptas, alioquin nullius ſint roboris, vel momenti.

Rurſus deliberandum, an expediat addere Conſtitutioni Clementis, ſequentia Capita.

Primùm, ut Regulares, qui litteras Conſervatorias aliter, quam juxta formam ſuperiùs præſcriptam, impetrant, vel Conſervatores deputant, ipſo facto cenſeantur privati voce activa, & paſſiva, & eorum conventus careant Conſervatore ad tempus à Sac. Congregatione præſcribendum, itaut interea coram locorum Ordinariis, conveniantur.

Secundò, ut infrà menſem à die intimationis Religiones omnes in Italia debeant ſibi eligere Conſervatores ſecundùm formam ſuperiùs propoſitam; alioquin elapſo menſe, conveniri poſſint coram Ordinariis juxta decretum Gregorii XIII. hac de re editum.

Tertiò, ut Conſervator ſemel legitimè deputatus, infrà quinquennium mutari, ſeu amoveri non poſſit, ut etiam ſtatuitur in eodem decreto Gregorii. Hìc conſiderandum, an excipiendæ ſint mutationes, ſeu remotiones Conſervatorum, quæ fiunt ex rationabili cauſa diuturnæ abſentiæ, infirmitatis, & ſimilium: & coram quo Regulares de hujuſmodi impedimentis docere debeant.

Quartò, ut Regulares poſſint quidem, ac debeant conveniri coram ſuis Conſervatoribus, ſed non poſſint alios convenire; atque ita, ut Conſervatores juriſdictionem non habeant, niſi in cauſis, in quibus Regulares ſunt rei.

Quintò, ut Conſervator, qui ſuos limites exceſſerit, ſit per annum ab officio ſuſpenſus, & pars, quæ hoc fieri procuraverit, excommunicationem incurrat ſicuti diſertis verbis ſtatuitur *in d. cap. fin. verſ. Ut autem Conſervatores, de offic. deleg. lib. 6.*

Sextò, quia Regulares actores tenentur ſequi forum rei, & ſi reus ſit laicus, coguntur coram judice laico litem agere, ut hìc: non videtur incongruum, ut in cauſis activis petant à Senatu judicem non ſuſpectum; ideòque deliberandum videtur, an expediat in eadem Conſtitutione præſervare Regularibus jus petendi in dictis cauſis judices cum infraſcriptis conditionibus, & non aliàs.

Prima conditio, ut hæc judicis deputatio fieri non poſ- 40
ſit à ſæculari Magiſtratu, niſi cùm Regularis agit contra laicum, juxta textum hìc; non autem ubi agit contra perſonam Eccleſiaſticam, aut aliàs exemptam à ſæculari juriſdictione, *c. Clericis de judic. & cap. Si diligenti infrà eodem.*

Secunda conditio, ut cauſa, pro qua judex deputatur, non ſit ſpiritualis, ſed talis, in qua laicus ſit judex competens, *ut in cap. Cum ſit generale infrà eodem.*

Tertia, ut deputatio non fiat ad univerſitatem cauſarum, quia hac generali deputatione Regulares abuti poſſent etiam in cauſis ſpiritualibus, vel in quibus ipſi aut non agerent, ſed convenirentur, aut certè agerent contra perſonam Eccleſiaſticam, vel exemptam: vel ſaltem ſi

ſit eis permittenda impetratio judicis, etiam ad univerſitatem cauſarum, videtur addenda declaratio, dummodò tamen Regulares non ſint rei, neque agant contra perſonam Eccleſiaſticam, neque cauſa alioqui ſit ſpiritualis.

Ultima conditio, ut judex ſic deputandus, non conſervator, ſed judex ſimpliciter appellari debeat.

41 Plura fuerunt alias oppoſita à Regularibus eidem Conſtitutioni Clementis VIII.

Primò, quòd eſſet regula Cancellariæ, & ideò expiraſſet per mortem Pontificis.

Secundò, quòd numquam fuiſſet uſu recepta.

Tertiò, quòd non ſuſtulerit contrariam Regularium conſuetudinem.

Quartò, quòd fuerit abrogata ex confirmationibus privilegiorum, quas poſt illam Regulares à Sede Apoſtolica obtinuerunt.

Quintò, quòd verba illa Conſtitutionis, *Quique etiam in Conciliis electi, & deſignati non ſunt*, eſſent intelligenda disjunctivè, non autem cupulativè.

Sextò, quòd non haberet locum, niſi in Conſervatoribus deputatis ad præſcriptum juris communis, non autem iis, quos eligunt ſibi Regulares in vim privilegiorum.

Septimò, quòd multa contineat abſurda, & in ſpecie quòd nec Epiſcopi, nec Cardinales poſſint eligi in Conſervatores, cùm ipſi non eligantur, aut deſignentur in Synodis.

Ultimò, quòd ſit nimis oneroſa Regularibus, cùm in Synodis non deſignentur, niſi ab Epiſcopis dependentes, qui propterea Regularium privilegia vix conſervabunt.

Prima oppoſitio tollitur condendo Conſtitutionem perpetuam.

Secunda innovando Conſtitutionem Clementis VIII.

Tertia derogando contrariæ conſuetudini.

Quarta derogando contrariis privilegiis.

Quinta declarando illa verba eſſe intelligenda copulativè, cùm verè alio modo intelligi non poſſint.

Sexta declarando Conſtitutionem habere locum in Conſervatoribus electis, ſeu eligendis tam ex præſcripto juris communis, quam in vim privilegiorum, cùm revera alio modo vix poſſit intelligi.

Septima excipiendo nominatim Epiſcopos, vel illis majores, ſicuti ſunt excepti in decreto Concilii *cap. 10. ſeſſ. 25* ibi *Ut præter Ordinarios locorum*. Ad quod quidem decretum dicta Conſtitutio habet relationem.

Ultima oppoſitio non videtur obſtare, quia ita lex ſcripta eſt, & expedit, ut Conſervatores tamquam legales, & idonei ſint ab univerſa Synodo approbati.

42 Rurſus quia præter abuſus jam expreſſos dicitur irrepſiſſe etiam alius, ut quamvis Regulares initio Conſervatorem deputaverint cum qualitatibus requiſitis; tamen Conſervatores ſic deputati alios ſubdelegent iiſdem qualitatibus carentes; deliberandum, an expediat addere hanc ſubdelegationem fieri non poſſe, niſi etiam ſubdelegati habeant qualitates expreſſas in Conſtitutione, ne fiat fraus Conſtitutioni; quemadmodum S. Congregatio aliàs conſulta, an judices deſignati in Synodo, ſi aliquo impedimento cauſas terminare non poſſunt, teneantur eas ſubdelegare perſonis itidem in Synodo deputatis: reſpondit non poſſe ſubdelegare aliis, quam deſignatis in Synodo. Verùm quia *in dicto cap. fin.* Conſervatores prohibentur vices ſuas committere exceptis citationibus, & ſententiarum denuntiationibus: ſi ſtatuatur eos non poſſe ſubdelegare niſi cum qualitatibus præſcriptis: facilè hinc elicient indiſtinctè licere ſibi ſubdelegare. Unde cogitandum, quibus verbis hæc clauſula concipi debeat.

Cum de his poſteà actum eſſet cum SS. D. N. Gregorio XV placuit Sanctitati Suæ, ut Conſtitutio in S. Congregatione compilaretur. Ideòque injunctum eſt mihi; ut minutam conficerem, ac per manus tranſmitterem.

43 Quæ pertinent ad Conſtitutionem edendam de Conſervatoribus.

44 Cum Regulares actores teneantur ſequi forum rei, ac ſi reus ſit laicus, cogantur, circumſcripta conſuetudine coram ſæculari judice litem agere, juxta text. hic: in quadam Provincia obſervatum eſt, ut petant eo caſu judicem non ſuſpectum à ſæculari Magiſtratu. Quæ quidem deputatio etſi hoc modo ſit utilis Religionibus, nec repugnet ſacris Canonibus; tamen Senatus N. hinc ſumpta occaſione cœpit ab aliquot annis deputare Regularibus Conſervatores; in qua quidem deputatione multipliciter excedit limites ſuæ juriſdictionis: & aliis omiſſis, quamvis judices deputandi pro Regularibus in caſibus à jure permiſſis juriſdictionem non habeant, niſi cùm Regulares agunt contra laicum, è contra verò Conſervatorum juriſdictio non extendatur niſi ad cauſas, in quibus Regulares ſunt rei; Magiſtratus tamen utraque poteſtate ſibi vendicata, deputat Regularibus Conſervatores in omnibus cauſis tam activis, quàm paſſivis. Deinde quamvis, ut 45
dictum eſt, liceat Magiſtratui laico deputare Regularibus judices, quoties ipſi conveniunt laicum; id tamen intelligitur in cauſis profanis tantùm, non autem in Eccleſiaſticis in quibus ſive Regularis conveniatur, ſive conveniant laicum, ſolus Eccleſiaſticus eſt judex competens, *cap. Decernimus ſuprà de Judic. & c. fin. de for. compet. lib. 6.* Et idem eſt cùm lis agitur inter perſonas Eccleſiaſticas, *cap. Nullus judicium ſuprà eodem*. Et tamen Magiſtratus conſuevit deputare Regularibus hos judices ad univerſitatem cauſarum, & poſtea judices ſic deputati cognoſcunt etiam cauſas ſpirituales, & inter perſonas Eccleſiaſticas. Quinimò ſæpius auſerunt inhibere Ordinario Eccleſiaſtico, ut conſtitit ex pluribus inhibitionibus exhibitis. Hinc autem plura oriuntur inconvenientia, quæ aliàs conſiderata fuerunt in Sac. Congregatione: ut patet ex dictis ſupra *n.* 38. Quibus videtur opportunè occurri poſſe per minutam Conſtitutionis de Conſervatoribus per manus delatam: nam cùm gravibus pœnis ordinetur, ut Regulares infrà duos menſes eligant Conſervatores, qui non modò ſint in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti, vel habeant qualitates Conſtitutionis Bonifacii VIII. quæ incipit, *Statutum*: ſed etiam, ut ſint judices Synodales, neve ſemel electum poſſint infra quinquennium amovere, aut alium ſubſtituere: hinc certè adimitur omnis facultas petendi Conſervatores à ſæcularibus magiſtratibus.

Præter ea quæ in eadem minuta per manus tranſmiſſa explicantur, videtur adhuc deliberandum de infraſcriptis.

Primò, an expediat præſervare Regularibus facultatem, quam habent petendi judices à magiſtratu ſæculari, in caſu, in quo ipſi ſunt actores, & agunt contra laicum in cauſis profanis: an verò hæc facultas ſit relinquenda juris communis diſpoſitioni. Quòd ſi placeat illam præſervare, erit expreſsè declarandum, ejuſmodi judices deputari non poſſe, niſi tribus concurrentibus. Primò ut Regulares ſint actores, non autem rei. Deinde ut agant contra laicum, non autem contra Clericum, vel aliàs exemptum à ſæculari juriſdictione. Ultimò ut cauſa, in qua judex deputatur, non ſit ſpiritualis, ſed talis, in qua laicus aliàs ſit judex competens.

Secundò, cum Univerſitates generales ampliſſimis 46
gaudeant privilegiis, nec tamen in iis vigeant fortaſſe abuſus, qui vigent in Conſervatoribus Regularium: deliberandum erit, an de illis ſit facienda mentio in hac Conſtitutione, ſicut fit in Conſtitutione Clementis VIII. an verò potiùs univerſitates ſint ſilentio prætereundæ; aut excipiendæ, quæmadmodum illas excipit Tridentinum Concilium *cap. 5. in fin. ſeſſ. 14.*

Tertiò, tametſi Conſervatores de jure facultatem ha- 47
beant procedendi per cenſuras Eccleſiaſticas etiam contra Ordinarios, *ut cap. 2. de off. deleg. lib. 6.* & nonnulli Regulares ſpecialibus ſuper hoc Sedis Apoſtolicæ privilegiis ſint muniti, ut Religioſi Societatis Jeſu ex Conſtitutione 1. Gregorii XIII. *Æquum reputamus*, §. 3. *in Bull. tom. 2 pag.* 361. tamen quia in his coactionibus, & pœnis Pontificali dignitati plurimum deferendum eſt, *c. Sanè il ſecondo, & cap. Paſtoralis eodem tit. & cap. Quia periculoſum, de ſent. excomm. lib. 6.* & ſervandus ordo præſcriptus *in d. c. 2.* ipſi verò Conſervatores ſuæ facultatis habenas ſæpè ſæpiùs eo uſque laxarunt, ut Epiſcopos ſtatim excommunicare ſint auſi: deliberandum, an ſit eis prohibendum, ne ſimilia deinceps moliantur. Satius erit, ut loco hujus prohibitionis ponatur remedium arbitrorum, qui ex Concilio *in d. c. 5. ſeſſ. 14.* jubentur eligi, quoties contentio aliqua inter Conſervatores, & Ordinarios exorta fuerit, & interea ſuperſedeatur in cauſa.

Quartò, accidit ſæpè, ut Conſervatores in una diœceſi 48

depu-

deputati, ad aliam evocentur ad cognoſcendas Regularium cauſas: unde maxima confuſio, & plura incommoda oriri ſolent. Quamobrem videtur hac quoque in parte innovanda Conſtitutio Bonifacii VIII. relata *in c. fin. de off. deleg. lib. 6.* qua ſtatutum eſt, ut Conſervatores intra civitates, ſeu diœceſes, in quibus fuerunt deputati, contra quoſcumque procedere, aut aliquos ultra unam dictam à fine diœceſum eorumdem trahere non præſumant.

49 Quintò, quia in hac conſtitutione revocantur omnes deputationes Conſervatorum, qui non habent qualitates requiſitas *in cap. Statutum*, quique judices Synodales non ſunt: ne detur occaſio diſputandi, an Conſervatores hactenus deputati habeant dictas qualitates, necne: conſiderandum an expediat abſolutè revocare omnes, & quaſcumque Conſervatorum deputationes, & ſtatuere ut infra præſcriptum terminum rurſus eligantur cum qualitatibus ſuperiùs expreſſis: anve è re ſit nominatim dictas qualitates exprimere.

50 Sextò, examinandum, an cùm in hac conſtitutiones regulares prohibeantur infrà quinquennium mutare Conſervatorem ſemel electum, an è re ſit addere clauſulam, *Niſi ex cauſa à Sede Apoſtolica, aut à locorum Ordinariis, prout ipſis Regularibus libuerit, approbanda.*

51 Septimò, in conſtitutione ſtatuitur, ut Conſervatores, qui ſuos limites exceſſerint, ſint per annum ab officio ſuſpenſi. Deliberandum in hoc caſu, in quo regulares fortè nihil peccant, an expediat ſtatuere, ut ipſi coram locorum Ordinariis conveniantur: an verò hic caſus ſit relinquendus diſpoſitioni juris communis, ac privilegiorum regularium.

52 Ultimò, cùm Epiſcopi, illorumque Vicarii generales, atque horum Superiores non ſint judices Synodales, & tamen abſurdum videatur, uti non poſſint eligi in Conſervatores: conſiderandum eſt, an de iis expreſſa mentio facienda ſit ad omnem dubitationem ſubmovendam.

Porrò pro publicatione conſtitutionis adhuc duo puncta ſuperſunt examinanda.

Primum eſt, an conſtitutio Clementis ſit contra Tridentinum Concilium.

Secundum, an expediat illam innovare in ea parte in qua decernit, ut Conſervatores præter alias qualitates debeant eſſe judices Synodales.

53 Quoad primum conſtitutio ſtatuit, ut non modò Conſervatores habeant qualitates requiſitas, & deſcriptas in conſtitutione Bonifacii VIII. quæ incipit *Statutum*; ſed etiam in Conciliis Provincialibus, aut Diœceſanis, juxta decetum Concilii Tridentini, electi & deſignati ſint. Putarunt quidam hoc loco conſtitutionem ſupponere in Concilio Tridentino ſtatutum eſſe, ut Conſervatores eligantur, & deſignentur in Synodis, dum jubet, ut Conſervatores debeant in Synodis eligi, & deputari, juxta decretum Concilii: dicuntque conſtitutionem hac in parte continere manifeſtum errorem, quia Concilium nullibi ſtatuit, ut Conſervatores eligi debeant in Synodis provincialibus, aut diœceſanis.

Sed certè alius eſt ſenſus conſtitutionis: nam dum præcipit Conſervatores habere hanc qualitatem, ut ſint deſignati in Synodis juxta decretum Concilii: utique conſtitutio intellexit tantùm de illo Concil. decreto, quod loquitur de judicibus Synodalibus, ideſt *de cap. 10. ſeſſ. 25.* Nam Pontifex animadvertens aliquos minus idoneos ſæpè in Conſervatores deputari, ut patet ex proœmio conſtitutionis, atque huic malo facilè occurri poſſe, ſi nullus deputari poſſit Conſervator, niſi etiam ſit judex Synodalis: ideò ſtatuit, ut Conſervatores non modò habere debeant qualitates *cap. Statutum*; ſed etiam eſſe electi, & deſignati in Synodis, juxta decretum Concilii, id eſt eſſe debeant ex judicibus, quos Concilium præcipit in Synodis deſignari. Atque hic intellectus ſatis apertè colligitur, tum quia conſtitutio exorditur iiſdem verbis, quibus exorditur Concilium *d. cap. 10.* ubi de judicibus, non de Conſervatoribus loquitur: tum quia ſtatuit, ut Conſervatores habeant qualitates *d. cap. Statutum*, quod ſimiliter non loquitur de Conſervatoribus, ſed de judicibus. Atque ita conſtitutio nullum continet errorem.

54 Alii cenſent ideò conſtitutionem Clementis eſſe contra Concilium, quia in decreto *cap. 5. ſeſſ. 14.* quod de Conſervatoribus loquitur, præſervantur regularia loca, his verbis: ***Univerſitates autem generales, & regularia loca** &c. in præſenti Canone minimè comprehenſa, ſed exempta omninò ſint, & eſſe cenſeantur.*

Sed advertendum eſt, decretum *d. c.* quatuor præſtare. Primò enim ſtatuit, ut litteræ conſervatoriæ nulli ſuffragentur, quominus in criminalibus, & mixtis cauſis coram Ordinario conveniatur. Et quoad hoc ſicuti Concilium præſervat regulares, ita & conſtitutio per manus delata, per quam regulares conveniri poſſunt coram ſuis Conſervatoribus, non autem coram Ordinariis.

Secundò, Concilium ſtatuit, ut in civilibus actores non poſſint alium trahere coram Conſervatoribus: & in hoc quamvis poſteà excipiat regularia loca; non tamen ſequitur; Regulares ſunt excepti à Concilio: ergo poſſunt alios trahere coram ſuis Conſervatoribus; ſed ſolùm ſequitur; Sunt excepti à Concilio: ergo remanent in diſpoſitione juris communis, & privilegiorum Apoſtolicorum. At neque ex juris diſpoſitione, neque ex privilegiis regulares, exceptis Jeſuitis, poſſunt alios coram Conſervatoribus convenire: ergo dum hoc ipſum ſtatuitur in nova conſtitutione, certè non ſolùm nihil contra Concilium ſtatuitur, ſed neque contra jus commune, aut Sedis Apoſtolicæ privilegia. Tertiò, ſtatuit Concilium, ne quis litterarum Conſervatoriarum beneficio ultra quinquennium gaudere poſſit. Circa quod nihil decernitur in præſenti conſtitutione. Quartò, denique ſtatuit, ne liceat Conſervatoribus judicibus habere Tribunal erectum. De quo ſimiliter nihil cavetur in conſtitutione. Unde ſequitur, ut præſens conſtitutio in nihilo pugnet cum decretis Concilii.

55 Quoad ſecundum experientia docuit tot ſcandala, & controverſias, quæ in dies naſcuntur inter Conſervatores, & Ordinarios, ut plurimum procedere ex Conſervatorum imperitia. Unde ſicut valdè expedit, ut Conſervatores ſint habiles, & idonei ad ejuſmodi munus obeundum; ita etiam videtur valdè expedire, ut ſint ex Judicibus Synodalibus; in Synodo enim conſueverunt in judices deputari quotquot magis idonei reperiuntur ad cauſas cognoſcendas. Unde qui ſuperſunt, abſurdum videtur, ut in Conſervatores eligantur. Atque ita non obſtat, quòd Regularium facultas reſtringatur: imò etiam potiùs videtur 56
aliqua ex parte ampliari: nam de jure communi Canonici Cathedralium non poſſunt eſſe Conſervatores, *c. fin.* ubi not. gl. *in verb. Conſervator, de off. deleg. lib. 6.* At poſſunt eſſe judices ad præſcriptum *d. c. Statutum de reſcript. eod. lib. ut ibi ſtatuitur.* Cùm autem in multis diœceſibus non ſint in univerſum, niſi duæ, aut tres dignitates, at multò plures Canonici, qui poſſunt in judices Synodales deputari: utique per hanc conſtitutionem, quæ tribuit facultatem eligendi Conſervatores, dummodò habeant qualitates *d. cap. Statutum*, & ſint judices Synodales, potiùs videtur extendi, quam reſtringi Regularium facultas; & quatenùs etiam reſtringeretur, reſtringeretur tamen ad perſonas habiles, & inhabiles excluderentur. Et quamvis in multis Synodis pauci admodùm judices deſignentur, id tamen accidit, quia alicubi pauci ſunt, qui habeant qualitates *d. cap. Statutum*, quique alioquin apti ſint ad hoc officium exercendum; unde quamvis pauci deputentur, expedit tamen potiùs ex his paucis Conſervatorem eligere, quam ex aliis non idoneis. Quòd ſi regulares id recto judicio conſiderarent, nihil damni, imò multum utilitatis ex hac conſtitutione ſibi futurum cognoſcerent, cùm plurimùm obſit Religionibus eſſe ſub tutela imperitorum, ac rudium Conſervatorum.

Denique ſtatuere, ut Conſervatores debeant eſſe judices Synodales, non eſt legem novam condere, ſed jam conditæ inhærere; jam enim ſic ſtatuit Clem. VIII. in prædicta conſtitutione. Quòd ſi velimus ſtatuere, ut Conſervatores debeant ſolùm habere qualitates *d. c. Statutum*, ſive *d. c. fin.* utique erit opus expreſsè derogare dictæ conſtitutioni Clem. VIII. Quod quidem erit abſurdum, quia inconvenientia, quæ nuper irrepſerunt, quæque alibi in dies oriuntur, juſtum eſt, ut præbeant potiùs cauſam reſtringendi hanc materiam Conſervatorum, quàm dilatandi, ſicuti dilatabitur, ſi conſtitutio Clementis reducatur ad terminos conſtitutionis Bonifacii.

Neque obſtat, quod nonnumquam Clem. VIII. diſpenſaverit, ut Conſervatores poſſent eligi, licèt non fuerint deputati in Synodo: nam non ſequitur, ut proterea conſtitutio ipſa ſit penitùs abroganda, cùm ſit valdè utilis nec difficilis obſervatu; opportunum tamen erit, ſi in conſtitutione

tione promulganda Ordinarii locorum admoneantur, ut procurent in Synodis deſignari quamplures poterunt ex habentibus qualitates *d. c. Statutum*, atque aliàs ad id idoneos, ut latiùs pateat facultas eligendi Conſervatores.

Poſtremò deliberandum eſſet quid agendum ubi non
57 extant judices Synodales, vel quia mortui ſunt, vel quia Concilia non celebrantur. Licèt in hoc verius videatur regulares non eſſe obnoxios eo caſu ad eligendos Conſervatores ex judicibus Synodalibus, ſed poſſe obſervare diſpoſitionem conſtitutionis Bonifacii *in d. cap. fin. de offic. de leg. lib. 6.* ita ut Conſervatores vel eſſe debeant in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, vel perſonatum habentes; quia nulla eſt obligatio obſervandi formam, quæ ſit impoſſibilis obſervatu, ſicut in ſimili obligatus eligere de gremio certi
58 Monaſterii, vel Eccleſiæ, poteſt eligere aliunde, ſi nullus ibi reperiatur cum qualitatibus requiſitis, *c. Abbate in fin.* & ibi gloſ. *in verb. Perſona idonea*, & gl. *fin. verſ. Sed pone, quod nullus reperiatur idoneus, de verb. ſignific. c. In nomine Domini*, & ibi etiam gl. *in verb. Reperiatur 23. diſt.* Hinc Sac. Congregatio Concilii, cum in quadam diœceſi non eſſet niſi unicus Doctor rudis, & imperitus, declaravit poſſe deputari in Vicarium Capituli Sede Vacante etiam non Doctorem, vel Licentiatum in jure Canonico, non obſtante Concil. decreto *in c. 15. ſeſſ. 24.* Sic etiam in partibus infidelium, ubi ejecto ab Infidelibus Parocho ſervari non poteſt forma in matrimoniis contrahendis ab eodem Concilio præſcripta *in c. 1. ſeſſ. 24. de reform. matrim.* Sanctiſſimus audita relatione Congregationis dixit: Si alius Parochus, vel Sacerdos Catholicus in propinquo loco ſit, coram ipſo, & teſtibus contrahatur. Quòd ſi id commodè fieri nequeat, contrahatur coram teſtibus, & ſi fieri poterit etiam coram Notario; factis tamen priùs utroque caſu denuntiationibus, & aliis ſervatis ex Concilio ſervandis. Ita ergo dicendum in propoſito.

Tandem ſingulis articulis maturè perpenſis, atque à Sanctiſſimo approbatis, edita fuit à Sanctitate Sua conſtitutio tenoris infraſcripti, videlicet.

SAnctiſſimus in Chriſto pater & D.N.D. Gregorius divina Providentia Papa XV. ex certis rationalibus cauſis animum ſuum moventibus, & de voto Ven. Fratrum ſuorum S.R.E. Cardinalium Concilii Trident. Interpretum, partim fel. rec. Clem. Papæ VIII. prædeceſſoris ſui veſtigiis inhęrēdo revocavit, ac nullas & invalidas decrevit omnes, & quaſcumque judicum Conſervatorum electiones, nominationes, ſeu deputationes, tam in vim literarum conſervatoriarum, juxta formam in Quinterno Cancellariæ deſcriptam, quam in vim quorumcumque privilegiorum perpetuò vel ad tempus nondum elapſum Apoſtolica authoritate conceſſorum, ſeu aliàs quocumque jure vel titulo hactenus factas pro quibuſcumque Conventibus, Capitulis, Militiis, etiam S. Joan Hieroſolymitani, Congregationibus, Collegiis Ordinibus, Monaſteriis, Hoſpitalibus, aut aliis quibuſvis piis tam ſęcularibus, quàm cujuſvis Ordinis etiam Mendicantium, ſeu Inſtituti, vel Societatis regularibus locis quamtumvis exemptis etiam de neceſſitate exprimendis, ſeu illorum perſonis cujuſvis qualitatis, ſeu conditionis exiſtant. In futurum verò Sanctitas Sua hac generali, & perpetuò valitura Conſtitutione ſtatuit, & decrevit, ut judices Conſervatores hujuſmodi ſive ſint principales, ſive ſubrogati, eligi, nominari, aut deputari non poſſint, niſi non ſolùm habeant qualitates requiſitas, & deſcriptas in conſtitutione ſimili rec. Bonifac. Papę VIII. etiam Prędeceſſoris ſui, quę incipit, *Statut.* itaut vel dignitate Eccleſiaſtica prędititi, vel perſonatus obtinentes, vel Eccleſiarum Cathedràlium Canonici exiſtant; ſed etiam in Concil. provincialibus, aut diœceſanis, juxta decretum Concilii prędicti judices electi, ſeu deſignati ſint. Quòdque deinceps litterę conſervatorię per Sedem Apoſtolicam concedendę ſubſcriptis tantùm dirigantur, & ſi quę litteræ aliter expedientur, illæ, ac deputationes hujuſmodi omniaque exinde ſequenda nullius ſint roboris, vel momenti. Et nihilominus qui ſecus, quam juxta formam ſuperiùs præſcriptam, Conſervatores hujuſmodi cum effectu eligere nominare, ſeu deputare, aut electis, nominatis, ſeu deputatis uti auſi fuerint, regulares quidem voce activa, & paſſiva ſint ipſo jure privati, adeò ut habilitationem à nemine pręterquam à Romano Pontifice conſequi valeant; reliqui verò aliis pęnis arbitrio Sanctitatis ſuæ coerceantur, & prędictorum omnium conventus, monaſteria ac loca hujuſmodi, eorumque perſonę, & bona careant Conſervatore ad annum, itaut illorum cauſę interea coram locorum Ordinariis dumtaxat cognoſci, ac diffiniri debeant Cęterùm ut latiùs pareat Conſervatorum hujuſmodi deligendorũ facultas, Sanctitas Sua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, ut in Synod. provincialibus, aut diœceſanis quamplures perſonas ex habentibus qualitates in prędicta conſtitutione ejuſdem Bonifac. Prędeceſſoris contentas, alioquin ad id aptas deſignari procurent, & ſi aliquē interim ex deſignatis mori contigerit, ſubſtituat Ordinarius loci cum conſilio Capituli alium in ejus locum uſq; ad futuram provincialem, aut dięceſanam Synodum. Inſuper Sanctitas Sua inhærendo hac in parte decreto ſimilis recor. Greg. Papæ XIII. etiam Prędeceſſoris ſui ſtatuit, & ordinavit, ut regulares, ac perſonæ hujuſmodi in Italia infra duos, extra Italiam verò infra ſex menſes à die publicationis in Urbe præſentis Conſtitutionis inchoandos debeant ſibi eligere, ſeu aſſumere Conſervatores, juxta formam ſuperiùs propoſitam, ejuſque electionis, ſeu aſſumptionis documentum infra tempus hujuſmodi penes acta Curiæ Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur; alioquin eo termino elapſo quamdiù Conſervatores ſecundum formam præſentis conſtitutionis non elegerit, coram eiſdem Ordinariis conveniantur; quodque Conſervatores hujuſmodi ſemel legitimè deputati, niſi ex legitima cauſa a Sede Apoſtolica, aut locorum Ordinariis, prout iiſdem Regularibus, & aliis ſupradictis libuerit, approbanda, durante quinquennio à die deputationis amoveri, aut mutari nullatenus poſſint aut valeant. Ad hæc ſtatuit Sanctitas Sua, ut coram ipſis Conſervatoribus, regulares, ac perſonę ſupraſcriptę conveniri quidem, aut trahi debeant, ſed alios convenire, aut trahere non poſſint, ita ut memorati Conſervatores in cauſis, in quibus regulares, & alii actores fuerint, nullam prorsùs juriſdictionem habeant, ſed in iis tantùm, in quibus rei exiſterint; neq; extra civitates, ſeu dięceſes in quibus fuerint deputati, contra quoſcumque procedere prę ſumant. Si qua verò inter judices Conſervatores hujuſmodi, & locorum Ordinarios controverſia ſuper competentia juriſdictionis orta fuerit, nequaquam in cauſa procedatur, donec per arbitros in forma electos ſuper juriſdictionis competentia fuerit Judicatum. Quòd ſi qui Conſervatores ſive in hac parte ſive aliàs quomodolibet ſuos limites exceſſerint, per annum ab officio Conſervatoris hujuſmodi ſuſpenſi ſint, & pars quę hoc fieri procuraverit, ſententiam excommunicationis incurrat, juxta formam alteriùs conſtitutionis ejuſdem Bonifacii prædeceſſoris, quæ incipit, *Hac conſtitutione*, quæ Sanctitas Sua in his omnibus, quæ præſenti conſtitutioni non adverſantur, innovavit, & innovat. Per hoc tamen non intendit Sanctitas Suà prohibere, quominùs Regulares, & alii ſupradicti in caſibus a jure permiſſis petant judicem non ſuſpectum à Principibus, ſeu Magiſtratibus ſæcularibus, dum tamen hæc tria copulativè concurrāt, videlicet, ut regulares, & alii prędicti ſint actores, non autem rei, utque agant contra laicum, non autem contra Eccleſiaſticum, vel aliàs à juriſdictione ſęculari exemptum, atq; ut cauſa in qua judex deputatur, fuerit profana, non autem Eccleſiaſtica, & in ea juxta Sacrorum Canonum diſpoſitionem, ut prefertur eligendus judex competens exiſtat. Quæ omnia, & ſingula in prę ſenti conſtitutione contenta Sanctitas Sua voluit inviolabiliter obſervari, decernens ſic in eis, cęteriſque omnibus prę miſſis per quoſcumque, &c. etiam Sacri Palatii Apoſtolici Auditores, &c. necnon S.R.E. Cardinales, ſublata, &c. judicari, &c. necnon irritum, & inane, &c. non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac litteris Conſervatoriis, quas omnes ad formam prę ſentis conſtitutionis reduxit in favorem quorumcumque Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum etiam S. Joann. Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, aut cujuſvis alteriùs inſtituti etiam neceſſariò exprimendi, Collegior. Capitulorum, Eccleſiarum, Monaſteriorum ac Piorum quorumcumque tam ſęcularium, quàm regulariũ locorum, necnon illorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque etiam ex cauſa, & titulo oneroſo, indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam mari magno, ſeu Bulla, aurea, aut aliàs nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ

pote-

teſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque tenoribus, & formis ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, pręſentibus pro expreſſis habentes, quibus quoad ea, quę pręſentibus adverſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogavit cęteriſque contrariis quibuſcumque. Cæterùm ut præſens conſtitutio faciliùs omnibus innoteſcat, Sanctitas Sua voluit, & mandavit, ut non ſolùm in Cancellaria Apoſtolica, ſed etiam ad Valvas Baſilicę Principis Apoſtolorum de Urbe, & in Acie Campi Florę publicetur, illiuſque exempla in iiſdem locis affixa dimittantur, ac in Quinterno Cancellarię inter conſtitutiones perpetuas deſcribatur, & annotetur. Placet. Publicetur, & deſcribatur A.

Lecta, & publicata fuit ſupradicta conſtitutio in Cancellaria Apoſtolica ab altero ex RR. à. P. DD. ma oris Præcedentię Abbreviatoribus die 20 menſis Septembris anno Incarnationis Dominicę 1621. Pontificatus verò prælibati Sanctiſſimi D N. D. Gregorii Papæ XV anno primo.

Et poſtmodum die, & anno ſupradictis in quinterno ejuſdem Cancellariæ inter alias conſtitutiones Apoſtolicas deſcripta, & annotata fuit.

Nicolaus Orſinus Procuſtos.

In Dei nomine Amen. Anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti 1621. indictione quarta, die vero 20. Septembris Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto P. D. N. D. Gregorii divina Providentia Papæ XV. Pontificatus ſui anno primo retroſcripta conſtitutio Apoſtolica affixa, & publicata fuit in valvis Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ per me Auguſtinum Braccherium Apoſtolicum Curſorem.

Octavius Spada Magiſt. Curſorum.

Poſt editam conſtitutionem emanavit in Sac. Congre- 59
gatione declaratio infraſcripti tenoris, videlicet.

Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi DD.

GRegorius Papa XV. fel. rec. r. in ſua conſtitutione de Conſervatoribus ſtatuit, & decrevit, ut in futurum à Regularibus eligi non poſſint in Conſervatores niſi iudices in Conciliis Provincialibus, ſeu diœceſanis deſignati, ſub pœnis & cenſuris in dicta conſtitutione contentis.

Quibus ſtantibus Patres Societatis Jeſu, qui in Indiis, & aliis locis degunt, in quibus Archiepiſcopi, ſeu Epiſcopi Synodum congregare non curant, vel ſi congregant, Judices Synodales non eligunt, ſupplicant humiliter DD. VV. Illuſtriſſimis ut dignentur declarare, ſi in tali caſu, poſſint uti privilegiis à ſancta Sede Apoſtolica ante dictam conſtitutionem conceſſis.

Die 17. Auguſti 1626. Sacra Congregatio Illuſt. Cardinalium Conc. Trident. interpretum cenſuit Epiſcopos quamprimum diœceſanam Synodum omnino celebrare teneri, & interim in civitatibus & diœceſibus, in quibus nulli judices extant in Concilio provinciali aut diœceſano deſignati, licere Regularibus, ſervata in reliquis forma conſtitutionis fel. rec. Gregorii XV. hac de re editæ, Conſervatores nominare, habentes qualitates à iure requiſitas. Quorum tamen Conſervatorum facultas eo ipſo expiret, cum primum hujuſmodi Synodus celebrata in eaque judices deſignati extiterint.

DE FORO COMPETENTI.

Idem Alexander III.

CAPUT VII.

VErùm quoniam de quibuſdam feudis adverſus Præpoſitum quæſtio mota fuit: ſtatuimus, ut ex quo Epiſcopus fuerit in Eccleſia conſecratus, de feudis ipſis ſub ſuo judicio cognoſcatur, ſi ad Eccleſiaſticam cognitionem pertineant; alioquin imperiali beneplacito, ſicut juſtum fuerit, relinquatur.

S U M M A R I U M.

1 *FEudi Dominus ſive Eccleſiaſticus, ſive ſæcularis cauſam feudalem cognoſcit, etiamſi vaſſalli ſint Clerici, n. 10. & 12*

2 *Et ſi plures prætendantur domini, non poteſt unus cognoſcere, maximè alio abſente.*

3 *Clericus poteſt eſſe vaſſallus nedum Eccleſiæ, ſed etiam laici ratione feudi obtenti.*

4 *Capitulum Sede vacante non ſuccedit in juriſdictione Epiſcopo competente ratione feudi, niſi feudum eſſet commune Epiſcopo, & Capitulo, n. 8.*

5 *Succedit in his, quæ competunt de jure communi, non autem in his, quæ competunt de jure ſpeciali, niſi hæc communiter ſpectent tam ad Epiſcopum, quam ad Capitulum, n. 7.*

6 *Poteſtas devolvitur ab Epiſcopo ad Capitulum in iis, quæ ad Epiſcopum pertinent proprio jure, ſecus verò ſi ex quodam jure accidentali, puta, jure devoluto propter negligentiam Clericorum.*

9 *Cap. Unicum, ne Sede vacante, lib. 6 locum habet non modò in collatione beneficiorum, ſed etiam in aliis, quæ ſpectant communiter ad Epiſcopum, & Capitulum.*

10 *Feudi dominus, licèt ſæcularis, juriſdictionem habet in vaſſallos ſuos, etiam ſi ſint Clerici.*

11 *Præpoſiti quandoque ſunt merè laici.*

12 *Baroniæ ſi concedantur in feudum, de his dominus feudi etiam laicus quantumcumque vilis, & ruſticus cognoſcit inter vaſſallos etiam Clericos.*

Secus ſi donentur Eccleſiæ ſimpliciter, num. 16.

13 *Feudi dominus eſt judex ordinarius in cauſis feudalibus.*

14 *Et quamvis ſit laicus, poteſt ſententiam exequi etiam contra Clericum vaſſallum ſine metu excommunicationis.*

Dummodò tamen in perſonam Clerici manus non injiciat, n. 15.

15 *Executio ſententiæ feudalis per Laicum contra Clericum reſiſtentem fieri poteſt realiter, non perſonaliter.*

16 *Baroniæ ſi donentur Eccleſiæ ſimpliciter, Princeps donator laicus nullam habet in Eccleſiam juriſdictionem.*

17 *Et Eccleſia in nullo tenetur donatori, nec etiam ad munera, quæ priùs habebat Baronia.*

18 *Sed tantùm ad munera, quæ donator ſibi retinuit in donatione, dummodò ſint honeſta.*

19 *Donans ſimpliciter, omnia jura ſibi competentia conceſſiſſe videtur.*

20 *Res Eccleſiæ donata Sanctum eſt Sanctorum Domino, nec ſubeſt niſi auctoritati judicis Eccleſiaſtici, & in ea ſacrilegium committitur.*

21 *Fiſcus Regius Ducatus Mediolani nihil poteſt prætendere, nec Magiſtratus extraordinarius ullam juriſdictionem ſibi vendicare in bonis à Joanne Galeatio donatis Monaſterio Carthuſiæ Papien. & nu. ſeqq. uſque in finem.*

22 *Carthuſia Papien. habet dominium, non nudam administra-*

niſtrationem bonorum ſibi donatorum à Jo. Galeatio Duce Mediolani, cum onere tamen diſtribuendi in pauperes annuos florenos decem mille auri, & num. ſeqq.

23 *Et eorum augmentum ſpectat ad Carthuſiam, non ad pauperes, vel quoſcumque alios.*

24 *Feudalis quæſtio eo ipſo, quod reus negat rem eſſe feudalem, coram Ordinario ipſius rei terminanda eſt.*

25 *Cauſa ſemel effecta Curialis numquam exibit de Curia, niſi Papa illam deleget, vel ad Ordinarium remittat.*

26 *Delegatus à Papa etiamſi eſt mortuus, Ordinarius ſe intromittere non poteſt.*

27 *Delegatus à Papa etiamſi nulliter procedat, cauſa revertitur ad Delegantem.*

28 *Cauſæ civiles, & criminales ad Eccleſiam Cathedralem ſpectantes ratione dominii, quod habet in bonis ab ea in feudum conceſſis, an comprehendantur decreto Concilii Tridentini cap. 20. ſeſſ. 24. & n. ſeqq. uſque in fin.*

29 *Feudum an ſit Eccleſiaſticum, vel ſæculare, attenditur prima cauſa conceſſionis feudalis.*

30 Quomodolibet, *dictio quid importet, n. 32.*

31 *Juriſdictio cumulativa Epiſcopi, & inferioris, pertinet ad utrumque in prima inſtantia, & eſt locus præventioni.*

1 VErùm. Dominus feudi ſive Eccleſiaſticus ſit, ſive ſæcularis cauſam feudalem cognoſcit. Sic ſummat Jo. Andr. Bellam. Butr. & communiter DD. Sed ſecundùm Abb. Marian. Socin. & Felin. magis evacuando ſubſtantiam cap. & clarificando litteram, hoc intendit: Per dominum feudi ſæcularem, ſive Eccleſiaſticum quæſtio feu-
2 dalis terminari debet, etiamſi vaſſali ſint Clerici. Et ſi plures prætendantur domini, non poteſt unus cognoſcere, maximè alia abſente. an feudum ad ſe pertineat. Primò ponitur factum. Secundò determinatio in certum caſum, ibi *Statuimus*. Tertiò in alium caſum, ibi, *Alioquin.*

3 Nota primò, ibi, *Adverſus Præpoſitum*, ſecundum unum intellectum, ſecundùm quem iſte Præpoſitus erat Clericus, & erat Præpoſitus cujuſdam Eccleſiæ Cathedralis, ut voluit Hoſtien. *hic nu. 5. in verb. Præpoſitum*, quòd Clericus poteſt eſſe vaſſallus nedum Eccleſiæ, ſed etiam laici ratione feudi obtenti, ad quod facit *c. Solitæ, ſupra de major. & obedient.* Abb. hic *n. 2.* & Marian. Socin. *in 1. notab.*

4 Secundò, nota ibi, *Ex quo Epiſcopus fuerit in Eccleſia conſecratus*, Capitulum Sede vacante non ſuccedere in juriſdictione Epiſcopo competente ratione feudi, ut hic notat Bernard. poſt caſum, Quod ſingulariter menti commenda ad limitationem eorum quæ habentur *in cap. Cum olim, & c. His quæ, ſupra de maior. & obedient.* nam ut dicunt Hoſtien. *hic nu. 5. in ver. Epiſcopus*, & Joan. Andr. *num. 9.* licèt Capitulum ſuccedat in juriſdictione generaliter, ut in dictis juribus; non tamen ſuccedit in juriſdictione feudali, ne Epiſcopus vaſſalum habeat, quem habere
5 nollet, ſicut nec in beneficiorum collatione, *ut c. Illa, infrà, ne Sede vacan.* & ſic jura prællegata locum habent in his omnibus quæ competunt Epiſcopo de jure communi, non autem in his, quæ competunt ei de jure ſpeciali,
6 ut hic per Abb. *nu. 9.* Et facit ſecundum eum, quod notat Innoc. *in cap. Cum in cunctis nu. 7. ſupra de elect.* ubi dicit poteſtatem devolvi ab Epiſcopo ad Capitulum in iis tantùm, quæ ad Epiſcopum pertinent proprio jure: ſecus verò ſi ex quodam jure accidentali, puta jure devoluto propter negligentiam Clericorum; quia tunc non ad Capitulum, ſed ad proximum Superiorem devolvitur hec poteſtas, *arg. cap. Ne pro defectu de elect.* & ſecundùm Innoc. ratio diverſitatis eſt, quia in his, quæ ad eos pertinent proprio jure, major eſt inter ipſos conjunctio, quàm in aliis, quæ aliunde obveniunt, *arg. c. Requiſiſti, §. Secus, infra de teſtam.* & eum ſequitur Joan. Andr. *in c. Quamquam num. 1. verſ. Item devolutis de elect. lib. 6.* Et idem notat Archid. in *c. 1. num. 3. ne Sede vacante, eod. lib.* Cæterùm hæc non
7 procedunt, quando ea, quæ competunt Epiſcopo de jure ſpeciali, ſpectant communiter tam ad Epiſcopum, quàm
8 ad Capitulum. Unde ſi feudum non eſſet de menſa ſolius Prælati, ſed eſſet commune Epiſcopo, & Capitulo, tunc Capitulum cognoſceret Sede vacante, *c. Unico, ne Sede vacante lib. 6.* ſecundùm Joan. Andr. hic *d. num. 6. verſ. Puto tamen quòd ſi feudum eſſet commune*, Abb. *nu. 8. & 9. verſ.* 9
Et nota ex dictis, qui ex hoc notabiliter deducit, ut diſpoſitio *d. c. Unici, ne Sede vacante lib. 6.* non ſit ſpecialis in collatione beneficiorum, ſed locum habeat etiam in aliis ſpectantibus pariter ad Epiſcopum, & Capitulum; quod ſemper nota.

Tertiò, nota ibi, *Imperiali beneplacito, ſicut juſtum fuerit, relinquatur*, dominum feudi licèt ſæcularem habere in 10
vaſſalos ſuos ratione feudi juriſdictionem ordinariam, etiamſi vaſſalli ſint Clerici, ut hic per Abbatem *n. 5.* quod clarè probat hæc decretalis intelligendo quòd iſte Præpoſitus erat Clericus, & habebat dignitatem Præpoſituræ in quadam Cathedrali, *ut in c. 1. ſupra de ætate, & qualitate*, juxta intellectum Hoſtien. hic *num. 5.* Contrarium ta- 11
men tenet Archid. *in c. 1. in 2. col. poſt medium in ver. Condemnari, de Cleric. conjug. lib. 6.* ubi ſequutus opinionem Hugonis mordicùs defendit laicum feudi dominum non eſſe judicem competentem in quæſtione feudali contra Clericum vaſſallum; & contrariis reſpondet, & intelligit Præpoſitum, *de quo loquitur hoc c.* fuiſſe merè laicum, ut quandoque contingit in quibuſdam locis, ut eſt Januę, ubi vocatur Abbas, & eſt purus laicus; & poteſt etiam figurari exemplum in Præpoſitis Florentinis, qui aſſumuntur ex eorum Prioribus, qui ſimiliter ſunt puri laici. Idem ſentiunt Goffred. *in c. 1. infra, ne Sede vacante*, & Abb. Antiq. hic *in princip.* dum dicunt hunc Præpoſitum fuiſſe Officialem Eccleſiæ, & vaſſallum, non tamen Clericum. Sed intellectus Hoſtien. eſt communior, ut inquit Cardin. *hic nu. 1. in 1. oppoſitione*, & Butr. *num. 11. verſ. Hoſtienſis tenet primum*, quem etiam dicunt eſſe magis notabilem, & communiter approbari Imol. *num. 2.* & Mar Soc. *in 1. notab.* Itaque, ut dicit Innoc. hic *num. 2.* ſi Principatus, 12
vel Comitatus, vel Caſtellania, vel alia hujuſmodi concedantur in feudum, de his dominus feudi etiam laicus, quantumcumque vilis, & ruſticus, cognoſcit inter vaſſallos, etiam Clericos, cùm ſit judex Ordinarius in cauſis feu- 13
dalibus, per legem Federici; *ut in c. Imperialem de prohib. feud. alienat.* per Federic. *in uſibus feudor.* Quinimò ſecundùm Innoc. *hic in princip.* Laicus poteſt etiam contra Cle- 14
ricos vaſſallos ſuam ſententiam exequi, nec propterea incidit in excommunicationem, ſi eos reſiſtentes compellat, *arg. c. Olim, il primo infra de reſtitut. ſpoliat.* Sed ut inquit Joann. Andr. hic *num. 1* hoc dictum Innoc. communiter 15
non approbatur, quòd in perſonam Clerici juriſdictionem habeat privatus; vel ruſticus, qui in cauſis feudalibus juriſdictionem habet, ut ſine pœna excommunicationis poſſit manus mittere in Clericum contra Regulam Canonis, *Si quis ſuadente*, 7. *qu.* 4. & pro opinione Joan. Andr. *facit* quòd Can. *Si quis ſuadente*, non interpretatur per leges feudorum, ſed per alios canones, ut inquit Martinus de Selva hic relatus à Bellam. *nu. 2. in 1. qu.* ſubdens quòd ita tenebatur communiter per omnes lectores. Similiter Abb. hic *nu.* 24. dicit ſe tenere opinionem Jo. Andr. tamquam tutiorem, & veriorem, ut non poſſit laicus exequi, vim inferendo in perſonam; ſed ſicut cognitio de crimine fit per judicem Eccleſiaſticum, ita & compulſio. Et eodem modo Felin. *nu. 5.* dicit veriorem eſſe opinionem, quòd in executione ſententiæ feudalis Clericus violentari nequeat. Verùm tamen ſecundùm Anton. de Butr. *hic num. 11. col. 5. poſt principium*, ſalvari poteſt dictum Innocentii, ut Laicus poſſit quidem Clericos vaſſallos repellere, non tamen tangendo perſonam, ſed terrendo armis, vel colonos tenentes pro eis repellendo à poſſeſſione feudi, quia per hoc non venit contra Canonem, *Si quis ſuadente:* quaſi Innocentius velit, ut laicus poſſit contra Clericum vaſſallum facere executionem realem, ſed non perſonalem. Pro qua diſtinctione vide, quod ſcripſi *in c. Unico num. 65. & 71. ſupra de obligat. ad ratiocin.* vel aliter diſtingue, ut hic per Bellam. *in 1. quæſt.* cum quo concordat Petr. de Anchar. *num. 7.*

Sed quid ſi Baroniæ prædictæ, id eſt Principatus, Co- 16
mitatus, Caſtellania, & alia hujuſmodi à Principe conceduntur Eccleſiæ non in feudum, ſed ſimpliciter: numquid Princeps donator Laicus, & temporalis habebit juriſdictionem in Eccleſiam ratione bonorum ſic donatorum? Innoc. hic *nu. 2.* ſentit non habere; ſic enim ait: *Si Baroniæ prædictæ non concedantur in feudum, ſed ſimpliciter,* 17
tunc Eccleſia in nullo tenetur donatori, nec etiam de aliis mu-

muneribus, quæ priùs habebat Baronia, allegat. cap. Cùm dilecti, infra de donat. Ad hoc cap. Paſtoralis, eod. tit, &
18 *cap.1. de cenſib.* Subdit tamen, quòd ſi in donatione Baroniæ donator aliqua munera retinuit, illa præſtabuntur dummodò ſint honeſta, ut notatur *in cap. Non minus, in-*
19 *fra de immunit. Eccleſiaſt.* Sed donando ſimpliciter, omnia jura ipſum tangentia conceſſiſſe, & remiſiſſe videtur. Et
20 paulò infra *in verſ. Sed nos contra credimus*: Cùm, inquit, rerum iſtarum dominium ſit Eccleſiæ queſitum, Sanctum Sanctorum eſt Domino, & ideò non ſubeſt, niſi auctoritati judicis Eccleſiaſtici, quia ſacrilegium in eis committitur, *cap. Nulli liceat, & cap. ſeq. 12. quæſt. 2.* & notatur in *cap. Cum ſit generale infra eodem*; & cum Innoc. concordant hìc Hoſt. *num. 1. circa fin. verſ. Sin autem dictæ Baroniæ,* Jo. Andr. *nu. 3.* Collectar. *eod. num.* Butr. *num. 11. in fin. verſ. Hæc omnia procedunt num. 25. circa medium, verſ. Sed nunc quæro*, & Bellam. *num. 6. in 3. quæſt.* dicens hæc eſſe perpetuò menti commendanda, quia valdè faciunt pro Eccleſiis, & contra dominos temporales, videlicet quod ſi dicit Rex, Eccleſia ſita eſt in Regno meo cum tota temporalitate ipſius, & dotata in totum à primogenitoribus, & prædeceſſoribus meis, igitur à me ipſo tenet ſuam temporalitatem in feudum, aut ratione illius tenetur mihi Epiſcopus fidelitatis juramentum præſtare: munera, ſeu onera hujuſmodi in primæva donatione, ſeu donatione non intelliguntur in dubio fuiſſe comprehenſa, ut patet ex dictis, & probatur ſecundùm eum in *cap. Romana, §. Debet de appellat. lib. 6.*

21 Et ex prædictis infertur, ut Regius Ducalis fiſcus Mediolani nihil poſſit prætendere in bonis immobilibus, quæ Joann. Galeatius Vicecomes Dux primus Mediolani, Comes virtutum appellatus, donavit Priori, & Conventui Domus B. Mariæ Gratiarum propè, & extra muros Civitatis Papiæ Ordini Carthuſienſis, cum hoc, ut ex eorum fructibus idem Prior, & Monachi conſtituerent Monaſterium? & Eccleſiam ejuſdem Ordinis, & hoc peracto tenerentur quotannis florenorum decem millia auri pauperibus egenis laicis diſtribuere; non enim dedit hujuſmodi bona in feudum, ſed donavit ſimpliciter, ut patet ex verbis donationis, ibi, *Inter vivos prædictus Dominus Jo. Galeatius fecit, & facit puram, meram, ſimplicem, & irrevocabilem donationem, &c.* Et proptereà Magiſtratus Regiorum Ducatus reddituum extraordinariorum ſtatus Mediolani per diffinitivam ſententiam in contradictorio judicio latam anno 1569. declaravit bona ut præfertur donata, pertinere, & ſpectare jure dominii ad præfatum Monaſterium virtute hujuſmodi donationis, cum onere tamen expenſarum, & erogationis faciendę ſingulis annis, prout in ipſa donatione continetur, nullumque jus fiſco Regio Ducali competere in & ſuper præfatis bonis, nec ad ea; proindeque ipſum Monaſterium eſſe abſolvendum à petitis per præfatum fiſcum, eique fiſco perpetuum ſilentium imponendum. Et poſt triginta circiter annos re iterùm ad eumdem Magiſtratum delata, emanavit decretum, non eſſe manum apponendam, quia agitur de re judicata. Et
22 ſubinde ſuo S. Pio V. & Greg. XIII. à Cardinalibus Robba, Alciato, & Aquaviva judicibus delegatis emanavit ſententiam, qua diffinitum fuit, dominium, & proprietatem
23 omnium, & quorumcumque bonorum hujuſmodi, ac omne, & quodcumque commodum, & incommodum ex illorum augmento, vel diminutione ad dictum Priorem, & Conventum, non autem ad pauperes, vel quoſcumque alios legitimè ſpectare, atque ipſi Prioris, & Conventui adjudicanda fore, & eſſe, quotannis ſummam dictorum decem millium florenorum auri in uſus pauperum impendere. Quæ quidem ſententia ab eodem Gregorio XIII. ex certa ſcientia, & cum inſertione tenoris fuit confirmata ſub die 10. Auguſti 1574. Manifeſtum eſt igitur in bonis ſimpliciter ut ſupra donatis, non autem in feudum conceſſis, Regium Ducalem fiſcum non poſſe aliquod jus prætendere, nec Magiſtratum extraordinarium in eis ullam ſibi juriſdictionem vendicare, ex præallegata theorica Innocentii communiter recepta.

24 Præterea etſi ageretur de quæſtione feudali, tamen cùm controverſia ſit ſuper jure, ſeu dominio directo ad dominum ſpectante, & actor aſſerat ſe dominum feudi; reus autem neget, contendens rem eſſe allodialem; actor ſequi debet forum rei, nec poteſt cognoſcere is, qui dicit ſe dominum, ne alias ſit judex in cauſa propria, *ut cap. Ne quis in ſua cauſa in rubro, & nigro.* Et eo ipſo quòd reus conventus negat rem eſſe feudalem, hæc quæſtio tamquam præjudicialis priùs terminanda eſt coram loci Ordinario, *arg. c. Tuam, infra de ordin. cognit. & §. Præjudiciales inſtit. de action.* & firmat notabiliter Innocentius *in cap. Cæterum num 2. circa finem verſ. Et eodem modo ſupra de judiciis.* Cum quo concordant ibi Hoſtien. *in princ. & num. 6. verſ. Alii tamen dicunt,* Joan. Andr. *num. 2. & num. 4. verſ. Nam ſi reus,* Bellam. *num. 4. col. 3. poſt medium, verſ. In ſecundo caſu,* Abb. *num. 20. circa finem, verſ. Aut negatur,* & communiter omnes, ut ibi dixi in ſecunda declaratione, *num. 13.*

Quibus demùm accedit, quod cùm hæc cauſa effecta ſit 25
Curialis, & Cardinalitia, & in ea S. Pius V. & Greg. XIII. per delegationem, & confirmationem ſententiæ manus appoſuerint, & diverſa reſcripta ſub Paulo V. & Urbano VIII. emanaverint, etiam inſtantibus Miniſtris Regiis ſola Curia cognoſcit, & ligatæ ſunt manus quorumcumque inferiorum, *capit. Ut noſtrum de appellat.* & notat Bald. *in leg. Si ut proponis, la prima nu. 12. Cod. quomodo,*
& quando judex, ubi quærit: Si Papa delegavit cau- 26
ſam, & delegatus eſt mortuus, utrum Ordinarius poſſit ſe intromittere: & reſpondet non poſſe, ſed ſolum Papam, licèt delegatio ſit conſumpta, allegat Archid. *in §. His ita 34. quæſt. 2. in Apoſtilla*, quæ incipit, *Adde*, ibi, *Et ſic nota, quod cauſa, quæ ſemel eſt in Curia Romana, numquam exibit, niſi Princeps deleget, vel cauſam remittat ad Ordinarium*; quod ſecundum eum eſt notatu dignum: & ad hoc facit illa lex, *& cap. Paſtoralis, §. Præterea, ſupra de offic. Ordinar.* ſequitur Decius *conſ. 699. Accepi reverenter, num. 13.* & Covarr. *Practicar quæſt. 9. num. 5. verſ. Primum ſanè*, & ita ſe habet ſtylus Curiæ, ut notat Dec. *d. conſ. 699. num. 3. verſ. Et iſta concluſio*, ubi allegat Rotam
deciſ. 10. de dolo, & contum. in antiq. Quinimò etiamſi ju- 27
dices delegati nulliter procederent, nihilominùs cauſa reverteretur ad Papam delegantem, & indignum eſſet, ut reverteretur ad inferiores, ex quo Papa appoſuit manus: nam flumina ad locum unde exeunt, revertuntur; quæ ſunt formalia verba Innocentii, *in cap. Inter dilectos nu. 4. verſ. Sed nobis videtur contra de exceſſ. Prælat.* cum quo concordent ibi Doctores, Roman. *conſ. 335. Circa primum num. 6.* Dec. *d. conſ. 699. nu. 13* & ita reſolutum in Congregatione à Sanctiſſimo ſpecialiter deputata die 14. Martii 1650.

Ex facto quæſitum eſt, an cauſæ civiles, & criminales 28
ad Eccleſiam Cathedralem ſpectantes ratione directi dominii, quod habet in bonis ab ea in feudum conceſſis, comprehendantur decreto Concilii *cap. 20. ſeſſ. 24.* adeò ut in prima inſtantia cognitio hujuſmodi non ſit per Nuntios, vel Legatos de latere ab Epiſcopo avocanda.

Ex parte Epiſcopi Sarſinatenſis fuit aliàs propoſitum ſupraſcriptum dubium in Sacra Congregatione Concilii, quod tamen minimè fuit reſolutum ex eo, quòd de aliquibus in facto dubitaretur, quæ nunc ex infraſcriptis declarata, & patefacta eſſe exiſtimantur: nam anno 1016. Corradus Imperator, & anno 1116 Federic. II. donarunt liberè, ſeu in dotem pleno jure conceſſerunt Eccleſię Sarſinaten. nonnulla Caſtra cum omnibus pertinentiis ſuis, ac mero, & mixto imperio, nullaque penitùs ſibi ipſis reſervata in eis juriſdictione. Unde Epiſcopi Eccleſiæ Sarſinaten. ab eodem tempore citra in dictis Caſtris, & in perſonas ſibi ſubditas ſemper exercuerunt jura meri, & mixti imperii, prout nunc etiam exercent in aliquibus eorumdem, inquirendo, condemnando, confiſcando, abſolvendo, & ſimilia faciendo, quæ ab aliis Principibus non recognoſcentibus Superiorem fieri conſueverunt. Ex his autem Caſtris per dictos Imparatores ut ſupra eidem Eccleſię conceſſis, Epiſcopi pro tempore aliqua poſtmodum à menſa Epiſcopali alienarunt, in feudum concedendo, quæ nunc etiam reperiuntur infeudata, in quorum directum dominum feudatarii eadem Caſtra retinentes recognoſcunt Epiſcopum Sarſinaten. ac ei debitum Canonem perſolvunt. Verùm in cęteris juriſdictionalibus, & in his, quę concernunt adminiſtrationem ſubditorum, minimè patiuntur Epiſcopum prædictum ſe intromittere: quo fit, ut cauſæ appellationis, recurſus, ſive querelæ, per ſubditos ad ipſum Epiſcopum tamquam ad dominum directum interpoſitæ, ad eumdem deferri minimè permittant. Nec de moleſtiis, & gravaminibus per ſe ipſos feudatarios,

ſub-

ſubditis inferri ſolitis, Epiſcopum ipſum cognoſcere volunt, cum tamen ad eum jure feudi talis cognitio ſpectet, ſecumdùm, ea quę ſuperiùs dicta ſunt. Sed ad evitādam ipſius Epiſcopi juriſdictionem, & cenſuram, feudatarii prædicti ſtatim atque cognoſcunt ſuos ſubditos ad Epiſcopum reclamaſſe, habent recurſum ad Legatum, ſeu Pręſidem pro tempore ipſius Provincię obtinenteſque dicto Epiſcopo cauſas dictorum ſubditorum ad ipſam legitimè devolutas, ſive per eos coram ipſo legitimè introductas avocari, & ſimul inhiberi, ne cognitionem hujuſmodi cauſarum proſequatur, eaſque coram dicto Legato introducunt. In quibus Epiſcopus ipſe ſentit ſe gravatum, prętendens dictas cauſas à ſe minimè avocandas ſtante decreto Concil. *ſeſſ.* 24. *c.* 20. ſed in prima inſtantia coram ſe cognoſcendas, & terminandas, quaſi cauſę hujuſmodi ad forum Eccleſiaſticum pertineant, atque Eccleſiaſticę dici poſſe videntur, ex quo ratione feudi Eccleſiaſtici Epiſcopus earumdem aſſequitur cognitionem; quod Epiſcopus nititur ſuadere ex infraſcripis.

29 Primò, quià feuda, de quibus agitur, & quę tenet Eccleſia Sarſinaten. ſunt Eccleſiaſtica, ut ex dictis conſtat: & hìc notat Abb. *num.* 25. *&* 26. ubi ad cognoſcendum, an feudum, in quo ſe intromittit Eccleſiá, ſit Eccleſiaſticum, vel ſęculare, dicit attendendam eſſe primam cauſam conceſſionis feudi; ſi enim Eccleſia teneat aliquid in feudum ab aliquo Principe ſęculari, tale feudum dicitur ſęculare, & ſi ipſa Eccleſia hujuſmodi feudum concedat alteri, non per hoc ille dicetur vaſſallus Eccleſiaſticus, ſed ſęcularis, & juriſdictio, quam habet Eccleſia in ipſum, vel in ſubditos ipſius vaſſalli, non dicitur Eccieſiaſtica, ſed ſęcularis, quia tunc cognoſcit non tamquam Epiſcopus, ſed tamquam dominus feudi: ſi autem feudum, quod ab Eccleſia in alium etiam laicum translatum eſt, originaliter & primò ab ipſa Eccleſia proceſſerit, nec ipſa Eccleſia de eodem feudo alium recognoſcat Superiorem: quod facilè contingere poteſt, ut ſcilicet Eccleſia habeat quę concedere poſſit in feudum continentia etiam juriſdictionem, & in quibus nullum alium recognoſcat Superiorem, puta ſi Baronię, vel alię res ſimiles fuerint vel pro dote, vel ſimpliciter, & non in feudum conceſſę Eccleſiis ab aliquibus ſæcularibus, quæ in totum uti patrimonium Eccleſiaſticum judicantur, & in nullo tenetur Eccleſia donatori: & hæc ſi concedat Eccleſia in feudum, tale feudum dicitur Eccleſiaſticum, & juriſdictio per omnia erit cenſenda Eccleſiaſtica, ut latiùs per eum. Et hoc caſu ſi appellandum ſit, appellatur ad Superiorem Eccleſiaſticum, *c. Romana*, §. *Debet de appellat. lib.* 6.

Cùm igitur feuda, quę habet Eccleſia Sarſinaten. originaliter ab ipſa proceſſerint, & in eis nullum alium recognoſcat Superiorem, ex quo ſunt bona, quæ ſibi liberè in dotem fuerant aſſignata, nec in aliquo donatori reſpondebat: ſequitur ut Eccleſiaſtica omninò ſint judicanda. Si igitur Eccleſiaſtica ſunt, & cauſę, de quibus agitur, quę nomine ipſorum veniunt cognoſcendæ, ſunt, & dici debent Eccleſiaſticæ, ad text. *in c. Si annum de jud. lib.* 6. & tamquam Eccleſiaſticæ ad forum Eccleſiaſticum pertinere dici poſſunt, *c. Decernimus de judic.* Ergo dipoſitio Concilii de talibus cauſis loquentis in prædictis etiam ſibi locum vendicabit.

Et confirmantur prædicta ponderando dictionem illam,
30 *Quomodolibet*, poſitam in decreto Concilii, quę univerſalis eſt, gloſ. *in c. Indemnitatibus*, §. 1. *in verb. Quomodolibet de elect. lib.* 6. Gemin. *conſ.* 115. *ſuper dubio num.* 6. & comprehendit omnes modos tam directos, quàm indirectos, Gloſſ. *Clem.* 2. *in ver. Quomodolibet de ſenten. excomm.* & ſive pertineant de jure communi, ſive de jure ſpeciali, Rota *deciſ.* 614. *num.* 2. *part.* 2. *recent.*

Pro ſolutione quæſtionis videtur ſic diſtinguendum: nam aut quæſtio eſt cum inveſtito ab Eccleſia, aut cum altero Ordinario: ſi cum inveſtito, Eccleſia eſt judex competens in concernentibus feudum, ad tradita *in l. Imperialem de prohibit. feudi alien.* per Federic. *in uſibus feud.* ſin autem infeudata eſſet etiam juriſdictio in loco, illa cenſebitur conceſſa cumulativè, ita ut ſit locus præventioni, ut in *c. Paſtoralis de offi. Ordin.*

Et in ſimilibus terminis quando Epiſcopo competit ju- 31
riſdictio cumulativè cum inferiori, Sac. Congregatio neutrum exculſit à prima inſtantia, quamvis deciſio expreſſa ſuper hoc non emanaverit. Cæterùm cùm dubium proponatur de cauſa feudali, etſi Epiſcopus ſit judex competens in prima inſtantia, eò quòd feudum ſit Eccleſiaſticum, ſecundùm ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt: Epiſcopus tamen illam non cognoſcit tamquam loci Ordinarius, ſed tamquam dominus feudi; ac proinde non videtur eſſe locus decreto Concilii *in d. c.* 20. quod mandat, ut cauſæ ad forum Eccleſiaſticum pertinentes coram Ordinariis locorum cognoſcantur, & terminentur, ut ex infra dicendis patebit. Si quęſtio eſt cum altero Ordinario, veluti ſi caſtra infeudata ſint in diœceſi aliena, puta juriſdictionem competentem Eccleſiæ ratione ſui dominii directi non pręjudicare locorum Ordinariis in aliis cauſis Eccleſiaſticis, ſive civilibus, ſive criminalibus, præterquam in iis, quę concernunt feudum, & ſecundùm leges feudales terminandę ſunt. Nec ſuffragatur Eccleſiæ dominæ feudi decretum Concilii, tum quia loquitur de cauſis ex ſui natura ſpectantibus ad forum Eccleſiaſticum, cujuſmodi ſint cauſæ ſpirituales, vel quaſi ſpirituales, ut declarat Covarr. *pract. quæſt. cap.* 35. *nu.* 2. Marant. 4. *par. diſput.* 13. Tum quia forus Eccleſiaſticus à foro feudali longè diſtat. Unde ſicut Eccleſiaſticus ratione feudi cognoſcit contra laicum; ita laicus contra Clericum feudatarium in quæſtione feudali, ut oſtenſum eſt *ſupra num.* 10. Tum quia verba potiùs accipienda ſunt ſimpliciter, quàm ſecundum quid, Bart. *in l. Hoc legatum*, *ff. de legat.* 3. Ergo textus *in cap.* 20. loquens de Ordinariis locorum, non eſt intelligendus de habentibus juriſdictionem ordinariam ratione feudi, quæ appellatur ſpecialis, & eſt reſtricta ad certas cauſas, maximè cùm ſit ſuperinducta, & quatenus præjudicat Ordinariis, reſtringenda, ad gloſ. in *Clem. ult. in ver. Nolumus de offic. Ordin.* Quare hic caſus velut omiſſus relinquitur diſpoſitioni juris communis, & legum conſuetudinumque feudalium.

Non obſtat ponderatio dictionis, *Quomodolibet*: nam etſi univerſalis ſit, tamen reſtringitur ad ſubjectam materiam, & diſtribuit illos modos, quibus cauſæ ad forum Eccleſiaſticum pertinere dicuntur, quales non ſunt hæ de quibus agitur, ad tex. *in l. Si uno in princ. ff. locat.* cum ſimilibus, ut per Alex. *in conſ.* 35. *Viſo proceſſu n.* 10. *&* 11. *lib.* 4.

Itaque ad propoſitum dubium videbitur abſolutè reſpondendum, cauſas civiles, & criminales ad Eccleſiam Cathedralem ſpectantes ratione directi dominii, quod habet in bonis ab ea in feudum conceſſis, non comprehendi in decreto *dict. cap.* 20. *ſeſſ.* 24. Concilii Tridentini: & ita Sacra Congregatio cenſuit.

DE FORO COMPETENTI:

Gregorius IX.

CAPUT XX.

LIcèt ratione delicti, ſeu contractus, aut domicilii, ſive rei de qua contra poſſeſſorem cauſa movetur, quibus forum regulariter quis ſortitur, Epiſcopus veſter apud Sedem Apoſtolicam conventus non fuerit: quia tamen omnium Eccleſiarum mater eſt eadem & magiſtra, ritè compelli potuit, ut ibi ſuis adverſariis reſponderet: niſi pro alia juſta & neceſſaria cauſa veniſſet, quam ſi tunc allegaſſet: jus revocandi domum ſalvum fuiſſet eidem.

SUMMARIUM.

1 Clerico in Curia Romana convento non competit declinatoria fori competit tamen ſibi ex cauſa jus revocandi domum.

2 Forum quis ſortitur in cujus territorio delinquit, licèt aliàs ei ſubjectus non ſit.

3 Locus an attendatur, ubi delictum eſt inchoatum, an ubi eſt conſummatum quoad effectum ſortiendi forum.

4 Judex delicti an poſſit citare extra territorium, & num. 15.

5 Forum quis ſortitur in loco, ubi contrahit, vel fingitur contraxiſſe.

6 Forum ut quis ſortiatur ratione contractus, quæ requirantur, & num. 15. & ſeqq.

7 Contrahens cum tranſeunte quando poſſit eum convenire in loco celebrati contractus.

9 Forus domicilii dicitur proprius, & naturalis forus.

10 Diœceſis appellatione in dubio comprehenditur diœceſis domicilii.

11 Subjectus propriè non dicitur, qui ſubeſt poteſtati delegatæ.

12 Ordinarius domicilii poteſt procedere contra ſubditum, licèt abſentem, & eum citare tam quoad effectus rem concernentes, quam perſonam.

13 Citationis executio non eſt actus judicialis, ideò poteſt per nuntium exerceri etiam extra territorium.

14 Ordinarius domicilii poteſt contra abſentem procedere etiam ad ſententiam excommunicationis.

15 Ordinarius delicti, vel contractus, non poteſt procedere contra abſentem quoad effectus perſonam concernentes; poteſt tamen procedere contra bona, ſi in ſuo territorio reperiantur, & n. ſeq.

16 Citatus extra territorium ab Ordinario delicti non dicitur contumax, cùm non teneatur comparere.

17 Judex contractus non poteſt abſentem directè de debito condemnare, niſi reus eſſet præventus, vel ibi aliquando comparuiſſet.

18 Judex contractus poteſt contrahentes citare extra locum, & diœceſim contractus.

19 Citatio judicis contractus non conſtituit abſentem in contumacia, quoad hoc ut poſſit excommunicari, vel mulctari; ſed tantùm quoad hoc, ut poſſit miſſionem pati.

21 Forum quis ſortitur, ubi res litigioſa ſive illius poſſeſſio ſita eſt, ſive res ſint mobiles, ſive immobiles.

22 Romæ quilibet Clericus, aut etiam laicus in cauſis ad forum Eccleſiæ ſpectantibus cenveniri poteſt, licèt aliàs ibi ſpecialiter forum non ſortiatur.

23 Papa eſt Judex Ordinarius ſingulorum.

24 Jus revocandi domum quid ſit, & an reverſus teneatur cavare de judicio ſiſti: & quid obſervet Rota.

25 Clericus an poſſit in Curia Romana conveniri in prima inſtantia, non obſtante decreto Concilii Tridentini in c. 20. ſeſſ. 24. & n. ſeq. uſque in fin.

27 Vagabundi, qui certum domicilium, vel habitationem non habent, ſortiuntur forum ubi reperiuntur.

28 Forum ſortiendi quinquaginta duo modi numerantur à Speculatore.

29 Papa non ſolùm eſt Epiſcopus univerſalis Eccleſiæ, ſed etiam Archiepiſcopus Urbis Romæ, & Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus.

30 Cauſæ, quæ ſecundùm Canonicas ſanctiones in Curia ſunt tractandæ, & ab Ordinariis cognoſci non poſſunt in prima inſtantia, quæ ſint, & nu. ſeq. uſque in fin.

31 Cauſæ beneficiorum reſervatorum ſunt cognoſcendæ apud Sedem, & ſunt de exceptis à Concilio, ſive emergant principaliter, & directè, ſive incidenter.

32 Reſervato aliquo caſu Papæ, cenſetur etiam reſervata illius cognitio.

33 Cauſæ executivæ vigore obligationis Cameralis, aut litterarum Apoſtolicarum, non ſunt de comprehenſis à Concilio in c. 20. ſeſſ. 24.

34 Cauſa in prima inſtantia eſt cognoſcenda in Curia, ubi Papa providit de beneficio uti reſervato, vel aliàs, & Ordinarius providit, ut de ſpectante ad ſuam collationem.

35 Concilium Tridentinum in c. 20. ſeſſ. 24. nihil imminuit Sedi Apoſtolicæ authoritatem in cauſis cognoſcendis.

36 Cauſæ ad Curiam devolutæ ſemper ſunt exceptæ decreto cap. 20. verſ. Ab his excipiuntur, ſeſſ. 24.

37 Cauſæ ad Curiam devolutæ quæ dicantur.

38 Cauſa de conſenſu Epiſcopi non poteſt in prima inſtantia in Curiam introduci, niſi partes etiam conſentiant.

39 Declaratur.

40 Curialis ſi conveniatur in partibus coram loci Ordinario, an poſſit opponere declinatoriam, & petere, ut cauſa ad Curiam remittatur, & n. ſeq. uſque in fin.
Quidem de jure communi, n. 41.
Et quid vigore Eugenianæ, n. 43.

41 Actor habet electionem conveniendi reum plures judices habentem, ſub quo maluerit judice.

42 In foro domicilii, vel originis, aut contractus, vel delicti, an, & quomodo Clericus abſens conveniri poſſit.

43 Eugeniana Conſtitutio eximens Curiales ab Ordinariorum juriſdictione, comprehendit tam laicos, quàm Clericos.

44 Eſt favorabilis, & pro tutela Curialium.

45 Suffragatur reſidentibus in Curia Romana, non autem venientibus ad eam pro aliquo negotio.
Et requiritur reſidentia ſaltem per annum.

46 Non tuetur Curiales, qui recedunt à Curia animo non redeundi, vel diu extra Curiam morantur.

47 Locum non habet, ſi Curialis ſit actor, ſed tantùm ſi ſit reus.
Clericus in Curia reſidens non poteſt reum abſentem ad Curiam trahere, ſed illius forum ſequi debet ibidem.

48 Eugeniana non juvat Curialem, qui intentat remedium l. Diffamari, niſi poſſideat.

49 Item non juvat obtinentes beneficia extra Curiam, quin ratione illorum beneficiorum conveniri poſſint coram loci Ordinario.
Et quid in Referendariis; ibid.
Item non tuetur Parochos non reſidentes.

51 Eugeniana non tuetur Curialem, quin poſſit conveniri in partibus vigore l. Unicæ, C. quando Imper. inter pupill. & vid.

52 Conſtitutio tollens privilegia, non tollit clauſa in corpore juris

53 Eugenianæ beneficio non gaudet Curialis non opponens in partibus declinatoriam fori ante litem conteſtatam.

54 Procurator Curialis litem conteſtando in partibus coram loci Ordinario, cenſetur illius juriſdictionem prorogare, & excludit principalem à Beneficio Eugenianæ.

55 Decreto irritanti à partibus renunciari non poteſt, niſi tantùm privatam reſpiciat utilitatem.

Licèt. Clerico in Curia Romana convento non competit declinatoria fori; poſſet tamen ſibi competere jus revocandi domum. Vel ſic: Quiſque Clericus poteſt in Curia Romana conveniri, licèt aliàs ſpecificè forum ibi non ſortiatur; habet tamen ex cauſa jus revocandi domum. Hoc dicit. Dividitur in duas partes. Primò ponit quatuor modos ſortiendi forum. Secundò addit quintum cum modificatione, ibi: *Quia tamen*. 1

Nota primo ex hac Decretali quatuor modos ſpeciales ſortiendi forum. Primus eſt ratione delicti: nam in cujus territorio quis delinquit, ejus juriſdictioni ſubjicitur, licèt aliàs ei ſubjectus non ſit, *cap. 1. de raptor. cap. Placuit, 7. quæſt. 3. cap. Poſtulaſti ſupra eodem*, Auth. *Qua in provincia, C. ubi de crim. ag. opor. cum concord.* de quibus hìc per gloſ. 1. & Hoſtienſ. *num.* 1. An autem inſpiciatur locus, ubi delictuam eſt inchoatum, an verò locus, ubi eſt conſummatum, Joan. And. *in cap. In obſcuris de reg. jus lib. 6. in Mercur.* tenetur utrobique cenſeri commiſſum delictum; & ideò utrumque judicem poſſe procedere: & hanc dicit eſſe communem ſententiam Aret. *hìc num.* 7. Tu diſtingue, ut per eundem Aret. cujus concluſiones reaſſumit Felin. *n.* 13. 2

&

& ſeq. & vide quod ſuper hoc ſcripſi *in c. Tuarum nu.7. & ſeq. inſ. de privil.* & an judex delicti poſſit citare extra territorium, vide Ang. *in ſua diſp incip. Bononien. n.*4. ubi relatis, & confutatis quinque opinionibus, ponit pro regula exiſtentem extra territorium citantis, nec materialiter, nec verbaliter citari poſſe: & eam limitat ſex modis, quos hìc proſequitur Felin. *num.*1. *verſ. Tu verò ſequere Angelum.*

Secundus modus ſortiendi forum eſt ratione contractus, ut ſi quis in alieno territoriò per ſe, vel per alium contrahat, vel fingatur contraxiſſe ratione deſtinatæ ſolutionis, nam ibi poteſt convenire; & accipitur hìc contractus non ſtrictè prout eſſe dicitur ultrò citròque obligatorius, ut emptio, venditio, ſocietas, juxta text. *in l. Labeo, ff. de verb. ſignif.* ſed latiſſimè pro omni materia obligationem producente, etiamſi obligatio naſcatur ex parte unius tantùm *ut in l. Heres abſens, & in l. Omnem obligationem, ff. de Judic.* ſecundùm gl. *hìc in verſ. Ratione contractus*, Hoſtienſ. *nu.*4. Butr. *n.*11. & Abb. *n.*29.

6 Adverte tamen, ſecundùm Cynum *in l. Si poſtquam, C. de evictionibus*, quia non omnis contrahens poteſt conveniri in loco contractus, *ut notatur in c. Romana, §. Contrahentes circa princ. hoc tit. lib.*6. ſed ita demum, ſi habeat ibi officinam, vel tabernam, ſecundùm Archid. & Joan. Andr. vel niſi veniſſet ſpecialiter pro illo contractu, ut notat Hoſtienſ. *in c. Quod Clericis ſuprà eodem*. Secus, ſi veniſſet ut mercator, advena, ſeu viator confeſtim diſceſſurus, *d. l. Heres abſens, ff. de Judic.*

7 Abſurdum eſt enim, ut quotquot locis quis navigans, vel iter faciens delatus eſt, tot locis ſe defendat, ut ibi dicitur *in §. Proinde*, & declarat *hìc* Butr. *num.*13. & Collectar. *num.*4. Itaque contrahens cum tranſeunte, non poteſt ibi eum convenire, niſi in duobus caſibus. Primus eſt, quando contrahens ignorabat illum eſſe advenam, ſeu viatorem, puta non erat cum calcaribus, ſeu indumentis viatoriis, ſed indutus ut alius civis: is ſibi enim imputet, qui ſe viatorem non declaravit.

8 Secundus eſt, quando implementum contractus debet ſtatim fieri in loco, ubi contrahitur: ut ſi emas equum à viatore, ut ſtatim tradat, non habita fide de tradendo. Ita poſt Bart. *in d. l. Heres abſens*, & Cyn. *in l.*1. *C. Ubi de poſſeſſ. agi oport.* declarat hìc Butr. *num.*115. *verſ. Hæc dicit vera Bartol.*

Tertius modus ſortiendi forum eſt ratione domicilii, 9 *c. Ex parte ſuprà eodem, l. Cives, C. de Incol lib* 10. cum aliis adductis hìc per Innoc. *num.*1. *in ver. Domicilii*: & hìc propriè dicitur eſſe verus, & naturalis forus, Innoc. *nu.*3. Butr. *num.*16. & Felin. *num.*23.

10 Hinc appellatione alicujus diœceſis in dubio comprehenditur diœceſis domicilii, ut notat Compoſtell. *in cap. Nonnulli in 4. gloſ. de reſcript.* & Specul. *in tit de citat. §.* 1. *circa princ.* & ſic dicit Joann. And. ſe diſputaſſe *in c. Statutum* §. 5 quæ incipit: *Decrevimus ad fin. de Reſcript. in 6.* Hinc etiam appellatione ſubjecti in dubio venit ſubjectus ratione domicilii, *gloſ. in c. Nuper in ver. Abſolutio, de ſent. excomm* & gloſ. in Clem. 1. *in ver. Subditos de foro compet.* quam ibi omnes ſequuntur.

Et de diœceſi dicitur tantùm qui eſt ſubditus ratione domicilii, Archid. *in cap. Cum nullus in verſ. Parochiæ de tem-* 11 *por ordinat in 6.* Subjectus etiam propriè non dicitur, qui ſubeſt poteſtati delegatæ, ut dicit gloſ. *in cap. Pervenit 7. quæſt.*1. quia tales ſubmiſſiones ſunt ſecundùm quid, & non ſimpliciter, & naturaliter, ſed per accidens; unde 12 ſolus forus domicilii eſt verus, & ordinarius forus, ita ut propterea ſecundum communem opinionem, de qua teſtatur Abbas *num.* 41. ordinarius domicilii non ſolùm poſſit procedere contra ſubditum, ſi ſit præſens, quo caſu poteſt in eum exercere omnimodam juriſdictionem, ut in Clement. *Paſtoralis de re judic. & in cap. Cùm contingat ſuprà de offic. Ordin. cap.*1. *& cap. Cùm Epiſcopus eod. tit. lib.*5. *& l. Congruit de offic. Præſid. cum ſimil* & eum convenire tam pro contractibus alibi geſtis, & re alibi ſita, quàm pro delictis alibi perpetratis, *ut in cap. Dilecti, cùm ibi notatis ſuprà eodem, & in d. cap. Cùm contingat*, & ibi plenè per Abbatem: ſed etiam ſi ſit abſens: nam poteſt citari per judicem domicilii quoad omnes effectus, ſcilicet, ut procedat contra eum vel ad miſſionem in poſſeſſionem, vel ad condemnationem, ſi ſtatus cauſæ patiatur: quia ubicumque ſit, ejus ſubditus remanet, & citatio decernitur in proprio territorio ipſius judicis, licèt nuntius exequatur extra territorium: nam illa executio non eſt actus 13 judicialis; & ideò poteſt exerceri extra territorium, ut notatur *in cap. Novit de offic. leg. & in c. Romana, §. Contrahentes de foro compet. lib.*6. & tenent Hoſtienſ. & Jo. And. *in cap.*7. *de raptor.*

Quinimò poteſt Ordinarius domicilii contra abſentem 14 procedere etiam ad ſententiam excommunicationis, ut contra Paul. de Leaz. & Calder. tenet hìc Joan. de Lign. & Feder. de Sen. *conſ.* 16. quorum opinio communis eſt, ut ſimiliter teſtatur Abb. *num.*42. *verſ. Joan. de Lignano hìc indiſtinctè tenet contrarium.*

At ſecus eſt in Ordinario ratione delicti, vel contractus; 15 qui ita demum poteſt procedere contra delinquentem, vel contrahentes, eos excommunicando, & mittendo in poſſeſſionem, ſi ſint præſentes in loco; ſin autem abſentes ſint, contra perſonam procedere non poterit, ſed tantùm contra res, mittendo in poſſeſſionem earumdem rerum, ſi reperiantur in loco delicti, vel contractus, ut determinat Innoc. *hìc in princ. in ver. Contractus*, & Hoſtienſ. *num.*3. ubi reddunt rationem, cur ſubditus abſens non poſſit ex- 16 communicari, quia ſcilicet non poteſt dici contumax, cùm citatus extra territorium non teneatur comparere. Idem tenet Ant. de Butr. *num.*6. ubi concludit, delinquentem, ſi ſit præſens in territorio, ubi deliquit, eſſe ſubjectum quoad omnes effectus, & perſonam, & bona ibi exiſtentia concernentes; ſi verò ſit extra territorium, eſſe ſubjectum tantummodò quoad poteſtatem diſtinguendi bona ſita in territorio judicis perpetrati delicti, ut notatur *in c. Poſtulaſti ſupra eod.* Et idem in contractibus concludit, *nu.*15. dicens, ita demum aliquem ſortiri forum ratione contractus, ſi ibi inveniatur quoad effectus perſonam concernentes. Ideòque ſi Ordinarius vellet eum excommunicare, non poſſet eum quoad hunc finem in contumaciam conſtituere. Et idem putat, ſi vellet eum de debito directè con- 17 demnare, niſi eſſet præventus, ut dicit Innoc. *in cap. Præterea de dilation.* vel niſi ibi aliquando comparuiſſet, ut dicit *gloſ. in l. Si quis Romæ, ff. de Judic.* & ſubdit ſe hoc in facto habuiſſe.

Quoad effectus, aut res concernentes, benè poſſet citari, & in contumaciam conſtitui, & miſſionem pati, dummodò tamen res ſint in loco initi contractus, ut dictum eſt ſupra in delictis.

Idem tenet hìc Collectar. *num.*5. dicens, judicem contra- 18 ctus poſſe contrahentes citare extra locum, & diœceſim contractus, quia citare eſt juriſdictionis voluntariæ, *cap. Præterea de dilation.* & ea quæ ſunt voluntariæ juriſdictionis, judex poteſt extra territorium exercere, *ut notatur in cap. Novit de offic. legati.* Verumtamen hujuſmodi citatio 19 non eſt efficax ad conſtituendum citatum in contumacia; ſi non compareat quoad hoc ut judex citans, ad excommunicationem, mulctam, vel aliam pœnam poſſit contra eum procedere; ſed miſſionem facere poterit, ut expreſsè habetur *in d. §. Contrahentes*, ubi hoc tenet Joan. And. ſecundùm eum.

Quartus modus ſpecialis ſortiendi forum eſt ratione rei: 20 nam ubi res eſt litigioſa, aut illius poſſeſſio ſita eſt, ut hìc dicitur, ibi quis poteſt conveniri, *ut C. ubi in rem actio per tot. cap. Sanè, & c. Ex parte ſupra eod.* ſive res ſit mobilis, ſive, immobilis, *l. Quod legatur, ff. de re Judic.* ſecundùm Innoc. *hìc num.*1. *in ver. Rei*, & Hoſt. *in eodem ver. num.*5.

Quæ autem requirantur ad hoc, ut altero ex prædictis quatuor modis quis forum ſortiatur, ſingillatim explicant Butr. & Abb. exponendo per ordinem quatuor gloſſas hìc poſitas.

Secundò nota præter quatuor modos ſpeciales, de quibus 21 ſuprà, alium modum generalem ſortiendi forum, videlicet ratione communis Patriæ, vel communis Superioris: Roma enim communis eſt Patria, *l. Roma, ff. ad municipal.* & ideò in Romana Curia quilibet Clericus, vel Laicus conveniri poteſt, licèt ibi non delinquat, vel contrahat, aut aliàs ſortiatur forum, ut hìc; Clericus quidem indiſtinctè; Laicus verò in cauſis, pro quibus coram Papa conveniri poteſt, ſecundùm Anton. de Butr. *num.*3. id eſt, in cauſis ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet ſpectantibus, de quibus notatur *in Summ.*11. *quæſt.*3. & cenſetur Curia Romana ubicumque eſt Papa, ut per Butr. *num.*2. *in* 2. *notab.* Ad hoc quod dixi *in cap. Ego N. num.*31. *de jur. jur.* nam ut inquit gloſſa *fin. hìc*, cùm Papa ſit judex ordina- 22

rius

rius ſingulorum, nullitas eſt illius forum declinare, *cap.*
*Cunct.i per mundum 9. quæſt.*3. Conventus tamen habet jus
revocandi domum, ſi ob aliam cauſam illic inde liberatus
acceſſerit, ut hìc; & quidem ex cauſa neceſſaria, vel pro-
babili, & quaſi neceſſaria, ut poſt Innocentium conclu-
22 dunt Hoſtienſ. *num.*12. & Butr. *num.*25. *verſ. Sed regula*,
Adde Rotam *dec.*2. *de for. compet. in antiq.* ubi reſolvit,
venientes ad Romanam Curiam ex cauſa voluntaria non
habere jus revocandi domum; ſecus, ſi ſit cauſa neceſſaria,
& quæ de facili expediri non poſſit: poteſt enim excipere;
Domine non veni ad hoc paratus; remittatis me ad do-
mum; deliberabo: ut formaliter explicant Hoſtienſis *in fin.*
Joan. Andr. *num.*7. *in ver. Domum*; ſubdunt tamen: Sed
parum prodeſt, quia quod differtur, non aufertur; tene-
tur enim cavere ſaltem de judicio ſiſti, & ad diem ſibi aſſi-
gnatam reverti, *l.*2.§.*Sed ſi dubitetur*, *ff. de Judic.* Sed in
hoc Innoc. *num.*3. poſt multa determinat contrarium: *No-
bis*, inquit, *plus placet quod numquam debet dare cautionem,
quod poſt reverſionem ſuam revertetur ad Curiam ibi cauſam
acturus, ſed quod coram ſuo judice ordinario reſpondebit*,
leg. 2. §. *Legatis*, *ff. de judic.* & ibi plenè habetur de hoc pri-
vilegio revocandi domum. Cæterùm tamen adverte ad
id, quod in propoſito dicunt Domini de Rota *dec.* 829.
aliàs ult. in tit. de foro compet. in antiq. cujus hæc ſunt ver-
23 ba: *Nota quod illi, qui ſunt in Curia Romana pro Republi-
ca, habent jus revocandi domum, c.*1. *de for. compet. c. fin.
de dilat. cap. Cauſam: tamen communiter obſervatur, quod
tales non habent jus revocandi domum, ideò coguntur ibidem
reſpondere ſuis adverſariis, poſtquam ſunt præſentes in Cu-
ria. Ita obſervat Rota.* Vide Compoſtell. *in c. Statutum de
reſcript. lib.*6. Hæc ibi.

24 QUÆRO, an diſpoſitio hujus Decretalis, qua decidi-
tur, ut Clericis in Romana Curia competat declinatoria
fori, fuerit ſublata decreto Concil. Trident. *cap.*20. *ſeſſ.*24.
quo ſtatuitur, ut cauſæ omnes ad forum Eccleſiaſticum
quomodolibet pertinentes, etiamſi beneficiales ſint, in
prima inſtantia coram Ordinariis locorum duntaxat co-
gnoſcatur, & terminentur.

25 Videtur reſpondendum non fuiſſe ſublatam: nam ſub
illis verbis Concilii: *Coram Ordinariis locorum &c.* non
ſolùm comprehenditur Ordinarius loci demicilii, verùm
etiam Ordinarius cujuſque loci, ubi quis ex juris præſcri-
pto forum ſortitur, ſive id contingat ratione originis, vel be-
neficii, *cap. Cùm nullus de tempor. ordin. lib.*6. ſive ratione
delicti contractus, ac rei litigioſæ, *cap.*1. *de privileg. eodem
lib.* ſive aliis modis, de quibus *in l.*1. *ff. de judic.* Et con-
ſequenter comprehenditur etiam Ordinarius loci Romanæ
Curiæ, cum in ea Clerici forum ſortiantur, & Papa ſit Or-
dinarius ſingulorum, ut dicit hìc gloſſ. *fin.* & proprius Or-
dinarius eorum, qui in Curia præſentes ſunt, juxta textum
noſtrum. Hoc enim indicant verba illa Concilii: *Ad forum
Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus*, quibus inſinua-
tur, illum ad hunc effectum eſſe loci Ordinarium, ad cujus
forum quomodolibet ſpectat cauſæ cognitio.

Et eò magis quòd Concilium *in dicto cap.* 20 dum
præcipit cauſas in prima inſtantia cognoſci coram Ordi-
nariis locorum, concordat cùm jure communi, *ut in cap.*
1. *in cap. Inolita, & cap. Placuit*, 11. *quæſt. cap.*1. *& cap.
Si diligenti ſup. eodem.* Ergo ſicut de jure communi Cle-
ricus in prima inſtantia conveniri poteſt in Curia Romana,
ut in hoc textu, cui non præjudicatur per jura pærallega-
ta, quæ præcipiunt Clericos conveniri coram Epiſcopo;
eodem modo conveniri poterit poſt Concilium, quod reci-
pit interpretationem paſſivam à jure communi, *l.*2. *C. de
noxalib.* gloſ. Bart. & DD. *in l. Sciendum*, *ff. Qui ſatiſd.
cogan*

Quòd ſi diceremus Concilium ſuſtuliſſe alios modos ſor-
tiendi forum, innumera ſequerentur abſurda: nam ratio-
ne delicti Epiſcopus non poſset procedere contra eos, qui
in ſua diœceſi domicilium non habent, & ſic extra locum
domicilii crimina ubique committerentur impunè, nec
liceret Epiſcopo illa ulciſci, ad præſcriptum *c.*1. *& cap. Li-
cet*, *ſupra de offic. Ordin. & cap.* 1. *infra de raptor. cum
26 multis ſimil.* Item vagabundi, qui certum domicilium,
vel habitationem non habent, gloſ. & Bartol *in l.*4. §. *Præ-
ter*, *ff. de damn. infec.* nullibi pro delicto, aut contractu
poſſent conveniri, contra ea, quæ notantur *in l. Hæres ab-
ſens*, ubi Bart. *num.*5. *ff. de Judic.* in his enim habet locum
illud: Ubi te invenero, ibi te judicabo, gloſ. *in l.*1. *in ver.
Reperiuntur*, *C. Ubi de crimin. agi oport.* Et ſummatim uni-
verſa juriſdictio Eccleſiaſtica confunderetur: nam præter
modos expreſſos in hac Decretali, quamplures alii ſunt mo- 27
di ſortiendi forum, quod innuit adverbium illud, *Regula-
riter*, in textu poſitum, & multos enumerant hìc Hoſtienſ.
*num.*3. & Joan. Andr. *num.*2. videlicet ratione originis, ma-
numiſſionis, adoptionis, militiæ, & dignitatis, matrimo-
nii, privilegii, curſus temporis, tranſlationis, extremæ vo-
luntatis, conditionis, compromiſſi, recuſationis, appella-
tionis, delegationis cauſæ, majoritatis, conſenſus, ſive
prorogationis, vel negligentiæ judicis, reconventionis, quę-
ſtionis feudalis, & vagationis. Et hos per ordinem proſe-
quitur idem Hoſt. *in Summ. de for. compet.* §.2. & quinqua-
ginta duos recenſet Specul. *in tit. de compet. Jud.* §.1.

Quæ igitur multis ſunt excogitata laboribus, & vigiliis,
ſancta Synodus cenſeri non debet unico verbo ſubvertere
voluiſſe, dicit text. *in cap. Eccleſia veſtra il ſecondo*, *ſupra
de elect.* Et certè ſi quis delinqueret, aut contraheret Romæ,
Concilium non obſtaret, quin in Curia poſſet conveniri;
idque non alia cauſa, niſi quia ratione delicti, vel contra-
ctus ibi forum ſortiretur, alioquin Papa eſſet deterioris
conditionis in Urbe, quàm ſint reliqui Ordinarii in ſuis
Civitatibus; quod eſſe non debet, *cap. Cùm dilectus de
Cleric. non reſiden.* Nam Romanus Pontifex non ſolùm eſt 28
Epiſcopus, & Caput Univerſalis Eccleſiæ, *cap. Suſpectos*,
juncta ſupraſcriptione, 3. *quæſt.*5. Concilium Florentinum
in definitione, quæ habetur poſt *ſeſſ.*25. *verſ. Item diffini-
mus ſanctam Apoſtolicam Sedem*; ſed dicitur etiam Urbis
Romæ Archiepiſcopus, *c. Statuimus in tit.* 4. *diſtinct. cap.*2.
*Similiter in tit.*5. *quæſt.* 4. *leg. Victor*, *C. de Summa Trinit.*
& Archiepiſcopus magnæ Romæ appellatur *in cap. In tan-
tùm* 21. *diſtinct.* ibi, *Sanctiſſimum, & Beatiſſimum Archie-
piſcopum magnæ Romæ Leonem*, & Romanæ Eccleſiæ Epi-
ſcopus, *in cap. Si quis Epiſcopus accuſatus* 2. *quæſt.*6. prout
hæc notantur per Archid. & Joan. Andr. *in rubr. de conſtit.
lib.*6. & Gemin. *conſ.*93. *Videtur primò num.*1. Sicut ergo
Concilium non reſiſtit, quin potiùs aſſiſtit modo ſpeciali
ſortiendi forum in Curia ratione delicti, vel contractus;
eodem modo dicendum eſt aſſiſtere generali modo ibi ſor-
tiendi forum ratione patriæ communis, cùm utroque caſu
quis dicatur conveniri coram Ordinario loci, & in cauſis
ad illius forum pertinentibus, nec ulla ſufficiens ratio di-
verſitatis afferri poſſit. Atque ita hic caſus comprehendi-
tur in regula, de qua in principio *dicto cap* 20. *ſeſſ.*24. Et
hanc ſententiam non obſcurè videtur olim probaſſe Sacra
Congregatio ejuſdem Concilii interpres: nam generaliter
conſulta, an decretum *cap.*20. *ſeſſ.*24. ſuſtulerit modos le-
gitimos, quibus aliquis ex juris communis diſpoſitione,
præſertim ratione celebrati contractus forum ſortitur, reſ-
pondit non ſuſtuliſſe.

Sed quatenùs non includeretur ſub regula, includeretur 29
tamen ſub illius exceptione, quæ habetur paulò infrà, ibi:
*Ab his excipiantur cauſæ, quæ juxta Canonicas Sanctiones
apud Sedem Apoſtolicam ſunt tractandæ*; neque enim du-
bitandum eſt, quin ſub hujuſmodi exceptione comprehen-
dantur etiam cauſæ Clericorum, qui in Romana Curia
conveniuntur, quippè quæ ſecundùm diſpoſitionem hujus
Canonis in ipſa Curia tractari debent.

Quod inde manifeſtiùs apparet, quòd olim infraſcripta
dubia excitata fuerunt ſuper *d. c.* 20. *ſeſſ.*24.

Primò, quæ cauſæ intelligantur exceptæ in illis verbis:
Canonicas Sanctiones, ut de illis Ordinarii cognoſcere non
poſſint.

Secundò, an cauſæ beneficiorum reſervatorum in Cor-
pore Juris, vel per extravagantes, vel per regulas Cancel-
lariæ, aut aliis modis, ſint tractandæ tantùm apud Sedem
Apoſtolicam, an aliquæ tantùm, & quæ illæ ſint.

Tertiò, an reſervato aliquo caſu Papæ, intelligatur etiam
reſervata Papæ cognitio illius cauſæ ad effectum, ut non
poſſit cognoſcere alius.

Quartò, an materia, quæ in litteris Apoſtolicis contine-
tur, ſit executiva, & an coram Ordinario de ea agi debeat.

Quintò, ubi Papa providit de beneficio, vel quia dicatur
præveniſſe, vel tamquam devoluto, vel reſervato, & Ordi-
narius providit tamquam de ſpectante ad collationem
ſuam, coram quo debeat in prima inſtantia cauſa cognoſci.
Et quid ſi pars ob id alleget Ordinarium ſuſpectum.

Hæc dubia non fuerunt ſoluta à S. Congregatione Con-
cilii: ſed tamen illis reſponderunt plures celebres Juriſcon-

ſulti, & Rotæ Auditores ex authoritate Sanctiſſimi ab eadem Congregatione conſulti, & inter eos

Aldobrandinus Rotæ Auditor, qui poſteà Clemens VIII. reſpondit ad primum pro Canonicis Sanctionibus intelligendum eſſe univerſum Jus Canonicum, Statuta Conciliorum, Decreta, & Conſtitutiones Pontificum conſuetudine, aut Concilio non abrogatas. Cauſas autem juxta Canonicas Sanctiones apud Sedem Apoſtolicam tractandas enumerari per gloſſ. *in cap. Quod translationem de offic. leg.* Tales etiam eſſe cauſas exemptorum per textum *in cap. Cupientes de elect. in 6.* exceptis tamen caſibus, in quibus Concilium Tridentinum dedit Ordinariis juriſdictionem in exemptos. Tractandas item apud Sedem Apoſtolicam eas cauſas, in quibus utraque pars conſentit, & vult in Curia litigare, *c. Dilecti de foro comp.*

Ad ſecundum reſpondit dividendo dubium in duas partes. Primò enim dixit conſiderandum, an reſervationes operentur, ut nedum beneficia, vel eorum proviſo, ſed etiam cauſæ cognitio ſuper proviſione beneficii reſervati principaliter, & directè emergens ſit reſervata. Secundò, quatenus reſervata ſit, an cauſæ hujuſmodi ſint de exceptis in decreto, ſive hujuſmodi beneficiorum reſervationes ſint
30 clauſæ in corpore Juris, ſive per extravagantes, ſive per regulas. Ad primam partem reſpondit, cauſæ cognitionem eſſe Pontifici reſervatam, nec in ea Ordinarium ſe intromittere poſſe, *per l. Neratius, ff. de reg. jur* Jo. Andr. Anton. de Butr. & Anchar. *in cap. Inter dilect. de exceſſ Prælator.* Ad ſecundam reſpondit, ſive cauſæ emergant principaliter, & directè ſuper proviſione beneficii reſervati, ſive incidenter, eſſe de exceptis, *d. c. 20.* ut notatur *in c. Ordinarii de offic Ordin. in 6.* Nec obſtare, quòd reſervatio ſit ex regulis Cancellariæ: quia illæ quoque ſunt Conſtitutiones generales, ſicut etiam edicta Prætorum erant annalia, & tamen jus generale conſtituebant.

31 Ad tertium reſpondit, reſervato caſu cenſeri etiam reſervatam illius cauſæ cognitionem, *per c. Ordinarii de offic. Ordin. in 6.* & licèt Concilium *c. 5. ſeſſ. 22.* videatur dediſſe poteſtatem Ordinariis cognoſcendi de ſubreptione diſpenſationis Apoſtolicæ, tamen datur uti Delegatis Sedis Apoſtolicæ, & ſummariè, & extrajudicialiter tantùm, nec extenditur ad diſpenſationes motu proprio conceſſas.

32 Ad quartum reſpondit Decretum *d. cap. 20. ſeſſ. 24.* non habere locum in cauſis executivis vigore obligationum in forma Cameræ, aut litterarum Apoſtolicarum, per textum *in cap. Dilecti de foro competent.* in his enim partes in Curia reſpondere permittuntur. Quo verò ad executionem litterarum Apoſtolicarum, in quibus dantur executores, Ordinarius ſe intromittere non poteſt etiam executioni auxilium præſtando, Bald. *in cap. 1. §. Si facta in fine, ſi de feudo controverſia fuerit inter Dominum,* & Dec. *in cap. Super eo col. penult.* & ibi Felin. *col. fin. verſ. Quæro tertiò de præſumpt.*

33 Ad quintum reſpondit, cauſam debere cognoſci à Sede Apoſtolica, cùm Ordinarius non poſſit eſſe judex ſuæ collationis, *c. à collatione de appellat. in 6.* & multò magis cùm Ordinarius recuſatur; & licèt tunc cauſa poſſet tractari coram Metropolitano, ſi ad eum appellaretur; id tamen eſt extra terminos Concilii, quod nihil providit, ubi Ordinarius loci eſt impeditus cognoſcere per recuſationem; illa enim verba, *Locorum Ordinarius,* intelliguntur de Epiſcopis, non de Metropolitanis, qui non dicuntur Ordinarii diœceſum ſuorum Suffraganeorum, Card. *in cap. Paſtoralis col. 2. de off. Ordin.*

34 Vantius Epiſcopus Urbevetanus non reſpondit ad ſingula dubitationum capita, ſed generaliter hoc modo: Ex decreto Tridentini Concilii nihil imminutam eſſe authoritatem Sedis Apoſtolicæ; idèoque omnes cauſæ, quæ à principio diſpoſitione ſacrorum Canonum, & legum ante dictum decretum poterant apud Sedem cognoſci, poſſunt
35 & hodie decreto ipſo non obſtante. Ideòque præcipuè conſiderandum, an cauſa ſit ad Curiam legitimè devoluta: ubi enim legitimè devoluta ſit, ſemper eſt excepta de-
36 creta Concilii. Ponit exemplum in cauſis beneficialibus, & ſpiritualibus, quæ ſi ad inſtantiam unius partis etiam à principio committantur in Curia, dicuntur legitimè devolutæ ex propria naturæ cauſæ, & non remittuntur ad partes *cap. Primò, c. Quamvis, cap. Cupientes de elect. in 6.* Quod clariùs procederet, ſi beneficium eſſet affectum, vel reſervatum, vel ſi eſſet collatum ex donatione Apoſtolica, & de hujuſmodi gratia, & titulo eſſet aliquo modo cognoſcendum, *c. Ordinarii, §. Si verò de offic. Ordin. in 6.* Itemque ſi utraque pars conſentiat, cauſa diceretur ad Curiam legitimè devoluta, Biſignett. *dec. 18. A gravamine,* & ſufficit tacitus conſenſus, Rota *dec* 243.

Vel ſi ambæ partes in Curia præſentes eſſent, quo caſu altera petente cauſam in Curia committi, non poſſet dubitari de legitima devolutione, ut per textum *in l. Roma, ff. ad municip.* concludit Rota *dec. 19. & 21. in tit. de appellat.* Vel ſi cauſa committeretur ex ſpeciali mandato Papæ, Rota *dec. 169.* Quæ haberent etiam locum in cauſis profanis. Itaque in dicto decreto *c. 20.* intelliguntur exceptæ non ſolùm cauſæ majores, de quibus *in c. Majores de Baptiſ. & c. 1. de translat. & c. Quod translationem,* ubi gloſſ. *de off. Legati;* ſed etiam cognitio omnium aliarum, quæ ad Sedem Apoſtolicam ſpectabant præſertim ratione oppreſſionis, & gravaminum.

Ut ſi quis haberet ſuum Ordinarium ſuſpectum, *c. 1. in fin. de off. Leg.*

Vel eſſet cauſa pupillorum, & viduarum oppreſſionem timentium, *l. Unica, C. quando Imper. inter pupill. & vid.*

Vel ſi ob qualitatem cauſæ oppreſſio timeretur, vel quia eſſet executiva, vel non appellabilis, vel poſſeſſoria vigore Ægidianæ.

Item aliquando ratione perſonarum cauſa ad Curiam devolvitur, & virorum illuſtrium optimè de Republica, & Principe meritorum, *l. Senatores, C. de incolis lib. 10.*

Item ratione loci ob ejus præeminentiam, & cauſæ, puta ratiocinii adminiſtrationis geſtæ, *l. 1. & 2. C. Ubi de ratiocin.* Vel ſi eſſet quæſtio ſuper hæreditate, vel fideicommiſſo, aut poſſeſſione aliquarum rerum, quarum major pars eſſet in Urbe, *tit. ubi de hæred. de poſſeſſ. ubi de fideicom.*

Item ſi ratione contractus, delicti, vel quaſi, aliquis forum in urbe ſortiatur.

Ex his conſtat diſpoſitionem hujus Decretalis non fuiſſe ſublatam decreto *d. c. 20. ſeſſ. 24.* & quamvis prædicti de hoc textu in ſpecie non meminerint, videtur tamen eò reſpexiſſe Vantius, dum dixit: *Vel ſi ambæ partes in Curia præſentes eſſent,* & allegat text. *in l. Roma, ff. ad municip.* quem textum ſimiliter citat gloſſ. *finalis hic.*

Non obſtat, quòd S. Congregatio declaraverit de conſen- 37
ſu Epiſcopi non poſſe cauſam in prima inſtantia in Curia introduci, niſi partes etiam conſenſerint. Siquidem hæc 38
declaratio vendicat ſibi locum, ſi partes ſint extra Curiam, ſecus autem ſi in Curia ſint præſentes; quia tunc nec rei conventi, nec Epiſcopi conſenſus exigitur. Non rei conventi, quia invitus compellitur ibi reſpondere, nec poteſt opponere declinatoriam fori, ut eſt textus hìc. Non Epiſcopi, quia cùm reus conventus ſortiatur generaliter forum in Curia, nullum infertur præjudicium juriſdictioni ordinariæ, ſicut non infertur præjudicium, ſi ratione commiſſi delicti, vel contractus initi, aut rei ſitæ in Curia, ibi in prima inſtantia conveniretur; his enim caſibus dicitur cauſa cognoſci coram Ordinario loci, ut ex dictis conſtat.

Secundò QUÆRO, quid in caſu converſo, an ſcilicet 39
Clericus reſidens in Romana Curia, ſi conveniatur à partibus coram loci Ordinario, poſſit opponere declinatoriam fori, & petere, ut cauſa ad Curiam remittatur.

De jure communi clarum eſt, Clericum, quamvis reſi- 40
deat Romæ, tamen conveniri poſſe etiam in partibus coram Ordinario loci: quia cùm utrobique forum ſortiatur, eſt in optione actoris eum convenire in quo maluerit foro, ut determinant Gloſſat. *in l. fin. C. ubi in rem act. & in c. Dilect. ſupra eodem per text. in l. 2. verſ. Planè, ſi perfecta, ff. de judic. & in cap. Cum ſit generaliter ſup. eod.* & ſequuntur communiter Canoniſtæ, ut teſtatur Roman. *conſ.* 412. *Pro habenda ſubſtantia, num.* 3.

Et quidem coram Ordinario domicilii conveniri poteſt indiſtinctè, licèt ſit abſens, etiam pro contractibus alibi geſtis, vel delictis alibi perpetratis, ut hìc per Marian. Socin. *num.* 45. Et eſt communis opinio, ut dixi ſuprà *num.* 12. Sed in foro originis conveniri non poterit, ſi præſens ibi non reperiatur, *ut leg. Hæres abſens in 1. reſp. ff. de judic. leg. Relegatorum, §. Dubitatum eſt, ff. de interdict. & relig.* & notat Bart. *in leg. Aſſumptio, §. 1. num. 2. verſ. Quarto caſu, ff. ad municip.* & Abb. *in c. 1. n. 6. ſuprà eod.* Similiter quamdiù Clericus moratur in Urbe, conveniri non poteſt coram Ordinario delicti commiſſi, vel contractus initi, quoad effectus perſonam concernentes,

ſed

ſed tantùm ratione bonorum, ſi in ejus territorio reperiantur, ſecundùm Innoc. *hic in princ. in ver. Contractus*, & Hoſt. *n.*3. & fuſiùs dictum eſt *ſup. n.*15.

42 Hæc obtinent, ut prædixi, de jure communi. Sed hodie in his ſervari debet Conſtitutio, quæ Eugeniana appellatur, videlicet *cap. Divina de privileg.* in Extravagan. *Commun.* qua inhibetur locorum Ordinariis, ne contra ſuos ſubditos ad Romanam Curiam euntes pro ſuis cauſis, vel negotiis proſequendis, & in ea durante negotiorum, & cauſarum hujuſmodi proſecutione moram trahentes, & recedentes ad eadem procedere, aut cenſuras, vel quamvis aliam ſententiam promulgare, nec illos beneficiis privare præſumant. Quod ſi fecerint, ſit irritum, & inane. Quare Clerici morantes in Curia hodie conveniri non poſſunt coram Ordinariis locorum, quemadmodum poterant de jure communi: neque enim ambigendum eſt, quin hoc indultum comprehendat nedum Curiales laicos, ſed etiam Clericos, cùm pœna illa privationis beneficiorum non cadat niſi in Cleri-
43 cum, *cap.*2. *de Inſtit. cum ſimil.* & Conſtitutio Eugeniana ſit favorabilis, & pro tutela Curialium, ut dixit Rota *deciſ.*194. *n.*4. *lib.*2. *part.*3. *diverſ.* Recipit tamen Conſtitutio hujuſmodi declarationes infraſcriptas.

44 Et primò declaratur procedere in his tantùm qui Romæ pro ſuis negotiis, & cauſis expediendis morantur, & ſic in eis, qui in Romana Curia ſunt reſidentes, prout verba hujus conſtitutionis intellexit Tridentina Synodus *in cap.*11. *in fin. ſeſ.*24. ibi, *Privilegia reſidentibus in Romana Curia vigore Eugenianæ Conſtitutionis, &c.* & in hac latitudine hoc loco accipiendum eſt nomen Curialis, ut per Mandoſ. *ſuper regul. Cancell. reg.*5. *quæſt.*3. *n.*2. & Modernos *de re benefic. lib.*2. *quæſt.* 32. *num.* 166. licèt aliàs Curiales diverſimodè accipiantur, ut legitur, & notatur *in cap. Præſenti de præb. lib.*6. Oldrad. *conſ.*211. *ad propoſitum n.*5. plenè Albert. *in Dictionar. in ver. Curiales*, & Mandoſ. *dict. regula* 5. *qu.*1. *& ſeqq.* Eos igitur, qui ad Curiam veniunt pro aliquo momentaneo negotio, puta pro inhibitione obtinenda, & ſtatim recedunt, non tuetur Conſtitutio, arg. *l. Hæres abſens*, §. *Proinde, ff. de Judic.* & leg. *Plerique ff. de ritu nupt.* nam brevi reverſurus nec divertiſſe videtur, leg.3. *in fin. ff. de divort.* nec dicitur veniſſe, qui non ſtetit, *c. Si quis autem* 18. *diſt. cap. Certum eſt* 11. *qu.*3. *cap. Si poſtquam*, & ibi gloſſ. *in ver. Mente de elect. lib.*6. *cum ſimil.* Quinimò Auditor Cameræ
45 non concedit monitoria, ſeu inhibitiones in vim conſtitutionis Eugenianæ ad favorem Curialium, niſi pro illis, qui ſaltem per annum in curia continuò reſidentiam fecerint, *ut in Conſtitutione* 71. Pauli V. incipien. *Univerſi agri* §.3. *n.*16. *in Bullar. tom.*3. *pag.*266. quod ipſum priùs ordinaverat Pius IV. *in Conſtitut.*56. *Inter multiplices*, §.24. *tom.*2. *pag.*76. & eodem modo excluduntur à beneficio Conſtitutionis Curiales, qui recedunt à curia animo ampliùs non redeundi, vel extra curiam diù moram traxerunt. Et ita fuit reſolutum in ſignatura Sanctiſſimi 18. *Martii* 1598. in caſu R. P. D. Centurioni Archiepiſcopi Januen. qui cùm eſſet Cameræ Apoſtolicæ Clericus, petebat cauſam de partibus ad curiam avocare vigore Eugenianæ, & nihil obtinere potuit, quia cùm in ſua Eccleſia reſideret, beneficio dictæ conſtitutionis non gaudebat, ut teſtatur Marcheſ. *de commiſſ. par.*2. *in tit. de commiſſ. ſuper Eugen. n.*15. 16. *&* 25.

46 Declaratur ſecundò eadem Conſtitutio, ut locum habeat dummodò Curialis ſit reus: nam ſi eſſet actor, illius beneficio uti non poſſet, ſed teneretur ſequi forum rei, juxta reg. *l. Juris ordinem, C. de Juriſdict. omn. Judic. l. fin. C. Ubi in rem. act. c. Si quiſquam* 11. *quæſt.*1. *& cap. Cum ſit generale ſuprà eodem cum concord.* Ergo Eugeniana locum habet paſſivè tantùm, prout loquitur, id eſt cùm Curialis extra curiam trahitur, non autem activè, id eſt cum alium vult ad cu-
47 riam trahere, prout decidunt Domini de Rota *deciſ.*716. *part.*4. *diverſ.* ubi etiam reſolvunt non intrare Eugenianam quando Curialis intentat remedium leg. *Diffamari, C. de ingen. & manumiſſ.* niſi poſſideat, quia licèt eo caſu ſit reus, tamen remedium illud non competit ei, qui non poſſidet, ut notat Bald. *in l.*3. *n.*2. *ff. qui bon. ced. poſſ.* Boer. *deciſ.*255. *num.*10. Ant. Gabriel. *Commun. concluſ. in tit. de action. concluſ.*6. *num.*38. Quod benè nota, quia quotidie occurrit in practica in his commiſſionibus, & monitoriis, quæ impetrantur ſuper jactationibus.

48 Declaratur tertiò, ut non procedat, ſi lis ſit ſuper beneficio, quod Curialis habet in partibus: hoc enim caſu privilegium Eugenianæ non ſuffragatur, utpotè ſublatum à Concilio Tridentino *ſeſſ.*24. *cap.*11. *in fin.* his verbis, *Quæ verò privilegia reſidentibus in Curia Romana vigore Eugenianæ Conſtitutionis, aut familiaritatis Cardinalium competere ſolent, ea in iis, qui beneficia Eccleſiaſtica obtinent, ratione prædictorum beneficiorum minimè intelligantur, ſed Ordinarii juriſdictioni ſubjecti permaneant, non obſtantibus quibuſcumque inhibitionibus.* Hæc ibi. An autem ſtante hoc decreto Referendarii ratione beneficiorum, quæ obtinent extra Curiam, Ordinariorum juriſdictioni ſubjecti exiſtant, ſcripſi plenè *in c. Ex parte il* 2. *n.*39. *infra de privil.*

Declaratur quartò, ut non procedat quoad Parochos 49
non reſidentes, de quibus ſpecialiter cautum reperitur à Concilio Tridentino *ſeſſ.*23. *c.*1. *in fine*, ut ſi per edictum citati etiam non perſonaliter contumaces fuerint, liberum ſit Ordinariis per cenſuras Eccleſiaſticas, & ſequeſtrationem, & ſubtractionem fructuum, aliaque juris remedia etiam uſque ad privationem compellere: nec executio hujuſmodi quolibet privilegio, licentia familiaritate, exemptione, etiam ratione cujuſcumque beneficii, &c. appellatione, aut inhibitione etiam in Romana Curia vel vigore Eugenianæ Conſtitutionis ſuſpendi poſſit.

Declaratur quintò, ut ſimiliter non procedat, ſi cauſa ſu- 50
per qua Curialis in partibus convenitur, ſit cum pupillo, aut vidua, vel alia miſerabili perſona; tunc enim Curialis conveniri poteſt extra curiam in vim privilegii *leg. Unicæ, C. quando Imper. inter pupill. & vid.* Quod quidem privile- 51
gium non fuit ſublatum per Conſtitutionem Eugenianam, quæ licèt tollat privilegia, non tamen tollit clauſa in corpore Juris, Auth. *Quæ in Provinc. in ver. Illic.* & ibi Bart. *in* 2. *oppoſ. n.*2. & Bald. *n.*7. *verſ. Tertia ſolutio, C. ubi de crimin. ag. opert.* latè Felin. *in cap. Sicut Romana n.*12. *de reſcript.* & in terminis hujus Conſtitutionis Marcheſan. *in pr. alleg. titul. de commiſſ. ſuper Eugenian. n.*25.

Declaratur ſextò, ut videlicet ſibi locum, dummodò Cu- 52
rialis in partibus conventus uti velit beneficio Eugenianæ, & opponat declinatoriam fori ante litem conteſtatam; alioquin ſibi præjudicium infert, *cap. Paſtoralis, infra de except. & c. Inter Monaſterium de re judic.* Marian. Socin. *hic n.*6. Rota *de* .12. *de except. in antiq. & dec.*1. *eod. tit. in novis*: cùm enim citatus compareat, & reſpondeat coram 53
eo, quem ſcit non eſſe ſuum judicem competentem, ex hoc intelligitur illius juriſdictionem prorogare, ut probat gloſſ. notab. juncto textu *in l.*1. *in ver. Inchoatæ, C. ubi de crimin. ag. oport.* & tradit Marian. Socin. *in c. Significaſti in* 6 *art. principali n.*37. *ſupra eod.* Quod extenditur, ut locum habeat, etiamſi Procurator in partibus conſentiat in juriſdictionem judicis non ſui: nam cùm Procurator principalem repræſentet, & illius conſenſus cenſeatur, quodammodo conſenſus domini, *l. Oſſa*, §. *Ei qui, ff. de relig. & ſumpt. funer.* gloſſ. *ultima*, *in l. Si Procurator la ſeconda, ff. de doli mal. except.* excludit conſtituentem à beneficio Eugenianæ & in hoc voto fuiſſe communiter votantes in ſignatura teſtatur Marcheſan. *ubi ſupra n.*21. Non obſtat, quòd Extra- 54
vagans Eugenii IV. habeat decretum irritans, cum clauſula, ſublata, cui partes renuntiare non poſſunt, *cap. Dilecto in fin. verſ. Niſi fortè, infra de præben.* & tradit Felin. plura cumulans *in cap. Cum acceſſiſſent n.*7. *de conſtit.* Nam reſpondetur hoc non procedere, ſi decretum irritans reſpiciat tantùm privatam utilitatem, quia tunc ſicut poteſt quis ſuo privilegio renunciare, ita & decreto irritanti tamquam acceſſorio, ut declarat Aretin. *in l. Duobus*, §. *Etiam col.*2. *verſ. Baldus tamen*, *ff. de vulg. & pupill.* & expreſſiùs Cardin. in Clem.1. *in* 18 *quæſt. de elect.* Caſſad. *dec.* 2. *de decret.* & Sarnen. *in reg. de triennali q.*49. *n.*11. Nec mirum, quia etſi decretum irritans inducat formam, tamen etiam formæ renuntiari poteſt, quatenùs privatam reſpicit utilitatem, *c. fin.* §. *His autem*, ubi Abb. *in* 2. *notab. de offic. deleg.* Creſcen. *dec.* 79. *aliàs* 3. *de privil. & dec.*1. *de præſcr.* & ſcripſi plenè *in d. cap. Cum acceſſiſſent n.*22. *& ſeq.* poſt Decium *ibi num.* 22. Adde Rotam *dec.*21. *incip. Nota primus, & ſecundus in data de conceſſ. præb. in antiq.* quæ dicit clauſulam decreti habere implicitam conditionem, ſi pars uti velit: & hoc ſervat Curia, ut teſtatur Joan. Andr. *in gl. ordin. in cap. Statutum*, §. *Cùm verò in ver. Non committatur de reſcr. lib.*6. Hic tamen articulus eſt admodùm controverſus, ut patet ex congeſtis in utramque partem ab Ant. Gabriel. *commun. concluſ. in tit. de clauſul. concl.* 3. *à n.*18. Sed quod ſpectat ad rem præſentem, ſatis eſt, Signaturam tenere per conſenſum in juriſdictionem cenſeri renunciatum beneficio Eugenianæ.

DE FORO COMPETENTI.

Innocentius III. Belvacen. Epiſcopo.

CAPUT XIII.

CUm contingat interdum: infrà. Inſuper poſtulaſti, an cum aliqui Clerici deputati ſervitio Capituli Belvacen. aut aliorum Clericorum tuæ diœceſis, ſuper exceſſibus impetuntur, ſint cogendi coram te, vel potiùs coram illis, quibus ſerviunt, querelantibus reſpondere, cùm illi ſibi juriſdictionem hujuſmodi vendicare contendant, licèt illos excommunicare non valeant, vel aliàs etiam coercere. Super quo taliter reſpondemus, quòd ad te (utpotè Ordinarium) de talibus debent conquerentes habere recurſum: maximè ſi ſuper his impetuntur, quæ in tua noſcuntur diœceſi commiſiſſe. Niſi fortè hi, quibus delinquentes ipſi deſerviunt, ex indulgentia, vel conſuetudine ſpeciali, juriſdictionem hujuſmodi valeant ſibi vendicare.

S U M M A R I U M.

1 *CLerici ſuper exceſſibus coram Epiſcopo ſuo conveniri debent; non coram illis, quibus ſerviunt; niſi conſuetudo, vel privilegium aliud inducat.*
2 *Conſuetudo, & privilegium æquiparantur.*
3 *Conſuetudo ſicut privilegium dat juriſdictionem, territorium aſſignat, & jura territorii ampliat, & n.26.*
4 *Conſuetudine acquiri poteſt quidquid poteſt acquiri privelegio.*
5 *Præſertim ſi conſuetudo ſit immemorabilis.*
Declaratur, n.8. & 11.
6 *Conſuetudo immemorabilis habet vim tituli, ſeu privilegii.*
7 *Etiam in his, quæ ſunt Principi reſervata.*
8 *Poſſeſſio temporis, cujus initii non eſt memoria, non habet vim tituli, niſi adſit capacitas in poſſidente, & num. ſeqq.*
9 *Laicus cognoſcere poteſt cauſas criminales Clericorum, & abſolvere ab excommunicatione ex commiſſione Papæ, non autem ex conſuetudine etiam immemorabili.*
10 *Conſuetudinem non valere in his, quæ per privilegium conceduntur, quomodo ſit intelligendum.*
11 *Conſuetudo à jure improbata; etiamſi immemorabilis ſit, vim privilegii non habet, niſi data fama privilegii, ibid.*
12 *Conſuetudo tribuere poteſt ordinariam juriſdictionem etiam privatæ perſonæ.*
13 *Si ſit approbata Superioris authoritate, aliàs ſecùs.*
14 *Conſuetudo non poteſt tribuere privatæ perſonæ facultatem deponendi Clericos.*
15 *Degradatio debetur Ordini Epiſcopali.*
16 *Conſuetudo an poſſit tribuere ſimplici Clerico facultatem excommunicandi.*
17 *Excommunicandi poteſtas eſt juriſdictionis.*
18 *Merum imperium an ſit præſcriptibile.*
19 *Servientes circumſcripta conſuetudine, vel privilegio non ſunt ſub juriſdictione illorum, quibus ſerviunt.*
20 *Domini juriſdictionem habent ſuper familiam ſuam, ſicut magiſter ſuper diſcipulos, pater in filium, & maritus in uxorem, & num. ſeqq.*
21 *Marito an, & quomodo liceat uxorem verberare, aut in vinculis detinere.*
22 *Judex an poſſit cognoſcere de delicto ſuæ familiæ.*
23 *Epiſcopus ſolus de iure communi eſt Ordinarius, & habet imperium in tota diœceſi.*
24 *Prælatus Eccleſiæ dicitur ſolus Epiſcopus.*
25 *Prælati inferiores de jure communi territorium non habent, nec dicuntur Ordinarii locorum.*
26 *Et quid ex conſuetudine, vel præſcriptione.*
27 *Abbates multi referuntur habentes territorium, & juriſdictionem ordinariam excluſis Epiſcopis.*
28 *Præpoſitus Piſcienſis concurſus Parochialium inſtituit, & cauſas matrimoniales cognoſcit, cùm ſit nullius diœceſis.*
29 *Abbatia Caſtri Durantis an ſit nullius diœceſis, & n. ſeqq. uſque in fin.*
30 *Abbati Caſtri Durantis an ſit committenda executio litterarum Apoſtolicarum, & num. ſeqq.*
31 *Prælatus inferior an, & quando poſſit concurſus Parochialium inſtituere, & num.38.*
32 *Locus nullius neque eſt in diœceſi, neque de diœceſi, locus verò exemptus eſt in diœceſi, licèt non ſit de diœceſi.*
33 *Exemptionis privilegium eximit à ſubjectione, non à ſituatione, & denominatione.*
34 *Subjectio Sedi Apoſtolicæ non importat ſtatum nullius diœceſis, ſed exemptionem.*
35 *Territorium proprium habere idem eſt, atque extra diœceſim exiſtere.*
36 *Verba geminata, ac prægnantia important omnimodam ſeparationem territorii.*
37 *Juriſdictio quaſi Epiſcopalis omnimoda privativè ad Epiſcopum conſtituit inferiorem veluti in propria diœceſi.*
39 *Exemptio quatuplex ſit, & quando eximat à diœceſi.*
40 *Dictio,* Etiam, *eſt ampliativa, & implicativa præcedentium.*
41 *Privilegii novatio non præſumitur, niſi de ea expreſsè caveatur.*
42 *Abbatia Caſtri Durantis hodie Urbana eſt Epiſcopalis.*
43 *Abbates, Priores, Præpoſiti, & Archipresbiteri nullius diœceſis, quibus litteræ Apoſtolicæ à Dataria, & Cancellaria diriguntur, qui ſint.*

C*Um contingat*. Clerici ſuper exceſſibus coram Epiſco- 1
po ſuo conveniri debent, non coram illis, quibus
ſerviunt, niſi conſuetudo, vel privilegium aliud inducat.
Hoc dicit. Communis diviſio, conſultatio, & reſponſio.
Secunda ibi, *Super quo*.

Nota primò in verſ. *Niſi*, duas cauſas, ſive modos 2
acquirendi juriſdictionem, videlicet conſuetudinem, &
privilegium. Ad idem *cap. Novit*, ibi, *Niſi fortè juri
communi per ſpeciale privilegium, vel contrariam conſuetudinem, &c. de judic. cap. Duo ſimul, de off. Ordin. cap. Accedentibus, de privil.* & ſic nota, conſuetudinem, & privi- 3
legium æquiparari, prout hìc notant Hoſtienſ. *num.4.* &
Bald *conſ.49. In facto Abbatis lib.4.* ubi dicit, tam conſuetudinem, quàm privilegium dare juriſdictionem, & territorium aſſignare, & jura territorii ampliare: & hanc eſſe
regulam, ut acquiri poſſit conſuetudine quidquid poteſt
acquiri privilegio, firmat Cardin. poſt Lap. in Clem. 2. 4
in penult. col. de relig. domib. Bart. *in procemio Digeſtorum, §. fin.* & Felin. hìc poſt Abb. *num. 2. verſ. Secundo in quantum
D. Abbas*. Quod maximè procedit, ſi conſuetudo ſit lon- 5
giſſima, ſeu immemorabilis, ut per eumdem Bald. in *c. 1.
col. 1. in tit. Quæ ſint regalia*, Oldrad. *conſ. 172. Quia omnes
num. 1.* ubi ait, privilegium, & conſuetudinem tanti temporis, cujus contrarii memoria non exiſtit, paribus paſſibus ambulare; & ideò, quod poteſt per privilegium concedi, poſſe & tali conſuetudine introduci, *ut l. 1. §. ult. ff. de
aqu. pluv. arcen l. In eum, §. Item variis, & leg. Hoc jure, §.
Ductus aquæ, ff. de aqua quotid. & æſtiva, & l. ult. Cod. de
fund. rei privato lib.* 10. ejuſmodi enim conſuetudo
habet vim tituli, ſeu privilegii, ut eſt text. in *cap.
Super quibuſdam, §. Præterea*, & ibi notat gloſſ. *in ver.*

Non

Non extat, *in princ.* & Hoſt. *in verſ. Nota diligenter*, *de
verb. ſignific.* Abb. *in cap. Cum nobis numer.* 4. *de præſcript.*
Franc. in *cap.* 1. *in* 2. *not. de conſuet. lib.* 6. & alii copioſè
7 relati ab Anton. Gabr. *commun. concl. lib.* 5. *de præſcr. con-
cluſ.* 1. *num.* 1. etiam in his, quæ ſunt Principi reſervata,
ut probatur *in d.* §. *Præterea*, & notat gl. in *c. Innovamus*,
in ver. Regum de cenſib. Bart. in *l. Quo minus in* 2. *q. verſ. I-
tem habet licitè*, *ff. de flum.* Abb. in *d. c. Cùm nobis*, & alii
apud Gabr. *ubi ſup. n.* 3.
8 Verùm hæc concluſio declaratur procedere, dummodò
adſit capacitas in exercente, ſeu poſſidente; alioquin
multa competere poſſunt ex privilegio Apoſtolico: quæ
tamen acquiri non poſſunt conſuetudine, vel præſcriptio-
ne, *c. Quanto*, ubi Innoc. Hoſt. & omnes notant, *de con-
ſuetudine*, etiam in his quæ ſunt juriſdictionis; unde vide-
9 mus ex conceſſione Papæ merum Laicum poſſe cognoſce-
re cauſas criminales Clericorum, ſecundùm communem
opinionem, de qua teſtatur Clar. *in praxi crim.* § *fin. q.* 41.
n. 6. *verſ. Sed quid dicendum*, & tamen hanc cognitionem
ſibi vendicare non poteſt ex quavis conſuetudine, vel præ-
ſcriptione, *c. Si Imperator*, *& per tot.* 96. *d.ſt. cap. Ad no-
ſtram de conſuet. cum concordan.* Similiter ex conceſſione
Apoſtolica laicus poteſt abſolvere ab excommunicatione,
gl. in Extravag. *Suſcepti*, Joannis XXII. *in ver. Vel perſo-
nis*, *de elect.* & tamen id non poteſt in vim conſuetudinis,
aut præſcriptionis utcumque vetuſtiſſimæ, *c. Decernimus*,
cum ibi not. *de Judic.* nam ut inquit Joan. Andr. in *c.* 2. *de
præb. lib.* 6. quantumcumque longo tempore laicus exer-
cuerit actum ſpiritualem, numquam tamen illum poteſt
præſcribere: nam poſſeſſio temporis, cujus initii non eſt
memoria, habet vim tituli, quando datur capacitas in exer-
cente, aliàs non. Et eum ſequitur Abb. *in d. cap. Quanto
nu.* 2. *de conſuet.* dicens, ita notabiliter eſſe limitandam re-
gulam *c.* 1. *de præſcr. lib.* 6. *& l. Hoc jure*, § *Ductus aquæ*,
ff. de aqua quotid. & æſtiva. Idem dixit in *d. cap.* 2. Jo. Mo-
nach. *col.* 1. *verſ. Item tempus*, Card. *conſ.* 57. *num.* 3. Pariſ.
in *c. Cum nobis num.* 5. *& ſeqq. de præſcr.* Bald *in tract. de
præſcr. in* 1. *par. quintæ partis principalis in* 7. *qu. num.* 53.
Gabr. poſt alios *in d. concl.* 1. *de præſcr. num.* 16. Et in his
10 procedere poteſt contraria regula, quam ex *c. Contra mo-
rem*, 100 *diſt.* deſumit Feder. de Sen *conſ.* 277. *Factum ex
quo*, *col. fin. verſ. Præterea in iis*, *quæ per privilegium con-
ceduntur*, *non valet conſuetudo*. Vel certè hæc regula
procedit, quando lege diſponente aliquid acquiri non po-
teſt, niſi privilegio tantùm, ut declarat Felin. *hic num* 2.
11 *verſ. Primo fallit.* Rursùs declaratur procedere ſupradicta
concluſio, niſi conſuetudo ſit à jure reprobata; quia tunc
non habet vim privilegii, *cap. Cùm inſtantia*, *de cenſib.*
licèt ſit immemorabilis, ut ibi dicit Joan. Andr. *ſuper ver.
Longiſſimo*, Abb. in *cap Cùm ex officii*, *in ver. Aliquo modo*,
de præſcr. Puteus *dec.* 466. *num.* 4. *lib.* 2. Covarr. poſt alios
variar. reſol. lib. 3. *cap.* 13. *num.* 5. niſi data fama privile-
gii, ut hic per Felin. *num.* 5. *in* 3. *fallentia*; in quo tamen
hodie ſervanda eſt eſt Conſtitutio Urbana, ut plenè ſcripſi
in *c.* 1. *ſup. de conſuetud.*
12 Secundò nota *in ver. Hi quibus*, conſuetudinem tribue-
re poſſe ordinariam juriſdictionem etiam privatæ perſonæ:
quod alibi ita expreſsè non legitur, ut dicunt Hoſt. *num.* 3.
Joan. Andr. *n.* 10. Imola *num.* 6. & Abb; *nu.* 5. Archid. in
c. Conqueſtus, *in fin.* 9. *quæſt* 3. ubi allegat hunc textum,
& dicit ſe non vidiſſe ſimilem. Idem tenet gl. in *c. Roma-
na*, *in ver. Conſuetudine*, *de appell. in* 6. Bart. *in leg.* 1. §.
Denique, *ff. de aqua pluv. arcen.* & alii hìc relati à Felin.
n. 2. Alia enim jura loquuntur vel in Abbat. vel in Archid.
aut aliis Prælatis, ſive Capitulis, ſeu Collegiis, vel ali-
quam tenentibus adminiſtrationem, ut patet in *d. c. Con-
queſtus*, 9. *qu.* 3. *in cap. Dilecti*, *de arbitr. & in c. Novit*,
13 *in primo reſponſo de judic.* Quæ tamen concluſio procedit,
ſi conſuetudo ſit approbata Superioris authoritate, aliàs
non valet, quia multa per patientiam tolerantur, &c. *cap.
Cùm jam dudum*, *de præb.* ſecundùm Vincent. & Jo. And.
num. 6. Petr. de Anchar. *eod. num.* 6. & alios communiter:
licèt Bellam. *num.* 3. dicat ſufficere approbationem tacitam
per ſcientiam veram, & non fictam; quia conſuetudo ex-
preſſam approbationem non requirit; ſatis enim eſt, ut ſit
rationabilis, & legitimè præſcripta, *cap. Cùm tanto*, *de
conſuet.*
14 Rursùs procedit ſupradicta concluſio in modica juriſdi-
ctione: non enim conſuetudo poſſet tribuere poteſtatem
privatæ perſonæ deponendi Clericos, argum. *c. Tranſ-
miſſam*, *de elect. & cap. Quanto*, *de conſuet.* ſecundùm In-
nocent. & Hoſt. *num.* 2. & Jo. Andr. *num.* 10. *verſ. Et quod
hìc*, *& ibi dicitur*; cujus enim eſt deponere, cujus eſt ordi-
nare, *c. Nullus primas*, 9. *qu.* 2. *cap.* 3. *de Parroch.* Hoſt,
ubi ſup. præſertim ſi depoſitio ſit realis, ut degradatio, 15
ſecundùm Collectar. *hìc num.* 3. quia hæc debetur Ordini
Epiſcopali, ut notatur in *c. Cum non ab homine*, *ſup. tit. prox.*
& per Hoſt. in *cap. Dilecto*, *& cap. Irrefragabili*, *de off.
Ordinar.*
An autem privatæ perſonæ, id eſt, ſimplici Clerico di- 16
gnitatem, perſonatum, officium, vel aliud beneficium
Eccleſiaſticum non habenti conſuetudo poſſit tribuere fa-
cultatem excommunicandi, Doctores non conveniunt:
nam Hoſtienſ. *num* 3. *verſ. Sed numquid*, & Jo. Andr. *n.*
10. *in eod. verſ.* cenſent id non poſſe per conſuetudinem in-
troduci, arg. *cap. Cum ſatis*, *de off. Archidiac.* Secus in
Prælatis, *c. Dudum*, *de elect.* Idem tenet Archid. in *c.* 1.
de off. Ordinar. in 6. Anton. de Butr. *hìc nu.* 18. & Abb *nu.*
16. Sed contrarium tenet Innoc. in *cap. Olim*, *il* 3. *n.* 1. *de
reſtit. ſpol.* & cum eo conſentit ibi Hoſtienſ. & Card. *hìc
num.* 8 cujus opinionem dicit eſſe veriorem, Collectar.
num. 2 *verſ. Numquid conſuetudo*. Hoc etiam dicit eſſe 17
verius Imola *num.* 6. quia poteſtas excommunicandi eſt
juriſdictionalis, *cap. Tranſmiſſam*, *& cap. Dudum*, *de e-
lect.* & ſicut Epiſcopus poteſt ſimplici Clerico hanc facul-
tatem expreſsè delegare, ita poteſt tacitè per patientiam
transferre, ſecundùm Innoc. & hanc partem tenent Do-
mini de Rota *in ſua concl.* 409. ubi refert hìc Butr. *d. nu.* 18.
Sed Henricus Boich. relatus hìc à Bellam. *num.* 9. conci-
liando opiniones ſic diſtinguit: Aut quæritur, utrùm con-
ſuetudo poſſit dare privatę perſonę poteſtatem excommu-
nicandi abſq; alia juriſdictione Eccleſiaſtica ad excom-
municationem præambula, puta, citandi, monendi, in
contumacia ponendi, juxta text. in *cap. Sacro*, *& c. Sta-
tuimus*, *de ſent. excom. c. Conſtitutionem*, *eod tit. lib.* 6. *&
cap. Indignè*, 12. *q.* 1. & concludit non poſſe, quia eſſet con-
ſuetudo irrationabili, arg *cap. fin. de conſuet.* & ita intel-
ligit Hoſt. *hìc*. Aut quæritur, an conſuetudo poſſit tri-
buere poteſtatem excommunicandi unà cùm alia juriſdi-
ctione præambula; & concludit poſſe, ut hìc: & ita in-
telligit doctrinam Innocentii, & Hoſtienſis *in d. c. Olim*,
& quod notat Bernard. & Hoſtienſ. *in d. cap. Cùm ſit gene-
rale*, *ſuprà eodem*. Et pro hac diſtinctione videtur caſus
in cap. Super eo, *de præbend. in* 6. juncto *cap. Quærenti*,
infrà de verb. ſignif. & ita etiam in materia interdicti ex-
preſsè diſtinguit Innoc. in *d. c.* 2. *de his*, *quæ fiunt à major.
par. c.* in gl. 2. & ibi poſt eum Hoſt.
Cæterùm hæc diſtinctio videtur poſſe admitti, dummo-
dò tam juriſdictio præambula, quàm poteſtas excommuni-
candi habeat aliquod fundamentum officii, aut beneficii
Eccleſiaſtici, cui poſſit inniti: alioquin ſecundùm Martin.
de Selva, quem refert hìc Bellam. *n.* 9. *verſ. Martinus de
Selva*, numquam privatę perſonę nominę ſuę privatę per-
ſonę poteſt conſuetudo dare juriſdictionē Eccleſiaſticam,
quia illa non poteſt competere ſine alia prælatione. Dicit
tamen ad hoc ſufficere titulum cujuslibet beneficii, ſi quod
habet. Et hanc opinionem credit eſſe veram Bellamer.
quia juriſdictio Eccleſiaſtica eſt quoddam ſpirituale, vel
ſaltem Eccleſiaſticum, quod non poteſt niſi beneficio Ec-
cleſiaſtico adhærere, arg. eorum, quę leguntur, & notan-
tur in Clem. *Per litteras*, *de præb. & in c. Cauſam quæ*, *de præ-
ſcr.* Nec ſecundùm eum obſtat hęc Decretalis, *& d. c. Super
eo*, *de præb in* 6. imò probant hanc partem, quia loquun-
tur de juriſdictione Eccleſiaſtica Canoniis, ſeu prębendis
Canonicalibus adhærente, quæ quidem Canoniæ, ſeu prę-
bendę Canonicales reverà beneficia dici debent, *c. In no-
ſtra*, *ſup. de reſcript. & c. penult. infrà de verb. ſignif.* Simi-
liter non obſtat *l.* 1. *& ult. C. de emancip. liber.* quia loquun-
tur in Duumviris publicam adminiſtrationem habentibus,
cui publicæ adminiſtrationi benè adhærere poteſt juriſdi-
ctio. Nec adverſatur authoritas Innoc. *in c. Olim*, *il* 3. *de
reſtit ſpoliat.* ait enim, *Quilibet Clericus poteſt poſſidere*, *&
præſcribere jus excommunicandi*, *dummodò ſit perſona*, *in
quam hoc jus cadere poſſit*, & allegat *c.* 2. *de his quæ fiunt à
major. par. cap. & c. Cum ab Eccleſiarum Prælatis*, *de of-
fic. Ordin.* & ſic videtur ſenſiſſe non de ſimplici Clerico,
ſed de Clerico prelationem habente, ut benè obſervat Abb.
hìc nu. 16. Idque apertiùs declarat idemmet Innocent. in

d. c. 2. n. 1. dum dicit, non poſſe conſuetudine introduci, ut Canonicus interdicat, vel excommunicet homines Eccleſiæ, niſi ſuper eos habeat aliquam prælationem, quia quomodo poterit eos ligare, qui non ſunt ſubditi ejus? & in hoc reſidet etiam Butrius hic n. 18. dum concludit, Clericum non poſſe hanc poteſtatem acquirere ex conſuetudine, niſi ſaltem habeat aliquam præeminentiam, per quam ſubjectos habeat.

18 An autem merum imperium, ſeu poteſtas judicandi, & puniendi crimina poſſit conſuetudine acquiri, Jo. And. hic n. 4. recitat opiniones, & remittit Card. n. 2. tenet merum imperium eſſe præſcriptibile, de hoc eſſe caſum ſingularem hìc, quod latiùs proſequitur n. 4. ubi reſpondet objectis Jacobi de Arena, qui ſenſerat merum imperium acquiri non poſſe per præſcriptionem etiam immemorabilem. Idem poſt multa concludit Anchar. num. 12. & 13. & Abb. num. 10. & fuit opinio Petri, & Cyn. in l. 1. ff. de aqua pluv. arcen. quam dicit eſſe communem, Imola hic numer. 8.

19 Tertiò nota, mercenarios, & ſervientes circumſcripta conſuetudine, vel privilegio non eſſe ſub juriſdictione illorum, quibus ſerviunt; nam etſi domini habeant in eos aliquam coercitionem, non tamen in figura judicii, ut notatur in cap. Sicut, 7. qu. 1. & in l. Reſpiciendum, §. pe-
20 nult. ff. de pœn. & tradit hìc Joan. de Anan. num. 5. Unde, ut dicebat Hoſtienſ. num. 6. poſt gloſſ. fin. dominus poteſt habere juriſdictionem ſuper familiam ſuam, ſicut magiſter
21 ſuper diſcipulos, ut in procemio Digeſtorum; § penult. & in Auth. Habita, C. Ne filius pro patre, ſicut pater ſuper filium ſuum, §. Tria, circa fin. 3. q. 7. cap. Non oſculatur, 5. qu. 5. ſicut maritus in uxorem, cap. Sicut, 7. quæſt. 1. & c. Placuit, 32. qu. 2. ſed à verberibus abſtineat, l. Conſenſu, §. 1. C. de repud. Archid. in d. c. Sicut, niſi ex magna cauſa, ut in exemplo, c. Quemadmodum, de jurejur. vel niſi verbera eſſent levia; & ita intellige textum in Authent. Sed hodie, & Authent. Sed novo, C. de repud. & d. l. Conſenſu, ſecundùm Felin. hic n. 6. & de pœna verberantis ſine cauſa, vide in Authent. Ut liceat matr. & av. § Si quis autem, l. ult. C. de regul. & gloſſ. in d. cap. Placuit, in ver. Poteſtatem: & de his omnibus vide textum in cap. Qui peccat, verſ. Nam quotidie videmus, ibi, Ordinatiſſima poteſtate, 23. q. 4. & an pater filium, & maritus uxorem poſſit in vinculis detinere vide gloſſ. Archid. & DD. in d. cap. Placuit, Butr.
22 in l. Ex facto §. grande, in fin. ff. de hæred. inſtit. & Felin. hic num. 6. & an pater percutiens filium Clericum incidat in can. Si quis ſuadente, Bartol Brixien. in quæſt. ſua venerial. 87. quæ incipit, Quæritur an pater percutiens, in tit. de ſent. excomm. gloſſ. ult. & Doctores in cap. Cùm voluntate, eod. tit. & in cap. Indecorum, & ibi dixi numer. 47. & 48. ſup. de ætat. & qual. & an dominus poſſit cognoſcere de delicto ſuæ familiæ, vide Legiſtas in leg. Senatus, ff. de offic. Præſid. & in l. Si quis forte, §. Si quis, ff. de pœnis, & in l. 1. §. Familiæ, ff. de publica, & Felin. in capit. Cauſam quæ, ſupra de offic. deleg. ubi ponit regulam cum
23 quinque fallentiis.

Ultimò nota, de jure communi ſolum Epiſcopum eſſe Ordinarium, & ſolum habere imperium in tota diœceſi cap. Si quis Epiſcopus, & ibi gloſſ. 1. 2. qu. 7. c. Sanè, ſup. eod. c. 1. & ibi dixi in ult. notab. de offic. Ordin. c. 1. de treg. & pace, & cap. 1. de raptor. cap. A nobis, de ſent. excomm. cap. Omnes Baſilicæ, 16. quæſt. 7. & notant hìc Innocent. num. 1 verſ. Epiſcopus autem habet forum, Hoſtienſ. in ver. Non valeant, Jo. Andr. num. 4. Butr. num. 7. Imola num.
24 2 Collectar. in princ. Bellam. num. 2. Abb num. 4. Unde Sanctus Thomas in 4. diſt. 20. art. 4 quæſt. 1. Solus Epiſcopus, inquit, propriè Prælatus Eccleſiæ dicitur, & ideò ipſe ſolus quaſi ſponſus annulum Eccleſiæ recipit; & ideò ſolus ipſe habet plenam poteſtatem in diſpenſatione Sacrament. & juriſdictionem in foro cauſarum quaſi perſona publica. Extra diœceſim verò Epiſcopus juriſdictionem contentioſam exercere non poteſt, niſi in caſu Clem. Quamvis, de foro
25 compet. Inferiores autem Prælati de jure communi territorium non habent, ut hìc per Hoſtienſ. num. 1. verſ. Mihi videtur, & Joan. Andr. num. 4. verſ. Videtur quòd de ju-
26 re communi.

Unde decretum Concilii Tridentini cap. 20. ſeſſ. 24. quo cauſæ omnes ad forum Eccleſiaſticum pertinentes in prima inſtantia jubentur cognoſci coram Ordinariis locorum, S. Congr. declaravit non intelligi de inferioribus Prælatis, qui ſubſunt Epiſcopo, veluti Archipresbytero, vel Prælato Eccleſiæ Collegiatæ, ita ut iſtis inferioribus, qui etiam in eorum plebe Ordinarii, dici poſſunt hujuſmodi cognitio privativè ad Epiſcopum etiam in prima inſtantia pertineat; quia etiamſi habeant juriſdictionem ordinariam in perſonis de Collegio, c. Cum ab Eccleſiarum, ubi gl. & Abb. n. 1. de off. Ord. non tamen poſſunt appellari Ordinarii locorum, cùm nullus citrà Epiſcopum habeat territorium in diœceſi, Abb. ubi ſup. n. 10.

Quinimò ſecundùm Hoſtien. & Jo. Andr. ubi ſup. nec conſuetudo poſſe operari, ut in eadem civitate eſſent in ſolidum duo capita quaſi monſtrum, cap. Quando; & c. Quoniam, ſuprà de offic. Ord. Sed in hoc contrarium videtur ſentire Innoc. hìc, & tenet expreſsè Archid. in c. Cùm Epiſcopus, col. 1. in ver. Per alium, & ibi etiam Jo. Andr. de off. Ord. libr. 6. quorum opinio eſt verior, ut ſcripſi plenè in c. Nullus nu. 22. infrà de Paroch. Fatentur tamen 27
Hoſtienſ. & Jo. Andr. eſſe aliquos Abbates habentes certam terram limitatam juriſdictioni ſuæ ſubjectam alio Epiſcopo carentem, ſicut eſt Abbas Caſſinenſis, & quidam alii; quod ſecundùm eos fulciri poteſt ex aliquo privilegio Apoſtolico ſpeciali, & tales dici poſſunt habere territorium, ſive forum, l. Pupillus, §. Territorium, ff. de verb. ſignific. & notatur in cap. Cum ex officii, & c. Veniens, de præſcript. Subdit Jo Andr. Caſſinenſem eſſe hodie Epiſcopalem; quod verum erat tunc temporis: & de aliis quatuor remittit ad Conſtitutionem Benedicti XII. Bonæ de Monachis Nigris ante fin. & ſunt Monaſterium Sublacenſe, & Farfenſe in Provincia Romana, Sancti Vincentii de Vulterano in partibus Apuliæ, & Monaſterium Sancti Laurentii Veteris in partibus Gallicanis, de quibus meminit idem Jo. Andr. in Specul. in rubr. de privil. verſic. Et ſciendum, & Butr. hìc num. 11. verſ. Fatetur quòd ſunt aliqui Abbates, & hos ſolemus appellare Abbates nullius diœceſis, cujuſmodi ſunt etiam Abbas Nonantulanus, de quo per Calder. conſ. 528. aliàs 13. de priv. Abbas Cluniacenſis, de quo plenè Oldrad. conſ. 204. Prima quæſtio, cujus etiam meminit expreſsè Concilium Tridentinum c. 11. verſ. Excepto Monaſterio Cluniacenſi cum ſuis limitibus ſeſſ. 25. de regular.

Ad hæc Leo X. Præpoſituram Piſciæ Lucen. Diœceſis, 28
& Præpoſitum pro tempore exiſtentem, ac omnes Canonicos, & Clericos ejuſdem Oppidi ſub protectione B. Petri, & Apoſtolicæ Sedis immediatè ſuſcepit, & ab Epiſcopo Lucenſi, ejuſque tota juriſdictione, ſuperioritate, correctione, viſitatione, penitùs eximit, ita ut etiam ratione delicti, aut contractus Epiſcopus Lucenſis nullam juriſdictionem in eos, eorumque bona haberet; & ipſi Præpoſito ordinariam juriſdictionem, ſuperioritatem, correctionem, viſitationem in omnes perſonas Eccleſiaſticas dicti Oppidi in civilibus, & criminalibus, & mixtis conceſſit, prout Epiſcopus Lucenſis conſueverat habere, utque à ſententiis Præpoſiti ad Romanum Pontificem dumtaxat appellari poſſit Clem. VII. & Paulus III. ſupradicta omnia confirmarunt, & in ſuis litteris Apoſtolicis uſi ſunt verbis, Præpoſito Eccleſiæ de Piſcia Sedi Apoſt. immediatè ſubjectæ nullius diœceſis. His ſic ſtantibus quæſitum eſt, an Præpoſitus vacante Parochiali in diſtrictu ſuæ Præpoſituræ poſſit edicta proponere, & eos, qui concurrerint, jubere per ſuos deputatos examinari, & alia facere, quæ Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 18. conceſſit Epiſcopis; & an ei poſſint committi diſpenſationes matrimoniales ſuorum ſubditorum ex cap. 5. ſeſſ. 22. & cap. 20. ſeſſ. 24. S. Congregatio Concilii inclinavit, ut ſatis ſufficienter ſit probatus ſtatus iſte nullius ex Bullis prædictis. Dixit tamen nihil decidendum, niſi audito Epiſcopo Lucenſi cujus intereſt. Item ex verbis exemptionis apparere Eccleſiam hanc eſſe ſubjectam Præpoſito etiam quoad legem diœceſanam. Et cum citato Epiſcopo multa hinc inde deducta fuiſſent, tandem S. Congregatio die 23. Julii 1579. cenſuit dicendum Præpoſito, ut oſtendat Synodos ante Concilium factas. Si autem nihil aliud deducatur, Congregatio cenſuit Præpoſito competere examen in Parochialibus, prout Concilium dedit Epiſcopo ſeſſ. 24. cap. 18. Idem de cauſis matrimonialibus, quia conſtat omnem juriſdictionem ordinariam datam Præpoſito, eſſe nullius habere jus congregandi Synodum diœceſanam, & congregaſſe etiam poſt Concilium. Quam Congregationis ſententiam Sanctiſſimus ad ſe relatam approbavit. De Præpoſitura

Pra-

Prati ſcripſi latè *in c. Cùm ab Eccleſiarum à n.13. uſque in fin. de offic. Ordin.* de Abbtia S. Mariæ de Balneo item latè *in c. Cùm dilectus, à n.19. infra de relig. domib.* & de Abbatia ſancti Joannis in Venere *in c. Nullus de Paroc.* ubi ego pleniſſimè de hujuſmodi locis nullius diœceſis.

QUÆRO, an Abbatia Caſtri Durantis nullius diœceſis exiſtat?

29 Cùm S. Congregatio annis ſuperioribus declaraſſet Abbati Caſtri Durantis eſſe committendas diſpenſationes matrimoniales, litteras in forma, ſignificavit, aliaque hujuſmodi quoad ejus ſubditos, ſi modò ipſe juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & proprium territorium haberet; hac deciſione S.D.N. Paulo V. exhibita, ex parte Abbatis fuerunt productæ ſcripturæ probantes in eo concurre ſupradicta requiſita juriſdictionis quaſi Epiſcopalis, & territorii, petitumque fuit ut per litteras in forma Brevis decerneretur præciſè, ut de cætero ipſi tales expeditiones committerentur. Sanctitas ſua reſpondit hujuſmodi requiſita eſſe priùs ab ipſo probanda coram S. Congregatione, ab eaque obtinendum decretum, quod eſſent probata.

30 Addicta duo requiſita juſtificanda Abbas exhibuit ſententiam Rotalem, in qua ipſi ut juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, juſque congregandi Synodum habenti, ac proprium territorium, adjudicantur concurſus parochialium. Unica quidem fuit ſententia, ſed cauſa commiſſa fuit in Rota omni & quacumque appellatione remota, ſententiaque habuit effectum.

Quamobrem S. Congregatio die 13. Julii 1606. inſpecta ſententia lata in Rota pro Abbate adverſus Archiepiſcopum Urbini, in qua Abbati tamquam nullius diœceſis exiſtenti, ac proprium territorium, ac juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habenti, adjudicantur concurſus parochia-
31 lium in ejus territorio vacantium, itemque perpenſa præcedente commiſſione cùm clauſula *Appellatione remota*, a qua atteſtatione effectus dictæ ſententiæ, & quaſi poſſeſſionis Abbatis cenſuit ſatis, ſuperque conſtare Abbatem quaſi Epiſcopalem juriſdictionem, & proprium territorium habere, ac propterea ſupradictas litteras illi eſſe committendas, ſuper quo quidem decreto fuerunt poſteà expeditæ litteræ S.D.N. in forma Brevis.

Verùm tamen Archiepiſcopus contendit adhuc Abbatiam prædictam eſſe in ſtatu ſimplicis exemptionis, non autem nullius diœceſis; ex duplici capite.

Primò, quia Rota pronuntiavit Abbatis territorium eſſe exemptum a juriſdictione Archiepiſcopi Urbinaten. ac proinde non eſſe in ſtatu nullius, quia implicat contradictionem eſſe nullius diœceſis, & eſſe exemptum, ut dixit Rota *diverſ. deciſ.* 207. *n.*2. *part.* 2. addo Joan. Andr. *ad Specul. tit. de privileg. verſ. Aliqui verò.* Et enim locus nullius nec
32 eſt in diœceſi, nec de diœceſi; at locus exemptus licèt non ſit de diœceſi, eſt tamen in diœceſi, *cap. Cùm Epiſcopus*, Gemin. *in 3. not.* & Franc. *in 2. de offic. Ordin. lib.6.* gloſſ. in Clem. *Frequens in ver. Primo anni*, ubi etiam Vitalin. *n.*126. *de exceſſ. Prælat.* Card. in Clem 2. § *Simili num.*4. *de privil.* ubi etiam Lap. Abb. *num.*2. Anchar. *in princip.* Imol *num.2. & num.12. in fin.* atque aliis omnes de privil. Feder. de Sen. *conſ.2. num.2. verſ. Quod autem, & num.9.* Felin. *in cap. Grave col. . n.4. & ſ q. de offic. Ordin.* Atque hoc ipſum diſcrimen conſtituit Concilium *cap.9. ſeſſ.24.* dum ea, quæ ſub Paulo III. & Pio IV. priùs ſtatuta fuerant de viſitatione Eccleſiarum exemptarum, extendit etiam ad Eccleſias ſæculares nullius diœceſis, & tamquam de diverſis loquitur etiam *cap.* 10. *ſeſſ.* 23. ibi, *Etiamſi nullius diœceſis, vel exempta, & in cap.* 18. *ejuſdem ſeſſ.* §. *Et quia ad Collegii*, ibi, *Etiamſi exempta, etiamſi nullius diœceſis.*

33 Ratio eſt, quia privilegium exemptionis ſolùm eximit à ſubjectione, non autem a ſituatione, & denominatione, Vital. in Clem. 2. *de privil. n.*14. & Franch. *in cap.2. §. Statuto, verſ. Sed adverte de conſtit. in 6.*

Deindè quatenus ex ſententia Rotali fuerit diffinitum Abbatem eſſe in ſtatu nullius diœceſis, contendit tamen Archiepiſcopus illam ſibi non obſtare, uti notoriè injuſtam, quia ſententia fundat ſe in privilegio exemptionis Bonifacii IX cum tamen illud privilegium fuerit revocatum à Martino V ut ex Bulla revocationis exhibita. Et quamvis poſtea idem Martinus ad inſtantiam Cardinalis Lucidi tunc prædictæ Eccleſiæ Commendatarii dictam ſuā revocationem ad ſuum beneplacitum ſuſpenderit: dicta tamen ſuſpenſio, ut Archiepiſcopus prætendit, non fuit ſimplex, ita ut per eam Abbatia fuerit abſolutè redacta ad terminos privilegii Bonifacii IX. qui exemptionem conceſſit; ſed Papa proceſſit per viam novæ diſpoſitionis, ſuſpendendo priùs ad ſuum beneplacitum revocationem privilegii Bonifacii, deindè novam diſpoſitionem adjiciendo in hæc verba: *Volentes, & etiam ordinantes, quod hujuſmodi noſtra ſuſpenſione durante, Cardinalis, Conventus, Monaſterium, Univerſitates, Clerus, & alii ſupradicti, Nobis & Romanæ Eccleſiæ dumtaxat ſint ſubjecti; & ad Epiſcopalia jure eidem Epiſcopo & Capitulo perſolvenda, aut alia mera ſubeunda minimè teneantur.* Verba enim illa, *Volentes & Ordinantes*, important novam diſpoſitionem, gloſſ *in c. fin. in verb. reſpondemus de verb. ſignif. in 6.* Dec. *in c. Ex ratione n.8. de appell.*

Itaque Martinus non ſuſpendit ſimpliciter, ſed preſcripſit quid eſſet obſervandum durante ſuſpenſione, videlicet ut Abbatia non teneretur ad onera Epiſcopalia, & eſſet im- 34
mediatè ſubjecta Sedi Apoſtolicæ; quæ quidem verba non ſtatum nullius, ſed ſimplicem, ac nudam exemptionem important, *c. Si Papa de privil. in 6.* Jo. Andr. *in Addit. ad Specul. in tit. de privil. n.5. ver. Prædictis*, Felin. *in c. Grave n.2. de off. Ordin.*

Quere petit Archiepiſcopus, ut declaretur Abbatiam non eſſe nullius diœceſis, ſed ſimpliciter exemptam, vel ut petatur votum Rotæ ſuper hoc articulo, an ſit in ſtatu nullius, prætertim quia ut conſtat ex deciſionibus Rotalibus, non modò in Rota numquam fuit actum de his difficultatibus, an Martinus in dicta ſuſpenſione revocationis tradiderit novam formam, vel an Abbatia eſſet nullius diœceſis; ſed Archiepiſcopus numquam fuit auditus à Rota in judicio petitorio; in ultima enim deciſione Seraphini, quæ in hac cauſa emanavit, fuit reſolutum, ut cauſa diſcuteretur in petitorio, & deciſio edita fuit 2 Maji 1601 ut in impreſſis deciſionibus. Et poſtea nulla alia facta diſcuſſione, aut deciſione edita, die 9. Julii ejuſdem anni lata fuit ſententia in petitorio judicio.

Cæterùm his non obſtantibus non videtur recedendum à deciſis: nam Rota ſatis clarè pronuntiavit Abbatem eſſe in ſtatu nullius, non quidem per hæc verba (nullius diœceſis) ſed per alia æquipollentia, atque idem importantia.

Id autem liquidò conſtat. Primò quia ſententia Rotalis 35
definit Abbatem habere proprium territorium, quod nihil aliud eſt, quam eſſe extra diœceſim; ſiquidem repugnant habere territorium, & eſſe in diœceſi, ut in terminis reſolvit Rota coram Attrebaten. in cauſa Conſtantien. juriſdictionis 8. Maji 1611. quæ habetur impreſſa in recentior. *deciſ.*324. *part.*1. Ideòque quotieſcumque Abbates, vel alii inferiores Prælati habent territorium ſeparatum, illud dicitur eſſe nullius diœceſis; ita ut nec in diœceſi, nec de diœceſi alterius cenſeri poſſit, ſed ſit proprium territorium, reſpectu cujus ipſi quoque diœceſani vocantur gloſſ. in Clemen. 1. § *Volumus in verb. Diœceſanis*, & ibi notat Cardinalis *in 4. quæſt.. num.*2. Vital. *num.*4. Imol. *n.*38. & Abbas *n.15. de for. compet* Idem enim important hoc caſu territorium, & diœceſis, *cap. Si quis Abbas* 18. *qu.2. & cap. 2. de conſtit. lib.6.* Vital. in Clem. 2. §. *Sanè num.* 44. *de elect.* Archid. *in cap. Cùm Epiſcopus in verbo, Non exempto, de off. Ordin. in 6.*

Et confirmatur, quia Rota non pronuntiavit ſimpliciter Abbatem habere territorium, ſed addidit, territorium abſolutum, exemptum, ac penitùs liberatum ab omni dominio, jure, actione, atque omnimoda juriſdictione poteſtate, & lege diœceſana Archiepiſcopi Urbinaten. Quæ quidem verba ſic geminata, ac prægnantia abſolutam territorii 36
ſeparationem, ac diſmembrationem important, Rota *diverſ. deciſ.* 526. *n* 4. *part.*1. Caputaq. *deciſ.* 297. *n.* 3. *part.* 1. Quod fuſiùs proſequitur Anton. de Butr. *in conſ. 9. Quia hic agitur n 3. & ſeq. verſ.2. ſola verba conceſſionis*, Innoc. Jo Andr. & DD. *in c. Paſtoralis de donat.* D. juſtitia verò ſententiæ Rotalis in hac parte clariſſimè conſtat, quia iiſdem ferè verbis utitur, ac privilegium Bonif. IX. ut ibi: *Monaſterium, necnon Caſtra, diſtrictus, & territoria prædicta, &c. ab omni dominio, jure actione, & omnimoda juriſdictione, & poteſtate, ac etiam lege diœceſana Epiſcopi Urbinaten. abſolvimus, eximimus, & perpetuò liberamus.*

Secundò in ſententia Rotali diffinitur competere Abbati 37
excluſo Archiepiſcopo omnimodam, & Epiſcopalem

juriſdictionem. Quibus quidem verbis conſtituitur Abbas in proprio territorio, itaut veniat appellatione diœceſani, gloſſ. in d. Clem. 1. *in ver. Diœceſanum de foro compet. gloſſ. pragm. ſanct. tit. de annatis, &c. verſ. in diœceſi pag.* 117. Abbas *in cap. Sicut unire de exceſſ. Prælat.* & in Clement. *Diœceſani de vit. & honeſt. Cleric.* ubi concilians gloſſ. ibi, & in d. Clem. 1. quæ ſibi oppoſitæ videbantur, oſtendit appellatione diœceſanorum etiam in materia novæ, & præjudiciali venire inferiores habentes Epiſcopalem juriſdictionem excluſis Epiſcopis. Cùm enim privilegium ſit tale, ut nedum eximat, ſed etiam tribuat juriſdictionem; territorium dicitur effectum veluti propria diœceſis Abbatis, Jo. Andr. *in cap. Nimis circa med. de jurejur.* Anchar. *in cap. Poſtulaſti ſub n.*4. *de foro compet.* Rota *d. deciſ.* 207. *part.* 2. *in fin.* Et in hoc quoque ſententia Rotæ eſt conformis privilegio Bonifacii, qui primò liberavit Abbatem cùm territorio, & ſubditis ab omni juriſdictione, &c. Epiſcopi Urbinaten. ac deinde ſubdit, *Cæterum volumus, ſtatuimus, & ordinamus, ut Clerus, Populus, &c. quemadmodum Epiſcopo, & Capitulo de cætero Abbati in ſpiritualibus, & temporalibus obedire teneantur, & ſint ordinario jure ſubjecti*, & infrà: *Omnimoda juriſdictio quemadmodum ad Epiſcopum, & Capitulum pertinebat, ad Abbatem pertineat, & pertinere debeat*, præſertim, quia non ſolùm Abbas; verùm etiam illius ſubditi à Rota pronuntiantur liberi, ac penitus abſoluti à juriſdictione Epiſcopi, quo caſu Abbas dicitur habere proprium territorium, & diœceſim; ut in ſpecie concludit Gemin. poſt Joann. de S. Georg. *in cap.* 2. *col.* 4. *verſ. Quæro an inferiores Prælati habeant territorium*, atque ibi etiam Anchar. *ſub n.* 10. *verſ. Si verò per privilegiorum de Conſtit. in* 6. & ſequuntur DD. hìc. In quo etiam conſtat de juſtitia ejuſdem ſententiæ, quæ omninò convenit cùm privilegio, ut ex illis verbis, *Monaſterium &c. territorium, &c. cum clero, populo, omnibuſque perſonis tam eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus utriuſque ſexus ab omni dominio, jure, actione, &c. Epiſcopi Urbinaten. perpetuò liberamus.*

38 Poſtremò, aliis omiſſis, hoc ipſum concludenter probatur, quia cùm Abbas conſuluiſſet Sac. Congregationem Concilii, an ſibi liceret inſtituere concurſus parochialium in ſuo territorio vacantium: Congregatio reſpondit, ita demum hoc jus competere inferiori Prælato, ſi habeat omnimodam juriſdictionem Epiſcopalem, nec alicui ſubdatur, & ſit immediatè ſubjectus Sedi Apoſtolicæ, nullius diœceſis; proprium habeat territorium, habeatque jus congregandi Synodum, & legitimè conſtet illam congregaſſe, &c. Undè Abbas pro his qualitatibus juſtificandis adivit Rotam, quæ poſteà inter cætera pronunciavit, jus inſtituendi concurſus pertinere ad Abbatem in ſuo territorio: ſententiaque ipſa in rem judicatum tranſivit. Quamobrem apertè convincitur ex ſententia Rotali, Abbatem eſſe in ſtatu nullius diœceſis; alias enim non verificat hujuſmodi qualitate nullius diœceſis minimè potuiſſent ipſi Abbati adjudicari concurſus, cùm ex ſententia S. Congregationis id jus non competat inferiori hanc qualitatem non habenti.

39 Non obſtat, quòd Rota pronuntiaverit, Abbatem eſſe exemptum, & quòd ſtatus exemptionis ſit incompatibilis cùm ſtatu nullius diœceſis, *ex d. deciſ.* 207 nam reſpondetur, exemptionem eſſe in duplici differentia; alia enim eſt ſimplex, & ordinaria, & hæc non eximit à diœceſi; ideòque eſt incompatibilis cum ſtatu nullius, & de hac loquitur Rota *d. deciſ.* 207. Alia eſt exemptio plena, & abſoluta, qualis eſt iſta Abbatiæ Caſtri Durantis, & hæc eximit à diœceſi, & conſtituit exemptum in proprio territorio; ita in puncto diſtinguit, & declarat Abb in d. Clem. *Diœceſani de vita & honeſt. Cleric.* Gemin & Anchar. ſupra relati *ad d. c.* 2. *de Conſtit. in* 6. atque eademmet Rota *d. dec.* 207. *in fin.*

Quarum ſpecierum exemptionis meminit etiam Achil. *deciſ.* 360. *& ſeq. quæ eſt* 14 *&* 15 *de privileg.* Put. *deciſ.* 115. *lib.* 3. Angel. Sylv. & Tabien. *in ver. Exemptio in princ.*

Rurſus non obſtat, quòd Martinus V. in Bulla prædicta ſuſpenſionis tradiderit novam exemptionis formam ipſa ſuſpenſione revocationis durante: nam primò reſpondetur id repugnare tum verbis Bullæ, tum menti ipſius Pontificis. Verbis quidem quia Papa ibi duo facit, primò abſolutè ſuſpendit revocationem, per quam quidem ſuſpenſionem non eſt ambigendum Abbati fuiſſe reſtitutam priorem exemptionem ex privilegio Bonifacii competentem: deinde non per modum limitationis, ſed additionis, & augmenti ſuperaddit, *Volentes, & etiam oratoriantes, ut dicta ſuſpenſione durante Abbatia non teneatur ad onera Epiſcopalia, & ſit immediatè ſubjecta Sedi Apoſtolicæ*, quibus verbis patet, Summum Pontificem non tantùm reſtituiſſe Abbati primũ privilegium, ſed etiam addidiſſe exemptionem ab oneribus Epiſcopalibus, cùm particula illa, *Etiam*, ſit ampliativa
ſeu implicativa præcedentium, *l. Conventiculam, ubi not.* 40
C. de Epiſc. & Cler. Bart. *in l. Sunt quoque n.*4 *ff. de hær. inſtit.* eſſet enim omninò contra juriſdictionis naturam, ut per illam orationem, *Volentes, & etiam oratoriantes*, reſtringeretur diſpoſitio, quæ ex vi verborum ampliari deberet, & contra regulam *l. Legata inutiliter, ff. de adim. leg. l. Titia, §. fin. de manum. teſtam. & l. Quod favore, C. de leg.*
cum concord. præſertim quia novatio privilegii non præſu- 41
mitur, niſi de illa expreſsè caveatur, Anchar. *conſ.* 161. *n.* 5. & latiùs Menoch *conſ.* 202. *n.* 13. *& ſeqq.* etiamſi poſterior conceſſio magis, vel minus contineat, quàm prima, Menoc. *ibid. n.* 14. Mant. *de tacit. & ambig. convent. lib.* 17. *tit.* 1. *n.* 18. Eſt etiam hujuſmodi intellectus contra mentem Martini, ſiquidem eſt omninò iniveriſimile, ut inſtante Cardinali Lucido pro reſtitutione privilegii ampliſſimi, eò quòd illius revocatio redundaret in maximum Abbatiæ detrimentum; Papa, qui in ſpecie aſſerit ſe ad hæc moveri tum aliis de cauſis, tum ob dicti Cardinales benemerita, non concedat deindè niſi nudam, & puriſſimam exemptionem abſque ulla juriſdictione etiam civili, ſine beneficiorum collatione, atque aliis pluribus, quæ in priori privilegio continebantur. Quod etiam pugnat cum obſervantia immediatè ſubſecuta: nam Abbates fuerunt ſemper in pacifica poſſeſſione ſaltem cognoſcendi cauſas civiles, & criminales, beneficia conferendi, &c. ut probatur inter cætera ex ſententia Rotæ, qua diffinitur privilegium Bonifacii eſſe obſervatum, atque obſervandum.

Neque obſtat, quòd alias d. verba *Volentes &c.* eſſent ſuperflua, eò quòd cùm Abbatia eſſet jam ſubjecta Sedi Apoſtolicæ, ſupervacaneum fuiſſet illam rurſus ſubjicere. Nam reſpondetur id vel factum eſſe ad abundantiorem cautelam, vel quia cùm in privilegio Bonifacii nulla fieret expreſſa mentio de exemptione Abbatis ab oneribus Epiſcopalibus, ſuperfluum non fuit eumdem claris verbis eximere, & quo ad hoc immediatè ſubjicere Sedi Apoſtolicæ. Vel demum quia cùm in privilegio Bonifacii ſubjiciantur Sedi Apoſtolicæ Monaſterium, atque illius perſonæ; poterat dubitari, an per hæc verba Clerus quoque, & populus cenſerentur ſubjecti, per eas, quæ habentur *in c. Per exemptionem de privileg. in* 6. Quæ difficultas fuit ſublata per Bullam revocationis Martini V. in qua non modò Monaſterium, verùm etiam populus, & Clerus ſpeciatim Sedi Apoſtolicæ ſubjiciuntur; ac proindè verba illa *Volentes, & etiam ordinantes* retinent propriam naturam etiam quoad hoc, ut novam diſpoſitionem inducant, juxta gloſſ. *in d. c. fin. in ver. Reſpondemus de verbor. ſignif. in* 6. atque alios ſuperiùs citatos.
Poſtremò quidquid ſit de meritis cauſæ, pro Abbate ſtat 42
res judicata, quæ omnem tollit difficultatem. Sed hæc dicta ſint, ut etiam liqueat de non jure Archiepiſcopi. Ex quibus videtur reſponden. Abbatiam eſſe verè in ſtatu nullius Diœceſis. Et ita S. Congregatio reſpondit, ut dixi *in cap. Nullus n.* 20. *& ſeq. infrà de Paroch.* Hodie Eccleſia hæc Caſtri Durantis eſt Epiſcopalis ſub titulo Urbaneæ: nam SS. D. N. Urbanus VIII. die 18. Februarii 1636. in Conſiſtorio Eccleſiam S. Angeli in Vado ad Metaurum, quæ nobis patria dilectiſſima eſt, & dictam Eccleſiam Caſtri Durantis in Cathedrales æquè principaliter unitas, & utrumque oppidum in civitatem erexit.
Porrò Abbates, Priores, Præpoſiti, & Archipresbyteri, 43
qibus hodie diſpenſationes, & alia reſcripta Apoſtolica à Dataria & Cancellaria dirigũtur, ſunt infraſcripti, videlicet

Abbas Montis Caſſinenſis, Ordinis S. Benedicti, nullius Diœceſis Provinciæ Caputan.

Abbas Monaſterii S. Mariæ Farfen. Ordinis S. Benedicti nullius Diœceſis in diſtrictu Urbis.

Abbas Monaſterii S. Silveſtri Terræ Nonantulæ Ordinis S. Benedicti nullius diœceſis provinciæ Ravennaten.

Abbas Monaſterii Sanctorum Vincentii, & Anaſtaſii ad Aquas Salvias Ciſtercienſ. Ordinis Trium Fontium nuncupatus propè & extra mœnia Urbis nullius diœceſis.

Abbas

Abbas Monaſterii S. Salvatoris majoris nuncupatus Ordinis S. Benedicti in diſtrictu Urbis nullius diœceſis.
Abbas Monaſterii Montis Virginis Ordinis S. Benedicti nullius diœceſis Provinciæ Benevetan.
Abbas Monaſterii Sanctiſſimæ Trinitatis Caven. Ordinis S. Benedicti nullius diœceſis Provinciæ Capuan.
Abbas Monaſterii S. Christophori Terræ Caſtri Durantis Ordinis S. Benedicti nullius diœceſis Provinciæ Urbinaten. Hodie eſt Cathedralis, ut prædixi.
Abbas Monaſterii S. Mariæ Oppid. Pinaroli Ordinis S. Benedicti nullius diœceſis Provinciæ Taurinen.
Abbas ſæcularis, & Collegiatæ Eccleſiæ S. Petri Oppidi de Lerma nullius diœceſis Provinciæ Burgen.
Abbas Monaſterii S. Maria de Gadoſſa nullius diœceſis Provniciæ Salernitan.
Abbas Monaſterii S. Michaelis de Cuizano nullius diœceſis Provinci e Tarraconen. S. Benedicti, ſeu alterius Ord.
Abbas Monaſterii de Salagon. nullius diœceſis Provinciæ Compoſtellan. Ordinis S. Benedicti.
Abbas Monaſterii SS. Trinitatis, Ordinis S. Benedicti nullius diœceſis Provinciæ Reghien. Hoc Monaſterium fuit unitum Collegio Græcorum de Urbe, & hodie huic litteræ Apoſtolicæ non committunur.
Prior Monaſterii per Priorem gubernari ſoliti S. Laurentii propè Padulam Carthuſien. Ordinis nullius diœceſis Provinciæ Salernitan.
Prior Prioratus S. Jacobi de Spatha nullius diœceſis Provinciæ Compoſtellan.
Prior Prioratus S. Benedicti Militiæ, & Villæ de Alcantatara nullius diœceſis Provinciæ Compoſtellan. cui ex indulto Urbani VIII. tantùm committuntur matrimoniales, non autem beneficiales.
Prior Prioratus de Veles nullius diœceſis Provinciæ Toletan.
Prior Prioratus de Magazela militiæ de Alcantara nullius diœceſis Provinciæ Compoſtellan.
Præpoſitus Eccleſiæ S. Mariæ Terræ Piſciæ nullius diœceſis Provinciæ Florentin.
Præpoſitus Eccleſiæ Beatæ Mariæ Terræ Attini nullius diœceſis Provinciæ Theatin.
Præpoſitus ſæcularis Eccleſiæ S. Teodati Oppidi ejuſdem S. Teodati nullius diœceſis Pronvinciæ Treven.
Archipresbyter ſæcularis, & Collegiatæ Eccleſiæ S. Petri Oppidi Aggerin. nullius diœceſis Provinciæ Taraconen.
In commiſſionibus tamen, quæ diriguntur Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, & Archipresbyteris ſupradictis non admittitur ſupplicatio, niſi fuerit concepta his verbis, videlicet *Supplicant igitur humiliter S. V. Oratores prædicti, quatenùs Abbati Monaſterii N. Ordinis ſancti N. nullius diœceſis Provinciæ N. particulare, ac ſeparatū territorium, ac juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in dicto loco exercenti, etiamſi de illis perſonis non ſit, quibus ſimiles cauſæ per Sedem Apoſtolicam committi conſueverunt, committere, & mandare, ut cum eiſdem Oratoribus diſpenſet.* Et poſtmodùm eadem verba repetuntur in diſpoſitiva litterarum: exceptis tamen Abbatibus Caſſinenſi, & Farfenſi, quibus fiunt commiſſiones abſque prædicta clauſula, & adjicitur, *Sive ejus Vicario*, quod tamen non fit cum aliis. Abbas verò Sublacen. non reperitur adnotatus inter alios, & illi non conſueverunt committi, niſi matrimoniales, &c.

[Sed quia hodie nonnulli deficiunt, & aliqui ſunt, quibus diſpenſationes Matrimoniales non committuntur, ideò hic inſeritur alia notula nuper habita ab Officialibus Datariæ, videlicet
Abbati Monaſterii Montis Caſſinenſis Ordinis S. Benedicti nullius diœceſis Provinciæ Capuanæ, ſive ejus Vicario in ſpiritualibus generali.
Abbati ſæcularis, & Collegiatæ Eccleſiæ S. Martini Oppidi ejuſdem S. Martini nullius diœceſis in diſtrictu Urbis, ſive ejus Vicario in ſpiritualibus generali.
Abbati Monaſterii S. Mariæ Farfen. Ordinis S. Benedicti nullius diœceſis in diſtrictu Urbis, ſive ejus Vicario in ſpiritualibus generali.
Abbati Monaſterii S. Salvatoris Majoris Ordinis S. Benedicti nullius diœceſis in diſtrictu Urbis, ſive ejus Vicario in ſpiritualibus generali.
Abbati Monaſterii Sanctiſſimæ Trinitatis Caven. Ordinis S. Benedicti nullius diœceſis Provinciæ Salernitanæ.
Abbati Monaſterii S. Scholaſticæ Sublacenſis Ordinis S. Benedicti nullius diœceſis in diſtrictu Urbis.
Abbati Monaſterii Montis Virginis Ordinis S. Benedicti nullius diœceſis Provinciæ Beneventanæ.
Abbati Monaſterii S. Silveſtri Terræ Nonantulæ Ordinis S. Benedicti nullius diœceſis Provinciæ Ravennaten.
Abbati Monaſterii Sanctorum Vincentii, & Anaſtaſii ad aquas Salvias Ordinis Ciſtercienſis trium Fontium nuncupati, nullius diœceſis Provinciæ Senen.
Abbati Monaſterii S. Mariæ Oppidi Pinaroli Ordinis S. Benedicti nullius diœceſis Provinciæ Taurinen.
Abbati ſæcularis, & Collegiatæ S. Petri Oppidi de Lerma nullius diœceſis Provinciæ Burgen.
Abbati Majori nuncupato ſæcularis, & Collegiatæ Eccleſiæ S. Mariæ Majoris ad Nives Urbis Romæ, nuncupato Oppidi de Olivares nullius diœceſis Provinciæ Hiſpalen.
Priori Monaſterii per Priorem gubernari ſoliti SS. Stephani, & Brunonis de Nemore nuncupati, Carthuſianorum Ordinis, nullius diœceſis Provinciæ Regimen. Caſalium, videlicet, Serræ, Spatulæ, Bijungi, Montauri, Gaſparivæ tantùm.
Priori Monaſterii per Priorem gubernari ſoliti S. Laurentii propè Padulam, Carthuſianorum Ordinis; Abbati S. Mariæ de Cadoſſa nullius diœceſis Provinciæ Salernitanæ.
Prior Prioratus de Magazela Militiæ de Alcantara nullius diœceſis Provinciæ Compoſtell.
Prior Prioratus de Veles nullius diœceſis Provinciæ Toletanæ.
Priori Prioratus S. Jacobi de Spata nullius diœceſis Provinciæ Compoſtellanæ.
Præpoſito ſæcularis, & Collegiatæ Eccleſiæ B. Mariæ Terræ Piſciæ nullius diœceſis Provinciæ Florentinæ.
Præpoſito ſæcularis Eccleſiæ B. Mariæ Terræ Attini nullius diœceſis Provinciæ Theatinæ.
Officiali Archiepiſcopi Tarraconenſis in Inſula Erice, à Civitate Tarraconenſi 200. milliaribus, & ultrà diſtan. Officiali Archiepiſcopi in dicta Inſula ritè deputato, etiamſi de illis, &c.
Vicario Monaſterii Abbatiæ nuncupatæ S. Martini Capituli Canonicorum Baſilicæ S. Petri de Urbe nullius diœceſis Provinciæ Theatinæ.]

DE FORO COMPETENTI.

Honorius III. Archiepiſcopo, & Archidiacono Turonen.

CAPUT XV.

EX parte B. quondam Angliæ Reginæ fuit propoſitum, quòd cum nobilem Virum G. detentorem caſtri Segrey, ratione dotalitii pertinentis ad ipſam, quo per eum, vel ejus complices contra juſtitiam fuerat ſpoliata, auctoritate bonæ memoriæ Joannis Papæ prædeceſſoris noſtris coram vobis traxiſset in cauſam: dictus nobilis excipiendo propoſuit, quòd litteræ Apoſtolicæ non valebant, pro eo, quod caſtrum Guargiæ, ubi eſt ejus domicilium principale, conſiſtit in diœceſi Rodon. quæ ultrà duas dietas à Turonis eſt remota. Verùm replicatum fuit ex parte Reginæ, quòd idem nobilis Turonis

nis ſatis poterat conveniri, cùm non ſolùm in Rodon. diœceſi, ſed etiam in Andegavenſi diœceſi exiſtat, eò quòd & caſtra, & redditus plures habet in ipſa: & caſtrum, de quo quæſtio vertitur, in eadem eſt diœceſi, quæ à Turonen. nequaquam ultrà duodecim leucas diſtat. Idem quoque adjecit, quòd cum dicta Regina jus ſuum coram domino feudi proſequi debuiſſet, litteræ Apoſtolicæ non valebant, cùm non faciebant mentionem, quòd dominus feudi fuerit requiſitus, & ipſe in exhibenda juſtitia extiterit negligens, vel remiſſus: ſubjiciens quòd eædem litteræ falſitate expreſſa fuerant impetratæ, eò quòd ſuggeſtum fuerat caſtrum illud ad eamdem Reginam ratione dotalitii pertinere, cùm nec ab initio, nec durante matrimonio, à viro ſibi fuerat in donationem propter nuptias aſſignatum. Ad hoc autem fuit ex parte ipſius Reginæ reſponſum, quòd vidua ſpoliata, irrequiſito feudi domino, ſpoliatorem ſeu detentorem rei, coram Eccleſiaſtico judice poterat convenire, cujus intereſt viduas defenſare: & infrà. Mandamus quatenùs, ſi vobis conſtiterit dictum nobilem, terram & manſionem habere in Andegavenſi diœceſi, in qua interdum conſuevit commorari, & ipſam diœceſim ultrà duas à Turon. non diſtare dietas, & in eadem litigioſam rem eſſe, non obſtantibus exceptionibus aliis, quæ in petitorio potiùs, quàm in poſſeſſorio (quod Regina contra eumdem nobilem intendebat) locum habere videntur, in ipſo negotio, juxta priorum continentiam litterarum, ratione prævia procedatis.

S U M M A R I U M.

1 *Miſerabilis perſona poteſt laicum interdicto,* Unde vi, *coram judice Eccleſiaſtico convenire, etiamſi res ſubtracta dicatur feudalis.*

2 *Miſerabiles perſonæ habent electionem fori, & poſſunt convenire adverſarios ſuos etiam in Curia Principis.*

3 *Papa licèt ſit Ordinarius ſingulorum, tamen cauſas ab Ordinariis non avocat ſine juſta, & rationabili cauſa. Et per reſcriptum manu propria ſignatum, num. 6. & 8.*

4 *Deus regit infima per inferiores Angelos, media per ſuperiores, ſuprema per ſeipſum.*

5 *Papa explet minima per Plebanos, & alios inferiores, media per Epiſcopos, & ſuprema per ſeipſum.*

7 *Cauſa miſerabilis perſonæ, quæ juxta Canonicas ſanctiones tractari debet in Curia, ut validè committatur, an requirat ſubſcriptionem Papæ, & num. ſeqq. uſq. in fin.*

8 *Trident. Concil. ſeſſ. 24. cap. 20. expenditur.*

Papæ ſubſcriptio in cauſis avocandis ab Ordinariis in prima inſtantia, quando requiratur, ibid. & n. ſeqq.

10 *Pupilli cauſa, maximè ſuppoſita perhorreſcentia, apud Principem tractari debet.*

11 *Cauſa, in qua agitur de interpretatione litterarum Apoſtolicarum, apud Sedem eſt cognoſcenda.*

12 *Signaturæ iuſtitiæ commiſſio ſufficit in cauſis, quæ in Curia tractari debent.*

1 EX *parte.* Miſerabilis perſona poteſt laicum interdicto, *Unde vi,* coram judice Eccleſiaſtico convenire. Hoc dicit, ſecundùm Joan. Andr. & omnes. Addit Abbas Siculus, etiamſi res ſubtracta dicatur feudalis.

2 Nota primò, ex hac Decretali, miſerabilem perſonam, qualis erat hæc Vidua Regina Angliæ, poſſe convenire laicum in foro Eccleſiæ, etiamſi Judex Eccleſiaſticus alias in cauſa illa non ſit judex competens. Concordat textus in *cap. Significantibus*, inducendo illum, ut ibi dixi *n.* 43. *&* 62 *&* 85. *ſup. de offic. deleg. & in cap. Super quibuſdam, in fin.* ibi, *Item viduis, pupillis, orphanis, & perſonis miſerabilibus tenearis in judicio Eccleſiaſtico reſpondere, infrà de verbor. ſignific.* habent enim tales electionem fori, & poſſunt adverſarios ſuos convenire etiam in Curia Principis, præſertim ſi illorum potentiam perhorreſcant, ut eſt textus celebris *in l. Unica*, & ibi ſcribentes omnes, *C. quando Imperat. inter pupill. & viduam*, & ſcripſi latiſſimè *in dict. cap. Significantibus.* Et hæc eſt una ex cauſis, quæ juxta Canonicas ſanctiones in curia ſunt tractandæ, ad præſcriptum Concilii Tridentini *c. 20. verſ. Ab his excipiantur cauſæ ſeſſ. 24.* Quemadmodum reſpondit Sebaſtianus Vantius Epiſcopus Urbevetanus, qui unà cum graviſſimis Juriſconſultis, & Rotæ Auditoribus à S. Congregatione Concilii de mandato ſan. mem. Greger. XIII. hac de re fuit conſultus, ut dixi in *cap. Licèt, il 2. à n. 3.*
3 *maximè num. 35. infrà eodem.* Nam regulariter non ſolet Papa ſe immiſcere in cauſis ad Ordinarios pertinentibus: quamquam enim ſit Ordinarius ſingulorum, nec ulli fas ſit illius forum declinare, *cap. Cuncta per mundum, 9. qu. 3.* gloſſ. *ult. in dict. cap. Licèt, infra eod. & in cap. Cùm nullus, in ver. In eadem, de tempor. ordin. lib. 6.* cùm Papæ juriſdictio non reſtringatur ad limites alicujus territorii, ut
poſt Innoc. *in cap. 1. num. 2.* & Butr. *ibi num. 31. ſuprà de offic. deleg.* dicit Marianus Socin. *in conſ. 237. Difficultatem num. 1. col. 2.* tamen cauſas ab Ordinariis locorum ad ſe non avocat ſine juſta, & rationabili cauſa, *cap. Per principalem, 9. q. 3.* Idque jure optimo: nam, ut inquit Beatus Dionyſius *de Eccleſiaſtica Hierarchia c. 6. Noſtra Hierarchia a Deo traditis ordinibus ſanctè diſpoſita, ſanctis, & cœleſtibus Hierarchiis conformis eſt*, & notat Hoſt. *in cap. Cùm contingat num. 6. de ætat. & qualit.* Et Eccleſia mili-
tans exemplata eſt divinitùs à triumphante, ut dicit gloſſ. 4
in Clem. *fin. in ver. Eccleſiæ, de hæreticis.* Unde quemad-
modum Deus optimus maximus regit infima per inferio-
res Angelos, media per ſuperiores, & ſuprema per ipſum,
ut docet S. Thomas; ita Romanus Pontifex, qui non 5
puri hominis, ſed veri Dei vicem gerit in terris, *c. Quan-*
tò, de transl. Epiſcop. & a quo tamquam à fonte omnis per
Eccleſiam juriſdictio diffunditur, *cap. Loquitur Dominus,*
24. q. 1. c. 1. 22. diſt. minima explet per Archidiaconos,
Plebanos, & alios inferiores, *c. 1. & c. Ad hæc, de off. Ar-*
chid. cap. 1. & c. fin. & ibi gloſſ. *in ver. Sua, de offic. Archi-*
presbyt. cum ſimilibus; media per Epiſcopos, qui ſunt
vocati ab Eccleſia Romana in partem ſolicitudinis, non in
plenitudinem poteſtatis, *cap. Qui ſe ſcit, & cap. Decreto, 2.*
q. 6 dixi *in cap. Pernicioſum num. 31. ſuprà de offic. Ordinar.*
majora per ſeipſum, *cut cap. Nec licuit, 17. diſt. cap. Ma-*
jores, de baptiſm. cap. 1. de transl. Epiſcop. cum concordan-
tibus. Unde à Tridentino Synodo providè cautum eſt, ut 6
cauſæ omnes ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet perti-
nentes, coram Ordinariis locorum in prima inſtantia co-
gnoſcantur, & terminentur; & ſi quas Romanus Ponti-
fex ex urgenti, rationabilique cauſa duxerit committen-
das, aut avocandas, id fiat per ſpeciale reſcriptum ſignatu-
ræ, Sanctitatis manu ſubſcridendum, ut in Decreto *cap. 20.*
ſeſſ. 24. de quo plura ſcripſi *in cap. Licèt à n. 30. uſque in fin.*
& in cap. Significaſti num. 31. inf. eod.
Hìc QUÆRO, an requiratur ſubſcriptio Papæ, ad hoc 7
ut cauſa miſerabilis perſonæ, quæ juxta Canonicas ſan-
ctiones tractari debet in Curia, validè committatur.
Cùm Ludovica de Corduba eſſet in poſſeſſione hæredi- 8
tatis paternæ, Gondiſalvus de Cardena objecit illi, quòd illegitima eſſet, ac propter eà incapax hæreditatis, non obſtante, quòd ejus parentes obtinuiſſent à Clemente VIII. diſpenſationem ad contrahendum matrimonium: ſed quia quæſtio nativitatis ad ſacrorum Canonum præſcriptum coram Judice Eccleſiaſtico dumtaxat tractanda erat juxta Conſtitutionem Alexandri III. relatum *in cap. Lator, qui filii ſint legitimi*, Ludovica minor ætate perhorreſcens in partibus litigare cum adverſario potenti, obtinuit à Signatura Juſtitiæ, ut cauſa in Rota committeretur: cui quidem commiſſioni adverſarius oppoſuit, quòd non fuerit ſubſcripta manu Papæ, quemadmodum præſcribitur Decreto Concilii Tridentini *cap. 20. ſeſſ. 24.* in cauſis, quas in prima inſtantia Summus Pontifex ab Ordinariis avocandas judicaverit, atque hoc prætextu cauſam ad Concilium Regium deferendam curavit.

Itaque conſulitur Sac. Congregatio, an ejuſmodi commiſſioni objici poſſit vitium nullitatis, propterea quòd manu Sanctiſſimi ſubſcripta non fuerit.

Videtur reſpondendum negativè: nam Decretum *d.* 9
cap. 20. primò ſtatuit, ut cauſæ ad forum Eccleſiaſticum

per-

pertinentes coram Ordinariis locorum in prima inſtantia cognoſcantur, & terminentur: deindè excipit duo genera cauſarum his verbis: *Ab his excipiendæ cauſæ, quæ juxta Canonicas ſanctiones apud Sedem Apoſtolicam ſunt tractandæ, vel quas ex urgenti, rationabilique cauſa judicaverit Summus Romanus Pontifex per ſpeciale reſcriptum ſignaturæ Sanctitatis ſuæ manu propria ſubſcribendum committere, & avocare.* Atque ita ſubſcriptio Papæ non requiritur, niſi in ſecundo caſu. Præſens autem cauſa ſecundùm ea, quæ proponuntur, apud Sedem tractari debet: atque ita eſt in primo caſu, duobus fundamentis.

Primò, quia cauſa pupilli, maximè ſuppoſita perhorreſcentia, apud Principem cognoſcenda eſt, vulgata *l. unica, verſ. Quòd ſi pupilli, C. quando Imperator inter pupillos*, ubi in ſpecie Baldus *num. 2. c. Regum*, 22. *q.* 5. Ideòque uſus inolevit, ut cauſæ hujuſmodi in Rota committantur, ut apud Caputaq. *deciſ.* 1. *num.* 3. *de jurejuran.* & Put. *deciſ.* 34. *lib.* 3.

Secundò, quia cum agatur de interpretatione litterarum Apoſtolicarum, quibus Clementis VIII. diſpenſavit inter patrem, & matrem Oratricis, ut legitur in commiſſione, cauſa apud Sedem tractari debet, ut eſt textus in *cap. Cùm veniſſent, de judic.* Sac. Congregatio autem aliàs animadvertit manum Papæ requiri, ubi avocatur cauſa, quæ non debet in Curia tractari: at verò in iis, quæ in Curia tractari debent, qualis eſt præſens cauſa, dixit ſufficere ſignaturam juſtitiæ; ideòque à ſe eſſe, ut cum cauſæ à ſignatura juſtitiæ in Curia committuntur, in litteris generaliter exprimatur cauſam eſſe talem, quæ juxta Canonicas ſanctiones in Curia tractari debeat; idque juſſit ſignificari Præfecto ſignaturæ juſtitiæ: quod fuit diligenter obſervatum in commiſſione, de qua agitur.

DE FORO COMPETENTI.

Gregorius IX. Abbati Trecen.

CAPUT XVIII.

Significaſti nobis, quòd P. Clericus ad petitionem C. mercatoris. ſe tuæ juriſdictioni ſubjecit, ſi in termino nunc elapſo de pecunia mutuata non ſatisfeciſſet eidem: & infrà. Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quòd licèt privatorum conſenſus, eum qui juriſdictioni præeſſe dignoſcitur, ſuum poſſit judicem conſtituere: Clerici tamen in judicem non ſuum (niſi fortè ſit perſona Eccleſiaſtica, & Epiſcopi diœceſani voluntas accedat) conſentire non poſſunt.

SUMMARIUM.

1 *Clericus ſine diœceſani licentia non poteſt ſe ſubmittere juriſdictioni non ſui judicis.*
2 *Abbas an habeat juriſdictionem ordinariam de jure communi, quæ prorogari poſſit etiam per Clericos ſæculares, & n. ſeqq. uſque ad n.* 11.
3 Juriſdictionis, *verbum intelligitur de ordinaria.*
4 *Dominium in dubio intelligitur de directo, non de utili.*
5 *Prorogatio cadit ſuper ſimili ſpecie juriſdictionis. quæ prorogatur.*
6 *Prorogatio juriſdictionis poteſt fieri etiam in cauſis ſpiritualibus, ſi judex alias poſſit de illis cognoſcere.*
7 *Prorogari non poteſt de perſona ad perſonam juriſdictio limitata.*
Declaratur, num. 9. *& num.* 14.
8 *Juriſdictio eius, qui præeſt Collegio, eſt prorogabilis.*
10 *Prorogari poteſt juriſdictio ordinaria competens alicui de conſuetudine, vel alio jure ſpeciali.*
11 *Prorogatio juriſdictionis ut fieri poſſit à Clerico, quæ requirantur, & n. ſeqq. uſque ad n.* 18.
12 *Prorogatio juriſdictionis judicis non ſui an inducatur ex tacito conſenſu partium.*
13 *Laicus poteſt prorogare juriſdictionem judicis alieni etiam ſine conſenſu judicis proprii; Clericus autem non poteſt, & cur, n* 37.
14 *Prorogatio juriſdictionis fieri non poteſt, niſi in judicem ordinarium.*
15 *Juriſdictio delegata non eſt prorogabilis de perſona ad perſonam, ſed benè de re ad rem.*
16 *Prorogare non poteſt Clericus juriſdictionem judicis laici etiam de diœceſani conſenſu.*
17 *Niſi in cauſis merè civilibus.*
18 *Prorogatio juriſdictionis, & delegatio in quibus differant, & n. ſeqq. uſque ad n.* 23.
19 *Epiſcopus non poteſt Clericum invitum ſubmittere juriſdictioni alterius Epiſcopi, & n.* 30.
20 *In prorogantibus juriſdictionem judicis præſentis, & acceptantis non eſt locus pœnitentiæ.*
21 *Appellatur à ſententia judicis ex prorogatione juriſdictionis ad illius ſuperiorem.*
22 *Intellectus* l. Epiſcopale, C de Epiſcop. audien.
23 *Auditor Cameræ an poſſit cognoſcere, & terminare in prima inſtantia cauſam criminalem Clerici Epiſcopo ſubjecti de ipſius Epiſcopi conſenſu, & nu. ſeqq. uſque in fin.*
24 *Prorogatio juriſdictionis poteſt fieri etiam in criminalibus, ubi proceditur per viam accuſationis, & n.* 32.
25 *Et quid ſi procedatur per viam inquiſitionis.*
Ad prorogationem juriſdictionis ſufficit conſenſus illius, de cujus præjudicio agitur, ibid.
26 *Juriſdictio à Concilio Tridentino Ordinariis tributa in prima inſtantia, cenſetur aliis adempta.*
27 *Juriſdictio acquiritur devolutione, delegatione, & prorogatione.*
28 *Devolutio juriſdictionis in prima inſtantia non fit ad Legatos, & alios quoſcumque vigore facultatum, niſi Epiſcopo prius requiſito, & negligente, & n.* 33.
29 *Epiſcopus non poteſt cauſam committere extra diœceſim, niſi & litigantes conſentiant, & n.* 31.
32 *Cauſæ etiam criminales ad forum Eccleſiaſticum pertinentes in prima inſtantia cognoſci debent, coram Ordinario loci, & non coram alio, niſi de ipſius Ordinarii, & partium conſenſu.*
33 *Legati, & Nuntii poſſunt procedere in prima inſtantia Epiſcopo requiſito, & negligente, non autem conſentiente.*
34 *Negligentiam debet præcedere monitio, ut ſit locus devolutioni.*
35 *Et an debeat eſſe trina, vel ſufficiat unica.*
36 *Archiepiſcopus poteſt cognoſcere cauſas ſubditorum ſuffraganei in prima inſtantia, negligente, non autem conſentiente Epiſcopo.*
37 *Laicus in cauſa ſpirituali an poſſit prorogare juriſdictionem judicis non ſui.*

Significaſti. Clericus ſine diœceſani licentia non poteſt 1
ſe ſubmittere juriſdictioni non ſui judicis; vel pleniùs:
Quamvis laicus poſſit juriſdictionem non ſui judicis prorogare; Clerici tamen non poſſunt, niſi prorogatio fiat de diœceſani conſenſu, & in judicem Eccleſiaſticum. Hoc dicit. Communis diviſio. Secunda ibi, *Inquiſitioni.*

Nota primò ibi, *Se tuæ juriſdictioni ſubjecit*, juncta ſu-
praſcriptione, Abbatem habere juriſdictionem ordinariam 2
in foro contentioſo, quæ poteſt prorogari etiam per Clericos ſæculares. Nam verbum, *Juriſdictionis*, hìc poſitum
de ordinaria intelligitur, aliàs non eſſet prorogabilis, ut 3
l. 1. *ff. de judic.* ibi, *Qui tribunali præeſt, vel alias juriſdi-*
ctionem habet, ſcilicet ordinariam. Et eſt ſimile in domi- 4
nio,

nio, quod in dubio intelligitur de directo, non de utili, ut *l.* 1. *ff. Si ager vectigali*, & tenet Bart. *conſ.* 253. *Fuit quidam num.* 1. *circa medium, verſ. Nam ubi de dominio lib.* 1. & Card. *hic in* 1. *not.* Sic etiam excommunicatio ſimpliciter lata intelligitur de majori, ut *cap. Si quem*, *infra de ſentent. excommun.* Vocabula enim in potiori ſignificatu ſunt accipienda, ut *Inſt. de jur. nat.* §. *Sed jus quidem civile in fin.* Verùm Hoſtienſ. intelligit hunc Abbatem habuiſſe juriſdictionem ordinariam de conſuetudine, cùm inferior de jure communi non habeat contentioſam, *cap. Quantò de offic. Ord.* & cum eo tranſeunt hìc Joan. Andr. *num.* 1. & Butr. in 1. *not.* & eſt verior, & magis communis opinio, ut dixi in *d. cap. His quæ n.* 36. *ſup. de majorit. & obed.* Atque ita Hoſt. videtur ſentire, ſecluſa conſuetudine juri-
5 ſdictionem Abbatis non eſſe prorogabilem, quoad apertiùs firmat Petr. de Anchar. *num.* 1. ea ratione, quia licèt Abbas habeat juriſdictionem ſuper Monachos quoad correctionem; tamen quoad extraneas perſonas, & de cauſa, quæ non cadit ſub eadem ſpecie, & qualitate juriſdictionis, non videtur poſſe cognoſcere per modum juriſdictionis prorogatæ, quia prorogatio propriè cadit ſub ſimili ſpecie juriſdictionis, quæ prorogatur, & non quoad aliam diſſimilem, ut notatur in *l.* 1. *C. de juriſd. omn. judic.* & per Cyn. in *l. Teſtamenta, in princ. C. od. de teſtam.* ubi argumento illius legis dicit illam demùm juriſdictionem poſſe in alium judicem prorogari, quam ille judex habet in ſuos ſubditos, & ideò ſi quis eſſet deputatus tantùm ad maleficia, non poſſet, quis illius juriſdictionem prorogare ad cauſas civiles & ſic de ſimilibus. Idem notat Bart. *in leg. Inter convenientes num.* 1. *ff. ad municipal.* dicens prorogationem fieri debere in his, quæ ſunt ejuſdem ſpeciei; ideòque juriſdictionem in cauſis pecuniariis prorogari non poſse ad cauſas meri, vel mixti imperii; & hanc eſſe com-
6 munem concluſionem teſtatur Abb. in *cap. P. & G. nu.* 15. *verſ. Venio ad ſextam*, *de offic. deleg.* & ſequitur Rota apud Card. Seraph. *dec.* 436. *num.* 3. Et quamvis prorogatio fieri poſſit etiam de cauſis ſpiritualibus; oportet tamen, ut judex ſit talis, qui aliàs poſſit de illis cognoſcere, ut no-
7 tat Innoc. in *cap. de cauſis numer.* 3. & 4. *de off. deleg.* Facit quod notat Cynus in *l.* 1. *num.* 2. *verſ. Præterea eſt alia ratio*, *C. de juriſdict. omn. judic.* ubi dicit, juriſdictionem limitatam, nec de jure civili, nec de jure Canonico poſſe prorogari de perſona ad perſonam. Contrariam opinionem ſuſtinet Abb. *hìc in* 1. *notab.* ubi dicit intellectum Hoſtienſ. eſſe divinativum, quia textus nullibi facit mentionem de conſuetudine; ideòque potiùs probat concluſionem, ut Abb. habeat juriſdictionem de jure communi, & ſic prorogabilem per Clericos ſæculares: & meritò, quia Abbas præeſt Collegio, & habet in ſuos Monachos juriſdictionem ordinariam in cauſis tam civilibus, quàm criminalibus, non tantùm per viam correctionis, ſed etiam in forma judicii, præterquàm ſi agatur de actuali degradatione, ſecundùm opinionem, quam latiſſimè tuetur Joan. de Lignano in Clem. *Ne in agro, de ſtatu Monach.* & idem Abb. in *cap. Cum contingat*, *ſupra eod. num.* 21. & *ſeqq.* præſertim *nu.* 29. *verſ. c. & in iſtis ego diſtinguo*. Quæ opinio hodie videtur ferè indubitabilis, quia Regulares nec ratione delicti commiſſi, nec contractus initi, nec rei ſitæ in territorio Epiſcopi ſortiuntur forum illius, ut plenè probavi in *cap. Tuarum*, *infrà de privil. à n.* 10. *uſque in fin.* & præſertim *à nu.* 32. *uſque ad n.* 45. ubi hoc deduxi ex compluribus Tridentini Concilii Decretis. Quamobrem cum tota juriſdictio ordinaria ſit penes Abbates, & Prælatos Regulares in ſuos ſubditos, non videtur ambi-
8 gendum, quòminus illa ſit prorogabilis etiam ad Clericos ſæculares, ut hìc. Atque ita non obſtat, quòd ſecundùm Anchar. & alios præcitatos prorogatio non cadat: niſi ſuper ſimili ſpecie juriſdictionis: Quoniam reſpondetur juriſdictionem Abbatis eſſe conſimilem, cùm ſit ordinaria, & contentioſa, ut prædixi. Et quamvis ſit reſtricta ad Monachos, & Converſos ſui Monaſterii: tamen hoc non impedit, quin per viam prorogationis extendi poſſit ad Clericos ſibi non ſubditos, qui illius juriſdictioni ſe ſubmittunt de conſenſu Epiſcopi diœceſani, ut hìc patet, & *in l.* 1. ibi, *Judicandi poteſtatem inter certas habeat perſonas*, *C. de juriſd. omn. judic.* & notat gloſſ. & Bart. in *l.* 1. *num.* 8. *ff. de judic.* ubi per illam *l.* ſecundùm unam lecturam, dicunt juriſdictionem ejus, qui præeſt Collegio eſſe prorogabilem: & ſequitur hìc Abb. *num.* 2. & Marian. So-

cin. *n.* 23. Nec adverſatur authoritas Cyni in *d. l.* 1. *nu.* 2. 9
C. de juriſd. omn. judic. quia loquitur in juriſdictione delegata, quæ non eſt prorogabilis ad alias perſonas. *c. P. & G. ſup. de off. deleg.* & latiùs dicam infrà *n.* 14.

Concluſio tamen Hoſtienſis, quòd juriſdictio ordinaria 10
competens alicui de conſuetudine, vel alio jure ſpeciali prorogari poſſit, eſt in ſe vera, licèt non probetur hìc: nam jura, quæ loquuntur de prorogatione, non diſtinguunt, an juriſdictio competat de jure communi, vel de jure ſpeciali, ſed ſimpliciter requirunt, ut ille, de cujus prorogatione agitur juriſdictionem habeat, ut in *l.* 1. *ff. de judic. & hìc*. Neque hanc concluſionem impugnat Abb. ut per Marian. Socin. *n.* 23.

Secundò nota ex textu quatuor requiſita, ad hoc ut Cle- 11
ricus poſſit prorogare juriſdictionem alterius judicis. Primò enim requiritur, ut prorogatio fiat de utriuſque partis conſenſu, prout hìc factum fuit à Clerico ad petitionem mercatoris, qui pecuniam illi mutuaverat. Concordat textus in *cap.* 1. in illis verbis, *Quos utraque pars voluerit ſuprà eodem*, & ibi dixi in *ult. notab.* Fallit in caſu, ut dicam in- 12
frà *nu.* 25. Non tamen requiritur conſenſus expreſſus, ſed ſufficit tacitus, ut tenet Bart. in *l.* 1. *in fin. ff. de judic.* ubi allegat Innocentium in *c. Cum veniſſent n.* 8. *in verb. Inhibitione, de in integr. reſtit.* qui tamen non firmat. Idem notat Decius in *cap. Paſtoralis num.* 11. *de exceptionibus*, quos refert, & ſequitur Rota apud Card. Seraphin. *d. dec.* 439. *num.* 3. Et eſt communis opinio, quàm latè proſequitur, & ad objectis tuetur Marian. Soc. *hìc in* 6. *princ. art. num.* 37. Adverte tamen, quia ex ſola patientia procedendi tacitus conſenſus non inducitur, nec prorogatur juriſdictio, ſed exigitur actus poſitivus. Textus eſt in *c. Ad petitionem infrà de accuſat.* Imò nec comparitio cum taciturnitate inducit prorogationem judicis non ſui, ut tenet Joan. Andr. in *reg. Scienti, de reg. jur. lib.* 6. *in Mercurial.* Secùs ſi citatus compareat, & reſpondeat; quia cum ſciat eum non eſſe ſuum judicem competentem, ex hoc videtur in ipſum conſentire, & illius juriſdictionem prorogare, ut probat gloſſ. *ſing.* juncto text. in *l.* 1. *in ver. Inchoatæ*, *C. ubi de crim. agi oport.* & declarat Marianus Socin. *loco citato*.

Secundò requiritur, ut prorogatio fiat de diœceſani 13
conſenſu, vel licentia, ut patet ex hac littera, ibi, *Et Epiſcopi diœceſani voluntas accedat.* Nec quo hoc eſt jus novum, ſed antiquum, ut in Auth. *Ut Clerici apud propr. Epiſcop.* §. *Si verò Eccleſiaſticum col.* 6. in Auth. *de Sanctiſſ. Epiſcop.* §. *Iconomos col.* 9. & *in l. Epiſcopali, C. de Epiſcop. audien.* & *in c. Non liceat*, 3. *q.* 6 ſecundùm Hoſt. *hìc n.* 2. *in ver. Epiſcopi diœceſani*. Et in hoc ſigna differentiam inter Laicos, & Clericos: nam Laici poſſunt prorogare juriſdictionem judicis alieni abſque conſenſu judicis proprii, ut patet ex textu, ibi, *Privatorum conſenſus eum, qui juriſdictioni præeſſe dignoſcitur ſuum poſſit judicem conſtituere*. & *in l.* 1. & *in l. Privatorum*, *C. de juriſd. omn. judic.* hìc allegat gloſſa 1. Sed an hoc ſit verum, indiſtinctè notat Bart. in *l.* 1. §. *Et poſt operis*. *ff. de nov. oper. nunc.* Petrus de Anchar. in *cap.* 1. *num.* 3. *ſupr. eodem*, & Felin *hìc n.* 1 2. & 3. ad quos recurre in Clericis verò exigitur diœceſani conſenſus, ut prædixi. Et eſt ratio differentiæ, ſecundùm Hoſtienſ. *num.* 3. quia Clericus eſt magis adſtrictus obediendum, quàm Laicus. Et quia ſpiritualis juſiſdictio dignior, & fortior, ſeu firmior eſt, quàm temporalis, *cap. Inter corporalia, de tranſlat: Epiſcop.* De quibus tamen rationibus vide Felinum *hìc poſt. princ. verſ. Ratione differentiæ*. Sufficit autem ſimplex conſenſus Epiſcopis: nam formalis delegatio non exigitur, ut notat Innoc. in *cap.* 1. *in fin. ſup. eod.*

Tertiò requiritur, ut prorogatio fiat in eum, qui aliàs 14
juriſdictioni preeſt: nam in privatum prorogatio fieri non poteſt, ut patet in textu, ibi, *Qui juriſdictioni præeſſe dignoſcitur*, & *in l.* 1. *ff. de judic.* & *in l.* 1. *C. de juriſd. omn. judic.* & dic, juriſdictioni, id eſt ordinariè: nam juriſdi- 15
ctio delegata ad aliàs perſonas non eſt prorogabilis, ut *c. P. & G. de offic. deleg.* & notant hìc Abb. Antiq. *n.* 1. *in ver. Juriſdictioni*, & Hoſt. *nu.* 2. cum quibus cæteri tranſeunt, & Cynus in *d. l.* 1. *num.* 2. *C. de juriſd. omn. judic.* Licèt ſecus ſit in prorogatione, quæ fit de re ad rem, ſecundùm communem concluſionem, de qua teſtatur Card. Seraph. *dec.* 439. *n.* 1.

Quartò requiritur, ut prorogatio fiat in judicem Eccle- 16
ſia-

ſiaſticum, ut patet ibi, *Niſi fortè ſit perſona Eccleſiaſti-
ca*: nam in judicem laicum Clerici conſentire, aut illius
jurisdictionem prorogare nequeunt, etiamſi diœceſani
conſenſus, & proprium juramentum intercedat, ut eſt
textus in *cap. Si diligenti*, *ſupra eodem*, & notat gloſſ. 2.
17 hìc communiter approbata; niſi fortè in cauſis merè civi-
libus, ut notat gloſſ. 2. in *cap. Decernimus*, *ſup. de judic.* &
dixi in *cap. Nullus num.* 10. *ſupra eodem*. Alia requiſita
ad prorogationem recenſent hìc Hoſt. *num.* 2. Joan. Andr.
num. 8. & pleniùs Marianus Socin. *in* 3. *principali arti-
culo à num.* 37.
18 QUÆRO, quæ ſint differentiæ inter prorogationem
juriſdictionis, & delegationem.

Reſpondeo eſſe multas; differunt enim primò, quia
prorogatio fit à partibus, ut hìc, & in *cap.* 1. *ſupra eodem*,
& l. 1. *C. de juriſd. omn. judic.* Delegatio verò, ſeu com-
miſſio fit ab eo, qui jus dicit, ſeu juriſdictioni præeſt, ut
l. 1. *& l.* 3. *ff. de juriſd. omn. judic. cum ſimil.* ſive ſit Prin-
ceps, ſive Ordinarius, ſive Delegatus; cum diſtinctione
tamen, quam ponit Hoſt. in *ſumma de off. deleg.* §. *Quis
delegare poſſit*. Differunt ſecundò, quia prorogatio non
confert juriſdictionem non habenti, ſed prorogat, ſeu ex-
tendit juriſdictionem judicis non ſui ad perſonas proro-
gantes, quæ illis ſe voluntariè ſubjiciunt, ut patet in textu
ibi, *Qui juriſdictioni præeſſe dignoſcitur*, & notat Abb. An-
tiq. *hìc in ver. Judicem*, & Abb. Siculus in *cap. Cauſam quæ
n.* 2. *de ſent. & re judic.* Delegatio verò confert juriſdictio-
nem etiam non habenti, ut *cap. Præterea*, *ſuprà de off. deleg.
& c. Statutum*, *de reſcript. lib.* 6. Et hinc reſultat tertia diffe-
rentia, quia prorogatio in privatum fieri non poteſt, ut
dictum eſt ſuprà in tertio requiſito *num.* 14. Delegatio ſe-
cùs, ut in juribus proximè citatis. Differunt quartò, quia
prorogatio non poteſt fieri, niſi utraque pars conſentiat, ut
dixi ſuprà in primo requiſito ad prorogationem *num.* 11. At
commiſſio, ſeu delegatio non exigit conſenſum partium,
ſed Epiſcopus ſolus dat judices, ut *cap. Super quæſtionum*, §.
Quem vero, *&* §. *fin. de offic. deleg.* & quod dicitur in *c.* 1.
ſuprà eodem, ibi, *Quos utraque pars voluerit*, vel intelligitur
de prorogatione, vel ſi intelligatur de commiſſione, eſt
de conſilio, ne judex datus poſſit recuſari, ſed tamen
commiſſio valet etiam partibus non conſentientibus, dum-
modò fiat ſalvo jure recuſationis, ut ibi dixi in ultimo no-
19 tabili, poſt Joan. Andr. *in fin.* & Butr. *num.* 6. ubi etiam po-
ſui conſuetudinem Romanæ Curiæ. Et hanc differentiam
ponit hìc Hoſt. *num.* 2. *in ver. Voluntas*, ubi ait, Epi-
ſcopum me invito poſſe cauſam meam delegare perſonæ
Eccleſiaſticæ non ſuſpectæ, ut *c. Si quis contra*, *ſuprà eo-
dem*, *& cap. Cùm ſpeciali*, *infra de appellat.* ſed me invitum
non poſſe ſubmittere juriſdictioni alicujus Ordinarii; ſicut
nec ego ſine voluntate ſua poſſum in alium Ordinarium
conſentire, ut patet hìc. Et paulò infrà dicit, regulare eſ-
ſe, ut Prælatus non poſſit ſubditum ſuum ſubmittere alii
invitum, nec ſubditus ſe ſubmittere Prælato invito, alle-
gat *c. Cum non liceat*, *de præſcript. & l.* 1. *C. de novat.* &
20 ſequitur Joann. Andr. *num.* 11. Et hinc oritur quinta diffe-
rentia, quia quando aliqui prorogant juriſdictionem ju-
dicis non ſui præſentis, & acceptantis, non habet locum
pœnitentia, neque hoc caſu eſt locus *l. Si convenerit*, *ff. de
juriſd. omn. judic.* ut in *c. Primo*, *ſup. de judic.* ſecundùm unã
lecturam, quam ibi tenet Ant. de Butr. & eſt gloſſ. ordin. in
l. 1. *in* 1. *gloſſ. ff. de judic.* Et hanc regulam ponunt Gul. de
Cuneo, & Bald. *in l.* 1. *C. eod. tit.* Unde eo caſu judex nec po-
teſt à partibus recuſari, ex quo in eum præſentem, & acce-
ptantem conſenſerunt, niſi nova cauſa ſuperveniat, arg. *c.
Inſinuante*, *de off. deleg.* Sed judex datus ſine conſenſu partiũ
benè poteſt recuſari, *cap. Poſtremo*, *& c. Super quæſtionum*,
§. *fin. eodem tit.* & ſentiunt in *cap.* 1. *ſuprà eodem*, Jo. Andr.
in fin. & Butr. *num.* 6. dum conſulunt, ut judex detur ab Epi-
21 ſcopo de partium conſenſu ad hoc ne poſſit recuſari. Dif-
ferunt ſextò, quia à ſententia judicis ex prorogatione ju-
riſdictionis appellatur ad ſuperiorem ejus, qui judicavit,
22 *l.* 1. *C. Ubi, & apud quem*. Nec obſtat textus in *l. Epiſcopale*,
C. de Epiſcopali audien. ubi non appellatur à ſententia judi-
cis ex prorogatione, quia ibi eſt ſpeciale in Epiſcopo, cu-
jus juriſdictio à laicis prorogatur ſecundùm intellectum
valdè notabilem, quem ponit Abb. in *d. c. Cauſam quæ n.* 2.
verſ. Adverte tamen, ne decipiaris, & Felin. *num.* 1. *de ſent.
& re judic.* Sed à delegato appellatur ad ipſum delegantem,
d. c. Super quæſtionum, *& l. Papinianus*, *C. de appell.* & notat
Calder. *conſ.* 114. *aliàs* 8. *eod. tit.* quam differentiam con-
ſtituit hìc Joan. Andr. *num.* 10. *in fin.* dicens: Aliud eſt dele-
gare, aliud juriſdictionem prorogare; unde in delegata
appellantur ad delegantem, in ordinaria prorogata ad Su-
periorem. Differunt ſeptimò, quia prorogatio à Clericis
fieri non poteſt in judicem laicum, etiam de conſenſu Epi-
ſcopi, ut hìc eſt textus in *cap. Si diligenti*, *ſuprà eodem*. Sed
delegatio à Papa fieri poteſt etiam in laicum, *cap. Mennam*,
2. *q.* 5. *gloſſ.* 2. *in cap. Decernimus*, *ſupra de judic.* licèt non
ab Epiſcopo, ut hìc in gloſſ. 2. & dixi in *cap. Nullus num.* 9.
ſup. eod. poſt Hoſt. *ibi num.* 1. *in ver. Pontificis*, & Jo. Andr.
num. 3. *in eod. ver.* niſi in cauſis merè civilibus, ut ibi ſub-
junxi *num.* 10.

Secundò QUÆRO, an obſtet Decretum Concilii *cap.* 23
20. *ſeſſ.* 24. quominùs cauſa criminalis contra Clericum
Epiſcopo ſubditum poſſit in prima inſtantia de Epiſcopi
conſenſu ab Auditore Cameræ cognoſci, & terminari.

Videtur diſtinguendum: Aut reus conſenſit; & tunc
nulla ſubeſt difficultas, quin Concilio obſtante poſſit hu-
juſmodi cauſa ab Auditore Cameræ cognoſci: certùm eſt
enim Clericum de diœceſani conſenſu poſſe Judicis Eccle-
ſiaſtici non ſui juriſdictionem prorogare, ut hìc eſt caſus ſe-
cundùm Joan. Andr. & omnes in ſumma hujus textus: &
concordant jura ſupracitata *num.* 13. Quæ prorogatio ca- 24
dit etiam in criminalibus, ut in *l.* 1. & ibi gloſſ. *in ver. In-
choata*, & DD. notant, maximè Paul. de Caſtro, *Cod. ubi de
crim. agi oport.* & tenet Butr. in *l.* 1. *num.* 9. *ff. de judic.* ubi
dicit hanc eſſe veritatem, & Marian. Socin. *hìc in.* 5. *artic.
principal. q.* 19. *num.* 36. & eſt communis Doctorum ſenten-
tia, teſte Aretino in *cap. Ad petitionem num.* 15. *infrà de ac-
cuſat.* Id quod abſque dubio locum habet, quando procedi-
tur per viam libelli accuſationis. Et in hoc conveniunt om-
nes. Quando autem proceditur per viam inquiſitionis 25
formatæ, multi tenent non eſſe locum prorogationi; quia
prorogatio fieri debet de conſenſu utriuſque partis, ut di-
ctum eſt ſuprà *num.* 11. in judicio autem inquiſitionis utra-
que pars non conſentit: & hoc videtur tenere Inno-
centius in *cap. Ad petitionem num.* 1. & firmant Bald. *in d.
l.* 1. *ad fin. C. ubi de crim. agi oport.* Alexan. *conſ.* 216. *Ponde-
ratis his n.* 16. *lib.* 6. Sed contrarium concludit Aretinus in
c. 1. *ſup. de judic.* ea ratione, quia ubi agitur de unius præju-
dicio, ſufficit conſenſus illius, ut *l. Neſennius*, *ff. de negot.
geſt.* idem tenet Salyc. in *d. l.* 1. quos refert, & ſequitur Fe-
lin. in *cap. P. & G. num.* 9. *ſupra de offic. deleg.* quod ſatis
placet. Aut reus non conſentit; & tunc quæſtio eſt dubi- 26
tabilis, in qua tamen videtur reſpondendum Concilium
obſtare, & cauſam ab Auditore Cameræ non poſſe cogno-
ſci. Cùm enim hoc caſu Auditor Cameræ non ſit judex
competens, quia Concilium tribuit Ordinariis cognitio-
nem cauſarum primæ inſtantiæ privativè ad alios, cùm lo-
quatur per dictionem taxativam, ibi, *Coram locorum Ordi-
nariis dumtaxat*, *&c.* quæ adimit cæteris juriſdictionem,
Angel. in *l.* 1. *C. Ubi, & apud quem*, Felinus in *cap. Paſtoralis
num.* 1. *in* 3. *limit. de offic. Ordinar.* apertè conſtat ipſum 27
Auditorem Cameræ, qui jure proprio hanc juriſdictio-
nem non habet, non poſſe cognoſcere, niſi per devolu-
tionem, per delegationem, aut per prorogationem juriſ-
dictionis, quorum nullum in hoc caſu poteſt habere lo-
cum. Non devolutio, quia illa requirit formam à Con-
cilio præſcriptam *d. c.* 20. *in* §. *Legati quoque*, ſcilicet ut Epi- 28
ſcopus ſit requiſitus, & neglexerit procedere; quod in
dubio non ſupponitur. Non delegatio, tum quia hìc non 29
probatur interveniſſe, tum quia Epiſcopus non poteſt ex-
tra propriam diœceſim cauſas committere, niſi & litigan-
tium conſenſus accedat, ut notat gloſſ. 2. *& penult. in cap.
Ut litigantes*, *de off. Ordinar. lib.* 6. quam ibi ſequuntur
Butr. *num.* 4. Anchar. *num.* 1. & alii communiter, Vant. *de
nullit. in tit. de nullit. ſent. ex defect. juriſd. delegatæ num.*
95. dixi in *cap. Nonnulli num.* 3. *ſuprà de reſcript.* quod ma-
ximè procedit poſt Concilium Tridentinum, ut mox ſub-
jiciam. Non poterit & hoc caſu habere locum prorogatio;
quia quemadmodum Clericus ſubditus Epiſcopi non poteſt
ſine ejus conſenſu prorogare juriſdictionem judicis Eccle-
ſiaſtici non ſui; ita nec Epiſcopus poteſt Clericum ſubdi-
tum ſuum invitum ſubjicere in aliqua cauſa juriſdictioni al-
terius judicis Eccleſiaſtici, niſi ſubditus conſentiat, ut in
cap. 1. *ſup. eod. & hìc*, ubi ſic firmat Hoſt. *num.* 2. *in
ver. Voluntas*, cum quo Jo. Andr. *num.* 11. Henr. Boich.
Butr. Card. & alii tranſeunt, latè Marianus Socin. *in ter-*

*tie principali articulo in 7.q.num.*41. & abunde oſtenſum eſt ſupra *n.*11. ubi numerantur requiſita, quæ conjunctim concurrere debent, ut validè prorogetur juriſdictio judicis incompetentis in cauſa Clerici, inter quæ eſt conſenſus par-
31 tium, & Epiſcopi Diœceſani. Hoc autem præcipuè vendicat ſibi locum poſt Decretum Concilii Tridentini *in a.c.* 20. *ſeſſ.*24. de cauſis in prima inſtantia diffiniendis coram locorum Ordinariis, quod fuit editum non tantùm in favorem eorumdem Ordinariorum, ſed etiam litigantium, qui ut à laboribus, & expenſis ſubleventur, extra proprias Civitates, & Diœceſes trahi non debent inviti, *arg. d.c. Ut litigantes, de offic. Ord. lib.6. & c. Statutum*, §. *Nullo quoque, de reſcript. eodem lib.* Quamobrem huic favori non poteſt ſolus Epiſcopus renuntiare, cauſam in prima inſtantia extra Diœceſim committendo, quia beneficio in favorem duorum indulto unus renuntiare, non poteſt, altero invito, ſed requiritur utriuſque conſenſus, textus eſt *in c. Ad Apoſtolicam infrà de regular.* ubi hanc theoricam tradit gloſſ. *in ver. Monaſterii*, Hoſt. *n.*4. *in fin. verſ. Sed & ex hoc, & n.*8. Butr. *n.*3. & Abb. *n.* 10. Facit regula *l. Sabinus, ff. commun. dividun.* Unde jure optimo declaravit S. Congregatio Cardinalium ejuſdem Concili interpretum in terminis *d. c.* 20. non ſufficere conſenſum ſolius Ordinarii, ſed requiri etiam conſenſum partium, ut cauſa ad Ordinarium ſpectans in
32 prima inſtantia coram alio judice extra Diœceſim cognoſci poſſit. Et quamvis hæc deciſio ſit edita in cauſa civili; tamen obtinere debere etiam in cauſa criminali; tum quia Decretum illud loquitur de cauſis omnibus ad forum Eccleſiaſticum quomodocumque pertinentibus, & ſic etiam de criminalibus, ut ſæpiùs fuit reſolutum; tum quia in criminalibus eò magis neceſſarius debet eſſe conſenſus, quò gravior eſt cauſa criminalis, quàm civilis, & majus præjudicium ex criminali, quàm ex civili generari poteſt, ut notatur *in l. fin. C. de Ordin. cognit.* tum denique, quia authoritates id probantes ſuperiùs relatæ generaliter, & indiſtinctè loquuntur, & de cauſis etiam criminalibus probatur in *c.*1. *ſuprà eodem*, ponderando verbum illud, *Negotium*, cujus appellatione venit cauſa tam civilis, quàm criminalis, ut ibi notant Innoc. & Abb. Antiq. *in princ.* Hoſt. *in ver. Negotium*, & Joan. Andr. *num.*2. cùm præſertim in prima compilatione Decretalium non habeatur verbum, *Actio*, ſed *Accuſatio*, ut refertur ab Antonio Auguſtino *in c.*1. *hoc tit.* & de prorogatione etiam in cauſis criminalibus tenet expreſsè Archid. poſt Hugon. *in c. Non liceat n.*2. 3. *q.*7.
33 Non obſtat, quòd Concilium *d.c.*20. voluerit Legatos, & Nuncios poſſe procedere contra Clericum, Epiſcopo requiſito, eoque negligente; paria autem eſſe videantur, vel Epiſcopum requiſitum negligere, vel conſentire, ut alius cognoſcat: Reſpondetur enim Concilium id ſtatuiſſe in caſu negligentiæ tantùm, à qua non rectè infertur ad caſum con-
34 ſenſus Epiſcopi. Primò, quia, ut intret devolutio, negligentiam debet præcedere monitio, & requiſitio, tum ex verbis Concilii, tum ex diſpoſitione juris communis, *c. Irrefragabili*, §. *Exceſſus ſuprà de offic. Ordin. c.*1. *de ſupplen. neglig. Prælator. & c.*1. *eodem tit. lib.*6. ubi DD. quæ requiſitio cùm excitet Epiſcopum ad officium ſuum obeundum, meritò ſi Epiſcopus negligat, in pœnam delicti habet locum devolutio ut notat Franch. & alii *in d.c.*1. *de ſupplen. neglig. Prælator. lib.*6. Quæ ratio non cadit in Epiſcopo conſentiente, qui non delinquit; ideò tunc non habet locum abdicatio juriſdictionis, niſi accedat ſubditi conſenſus, ut de jure requi- 35
ritur. Secundò, quia negligentia requirit tempus ad effectum devolutionis, eamque de jure communi debet præcedere trina monitio, ut in juribus proximè citatis; vel ſaltem unica monitio ſufficit, ſi ſtatim poſteà Epiſcopus deneget, ſe velle procedere, ut per Franch. *in d. c.*1. *lib.*6. Ideòque non poteſt inferri ad ſimplicem conſenſum, qui cùm momento ab Epiſcopo præſtari poſſit, non tantùm debet operari, quantùm negligentia in abdicanda juriſdictione ab Ordinario, & trahendo reum coram alio judice. Tertiò 36
ab eo caſu negligentiæ non poſſe inferri ad caſum conſenſus Epiſcopi, inde apertè colligitur, quòd etiam de jure communi Metropolitanus, qui aliàs non erat judex competens inter ſubditos ſuffraganei in prima inſtantia, ut notatur *in c. Paſtoralis, de offic. Ordin.* in caſu negligentiæ Epiſcopi vigore devolutionis cauſas inter ejus ſubditos cognoſcere poterat, ut per Felin. *in d. c. Paſtoralis, n.*6. ubi ait univerſum orbem ita tenere, DD. *d. c.*1. *de ſupplen. neglig. Prælat. lib.*6. & tamen non poterat Archiepiſcopus cognoſcere cauſam in prima inſtantia inter eoſdem ſubditos ex ſolo conſenſu Epiſcopi, niſi etiam ſubditi conſenſiſſent, ut hìc patet, *& in c.*1. *ſup. eodem cum concord.* Quartò retorquetur id, quod adducitur de negligentia: nam ſicut Concilium expreſſit, ut liceat Legatis, & Nuntiis cognoſcere Epiſcopo negligente; ita expreſſiſſet, ut cognoſcere poſſent eo conſentiente, ſi voluiſſet: quod cùm non fecerit, cenſetur noluiſſe immutare diſpoſitionem juris communis, arg. *cap. Ad audientiam, de decim. & c. Inter corporalia, verſ. Unde ſi circa tranſlationem ſuprà de tranſlat. Epiſcop. & l. un.* §. *Sin autem ad deficientis, C. de caducit. tollen.*

Prædicta optimè procedunt in Clerico, de quo concep- 37
tum eſt dubium; ſed ſi ageremus de Laico in cauſa ſpirituali ad forum Epiſcopi ſpectante, quæ non eſt noſtra quæſtio, gravior eſſet difficultas. Et ſi enim Hoſt. *hìc num.*3. ſentiat Laicum in cauſa ſpirituali non poſſe prorogare juriſdictionem judicis non ſui, tamen contrarium ſentiunt Innocent. *in cap. De cauſis, de offic. deleg.* Abb. *hìc num.*15. Natt. poſt Anton. de Butr. & alios *in conſ.*413. *num.*6. Ideòque in hoc caſu ceſſat difficultas prohibitæ prorogationis juriſdictionis ſupra conſiderata. Et quamvis in terminis Concilii fortè aliud dicendum videatur, cùm *d. c.*20. loquatur de cauſis omnibus ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus; id tamen dubium in præſentia omittimus, cùm de eo non quæratur.

DE FORO COMPETENTI.

Idem Gregorius IX.

CAPUT XIX.

PRopoſuiſti nobis, quòd quidam ſubditus tuus ad petitionem cujuſdam adverſarii ſui, à te legitimè citatus ad cauſam, quia poſtmodùm juriſdictionis alterius eſſe cœpit, tuum intendit judicium declinare. Porrò tuæ prudentiæ dubium eſſe non credimus, quòd is in prædicta cauſa jus revocandi forum non habet, quaſi ab altero jam præventus.

S U M M A R I U M.

1 *Clericus ad cauſam ſi poſteà mutat forum, in cauſa illa coram primo judice reſpondere tenetur, & num.*25.
2 *Citatio ut ſit legitima, fieri debet ad inſtantiam partis.*
3 *Niſi judex procedat ex officio.*
4 *Citatio debet fieri à judice, ſeu de illius commiſſione, aliàs non valet.*
5 *Citationis commiſſio eſt decretum interloquutorium.*
6 *Citatio realis requirit ſpecialem judicis commiſſionem, ſed in perſonali ſufficit generalis.*
7 *Citatio nulla ex defectu commiſſionis validatur per comparitionem partis de hoc defectu non excipientis.*
8 *Per citationem fruſtratoriam non perimitur, nec perpetuatur juriſdictio.*

9 *Ci-*

9 *Citatio ut ſit legitima, non eſt neceſſe, ut fiat tribus edictis, ſed ſufficit unum peremptorium.*
10 *Citatio quotuplex ſit, qui judices poſſint citare, & quot modis, remiſſivè.*
11 *Forum mutans ante citationem eximitur à juriſdictione primi judicis, ſecus ſi non fiat mutatio, ſed accumulatio.*
12 *Juriſdictio perpetuatur per ſimplicem citationem judicis ſive Ordinarii, ſive Delgati.*
13 *Citatio eſt principium, & fundamentum judicii.*
14 *Citatio reſpectu contumacis habetur pro circumducta.*
15 *Et quid ſi contumax velit purgare moram ſolutis expenſis, & dato fidejuſſore de judicio ſiſti.*
16 *Forus domicilii eſt mutabilis.*
17 *Et quid in foro contractus.*
Et quid in foro originis, n.11. & ſeqq.
18 *Debitor ſi in loco ſui domicilii mecum contraxerit, & poſteà etiam ante citationem aliò domicilium tranſtulerit, potero eum convenire in loco contractus.*
19 *Et an potero eum convenire in loco domicilii, quod habebat tempore contractus celebrati extra locum domicilii.*
20 *Intellectus l.2. ff. de juriſdict. omn. jud.*
22 *Civitas aratrum paſſa deſinit eſſe civitas.*
23 *Uxor ſortitur forum viri, & in loco originis ampliùs convenire non poteſt.*
24 *Clericus poteſt conveniri in loco originis, vel ubi contraxit ante Clericatum; ſed non coram primo judice.*
25 *Fori mutatio poſt citationem in quibus caſibus non eximat à juriſdictione primi judicis.*
26 *Clericus, qui citatus coram Epiſcopo, poſteà de illius conſenſu ad aliam diœceſim ſe tranſtulit, tenetur coram primo judice cauſam proſequi.*
27 *Clericus conjugatus non incedens in habitu, & tonſura conveniri non poteſt coram judice Eccleſiaſtico, niſi ratione præventionis.*
28 *Clericus conjugatus habens requiſita Conſtitutionis Bonifacii VIII. & Concilii Tridentini, an gaudeat privilegio fori in civilibus.*
29 *Exemptionis privilegium eximit univerſaliter à juriſdictione judicis ordinarii: niſi privilegium ſit præventum per actum citationis.*
30 *Privilegium ſuperveniens ante actum conſummatum in futurum operatur effectum ſuum.*
Declaratur, num.32.

1 P*Ropoſuiſti*. Si citatus ad cauſam poſteà mutet forum,
in cauſa illa coram primo judice reſpondere tenetur.
Hoc dicit, ſecundùm Jo. Andr. Bellam. Butr. Cardin. &
Anchar. Vel meliùs ſecundùm Abb. Marian. Socin. & Fe-
lin. Legitimè citatus tenetur coram judice citante cauſam
proſequi, non obſtante quòd poſt citationem mutaverit fo-
rum. Concordat *l. Si quis poſteà*, unde hæc Decretalis
ſumpta eſt, *ff. de re judic.* Communis diviſio, conſultatio, &
reſponſio, Secunda ibi, *Porrò*.
2 Nota primò, ex principio textus, duo ſubſtantialia requi-
ſita citationis. Alterum eſt, ut fiat ad inſtantiam partis, ut
innuunt illa verba, *Ad petitionem cujuſdam adverſarii ſui.*
Concordat textus in *l. Properandum, §. Et ſi quidem, Cod. de
judic.* & hìc notant Butr. *num.2.* & Anchar. in 1. *notab.* Abb.
num. 3. Marian. Socin. *num.* 2. & idem Butr. in *cap.* 1. *in* 3.
notab. ſupra de judic. Bart. in *l. Ad peremptorium num.*1. *ff. eod.*
3 Aretin. *conſ.* 36. *Caſus talis eſt, in fine*. Quod tamen de-
clara ſecundùm Abb. & Socin. ut vendicet ſibi locum,
quando judex procedit ad utilitatem privatam: quo caſu
non valet citatio, niſi fiat ad petitionem partis, ut notatur
in *c.* 1. *de judic.* & per Bart. in *l.4. §. hoc autem judicium n.2.
ff. de damn. infect.* Secus autem ſi procedat ex officio, quia
tunc judex ſuſtinet locum partis, ut notatur in *cap. Qualiter, & quando, de accuſat. & in cap. Ad noſtram, de jureiur.*
4 & per Bart. *ubi ſupra*. Alterum requiſitum eſt, ut citatio
fiat à judice, ſeu de illius commiſſione, ut innuit littera
ibi, *A te*; aliàs non valet, ut eſt textus in *l. Neminem*, ubi
Cyn. Bart. & alii notant, *C. de exhibend. reis, & in §. Quadrupli*, ibi, *Juſſu magiſtratus*, & ibi Jaſon poſt alios *inſtit. de
action.* Roman. *conſ.*497. *Dubitatur num.8. verſ. Ego dico*,
5 Abb. hìc *num.*4. Et ratio, quia commiſſio citationis eſt
decretum quoddam interloquutorium, ut *l. Omnes, §. Præ-
tereà, C. de Epiſcop. & Cleric.* & tradit Bald. *conſ.*63. *Solùm
de ſubſcriptione num.2. verſ. Prætereà nuncius lib.*5. Lanfran.
de Oriano in *cap. Quoniam contra in ver. Citationes de pro-
bat.* Marian. Socin. in *tract. de citat. art.* 21. *in fin.* Vide 6
tamen Paul. de Caſtro *conſ.*254. *Super primo dubio col.*1.
*verſ. Primum quia lib.*2. ubi ait textum in *d. l. Neminem*, lo-
qui de citatione reali, quæ fit per capturam perſonæ, quæ
requirit ſpecialem commiſſionem, ſecundùm unum intelle-
ctum gloſſæ ibidem, & Baldi. Sed in perſonali, ſeu reali ci-
tatione, & in cauſa civili, ubi agitur de commodo pecu-
niario partis, quando citationes fiunt per nuncios conſue-
tos Curiæ, non eſt de more, vel de conſuetudine, ut de alia
expreſſa commiſſionem judicis appareat, quia cenſentur ha-
bere generalem commiſſionem de citando quemcumque
pars requirens voluerit: allegat Joan. Andr. hoc dicentem
in *d. cap. Quoniam contra in ver. Citantes*. Unde ſufficit,
ut in actis reperiantur commiſſiones factæ per judicem, ſe-
cundùm Joann. Andr. ibidem. Et quamvis hanc diſtinctio-
nem impugnet Roman. *d. conſ.* 297. *num.8. verſ. Ego dico*,
ubi tenet in omni citatione requiri commiſſionem judicis
ſpecialem, per *l. Cùm Clericis, §. Memorati autem*, ibi, *Sen-
tentiarum tuarum authoritate pulſantur, & d. l. Omnes, §.
Prætereà, C. de Epiſc. & Cler.* tamen reſpondetur in verbali
citatione ſufficere commiſſionem generalem, ut ſervatur
ubique ſecundùm eos, de quo dic pleniùs, ut per Maria-
num Socin. *de citat. art* 11. Quidquid tamen ſit, citatio 7
aliàs nulla ex defectu commiſſionis validatur per compari-
tionem partis de hoc defectu non excipientis, *l. 1. §. Sed ſi
Prætor*, juncta gloſſa in *ver. Sententia, verſ. Vel dici poteſt
quòd citatio prima non tenuit, ff. de fer.* & notat Ripa in *c.* 1.
n.90. verſ. Limita tertio, de judic.
Secundò nota ibi, *Legitimè*, per fruſtrativam citatio- 8
nem non præveniri, nec perpetuari juriſdictionem, prout
à contrario ſenſu ex hac littera colligit Archid. in *cap. Non
ita num.*1. 2. *qu.6.* & Federic. de Sen. *conſ.* 97. incipien. *Quo-
niam num.2.* & Joan. Andr. hìc *num.*3. Ad idem *cap. Bonæ, il
ſecondo in fin. ſupra de elect.* & ſequuntur hìc Collectar. *num.*
3. Bellam. in 1. *notab.* Butr. *num.*11. Cardin. & Anchar. uter-
que in 2. *notab.* Abb. *num.6.* & Marian. Socin. *num.* 4. Non 9
tamen intelligas, ad hoc, ut citatio ſit legitima, requiri, ut
fiat tribus editis, vel uno peremptorio; ſufficit enim uni-
ca citatio, ſecundùm Guliel. Naſon. quem refert, &
ſequitur Archid. *loco cit.* & Joan. Andr. *eodem num.* 3. *verſ.
Nec intelligas*, & concordat quod ipſe adnotavit poſt Jo.
& Vincent. in *c. Licèt ſuper prima gloſ. de offic. deleg.* Idem
tenet gloſſ. in *Clem.*1. *in ver. Citationis, de judic.* Federic. de
Sen. *ubi ſupra*, & conſentiunt Butr. *num.*11. *verſ. Dicit ta-
men*, Cardin. & Anchar. *ubi ſupra*. Et quamvis contrarium
teneat Petrus de Sampſone, tamen primum ſequuntur
communiter moderni, ut de ſuo tempore teſtantur Abb.
num. 9. & Marian. Socin. *num.* 18. An autem citatio va- 10
leat ſine termini præfixione, & qualis eſſe debeat ad hoc,
ut ſit legitima, vide hìc per Collect. *num.4. & ſeqq.* & Bel-
lam. in 3. *q. num.9.* Item quotuplex ſit citatio, qui judices
poſſint citare, & quot modis, ponit hìc magiſtraliter Hen-
ric. Boich. *in princ.* ad quem recurras.
Tertiò, nota ibi, *Citatus*, argumentum optimum, quòd 11
per mutationem fori ante citationem, & cauſam initia-
tam, eximitur quis à juriſdictione primi judicis. Secus ſi
fiat fori accumulatio, non ſubtractio, ſecundùm Jo. Andr.
hìc num.3. in ver. Alterius, & Bellam. *num.1. in eodem ver.*
Aliud enim eſt fori adjectio, aliud mutatio, *l. Senatores,
Cod. de Senator.* ſecundùm Henric. Boich. *ad fin.* Proce-
dit ergo textus in fori mutatione quæ ſcilicet fit privati-
vè, & per viam ſubtractionis, ut in laico ad Clericatum
aſſumpto, qui per Clericatum eximitur, & ſubtrahitur à
quacumque juriſdictione judicis ſæcularis, *cap. Imperator
96. diſt. cap.*1. *& 2. & cap. Si diligenti ſuprà eod. cum ſimil.*
niſi fraudulenter, puta crimine perpetrato, procuraſſet ſe
Clericum fieri, ut pœnam evitaret. De quo per Archid.
in *cap.*2. 11. *qu.* 1. & Collectar. *hìc in princ.* Sed an hoc ſit
verum, latiùs dicam in *c. un. in 3. qu. ſupra, de obligat. ad ra-
tiocin.*
Quartò, nota in eodem *ver. Citatus*, juncto fine textus, 12
per ſimplicem actum citationis cauſam dici præventam, &
perpetuari juriſdictionem judicis citantis. Quod procedit
ſive citatio emanaverit ad inſtantiam rei, ſive actoris, ut
ſint ejuſdem conditionis actor, & reus, *cap. 2. de mut. pe-
tit. & cap. Diſpendia, de reſcrit. lib. 6.* ſecundùm Card. hìc
*num.*3.

*num.*3. Item procedit tam in judice ordinario, ut hìc, & *l. Si quis poſtea, ff. de judic.* quam in delegato, ut *cap. Gratum & cap. Licèt ſuprà de offic. deleg. & cap. fin. de offic. leg.* & hìc tenet gloſſ. *un.* cum qua Feder. de Senis *d. conſ. 97. num.* 3. Joan. Andr. hìc *num.*6. & alii tranſeunt. Ratio eſt, quia ubi cœptum eſt ſemel judicium, ibi finem accipere debet, *l. Ubi cœptum, ff. de judic.* & cùm citatio, ſeu vocatio in jus, ſit fundamentum judicii, & principium omnium actionum inſtituendarum, *§. ult. in princ. inſtit. de pœn. temer. litig.* qui eam præoccupavit, totam cauſam, & juriſdictionem præoccupaſſe, ac prævenìſſe videtur, ut hìc; principium enim eſt potiſſima pars cujuſque rei, *l.*1. *ff. de orig. jud.* & à primordio tituli poſterior formatur eventus, *leg. un. Cod. de impon. lucrat. deſcript. lib.*10. de qua vide plenè per Henricum Boich. in *cap. Dudum, il primo de elect.* Item per citationem negotium non dicitur ampliùs integrum, *cap. Capitulum ſanctæ Crucis ſuprà de reſcript.* Re autem non integra non admittitur variatio, *cap. Publicato, & cap. Cùm inter, de elect. cap. Si compromiſſarius, eodem tit. lib.6. cap. In litteris, de offic. deleg. & l. Judex, ff. de re judic. reg. Mutare, de regul. jur. lib.6. cap. Si tibi abſenti, de præben. eodem lib. &*
14 *Clem. Cùm illuſio, de renunc.* Fallit ſupradidicta concluſio ſi reus fuerit contumax, quia tunc non poterit allegare præventionem invito actore; & ita hunc textum limitant Butr. & Abb. in *cap. Ex tenore ſuprà, de reſcript.* & notat Bart. in *l. Quamvis num.*8. *ff. de damn. infect.* Et eſt ratio ſecundum eum, quia reſpectu contumacis citatio habetur
15 pro circumducta, ut *l. Et poſt edictum, ff. de judic.* Quæ limitatio vendicat ſibi locum, etiamſi contumax ad primam citationem velit purgare moram ſolutis expenſis, & dato fidejuſſore de judicio ſiſti; quia hoc non prodeſt actore non conſentiente, dummodò tamen jus actoris ſit factum deterius; & hoc modo contrarias opiniones conciliat hìc Felin. *n.*2. *verſ. Limita iſtum textum.*
16 Quintò, nota ibi, *Juriſdictionis alterius eſſe cœpit*, forum eſſe mutabilem. Sed dubitatur, an hoc ſit verum in omni foro. Et quidem in foro domicilii procedit de plano, quia liberum eſt cuilibet ſibi domicilium mutare, *cap. fin.* & ibi notat gloſſa in figuratione caſus *infra de Paroch. l. Domicilium, & l. Nihil eſt, ff. ad municipal. cum ſimil.* & in hoc con-
17 veniunt omnes. At verò ſecus dicendum eſt in foro contractus, quia ille forus eſt immutabilis ſaltem hoc reſpectu, quòd nequit non factum eſſe quod factum eſt, ut *l. In bello, §. Facta, ff. de captiv. & poſt limin. reverſ.* & eſt caſus apertiſſimus in *l.*2. *ff. de juriſdict. omn. jud.* per quem textum ita tenet Bart. in *leg. penult. num.*1. *ff. eodem*, & ante eum hoc voluit Specul. in *tit. de compet. judic §.*1. *verſ. Quid*
18 *ſi debitor ſub verſ. Quadrageſimò, ad fin.* & ideò ſi debitor in loco ſui domicilii mecum contraxerit, & poſteà aliò domicilium tranſtulerit, etiam ante citationem potero eum convenire in loco contractus, quia per mutationem fori domicilii non ſequitur mutatio fori contractus, ſit concludit ubi Specul. Quod Butr. hìc *num.*12. dicit eſſe mirabile ad limitationem hujus Decretalis: & ſequitur Abb. *num.* 8. & Felin. *num.*1. Pro quo etiam facit ratio naturalis: nam ſi debitor mecum contraxiſſet alibi, quam in loco domicilii, non eſſet dubium, quin poſſem illum convenire in loco contractus, & in loco domicilii, ut in *cap. Dilecti ſuprà eodem, & l.*2. Ergo fortiùs potero eum convenire, quando contraxit in loco ſui domicilii; tunc enim concurrunt duo vincula, & quamvis unum deſierit per domicilii tranſlationem, non tamen deſinit aliud, id eſt forus contractus, & ſic ſaltem virtute alterius potero eum convenire, arg.
19 *§ Affinitatis inſtit. de nupt.* Sed majus dubium eſt in caſu ſequenti. Titius habens domicilium Peruſii contraxit mecum Venetiis, & ſic extra locum ſui domicilii, quo tempore certum eſt quòd poteram eum convenire utrobique, id eſt tam in loco contractus, quam domicilii, ut proxi-
20 mè concluſum eſt. Sed ponè, quòd poſteà ante citationem domicilium transſtulerit Mediolanum; numquid potero illum convenire Peruſii, ubi domicilium habebat tempore contractus? Bart. in *d. l.*2. *in princ.* tenet affirmativè; & ponderat illam legem, quem loquitur de domicilio, quod reus habet, vel habuit tempore contractus; & eum ſequitur Imola hìc *num.* 5. ſed contra Bartolum tenet Butr. *num.*12 Abb. *num.*8. *verſ. Quinimò plus dicit*, Bart. Aretin. *num.*5. & 6. Felin. *num.*2. & Marian. Socin in *cap. Licèt in* 10. *art. princ. infrà eodem*. Moventur omnes per hanc Decretalem à contrario ſenſu; aliàs enim nimis reſtringeretur, cum loquatur indefinitè, per illa verba, *Alterius juriſdictioni eſſe cœpit*. Nec obſtat textus in *d. l.*2. quia dum loquitur de domicilio, quod reus habuit tempore contractus, intelligi debet de contractu ibidem celebrato. Neque hic intellectus, ut dicit Imola, eſt divinativus. Quia ut reſpondet Aretin. non eſt inconveniens, ut indefinita illius legis determinetur per hoc capitulum: & ita illa lex loquitur in caſu Specul. de quo ſupra *num.*8. prout illam intelligunt ibi Cyn. Salyc. Angel. & Paul. de Caſtro: & hæc videtur fuiſſe mens Bartoli, licèt loquatur nimis generaliter; tantùm enim dicit reum poſſe conveniri in loco, ubi habebat domicilium tempore contractus licèt domicilium mutaverit; nec addidit, etiamſi ibi non contraxerit, ſed alibi prout illi imponit Imola: unde illius dictum, quamvis generale, reſtringi debet ad caſum contractus initi in loco domicilii, ſicut reſtringitur generalitas illius legis; & ita teneas alioquin ſequeretur, ut reus non poſſet conveniri ubi contraxit, cùm littera ibi tantùm facit mentionem de domicilio præſenti, & de illo, quod habebat tempore contractus; cùm tamen forus contractus ſit principalior reſpectus conventionis. Item hoc eſſet reo admodùm grave, quia conveniri poſſet in triplici foro, videlicet ubi contraxit, ubi nunc habet domicilium, & ubi domicilium habuit tempore contractus. Ac demum propterea in præcedenti caſu Specualtoris reus conveniri poteſt in loco domicilii, ubi contraxit, quia ibi ſortiebatur duplicem forum, & ad remotionem unius non ſequitur remotio alterius: ut prædixi Sed in hoc poſteriori caſu in loco domicilii non habet niſi unicum forum, cùm contractus non fuerit inibi celebratus; unde tranſlato domicilio nullus forus ibi remaneat, & conſequenter ampliùs ibi conveniri non poteſt, niſi præceſſerit citatio, juxta textum hìc:
Forus itidem originis immutabilis eſt, ut *l. penult. & fin. C.* 21
*de municip. & originar. lib.*10. *l. Filii, §. ult. ff. ad municipal. l. Domicilium, ff. eod. & l. Senatores*, & ibi gloſſ. *ff. de Senator.*
Fallit, ſi civitas paſſa ſit aratrum, ut Carthago, quia deſi- 22
nit eſſe civitas, *ut leg. Si uſufructus civitati, ff. Quemadmodum uſufruct. amitt.* Item fallit in muliere, quæ matri- 23
monium contrahit: nam ſortitur forum viri, & in foro originis ampliùs conveniri non poteſt, *ut l. fin. §. Item reſcripſerunt*: & ibi Bart. *ff. ad municipal.* niſi in foro originis cauſa ſit præventa, *ut l. Cùm quædam puella, ff. de juriſd. omnium judic.* & hìc notant Butr. *num.* 12. Abb. & Marian. Socin. ambo *num.*7. Et ex his conclude hanc Decretalem habere locum dumtaxat in ſubdito ratione domicilii, qui deſinit eſſe ſubditus, & efficitur de juriſdictione alterius per tranſlationem domicilii, non autem in ſubdito ratione contractus, vel ratione originis propriæ, vel paternæ.
Quod tamen limitant Doctores, niſi præter mutationem 24
fori contingat etiam mutatio ſtatus perſonæ, ut in laico effecto Clerico, quia tunc coram primo judice contractus, vel originis conveniri non poteſt. Ita Jacob. Butrig. *in leg. Quiſquis, la ſeconda, C. de Epiſcop. & Cleric.* per illum textum cum ibi notatis, ubi nulla alia ratione Princeps laicus prohibetur fieri Clericus poſt finitum officium ante redditam adminiſtrationem, niſi quia poſt Clericatum coram judice Eccleſiaſtico eſſet conveniendus, & ſequitur Felin. poſt alios hìc *num.*1. Sed hæc non eſt propriè limitatio ad regulam ſuperiùs propoſitam, quia per mutationem ſtatus non mutatur forus, ſed mutatur judex: nam laicus Bononienſis effectus Clericus poterit conveniri Bononiæ ſicut priùs, ſed non poterit ampliùs conveniri ſub judice laico; & ſic habebit declinatoriam judicis, ſed non fori. Ita ſingulariter declarat Bald. *in Auth. Qua in Provincia n.*6. *verſ. Quinto oppono, C. ubi de crim. ag. oport.* dicens hoc eſſe valdè notabile.

Ultimò, nota ex textu, mutationem fori poſt citationem 25
non obſtare, quominùs citatus teneatur coram primo judice cauſam proſequi, ut hìc deciditur: & poteſt multipliciter poni caſus ſecundùm Hoſtien. in *princip.* Joann. Andr. *num.*2. Collectar. in *princip.* Bellam. *num.*1. Butr. *num.* 7. Abb. *num.*13. & latiſſimè proſequitur Marian. Socin. in *decimoquinto articulo principali à num.*45. Primò enim caſus formari poteſt in laico, qui conventus, & citatus coram judice ſæculari, poſteà factus eſt Clericus; non enim in cauſa illa poteſt, declinare forum judicis laici, quemadmodum poſſet, ſi cauſa in foro laico per citationem non

eſset

eſſet præventa, ut *cap.* 1. *&* 2. *& cap. Si diligenti ſuprà eod.* Sed an hoc ſit verum, & an vendicet ſibi locum in cauſis tam civilibus, quam criminalibus, & tam reſpectu executionis realis, quam perſonalis, plenè examino in *c. Unico in* 4. *q. à num.* 41. *uſque ad num.* 77. *ſuprà de obligat. ad ratiocin.*
26 Secundò, poteſt poni caſus in Clerico, qui citatus coram Epiſcopo, poſtea de illius conſenſu ad aliam diœceſim, vel Eccleſiam ſe tranſtulit, ut *cap. Admonet ſuprà de renunciat.* Quod intellige, quando erat ſubditus ratione domicilii, vel beneficii, ſecus ſi ratione originis, cùm ille forus ſit immutabilis, ut dixi ſupra *num.* 21. & declarat Abb. hìc *num.* 13. *verſ. Secundo.* Tertiò, ponitur caſus in Clerico in Minoribus Ordinibus conſtituto, qui poſt citationem judicis Eccleſiaſtici uxorem duxit: nam ſi habitum, & tonſuram non deferat, perdit privilegium fori tam in civilibus, quàm in criminalibus, ut in *c. Unico de Cleric. conjug. lib.* 6. unde coram Eccleſiaſtico conveniri poteſt ratione præventionis dumtaxat, ut hìc. Secus ſi incedat in habitu, & tonſura,
27 quia tunc etiam ceſſante præventione conveniendus erit coram Eccleſiaſtico, ut in *d. c. Unico*, dummodò tamen hodiè alicujus Eccleſiæ ſervitio, vel miniſterio ab Epiſcopo deputatus eidem Eccleſiæ ſerviat, vel miniſtret, ut ſtatuitur Decreto Concilii Tridentini in *cap.* 6. *verſ. In Clericis verò conjugatis ſeſſ.* 23. In civitatibus autem conveniendus erit coram Eccleſiaſtico ratione præventionis tantùm, juxta textum hic, ut per Abb. *num.* 13. *verſ. Tertiò*; ſed ceſſante preventione judex laicus in civilibus poterit cognoſcere, & pronunciare, dummodò tamen abſtineat ab omni perſona-
28 li diſtrictione, ut latiſſimè conſuluit Lap. *allegat.* 118. incipien. *Quæritur non leviter*; de communi Covarr. *pract. q. c.* 31. *nu.* 7. Quod procedit etiamſi talis Clericus habeat requiſita Concilii Tridentini, ut jam pridem cenſuit S. Congregatio ejuſdem Concilii interpres: nam propoſito dubio in cauſa Andrien. an Clericus conjugatus habens qualitates requiſitas, tam Conſtitutione Bonifacii VIII. quæ incipit, *Clericis qui cum unicis*, quàm Decreto Tridentini Concilii *c.* 6. *ſeſſ.* 23. gaudeat privilegio fori etiam in civilibus: Die 13. Februarii 1610. S. Congregatio, cui interfuerunt S. R. E. Cardinalis Camerinen. de Monte, Aquaviva, Plattus, Mantic. Nazareth, & Millinus, nemine diſcrepante cenſuit hujuſmodi Clericum conjugatum non gaudere privilegio fori in civilibus, ubi de crimine non agitur. Cæterùm Clericum talem non poſſe ob hujuſmodi cauſas civiles perſonaliter diſtringi, aut in carcerem conjici. Nam etſi Lapi allegatio, cui communiter adhæſerunt Domini, ut ſubtiliori diſputatione aliquid poſſet habere difficultatis: tutius tamen putarunt à recepta Doctorum ſententia in hac materia non recedere. Quia tamen in nonnullis locis fertur vigere conſuetudo, qua Clerici hujuſmodi etiam aliquibus qualitatibus requiſitis carentes gaudent privilegio fori tam in civilibus, quàm in criminalibus; nihil viſum eſt decernendum, aut edendum, niſi prius ſpeciali diſputatione deliberetur, an hujuſmodi conſuetudo favens Clericis conjugatis magis, quàm Conſtitutio Bonifacii, & Concilium Tridentinum, ſit valida, & obſervanda

In caſibus ergo ſupradictis, & aliis conſimilibus, legitimè citatus coram primo judice non poterit illius juriſdictionem declinare, ex eo quòd poſtea alterius fori eſſe cœperit: & ita hìc eſt caſus ſecundùm omnes.

Oppono. Exemptionis privilegium eximit univerſaliter 29
à juriſdictione judicis ordinarii *c. Frater noſter*, & ibi gloſ. in *ver. Aliquid* 16 *q.* 1. *& c. Cùm capella infra de privileg.* Item privilegium ſuperveniens tollit vinculum obligationis jam contractæ, *c. Ex antiquis, c. Fraternitatem. & c. Si ſervus* 54. *diſt.* Ergo multò magis extinguere debet actum non conſummatum, ſed tantummodò initiatum per citationem: ſi enim ſolvit jam contractum, fortiùs impedit contrahendum, *l. Uranius, ff. de fidejuſſor.* Prȩtereà quando ac-
tus non eſt momentaneus, ſed habet tractum ſucceſſivum, 30
privilegium ante actum conſummatum ſuperveniens pro futuro tempore operatur effectum ſuum, ut *l. Fiſcus, ff. de jure fiſc. l. Cum quid, §. Fiſcus, ff. de uſur. & l. Ea quæ, C. de reſtit. in integr.*

Solutio. Per actum citationis privilegium eſt præven- 31
tum, & propterea non ſuffragatur, ut *l. Tutor, ff. de excuſ. tutor.* ſecundùm Hoſtien. hìc *num.* 2. Joan. Andr. *nu.* 4. Bellam. in 4. *notab.* & Butr. *nu.* 20. Vel ſecundùm Anchar. *ſub n.* 5. contraria locum habent in re, ſive actu diviſibili, ut alia conſideratio habeatur pro tempore præterito, & alia pro futuro. Hìc autem agitur de actu indiviſibili, quia inſtantia judicii non debet dividi, ſed ibi finem accipere ubi initium habuit, *l. Ubi cœptum, ff. de judic. & Authen. Qui ſemel, C. quomod. & quand. jud.* & eſt ratio, quia in judicio quaſi contrahitur, ut *l.* 3. *§. Idem ſcribit, ff. de pecul.* unde ſicut ex contractu vero non poteſt alter ex contrahentibus reſilire altero invito, ut *l. Sicut, C. de action. & oblig.* ita nec ab illo quaſi contractu per citationem initiato poteſt citatus ſe ſubtrahere per mutationem fori; ut hìc. Generaliter autem an privilegium, vel jus ſuperveniens liberet quem ab onere, anve profit quoad obligationes contractas, vel jura in judicio deducta, diſtingue ut hìc plenè per eumdem Anchar. *num.* 5. *verſ. Et tamen latiùs.*

DE LITIS CONTESTATIONE.

Gregorius IX. Abbati S. Joannis in Vineis.

CAPUT I.

OLim inter Epiſcopum Novienſem ex parte una, & Capitulum Eccleſiæ Sancti Quintini ex altera, ſuper quibuſdam injuriis, & excommunicationum ſententiis, & quibuſdam aliis articulis orta materia quæſtionis: & infrà. Judices factis quibuſdam poſitionibus & reſponſionibus ad eaſdem: auditis etiam quæ partes voluerunt proponere coram eis: cauſam eamdem ad examen Apoſtolicum remiſerunt. Procuratoribus igitur partium propter hoc in noſtra præſentia conſtitutis, quamvis poſitiones & reſponſiones hincinde ſuper pluribus articulis factæ fuerint coram judicibus memoratis: quia tamen litis conteſtationem non invenimus eſſe factam, cùm non per poſitiones, & reſponſiones ad eas, ſed per petitionem in jure propoſitam, & reſponſionem ſecutam litis conteſtatio fiat: proceſſum ipſorum, de fratrum noſtrorum conſilio, irritum duximus nuntiandum.

SUMMARIUM.

1 *Univerſitas, vel Collegium non poteſt excommunicari.*
2 *Excommunicatio lata in Capitulum an teneat.*
3 *Litis conteſtatio fit per petitionem in jure propoſitam, & per reſponſionem ſequutam.*
4 *Litis conteſtatio quid ſit. Latè diſcutitur uſq; ad n.* 44.
5 *Litis conteſtatio eſt fundamentum judicii, & litis exordium.*

6 *Lis mota non dicitur ante litis conteſtationem.*
7 *Inſtantia cauſarum ante litis conteſtationē non currit.*
8 *Principium eſt potiſſima pars cujuſque rei.*
9 *Litis conteſtatio eſt lapis angularis judicii.*
10 *Proceſſus ſine litis conteſtatione eſt irritus.*
11 *Sententia lite non conteſtata eſt ipſo jure nulla.*
12 *Nec eſt exequenda, etiamſi lapſa ſint fatalia.*
13 *Litis conteſtatio non inducitur per narrationem factam in libello ſine petitione, & concluſione.*
14 *Nec per productionem actorum, ſi nulla appareat petitio.*
15 *Judicium petitione omiſſa eſt nullum.*
16 *Actor admitti non debet ad litigandum, niſi libello in ſcriptis porrecto, & n. ſeqq.*
17 *Litis conteſtatio non fit extra judicium.*
18 *Libellum non ſufficit tranſmittere ad domum rei, niſi petitio poſteà in judicio rejiciatur.*
19 *Arbitraria redacta ſunt ad inſtar judiciorum.*
20 *Litis conteſtatio fit coram arbitris juris, & habet omnes effectus conteſtationis veræ, vel interpretativæ.*
21 *Secus coram arbitratore.*
22 *Petitio ſola litis conteſtationem non inducit, niſi ſequatur reſponſio rei.*
23 *Litis conteſtatio non oritur, niſi reſponſio rei ſit relativa ad libellum.*
24 *Et ſufficit reſponſio juris.*
25 *Actio quid ſit.*
26 *Litis conteſtatio an fiat, ſi reus neget narrata, prout narrantur, eſſe vera.*
27 *Et quid ſi productis juribus, & parte citata, rei procurator alleget generalia contra.*
28 *Et quid ſi reus reſpondeat, tu mentiris.*
Legibus, & non convitiis certandum eſt, ibid.
29 *Exhæredatio valet, licèt fiat verbis contumelioſis, & turpibus.*
30 *Litis conteſtatio an inducatur per confeſſionem rei.*
31 *Sententia diffinitiva non refertur, ſi reus confiteatur ante oblatum libellum; ſed fit ei præceptum, ut ſolvat infrà certum tempus.*
32 *Confeſſio facta animo declinandi juriſdictionem, non inducit conteſtationem litis.*
33 *Secus ſi animo litigandi poſt oblatum libellum.*
34 *Litis conteſtatio mirabilis ex Hoſtienſi.*
35 *Confeſſio rei in figura judicii an in dubio litis conteſtationem inducat.*
46 *Litis conteſtatio fit per reſponſionem datam ad libellum partim confitendo, & partim negando.*
37 *Litis conteſtatio fit per reſponſionem rei datam ad libellum etiam actore abſente, & ex intervallo, nec verba ſunt neceſſaria.*
38 *Et quid ſi actor poſt reſponſionem rei non compareat, nec proſequatur.*
39 *Litis conteſtatio dependet ab animo rei.*
40 *Nec inducitur, niſi reſponſio fiat propoſito litigandi, & num. ſeqq.*
41 *Conteſtari quid ſit.*
42 *Conteſtandi animus præſumitur, ubi verba cōteſtationi ſunt apta, niſi contrarium appareat, per proteſtationē.*
43 *Verbo non præſumitur quis exprimere, quod mente non cogitavit.*
44 *Litis conteſtatio non inducitur per poſitiones, & reſponſiones datas ad eas, & num. ſeqq.*
45 *Ponens nihil petit, ſed factum narrat.*
46 *Sententia debet eſſe conformis non poſitioni, ſed petitioni.*
47 *Poſitiones fieri poſſunt etiam ante litis conteſtationem.*
48 *Litis conteſtatio an fiat per generalem poſitionem, & reſponſionem rei.*
49 *Poſitiones cur in judiciis introductæ, n. 90.*
50 *Poſitio generalis numquam inducit conteſtationem litis, niſi petitionem habeat admixtam.*
51 *Articuli concluſivi ſunt loco libelli, & per reſponſionem datam ad illos oritur litis conteſtatio.*
52 *Poſitionis diffinitio, quæ ſit de illius ſubſtantia, latè diſcutitur in fin.*
53 *Diffinitio non eſt bona, ſi conveniat aliis à diffinito.*
54 *Poſitiones in cauſa fieri poſſunt tam per actorem, quam per reum, n. 89.*
55 *Diffinitio authoris ponitur, & per partes explicatur, uſque in fin.*
56 *Poſitiones in quo differant ab interrogatoriis.*
57 *Ponens, omnia quæ ponit, diſpoſitivè intelligitur confiteri.*
58 *Actor ſicut per reſponſionem rei, ita & reus per poſitionem actoris relevatur ab onere probandi.*
59 *Judicium non debet claudicare, & n. ſeqq.*
60 *Interrogatoriis principale negotium tangentibus non cogitur pars reſpondere, niſi dentur diſpoſitivè medio juramento per modum poſitionum.*
61 *Si tamen reſpondeat, & confiteatur, ſibi præjudicat.*
62 *Poſitio debet eſſe affirmativa, & non negativa, & nu. ſeqq.*
63 *Negativa regulariter non eſt probabilis.*
64 *Poſitio negativa nihil ponit, ſed removet.*
65 *Nec dicitur poſitio, ſed interrogatio, niſi quatenus habeat implicitam affirmativam.*
66 *Carentia, & non exiſtentia, an & in quo differant.*
67 *Negativa in ſubjecto ſemper eſt probabilis.*
68 *Poſitioni negativæ an & quando ſit reſpondendum.*
69 *Quid ſi negativa ſit coarctata.*
70 *Et quid ſi poſitio negativa non coarctata ſit de facto, contra quem ponitur.*
71 *Nihil eſt in probatione, quod priùs non ſit in natura.*
72 *Poſitioni negativæ non coarctatæ de facto alterius an debeat reſponderi.*
Et quid ſi ſit mixta de facto partim proprio, & partim alieno, n. 74.
73 *Raynerius Jacobi Butrigarii Pædagogus, & tranſcriba.*
75 *Poſitiones negativæ, ſi æquitas ſuadeat, hodiè admitti poſſunt, etiamſi aliàs probari non poſſint, quàm per confeſſionem partis.*
76 *Poſitioni duplici, vel multiplex factum continenti non eſt reſpondendum, niſi dividatur, vel declaretur.*
77 *Poſitionem multiplicem negans, an videatur ſingula negare.*
78 *Poſitioni generali, obſcuræ, incertæ, implicitæ, æquivocæ, captioſæ, vel alternativæ reſponderi non debet.*
79 *Poſitio juris, id eſt, de caſu legis, vel gloſſæ, non admittitur.*
80 *Fallit in jure conſuetudinario, vel municipali.*
81 *Poſitio omninò impertinens non debet admitti.*
82 *Poſitio pertinens quæ dicatur.*
83 *Poſitioni de qua dubitatur, num ſit pertinens, an & quomodo ſit reſpondendum.*
84 *Poſitiones non fiunt in criminalibus, nec recuſans reſpondere habetur pro confeſſo.*
85 *Poſitioni criminoſæ an & quando ſit reſpondendum.*
86 *Poſitiones medio juramento ſunt judici in ſcriptis offerendæ.*
87 *Poſitionibus an & quando reſponderi poſſit per Procuratorem, vel cum præſentia Advocati.*
88 *Reus ſuper poſitionibus à quo ſit interrogandus.*
90 *Poſitiones in quo differant ab articulis.*
91 *Articulus quid ſit.*
92 *Teſtes ſuper articulis debent deponere de ſcientia per ſenſus corporeos, non autem de credulitate.*
93 *Poſitionibus an reſponderi poſſit per verbum* Credit, *vel* Non credit.
94 *Et an hujuſmodi reſponſio cenſeatur de credulitate, an de veritate.*
95 *Et quid ad effectum, ut incurratur perjurium.*
96 *Advocatus qui docuit clientulum falſum reſpondere, tenetur parti damna reſarcire.*
97 *Advocatorum prava ſuggeſtio in poſitionibus negandis.*

OLim. Non per poſitiones, & reſponſiones, ſed per petitionem in jure propoſitam, & reſponſionem ſequutam, fit litis conteſtatio, qua omiſſa, nullus eſt proceſſus. Hoc dicit. Dividitur in duas partes. Primo, ponit proceſſum judicum, & ipſorum relationem. Secundò, ipſum proceſſum decernit irritum, & rationem reddit. Secunda, ibi, *Procuratoribus.*

Nota

1 Nota primò ex principio text. ibi, *Excommunicationum*
ſententiis, Capitulum, & ſic Univerſitatem poſſe excom-
municari: nam ut patet in compilatione antiqua, & re-
citant hic Joan. Andr. & Abb. ambo *n.* 2. Capitulum San-
cti Quintini irrogaverat injurias Epiſcopo Novienſi, &
Epiſcopus propter ejuſmodi injurias illud excommunica
vit; & ita olim excommunicabatur Capitulum ſecundum
eos, & Butr. *n.6 in ſecunda oppoſitione*. Sed hodiè in Uni-
verſitatem, vel Collegium ferri non poteſt ſententia ex-
communicationis, ſed in ſingulos tantùm de Univerſitate,
vel Collegio, quos culpabiles eſſe conſtiterit, ut eſt expreſ-
ſum in *c. Romana*, §. *In Univerſitatem, de ſent. excomm. lib.*
6. & fortè olim hoc fiebat de facto potiùs, quàm de jure; nec
contrarium probat hæc littera, quia ſimpliciter narrat fa-
2 ctum. Subdit tamen Butr. quòd ſi Capitulum etiam hodiè
excommunicetur, tenet ſententia: & fuit opinio Bernardi,
quam tamen reprobant Hoſtien. Archid. Joann. Monac. &
Jo. Andr. ut notatur in *d.* §. *In univerſitatem*, in gloſſ. in *ver.*
Penitus, & Marian. Socin. in *c. Mulieres in* 2. *q. nu.*15. *inf.*
de ſentent. excomm. Pro quo facit littera *d.* §. *In univerſita-*
tem, ibi, *Penitus prohibemus*. De hac materia ſcripſi plenè
in *c. Reſponſo, eod. tit.*

3 Secundò, nota, litis conteſtationem fieri per petitionem
in jure propoſitam, & reſponſionem ſubſequutam. Idem
habetur in *c. Dudum, il ſecondo, verſ. Licèt autem ſuprà*
4 *de elect.* Nam ut diffinit gloſſa hìc, litis conteſtatio eſt
negotii principalis hinc inde apud judicem facta narratio,
& ſubſequuta reſponſio: & fuit diffinitio Bulgari, Azo
nis, & Tancredi, quam ſequuti fuerunt ferè antiqui om
nes uſque ad Hoſtien. ut ipſemet teſtatur hìc *num.*1. &
Marian. Socin. *ſuprà in rubr. eodem num.* Verùm Hoſtien.
hìc, & in Summa hoc tit. §. 1. dicit hanc deſcriptionem de-
ſtrui; quia per poſitionem quoque apud judicem narratur
principale negotium hinc inde, & tamen per eas litis con
teſtatio non inducitur, ut hìc patet. Præterea abundant il-
la verba, & ſubſequuta reſponſio, quia implicitè contine-
tur ſub dictione illa, *Hinc inde*. Unde Hoſtien. ponit aliam
deſcriptionem, videlicet: Litis conteſtatio eſt fundamentum
judicii per petitionem in jure propoſitam, & congruam
reſponſionem ſequutam, animo conteſtandi litem factam,
quo omiſſo ſi in figuram judicii procedatur, vexantur
inanibus laboribus, & ſumptibus litigantes: & ſequun-
tur hìc Joann. Andr. Butr. Cardin. Imol. Joann. de Anan.
& omnes DD. teſte Marian. Socin. *ubi ſuprà* Quæ ta
men diffinitio, ſeu deſcriptio peccat in eo, quòd deſcribit
conteſtationem litis per animum conteſtandi litem, &
adhuc ignoratur, quid ſit litis conteſtatio, & ſic diffinit
idem per idem: quo vitio etiam laborat deſcriptio pro-
lixior, quam ponit Marian. Socin. *loco cit.* Ac prætereà
omninò extrinſecum, & accidentale eſt, ut omiſſa litis
conteſtatione, litigantes vexentur inanibus laboribus, &
expenſis. Ac demum ſi litis conteſtatio eſt fundamentum
judicii, neceſſariò hic ſequitur, ut eo omiſſo proceſſus ſit
nullus; & conſequenter ſupervacaneum fuit addere illa
verba, *Quo omiſſo &c.* Unde ſatis fuiſſet ſic deſcribere, vide-
5 licet, Litis conteſtatio eſt fundamentum judicii per petitio-
nem in jure propoſitam; & congruam reſponſionem ſe-
quutam animo litigandi

6 Et primò dictum eſt, *Fundamentum*, quia litis conteſta-
tio eſt litis exordium, & principium cauſæ, ut legitur, &
notat. in *cap. Super quæſtionum*, §. *Intentionis ſup. de offic.*
deleg. ita ut anteà non dicatur lis mota, *cap. Ex parte, il* 2. *in*
fine, de verb. ſignific. Bald. *conſ.* 150 *Caſus actualiter num.* 2.
*verſ. Ex quo apparet lib.*2. Nec dicatur, quis petere velle, ut
l. Amplius, ff. Rem rat. haber. & ſic litis conteſtatio dat prin-
7 cipium inſtantiæ, ut currat, Roman. *conſ.* 174. *Ampliſſime*
*Doctor num.*4 & 5. Alex. *conſ.*2 7. *Viſis num.*10. *verſ. Non*
*obſtat lib.*6. Quod nota pro intelligentia Concil. Tridenti-
8 ni in *cap. Cauſæ omnes* 20. *ſeſſ.*24. Cujuſque autem rei potiſ-
9 ſima pars eſt principium, *l.* 1. *ff. de orig. jur.* Unde litis con-
teſtatio non ſolùm eſt de proceſſu, ſed lapis angularis ju-
dicii, & ejus fundamentum, ut in *Authen. de litig.* §. *Om-*
nem, & fuit dictum Baldi hìc *num.* 2. *& in cap. Dudum*,
il 2. *num.*20. *ſuprà de elect.* Oldrad. *conſ.* 12. *Quæſtio eſt pri-*
10 *ma in princip.* Sicut autem materiali ædificio ruina immi-
net fundamento omiſſo, & ſimiliter ſpirituali, *cap. Cùm*
Paulus 1. *q.*1. *c. fin.*48. *diſt. c. Veniens infra de Presbyt. non*
baptiz. ſic & ædificio judiciorum, ſecundùm Hoſtien.
Unde non mirum, ſi Papa hìc, & in *d. cap. Dudum*, §. *Li-*
cèt autem, pronuntiet proceſſum irritum ex eo, quod li-
tis conteſtationem non invenerit eſſe factam. Itaque 11
ſententia lata lite non conteſtata eſt ipſo jure nulla, cùm
litis conteſtatio ſit de ſubſtantia judicii, *leg. Prolatam*, & ibi
Bart. *Cod. de ſent.* Bald. *conſ.* 362. *Quamquam ſuper num.*3.
in fine, verſ. Sed dicendum eſt lib. 3. adeòut etiam dicatur 12
tranſiviſſe in rem judicatam, eò quòd fatalia ſint deſerta:
nihilominus non ſit exequenda, ſi ex proceſſu appareat
litem non fuiſſe conteſtatam, Bald. *conſ.*225. *In cauſa ver-*
*tente in princip. lib.*5.

Secundò, dictum eſt, *Per petitionem*, quia ſine illa non 13
fit litis conteſtatio, ut hìc, & in *d. cap. Dudum*; unde ſi in
libello fieret ſola narratio abſque petitione, & concluſione,
tunc per reſponſionem non intelligeretur litis conteſtatio
facta, ut per Rotam *deciſ.*12. *alias* 2. *in tit. de lit. conteſt.*
*in novis num.*4. & Butr. hìc poſt Hoſtien. *num.* 13. adeòut 14
neque ex productione actorum verè, vel interpretativè li-
tis conteſtatio oriri poſſit, ſi nulla præceſſerit petitio, ut
decidit Rota apud Cardin. Seraph. *deciſ.* 698. *num.*8. & pe- 15
titione omiſſa judicium eſt nullum, Raphael. Cuman.
*conſ.*86. *Quamvis de jure num.*3. *uſque in finem*. Stat er-
go regula, ut per reſponſionem ad libellum narrantem
non inducatur litis conteſtatio, ut hìc per Butr. *d. nu.*13.
verſ. Remanet ergo regula. Fallit primò coram Papa, ut
ſervat Curia, Secundò, fallit in cauſis electionum, in qui-
bus non exigitur litis conteſtatio. Tertiò, fallit in aliis
cauſis ſpiritualibus. Quartò, fallit quando inter Reli-
gioſos agitur. Quintò, fallit ſecundùm aliquos in libel-
lo in poſſeſſorio, ut latiùs per Butrium ſuprà, & Abb.
*num.*20.

Tertiò, dictum eſt, *Propoſitam*, id eſt in ſcriptis porre- 16
ctam, quia actor admitti non debet ad litigandum, niſi li-
bello in ſcriptis porrecto, ut in *c.* 1 *de libell. oblat.* & ali-
ter non fit litis conteſtatio, Hoſtien hìc *num.*1. *verſ. Et be-*
nè dixi per petitionem, & alii communiter: licèt Butr. hìc
*num.*27. dicat litis conteſtationem fieri poſse etiam ſine
ſcriptis, allegat *cap. Relatum, de offic. Deleg. l.*1. *ff. eden.* &
Specul. *de lit. conteſt.* §. 1. *verſ. Sed numquid num.*23. ubi te-
net litis conteſtationem fieri etiam ad interrogationem
partis: fatetur tamen Butr. exigi libellum. Sed hæc non
compatiuntur, ut litis conteſtatio exigat libellum, & fieri
poſſit ſine ſcriptis.

Quartò, dictum eſt, *In jure*, quia extra judicium non 17
fit litis conteſtatio, §. *Offeratur* 3. *q.*3. *cap.*1. *ſuprà tit. pro-*
ximo, & leg. voluit, ff. de interrogat. action. alioquin ut Ho-
ſtien. inquit, quandocumque ruſticus peteret aliquid ab
alio extra judicium, diceremus litis conteſtationem fieri
ruſtico à quo petitur hoc negante; quod eſset ridiculum.
Itaque oportet libellum in judicio porrigere, ut in *d. c.* 1. *de* 18
libell. oblat. & in Authen. Offeratur, & ibi notat gloſ. 1. &
Cyn. in *fine. quæſt. Cod. de lit. conteſt.* Nec ſufficit libellum
tranſmittere ad domum rei, niſi petitio poſteà in judicio
rejiceretur, ut poſt Abb. notat hìc Marian. Socin. in
octavo principali articulo num. 52. Et quia arbitria re- 19
dacta ſunt ad inſtar judiciorum, *l.* 1. *ff. de arbitr.* gloſsa
in *rubr. infrà eodem tit. & in cap. Cùm dilectus in ver. Niſi*
de his: idcircò coram arbitris juris fit litis conteſtatio, 20
& ex ea reſultant omnes juris effectus, qui ex vera, vel
interpretativa litis conteſtatione oriuntur, ut per Specul.
de lit. conteſt. §. *Nunc tangamus num.*2. Oldrad. *conſ.* 176.
Factum tale eſt in 1. *quæſt. num* 1. Bart. in *l. Cùm anteà n.*7.
& ibi etiam Bald. *num* 11. *Cod. de arbitr.* & reſolvit Ro-
ta coram Cardinali Seraphino *deciſ.* 697. *num.* 3. licèt ſe- 21
cus ſit coram arbitratore, ut ibi per Rotam, & Oldrad.
ubi ſupra Et per hoc ſalvari poteſt diffinitio Hoſtienſis ab
impugnationibus Mariani Socini, qui ſupra in rubrica
dicit ejus diffinitionem eſse defectivam, & non conver-
tibilem cum ſuo diffinito, ad *leg. Omnis diffinitio, ff. de re-*
gul. jur. juncta *l.* 1. *ff. de dolo*. Imò enim verba illa, *In jure*,
verificari poſsunt tam in conteſtatione litis, quæ fit co-
ram Judice, quàm in ea, quæ fit coram arbitris juri, ut
prædiximus.

Quintò, dictum eſt, *Reſponſionem*, quia ſola petitio, & 22
libelli oblatio non inducit conteſtationem litis, niſi, ſequa-
tur reſponſio rei, ut probat textus noſter: *& c. Dudum*, §.
Licèt autem de elect.

Sextò, addita eſt particula, *Congruam*, quia non ſuffi- 23
cit qualiſcumque reſponſio, ſed oportet ut ſit relativa ad li-
bellum, ut notat Bald. in *cap. Dudum, il ſecondo, nu.*19.

ſuprà de elect. non enim ſufficeret, ſi reus diceret, Volo litigare cum adverſario, & non contradiceret petitioni, argum. l. Rem non novam, C. de judic. quia neſciretur, an confiteretur, vel negaret petita; at hic tenet Innoc. num. 3. verſ.
24 Sed tamen. Et dicitur congrua reſponſio etiam de jure, ut ſi petam à te fundum, quem promiſiſti, vel vendidiſti; & tu reſpondeas, Non competit tibi actio, vel, Tibi de jure
25 non debetur fundus, quem tu petis; nam cùm actio ſit jus petendi in judicio, quod ſibi debetur, id eſt de jure, inſtitut. de action. in princ. eadem ratione & defenſio, ſive reſponſio rei legitima eſt: Quod petis tibi de jure non debetur, ſecundùm Innocent. hic num. 2. Hoſtien. num. 5. verſ. Hoc autem
26 notandum, & alios communiter. Similiter congrua eſt reſponſio, ſi reus dicat, Nego narrata, prout narrantur, eſſe vera; quia videtur reſponſum ſuper toto; & ideò facta eſt litis conteſtatio, ut notatur in l. 1. ff. quar. rer. act. non datur, & in c. Cum ad Sedem, de reſtit. ſpoliat. & tenet Cyn. in l. 1 in 4. q. C. de lit. conteſt. Bald. in d. c. Dudum n. 18. Raphael Fulgoſ. conſ. 138. in q. in princ. & conſ. 160. Joannes, & Gorus num. 4. & ita communiter teneri teſtatur hic Joan. de Imola num. 10.

Tutius tamen eſt reſpondere, Nego narrata prout narrantur, & petita prout petuntur eſſe vera, ſecundùm Bald.
27 loco cit. & ita ſervant cauti Procuratores. Unde litis conteſtationem induci, quando parte citata, & productis juribus procurator ex adverſo allegat generalia contra, tenet Aretin. conſ. 30. num. 10. verſ. Quinimò, & dixit Rota coram Cardin. Seraph. deciſ. 920. num. 2.
28 Quinimò fit etiam litis conteſtatio, ſi reus reſpondendo dicat, Tu mentiris, vel quid ſimile, ut tenet Guliel. de Cun. in l. un. C. eod. nam etſi legibus, & non conviciis certandum ſit, ut l. Quiſquis, C. de poſtul. & quod calore iracundiæ dicitur, pro non dicto habeatur, cap. Ex litteris infr. de divort. & l. Quòd calore, ff. de regul. jur. tamen ejuſmodi verba utcumque opprobrioſa conveniunt naturæ negotii, de quo
29 agitur, exemplo exhæredationis, quæ valet etiamſi fiat verbis contumelioſis, & turpibus, ut l. 1. in princ. ff de liber. & poſthum. Cæterùm hoc intellige, dummodò reus prædicta verba proferat in reſponſione ad libellum, & in tali reſponſione perſiſtat. Si verò animo non reſpondendi, & potiùs calore iracundiæ; inſpiciendum eſt tempus, & geſta, & alia quæ conſiderari ſolent ad judicandum de animo, ut leg. Dolum Cod. de dolo, & cap. 2. de renunc. lib. 6. & ita opinionem Guliel. declarat Abbas hic in 5. quæſt. num. 28. cujus declaratio placet Marian. Socin. numer. 85. & mihi.
30 Generaliter autem congrua dicitur reſponſio ad litem conteſtandam, ſive negando, ſive confitendo ut dicit gloſſa hic; & ita non ſolùm per negationem, ſed etiam per confeſſionem fit litis conteſtatio, & per talem confeſſionem reus condemnatur, l. Julianus, ff. de confeſſ. & tenet gloſſa in cap. Dudum in ver. Reſponſionem ſupr. de elect. Bald. in l. Si reus, ff. de Procurat. Cardin. in Clement. Sæpe in 26. q. de verbor. ſignific. & eſt communis opinio, ut hic
31 teſtatur Joann. de Anan. num. 6. & Felin. num. 5. Sed tu diſtingue: nam aut reus confitetur ante libelli oblationem, aut poſt: ſi ante, non fit litis conteſtatio, cùm ad illius ſubſtantiam requiratur, ut præcedat petitio in ſcriptis, ſeu libellus, ut oſtenſum eſt ſuprà nu. 16. & ſeqq. Ita Specul. de lit. conteſt. §. Nunc dicamus, verſ. Sed ſi reus non neget nu. 11. Unde hoc caſu non fertur diffinitiva, ſed judex præcipit reo, ut ſolvat infra certum tempus, ut l. Ait Prætor, §. Permittitur, ff. de minor. & l. Si debitori, ff. de judic. Et hujuſmodi præceptum, cùm non fiat in figura judicii, non appellatur ſententia, ſed ſimpliciter præceptum, ut notat gloſſa ſingularis in leg. Cum non ſolùm in §. Neceſſitate in ver. Imponenda circa med. verſ. Poteſt diſtingui, de bon. quæ lib. r. gloſſ. in d. cap. Dudum in ver. Reſponſionem. Quod dicit eſſe menti tenendam Bald. hic num. 4. verſ. Aut eſt dubium. Si verò reus confitetur poſt libelli obla-
32 tionem, & ſic in figura judicii, tunc ſubdiſtingue tres caſus; Primus eſt, quando confitetur, quia non vult litigare, & ſic animo declinandi judicium; & manifeſtum eſt non fieri litis conteſtationem, ut d. leg. Si debitori, ff. de Judic. leg. Si reus, ff. de Procurator. & l. Si domus, §. Qui confitetur, ff. de legat. 1. & tenent gloſſ. prælleg. Bald. in leg. Unica, Cod. de litis conteſt. & Felin. hic num. 5. & eſt ratio, quia ſic animo litigandi non fit litis conteſtatio, ut dicam infrà in explicatione ultimi membri diffinitionis.

Dicit enim lex, Per narrationem propoſitam, & contradictionem objectam fit litis conteſtatio, leg. Rem non novam, §. Patroni, C. de judic. Qui autem confitetur ſine animo conteſtandi litem, non contradicit, ſed potiùs conſentit actori. Secundus eſt, quando reus poſt oblatum 33
libellum confitetur, ſeu tamen intendit litigare, quia ſua intereſt in cauſa procedere; & abſque dubio fit litis conteſtatio, l. At qui natura, §. Cum me abſente, ff. de negot. geſt. & ita procedit textus in prælleg. leg. Julianus, ff. de confeſſ. ubi contra reum confitentem fertur diffinitiva, ut gloſſ. in d. c. Dudum in ver. Reſponſionem, de elect. Notabile exemplum
ponit hic Hoſtien. num. 14. ubi cùm Lugduni in quadam 34
cauſa libellus ineptè formatus fuiſſet, conſuluit, ut reus reſponderet, Confiteor propoſita in libello, ſicut proponuntur, & dico petitionem fieri non debere; & ita per confeſſionem animo litigandi, quia ſua intererat in cauſa procedere, fuit facta litis conteſtatio: & ſubdit Hoſtien. Omnes fuerunt ſtupefacti, quando audierunt talem modum conteſtandi litem. Tertius denique caſus, eſt, quan- 35
dò reus confitetur & eſt dubium, an hoc fecerit animo procedendi in cauſa, nec ne: & Bald. in d. leg. Unica, tenet hoc tertio caſu litis conteſtationem fieri per talem confeſſionem in figura judicii emanatam: & idem tenet hic num. 4. ubi dicit in dubio fieri conteſtationem, ſi reus confiteatur oblato libello, & per eum recepto, & datis induciis deliberatoriis Sed in hoc contrarium tenet Imola in leg. Si dominus, §. Qui confitetur, ff. de legat. primo, ubi dicit ſervandam eſſe mentem confitentis: ſi de illa conſtet; ſed ſi non conſtet, non fieri litis conteſtationem, alleg. gloſſ. leg. Proinde, §. 1. ad leg. Aquil. & in §. Suſcepto, in Auth. de exhiben. reis, & in d. c. Dudum: & hoc ipſum tenet Imola hic, cujus opinio verior videtur: in dubio enim reus non eſt credendus confiteri animo litigandi, niſi fortè ultra confeſſionem in aliquo contradicat; ut in exemplo Hoſtienſis vel ſi dicat, Fateor narrata, ſed nondum venit dies
obligationis: & hoc ſequitur Felin. hic num. 5. & eſt 36
ex mente Rotæ deciſ. 6 num. 1. de lit. conteſt. aliàs 354. quæ incipit, Si dato libello in nov. ubi decidit litis conteſtationem induci per reſponſionem factam ad libellum, partem ipſius confitendo & partem negando. An autem congrua ſit reſponſio ad litis conteſtationem inducendam, ſi reus dicat, credo me non debere, vel debere; vel ſi dicat nec ſcio, nec credo, vel non præſumo, vel dubito, vide hic per Marian. Socin. in 8. q. princ. n. 77. & ſeqq.
Septimò, ſequitur in diffinitione verbum illud. Sequu- 37
tam; quia non requiritur, ut reſponſio rei fiat parte præſente, & incontinenti poſt oblatum libellum, ſed fieri poteſt etiam parte abſente, & ex intervallo, ut tenent Domini de Rota in prealleg. deciſ. 6 de lit. conteſt. ubi formaliter dicunt ſic: *Si dato libello per actorem compellatur reus ad reſpondendum libello, & reus reſpondeat confitendo partem, & partem negando, licèt tempore hujuſmodi reſponſionis rei actor nihil dixerit, vel etiam præſens non fuerit; dicebant Domini omnes litis conteſtationem fore factam ex utraque parte, quæ fit per narrationem, & petitionem in jure ex parte actoris propoſitam rei, & reſponſionem rei ſequutam, ut in* cap. unico de lit. conteſt. in cap. Dudum, de elect. & in cap. Prout, de dolo, & contumac. *At in caſu propoſito datus erat libellus pro parte actoris, in quo continebatur narratio facti, & in petitio, in quibus ipſe ſemper perſiſtebat, atque fiebat directa reſponſio per reum confitendo, & negando; quod ſufficit per jura antedicta: ergo, &c. Dubium enim facit, quia litis conteſtatio nihil eſt aliud, quàm ſimul teſtatio, ſive mentis declaratio volentium litigare; ergo videbatur, quod ſimul, & eodem tempore deberent concurrere petitio actoris, & rei reſponſio,* ut in leg. Conſenſu, ff. de action. & obligat. *Ad quod reſpondebatur, quod dato libello actoris ſemper conſtare videtur de animo ſuo litigandi, maximè inſtando, ut reus compelleretur ad reſpondendum; & ſic perſiſtendo in ſua petitione haberet animum litigandi, quòd ſufficit. Reſpondendo ergo huic petitioni ſtatim fuit litis conteſtatio facta etiam ſimultaneè propter concurrentiam animorum, & per hoc fuit ſalvatus unus magnus proceſſus habitus in partibus in quadam cauſa Hiſpalenſi.* Hactenus verba deciſionis, ex quibus tria eliciuntur contra opinionem Bartoli, & Baldi in l. Unica, C. eod. & Hoſtien. hic numer. 12. in ver. Sed per petitionem. Primum eſt, litis conteſtationem fieri poſſe etiam abſente parte, ex quo actor libellum

bellum obtulit, & perſiſtit in ſua petitione. Secundum eſt
litis conteſtationem non vitiari ex temporis intervallo in-
ter oblationem libelli,& reſponſionem. Tertium eſt verba
non eſſe neceſſaria ad inducendam litis conteſtationem,
ſed ſufficere,ut porrigatur libellus continens narrationem,
& petitionem, & ſequatur reſponſio: & huic opinioni
adhærent hìc Butr. *num.* 12. Cardin. *num.* 4. Abb. *num.* 7.
& Felin.*num.* 4. approbantes Rotæ deciſionem, quę ut di-
cit Imola *num.* 13. *verſ. Et ſic dicunt Domini de Rota*, ſer-
varetur in practica propter illorum authoritatem: licèt
ſubdat; Si non eſſet eorum authoritas, quia communis o-
pinio eſt in oppoſitum, difficile eſſet obtinere; & ſecun-
dùm Rotæ deciſionem teſtatur Abbas quaſi ſemper ſe vi-
38 diſſe practicari Parmæ, ubi legit ſex annos continuos. Et
quamvis Marian. Socin. videatúr recedere ab opinione
Rotæ, quando actor poſt reſponſionem rei non compa-
ret, nec proſequitur: tamen de illius dicto dubitat hìc Fe-
lin. *eod. n.*4. & meritò, quia cùm actor libellum obtulerit,
& perſtiterit in ſua petitione uſque ad reſponſionem rei, &
ſic cenſeatur perduraſſe in eadem voluntate, & propoſito
litigandi, argum. *cap. Majores de baptiſm.* & conſequen-
ter jam fuerit facta litis conteſtatio: actus ſubſequentes
nihil operantur. In perſeverantia enim voluntatis ma-
gis ſpectatur initium, quàm factum poſteà ſubſequutum,
ut plenè notavi *in cap. Significatum num.* 32. *&* 33. *infrà de
regular.*

39 Octavò, & ultimò ſequitur in diffinitione, *Animo liti-
gandi*, quia litis conteſtatio dependet ab animo rei, ut in
Authen. de exhiben. reis, §. *Illud*, & dixit Rota *dec.*2. quę
40 incipit, *Si pars num.* 4. *de lit. conteſt. aliàs* 12. *in nov.* Un-
de litis conteſtatio non òritur, niſi reſponſio rei fiat ani-
mo procedendi in cauſa, & ea intentione, & propoſito,
41 ut dicit gloſſa hìc *verſ. Quod eſt ita intelligendum*, & In-
nocent. *num* 1 nam conteſtari ſecundùm eum *num.* 3. ni-
hil, eſt aliud, niſi teſtari, quia vult cum adverſario litiga-
re. Requiritur ergo, ut animo litigandi petitioni adver-
ſarii contradicat, ut *leg. Rem non novam*, *C. de judic.* Un-
de ſi reſponſio, vel negatio fiat ad juriſdictionem judicis
declinandam, exindè non fit litis conteſtatio, ut eſt tex-
tus notab. in *cap. Si Clericus*, & ibi dixi poſt Goffred Abb.
Antiq. Hoſtienſ. & alios *ſuprà de foro compet.* In dubio ta-
men ubi verba ſunt apta conteſtationi, præſumitur ani-
mus conteſtandi, niſi contrarium appareat per proteſta-
tionem. ut notabiliter hìc dicit Innocent. *nu.* 1. *verſ. Sed
ubi ſunt apta*, & Hoſtien. *num.* 1. *verſ. Et benè dixi ani-
mo conteſtandi*, *& num.* 2. *verſ. Cum nec poſitiones* Aliàs
verò non præmiſſa verbali proteſtatione, ſola intentio non
ſufficeret ſecundùm eos: & ita reperio fuiſſe deciſum in
Rota in *præalleg. dec.* 2. *de litis conteſt. in novis*: ubi fuit
dubitatum, ſi res reſpondendo libello neget narrata, pro-
ut narrantur;& dicat petitionem fieri non debere;ſi non ad
dat,& dicat,animo litem conteſtandi,an per hujuſmodi reſ
ponſionem fuerit lis conteſtata: & fuit determinatum, &
concluſum affirmativè per *d. l. Rom. non novam*, *C. de ju-
dic. & per leg.* 2. *C. de juram. calumn.* & per hoc *c. Dudum,
il ſecondo de elect.* & notata per Specul. in *tit. de litis conteſt.*
§. 1. *verſ. Quod ſi proponuntur*, ubi decidit pro hac parte.
Nec mirum, quia prædicta jura loquuntur ſimpliciter, &
talem animi expreſſionem non requirunt; nec pręſumitur
quis verbo exprimere, quod mente non cogitavit, *l. In am-
biguo, ff. de ſuppel. leg. & c. In obſcuris, de regul. jur. lib.* 6.
43 Alioquin, ut ſubjicit Rota, ſimili ratione in contractibus,
in ultimis voluntatibus privilegiis, & reſcriptis non vale-
ret. quod fieret, niſi adderetur hujuſmodi animi expreſ-
ſio; quod eſſet abſurdum. Pro qua concluſione faciunt ea,
quæ leguntur,& notantur in *c. Intelligentia, & c. Præterea,
de verb. ſignific.*

44 Tertiò nota per poſitiones, & reſponſiones ad eas non
induci litis conteſtationem. Idem habetur in *d. c. Dudum*,
§. *Licèt autem ſuprà de elect.* Prima ratio eſt ſecundùm In-
nocent. hìc *nu.* 1. *in ver. Non per poſitiones*, Hoſt. *num.*2.
in eodem verb. Butr. *num.*8. & Marian. Socin. *nu.* 62. quia
45 in poſitionibus non fit aliqua petitio, quæ eſt neceſſaria ad
litem conteſtandam: nam qui ponit, nihil petit, ſed factum
narrat ut Baldus inquit in *d. cap. Dudum numer.* 16. gloſſ.
46 hìc, & Butr. *numer.* 8. *verſ. Probat ulterius*. Sententia au-
tem debet eſſe conformis non poſitioni, ſed petitioni, *c.
Licèt Heli, de Simon. Clement. Sæpè*, §. *Verum, de
verbor. ſignificat.* At quomodo poſſet ferri ſententia abſo-
lutionis à petitione, vel condemnatione ad petita, ſi nihil
eſſe petitum, cùm hoc nec fieri poſſit etiam, ubi eſſet ali-
quid petitum, ſed ineptè, ut in *c. Examinata ſup. de judic.*
Secunda ratio eſt ſecundùm eos, quia licèt ponas aliquod
factum, vel dictum propter hoc tamen non teſtaris, vel
non conteſtaris te velle litigare: ergo lis conteſtata dici
non poteſt inſpecta verbi ſignificatione, à qua niſi aliud
appareat, non eſt recedendum, *l. Non aliter*, *ff. de legat.*
3. Tertia denique ratio, eſt quia poſitiones fieri poſſunt et- 47
iam ante litis conteſtationem, ut hìc, *& l.* 1. *ff. de interro-
gat. action.* ſecundùm Innocent. *n.* 1. *in fin.* & Bart. in *leg.
Ubicumque nu.* 18. *ff. eod.* nam quandocumque fieri poſſunt
probationes, ut notat gloſſa magna in *c.* 1. *verſ Sed dic,
quod quandocumque, de confeſſ. lib.* 6 Contingit autem ali-
quando, ut etiam ante litis conteſtationem opponatur ex-
ceptiones, ſuper quibus facienda ſit probatio, ad cujus re-
levationem fiant poſitiones, puta ſi excipiatur, quòd actor
ſit excommunicatus; & ſit à limine judici repellendus, ut
declarat gloſſa præallegata; & conſequenter per reſponſio-
nem ad poſitiones non conteſtatur lis, quia non probat
hoc eſſe, &c. *l. Neque natales*, *C. de probat. c. Inter corpo-
lia, de transl. Præl.* ut per Butr. hìc *n.* 8. *verſ. Probat ulte-
riùs.*

Concluſionem ut ſupra firmatam declarat hìc nota- 48
biliter Hoſtien. *num.* 12. *verſ. Quid ergo:* ut habeat lo-
cum tantummodò in poſitionibus ſingularibus, in quibus
dicit procedere hanc decretalem ponderando litteram i-
bi, *Quibuſdam poſitionibus*, quaſi dicat, de ſingularibus,
& pluribus loquor. Secus verò in poſitione generali, ut
ſi dicatur, Pono quòd omnia, quæ continentur in libel-
lo, ſunt vera; & reus generaliter reſpondeat confitendo o-
mnia, vel negando. Ex hoc enim putat Hoſtien. litem
eſſe conteſtatam, argum. *leg. Si is qui ducenta*, §. *Utrum
in fin. ff. de reb.* ubi habetur, *Si quis ita interroget, eorum
quæ tibi objiciuntur feciſti, ille neget: hoc exprimit, eorum
quid quæ objiciuntur non feci, id eſt, nihil eorum feci.* Hęc
ibi: quaſi dicat, ſufficit ut omnia negentur. Ita Hoſtien.
cujus verba recitat hìc Joan. Andr. & eamdem opinio-
nem tenet Bart. in *leg. Unica*, *Cod. eodem*, quia ſicut in
præliis corporalibus inter famulum & famulum non ap-
pellatur prælium, ſed badalutum: ſed quando tota maſſa,
& totus exercitus utrimque invicem confluit, tunc dici-
tur prælium ita hìc per hujuſmodi poſitiones particula-
res, & reſponſiones non inducitur litis conteſtatio, quæ
tamen inducitur per narrationem negotii univerſalis, &
reſponſionem ſequutam; & ſic loquitur text. in *leg. U-
nica.*

Sed oppoſitum ſentit hìc gloſſa noſtra in fine, quæ dicit
litis conteſtationem non induci per poſitiones, & reſpon-
ſiones, licèt petitio fuerit oblata: & opinionem gloſſæ de
rigore juris dicit veriorem Joan. de Imola *num.* 6. quam et-
iam dicit ſimpliciter ſequendam Abb. *num* 6. *verſ. Ego ve-
rò puto*, ut ſcilicet numquam inducatur litis conteſtatio
per poſitiones, & reſponſiones, ſive fiant generales, ſi-
ve particulares dummodò ſint veræ poſitiones. Funda- 49
mentum hujus opinionis eſt, quia poſitiones in cauſis uſus
longævus admiſit ad faciliorem litium exitum, ut per con-
feſſionem adverſarii pars relevaretur ab onere probandi, ut
dicit textus in *Clem. Sæpè*, §. *Verùm, de verbor. ſignificat.*
Non ergo fiunt ad finem petitionis; & cum verba ſint aſ-
ſertiva, ſeu enunciativa, effectum petitionis operari non
debent, arg. *c. Significavit infrà de appellat.* Fatetur tamen
Abb. conteſtationem fieri, ſi in bello actor narret factum
in libello contentum, & reus reſpondeat; & ita intelligit
textum, & Bartolum in *dict. l. Unica*; & ita etiam dicit
poſſe procedere contrariam opinionem Hoſtienſis, dum
loquitur de poſitione generali. Secus ſi eam faceret per
modum poſitionis petendo interrogari partem de veritate
juramento præmiſſo; quia tunc intendit probare, & rele-
vare ſe ab onere probandi, non autem petere. Non ob-
ſtat textus noſter, dum dicit, per poſitiones, & ſic loqui-
tur in plurali. Quoniam ut obſervat Jo. de Imola, habuit
reſpectum ad communiter accidentia, argum. *leg. Nam
ad ea*, *ff. de leg.* quia communiter plures, & diſtinctę fiunt
poſitiones. Præterea quamvis in principio loquatur de
quibuſdam poſitionibus, tamen ibi narrat factum,
prout contingit, & habet reſpectum ad cauſam; ſed in
deciſione ſecundùm Abb. non ſe refert ad poſitiones
particulares, ſed generaliter dicit, non per poſitiones,

& reſponſiones ad eas ſit litis conteſtatio, ſed per petitionem in jure propoſitam, & reſponſionem ſequutam: & idem repetit textus in *cap. Dudum*, §. *Licèt autem ſuprà de*
50 *elect.* Non eſt igitur poſſibile, ut poſitio etiam generalis conteſtationem litis inducat, niſi admixtam habeat petitionem; cùm de ſubſtantia conteſtationis ſit petitio, & congrua ad petitionem reſponſio, ut latiùs oſtenſum eſt ſuprà *n.* 13. & in hoc tandem reſidet Marian. Socin. hìc *n.* 62. *verſ. Et ex prædictis arbitror concludendum*, & Jo. de Anan. *n.* 8. qui dicit opinionem Hoſtienſ. communiter non teneri per Doctores modernos, in *l.* 2. §. *Sed ſi unus*, *ff. de vi bonor. raptor. & in c. Relatum*, *il ſecondo de teſtam* & ſequi-
51 tur Felin. *n.* 3. qui etiam allegat Rotam *dec.* 18. *de teſtib. in antiquis*, dicentem per reſponſionem factam ad articulos concluſivos induci conteſtationem litis, quia tales articuli ſunt loco libelli.

QUÆRO, quid ſit poſitio?

52 Gloſſa magna, & magiſtra in *cap.* 1. *de confeſſ. lib.* 6. plures recenſet diffinitiones. Goffredus diffinit ſic: Poſitio eſt dictum loco interrogationis poſitivum. Vincentius dicit: Poſitio eſt aſſertio alicujus dicti, vel facti, ut ad ipſum reſpondeamus. Bart. *in l. Cùm & Judices*, §. *Quod obſervari nu.* 20. *C. de jurejur.* Poſitio eſt alicujus particularis rei ad cauſam pertinentis aſſertio. Bald. in *cap. Dudum*, *il ſecondo nu.* 13. *ſup. de elect.* Poſitio, inquit, eſt oratio, ſive pro-
53 poſitio, aliquid eſſe, vel non eſſe enuncians. Sed hæ diffinitiones, aut non exprimunt ſufficienter naturam poſitionum, aut ſunt nimis generales, & non convertibiles, prout hæc Baldi, quæ convenit etiam orationi Dominicali, & cuilibet propoſitioni, quæ ut generaliter diffinit Ariſt. *lib.* 1. *Priorum*, *c.* 1. eſt oratio affirmativa, vel negativa alicujus de aliquo. Alii ut refert Archid. in *d. c.* 1. *n.* 1. *de confeſſ. lib.* 6. ſic deſcribunt: Poſitio eſt brevis verborum formula mentem ponentis continens ad veritatem eliciendam concepta: & hanc videtur approbare gloſſa præallegata. Sed laborat eodem vitio, quo præcedentes, & convenit etiam articulis, qui continent mentem proponentis ad veritatem per teſtes eliciendam; & ſic non eſt bona, cùm conveniat aliis à diffinito, ut notat gloſſ. & DD. in *rubr.*
54 *ſuprà de Summa Trinit. & Fide Cathol.* Similiter Archid. in *d. c.* 1. ponit ſuam diffinitionem, videlicet: Poſitio eſt aſſertio alicujus facti, ſi per reſponſionem ad ipſam pertinentem obligetur reus, & actor à probandi onere relevetur. Verum cum poſitio etiam fiat per reum, incautè expreſſit de reo, & actore in deſcriptione, ut advertit gloſſa 1. in *c.* 1. Ac propterea ad ſubſtantiam poſitionis non ſpectat, ut reſponſio ſit pertinens, vel impertinens. Magis placet diffinitio quam ponit, & per partes explicat Jo. Monach. in *d. c.* 1. *n.* 1. videlicet: Poſitio eſt narratio facti nondum probati ad experientis intentum directè, vel indirectè ſpectantis, quod intenditur probari per reſponſionem adverſantis.

55 Vel dic, poſitio eſt ſimplex aſſertio facti ad cauſam pertinentis medio juramento in ſcriptis exhibita ad hoc, ut per reſponſionem adverſarii ad interrogationem judicis pars relevetur ab onere probandi.

56 Primò, dixi, *Aſſertio*, quia poſitiones fiunt per aſſertionem, ut hìc, , & in *dict. cap. Dudum*, *il ſecondo*, §. *Licèt autem de elect.* & notat Jo. Monach. in *d. c.* 1. *nu.* 1. *de confeſſ. lib.* 6. & patet ex diffinitionibus ſuperiùs relatis, & ſecundùm gl. in *fine dict. c.* 1. & Franch. *ibi nu.* 5. & 10. Paul. de Caſtro *conſ.* 71. *Clariſſimè nu.* 4. *verſ. Venio ad merita lib.* 3. Poſitiones in hoc differunt ab interrogatoriis, in
57 quibus interrogans nihil confitetur, vel affirmat, ut *ff. de interrogat. action. per totum*; ponens autem diſpoſitivè omnia quæ ponit, intelligitur confiteri, ut in *cap. ult.* & ibi Jo. Monach. & omnes notant, *de jurejuran. lib.* 6. Archid. in *d. cap.* 1. *num.* 1. *verſ. Et nota quod quilibet ponens*, Lap. *alleg.* 120. *num.* 1. *in fin. verſ. In eo enim*, Alexan. *conſ.* 92.
58 *Viſo & opportunè in princip. lib.* 6. Idque rationabiliter ſancitum eſt: nam ſicut vult actor relevari per reſponſionem, & confeſſionem rei; ita viceverſa conſentaneum eſt, ut actor interrogans diſpoſitivè loquatur, ut ſic reus pariformiter relevetur per confeſſionem actoris, arg. *cap. Non li-*
59 *cèt*, *de regul. jur. lib.* 6. In judiciis enim inæqualitas reprobatur, & parilitas approbatur, *cap. Cùm inter Priorem*, §. 1. & ibi notatur infrà *de except. capitul.* 2. §. 1. *ſuprà tit. prox.* Hoſtien. in *cap. ult. n.* 2. *infrà de Cler. pugnan. in duel.* & ideò ut dicit Archid. in *cap.* 1 *num.* 1. *de confeſſ. lib.* 6. is qui ponit, certum ponere debet, *leg. Si in rem*, *ff. de rei vendicat.* arg. *cap. De muliere*; *de ſponſal.* & *cap. De ſimoniaca*, *de Simon. eod. lib.* cum & certum velit reſponſum, ut utatur eodem jure, quo vult alium uti, *l.* 1. *ff. Quod quiſque jur. cap. Cum omnes*, *de conſtit. cap. Ponderet* 50. *diſt. cap. Decreto*, 2. *quæſt.* 6. Et ſic poteſt pars petere, ut interrogationes dentur diſpoſitivè per modum poſitionum, &
aliter non cogitur reſpondere. Ita Franch. in *d. cap.* 1. *nu.* 60
5. & Rota *dec.* 31. incip. *Voluerunt*, & *ordinaverunt*, *aliàs* 3. *de ſequeſtr. & poſſeſſ. & fruct. in novis*, ubi decidit partem non cogi reſpondere interrogatoriis principale negotium tangentibus, niſi dentur diſpoſitivè medio juramēto, & in ſcriptis per modum poſitionum ut articulorum, & ſubjicit rationem ſuperiùs expreſſam, videlicet quia interrogans nihil, ſed ponens diſpoſitivè omnia quæ poſuit, confitetur, ut *cap* 1. & 2. cum ibi notatis *de confeſſ. lib.* 6. ergo ut non claudicet judicium, dignum & juſtum eſt, ut ſicut actor interrogando per rei confeſſionem vult relevari, ita & reus per actoris interrogationem diſpoſitivè datam relevetur, ut ſervetur in judicio æqualitas. Idem tenet gloſſ. 1. *in cap. Judicantem*, 30. *quæſt. ult.* & Prob. in *addit. ad Monach. in dict. cap.* 1. *nu.*
3. Si tamen reus ad interrogationem non diſpoſiti- 61
vam reſponderet, & confiteretur, ſibi præjudicium inferret, ut notat Bernard. in *cap. Cum cauſam infrà de juram. calum.* & Rota *in præalleg. dec. nu.* 1. *verſ. Hoc autem.*

Præterea dixi, *Aſſertio*, quia poſitio debet eſſe affirma- 62
tiva, & non negativa. Rationem reddit gloſſa *in c.* 1. *in ver. Negativas*, *de confeſſ. lib.* 6. quia poſitio in locum probationis venit, *Clem. Sæpè*, §. *Et quia*, *de verb. ſigif.* Illud ergo in poſitione debet admitti, quod admitteretur in probatione, ut notat Goffred. in *cap. Dudum*, *il ſecondo de elect.* Sed negativa regulariter non eſt probabilis, ut nota-
tur in *cap. Accuſator*, 6. *q. ult. & in cap. Bonæ*, *il primo* §. 63
Contra verò ſuprà de elect, Ergo nec eſt ponibilis. Item ne- 64
gativa poſitio non ponit, ſed removet, ut per gloſſam *ubi ſuprà*, & Bald. *conſ.* 340. *Statuto Papiæ in fine*, *verſ. Dico etiam lib.* 1. ubi dicit poſitionem debere eſſe affirmativam,
quia poſitio negativa nihil ponit; unde niſi quatenùs ne- 65
gativa habeat implicitam affirmativam, non dicitur poſitio; ſed potiùs interrogatio. Et ſecundùm Joannem Monach. in *eodem cap.* 1. dicit carentiam, & ſic non exiſtentiam; & non entis non ſunt ſpecies, nec differen-
tiæ, ſecundùm Philoſophum. Sed hoc dictum Joan. Mo- 66
nach. impugnat Bald. *in d. cap. Dudum nu.* 50. ubi oſtendit differentiam inter carentiam, & non exiſtentiam; quia non exiſtentia non requirit aliquod beneficium, nec ſubjectum; ſed carentia ſic: verbi gratia, iſte caret oculis; & ideò debet reſponderi, quia negativa in ſubjecto ſemper eſt probabilis. Facit quod notatur in *leg.* 1. §. 1. *ff. de itin.*
actuq. priv. & leg. Si in aliqua, *ff. de offic. Proconſul.* Sed 67
tu diſtingue ex mente Joan. And. in *d. cap.* 1. *de confeſſ. lib.* 68
6. & ejuſdem Baldi in *d. cap. Dudum num.* 48. Aut negativa eſt probabilis per alia genera probationum, aut non. Primo caſu debet reſponderi, ut *l. Optimam*, *C. de contrahen. & committen. ſtipulat. & leg. Juriſgentium*, §. *Quod fe-*
rè, §. *de Pact.* unde cùm negativa coarctata loco, & tem- 69
pore ſit probabilis: ergo omni poſitioni coarctatæ reſponderi debet. Et hoc pro regula conſtituit Bald. *ubi ſuprà*. Aut negativa non eſt coarctata, & tunc ſubdiſtingue. Aut
enim ſit de facto ejus, contra quem ponitur, puta pono 70
quod non numeraſti: & debet reſponderi, ut *leg. Marcellus*, *ff. rer. amot.* & in *Authen. de Hæred. & Falcid.* §. *Si verò abſunt*, Bellam. *conſ.* 33. *num.* 31. *verſ. Secundò quia*: nam quamvis non ſit probabilis per teſtes, eò quòd de
non ente non ſit ſcientia, & nihil ſit in probatione quòd 71
non ſit in natura; tamen probari poteſt per confeſſionem partis; & magis in hoc fuit ſuccurrendum ponenti, cùm non ſit niſi una ſpecies probationis, arg. *cap. ult. infrà de teſtib. c.* 2. & *c. Ad noſtram*, *de prob.* & declarat gloſſ. in
d. cap. 1. *in ver. Non poſſunt*. Aut ſit de facto alterius; & 72
non debet reſponderi. Facit *l. Quidam*, *ff. de donat. & l. In contractibus*, *C. de non numer. pecun.* ſecundùm Bald. dicentem hoc tenere Jac. Butrigar: & Raynerium ejus Pæda-
gogum, qui eſt tranſcriba ejus. Quòd ſi poſitio ſit mixta 73
partim facti proprii, & partim facti alieni, ſimiliter reſ- 74
ponderi non debet, niſi explicetur. Et quamvis fortè negari poſſet totum, tamen tutius eſt propter periculum animæ,

ut

ut ſpecificè reſpondeatur ad illam partem, quæ concernit factum proprium, ut per Bellam. in *præcit. conſ.* 33. *n.* 33. Sed
75 hodiè ſervari debet diſpoſitio *a. c.* 1. *de conf. ſſ. lib.* 6. ubi ſtatuitur, ut judices admittere poſſint poſitiones negativas, etiamſi aliàs probari non poſſint, quàm per conceſſionem adverſarii, ſi æquitate ſuadente videbitur expedire. Itaque poſitiones negativas juris rigor repellit, ſed æquitas admittit, ut ibi notat gloſſa in *ver. Negativas*.

76 Secundò, in diffinitione dixi, *Simplex*; nam poſitio non debet eſſe duplex, puta, pono Teſtatorem feciſſe teſtamentum, & legaſſe mihi decem. Hæ namque ſunt duæ poſitiones ſub una, & eſt poſſibile, ut fecerit teſtamentum, & tamen non legaverit; & ideò debet dividi: alias ejuſmodi poſitioni non eſt reſpondendum, ut Bald. in *d. cap. Dudum, il ſecondo num.* 52. *de elect.* & Ægidius Bellam. *conſ.* 33. *n.* 33. ubi dicit, poſitioni multiplex factum continenti non eſſe reſpondendum, donec declaretur: & declarat gloſſ. in
77 *c.* 2. *in ver. Abſque rationabili cauſa, de confeſſ. lib.* 6. Si tamen adverſarius neget ſimpliciter, non videtur ſingula negare, ſed totum univerſum: nam non tenetur reſpondens dividere, ſi ponens non diviſit, ſecundum Bald. *ubi ſuprà num.* 53. & notatur in *c. Præſentiam, de teſtib. lib.* 6. Et
78 in idem recidit, ſi poſitiones ſint generales, obſcuræ, & incertæ, Oldrad. *conſ.* 263. *Dominus Aegid. num.* 5. planè Bart. *conſ.* 193. *Commune Lucignani n.* 3. *verſ. Super tertiò lib.* 1. Idemque dicendum ſi ſit implicitæ, æquivocè captioſæ, vel alternativè, ut in gloſſ. prælleg. in *d. c.* 2. de quibus tamen dic, ut plenè per Bald. in prædicta decretali, *Dudum num.* 54. *& ſeqq.*

79 Tertiò, dixi, *Facti*, quia non admittitur poſitio juris, id eſt, de caſu legis, ſecundùm Jacobum Butrigarium in *l. Unica, Cod. eodem*: & idem de caſu gloſſæ, ſi deſit textus; quia non eſt in poteſtate reſpondentis dubia juris interpretari, ut Bald. inquit in *dict. cap. Dudum num.* 55. Nam quæ ſunt juris communis, nec probabilia, nec probanda, nec quia jus certum eſt, & per contrariam poſitionem, vel confeſſionem alterari non poteſt, *l. Ornamentorum*, ibi, *Nec errorem hæredi jus mutaſſe reſpondi, ff. de aur. & argen. legato*; Signorol. de Homodeis *conſ.* 165. *num.* 3. Unde ſi ponam minorem decem & quatuor annis teſtari poſſe, & tu reſpondeas, *Credo*, talis reſponſio eſt nulla, & non præjudicat, ut notat Bart. in *l.* 2. *n.* 13. *ff. de confeſſ.* facit ſecundum eum *l. In confeſſionibus, ff. de interrogat. action.* & quod not. *C. eod. leg.* 1. ibi, niſi jus, vel natura repugnet.

80 Verumtamen ſuper jure conſuetudinario valet poſitio, & confeſſio, ut per Bart. Bal. & Signorol. *locis cit.* Item valet ſuper jure municipali, vel aliqua Extravaganti, ut per Bart. in *d. l. Ornamentorum n.* 3. *ff. de aur. & argen. legato.*

81 Quartò, dixi, *Pertinentis*, quia poſitio non debet eſſe impertinens, ut notat Jo. Monac. in *c.* 1. *n.* 2. *de confeſſ. lib.* 6. gl. in *c.* 2. *in ver. Abſq; rationabili cauſa, eod. tit. & lib.* 6. & Bart. in *l. Ubicumque n.* 13. *ff. de interrog. action.* Intellige, ſi ſit impertinens omninò, puta quòd Rex eſt in Francia, ut exemplificat Bald. in *d. cap. Dudum n.* 13. *de elect.* & Petr. de Anchar. in *d. c.* 1. *n.* 4. Vel: Peto à te centum ex cauſa mutui, & pono quòd Rex Parthorum vivit, ſecundum exemplum Bartoli *loco cit.* Vel ſi agens interdicto *Unde vi*, faciat petitionem de proprietate *leg. Momentaneæ, C. Qui legit perſon.* Bald. in *dict. cap. Dudum num.* 47. Sed ſi non eſt omninò impertinens, debet reſponderi, ut tenent Jacob. de Arena, Cyn. & omnes in *leg.* 2. §. *Quod obſervari, Cod. de*
82 *jurejuran.* teſte Bald. *ubi ſuprà*. Dicitur autem pertinens quælibet poſitio, quę cauſę adaptari poteſt, ſive ad cauſam faciat directè, ſive indirectè, ſecundum Joann. Monach. in *dict. cap.* 1. *num.* 2. *de confeſſ. lib.* 6. & ibi Prob. *num.* 4 & Bal. in *l. Si duo*, §. *Item Julianus. verſ. Ultimò nota, ff. de jurejur.* Item pertinens dicitur poſitio omnis, quæ venit in auxilium cauſę ejus, qui ponit: & hanc regulam ponit Bald. in *d. cap. Dudum eodem nu.* 47. *verſ. Et nota iſtam regulam*: & eſt ex mente gloſſę primę in *dict. c.* 1. *de confeſſ. lib.* 6. *in verſ. Scias autem*. Item poſitiones, quæ aliquod adminiculum conferunt, pertinentes dicuntur, ut notat Bartol. in *d. leg. Ubicumque nu.* 12. *ff. de interrogat. action* Bald. in *l. Ad probationem, la prima, Cod. de probat.* & ſufficit, ut qualitercumque adminiculentur etiam ex levi præſumptione, ut idem dixit in *cap. Licèt cauſam num.* 33. *Ex prædictis apparet de probat.* allegat Jacob. Butrigarium in *l. Incerta, C. de interdictis*; & ſequitur Philip. Prob. ad Monach. in *d.*
83 *cap.* 1 *num.* 5. *de confeſſ. in* 6. Sed ſi ſtatim apparet impertinens, non debet reſponderi, ſecundùm Bald. in *c. Dudum num.* 47. Sin autem ſit dubium, & altiorem requirat indaginem, reſponderi debet, ſalvo jure impertinentium, & non admittendarum poſitionum, & notat gloſſa Bernardi in *cap. Cùm contingat, in ver. Nihilominus ſuprà de offic. deleg.*

Quintò, dixi, *Ad cauſam*, id eſt, civilem, quia in crimi- 84
nalibus non fiunt poſitiones, Archid. in *cap. Ex pœnitentibus num.* 6. 50 *diſt.* etiamſi extent judicia ad torturam: non enim fiunt poſitiones, ſed reus per judicem interrogatur, Baldus *conſ.* 326. *Actuſus petitione, verſ. Si verò reſpondeat lib.* 2. & ideò in criminalibus recuſans poſitionibus reſpondere, non habetur pro confeſſo, Myſinſinger. *reſponſ.* 21. *num.* 10. Capyc. *deciſ.* 60. *num.* 2. nam poſitioni crimi- 85
noſæ regulariter non eſt reſpondendum, *cap. Quis aliquando*, §. *Item illud*, ibi, *Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neque te apud alios accuſes, de pœnitent. diſt.* 2. gloſſ. in *cap.* 2. *in ver. Abſque rationabili, de confeſſ. lib.* 6 Jaſon poſt alios in *leg. Tranſactione finita in ult. notab. C. de tranſact.* non enim objiciens crimen relevari debet ab onere probandi, ut plenè per Bald. in *leg.* 2. §. *Quod obſervari nu* 23. *verſ. Item non tenetur, C. de jurejurand.* Circa quod multum inſiſtit Innoc. in *d. c. Dudum ſupr. de elect.* & Abb in *c.* 2. *de confeſſ.* Vide Greg. Nattam in *Clem. Sæpè*, §. *Et quia, verſ. Et gl. prima col.* 7. *de verbor. ſignif.* ubi ponit regulam negativam, & limitat octo modis.

Sextò, dixi, *Medio juramento*, propter ea, quæ habentur 86
in *cap. Præſentium, de teſtib. lib.* 6. ibi, *Recepto juramento de veritate dicenda injungas dictis Abbati, & Priori ut tam ponendo, quàm reſpondendo dicant veritatem*; & ideò ponens contraria, perjurus eſt, *c. Cùm in poſitionibus, de jurejur. eod. lib.*

Septimò, dixi, *In ſcriptis exhibita*, quia poſitiones ſunt 87
in ſcriptis offerendæ judici, ut videat, an ſint impertinentes, impoſſibiles, captioſæ, &c. ut dicit gloſſa magna in *c.* 1. *verſ. Et exhiberi debent in actis, ut in d. Clem. Sæpè*, §. *Verùm, de verb. ſignific.*

Octavò, dixi, *Per reſponſionem adverſarii*, quia ad poſitiones pars reſpondere debet, non autem Advocatus, *d. c.* 1. ibi, *Per confeſſionem adverſarii, & d. Clem. Sæpè, &* §. *Et quia*, ibi, *Propter partium confeſſiones*, & notat gloſſa prima in *d. c.* 1. *ante medium, verſ. Ad poſitiones autem reſpondere debet pars*. Quinimò, ut ſubjicit gloſſa, ſolent cauti judices tunc reſpondentes Advocatos expellere. Quod tamen intellige, verum, ſi ponens petat, ut per ipſum adverſarium reſpondeatur, ut Praxis obſervat: alioquin poſitionibus reſponderi poteſt tam per ſeipſum, quàm per Procuratorem, ut eſt textus in *cap.* 2. ibi, *Reus, vel Procurator ipſius, de confeſſ. lib.* 6. & tradit Bald. *conſ.* 222. *Statuto cavetur lib.* 1. Mulier tamen, & ruſticus reſpondere debent poſitionibus cum præſentia Advocati, vel Procuratoris ut per Joſeph. Ludov. *deciſ. Peruſin.* 81.

Nonò, dixi, *Ad interrogationem judicis*, quia judex, non 88
pars, debet aliam partem interrogare ſuper poſitionibus: textus eſt in *d. c.* 2. ibi, *Interrogatus, juſſuſque à judice reſpondere*, ubi gloſſ. in *ver. Juſſuſque*, & Franc. *numer.* 6. In Curia ſervatur, ut Notarius interroget ex commiſſione judicis: & vide Surdum *conſ.* 360. *num.* 29.

Decimò, dixi, *Pars* non autem actor, quia poſitiones 89
fieri poſſunt tam ab actore, quàm à reo, *dict. Clem. Sæpè*, §. *Et quia, de verbor. ſignificat. & dict. cap.* 1. ubi gloſſa magna *poſt princip. verſ. Cùm poſitio etiam fiat per reum*: & dixi ſuprà in *tertio notabil. verſ. Tertia denique ratio num.* 47. *&* 54.

Ultimò, dixi, *Relevetur ab onere probandi*, quia ad hoc
poſitiones uſus longævus admiſit, ut dicitur in *d.* §. *Et quia*, 90
& ſic differunt ab articulis, ſecundùm Joannem Andr. in *cap. Præſentium, de teſtib. lib.* 6. & Bald. in *cap. Dudum, il ſecondo num.* 46. *de elect.* quia poſitio fit ad hoc, ut ponens per confeſſionem partis ab onere probandi relevetur, *leg. Eum qui in primo reſpon. ff. de jurejurand. & dict. cap* 1. *de*
confeſſ. lib. 6. & notat Bartol. in *leg. Ubicumque num.* 17. 91
ff. de interrogat. action. Articulus verò fit ubicumque eſt neceſſaria probatio. Dicitur enim articulus pars intentionis continens id, quod actor probare intendit, ut inquit gloſſ. in *dict. cap. Præſentium in ver. Articulis*: & hinc
reſultat alia differentia; nam teſtis ſuper articulis debet 92
deponere de ſcientia per ſenſus corporeos, non autem de credulitate, ut *l. Qui teſtamento*, §. *fin. ff. de teſtam. &*

l.prima in fine,ff. de his, quæ in teſtamento delen. Bart. *in leg. Quid tamen, §.Si arbiter num.3.ff. de arbitr.* & notat Cardin.in *cap. Cum cauſam nu. 3. & 4. infra de juram. calumn.*

93 At verò pars reſpondere poteſt poſitionibus per verbum *Credit*, vel *Non credit*, ut per Cardin *ubi ſuprà*, Franch.in *cap.1.num.9. de confeſſ.in 6.*& ibi etiam Prob. ad Monac. *num.* 10. Et quamvis gloſſa magna in *dict.c. 1. circa finem, verſ. A illa: poſtmodum*, dicat ad poſitiones reſponderi de veritate, vel credulitate, habita diſtinctione, an de veritate, vel calumnia ſit juratum; ut in *cap. 2. de teſtibus lib.6.* & Bald. in *dict. cap. Dudum nu.* 11. dicat in facto proprio reſpondendum eſſe poſitionibus per *Scio*, id eſt, veritatis verbum, ut *leg. Marcellus, ff. rer. amotar. & l. Res, ff. de crim. expil. hæred.* in alienis, per *Credo*, vel *Non credo*, *cap. Cum ad Sedem infra de reſtit. ſpoliat.* tamen in practica communiter ſervatur, ut indiſtinctè admittatur reſpoſio per verbum *Credit*, vel *Non credit*, ut hìc per Abbatem *numer. 20. verſ. Qui in poſitionibus hodiè ſufficiens eſt talis modus*, & Marian. Socin. *num.84. eodem verſ. Et reſponderi ſolet, credit, ut ponitur, vel non credit, ut ponitur*,
94 Alexand, *conſ.13. Ex iis quæ in princip, lib.* 1. Adverte tamen, quia hæc differentia eſt nominis tantùm: nam reſponſio, quæ fit poſitionibus de credulitate, habetur pro veritate in præjudicium reſpondentis, de quo habes gloſſam in *cap. Ex litteris infrà de jurejuran. in ver. Veritate*, ibi, *Quia æquè præjudicat confeſſio de credulitate, ſicut de veritate*; quàm gloſſam ad hoc reputat ſingularem Cardin. & Prob. *locis citatis*, Bart. de Belenzinis in *rubric. de probat.* & Philipp Franch. in *c.1. ſuprà de judic.* Idem tenet Feder.de Senis *conſ.23. Titius electus in fine, verſ. Secundo fateor*, Bald. *conſ.225. Quæſtio eſt de terra in fine lib.* . Riminald. *conſ.203. Viſo proceſſu in princ. lib.2.* Dec. *conſ.647. Requiſitus n.6.* & Corneus *conſ.305. Circa primum n.5. lib. 3.*

Cæterùm hoc intellige verum quantum ad hoc, ut po- 95
nens relevetur ab onere probandi, non autem quoad hoc, ut incurratur perjurium ex tali reſponſione, ſicut ex reſponſione de veritate, neque quoad alios effectus, ut notabiliter declarat Cald. *conſ.152. alias 4. de confeſſ.* & conſentit Bald. *conſ.299. Proponitur lib.5.* ubi firmat non poſſe inquiri de falſo eum, qui falſum dixit per juramentum calumniæ reſpondens poſitionibus. Ego verò de hoc valdè dubito, quia cùm hodiè communiter non fiat reſponſio, niſi per verbum *Credit*, vel *Non credit*; ſicut ponens falſum incidit in perjurium, ita & reſpondens, ut ſic in judicio ſervetur æqualitas, ſecundùm ea, quæ dixi *ſupra nu.59.* Ad hoc *c.fin. de jurejur, lib.6.* ubi tam ponens, quam reſpondens contraria poſt juramentum in cauſa præſtitum perjurus dicitur, nec diſtinguitur, an reſponſio ſit de credulitate, vel veritate. Hinc gloſſ. *in d.c. 1. de confeſſ. lib.6 verſ. Scire tamen*
debes, poſteàquam docuit, Advocatum, qui docet falſum re- 96
ſpondere, teneri adverſario illius damna reſarcire, quæ inde pertulit, ut *Sæpè 50. diſt. cap. ult. de injur. leg. Qui occidit, §.ult.ff. ad leg. Aquil.* ſubdit immediatè; Solent Advoca-
ti dicere clientulis; ſi hoc confitearis, cauſam perdes; nec 97
dicunt, ſi negaveris, animam perdes, *cap. Matthæus in fin. de ſimon.*

DE FERIIS.

Clemens III. aliàs Cœleſtinus.

CAPUT IV.

CApellanus tuus, frater Epiſcope coram nobis ex parte tua propoſuit, quòd cùm ſtatuta Canonica declarent, nuptias tribus ſeptimanis ante feſtum Nativitatis Beati Joannis Babtiſtæ minimè celebrari debere: quidam hebdomadas illas, abſque interpellatione continuandas intelligunt. Alii verò inter feſtum & ipſas volentes facere intervallum, illud tamen dicunt ob reverentiam feſtivitatis Pentecoſtes fuiſſe ſtatutum, quæ in ſeptimanis iſtis ſolet intervenire quandoque: & ſic à tribus diebus Rogationum ante Aſcenſionem Domini inchoantes, uſque ad octavum diem poſt Pentecoſten (illis hebdomadis computatis) illo tantùm ſpatio temporis celebrari nuptias non permittunt, earum celebrationem ab inde nullatenus inhibentes. Quia ergo conſulti fuimus, utra iſtarum opinionum potior videatur: nobis & fratribus noſtris apparuit, quòd licèt ea ſit Romanæ Eccleſiæ conſuetudo, ut quocumque tempore matrimonium contrahatur, conſenſu interveniente legitimo de præſenti: quia tamen à Septuageſima uſque ad ſeptem dies poſt Pentecoſten celebrari nuptiæ non ſinuntur; & poſteà etiam tribus ſeptimanis, vel pluribus ante feſtivitatem Sancti Joannis, ſine differentia celebrantur: poſterior ſententia meliori & ſubtiliori nititur ratione; & ſive ſecundum Canones à Septuageſima uſque poſt octavas Paſchæ, ſive juxta conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ uſque poſt ſeptem dies feſti Pentecoſtes (quod caret octavis) nuptiæ ſuſpendantur, in dominica quæ ſequitur, & deinceps poſſunt licitè celebrari.

SUMMARIUM.

1 *DEclaratio dubii ardui, & difficilis circa intelligentiam Canonis, à Sede Apoſtolica petenda eſt.*

2 *Matrimonium coram Parocho ſine celebri ſolemnitate contrahi poteſt etiam temporibus ab Eccleſia interdictis, num.11.*

3 *Opinio melioribus rationibus fulcita, eligenda eſt in concurſu opinionum, etiamſi oppoſita ſit communior.*

4 *Nuptiarum ſolemnitas quibus temporibus jure veteri prohiberentur.*

5 *Et quibus jure noviſſimo Conc. Trident.*

6 *Nuptiarum benedictiones fieri non poſſunt temporibus ab Eccleſia interdictis, & eſt culpa mortalis huic præcepto contravenire.*

7 *Item prohibentur his temporibus nuptialia convivia, & num.11.*

8 *Item traductio uxoris ad domum viri, etiamſi fiat privatim, ac ſine ſolemnitate, n.10.*

Item carnalis copula, n.11.

9 *Nuptiarum ſolemnitates cur certis temporibus ſint prohibitæ.*

12 *Toletani Concilii decretum prohibens carnalem commixtionem, & aliàs nuptiarum ſolemnitates temporibus ab Eccleſia interdictis, refertur.*

CApellanus. Tres ſeptimanæ, quibus Canon prohibet 1
fieri nuptias ante feſtum S. Jo. Baptiſtæ, non continuantur feſto; ſed intelligitur de ſeptimana Aſcenſionis cum duabus ſequentibus. Hoc dicit ſecundùm Jo. Andr. & omnes. Communis diviſio. Secunda ibi, *Quia igitur.*

Nota primò ibi, *Conſulti fuimus; utra iſtarum opinionum potior videatur*; quotieſcumque ardua difficultas emergit circa intelligantiam Canonis, & utrimque ſunt opiniones ad Sedem Apoſtolicam pro declaratione eſſe recurrendum.

dum. Concordat. *cap. Per venerabilem*, §. *Rationibus infrà qui fil. ſint legit* ubi dicitur: *Si difficile, & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris, & judicium inter portas judicis variari, veniens ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem; qui fuerit illo tempore, qui indicabunt tibi judicii veritatem, & facies quæcumque dixerint qui præſunt loco, quem elegerit Dominus*, id eſt, Sedem Apoſtolicam, ut ibi exponitur, ad idem text. *in l. ult. C. de leg.* & adde quod in propoſito ſcripſi *in cap. Cùm veniſſent, num. 22. & 42. ſuprà de judic.*

2 Secundò nota ibi, *Quocumque tempore contrahatur*, matrimonium ipſum legitimo interveniente conſenſu, ac ſine celebri ſolemnitate, licitè contrahi poſſe etiam temporibus ab Eccleſia interdictis: nam verb. *Contrahatur*, hìc poſitum exponitur ab Innocent. id eſt, contrahi liceat. Et quamvis nonnulli ex Antiquis contradixerint; tamen hæc eſt communis opinio, quam ſequitur hìc Tancredus, & Hoſtienſ. *ſub num. 2. in ver. Contrahatur*. Joan. Andr. *num. 3. & 4.* Bald. *in fin.* Butr. *num. 9.* & Abb. *num. 2. & 4.* dicens, ſic tranſire hìc omnes Doctores; & probatur irrefragabiliter in hac Decretali, dum dicit eſſe conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ, ut matrimonium quocumque tempore contrahatur conſenſu interveniente legitimo de præſenti, ſed nuptiarum ſolemnia certis temporibus prohiberi: unde patet non eſſe audiendos modernos Collectores *hìc num. 3.* aſſerentes matrimonium temporibus prohibitis poſſe contrahi, ſcilicet validè, ſed tamen contrahentes mortaliter peccare; abſit enim ut Romana Eccleſia, à cujus regulis nemini licet deviare, approbet conſuetudinem pravam, & nutritivam peccati, *c. Quis neſciat 11. diſt.* Unde hanc ſententiam meritò approbavit S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, ut infrà dicam *in fin.*

3 Tertiò nota ibi, *Poſterior ſententia meliori nititur ratione*, in diverſitate opinionum, quarum una ſit probabilis, & altera probabilior, ſequendam eſſe probabiliorem, ſeu melioribus rationibus fulcitam, ut hìc per Abbatem *nu. 3.* inferentem ex hoc, ut non ſit habenda ratio perſonæ illam opinionem foventis, nec multitudinis Doctorum, qui illam ſequuntur, cùm ſæpè unius forſan, & deterioris ſententia poſſit multos & majores in aliqua parte ſuperare, ut dicit textus ad hoc notabilis *in l. 1. §. Sed neque, C. de veter. jur. enuclean.* & hoc ſervat Rota, quæ in concurſu opinionum non tàm movetur ex numero Doctorum, quàm ex rationum momentis, ut dicitur *in deciſ. 17. num. 4. part. 7. recent.* Quòd ſi opiniones in utramque partem ſint æquè probabiles, minimè licet utramlibet ſequi, ut dixerunt multi ex recentioribus; ſed omninò eligenda eſt tutior etiam in foro conſcientiæ, ut validiſſimis rationibus & authoritatibus probavi *in cap. Ne innitaris, ſuprà de conſtit.* ubi reperies hanc materiam electionis probabilium opinionum pleniſſimè examinatam.

4 Ultimò nota in verſ. *Quia tamen*, & ſigna tempora, in quibus jure veteri inſpecto ſolemnitates nuptiarum interdicuntur, de quibus hìc, *& in cap. Non oportet 1. & 2. & in cap. Non licet, & in cap. Nec uxorem 33. quæſt. 4.* videlicet ab Adventu Domini, id eſt, à prima Dominica in Adventu, ſecundùm Hoſtienſem *hìc in principio*, uſque ad Epiphaniam, à Septuageſima uſque ad octavam Paſchatis, & à diebus Rogationum uſque ad octavam Pentecoſtes.
5 Dixi, jure veteri inſpecto, quia jus noviſſimum Concilii Tridentini *in c. 10. ſeſſ. 24. de reformat. matrim.* hęc tempora Feriarum ex parte temperavit, præcipiens, ut ab Adventu Domini uſque in diem Epiphaniæ, & à Feria quarta Cinerum uſque in octavam Paſchatis incluſivè antiquæ ſolemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obſerventur; in aliis verò temporibus nuptias ſolemniter celebrari permittit. Ex quibus verbis ſublatæ ſunt veterum Doctorum altercationes, numquid octava Epiphaniæ, & ultima dies octavarum in prohibitione includantur, ut videre eſt apud Hoſt. *hìc in princ.* & Silveſt. *in ver. Matrimonium 7. q. 2.* nam Concilium dum dixit, uſque in diem Epiphaniæ, utique excluſit octavam, & dum ſubjunxit, incluſivè, tàm ipſam diem Epiphanię, quàm diem octavæ Paſchatis comprehendit; quia illud verbum, *Incluſivè*, ad utrumque tempus eſt referendum, cùm nulla ſubſit ratio diverſitatis, *arg. l. 1. de libert. præter. & l. fin. ff. de reb. dub.*

Sed QUÆRITUR, quæ ſint ſolemnitates nuptiarum, quæ prædictis Feriarum temporibus ab Eccleſia interdicuntur.

6 Conveniunt omnes, his temporibus prohibitas eſſe nuptiarum benedictiones, de quibus habetur *in c. Aliter 30. q. 5.* ibi, *Sacerdotaliter, ut mos eſt, cum precibus & oblationibus à Sacerdote benedicetur.* Et in Concilio Tridentino *c. 1.* ibi: *Benedictionem in templo ſuſcipiendam, ſeſſ. 24. de reformat. matrim.* adeò ut ſit culpa lethalis huic præcepto contravenire, ut cenſent Petr. de Palude *in 4. ſent. diſt. 32. q. 1. art. 4. nu. 20.* Joan. Friburg. *in Summ. Confeſſor. lib. 4. tit. 17. q. 1.* S. Antonin. *in 3. part. tit. 1. cap. 17. poſt princ.* Silveſt. *in ver. Matrimonium 7. quæſt. 2. in primo dicto*, Navarr. *in Manual. cap. 22. n. 71.*

7 Similiter nuptialia convivia his temporibus Feriarum, prohiberi ſatis conſtat *ex cap. Ne uxorem*, ibi, *Nec convivia facere 33. qu. 4.* & hìc notant Abb. Antiqu. *num. 1. ver. Nuptiæ*, & Abb. Sicul. *n. 4. verſ. Quòd nuptialia convivia*, gloſ. *ult. in c. Non licet 33. q. 4.* ibi, non debent celebrari, ut fiant ibi convivia, & interſint hiſtriones, & mimi, & gloſ. *in cap. Vir cum propria*, §. *Hinc etiam*, ibi, ſed prohibentur nuptialia convivia, *ead. cauſ. & qu.*

8 Sed & traductionem uxoris ad domum viri his temporibus eſſe interdictam, ſatis liquet *ex dicto c. Nec uxorem*: nam verba illa, *Nec uxorem ducere*, communiter exponuntur, id eſt, traducere, ut per Abbatem *hìc nu. 4. verſ.* 9 *Et primo adduco*, ibi, *Ducere, id eſt ad domum*, & Silveſt. *in ver. Matrimonium ſeptimò, ſub n. 2. verſ. Dubitatur ſecundò.* Rationem reddit D. Thomas *in 4. ſent. diſt. 32. quæſt. 1. art. 5. quæſt. 4.* *Quia quando novæ ſponſæ traducuntur, animus conjugum magis ex ipſa novitate ad curam carnalium occupatur, & ideo in nuptiis conſueverunt ſigna multa lætitiæ diſſolutæ oſtendi; & propter hoc illis temporibus, in quibus homines præcipuè debent ſe ad ſpiritualia elevare, prohibitum eſt nuptias celebrari.*

10 In hoc tamen eſt diſcrepantia inter Doctores, quia nonnulli arbitrantur, ſolam traductionem, quæ fit cum ſolemnitate, eſſe interdictam. Et hujus ſententiæ ſunt Goffredus *in Summa tit. de matr. contr. contra interdict. Eccleſ. nu. 2.* Tancred & poſt eum Hoſt. *hìc nu. 2. in fin. & in ſuram. in d. tit. de matr. contra interdict. Eccleſ. num. 3.* Angel. *in Summ. in ver. matrimonium tertiò, impedimento 2. ad fin.* & alii, quos noviſſimè refert, & ſequitur Sanchez, aſſerens hanc opinionem eſſe veriorem, *in tract. de matr. tom. 2. lib. 7. diſput. 7. num. 16. verſ. Secunda ſententia.*

Sed quidquid dicant iſti, tenendum eſt, quamcumque traductionem uxoris ad domum viri ſupraſcriptis temporibus eſſe prohibitam; tum quia text *in d. cap. Nec uxorem 33. quæſt. 4.* ſimpliciter dicit uxorem ducere; atque ita interdicitur ibi non tantùm ſolemnitas, ſed etiam traductio; tum quia etiam ceſſantibus conviviis, & aliis ſolemnitatibus, militat ratio D. Thomæ, quòd ex ipſa novitate traductionis animus circa carnalia, & voluptuoſa occupetur; tum denique quia cùm feriarum tempore prohibita ſit copula carnalis, ut inferiùs patebit, eſt etiam prohibita traductio privata, per quam ad carnalem copulam pervenitur, ad gloſ. *un. in fin.* & Joan. Andr. *in princip. in c. Cum quid prohibetur de regul. jur. lib. 6.* ſicut prohibito matrimonio, cenſentur etiam prohibita ſponſalia, per quæ pervenitur ad illud, *ut l. Oratio, ff. de ſponſal.* & prohibita copula prohibetur etiam cohabitatio, *cap. Diffinimus*, & ibi bona gloſ. *in ver. Intercepit. 18. quæſt. 2.* Quamobrem traductionem eſſe prohibitam ſimpliciter & indiſtinctè tenet gloſ. *in c. Vir cum propria*, §. *Hinc etiam ad fin. 33. quæſt. 4.* & hìc firmat Cardin. *circa finem*, & Abb. *num. 4.* & cenſuit S. Congregatio Concilii, ut inferius patebit *in fin.* Sed & Provinciale Concilium Mediolanen. quintum *in rubr. Quæ ad matrimonium pertinent*, §. *Ne quis tom. 4. Concilior. p. 2. pag. 544. col. 1.* ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda ſtatuit, ne quis ſtatis temporibus, quibus nuptiarum ſolemnitates celebrari interdictum eſt, domum ſponſam traducat, aut nuptialia convivia celebret, aliave ejus generis vetita agat. Et in ſpecie prohitam eſſe traductionem etiam privatam, & non ſolemnem, tradit expreſsè Silveſter *in ver. Matrimonium 7. quæſt. 2. poſt quintum dictum, verſ. Dubitatur ſecundò*, & Summa Roſella *in ver. Impedimentum, Impedimento 17. in princ.* & alii Recent. quos citat Sanch. *d. diſp. 7. num. 14.* & ante eos Cardin. *hìc num. 2.*

11 Similiter quoad copulam carnalem, tametſi Sanch. *in præalleg. diſp. 7. n. 23.* exiſtimaverit, temporibus ab Eccleſia ſtatutis nullatenùs prohibitum eſſe matrimonium conſummare,

mare, idemque ante ipſum ſenſerint Navarr. *in Manuali cap.22. num.71.* Petr. de Soto *lect. 7. 14. de matrim* §. *Huic proximum eſt*, Carcin. Bellarm. *lib. 1. de matrim. cap.31. ad fin.* §. *In altero*, & quidam alii ex recentioribus a Sanchez citati: tamen illorum rationes ſunt valdè infirmæ, & ratio D. Thomæ ſuperius conſiderata, ne ſtatis temporibus animus conjugum circa carnalia & voluptuoſa occupetur, potiſſimùm viget in conſummatione matrimonii: nam ut legitur Eccleſ. 3. *Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus*: quare contra prædictos ſtat communis Canoniſtarum ferè omnium ſententia: nam gloſ. *hìc in ver. Quocumque tempore*; *Et ita*, inquit, *quolibet tempore poteſt matrimonium contrahi, ſed nuptiarum ſolemnitas tantùm his diebus, ne carnaliter conjungantur, prohibetur*. Petr. de Sampſ. & poſt eum Abbas Antiq. *n. 1. ver. Nuptiæ*, exponit, id eſt, ſolemnitates, ut convivia, haſtiludia, & hujuſmodi, & etiam quoad conſummationem carnalem ſuſpendi debent matrimonia; unde ſi quis vellet illo tempore matrimonium conſummare, alter poteſt excipere contra illum. Joan. Andr. *num.4.* exponit verb. *Celebrari*, id eſt, cum ſolemnitate, & celebritate contrahi, vel celebris traductio, vel conſummatio fieri: & refert, & approbat dictum Petri, & Abbatis, Bald. *in fin. Nota*, inquit, *in iſto capite, quòd in iſtis feriis benè poſſunt contrahi matrimonia quantum ad ſubſtantiam conſenſus, ſed quantum ad copulam carnalem non*. Butr. *n.9.* quærit, quid prohibeatur circa matrimonium tempore feriarum, & ſolvit his verbis: *Dic quod matrimonii contractus non prohibetur, ſed nuptialis ſolemnitas, & copulæ actus, & ſic prohibetur ſolemnitas nuptiarum contrahendarum, & copula, vel conſummatio.* Et paulò infrà ſimiliter probat dictum Petri, & Abbatis Antiq. Cardinalis *num. 3. Quæro*, inquit, *in eo, quod dicit: Et prohibentur nuptiæ, quomodò hoc intelligitur? Quidam intelligunt de ſolemnitate: tu intellige de conſummatione matrimonii, & ſic etiam viduæ, quæ ducuntur ſine ſolemnitate, non poſſunt hoc tempore duci; multi tamen non obſervant.* Anchar. *n. 3. Nota*, inquit, *quod matrimonium omni tempore celebratum tenet; ad tempus tamen ſuſpenditur carnalis copula, & feſtivitates, ut in juribus allegatis in gloſ.* Imol. *nu.1.* Nota quòd certa ſunt tempora feriata, in quibus non debent nuptiæ celebrari, id eſt, cum ſolemnitate, & celebritate contrahi, ſeu celebris traductio, vel conſummatio fieri; & ſic non prohibetur, quòd ſolo conſenſu omni tempore non poſſint contrahi matrimonia, vel ſponſalia de futuro, ut hìc expreſsè dicitur; & totidem verbis idem dicit Joan. de Anan. *num.2.* Abbas Siculus *num.4.* relatis aliorum opinionibus ſic ait: *Ego puto, quòd matrimonium ſine celebri ſolemnitate licitè poſſit omni tempore contrahi, quia in contrahendo nulla reperitur cauſa prohibitionis, cùm non fiant convivia, nec exerceatur commercium carnale; ſed tantùm intervenit conſenſus de præſenti, in quo nullum reperitur peccatum, imò eſt Sacramentum, ut in c. Debitum de bigam.* Et infrà expreſsè dicit, etiam carnis commiſtionem prohiberi his temporibus feriatis. Idem firmat gloſ. *un. in c. Vir cum propria*; §. *Hinc etiam 32. q. 4.* Raymund. *in Summa in tit. de impedim. Feriar. in princ.* Hoſtien. *in Summ in tit. de matrim. contr. contra interdict. Eccleſ. num. 3. poſt princ.* Henric. Boich. *in c. fin. num. 3. de frigid. & malefic.* Stephan. de Gaeta *in repet cap. Ad limina 30. qu. 1* §. *4. num. 549. in fin.* Ex quibus patet, hanc eſſe unanimem Canoniſtarum ſententiam, quam etiam tenuerunt ex Theologis Petr. de Palude *in 4. ſent. diſt. 32. qu. 1. art. 4. num.* 20. Card. Cajet. *in Summa in ver. Matrimonium c. ult* §. *in publico autem loco*, S. Anton. *in 3. p. tit.* 1. *cap.* 17. *in fin.* Silveſt. *in ver. Matrim. 7. qu. 2. poſt dictum 5. dubio* 3. & alii relati à Sanch. *d. diſp. 7. num. 21.* eamque probavit Sac. Congregatio Concilii: nam propoſito dubio, an matrimonium coram Parocho quocumque tempore contrahi poſſit: Sac. Congregatio cenſuit poſſe contrahi quocumque tempore matrimonium; ſed temporibus comprehenſis *in c. 10. ſeſſ. 24. de reform. matrim.* nuptiarum ſolemnitates, traductiones ad domum, & carnalem copulam prohiberi.

Quibus demum accedit authoritas Concilii Toletani 12
celebrati anno Domini 1473. ſub Sixto IV. *in tit. Quod non fiant nuptiæ, nec carnales commixtiones, nec ſolemnitates tempore à jure vetito, tom. 4. Concilior, p. 1. pag. 748. vol. 1.* cujus hæc ſunt verba: *Cùm ſecundùm legitimas ſanctiones non ſit dubium eos in legem committere, qui verba legis amplexi contra ejus nituntur voluntatem; & quia tempore, quo ſacrorum Canonum decretis nuptiarum celebratio interdicitur, & carnalis copula prohibetur, nonnullos laicos nubere, & carnaliter commiſceri, ac proinde convivia publica, ſtrepitus, & choreas facere, parentes quoque, & amicos invitare, & cum hiſtrionibus, & joculatoribus ſolemniter nuptias celebrare, & ad Eccleſias ſic incedere plerumque contingit: Nos contendentes, quod ſacrorum Canonum intentio fuit non tam Eccleſiæ ſolemnitates, & nuptiales benedictiones, quàm carnales commixtiones prohibere: conſuetudinem hujuſmodi divellere cupientes, ſacro approbante Concilio, commixtiones prædictas, ſtrepitus, choreas, joculationes, & alias ſolemnitates, ac convivia temporibus, quibus ſolemnia Eccleſiæ interdicuntur, & ceſſant, nuptiales benedictiones fieri de cætero prohibemus, ſtatuentes, ut qui contra hujuſmodi noſtræ conſtitutionis tenorem nupſerit, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat. Et nihilominùs Clerici, qui præfatis nubentibus Miſſas dixerint, decē florenorū pœna puniantur.*

DE FERIIS.

Gregorius IX.

CAPUT V.

CONqueſtus eſt nobis: & infrà. Quamvis non prorogari, ſed expediri deceat quæſtiones; debet tamen judicialis ſtrepitus diebus conquiſcere feriatis, qui ob reverentiam Dei noſcuntur eſſe ſtatuti; ſcilicet Natalis Domini, S. Stephani, Joannis Evangeliſtæ, Innocentium, ſancti Silveſtri, Circumciſionis, Epiphaniæ, ſeptem diebus Dominicæ Paſſionis, Reſurrectionis cum ſeptem ſequentibus, Aſcenſionis, Pentecoſtes cum duobus qui ſequuntur, Nativitatis Joannis Baptiſtæ, feſtivitatum omnium Virginis glorioſæ, duodecim Apoſtolorum, & præcipuè Petri & Pauli, beati Laurentii, dedicationis beati Michaelis, ſolemnitatis omnium Sanctorum, ac diebus Dominicis, cæteriſque ſolemnitatibus, quas ſinguli Epiſcopi in ſuis diœceſibus cum clero, & populo duxerint ſolemniter venerandas; quibus utique ſolemnibus feriis (niſi neceſſitas urgeat, vel pietas ſuadeat) uſque adeò convenit ab hujuſmodi abſtinere, ut conſentientibus etiam partibus nec proceſſus habitus teneat, nec ſententia, quam contingit diebus hujuſmodi promulgari. Licèt diebus feriatis, qui gratia vindemiarum vel meſſium ob neceſſitates hominum indulgentur, procedi valeat, ſi de partium proceſſerit voluntate.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Feriis introductis ob honorem Dei, & Sanctorum, niſi ob neceſſitatem, vel pietatem, judicium exercere non poteſt etiam de conſenſu partium, & nu. 3.*

2 *Feriis favore hominum introductis poſſunt partes renuntiare.*

4 *Feriæ Sanctorum ſunt principaliter introductæ ob reverentiam Dei.*

5 *Judex non debet in cauſis procedere, nec etiam citare ad diem feriatam.*

6 *Citatus in die feriata comparere poteſt.*

7 *Feriis introductis in honorem Dei partes renuntiare non poſſunt.*

8 *Feriis repentinis nequeunt partes renuntiare.*

9 *Feriis meſſium, & vindemiarum partes renuntiare poſſunt etiam tacitè.*

10 *Arbiter tenetur ſervare ferias ſolemnes.*

11 *Feriis in honorem Dei, partes compromittendo tamquam in arbitrum, renuntiare non poſſunt. Secus ſi tamquam in arbitratorem, ibid. & n. 20.*

12 *Sententia lata, & proceſſus habitus in die feriata non tenent.*

13 *Feriatis diebus judicium exerceri poteſt, ſi ſubſit neceſſitas, tam circa temporalia, quam circa ſpiritualia.*

14 *Feriatis diebus agi poſſunt cauſæ miſerabilium perſonarum, & num. 16.*

15 *Item cauſæ ſpirituales electionum, decimarum, uſurarum, inquiſitionum, & matrimoniales.*

17 *Decretum ſuper alienatione rerum minoris in die feriata interponi non poteſt.*

18 *Feſtis diebus licet dare operam rebus ad vitam neceſſariis, & tempore perituris.*

19 *Feriatis diebus expediri poſſunt quæ pertinent ad pacem, vel concordiam, & pacta & tranſactiones fieri.*

20 *Compromiſſum tamquam in arbitratorem fieri poteſt in diebus feriatis.*

21 *Appellatio interponi poteſt quolibet die feriato, ſed eam proſequi non licet.*

22 *Executio ſententiæ an fieri poſſit tempore feriato.*

23 *Feſti dies de præcepto qui ſint hodie ex Conſtitutione Urbani VIII.*

24 *Feriati dies quoad judicialia qui ſint, & nu. 25. & 26.*

26 *Feſti dies de præcepto ſunt etiam feriati quoad judicialia, ſed non è converſo.*

27 *Feſtos dies ſolus Papa in Eccleſia univerſali poteſt indicere, & ſinguli Epiſcopi in ſuis diœceſibus, & nu. ſeq. & 58.*

28 *Dominici diei obſervatio ſuccedit obſervantiæ Sabbati non ex præcepto legis, ſed ex conſtitutione Eccleſiæ & conſuetudine populi Chriſtiani.*

29 *Papa ſolus habet poteſtatis plenitudinem, & Eccleſiæ principatum.*

30 *Epiſcopi non poſſunt ferias indicere in die alicujus Sancti ab Eccleſia non canonizati.*

31 *Epiſcopus an poſſit diem feſtum indicere ſine populo, & num. ſeq.*

32 *Epiſcopus in his, in quibus vertitur intereſſe laicorum, non poteſt ſtatuere ſine illorum conſenſu, vel ſaltem debent eſſe præſentes.*

33 *Feſtos dies ſolus populus, ſeu laicalis poteſtas indicere non poteſt etiam quoad judicialia.*

34 *Populus an poſſit ſtatuta facere ſine authoritate Superioris.*

35 *Feriarum ſpecies quot ſint, & à quibus indicantur, & num. ſeq.*

36 *Feriæ ruſticæ ſuffragantur etiam non occupatis in meſſibus, & vindemiis, ſi à judice ſint indictæ.*

37 *Citatio an fieri poſſit in die non feriata ab feriatam.*

38 *Uſque, dictio ponitur excluſivè.*

39 *Citatio an poſſit fieri in die feriata ad diem non feriatam.*

40 *Principium eſt ponderandum etiam in judiciis.*

41 *Actus habitus tempore, aut loco inhabili, valet, ſi illius effectus conferatur in tempus, aut locum habilem. Declaratur, nu. 47.*

42 *Citationis triplex eſt actus.*

43 *Mandatum de citando an fieri poſſit in die feriata ad diem non feriatam, & n. 46. & 49.*

44 *Executio mandati de citando an die feriata fieri poſſit, & num. 46. & 53.*

45 *Proceſſus ex citatione inchoandus fieri non poteſt die feriata.*

48 *Citatio eſt de proceſſu, & fundamentum judicii.*

50 *Citationis commiſſio eſt actus extrajudicialis, non requirens cauſæ cognitionem.*

51 *Et fieri poteſt etiam in territorio alieno.*

52 *Mandatum de citando in die feriata fieri non poteſt à judice pro tribunali ſedente.*

53 *Bonarum mentium eſt lites execrari.*

54 *Citatio conturbat mentem citati, & plerumque eum provocat ad iracundiam.*

55 *Citationis executio eſt de judiciali proceſſu.*

56 *Subſtantialia actus ubi interveniunt, actum ipſum intervenire neceſſe eſt.*

57 *Princeps laicus an ſtatuere poſſit, ut dies alicujus Sancti ab Eccleſia canonizati à ſuis ſubditis ſervetur, ac ſi eſſet dies feſtus ex præcepto Eccleſiæ, & n. ſeqq. uſq. in fin.*

60 *Juriſdictio ſpiritualis, & temporalis, à Deo ſunt diſtinctæ.*

61 *Feſtorum dierum indictio eſt actus ſpiritualis, & pertinens ad Paſtores Eccleſiæ.*

62 *Feriæ repentinæ à Principe indictæ non ſunt ſervandæ in foro Canonico.*

63 *Conſervatores ſpectant ad Præſules Eccleſiæ.*

64 *Feſtorum dierum indictio eſt quædam conſecratio temporis.*

65 *Feriis in honorem Dei, & Sanctorum, Princeps laicus derogare non poteſt.*

66 *Conſtantini lex de obſervatione diei Veneris in honorem Dominicæ Paſſionis non fuit recepta ab Eccleſia.*

67 *Statuto civitatis poſſe introduci ferias in honorem Dei, quo ſenſu ſit accipiendum.*

68 *Conſuetudo non poteſt inducere ferias in honorem Dei, niſi interveniat conſenſus Epiſcopi, & Cleri.*

70 *Feſtum ſi princeps, vel civitas ſtatuat ſub certa pœna colendum, tranſgreſſores culpam non incurrunt, ſed pœna exigi poteſt.*

71 *Contrarium.*

72 *Statutum alii eſt nullum ex defectu poteſtatis, adjectio pœnæ non tenet*

73 *Statutum laicale poteſt pœnam infligere violantibus dies feſtos ab Eccleſia inſtitutos.*

74 *Principum Catholicorum eſt, in adjutorium Eccleſiæ ſacrarum Conſtitutionum præcepta tueri.*

75 *Princeps laicus non poteſt ſtatuere, ut ejus ſubditi in die alicujus Sancti ab operibus ſervilibus abſtineant.*

76 *Feriæ repentinæ quæ ſint, & quas ob cauſas à Principe indicantur.*

77 *Ad Religionem pertinet cultum Deo exhibere.*

78 *Dictio,* ſicut, *importat omnimodam ſimilitudinem.*

79 *Formalitas celebrationis feſti in quibus conſiſtat.*

80 *Declaratio Apoſtolica nullitatis litterarum Senatus Mediolani, & Edicti Gubernatoris ſtatus Mediolanen. ſuper obſervatione feſtivitatis S. Dominici in dicto ſtatu.*

Conqueſtus. Feriis introductis ob honorem Dei, & Sanctorum, niſi ob neceſſitatem, vel pietatem, judicium exerceri non poteſt etiam de conſenſu partium; 1 poſſunt tamen partes renuntiare feriis favore hominum introductis. Hoc dicit ſecundùm Jo. Andr. cui ſubſcribunt 2 Bellam. Bald. Butr. Cardin. Anchar. Imol. Abb. & Joan. de Anan. Diviſio patet, 2. ibi: *Licet.*

Nota primò ex text. principalem regulam, quòd in feriis ſtatutis ob reverentiam Dei judicium exerceri non poteſt, 3 ut hìc, *& in l. Omnes dies, & in l. fin. C. eodem,* & notant omnes in ſumm. textus.

Ampliatur primò hæc regula, ut locum habeat etiam 4 in feriis Sanctorum: nam & iſtæ ſunt principaliter introductæ ob reverentiam Dei, ut hìc notat gloſ. 2. Hoſt. *n. 4. verſ. Et nota quòd feria,* & Abb. *in primo notab.* & clarè pro-

probatur in text. nam primò generaliter loquitur de diebus
feriatis, qui ob reverentiam Dei noſcuntur eſſe ſtatuti: &
mox explicando qui ſint illi dies, per dictionem *Scilicet*,
quæ ſtat declarativè, ut notat Fulg. *conſ. 147. Viſa quadam*
ſupplicatione, *nu. 2.* enumerat etiam ferias Sanctorum. Et
eſt ratio, quia Dominum veneramur in Sanctis ejus, ut in
Clem. 1. *de reliq. & venerat. Sanct.* Ad hoc Conc. Trid.
ſeſſ. 25. de invoc. & vener. & reliq. Sanct.

5 Ampliatur ſecundò, ut habeat locum non tantùm in fe-
riis ſolemnibus ad honorem Dei dedicatis, ſed etiam in a-
liis feriis ut hic declarant Innoc. *n.* 1. Hoſt. & Joan. Andr.
num. 2. Unde judex non debet in cauſis procedere, nec
etiam ad illam diem citare, *ut l. 1. ff. de feriis*; tamen pru-
denter faciet, ſi ſic dicat: Compareas tali die coram nobis,
ut ex tunc in tali cauſa procedamus: nam etſi die feriata
non poſſit judicialiter procedi, pars tamen citata compare-
6 re poteſt, ſecundùm Innocent. *ubi ſupra*. An autem citatio
fieri poſſit in die non feriata ad diem feriatam, vel è con-
verſo, plenè examinabitur *infr. in 2. & 3. qu.*

7 Ampliatur tertiò, ut nec de partium conſenſu judicium
exerceri poſſit in diebus feriatis in honorem Dei: nam tali-
bus feriis partes renuntiare non poſſunt, ut hic dicitur ex-
preſsè. Ratio eſt, quia non in favorem partium, ſed in
8 Dei honorem introductæ ſunt: ergo, &c. *ut cap. Si diligen-
ti de foro compet. & l. Si unus, §. in Sum. ff. de pact.* ſecundùm
Abb. *hic nu. 9.* Et idem dicendum de feriis repentinis, quia
cùm non fuerint indictæ in favorem partium, ſed ob reve-
rentiam, vel honorem Principis, nequeunt partes illis re-
nuntiare, *l. Omnes dies prope finem*, *C. eod.* & tenet Spe-
cul. *in tit. de feriis*, *§. fin. poſt principium*, & gloſ. in Clem.
Sæpè in verb. Ob neceſſitatem, *de verb. ſignif.* & Abb. *hìc*
9 *num.* 11. Secus autem eſt in feriis ruſticis inductis propter
hominum utilitatem, vel neceſſitatem tempore meſſium,
& vindemiarum: nam his benè poſſunt partes renuntiare,
ut hic in fin. & in l. 1. ff. eod. & hic notat gloſ. 2. Abb. Antiq.
Joan. Andr. Bald. & omnes *in ſumm. text.* & Abb. Siculus
d. num. 11. Quinimò his ultimis renuntiari poteſt etiam ta-
citè, & renuntiatum intelligitur eo ipſo, quòd citatus com-
paret, & non opponit exceptionem feriarum, ut eſt ex-
preſſum *in d. l. 1. ff. eod.* & tenent Federicus de Senis *conſ.* 11.
Quæritur n. 11. verſ. Prætereà iſte Jacobus, Jaſ. *in d. l. 1. in
princ.* & Alex. *conſ. 213. Viſo, & opportune num. 3. verſ. Nec
poteſt dici lib. 2.*

10 Ampliatur quartò, etiam in arbitro, quia procedit ad
inſtar judicis, & tenetur ſervare ferias ſolemnes, *d. l. Omnes*
11 *dies*, *C. eod.* Unde partes compromittendo in aliquem tam-
quam in arbitrum, feriis renuntiare non poſſunt, ut tenet
Specul. *in tit. de arbitr. § fin. verſ. in forma*, & Joan. Andr.
hic num. 20. *in fin.* & Abb. *num.* 10 Et hoc in verò arbitro;
ſecus autem in arbitratore, ut dicam infra *in 3. fallent.*

12 Ampliatur quintò, ut in tantùm abſtinendum ſit a judi-
cio in diebus feriatis, ut ſententia, & proceſſus habitus non
teneat, ut de ſententia patet *in l. 1 ff. eodem*, & de ſenten-
tia, & proceſſu dicitur expreſsè *hic in fin.* Unde cum myſte-
rio Joan. Andr. & ſequentes ſummando textum dixerunt,
Judicium in diebus feriatis exerceri non poteſt; nam ver-
bum *Poteſt* præcedente negatione, præciſam neceſſitatem
importat, & privat potentia, adeò ut reddat actum de ju-
re impoſſibilem, ut notat gloſ. *in c. 1. in verb. Non poteſt de
regul. jur. lib. 6.* Bald *in l. 1. num. 62. C. qui admitti*, & Jaſ.
in l. Non dubium n. 60. C. de legib.

13 Fallit primò ſupradicta regula, ſi ſubſit neceſſitas, ut in
text. ibi: *Niſi neceſſitas urgeat*, veluti ſi res ſit tempore peri-
tura, *ut c. Licet ſupra eod. l. 2. & 3. ff. de feriis*, *& l. 1. ff. de
damn. infect.* ſecundùm gloſſ. *hic in verb. Neceſſitas*, & In-
nocent. *n. 1. in fin. in eod. verb.* Vel dic, neceſſitas, ſecundùm
Hoſtienſ. *num.* 5. & Joan. Andr. *nu.* 22. puta circa collectio-
nem fructuum, vel imminentem aquarum inundationem,
l. Omnes judices, *C. eod. tit.* & circa quæſtiones, & punitio-
nes latronum, *ut l. Provinciarum*, *C. eod.* ubi patet inſi-
gnem latronem etiam in die Paſchatis poſſe ad ferreas mit-
ti, quia, ut ibi dicitur, in hoc ſummi Numinis facillimè
ſperatur venia, per quod multorum ſalus, & incolumitas
procuratur. Et generaliter ubicumque in mora vertitur
imminens periculum animarum, quæ ſunt omnibus tem-
poralibus præponendæ, *c. Præcipimus 12. quæſt. 2. & l. San-
cimus*, *C. de Sacroſ. Eccleſ.* Atque ita hìc intelligitur ne-
ceſſitas, ſive ſit circa temporalia, ſive ſpiritualia, ut per
Abb. *num. 14. verſ. Et quod dixi ſupra*, de quo dic pleniùs
ut per Turrecrem. *in c. 1. num. 5. verſ. Verum notandum*,
& num. 6. & 7. de conſecr. diſt. 3. poſt B. Thom. *in 2. 2. qu.
122. art. 4.*

Fallit ſecundò, ſi ſuadeat pietas, ut patet in text. ibi: 14
Vel pietas ſuadeat. Exemplificat gloſ. *in verb. Pietas*, in
cauſa miſerabilium perſonarum: nam in operibus miſeri-
cordiæ dierum diſtinctio non eſt habenda, *arg. cap. Uti-
nam 56. diſtinct. & cap. Numquam de conſecr. diſt.* 5. quia
ſumma eſt ratio, quæ pro Religione facit, *l. Sunt perſonæ*,
ff. de religioſ. & ſumpt. funer. Item exemplificant Innocent. 15
num. 2. Hoſt. *num.* 7. & Joan. Andr. *nu.* 22. in cauſis ſpiri-
tualibus electionum, inquiſitionum, & hujuſmodi, quæ
his diebus exerceri poſſunt, cùm pietas, & neceſſitas hoc
ſuadeat, *arg. c. Placita* 15. *quæſt.* 4. & in eo, quod legi-
tur, & notatur *in cap. Oblatæ*, *§. penult. de appell.* & con-
ferunt notata per Ioan. Andr. *in c. Bonæ il ſecondo in princ.
de elect.* & tenet Specul. *in tit. de feriis*, *§. 2. verſ. Quid de
cauſis*, *& in duobus verſ. ſequen.* ubi tractatur de cauſis
uſurarum, & decimarum, de quibus dic hodie ut habetur
in Clem. *Diſpendioſam de judic.* & in Clem. *Sæpè*, *de verb.
ſignificat.* & de cauſis matrimonialibus notat gloſ. *in ſum-* 16
ma 15. *quæſt.* 4. Et in eo, quod ſupra dixi de miſerabilibus
perſonis: pone exemplum in pupillis, ut eis tutores den-
tur, & alimenta decernantur; & in aliis, quæ celeritatem
deſiderant, & ex puro officio decernuntur, prout patent
exempla *in l. 2. & 3. ff eod.* & notat præcitata gloſ. *in ſumma* 17
15. *quæſt.* 4. Decretum tamen ſuper alienatione rerum mi-
noris interponi non poteſt, ut tenet Specul. *in tit. de feriis*,
§. 2. in fin. & ibi Joan. Andr. *in additionibus*, & idem Joan.
Andr. *hìc num. 2. in fin.* & Abb. *nu.* 15. Et has duas exce- 18
ptiones neceſſitatis, & pietatis aliàs complexa eſt S. Con-
gregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum,
dum cenſuit, feſtis diebus licere dare operam rebus ad vi-
tam neceſſariis, ac tempore perituris, præſertim tempore
vindemiarum, & meſſium, ac recollectionis fructuum,
vel ubi neceſſitas urgeat, & ſuadeat pietas ad Ordinarii
cujuſque judicium, & cenſuram.

Fallit tertiò in his, quæ pertinent ad pacem, vel con- 19
cordiam, quæ quolibet die feriato poſſunt expediri, *ut l. fin.
C. eod. & cap. Decrevit*, ibi. *Niſi de concordia, & pacifi-
catione 22. qu.* 5. & tradit gloſ. *in ſumma* 15. *qu.* 4. unde &
pacta, & tranſactiones fieri poſſunt, ut habetur *in d. l. fin.* &
hic notat gloſ. 2. *in fin.* Hoſt. *num. 2. in verb. Conquieſcere*
Joan. Andr. *eod. num.* Abb. *nu. 14. in 3 Fallen.* & alii com-
muniter. Et idem dicendum in compromiſſo tamquam in 20
arbitratorem, quia talis eſt quidam amicabilis compoſitor
& mediator pacis; & iſta non prohibentur fieri die feriata,
ut c. 1. ſup. eod. & l. fin. C. de feriis, & tenet Specul. *in tit.
de arbitr. §. fin. verſ. in forma*, Bart. *in l. Si feriatis, num. 2.
ff. de arbitr.* Joan. Andr. *hic num.* 20. & Abb. *nu* 10. & facit
ſecundum eum, quod notat Innoc. *in cap. Quintavallis*,
de jurejur.

Fallit quartò, in appellatione interponenda: nam quo- 21
libet die feriato poteſt quis appellare, ſed non proſequi ap-
pellationem, *ut l. 1. C. eod.* & ibi notat Bart. & ſcribentes
gloſ. 2. & Abb. *n. 13. verſ. Fallit primo.*

Fallit quintò, in executione ſententiæ, quæ fieri poteſt 22
etiam tempore feriato ob neceſſitatem hominum, licèt
non tempore feriato in honorem Dei, ut hic per Abb. *n.* 13.
quod tamen non eſt verum indiſtinctè; unde ad hoc vide
pulchram diſtinctionem Joan. And; *in additionibus ad Spe-
cul. in tit. de libelli except. §. Nunc dicendum verſ. 30. alias*
35. quam ad litteram recitat, & proſequitur idem Abb. *in
c. fin. num. 20. ſupra de judic.* & ibi etiam vide *num.* 17. an
libelli oblatio fieri poſſit judici, vel parti in diebus feriatis.
Quod etiam tangitur in gloſ. *in ſumma* 15. *q.* 4.

Secundò nota in verſ. *Scilicet*, qui ſint dies feriati ob re- 23
verentiam Dei quoad effectum, ut judicium exerceri non
poſſit: nam quoad præceptum Eccleſiæ, hodie ſtabimus
Conſtitutioni ſan. mem. Urbani VIII. *editæ idibus Septem-
bris* 1642. incipien. *Univerſa*, in qua præter dies Domini-
cos, & alias feſtivitates enumeratas in hoc capitulo, fir-
mantur eſſe de præcepto, & nominatim exprimuntur qua-
tuor feſtivitates B. Virginis, id eſt Purificationis, Annun-
tiationis, Aſſumptionis, & Nativitatis, quæ in hoc cap.
implicitè continentur ſub illis verbis, *Feſtivitatum omniũ
Virginis glorioſæ*: & adduntur infraſcriptæ, ſcilicet Cor-
poris Chriſti, quæ ſolemnizatur feria quinta poſt octavam
Pentecoſtes, ut in Clem. 2. *Si Dominum de reliq. & venerat.
Sanct.*

Sanct. Inventionis S. Crucis, de qua nulla fit mentio hìc, ſed in cap. Crucis de conſecr. diſt. 3. S. Joſephi, & S. Annæ, atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque regno, ſive Provincia, & alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido, vel pago, ubi hos Patronos haberi, & venerari contigerit. Ad reliquorum verò dierum obſervantiam, quos huc uſque, ſive in univerſa Eccleſia, ſive in quavis natione, aut Regno, Provincia, diœceſi, aut loco quomodocumque, ſive ex præcepto, ſive ex conſuetudine, ſive ex devotione Chriſti fideles tamquam feſtivos celebrarunt, nequaquam ex præcepto ipſos teneri decernitur, & declaratur. Sed paulò poſt adiicitur clauſula infraſcripta: *Non intendimus tamen per hanc noſtram Conſtitutionem dies feriatos circa judicialia in aliquo immutare, quos ad hunc effectum relinquimus in eiſdem ſtatu, & ter-*
24 *minis, in quibus erant ante ejuſdem promulgationem.* Itaque quoad judicialia ſervabitur hæc Decretalis, in qua dies feriati eſſe dicuntur infraſcripti dumtaxat, videlicet Natalis Domini, S. Stephani, S. Joan. Evangeliſtæ, SS. Innocent. S. Silveſtri, Circumciſionis, Epiphaniæ, ſeptem dies Dominicæ Paſſionis, Reſurrectionis cum ſeptem ſequentibus, Aſcenſionis, Pentecoſtes cum duobus, qui ſequuntur, Nativitatis S. Jo. Baptiſtæ, feſtivitatum omnium Virginis Glorioſæ, id eſt Annuntiationis in vere, Aſſumptionis in æſtate, Nativitatis in autumno & Purificationis in hieme, quæ ut inquit Hoſt. *h. c. nu.* 5. ſunt ad modum lapidum pretioſorum, & coronæ in anni circulo collocatæ: duodecim Apoſtolorum, & præcipuè Petri, & Pauli. B. Laurentii, Dedicationis B. Michaelis, ſolemnitatis omnium Sanctorum, dies Dominici, aliarumque ſolemnitatum, quæ indicuntur à ſingulis Epiſcopis cum Clero, & populo. Ex qui-
25 bus patet latiùs patere ferias judiciales, quàm dies feſtos ex præcepto; nam inter ferias judiciales hìc enumerantur ſeptem dies Dominicæ Paſſionis, & ſeptem dies poſt Reſurrectionem; & tamen in Bulla Urbani VIII. poſt Reſurrectionem non exprimuntur niſi duo ſequentes, & de diebus Paſſionis Domini nulla fit mentio; feriis tamen judicialibus hìc ſtatutis addendi ſunt ſex dies expreſſi in prædicta Bulla, videlicet Corporis Chriſti, Inventionis S. Crucis, S. Joſephi, S. Annæ, & duorum ex principalibus Patronis; quia cùm dies iſti ſint hodie in præcepto, abſque dubio ſunt feriati, etiam quoad judicialia; præſervatio enim Urbani in eadem Bulla importat ſolùm, ut dies qui erant feriati quoad judicialia ante illius promulgationem, ſimiliter remaneant feriati; ſed non importat, ut dies, qui firmantur eſſe in præcepto, non debeant eſſe feriati etiam quoad judicialia, quia repugnat, ut dies feſtus ſit ſanctificandus ex præcepto Eccleſię, & in illo exerceri poſſint ſtrepitus judiciales, cùm ratio formalis ſanctificationis feſti conſiſtat in vacando rebus divinis, & in ceſſatione operum, ut declarat S. Thom. *in 2. 2. quæſt.* 122. *art.* 4. *ad* 3. inter quæ opera recenſentur etiam actus judiciales, qui impediunt applicationem hominum ad Divina, *ut hìc, & in cap.* 1. *cum duob. ſeqq.* 15. *quæſt.* 4. *& in l. fin. C. eod.* Unde omnes dies feſti de præcepto ſunt feriati, etiam quoad judicialia; ſed non convertitur, quia non omnes dies feriati quoad judicialia ſunt feſti ex præcepto Eccleſię. Habes igitur ex prędictis, qui dies ſint venerandi ex præcepto, & in quibus ſit feriandum à litibus. Nec obſtat text. *in cap.* 1. 15. *quæſt.* 4. ubi
26 dicitur feriandum eſſe à ſeptem diebus precedentibus Nativitatem Domini uſque ad octavas Epiphaniæ, & à Quinquageſima uſque ad octavas Paſchæ, & à ſeptem diebus ante Nativitatem B. Joan. Baptiſtæ. Quoniam ut reſpondit Hoſt. *hic n.* 4. *in verb. Natalis*, ſtandum eſt huic Decretali, quia illud de conſuetudine non ſervatur. Et concordant Joan. Andr. *n.* 4. & alii poſt eum, & Specul. *in tit. de feriis in* 1. *col.* Tres autem dies Rogationum, qui dicuntur eſſe feriati *in cap.* 1. *de conſecr. diſt.* 3. addendi ſunt huic Decretali ſecundùm Hoſt. *n.* 4. *in fin.* licèt hoc non ſervet Curia, ut inquit Specul. *ubi ſup.* & Joan. Andr. *hic n.* 5.

Tertiò nota ibi, *Quas ſinguli Epiſcopi*, juncto præceden-
27 ti verſiculo, ſcilicet, ſolum Papam in Eccleſia univerſali, & quemlibet Epiſcopum in ſua diœceſi poſſe dies feſtos indi-
28 cere. De Papa eſt manifeſtum, quia omnes feſtivitates hìc expreſſæ ſunt de jure poſitivo, & ex ſtatuto Eccleſiæ, etiam quoad dies Dominicos: nam etſi præceptum de ſanctificatione Sabbati fuerit traditum in Decalogo, tamen ut inquit S. Thom. *in* 2. 2. *d. quæſt.* 122. *art.* 4. *ad* 4 obſervantia diei Dominicę in nova Lege ſuccedit obſervantię Sabbati non ex vi præcepti legis, ſed ex conſtitutione Eccleſiæ, &
conſuetudine Populi Chriſtiani. Et ſequitur Turrecrem. *in* 29
cap. 1 *num.* 9. *de conſecr. diſt.* 3. Sicut ergo ſolus Papa conditor Canonum in tota Eccleſia poſt ferias ſolemnes indicere ob reverentiam Dei, prout fecit in hoc, *& in d. cap.* 1. *de conſecr. diſt.* 3. & in Clem. *de reliq. & vener. Sanctor.* quia ipſe ſolus habet poteſtatis plenitudinem, & Eccleſiæ principatum, *cap. Cuncta per mund.* 9. *quæſt.* 3 *cap. Propoſuit de conceſſ. præbend.* Butr. *hìc n.* 19. ita ſinguli Epiſcopi hoc poſſunt in ſua tantùm diœceſi, ut hìc eſt expreſſum, *& in d. cap.* 1. ibi, *in ſuis Epiſcopatibus*, & ibi, *non generaliter*, *de conſecr. diſt.* 3. cum ſint vocati in partem ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis, *c. Quis ſe ſcit*, *& c. Decreto* 2.
q. 4. *c.* 6. Et hoc intelligas de Sanctis ab Eccleſia canoniza- 30
tis: nam etſi Vincentius opinatus fuerit Epiſcopum poſſe in ſua diœceſi Sanctum canonizare, per iſtum textum; tamen Doctores communiter eum reprehendunt, & ejus opinio reprobatur *in c.* 1. *de relig. & venerat. Sanct.* ubi Alexander III. de quodam, qui colebatur ab aliquibus, cùm non eſſet colendus, ſic ait: *Illum ergo non præſumatis de cætero colere, cum etiamſi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipſum pro Sancto abſque authoritate Romanæ Eccleſiæ venerari*: de quo dic latiùs, ut ſcripſi *in cap. Pernicioſam n.* 57 *ſupra de offic. Ordin.* Itaque omnis feſtivitas Sancti ab Eccleſia canonizati, quam Epiſcopus in ſua dięceſi cum Clero, & populo ſtatuit eſſe ſolemniter venerandam, eo ipſo ferias indicit, ita ut ab omni actu judiciali in illa die ſit abſtinendum, ut hìc per Butr. *in* 3. *not.* Sed numquid Epiſco-
pus poſſit diem feſtum indicere ſine populo, Abb. *hic n.* 4. 31
tenet non poſſe, quia non ſine myſterio hìc dicatur, cum populo, prout etiam dicitur *in cap.* 1. *de conſecrat. diſt.* 3. ibi: *Et illæ feſtivitates, quas ſinguli Epiſcopi in ſuis Epiſcopati-*
bus cum populo collaudaverint. Nam licèt Epiſcopus in ſpe- 32
ctantibus ad Epiſcopalem juriſdictionem poſſit cum Capitulo facere ſtatuta, *ut in cap. Ut animarum de conſtit. lib.* 6. tamen in aliis, in quibus vertitur intereſſe aliorum, non poteſt ſtatuere ſine illorum conſenſu, vel ſaltem debent eſſe præſentes, ut notat Innoc. *in cap. Veſtra de locat. & in c. fin. de offic. Deleg.* Et hanc partem tenet Archid. *in d. cap.* 1. *n.* 9. Fatetur tamen Abb. quòd ubi populus non habet legitimam cauſam contradicendi, non obſtat contradictio, ut in ſimili notat Archid. *in d. cap. Ut animarum*, facit *cap.* 1. *de his, quæ fiunt a majori parte Capituli*, veluti ſi Epiſcopus vellet indicere ferias in die alicujus Sancti, qui traxit originem de illo loco, vel quid ſimile, ad quod facit *cap.* 1. 65 *diſt.* Sed Anton. de Butr. dicit ſe idem tenuiſſe olim per iſtam litteram, ſed poſteà mutavit ſententiam, dicens ſolum Epiſcopum cum Clero, ſeu Capitulo hoc poſſe, quia in his, quæ tendunt in favorem animæ, quilibet eſt Epiſcopo ſubjectus, *cap. Cùm ſit de for. compet. cap. Novit de judic. & cap. Per venerabilem, qui fil. ſint legit.* & cum eo tranſit Joan. de Imol. *n.* 1. *verſ. Item nota quod feſtivitates.* Et pro hac parte optimè facit Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 12. ubi ſtatuitur, ut ab exemptis omnibus etiam Regularibus ſerventur dies feſti, quos in dięceſi ſua ſervandos Epiſcopus præceperit: nec ibi ulla fit mentio de populo.

Quartò nota ibi, *Et populo*, ſolum populum non poſſe 33
dies feſtos indicere, cùm text. copulativè loquatur de Epiſcopo cum Clero, & populo, *l. Titiæ teſtatores*, § *Nihil diſtat. ff. de legat.* 1. Et ex hoc notabiliter deduco poteſtatem indicendi ferias ſolemnes in honorem Dei, & Sanctorum nequaquam eſſe apud Principes ſæculares, etiam quantum ad hoc, ut judicia tunc tēporis exerceri non debeant; quod efficaciter probat hæc Decretalis: nam in principio ſtatuitur, ut in diebus feriatis, qui ob reverentiam Dei noſcuntur eſſe ſtatuti, debeat omnis ſtrepitus judicialis conquieſcere; & mox dies illi nominatìm exprimuntur, & inter hos generaliter recenſentur ſolemnitates, quas Epiſcopus cum Clero, & populo duxerit ſolemniter venerandas. Igitur ſolus populus non poteſt ſtatuere feſtos dies, in quibus ob reverentiam Dei ſit ceſſandum ab actibus judicialibus, & conſequenter nec Principes laici hoc poſſunt: nam Princeps non alia utitur poteſtate niſi illa, quam ab initio populus in eum tranſtulit, *ut l.* 1 §. *Sed & hoc ſtudioſum, C. de veter. jur. enucleand.* At populus non tranſtulit in Principem hanc poteſtatem indicendi ferias judiciales in honorem Dei, cùm illam non haberet, ut hìc eſt expreſſum, quia nemo poteſt plus juris transferre in alium, quàm ipſe habeat, *ut leg. Nemo plus juris, ff. de regul. jur. & cap. Nemo*

po-

poteſt eod. tit. lib. 6. & nemo dat quod non habet, *cap. Quod autem de jur. Patron. l. Tradito, ff. de acquir. rer. dom.* cum
34 ſuis concordant. Præterea quamvis omnis poteſtas à populo in Principem tranſlata ſit, *ut in d. §. Sed & hoc ſtudioſum*: tamen illud verbum *Tranſlata*, exponitur ibi à gloſſ. id eſt con ceſſa, & concordat gloſ. 1. *in l. Non ambigitur: ff. de leg.* item gloſſ. *penult. in l. fin. C. eod.* & ſic populus retinuit ſibi poteſtatem jus condendi; unde hodie poteſt ſibi facere ſtatuta, *ut l. Omnes populi, ff. de juſtit. & jur. l. Antiochenſium, C. de privil. credit. l. fin. C. de decret. ab Ord. facien. l. Prohibere, §. Planè, C. Quod vi, aut clam. l. Si ſervi noſtri, C. de noxalibus, & cap. 1. de conſtit. lib. 6.* etiam ſine authoritate Superioris, ſaltem in ſpectantibus ad ordinationem negotiorum, & judiciorum, & ad cauſarum deciſionem civilem, & in aliis, quæ jus Superioris non tangunt, nec ſunt illi reſervata, ut concludit Bald. *in d. l. Omnes populi, num. 14. verſ. Sed puto verum*, articulo in utramque partem egregiè diſcuſſo, à *num. 14. uſque ad num. 21.* nec diſcrepat Bart. ibi, *num. 2. & 3.* Nihilominùs non obſtante hac facultate condendi ſtatuta, non poteſt populus facere hoc ſtatutum, ut aliquis dies ſit feriatus in honorem Dei, ut hìc patet: ergo nec Princeps hoc poteſt, quia proportionabiliter eadem eſt poteſtas utriuſque, & ſicut Princeps conſtituit jus commune generaliter quoad omnes, *ut l. fin. C. de legib.* ita quilibet populus conſtituit ſibi jus proprium, *ut in d. l. Omnes populi*, ibi, *Partim ſuo proprio*, id eſt non generali, ſed municipali, ut ibi declarat gloſ. *penult.* Bart. *num. 2.* & communiter ſcribentes: ſed de hoc articulo, an Princeps laicus habeat poteſtatem indicandi has ferias in honorem Dei, & Sanctorum, plenè dicam infrà *in 4. q.*

35 Expeditis notabilibus venio ad gloſ. & quia in text. fit mentio de duplici tantùm ſpecie feriarum: QUÆRO quæ ſint hujuſmodi feriæ, & an ſint aliæ præter illas, & à quo indicantur. Gloſ. 2. hoc proſequitur *in princ.* Sed tu dic clariùs ſecundùm Specul. *hoc tit. in princ.* & Henr. Boich. *in hoc cap. num. 1.* & Abb *num. 8.* feriarum tres eſſe ſpecies: quædam enim ſunt feriæ ſolemnes, & introductæ ob reverentiam Dei, de quibus actum eſt ſupra; & tales cum ſint indictæ à Papa per Canonem, non oportet, ut ſpecialiter indicantur ab homine, *l. Sed & ſi per Prætorem, §. Si feriis,*
36 *ff. ex quib. cau. major* Quædam ſunt feriæ publicæ ſive ruſticæ, ſeu indictæ, quæ alicubi etiam appellantur ſolemnes, ut ſunt illæ, quæ ſtatuuntur meſſium, ſeu vindemiarum gratia ob neceſſitatem hominum, & tales non ſunt determinatæ à Lege, vel Canone; & ideò illarum indictio judicibus relinquitur, ut eas indicant bis in anno ſecundùm qualitatem, & conſuetudinem cujuſque loci; nam citiùs fit recollectio in locis calidis, quam frigidis, *ut leg. Præſides, ff. eod.* & notat hìc præcitata gloſ. *pro hoc l. Si in aliam, ff. de offic. Proconſul.* unde non ſequitur; de jure aliquis colligit fructus tempore meſſium, vel vindemiarum: ergo non debet in jus vocari, quia ad hoc, ut in jus vocari non debeat, neceſſe eſt, ut priùs feriæ à judice inducantur, ſecundum Henric. *ubi ſupra*; & iſtæ quamvis ſint introductæ propter occupatos, tamen poſtquam ſunt indictæ, relevant omnes etiam milites, & alios, qui in meſſibus, & vindemiis non occupantur, ut concludit gloſ. *in l. 1. in verb. Occupati, ff. de feriis*, & ſequitur Alexan. *conſ. 2. Viſis dubitationibus, nu. 4. verſ. Pro hoc etiam facit lib. 2.* & de iſtis duabus ſpeciebus agitur hìc. Quædam verò ſunt feriæ repentinæ, quas Princeps indicit vel propter palmam, ut quia hoſtes ſubjugavit, vel quia uxorem duxit, vel quia filius ei natus eſt, *ut in d. l. Sed & ſi per Prætorem, §. Si feriæ, ff. ex quib. cauſ. major. & in l. 1. C. de feriis*: & dicuntur repentinæ, quia ſunt incertæ; imò extra ordinem repentè, & ſubitò inducuntur: & iſtæ indici non poſſunt niſi à ſolo Principe, *ut l. A nullo, C. eod.* & tangam infrà *in 4. quæſt. num. 76* & de his tribus ſpeciebus feriarum, vide gloſ. in Clem. *Sæpè in verb. Ob neceſſitatem de verb. ſignif.* & Hoſt. *in ſum. eod. tit. in §. qualiter diſtinguantur*, & adde quod dixi ſupra *in 1. notab. in 3. ampliat.*

37 Secundò QUÆRO, an citatio fieri poſſit in die non feriata ad diem feriatam. Innoc. *hic num. 1. in verb. Conquieſcere*, ponit duas opiniones. Prima opinio diſtinguit ſic: aut error in aſſignatione termini exprimitur, veluti, ſi dicatur: Ad comparendum coram nobis in tali cauſa tibi diem Dominicum aſſignamus. Et citatus nec in die Dominico, nec in ſequenti comparere tenetur. Aut error non exprimitur in citatione, quamvis tacitè inſit, ut quia dicatur: Decima die venias reſponſurus, & decima dies incidat in diem Dominicum. Et tunc citatus non tenetur in die Dominico comparere, ſed benè in die ſequenti. Ratio eſt, quia duo videntur mandata, id eſt, ut ad diem compareat, & ut compareat, *l. Celſus, ff. de arbitr.* quamvis ergo habeat excuſationem in die ſolemni; tamen in ſequenti die excuſationem non habet, & datio termini tenet. Et idem dicendum eſt, ſi per 20. dies durarent dies feriati, quia in proxima ſequenti die teneretur comparere citatus.

Secunda opinio, cui magis adhæret Innocent. *ubi ſupra verſ. Item meliùs*, eſt, quòd etiam in primo membro diſtinctionis teneat aſſignatio termini, ita ut quamvis in citatione expreſsè dicatur; Compareas in die Dominico, nihilominùs citatus teneatur comparere in die ſequenti non feriata; nam & hìc ſicut in ſecundo membro duo videntur mandata; ergo & idem juris eſt eadem ratione ſecundùm Innoc. unde & feſtum B. Lucæ aſſignatur per Papam ad comparendum, *c. Cum ex litteris, §. fin. ſup. de reſtit. in integr.* & initium Quadrageſimæ, & feſtum Nativitatis Domini, *c. Ex poſuit primo reſpon. & §. fin. ſupr. de dilat.* & Dominica, in qua cantatur, Ego ſum Paſtor bonus, *cap. Cùm dilecti, §. fin. infr. de dol. & contum.*

Quid dicendum? Tu teneas primam opinionem indiſtinctè, quam tenuit Petr. de Bellap. *in l. Dies feſtos, C. de feriis*, & Hoſt. *hìc num. 3* concludens citatum ad diem Dominicum, vel alium ſolemnem, non teneri comparere; ſecus verò ſi judex dicat: Mandamus tibi, ut uſque ad 38
diem Dominicum compareas coram nobis; tunc enim tenet termini aſſignatio, & illud, *Uſque*, intelligitur excluſivè, & ſic intelligas jura proximè allegata, & ſi quæ reperias ſimilia, ſecundum Hoſt. Idem tenet Specul. *in tit. de citat. n 13.* ubi eodem modo reſpondet ad præcitata, dicens, in illis non fieri citationem ad diem feſtum, ſed ut uſque ad feſtum compareat citatus; & *uſque*, ibi ponitur excluſivè, & exponitur, id eſt citra, & ibi dicit hoc eſſe veriùs: nec putat referre, an exprimatur patenter error in citatione, ut quia dicatur, Compareas die Dominico, an non exprimatur, ut quia dicatur, Compareas decima, vel vigeſima die, & in die illa feſtum occurrat: nam neutro caſu citatus teneretur comparere ſecundum eum, & concordat hìc Joan. Andr. *num. 2. poſt med. verſ. Tu verò*, dicens pro opinione Hoſtienſis facere *l. 2. in fin. ff. Si quis in jus vocat.* & ſubdit eamdem opinionem tenuiſſe Riccardum de Senis Cardinalem, ut refert Cynus *in l. Dies feſtos in 2. qu. C. de feriis*, quòd ſcilicet ubi ponitur verbum *Uſque*, citatus qualibet die infrà terminum venire poterit; ſed quando citatur, ut tali die feriata compareat, priùs venire nec poteſt nec debet, & illa die venire non tenetur; & ſic neceſſaria eſt nova citatio. Sequitur Bellam. *in 1. qu.* nam relatis antiquorum opinionibus, tandem *num. 3. in fin. verſ. Quid dicendum*, concludit his verbis, *Breviter opinionem Hoſt. & Petri, quaſi omnes Canoniſtæ, & Legiſtæ videntur approbare, & idcircò conſulo, quod ab ea in judiciis non recedas.* Et hanc opinionem dicit tenendam eſſe tamquam veriſſimam Abb. *num. 22.* quam etiam dicit veram, & approbat Bald. *in d. l. Dies feſtos, num. 6.* Nec obſtat ratio in contrarium adducta per Innoc. quòd duo videantur mandata. Quoniam, ut reſpondet hìc Jo. Calder. *in addition.* & poſt eum Bellam. *ſub n. 2. verſ. Sed ratio*, vendicat ſibi locum, ubi citatio, vel mandatum tenuit à principio; unde licèt caſus ſuperveniens illud ſuſpendat, non tamen ex toto relaxat: at hìc fuit nullus à principio ſecundùm eos. Neque obſtat text. *in d. l. Celſus, ff. de arbitr.* quæ dicit duo eſſe præcepta, unum ſolvendi, & aliud in tempus ſolvendi. Quia non veniunt ibi ex eadem cauſa: nam primum præceptum naſcitur ex obligatione, ſecundum naſcitur ex tempore, quod datur judicatis; ſed hoc eſt unum indiviſibile præceptum, quod non poteſt pro parte valere, & pro parte non valere, *ut l. In hoc judicio, ff. fam. erciſc.* ſecundùm Bald.

Tertiò QUÆRO, quid in caſu converſo, an citatio 39
fieri poſſit in die feriata ad diem non feriatam. Ad partem negativam inducitur primò text. *in l. Dies feſtos, C. eod.* ubi dicitur: *Præconis horrida vox ſileſcat*: ergo talis citatio eſt contra legem, & ſic non valet, *cap. 2. de teſtib. cogen. & l. Non dubium, C. de legib.* quæ eſt canonizata *in cap. Imperiali 15. quæſt. 2.* Secundò quia mandatum de citando eſt quædam ſententia comminatoria, *l. Præſenti, C. de his. qui ad Eccleſ. confug.* ergo, ſi fiat die feriata, non debet valere, *ut l. 1. ff. de feriis.* Quòd ſi teneas non eſſe ſententiam, ſed

de

de proceſſu, juxta textum *in cap. Quoniam de probation.* ad-
huc idem dicendum, quia & proceſſus tali die habitus nul-
40 lius eſt momenti, ut hìc eſt expreſſum in fin. Tertiò, quia
principium eſt ponderandum, *l. Si minor, ff. de ſerv. ex-
portan.* etiam in judiciis, *l. 3. §. Scio, ff. de minor.* ergo ci-
tatio in die feriata ad diem non feriatam non valet, cum
initium ſit vitioſum.

41 Ad contrarium arguitur, quia quamvis mandatum de
citando fiat tempore prohibito, tamen effectus confertur
in tempus conceſſum, *l. Si cum uxori, & l. ſeq. in fin. ff. de
donat. inter vir. & uxor.* Prætereà idem eſt judicium de
tempore, quod de loco, *ut l. Vinum, ff. ſi cert. petat.* ſed va-
let actus habitus loco non habili, ſi effectus ipſius confera-
tur in locum habilem, *l. fin. ff. de offic. Præf. Urb. & l. Omnes,
§. Si verò apparitor, C. de Epiſc. & Cler.* ergo ſimiliter va-
let citatio facta tempore inhabili, ſi illius effectus confera-
tur in tempus habile. In hac controverſia dicit Joan. Andr.
hìc num. 3. circa med. verſ. Dicunt quidam, communiùs te-
neri, primam opinionem, quòd citatio non valeat, eſſe de
jure veram. Sed illi derogat conſuetudo, quia de facto non
ſervatur, ut dicit Jacobus de Arena, relatus à Joan. Andr.
unde hæc conſuetudo citandi in die feriata ad diem non fe-
riatam minimè mutanda, *ut l. Minimè, ff. de legib.* & pro-
ptereà Dynus, qui tenuerat primam opinionem *in l. 1. §.
Item renuntiatio, ff. de nov. oper. nuntiat.* poſteà ſe retracta-
vit, ut refert Joan. Andr. *ubi ſupr.* Et retenta hac ſecunda
opinione, cui ſuffragatur conſuetudo, non obſtant contra-
42 ria, quoniam ut notabiliter reſpondet Joan. Andr. *num 3.
circa fin. verſ. Ad contraria*, in citatione triplex eſt actus.
Primus eſt præceptum, ſeu mandatum de citando. Secun-
dus executio præcepti, id eſt citationis actus. Tertius eſt
43 proceſſus ex citatione inchoatus. Primus, qui non requirit
cauſæ cognitionem, die feriato fieri poteſt, *l. Actus, C. eod.*
Nec obſtat text. *in l. A procedente, ff. de dilation.* quia intel-
ligitur cùm pars dicit dilationem non dandam, adeò ut ſu-
44 per hoc oporteat interloqui. Secundus actus, id eſt executio
præcepti, eiſdem rationibus tempore feriato fieri poteſt, ad
hoc *l. Miles, §. Sexaginta, ff. de Adulter.* Præſertim ſe-
cundùm lecturam, quæ habet libellum in citatione, tranſ-
45 mitti. Tertius, id eſt proceſſus inchoandus ex citatione
fieri non poteſt in die feriato. Nec obſtat, quòd ſecundùm
Petrum de Bellap. olim citabatur quis ad comparendum,
vel ſatisdandum, *ut ff. In jus vocat. ut eant*, in rubro, & in
nigro, *& l. Si vero, §. Qui pro rei, ff. qui ſatiſd. cog.* per
quam citationem ſic veniendo, & fidejuſſores quærendo,
avertebatur quis ab his, quorum cauſa inductæ ſunt feriæ,
quem reſpectum habuit *d. l. Dies feſtos*. Etenim ut reſpon-
det Joan. Andr. hodie ſolùm citatur, ut veniat. Tale igitur
præceptum utique fieri poterit in die feriato.

Sed tu adverte ad hanc tripartitam diſtinctionem Joan.
And. nam etſi quod ſpectat ad tertium actum proceſſus ex
citatione inchoati, conveniant omnes, ut fieri non poſſit in
die feriato, quia verè, & propriè eſt actus judicialis, & ideò
46 inhibitus in hoc cap. & in juribus concordantibus; tamen
quoad alios duos actus Doctores magnoperè conflictan-
tur, nam contra Jo. Andr. tenet hìc Joan. Calder. relatus à
Bellam. *ſub nu. 7. col. 5. poſt princ. verſ. Joan. Calderinus*, ubi
concludit, nec præceptum, ſeu interlocutoriam ad compa-
rendum, nec illius executionem fieri poſſe in die feriato.
Idem Archid. *in cap. Placita, num 2. 15. quæſt. 4.* Speculat. *in
tit. de citat. § 1. verſ. Item excipitur, & ſeq.* & ſequuntur hìc
Butr. Cardin. & communiter moderni, ut dicit Abb. *num.
47 20. verſ. Sed moderni.* Et idem diſputando tenuit Jacob.
Butrig. ut refert Bart. *in l. 1. §. Nuntiatio, ff. de nov. oper.
nuntiat.* quia lex prohibens citationem non habuit ſolum
reſpectum ad effectum, ſed etiam ad principium: unde
quandoque prohibetur actus reſpectu effectus; & tunc ſa-
tis eſt, ut conferatur in tempus conceſſum, & ſic loquitur
text. *in d. l. Si cum uxori, & in l. ſeq. in fin. ff. de donat. inter
vir. & uxor. & in cap. de Uxore, infr. de ſepult.* Quandoque
prohibetur non ſolùm effectus, ſed etiam ipſe actus: &
tunc non ſufficit effectum conferri in tempus permiſſum,
quia cum actus ſic geſtus in tempore inhibito, non eſt ſa-
tisfactum juri, *arg. cap. fin. de reſtit. ſpoliat. & l. Fulcinius
poſt princip.* patet *in d. l. Dies feſtos*. Prætereà ſecundùm
Abb. *dict. num. 20. circa med.* quamvis citatio non arctet ad
comparendum tunc, tamen arctat pro tunc, & afficit ci-
tatum, & quodammodò eum provocat ad iram, & aliqua-
liter abrſtahitur à contemplatione Dei. Et idem dicit in ju-
dice, quia cum debeat vacare Divinis, non debet facere
præceptum de citando: nam etſi non exigatur cognitio in-
ter partes, tamen intra ſe debet adhibere aliqualem co-
gnitionem in ſtatuendo terminum. Item negari non po- 48
teſt, quin citatio ſit de proceſſu, & fundamentum judicii,
ut in d. c. Quoniam contra de prob. Et per hęc concludit Abb.
poſt alios, nullum ex dictis tribus actibus fieri poſſe in die
feriata. Facit *cap. 1. ſupr. eod.* ſecundum eum. Bart. tamen
in d. § Nuntiatio, & Butr. hìc, limitant hoc in feriis intro-
ductis in honorem Dei, ſecus verò in aliis introductis in fa-
vorem hominum, quia tunc citatio ſolùm prohibetur reſpe-
ctu exercitii, & ſic reſpectu finis citationis; non enim di-
citur, ut non citetur, ſed ut non compellatur venire, *l. 1.
De feriis*. Et quamvis Bart. ſubjungat, quòd ſi quis velit
ſervare opinionem Dini, poterit dicere prædictam l. loqui
ſpecificè in diebus Dominicis, & ideò ſecus in aliis, & idem
dixerit Calder. hìc: tamen non perſiſtunt, imò putant, ve-
rius eſſe quod dictum eſt ſupra.

Quid dicendum? Ego quoad primum actum præcepti, 49
ſive mandati, ſeu commiſſionis de citando, adhæreo opinio-
ni Joan. Andr. quæ habet citationem valere; quam dicit eſſe
communem, quia motiva contraria benè tolluntur, & quia
non refert quo tempore, vel loco fiat actus, dummodò tra-
hatur ad locum, vel tempus congruum. Et huic opinioni
communi putat ſtandum eſſe Bellam. *hìc num. 10. verſ. Quid
dicendum*, ut ſcilicet pręceptum de citando fieri poſſit etiam
die feriata in honorem Dei, ſubdens ſe eam ſervaſſe, ac ſer-
vare vidiſſe per Dominos Coadjutores ſuos, dum eſſet Ro- 50
tę Auditor; præcipuè quia commiſſio citationis eſt actus
omninò extrajudicialis nullam requirens cauſæ cognitio-
nem judicialem; & ſic per ſe conſideratus non eſt conten-
tioſę, ſed voluntariæ juriſdictionis; talia autem fiunt etiam
his diebus feriatis in honorem Dei, ut legitur, & notatur *in
l. Actus, C. eodem.* Prætereà ſicut tempore inhabili, utpotè 51
feriato, ita loco inhabili, id eſt extra territorium, prohi-
betur quis ſuam juriſdictionem exercere, *ut l. fin. ff. de Jur.
omn. Jud. & cap Ut animarum; de conſtit. lib. 6.* & tamen ex-
tra territorium proprium, & in territorio alieno quis po-
teſt facere commiſſionem, per quam in ſuo territorio ſuam
propriam juriſdictionem poſſit exercere, ut in Authen. *de
Collator. §. Antequam verò Provinciam, arg. l. 4. § fin. ff. de
offic. Proconſul. & notatur in cap. Novit de offic. Legat.* prout
ibi ſcripſit Bellam poſt Innoc. *in 5. oppoſit.* Si igitur commiſ-
ſio totius juriſdictionis poteſt fieri in die feriato: ergo &
commiſſio de citando, *arg. l. Quæ de tota, ff. de rei vendic.*
non enim diceres commiſſionem univerſitatis cauſarum
vel totius unius cauſæ ſcriptam, & datam tempore feriato
propter hoc eſſe nullam. Nec ulla ſubeſt ratio, quare magis
debeas dicere nullam eſſe commiſſionem unius articuli,
quàm totius cauſæ. Quæ ratio multùm urget, & alia mo-
tiva pro hac parte adducit Bellam. *d. n. 10. verſ. Si vero de-
cernuntur*; & reſpondet rationibus Joan. Calder.

Fallit tamen hæc concluſio in duobus caſibus, in quibus 52
nec præceptum, ſive decretum ſeu commiſſio de citando in
die feriata fieri poteſt, ſecundùm Bellam. *d. n. 10. verſ. Quid
dicendum.* Primus eſt in citationibus, quæ non poſſunt fieri
niſi à judice pro tribunali ſedente, & judicialiter proceden-
te, de quibus loquitur text. *in l. A procedente, C. de dilation.*
& quæ ſint illæ, proſequitur idem Bellam *in cap. Prætereà
in 6. quæſt. eod. tit.* nam indubitatum eſt hæc fieri non poſ-
ſe in die feriato, quia ſunt de proceſſu judiciali, qui inhi-
betur tam per legem, quàm per Canonem. Secundus ca-
ſus eſt in citationibus, quæ licèt fieri poſſint à judice etiam
pro tribunali non ſedente, tamen aliquando judicialiter
decernuntur: nam iſtæ ſi judicialiter fiant in die feriata
etiam ad diem non feriatam, non valent, ea ratione, quia
proceſſus judiciales inhibentur iis diebus; & hoc ſimiliter
dicit eſſe ſatis clarum Bellam. *loc. cit.* Et in his duobus caſi-
bus poteſt intelligi, & ſalvari opinio Joan. Calder. Sed ex-
tra illos non recedas ab opinione Joan. Andr. quòd com-
miſſio de citando decerni poſſit etiam in die feriata in ho-
norem Dei. Et hæc de primo actu.

Quo verò ad ſecundum, id eſt executionem citationis, 53
quam facit commiſſarius, ſeu Nuncius, admonendo citan-
dum de comparendo ad certam diem, mihi magis placet
opinio Joan. Calder. & Abb. contra Joan. Andr. quòd ſci-
licet talis actus in die feriata ad non feriatam fieri non
poſſit, quia nimis retraheret citatum à devotione; cum
enim ſit bonarum mentium lites execrari, *l. Item ſi res, ff.*

de

54 *de alienat. judic. mutan. cau. fact.* conturbatur per citatio-
nem mens citati, & inter ſe inquietatur, & abducitur in
ſolicitudinem deliberandi, & cogitandi ſuper cauſa citatio-
nis factæ, & plerumque provocatur ad iracundiam adver-
ſus eum, qui citationem impetravit; & ita ex mente ca-
dit ſub prohibitione operis ſervilis, *de quo in cap. 1. & in
c. Licet ſup. eod.* Si enim prohibetur finis, & terminus, pro-
hibetur etiam principium, & via perveniendi ad illum, *ut
l. Oratio, ff. de Sponſal.* & hoc de executione verbali. In
reali autem, quæ fieret per manus appoſitionem, ſeu ca-
pturam perſonæ, fortiùs urget ratio ſupra conſiderata. Præ-
tereà, proceſſus judicialis in die feriata habitus eſt ipſo ju-
re nullus, *ut hic in fin.* & dictum eſt ſupra *in 1. notab. in 5.*
55 *ampliat.* Negari autem non poteſt, quin talis citationis
executio ſit de judiciali proceſſus: nam hìc interveniunt
ſubſtantialia proceſſus, videlicet judex, ſeu commiſſarius
ipſius judicis, & inſtantia partis, quæ citationem procura-
vit, & pas alia, quæ citatur, & mandatum judicis, &
illius executio ad unius partis inſtantiam directam in
56 aliam partem, *c. Forus, §. Omni de verb. ſignificat.* Ergo
cenſeri debet in actu hujus citationis judicialem proceſſum
interveniſſe: quia ubi reperiuntur omnia ſubſtantialia
actus, etiam actum ipſum reperiri neceſſe eſt, *ut l. Natura-
li, §. Si quæratur, ff. de confirmat. tut.* Neque obſtat, quòd
non fiat à judice ſedente pro tribunali. Quia talis non eſt
actus requirens cauſæ cognitionem, eſt tamen judicialis, &
judicialiter agitatus. Hujuſmodi autem actus benè fiunt ſi-
ne tribunali, ut notatur *in d. l. A procedente*, ſecundùm
Bellam. qui poſt multa videtur reſidere in hac opinione. Et
quamvis *ſub num.* 14. fateatur communiter ſervari contra-
rium præſertim apud Sedem Apoſtolicam, ubi Auditores
Palatii citant per Curſores in quibuſcumque feſtivitatibus
quantumcumque magnis, videlicet ad dies non feriatos,
non quòd mandent expreſsè ſic fieri, ſed quia ita curſores
faciunt, nec contra hoc admitteretur impugnatio, ſub-
dens ita etiam ſervare extra Curiam Romanam apparito-
res communiter omnium aliarum Curiarum, & hanc opi-
nionem etiam de jure poſſe probabiliter ſuſtineri: tamen
quidquid ſit de temporibus Bellameræ, hodie hoc non ſer-
vat Rota. Imò *dec. 365. num. 1. p. 3. rec.* tenuit citationem
non valere, quia ſuit executioni demandata die Domini-
co, quod fieri non potuit, cùm dies eſſet feriatus in hono-
rem Dei, quidquid ſit in feriatis ob neceſſitates hominum:
Allegat Guidop. *conſ. 36. per tot.* Vant. qui de communi te-
ſtatur *in tract. de nullitatibus in tit. de nullit. ex defectu ci-
tationis, n. 46.* Bald. *dec. 159.* & Rotam *in cauſa Bononien.
liberationis a ſtaei ſſi ne 9. Februarii* 1607. coram Attreba-
ten. quæ habetur impreſſa poſt conſil. Proſp. Farinac. *lib. 2.
dec. 233.* & alios quamplures ex Recentioribus pro hac
parte cumulant moderni Collectores *hìc n. 2.*

Quartò & ultimò ex facto quæſitum eſt, an Princeps
57 laicus ſtatuere poſſit, ut dies alicujus Sancti ab Eccleſia
Canonizati à ſuis ſubditis ſervetur, ac ſi eſſet dies feſtus ex
præcepto Eccleſiæ.

Emerſit hæc diſceptatio occaſione Edicti à D. Marchio-
ne de Carazena Gubernatore Mediolani inconſultò Ar-
chiepiſcopo publicati die 30 Junii 1653. in quo præcepit ob-
ſervari feſtum S. Dominici die 4. Auguſti cujuſque anni in
toto illo ſtatu: de cujus Edicti ſubſiſtentia à S.D.N. Inno-
centio juſſus dicere pro veritate quid ſentirem, reſpondi
ut infra.

Dies feſtos ob reverentiam Dei, & Sanctorum, ſolum
58 Beatiſſimum Romanum Pontificem poſſe inſtituere in
Eccleſia univerſali, & ſingulos Epiſcopos in ſuis diœceſibus
ſatis conſtat ex Canone Concilii Lugdunenſis relato *in ca.
1. de conſecr. diſtinct. 3.* & ex Decretali Gregorii IX. in hoc
c. Conqueſtus de feriis, ubi Papa enumeratis feſtivitatibus,
quibus venerationem exhiberi jubet in toto orbe Chiſtia-
no, immediatè ſubjungit: *Cæteriſque ſolemnitatibus, quas
ſinguli Epiſcopi in ſuis diœceſibus cùm Clero, & populo duxe-
rint ſolemniter venerandas.* Et innuitur à Concilio Tri-
dentino *ſeſſ. 25. de Regular. cap. 12* ibi: *Dies etiam feſti,*
59 *quos in diœceſi ſua ſervandos idem Epiſcopus præceperit.* Re-
ges ergo, & Principes ſæculares, civitates, & populi nul-
lam habent poteſtatem indicendi aliquem diem feſtum in
honorem Dei, vel Sanctorum, niſi ex authoritate Papæ,
vel Epiſcopi diœceſani. Et ita per hunc textum firmant
Bellam poſt Martianum de Selva *hìc quæſt. 4. verſ. Sed ad-
huc quæritur*, ubi in individuo loquitur de feſto S. Domini-
ci, & Ant. de Butr. *num. 3.* Abb. *in c. Quoniam num. 2. eod.
tit.* S. Antonin. *in 2. p. tit. 9. c. 3. verſ. Feriæ verò ſolemnes*,
Silveſt. *in verb. Dominica, num. 2.* Armilla *in verb. Feriæ
num. 2.* Tabiena *in eod. verb. num. 1. poſt med. verſ. Feriæ ve-
rò ſolemnes*, & paſſim recentiores Theologi, præſertim
Hiſpani, ut Suarez de Religione *tom. 1. lib. 2. de diebus fe-
ſtis c. 12.* dicens rem eſſe claram, & communem, Azor.
Inſtitut. moral. p. 2. lib. 1. c. 26. qu. 5. Thomas Sanchez *conſ.
moral. lib. 5. c. 2. num. 7.* Caſtro Palao *p. 2. tract. de obſer.
feſtor. diſput. unica punct. 2. à n. 7.* & alii plures.

Sumitur hæc concluſio ex illo communi principio, quòd 60
idem mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus ſic
actibus propriis, & dignitatibus diſtinctis officia, ac juriſ-
dictiones diſcrevit, ut temporalia ſæcularibus poteſtatibus,
ſpiritualia verò ſolis Pontificibus voluerit eſſe ſubjecta, *c.
Cùm ad veram, & cap. ſi Imperator 96. diſt.* & habetur 10.
diſt. per tot. & in c. Solitæ de major. & obed. & magiſtraliter
per Joan. Andr. poſt Hoſt. *in cap. Per venerabilem col. 61. in
verb. Plenitudine poteſtatis, qui filii ſint legitimi*, Oldrad.
conſ. 83. An Epiſcopus per tot. Actus autem indicendi, & 61
præcipiendi dies feſtos, & cultui Divino dicatos, propriè
ſpiritualis eſt, & ad pietatem ac Religionem pertinens,
Clem. *unica de Reliq. & Vener. Sanct.* & patet ex Conc. Tri-
dent. *ſeſſ. 25. de delect. ciborum, jejuniis, & diebus feſtis, verſ.
Vel etiam quæ faciunt ad pietatem.* Igitur ejuſmodi actus
indicendi dies feſtos ſpectat ad Paſtores Eccleſiæ, cùm id
primò, & principaliter ordinetur ad Divinum cultum, &
animarum profectum, *cap. Placita 15. qu. 4. cap. 1. & c. Licèt
ſupra eod. l. fin. C. eod.* & declarat Abb. *in hoc cap. In primo
notab.* & conſequenter non poteſt legalis auctoritas in his
ſe ullatenus immiſcere, cùm laicis de rebus ſpiritualibus
ſtatuendi nulla ſit attributa poteſtas, quos obſequendi ma-
net neceſſitas, non auctoritas imperandi, *cap. Cùm laicis
de reb. Eccleſ. non alien. cap. Benè quidem 96. diſt. c. Eccleſia
S. Mariæ de conſt.* per quem textum Collectarius *hìc num.
7. in fin.* tenet ferias repentinas à Principe indictas non 62
eſſe obſervandas in foro Canonico. Et eum ſequitur Bel-
lam. *n. 19. in 6. quæſt. principali circa finem, verſ. Item quæri-
ritur de feriis repentinis.* Præterea idem eſt judicium de 63
tempore, quod de loco, *l. Unum, ff. ſi cert. petat.* ſed conſe-
cratio, & dedicatio loci ad cultum Divinum ſpectat ſolùm
ad Præſules Eccleſiæ, non autem ad ſæculi poteſtates, *c.
Placuit 1. quæſt. 2. cap. Nemo de conſecr. diſt. 1. §. Sacræ res*,
& ibi gloſ. *in verb. Pontifices Inſtitut. de rer. diviſ.* ergo &
conſecratio temporis. Indictio enim feſtivitatum in hono- 64
rem Dei nihil eſt aliud, quàm quædam conſecratio, per
quam dies illi efficiuntur ſacri, & Divinis obſequiis dedi-
cantur, *c. Placita 15 quæſt. 4. c. 1. & c. Licèt ſup. eod. l. Omnes
dies verſ. Sacros, C. eod. tit.* Unde gloſ. 1. *in c. 1. de conſecr.
diſt. 3.* dicit Gratianum inter Sacramenta inſerere tracta-
tum de ſolemnitate dierum feſtorum, quia inter Sacramen-
ta habentur, cùm repræſentent paſſiones eorum Marty-
rum, propter quos fiunt. Ad hoc *cap. Baptizandi*, ibi,
Pentecoſtes venerabile Sacramentum, de conſecr. diſt. 4.
Quo argumento de loco ad tempus in hac materia utitur
hìc Jo. Andr. *n. 3. circa med. verſ. Idem judicium*, & Bellam.
num. 10. poſt med. verſ. Et facit pro parte iſta. Præterà Prin- 65
ceps laicus non poteſt dies feſtos in honorem Dei, vel
Sanctorum introductos tollere, nec ſubditos ſuos abſolve-
re ab obligatione illos ſervandi, ut latiſſimè probat Signo-
rolus de Homodeis *in conſ. 245. incipien. In quæſtione ver-
tenti, maximè col. 2. circa med. verſ. Item non obſtat quod di-
citur*; ſubdens ridiculum eſſe contrarium aſſerere: ergo
nec poteſt novos dies feſtos in honorem Dei introducere,
& ſubditos obligatione illos ſervandi ligare, quia par eſt jus
ligandi, atque ſolvendi, *cap. Verbum de pœnit. diſt. 1.* Ad
idem *c. 1. de regul. jur. l. Nemo qui condemnare, ff. eod. l. Qui
condemnare, ff. de re jud. & l. 3. §. Conditio, ff. de adimen.
legat. & l. Solet, §. Sicut, ff. de offic. Proconſul.*

Et quamvis Imperatores aliquando in his videantur ex- 66
ceſſiſſe limites Imperialis poteſtatis, & in ſpecie Conſtan-
tinus legem tulerit, ut die Veneris omnes à judiciis, & aliis
negotiis vacarent, precibus, & obteſtationibus Deum
colerent, ut referunt Euſebius, & Jexomenus, & ex illis
Baronius *ad annum Chriſti 321.* attamen lex illa non fuit
recepta ab Eccleſia, & nulla fuit ex defectu poteſtatis, ſe-
cundùm theoricam Joan. Andr. *cap. Non minus num. 14. de
immun. Eccleſ.* quam ibi ſequuntur Butr. *num. 10.* & Abb.
Calder. *conſ. 2. num. 3. verſ. Reperio de cenſib.* & ſcripſi ple-
nius

niùs *in d. c. Eccleſia S. Mariæ*, *à num.* 17. *de conſtit.* Aliæ
autem leges Imperiales, quæ habentur *C. De feriis*, non in-
ducunt novas ferias in honorem Dei, ſed jam ab Eccleſia in-
dictas obſervari præcipiunt, *ut l. 2. & 3. l. Omnes dies*, *& l.*
Dies feſtos, *C. eod.* quod non effugit poteſtatem Catholico-
rum Principum, *ut c. Si in adjutorium*, 10. *diſt.* & fuſiùs di-
cam infrà *n. 78. verſ. Unde poteſt quidem ſtatutum laicale*.
68 Auctoritas verò Baldi *in hoc c. n.* 3. dicentis valere ſtatu-
tum, quòd diebus Veneris ſint feriæ propter commemora-
tionem Dominicæ Paſſionis; intelligi debet de ſtatuto di-
to cum conſenſu Epiſcopi, & Clerici, prout etiam debent in-
telligi Legiſtæ, qui ſcripſerunt, ſtatuto Civitatis poſſe intro-
duci ferias in honorem Dei, ut idem Bald. *in l. Quadragin-*
ta, *n. 1. C. De feriis*, Alex. *in l. Præſides n. 2. ff. eod. & in conſ.*
13. *n. 3. lib. 5.* & Decius *in l. Milites*, *n. 18. de teſtam. Militar.*
69 Aliàs enim ſi intellligeretur de ſtatuto edito à civitate, ſeu
populo ſine Epiſcopo, & Clero utique loqueretur contra
hanc Decretalem, ubi patet ſolum populum ſine Epiſcopo,
& Clero nequaquam poſſe incidere ferias ſolemnes in ho-
norem Dei, & Sanctorum, etiam quantum ad hoc, ut in
illis diebus à ſtrepitu judiciali, & actionibus forenſibus ſit
abſtinendum, ut per Bellam. *hìc in 4. q. verſ. Sed adhuc quæ-*
ritur, & pleniùs deduxi ſuprà *in 4. notab. à num.* 33. In quem
ſenſum accipi etiam debet gloſ. additionalis *in l. Si feriatis*,
ff. De feriis, dum dixit per ſtatuta, & conſuetudines loco-
rum poſſe ferias indici, & indictas tolli ea ratione, quia
Decretalis dicit, etiam in feriis ad honorem Dei ſervari con-
ſuetudines, & ſtatuta locorum, *ut in c. Cappellanus*, *ſup. hoc*
tit. Et enim Decretalis illa loquitur de ſtatutis Canonicis, &
ab Eccleſia approbatis, & de conſuetudine non tantùm lai-
corum, ſed etiam Eccleſiaſticorum. Quam differentiam
conſtituit Abb. *in c. 1. n. 9. de Sponſalibus*, ubi ait ſtatutum
laicorum in caſu illo eſſe nullum, quia materia non perti-
net ad ipſos; ſed ſecus in conſuetudine, quia in ea intervenit
conſenſus Epiſcopi, & totius Cleri; de quo ſcripſi pleniùs
in c. 1. num. 15. de cogn. ſpiritual.
70 Nec prædictis obſtat, quòd Sanctus Antoninus *in 2. part.*
tit. 9. c. 8. §. 1. & Silveſt. *in verb. Dominica*, *n. 2.* dixerint, ſi Do-
minus, vel Civitas ſtatuant feſtum ſub certa pœna colen-
dum, culpam quidem violatores non incurrere, quia ad eos
non pertinet feſta præcipere, ſed tamen pœnam exigi poſſe.
71 Quoniam ne Canonem, nec rationem ùllam allegant, eoſ-
que refellunt Suarez, & Caſtro Palao ſupracitati, ea ratio-
ne, quia eorum dicta implicant repugnantiam, ut ſcilicet
Princeps ſæcularis non poſſit legem ferre ſuper inſtitutione
feſti obligando ad culpam, & tamen poſſit à trangreſſori-
bus pœnam exigere; quia ubi nulla eſt culpa, ibi nulla po-
teſt eſſe pœna, *l. Sancimus*, *C. de pœnis*, *cum ſimilibus.* Sed
72 tu dic clariùs, ubi ſtatutum eſt nullum ex defectu poteſtatis,
eo quòd diſponat in materia ſpirituali, & ad Divinum cul-
tum ſpectante, adjectionem pœnæ non valere, ut diſputan-
do concludit Joan. Andr. *in c. Statutum il primo, poſt princ.*
in verb. Compellandas de Hereticis lib. 6. cum quo concor-
dant ibi Petr. de Anchar. *n. 3. verſ. Ultimò*, Gemin. *col. 1. poſt*
med. verſ. Sed pone quod ſtatutum civitatis, & Philippus
Francus *n. 3.* Abb. *conſ. 12. Ut clarè materia*, *n. 2. lib. 1.* & alii
copioſè congeſti à Felino *in c. 1. n. 13. de Sponſal.* Facit text.
in c. Gemma eod. tit. ubi adjectio pœnæ non valet contra li-
bertatem matrimonii. Item facit text. *in l. 1. C. de his*, *quæ*
pœna nomine, ubi pœna adjecta contra leges non tenet, nec
committitur, ſi contra fiat. Unde poteſt quidem ſtatutum
73 laicale pœnam infligere violantibus dies feſtos ab Eccleſia
inſtitutos, cum hoc ſit mixti fori, ut declaravit ſan. mem. S.
Pius V. *in Conſtitutione 5. incipien. Cùm primum*, § 7. *in Bul-*
lar. tom. 2. pag. 180. Prohibitus enim ſtatuere in aliqua ma-
teria propter defectum poteſtatis, poteſt nihilominùs in illa
ſtatuere fortificando jus commune cum adjectione pœnæ,
ut voluit gloſ. ſingularis in Clem. *Ne Romani in princ. in*
verb. Tolli de elect. Felin. poſt alios *in d. c. 1. n. 12. poſt med.*
74 *verſ. Et prohibitus de Sponſal.* Quinimò officium Catholi-
corum Principum eſt in adjutorium Eccleſiæ ſacrarum
Conſtitutionum præcepta tueri, & in illarum violatores
animadvertere, *c. Si in adjutorium* 10. *diſt.* & ad id graviſ-
ſimis verbis admonentur à S. Trid. Synodo *in c. 20. ſeſſ. 25. de*
reform. At novum præceptum de die feſto ſervando ſtatue-
re, & tranſgreſſoribus pœnam imponere, non eſt ſæcularis
poteſtatis, ſed Eccleſiaſticæ tantùm, ut in juribus initio ci-
tatis; alioquin eſſet in facultate laicorum promulgare leges
iniquas, & libertati Eccleſiæ adverſantes, eaſque per indi-

rectum metu pœnæ in uſum, & obſervantiam inducere,
quod paſſim exaggerant Doctores *in c. 1 de Sponſal. & in d.*
c. Statutum de Hæreticis lib. 6. & in d. c. Eccleſia de Conſt.
ubi Felin. latiſſimè *n. 99. q. 16.*
Similiter non obſtat, quòd aliqui moderni, ut Sayr. *in* 75
Clavi Regia, *lib. 3. c. 3. num. 17. §. Quinta propoſitio*, & Mol-
pheſ. *in Summa Theologica p. 1. tract. 11. c. 27. num. 39.* opi-
nentur, Principis laicos, licèt præcipere non poſſint, ut ali-
quis dies feſtus colatur Miſſæ auditione, poſſe tamen ſtatue-
re, ut ſubditi in illa die ab operibus ſervilibus abſtineant,
quaſi hoc ſpectet ad regimen politicum. Etenim hanc opi-
nionem jure optimo reprobant Suarez, & Caſtro Palao ſu-
periùs relati: quia etſi ceſſatio ab operibus mechanicis, ſi
fiat ob aliquem finem politicum, ſit actio merè ſæcularis;
tamen ſecus eſt, ſi indicatur in ordine ad cultum Dei, &
Sanctorum ejus, quia tunc eſt materia Religionis, circa
quam laica poteſtas ſtatuendi facultatem non habet ſecun-
dùm eos. Itaque ad internoſcendam qualitatem legis præci-
pientis ceſſationem ab operibus ſervilibus, inſpiciendus eſt
finis principalis, in quem ordinatur, *c. Quoniam* 10. *diſt.*
nam ſi finis ſit merè politicus, & civilis, lex dijudicabitur
de materia temporali, & ſpectante ad poteſtatem laicalem.
Unde videmus Principem laicum poſſe ferias repentinas 76
indicere ob publicam gratulationem, puta ob diem Natalis
ſui, vel Filii, ſui vel ſuæ coronationis, vel quia uxorem du-
xit, vel ob rem proſperè geſtam, velut propter gaudium
victoriæ ab inimicis habitæ, *ut l. Sed etſi*, *§. Si feriæ*, *ff. ex*
quib. cauſ. major. in integr. reſtit. l. Dies feſtos, ibi, *Etſi in*
noſtrum ortum, *& l. A nullo*, ubi Bald. & Scribentes, *C. De*
feriis, & dixi ſupra *in 1. q. n. 36. verſ. Quædam vero ſunt fe-*
riæ. Sin autem finis, in quem ordinatur lex præcipiens ceſ-
ſationem ab operibus ſervilibus, ſit cultus Dei, tunc lex ju-
dicabitur de materia ſpirituali, & ſpectante ad Religionem: 77
nam, ut inquit S. Thom. *in 2. 2. qu. 122. art. 4. in corp.* ad
Religionem pertinet cultum Deo exhibere: finis autem
ceſſationis ab operibus in feſtivitate alicujus Sancti ſit prin-
cipaliter ob cultum, & reverentiam Dei, ut hìc notant Abb.
in 1. notab. quia Deum veneramur in Sanctis ejus, Clem.
Si Dominus de Reliq. & vener. Sanctor. c. Glorioſus eſt Deus
in Sanctis ejus, *eod. tit. lib. 6.* & dixi ſupr. *in 1. notab. in pri-*
ma ampliat. & conſequenter non ſpectat ad poteſtatem lai-
calem indicere ceſſationẽ ab operibus in feſtivitate alicujus
Sancti. Quæ concluſio clarè etiam deducitur ex hac Decre-
tali; nam hìc nulla ſit mentio de Miſſæ auditione, ſed ſim-
pliciter ſtatuuntur feriæ in feſtivitatibus Sanctorum hìc
enumeratis, & indicitur ceſſatio ab omni opere, ſeu ſtrepi-
tu judiciali; & tamen hujuſmodi ceſſatio indici non poteſt
à civitate, vel populo, ſed requiritur authoritas, & conſen-
ſus Epiſcopi, & Cleri, ut fuſiùs oſtenſum eſt ſuprà *in 4. no-*
tab. Hæc igitur ſpecialia ſunt, & extra ſphæram poteſtatis
laicalis. Et ſanè ſi Principes ſęculares poſſent novos dies fe-
ſtos ſtatuere indicendo ceſsationem ab operibus mechani-
cis, cur itidem non poſſent nova jejunia inſtituere, publi-
cas proceſſiones ordinare, funeribus defunctorum leges
præfinire, & alia ſimilia facere, quæ certiſſimi juris eſt ad
ſolam Eccleſiam pertinere, *c. Rogationes de conſecr. diſt. 3.*
& cap. Jejunia diſt. 3. cap. ult. de reb. Eccleſ. non alien. cum
multis ſimilibus.
Cæterùm in caſu, de quo agitur, ceſsat omnis ambigui-
tas, quia literæ Regiæ in Edicto Gubernatoris de verbo ad 78
verbum inſertæ nullam pœnam imponunt, nec jubent ſub-
ditos in die S. Dominici ceſsare ab operibus ſervilibus, ſed
ſimpliciter præcipiunt, *Que ſu fieſta ſe guarde*, *y ſolenize.*
Quinimò adjiciunt. *Como las demas que hay de guardar en*
eſte mi eſtado. Quæ verba clarè demoſtrant literas voluiſse
idipſum ſtatuere de feſto S. Dominici, quod ex præcepto
Eccleſiæ in illo ſtatu ſervari debet in aliis feſtivitatibus.
Quinimò id apertiùs exprimitur paulò infrà, dum dicunt:
En virtud de la quates mi voluntad guarden, *y hagan guar-*
dar la fieſta del dicho Sancto, *como ſi fuera di præcepto de l.*
Ygleſia. Quæ clauſula evidenter oſtendit literas voluiſse ſta-
tuere, ut dies S. Dominici eſset ſolemnis, & feſtivus ex præ-
cepto Regio ad eum proſus modum; quo aliæ feſtivitates
ſunt ſolemnes ex præcepto Eccleſiæ, cùm dictio illa, *Como*,
importet omnimodam ſimilitudinem, *l. Si quis obrepſerit*,
ff. De falſis, *c. Olim de verb. ſignific. & c. In Eccleſia de præb.*
lib 6. Et quamvis in eiſdem literis dicatur: *y aſſi dareis à los*
tribunales del para la execution deſte deſpacho la orden ne-
ceſſaria: hinc tamen non licet inferre, ut voluerint impo-

nere tribunalibus ſolam obligationem feriandi à ſtrepitu judiciorum & negotiis forenſibus, ſed potius, ut eadem tribunalia mandarent executioni illud idem, quod ſupra diſertis verbis præceperant, nempe *Que ſu ſieſta ſe guarde y ſolemnize como las dømas*: nam clauſulæ executivæ non alterant, nec limitant diſpoſitionem, ut eſt caſus in Clem. I. *de præb.* Socin. Senior. *conſ.* 281. *in fin. lib.* 2. Felin. *in cap. Licet n.* 7. *de offic. Ordin.*

Sed quatenùs ſubeſſet aliqua dubitatio in literis Regiis, illam tamen prorſus ſuſtulit Gubernator Mediolani in ſuo Edicto: nam ſive explicans mentem literarum, ſive excedens limites ſuæ facultatis, non ſolùm injungit vaſſalis, ut ceſſent die 4. Auguſti ab operibus ſervilibus, ſed ampliùs addit: *Feſteggiando detta giornata con ogn' altra dimoſtratione di ſpirito, e devotione Chriſtiana.* Quò etiam reſpiciunt literę Regiæ in exordio, ibi: *ſiendo tanta la devotion, quæ todos mis Reynos, y Eſtados deven tienen, y tinen a S. Domingo in Soriano.* Præcepit ergo formaliter quod præcipit Eccleſia in diebus feſtis, nimirum, ut populus ab operibus ſervilibus ſe abſtineat, ac vacet cultui Divino, in quibus duobus conſiſtit formalitas celebrationis feſti, *c.* 1. *& c. Licet de feriis, c. Nullus, & c. Placita* 15. *q.* 4. *c. Rogationes de conſecr. diſt.* 3. & declarat S. Thomas *in* 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. *ad* 3. dicens: *In obſervantia Sabbati duo ſunt conſideranda, quorum unum eſt ſicut finis, & hoc eſt, ut homo vacet rebus Divinis, quod ſignificatur in hoc, quod dicit, Memento, ut diem Sabbati ſanctifices. Illa enim dicuntur ſanctificari in lege, quæ Divino cultui applicantur. Aliud autem eſt ceſſatio operum, quæ ſignificatur cum ſubditur, Septima die Domini Dei tui non facies omne opus.* Hæc Divus Thomas. Edictum igitur utrumque præcipiendo, ſcilicet ceſſationem operum, & exercitium Divinorum, utique poſuit falcem in meſſem alienam, & libertatem Eccleſiaſticam violavit, *c. Decernimus, de judic. c.* 1. *de immun. Eccleſ. lib.* 6. cum ſui concordantiis.

Quæ omnia multò magis vendicant ſibi locum poſt Bullam ſan. mem. Urbani VIII. *Univerſa*, quæ declarat ſolos dies feſtos in ea numeratos eſſe de precepto, ſublatis contrariis ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus. Et ne dies feſtos à locorum Ordinariis nimia aliquorum facilitate, aut populorum importunitate deinceps iterùm multiplicari contingat, eoſdem Ordinarios ſeriò admonet ut ad Eccleſiaſticam ubique ſervandam æqualitatem de cætero perpetuis futuris temporibus ab indictione ſub præcepto novorum feſtorum ſtudeant abſtinere. Quæ ſanè proviſio parùm prodeſſet, ſi poteſtati laicali fas eſſet novos dies feſtos ſtatuere: nam popul. quod ab Ordinariis impetrare non poſſent, à Principe ſæculari importunis precibus extorquerent, contra regulam *l. Scire, § Si mater, ff. de tutor. & curat. & l. ult. C. ſi manc. itaven.* & Conſtitutio fieret ludibrio, contra id, quod habetur *in l. ult. §. fin. C. de Bonis, quæ liber. & in c. Commiſſa, de elect. lib.* 6.

Sequitur Declaratio Apoſtolica.

INNOCENTIUS PAPA X. Ad futuram rei memo- 80
riam. Cùm nuper ad notitiam noſtram non ſine gravi animi noſtri moleſtia pervenit, quòd dilecti filii Senatus Mediolani per litteras circulares datas die 20. Junii proximè præteriti, & dilectus filius nobilis vir modernus Gubernator ſtatus Mediolani, per Edictum publicum publicatum die 30. ejuſdem menſis Junii mandaverint obſervari diem feſtum S. Dominici die 4. menſis Auguſti cujuslibet anni in toto illo ſtatu, præcipientes, ut populi, & ſubditi illius ſtatus abſtineant ab operibus ſervilibus, & artifices tabernas & apothecas clauſas teneant, prout ſervatur cæteris diebus feſtis ex præcepto; & ulterius in Edicto prædicto exprimatur feſtivitatem eſſe celebrandam cum omni devotione ac pietate Chriſtiana: Nos, quibus univerſalis Eccleſiæ Regimen à Domino commiſſum eſt, conſiderantes, quàm pernicioſum authoritate Eccleſiaſticæ id eſſe poſſit, cùm Principes laici, quos in rebus Eccleſiæ obſequendi potiùs manet neceſſitas, quàm authoritas imperandi, non habeant facultatem imperandi dies feſtos in honorem Sanctorum; de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſacris Ritibus Præpoſitorum, quibus hoc negotium diſcutiendum commiſſimus, conſilio prædictas litteras, & Edictum emanata authoritate laicali ſuper obſervatione prædictæ feſtivitatis S. Dominici, fuiſſe, & eſſe omninò nulla, nulliuſque roboris, & mementi, nec aliquo modo ſervanda Apoſtolica authoritate tenore præſentium declaramus. Sicque & non aliter in præmiſſis per quoſcumque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & quoſvis alios quacumque authoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. In contrarium facientibus, &c. Non obſtantibus quibuſcumque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 6. Octobris 1653, Pontificatus noſtri anno decimo.

DE ORDINE COGNITIONUM.

Clemens III. Alatrino Epiſcopo.

CAPUT I.

INtelleximus quòd, cùm quædam mulier peteret quemdam in virum, teſtes ad ſuæ intentionis aſſertionem induxit: per quos pars viri futurum ſibi præjudicium metuens, exceptionem conſanguinitatis objecit, ex qua intendit petitionem mulieris elidi: & infrà, Inquiſitioni tuæ taliter duximus reſpondendum, quòd cum exceptione probata, quæſtio principalis perimatur, ante eſt cognoſcendum de ipſa, quàm ad diffinitionis articulum procedatur: quo facto, virum ab impetitione mulieris (prout expoſcit ratio juris) abſolvas.

SUMMARIUM.

1 *JUdex ante ſententiam de peremptoria exceptione cognoſcit. Sufficit tamen ut ſuper principali pronuntiet.*
2 *Exceptio conſanguinitatis admittitur contra mulierem petentem aliquem in maritum.*
3 *Si agat judicio petitorio: ſecus ſi poſſeſſorio reintegranda.*
4 *Et quid ſi maritus offerat probationes in continenti paratas.*
5 *Exceptionem peremptoriam non expedit reo proponere ante fundatam intentionem actoris, & n.* 13.
6 *Exceptio peremptoria eſt quæ perimit petitionem actoris, & num ſeq.*
7 *Exceptio dicitur actionis exculuſio.*
8 *Exceptio omnis peremptoria debet diſcuti, antequam diffiniatur negotium principale.*
9 *Lite tamen priùs conteſtata, & n.* 34.
10 *Niſi ſit exceptio litis finitæ.*
Vel ſit notoria, n. 11.
Aut contineatur in inſtrumento; vel reus offerat ſeſe illam in continenti probaturum, n. 12.
11 *Judex non debet permittere, ut factum, cui notoria obſtat exceptio, in judicium deducatur.*
14 *Exceptio peremptoria, etiamſi veniat cognoſcenda coram diverſo judice, debet diſcuti ante diffinitionem articuli principalis, & n.* 31.
15 *Præjudiciales quæſtiones debent diſcuti, antequam ſuper principali negotio lis fuerit conteſtata.*

Exce-

16 *Exceptione dilatoriæ regulariter ſunt proponendæ ante litis ingreſſum.*

17 *Excommunicationis exceptio quamvis ſit dilatoria, tamen proponi poteſt quandocumque etiam poſt ſententiam.*

18 *Exceptio dilatoria ſolutionis proponi debet ante litem conteſtatam, non tamen prius quàm actor fundaverit intentionem ſuam.*

19 *Exceptio dilatoria, quæ incipit competere, aut venit ad notitiam rei poſt litem conteſtatam, tunc proponi poteſt.*

20 *Exceptio, quæ limites exceptionis excedit, non perimit quæſtionem principalem, ſed ſunt duæ petitiones viciſſim tractandæ, & terminandæ.*

21 *Judex an, & quando ſuper incidenti debeat pronuntiare, & n. 23. uſq. ad n. 32.*

22 *Quæſtio incidens an, & quomodo differat ab emergenti.*

23 *Pronuntiandum eſt ſuper emergenti.*

24 *Secus ſuper incidenti regulariter.*
Fallit primò, ſi incidens proponatur in vim dilatoriæ ad impediendum proceſſum, n. 26.
Fallit ſecundò, ſi incidens debeat cognoſci coram alio judice, n. 27. & 31.

25 *Judex pronuntiando ſuper principali, cenſetur tacitè pronuntiare ſuper incidenti.*

28 *Pronuntiandum eſt indiſtinctè ſuper incidenti, vel emergenti, quando ſine tali pronuntiatione proceſſus cauſæ principalis expediri non poteſt.*

29 *Aliàs non tenetur judex pronuntiare.*

30 *Poteſt tamen ſi vult, nec ob id proceſſus redditur nullus.*

31 *Niſi incidens, vel emergens ventilari debeat coram alio judice.*

32 *Præjudiciales quæſtiones quæ dicantur, & n. ſeqq. uſque in fin.*

33 *Præjudicialis quæſtio an, & in quo differat à peremptoria, & num. 35.*

34 *Exceptiones peremptoriæ quamvis proponi debeant ante litis conteſtationem, tamen non probantur niſi lite conteſtata.*

35 *Præjudicialis quæſtio dicitur diverſis reſpectibus.*

36 *Exceptio illegitimitatis an ſit præjudicialis, vel peremptoria.*

1 INtelleximus. Judex ante ſententiam de peremptoria exceptione cognoſcit: ſufficit tamen, ut ſuper principali pronuntiet. Hoc dicit ſecundùm Abb. Antiq. Joan. 2 Andr. Calderin. Bald. & omnes. Vel ſpecialiùs ſecundùm Abb. Siculum: Contra mulierem vendicantem aliquem in maritum admittitur exceptio conſanguinitatis, quæ priùs diſcutienda eſt, quàm ſuper matrimonio pronuntietur: & ſufficit ſuper ipſo principali pronuntiare. Communis diviſio. Conſultatio, & reſponſio. Secunda ibi, *Inquiſitioni*.

3 Nota primò ibi, *Peteret quemdam in virum*, mulieri agenti judicio petitorio ad vendicationem mariti obſtare exceptionem conſanguinitatis: nam iſta mulier petebat ſibi virum adjudicari; & ſic petitorium intentabat: ſecus tamen eſſet, ſi intentaſſet remedium poſſeſſorium reintegrandæ, petendo ſibi virum reſtitui, quia tunc conſanguinitatis exceptio non admitteretur ad retardandam reſtitutionem, ut in Decretali Lucii III. *Ex con queſtione*, infra de reſtit. ſpoliat. quam cum textu noſtro ita conciliat Innocentius III. *in cap. Litteras*, *verſ. Quamvis præſcriptum Lucii Papæ, eod. tit.* ad idem *c. Accedens, ſupra ut lit. non conteſtat. c. Cauſam de offic. delegat.* & ita hìc poſt Alan & Groffred. diſtinguit Innocentius *in princ.* exponens ver. *Peteret*, ſcilicet intentans petitorium, ſecus, ſi poſſeſſorium; & ſequuntur Abb. Antiq. *nu. 2.* Hoſt. *in princ.* Joan. Andr. *n. 2.* 4 Calder. *eod. n.* Abb. Siculus *in 2. not.* & reliqui omnes. Quod tamen intellige, niſi conjux offerat probationes conſanguinitatis in continenti paratas; quia tunc recepto ab ipſo priùs juramento de malitia, denegabitur reſtitutio quoad thorum, licèt non quoad reliqua, ut deciditur in prædicta Decretali, *Litteras*, ubi eſt caſus, ſecundùm Joan. Andr. & omnes: & adde quod legitur, & notatur *in c. Inquiſitioni, infrà de ſentent. excomm.*

5 Secundò nota ſecundùm Ant. de Butr. *n. 4.* & Imol. *nu. 2.* utilem cautelam ex parte rei, ut ſcilicet non proponat exceptionem peremptoriam, priuſquam actor ſuam intentionem fundaverit, prout iſte vir non objecit exceptionem conſanguinitatis, niſi poſtquam mulier teſtes induxit ad ſuam intentionem fundandam, *ut in princ. litteræ*. Idque ob eam rationem, ne reus aliàs opponendo fruſtra ſe gravet, ſi fortè actor ſuam intentionem non probet. De quo *in l. Si quidem, C. de except. & in c. De teſtibus, infra de teſtib.* Poteſt tamen ſi velit ſtatim oblata petitione actoris opponere, ſed incautè agit, ut ait Butr. *d. num. 4.* Imò fortius eſt, quia fortaſſe actor non probabit, ſecundùm Abb. *num. 8. verſ. Aut vult proponere.*

Tertiò nota ibi: *Quæſtio principalis perimatur*, exceptionem peremptoriam eſſe, quæ perimit, & elidit petitionem, ſeu actionem actoris. Concordat §. *Perpetuæ*, *Inſtit. de except. & l. 3. ff. eod.* §. *Exceptio 3. q. 6.* & hìc notant Hoſt. *num. 1. in ver. Elidi*, Calder. *n. 4.* Butr. *num. 5.* Imol *num. 3.* Abb. *in 4. notab.* Cardin. in Clem. *ult. in 3. q. num. 2. de appellat.* Et propterea exceptio dicitur actionis excluſio, *l. 1. ff. de except. cap. 2. infra eod. & cap. An bis, infra de except.* Petr. de Anchr. *conſ 6. Viſo themate num. 4. verſ. Ex quo patet*, & Abb *ubi ſupra*. Quod tamen intellige ſecundùm Calder. & Butr. poſtquam exceptio fuerit probata, ut innuit littera hujus textus ibi, *Quo facto*, idest plenè probata exceptione, ut exponunt Hoſtienſ. & Jo. Andr. ambo *num. 3. in ver. Quo facto*. Ad idem *l. 2. ff. de except. & cap. Ad aures, infra de præſcript.* 6 7

Deſcendo ad gloſſam magnam, quæ reputatur valdè difficilis, & divido materiam in duos principales articulos. Primus eſt, quo ordine ſit proponenda ſeu diſcutienda exceptio peremptoria. Secundus, an, & quando ſuper exceptione incidenti, vel emergenti ſit pronuntiandum.

Quo ad primum hæc ſit concluſio, quòd exceptio peremptoria debet diſcuti antequam diffiniatur negotium principale, quæ concluſio probatur clarè in hac Decretal, ubi deciditur prius eſſe cognoſcendum de exceptione conſanguinitatis quàm ad diffinitionis articulum procedatur, & ita hìc eſt caſus apertus, ſecundùm Abb. Antiq. Joan. Andr. Calder. Bald. & omnes *ſupra in ſummario*. Rationem decidendi reddunt Calder. & Abb Siculus *in 4. notab. verſ. Antequam attingam*, nempè quia fundata intentione actoris, venit reus condemnandus, niſi aliter ſe defendat: debet enim judex judicare ſecundùm merita cauſæ, quæ partium aſſertione panduntur, *ut l. final. C. Si per vim*, vel alio modo, *& c. Tum ex litteris, ſupra de integr. reſtit.* Quare ut appareat, an reus ſit abſolvendus, vel condemnandus, debet priùs diſcuti illius exceptio. Breviùs rationem reddit gloſſa Bernardi hìc in figuratione caſus, dicens eſſe prius cognoſcendum de exceptione peremptoria ante ſententiam oppoſita, quia ex illa apparebit, qualiter debeat formari ſententia. 8

Ampliatur primò ſupradicta concluſio, ut locum habeat non modò in exceptione peremptoria conſanguinitatis, quæ opponitur mulieri vendicanti aliquem in virum, & de qua loquitur hoc capitulum, ut dictum eſt ſupra *num. 2. & 3.* ſed generaliter in omni alia exceptione peremptoria, cujuſmodi eſt exceptio doli mali, quod metus cauſa, pacti perpetui de non petendo, & conſimiles, de quibus *in §. Perpetuæ, Inſtit. de except. & in l. 3. ff. eodem*. De omnibus enim eſt cognoſcendum antequam pronuntietur ſuper articulo principali, *l. Si quidem, C. de exception. l. Emptor, C. de long tempor. præſcript. c. Super hoc, ſupra de renunt.* ſecundùm Hoſtienſ. *hìc num. 1.* 9

Quod tamen fallit in exceptione litis finitæ, quæ proponi poteſt etiam ante litis conteſtationem, *ut in c. 1. & 2. de lit. conteſt. lib. 6.* & hìc notat Abb. *num. 8.* Item fallit ſecundum eum in exceptione notoria: non enim judex debet permittere, ut factum, cui notoria obſtat exceptio, deducatur in judicium, *cap. Quoniam ſupra de fil. Presbyter.* & poſt Archid. notat Joan. Andr. *in d. c. 1. de lit. conteſt. lib. 6.* Fallit tertiò, ſi exceptio contineatur in inſtrumento, vel reus excipiens offerat ſe illam in incontinenti probaturum, ut notat Joan. Andr. *in addit. ad Specul. in tit. de except. §. Dicto verſ. Sed an reus*, & notatur *in c. Super litteris de reſcrip.* His enim caſibus reus poteſt excipere etiam ante litis ingreſſum, ſecundùm Abb. *d. num. 8.* An autem exceptiones peremptoriæ proponi, & diſcuti poſſint, aut debeant ante fundatam intentionem actoris, diſtingue, ut hìc plenè per Abb. *n. 6. & ſeqq.* 10 11 12 13

Ampliatur ſecundò, principalis concluſio ſuperiùs firmata, ut locum habeat etiamſi exceptio peremptoria veniat di- 14

diſcutienda coram diverſo judice, veluti, ſi petendi hæreditatem in foro ſæculari objiciatur, quòd ſit intelligimus: nam hujuſmo ſi exceptio terminari debet coram judice Eccleſiaſtico, antequam judex laicus procedat in cauſa hæreditatis: hic eſt text. *in c. Tuam, infra eod.* ubi eſt caſus ſecundùm lecturam gloſſæ, quam ibi dicunt eſſe communem Io. Andr. *n.4.* & Butr. *n.17. verſ. Advertendum*. Ad idem text. *in c. Lator infr. Qui filii ſint legitimi*, ubi ſimiliter eſt caſus.

15 Ampliatur tertiò, ut procedat in quolibet præjudiciali, quæ cognoſcenda eſt antequam lis ſuper principali quæſtione fuerit conteſtata, *l. 1. & per tot. C. de ordin. cogn.* & hìc notant Hoſt. *n. 1. in ver. Perimatur*, & Calder. *in 1. notab.* quod habet locum, ſive civilis præjudicet civili, ſive criminalis criminali, ſive è converſo, ut in exemplis, quæ recenſentur *in §. Aliquando 11. quæſt. 3.* & per gloſſam *in d. c. Tuam, in ver. Dependentem infr. eod.* quam ibi omnes ſequuntur, & per Calderin. *hic in 3. quæſt. numer. 19.* de quibus præjudicialibus pleniùs dicam infrà *in ult. quæſtione, num. 32.*

16 Ampliatur quartò, ut vendicet ſibi locum etiam in exceptionibus dilatoriis, quæ regulariter proponendæ, & probandæ ſunt ante litis ingreſſum. Et ſi cauſa ſit talis, in qua conteſtatio non requiratur, proponi debent ante illum actum, qui ſolet fieri poſt litem conteſtatam, *ut in c. Inter monaſterium, infr. de re judic. cap. Cùm cauſam de appellat. l. ult. C. de except. & l. Ut demum, Cod. de procurat.* Unde poſt litem conteſtatam, aut etiam poſt terminum ſtatutum ad dilatorias proponendas, proponi non poſſunt, *cap. Paſtoralis, infr. de except.*

17 Hoc tamen fallit primò in exceptione excommunicationis, quæ proponi poteſt quandocumque, & ante litem conteſtatam, & poſt ſententiam, *ut c. Exceptionem, de except. cap. Ad probandum, de re judic.* & eſt ſpeciale in exceptione excommunicationis propter periculum animæ, ut dicitur in prædicta Decretali *Exceptionem*. Fallit ſecundò in dilatoria ſolutionis, quæ licèt ante litem conteſtatam proponi debeat, non tamen priùs quàm actor fundaverit in-
18 tentionem ſuam, *ut leg. Exceptionem; & ibi gloſ. un. C. de probat. & cap. Si quis Epiſcoporum, §. Exceptio*, juncta
19 gloſſa *prima 3. quæſt. 6.* Fallit tertiò, ſi exceptio dilatoria incipiat competere poſt litem conteſtatam, *ut cap. Inſinuante ſupra de offic. Deleg. & l. 2. C. de Conſort. ejuſd. lit.* vel ſi de novo perveniat ad notitiam partis, *cap. In noſtra, de Procurat. & c. Paſtoralis de except.* Supraſcriptam diſtinctionem inter exceptiones peremptorias, & dilatorias poſuerunt tres gloſſæ magiſtræ, quarum una habetur originaliter *in d. § Exceptio in ver. Exceptio 3. quæſt. 6.* altera *in d. cap. Exceptionem in ver Dilatoriis de except.* tertia *in d. l. Exceptionem*, quæ eſt gloſ. *un.* & ſequitur Abbas *hìc n. 6.*

20 Nunc limita principalem concluſionem, ut locum non habeat, ſi excipiens excedat limites exceptionis, eò quòd nõ tantùm excipiat, ſed etiam petat, ſeu reconveniat actorem: tunc enim exceptio non elidit principalem quęſtionem, ſed cum ea concurrit, & ſunt duæ mutuæ petitiones, quæ propterea ſunt viciſſim tractandæ, & terminandæ, *ut cap. Prudentiam, ſuprà de mut. petit. & c. Cum dilectus, §. Nos autem infrà eod.* & notabiliter declarat hìc Hoſt. *n. 1.*

21 Aggredior nunc ſecundum articulum principalem, videlicet an, & quando ſuper incidenti ſit pronuntiandum. Ad
22 evidentiam præmittendum, quæ ſit exceptio, ſeu quæſtio incidens, & quæ emergens. Circa quod, omiſſis expoſitionibus gloſſæ, dari ſolent à Doctoribus tres regulæ, quas hìc proſequitur Abbas *num. 12.*

Prima regula eſt, quòd omnis exceptio peremptoria dicatur incidens pen. prod. quaſi incidat, & perimat negotium principale. Emergens verò dicitur omnis dilatoria. Unde Abb. Antiq. *hìc num. 2.* ponit verſum:

Incidens perimit, emergens quæſtio differt.

Et hoc communiter tenent Doctores, ut hìc teſtatur Bellam. *in 2 quæſtione circa finem.* Secunda regula eſt, quòd exceptio habens vetuſtiorem cauſam in judicio, id eſt, quæ ante judicium eſt orta, dicatur incidens, qualis eſt exceptio conſanguinitatis, & pacti de non petendo, quæ ortum habent ante litem inchoatam. Emergens verò dicitur, quæ oritur poſt judicium cœptum, quaſi tunc emergat. Et hæc regula quaſi coincidit cum præcedenti, licèt neutra ſit admodùm perfecta, ut per Abbatem *dict. num. 12.* Unde ipſi magis placet tertia regula, videlicet, quòd omnis exceptio concernens ipſum factum principale, ſeu quæ opponitur ad ipſum factum, dicatur incidens; quia perimit ipſum factum principale: exceptio verò concernens proceſſum dicitur emergens, quia in veritate tunc incipit competere reſpectu objecti, ſive ſit peremptoria, ut exceptio litis finitæ, ſive non, quia ex quo opponitur ad proceſſum, dicitur emergens. Et cùm hæc tertia regula ferè concordat alia, quam hìc ponunt Herinc. Boich. *n. 9.* & Bellam. *in 2. quæſtione circa finem*, nempè quòd incidens eſt omnis quæſtio intus cadens, quæ cauſam principalem, ſeu negotium principale reſpicit in ſe, ut pactum de non petendo, & conſimiles: emergens eſt, quæ non concernit ipſum principale negotium, ſed reſpicit judicium, ſeu proceſſum, & ordinem juris, ut ſi judici, vel parti agenti opponatur excommunicatio, vel ſi judici, vel teſti opponatur infamia, *leg. 1. & 2. C. de Ordin. cognit. c. Sciſcitatus de reſcript.* vel ſi opponatur contra Procuratorem, quòd non ſit, vel eſſe non poſſit Procurator, *l. Militem, C. de Procurat.* vel contra judicem, quòd non ſit competens in cauſa rei, vel quòd non poſſit eſſe judex in cauſa ſpirituali, de qua cognoſcere nititur, quia ſæcularis, ſeu laicus, *ut c. Decernimus de Judic.* hæc enim omnia, & ſimilia tangunt proceſſum judicii, quia etiamſi vera ſint, nihilominùs jus principale remanet integrum inter actorem, & reum.

His præcognitis, gloſſa noſtra ponit tres opiniones. Prima negat pronuntiandum eſſe ſuper incidenti, Secunda affirmat. Tertia diſtinguit. Tu verò dicas in hoc articulo dari à Doctoribus duas principales theoricas, quæ ambæ ſunt in ſe veræ. Et quamvis differant in modo explicandi, tamen in rei veritate, & quoad juris effectum non diſcrepant. Prima theorica diſtinguit inter quæſtiones emergentes, & incidentes. In emergentibus dic breviter eſſe pronuntiandum, *ut l. Liberis in fin. C de liber. cauſ. leg. A procedente, C. de dilat. l. Quoniam Alexandrum, C. ad l. Jul. de adulter.* Et eſt ratio, quia non poteſt in cauſa principali aliter procedi, ut patet in exemplis ſuprà proximè allatis. Et in hoc conſentiunt omnes. In incidentibus verò regulariter non eſt pronuntiandum, ut hìc probatur in fine, quia textus dicit: Ante eſt cognoſcendum de ipſa, ſcilicet quæſtione incidenti, & non dicit, pronuntiandum. Idem probatur expreſſiùs *in l. 1 C. de ordin. Judic.* ubi dicitur pertinere ad officium judicis, qui de hæreditate cognoſcit, univerſam incidentem quæſtionem, quæ in judicium revocatur, examinare, quoniam non de ea, ſed de hæreditate pronuntiat. Et eſt ratio, quia judex pronuntiando ſuper principali; ſatis cenſetur tacitè pronuntiare ſuper incidenti. Exemplum patet in exceptione conſaguinitatis, de qua loquitur hoc capitulum: nam ſi judex pronuntiet maritum eſſe adjudicandum mulieri eum vendicandi, utique tacitè pronuntiat exceptionem conſanguinitatis non obſtare. Et idem in caſu converſo. Et in hoc caſu procedit opinio Bulgari, de qua hìc in principio gloſſæ & dicit Joan. de Imol. *n. 6. verſ. Sed an ſit neceſſe*, communiter teneri, ut non ſit neceſſe pronuntiare expreſsè ſuper incidenti, ſed ſatis ſit ut pronuntietur tacitè, pronuntiando ſuper principali, De communi etiam teſtatur Abbas *n. 11. verſ. Et iſtæ duæ ſolutiones*. Fallit primò hæc regula in exceptionibus, quæ reſpiciunt & tangunt non modò negotium principale, ſed etiam ipſum proceſſum, ut in exceptione rei judicatæ, tranſactionis, & juris jurandi. In his enim neceſſariò eſt pronuntiandum quando proponuntur per modum emergentis, & ad effectum impediendi proceſſum ad ulteriora, quia non poteſt aliter ſuper principali procedi. Et ſic intellige *c. Exceptionis peremptoriæ de lit. conteſt. lib. 6.* Secus, ſi proponantur per modum incidentis ad effectum obtinendi victoriam ſuper principali negotio, quia tunc ſuper eis non eſt pronuntiandum, ſed ſufficit pronuntiare ſuper principali, ut dictum eſt ſuprà de incidenti. Et ſic intellige ſecundùm opinionem Mar. & Petri Doctorum juris civilis, quorum hìc meminit gloſſa noſtra, quam tenuerunt etiam Vincentius, & Laurentius hìc. Fallit ſecundò, ubi quæſtio incidens debet ventilari coram alio judice, quàm coram judice cognoſcente de negotio principali: ut ſi petenti hæreditatem in foro ſæculari opponatur, quòd ſit illegitimus; oportet enim ut ſuper incidenti pronuntiet judex Eccleſiaſticus, antequam judex laicus procedat in cauſa principali, *in c. Tuam infra eod.* & fuſiùs dictum eſt *ſupra in 2. ampliat. n. 14.* Hæc in effectu eſt diſtinctio gloſſæ hìc, cum qua concordat Archid. *in §. Spatium 3. qu. 3* & hìc dicit eſſe veram Herinc. Boich. *n. 10. & ſub n. 12. verſ. Et licet.*

23 (in margin beside "His præcognitis"); 24 (beside "aliter procedi... Et"); 25 (beside "tet in exceptione"); 26 (beside "Fallit primò"); 27 (beside "bet ventilari")

Se-

28 Secunda principalis theorica eſt Hoſtienſis *hic n.4. verſ-*
Brevius expedias, quæ licèt quoad juris effectum coincidat
cum prima, tamen eſt compendioſior, clarior, & facilior,
videlicet: Aut eſt talis quæſtio, vel exceptio, vel incidens,
vel emergens, cujus pronuntiatione dilata, proceſſus prin-
cipalis quæſtionis expediri non poteſt, eò quòd ſit præjudi-
cialis cognitioni negotii principalis, ut veluti quia agen-
ti de hæreditate opponitur ſervitus; vel quæritur, an actor
ſit excommunicatus, vel infamis, necne, *ut c. Quæren-*
dum, & ibi Arch. 2. *q.* 7. & tunc de illa priùs eſt cognoſcen-
dum, & pronuntiandum, *ut l. A procedente, C. de dilat. l.* 2.
29 *C. de ordin. l. Liberis, §. fin. ff. de prævaric.* Aut eſt talis quæ-
ſtio, cujus pronuntiatione dilata proceſſus principalis quę-
30 ſtionis poteſt nihilominùs expediri; nempè quia non eſt
præjudicialis cognitioni negotii principalis; & tunc quam-
vis judex, ſi velit, ſuper illa poſſit expreſsè pronuntiare, nec
per hoc annulletur proceſſus, *ut c. Super, il 1. in fin. infr. de*
appell. tamen non tenetur de neceſſitate, ſed ſatis eſt, ut
pronuntiet, tacitè pronuntiando ſuper principali, ut hìc pa-
31 tet; niſi talis quæſtio incidens vel emergens ſit ventilan-
da coram alio judice, quàm judice negotii principalis, quia
tunc ſuper illa neceſſariò eſt pronuntiandum, *d. c. Tuam, in-*
fra eod. & c. Lator, qui filii ſint legitimi; & ſecundùm hanc
theoricam nullum jus contradicit, & alię diſtinctiones po-
tiùs ad ſubtilitatem, quàm ad utilitatem traditę ſunt ab An-
tiquis, ſecundùm Hoſt. *hìc in fin.* cum quo concordant Jo.
Andr. *n.* 8. *verſ. Breviter dicas*, Calder. *n.* 16. *verſ. Hoſtien-*
ſis hic, Henr. Boich. *n.* 12. *verſ. Et licèt iſta diſtinctio*, Butr.
circa finem, verſ. Concluſio ergo ſit, Abb. *n.* 11. *verſ. Sed con-*
clude clarius, & aliii communiter, & idem Hoſt. *in Summ.*
hujus tituli, verſ. Brevius, Gul. de Monte Laudun. in Clem.
fin. de appell. & nullus diſcrepat.
32 Quæro pro complemento materiæ, quę dicantur quæ-
ſtiones præjudiciales.
33 Goffredus hìc conſtituebat differentiam inter præjudicia-
les, & peremptorias: nam præjudiciales dicuntur, in qui-
bus quæritur de conditione perſonę videlicet utrum quis
ſit liber, vel ſervus, ingenuus, vel libertinus, filius, vel extra-
neus, *§. Præjudiciales, Inſtit. de action. l.* 1. *&* 2. *C. de ordin.*
cognit. Ergo idem cùm quæritur, an actor, ſit excommuni-
catus, vel non, *c. Exceptionem, inf. de except.* infamis, vel
bonæ famę, *c. Quærendum* 2. *q.* 7. Et in hoc differunt a pe-
remptoriis, quia præjudiciales proponuntur, & probantur
ante litis conteſtationem, *l. Quoniam Alexandrum, C. de*
adulter. licèt quædam proponantur etiam poſt ſententiam,
ut l. Non idcircò, §. Cùm poſteà, ff. de judic. c. Ad probandum
infrà de re judic. & c. Pia Mater de except. lib. 6. perempto-
rię verò quamvis proponantur ante litis conteſtationem, 34
numquam tamen probantur, niſi lite demum conteſtata,
l. Si quidem, C. de except. l. Emptor, C. de præſcript. long. temp.
nec locum habent poſt ſententiam, *c. Inter de re judic.* niſi
cauſaliter, *c. 2. infra de purgat. vulgar.* & cùm hac diſtinctio-
ne Goffredi tranſit hìc Hoſt. *nu.* 2. *&* 3. Sed pleniùs diſtin- 35
guit Jo. Andr. *in c. Tuam n.* 6. *verſ. Ego dico, inf. eodem*:
nam ſecundùm eum præjudicialis quæſtio dicitur diverſis
reſpectibus. Primò ſcilicet quoad intentionem actoris, cui
præjudicat, & eam perimit: & hoc modo præjudicialis eſt
omnis peremptoria: hęc tamen præjudicat ſolùm in diffini-
tione; nam ea probata imponitur ſilentium ipſi actori; ſed
non præjudicat proceſſui, ut hìc, niſi in caſibus, de quibus
in c. 1. de lit. conteſt. lib. 6. Deinde dicitur quęſtio prejudicia-
lis reſpectu proceſſus, ſcilicet quia primitùs tractanda: &
de his loquitur gloſ. *in d. c. Tuam in ver. Dependentem*. Et
hoc modo dici poteſt præjudicialis omni emergens, de qua
priùs debet cognoſci, & pronuntiari, ut de dilatoriis di-
ctum eſt *ſup. n.* 16. Rurſus hoc modo prejudicialis eſt inter-
dum actio, *ut in c. ult. inf. eod.* Tertiò dicitur quæſtio præ-
judicialis, quod eligentem alteram de duabus, quæ ſibi
competere poterant: nam per hoc infert ſibi præjudicium
in reliqua *c. Ut quis duas, infra de elect. & c. un. de poſtul. lib.*
6. De hoc *in l. Quod in hæredem, §. Eligere, ff. de trib. act.* Et
hoc modo aliquando etiam exceptio eſt præjudicialis ipſi
excipienti, licèt regulariter contra, *ut c. Nullus pluribus, de*
reg. jur. lib. 6. ubi de hoc in gl. *un.* & per Jo. Andr. *num.* 3.
Quartò dicitur præjudicialis quęſtio reſpectu judicis, vel 36
ejus jurisdictionis, & de hac loquitur text. *in d. c. Tuam,*
& in c. Lator, inf. qui filii ſint leg nam quæſtio nativitatis
præjudicat judici laico, ne ipſam cognoſcat: item ne in
principali procedat, donec quæſtio natalium per judicem
Eccleſiaſticum fuerit diffinita: quę tamē ſi incideret coram
judice Eccleſiaſtico, veluti, ſi exciperetur contra electum,
vel pręſentatum, confirmandum, vel conſecrandum bene-
dicendum, vel ordinandum, quòd eſſet illegitimè natus,
tunc eſſet verè peremptoria, & eo caſu verum eſſet dictum
Innoc. *in d. c. Tuam, ad fin. verſ. Vel dic hanc dilationem*,
quia nec prejudicat proceſſui, nec juriſdictioni, ſed ſolùm
probata infert præjudicium actori in ſua petitione, quàm
perimit. Et hanc diſtinctionem Jo. Andr. in effectu ſequ-
untur in *d. c. Tuam, infrà eod.* Henric. Boich. *n.* 1. Bellam.
n. 11. Butr. *eod.* Card. *n.* 4. & Abb. *n.* 6. nec ab his diſcrepat
Calder. *hìc in* 3. *q. n.* 19. cujus diſtinctio prolixior eſt, ſed ſa-
tis clara; & eam ſequitur Anch. *in d. c. Tuam, n.* 9.

DE ORDINE COGNITIONUM.

Honorius III. Ludovico Regi Francorum:

CAPUT III.

TUam non credimus latere prudentiam, cauſam natalium Reginæ Cypri ad examen noſtrum (utpotè quæ ad forum Eccleſiaſticum pertinet) eſſe delatam: & infrà. Quia verò antequam natalium cauſa terminata eſſet, dependentem ex illa ſucceſſionis cauſam incipere nihil aliud eſſet, quàm diverſis proceſſibus intricare negotium, & confuſione quadam judicii ordinem perturbare: ſi ſortè ab ipſa Regina fueris ſuper hoc requiſitus, donec jam dicta cauſa natalium Apoſtolico judicio finem acceperit, patienter expectes.

S U M M A R I U M.

1 *Cauſa natalium pendente coram judice Eccleſiaſtico, quæſtio hæreditatis per ſæcularem judicem inchoari non debet, & n.* 6.

2 *Judicium incipit à litis conteſtatione.*

3 *Exceptio illegitimitatis eſt peremptoria, & ſuſpenſiva juriſdictionis judicis laici.*

4 *Et litis conteſtationem non inducit.*

5 *Litis conteſtatio non inducitur per exceptionem, excommunicationis.*

6 *Hæreditatem petenti obſtat exceptio nativitatis, quæ debet priùs coram Eccleſiaſtico judice terminari.*

7 *Cauſa natalium ad Eccleſiam pertinet tam principaliter, quàm incidenter, & per viam exceptionis.*

8 *Etiamſi de illa agatur poſt obitum parentum.*

9 *Judex laicus de quæſtione ſpirituali nec principaliter, nec incidenter poteſt cognoſcere, & n. ſeq. & n.* 25. *Etiam de jure civili, n.* 26.

10 *Judex hæreditatis cognoſcit incidenter de cauſa ſtatus, licèt de illa principaliter cognoſcere non poſſit.*

11 *Cauſa natalium eſt ſpiritualis, & matrimonialis.*

12 *Præjudicialis quæſtio ſi incidat in cauſa aliqua, ſuperſedendum eſt in principali, donec præjudicialis terminetur.*

13 *Sive incidat civilis, quæ præjudicet civili.*

14 *Sive incidat civilis, quæ præjudicet criminali, & è converſo.*
15 *Sive incidat criminalis, quæ præjudicet criminali.*
16 *Judex laicus, coram quo incidit quæſtio natalium, cur debeat ſuperſedere in cauſa hæreditatis.*
Quæſtio natalium an ſit præjudicialis cauſæ hæreditatis, ibid.
17 *Cauſa hæreditatis prout dependet à quæſtione legitimitatis, non pertinet ad judicem Eccleſiaſticum.*
18 *Niſi coram Papa, vel coram Epiſcopo habente juriſdictionem temporalem in loco quæſtio legitimitatis, & hæreditatis ſimul proponatur, & n. 32.*
19 *Cauſa principalis, & incidens ubi ſunt tractandæ coram diverſis judicibus pendentia incidentis ſuſpendit juriſdictionem in principali, & n. 22.*
20 *Judex Eccleſiaſticus, coram quo pendet quæſtio incidens præjudicialis poteſt inhibere judici laico, ne interim procedat, aut proceſſum inchoet ſuper principali.*
21 *Et inhibitio fieri poteſt ſine cauſæ cognitione.*
23 *Et an proceſſus ante inhibitionem ſit nullus, parte non opponente, vel appellante.*
24 *Juriſdictio judicis an & quando ex incidentia cauſæ prorogetur ad aliam ſpeciem juriſdictionis, & n. ſeq.*
25 *Quid ſi ſpecies ſit omnino diverſæ naturæ, & altioris gradus.*
Et quid ſi ſit talis ex accidenti ratione perſonæ, n. 34.
Et quid ſi ſpecies non ſit ſeparatæ naturæ, nec altioris, ſed inferioris gradus, n. 30.
27 *Judex, qui merum, & mixtum imperium non habet, ratione incidentiæ, vel prorogationis; non poteſt de his cognoſcere, quæ ſunt meri, vel mixti imperii.*
28 *Judex laicus non poteſt etiam incidenter cognoſcere de exceptione excommunicationis, ſimoniæ, vel intruſionis.*
Et quid in perjuro, n. 29.
31 *Judex Eccleſiaſticus poteſt de quæſtione temporali cognoſcere incidenter vel per reconventionem.*
32 *Juriſdictio in temporalibus habitu eſt penes Eccleſiam.*
33 *Judex laicus an poſſit cognoſcere de cauſa Eccleſiaſtica per viam reconventionis, & n. ſeqq.*
35 *Conſuetudo, ut judex laicus ſit competens in cauſa civili reconventionis contra Clericum ſervanda eſt, cum articulus ſit dubitabilis, & n. 59.*
36 *Judex laicus an poſſit incidenter cognoſcere de cauſa legitimitatis, ſi controverſia non in jure, ſed in facto conſiſtat, & n. ſeqq. uſq. in fin.*
37 *Uſurarum quæſtio an pertineat ad judicem laicum, ſi ſit conventio ſuper facto, & non ſuper jure, & nu. ſeqq. & n. 55.*
39 *Decimarum cauſa, ſi ſit quæſtio ſuper jure decimandi, ſpectat ad forum Eccleſiæ tantùm: ſecus, ſi ſuper facto.*
40 *Uxor ſi petatur ut uxor, nec dubitetur de viribus matrimonii, cauſa tractari poteſt coram judice ſæculari.*
Declaratur, n. 62.
41 *Authores pro opinione negativa expenduntur, & n. ſeqq. uſque ad n. 44. & n. 61.*
Cauſa natalium, ſi ſit contentio, an quis ſit filius hujus, vel alterius, tractari poteſt coram judice laico, coram quo incidit: ſecus, ſi ſit contentio, an matrimonium ſit contractum, ibid. & n. ſeqq.
42 *Libellus in cauſa legitimitatis qualiter formetur.*
43 *Judex laicus, coram quo aliquis accuſetur de adulterio, ſi opponatur quòd matrimonium non ſit contractum, debet hunc articulum ad Epiſcopum remittere.*
44 *Legitimati per ſubſequens non ſuccedunt in feudo, ad quod vocantur nati, & procreati ex legitimo matrimonio.*
45 *Intellectus* c. Si judex laicus, de ſent. excom. lib. 6. *& n. ſeq. & n. 52. & ſeqq.*
Quæſtio facti an matrimonium fuerit contractum, non minus eſt ſpiritualis, & de foro Eccleſiæ, quàm ſit quæſtio facti, an quis fuerit ordinatus, ibidem, & num. 52.
46 *In ſpiritualibus judex ſæcularis eſt competens, ſi cadant in laicum activè, & quæſtio ſit ſuper facto, aliàs ſecus, ſecundùm diſtinctionem Ancharani.*
Sed contra, n. 49. & ſeqq. uſq. ad n. 61.
47 *Juriſpatronatus quæſtio, ſive ſit juris, ſive facti, ad judicem laicum non pertinet.*
48 *Hæreſis crimen eſt merè Eccleſiaſticum, etiamſi ſit quæſtio ſuper facto, & n. 50.*
49 *Judex laicus etiam incidenter non poteſt cognoſcere de quæſtione facti, an quis ſit ſimoniacus intruſus, vel baptizatus, & n. 51.*
53 *Judex laicus nec incidenter poteſt cognoſcere de quæſtione facti, an captus inceſſerit in habitu, & tonſura.*
54 *Facti quæſtio habet complicationem, & mixturam inſeparabilem cum quæſtione juris.*
56 *Poſitiones ſuper matrimonio an fieri poſſint coram judice ſæculari.*
57 *Confeſſio etiam ſpontanea coram judice incompetenti non valet.*
58 *Conſenſus partium, vel conſuetudo non removet incapacitatem judicis laici in ſpiritualibus.*
59 *Conſuetudo in articulo dubitabili propter varietatem opinionum declarat judicis competentiam.*
60 *Terminus à Papa, vel alio Superiore judice Eccleſiaſtico eſt præfigendus, infra quem natalium quæſtionem proſequatur, & de hæreditate nullatenus ſe intromittant.*
61 *Authores pro opinione affirmativa expenduntur.*

T*Uam*. Continet materiam profundam, & legitur du- 1
pliciter.
Primò, ſcilicet intelligendo quæſtionem natalium fuiſſe
motam principaliter coram Papa, eaque pendente fuiſſe
petitam hereditatem coram judice ſeculari. Et huic lectu-
re ſuffragatur littera ibi, *Succeſſionis cauſam incipere*, nec
non ibi, *Si forte ab ipſa Regina fueris ſuper hoc requiſitus*.
Quibus verbis Pontifex clarè ſupponit cauſam hæreditatis
coram Rege Franciæ nondum fuiſſe inchoatam, & nihi-
lominùs quæſtio natalium ad examen Papæ jam fuerat de-
lata, ut dicitur in principio textus; & juxta hanc lecturam
hoc intendit ſecundùm Jo. And. & alios poſt eum; Penden-
te cauſa natalium coram Eccleſiaſtico judice queſtio here-
ditatis per ſæcularem judicem inchoari non debet.
Secundò, legitur intelligendo priùs hìc fuiſſe petitam
reditatem coram judice laico, & exceptum fuiſſe de illegi-
timitate, prout intellexit gloſſa, & eſt communis lectura,
ut teſtantur hìc Jo. Andr. *n.* 4. & Butr. *nu.* 17. *verſ. Adver-
tendum*, & hoc modo verbum, *Incipere*, exponitur, id eſt,
inceptam proſequi; & verba, *Super hoc requiſitus*, expo-
nuntur, id eſt, pro cauſæ proſecutione. Sed quia hæc ex- 2
poſitio vim infert littere ſuſtinendo communem lecturam,
poteſt dici, judicium incipere à litis conteſtatione, que di-
citur litis exordium, & principium cauſæ, ut legitur, & no-
tatur *in c. Super quæſtionum*, §. *Intentionis, ſup. de off. deleg.*
ita ut antea non dicatur lis mota, *c. Ex parte il ſecondo in
fin. de verb. ſignific.* & notat Bald. *conſ.* 150. *Caſus actuali-
ter, n. 2. verſ. Ex quo apparet lib.* 2. Hoc autem caſu quam- 3
vis Regina Cypri primò petiiſſet hereditatem coram Rege
Francie, tamen cum illius adverſarius illicò oppoſuerit ex-
ceptionem illegitimitatis, que peremptoria eſt, *c. 1. ſuprà
eod.* & ſuſpenſiva juriſdictionis judicis laici, ut hìc, *& in c.
Lator inf. qui filii ſint legit.* utique per hoc litem non fuit
conteſtatus, ut eſt textus in *c.* 2. & ibi gl. *pen.* & communi- 4
ter omnes *de lit. conteſt. lib.* 6. cùm non habuerit animum
litigandi, coram Rege, quin potiùs illius juriſdictionem de-
clinandi ut notat gl. *unic. verſ. Quod eſt intelligendum, in
c. 1. ſup. de lit. conteſt.* ubi etiam Innoc. *n.* 1. & ibi dixi *n.* 39.
Unde in ſimili ſi contra agentem in foro ſeculari reus ex- 5
cipiat, quòd ſit excommunicatus, per hoc litem non con-
teſtatur, nec judex ſæcularis poteſt de hujuſmodi exceptio-
ne cognoſcere, ſed debet remittere ad Eccleſiaſticum, ſe-
cundùm opinionem Vincentii, & communem, ut dicam
inf. n. 28. Idem ergo dicendum in propoſito. Et hoc ſenſu 6
verbum, *Incipere*, retinet propriam ſignificationem, & ſal-
vatur communis lectura, ſecundùm quam text. hoc dicit:
Petenti hæreditatem obſtat exceptio nativitatis, que debet
primitùs coram Eccleſiaſtico judice terminari. Quidquid
tamen ſit quòd pertinet ad juris effectum, uterque intelle-
ctus eſt in ſe verus, quia ſive quæſtio nativitatis prius mo-
veatur coram judice Eccleſiaſtico, ſive incidat coram judi-
ce ſæculari, ſolus Eccleſiaſticus cognoſcit, ut eſt caſus a-
pertus *in d. c. Lator infra, Qui filii ſint legit.* & hìc declarat
Card. *n.* 3. *verſ. Quantum tamen*.

7 Nota primò ibi, *Ad forum Eccleſiaſticum*, cauſam natalium ad Eccleſiam pertinere, non ſolùm ſi de illa principaliter agatur, ſed etiam ſi incidenter, & per viam exceptionis, ut hìc eſt caſus ſecundùm communem lecturam, concordat *d. cap. Lator infr. Qui filii ſint legitimi* ubi ſimiliter eſt caſus; & hìc notat gloſ. 1. *&* *fin.* Innoc. *in princip.* Abb. Antiq. *num.* 4. Hoſt. *num.* 1. *&* 3. *verſ. Sic patet*, Joan. Andr. *num.* 2. Anchar. *in not.* Abb. Siculus *num.* 3. & reliqui omnes, & ita communiter concludi atteſtatur Ripa *in c.*
8 *Decernimus, num.* 17. *ſuprà de judic.* Quod procedit non modò ſi de quæſtione nativitatis agatur in vita, ſed etiam poſt obitum parentum, quia ſolus Eccleſiaſticus cognoſcit, *ut c.* 1. 2. *&* 3. *c. Pervenit, c. Per tuas infra. Qui filii ſint legit.* ſecundùm Innoc. *ubi ſupra*, Hoſt. *num.* 3. & Joan. Andr. *nu.* 2. *circa finem.*

Rationem principalis concluſionis reddit Innocentius *hìc num.* 1. *verſ. Sed hoc poteſt eſſe*, quia ſcriptum eſt, *Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet*, Matth. 19. *c. Quos Deus* 33. *quæſt.* 2. *cap. Inter corporalia ſupra de tranſlat. Epiſcop.* Ergo ſimiliter inter eos non fuiſſe matrimonium, non homo, ſed is ſolus, qui vices Dei gerit in terris, poteſt judicare, *dict. c. Inter corporalia*, vel cui ipſe commiſerit, ſcilicet Epiſcopus, ſecundùm Abb. Antiq. *hìc num.* 4 Hoſtienſ. *num.* 2. *verſ. Secunda eſt*, Joan. Andr. *num.* 1. Butr. *n.* 15. Abb. Siculum *n.* 3.

9 Vel dic generalem rationem eſſe, quia de quæſtione ſpirituali judex laicus ob ejus incapacitatem nec principaliter, nec incidenter, nec per reconventionem poteſt cognoſcere, *c. Decernimus, & c. Quanto, ſupra de judic. d. cap. Lator, & c. Cauſam* 1. *&* 2. *infra, Qui filii ſint legit.* & notant hìc gloſ. *ult.* Innoc. *n.* 1. *verſ. Vel dic generaliter*, Hoſt. *nu.* 2. *verſ. Tertia eſt, & n.* 7. *in ver. Apoſtolico judicio*, Abb. Antiq. *in fin.* Joan. Andr. *num.* 1. *in fin.* Abb. Sicul. *num.* 3. *verſ. Vel ſecundum Innocentium*, & reliqui omnes, Ripa *in d. c. Decernimus*, *n.* 17. ubi de communi.

10 Atque ita non obſtat textus *in l. quoties, C. de judiciis, & in l.* 1. *C. de ordin. judic.* ubi Judex in cauſa hæreditatis cognoſcit incidenter de cauſa ſtatus, licèt de illa principaliter cognoſcere non poſſit; nam in quæſtione ſpirituali diverſa eſt ratio propter incapacitatem judicis laici, ut in juribus præallegatis: & eſt ex mente Abbatis Antiq *d. n.* 4. & declarat Bal. *n.* 2. nam ſecundùm eum hìc cauſę erant diverſi fori, incompatibiles, & derogatoriæ, quia judex ſæcularis non eſt capax cognoſcendi de cauſis Eccleſiaſticis: ibi autem erat capax, quod fuſiùs explicat idem Baldus *in l. Quoties num.* 1. *verſ. contra legem noſtram, & num.* 2. *C. de judic.* Explorati autem juris eſt cauſam natalium eſſe ſpiritualem ſeu matrimonialem, quia pendet ex matrimonio, quod eſt unum ex ſeptem legis Evangelicæ Sacramentis a Chriſto Domino inſtitututum, & gratiam conferens, Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *de Sacram. matrim. can.* 1. Unde ad Vicarium ipſius inſtituentis, vel ab eo deputatum pertinet illius cognitio,
11 ut hìc per Abbatem *nu.* 3. *verſ. Item matrimonium*, & per Hoſt. *in cap.* 1. *num.* 4. *infrà ne Cler. vel Monach.* adeò ut ſi quis dixerit cauſas matrimoniales non ſpectare ad judices Eccleſiaſticos, anathema ſit, *d. ſeſſ.* 24. *can. ult.*

12 Secundò nota ibi, *Dependentem ex illa ſucceſſionis cauſam*, quòd ſi quæſtio præjudicialis incidat in cauſa aliqua, ſuperſedendum eſt in cauſa principali, donec ipſa præjudicialis quæſtio terminetur, *arg.* §. *Præjudiciales, Inſtit. de act.* Et eſt ratio, quia probata quęſtione prejudiciali cauſa principalis illicò eſt perempta, *c.* 1. *ſupra eod.* & hìc notat gloſ. 2. Innocent. *num.* 1. *verſ. Poteſt ergo dici*, Hoſtienſ. *num.* 2. *&* 5. *in verb. Perturbare.*

13 Quod verum eſt, ſive incidat quæſtio civilis, quæ ſit pręjudicialis civili, veluti, ſi petenti hæreditatem objiciatur, quòd non ſit legitimus: nam de legitimitate priùs eſt cognoſcendum, *ut hìc, & in c. Lator, infra qui filii ſint legit.* quia, ſi ſuccumbat in quæſtione legitimitatis, non habebit locum hæreditatis petitio, cùm illegitimus non poſſit hæres eſſe, *cap.* 2. *Quod nobis, c. Referente, & cap. Ex tenorem, eodem tit.* Abb. Antiq. *hìc num.* 2. ſive incidat quęſtio civilis, quæ præjudicet criminali, ut ſi ei, qui gerit ſe
14 pro libero, & de aliquo crimine accuſatur, moveatur quæſtio ſtatus, *ut c. Prius eſt*, §. *Aliquando*, 3. *q.* 11. & notatur *in c.* 1. *ſupra eodem*: ſive incidat quæſtio criminalis, quæ ſit præjudicialis civili, veluti, ſi petens hæreditatem ex teſtamento accuſetur, quòd teſtatorem compulerit, ut eum
15 hæredem inſtitueret, *ut l.* 1. *C. Si quis aliq. teſt. prohib.* ſive demum incidat quæſtio criminalis, quæ præjudicet criminali, veluti, ſi ſervus dominum ſuum de capitali crimine accuſaverit: non enim audiri debet, ſed decapitari ante litem conteſtatam, *ut in d.* §. *Si aliquando.* His enim caſibus cognoſcendum eſt priùs de quæſtione incidenti, ut hìc in gloſ. *in ver. Dependentem*, & per Hoſt. *n.* 5. *in verſ. Perturbare*, & Joan. Andr. *n.* 10. Et de his conſule Speculat. *in tit. de incid. quæſt.*

Tertiò nota ibi, *Judicii ordinem perturbare*, & ſigna ra- 16
tionem, cur judex laicus, coram quo incidit quęſtio nativitatis, debeat ſuperſedere in cauſa hæreditatis quouſque legitimitatis quæſtio fuerit terminata: hoc enim non provenit ex eo, quòd quæſtio natalium ſit prejudicialis petitioni hæreditatis, ſecundùm Innoc. *hìc ad fin. verſ. Vel dic hanc dilationem*; ſed quęſtio hęreditatis differtur, quia cauſa matrimonialis non poteſt agi, niſi coram judice Eccleſiaſtico. Et forſan judex ſęcularis non patietur, ut quæſtio hęreditatis coram alio, quàm coram ſe, examinetur. Ergo neceſſe eſt, ut hæreditatis quæſtio differatur; alioquin cùm iſtæ duę quæſtiones invicem ſe, contingant, ſi ſimul & eodem tempore agerentur coram diverſis judicibus, accidere poſſet, ut diverſi judices circa eamdem perſonam & hæreditatem diverſas ſeu contrarias ferrent ſententias, Eccleſiaſtico ſcilicet ipſam illegitimam pronuntiante, & ſęculari hereditatem eidem tamquam legitimæ adjudicante; & ſic ſequeretur abſurditas, & contrarietas intolerabilis, ſecundùm Innocentium, cum quo tranſit hìc Hoſt. *n.* 3. *verſ. Et eſt ratio*, & Abb. *nu.* 6. *verſ. Ex quo enim quæſtio.* Cæterùm an aliquo reſpectu quæſtio nativitatis dici poſſit præjudicialis cauſæ hæreditatis, plenè ſcripſi *in c. ſup. eod. in ult. qu.*

Quartò nota ibi, *Super hoc fueris requiſitus*, cauſam he- 17
reditatis inter laicos, prout deſcendit a quęſtione legitimitatis, non ſpectare ad judicem Eccleſiaſticum, ſed ad Regem in ſuo Regno; & ſic ad judicem ſęcularem, quando principalis intentatur ſeparatim à quæſtione legitimitatis principaliter intentata, ut hìc per Butr. *in* 2. *&* 3. *not.* & eſt caſus *in c. Cauſam il ſecundo infrà, Qui filii ſint legit.* Tu dic idem ſecundùm Imol. *num* 4 ſi quæſtio legitimitatis incidat in cauſa hæreditatis principaliter intentata coram judice ſæculari, ut eſt textus *in d. c. Lator eodem tit. & hìc*, ſecundùm intellectum gloſſ. & communem. Secus autem 18
ęſt, ſi coram Papa, vel coram Epiſcopo habente juriſdictionem temporalem in loco proponatur ſimul quæſtio natalium, & hæreditatis, quia poterit de utraque cognoſcere, ſecundùm Innocentium *hìc circa finem*, Hoſtienſ. *num.* 3. *verſ. Si ergo*, Joan. Andr. *num.* 5. *verſ. Si autem coram Papa*, Collectar. *num.* 2. Butr. *num.* 17. *verſ. Imò ſi quæſtio*, & Abb. *num.* 6. *verſ. Unde cum hìc*, & idem Joan. Andr *in c. Lator ſuper gloſ. fin. infrà, Qui filii ſint legit.* licèt Vincent. contra.

Quintò nota ibi, *Apoſtolico judicio finem acceperit*, juxta 19
communem lecturam gloſ. quòd ubi quæſtio incidens, & principalis veniunt tractandæ coram diverſis judicibus; tunc pendentia incidentis ipſo jure ſuſpendit juriſdictionem ſuper principali, ut hìc per Butr. *in* 4. *notab.* & eſt ex mente Hoſt. *n.* 3. *in fin.* qui exponit ver. *Dilatam*, ſcilicet eo ipſo, quòd quæſtio nativitatis propoſita fuit coram Rege; & ita eſt caſus, in quo aliter quàm per appellationem ſuſpenditur juriſdictio, & eſt caſus ſpecialis, in quo priùs pronuntiatur ſuper incidenti, quàm ſuper principali, licèt regulariter contra, *ut in c.* 1. *ſupra eodem, & l.* 1. *Cod. de ordin. Judic.* Sed illud quando coram eodem Judice ambæ tractantur, ſecundùm Imol. *hìc num* 4. Item eſt caſus in quo peremptoria exceptio vel replicatio, etiam poſt litem conteſtatam propoſita, habet effectum dilatorium, ut per Butr. *ubi ſupra*, & vide gloſſam primam *in c. Exceptionem, infrà de except.*

Ultimò nota ibi. *Patienter expectes*, Judicem Eccleſia- 20
ſticum, coram quo pendet quæſtio incidens ex ſui natura præjudicialis, poſſe inhibere judici laico, ne interim procedat, vel proceſſum inchoet ſuper principali, ut hìc, Et quamvis regulariter non mittatur inhibitoria, niſi cauſa 21
cognita, ut in Auth. *in med. lit. non fieri ſac. form.* §. 1. *c. Non ſolum, & c. Romana de appellat. lib.* 6. & hujuſmodi recurſus ad judices Eccleſiaſticos multoties fiant ad intricandos proceſſus, & eludendam juriſdictionem judicis laici, ut per Feder. de Senis *conſ.* 93. *Factum quod proponitur, num.* 6. *in fin* tamen hoc caſu inhiberi poterit ſine cauſæ cognitione, ut hìc innuitur, *& in dict. cap. Lator*, 22

qui filii ſint legit. & firmat Lap. *alleg.* 60. quæ incipit, *Viſis litteris*, *num.* 7. & Butr. *hic n.* 9. Hæc enim eſt potiùs quędam declaratio, quàm inhibitio; quia juriſdictio judicis ſæcularis ſuper principali propter incidentiam quæſtionis natalium, ſeu alterius præjudicialis, eſt ipſo jure ſuſpenſa, ut dictum eſt *ſup. in* 5. *not.* etiam ante ullam inhibitionem judicis Eccleſiaſtici, quia ſufficit inhibitio juris, ut per Feder. de Senis *conſ.* 98. *Nicolutius*, *nu.* 3. *verſ. Præterea*, *& nu.* 5. *verſ. Concludendum*, & Butr. *hìc num.* 12. *verſ. Et*
23 *hac inhibitio*: & eſt ex mente Innocentii *in cap. Cùm M. num.* 10. *ſuprà de Conſtit.* nam ſecundùm eum quando cauſa eſt coram diverſis judicibus, quorum unus eſt inferior, alter ſuperior, ipſo jure abſque oppoſitione, vel inhibitione revocata eſt juriſdictio inferioris, *cap. Licèt de offic. legat. c. Quamvis* 3. *quæſt.* 6. De quo tamen dic latius, ut hic per Butr. *n.* 12. *verſ. Hæc videntur*: & Abb. *nu.* 11. ubi plenè videas, an proceſſus abſque inhibitoria ſit nullus parte non opponente, vel appellante.

24 In gloſſa ultima QUÆRO generaliter, an incidentia cauſæ proroget juriſdictionem judicis ad aliam ſpeciem juriſdictionis, ita ut judex quamvis non poſſit de illa principaliter cognoſcere, poſſit tamen incidenter, vel per viam reconventionis.

25 Doctores ſolvunt quæſtionem diſtinguendo: nam aut quæritur, an ex incidentia cauſæ prorogetur juriſdictio ad ſpeciem omninò diverſam, & ſeparatæ naturæ, & altioris gradus: & dicendum eſt non prorogari; unde judex laicus de cauſa ex ſui natura ſpirituali puta matrimonii, electionis, aut conſimilis, aut ſpirituali, annexa, ut juriſpatronatus, nec incidenter, nec per reconventionem poteſt cognoſcere; & ita ad hanc ſpeciem non fit prorogatio, prout hìc tenent gl. *fin.* Innoc. *in princ.* Hoſtienſ. *num.* 3. *verſ. Sic patet*, Butr. *num.* 17. *verſ. Dic quod ſi quærit*, *&* communiter Canoniſtæ, ut Abbas teſtatur *n.* 9. & probatur irrefragabiliter in hac Decretali juxta communem intellectum *in cap. Lator infrà qui filii ſint legit. & in c. Si judex laicus*,
26 *de ſentent. excommunicat. lib.* 6. & idem Bart. *in leg. Quoties nu.* 1. *C. de judic.* dicens, hoc procedere etiam de jure civili, *per l. Omni innovatione*, *C. de ſacroſ. Eccleſ.* quod etiam dixerunt Hoſtienſ. *hìc n.* 7. *verſ. Et hoc eſt verum*, & Abb. *n.* 9. *verſ. Et quod ſuprà dixi*. Quo fit, ut judex, qui merum, & mixtum imperium non habet, ſed ſimplicem
27 juriſdictionem, non poſſit ratione prorogationis, ſeu incidenter de his cognoſcere, quæ ſunt meri, vel mixti imperii ut notat gl. *un. in l. Inter convenientes*, *ff. ad municipalem*, Butr. *hìc nu.* 17. *verſ. Ideò non prorogatur*, & Abb. *d. n.* 9. *verſ. Sicut dicimus in prorogatione*. Hinc etiam fit,
28 ut ſi agenti in foro ſæculari objiciatur, quòd ſit excommunicatus, non poſſit judex laicus de hoc incidenti excommunicationis cognoſcere, ſed debeat remittere ad Eccleſiaſticum: ita Vincentius hic, qui idem dicit ſi objiciatur, quòd ſit ſimoniacus intruſus, vel perjurus. Et ſequuntur Hoſtien. *num.* 7. *verſ. Quid ergo objicitur* Joann. *Dixit etiam*, & Abbas *numer.* 9. Andr. *numer* 10. *verſ. verſ. Ex quo etiam infertur*, quidquid contra ſcripſerit
29 Bart. *in leg. Titia*, *num.* 5. *ff. de ſolut. matr.* licèt quod dictum eſt de perjurio, Jo. Andr. non credat verum, & remittit ad ea, quę ipſe notat *in cap. fin. de foro compet. lib.* 6. *ſuper ult. gl.* de quo vide pleniſſimè Petr. de Anchar. *in cap. Ea quæ de reg. jur lib.* 6.

30 Aut quæritur, an ex incidentia cauſę prorogetur juriſdictio judicis ad ſpeciem non omninò diverſam, ſed alterius naturę, ſaltem quoad habitum, nec altioris, ſed inferioris gradus; & ad illam ſpeciem prorogatur juriſdictio:
31 Ideòque ſi quæſtio temporalis incidat coram judice Eccleſiaſtico, vel per reconventionem, utique poterit de illa
32 Eccleſiaſticus cognoſcere; quia juriſdictio Eccleſiaſtica ſuperior eſt temporali, & quia habitu in temporalibus juriſdictio eſt penes Eccleſiam, *c. Cauſam qui filii ſint legit. cap. Novit de judic.* ac proindè cauſa temporalis incidenter, circumſcripta cauſa ſanguinis, poteſt tractari coram Eccleſiaſtico, ut hìc per Butr. *nu.* 17. *verſ. Ad diverſam autem ſpeciem*, Abb. *nu.* 9 *verſ. Secus autem in his*, & tenent Innocentius, Hoſtienſis, & Joan. Andr ſuprà cita-
33 ti *nu.* 18. Supraſcriptam theoricam poſuit Vincentius hic, qui diſtinxit inter cauſas, quæ ex ſui natura ſunt Eccleſiaſticæ, ſeu de foro Eccleſiæ, ut ſpirituales matrimoniales, & conſimiles: & inter eas, quæ Solùm ex accidenti, & ratione perſonarum poſſidentium ſpectant ad judicem Eccleſiaſticum, ut eſt cauſa poſſeſſionum Clericorum. Primæ nec incidenter, nec per reconventionem tractari poſſunt coram judice laico: ſecundæ verò poſſunt, ut per eum, cujus diſtinctionem ſimpliciter ſequuntur hìc Joan. Andr. *num.* 10. *verſ. Dixit Vincentius*, & Butr. *dict. num.* 17. *verſ. Quandoque incidit*; ſenſit ergo Vincentius ratione incidentiæ, vel per reconventionem cauſas Clericorum, quæ non ſunt ſpirituales, vel quaſi, tractari poſſe coram judice ſæculari.

Verùm Abbas *dict. n.* 9. *verſ. Et quod dicit*, approbat 34
quidem ſententiam Vincentii quoad incidentiam cauſæ; ideòque ſi Clericus civiliter agat contra laicum in foro ſæculari, & reus opponat, quòd Clericus actor ſit filius ſuus, & ſit cauſa, in qua pater non poteſt à filio conveniri; utique de hoc incidenti judex laicus poterit cognoſcere, quia nihil obſtat ſecundùm eum. Sed quoad reconventionem ſecus putat, quia illa eſt ſecunda conventio, & ſuper illa principaliter pronuntiatur? unde remittit ad ea, quæ ſcripſit *in c. At ſi Clerici de jud.* ubi *à num.* 21. *verſ Reſtat ergo*, recitat opiniones, & in utramque partem diſputat articulum, an in cauſa merè civili procedat reconventio Clerici coram judice ſæculari: & poſt prolixam examinationem concludit pro parte negativa.

Cæterùm contrariam opinionem ſequuntur gloſſæ, & 35
magis communiter Doctores, quæ etiam ſervatur de conſuetudine; ut teſtatur Joan. Andr. *in d. c. At ſi Clerici*: & cùm articulus ſit valdè dubitabilis propter varietatem opinionum, hujuſmodi conſuetudo attendenda eſt, ut idemmet Abbas fatetur *ibid. n.* 25. *verſ. Sed ego*. Vide tu noviſſimè Carol. de Graſſ. *in ſuo tract. effect. Clerical. effect.* 1. *n.* 745 ubi pro regula firmat Clericum poſſe reconveniri coram judice laico, & plurimis relatis teſtatur eam eſſe veriorem & magis communem, eamque ſex modis ampliat, & octodecim limitat.

Ulteriùs QUÆRO, an judex laicus poſſit incidenter 36
cognoſcere de cauſa legitimitatis, ſi controverſia non in jure, ſed in facto conſiſtat.

In hoc articulo duæ ſunt Doctorum opiniones. Prima eſt eorum, qui putant judicem laicum eſſe competentem in incidenti legitimitatis, quando non agitur de quæſtione aliqua juris, puta, an matrimonium ſit validum, ſed tantummodò de quæſtione facti, videlicet, an matrimonium fuerit contractum, necne. Et hujus ſententiæ primò fuit Bart. *in l.* 2. *num.* 4 *ff. de juriſd. omn. judic.* ubi ait, quæſtionem illam, an fuerit matrimonium inter patrem, & matrem alicujus eſſe ſuper facto, nec eſſe cauſam ſpiritualem, & propterea illam poſſe expediri per judicem ſæcularem: ſecus, ſi ſit quæſtio juris, puta quia poſito facto pro conſtanti, eſt quæſtio, an inter eos potuerit eſſe matrimonium; quia hæc quæſtio ſpiritualis eſt, nec de illa poteſt judex laicus ſe intromittere; & ita intelligit *hoc c. & c. Lector infra qui fil. ſint legit.* Idipſum voluit idem Bart. *in leg. Quoties nu.* 1. *verſ. Tamen conſuevit, C. de judic.* ubi dixit, an quis deſponſaverit talem, necne, eſſe quęſtionem facti, quæ nihil habet ſpiritualitatis; & ideò ſpectat ad cognitionem judicis ſæcularis. Sed ſi eſſet contentio, an inter eos potuerit eſſe matrimonium, vel an ſint aliqua verba quæ matrimonium inducerent, hoc ſpirituale eſt: & ita lo- 37
quuntur præallegata c. ſecundùm eum. Et idem dixit de uſuris: nam ſi ſit contentio ſuper facto, puta, quia creditor dicit ſe numeraſſe totam ſummam in inſtrumento comprehenſam; debitor dicit ſe non recepiſſe, niſi dimidiam, & aliam dimidiam fuiſſe adjectam in fraudem uſurarum: iſta quæſtio eſt facti, in qua nihil eſt ſpiritualitatis: ſed ſi partes confitentur pactum, & ſolùm dubitatur, an contractus ex tali pacto deſcendens ſit uſurarius, hoc ſpirituale eſt, & ſpectat ad judicium Eccleſiæ, ut in Clem. *de uſur.* licèt ibi hoc non dicatur, ſed ponatur exemplum, quando controvertitur, an ſit ſolutum, vel non, ut quia debitor dicit ſe ſolviſſe, vel ſatisfactum eſſe de fructibus pignoris; de hoc enim cognoſcit laicus, ut obſervat Cardin. *hìc num.* 5. *verſ. Simile dicitur de contractu uſurario*: & ante eum Feder. de Sen. *conſ.* 96. *Appareat quadam lex nu.* 2. Hanc Bartoli opinionem ſequitur hìc Anton. de Butr. *num.* 17. *verſ. Hæc vera*, dicens, judicem laicum de cauſa ſpirituali non poſſe incidenter cognoſcere; & cauſam dici ſpiritualem, quæ ſpiritualiter agitur, ut quia de jure ſpirituali controvertitur; ſecus verò ſi de puro

facto

facto ſpiritualitati accidenti, veluti ſi petenti hæreditatem opponatur, quòd non ſit filius legitimus talis, & ſolùm dubitetur, an matrimonium contractum fuerit de facto:
38 nam de hoc poterit cognoſcere judex ſæcularis, exemplo contractus uſurarii: nam ſi ſit quæſtio facti, videlicet an talis ſit contraxerit, necne, quæſtionem decidit judex ſæcularis; ſed ſtante facto ſi vertatur in dubium, an contractus ſit uſurarius, vel non cognitio ad Eccleſiaſticum pertinet, ut notat Paul. de Eleaz. in Clem. 1. *de uſur.* & idem Bart. in *cap. Cùm ſit generale, de foro compet.* & ibi etiam Marian. Socin. alios adducens *num. 19. verſ. Secunda principalis opinio.* Ergo ſimiliter ſi ſit controverſia, an fuerit matrimonium, ad deciſionem articuli non ſpiritualis, nec à ſpirituali deſcendentis, & ex cujus deciſione nihil infertur ad matrimonii ſubſtantiam, veluti ſi objiciatur, quòd talis non fuerit in poteſtate, quia inter illum, & illam numquam fuit matrimonium: judex laicus poterit cognoſcere ad finem hoc decidendi, ſecundum eum. Eamdem opinionem pluribus comprobat, & ab objectis tuetur Petrus de Anchar. *in repet. cap. Ea quæ in 4. qu. de regul. jur. lib. 6.* & ſequuntur Gemin. *conſ. 66. Pro declaratione n. 4.* Felin. in *cap. Cùm ſit generale, nu. 1. verſ. In quibus collige hoc generaliter ſupra de foro compet.* Steph. Aufrer. *in tract. de poteſt. ſæcular. ſuper Eccleſ. reg. 4 fallen. 8.* Ripa *in c. Decernimus n. 17. de judic.* Alexand. alios citans *in leg. Titia nu. 6. & 7. ff. ſolut. matrim.* ubi teſtatur hanc eſſe communem, & veram opinionem & ibi Barboſ. *num. 36.* Jaſon *in leg. Quoties num. 6. Cod. de judic.* ubi etiam ait, illas ſequi communiter Canoniſtas in hoc *c. Tuam*, licèt ipſe dubitet. De communi etiam teſtantur Covarr. *in epit. de Sponſal. cap. 8. § 12. num. 3.* Villal. *in comm. opin. ver. Judex ſæcularis n. 107. & ſeqq.* & alii apud Farinac. *de inquiſit. qu. 8. nu. 25.* Alios complures referunt Menoch. *in tract. de recuper. remed. 15. n. 338.* & noviſſimè Carol. de Graſſ. in *tract. de effect. Cleric. effect. 1. n. 403.* & Sanch. *de matr. tom. 1. lib. 3. diſput. 54. num. 4.* qui ampliùs putat; & non benè, judicem laicum poſſit cognoſcere, an matrimonium, ſit clandeſtinum, quaſi hæc ſit quæſtio facti, & non juris.

39 Et eſt ſimile in cauſa decimarum: nam ſi Rector petit decimas à laico, & laicus excipit, quod non tenetur ſolvere, quia privilegiatus eſt à Papa, vel quia tenetur ſolvere Matrici Eccleſiæ, & non Capellę, vel allegat compoſitionem factam authoritate Superioris, vel quia petitur decima de talibus rebus, de quibus laicus negat decimas deberi; & ſic eſt quæſtio de jure ſolvendi; in his, & ſimilibus caſibus quęſtio ad forum Eccleſiæ eſt referenda: ſin autem non ſit quęſtio de jure decimandi, veluti ſi Rector agat contra prædonem frumenti, vel emptorem, quia frumentum non erat decimatum; & ſic tranſivit cum onere ſuo, ut *in c. Paſtoralis de decimis*: hoc caſu dubium non eſt, quin judex ſęcularis contra laicum poſſeſſorem poſſit cognoſcere. Et idem dicendum, ſi Rector petat res ſacras ad Eccleſiam pertinentes ſibi ſubtractas, vel ab aliquo detentas; vel ſi Rector petat laicum compelli ad ſolutionem decimę ſubtractæ, vel ad illius ęſtimationem ab eo, qui tenetur ſolvere decimam, & ſi ſola compulſio poſtulatur, quę in facto conſiſtit: his enim caſibus benè poteſt Rector Eccleſię adire judicem ſęcularem. Ita ex facto reſpondit Feder. de Sen. *conſ. 225.* incip. *Domino Andreæ per tot. maximè n. 3. verſ. Sine præjudicio.* Et idem dixit *conſ. 96. Apparet quædam lex nu. 3. verſ. Sic dicam:*
40 quem refert, & ſequitur Anch. *hic n. 13.* Facit quod notat Joan. Andr. *in addit. ad Speculat. in tit. Qui filii ſint legit. ver. Præjudicialem littera I.* ubi quòd ſi petatur uxor ut uxor, & non dubitetur de viribus matrimonii, hæc cauſa tractari poterit coram judice ſęculari, prout etiam ſic refert Butr. *num. 20. verſ. Per hoc dicit.* Quinimò Bart. *in d. leg. Titia nu. 5. ff. ſolut. matrim.* ampliùs videtur voluiſſe, ut etiamſi dubitetur de ſubſtantia matrimonii, hoc eſt, an legitimę ſint nuptię ad effectum legitimitatis filii, cùm non deciditur quęſtio matrimonialis, nec aliqua ex illa deſcendens, quę ſit ſpiritualis, ſed omninò ab illa ſeparata, poterit judex ſęcularis cognoſcere, aliàs ſequeretur, ut nec poſſet cognoſcere de excommunicatione, ſacrilegio, aut hęreſi ſi opponeretur, ſecundum eum. Sed certè dictum Bartoli, non admitterent Canoniſtę, ut inquit Butr. *nu. 20. verſ. Sed plures ſentire*, & de exceptione excommunicationis ſatis dictum eſt ſupra *n. 28.* Et longè minus admitterent quod ait Cynus *in l. Si contra, & l. Si vicinis, C. de nupt. in leg. Cum ancillis, C. de inceſt. nupt. & in l. fin. C. inter matr.* videlicet quæſtionem legitimitatis ſpectare ad judicem ſæcularem in quantum agitur in finem hæreditatis temporalis; in hoc enim Cyn. malè loquitur, & contra Canones, ut hic per Butr. *d. n. 20. verſ. Licèt Cynus.*

Contrariam opinionem arbitror eſſe communem, ac de jure veriorem. Quod ſit communis patet, quia illam ſequitur primò hic juris Canonici illuminator Joann. Andr. 41
num. 9. ubi ait, *Quæſtionem nativitatis ad judicem Eccleſiaſticum pertinere, cum aliqua incidit dubitatio circa matrimonium, an fuerit legitimum, an non. Si verò nulla de hoc dubitatio defertur, ut ſi petenti hæreditatem coram judice ſæculari poſſeſſor opponat, quòd non ſit filius illius, cujus hæreditatem petit, ſed alterius, & ſic dubitatur de facto, an ſcilicet iſtius, vel illius ſit filius tractabitur hæc nativitatis quæſtio coram judice, coram quo incidit, l. 2. C. de ordinar. judic.* Hæc Jo. Andr. qui ut vides clarè, diſtinguit, an quæſtio facti implicet ſolam dubitationem filiationis, an ſcilicet actor ſit filius iſtius, vel alterius; & tunc judex laicus cognoſcet: an verò implicet dubitationem circa matrimonium; & tunc non ſolùm ſi dubitatio ſit circa jus, videlicet an matrimonium ſit legitimum, ſed etiam ſi ut circa factum, id eſt, an matrimonium de facto fuerit celebratum, cognoſcet ſolus judex Eccleſiaſticus allegat Goffredum idem dicentem, & ſubdit; Idem tenet Hoſtienſis *hic qui n. 7.* eodem modo diſtinguit quæſtionem facti circa legitimitatem, ſeu matrimonium, à quæſtione facti circa filiationem, itaut in ſecundo caſu tantùm cognitio ſit judicis ſæcularis: eodem modo loquitur Archid. *in cap. Benè quidem n. 8. 96. diſt.* dicens judicem laicum non poſſe de cauſa matrimoniali etiam incidenter cognoſcere, quando ſuper quæſtione natalium aliqua incidit quæſtio, ſeu dubitatio circa matrimonium: ſecus ſi dubitetur de facto, an quis ſit filius hujus, vel alterius, & ſimiles allegat Goffredum, neque ab hac diſtinctione diſſentit Federic. de Sen. *conſ. 96.* incipien. *Apparet num. 3. verſ. Sed dicebat Joan. Andr.* quam etiam amplectitur Cardin. *hic in gloſſ. ult. n. 5.* dicens, cognitionem natalium ad judicem Eccleſiaſticum, filiationis verò ad laicum pertinere; & apertiùs Bellam. *nu. 43 in oppoſit.* ubi ait: Cùm quæritur, an de quęſtione nativitatis poſſit cognoſcere judex ſæcularis, diſtinguere habes, quia aut incidit quæſtio circa matrimonium, an fuerit legitimum, vel non; & tunc indubitatum eſt, quod ſolus Eccleſiaſticus judex de hoc cognoſceret, & judicabit: aut nulla de facto dubitatio defertur de hoc, ſed de filiatione, id eſt, an petens hæreditatem ſit filius iſtius, vel alterius; & tunc coram judice ſæculari hæc nativitatis quæſtio tractabitur, coram quo incidit. Et ſequitur hic Petrus de Anchar. *num. 12. verſ. Propter hoc Bart.* ubi contra Bart. videtur tenere opinionem Baldi magiſtri ſui, licèt ſubdat, quòd ſtante conſuetudine, ſecundùm quam fiunt quotidiè probationes ſuper matrimonio coram judice laico, poteſt etiam de jure defendi, ut valeant non tamquam probationes factę in judicio, ſed tamquam probationes factæ extra judicium ad indaginem veritatis, & pro informatione judicis. Similiter Imol. hic *nu. 7. verſ. Sed adverte*, aſſerit Joann. Andr. tenere contra Bart. & Butr. nam vult, ut qualitercumque ſit quæſtio de matrimonio, & ſic ſit quæſtio, an ſit contractum, necne, iſta quæſtio ſit tractanda coram judice Eccleſiaſtico, per iſtum textum, & ſubdit quòd idem videtur voluiſſe Bald. *in l. Omni, C. de Sacroſanct. Eccleſ.* Et propterea hæc opinio ſervaretur in practica. Rurſus verba Jo. And. recitat, & ſequitur Abb. hic *n. 10.* Hoc etiam eſt ex mente Innocentii, hic *n. 1. verſ. Sed hoc poteſt eſſe*, dum ait, inter aliquos non fuiſſe matrimonium, non hominem, ſed ſolum Dei Vicarium poſſe judicare: verba enim illa, non fuiſſe matrimonium, magis reſpiciunt dubium facti, quam juris.

Similiter paulò infrà docet in cauſa legitimatis coram judice Eccleſiaſtico ſic poſſe formari libellum, videlicet, 42
Cùm pater meus non fuerit maritus talis Dominæ, de quo genuit talem, peto ut judicetis eam non legitimam. Pondera illa verba *Cùm pater meus non fuerit maritus*, quæ itidem non jus, ſed factum ipſum reſpiciunt; & nihilominus Innocentius cenſet hunc articulum eſſe tractandum coram judice Eccleſiaſtico. Idipſum eſt ex mente Speculatoris *in tit. de Reconventione*, §. 2 *num. 2.* ubi ait judicem laicum nec incidenter poſſe cognoſcere de cauſa matrimonia-

niali, quando contentioſè agitur, an aliqua ſit uxor, vel non, & partes hoc volunt probare; ſed cauſam eſſe ad Epiſcopum remittendam. Et ſubdit idem tenere Vincentium *in c. Tua, il primo de decim.* Et hanc declarationem Speculatoris ſequitur Bald. hìc *nu.* 1. Allegari etiam poſſunt pro hac ſententia Cald. & Anch. ut dicam infrà *nu.* 55. eamque ex profeſſo tuetur Dec. *in d. c. Decernimus à n.* 188. *de judic.* licèt Alex. aſſertionem ſequutus, perperam crediderit contrariam eſſe communem.

Ex quibus, ni fallor, evidenter apparet hanc eſſe opinionem Canoniſtarum ferè omnium, & hallucinatum fuiſſe Jaſonem *in d. leg. Quoties n.* 7. *C. de judic.* dum dixit contrariam opinionem ſequi communiter Canoniſtas in hoc *cap. Tuam:* nam verè illam hìc nemo ſequitur, niſi ſolus Anton. de Butr. ut clarè oſtenſum eſt ſuprà *num.* 2. & patebit infrà *nu.* 61. De legiſtis verò quamvis parùm ſit curandum, cùm hæc ſit meſſis Canoniſtarum: tamen contra Bart. tenet Bald. *in leg. Quoties n.* 3. *Cod. de judic.* ubi concludit, ſive quæſtio ſit facti, ſive juris, cùm ſit Eccleſiaſtica, non pertinere ad judicem ſæcularem illius diſceptationem, vel judicium etiam incidenter. Et loquitur tam in quæſtione natalium, quàm uſurarum: & infrà *nu.* 5.
43 format hanc quæſtionem. Pone quis accuſatur de adulterio coram judice ſæculari; oportet probare matrimonium: coram quo judice hujuſmodi probatio ſit facienda? allegat Bart. dicentem hanc probationem fieri debere coram judice ſæculari quia hæc eſt mera facti inquiſitio, quæ ad eum pertinet: alioquin paucæ lites eſſent, quas judex laicus poſſet per ſe expedire; quod eſſet abſurdum. Sed tandem Bald. concludit oppoſitum, quia cùm iſta cauſa incidens ſit cauſa ſpiritualis, & pertineat ad diverſum forum: de jure Canonico articulus iſte neceſſariò eſt probandus coram Epiſcopo, ſecundùm regulas Canoniſtarum. Idem firmant Raphael Cuman. Imol. & Dec. *in d. leg. Titia, ff. ſolut. matrim.* & ibi etiam Roman. ubi generaliter ait, omnem cauſam ſpiritualem, ſive incidat quæſtio facti, ſive juris, pertinere ad judicem Eccleſiaſticum. In eamdem ſententiam, idest, judicem laicum non poſſe cognoſcere de cauſa matrimoniali, etiamſi incidat quæſtio facti, magis propendet Covarr. *in* 4. *Decretal. in* 2. *p. c.* 7. *§. fin. n.* 3. & eam tenet, & latè defendit Bolognet. *in l.* 2. *n.* 42. *&* 43. *& ſeqq. ff. de juriſd. omnium judic.*

Quòd autem hæc opinio ſicut eſt communis, ita etiam ſit de jure verior, probatur primò in hac decretali, ubi cauſa natalium dicitur ſimpliciter ad forum Eccleſiæ pertinere nec diſtinguitur, an ſit quæſtio juris, vel facti.

Nec urget conſideratio Ancharani *in cap. Ea quæ in* 4. *q. verſ. Eodem modo ut credo, de reg. jur. lib.* 6. Barboſ. *in l. Titia nu.* 36. *ff. ſolut. matrim.* videlicet quòd hic textus loquatur in Regina Cypri, quam non eſt veriſimile natam fuiſſe ex perſonis, de quibus dubitaretur, an de facto contraxiſſent matrimonium, quod inter Regem, & Reginam non poterat eſſe niſi notorium; ſed ſolùm an fuiſſet legitimum, fortè propter impedimentum, quod inter parentes poterat eſſe occultum; & ſic verberatur quæſtio juris, non facti.

Quoniam hoc eſt divinare, & fortè communiter credebatur inter parentes Reginæ matrimonium interceſſiſſe; & ita in Regno de hoc non erat dubium; ſed tamen adverſarius contendebat de tempore nativitatis Reginæ inter eos non fuiſſe matrimonium, puta quia poſt illius nativitatem pater deſponſavit uxorem ſecretò, ut ejus famæ eſſet
44 conſultum, neve fieret commotio in Regno. Et fortaſsè ſucceſſio in Comitatu Campaniæ requirebat, ut qui filii eſſent nati, & concepti ex legitimo matrimonio, quo caſu non admittuntur legitimati per ſubſequens, quia vitium eſt in radice. ſecundùm opinionem, quàm ſequitur Rota, ut apud Card Seraph. *dec.* 1300 *in fin.* & in cauſa Parmen. Status 26. Martii 1608. coram Cardinali Sacrato. Et ſic potuit eſſe quæſtio facti, non juris, & alii etiam caſus potuerunt contingere, quos ſatis eſt fuiſſe poſſibiles, ut textus ſit generaliter intelligendus.

Secundò, pro hac opinione pondero textum *in cap. Per tuas infr. qui filii ſint legit.* ubi non controvertebatur, an matrimonium eſſet validum, necne, ſed an fuiſſet contractum; & ideò receptis teſtibus judex comprobavit matrimonium fuiſſe contractum in Capella S. Sergii, & ſic erat quęſtio facti incidenter objecta ad effectum ſucceſſionis: & tamen cauſa à judice laico fuit remiſſa ad Eccleſiaſticum, ut ibi notat gl. *in ver. Commiſſum.*

Tertiò, pro hac parte validiſſimè ſtringit textus optimus 45
in c. Si judex laicus, de ſentent. excommun. lib. 6. ſolùm erat quęſtio in facto, videlicet an deprehenſus in crimine eſſet Clericus, necne, & ſic an fuiſſet ordinatus: & tamen de hac quæſtione facti non cognoſcit judex laicus etiam incidenter, ut ibi deciditur. Ergo idem dicendum in quęſtione facti, an matrimonium fuerit contractum, vel non: non enim eſt minùs ſpiritualis, & de foro Eccleſię cauſa matrimonii, quàm ſit cauſa Ordinis, cùm utrumque ſit Sacramentum novę Legis à Chriſto Domino inſtitutum, & gratiam conferens, ut dixi ſuprà *nu.* 10. Unde ſicut quęſtio facti, an quis fuerit ordinatus, eſt Eccleſiaſtica, & ſpiritualis, ut deciditur *in d. c. Si judex:* ita & quęſtio facti, an matrimonium fuerit contractum. Et hac ratione, quem eſſe excommunicatum, hęreticum, vel ſimoniacum, ſunt quęſtiones facti; & tamen de illis judex laicus nec incidenter cognoſcit, quia ſpirituales ſunt, ſecundùm Vincentium, & alios ſupracitatos *n.* 28.

Verùm Anchar. *in d. cap. Ea quæ numer.* 10. *circa finem,* 46
verſ. Ad hoc dico, de reg. jur. lib. 6. ut evaderet deciſionem, *d. cap. Si judex laicus,* excogitavit ſubtilem diſtinctionem, dicens ſpiritualia dupliciter conſiderari. Quędam enim ſunt ſpiritualia, quę nullo modo cadunt in laicum activè, ut eligere, Ordines conferre, excommunicare, Eccleſias poſſidere, & ſimilia: & de his etiamſi ſit quęſtio ſuper facto, nec incidenter cognoſcit judex laicus. Et in his terminis procedit textus *in d. cap. Si judex,* & alia exempla ſuperiùs adducta; quia nec in ſuis ſubjectis illa cadunt quoad omnes effectus activè. Quędam verò ſunt ſpiritualia, quę cadunt in laicos etiam activè, ut matrimonia contrahere, liberos procreare, & hujuſmodi; & in his ſi ſit quęſtio ſuper facto, laicus videtur judex competens, quoniam ejus rei ſui ſubditi ſunt capaces & propterea de juramento, & uſura, quæ ſunt in uſu laicorum, ſi ſit quęſtio facti, judex laicus poteſt cognoſcere, ut idem Anchar. firmavit *in d. cap Ea quæ in* 2. *&* 3. *qu.* Quę-
dam denique non ſunt ſpiritualia, ſed ſpiritualibus an- 47
nexa, ut juſpatronatus: & hęc quamvis activè cadant in laicum, tamen quia id ei conceditur ex gratia; idcircò de hac gratia illius judex, ſcilicet Eccleſiaſticus cognoſcit. Confirmat Anchar. ſuam diſtinctionem ex participatione in punitione criminum, quam habet judex ſecularis cum Eccleſiaſtico; nam licèt ſint crimina Eccleſiaſtica, tamen Eccleſia habet judicem laicum pro competente, ut *in cap. Cùm ſit generale, de foro compet.* Cùm enim cadant in laicum activè, meritò judex laicus poteſt in eum animadver-
tere. Fallit ſecundùm eum in crimine hęreſis, quia eſt me- 48
rè Eccleſiaſticum, ut dicitur *in c. Ut inquiſitionis, §. Prohibemus, de hæretic. lib.* 6. Hęc igitur eſt ejus concluſio, quòd ſpiritualia, vel ſpiritualibus annexa, quę per viros Eccleſiaſticos conferuntur, & miniſtrantur, & de quibus ipſi tantummodò ſunt capaces activè, & paſſivè, ſunt de foro Eccleſię preciſè etiam incidenter mota: in illis verò ſpiritualibus, de quibus activè laici participant, ut ſunt matrimonia, juramenta, crimina, & conſimilia judex laicus eſt competens, cùm eſt quęſtio ſuper facto: quam diſtinctionem ſequuntur Arnold. Albertin. *in tract. de agnoſc. aſſert. Cathol. q.* 25. *n.* 54. Farinac. de *inquiſit. q.* 8. *n.* 20. & Carol. de Graſſ. *de effect. Cleric. effect.* 1. *n.* 403. ubi alios allegat.

Sed certè hęc diſtinctio videtur magis ſubtilis, quàm ve- 49
ra: non enim ſubſiſtit ſecundum membrum, quòd in ſpiritualibus, quę cadunt in laicum activè, judex ſęcularis ſit competens, cùm eſt quęſtio ſuper facto: nam detur inſtantia de ſimonia, quę proculdubio cadit in laicum activè, *c. Reperiuntur* 1. *q.* 1. *cap. Cùm eſſent infrà de ſimonia;* & tamen de quęſtione facti, an laicus ſit ſimoniacus, judex ſęcularis non cognoſcit etiam incidenter, ſecundum opinionem Vincentii, quam ſequuntur omnes, ut dictum eſt ſuprà *numer.* 28. Similiter de quęſtione facti etiam incidenter mota, an quis ſit intruſus, judex laicus non poteſt cognoſcere. ut dixerunt idem Vincentius, & alii ſupracitati *eodem numer.* 28. & tamen intruſio cadit in laicum activè, ſicut in Eccleſiaſticum, *cap. Si quis Epiſcopis* 79. *diſt. cum ſimil.* De crimine autem hęreſis hoc fatetur Anchar. quia nec ſuper facto judex ſęcularis eſt competens, & eſt text. *in cap. Secundum Apoſtolum, de hæret. lib.* 6.

lib.6. Nec relevat replicatio, quòd ſimonia, & hæreſis ſint crimina merè Eccleſiaſtica, ut ex præalleg. §. *Prohibemus:* nam ego dico, & cauſa matrimonii eſt merè Eccleſiaſtica, ut fusè oſtenſum eſt ſuprà *in 1. notab.* Ergo ex eo, quòd matrimonium cadat in laicum activè, non ſequitur, ut judex ſæcularis poſſit cognoſcere, cùm incidit quæſtio facti; ſicut non ſequitur: Simonia, & hæreſis cadunt in laicum activè;
51 ergo in illis ſuper facto judex ſæcularis eſt competens. Quid plura? Baptiſmus abſque dubio cadit in laicum activè quia laicus etiam Paganus, & Judeus validè baptizat, *c. Romanus, de conſecr. diſt.4. cum concord.* & tamen judex laicus non auderet cognoſcere de quæſtione facti, an quis fuerit baptizatus, necne, arg. *c. ult. in fin.* cum ibi notatis *infrà de Presbyt. non baptiz. & c. Si quis per ignorantiam 1. q. 1.* Ergo non idem in matrimonio, quod eſt Sacramentum magnum *c. Debitum de bigam.* Conc. Trid. *ſeſſ.23. de Sacr. matrim. c. 1.* & quamvis ſit contractus civilis, tamen poſteà quam fuit à Domino elevatus in Sacramentum, prorsùs evaſit omnem poteſtatem ſæcularem, ut plenè ſcripſi *in c. 1. n. 21. infrà de cognat. ſpirit.*

52 Ex his patet non eſſe faciendam vim, an materia cadat in laicum activè, vel paſſivè; ſed tantummodò an res, circa quam incidit quæſtio facti, ſit ſpiritualis, quia tunc nec de ipſa quæſtione facti judex laicus poteſt cognoſcere. Et hoc apertè innuit littera *d. c. Si judex, de ſentent. excomm. lib.6.* nam dum decidit judicem laicum non poſſe cognoſcere de quæſtione facti, an quis fuerit ordinatus, eam reddit rationem, quia eſt de re Eccleſiaſtica, & ſpirituali, de qua, ut ibi ait gloſſ. *in ver. Spirituali*, judex laicus nec principaliter, nec incidenter poteſt cognoſcere: & allegat in ſpecie textum noſtrum, non obſcurè ſentiens hæc duo capitula à pari procedere: ita ſicut laicus non poteſt incidenter cognoſcere, de quæſtione facti, an Ordo fuerit collatus, ut *in d. c. Si judex*, ita nec de quæſtione facti, an matrimonium fuerit contractum, ut hìc.

53 Et ſtringitur argumentum, quia textus *in d. c. Si judex*, locum habet non tantùm ſuper quæſtione facti, an quis ſit Clericus, ſed etiam ſuper queſtione, an captus inceſſerit in habitu, & tonſura, & ſit remittendus ad judicem Eccleſiaſticum, quę minus videtur habere ſpiritualitatis annexum: & nihilominus de hac quæſtione facti non cognoſcit, niſi judex Eccleſiaſticus, ut ex communi ſententia latè probat Covarr. *pract. quæſt. c. 33. nu. 1.* & aliàs cenſuit Sac. Congregatio Cardin. Trident. Concilii Interpretum. Ergo multò magis debet cognoſcere judex Eccleſiaſticus de quæſtione facti, in qua immediatè agitur de ipſo matrimonii Sacramento, ſcilicet an fuerit contractum.

54 Rationem hujus concluſionis aſſignat Decius *in c. Decernimus n. 188. verſ. Sed contra communem ſuprà de judic.* nempè quia ex facto jus oritur, *l. Si ex plagiis, §. ult. ff. ad l. Aquil.* Unde quæſtio juris à queſtione facti videtur ſeparari non poſſe; ad facti enim quæſtionem ſequitur quæſtio juris, & quæſtio facti neceſſariò habet mixturam, & complicationem inſeparabilem cum juris queſtione, ut Fulgoſ. tradit *conſ. 133. incip. In quæſtione circa finem.* Et ratione connexitatis, & mixturę hoc totum eſt deferendum ad judicem Eccleſiaſticum, tamquam digniorem, *c. Quanto ſuprà de judic. & in ſimil.* notat Bart. *in l. Præcipimus, §. Eodem obſervando n. 1. C. de appell.* Rurſus quæſtio facti ad quæſtionem juris ordinatur. Unde de illa idem, quod de quæſtione juris, eſt judicandum, ut idem Bart. tradit in ſimili *in l. Solent. nu. 15. ff. de alim. & cibar. legat.* Non obſtat reſponſio Jaſon. *in l. Quoties n.7. C. de judic.* quam dicit veriſſimam Ripa *in d. c. Decernimus n. 17.* videlicet quod licèt ex facto oriatur jus non tamen oritur jus ſpirituale, de quo contenditur: & quamvis cauſa facti ſpiritualis ſit, tamen de cauſa facti non diſceptatur, ſed de ipſo facto; & hinc apparet quæſtionem facti eſſe ſeparabilem à quæſtione juris, licèt quæſtio juris à facto ſeparari nón poſſit. Id, inquam non obſtat, quia contrarium convincitur ex *d. c. Si judex laicus, de ſent. excom. lib.6.* ubi queſtio facti, an quis ſit Clericus, dicitur eſſe de re Eccleſiaſtica, & ſpirituali; & propterea ad judicem Eccleſiaſticum pertinere; & tamen ibi non diſceptatur de cauſa facti, ſcilicet de Ordine ipſo, ſed ſolùm de facto, id eſt, an Ordo fuerit collatus. Ergo quando cauſa facti eſt ſpiritualis, etiam factum ipſum propter connexitatem reputatur ſpirituale, & ſpectat ad forum Eccleſiæ.

55 Rurſus non obſtat, quòd in cauſa uſurarum judex laicus ſit competens, cùm incidit queſtio ſuper facto, ut in contrariis: nam reſpondetur primò hanc eſſe arduam quæſtionem, in qua ſunt varię Doctorum ſententię, quas examinat Marian. Socin. *in c. Cum ſit generale à n. 19. verſ. In ea gloſſa* ibi, *Uſurarum ſuprà de foro compet.* & nihil concludit, ſed cogitandum relinquit: & tres principales opiniones proſequitur ibi Felin. *n. 1.* Sed eſto verior ſit illa opinio, quòd judex laicus poſſit procedere ubi quæſtio facti eſt omninò abſtracta à quæſtione juris, quam dicit communem, & ſequitur Abb. *in d. c. Cum ſit generale n. 17.* tamen dico non licere arguere à cauſa uſurarum ad cauſam matrimonii, ſeu legitimitatis: quia cauſa uſurarum à pleriſque dicitur eſſe mixti fori, ſicuti perjurii, ſacrilegii, & adulterii: & propterea in prædictis criminalibus judex laicus eſt competens non ſolùm incidenter, ſed etiam principaliter, & eſt locus pręventioni, ut notant omnes *in d. c. Cum ſit generale*, & ſcripſi plenè *in c. 1. n. 39. infrà de adulter.* At cauſa matrimonii, ſeu legitimitatis eſt merè Eccleſiaſtica, & de foro Eccleſię, & de illa nec principaliter, nec incidenter judex laicus poteſt cognoſcere, ut eſt textus rotundus hic, & *in c. Lator, & c. Cauſam il ſecondo infrà qui filii ſint legit.* & abundè oſtenſum eſt ſuprà *in 1. not. & n. 45.* Ergo non eſt ſimile. Et pro hac differentia adduco in terminis Calder. *in conſ. 3. An cauſa uſurarium, de judic.* ibi enim concludit judicem laicum poſſe incidenter cognoſcere de crimine uſurarum, ſi quæſtio ſit ſuper facto, & non ſuper jure, quia cauſa uſurarum non eſt merè ſpiritualis, ſed mixta, ſicut ſacrilegium: & ſub *n. 1.* conſtituit differentiam inter cauſam uſurarum, & quæſtionem legitimitatis, cujus cognitionem dicit includere cauſam ſpiritualem, quæ eſt judici laico prohibita; & allegat hoc *c. cum concord.* & eodem modo loquitur Petr. de Anch. *conſ. 237. Inhærendo argumento n. 2. verſ. Sed quod etiam.*

Rurſus non obſtat, quòd ſi hæc opinio vera eſſet, non 56
poſſet ſalvari communis practica, quæ habet, ut ſuper matrimonio quotidiè fiant poſitiones coram judice ſæculari, quòd talis, & talis fuerunt maritus, & uxor, & quòd talis eſt eorum filius legitimus, ut atteſtatur Anchar. *in d. c. Ea quæ in 4. q. verſ. Et ſi hæc opinio, de regul. jur. li.6.* eſſent enim ipſo jure nullæ, quia coram judice non tenet probatio, non tenet coram eodem facta confeſſio, *c. At ſi Clerici de judic.* Nec tollit obicem reſponſio Bald. *in d. l. Quoties n. 4. de jud.* 57
quòd ſi pars ſpotè reſpondeat, & fateatur matrimonium coram judice laico, tenet confeſſio. Sed ſi potiùs velit remitti ad Epiſcopum, non cogitur reſpondere, ex notatis per Innocen. *in c. Per inquiſitionem, de elect. & in c. Piſanis, de reſtit. ſpoliat.* ubi quòd valet confeſſio, licèt proceſſus ſit inordinatus, & per Specul. *in tit. de reconvent. §. 2. nu. 2.* ubi quòd textus noſter habet locum, quando proceditur per viam diſceptationis, ſecus ſi nulla ſit contentio, vel diſceptatio. Quoniam ut replicant Anchar. *in d. q. 4. verſ. Poſtremo dixi*, & Dec. *in d. c. Decernimus n. 186. de jud.* cùm laicus ſit incapax ſpiritualium, *c. Quanto eod. tit. c. Sacroſancta de elect.* prædicta confeſſio utcumque ſpontanea non valet, 58
quia conſenſus partium in his nihil operatur, nec poteſt incapacitatem judicis removere, *c. Si diligenti de foro compet.* Et dictum Specular. non videtur probabile ſecundùm eos, nec conſuetudo in his ſpiritualibus quicquam operetur ſtante incapacitate judicis laici, *c. Maſſana, & d. c. Sacroſancta, de elect.* Sed huic objectioni ego reſpondeo, commu- 59
nem practicam hoc caſu ſalvari poſſe in vim conſuetudinis quia negari non poteſt, quin principalis quæſtio, utrum judex laicus poſſit recipere probationes ſuper facto, an matrimonium ſit contractum, reddatur valdè dubitabilis ex tantorum Doctorum opinionibus, argumento eorum, quæ notat gloſſ. *in c. 1. in ver. Probabilior, de poſtul. Prel. lib.6.* & gloſ. 1. *in l. Regula, ff. de jur. & facti ignoran.* Ergo conſuetudo attendenda eſt, cùm ſit optima legum interpres, *c. Cùm dilectus, de conſuet. l. Si de interpretatione, ff. de legib.* Ad quod allego Abb. *in c. At ſi Clerici n. 25. verſ. Sed ego de jud.* ubi quamvis teneat judicem non eſſe competentem in cauſa civili reconventionis contra Clericum, tamen concludit valere contrariam conſuetudinem, cùm ille articulus ſit valdè controverſus, ut tetigi ſuprà *n. 35.* Item jura, quæ tollunt conſuetudinem, non videntur tollere interpretativam, ut dixi *in c. 1. n. 35. & 36. ſuprà de conſuetud.*

Nec prædictis obſtat conſideratio Bart. & Anchar. quòd ſi hæc decretalis intelligeretur etiam in quæſtione facti, paucę lites eſſent, quas judex ſæcularis poſſet per ſe expedire, & ſequeretur correctio multarum legum, quæ tractant de patria poteſtate, vel de ejus effectu, ut ſunt tractatus

ctatus de exiſtentia ſui hæredis, de liberis exhibendis, & educandis, de liberis agnoſcendis; item tractatus de acquiſitione uſusfructus in bonis filii, & ipſorum adminiſtratione: omnes enim hujuſmodi cauſæ, in quibus revocaretur in dubium matrimonium, à quo cauſatur patria poteſtas, ex quo deſcendunt prædicti, & alii infiniti effectus, eſſent de foro Eccleſiæ, & ſic per hunc modum indirectum infinitæ cauſæ laicorum deducerentur ad Eccleſiaſticum forum, & per conſequens tota juriſdictio ſæcularis abſorberetur: quod eſſet valdè abſonum. Quoniam ut formaliter reſpondet Bald. *in d. l. Quoties n.5. verſ. Aliàs niſi ſic, C. de judic.* cum iſta cauſa incidens ſit cauſa ſpiritualis, & pertineat ad diverſum forum de jure Canonico, articulus iſte neceſſariò eſt probandus coram Epiſcopo, ſecundùm regu-
60 las Canoniſtarum. Nec propterea ſequuntur abſurda, quę Anchar. conſiderat: nam ut inquit Innocent. *hìc circa medium*, certus prefigetur terminus à Papa, vel alio Superiore, infrà quem judex Eccleſiaſticus natalium quęſtionem proſequatur, & de hęreditate nullatenus ſe intromittat, ſed Regi dimittat: & probatur clarè *in c. Lator, qui filii ſint legit.* atque ita in nihilo abſorbetur juriſdictio ſæcularis, ſed ſolum ad modicum tempus ſuſpenditur.

Ex contrario autem multò plures ſequerentur abſurditates: nam plerumque oportet coram judice laico diſceptari de quæſtionibus, an ad matrimonium probandum requiratur vera probatio per deſponſationem in facie Eccleſiæ: an verò ſufficiat præſumpta, & in ſpecie an probetur per annuli ſubarrhationem, vel per inſtrumentum dotis; item an probetur per famam viciniæ, vel per confeſſionem & tractatum conjugum: & quid ſi fama opponatur confeſſioni, & tractatui, vel è converſo; item an probetur ex copula ſubſequuta poſt ſponſalia, vel ex oſculis, amplexibus, & muneribus; anve ex traductione mulieris ad domum viri poſt ſponſalia de futuro; anve teſtes ſuper his recipiendi debeant eſſe omni exceptione majores. Hujuſmodi enim articuli non reſpiciunt quæſtionem juris, an matrimonium ſit validum; ſed quęſtionem facti, an matrimonium fuerit contractum; & ideò ſi de his teſtes deponerent, utique oporteret judicem laicum cognoſcere, an inde reſultaret matrimonii probatio: & tamen nemo ſani capitis non videt, quàm ſit abſurdum, ut hæ, & conſimiles quęſtiones diſcutiantur, & terminentur in foro ſęculari.

Poſtremò non obſtant Authores citati pro contraria ſen- 61
tentia: nam de authoritate Bart. alioquin graviſſima non multùm eſt curandum, cùm hæc materia ſit decidenda ſecundùm regulas Canoniſtarum: & nihilominus illi opponitur Baldus; & alii complures Juriſtę citati *n.43.* Ex Canoniſtis verò Jo. Andr. ad Speculat. ſupracitatus *n. 40.* debuiſſet potiùs allegari pro hac ſententia: nam declarans dictum Goffredi, quòd ſi uxor ſui controverſiam facit marito illam repetenti, locum habeat officium judicis etiam ſæcularis, dicit hoc eſſe intelligendum, ubi matrimonium ſit contractum, quia officium judicis ſęcularis locum non habet. Gemin. quamvis videatur ſentire pro opinione contraria; tamen innititur authoritati Goffredi, & Jo. Andr. qui clarè dicunt oppoſitum ejus, ad quod per eum allegantur. Felinus diſputat quæſtionem de uſura, & inde infert ad matrimonium abſque ulla articuli diſcuſſione, & tamen caſus non ſunt ſimiles, ut oſtenſum eſt ſuprà *n.55.* Marian. Socin. ſimiliter non loquitur de quęſtione facti ſuper matrimonio; ſed ſuper uſura. Et ita etiam loquuntur Authores citati ab Alexand. & Menoch. & precipuè Abb. *in c. Poſt miſerabilem in 1. notab. de uſur. & in c. Cùm ſit generale n.17. de foro compet.* Covarr. potuiſſet aptiùs allegari pro hac ſententia, quia tandem concludit conſultius fore, ut pars, cujus intereſt, petat à judice Eccleſiaſtico, ut ſibi aſſumat cognitionem, an matrimonium ſit contractum, & judici laico inhibeat; quod etiam conſuluit Gerardus *ſing. 96.* Anchar. verò hic videtur voluiſſe contrarium ejus, quod voluit *in d. cap. Ea quæ*; ibi enim tenuit coram judice laico poſſe fieri probationes ſuper matrimonio etiam quando contentioſè agitur, an matrimonium ſit contractum; & reprobat dictum Speculatoris, qui dicebat judicem laicum non poſſe cognoſcere de cauſa matrimoniali, quando contentioſè agitur, an aliqua ſit uxor, vel non; ſed ſolùm quando nulla eſt contradictio, vel diſceptatio: hìc verò tenuit hujuſmodi probationes tantùm valere uti factas extrajudicialiter. Itaque ex Commentatoribus ſolus Anton. de Butr. ex profeſſo amplectitur opinionem contrariam, cui ego oppono Goffredum, Hoſtien. Joann. Andr. & reliquos Canoniſtas ferè omnes. Ex quibus patet, non eſſe tutum in practica ab hac opinione diſcedere.

DE CAUSA POSSESSIONIS ET PROPRIETATIS.

Innocentius III. Archiepiſcopo, & Canonicis Sutrinis.

CAPUT III.

CUm Eccleſia Sutrina Paſtore vacaret, vos convenientes in unum, & (ſicut moris eſt) Spiritus Sancti gratia invocata, Paſtorem unanimiter elegiſtis, petentes ipſius electionem à Sede Apoſtolica confirmari. Verùm Clerici Conventualium Eccleſiarum civitatis ejuſdem, conſequenter ſuam depoſuere querelam, quòd cùm in Epiſcoporum electionibus ipſi ac prædeceſſores eorum conſueverint intereſſe, vos eis renitentibus & excluſis, ad electionem procedere præſumpſiſtis: quam ob cauſam hoc non confirmari, ſed infirmar potiùs poſtulabant. Partibus igitur apud Sedem Apoſtolicam conſtitutis, in auditorum præſentia teſtes utrimque producti fuerunt: & eorum depoſitionibus publicatis, pars Canonicorum per teſtes à ſe productos intentionem ſuam, quòd ad eos tantùm ſpectaret electio, ſufficienter dicunt eſſe probatam: Parte Clericorum nihilominus aſſerente, quòd per dicta teſtium, quos produxerant, & ipſi aſſertionem ſuam (quòd electioni Pontificum intereſſe deberent) pleniùs probaviſſent; per quæ conſtare dicebant, eos electionibus trium Epiſcoporum, (qui Eccleſiæ Sutrinæ ultimò & immediatè præfuerant) cum Canonicis Cathedralis Eccleſiæ affuiſſe, vocemque habuiſſe cum aliis eligendi. Nos igitur (quoniam deprehendimus teſtes veſtros in perhibendis teſtimoniis varios extitiſſe, atque adverſus fidem atteſtationis ſuæ coram auditoribus vacillaſſe; & quòd negativam quodammodò aſtruere ſatagebant, probare volentes jus electionis ita ad vos ſpectare, quòd ad adverſarios minimè pertineret: per teſtes verò partis adverſæ fuit ſufficienter oſtenſum, quòd in trium Epiſcoporum electionibus, de quibus præmiſſum eſt, Clerici præſentes affuerint, & vocem habuerint eligendi) præmiſſam electionem factam eis contradicentibus & excluſis, decrevimus irritandam, Clericos ſæpèdictos in eam quaſi poſſeſſionem

(quam ante controverſiam motam habuerant) reducentes. Verùm quoniam in quæſtione prædicta, quidquid juris utraque pars in electione habebat, deductum in judicium videbatur, cùm jure civili ſit cautum, id venire in judicium, non ſolùm de quo actum eſt, ut veniret; ſed id non venire, de quo nominatim actum eſt, ne veniret: & ſecundum ſtatuta Canonica electiones Epiſcoporum ad Cathedralium Eccleſiarum Clericos regulariter pertinere noſcantur, niſi alibi ſecus obtineat de conſuetudine ſpeciali: nec ex eo quòd Clerici antedicti, ſe inter eligentes Sutrinos Epiſcopos probaverunt tertiò extitiſſe, jus eligendi propter brevitatem temporis uſque ad præſcriptionem legitimam non producti, ſibi adquirere potuerunt: & actore non probante, qui convenitur, & ſi nihil præſtiterit, obtinebit: ab eorum impetitione ſuper electionibus faciendis vos duximus abſolvendos, ſæpèdictis Eccleſiarum Clericis ſuper hoc perpetuum ſilentium imponentes.

S U M M A R I U M.

1 *Poſſeſſorio, & petitorio ſi ſpoliatus ſimul agat, & poſſeſſionem, & ſpoliationem probet, ſed non dominium, obtinet, in poſſeſſorio, ſed ſuccumbit in petitorio.*
2 *Spiritus ſancti invocatio non eſt de ſubſtantia electionis, nec de jure, ſed ex laudabili conſuetudine introducta.*
3 *Miſſa non eſt de forma electionis Papæ.*
4 *Solemnitatis levis omiſſio actum non vitiat.*
5 *Hymni* Te Deum laudamus *decantatio non eſt de ſubſtantia electionis.*
6 *Inventarium non vitiatur ex omiſſione ſigni Crucis.*
7 *Unanimiter fieri dicitur, quod fit nemine diſcrepante.*
8 *Concorditer fieri non dicitur, ſi vel unus contradicat.*
9 *Conventualis Eccleſia ex proprietate vocabuli dici poteſt Collegiata tam ſæcularis, quàm regularis, n.12.*
10 *Et quid ex communi uſu loquendi.*
11 *Conventus dicitur Religioſorum, Capitulum ſæcularium.*
12 *Petitorium, & poſſeſſorium per quæ verba cenſeatur cumulatum in eodem libello, & num. ſeqq.*
13 *Conſuetudinem intentans videtur utrumque cumulare.*
14 *Petitorium, & poſſeſſorium, an & quibus caſibus poſſit ſimul intentari.*
15 *Probatio plena per contrariam pleniorem conquaſſatur.*
16 *Probatio probationem non excludit, niſi publicatis atteſtationibus.*
17 *Probans ſemiplenè, alio nihil probante, dicitur plus probare, ſed non pleniùs.*
18 *Juramentum in ſupplementum defertur ſemiplenè probanti.*
19 *Niſi adverſarius habeat juris aſſiſtentiam, aut jurare velit ſe non debere.*
20 *Teſtium fidei detrahitur, ſi ſunt varii, ſi vacillant, ſi ſatagunt probare negativam.*
21 *Negativa quid, quotuplex, qualiter coarctetur, & quibus modis probari poſſit, remiſſivè.*
22 *Beneplacitum Apoſtolicum non interceſſiſſe probatur ex regiſtris, in quibus non reperitur deſcriptum.*
23 *Jus eligendi Epiſcopum unà cum Canonicis Eccleſiæ Cathedralis poteſt præſcribi à Clericis inferiorum Eccleſiarum etiam ſine titulo.*
24 *Præſcriptio cumulativa juris inſtituendi an requirat titulum, & num. ſeqq. uſque in fin.*
25 *In præſcriptione juris eligendi titulus non requiritur, ſi ſit cumulativa, ſecus ſi privativa, & num. ſeqq.*
26 *In præſcriptionibus contra jus titulus eſt neceſſarius.*
27 *Præſcriptio cumulativa non eſt contra jus, ſi actus ſint ſimultanei, aliàs ſecus.*
28 *Inſtitutionum tres ſunt ſpecies.*
29 *Inſtitutio corporalis pertinet ad Archidiaconum de jure communi.*
30 *Inſtitutio authorizabilis non poteſt fieri ab Archidiacono.*
31 *Nec præſcribitur ſine titulo, aut immemorabili.*
32 *Inſtitutio collativa, quamvis ſpectat ad Epiſcopum, tamen Canones non reſiſtunt, quin competat inferiori.*
33 *Præſcriptio non habens vehementem juris reſiſtentiam, titulum non requirit.*
34 *Mala fides non præſumitur in eo, qui poſſidet jure non reſiſtente.*
35 *Centenaria poſſeſſio titulum non requirit.*
36 *Et quoad hoc æquiparatur immemorabili,*
37 *Mala fides ſuperveniens non interrumpit præſcriptionem jam completam.*
38 *In præſcriptione juris inſtituendi ſcientia, & patientia Epiſcopi eſt loco tituli.*
39 *Error juris dubii dat juſtam cauſam præſcribendi, & æquipollet errori facti.*
40 *Enunciativæ antiquiſſimæ probant famam, quæ eſt loco tituli.*

C*Um Eccleſia Sutrina.* Si ſpoliatus Poſſeſſorio, & 1
petitorio ſimul agens, poſſeſſionem, & ſpoliationem probet, ſed non dominium, obtinet in poſſeſſorio, ſed ſuccumbit in petitorio: hoc dicit ſecundùm Jo. Andr. cui ſubſcribunt omnes, & eſt decretalis fertiliſſima, habens materiam ſubtilem, & quotidianam, ut ait Ripa in princ. Dividitur in duas partes principales: In prima ponitur facti, & proceſſus narratio: In ſecunda diſtinctio, ibi, *Nos igitur*. Prima pars ſubdividitur in quinque, & ſecunda in duas, ut per Jo. Andr.

Nota primò, ibi, *Ut moris eſt*, invocationem Spiritus 2
Sancti, qui ſecundùm Joann. Andr. fit per decantationem Hymni, *Veni Creator*, vel Miſſæ de Sancto Spiritu, non eſſe de ſubſtantia electionis, nec de jure, ſed ex laudabili conſuetudine introductam. Ad hoc *cap. Quia propter ſuprà de elect.* & hic firmant Abb. & Ripa uterque *in 1. notab.* Neque obſtat, quòd in Conſtitutione Gregorii XV. quæ incipit, *Aeterni Patris Filius, in §. Matura itaque*, cautum ſit electionem Romani Pontificis fieri 3
aliter non poſſe, quàm in Conclavi, & eo clauſo, & poſt celebratum in eo prima die ſolitum Miſſæ ſacrificium (ſcilicet de Spiritu Sancto) & illa verba, *fieri aliter non poſſe*, inducant formam, ſecundùm Felinum *in cap. Dilecta nu.6. verſ. Septimum ſignum, de reſcript.* Dec. *conſ.* 528. *num.*11. Pariſ. *conſ* 19. *num.*20. *lib.* 2. & actum contrarium ipſo jure inficiant, ut notat Bart. *in l. fin. num.* 7. *ff. de fer.* Jaſon. *in l. Non dubium n.*60. *C. de legib.* cum præſertim celebratio Miſſæ ſub unica determinatione cumuletur cum clauſura Conclavis, quæ proculdubio eſt ſubſtantialis, ad *leg. Jam hoc jure, §. Sed ſi*, & ibi Bart. *num.*1. *ff. de vulg. & pupill.* Id, inquam, non obſtat, quia *in §. Quod ſi electio*, ubi perſtringitur forma ſubſtantialis electionis cum decreto irritandi, non repetuntur illa verba, *Poſt celebratum Miſſæ ſacrificium*; quod clarè demonſtrat hanc ſolemnitatem ad electionis validitatem non pertinere. Quare de hoc defectu ſicut excipi non poteſt contra electionem inferiorum, ita nec contra electionem Papæ. Ad hoc *cap. Licèt de vitanda*, & quod ibi dixi *in* 3. *notab. ſuprà de elect.*

Ratio ſupraſcriptæ deciſionis eſt, quia hæc eſt levis ſolemnitas, cujus omiſſio actum non vitiat, *l.*1. *§. fin. ff. de ventr. inſpic.* Aym. *conſ.*182. *Videtur n.* 17. *verſ. Similiter omiſſio.* 4
Unde in ſimili, quamvis in publicatione electionis decantari ſoleat Hymnus Ambroſii, & Auguſtini, ſcilicet *Te Deum laudamus*; tamen ſi omittatur, non vitiatur electio, Specul. *in tit. de elect. §.* 1. *verſ. Conſequenter nu.* 36. 5
Bertachin. *in tract. de Epiſcop. q.*9. *lib.*3. Similiter quamvis 6
in inventario præmittendum ſit ſignum Crucis, hæc tamen ſolemnitas levis eſt, cujus defectus inventarium non inficit, Bart. & alii poſt eum *in l. fin. §.*1. *num.* 3. *verſ. Hæc eſt forma, C. de jur. deliber.* & eodem modo etſi in inſtrumento præmittenda ſit invocatio nominis Domini, ut notat gloſſa *in l. Generali, C. de tabular. lib.*10. & *in Authen. Ut præpon. nomen Imper. in ver. Authore*; tamen omiſſa non invalidat inſtrumentum, ſecundum Bart. *in l. Si quis ex argentariis, §. Si vitium n.*7. *ff. de edend.* & Ripa *hìc in* 1. *notab.* Sed an hoc ultimum ſit verum, & an procedat ex conſuetudine,

tudine, plenè notavi *in cap. In nomine Domini in* 1. *notabi.* i *n.* 7. *infrà de teſtibus.*

7 Secundò nota ibi, *Unanimiter elegiſtis*, hoc verbum, *Unanimiter*, innuere actum fuiſſe celebratum nemine diſcrepante. Quod apertiùs probatur *in cap. Bonæ, il ſecondo, & in c. Et ſi unanimiter ſupra de poſtul. Prælat.* & ſentit hìc Innoc. dum ait commendabile eſſe, ut fiat unanimiter, ut *in c. Innotuit, de elect.* licèt raro ſic fiat, *c. Nec novum* 8. *q.* 1. Et quamvis Anton. de Butr. *in cap. Ad aures in* 2. *notab. ſuprà quod met. cau.* ex eo textu deducat unanimiter factum dici poſſe, quod factum eſt à majori parte Capituli, ſeu Collegii, aliquibus contradicentibus: tamen reverà ex illa decretali colligitur oppoſitum; nam ibi non dicitur ſimpliciter electionem fuiſſe unanimiter celebratam, ſed unanimiter uno excepto. Quæ exceptio fruſtrà fuiſſet adjecta, ſi verbum, *Unanimiter*, verificaretur in majore parte Colegii, ut benè ibi per Imolam *in* 1. *notab.* & Abb. *num* 1. Tene igitur idem importare aliquid fieri unanimiter, ac nemine diſſentiente, prout hìc firmant Abb. Barbat. & Ripa *in* 2. *notab.* Felin. *in c. Non poteſt n.* 8. *verſ. Idem de verbo unanimiter, de re judic.* & conſentit Bald. *in l. fin. in* 1. *col. de impub. & in l. unic.* §. *His ita in* 1. *col. C. de caduc. tollen.* dum ait hanc dictionem, *Unanimiter*, ſeu *unà*, eſſe valdè conjunctivam, & importare ſummam
8 conjunctionem, & unitatem. Eodem modo concorditer aliquid fieri non dicitur, ſi vel unus contradicat, ut notat gloſſ. *in Clem. Ne Romani in ver. Concorditer, de elect. & in c. Cupientes, in eadem ver. eodem tit. lib.* 6. De quo tamen vide ad ſaturitatem Felinum contraria jura conciliantem *in d. c. Non poteſt num.* 8. & hæc nota pro ſcholaribus, qui in Collegio dicuntur unanimiter, ſeu concorditer approbati, ſecundum Abb.

9 Tertiò, nota ibi, *Clerici Conventualium Eccleſiarum*, Collegiatas Eccleſias ſæculares poſſe appellari Conventuales; & ſic verbum *Conventus*, congruit non tantùm Collegio Religioſorum, ſed etiam Clericorum ſæcularium, ut hìc per Abb. *in* 3. *notab.* & Ripa *num.* 4. Ad quod facit etymologia vocabuli: dicitur enim Conventus à conveniendo, ut *c.* 1. 15. *diſt.* Item facit text. *in Clem. Ut ii*, ibi, Collegiatis ſæcularibus, vel regularibus Eccleſiis, *de ætat. & qualit.* & Concil. Trident. *cap.* 4. *in princip. ſeſſ.* 22.

10 Subdit tamen Abbas hoc procedere de jure, & ex proprietate vocabuli. Secus de communi uſu loquendi, quo Eccleſiæ Religioſorum tantùm appellantur Conventuales. Quod ipſum aſſeruit idem Abb. *in cap. Edoceri in ultimo*
11 *notab. de reſcript.* & ſequitur Ripa, *ubi ſuprà*. Et adde Archid. *in c. Quia ſæpe num.* 2. *de elect. lib.* 6. ubi ait Conventum dici Religioſorum, & Capitulum ſæcularium: hæc enim duo ponuntur ut diverſa *in Clem.* 1. *de magiſtr.* licèt quandoque ponatur promiſcuè, ut ibi notat Card. *in* 2. *notab.* Non obſtat, quòd Gemin. *conſ.* 131. incip. *Quoniam beneficia n.* 3. decidat Conſtitutionem Papæ diſponentem Prioratus Conventuales vacare, ſi electi non fuerint infra ſex menſes promoti ad Ordines requiſitos, non comprehendere Eccleſias Collegiatas ſæculares, eò quòd appellatione Eccleſiarum Conventualium de proprietate ſermonis non continentur Eccleſiæ Clericorum ſæcularium: etenim ut reſpondet Ripa, deciſio Gemin. eſt vera, quia verba illius Conſtitutionis ſunt intelligenda ſecundùm communem uſum loquendi; ſed ejus ratio falſa eſt per prædicta. Hic tamen uſus non eſt ubique uniformis. Unde in Cathedrali Eccleſia S. Angeli in Vado Collegium Spiritus Sancti, quod eſt Clericorum ſæcularium, ex communi uſu loquendi appellatur Conventus: & adde quod notatur per Joann. Andr. & Calder. *in c. Capitulum ſuprà de reſcript.*

12 Quartò, nota ibi, *Poſtulabant*, petitorium, & poſſeſſorium reintegrandæ cenſeri in eodem libello cumulatum per hæc verba, *Cùm conſueverimus electioni intereſſe, petimus electionem nobis abſentibus factam caſſari*; ſecundùm Innocen. *hic in princ.* cui Butr. *num.* 10. & cæteri adſtipu-
13 lantur. Rationem reddit Bald. *num.* 3. quia conſuetudo eſt tam juris, quàm facti; & ideò qui intentat conſuetudinem, videtur ſimul intentare petitorium, & poſſeſſorium. Generaliter autem, quibus verbis utrumque judicium cenſeatur cumulatum in eodem libello, plenè hìc pro-
14 ſequitur Innocentius, & reliqui poſt eum. Hæc tamen procedunt in poſſeſſorio reintegrandæ, ſeu recuperandæ, quod, ut hìc patet, in eodem libello cumulari poteſt cum petitorio, ſicut & poſſeſſorium adipiſcendæ, ut notant omnes *in l. Naturaliter*, §. *Nihil commune*, ubi in ſpecie Ripa *nu.* 142. *ff. de acquir. poſſeſſ.* Menoch. *de adipiſcend. remed.* 3. *num.* 161. & pleniùs *remed.* 5. *q.* 64. *à num.* 510. Verùm an hæc cumulatio cum petitorio fieri poſſit in poſſeſſorio retinendæ, ardua, & perdifficilis eſt quæſtio, de qua conſule eundem Menoch. *de retinend. remed.* 3. *qu.* 66. *à num.* 511. ubi novem caſus diſtinguit, & materiam latiſſimè proſequitur.

Quintò, nota ibi, *Pleniùs probaviſſent*, probationem 15
plenam per contrariam pleniorem vinci, & conquaſſari. Ad idem *l. Ob earum*, §. *Si teſtes, ff. de teſtib.* Bart. *in leg. Si duo n.* 4. *ff. Uti poſſid.* text. *in cap. Licèt cauſam*, & ibi gloſſ. & Doctores *infrà de probat.* Surd. *conſ.* 135. *num.* 94. *lib.* 1. Rota *dec.* 366. *n.* 4. *part.* 5. *recent.* Aliàs tamen probatio 16
probationem non excludit, Ægid. *deciſ.* 624 *nu.* 2. Caſſad. *deciſ.* 2 *de dilat.* Rota *deciſ.* 585. *num.* 5. *part.* 4. *diverſ.* niſi publicatis atteſtationibus, ut *in Clemen. Secunda de teſtib.* Addit Bald. hìc *num.* 6. quòd ille, qui ſemiplenè probat, alio 17
nihil probante, dicitur plus probare, non tamen pleniùs; & ideò in defectum probationis deferendum eſt Sacramentum ſemiplenè probanti, juxta textum *in l. Bonæ fidei, C. de rebus credit.* Præterquam in duobus caſibus. Primus eſt 18
cùm adverſarius habet pro ſe juris diſpoſitionem, ſeu aſſiſtentiam. Secundus cùm adverſarius vult jurare: cùm 19
enim ambo ſint ejuſdem authoritatis, & uterque pariter ſciat veritatem, ſi reus offert ſe paratum jurare ſe non debere, non debet deferri juramentum actori: ſecus ſi non vult jurare. Hæc eſt gloſſ. *unic. in jure, in l. Maritus, in ver. Abſente, ff. de quæſt.* ſecundum Bald. qui tamen ſubdit eam gloſſam de facto non ſervari. De materia hujus juramenti ſuppletorii, ſeu neceſſarii, conſule Bart. & Doctores *in l. Admonendi, ff. de jurejur.* & Maſcardum plura cumulantem *de probat. concluſ.* 954. *vol.* 2.

Sextò, nota *in ver. Nos igitur*, tria quæ detrahunt fidei 20
teſtium, videlicet ſi ſint varii, ſi vacillant, ſi ſatagunt probare negativam. Quid ſit variare, & quid vacillare, notatur *in c. Præterea de teſtibus cogen.* & per Bart. *in leg. Eos, ff. de falſ.* & Felin. *in c. Cùm in tua, de teſtibus*. Et 21
de negativa vide quod notatur *in c. Bonæ, il ſecondo de elect.* & latiſſimè hìc per Ripam *à num.* 70. ubi primò præmittit quid ſit negativa, quot ſint illius ſpecies, & qualiter coarctetur. Deindè ponit regulam, quòd negativa ſit improbabilis per rerum naturam, eamque dupliciter ampliat. Demum *à num.* 79. proſequitur octo modos probandi negativam: & quoad quartum, videlicet per regiſtrum, vide 22
Conſtitutionem Urbani VIII. ſuper præſervatione jurium Sedis Apoſtolicæ, & inferiorum Eccleſiarum, quæ incipit, *Romanus Pontifex*, editam die 5. Junii 1641. *poſt princ.* ubi dicitur, *Confirmationes, approbationes, & beneplacita Papæ, præſertim ubi agitur de præjudicio perpetuo, ſemper conſueviſſe in ſcriptis expediri, præcipuè per litteras Apoſtolicas, ſive plumbo, ſive in forma Brevis ſub annulo Piſcatoris; ideò ſi in regiſtris Apoſtolicis, quæ fideliter cuſtodiuntur, non reperiuntur deſcripta, vel regiſtrata, vel non exhibentur originalia litterarum Apoſtolicarum, aut tranſumpta, juxta formam alterius Conſtitut. ejuſdem Pontificis editæ die prima Junii* 1635. *inde deducitur Romanos Pontifices hujuſmodi confirmationes, approbationes, aut beneplacita numquam conceſſiſſe.* Hæc ibi. Quamobrem quod aſſerunt Doctores, & millies reſolvit Rota, ex curſu triginta annorum cum obſervantia ſubſequuta præſumi beneplacitum Apoſtolicum, hodie ceſſat, quia hanc præſumptionem ſuſtulit Urbana Conſtitutio in his, quę ſunt Eccleſiis, aut perſonis Eccleſiaſticis prejudicialia. Probatur enim negativa eo ipſo, quòd beneplacita hujuſmodi in reſcriptis Apoſtolicis non reperiuntur deſcripta, ut ſcripſi pleniùs *in c.* 1. *num.* 46. *& ſeqq. ſuprà de conſuet.*

In gloſſa *in ver. Temporis brevitatem*, nota Clericos in- 23
feriores nomine ſuarum Eccleſiarum poſſe præſcribere jus eligendi Epiſcopum unà cum Canonicis Eccleſiæ Cathedralis, ad quos pertinet de jure communi, & in hac præſcriptione titulum non requiri. Sed an hoc ſit verum, plenè examinabitur in quæſtione ſequenti.

Ex facto quæſitum eſt, utrum in præſcriptione cumulati- 24
va juris inſtituendi requiratur titulus, necne.

Inter Epiſcopum Burgi S. Donnini, & Præpoſitum Buxeti, jam S. Congregat. cenſuit Præpoſitum præſcripſiſſe jus inſtituendi cumulativè cum Epiſcopo ad Canonicatus, be-

beneficia, & Eccleſias in litteris Eugenii IV. deſignatas, ſi modò verè de jurepatronatus exiſtant, ad præſcriptum Concilii Tridentini *c. 9. ſeſſ. 25.* ut plenè ſcripſi in *c. Auditis à n. 2. uſque in fin. infrà de præſcript.* Et quamvis ante diffinitionem hujus cauſæ actum eſſet de ſingulis requiſitis ad præſcriptionem inducendam; quia tamen ex parte Epiſcopi opponebatur Præpoſitum non habuiſſe titulum coloratum ad quatuor Canonicatus, & duo beneficia ſuæ Præpoſituræ: vocatis partibus in contradictorio concordatum eſt in dubio, an in præſcriptione hujuſmodi requiratur titulus, ac ſi requiratur, an de eo conſtet. Quod Sac. Congregatio proximè habita juſſit, ut proponeretur in ſequenti, rejecta opoſitione Epiſcopi, quòd priùs cognoſcendum eſſet in Rota, an conſtaret de jurepatronatus.

25 Quoad primam partem dubii Doctor. conciliantes hanc Decretalem, quæ in præſcriptione juris eligendi titulum non requirit, cùm Conſtitutione Bonifacii VIII. in *cap. 1. de*
26 *præſcrip. lib. 6.* ubi in præſcriptionibus contra jus dicitur neceſſarius titulus, qui poſſeſſori juſtam cauſam tribuat præſcribendi, cenſent in terminis hujus Decretalis non fuiſſe neceſſarium titulum, quia agebatur de præſcriptione juris eligendi cumulativè cum Canonicis, ad quos electio de jure pertinebat: quæ quidem præſcriptio non eſt contra, ſed præter, vel ſecundùm jus commune, quia non privat Capitulum jure eligendi; ſed alium adjungit, qui unà cum Capitulo: eligat: Conſtitutio autem Bonifacii expreſsè loquitur de præſcriptionibus contra jus. Atque ita advertit Joann. Andr. hìc *propè fin. n. 22.* in hæc verba: Dic quòd præſcribere contra Canonicos ne eligant eſt contra jus commune, & ibi neceſſarius eſt titulus; ſed præſcribere quòd cum ipſis eligant iſtud eſt præter jus, vel ſecundum jus, 63. *diſt. c. Obeuntibus*; & ideò talis præſcriptio procedit ſine titulo: quæ opinio Jo. Andr. placuit etiam Anchar. hìc *nu. 28.* & Ripæ *num. 122.* qui eam tuetur ab objectis Abbatis, & ſequitur Felin. in *c. Si diligenti n. 5. ad fin. de præſcript.* ibi: Quia non poſſidebatur jus eligendi ad excluſionem Capituli; illud enim eſſet contra jus: ſed erat præſcriptum, ut fieret electio ſimul ab extraneis, & Capitulo; & idem Jo: Andr. in *c. Ad decimas n. 4. ad fin.* & ibi etiam Franc. *num. 6. in fin.* & Gemin. *col. 4. verſ. Vel ſecundo, de reſtitut. ſpoliat. lib. 6.* Quocirca hanc opinionem, quòd præſcribere contra eum, qui habet intentionem fundatam de jure communi, ita demum egeat titulo, ſi privativè præſcribat, non ſi cumulativè dicit videri magis communem, & tenendam, Bald. *de præſcr. par. 1. 2. part. principalis q. 8. n. 4. in fin. & n. 5.* & eum ſequuta eſt Rota Caputaq. *part. 3. dec. 306. num. 8.* & in cauſa Placentina voti 20. Novemb. 1602. coram Penia. Ex his contendit Præpoſitus ſuam præſcriptionem procedere abſque titulo, quia non privat Ordinarium facultate inſtituendi, cùm ſit tantùm cumulativa, ut jam cenſuit S. Congregatio

27 Verùm hoc primum Præpoſiti fundamentum non videtur tutum; quia ita demum cumulativa præſcriptio dicitur præter, vel ſecundum jus commune, ſi concurrat in eodem actu ſimultaneo, puta ut extraneus interſit electioni unà cum Collegio, ad quod ſpectat eligendi facultas; atque in his terminis procedit hoc capitulum, & doctrinæ ſuperius relatæ. Secus autem ſi cumulativa ſit talis, ut unus faciat actum ſeorſim ab alio, & ſit locus præventioni, ut in caſu Præpoſiti. Ratio differentiæ eſt, quia in primo caſu jus commune non prohibet, imò approbat, & commendat, ut plures interſint electioni, quò maturiùs, & prudentius perficiatur, ut *c. Obeuntibus 63. diſt.* quod citat Jo. Andr. *& c. Prudentiam*, ibi, *Cùm ſicut Canones atteſtantur integrum ſit judicium, quod plurimorum ſententiis confirmatur, de off. deleg.* quod citat Anchar. loco ſuprà citato. Hæc autem ratio minimè viget cùm unus eligit, aut inſtituit ſeorſim ab alio, quia actus inſtitutionis tunc non abſolvitur judicio utriuſque quinimò facultas inſtituendi pro illa vice abdicatur ab Epiſcopo in totum, & transfunditur in inferiorem prævenientem, in quo non eſt tanta præſumptio prudentiæ, & maturitatis. Unde præſcriptio hoc caſu tamquam contraria juri communi non videtur procedere abſque titulo, per reg. *d. c. 1. de præſcript. lib. 6.*

Neque obſtat dicta deciſio Caputaq. ubi deciditur titulum non eſſe neceſſarium, quando beneficiatus non intendit excludere Rectorem, & præceptorem decimarum in totum, ſed vult tantùm concurrere. Quia ibi non agebatur de perceptione decimarum per vices, itaut ſemel illas perciperet beneficiatus, ſemel Rector Parochialis; ſed uterque concurrebat in eodem actu individuo perceptionis decimarum: hoc autem caſu ſi Præpoſitus præveniat in inſtitutione, non ſit locus concurſui, ſed Epiſcopus quieſcit, & nihil agit pro ea vice; atque ita deciſio Caputaq. potiùs confirmat hanc diſtinctionem.

Verumtamen ex aliis capitibus non videtur neceſſarius 28
titulus in præſcriptione, de qua nunc eſt quæſtio. Quod ut clariùs appareat, oportet primò diſtinguere tres inſtitutionum ſpecies à ſacris Canonibus conſtitutas. Prima ſpecies 29
eſt inſtitutionis corporalis, hoc eſt immiſſionis in poſſeſſionem: & hæc competit Archidiacono de jure communi abſque ulla præſcriptione, ut eſt textus ad litteram in *c. Ad hæc, de offic. Archid.* ibi, *Inſtitutio corporalis tam ſuper beneficiis, quàm etiam dignitatibus, ad ipſum* (hoc eſt ad Archidiaconum) *debeat pertinere*, & tradit Abb. in *c. Cùm veniſſent num. 10. & ſeqq. de inſtit.*

Secunda ſpecies eſt inſtitutionis authorizabilis, id eſt ap- 30
probationis ad curam animarum: & hanc jura prohibent, ac vehementer reſiſtunt fieri poſſe ab Archidiacono, ut in
c. Cùm ſatis, ubi notatur de offic Archid. Ob quam juris re- 31
ſiſtentiam hæc inſtitutio vel nullo modo præſcribitur, vel certè requirit aut quadragenariam cum titulo, aut immemorabilem, ex traditis per Bellam. *conſ. 10. Factum eſt tale n. 5. cum pluribus ſeqq.* & aliàs *col. 3. circa medium, verſ. Secundò requiritur, & col. 17. in princ. verſ. Circa quintum*, Aym. *conſ. 134. Scripſi alias n. 14.* & ſequitur Rota *diverſ. part. 1. dec. 803. n. 3. & 4.* & hanc Præpoſitus conſentit fieri debere ab Epiſcopo.

Tertia ſpecies media inter corporalem, & authorizabi- 32
lem inſtitutionem, eſt quam vocant collativam, de qua nunc controvertitur; & hæc quamvis de jure ſpectet ad Epiſcopum tantùm, *c. Cùm ex injuncto in fin. de hæret. lib. 6.* Canones tamen non reſiſtunt, quominus competat ex conſuetudine Archidiacono; quinimò huic conſuetudini aſſiſtunt, ut probatur in *c. In plebibus 63. diſt. in c. Super eo*, juncta gloſ. in *ver. Archidiaconus, de off. de leg. c. Ad hæc*, cum gloſſa in *ver. Conſuetudines, de exceſſ. Prælat. in c. fin.* ubi etiam gloſſa in *ver. Archid.* gloſſ & Doctores in *d. c. Cùm veniſſent.* Unde fit, ut hęc inſtitutio abſque titulo poſſit pręſcribi, quia
quotieſcumque præſcriptio non habet vehementem juris 33
reſiſtentiam, non requirit titulum, *c. Placuit, § Poteſt 16. q. 3. c. De quarta*, ubi DD. *c. Si diligenti*, ubi gloſſa in *ver. Inſtitutio*, & Felin. poſt alios *n. 6. verſ. Eſt verum de præſcript.* Dec. *conſ. 134. Viſo puncto ſub num. 4. verſ. Et ad hoc facit*, dicens deciſionem *c. 1. de præſcript. lib. 6.* procedere ubi fortiter jus commune reſiſtit præſcribenti, Covarr. *var. reſol. lib. 1. c. 17. num. 7.* & decidit Rota in dicta cauſa Placentina coram Penia. Ratio eſt, quia titulus non requiritur in præ-
ſcriptione, niſi ad excludendam malæ fidei poſſeſſionem; & 34
mala fides non præſumitur in eo, qui poſſidet jure non improbante, aut reſiſtente Innocen. & Bald. in *c. Per tuas de teſtibus*.

Alterum caput quod juſtificat hanc præſcriptionem, eſt
quia Præpoſitus inſtituit ab anno 1481. uſque ad annum 35
1601. atque nititur centenaria poſſeſſione, quæ titulum non requirit, Afflict. *deciſ. 324. num. 6.* & cenſuit Rota apud Seraph. *deciſ. 707. n. 2.* & Gabriel. *commun. concl. de præſcript. concl. 1. num. 71. & 73.* ubi aliis pluribus relatis dicit hanc
opinionem communiter approbari: quoad hoc enim im- 36
memorabilis, & centenaria poſſeſſio æquiparantur, Gemin. in *d. c. 1. col. 4. verſ. Sed quæris Lap.* & ibi etiam Anchar. *col. fin. verſ. Quærit etiam circa hoc, de præſcript. lib. 6.* Gabr. & Seraph. *locis cit*

Neque his obſtat laudum anno 1565. latum ab Ormanetto inter Epiſcopum Cremonæ, & Præpoſitum Buxeti, quo decernuntur irrita acta omnia utrimque producta; nam uti jam reſpondit S. Congregatio in alia propoſitione hujus cauſæ, dictum laudum, quod pertinet ad inſtitutionem, effectum non habuit, quia utraque pars perrexit inſtituere, ut priùs conſueverat. Ac prætereà non ſuſtulit jus Præpoſito acquiſitum per præſcriptionem annorum ſupra
octuaginta. Nam nec mala fides ſuperveniens interrumpit 37
præſcriptionem jam abſolutam, gloſſ. communiter approbata in *c. Vigilanti in ver. Noverit, de præſcript* & ſcripſi pleniùs in *c. Si quis n. 50. de regular.* Atque ex his videtur reſpondendum Præpoſiti præſcriptionem non requirere titulum.

Sed quatenùs titulus eſſet neceſſarius, quod pertinet ad 38
ſecundam partem dubii, de eo tamen videtur conſtare ſufficien-

ficienter: nam cùm Præpoſiti inſtituerint ſpatio longiſſimi temporis ſcientibus, & patientibus Epiſcopis Cremenſibus, ex quorum conniventione acquiri poterat jus inſtituendi, per ea, quæ notantur per Lambert. *de jurepatr. lib. 1. part. 1. q. 9. n. 69. & lib. 2. part. 3. q. 1. art. 10.* ſola hæc patientia præbuit eis juſtam cauſam, ac titulum ſufficientem ad præſcribendum, ut hìc tradit gloſſa in *ver. Brevitatem temporis*, Butr. *col. penult. verſ. Ubi ergo patientia*, Cardin. in 1. *oppoſit.* Imola *nu. 25. ver. Secundo modo*, Archid. in *c. Quia cognovimus* 10. q. 3. Gemin. in *d. c. 1. in fin. de præſcript. lib. 6.* Felin. in *d. c. Si diligenti nu. 6. verſ. Secunda reſtrictio*, & in terminis inſtitutioni præſuppoſita Epiſcopi ſcientia admittit, ac verum cenſet Ægid. *d. conſ. 10. col. 10. verſ. De quarta autem quæſtione, & col. 13. verſ. Quoad ſecundam difficultatem.*

Scientia autem, & patientia Epiſcoporum ſatis juſtificatur non ſolùm ex annuis viſitationibus, ex actibus multiplicatis, ac temporis diuturnitate, verùm etiam ex actibus poſitivis, ut fuit ſatis dictum in alia poſitione hujus cauſæ. Qui quidem actus poſitivi in materia hujus præſcriptionis magis, & enixiùs operantur, quàm ſola taciturnitas, *c. Ex ore, de his quæ fiunt à major. part. Cap.* & tradit Abb. hìc *num. 5.* Ac præterea cum Præpoſitus ex privilegio Eugenii IV. habeat jus deſtituendi cum juriſdictioni, hinc potuit probabiliter putare fuiſſe ſibi conceſſum jus inſtituendi, quod eſt minus. Ita enim infert in puncto Abb. in *c. Si quis contra Clericum n. 52. & in c. Cùm contingat n. 32. in fin.* ubi etiam Anton. de Butr. *col. 5. n. 12. verſ. Niſi fortè, de foro compet.* Lambert. *de jurepatr. 14. art. 1. qu. principalis 3. par. 2. lib.* Et quamvis illatio hujuſmodi fortè non ſit juridica, præbuit tamen Præpoſitis bonam fidem, ac juſtam cauſam præſcribendi; quia error juris dubii dat titulum ſufficientem ad præſcribendum, & æquipollet errori facti, Curt. Sen. *conſ. 71. Princeps defunctus n. 14.* Alex. *conſ. 214. Ponderatis col. 2. lib. 6.* Jo. de Imola *conſ. 98. qu. num. 15.* Quinimò Felin. in *c. De quarta nu. 27 de præſcript.* ubi docet titulum erroneum juris dubii ignoranti ſufficere ad præſcriptionem, *n. 28.* exemplificat in eo, qui habuit à perito malum conſilium, & citat Angel. in *l. Si lege, §. Scire, ff. de petit. hæred.*

Præbuerunt etiam Præpoſitis juſtum titulum antiquiſſimæ enunciativæ, quia probant famam, quæ eſt loco tituli, Caputaqu. *deciſ.* 356 incip. *Titulum ad præſcribendum jus inſtituendi*, Rota *deciſ. 61. num. 2. part. 1. & deciſ. 290. num. 11. part. 5. recent.* & fuit deciſum in cauſa Tiraſonen. juris præſentandi 16. Octobris 1592. coram Blanchetto, & in Eugubina S. Petri de Vigneto 21. Maji 1590. coram Bubalo.

DE RESTITUTIONE SPOLIATORUM.

Alexander III. Cantuarien: Archiepiſcopo.

CAPUT VII.

CONquerente nobis R. Clerico accipimus, quòd ipſum Eccleſia de VVerfort ſine judicio ſpoliaſti. Quia verò jam non decet honeſtatem tuam, Clericos tuæ juriſdictionis, ſine manifeſta cauſa & rationabili, ſuis beneficiis ſpoliare, quibus teneris paterna proviſione conſulere: Mandamus, quatenus, ſi eſt ita, prædicto Clerico præfatam Eccleſiam cum redditibus inde perceptis reſtituas: & in pace eam poſſidere permittas. Reſtitutione autem facta, ſi quid adverſus eum ſuper præſcripta Eccleſia proponere volueris: coram Exon. Epiſcopo delegato à nobis, per te vel per ſufficientem perſonalem tuum, cum eodem R. ordine judiciario poteris experiri.

SUMMARIUM.

1 *SPoliatus etiam à judice juris ordine prætermiſſo ante omnia reſtituitur.*

2 *Clericus ut beneficio ſuo privari poſſit, tria requiruntur.*

1 COnquerente. Spoliatus etiam à judice juris ordine prætermiſſo ante omnia reſtituitur. Hoc dicit ſecundùm Joan. Andr. & omnes.

2 Nota ex textu tria requiſita ſecundùm Abbatem *num. 2.* ad hoc ut Clericus beneficio ſuo licitè privari poſſit. Primò enim requiritur cauſa rationabilis. Secundò, ut cauſa hujuſmodi ſit manifeſta. Et hæc duo requiſita habentur in textu, ibi, *Non decet honeſtatem tuam, Clericos tuæ juriſdictionis, ſine manifeſta cauſa & rationabili, ſuis beneficiis ſpoliare.* Et expone ver. *Manifeſta*, id eſt notoria, ut *cap. Nos in quemquam 2. q. 1. & ver. Rationabili*, expone, id eſt gravi: nam pro levi cauſa non debet quis privari beneficio ſuo, *c. Inventum 15. q. ult.* Tertiò, requiritur, ut privatio fiat in judicio, ſeu juris ordine ſervato: & hoc vult textus ibi, *Sine judicio ſpoliaſti.* Nam ut inquit Hoſtienſis in *cap. Licet Heli num. 5. infrà de ſimonia*, hìc nullus ordo fuit ſervatus, ſed Epiſcopus non citatum, non confeſſum, non convictum, nec aliqua præmiſſa inquiſitione iſtum Clericum voluntate capitanea beneficio ſpoliavit; & ideò quia ex hoc meritò reddit ſe ſuſpectum, datur ei judex. Et idem dicunt ibi Joan. Andr. *n. 7. poſt med. verſ. Nec obſtat*, Butr. *num. 13. in fin* Anchar. *num. 7. verſ. Non obſtat*, & reliqui omnes. An autem hæc vendicent ſibi locum in Papa, itaut ſine juſta cauſa, & juris ordine non ſervato poſſit Clericum ſuo beneficio, vel officio privare, ſcripſi latiſſimè in *c. Conſultationibus à n. 24. uſque ad n. 83. infrà de Clericis ægrotant.*

DE RESTITUTIONE SPOLIATORUM.

Cæleſtinus III.

CAPUT XI.

GRavis ad nos quærela: & infrà. Mandamus, quatenus ſi vobis conſtiterit de præmiſſis: prædictum Archidiaconum, ablata prænominati Monaſterii Fratribus eum integrè reſtituere, damna plenariè reſarcire, & de illatis injuriis competenter ſatisfacere compellatis, proviſuri, ut non tantùm fructus a novo & violento poſſeſſore perceptos, ſed quos (ſi eis poſſidere fuiſſet licitum) poſſeſſores veteres percepiſſent, reddi faciatis eiſdem.

SUMMARIUM.

1 *Violentes rem cùm fructibus etiam qui percipi potuiſſent, reſtituere, damna reſarcire, & de injuriis ſatisfacere compellitur, num. 7. cum quatuor ſeqq.*

2 *Fructus intelliguntur deductis impenſis, quæ quærendorum, colligendorum, conſervandorumque eorum gratia fiunt.*

3 *Impenſas pro quærendis, colligendis, & conſervandis fructibus deducit etiam prædo.*

4 *Et nullus caſus intervenire poteſt, qui hoc genus deductionis impediat, ſi impenſæ ſint neceſſariæ, n.5.*

Fallit tamen in decimis prædialibus, n.6.

5 *Redditus, proventus, & obventiones lucrum ſignificant.*

6 *Decimæ prædiales ſolvi debent ſine ulla deductione ſeminis, & aliorum ſumptuum, qui fiunt in agricultura.*

7 *Interdictum recuperandæ ad quos ſe extendat.*

8 *Spoliatio facienda eſt integerrima reſtitutio etiam quoad locum, in quos res poſita erat.*

9 *Item reſarcienda ſunt damna illata in ſpoliatione.*

10 *Item de illatis injuriis competenter ſatisfaciendum.*

11 *Item reſtituendi ſunt fructus, etiam qui percipi potuiſſent.*

12 *Spoliatio non ſatisfit de injuriis, niſi de iis ſpecialiter agatur; ſed reſtitutio fructuum, & reſartio damnorum veniunt, etiamſi non fuerint petita.*

13 *In fructibus perceptis ante motam litem regulariter non fit condemnatio, niſi expreſsè petantur in libello, num.15.*

14 *Fallit quando agitur de vi expulſiva, aut compulſiva, vel petitione hæreditatis.*

16 *Fructus quando acceſſorii petuntur in libello, ſi in eis non fiat condemnatio, non poteſt de eis amplius agi, nec ſuper omiſſo ſententia ferri.*

17 *Secus ſi petantur principaliter, & jure actionis.*

18 *Fructus alii ſunt naturales, alii induſtriales, alii civiles.*

19 *Fructus naturales qui ſint.*

20 *Fructus induſtriales qui.*

21 *Fructus an judicari debeant naturales, vel induſtriales, relinquitur arbitrio judicis.*

22 *Et quomodo hujuſmodi arbitrium ſit regulandum.*

23 *Oliva, & oleum ſunt fructus induſtriales.*

24 *Fructus omnes, qui ſeminantur, induſtriales ſunt.*

25 *Fœnum, & palea fructus induſtriales dicuntur.*

26 *Item lana, & lac.*

27 *Item aucupia, venationes, & piſcationes.*

28 *Item lapidicinæ, & cretofodinæ.*

29 *Item cerviſia.*

30 *Paſcua ſunt fructus naturales, niſi falce ſecentur.*

31 *Fructus civiles qui dicantur, & n. ſeqq.*

32 *Penſiones domorum, uſuræ, vecturæ navium, mercedes jumentorum, & operæ ſervorum dicuntur fructus civiles, & n. ſeqq.*

34 *Penſiones domorum quo ſenſu ab aliquibus vocentur fructus induſtriales.*

35 *Fructus civiles magis accedunt naturalibus, quàm induſtrialibus.*

36 *Penſiones Eccleſiaſticæ abſque dubio inter fructus civiles computantur.*

37 *Poſſeſſor malæ fidei dicitur verè, & juris præſumptione.*

38 *Poſſeſſor malæ fidei verè dicitur qui poſſidet rem, quàm pro certum ſcit eſſe alienam, n.108.*

39 *Item is, qui pro certo ſcit rem non eſſe ſuam.*

40 *Poſſeſſor malæ fidei juris præſumptione dicitur ille, cùm quo ſupra re, ſeu dominio rei lis fuit conteſtata, n.108. & latius n.110. & 111.*

41 *Poſſeſſor malæ fidei an quis efficiatur per ſolam denuntiationem.*

42 *Poſſeſſor bonæ fidei dicitur, qui ignorat ſe alienum poſſidere, & cogitationem dominii poſſidet.*

43 *Item qui credit tradentem eſſe dominum.*

44 *Poſſeſſorum bonæ, vel malæ fidei multiplex diviſio.*

45 *Poſſeſſor bonæ fidei ſemper ſine titulo facit fructus induſtriales ſuos, & naturales, in quantum eos conſumpſit: ſed naturales extantes nunquam facit ſuos.*

46 *Si verò habuit titulum, fructus omnes facit ſuos etiam naturales conſumptos.*

47 *Conſumptio in fructibus naturalibus idem operatur, quod induſtria, & cultura in induſtrialibus, num.62.*

48 *Mutuum per conſumptionem reconciliatur, etiamſi quis cauſam habeat à fure, & prædone.*

49 *Poſſeſſor bonæ fidei etiam ſine titulo ſuos facit fructus civiles, quos diligentia ſua percepit, & ei ſolvens liberatur, n.63.*

50 *Si verò ex diligentia alterius, facit quidem ſuos, ſed ei ſolvens non liberatur, niſi habuerit juſtam cauſam ſolvendi, n.63.*

51 *Poſſeſſor bonæ fidei tenetur reſtituere fructus, quos non fecit ſuos, ſi extant, eo modo, quo tenetur rem ipſam reſtituere, & ſic rei vendicatione.*

52 *Si verò ſunt conſumpti, & ex eis factus eſt locupletior, tenetur illis reſtituere conditione ſine cauſa, vel conditione generali, & n. ſeqq.*

53 *Rei vendicatio non datur contra dominum, ſed ipſi domino, n.56.*

54 *Poſſeſſor bonæ fidei an in dubio ex fructibus naturalibus conſumptis præſumatur factus locupletior.*

55 *Poſſeſſor bonæ fidei in quibus caſibus facit fructus ſuos, nihilominus ſi extant, tenetur illos reſtituere officio judicis, n.56.*

56 *Officio judicis ex æquitate ſuccurritur, ubi actio deeſt.*

57 *Poſſeſſor bonæ fidei poſt conſumptionem fructuum, quos ſuos fecerat, etiam induſtriales, & civiles, ſeu illorum æſtimationem, reſtituere tenetur condictione ſine cauſa, quatenus ex illi factus eſt locupletior, & n. ſeqq. ſed vide n.60.*

58 *Conditio ſine cauſa datur ex æquitate contra eum, qui factus eſt locupletior non modo ex re mea, ſed etiam ex re mihi debita.*

59 *Locupletior factus quando quis dicatur.*

61 *Poſſeſſor malæ fidei etiam non violentus, ſive habeat titulum, ſive non, fructus etiam induſtriales non facit ſuos.*

62 *Fallit ſi ſint conſumpti.*

63 *Et quid in fructibus civilibus.*

64 *Poſſeſſor malæ fidei ſine titulo tenetur de fructibus perceptis, & qui percipi potuiſſent.*

65 *Et percepti ſi extant, peti poſſunt rei vendicatione, ſi ſunt conſumpti, conditione ſine cauſa, vel injuſta, aut rei vendicatione utili, & n. ſeqq.*

Item condictione furtiva, n.67.

66 *Rei vendicatio utilis datur adverſus eum, qui dolo deſiit poſſidere.*

67 *Poſſeſſor malæ fidei ſine titulo fructus conſumendo dicitur furtum committere, non autem percipiendo, n. 69. 88. & 133.*

68 *Contra furem omnis actio degenerat.*

70 *Poſſeſſor malæ fidei ſine titulo de fructibus percipiendis convenitur officio judicis.*

71 *Poſſeſſor malæ fidei cum titulo tenetur de fructibus perceptis, non autem de percipiendis.*

72 *Fallit in quatuor caſibus, in quibus etiam de percipiendis tenetur.*

73 *Item Fallit in eo, qui ſtudio patitur fructus maturos corrumpi.*

74 *Item in eo, qui mala fide poſſidet rem minoris.*

75 *Item fallit generaliter, cùm titulus eſt à jure reprobatus.*

Titulus reprobatus à jure habetur pro non titulo, ibid.

76 *Diſtributiones quotidianas perceptas, & quas percipere potuiſſet, an malæ fidei poſſeſſor reſtituere teneatur, & n. ſeqq. uſque ad n.97.*

77 *Diſtributiones quotidianæ non computantur inter fructus, nec fructus dicuntur, & numer. ſeqq. & num.83.*

Contrarium, n.83.

Declaratur, n.84.

78 *Diſtributiones quotidianæ nihil commune habent cum corpore beneficii, ſed dantur in recompenſam ſervitii.*

79 Quandoque manualia, quandoque victualia appellantur.
80 Dantur pro opere divino, & tamquam merces laboris.
Declaratur, num 78. 79. & 91.
81 Salarium debetur etiam exercenti miniſterium alteri demandatum, ſi in tali miniſterio non ſit electa induſtria perſonæ, ſed tantum effectus operæ, num. 93.
82 diſtributiones quotidianæ plenius acquiruntur, quam fructus Præbendæ, & ideo Clericus de eis teſtari poteſt.
83 Diſtributiones quotidianas, quas malæ fidei poſſeſſor percipit Divinis intereſſendo, tenetur reſtituere, etiamſi ex parte impediti nulla præceſſerit proteſtatio, & n.95.
Et quid in percipiendis, n.99.
84 Diſtributiones quotidianæ non computantur in valore fructuum.
85 Sed tamen ſub fructibus comprehenduntur.
86 Condemnatio in beneficialibus ex ſtylo Rotæ non fit, niſi cum fructibus perceptis, & ſub fructibus ſemper comprehenduntur diſtributiones quotidianæ.
87 Diſtributiones quotidianæ perceptæ ſine titulo, vel cum titulo reprobato, & ſine juris fomento, reſtituendæ ſunt.
88 Et eas percipiens cum titulo reprobato committit furtum, vel rapinam.
89 Non debentur in ſervientibus, niſi ſint canonicè inſtituti.
90 Dæmonium non ſufficit ejicere per pœnitentiam in oratione, & jejunio, niſi reſtituantur fructus injuſtè percepti.
91 Servitium, & labor non attenditur à jure, niſi in habentibus legitimum ingreſſum in caſibus, locis, & temporibus permiſſis.
92 Mercedem prætendere non poteſt gerens negotia mea me invito, nec expenſas repetit, licèt geſſerit.
94 Diſtributiones quotidianas, quas malæ fidei poſſeſſor Divinis intereſſendo percipere potuiſſet, non tenetur reſtituere, niſi præceſſerit proteſtatio ſpoliati, & num. ſeqq.
96 Fallit in caſibus, remiſſivè.
97 Poſſeſſor, qui ab initio fuit bonæ fidei, & poſteà effectus eſt malæ fidei, an faciat fructus ſuos, & num. ſeqq.
Quid ſi mala fides ſuperveniat cum mutatione perſonarum, n.98.
Et quid ſi in eadem perſona, n.100.
98 Hæres habens malam fidem, cum defunctus haberet bonam, fructus ſuos non facit.
99 Mala fides ſuperveniens cum perſonarum mutatione impedit fructuum acquiſitionem.
100 Mala fides tam præſumpta, quam vera ſuperveniens ſine perſonarum mutatione, non impedit acquiſitionem fructuum, & num. ſeqq.
Et quid operetur hujuſmodi acquiſitio, n.113.
Contrarium, n.106.
101 Quoad fructuum acquiſitionem ſolum initium ſpectandum eſt.
Contrarium n.106.
102 Intellectus leg. Qui ſcit, §. Bonæ fidei, ff. de uſur. & num. 127.
103 Intellectus l. Bonæ fidei, ff. de acquir. rerum domin. & num. 109.
104 Mala fides ſuperveniens de jure Canonico an impediat fructuum acquiſitionem.
105 Argumentum ab acquiſitione ad uſucapionem non valet, & multi poſſent acquirere, qui non poſſunt uſucapere, num. 134.
106 Fructuum quoad acquiſitionem ſpectanda ſunt ſingula temporis momenta bonæ, vel malæ fidei.
107 Intellectus leg. Qui bona fide, ff. de acquir. rer. domin.
108 Mala fides præſumpta oritur poſt litis conteſtationem, mala fides vera poſt rem judicatam, ſeu fundum evictum.
110 Poſſeſſor bonæ fidei tenetur reſtituere fructus etiam induſtriales, & conſumptos à die motæ litis, & n. ſeqq.
111 Poſſeſſores bonæ fidei poſt litem motam incipiunt malæ fidei poſſeſſores eſſe, & quaſi prædones tenentur.
112 Et hæc eſt præſumptio juris, & de jure, adeò ut quantumvis juſtam cauſam litigandi habuerint, à fructuum reſtitutione non excuſentur.
114 Et tenentur reſtituere non tantum perceptos, ſed etiam qui percipi potuerunt à die motæ litis.
115 Quod procedit, ſi titulum non habeant.
116 Niſi occupaverint rem lite pendente.
117 Diſtributiones quotidianas non tantùm perceptas, ſed etiam quas percipere potuiſſet, bonæ fidei poſſeſſor tenetur reſtituere à die controverſiæ motæ.
118 Sed quoad eas, quæ percipi potuiſſent, neceſſaria eſt proteſtatio.
119 Poſſeſſor bonæ fidei ante litem motam non ſolet condemnari à Rota ad reſtitutionem fructuum.
Niſi adhuc extent, vel ex conſumptis factus ſit locupletior, n.122.
120 Neque ad hoc requiritur bona fides poſitivè, ſed ſufficit abeſſe malam fidem.
121 Poſſeſſor, qui ante litem motam fuit in mala fide, condemnatur ad reſtitutionem fructuum à die occupationis, ſeu intruſionis.
122 Poſſeſſor bonæ fidei an teneatur reſtituere fructus extantes, vel conſumptos, ex quibus factus eſt locupletior, aut eorum æſtimationem, etiam ante motam litem.
123 Fructus, qui petuntur non acceſſoriè, ſed principaliter tamquam ſors, & capitale, reſtituendi ſunt à bonæ fidei poſſeſſore, etiam ante motam litem, num.127.
124 Manutentio ex ſtylo Rotæ datur pro terminis penſionum decurſis etiam ante motam litem, quando ad illos principaliter agitur.
125 Legata annua debentur decurſa non modò ante motam litem, ſed etiam ante apertas tabulas, & ſtatim à die obitus teſtatoris.
Etiamſi legata fuerint, legatorio ignota.
127 Alimenta, & annuæ præſtationes, quæ ſortem principalem conſtituunt, debentur etiam decurſæ ante petitionem, & interpellationem.
128 Poſſeſſor, qui ab initio fuit malæ fidei, & poſteà effectus eſt bonæ fidei, an faciat fructus ſuos, & num. ſeqq. uſque ad num. 142.
129 Quid ſi bona fides ſupervenerit cum perſanarum mutatione.
Et quid ſi ſuperveniat ſine mutatione perſonarum, num. 140.
130 Bona fides hæredis, qui ſucceſſit defuncto malam fidem habenti, non prodeſt quoad fructuum acquiſitionem.
131 Hæres ſuccedit etiam in vitium, & malam fidem defuncti, & num. ſeqq.
132 Hæres poſt litem conteſtatam tenetur de fructibus perceptis, & percipiendis.
133 Fructus percipiens cum mala fide dicitur furtum committere, & illos uſucapere non poteſt.
134 Uſucapere qui non poteſt, longè minùs poteſt acquirere.
135 Succeſſor ſingularis non ſuccedit in vitium ejus, à quo cauſam habet, & bona fides ſuperveniens prodeſt ei quoad fructuum acquiſitionem.
136 Prælatus non dicitur ſucceſſor univerſalis ſui prædeceſſoris, nec ejus perſonam repræſentat.
137 Et mala fides prædeceſſoris non impedit, quin ſucceſſor habens bonam fidem faciat fructus ſuos.
138 Prælatus quamvis ſuccedat in univerſum jus Prælaturæ, non tamen ſuccedit in jus prædeceſſoris, nec ab eo cauſam habet, ſed à ſuperiore ipſum inſtituente.
139 Prælatus ſucceſſor poteſt bona fide præſcribere, licèt prædeceſſor habuerit malam fidem.
140 Bona fides ſuperveniens in eadem perſona cum legitima cauſa putandi ſe bonæ fidei poſſeſſorem, prodeſt quoad acquiſitionem fructuum; ſecus ſi ſuperveniat abſque legitima cauſa, n.141.
141 Poſſeſſor malæ fidei ab initio, qui poſteà ex ſola cogitatio-

tatione putat ſe habere bonam fidem, non facit fructus ſuos.

142 *Poſſidendi cauſam nemo poteſt ſibi mutare ſine juſta, & legitima cauſa ſuperveniente.*

1 GRavis. Violentus rem cum fructibus etiam qui percipi potuiſſent, reſtituere, damna reſarcire, & de injuriis ſatisfacere compellitur. Hoc dicit, Jo. Andr. Bald. Bellam. Butr. Anchar. Imol. Abb. Joan. de Anan. & Bero. Prima pars deciſè ponit querelam, ſuper qua ſecunda dat judicem, ibi *Mandamus*, cui quatuor tantùm mandat, quæ per ſe patent, Joan. Andr.

2 Nota primò, ibi, *Poſſeſſores veteres percepiſſent*, fructus intelligi qui ſuperſunt deductis expenſis, quæ quærendorum, cogendorum, conſervandorumque eorum gratia
3 fiunt, quod locum habet etiam in malæ fidei poſſeſſoribus & ſi prædones ſint, *leg. Si à Patre, §. Fructus, & leg. Planè, in fin. ff. de petit. hæred. & l. 1. Cod. de fruct. & lit. expenſ.*
4 Imò nullus caſus intervenire poteſt, qui hoc genus deductionis impediat, dicit text. *in l. Fundus qui dotis, in fine primi reſponſi, ff. famil. erciſcund. l. Fructus*, juncta gloſsa *in ver. Impenſa, ff. ſolut. matrim.* & hìc notant gloſs. 3. *in princ.* Hoſtien. *num. 2. in ver. Percepiſſent*, Joann. Andr. *num. 6.*
5 & Joann. de Anan *num 7.* Nam redditus, proventus, & obventiones lucrum ſignificant; & ideò dicuntur deductis expenſis, *l. Fundi Trebatiani, ff. de uſufr. legat.* Bald. hìc *nu. 1. verſ. Et ideò nota*, ſcilicet neceſsariis, ut *leg. Fructus, ff. de operis ſervor. leg. Quod in fructus, ff. de uſur. leg. Qui mutuam, §. finali, ff. Mandati*, gloſs. Hoſtien. & Joann. Andr. *loco citato*. Et idem Bald. *in l. Si quis ſciens num. 11. verſ. Quæro hìc quidam poſſidet, Cod. de rei vendicat.* Paul. de Caſtr. *in l. Certum num. 1. C. eodem*, Covarr. *in Reg. peccatum 2. par. §. 6. num. 4.*

6 Hoc tamen fallit in decimis prædialibus, quæ ſolvi debent ex integris fructibus ſine ulla deductione ſeminis, & aliorum ſumptuum, qui fiunt in agricultura, ut *cap. Tua nobis, infrà, de decimis*, dicta gloſſa 3. hìc. Et ſpeciale in decimis eſt ſecundùm Bald. hìc *num. 1. in fin.* Secus enim in aliis caſibus, ut *leg. Si neceſſarias, §. final. ff. de pignor. action.*

7 Secundò, nota ex text. latitudinem interdicti recuperandæ, quia in eo venit primò integerrima rei invaſæ reſtitu-
8 tio, ut patet ibi *Cum omni integritate*, adeò ut reſtitutio facienda ſit etiam quoad locum, ut notat Archid. *in cap. Minor. num. 1. 17. quæſt. 4.* id eſt, ut reponatur in loco, in quo erat tempore ſpoliationis: ad quod allegatur textus in *cap. Reintegranda 3. quæſt. 1.* Reintegranda ſint omnia expoliatis, & in eo loco unde abſceſſerunt, funditùs revocanda: ubi gloſſa *in ver. in eo loco*: dicit, etiam ultra mare;
9 & omnia ſunt revocanda ſumptibus ſpoliatoris. Secundò, in ea venit plenaria reſartio damnorum illatorum
10 in ſpoliatione, ut ibi, *Damna plenariè reſarcire*. Tertiò, venit competens ſatisfactio injuriarum, ut ibi, *Et de illatis,*
11 *injuriis competenter ſatisfacere*. Quartò venit reſtitutio fructuum non modò perceptorum à violento poſſeſſore, ſed etiam eorum, qui ab antiquo poſſeſſore percipi potuiſſent, ut *in verſ. Proviſuri*. Et hìc notant Butr. *num. 2.* Imola *num. 1. & 2.* & Abb. *in 1. notab.* Bero. *num. 1. & ſeqq.* Joann. Andr. & omnes *in ſummario text.*

12 Adverte tamen, quia ſatisfactio pro illatis injuriis non venit, niſi de ea ſpecialiter agatur. Sed reliqua, id eſt reſtitutio rei, reſartio damnorum, & reſtitutio fructuum, veniunt etiam ſi petita non fuerint, *cap. Querelam, de elect.* junct. *princip. cum fin.* & hìc ſentit gloſſ. 2. & appertè tradit Innocent. *num. 2. in ver. Compellatis*, & Abbas
13 *eodem num. 2. verſ. Et licèt omnia prædicta*; & in fructibus perceptis ante motam litem, quamvis regulariter non poſſit fieri condemnatio, niſi expreſsè petantur in libello, ut *leg. Item ſciendum, ff. de ædilit. edict. leg. Partium, ff. de Uſu-*
14 *ris*: tamen hoc fallit, quando agitur de vi expulſiva, ut interdicto, *Unde vi*, vel Conſtitutione, *Si quis in tantam*: & idem ſi agatur de vi compulſiva, *Ut quod metus cauſa*; tunc enim venit omnis cauſa, etiamſi non petatur, *l. 3. §. Rectiſſimè, & l. Idem eſt, §. ultimo, & l. Si plures, ff. de vi, & vi armat. l. Si quis in tantam, Cod. Unde vi, l. Sed & parcus, ff. qui met. cauſ. & cap. 1. ſupra eodem tit.* Rurſus idem eſt ſi agatur petitione hæreditatis, in qua ſimiliter omnia veniunt ratione univerſitatis, *l. Item videndum eſt, §. fin. & leg. Non tantùm, & l. Item veniunt, §. Fructus, & per tot. ff. de petit. hæredit.* & hìc tenent Innoc. *num. 1. verſ. Sed licèt*, Hoſtien. *in princip. in ver. Et damna, verſ. Et hoc verum eſt*, Joann. Andr. *num 2 eodem verſ.* Bald. *num. 11.* Bellamer. *num. 1. & 2.* & Bero. *num. 50 in fin. verſ. Tertia ſit concluſio, & num. 51.*

In aliis verò caſibus ſecundùm Innocen. *d. num. 1. verſ. & not.* ſi in libello non petantur eo, quæ veniunt acceſſoriè, 15
ut fructus, damna, & intereſſe; vel etiamſi petantur, ſed nihilominus ſententia feratur ſuper principali non habita 16
mentione acceſſoriorum, de cetero de eis agi non poteſt, nec poteſt ferri ſententia ſuper omiſſo, *l. 4. C. de poſſeſſor. leg. Eos in bonæ, C. de Uſur. l. Qui per concluſionem §. fin. ff. de act. empt. l. Certum, ff. de eo quod cert. loc.* Sin autem plura petan- 17
tur non quaſi acceſsoria, ſed quaſi principalia, & jure actionis; tunc ſecus eſt, ut in prællegat. *l. Centum*, & cum Innoc concordant Hoſtien. *num. 1. verſ. Dicitur*, Jo. Andr. *num. 3.* Butr. *num. 14.* Bellam. *num. 3. verſ. Pone ergo*, & alii communiter.

In gloſſa tertia inquirendum eſt, an & quos fructus te- 18
neatur reſtituere poſſeſsor, qui convincitur injuſtè poſſidere. Ad evidentiam præmittendum eſt primò, fructus eſſe in triplici differentia: alii enim ſunt naturales: alii induſtriales: alii civiles: ut diſtinguunt Bartol. *in leg. Et ex diverſo num. 1. ff. de rei vendicat.* & communiter Doctores. Licèt gloſsa ponat tantùm duas ſpecies. Naturales ſunt, 19
quos natura ſponté ſua ſine ulla, vel modica hominis induſtria producit, ut poma, ficus, & ſimilia, *l. Fructus percipiendo, ff. de uſur. l. Bonæ fid. 1, ff. de acquiren. rerum domin* gloſs. & omnes hìc, Menoch. plures cumulans, *de arbitr. caſ. 229. num. 2.* Et ſecundùm Bald. hìc *num. 9. verſ. Tunc autem*, fructus naturales ſunt, in quibus percipiendis non requiritur cura, & cultura ſolemnis, licèt in aliquibus requiratur aliqua modica, & perfunctoria cura, & modica expenſa, de qua non eſt curandum. Item ſecundùm eum *num. 10.* fructus naturales ſunt quando apparatus naturæ præcedit apparatum hominis. ut fructus arborum; nam poma in Divina Scriptura dicuntur, *Fructus qui ſpontè naſcuntur*, Geneſ. *cap. 1.* id eſt ſine vi, & ſciſſura aratri, & abſque arte, & agricultura, quia totum, vel quaſi totum ſola natura perficit; ideò dicuntur fructus naturales à prædominio. Induſtriales ſunt, in quibus plurimùm 20
verſatur hominum induſtria, *d. leg. Fructus, ff. de uſur.* frumentum, vinum, & hujuſmodi, quæ per ſolam induſtriam accommodantur uſibus hominum, *l. Si fundi, ff. de rei vendic.* & generaliter ut inquit Cyn. *in leg. Certum n. 1. C. eod.* cùm circa omnes fructus colligendos operetur natura, & induſtria hominis, in ſegetibus, & vineis major verſatur induſtria, quam in primis; & ideò nos vocamus ſegetes fructus induſtriales, & uvas, quia in his exigitur multa induſtria, ut colere terram, ſeminare, ſarculare, mundare, potare, ligare, herbam ſuccidere, & hujuſmodi, quæ ſunt artis, facere. Poma verò, & pira, & his ſimilia, vocamus fructus naturales; ibi enim non oportet, niſi vermes removere, & fructus colligere De his autem fructibus, quinam propriè dicantur naturales, vel induſtriales, non poteſt dari certa doctrina: ſed hoc relinquitur arbitrio ju- 21
dicis, ut communiter dicunt Legiſtæ *in leg. Certum*, ubi in ſpecie Cynus *num. 2. verſ. Poſſet tamen de aliquibus, C. de rei vendicat. & in l. Et ex diverſo*, ubi Bart. *num. 2. ff. eod.* Abb. hìc *num. 3. verſ. Et de illis fructibus*, & Bero. *num. 9. verſ. Nonnulli.* Socin. Sen. *conſ. 251. Quoniam in præſenti, num. 24. verſ. Supereſt poſtremò lib. 2.* Covarr. *lib. 1. variar. reſolut. cap. 3. num. 16.* Menoch. *de arbitrar. d. caſ. 210. num. 20.* Quod quidem arbitrium procedens judex ita 22
regulabit, ut induſtriales reputet, in quibus magis verſatur hominum induſtria, & labor, quàm natura: & è converſo naturales, in quibus magis operatur natura, quàm induſtria, argum. *leg. Quæritur, ff. de ſtat. homin. cap. Si teſtes, §. Hermaphroditus 4. quæſt. 3.* & tenent Doctores 23
præallegati: unde oliva, ſeu oleum inter fructus induſtriales recenſentur, quia per ſolam induſtriam accommodantur uſibus hominum, ut *l. Si eis, & ſi fundi, ff. de rei vendicat.* & notat Bart. *in d. leg. Et ex diverſo num. 2.* Bald. hìc *num. 10. verſ. Excipio vites, & olivas*, Abb. *num. 3. verſ. Dubitatur enim*, & Bero. *num. 10.* Item omnes fructus, qui ſe- 24
minantur, ſunt induſtriales, quia cultus hominis magnus procedit opus naturæ, ut Bald. inquit *d. num. 10. verſ. Porrò.* Et ſimiliter fœnum, & palea, in quo percipiendo 25
fit magna expenſa, inter fructus induſtriales compu-

H 2 tan-

tantur propter grandem operam, quæ requiritur, ſecundùm
26 eum. Et idem dicendum de lana, & lacte propter emun-
gentis, & tondentis operam, quia non ſunt in rudi uſu,
ſed terminantur inter aliquod miniſterium, ut idem
ait d. num. 10. verſ. Item lac, & lana, & notat gloſsa
e in §. Si quis à non domino in ver. Curam, inſtit. de rerum
diviſ. Bart. in d. l. Et ex diverſo num. 2. ff. de rei vendic. &
27 Abb. hic num. 3. verſ. De lana, & lacte. Sed & aucupia ve-
28 nationes, & piſcationes; item lapidicinæ, & cretofodinæ in
fructibus induſtrialibus computantur; quoniam etſi ex
corpore rei ſint, tamen in his comparandis magis verſatur
hominis induſtria, quàm natura, ut hìc per Bero. num. 16.
29 & de ſimilibus num. 11. & ſeqq. Rurſus ſi ex pomis fit cervi-
ſia, initium habet naturæ, ſed ex induſtria perficitur, &
id, quod deficit naturæ, ars ſupplendo facit artificiale,
quod in ſua ruditate eſt naturale; & ideò cerviſiam inter
fructus induſtriales computat Bald. eodem num. 10. verſ.
30 Item ſi ex pomis. Sed paſcua ponit inter fructus naturales,
niſi falce ſecentur, & in horea reponantur, ut in verſ. Pa-
ſcua autem, & concordat Bero. hìc num. 2. facit text. in l. Si
uſufructuarius meſſem ff. quibus modis uſufr. amitt. ubi pa-
rificantur fœnum cæſum, ſpica inciſa, uva adempta, & oliva
excuſsa.

31 Civiles dicuntur, qui non principaliter naſcuntur ex re,
ſed ex proviſione hominis, hoc eſt propter uſum rei jure
32 civili percipiuntur, ut ſunt penſiones domorum, uſuræ,
vecturæ navium, mercedes jumentorum, operæ ſervo-
rum, & aliæ hujuſmodi obventiones, ut probatur in leg.
Domum, C. de rei vendicat. & in l. Si navis, ff. eod. juncta leg.
Uſuræ, ff. de verbor. ſignific. & leg. Uſuræ, ff. de uſur. Abb. hìc
33 num. 3 verſ. Sed dic clarius. Et quamvis Menoch. de arbitr.
d. caſ. 210. num 29. exiſtimet hanc denominationem fru-
ctuum civilium commentitiam eſse, nec ullo jure probari
contra ea, quæ ſcripſerat in tractatu de recuper. poſſeſſ. re-
med 15. quæſt. 40. num. 577. tamen verè dici poſsunt fructus
civiles, ſeu legales, quia ſunt à jure introducti, & inventi;
ideòque non dicuntur fructus ſimpliciter, ſed ut legitur in
d. leg. Uſuræ, vicem fructuum obtinent, & in leg. Prædiorum,
ff. de uſur. penſiones pro fructibus accipiuntur. Unde non
ſunt fructus propriè, ſed fictè, & ſic legis miniſterio adin-
venti, quia lex eſt illa, quæ fingit, non autem natura, l.
Si fortè, ff. de Caſtrenſ. pecul. Et ideò acceſſiones civiles vo-
cantur per gloſs in d. leg. Si navis in ver. Percipitur, ff. de rei
vendic. & in d. l. Uſuræ in gloſ. finali, ff. de verbor. ſignificat. ut
34 benè hìc per Bero. num. 9. verſ. Fructus civiles ſunt. Nec re-
fert, quòd aliqui recenſeant penſiones domus inter fructus
induſtriales, ut Bald. in leg. ſi traditio in fin. C. de act. empt.
ubi eos induſtrioſiſſimos appellat; & alii, quos refert Ro-
ta in Romana pecuniaria 29. Aprilis 1598. coram Blanchet-
to, & 20. Junii 1594. coram Penia. Quoniam idcircò
eos ſic appellant, quia proveniunt ex proviſione homi-
nis, id eſt ex præcedente contractu locationis, vel alterius
obligationis; verè tamen natura illos non producit, nec
ſola hominis induſtria, ſed magis legalis auctoritas; nec
talis induſtria verſatur circa laborem, & culturam, quæ
tribuit titulum pro fructibus irrevocabiliter acquirendis,
à qua ſpeciem, & denominationem ſumunt fructus in-
duſtriales. Unde Bald. & alii, qui hos fructus nuncupa-
runt induſtriales, impropriè ſunt locuti, ut poſt Guttier.
de tutel. cap. 23 n. 5. ad ... Rota dec. 3. num 56. part. 7.
35 recent. Licèt fateamur fructus civiles magis accedere na-
turalibus, quàm induſtrialibus, ut tradit Alexan. conſ.
144. Circa primum num. 7. lib. 5. & conſ. 181. In cauſa,
& lite num. 6. lib. 2. ubi quòd ſunt ad ſimilitudinem natura-
36 lium, Rota d. deciſ 3. num. 41. Et quicquid ſit in penſioni-
bus domorum, certè in penſionibus Eccleſiaſticis res eſt
extra dubium, quia in his nec conſiderari poteſt induſtria,
quæ perpenditur in locandis domibus, & conſtituendis
cenſibus, & ex qua deſumitur, ut affictus, & fructus ci-
viles dicantur induſtriales, cùm penſiones Eccleſiaſticæ nul-
la hominis induſtria, ſeu miniſterio percipiantur, ſed ex
ſolo titulo reſervationis Apoſtolicæ, ut per Rotam d. dec.
3. num. 58.

37 Præmittendum ſecundò, malæ fidei poſſeſſorem dici ve-
rè, & juris præſumptione.

38 Malè fidei poſſeſſor verè is dicitur, qui rem poſſidet,
quam pro certo ſcit eſſe alienam, & ad alium pertinere,
cap. Si virgo 34. quæſt. 2. cap. finali, & ibi Doct. de præſcript.
Innocent. & Abb. in cap. Vigilanti eodem tit. Joann. Andr.
in regul. poſſeſſor. de regul. jur lib. 6. Bald. in Authen. ad hæc, de
uſur. Abbas hìc num. 15. & Bero n. 17. & ad hanc ſpeciem 39
refertur etiam is, qui ſcit rem pro certo non eſſe ſuam, quo-
niam ſcire debuit eſſe alienam; & ideò verè dici poteſt ma-
læ fidei poſſeſſor, ut l. fin. C. Unde vi, ubi occupans poſſeſſio-
nem vacantem tenetur eam domino reſtituere, ſicut præ-
do, & fur, c. Si quid inveniſti, ubi Auguſt. Si quid inveniſti,
& non reddidiſti, rapuiſti, & c. Multi, ubi dicitur peccatum
eſse ſimile rapinæ, ſi quis inventa non reddat, 14. q. 5. Bero.
ubi ſuprà, verſ. Item dicitur.

Malæ fidei poſsesſor juris præſumptione is dicitur, cum 40
quo ſuper re, ſeu dominio rei lis fuit conteſtata, leg. Sed & ſi
lege, §. Si ante litem, ff. de petit. hæredit. l. Nemo ambigit, C. de
acquiren. poſſeſſ. l. 2. C. de fructibus, & litis expenſis, Abb. hìc
n. 15. verſ. Quidam eſt malæ fidei poſſeſſor juris præſumptione,
Bero. n. 17. in fin. & latiùs dicam infra in 3 membro principa-
li num. 108.

An autem per ſolam denunciationem de re aliena factam 41
poſſeſsor conſtituatur in mala fide, vide hìc per Imolam n. 9.
Abb. n. 16. & Bero. n. 20. Benè diſtinguentes inter eum, qui
habet titulum, & eum qui non habet.

E contrà verò bonæ fidei poſſeſsor dicitur, qui ignorat ſe 42
alienum poſſidere, ſed cogitatione dominii poſſidet, d. c. Si
virgo 34. q. 2. ubi eſt text. Bart. in l. Apud antiquos in 2. notab.
& ibi etiam Bald. n. 6. C. de furtis, Abbas hìc n. 15. & Bero. n. 43
19. Item qui credit tradentem eſse dominum, bonæ fidei poſ-
ſeſsor dicitur, Bart. in. l. Si exiſtimans, ubi eſt caſus, ff. pro ſolu-
to, Bero. ubi ſuprà.

His ita conſtitutis, de quatuor principaliter eſt inquiren- 44
dum prout diſtinguunt Bart. in l. Et ex diverſo n. 6. & 9. ff. de
rei vendic. Butr. hìc n. 11. Abb. n. 3. in fin. verſ. his præmiſſis,
& Bero. n. 16. verſ. Pro clariori.

Primum eſt de bonæ fidei poſſeſſore, qui ſemper fuit in
bona fide, an faciat fructus ſuos, & quos reſtituere tenea-
tur. Secundum de malæ fidei poſſeſſore, qui ſemper fuit
in mala fide. Tertium de poſſeſſore, qui ab initio fuit in
bona fide, & ex poſt facto factus eſt malæ fidei. Quar-
tum de eo, qui ab initio fuit malæ fidei, deindè factus eſt
bonæ fidei. Rurſus quidam poſſident cum titulo putati-
vo, quidam ſine titulo. Item quidam cum violentia,
quidam ſine violentia; & de his omnibus eſt viden-
dum.

Circa primum membrum principale ex dictis Abbatis n. 45
4. colliguntur concluſiones infraſcriptæ.

Prima concluſio eſt: Poſſeſſor bonæ fidei ſemper ſine
titulo facit fructus induſtriales ſuos, & naturales inquan-
tum eos conſumpſit, ſed naturales extantes, & non con-
ſumptos nunquam facit ſuos, ut l. Fructus percipiendo, ff.
de uſur. & vult gloſsa ult. hìc, & in d. leg. Et ex diverſo in ver.
Habendum, ff. de rei vendicat. & in §. Si quis à non domino
in ver. Fructus, inſtitut. de rer. diviſ. Innocent. in cap. In
litteris num. 4. verſ. Vel etiam ſi eſſet bonæ fidei poſſeſſor ſu-
pra eodem, Butr. hìc num. 12. Abb. d. num. 4. & Bero. n. 3. Si 46
verò habuit titulum, tunc fructus omnes facit ſuos etiam
naturales non conſumptos: & ita intelligi debet text. in l.
Bonæ fidei ff. de acquiren. rerum domin. Et hoc placuit Ol-
drad. & Jacob. de Arena, quos refert, & ſequitur Bart. in
d. leg. Et ex diverſo num. 1. ff. de rei vendicat. Butr. hìc num.
12. Anchar. num. 9. Imola num. 12. Bero. num. 23. & ſeqq.
Felin. in cap De quarta num. 30. de præſcript. Alber. de Ro-
ſate in d. leg. Fructus percipiendo num 1. Fulgoſ. in leg. Fructus
non modò num. 9. ff. de rei vendicat. Imola in l. Neſennius, §.
Fundum num 3. ff. eodem Igneus in l. 3. § Si conditioni à n.
35. uſque ad 40. ff. ad Sillan. Afflict. dec. 240 num. 1. & ſe-
quuntur communiter hodiè moderni, ut Abbas hìc teſta-
tur num. 4. verſ. Si verò habuit titulum: licèt gloſsa ult. hìc,
& antiquiores communiter dixerint, bonæ fidei poſſeſſo-
rem fructus naturales nunquam ſuos facere, ſed teneri re-
ſtituere univerſos, ſive extantes, ſive conſumptos, per tex-
tum in d. leg. Fructus percipiendo, ff. de uſur. & ad textum in
dict. leg. Bonæ fidei, conabantur reſpondere, ſed non benè,
quòd eſset intelligendus de fructibus induſtrialibus: quod
non procedit, quia obſtat littera illius textus ibi: Non
tantùm eos, qui diligentia, & opera ejus provenerunt, ſed
etiam omnes: & ſic etiam naturales, quos natura ipſa
producit ſine ulla hominis induſtria, & cultura, ut dictum
eſt ſupra in evidentialibus n. 19. quod latiùs proſequitur hìc
Bero. à n. 26.

Nec obſtat dicta leg. Fructus percipiendo, quia intelligi
de

debet de fructibus naturalibus extantibus, quos bonæ fidei poſſeſſor etiam cum titulo non facit ſuos, non autem de
47 conſumptis. Ratio eſt, quia quod operatur induſtria, & cultura in fructibus induſtrialibus, ut *in d. l. Fructus*, *& in l. Bonæ fidei cum ſimilib.* hoc operatur conſumptio in natura-
48 libus, arg. *l. Nam etſi fur. l. Si à furioſo in fin. l. Si ergo, l. Si filius, & l. Non omnis, §. Pupillus, ff. ſi cert. pet.* ubi per conſumptionem mutuum reconciliatur; & id quod meum effectum non erat, poſt conſumptionem meum efficitur, quamvis haberem cauſam à malæ fidei poſſeſſore, ac etiam à fure, & à prædone, *l. Quæſitum in fin. ff. de acquir. poſſeſſ.* ut benè hìc per Bero. *n.* 23.

49 Secunda concluſio eſt: Bonę fidei poſſeſſor etiam ſine titulo ſuos facit fructus civiles, quos facto, proviſione, ſeu diligentia ſua percepit, eò quòd ipſe laboravit, & ei ſolvens liberatur, ut *in l. Si Urbana, ff. de condit. indeb.* Et ita à fortiori per illum textum voluit Innoc. *in d. c. In litteris n. 3. in fine, verſ. Niſi forte ſuprà eodem*, Bart. *in d. l. Et ex diverſo n.* 5. Nam ſi malè fidei poſſeſſor tales fructus civiles facit ſuos, licèt revocabiliter, quia tandem tenetur illos reſtituere: ergo multò magis bonę fidei poſſeſſor etiam ſine titulo; & ſequuntur Butr. *n.* 12. Anch. *n.* 5. & Bero. *nu.* 23. *verſ. Secunda ſit concluſio*.

50 Tertia concluſio eſt: Poſſeſſor bonę fidei facit etiam ſuos fructus civiles, quos diligentia, & opera, vel contractu alterius percipit propter bonam fidem; ſed eis ſolvens non liberatur, niſi habuerit juſtam cauſam ſolvendo, ut diſtinguendo declarat Bart. *in d. l. ſi urbana n. 4. ff. de condit. indeb.* & poſt eum Abbas hìc *n. 5. verſ. Aut bonæ fidei poſſeſſor*, & latè Bero. *n. 24. verſ. Tertia ſit concluſio*, Ang. *in §. Si quis à non domino n. 4. inſtit. de rerum diviſ.* Menoch. *de recuper. poſſeſſ. remed. 15. n. 624.* Similis diſtinctio fit in malę fidei poſſeſſore, ut patebit infrà *n.* 63. & de penſionibus Eccleſiaſticis vide, quod infrà dicam *n.* 123.

51 Hactenus dictum eſt, an & quando bonę fidei poſſeſſores faciant fructus ſuos: nunc inquirendum; an & quando teneantur illos reſtituere, & qua actione: & ex dictis Abbatis hic *n.* 6. facio infraſcriptas concluſiones.

Prima ſit concluſio: In illis caſibus, in quibus bonę fidei poſſeſſor non facit fructus ſuos (quod regulariter contingit in naturalibus) ſi tales fructus extent, & non ſint conſumpti, illos reſtituere tenetur eo modo, quo rem ipſam, ſeu capitale, & conſequenter rei vendicatione, gloſſ. magna *in princ. inſtit. de offic. judic.* Et ita poteſt intelligi text. *in lege*
52 *Cum in rem, ff. de rei vendic.* Si verò tales fructus non extent, quia conſumpti ſint, non dolo malo, ſed bona fide, quoniam præſupponimus poſſeſſorem ſemper eſſe bonæ fidei: tunc vendicari non poſſunt, ex quo non extant in rerum natura, & poſſeſſor conſumptione effectus fuit dominus, ſecundùm ea, quę dicta ſunt ſuprà *n.* 46. *&* 47. & rei vendica-
53 tio non datur contra dominum, ſed ipſi domino, ut *d. l. In rem. & l. un. C. de alien. judic. mutan. cauſ. factæ.* Verùm ſi poſſeſſor ex hujuſmodi fructibus conſumptis factus ſit locupletior, tunc contra eum ex ęquitate agi poterit, *l. Si me, & Titium, ff. ſi cert. pet.* videlicet ad æſtimationem eatenùs, quatenùs locupletior factus ſit, condictione ſine cauſa, vel meliùs fortè certi condictione generali, *l. Certi condictio*, cum ibi notat. *ff. ſi cert. petat.* juncta *d. l. Si me, & Titium*, Abbas hic *n.* 6. & Bero. *n. 29. verſ. Prima ſit*.

54 In dubio autem bonę fidei poſſeſſor, qui fructus naturales conſumpſit, non preſumitur ex illis factus locupletior, ut voluit Angel. *in l. In inſulam, §. Factus n. 1. ſolut. matr. & in conſ. 160. Domina Catharina in fine & conſ. 123. ſuper primo puncto n. 2. in fine*, Alex. *in l. Mulier, Cùm proponatur in fine, ff. ad tabell.* cum quibus videtur tranſire Bero. hic *n.* 30. licèt contrariam tenuerit idem Angel. *in l. Utrum nu.* 4. poſt gloſ. 1. ibi, *ff. de petit. hæred.* Tu vide Menoch. *de præſumpt. to. 2 lib. 6. præſumpt 27. n. 26.* ubi plures citat pro utraque ſententia, & primam dicit ſatis apertè probari *in l. In pupillo, ff. de ſolut.* quam etiam probat aliis pluribus relatis Thomas Sanchez *ſuper Decalogo tom. 1. lib. 2. cap. 23. num. 37. 38. & 39.*

55 Secunda ſit concluſio, quòd in illis caſibus, in quibus bonæ fidei poſſeſſor facit fructus ſuos, non tamen facit illos ſuos irrevocabiliter, quia ſi extent, & non ſint conſumpti tandem tenetur eos reſtituere, ut *l. Certum*, ibi, Bonę fidei verò extantes, *C. de rei vendicat.* & *§. Si quis à non domino, inſtit. de rerum diviſ.* ibi, Si poſtea dominus ſupervenerit, & fundum vendicet, de fructibus ab eo conſumptis agere non poteſt. Ergo à contrario ſenſu poteſt de non conſumptis. Ad idem text. *in l. Bonæ fidei, ff. de acquir. rerum domin.* ibi, Suos interim facit, quia quod ad fructus attinet, loco domini penè eſt: & cum myſterio dixit, loco domini penè eſt, ut innueret eum non effici perfectè, & irrevocabiliter dominum. Item dixit, ſuos interim facit, id eſt, ut notat ibi gloſſa *in ver. Interim, il ſecondo*, donec durat bona fides ad ſignificandum dominium hoc eſſe revocabi-
le. Et quamvis illos extantes non teneatur reſtituere per 56
viam actionis puta per rei vendicationem, quæ hoc caſu competere non poteſt, ut proximè dictum eſt *numer.* 53. nihilominus ad illorum reſtitutionem cogi poteſt per officium judicis ex quadam equitate; nam cùm ex re mea bonæ fidei poſſeſſor factus ſit locupletior, & fructus extantes ex re mea penes ſe habeat equitas poſtulat, ut illos mihi reſtituat; & ideò cùm actio mihi non competat, ſuccurritur per officium judicis, quod imploranti eſt impertiendum, quoties judici ęquum videbitur, argum. *d. l. Si me, & Titium*, juncto *cap. 2. de offic. judic.* & text. *in leg. 4. §. Hoc autem judicium*, cum ibi notatis, *ff. de damn. infect. l. 1. ff. de juriſdict. omnium judic.* dixi *in cap. Quoniam à num. 24. uſque ad numer. 38. infrà de decim.* & ita determinat Innocent. *in cap. In litteris num. 1. verſ. Si autem ſuprà eodem*; nam poſteaquam firmavit bonæ fidei poſſeſſorem facere fructus induſtriales ſuos, ſive habeat jus, ſive non, per jura ibi allegata: poſteà ſubdit, quòd ſi aliquid fructus remanſerit penes ipſum, poſtquam conſtiterit, quòd proprietas ad alium pertinet, officio judicis id reſtituendum eſt, *l. Certum, §. Bonæ, C. de rei vendicat.* quod etiam repetit *num. 4. verſ. Vel etiamſi eſſet*. Idem tenet Bart. *in d. l. Ex diverſo num. 1. ff. de rei vendicat.* Bald. *in l. 3. numer. 6. verſ. Sed qui ſi fructus extent, C. de fruct. & lit. expenſ.* ubi quòd bonæ fidei poſſeſſor tenetur ad fructus extantes, etiamſi ſint commixti cum aliis ejuſdem ſpeciei, puta frumentum cum frumento, argum. *l. In nave, ff. de locat.* idque vel condictione ſine cauſa, vel officio judicis mercenario, *leg. 4. §. Poſt item, ff. finium regundor.* & hìc firmant Butr. *nu. 12 verſ. Si autem quæritur*, Abb. *n.* 4 Et eſt communis opinio; ut atteſtatur Bero. *d. n. 30. verſ. Poſſet tamen opinio*, licèt ipſe ſentiat hoc caſu fructus poſſe condici certi condictione generali; & ideò non competere officium judicis, quo eſt remedium extraordinarium, niſi in caſu, ut ibi per eum.

Tertia ſit concluſio, quòd bonę fidei poſſeſſor poſt con- 57
ſumptionem fructuum, quos ſuos fecerat, etiam induſtriales, & civiles; ſeu illorum æſtimationem reſtituere tenetur, quatenus ex illis factus eſt locupletior, *l. Item veniunt, §. Præter hæc*, ibi, Eos autem, qui juſtas cauſas habuiſſent, quare bona ad ſe pertinere exiſtimaſſent, uſque eò dumtaxat quò locupletiores ex ea re facti eſſent, condemnandos eſſe, *ff. de petit. hæredit. l. Sed ſi lege, § Idem ſi rem diſtraxerit, leg. Si rem, & pretium, & l. ſeqq. ff. eodem, & l. Nam hoc natura, ff. de condit. indeb.* Et ad illorum reſtitutionem tenetur, & conveniri poteſt condictione ſine cauſa, quia 58
illa actio, ſeu condictio, quæ datur ex æquitate, datur non ſolùm adverſus eum, qui factus eſt locupletior ex re mea, ſed etiam contra eum, qui locupletior factus eſt re mihi debita, quæque nondum mea erat, ut colligitur ex *l. Si cum ſervum*: & ex *d. l. Si me, & Titium*, ibi, *Non quia pecuniam tibi credidi, ſed quia pecunia mea ad te pervenit, eam mihi à te reddi bonum, & æquum eſt, ff. ſi cert. petat.* maximè juncta gloſſa *in ver. Pecunia mea*, quæ exponit, mea, id eſt mihi debita. Quæ concluſio eſt Innocentii *in cap. In litteris numer. 1. verſ. Sed & ſi electio ſuprà eodem*, item Bart. *in d. leg. Et ex diverſo numer. 6. & 7. ff. de rei vendicat.* Anton. de Butr. *hìc numer. 12. col. 3. circa med. verſ. Bartolus dicit*: & Abbas *numer. 6. verſ. Bartolus in dict. leg. Et ex diverſo*, ubi ſequitur hanc opinionem tamquam æquiſſimam, Socin. Sen. *conſil. 251. Quoniam numer. 25. lib. 2.*

Locupletior autem dicitur, quando occaſione rei ſic 59
conſumptę patrimonium ſuum eſt aliquo modo auctum, ut quia ſumptus non fecit quos alioquin ex ſuo patrimonio facturus fuiſſet, vel aliquid lucratus eſt illius rei occaſione: ſecus ſi propterea lautiùs vixit, aut ſplendidiùs, quam aliàs victurus eſſet, ut *leg. Sed & ſi lege, §. Quod autem quis ex hæreditate, ff. de petit. hæred.* & *leg. Item ſervandum, ff. de legat. 2.* ibi: *Non enim abſumitur, quod in corpore patrimonii retinetur*, quia de re plura congerit Thomas

Sanchez ſuper decalog. tom. lib. 2. c. 23. à nu. 7. uſque ad numer. 16.

60 Sed tu adverte, quia propoſita concluſio ex mente Bart. Butr. & Abb. non eſt communis, ſed ſingularis ipſorum: nam gloſſ. & DD. communiter tenent bonæ fidei poſſeſſorem in tantùm facere fructus induſtriales ſuos, & ſi ab illo ſint conſumpti, quamvis ex eis factus ſit locupletior, tamen nullo modo teneatur illos reſtituere; quoniam etſi extantes reſtituere debeat, ut dictum eſt ſupra in alia concluſione *numer.* 55. tamen poſtquam conſumpti ſunt, ad illorum reſtitutionem nullo caſu adſtringitur, quia illos ex cultura, diligentia, & labore irrevocabiliter lucratus fuit, *§. Si quis à non domino, inſtitut. de rer. diviſ.* & ita tenere communiter DD. affirmat Bero. hic *num.* 33. *verſ. Et ne erres*: quibus adde Rotam in Romana fructuum Portarum 20. Novembris 1585. coram Gipſio, in qua dinumeratis Doctoribus pro utraque ſententia, ſequuta fuit ſententiam Accurſi, & Azonis *in d. l. Et ex diverſo, ff. de rei vendicat.* contra ſententiam Bartoli, hoc eſt bonæ fidei poſſeſſorem etiam factum locupletiorem, non teneri reſtituere fructus, quando agitur in judicio particulari, ſed ſolùm ubi agitur in judicio univerſali, veluti petitione hereditatis. Poſteà tamen Rota in Mediolan. Penſionis 19. Januarii 1635. coram Merlino, quæ habetur in impreſſis *dec.* 3. *n.* 48. *part.* 7. *recent.* ponderavit, quòd in præallegata deciſione Gipſii aſſeritur non fuiſſe diſcuſſum, ſed inter Dominos multùm controverſum, an illa opinio eſſet verior, & ſolummodò concluſum, illam eſſe communiorem; ſed hodiè numerando recentiores Doctores, qui pòſt deciſionem ſcripſerunt, fortaſsè illa non eſſet communis. Et tenendo opinionem Bartoli, non obſtat ratio conſumptionis ex adverſo conſiderata: quoniam fructus non dicuntur conſumpti, ex quo in corpore patrimonii retinentur, ut dicitur *in d. leg. Ita ſervandum, ff. de legat.* 2. & declarat Bald. *in l. Ubi adhuc, ad fin. verſ. Item per gl. Cod. de jure dotium.* Nec refert, quòd ille text. & alia jura ſuperiùs in concluſione allegata loquantur in petitione hæreditatis, & ſic in judicio univerſali. Quoniam in hoc nulla conſtituenda eſt differentia, ut optimè deducit Bero. hìc *nu.* 31. quem per te videas. Et pro hac opinione ferè innumeros tam juriſperitos, quàm Theologos cumulat Thomas Sanchez *ſuper Decalog. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 23. *n.* 57. *&* 77.

61 Circa ſecundùm membrum principale de malæ fidei poſſeſſore, qui ſemper fuit in mala fide, an faciat fructus ſuos, vel illos reſtituere teneatur de quo remedio; licèt gloſſ *ult.* hìc breviter ſe expediat, dicens eum teneri ad reſtitutionem fructuum omnium, qui probantur ad eum perveniſſe tam ante, quàm poſt litem conteſtatam, ſed non ad eos, qui percipi potuerunt, niſi ſit violentus: tamen hæc gloſſa communiter non tenetur, ut dicit Abbas hìc. *numer.* 7. Unde ex ejus dictis conſtituendæ ſunt ſequentes concluſiones.

Prima ſit concluſio, quòd malę fidei poſſeſſor, ſive ſit violentus, ſive non, & ſive poſſideat ſine titulo, ſive cum titulo, fructus etiam induſtriales non facit ſuos: nam mala fides hoc operatur, textus eſt in *l. Qui ſcit*, ibi, *Si totum fundum alienum quis ſciens poſſideat, nulla ex parte fructus ſuos faciet, quoquomodò ſati fuerint, ff. de uſur. & l. Fructus, la prima, ff. de rei vendic.* Ad idem text. in *l. Domum, l. Si fundum, & l. Certum, C. eod. tit.* ubi fructus vendicantur. Ergo non ſunt malæ fidei poſſeſſoris, & in hoc nullum eſt dubium, ùt inquit Bero. hìc *n.* 34.

62 Hoc tamen intelligas, niſi fructus ſive naturales, ſive induſtriales à malæ fidei poſſeſſore eſſent conſumpti, quia conſumptione ſuos faceret. Quod enim operatur tranſlatio dominii ab initio itidem operatur conſumptio rei ex poſt facto, *l. Si filius familias cum ſimilibus, ff. ſi cert. petat.* & ita eſt de mente Bartoli *in d. l. Et ex diverſo nu.* 11. *ff. de rei vendicat.* Abb. hìc *n.* 7. & Bero. *d. n.* 34. *verſ. Hoc tamen intelligas*, dum dicunt contra malæ fidei poſſeſſores ad fructus conſumptos agi conditione ſine cauſa, quæ præſupponit dominium ex parte rei conventi, *§. Sic itaque, inſtitut. de action.* & hoc de fructibus naturalibus, & induſtrialibus.

63 In civilibus verò diſtinguendum eſt, ut legitur, & notatur *in l. Si urbana, ff. de condit. indebit.* nam quandoque malæ fidei poſſeſſor hos fructus recipit ex contractu inito cum ſe ipſo quandoque ex contractu inito cum domino. In primo caſu ſolvens liberatur, ſed recipiens tenetur. Secundo verò caſu ſolvens non liberatur, niſi habuerit probabilem cauſam ipſi ſolvendi, puta quia injuſtè fuit electus, vel confirmatus per Superiorem, & putabatur confirmatio legitima, cùm non eſſet, ſecundùm Innoc. *in c. in litteris n.* 3. *in fin. verſ. Niſi fortè ſuprà eod.* Abb. hic *n.* 8. & Bero. *n.* 34. *verſ. Fructus verò civilis.* Similis diſtinctio in bonæ fidei poſſeſſore facta fuit ſuprà *num.* 49. *& num.* 50. *in* 2. *&* 3. *concluſ.*

Nunc videndum, an malæ fidei poſſeſſor fructus, quos fecit ſuos, reſtituere teneatur, & quo remedio: & in hoc ſimiliter conſtituendæ ſunt concluſiones infraſcriptæ. 64

Prima concluſio; malæ fidei poſſeſſor ſine titulo tenetur de fructibus, quos percepit, & qui percipi potuiſſent, & ſic de perceptis, & percipiendis, ut hìc probatur, licèt hęc littera loquatur de violento. Ad idem ſunt jura clara *in leg. Domum*, ibi, *Præſes Provinciæ cum penſionibus, quas percipit, aut percipere poterat, & omni cauſa damni dati, reſtituere jubebit, Cod. de rei vendicat in leg. Fructus, & in l. Si navis, ff. eod.* & firmat gloſſ. *in cap. Non liceat Papæ in ver. Et cum fructus* 12. *qu.* 2. Item gloſſa *in leg. Et ex diverſo in ver. Non habendam, ff. de rei vendicat.* Abbas hìc *nu.* 7. *verſ. Diſtinguendum eſt, & nu.* 13. Jaſon *in l. Apud Julianum, §. Fructus, ff. de legat.* 1. & ſequitur Rota apud Puteus *dec.* 383. *numer.* 5 *& dec.* 1170. *nu.* 1. *part.* 3. *diverſ.* ubi quòd intruſus in beneficio teneatur reſtituere etiam fructus, quos percipere potuiſſet, ſicut violentus. Et idem ſervat, quando ſpoliator non habet juſtam cauſam, quare ſpoliavit, ut *in deciſ. ult. de reſtitut. ſpoliat. in antiq.* Puteus *ubi ſuprà*.

Quo verò ad remedia, quæ dantur adverſus malæ fidei poſſeſſorem ad reſtitutionem fructuum. Diſtinguendum eſt: nam aut quæritur de fructibus perceptis, aut de percipiendis. Si de perceptis, refert, an adhuc extent, vel ſint conſumpti. Si extent, peti poſſunt rei vendicatione; ſi ſunt conſumpti; condictione ſine cauſa, vel injuſta, ut eſt caſus *in l. Mala fide, C. de condict. ex lege, & in l. Adverſus*, ibi, *Sed extantes quidem vendicari, conſumptos verò condici poſſe proculdubio eſt, C. de crim. expilat. hæred.* Item 65 66 de conſumptis agi poteſt rei vendicatione perindè, ac ſi extarent, quia ex quo erat malæ fidei poſſeſſor, & ſic ſciebat, ſeu ſcire debebat, illos fructus non eſſe ſuos, utique eos conſumendo dicitur dolo deſiiſſe poſſidere; & ideò rei vendicatione illos reſtituere tenetur, ut *in l. Qui dolo, & l. Parem, ff. de regul. jur.* nam pro poſſeſſione dolus eſt, ut dicitur *in l. Qui dolo*, ubi gloſſa unica exemplificat in convento rei vendicatione, vel petitione hæreditatis. Advertè tamen, quia hoc caſu propter dolum, & malam fidem datur rei vendicatio utilis, non directa, arg. *leg. Electio, §. Si iis quam, ff. de noxal.* & declarat gloſſ. *in d. l. Mala fide, & l. Qui dolo*, & Bero. hìc *num.* 34. *verſ. Item de conſumptis.*

Rursùs contra malæ fidei poſſeſſorem ad conſumptos agi poteſt etiam condictione furtiva tamquam contra furem, quia fur dicitur rem alienam ſcienter contrectando, *l.* 1. *ff. de furt.* juncta *l. In rem, §. final. ff. de condict. furt.* quia contra furem omnis actio degenerat, ut §. *Sic itaque, inſtit. de action.* Bero. *ubi ſuprà verſ. Item contra.* Quinimò malæ fidei poſſeſſor fructus percipiendo, non facit furtum, ſed conſumendo facit furtum, & tenetur furti, ut eſt caſus *in d. l. Mala fide*, & Salic. *in ſummario, C. de condict. ex lege.* 67 68 69

De fructibus autem percipiendis, qui numquam fuerunt in rerum natura, malę fidei poſſeſſor ſine titulo convenitur officio judicis, ut *§. Illorum, inſtit. de off. judic.* Gloſſ. Bald. Salic. & Paul. de Caſtro *in l. Domum, C. de rei vend.* Abb. hìc *n.* 7. *verſ. De percipiendis autem*, & Bero. *d. n.* 34. *eod. verſ.* Rota *dec.* 1170. *n.* 3. *p.* 3. *diverſ.* Nam rei vendicatio non datur, quia nihil extat, ut ſupra, nec condictio ſine cauſa, quia nihil ad eum pervenit, arg. *d. l. Si eum ſervum, & l. Me & Titium, ff. ſi cert. petat.* 70

Secunda concluſio: malæ fidei poſſeſſor cum titulo tenetur de omnibus fructibus perceptis, ſed non de percipiendis, quia titulus eum excuſat, ut *l. Si fundum, C. de rei vendicat.* ibi, *Fructus quos cum mala fide percepiſſe fuerit probatum, aditus præſes Provinciæ reſtituere iubebit*, ubi gloſſa *ult.* & Bart. *n.* 3. Ideò dicit, *Percepiſſe*, quia de percipiendis non tenetur propter titulum, quem habet. Idem tenet gloſſa *in lege Sed & partus in ver. Potuit, ff. de eo quod met. cauſ. & in l. Si navis, §. final. in verb. Generaliter in l. Fru-* 71

leg. Fructus non modo in ver. Potuerunt, & in l. Et ex diverſ. in ver. Non habendam, ff. de rer. vendicat. Item gloſſa in cap. Non liceat Papa, il primo in fine 12. qu. 2. Speculat. in tit. de fructibus, & intereſſe, §. Scias igitur num 3. & 4. Bart. in d. l. Fructus non modò num. 1. in 1. oppoſ. Bald. in d. l. Si fundum num. 2. in 5. notab. & in 5. oppoſ. & ibi etiam Angel. num. 3. Hoſtien. in cap. Cum cauſam, ad finem ſupra de offic. judicis deleg. ubi etiam Joann Andr. num. 8. & Abb. num. 5. & hic tenent gloſſa ult. Hoſtien. num. ult. Butr. num. 1. Cardin. num. 1. ad fin. Anchar. num. 12. Imol. num. 5. & Abb. num. 7. Ex quibus conſtat hanc eſſe commuem opinionem: licèt Cynus in d. leg. Certum num. 3. in fin. Paul. de Caſtro in d. l. Si fundus num. 3. C. de rei vendicat. & alii nonnulli opinati fuerint malæ fidei poſſeſſorem teneri indiſtinctè ad reſtitutionem fructuum, qui percipi potuerunt, ſive titulum habeat, ſive non. Sed non benè; quia jura per eos allegata loquuntur apertè in malæ fidei poſſeſſore, qui titulo caret.

72 Fallit tamen ſupradicta concluſio in quatuor caſibus, in quibus malæ fidei poſseſſor cum titulo etiam de percipiendis tenetur, quos ponit gloſ. ult. in d. leg. Si fundum, C. de rei vendicat. & Abb. hic num. 8. ante medium, verſ. Et communiter excipiuntur quatuor caſus. Primus eſt in eo, qui in fraudem creditoris emit, l. Ait Prætor, §. Per hanc, ff. de his, quæ in fraud. credit. Secundus in eo, qui ſciens emit contra legis interdicta, l. Quemadmodum, Cod. de Agricol. & cenſit. lib. 11. Tertius in eo, qui emit à fiſco non ſolemniter vendente, l. 1. C. de fid. inſtrum. & jur. haſtæ lib. 10. l. Videamus, §. Item, ff. de uſur. Quartus, in emente per metum, d. l. Sed & partus, ff. quod met. cauſ. Et quamvis Ultramontani teneant oppoſitum, tamen gloſſa præallegata communiter tenetur ut inquit Bart. in d. l. Et ex diverſo n. 11. ff. de rei vendic. Ad-
73 dit gloſ. & quintum caſum, videlicet in eo, qui ſtudioſè patitur fructus maturos corrumpi, & conſentit gloſ. Jo. Andr. in cap. Non liceat Papa, in ver. Et cum fructibus, ibi: Vel qui
74 culpa ſua non ſunt percepti 12. q. 2. Sextum addit Bero. hic num. 34. verſ. Fallit tamen, videlicet in eo, qui mala fide poſſidet rem minoris etiam cum titulo: de quo eſt gloſ. in l. Patri pro filio, §. Item ex diverſo in ver. Fructibus, ff. de minor. per illum text. juncto §. Præcedenti, quam gloſſam ad hoc pro ſingulari allegat Romanus in ſingulari 542. Quibus addo Creſcentium deciſ. 8. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.

75 Cæterùm quatuor primi caſus excepti reducuntur omnes ad unum, videlicet quando titulus eſt infectus, & à jure reprobatus, tunc enim habetur pro non titulo; ac proindè malæ fidei poſſeſſor non excuſatur à reſtitutione fructuum, qui percipi poterant, ut declarant Hoſtien. in cap. Cum cauſa, ad fin. ſupra de offic. deleg. poſt eum Joann. Andr. ibid. num. 8. & Abb. num. 9. & idem Abb hìc num. 7. Fulgoſ. conſ. 190. Viſis toto proceſſu num. 4. verſ. Ad ſecundum autem, & conſ. 136. Quia ex facto num. 2. verſ. Ad ſecundum; & ita reduci omnes ad hunc caſum advertunt Faber in d. l. Certum, C. de rei vendicat. & Joann. Garz. in tract. de expenſ. c. 23. n. 43.

76 Sed numquid malæ fidei poſſeſſor teneatur reſtituere diſtributiones quotidianas, quas reſidendo, & divinis in-
77 tereſſendo percepit, quaſve percipere potuiſſet? Non videtur, quia diſtributiones quotidianæ non computantur inter fructus, nec fructus dicuntur, cap. Licèt, verſ. Nolumus autem, ut diſtributiones quotidianæ, infrà de præben. & in cap. de Cleric. non reſiden. lib. 6. & in cap. final. de conceſſ. præben. eodem libro, & in Extravag. Cum nonnullæ, la prima verſ. Præterea de præben. pleniſſimè Oldrad. conſil. 118. Ex virtute gratiæ, Joann. Andr. in Rubrica de conceſſ. præbend. qui tranſtulit integrum conſilium Oldradi, auctore tacito, Felin. in cap. Ad aures num. 14. de reſcript. & cenſuit Rota in quamplurimis deciſionibus, quas cumulat Gozalez ad reg. 8. Cancellariæ in proœm. §. 7. num. 154. & Addentes ad deciſ. 376. num. 1. part. 4. tomo 3. recent.

78 Et meritò quia diſtributiones nihil commune habent cum corpore beneficii, ſed dantur ratione ſervitii, & in recompenſam ſolicitudinis divinorum officiorum, d. c. un.
79 de Cler. non reſid. lib. 6. & quandoque Manualia, quandoque Victualia appellantur, ut ibidem, & in c. De cætero eod. tit. in hac compilat. & d. c. Licèt inf. de præb. Felin. in c. Cùm olim in
80 princ. de rei vendic. Item debentur pro opere diurno, & ratione laboris impenſi in vinea Domini, & dantur tamquam merces Pariſ. conſil. 33. n. 3. vol. 4. Gigas poſt alios conſil. 145. n. 6. & 13. Rota deciſ. 309. num. 16. & 17. part. 7. recent. Buratt. deciſ. 193. num. 18. dignus eſt autem operarius mercede ſua, 1. ad Timoth. 5. cap. Quicumque 12. quæſt. 2. Nec denario fraudari debent in vinea Domini operantes, cap. final. de magiſtris. Item os bovis ligari non debet triturantis, Deuteron. 25. cap. Eccleſias, verſ. Item non alligabis 13. quæſt. 1. cap. Extirpandæ, de præbend. Et qui ad onus eligitur, repelli non debet à mercede, cap. Cùm ſecundum, de præbend. & cap. Charitatem 12. quæſt. 2. Hoc juſtum namque eſt, ut illi conſequantur ſtipendium, qui pro tempore ſuum commodare reperiuntur obſequium, & c. Eccleſiaſticis eadem cauſa, & quæſt. & cap. Clerici 1. qu. 2. Nemo enim militat ſtipendiis ſuis, 1. ad Corinth. 9. cap. Ex his 12. quæſt. 1. & cap. Cum ex officii, de preſcript. Qui- 81
nimò non videtur quis fraudandus mercede laboris, etiamſi de facto officium occupaverit, ut probat text. in l. Titio ff. ad municipal. & de incol. ubi exercens miniſterium alteri demandatum ſub certo ſalario, poteſt ac debet ſalarium illud conſequi. Facit text. in l. 1. in 1. reſponſo, ff. Si menſor. falſ. mod. dixer. & in l. Cùm duobus, §. Si coeundo, ibi, Pretium enim operæ eſt, ff. pro ſocio, cum aliis in puncto allegat. per Franc. Viv. in Silva commun. opin. in ver. Diſtributio opin. 594. n. 5. verſ. Quod datur pro ſervitio.

Potiſſimùm autem hæc vendicant ſibi locum in iis di- 82
ſtributionibus quotidianis, quia cùm in ipſis acquirendis magis ſit elaborandum, inde eſt, ut pleniùs acquirantur, quam fructus præbendæ, adeò ut Clericus, quamvis de fructibus beneficii teſtari nequeat, tamen cum diſtributionum ſit abſolutus dominus, de illis benè teſtari poſſit, ut poſt Gulielm. in Extravag. Suſcepti, Joann. XXII. firmat Gemin. in cap. unico, §. Qui verò num 3. in 3. notab. & ibi etiam Franc. num. 4. de Clericis non reſidentibus lib. 6. Ludovic. Bologn. in addit. ad Joann. de Anan. conſ. 87. ſub num. 5.

Sed his non obſtantibus Rota ſæpiſſimè reſolvit malæ 83
fidei poſſeſſorem teneri, & condemnandum eſſe ad reſtitutionem quotidianarum diſtributionum, quas inſerviendo, & divinis intereſſendo percepit, etiamſi ex parte impediti nulla præceſſerit proteſtatio, Caſſador. dec. 6. num. 3. de præbend. Puteus dec. 383. num. 7. lib. 1. Rota dec. 618. num. 1. part. 1. & dec. 1170. part. 2. diverſ. Coccin. dec. 21. num. 3. & 4. & ſequuntur Gonzal. ad reg. 8. Cancell. in proœm. §. 7. num. 161. verſ. Quartò limita, & Gratian. diſcept. forenſ. cap. 591. num. 4. Idque jure optimo, ne ex facto, & culpa ſua malæ fidei poſſeſſor locupletetur cum aliena jactura, ut per Put. d. dec. 383. n. 8. &
Coccin. d. dec. 21. n. 2. Et quia licet in valore fructuum 84
non computentur diſtributiones quotidianæ, Rota dec. 33. n. 2. de ſentent. & re judic. & dec. 39. n. 1. de præbend. in antiq. (in quibus terminis loquitur Oldrad. Joan. Andr. & Felin. in locis ſupracit.) tamen hujuſmodi diſtributiones comprehenduntur ſub fructibus. Aliud enim eſt dice- 85
re, quòd diſtributiones quotidianæ comprehenduntur ſub valore fructuum, & non comprehenduntur; & aliud quòd ſunt de fructibus, & non ſunt quia tales diſtributiones quotidianæ dantur reſidentibus Canonicis, & ſi Canonicus eſſet impeditus, haberet illos. Ratio ergo poſtulat, & æquitas ſuggerit, ut ſub nomine fructuum comprehendantur, quæ ſunt formalia verba Mohedani dec. 6. num. 2. & 3. de præben. & ſequitur Rota dec. 1170. num. 2. part. 3. diverſ. Et propterea condemnatus ad reſtituendos fructus 86
Canonicatus, & præbendæ, cenſetur etiam condemnatus ad reſtituendas diſtributiones quotidianas, ut reſolvit ibi Mohed. dicens n. 1. hunc eſſe communem ſtylum, & practicam Rotæ, ut in cauſis beneficialibus ſuper beneficiis Capitularibus non fiat alia condemnatio, niſi cum fructibus perceptis, & ſub verbo, Fructibus, ſemper comprehendantur diſtributiones quotidianæ: & apud Puteum d. dec. 383. n. 5. & 6. lib. 1. & d. dec. 618. part. 1. diverſ. Gonzal. & Gratian. loc. cit.

Nec obſtat, quòd diſtributiones quotidianæ ſint merce- 87
des ſervitii, & laboris diurni. Quoniam ut diſertis verbis reſpondit Caſſador. d. deciſ. 6. num. 1. de præbend. ſi Canonicus non eſſet Canonicus, aut non reputaretur pro Canonico, proculdubio eas non habuiſſet; quia tamquam tali cum ſtallo in Choro, & loco in capitulo conceſſæ fuerunt. Unde quas abſque titulo perceperat, tenebatur reſtituere. Idem ergo ſi cum titulo reprobato, & ſine juris fomento, quia hæc paria ſunt, l. Nulla, ff. de Author. tutor.

cap. Tuæ, de Cleric. non reſid. Facit etiam *cap. Conſtitutus, de Procur.* ubi non eſt differentia, quòd non ſit conſtitutus Procurator, vel quòd minùs ſufficienter conſtituatur. Et ita
88 Abbas ibi colligit. Pro hoc facit quia negari non poteſt quin rem alienam contrectaverit furtum committendo, vel rapinam, ut dicitur *in cap. Dudum, il ſecondo de elect.*
89 Sciebat namque, aut ſcire debuit (cùm juris ignorantia non relevet, *l. Leges, C. de legib.*) quod non erant ſuæ, nec ei debitæ diſtributiones, niſi eſſet inſtitutus, *reg. 1. de regul. jur. lib. 6.* & quòd vitioſè percipiebat, quod Canon prohibet, *cap. unico de eo qui mitt. in poſſeſſ. cauſ. rei ſerv. eodem lib.* quòdque ad alium ſpectabant, *leg. Cum quærebatur, C. Unde vi*, & neceſſe habebat injuſtè habita
90 reſtituere. Quoniam non ſufficit hujuſmodi dæmonium agendo pœnitentiam in ſola oratione, & jejunio ejicere,
91 ut inquit Hoſtien. *in d. cap. Dudum num. 17.* Et illud de ſervitio perſonali non excludit, quin in caſu *d. cap. unic. de Cler. non reſiden. lib. 6.* cogatur ad reſtitutionem diſtributionum, quarum dominium non acquiſivit, nec ſuas fecit. Et idem eſſe debet in omni caſu malæ perceptionis, non conſiderato quòd ſervivit, & laboravit, & quod os bovis triturantis ligari non debuit, *cap. Extirpandæ poſt princip. de præb.* quia labor attenditur à jure in habentibus legitimum ingreſſum, & reſidentibus in caſibus, locis, & temporibus permiſſis, non in prohibitis; alias præſtaret peccandi occaſionem, contra *dict. cap. unicum de eo qui mitt. in poſſeſſ.*
92 *& l. 2. cum ſimil. C. de indict. viduit. tollen.* Hactenus verba Caſſadori in prædicta deciſ. Quibus adde, quòd gerens negotia mea me invito, mercedem prætendere non poteſt, quia nec expenſas repetit, licèt utiliter geſſerit, *l. fin. C. de negot. geſt.* facit text. *in l. Qui aliena, §. Libertos, & in leg. Ex duobus, ff. eod.*
93 Non obſtat text. *in d. l. Titio, ff. ad municipal. & de incol.* quia loquitur in præſentatore, ſeu intimatore cujuſdam ſupplicationis, & ſic in nudo miniſterio facti, in quo nulla erat electa induſtria perſonæ, ſed effectus operæ, prout illum textum declarat Bald. *in c. Ex parte il ſecondo num. 15. de reſcr.* Hæc de diſtributionibus perceptis.
94 Quo verò ad percipiendas, tametſi Rota ſemel, atque iterùm cenſuerit malæ fidei poſſeſſorem teneri reſtituere etiam diſtributiones quotidianas, quas divinis intereſſendo pecipere potuiſſet, etiam nulla præcedente proteſtatione, ut refert Caſſador. in *prææalleg. deciſ. 6. num. 3. de præbend.* poſteà tamen cenſuit ſpoliatum proteſtari debere, quòd ſpoliator aut reſideat, & divinis interſit, aut poſſeſſionem dimittat. Et hanc conſuetudinem Rota aliàs inſtar veterum Prætorum edicta interpretantium optima ratione decrevit, arg. *leg. Jus autem, ff. de juſt. & jur.* & introduxit ad effectum, ut quis teneatur ad diſtributiones quotidianas, quas percipere potuiſſet, ut de iis proteſtatio fieret, ut
95 patet *in deciſ.* 170. *num. 5. part. 3. diverſ.* Et hunc uſum poſteà ſemper retinuit, videlicèt, ut quoad diſtributiones perceptas nulla requiratur proteſtatio, ſed tantùm quoad illas, quæ percipi potuiſſent, ut clarè diſtinxit *in deciſ. 618. num. 1. part. 1. diverſ.* & apud Put. *d. deciſ. 383. lib. 1.* & Coccin. *d. dec. 21.* & ſequitur Gonzal. *ſuper reg. 88. in proœm. §. 7. num. 161. verſ. Quartò limita*. Et pro his competit officium judicis, ut dicitur *in dicta deciſ.* 1170 *num. 2.* & de percipiendis intelligi debet *deciſ. 262. num. 3. & dec. 283. num. 1. part. 3. r cent.* Et quamvis in caſu Mohed. *dict. deciſ. 6* ageretur de diſtributionibus perceptis, tamen ibi potius admiſit proteſtationem non fuiſſe neceſſariam, dum *num. 3.* formaliter dixit: Maximè quia iſte præſentans litteras poteſtatis eſt, quòd ſi non admitteretur, &c nam dictio, *Maximè*, oſtendit idem juris eſſe, ſi proteſtatus non fuiſſet, ad *leg 1. §. Vel maximè. ff. de collat. bonor. & l. Si re etiam oportet, §. Sed etſi maximè, ff. de excuſat. tutor.*
96 Alios caſus, in quibus non requiritur dicta proteſtatio recenſent addentes ad Buratt. *deciſ. 694. num. 21. & 12.* poſt Gonzal. §. 7. *num. 160. & 161. in 4. & 5. limit.*
97 Circa tertium membrum principale, videlicet quando quis à principio fuit bonæ fidei poſſeſſor, & ex poſt facto,
98 effectus eſt malæ fidei, Abb. hic *num. 9.* diſtinguit ſic: Aut ſupervenit mala fides cum perſonarum mutatione, ut quia hæres habet malam fidem, cùm defunctus haberet bonam; & tunc hæres propter ſuam malam fidem fructus
99 ſuos non facit; hæc enim mala fides ſuperveniens cum mutatione perſonarum impedit fructuum acquiſitionem in eo, qui ſciens cœpit rem alienam poſſidere, ut *leg. Hæres ejus in princip. ff. de uſucap. & l. Quæritur, ff. de acquir. rer. domin.* & tradit Bart. *in d. l. Et ex adverſo num. 9. ff. de rei vendicat.* & hìc notant Bellam. *num. 18.* Butr. *num. 12. ad finem*, Imol. *n. 7.* Abb. *d. num. 9.* & Bero. *num. 35.* Menoch. *de recup. poſſeſſ. remed. 16. num. 615.* & nullus diſcrepat.

Aut mala fides ſupervenit abſque perſonarum mutatio- 100
ne: & tunc Doctores non conveniunt. Quidam enim arbitrantur eum, qui incœpit bona fide poſſidere, indiſtinctè facere fructus ſuos, ſive ſuperveniat mala fides vera, ut quia emit rem ab eo, quem dominum reputabat, & poſtea ſcivit eum non eſſe dominum, ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſuprà *in 2. evidentiali num. 36.* ſive ſuperveniat mala fides præſumpta, quæ inducitur per litis conteſtationem, juxta dicta in eodem evidentiali *num. 4.* Et hujus ſententiæ ſunt gloſſ. *in l. Qui ſcit in ver. Percipiendos, ff. de uſuris;* item gloſſa *in leg Bonæ fidei in ver. Poſſideat, ff. de acquir. rer. domin.* & ita communiter tenere gloſſam juris civilis teſtatur Abb. hìc
num. 9. verſ. Quandoque mala fides ſupervenit. Pro qua etiam 101
allegari poſſunt authores, qui ſimpliciter aſſerunt quoad fructuum acquiſitionem ſolum initium eſſe ſpectandum, inter quos numerantur gloſ. *in d. l. Et ex diverſo in princ. in ver. Non habendam, ad fin. ff. de rei vendicat.* Angel. *ibidem num. 4. verſ. Primum eſt*, Speculat. *tit. de fruct. & intereſſe, §. Scias igitur num. 3. in princ.* Bald. *in d. leg. Qui ſcit, §. Bonæ fidei num. 1.* Imol. *in l. Neſennius, §. Fundum num. 3.* & ibi etiam Alex. *num. 5. in fin. & num. 7.* & Jaſ. *num. 3. ff. de re judic.* idem Imol. hìc *num. 7.* & Anchar. *num. 11.* Angel. in *§. Si quis à non domino num. 4.* & ibi Joan. Faber *num. 1. & ult. inſtit. de re diviſ.*
Fundatur hæc opinio *in dict. leg. Qui ſcit, §. Bonæ fidei,* 102
ff. de uſur. ubi text. dicit, *Bonæ fidei emptor ſcivit, & antequam fructus perciperet, cognovit fundum eſſe alienum: an perceptione ſuos fructus faciat, quæritur? Reſpondi: bonæ fidei emptor quoad fructus percipiendos intelligi debet, quoad uſque fundus evictus fuerit:* qui textus videtur apertè loqui non tantùm de mala fide præſumpta, quæ inducitur per litis conteſtationem, ut innuunt verba illa, *Evictus non fuerit;* ſed etiam de mala fide vera, ut patet ibi, *Cognovit fundum eſſe alienum.* Et hoc poſito ille textus videtur ir- 103
refragabilis. Ad idem text. *in l. Bonæ fidei, ff. de acquir. rer. domin.* qui licèt loquatur de mala fide præſumpta per litis conteſtationem; tamen idem intelligit de vera, ut ibi, *Deinde cognovero alienam eſſe.*
Et quamvis Abbas hìc *d. num. 9.* dicat ſupradictam 104
opinionem procedere de jure civili tantùm, ſed de jure Canonico fortè dici poſſe, à tempore malæ fidei ſupervenientis poſſeſſorem non facere fructus ſuos, per *cap. final. de præſcript.* & per regulam *Poſſeſſor malæ fidei, ff. de reg.*
jur. lib. 6. tamen hæc jura loquuntur in præſcriptione, in 105
qua longè diverſa eſt ratio, quia per eam acquiritur dominium irrevocabiliter, quod abhorret jus Canonicum, ubi adeſt mala fides. At in caſu hujus quæſtionis poſſeſſor à die ſupervenientis malæ fidei non acquirit fructus irrevocabiliter, quia tenetur illos reſtituere, ſecundùm omnes, ut dicam infrà *num. 110.* meritò de hac acquiſitione momentanea, & ſine affectu jus Canonicum non curat. Nec valet argumentum ab acquiſitione ad uſucapionem, ſeu præſcriptionem, quia multi poſſunt acquirere, qui tamen non poſſunt uſucapere, ſeu præſcribere, ut *in d. l. Bonæ fidei, §. In contrarium, ff. de acquir. rer. domin.* & accuratè obſervat Bero hìc *num. 7.*
Alii verò, & fortè meliùs, tenent quoad fructuum ac- 106
quiſitionem ſpectanda eſſe ſingula temporis momenta; adeòut circa fructus perceptos, & conſumptos tempore bonæ fidei, judicandum ſit eodem modo, quo de poſſeſſore bonæ fidei: circa perceptos verò, & conſumptos tempore malæ fidei, ſicut de poſſeſſore malæ fidei. Et hanc opinionem tenuerunt plerique ex recentioribus, & in ſpecie Petr. Loriotus *in leg. Fructus col. penult. ff. de reg. jur.* Enguinar Baro *in §. Si quis à non domino, inſtit. de rer. diviſ.* Joan. Cop. *de fructibus lib. 2. tit. 4. cap. 5.* Covarr. *variar. reſolut. lib. 1. cap. 3. num. 7. verſ. in his tamen*, quos refert, & ſequitur Menoch. *de recuper. poſſeſs. remed. 15. num. 592. & 612.* & fuſiùs *conſ. 595. n. 11. & ſeqq.* Joan. Garcia *de expenſ. cap. 23. num. 13.* Petr. Navarr. *de reſtit. lib. 3. c. 4. in nova edit. part. 3. dubio 1. num. 144.* Molina *tom. 2. de juſt. & jur. diſput. 569. col. 4. verſ. Quando aliquid, & tom. 3. part. 2. diſput. 725. n. 1. & 2.* & alii nonnulli, quos citat, & ſequitur Sanch. *ſuper* De-

*Decalog.tom.*1.*lib.*2.*cap.*23.*num.*152. & eſt ex mente Rotæ *dec.* 4. *num.* 1. *de reſtit. ſpoliat. in novis.* ubi dicit bonæ fidei poſſeſſorem condemnandum eſſe ad reſtitutionem fructuum perceptorum à die motæ litis, quia tunc incipit habere malem fidem, nec facit fructus ſuos; ſed ſi ab initio habuit malam fidem, ad reſtitutionem perceptorum à die occupationis, ſeu intruſionis. Et illam deciſionem ſequitur Caputaq.*dec.*27. *ſeu* 1.*part.*2. & clarè eamdem opinionem probavit *dec.*3.*num.*23.*verſ. Secunda afferebatur limitatio part.*7.*recent.* ubi etiam allegat Peregr. *de fideicomm.art.*49. *num.*130.*& ſeqq.* & Fachin. *controverſ. Foren. cap.*59.*lib.*1. ubi conciliat leges, de quarum concordia diſperare dixerant Enguinar. Baro, & Covarruv. *locis citatis*. Pro quorum ſententia ſunt jura clara *in cap. Si virgo* 34.*quæſt.*1. ibi: *Tamdiu quiſque bonæ fidei poſſeſſor rectiſſime dicitur, quamdiu ſe poſſidere ignorat alienum; cùm verò ſciverit, nec ab aliena poſſeſſione receſſerit, tunc malæ fidei poſſeſſor perhibebitur, & in l. Qui bona fide, ff. de acquir. rer. domin.* ibi, *Tamdiu acquirit, quamdiu bona fide ſervit; cæterùm ſi cœperit ſcire eum alienum eſſe, vel liberum, videamus, an ea acquirat. Quæſtio in eo eſt, utrum initium ſpectemus, an ſingula momenta? & magis eſt, ut ſingula momenta ſpectemus.*

107 Sed difficultas eſt in concordandis juribus *in dicta l. Qui ſcit, ff. de Uſur. cum dicta l. Qui bona fide*, proximè citata quæ adeò invicem pugnare videntur, ut quidam exiſtimaverint, nullatenus conciliari poſſe, affirmantes paſſim juris conſultos ob varia judicia, contraria reſpondiſſe lapſu memoriæ eorum, qui tot juriſconſultorum reſponſa in Epitomen reduxerunt, ut dicunt Enguinar. Baro *dicto* §. *Si quis à non domino, Inſtit. de rer. diviſ* Covarr. *dicto cap.* 3. *num.*5. *verſ. Id verò quod Julianus*, & Menochius varias reſolutiones reprobans *dicto remed.* 15. *num.* 614. Placet tamen conciliatio, quam ponit, & prolixè declarat Joan. Garcia *de expenſ. d. cap.*23. *num.*16. *cum tribus ſeqq.* quem ſequitur Pichar. *in d.* §. *Si quis à non domino num.*8. & Sanchez *d. cap.*73. *num.*153. videlicet, ut textus *in dicta leg. Qui ſcit*, in illis verbis, *Cognovit fundum eſſe alienum:* non loquatur de cognitione vera, ſed de præſumpta & judiciali, ut innuunt verba illa, *Evictus non fuerit*. Unde dum textus decidit malam fidem non induci ex eo, quòd poſſeſſor cognoſcat fundum eſſe alienum, ſenſus eſt, ut non ex eo, quòd cognoſcat fundum in judicio peti tamquam alienum, & ſibi litem fuiſſe conteſtatam, conſtituatur in vera mala fide, ſed tunc demum cùm fundus ille fuerit evictus. Nec eſt novum in jure, ut poſſeſſor bonæ fidei poſt litis conteſtationem dicatur cognoſcere, ſeu ſcire rem eſſe alienam, *ut patet in l.*2. ibi, *Ex eo tempore, ex quo re in judicium deducta ſcientiam malæ fidei poſſeſſionis accepit, C. de fructibus, & lit. expenſ. & l. Sed & ſi lege*, §. *Si ante litem*, ibi, *Cœpit enim ſcire rem ad ſe non pertinentem poſſidere ſe is, qui interpellatur, ff. de petit. hæredit. cum ſimil.* text. verò *in dicta l. Qui bona fide, ff. de acquiren. rer domin.* loquatur de vera cognitione, quæ verè malam fidem inducit, cùm ibi de

108 judicio, & lite nulla fiat mentio. Et ex hoc intellectu collige malam fidem præſumptam eo, qui priùs erat bonæ fidei poſſeſſor, oriri poſt rem in judicium deductam, ſeu litem conteſtatam. Quod latiùs explicabimus infrà *num.* 110. Sed malam fidem veram non oriri niſi poſt rem in judicio evictam per ſententiam, ſeu rem judicatam. Quod nota ad declarationem eorum, quæ ſunt dicta ſupra in ſecundo evidentiali, *n.*37. *& ſeqq.*

109 Non obſtat text. *in d. l. Bonæ fidei, ff. de acquir. rer. domin.* quia in illis verbis: *Puto verendum, ne non ſit bonæ fidei poſſeſſor*; non loquitur ponendo, ſed opponendo, ut intelligunt gloſſæ, & Abb. *hìc num.*9.

110 Sed quidquid ſit de veritate harum opinionum, concluſio eſt in jure certiſſima, & ab auctoribus utriuſque ſententiæ concorditer recepta, quòd bonæ fidei poſſeſſor tenetur, & cogi debet reſtituere fructus induſtriales, qui ad eum pervenerint à die motæ litis, & non modò extantes, de quibus nulla eſt dubitatio, ſed etiam conſumptos. Conſtat *ex l. Certum, C. de rei vendicat.* ubi dicitur, *Certum eſt malæ fidei poſſeſſores omnes fructus ſolere cum ipſa re præſtare; bonæ fidei verò extantes, poſt litis conteſtationem univerſos: & ex l.*1. §. *Poſt litem, C. de petit. hæredit. & ex l.*5. juncta gloſ-

111 ſa *in ver. Edita, ff. de interdict.* Rationem aſſignat text. *in l. Sed & ſi lege*, §. *Si ante litem, ff. de petit. hæredit.* ibi, *Quoniam poſt litem conteſtatam omnes incipiunt malæ fidei poſſeſſores eſſe, quinimo poſt controverſiam motam; quamquam enim litis conteſtatæ mentio fiat in Senatus conſulto, tamen & poſt motam controverſiam omnes poſſeſſores pares fiunt, & quaſi prædones tenentur, & hoc jure hodie utimur; cœpit enim ſcire rem ad ſe non pertinentem poſſidere ſe is, qui interpellatur, & in l. Nemo ambigit, C. de acquiren. poſſeſ.* ibi, *Interpellatione verò, & controverſia progreſſa non poſſe eum intelligi poſſeſſorem, qui licèt poſſeſſionem corpore teneat, tamen ex interpoſita conteſtatione, & cauſa in judicium deducta, ſuper jure poſſeſſionis vacillet, ac dubitet: & in l.*2. ibi: *Ex eo tempore, ex quo re in judicium deducta, ſcientiam malæ fidei poſſeſſionis accepit, C. de fruct. & lit. expenſ.* & tenent in præcitatis juribus gloſſ. & communiter ſcribentes. Et 112
hæc eſt præſumptio juris, & de jure, adeò ut quamtumvis juſtam cauſam quis litigandi habuerit, à mala fide, & fructuum reſtitutione non excuſetur, ut probant jura præallegata, & notat Bero *hìc num.*27. *in fin.* Quare hunc ſtylum condemnandi bonæ fidei poſſeſſores ad reſtituendos fructus etiam conſumptos à die motæ litis, quia tunc incipiunt habere malam fidem, & excitantur ad inquirendum de juribus ſuæ poſſeſſionis, indifferenter ſervat Curia Romana, & univerſa Ordis Tribunalia, Rota *dec.*4.*num.*1. *de reſtit. ſpoliat. in noviſs.* ubi dicit hoc eſse veriſſimum, & ſervari in Palatio, Caſſador. *dec.* 1. *de cauſ. poſſeſ. & propriet.* Joan. Paul. *dec.*36. *&* 120. Caputaq. *dec.*27. *ſeu* 1.*p.*2. Seraph. *dec.*835. *num.*1. Gregor. XV. *deciſ.*74.*num.*1. Caval. *deciſ.* 409. *num.*5. Rota *dec.*3. *num.*1.*p.*7. *rec. & in Mediolanen. Fructuum* 26. *Maji* 1589. coram Cardinali Platto apud Marcheſ. *de Commiſs. p.*1. *fol.*206. & alias paſſim. Quem ſtylum retineri etiam à Conſilio Neapolitano teſtatur Afflict. *dec.* 46. *num.*2. & à Rota Bononien Beninten. *deciſ.* 20. *per totam*, Cabal. *conſ.*163. *num.*32. nec non in Regia audientia Cataloniæ, Peguer *dec.*178. & Cancer. *var. reſolut. p.*3. *cap.*16. *num.*67. & de aliis Tribunalibus atteſtatur Surdus *conſ.*293. *num.*8. *& conſ.*514. *num.*5. Fachin. *conſ.* 50. *num.*3. *lib.*3. quos refert, & ſequitur Rota *d. deciſ.* 3. *num.*1. *part.*7. *recent.*

Sed dices; Quid prodeſt, ut poſſeſſor malæ fidei præſumptus efficiatur dominus fructuum, ſi nihilominùs tenetur eos reſtituere? Reſpondet Paulus de Caſtro *in l. Si fundum num.*3. *verſ. Et ſi dicatur, C. de rei vendicat.* quia poteſt eos alienare, & emptor non poterit ſuper eis moleſtari ab ipſo, qui eſt dominus rei, ut notatur per Joan. Andr. *in cap. Conſultationibus de jurepatr.* 113

Procedit autem concluſio, ut ſupra firmata non tantùm in fructibus perceptis, ſed etiam in iis, qui percipi potuerunt: nam omnes veniunt reſtituendi à die motæ litis, ut eſt text. *in l.*2. *C. de fruct. & lit. expenſ.* ibi: *Nec tantùm fructuum præſtationem eorum, quos ipſe percipere potuiſſet, non quos redegiſſe conſtat, exſolvat eo tempore, ex quo re in judicium deducta ſcientiam malæ fidei poſſeſſionis accepit*, & ibi notat gloſ. *in ver. Accepit*, dicens: *Nota, quòd poſt litem conteſtatam efficitur aliquis malæ fidei poſſeſſor quoad hoc, ut teneatur de fructibus perceptis, & percipiendis.* Item gloſſ. *magna in l. Et ex diverſo ante fin. verſ. Si verò ſit malæ fidei, ff. de rei vendicat.* Rota poſt alios *deciſ.*1170. *num.* 1. *part.*3. *diverſ.* Hoc tamen videtur intelligendum, ſi ſit ſine titulo: nam ſi titulum habeat, poſt litem conteſtatam tenetur tantùm de perceptis, non autem de percipiendis, quia ab his titulus eum excuſat, ut declarat præcitata gloſs *ad fin. verſ. Si verò cum titulo*, & patet ex dictis ſuprà *num.*71. Nam ſi malæ fidei poſſeſſor verus cum titulo non tenetur de percipiendis, ut ibi dixi, longè minùs tenetur malæ fidei poſſeſſor præſumptus per litis conteſtationem, niſi tamen occupaverit beneficium lite pendente, ut per Rotam *dec.*5. *de reſtit. ſpoliat. in novis.* 114 115 116

Rurſus procedit prædicta concluſio non tantùm in fructibus, ſed etiam in diſtributionibus quotidianis: nam bonæ fidei poſſeſſor à tempore controverſiæ motæ tenetur reſtituere non ſolùm perceptas, ſed etiam quas percipere potuiſſet: & ita bis judicavit Rota teſte Caſſador. *deciſ.*6. *num.*3. *de præben.* quem ſequitur Rota in præallegata *deciſ.* 1170. *num.*1. *in fin. part.*3. *diverſ.* licèt quoad percipiendas neceſſaria ſit proteſtatio, ut ibi reſolvit Rota *num.*5. & conſtat ex dictis ſuprà *num* 49. 117 118

Demum procedit eadem concluſio poſt litem motam dumtaxat: ante motam litem Rota non conſuevit regulariter condemnare poſſeſſorem fructuum, ut dicunt deciſiones ſupra citatæ *num.*112. Et ad hoc non requiritur bona 119 120
fides

fides poſitiva, neque titulus verus, ſed ſufficit abeſse malam fidem, & titulum putativum vel etiam nullum adeſse *l. Sed & ſi lege*, §. *Scire*, & ibi DD. communiter, *ff. de petit. hæredit.* & præſertim Bart. *num.*4. Bald. *num.*1. Caſtr. *n.*7. Curt. Sen. *conſ.*71. *num.*14. Socin. Jun. *conſ.*67. *num.*60 *lib.* 1. & alii quos ſequitur Rota *d. dec.* 3. *num.*4. *part.* 7. *recent.*

121 Dixi *Regulariter*, quia fallit hæc regula in ſex caſibus, in quibus fit condemnatio ad fructus perceptos ante motam litem.

Primò enim fallit in eo, qui fuit in mala fide ante litem motam, ut quia ſe intruſit in beneficio; tunc enim condemnatur ad reſtitutionem fructuum perceptorum à die occupationis, ſeu intruſionis, Rota *dec.*7. *de reſtit. ſpoliat. in novis*, Caputaq. *dicta deciſ.*27. *part.*2. *& præcitata dec.*3. *num.*23. *verſ. Secunda afferebatur limitatio part.* 7. *recent.*

122 Secundò fallit, quando fructus percepti à bonæ fidei poſſeſſore ante motam litem adhuc extant, aut ſi ſunt conſumpti, ex iis tamen poſſeſſor factus eſt locupletior; tunc enim ſunt reſtituendi, vel eorum æſtimatio, ut aliis relatis firmat Rota in prædicta *dec.*3. *num.*38. *par.*7. *recent.* Sed hæc limitatio non tranſit ſine difficultate, & opinio magis communis gloſſarum, & antiquorum eſt in oppoſitum, ut dixi ſupra *num.*60.

123 Tertiò fallit, quando fructus petuntur non tamquam acceſſorii ad aliquam rem principaliter in judicium deductam, in quibus terminis loquuntur deciſiones præallegatæ; ſed agitur ad ipſos fructus tamquam ſortem principalem, & capitale de per ſe, ut in penſionibus, & annuis præſtationibus: tunc enim fit condemnatio ad fructus perceptos à die occupationis, ſeu ſpolii, ut perpetuò Rota in terminis penſionum, & annuarum præſtationum diſtinxit, & in ſpecie coram Cardinali Paleotto *in dec.* 689. *part.*3. *diverſ.* & coram Cardinali Platto *in dicta Mediolanen. fructuum* 26. *Maji* 1589 apud Marcheſ. *de Commiſſ. part.*2. *fol.*206. & coram Gypſio in Cæſaraugustana penſionis 15. *Maii* 1580. *quæ eſt deciſ.*176. *num* 6. *part.*4. *diverſ.* & coram Cardinali Seraph. *dec.*1168. *num.*3. & coram Cardinali Sacrato *in Calaguritana liquidationis* 4. *Maji* 1611. apud eumdem Mandoſ. *p.*1. *fol.*988. *num.*2. *ad fin. & in rec.*

124 *dec.*317. *num.*13. *part.*1. & coram Burat. *dec.*289. *num.*11. ubi teſtatur de ſtylo Rotæ dari manutentionem pro terminis decurſis etiam ante motam litem, quando ad illos principaliter agitur, juxta præallegatam *dec.*5. Paleotti, & Seraphini, & coram S. D. N. Innocentio X. *in Toletana penſionis* 26. *Februarii* 1618. & noviſſimè coram Merlino *in Mediolanen. penſionis die* 6. *Junii* 1633. & in eadem 19. *Januarii* 1535. quæ eſt *d. deciſ.*3. *à num.*6. *uſque ad num.*23. *part.*7. *recent.* ubi aliæ concordantes allegantur, & tenet Gig. *de expenſ. q.*47. *n.*8.

Ratio eſt, quia cùm ipſæmet penſiones in judicio poſſeſſorio petantur, non poteſt dici facta plenaria reſtitutio juxta propoſitam actionem, niſi ſolvantur omnes in præteritum ſubtractæ, ut declarat Innoc. *in cap. Querelam num.*3. *verſ. Et nota de elect.* & Rota in *d. Mediolanen. fructuum* coram Platto. Et quemadmodum ſi petatur fundus, & ad illius reſtitutionem reus condemnetur, totus eſt reſtituendus, alioquin non diceretur reſtitutum totum, & integrum capitale: ita dicendum in penſionibus, annuis legatis, & redditibus, quia non tamquam fructus acceſſoriè ad fundum, vel ſubjectum diſtinctum, ſed principaliter tamquam ſors petuntur, & debentur non ex mora, aut ex cauſa malæ fidei, ſed jure dominii, vel actionis, *ut in dicta dec.*3.

125 *num.*7. *part.*7. *recent.* & in ſpecie in legatis annuis, quòd debeantur decurſa nedum ante motam litem, ſed etiam ante apertas tabulas, & editam hæreditatem, ſtatimque à die mortis teſtatoris legantis, ut eſt text. apertus *in l. Nec ſemel in princ. verſ. Idem Celſus, & verſ. ſeq.* & ibi gloſſ. *in ver. Omnium*, *ff. Quando dies legati cedat*: quem ad hoc pondera Rota *in ead. dec.*3. *num.*8. Quinimò hoc locum

126 habet etiamſi hujuſmodi legatum ipſi legatario ignotum fuerit: nam adhuc debentur termini omnes decurſi, ut reſpondit Bald. *conſ.*235. *Bartholomæus legavit per totum libro* 1. Bimius *conſ.*230. *num.*51. *lib.*2. & per illum textum fuit judicatum in Conſilio Neapolitano, teſte Vincentio de

127 Franchis *dec.*634. Et generaliter in omnibus fructibus qui conſiderantur de per ſe, & principaliter, ut alimenta, & annuæ præſtationes, quæ ſortem, & capitale conſtituunt, non autem ſunt acceſſiones alterius ſortis, neque producti ab alio capitali diſtincto, quòd debeantur etiam decurſi ante petitionem, & interpellationem, deducitur *ex l. Libertis*, §. *Manumiſſis*, *ff. de alim. & cibar. legat.* & ibi notat Bart. *in* 6. *oppoſ. num* 2. ubi rationem aſſignat, quia non tamquam uſura, ſed tamquam ſors conſiderantur; & ſequuntur Franch. *d. deciſ.*634. *ad fin.* Socin. Sen. *conſ.*41. *in præſenti conſultatione*, *num.*8. *lib.*4. & alii allegati *in d. dec.*3. *num.*12. *part.*7. *recent.*

Circa quartum, & ultimum membrum principale, videlicet quando quis à principio fuit malæ fidei, ſed ex poſt facto fuit effectus bonæ fidei, duo caſus ſunt diſtinguendi ſecundùm Abb. *hìc num.*10. ut in mala fide diſtinctum eſt ſupra *num.*98. 128 129

Primus caſus eſt, cùm ſupervenit bona fides cum perſonarum mutatione. Et hoc caſu ſubdiſtinguendum eſt: nam aut perſonæ hujuſmodi in univerſum jus ſuccedunt, & perſonam, cui ſuccedunt, repræſentant, prout contingit quando defunctus fuit malæ fidei, & ei ſucceſſit hæres, qui rei alienæ ſcientiam non habuit, ſed credidit defunctum eſſe dominum: & tunc dicta bona fides non prodeſt hæredi ad fructuum acquiſitionem; quoniam cùm ſuccedat in jus omne defuncti, & in omnibus ejus perſonam repræſentet, ut in Auth. *de jurejur. à morien. præſtit.* ſequitur, ut ſuccedat quoque in vitium, ac malam fidem defuncti, quæ propterea ſibi etiam nocet, ut eſt text. *in l.*2. *C. de fruct. & lit. expenſ.* poſteaquàm ſtatuit poſſeſſorem poſt litem conteſtatam teneri de fructibus perceptis, & percipiendis, immediatè ſubjungit, *Hæredis quoque ſuccedentis in vitium par habenda fortuna eſt*, *& in l. Cùm hæres*, *ff. de diverſ. & tempor. præſcript.* ubi Papinianus ait; *Cùm hæres in jus omne defuncti ſuccedit, ignoratione ſua defuncti vitia non excludit*; & infra: *Nec enim defendetur, cùm exordium rei bonæ fidei ratio non tueatur*: & in terminis noſtris voluit gloſſ. *in l. Sequitur*, §. *Fructus in ver. Non fuerint*, *ff. de uſucap.* reddens rationem, quia hæres vitiorum, & culpæ defuncti eſt ſucceſſor, *l. Si ergo*, §. *Sed hæres*, *ff. de publican. in rem action. & d. l. Cùm hæres*. Et quia defunctus, qui erat malæ fidei, fructus percipiendo commiſit furtum, cùm rem alienam contrectaverit invito, ſeu ignorante domino; ac proinde nec ipſe, nec illius hæres illos uſucapere ullatenùs poteſt, *ut l. Sequitur*, §. *Quod autem*: quòd ſi non poteſt uſucapere, ergo longè minùs acquirere, *ut d. l. Bonæ fidei*, §. *In contrarium*, *ff. de acquir. rer. domin.* Idem firmat Bart. *in l. Et ex diverſo in princ. num.*12. *ff. de rei vendicat.* Abb. *in d. num.*10. & Bero. *num.*38 Ruin. *conſ.*50. *Super themate*, *num.*12. *vol.* 5. Socinus *regul.*250. *Malæ fidei poſſeſſor ſi quis à principio fuerit*, *in* 3. *fallentia*, Afflict. *deciſ.* 240. *num.*10. ubi refert, quemdam hæredem à Conſilio Neapolitano condemnatum fuiſſe ad reſtitutionem fructuum ad exonerandam conſcientiam defuncti, Socin. Jun. *conſ.*182. *Anno præterito num.*28. 29. *&* 30 *vol.*2. Menoch. *de recuper. poſſeſſ. remed.* 15. *num.* 617 quidquid in oppoſitum levibus rationibus ſcripſerit Joan. Copus *in tract. de fruct. lib.*2. *titul.*4. *cap.*3. *in fine*. 130 131 132 133 134

Aut perſonæ, quæ in jus alterius ſuccedunt, non repræſentant in omnibus perſonam, à qua cauſam habuerunt, nec ab ea habent cauſam univerſalem, ſed particularem, ſeu ſingularem, ut ſi quis a malæ fidei poſſeſſore emerit, aut dono acceperit non bona fide: & tunc talis bona fides in ſucceſſore ſuperveniens prodeſt ad fructuum acquiſitionem, nec inſpiciendum eſt exordium perſonæ, à qua cauſam habuit, quia in illius vitium non ſuccedit, ut colligitur ex *dict. l. Si ego*, §. *Partus*, *ff. de publico in rem action.* ubi text. conſtituit differentiam inter ſucceſſorem ſingularem, & univerſalem; & ibi hoc tenuit gloſſ. *in ver. Sed hæres*, Abb. *hìc num.*10. *verſ. Et idem dicit in alio*, & Bero. *d. num.*38. *verſ. Et ex prædictis*, Menoch. *ubi ſupra num.* 120. 135

Et ex prædictis infertur, ut quod dictum eſt de hærede, qui ſuccedit in vitium authoris, minimè locum habeat in ſucceſſione Prælaturæ, quia ſucceſſor Prælatus non dicitur ſucceſſor univerſalis ſui prædeceſſoris, nec illius perſonam repræſentat, *ut cap. anal. Ne Prælati vices ſuas*, cum ibi not. & ideò quamvis prædeceſſor fuerit in mala fide, & fructus acquirere non potuerit; tamen Prælatus ſucceſſor, qui eſt in bona fide, fructus ſuos facit, quia licèt in Prælaturam, ſeu in illius jus univerſaliter ſuccedat, non tamen ſuccedit in jus ipſius Prælati prædeceſſoris; quoniam jus ſuum non cauſat, neque conſequitur à defuncto, ſed à 136 137 138

Su-

Superiore ipſum inſtituente: ideòque inſtituens, & confe-
rens dignitatem & Prælaturam Eccleſiaſticam, dicitur illi
donare, & ab eo tamquam à donatore dicitur jus proveni-
re, *ut c. Relatum*, cum ibi notatis, *& c. Inter cætera de*
139 *præben.* Et ideò ſuccesſor in Prælatura poteſt præſcribere, &
bonam fidem habere, & conſequenter fructus acquire-
re, quamvis prædeceſſor hoc non potuerit, & malam fi-
dem habuerit: quare mala fides prædeceſſoris Prælati nòn
nocebit ſucceſſori, qui in vitium, & culpam prædeceſſo-
ris ſuccedere non dicitur, *ut not. in c. de quarta de præſcript. & in c. Cura de jurepatr. in fine gloſſæ magnæ*: & habetur *in c. Si diligenti de præſcript.* & per Dyn. *in c. Poſſeſſor de reg. jur. lib. 6.* & ſequuntur hic Abb. *d. num. 10. verſ. Secus puto in Prælato*, & Bero. *n. 39.*

140 Secundus caſus eſt, quando bona fides ſupervenit ſine
mutatione perſonarum: & hoc caſu ſimiliter ſubdiſtin-
gue: nam quandoque ſupervenit ex juſta, & legitima cau-
ſa putandi ſe bonæ fidei poſſeſſorem: & tunc bona fides ſu-
perveniens prodeſt ad acquiſitionem fructuum, nec ſpe-
ctandum eſt medium poſſeſſionis malæ fidei, ſed bonæ fidei
ſupervenientis ex juſta, & legitima cauſa: nam tempore
ſupervenientis bonæ fidei poſſeſſor incipit acquirere fru-
ctus poſteà perceptos, non autem antea perceptos tempo-
re poſſeſſionis malæ fidei. Quandoque verò nulla ſuperve- 141
nit juſta cauſa, ſed poſſeſſor ſola cogitatione exiſtimavit eſ-
ſe bonæ fidei; & tunc talis ſimplex cogitatio bonæ fidei ni-
hil operatur, nec efficit, ut quoad juris effectus poſſeſſor di-
catur eſſe bonæ fidei, quia ſine juſta & legitima cauſa ſuper-
veniente nemo poteſt mutare ſibi cauſam poſſidendi, *l. Non ſolum, §. 1 ff. de uſucap. l. Cùm nemo, cum ibi not. C. de acquir. poſſeſſ. & l. 3. §. Illud, ff. eod. l. Sed tantùm ex juſta cauſa, & legitimo titulo*; & ideò poteſt incipere illud uſucapere, quod priùs non poterat propter malam fidem, quam habebat, ut in præcitatis juribus: & in hac diſtinctione reſident hic Abbas *nu. 10. verſ. Quandoque ſupervenit*, & Bero. *nu. 40. verſ. Secunda ſit concluſio, & n. 41.* & eſt ex mente Bart. *in d. l. Sequitur, §. Fructus circa medium, ff. de uſucap.* Et ex his expedita ſunt quatuor membra ſuperiùs propoſita.

DE RESTITUTIONE SPOLIATORUM.

Innocentius III. Bituricen. Archidiacono:

CAPUT XIII.

LItteras tuas recepimus, quòd cùm quædam matrimonialis cauſa (Bituricenſi Archiepiſcopo in remotis agente) in tua præſentia tractaretur, Gulielma mulier ſeparari à B. viro ſuo inſtantiſſimè poſtulabat, cui ſe quarto gradu conſanguinitatis proponebat eſſe conjunctam: & infrà. Vir autem ſibi uxorem poſtulabat reſtitui, quæ ab eo ſua temeritate divertit: & infrà. Reſcripto petebas Apoſtolico edoceri, utrùm quando aliquis conſanguinitatis gradus objicitur, in quo ſedes Apoſtolica diſpenſare non poteſt, nec etiam conſuevit, & probationes promptæ ſint & paratæ, indulgenda reſtitutio ſit, an neganda: & infrà. Sanè circa ſolutionem propoſitæ quæſtionis, diverſæ ſunt ſententiæ diverſorum: aliis aſſerentibus reſtitutionem faciendam: aliis ſentientibus in contrarium: nonnullis viam mediam eligentibus: ac dicentibus, eam faciendam interdum, quandoque penitùs denegandam. Primi per decretalem Epiſtolam Lucii Papæ juvari videntur, arguentis quoſdam judices delegatos, qui reſtitutionem viri, qui ſine judicio Eccleſiæ uxorem dimiſerat, & ei conſanguinitatem poſtmodùm opponebat, ſpoliatæ ac repetenti conjugem denegabant: & mandantis ſibi priùs reſtitui taliter ſpoliatam, & poſteà de matrimoniali cauſa cognoſci. Horum autem aſſertionem inceſtus videtur periculum oppugnare: ſed ipſi timorem inceſtus inanem eſſe reſpondent, cùm etiam beneficio reſtitutionis obtento, qui conſanguinitatis habet notitiam, nec exigere debitum contra conſcientiam, nec ſolvere teneatur; quoniam ſi ſecus egerit, ædificat ad gehennam; ſicut nec conſanguinitatis conſcius, ſuper cujus conjugio quæſtio non movetur. Secunda verò aſſertio per oraculum Clementis Papæ fulcitur, à quo cum fuiſſet quæſitum, utrùm muliere quadam quemdam in virum petente, qui ut eam repelleret, exceptionem conſanguinitatis objecit, priùs eſſet de impedimento conſanguinitatis agendum, quàm ſuper matrimonio ſententia proferretur: ſic inquiſitioni factæ reſpondit, quòd cum exceptione probata, principalis quæſtio perimatur, priùs eſt cognoſcendum de ipſa, quàm ad diffinitionis articulum procedatur, cùm etiam in multis caſibus reſtitutio differatur ſecundùm Canonicas ſanctiones. Opinioni autem ultimæ videtur non incongruè adaptari, ut in gradibus conſanguinitatis divina lege prohibitis, reſtitutioni aditus præcludatur; ſed conſtitutione interdictis, humana reſtitutio locum habeat cum effectu, cùm in illis diſpenſari non poſſit, & in iſtis valeat diſpenſari, ſicut beatus Gregorius, & multi alii diſpenſarunt: unde non peccat, qui in hoc articulo ad mandatum Eccleſiæ, reddit debitum conjugale. Nos autem ad præſens nullam de prædictis ſententiis reprobamus, nec cuiquam earum aliquod præjudicium ex noſtra reſponſione volumus generari; quamvis præſcriptum Lucii Papæ mandatum ad poſſeſſorium, reſponſum verò Clementis ad petitorium referatur. Porrò cùm mulier, quæ conſanguinitatis habet notitiam, præſertim in gradibus, quos lex divina prohibuit, non poſſit hujuſmodi viro ſine mortali peccato carnaliter commiſceri; quoniam omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt: & quidquid fit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam: fruſtra in tali caſu adjudicaretur reſtitutio ſpoliato, cùm illa contra Deum non debeat in hoc judici obedire, ſed potiùs excommunicationem humiliter ſuſtinere: ſicque difficultas occurreret quaſi perplexa, quia propter ſententiam oporteret eam reddere debitum, & propter conſcientiam reddere non deberet: unde contingeret eos graviter impediri, & utrique laqueus pararetur; cùm inter ſe carnaliter conjungi non poſſent, nec alter alteri matrimonialiter copulari. Propterea melius videtur, quòd cùm opponitur conſanguinitas (præſertim in gradibus divina lege prohibitis) & probationes offeruntur incontinenti paratæ, in cæteris adjudicanda ſit reſtitutio: ſed ad majorem cautelam juramento recepto, quòd talis objectio malitiosè non fiat, ſola quoad commixtionem carnalem (maximè, ſi fama conſentit) eſt reſtitutio differenda; donec auditis probationibus & diſcuſſis, cauſa ſine diffugio terminetur, cùm utrique

ſit

ſit melius taliter expediri, quàm manere taliter impeditos. Quòd non ſi habeat probationes incontinenti paratas, ſed dilationes expectat longiores (quia præſumitur contra eam, quæ ſine judicio Eccleſiæ, ſua tantùm temeritate receſſit à viro) ad reſtitutionem plenariam Eccleſiaſtica debet cenſura compelli; quam tamen ipſa tori negando conſortium debet humiliter tolerare, donec probationes offerat præparatas: & tunc abſolutione petita, ſecundùm formam Eccleſiæ, abſolvetur; ſed antequam fiat ei mandatum ſub debito juramenti, receptis probationibus procedatur, quemadmodùm eſt præmiſſum. Si verò tanta ſit viri ſævitia, ut mulieri trepidanti non poſſit ſufficiens ſecuritas provideri: non ſolùm non debet illi reſtitui, ſed ab eo potiùs amoveri: alioquin ſufficienti (ſi fieri poteſt) ſecuritate proviſa, profectò videtur conjux ante cauſę cognitionem reſtituenda marito.

L*iteras*. Si contra petentem reſtitutionem conjugis opponatur conſanguinitas in gradu prohibito, & offerantur probationes paratæ, recepto ab opponente juramento de malitia, negabitur reſtitutio quoad torum, & fiet quoad reliqua. Si verò probationes promptæ non ſint fiet plena reſtitutio, niſi ut magna viri ſævitia. Hoc dicit ſecundùm Joan. Andr. & omnes; & ſunt duæ partes principales. Prima ponit thema, & conſultationem. Secunda reſpondet, ibi, *Sanè*; & hæc ſubdividitur, ut per eum.

Pro intellectu hujus Decretalis vide quod ſcripſi *in c. Ne innitaris, n. 399. & ſeq. ſuprà de conſtitut.*

DE PROBATIONIBUS.

Gregorius Tancredo Regi Vinceſtriæ.

CAPUT I.

EX epiſtolæ verbis: & infrà. Tua excellentia poſtulavit, ut Imperatori ſciberem, quatenus pacta in chartophylacio requireret, quæ dudum inter Juſtinianum Principem & prædeceſſores ſuos fuerunt emiſſa, ut ex his colligeret, quid tibi ſervare deberet. Sed ad hoc faciendum vehementer obſtitit, quia nulli dicendum eſt; ea quæ contra te ſunt, apud temetipſum debes documenta requirere, in mediumque proferre.

SUMMARIUM.

1 *Reus actori ſua propria inſtrumenta edere non tenetur.*
2 *Imperator in cauſa cum ſuo ſubdito in temporalibus ſubeſt Papæ tantùm, non autem inferiori; in ſpiritualibus verò ſubeſt etiam Epiſcopo ſuo.*
3 *Pacta inita à Principe cum ſubdito ſervanda ſunt etiam per ſucceſſorem.*
4 *Reges multi ſunt, qui ſuperiorem in temporalibus non recognoſcunt.*
5 *Species extracta de genere non perimit genus.*
6 *Obſequiorum neceſſitas ſubjectionem arguit.*
7 *Princeps legem facit tamquam Princeps; contractum verò tamquam privatus, & n. 23.*
8 *Contractus etſi ab initio ſint voluntatis, tamen poſt factum etiam cum Principe ſunt neceſſitatis, & numer. 23.*
9 *Camera an poſſit redimere officia, & loca montium pro pretio, quo in prima erectione vendita fuerunt, vel potiùs pro pretio ultimarum venditionum, & n. ſeq. uſque in fin.*
10 *Pactum de redimendo in Bullis erectionis officiorum non apponitur expreſsè, ſed ſupponitur redimendi facultas.*
11 *Emptor in redemptione officii recuperare debet nedum pretium, ſed etiam pretii acceſſionem.*
12 *Pretii acceſſio eſt ejuſdem naturæ cum principali.*
13 *Eccleſia, & pupillus tenentur in eo, in quo facti ſunt locupletiores.*
14 *Clauſula*, rebus ſic ſtantibus, *ſemper in contractibus ſubintelligitur.*
15 *Idem in privilegiis.*
16 *Pretium inſpicitur de tempore venditionis, non autem promiſſionis de vendendo.*
17 *Loca montium ceſſante pacto de redimendo an poſſint per Cameram redimi, & n. ſeq. uſque in fin.*
18 *Privilegium conceſſum ex cauſa oneroſa non poteſt per Principem revocari.*
19 *Privilegia Auditoribus Rotæ conceſſa in remunerationem laborum ſunt irrevocabilia.*
20 *Contractus à Principe initus etiam cum ſubditis irrevocabilis eſt.*
21 *Quod maximè procedit in Principe Eccleſiaſtico.*
22 *Deus quoque ex ſua promiſſione obligatur.*
23 *Imperator, vel Papa nec de plenitudine poteſtatis poſſunt contravenire contractui.*
24 *Idem in ſucceſſore.*
25 *Nihil eſt quod lumine clariore præfulgeat, quàm recta fides in Principe.*
26 *Princeps ſi poſſet liberè contractum à ſe initum infringere, careret hominum commercio in contrahendo.*
27 *Pœna maxima eſt inter homines eſſe, & hominum carere commercio.*
28 *Contractus omnes, qui à Principe celebrantur, habent naturam bonæ fidei.*
29 *Princeps debet habere unum calamum, & unam linguam, & eſſe immobilis ſicut lapis angularis, & polus in cœlo.*
30 *Princeps etſi ſolutus ſit legibus, tamen à naturali ratione & æquitate, quæ contractibus ineſt, non eſt ſolutus.*
31 *Papa contrahendo obligatur jure naturali, à quo ſurgit æquitas obligationis.*
32 *Contractus ratione conſenſus ſunt de jure naturali, cui etiam Princeps ſubjicitur.*
33 *Regalium conceſſio non valet in præjudicium ſucceſſoris niſi ſint ſolita concedi per Principem.*
34 *Princeps ex juſta, & rationabili cauſa reſpiciente publicam utilitatem poteſt contractum reſcindere; & cauſa præſumitur in Principe.*
35 *Declaratur procedere, ſi publica utilitas aliàs haberi non poſſit, quàm ſi auferatur tertio jus quæſitum ex contractu.*

E*X epiſtolæ*. Reus actori ſua propria inſtrumenta edere non tenetur. Hoc dicit. Dividitur in duas partes. In prima petitio. In ſecunda ipſius repulſio, ibi, *Sed ad hoc*. 1

Nota primò ex text. in cauſa inter Imperatorem & ſubditum ejus, Papam eſſe judicem, & non inferiorem, quia Imperator alium non recognoſcit. Quod eſt verùm in temporalibus ſecundùm Butr. & Imol. hic. Sed in ſpiritualibus ſubeſt etiam Epiſcopo ſuo, *c. Novit, ſuprà de judic. cap. Epiſcopi 11. q. 3.* 2

Secundò nota ibi, *Inter Juſtinianum Principem, & Prædeceſſores ſuos*, pacta inita per Imperatorem cum ſubdito ſervanda eſſe etiam per Succeſſores, prout hunc textum ad hoc allegat Cyn. *in leg. Digna vos, C. de legibus*, & notant hic Joan. Andr. Butr. Card. Felin. Dec. & alii communiter. 3

Sed

4 Sed communis intellectus videtur obſtare, quòd non apparet, Regem Tancredum fuiſſe ſubditum Imperatoris; & multi ſunt Reges non recognoſcentes Imperatorem, ut de Rege Francorum eſt text. *in cap. Per venerabilem*, ibi, *Cum Rex Superiorem in temporalium minimè recognoſcat*, *infra*, *qui filii ſint legitimi*. Et quamvis gloſ. verbum illud, *Recognoſcat*, intelligat de facto, & non de jure; tamen contra eam tenet ibi Innoc. *num.3, in ver. Recognoſcat*, & Hoſt. *num.6.* Vincent. & Joan. de Deo *in c. Et ſi neceſſe*, *ac donat.* Specul. *in tit. de appellat.* §. *Nunc tractamus*. Et de Rege Hiſpaniæ tradit gloſ. *penult. in c. Hadrianus 63. diſtinct.* dicens, Hiſpaniæ Reges non ſubeſſe Imperio, quia Regnum ab hoſtium faucibus ſuo ſanguine eruerunt, Oldrad. *conſ. 69. Conſuevit*, *num.9.*

At reſpondetur, cùm Imperator de jure in temporalibus ſit dominus totius mundi, *l. Deprecatio*, *ff. ad l. Rhod. de jact.* Regem Vinceſtriæ, de quo textus loquitur, cenſeri ſubditum Imperatoris, quamdiu non apparet de exemptione, ut obſervat Bart. *in cap.1. col.13.* & poſt eum Dec. *ibi*
5 *num.21. de Conſtitut.* facit quod notat Bellam. *conſ.42. Dominus Hugo, num.8.9. & 10.* ubi ait, Imperatorem non deſinere eſſe univerſalem ex eo, quòd Rex Franciæ, & alii Reges eum non recognoſcant, quia ſpecies extracta de genere non perimit genus. De quo tamen vide plenè per Oldrad. *conſ. 69. incip. Conſuevit dubitari*, *an omnes Reges & Principes debeant de jure ſubeſſe Imperatori*, *per tot.* Adde hanc ſubje-
6 ctionem Regis inſinuari hìc in textu, quia ſecundùm expoſitionem gloſſ. & DD. in pactis initis cum Juſtiniano Principe continebantur quædam obſequia Imperatori exhibenda à Prædeceſſoribus Regis, & ab ipſo: obſequiorum autem neceſſitas ſubjectionem arguit, *cap. Eccleſia S. Mariæ in princip. de Conſtit.* Præterea ſecundùm Dec. *loc. citato*, etſi non conſtaret de ſubjectione Regis; tamen ratio naturalis conſenſus, ob quam Princeps tenetur ad obſervantiam contractus, æquè militat, ſi contractus celebretur cum ſubdito, ac ſi cum alio.

Denique contra communem intellectum videtur obſtare, quòd cùm Princeps ſit ſolutus legibus, *l. Princeps*, *ff. de leg. Digna vox*, *C. eodem*, non videtur obſtrictus ad obſervantiam contractus, cùm potentius ſit jus ſtatuti, quàm pacti, Bart. *in l. Alia*, § *Eleganter*, *ff. ſolut. matr.*

7 Cæterùm reſponderi poteſt, militare diverſam rationem, quia legem facit tamquam Princeps, cui ſoli talis facultas competit, *l. fin. C. de legib.* Sed contractum facit tamquam privatus, quia utitur jure communi, & non conſideratur ut Princeps, ut per Dec. *hìc n.16. & in d. c.1. n.22. de Conſtit.* Item Deus ſubjecit Imperatori leges, & non contractus, ut Bald. inquit *in c.1. de natura feudi*. Item ſine injuria beneficium ſua proviſione quæſitum alicui tolli non poteſt, licèt ſecus ſit in proviſione legali. Hinc dicitur, lex non tuum, ſed ſuum tibi denegat auxilium, *ut not. in l. Aſſiduis*, *C. qui potior. in pign. habeant*. Ita Anchar. *conſ. .. ut tactum eſt*, *num.4.* Stante igitur rationis diverſitate non procedit hoc caſu argumentum de lege ad contractum, *ut not. in leg. Non impoſſibile*, *ff. de pactis*.

8 Stat igitur concluſio, quòd Princeps obligatur ex contractu inito etiam cum ſibi ſubjectis: nam etſi ab initio contractus ſint voluntatis, tamen poſt factum etiam in Principe ſunt neceſſitatis, ut ait Chriſtophor. Caſtilion. *conſ.8. in facto n.21.*

9 His expeditis, QUÆRO, poſitis Bullis Officiorum, & Montium vacabilium, in quibus adeſt pactum de redimendo: & poſito, quòd tandem Officia, & loca Montium ſæpiùs vacantia per obitum, aut alio modo à Camera Apoſtolica majori pretio, quàm in primæva erectione vendita fuerint: an vigore dicti primi pacti poſſit Camera Apoſtolica redimere officia, & loca Montium prædicta pro illo pretio, quo in prima erectione vendita fuerunt, vel potiùs pro pretio ultimarum venditionum.

Secundò poſita erectione Montium tam vacabilium, quàm non vacabilium ſuper redditus Cameræ Apoſtolicæ: & quod in illorum erectionem non adſit aliquod pactum de redimendo, vel de non redimendo: an loca Montium prædicta redimi poſſint à Camera Apoſtolica.

10 In prima difficultate ſupponitur, in Bullis erectionis Officiorum, & Montium adeſſe pactum de redimendo, ſuper quo puto animadvertendum, in prædictis Bullis hoc expreſsè non legi, ſed tantùm hoc colligi ex ea parte, ubi Camera obligat bona ſua pro cautela, & ſecuritate emptoris, & inter alias obligationes exprimitur, ut in eventum revocationis, ſeu alterationis officii, ſeu extinctionis Montium teneatur ad reſtitutionem pretii; & ſic potiùs in illis ſupponitur extinctio facto Principis, ſeu alio modo, quàm diſponatur, ut poſſint redimi, ex vulgari regula, quòd verba, quæ ſupponunt, regulariter non diſponunt, *l. Ex facto la prima, ff. de hered. inſtit.* Clem. 1. *de præb.* Rota *deciſ. 23. de Proc. in antiq.* Præſertim quia hæc pretii reſtitutio eſt poſita ad favorem emptoris, & pro ejus cautione in eventum evictionis. Et ideò non debet in ejus odium retorqueri, ut ex eo, quòd promittatur reſtitutio pretii in eventum evictionis, ſeu redemptionis, cenſeatur data facultas evincendi, contra mentem contrahentium, *l. Non omnis*, *ff. ſi cert. pet. l. quod favori*, *C. de leg. cap. Quod ob gratiam de reg. jur. lib.6.*

De veniendo ad primum dubium, videtur dicendum redemptionem fieri debere pro pretio, quo hujuſmodi officia, & loca Montium fuerunt ultimo loco vendita per Cameram, non autem pro pretio, de quo in prima erectione; quia cùm hujuſmodi officia & loca Montium per obitum illa obtinentium, aut alio modo reverſa fuerint ad Cameram, & deinde revendita major pretio, ſi primum tantùm pretium reſtitueretur, emptor eſſet in damno, quia non conſequeretur pretium à ſe ſolutum Cameræ Apoſtolicæ, & Camera locupletaretur cùm alterius jactura, quorum neutrum fieri debet, nam quod emptor indemnis eſſe de- 11
beat, & ſic recuperare nedum primum, & principale pretium, ſed etiam hunc pretii acceſſionem, ſeu augmentum, & probat text. *in l. debet*, *ff. de ædil. edic.* ubi facta redhibitione venditor tenetur reſtituere emptori non ſolùm pecuniam, quam dedit, ſed etiam ſi quid acceſſionis nomine ſolverit. Facit text. *in l. In tantum*, *ff. de liberal. cauſ.* ubi is, qui ſe paſſus erat venundari, ſi in libertatem proclamet, tenetur non ſolùm pretium, ſed etiam quod pretio acceſſit, reſtituere. Et ratio eſt quia hujuſmodi acceſſio, 12
ſeu augmentum pretii eſt ejuſdem naturæ, & eodem jure regitur cùm primo. Cui additur *l. Etiam*, & ibi Bald. *de jure dot.* Tiraquell. qui alios allegat *de retract. Lignag. § 1. in gloſ.18. num.50. cum ſeq.* Quòd autem Camera non debeat locupletari cum aliena jactura, probatur *ex cap. Locupletari de regul. jur. lib.6.* not. Innocent. & DD. *in cap. Quia plerique de immunit. Eccleſiarum*. Et quia Eccleſia tenetur 13
in eo, in quo eſt facta locupletior, gloſ. & Bart. in Authent. *Quis res*, *C. de Sacroſanct. Eccleſ.* Abb. *in c. Si quis Presbyterorum*, *in fin. de rebus Eccleſ. non alienand.* prout in ſimili videmus de pupillo, cui Eccleſia aſſimilatur, *l. Orphanotrophos*, *C. de Epiſc. & cleric.* qui ſi vellit recuperare rem venditam abſque tutoris authoritate, tenetur reſtituere pretium etiam quatenùs eſt factus locupletior, *l. fin. Cod. de Uſucapio l. 1. ff. de author. tutor.* Dec. *conſ.282. n.4.* qui plura congerit.

Neque obſtat quòd emens ultimo loco à Camera pro majori pretio potuerit cogitare hujuſmodi officia, & Montes redimi poſſe pro pretio ſtatuto in Bulla erectionis: Et ideò imputet ſibi, ſi majori pretio emit. Quia potiùs ſtantibus ſupradictis veriſimilius eſt eum cogitaſſe ſe recuperaturum à Camera pretium nedum in ipſa erectione, ſed etiam ultimo loco ſolutum, *d. leg. Debet*, *& l. In tantum*. Idque non obſtante pacto, de quo in Bulla erectionis: quia intelligitur rebus ſic ſtantibus; & ſic dummodò poſteà ad manus Cameræ non pervenerit majus pretium, quàm fuerit in prima erectione ſtatutum: ſemper enim in contractibus 14
ſubintelligitur clauſula, *Rebus ſic ſtantibus*, *l. Quæro*, §. *Inter locatorem*, *ff. de locat. l. Cùm quis in princip. ff. de ſolut.*
Quod procedit in qualibet materia, & etiam in privilegiis, 15
c. Suggeſtum de decim. latè Jaſ. *in l. Quod ſervus*, *ff. de cond. ob cauſ.*

Et hæc faciliùs procederent, ſi in pacto de redimendo 16
non eſſet expreſſum certum pretium, quia hoc caſu non intelligeretur de eodem pretio, ſed de juſtò ac legitimo, inſpecto tempore retrovenditionis, quia ut inquit Bald. *in l. 1. col. penult. verſ. Idem nota*, *C. Communia de legat.* prætium inſpicitur de tempore venditionis, non autem promiſſionis de vendendo. Et faciunt notata per Bart. *in l. Titius*, *la prima*, *num.4. ff. de action. empti*, videlicet pretium inſpici de tempore, quo fuit facta venditio. Et in terminis retrovenditionis ex pacto tradit gloſſ. *in l. 1. in ver. Non actus*, & ibi Salyc. *num.6. C. quan. lic. ab empt. diſcedere*, Anton. de Burgos *in c. Ad noſtram n.45. de empt. & vendit.* Gozad.

in l.2. q.17. num.131. & Cagn. *num.41. in 8. not. & in alia repet. num.93. C. de pactis inter. empt. & vendit.* Tiraquell. *de retract. conven. §.1. Gloſ.3. n.2.*

[Additur, hoc nuper in praxi ſervatum fuiſſe à Sanctiſſimo D. N. Alexandro VII. in Bulla extinctionis, & ſuppreſſionis Montium Vacabilium, quinto id. Martii, Pontificatus anno primo, ut in particula, quæ ſequitur.

In hoc etiam ſatagentes creditores Montium extinctorum pietatis, ac munificentiæ noſtræ agnoſcere experimentum, dum pro locis extinctis, ex quibus Camera Noſtra initio illorum erectionis ſcuta centum in ſingula loca recepit, & aliquorum judicio, ac etiam exemplo ſanctæ mem. S. Pii V. qui pro Locis Montis Julii centum ſcuta dumtaxat ejus edicto juſſit reſtitui, non niſi ad ejuſdem receptæ quantitatis reſtitutionem fortaſſis teneremur: nihilominus illa plus ferè dimidio æſtimata libentiſſimè refundimus.]

17 Quantùm ad ſecundam difficultatem, ceſſante pacto de redimendo, loca Montium non videntur poſſe per Cameram redimi, ſive verſemur in privilegio, ſive in contractu:
18 nam privilegium, ſi ſit conceſſum ex cauſa oneroſa, & ſic mediante ſolutionem magnæ quantitatis pecuniarum, non poſſe per Principem revocari, tradit Bald. *in l. Qui ſe Patris, num.34. C. Unde liber.* Alex. *conſ. ult. n.18. lib.4.* Socin. *conſ.87. num.12. lib.3.* Gabr. *concluſ.7. de jure quæſit. non tollen. num.5.* Berous *hic num.16. & 17.* Quia cenſetur hoc caſu orta mutua obligatio ex conſenſu utriuſque partis, quæ altera invita, & renuente tolli non poteſt, Bart. *in l. Quod ſemel, ff. de decret. ab Ordin. facien. & in l. Omnes populi, in 3. quæſt. principali de juſt. & jur.* Felin. *in cap. Cum olim*
19 *col.3. de re judic.* Facit quod ſcripſit Rom. *conſ.436. Quod indultum, n.14. in fin. verſ. Septima principalis,* ubi ex facto conſuluit privilegia Auditoribus Rotæ conceſſa in remunerationem laborum, quos jugiter patiuntur pro Reipublicæ utilitate, eſſe irrevocabilia, quia tranſeunt in contractum. Cujus dictum ſequitur Rebuff. *ſuper concord. in præfat. ad rub. de collation. ante fin. verſ. Item quando privilegium.* Idemque generaliter de privilegiis conceſſis propter benemerita, reſpondit Oldrad. *conſ.266. In Chriſti nomine num.7. verſ. Præterea.*

[Advertitur, hoc non procedere ſecundùm opinionem Azorii, & aliorum plurium, qui tenent Montes ex ſui natura eſſe redimibiles inſtar Cenſuum ex Bulla S. Pii V. hoc enim poſito, Camera redimendo non violat contractum, nec ulli facit injuriam, ſed jure ſuo utitur.]

20 Contractum verò cum Principe initum etiam cum ſubditis eſſe irrevocabilem, probat textus hìc, & eſt communis opinio, ut teſtatur Jaſ. *conſ.1. in princip. lib.1.* & patet ex dictis ſuprà *in 2. notab.*
21 Quod præcipuè habet locum in Principe Eccleſiaſtico quia Eccleſia eſt cultrix juſtitiæ, quæ quidquam injuſtum non patitur in ſe, vel alium fieri, *ut cap.1. §. Sed diverſum de alienat. feud.* Ita Rom. *conſ.352. Quæritur, n.16. verſ. Et hoc maximè.* Et multò magis procedit in Summo Pontifice, ut dicit hìc Bero. *n.29*
22 Quinimò etiam Deus obligaretur ex promiſſione, ut verbis Baldi utar *in l.1. in princip. ff. de pact.* ubi Magiſtrum ſen-
23 tentiarum refert ita dicentem. Quod adeò verum eſt, ut nec etiam de plenitudine poteſtatis poſſit Imperator, vel Papa contravenire contractui, ut idem Bald. *not. in cap.1. §. Ad hoc col.5. ff. de pac. iuram. firman.* Paul. de Caſtr. *in l. Digna vox, C. de legibus,* Soc. *conſ.86. num.14. lib.4.* ubi allegat eumdem Paulum de Caſtr. *in l. fin. C. de tranſaction.* Dec. *in cap.1. n.20. de conſtit.* Unde Gemin. *conſ.74. Attentis in princ.* ait: *Non obſtare, ſi dicatur, Papa eſt Princeps habens ſupremam poteſtatem: ergo ſibi eſt poſſibile tale vitium tollere, cap. Cuncta per mundum, & cap. Per Principalem, 9. qu.3. cum ſimil. quia illud non procedit in contractibus, vel pactis geſtis per Principem etiam cum ſibi ſubiectis, quia talia per Principem ſunt ſervanda.* Hæc Gemin. ſubdens de hoc eſſe textum hìc. Idem ex facto reſpondit latè Card. Zabarell. *conſ.147. Dominus noſter Papa,* dicens: *Licèt Papa dicatur habere ſummam poteſtatem in tantum quòd contractum nullum validare poteſt, tamen procedit quatenus conſideratur Papa tamquam Summus Pontifex; ſed quando contrahit, tunc conſideratur tamquam privatus, & tenetur obſervare.* Allegat textum hìc. Et infrà: *Non ſubeſt ergo honeſtas, ſi contravenire velit, cùm de jure non poſſit. Imo ſicut in privato contractus à principio eſt voluntatis, ex poſt facto eſt neceſſitatis, leg. Sicut, C. de action. & obligat. ita & in Principe à paritate rationis.* Hæc Card. qui latiùs ibi proſequitur, & loquitur de plenitudine poteſtatis, ut patet in Bulla Bonifacii ab eo relata in themate, quemadmodùm etiam loquuntur *in cap.1. de conſtit.* Abb. *num.7. verſ. Et idem dicit,* & Dec. *num.20. verſ. Et iſta limitatio.*

Et idem juris eſt in ſucceſſore: nam nec ipſe poteſt reſilire 24
à contractu per prædeceſſorem inito, ut initio diximus, etiam de plenitudine poteſtatis, ut ſcripſit Paul. de Caſtr. *in l. Digna vox, C. de legib.* cum aliis allegatis per Gabr. *concl.5. de jure quaſ. non tollen. n.18.* Nec audiendi ſunt, qui dicunt Principem id poſſe etiam ſine cauſa de poteſtatis plenitudine, ſed tamen graviter peccare, ut hìc per Bero. *num.22.* Quoniam ad peccatum non ſe extendit potentia Principis, imò nec potentia Dei, S. Thom. *in 1. p. qu.25. art.3. ad 2.* latè Cardin. *conſ.142. Punctus quæſtionis, num.2. verſ. Sed his litteris non obſtantibus,* & ſcripſi pleniùs *in cap. Conſultationibus, num.46.50. & 77. de Cler. ægrot.*

Propoſitæ autem aſſertionis multiplex ratio affertur à 25
Doctoribus.

Primam ponit Anchar. *conſ.2. Ut tactum eſt, num.3.* quia nihil eſt quod lumine clariore præfulgeat, quàm recta fides in Principe, Epiſt. *Inter claras, C. de Summ. Trinit. & fid. Cathol.* Unde dicit Bald. *conſ.24. Jus Abbatialis dignitatis, num.1. lib.2.* fides contractus, & à Papa, & à Cæſare ſervari debet; imò & Deus arctat ſeipſum ex lege promiſſionis; & non ſervare fidem contractus eſt mentiri, *l. Dolus, ff. mandati.* Abominabile autem eſt mendacium, & ſtellionatus in ore Vicarii Jeſu Chriſti, & horribile; & ideò tenetur promiſſa ſervare.

Secundam rationem ex abſurdo adducit Cardin. *d. conſ. 147. num.91. verſ. Præterea hoc eſſet graviter:* quia ex eo quòd Princeps deciperet illos, qui cum illo contraxerunt, ſcandalizarentur Catholici; quod Papa non intendit, *cap. Nihil de præſcript.*

Tertia ratio, quæ ex præcedente conſequitur, affertur à 26
Baldo *in l. Princeps in fin. ff. de legibus,* & Rom. *conſ.352. Quæritur primò, num.24.* quia, ſi eſſet in ſola Principis voluntate contractum, quem cum ſubdito facit, infringere, nullus veriſimiliter contraheret cum ipſo; & ſic hominum commercio careret in contrahendo: eſſet autem abſurdum, ut qui Princeps eſt omnium, careret commercio hominum. Et ſumitur hæc ratio ex textu ad propoſitum notabili *in l. Quod ſi minor, §. Non ſemper, ff. de minor.* Inter 27
majores enim pœnas revocatur, inter homines eſſe, & hominum carere commercio, *l. Hi qui ad Sanctam, C. de Apoſt.* Quæ ratio indicat hoc in favorem Principis introdu- 28
ctum eſſe. Sed tamen ob utilitatem privatorum potiùs videtur principaliter conſtitutum, nec cum ipſorum jactura decipiantur. Et ideò omnes contractus, qui fiunt à Principe, habent naturam contractus bonæ fidei, ut inquit Bald. *in c.1. §. Si quis verò, in princ. de pace Conſtan.*

Quartam rationem ponit idem Bald. *conſ.327 Prædic.* 29
num.4. lib.1. quia Princeps debet habere unum calamum, & unam linguam, & non plures linguas, quia ſcriptum eſt; *Quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita.* Et ideò debet eſſe immobilis ſicut lapis angularis, & ſicut polus in cœlo.

Quinta ratio eſt ejuſdem Baldi *in l. Ex imperfecto, ad fin.* 30
C. de teſtam. & Decii *hìc num.3.* quia in contractibus æqualitas requiritur; & ideò Princeps jure communi utitur, *d. l. Ex imperfecto.* Et quamvis Princeps lege poſitiva ſit ſolutus, tamen ut formaliter inquit Bald. *in l. Si aquam, num.45. verſ. Hoc facit ad propoſitum noſtrum, C. de ſervit. & aqua,* lege poſitiva Princeps obligatur à dictamine rationis; quia eſt animal rationale: ideò ea non eſt Princeps ſolutus. Nulla enim authoritas neque Principis, neque Senatus poteſt facere, quòd Princeps non ſit animal rationale mortale, nec eum abſolvere à dictamine rectæ rationis, *l.2. ff. de uſufruct. ear. rer.*

Ultima & potiſſima ratio in hac materia eſt, quam ad- 31
ducit Card. *in d. conſ.147. n.7.* Abb. *in d. cap.1. n.7. de Conſtitut.* & Doctores communiter hìc, quia Papa contrahendo obligatur jure naturali, à quo ſurgit æquitas obligationis, *l.1. ff. de pact.* Quod autem habet ſubſiſtentiam, de jure naturali à Principe tolli non poteſt, *l. fin. C. Si contra jus, vel util. publ.* & not. Innocent. *in cap. Quæ in Eccleſiarum de conſtit.* Ad idem quod tradit Barbat. *in d. cap.1. col. 13.* & Dec. *num.21. de conſtitut.* dum dicunt Principem obligari ex contractu ratione conſenſus, qui eſt de jure natura-

tura-

turali, cui etiam Imperator, & Papa ſubjiciuntur, Clem. *Paſtoralis de re judic.* Et in idem recidit quod ait Rolan. à Valle *conſ.66.num.4.lib.2.* contractus eſſe de jure gentium, quod eſt immutabile, & non poteſt tolli per Principes.

33 Nec applicatur, quòd in præjudicium ſucceſſoris non valet conceſſio facta de Regalibus, Bald. *in tit. de pace Conſt. in ver. Amplius conſueverunt:* quia præter id, quòd non verſamur in Regalibus, quæ in ſignum dominii, & ratione juriſdictionis competunt, de quibus loquitur Bald. & alii, qui ipſum ſequuntur; hæc concluſio non procedit in Regalibus, quæ ſolita ſunt concedi per Principem, Claud. de Seiſel. *in tit. qui feud. dare poſſ. col.3.* præſertim ubi non inducitur notabilis diminutio Principatus, ut poſt alios tradit Gabr. *d. concluſ.5. num.8.*

34 Neque obſtat, ſi dicatur: Saltem ex juſta, & rationabili cauſa reſpiciente publicam utilitatem Princeps poteſt reſcindere contractum, Aym. *conſ. 5. num. 4.* Quia ex juſta cauſa poteſt dominium rerum auferre uni, & dare alteri, *l. Bene à Zenone:* & ibi Bald. *C. de quadrienn. præſcript. l. Lucius, ff. de evict.* Innocent. *in d. cap. Quia plerique n.5. de immunit. Eccleſ. & in cap. Debitores de jurejur.* Unde ſicuti poteſt ex cauſa tollere jus quæſitum; ita & contractum reſcindere: quæ cauſa benè præſumitur in ſupremo Principe. Ita Alexan. *conſ.1. num.11. & 12. verſ. Venio ad ſecundum lib.2.*

Id, inquam, non obſtat, quia intelligitur, quando aliàs 35 publica utilitas haberi non poſſet, niſi auferretur tertiò jus quæſitum ex contractu, ut poſt Hoſtienſem, & alios declarat Gabriel. *d. concluſ.2. n.4. de jure quæſit. non tollen.* quod non verificatur hoc caſu, ubi agitur de privato intereſſe Ærarii ipſius Principis, & nulla adeſt cauſa, quæ Principem cogat ad redimenda loca Montium in præjudicium eorum, qui bona fide cum Principe contraxerunt. Unde aliud dicendum eſſet, ſi verè hujuſmodi ratio vigeret, per ſupradicta. Quæ tamen correctioni ac judicio S. D. N. Papæ in omnibus, & per omnia ſubmitto.

DE PROBATIONIBUS.

Alexander III.

CAPUT II.

Sicut conſuetudo laudabilis: & infrà. Sanè quoniam apud vos conſuetum eſſe didicimus, ut cùm aliquis intentionem ſuam fundaverit inſtrumentis aut teſtibus, ei ſacramentum nihilominùs deferatur, quod ſi ſubire noluerit, fides probationibus non habetur: Nos (cùm tunc demum ad hujuſmodi ſit ſuffragium reccurrendum, cùm aliæ legitimæ probationes deeſſe noſcuntur) talem conſuetudinem reprobamus.

SUMMARIUM.

1 *Conſuetudo non valet ultra probationem plenam exigens juramentum, & num.8.*
2 *Intentionem ſuam fundare quis dicitur, quando plenè probat id quod intendit, vel quando habet pro ſe juris aſſiſtentiam.*
3 *Teſtes, & inſtrumenta eamdem vim habent ad plenam probationem faciendam.*
4 *Probatio per ſcripturam in quibus caſibus requiratur.*
5 *Juramentum ſuppletorium tunc demum eſt deferendum cùm aliæ probationes deficiunt, dummodò tamen ſaltem ſemiplenè ſit probatum.*
6 *Et habito reſpectu ad legalitatem perſonæ, & qualitatem cauſæ, & n. ſeq.*
7 *Juramentum in ſupplementum ut deferri poſſit, quæ requiſita debeant concurrere, & in quibus caſibus non ſit deferendum.*
8 *Conſuetudo exigens juramentum ultra plenam probationem adverſatur juri naturali, ſcripto, & divino.*
9 *Conſuetudo invalidans plenam probationem, aut eam reſtringens, non valet.*
10 *Pactum juratum de conficiendo inventario rerum reſtituendarum ſoluto matrimonio an impediat probationem per teſtes, & n. ſeq.*
11 *Pactum ut probatio rerum reſtituendarum ſoluto matrimonio aliter fieri non poſſit, quàm per inventarium, an firmetur juramento, & n.16. & ſeq. uſque in fin.*
12 *Inventarii conficiendi obligatio non impedit, quin rei veritas aliunde probari poſſit.*
13 *Sriptura ex eo quòd de illa conficienda partes paciſcantur, non efficitur de ſubſtantia actus.*
14 *Probationum renutiatio non præſumitur, niſi probetur.*
15 *Pactum, ut rerum traditio aliàs quàm per inventarium probari non poſſit, eſt nullum, & n.18.*
16 *Et an firmetur juramento, & n.18. & n. ſeqq. uſq. in fin.*
19 *Juramentum non debet eſſe vinculum iniquitatis.*
20 *Item contra bonos mores non eſt obligatorium.*
21 *Nec de re vetita ob publicam utilitatem.*
22 *Juramentum contra publicam utilitatem ſecundariò, non autem principaliter valet.*
23 *Pactum ut non liceat probare niſi per ſcripturam, eſt contra bonos mores.*
24 *Judex officio poteſt recipeere teſtes non obſtante partium juramento, quod veritas aliter probari non poſſit, quàm per ſcripturam.*
25 *Juramentum de teſtibus non inducendis non obſtat, quin produci poſſint exuberantis fidei, & authoritatis.*
26 *Probatio per quinque teſtes æquipollet probationi inſtrumentali.*
27 *Veriſimilitudo in probationibus præcipuè ſpectanda eſt.*

Sicut. Actor qui plenè probavit, non debet compelli ju- 1
rare, Joan. Andr. Bald. & Anchar. Subaudi, etiamſi hoc habeat conſuetudo, ut in textu Bellam. Cardin. & Aretin. Vel ſic, & formaliùs: Non valet conſuetudo ultra probationem plenam exigens juramenta. Hoc dicit Butr. Abb. Aretin. & Decius. Addunt Abbas & Felin. ſine cauſa rationabili. Sed hoc non colligitur ex textu. Dividitur in duas partes. Prima narrat conſuetudinem, quam ſecundò improbat, ibi, *Nos cum.*

Nota primò ibi, *Intentionem ſuam fundaverit,* quòd ali- 2
quis dicitur intentionem ſuam fundare, cùm plenè probat id, quod intendit, ſecundùm Abb. *hîc in 1. not.* Aliàs dicitur quis fundare ſuam intentionem, quando habet pro ſe juris communis aſſiſtentiam, ut legitur, & notatur *in c. Cum perſonæ de privil. lib.6.* & ſcripſi plenè *in c. Nullus à num. 27. infrà de Paroch.*

Secundò nota ibi, *Inſtrumentis, aut teſtibus,* eamdem vim 3
ad fundandam intentionem, & plenam probationem faciendam, obtinere teſtes, & inſtrumenta, *c. Cùm Joannes, §. Porro, infrà de fid. inſtrum.* ibi: Eamdem vim obtineant inſtrumentum, fides, & depoſitiones teſtium, *c. Tuæ de Cleric. Peregrin. l. In exercendis, C. de fide Inſtrum.* Hoſt. *hîc n.1. in verb. Inſtrumentis, aut teſtibus.* Fallit in caſibus, in quibus lex non confidit de teſtibus, & requirit ſcripturam, quos enumerat gloſ. *in c. 1. de cenſibus lib.6. in verb. in ſcriptis,* ad quem quotidie recurritur, Speculat. *in tit. de Inſtrum. edition. §. Reſtat, verſ. Sed ſi alii,* Alex. *conſ.107. Videretur à n.3. lib.7.* plenè Guidopap. *dec.582. Reperitur inſtrumen-*

mentum publicum, *num.*3. Et his adde Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *c.*9. ibi: *Authenticis ſcripturis probatur.*

5 Tertiò nota ibi, *Cùm aliæ legitimæ probationes deeſſe noſcuntur*, tunc demum eſſe recurrendum ad ſuffragium juramenti ſuppletorii, cum aliæ legitimæ probationes deficiunt, *ut hic*, & *in l. In bonæ fidei*, *C. de rebus credit.* & *in l. Admonendi*, *ff. de jurejurand. cum concord.* de quibus hic in gloſ.1. dummodò tamen ſaltem ſemiplenè ſit probatum; alias enim non defertur hoc juramentum in ſupplementum, *c. Ex inſinuatione*, & ibi gloſ. *in ver. Clerici de Procurator.* & hic notant Innocent. *in fin.* Hoſt. *num.*2. *in fin. verſ. Tertio*, *ubi ſemiplenè probatum eſt*, & *num.* 3. Joann. Andr. *num.*3. *eodem verſ.* Bellam. *num.*8. & reliqui omnes, Bald. *in d. l. Admonendi*, *num.*57. & ibi etiam Jaſon. *in prima lectura*, *n.*75. & *n.*118 & *in repet. n.*259. Ubi enim actor nihil probat, abſolvendus eſt reus, *l. fin. C. de rei vendicat.* etiam ſi nihil præſtiterit, *ut c. unico*, §.1. *in princ. infra*, *ut Eccleſiaſt. benefic.* Si actor plenè probat, reus condemnandus eſt, *c. Ex literis*, *verſ. Quibus etiam in fin.* & *c. In præſentia infra eodem*, *c. Gravis*, & *c. Accepta de reſtitut. ſpoliat.* Reſtat igitur, ut tunc ſolùm ſit recurrendum ad remedium ſubſidiarium juramenti, cùm ſemiplenè probatum eſt, ut hic, & *in d. cap. Ex inſinuatione*, & *c. fin. ſupra quod metus cauſa*, ſecundùm Hoſtienſem, & reliquos poſt eum; habito tamen reſpectu ad qualitatem perſona-
6 rum, & quantitatem cauſæ, *l. Si quando*, *C. Unde vi*, *cap. ultim. de jurejur. l. Legitimos*, *ff. de legitim. tutor.* gloſ.1 *hic in fin.* Ad hoc enim, ut tale juramentum deferatur, debent concurrere legalitas perſonæ, parvitas cauſæ, ſeu præjudicii, & aliæ qualitates, quas latè enumerant Cyn. *in d. l. in bonæ fidei*, *C. de reb. credit.* Joan. Andr. & Canoniſtæ *in d. c. ultim.* Socin. Sen. *conſ.*136. *Præſtantiſſimi Doctor*, *à n.*5.
7 *lib.*1. & quinque requiſita recenſet Menoch. *de arbitr. Judic. caſ.*190. *per tot.* & viginti ſeptem caſus, in quibus non eſt locus delationi hujus juramenti ſuppletorii, cumulat Seraphin. *de privileg. juram. privileg.* 33. & Moderni Collect. *hic à n.*17. *uſq. in finem.*

8 Ultimò nota ibi, *Talem conſuetudinem reprobamus*, non valere conſuetudinem, ſecundùm quam actor, qui intentionem ſuam plenè probavit, nihilominùs compellitur præſtare juramentum, eoque renuente illud ſubire, ejus probationibus fides non adhibetur, ut hic eſt caſus ad litteram ſecundùm omnes. Ratio eſt multiplex ſecundùm Doctores. Prima eſt, quia eſt contra naturalem rationem, quæ non admittit ſuperflua.

Secunda ratio, quia eſt contra ordinem judiciorum, & adverſatur juri ſcripto, *c.* 1. *de conſuetud. l.*2. *C. Quæ ſit longa conſuetudo c.*1. & *c. Conſuetudinis* 11. *diſt. cum concord.* de quibus hic in gloſ.2. *ad hoc c.*2. *de Capel. Monach. lib.*6. Tertia ratio eſt, quia ex quo à principio ſemel juratum eſt de calumnia, ſeu veritate dicenda, ſaltem in cauſa civili, non fuit amplius curandum, ut in Authent. *hoc Sacramentum*, *C. de jur. am. calumn.* & §. 2. in Authent. *De his qui ingred. un. ad appellat.* & hanc rationem ponit hic Bernard. in gloſ.2. ſed eam meritò impugnat Bellam. *num* 2. *in fin. verſ. Ad tertiam rationem*, & fuſius Dec. *n.*2. & 3. Quarta ratio eſt, quia cùm actor plenè probaverit intentionem ſuam inſtrumentis, aut teſtibus, juramentum eſt ſuperfluum, & temerarium; unde conſuetudo, quæ cogit eum temerè, & ſine cauſa jurare, eſt peccati nutritiva, & contra jus divinum, *c. Etſi Chriſtus de jurejurando*: & ideò valet *c. fin. de conſuet.* Ad hoc bonus textus in caſu converſo *in c. Ad noſtram infrà eodem*, & has rationes excepta tertia adducunt hic Abb. Antiq. *in verb. Conſuetudinem*, Hoſt. *num.*4. *circa finem in ver. Reprobamus*, Joann. Andr *eodem n.* Collect. *in princ.* Bald. *n.*2. Bellam. *eodem n.* & reliqui omnes. Et pondera, quia cum textus dicat, *Reprobamus*, ex hoc infertur, ut talis conſuetudo non valeat, etiam ſi ſit ſuper hominum memoriam, quia ubi Canon non ſimpliciter derogat conſuetudini, ſed eam damnat, & reprobat, tunc cenſetur ſublata etiam immemorabilis, ut poſt Felin. *in c. Cum ex officii*, *n.*13. *de præſcript.* Aretin. *in l. Cùm ſtipulatus ſim à Proculo col.* 3 *ff. de verb. Obligat.* & alios plures declarat Covarr. *var. reſol. lib.*3. *cap.* 13. *n.*5 *verſ. Adnotandum tamen erit.* Quamquam enim immemorabilis habeat vim tituli, ſeu privilegii, *ut l. Hoc jure*, §. *Ductus Aquæ*, *ff. de aqua quotidian.* & *æſtiva*; hoc tamen fallit quando eſt à jure reprobata, ut notat Philipp. Franc. *in cap.*1. *in* 2. *notab. ver. Imò tradit*, Hoſt. *de conſuet. lib.*6. Put. *dec.*466. *num.*4. *lib.*2. & Felin. *loc. citato.* Item cùm hæc conſuetudo ſit contra jus naturale, & divinum, ut dictum eſt, nullo unquam tempore poteſt præſcribi, *c. Flagitia*, 30. *q.*7. *d. c. fin. cum ibi notat. de conſuetud.* & adde quod in propoſito ſcripſi latiſſimè *in cap. Cùm eſſes*, *à num.*113. *infrà de teſtam.*

Quemadmodùm autem non valet conſuetudo, quæ in- 9 validat plenam probationem, vel plenæ probationi aliquid detrahit, aut eam reſtringit, ut dicunt Doctores ſecundùm Anton. de Butr. *hic in* 1 *notab. num* 2. & Aretin. *num.*5. *per text. in d. c. Ad noſtram infrà eod.* ubi talis conſuetudo appellatur peſtis contraria omni juri; ita nec valet pactum, quo quis probationibus renuntiat, vel eas reſtringat ad certam ſpeciem, ut per eumdem Butr. *n* 8. Tu verò an hujuſmodi pactum ſit validum, & an firmetur juramento, dic pleniùs, ut in quæſtione ſequenti.

QUÆRO, an pactum juratum, ut de auro, argento, 10 & margaritis à viro uxori donatis, ac ſoluto matrimonio reſtituendis, inventarium conficiatur, obſtet, quominus res ejuſmodi per teſtes probari poſſit.

Anve pactum, ut rerum reſtituendarum probatio ali- 11 ter, quàm per inventarium, fieri non valeat, roboretur juramento. Matrimoniales pactiones initæ inter Sereniſſimum 12 Ducem, & ejus uxorem, nullam continent renuntiationem probationis teſtium, nec certam probandi formulam præſcribunt; ſed eis dumtaxat cavetur, ut rerum ſoluto matrimonio reſtituendarum inventarium conficiatur. Fruſtra igitur in hac cauſa attinguntur quæſtiones, an liceat probationibus renuntiare, anve obſervanda ſit obligatio, qua quis ſe ad certum probandi modum alligavit. Nam cum ſolam habeamus conventionem de inventario conficiendo, etſi partes compelli potuerint ad illius confectionem, non tamen ex eo quòd conficere prætermiſerint, perimitur ſubſtantia obligationis, aut impediuntur contrahentes aliundè, quàm inventario, rei veritatem legitimè probare, ex notat. per Salicet. *in l. Contractus*, *col.*2. *C. de fide Inſtrument.* ubi vult, ut ſi res nullo jure ſcripturam requirat, par- 13 tes de ea conficienda paciſcentes videantur proſpexiſſe probationibus, non contractui, cujus ſubſtantia à ſcriptura non pendet, Decius, qui Salicet. refert, & ſequitur *in rubrica de conſuetud. num.* 6. & 7. Paul. de Caſtro *conſ.* 52. *Tria ſunt num.*1. & 2. *in* 2. *vol.* Aretin. *conſ.*159. *in* 1. *dub. num.*8. *cum ſeqq.* Dec. ex communi *in conſ.*140. *num.*3. Decian. *conſ.*64. *num.*26. *vol.*3. Hæc igitur quæ ad probandam hujuſmodi pacti validitatem congeſta ſunt, tunc aliquid ponderis habere poſſent, quando probationibus teſtium eſſet renuntiatum, aut conventum, ut alio modo, quàm per inventarium, rerum donandorum traditio probari non poſſet. Quæ renuntiatio cùm in contractu matrimoniali 14 non legatur, noſtrum non eſt eam ſubintelligere, niſi probetur, Bald. *in l.*1. *num.*2. *de edict. Div. Adrian. toll.* Decius *in l.*1. *in ultim. lectura*, *n.*58. *C. Qui admitti.* Neque ad rem pertinet, quòd partes de confectione inventarii agentes, uſæ ſint verbis inducentibus neceſſitatem, ibi: *Se n'habbiano da far inventarii.* Ea enim neceſſitas reſpicit ſolam confectionem inventarii, & non probandi modum, de quo partes nihil prorſus convenerunt, quemadmodùm expreſſiſſent, ſi voluiſſent, *ad l. unicam*, §. *Sin autem ad deficientes*, *C. de caduc. tol.* Verùm eſto partes conveniſſent, 15 ut ſolo inventario, non autem teſtibus, rerum traditio probari poſſent, ex abundanti dicimus id pactum irritum, & nullum uno ore paſſim à Doctoribus pronuntiari, Specul. *in tit de Probationib.* §. *Videndum reſtat*, *n.*4. poſt Hugon. & Azzon. gloſ. *in* §. *Præterea in verb. Senatus*, Auth. *ut ſin. prohib. matrim.* Hoſt. *in Summa de renuntiat.* §. *Quæ poſſunt col. penult. verſ. Quid de pacto*, Roman. *in l. Tale pactum in fine*, *ff. de pactis*, ubi Ang. & Caſtr. *num.*5. Butr. Imol. & Abbas *in cap. Si diligenti de foro compet.* Bart. *in auth. Jubemus*, ubi Angel. & Caſtr. *num.* 3. *C. de Judic.* Imol. & Aretin. hic, Jaſ. *d. Authen. Jubemus*, *num.*5. ubi Jacob. de Belviſo, & Angel. in hanc ſententiam adducit Roman. *ſing.*204. Cæpol. qui alios citat *conſ.*251. Marſil. *in rubr. de probat. n.*33. Imol. ex communi *in d. c. Si diligenti*, *de foro compet.*

Neque obſtat, quòd hujuſmodi pactum firmatum fuerit à juramento, quod partes præſtiterunt, ex Fulgoſ. *conſ.*208. Alexan. Imol. & Seraphin.

Primò enim reſpondetur hanc limitationem minùs eſſe attendendam, cum adverſetur receptiſſimæ Doctorum opinioni ſuperiùs citatorum, quorum aut nullus, aut certè pauciſſimi hanc limitationem annectunt, Alex. *conſil.* 102, *vol.*

vol. 5. in meo Codice eſt prætermiſſum, eo quòd repetitum eſſet *conſ.* 22. *vol.* 1. quo loco de hujuſmodi pacto nullum verbum. Seraphin. *autem de privil. juram. privil.* 140. in hac opinione vacillat, & cogitandum relinquit.

17 Quin etiam Seraphinus agnoſcit hujus limitationis difficultatem, quam ſatis diluere numquam viſus eſt, & ex qua deſumere nobis licet aliam reſponſionem, nempè hujuſmodi limitationem ex diametro pugnare cùm communi opinione Doctorum, negantium id pactum eſſe validum. Multiplices enim rationes in idem tendentes reddunt, videlicet quòd hujuſmodi pactum ſit a bonis moribus alienum, indicetque iniquitatem, ut quis eum aliena jactura debeat locupletari, *l.* 4. *de condict. indebit.* quòd anguſtet probandi facultatem, *l. Quoniam*, *C. de hæretic.* quòd ſit contra jus publicum, quo uſus teſtium tamquam neceſſarius laudatur, & recipitur, *l.* 1. *ff. de teſtib.* id autem publicum jus privatorum pactionibus nequeat immutari, *l. Jus publicum*, *ff. de pactis*. Quibus de cauſis non temerè Hoſtienſ. aſſeruit in loco ſuperiùs citato id pactum eſſe contra legem, & communem utilitatem, & mortale peccatum inducere.

18 Quæ planè rationes ubique in hac materia à Doctoribus inculcatæ hujus pacti vires uſque adeò proſternunt, ut nec etiam juramento confirmetur, non ſolùm ſi omnes ſimul,
19 ſed etiam quamlibet ſingillatim perpendamus: nam ſi id pactum eſt iniquum, illis vires non adjicit juramentum, quod non debet eſſe vinculum iniquitatis, *c. Quanto de jurejur.* & à veritate, judicio, & juſtitia disjungi non debet, *c. Animad-*
20 *vertendum* 22. *q.* 2. Si autem, quod plerique aſſeruerunt, inter quos Specul. poſt alios *in tit. de probat.* § *fin. n.* 6. *in fin.* non congruit cùm bonis moribus, non eſt utique obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum, *c. Non eſt obligatorium de regul. jur. lib.* 6. Quòd ſi lædit publicam utilitatem, quod omnes fatentur, ob id quoq; non dubii ju-
21 ris eſt non valere juramentum præſtitum de re vetita ex cauſa publicæ utilitatis, *c. Si diligenti*, *de foro compet. cum ſimil.*

22 Neque obſtat, quòd in hac prohibitione cenſetur publica utilitas ſecundariò, non autem principaliter, ideòque juramento contractus confirmetur, ut per Bart. *in l. Si quis pro eo n.* 7 & 8. *ff. de fidejuſſ.* Nam præterquamquòd hæc ſola ratio publicæ utilitatis non affertur a Doctoribus, ſed aliæ etiam ſupra relatæ, quæ ſufficiunt, ut contractus non poſſit juramento validari, jure etiam affirmari poteſt in uſu teſtium verſari publicam utilitatem principaliter, non ſecundariò, cum Reipublicæ principaliter interſit rei veritatem patere, ne quis defectu probationum, quod ſibi debetur, amittat, idque alius apud ſe per dolum retineat, ſed jus ſuum unuſquiſque conſequatur, quod eſt præcipuum juris præceptum, *ad l. Juris præcepta*, *ff. de juſt. & jur. cum ſimilib.* Conſtat igitur opinionem Doctorum de hujus pacti nullitate ex vi rationum, quas adducunt, includere etiam caſum interpoſiti juramenti, & ex conſequenti limitationem prædictam nec veram eſſe, nec receptam.

Accedit, quòd hujus limitationis auctor ab omnibus adducitur Specul. *in tit. de probat.* § *fin. num.* 6. qui tametſi priùs diſertis verbis id affirmaverit, videtur tamen poſtea maturiùs ab ea ſententia recedere, vel certè ſibi non conſtat, dum rationem reddit præcedenti dicto contrariam. Subdit enim, pactum, quòd non liceat probare niſi per publicum inſtrumentum, eſſe contra bonos mores. Quæ ratio admiſſa neceſſariò efficit, ut non roboretur juramento, cujus nulla eſt vis ad validum actum bonis moribus adverſum, *d. c. Non eſt obligatorium*. 23

Verùm etſi id juramentum eſſet omninò ſervandum, nec juranti liceret uti alio probationis genere, adhuc tamen ſuggerente æquitate, quæ veritatem obrui non patitur, in promptu ſunt efficacia remedia, quibus conſulatur indemnitati repetentis res ſuas: nam quamvis obſtante juramento non poſſit alios teſtes producere, non tamen præcluſa eſt judici via, quominus ex officio ſuo teſtes recipiat:
quod animadvertit Specul. *loc. ſupracit. n* 6. Bero. *conſ.* 100 24
n. 15. *vol.* 3. quem cum aliis citatum ſequitur, & comprobat Roland. *conſ.* 88. *n.* 13 *vol.* 1. Felin. *hic nu* 20. *poſt med. verſ. Conſuluit tamen*, poſt Joan. Andr. Lap. Imol. & Gemin.

Præterea ſi ob efficaciam juramenti prohibetur uſus te- 25
ſtium, nihil tamen obſtaret prohibitio, quominùs producerentur teſtes exuberantis fidei, & auctoritatis, ut per Felin. *hic num.* 14. *verſ. Quarto intellige*, poſt Anton. de Butr. Quæ limitatio quamvis fortè nonnihil dubitationis habere poſſet in foro ſæculari, eſt indubitata in foro Eccleſiaſtico, cujus eſt præcipuè æquitatem, ac veritatem præ oculis habere, & peccato occurrere, ut tradit Felin. ubi ſuprà.

Tandem ubi Sereniſſimus Dux velit quinque teſtibus re- 26
rum traditionem probare, ex pacto etiam valido, quo ſe ad ſolam probationem inſtrumentalem adſtrinxit, numquam excluditur, quominùs quinque teſtibus veritatem probet: nam probatio per quinque teſtes æquipollet probationi inſtrumentali, ut per text. *in l. Teſtium*, *C. de teſtib.* tradiderunt Cyn. *in l. Optimum*, *C. de contrah. & committen. ſtipulat.* Abb. *hic propè fin.* ubi & alii, Marſilien. *in rubric. de probat. n.* 53.

Ad hanc autem probationem admittendam eò prom- 27
ptior debet eſſe judex, quò magis eſt veſimile uxori à viro, & à viri patre, conſanguineis ac ſubditis ea donata eſſe, quæ utriuſque ſummam nobilitatem, ac dignitatem dicebant, *reg. c. Et ſi quæſtiones*, cum gloſſ. *in verb. Dandis muneribus infrà de ſimonia*. Veriſimilitudo autem quantæ ſit potentiæ in probationibus clamant paſſim DD. quos cumulat Menoch. *de arbitr. judic. lib.* 2. *centur.* 1. *caſu* 85.

DE PROBATIONIBUS.

Innocentius III. Archidiacono Pariſien.

CAPUT VII.

POſt ceſſionem *:* & infrà. Cùm igitur per litteras judicis ordinarii (quibus ſtandum eſt, donec probetur contrarium) nobis conſtiterit, quòd V. excommunicatus erat, cùm procurationis officium aſſumpſit, ipſum tamquam procuratorem non duximus admittendum.

SUMMARIUM.

1 *Litteræ Ordinarii probant quem excommunicatum, niſi contrarium doceatur.*

2 *Excommunicatus ſi quis probetur per litteras Ordinarii, niſi poſteà abſolutus oſtendatur, à procuratione judiciali repellitur.*

3 *Ordinarii appellatione venit non ſolum Epiſcopus, qui eſt generalis, & major Ordinarius, ſed etiam quilibet inferior, & ſpecialis Ordinarius.*

Quod procedit, ſi materia etiam inferiori Ordinario ſit adaptabilis, num. 6.

Item procedit in Ordinario conſtituto à jure, non autem in conſtituto ex accidenti à Capitulo, vel à Papa, num. 10.

4 *Juriſdictio ordinaria ad ſui eſſentiam non requirit territorium.*

5 *Ordinarius dicitur qui jure ſuo, vel Principis beneficio, univerſaliter juriſdictionem exercere poteſt, & num.* 12.

6 *Ordinarius accipitur ſecundùm ſubjectam materiam.*

7 *Ordinarius reſpectu collationis intelligitur etiam iis, qui tantùm habent poteſtatem conferendi, licèt aliàs non habeat ordinariam juriſdictionem.*

8 *Litteræ non tantùm Epiſcopi, ſed etiam inferioris Ordinarii, probant ſicut publicum inſtrumentum.*

9 *Sigillum Epiſcopi ex conſuetudine generali totius Orbis reputatur authenticum in ſpectantibus ad officium ſuum.*

11 *Ordinarius de quo in litteris Clem. VIII. ſuppreſſionis Canonicorum Regularium in Principatu Cathaloniæ non intelligitur Archipresbyter, ſed Epiſcopus.*

1 P*Oſt ceſſionem*. Per litteras Ordinarii probatur quis excommunicatus niſi contrarium doceatur. Hoc dicit, ſecundùm Joan Andr. & communiter Doctores. Vel aliter ſecundùm Abb. Si per litteras Ordinarii probatur quis
2 excommunicatus, à procuratione repellitur. Vel ſecundum intellectum, qui verior videtur, & de plano procedit: Si per litteras Ordinarii probatur, quòd ſemel quis excommunicatus fuerit, niſi poſtmodùm abſolutus oſtendatur, tamquam excommunicatus a procuratione judiciali repellitur. Hoc dicit Philip Dec. Dividitur compendiosè in duas partes. In prima ponit repulſionis cauſam; in ſecunda repulſionem, ibi, *Ipſum*: & continet prolixam, & ſubtilem materiam, & fuit ſolemniter repetitum à Joan. Calder. *tom.3. Repetent. fol.*184.

3 In textu ibi, *Judicis ordinarii*, nota appellatione Ordinarii non ſolùm comprehendi Epiſcopum, qui generalis eſt, & major Ordinarius, *c.1. de offic. Ordin. c. Cùm Epiſcopus eod. tit. lib.6.* ſed etiam quemlibet alium inferiorem, & ſpecialem Ordinarium, ut eſt textus *in c. Ordinarii*, juncta gloſ. *in ver. Locorum de off. Ordin. lib.6* Quod Abb. Felin. & Decius *hìc in 1. not.* dicunt eſſe notandum pro ſtatutis. Ad idem eſt gloſſ. *in cap. Quamquam in ver. Loci Ordinario de uſur. lib.6.* Item gloſ. in Clem 1. *in ver. Locorum Ordinariis de teſtam.* de quo plenè per Archid. *in c. Licet Canon. num.6. in ver. Ordinarius de elect. lib.6. Facit c. Cùm ab Eccleſiarum de offic. Ordin.* Et ratio eſt clara, ſecundùm Aretin. *hìc n.*1. quia ad eſſentiam ordinariæ juriſdictionis non requiritur territorium, ut notatur *in c. Cùm contingat ſupra de foro*
4 *compet.* & ſubtiliter declarat Bald. *in l. 1 §. in initio nu.7. ff. de off. Præfect Urbis*. Item confirmatur hoc ex etymologia, & alluſione vocabuli: nam Ordinarius dicitur qui ha-
5 bet ordinariam juriſdictionem. Unde hoc nomen convenit cuilibet eam juriſdictionem habenti, ut inquit Abbas *in c. Cùm olim num. 1. in 4. not. de præſcript.*

6 Procedit tamen concluſio ut ſupra firmata, quia materia, de qua agitur, etiam his inferioribus eſt adaptabilis, ut notat Gemin. *in d. c Ordinarii col.1. poſt med. verſ. Nota iſtam gloſſam de off. Ordin. lib.6.* & ita Ordinarius accipitur ſecundùm ſubjectam materiam, ut hìc per Decium *num.7.*
7 qui ex hoc deducit, ut ſi reſpectu collationis facta ſit mentio de Ordinario, de illo quoque intelligatur, qui tantùm habet poteſtatem conferendi, licèt aliàs non habeat ordinariam juriſdictionem gloſ. in Clem.1. *in ver Ordinarium, ut lite pendente*, & ibi Imol. *nu.* 28. *&* 29 & Card. *in 14. q.*
8 poſt Antiquos, quos ipſe refert, facit text. *in c. Si ſoli Ordinario de conceſſ. præb. lib.6.* Hinc etiam deducitur, ut cùm materia, de qua tractatur in hoc c. ſit adaptabilis etiam Ordinariis inferioribus, non ſolùm litteræ generalis, & majoris Ordinarii, id eſt Epiſcopi fidem faciant ſicut publicum inſtrumentum, *c. Curiæ 11. q 3. cap.1. ſupra de tregu. & pac.* cum multis concord. de quibus hìc per Hoſt. *nu.*1. & decidunt Domini de Rota *dec.1. de prob. ut. in noviſ.* ubi dicunt ex generali conſuetudine totius Orbis, quam etiam ſervat Plalatium, Sigillum Epiſcopi reputari authenticum
9 in his, quæ ſpectant ad officium ſuum; ſed etiam litteras cujuslibet Ordinarii inferioris: & ita hìc ſentiunt communiter Doctores, ut dicit Abb. *num.* 1.

10 Rurſus procedit prædicta concluſio in Ordinariis conſtitutis à jure, non autem in aliis, qui ex aliquo accidenti conſtituuntur à Capitulo, vel à Papa, ita videtur limitare Lapus Abb. S. Miniati inter conſilia Federici de Senis *conſ 291. incipien. Domine mi*, & Paulus de Caſtro *in conſ. 312. incip. Quoniam*, quos ſequitur Decius *hìc num.7. verſ. Et adiſta conferunt.*

11 Porrò fel. record. Clem. VIII. ſuppreſſit olim ordinem Canonicorum Regularium S. Auguſtini in Principatu Cathaloniæ, illiusque Monaſteria, & loca ad ſecularitatem reduxit, & Ordinariis locorum ſubjecit. Inter cætera autem Monaſterium S. Joannis de Vas Abbatiſſaium Vicen. diœceſis in Sæcularem, & Collegiatam Eccleſiam erexit, & in ea Archipresbyteratum, qui eſſet dignitas principalis, & nonnullos Canonicatus inſtituit, ipſamque Eccleſiam, Dignitates, & Canonicatus, aliaque beneficia, & miniſtros ſuo Ordinario ſubjectos eſſe voluit, & collationem prædictorum Canonicatuum voluit pertinere ad Archipresbyterum pro tempore exiſtentem. In vim cujus diſpoſitionis tametſi Archipresbyter, Canonici, & Beneficiati dictæ Eccleſiæ ſubjectionem, & obedientiam juraverint Epiſcopo tunc exiſtenti, ipſeque omnimodam juriſdictionem in Eccleſiam & illius Capitulum, & perſonas nemine contradicente dicatur exercuiſſe ſpatio ſeptem, vel octo annorum; poſteà tamen Joannes Coli ex Beneficiato Eccleſiæ Archipresbyter factus ab obedientia deſcivit unà cum aliquot Canonicis, qui ſimul officialem Epiſcopi viſitare volentem oppido prohibuerunt, mortemque ei minati ſunt ſi viſitationem exercere vellet: ipſum deinde Epiſcopum ingreſſu Eccleſiæ, in qua armati cum ſicariis ſe incluſerant, interdixerunt militaribus tormentis per rimas objectis, & plura indigna in Epiſcopi contumeliam perpetrarunt. Unde Epiſcopus Eccleſia interdicta iiſque excommunicatis diſceſſit Epiſcopo vita functo ſucceſſores propter periculum viſitationem aggredi non ſunt auſi. Præſens verò Epiſcopus volens munus ſuum adimplere, ſupplicavit Sanctiſſimo, ut declararet verbum illud, *Ordinario*, poſitum in litteris Clementis, non debere intelligi de Archipresbytero, ſed de ipſo Epiſcopo; prout in ſimili fecit idem Clemens in litteris ſæcularizationis alterius Eccleſiæ Barchinonenſis diœceſi; declaravit enim, dum voluit Canonicos eſſe ſubjectos Ordinario, ſe non intellexiſſe de Priore ejuſdem Eccleſiæ, ſed Epiſcopo tantùm. Sanctiſſimus rejecit libellum ad Congregationem Concilii, & Archipresbyter, & Canonici juſſu Congregationis in partibus citati, nihil unquam oppoſuerunt.

In cauſa hæc fuerunt ponderata. Archipresbyter iſte 12
non venit appellatione Ordinarii, cùm juriſdictionem ordinariam non habeat, textus juncta gloſ. 2. *in c. Ordinarii de off. Ordin. lib. 6.* nam Ordinarius dicitur, qui jure ſuo, vel Principis beneficio univerſaliter juriſdictionem exercere poteſt, *l. More*, & ibi gloſ. 2. & communiter ſcribentes, *ff. de juriſdict. omn. jud.* Specul. *in tit. de off. Ordin. in princ.* Card. poſt Paulum de Eleazariis in Clem. *Attendentes in 5. not. de ſtat. Monach.* & conſtat ex dictis ſupra *n.3. &* 5. Prætereà in litteris Apoſtolicis pluribus in locis contradiſtinguitur Archipresbyter ab Ordinario: Ergo dum Pontifex loquutus eſt diſcretivè de Ordinario, non intellexit de Archipresbytero, ad text. in Clem. *Exivi col.* 4. §. *Cùm autem natura termini de ver. ſignif.* Item in iiſdem litteris Dignitates, & Canonicatus dictæ Eccleſiæ ſubjiciuntur ſuo Ordinario; cùm autem in dicta Eccleſia nulla alia ſit dignitas, quàm Archipresbyteratus, ſi Archipresbyter eſſet Ordinarius, Papa ſubjiciendo dignitates Ordinario, ſubjeciſſet Archipresbyterum ſibimet Archipresbytero, quod eſt abſurdum, *arg. c Debitum de Baptiſm.* cum ſuis concordant. de quibus ibi in gl. 1. Ac demum mentem ſuam in ſimili caſu Barchinon. ſatis apertè declaravit Clem. VIII. ut in litteris exhibitis. Itaque videtur è re eſſe, ut S.D.N. per litteras in forma Brevis declaret, dum Clemens VIII. voluit prædictam Eccleſiam Sancti Joannis, ejuſque dignitates, Canonicatus, beneficia, ac Miniſtros ſuo Ordinario eſſe ſubjectos, illius intentionis non fuiſſe illos ullatenus ſubjicere Archipresbytero, ſed tantùm Epiſcopo Vicenſi, ad inſtar alterius declarationis ab eodem Clem. editæ in ſimili caſu Epiſcopi Barchinonen. & ita fuit reſolutum.

Sed numquid appellatione Ordinarii, de quo loquitur Concilium Tridentinum *c.1. verſ. Quod ſi aliquando ſeſſ.24. de reformat. matrim* quoad facultatem remittendi denuntiationes, veniat Prælatus inferior? Dic, ut ſcripſi *in cap. Cùm inhibitio, nu.6. & 9. infra de Clandeſt. deſponſat.* ubi de Scholaſtico Salamantino.

DE

DE PROBATIONIBUS.

Idem Innocentius III. Abbati, & Conventui Caſſen.

CAPUT VIII.

IN præſentia G. ſancti Hadriani diaconi Cardinalis G. & B. fratres, veſtro ſyndico conſtituto coram ipſo, fecere proponi, quòd cùm quondam A. frater ipſorum conderet teſtamentum, M. filium ſuum ſibi hæredem inſtituit: & præcepit, ut ſi abſque liberis decederet, ad eos bona devolverentur ipſius: unde illa quæ de bonis ipſius veſtrum Monaſterium detinebat, ſibi reſtitui poſtulabant: & petebant vos ſuper hoc à ſua moleſtatione compeſci. Verùm ſyndicus ipſe propoſuit ex adverſo, quòd prædictus M. Monaſterio veſtro obtulit ſe & ſua: unde univerſa quæ habuerat, erant ad Monaſterium devoluta: quare univerſa, quæ ipſi de bonis ejus invaſerant, reſtitui Monaſterio veſtro petebat, & ſuper cæteris ſilentium illis imponi. Ad hæc autem pars altera replicavit, quòd dictus M. oblationis ſuæ tempore fuerat minor annis, & quòd voti facti pœnitens, quod fervore infirmitatis fecerat, poſt convaleſcentiam revocavit: & infrà. Unde cùm ſine liberis deceſſiſſet, ex teſtamento patris ad ipſos erat ejus hæreditas devoluta. Verùm ſyndicus reſpondere curavit, quòd licèt dictus M. de Monaſterio fuiſſet egreſſus, eidem poſtmodùm ſe (& ſua) obtulit humiliter & devotè: & quòd nec contra oblationem ſuam veniret, juramento firmavit. Quare cùm conſtet, quòd idem M. bis Monaſterio veſtro contulit ſe & ſua, nec ex adverſo probetur, quòd utriuſque oblationis tempore fuerit minor annis, probationem veſtram hujuſmodi exceptionis probatio non elidit: cùm & ſi primæ oblationis tempore fuerit minor annis; ſæcundæ tamen potuit major extitiſſe. Præterea cùm verbum illud, *Minor annis*, duobus potuerit modis intelligi, cùm & qui minor eſt quatuordecim annis, & qui vigintiquinque, dici ſoleat minor annis, intentioni veſtræ verbum dubium non nocebat, cùm infra vigintiquinque annos teneret donatio juramento firmata. Sed & ſi teneret quod factum fuerat à dicto A. quia tamen intelligendum non erat ſine hærede decedere, qui Monaſterium ſibi hæredem inſtituit, hoc Monaſterio non nocebat: & infrà. Dilectus filius H. ſancti Euſtachii Cardinalis attendens, quòd ſyndicus veſter intentionem ſuam plenè fundaſſet, & quòd nihil fuiſſet ex adverſo ſufficienter probatum; cùm & ſi oſtenſum eſſet per teſtes, quòd M. ſuæ oblationis tempore fuerit minor annis; verumtamen primæ vel ſecundæ oblationis tempore minor fuerit, & quot annis minor, nòn fuiſſet expreſſum; de mandato noſtro ſententiam protulit: & prædictis G. & B. ſilentium imponens ſuper his, quæ à Monaſterio poſtulabant, eos ad reſtitutionem illorum, quæ de bonis prædicti M. propria temeritate invaſerant, condemnavit. Nos igitur ſententiam ipſam auctoritate Apoſtolica confirmamus.

SUMMARIUM.

1 Probatio dubia, ſeu æquivoca non relevat probantem, & num. 14.

2 Monaſterium facit deficere conditionem, ſi hæres deceſſerit ſine filiis.

3 Probatio æquivoca quæ dicatur, & nu. 14.

4 Teſtandi facultate poteſt quis ſe privare offerendo ſe, & bona ſua loco Religioſo.

5 Offerens ſimpliciter ſe, & ſua Eccleſiæ Regulari, cenſetur obtuliſſe etiam futura.

6 Donatio omnium bonorum præſentium, & futurorum facta Eccleſiæ valida eſt.

7 Offerens ſe, & ſua Religioni ſine ingreſſu non dicitur mortuus mundo, imò poteſt matrimonium contrahere.

8 Offerens ſe Religioni ſimpliciter non renuntiat propriis, niſi profeſſionem emittat.

9 Oblationem perſonæ, & bonorum poteſt Monaſterium recipere etiam juramento firmatam.

10 Novitius poteſt licitè exhortari, ut bona ſua donet Monaſterio.

11 Et quid poſt Concilium Tridentinum.

12 Minor annis vigintiquinq; profitendo Religionem, alienat bona ſua etiam ſine curatore, & decreto judicis.

13 Novitius in ſua profeſſione poteſt præcipere, ut aliquid ex bonis ſuis expendantur, maximè in pios uſus, aut ne quid alienetur.

15 Probatio debet cõcludere per neceſſe, & non per poſſibile.

16 Probatio non concludens non valet.

17 Probatio per veriſimilitudines non ſufficit, ubi clara probatio requiritur.

18 Fallit in ſex caſibus, remiſſivè.

19 Monaſterium ingrediens, & profeſſionem emittens, fingitur non ſolùm decedere cum hærede, ſed etiam cum liberis.

20 Monaſterium habetur loco filii. Procedit in caſibus in jure expreſſis; aliàs ſecus, num. 23.

21 Subſtitutio expirat, ſi filius gravatus reſtituere partem hæreditatis Patruo, ſi ſine liberis decedat, Monaſterium ingrediatur.

22 Teſtamentum, in quo Monaſterium non fuit inſtitutum ſaltem in legitima, an rumpatur, ſi teſtator fiat Monachus.

23 Fictio locum non habet, niſi in caſibus in jure expreſſis.

24 Subſtitutio facta filio ſine liberis decedenti evaneſcit, ſi filius profeſſionem emittat Regularem, & hæreditas applicatur Monaſterio.

25 Secus, ſi decedat ante profeſſionem, vel infra tempus probationis exeat.

26 Et an hoc procedat, ſive ſubſtitutio ſit fideicommiſſaria, ſive directa.

27 Et quid ſi ſubſtituti ſint fratres teſtatoris.

28 Et quid ſi teſtatoris filii ſint.

29 Subſtitutio facta ſub conditione, ſi deceſſerit ſine filiis ex ſe, vel ex ſuo corpore natis, an evaneſcat, ſi gravatus fiat Monachus.

30 Subſtitutio facta ſub conditione, ſi ſine liberis deceſſerit, an expiret, ſi gravatus fiat Clericus Eccleſiæ ſæcularis.

31 Et quid ſi ſubſtitutus ſit locus Religioſus, vel Eccleſia ſæcularis, aut alius locus pius.

32 Et quid ſi conditio illa fuerit appoſita in contractu gratuito, vel oneroſo, aut in ſtatuto.

33 Et quid ſi relata fuerit in perſonam ipſius teſtatoris.

34 Et quid ſi gravatus ingrediatur Monaſterium in fraudem ſubſtituti.

35 Et quomodo hujuſmodi fraus probetur.

36 Monaſterium Mendicantium non facit deficere conditionem, ſi hæres ſine filiis deceſſerit.

Et quid poſt Concilium Tridentinum, n. 67. & 117.

38 Mendicantes an ſint capaces acquiſitionis bonorum imbolium in communi, & n. ſeqq. uſque ad n. 69.

39 Fratres Minores ſunt incapaces hæreditariæ ſucceſſionis, etiam in communi.
40 Sunt fundati in arctiſſima paupertate ſupra omnes Mendicantes.
41 Frater Minor ſi hæres inſtituatur, perinde eſt, ac ſi mortuus inſtitutus fuiſſet.
42 Teſtamentum, in quo Fratres Minores ſunt inſtituti, non valet, niſi adſit cohæres, & hæreditas defertur venientibus ab inteſtato.
43 Fratres Minores non ſunt capaces fideicommiſſi univerſalis.
44 Nec jure legati habere poſſunt hæreditatem.
Nec legata particularia jure inſtitutionis, ibid.
45 Fratres Minores ſi hæredes inſtituantur ea lege, ut vendant, & pretium convertant in ſuas neceſſitates, inſtitutio non valet.
46 Idem ſi inſtituantur ea lege, ut pretium erogent in conſtructionem Eccleſiæ.
47 Fratres Minores non excludunt ſubſtitutum ſub conditione, ſi deceſſerit ſine liberis.
48 Et bona profitentis Religionem Fratrum Minorum, ſi de illis antea non diſpoſuerit, deferuntur venientibus ab inteſtato.
49 Novitius in Religione Fratrum Minorum poteſt de bonis ſuis liberè diſponere.
50 Servata tamen forma à Concilio Tridentino præſcripta, ſi diſpoſuerit inter vivos; ſecus, ſi in ultima voluntate.
51 Inſtitutus ab ingrediente Religionem Fratrum Minorum, ſtatim ſequuta illius profeſſione, poteſt capere hæreditatem, etiam non expectata morte naturali.
52 Fratres Minores ſunt capaces legati rei immobilis, vel annui redditus, ad effectum vendendi, & convertendi pretium in eorum neceſſitates.
53 Dummodò pretium ſit moderatum.
54 Et legatum fiat ſub modo licito, vel ſimpliciter.
55 Infirmariæ Fratrum Minorum an validè fieri poſſit legatum annui redditus, & n. ſeqq. uſque ad n. 65.
56 Fratribus Minoribus conceditur recurſus pro pecunia ad amicos ſpirituales pro neceſſitatibus Infirmorum, & Fratribus induendis dumtaxat.
57 Fratribus Minoribus legari non poteſt annus redditus pro alimentis.
58 Alimentis legatis veniunt non ſolùm cibaria, habitatio, & veſtitus, ſed etiam medicinæ, ſalarium Medici, ſtratum, & omnia ad victum neceſſaria.
59 Fratribus Minoribus annuos redditus habere nō licet.
60 Niſi pro divino cultu.
61 Joannis de Anania reſponſum circa legatum uſusfructus factum infirmariæ Fratrum Minorum, refellitur, & num. ſeqq.
62 Fratrum Minorum Eccleſiæ relinquere idem eſt, quod relinquere ipſis Fratribus.
63 Legatum uſusfructus factum infirmariæ Fratrum Minorum eſt in fraudem paupertatis.
64 Fraus eſt prohibita de jure naturali.
65 Mendicantes, exceptis Minoribus, de jure poſſunt acquirere bona immobilia in communi etiam per viam inſtitutionis, non ut retineant, ſed ut vendant, & ſe alant.
Et quid ex Concilio Tridentino, n. 67. & n. 117.
66 Societas Jeſu eſt capax poſſeſſionum etiam per viam inſtitutionis, ut vendat, & pretium eroget in ſuas neceſſitates, & alios pios uſus.
68 Mendicantes exceptis Capuccinis, & Minoribus de Obſervantia, ex Concilio Tridentino poſſunt in communi bona immobilia poſſidere.
Et excludunt ſubſtitutum ad inſtar non Mendicantiū.
Monaſterium an ſuccedat in feudo, remiſſivè, ibid.
69 Frater Minor tranſiens ad Tertium Ordinem Sancti Franciſci an recuperet jus ſuccedendi in bonis ſibi ex teſtamento, vel ab inteſtato poſt tranſlationem delatis, & n. ſeqq. uſque ad n. 81.
70 Monachus factus Epiſcopus ſuccedit in hæreditate ſibi poſt aſſumptionem delata, eamque acquirit Eccleſiæ ſuæ.
71 Non deſinit eſſe Monachus, nec abſolvitur à ſubſtantialibus regulæ.
72 Regularis ad alium Ordinem tranſlatus nihil habet commune cum primo.
73 Et deſinit eſſe filius primi Monaſterii.
74 Et regulatur ſecundùm inſtituta Ordinis, ad quem transfertur.
75 Regularis ſua culpa tranſlatus à Religione incapaci ad capacem, non recuperat jus ſuccedendi.
76 Regularis tranſlatus ad Religionem capacem non ſuccedit in hæreditate ſibi delata ante tranſlationem, atque adita pervenientes ab inteſtato.
77 Et quid ſi nondum adita.
78 Fratres Minores S. Franciſci de Obſervantia tranſeuntes ad Conventuales ſunt incapaces ſucceſſionis.
79 Fratres Conventuales qui ſint.
80 Fratres Tertii Ordinis S. Franciſci ſunt capaces bonorum immobilium in communi ex inſtituto, Fratres Conventuales ex privilegio, ibid. & n. ſeq.
81 Societas Jeſu, ejuſque domus, collegia, & perſonæ, an verè, & propriè ſint Ordinis Mendicantium, & n. ſeqq. uſque in fin.
82 Quid in Profeſſis quatuor votorum.
Et quid in Coadjutoribus formatis, n. 85.
Et quid in Scholaſticis, n. 86. & ſeqq. uſque in fin.
83 Societas Jeſu fundata eſt in arctiſſima paupertate.
84 Ceſſit juri ſuo in domibus profeſſis, & renuntiavit conceſſioni Concilii Tridentini.
86 Societas Jeſu ex primævo inſtituto poteſt habere collegia habentia redditus ſtudentium uſibus applicandos.
87 Mendicantes qui ſint, & num. 112.
88 Habent pro dote mendicitatem.
89 Habere propriè quis dicitur jure dominii.
90 Societatis Jeſu Scholaſtici poſt votum paupertatis retinere poſſunt dominium bonorum ſuorum conſcio, & approbante Superiore.
Declaratur, num. 118.
91 Religio una non poteſt eſſe diverſorum Ordinum, & num. ſeqq.
92 Societatis Jeſu corpus conſtat ex Profeſſis, Coadjutoribus, & Scholaſticis.
93 Mendicantes Ordines à non Mendicantibus differunt ſpecie.
94 Mendicantes ad vitam activam, Monachi verò ad contemplativam ſunt inſtituti.
95 Univerſitas eſt illius naturæ, cujus eſt major illius pars.
96 Univerſitas, in qua ſunt plures laici, quàm Clerici, cenſetur laicalis, & è converſo.
97 Univerſitas mixta aſſumit naturam à potentiori, ſeu digniori.
98 Membra ſunt illius naturæ, cujus eſt caput.
99 Mendicantibus non licet ad non Mendicantes tranſire, ut ibi officia, & adminiſtrationes aſſumant.
100 Religionum diverſitas ſumitur ex fine, ad quem ordinantur.
101 Novitii, quia tendunt ad profeſſionem, dicuntur religioſi, licèt non ſint tales cum effectu.
102 Mendicantium Ordinum, Monaſteriorum, vel Collegiorum nomine intelliguntur illorum perſonæ, non autem ædificia, vel Univerſitas prout eſt perſona ficta.
103 Univerſitas nihil aliud eſt, niſi homines, qui ibi ſunt.
104 Actus, & paſſiones, quæ in facto conſiſtunt, ſunt ſingulorum, non autem Collegii, vel Univerſitatis.
105 Collegium aſſumit naturam à perſonis, ex quibus componitur.
106 Bulla S. Pii V. declarans Societatem Jeſu eſſe Mendicantem, expenditur, & num. ſeqq. uſque ad numer 112.
107 Conſtitutio trahitur ad præterita, ſi ſit declaratoria, non autem ſi ſit novi juris, ſeu privilegii inductiva.
108 Societas una non debet diverſo jure cenſeri.
109 Religioſis quæ adhærent, Religioſa ſunt.
110 Relatio fit ad præcedentia cum ſuis qualitatibus.
111 Cauſa finalis in proœmio expreſſa regulat totam diſpoſitionem.
112 Intellectus cap. unic. de Relig. domib. lib. 6.
113 Regula non dicitur reſpectu alicujus membri, ſeu partis integralis, ſed reſpectu totius corporis Religionis.
114 Religio poteſt eſſe Mendicans ex regula, licèt aliquod ejus membrum non mendicet.

115 Men-

115 *Mendicantium ſtatui, & eſſentiæ non repugnat bona immobilia in communi poſſidere.*

116 *Mendicantes ſunt qui ex fundatione ſuæ Regulæ non habent redditus, licèt de facto, vel ex privilegio non mendicent.*

118 *Societatis Jeſu Scholaſtici quamvis habeant dominium bonorum ſuorum, tamen ſunt verè Religioſi, eorumque vota ſimplicia ſunt ſubſtantialia, & in dubium hoc revocantes ſunt ipſo jure excommunicati.*

1 IN *præſentia*. Dubia probatio non relevet probantem. Hoc dicit, ſecundùm Jo. Andr. Bald. Bellam. Butr. Card. Anch. & Imol. Vel pleniùs ſecundùm Aretin. & Felin. Mo-
2 naſterium facit deficere conditionem, ſi hæres deceſſerit
3 ſine filiis: & qui debet probare de uno actu, vel tempore limitato, ſi probet tale quid, quod poſſit convenire illi actui, vel tempori, & etiam alteri, æquivocè probat, & ideò ſuccumbit. Dividitur in tres partes principales. In prima ponitur proceſſus factus coram Judice Delegato. In ſecunda ibi, *Dilectus*, ſententia judicis. In tertia ibi, *Nos igitur*, confirmatio Apoſtolica: & prima ſubdividitur in quatuor, ut hìc per Jo. Andr. & alios.

4 Nota primò ibi, *Monaſterio veſtro obtulit ſe & ſua*, caſum ſingularem, in quo quis in vita poteſt ſe privare facultate teſtandi, videlicet offerendo ſe, & omnia bona ſua loco
5 Religioſo, ſecundùm Abb. *hìc n.* 2. & Dec. *n.* 26. Offerens enim ſimpliciter ſe, & ſua Eccleſiæ Regulari, cenſetur obtuliſſe bona etiam futura, ut hìc per Butr. *in fin.* alioquin; ſi offerret præſentia tantùm, vel aliquid ſibi reſervaret etiam quoad uſumfructum, oblatio non eſſet plena, nec offerens potiretur privilegiis Monaſterii, cui ſe obtulit, ut probavi latiſſimè *in c. Ut privilegia, infrà de privileg.* ubi plenè videas pro hujuſmodi oblatis. Unde ex oblatione ſimpliciter facta adimit ſibi omninò facultatem teſtandi, & tamen valet oblatio, ut hìc quod eſt valdè notabile ad limitationem *l. Stipulatio hoc modo concepta, ff. de ver. oblig.*

6 Ex hoc infert ſingulariter Bart. *in l. final. n.* 13. *C. de pact.* ut valeat donatio facta Eccleſiæ omnium bonorum præſentium, & futurorum, & conſequenter favore Eccleſię poſſit quis ſe privare facultate teſtandi, quamvis Religionem non intret; quia quemadmodum poteſt favore Eccleſię dare ſe, & omnia bona ſua, ita & ſua ſine ſe. Sed Abb. *hìc in* 5. *not.* mordet dictum Bartoli; quia cùm quis offert etiam ſe, per ingreſſum Monaſterii fingitur mortuus, ut *c. Placuit*, 16. *quæſt.* 1. *& l. Deo nobis, C. de Epiſc. & Cler.* unde nil mirum, ſi poteſt donare omnia bona ſua præſentia, & futura, quia etiamſi expreſsè non donaret, tamen tranſirent in Monaſterium, ſi aliter de illis non diſponeret: *c. Quia ingredientibus, & c. Si qua mulier, & §. Nunc autem* 19. *qu. ult.* & Auth. *Ingreſſi, C. de ſacroſ. Eccleſiis*. Hæc autem ratio ceſſat quando offerens non intrat in Monaſterium. Tu verò non recedas ab opinione Bartoli, quę eſt valdè pia, & Eccleſiæ favorabilis, ut ipſemet Abbas fatetur, & eam ſequuntur idem Abbas *in cap. fin. in* 1. *not. de ſucceſſ. ab inteſt. & in conſ.* 102. *Circa perſonarum, num.* 2. *part.* 2. Mar. Socin. *in tract. oblat. in* 10. *libell. in* 1. *quæſt.* & eſt ex mente gloſſæ *penult. in c. Ut lex continentiæ* 27. *qu.* 1. eamque communem eſſe atteſtantur Purpurat. *in d. l. final. nu.* 242. ubi etiam Cagnol. *num.* 203. Covarr. *in rubr. de teſtament. in* 2. *part. num.* 5. *in fin.* Duen. *in leg.* 219. *in* 1. *limit.* Clar. *in §. Donatio quæſt.* 20. *verſ. Ulteriùs quæro*, Pariſ. *hìc num.* 21. & Dec. *num.* 26. qui licèt multa in utramque partem adducat diſputationis gratia, præſertim circa intellectum *l. Jubemus nulli, §.* 1. *C. de ſacroſ. Eccleſ.* tamen *n.* 29. *verſ. Et ex prædictis* fatetur in practica à communi opinione recedendum non eſſe, præcipuè cum agatur de favore Eccleſiæ, ad text. *in l. Sunt perſonæ, ff. de Religioſ. & ſumpt. funer.* Et quamvis non reſpondeat ad motivum Abbatis,
7 tamen reſponderi poteſt, validitatem donationis, per quam quis ſe privat facultate teſtandi offerendo ſe & ſua Monaſterio, nullatenus fundari in ea ratione, quòd ſi mortuus mundo, quandoquidem poteſt quis donare ſe, & ſua loco Religioſo abſque eo; quòd fiat Monachus, *ut cap. Cùm & plantare, §.* 1. *& c. Ut privilegia de privileg. & cap. Per exemptionem, eod. tit. lib.* 6. & idemmet Abb. fatetur *hìc in* 4. *not.* & Decius *numer.* 21. Quo caſu oblatus non dicitur mortuus mundo, imo, poteſt eſſe conjugatus, & matrimonium contrahere etiam poſt

oblationem Calder. *conſ. ult. de regul.* Card. *conſ.* 21. Bald. *conſ.* 240. *in* 5. *volum.* Imol. *in Clement.* 1. *numer.* 10. *de decim.* Nec verum eſt bona tranſire in Monaſterium, quan- 8
do quis ſimpliciter offert ſe abſque ulla bonorum mentione: imò enim talis oblatus non renuntiat propriis, niſi profeſſionem emittat regularem, & ita intelligi debet gloſ. *in d. cap. Ut lex continentiæ*, 27. *quæſt.* 1. ut ibi declarat Archid. & poſt eum Calder. *d. conſult. ultim. nu.* 1. *verſ. Et quod dictum eſt per gloſ.* Et ita eo caſu bona non veniunt in conſequentiam perſonæ, ut inquit Bald. *loco citato*: & adde quod ſcripſi *in d. cap. Ut privilegia, numer.* 14. 29. *de privil.*

Secundò nota ibi, *Nec contra oblationem ſuam venire ju-* 9
ramento firmavit, Monaſterium poſſe recipere oblationem perſonę, & bonorum etiam juramento firmatam, nec inde oriri ſiniſtram aliquam ſuſpicionem, quòd ingredientem ad oblationem, & juramentum induxerit propter bona temporalia, ut hìc per Abb. *n.* 2. *verſ. Nota quem licitè oblationem ſuam*, & Dec. *in oct. not.* non enim ex hoc ingrediens 10
dicitur deceptus; quinimò ad hoc poteſt licitè exhortari, *ut c. Perlatum* 19. *q.* 3. Nec obſtat *c. Conſtituit* 20. *qu.* 3. quoniam ille text. loquitur in puella ad mortem ęgrotante, quę per circumventionem ſeducta fuit ad profeſſionem emittendam, ut infra attingam *n.* 36 Unde gl. in *præalleg. c. Perlatum*, dicit mulierem illam ſe, & ſuo Monaſterio contuliſſe per exhortationem Epiſcopi, non autem illectam.

Tu verò adverte, quia, ſi oblatio, ſeu donatio bonorum 11
fiat ante ingreſſum Monaſterii, id eſt ante ſuſceptionem habitus regularis, indiſtinctè vendicat ſibi locum deciſio hujus textus. Sed ſi fiat poſt habitum ſuſceptum, hodie diſtinguendum eſt: nam aut oblatio fit cum effectu, id eſt cum traditione rei oblatæ: & fieri non poteſt, quia S. Tridentina Synodus *in c.* 16. *verſ. Sed neque ſeſſ.* 25. *de regular.* prohibet ſub pœna anathematis, ne aliquid ex bonis ingredientis infrà annum probationis Monaſterio tribuatur, excepto victu, & veſtitu. Aut oblatio, ſeu donatio fit ſimpliciter ſine ulla traditione: & tunc poteſt quidem fieri, ſed cùm licentia Ordinarii, & intra duos menſes proximos ante profeſſionem, aliàs non valet, etiamſi ſit jurejurando vallata, ut habetur in *eod. c.* 16. *in princ.* quod latiùs proſequor *in c. Statuimus infr. de regul.* ubi plenè videas.

Tertiò nota ibi, *Minor annis*, minorem annis viginti 12
quinque ingrediendo Monaſterium alienare bona ſua etiam ſine curatore, & decreto judicis, ut hìc habetur expreſsè, ſecundùm Innoc. *n.* 5. Jo. Andr. *n.* 15. & Abb. *n.* 10. Secus autem eſſet, ſi in Monaſterium non intraret, *ut leg. Siquidem, & l. Si prædium, C. de præd. minor. ſine decr. non alien. quaſi per tot.* etiamſi vellet alienare in alias pias cauſas, *arg. l. Voto, ff. de pollicit.* ſecundùm Innoc. & alios præallegatos. Poteſt autem in ſua obligatione, ſeu profeſſione pręcipere, ut aliquid ex bonis, quę ſecum defert, expendatur, 13
maximè in pios uſus; aut ne quid ex bonis hujuſmodi alienetur, & implenda erit illius voluntas, ſecundùm Innoc. *hìc n.* 5. *verſ. Si autem in ſua obligatione*, cum quo alii tranſeunt: dummodò tamen in his ſervetur forma à Concil. Tridentino præſcripta *in c.* 16. *ſeſſ.* 25. *de regular.* ut tetigi ſuprà *numer.* 11.

Quartò nota ibi, *Secunda tamen potuit major extitiſſe*, 14
probationem dubiam, ſeu æquivocam non relevare, ut eſt caſus in hac Decretali, quę ad hoc quotidie allegatur, Cardin. *hìc nu.* 1. Rota *dec.* 380. *nu.* 19. *part.* 5. *recent.* hìc enim fuit probatum æquivocè ob variam temporis, ſeu ætatis ſignificationem, quia minor dupliciter dici poteſt, ſcilicet minor annis 14. & minor annis 25. ut in text. *& in l. final. C. ſi min. ſe major. dixer.* neque actor probavit præciſè de 15
minore annis 14. tempore ingreſſus. Probatio autem debet concludere per neceſſe, & non per poſſibile, ut Bald. inquit *in l. Quod probationem, la ſeconda, num.* 1. *C. de probat.* quia non probat hoc eſſe quod ab hoc contingit abeſſe, *l. Neque natales, C. eod. tit. & l. Non hoc, C. unde legitim.* Meritò probatio non concludens non valet, ut hìc per De- 16
cium *nu.* 48. *& num.* 62. *& ſeq.* ubi hanc regulam pluribus exornat. Nec ſufficit probare per quaſdam veriſimilitudi- 17
nes, ubi clara probatio requiritur, ut ait Bald. *in l. Interpoſitas, in ult. not. C. de tranſact.* & poſt eum Decius *d. nu.* 62. Quæ tamen concluſio fallit in ſex caſibus, quos hìc proſe- 18
quitur Felin. *à n.* 15.

Quintò nota ibi, *Intelligendum non eſt ſine hærede decedere* 19
eum qui ingreſſus eſt Monaſterium, & factus eſt Monachus,

fingi non ſolùm decedere cum hærede, ſed etiam cum liberis, ut hic firmat Innoc. *n* 8. Jo. Andr. *num.* 22. & Imol. *nu.*
20 12. *verſ. Nota quod monaſterium*, dicens hunc textum eſſe ad hoc valdè ſingularem, qui non habetur alibi, & probat propoſitam concluſionem, quia verbum hæres hîc accipitur pro liberis, alioquin per ingreſſum Monaſterii non eſſet purificata illa conditio, ſi ſine liberis deceſſerit. Unde patet verùm non eſſe quod ait Bart. in Auth. *Ingreſſi*, & in Auth. *Si qua mulier, Cod. de ſacroſ. Eccleſ.* & in Auth. *Niſi rogati, Cod. ad Trebellian.* videlicet non probari aliquo jure, ut Monaſterium habeatur loco filiorum, vel liberorum: imò enim id probatur in hoc cap. ut benè per Imol. & idem expreſsè tenet Speculat. *in tit. de locat. §. Nunc aliqua verſ.* 153. *& ſeqq.* Bald. *in cap.* 1. *in princip. ff. de milit. vaſſal. qui bellic. arm. depoſ.* & ipſemet Bart. *in l. Hæredibus*, §. 1 *num.* 4. *ff. ad Trebell.* & hanc dicit eſſe veram opinionem Lap. *alleg.* 129. *alias* 130. *incip. Factum ſuper quo num.* 19. *verſ Et ſi dicatur quod ſtatutum*; & communem, & in judiciis ſequendam Corneus *conſ.* 18. *Circa hanc*
21 *conſultationem, numer.* 7. *volum.* 4. Quo fit, ut teſtator, ſi dixerit, Volo ut filius meus det partem hæreditatis patruis, ſi decedat ſine liberis, filio Monaſterium ingrediente ſatisfactum ſit conditioni, quare nil petent patrui, cùm Monaſterium habeatur loco filiorum. Ita notabiliter Innoc. *hîc d. num.* 8. cum quo Hoſt. *num.* 20. *in ver. Inſtituit.* Joan. Andr. *d. num.* 27. Bald. *num.* 5. Butr. *numer.* 60. & alii tranſeunt.

22 Hinc etiam fit, ut quaſi agnatione poſthumi rumpatur teſtamentum, in quo teſtator, qui poſtea factus eſt Monachus, non inſtituit Monaſterium, ſaltem in legitima, argumento hujus textus, & in Auth. *de Sanctiſ. Epiſc. §. Sed & hoc præſenti*, & *l. Filio, ff. injuſt. rupt. & irrit. teſtam.* ſecundùm Innoc. *hîc nu.* 7. Feder. de Sen. *conſ.* 165. *Gloſſæ referunt, verſ. Rogo excuſatum*, Bald. *conſ.* 9. *Mulier fecit lib.* 5. & eſt communis opinio, ut teſtatur Jaſon. in d. Auth. *Si qua mulier num.* 17. *C. de ſacroſ. Eccleſ.* In hoc tamen contrarium tenuit Bartol. *ibi nu.* 8. cujus opinionem communem dicit Ripa *in l. Si umquam, quæſt.* 35. *num.* 94. *C. de revocat. donat.* & magis communem, veriorem, & æquiorem, cùm faveat teſtamento, Clar. *in §. Teſtamentum, q.* 28. *n.* 5. *verſ. Aut verò in fin.*

23 Ceterùm adverte, quia hîc ſpeciale eſt favore Religionis, ut Monaſterium habeatur loco filii, cum aliàs requirantur filii naturales, nec ſufficiant legitimi tantùm, *l. Si ita quis in fin. ff. de legat.* 2. ſecundùm Jo. Andr. *hîc n.* 27. *verſ. Et eſt ſpeciale.* Quare potiùs conſtituenda eſt regula in oppoſitum, videlicet Monaſterium non haberi loco filii, niſi in caſibus in jure expreſſis, ut declarat Bald. in Auth. *Si qua mulier in princ. C. de ſacroſ. Eccl.* nam cùm hæc ſit quædam fictio, locum non habet, niſi in caſibus expreſſis, ut in ſimili notat gloſ. in *cap. Placuit il ſecondo in ver. Mortuus* 16. *qu.* 1. *& in c. Suſceptum in ver. Non morte de reſcr. lib.* 6. dicens mortem civilem æquiparari naturali in caſibus expreſſis dumtaxat, & ſequitur hîc Felin. *num.* 42. *verſ. Sed iſtis, & ſimilibus*, & Rot. *dec.* 92. *numer.* 11. *p.* 2. *diverſ.* Aliàs verò, ut verbis Baldi utar, *in l. Filium, num.* 5. *ff. de his qui ſunt ſui, vel alien. jur.* fatuitas eſt dicere, quòd Monaſterium habeatur loco filii: & ſanè hîc ſequeretur, ut Monachus haberet Monaſterium in ſua poteſtate; ac proinde quidquid acquireret Monaſterium, acquireret Monacho. Item ut plures eſſe poſſent patres unius filii, & plures aliæ abſurditates ſequerentur, quas cumulat Felin. *dict. num.* 42.

24 Ultimò nota ibi, *Qui Monaſterium ſibi hæredem inſtituit*, ſubſtitutionem factam filio, ſi ſine liberis deceſſerit, evaneſcere, ſi filius Monaſterium ingrediatur, & hæreditatem Monaſterio applicari, ut hic eſt caſus, & notat gloſ. *ult.* Innoc. *n.* 8. Hoſt. *nu.* 20. *in ver. Inſtituit*, Joan. Andr. *n.* 27. Abb. *num* 36. & idem Abb. Aretin. & Felin. *in ſummario textus*, & reliqui omnes, Bart Bald. Angel. Salicet. & Legiſtæ in Auth. *Niſi rogati, C. ad Trebell.* in Authent. *Si qua mulier*, & Auth. *Ingreſſi*; *C. de Sacroſ. Eccl.* Quod intellige, dummodò inſtitutus ingrediatur Monaſterium, ita ut teneat Monachatus, ut hîc in gloſ. ultim. Nam ubi fit mentio de ingreſſu, intelligitur cum effectu, ut per Felin.
25 *n.* 32. Unde ſi decederet ante profeſſionem Regularem, ſubſtitutio non evaneſceret, ſecundùm Vicent. & idem ſi intraret, & infrà tempus probationis exiret *c. Statuimus de regular.* ſecundùm Abb. Antiq. quos hîc refert, & ſequitur Jo. Andr. *n.* 36. & co ſentiunt Bald. *n.* 15. Butr. *n.* 61. Card. *col.* 2. Henr. Boich. *n.* 20. Abb. *nu.* 44. Felin. *nu.* 32. & Dec. *num.* 200.

Ampliatur primò, concluſio ſuperiùs firmata, ut locum 26
habeat, ſive ſubſtitutio fuerit fideicommiſſaria, ſive directa, ut ſentit gloſ. *ultim.* hîc illis verbis: *Ingreſſus Monaſterium fingitur habere hæredem, cum rogatus eſt reſtituere privato* [ecce ſubſtitutio fideicommiſſaria) *vel eum ei privatus eſt ſubſtitutus* (ecce ſubſtitutio directa) & apertiùs hoc tenet Abb. in princ. qui dupliciter ſummat textum: primò ſcilicet intelligendo illum in ſubſtitutione fideicommiſſaria, deinde in ſubſtitutione directa; dicens utrumque intellectum eſſe in ſe verum, licèt ſubdat veriorem eſſe intellectum, ut ſubſtitutio hîc fuerit fideicommiſſaria, propter illud verb. *Devolverentur*, ut eſt text apertus ſecundùm eum *in l. Hæredibus, §.* 1. *ff. ad Trebell.* Sed Butr. & alii dicunt ſubſtitutionem fuiſſe compendioſam; quia verb. *Devolverentur* eſt verb. commune, ut concludit Bart. *in l.* 2. *in fin. ff. de alimen. & cibar. legat. & in l. Centurio, col. ult. verſ. Septimo dubitatur, ff. de vulg. & pupill.* Gemin. *in c. Si pater in princ.* gloſſ. *in ver. Filiæ de teſtam. lib.* 6. & alii, quos hîc ſequitur Dec. *num.* 1. & ad text. quem Abbas adducit, reſponde, ut hîc per Bero. *num.* 3. Adverte tamen, quia quod Abb. dicit de ſubſtitutione directa, verificari non poteſt in pupillari, quia illa locum habet tantummodò, ſi hæres in pupillari ætate deceſſerit, *l. In pupillari, ff. de vulgar. & pupill.* In pupillari autem ætate non poteſt filius Monaſterium ingredi cum effectu, *cap. Significatum de regular.* Ergo fruſtra quæritur, an per ingreſſum Monaſterii excludatur ſubſtitutus. Sed nec vulgaris videtur extingui per ingreſſum Religionis; quia cum præſupponat filium non eſſe hæredem, vel quia non poſſit, ad text. *in l. Cum proponas, C. de hæred. inſtituen.* & not. per Bart. *in l.* 1. *ff. de vulgar. & pupillar.* nihil eſt quod poſſit acquiri Monaſterio ad præjudicium ſubſtituti, cùm per ingreſſum Religionis illa tantùm Monaſterio acquirantur, quæ tempore ingreſſus erant propria ipſius ingredientis, *cap. Quia ingredientibus cum ſeq.* 19. *quæſt. ult.* Auth. *Ingreſſi, Cod. de ſacroſ. Eccleſ.* de quo tamen dic, ut per Bero. *hîc numer.* 1. *verſ. Sed rectius conſiderando.*

Ampliatur ſecundò ſupradicta concluſio, ut locum ha- 27
beat etiamſi fuerint ſubſtituti fratres teſtatoris; nam nihilominùs Monaſterium eos excludit, ſecundùm Innocen. & alios ſupracitatos *n.* 21. Secus autem ſi ſubſtituti ſint teſtatoris filii; quia ſuccedunt excluſo Monaſterio: nam ut inquit Bald. *nu.* 10. *in fin.* favor liberorum ſubſtitutorum eſt naturalis favor autem Monaſterii eſt civilis, & minor fa- 28
vor reſpectu majoris eſt odium, *l. Si apud minorem, ff. de minor.* Ergo prævalet filiorum ſubſtitutorum favor. Idem voluit Bart. in Anthen. *Ingreſſi in* 2. *lectura num* 55. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* & conſulendo idem Bald. *conſ.* 196. *In hac quæſtione per totum volum.* 1. ubi in fine dicit ita fuiſſe judicatum, Raphael. Fulgoſ. *conſil.* 53. *Quoniam ſuperiùs in fine* Alexan. *conſ.* 121. *Viſo themate ſupraſcripto num:* 11. *verſ. In hanc partem volum.* 2. Ripa *in l. Ex facto, §. Si quis rogatus il primo, num.* 4. *ff. ad Trebell.* & Bero. *num.* 458. *&* 492.

Ampliatur tertiò eadem concluſio, ut vendicet ſibi lo- 29
cum etiamſi conditio ſubſtitutioni adjecta fuerit per verba naturalitatem importantia, puta, ſi deceſſerit ſine filiis ex ſe, vel ex ſuo corpore natis; adhuc enim ſi rogatus reſtituere profiteatur Religionem: ſuccedit Monaſterium excluſo ſubſtituto, ut ex facto per quinque fundamenta conſuluit Bart. *in ſuo conſ.* 1. *incip. Parmenſis, per totum*, & fuit opinio antiquiſſimorum Doctorum Piſaragor. & Ricardi Malumbræ, quos refert, & ſequitur per Dyn. *in l. Si ita quis, §. fin. ff. de legat.* 2. Cyn. in Authen. *Niſi rogati n.* 2 & Fulgoſ. *n.* 3. *&* 4. & firmant hîc Bald. *n.* 9. *in fin.* Butr. *n.* 25. Abb. *n.* 48. Aretin. *à n.* 68. *uſque ad n.* 72. Felin. *n.* 36. Dec. *nu.* 232. Pariſ. *à n.* 136. *uſq. ad n.* 144. Ferret. *n.* 104. Bero. *n.* 486. Et hæc opinio fortè ſervaretur in practica, quia in diverſitate opinionum conſuevit aſſumi illa, quæ favet Religioni, *Per l. Sunt perſonæ, ff. de Relig. & ſumpt. fun.* ut inquit Imol. *hîc num.* 59.

Verùm contra Monaſterium in favorem ſubſtituti tenuerunt ex Canoniſtis, Hoſt. *in cap. Raynaldus, n.* 20. *&* 21. & ibi etiam Joan. Andr. *num.* 10. & Cardin. *in fin. princ. infra de teſtam.* & in hoc cap. Henrich. Boich. *nu.* 24. Bellam. *num.* 41. Barbat. *a num.* 72. & Mant. *numer.* 71. & ex Legiſtis

giſtis Jacob d. e Belviſ. in Authen. *de Sanctiſſ. Epiſcop. §. Sed & hoc præſenti*, Bald. *in l. final. in princ. num.* 1. *&* 2. *C. de Epiſcop. & Cler.* & ibi etiam Fulgoſ. *in princ.* Salicet. in Auth. *Niſi rogati in fin. C. ad Trebel.* & ibi etiam Bald. *n.* 10. dicens hanc opinionem eſſe multùm æquam: quod etiam dixit Imola *in l. Lucius, l. ultima, n.* 5. *ff. de hæred. inſtituen.*

Sanè hæc conſultatio eſt ſatis dubia, adeò ut Petr. de Anchar. *hìc n.* 41. poſt prolixam diſputationem concludat his verbis, *Inter opiniones tantorum Patrum, & Modernorum teneas quidquid placet.* Et Authores plurimos uſque ad ſatietatem pro utraque ſententia cumulat noviſſimè Thom. Sanch. *ſuper Decalog. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 16. *num.* 51. *verſ. Octavo*: dicit tamen Joan. de Imol. *in d. l. Si ita quis, §. Is cui in fin. ff. de legat.* 2. hanc ſecundam opinionem eſſe veriorem attento jure canonico, & ſervandam in terris Eccleſiæ: oppoſitam verò attento jure civili, & ſervandam in terris Imperii.

30 Ampliatur quartò eadem concluſio, ut procedat, etiamſi rogatus reſtituere fiat Clericus Eccleſiæ ſæcularis: nam ſubſtitutio evaneſcit; dummodò tamen duo copulativè concurrant, nempè ut perpetuò ibi maneat, & relicta eroget in pios uſus: ſic probat textus in Auth *de Sanctiſſ. Epiſcop. §. Sed & hoc præſenti col.* 9. unde deſumpta eſt Authen. *Niſi rogati, C. ad Trebel.* & tenent hìc gloſ. *ult.* Innoc. *n.* 8. *verſ. Si autem fiat Clericus*, Hoſt. *n.* 19. Bellamer. *n.* 31. Dec. *num.* 200. Pariſ. *n.* 117. & Bero. *nu.* 498. Speculat. *in tit. de ſtat. Monachor. §. ult. q.* 15. *nu.* 20.

31 Nunc limita primò propoſitam concluſionem, niſi filius rogatus ſit reſtituere loco Religioſo, vel Eccleſiæ ſæculari, aut alteri pio loco, vel relicta expendere in pios uſus. His enim caſibus per ingreſſum Monaſterii non expirat ſubſtitutio facta in defectum liberorum; quia privilegiatus non utitur privilegio contra æquè privilegiatum, *ut in d. §. Sed & hoc præſenti*, & hìc firmant gloſſ. *ultìm.* Innoc. *n* 8. Hoſt. *nu.* 19. Bellam. *num.* 29. *& n. ult.* Butr. *n.* 60. Cardin. *col.* 4. *verſ. In gloſſa finali*, Anchar. *n.* 19. Imol. *n.* 17. Abb. *nu.* 36. Felin. *n.* 29. & Dec. *n.* 192. Speculat. *in tit. de ſtat. Monachor.* §. 1. *n.* 19. *&* 20. *quæſt.* 15. Bartol. & communiter Legiſtæ in d. Auth. *Niſi rogati, C. ad Trebel.*

32 Limita ſecundò eamdem concluſionem, ut procedat dummodò ea conditio apponatur in ultimis voluntatibus, vel in contractibus gratuitis, prout loquitur text. *in d §. Sed & hoc præſenti*, ut advertit Bald. *hìc nu.* 18. *in fin.* Secus verò in contractibus oneroſis, quia tunc conditio illa per profeſſionem regularem non evaneſcit, ut hìc per Anchar. *n. penult.* Barbat. *n.* 71. Afflict. *dec.* 83. *n.* 13. & idem ſi eadem conditio apponatur in ſtatutis, ut decidunt Domini de Rota *dec* 92. *n.* 11. *& ſeq. p.* 2. *diverſ.*

33 Limita tertiò, niſi conditio relata ſit in perſonam ipſius teſtatoris, puta quia dixit, Si ſine liberis deceſſero, ſubſtituo Titium: tunc enim & ſi teſtator Religionem profiteatur, non tamen expirat ſubſtitutio, nec intrat diſpoſitio hujus *ca.* ut originaliter voluit Martin. de Selva Epiſcopus Pampilonen. quem hìc refert, & ſequitur Joan. Andr. *n.* 37. & conſentiunt Butr. *n.* 62. Cardin. *col.* 4. Anchar. *num.* 29. Abb. *n.* 46 & Decius *n.* 214.

34 Limita quartò, niſi rogatus intret Monaſterium in fraudem ſubſtituti, quia tunc conditio non evaneſcit, cum fraus, & dolus, &c. ut hìc tenent Abb. Antiq. *n. ult.* dicens ita tenere Petr. de Sampſon. Magiſtrum ſuum, Joan. Andr. *n.* 36. Bald. *nu.* 31. Henric. Boich. *n.* 21. Bellam *num.* 32. *&* 40. Butr. *num.* 61. Abb. *nu.* 46 Felin. *nu.* 36. Dec. *nu.* 204. & Bero.
35 *num.* 500. Fraus autem probabitur, ſi gravatus comminatus fuerit ſubſtituto ſe ingreſſurum Religionem, ut eum excludat à fideicommiſſo, ſecundùm Abb. Antiquum, & Joan. Andr. *locis citatis*. Et quamvis hanc conjecturam refellant Petr. de Bellaper. in Auth. *Niſi rogati quæſt penult. C. ad Trebell.* & Dec. *hìc num.* 209. tamen eam admittunt Henric. Bellam. Butr. Abb. & Felin. ſupracitati, & alii plures, quos cumulat Sanchez *ſuper Decalog. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 16. *num.* 60.

36 Sed numquid fraus præſumatur ex hoc ſolo, quòd rogatus reſtituere, profeſſionem emiſerit in articulo mortis, gravis controverſia eſt, quam S. Congregatio Concilii noluit decidere, ſed ad judicem cauſæ rejecit. Tu dic, ut ſcripſi *in c. Sicut nobis, à nu.* 30. *uſque in finem de regular.* & adde Felinum *hìc num.* 34. & quæ in utramque partem congerit Sanchez *d. cap.* 16. *n.* 58.

37 Limita quintò valdè notabiliter ſupraſcriptam concluſionem, omiſſis pluribus aliis limitationibus, quas proſequitur Sanch. *d. c.* 16. ut non procedat, ſi rogatus reſtituere ingrediatur Monaſterium Ordinis Mendicantium; quia cùm bona immobilia eis poſſidere non liceat *c. Nimis prava infr. de exceſſib. Prælat. c. un. §. Confirmatos de Relig. domib. lib.* 6. utique ſubſtitutum non excludunt, nec habet locum hoc cap. ut hìc tenent Scribentes, *Deciſ. Pedemont.* 126. *num.* 27. & ita tenere Doctores communiter affirmat Bern. Land. *in addit.* ad Bart. *d. conſ.* 1.

Verùm an hæc limitatio locum habeat poſt Concilium Tridentinum, pleniùs dicam *infrà n.* 67. *& n.* 117.

QUÆRO, an Fratres Mendicantes ſint capaces acqui- 38
ſitionis bonorum immobilium in communi.

Tametſi in hac materia Doctores hìc multa ſcribant; in hoc tamen videntur convenire, ut conſtituenda ſit differentia inter Fratres Minores S. Franciſci, & reliquos Mendicantes; & ſecundùm hoc ponunt duas concluſiones communes, quas poſt Imol. & Abbat. proſequitur Felin. *à num.* 50.

Prima concluſio eſt: Fratres Minores ſunt prorſus inca- 39
paces hæreditariæ ſucceſſionis etiam in communi, text. eſt
in Clem. *Exivi, §. Cupientes de verb. ſignific.* Federic. de
Sen. *conſil.* 26. *Caſus talis eſt; Quidam ingreſſus, in princ.*
Sunt enim fundati in arctiſſima paupertate ſupra omnes 40
Mendicantes, ut fusè deducit Bartol. *in tract. Minorit. lib.*
1. *diſt.* 1. *c.* 1. *per tot.* Petr. de Anchar. in d Clement. *Exivi,*
n. 1. Calder. *conſ.* 46. *incipien. An bona ingreſſi Ordinem, poſt*
med. verſ. Præterea de hoc de teſtam. Et ſucceſſiones ex ſui
natura indifferenter ad pecuniam, & etiam ad alia mobilia,
& immobilia ſe extendunt, quæ ex Regula ſunt eis prohibita, *ut in d. §. Cupientes*. Unde, ut ait Bald. *in leg.*
Eam quam num. 17. *C. de fideicomm.* Frater Minor eſt inca- 41
pax emolumenti, & tituli, & ſi inſtituatur, perinde
eſt, ac ſi homo mortuus inſtitutus fuiſſet: cujus dictum
refert, & ſequitur Felin. *d. num.* 50 Et ita nullum eſt 42
teſtamentum, in quo fratres Minores ſunt hæredes inſtituti, niſi adſit cohæres; & hæreditas defertur venientibus ab inteſtato, *l. Si in metallum, ff. de his, quæ pro non ſcriptis habentur, l.* 1. *C. de hæred. inſtituen. l. Neque enim, ff. de teſtam. militar.* & firmat Bart. *in d. tract. Minorit. lib.* 1. *diſt.* 1. *cap.* 2. Petr. de Anchar. in d. Clem. *Exivi, num.* 2. *verſ. Revertor ad primum.*

Et quemadmodùm jure inſtitutionis capere non poſſunt, 43
ita nec jure fideicommiſſi univerſalis, ſecundùm Bart. *in eod. tract. lib.* 1. *diſt.* 2. *c.* 2.

Sed neque jure legati habere poſſunt hæreditatem, ut 44
per Bart. *d. lib.* 1. *diſt.* 3. *c.* 1. imò nec legata particularia jure inſtitutionis, ut idem tradit *d. diſt.* 3. *c.* 2.

Quod adeò verum eſt, ut nec valeat inſtitutio facta de 45
Fratribus Minoribus ad effectum æſtimationis, ſcilicet, ut vendant, & prætium convertant in ſuas neceſſitates. Et eſt magis communis opinio, ut pluribus relatis teſtatur Anton. Gabriel. *comm. concluſ.* 1. *n.* 1.

Quinimò ſi teſtator dixerit, Inſtituo hæredes fratres 46
Minores cum hoc, ut bona hæreditaria per executores nominatos vendantur, & pretium erogetur in reparationem Eccleſiæ, conſtructionem Capellæ, & ſacram ſupellectilem; & quatenùs hæredis inſtitutio non valeat ex aliqua cauſa in corpore juris clauſa, tunc jure legati lego: talis inſtitutio non valet, ut latiſſimè probavi *in cap. Nimis prava, à num.* 20. *uſque ad num.* 46. *infrà de exceſſ. Prælator.*

Quamobrem Fratres Minores non excludunt ſubſtitu- 47
tum ſub conditione, ſi gravatus deceſſerit ſine liberis, nec in eis locum habet iſte textus, ut ſcripſit Bald. *in l. Cùm acutiſſimi, num.* 16. *C. de fideicomm.* Abb. *conſ.* 27. *Pro clara col.* 2. *in princ. lib.* 2. Felin. *hìc num.* 50. & communiter DD. Vivius *commun. opinion. concluſ.* 839. ubi plures refert, & de communi teſtatur.

Quo verò ad bona ingredientis Religionem Fratrum 48
Minorum, quamvis ſint tres opiniones, quas hìc recenſet Innoc. *nu.* 6. tamen communis opinio eſt, hujuſmodi bona deferri venientibus ab inteſtato, perinde ac ſi profeſſus eſſet mortuus, ſi de illis ante profeſſionem non diſpoſuerit. Et ita tenuerunt hìc Imol. *col. penultim. verſ. Quid autem, ſi quis ingrediatur*, Abb. *num.* 62. Felin. *num.* 50. Feder. *d conſ.* 26. *num.* 1. dicens hanc opinionem eſſe veriorem, *& nu.* 3. Bart. *eod. tract. Minor. lib.* 4. *diſt.* 3. *cap.* 1: & Bald. in Auth. *Ingreſſi, n.* 46. *C. de Sacroſ. Eccleſ.* & de communi teſtatur

Abb.conſ.27.*Pro clara,& luculenta,n.2.verſ.Quædam,& ſecunda Religio,p.2.* Roman.conſ.296. *Circa declarationem, nu.1 verſ.Secunda vero opinio eſt communis.* & alii, quos citat Gabriel. *d concluſ.1. de hæred. inſtituen. nu.6.*

49 Sed ſi ante profeſſionem de bonis ſuis diſpoſitionem fecerit, hujuſmodi diſpoſitio rata, & firma eſſe debet, cum in Regula B.Franciſci cautum ſit, ut liceat ingredientibus, & ſit liberum facere de bonis ſuis ſecundùm quòd Dominus ſpiraverit: quod etiam habetur in d.Clem.*Exivi*, §.*Dubitaverunt, de ver.ſignific.*& not. Bart. *d.l.4.diſt.2.c.1.num.*
50 4.Dummodò tamen ſervetur forma a Concilio Tridentino præſcripta *in c.16.ſeſſ.25.de Regular.* Et hoc ſi diſpoſitionem fecerit inter vivos; ſecus in ultima voluntate, quia decretum *d.c.16.* locum non habet in teſtamentis, & aliis ultimis voluntatibus, ut declaravit Sac.Congregatio ejuſdem Concilii interpres.

51 Et hæredes inſtituti in teſtamento profitentis ſtatim, capient illius hæreditatem, etiam non expectata morte naturali, ut Bart. concludit *d.diſt.2 c.2.*

52 Porrò concluſio ſuperiùs firmata, & illius declarationes vendicant ſibi locum in hæreditate, vel fideicommiſſo univerſali dumtaxat, non autem in legatis, ſeu relictis particularibus: nam etſi Fratres Minores etiam in communi ſint incapaces legati bonorum immobilium, & conſequenter etiam annui redditus, qui inter immobilia computantur, ut eſt textus in Clement.*Exivi*, §.*Cumque annuus redditus de vera. ſignific.* quem dicit rotundum, & clarum, Abb.conſ.63. *Ut veritas, poſt princ. ver. Præterea part.* 2. tamen ſunt capaces ad effectum vendendi, & pretium convertendi in ſuas neceſſitates, aut in uſum Fabricæ, vel Sacriſtæ; dummodò tamen pretium non ſit exceſſi-
53 vum, ita ut potiùs ſit theſaurizatum, quàm pro neceſſitatibus imminentibus receptum, ut inquit Bart. *in eod. tract. Minoritat.lib.1. diſtinct.2. cap.2. num.16.& ſeq.* Jaſ.*in*
54 *l. Apud Julianum*, §.*Conſtat, num.41.ff. de legat.1.* Et dummodò legatum fiat ſub modo licito, aut etiam ſimpliciter, quia ſub modo licito factum intelligitur, ut probatur expreſsè *in cap. Exiit*, §. *Præterea de ver.ſignific.lib.6.* & tenet gloſ. in d. Clem. *Exivi col. 5. in ver. Proinde verſ. Si autem modus, eod. tit.* & ibi etiam Anchar. *num. 13. verſ. Quandoque Fratribus relinquitur*, Bart in Authen. *Excipitur, C. de bon. quæ liber.& in d.tract.Minoritar. lib. 2. diſtinct.2. cap.1. num. 9. & diſtinct. 4. cap. 1. num. 19.* Abb. *d. conſ.63. num.8.part.2.*Rot.coram Burat. *deciſ.245. num.18.* & aliàs cenſuit Sac. Congregatio Concilii, ut dixi *in cap. Nimis prava, num. 50. de exceſſ.Prælator.* ubi etiam plenè videas, quorum legatorum ſint capaces Fratres Minores tam de familia, quàm ex reformatione, *à num.46. uſque ad num. 61.*

55 Sed hìc incidit pulchra dubitatio, an valeat legatum annui redditus factum valetudinario, ſeu infirmariæ Fratrum Minorum S. Franciſci.

56 Videtur reſpondendum non valere, quia pro neceſſitatibus infirmorum Regula permittit tantùm, ut Fratres recurrant ad amicos ſpirituales pro eleemoſynis manualibus, ut patet *in c. Exiit*, §.*Nec quidquam verſ. In alio quoque Capitulo de ver.ſignif. lib.6.* ubi ſic legitur, *Miniſtri, & Cuſtodes pro neceſſitatibus infirmorum, & aliis Fratribus induendis, per amicos ſpirituales ſolicitam curam gerant ſecundùm loca, & tempora, & frigidas regiones.* Et in Clem. *Exivi*, §.*Porrò cum dictus Sanctus eodem tit.* ibi: *Recurſus ad amicos ſpirituales pro pecunia in duobus caſibus tantùm ſecundùm Regulam conceditur, videlicet pro neceſſitatibus infirmorum, & Fratribus induendis.* Hæc autem proviſio fuiſſet inanis, & fruſtratoria, ſi pro uſu infirmorum liceret Fratribus habere annuos redditus.

Præterea hæ duæ neceſſitates, videlicet pro infirmis, & pro fratribus induendis: in Regula æquiparantur, ut in locis proximè citatis. Sed pro fratribus induendis certum eſt non licere illis obtinere annuos redditus, *d. cap. Exiit*, §. *Porrò*, & fatentur omnes. Ergo nec pro neceſſitatibus infirmorum, *c. Tranſlato de Conſtitut.& cap.2. de tranſlat. Epiſcop. cum ſimil.*

57 Ad hæc legatum annuum Fratribus Minoribus relictum pro alimentis non valet, ſecundùm Bart. *in l. Servo alieno in princ.*& ibi etiam Imol. *ff. de legat.1.* Feder.de Sen. *conſ. 12.Fratres, num.7. verſ. Quod non ſit capax*, Duenn.*regul. 381 in 1. limit. num. 1. verſ. Quod eſt verum niſi annuum*, Anton. Gabriel. *lib. 4. tit.de legat. concluſ.1. num. 27.* Ergo
58 nec valet legatum annuum pro medicis, & medicinis, & ſic pro uſu infirmariæ; quia legatis alimentis veniunt non ſolùm cibaria, habitatio, & veſtitus, *ut in l.Legatis, ff. de alimen. legat.* ſed medicinæ, ſalarium medici, ſtratum, & omnia ad victum neceſſaria, *l.Sicut impendia, ff.de uſufr. l.Verbo victus, ff. de ver.ſignific.* Bart.*in l.Si cum dotem*, §.*Sin autem, num.9.ff.ſolut.matrim.* Jaſ.*poſt alios in leg. Cum ii*, §. *Qui tranſigit, ff. de tranſact.* Riminald. Jun. *conſ. 132. num. 11. lib.2.*

Et confirmatur, quia ſi regula non permittit, ut Fratres Minores pro neceſſitate victus habeant redditus annuos, quia incerta mendicitas debet eis victum tribuere, ut dicit textus *in cap.unic.* §.1. *de Religioſ.domib.lib.6.* & tradit Feder.de Sen.*ubi ſupra*, & Abb.*conſ.63.Ut veritas, num.2. lib.2.* longè minùs cenſetur permittere, ut habeant redditus annuos pro medicinis, & medicis, quorum non eſt adeò præciſa neceſſitas ſicut victus, ſine quo vivere non poſſumus, *d.l.verbo evictus, & l.final. ff. de alim.pupill. præſtan.* Et in propoſito notat Bald. in Auth.*Ingreſſi, n.42. C. de ſacroſ. Eccleſ.*

Accedit quòd in d.Clem.*Exivi*, §.*Cùmque annui redditus de verb.ſignif.* pro generali regula firmatur, ut cùm 59
annuos redditus obtinere paupertati, & mendicitati repugnet, prædictis fratribus redditus quoſcumque, ſicut & poſſeſſiones, vel earum etiam uſum (cum eis non reperiatur conceſſus) recipere, vel habere, conditione conſiderata ipſorum, non liceat, quæ ſunt formalia verba illius text. Qui ergo dicit eos poſſe habere annuos redditus pro uſu infirmorum, probare debet, quia ſtandum eſt regulæ, quamdiù non probatur exceptio, *l Ab ea parte, ff. de probat.* Gloſ. 1.*in fin.c. Inter hæc 32. quæſt.1.* Et cùm edictum ſit prohibitorium, omnes annui redditus cenſentur fratribus prohibiti, niſi appareant conceſſi, ut probant illa verba textus. Cùm eis non reperiatur conceſſus, & notat Abb.*d.conſ.63. in princ.* Quæ tamen exceptio, ſeu conceſſio, nec probatur, 60
nec probari poteſt; quin potiùs conſtat de oppoſito tum ex ſuperiùs deductis, tum quia à memorata prohibitione obtinendi redditus quoſcumque excipitur tantummodò caſus pro Divino cultu, ut ſi relinquatur annuatim frumentum pro hoſtiis, vel vinum pro ſacrificio, aut pecunia pro luminibus, & ſimilibus, ut per Feder.de Sen.*d.conſ.12.n.4.* Bald. in d.Auth *Ingreſſi, n.59.* Abb. poſt Bart.& Joan.de Lignan.*d.conſ.63.num.4.verſ.Secundò principaliter*, Rota *deciſ.365.n.9 part.5. diverſ.* Ratio eſt ſecundùm omnes, quia per hujuſmodi legata fratrum Mendicitas non relevatur. Ergo hęc exceptio firmat regulam in contrarium in omnibus aliis caſibus, in quibus relevatur eorum mendicitas, ut per Abb. *loco citato*, & conſequenter relictum annuum pro uſu infirmorum non tenet.

Denique ſi liceret Minoritis pro uſu infirmariæ obtinere annuos redditus, hinc eſſet aperta via excludendi prorſus eorum mendicitatem: nam cùm redditus annui inter immobilia cenſeantur a jure, ut dicitur *in d.*§.*Cùmque annui redditus:* prætextu infirmorum poſſent non ſolùm cenſus, & loca montium, ſed etiam poſſeſſiones, & eorum fructus, imò & pingues hæreditates acquirere, cùm tamen ut legitur in d.Clem.*Exivi, in* §.*Rurſus*, Vir Sanctus tam in exemplis, quàm verbis regulæ oſtenderit ſe velle, ut fratres ſui, & filii Divinæ providentiæ innitentes, ſuos in Deum jacerent cogitatus, qui volucres cœli paſcit, quæ non congregant in horrea, nec ſeminant, vel metunt. Unde videmus nec fratres Capuccinos, qui Regulam fratrum Minorum in ſua puritate ſervant, nec fratres ſtrictioris obſervantię unquam habuiſſe redditus annuos etiam ad uſum infirmariæ.

Quamobrem non valere legatum annuum factum infirmariæ fratrum Minorum, tenet in puncto Joan.de Lignan. in d. Clem. *Exivi*, relatus à Joan. de Anan. *conſ.30.* & ex Recent. Sanchez *in Decalog. lib. 7. cap. 26. num. 47. verſ. Nec credo verum*, licèt ſupraſcriptas rationes non ponderet.

Nec refert, quòd idem Joan. de Anania *d. conſ.30. incipien. Viſa petitione, num.3. verſ. Circa tertium*, relatus 61
ſimpliciter à Rodriq.*quæſt.Regular. tom.2. quæſt.126. art.4.* conſuluerit valere legatum uſusfructus factum infirmariis Fratrum Minorum, quoniam movetur potiſſimum duobus fundamentis.

Primum eſt, quia dictum legatum non fuit factum Fratribus, ſed loco, juxt.text.*in l. Annua*, §.*Attia, ff.de ann.legat.* De jure autè cuilibet Religioſo loco legari poteſt, *l.1.C.de ſa-*

ſacroſ. Eccleſ. cum concordant. de quibus per eum: neque hoc jus fuit ſublatum per *d. Clemen. Exivi*, quæ ſecundum eum ſi legatur, & perlegatur à capite uſque ad finem, nullam facit mentionem quando relinquitur loco, ſed ſolùm quando fratribus, allegat Bart. *in tract. Minoritar. lib. 1. diſt. 4.* ubi tenet poſſe relinqui Eccleſiæ fratrum Minorum, licèt non poſſit relinqui fratribus, & legatum acquiri Eccleſiæ Romanæ, de cujus proprietate ſunt Eccleſiæ fratrum Mino-
62 rum, ut *d. Clem. Exivi*, §. *Loca verò*.

Verùm hoc primum fundamentum deridet, & dicit eſſe omninò falſum, Bald. *in Authen. Ingreſſi num. 55. Cod. de ſacroſ. Eccleſ.* nam aut ſumitur Eccleſia materialiter pro ædificio; & hoc modo Eccleſia non eſt ſufficiens medium ad acquirendum Eccleſiæ Romanæ civili acquiſitione, quia eſt quid inſenſatum, quod nec capere, nec velle poteſt; ſicut ſi dicerem, Lego fundo Titii, non propterea acquireretur Titio, niſi eſſet jus prædiale, quod ineſſet rei, *l. Pecoris, ff. de ſerv. ruſticor. prædior. l. Ut pomum, ff. de ſervit.* Aut ponitur Eccleſia formaliter, & ſignificativè, *l. Mortuo, ff. de fidejuſſor.* & tunc cùm ſignificet quid abſtractum à genere, id eſt ipſam ſpeciem, hoc eſt Collegium fratrum Minorum, quia Eccleſia, & Collegium idem ſunt, ut idem Bald. dixit *in Rubr. Cod. de ſacroſ. Eccleſ.* ſequitur, ut non poſſit acquirere mediante organo, & cùm organum ſit inhabile acquiſitio impeditur, *l. 1. §. Cæterùm, ff. de acquir. poſſeſſ. l. Quicumque gerimus, ff. de action. & obligat. l. Tria prædia, ff. de ſervit. ruſticor. prædior.* & quod notatur *in Clem. Religioſus, de Procur.* & maximè quia impedimentum Regulæ videtur eſſe de jure naturali, & Divino. Itaque in his, quæ requirunt medium, ceſſante medio, ceſſat acquiſitio, & inanimata non quærunt, niſi ſit acquiſitio, quæ procedat immediatè propter rem ipſam, ut ſervitus, *leg. Qui fundum, ff. quemadm. ſervit. amit.*

Prætereà Bald. ad confundendum, ut ipſe ait, Bartoli errorem, ſubjicit alias duas rationes. Prima ratio eſt ex parte voluntatis teſtantis; quia relinquere Eccleſiæ Romanæ, non eſt relinquere pauperibus, ſicut teſtator intellexit, *leg. Non dubium, Cod. de teſtam.* Unde opinio Bartoli eſt contra mentem teſtantis. Secunda ratio eſt, quia Joann. XXII. *in Extravag. Ad conditorem. §. fin. de verbor. ſignific.* renunciavit omni acquiſitioni dominii per dictos fratres faciendæ Eccleſiæ Romanæ. Ergo eodem modo renunciavit acquiſitioni faciendæ per Eccleſiam fratrum, cùm inter fratres, & Eccleſiam ſit quædam conjunctio inſeparabilis. Et ita contra Bartolum dicit ſe in facto conſuluiſſe: ejus conſilium habetur *in 4. volum. conſil. 416. Viſa ſubſtitutione*, ubi in fine concludit his verbis, *Ridiculum eſt dicere, Non poteſt relinqui fratribus, ſed poteſt relinqui Eccleſiæ, uti dicit Bartolus: hoc enim quid aliud eſt, niſi verba ſacra cavillari, & mentem juris lacerare? Unde poteſt ſibi dici, littera ſua occidit, ſpiritus autem vivificat.* Hęc Bald. cujus opinionem ſequitur, & pluribus confirmat ejus diſcipulus, Petr. de Anchar. *in d. Clemen. Exivi col. 3. n. 5. verſ. Sed quæro, an idem ſit*, Angel. *in Auth. de Eccleſ. tit. §. Si quis autem, il ſecondo*, & Barbat. *in c. Nos quidem col. final. de teſtam.*

Quid plura? Idemmet Bart. poſteà re accuratiùs perpenſa ſe retractavit *in l. 1. n. 5. C. de conduct. & Procurat. Dom. Auguſt. lib. 11.* ubi ait: Si legatum relinquitur Eccleſię S. Franciſci, illud legatum eſt nullum, ſicut ſi relinqueretur fratribus de S. Franciſco, licèt tenuerim contrarium in libello Minoritarum: & movetur per gloſſ. ibi, quæ exponit domum, id eſt illos de domo.

Quæ rationes à fortiori procedunt in legato facto infirmariæ. In Eccleſia enim poteſt conſiderari ratio Divini cultus, ut pro ſolvenda opinione Bartoli obſervat Abbas *d. conſ. 63. num. 4. verſ. Hoc etiam ſentit Bartolus lib. 2.* quæ tamen ratio in legato facto infirmariæ conſiderari non poteſt. Unde idem eſt in effectu legare infirmariæ, ac legare fratibus infirmis. Neque enim teſtator accepit infirmariam pro ædificio, ſed pro fratribus, eoſque principaliter contemplatus eſt, ut in propriis terminis dicit Joann. de Lignan. *in d. Clemen. Exivi*. Idque vel invitus fatetur ipſemet Joann. de Anan. *d. conſ. 3. nu. 7.* ibi. Ergo in caſu noſtro aſſignabuntur fructus dictarum poſſeſſionum infirmariæ S. Franciſci, & ſi ibi erunt infirmi, qui eis indigeant, ſubveniet eis juxta votum defuncti. Sed fratres infirmi non ſunt capaces, ut oſtenſum eſt ſupra. Ergo nec infirmaria & quemadmodum ſervus, qui regitur à domino, non eſt capax eorum, quorum dominus non eſt capax, *l. Non minus, ff. de hæredit. inſtit. l. Si mihi, & tibi, §. fin. de leg. 1.* ita eadem ratione locus, qui regitur per fratres, non debet eſſe capax eorum, quorum fratres non ſunt capaces, ut per Petrus de Anchar. *ubi ſuprà*.

Secundum fundamentum Joann. de Anan. eſt, quia per 63
legatum uſusfructus factum infirmariæ non fit fraus *dict. Clem. Exivi*, quæ ſolùm prohibet relinqui fratribus Minoribus ad hoc, ut vivant ſine proprio, & in paupertate, quod non tollitur, ſi relinquitur pro neceſſitatibus infirmorum. Sed hoc quoque fundamentum eſt falſum, quia Regula præcipit, ut fratribus infirmis provideatur ex mendicitate, & quæſtu quotidiano, ut probatum eſt ſupra: & per annuos redditus relevatur eorum mendicitas; unde meliùs Joann. de Lign. *ubi ſup. dicit*, legatum factum infirmariæ fratrum Minorum eſſe in fraudem paupertatis: & ut Bald. inquit *in d. Auth. Ingreſſi nu. 57.* hinc eſſet aperta via fraudibus, & fieret fraus de nomine ad nomen, ut *in Auth. de nupt. §. Optimè, l. Si per impreſſionem, ff. quod met. cauſ.*
omnis autem fraus eſt prohibita de jure naturali; & quid- 64
quid ratione fraudis prohibetur, tamquam jus naturale de ſimilibus ad ſimilia extenditur, *leg. 1. & l. ult. ff. ſi quid in fraud. patr. l. Cùm hi. §. Si cum lex, de tranſact.*

Secunda concluſio. Reliqui Mendicantes ſunt capaces 65
acquiſitionis bonorum immobilium in communi, non quidem ut poſſideant, aut ſibi perpetuò retineant, ſed ut vendant, & pretium convertant in ſuas neceſſitates: hoc enim non repugnant mendicitati, nec Religioſę paupertati, ut tenet gloſſa ordinaria, & ſolemnis *in cap. inter Domum, de religioſ. domib. lib. 6.* quam ſequuntur communiter Juriſtæ *in l. Julianus §. Conſtat. de legat. 2.* & Canoniſtæ hìc, præſertim Felin. *num. 51. & in cap. Filius, de teſtam:* prout de communi teſtantur Hieronym. Gabriel. *conſ. 28. num. 3. lib. 1.* Navarr. *in Comment. 2. de regular. nu. 50. verſ. Si autem aliorum*, & Menoch. *conſ. 1014. numer. 14.* quam etiam ſequuta eſt Rota apud Put. *deciſ. 279. lib. 1.* & Buratt. *deciſ. 245. num. 3.* ubi allegantur aliæ deciſiones concordantes. Imò illam gloſſam de conſuetudine obſervari affirmant Bald. *conſ. 232. col. 2. verſ. Nec obſtant verba lib. 2* Raphael Cuman. *conſ. 169. col. 2. verſ. His tamen non obſtantibus*, Dec. *conſ. 550. n. 5. verſ. Et concluſio ſupradicta*, Put. & Buratt. *locis citatis*. Et quamvis illa gloſſa loquatur in legatis, tamen idem eſſe in inſtitutione, ut ſcilicet valeat ad effectum vendendi, & pretium erogandi in eorum neceſſitates, tenet Guidopap. *deciſ. 327.* Nicol. de Ubald. *in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. Clericor. num. 5.* ubi teſtatur de communi, prout etiam atteſtatur Decius *hìc num. 70.* & alii apud Gabr. *de hæred. inſtituen. concluſ. 1. num. 11.* licèt Raphael Cuman. *conſ. 132. & d. conſ. 169.* dicat hoc procedere potiùs de conſuetudine, quàm de jure.

Sed tu adverte, quia hæc concluſio hodiè locum habet 66
tantummodò in domibus profeſſis Societatis Jeſu, quę licèt ſint Mendicantes ex Regula, & renunciaverint conceſſioni Concilii Trident. *in c. 3. ſeſſ. 25. de regul.* ut dicam *in ult. qu. num. 82. & nu. 84.* tamen ſunt capaces acquiſitionis poſſeſſionum, & annuorum redditaum, non modò per viam legati, ſed etiam per viam inſtitutionis univerſalis, non quidem ad effectum retinendi, ſed ſolùm vendendi, & pretium erogandi in ſuas neceſſitates, & alios pios uſus, ut in terminis reſolvit Rota coram Buratt. in præalleg. *deciſ. 245. per tot.* ubi articulum plenè, & accuratè examinat, & reſpondet objectis.

Verùm quoad alios Mendicantes, exceptis Capuccinis, 67
& Minoribus de Obſervantia S. Franciſci, prædicta concluſio hodiè non procedit; quia S. Synodus conceſſit Monaſteriis omnibus Mendicantium tam virorum, quàm mulierum, quibus ex Conſtitutionibus erat prohibitum, aut ex privilegio non erat conceſſum bona immobilia poſſidere, ut deinceps bona hujuſmodi poſſidere valeant, ut
in cap. 3. ſeſſ. 25. de regular. Unde cùm jam ſint capaces bo- 68
norum immobilium in communi, etiam ad effectum poſſidendi, & ſibi perpetuò retinendi proculdubio excludunt ſubſtitutum, ſicut alii non Mendicantes, ad pręſcriptum hujus Decretalis, prout firmant Navarr. *Comment. 2. de regular. num. 54.* & Sanchez *in Decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 16. num. 13.* An autem ejuſmodi Monaſteria ſuccedant in bonis feudalibus, examinavi latiſſimè *in cap. Quæ in Eccleſiarum ſuprà de conſtitut. in quæſt.* an regularis ex Ordine fratrum Prędicatorum ad Epiſcopatum aſſumptus ſuccedat

cedat in feudo aperto, poſtquam fuit conſecratus Epiſcopus
à num.57. uſque ad num. 108.

69 Ulterius QUÆRO, an Regularis ex indulto Apoſto-
lico à Religione Fratrum Minorum de Obſervantia ad ter-
tium Ordinem S. Franciſci ex legitima cauſa translatus re-
cuperet jus ſuccedendi in bonis ſibi ex teſtamento, vel ab
inteſtato poſt translationem delatis.

70 Videtur reſpondendum recuperare hujuſmodi jus ſucce-
dendi, ac ſecundo Monaſterio acquirere adinſtar Monachi
ad Epiſcopatum aſſumpti, qui ſuccedit in hæreditate ſibi
poſt aſſumptionem delata, eamque acquirit Eccleſiæ, ad
quam fuit promotus, ut eſt textus *in cap. Statutum* 18. *qu.*
1. cujus hæc ſunt verba: *Monachus, quem Canonica electio à*
jugo Regulæ Monaſticæ Profeſſionis abſolvit, & ſacra or-
dinatio de Monacho Epiſcopum facit, velut legitimus hæres
paternam ſibi hæreditatem poſteà jure vendicandi poteſta-
tem habeat. Hæc ibi. Nam quamvis Monachus factus Epi-
ſcopus non deſinat eſſe Monachus, nec abſolvatur à ſub-
ſtantialibus Regulæ; ideòque nec proprium habere poſſit,
cap. Cùm ad Monaſterium in fin. de ſtat. Monach. & c. De
Monachis 16. *q.*1. gloſſ. *in cap. Quorumdam in ver. Mendi-*
cantium, de elect. lib.6. & in d. cap. Statutum in ver. Legiti-
mos. & docet S. Thom. *in* 2. 2. *qu.*88. *art.*11. *ad* 4. tamen ut
alia Eccleſia acquirat ex perſona illius, ad ſubſtantialia Re-
ligionis non pertinet. Ideòque gloſſ. Archid. Turrecr. &
alii DD. exponentes verba illa, *Paternam ſibi hæreditatem*
poſteà jure vendicandi poteſtatem habeat, verbum illud, *Sibi*
interpretantur, id eſt, Eccleſiæ ſuæ.

Et cùm Archiepiſcopus Goanus, cujus conſultationes
ſan.mem. Paulus V. ad Sac. Congregationem Concilii reje-
cit, inter alia quæſiviſſet, an ſpolia Epiſcopi Regularis mo-
rientis ab inteſtato pertinerent ad Cameram Apoſtolicam,
an ad ſucceſſorem beneficii: Et Cardinalis Serra teſtatus
eſſet Cameram Apoſtolicam ibi quoad ſpolia nihil præten-
dere: Sac. Congregatio reſpondit, bona poſt conſecratio-
nem acquiſita ad propriam Eccleſiam pertinere, per *d. cap.*
Statutum, & doctrinam Navarr. *de reddit. Eccleſ. q.*1. *in* 9.
*admonit. n.*1. *& ſeqq.*

71 Quamobrem ſicut Regularis ad dignitatem ſæcularem
translatus, licèt ex ſe ſit incapax ſucceſſionis, acquirit Ec-
cleſiæ ſuæ hæreditatem ſibi delatam poſt translationem:
eodem modo translatus ad Religionem; quæ bonorum ſit
capax in communi, acquirit ſecundæ Religioni: & per
text. in *d. c. Statutum*, Fratres Minores S. Franciſci de
Obſervantia translatos ad Religionem bonorum capacem
fieri habiles ad ſucceſſionem bonorum, quæ ſibi poſt tranſ-
lationem deferuntur, itaut acquirant ſecundo Monaſte-
rio, tradit in puncto Bart. in *tract. de Minorit. lib* 4. *diſt.*2.
*cap.*3. ubi refert ſic priùs determinaſſe Franciſcum de Aſſiſ-
ſio decretorum Doctorem: ſequuntur Nicol. de Ubald. in
tract. de ſucceſſ. ab inteſt. Clericor. par. 1. *n.*3. *verſ. Et idem*
ſi eſſet translatus ad Monaſterium capax, Jaſ. in *l. Ex facto*,
§. final. ſub nu. 10 *verſ. Adde etiam quoad Bart. ff. de vulg.*
72 Summa Angel. in *ver. Religio num.*28. Redoan. *de ſpol. Cle-*
*ricor. qu.*8. *num.*22. & DD. hìc, maximè Felin. *nu.* 50. *verſ.*
Et adde quòd ſi Frater Minor. Ratio eſt, quia Regularis ad
alium Ordinem translatus nihil habet commune cum pri-
ma Religione, ut ſtatuitur decreto Chalcedonen. Conc.
cap. 10. in hæc verba, *Si quis jam translatus eſt ab alia Ec-*
cleſia in aliam, nihil habet commune cum priore Eccleſia, re-
73 fertur in *cap. Si quis jam* 21. *q.* 2. ad idem text. in *c. Ne pro*
cujuslibet 16. *qu.*1. Ideòque deſinit eſſe filius prioris Mona-
ſterii, ut dixit gl. Joan. Andr. in *d. c. Statutum in ver. Reſti-*
74 *tuat in fin.* & regulatur in omnibus ſecundum inſtituta Re-
ligionis, ad quam transfertur, *c. Recolentes, de ſtatu Mo-*
nachor. ſecundùm Navarr. *de regular. conſ.*61. *n.* 5. *& conſ.*
64 *per tot.*

75 Quæ tamen concluſio duas recipit declarationes. Pri-
ma eſt, dummodò Regularis ad laxiorem translatus fuerit
ob cauſam infirmitatis, debilitatis, complexionis, vel aliam
ſimilem: ideòque in dubio appoſita ſunt verba illa, *Ex legi-*
tima cauſa: aliàs enim ſi ob demerita fuerit translatus, jus
ſuccedendi non recuperat, ſecundùm Bart. *d. tract. de mino-*
*rit. diſt.*3. *c.*3. *in fine*: Quia, inquit, illa abſolutio magis eſt
ad pœnam, quàm ad præmium, & conſentiunt Jaſ. & Angel.
locis cit.

76 Secunda declaratio eſt, dummodò hæreditas eidem Re-
gulari deferatur poſt tranſitum ad laxiorem, id eſt, poſt
profeſſionem in ſecunda Religione emiſſam, cùm antea
non dicatur canonicè translatus, *c. Cùm ſingula, §. final. de*
*preben. lib.*6. Navarr. *conſ.*61. *quidam Abbas num.*2. *de re-*
gular. Hæreditas enim ante hujuſmodi tranſitum delata, ſi-
quidem fuerit adita per conſanguineos, non acquiritur
per regularem poſteà translatum, cùm jam ſit aliis acquiſi-
ta, ut decidit Bart. *ubi ſup. c.*2. Bald. in *l. Si alienum, §. In ex-*
*traneis n.*7. *verſ. Secundò facit, ff. de hæredib. inſtituen.* Fe-
deric. de Sen. *conſ.*26 Felin. hìc *n.* 50. *verſ. Et adde quòd ſi*
Frater Minor, & Pariſ. *n* 185 Sin autem hæreditatis fuerit 77
quidem delata ad eumdem regularem ante translationem,
ſed adita non fuerit per venientes ab inteſtato; tunc quam-
vis ex perſona illius ſecundum Monaſterium poſſit adire,
ut per Feder. *d. conſ.*26. *per tot.* tamen hęc queſtio eſt magis
dubitabilis, ut patet ex traditis ibi per Feder. Nicol. de
Ubald. *loco cit.* & Bero. hìc *n.*550. Ideòque in propoſita quę-
ſtione conſultò addita ſunt verba illa, *In bonis ſibi poſt*
translationem delatis, &c.

Non obſtant duæ Conſtitutiones Alexan. VI. quæ red- 78
dunt incapaces ſucceſſionis regulares tranſeuntes ad Reli-
gionem capacem bonorum in communi: nam ambæ ſunt
reſtrictę ad Fratres Minores de Obſervantia tranſeuntes ad
Ordinem Minorum Conventualium; atque in hunc ſen-
ſum referuntur à Redoan. *d. quæſt.*8. *nu.* 38. & à Roder. *de*
*regular. tom.*2. *qu.*128. *art.*1. *verſ. Advertendum tamen*, &
ab his, qui privilegia Mendicantium in compendium re-
degerunt, in *ver. Hæreditas, verſ. Alexander VI.* Quod non
eſt hoc caſu, quia Fratres Tertii Ordinis non ſunt Con-
ventuales Minorum de Obſervantia; ideòque hujus caſus
ſolutio, tamquam non comprehenſi in Bulla, petenda eſt
ex diſpoſitione juris communis, ut notat gloſſ. in *c. Conſti-*
*tutionem in ver. Prorogamus in fin. de regular. lib.*6. Oldrad.
*conſ.*22. *num.*4.

Præſertim quia Conſtitutiones Alexandri ſpecialem ha-
bent rationem in ſuo caſu, id eſt, facilitatem, & frequen-
tiam tranſitus Minorum de Obſervantia ad Conventuales
ejuſdem Ordinis, quam ut compeſceret Alexander, inter-
dixit tranſeuntibus ſucceſſionem in bonis ad eos quomo-
documque delatis, atque ita Conſtitutiones ad hunc cà-
ſum non ſunt extendendę, ſive verba, ſive rationem illa-
rum conſideremus, ad gl. magnam in *fin. in Clem.*1. *de ſent.*
excommun.

Quibus tandem accedit, quòd Conventuales dicuntur 79
Fratres, qui ab antiqua ſua perfectione, & Regulæ Obſer-
vantia declinantes, à Sede Apoſtolica impetrarunt facul-
tatem bona immobilia in communi poſſidendi, ut patet ex
prima parte Chronicarum Ordinis Minorum, & refert Fra-
ter Ludovicus Miran. in *Manual. Prælat. tom.*2. *q.*12. *art.*1.
Fratres autem Tertii Ordinis ſunt capaces bonorum im- 80
mobilium in communi ex Regulæ inſtituto. Unde etiam
ex hoc capite potuit moveri Alexander Pontifex ad prohi-
bendam ſucceſſionem Regularibus translatis ad Conven-
tuales tantùm, qui ex vi Regulæ non poſſent ſuccedere;
non autem translatis ad alias Religiones, quarum inſtituta
non prohibent ſucceſſionem. Et ita reſolutum.

Ultimò QUÆRO, an Societas Jeſu, ejuſque domus, 81
collegia, & perſonæ, ſint verè, & propriè Ordinis Mendi-
cantium?

Extra controverſiam eſt, Societatem profeſſam, & il- 82
lius domus, ex ſui natura, non autem ex indulto, ſeu pri-
vilegio, eſſe Mendicantes. Quandoquidem ex regula fun- 83
damentali ad litteram inſerta in *Conſtitutione Pauli III.*25.
incipien. *Regimini*, §.10. & paulò ulteriùs repetita in *Conſti-*
tutione 9. *Julii III.* quæ incipit, *Expoſcit*, §.11. cautum eſt,
ut infrà, videlicet: Sic voveant ſinguli, & univerſi perpe-
tuam paupertatem, ut non ſolum privatim, ſed neque
etiam communiter poſſint profeſſi, vel ulla eorum domus,
aut Eccleſia ad aliquos proventus, redditus, poſſeſſiones,
ſed nec ad ulla bona ſtabilia, præter ea, quæ opportuna
erunt ad uſum proprium, & habitationem, retinenda
jus aliquod civile acquirere, rebus ſibi ex charitate dona-
tis ad neceſſarium vitæ uſum contenti: & in *Conſtitutioni-*
*bus Societatis par.*6. *cap.*2. *num.* 2. ampliùs additur, ut in
domibus, vel Eccleſiis redditus nulli, ne Sacriſtię quidem,
aut fabricæ applicari haberi poſſint, ſed neque ulla alia ra-
tione; ſed in ſolo Deo fiducia conſtituatur. Quæ verba
convincunt Societatem ipſam in arctiſſima paupertate
fundatam eſſe. Id quod affirmat Menoch. *conſ.*1014. *n.*15.
Hieronym. Gabr. *conſ.*28. *num.* 1. *&* 2. *lib.*1. & complures
alii ex recentioribus. Et quamvis Societas profeſſa omni-
mo-

modam habeat adminiſtrationem redditúum Collegiorum tamen cùm illos in proprios uſus convertere nequeat, ut diſponitur in formulis primævi inſtituti ut ſuprà inſerti in præcitatis Conſtitutionibus Pauli III. & Julii III. utrobique in §. 12. adeòut nec Præpoſitus Generalis poſſit ſuper hoc diſpenſare, ut in *Conſtitut. Societatis part. 4. cap. 2. nu. 5.* hujuſmodi ſuperintendentia, & adminiſtratio mendicitatem non excludit, ut in hac ſpecie obſervat Hieronymus Gabr. *d. conſ. 29. num. 2. verſ. Nec repugnat.* Quare cum Societas profeſſa ex regula redditibus careat, eique victum præbere ſoleat incerta mendicitas: hæſitari non poteſt, quin verè & naturaliter illi conveniat diffinitio Mendicantium, quæ habetur in *c. unic. §. Confirmatos, de relig. domib. lib. 6.* ut infrà latiùs explicabitur; & conſequenter hac in parte declaratoria S. Pii V. de qua infrà in *6. fundamento*, in alium ſenſum detorqueri non poteſt, ut ex pluribus de-
84 ducit Rota coram Buratto *deciſ. 245. num. 1. & ſeqq.* cùm præſertim eadem Societas adhuc in puritate regulæ perſeveret, quippè quæ in Domibus Profeſſorum, vel eorum Eccleſiis ceſſit juri ſuo, & renunciavit conceſſioni Concilii Tridentini, de qua in *c. 3. ſeſſ. 25. de regul.* ut ex Patribus Societatis referunt Molin. *de juſt. & jur. tract. 2. diſp. 139. col. 2.* & Thom. Sanch. in *Decalog. tom. 2. lib. 6. c. 18. num. 11.*

85 Idemque per omnia dicendum eſt de Coadjutoribus formatis: tum quia ut diſponitur in *Conſtitutionibus Societatis part. 6. cap. 2. nu. 4.* Coadjutores quamdiu in Domibus erunt, quæ ex eleemoſynis vivunt, & ipſi eodem modo vivent: unde & illis propriè convenit Mendicantium diffinitio, de qua in *d. §. Confirmatos*; tum quia Declaratoria S. Pii V. hos quoque Coadjutores complectitur.

86 Itaque punctus concertationis reſtringitur ad Collegia, & Scholaſticos in eis degentes. Ratio dubitandi eſt, quia ex primævo inſtituto, ut præfertur, inſerto in præcitatis Bullis Pauli §. 11. & Julii §. 10. Societas poteſt habere in Univerſitatibus Collegium, ſeu Collegia habentia redditus, cenſus, ſeu poſſeſſiones uſibus, & neceſſitatibus
87 Studentium applicandas. Ergo Collegium, & Studentes non ſunt Mendicantes, quia ut diffinitur in *d. c. unic. §. Confirmatos, de relig. domib. lib. 6.* Mendicantes ſunt, quibus ad congruam ſuſtentationem redditus, aut poſſeſſiones habere, profeſſio, ſive regula quælibet interdicunt; ſed per quæſtum publicum tribuere victum ſolet incerta mendicitas, & notat gloſſ. 2. in *c. unic. de exceſſ. Prælat. lib. 6. & in c. Quorumdam in ver. Mendicantium, de elect. eodem libr.* & Doctores paſſim. Vel certè dicuntur Mendicantes, qui ex regula, vel Conſtitutionibus non poſſunt habere proprium etiam in communi, ſecundùm Calderin. *conſ. 17. de regul.* & eſt expreſſum in Conſtitutione II. Bonifacii VIII.
88 inferiùs adducenda. Habent enim pro dote mendicitatem, ut inquit Gemin. *conſ. 40. nu. 7. verſ. Hoc idem probat.* Cùm igitur Collegiis, & eorum Scholaſticis non competat diffinitio Mendicantium, utiq; nec diffinitum, *ſ. 1. 27 q. 2.* Cald. *d. conſ. 17.* ubi hoc argumento conſuluit Ordinem Servorum non eſſe ex Mendicantibus.

Nec tollit obicem, quòd omnimoda gubernatio, & ſuperintendentia ſuper dicta Collegia ſit penes Præpoſitum, vel Societatem. Quoniam hoc non impedit, quin dominium redditúum, & poſſeſſionum remaneat penes Collegia, cùm totum, & integrum inſumere debeant in Scholarium neceſſitates, & nihil prorſus in uſus proprios convertere valeant: ut in prædictis Conſtitutionibus, *d. §. 10. & 11.* Atque ita Præpoſitus Generalis eſt nudus, & ſimplex miniſter, non dominus, ad text. in *l. Si quis Titio*, & ibi Bald. *num. 2. & 3* & Doctores, *ff. de leg. 2.* Menoch. *conſ. 66. num. 16. verſ. Secundò.* Exemplo tutoris, qui bonorum pupillarium omnimodam habet adminiſtrationem, dominio tamen penes pupillum remanente, ut *l. Obligari. ff. de auth. tutor. cum multis ſimilibus.* Ideòque in litteris Pii IV. incipien. *Exponi nobis*, Domus Probationis, & Collegia Societatis dicuntur habere, vel poſſe habere bona ſtabilia juxta regularia illius inſtituta; habere enim propriè quis
89 dicitur jure dominii, *l. Habere, ff. de verbor. ſignific. c. Nolo, §. Nulli liceat in Societate noſtra, & c. Non dicatis 12. qu. 1.* Buratt. *d. deciſ. 245. n. 7.*

90 Et augetur difficultas, quia Scolaſtici in Societate nedum ſunt capaces bonorum in communi, ſed etiam in particulari; nam ut habetur in Conſtitutionibus Societatis *part. 6. c. 2. nu. 11. in declarat. litt. H.* poſt votum paupertatis poſſunt retinere dominium bonorum ſuorum conſcio, & approbante Superiore; quod videtur repugnare non ſolùm mendicitati, ſed etiam paupertati religioſæ, ut in *d. §. Nulli liceat*, & expreſſiùs in *c. Cùm ad Monaſterium, §. Nec æſtimet Abbas, de ſtat. monach.*

Cæterùm etſi præmiſſa primo intuitu valdè urgere vi- 91
deantur, exiſtimo tamen pro veritate omninò tenendum eſſe, Collegia, & Scholaſticos eſſe verè, & propriè Ordinis Mendicantium, ex fundamentis infraſcriptis. Et primò, una & eadem religio non poteſt ſimul eſſe diverſorum Ordinum, Clem. 1. & ibi Cardin. *num. 10. verſ. Et pro hac ratio, de elect. c. Recolentes, §. Cæterum, de ſtatu monachor.* alioquin Religio non eſſet una, ſed multiplex, *c. Loquitur Dominus 24. q. 1.* Sed Scholaſtici unà cum Coadjutoribus 92
formatis, & ſolemniter Profeſſis ſunt una, & eadem Religio, & Societas, ut patet in ejus Conſtitutionibus *part. 1 c. 1. num. 1.* ubi ſic legitur, *Scholaſtici approbati etiam modo quodam interiore, quàm admiſſi ad probationem, in corpus Societatis cooptantur*: & ibi in declarationibus *litt. A.* Societatis nomen dicitur continere cum Profeſſis, & Coadjutoribus formatis etiam Scholaſticos approbatos: & immediatè ſubjungitur, *Ex his enim tribus partibus Societatis corpus conſtat.* Ergo Scholaſtici non poſſunt eſſe alterius Ordinis, quàm ſint Coadjutores formati, & Profeſſi, de quibus non controvertitur, quin ſint Ordinis Mendicantium.

Et confirmatur, quia Ordines Mendicantes à non 93
Mendicantibus differunt ſpecie, Clem. *Ut profeſſores*, & ibi gloſſ. in *ver. Quoslibet, de regul. c. unic. in princ* ibi, *Diverſorum Ordinum, præcipuè Mendicantium, de relig. domib. lib. 6.* gloſſ. in *c. Conſtitutionem, in ver. Religioſibus, de regular. eodem lib.* & admittunt ſcribentes omnes hic; Mendicantes enim ad vitam activam, Monaſtici verò, & non Mendicantes ad vitam contemplativam ſunt inſtituti: & Religionum diverſitas ſumitur ex fine ad quem ordinan- 94
tur, ut docet S. Thomas in 2 2. qu. 188. art. 1. & 2. Joann. Andr. in *c. Sanè num. 4. de regular.* Ergo fieri non poteſt, ut una, & eadem Religio, & Societas conſtet ex Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium; eſſet enim corpus ex diverſis naturis, & monſtruoſum inſtar Chimeræ, & Hippocentauri, quę licèt ſint ſimilia entibus, tamen non ſunt entia, ut ait Bald. *conſ. 9 in fin. num. 8. verſ. Et ad clariorem lib. 1.* Nec talis dici poſſet Societas, ſed potiùs Diſſocietas, cùm rationi repugnet, ut homines diſparis profeſſionis, vel ordinis ſimul ſocientur, ut legitur in dicta Clem. 1. *de elect.* Et quamvis in Societate quidam mendicent, ut Profeſſi, & Coadjutores, quidam verò ſtudiis vacantes actu non mendicent; hinc tamen diſformitas Ordinis non inducitur: nam ſicut in corpore humano eſt membrorum varietas per diverſa officia, quia non omnia membra eumdem actum habent, & tamen idem eſt corpus, ut *c. Singula 89. diſt.* ita in corpore Societatis, quamvis diverſa ſint Scholaſticorum, & Profeſſorum miniſteria, unum tamen eſt corpus, una Societas mendicans, & unus Ordo, ad quod facit optimè *d. c. Loquitur 34. qu. 1. & Extravag. Unam ſanctam, de major. & obed.* & probatur clariſſimè in Conſtitutione II. Bonifacii VIII. quam infrà adducemus in reſponſione ad objecta.

Secundò, ad dignoſcendum, cujus naturæ ſit Univerſi- 95
tas, vel Societas, inſpici debet natura majoris partis; ideòque Collegium, in quo ſimul ſunt Clerici, & Laici, ſi 96
major pars ſit laicorum, cenſetur laicale, & è converſo, quia major pars trahit ad ſe totum, *l. Quod major, ff. ad municipal.* & tenent Bart. in *l. fin. nu. 15. ff. de colleg. illicit.* Abb. in *c. Ex litteris num. 3. de conſt.* Covarr. *pract. qu. cap. 36. num. 5. verſ. Tertiò.* Similiter Univerſitas mixta aſſumit 97
naturam à potentiori, ſeu digniori, *c. Quod in dubiis, de Conſecr. Eccleſ. vel Altar.* Abb. per illum textum in *c. De jure in 1. notab. verſ. Item ex hoc, de jurepatr.* Unde videmus Collegium, quod mixtum eſt Doctorum juris Canonici, & juris Civilis, judicari Collegium Canoniſtarum, ut per Abbat. *loco proximè citato*, & Lambert. in *tractat. de jurepatr. lib. 1. part. 2. in 4. qu. art. 3. nu. 2.* Sed in Univerſitate Societatis Jeſu duæ ex tribus partibus proculdubio ſunt Mendicantes, nempè Profeſſi, & Coadjutores formati, ut ſuperiùs oſtenſum eſt. Item hæ duæ tertiæ partes ſunt abſque dubio potentiores, & digniores, quia Scholaſtici ſunt tertię claſſis, Coadjutores ſecundæ, Profeſſi primæ, ut patet in ejus Conſtitutionibus, *c. 1. exam. nu. 7.* & Pro-

& Profeſſi ſunt in Societate præcipui, & ipſi tantùm habent votum activum, & paſſivum in electione Præpoſiti Generalis, ut *part.* 5. *c.* 1. *litt. A.* Ergo tota hæc Univerſitas, & Societas cum ſuis Profeſſis, Coadjutoribus, & Scholaſticis cenſetur Ordinis Mendicantium, cùm præſertim hoc caſu ſit etiam favorabilius, ut major, & dignior pars trahat, & non trahatur, Put. *dec.* 157. *lib.* 3.

98 Tertiò, Caput Societatis, id eſt, Præpoſitus Generalis, eſt verè, & non fictè Mendicans, ut explicitè declaravit S. Pius V. in Conſtitutione, de qua infrà in 6. *fundamento*, in illis verbis: *Illam ſcilicet Societatem, & illius Præpoſitum: &c. verè, & non fictè Mendicantes fuiſſe, eſſe, & fore.* Ergo non ſolùm Profeſſi, & Coadjutoris, ſed etiam Capiti ſubjecti ſunt naturaliter Mendicantes, quia membra ſunt illius naturæ, cujus eſt caput, *l. Cùm in diverſis, ff. de relig. & ſumpt. funer. c. Cùm liceat, de præſcr.* Cagn. in *proœm. Digeſtorum nu.* 22. & in terminis Gabr. *d. conſ.* 28. *nn.* 7. & 8. *lib.* 1. Alioquin Præpoſitus Generalis non eſſet caput Ordinis, ſed caput Ordinum, & Scholaſtici & Profeſſi cum Coadjutoribus eſſent duo corpora ſub uno capite, quaſi monſtrum, *de Extrav. Unam ſanctam, verſ. Igitur, de major & obed. c. Quoniam, de offic. ordin.*

99 Quartò, ſi Collegia Societatis eſſent Ordinis non Mendicantium, non liceret Profeſſis, & Coadjutoribus ad illa tranſire, ut ibi officia, & adminiſtrationes aſſumerent: hoc enim eſſet contra Concilium Viennenſe in *Clem.* 1. *de regular.* cui in Conſtitutionibus Societatis non reperitur derogatum, prout requiritur, *c. Ex parte, de Capell. Monach.* Oldrad. *conſ.* 326. *num.* 1. Sed conſequens eſt falſum quia ut habetur *part.* 4. *eorumdem Conſtitutionum c.* 2. *nu.* 1. *declarat. litt. F.* & Coadjutores, & Profeſſi poſſunt tranſire ad Collegia, ut ibi ſint Adminiſtratores, Concionatores Lectores, Confeſſarii, Viſitatores, & ſimiles. Ergo & antecedens.

100 Quintò, religioſi non ſortiuntur naturam, & denominationem ex medio, ſed ex fine ad quem tendunt, ut per D. Thomam in 2. 2. *q.* 288. *art.* 1. *in corpore.* Joann. Andr. in *d. c. Sanè nu.* 4. *de regul.* Cardin. in *Clem.* 1. *num.* 13. *de elect.*

101 Ideòque Novitii, licèt non ſint Monachi, aut Regulares cum effectu, cùm adhuc ſæculo non renunciaverint; tamen quia tendunt ad profeſſionem, appellantur religioſi, *c. Religioſo, §. Quamvis autem, de ſentent. excomm. lib.* 6. Cardin. in *Clem.* 1. *num.* 2. & 5. Rebuff. in *Prax. tit. de diſpenſat. cum regul. num.* 23. & patet ex notatis per Hoſtien. in *c. Statuimus num.* 4. *verſ. Nec obſtat, de regul.* & per gloſſam magnam in *c. Beneficium poſt med. verſ. Item talis, eodem tit. lib.* 6. ubi ait, Novitios eſſe religioſos licèt revocabiliter. Scholaſtici autem Societatis non ſunt in Collegiis, ut ibi perpetuò maneant, ſed tamquam in via ad Societatem profeſſa. Collegia enim inſtituta ſunt, ut ſint Seminarium Societatis, ut dicitur in præallegata Bulla Julii III §. 10 Idcircò enim admittuntur, ut poſtquam docti evaſerint, in Societatem ingredi, & Profeſſi, vel Coadjutores eſſe valeant. Ideòque elapſo tempore probationis emittunt tria vota ſimplicia, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ cum promiſſione ingrediendi Societatem, vel ut Coadjutores, vel ut Profeſſi, quemadmodum expreſsè diſponitur in Conſtitutionibus Societatis *c.* 1. *exam. num.* 10. Igitur Scholaſtici, quamvis in Collegiis habeant redditus in communi, tamen cum ſint ibi quaſi in via, & in fieri, ut inquit Suarez *de relig. tom.* 4. *lib.* 1. *c.* 2. *nu.* 17. meritò ab ipſa Societate Profeſſa, & Mendicante, ad quam tendunt, naturam & denominationem aſſumunt: facit text. in *leg Si is qui quadraginta*, §. *Quædam*, ibi, *Propriam formam, quæ ex conſummatione contingit, ff. ad leg. Falcid. & in l. Stipulatio, §. Opus, ff. de oper. novi nuntiat.*

102 Sed objicies: Argumenta ſuperiùs propoſita concludunt quidem Scholaſticos eſſe Mendicantes, ſed non Collegia, quæ redditibus abundant. At reſpondetur, hanc diſtinctionem ineptam eſſe, quia dum Canones, Concilia, & Conſtitutiones Apoſtolicæ loquuntur de Religionibus, Ordinibus, Societatibus, Eccleſiis, Monaſteriis, Domibus, & Collegiis Mendicantium, non accipiunt hæc nomina materialiter pro ædificiis; hoc enim modo non ſunt materia capax ſumendi victum ex mendicitate, quia ſunt quid inſenſatum, quod quidem nec capere, nec velle poteſt, ut formaliter ait Bald. in *Authen. Ingreſſi num.* 55. *C. de Sacroſanct. Eccleſ.* & Anchar. in *Clem. Exivi nu.* 6. *verſ. Præterea, aut tu ſumis Eccleſiam pro ædificio, de verb. ſignific.* Rurſus non accipiunt hæc nomina, prout ſunt unum, non ſimpliciter, ſed aggregativè, quo ſenſu Collegium dicitur quaſi unum collectum, & eſt Societas Collegarum in uno honore poſitorum, quia hoc modo ſunt perſona ficta, ſeu repræſentata, *leg. Mortuo, ff. de fidejuſſor.* non autem perſona vera, quæ eſt creaturæ rationalis individua ſubſtantia, ut egregiè declarant Jo. Monach. & Joan. Andr. in *c. Romana num.* 9. *de ſent. excomm. lib.* 6. ac proindè Religiones, Societates, & Collegia ſic accepta cum ſint quid abſtractum, & præſcidens à ſingularibus hominibus, propriè dici non poſſunt Mendicantia; quia illis non convenit Mendicantium diffinitio, de qua in *d. c. unic. §. Confirmatos, de relig. domib. lib.* 6. Impoſſibile enim eſt, ut ad neceſſariam ſuſtentationem victum ſumant ex incerta mendicitate tamquam res inanimatæ, ut notat Archid. in *d. c. Romana n.* 5. *verſ. In univerſitatem*, Oldrad. *conſ.* 65. *in fin. verſ. Punitur pœnis*, Federic. de Sen. *conſ.* 15. *num.* 6 *verſ. Eodem modo*, Turrecrem. in *c. In criminalibus num.* 15. *qu.* 3. & ſi hoc modo acciperentur, nulla religio eſſet Mendicans in Eccleſia Dei, Igitur Canones, & Concilia, & Bullæ neceſſariò uſurpant ſuprafcripta nomina pro perſonis ipſis, & 103
quæ inſimul Ordinem, vel Societatem, aut Collegium conſtituunt gloſſ. in *l. Sicut, §. fin. in ver. Non debetur, verſ. Quia Univerſitas nihil aliud eſt, niſi ſinguli homines, qui ibi ſunt, ff. quod cujuſque univerſ. nom.* Anchar. *conſ.* 158. *Ex narratis nu.* 12. *verſ. Ita è converſo*, Bart. in his terminis in *leg.* 1. *num.* 4. & 6. *C. de conduct. & procur. lib.* 11. nam ipſis 104
tantùm poteſt ad ſuſtentationem præbere victum incerta mendicitas, ad præſcriptum *d. §. Confirmatos*; cùm actus, & paſſiones, quæ in facto conſiſtunt, ſint ſingulorum, non autem Collegii, vel Univerſitatis, ut in his terminis dixerunt Gemin. & Præpoſ. in *c. Sicut vir* 7. *qu.* 1. relati à Philippo Probo in *addit ad Monach. in d. c. Romana num.* 5. *verſ. Ut veniamus, de ſentent. excommunicat. lib.* 6. & Silveſt. in *ver. Excommunicatio* 1. *num.* 10. Ideòque jura ut plurimum nec dicunt Ordinem Mendicantem, ſed Ordinem Mendicantium, ſcilicet perſonarum Mendicantium, prout loquitur text. in *c. Conſtitutionem*, ibi, *Ad aliorum Mendicantium Ordines, de regul. lib.* 6. Concilium Viennenſe in *Clem.* 1. ibi, *Ad non Mendicantium Ordinem, de elect.* & Concilium Tridentinum in *c. ult. ſeſſ.* 25. *de regul.* ibi, *Cujuſcumque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium*

Præterea etiamſi Collegii nomen ſumatur ex univerſo, 105
& aggregativè, prout eſt collectio plurium; tamen aſſumit naturam à perſonis, ex quibus componitur, Unde ſi Collegiales ſunt Mendicantes, neceſsè eſt, ut Collegium ſit Mendicans, ut optimè per Innoc. in *c. Dilecta nu.* 9. *de exceſſ. Prælat.* & Dec. in *c. Ex litteris num* 20. & 21. *de conſtitut.*

Ac demum cùm Collegia Societatis ſint regularia, oportet, ut ſint alicujus Regulæ, vel Ordinis; & cùm ſint pars integralis, & membra Societatis, utcumque divitiis affluant, neceſsè eſt ut ſint illius Ordinis, cujus eſt Societas: alioquin daretur una Religio, & unus Ordo diverſorum Ordinum, quod implicat contradictionem, & aliæ ſequerentur abſurditates, de quibus in præcedentibus fundamentis. Hinc cùm quidam Epiſcopus, & Capitulum conquererentur apud S. Congregationem Concilii, quòd Moniales Ordinis Mendicantium nollent vigore ſuorum privilegiorum ſolvere decimas, quas anteà ſolvere ſolebant, & Capitulum pro ſe allegaret dictas Moniales eſſe divites, multaque bona poſſidere. In libris publicis Sac. Congregationis reperitur ſic adnotatum: Sanctiſſimus non movetur iſtis divitiis, Satis eſt ut ſint Ordinis Mendicantium.

Sextò, principaliter hanc controverſiam, ni fallor, apertè diremit S. Pius V in *Conſtitut.* 131. incipien. *Dum indefeſſæ*. Quod ut evidentius appareat, ante omnia obſervandum eſt eam Conſtitutionē eſſe declaratoriam, Quod 106
patet, tum quia utitur verbo, *Declaramus*, quod æqualiter determinat omnia præcedentia, ex reg. *l. Jam hoc jure, §. Sed ſi*, & ibi Bart. *nu.* 1. *ff. de vulgar.* Et quamvis adjiciat etiam verbum, *Sancimus*, nihilominus hoc ideò facit, quia licèt ſit declaratio, tamen eſt Conſtitutio; unde perindè eſt, ac ſi dixiſſet, declarando ſancimus, ut plenè per Gemin. *conſ.* 72. *num.* 1. *verſ. Contrarium*. Tum quia Conſtitutio dicit, Societatem, & illius perſonas verè, & non fictè Mendicantes fuiſſe, eſſe, & fore: ſi enim ante Bullam fuerunt verè Mendicantes: Ergo Bulla non eſſet novi juris, ſeu privilegii inductiva, quia ſic non reſpiceret

præ-

107 præteritum, *c. ult. de conſt. leg. Leges, la ſeconda, C. de legib.* ſed eſt juris præexiſtentis declarativa, de cujus natura eſt, ut retrotrahatur ad principium actus declarati, ut in *Auth. de fil. ante dotal. inſtrum. nat.* §. 1. Dec. in *d. c. ult. de conſtit. n* 44. Rot. *deciſ.* 17. *nu.* 32. *part* 4. *recent.* Declaratio enim novum jus non inducit, ſed quod priùs latebat, manifeſtat, *l. Hæredes palam*, §. *Quod verò, & §. Sed etſi notam, ff. de teſtam.* plenè Philipp. Prob. *ad Monach. in c. Volentes nu.* 1. *de privil. lib.* 6. exemplo ejus, qui excutit ſpicas, qui novam ſpeciem non facit, ſed eam, quæ eſt, detegit, tex. in *l. Adeò*, §. *Cùm quis, de acquir. rer. domin.* Fulgoſ. *conſ.* 157. *in fin. verſ. Ad ſecundam.*

Hoc poſito, Conſtitut. S. Pii V. tria facit. Primò aſſerit Societatem eſſe Mendicantem, quippè quæ ex ejus inſtituto, & Conſtitution. Apoſtolica authoritate confirmatis, bona ſtabilia poſſidere nequit; ſed incertis eleemoſynis, fideliumque largitionibus, & ſubventionibus vivit. Secundò dicit id poſſe aliquando in controverſiam deduci ex eo, quòd dicta Societas Collegia habeat ſecum adjuncta. Tertiò, ad hujuſmodi ambiguitatem amputandam, in §. 2. declarat per hæc formalia verba: *Illam*, id eſt, *Societatem*, & illius Præpoſitum, ac ſingulas perſonas Societatis hujuſmodi verè, & non fictè Mendicantes fuiſſe, eſſe, & fore, &c. declaramus.

108 Quibus ita ſe habentibus oſtenditur apertiſſimè non tantùm Profeſſos, & Coadjutores, ſed etiam Scholaſticos ex Bulla fuiſſe declaratos verè, & naturaliter Mendicantes. Primum enim cùm Pontifex hoc expreſsè declaraverit de Societate ipſa, utique hoc idem implicitè declaravit etiam de Scholaſticis; quia cùm ipſi ſint pars integralis ipſius, & unà cum Profeſſis, & Coadjutoribus unum corpus Societatis conſtituant, ut oſtenſum eſt ſuprà in primo fundamento: una, & eadem Societas non debet diverſo jure cenſeri, *c. Cognovimus* 12. *q.* 2. *c. Cùm in tua, de decim.* Gabr. *d. conſ.* 28. *n.* 8. *lib.* 1. Separatis enim partibus, ex quibus Univerſitas Societatis conſtat, Univerſitas Societatis intelligi non poteſt, dixit textus in *l. Eum qui, ff. de uſucap.*

109 Et eò magis, quia Collegia in Conſtitutione dicuntur adjuncta Societati. Ergo ſortiuntur naturam, & inſtituta Societatis, cui adjuncta ſunt, ut eſt textus clarus in *c. Recolentes*, §. *Cæterum*, ibi, *In Societatem Ordinis aſſumpta, de ſtatu Monachor.* & quæ religioſis, adhærent, religioſa ſunt, *l. Religioſis, ff. de rei vendicat.* per quem text. Hoſt. ſupracitatus in 5. *fundamento num.* 101. firmavit etiam Novitios eſſe Religioſos.

Præterea Pontifex non modò Societatem, ſed etiam ſingulas illius perſonas declaravit eſſe Mendicantes. Hæc autem verba includunt etiam Scholaſticos, cùm negari non poſſit, quin & ipſi ſint perſonę Societatis, ut ſimiliter patet ex dictis ſuprà in *primò, & ſecundo fundamento*. Præſertim ponderando illud univerſale diſtributivum, *Singulas*, quod ex ſui natura ita includit omnes, ut ne unus quidem cenſeatur excluſus; *c. In cauſis*, & ibi Jo. Andr. *n.* 5. *de elect.*

110 Ad hæc Conſtitut. in *fin.* §. 1. loquitur de Societate, prout habet adjuncta ſecum Collegia. Ergo dum poſteà in §. 2. declarat illam eſſe Mendicantem, ſub relativo, *Illam* intelligitur repetiiſſe nomen Societatis Similiter, prout habet Collegia adjuncta, ad text. in *l.* 1. *Pluribus in prin. ff. de verbor. obligat.* Rota *deciſ.* 687. *verſ. Et hoc denotat relativum illud, par.* 2. *recent.*

Et eodem modo ſequentia verba, *Perſonas Societatis hujuſmodi*, referri debent ad Societatem eo modo, quo de ipſa ſuperiùs facta fuit métio, cùm dictio, *Hujuſmodi*, ſit relativa præcedentium cum ſuis qualitatibus, Bart. in *l. Si quis ſervum, §. fin. n.* 1. *ff. de leg.* 2. Alexan. *conſ.* 141. *nu.* 1. *verſ. Ponderandum li.* 2. Sed ſuperiùs facta fuit mentio Societatis habentis adjuncta Collegia. Ergo verba illa, *Perſonas Societatis hujuſmodi*, intelligi debent de perſonis Societatis itidem habentis adjuncta Collegia, & ſic etiam de Scholaſticis, prout arguit Suar. *de relig. lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 11. *verſ. Imò quod.*

111 Ac demum S. Pius V. præmiſit ſuę intétionis eſſe amputare ambiguitatem, quæ oriri potuiſſet ex eo, quòd Societas Collegia habeat ſecum adjuncta. Hanc autem ambiguitatem planè non ſuſtuliſſet, niſi declaraſſet Societatem univerſam, & ſic etiam Collegia, & Studentes eſſe Mendicantes. Ergo cenſeri debet ſic declaraſse, cùm hæc fuerit illius mens, & cauſa finalis in proœm. Conſtitutionis expreſsa, quę regulat totam diſpoſitionem; *l.* 1. *ff. de orig. jur. & l. fin. de hæred. inſtitut.* Bart. in *l. Cùm ii n.* 3. *ff. de tranſact.*

Non obſtat ſi dicatur, Conſtitutio S. Pii V. in §. 2. ubi declarat Societatem eſſe Mendicantem, de Collegiis nullam facit mentionem, ſed de Præpoſito, & perſonis dumtaxat. Poſteà verò in §. *ſeq.* ubi declaravit Societatem potiri exemptionibus, ac privilegiis Mendicantium, meminit etiam de Collegiis: unde ex hac diſtinctione argui poteſt, ut in prima parte noluerit Collegia comprehendere, nam ſi voluiſſet, expreſſiſſet, ſicut expreſſit in 2. *arg. l. un.* §. *Sin autem ad deficientes, C. de caduc. tollen. cum ſimil.*

Id, inquam, non obſtat; nam pręter alias ponderationes conſidero Pontificem in prima parte de domibus, & Collegiis non meminiſſe, quia ibi declaravit, quinam ſint Mendicantes: hoc autem convenit perſonis tantùm, quibus præbet victum incerta mendicitas, non autem domibus, & Collegiis, quia domus ſunt quid materiale, & inſenſatum, & Collegia non ſunt perſona vera, ſed ficta, ſeu repræſentata, ut fusè oſtenſum eſt ſuprà in 5. *fundamento verſ. Sed obiices.* At vero in 2 *parte*, ubi declaravit Societatem comprehendi in diſpoſitionibus, & privilegiis aliorum Mendicantium: ideò expreſſit etiam domus, & Collegia, quia diſpoſitiones, & privilegia hujuſmodi conveniunt etiam rebus, ut patet in privilegiis realibus, *c.* 1. 2. *& per tot.* 25. *q.* 2. Alexan. *conſ.* 85. *n.* 1. *lib.* 1. Unde ex hac diſtinctione non licet arguere, ut Collegia non ſint Ordinis Mendicantium Quod ex eo etiam convincitur manifeſtè, quia eadem diſtinctio fit in domibus, de quibus conſtitutio meminit in ſecunda parte, & non in prima; tamen certum eſt domus hujuſmodi eſſe Mendicantes, ut conſtat ex dictis *ſup. in princ.* Ergo ſicut argumentum à ſeparatis hoc caſu non procedit in domibus, ita nec in Collegiis, cùm æqualis debeat eſſe determinatio, *d. l. Jam hoc jure, ff. de regular.*

Quare etiam Collegia, & Scholaſticos Societatis Jeſu eſſe Mendicantes, jure optimo cenſuerunt non modo Authores, & Patres ipſius Societatis, ut Suarez *loco ſupracit.* & Th. Sanch. *ſuper Decalog. tom.* 2. *lib.* 7. *c.* 7. *n.* 117. *circa med. verſ. Et non ad ſolos profeſſos*, dicens, ita S. Pium V. declaraſſe: ſed etiam Authores extra Societatem, ut Hieronym. Gabr. in *præcitato conſ.* 28. *nu.* 8. *& ſeqq. lib.* 1. Menoch. *d. conſ.* 1014. *n.* 14. Rodriq. in *Summ. Hiſpan. p.* 4. *c.* 113. *nu.* 1. *poſt med.* & plures alii recentiores.

Ex prædictis patet ſolutio ad objecta: nam etſi Collegia 112
habeant redditus, & poſſeſſiones pro neceſſitatibus ſtudentium; hinc tamen non ſequitur, ut non ſint Ordinis Mendicantium, ut ex dictis conſtat, præcipuè in primo, & ſecundo fundamento. Nec adverſatur text. in *cap. unic.* §. *Confirmatus, de relig. domib. lib.* 6. in quo vis tanta conſtituitur; quin potiùs in oppoſitum retorquetur: nam textus diffinit, Mendicantes eſſe, quibus habere redditus, vel
poſſeſſiones Regula interdicit. Regula autem non dicitur 113
reſpectu alicujus membri, ſeu partis integralis, ſed reſpectu totius corporis Religionis: non enim dicitur, Regula hujus, vel illius Conventus, ſed dicitur, Regula Prædicatorum, & Regula Minorum, ut in *cap. Exiit*, §. *Regula,*
& vitæ Minorum, de verbor ſignif. lib. 6. & conſequenter 114
licèt aliquod membrum habeat redditus, non tamen proptereà dicitur Ordinis non Mendicantis, ſi Ordo ipſe ex Regula ſit Mendicans, ut per Gabr. *d. conſ.* 128. *num.* 4. *& ſeq. lib.* 1. Qui intellectus deſumitur evidenter ex Conſtitutione II. Bonifacii VIII. quæ incipit, *Ad conſequendam gloriam, in Bullar. tom.* 1. *pag.* 140. ubi Bonifacius in §. 3. *Illos Ordines*, inquit, *intelligi volumus in paupertate fundatos, qui ex Regula, vel Conſtitutionibus ſuis extra ſepta Eccleſiarum, Monaſteriorum ſuorum, vel officinam eorum, & clauſuram ipſorum nullas debent poſſeſſiones habere. Quod ſi aliquis de Ordinibus ipſis poſſeſſiones in aliquibus membris ſuis habere, in aliis verò non habere noſcatur, eum quoad ordinationem, & inhibitionem hujuſmodi prædictis Ordinibus in paupertate fundatis annumerari volumus.* Hæc ibi. Ecce igitur etiam membra, quæ habent poſſeſſiones, adnumerari inter Mendicantes, quando ex Regula, vel Conſtitutionibus Ordo ipſe poſſeſſiones habere prohibetur.

Quod comprobatur etiam exemplo; nam infirmariæ, ſeu valetudinaria Fratrum Minorum S. Franciſci poſſunt habere annuos redditus pro neceſſitatibus infirmorum, neque id repugnat regulæ, ſi vera eſt opinio Joan. de Anan. *conſ.* 20. *n.* 3. *verſ. Circa tertium*, relata à Rodriq. *q. Regular. tom.* 2. *quæſt.* 127. *art.* 4. de quo plenè ſcripſi ſuprà *à num.* 55. *uſque ad num.* 65. & tamen nemo dixerit hujuſmodi infirmarias, & Fratres infirmos in eis degentes non eſſe Ordinis

nis Mendicantium: Ergo pariter hoc dici non poteſt de
Collegiis Societatis habentibus redditus in communi pro
115 neceſſitatibus ſtudentium. Cum præſertim poſſidere bona
immobilia in communi non repugnet naturæ, & eſſentiæ
ſtatus Mendicantium, ut probat Lap. *alleg 4. num.3. & ſeq.*
116 ubi firmat Mendicantes eſse, qui ex fundatione ſuæ regu-
læ non habent redditus ad congruam ſuſtentationem, licèt
de facto vel ex privilegio non mendicent; quia etiamſi ex
privilegio ſcripto ſint habilitati ad poſseſſiones, non tamen
ſunt habilitati ad alia, nec liberati ab aliis juribus, quæ de
Mendicantibus loquuntur; & ſequuntur Franc. in *d.c.un.*
§. Confirmato, poſt num.2. & num.4. in fin. Felin. in *hoc cap.*
117 *In præſentia num.53. verſ. Et prædictis adde Lapum*, & pro-
batur irrefragabiliter ex decreto Concilii Tridentini *c.3.*
ſeſſ. 25. de regular. ubi Mendicantes omnes, exceptis Ca-
puccinis, & Minoribus de obſervantia S. Franciſci, habi-
litantur ad poſſidendum bona immobilia in communi, ſi-
ve ſint Mendicantes ex Conſtitutionibus, ſive ex Regula
per privilegium non mitigata; & nihilominus Sancta Sy-
nodus eos appellat Mendicantes, & pro Mendicantibus
ibi agnoſcit, & à non Mendicantibus ibi diſtinguit, *cap. ult. ejuſdem ſeſſ.*

Poſtremò non obſtat, quòd Scholares poſſint jus, & dominium bonorum ſuorum retinere ad tempus Generalis Præpoſiti judicio preſcribendum, Quoniam hoc objectum percutit ſolummodò proprium in particulari, quod concernit religioſam paupertatem, non autem proprium in communi, quod concernit ſtatum mendicitatis, de quo nunc eſt quæſtio: unde hujuſmodi objectum ſi quid probaret, hoc tantùm probaret, nempè Scholaſticos Societatis non eſse religioſos. Sed abſit, ut hoc in controverſiam revocemus, quia Gregor. XIII. in *Conſtitutione 99.* incipien. *Aſcendente Domino*, non modò in §. 16. declaravit ejuſmodi dominium non obeſse religioſæ paupertati, ſed etiam in §. 20. & 21. tria vota Scholaſticorum ſimplicia ſubſtantialia eſse, eaque emittentes veros religioſos eſse decrevit: & ampliùs in §. 24. præcepit ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne quis hoc in controverſiam, aut dubium revocare quocumque modo præſumat.

DE PROBATIONIBUS.

Idem Innocentius III.

CAPUT X.

PEr tuas nobis litteras intimaſti, quod cùm T. Tiburtinus civis quandam per ſeptennium habuerit concubinam, nec prolem ſuſceperit interim ex eadem, ac ipſa poſtmodum divertens ab eo, ad ipſum non poſt multum tempus rediiſſet, filium quem reverſa in domum ipſius peperit, ex eo ſe aſſeruit ſuſcepiſſe: & infrà. Quia verò mulier illa de dicto T. ſuſcepiſſe R. de quo agitur, primitùs conſtanter aſſeruit: & idem T. præfactæ mulieris præcipuè devictus inſtantia, ipſum ſuum filium publicè recognovit, & filius ejus nominatus communiter fuit, & habitus ab ambobus: ejuſdem mulieris poſtmodum juramento in contrarium præſtito non eſt ſtandum, cùm nimis indignum ſit (juxta legitimas ſanctiones) ut quod ſua quiſque voce dilucidè proteſtatus eſt, in eumdem caſum proprio valeat teſtimonio infirmare. Unde apparet per conſequens, quod prędictus R. Sophiam neptem memorati T. cujus prima facie præſumitur conſobrinus, non poteſt habere aliquatenùs in uxorem.

SUMMARIUM.

1 *SI qui nominant aliquem filium, & ita communiter reputatur, non creditur alteri eorum juranti contrarium.*

2 *Filiatio etiam ex damnato coitu probatur præſumptivè ex tractatu, & nominatione parentum.*

Et diſſolvit matrimonium cum conſanguinea patris, ibidem verſ. Secunda concluſio.

3 *Filius ex Presbytero, & conjugata genitus, ex quo genere ſpuriorum ſit.*

Spurii ex damnato coitu patri non ſuccedunt, nec dicuntur agnati, ſed tantùm lineam maternam agnoſcunt, ibid. verſ. Tales.

Proles ex Presbytero eſt adeò Sacris Canonibus exoſa, ut nec matri ſuccedat.

4 *Filius natus ex concubina an & quando præſumatur eſſe filius illius, qui eam domi retinebat, ibid. verſ. Secundò idem, n.22.*

5 *Vulgò concepti finguntur patrem non habere.*

6 *Vulgò conceptus non venit filiorum appellatione etiam in materia, in qua jus naturæ inſpicitur.*

Declaratur, n.19. & 22.

7 *Impedimentum dirimens matrimonium oritur in gradibus prohibitis etiam inter illegitimos, & natos ex damnato coitu, & n. ſeqq. uſque in fin.*

8 *Conſanguinitas, ſeu cognatio eſt quid naturale.*

9 *Cognati unde dicti.*

10 *Conſanguinitas quid ſit.*

11 *Conſanguinitatis vinculum oritur etiam ex complexu infidelium.*

12 *Affinitas eſt quid naturale, & oritur etiam ex copula illicita, & inter infideles*

13 *Conſanguinitas eſt fortius vinculum, quàm affinitas.*

14 *Diſpoſitio contra filios, legitimos, multò magis habet locum in ſpuriis; ſecus ſi conferat filiis legitimis aliquod beneficium.*

15 *Filii ſpurii etiam nefarii, quoad effectum matrimonii dicuntur conſanguinei, & affines.*

16 *Filii nati ex damnato coitu non reputantur cognati patris quoad effectus civiles tantùm; ſecus quoad naturale vinculum, & jura ſanguinis.*

17 *Spurius dicitur cognatus cognatione naturali.*

18 *Eccleſia in impedimentis matrimonii conſtituendis magis reſpexit ad jus naturale, quàm civile.*

19 *Filiorum appellatione veniunt etiam naturales, quando verba diſpoſitionis ſonant in nomen potiùs naturale, quàm civile.*

20 *Filia etiam nefaria admittitur ad vindicandam necem parentum.*

21 *Filiis ex inceſtis nuptiis non debentur alimenta de jure civili; ſecus de æquitate Canonica.*

22 *Vulgò quæſitus quomodo intelligatur poſſe cum omnibus matrimonium contrahere.*

23 *Filiatio vulgò quæſiti probatur per aſſertionem matris, & tractatum ejus, qui eam domi aluit.*

24 *Filius Sacerdotis probatur ex tractatu, & nominatione ipſius.*

25 *Filiatio per ſolam famam non probatur.*

26 *Fama non probatur per teſtes deponentes ſe audiviſſe à multis.*

27 *Fi-*

27 *Filiatio præſumpta ex tractatu, & nominatione parentum, impedit c ntrahendum, & dirimit contractum in gradibus prohibitis etiam inter illegitimos.*

1 PEr *Tuas*. Si qui nominent aliquem filium, & ita communiter reputetur, non creditur alteri eorum juranti contrarium Hoc dicit, ſecundùm Jo. Andr. cum quo cæteri concordant.

2 Nota ex hac Decretali duas concluſiones. Prima eſt: Ex tractatu, & nominatione parentum probatur præſumptivè filiatio etiam ex complexu illicito, prout hìc erat: ad quod vide bonam gloſſam, quæ hoc dicit de filio ex Presbytero, & concubina, in *c. Michael, in ver. Conſtiter i. de filiis Preſbyt.* Nec mirum, quia hoc modo probatur etiam filiatio legitima, aut in *c. Per tuas infra, qui filii ſint legit.* & ſcripſi latiſſimè in *c. Lator eod. tit.*

Secunda concluſio eſt: Præſumpta hæc probatio filiationis etiam ex damnato coitu ſurgens ex tractatu, & nominatione parentum, eſt tantæ efficaciæ, t dirimat matrimonium contractum cum conſanguinea patris, ut hìc patet in *verſ. Unde apparet*, & ſi conſanguinitas etiam ex coitu damnato, & reprobato contrahitur, ut hìc, & in *l. Nihil intereſt, ff. de rit. nupt.* & in pluribus *cap. 35. quæſt. 2.* Dec hìc *num. 9* & præſumptivè probata diſſolvit matrimonium, ut hìc dicit gl. *fin.* & Butr. *num.* 10. Utramque concluſionem latiùs proſequor in quæſtione ſequenti. Facti ſeries ſic ſe habet.

Joannes Dominicus habuit uxorem Antonellam jam pridem defunctam: nunc vult ſibi matrimonio copulare Hiſpolytam neptem ex ſorore Joannis Antonii Presbyteri; & cùm juxta decretum Concilii Tridentini præmitterentur denunciationes, quidam teſtes relevarunt inter Joannem Dominicum, & Hiſpolytam eſſe impedimentum affinitatis in ſecundo gradu ratione Antonellæ prioris uxoris, quippè quæ fuit filia Joannis Antonii Patrui Hiſpolytæ, de cujus nuptiis nunc agitur; Antonellam verò eſſe filiam Joannis Antonii inde deducunt, quòd Catharina tametſi virum haberet, quo tempore concepit Antonellam, erat concubina dicti Joannis Antonii jam tunc in ſacris conſtituti, & ab eo domi retinebatur. Secundò, quia Antonella publicè dicebatur eſſe filia Joannis Antonii, Tertiò, quia ipſa Catharina dixit ſe Antonellam filiam ex Joanne Antonio ſuſcepiſſe; & Joannes Antonius eamdem Antonellam ſimul, ac nata eſt, domum ſuam afferri curavit, uti filiam tractavit, atque matrimonio cum Joanne Dominico conjunxit. Contra verò ad hujuſmodi probationes evertendas, ſeu enervandas, Joannes Dominicus coram loci Ordinario nonnullos teſtes examinari fecit ad perpetuam rei memoriam. Ex quorum dictis habetur dictam Catharinam, quo tempore Antonellam concepit, fuiſſe publicam meretricem, ad eamque omnibus acceſſum potuiſſe, quamvis in domo Joannis Antonii degeret, & cum eo frequentiùs rem haberet, à multiſque tunc dictum fuiſſe eam eſſe filiam Corſini, & à multis aliis eſſe filiam Julii.

His ita in facto ſe habentibus dubitatur, an ſubſit aliquod impedimentum, quo minùs Joan. Dominicus poſſit cum Hiſpolyta matrimonium contrahere? Opinioni negativæ, id eſt, nullum inter prædictos ſubeſſe impedimentum, & declaratoriam ſuper hoc eſſe concedendam, videntur ſuffragari infraſcripta.

3 Primò, quaſi etſi conſtaret Antonellam eſſe filiam Joann. Antonii; cùm tamen is tempore illius conceptionis eſſet Sacerdos, & Catharina conjugata: non eſt dubium eam eſſe natam damnato coitu, & propterea eſſe ex illo genere ſpuriorum, qui patrem quidem habent, ſed præ pudore illum demonſtrare non poſſunt, ad *leg. Vulgo concepti, ff. de ſtat. homin* Hoſt. in *Summ tit. qui filii ſint legit. §. Quæ ſunt genera, verſ. Dicunt autem*, Ripa poſt alios in *l. Ex facto, §. Si quis rogatus n. 3. ff. ad Treb.* tales autem ſpurii patri non ſuccedunt, nec ejus conſangnineorum agnati dicuntur, nec paternam lineam agnoſcunt, ſed tantùm maternam, DD. in *Auth. ex complexu, Cod. de inceſt. nupt.* Abb. in *c. Tanta num.* 13. *qui filii ſint legit.* Dec. in *c. In præſentia nu.* 114. *de probat.* Boer. *deciſ.* 127. Paleot. in *tract. de Noth. & Spur. cap. 60. num.* 4. Covarr. in 2. *par. Epit. de Sponſal. c* 8. §. 5. *num.* 13. inferens ex hoc duos fratres ex diverſis concubinis, nec jura agnationis, nec cognationis habere, nec ſibi invicem ſuccedere. Ex quo videtur ſequi, ut vir cum ſpuria contrahens matrimonium non efficiatur affinis patri illius, nec aliis per lineam paternam attinentibus, cum non ſint ſuæ uxoris agnati, vel cognati; & ſic mortua uxore poſſit cum alia muliere nepte patris uxoris defunctę matrimonium contrahere.

Quod fortiùs videtur procedere hoc caſu, in quo agitur 4
de muliere ſuſcepta ex Presbytero; quæ proles adeò eſt Sacris Canonibus exoſa, ut nec matri ſuccedat, Covarr. in *loco ſupracit. num.* 17.

Secundò, idem deducitur ex eo, quòd non obſtant hanc Antonellam eſſe filiam Joannis Antonii; quamvis enim quis præſumatur filius illius, qui matrem domi pro concubina conceptionis tempore retinebat, gloſſ. in *cap. Michael. in ver Conſtiterit, de filiis Presb.* tamen cum ſit probatum eodem tempore concubinam cum aliis quoque ſe indifferenter commiſcuiſſe, non dicitur conſtare Antonellam tunc ab ea ſuſceptam eſſe filiam dicti concubinarii matrem domi retinentis, ut in terminis declarat Alber. adjiciens ſe ita in facto obtinuiſſe, in *l Filium diffinimus n* 13. *ff. de his qui ſunt ſui, vel alien jur.* Cùm enim talis filia ſit vulgò concepta, patrem non habet, *d. l. Vulgò concepti, & inſtit. de nupt. §. pen.* ubi gloſſ. illos verſus recenſet:

Cui Pater eſt Populus, Pater eſt ſibi nullus, & omnis:
Cui Pater eſt populus, non habet ille patrem.

Paria autem ſunt quem patrem non habere, vel propter incertitudinem non liquere quiſnam ille ſit; ad regul. *leg. Duo ſunt Titii, ff. de teſtam. tutel. & l. In lege ff. de contrah. empt.* de qua per Bart. *conſ.* 234. *num.* 1. *lib.* 1. Et ideò lex fin- 5
git hujuſmodi vulgò conceptum non habere patrem, Bald. 6
in *l Prius n.* 33. *qui accuſ. non poſſ.* ita ut propterea non veniat filiorum appellatione etiam in materia, in qua jus naturæ inſpicitur, ut ait Bald. *d. num.* 33. *verſ. Quod ad ſecundum articulum, & nu.* 34. adjiciens judicem hoc caſu debere ſequi legis conſcientiam, ut judicet eum patrem non habere, ſicut lex judicat.

His tamen non obſtantibus, nullo pacto videtur decla- 7
randum licere huic Joanni Dominico matrimonium contrahere cum Hiſpolyta amitina uxoris defunctæ, & ſic ſibi conjuncta ſecundo affinitatis gradu comprehenſo in prohibitione, *c. Non debet, de conſanguin & affinit.* nam etiamſi proles ſit illegitima; tamen in gradibus prohibitis oritur impedimentum dirimens matrimonium. *l. Nuptiæ, la quarta*, juncta *l. ſeqq. ff. de rit. nupt.* nam in *l. Nup.* inquit Cajus: Nuptiæ conſiſtere non poſſunt inter eas perſonas, quę in numero parentum, liberorumve ſunt, ſive proximi, ſive ulteroris gradus ſint, uſque ad infinitum. Et ſic ibi agitur de impedimento dirimente. Deinde in *l. ſeqq.* continuativè inquit Scævola: Et nihil intereſt ex juſtis nuptiis cognatio deſcendat an verò non; nam & vulgò quæſitam ſororem quis vetatur uxorem ducere. Et de jure Canonico eſt textus clarus hìc cùm concordant.

Ratio eſt, quia conſanguinitas, ſeu cognatio eſt quid 8
naturale, *l. Non facile, ff. de gradib. & affin.* & eſt nomen naturæ, ut per Ruin. *conſ.* 9. *qu.* 1. *num.* 3. *lib.* 4. nam ſecluſa etiam omni lege Eccleſiaſtica, natura ipſa dictat ex propagatione ejuſdem ſanguinis oriri quandam conjunctionem, & amicitiam naturalem, ut ex Ariſtotele 8. *Ethic* probat D. Thomas in 4. *diſt.* 41. *qu.* 1. *art.* 1. *qu* 1. Et propterea in
d. l. Non facilè, cognati ab eo dici putantur, quòd quaſi una, 9
communiterve nati, vel ab eodem orti, progenitive ſint.
Et conſanguinitas diffinitur eſſe vinculum perſonarum ab 10
eodem ſtipite deſcedentium carnali propagatione contractum in *c. Series, verſ. Deindè* 35. *qu.* 5. & à D. Thom. in 4. *diſt.* 40. *qu. unic. art.* 1. & communiter à Theologis, & Juriſperitis. Et dicitur conſanguinitas, quaſi ſanguinis unitas, gloſſ. *penult in cap.* 1. *de conſang. & affinit.* Hęc autem carnis propagatio, & ſanguinis unitas, cùm habeat fundamentum naturale, æquè fit ex complexu damnato, atque ex legitimo; ac proindè etiam inter natos ex prohibito coitu oritur hoc vinculum conſanguinitatis, ſi ab eodem ſtipite deſcendant.

Præterea conſanguinitatis vinculum oritur etiam ex 11
complexu infidelium ob eamdem rationem propagationis ſanguinis, *cap Gaudeamus cum ibi not. de divort.* Et converſi ad fidem ſeparantur, ſi conjuncti fuerint in gradibus lege divina prohibitis, licèt ſecus ſit in prohibitis ex Conſtitutione Eccleſiæ, ut ibi deciditur. Nulla igitur eſt ratio, cur

ſimi-

ſimiliter non oriatur ex complexu non conjugali inter fideles; itaut quoad eos, qui Conſtitutionibus Canonicis arctantur, impediat matrimonium contrahendum; & dirimat contractum, ut per Joann. Andr. in *eod. cap. Gaudea-*
12 *mus num.*3. *verſ. Patet à contrario*. Ad hæc affinitas, cùm & ipſa ſit quid naturale ſecundùm D. Thomam in 4. *diſt.*41. *qu.*1. *art.*1. *qu.*1. oritur etiam ex copula illicita, & dirimit matrimonium poſteà contractum, *cap. Quadam* 32. *q.* 7. *& toto tit. de eo qui cognov. conſang. uxor. ſuæ*, etiam de jure civili *d. l. Et nihil, ff. de rit. nupt.* Et fuit opinio Azonis ut not. in *leg. Non facilè in c.* in gl. in *ver. Per nuptias, ff. de grad. & affin.* Et hodiè reſtricta eſt ad primum, & ſecundum gradum ex Concilio Tridentino *cap.*4. *ſeſſ.*24. *de refor. matrim.* Quinimò affinitas oritur etiam ex matrimonio conſummato inter infideles, ut conſtat *ex cap. final. de divort.* ubi infidelibus ad fidem converſis præcipitur, ne ducant in uxorem relictam fratris ſui: quod certè Eccleſia non præciperet, niſi vinculum aliquod naturale inter eos ex hujuſmodi copula oriretur, quidquid contra ſcripſerit Henriq. *lib.*11. *cap.*3. *num.* 5. cui opponitur S. Thom in 4 *diſt.* 41 *q unic. art.*1. *q.*1. Durand. *ibid. qu.*1. *num.* 7. Palud. *q.*1. *art.*1. *num.*10. *concluſ.*2. Sot. *q. ult. art.* 1. & S. Antonin. in 3. *part. Summ tit.*1. *cap.*11. *in fin.* Ergo multò magis ex propagatione carnis, ex illicita copula provenienti, oritur conſanguinitas itidem dirimens matrimonium, quia ut inquit D. Thomas *ubi ſuprà*, conſanguinitas eſt fortius vinculum, quàm affinitas.

13 Quibus demum accedit, quòd ut ſpurii non habeantur pro filiis, & conſanguineis, introductum eſt in deteſtationem criminis, cùm non mereantur tales appellari, *Authen. Si qua illuſtris, C. ad Orfician. & c. unic.* 35. *q.*7 Abb. *d. conſ.*50. *in princip. lib.*2. Quod ſi eis liceret matrimonio copulari cum deſcendentibus ab eodem ſtipite, eſſent melioris conditionis, quàm nati ex legitimo matrimonio, cùm tamen oppoſitum potiùs eſſe debeat, ut per Alexan.
14 *conſ.*60. *Viſa legitim. num.* 7. *lib.* 1. ubi dicit diſpoſitionem legis, vel ſtatuti diſponentis aliquid contra filios legitimos, multò magis habere locum in ſpuriis; ſecus autem ſi conferat aliquod beneficium filiis, quia intelligitur de legitimis tantùm. Ex contrario autem parentes redderentur procliviores ad hujuſmodi crimina perpetranda, & inducta ad unum finem operarentur contrarium, contra regul. *Legatam inutiliter ff. de adimen. legat. cum vulgar.*

15 Unde filios ſpurios etiam natos ex Sacerdote, vel Monacho, qui dicuntur nefarii, & patrem demonſtrare non poſſunt, quoad effectum matrimonii eſſe conſanguineos, & affines, tradit notabiliter Bart. in *l.*1. *nu.*4. *ff. de accuſat.* per notata in *l. Non facilè, §. Affines, ff. de grad. & affinib.* & ſequuntur Ruin. *d. conſ.*9. *nu.*2. *lib.*4. Gratian. *conſ.*145. *nu.* 9. *lib* 2. Cupra *conſ.*108.

Atque ita non obſtat, quòd ſi Antonella eſt filia Joannis Antonii Presbyteri, & conſequenter nata coitu damnato, non dicatur conjuncta patri, nec ejus lineæ paternæ

16 Siquidem hæc objectio diluitur, quia natus ex damnato coitu, ſed ex patre certo illa certitudine, quæ poteſt haberi de patre, ſecundùm ea, quæ notat Bald. in *l. Prius, Cod. qui accuſ. non poſſ. num.*24. non reputatur cognatus patris quoad effectus civiles tantùm; & ideò illi non ſuccedit, nec ei à patre, vel patris conſanguineis ſucceditur. Et in hunc ſenſum accipiendi ſunt DD. in contrarium citati, & probatur in *cap.* 1. 35. *qu.* 7. *verſ. Non deputentur filii*, id eſt nullo parentibus jure ſuccedant. Et ibi notat Turrecrem. *num.* 4. At verò quoad naturale vinculum, & jura ſanguinis, quæ deleri non poſſunt, ut in *reg. Digeſtorum, jura ſanguinis*. Filii ſpurii non ſecus ac legitimi ſunt verè conſanguinei, & agnati, patris, nempè quia æqualiter omnes ex illius carne, & ſanguine propagantur, ut oſtenſum eſt ſupra. Et ita declarat Ruin. *con-*
17 *ſil.*9. *num.*4. *verſ. Nec obſtat lib.* 4. ubi dicit non obſtare *leg. Si ſpurius, ff. Unde Cognati*, quia quantum ad effectum ſuccedendi, verum eſt quòd ſpurius ex parte patris non habet cognationem, ſed cognatio adeſt cum illo in ſubſtantia, & jus ſanguinis durat, quod tolli non poteſt cum ſit de jure naturali. Et infrà *num.*6. ait ſpurium dici cognatum cognatione naturali, quamvis ex parte patris talis cognatio non habeat effectum ſucceſſionis. Et idem fuſiùs explicat paulò poſt *num.* 8. *verſ. Ad hoc reſ-*
pondetur. Cùm autem matrimonium ſit de jure naturæ, 18
Eccleſia in impedimentis conſtituendis magis reſpexit ad jus naturale, quàm ad civile; & non ſolùm ad id, quod licet ſecundùm leges, ſed etiam quod decet ſecundùm honeſtatem, *leg. Semper, ff. de ritu nupt.* & declarat Ho- 19
ſtien. in *d. tit. de conſangu. & affinit.* Facit quod notat Felin. in *c. In præſentia nu.* 23. *de probat.* ubi ait appellatione filiorum venire etiam naturales, quando verſamur in materia, in qua verba ſonant in nomen potiùs, naturale, quàm civile. Quod habere locum etiam in natis ex prohibito complexu, tradit Bald. in *d. l. Prius num.*23. *Cod. Qui accuſ. non poſſ.* & Alex. *conſ.* 144. *Viſo ſtatuto per tot. lib.*7. & Ruin *d. conſ.*9. *num.*8. *lib.*4.

Nec adverſatur Bald. in contrarium citatus in *d. leg. Prius nu.*33. quia loquitur in filiis illis vulgò conceptis, quorum pater ignoratur; hi enim ſolùm ex accidenti non veniunt filiorum appellatione, ut mox dicemus *n.*22.

Hinc filia ſpuria etiam nefaria admittitur ad vindican- 20
dam necem parentum, ut concludit Bart. *in d. l. Prius num.* 3. *C. de accuſ.* quia naturalis dolor eam impellit, ut inquit Bald. in *d. l. Prius num.*33. *circa finem, C. qui accuſ. non poſſ.* Hinc etiam, quamvis natis ex coitu reprobato jura civilia 21
denegent alimenta, ut in *Auth. Ex complexu, C. de inceſt. nupt.* tamen ſecus eſt de æquitate Canonica, quæ vigorem ſumit a jure naturali, *c. Cùm haberet in fine*, & ibi gloſſ. *final. ad fin. de eo qui duxit in matrim.* Abb. *conſ.*50. *in princ. lib.*2

Ad ſecundum reſpondetur: Quamvis vulgò quæſitus 22
poſſit contrahere cum omnibus, id tamen ex accidenti contingit, non quia deficiat jus, ſed probatio, ut per Hoſtien. in *Summ. in tit. qui filii ſint legit. §. An inter utrumque*: nam etiam ipſe vulgò quæſitus poteſt probari eſſe filius alicujus ex eis, qui tempore conceptionis cum matre rem habebant, ut fatetur Bald. in *d. leg. Prius num.*14. ita intelligens *cap. Michael, de fil. Presbyt.* & admittit etiam Hoſtien in *d. §. An inter utrumque, propè fin.* Hoc au- 23
tem caſu ſatis probatum eſt Antonellam eſſe filiam Joannis Antonii, primò aſſertione matris, *leg. Matrem, Cod. de probat.* ſecundò per tractatum Joan. Antonii, qui eam domi aluit, & matrimonio copulavit. qui probat filiationem etiam non nati ab uxore, ut per Felin hìc *num.*3. Imò ſolum tractatum ſufficere ſcribit Felinus poſt 24
alios *num.* 13. & tradunt in terminis noſtris Innocent. Hoſtien. & Henric. Boich. in *c. Per tuas, qui fil ſint legit.* ubi volunt, ut ſi certum ſit Sacerdotem peccaſſe cum muliere, & poſteà filium, qui ex ea natus eſt, & ab ea nutritus, vel filium nominaſſe, vel alias ut filium tractaſſe, verè præſumere debeamus eſſe filium illius. Quæ ſanè omnia in hoc caſu concurrunt. Nec obſtat quod poſſit probari contrarium, ut per gloſſ. in *d. cap. Michael, in ver. Conſtiterit*, & DD hìc, & in *d. cap. Per tuas, qui filii ſint legit.* & quòd oppoſitum hìc probatum videatur per famam viciniæ, in qua à multis hìc filius aliis duobus viris adſcribebatur: nam reſpondetur ſolam famam 25
non inducere probationem filiationis, ut hìc per Felin. *num.*15. Præterea non eſt probata hujuſmodi fama cùm 26
ſuis requiſitis. Et in ſpecie teſtes deponunt ſe audiviſſe à multis, non autem à majori parte populi, ſeu per verbum, *Communiter*, prout requiritur, Verall. *dec.*210. *par.* 2. Regulare enim eſt, ut in teſte indefinita non æquipolleat univerſali, ut per DD. in *cap. Auditis, de reſcript.* Et tradit Rota in his terminis in cauſa Parmen. Status 26. Martii 1618. coram Sacrato in *verſ. Quoad tertium genus probationis*. Inſuper à multis hæc dicebatur eſſe filia Joannis Antonii: atque ita hi rumores contrarii invicem conquaſſantur, ut patet in hoc cap. & per Rotam in prædict. deciſ. Quamobrem cum Hoſtien. in *d. §. Ac inter utrumque*, ſentiat prohiberi matrimonium vulgò concepti, ſi ſit fama quòd maritus ſit filius patris ſponſæ, & conjuges id confiteantur, alioquin ſuæ conſcientiæ eſſe relinquendos; videtur etiam hoc caſu matrimonium prohiberi, in quo licèt fama non benè probetur, tamen conſtat de nominatione, confeſſione parentum, & tractatu. Et 27
de hoc videtur caſus in hoc cap. ubi quidam R. qui præſumebatur filius T. Tiburtini ex concubina ſuſceptus propter illorum nominationem, & tractatum non poteſt habere in uxorem neptem ejuſdem, *l. Unde*, ubi gloſſ. in *ver. Conſobrinus*, notat ex conſanguinitate præſumptivè probata diſſol-

diſſolvi matrimonium, & ſequuntur Hoſtienſ. *numer.* 3. Joann. Andr. *in fin.* & Cardin. in 1. *notab.* & alii communiter. Quod multò faciliùs procedit hoc caſu, in quo agitur de matrimonio contrahendo: nam præſumptio conſanguinitatis licèt non ſemper dirimat contractum, tamen impedit contrahendum, *cap. Licèt in fin. de teſt. cap. Super eo, de eo qui cogn. conſangu.* Hoſtien. & Joann. Andr. *ubi ſuprà*. Ideòque nullo pacto videtur mandandum Epiſcopo, ut declaret hos poſſe matrimonialiter copulari, præſertim cùm etiam aliis modis poſſit lux afferri veritati, ſi Epiſcopus rem diligenter indagaverit.

DE TESTIBUS ET ATTESTATIONIBUS.

Gregorius Joanni Defenſori eunti in Hiſpaniam.

CAPUT II.

IN nomine Domini: & infrà: Quod autem dicit Epiſcopus, quia ſe abſente, etiam viliſſimi ſint teſtes exhibiti nullius momenti, lege noſcendum eſt conſtitutionis novellæ, quæ de teſtibus loquitur in hæc verba: Ne poſteà objiciatur eis, quòd per unam partem geſta (& confecta) ſunt, oportet ut teſtimonia dentur, illo admonito à judice, aut defenſore venire & audire teſtes. Si verò noluerit venire; & non ex inevitabili quadam neceſſitate venire non poſſit: Sancimus hujuſmodi teſtimonia ita valere, tamquam ſi non ex una parte conſiſterent, ſed etiam ipſo præſente facta fuiſſent. Ecce admonendus eſt ſemper adverſarius, ut ad audiendos teſtes veniat: quod quia hìc omiſſum eſt, neceſſe eſt, ut quod contra legem actum eſt, non habeat firmitatem.

S U M M A R I U M.

1 *TEſtium receptio contra non citatum eſt nulla, numer.* 18.
2 *Invocatio nominis Domini præmittenda eſt in actionibus noſtris.*
3 *Item in arduis, perpetuiſque inſtrumentis, nu.*7.
4 *Item in ſententia.*
5 *Invocatio nominis Domini qualiter ſit facienda.*
6 *Poteſt fieri à Notario Chriſtiano etiam in contractibus Judæorum.*
7 *An ſit de ſubſtantia inſtrumenti.*
8 *Pacta à Notario in principio Prothocolli trahitur ad omnia inſtrumenta in eo comprehenſa.*
9 *Invocatio nominis Mahometi in terris Chriſtianorum fieri non debet publicè etiam à Saracenis.*
10 *Privatim an ſit eis prohibita.*
11 *Citari debet pars in receptione teſtium, ut audiat illos jurantes, non autem deponentes, & num. ſeqq.*
12 *Teſtes ſecretò, & ſingillatim ſunt examinandi.*
13 *Citatio ad videndum committi Notario juramenta teſtium non ſuffragatur, niſi etiam citetur ad videndum jurare.*
14 *Et hic defectus eſt inſanabilis.*
15 *Teſtium depoſitiones ſi pars audierit, non poterit poſteà ſuper iiſdem capitulis teſtes producere.*
16 *Si citetur dominus, & non procurator, vel unus ex duobus procuratoribus in ſolidum, an valeant atteſtationes.*
19 *Teſtes examinati parte non citata, an ſufficiant pro mandato de manutenendo, & nu. ſeqq. uſque ad num.* 48.
20 *Probatio plena non requiritur in ſummariiſſimo poſſeſſorio.*
21 *Sed ſufficit ſummaria, levis, & qualis qualis.*
22 *Item ſufficit fides extrajudicialis, ſi concurrant adminicula.*
23 *Et admitti ſolent etiam præſumptiones.*
24 *In poſſeſſorio ſummariiſſimo agitur de modico, & reparabili præjudicio.*
25 *Poſſeſſorium ſummariiſſimum eſt præparatorium poſſeſſorii pleni, ad quod ſe habet ſicut plenum poſſeſſorium ad petitorium.*
26 *Manutentio datur, ne partes veniant ad arma, & ut ſciatur quis ſit actor, & quis reus.*
27 *Eſt remedium ſummariiſſimum, & momentaneum.*
28 *Et interim appellatur.*
29 *Teſtes recepti ſine citatione partis præſumptionem faciunt.*
30 *Item faciunt indicium.*

Proſper. Fagnan. in II. Lib. Decretal.

*Sed contra, num.*34.
31 *Faciunt ſaltem adminiculum: num.*35.
Fallit; num. 45.
32 *Et ſufficiunt pro mandato de manutenendo ex multorum ſententia.*
Sed alii contrà, num. 36.
33 *Probatio ſaltem ſemiplena requiritur ex ſtylo Rotæ in judicio manutentionis.*
34 *Verba*, Nullius momenti, *excludunt indicium quantumcumque leve.*
35 *Adminicula ſola non ſufficiunt ad obtinendam manutentionem, cùm non ſint probationes, ſed auxilia probationum, num.*37.
38 *Teſtes examinati ad perpetuam rei memoriam ſine citatione partis non probant etiam in judicio manutentionis.*
39 *Teſtes recepti ante litis conteſtationem regulariter non probant, nec faciunt indicium.*
40 *Teſtes recepti citato procuratore non habente mandatum, vel minùs ſufficiens, non probant etiam in ſummariiſſimo.*
41 *Mandati defectus includit etiam defectum citationis quoad ipſum principalem.*
42 *Et geſta cum falſo procuratore ſunt ipſo jure nulla.*
43 *Mandati defectus à ſignatura Papæ ſanari non ſolet, neque ex ſtylo Rotæ, etiam refectis expenſis.*
44 *Teſtes examinati coram judice incompetenti fidem non faciunt etiam in ſummariiſſimo poſſeſſorio.*
45 *Nec ullum faciunt adminiculum, ſi cum defectu juriſdictionis concurrant defectu citationis, & juramenti.*
46 *Teſtes non jurati, & recepti parte non citata æquiparantur.*
47 *Nullitates ſolas ex defectu citationis, juriſdictionis, & mandati, in Urbe, & in Statu Eccleſiaſtico judices debent attendere, & aliis rejectis ad cauſarum expeditionem procedere.*
48 *Teſtium receptio an valeat, ſi citatus ob inevitabilem neceſſitatem comparere potuit, & n. ſeqq. uſque in finem.*
49 *Impeditus ex juſta cauſa non poteſt dici contumax.*
50 *Impedimentum citati notum judici, reddit ipſo jure nullam ſententiam tam diffinitivam, quàm interlocutoriam, qualis eſt receptio teſtium.*
*Secus ſi judex impedimentum ignorabat, quia tenet proceſſus ipſo jure, ſed debet retractari, nu.*54.
51 *Citatus ad domum, qui non comparuit allegans ſe citationem ignoraſſe, audiri debet ad opponendum in perſonas teſtium, licèt non ſervaverit formam c. Præſentium, infrà eodem, num.*53.

52 *Teſtes recepti contra citatum legitimè impeditum faciunt ſaltem indicium.*

54 *Impeditus citari debet, ut ſaltem compareat per procuratorem, niſi eſſet cauſa nimis gravis.*

1 IN *Nomine Domini*. Nulla eſt receptio teſtium facta
contra non citatum. Hoc dicit, ſecundùm Abb. An-
tiq. & omnes poſt eum. Dividitur in tres partes. Nam
primò ponit dictum. Secundò, probat per legem. Tertiò,
concludit. Secunda, ibi, *Ne poſteà*. Tertia, ibi, *Ecce*.
2 Nota primò ex principio litteræ, in actionibus noſtris
præmittendam eſſe invocationem nominis Domini, ut
hìc, & in *cap. In nomine Domini 23. diſt.* Nam ut legitur
in *cap. Non liceat 26. quæſt. 5.* & habetur originaliter ad Co-
loſſen. 3. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere,*
omnia in nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti facite, gratias
agentes Deo, & Patri per ipſum, concordat 1. ad Corinth.
10. & Act. 17. ut *cap. Non obſervetis 26. qu. ult.* Omnia
enim rectè, & competenter geruntur, ſi in principium ſit
decens, & amabile Deo, ut in *Auth. Quomod. oport. Epiſc.*
circa princip. & ubi Chriſtus non eſt fundamentum, nul-
lius boni operis ſupereſt ædificium, *cap. Cùm Paulus 1. qu. 1.*
Hinc Imperator in ſui initio invocat nomen Domini, di-
cens, *Deo nobis auxilium præbente, &c. leg. Deo nobis,*
3 *Cod. de Epiſcop. & Cleric.* & inſtrumentum inchoetur au-
thore Deo, ut dicit text. in *Authen. Ut præpon. nom. Imper.*
§. 1. Unde hæc invocatio ſemper præmittenda eſt in ar-
4 duis, perpetuiſque inſtrumentis. In minoribus autem,
& intra tempus breve duraturis, & in publicationibus
actorum judicialium, niſi ſit ſententia diffinitiva, non eſt
jus eam omitti, inchoando ſic inſtrumentum, Anno Do-
mini, &c. ut inquit Speculat. in *tit. de inſtrum. edit. §. Brevi-*
ter num. 1. & quòd in principio ſententiæ imprimendum
ſit nomen Domini, eſt textus in *cap. Veritatis ſuprà de dol.*
& contum. & notat Gemin. in *cap. Præter hoc nu. 2. 32. diſt.*
5 Nec eſt jus, an dicatur: In nomine Domini, ut hìc; an
in nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ut *l. In nomine Do-*
mini, C. de offic. Præfact. Prætor. Afric. vel in nomine Pa-
tris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut *cap. In nomine Patris*
73. diſt. ſecundum Specul. *ubi ſuprà*: vel in nomine ſan-
ctæ, & individuæ Trinitatis, ut notat Petrus de Unzola
in *ſua pract. Artis Notariatus in 3. part num. 17. inter tra-*
6 *ctat. comm. tom. 11. pag. 179.* Et poteſt fieri hæc invocatio à
Notario Chriſtiano etiam in contractibus Judæorum, ut
tenent Bart & Alexand. in *prima Conſtitutione Digeſtorum,*
& in prima Conſtitutione Codicis. Communiter tamen
7 tenetur eam non eſſe de ſubſtantia inſtrumenti, nec inter
Judæos, ut notat Angel. in *Authen. Juſjurandum quod*
præſt. ab his, §. 1. col. 2. nec inter Chriſtianos, Felin. poſt
Abb. & alios in *cap. 1. num. 2. de fid. inſtrum.* & Jaſ. in *rubr.*
de nov. oper nunciat. num. 7. Et quamvis ex conſuetudine
hæc ſolemnitas effecta ſit ſubſtantialis, ſecundùm gloſſ. in
d. Authen. Ut præpon. nomen Imper. §. Unde ſancimus in
ver. Auctore, Felin *loco citato*, Alexan. in *addit. ad Bart.*
in leg. 1. in ver. Inſtrumentum, Cod. de novo Cod. facien.
tamen Bart. in *leg. Si quis ex argentariis, §. Si initium num.*
8 *7. de eden* ſentit etiam ſtante hujuſmodi conſuetudine
ex omiſſione invocationis contractum non vitiari; ſub-
dit tamen ibi invocationem divini Nominis factam per
Notarium in principio Prothocolli trahi ad omnia inſtru-
menta comprehenſa in libro inſtrumentorum. Quod no-
ta ad ſalvandum inſtrumentum, in quo hæc ſolemnitas
fuit prætermiſſa. Invocatio autem nominis Mahometti
9 fieri non debet etiam à Saracenis publicè in terris Chriſtia-
norum, *Clem. 1. de Judæis*: ſed privatim non prohibe-
10 tur, ut poſt Paul. de Eleazar. tenet ibi Cardin. in 5. *q.* ple-
niùs Vitalin. *num. 18. & ſeqq* licèt Zenzelin. contra, cum
quo ſimpliciter tranſit Petr. de Anchar. *num. 4. ver. Sed an*
iſti ſint tolerandi.
Secundò, nota ibi, *Venire, & audire teſtes*, & ſigna
11 practicam citationis in receptione teſtium: debet enim
pars citari, ut veniat, & audiat teſtes, ut eſt argumentum
hìc ſecundum Anton. de Butr. in 4. *notab.* Veruntamen hoc
non ita intelligas, ut pars audire debeat teſtes, cùm depo-
nunt dictum ſuum. Hoc enim eſt falſum, cùm ſecreto, &
12 ſingillatim ſint examinandi, ut *cap. Venerabili infrà eodem,*
& c. Inquiſitioni, §. 1. de accuſat. & l. Nullum, Cod. de teſtibus,
exemplo Danielis qui ſecretò examinavit ſenes accuſantes
Suſannam, & de falſitate convicit, Daniel. 13. Sed ita in-
telligas hanc litteram, ut pars venire debeat, & audire te-
ſtes jurantes, non autem deponentes, licèt publicatis at-
teſtationibus poſſit etiam videre, & audire illorum depoſi-
tiones, ut hìc firmant gloſſ in *verb. Audire*, Gottred. &
Innocen *num. 2* qui ſupplent verbum, teſtes, ſcilicet ju-
rantes, Hoſtien. *num. 3 in ver. Teſtes*, Joann. Andr. *num. 9.*
Butr. *nu. 13.* Aretin. in 4 *notab.* gloſſ. in *l. Sed & ſi quis in ver.*
Atteſtationes, C de teſtib. gloſ. *final. in §. Ex hoc vero, in Au-*
then. de teſtibus, & in l. Si quando in ver. Noluerint. C. eod.
tit. Specul. in *tit. de teſte, §. Nunc tractandum in princip.* Et
quamvis Joannes Theutonicus in *cap. In primis, in gloſſ. in*
ver, Si eo præſente 2 quæſt. 1. dicat partem poſſe etiam exa-
mini intereſſe, ſi velit: idque ob eam rationem, quia pars,
quæ novit cauſæ circumſtantias, meliùs interrogabit; &
Abb. Antiq. hìc *num. 1.* affirmet in Montepeſſulano, & in
multis aliis partibus, ad litteram obſervari, quod hìc dici-
tur, ut ſcilicet pars citetur, ut veniat ad audiendas teſtium
depoſitiones; tamen primum intellectum ſequuntur om-
nes hìc teſte Felin. *nu. 17. in gloſſ. in ver. Jurantes*, & ſic ſer-
vatur de facto ubique, & benè; ideòque ſic eſt tenendum,
ut formaliter inquit Specul. *loco citato*. Et de hac genera-
li conſuetudine atteſtatur etiam gloſſ. in *dict. leg. Si quan-*
do in ver. Solverunt, C. de teſtib. Et ita etiam hunc textum
ſemper intellexit Rota, quæ propterea ſæpiſſimè reſol-
vit, citationem ad videndum jurare teſtes eſſe neceſſariam
per hoc capitulum, ad hoc ut examen ſuſtineatur, Capu-
taq. *deciſ. 274. num. 3. part. 3.* Rota in *recent. deciſ. 219. num.*
2. part. 7. & alibi paſſim. Nec ſuffragatur citatio ad viden- 13
dum committi Notario juramenta teſtium, niſi etiam di-
catur, ad videndum jurare, ut cenſuit *deciſ. 259. num. 4.*
part. 1. recent. & hunc defectum eſſe inſanabilem dixit
deciſ. 18. num. 12. in recent. part. 7. Nec obſtat contraria
ratio Joannis, quòd interrogationes meliùs fiant per par-
tes. Quoniam ad hoc habemus remedium, ut interroga-
toria dentur in ſcriptis, ut in *cap. 2. hoc tit. lib. 6.* & ſic ju-
dex plenè per ſeipſum inquirere poterit, ut notat Bartol.
Brixien. in *d. cap. In primis in gloſſ. in verb. Si eo præſente in* 14
fin. 2. quæſt. 1. Specul. in *d. §. Nunc tractandum num. 1. verſ.*
Nec obſtat; & hoc modo teſtes liberiùs deponent, ut hìc
per Joann. Andr. *num. 6.* & Abb. *num. 6. in gloſſ. in ver.*
Audire.
Veruntamen ſi caſu accideret, ut pars dicta teſtium au- 15
diret, non poſſet poſteà ſuper iiſdem capitulis teſtes pro-
ducere ob timorem ſubornationis, ut in *Authen. de teſtib.*
§. Qui vero, & cap. Ultra tertiam infrà eodem, ſecundùm
gloſſ. præallegat. in *d. cap. In primis*, Innocent. hìc *num. 2.*
Hoſtien. *num. 3. in verb. Teſtes*, Joann. Andr. *num. 9.* Felin.
num. 17. verſ. Nec obſtat. Quod facit contra illos, qui ſtant
ad audiendum poſt cortinam, ſecundum Bald. hìc *num. 2,*
& Felin. *ubi ſuprà.*
Quid autem juris ſit, ſi citetur dominus, & non procu- 16
rator, qui conteſtatus eſt litem: & quid ſi duo procurato-
res ſimul ſint dati in ſolidum cum clauſula, ut occupantis
conditio non fieret melior, quorum alter conteſtatus eſt
litem, & alter produxit teſtes, an valeant atteſtationes,
plenè hìc diſputat Joan. Andr. *nu. 2. & 3.* & poſt eum Butr.
nu. 8. 9. & Imol. *nu. 7. & 8.*
Tertiò, nota ibi, *Si non ex inevitabili neceſſitate*, at- 17
teſtationes receptas abſente citato non tenere, quando ex
juſta cauſa detentus comparere non potuit, ut hìc proba-
tur evidenter per argumentum à contrario ſenſu: nam cùm
textus dicat teſtimonia valere contra citatum non compa-
rentem, ſi non ex inevitabili neceſſitate venire non potuit:
ergo à contrario valent, ſi fuit impeditus comparere ob
inevitabilem neceſſitatem; & ita hanc litteram inducunt
Abb. hìc *n. 11 verſ. Sed in alio eam*, & Felin *nu. 19.* Sed hoc
pleniùs examinabitur infrà in gloſſ. *Inevitabili à nu. 48. uſ-*
que in finem.
Ultimò, nota regulam, de qua ſuprà in Summario, vi- 18
delicet atteſtationes parte non citata eſſe nullas utroq; jure,
& Cæſareo, & Pontificio, ut in *Auth. de teſtib. §. Et hæc*
vero collat. 7. cujus tenor refertur ad litteram in hac De-
cretali, *l. Judices, C. de fid. inſtrum. l. Si quando, C. de teſtib.*
cap. In primis 2. qu. 1. & cap Chartæ 3. qu. 9. cap. 1. de cauſ. poſ-
ſeſſ. & propriet. c. Inter quatuor, de major. & obed. & hoc pro
regula conſtituant hìc gloſſ. in *ver. Admonendi*, Innocen. *n.*
2. Hoſtien. *num. 3.* Abb. Antiq. Jo. Andr. & reliqui omnes in
Summario textus, & Felin. *num. 3* ubi ex mente Docto-
rum ad eamdem regulam ponit quinque declarationes,
& qua-

& quatuordecim limitationes, quas per te videas uſque ad
num. 17.
19 QUÆRO, ultra alios an teſtes examinati parte non ci-
tata fidem faciant in ſummariiſſimo poſſeſſorio; adeòut vi-
gore talis examinis judex concedere poſſit, aut debeat man-
datum de manutenendo.
20 Ad partem affirmativam facit, quia in hoc judicio
ſummariiſſimo non requiritur plena probatio, l. In lege
Aquilia, la prima, ibi, Reſummatim expoſita ad ſuſpicio-
nem judicem adducant, ff. ad leg. Aquil. leg. 3. §. Cauſæ, ff. de
Carbon. edict. leg. 3. §. Sciendum, ff. ad exiben. & tradit
Raph. Cuman. in leg. 1. §. fin. de Prætor. ſtipulat. Natta
conſ. 121. In cauſa poſſeſſorii num. 9. Rota apud Gregor. XV.
deciſ. 258. num. 3. Nec requiritur probatio exacta, Plot. de
in lit. jur. §. 3. num. 43. Mantic. deciſ. 172. num. 2. quæ eſt
deciſ. 152. num. 2. part. 4. diverſor. Rota in recent. deciſ.
21 387. num. 2. part. 2. Sed ſufficit ſummaria, d. l. In lege Aqui-
lia, Paul. de Caſtr. conſ. 2 In cauſa quæ vertitur num. 2. vol. 2.
Item levis, Gregor. d. deciſ. 258. n 3. Menoch. de retin. poſſeſſ.
remed. ult. n. 34. Imò levior ſolet admitti, Cardin. Seraphin.
deciſ. 8. num. 1. & deciſ. 193. num. 2. Rota diverſor. deciſ. 665.
nu. 4. part. 3. licèt corruptè ibi legatur plenior, & in recent.
deciſ. 214. num. 3. part. 1. Item admittitur probatio qualis
qualis, Menoch. d. remed. ult. num. 6. Rota apud Card. Ca-
22 valer. deciſ. 75. num. 4. Et propterea etiam fides extrajudi-
cialis in loco judicio fidem facit, ſi concurrant adminicula,
ut cenſuit Rota deciſ. 323. num. 1. poſt 2. vol. conſ. Farinac. &
in recent. deciſ. 122. num. 7. part. 1. & in Salamantina ſtipen-
diorum 3. Decembris 1607. coram Cardin. Lancelloto, im-
preſſa apud in Modern. in tract. mand. de matunend. dec. 97.
23 nu. 3. Imò admitti ſolent etiam præſumptiones, Boccac. in
tract. de interdict. Uti poſſit. cap. 14. num. 24. Rota diverſ. de-
ciſ. 373. num. 1. part. 1. lib. 3. & d. deciſ. 323. nu. 2.
24 Et eſt ratio, quia in manutentione agitur de modico, &
reparabili præjudicio, Cæſ. de Graſſ. deciſ. 22. alias 2. num. 4.
de reſtitut. in integr. Serahin. deciſ. 292. in princip. Rota
25 diverſ. deciſ. 641. nu. 8. part. 1. Eſt enim hoc judicium præ-
paratorium judicii poſſeſſorii principalis, atque plenarii,
Bero. conſ. 11 num 1. lib. 1. & habet ſe ad judicium principa-
le poſſeſſorium retinendæ, ſicut ſe habet judicium proprie-
tatis, quod petitorium appellamus, ut declarat Paul. de
Caſtr. d. conſ. 3. & poſt alios Menoch. de retinend. poſſeſſ. re-
med. ult. num. 7. & datur manutentio à judice, ne partes ve-
26 niant ad arma, l. Quæſitum, ff. de uſufr. & ut ſciatur quis ſit
actor, & quis reus in judicio plenario, §. Retinendæ inſtitut.
de interdict. l. Liberis, § fin. ff. de liber. cau. Paul. de Caſtro
loco cit. & habentur expreſsè hæc practica ſecundum eum
in textu, & per Innocen. in cap. Cùm veniſſent infrà de in-
27 ſtitut & propterea hoc judicium eſt ſummariiſſimum,
Rota diverſ. d. deciſ. 641. num. 8. part. 1. & momentaneum,
Cagnolin. in l. In pari nu. 6. ff. de regul. jur. Contrad. de mo-
mentan. poſſeſſ. in rubr. num. 35. Cæſ. de Graſſ. d. deciſ. 22.
aliàs 2. num. 5. de reſtitut. in integr. & alicubi nuncupatur
28 Interim, Rota in Tiraſonen. Decimarum coram Cardinali
Marquemontio impreſſa apud Marcheſ. de Commiſſ.
part. 1. fol. 1262. num. 2. præcipuè in Hiſpania: ſic enim
judex interloquitur; Entre tanto que eſte plyto ſe vee, y
ſe determina diffinitivamentes in prejuyzio del derecho de
las partes en poſſeſſion, y propriedad, ut atteſtatur Covarr.
practic. quæſt. cap. 17. in rubr. & nu. 2. Quibus itidem verbis
utuntur Neapolitani, teſte Capyc. deciſ. 55 col. ult. & de-
ciſ. 189. num. 11. Ad quod benè facit d. cap. Cùm veniſſent,
ibi, Poſſeſſione tuendum, donec &c. de inſtit Non igitur mi-
rum ſi in judicio, manutentionis ſufficiat qualis qualis, le-
vior, & imperfecta probatio etiam ex præſumptionibus, ut
dictum eſt.
29 Teſtes autem recepti ſine citatione partis utiq; præſum-
ptionem faciunt, ut notant Bart. poſt gloſſ. in leg. Res hære-
ditarias in princip. ff. de crimin. expil. hæredit. Dec. conſ. 559.
30 in caſu venerabilis num. 8. & ex multorum ſententia fa-
ciunt judicium Alexand. conſ. 147. in princip. lib. 6. Aym.
conſ. 108. in fin. eamque pluribus tuetur Dec. hic num. 32.
31 ubi Addentes littera C. citant multos concordantes; & ſal-
tem negari non poteſt, quin faciant adminiculum, ut per
Bart. in leg. Admonendi num. 41. ff. de jurejur. & multo-
ties cenſuit Rota, Verall. deciſ. 206. num. 6. lib. 2. Seraphin.
deciſ. 525. num. 1. & in recent. deciſ. 342. num. 7. part. 1. & de-
ciſ. 560. num. 4. part. 2. & ſæpe aliàs.
32 Et in terminis in hoc judicio ſummariiſſimo teſtes ſine
citatione examinatos ſufficere ad obtinendam manutentio-
nem, conſuluerunt Roland. conſ. 80. nu. 30. vol. 4. Cæphal.
conſ. 19. in fin. vol. 1. Neviz. conſ. 86. num. 7. & contraria
opinio poteſt procedere in judicio plenario, non autem
in hoc ſummariiſſimo, prout eam limitat, & declarat Ma-
ſcard. de probat. conſ. 1366. num. 9. vol. 3. & evidenter tenuiſ-
ſe Dominos de Rota in Bonon. Affictus 4. Julii 1629. coram
Cardinali Virili, impreſſa apud Modernos de manutentio-
ne, deciſ. 269. nu. 5. in hæc verba: Et licèt teſtes ſint exami-
nati ſine citatione partis, tamen in hoc judicio ſummariiſſimo
manutentionis, in quo leviores probationes ſufficiunt, &
etiam unicus teſtis, videbantur admittendi. Allegant Ne-
viz. Cæphal. & Rolan loc cit.
Sed his non obſtantibus contrariam opinionem puto ve- 33
riorem, & in praxi amplectendam: nam etſi in judicio ma-
nutentionis ſufficiat probatio levior, imperfecta, & qualis
qualis, ſecundùm ea, quæ fusè dicta ſunt ſuprà à num. 20.
neceſſariò tamen requiritur aliquis gradus probationis,
vulg. §. Retinendæ inſtit. de interdict. & quidem ex ſtylo Ro-
tæ probatio debet eſſe ſaltem ſemiplena, ex notatis in l. 1. in
gloſſa in ver. Petitor, & ibi Raph. Cuman. C. quorum bonor.
Rota diverſ. deciſ. 196. nu. 6. part. 1. & deciſ. 375. num. 1. lib.
3. part. 3. & in recent. deciſ. 147. n. 1. & deciſ. 212. ſub num.
1 part. 2. Seraph. deciſ. 624. in fin. deciſ. 1113. num. 1. & dec.
1326. num. 1. Cavaler. deciſ. 379. n. 3. & de hoc ſtylo Palatii
atteſtatur Put. deciſ. 61. lib. 3. & Boccac. de interdict. uti poſ-
ſid. cap. 141. num. 22. Idem firmant Curtius Senior in l. Ad-
monendi num. 323. verſ. Secundo moveor, ff. de jurejur. Ale-
xan. conſ. 103. num. 3 lib. 7. Dec. conſ. 56. col. 2. Neviz. conſ.
80. n. 11. Plot. de in lit. jur. §. 3. nu. 43. Menoch. de retinen.
poſſeſſ. remed. ult. num. 34.
Teſtes autem examinati ſine citatione partis, tantùm ab- 34
eſt, ut ſemiplenam probationem conſtituant, ut nec fa-
ciant indicium quantumcumque leve, ut evidenter proba-
tur in hoc cap. in princip ibi, Nullius momenti. Pondera
enim verbum, Nullius, quod eſt univerſale negativum, &
verbum, Momenti, quod excludit indicium quantumvis
modicum: & ita apertiſſimè hìc probari, affirmant Abb. n.
14. & ſequuntur Aretin. in princ. Felin. num. 3. & commu-
niter Doctores, Bart. in l. Maritus num. 3. in fin. ff. de quæſt.
Alexan. conſ. 179. in cauſa col. 3. lib. 2. Dec. ſibi contrarius
conſ. 54 in cauſa num. 1 Pariſ. conſ. 83. nu. 13. lib. 1. Ruin.
conſ. 46. num. 2. lib. 4. Soccin. conſ. 253. col. 2. in princip. lib. 2.
Guidopap. deciſ. 131. latè Rimin. Jun. conſ 213. nu. 94. cum
ſeqq. Communem dicit Roland. à Valle conſ. 12. n. 36. lib. 3.
& magis communem Buratt. conſil. 20. numer. 65. & alios
quam plurimos citat Honded. conſ. 801. n. 11. & veriorem
dicit Creſcent. dec 264. aliàs 2. de teſtibus. Eamque ex pro-
feſſo amplectitur, & communem dicit Rota dec. 554. per to-
tam p. 4. diverſ. Et quamvis faciant adminiculum ſecundùm 35
unam opinionem, quam ſequutus eſt Bart. poſt gloſſam in
leg. Res hæreditarias, ff. de crimin. expil. hæredit. & alii
ſupracitati num. 31. tamen adminicula ſola non ſufficiunt,
quia non ſunt probationes per ſe, ſed auxilia probationum,
ut inquit Bald. in c. Cùm cauſam num. 10. de probat. cujus
dictum ſequuta eſt Rota deciſ. 18. num. 3. part. 2. recent.
Nec ſuffragantur, niſi præexiſtat aliquis gradus probatio-
nis cui conjungi poſſint, Rota, deciſ. 558. num. 3. & dec.
768. n. 1. part. 1. recent.
Conſequens igitur eſt, ut ex atteſtationibus receptis par- 36
te non citata nullatenùs decerni poſſit à judice mandatum
de manutenendo; & ita in terminis multoties reſolvit Ro-
ta, & in ſpecie in Hebrien. Beneficii 4. Decembris 1602.
coram Cardinali Lancellott. impreſſa apud Moder. in tract.
mand. de manutenend. dec. 4. per totam, ubi Rota dedit ma-
nutentionem uni ex collitigantibus, qui probaverat poſſeſ-
ſionem inſtrumentalem de certo tempore; illamque dene-
gavit adverſario, quia teſtes, quos produxerat ad proban-
dam ſuam anteriorem poſſeſſionem, fuerant nulliter exa-
minati, & propterea etiam in illo judicio manutentionis
non erant habendi in conſideratione. Idemque reſolvit in
Veron. Jurium Parochialium 23. Martii 1629. coram Car-
dinali Virili, impreſſa poſt dictum tractatum, deciſ. 260. n. 1.
& in Hiſpalen. Primitiarum 3. Maji 1622. coram Navarro
poſt eumdem tract. deciſ. 268. num. 2. & in Leodien. Be-
neficiorum coram Cardinali Lancellotto apud Marcheſ. de
Comm. part. 1. fol. 959. & coram Gregor. XV. deciſ. 268. nu. 2.
& deciſ. 167. num. 7. par. 4 diverſ. Idem in hac ſpecie fir-
mant Ruin. conſ. 28. num. 2. lib. 1. Boccac. de interdict.

Proſp. Fagnan. in II. Lib. Decretal.

*uti poſſid. d.c.*14.*n.*44. Scacc. *de appellat.cap.*2. *q.*17. *limit.* 6. *memb.*2. *n.*28. *circa fin.* Cujac. *controv. forenſ. contrav.*244. *num.* 10. Ex quibus puto ab hac opinione in judicando recedendum non eſſe præcipuè in Curia ob Rotæ authoritatem, ad notata per Joan. Franc. Pavin. in *Prælud. Extravag. Joan. XXII. col.*3. §. *Deciſiones Rotæ*.

37 Non obſtat præallegata deciſio Rotæ in Bononien. Affictus coram Cardin. Virili. Quoniam dixit in hoc judicio manutentionis videri admittendos teſtes examinatos ſine citatione partis, non tamquam probationes per ſe, ſed tamquam adminicula, & auxilia probationum: nam in caſu illius deciſionis præexiſtebat civilis poſſeſſio locatoris, quæ concurrentibus aliis adminiculis ſufficiens erat ad dandam illi manutentionem pro recuperanda poſſeſſione naturali, juxta *deciſ.* Seraph. 77. *n.*6. *cum aliis ibi allegatis*. Et propterea Rota poſteaquam dixit hujuſmodi teſtes in caſu illo videri admittendos, immediatè ſubjunxit rationem, quia teſtes etiam ſine citatione faciunt adminiculum. Stat igitur concluſio, ut ſoli teſtes nulliter examinati ob defectum citationis, niſi præexiſtat aliquis gradus probatione, etiam ex ſententia Rotæ in illa deciſione, ad obtinendam manutentionem non ſufficiant.

38 Ampliatur primò hæc concluſio, ut procedat etiam in teſtibus examinatis ad perpetuam rei memoriam, qui deficiente citatione, ſimiliter fidem non faciunt etiam in judicio manutentionis, ut fuit deciſum in Rota *deciſ.* 306. *num.*20. *&* 21. *part.*7. *recent.* Ratio eſt evidens, quia etiam in examine, quod fit ad perpetuam rei memoriam, neceſſaria eſt citatio partis, ut eſt caſus in *Authent. Sed & ſi quis*: & ibi Bald. Salyc. & omnes, *Cod. de teſtibus, & in cap. Significavit*, & gloſſ. ult. & Doctores *infrà eod.* Rota *in recent. deciſ.* 530. *num.* 2. *part.* 3. *& deciſ.* 439. *num.* 8. *part.*4. Unde ſi teſtes poſt litem conteſtatam examinati in manutentione non ſufficiunt deficiente citatione, ut ſu-
39 periùs firmatum eſt, longè minùs ſufficere debent recepti ſine citatione partis ante litis conteſtationem ad perpetuam rei memoriam, cùm tales recipiantur ab eo, qui futurus erit judex cauſæ principalis contra juris regulas, & ex quadam indulgentia ne pereant probationes, ubi timor eſt mortis, vel abſentiæ, ut *cap. Quoniam frequenter, ut lit. non conteſt.* Socin. Jun. *conſ.*86. *num.* 14. *lib.*2. Rimin. Jun. *conſil.* 213. *num.* 6. *lib.* 2. Regulariter enim teſtes recepti ante litis conteſtationem non probant, *ut in d. cap. Quoniam frequenter in princ.* imò nec faciunt indicium, & pari paſſu ambulant cum teſtibus examinatis parte non citata, ut notat Bart. in *l. Maritus num.*3. *in fin. ff. de quæſtion.* Non igitur mirum, ſi concurrente etiam citationis defectu nullam fidem faciant.

40 Ampliatur ſecundò, ut procedat etiam in teſtibus receptis citato procuratore non habente mandatum, vel minùs ſufficiens, quia defectus mandati includit etiam in
41 ſe defectum citationis quoad ipſum principalem. Unde proceſſus cum falſo procuratore, principali aliter non vocato, etiam ex defectu citationis impugnari poteſt, ut probat Vantius *de nullitate ex defectu inhabil. vel mand. n.* 61.
42 Idemque proceſſus, & omnia inde ſequuta ſunt ipſo jure nulla, *leg. Licet, C. de procurat. cap. In noſtra, verſ. Attendentes etiam eodem tit. c. Licèt de appellat. lib.* 6. Joan. de Anan. *conſ.*104 *num.*2. Rota coram Gregor. XV. *deciſ.*
43 264. *num.*1. Imò defectus hujuſmodi, ſicut citationis, & juriſdictionis, dicitur magnus, & à Signatura Papæ ſanari non ſolet, neque ex ſtylo Rotæ etiam refectis expenſis, ut atteſtatur Sarnen. in *comped. utriuſque ſignat. num.*72. Unde quemadmodum teſtes recepti in judicio manutentionis non ſufficiunt, ſi pars nullo modo citata fuerit; ita nec ſufficiunt ſi fuerit citatus falſus procurator, per prædicta.

44 Ampliatur tertiò, ut locum habeat etiam in teſtibus examinatis coram judice incompetenti, quia nec ipſi in hoc judicio manutentionis ſufficiunt, ut reſolvit Rota coram
45 Cardin. Mantica *deciſ.* 199. *num.* 1. præſertim ſi cum defectu juriſdictionis alii quoque defectus concurrant, puta citationis, & juramenti. Quo caſu nec ullum faciunt adminiculum, ut dixit Rota *deciſ.* 129. *nu.*17. *part* 7. *recent.* allegando Abb. hìc *num.*14. Creſcen. *deciſ.*2. *de teſtibus*, & Oſaſch. *deciſ.*69. *num.*18.

46 Ampliatur quartò, ut procedat in teſtibus ex quovis capite nulliter exminatis, veluti in teſtibus examinatis ſine juramento, quia teſtes non jurati, & recepti ſine citatione partis æquiparantur, ut notat Bald. in *Authen. Hodiè in princ. C. de jur am. calumn.* & poſt eum Dec. hìc *nu.*32. Et ita indefinitè ex teſtibus nuliter receptis non eſſe concedendam manutentionem, firmavit Rota in præalleg. Hebrien. Beneficii coram Cardinali Lancellotto, de qua ſuprà *num.*36.

Sed cautè, quia etſi hoc ſit verum in terminis juris communis, & Rota id generaliter dixerit; tamen hodiè reſtringi debet ad tres nullitates memoratas, videlicet citationis, juriſdictionis, & mandati: alias enim nulitates judices attendere non debent, ſed illis rejectis tenentur ad cauſarum expeditionem procedere; & ita in Tribunali Rotæ ſervari juſſit Pius IV. in ſua Conſtitutione incipien. *In throno*, §.13. *in Bullar. tom.*2. *pag.* 59. & hoc ipſum poſteà idem Pontifex ſanxit quoad omnia Urbis tribunalia, ut in alia Conſtitutione, quæ incipit, *Cùm ab ipſo*, §.13. *eod. tomo pag.*80. Quam quidem Conſtitutionem Clemens VIII. tandem extendit ad quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos ditionis Eccleſiaſticæ, ut in Conſtitutione incip. *Litium diſpendiis, in Bullar. tom.*3. *pag.*23. 47

In gloſſ. *Inevitabili*, QUÆRO, an valeat receptio teſtium, ſi citatus ob inevitabilem neceſſitatem comparere non potuit. In hoc articulo tres ſunt Doctorum opiniones. Prima opinio eſt gloſſæ noſtræ in *ver. Inevitabili*, quæ abſolutè tenet receptionem non valere, quia ex juſta cauſa detentus, non poteſt dici contumax; & ideò atteſtationes contra ipſum abſentem non ſuſtinentur, neceſſitate poſteà probata, *leg. Si Prætor, ff. de judic. leg. Si finita*, §. *Si fortè, ff. de damn. infect.* notatur in *cap. Cùm Bertoldus*, §. *Poſtmodum infrà de re judic.* & cum gloſſa conſentiunt hìc Abb. Antiq. in *fin.* Hoſtien. *nu.*4. *in ver. Neceſſitate*, Butr. *nu.* 14. Abb. *num.* 11. *verſ. Adverte, & num. ſeqq.* Sed & ſi anteà conſtaret de legitimo impedimento, teſtes non eſſent recipiendi, *l. Si quando, C. de teſtibus*, ſecundùm Hoſtien. *loco cit.* 48 49

Quinimò ſi Judex noverit inevitabile impedimentum citati, examen eſt ipſo jure nullum, ut hìc firmant Bald. in 3. *notabil.* Butr. *num.* 14. Imola *num.* 6. in gloſſ. *Inevitabili*, Abb. *num.* 12. & Felin. *num.* 18. per textum cum gloſſ. in *leg. Quæſitum, ff. de re judic.* qui non reperitur alibi ſecundùm Joan. de Imola, ubi patet impedimentum infirmitatis non levis notum judici reddere ſententiam ipſo jure nullam; & idem dicendum de aliis impedimentis, ut notat Bartol. in *leg.* 2. §. *final. num.*3. *ff. de cuſtod. reor.* & in *Extravag. Ad reprimendum, in ver. Neglexerit, & in leg.* 2. *num.* 8. *ff. de in jus vocan.* Butr. & Imola in *cap. Querelam ſupra de Procur.* Et hinc collige, ſcientiam judicis de legitimo impedimento nullam reddere ſententiam non tantùm diffinitivam, ut in locis proximè citatis, ſed etiam interlocutoriam, qualis eſt hæc, videlicet receptio teſtium, ſecundùm Felin. *d. num.* 18. *verſ. Et ex hoc dicto*. 50

Secunda opinio eſt Joan. Andr. hìc *num.*10. qui tenet, teſtium receptionem non eſſe funditùs nullam, ex quo præceſſit citatio, ſed non valere quoad hoc, quin poſſit abſens in perſonas teſtium objicere, ſicut potuiſſet, ſi fuiſſet præſens; & ſic audietur ad opponendum etiam ultra caſus exceptos in *c. Præſentium infrà eod.* ubi remittit ad notata per eum in *cap. Præſumitur, de regul. jur. lib.*6. *in Mercurial. in fin. quæſt.* ubi poſt multa concludit citatum perſonaliter, qui venire non potuit ad opponendum contra perſonas teſtium reſtituendum eſſe ad facultatem opponendi ea, quę tunc opponere potuiſſet, etiamſi non præceſserit proteſtatio juxta formam *d. c. Præſentium*; & idem concludit in citato ad domum, qui non comparuit allegans ſe citationem ignoraſſe; audietur enim ad opponendum in perſonas teſtium, licèt non ſervaverit formam prædictæ Decretalis, *Præſentium*, ſicut auditur fictus contumax appellans *l. Ab eo, Cod. quomodo, & quando judex*, & notatur in *Clem. uniç. de dolo, & contumacia*, & cum Joan. Andr. ſimpliciter tranſit Card. hìc *num.*7 Sed hanc opinionem in citato perſonaliter, & inevitabili neceſſitate detento, refellunt Doctores crebrioi i calculo, maximè Butr. *num.*14. & pleniùs Abb. *nu.*11. *verſ. Adverte*. Tùm per hanc litteram à contrario ſenſu, ibi, *Si non ex inevitabili neceſſitate*, quæ verba apertiſſimè oſtendunt atteſtationes non valere, quando adeſſe non potuit ex inevitabili neceſſitate, ut dixi ſuprà in 3. *notab.* Tum quia regula eſt, quòd geſta contra abſentem legitimè impeditum ſunt nulla, vel retractanda conſtito de impedimento, ut *cap. Cum* 51 52

Cùm Bertoldus, de re judic. & *l.* 4. §. *Si fortè*, *ff. de damn. infect. c. Querelam, de Procur.* Tum denique, quia per reſtitutionem ad opponendum in perſonas teſtium non eſt ſufficienter conſultum indemnitati abſenti juſto impedimento petenti, cùm potuerit ab initio illos repellere ex toto, ut non ſubjicerentur examini, ſecundùm ea, quę notantur in *c. Ex parte Adæ*, & *in c. Cùm cauſam inf. eod.* & examen illud facit ſaltem indicium; cùm præceſſerit citatio, ut notat Bart. in *l. Maritus n.* 3. *ff. de qu.* & potuiſſet etiam dare interrogatoria, uti meliùs informatus, quàm judex; unde totale intereſſe meretur totalem reſtitutionem, ſecundum eos, cum quibus etiam tranſit Felin. hìc *n.* 19.

53 Fatentur tamen prędicti veram eſſe opinionem Jo. And. in ſecundo caſu, ut ſcilicet citatus ad domum in illis caſibus, in quibus citatio hujuſmodi fieri potuit, ſit reſtituendus ad opponendum contra perſonas teſtium, ſi dicat ſe citationem ignoraſſe; quia etſi atteſtationes ipſo jure valeant, cùm citatio legitima præceſſerit, ſuccurrendum eſt tamen illi ope reſtitutionis in integrum, cùm non ſit verus contumax, ſecundùm prædicta.

54 Tertia opinio eſt Abb hìc *n.* 12. *verſ. Unde dicerem*, qui diſtinguit ſic: Aut judex ſciebat impedimentum citati, & receptio teſtium eſt ipſo jure nulla, ut *l. Quæſitum*, *ff. de re judic. c. Si duobus de appell.* & notatur in *c. Querelam*, *de Procur.* & in hoc caſu procedat prima opinio gl. & ſequacium. Aut judex ignorabat impedimentum: & talis receptio mero jure ſuſtinetur, ſed eſt retractanda ſaltem ope reſtitutionis, ſi hoc pars poſtulaverit, & de impedimento docuerit, ut notatur in *d. c. Querelam*, & *in d. l. Quæſitum*, maximè, ubi teſtes poſſunt ex integro examinari argum. text. in *c. Præſentium*, & *c. Cùm cauſam infrà eod*, & videtur ſatis æqua diſtinctio, & fuit originaliter Bart. in *d. l.* 1. *n.* 8 *ff. de in jus vocan.* ubi tenet proceſſum eſſe nullum ipſo jure, ſi citatus erat conſtitutus in carcere, & judex hoc ſciebat, ſed ignorabat, neceſſariam eſſe reſtitutionem, per id, quod legitur, & notatur in *d. l. Quæſitum*, & conſentit Bald. hìc *n.* 12.

Adverte tamen, quia impeditus ex inevitabili neceſſitate citari debet, ut ſaltem compareat per procuratorem, niſi eſset cauſa nimis gravis, ut *c. Querelam ſupr. de Procur.* & notatur in *l. Verum*, *ff. de minor.* ſecundùm Innoc. hìc *n.* 2. *in ver. Inevitabili*, Hoſt. & Jo. Andr. *n.* 4. Bellam. in *princ. in ver. Inevitabili*, licèt Aretin. contra in 5. *not.* Et eſt ſimile in Epiſcopo, qui tenetur per ſeipſum ſtatis temporibus limina viſitare, ut in *c. Ego N. infrà de jurejur.* Nam quandoque contingunt impedimenta, quæ eum excuſant à perſonali viſitatione tantùm, non autem à viſitatione per certum nuncium, ut innuunt Jo. de Fan. & Prępoſ. poſt eum, in *c. Juxta ad fin.* 93. *diſt.* & ſcripſi pleniùs in *d. c. Ego N. n.* 2. 55

DE TESTIBUS ET ATTESTATIONIBUS.

Alexander III. Exonen. Epiſcopo;

CAPUT XVIII.

INtimavit R. Presbyter, quód G. Clericus Capellanum ejus & alios quamplures de teſtibus ſuis juramento conſtrinxit, quòd teſtimonium, conſilium, & auxilium contra ipſum non præberent eidem: ideòque injungimus, ut ſi teſtimonium eorum publicatum non eſt; nec eſt abrenuntiatum teſtibus, eos qui ſunt juramento adſtricti, & alios (ſi neceſſe fuerit) idoneos, in teſtimonium recipere non poſtponas.

SUMMARIUM.

1 *Teſtificari compellitur, qui juravit teſtimonium non dicere, ſi atteſtationes publicatæ non ſunt, nec eſt renunciatum teſtibus, num.* 8.
2 *Juramentum temerarium an & quando repellat à teſtimonio, & n. ſeqq. uſq. ad n.* 8.
3 *Teſtis in odium illius, qui eum juramento adſtrinxit ad non deponendum, teſtificari compellitur, etiamſi perſeveret in crimine, & veritas per alium probari poſſit, & n.* 7.
4 *Sed contra alium non admittitur, niſi pœnituerit, n.* 7.
5 *Perjurus repellitur à teſtimonio etiam poſt peractam pœnitentiam.*
6 *Quod procedit in perjuro ſtrictè ſumpto, non autem in eo, qui temerè juravit, qui largè tantum perjurus dicitur.*
7 *Teſtes publicatis atteſtationibus ulteriùs producendi non ſunt.*
9 *Niſi per viam reſtitutionis in integrum.*
10 *Subtrahens adverſario copiam probationum an habeatur pro convicto, & cauſam perdat.*
11 *Teſtis ſubtractus ab adverſario habetur pro producto, perindè ac ſi contra eum depoſuiſſet, & n. ſeqq.*
12 *Inſtrumentum ſi alicui ſubtractum fuerit, ſtatur illius juramento, vel ei arbitrio boni viri juramentum defertur.*

1 I*Ntimavit.* Qui juravit teſtimonium non dicere, nec auxilium, nec conſilium præbere, teſtificari compellitur, ſi atteſtationes publicatę non ſunt, nec eſt renunciatum teſtibus producentis. Hoc dicit Bald. In prima ponitur partis querela. In ſecunda Papę proviſio, ibi, *Ideòque.*

2 Nota primò, ibi, *Qui ſunt juramento adſtricti*, teſtem, qui temerarium pręſtitit juramentum, à teſtimonio non repelli, prout hìc notat gl. poſt figurationem caſus, in *ver. Juramento*, & Bald, *n.* 2. Verùm Innoc. *in c. Conſtitutis*, *il prim. in princ. infr. eod.* tenet hoc procedere in odim accuſati, qui juramentum extorſit; creditur enim ad veritatem celandam hoc procuraſſe, vel ſaltem ab aliis procuratum eſſe de illius voluntate, ſecundùm terminos *d. c. Conſtitutis:* aliàs verò temerarium perjurium non repellit à teſtimonio, *c. Quiſquis* 11. *qu.* 3. *l. Eum*, *ff. de injur.* Idem firmant in *d. c. Conſtitutis*, Hoſt. *n.* 1. & Butr. *n.* 6. quia licèt in criminalibus teſtes non compellantur, *c. Dilectorum infrà de teſtibus cogen.* & ideò juramentum non prohibendo videatur habere fomentum juris: tamen cùm teſti liberum ſit teſtificari ſi voluerit, malum eſt, & contra bonos mores, & contra jus publicum, hanc ſibi facultatem adimere, & ſe jurejurando conſtringere ad teſtimonium non ferendum, *d. c. Quiſquis*, & *c.* 1. *de crim. fal.*

Sed Abbas in *d. c. Conſtitutis nu.* 4. & Felin. hìc *num.* 7. ſic diſtinguunt. & benè, videlicet, aut teſtis producitur contra partem, quę illum juramento ſeduxit ad non teſtificandum, aut producitur contra alium. Primo caſu in odium extorquentis illicitum juramentum admittitur teſtis 3
ad deponendum, etiamſi in crimine perſeveret: & in hoc primo membro conveniunt Innocen. & omnes, quòd ſi reus excipiat de crimine perjurii, ſeu temerarii juramenti, competit producenti explicatio de paritate criminis contra eum, qui fuit in cauſa, & dolo, inducendo teſtem temerè jurandum, ut *c. pen.* & *c. fin. inf. de adulter.* Quinimò hoc caſu non tantùm admittitur teſtis, ſed etiam compellitur, ut hìc patet in fin. etiamſi veritas per alios probari poſſit, ut contra Butr. & nonnullos antiquos benè deducit Felin. hìc *n.* 1. reſpondens ad verba hujus textus *Si neceſſe fuerit.*

In ſecundo autem caſu ſubdiſtingue: nam aut teſtis adhuc perſeverat in ſuo temerario juramento, & non debet 4

contra alium admitti, quia perſeverat in crimine, *c. Teſtimonium infr. eod.* Aut eſt emendatus, & hoc caſu poſt peractam pœnitentiam admitti poteſt ad teſtificandum etiam contra alium, quia hujuſmodi crimen non eſt publicum, ſed de gravioribus, ut colligitur ex textu, & gl. in *cap. Qui Sacramento 22. qu. 4.* & non omne crimen repellit à teſtimonio, ut in *d. c. Teſtimonium.*

5 Et hinc collige notabilem limitationem ad regulam, quę habet, perjurum indiſtinctè etiam poſt pœnitentiam peractam repelli à teſtimonio, ut in prędicta Decretali *Teſti-*
6 *monium*, & ibi gl. in *ver. Perjurii*. Procedit enim in perjuro ſtrictè, & propriè ſumpto, id eſt in eo, qui falſum juravit, ut in *c. Homines 22. qu. 2* Aut venit contra licitum juramentum, juxta *c. Querelam, de jurejur.* non autem in illo, qui juravit temerè; quia licèt talis etiam dicatur perjurus, ut *c. Sicut noſtris, de elect. c. Si aliquid in fin. & per tot. 22. q. 4.* tamen non eſt perjurus ſtrictè, & propriè, ſed largè, ut *d. c. Sicut*, & hìc notat Felin. *nu.* 8. Quę limitatio eſt ex mente gl. in *c. Venerabilem, in ver. Perjurium ſup. de elect.* quę notabiliter declarat regulam, quòd perjurus repellatur à teſtimonio, ut non procedat in perjuro, qui temerè juravit, juxta textum in *d. c. Sicut noſtris*: &
7 ibi ſimilis gl. *in ver. In cauſa*. Eamdem diſtinctionem originaliter poſuit Hoſt. in *d. c. Teſtimonium n. 9. infr. eod.* ubi concludit, temerarium juramentum numquam repellere à teſtimonio contra eum, qui juramentum extorſit: ſed contra alium ita demum repellere, ſi jurantem non pœnituit; aliàs verò juramentum temerarium à teſtimonio non repellit, ſicut nec à dignitate: & ſubdit ita communiter DD. ſentire; & eum ſequitur Abb. ibid. *n. 3. poſt med. verſ. Hanc opinionem*, & hoc teneas.

8 Secundò, nota ibi; *Si teſtimonium eorum publicatum non eſt*, à contrario ſenſu poſt publicatas atteſtationes & didicita teſtificata teſtes non eſſe ulteriùs producendos, ut hìc, & in *c. Conſtitutus, il 2. verſ. Cùm materia, & in cap. Per tuas ſup. eod.* Gl. hìc in *ver. Eorum*, & in Clem. 2. in *ver.*
9 *Producere de teſtib.* Sed hoc limitant hìc Innoc. Hoſt. Jo. Andr. Bald. Butr. & communiter DD. niſi per viam reſtitutionis in integrum, ex clauſula generali, *Si qua mihi juſta cauſa eſſe videbitur*, de qua in *l. 1. ff. ex quibus cauſis majores*, quia per ipſam ſuccuritur publicationi, ac renuntiationi, præſertim præſtito juramento, quòd hoc malitioſè non petatur, ut hìc per eos: quod latiùs proſequitur Felin. *num.* 2.

Ultimò, nota ibi, *Teſtimonium recipere non poſtponas*, 10
eum, qui ſubtraxit adverſario copiam probationum, non haberi pro convicto, nec cauſam perdere, & ita ad hoc ponderat hunc text. Bald. *num.* 2. nam ſi perderet cauſam, non eſſet opus iterùm teſtes examinari, cujus contrarium hìc ſtatuitur; licèt fateatur contra ſubtrahentem oriri pręſumptionem, quia conatur veritatem celare; ſubdens hoc eſſe benè notandum: & eum ſequitur Felin. *hìc circa finem, verſ. Ultimò dicit*. Idem voluit gloſſa *ult. in l. Providendum, C. de poſtulan.* & fuit opinio Vincentii, & Philippi in *c. Pervenit, il primò infrà eodem*, quam dicit communem Felin. in *c. Cùm venerabilis n. 21. de except.* & Boer. alios citans *dec. 292. n. 3.*

Sed oppoſitum è diametro tenuit hìc Innocent. in *princ.*
per textum in *d. c. Pervenit*, ubi idem tenet Hoſtienſ. *nu.* 11
1. in ver. Oſtendit infrà, de teſtib. cogen. & per §. Tria 3. qu. 7. & hoc ſequitur Bart. in *d. l. Providendum in antiqua lectura in fin.* & Angel. in *l. 1. §. Si reus, ff. de eo, per quem factum erit*. Et fuit opinio gloſſę ultimę in *d. c. Pervenit*, dum dixit, teſtem ab adverſario ſubtractum, haberi pro producto, perindè ac ſi contra eum depoſuiſset. Et eum ſequitur ibi Card. *n. 2. & 3.* ea ratione, quia ſicut credendum eſt juramento illius, qui volebat producere inſtrumentum ei ſubtractum, vel deferendum eſt illi juramentum arbitrio boni viri, *l. Si quando, C. Unde vi: & l. Si de poſſeſſione*, & ibi Cyn *C. de probat. c. fin. quod met. cauſ.* eodem modo credendum eſt illi, cui teſtes ſubtracti ſunt, vel deferendum eſt ei juramentum, quaſi teſtis habeatur pro producto, ſecundùm eum.

Tu verò pro concordia opinionum diſtingue, ut plenè ſcripſi in quæſtione facti in *d. c. Pervenit à n. 10. uſq. ad n. 23.* & pręcipuè *n. 19. infrà eod.*

DE TESTIBUS ET ATTESTATIONIBUS.

Idem Alexander III.

CAPUT XXIII.

LIcèt univerſis: & infrà. Quia non eſt licitum alicui Chriſtiano, & multò minùs Crucis Chriſti inimico, ut cauſæ ſuæ unius tantùm quaſi legitimo teſtimonio finem imponat: mandamus, quatenus ſi inter vos & quoſcumque Judæos emerſerit quæſtio, in qualibet cauſa Chriſtiani, & maximè Clerici, non minus quàm duorum, vel trium virorum, qui ſint probatæ vitæ, & fidelis converſationis, teſtimonium admittatis, juxta illud Dominicum: In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum: quia licèt quædam ſint cauſæ, quæ plures quàm duos exigant teſtes, nulla eſt tamen cauſa, quæ unius teſtimonio (quamvis legitimo) terminetur.

S U M M A R I U M.

1 *JUdæus nil poteſt probare minùs quàm per duos teſtes fideles, & honeſtos ſi agat contra Chriſtianum, n. 13.*
2 *Teſtes in multis cauſis plures quàm duo requiruntur, ſed numquam ſufficit unus, n. 4. & 13.*
Declaratur, n. 7. & n. 12. uſq. in fin.
3 *Judæi teſtimonium contra Chriſtianum non admittitur.*
4 *Teſtes ultra duos in multis caſibus ſunt neceſſarii, ſed nullo caſu ultra tres, ſi habeant qualitates à jure requiſitas, & explicatur lex Divina, In ore duorum, &c. n. 7.*
5 *Leges civiles requirentes majorem numerum, quàm duorum, vel trium teſtium, valent, & cenſentur approbatæ à Canone.*
Contra, n. 7. & n. 9.
6 *Princeps laicus ex magna cauſa poteſt ſtatuere contra præcepta moralia affirmativa, vel ſaltem judicialia*
Contrarium, n. 11.
8 *Teſtes tres in multis caſibus requiruntur.*
10 *Eccleſiæ poteſtas non extenditur ad peccatum.*
12 *Lex civilis, quæ in divortio requirit ſeptem teſtes, non valet ex defectu poteſtatis.*
13 *Teſtis unicus, quamvis legitimus non probat.*
14 *Quod locum habet in omnibus cauſis tam profanis, quàm ſpiritualibus.*
15 *Teſtimonio unius creditur, ubi de nullius præjudicio agitur, puta an aliquis ſit baptizatus, an Eccleſia ſit conſecrata.*
Idem ſi agatur de modico præjudicio, n. 17.
Idem in pluribus aliis caſibus, remiſſivè, n. 19.
16 *Clericatus poteſt probari per unum teſtem.*
18 *Teſtis unicus ſufficit ad probandam poſſeſſionem in judicio manutentionis.*
20 *Teſtis unicus in judicio præſumptionem inducit.*

L*Icèt Univerſis*. Judæus nil poteſt probare minùs quàm 1
per duos teſtes fideles, & honeſtos. Hoc dicit Joan. Andr. Bellam. Butr. Card. Ancharan. Imol. & Joann. de Anan. vel generaliùs ſecundùm Bald. & Felin. Neque Ju- 2
deæus, neque Chriſtianus fundat probationem ad deciſio-

nem

nem cauſæ per unum teſtem tantùm, quia licèt aliquando requirantur plures, nunquam ſufficit unus.

3 Nota primò, Judæum, ſi agat contra Chriſtianum, nihil probare poſſe per minorem numerum, quàm duorum teſtium probatæ vitæ, & laudabilis converſationis, ut hìc eſt caſus ſecundùm Aretin. & alios. Non ergo admittitur teſtimonium Judæi, vel criminoſi, c. Si hæreticus, c. Non poteſt, & c. Pagani 2. q. 7. c. Judæi ſuprà eod. & infrà in c. Proximo, & cap. Teſtimonium: & hìc notant gloſſ. 2. Hoſt. n. 1. verſ. Fidelis converſationis, & plerique alii.

4 Secundò, nota multas eſſe cauſas, quæ plures quàm duos exigunt teſtes; ſed nullam eſſe cauſam, quæ unius teſtimonio, quamvis legitimo, terminari poſſit, ut dicitur in littera, & ſic authoritas Divinæ Scripturæ legis: In ore duorum, vel trium ſtat omne verbum, Deuteron. 17. & 19. Matthæi 18. Joan. 8. exponi debet, id eſt non pauciorum, ſecundum gloſſam hìc in verbo Duorum, Hoſt. n. 1. in verb. In ore duorum, Bald. n. 1. verſ. Nam illa verba; & ſic authoritas Divina non excludit, quin poſſint eſſe plures: ſimilis gloſſ. habetur in
5 Summ. 2. q. 4. Quinimò ex hac littera colligunt idem Bald. num. 3. verſ. In text. ibi, Aretin. n. 6. in 4. notab. & Felin. n. 1.
6 poſt med. verſ. Nota ſecundum Bald. valere leges civiles requirentes majorem numerum, quàm duorum, vel trium teſtium, & cenſeri approbatas à Canone. Et ex hoc inferunt Aretin. & Felin. ut Princeps ſæcularis ex magna cauſa poſſit ſtatuere contra præcepta moralia affirmativa, vel ſaltem judicialia, condendo legem.

7 Sed ſalva reverentia tantorum Patrum, verius videtur authoritatem illam, In ore duorum, vel trium, &c. eſſe referendam non modò ad minorem numerum, quàm duorum, ſed etiam ad majorem, quam trium, itaut æquè repugnet juri Divino, ut unicus teſtis ſufficiat, atque ut requirantur plures quàm tres, ut probat irrefragabiliter text. in c. Cùm eſſes infrà de teſtam. ubi leges humanæ requirentes numerum ſeptem, vel quinque teſtium in ultimis voluntatibus, dicuntur eſſe contra legem Divinam, qua ſcriptum eſt, In ore duorum, vel trium, &c. & ſic authoritas illa apertè intelligitur etiam de exceſſu ultra numerum trium. Nec refragatur hæc Decretalis, quia non dicit dari cauſas, quæ plures, quam tres, exigant teſtes (hoc enim eſſet manifeſtè contra jus Divinum) ſed dicit dari cauſas, quæ plures exigunt, quàm duos; quod non repugnat legi Divinæ, quia Divina lex non dicit precisè: In ore duorum, &c. ſed alternativè Duorum, vel trium; & ſic relinquit legi humanæ determinandum, quan-
8 do non ſufficiant duo, ſed requirantur tres; idcòque lex humana tam Eccleſiaſtica, quàm ſæcularis providè ordinavit in multis caſibus duos teſtes non ſufficere, ſed neceſſariò tres eſſe adhibendos, ut patet in d. c. Cùm eſſes, de teſtam. ubi in teſtamento ad non pias cauſas non ſufficiunt duo teſtes, ſed ultra eos requiritur etiam præſentia Presbyteri Parochialis. Idem patet in depoſito pecuniæ, vel alterius rei excedentis libram auri, in quo tres teſtes requiruntur, ut in Auth. de inſtrum. caut. & fid. §. Si quis agitur, & in Auth. Si quis vult, C. qui potior. in pignor. habeant. Specul. in tit. de teſte, §. Reſtat n. 5. verſ. Item in pecuniæ depoſitione. Idem in confectione inventarii, ubi ſimiliter non ſufficiunt duo teſtes ſed requiruntur tres, ut in Auth. de hæred. & falcid. §. Si verò abſunt, & §. Sancimus, l. Sancimus, §. Si verò dubius, C. de jure delib. Specul. ubi ſup. n. 5. verſ. Item in inventarii confectione, & in aliis caſibus ibi per eum relatis, & per Farinac. in prax. criminal. q. 63. c. 5. per tot. At nullus omninò datur caſus, in quo tres teſtes non ſufficiant, dummodò ſint omni exceptione majores, vel habeant qualitates à jure requiſitas: idcòque non obſtat c. Præſul 2. q. 4. ubi ad condemnandum Cardinalem Epiſcopum requiruntur viginti ſeptem teſtes, quoniam ille textus intelligendus eſt ubi teſtes ſunt ſuſpecti, ut dicit ibi Gratian. in §. ſeqq. Hoſtien. hìc nu. 3. & Jo. Andr. n. 4. verſ. In gloſſa tertia, Roman. ſingular. 207. in fin. Abb. in c. Per tuas in fin. de maj. & obed. vel certè diſpoſitio d. c. Præſul, procedit de juris rigore, qui non eſt ſer-
9 vandus, ſecundùm Hoſtien. & Jo. Andr. ubi ſup. Item non obſtat, quòd ſecundùm leges in teſtamentis de jure civili requirantur ſeptem teſtes, & in codicillis, & donatione cauſa mortis requirantur quinque ut hìc in gloſ. in verb. Quædam; quoniam hujuſmodi leges tamquam adverſantes juri Divino, & naturali, ac nutrientes peccatum declarantur irrationabiles in d. c. Cùm eſſes, de teſtam. ut ibi dixi in q. de caco à n. 4. uſque ad nu. 142. Unde patet verum non eſſe, quod dicunt Bald. Aretin. & Felin. leges civiles de numero ſeptem teſtium eſſe approbatas à Canone, id eſt in hoc cap. Imò enim ſunt improbatæ in d. c. Cùm eſſes, & cum foveant peccatum approbari non potuiſſent, quia poteſtas Eccleſiæ non 10
extenditur ad peccatum, c. 1. 40. diſt. c. Scripſit, ibi Et ideò per nos fieri nullatenus poteſt, ne peccatum, & c. 7. q. 1. & in his terminis tradit Abb. in d. c. Cùm eſſes n. 30. Nec etiam ſuffragatur hoc cap. quia loquitur de teſtibus ultra duos, ſed non ultra tres, ut oſtenſum eſt ſuprà n. 7. & ſic non reſpondet tacitæ objectioni, quæ poſſet fieri de teſtamentis, & codicillis. Quemadmodum nec verum eſt, quod Aretin. & Felin. affirmant de poteſtate Principis ſtatuendi contra præcepta moralia affirmativa, aut ſaltem judicialia. Imò enim præce- 11
pta moralia cùm ſint juris naturalis, immutabilia ſunt, §. His itaque, & ibi gloſſ. 1. 6. diſt. S. Thom. in 4. ſent. diſt. 2. q. 1. art. 4. q. 1. ad 2. Præcepta verò judicialia non eſt opus, ut tollantur ſtatuto Principis, quia ſunt evacuata per Adventum Chriſti; & quamvis non ſint mortifera, ſunt tamen mortua, ut idem docet in 1. 2. q. 103. art. 4. & q. 104. art. 3.
Minùs obſtat text. in l. Nullum, ff. de divort. ubi in divortio 12
ſeptem requiruntur teſtes: & notat Speculat. in d. tit. de teſte, §. Reſtat n. 6. in fin. verſ. Item in divortio, Nell. de teſtib. n. 84. verſ. In divortio. Etenim cum divortii cauſa ſpiritualis ſit, & ad Eccleſiam pertinens, c. Multorum 35. q. 6. c. 1. in fin. de conſanguin. & affinit. c. Accedentibus de exceſſibus Prælator. c. Auditis de præſcript. Concil. Trident. ſeſſ. 24. de Sacram. matrim. Can. ult. illa lex ponit falcem in meſſem alienam, nec valet ex defectu poteſtatis, ſecundùm communes Theoricas Doctorum in c. 1. infra de novi oper. nunciat. & in c. Eccleſia Sanctæ Mariæ ſuprà de conſtitut. Hæc de prima parte textus.

Quo verò ad ſecundam partem, ponitur regula univerſa- 13
lis negativa, videlicet, nullam eſſe cauſam, quæ unius teſtimonio, quamvis legitimo, terminetur: & de hac præcipuè loquitur Divinæ legis authoritas ſecundum illud Deuter. 19. Non ſtabit teſtis unus contra aliquem, quidquid illud peccati, & facinoris fuerit; ſed in ore duorum, aut trium ſtabit omne verbum, concordat c. Admonere, ibi, Quoniam nec ulla Divina, humanaque lex unius teſtimonio etiam idoneo quempiam condemnat, vel juſtificat, 33. q. 2. cap. In omni, & c. Veniens ſupra eodem. Imò vox unius vox nullius, ut dicitur in l. Jurisjurando, C. de teſtib. Specul. in tit. de teſte, d. §. Reſtat n. 7. Roman. ſingul. 672. incip. Dictum unius, Marſil. ſingular. 47. incip. Trita, & vulgaris: & locum ha- 14
bet hæc regula in omnibus cauſis tam profanis, quàm ſpiritualibus, ut notat Abbas in c. Cùm dilectus n. 4. de ſucceſſ. ab inteſt. Anton. de Butr. in d. c. In omni num. 7. & in d. c. Veniens num. 4. plenè Tiraquell. de rebus exig. in princ. verſ. Secunda ratio eſt.

Cæterum gloſſ. 3. hìc notabiliter declarat propoſitam re- 15
gulam, ut locum ſibi vendicet in alterius præjudicium, in quibus terminis loquitur lex divina ubi ſuprà, & Deuteron. 17. ibi, Nemo occidatur contra eum uno teſtimonio dicente: & jura ſuperiùs citata. Secus verò ubi de nullius præjudicio agitur, quia in his creditur teſtimonio unius, puta utrum aliquis ſit baptizatus, c. Parvulos, & c. Cùm itaque, de conſecrat. diſt. 4. an Eccleſia ſit conſecrata, c. Solemnitates, & ibi gloſſ. in verb. Nec certi teſtes de conſecrat. diſt. 1. Speculat. in tit. de teſte, §. Reſtat n. 8. verſ. Nono, gloſſ. fin. in c. Nuper, & ibi etiam Bald. n. 40. infrà eod. & idem Baldus, hìc num. 4. qui ex hoc infert Clericatum poſſe probari per 16
unum teſtem, quia talis actus de ſe, & ſui natura nemini præjudicat. Sequitur Felin. n. 1. in fin. Covarr. pract. q. c. 33. n. 3. Et idem eſt ſi agatur de modico præjudicio, Aymon. 17
conſ. 182. Videtur n. 15. verſ. Alibi ſcribit, Anton. Gabriel. commun. concluſ. in tit. de teſtib. concluſ. 2. num. 7. & hinc eſt ut poſſeſſio in judicio manutentionis per unum teſtem ſuf- 18
ficienter probetur, Grat. conſ. 110. n. 8. lib. 2. Seraphin. dec. 1326. n. 1. Rota in recent. deciſ. 511. nu. 8. part. 1. & deciſ. 15. n. 15. part. 6. Et prædictis adde Speculat. in d. tit. de teſte, §. Reſtat, à n. 8. ubi ad propoſitam regulam, quòd teſtis 19
unicus non probet, ponit 30. limitat. & num. 12. concludit præmiſſos caſus eſſe ſpeciales, & ſæpè uni fidem adhiberi extra judicium, puta ubi de nullius præjudicio agitur; in 20
judicio verò præſumptionem inducere: ad hoc habes jura hìc allegata in gloſ. ult.

DE TESTIBUS ET ATTESTATIONIBUS.

Innocentius III.

CAPUT XLV.

Conſtitutis in præſentia noſtra Archiepiſcopo, & M. Canonico Surretin. dum ipſe illum de ſimoniæ crimine deferret: & infrà. Cæterum quoniam à principio proteſtatus eſt præfatus M. ipſius Archiepiſcopi conſanguineos multa impedimenta per ſuam potentiam præſtitiſſe, quominus probationum copiam in noſtra præſentia ſecum haberet, cùm quoſdam induxerint ad jurandum, ne adverſus Archiepiſcopum aliquid dicerent, & alios minis & terroribus à teſtimonio perhibendo arcere nitantur; Nos ex officio noſtro ſuper hoc providere volentes, mandamus, ut generalem feras excommunicationis ſententiam in omnes, qui impedimentum aliquod ipſi M. præſtare præſumpſerint in teſtibus producendis. Illos autem quos (ut dictum eſt) juraſſe conſtiterit, quòd contra Archiepiſcopum nihil dicerent, denunties juramento hujuſmodi non teneri. Si quis autem de conſaguineis dicti Archiepiſcopi aliquem de teſtibus præſumpſerit impedire (quia veriſimile non videtur, ut eo invito talia fierent, & ob hoc non caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, eò quòd ſi voluerit, potuerit prohibere: cùm ſecundùm legitimas Sanctiones, iniquam oſtendat ſe. cauſam fovere; & experiri debeat judicis auctoritatem eluſam, qui defenſionis copiam ſubtrahit adverſario) eumdem Archiepiſcopum ab officio Pontificali ſuſpendas, & facias manere ſuſpenſum, donec illum feceris à tali præſumptione ceſſare.

S U M M A R I U M

1 *IN teſtibus producendis partem impedientes excommunicari poſſunt.*

2 *Conſanguinei ſi impediant teſtes actoris, punitur reus, de cujus voluntate hoc fieri præſumitur, num. 5.*

3 *Juramentum de non teſtificando contra aliquem, non eſt obligatorium, & cur, & num. ſeqq.*

4 *Veritatem in judiciis occultare eſt mortale peccatum.*

6 *Delictum conſanguinei, amici, vel famuli, præſumitur commiſſum de voluntate illius, in cujus commodum reſultat.*

Dummodò habeat cauſam continuam, ſeu ſucceſſivam: ſecus ſi delictum ſit momentaneum, n. 8.

7 *Domeſtici præſumuntur non facere, niſi quod placet majori ſuo.*

9 *Hæc tamen præſumptio admittit probationem in contrarium.*

1 Conſtitutis, *il primo*. Excommunicari poſſunt, qui partem impediunt in teſtibus producendis. Hoc primò: & denunciandi ſunt teſtes non teneri juramento de veritate tacenda. Hoc ſecundò: & ſi conſanguinei impediant te-
2 ſtes actoris, punitur reus, de cujus voluntate hoc fieri præſumitur. Hoc dicit tertiò, ſecundùm Jo. Andr. & alios poſt eum. Secunda pars ibi, *Illos*. Tertia ibi, *Si quis autem*.

Nota primò, ibi, *Juramento hujuſmodi non teneri*, jura-
3 mentum de teſtimonio contra aliquem non perhibendo non eſſe obligatorium, & denunciandum eſſe, teſtem hujuſmodi juramento minimè teneri, Butr. hìc in 2. *notab.* Abbas *n.* 2. Jo. Andr. & omnes in *Summ. textus*: & ita hìc eſt caſus apertus contra opinionem Laurentii, qui dicebat teſtem jurejurando adſtrictum à parte ad non teſtificandum contra ipſam, teneri juramentum ſuum ſervare, nec eſſe cogendum deponere ſuper negotio principali, ſed tantummodò ſuper coactione, ut notatur in *c. Pervenit, il primo*, in gloſſa in *verb. Commentum infrà de teſtibus cogen* Sed hoc expreſsè reprobatur hìc, & concordat *c. Intimavit ſuprà eodem, & c. Olim*, ubi de hoc, *infrà de accuſat*. Ratio, eſt quia licèt in criminalibus teſtes non compellantur, *c. Dilectorum*, & ibi gloſſa magna, & DD *de teſt. cogn* tamen non poſſunt ſe ju-
4 ramento adſtringere ad teſtimonium non ferendum, ſecundùm Abb hìc *num.* 2. hujuſmodi enim juramentum eſt illicitum, ac temerarium, nec ſervari poteſt ſine interitu ſalutis æternæ, quia in judiciis veritatem occultare eſt culpa lethalis, *c. Quiſquis* 11. *q.* 3. *infrà de crimin. falſ.* & Reipublicæ intereſt peccata nocentium eſſe nota, *l. Eum qui, ff. de injur. c. Ut famæ, de ſent excomm.* quas rationes adducit gloſſ *ult. in d.c. Intimavit ſuprà eodem, & in d.c. Olim in ver. De tacenda veritate* Item gloſ. hìc in *ver. Non teneri* Hoſtien. *n.* 1. Abb. *d. n.* 2. & idem Abb. in *d.c. Pervenit in* 1. *notab. de teſt. cogn.* & Felin. in *d. c. Intimavit in* 1. *notab. ſuprà eod.*

Secùndò, nota ibi *Quia viriſimile non videtur* præſumptio- 5
nem eſſe contra accuſatum, ſi ejus conſanguinei accuſatorem impediant in teſtibus producendis: & ita hìc eſt caſus ſecundùm Abb. Antiq. in *princ.* Jo. And. & omnes in *Summ. textus* Propterea enim iſte Archiepiſcopus jubetur ſuſpendi ab officio Pontificali, quia id factum præſumitur de illius
voluntate, nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, ut in litte- 6
ra: & hinc generaliter collige delictum commiſſum à conſanguineo, vel amico, aut famulo, in dubio præſumi perpetratum de voluntate ipſius conſaguinei, amici, vel domini, in cujus commodum, ſeu utilitatem reſultat: præſumitur enim contra ipſum, ex quo potuit prohibere, & non prohibuit; & ideò eſt puniendus, ut in textu, & notant gloſ. in *ver. Veriſimile*, & Hoſtien. *num.* 4 Butr. in 3. *notab.* Anchar.
num. 6. & Abb. in *ult. notab.* Nam ut inquit Baldus *num.* 2. 7
præmittur, quòd illi de domo non faciant niſi illud, quod
placet majori ipſorum. Verùm Abb. hìc *num.* 2. hoc intel- 8
ligit, & benè, dummodò impedimentum, & delictum habeat cauſam continuam, ſeu ſucceſivam, prout in caſu hujus Decretalis, ſecus verò ſi delictum ſit momentaneum; & ita intelligit *c. Quia præſulatus* 1. *q.* 4. & hanc declarationem Abbatis ſequitur Barboſa in *l. Si mora nu.* 42. *ff. ſolut. matrim.*

Hæc tamen præſumptio, quæ reſultat ex delicto dome- 9
ſtici, non eſt juris, & de jure, ſed juris tantùm; ideò admittit probationem in contrarium, ut hìc notat gloſ. in *verſ. Veriſimile*, & Bald. *n.* 1.

In textu, ibi, *Iniquam oſtendant ſe cauſam fovere*, an ſubtrahens adverſario copiam probationum perdat litem, & habeatur pro convicto, & qua pœna pro ſubtractione ipſa ſit puniendus, ſcripſi latiſſimè in quæſtione facti in *d.c. Pervenit, in* 3. *q. de teſtib. cogen.* ubi plenè videas.

DE TESTIBUS ET ATTESTATIONIBUS.

Honorius III. Præpoſito, & Magiſtro G. & R. Laudun. Canonicis.

CAPUT L.

PRæſentata nobis Sueſſionen. Archidiaconi petitio, continebat, quòd cùm inter R. quondam prædeceſſorem ſuum ex una parte, & Capitulum ſancti Petri Sueſſion. ex altera, ſuper juriſdictione, quam idem Archidiaconus ſe in dicta Eccleſia ratione Archidiaconatus proponebat habere, quæſtio verteretur; tandem Cancellarium Pariſien. & magiſtros R. Remen. & P. Briton. Canonicos ſuper hoc arbitros elegerunt; qui cum ſuſcepto arbitrio adeò in negotio proceſſiſſent, quòd productis teſtibus, & depoſitionibus publicatis, receptiſque allegationibus utrorumque, & actis omnibus redactis in ſcriptis, ſigillorum ſuorum impreſſione ſignatis, arbitrium proferre deberent, unus ipſorum viam fuit univerſæ carnis ingreſſus, & alius in Archiepiſcopum Ebredunen. aſſumptus, qui diſtat per duodecim dietas, & ampliùs ab eiſdem. Unde cùm prædicto R. ſolo, minimè arbitrari valente, videatur arbitrium expiraſſe. Diſcretioni veſtræ mandamus, quatenùs cauſam juxta hujuſmodi acta ſine debito terminetis, optione Capitulo reſervata, ut vel recipiant depoſitiones eorum, qui ſuperſunt productorum teſtium, contra eos: vel eas reſpuentes conſentiant, ut iidem teſtes admittantur iterùm; ſalvo jure quod in utroque caſu eidem Capitulo competit, tam in perſonas teſtium, quàm in dicta.

S U M M A R I U M.

1 *JUriſdictio expirat, ſi judex recedat à loco, in quo debet judicare, & transferat ſe ad locum, in quo tenetur reſidere, & num 6. & 11.*

2 *Collatio beneficii facta à Vicario Epiſcopali poſteaquàm à diœceſi, ubi erat Vicarius, abſceſſit, & ad locum ſui Canonicatus ſe contulit, an valeat, & n. ſeqq. uſq. in fin.*

3 *Domicilium ut contrahatur, requiritur animus perpetuò habitandi.*

4 *Animus perpetuò habitandi quando præſumatur.*

5 *Domicilii translatio ex quibus probetur.*

7 *Domicilium Clerici facilè præſumitur in loco beneficii reſidentiam requirentis.*

8 *A domicilium contrahendum an ſufficiat ſola animi declaratio ſine alia probatione.*

9 *Procurator alium ſubſtituens non remanet ampliùs procurator.*

10 *Vicarius egrediendo locum Vicariatus animo non redeundi, cenſetur officio renuntiare.*

Si Legatus egrediatur Provinciam animo non redeundi, an expiret munus legationis, ibid.

11 *Abſentia à loco cum obligatione alibi remanendi, morti æquiparatur.*

12 *Vicarius Epiſcopi habens ſpeciale mandatum ad conferendum beneficia, poteſt ea conferre etiam extra diœceſim.*

13 *Niſi per abſentiam extra diœceſim Vicariatus expiraverit.*

14 *Collatio beneficiorum non poteſt demandari ab Epiſcopo niſi Vicario Generali.*

15 *Beneficia conferendi facultas Vicario attributa non tranſit in Succeſſorem.*

1 PRæſentata. Summatur, & dividitur, ut per Joan. Andr.

In textu ibi, *In Archiepiſcopum Ebredunen. aſſumptus*, nota, juriſdictionem, expirare, ſi judex recedat à loco, in quo debet judicare, & transferat ſe ad locum, in quo tenetur reſidere ratione beneficii ſibi collati, prout hìc receſſit iſte arbiter electus in Arcpiepiſcopum, ut latiùs dicam infrà *n.* 1

2 Ex quo infero ad quæſtionem, an collatio beneficii facta à Vicario Epiſcopali, poſteaquàm à diœceſi, ubi erat Vicarius, receſſit, & ad locum ſui Canonicatus ſe contulit, ſit valida, necne.

3 Contigit hic caſus in Vicario Epiſcopi Placentini, qui beneficium contulit, poſteaquàm receſſit è diœceſi Placentina, & migravit ad Eccleſiam alterius Epiſcopatus, in qua erat Canonicus. Et reſponſum eſt, collationem eſſe nullam, quia conſtabat eum tranſtuliſſe domicilium ad locum Canonicatus, cùm haberet animum ibi perpetuò habitandi, ut requiritur ad contrahendum domicilium, *l. Cives*, *C. de incol. lib.* 10. Abb. *in c. fin. num.* 8. *infrà de Paroch.* Felin. *in c. Dilectus filius il ſecondo, num.* 12. *in* 2. *limitat. verſ. Et hoc ſuprà de reſcrip.* Tamen ſi enim talis animus ex ſola habitatione non præſumatur, niſi fuerit decennalis, ut notat gloſſ. *unic, in l.* 1. *C. de incol. lib.* 10 Angel. *conſ.* 27 *Quidam Victor. num.* 2 Doctores *in d. c. final. de Paroch.* Felin. *in d. c. Dilectus filius, num.* 11. *verſ. Primus caſus*: tamen brevis temporis habitatio ſufficit ad talem animum præſumendum, ſi cùm habitatione concurrant conjecturæ ſignificativæ domicilii, Abb. *loc. cit.* Marian. Socin. *in cap. fin. de foro num.* 26. *verſ. Si verò habitatio*, Felin. *in d. c. Dilectus filius, num.* 11. *verſ. Secundus caſus*: quæ ſanè conjecturæ in caſu noſtro abundè concurrunt. 4

Primò quidem, quia receſſit de diœceſi cùm rebus ſuis: quod demoſtrat animum domicilium transferendi, ut notat Bart *in l. Domicilium, num.* 1. *ff. Ad municipal. & in l. Aſſumptio, §. Juriſprudentibus, num.* 2. *eodem tit.* Abb. *in loc. ſupracit.* Marian. Socin. *in d. c. fin. in* 5. *principali quæſtione num.* 54. 5

Secundò, quia tranſtulit ſe ad locum valdè diſtantem à diœceſi Piacentina; quod magnoperè confert ad judicandum, quem non habere animum revertendi, *arg. hujus c.* 6

Tertiò, quia Vicarius obtinet in loco, ad quem profectus eſt, beneficium obligans ad reſidentiam; unde præſumitur ibi manſiſſe animo perpetuò habitandi: nam jura valdè prona ſunt ad præſumendum domicilium Clerici in loco beneficii reſidentiam requirentis, ſecundùm Innoc & alios *in c. Ex ore de privil.* Felin. *in d. c. Dilectus filius, n.* 2. *in* 2. *concluſ.* Socin. *in d. c. fin. in* 4. *principali q. in ſecundo membro principali, n.* 22. Cùm enim Clericus in tali beneficio ad reſidentiam teneatur, niſi præſumeretur ibi velle habitare, eſſet præſumere culpam, & delictum, contra *l. Merito, ff. pro ſoc* & quamvis hic Vicarius jam viſus ſit neglexiſſe reſidentiam quo tempore Vicariatum exercuit, cùm tamen poſteà reſipiſcens, de ea diœceſi receſſerit, & ad locum beneficii ſe contulerit: utique præſumendus eſt potiùs voluiſſe ſatisfacere obligationi reſidentiæ neceſſariæ, quàm muneri Vicariatus dependenti à mera voluntate, *arg. l.* 3. 4. *& l. Si quid ex famoſa, ff. de ſol. et.* præſertim quia quantò diutius aberat à reſidentia, tantò graviores pœnas incurrebat, ex Decreto Concilii Tridentini *c.* 12. *ſeſſ.* 24. 7

Quartò, cùm hic Vicarius ad locum beneficii reverſus declaraverit ſe nolle redire ad diœceſim Placentinam, ceſſat omnis difficultas: nam in hac materia, ſola declaratio ſufficit ad animi probationem abſque alia exceptione temporis, Abb. *in d. c. final. de Paroch. in fin.* Felin. *in d. c. Dilectus filius, num* 12. *verſ. Secundus caſus*. Quod ſine dubio procedit, quoties cùm declaratione concurrit etiam habitatio declarantis, ut in caſu noſtro, ſecundùm Marian. Socin. quia ita conciliat opiniones, *in d. c. final. de foro compet. in* 6 *principali quæſt. num.* 25. 8

Quintò, quia numquam eſt reverſus: unde præſumitur

tur

tur animum non revertendi ab initio habuiſſe, Cravet. *conſ.* 105. *Pernoctatio arguit. num.* 4.

Neque obſtat, quòd idem Vicarius fuerit proteſtatus ſe velle retinere officium Vicariatus. Quia talis proteſtatio non eſt attendenda, cùm ſit contraria tot factis, ex quibus reſultat tam animus non recedendi à loco beneficii, quàm etiam tacita renuntiatio muneris Vicariatus, ut infrà dicetur: & ideò renuntiatio hujuſmodi per talem proteſtationem non tollitur, nec impeditur, *c. Cùm M.* Et ibi dixi *n.* 19. poſt gloſ. *in ver. Præjudicio*, Innoc. *n.* 1. Compoſt. *n.* 6. & alios communiter, *ſupra de Conſtit.* & probatur apertè *in c. Sollicitudinem de appellat. propè fin.* ubi appellans, qui comparet coram judice à quo, & propterea cenſetur tacitè renuntiare appellationi; quamvis compareat, & ſimul declaret ſe vellè appellationem proſequi; nihilominùs renuntiatio inducitur non obſtante prædicta declaratione.

9 Rurſus non obſtat, quòd Vicarius alium ſui loco ſubſtituerit: quia inde colligitur potiùs habuiſſe animum non revertendi, nec perſeverandi in officio, in quo alium ſubſtituebat; ſicut dicimus de procuratore, qui ſi de facultate ſibi tradita alium ſubſtituat, quaſi non habeat animum negotium proſequendi, non remanet ampliùs procurator, *cap. Is, qui de procurator. lib. 6. l. Verò procuratoris, §. Quid ergo*, & ibi Bart. *num.* 4. *de ſolut.* Vant. *de nullitat. in tit. de nullitat. ex defect. in habilitat. ſeu mandat. n.* 104.

Conſtat igitur de domicilio in eodem loco per hunc Vicarium contracto, & de animo ibi perpetuò manendi, & ex conſequenti numquam redeundi ad diœceſim Placentinam, in qua Vicariatus officium ante diſceſſum exercebat.

10 Quo poſito ſequitur, ut per talem diſceſſum deſierit eſſe Vicarius, ejuſque officium, & juriſdictio expiraverit. Quod probatur optimo ſimili de Legato, qui eſt Ordinarius, quemadmodùm & Vicarius, *c. 2. de offic. deleg. lib.* 6. Si enim is provincia egrediatur animo non redeundi, expirat munus legationis, gloſſ *in c. Præſenti, in ver. Finitur eod. tit. & lib.* Villadieg. *de legat. q.* 16. *n.* 7. Gambar. *eod. tract. lib.* 6. *num.* 5. & quamvis Hoſtien. *in c. Novit, de offic. legat.* videatur intelligere gloſ. de legato non tantùm egreſſo è provincia, ſed etiam revocato; quem ſequitur Archidiac. *in d. c. Præſenti in 2. col. in ver. Finitur*, & ibid. Joan. Andr. *in 2. col. in gloſſ. in ver. Hoc poteſt*: tamen ea opinio, quòd revocatio non requiratur, videtur eſſe verior: aliàs hic modus finiendæ legationis per egreſſum de provincia animo non redeundi non eſſet diverſus à præcedenti relato per gloſſ. ut conſiderat ibid. Joan. de Fant. quem refert, & ſequi videtur Gemin. *in eodem c. Præſenti*. Verùm etſi opinio Hoſtienſ. & Archid. vera eſſet in legato; tamen quatenùs pertinet ad caſum noſtrum, probaret potiùs noſtram ſententiam: nam ipſi dicunt ideò per ſolum receſſum de provincia animo non redeundi non expirare legationem, quia cùm legatus poſſit compelli invitus ad munus legationis obeundum, *l. Munerum, § Judicandi, ff. de muner. & honor.* ſequitur, ut quemadmodùm expreſsè renuntiare non poteſt legationi, ita nec poſſit renuntiare tacitè per hujuſmodi egreſſum de provincia; unde Doctores apertè ſentiunt eum, qui poteſt renuntiare expreſsè ſuæ juriſdictioni, cenſeri illi tacitè renuntiare egrediendo è loco, ubi eam exercet animo non redeundi. Et propterea cùm Vicarius, de quo agitur, non ſolùm non poſſet invitus compelli ad ſuſcipiendum officium Vicariatus ab Epiſcopo, cui non erat ſubditus, ſed potiùs cogi deberet ad reſidentiam in loco beneficii, conſequens eſt, ut ſicut expreſsè ipſe renuntiare poterat Vicariatui, ità egreſſus è diœceſi animo extra eam perpetuò manendi, eidem Vicariatui tacitè renuntiare cenſeatur.

Confirmatur id per textum *in hoc cap. Præſentata*, quo 11
in terminis noſtris probatur, eum, cui mandata eſt juriſdictio, ſi de loco recedat, ubi erat exercenda, & ad locum, in quo tenetur reſidere, proficiſcatur, non habere ampliùs juriſdictionem; unde poſt Cardin. hìc notat Felin. *num.* 2. abſentiam à loco cum obligatione alibi reſidendi morti æquiparari. Et quamvis Felin. dicat id intelligendum eſſe 12
quoad actus, qui non poſſunt explicari extra territorium; collatio autem beneficii fieri poſſit a Vicario habentis ſpeciale mandatum etiam extra diœceſim, ut reſolvunt Domini de Rota *dec.* 5. *incipien. Numquid Vicarius de offic. Vicar. in antiq.* tamen quoad caſum noſtrum ſatis eſt, ut indu- 13
catur revocatio Officii Vicariatus; inde enim ſequitur etiam revocatio facultatis conferendi beneficia. Expiravit itaque Vicariatus officium & ita corruit etiam facultas con- 14
ferendi beneficia, quæ præſumitur ab Epiſcopo eidem tributa contemplatione officii Vicariatus; quia non poteſt Epiſcopus talem facultatem tribuere alteri, quàm Vicario Generali, gloſſ. *in c. fin. de offic. Vicar. lib.* 6. *in ver. Commiſſa & in c. Deliberationi in ver. Cuicumque de offic. Legat. eodem libro*, Oldrad. *conſ.* 77. *Quod verò Epiſcopus num.* 1. Archid. *in cap. Statutum, in 2. col. in ver. Generaliter de Præbend. lib.* 6. Rota *deciſ.* 278. *in antiquis*. Et ita cùm talis facultas poſſet eſſe inutilis, ſi cenſeretur tributa contemplatione perſonæ, & non officii; præſumitur Epiſcopus contemplatus officium, ut valeat actus, Decius poſt alios *in c. Quoniam Abbas num.* 49. *de offic. Delegat.* & per conſequens non 15
tranſit quidem in ſucceſsorem, licèt conceſſa ſit contemplatione dignitatis, ut communiter tenent Doctores *in d. c. Quoniam Abbas*, ubi Decius *nu.* 61. ſed expirat per revocationem Vicarii, tamquam acceſſoria ad ejus dignitatem extinctam. Et ita communem opinionem declarat Abbas *in d. c. Quoniam num.* 11. *in fin.* & Felin. *ibid. num.* 7. *verſ. Sed primò*, præſertim cùm ſine Vicariatu hæc facultas ſtare non poſſit, ut per Doctores ſupracitatos.

Caruit igitur Vicarius facultate conferendi beneficium, de quo agitur. Et propterea ejuſdem collatio facta ab Epiſcopo, licèt poſterior, prævalere debet, *cap. ult. ſupra de ſupplen. negligen. Prælator. c. Congregato*, & ibi gl. *ult. de elect.* Innoc *in c. Conſideravimus, n.* 3. *verſ. De hac electione eod. tit.* Bellam. *conſ.* 10. *Factum eſt tale*, Joannes *in 6. dubio, n.* 44. *& ſeq.* facit *c. Non præſtat, de regul. jur. lib.* 6.

DE TESTIBUS ET ATTESTATIONIBUS.

Idem Honorius III. Coriſopiten. & Tecoren. Epiſcopis.

CAPUT LII.

VEnerabili fratri noſtro Epiſcopo & Capitulo Coriſopiten: ac univerſis Abbatibus apud Ciſterc. in generali Capitulo congregatis: & infrà Diſcretioni veſtræ mandamus, quatenùs teſtes, quos Abbas & Monachi ſancti Martini Ciſtercien. Ordinis ſuper vita & miraculis piæ memoriæ M. Abbatis Monaſterii ſupradicti, duxerint producendos, examinare ſigillatim curetis, cum ea diligentia, quæ ſolet, & debet in receptione teſtium adhiberi.

SUMMARIUM.

1 *TEſtes diligenter, & ſigillatim ſunt examinandi, præſertim ſi agatur de vita, & miraculis Canonizandi, & n.* 15.

2 *Canonizari ut quis poſſit pro Sancto, copulativè requiruntur ſanctimonia vitæ, & miracula.*

3 *Miraculum ad hoc ut ſufficienter probetur ad effectum Canonizationis, quatuor requiruntur.*

4 *Miracula ex vi verborum, aut ex vi parentelæ, ad Canonizandum non ſufficiunt.*

5 *Teſtes niſi ſeorſim examinētur, teſtimon. nō valet, & cur.*

6 *Te-*

6 *Teſtes deponere non debent per eumdem præmeditatum ſermonem.*
7 *Teſtes omnes in publicatione teſtamenti coadunantur.*
8 *Examen teſtium ſuper vita, & miraculis canonizandi poteſt committi in partibus.*
9 *Commiſſarii ad teſtes examinandos an ſubdelegare poſſint.*
10 *Eccleſia in Canonizatione Sanctorum an poſſit errare, & n. ſeqq. uſque in fin.*
11 *Papa in particularibus actionibus poteſt errare, & nu. 29. & 37.*
12 *Errare poteſt qui nititur medio fallibili.*
Declaratur, nu. 40.
13 *Opera, quæ ſunt communia bonis, & malis, non poſſunt teſtimonium perhibere de ſanctitate alicujus.*
Declaratur, nu. 41.
14 *Judicium Eccleſiæ aliquando ſequitur opinionem, quæ ſæpè fallit, & fallitur.*
15 *Quod procedit etiam in Eccleſia univerſali in his, quæ ad fidem non pertinent.*
Declaratur, n. 40. & 42.
16 *Eccleſia quantum poteſt, debet ſe conformare judicio Dei.*
17 *Romana Eccleſia numquam à tramite Apoſtolicæ traditionis erraſſe probatur.*
19 *Papa ante actum Canonizationis inducit populum ad orandum, ut Deus non permittat ipſum errare in hoc negotio, & n. 43.*
20 *Corpora multa Sanctorum veneramur in terris, quorum animæ cruciantur in inferno.*
Declaratur, num. 44.
21 *Judicium aliud eſt ſecundùm præſens inſtitutum, aliud ſecundùm æternam ſententiam.*
22 *Homo vide, tquæ foris apparent, Deus autem intuetur cor.*
23 *Credens ut loquitur, etiamſi falſa loquatur; fideliter loquitur, & è converſo.*
24 *Papa canonizando aliquem ſecundùm informationem ſibi factam, quantumcumque vera non approbet, tamen non errat.*
Contrarium, n. 27.
25 *Errare nihil aliud eſt, quàm unum pro alio putare, & num. 26.*
26 *Scire dicimur non ſolùm quæ videmus, ſed etiam quæ ab aliis audivimus, & quæ vehementer opinamur.*
30 *Papa in his, quæ ſpectant ad fidem, vel ad ſtatum univerſalem totius Eccleſiæ, errare non poteſt, & nu. 40. & 42.*
31 *Canonizatio Sanctorum eſt ex his, quæ ſpectant ad ſtatum univerſalem totius Eccleſiæ, & n. 38.*
32 *Error damnabilis in Eccleſia eſſe non poteſt.*
33 *Mendacium aliquod ſi in Scriptura Canonica admittatur, mutabitur fides noſtra, quæ ex illa dependet.*
34 *Hæreticum eſt ſentire contra determinationem Concilii.*
35 *Judicium eorum, qui præſunt Eccleſiæ, poteſt errare in quibuslibet, ſi perſonæ eorum tantùm reſpiciantur.*
Secus ſi conſideretur Divina Providentia.
36 *Papæ judicio in determinationibus fidei magis ſtandum eſt, quàm quorumlibet ſapientum in Scripturis opinioni.*
38 *Canonizatio Sanctorum eſt medium inter diffinitiones fidei, & alias ſententias, quæ ad particularia facta pertinent.*
Honor, quem Sanctis exhibemus, eſt quædam fidei profeſſio, ibid.
39 *Opinio media eligenda.*
40 *In Canonizatione Sanctorum Divina Providentia præſervat Eccleſiam, ne medio fallibili atteſtationum fallatur.*
43 *Oratio fit ab Eccleſia etiam ut impleantur, quæ Deus promiſit, & infallibilia ſunt.*
45 *Error circa Reliquiarum approbationem non eſt præſumendus, maximè in Eccleſia Romana.*

1 V*Enerabili*. Diligenter, & ſigillatim examinandi ſunt teſtes, præſertim ſi agatur de vita, & miraculis canonizandi. Hoc dicit. In prima parte ponitur petitio. In ſecunda teſtium recipiendorum commiſſio, ibi, *Diſcretioni*.

Nota primò ibi, *Super vita, & miraculis*: ad hoc ut 2
quis canonizari poſſit ut Sanctus, duo copulativè eſſe probanda per depoſitionem teſtium fide dignorum, nempè ſanctimoniam vitæ, & miracula, ut hìc per Butr. *in. 1. notabili*, Abb. *num. 1. verſ. Et ex hoc*, & Felin. *num. 1.* & eſt expreſſum in Conſtitutione Gregorii IX. *Cùm dicat Dominus*, §. 3. *in Bullar. tom. 1. pag. 53.* de quo dic latiùs, ut ſcripſi
in c. 1. num. 3. infrà de Reliq. & vener. Sanctor. Et adde hìc 3
quatuor requiri, ut miraculum ſufficienter probetur ad effectum Canonizationis. Primum eſt, ut ex Deo, non ex arte procedat, neque ex Diabolo; nam quandoque etiam per malos miracula fiunt, *c. Teneamus 1. quæſt. 1. & cap. Prophetavit, & cap. Item Balaam 2. qu. 7.* Secundum, ut ſit contra, id eſt, ſupra naturam, ſicut patet de virga Moyſis converſa in colubrum, & de Aſina loquente ad Balaam, *c. Cùm ex injuncto, §. 1. & 2. infrà de hæret.* Tertium, ut non fiat ex virtute verborum, ſicut accidit in Sacramento Euchariſtiæ, *c. Panis, & c. Quia corpus, & c. In quibus de conſecr. diſt. 2. c. Cùm Marthæ, §. Quæſiviſti, infrà de celebrat. Miſſar.* Adde, neque ex vi parentelæ, ut
in Rege Franciæ, ſecundùm Felin. *hìc nu. 1.* Sed ex merito 4
hominis hoc contingat. Quartum, ut ſit ad corroborationem fidei: herba enim tranſit in vitem miniſterio hominis, ſed propter hoc fides Catholica non corroboratur; & ideò ad Canonizationem faciendam niſi hæc quatuor ſimul concurrant, facta miracula non prodeſſent, ſecundùm Hoſt. *hìc num. 4. verſ. Ad hoc autem*, cujus verba ad literam tranſtulit gloſſa *in c. unic. ver. Sedis Apoſtolicæ; poſt med. verſ. Et quantum ad hoc, de reliquiis, & venerat. Sanctor. lib. 6.* & Troil. Malv. *in tract. de Canonizat. Sanctorum, in 3. dubio principali, nu. 38. & num. 46.* ubi teſtatur prædicta quatuor communiter approbari per Canoniſtas.

Secundò, nota ibi, *Sigillatim*, teſtes præcipuè in cauſa 5
Canonizationis eſſe ſigillatim examinandos, id eſt non duos ſimul, ſed unum ſeorſum ab alio; alioquin teſtimonium non valeret, ut tenet gloſſa 2. & Abb. *num. 5. in cap. Cùm cauſa ſupra eodem*, Specul. *in tit. de teſte, §. Hanc tractatum, in princ. & verſ. Sed pone.* & hìc notant gloſſ. *in figuratione caſus in fine*, Joan. Andr. *num. 2. in ver. Sigillatim*, Butr. *num. 3.* Abb. *num. 1. verſ. Nota quod teſtes*, & Felin. *num. 3.* Et hoc multiplici ratione: Primò quia ſic liberiùs proferunt veritatem, ut notatur *in c. Quia propter, ſupra de elect.* ubi habetur ſimile. Secundò quia meliùs poſſunt convinci de falſitate, exemplo Danielis, qui ſecretò, & ſeparatim examinavit Senes accuſantes Suſannam; & de falſitate convicit, Daniel. 13. 51. *arg. cap. Ex tenore, ſupra eodem.* Si enim eſſent ſimul, unus poſſet ab alio inſtrui, & 6
ipſum ſequi; & tamen teſtes deponere non debent per eumdem præmeditatum ſermonem, *l. 3. ff. de teſtibus.* Quæ ratio habetur in gloſſ. 2. *hìc*, & communiter approbatur. Tertiò ne ipſis forſan altercationibus vox contra- 7
dictoria foris audiatur, *arg. c. In cauſis, ſupra de elect.* & ſic pars diſcere poſſent teſtificata; in quo caſu non eſſet ampliùs locus productioni teſtium, *c. Ultra tertiam infra eodem, c. Conſtitutus, §. fin. ſuprà de conſtit.* Eſt tamen caſus in quo omnes coadunantur, in publicatione ſcilicet teſtamenti, *l. Publicati, C. de teſtam.* Ita Hoſtienſ. *hìc*, & Joan. Andr. ambo *nu. 2. in ver. Sigillatim*, Butr. *num. 6.* & Abb. *num. 3.* qui tamen refellit tertiam rationem, remittens ad notata *in d. c. Ultra tertiam, infrà eod.*

Tertiò, nota ibi, *Examinare curetis*, ad probandum vi- 8
tam, & miracula alicujus Canonizandi, non requiri, ut teſtes ex longinquo perducantur ad curiam Romanam, ſed licitè poſſe examen committi in partibus, prout Papa hìc fecit, ſecundùm Abb. *nu. 2.* & ſic ſervatur, ut patet in Conſtitutione Gregorii IX. de qua ſuprà *n. 2.* & in aliis plu-
ribus. An autem iſti Commiſſarii examen hujuſmodi poſ- 9
ſint alteri ſubdelegare, Franciſcus Boattinus, aliàs Bonaguida, putabat non poſſe ob arduitatem negotii, & induſtriam electam, *arg. c. fin. ſupra de off. deleg.* Sed Joan. Andr. *hìc num. 3.* cum quo Abb. *num. 2.* & alii tranſeunt, dicit in hoc tenendum eſſe quod habetur, & notatur in Clem. *Judices de offic. deleg.* ubi diſtinguitur, an ſit Judex ſuper receptione teſtium, & tunc ſubdelegare poſſit alteri vices ſuas, ut ibi in littera; an verò nudus miniſter ad examen expediendum, & non poſſit, ut ibi plenè notatur in gloſ. 1.

Dubitari ſolet, an Eccleſia in Canonizatione Sancto- 10
rum poſſit errare.

Variæ ſunt opiniones. Prima opinio eſt Canoniſtarum, qui

qui frequentiùs opinati ſunt hunc caſum poſſe contingere
ut Eccleſia erret in Canonizatione Sanctorum, licèt non
ſit credendum. Idque non obſcurè ſupponit Innoc. *in c. 1. n.
4. infra de reliquiis, & venerat. Sanctor.* & expreſsè aſſe-
runt ibi Hoſt. *num. 10. circa fin. verſ. Quid ſi Eccleſia erret*,
gloſ. *in c. unico, in ver. Sedis Apoſtolicæ ante med. verſ. Et
ſi Eccleſia eodem titulo lib. 6.* plenè Felin. *hìc num. 2.* & ex
Theologis, licèt obiter, Card. Cajet. *in tract. de indulg.*
11 *c. 8. circa fin. verſ. Præſumit enim Eccleſia*, ubi ſic ait, *Si-
cut poteſt intervenire error humanus in Canonizatione ali-
cujus Sancti, ut S. Thomas dicit; ita poteſt intervenire er-
ror humanus in collatione indulgentiæ. Si quis autem putet
Romanum Pontificem non poſſe errare in ſuis particularibus
actionibus, &c. putet quoque ipſum non eſſe hominem.* Hęc ille.
12 Primum, & præcipuum hujus opinionis fundamentum
eſt, quia qui innititur medio fallibili, poteſt errare, *c. La-
tor, & c. Conſanguinei, ſupra de re judic.* ſed Eccleſia in Ca-
nonizatione Sanctorum innititur judicio humano, cùm in-
quirat per teſtes de vita, & miraculis Canonizandi, ut hìc
patet; & judicium humanum eſt fallibile, cùm teſtes poſ-
ſint eſſe falſi, & corrupti, *c. Sicut ſupra de teſtib.* Ergo Ec-
cleſia in Canonizatione Sanctorum poteſt errare.
Secundò pro hac opinione arguitur, quia nullus poteſt
eſſe ita certus de ſtatu alicujus, ſicut ipſemet de ſe, quia quę
ſunt hominis, nemo novit niſi ſpiritus hominis, qui in ip-
ſo eſt, ut dicitur prima ad Corinth. 2. ſed homo non poteſt
per certitudinem ſcire de ſe ipſo, an ſit in ſtatu ſalutis: dici-
tur enim Eccleſ. 9. *Nemo ſcit, utrum dignus ſit odio, vel amo-
re.* Ergo longè minùs id poteſt ſcire Papa, & conſequen-
ter poteſt in Canonizando errare.
13 Tertiò pro eadem opinione arguitur, quia opera, quæ
ſunt communia bonis, & malis, non poſſunt teſtimonium
infallibile perhibere de ſanctitate alicujus, *arg. l. Neque
Natales, C. de probat. & l. Non hoc, C. Unde legit.* Sed je-
junia, orationes, & eleemoſynæ, ac alia multa bona opera
ſunt communia bonis, & malis, *c. Nihil enim de Con-
ſecr. diſtinct. 5. c. Odi 24. qu. 1.* Ergo per opera hujuſmodi
Papa non poteſt per certitudinem ſcire, an aliquis ſit cano-
nizandus ut Sanctus, & per conſequens in Canonizatio-
ne errare poteſt.
14 Quartò ad hanc partem inducitur textus in *c. A nobis*,
il ſecondo, infra de ſent. excomm. quem in propoſito addu-
cunt Hoſtien. Joan. Andr. & Felin. *locis citatis*, ubi ſic le-
gitur, *Judicium Eccleſiæ nonnumquam opinionem ſequitur,
quam & fallere ſæpè contingit, & falli: propter quod contin-
git interdum, ut qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam
ſit ſolutus; & qui liber eſt apud Deum, Eccleſiaſtica ſit ſen-*
15 *tentia innodatus.* Hæc ibi, quem textum Abb. *ibidem num.
2.* intelligit procedere non tantùm in Eccleſia particulari,
ſed etiam in Eccleſia univerſali, in his, quæ ad fidem non
pertinent, quia eadem eſt ratio: nam Eccleſia univerſalis
ſequitur aliquando opinionem, cùm de occultis divinare
non poſſit, *c. unic. infra ut Eccleſ. Benefic.* Unde etiam
Concilium, per quod univerſalis Eccleſia repræſentatur,
errare poteſt excommunicando fortè Prælatum, qui non
erat excommunicandus ex cauſa latente, & ſequitur Fe-
16 lin. *hic num. 2. verſ. Sed facilius.* Nec refragatur, quòd Ec-
cleſia debeat ſe conformare judicio Dei, ut dicitur *in dict.
cap. unic. in princ.* Dei autem judicium veritati, quæ nec
fallit, nec fallitur, ſemper innititur; *dict. cap. A nobis.*
Quoniam debet ſe conformare quantum poteſt; ſed inter-
dum non poteſt, ut in occultis, *a. c. un.* Abb. & Felin.
17 *ubi ſuprà.* Quòd ſi urgeas: Eccleſia univerſalis errare non
poteſt, *c. A recta*, ibi, *Numquam erraſſe probatur 24.*
18 *quæſt. 1.* Reſpondent Abb. & Felin. illud debere intelligi in
fide, & articulis fidei: nam pro hoc tantùm oravit Chri-
ſtus ad Patrem, Luc. 22. *Ego pro te rogavi Petre, ut non de-
ficiat fides tua.* Sed in occultis errare poteſt, ut in juribus
ſuprà citatis.
19 Quintò multum habet ponderis, quòd antequam deve-
niatur ad ultimum actum Canonizationis, ſcilicet diffi-
niendo illum, de quo agitur, Sanctum eſſe, & Sancto-
rum Catalogo adſcribendum, & tamquam Sanctum eſſe
venerandum, Papa, fratres, & totus Clerus, & populus
conveniunt ſtatuta die ad aliquam certam Eccleſiam, &
Summus Pontifex ſermonem facit recitans proceſſum, &
inducit populum ad orandum, ut Deus non permittat
ipſum errare in hoc negotio, ut atteſtantur Hoſt. *in cap.
1. nu. 5. verſ. Nonò* & Joan. Andr. *num. 4. eodem verſ.* Ergo
Papa agnoſcit ſe poſſe errare in negotio Canonizationis;
alioquin ad quid cum populo deprecaretur Dominum, ne
hoc permitteret? nam fruſtra precibus impetratur, *& c. l. 1
C. de Theſaur. lib. 10.* gloſſ. 1. *in c. 1. ſuprà de reſcript.*
Ultimò pro hac parte adducitur illud Auguſtini, *Multa* 20
*corpora Sanctorum veneramur in terris, quorum animæ cru-
ciantur in inferno*: ut hic per Felin. *num. 2. verſ. Pro hac
parte.*
Secunda opinio eſt Auguſtini Triumphi *de poteſt. Eccleſ.* 21
c. 14. art. 4. ubi ait, duplex judicium poſſe dari de homine,
unum ſcilicet ſecundùm præſentem juſtitiam, aliud ſecun-
dùm æternam ſententiam. Differunt autem hæc duo judi-
cia, quia per primum judicat homo habens pro teſte exte-
riorem evidentiam: ſcribitur enim Joan. 7. *Numquid lex
noſtra judicat hominem, niſi ab ipſo audiverit, & cognoverit
prius quid faciat?* Per ſecundum autem judicium judicat
Deus habens pro teſte interiorem conſcientiam, quia ho- 22
mo judicat quę foris apparent, Deus autem intuetur cor, 1.
Reg. 16. Præterea differunt hæc duo judicia, quia in primo
quatenùs non inveniatur quid reprehendat homo, ſeu quid
culpabile ſit per hominem judicantem; poteſt tamen inve-
niri quid reprehendat Deus, & quid culpabile ſit in con-
ſpectu Dei. At in ſecundo nihil invenitur reprehenſibile,
nec culpabile, nec per Deum, nec per hominem. Papa 23
ergo Canonizando aliquem Sanctum, ſecundùm præſen-
tem juſtitiam non errat, quia ſic credit eum eſſe Sanctum.
prout informationem recipit ſecundùm allegata, & proba-
ta ſibi. Nam, ut inquit Auguſtinus *in Epiſt. 35. ad Seve-
rum Abbatem*: *Qui ſic creditur, ut loquitur, etiamſi falſa
loquatur, fideliter loquitur: qui autem non credit quæ loqui-
tur, etiamſi vera loquatur, infideliter loquitur*, Ad hoc *c.
Homines, & c. ſeq. 22. quæſt. 2.* Quantumcumque igitur 24
Summus Pontifex non vera approbet, canonizando, vel
approbando aliquem Sanctum, ex quo fideliter, & vera
approbat ſecundùm informationem ſibi factam, non errat
Eamdem opinionem complectitur Troil. Malvet. *in tract.
de Canonizat. Sanctor. in 3. dub. principali, nu. 48. verſ. Sed
quidquid ſit*: nam errare nihil aliud eſt quàm pro alio pu-
tare, *c. In quibus 22. qu. 2.* & eſt gloſ. 1. relata ad textum
in c. Quamvis 38. diſt. Sed pręcedente probatione Sancti- 25
tatis vitę, & miraculorum, quis non poteſt putare unum pro
alio, quia hoc eſſet craſſum, & ſupinum putare, cum ipſa
probatio miraculorum concludat violentam pręſumptio-
nem ſanctitatis; & ſic non ſolùm excludat errorem, imò
includat ſcientiam. Scire enim dicimus non ſolùm quæ
videmus, ſed etiam quę ab aliis audimus, *cap. Hoc vide-
tur 2. quæſt. 5.* Item ea, quę non ambigimus, ſed vehemen- 26
ter opinamur, *l. 2. §. Idem Labeo, ff. de aqua pluv. arcen.* Se-
quitur ergo, ut Eccleſia, cui facta fuerit talis probatio
ſanctitatis vitæ, & miraculorum, non poſſit putare unum
pro alio; & per conſequens errare non poterit, ſecundùm
eum; qui tamen remittit ſe ad Cardin. Turrecrem *de poteſt.
Papæ qu. 41. aliàs 51.*
Cęterùm hęc ſententia admittit poſſe contingere, ut ali- 27
quis Sanctus ab Eccleſia Canonizatus ſit in inferno; atque
ita quoad rei ſubſtantiam non diſcrepat à prima opinione,
licèt diſſentiat in hoc, quòd putat eo caſu Eccleſiam non
errare: cujus contrarium aſſerunt Authores primę opinio-
nis. Quod & verius videtur: nam ſi Canonizatus eſſet in
inferno, utique Eccleſia putaret aliud pro alio, licèt fide-
liter; putaret enim Sanctum eſſe, qui ſanctus non eſt, &
ſic erraret, *ut in d. cap. In quibus 22. qu. 2.* Præterea hæc 28
diſtinctio videtur deſtrui per textum *in d. c. A nobis il ſecon-
do, de ſent. excomm.* nam quando Eccleſia abſolvit non ab-
ſolvendum, vel ligat non ligandum, quamvis ritè, & rectè
procedat ſecundùm allegata, & probata; tamen illius judi-
cium dicitur falli, ut illic patet. Ad idem, §. *His ita 35. qu. 9.
& cap. Lator infrà de re judic.* ubi Eccleſia dicitur decepta
Facit text. *in c. Cùm olim, §. Nos igitur eodem tit. c. Tum
ex litteris, §. 1. verſ. Præſertim ſuprà de reſtit. in integ. &
c. Cùm olim, de dol. & contum.*
Tertia opinio primę oppoſita fuit Joannis de Neapoli *in* 29
quodl. 11. relati à S. Antonin. *in 3. part. tit. 12. §. 2.* qui di-
xit, ea, quæ facit Papa cum Cardinalibus, eſſe duplicis ge-
neris. Quædam enim ſunt quæ pertinent ad particularia
facta particularium hominum; hujuſmodi ſunt collationes
beneficiorum Eccleſiaſticorum, promotiones ad gradus, &
dignitates, & ſententiæ pro aliquibus, vel contra aliquos
latæ; & in talibus Papa poteſt errare; & ratio eſt, quia
cùm

cùm ſit purus homo,& viator,& non confirmatus in gratia inordinatè poteſt affici ad aliquos, & poteſt decipi per falſas probationes, & atteſtationes, ex quibus procedit in hujuſmodi actionibus; & ſic poteſt errare: & ad hoc facit quod dicitur *in d.c. A nobis*;videlicet quòd judicium Eccleſiæ,&
30 fallit, & fallitur. Quædam verò ſunt, quæ facit Papa pertinent a ad ſtatum univerſalem totius Eccleſiæ, vel quantum ad fidem, ut ſunt determinationes, & declarationes, quæ ſpectant ad fidem,& articulos, & Eccleſiæ Sacramenta, & omnia alia contenta in ſacra Scriptura; vel quantum ad bonos mores, ut ſunt ſtatuta, decreta, & decretales: & in talibus quamvis abſolutè penſatis ſolis perſonis Papæ,& Cardinalium, Papa cum ipſis poſſit errare; ſuppoſita tamen Di-
31 vina Providentia, & Spiritum Sanctum loqui per Eccleſiam, credendum eſt Papam non poſſe errare, quia Chriſtus oravit pro Eccleſia, Luc. 22. *Ego pro te negavi Petre,ut non deficiat fides tua*: & dicere, in hujuſmodi Papam errare, eſſet hæreticum: & ad hoc facit quod dicitur *in c. A recta fide* 24. q. 1. & ad iſtud ſecundum genus dicit ipſe pertinere Canonizationem Sanctorum, qui proponuntur per Canonizationem ut exemplar & fidei & ſanctæ vitæ, & ab omnibus adorandi, & in neceſſitatibus invocandi.

32 Huic opinioni ſuffragatur etiam quòd in Eccleſia non poteſt eſſe error damnabilis, *d.c. A recta,c.Hæc eſt fides,c. In Sede, & c.Cum beatiſſimus*, 24. q. 1. Sed hìc eſſet error damnabilis, ſi coleretur tamquam Sanctus, qui fuit peccator, quia aliqui ſcientes peccata ejus,crederent hoc eſſe falſum, & ſi ita contingeret, poſſent ad errorem perduci. Ergo Eccleſia canonizando Sanctos non poteſt errare.Præte-
33 reà,ut inquit Auguſtinus *in Epiſt.ad Hieronym.* Si in ſcriptura Canonica aliquod mendacium admittatur, nutabitur fides noſtra, quæ ex ſcriptura Canonica dependet, ad hoc
34 *c. Si ad Scripturas*, 9. *diſt. & c. Quid ergo* 23. q. 5. Sed ſicut tenemur credere illud,quod eſt in ſacra Scriptura,ita illud; quod eſt communiter per Eccleſiam determinatum; unde hæreticus judicatur qui ſentit contra determinationem Conciliorum *c.Sicut* 15. *diſt.*Ergo commune judicium Eccleſiæ erroneum eſſe non poteſt. De hac tamen tertia opi-
35 nione vide quod dicam *infrà num.*39. Quarta opinio eſt B. Thomæ *in quodl 6. art. ult.* qui mediam viam ſequutus,docuit aliquid poſſe judicari poſſibile, ſecundùm ſe conſideratum, quod relatum ad aliquid extrinſecum impoſſibile invenitur: *Judicium ergo eorum, qui præſunt Eccleſiæ, poteſt errare in quibuslibet, ſi perſonæ earum tantùm reſpiciantur. Si verò Divina cõſideretur Providentia,quæ Eccleſiam ſuam Spiritu ſancto dirigit,ut nõ erret,ſicut ipſe promiſit Jo.14.quod Spiritus adveniens docebit omnem veritatem, de neceſſariis ſcilicet ad ſalutem: certum eſt, quòd judicium Eccleſiæ univerſalis errare in his,quæ ad fidem pertinent,im-
36 poſſibile eſt. Unde magis ſtandum eſt judicio Papæ, ad quem pertinet determinare de fide, quam in judicio profert, quàm quorumlibet ſapientum in ſcripturis opinioni; cum Caiphas, quamvis nequam,tamen quia Pontifex,legatur etiam inſcius
37 propheteaſſe, Joan.11. In aliis verò ſententiis,quæ ad particularia facta pertinent, ut cùm agitur de poſſeſſionibus,vel de criminibus, vel de hujuſmodi, poſſibile eſt judicium Eccleſiæ errare propter falſos teſtes.Canonizatio verò Sanctorum me-
38 dium eſt inter hæc duo: quia tamen honor,quem Sanctis exhibemus,quædam profeſſio fidei eſt,qua Sanctorum gloriam credimus; piè credendum eſt,nec etiam in his judicium Eccleſiæ errare poſſe.* Hæc S. Thomas,cui conſentiunt Cardin. Turrecrem. *in Summa de Eccleſ. ſeu de poteſt. Papæ q.* 51. & 73. & hoc præmittit *lib.2.n.*110. & S. Antonin. *in 3. p. tit.* 12. *c.8.§.2.* Melchior Can. *lib.5. de locis Theolog. c.5.* Silveſt. *in ver. Canonizatio, n.* 1. *circa fin.* Tabiena *in eod. ver. num.2.* Covarr. *var. reſol. lib.* 1. *c.*10. *n.*13. & fuſiùs omnibus Ambroſ. Catharin. *in peculiari libello hujus quæſtionis*.

39 Hæc opinio mihi valdè probatur; cum quia eſt D. Thomæ,qui in hujuſmodi ſecretis ſemper aut ratione, aut revelatione fuit edoctus, antequam ſcriberet, & cujus doctrina fuit per Eccleſiam approbata,ut apud Silveſtr. *in ver. Omiſſa primo, n.9. verſ. Et ideo circa iſtam quæſtionem,& in ver. Lex*, §. 13. *in 3. dicto*. Tum quia eſt media inter primam, & tertiam opinionem ad invicem oppoſitas,*arg.l. Antiqui, ff. Si pars hæredit. petat.* Deflectit enim à prima, quia S. Thomas negat Eccleſiam in Canonizatione Sanctorum errare poſſe, quod prima opinio affirmat abſolutè, & minùs rationabiliter. Deflectit verò à tertia, quia S. Thomas docet,piè credendum eſſe Eccleſiam in hoc errare non poſſe ſed tertia opinio aſſerit, ita credendum ex neceſſitate ſalutis;& ſic damnat primam opinionem tamquam hæreticam, quod planè durum videtur, cùm habeat ſectatores primarios Canoniſtas, & doctiſſimum Cajetanum, & articulus nondum ſit ab Eccleſia diffinitus; per id, quod habetur, & notatur *in c. Cùm Chriſtus, infra de Hæretic.* & per Innoc. *in c. Ne innitaris ſup. de Conſtit.* ubi ait, *Si Sancti diverſas opiniones inter ſe habeant in his,quæ ab Eccleſia non ſunt diffinita, licitum eſſe cuique quod vult dicere*. Cujus dictum ſequuntur ibi Hoſt. *n.*3. & Bart. *in l. final. C. de pœn. Jud. qui mal. judic.* Ad hoc *c. Neque* 9. *diſt.*

Supereſt nunc reſpondere ad argumenta in contrarium adducta pro prima opinione.

Non obſtat igitur primum. Quoniam, ut reſpondet S. 40
Thomas *d.quodlib.9.art.ult.ad* 2. Divina Providentia præſervat Eccleſiam,ne in talibus per fallibile teſtimonium hominum fallatur; & ut inquit Covarr. *loc. cit.* piè credendum eſt Summum Pontificem in perſcrutandis ejus, qui in Sanctos eſt referendus, & miraculis,& geſtis, ab ipſo Spiritu Sancto inſtrui,ad hoc *c. Qui contempta, & c. Fruſtra*, 8. *diſt. c. Loquitur* 24.q.1. *c. Quis neſciat*, 11. *diſt.*

Non obſtat ſecundum, quia Pontifex, cujus eſt canonizare Sanctos, poteſt certificari de ſtatu alicujus per inquiſitionem vitæ, & atteſtatione miraculorum, & præcipuè per inſtinctum Spiritus Sancti, qui omnia ſcrutatur etiam profunda Dei. Ita S. Thom. *loc. cit. in reſponſ. ad primum*.

Non obſtat tertium,quia ut reſpondet Auguſt. Triumph. 41
*de poteſt. Eccleſ.q.*14.*art.*4.*ad* 2. *Quamvis per iſta opera non poſſint diſcerni boni à malis,quia jejunia,& orationes,& eleemoſynæ poſſunt fieri bono animo,& malo: ſunt tamen quædam opera, quæ habent circumvolutam malitiam, nec poſſunt bono animi fieri, ut opera prohibita à lege divina, per quæ boni diſcernitur à malis,juxta,illud Matth.7. A fructibus eorum cognoſcetis eos. A talibus ergo ſi aliquis homo immunis fuerit inventus, & comprobatum fuerit in bonis operibus habuiſſe ſemper conſtantiam,& ſupr. modum humanum excellentiam ſecundùm præſentem juſtitiam,poteſt in Sanctum canonizari cum atteſtatione miraculorum*. Hæc ille. Sed eſto bona opera per ſe non perhibeant teſtimonium infallibile Sanctitatis,tamen divina Providentia præſervat judicium Eccleſiæ ne fallatur,ut dictum eſt ſupra *in reſponſ. ad primum*.

Non obſtat quartum,nempè *c. A nobis il ſecondo,de ſent. excomm.* Quoniam procedit in his tantùm, quæ pertinent 42
ad particularia facta, non autem in his, quæ concernunt ſtatum univerſalem totius Eccleſiæ, qualis eſt Canonizatio Sanctorum, ut conſtat ex dictis ſuprà *in 3. & 4. opinione* & eſt ex mente Hoſt. *in d. c. A nobis*, *n.* 3. dum dicit illum textum non habere locum in Eccleſia generali ſimul congregata, quæ numquam errare poteſt, *c. A recta*, 24. q. 1. conſentit ibi Jo. Andr. *n.*4.

Non obſtat quintum,quia oratio fit ab Eccleſia,etiam ut 43
impleantur,quæ Deus promiſit,& infallibilia ſunt, ſicut Samuel in cinere, & ſacco poſtulabat impleri quod promiſerat Deus, non quod eſſet incredulus futurorum, ſed ne ſecuritas negligentiam, & negligentia pareret offenſam, ut eſt text. ſingularis *in c. Prædixerat, de pœn. diſt.* 1.

Non obſtat ultimum, tum quia dictum illud licèt paſſim 44
tribuatur Auguſtino, tamen hoc negant Covar. & alii. Ac prætereà eſto illius author fuerit Auguſtinus, tamen ſecundùm Covar. *ubi ſupr.* dum dixit;Multa corpora Sanctorum veneramur in terris,quorum animæ cruciantur in inferno; hoc tantùm intellexit, videlicet nos venerari multa corpora,quæ putamus eſſe Sanctor. ab Eccleſia Canonizatorum, & tamen non ſunt illorum, ſed potiùs damnatorum hominum,& fortaſſe infidelium, Latronum, Sicariorum, & hujuſmodi. Judicium ergo Eccleſiæ in hoc non fallitur, quia diffinit aliquem eſſe Sanctum, puta D. Hieronym. ſed non diffinit tale corpus eſſe D.Hieronymi:& fieri poteſt,ut anima,quæ illud corpus informabat,fuerit alterius,& crucietur in inferno. Licèt nec circa approbationem reliquiarum error ſit præſumendus, ut ibi per eum, maximè in Eccleſia Romana. Ad hoc *c.1.infr.de reliq.& vener. Sanct.* & notat per Jo. Andr. *in c.A nobis il ſecondo, n.4. de ſent. excom.*

DE TESTIBUS ET ATTESTATIONIBUS.

Gregorius IX.

CAPUT LVI.

NOn debet quis in criminibus (niſi forſan in exceptis) ad teſtificandum admitti, pendente accuſatione de crimine contra ipſum: cùm etiam accuſati (niſi priùs ſe probaverint innocentes) ab accuſatione ac ſuſceptione Ordinum repellantur.

SUMMARIUM.

1 *Accuſatus criminaliter pendente accuſatione non poteſt in teſtem produci, niſi in criminibus exceptis.*
2 *Et quæ ſint hujuſmodi crimina.*
Item non poteſt alium accuſare, nec Ordines ſuſcipere, nec eſſe alterius procurator, n. 1. & 9.
3 *Secus, ſi fuerit accuſatus civiliter.*
4 *Quod verum eſt, ſi ſit emendatus de crimine, nec eum committetur infamia.*
5 *Cùm accuſatur quis de crimine, ſtatim gravatur ejus opinio.*
6 *Accuſatio civilis infamiam non irrogat, nec repellit à promotione.*
7 *Teſtimonium, accuſatio, & Ordo æquiparantur in repellendo.*
8 *Accuſationis pendentia præjudicat in quærendis, ſed non in quæſitis.*

NOn debet. Ponit regulam, & caſum exceptum; quam ſecundò probat per duo ſimilia, ibi, *Cum etiam*, Joan.
1 Andr. Quæſitum fuit, utrum accuſatus criminaliter pendente accuſatione poſſit in teſtem produci. Et reſpondet Papa non poſſe; quia nec alium accuſare, nec Ordines ſuſcipere poteſt, juxta primum dictum. Fallit in criminibus ex-
2 ceptis. Hoc dicit Baldus. Et quæ ſint crimina excepta, vide hic plenè per Abbat. Antiq. *à n. 1. uſque ad n. 6.*
3 Nota primò ibi, *De crimine*, accuſatum ita demum repelli a teſtificando, & aliis, de quibus in littera, ſi fuerit accuſatus criminaliter ad pœnam, ſeu vindictam; ſecus ergo, ſi civiliter ad intereſſe, ut hìc notant gloſſ. 1. *ante medium verſ. Præterea ex eo*, Innoc. Hoſt. & Joan. Andr. omnes *in princ.* Bald. *nu.* 3. Abb. & Joan. de Anan *in ſummario textus*, & reliqui omnes. Quod verum eſt, ſecundùm gloſſ. 4
& Hoſt. *ubi ſupra* ſi ſit emendatus de crimine, & eum non comitetur infamia, *ut in c. Teſtimonium ſupra eod. & arg. c. Per tuas infra de ſimon.* Ratio differentiæ eſt, quia cùm 5
aliquis accuſatur de crimine, ſtatim gravata eſt ejus opinio, ut hìc dicit gloſſ. 1. *in princ.* & eſt textus *in c. Tantis Daniel* 81. *diſt.* ubi id notant Archid. Bellam. Turrecrem. Gemin. & Præpoſitus, omnes *in princ.* Unde nil mirum, ſi repellatur à teſtimonio, ut hìc, & in *c. Teſtimonium ſuprà eod.* At verò accuſatio civiliter intentata infamiam non irrogat 6
ut c. Tua ſupra de Procurat. & c. Super his, infr. de accuſat. Unde nec repellit à promotione, ut notat Innoc. *in c. Qualiter il ſecondo in gloſſ. magna verſ. Et nota quod tres eodem tit.* & ex facto reſpondit Gemin. *conſ.* 77. *Quia ſuper præmiſſis, num.* 4. *verſ. Tertiò ratione cauſæ, & leg. & not. in d. c. Teſtimonium, ſup. eod.*
Secundò nota ex hac Decretali, teſtimonium, accuſatio- 7
nem, & Ordinem æquiparari in repellendo, ſecundùm gloſſ. *hìc ante medium verſ. Ex hac enim Decretali.*
In gloſſa magna pro intellectu textus fac regulam, quòd 8
pendentia accuſationis præjudicat in quærendis, ſed non in quæſitis, arg. *l. Pluribus, §. Et ſi placeat, ff. de ver. obligat. l. prima, §. Quamvis autem, ff. de poſtul. §. ult.* 15. q. 1. & ita hanc regulam conſtituunt *in c. Omnipotens de accuſat* Petr. de Anchar. *n.* 2. Joan. de Anan. *n.* 3. Mar. Socin. *eodem n.* & Felin. *in* 2. *not.* Et propterea accuſatus non poteſt eſſe te- 9
ſtis, nec alium accuſare, nec ad Ordines, vel dignitates promoveri, nec eſſe alterius procurator, ut in gloſſa, quia in his agitur de quærendis; ſed benè poteſt bona ſua adminiſtrare, teſtamentum condere, pecunias ſibi debitas exigere, inſtrumenta conficere, ſi ſit Tabellio, & alia id genus; quia in his agitur de quæſitis; ut ſcripſi in prædicta Decretali *Omnipotens, numer.* 7. 8. & 9. *de accuſat.* ubi plenè videas.

DE TESTIBUS COGENDIS.

Alexander III.

CAPUT IV.

PErvenit ad audientiam noſtram, quòd cùm J. Prior ſancti Laurentii, coram te fuiſſet de ſimoniæ & adulterii crimine accuſatus, quemdam, qui contra eum ducendus erat in teſtimonium, juramento adſtrinxit, ut non deponeret contra ipſum: & infrà. Nos igitur attendentes, quòd nemo debet adverſario inſtrumenta (quorum appellatione teſtes continentur) ſubtrahere: & quòd tam ille qui ſubripit inſtrumenta, quàm qui adverſario parem advocationis copiam ſubtrahit, iniquam oſtendit à ſe litem foveri, & experiri debet in ſe judicis auctoritatem eluſam: Reſpondemus, ad detegendum tantæ fraudis & calliditatis commentum, ipſum teſtem meritò compellendum.

SUMMARIUM.

1 *Teſtis compellitur fraudem illius detegere, qui probationis copiam adverſario ſubtrahit.*
2 *Teſtes compelluntur etiam in criminali, quos accuſatus malitioſè accuſatori ſubtraxit.*
3 *Accuſari quis poteſt eodem libello de duobus criminibus capitalibus.*
4 *Teſtis, qui juravit contra aliquem non teſtificari, juramento non obſtante debet compelli.*
5 *Juramentum de teſtimonio contra aliquem non ferendo eſt illicitum, ac temerarium.*
6 *Reipublicæ intereſt, peccata nocentium eſſe nota.*
7 *Inſtrumentorum appellatione veniunt etiam teſtes.*
8 *Procedit in materia lata; ſecus in reſtringibili.*
Teſtem occultans domi ſuæ qua pœna puniatur, ibidem.
9 *Teſtis in criminali compellitur teſtificari, an fuerit adſtrictus à parte ac non deponendum.*
10 *Archiepiſcopus, qui proceſſum contra ſe fabricatum ſubtra-*

traxit, an habeatur pro convicto de criminibus, de quibus fuit accuſatus, anve, & qua pœna pro ſubtractione ſit puniendus, & n. ſeqq. uſque in fin.

11 *Corpus delicti conſtare debet, etiam ſi reus verè, vel fictè ſit confeſſus, nec aliàs poteſt ſequi condemnatio, & n. ſeq.*

12 *Confeſſio ficta vel præſumpta non poteſt magis operari, quàm vera.*

13 *Corpus delicti conſtare debet, ut damnari poſſit contumax, qui in vim ſtatuti, vel conſuetudinis habetur pro confeſſo.*

14 *Probationes adverſario ſubtrahens oſtendit ſe iniquam litem fovere.*

15 *Seu pro convicto haberi debet.*
Sed contra, num.18.
Diſtinguitur, n.19.

16 *Judicem qui tentat corrumpere, litem perdit ſive privativa ſit lis, ſive publica, ſive fiſcalis.*

17 *Subtrahens inſtrumenta præſumitur habere malam cauſam, nec eſt opus aliud probare ad eum convincendum.*

20 *Stupri pœna de jure Canonico eſt depoſitio.*

21 *Adulterii pœna depoſitio, & perpetua detruſio in Monaſterium.*

22 *Fornicationis ſimplicis pœna quæ ſit.*

23 *Subtrahens adverſario probationes experiri debet in ſe Judicis authoritatem eluſam.*

24 *Pœna ſurripientis inſtrumenta, & ſcripturas publicas eſt legis Corneliæ de falſis.*

25 *Niſi ſcripturæ ſubreptæ ſint nullæ, & informes.*

26 *Cauſæ commiſſio contra Epiſcopos debet eſſe ſpecialis, & manu Papæ ſignata.*

27 *Auditor Cameræ generalem habet facultatem procedendi contra Epiſcopos, eoſque puniendi abſque Signatura Papæ, & n. ſeqq.*
Etiam pro delictis, pro quibus veniret imponenda pœna depoſitionis, vel privationis, n.29.

28 *Monitoria tamen, ut perſonaliter compareant, decernere non poteſt ſine commiſſione manu Papæ ſignata.*

29 *Epiſcopi citari, vel moneri non poſſunt ad perſonaliter comparendum, niſi pro criminibus, pro quibus pœna depoſitionis veniret imponenda.*

30 *Clauſulæ* ſine præjudicio, *vel* dummodò non ſit alteri jus quæſitum, *& aliæ præſervativæ intelliguntur præterquam in expreſſis.*

1 P*Ervenit, il primo.* Duos habet intellectus: quidam enim, ut Laurent. intelligunt hanc deciſionem, ut ſonat littera, ita ut teſtis ſit cogendus tantummodò revelare fraudem accuſati, qui eum adſtrinxit juramento ad non deponendum contra ipſum; & ſic tantùm deponere ſuper coactione, non autem ſuper principali crimine; & ſecundùm hanc lecturam communiter ſic ſummatur: Compellitur teſtis fraudem illius detegere, qui probationis copiam adverſario ſubtrahit, ita Joan. Andr. Bald. Bellam. Butr. Card. Anchar. & Imol. Alii verò intelligunt hunc
2 textum largiùs, adeò ut teſtis ſit compellendus deponere etiam ſuper principali; & quod hìc dicitur, ad detegendum tantæ fraudis commentum, ſupplent, & nihilominùs ad deponendum ſuper principali. Et ſecundùm hunc intellectum, quem poſuit gloſ. *ultima hic*, & Abb. dicit eſſe verum, & communem, Decretalis hoc intendit: Compelluntur teſtes etiam in criminali, quos accuſatus malitioſè accuſatori ſubtraxit. Primò ponitur facti narratio. Secundò Judicis inſtitutio, ibi, *Nos igitur*, vel communis diviſio, ut innuitur ibi, *Reſpondemus*.

Nota primò, ibi, *Simoniæ, & adulterii*, poſſe quem eo-
3 dem libello accuſari de duobus capitalibus criminibus, prout ex hac litera notat Bald. *poſt princ. verſ. In text. ibi, Simoniæ*, & Anchar. *n.1.*

Secundò nota ibi, *Juramento adſtrinxit, ut non depone-*
4 *ret contra ipſum*: teſtem, qui juravit contra aliquem non teſtificari, non obſtante juramento, eſſe nihilominùs compellendum ad teſtimonium ferendum: & eſt ratio, quia
5 hujuſmodi juramentum eſt temerarium, & illicitum, & ideò non ſervandum, *ut cap. Intimavit*, & ibi Bald. *num. 2. & cap. Conſtituti il primo ſupra de teſtib.* & denuntiari debet non teneri tali juramento, ut dicitur in prædicta Decretali *Conſtitutis, ut in cap. Olim, infra de accuſat.* & firmat gloſſ. 1. *hic*, Hoſtienſ. *in princ. in ver. Juramento.* & communiter Doctores.

Etenim cùm ferre teſtimonium ſit munus publicum, ad quod etiam invitus quis compellitur, non poteſt huic juri publico etiam intercedente juramento derogari, *cap. Si diligenti, ſupra de foro compet.* & notat Abb. *in d. c. Intimavit in principio.* Item eſt contra bonos mores quemquam 6
inducere ad occultandam veritatem, cùm Reipublicæ intersit peccata nocentium eſſe nota, *l. Eum qui nocentem, ff. de injuriis, c. Ut famæ, de ſent. excom.* unde licèt teſtes in criminalibus non compellantur, tamen malum eſt eos ad teſtimonium non perhibendum jurejurando adſtringere, ut hìc in verſ. *Nemo debet*, & clariùs *in d. c. Conſtitutis, ſupra eod.* ſecundùm Abbat. *hic in 1. not.*

Tertiò nota ibi, *Quorum appellatione teſtes continentur*, 7
textum expreſſum, quòd teſtes veniunt appellatione inſtrumentorum, nimirùm, quia cauſam inſtruunt, unde meritò appellari poſſunt inſtrumenta, *l. 1. ff. de fide Inſtr. & l. In exercend. C. eod. cap. Notionem, §. Inſtrumentorum, de verb. ſignif.* ſecundùm Goffred. *hic*, & not. Bart. *in l. Admonendi in fin. de jurejur.* Quod tamen procedit in lata ſigni- 8
ficatione; ſecus in materia ſtrictè intelligenda, cùm aliud ſit inſtrumenta, aliud teſtes, ut hìc per Butr. *in 2. notab.* Abb. *num. 1.* & Felin. *num. 1. & 2. verſ. Ubi autem eſſemus*; ideòque licèt ſubtrahens inſtrumenta teneatur crimine falſi, ut dicam infrà *num. 24.* tamen occultans per vim teſtem domi ſuæ ut veritas non appareat, non punitur pœna falſi, cum hoc non reperiatur jure cautum; ſed alia arbitraria, ſecundùm Bald *hic n 2.*

Quartò nota ibi, *Experiri debet in ſe judicis auctoritatem eluſam*, eum qui probationes adverſario ſubtrahit, eſſe puniendum, Butr. *hic n.3* & Abb. *in ult. notab.* Sed de hoc latiùs infra *in prima quæſtione.*

Ultimò nota ibi, *Ad detegendum tantæ fraudis commentum*, in criminali cauſa teſtem compelli ad teſtificandum 9
ſuper hoc, an fuerit adſtrictus à parte ad teſtimonium non perhibendum, Butr. *hic in 1. notab.*

QUÆRO, de notabili quæſtione facti. Quidam Archiepiſcopus in Regno Neapolitano inquiſit. de homici- 10
dio, adulterio, ſtupro, & aliis exceſſibus, ſubtraxit proceſſum informativum contra eum per Commiſſarium Auditoris Cameræ deſuper fabricatum. Quæſitum eſt, an propter hujuſmodi ſubtractionem de talibus exceſſibus habeatur pro convicto; anve, & qua pœna pro eadem ſubtractione ſit puniendus.

Circa primam partem quæſtionis, quod ſpectat ad cri- 11
men homicidii, palam eſt, Archiepſcopum condemnari non poſſe, quia non conſtat de corpore delicti, & cùm confeſſio reſultans ex ſubtractione proceſſus ſit ficta, vel præ- 12
ſumpta, ſecundùm Hoſtienſ. *hic num. 1. in ver. Omnem*, non poteſt magis operari, quàm confeſſio vera, ut per Bald. *in l. 2. §. Quod ſi actor in fin. num. 4. ver. Nota hic & verſ. Facit ad quæſtionem, &c. C. de Juramento propter calumn. dand.* Sed ſi reus verè confiteretur ſe homicidium commiſiſſe, non poſſet ex tali confeſſione damnari, niſi aliter de homine occiſo conſtaret, Bart. *in l. Divus, nu. 2 ff. de teſt. milit.* Angel. *de malefic. in ver. Et veſtem cœleſtem, nu. 25. verſ. Quid ſi confitetur*, Boſſ. *tit. de delictis, num. 22.* Clar. *in pract. crimin. §. final. quæſt. 55. verſ. Poteſt etiam*, Farinacius alios cumulans, *de inquiſitione, quæſt. 2. num. 7.* Ergo longè minùs damnari poteſt ex præſumpta confeſſione re- 13
ſultante ex ſubtractione proceſſus; ideòque ſtante ſtatuto, vel conſuetudine, ut contumax habeatur pro confeſſo, ſi de corpore delicti non conſtet, non poteſt ſequi condemnatio, quia, ſi confeſſus verè non poteſt condemnari, non conſtito de corpore delicti, multò minùs fictè confeſſus. Ita Guilielm. de Benedict. *in c. Raynutius par. 2. ver. Mortuo itaque teſtatore, il primo num. 162. & ſeq. de teſtam.* quem refert, & ſequitur Farinac *d. num. 7. verſ. Amplia quintam ampliationem.*

Sed quod pertinet ad alia crimina, contra Archiepiſco- 14
pum inducitur primò hæc Decretalis, ubi qui ſubtrahit adverſario probationes, oſtēdit iniquam à ſe litem foveri, quæ verba deſumpta ſunt *ex l. Providendum, C. de poſtulan.* & locum habent etiam in criminali, ut innuit littera hujus textus, ibi, *Et ſimoniæ, & adulterii crimine accuſatus*, & obſervant Hoſtienſ. *in princip.* Joan. Andr. *num. 2* Abb. & Felin. *in Summario text.* Ponderandum eſt enim verbum

Oſten-

15 *Oſtendit*, quod probat accuſatum ex hoc ſolo, quod malitioſè ſubtraxit probationes fiſci, cenſeri malam cauſam fovore, & haberi pro convito; videtur enim cofiteri cri-
16 men, *arg. l. Quoniam*, *ff. de his qui not. infam.* Idque ad exemplum ejus, qui tentat judicem corrumpere, *ut l.1. C. de pœna judic. qui mal. judic.* ubi qui diffidentia juſtæ ſententiæ in pecuniæ corruptelam prorumpit, litem perdit, ſive privata ſit lis, ſive pubica, ſive fiſcalis, ut ibi per Bald. & Salic.

Secundò ad hanc partem inducitur text. *in cap. Conſtitutus, il primo ſupra de teſtibus*, ubi cùm Archiepiſcopus eſſet de ſimoniæ crimine accuſatus, & ejus conſanguinei probationes accuſatori ſubtraxiſſent, textus decidit in factum præſumi de voluntate ipſius Archiepiſcopi; ideòque ab officio Pontificali eum ſuſpendi jubet: ſi igitur Archiepiſcopus ibi punitur ex ſola præſumptione reſultante ex ſubtractione probationum facta per conſanguineos, eodem modo, & fortiùs puniri poteſt ex præſumptione reſultante ex propria ipſius ſubtractione.

17 Tertiò adducitur textus *in l. Si de poſſeſſione*, *C. de probat.* ibi, *Ad emptionis probationem non eſt indiciis aliis opus, ſed inſtrumentorum furtum monſtrare ſufficit:* & ita ſubtractio probationum facit plenam fidem contra ſubtrahentem ut ibi per Bart. *in princ. & num.2. In ſecunda lectura*, & per Bald. *n. 1. verſ. Sed inſtat quærens*, ubi ait ſubtrahentem inſtrumenta præſumi habere malam cauſam, nec eſſe opus aliud probare ad eum convincendum.

Quartò adducitur authoritas Hoſtien. *hìc nu. 1. in ver. Oſtendit*, qui poſt Laurentium tenet apertè hunc Archiepiſcopum Genuenſ. qui malitioſè fiſco, ſeu accuſatori ſubtraxit probationes, ex hoc haberi pro convicto, & confeſſo de criminibus ſimoniæ, & adulterii, de quibus fuerat accuſatus. Idem tenet Cardin. *hìc num.2. & ſeq.* Bart. *in d. l. Providendum, in antiqua lectura in fin. C. de poſtulan* Innocen. *in c. Intimavit, in princ. ſupra de teſtibus*, dicens eum, qui ſubtrahere voluit adverſario copiam probationis, cauſam perdere, per hanc Decretalem, *& ſ. Tria 3. quæſt. 7.* Idem voluit Angel *in l. 1. §. Si reus*, *ff. de eo per quem factum erit*, Guidopap. *ſing. 99.* Farinac. *de teſtibus*, *quæſt. 78. num. 44. & ſeqq.*

18 Sed pro Archiepiſcopo videtur gloſ. *ultima in dict. l. Providendum*, quæ exponens literam, ibi: *Oſtendit iniquam à ſe litem foveri*, ſic ait, *Præſumitur enim contra eum, ſed ex tali præſumptione non damnatur;* idemque videntur ſentire gloſ. *hìc in ver. Oſtendit*, & Innocent. *in princ.* dum dicunt ſubtrahentem adverſario probationes fovere injuſtam cauſam præſumptivè; & ſic videntur innuere, ut pro convicto non habeatur: quod apertè voluit hìc Vincentius, qui tenuit ex ſola ſubtractione quem non haberi pro convicto, ſi aliàs foveat juſtam cauſam: & conſentit Joan. Andr. poſt Philipp. *hìc num. 5.* dicens talem non eo ipſo litem amittere, ſi bonam habeat cauſam, Bald. *in dict. c. Intimavit*, *num.2. & in dict. l. Providendum*, *num.4. in fin. C. de poſtulat.* ubi exponendo illum textum in ver. *Oſtendit*, dicit: Semiplena probatione, non autem efficaci præſumptione; & ſequitur Felin. *in eod. cap. Intimavit in fin.* & idem Felin. *in c. Cùm venerabilis, num. 21. de except.* ubi de communi, Boer. alios referens *deciſ. 292. num. 3.*

19 Pro concordia Henric. Boich. *in hoc cap. num 2.* diſtinguit ſic: Aut reus non eſt convictus ad plenum de hujuſmodi ſubtractione calida, vel malitioſa; tunc ex hoc ſolo non habetur pro convicto, nec præſumitur contra ipſum in negotio principali: nam etſi præſumptionem probare non oporteat, quia jus illam inducit, tamen factum ipſum, ex quo reſultat, concludenter Probari debet, *c. Cùm inter N. ſeniorem*, *ſupra de elect. c. Tertio loco de aprobat. & c. Illud*, *& c. Tertio loco de præſumption.* Aut de ſubtractione eſt plenè convictus; & tunc aut quæris utrum talis habeat contra ſe præſumptionem, quòd malam cauſam foveat: & concludendum affirmativè, ut hìc patet; & ita intelligas opinionem gl. & Innocent. *hìc*, dùm exponunt verbum, *Oſtendit*, id eſt præſumptivè. Aut quæris, an pro convicto habeatur in negotio principali; & tunc ſubdiſtingue: nam aut talis non oſtendit claris, & evidentibus documentis innocentiam ſuam, & tunc pro convicto habetur; & ita procedat opinio Hoſtienſ. *arg. dict. l. 1. C. de pœn. jud. qui mal. iud. & l. Si de poſſeſſione*, *C. de prob.* Aut oſtendit claris, & evidentibus documentis juſtitiam cauſę ſuæ; & hoc caſu non habebitur pro convicto, ſed in ſua juſtitia auditur: & ſic intellige opinionem Vincentii, & ſequacium; nam cùm talis propter ſubtractionem pro motu judicis extraordinariè puniri debeat, ut mox dicetur in ſecunda parte quæſtionis, iniquum eſſet ipſum alia pœna, ſcilicet amiſſionis cauſæ, & ſic duplici pœna puniri, *ut cap. At ſi Clerici*, *ſupra de iudic. & arg. cap. Ex parte*, *infra de Cleric. ægrot. & l. Divus*, *ff. de off. Præſid.* Quam diſtinctionem totidem ferè verbis ſequitur Bellam. *hìc nu. 1.* & Boer. *d. deciſ. 292. n. 9.*

Et cùm ſit ſatis æqua, & opiniones conciliet, videtur omninò amplectenda.

Applicando igitur diſtinctionem Henrici ad caſum propoſitum, cum Archiepiſcopus de ſubtractione proceſſus violenta, & callida ad veritatem occultandam fuerit plenè convictus ex compluribus teſtibus de viſu contra ipſum formiter examinatis ac repetitis, nec aliunde probaverit innocentiam ſuam claris, & evidentibus documentis; quin potiùs conſtet ſaltem ſemiplenè de oppoſito ex Summario proceſſus ab eodem recognito, & habito pro originali; conſequens eſt, ut conjungendo probationem ſaltem ſemiplenam, quæ reſultat ex ſurreptione proceſſus, cùm alia ſemiplena reſultante ex Summario teſtium, pro convicto haberi debeat de criminibus, de quibus fuit accuſatus. Quare de rigore juris eſſet deponendus, & in Monaſterium detrudendus, quia pœna ordinaria ſtupri de jure Canonico eſt depoſitio, ſecundùm communem opinionem, de qua te- 20
ſtantur Diaz. *in pract. Criminal. Canon. c. 77.* & Clar. poſt
alios *in pract. Criminal. § Stuprum verſ. Sed quæro*, & pęna 21
adulterii ſimiliter eſt depoſitio, & perpetua detruſio in Monaſterium; & eſt communis opinio, ut dicunt Covar. *in 4. Decretal. 2. part cap. 7. num. 19.* Diaz. *ubi ſupra cap. 79.* & alii apud Clarum *in §. Adulterium*, *verſ. Sed quæro*, & probatur *in cap. Lator.* juncta gloſ. 1. 2. *quæſt. 7.* ubi Epiſcopus Dyaclinæ civitatis depoſitus fuit propter adulterium,
vel inceſtum. Quinimò etiam pro ſimplici fornicatione 22
deponitur, & in Monaſterium detruditur non modò clericus, *cap. Si quis Clericus*, *& cap. Presbyter 71. diſtinct.* ſed etiam Epiſcopus, ut patet ex *Canone 25. Apoſtolorum*, cujus hæc ſunt verba, *Si quis Epiſcopus*, *aut Presbyter*, *aut Diaconus poſt Diaconii gradum acceptum fuerit fornicatus, aut mœchatus, deponatur, & ab Eccleſia projectus, inter laicos agat pœnitentiam*, refertur *in cap. Si quis Epiſcopus 85. diſtinct.* Et quamvis rigor antiquorum Canonum hodie non ſit uſquequaque obſervandus, eo quòd defectus noſtrorum temporum, quibus non ſolùm merita, ſed corpora ipſa hominum defecerunt, diſtrictionis Canonicę non patitur in omnibus manere cenſuram, ut legitur *in cap. Fraternitatis*, 34. *diſtinct.* ideòque pro ſimplici fornicatione hodie non fiat depoſitio, *ut cap. A multis*, *de ætat. & qualitat.* tamen ſecus eſt, ſi ſit notoria, vel ſcandaloſa, aut diu continuata, *cap. Quam ſit infra de exceſſ. Prælat. & cap. Ex parte A*, *ſupra de teſtibus*, cum concord. ut per Butr. *in c. At ſi Clerci*, *num. 13. verſ. Per hoc patet*, *ſimplex fornicatio*: & ibi etiam per Abb *num. 35. de iudic.* Quia tamen hoc caſu Archiepiſcopus de hujuſmodi exceſſibus non fuit convictus, vel confeſſus per rei veritatem, ſed per præſumptionem à jure inductam ex ſubtractione proceſſus, ut hìc; benigniùs agendo, mitiori pœna extra ordinem videtur puniendus.

Circa ſecundam quęſtionis partem planum eſt Archiepi- 23
ſcopum eſſe puniendum etiam pro ſubtractione proceſsus, tex Clarus eſt hìc in illis verbis, *Et experiri debet in ſe judicis auctoritatem eluſam*, *& in l. Providendum*, *C. de poſtulat* ibi. *Authoritatem judiciariam à ſe deluſam experiretur*, ſcilicet pœna docente, ſecundùm Hoſtienſ. *hìc num. 2. in ver. In ſe*, & Joan. Andr. *eodem num. in verb. Experiri debet*, & notant Butr. & Imol. *num. 3.* & Abb. *in ult. not.* nempè quia inſtrui non potuit ſuper meritis cauſæ illo procurante, *l. Nec quidquam*, *§. fin. ff. de offic. Proconſ.* gloſ. *hìc in ver. Eluſam*, Hoſtienſ. *num. 2 in eod. ver.* Subripiens au- 24
tem inſtrumenta, ſeu ſcripturas publicas, tenetur crimine falſi, *ut l. Eum*, *C. ad leg. Cornel. de fal. & l. Paulus*, *ff. eod.* Bald. *hìc nu. 1.* & pœna falſi eſt deportatio cum publicatione bonorum, *l. 1. §. fin ff. eod. tit.* Hæc tamen pœna hodie non eſt in uſu, ut atteſtatur Clar. *in pract. crimin. §. Falſum, verſ. Sed quæro.* Ideòque reus pro ſubtractione hujuſmodi extra ordinem pro motu judicis puniri debet, ut hìc dicunt Henric. Boich. *num. 3.* & Felin. *eod. numer. circa fin. verſ. Et adde Baldum.*

Non

25 Non obſtat, quòd ſubripiens ſcripturas nullas, & infor-
mes nullatenus ſit puniendus, *ut l. Si quis aliquid, la ſecun-
da, §. Teſtamentum, ff. de pœn.* ubi dicitur, Teſtamentum,
quod nullo modo valet, impunè ſupprimitur; & per illum
tex. not. Bart. in *l. Qui teſtamentum n.1. ff. ad l. Cornel. de
fal.* Menoch. *de arbitr. judic. lib.2. caſ.*306. *n.*15. *& caſ* 311.
26 *num.* 19. hoc autem caſu proceſſus fabricatus à Commiſſa-
rio ſit nullus ex defectu juriſdictionis, quia illius commiſſio
non fuit ſignata manu Sanctiſſimi, prout requiritur ex de-
creto Concil. Trident. *c.*5. *ſeſſ.*24. quoniam reſponſum eſt
27 Auditorem Cameræ eſſe judicem Ordinarium quorum-
cumque Prælatorum, & habere facultatem procedendi
etiam contra Epiſcopos tam per viam inquiſitionis, quàm
accuſationis, ſeu denuntiationis, & inſtigationis, eoſque
culpabiles repertos puniendi, dummodò tamen monitoria
contra Epiſcopos ad comparendum perſonaliter non niſi
28 prævia commiſſione manu Papæ ſignata decernat, ut ex-
preſsè cavetur in Bulla Greg. XIV. impreſſa poſt practicam
Saluſtii Tiberii §.12. & in alia Pauli V. incipien. *Eximiæ*, §.
12. *&* 13. *in Bullar. to.*3. *pag.*214. Atque ita Signatura Papę
non requiritur, niſi in caſu illo ſpeciali, cùm monitoria de-
cernuntur ad perſonaliter comparendum. Quod etiam ſta-
tuit Pius IV. *in conſtitut.*10. *De ſalute Gregis*, §. 3. *to.*2. *pag.*
20. nam illa exceptio firmat regulam in contrarium in aliis
caſibus non exceptis, *leg. Nam quod liquidæ, §. fin. ff. de pœn.
legat.*

29 Rurſus cùm Epiſcopus niſi ex cauſa, ex qua deponendus
veniret, nequaquam citari poſſit ad perſonaliter compa-
rendum, ut ſtatuitur ejuſdem Concilii decreto *ſeſſ.*13. *cap.*
6. exceptio illa *Dummodo, &c.* declarat regulam de materia
exceptionis, & ſic etiam de gravioribus delictis eſſe intel-
ligendam, juxta theoricam Bald. *conſ.* 401. *ſuper facto n.* 2.
*verſ. Secundò quæritur lib.*5. Quod etiam innuunt illa verba
Conſtitutionum, d §.12. *Pro quibuſcumque criminalibus*, cum
dictio, *Quibuſcumque*, ſit effrenata, & univerſaliter omnia
includat, *c. Solitæ ſup. de majorit. & obed.* unde ſenſus Con-
ſtitutionum eſt; Auditor Cameræ ex generali commiſſione
procedere poſſit contra Epiſcopos pro quibuſvis crimini-
bus etiam depoſitione dignis abſque ſignatura Sanctiſſimi,
dummodò tamen pro iiſdem criminibus eos non citet, ut
perſonaliter compareant, ſine Commiſſione manu Sanctiſ-
ſimi ſignata; & conſequenter ſublata eſt Concilii diſpo-
ſitio *d. c.*5. *ſeſſ.*24. quatenus requirit Commiſſionem ſpecia-
lem, & manu Sanctiſſimi ſignatam in proceſſu per A. C.
pro gravioribus delictis contra Epiſcopos conficiendo.
Nec refert, quòd Concilio Trident. non fuerit expreſsè de-
rogatum. Quia hujuſmodi derogatio non requiritur, ſed
ſatis eſt, ut Pontifex ſtatuat, prout ſtatuit hoc caſu, contra-
rium ejus, quod Conc. diſponit, ut declaravit S. Pius V. &
ſæpiùs cenſuit S. Congregatio ejuſdem Concilii Interpres,
ut ſcripſi plenè in *c. Nulla, num.*86. *inf. de conceſſ. præbend.*
Quemadmodum nec refert, quòd in præcitatis Bullis Gre-
gorii XIV. §.36. & Pauli V. §.38. adjecta ſit clauſula, *Per* 30
*præſentes tamen non intendimus Concilii Tridentini decre-
tis in aliquo derogare, vel aliàs præjudicare; ſed illa ſalva eſ-
ſe, & in ſuo robore permanere, eaque omnia omninò, & invio-
labiliter ſervari mandamus.* Quoniam cùm facultas pro-
cedendi contra Epiſcopos ex generali Commiſſione abſq;
ſignatura Sanctiſſimi obviet expreſsè Concil. Tridentino,
ut oſtenſum eſt ſupra, hujuſmodi clauſula præſervativa de-
cretorum Concilii, ut evitetur contradictio, intelligi de-
bet, præterquàm in expreſſis, prout de clauſula, *Sine ali-
cujus præjudicio*, tradit Oldrad. *conſ.*330. *Ad idem videtur
in fin.* Card. Seraph. *deciſ.*1445. *num.* 4. Rota *deciſ.*155. *nu.*
2. *p.*7. *recent.* & clauſula, *Dummodò non ſit alteri jus quæſi-
tum*, Creſcen. *dec.*7. *in fin. de jur. patr.*

Ex his cùm Archiepiſcopus memoratus per ſententiam diffinitivam Auditoris Camerę condemnatus fuerit in pęnam extraordinariam relegationis in Monaſterium Nurſię, ſuſpenſioniſque à Divinis, & ab exercitio juriſdictionis per triennium, ac deinde ad beneplacitum Sanctiſſimi; in Congregatione ſuper reviſione prædictæ ſententię de mandato Sanctiſſimi D. N. P.P. Innocentii X. habita in ædibus meis die 10. Julii 1647; cui interfuerunt DD. Auditor Camerę, Farneſius Epiſcopus Patracen. Vitricius Epiſcopus Alatrinus, Procurator Fiſcalis, & Locumtenens criminalis A. C. re accuratè diſcuſſa, & Archiepiſcopo, ejuſque Procuratoribus, & Advocatis ſæpiùs auditis, unanimiter cenſuimus, benè fuiſſe per A. C. judicatum, & ita referendum Sanctitati Suæ.

DE FIDE INSTRUMENTORUM.

Gregorius IX. Priori S. Bartholomæi, & Decano de Arcubus London.

CAPUT XII.

G. Perpetuus Vicarius Eccleſiæ de Rechan nobis expoſuit, quod cùm Prior & Conventus de Ledis, cum ſuper decimis coram judicibus auctoritate Apoſtolica conveniſſent, & dictus G. ſuper ſimilibus coram ipſis reconveniſſet eoſdem; quia dicti judices copiam quorumdam inſtrumentorum communium, quæ habebat pars altera, & per quę intendebat intentionem ſuam ſuper principali fundare, fieri non faciebant eidem, hoc cum inſtantia poſtulanti, noſtram audientiam appellavit: ideòque mandamus, quatenus ſi eſt ita, revocato in ſtatum debitum, & cætera.

S U M M A R I U M.

1 *Appellari poteſt à judice, qui parti hoc petenti non facit edi communia inſtrumenta.*
2 *Vicarii alii perpetui, alii temporales.*
3 *Vicarii perpetui qui ſint.*
4 *Et an habeant Eccleſiam in titulum.*
5 *Vicarius temporalis non eſt cenſendus Vicarius, nec comprehenditur Vicarii appellatione.*
6 *Vicarius perpetuus pro ſpectantibus ad Vicariam ſuam poteſt agere, & conveniri.*
7 *Reconventio coram judice delegato fieri poteſt etiam in cauſa ſpirituali.*
8 *Inſtrumenta communia debent edi poſtulanti ad fundandam intentionem etiam in cauſa reconventionis.*
9 *Appellans ſi culpa judicis, vel pactis acta primæ inſtantiæ ad Judicem appellationis transferre nequit, quo Proſp. Fagnan. in II. Lib. Decretal. remedio ſit ei ſuccurrendum, nu.* 20. *& ſeqq. uſque ad num.*31.
10 *Acta omnia primæ inſtantiæ teneatur appellans expenſis ſuis producere coram judice appellationis, tam de jure communi, quàm ex Concilio Tridentino.*
11 *Sive procedatur ex officio, ſive ad querelam partis; & tenetur transferre etiam acta, quæ occaſione ejuſdem cauſæ coram alio judice geſta fuerint.*
13 *Etiamſi acta ad juſtitiam cauſæ non faciant.*
14 *Quod ex Concilio habet locum etiam in profanis ſpectantibus ad forum Eccleſiaſticum.*
*Non autem in profanis per appellationem ad judicem Eccleſiaſticum devolutis, n.*17.
Item locum habet etiam in actis factis coram Delegato Apoſtolico.
16 *Et judex, notarius cogi poſſunt exhibere acta originalia, ſi de fide exempli ſit dubium.*

18 *Itē habet locum etiamſi cauſa fuerit revocata adCuriā.*
19 *Sententia non viſis actis etiam probatoriis eſt nulla.*
21 *Acta tradenda ſunt appellanti per judicem à quo intra triginta dies, alioquin ſine illis cauſa prout juſtitia ſuaſerit terminanda eſt.*
22 *Et judex, vel notarius in hoc culpabiles puniūtur ut hic.*
23 *Acta ſi judex à quo, vel appellatus negaverit ſe habere, vel noluerit exhibere, Judex ad quem abſolvet appellantem, & pronunciabit acta ſi unquam reperiantur fore caſſa, & vana, n.29.*
Dummodò appellans velit expenſas ſubminiſtrare, n.30.
24 *Sententia lata ſub conditione extrinſeca non valet; ſecus ſi conditio dependeat à natura negotii in judicium deducti.*
25 *Contumacia non eſt juſta cauſa, ut quis jure ſuo privari debeat.*
26 *Nec audientia propter contumaciam denegatur in perpetuum, ſed ad tempus,*
27 *Niſi interveniat etiam contemptus.*
28 *Vel in præcepto fuerit comminata pœna.*
31 *Acta primæ inſtantiæ judex à quo quantum in ſe eſt tenetur appellanti gratis exhibere: notarius verò congrua mercede accepta.*
32 *Niſi ſit Cancellarius Epiſcopi, & non notarius.*
33 *Appellatus tenetur ad expenſas translationis actorum, ſi ipſe, non autem appellans, proſequi cauſam voluerit.*

1 G. *Perpetuus*. Licitè appellatur à judice, qui parti hoc
petenti non facit edi communia inſtrumenta. Hoc
dicit, Joan.And.Bald. Bellam. Butr. Anchar. Imol Abb. Jo.
de Anan. Barbat. Guidopap.& Felin.Dividitur in duas partes.
In prima appellantis narratio. In ſecunda appellationis
comiſſio, ibi, *Ideoque*.
2 Nota primò, ibi, *Perpetuus Vicarius*, duas eſſe Vicario-
3 rum ſpecies, alii enim ſunt perpetui, alii temporales. Vicarii
perpetui ſunt qui canonicè à perſona Eccleſiaſtica, & au-
ctoritate Epiſcopi ſunt inſtituti, aſſignata ſibi congrua fru-
ctuum portione, ut hìc, *& in c. Ad hæc, & in c. Ex parte, de
offic. Vicar. & in c. Poſtulaſti. de reſcript.* & notat gl.1. in *c.
final. eod. tit.* & Hoſtien. hìc *nu.*1. Et iſti habent jus in re, id
eſt in jus Vicarię, ſed non dicuntur habere Eccleſiam quoad
titulum; nam ſolus Prelatus eam habet intitulatam, ut ait
4 gloſ. in *d. c. Ad hæc. in verb. Removere*. Niſi tamen tota
cura eſſet in Vicarium perpetuum translata, quia tunc eſſet
curatus actu, & habitu, verum habens titulum, & veniret
Parochi appellatione, ut dixi in *c. Ex parte nu. 19. & ſeqq.
ſupra de offic. Ordinarii*.
5 Vicarii temporales ſunt qui conſtituuntur ad tempus, ut
habetur in *c. Perven. de appell. & in c. Cum ex eo, de elect. li.
6.* & talis Vicarius ad tempus non eſt cenſendus Vicarius, ut
hìc dicit Vincent. & poſt eum Butr. *num.* 4. Anchar. in *not.*
& Abb. *nu.* 1. qui ex hoc infert, ut Vicarii appellatione non
comprehendatur Vicarius temporalis, qui pro tempore ne
ceſſitatis conſtituitur ad ſervitium Eccleſiæ. De differen-
tiis autem inter Vicarios perpetuos, & temporales, egi latiſ-
ſimè in prædicta Decretali, *Ex parte, de offic. Vicar.* ubi
plenè videas.
6 Secundò, nota ibi, *Eum ſuper Decimis coram judicibus
auctoritate Apoſtolica conveniſſent*, Vicarium Eccleſię per-
petuum pro ſpectantibus ad Vicariam ſuam poſſe agere, &
conveniri, Anchar. hìc *n.* 2. & Abb. in 2. *notab* facit tex. in
l. Officium, verſ. Denique. ait, ff. de rei vendic. Generaliter
autem an, & quando Vicarius perpetuus, vel temporalis
poſſit eſſe in judicio, & an præjudicet domino, diſtingue
ut hìc per Cardin. *num.* 1. & Abb. *num.* 2. *circa med. verſ.
Ego diſtinguerem latius*.
7 Tertiò, nota ibi, *Coram ipſis reconveniſſet, & eoſdem*, co-
ram judice delegato poſſe fieri reconventionem etiam in
cauſa ſpirituali, Butr. hìc in 3. *notab.* Imol *num.*1 Ad hoc *c.
Diſpendia, §. Reus quoque de reſcript. lib.6* & eſt ſimile in ju-
dice laico; qui in cauſa civili reconventionis eſt judex com-
petens, etiam contra clericum, *ut c.1. de mutuis petition.* &
ſcripſi in *c.un.num.57. ſupra de oblig. ad ratiocin.*
8 Ultimò, nota ibi, *Copiam quorumdam inſtrumentorum
communium*, inſtrumenta communia eſſe edenda poſtulanti
ad fundandam intentionem, non ſolùm in cauſa principali
ſed etiam in cauſa reconventionis, ut hìc per Butr. & Abb. in
3. *notab.* & Imol. *n.*2. Generaliter autem circa editionem in-
ſtrumentorum, vide gloſ. hìc in *verb. communium*, magiſtra-
liter diſtinguentem, & Abb. Antiq. *n.*1. & Hoſt. in *ſumma
de fide inſtrum.* & Legiſtas in *l.* 1. §. *Editiones, ff. de edendo.*
QUÆRO, quid agendum ſit, ſi appellans, vel dicens de 9
nullitate ſententiæ, culpa judicis, vel partis, acta primę in-
ſtantiæ ad judicem appellationis transferre nequit.
Ad evidentiam præmitte appellantem teneri acta omnia 10
primæ inſtantiæ producere coram judice appellationis, *ut l.
Ne cauſas. l. A proconſulibus, & l. Præcipimus. C. de appell.
l.2.* & ibi gl. Bart. & alii ſcribentes, *C. de edend. c. Cupientes,
verſ. Cùm omnibus actis, juribus, & munimentis ſuis, & verſ.
Electos, & verſ. Si verò in diſcord. de elect. li.6.* & pluribus
confirmat Vantius *de nullit. & in tit. A quo, & quibus mo-
dis, &c. n.21. pag.56.* & cenſuit Rota coram Cardin. Cava-
lerio *dec.43. n.1.* & ſępè alibi, & hodie ſancitum eſt à Conc.
Trident. *ſeſſ.13. cap.3.* ubi diſertis verbis ſtatuitur, ut reus in
cauſa criminali appellans à ſententia Epiſcopi, vel ejus Vi-
carii, coram judice ad quem acta primę inſtantię omninò
producat, & judex niſi illis viſis ad ejus abſolutionem non
procedat: & S. Congr. ejuſdem Concilii Interpres cenſuit
nihil hìc eſſe diſtinguendum an ex officio judicis, an ad que- 11
relam partis procedatur in cauſa criminali; ſed quia decre-
tum illud loquitur de reo appellante in cauſis criminalib.
ideò pro cauſis civilibus fuit editum aliud decretum *ſeſſ.24.
c.20. §. Prætereà*, quo cautum eſt, ut ſi quis in caſibus à jure
pręmiſſis appellaverit, aut de aliquo gravamine conqueſtus
fuerit, ſeu aliàs ob lapſum biennii ad alium judicem recur-
rerit; teneatur acta omnia coram Epiſcopo geſta ad judi-
cem appellationis expenſis ſuis transferre; & Sac. Congr.
cenſuit teneri, tùm quia appellavit, vel ob lapſum biennii 12
cauſam ab Ordinario avocavit, ex Concilio *ſeſſ.24. c.20. §.
Præterea*, transferre non ſolum acta geſta coram Ordina-
rio, à quo appellavit, vel cauſam avocavit, ſed & alia omnia
ſi quę occaſione ejuſdem cauſæ coram alio judice geſta fue-
rint. Item cenſuit appellantem teneri transferre propriis ex- 13
penſis omnia acta ad judicem appellationis, etiàm ad juſti-
tiam cauſæ non facientia: idque habere locum etiam in 14
cauſis profanis ſpectantibus ad forum Eccleſiaſticum.
Item propoſito dubio, an Concilium *cap. 20. ſeſſ.24. in 15
verſ. Prætereà*, habeat locum etiam in actis factis in parti-
bus coram judice delegato Apoſtolico, ut appellans non
poſſit audiri in Curia, niſi dicta acta producantur: S. Con-
gregatio cenſuit habere locum.
Imò cùm fuerit quæſitum, an Epiſcopus, & ejus Nota- 16
riùs cogi poſſint per delegatum Sanctiſſimi judicem appel-
lationis, ut retenta copia exhibeant appellanti acta omnia
originalia coram eodem Epiſcopo geſta; an verò integram
actorum copiam tantùm tradere teneantur, *ex c. 20. ſeſſ.24.*
S. Congreg. cenſuit poſſe judicem appellationis jubere ſibi
originalia exhiberi, quatenus de fide exempli ſit dubius.
Non me latet decreta illa non comprehendere cauſas 17
profanas per appellationem devolutas ad judicem Eccle-
ſiaſticum, ut in ſubjecta declaratione. Cùm in *c.20. ſeſſ.24.*
decernatur, ut in cauſis appellationum debeat appellans
acta omnia coram judice ad quem exhibere, quæſitum
fuit, an comprehendantur cauſæ ad forum Eccleſiaſticum
quomodolibet pertinentes, de quibus in principio ejuſ-
dem Decreti, an verò etiam & cauſæ profanę per appella-
tionem ad judicem Eccleſiaſticum devolutæ: S. Congre-
gatio cenſuit non comprehendi *d. §. Prætereà cap.* 20. etſi
judici Eccleſiaſtico commiſſæ fuiſſent, ſive in prima, ſive in
ſecunda inſtantia.
Verùm etſi de omnibus cauſis id cautum non ſit decre- 18
tis Concilii, tamen ſatis eſt cautum eſſe jure communi,
quinimò id locum habet etiamſi cauſa fuerit avocata ad
Curiam: nam ille qui vult, ut in cauſa procedatur, tenetur
acta tranſportare, ut reſolvit Rota coram Cocc. *dec.* 424.
n.1. & in recent. deciſ.184. n.8. p.7. ubi allegantur aliæ de- 19
ciſiones concordantes; & eſt ratio; quia ſecundùm juris diſ-
poſitionem ſententia non viſis actis etiam probationis eſt
nulla, ut notat Bart. in *l.2. n.5 C. de edend* Rimin. Sen. *ibid.
n.12. circa med. verſ. Tamen contraria opinio*, Felin. in *c.
Eccleſia Sanctæ Mariæ, n.17. de conſtit.*
Quibus præmiſſis, ſi judex à quo, vel appellatus fuerit in 20
cauſa, quominus acta tradantur appellanti, ſeu de nullitate
dicenti, quæſtionis eſt, quo remedio ſit ei ſuccurrendum.
Concil. Tridentinum in *d. c.3. ſeſſ.13.* decernit ſimplici- 21
ter, ut judex à quo intra triginta dies acta ipſa poſtulāti gra-
tis exhibeat; alioquin abſque illis cauſa appellationis hujuſ-
modi, prout juſtitia ſuaſerit, terminetur: ſed non aperit
Con-

Concilium quo pacto cauſa ſine actis terminari poſſit, aut
22 debeat; ſimiliter *in d. c* 20. *ſeſſ.* 24. ſtatuit, ut ſi notarius in differenda exhibitione actorum fraudem fecerit, ab officii adminiſtratione arbitrio Ordinarii ſuſpendatur, & ad dupli pœnam quanta ea lis fuerit, inter appellantem, & pauperes loci diſtribuendam compellatur, & judex in hoc culpabilis ad eamdem dupli pœnam teneatur; ſed nec exprimit ſancta Synodus quo remedio ſuccurrendum ſit appellanti in diffinitione cauſæ.

23 Innocentius *hic num.* 1. format hanc quæſtionem: Gulielmus petit ſententiam latam contra ſe pro Petro ſuper fundo Semproniano caſſari, vel quia nulla eſt, vel quia injuſta, & ab ea eſt appellatum. Petrus reſpondet: exhibe ſententiam. G. actor reſpondet: ego non habeo eam ſcriptam, quia judex noluit de ipſa mihi copiam facere, vel quia amiſi eam; ſed tu exhibe, quia ipſam habes; an reus, ſcilicet Petrus cogendus ſit eam exhibere: & reſpondet Innocentius eſſe cogendum, & hìc, *& in l. Is apud quem, C. de edend.* Imò ſi reus non dicat ſententiam latam, interrogabitur, an talis ſententia pro eo lata ſit, *l. penult. ff. de interrogat. action.* & ſi negaverit, cogetur edere, ſive renuntiare ſententiæ, vel judex pronuntiabit, ſi qua ſententia apparuit pro Petro lata, nullas vires habeat, *arg. l. Non alienum eſt, ff. de interrogator. action.* Ita Innocentius, quem totidem fere verbis referunt, & ſequuntur hìc Hoſt. *n.* 3. *in verb. Communium*, Jo. Andr. *num.* 5. Bald. *n.* 3. & communiter Canoniſtæ. Et ex Legiſtis Bartol. *in d. l. 2. n. 2. verſ. Sed circa hoc, C. de edend.* ubi primò notat ex lectura ibi poſita judicem appellationis jubere primo judici, vel etiam parti, contra quam appellatur, ut faciat ſibi copiam actorum primæ cauſæ: & mox ſubdit, *Sed circa hoc quæro quod ſi judex vel ille contra quem appellatur, hoc non faciat, neque producat ſententiam, à qua eſt appellatum, quod erit officium judicis, ad quem facta eſt appellatio? dicit Innoc. extra de fide inſtrum. c. G. Perpetuus, quòd debet partem interrogare, utrum habeat illud inſtrumentum ſententiæ, vel aliud, de quo agitur, ut ſi dixerit ſe non habere, vel noluerit exhibere, pronuntiet, quòd ſi aliquo tempore illud inſtrumentum reperiatur, ei non exhibeatur fides, ſed ſit caſſum, & vanum: quod ſatis placet.* Hactenus verba Bart. qui eamdem practicam repetit *in l. Si appellationem, n. 2. C. de appel.* ibi, ſi aliquis petit reſcindi ſententiam, vel aliquod inſtrumentum, quod adverſarius habeat, & adverſarius non vult exhibere ſibi ſtatuto termino à judice, quòd judex poteſt pronuntiare, quod ſi quo tempore illud inſtrumentum, vel alia appareat ſententia, non poſſit illo uti. Et hanc theoricam Bart. ut præfertur ex Innocentio deductam, ſequuntur Roman. *in d. l. 2. n. 10. verſ. Arbitror tamen verum eſſe*, Alex. *verſ. Quod tamen dicit Bar.* Curt. Junior. *n. 25. & n. 31. in fin.* dicens Doctores communiter cum Bartolo tranſire, Ripa *n.* 17. qui ſimiliter dicit hanc concluſionem communiter teneri, & videri veriſſimam non ſolùm propter contumaciam, ſed propter contemptum, Dec. *n. 30. verſ. Tertius eſt caſus*, Cagnol. *nu. 42. verſ. Secundus eſt caſus*, Lap. *alleg.* 10 *in fin.* Covar. *var. reſol. li. 1. c. 18. n. 1.* Et quamvis Raphael. Fulg Paul. de Caſtr. Alex. Curt. Jun. & Crottus dicant Innocent. id non dicere, ad quod à Bartolo allegatur, ſive ut dicit idem Curt. infideliter Innoc. à Bartolo allegetur; quia Innocentius loquitur quando appellatus negat fuiſſe prolatam ſententiam; de contumace autem in exhibendo nihil dicit: contrarium tamen innuunt verba illa Innocentii, *Cogetur reddere, ſive renuntiare ſententiæ:* corruptè enim in aliquibus Codicibus legitur *Cedere*. Et legendum videtur *Edere*, prout legunt Butr. *hic nu.* 3. & Abb. *eod. num.* & Petr. de Anchar. in Clem 1. §. *Cæterùm, num. 6. verſ. Sextò, & ultimo quæro de uſuris*; & ſic Innocentius loquitur etiam de contumace in exhibendo, quemadmodùm eum intelligunt idem Anchar. *hìc n.* 4. qui relatis illius verbis dicit ſic: *Si autem exhibere nolit contumaciter, judex pronuntiabit, quòd dictæ ſententiæ non adhibeatur fides impoſterum:* & Joan. de Imol. *num. 3. circa med.* ibi: *Et ſi non exhibeat, poterit judex pronuntiare, quod ſi aliquo tempore appareat ſententia pro illo lata, non valeat propter ejus contumaciam:* & idem Anchar. *in c. Cordi, nu. 6. verſ. Sed hìc quæritur de appell. lib. 6.* ubi refert verba Innocentii ad eum modum, quo referuntur à Bartolo, concordant Felin. *hìc n.* 13. Bal. *in l. Noſtram, n. 8. verſ. Eſt modus, C. de teſtam.* ubi dicit valere ſententiam, in qua pronuntiatur, ut ſi unquam reperiatur, bannum, ſit caſſum, & nullum, Cagnol. *in d. l. 2. n. 49. & 50. C. de edend* Nam, ut ipſa ait, licèt judex appellationis non videatur judex competens, niſi ſibi priùs conſtito de ſententia, de qua pars conqueritur: nihilominus quando appellans fecit quidquid potuit, & omnem diligentiam adhibuit, ut haberet copiam ſententiæ, & actorum, & non potuit habere, nec appellatus vult edere, & exhibere; & ſententia, de qua conqueritur, non eſt pro appellante; ſed contra eum, ita ut non ſit veriſimile, ut id diceret, niſi verum eſſet: propterea permiſſum eſt, ut judex appellationis eo modo poſſit procedere, & pronuntiare, ne appellans indebitè opprimatur, & ipſe judex appellationis tueatur juriſdictionem ſuam ſaltem modo prædicto ſibi poſſibili.

Nec prędictis obſtat, quòd regulariter non valeat ſenten- 24
tia ſub conditione lata *ad l. 1. § Biduum, ff. quando appellandum ſit*. Quoniam hoc vendicat ſibi locum, quando ſententia profertur ſub conditione extrinſeca, veluti, ſi navis ex Aſia venerit, vel ſimili; ſecùs verò ſi fertur ſub conditione dependente à natura negotii in judicium deducti, ut declarat gloſſ. *fin. in l. Cùm Judex, C. de ſent. & interloq. omn. Judic.* Riminald. & Ripa *in d. l. 2. C. de edend.*

Item non obſtat, quod contumacia non videatur juſta 25
cauſa, ut quis jure ſuo privari debeat, gl. notabilis, quę com-
muniter approbatur, *in l. 1. §. Hoc judicium*, in gl *magna, ff.* 26
Si quis jus dicen. non obtempt. Bald. *in l Et in multis circa finem, C. de appell.* ubi alleg. tex. *in auth. Et qui, C. de bon. auct. Jud. poſſ.* & ideò audientia, quę denegatur propter contumaciam, non in perpetuum, ſed ad tempus denegari debet, Bal. *in d. §. Hoc judicium*, quem ibi refert, & ſequitur Alex. *col.*
3. Nam reſpondetur objectum procedere, quando verſa- 27
mur in ſimplici contumacia: ſecus verò ſi interveniat etiam contemptus, Felin. *in c. Ad petitionem col. penult. de accuſ.*
Ripa *d. l. 2. n. 17 C. de edend.* vel ubi in præcepto facto ju- 28
dici à quo de tranſmittendis actis eſſet comminata pœna, Bart. *in l. Auſto, n. 2. ff. de jure deliberan.* Ripa *in d. l. 2. nu.* 17. & ibi etiam Decius, qui tribus modis ſolvit contrarium, *n. 30. verſ. Sed ad iſta reſponderi poteſt*. Tene igitur theo-
ricam Innocentii à Canoniſtis, & Legiſtis frequentiſſimè 29
receptam, quam etiam probavit S. Congregatio Concilii exponens verba illa *c* 3. *ſeſſ.* 13. *Alioquin abſque illis* (ſcilicet actis primæ inſtantiæ) *cauſa appellationis hujuſmodi, prout juſtitia ſuaſerit, terminetur*. Cenſuit enim, conſtito de contumacia judicis à quo, recuſantis exhibere acta, partes judicis ad quem eſſe abſolvere partem appellantem à moleſtationibus, & pronuntiare acta, & ſententiam Judicis à quo, ſi unquam reperiantur caſſa fore, & vana.
Dummodò tamen petens velit expenſas ſubminiſtrare, ut 30
adnotavit Cardinalis Carafa.

Ulteriùs QUÆRO, an acta appellāti edenda ſint gratis. 31

Breviter diſtingue, aut quæritur de perſona judicis, qui ſententiam tulit, & à quo appellatum fuit: & is quantum in ſe eſt, utique debet acta primæ inſtantię poſtulanti, gratis exhibere, ita ut nullam mercedem eo nomine capiat, ut patet in Concilio Tridentino *ſeſſ. 13. d. cap* 3. ibi: *Is autem à quo appellatum fuerit, intra triginta dies acta ipſa poſtulanti gratis exhibeat*. Aut quæritur de perſona notarii, & is tenebitur ipſam actorum copiam exhibere appellanti congrua mercede accepta, *ut ſeſſ. 24. c. 20. ad finem*, ibi, *Porrò ipſam actorum copiam teneatur notarius congrua mercede recepta appellanti quanto citius, & ad minùs intra menſem exhibe-*
re. Et ita hæc decreta intellexit Sac. Congreg. quæ tamen 32
hoc limitavit, niſi ſit Cancellarius Epiſcopi, & non notarius, quia in tali caſu nullam recipit mercedèm

Item Sac. Congregatio cenſuit appellatum teneri ad ex- 33
penſas tranſlationis actorum, ſi ipſe, non autem appellans, proſequi cauſam voluerit. Quod ſi poſteà appellans illis actis voluerit uti, teneri eum expenſas pro ſua portione ſubire, niſi tamen aliter ſe habeat loci conſuetudo.

DE JUREJURANDO.

Gregorius IX. Petro Subdiacono.

CAPUT IV.

EGo N. Epiſcopus ab hac hora in anteà fidelis ero ſancto Petro, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ, dominoque meo Papæ C. ejuſque ſucceſſoribus canonicè intrantibus.

Non ero neque in conſilio, neque in facto, ut vitam perdat, aut membrum, vel capiatur mala captione.

Concilium quod mihi aut per ſe, aut per litteras, aut per nuntium manifeſtabit, ad ejus damnum nulli pandam.

Papatum Romanæ Eccleſiæ, & regulas ſanctorum Patrum, adjutor ero ad defendendum & retinendum (ſalvo ordine meo) contra omnes homines.

Vocatus ad Synodum veniam, niſi præpeditus fuero Canonica præpeditione:

Legatum Apoſtolicæ ſedis, quem certum eſſe cognovero, in eundo & redeundo honorificè tractabo; & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo,

Apoſtolorum limina ſingulis annis, aut per me, aut per certum nuntium viſitabo: niſi eorum abſolvar licentia: Sic Deus me adjuvet, & hæc ſancta Evangelia.

S U M M A R I U M.

1 *JUramenti forma ſeptem capitula continens, ſecundum quam Papæ jurant Epiſcopi.*

2 *Limina Apoſtolorum viſitare de jure tenentur Epiſcopi ſingulis annis per ſeipſos, vel per certum nuncium, ad idque ſe juramento adſtringunt.*

3 *Liminum viſitatio quo tempore in Eccleſia primùm inſtituta fuerit.*

4 *Quibus temporibus ſit facieda, & an Epiſcopi omnes ad id jurejurando ſe obligare debeant de jure communi.*

5 *Et quid poſt Conſtitutionem Sixti V.*

6 *Impedimenta, ob quæ Epiſcopi admittuntur ad Limina per nuntium viſitanda, an probentur juramento, & num. 9. uſque ad n. 19.*

7 *Et quæ ſunt hujuſmodi impedimẽta, & n. 23. uſq. ad n. 33.*

8 *Liminum viſitatio in quibus conſiſtat, & quid facere oporteat Epiſcopum, vel ejus Nuncium pro illa integrè abſolvenda, & n. 61. uſque in fin.*

9 *Impedimenta an teſtibus vel inſtrumentis probari debeant.*

10 *Anve, & quando probari poſſint juramento.*

11 *Et an hoc pendeat ex arbitrio judicis.*

12 *Juramento impediti ſtandum eſt, & quando veriſimilis præſumptio eſt pro jurante,*

13 *Limina non viſitantium impedimenta ex Bulla Sixti V. probari debent ab Epiſcopis non juramento, ſed legitimis probationibus tranſmittendis ad primum Cardinalem Diaconum, & hodie ad Sac. Congregationem Concilii.*

14 *Probatio per juramentum non ſufficit, ubi Conſtitutio requirit legitimam probationem.*

15 *Nec quando fieri poteſt per Teſtes.*

16 *Probatio directa ubi fieri non poteſt, admittitur indirecta per circumſtantias.*

17 *Impedimenta adeſſe non ſufficit, niſi ob illud quis impediatur.*

18 *Nec ſatis eſt illud in genere allegare, niſi etiam exprimatur factum, & cauſa impedimenti.*

19 *Impeditus probare debet ſe non potuiſſe impedimentum removere.*

20 *Impedimenta legitima quæ ſunt, relinquitur arbitrio judicis.*

21 *Liminum viſitatio ad quem finem inſtituta fuerit.*

22 *Aſſimilatur hodie Synodo Epiſcopali.*

23 *Exempla regulam non reſtringunt.*

24 *Infirmitas quando excuſet Epiſcopum à liminibus per ſe ipſum viſitandis.*

25 *Impedimentum juſtum dicitur neceſſitas præciſa, ſeu impoſſibilitas.*

26 *Regia evocatio non excuſat Epiſcopum à viſitatione Liminum.*

27 *A Liminum viſitatione ſicut à reſidentia excuſat munus, & Reipublicæ officium Epiſcopatibus adjunctum.*

28 *Item ætas gravis.*

29 *Item hoſtilitas, & timor hoſtium.*

30 *Item incurſus latronum.*

31 *Item peſtis, dummodò non ſit levis.*

32 *Item itineris, ſeu viarum impedimentum, ſive terræ, ſive maris.*

33 *Ex prædictis impedimentis quædam excuſant à viſitatione perſonali tantùm, quædam verò etiam à tranſmiſſione procuratoris.*

34 *Et hoc caſu tempus ad viſitandum dormit, & ſubducitur tempus impedimenti, eoque ceſſante tantumdem temporis inſtauratur.*

35 *Impedimentum quando abſorbet omnem diligentiam priùs adhibitam, tota dilatio debet inſtaurari.*

36 *Limina viſitare quibus temporum intervallis Epiſcopi teneantur.*

37 *Et à quo tempore omnibus Epiſcopis incipiant currere triennia, quadriennia, quinquennia, & decennia, & n. ſeqq.*

38 *A, præpoſitio deſignat principium temporis, & terminum à quo.*

39 *Liminum viſitationis tempora quando incipiant currere Epiſcopis Italiæ.*

40 *Et quando Epiſcopis Germanis, Gallis, Hiſpanis, &c.*

41 *Et quando Epiſcopis Africanis.*

42 *Et quando Epiſcopis Aſiaticis.*

43 *Et quomodo hæc annorum ſpatia ſint computanda.*

Liminum viſitationis tempus Epiſcopis præfixum durat uſque ad ultimum momentum diei ſupremæ, & dies termini non computatur in termino, ibid. & n. ſeq.

Imo excuſantur Epiſcopi à Cenſuris, dummodò ad Urbem perveniant in ultima die termini, licèt Baſilicas non viſitaverint, nec relationem ſtatus Eccleſiæ exhibuerint ante conſummationem ejus diei, n. 45.

44 *Dies cœpta habetur, vel non habetur pro completa, prout favor aut odium ſuadet, ut habeatur, vel non habeatur.*

46 *Examen teſtium non poteſt dici extra terminum, quando teſtes intra terminum jurarunt.*

47 *Limina viſitandi tempus effluxum Prædeceſſori quomodo intelligatur excuriſſe Epiſcopo ſucceſſori.*

48 *Et quid ſi ſpatium ſit minus breve ad viſitationem perficiendam.*

49 *Ad Limina viſitanda non admittuntur Epiſcopi nuper conſecrati, priùs quàm ſe ad reſidentiam conferant.*

50 *Liminum viſitatio fieri debet in ultimo anno triennii, vel quadriennii, &c.*

51 *Capitulum provinciale non ſufficit celebrare in fine primi triennii, & ſtatim in principio ſecundi celebrare aliud.*

52 *Viſitatio facta ab Epiſcopo in ultima die anni non debet repeti, nec procuratio exigi in principio anni ſequent.*

53 *Limina viſitandi impedimentum ut ſit legitimum, quo tempore debeat contingere.*

54 *Et an obſtacula parum duratura legitimum præſtent impedimentum.*

55 *Et quid ſi incidant in anno viſitationis.*
56 *Et quid ſi Epiſcopus in fine ultimi anni de induſtria viſitationem diſtulerit, & num. ſeqq.*
57 *Impedimentum ſuperveniens in ultimo momento non excuſat, quando quis poſuit ſe in neceſſitate ultimi momenti diei, cùm potuerit antea eſſe diligens.*
58 *Limina non viſitantes; ab ingreſſu Eccleſiæ, & adminiſtratione tam ſpiritualium, quam temporalium, & perceptione fructuum ſunt ipſo jure ſuſpenſi.*
59 *Non tamen inducunt in has pænas niſi tranſacta ultima die ad viſitandum præfixa.*
60 *Et poſt lapſum remanent ligati, etiamſi antea eos pœnituerit.*
61 *Liminum viſitatio tribus actibus perficitur.*
62 *Primus actus eſt viſitatio Baſilicarum SS. Petri, & Pauli de Urbe.*
63 *Quem actum Epiſcopi non tenentur probare juramentis aut teſtibus, vel fide Sacriſtæ, ſed ſtatur eorum aſſertioni.*
64 *Ad Limina viſitanda mandatum ſpeciale requiritur.*
65 *Et procuratores in Curia exiſtentes numquam admittuntur.*
Quod ſervatur etiam cum Epiſcopis Indiarum, n. 67.
66 *Sed impeditis potiùs dantur dilatione, vel prorogationes ad viſitandum.*
68 *Limina viſitantium ſecundus actus eſt exhibitio debitæ obedientiæ, & ſubjectionis Romano Pontifici, & num. ſeqq.*
69 *Limina Apoſtolorum ibi eſſe dicuntur, ubi eſt Papa.*
70 *Nec eſt ſecurus Epiſcopus viſitans Legatum.*
71 *Juramentum, quod Epiſcopi præſtant Papæ in actu conſecrationis, eſt ligium.*
72 *Limina viſitantium tertius actus eſt relatio Eccleſiæ tam materialis, quàm formalis.*
73 *Status materialis Eccleſiæ in quibus conſiſtat.*
74 *Et an in qualibet Liminum viſitatione de ſtatu materiali ſit referendum.*
75 *Status formalis Eccleſiæ in quibus verſetur.*
76 *Limina viſitantium relatio Congregationi Concilii exhibenda quid præcipuè continere debeat, & n. ſeqq. uſque in finem.*
77 *Synodum provincialem, vel diœceſanã Archiepiſcopi, vel Epiſcopi non celebrantes, quas pœnas incurrant.*
79 *Viſitatio Diœceſis ſaltem biennio ab Epiſcopo perficienda eſt.*
80 *Congregatio Concilii reſpondet ad dubia ab Epiſcopis Limina viſitantibus propoſita, etiamſi Conc. Tridentini interpretationem non concernant.*
81 *Diſtributiones quotidianæ jubentur dari Canonicis, qui Epiſcopum Limina viſitantem comitati ſunt, aut ejus nomine viſitarunt.*
82 *Limina viſitare tenentur etiam Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Patriarchæ in partibus Infidelium, & n. ſeqq. uſque in fin.*
83 *Epiſcopi Titulares, quamvis Clero, & populo Chriſtiano careant, tamen ſunt veri Epiſcopi.*
84 *Loca ab hoſtibus capta non deſinunt eſſe Religioſa, & ſacra, & n. ſeqq.*
83 *Sacramenta Eccleſiæ vera ſunt apud hoſtes.*

1 E*Go N.* Ponit formam juramenti ſeptem capitula continentem, ſecundùm quam jurant Papæ Epiſcopi: & hoc ſit pro ſummario & diviſione.

2 Nota ex ultimo capitulo, Epiſcopos teneri ſingulis annis aut per ſeipſos, aut per certum nuncium Apoſtolorum Limina viſitare ad idque jurejurando ſe obſtringere. Quam-
3 vis autem hanc juramenti formam primus fortè omnium introduxerit D. Gregorius Author hujus Decretalis ad Petrum Subdiaconum: tamen inſtitutio ipſa viſitandi Apoſtolorum Limina, Spiritu ſancto dictante, ortum habuit in primitiva Eccleſia poſt martyrium Beatorum Petri, & Pauli, ut clarè conjici poteſt ex decreto primo edito ab Anacleto, ac deinde à Zacharia renovato, quod refertur à Gratiano *in cap. Juxta 93. diſtinct.* in hæc verba, *Juxta Sanctorum Patrum, & Canonum inſtituta omnes Epiſcopi, qui hujus Apoſtolicæ Sedis ordinationi ſubjacent, qui propinqui ſunt annuè circa idus Maij Sanctorum Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli Liminibus præſententur omni occaſione ſepoſita. Qui verò de longinquo*, id eſt extra Italiam conſtitui, ſecundùm primum intellectum gloſſæ ibi, & Turrecr. *princip. juxta chirographum ſuum impleant. Qui autem hujus Conſtitutionis contemptor extiterit, præterquam ſi ægritudine fuerit detentus, ſciat ſe Canonicis ſubjacere ſententiis.* Hæc ibi: nam ſi Anacletus, qui ſucceſſit Clementi, & fuit quintus in ordine Romanus Pontifex, jubet Principum Apoſtolorum Limina viſitari juxta Sanctorum Patrum, & Canonum inſtituta: Ergo neceſſe eſt fateri id ſancitum fuiſſe illicò poſt martyrium Apoſtolorum. Verba enim illa, Sanctorum Patrum, & Canonum, referri non poſſunt niſi ad Linum, Cletum, & Clementem, qui ſoli poſt Petrum præceſſerunt Anacleto, vel ad reliquos Apoſtolos, quorum aliquos non eſt ambigendum, quin viderit Anacletus, quippe qui ab ipſo Petro ordinatus Sacerdos, & inſtructus fuit, ut conſtat ex ejus Epiſtola ſecunda ad univerſos Epiſcopos in Italia conſtitutos, quæ habetur *tom. 1. Concil. part. 1 pag. 46. col. 1.* ibi, *Prout Dominus tribuit, & ut à Beato Petro Principe Apoſtolorum ſumus inſtructi, à quo & Presbyter ſum ordinatus.* Quod quidem inſtitutum cum fortè in deſuetudinem abiiſſet, poſtea renovavit Zacharias in Synodo Romæ habita *Can. 48.* Quod autem hìc ſancitur, ut Epiſcopi jurent ſe 4
viſitaturos ſingulis annis, recipit declarationem paſſivam *ex d. cap. Juxta*, ut procedat in Epiſcopis propinquis, ſeu in Italia exiſtentibus dumtaxat: nam in remotis, extra Italiam, non annuè id præſtare debent, ſed juxta chirographum ſuum, id eſt ſcripturam, vel cautionem, quam fecerunt Domino Papæ in ordinatione, ſecundùm Archidiaconum, & Præpoſ.

Neque obſtat, quod Abbas *hìc nu. 6* ſentiat Epiſcopos in remotis teneri quidem viſitare ad præſcriptum *d. c. Juxta*, ſed non adſtringi juramento, de quo loquitur textus hìc, quia juramento non extenditur, *cap penult. infr. eod.* nam reſpondetur hìc non agi de extenſione ipſius juramenti; prout loquitur text. *in d. cap. pen. lt.* ſed de obligatione ad jurandum, qua æquè omnes adſtringuntur; non enim eſt dare rationem diverſitatis, cur Epiſcopi provinciarum Italię teneantur ſe juramento obligare ad Limina viſitanda, & ad id non teneantur Epiſcopi in longinquis, cùm omnes pariformiter arctentur ad ipſam viſitationem, licèt diverſis temporibus peragendam, *ut d. c. Juxta.*

Sed hodie has omnes ambages ſuſtulit nova Conſtitutio 5
Sixti V. quæ incipit: *Romanus Pontifex*, publicata Romę 13. *Kalend. Januarii* 1585. *in Bullario tom. 2 pag.* 509. in qua commemoratis graviſſimis malis, & incommodis, quæ ex intermiſſa ſacrorum Liminum viſitatione anteactis temporibus obvenerunt Eccleſiæ Dei, providè ſtatuitur, ut Epiſcopi, & alii majores Eccleſiarum Prælati per univerſum terrarum orbem conſtituti in manibus primi Diaconi Cardinalis, ſi præſentes in Curia fuerint, ſi verò abſentes, in manibus Antiſtitis, qui ad impendendum munus conſecrationis, aut ad tradendum Pallium à Sede Apoſtolica delegabitur, jurent juxta formulam in Quinterno Cancellariæ Apoſtolicæ deſcriptam, ſe Beatiſſimorum Apoſtolorum Limina præſcriptis in ea Conſtitutione temporibus perſonaliter viſitaturos, aut ſi legitimè impediti fuerint, per certum nuntium ad id ſpecialiter ablegandum.

Qua conſtitutione poſita, de pluribus dubitari contingit. 6
Et primò, an impedimenta, ob quæ Epiſcopi ex prædicta Conſtitutione admittuntur ad Limina per nuncium viſitanda, juramento probari valeant.

Secundò, quæ in ſpecie ſint ejuſmodi impedimenta, & 7
quo tempore debeant contingere, ut pro legitimis habeantur, & quomodo annorum ſpatia ad viſitandum ſint computanda.

Tertiò, in quibus conſiſtat hæc Liminum viſitatio, & 8
quid facere oporteat Epiſcopum, vel ejus nuntium pro illa integrè abſolvenda.

Quoad primum dubium, impedimenta teſtibus, vel in- 9
ſtrumentis probari debere affirmant multi, quos ſuppreſſo nomine refert Joan. Andr. *in c. 1. n. 1. verſ. Quidam dicunt de dolo, & contumac. lib. 6.* & alii apud Menoch. *de arbitr. judic. caſ. 118. n. 1.* quorum tamen opinio non procedit, niſi
quando impedimenta ſunt talia, ut veriſimiliter probari 10
poſſint per teſtes, vel inſtrumenta, ut declarat Jaſ. *in l. 2. §. Quod diximus, nu. 2. ff. Si, quis cautionibus.* Alii verò, ut Innoc. *in c. Ex litteris in fin. de reſtit. in integr.* & Specul. *in titul. de appellat. §. Nunc breviter, verſ. Quid ergo dixerunt* im-

*impedimenta juramento impediti poſſe probari, adjuncto ma-
ximè uno teſte*; quam ſententiam tuetur Socin. Jun. *conſ.* 79.
n. 14. *vol.* 1. quando impeditus eſt perſona honeſta, & fide
11 digna, & qualitas negotii videtur convenire. Alii demum
dixerunt hoc totum pendere ex arbitrio judicis, qui perſo-
nę, loci, & facti qualitate perſpecta, interdum admittet loco
probationis ſemiplenam probationem, & aliquando etiam
juramentum, *ut cap. ult.* §. *fin. infr. eod.* & in hoc reſident.
in d. cap. 1. *de dol. & contumac. lib.* 6. Hoſt. *num.* 3. Jo. Mo-
nach & Archid ambo *num.* 1. *verſ. Sed qualiter*, & Joan.
Andr. *e. d. n. verſ. enim prædicti*; & videtur de jure verius
nam, ut inquit Monach. *d. caſ.* 118. *num.* 3. evenit nonnun-
quam, ut impedimenta occurrant in remotis regionibus,
quæ nec teſtibus, nec inſtrumentis probari poſſunt; judi-
cis ergo erit prudentia de his ſtatuere. Unde Præpoſ. *in cap.*
12 *Placuit in fin* poſt alios, quos citat 18. *diſtinct* ait, Epi-
ſcopum, qui vult excuſare ſe, quare non venerit vocatus
ad Synodum, ſi eidem impedimentum contingerit, quia
fuit detentus invitus, admittendum eſſe ad probandum
impedimentum per ſolum juramentum; *& num.* 3. addit:
quod ſi vellet probare ſe ob infirmitatem impeditum, poſſet
illud probare juramento, accedentibus conjecturis, ut quia
ejus facies eſſet extenuata tamquam ſurgentis ab infirmi-
tate. Et eſt ex mente DD. de Rota *deciſ.* 302. incipien. *No-
ta quòd ubi aliàs* 3. *de jurejurand. in antiq.* ubi poſt Archid.
in d. cap. 1. concludunt credendum eſſe juramento impedi-
ti, quando veriſimilis præſumptio eſt pro jurante dicente
ſe impeditum.

13 Verumtamen quod pertinet ad præſentem quæſtionem
videtur reſpondendum, impedimenta Epiſcoporum, qui
admittuntur ad Limina per certum nuncium viſitanda,
nequaquam juramento probari poſſe: nam etſi aliàs ſtatu-
tum eſſet *in d. cap. Juxta* 93. *diſt.* ut omnes Epiſcopi juxta
SS. Patrum, & Canonum inſtituta tenerentur temporibus
ibi expreſſis, niſi ægritudine eſſent detenti, Liminibus
Apoſtolorum ſe repræſentare: & poſteà in hac Decretali
ſancitum eſſet, ut Epiſcopi tenerentur præſcriptis tempo-
ribus eadem Limina di-junctivè per ſe, aut per certum nun-
cium viſitare: tamen cum ex vi Conſtitutionis Sixti V. jam
ab omnibus Epiſcopis, Archiepiſcopis, Primatibus, &
Patriarchis exigatur, ut de hujuſmodi impedimento do-
ceant per legitimas probationes per eorum nuncium tranſ-
mittendas ad primum S. R. E. Cardinalem Diaconum, &
hodie ad Sac. Congregationem Conc. quæ in ipſius Car-
dinalis locum ſubrogata eſt ab eodem Sixto V. in Conſtitu-
14 tione edita ſuper ipſius Congregationis erectione, clarè
conſtat, de hujuſmodi impedimento aliter quàm per jura-
mentum eſſe docendum, Dec. *in rubr. de probat. num.* 130.
ubi per gloſ. *in l. Cùm de in debito in ver. Legitimis, ff. eod.*
concludit non ſufficere probationem per juramentum,
quando Conſtitutio, ut in caſu noſtro requirit legitimam
probationem: *& col. penult. verſ. Tertio eſt caſus, nu.* 168.
concludit idem multò magis procedere, cum Conſtitutio
ipſa legitimam probationem requirit per ſe, & principali-
ter, ut in hac ſpecie.

Et confirmatur: nam cum Epiſcopi vinculo juramenti
adſtringantur ex eadem Conſtitutione Sixti V. ad eadem
Limina in certis annorum curriculis per ſe ipſos viſitanda,
niſi eſſent legitimè impediti, fruſtra eorumdem juramen-
to ſtaretur de legitimo impedimento. Qui enim ſciens
ſine legitimo impedimento nuncium tranſmittendo in
perjurium incidere non veretur, utique nec timebit pe-
jerare ſe legitimè impeditum, Quod ſi id faceret ignorans
ſe legitimè impeditum eſſe, utique & eadem facilitate ju-
rabit ſe legitimè impeditum. Unde ne dicamus hanc Con-
ſtitutionis particulam, *Per ſe & principaliter*, ſeriò appo-
ſitam, otioſam eſſe, fateri cogimur, conditoris mentem fuiſ-
ſe, ut de impedimento aliter doceri oporteat, quàm per
juramentum.

15 Neque huic concluſioni adverſantur opiniones initio
relatę; ſiquidem & illę tunc admittunt probationem per ju-
ramentum, quando de impedimento attentis omnibus cir-
cumſtantiis non poteſt commodè aliter quàm per jura-
mentum doceri. Qui caſus in materia noſtra vix poteſt
contingere, cum probationes non debeant recipi hîc
Romæ, ubi fortè non poſſent reperiri teſtes de impedimen-
to conſcii; ſed in partibus ipſis, in quibus ſunt Epiſcopi
impediti, qui ſuper ipſo impedimento facilè poterunt re-
cipere atteſtationes, & in publicam formam redactas ad
præſcriptum Conſtitutionis per nuncium S. Congrega-
tioni Concilii exhibere. Et quamvis quædam reperiantur 16
impedimenta, quæ in partibus per teſtes plenè probari non
poſſunt; atque ita juramento impediti ſit ſtandum: tamen
quia circumſtantiæ ſaltem quæ ſimul debent concurrere
cum aſſertione jurata, poſſunt per teſtes probari, ut in
exemplo infirmitatis occultæ; tunc etſi de ea non poſſit
directè fides fieri per teſtes, poteſt tamen, ut inquit Præ-
poſit. loco ſupracitato, per eoſdem teſtes probari circum-
ſtantia; v. g. quòd ex aſpectu, & macilentia cognoſcitur
eumdem morbo detineri. Accedere etiam poteſt judicium
Medicorum, qui ex iis, quæ videntur, vel tanguntur,
ſuum poſſent proferre judicium; & ſic non videtur dari ca-
ſus, in quo impedimentum ſolo poſſit juramento probari,
& non per teſtes. Si igitur poteſt teſtibus ſaltem admini-
culativè impedimentum probari, utique non erit talis pro-
batio omittenda.

Sed urgebis: Imò de præſenti non poteſt fieri fides, niſi 17
juramento impediti, eò quòd etſi teſtes poſſint cognoſcere,
& habere notitiam, ac deponere de facto; nullo tamen
modo poſſunt judicare, an ex eo facto Epiſcopus ſit cenſen-
dus legitimè impeditus, nec ne, cùm hoc ſolus poſſit affir-
mare, qui ſe inde impeditum ſentit. Præſertim quia, ut Me-
nochius aſſerit *d. caſ.* 118. *in fin.* non ſolùm requiritur, ut
adſit impedimentum, ſed etiam ut ob illud quis impediatur;
alioquin non excuſaretur.

At reſpondetur, hoc argumentum non concludere, cùm 18
non ſufficiat impedito in genere allegare ſe impeditum, ſed
requiratur, ut exprimat factum, & cauſam in ſpecie, ob
quam putet ſe legitimè impeditum exiſtere, ut in materia
noſtra notat Turrecremata *in d. c. Juxta* 93. *diſt.* Et in ſimi-
li de Epiſcopo excuſante ſe cur non acceſſerit ad Synodum,
notat idem Turrecrem. & Præpoſitus *in c. Placuit, num.* 2.
poſt gloſ. ibi, *in ver. Ratione* 18. *diſt.*

Quibus accedit, quod, ut dicit gloſſa *in c. Si quis juſto, in
verb. Detentus de elect. lib.* 6. cum hæc clauſula, *Juſto deten-
tus impedimento*, contineat verba juris, pars ipſa non debet
illis generaliter uti, ſed tenetur exprimere verba facti, ex
quibus poſteà jus, hoc eſt judex, elicit, an illud factum ju-
ſtum inducat impedimentum. Quod ſatis patet *ex c. Pla-
cuit in fine* Atque ita ut not. Turrecr. & Præpoſ. tenetur fa-
ctum ipſum, hoc eſt cauſam excuſantem exprimere, & per
teſtes probare, & factum ipſum ſic probatum exhibere ju-
dici, qui judicabit, an illa cauſa ſit ſufficiens.

Ex quibus concluditur, hæc impedimenta aliter quam ju- 19
ramento impediti eſſe probanda. Adde, impeditum debere
etiam probare ſe non potuiſſe impedimentum removere,
aliàs non excuſatur, *c. fin.* ubi text. *ſupra de elect. & l. Sed &
ſi per Prætorem*, §. 1. *ff. ex quib. cauſ. maior. l. Quibus diebus*,
ubi Bald. *ff. de condit. & demonſtr.* Dec. *in c. In nomine Do-
mini in* 4. *notab. ſup. de teſtib.* & cenſuit Rota apud Seraph.
dec. 1206. *num.* 2. *& in recent. dec.* 343. *num.* 1. *par.* 2. Et hæc
quoad primum dubium.

Quoad ſecundum, cùm idem factum uni poſſit afferre 20
legitimum impedimentum, quod alteri non afferret, ratio-
ne diverſitatis individuorum; difficile admodum, quin &
periculoſum videtur, aliquid circa hæc generaliter affirma-
re; ideòque quę ſint juſta impedimenta, tamquam indeter-
minatum, relinquendum videtur arbitrio judicis, *l.* 1. *ff. de
jur. deliber. c. De cauſis*, §. *Illis etiam, ſup. de offic. deleg.* &
in ſimili materia notat gl. *in d. c. Si quis juſta de elect. lib.* 6.
in verb. Juſto, ubi ait hoc eſſe judici relinquendum, quia nec
numerari poſſunt. Unde ſatius eſſet ab hujuſmodi deter-
minatione, ſeu enumeratione abſtinere, non tamen abs re
erit nonnulla per modum exempli recenſere, cum exemplą
regulam non reſtringant, ut dicam infrà *n.* 23.

Itaque præmittendum eſt primò, etſi antiquitùs hæc 21
Liminum Apoſtolorum viſitatio exigeretur in ſignum obe-
dientiæ, reverentiæ & ſubjectionis, ut conjici poteſt ex
§. *Epiſcopi verò juncto c. Juxta immediatè ſeqq.* 93. *diſt.* ta-
men ut patet *ex proœmio Extravagantis Sixti V.* dicta viſi-
tatio requiritur etiam ad effectum, ut Romanus Pontifex
de ſtatu Eccleſiarũ certior factus, poſſit quę ad onus ſupre-
mi Apoſtolatus ſpectant, quoad omnes Eccleſias adimplere,
& omnes Epiſcopos in partem dictæ ſolicitudinis aſſump-
tos, Eccleſiaſticis monitis ſolidare, & inſtructiores remit-
tere. Cur fini videntur etiam adſtipulari poſſe quæ in ſimili
materia ponuntur *in c. Si quis in Metropolit.* 63. *diſt.* Un-
de colligi poteſt, hanc viſitationem Liminum nunc aliqua 22
ex

ex parte aſſimilari Synodis Epiſcopalibus, quarum mentio habetur *in d. cap. Si quis, & in cap. Non oportet cum ſeq.* 15. *diſt.* in quibus quidem Synodis a Curatis exigebatur ratio curę eiſdem commiſſę, ut per Bothæum *de Synod. Epiſcop. part. 2 n.* 47. Quod conjicitur etiam ex hac Decretali, ubi unuſquiſque Epiſcopus jurat per hæc verba: *Vocatus ad Synodum veniam, niſi præpeditus fuero Canonica præpeditione.* Et paulò infrà: *Apoſtolorum limina ſingulis annis, aut per me, aut per certum nuntium viſitabo, niſi eorum abſolvar licentia.* Unde infertur, ut quæ in materia accedendi ad Synodum ſcripta reperiuntur, congruè applicari poſſint viſitationi Liminum, arg. *l. Non poſſunt, ff. de leg. & c. Inter corporalia, de tranſlat. Epiſcop.*

23 Præmittendum ſecundò, etſi text. *in d. cap. Juxta 93. diſtinct.* pro juſta excuſationis cauſa non viſitandi Apoſtolorum Limina videatur admittere ſolam infirmitatem, ibi: *Præterquam, ſi ægritudine fuerit detentus:* tamen, ut ibi not. Turrecrem. & Prępoſ. & poteſt colligi ex gloſ. *ibi, & in d. c. Si quis Metropolitanus 95. diſtinct.* hic caſus infirmitatis ponitur pro exemplo, quod regulam non reſtringit, *l. Damni infecti ſtipulatio, ff. de damn. infect. c. Jus naturale 1. diſt. c. Inter cæteras, ſupra de reſcript.* gloſ. 1. *in cap. 1. infra ne Clerici, vel Monachi.* Ideòque non prohibet, quin alia etiam juſta impedimenta admittantur. Et propterea Archidiacon. ibi poſt Joan. de Fan. exponit verbum illud, *ægritudine*, id eſt juſto impedimendo.

24 Porrò Canonicæ præpeditiones, ſeu cauſæ, quibus Epiſcopi excuſantur ab acceſſu ad Conventum Epiſcopalem, adeòque à perſonali ſacrorum Liminum viſitatione, infraſcriptæ inter alias recenſentur.

Infirmitas in primis pro ſufficientia cauſa à ſacris Canonibus in hoc ipſo caſu viſitationis admittitur *in d. c. Juxta diſt. 93.* & habetur in ſimili materia *in cap. Non oportet, 18. diſt.* tamen infirmitas debet eſſe gravis ad hoc, ut excuſet, *c. Si Epiſcopus, 18. diſt.* ibi; *Excepta gravi infirmitate corporis*, gl. *in d. c. Placuit, in ver. Ne qui ægritudine:* ſubdens *ex l. 1. §. Sed ſciendum, ff. de edilit. edict.* levem febriculam, aut veterem quartanam non excuſare: & hoc dictum gloſ. etiam approbat Bothæus *de Synod. in 2. parte num. 57. arg. l. Quæſitum, ff. de re judicat.*

25 De impoſſibilitate præciſa dubium non eſt, quin excuſet, ut ſi quis eſſet incluſus in carcere, vel circumdatus à cuſtodibus; hæc enim excludit omninò, voluntarium, ideòque etiam à peccato, ac tranſgreſſione excuſat, *c. Sacris cum materia; de iis quæ vi met. cauſ.* cum impoſſibilium nulla ſit obligatio, ut not. Turrecrem. *in d. c. Pervenit. in fin.* & ſtatutum eſt decreto Concilii Meldenſis, *c. 23. tom. 3. Concil. p. 1. ſect. 2. pag. 550. col. 1.* in hæc verba, *Ut ſi quilibet Epiſcopus ad Synodum vocatus quacumque occaſione venire diſtulerit, niſi evidens impoſſibilitas præpedierit, ſalva cenſura ex hoc Patrum authoritate decreta, ceſſet ab officio, donec ſatisfaciat fratribus.* Facit text. *in cap. unic. verſ. Seu juſta, & rationabilis corporis neceſſitas, de Cler. non reſid. lib. 6. & in c. 1. verſ. Aut aliqua eum gravis neceſſitas, detinuerit, 5. q. 3. & in c. Placuit*, ibi: *Neque alia graviori neceſſitate, 18. diſt. in l. Sed ſi quis, §. Illud, ff. Si quis caut. & in l. Succurritur, ff. ex quib. cauſ. major.*

26 De regia evocatione eſt textus in *cap. Si Epiſcopus, diſt. 18.* ibi: *Aut præceptione Regia.* Ad idem text. *in cap. Cùm parati*, in illis verbis: *Quod in legatione Regis eſſes, & ideo non potuiſſes ad vocationem prædicti Cardinalis accedere, de appell.* & tradit gl. *in cap. 1. in verb. Aliena 5. q. 3.* Verùm gl. *in d. cap. Si Epiſcopus*, hanc cauſam reſtringit ad Epiſcopum tenentem feudum; quod etiam ſentit gloſ. *in d. c. Cùm parati in verb. In legatione Regis*, dum ait Epiſcopum teneri obtemperare mandato Regis, ſi ab ipſo teneat Regalia, aliàs non teneri, *c. Quo auſu 23. q. ult.* cum aliis ibi per gloſs. alleg. Deinde hujuſmodi cauſa reſtringitur per utramque gl. in loco citato, ut non procedat, quando Epiſcopus eſt vocatus à Papa, ut contingit hoc caſu, in quo Epiſcopi per hanc Conſtitution. Sixti vocantur ad Limina viſitanda; tunc enim vocatio Principis ſæcularis non excuſat: & ſequitur Præpoſit. *in d. c. Si Epiſcopus.* De hoc artic. ſcripſi plenius *in c. Qualiter, infrà de Cler. non reſid.*

27 Munus item & Reipublicæ officium Epiſcopatibus adjunctum, veluti cùm Epiſcopi electores occupantur in electione Imperatoris, *juxta c. Venerabilem de elect.* vel cum Epiſcopi actu interſunt Convētibus, Dietis, vel Aſſembleis, quibus Eccleſiaſtici intereſſe ſolent, juſtam præbet excuſationem à viſitatione Liminum, ſicuti præbet à reſidentia ex decreto Concil. Trident. *c. 1. verſ. Niſi cum abſentia, ſeſſ. 23.*

Ætas etiam affert legitimum impedimentum ab hac viſitatione, ſicut ab acceſſu ad Synodum, *c. Placuit 18. diſtinct.* gloſ. *in d. c. 1. in verb. Aliena, 5. q 3.* ubi ait, illum Canonem tria excipere impedimenta, ætatem, ægritudinem, & graviorem neceſſitatem. Quod tamen videtur intelligendum, dummodò ætas ſit admodum gravis, *arg. c. Niſi cum pridem, §. Alia verò cauſa, ſupr. de renuntiat.* In quo Sacr. Congregationis arbitrium maximè verſatur, perfecta Eccleſiarum diſtantia, perſonarum, ac temporum qualitate, atque aliis facti circumſtantiis, *arg. c. Quoniam frequenter, §. Quod ſi forſan, ſupr. ut lit. non conteſt.* & ibi not. Joan. Andr. *num. 6. in verb. Senes*, & Felin. *ſub nu. 4. col. 7. verſ. Ad tertiam quæſtionem*, Bald. *in Margarita in verb. Senes*, & alii apud Menoch. *de arbitr. Judic. lib. 1. centur. 1. caſ. 59. num. 3.* 28

Hoſtilitas item excuſat, *arg. c. Ex tranſmiſſa de præſcript.* 29 Bald. *conſ. 274. Factum tale eſt, lib. 1.* ſeu timor hoſtium gl. *fin. in d. c. Pervenit, in fin. 18. diſt. per text. in c. Ex parte il primo de appellat.* Incurſus latronum, *l. Scire, etiam oportet,* 30 *§. Sufficit in verb. Incurſus latronum, ff. de excuſat. tut.* Peſtis quoque affert legitimum impedimentum, dum tamen 31 non ſit levis, Prępoſ. *in d. cap. Pervenit in fin. 18. diſt.* quem, & ſequitur Bothæus *ubi ſupra n. 58.*

Itineris, ſeu viæ impedimentum ſolet pro legitimo admitti, 32 *arg. d. cap. Ex parte, l. Si quis §. Quod diffinimus, ff. Si quis cautio, l. Scire etiam oportet, §. Sufficit, ff. de excuſat. Tutor.* Et hoc ſive ſit impedimentum itineris terræ, ſive maris, puta, ſi viæ eſſent obſtructæ à graſſatoribus, vel piratis, adeò ut acceſſus ad Urbem non pateret abſque evidenti vitæ periculo, ut patet *ex c. 2. ſeſſ. 24.* Concil. Trident. *verſ. Exceptis iis, quibus cum imminenti periculo transfretandum eſſet.* Huic enim legi naturali cedit lex poſitiva, Turrecrem. *in d. c. Pervenit, num. 3.*

Porrò ex his impedimentis, ut innuit Joan. de Anan. & 33 Præpoſ. poſt eum *in cap. Juxta ad fin. 93. diſtinct.* quędam excuſant Antiſtites à viſitatione perſonali tantùm, non autem a viſitatione per certum nuncium, veluti ægritudo, decrepitas, munus Epiſcopatui adjunctum, & alia id genus, quæ tangunt perſonam ipſius Epiſcopi. Quædam verò excuſant etiam à tranſmiſſione procuratoris, ut peſtis, viarum obſeſſio, hoſtilitas, & conſimilia, dummodò tamen talia ſint, quæ impediant acceſſum Diœceſanorum ad Urbem: ſi enim Epiſcopus non careat Clero, ceteri Sacerdotes non admittuntur ad Limina viſitanda pro non ſuo Epiſcopo, quia in Conſtitutione hac Sixti V. ſancitur, ut Epiſcopi legitimè impediti viſitare debeant per certum nuncium ex gremio ſuorum Capitulorum, aut in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutum, ſeu aliàs perſonatum habentem, & in eorum defectum, Diœceſanum Sacerdotem; at ſi Clero careant, omninò per aliquem alium Presbyterum ſæcularem, vel regularem ſpectatæ probitatis, & Religionis, de Statu Eccleſiæ plenè inſtructum.

Quotieſcumque autem impedimentum eſt tale, ut excu- 34 ſet Epiſcopum etiam à tranſmiſſione procuratoris, tempus ad viſitandum non currit, ſed dormit, & ſubducitur tempus impedimenti, ita ut eo ceſſante reſtauretur tantundem temporis Ediſcopo ad viſitandum, quantum abſorbuit impedimentum, juxta theoricam Baldi *in l. Quod tempore num. 1. & 2. C. de reſtit. milit.* Quando enim impedimen- 35 tum abſorbet omnem diligentiam adhibitam per priùs, tota dilatio debet inſtaurari, ut idem Bald. ait *in l. Si ita Stipulati, num. 2. ff. de verb. obligat.* & fit computatio temporum, cumulando tempus lapſum ante impedimentum, & poſt, Roman. *conſ. 443 Quoad primum in principio.* Licèt hoc caſu ſi impedimentum abſumpſerit notabilem anni partem, eo ceſſante, tutius ſit petere prorogationem ad viſitandum, antequam triennium, vel quadriennium labatur, ſi ſpatium videatur nimis anguſtum.

Cæterùm quia in hac materia omnia ferè certam inter- 36 pretationem habuerunt ex obſervantia, & ſtylo Sacræ Congregationis Concilii, cui univerſum hoc negotium excipiendi Præſules Limina viſitantes, eorumque poſtulata audiendi, impoſitum eſt à Sixto V. in locum primi Cardinalis Diaconi, ut in Bulla inſtitutionis ejuſdem S. Congregationis.

Supponendum eſt primò ex præfacta Sixti V. Conſtitutione de viſitandis Liminibus, Epiſcopos, & alios majores

Antiſtites Italos, & in Italicis inſulis, & provinciis adjiacentibus, teneri hoc munus obire tertio quoque anno. Germanos verò, Gallos, & Hiſpanos, & cæteros, qui in Europa ſunt citra mare Germanicum, & Balticum, quarto anno: remotiores verò, qui intra fines Europæ ſunt. & Africanos quinto anno; Aſiaticos demum, & qui extra Aſiam ſunt ex omnibus mundi partibus, decimo quoque anno, ut fuſiùs exprimitur in eadem Conſtitutione.

37 Hęc autem annorum ſpatia tam Epiſcopis Italiæ, quàm cęteris omnibus Chriſtiani ordinis incipiunt currere ęqualiter à die publicationis ejuſdem Conſtitutionis, hoc eſt à die vigeſima Decembris anni 1585. Quod quidem quoad Epiſcopos & Archiepiſcopos, qui tempore publicationis præfatæ jam conſecrati erant, vel Pallium ſuſceperant, aut ad aliam Eccleſiam jam erant tranſlati, eſt manifeſtum, quia ſic expreſsè cavetur in ipſa Conſtitutione, §. *Hi verò ex prædictis*. Quoad alios autem, quamvis Conſtitutio *in* §. *Hæc autem annorum ſpatia*, ſtatuerit, ut ſpatia hujuſmodi tempore ſuſcepti muneris, conſecrationis, vel Pallii traditionis, aut tranſlationis ad aliam Eccleſiam, incipiant: tamen hæc verba non ita ſunt accipienda, ut initium computationis triennii, vel quadriennii, &c. ſumi debeat à die conſecrationis, ſuſceptionis, vel tranſlationis hujuſmodi; ſed hunc habent ſenſum, ut eo ipſo quo quis eſt conſecratus, &c. incipiat ſibi currere obligatio viſitandi Limina, non autem, ut ſpatia ſupradicta ab eo tempore computari

38 debeant. Et propterea in Bulla videtur ſtudioſè omiſsa prępoſitio, *A*, quæ deſignat principium temporis, & terminum, *A quo*, Clem. *Sicut*, & ibi Cardin. *nu.* 3. *de appell.* Felin. *in hoc cap. Ego N. in princ.* & fuit dictum ſimpliciter *Tempore*. &c. Et hanc interpretationem ſemper habuerunt ea verba in S. Congregatione Concilii.

39 Itaque Epiſcopis Italis cœpit currere primum triennium à die vigeſima Decembris anni 1585. quia Conſtitutio Sixti V. fuit publicata, & expiravit anno 1588. Similiter die vigeſima Decembris, à qua die itidem incœpit ſecundum triennium, & duravit uſque ad diem vigeſimam Decembris anni 1591. & ita exinde de triennio in triennium: unde hoc præſenti anno 1636. à vigeſima die Decembris incipiet currere decimum octavum triennium æqualiter univerſis Epiſcopis Italiæ, & Inſularum adjacentium, & expirabit anno 1639. eadem die vigeſima Decembris, nimirùm quia à die publicationis Bullę uſque ad finem prædicti anni 1639. effluxi erunt anni 54. qui conſtituunt prædicta triennia decem & octo, & ſucceſſivè anno 1642. pariter menſe Decembris expirabit decimum nonum triennium, anno 1645. expirabit vigeſimum, & ita in futurum perpetuis temporibus.

40 Similiter Epiſcopis Germanis, Gallis, Hiſpanis, &c. incœpit currere quadriennium primum ab ipſa die publicationis Bullę, & duravit uſque ad diem vigeſimam Decembris anni 1589. & hac ipſa die incœpit quadriennium ſecundum, & finivit anno 1593. in ipſa die vigeſima Decembris. Atque in anno 1637. proximè futuro incipiet illis currere decimum quartum quadriennium duraturum uſque ad diem vigeſimam Decembris anni 1641. quia ab anno 1585. quo Bulla fuit publicata, uſque ad finem prædicti anni 1641. intercedunt anni 56. qui conſtituunt quatuordecim quadriennia. Quocirca Europæi, qui per totam diem vigeſimam Decembris ejuſdem anni 1641. Limina non viſitarent pro decimoquarto quadriennio, inciderent utique in pœnas à Conſtitutione inflictas. Eodem

41 modo pro Africanis primum quinquennium ſumpſit initium à die 20. Decembris 1586. publicationis Bullę, & exivit anno 1590. in ipſa die 20. Decembris, & inde incœpit quinquennium ſecundum, & exivit ann. 1595. itidem menſe Decemb. adeò ut anno preterito 1635. inceperit illis undecimum quinquennium, quod deſinet annò 1640. & ſic

42 deinceps de quinquennio in quinquennium. Sed & Aſiaticis à publicatione Conſtitutionis effluxit primum decennium anno 1595. die 20. Decembris; ſecundum anno 1605. eadem die. Unde cùm præterito anno 1635. à die 20. Decembris incœperit illis currere ſextum decennium, obſtricti erunt omnes æqualiter Limina viſitare pro tota die 20. Decembris anni 1645. & ſic in perpetuum ab uno aliud decennium.

43 Hæc autem computatio fieri debet ab ipſa die publicationis Bullæ excluſivè; & ſic in fine cujuſque triennii, vel quadriennii integra dies vigeſima Decembris cedit commodo Epiſcoporum, adeò ut tempus ad viſitandum præfixum duret uſque ad ultimum momentum ejus diei. Ita enim ſtatuitur pro regula, ut dies termini non computetur in termino, *l.* 1. *ff. Si quis cautionibus*, *cap.* 1. cum concordant. de quibus ibi per gloſ. *in verb. Proponitur de reſtitut. ſpoliat. num.* 6. gloſſ, *fin. in cap. Super eo*, *infra de appellat.* Socin. *regul.* 16. latè Tiraquell. *de retract. lignag.* §. 1. *in gloſ.* 2.

Neque obſtat, quòd annus ubi incipit, ibi deſinat, & reſolvatur, ut inquit Bald. *conſ.* 458. *num.* 4. *in fin. vol.* 1. gloſſ. & DD. *in l. Ita vulneratus*, §. *Æſtimatio*, *ff. ad l. Aquiliam.* Et quod cum annus naturalis conficiatur diebus 365. & horis ferè ſex, gloſ. *in c. Quadrageſima in verb. Dies*, *de conſecr. diſt.* 45. gloſſ. in Clem. 1. *Licet igitur de reliq. & venerat. Sanctor.* idcircò triennia, vel quadriennia viſitationi præfixa ſimiliter deſinere debeant eodem momento, quo inceperunt. Id, inquam, non obſtat, quia cùm ſpatia hujuſmodi, ut diximus, incipiant à die publicationis excluſivè; utique facta computatione à primo momento diei vigeſimæ primæ Decembris, triennium &c. conſummabitur inde ad tres annos in ultimo momento diei vigeſimę Decembris, in quo momento pertinget ad punctum ſui principii, & ſic deſinet ubi incœpit.

Præterea quamvis maxima ſit inter DD. altercatio, an, 44
& quando tempus currat de momento ad momentum, & ultima dies anni cœpta habeatur pro completa, ut apud Tiraquell. *d. gloſſ.* 1 1. *nu.* 17. & apud Juriſtas *in l.* 1. *ff. de manumiſſis*, & Canoniſtas *in cap. Cum in cunctis*, *de election*, tamen frequentiùs recepta eſt opinio gloſſæ *in l.* 3. §. *Minorum verb. Momentum*, *ff. de minor.* ut diſtinguendum ſit an in materia, de qua agitur, verſetur favor, vel odium, ut dies cœpta, impleta vel non impleta habeatur, prout favor ſuadet haberi, vel non haberi. Quam gloſſæ opinionem ſequuntur ibi Bart. & Alberic. qui teſtatur in hac quæſtione ſemper ſolere ad eam gloſsam recurri, & explicat dilucidè diem cœptam non haberi pro completa, ubi eſt favor, ut tempus duret, & haberi, ubi eſt favor, ut tempus finiatur. Idem tradit gloſ. *in cap. Cum in cunctis, in verb. Exegerit de elect.* & Abb. *num.* 6. teſtatur eam gloſſam communiter approbari: & de communi teſtatur etiam Tiraquell. *ubi ſupra num.* 44. At certum eſt hoc caſu verſari favorem, ut tempus viſitationi præfixum duret uſque ad ultimum momentum diei ſupremæ, ut ſic Epiſcopi ſint immunes à cenſuris, & pęnis Bullę: Ergo ultima dies cœpta non debet haberi pro completa: nam, ut inquit Angel. *conſ.* 404. *col. fin. verſ. Non obſtat Decretalis*, ex benignitate, & ad excludendam contumaciam totus dies termini cadit in terminum, maximè quia Sedis Apoſtolicæ nihil intereſt, an Epiſcopi viſitent Limina in ipſa die 20. Decembris an verò poſtridiè; & de punctis horarum lex non curat, ut Bald. *ait in d. c. Cum in cunctis*, *num.* 3. *de elect.* Tam parva enim horarum momenta non ſatis digna videri poſſunt animadverſione Legiſlatorum, Cujac. *lib.* 3. *Comment. Juris civilis cap.* 12. *col.* 2. *Ad hoc l.* 1. *ff. Si quis cautionibus*, ubi in numero dierum, intra quos abſentes debent ſe judicio ſiſtere, dies termini non computatur; & ſubnectitur ratio, quia talis dinumeratio neutri litigatorum oneroſa eſt. Et ita uſu receptum eſt. Quinimò Sac. Congregatio con- 45
ſuevit benignè excuſare à cenſuris Antiſtites venientes ad Limina, dummodò ad Curiam perveniant per totam diem vigeſimam Decembris ultimi anni, in quo cadit viſitatio, licèt Baſilicas Beatorum Apoſtolorum actu non viſitaverint, nec relationem ſtatus exibuerint ante conſummationem ejus diei, eo quòd negotium viſitationis videatur inchoatum per acceſſum ad Urbem, *arg. c. In cauſis de elect.* & eorum quæ in materia viſitationis inchoatę tradit Federic. de Sen. *conſ.* 141. *Joannes Epiſcopus*, *n.* 3. *in fine*; exemplo 46
etiam examinis teſtium, quod non poteſt dici extra terminum, quando teſtes intra terminum jurarunt, Seraphin. *deciſ.* 857. *num.* 21. Cùm præſertim hoc ipſum ſuadere videantur verba Conſtitutionis, quæ tantùm exigunt, ut Antiſtites tertio, quarto, quinto, & decimo quoque anno iter ſuſcipiant, & Deo concedente perficiant.

Supponendum eſt ſecundò ex preſcripto hujus Conſtitu- 47
tionis Sixti V. §. *Ad hoc autem*, *verſ. Quæ ne lõgius differantur*, *&c.* tempus qualecumque excurſum alicui ex Epiſcopis, qui ſive morte præventus, ſive alia quacumque de cauſa ob non finitum tempus ei præſcriptum Limina non viſitaverit, ita intelligi effluxiſſe, & excurriſſe illius ſucceſſori, ut ter-

termino ipſo juxta Prædeceſſoris ſui jusjurandum completo, debitam viſitationem conficere teneatur. Quæ verba non eum habent ſenſum, ut Epiſcopus ſucceſſor teneatur viſitare pro omnibus trienniis, vel quadrienniis, &c. pro quibus ejus prædeceſſor non viſitavit: alioquin ſequeretur, ut ſi Epiſcopus prędeceſſor numquam Limina viſitaſſet, & diu Eccleſiam obtinuiſſet, ejus ſucceſſor teneretur octies, aut decies uno anno viſitare, ac de Eccleſiæ ſtatu rationem reddere pro octo, aut decem trienniis, quibus anteceſſor prætermiſit viſitationem: quod non eſt dicendum; ſed illa verba ita ſunt accipienda, ut Epiſcopus nuper conſecratus, ſi eo triennio, vel quadriennio, quod eo tempore currit, ejus Prædeceſſor non viſitaverit, teneatur ipſe viſitationem perficere. Exempli gratia Epiſcopus Italiæ conſecratus eſt die prima Maji hujus præſentis anni 1636. in quo currit tertius annus decimi ſeptimi triennii ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſuprà *num.* 39. *verſ. Itaque Epiſcopis Italis*: ſi ejus Prædeceſſor pro hoc triennio decimoſeptimo viſitaverit, Epiſcopus ipſe habebit ſpatium ad viſitandum pro 18. triennio uſque ad diem 20. Decembris anni 1639. atque ita differre poterit viſitationem ſpatio annorum trium, atque octo ferè menſium à die prima Maji ſuæ conſecrationis. Sin autem idem Prędeceſſor non viſitaverit pro eodem triennio decimoſeptimo nunc currente, tenebitur ſucceſſor viſitationem abſolvere hoc ipſo anno 1636. ante exactam diem 20. Decembris proximè futuri, & ſic à die prima Maji conſecrationis ſuæ non habebit ſpatium ad viſitandum niſi ſeptem menſium, ac viginti dierum: & in hunc ſenſum intelligi debet ſibi ex-
48 curiſſe tempus Prædeceſſori effluxum. Quòd ſi hoc ſpatium nimis breve Epiſcopo videatur ad viſitationem perficiendam, & conficiendam relationem Status Eccleſiæ, poterit impetrare à S. Congregatione prorogationem ad
49 hoc munus obeundum: & in caſibus in quibus Epiſcopi conſecrantur in Curia paulò ante finem triennii, putà menſe Octobris, vel Novembris, quia non ſubeſt tempus adeundi Eccleſiam, conficiendi ſtatus Eccleſiæ relationem, & redeundi ad Urbem ad Limina viſitanda ante exactam diem 20. Decembris immediatè ſequentis, ex gratia admitti ſolent ad viſitationem priùs quàm abſcedant à Curia, exhibita aliquali Eccleſiæ relatione, putà illa, quæ facta fuit in Conſiſtorio, eiſque dantur litteræ teſtimoniales peractæ viſitationis, cum eo tamen, ut cùm ad reſidentiam ſe contulerint, & diœceſim viſitaverint, infra ſex menſes, vel aliud tempus eiſdem præſcribendum uberiorem relationem tranſmittant ad S. Congregationem.

50 Supponendum eſt tertiò, Epiſcopos non debere infra tempora ſuperiùs expreſſa quandocumque viſitare, ſed tantùm in ultimo anno triennali, &c. Idque ſatis apertè indicant verba Conſtitutionis, quæ non præcipiunt ſimpliciter viſitationem infra illa annorum curricula, ſed jubent, ut Epiſcopi Italiæ tertio, Germaniæ quarto, Africæ quinto, Aſiæ decimo quoque anno iter ſuſcipiant, & perficiant; licèt cum Epiſcopis ultra montes, ac præſertim Indiarum, ob ingentem locorum diſtantiam benigniùs agi conſueverit; alioquin ſi liceret infra dicta temporum intervalla viſitare quandocumque ſequerentur duo inconvenientia. Primum, quia Epiſcopus Italiæ ſi exempli gratia viſitaret initio anni 1637. proximè futuri, qui erit annus primus decimi octavi trienni à publicatione Bullæ, poſſet differre aliam ſequentem viſitationem uſque ad diem 20. Decembris anni 1642. quo tempore abſolveretur decimum nonum triennium. Atque ita ab una viſitatione ad aliam intercederet ſpatium ſex annorum; quod eſt contra mentem, & verba Conſtitutionis, quæ vult, ut tertio quoque
51 anno fiat viſitatio. Ita in ſimili, cùm in *cap. In ſingulis de ſtat. Monachor.* ſtatutum ſit, ut Capitula Provincialia Religioſorum fiant de triennio in triennium, Jo. Andr. ibi in *princ.*, dicit, *Non ſufficere in fine primi triennii facere unum Capitulum Provinciale, & ſtatim in principio ſecundi triennii facere unum aliud, quia id potius eſſet facere Capitula de ſexto in ſextum annum, quam de triennio in triennium, & multo tempore poſſet ſic tardari Ordinis reformatio; & ſic etiam interpretata eſt conſuetudo.* Hęc Joan. Andr.
52 quem ibi totidem verbis ſequuntur Antonius de Butr. *nu.* 4 Cardin. *nu.* 3. Anchar. & Abb. & Joann. de Anan. *nu.* 1. in 1. *notab.* Similem quæſtionem proponit Collectar. in *cap. Procurationes num.* 13. *infrà de cenſ.* de Epiſcopo, qui in ultima die anni viſitavit Eccleſiam, & in ſequenti, ſeu tunc incipienti. Et reſolvit, Epiſcopum non debere hoc facere, etiamſi per annum integrum eſſet abſuturus, quia hæc non eſt juſta cauſa gravandi illam Eccleſiam; ſed & tunc unica videretur viſitatio, & continuata, ut *cap. Cum venerabilis, de cenſ. & cap. Viſitandi* 18. *quæſt.* 2. Alterum inconveniens eſt, quia ſi Epiſcopus Italiæ viſitaret verbi gratia die prima Decembris hujus præſentis anni 1636 qui eſt annus ultimus decimi ſeptimi triennii à Bullæ publicatione, ſi admitteretur ad viſitationem primo anno ſequentis triennii decimi octavi, poſſet viſitare iterùm hoc ipſo anno die vigeſima prima ejuſdem menſis Decembris, in qua incipiet decimum octavum triennium; & ſic infra dies unum, & viginti. Quod ſimiliter eſſet tam contra verba, quàm contra mentem prædictæ Conſtitutionis, quę vult, ut Epiſcopi Italiæ tertio quoque anno reddant rationem Epiſcopalis adminiſtrationis, & contra præallegatam doctrinam Joann Andr. & aliorum in *d. c. In ſingulis, de ſtat. Monach.* & Collectar. *loc. cit.* Itaque Epiſcopi præſertim Italiæ non conſueverunt in primo anno triennii ad viſitationem admitti; in ſecundo autem anno nonniſi rarò, & ex aliqua rationabili cauſa: & ita cenſuit S. Congregatio ſuper reſidentia Epiſcoporum, ut dixi in *c. Qualiter num.* 42. & 47. *infrà de Cleric. non reſiden.*

His ita conſtitutis, cùm de impedimentis fusè ſuperiùs 53
actum fuerit, conſiderandum eſt ante omnia, quo tempore impedimentum cuique Epiſcopo contingat, & quamdiu veriſimiliter ſit duraturum: nam ſi Epiſcopus inciderit in febrim primo anno currentis triennii, vel quadriennii, &c. hęc non eſſet juſta cauſa mittendi nuncium ad viſitationem peragendam, quia eo anno non tenetur, nec debet viſitare, & veriſimile eſt, ut ante ultimum annum triennii, vel quadriennii, ceſſet impedimentum infirmitatis, atque ita Epiſcopus poſſet per ſeipſum præter pro tempore Limina viſitare. Quòd ſi impedimentum inciderit in ultimo anno, quamvis tunc ſit juſta cauſa obligandi procuratorem; tamen ſi impedimentum incideret in initio illius anni, quo tenetur viſitare, & eſſet ejuſmodi, ut veriſimiliter duraturum non eſſet ultra paucos aliquot dies: certè Epiſcopus non ſatisfaceret conſcientiæ ſuæ, qui hujus impedimenti prætextu abſtineret à perſonali viſitatione: requiritur enim ad hoc, ut impedimentum ſit diuturnum, ut ait 54
gloſſ. in *cap.* 1. *in verb. Legatum*, 5. *quæ.* 3 Joan. de Imol. *conſ.* 86. *nu.* 9. *verſ. Circa quintum*: aliàs vix daretur caſus, ut Antiſtites tenerentur per ſeipſos viſitare, quia rarò accidit, ut integri anni ſpatio quis non reperiatur aliquamdiu impeditus. Unde impedimenta procellæ maris, impetus fluminum, tranſitus piratarum, levis podagræ, ſeu alterius morbi, vel obſtaculi parùm duraturi, pro legitimis ha- 55
benda non eſſent, etiamſi inciderent in anno viſitationis, dummodò tamen non inciderent circa finem anni; adeò ut ceſſante poſtea impedimento, probabiliter non ſupereſſet congruum ſpatium perſonaliter accedendi ad Urbem,
& Epiſcopus de induſtria in illud tempus acceſſum non di- 56
ſtuliſſet; nam hoc caſu ſecundùm Gemin. *conſ.* 91. *in fin. num.* 12. *verſ. Secundò etiam*, ſi quis ponat ſe in neceſſita- 57
te, vel negligentia ultimi momenti diei, cùm potuerit ante eſſe diligens, quamvis ſuperveniat impedimentum in ultimo momento, non excuſatur, quia imputandum eſt ei, qui ſe taliter arctavit, allegat Speculat. in *tit. de dilat.* §. *Dilationem*, *verſ. Pone judex*, & gloſſ. in *d. cap. Cupientes in ver. Comparere: de elect. lib.* 6 In quibus tamen omnibus plurimum exuberat arbitrium, & æquitas Sacræ Congregationis.

Ceſſantibus ergo ſupradictis impedimentis, ac ſi quæ 58
ſunt his ſimilia, Epiſcopi tenentur ipſi per ſe juxta intervalla temporum ſuperiùs relata munus viſitationis conficere; alioquin ab ingreſſu Eccleſiæ, ac etiam ab adminiſtratione tam ſpiritualium, quàm temporalium, necnon à perceptione fructuum ſuarum Eccleſiarum, à Capitulis earum interim liberè exigendorum, & in opus fabricæ, ſeu ornamentorum Eccleſiæ emptionem, prout major exegerit neceſſitas, inſumendorum, ipſo facto tamdiu ſunt ſuſpenſi, donec à contumacia reſipiſcentes relaxationem ſuſpenſionis à Sede Apoſtolica meruerint obtinere, ut patet in Bulla in §. *Si verò quod abſit.* Non tamen incidunt in has pœnas, niſi tranſacta ultima die termini ad viſitandum præfixi, etiamſi tantum temporis effluxerit, ut certum ſit, eos ante præfinitum tempus viſitare non poſſe, ut optimè probat textus in *cap. Commiſſa in princip. de elect. lib.* 6. & per il-

lum text. in ſimili caſu tradunt in *c. fin. ne Clerici, vel Monachi*, Butr. *num.* 3. *in* 3. *q* Cardin. *num.* 6. *in* 8. *q.* Anchar. *nu.* 6. *in fin.* Expectandus eſt enim totius temporis lapſus, quaſi in diem tota obligatio ſit collata, *l. In illa, ff. de verb. oblig. l.*
60 *Itaſtipulatus, & l. Inſulam, ff. ſi quis caution.* Lapſa tamen ultima die termini, remanebunt ligati conſtitutione, etiamſi ante lapſum eos pœnituerit, quia imputandum eſt eis, quod ſe arctaverunt, argum. *l.* 2. §. *Si quis tamen, ff. Si quis caution. cap. Conſuluit*, §. 1. *ſuprà de offic. deleg. cum ſuis concordant.* & not. Hoſt. in *d. cap. fin. num.* 1. *in verb. Redierint, ne Cler. vel Monach.* poſt Goffred. Vincent. & Abb. Antiq. ibi *num.* 3. Butr. Card. & Anchar. *ſupracit.*

61 Porrò ejuſmodi munus viſitationis Liminum in tribus actibus potiſſimùm conſiſtit, videlicet in materiali ſacrorum Liminum viſitatione, in exhibitione debitæ obedientiæ, ac reverentiæ Romano Pontifici; & in relatione Status Eccleſiæ. Quos tres actus complectitur Bulla in §. *Quocirca*: & eorumdem meminit S. Congregatio Concilii in litteris patentibus, quas tribuere ſolet Epiſcopis poſt peractam viſitationem, hac, vel conſimili formula, videlicet Nos, &c. S. R. E. Presbyter Cardinalis, &c. fidem facimus, & atteſtamur Reverendiſſimum in Chriſto Patrem Epiſcopum, &c. Conſtitutioni fel. record. Sixti V. &c. cumulatè ſatisfeciſſe: nam & ſacras Beatorum Petri & Pauli Baſilicas humiliter, & devotè præſens veneratus eſt; & Sanctiſſimi D. N. pedibus provolutus, Sanctitati Suæ, & Sac. Congregationi, &c. ore, ſcriptoque retulit de ſtatu Eccleſiæ ſuæ, &c.

Itaque primus actus perficitur ab Epiſcopis adeundo Ba-
62 ſilicas SS. Petri, & Pauli de Urbe, ibique humiliter venerando Beatorum Apoſtolorum corpora. Nam & ſi obligatio quam habent Epiſcopi de viſitandis Liminibus Apoſtolorum, ex forma juramenti poſita in hac Decretali non intelligatur de Eccleſiis SS. Petri, & Pauli ſituatis in Urbe, ſed de Curia Romana, ut dicit hìc Joan. de Anan. *nu.* 9. nec de Apoſtolis mortuis, ſed de Papa, ut per Joan. Andr. in *verb. Apoſtolorum*, & dicemus infrà *num.* 68. *verſ. Secundus actus*: tamen obligatio hæc viſitandi prædictas Baſilicas deducitur ex aliis Canonum, & Sanctorum Patrum decretis, & præcipuè ex *dicto cap. Juxta* 93. *diſt.* ex Leonis *Epiſtola* 4. ex Polycarp. *lib.* 4. *tit.* 25. ex Aniceto *lib.* 6. *cap.* 164. ex hac Sixti V. Conſtitutione, & ex diuturna obſervantia, ut propterea non benè Anaſtaſ. Germon. Archiepiſcopus Tarantaſiæ excludat à viſitatione Liminum hunc actum venerationis Baſilicarum in ſuo tract. *de Indult. Cardin. ad fin.* Quem quidem actum Epi-
63 ſcopi non tenentur probare juramento, aut teſtibus, ut ſuprà de impedimentis dictum eſt; ſed ſatis eſt, ut ipſimet referant Cardinali Præfecto, vel Secretario S. Congregationis Concilii ſe perſonaliter Baſilicas viſitaſſe: nam qui è ſua Diœceſi ad Urbem acceſſit ad Limina viſitanda, dubitari non poteſt, quin Baſilicas præſens veneratus ſit; ideòque eorum aſſertioni in hoc plena fides habetur, adeòut nec per fidem Sacriſtæ earumdem Baſilicarum de viſitatione docere debeant. Quinimò atteſtationes hujuſmodi, quas aliquando Epiſcopi exhibuerunt, me Secretario, vel ante actis temporibus, non fuerunt receptæ, vel admiſſæ. Et hìc ſtylus ſervatus eſt tam quoad Epiſcopos, quam quoad eorum unicos, ſeu procuratores. A quibus tamen
64 procuratoribus hoc ampliùs exigitur, ut priuſquam hoc nomine adeant Beatorum Apoſtolorum Baſilicas, exhibeant mandatum ſpeciale authenticum ſui Epiſcopi ad Limina viſitanda. Etenim mandatum generale non conſuevit admitti, tum quia jus commune exigit certum nuncium, ut hìc in textu, ubi Joann. Andr. *num.* 8. *in fin.* & poſt eum Abb. *num.* 6. ſupplent, id eſt cum litteris patentibus Epiſcopi. Tum quia qualitas materiæ hoc depoſcit, ne tam grave, ac neceſſarium negotium quaſi obiter agatur, ac perfunctoriè. Tum denique, quia Bulla diſertis verbis præcipit, ut ſi Epiſcopi legitimo impedimento detenti fuerint, jurent ſe prædicta omnia adimpleturos per certum nuncium ad id ſpeciale mandatum habentem. Quinimò ſi aliqua ſuſpicio ſubſit, ab ipſis Nunciis exquiritur etiam delato juramento, an venerint expenſis Epiſcopis: licèt quando Procuratores ad hoc munus principaliter fuerunt ablegati, nihil obſtet, quin poſteà etiam negotia propria
65 expedire valeant. Exiſtentes autem in Curia nunquam, & ex quavis cauſa admittuntur ad viſitandum etiam cum ſpe-
66 ciali mandato ab Epiſcopis tranſmiſſo, ſed ſtantibus legitimis impedimentis viarum, peſtis, & aliis id genus, conſueverunt potiùs dari dilationes, ac prorogationes ad viſitandum; adeòut ne ab Epiſcopis Indiarum quidem admit- 67
tantur procuratores, niſi ſpecialiter ab eorum Diœceſibus fuerint ad Urbem ablegati. Excipiuntur tamen Epiſcopi reſidentes in partibus Infidelium Sacræ Congregationi de propaganda fide ſubordinati, qui de hoc habent ſpeciale privilegium à fel. record. Urbano VIII. conceſſum 28. Julii 1626.

Secundus actus viſitationis, id eſt exhibitio obedientiæ, 68
& ſubjectionis Beatiſſimo Romano Pontifici, elicitur etiam ex hac Decretali, quæ dum loquitur de viſitatione 69
Liminum Apoſtolorum, intelligitur à Doctoribus de Papa, quia Apoſtolorum Limina ibi eſſe intelliguntur, ubi Papa eſt. Et ita hunc textum exponi debere patet ex verbis immediatè ſubſequentibus, id eſt, *Niſi eorum abſolvar licentia*, quæ de neceſſitate oportet exponi, id eſt, niſi abſolvat per Papam qui illis Liminibus præeſt, & eorum vices gerit, & authoritate fungitur, ut formaliter dicit hìc Innocent. in *verb. Apoſtolorum*, & poſt eum Hoſt. & Joan. Andr. ambo *num.* 8. Abb. *num.* 6. Joan. de Anan. & Felin. ambo *num.* 9. Specul. in *tit. de legat.* §. *Nunc oſtendendum num* 88. Cardin. Turrecrem. in *cap. Juxta in verb Liminibus* 93. *diſt.* Stephanus de Gaeta in *repet. cap. Ad Limina nu.* 130. *q.* 1. Idipſum conſtat ex *d. cap. Ad limina*, cujus hæc ſunt verba, *Ad Limina Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum Principum hic præſens homo nomine Stephanus orationis cauſa veniens, noſtro Præſulatui ſuggerendo innotuit, &c.* ubi idem Stephanus de Gaeta, *Nota*, inquit, *primò quod Limina Apoſtolorum ibi eſſe intelliguntur, ubi eſt Papa*, ut patet dum dicit, *Ad Limina Apoſtolorum*, & ſubdit, *Noſtro Præſulatui*: quod ea ratione à Sanctiſſimis illis Patribus fuit coſtitutum, ut Epiſcopi omnes eam, quam decet, reverentiam exhiberent Romano Pontifici, tamquam Summo Chriſtianorum Capiti, & Paſtori. Idque inſinuat Gratianus, qui *cap.* 3. 93. *diſt.* relatis verbis Cypriani de unitate Eccleſiæ, videlicet, *Qui Cathedram Petri, ſuper qua fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia eſſe non confidat*, addit ipſe, *Epiſcopi verò, qui Apoſtolicæ ordinationi ſubjacent, etiam hunc reverentiam debent, ut ſeſe ſingulis annis Apoſtolorum Liminibus repræſentent.* Et immediatè ſubnectit *dict. cap. Juxta.*
Hinc Specul. in *d.* §. *Nunc oſtendendum in fin.* & Anton de 70
Butr. hìc quærunt, an Epiſcopus, qui ſingulis annis viſitare Limina Apoſtolorum jurejurando ſe adſtrinxit, ſit ſecurus ſi viſitaverit Legatum; & reſpondent non eſſe, quia Limina Apoſtolorum ibi eſſe intelliguntur ubi eſt Papa, & aliud Sedes, aliud Legatus. Non tamen requiritur formale illud juramentum fidelitatis in hoc textu expreſſum, quod dicunt eſſe ligium, Bald *nu.* 11. *verſ. Ibi contra*, & latiùs Alexan. de Nævo *nu.* 24. *verſ. Ex quo refert*; hoc enim 71
præſtatur ab Epiſcopis ſemel tantùm in actu Conſecrationis. Sed ſatis eſt, & perficitur ille actus, ſi Antiſtites ſiſtant ſe ad pedes Summi Pontificis, eumque edoceant de omnibus, quæ in eorum Eccleſiis ad Dei gloriam augendam, ad Chriſtianam Religionem propagandam, & ad animarum ſalutem procurandam judicaverint deducenda eſſe ad notitiam Sanctitatis ſuæ, & viciſſim mandata Apoſtolica humiliter recipiant; ut in memorata Bulla Sixti V. *in* §. *Quocirca, verſ. Ac nobis, & ſucceſſoribus noſtris.*

Tertius actus perficitur, cùm Epiſcopi ore, ſcriptoque 72
de univerſo Statu Eccleſiæ ſuæ referunt S. Congregationi Concilii. Ad quam quidem relationem faciendam tenentur etiam ex juris communis præſcripto, ut hìc adnotarunt Joann. Andr. *nu.* 8 *in verb. Certum nuncium*, & Abb. *num.* 6. Hic autem Status, aut materialis eſt, aut forma- 73
lis; materialis dicitur qui verſatur circa loca Urbana, ſuburbana, ruralia, ſylveſtria. Item circa Cathedralem, Collegiatas, Parochiales, & alias Eccleſias, & Oratoria. Item circa Monaſteria tam virorum, quàm mulierum, Hoſpitalia, Montem Pietatis, Collegia, Confraternitates, & alia pia loca tam civitatis, quàm diœceſis, & circa earumdem Eccleſiarum, & locorum ſitum, fabricam, ornatum, bona, redditus, ſacram ſupellectilem, perſonarum, ac miniſtrorum numerum, & ordinem, & alia his ſimilia. Et quoad hunc ſtatum materialem praxis eſt, ut 74
unuſquiſque Epiſcopus in prima ejus viſitatione plenam exhibeat relationem: in ſequentibus autem viſitationibus ſuper hoc ſtatu materiali ſimpliciter ſe referat ad relationem

tionem primò exhibitam, & tantùm adjiciat, ſi quid ad-
ditum, imminutum, aut immutatum fuerit, quod S.
Congregationem ſcire expediat.

75 Status verò formalis, in quo præcipuè Epiſcopi eniti de-
bent, verſatur circa paſtorale officium, atque omnia, quæ
ad ipſarum, quibus præſunt, Eccleſiarum regimen, & ani-
marum ſalutem quovis modo pertinent, de quibus S. Con-
76 gregatio peculiariter doceri vult ad præſcriptum Conſti-
tutionis ab eodem Sixto editæ ſuper inſtitutione ipſius
Congregationis, in §. *Patriarcharum*, *in Bullar. tom. 2. pag.*
614. videlicet: Quæ in Eccleſiis eorum curæ, ac fidei com-
miſſis Cleri, populique morum diſciplina ſit, quæ Concilii
Tridentini decretorum cum in omnibus, tum præſertim in
reſidentiæ munere executio; quæ item piæ conſuetudines,
77 & qui omnium denique in via Domini ſint progreſſus. In
ſpecie autem, an quotannis celebraverint Diœceſanam Sy-
nodum, ac ſi Archiepiſcopi ſint, an etiam eo triennio con-
gregaverint Concilium Provinciale: nam alioquin ſi in iis
negligentes forent, pœnas à Sacris Canonibus ſancitas in-
currerent, cùm pœna ſuſpenſionis, de qua in *c. Sicut de*
actus, æquè habeat locum in diœceſana Synodo, atque in
Provinciali, ut per Abbatem ibidem in Summa: & colligi-
tur ex Concilio Tridentino *c. 2. in fine*, *verſ. Si Metropoli-*
tani, vel Epiſcopi negligentes fuerint, *&c. ſeſſ. 24.* quæ ver-
ba cenſuit S. Congregatio referri tam ad Provincialem,
quàm ad diœceſanam Synodum: de quo tamen dicendum,
ut ſcripſi pleniùs in prædicta Decretali *Sicut in 10. quæſt.*

78 Deindè Epiſcopi referunt Sac. Congregationi, an diœce-
ſim ſuam quotannis viſitaverint, ac ſi ob ejus latitudinem
eam quotannis viſitare integrè non potuerint, an ſaltem
biennio viſitationem abſolverint. Neque enim permitti-
tur, ut latitudinis prætextu viſitatio integra longiùs protra-
hatur, unde cùm in Concilio Provinciali ultimo Burdega-
lenſi decretum eſſet, ut ſi Epiſcopi integram diœceſim ſin-
gulis annis pro latitudine viſitare nequirent, ſaltem trien-
nio id perficerent: S. Congregatio juſſit expungi illud ver-
bum, *Triennio*, & in ejus locum reponi verbum, *Biennio*,
ad præſcriptum Tridentini Concilii *c. 3. ſeſſ. 24.* Dum au-
tem referunt de viſitatione diœceſis, indicant ſimiliter ſi
quid in ea viſitatione reperer int, quod notitia S. Congre-
gationis dignum videtur; veluti an fides Orthodoxa ubi-
79 que ſervetur inviolata; an pravæ conſuetudines, & ritus
ſuperſtitioſi alicubi irrepſerint; an Parochi jugiter in ſuis
Parochiis reſideant, doctrinam Chriſtianam doceant, &
ſuo muneri ſatisfaciant; an verbum Dei civitate, ac diœ-
ceſi conſuetis temporibus prædicetur; an graves inimicitiæ,
aut diſſidia ullibi vigeant, quæ componere, aut ſedare ne-
quierint; an redditus Eccleſiarum, & piorum locorum
fideliter adminiſtrentur, & erogentur in uſus à fundatori-
bus, vel alias legitimè præſcriptos; an pœnæ, ac mulctæ
pecuniariæ piis uſibus applicentur, & an habeant ejuſmo-
di pœnarum depoſitarium; an divinus Cultus ulla in parte
imminutus, anve Cleri, populique diſciplina alicubi ſit
collapſa, & alia id genus.

Ampliùs referunt, an Sacramentum Chriſmatis admi-
niſtraverint; an in civitate erectum fuerit Seminarium
Clericorum; ſimiliter an erecta ſit præbenda Theologalis,
ac Pœnitentiarii.

Ad hæc, an in Monaſteriis Monialium inviolatè clau-
ſura cuſtodiatur, an Moniales ſervent vitam communem;
& an aliqui abuſus in iiſdem Monaſteriis irrepſerint, qui
conſilio, aut auxilio S. Congregationis indigeant.

Item, an in Cathedrali extent diſtributiones quotidia-
næ, & Canonici, & Beneficiati divinis interſint ad præ-
ſcriptum Concilii.

Ac demum, an habeant aliquod impedimentum à judi-
cibus, ac magiſtratibus ſæcularibus, aut lis aliqua, vel con-
troverſia cum illis intercedat in iis, quæ ad Epiſcopale offi-
cium, & juriſdictionem, immunitatemque ac libertatem
Eccleſiaſticam pertinent, & quamplura alia his ſimilia.

Relationi autem Status Eccleſiæ multi Epiſcopi conſue- 80
verunt adjicere dubia, ſi quæ illis occurrant circa Eccle-
ſiarum ſuarum regimen, ſuper quibus Sac. Congregatio-
nem conſulunt: conſuevit enim Congregatio omnibus reſ-
pondere occaſione viſitationis Liminum, etiamſi dubia
ejuſmodi non concernant Trid. Concilii interpretationem
juxta facultatem, quam ei Sixtus V. attribuit in litteris
erectionis ejuſdem Congregationis, §. 1. *verſ. Patriar-*
charum.

Demum relatio ab Epiſcopo, vel ejus Nuncio; ut pro-
ponitur, exhibita legitur in plena Congregatione, quæ ſin-
gulis capitibus perpenſis, paſtoralem Epiſcopi ſolicitudi-
nem aut laudat, aut excitat ſalutaribus adhortationibus, &
in omnibus providet, prout in Domino judicat ſalubriter
expedire.

Ac tandem cum litteris teſtimonialibus peractæ viſita- 81
tionis admonitos, inſtructos, & roboratos ad ſuas Eccle-
ſias remittit, ad præſcriptum ejuſdem Conſtitutionis *d. §.*
1. verſ. Ipſiſque det litteras, mandatque aſſignari diſtribu-
tiones totius temporis acceſſus, manſionis, ac reverſionis
Canonicis, qui Epiſcopum ad Limina comitati ſunt, quas
jubet etiam aſſignari Præbendato, qui Epiſcopi nomine
viſitavit, ad præſcriptum Decreti ab eodem Sixto V. hac
de re editi.

Ultimo loco omittendum non eſt, ad hanc viſitatio- 82
nem ex ſententia Sac. Congregationis teneri etiam Pa-
triarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos Titulares: nam
quoad primum, & ſecundum viſitationis actum, certum
eſt Eccleſiæ captivitatem non eſſe illis impedimento, quo-
minùs poſſint per ſe ipſos Beatorum Apoſtolorum Ba-
ſilicas venerari, & Summo Pontifici ſe præſentare

Quo verò ad tertium actum relationis, tametſi Ec- 83
cleſias habeant in partibus Infidelium, & careant Cle-
ro, Populoque Chriſtiano: non tamen propterea de-
ſinunt eſſe illarum Eccleſiarum Epiſcopi, *cap. Paſtora-*
lis, ubi id notant Archidiac. *ſub num.* 4 & Præpoſitus
in 1. *notab* 7. *quæſt.* 1. Et quamvis lex civilis dicat,
cùm loca capta ſunt ab hoſtibus, omnia deſinere reli- 84
gioſa, & ſacra eſſe, ut in *leg. Cùm loca*, *ff. de religioſ.*
& ſumpt. funer. tamen non eſt ita, quia ipſa Sacramen-
ta Eccleſiæ vera dicimus eſſe apud hoſtes, *cap. Quod qui-*
dam 1. *quæſt.* 1. & quod dicit lex, locum deſinere eſſe
ſacrum, intelligitur, quia viduatus eſt ſacris miniſte- 85
riis, ut declarat gloſſ. in *d. cap. Paſtoralis*, *in verſ. Re-*
vertatis. Itaque tenentur prædicti de illis ovibus eſſe
ſoliciti, ſi fortè ſpes ulla divinæ miſerationis affulgeat
aliquam ex eis reducendi ad ovile, & ſuper gregem
illum, quantum eis datur, invigilare. Et propterea de
ſtatu Eccleſiarum ſuarum pro viribus inquirere debent,
& Sanctitati Suæ, ac Sacræ Congregationi ſuggerere,
ſi quid illarum animarum ſaluti prodeſſe judicaverint,
ejuſque Beatitudinis opem, & auxilium ſuper hoc im-
plorare: atque ita in ſpecie Sacra Congregatio ſupe-
rioribus annis reſpondit conſulta à Patriarcha Geſual-
do, qui per nuncium ſpecialiter ablegatum ex ſua diœ-
ceſi Barenſi viſitavit etiam tamquam Patriarcha Conſtan-
tinopolitanus, ſtatuſque ejuſdem Patriarchatus relatio-
nem exhibuit. Quod ipſum & anteà reſpondit S. Con-
gregatio ad conſultationem Thomæ de Avalos Patriar-
chæ Antiocheni.

DE

DE JUREJURANDO.

Innocentius III. H. & S. & M. Civibus Venetis,

CAPUT XVI.

VEniens ad præſentiam noſtram A. nobis expoſuit, quòd olim cum M. Maurien. alternatim convitia inferendo certavit: propter quod cùm graves inimicitias incurriſſet, quidam qui partis utriuſque amatores extiterant, ſuggeſſerunt prædicto A. ut in ſatisfactionem injuriarum veſtro juraret obedire mandato. Cùmque idem non crederet ſe tale quid commiſiſſe, propter quod ei aliquod grave deberet imponi, juramentumque illud ſub tali confidentia præſtitiſſet, ipſi ſub juramenti debito præcepiſtis, ut numquam curiam Ducis intraret, niſi cùm omnes per edictum ipſius generaliter ad curiam vocarentur: & infrà. Verùm quia idem A. qui dicti Ducis eſt conſiliarius, & in jure ſuo multis Eccleſiis, quarum eſt advocatus, ex promiſſo tenetur adeſſe, nequaquam taliter juraviſſet, ſi mandatum illud ſibi contrarium præſciviſſet: noveritis nos Patriarchæ Granden. mandaſſe, ut ſi mandatum priori juramento licitè facto repugnet, ipſum auctoritate noſtra denuntiet non ſervandum.

S U M M A R I U M.

1 *JUramentum de parendo alicujus mandato non eſt ſervandum, ſi præcipiatur aliquid quod obviet juramento prius licitè facto, num. 13.*
Et quid ſi obviet promiſſioni non juratæ, num. 23.
2 *Inimicitiæ capitales contrahuntur ex verbalibus injuriis.*
3 *Convicium quid, & unde dictum.*
4 *De injuriis illatis, & earum ſatisfactione poteſt compromitti.*
5 *Compromiſſum, ubi agitur de crimine criminaliter, non poteſt fieri in privatum.*
6 *Secus ubi de crimine agitur civiliter.*
7 *Compromiſſum ſuper ſatisfactione injuriarum fieri poteſt non ſolùm in extraneum, ſed etiam in ipſum offenſum tamquam amicabilem compoſitorem.*
8 *Secus tamquam in arbitrum.*
9 *De injuriis utrimque illatis fieri debet mutua compenſatio, ſi civiliter agatur ad pœnam parti applicandam: ſecus ſi criminaliter, & num. ſeqq.*
10 *Compenſatio dilictorum non fit, ubi pœna venit fiſco applicanda, ſive ſit ſpiritualis, ſive temporalis, ſive pecuniaria.*
11 *Juramentum non extenditur ad ea, de quibus non fuit veriſimiliter cogitatum, num. 24.*
13 *Juramentum licitum tranſgrediens eſt perjurus, & mortaliter peccat.*
14 *Juramentum non eſt obligatorium, quando ſervari non poteſt ſine interitu ſalutis æternæ.*
15 *Jurans parere mandato alicujus, ſi præcipiatur aliquid, quod non adverſetur priori juramento, ſed tamen ſit ita grave, ut de eo veriſimiliter non cogitaverit, an teneatur illud ſervare, & num. ſeqq.*
16 *Conſenſus eſt de ratione intrinſeca juramenti.*
17 *Caſuum fortuitorum renunciatio non validatur juramento ob defectum conſenſus.*
18 *Juramentum non extenditur, niſi ad rationabilia, poſſibilia, & honeſta.*
19 *Jurans ſtare mandato Epiſcopi, & non appellare, ſi Epiſcopus præcipiat, ut renunciet beneficio, appellare poteſt, nec eſt opus petere relaxationem à juramento.*
20 *Jurans non petere reductionem ad arbitrium boni viri, ſi enormiter lædatur, poteſt illam petere juramento non obſtante.*
21 *Etiamſi dictum fuerit, ut compromiſſarius poſſit enormiter lædere.*
22 *Compromiſſi verba quantumcumque lata relata ad arbitrium tertii proferuntur ſub quadam confidentia legalitatis, & bonitatis ejus, in quem compromittitur.*
24 *Juramentum generaliter præſtitum de parendo mandatis alicujus, non extenditur, niſi ad ea, de quibus cogitatum eſt, vel debuit meritò cogitari.*
25 *Paria ſunt ſcire, & ſcire debere.*
26 *Juramentum ſpecificè præſtitum in foro animæ juxta intentionem jurantis recipit interpretationem.*
Procedit quando jurans dolum non adhibet; alioquin interpretatur ſecundùm ſanum intellectum ſuſcipientis, num. 28.
27 *Juramentum in foro judiciali recipit interpretationem ſecundùm jus.*

V*Eniens*. Si is, cujus mandato ſtare juravi, aliquid 1
mihi præcipit contra juramentum per me priùs licitè
factum illud ſervare non teneor. Hoc dicit, Joan. Andr.
Bald. Bellarmer. Butr. Cardin. Anchar. Imol. Abb. Joan. de
Anan. & Alexan. de Nævo. Dividitur in duas partes, in
prima ponitur impetrantis querela, in ſecunda proviſio,
ibi, *Verùm*.

Nota primò, ibi, *Alternatim convicia inferendo*, ini- 2
micitias graves, ſeu capitales contrahi ex conviciis, id
eſt ex verbalibus injuriis, *l. 1. §. Contumelia, & l. Item apud*
Labeom. §. Ait Prætor, ff. de injur. Dicitur enim convi- 3
cium, id eſt conventus vocum, quaſi convocium, ſecun-
dùm Joan. Andr. hìc *nu* 2. & Alex. de Nævo, concordat tex-
tus in *l. Licet. ff. de arbit.* & & hìc notant Bald. *num.* 5. Butr.
num. 2. Anchar. in 1. *notab.* Imol. *in princ.* & Jo. de Anan.
num. 3. quod nota pro modo articulandi.

Secundò, nota ibi, *Obedire mandato*, de injuriis illa- 4
tis poſſe compromitti, ut hìc per Bald. *num.* 5 & Abb. *nu.* 1.
Quod gloſſa prima intelligit, tamquam in arbitratorem, ſeu
amicabilem compoſitorem; propterea enim cùm iſti hìc
malè fuerint arbitrati, & injuſtè compoſuerint, potuit pe-
ti reductio ad arbitrium boni viri, juxta textum in *l. Si*
ſocietatem, ff. pro ſocio. Et ſic quamvis ubi agitur de 5
crimine criminaliter, non poſſit fieri compromiſſum in
privatum, ſecundùm ea, quæ notantur in *cap. penult. §. 1.*
de in integr. reſtit. & in l. Non diſtinguemus, §. Julianus. ff. de 6
arbitr. tamen ſecus eſt ubi agitur de crimine civiliter, ut
hìc, *& in cap. Quintavallis infrà eod. in c. Litteras, de præ-*
ſumpt. & in l. Quid ergo, §. Et compromiſſo, ff. de his qui not.
infam ſecundùm Abbatem hìc in 2. *not.* & ita, ut idem ait 7
nu. 1. ſuper ſatisfactionem injuriæ irrogatæ poſſunt partes
componendo jurare de ſtando mandato non ſolùm tertii,
ſed etiam ipſius offenſi, de quo eſt caſus in *d. cap. Quinta-*
vallis. Vel dic iſtos fuiſſe arbitros in re ſua, cùm eſſent 8
conſanguinei partis offenſæ, ut in text. quod non licuit
tamquam in arbitros, ut *l. penult. ff. de arbitr.* & hìc nota-
tur in gloſſ. *Addit in verb. Mandato*.

Ex his habes unam differentiam, an pro injuria illata 9
criminaliter agatur, an verò civiliter.

Alia notabilis differentia eſt, quia ſi duo ibi mutuò dicant verba injurioſa, & criminaliter agatur, uterque eſt puniendus: & in hoc caſu intelligendus eſt Speculat. in *tit. de Accuſat. §. 1. in fin. 2. col. verſ. Quid ſi te latronem vocavi*. Si verò civiliter agatur, ut quia uterque agit, ut fiat condemnatio ad penam parti applicandam; tunc fieri debet mutua compenſatio, & neuter eſt puniendus: & in hoc caſu debet intelligi Abb. hìc *nu.* 3. *ad finem*, prout eos di-

diſtinguendo conciliat Alex. de Nævo *num.* 17 & adde In-
10 nocen. in *cap. Sicut*, *il ſecondo num.* 7. *infrà eod.* ubi dicit
nullam fieri compenſationem, quando agitur de pœna fiſco
applicanda, ſive ſit ſpiritualis, ſive temporalis, ſive pe-
cuniaria; ſecus ſi pœna veniat applicanda parti, & eum
ſequitur Soccin. in *regula* 46. Delicta paria, mutua com-
penſatione tolluntur, in ſecunda fallent.
11 Tertiò, nota ibi, *Sub tali confidentia præſtitiſſet*, jura-
mentum non extendi ad ea, de quibus non fuit veriſimili-
ter cogitatum: ad quod quotidiè conſuevit allegari hoc ca-
pitulum, & hìc notat gloſſ. in *ver. Præſciviſſet*, Innocent.
*nu.*1. Hoſtien. *nu.*2. Butr. in 2. *notab.* Imol. *num.* 1. Joann. de
Anan. *nu.*7. & reliqui omnes, gloſſ. in *c. Ad noſtram*, *l. ult.*
in ver. Mente per illum textum infrà eod. Bart. in *l. Si quis*
pro eo in 8. *caſu num.* 15. *ff. de fidejuſſor.* Bald. in *leg.* 2. *in* 9. *qu.*
C. de reſcind. vend. Federic. de Sen. *conſ.* 199. *Quæritur an*
*Domina n.*2. *& conſ.*62. *Verius videtur n.*2. Angel. *conſ.* 172.
Ludovicus *n.*1. Cardin. *conſ.* 92. *Favendo pupillis col. penult.*
verſ. Quæ ad juramentum, Signorol. de Homod. *conſ.* 61.
*Quæſtio talis eſt poteſtas col.*2 *verſ. Nunc veniamus*, *& conſ.*
250. *ſuper dubiis col.*5. *verſ. Item non videtur.* & alibi paſſim
DD. & latiùs dicetur infrà cum gloſſ. *penult.*
Ultimò, nota ibi, *Si juramento priùs licitè facto repu-*
12 *gnat*, juramentum de parendo mandato alicujus non eſſe
obſervandum, ſi præcipiatur aliquid, quod obviet alteri ju-
ramento priùs licitè præſtito, prout hìc eſt caſus ſecundùm
Joan. Andr. & omnes ſupracitatos in ſummario textus. Ra-
13 tio eſt, quia tranſgrediens primum juramentum licitum, pe-
jerat, & mortaliter peccat, *c. In novo*, *& c. Prædicandum* 22.
*qu.*1. *c. Qui pejerare q.*2. *& c. Si verò ſupra eodem cum multis*
ſimilibus: & conſequenter ſecundum juramentum, quod
14 repugnat primo, eſt illicitum, cùm inducat ad peccan-
dum; ideòque non eſt obligatorium, quia ſervari non po-
teſt ſine interitu ſalutis æternæ, *c.*1.2. *& 3. & per totam* 22.
*q.*4. *d. c. Si verò*, *& c. Non eſt obligatorium*, *de regul. jur. lib.*6.
& quoniam non eſt præſumendum, ut generaliter jurando,
quis cogitaverit, ut ſibi aliquid mandaretur contrarium ſuo
priori licito juramento, *c. Ad noſtrã*, *l. ult. infrà eod. & c. Si*
compromiſſarii, *de elect. lib.*6. Ideò juramentum hoc intelli-
gitur ſub tali confidentia preſtitum, ita ut ad honeſta reſtrin-
gatur, & ad aliquod contrarium priori licito juramento
non extendatur, ut hìc in littera, & in *c.*1. *infrà eod. lib.*6.
Et ex hoc à contrario ſenſu infert gloſſa ultima hìc, ut
15 qui juravit ſtare mandato alicujus, ſi mandatum non adver-
ſetur priori juramento, teneatur illud ſervare, quamvis
imponat aliquid grave, & de quo jurans non cogitavit, nec
debuit veriſimiliter cogitaſſe, cùm hoc caſu ſervari poſſit
ſine periculo animæ, *d. c. Si verò ſuprà eod.* Verùm tamen ſi
jurans enormem læſionem hinc pateretur, hæc eſſet juſta
cauſa petendi relaxationem à juramento, *c. Abbas ſup. quod*
met. cauſ. & c. Innocens §. Illicitum ultra medium, *verſ. Quiſ-*
quis ergo, *& cætera* 22. *qu.*4. & in hoc reſidet gloſſ.
16 Sed eam reprobant hìc Doctores præſertim Abbas *num.*
5. exiſtimantes hoc juramentum mero jure non obligare,
nec eſſe opus relaxatione: & meritò, quia in hoc caſu deeſt
voluntas ſe obligandi, quæ eſt de ratione intrinſeca jura-
menti, S. Bonavent. in 3. *ſent. diſt.*39. *q.*1. *reſp.*46. adeòut lex
humana nil contrarium conſenſui jurantis adhuc ſtatuerit,
c. Quintavallis infrà eod. l. Ultima, *C. de non nu. pecun. l. ult.*
ff. qui ſatiſdar. cogan. Nec verè quoad Deum juramentum
dici poteſt abſque jurantis conſenſu, & mente, *c. Huma-*
næ 22. *q.*5. Covarr. in *c. Quamvis de pact. part.*1. *§.*5. *num.*1.
verſ. Huic verò authoritati, facit quod notat Joann. Andr.
17 in *c. unic. num.* 26. *de commodat.* ubi dicit renunciationem
caſuum fortuitorum non validari juramento ex defectu
conſenſus: & eum ſequitur Abbas *loco cit.* Unde ex hujuſ-
18 modi defectu juramentum de parendo alicujus mandato
non extenditur niſi ad rationabilia, & honeſta, ut *cap. final.*
§.1. *in* 1. *reſp. ſuprà de offic. Archid.* & argum. *cap. Cauſam*
quæ ſuprà de elect. l. Libertus, *ff. de oper. libertor. c.*2. *ſuprà de*
arbitr. c. Quintavallis infrà eod. & poſt gloſſ. 1. hìc notant
Hoſtien. *num* 1. *in verb. Mandato*, Joann. Andr. *num.*11. An-
char. *nu.*5. & plerique alii: non enim intelligitur fieri quod
lædit verecundiam, & æſtimationem, *l. Pecuniæ*, & ibi not.
ff. de alim. & cibar. legat. l. Si filius, *ff. de condit. inſtit.* & ple-
nè per Dyn. in *regul. Scienti*, *de regul. jur. lib.*6.
19 Hinc deciditur quæſtio Dominicalis 36. Bart. Brixien.
inter tract. comm. tom. 17. *fol.*39. de Clerico, qui juravit
ſtare omni mandato Epiſcopi, qui tandem præcipit Cleri-
co, ut Beneficium, de quo controverſia erat, perpetuò
renunciaret, neque ſuper hoc appellaret: in qua quæſtio-
ne Joann. Andr. hìc *num.* 12. concludit Clericum poſſe ap-
pellare non obſtante tali præcepto, prout etiam concludit
Brixien. quia beneficium juris non potuit ei Epiſcopus de-
negare, & iniquum fuit præceptum: ideòque juramen-
tum ad illud non extendebatur, cùm de illo jurans veriſi-
militer non cogitaſſet: & ſequuntur hìc Butr. *num.* 18.
Anchar. *num.* 5. *verſ. Facit etiam ad quæſtionem*, & Abb.
eodem num.
Hinc etiam ſolvitur alia quæſtio, ut jurans non petere 20
reductionem ad arbitrium boni viri, ſi enormiter lædatur,
non obſtante juramento, poſſit illam petere, de quo per
Dyn. in *d. regul. Scienti col.*2. *verſ. Item videtur facere regu-*
la ad quæſtionem, *de regul. jur. lib.* 6. & per Bart. in *l. Qui-*
dam num. 4. *ff. de verbor. oblig.* Quod adeò verum eſt, ut ſi 21
compromiſero in aliquem, ut poſſit etiam enormiter læde-
re, & compromiſſarius omninò irrationabiliter me enor-
miter lædat, poſſim petere reductionem ad arbitrium boni
viri; quia verba quantumcumque lata relata ad arbitrium 22
tertii proferuntur ſub quadam confidentia legalitatis, &
bonitatis ejus, in quem compromittitur; unde ſi oppoſi-
tum poſteà comperiatur, & fallatur confidentia, ad boni
viri arbitrium ſunt reducenda: ita notabiliter firmat Butr.
hìc *nu.*4. & poſt eum Imol. *nu.*1.
Hinc demum ſolvitur aliud dubium, ut quamvis jura- 23
mentum non obviet priori juramento, tamen ſi adverſe-
tur ſolemni promiſſioni anteà factæ, non ſit ſervandum;
quia de hoc jurans non cogitavit, nec debuit veriſimiliter
cogitare, prout contra Innocentium irrefragabilibus fun-
damentis firmat hìc Hoſtien. *num.*3. *verſ. Quid ſi fiat præce-*
ptum, cum quo tranſeunt DD. præſertim Abb. *num.* 6. re-
probata diſtinctione Anton. de Butr. inter obligationes
dandi, quæ obligant præciſè, & obligationes facti, quæ
præciſè non obligant, ſed ad intereſſe,
In gloſſa penultima QUÆRO, qualiter juramentum 24
ſit interpretandum.
Gloſſa arguit primò, ut ſit interpretandum ſecundùm
intentionem jurantis, per *cap. Humanæ aures* 22. *quæſt.* 5.
deindè arguit contra, ut ſit interpretandum ſecundùm in-
tentionem ſuſcipientis, per *c. Quacumque arte*, *ead. cauſ.*
& qu. & non ſolvit, ſed remittit ad ea, quæ notantur in
c. Ex litteris infr. de ſponſal.
Sed Innocen. hìc *nu.*1. *& nu.*2. *verſ. Et hæc vera ſunt*, ſic
diſtinguit, videlicet, aut juramentum præſtatur generali-
ter de parendo mandatis alicujus: & non extenditur niſi ad
ea, de quibus cogitatum eſt, vel debuit meritò cogitari, ut
cap. Quintavallis infrà eodem, *& cap. Ex multiplici de de-*
cimis, *cap. Audita*, *de reſtit. ſpoliat. cap. Ne quis arbitre-*
tur 22. *quæſt.*2. nam iſta ſunt paria, ſcire, & ſcire debere,
ut Bald. inquit hìc poſt caſum, *verſ. Dicit. Innocentius*, per 25
text. in *l. Quod te*, *ff. ſi certum pet.* Aut juramentum fuit præ- 26
ſtitum ſpecificè, & determinatè: & tunc in conſilio ani-
mæ ſecundùm intententionem jurantis recipit interpreta-
tionem, *c. Quanto*, *& cap. Ad noſtram*, *il ſecondo infrà eod.*
ſed in judicio recipit interpretationem ſecundum jus, *cap.* 27
Venientes infrà eodem. Quam diſtinctionem ſequitur hìc
Hoſt. *num.* 4. & Abb. *eod. num. verſ. Ex dictis Innocentii*,
Bart. Cæpoll. Veronen. in *rub. Digeſtorum*, *de verb. ſigni-*
ficat. in 7. *qu.*6. *qu. principalis*, Joann. de Selva in *tract. de*
jurejur. 2 *part. q.*2.
Sed tu adverte, quia ſecundum membrum diſtinctionis 28
Innocentii, quòd juramentum in foro animæ ſit interpre-
tandum juxta intentionem jurantis, non procedit ita ge-
neraliter, & indiſtinctè. Obſtat enim textus in *d. c. Qua-*
*cumque art.*22. *q.*5. ubi patet juramentum in foro conſcien-
tiæ intelligendum eſſe ſecundum intentionem ejus cui ju-
ratur. Declara igitur dictum Innocentii, ut locum ha-
beat in eo tantùm caſu, in quo jurans dolum non adhibet:
& in his terminis intelligendus eſt textus in *d. cap. Huma-*
næ aures. Secùs verò ſi juret artificioſè, & cum dolo, ut
audientem fallat, quia tunc juramentum in foro animæ
interpretandum eſt juxta ſanam intelligentiam ſuſcipien-
tis: & de hoc doloſo juramento loquitur Iſidorus in *d. cap.*
Quacumque arte. Ita in effectu diſtinguit Gratianus poſt *c.*
Qui pejerare, §. *Ex his omnibus* 22. *qu.*6. & clarè S. Tho. in 2.
2. *qu.* 89. *art.*7. *ad* 4. Turrecr. poſt *c. Hoc videtur*, §. *Quæritur*
ead. cauſ. & qu. & alii quos retuli in *cap. Falſidicus num.*76.
& ſeqq. infrà de crimin. falſ. ubi etiam latiſſimè examinavi,
an ſit

an ſit mortale peccatum jurare falſum ſubaudiendo aliquid in mente, quod reddat ſenſum verum, *à nu.20. uſque ad 145. maximè à num. 80. & num. 156. uſque in fin.* & an in juramento uti liceat verbis amphibologicis, ſeu æquivocis tam in juramento, quàm extra illud, *à nu. 145. uſque ad nu. 156.* illuc recurre.

DE PRÆSCRIPTIONIBUS.

Innocentius Helien. & Roſſen: Epiſcopis.

CAPUT XV.

AUditis & intellectis meritis cauſæ, quæ vertitur inter Vigoren. Epiſcopum & Abbatem de Heveſcam, ſuper Eccleſiis in valle de Heveſcam, quas Epiſcopus aſſerit ad ſe diœceſana lege ſpectare; Abbas autem eas eſſe ab ejus juriſdictione prorſus exemptas: & infrà. Verùm tanto tempore probantur per teſtes ab Abbatibus de Heveſcam pleno jure poſſeſſæ, ut videantur in eis Epiſcopale jus legitimè præſcripſiſſe: & infrà. Quocircà mandamus, quatenùs inſpectis privilegiis The. & Of. regum, quæ Abbas ſuper præmiſſa libertate aſſerit ſe habere, ſi per illa conſtiterit, quòd vallis de Heveſcam ſit ille locus, quem Cœleſtinus prædeceſſor noſter libertati donavit, abſolvatis Abbatem ab impetitione Epiſcopi ſuper Eccleſiis memoratis, & adjudicantes illas Abbati pleno jure ſubjectas, Epiſcopo ſuper illis ſilentium imponatis. Quòd ſi Abbas in hac probatione defecerit, audiatis probationem ſuper tempore, quo infra quadraginta annos ſedes Epiſcopalis vacavit: & ſi per tantum temporis vacaſſe conſtiterit, ut illo ſubducto non ſit quadragenaria completa præſcriptio, vos in illis Eccleſiis jus Epiſcopale adjudicetis Epiſcopo, & ſuper illo perpetuum ſilentium imponatis Abbati. Si autem exceptionem hujuſmodi Epiſcopus non probaverit: quia tamen interruptionem probavit, circa proceſſum Penteceſtalem, in villa & Eccleſia de Mortona, & receptionem ac procurationem Archidiaconi, necnon ſolutionem denariorum Sancti Petri in valle de Heveſcam: circa cognitionem quoque cauſarum matrimonialium, & Capellani ſuſpenſionem in prædicta villa de Mortona, & interdictum Capellarum in præfata villa de Heveſcam, vos ſuper his jus Epiſcopale adjudicetis eidem: ſi tamen circa ſuſpenſionem & interdictum hujuſmodi, infra quadraginta annos interruptio facta fuit: in cæteris ei ſilentium imponentes, quæ Abbas præſcripſiſſe probatur.

SUMMARIUM.

1 *PRælatus inferior poteſt præſcribere in certis Eccleſiis totum jus Epiſcopale. Subducitur tamen de præſcriptione tempus, quo vocavit Eccleſia Cathedralis.*
Præſcriptione eximi poteſt Eccleſia à poteſtate Epiſcopi, ſi alius præſcribat ſubjectionem, aliàs ſecus, ibidem verſ. Nota ſecundum.
2 *Præſcriptio juris inſtituendi inferioris Prælati an ſit cumulativa cum Epiſcopo, an verò actus Epiſcopi interrumpant præſcriptionem inferioris, & numer. ſeqq. uſque in fin.*
Jus inſtituendi in beneficiis juriſpatronatus de jure non ſpectat ad inferiorem, ſed ad Epiſcopum; poteſt tamen præſcribi ab inferiore, ibid.
3 *Præſcriptio, vel conſuetudo completa non tollitur, ſi ſemel, aut bis fiat contrarium; ſed requiritur contraria præſcriptio, vel conſuetudo.*
4 *Abbas ſi incipiat preſcribere jura Epiſcopalia contra Epiſcopum, fit interruptio, ſi Epiſcopus ſaltem una vice iiſdem juribus utatur ante completam præſcriptionem.*
Declaratur, num.6. & ſeqq.
Poſſeſſio titulata in concurſu ubi probationes ſunt pares, an & quando prævaleat, ibid. verſ. Quorum ſententiam.
5 *Intellectus hujus capituli.*
6 *Prælatus inferior ſi ſolus inſtituerit ſpatio annorum quadraginta, præſcribit excluſo Epiſcopo.*
7 *Actus juriſdictionis Epiſcopi etiam unicus an & quando interrumpat præſcriptionem juriſdictionis inferioris.*
8 *Præpoſitus Buxeti habet juriſdictionem cumulativam cum Epiſcopo Burgi S. Domnini.*
9 *Executor litterarum Apoſtolicarum tribuens jus inſtituendi præter fines reſcripti, præbet juſtam cauſam præſcribendi.*
10 *Juriſdictionis Epiſcopi exercitium ita demum interrumpit actus inferioris, ſi inferior præſcribat per modum excluſionis Epiſcopi.*
11 *Præſcriptio qualificatur ab animo præſcribentis.*
12 *Plebanus ſi præſcripſerit inſtitutionem in ſuo Plebanatu, Epiſcopus non debet ſe intromittere, ſi Plebanus habuit poſſeſſionem per excluſionem Epiſcopi; aliàs eſt cumulativa poteſtas.*
13 *Juriſdictio poteſt eſſe penes plures in ſolidum, ut penes Epiſcopum, Archidiaconum, & Archipresbyterum.*
14 *Poſſeſſio unius non interrumpit poſſeſſionem alterius in his, quæ poſſunt eſſe penes plures in ſolidum.*
15 *Nec in diverſo jure poſſidentibus.*
16 *Interruptio non fit ſine animo.*
17 *Sententiæ acquieſcit qui non appellat.*
18 *Scientia, & patientia Epiſcopi elicitur ex illius viſitationibus.*
19 *Poſſeſſio unius eſt excluſiva poſſeſſionis alterius in corporalibus, vel in actionibus oppoſitis; ſecus in incorporalibus, vel non oppoſitis.*

AUditis. Prælatus inferior poteſt præſcribere in certis Eccleſiis diœceſis totum jus Epiſcopale. Subducitur tamen de præſcriptione tempus, quo vacavit Eccleſia Cathedralis. Hoc dicit ſecundum Abbatem Siculum, qui redarguit Joannem Andr. quòd perperam ſummaverit. Vel pleniùs ſecundum Cardinal. Inferior præſcribit jura Epiſcopalia: & ſi contra præſcribentem plura jura Epiſcopalia fit interruptio in aliquibus, in aliis fit plenè præſcriptio: & de præſcriptione ſubducitur tempus vacantis Eccleſiæ, contra quam præſcribitur. Baldus comprehendendo ſingula dicta Decretalis ſic notabiliter ſummat: De præſcriptione detrahitur temporis intervallum, quo Eccleſia vacaſſe probatur; privilegium obſcurum non valet; interruptio prodeſt in capitulis interruptis, non in aliis; & ita demum ſi præſcriptio priùs completa non ſit, poteſt quis ſecundùm qualitatem probarionis in uno Capitulo ſuc- 1

ſuccumbere, in alio obtinere: nec utile Capitulum per inutile vitiatur: & qui in uno Capitulo calumniatur, non perdit jus in alio, in quo calumnia non probatur. Dividitur in tres partes. Primò ponit proceſſum, & concluſionem negotii. Secundò indeciſè narrat reſtitutionem ab utraque parte petitam, & conceſſam, ut patet *in cap. Auditis ſuprà de reſtit. in integr.* Tertiò committit probationes recipiendas ſuper reſtitutione, & cauſam diffiniendam. Secunda ibi, *Verum.* Tertia ibi, *Quocirca.*

Nota ſecundùm Anton. de Butr. *num.* 3. & Joan. de Imol. *num.* 2. Eccleſiam eximi poſſe per præſcriptionem à poteſtate Epiſcopi, dummodò alius ſubjectionem præſcribat; ſecus, ſi Rector Eccleſiæ vellet ſimpliciter præſcribere libertatem, quia hoc non licet, *cap. Cum non liceat ſuprà eodem.*

2 QUÆRO, an jus inſtituendi, cùm tam Epiſcopus, quàm inferior inſtituerunt ſpatio 40. annorum, cenſeatur cumulativè præſcriptum; an verò inſtitutiones ejus, qui jus inſtituendi habet, interrumperint præſcriptionem alterius.

Cùm ab aliquot menſibus in Sac. Congregatione Concilii actum eſſet, an Præpoſito Buxeti diœceſis Burgi S. Domnini competeret jus inſtituendi ad Canonicatus, & Eccleſias ſibi ſubjectas in vim privilegii Eugenii IV. S. Congregatio re diligenter examinata, cenſuit eidem competere jus hujuſmodi ad Canonicatus, & Eccleſias in litteris Eugenii deſignatas: quia etſi ex diſpoſitione juris communis in beneficiis juriſpatronatus, qualia ſunt hæc, de quibus agitur, jus inſtituendi ad Prælatum Eccleſiæ inferioris non ſpectet, ſed ad Epiſcopum, ut apud Caſſad. *dec.* 2. *nu.* 3. *verſ. Et in patronale præſentatione tit. de preben.* & per litteras Eugenii non eſſet Præpoſito attributa hujuſmodi facultas; favebat tamen ipſi antiquiſſima quaſi poſſeſſio inſtituendi; conſtabat enim eum inſtituiſſe ab anno 1506. uſque ad annum 1601. Atque ita S. Congregatio exiſtimavit jus inſtituendi fuiſſe illi acquiſitum preſcriptione juxta doctrinam Cardinalis in Clem. 1. *ſub nu.* 11. *col.* 9 *in fin. de ſupplen. neglig. Prælat.* Gemin. *in cap.* 1. *num.* 6 21. *diſt.* Abb. poſt alios *hìc ſub num.* 6. *verſ. Ex quo not.* & Caſſad. *loco citato.* Verùm cùm Præpoſitus ab anno 1507. uſque ad annum 1558. per lapſum annorum quadraginta complevisſet præſcriptionem, nec Epiſcopus intra illud tempus ullam, quod conſtaret, inſtitutionem feciſſet; quo caſu graviſſimi Authores exiſtimant jus inſtituendi inferiori competere in privationem, & excluſionem Epiſcopi: valdè anceps fuit Sac. Congregatio, utra opinio in hac Decretali eſſet verior, an Abbatis cenſentis id jus cumulativè præſcribi, quando uterque utitur jure inſtituendi; an Pariſii probantis contra Prælatum, qui inſtituendi jus habet, non poſſe alium cumulativè præſcribere, eò quòd ſi idem Prælatus aliquando inſtituat, ex his actibus inſtitutionum interrumpitur alterius præſcriptio nondum completa; ideòque de hujuſmodi articulo maturiùs cenſuit deliberandum. Itaque tum temporis S. Congregatio habuit pro conſtanti, Præpoſito competere facultatem inſtituendi quæſitam per præſcriptionem, & dubitavit tantùm, an competeret cumulativè cum Epiſcopo, qui poſt præſcriptionem Præpoſiti completam inſtituerat unà cum Præpoſito per ſpatium quadraginta annorum; an verò privativè quoad ipſum: atque ita tunc certum erat Præpoſito competere jus inſtituendi, incertum an competeret Epiſcopo. Sed in præſentia per contrarium res erit diffinienda; quia certum eſt Epiſcopo competere jus inſtituendi, incertum an competat Præpoſito: nam Epiſcopus exhibet inſtitutiones quadraginta ab anno 1496. priuſquam Præpoſitus compleviſſet præſcriptionem inſtituendi, uſque ad annum
3 1613. Unde Epiſcopo competit inſtituendi facultas ob aſſiſtentiam juris communis, & continuatam quaſi poſſeſſionem inſtituendi, cui Præpoſitus non potuit præjudicium inferre, tum quia nondum fuerat illi acquiſitum jus per præſcriptionem, tum quia actus illius nequaquam potuerunt interrumpere, aut imminuere jus Epiſcopi certum, & radicatum, ut probat textus hìc *in verſ. Si autem, & in l. Nemo alieno*, §. *Temporalia*, juncta gloſſ. *ff. de regul. jur.* ubi patet præſcriptionem, vel conſuetudinem non completam non interrumpi, nec tolli; ex eo quòd ſemel, aut bis fiat contrarium, ſed requiri contrariam præſcriptionem, vel conſuetudinem. Quod tenet hìc Abb. *in ult. not. nu.* 10. poſt Speculat. *hoc tit.* §. 1. *verſ. Quid ſi poſt completum*, & Joan. Andr. *in cap. fin. de conſuet.* Et quamvis Præpoſitus exhibeat inſtitutiones ſupra centum annos; tamen quia hoc ſpatio Epiſcopus quoque inſtituit, eſt dubium, an inſtitutiones Epiſcopi interruperint præſcriptionem Præpoſiti.

Quæſtio igitur eſt, utrum cùm tam Epiſcopus, quàm inferior Prælatus inſtituerint ſpatio quadraginta annorum, inferior cenſeatur præſcripſiſſe cumulativè cum Epiſcopo, quæ eſt opinio Abbatis hìc; an verò nullo modo præſcripſerit, eò quòd illius præſcriptio interrupta fuerit per inſtitutiones Epiſcopi, quæ eſt opinio Pariſii.

Reperio antiquos, & graviores Canoniſtas hìc probare hanc ſecundam opinionem: nam Innoc. *ſub numer.* 4. *verſ. Poteſt etiam, & num.* 5. *verſ. Item fit interruptio*, Si Abbas, inquit, incipit præſcribere contra Epiſcopum jura Epiſcopalia, fit interruptio, ſi Epiſcopus ſaltem una vice eiſdem juribus utatur ante completam præſcriptionem Abbatis. Atque hoc idem ſentit Hoſt. *col. pen. num.* 2. *in fin. verſ. Potes etiam dicere, & num.* 3. *verſ. Fit etiam,* Joan. Andr. *col.* 2 *num.* 5. *verſ. Et fit etiam in his ſpecialis interruptio*, Butr. *num.* 10. *verſ. Oppono quod dato, & ſub num.* 11. *verſ. Erit etiam*, Anchar. *ſub num.* 8. *in* 5. *oppoſit.* Joan. de Anan. *num.* 9. & Cravett. *conſ.* 134. Scripſi aliàs *num.* 19.

Quorum ſententia videtur etiam infraſcriptis rationibus probari: nam cùm duo ſunt in quaſi poſſeſſione alicujus actus, & uterque illam probat æqualis temporis, ſed unus probat verum titulum, & alter non; tunc verum titulum oſtendens, obtinet, Bart. *in l. Si duo in princ. nu.* 4. *verſ. Sed ſi uterque, ff. uti poſſid.* Bald. *in l. Accuſare circa fin. C. de eden.* & alii omnes, ut latiùs apud Menoch. *de retinend. remed.* 3. *num.* 733. *verſ. Decimus eſt caſu*: ſed tam Epiſcopus, quàm Præpoſitus eſt in quaſi poſſeſſione inſtituendi, & uterque illam probat æqualis temporis, ſed Epiſcopus habet verum titulum à jure communi in Eccleſiis omnibus ſuæ diœceſis, ex *c. Cum ex injuncto, de hæret.* Præpoſitus verò titulum infectum ab executore Apoſtolico, qui id jus inſtituendi reſervavit præter fines delegationis. Ergo Epiſcopus obtinere debet. 4

Deinde hanc opinionem videtur probare efficaciter hæc Decretalis *in ver. Si autem exceptionem*, ubi Epiſcopus interrumpit præſcriptionem exemptionis Abbatis per ſolum exercitium quorundam actuum juriſdictionalium, nempè ſuſpenſionis, interdicti, & aliorum ſimilium; hi enim actus cenſentur facti ab Epiſcopo, ut probat littera *in verſ. Vos ſuper his jus Epiſcopale adjudicetis eidem.* Quòd autem preter exercitium Epiſcopi etiam actus prohibiturus interceſſerit, ut Abb. interpretatur, vel eſt divinare, vel redarguere Pontificem, quòd diminutè locutus fuerit, ut hìc perpendit Pariſ. *verſ. Pro opinione tamen.* 5

Neque obſtat, quòd per exercitium Epiſcopi interrumpatur quaſi poſſeſſio Præpoſiti ad effectum ne ipſi quæratur jus inſtituendi privativè; non autem ad effectum ne quæratur cumulativè. Quia, ut reſpondet Pariſ. *in hoc text.* circa interruptionem non poteſt conſiderari acquiſitio cumulativa, ſed privativa tantùm, quia in articulis interruptis totum jus fuit adjudicatum Epiſcopo, atque ita impoſitum ſilentium inferiori Prælato.

Verùm his non obſtantibus videtur reſpondendum, Præpoſitum præſcripſiſſe jus inſtituendi cumulativè cum Epiſcopo. Quod ut evidentiùs appareat, recenſenda ſunt verba Alex. de Nævo hìc, qui clariùs, quàm ceteri, expoſuit gloſſam Innoc. ac ſenſum hujus textus, & *ſub num.* 25. in hac materia conſtituit tres concluſiones. Prima, inquit, ſit concluſio: Si ſolus præſcribens fuit uſus juriſdictione, Epiſcopus autem infra tempus præſcriptionis nullum actum juriſdictionis exercuit, videtur præſcripta juriſdictio excluſo Epiſcopo, ut ſentit Innoc. *in cap. Cum olim, de reſtit. ſpoliat.* Et hìc non eſt caſus noſter, quia Epiſcopus in hac ſpecie ſæpius inſtituit ante completam præſcriptionem Præpoſiti. Secunda concluſio, inquit, ſit. Si appareat ex titulo præſcribentis, quòd præſcribebat juriſdictionem excluſo Epiſcopo, per ſolum exercitium juriſdictionis factum ab Epiſcopo interrumpitur præſcriptio, etiamſi non prohibeat præſcribentem uti juriſdictione. Caſum dicit eſſe in hac Decretali, & ſufficere unicum actum ſecundùm Innoc. cum quo alii tranſeunt. Et hìc ſimiliter non eſt caſus noſter, quia Præpoſitus noluit unquam præſcribere excluſo Epiſcopo, ſed ſimul cum eo tamquam juriſdictionem ha- 6 7

habens cumulativam ex privilegio Eugenii IV. ut inferiùs dicetur. Tertia concluſio, ſubdit ibi Alex. de Nævo: Si ex titulo, vel alio modo non appareat præſcribentem præſcribere excluſo Epiſcopo, juriſdictionis uſus Epiſcopi non interrumpit præſcriptionem, quia intelligit præſcribere cumulativè, & non excluſivè. Et hic propriè eſt
8 caſus, de quo agitur, quia Præpoſitus ex privilegio Apoſtolico habet cum Epiſcopo juriſdictionem cumulativam, ut jam cenſuit Sac. Congregatio re diligenter examinata; ac propterea non inſtituit, ut Epiſcopum excluderet,
9 ſed ut jure ſuo uteretur, credens id ſibi licere ob facultatem ſibi attributam ab executore litterarum Apoſtolicarum, quæ ſibi juſtam cauſam præbuit cumulativè præſcribendi, *c. Cùm dilectus*, & ibi Butr. *de conſuet.* qua ratione interdum etiam inſtituit tamquam Vicarius Epiſcopi, exiſtimans hanc poteſtatem ad utrumque ſimul pertinere.

Itaque nec text hic, nec doctrina Innocent. & aliorum quicquam obſtat Præpoſito, quominùs cumulativè præſcripſerit, quia procedunt, quando inferior intendebat præſcribere in privatione Epiſcopi. Hunc eumdem intellectum ad hanc Decretalem poſuerunt, licèt ſuboſcuriùs, Ant. de Butr. *col. 3. verſ. Dic ergo, quod in dubio*, & Joan. de Imol. *propè fin.* ubi probant, ideò hic per exercitium Epiſcopi interrumpi præſcriptionem Abbatis, quia Abbas noluit creare novum jus, id eſt cumulare juriſdictionem juriſdictioni, ſed tantùm uti juriſdictione eo reſpectu, quo Epiſcopus utebatur, ut ſic Eccleſia eximeretur ab Epiſcopo, & ſibi ſubjiceretur; idque patere, quia dicebat Eccleſiam ſibi pleno jure ſubjectam, & prorſus exemptam à ju-
10 riſdictione Epiſcopi. Idem apertiùs docuit hic Ægid. Bellam. *num.* 8. ubi ait, ita demum per ſolum exercitium Epiſcopi interrumpi præſcriptionem inferioris, ſi inferior præſcribat per modum excluſionis Epiſcopi: aliàs ſecus. Et infrà *ſub num.* 30. *verſ. Quod dixi*, hunc ait eſſe intellectum gloſſæ Innoc. quia ibi agebat Abbas per modum excluſionis Epiſcopi, cùm diceret Eccleſias à juriſdictione Epiſcopi prorſus exemptas; ac propterea illo excluſo præſcribere non potuit; quia cùm Epiſcopus per unicum actum jus, ac poſſeſſionem ſuam conſervaverit, neceſſariò etiam impedivit, quominùs inferior privativè præſcriberet. Non enim poterat procedere præſcriptio excluſiva illius, qui priuſquam inferior præſcriptionem compleviſſet, eoſdem actus aliquando exercuerat. Præſcriptioni autem cumu-
11 lativæ non potuit eſſe locus, quia defuit animus præſcribendi, à quo præſcriptio qualificatur, *l. fin. ff. Quemadmodùm ſerv. amitt. l. ult. ff. de itin. actuque privat.* & notat hìc Bellam. *n.* 31. *verſ. Ad ſecundam quæſtionem*. Quod tacitè etiam ſenſerunt hìc Anchar. *nu.* 6. & Joan. de Anan. *num.* 9. volentes interrumpi præſcriptionem Abbatis per ſolum exercitium Epiſcopi, ſi Abbas plenè probaverit ſe jus Epiſcopale exercuiſſe, id eſt voluiſſe præſcribere plenam juriſdictionem, excluſo Epiſcopo.

Conſuluit pro eadem opinione Bald. *conſ.* 493. *n.* 11. *verſ.*
12 *De quinta quæſtione princ. vol.* 3. ubi ſic diſtinguit; Aut quis præſcribit tamquam ſub alio, aut tamquam ſuper, aut tamquam ſecus ab alio: & primo caſu, in quo propriè verſatur Præpoſitus, dicit præſcriptionem eſſe cumulativam: *& num.* 12. *Si Plebanus*, inquit, *in ſuo Plebanatu præſcripſit inſtitutionem, Epiſcopus nullo modo ſe intromittere debet: quod eſt verum, ſi habuit poſſeſſionem per excluſionem Epiſcopi*. Et infrà, *Licèt Plebanus habeat pro ſe conſuetudinem, non tamen Epiſcopus eſt factus exul à jure communi; & ſic ille, cui præſentabunt Patroni, inſtituet, quia eſt cumulativa poteſtas, & non abſorta*. Hæc Baldus, qui ampliùs teſtatur ſic practicari Florentiæ inter Archiepiſcopum, & Plebanos. Præter authores ſupra relatos allegatur etiam pro Præpoſito, Abb. hic, Bald. *de præſcr.* 3. *p.* 6. *princ. in* 4. *qu. verſ. Et primò quæro*. & Covarr. *in c. Alma mater in* 1. *p. rel.* §. 12. *ſub nu.* 3. qui ſimpliciter cenſet præſcriptionem eſſe cumulativam, quando Epiſcopus quoque exercuit.

Quamobrem ex his patet hanc magis communiter approbari, quando inferior intendit ſolùm cumulativè præſcribere, ut hoc caſu; & ut eſt communior, validioribus etiam rationibus fulcitur: nam hic modus interruptionis per ſolum exercitium Epiſcopi abſque prohibitione non numeratur inter alios modos interrumpendi præſcriptionem, nec Bart. *in l. Naturaliter, ff. de uſuc.* de eo mentionem fecit, dum recenſuit dicta Innoc. *hic*; ut animadvertit Abbas. Nec habenda eſt ratio Pariſii dicentis ex hoc textu induci hunc modum interruptionis: quia ſupra oſtendimus hunc textum non habere locum in eo, qui intendit tantùm cumulativè præſcribere.

Præſertim, verò quia, ſi eſſet vera opinio Pariſii, nunquam daretur præſcriptio cumulativa, ut Abb. perpendit, cujus tamen contrarium voluerunt gloſſ. & Doct. *in c. Paſtoralis, de offic. Ordin.* Nec tollit obicem reſponſio Pariſii, quòd dari poterit hujuſmodi præſcriptio in duobus Prælatis, quorum neuter habeat verum titulum, juxta terminos *l. Si duo, ff. uti poſſid.* Quinimò DD. admittunt præſcriptionem cumulativam etiam in Prælato inferiore contra Epiſcopum, qui verum habeat titulum à jure communi, ut ibi per gloſſ. & Felin. *in* 8. *limit.*

Quibus accedit, quòd in his, quæ poſſunt eſſe penes 13
plures in ſolidum, ut eſt juriſdictio, quæ poteſt eſſe penes Epiſcopum; Archidiaconum, & Archipresbyterum, *cap.* 1. *&* 2. *& cap. final. de offic. Archid. & cap. in fin. de offic. Archipresbyteri*, poſſeſſio unius non interrumpit poſſeſſio- 14
nem alterius, quia unuſquiſque actus facit, ut ſuo jure utatur; non ut poſſeſſionem alterius interrumpat. Ita Ægid. *hic num.* 31. & probat totus ferè *tit. de offic. Archid.* nam illa majori parte ſpectant ad Archidiaconum ex conſuetudine, *ut in c. fin. eod. tit.* ſecundùm Abb. *loc. cit.* Et Bellam. 15
in c. De quarta, nu. 52. *verſ. Si verò ſum in poſſeſſione ſupra eodem*, ait, in diverſo jure poſſidentibus, actus unius, poſſeſſionem alterius non interrumpere: puta, ſi unus poſſideat jure ordinario, alter ex privilegio, vel conſuetudine, ut hoc caſu. Ratio eſt, quia unuſquiſque intendit jus ſuum exercere, non jus alterius præripere, & interruptio non fit ſine animo, Bald *conſ.* 267. *In cauſa Petri, in princ.* 16
lib. 3. Quod cum generaliter ſit verum, ſpecialiùs tamen apparet in caſu præſenti, quia Epiſcopus potiùs voluit approbare, quàm interrumpere præſcriptionem cumulativam Præpoſiti.

Primò, quia citatus ab executore Apoſtolico in reſer- 17
vatione inſtituendi, acquievit ſententiæ poſteà latæ ad favorem Præpoſiti, cùm ab ea non appellaverit, *l. final. C. de ſent. quæ pro cer. quan.*

Deinde ob annuas viſitationes Epiſcoporum, ex quibus 18
elicitur eorum ſcientia, & patientia, Rota *diverſ. part.* 2. *deciſ.* 106. *num.* 8.

Tertiò, ob inſtitutiones Præpoſiti multiplicatas, & effectum ſortitas ſpatio ſupra centum annorum, Salyc. *in l. Authoritatem, verſ. Quæro de quæſtione facti, C. unde vi*, Rot. *diverſ. deciſ.* 28. *num.* 7. *p.* 1.

Quartò, quia Examinatores Synodales Epiſcopi diverſis temporibus ſæpiùs approbarunt Presbyteros coram Præpoſito præſentatos, ac poſtea ab ipſo inſtitutos, ut patet ex publicis inſtrumentis, ac exhibitis in faſciculo *fol.* 45. *à tergo, & in fol.* 150. *& ſeqq.*

Ac poſtremò, quia cùm Promotor fiſcalis Epiſcopi anno 1601. præcepiſſet Præpoſito, ne ſe ingereret in quadam præſentatione facta priùs coram eo, & poſteà coram Vicario Epiſcopi; idem Vicarius cognita præventione Præpoſiti, remiſit cauſam ad eum tamquam juriſdictionem cumulativè habentem cum Epiſcopo ex Bulla Eugeniana; & aliis privilegiis, ut ex authentica ſcriptura ſignata littera E. Atque ita elicitur ex parte Epiſcopi animus approbandi potiùs, quàm interrumpendi præſcriptionem Præpoſiti, non ſolùm ex juris præſcriptione, ſed etiam ex actibus poſitivis, ut dictum eſt.

Ex quibus ſublata ſunt etiam argumenta, quæ ſupra in 19
contrarium retulimus; nam quòd in controverſia poſſeſſionis præferri debeat poſſeſſio Epiſcopi tamquam titulata, procedit, quando poſſeſſio unius non eſt compatibilis cum poſſeſſione alterius, juxta *l. Si duo, ff. uti poſſid.* tunc enim cum una, & eadem res non poſſit à pluribus in ſolidum poſſideri, *l. Si ut certò, §. Duobus vehiculum, ff. comm.* ſi probationes utrinque ſint pares, poſſeſſio titulata præfertur, *cap. Licèt cauſam, de probat.* At ſecus eſt in his, quæ poſſunt eſſe apud plures in ſolidum, ut hoc caſu, quia tunc unuſquiſque in ſua poſſeſſione conſervatur, & eſt locus cumulativæ, ut jam probavimus.

Et eodem modo reſpondetur ad id, quòd dicitur ſuam præſcriptionem Præpoſitum interrupiſſe, quia aliquando inſtituit tamquam Vicarius, per doctrinam gl. *in l. Cùm notiſſimi, §. Imò, & §. Illud ver. Innovata circa fi. verſ. Etiam* quæ-

quædam, *C.de præſcript.* 30. *annor.* & Put. *dec.* 188. *num.*6. *lib.*2. Nam d. gloſſ. habet locum in rebus corporalibus tantùm, quæ non poſſunt à pluribus in ſolidum poſſideri, vel in actibus de directo contrariis; tunc enim actus geſtus nomine alterius propriam poſſeſſionem interrumpit, quia nimirùm poſſeſſio unius eſt excluſiva poſſeſſionis alterius, juxta terminos *d. l. Si duo*. At verò in incorporalibus, & aliis non oppoſitis non eſt ita, quia cùm poſſint eſſe in ſolidum apud plures, propria quaſi poſſeſſio non excluditur per actum alieno nomine geſtum, ſicut non interrumpitur per ſolum exercitium alterius, ut abundè diximus, atque ita declarat Put. *d. dec.* 188.

Cætera verò, quòd jus inſtituendi non poſſit acquiri præſcriptione, quòd Præpoſitus non habeat titulum, nec bonam fidem, quòd ejus inſtitutiones plures patiantur defectus, & quòd illas caſſaverit ſententia arbitramentalis Ormanetti, jam plenè ſuſtulit S. Congregatio in priori deciſione hujus cauſæ: & ita reſolutum, ut dixi *in cap. Cùm Eccleſia Sutrina*, *num.*24. *ſuprà de cauſ. poſſeſſ. & proprietat.*

DE PRÆSCRIPTIONIBUS.

Idem Innocentius Epiſcopo Lucano.

CAPUT XVIII.

CUm olim, frater Epiſcope, cum Abbate & Monachis ſancti Salvatoris de Ficheto, ſuper plebe Salamazanæ, & adjacentibus capellis ipſius, in noſtra præſentia litigando, inſtitutionem in eis, & alia ad jus Epiſcopale pertinentia vendicares: ad fundandam intentionem tuam jus commune principaliter allegabas, cujus auctoritate dicebas, univerſa ſpiritualia in prædictis locis, quæ ſunt in diœceſi tua conſtituta, ad te tamquam ad Diœceſanum Epiſcopum pertinere: arbitrium prætereà ſuper hoc promulgatum à Piſtorien. Epiſcopo, Archipresbytero, ac Primicerio Lucanis allegans. Ad elidendam autem intentionem tuam, Abbas Gregorii VII. Papæ (prædeceſſoris noſtri) privilegium exhibuit, quod prædictum arbitrium multò videbatur tempore præceſſiſſe: per quod tam Monaſterium, quàm plebs & capellæ prædictæ, videbantur libertati donatæ: & infrà. Aliorum quoque Romanorum Pontificum dictus Abbas privilegiis utebatur, poſt arbitrium promulgatum obtentis, qui libertatis privilegia ſibi concedere videbantur: & infrà. Quia prædictus Abbas ſufficienter oſtendit, Monaſterium ſuum ſuper inſtitutionibus, deſtitutionibus, & ordinationibus Plebani, & Clericorum, Baptiſmo, pœnitentia in levioribus culpis, ſepultura, decimarum perceptione, ac divinis officiis celebrandis tam in plebe, quàm in capellis prædictis, in excommunicando, atque interdicendo, & etiam abſolvendo, legitima præſcriptione munitum, Abbatem ipſum ab impetitione tua, ſuper jam dictis articulis, duximus abſolvendum, ſuper illis tibi perpetuum ſilentium imponendo: ſuper aliis omnibus quæ ad jus Epiſcopale ſpectare noſcuntur, juxta tenorem arbitrii, eumdem Abbatem, quoad plebem & capellas prædictas, ſententialiter condemnantes.

SUMMARIUM.

1 *ABbas in Capellis præſcribere poteſt jura Epiſcopalia, ſed obtinet in his ſolis, quæ præſcripſit, & num.*10.

2 *Loca adjacentia præſumuntur de juriſdictione illius civitatis, cujus territorio magis adjacent.*

3 *Compromitti poteſt de juribus Eccleſiæ in Clericos ipſius.*

4 *Prælatus in juribus Eccleſiæ ſuæ poteſt eſſe arbiter, & judex.*

5 *Epiſcopus fundat intentionem de jure communi ſuper juriſdictione aniverſali in omnibus Eccleſiis ſuæ diœceſis.*

6 *Si juriſdictio ſpiritualis ſit; ſecus, ſi temporalis.*

7 *Diœceſanus ſolus dicitur Epiſcopus.*

8 *Ordinarius dicitur quilibet habens in loco ordinariam juriſdictionem.*

9 *Diœceſani appellatione an & quando veniat inferior Prælatus.*

10 *Prælatus inferior poteſt præſcribere jura Epiſcopalia contra Epiſcopum, licèt non ſit exemptus ex privilegio.*

11 *Præſcribere poteſt inferior Prælatus contra Epiſcopum jus inſtituendi, & deſtituendi.*

12 *Et quid in inſtitutione authorizabili.*

13 *Præſcribere an poſſit inferior jus ordinandi Clericos tam per ſe ipſum, quàm per alium.*

14 *Et quid poſt Conc. Trid. & n. ſeqq.*

15 *Regulares non poſſunt ſuos ſubditos ordinandos dimittere, niſi ad Epiſcopum diœceſanum.*

16 *Et quid ſi ſint nullius diœceſis.*

17 *Baptiſmus, id eſt jus tenendi in Eccleſia fontem baptiſmalem, poteſt præſcribi.*

18 *Prælatus inferior an poſſit præſcribere jus abſolvendi à caſibus Epiſcopo reſervatis.*

*Et quid poſt Conc. Trid. n.*21. *uſq. ad n.* 25.

19 *Juriſdictio baſſa faciliùs præſcribitur, quàm merum imperium.*

20 *Præſcribi poſſunt per inferiorem Epiſcopo omnia, quæ ſunt juriſdictionis, & dignitatis Epiſcopalis.*

21 *Caſuum reſervatio facta ab Epiſcopo diœceſano non afficit perſonas nullius diœceſis.*

22 *Præſcriptio juriſdictionis Epiſcopalis in certa parte diœceſis excluſo Epiſcopo, includit etiam facultatem ſibi caſus reſervandi.*

23 *Caſus ſibi reſervare an & quando poſſit inferior Prælatus, num. ſeqq.*

24 *Præſcriptio non procedit in his, quæ ſunt contra diſciplinam Eccleſiaſticam.*

25 *Sepultura, ſeu jus liberè recipiendi aliquem ad ſepulturam poteſt præſcribi.*

26 *Quarta Decimarum Epiſcopo debita præſcriptibilis eſt.*

27 *Monachus, qui præeſt Eccleſiæ ſæculari, non debet ibi divina officia celebrare juxta ritum Monaſticum, niſi hoc jus præſcripſerit.*

28 *Præſcribi poteſt ab inferiori Prælato poteſtas excommunicadi, interdicendi, & abſolvendi.*

29 *Præſcribens contra univerſaliter poſſidentem in certis articulis etiam animo acquirendi jurirſdictionem univerſalem, illam univerſaliter non acquirit, ſed tantum præſcribit, quantum exercuit.*

30 *Secus, ſi nemo univerſaliter poſſidebat, quia totum præſcribit, ſi ea intentione hoc faciat.*

31 *Poſſeſſio fundi ut acquiratur, non oportet omnes glebas circumambulare.*

32 *Juriſdictionem exercens in actu, retinet in omnibus, ſi habeat conceſſeſſionem ab eo, qui jus concedendi habet.*

33 *Præſcribens unum actum univerſalem acquirit univer-*

ſam juriſdictionem, ſi habeat cauſam univerſalem, ſeu intentionem fundatam de jure communi.

34 *Præſcribens poteſtatem excommunicandi an cenſeatur etiam præſcribere poteſtatem interdicendi, ſuſpendendi, & abſolvendi, remiſſive.*

35 *Prælatus inferior, qui nititur ſola præſcriptione, non obtinet contra Epiſcopum, niſi illam ſufficienter probet.*

36 *Archiepiſcopus Theatinus an ſit manutenendus in poſſeſſione viſitandi loca ſubjecta Abbatiæ S. Joannis in Venere, donec Commendatarius probaverit per rem judicatam ſe in illa utramque juriſdictionem exercere, & n. ſeqq. uſq. in fin.*

37 *Abbatia S. Joannis in Venere ex ſententia Rotæ eſt intra fines Theatinæ diœceſis.*

38 *Epiſcopus poteſt cauſas matrimoniales, & criminales cognoſcere, prædicandi licentias concedere, & Confeſſores approbare in locis intra ſuæ diœceſis fines exiſtentibus, donec probetur ſtatus nullius diœceſis.*

39 *Viſitationi Epiſcopi non ſubſunt loca, in quibus inferior exercet utramque juriſdictionem, niſi idem Epiſcopus majorem in illis auctoritatem exerceat.*

40 *Congregatio Concilii quæſtiones facti rejicit ad judices competentes.*

41 *Prælatus inferior ad excludendum Epiſcopum à viſitatione an docere debeat per rem judicatam de exercitio utriuſque juriſdictionis in Parochos, & Parochianos.*

42 *Epiſcopus habet aſſiſtentiam juris, & Concilii Tridentini ſuper juriſdictione ſpirituali in omnibus Eccleſiis etiam regularibus intra fines ſuæ diœceſis, quamdiu non probentur exemptæ.*

43 *Concilium Tridentinum c. 11. ſeſſ. 25. de Regul. expenditur, num. 52.*

Monaſteria in his, quæ pertinent ad animarum curam perſonarum ſæcularium, ſubſunt juriſdictioni Epiſcopi diœceſani, ibid.

Niſi Abbas in loco Epiſcopalem, & temporalem juriſdictionem exercat.

45 *Non ſufficit tamen nudum exercitium, ſed requiritur juſtus titulus.*

46 *Prælato inferiori an & quãdo danda ſit manutentio cõtra Epiſcopum in exercitio juriſdictionis Epiſcopalis.*

47 *Monaſterii S. Joannis in Venere privilegia quæ?*

48 *Juriſdictio Epiſcopalis quibus conſtet.*

49 *Exemptio non inducitur ex ſola receptione ſub protectione Sedis Apoſtolicæ.*

50 *Prælatus inferior non poteſt juvari ſola poſſeſſione contra Epiſcopum in interdicto retinendæ.*

51 *Poſſeſſio titulata, & quæ fomentum habet à jure, præfertur in concurſu.*

52 *Abbates allegantes utramque juriſdictionem onerantur duriori probatione, quàm allegantes ſtatum nullius diœceſis.*

1 CUm olim. Abbas in Capellis præſcribere poteſt jura Epiſcopalia, obtinet tamen in his ſolis, Quæ præſcripſit. Hoc dicit. Dividitur in tres partes. In prima ponit petitionem Actoris, & ipſius jura. In ſecunda ponit jura Abbatis, ibi, *Ad elidendam*. In tertia diffinit, ibi, *Quia prædictus*. Et partim pro Abbate uſque ad *verſ. Super aliis*.
2 Et abinde pro Epiſcopo.

Nota primò ibi, *Adjacentibus*, loca adjacentia præſumi de juriſdictione illius civitatis, cujus territorio magis adjacent, arg. §. *Inſulæ inſtit. de rer. diviſ.* & hic notat Bald. *n. 1.* Hinc eſt, ut quamvis viſitare loca nullius diœceſis, & illarum perſonas ordinare, eiſque dimiſſorias ad Ordines ſuſcipiendos concedere, non ſpectet ad Epiſcopum viciniorem, ſed ad Epiſcopum intra cujus diœceſis fines eadem loca ſita ſunt, ad præſcriptum *c. 10. ſeſſ. 23.* Concilii Tridentini: tamen ſecus ſit, ſi loca ipſa ſint omninò extra fines cujuſque diœceſis, quia tunc prædicta facultas pertinet ad Epiſcopum, cujus Cathedralis Eccleſia proximior eſt, ex decreto *c. 9. ſeſſ. 24.* Præſumuntur enim diſmembrata à territorio illius civitatis, cui magis adjacent, ut ex ſententia S. Congreg. Cardinalium ipſius Concilii interpretum ſcripſi pleniùs *in cap. Nullis infrà de Paroch.*

3 Secundò nota ibi, *Archipresbytero, ac Primicerio Lucanis*, juncta ſupraſcriptione; in perſonas Eccleſiæ poſſe de juribus ipſius Eccleſiæ compromitti. Nam Pontifex hìc arbitrium approbat, ut patet in fine capituli, & notat Jo. Andr. *n. 4. in ver. Lucanis*, dicens cordi tenendum, & remittit adnotata per ſe *in c. Cùm inter in ver. Subſcribimus, de re judic.* & in Specul. *in tit. de arbitrio, §. Sequitur, verſ. Sed numquid Abbas*, Idem notant Butr. *n. 6. in 9. notab.* Cardin. *n. 1.* Anchar. & Abb. ambo *in 5. not.* Quòd intellige dummodò compromiſſum fiat in Clericos, ut hìc; aliàs ſecus, ut *in c. Contingit ſuprà de arbitr.* ſecundùm Cardin. Non obſtat textus *in l. penult. ff. de arbitr.* quam Joan. Andr. allegat in con-
trarium. Siquidem illa lex ſecundùm Abbatem nihil facit: 4
tantùm enim decidit neminem poſſe in re propria eſſe arbitrum; hìc verò Archipresbyter, & Primicerius non erant arbitri in re propria, ſed in juribus Eccleſiæ, ſuper quibus nedum Eccleſiæ Clerici, ſed ipſe quoque Prælatus poteſt eſſe arbiter, ut hìc per eum. Et idem voluit Ant. de Butr. *in c. Cùm inter, §. 1. in 1. col. infrà tit. prox.* & Florian. *in l. Si ſocietatem, §. Arbitrorum in princ. ff. pro ſoc.* quos refert, & ſequitur Felin. *hìc n. 2. verſ. Dum dicit Abbas.* Nec mirum quia in cauſa Eccleſiæ ſuæ Prælatus poteſt etiam eſſe judex, *c. Si quis ergo 3. q. 7. c. Sicut 7. qu. 1. & c. Guiliſarius 23. q. 4.* & tenet gloſſ. *unica in c. Cùm veniſſent, verſ. Sic Epiſcopus Judex eſt in cauſa Eccleſiæ ſuæ*, & ibi Abb. & DD. *ſuprà de judic.* & notat *in c. 1. de pœn. lib. 6.* & hìc per Butr. *num. 12. verſ. Inducitur ad quæſtionem.*

Tertiò nota ibi, *Ad fundandam intentionem tuam jus* 5
commune, &c. Epiſcopum de jure communi fundare intentionem ſuper juriſdictione univerſali in omnibus Eccleſiis ſua diœceſis, ut hìc, *& in cap. Omnes Baſilicæ 16. quæſt. 7.* cùm aliis hìc allegatis in gloſſ. 1. & per Hoſt. *ante n. 1. in ver. in tua diœceſi.* Idem notant Cardin. *in 1. notab.* Butr. Anchar. & Abb. omnes *in 3. notab.* & latiùs dicam infra *num. 42.* Intellige in ſpecialibus, in quibus Epiſcopus obtinet eo ipſo, quòd probat Eccleſiam intra ſuæ diœceſis fines exiſtere quamdiu non probetur exempta. Secus verò in tempo-
ralibus, in quibus ſuccumbit, niſi aliter doceat de jure ſuo. 6
Textus eſt, in quo utrumque membrum probatur, *in c. Cùm venerabilis*, ubi omnes notant, *infra de relig. domib.*

Quartò nota ibi, *Tamquam Diœceſanum Epiſcopum*, ap- 7
pellatione Diœceſani venire Epiſcopum tantùm, non autem Prælatum inferiorem, licèt habeat in loco ordinariam juriſdictionem. Quod tenet gloſſ. 1. in Clem. 1. *verſ. Item nota verbum Diœceſanis, de vita & honeſt. Cleric.* & in Clemen. 1. *in ver. Diœceſanis, de jurepatr.* & Abb. *hìc n. 1. in 4. not.*
qui hinc colligit differentiam inter Diœceſanum, & Ordi- 8
nariam: nam Diœceſanus dicitur ſolus Epiſcopus; Ordinarius verò etiam quilibet alius habens ordinariam poteſtatem in loco, ut *in c. Ordinarii*, juncta gloſſ. *in ver. locorum, de offic. Ordin. lib. 6.* gloſſ. in Clem. 1. *in ver. Locorum Ordinariis, de teſtam.* de quo plenè per Archid. *in c. Licèt Canon. n. 6. in ver. Ordinarius, de elect. lib. 6.* Idque confirmatur etiam ex etymologia, & alluſione vocabuli; nam Ordinarius dicitur qui habet ordinariam juriſdictionem; unde hoc nomen convenit cuilibet eam juriſdictionem habenti: Diœceſanus verò dicitur, qui præeſt diœceſi; quod convenit ſoli Epiſcopo, ut *in c. Cùm Epiſcopus, de offic. Ordin.*
lib. 6. Fatetur tamen Abbas Diœceſani appellatione com- 9
prehendi quemlibet habentem in loco ordinariam juriſdictionem, ubi ſubjecta materia pariter eſt apta concernere tam Epiſcopum, quàm alium Ordinarium. Et ita ſalvat quod ſcripſit Jo. Andr. *in c. Joannes ſuper ver. Diœceſanum, de teſtam.* Tu verò adde gloſſam in Clem. 1. §. *Volumus in ver. Diœceſanis, de foro compet.* quæ notabiliter dicit pro Diœceſanis intelligi eos, qui habent in loco Epiſcopalem juriſdictionem, vel quaſi; dummodò tamen illam habeant privativè ad Epiſcopum. Quam gloſſam ſequitur ibi Card. *n. 2. in 4. qu.* Imola *n. 38.* Abb. *n. 15.* & Vitalin. *n. 4.* Similis gloſſ. eſt in Clem. 1. *in ver. Proprii, de reb. Eccleſ. non alien.* quàm hìc ſequitur Felin. *n. 1. verſ. Secundò limita*, per hoc enim inferior conſtituitur in proprio territorio, ut notat Gemin. poſt Joan. de S. Georgio *in c. 2. col. 4. verſ. Quæro, an inferiores Prælati ab Epiſcopis habeant territorium, de conſtit. lib. 6.* & dixi pleniſſimè *in c. Significaſti, de offic. Archid. & in c. Cùm contingat, de foro compet.*

Quintò nota Abbatem, & ſic inferiorem Prælatum poſ- 10
ſe præſcribere jura Epiſcopalia contra Epiſcopum, ut hic eſt caſus ſecundùm Joan. Andr. & omnes in ſumma: concordat text. *in c. Auditis ſuprà eodem.* Et quamvis Hoſt. *hìc in princip. in verb. Abbate*, dicat hoc procedere, ſi Abbas ſit exemptus ex privilegio, quia aliàs non poſſet præſcri-

bere

bere jura Epiſcopalia: tamen oppoſitum determinat Innocent. *num.*2. cui conſentiunt Butr.*num.*10. *in ult. notab.* & Anhcar. *num.*2. *in* 2. *not.* & Innocentii opinionem putat veriorem Abbas *num.*4. *in* 7.*not.* & *in d. c. Auditis*, & ibi dixi.

11 Sextò, nota in *verſ. Quia prædictus Abbas*, octo jura, quæ contra Epiſcopum præſcribi poſsunt ab inferiori Prælato, de quibus hìc per Hoſt.*num.*2.*verſ. Sed hoc nota*, Joann. Andr.*ſub num.*4.*in ver. Oſtendit*, Butr.*num.*10.*in* 10.*notab.* & Abb. in 8. *notab.*

12 Primò enim præſcribi poteſt jus inſtituendi in Eccleſiis, & Capellis, necnon jus deſtituendi. Et quod dictum eſt de jure inſtituendi, Abbas intelligit contra Hoſtienſem etiam de inſtitutione authorizabili, dicens hoc probare apertè in hac Decretali, ubi ſimpliciter inſtitutio reſervatur Abbati in plebe, & Capellis: & fuſius hoc proſequitur in *d. c. Auditis ſuprà eod.* Tu verò hoc intellige, ut dixi in *c. Eam te n.*3. *ſuprà de ætat. & qualitt. & in cap. Cùm contingat num.*31. 37. *& ſequitur de foro compet.*

13 Secundò, præſcribi poteſt ordinatio Clericorum; quod duobus modis poteſt intelligi. Uno modo, ut ipſe Prælatus præſcribat jus ordinandi Clericos per ſe ipſum. Et hoc caſu, jure communi inſpecto, præſcriptio procedit tantùm quoad illos Ordines quos inferior poteſt conferre, ut in *c. Quo-*
14 *niam 69. diſt. & in c. Abbates, de privil. lib.*6. Dixi jure communi inſpecto, quia ex Conc. Trident. *c.*10. *ſeſs.*23. Abbatibus, & aliis inferioribus non licet primam tonſuram, vel minores Ordines conferre cuiquam, qui regularis ſubditus ſibi non ſit, non obſtantibus privilegiis, præſcriptionibus, vel conſuetudinibus etiam immemorabilibus. Unde aut Abbas vult ordinare ſuos ſubditos regulares, & non eget præſcriptione, cùm habeat poteſtatem eos ordinandi, ut in *d. cap. Quoniam.* Aut vult ordinare ſibi non ſubditos, & ei obſtat Concilium: de quo dic latiùs, ut ſcripſi in *c. Cùm contingat, de ætat. & qual. in c.*1. *de ſuppl. negl. Prælat. & in c. Aqua, de conſec. Eccl.* Quo verò ad alios Ordines, quos inferior non poteſt conferre, abſolutum eſt etiam jure communi inſpecto, non procedere præſcriptionem; quia quæ ſunt ordinis Epiſcopalis, nullo unquam tempore præſcribi poſſunt, *c. Quantò*, & ibi dixi *ſuprà de conſec & d. c. Aqua.*

15 Alio modo ordinatio Clericorum poteſt intelligi, ut Prælatus jus ordinandi præſcribat non per ſeipſum, ſed per aliud, id eſt, ut poſſit ſuos ſubditos ordinandos dimittere ad quem maluerit Catholicum Antiſtitem. Et de jure communi procedit præſcriptio, ut hìc, & in *c. Veniens infra eod.* ſecundùm Hoſtien. & alios præallegatos. Verùm poſt Concilium Tridentinum ſecus dicendum eſt, quia Abbates, & alii inferiores Prælati Clericis ſæcularibus litteras dimiſſorias nullatenùs concedere poſſunt, ut ab aliis ordinentur; & quamvis poſſint illas concedere ſuis ſubditis Regularibus, non poſſunt tamen eas dirigere, niſi ad
16 Epiſcopum Diœceſanum, ut in *c.*8. *ſeſs.*23. aut ſi ſint nullius diœceſis, ad Epiſcopum intra cujus diæceſis fines exiſtunt, ut præcipitur in *d. c.*10. ubi derogatur præſcriptionibus, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus. Quòd ſi omninò ſint extra fines cujuſque diœceſis, ex ſententia Sac. Congregationis Concilii, dimiſſoriæ dirigendæ ſunt ad viciniorem Epiſcopum, qui tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus poteſt eos viſitare, ex decreto *cap.*9. *ſeſs.*4. ut dixi ſuprà in 1. *notab.* de quo vide quòd ſcripſi latiſſimè in *c. Significaſti ſuprà de offic. Archid.*

17 Tertiò, præſcribi poteſt Baptiſmus, id eſt, ut inferior Epiſcopo jus habeat in Eccleſia tenendi fontem baptiſmalem. Simile in *c.*2. *de Cappell. Monach.*

18 Quartò, præſcriptibilis eſt pœnitentia in levioribus culpis. Et hinc arguit Anton. de Butr. *n.*8. *in* 11. *notab.* ut Prælatus inferior non poſſit præſcribere jus pœnitentiæ injungendæ quoad graviores culpas, & caſus Epiſcopo reſerva-
19 tos, de quibus in *c.*2. *de pœnit. & remiſs. lib.*6. Et videtur ex mente Baldi *n.*3. *in ver. In levioribus culpis*, qui hinc colligit baſſam juriſdictionem faciliùs præſcribi, quàm merum imperium, de quo in *l. More majorum, ff. de juriſdict. omn.*
20 *judic. & in l. Viros, C. de diverſ. offic. lib.*12. Sed oppoſitum tenet Abbas, motus ea ratione, quia omnia, quæ ſunt juriſdictionis, & dignitatis Epiſcopalis, poſsunt per inferiorem Epiſcopo nomine ſuæ Eccleſiæ præſcribi, ut in *c. Auditis ſupra eodem.* Et ad hunc textum reſpondet propterea hìc dictum de levioribus, quia in illis dumtaxat fuerat præſcriptum; non tamen negat Abbatem potuiſſe præſcribere in gravioribus.

Verùm hanc controverſiam ſuſtulit Concilium Triden- 21
tinum *de Sacram. Pœnit. ſeſſ.*14. *c.*7. *de caſ. reſerv.* Unde in
hoc articulo hodiè ſic diſtingue: Aut Abbas, vel alius infe- 22
rior Prælatus ex privilegio Apoſtolico, vel legitima præſcriptione habet omnimodam juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in certa parte diœceſis, excluſo Epiſcopo, itaut ſit in ſtatu nullius diœceſis, ſecundùm ea, quæ ſcripſi latiſſimè in *cap. nullus infrà de Paroch.* & nunc non eget præſcriptione ad abſolvendum à caſibus Epiſcopo reſervatis, quia reſervatio Epiſcopi non afficit ſubditos ipſius Abbatis, cùm non ſint de ſua diœceſi, ut plenè probavi in *cap. Omnis, infra, de Pœnit. & remiſſ.* & Abbas ipſe quoad ſubditos poteſt ſibi caſus reſervare, ut mox patebit. Neque hoc caſu eſt locus decreto Concilii in *d. cap.* 7. *de caſ. reſerv.* quia loquitur de reſervatione, quam faciunt Epiſcopi in diœceſibus, ut patet ibi, *Epiſcopis omnibus in ſua cuique diœceſi.* At locus nullius neque eſt in diœceſi Epiſcopi, ut dixit Rota *deciſ.*207. *num.*2. *part.*2. *diverſ.* & fuſiùs notavi in *cap. Cum contingat num.*32. 35. *&* 37. *ſuprà de foro compet.*

Et in hoc primo caſu ſalvari poteſt opinio Abbatis. Tunc enim inferiori ſuffragari poteſt præſcriptio quoad abſolutionem à caſibus Epiſcopo reſervatis, quando præſcripſit totalem juriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi privativè ad Epiſcopum in certa parte diœceſis, juxta terminos *c. Auditis ſuprà eod.* & notata per gloſſam in *Clem.*1. §. *volumus in ver. Diœceſanis, de foro compet.* Nam in dicta præſcriptione juriſdictionis univerſalis includitur etiam jus ſibi reſervandi caſus, ut paulò infra patebit.

Aut inferior ex privilegio, vel præſcriptione non eſt in 23
ſtatu nullius diœceſis, ſed eſt ſimpliciter exemptus, vel præſcripſit jura Epiſcopalia in aliquibus tantùm capitibus, ut fecerat iſte Abbas in octo capitibus, de quibus in textu. Et tunc non valet præſcriptio abſolvendi à gravioribus caſibus Epiſcopo reſervatis: quia cùm inferior hoc caſu adhuc remaneat ſubjectus Epiſcopo Diœceſano, nec ipſe inferior poſſit quoad ſubditos caſus ſibi reſervare, obſtat illi reſervatio Epiſcopi Diœceſani. Unde ab ipſo tantùm abſolutio petenda eſt, ad præſcriptum Concilii Tridentini in *d. cap.*7. Quòd multò clariùs procedit poſt decretum S. Congregationis ſuper negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & regularium præpoſitæ, editum juſſu felicis recordationis Clementis VIII. ſuper abſolutione à caſibus reſervatis. Quòd refertur à Stephano Quaranta in *Summa Bullarii in ver. Caſus reſervati pag.*
162. Et in hoc caſu tenenda eſt opinio Antonii de Butrio: 24
magnoperè enim pertinet ad diſciplinam populi Chriſtiani, ut in qualibet diœceſi adſit Superior, qui poſſit graviora crimina reſervare. Is autem in ſua Diœceſi non eſt niſi Epiſcopus. Neque enim in hoc ſuffragatur inferiori aliqua præſcriptio; tum quia obſtat Concilium; tum quia in his, quæ ſunt contra diſciplinam Eccleſiaſticam, præſcriptio non procedit, *cap. Cùm inter, de conſuet.* Felin. in *cap. Accedentes num.* 6. *ſupra eodem*, Bald. in *tract. de præſcript. in* 1. *part. ſextæ partis principalis num.*7. Unde partes Sacerdotis ſunt, cùm extra mortis articulum nihil poſſit in caſibus reſevatis, id unum pœnitentibus perſuadere, ut ad Superiores, & legitimos judices pro beneficio abſolutionis accedant, ut legitur in *d. cap.*7. Et hanc diſtinctionem non obſcurè probavit S. Congregatio ejuſdem Concilii interpres: nam conſulta, an inferior aliquis ab Ordinario in ea parte diœceſis, quæ juriſdictioni ſuæ ſubjecta eſt, poſſit ſibi reſervare aliquos caſus, quemadmodum Ordinariis licèt in ſuis diœceſibus: Die 5. Julii 1582. reſpondit poſſe; ſi tamen habeat juriſdictionem quaſi Epiſcapalem in eo loco, & nulli Diœceſano ſubſit, nec ejus ſubditi.

Quintò, præſcribi poteſt ſepultura, id eſt jus recipiendi 25
aliquem ad ſepulturam liberè, ut in *c. Nimis iniqua*, §. 1. *verſ. Et fratres infrà de exceſſ. Prælat.*

Sextò, decimarum perceptio, Quod intelligi poteſt, 26
primò ut Abbas præſcripſerit quartam decimarum Epiſcopo debitam, ut in *c. De quarta ſuprà eodem*, ſecundùm Hoſt. & Joan. Andr. Nam in perceptione decimaram Abbas non egebat præſcriptione, cùm de jure communi ſpectent ad plebem, *c. Cùm contingat, de decim.* Deindè poteſt intelligi, ut Abbas præſcripſerit decimas, ut caperet ad utilitatem ſui Monaſterii, ſecundùm Abbatem.

Septimò, poteſt præſcribi jus celebrandi divina in Ec- 27

cleſiis Epiſcopo ſubjectis. Quod ſimiliter poteſt intelligi duobus modis. Primò, ut Abbas præſcripſerit facultatem liberè celebrandi in prædictis Capellis, ſecundùm Innocen. in *fin. in verb. Celebrandis*. Et ſecundùm hunc intellectum Prælatus regularis de jure communi non poteſt liberè celebrare in Eccleſiis ſæcularibus ſibi ſubjectis. Secundo modo intelligi poteſt, ut Abbas præſcripſerit jus celebrandi in Eccleſia ſibi ſubjecta, juxta officium Monachale: nam de jure Monachus, qui præeſt Eccleſiæ ſæculari, non debet ibi officiare juxta ritum monaſticum, arg. *cap. Illa* 12. *diſt.* & notat gloſſa unica in *fine in c. De Monachis* 16. *qu.*1. Et hic intellectus magis placet Hoſtien. *num.*5. *in verb. Ac divinis officiis*, *& in verſ. ſeqq.* Abb. *num.*5. *verſ. Octavo jus celebrandi*, ubi ait eſſe mente tenendum hoc jus eſſe præſcriptibile, & Joan. Anan. *num.*3.

28 Octavò, & ultimò præſcriptibilis eſt poteſtas excommunicandi, interdicendi, & abſolvendi. Quod intelligunt Doctores reſpectu Clericorum, & Eccleſiarum ſæcularium: nam ſubditos ſuos poteſt Abbas de jure communi excommunicare ſine alia præſcriptione, ut in *cap. Sicut de Simon. & in cap. Cùm in Eccleſiis, de major. & obed.* ſecundùm Abb. *num.*5. *in fine*.

29 Septimò, nota ibi, *Super jam dictis articulis*, necnon ibi, *Super aliis omnibus*, ad præſcriptionem unius articuli juris Epiſcopalis non inferri ad præſcriptionem alterius ſub eodem genere, prout ſentit gloſſ. *fin. hic*, & notat Butr. *num.*5. *in 6. notab.* Calder. *conſ.* 192. *circa med. verſ. In omnibus autem*, *aliàs* 2. *de præſcript.* Roman. *conſ.*368. *num.* 8. *verſ. Unde videmus*, Abb. *conſ.*71. *Videtur num.*1. *lib* 2. Atque ita alios exercente, & poſſidente univerſalem juriſdictionem in loco, ſi alius exerceat juriſdictionem in certis articulis, etiam animo acquirendi univerſalem juriſdictionem, per hoc tamen illam non acquirit univerſaliter, ſed tantum præſcribit quantum poſſedit, & exercuit. Et ita eſt hìc caſus pro his, quæ notat Innocent. in *cap. Dilectus, de Capell. Monach.* ſecundùm Abb. hìc *num.*
30 6. Secus autem eſt ſi nemo univerſaliter poſſidebat; quia tunc ex uno actus infertur ad præſcriptionem aliorum ejuſdem generis, ut ibi Innocen. notat, quando ea intentione hoc facit, ut univerſalem juriſdictionem acquirat, ut declarat Alexan. *conſ.* 68. *num.*19. *verſ. Ad prædicta benè*
31 *facit lib.*2. & probatur optimè in *cap.*1. *de relig. dom.* ubi ſi dubitatur in cujus diœceſi ſit Baſilica conſecranda, ille Epiſcopus conſecrabit, qui priùs in illo loco Epiſcopalia exercebat. Ad idem textus in *l. Poſſideri in princ. ff. de acquir. poſſeſſ.* ubi habetur ad acquirendam fundi poſſeſſionem non eſſe opus, ut quis omnes glebas circumambulet, ſed ſufficere quamlibet partem fundi introire, dummodò mente, & cogitatione hoc fiat, ut totum fundum
32 uſque ad terminum velit poſſidere. Et hæc ſit prima limitatio ad concluſionem ſuperiùs propoſitam. Aliam limitationem ponit Bart. in *l.*1. *§. Si quis hoc interdicto num.*1. *ff. de itiner. actuque privato*, ubi, In præſcribenda, inquit, juriſdictione, probata quaſi poſſeſſione certi actus, in illo tantùm actus præſcribet, non in aliis: ſecus ſi haberet conceſſionem ab alio, qui habet jus concedendi; tunc enim ſi uteretur juriſdictione in actu uno, retineret in
33 omnibus. Itaque ex præſcriptione unius actus infertur ad præſcriptionem alterius ſub eodem genere, quando præſcribens habet cauſam univerſalem, ſeu fundat intetionem de jure communi, quia tunc ex præſcriptione unius actus univerſalis acquiritur univerſa juriſdictio, ſecundùm theoricam Innocentii communiter approbatam in *d. c. Dilectus in princ.* Oldrad. *conſ.* 354. *num.* 17. *verſ. Quinto opponitur*. Feder. de Sen. *conſ.*130. *factum eſt tale num.*2. *verſ. Sed contra*, Bald. *conſ.*433. *num.* 7. *lib.*3. plenè Alexan.
34 alios cumulans in *conſ.*68. *Et viſo num.* 18. *lib.*2. An autem præſcribens poteſtatem excommunicandi videatur etiam præſcribere poteſtatem interdicendi, ſuſpendendi, & abſolvendi, dic ut plenè per Abb. hìc *num.*7. & Felin. in *cap. Auditis in princ. num.*11. *ſupra eodem*, ubi declarat doctrinam Abbatis hìc. Et an, & quando qui poteſt excommunicare, poſſit abſolvere, vide per eumdem Felin. in *c. Paſtoralis*, §.1. *de offic. Ordin.*

35 Ultimò, nota ibi, *Sufficienter oſtendit*, non ſufficere, ut inferior Prælatus allegat ſe legitimè præſcripſiſſe jura Epiſcopalia ad hoc, ut obtineat contra Epiſcopum, niſi de præſcriptione hujuſmodi plenam fecerit fidem: ut hìc, & in *cap. Cùm perſonæ, de privileg. lib. 6.* Quod tamen declara, ut latiùs dicam *infra à num.*46.

Ex facto quæſitum eſt, an Archiepiſcopus Theatinus 36
ſit manutenendus in quaſi poſſeſſione viſitandi loca ſubjectæ Abbatiæ S. Joannis in Venere, donec commendatarius per rem judicatam probaverit ſe in illa utramque juriſdictionem Epiſcopalem, & temporalem in Parochos, & Parochianos exercere.

Cum die 4. Maji 1612. in Rota deciſum fuiſſet, Abba- 37
tiam S. Joannis in Venere, circumſcripto effectu, intra fines Theatinæ diœceſis exiſtere; ac deindè Archiepiſcopus obtinuiſſet mandatum de manutenendo in quaſi poſſeſſione viſitandi ipſam Abbatiam, ac loca ab ea dependentia, atque in illis ea, quæ à Concilio præſcribuntur, exercendi: poſteà Sac. Congregatio Concilii ab eodem Archiepi- 38
ſcopo conſulta declaravit, donec per tres ſententias conformes, vel unicam, quæ in rem judicatam tranſierit, dictam Abbatiam, ac loca illi ſubjecta nullius diœceſis eſſe conſtiterit, ſpectare ad Archiepiſcopum Theatinum duntaxat cauſas ibi matrimoniales, & criminales cognoſcere, licentias concionandi concedere, ac Sacerdotes approbare ad confeſſiones audiendas. Sed cùm Archiepiſcopus vellet viſitare in vim dicti mandati de manutenendo: oppoſitum fuit, inter alia loca Abbatiæ ſubjecta extare Caſtrum de Foſſacæca, Caſtrum de Rocca, & Villam S. Euſanii, in quibus Commendatarii dictæ Abbatiæ exercebant utramque juriſdictionem Epiſcopalem, & temporalem in Parochos, & Parochianos; ac proindè exempta eſſe ab Archiepiſcopi juriſdictione, & viſitatione in vim *cap.*11. *ſeſſ.*25. *de regular.* Unde ſuper his Sac. Congre- 39
gatio conſulta reſpondit, ſi Commendatarius dictæ Abbatiæ in prædictis Caſtris Epiſcopalem, & temporalem juriſdictionem exerceat, loca hujuſmodi minimè ſubeſſe juriſdictioni, & viſitationi Archiepiſcopi, & decretum ab ipſa Congregatione jampridem editum, ad hunc caſum non pertinere, niſi Archiepiſcopus majorem in prædicta loca juriſdictione exerceat. Cæterùm an verè Abbas in 40
ſupradicta loca utramque juriſdictionem, aut Archiepiſcopus majorem exerceat auctoritatem, non ſpectare ad judicium S. Congregationis, ſed in Rota, ubi cauſa pendet, eſſe diſcutiendum.

Nunc itaque cùm ad excludendam Arhciepiſcopi viſita- 41
tionem Commendatarius teneatur probare ſe in dicta loca exercere utramque juriſdictionem; Quæritur à S. Congregatione, an de hujuſmodi juriſdictione conſtare debeat per tres ſententias conformes, vel unicam, quæ in rem judicatam tranſierit, quemadmodum de ſtatu nullius diœceſis jam cenſuit S. Congregatio, itaut interea Archiepiſcopus non ſit impediendus uti ſuo mandato de manutenendo in quaſi poſſeſſione viſitandi: An verò ad impediendam Archiepiſcopi manutentionem ſatis ſit incontinenti docere de exercitio utriuſque juriſdictionis per teſtes, ſcripturas, & alia ejuſmodi genera probationum.

Pro ſolutione ſupponendum eſt primò, Epiſcopum ha- 42
bere aſſiſtentiam juris, & Concilii Tridentini ſuper juriſdictione ſpirituali in omnibus Eccleſiis intra ſuæ diœceſis fines conſiſtentibus, ſive illæ ſæculares, ſive regulares exiſtant, quamdiu non probentur exemptæ, ut de ſæcularibus patet hìc, & in *cap. Omnes Baſilicæ* 16. *q.*7. *in c. Cum venerabilis, de relig. domib.* & dictum eſt ſupra *num.*5. *in* 3. *not.* & de Monaſteriis eſt text. in *cap. Abbate*, ubi notat gloſ. in *ver. Epiſcoporum, & in c. Monaſteria* 18. *qu.*2. *in cap. Tua nobis*, ubi notat Dec. *num.*16. *de confirm. util. vel inutil. in cap. Cùm dilectus, & in cap. De Xenodochiis, de relig. domib.* ubi Hoſt. *ſub num.* 6. *in ver. Per ſolicitudinem.* Hìc patet, inquit, manifeſtè quòd Monaſteria, & alia loca religioſa, & pia ad diœceſanum pertinent de jure communi, de quo ipſo diœceſanus petens, vel agens fundat mentionem ſuam, ut hic patet, & 16. *qu.*5. *cap. Si quis Epiſcoporum, & qu.*3. *cap.*2. & 18. *qu.*2. *cap. Quidam Monachorum*. Unde ſemper dabitur ſententia pro eo, niſi privilegium, & aliud Canonicum quod obſiſtat, 18. *qu.*2. *cap. Abbatibus, de præſcr. cap. Non liceat, de inſtitut. cap.*3. *& cap. Cùm veniſſent*, cum alii per eum allegatis; & decidit Rota *deciſ.*78. *num.* 1. *part.*1. *diverſ.* & ſtatuitur decreto Concilii *cap.* 11. *ſeſſ.* 25. *de regul.* Nam ibi primò conſtituitur regula, ut Mona- 43
ſteria curata in his, quæ pertinent ad animarum curam perſonarum ſæcularium, ſubſint juriſdictioni, & viſitationi Epiſcopi, in cujus diœceſi ſita ſunt. Et quamvis 44
deindè excipiantur loca, in quibus Abbates utramque juriſ-

juriſdictionem exercent; tamen cùm regula ſit pro Epiſcopo, exceptio pro Regularibus, Epiſcopus dicitur habere juris aſſiſtentiam, quamdiu exceptio à Regularibus concludenter probata non fuerit, ut eſt text. *in c. Cùm Epiſcopus*, & ibi gloſſ. *in verb. Habere, de off. Ordin. lib.6* & tradit Bald. *in cap.1. col.2. de alien. judic. mutan. cau. facta*, & alii apud Dec. *in l.1. n.8. ff. de reg. jur.*

45 Deindè ſupponendum eſt, Concilium ubi eximit à juriſdictione Epiſcopi Abbates utramque juriſdictionem exercentes, non eſſe intelligendum de his, qui nudum habent exercitium juriſdictionis abſque ullo titulo, ſed de his, qui juſtè, & legitimè dictam juriſdictionem exercent: abſurdum enim eſſet, ut Concilium voluiſſet in ſua poſſeſſione manuteneri intruſos, & juriſdictionis Eccleſiæ uſurpatores, quos anathemati ſubjecit *in c.11. ſeſſ.22.* excluſis Epiſcopis, qui fundatam habent intentionem de jure communi, ut in præallegatis juribus, & fuit ſæpiùs deciſum in Rota, ut in cauſa Valentina juriſdictionis 9. Aprilis 1590. coram Bubalo, Caputaq. *dec.* 201. *par.* 2. Seraph. *dec.* 1104. ubi refert ita etiam cenſuiſſe Sac. Congregationem Concilii.

46 Quibus ſuppoſitis, videtur, reſpondendum, Archiepiſcopum Theatinum eſſe manutenendum in ſua quaſi poſſeſſione viſitandi ejuſmodi loca, quamdiu Commendatarius non probaverit per tres ſententias conformes, vel unicam, quæ in rem judicatam tranſierit, ſe in dictis Caſtris juriſdictionem Epiſcopalem, & temporalem exercere: nam cum decretum *d. c.11.* non tollat, imò potiùs præſervet juris aſſiſtentiam, quam habent Epiſcopi in Monaſteriis ſuæ diœceſis, ut dictum eſt; inferior Prælatus non eſt conſervandus in ſua poſſeſſione, niſi in duobus caſibus. Primus eſt, ſi exhibeat privilegium, quod per ſe ſit ſufficiens ad dictam juriſdictionem exercendam. Secundus eſt, ſi dicat ſe munitum privilegio, & præſcriptione, & privilegium exhibeat, quod licèt per ſe non ſit ſufficiens, tamen juſtam cauſam præbeat præſcribendi, & de poſſeſſione fidem faciat. His enim duobus caſibus dumtaxat datur manutentio inferiori contra Epiſcopum, text. eſt ad litteram *in cap. Cùm perſonæ, de privil. in 6.*

47 At verò hoc caſu nullum quidem exhibetur privilegium per ſe ſufficiens ad utramque juriſdictionem legitimè exercendam: ſi enim de tali privilegio appareret, lis eſſet finita tam in poſſeſſorio, quàm in petitorio judicio, *cap.1. de privileg. lib.6. & d. c. Cùm perſonæ, c. Quanto infrà eod tit. c. Inſtitutionis 25. q.2. c. Cùm dilectus*, & ibi Jo. Andr. *n.3. de relig. domib. cum multis ſimilibus*, Similiter nec exhibetur privilegium, quod præbeat juſtam cauſam exercendi Epiſcopalem, & temporalem juriſdictionem: nam in privilegiis exhibitis Alexandri III. & aliorum Pontificum, ſolùm conceditur Monachis dicti Monaſterii S. Joannis in Venere, ut ea, quæ ſunt Ordinis, poſſint accipere à quo maluerint Catholico Epiſcopo; atque ut intra fines Abbatiæ nullus Epiſcopus, niſi vocatus ab Abbate, Synodum celebret, aut Clericos conſtringat, cùm hanc curam ad Abbatis ſolicitudinem Sedes Apoſtolica voluerit pertinere; & Monaſterium ſub protectione dictæ Sedis ſuſcipitur. Quæ verba ita reſtricta, & limitata tantùm abeſt, ut potuerint præbere juſtam cauſam præſcribendi Epiſcopalem, & temporalem juriſdictionem, ut potiùs oſtendant hanc juriſdi-
48 ctionem à Commendatariis uſurpatam fuiſſe: juriſdictio enim Epiſcopalis conſtat cognitione cauſarum criminalium, matrimonialium, & aliarum civilium, inſtitutione, ac deſtitutione, aliiſque pluribus, de quibus *in cap. Conquerente, & cap. Dilectus*, ubi gloſſ. *in ver. De lege juriſdictionis, de offic. Ord.* & tamen in dictis privilegiis conceditur ad ſummum Abbati ſola Clericorum conſtrictio, ac
Synodi celebratio. Et quamvis Monaſterium recipiatur ſub 49
Sedis Apoſtolicæ protectione; hæc tamen receptio nullam exemptionem importat, ut eſt caſus *in cap. Ex parte, il ſecondo de privileg.*

Unde ſequitur, ut cùm Abbas ſit ſola præſcriptione mu- 50
nitus, Archiepiſcopus, qui fundat intentionem de jure communi, non ſit prohibendus viſitare, donec Abbas de præſcriptione Canonica plenam fecerit fidem, juxta verba *d. cap. Cùm perſonæ*: inferior enim non poteſt juvari ſola poſſeſſione, nec obtinere contra ſuperiorem in interdicto retinendæ, ut tradit Bart. *in l.1. §. Hujus Auctoritate interdicti ſub num 3. verſ. Nam interdictum hoc, ff. uti poſſid.* & Vetall. *dec.*306. *n.*4. *par.*1.

Idque eò magis, quia Archiepiſcopi Theatini bis viſita- 51
runt dictam Abbatiam, ac loca eidem ſubjecta, itaut propterea res videatur ſine difficultate, cùm Archiepiſcopus præter juris aſſiſtentiam, habeat etiam actus poſſeſſorios, Rota *dec.* 382. *n.* 4. *& 5. par.* 2. *in rec.* Præfertur enim in concurſu poſſeſſio titulata, & quæ fomentum habet a jure, *cap. Licèt cauſam de probat.* Bart. *in l. Si duo col.2. ff. uti poſſid.* Bald. *in l. Qui accuſare col. fin. in ult. notab. C. de edin.* Menoch. *de retinen. rem.*3. *n.*733.

Prætereà conſiderandum eſt, Concilium non reſiſtere, imò potiùs aſſiſtere, ut Prælati nullius diœceſis poſſint cauſas matrimoniales, & criminales cognoſcere, ut ſæpiùs fuit reſolutum, & ſcripſi plenè *in cap. Accedentibus infra de exceſſ. Prælator.* & tamen in hac cauſa, quia Abbas nititur ſola præſcriptione, Sac. Congregatio declaravit ejuſmodi cauſas eſſe ab Archiepiſcopo Theatino cognoſcendas, donec per rem judicatam conſtiterit dictam Abbatiam nullius diœceſis exiſtere. Ergo ſimiliter etiamſi Concilium non reſiſtat, imò potiùs aſſiſtat Regularibus utramque juriſdictionem exercentibus, itaut ab Epiſcopis viſitari nequeant; tamen donec per rem judicatam de exercitio ejus juriſdictionis conſtiterit, non erit Archiepiſcopus prohibendus ejuſmodi loca viſitare; cùm Abbas nullum privilegium exhibeat, quod ſaltem præbeat juſtam cauſam præſcribendi.

Rurſus conſiderandum eſt, duriori probatione onerari 52
Abbates utramque juriſdictionem exercentes, quàm Prælatos nullius diœceſis: his enim ſufficit probare omnimodam juriſdictionem Epiſcopalem in certa parte diœceſis excluſo Epiſcopo, *ut in cap. Audis ſupra eodem*: hoc enim includit ſeparationem territorii, & ſtatum nullius diœceſis, juxta gloſſ. communiter receptam in Clem.1 §. *Volumus in verb. Diœceſanis, de foro compet.* Dixi *in cap. Nullus infra de Paroch. & in cap. Cùm contingat ſuprà de foro compet.* At verè exercentibus utramque juriſdictionem non ſufficit probare Epiſcopalem, ſed requiritur etiam probatio temporalis juriſdictionis, itaut teneantur probare ſtatum nullius diœceſis, qui includitur in probatione Epiſcopalis juriſdictionis, ac prætereà etiam exercitium juriſdictionis temporalis. Unde ſi data eſt Epiſcopo manutentio, quando Abbas non tenebatur probare, niſi ſtatum nullius diœceſis, in terminis *c.9. ſeſſ.24.* longè magis debet illi dari in caſu *c.11. ſeſſ.25. de regul.* quando Abbas tenetur probare non ſolùm ſtatum nullius diœceſis, ſed etiam temporalis juriſdictionis exercitium.

DE SENTENTIA ET RE JUDICATA.

Gregorius.

CAPUT III.

NOn poteſt quemquam à Sacerdotali gradu (*niſi juſtis ex cauſis*) concors Sacerdotum ſententia ſubmovere.

S U M M A R I U M.

1 *Sacerdos ſine juſta cauſa non eſt ab Epiſcopis etiam in unam ſententiam concordantibus deponendus.*

2 *Depoſitio & degradatio Epiſcoporum, Præsbyterorum, & aliorum Clericorum quem numerum Epiſcoporum requirat.*

3 *Et quid poſt Concilium Tridentinum.*

4 *Cauſæ criminales graviores contra Epiſcopos à ſolo Romano Pontifice cognoſcuntur, minores verò à Concilio Provinciali.*

5 *Character Ordinis durat etiam poſt mortem, & Clericus reſuſcitatus non eſſet iterùm ordinandus.*

6 *Sententia requirit juſtitiam cauſæ, & poteſtatem judicantis.*

7 *Regulares excommunicati ob notorium delictum, an poſſint ab Epiſcopo denuntiari, & n. ſeqq. uſque in fin.*

8 *Miles Hieroſolymitanus, qui Parochum publicè percuſſit, non poteſt ab Epiſcopo declarari excommunicatus, & n.12.*

9 *Declaratoria excommunicationis an requirat citationem partis, & n.17.*

10 *Citatio non poteſt decerni ab Epiſcopo contra exemptum.*

11 *Citatio eſt decretum interloquutorium.*

12 *Regulares Sacramenta adminiſtrantes ſine Parochorum licentia poſſunt ab Epiſcopo denuntiari excommunicati.*

13 *Denuntiatio, ſeu declaratio circumſcripta citatione non eſt actus juriſdictionis, & n.15.*

14 *Sententia lata poſt appellationem eſt nulla.*
Declaratio poſt appellationem eſt valida, ibid.

16 *Exemptus notoriè excommunicatus poteſt declarari ab Epiſcopo.*

18 *Excommunicationis ſententia, & declaratoria in quo differant.*

19 *Citatio requiritur in diſcuſſione cauſæ etiam publicæ, ob quam fertur declaratoria.*

20 *Secus ſi cauſa ſit notoria.*

21 *Citandus non eſt, cui notorium eſt defenſionem non competere.*

22 *Publicum, & notorium in quo differant.*

23 *Citatio pro declaratoria ob notoriam excommunicationem contra exemptum non eſt arctatoria.*

24 *Citatio quatenus ſua putet intereſſe, poteſt fieri, etiam non ſubdito.*

25 *De notorio ſatis eſt ut conſtet etiam extrajudicialiter.*

1 NOn poteſt. Joan. Andr. non ſummat, quia breve eſt. Sed per alia verba ſecundùm Abb. ſic ſummari poteſt. Sacerdos ſine juſta cauſa non eſt ab Epiſcopis etiam in unam ſententiam concordantibus deponendus. Hoc dicit: & verbum, *Sacerdos*, intelligas largè pro Epiſcopo, Presbytereo, Diacono, & Subdiacono, juxta text. *in c.*
2 *2. de cohab. Cler. & mul.* ſecundùm Hoſt. hic *in princ. in verb. A ſacerdotali*, *& n.*3. & Jo. Andr. *n.*1. Quot autem Epiſcopi requirantur in depoſitione Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, vel Clerici in minoribus conſtituti plenè examinat Abb. hìc *n.*4. *in fin. verſ. Expediendo materiam*, ad quem recurre.

3 Verùm etſi de jure in cauſa depoſitionis, & actualis degradationis certus Epiſcoporum numerus requiratur, ut *c. Si quis cum ſeqq.* 14. *q.* 7. *c. Degradatio*, *de pœn. lib.* 6. tamen quia ſi omnes adhibere difficiles eſſet, debita juris executio differretur; ſi quando autem intervenire poſſent, eorum reſidentia intermitteretur: providè à Trident. Synod. *ſeſſ.* 13. *cap.*4. ſancitum eſt, ut Epiſcopo per ſe, vel per ejus generalem Vicarium ad condemnationem, & verbalem depoſitionem, & per ſe ipſum tantùm ad actualem degradationem procedere liceat contra Clericos etiam in Preſbyteratus Ordine conſtitutos, adhibitis tamen totidem Abbatibus, ſi ibi reperiantur, alioquin tot aliis perſonis in
4 dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis. Cauſæ verò criminales graviores contra Epſcopos, quę depoſitione, aut privatione dignæ ſunt, ab ipſo tantùm Romano Pontifice ſunt cognoſcendæ, & obſervandæ, *& cap.*8. *ſeſſ.*13. *& c.*5. *ſeſſ.*24. Nec Concilium Provinciale cognoſcere poteſt, niſi cauſas minores Epiſcoporum, *ut in d. c.*5. *in fin.*

Nota primò ibi, *A ſacerdotali gradu*, Clericum per depoſitionem dejici à gradu ſuo; non tamen per hoc amittit characterem ſemel impreſſum in anima; quia indelebilis eſt, adeòut duret etiam poſt mortem; undè Clericus ſi millies reſuſcitaretur, non eſſet iterùm ordinandus, ut notat gloſſ. *in c.* 5
1. in verb. Nunquam 32. *q.*7. & Abb. hìc *n.*1. & adde quod in propoſito ſcripſi *in cap.*1. *n.*52. *de ſupplen. negl. Prælat.* poſt Innoc. & omnes *in cap. ult. de Sacr. non iteran.*

Secundò nota ex textu, duo copulativè requiri ad validitatem ſententiæ, ſcilicet juſtitiam cauſæ, & poteſtatem judicantis, ut hìc per Butr. *in* 1. *notab.* Quid autem in denunciatione, nunquid requiratur poteſtas, ſeu juriſdictio in perſonam, contra quam fit denuntiatio, dic ut *in qu. ſeqq.* 6

QUÆRO, an Regulares exempti, qui ob notorium delictum in excommunicationem inciderunt, poſſint ab Epiſcopo publicè denuntiari excommunicati, ut ab aliis evitentur. 7

Cùm olim quidam Eques Hieroſolymitanus ſuum Parochum publicè alapa percuſſiſset, & citatus ab Ordinario ſua privilegia oppoſuiſſet; & quamvis ipſo jure excommunicatus eſſet, cùm omnibus tamen coverſaretur: re ad Congregationem Concilii delata, S. Congregatio cenſuit non poſſe Odinarium exercere in eum ullam juriſdictionem, neque excommunicando, neque declarando excommunicatum, quia ex privilegio exemptus eſt, ut *in c.* 8
11. ſeſſ. 24. Concilii Tridentini, tamen ex quo ipſe ob talem percuſſionem incidit in excommunicationem *cap. Si quis ſuadente*, poſse Epiſcopum præcipere omnibus Parochis, & Canonicis, & aliis Sacerdotibus, ne eum admittant intra Eccleſias eidem Epiſcopo ſubjectas. Atque idem poſteà reſpondit S. Congregatio annis præteritis ab Archiepiſcopo Salernitano conſulta. Quæ quidem declaratio in ea parte, in qua dicit Epiſcopum non poſſe exercere ullam juriſdictionem in exemptum, etiam declarando eum excommunicatum, eam habet rationem, quia hujuſmodi declaratio requirit partis citationem, gloſs. in Clem. 9
præſenti in ver. Conſtiterit de cenſ. & in Clem. 2. *eod. ver. de pœn.* Felin. *in cap. Rodulphus n.*41. *de reſcr.* & Cardin. *conſ.* 132. *num.*4. aut certè requirit citatio partis in diſcuſſione cauſæ, & verificatione facti propter quòd fertur declaratoria, licèt in declaratoria ipſa non requiratur, ut inferiùs dicetur. Citatio autem cum ſit actus juriſdictionis, non poteſt decerni ab Epiſcopo contra exemptùm, cujus non eſt judex competens, *cap. De illicita* 24. *q.* 3. *c. Ex parte, in verb. Auctoritate judicis citatus de reſcr.* & tradit Vant. *de nullit. tit. de nullit. ex defectu citationis num.*27. *&* 35. Eſt enim citatio decretum interlocutorium, ut probatur *in l. Cum Clericis*, ibi, *Sententiarum tuarum auctoritate pulſantur*, atque ibi tradit gloſs. & Bald. *C. de Epiſcopis*, *& Cler.* 10
11

Ac præterea ſpeciale, ut Religioſi Sacramenta adminiſtrantes ſine Parochorum licentia poſſint à locorum Ordinariis denunciari excommunicati, Clem. *Religioſi, de privil.* Ergo in contrarium eſt jus commune, *l. Jus ſingulare*, *& l. Quod verò contra, ff. de legib.* Quod ſatis innuit in d. Clem. Joan. de Imol. *ſub num.*3. his verbis, *Nota benè taliter excommunicatos poſſe per Ordinarios denunciari non obſtante privilegio exemptionis:* ex quo nota argumentum à contrario, quòd aliàs extra caſum iſtum Religioſus exemptus excommunicatus non poteſt denunciari excommunicatus per Ordinarium. 12

Verùm hæc poſsunt procedere, ſi delictum ſit ſimpliciter publicum, ut in caſu illius Equitis, qui proprio Parocho publicè alapam impegit; nam cum eo caſu requiratur partis citatio, quæ non poteſt committi in non ſubditum, veriſſimum eſt Epiſcopum non poſse ullam juriſdictioné exercere in exemptum, etiam declarando eum excommunicatum. Et hoc modo intelligitur declaratio S. Congregat. ſuperiùs relata. At verò ſi delictum ſit notorium, ut ſupponitur in dubio, tunc verius videtur Epiſcopum poſse denunciare exemptos excommunicatos, ut ab aliis vitentur. Ratio eſt, quia denunciatio ex de circumſcripta citatione nó eſt actus juriſdictionis; ideòque qui non poteſt judicare, poteſt tamen declarare, ſecundùm Cardinalem in Clem. *fin. in* 6. *q. de pœnit. & remiſſ.* Felin. *hìc n.*3. Et ſimiliter quamvis ſententia excõmunicationis lata poſt appellationem ſit nulla, *c. Cum contingat, de off. deleg. & c. Per tuas*, *de ſent. excomm.* tamen de- 13
14

denunciatio,ſive declaratio eſt valida, *c.Paſtoralis in fin. de*
15 *appell.*Roman.*conſ.*482.*propè finem*, *verſ.*2. Et denunciatio
fieri poteſt ab Ordinario etiam in cauſa, in qua juriſdictio-
nem non habet, ut tradit Imol.in *Clem.*1.*num.*19.*de ſequeſt.*
poſs.& fruct. Ad idem eſt gloſſ.notabilis in *c.Si Papa in ver.*
Nemine 40. *diſt.* quæ in ultima ſolutione vult, ut qui dicit
16 alium poſſe actus facere, non cenſeatur alium judicare. Atq;
ex illa gloſſ. in propriis terminis hujus quæſtionis poſt Ge-
min. colligit Præpoſ. *n.*12. Epiſcopum poſſe declarare ex-
communicatos exemptos, qui ex facto ſuo notorio excom-
municationem incurrunt,nec per hoc cenſeri eos judicare.
Et idem tradit Gul. in *Clem.fin. in fin.de pœnit.& remiſſ.* &
Gemin. in *c. Epiſcoporum, de privil.lib.*6.*verſ.Sed poſſet ſal-*
vari,ubi,ſi delictum,inquit,exemptorum eſſet notorium, &
ex tali delicto, ipſo facto incurrerent excommunicationem
ex juris diſpoſitione, tunc Ordinarii locorum poſſent illos
denunciare excommunicatos ad finem, ut per ſuos ſubditos
evitentur; nec poteſt dici quod tunc imponant eis pęnam,
quia illa eſt à jure inducta,nec denunciatio aliquid addit. Ad
hoc bonus text. in *l.Hæredem palam*,§. *Quod vero*,ibi,*Nihil*
enim nunc dat,ſed datum ſignificat, *ff. de teſtam. cum ſimili-*
bus,ut ſcripſi in *c. Quoniam à n.*15.*ſuprà de conſtit.& ſeqq.in*
d.c.Epiſcoporum,Franc.*verſ.Si tamen ex delicto*,Marian.So-
cin. in *c. Accepimus* 11.*col.verſ.ſecundum Lupum de privil.*
& Felin. hìc *num.*3. qui dicit de hoc eſse textum valdè aper-
tum in *d. Clem.*1.*poſt princ.de privil.lib.Locorum Ordinarii*
excommunicatos faciant publicè denunciari.

17 Nec obſtat hoc caſu, quod dictum eſt ſupra de citatione,
quæ non poteſt decerni in non ſubditum: nam reſpondetur
in declaratione excommunicationis à jure inflictæ non re-
quiri citationem,ſecundùm opinionem, quæ veriſſima eſt,
& pro qua conſuluit Roman. *conſ.*484. *à n.*5. *uſque in finem.*

18 Prima ratio eſt ſecundum eum, quia qui excommunica-
tus eſt, per declarationem ampliùs non ligatur, cùm à prin-
cipio ligatus fuerit;ſed ſolùm declaratur,ut ab aliis evitetur.
Unde ex declaratione non infertur pœna graviſſima, quæ
infertur ex ſententia excommunicationis; ideòque tanta
ſolemnitas non exigitur,per text. in *d.c.Paſtoralis*,§.*Verùm*
ad fin. de appell.

Secunda ratio eſt, quia jura in favorem animæ perſonæ
excommunicati, majorem, ut Romanus ait, acceleratio-
nem, & minorem ſolemnitatem exigunt in declaratione
excommunicationis,quàm in ipſa excommunicatione infe-
renda, ad hoc ut declaratus excommunicatus,poſtquam ex
notitia excommunicationis ex declaratione inſurgente vi-
det ſe vitari, dum cupit hominum habere commercium, fe-
ſtinet citiùs reconciliari ei,qui eſt, & per hoc redeat ad ſalu-
tem:quæ ſunt verba textus in *c.Si inimicus* 93. *diſt.* & *in c.*1.
*de except. lib.*6.

Ac demum, quia etſi in diſcuſſione cauſæ, propter quam 19
quis dicitur, in excommunicationem incidiſſe, citatio re-
quiratur,ſecundùm gloſſ.initio citatas,quas quidem non in-
telligentes aliter allegant, ut dicit in *eod.conſ.* Roman.*n.*6.
tamen in declaratione,quòd quis inciderit in excommuni-
cationem proptèr aliquid illicitum commiſſum, citatio,
aut monitio non requiritur, ſecundùm Romanum ibidem,
qui de hoc dicit eſſe textum ſingularem in *cap. Irreprehenſi-*
bilis, ubi Abb. not. *de appell.* Quamvis autem, ut dictum 20
eſt, in diſcuſſione facti,propter quod quis pœnam incurrit,
requiratur citatio, ut in caſu dicti Equitis, in quo deli-
ctum erat ſimpliciter publicum: hoc tamen non habet lo-
cum, ſi factum ipſum ſit notorium, ut in dubio ſuppo-
nimus. Ita tradit Gemin. & Franc in *d.c. Epiſcoporum*, *de*
*privileg. lib.*6. Neque enim eſt citandus, cui notorium eſt 21
defenſionem non competere, Alex.*conſ.*6.*col. fin.lib.*3. ubi
teſtatur de communi opinione,& alii relati à Vant.*de nullit.*
*tit. de nullit.ex defect cit.num.*20. Et hanc diſtinctionem in- 22
ter publicum, & notorium in hac materia denunciationis
ponit expreſsè Vital in *d. Clem.*1.*num.*51.*de privil.*

Poſſet etiam reſponderi ſecundùm Felin poſt Abb. hìc 23
*d. num.*3.*verſ. Imò vult ibi Abb.* Ordinarium poſſe hoc
caſu decernere citationem etiam contra exemptum: nam
cùm jura velint, ut ad ejuſmodi denunciationem pars cite-
tur, conceſſo conſequenti, videtur etiam conceſſum an-
tecedens, *c. Præterea de off. Deleg.* Neque hoc modo ſecun-
dùm Felin. dicitur violari exemptio, quia talis citatio non
eſt arctatoria,ſed ſimilis illi,quæ habet clauſulam, *Si tua pu-*
tas intereſſe,quæ non arctat nolentem comparere, & poteſt 24
fieri etiam non ſubdito,Bart.*in l.Teſtamenta col.*2.*C. de te-*
*ſtam.*Felin. in *c.Eccleſia S.Mariæ ad fin.*1.*q. de conſtit.*

Ac denique ſatis erit, ut de facto notorio conſtet Epiſco- 25
po per extrajudicialem informationem, de qua in *c.Cum*
contingat, *de reſcript.* ut poſt Abb. tradit Felin hìc *eod. num.*
3. *verſ. Vel poterit ſibi conſtare.*

DE SENTENTIA ET RE JUDICATA.

Innocentius III. Archidiacono, & Sacriſtæ Magalonen.

C A P U T XII.

CUm olim Magalon. Epiſcopus P. de Caſtro novo ad vacantem Archidiaconatum ejuſdem Eccleſiæ nominaſſet, J.præpoſito, ut nullus ibi (niſi prius duplici ſibi voce conceſſa) inſtitueretur per appellationem interpoſitam inhibente, Epiſcopus dictum P.de Archidiaconatu per annulum inveſtivit. Præpoſitus verò alium ad eumdem Archidiaconatum nominare præſumpſit. Tandem C. prædeceſſor noſter, quod factum fuerat ab utraque parte caſſavit: pronuntians, quòd aliquibus ſcriberet, ut tam Epiſcopum, quàm perſonas ad ordinandum concorditer Archidiaconatum monerent; & eorum fortè monitis non admiſſis, hoc ipſi exequi non differrent: poſt hæc verò dictus prædeceſſor noſter G. qui nondum ad Diaconatus erat promotus officium, præter conſcientiam procuratoris Epiſcopi, apud Sedem Apoſtolicam tunc morantis, ipſum Archidiaconatum contra pronuntiationem ſuam contulit, ſicut credimus, circumventus. Non igitur inhærentes veſtigiis prædeceſſorum noſtrorum dicentium, ſententiam Romanæ Sedis, cùm aliquid fuerit ſubreptum, poſſe in melius commutari: quod de prædicto G. factum eſt, non obſtante donatione, quam ab eodem Epiſcopo in eluſionem donationis Apoſtolicæ nuper dicitur recepiſſe, in irritum revocamus, & ei licèt abſenti, cùm de ſubreptione liquidò conſtet, ſuper dicto Archidiaconatu perpetuum ſilentium imponentes, præcipiendo mandamus, quatenus ſæpedictum Archidiaconatum (plena omnium veſtrum qui præſentes fuerint in Eccleſia interveniente concordia) ordinare curetis.

S U M M A R I U M.

1 *SUbreptitia dicitur collatio, & non tenet, ſi Papa contra pronunciationem ſuam confert beneficium hoc tacito.*

2 *Papa ſi veniat contra factum proprium concedendo alicui officium,vel beneficium à ſe prius alteri conceſſum, præſumitur circumventus, & ſecunda conceſſio non valet, num.*11.

Et hæc eſt præſumptio juris, & de jure, quæ non ad-

mittit probationem in contrarium, *num.* 17.
Etiamſi Papa diſponat motu proprio, *num.*21.
Et per viam declarationis, *num.*15.
3 *Judicia ſua non præſumitur quis velle impugnare.*
4 *Variatio & inconſtantia reprobatur maximè in perſonis Eccleſiaſticis.*
Et præcipuè in Papa, *num.*6.
5 *Epiſcopus ſi mandat uni beneficium conferri*, *non poteſt variare etiam re integra.*
7 *In Principe tamquam juſtitiæ fonte debet eſſe conſtans,& perpetua voluntas.*
8 *Cœleſtinus Papa de mane conferebat gratiam, & de ſero auferebat*, *& alteri conferebat.*
9 *Mutationes,quæ ſine rationabili cauſa fiunt in officiis,& beneficiis Eccleſiaſticis*, *ſunt contra dignitatem Apoſtolicam.*
10 *Gratia ſecunda nunquam præſumitur præjudicare primæ alteri conceſſæ.*
11 *Et potius præſumitur circumventio*, *quàm variatio.*
Et probatio in contrarium non admittitur, *n.* 17.
Etiam in gratia motu proprio, *n.*21.
12 *Principis actus debent eſſe ſtabiles*, *& perpetuò manſuri.*
13 *Gratia ſecunda etiamſi videatur revocatoria primæ*, *tamen ſi de mente Papæ non appareat clarè*, *nunquam præſumitur revocatio.*
14 *In dominio potior habetur, cui res primò tradita eſt, licèt alius in titulo prævenerit.*
Sed hoc non procedit in Clericis, *ibid.*
15 *Declaratio Apoſtolica alicujus conceſſionis ſi non conveniat actui declarato*, *habendus eſt Pontifex pro circumvento.*
16 *Declaratio Papæ iniqua,eſt ipſo jure nulla*, *& tribuendo circumventioni*, *vel importunitati*, *aut errori.*
17 Credimus, *verbum exponitur*, *id eſt*, ſcimus.
19 *Princeps quando revocat ſuam conceſſionem,præſumitur circumventus*, *& contrarium probare non poteſt.*
20 *Et an hoc procedat in actibus de proximo geſtis.*
22 *Motus proprius non firmat gratiam contra præſumptam mentem concedentis.*
23 *Maximè in præjudicium tertii*, *n.*40.
24 *Citatio in impetratione gratiæ tertio præjudicialis non requiritur.*
Dummodò Princeps procedat de plenitudine poteſtatis, *num.*31.
Et adverſarius non ſit præſens in Curia, *num.*32.
Declaratur, *num.*33.
25 *Ubi privilegium conceditur*, *non eſt de more,nec de jure*, *ut aliquis citetur.*
26 *Princeps ſicut ſolus legem condit*, *ita ſolus privilegium concedit nullo citato.*
27 *Diſpenſationes*, *& privilegia conceduntur nemine citato.*
28 *Citatio generalis in litteris præjudicialibus non ſufficit*, *quando adverſarius eſt præſens in Curia*, *Sed procurator citandus eſt ad hoſpitium.*
29 *Procedit in litteris juſtitiæ*, *non autem in litteris gratiæ.*
30 *Citatio quamvis non requiratur in impetratione gratiæ tertio præjudicialis*, *tamen jus illi quæſitum non auferetur.*
34 *Stylus Curiæ,quoad citationem in impetrationibus litterarum eſt ſervandus.*
35 *Citatio quamvis non requiratur in impetratione gratiæ præjudicialis*, *requiritur tamen in proceſſu ad ulteriora*; *etiamſi citatio per Principem fuerit remiſſa*, *num.*36.
36 *Spoliatus auctoritate propria*, *& in vim clauſulæ motu proprio*, *poteſt agere remedio reſtitutorio contra talem ſpoliatorem.*
37 *Motus proprius Principis facere non poteſt*, *ut quis minùs legitimè excludatur à poſſeſſione.*
38 *Citatio eſt de jure divino*, *& naturali*, *ideò per Principem tolli non poteſt*, *num.*47.
39 *Si Papa det alicui facultatem capiendi poſſeſſionem propria auctoritate*, *hoc intelligitur*, *niſi poſſeſſio ſit plena.*
41 *Clauſula*, amoto quolibet detentore, *intelligitur juris ordine ſervato.*
42 *Citatio requiritur etiam in notoriis*, *niſi conſtet reo nullam defenſionem competere.*
43 *Notorium licèt non conſtet judici*, *tamen ſi verè ſit tale*, *ſententia irrevocabiliter tenet*, *ſed judex peccat.*
44 *Sententia non eſt revocanda,ſi ex poſt facto conſtat judici factum eſſe notorium*, *& abſenti nullam defenſionem competere.*
45 *Citatio requiritur quantumcumque factum ſit notorium*, *ubi pœna corporalis debet infligi.*
46 *Notorii dicuntur multi qui non ſunt*, *& ideò tutius eſt nullum quantumcumque notorium fore damnandum ſine citatione.*
47 *Super notorio poteſt procedi in abſentia partis cognoſcendo*, *ſed non exequendo.*

CUm olim. Si Papa contra pronunciationem ſuam confert beneficium, hoc tacito, ſubreptitia dicitur collatio,& non tenet. Hoc dicit Abb.Antiq.Jo.Andr. Bald. Collȩct.Bellam.Butr.Card.Anchar. Abb.Sicul.Jo.de Anan. Guidop. & Alex.de Nævo. 1

In textu ibi, *Contra pronunciationem ſuam ſicut credimus circumventus.* Nota ſingulariter hanc litteram, & nunquam obliviſcaris, quòd ſi Papa veniat contra factum proprium concedendo alicui officium,vel beneficium,ſuper quo priùs ordinationem fecerat in favorem alterius præſumitur circumventus, & ſecunda conceſſio non tenet, & ita hic eſſe caſum expreſſiſſimum dicit Ludovicus Rom. *conſ.* 298. *Circa præmiſſam n.*1. *verſ. Secundò eadem concluſio*, quem ſecuti ſunt Ruin. *conſ.*88. *Quia per privilegium num.* 22. *vol.*4. Dec. *conſ.*588. *Viſo puncto num.*18. Ferret. *conſ.*6. *Factum tale eſt alias n.*4. 2

Rationem reddit Gemin. in *conſ.*36. incipien. *Quo collatio num.*5. quia non præſumitur quis velle ſua judicia impugnare: notaretur enim de variatione, inconſtantia, & illuſione, quæ reprobatur à jure, maximè in omnibus Eccleſiaſticis, *Clem.Cum illuſio, de renunc.* Cardin. *conſ.*136. *Factum ſic ſe habet vacantibus num.*16. Ideòque Epiſcopus, qui mandavit uni beneficium conferri, non poteſt variare etiam re integra, ut dixit Rot. *dec.*1. *num.*1. *de præben.& dec.* 27. *de conceſſ.præben. in antiq.* Felin.hic.*n.*5.*col.*4. *circa med. verſ. Et dicit Rota*, Præcipuè autem variatio, & inconſtantia reprobatur in Papa, ut per Gemin.*ubi ſuprà.* Nam ut eleganter inquit Bald. *conſ.*327. incip. *In die enim in* 1. *vol. num.*4. [In Principe tamquam juſtitiæ fonte debet eſſe conſtans, & perpetua voluntas, & convenit ei illud verbum, *Semel locutus eſt Deus*, & iterùm, *Quod ſcripſi ſcripſi.* Unde Princeps debet unum calamum, & unam linguam, & non plures linguas habere, qui ſcriptum eſt, *Quæ procedunt de labiis meis,non faciam irrita*: & ideò debet eſſe immobilis ſicut lapis angularis, & ſicut polus in cœlo.] Hæc Bald. & loquitur de Papa Cœleſtino, ut patet *n.*3.*verſ. Item Cœleſtinus*, ſicut de alio Cœleſtino loquitur hæc Decretalis. Et in eumdem invehit ipſemet Bald.in *cap.*1 *num.*1. *de natur.feud.* quòd de mane conferebat gratiam, & de ſero auferebat, & alteri conferebat. Cujus dictum refert Andreas Barbatia *conſ.*1.*num.*1.*vol.*1. Porrò, ut inquit Cardin. *conſ.*142. *Punctus S. D. N. num.*5. ſumma eſt vilificatio dignitatis Apoſtolicæ, & ſtatus Eccleſiaſtici, ut ex nulla rationabili cauſa fiant mutationes in officiis, & beneficiis Eccleſiaſticis, *cap. Querimoniam de iurepatr.* Et ideò gratia ſecunda nunquam præſumitur præjudicare primæ alteri conceſſæ. Et potiùs præſumitur circumventio, quam variatio,per iſtum text.Sed & Gemin. *d. conſ.*36. *num.*2. Non præſumitur, inquit, quòd D. Papa ita de facili revocet ea, quæ fecit: imò diſpoſitio facta per eum contra ea quæ fecit, cenſetur ſubreptitia, & non valet, quia præſumitur circumventus,contra ea, quæ leguntur, & notantur in *cap. Ex parte,il primo de offic. Deleg. & in hoc cap.*Similiter Rota *deciſ.*33. *col.penult. num.*18.*de præben. in antiq.*dicit,actus Principis debere eſſe ſtabiles, & perpetuò manſuros, ut in *c.Decet,de reg.jur.in* 6.adeòut etiamſi ſecunda gratia videretur revocatoria primæ, tamen ſi de mente Papæ non apparet clarè, nunquam præſumatur revocatio. Quinimò Hoſtien. *in cap. continebatur num.*1 *in verb. Robur firmum de iis*, *quæ fiunt à Prælat.ſine conſenſ. capituli*, in tantùm dixit varietatem eſſe exercendam in perſonis Eccleſiaſticis,ut putaverit diſpoſitionem *l.Quoties*, *C. de rei vendicat.*qua cautum eſt, ut in dominio is potior habeatur,cui res primò tradita eſt, licèt alius in titulo prævenerit, non vendicet ſibi lo-

3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14

Jocum,quando diverſæ conceſſiones fiunt ab Eccleſia, ſeu
Eccleſiaſtica perſona, ut conſentiunt Rom.*d.conſ.298. Cir-
ca præmiſſam,n.2.verſ.Ultimò videtur*, *& conſ.70. Viſis the-
mate col.3.n.3. verſ.Vel ſecundò*, in Clem.1.*n.1. de renunt.* &
15 Felin.*hìc d.n.5. verſ.Et in tantum*, qui in hanc rem de more
plura congerit, *& verſ. Et adduci poteſt*, notabiliter ad hoc
ponderat hunc text. quòd ſi Papa declaret in aliqua conceſ-
ſione qualis fuerit ſua intentio, prout quotidiè facit, ſi talis
declaratio non conſonet verbis actus declarati, habendus
eſt Pontifex pro circumvento, cum tollat jus alteri quæſi-
tum. Allegat Bellam.*dec.724.etiam extra Rotam col.6. verſ.*
16 *Sexta ratio*, qui dicit declarationem Papæ iniquam, eſſe
ipſo jure nullam, & tribuendam circumventioni, vel im-
portunitati, aut errori.
17 Amplia concluſionem ſuperiùs firmatam dupliciter. Pri-
mò ſcilicet, ut hujuſmodi præſumptio circumventionis po-
tiùs, quem variationis, in Summo Pontifice ſit præſumptio
juris,& de jure,non admittens probationem in contrarium,
ita ſingulariter voluit hìc Innoc. *in princ. in verb. Circum-
ventus*,dicens,*Hoc ita violenter præſumimus,quòd in contra-
rium probationem non admittimus*.Quem totidem verbis ſe-
quuntur Hoſt.*n.5.* Joann. Andr. *hìc n.4.* Bellam. *n.2.* Alex.de
18 Nævo *n.22.*& Cardin.*n.9. verſ. Et dicit Innocent.* ſubdens
non obſtare, quòd Papa hìc dicat, *Sicut credimus*: nam ver-
bum *Credimus*,exponitur, id eſt, *Scimus*, prout etiam expo-
nunt Hoſt.*num.5.* Bellam. *num.2.* & plerique alii. Idem vo-
19 luit Bald. *in præalleg. conſ.327.num.4.vol.1.* ubi dicit Princi-
pem fingi circumventum, quando revocat ſuam conceſſio-
nem, adeò ut contrarium probari non poſſit; quaſi hæc ſit
præſumptio juris, & de jure, quæ probationem in contra-
rium non admittit: & ita ſecundùm eum ampliatur hæc
Decretalis, quòd ſecunda conceſſio contraria primæ non
valeat, allegat bonum text.*in l.Prædia, C.de locut.civil.lib.*
11. & illud conſilium, ferè ad literam tranſcribunt, & ſe-
quuntur Dec.*conſ.193.Pro tenui facultate, n.9. & conſ.580.
Quæritur, an petito, n.4. in fin. verſ. Et hoc idem comproba-
tur, & d.conſ.588.Viſo puncto, num.19. & in l. Nemo poteſt
mutare, n.3.ff.de reg.jur.* Ferret.*d.conſ.6. Factum tale eſt
aliàs n.4.*Gozad.*conſ.63.n.19.*Ruin.*conſ.98. Quia per privi-
legium, n.22.* dicens ita tenere Innoc. & omnes hìc. Quod
20 etiam aſſerit Felin. *hìc n.5. col.5. verſ. Ampla eſt*. Et quam-
vis eos intelligat in actibus ex intervallo geſtis, non autem
de proximo, & putet eos ita ſentire; tamen hæc limitatio
non colligitur ex Innocent. vel aliis proximè citatis, quia
tantùm dicunt in hoc puncto præciſa verba, quæ ſupra re-
tuli, & nihil præterea.
21 Amplia ſecundò,etiamſi Princeps diſponat motu proprio,
quia nihilominùs præſumitur circumventus,& contrarium
22 probari non poteſt. Et in conceſſione motus proprii lo-
quuntur Bald.Dec.Ruin.& Ferret.*loc.cit.* prout etiam loqui-
tur Cardin. *d. conſ.136.* ut patet in themate, & hìc tenent
Abb.*n.5.verſ. Amplia ſecundò*, & Alex. de Nævo *n.23.* red-
dentes rationem, quia motus proprius non firmat gratiam
contra præſumptam mentem concedentis, ut notat Joan.
Andr.*in c.Si motu proprio, de præben.lib.6.* & Joan. Card. *in
c.Cùm dilectus, de jurepatr.* & pluries firmavit Rota,ut dixi
in c.Cauſam quæ, n. 18. & ſeqq. ſupra de reſcript. Quod ma-
23 ximè procedit, ubi ſecunda diſpoſitio tendit in præjudi-
cium alterius. Princeps enim non præſumitur velle tertio
præjudicare, *l.2.§.Si quis à Principe, ff.Ne quid in loc. pub.
& in c.Super eo, de off.deleg.* cum pluribus concordantiis,
quas dedi *in d. c. Cauſam quæ, n.11.& ſeqq.* poſt Bolognett.
conſ.2 n.37. 38. & 39. Multò autem fortiùs hæc locum ha-
bent ſtante Regula Cancellariæ de non tollendo jus quæſi-
tum, ut ibi dixi *num.35.* & fuſiùs *in c.Cæterum, à n.18. de
reſcript.*
24 In gloſſ. *Circumventus*: nota ſecundùm Bald. *hìc num.3.*
in impetratione gratiæ nullum eſſe citandum, quia eſt quæ-
dam donatio: item non eſt actus, qui debeat expediri in
contradictorio judicio,argum. illius notab. gloſſ. quæ eſt *in
l.3.§.pen.in verb.Pro tribunali, ff.de bon.poſſeſs.* unde quan-
do proceditur ad collationem, nemo eſt citandus, *cap.Licèt
Epiſcopus de præbend.lib.6.* & cum Bald. conſentiunt hìc
Abb. *num.16.* Joan. de Anan. *circa fin. verſ. Nota ſecundum*
25 *Hoſt.* Alex.de Nævo *n.5.* & Felin. *num.6.* Et idem Bald.*in l.
Nam ita Divus col.1.n.2.ff.de adoption.* ubi ait:Quando pri-
vilegium conceditur, non eſſe de more, nec de jure, quòd
aliquis citetur, quia eſt donum Superioris, allegat *l. Liber-*
26 *tus, ff.de in jus vocand. & in c. Eum qui de præb.lib.6.* Sicut
enim ſolus Princeps legem condit, ita ſolus privilegia con-
cedit nullo citato, ut idem dixit *in l. fin. C.quib.res jud.non
obſt.* Item actus privilegiandi eſt ſupremæ poteſtatis, quam
alterius præſentis contradictio non impediret, ut per eùn-
dem Bald. *in l. fin. ad fin. verſ. Extra oppo. C. de fruct. & lit.
expen.* Ideòque indiſpenſationes, & privilegia concedun- 27
tur nemine vocato, ut dicit Innocen. *in c. Albericus, propè
fin. de teſtib.* & poſt eum Archidiac. *in c. Contra morem poſt
princ. 100. diſt.* Butr. *in c. Debitores col. penult. num.7. verſ.
Secus, ſi juramentum, de jureiur.* Imol *in c. Cùm dilectæ,
num.28.verſ.Sed quia de confir.util.vel inutil.* Milis *in repert.
verb.Citatio non requiritur*, quos refert, & ſequitur hìc Fe-
lin. alios cumulans *num.6.* & quamvis Hoſtien. *hìc num.4.* 28
dicat litteras præjudiciales non debere tranſire ſine andien-
tia; & quando adverſarius eſt præſens in Curia, citationem
generalem non ſufficere, ſed procuratorem citandum eſſe
ad hoſpitium, & ita curiam ſervare: tamen hic ſtylus Cu- 29
riæ procedit in litteris juſtitiæ dumtaxat, non autem in li-
teris gratiæ, ut declarat Gaſp. de Cald. hìc, & poſt eum
Abb. *num. 16. verſ. Sed de jure puto*, Joan. de Anan. *circa
fin. verſ. Nota ſecundum Hoſt.* Guidopap. *num.2. verſ. Ibi
debuit requiri*, & Alex. de Nævo *n.24. verſ.Gaſp.Calder.
dicit, & n.25.*
Declara hæc primò, ut quamvis in impetratione gratiæ 30
tertio præjudicialis non oporteat aliquem citari,non tamen
propterea juris quæſitum ullatenùs aufertur, ut poſt Joan.
de Lignan.& Butr.declarat Abb.*in c. At ſi Clerici,§.de adul-
teriis, col.11. n.18. verſ.* & per hoc dicit Joan. de Lignan. *de
judic.* & Felin. *hìc n.7.*
Declara ſecundò,dummodò in conceſſione gratiæ in pre- 31
judicium alterius non vocati appareat Principem uti velle
plenitudine poteſtatis,gloſſ. & Bart. *in l.Nam ita divus,ff.de
adopt.* & Felin. *hìc num. 8.* Sed hodie an hoc procedat ſtante
regula Cancellariæ *de non tollen. jure queſito*, dixi *in c. Cæte-
rum in 4. ampliat. n.23 de reſcriptis*.
Declara tertiò niſi is,cujus intereſt, ſit præſens in Curia, 32
quia tunc citari debet, ut notat gloſ. præallegata *in l. Nam,
ita divus, ff. de adoption.* quam dicit ibi Bart. benè notan-
dam, & ita obſervat Curia Romana, ut dicit gloſſ. *in auth.
Offeratur, in verb. Petierit, C.de litis conteſtat.* Item gloſſ.
1. *in fin. in l. Obſervandum, ff. de judiciis*, & ſequuntur ibi
Bart. Ang. & Bald. qui addit gloſ. *in verb Nolle*, in Clem.
Conſtitutionem de elect. & Innoc. *in c. Significante, in verb.
Inhibitio de appell.* Alios refert Felin. *hìc num.9.* qui ab hac
declaratione, *num.10.* excipit tres caſus, quos per te videas.
Sed certè præcitatæ gloſ. & DD. quos allegat Felin. loquun- 33
tur in litteris juſtitiæ, & reſcriptis ad lites, non autem in
litteris beneficialibus, & gratioſis. Et in Curia quotidiè à
piſcatoribus fiunt impetrationes certo modo, & ſupplica-
tiones ſignantur indiſtinctè nemine vocato, nulla habita
diſtinctione,an is,qui læditur, ſit præſens in Curia, an non.
Et ergo ipſe plurimas ſignavi in officio meo Signaturæ per
Conceſſum. Si tamen ſtylus Curiæ aliter ſe haberet, ſer- 34
vandus eſſet, *c. Et litteris, de Conſtit. & c. Quam gravi, de
crimin. falſ.* & hìc notant Abb.*n.16. verſ. Ergo relinquo hoc
ſtylo Curiæ*, & Alex. de Nævo *n.15*
Declara quartò,ut quamvis citatio partis non ſit de eſſen- 35
tia, nec requiratur in ipſo actu impetrationis gratiæ tertio
præjudicialis: benè tamen requiritur poſtea in proceſſu ad
ulteriora,Bald. *in l.2. n.2. verſ. Item nota, C. de temp. appell.*
Felin. *hìc n.6.* Quod locum habet, etiam ſi citatio per Prin 36
cipem fuerit remiſſa,ut decidunt DD. de Rota apud Mohe-
dan. *deciſ 7. de reſtitut. ſpoliat.* ubi Papa primò conceſſerat
uni officium Cuſtodiæ pontis, & portæ Salariæ Urbis, ac
deinde idem officium alteri conceſſerat motu proprio, ac de
plenitudine poteſtatis, non obſtāte conceſſione alteri facta,
& cum clauſula, ut propria authoritate poſſe capere poſſeſ-
ſionem remoto exinde quocumque alio cuſtode, & deten-
tore; & Rota reſolvit primum officialem ſpoliatum debere
reſtitui, quia ſine ordine juris per ſecundùm fuit capta poſ-
ſeſſio,& ſpoliatio facta ad not. *in l.3. ff. Quod vi, aut clam,
& in l. Extat, ff. Quod metus cauſ. & in c. Ex tranſmiſſa de
reſtit. ſpoliat.* nec motus proprius Principis potuit præjudi- 37
care, ut legitimè excluderetur à poſſeſſione, *ad l. Memine-
rint, C. Unde vi*. Nec etiam Principis poſſeſſionem vacan- 38
tem ſine maxima cauſa potuit mandare capi, *ad l.2.* cum
gloſ. *ff. Ex quib. cauſ. ſervit. amitt.* nec id potuit facere ſine
citatione, Nec eam potuit tollere, cùm ſit de jure divino, &
naturali, ad notata *in c.1. de cauſ. poſs. & propriet.* Felin. *in c.*

Quæ

39 Quæ in Eccleſiarum, num.43. de Conſtitut. ubi quod ſi privat
aliquem ſua poſſeſſione, tenetur dare cambium. Nec viſum
fuit obſtare, quòd ſecundo officiali in litteris fuerit data po-
teſtas capiendi poſſeſſionem propria auctoritate, quia intel-
ligitur, niſi poſſeſſio eſſet plena, quia non poteſt tolli. Allegat
Alex. conſ.83. col.2. vol.2. Dec. conſ.95. & 96. p.1. col.7. Nec
40 etiam virtute clauſulæ motus proprii, & de plenitudine po-
teſtatis potuit primus officialis privari jure ſuo, Innocent.
in c. Innotuit de elect. & ibi Abb. Bald. in l. fin. col.2. C. de qua-
41 drien. præſcript. Et infrà dicit non ſuffragari clauſulam, Amo-
to quolibet detentore, quia intelligitur juris ordine ſervato,
Bald. in rubr. de off. deleg. Felin. in c. de cætero, col.3. ſupra eo-
dem. Item dicit obſtare regulam de jure quæſito non tol-
lendo, & ſic fuit concluſum. Et hìc junge quæ in propoſito
ſcripſi in c. Cæterum à n.45. uſque in fin. de reſcript.
42 In gloſ. in verb. Licèt abſenti, ex ipſa nota, in notoriis non
requiri citationem. Nam gloſ. in fine dicit hìc potuiſſe ferri
ſententiam in abſentem etiam non citatum, quia conſtabat
de ſurreptione. Unde ex hac gloſ. limitari poſſunt aliæ gloſ-
ſæ, quæ dicunt in notoriis requiri citationem, & ſenten-
tiam, ut in c. Ad noſtram, il 3. in gloſ. in verb. obſervandus
de jurejur. & in c. Porrò in verb. notoria, de divortiis. Nam
debent intelligi, ubi non conſtat abſenti nullam defenſio-
nem competere; ſicut etiam intelligi debet c. fin. §. Vices de
off. deleg. lib.6. ubi textus videtur innuere, ut Conſervatores
teneantur citare, & tamen non poſſunt cognoſcere niſi de
cauſis notoriis, ut in c.1. eod. tit. & lib. Nam illud intelligitur
quando non conſtat abſenti nullam defenſionem compete-
re. Et eodem modo intelligi debet Innoc. in c. Tua, num.3.
in fin. de cohabitat. cler. & mulier. dum dicit, citationem
ſemper eſſe in quolibet notorio neceſſariam, alioquin ſen-
tentiam eſſe nullam: cujus oppoſitum dixit in c. Quanto, n.1.
de translat. Prælat. & in c. Ex Inſinuatione in fin. de appel. ubi
ait in notoriis ſententiam ferri non citata parte. Et idem
ſenſit Archid. in c. Quæ Lotharius, num.2. q.1. & Bart. in l.2.
§ Quodſi de frumetaria, num.1. ff. De adminiſtr. rer. ad ci-
vit. pertinent. Et probatur in c. Venerabilem verſ. Sunt enim
notoria, juncta gloſ. in verb. Publica, & in c.60. me. Mogun-
tina, ibi: Exceſſus notorius examinatione non indiget, ſupra
de elect. hoc enim debet intelligi, ubi certum eſt abſenti nul-
lam competere defenſionem; & hoc modo dicta gloſſarum,
& Innoc. conciliant hìc Doctores, maximè Alex. de Nævo
num.29. & 30. Abb. dicens hanc eſſe veritatem, in conſ.68.
Quamquam ſuper vacatione, n.4. verſ. Quinimò plus voluit,
lib.2. Soccin. ſen. conſ.4. ſuper quæſtione, n.24. verſ. Nec ha-
bet obſtare, & conſ.87. Viſis inveſtitura, num.22. verſ. Sextò
quatenus lib.3. Pariſ. conſ.1. viſa facti ſerie, num.39. lib.1. De-
cian. conſ.19. n.355. lib.1. & latiùs Curt. ſen. conſ.20. Sæpenu-
mero, num.12. & 17. Quinimò ut formaliter inquit Innoc. in 43
d. c. Tuæ in fin. de cohab. cler. & mulier. etiamſi judici non
conſtet factum eſſe notorium, dummodò verè ſit notorium,
licèt judex peccet, ſi fert ſententiam, antequam probetur fa-
ctum ſibi notorium: tamen ejus ſententia irrevocabiliter
tenet. Quare indiſtinctè teneas ſententiam non eſſe revo- 44
candam, ſi ſaltem ex poſt facto conſtet factum eſſe noto-
rium, & reo nullam defenſionem competere, ut hìc per
Butr. n.14. & Alex. de Nævo n.36. in fine.
Hæc tamen notabiliter limitat Collectarius hìc n.1.; ut lo- 45
cum non habeant, ſi pœna corporalis deberet infligi, quia
tunc reus eſſet vocandus, quantumcumque factum eſſet no-
torium. Allegat Gul. de Monte Lauduno in Clem. Paſtora-
lis de re judicat. & Archid. in c.1. in gloſ. in ver. Præterquàm
de offic. deleg. lib.6. Dicunt etiam Hoſt. & Jo. Andr. in c. Cùm
ſit Romana, in fin. de appellat. juſtius, & tutius eſſe, nullum 46
quamtumcumque notorium fore damnandum ſine citatio-
ne, vel admonitione; quia multi dicuntur notorii, qui non
ſunt, c. Conſuluit, de appell. unde dicebat Petrus de Sampſone 47
ſuper notorio poſſe procedi in abſentia partis cognoſcen-
do, ſed non exequendo: ſequitur Collect. hìc poſt medium
verſ. Licèt idem Hoſtien. & ad prædicta adde Julium Clarum
in pract. criminal. §. fin. q.9. n.4. verſ. Quæro numquid in noto-
riis, & Anton. Gomes tom.3. var. reſol. c.1.
An autem, & quando citatio poſſit tolli per Principem, 48
vide pleniſſimè per Curt. Senior d. conſ.20. per tot.

DE SENTENTIA ET RE JUDICATA.

Idem Innocentius III. Abbati, & Conventui S. Zenonis Veronen.

CAPUT XIII.

CUm inter vos pro Eccleſia veſtra, & Archipresbyterum, & Clericos ſancti Proculi, ſuper ſubjectione ejuſdem Eccleſiæ, quæſtio verteretur: ex parte veſtra fuit propoſitum, quòd dicta Eccleſia monaſterio veſtro, pleno jure debet eſſe ſubjecta: videlicet in inſtitutione, deſtitutione, inveſtitura Archipresbyteri, & ejuſdem fidelitate, ipſius & fratrum obedientia, correctione, repræſentatione ad ordines, tonſuratione, ſuſceptione chriſmatis, litaniis, & aliis ſimilibus, per quæ plena ſubjectio declaratur: ad quod probandum, inſtrumentum publicum conceſſionis B. quondam Veronenſis Epiſcopi, pars veſtra in medium producebat: quam conceſſionem ſucceſſor ejus T. ratam habuit, & etiam confirmavit. Super his quoque tam Romanorum Pontificum, quàm Patriarcharum Aquilejen. privilegia & confirmationes induxit: quorum unus de ſubjectione plenaria, in privilegio ſuo evidenter expreſſit, quod ſub teſtimonio R. quondam Veronen. Epiſcopi, qui ejuſdem Eccleſiæ Archipresbyter extitit, factum fuerat & completum, & in eo à Priore ſancti Zenonis mandavit ſua vice ſubſcribi. Adjecit etiam pars veſtra, quòd inter B. quondam Abbatem ejuſdem monaſterii, & Sancti Proculi Archipresbyterum, & fratres ipſius, procedente tempore, de fidelitate & obedientia manuali, controverſia fuit exorta, ad quæ duo illi ſe dumtaxat teneri negabant, & ſuper his teſtes producti fuerunt: tandem præfatus T. Veronen. Epiſcopus quemdam Cardinalem ſequens, à quo idem fuerat judicatum, quòd vel Archipresbyter dimitteret Eccleſiam, aut Abbati obedientiam repromitteret, ſententialiter diffinivit: cujus ſententia (cùm nulla fuerit appellatione ſuſpenſa) in rem tranſit judicatam: & infrà. Quamvis fortè dicto inſtrumento donationis non ſit plurimùm innitendum, nec confirmationibus vel privilegiis, quæ de ipſo cauſam & originem acceperunt: attendentes tamen, quòd quantum ad litigantes ipſos, jus ex ſententia factum fuit, poſt quàm in rem tranſiit judicatam, etiam ſi contra jus litigatoris lata fuiſſet: cùm contra jus conſtitutionis expreſsè lata non fuerit, veritate geſtorum ſermonibus prævalente, quæ præſumitur ritè per omnia celebrata: diffinimus, ut Archipresbyter ſancti Proculi, qui pro tempore fuerit, fidelitatem & obedientiam præſtet Abbati ſancti Zenonis.

SUM-

S U M M A R I U M.

1 *Sententia contra jus litigatoris valet, ſi ab ea infra decem dies non fuerit appellatum.*
2 *Eccleſia per ſententiam, à qua non fuit appellatum, poteſt ſubjici inferiori Prælato.*
3 *Abbas in Eccleſiis ſibi pleno jure ſubjectis poteſt primam tonſuram conferre ſuis ſubditis etiam ſæcularibus, & num. 5.*
Secùs poſt Concilium Trid. num. 6.
4 *Eccleſia dicitur pleno jure ſubjecta inferiori, cùm Epiſcopus nullum jus Epiſcopale iſti exercet, ſed tota juriſdictio ad inferiorem pertinet.*
7 *Abbas an poſſit Novitio ſui Monaſterii primam tonſuram conferre, & num. ſeqq. uſque in fin.*
8 *Novitius contrahit domicilium in loco, ubi agit annum probationis.*
9 *Canonica portio Novitii decedentis non debetur Eccleſiæ, cujus erat Parochianus ante ingreſſum Religionis.*
10 *Poteſtas rectè ordinandi pendet à juriſdictione.*
11 *Novitius eſt ſub juriſdictione Eccleſiæ, & conveniri debet coram judice Eccleſiaſtico.*
12 *Novitium percutiens eſt excommunicatus.*
13 *Tonſura Monachalis, de qua in c. Monaſterium 19. q. 3. incautè accipitur à Summiſtis pro tonſura Clericali, & num. ſeqq.*
14 *Tonſura magna in Novitio inducit tacitam profeſſionē.*
15 *Profeſſio tacita non inducitur per ſuſceptionem primæ tonſuræ, vel minorum Ordinum.*
16 *Novitii mores pro collatione primæ tonſuræ, & minorum Ordinum, qualiter præcogniti eſſe debeant, & n. ſeqq.*
17 *Epiſcopus poteſt ordinare eum, qui momento temporis declaratione ſua acquiſivit domicilium in diœceſi.*
18 *Abbas poteſt abſolvere Novitium ab excommunicatione Canonis, Si quis ſuadente, niſi Clericum percuſſerit ante ingreſſum Religionis.*
19 *Novitius an, & quo reſpectu Religioſus ſit judicandus, & num. 21.*
20 *Actus perfectè geſti à Novitio non reſolvuntur per egreſſum è Religione.*

1 **C**Um inter. Valet ſententia contra jus litigatoris lata, ſi ab ea infra decem dies non fuerit appellatum, Joan. Andr. Bald. Bellam. Butr. Card. Anch. Joan. de Anan. Guido-
2 pap. & Alex. de Nævo. Vel aliter ſecundùm Abb. Per ſententiam a qua non fuit appellatum, poteſt Eccleſia ſubjici Prælato inferiori Epiſcopo, ſeu ad aliam Eccleſiam pertinere. Hoc dicit.
3 In textu ibi, *Tonſuratione.* Nota Abbatem in Eccleſiis ſibi pleno jure ſubjectis poſſe primam Clericalem conferre tonſuram, prout hunc tex. ad hoc ponderat Hoſt. *in Summ. de tempor. ordin § Et à quo n. 5.* & ſic tonſurare poteſt non tantùm Monachos ſui Monaſterii, dummodò ſit Presbyter, & benedictus, *c. Quoniam, 69. diſt. & c. Cùm contingat ſup. de ætat. & qualit.* ſed etiam ſæculares, in quos habet ordinariam, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem: tales enim dicuntur Eccleſiæ ſibi ſubjectæ pleno jure, de quibus loqui-
4 tur iſta littera, id eſt cùm Epiſcopus nullum jus Epiſcopale ibi exercet, ſed tota juriſdictio ad Abbatem pertinet, ut notat Abb. *in c. Lateranenſi, n. 4. de præben. & in cap. Auditis in* 4. *not.* & ibi etiam Felin. *n. 4. de præſcript.* gloſſ. *in c. Quoniam, in verb. Utroque jure,* ubi etiam Hoſt. *ante n. 1. in eod.*
5 *verb. de privil.* & eſt expreſſum *in c. Abbates, eod. tit. lib. 6.* ibi, *Nec eis* (ſcilicet Abbatibus) *licitum ſit aliis, quam Monaſteriorum ſuorum Converſis, & qui ad illa convolaverint, & in quos Eccleſiaſticam, & quaſi Epiſcopalem juriſdictio-*
6 *nem obtinent, primam Clericalem conferre tonſuram.* Licèt hodie hæc facultas reſtricta ſit Conc. Tridentino ad ſubditos regulares dumtaxat, ut in *c. 10. ſeſſ 24.* de quo dic, ut ſcripſi *in c. Nonnulli, n. 24. & ſeqq. de reſcr.* & latiùs *in d. cap. Cùm contingat, à n. 1. & in c. Statuimus, de ſupplen. neglig. Prælat.*
7 Sed numquid Abbas poſſit Novitio ſui Monaſterii primam tonſuram conferre?

Contigit hic caſus in quodam Antonio, qui ingreſſus Religionem Ordinis ſancti Benedicti in Monaſterio, quod per Abbatem benedictum regebatur, habitum ſuſcepit, atque intra annum probationis ab eo ad primam tonſuram promotus, anno deindè probationis non expleto, atque ita profeſſione non emiſſa, ad ſæculum reverſus eſt.

Quæſitum eſt, an dictus Abbas intra annum probationis potuerit ei primam tonſuram conferre, adeò ut ordinatus non ſit ſuſpenſus?

Hæc quæſtio nullam habet dubitationem quoad impreſſionem characteris: nam etiamſi Abbas benedictus contuliſſet primam tonſuram ſæculari, qui habitum Religionis non aſſumpſiſſet, quamvis id facere non debuiſſet, tamen contuliſſet Ordinem, & characterem impreſſiſſet, licèt ordinatus careret executione, ut notat Archid. *in c. Quoniam, 69. diſt.* Lap. *alleg.* 138. *n.* 5. & aliàs cenſuit S. Congregatio Concilii. Quod tamen intelligendum eſt de Abbate ſolemniter benedicto, juxta textum *in d. c. Quoniam, & in cap. Cùm contingat, de ætat. & qualit.* & declarat ibid. Lap. & ſcripſi pleniùs *in d. c. Nonnulli, n. 24. & ſeqq. de reſcr.*

Sed dubium eò reſpicit, an ſic ordinatus rectè ordinatus fuerit, adeò ut in ſuſpenſionem non inciderit.

Hoc dubium, ſi Summiſtis ſit deferendum, negativè decidendum fuerit; ita enim ſenſerunt Raym. Goffred. *in ſumm. confeſſ.* quos refert, & ſequitur Silveſt. *in ver. Religio, 5. n.* 10. Angel. *in ver. Novitius, n. 19.* Tabien. *in eod verb. n. 14.*

Hi omnes nullam aliam rationem adducentes, nituntur text. *cap. Monaſterium, 19. q. 3.* ubi habetur, ad converſionem ſuſceptos ante biennium non eſſe tonſurandos, quod biennii tempus ad annum poſteà fuit coarctatum, ut notat Vervec. relatus per Silveſt. *ubi ſuprà.* Ratio hujus opinionis Summiſtarum colligitur ex *d. cap. Monaſterium,* quia ante hujus temporis lapſum, vita moreſque Novitii non ſatis poſſunt eſſe perſpecti.

Verùm neque tanta eſt Summiſtarum authoritas, neque textus, ac ratio, quibus moventur, uſque adeò hanc ſententiam comprobant, ut contraria non videatur potiùs ſequenda, quæ graviſſimas authores Canoniſtas habet, & gravioribus eſt rationibus munita.

Quòd enim Novitius poſſit à ſuo Abbate ſuſcipere primam tonſuram, ac minores Ordines, apertè ſcripſerunt gloſſ. *in c. Abbates, in ver. Convolaverint, de priv. lib. 6.* dum exponit verb. Convolaverint, id eſt, ut convertantur, & fiant Monachi. Idem ibi clarè tradit Jo. Andr. tametſi conſulat, ut Abbas abſtineat à tali ordinatione intra annum, quia poſſet poſteà exire, & ita fraus fieret ſuo diœceſano, Jo. Andr. ſequuntur ibid. Lap. Abb. ejus diſcipulus, Anchar. Gemin. & Franch. Idem ſentit Archidiac. *in c. Nullus, de tempor. ordin. lib. 6. in ver Infanti,* ibi: *Et tunc poſſet etiam Abbas conferre Clericalem tonſuram infanti ingreſſo Religionem.*

Hæc opinio probatur primò per text. *in d. c. Abbas, in ver. Convolaverint,* juncta expoſitione gloſſæ ibi probata à Doctoribus: deinde per text. *in c. fin. de tempor. ordin. lib. 6.* dum ibi diſponitur, infanti poſſe conferri Clericalem tonſuram, ſi ingrediatur Religionem, quia Ordinarius ad effectum ordinationis dicitur ratione originis, beneficii, vel domicilii, *c. Cum nullus, ubi omnes, eod. tit. & lib* At Novitius contra- 8
hit domicilium in loco, in quo agit annum probationis, ex notatis per Doct. *in d. c. Cùm nullus, §. fin.* Quo textu cum decernatur, ut Religioſi in non exemptis Monaſteriis manentes poſſint ordinari à diœceſano loci Monaſterii, quamvis aliundè originem ducant, Doctores hoc jus ordinandi tribuentes domicilio, inferunt idem procedere in Novitio, ut & ipſe à diœceſano loci, in quo eſt in probatione poſitus, debeat ordinari: quod ibi notat Lapus, Petr. de Anchar. & Franch. Quorum opinio caſui noſtro optimè congruit: nam ſicut ibi contrahitur domicilium reſpectu Epiſcopi, quia Prioratus, in quo Novitius morabatur, non erat exemptus, ſed ſubjectus diœceſano; ita in caſu noſtro, in quo agimus de Novitio manente in Monaſterio exempto, cui præeſt Abbas habens ordinandi facultatem, is contrahit domicilium quoad Abbatem; & ita illius ratione illi ſubditus efficitur ad effectum ordinationis; & quòd Novitius videatur voluiſſe mutare domicilium, tradit etiam poſt Goffred. Hoſt. Arch. & Gul. de Monte Laud. Henr. Boich. *in c. De his, in 2. col. in fin. de ſepult.* Quod etiam probant omnes, qui exiſti- 9
mant Canonicam portionem Novitii ante profeſſionem decedentis non deberi Priori Eccleſiæ, cujus erat ante ingreſſum Parochianus, quia ſcilicet eſſe deſiit per talem ingreſſum, Jo. Andr. Barbatia, & alii congeſti per Tiraquel. *de retract. lignag. §. 1. gloſſ. 8. num. 23.* Et quamvis Novitius exire poſſit, tamen ſatis eſt, ut poſſit etiam in Monaſterio manere, & quidem perpetuò ad effectum ordinationis ju-

judicetur, ut notat Lap. Anchar. & Franch. *in d. cap. Cùm nullus*, §. *fin. in fin.*

10 Tertiò, poteſtas rectè ordinandi pendet à juriſdictione, ut habetur *in d. c. Cum nullus*, & *in c. 1. & per tot. 9. qu. 2. & in c. 3. de Paroch* Novitius autem etiam durante anno pro-
11 bationis, quamvis non ſit Religioſus cum effectu, negari tamen non poteſt, quin interim ſit ſub juriſdictione Eccleſiaſtica, adeò ut perpetuò ſit conveniendus coram judice Eccleſiaſtico, Hoſt. Arch. & Jo. Andr. *in cap. Religioſo*, §. *fin. de ſent. excom. lib. 6.* quo textu ait Archid. corrigi ſententiam
12 Innocentii, qui negabat perſonam hujuſmodi eſſe Religioſam, *in cap. Statuimus, de regul.* Hinc, & rectè annotavit Lapus, quem Gemin. & Franc. ſequuntur in *d. c. Abbatem*, etſi Joan. Andr. poſtquàm expreſſit Novitium poſse ordinari ab Abbate, ſubjiciat eum facere contra *c. Religioſo*, tamen revera *d. c.* facit pro; nam quamvis eo textu dicatur non eſse Religioſus cum effectu, idque videatur adverſari ſententiæ noſtræ; tamen reverà potiùs facit pro, dum diſponit, ut ſi quis in eum manus violentas injiciat, incidat in excommunicationem latæ ſententiæ.

Huic opinioni adſtipulatur etiam conſ. Feder. de Sen. 32. incip. *Quæſtio talis eſt: Quidam de populo*, ubi reſpondit eum, qui cum eſset de populo interdicto, ingreſsus erat Religionem, poſse in anno probationis ordinari ab Epiſcopo, quamvis in ſtatu laicali non poſset abſque abſolutione à ſententia interdicti; & ſic Federic. ſentit ad effectum ordinationis Novitium cenſeri uti Religioſum, & judicari talem qualem præſens tempus demonſtrat: tametſi poſteà conſultius eſse cenſeat à tali ordinatione abſtinere, quam tamen de jure licitam putat.

Hinc patet poſteriorem hanc ſententiam graviores habere authores; nam habet Canoniſtas *in d. c. Abbates*, atque eos, qui *in cap. Cùm nullus*, ſentiunt Novitium eſse ordinandum à diœceſano loci Monaſterii: nam & hi ut ſupra ponderati pro hac ſententia numerari poſsunt. Patet etiam firmiores habere rationes.

13 Nec obſtat text. *in d. cap. Monaſterium*, 19. q. 3. quia illud verbum, *Tonſurari*, incautè acceptum eſt à Summiſtis pro prima tonſura, cùm tamen ibi ſignificet tonſuram Monachalem, ex qua profeſſio inducebatur, ut ibi notavit Turrecrem. & videre eſt ex his, quæ tradunt Doctores *in c. Non ſolum, de regul. lib. 6.* dum caventes Novitio, monent illi eſſe periculoſum facere ſibi magnam tonſuram, quia ex illa
14 inducitur tacita profeſſio: quod in ſpecie tradit ibi Franch. *in 2. col. verſ. Quartò quando*; & hanc interpretationem validè comprobat text. *in c. 2. de regul.* ubi cum diſponitur, ut quis tonſurari non debeat ante ætatem legitimam, Doctores ita accipiunt, ut non debeat tonderi, ut fiat Monachus per profeſſionem, ut notat ibi Abb. *n. 2. in fin.* Quod etiam indicat *d. c. Monaſterium*, dum ſubdit: Ne quis eorum non
15 ſit contentus, eò quòd nolit, aut ratum non habeat, quod elegit. Quæ ratio congruit profeſſioni inducendæ per tonſuram Monachalem, non autem ſuſceptioni primæ tonſuræ, quia nec per illius, nec per minorem Ordinum ſuſceptionem inducitur in Religione tacita profeſſio, ut per DD. *in d. c. Abbates*, quæ tamen inducitur per tonſuram Monachalem, DD. *in d. c. Non ſolum*, & *in d. c. 2.*

16 Non obſtat, quòd Abbas noſse eo tempore non potuerit mores Novitii: nam reſpondetur, quamvis non ſatis eos noverit ad effectum profeſſionis, ad quam major, & diuturnior probatio requiritur ob mutuam, & indiſsolubilem obligationem ex parte Religionis, & Novitii inſurgentem, juxta *c. Ad Apoſtolicam, de regular.* potuit tamen ſufficienter noſse ad effectum conferendi primam tonſuram, cùm indole illius non cognita non ſit veriſimile, ut illum admiſerit ad Religionem, *cap. Priſcis*, 55. *diſtinct.* Ac prætereà, dummodò Abbas in eum juriſdictionem habeat, quamvis undequaque ſibi non ſit notus, eum poteſt ordinare, cùm notitia non ſit neceſsaria ex commoratione, ſed aliundè
deſumi poſſit. Quod ſatis liquet ex eo, quòd Epiſcopus 17
poteſt ordinare eum, qui declaratione ſua momento temporis acquirit domicilium in diœceſi, Franch. *in d. c. Cùm nullus*, ubi etiam alii ſuper gloſs. *in ver. Domicilium, de tempor. ordin. lib. 6.*

Item ex eo, quòd Epiſcopus poteſt ſtatim ordinare eum, cui beneficium contulerit, ut ibidem per DD. & tamen utroque caſu ordinandus incognitus eſse poteſt ordinatori: ſic etiam Epiſcopus ordinat eum, cujus pater in diœceſi originem habet, quamvis ipſe alibi natus ſit, ut tradunt ibi DD. & hic tamen incognitus eſse poteſt. Innumera alia exempla colligi poſsunt, quibus abundè liqueat ordinantem, dum in ordinatum habeat juriſdictionem, non excludi à facultate illum ordinandi ob notitiæ defectum, dum tamen illam debitis modis aſsumat; licèt congruentius fortaſsis eſset, ſi talem ordinationem ad Epiſcopum, in cujus diœceſi ordinandus vixit, & notior eſt, rejiceret, ſicut Epiſcopo loci beneficii, & huic noſtro Abbati prudenter conſuluerunt DD.

Minùs obſtat, quòd ſi quis injiciat manus violentas in 18
Clericum, & deindè Religionem ingrediatur, non poſſit abſolvi ab Abbate, quaſi ei non ſubjectus durante anno probationis, Innoc. *in c. Cùm illorum, de ſent. excom.* Jo. Andr. Lap. Anchar. & alii cumulati à Tiraq. *dict. loco num.* 31. Nam prætèrquàmquòd huic opinioni contradicunt nedum Archid. *in d. c. Religioſo*, quem ſolum ab ea diſsentire falsò ait Tiraq. ſed etiam Raym. & Hoſt *ibid.* ab Archid. *citati*: quatenùs tamen eadem opinio vera eſset, intelligeretur cum quis incidiſset in Canonem ante ingreſsum; quòd ſi incidiſset durante anno probationis, ab Abbate poſset abſolvi. Ita conciliando Innoc. qui *in c. Monachi*, *de ſent. excomm.* ſcribit contrarium ejus, quod tradiderat *in d. cap. Cùm illorum*, docuit Joan. Andr. *ibid.* Franch. *in d. cap. Religioſo*, dicens, ita ibi ſentire DD. Ex quo ſequitur, ut Abbas habeat juriſdictionem abſolvendi, dum tamen in Canonem non inciderit ante ingreſsum.

Tandem non adverſatur huic opinioni, quòd hic Novi- 19
tius vel ſit Religioſus ſub conditione, adeò ut ante conditionis implementum Religioſus non ſit, vel ſaltem ſit purè Religioſus ſub conditione reſolutiva, adeò ut eo poſteà ad ſæculum remanente, & ſic non impleta conditione, nunquam videatur fuiſse Religioſus: quod traditum eſt ab Anchar. *in conſ. 69. n. 8. & 9.* Nam utcumque ſe res habeat, tam quoad veritatem hujuſmodi opinionis, quàm aliarum multarum traditionum, quæ habentur in hac materia apud Tiraq. *ubi ſup.* & DD. *in c. Beneficium, de regul. lib. 6. & d. c. De his, de ſepultur.* & Feder. de Sen. *d. conſ.* 32. an ſcilicet ex quo Novitius eſt in ſtatu dubio, de eo ſit judicandum, ac ſi ſit Religioſus, vel ſæcularis: certè quantum ad noſtram quæſtionem pertinet, omiſſis aliis effectibus, ſatis eſt, ut ſubſit juriſdictioni Abbatis, & in ejus Monaſterio domicilium contraxerit, cùm ex horum altero proveniat jus 20
illum interim ordinandi: & quamvis hic ſtatus poſteà reſolvatur per egreſsum Novitii, non tamen reſolvuntur actus perfecti medio tempore geſti, ut patet ex plenè notat. per Tiraq. *de retract. convent.* §. 2. *gloſſ. unic. num.* 74.

Hæc cum ita ſe habeant, apertè ſequitur, ut hoc jus duret etiam poſt Concilium: cùm decretum *c. 10. ſeſſ. 23.* adimens Abbatibus jus ordinandi alios, quàm Regulares ſibi ſubditos, Novitium non excludat, de quo tamquam de Regulari ad hunc effectum judicatur, ut ſentit Feder. *d. conſ. 32. in fin.* Præſertim cum Novitius etiam abſolutè Regularis, & Religioſus dici poſſit ſaltem largo modo, Joan. Andr. Franc. & alii *in d. c. Beneficium*, ex communi Navar. *conſ. 5. & 6. de foro compet.* Rebuff. *in prax. de diſpenſat. cum Regularibus facta num.* 23. & ſufficit, ut ſint tales largo modo, ut non excludantur à Concilio, & minùs quàm fieri poſſit corrigatur jus antiquum, *cap. Cùm expediat, de elect. lib. 6.* cum concordantibus.

DE

DE APPELLATIONIBUS.

Alexander III. Abbati ſancti Petri.

CAPUT III.

AD noſtram : & infrà . Qui verò remedium appellationis non ideò eſt inventum, ut alicui à Religionis & ordinis obſervantia exorbitanti, debeat in ſua nequitia patrocinium exhibere: Mandamus, quatenus, ſi quando quilibet ſubditorum tuorum ad remedium appellationis convolaverit, non ideò minùs eum juxta tenorem mandati, quod in prædicta regula continetur, & inſtitutionem ordinis corrigas, & caſtiges.

S U M M A R I U M.

1 *Regularibus à correctione Prælatorum ſuorum appellare non licet.*
2 *Appellationis remedium ad quid inſtitutum, & n.4.*
3 *Prælatus Regularis corrigens ſubditorum exceſſus recuſari non poteſt.*
4 *Appellatio à correctione legitima non admittitur.*
5 *Appellatio in his, quæ ad viſitationem, & morum correctionem ſpectant, admittitur ad effectum devolutivum tantum, non ſuſpenſivum, & n. ſeqq.*
6 *Appellare non licet in cauſis viſitationis, & correctionis ante diffinitivam ſententiam à quocumque gravamine.*
7 *Niſi à diffinitiva appellari non poſſit, aut gravamen ſit irreparabile.*
8 *Appellari poteſt poſt diffinitivã in cauſis viſitationis, & correctionis, ſed appellatio non ſuſpendit executionem.*
9 *Concilium Tridentinum à decretis viſitationis, & correctionis ſuſtulit appellationem ſuſpenſivam, non devolutivam.*
10 *Metropolitanus poteſt cognoſcere de exceſſu, ſi Epiſcopus carceret ſubditos in materia correctionis, dummodò non impediat executionem.*
11 *Appellari poteſt ad utrumque effectum, ſi Prælatus excedat modum in corrigendo, & procedat tale judiciaria, & n. ſeq. uſque in finem.*
12 *Monachus, ſicut & Clericus, appellare poteſt à correctione, ſi fiat in forma judicii.*
13 *Correctio fit ad pœnitentiam.*
14 *Blaſphemiæ, ſeu adulterii punitio non comprehenditur correctionis morum appellatione, quando Epiſcopus judicialiter proceſſit.*
15 *Corrigere quid ſit.*

A*D noſtram*. A correctione non appellatur, niſi modus excedatur. Hoc dicit. Dividitur in duas partes.
Primò ponit cauſam mandati. Secundò ipſum mandatum
ibi, *Mandamus*.
1 Nota ex textu, à correctione Prælati Regularis non dari
appellationem. Et pondera rationem in litera expreſſam,
2 quia remedium appellationis non ideò eſt inventum, ut alicui à Religionis, & Ordinis obſervantia exorbitanti, id eſt
quaſi per cæcitatem mentis devianti, ſecundùm Hoſt. *nu.* 5.
debeat in ſua nequitia patrocinium exhibere; concordat *c.
Reprehenſibilis*, ibi: *Ne Religioſi cùm pro aliquo exceſſu fuerint corrigendi, contra Regularem Prælati ſui, & Capituli
3 diſciplinam appellare præſumant*. Et ob eamdem rationem
non admittitur recuſatio, *c. Cùm ſpeciali*, ubi id notant
Innoc. Hoſt. Joan. Andr. & alii *infra eod.* gloſſ. *fin. hìc*, &
Guidopap. *num.2. verſ. Qua de cauſa*.
4 Cæterùm etſi hæc Conſtitutio loquatur in Regularibus,
tamen inſpecta mente, vendicat ſibi locum etiam in aliis
ſubditis, prout illam Doctores communiter intelligunt, præſertim Innoc. *poſt princ. Et quod dicimus*, inquit, *in corrigendis exceſſibus Regularium, idem intelligimus etiam de exceſſibus aliorum ſubditorum*, & Hoſt. *n.3. in verſ. A Religionis*,
Bald. *n.2.* Abb. *n.7. &* 8. Alex. de Nævo *n.13. &* 14. Et proptereà in prædicta decretali *Reprehenſibilis*, dicitur hoc præcipuè in Religioſis eſſe obſervandum: quia ſcilicet in eis viget
peculiaris ratio propter obedientiam, & Regularia inſtituta. Sed tamen ſuperiùs ponitur generalis prohibitio, *Nec
ſubjecti contra diſciplinam Eccleſiaſticam in vocem appellationis erumpant*. Concordat *c. Licèt*, & *c. Irrefragabili in
princ. ſupra de Offic. Ordin. & c. Pervenit, il 1. infra eod.* Remedium namque appellationis non ad defenſionem iniquitatis, ſed ad præſidium innocentiæ eſt inſtitutum, ut legitur
in d. c. Cùm ſpeciali, §. *Porrò*, & unaquaque re utendum eſt
ad eum uſum, in quem fuit inſtituta, *c. Is autem 22. q. 2. c. Licet, il 2. 45. diſt.* cum aliis allegatis per gloſſam primam, &
Hoſt. *in princ.* Prætereà appellatio inducta eſt, ut ſententiæ
in melius reformentur, licèt aliquando in deterius fiat, per
judicem ad quem, ut dicit tex. *in l.1. in princ. ff. de appell.* &
ideò cùm per appellationem debeant ſententiæ in melius
reformari, & iniquitas primi judicis corrigi, non debet ejus
contrarium operari, *arg. l. Legata inutiliter, ff. de adimen.
legat. in l. Cùm tale*, §. *Falſam legati, ff. de condit. & demon.*
& obſervat hìc Guidopap. *n.2.* Unde hanc regulam, videlicet à correctione legitima non appellari, generaliter ponunt hìc gloſ. *fin.* & Hoſt. *ubi ſupra*, Jo. Andr. Butr. Cardin.
Bald. & Abb. & alii omnes *in princ.*
Declaratur hæc regula, ut procedat quoad effectum ſuſ- 5
penſivum tantùm, ut ſatis innuunt verba *d. c. Irrefragabili
de Off. Ordin.* ibi, *Executionem ipſorum nulla conſuetudo, vel
appellatio valeat impedire*, & apertiùs hodie ſancitum eſt à
Tridentina Synodo *in c.1 verſ. Nec appellatio, ſeſſ. 22.* & fuſiùs *in c.10. ſeſſ. 24.* ubi, [Ut Epiſcopi aptiùs quem regunt
populum, poſſint in officio, atque obedientia continere,
ſtatuitur, ut omnibus iis, quæ ad viſitationem, ac morum
correctionem ſubditorum ſuorum ſpectant, jus habeant
etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati ea ordinandi, &
exequendi, quæ illis pro ſubditorum emendatione, & Diœceſis ſuæ utilitate neceſſaria videbuntur. Nec in his, ubi
de viſitatione, & morum correctione agitur, exemptio, aut
ulla inhibitio, appellatio, ſeu querela etiam ad Sedem Apoſtolicam interpoſita, executionem quoquomodo impediat,
aut ſuſpendat.]
Sed ad effectum devolutivum benè admittitur appellatio 6
etiam à correctione, ut patet ex alio ejuſdem Concilii decreto, nempè *ex c.1. ſeſſ.13.* ubi ſtatuitur, ut in cauſis viſitationis, & correctionis ab Epiſcopo, ſeu illius Vicario ante
diffinitivam ſententiam ab interlocutoria, vel alio quocumque gravamine non appelletur. Nec Epiſcopus ſeu Vica- 7
rius appellationi hujuſmodi tamquam frivolę deferre teneatur, niſi gravamen hujuſmodi per diffinitivam ſententiam
reparari, vel ab ipſa diffinitiva appellari non poſſit. Quibus
verbis apertè admittitur in cauſis correctionis licere appellare poſt diffinitivam ſententiam, vel anteà, ſi gravamen ſit
irreparabile. Hoc autem intelligi debet quoad effectum de- 8
volutivum, non autem ſuſpenſivum: & ita Sacra Congregatio Concilii hoc decretum intellexit, & conciliavit cùm
præallegatis decretis *c.1. ſeſſ.22. c.10. ſeſſ.24.* Non conſulta,
an in cauſis viſitationis, & correctionis appellari poſſit poſt
diffinitivam: reſpondit poſſe: ita tamen, ut appellatio non
non ſuſpendat executionem, ut ſancitum eſt *c.10. ſeſſ.24. &
c1. ſeſſ.22.* Item conſulta, an decretum *c.10. ſeſſ.24.* ſuſtule- 9
rit appellationem devolutivam: cenſuit non ſuſtuliſſe devolutivam, ſed ſuſpenſivam tantùm; & quamvis Epiſcopus id
faciat tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, prout habetur
in d. c.10, tamen cum juriſdictio jure ſuo ordinario ei etiam
ante Concilium competeret, non impedire appellationis
devolutivam ad Metropolitanum.
Et iterùm ſuborta dubitatione, an in materia correctio- 10
nis, ubi Epiſcopus etiam ſine proceſſu, & ſine ſcriptis carcerat

rat ſubditos, & tenet diu carceratos, poſſit Metropolitanus
cognoſcere de exceſſu in corrigendo, ſi carcerati appellave-
rint ad eum: cenſuit poſſe, dummodò interim non impe-
diat, aut ſuſpendat executionem eorum, quæ ab Ordinario
decreta fuerit.
11 Cæterùm ſi Prelatus Regularis excederet modum in cor-
rigendo, tunc liceret ſubdito appellare ad utrumque effe-
ctum; & ita procedit text. *in c. De priore, infra eod. in c. Super
quæſtione n, § nos autem, ſupr. de off. deleg.* ſicut appellatur ab
executore, cùm modum excedit, *c. Quod ad conſultationem
in fine, ſupra de re judic.* à quo aliàs appellari non poteſt, *cap.
novit. infra eod. c. Ei qui, § Sunt quorum verſ. Ab executore 2.
q. 6.* & notat hìc gloſſa *fin.* Innoc. *in princ.* ubi dicit hodie non
eſſe differentiam inter Regulares, & alios, & inter corre-
ctionem, & alium proceſſum, cùm ſemper liceat appellare,
ſi excedat, ſeu gravet, *per c. Licèt, de off. ordin. & c. Inquiſitio-
nis, de accuſat.* ſequitur Hoſt. *n. 3. in ver. A Religionis, & n. 6.
in verſ. Corrigas,* & Bald. *n. 2.* Unde infertur, ut ſi Prælatus in
cauſa viſitationis, ſeu correctionis procedat ſervata tela ju-
diciaria, liceat appellare etiam ad effectum ſuſpenſivum, ut
colligitur *ex c. Irrefragabili, in princ.* ibi, *Niſi formam in ta-
libus exceſſerint obſervandam, de off. Ordin.* & tenent hìc
12 Tancred. & Vincen. & poſt eos Jo. And. *n. 6. in gloſ. ult.* ibi,
Judicii, ubi dicit poſſe Monachum, ſicut & Clericum, ap-
13 pellare, ſi correctio fiat in forma judicii, & eſt mens gloſſ.
ult. hìc, & Hoſt. *num. 8.* dum dicunt idcircò à correctione
non poſse appellari, quia fit ad pœnitentiam, & extra for-
mam judicii; innuentes per hoc, ſecus dicendum eſſe, ſi
procedatur ſervato ordine judiciario.
14 Et hanc ſententiam aliàs probavit S. Congregatio Con-
cilii. Conſuluit enim Auditor Cameræ, an cum Epiſcopi
ſervata tela judiciaria ferunt ſententiam diffinitivam contra
delinquentes, habeant locum decreta Concilii de viſitatio-
ne loquentia, & præcipuè *c. 10. ſeſſ. 24.* adeò ut appellatio
ad effectum ſuſpenſivum nullatenus debeat admitti, etiamſi
ſententia lata fuerit ad puniendum delictum blaſphemiæ,
vel adulterii: Sac. Congregatio cenſuit appellatione corre-
ctionis morum non comprehendi blaſphemiæ, & adulterii
correctionem, ſeu punitionem, quando Epiſcopus judicia-
liter proceſſit, cognovit, & pronuntiavit. Ita omnes excepto
Cardinali Carafa, quia correctio ultra quòd videtur reſpi- 15
cere tantùm ea, quæ concernunt regulam, & inſtitutum
Ordinis, *c. Ad noſtram, de appell.* ubi Abb. videtur etiam
ſentire Concilium *c. 1. ſeſſ. 22.* ubi exprimendo, Quibuſcum-
que criminibus Eccleſiaſticis, tamen requirit etiam aliud,
ut fiat extra formam judicii, & ad pœnitentiam, gloſſa
etiam *d. c. Ad noſtram*, Anchar. Butr. Imola, Gemin. &
Abb. *in c. Si quis contra Clericum, in repet. n. 50. & c. Cùm
contingat, n. 39. de foro compet.* ubi conſtituit differentiam,
an Fpiſcopus proceſſerit correctionaliter, vel judicialiter,
& corrigere eſt id quod aliquando tenuit tranſmutare, Car-
dinal. in Clem. *Si Romanus, in princ. de præbend.* Archiepi-
ſcopus Florentinus *in Summa 2. p. de correctione*. Et condo-
nare blaſphemum, vel adulterium, eſt punire delictum, non
corrigere mores. Et quamvis *d. c. 10. Utatur ver. Puniendi*,
& ſic extra pœnitentiam, & utatur etiam verb. *Judicata*,
& ſic etiam in forma judicii: tamen quia loquitur de viſita-
tione, & correctione, ad viſitationem, & correctionem
debet referri. Ideòque, ſi Epiſcopus in dictis duobus cri-
minibus judicialiter proceſſit, admittendam eſſe appellatio-
nem etiam ad effectum ſuſpenſivum; tamen Cardinalis Mo-
ronus dixit agendum cum Sanctiſſimo.

Sanctitas ſua Congregationis ſententiam approbavit, ut
ſi Epiſcopus judicialiter proceſſit ad diffinitivam, non com-
prehendatur hìc caſus appellatione correctionis morum, &
detur appellatio etiam ſuſpenſiva nedum in prædictis duo-
bus caſibus blaſphemiæ, & adulterii, ſed etiam in omnibus
aliis ſimilibus, ubicumque Epiſcopus judicialiter proceſſit.

DE APPELLATIONIBUS.

Alexander III.

CAPUT XII.

SUper eo: & infrà. Sacri Canones, ante & poſt litis conteſtationem, & in prolatione ſententiæ & poſt, ſingulis facultatem tribuunt appellandi: leges autem ſæculares appellationem (niſi in caſibus) ante ſententiam non admittunt. In cauſis quoque Eccleſiaſticis, ubi appellationis remedium tollitur, ſicut appellationi, ita recuſationi, non eſt aliquatenùs deferendum. Si autem infra certum tempus lis decidenda committitur, ex tunc terminus incipit currere, cùm judices contigerit literas recepiſſe.

SUMMARIUM.

1 *APpellari poteſt ſecundùm Cannones tam ante, quàm poſt litis conteſtationem, in actu prolationis ſententiæ, & poſt; ſecundùm leges verò poſt ſententiam dumtaxat, & n. 16. & ſeq.*
2 *Et ratio differentiæ triplex aſſignatur.*
2 *Inſtantia cauſarum de jure civili perit triennio, ſed de jure Canonico cauſæ inſtantiam non habent, & cur.*
Et quid poſt Concilium Tridentinum, n. 29. in fin.
4 *Appellans temerè, punitur de jure civili non autem de jure Canonico.*
5 *Appellari poteſt ſecundùm Canones etiam extra judicium, non ſecundùm leges.*
6 *Sententiæ appellatione venit diffinitiva.*
7 *Appellatione remota an, & qualiter intelligatur remota recuſatio, & n. 14. & ſeq.*
8 *Recuſatio juriſdictionem ſuſpendit, ſicut appellatio.*
9 *Terminus judici aſſignatus in reſcripto ad cauſam diffiniendam currit à tempore præſentationis litterarum, & non ante.*
10 *Quod procedit quoad exercitium juriſdictionis, non autem quoad vires reſcripti.*
11 *Item procedit, ſi tempus fuerit limitatum per numerum dierum, hebdomadarum, menſium, vel annorum. Secus, ſi ad certum diem.*
12 *Et facta aſſignatione per numerum menſium, quot dies ſint computandi.*
13 *Et an dies aſſignationis computetur in termino, remiſſivè.*
14 *Executor poteſt recuſari, & tamen ab eo appellari non poteſt, niſi excedat fines mandati.*
15 *Clauſula,* appellatione remota, *quid operetur.*
16 *Appellari poteſt poſt ſententiam diffinitivam, etiam nulla cauſa expreſſa, & ſufficit dicere,* Appello.
17 *Quod procedit etiam in cauſis electionum, licèt in his tutius ſit cauſam exprimere.*
18 *Item procedit etiam in appellatione, quæ fit à judice extra judicem.*
Et quid in appellatione extrajudiciali, quæ fit à parte contra partem, remiſſivè, n. 20.
19 *Appellatio à diffinitiva cum expreſſione cauſæ manifeſtè frivolæ non tenet.*
21 *Appellari non poteſt à diffinitiva, niſi gravet.*
22 *Sufficit tamen qualecumque gravamen etiam modicum.*
23 *In appellationibus recipiendis à diffinitiva, & inhibitionibus decernendis ſervari debet forma c. Romana, de appell. lib. 6. & Decretũ S. Congregationis Epiſcoporũ.*
24 *Appellatio admittitur ſecundum Canones ab interlocutoria, vel gravamine aliquo, dummodò concurrant decem, quæ hìc exprimuntur.*
25 *Appellatio ſub conditione, quatenus propoſita petitio non admittatur, non valet.*

Appel-

26 *Appellari poteſt ab interlocutoria de jure civili, quando non expectatur alia ſententia diffinitiva.*
Item à gravamine, quod per diffinitivam, vel per appellationem à diffinitiva reparari non poteſt, n.28.
27 *A ſententia, qua quis pronunciat ſe judicem incompetentem, appellari poteſt etiam ſecundùm leges.*
29 *Appellatio ab interlocutoria vel alio gravamine ante diffinitivam in quibus caſibus admittatur ex Conc. Trident. & n. ſeqq. uſque 51.*
30 *Appellari poteſt poſt ſententiam diffinitivam etiam in cauſis viſitationis, & correctionis, ſed ad effectum devolutivum tantùm, non ſuſpenſivum, niſi gravamen ſit irreparabile.*
31 *Sententia diffinitiva.*
32 *Et quæ ſententia quaſi diffinitiva, n.34.*
33 *Sententia lata ſuper poſſeſſorio dicitur quaſi diffinitiva.*
35 *Appellatio à diffinitiva in multis caſibus nõ admittitur.*
36 *Metropolitanus non poteſt cognoſcere de gravamine ante diffinitivam, nec ſimpliciter mandare, ut ſibi tranſmittatur copia proceſſus expenſis appellantis.*
37 *Appellari poteſt à gravamine etiam irreparabili, quando judex extrajudicialiter procedendo gravat partes.*
38 *Sententia interlocutoria quæ dicatur.*
39 *Tortura infert gravamen ireeparabile, & ideò ab illius comminatione datur appellatio.*
40 *Carcer infert onus, & gravamen continuum, & numquã tranſit tempus appellandi à gravamine carcerationis.*
41 *Carcer regulariter inſtitutus eſt ad cuſtodiam, & locus ſanctus eſt.*
42 *Carceratus etiam cuſtodiæ cauſa dicitur luere pœnam in corpore.*
43 *Carcer infamiam irrogat, & damnum irreparabile, & num. ſeqq.*
44 *Appellationi ab indebita carceratione Ordinarius tenetur deferre, & proceſſum tranſmittere ad Metropolitanum; reo tamen interim manente in carceribus.*
45 *Judex appellationis juſtificato gravamine ante diffinitivam an debeat principalem cauſam remittere ad Ordinarium.*
46 *Cenſura Eccleſiaſtica trahit ſecum executionem, & ab ipſa appellatur ad effectum devolutivum tantùm, non ſuſpenſivum.*
47 *Sed à cominata cenſura datur appellatio ad utrumque effectum.*
Sententia excommnicationis eſt potiùs interlocutoria, quàm diffinitiva, ibid.
48 *Appellatio in judicio non admittitur à futuro gravamine, niſi illud ſit irreparabile.*
49 *Citatus ad dicendam cauſam, quare non debeat excommunicari, poteſt appellare.*
50 *Secus ſi citetur ad dicendam cauſam, quare non debeat declarari excommunicatus.*
51 *Appellari an poſſit viva voce, dum ſententia excommunicationis profertur, & n. ſeq.*
52 *Actus ſpiritualis eſt penetrabilior, quàm actus humanus.*

S*Uper eo*. Ipſum ſe ſummat, ſed per alia verba ſic ſummari poteſt: Secundùm Canones appellatur etiam ante ſententiam; ſecundùm leges non, niſi in quibuſdam caſibus. Hoc dicit primò. Appellatio & recuſatio parificantur in hoc, quòd ſicut in appellatione requiritur cauſa probabilis, ita & in recuſatione. Hoc ſecundò juxta verum, & communem intellectum. Terminus judici aſſignatus ad cauſam decidendam non incipit currere niſi à tempore præſẽtationis reſcripti. Hoc tertiò. Dividitur in tres partes, prout ſunt tria dicta. Secunda, ibi, *In cauſis*. Tertia, ibi. *Si autem*.

1 Nota primò, ex prima parte textus, inſignem differentiam inter jus Canonicum, & jus civile in materia appellationis; nam de jure Canonico appellari poteſt quatuor temporibus. Primò, ſcilicet, ante litis conteſtationem. Secundò, poſt litem conteſtatam. Tertiò, in ipſo actu prolationis ſententiæ, id eſt dum ſententia legitur, de quo eſt caſus hìc qui, non reperitur alibi, ſecundùm Bald. *num.*4. Quartò, poſt ſententiæ promulgationem, concordat §. *Patet ergo, ver. Tempus, verò*, qui habetur poſt *c. Qui ſcit*, 3. *q.*6. *& c. Cùm ſit Romana, ſup. eod* De jure civili autem exceptis quibuſdam caſibus ante ſententiam non appellatur, *ut hìc, l. Apertiſſimè, C. de jud. l. fin. C. de ſent. interloc. omn. jud. & l. Ante ſententiæ tempus, C. Quorum appell. non recip.*

Prima ratio differentiæ eſt, quia de jure civili per appella- 2
tionem à diffinitiva reparantur omnia gravamina in proceſſu illata. Unde cùm leges civiles inſpiciant ſolùm gravamen, & pars in effectu non remaneat gravata; quia aut obtinebit in definitiva, & parum remanebit læſa ex interlocutoria; aut ſuccumbet, & per appellationem à diffinitiva gravamina illa remanebunt emendata: ideò nil mirum, ſi ſecundùm leges talis appellatio non permittatur: quæ ratio colligitur ex textu juncta *gloſ.*1. *in l.*2. & ibi per Bald. *C. de Epiſcopali Audien.* At jus Pontificium non tantùm reſpexit gravamen, ſed etiam injuſtitiam, cùm potiſſimùm invigilet ſuper correctione peccatorum, *ut c. Novit, ſupr. de jud.* Unde quamvis gravamen ſit modicum, eò quòd reparetur vel per diffinitivam, vel appellationem ab ipſa; tamen per hoc non tollitur, quin à judice ſit facta injuſtitia, & ſic peccatum. Meritò ſacri Canones admittunt appellationem à quocumque gravamine. Et hanc rationem differentiæ aſſinat Præpoſ. hic *num.*6.

Secunda ratio eſt, quia jus civile magis ſtudet fini inſtantiæ litium, quàm jus Canonicum ex notatis in *c. pen. ſup. de jud.* quam rationem differentiæ conſtituit Bald. in *d. l.*2. *& in
l. Ante ſententiæ, C. quor. appell non recip.* Et hæc eſt ratio, 3
quare de jure Canonico cauſæ non habeant inſtantiam, ni mirum propter amplam facultatem appellandi conceſſam, *ut d. c. pen.* nam cùm tot appellationes à quovis gravamine admittantur, inſtantia ſi eſſet concluſa triennio, plerumq; periret ante diffinitivam. At de jure civli ceſſat hujuſmodi inconveniens propter reſtrictam facultatem appellandi, & ideò inſtantia finitur triennio, *l. Properandum in fin. princ. C. de judic.* prout innuunt hìc Hoſt. *n.*3. *in ver. Leges autem*, & Jo. Andr. *n.*2. & apertiùs Abb. *n.*5. & Præpoſ. *n.*6. *in fin.*

Tertia differentiæ ratio eſt, quia ſacri Canones mitiùs pro- 4
cedunt, quàm leges ſæculi; & propterea ſecundùm Canones indiſtictè appellari poteſt non ſecundùm leges, ut ait gl. *not. in l.*1. *in ver. ab eo provocare, C. à quib. appel. non liceat*, & Abb. *hìc n.*3. *verſ. Item dic.* Quo fit, ut jure civili puniatur temerè appellans non jure Canonico, *ut l. ab executione, § fin. C. quor. appel. non recip.* & not. gloſ. præal. Sed an hoc ſit verum, vide
per Abb. in *d. c. Ut debitus, inf. eod.* Inde etiam fit, ut ſecundũ 5
Canones liceat appellare etiam extra judicium, quamvis nõ liceat ſecundùm leges, ut *not. in c. Cùm ſit Romana, ſup. eod.* & in prædicta Decret *Ut debitus*, & per Hoſt. hìc *n.*3. *ver. Sed & extr. jud.* J. And. *n.*1. & Abb. *n.*2. *ver. Adde & quantũ tẽpus.*

Secundò, nota ibi, *In probatione ſententiæ*, junctis verbis 6
pręcedentibus; ſententię appellatione intelligi de diffinitiva, ad idem *c. Cùm olim, & ibi gl. ult. ſup. de teſt.* & hìc notat. Abb. *n.*6. Franc. in 2. *notab.* & Præp. *n.*4 facit Rubrica, *C. de ſent. & interloc. omnium judicum*, ponderando copulam, *Et*, quæ ponitur inter diverſa, *l. ſi duo, C. per quas perſonas nobis acquiritur*, & notat Bart. in *l.*1. *n.*1. *ff. de pactis*.

Tertiò, nota ex ſecunda parte textus, Appellationem, & re- 7
cuſationem æquiparari; quia ſublato appellationis remedio cenſetur etiam ſublatum remedium recuſationis, ut hic videtur caſus, ſi verba inſpiciantur, & not. Bur. in 2. *not.* & Abb. *n.*6. *in §. In cauſis.* Quod procedit, ſive appellatio tollatur per jus comm. *ut c.*3. *& c. Cùm ſit in fin. ſup. eod.* ſive per ſpeciale reſcriptum Principis, *ut c.*1. *de reſcr & c. ſuper queſtionum de off. Deleg.* utroq; enim caſu & recuſatio intelligitur ſublata,
ſecundùm Hoſt. *n.*3. *in ver. Tollitur*, Jo. Andr. *n.*2. *in eod. ver.* 8
& Butr. *n.*4. *verſ. Quæro an procedat.* Sed an hoc ſit verum, latiùs dicam infr. in gl. *pen. n.*14. Æquiparantur etiam in hoc appellatio, & recuſatio, quia ſicut per appellationem ſuſpenditur juriſdictio, *c. Venientes ſup. de jurejur.* ita & per recuſationem, ut voluit gl. *not. in c. Quoties Epiſcopi, in ver. Appellent*, 2. *q.*6. quę dicit, quidquid fit poſt recuſationem, ęquè caſſari, ac ſi fieret poſt appellationem, per text. in *c. Cùm ſicut, in fin. ſup. de eo qui mit. in poſſeſſionem*, & ſequitur Philp. Franc. in 3. *not. & in cap. Cùm ſpeciali, inf. eod.* Adde Bald. *conſ.*26. *incip. Dum lis, & quæſtio, n.*1. *&* 5. *ver. Non repetendo, l* 1.

Ultimò, nota ex tertia parte text. terminum aſſignatum ju- 9
dici in reſcripto ad cauſam diffiniendam, currere à tempore præſentationis litterarum, & nõ antea, ut hic eſt caſus. Ratio eſt, quia ante receptas literas juriſdictionẽ nõ habet, ac proinde illã exercere non poteſt *ut c. Paſtoralis, ad fin. ſup. de reſcr.*
Unde limita primò hunc textũ, ut procedat quoad exercitiũ 10
juriſdictionis, in quo attenditur tẽpus præſentationis literarũ, ut hìc dicitur. Secus verò quoad vires reſcripti impetrati, quia inſpicitur tẽpus impetrationis, ſeu datæ, ut per collect. hìc *n.*3. Super quo remittit ad Archid. in *c. Is qui, de Proc. l.*6.

Li-

11 Limita ſecũdò, ut locũ habeat, ſi tempus hujuſmodi diffinitũ
fuerit per numerum dierum, hebdomadarum, menſium, vel
annorum. *Secus ſi fuerit limitatum ad certum diem*, puta
intra feſtum Aſſumptionis, vel intra tales Calendas: tunc
enim certum eſt tempus poſt datam currere, & ſemper labi,
ſecundũ Jo. Andr. hìc *n.2. in ver. Certum tempus*, & Butr. *n.5.*
12 Sed hic incidit dubitatio, ſi tempus fuerit diffinitum per
numerum menſium indeterminatè, quo modo ſit facienda
computatio dierum. Dic breviter tot dies fore computan-
dos, quot habet ille menſis, in quo aſſignatur ipſa dilatio;
quòd ſi quid lapſum fuerit de illo menſe, ſupplebitur in mẽſe
ſequenti: & ideò ſi dilatio unius menſis aſſignetur in menſe
Augufti, computabuntur dies unus & triginta; ſi in menſe
Septembris, dies triginta: ſi in mẽſe Febr. dies 28. ut poſt Gu-
liel. declarat gloſ *not. in c. Quam ſit, in ver. Menſem, de elect.*
l.6. dicens hoc probari apertiſſimè *in c. Licèt ſup. de ſupplen.*
negl. Præl. inducendo illud, ut ibi per gloſ & ſequuntur Pręp.
hìc *n.28.* Bart. plenè *in l. Cùm Biſſextus, n.1. ff. de verb. ſign.* &
Mar. Soc. *conſ. 99. Sereniſſ. Rex, col. 1. vol. 3.* Non obſtat tex. in
l. Ubi lex, ff. de reg. jur. ubi pro duobus menſibus cõputantur
dies unus & ſexaginta; quoniam, ut inquit Bart. intelligi de-
bet ſecundùm diſtinctionem ſuã, & de intellectu illius legis
vide Signor. de Homodeis *conſ. 38. Si quæratur in princ.* &
13 Alex. *conſ. 114. Viſa ſcriptura, n.10. & ſeq. verſ. Et ſi diceretur*
lib.5. An autẽ dies aſſignationis termini computetur in ter-
mino, vide hic pro, & contra *in gl. ult.* per Hoſt. *n.6. in ver.*
Cùm judices, Jo. And. *n.10.* Collect. *n.3.* Bald. *n.1* Butr. *n.12.* &
Præp *n.27.* dixi *in c. Ad noſtram, n.9. 21. 22. & 23. infr. de reg.*
In gloſ penultima QUÆRO, cùm text. dicat: Sublato ap-
pellationis remedio, ſicut non eſt deferendum appellationi,
ita nec recuſationi; an hoc ſit verum ſimpliciter, & abſolu-
tè, ut appellatione remota intelligatur remota & recuſatio.
14 Dicunt Doctores, & præſertim Hoſt. *n.3. in ver. Sicut ap-*
pellationi, verba textus eſſe ſanè intelligenda: non enim ſe-
quitur, non poteſt appellari à ſententia judicis: ergo judex
non poteſt recuſari: nam ab Auditore, ſive ab Executore
appellari non poteſt, niſi excedat fines mandati, & tamẽ po-
teſt recuſari, *ut leg. & not. in c. Super quæſtionũ, §. Verum, ſup.*
de off. Deleg. Similiter à judice non appellatur, niſi gravet; ut
dicam *infr. n.21.* at benè poteſt recuſari, etſi non gravet. Rur-
ſus appellare poſſum à judice in quem conſenſi, & nihilomi-
nus eum recuſare non poſſum, niſi nova cauſa ſuperveniat,
ut c. Inſinuante, de off. Deleg. Sed & notoriè delinquens pro-
hibetur appellare, qui tamen fortè non prohibetur recuſare,
15 ut leg. & notatur *in c. Cùm ſpeciali, §.1. inf. eod.* Quid ergo ſi-
bi volunt verba textus? Dic ſecundùm *gl. pen.* & Hoſt. hanc
eſſe mentem, ut quemadmodum ſecundùm Canones non
admittitur appellatio ſine rationabili cauſa, *c. Cũ in Eccleſia,*
& c. Ut debitus, inf. eod. ita nec recuſatio, *ut c. Secundo requi-*
ris, §. fin. & c. Cùm ſpeciali, §.1. inf. eod. Quapropter illa verba
reſpiciunt tantũmodò formalitatem, & modum, quaſi dicat
ſicut appellatio frivola non admittitur, ita nec frivola recu-
ſatio; & ſicut deferendum eſt rationabili appellationi, ita &
rationabili recuſationi: ſed in reliquis hæc non æquiparan-
tur, nec remota appellatione cenſetur recuſatio remota. Et
hìc intellectus Gloſſæ, & Hoſt. placet etiam Jo. Andr. *n.9. in*
gl. pen. Butr. *n.11.* Præpoſ. *n.12.* & communiter Doctoribus,
ut dicit Abb. *n.9.* Verùm communis intellectus videtur lite-
ram corrumpere; quia text. decidit apertè, ut ubi tollitur re-
medium appellationis, ibi & recuſationis; nec ullam facit
mentionem de cauſa: quare non diſceſſerint ab alio intelle-
ctu Abbatis, ut hæc decretalis procedat ſecundùm antiqua
tempora, quando licebat appellare indiſtinctè; tunc enim
omnis appellatio, niſi eſſet manifeſtè frivola, deferebat cau-
ſam ad ſuperiorem, *ut in c. Ad Romanam, 3. q. 6.* & notatur *in*
c. Ut debitus, inf. eod. Et ideò tunc remota appellatione ſicut
non intelligebatur remota appellatio cum iſta cauſa, ita nec
recuſatio. Et hoc ſenſit etiam Bald. *qui in 2. part.* ſic ſummat
hanc Decretalem, videlicet, Remota appellatione, intelligẽ-
dum eſt de frivola, etiam judicis recuſatio frivola videtur eſ-
ſe remota. Sed hodiè ſecus; quia remotio appellationis tollit
omnem appellationem, quæ in jure non reperitur ſpecificè
permiſſa, ut eſt tex. *in c. Paſtoralis*, & ibi omnes notant *infr.*
eod. Unde remota appellatione non cenſebitur remota re-
cuſatio, ita ut non liceat judicem recuſare, niſi ex cauſa in ju-
re expreſſa; imò enim licebit etiam ex alia ſimili, ut probatur
in c. Poſtremò, ibi, *Vel alia juſta cauſa, inf. eod.* Nimis enim
durum eſſet, ut Princeps removendo appellationem cogeret
quem litigare coram judice ſuſpecto, *arg. c. Cùm inter, ſupra*
de except. Hæc igitur ſit concluſio, ut per clauſulam, *Appel-*
latione remota, non intelligatur excluſa recuſatio, quod te-
net gloſ. *in l.1. §. Interdum, in ver. Ab eo provocare, ff. A qui-*
bus appell. non lic. & videtur tex. *in l. fin. C. de ſent. & interloc.*
omn. jud. contr. gl. ibi, quæ à Doctoribus communiter repro-
batur, teſte Præpoſ. hic *n.12.* Fallit hæc concluſio, ſi in reſcri-
pto remota ſit appellatio reſpectu cauſæ; quia tunc ſicut in-
telligitur remota frivola appellatio, ita & frivola recuſatio,
ut declarant Abb. & Præpoſ. *ſupracit.* An autem hæc proce-
dant de jure civili, vide per Abb. negativè reſolventem *n.10.*
verſ. Puto tamen, quòd de jure civili. Item ſuper prædictis
vide Ant. de Butr. plenius diſtinguentem *in c. Paſtoralis, n.7.*
ver. Si eſt dubium an remota appellatione, infr. eod.
Secundò QUÆRO, cùm hìc dicatur ſecundùm Cano-
nes poſſe appellari tam ante, quàm poſt ſententiam diffini-
tivam, ſecundùm leges verò poſt ſententiam dumtaxat, an
utraque regula ſit vera generaliter, & indiſtinctè.
Et quidem poſt ſententiam diffinitivam manifeſtum eſt 16
utroque jure poſſe appellari indiſtinctè, etiam nulla cauſa
expreſſa: ſufficit enim dicere, *Ab iniqua ſententia appello*, aut
etiam ſimpliciter, *Appello, ut l. Scio, ff. de appel. c. Cordi, §. His*
quæ, ubi hoc notant Archid. & Jo. Andr. *infr. eod. lib.6. c. Poſt*
appellationem, §. Si verò poſt datam, 2. q. 6. ubi ponitur forma
appellationis interponendę à ſententia diffinitiva, & hìc no-
tant *gl.1.* Hoſt. *n.3. in ver. Et poſt* Butr. *n.10.* & alii communi-
ter, Henric. Boich. *in c. Conſtitutis, col.2. verſ. Si quæras de ap-*
pell. judic. infr. eod. Et eſt ratio ſecundùm eum, quia in cauſa
appellationis à tali diffinitiva interpoſitæ appellans poteſt
quibuſcumque modis ſententiam impugnare, *ut in d. l. Scio,*
in fin. ideòque quando appellatur à diffinitiva, judex tenetur
omninò appellationi deferre, *arg. c. Non ſolùm, inf. de appell.*
lib.6. & notat gloſ. *in d. c. Cordi, in ver. Statuit, lib 6.* notat
Zenz. *in Clem. un. de dolo, & contum.* Quod procedit etiam 17
in cauſis Electionum, licèt tutius ſit in talibus cauſam expri-
mere, ut notat Jo. Monach. *in c. Quamvis, il ſecondo, de elect.*
lib.6. in gl. Dicunt quidam, & Jo. Andr. *ibid.* In gl. dicit Garz.
& Henric. Boich. *ubi ſup.* de quo tamen vide Rot. *dec.2. n.2,*
de elect. in novis. Rurſus hoc procedit etiam in appellatione 18
quę fit à judice extra judicium, in qua idem per omnia quod
in judiciali, *ut in d. c. Cordi in princ.* ſecundùm Henr. Boich.
in d. c. Conſtitutis, col.2. verſ. Aut quæris. Adverte tamen, 19
quia ſi appellans à diffinitiva, exprimeret cauſam manifeſtè
frivolam, ut ſi diceret: Appello, quia digito cœlum non tan-
gis, non teneret appellatio, ut ſic impoſſibilis cauſæ adjectio
vitiet appellationem, ſicut regulariter vitiat contractum,
ut c. ult. inf. de condit. appoſ. cum concord. ibi alleg. Nec refra-
gatur, quòd non teneretur cauſam exprimere, quoniam ta-
lia expreſſa nocent, non expreſſa non nocent, *ut l. Expreſſa,*
ff. de reg. jur. Dixi, talia, quia ſi exprimeret cauſam non mani-
feſtè frivolam, tunc poſſet aliam proſequi, *ut in d. l. Scio,* &
notat gl. *in c. Cùm cauſam, infr. eod.* Jo. Andr. *in d. c. Cordi, §.*
His quæ, & Henr. Boich. *in d. c. Conſtitutis, col.2. verſ. Tamen*
ſi appellans, inf. eod. Quid autem juris ſit in appellatione ex- 20
trajudiciali, ſeu potiùs provocatione, quæ fit à parte contra
partem, & non à judice, an ſcilicet in tali neceſsè ſit cauſam
exprimere, vide plenè per Henr. *ibid. col.1. verſ. Et tunc aut*
quæris. Cęterùm in hujuſmodi appellatione, quę à diffinitiva 21
interponitur, licèt nõ oporteat cauſam exprimere in ſpecie,
requiritur tamen gravamen; alioquin non licet appellare,
ſecundùm Innoc. & Hoſt. *hìc n.3. in ver. Appellandi*, & Butr.
in 1. not. Licèt ſufficiat qualecumque gravamen, etiam mo- 22
dicum, *ut c. prox. ſup. eod.* & hìc notat Franc. *in 1. not.* Præte- 23
reà in appellationibus recipiendis à diffinitiva, & inhibitio-
nibus decernendis, ſervari debet forma *c. Romana de appell.*
lib.6. quacumque conſuetudine, aut ſtylo, vel privilegio in
contrarium non obſtantibus; alioquin inhibitiones, & pro-
ceſſus, & inde ſequuta quæcumque ſunt ipſo jure nulla, ut
ſtatuitur à Concil. Trid *ſeſſ.22. c.2.* Item ſervari debet decre-
tum à S. Congreg. Epiſcoporum ſanctæ mem. Clem. VIII.
juſſu editum die 16. Octobr. 1600. quod hìc non tranſcribo,
quia haberi poteſt à Stephan. Quaranta *in ſumma Bullar. in*
ver. Archiepiſcopi auctoritas, verſ. Sciendum eſt denique pag.
68. At verò ante ſententiam diffinitivam ſecundùm Cano- 24
nes poteſt quidem appellari ab interlocutoria, vel gravami-
ne aliquo, *ut hìc & in d. c. Cordi, inf. eod. lib.6.* ſed tamen in
hujuſmodi appellatione facta in judicio decem requiruntur,
quorum ſi vel unum defuerit, nõ valebit appellatio. Primum
eſt cauſa gravaminis illati, vel comminati, ut *c. Cùm ceſſan-*
te, infr. eod. Secundum ut cauſa hujuſmodi ſit probabilis,

id eſt talis, ut ſi foret probata, deberet legitima reputari; *ut in d.c.Ut debitus,& c.Cùm ſpeciali,§ Exceſſu,inf.eod.& c. Romana,§.Cùm autem,eod.tit.lib.6.* Tertium, ut ſit vera, *c. Interpoſita,inf.eod.*Quartum,ut ſit expreſſa,*c Cùm cauſam,*
25 *inf.eod. ut d.c.Ut debitus.* Quintum, ut appellantis petitio non ſit admiſſa, *ut in d. c. Interpoſita.* Sextum, ut propterea quòd petitio non admittebatur, extiterit appellatum, *c. Dilecto,§.ult.inf.eod.*quod eſt contra quoſdam Juris imperitos, qui propoſita exceptione dicunt, *Et appellamus, ſi eam non admittatis*: nam talis appellatio non impedit, quin valeat quidquid fit poſtea. Septimum,ut appellatio fiat in ſcriptis. Octavum, ut petantur Apoſtoli,quia non petens Apoſtolos dicitur non appellaſſe, Rot.*dec.50.n.2.& 3. de appel. novis.*Nonum, ut ſi appelatus hoc petierit,veniat inſtructus appellans:& hæc tria probantur in *d.c.Cordi,infr.eod.lib.6.* Decimum, ut appellatio fiat intra decem dies,*c.Romana,& c. Concertationi, inf.eod.lib. 6.c. Bonæ, de confirm. util. vel inut.c.Cùm inter,& c.Quod ad conſultationem,de re jud.* ita Hoſt. in *ſumm.eod. tit. §. Qualiter, ſub §. Ego Martinus, & in c. Dilecto infr. eod. & in d. c. Cordi,* Archid. *ibid. in ver. Permiſſis, & in c. Non ita in gl.*3.2 *q.*6.& Henr. Boich. *in d.c.Ut debitus, col.* 5. *verſ. Super eod.c. Si quæris utrum in appell.infr. eod.*

26 Sed de jure civili,etiamſi prædicta decem concurrant,appellari non poteſt ante diffinitivam ab interlocutoria, vel gravamine aliquo, niſi in quibuſdam caſibus, ut hìc dicitur & hoc pro regula conſtituunt Abb.& Franc.ambo in 1. *not.* Ad dignoſcendum verò, qui ſint hujuſmodi caſus, in quibus de jure civili licitum eſt appellare, & ad quos reſpexit hæc litera in prædicta exceptione, communiter traduntur a Doctoribus duæ regulæ.

27 Prima regula eſt, ubi poſt interlocutoriam non expectatur alia diffinitiva, tunc licet ab hujuſmodi interlocutoria appellare,etiam ſecundùm leges: ita colligitur ex *gl.fin.*in Auth.*Habita,C. Ne filius pro patr.*dum ait,à ſententia qua quis pronuntiat ſe non eſſe judicem competentem, licitum eſſe appellare,quia non expectatur alia diffinitiva,& hanc regulam tradunt hìc Abb.*n.3.verſ. Et qui ſint iſti caſus,*Franc.in 2.*not.verſ. Et comm.concl.eſt,* Præp *n.7.verſ.Eſt & alia reg.*

28 Secunda regula eſt, quotieſcumque gravamen ante diffinitivam illatum, per ipſam diffinitivam vel per appellationem à diffinitiva reparari non poteſt, tunc ab hujuſmodi gravamine etiam de jure civili licitum eſt appellare: hanc theoricam ponit gl. in Clem.1.*in ver. Ipſo jure de hæret.* & probatur in *l.2 ff. de appell.recip.* & hoc ſimiliter pro regula tradunt Abb.Franc. & Præpoſ. *loc. ſup.cit.*

29 Tu verò adverte, quia hodie ex Decretis Conc. Trid. jus Canonicum in his exæquatum eſt jure civili: nam S.Synod. animadvertens reos criminum plerumque ad evitandas pœnas,& ſubterfugienda judicia Epiſcoporum, gravamina ſimulare,& appellationis diffugio judicis proceſſum impedire: ne remedio ad innocentiæ præſidium inſtituto, ad iniquitatis defenſionem abutantur, ſtatuit, ut in cauſis viſitationis, & correctionis, ſive habilitatis,& inhabilitatis, necnon criminalibus, ab Epiſcopo, ſeu illius Vicario ante diffinitivam ſententiam ab interlocutoria,vel alio quocumque gravamine non appelletur: nec Epiſcopus, ſeu Vicarius appellationi hujuſmodi tamquam frivolæ deferre teneatur, niſi gravamen hujuſmodi per diffinitivam ſententiam reparari,vel ab ipſa diffinitiva appellari non poſſit, ut latius habetur in *c. 1.ſeſſ.3.* Ac deinde hoc decretum extendendo ad cauſas omnes ad forum Eccleſiaſticum pertinentes, in *c.20. ſeſſ.24.*decrevit,ut appellationes per ſuperiores quoſcumque non recipiantur, niſi à diffinitiva, vel diffinitivæ vim habente, & cujus gravamen per appellationem à diffinitiva reparari nequeat: & quia ſic reſtrinxit facultatem appellandi,propterea cauſis Eccleſiaſticis inſtantiam biennii præfixit in eod. *c.20.in princ.*ad quod vide quæ dixi ſuprà *n.* 3.

30 Ex quibus decretis collige, in judicio poſſe in univerſum appellari in quatuor caſibus dumtaxat. Primò ſcilicet à ſententia diffinitiva,*ut in d.c.20.* quod procedit etiam in cauſis viſitationis,& correctionis,*ut in d.c.1.ſeſſ.13.*licèt in his appellatio executionē non ſuſpendat,ut ſtatuitur *in c. 1.in fin. ſeſſ.22.& in 10. ſeſſ. 24.* & ita in cauſis prædictis poſt diffinitivā ſententiam admittitur appellatio devolutiva, ſed non ſuſpenſiva,niſi gravamen eſſet irreparabile, quia tunc liceret appellare ad utrumque effectum,ut declaravit S.Cong.ejuſdem Conc.interpres.Dicitur autē ſententia diffinitiva,quæ
31 principali quæſtioni finem imponit, ut diffinit gl.in Clem. un. *in ver. Diffinitiva,de ſeq. veſtr.poſſ.& fruct.* poſt Specul.

*in tit.de ſent.prol.col.*1.vel quæ finem imponit toti cauſæ in judicium deductę,ſecundùm Abb.*in Rub.de ſent.& re jud.n. 4.in fin.* Sed magis placet diffinitio gloſſæ,quia quando pronuntiatur ſuper aliquo articulo, ſuper quo facta fuit principalis petitio, ſententia dicitur diffinitiva, licèt finem toti cauſæ non imponat,ut ex Bart accuratè deducit Imol.*in l.1. §.fin.col.ult.ff.de præt.ſtip.*& ſequitur Fel.*in Rubr.de ſent. de re jud.n.2.verſ. Et adde.*Idem tenet Bald.*conſ.*378.*Pro parte cujuſdam in princ.l.*1.& Rom.*conſ.*357.*Dicitur, in princ.*

Secundò appellari poteſt ex Concilio à ſententia habente vim diffinitivæ, quæ ab aliis appellatur quaſi diffinitiva, ut 32
colligitur ex gl.magna *in c.Conſultationibus,poſt med.verſ. Quaſi diffinitivè procederetur.ſup.de off.deleg.*& notat Abb. *loc.cit.n.6.ver.Reperitur quædam quaſi diffinitiva*: qualis eſt 33
ſententia lata ſuper poſſeſſorio; nam habito reſpectu quòd poteſt deinde intentari petitorium, non dicitur ex toto diffinitiva. Unde ſententia quaſi diffinitiva generaliter illa di- 34
ci poteſt, quæ expectat aliam diffinitivam poſt ſe, ut notat gl. in Clem. ult. *in ver. Repulſione, poſt med.ver. Item ſi ſententia ſuper peremptorio, de appell.*& ita in hoc ſecundo caſu à pari procedunt Concilium, & jus civile.

Tertiò appellatur ex Concilio ab interlocutoria, vel alio quocumque gravamine, quando gravamen hujuſmodi per diffinitivam ſententiam reparari non poteſt,*ut in d.c.1.in fin. ver. Niſi gravamen.ſeſſ.13.& d.c.20.poſt princ.ſeſſ.24.* quod etiam licet ſecundùm leges,ut dictum eſt ſupr.*in 2.reg.n.28.* Exempla gravaminū hujus generis habebis *infr.n.39.& ſeq.*

Quartò ex Concilio appellari poteſt ab interlocutoria 35
quotieſcumque à ſententia diffinitiva appellari non poteſt, ut expreſsè habetur *in d.c.1.in fin.* puta a ſententia ſuper manifeſto, & notorio crimine, vel de quo quis in judicio confeſſus extitit, juxta text. *in c.Romana,§.Si autem, inf.eod.l. 6.*& in quampluribus aliis caſibus quos ad *n.5.* poſt Spec. *in tit.de appell.*recenſet Marant.*in ult.p.Speculi:*& hic quartus caſus coincidit cum illo, qui ponitur *in d.c.20.ſeſſ.24.* videlicet quando gravamen per appellationem à diffinitiva reparari non poteſt:nam ubi ab ipſa diffinitiva non poteſt appellari,utique non poteſt reparari gravamen per appellationem ab ipſa diffinitiva, ut ex ſe patet. Unde hoc caſu admittitur appellatio ex utroque decreto Concilii Trid. ſicut admittitur de jure civili,ut firmatum eſt *ſup. ead. 2.reg.* Extra hos caſus ab interlocutoria,vel quovis alio gravamine ante diffinitivam ſentētiam hodie in judicio appellare non licet, quemadmodum licebat de jure veteri,atque ita hæc Decretis, *& c.Cordi, inf.eod.lib.6.cum concord.ſupra c.in 1.not.* quatenùs permittunt appellationem ante diffinitivam à quocumque gravamine,hodie modificata,& reſtricta ſunt à Concilio,& redacta ad terminos juris civilis ex rationabilibus cauſis in prællegato *c.1.*exaratis. Unde Metropolitanus ex S. Congregationis ſententia non poteſt cognoſcere 36
de gravamine ante diffinitivam,nec poteſt ad effectum prædictum abſque ulla inhibitione mandare ſimpliciter, ut ſibi tranſmittatur copia proceſſus expenſis appellantis.

Hęc vendicant ſibi locum,ut prædixi,in appellationibus, 37
quæ interponuntur in judicio; aliàs ſecus,ut ead. S. Congr. declaravit: nam propoſito dubio, an decretum Conc.*ſeſſ. 24. c.20. in princ.*locum habeat,quando Ordinarius extrajudicialiter procedendo gravat partes, adeò ut non liceat partibus à tali actu extrajudiciali ad alios Superiores judices appellare, ſeu reclamare quatenùs id jus permittat; ſed omninò cauſa gravaminis in prima inſtantia coram eod. Ordinario cognoſci debeat: Reſponſum eſt, hoc caſu non habere locum decreti Concilii. Unde jura, quæ permittunt appellationem extra judicium à quocumque gravamine etiam reparabili per diffinitivam ſententiam,*ut in d.c.Cordi,*in hoc non ſunt correcta à Concil. ſed in eo tantùm parte, in qua concedunt poſſe appellari ab interlocutoria, vel alio gravamine judicialiter illato: eſt autem ſententia interlocutoria, 38
quæ inter principium,& finem cauſæ fertur ſuper his, quæ incidunt,vel emergunt,ut diffinit gl.in Clem.1.*in ver. Diffinitiva,de ſeq.poſſ.& fruct.*& dicitur interlocutoria,vel quia judex cauſam non diffinit, ſed interloquitur inter principium,& finem;vel quia inter partes loquendo ſine ſolemnitate ſcripturæ pronuntiat, ut poſt Goffred. inquit Hoſt. *in ſumm.hoc tit.§.2.in princ.* plenè Ant.de Butr. *conſ.6.per totum,*& Abb.*in Rubr.de ſent. & re jud.n.6. verſ. Interlocutoria eſt:* ſed de hac & aliis diffinitionibus interlocutoriæ, & de ratione dignoſcendi, an ſententia ſit interlocutoria, vel diffinitiva, vide plenè per Felin. *in d.Rubr.de ſent.& re jud. n.2.*Alex. Jaſ.& Doctor.*in Rubr.& in l.Quod juſſit,de re jud.*

N Ex-

39 Ex concluſionibus ut ſupra firmatis infertur primò, ut à decreto torturæ; vel illius comminatione ex Concilio Tridentino detur appellatio ad utrumque effectum, ſicut datur de jure civili, ut text. not. *in l. 2. ff. de appell. recip.* ubi ſi judex interloquitur aliquem eſſe torquendum, admittitur appellatio; nempè quia gravamen hujuſmodi poſteà reparari non poſſet per appellationem à ſententia diffinitiva, & ita ibi notant Bart. & omnes, Franc. *hìc in 2. not.* & alii communiter, Navar. *conſ. 2. n. 3. de appellat.* ubi tenet jus civile in hoc concordare cum diſpoſitione Conciliari.

40 Infertur ſecundò, ut ob eamdem rationem detur appellatio ab indebita carceratione; quia ſcilicet cùm gravamen illatum cohæreat perſonæ, poſteà reparari non poſſet: carcer enim dicitur mala manſio, ut eſt text. cum gl. *in l. Si hominem, ff. Depoſiti, & in l. Apud Labeonem, §. Quæſtionis, ff. de injur.* & gravior pœna eſt in carcere detineri, quàm laborare in agro ſeu in opere publico, ut probat text. in *l. ſervorum, ff. de pœnis*, & ibi notat gl. 1. Imò carcer dicitur ſpecies ſervitutis in *l. 1. & 2. ff. de liber. hom. exhibendo*, & ſpecies tormentorum, ut not. in Clem. 1. *de hæret.* & per Bald. in *l. Si Clericus, n... C. de Epiſc. audien.* Non igitur mirum, ut ſicut à decreto torturę, ita & à captura perſonæ detur appellatio, prout concludit ibi Bald. & ſeq. hìc Abb. *n.* 3. Franc. in 3. *not.* & Præp. *n.* 7. Guidop. *dec.* 236. ubi dicit onus, & gravamen continuum inferri ex carceratione; ideòque numquam tranſire tempus appellandi à gravamine carcerationis, & ſemper poſſe appellari.

41 Non obſtat, quòd carcer ſit regulariter ordinatus ad cuſtodiam, non autem ad pœnam, *ut l. Aut damnum, §. Solent, ff. de pœn.* ideòque locus ſanctus ſit, ſicut muri Civitatis, *l. Sacra, §. Propriè, & l. fin. ff. de rer. diviſ.* Raph. Cuman. *conſ.*
42 105. *Caſus talis eſt in fin.* quoniam id verum eſt inſpecta principali intentione, ſed nihilominùs pœnam infert ſecundariò, quia detentus in carcere etiam cuſtodiæ cauſa dicitur luere pœnam in corpore, ut notat Ang. in *l. Si quis, id quod,*
43 *ff. de juriſd. omn. jud.* & quamvis relaxari poſſit, tamen incurrit aliquam infamiæ notam, & damnum ex toto irreparabile, ut tradit Alex. *conſ. 17. Requiſitus, col. 3. n. 7. lib. 1.*

44 Demum hanc ſententiam aliàs probavit Curia: nam cùm Epiſc. Brunduſ. inter cætera conſuluiſſet S. Cong. Concilii, an quod decreto Conc. Trid. *ſeſſ. 13. c. 1.* & alio *ſeſſ. 24. c. 20. de refor.* dicitur de gravamine, quod per appellationem à diffinitiva reparari non poteſt, intelligi poſſit, & debeat de gravamine indebitæ carcerationis: S. Cong. reſpondit, ita eſſe intelligendum; & ideò ab hujuſmodi gravamine appellari poſſe, & Ordinarium teneri huic appellationi deferre, & teneri proceſſum transfèrre ad judicem appellationis: interim tamen reo manente in carceribus, donec judex appellationis cauſa cognita aliud juſſerit: carceratio enim irrogat infamiam, & damnum irreparabile, Bald. Caſtrenſ. & Alex. in *l. 4. §. Condemnatum, ff. de re jud.* Præp. in *c. Super eo, il*
45 *2. col. 3. de appell.* & Franc. *ibid. in 2. col.* Quòd ſi judex appellationis pronuntiaverit carceratum eſſe gravatum, debebit relaxari à carcere, ſed non ideò tota cauſa avocanda: puta carceratus propter concubinatum ſi appellat, cognoſcet Metropolitanus; ſi legitima indicia erant ad carcerandum; ſi non erant jubebit excarcerari, ſi erant debebit pronuntiare, ut maneat in carcere; ſed neutro caſu debebit proſequi cauſam in meritis concubinatus, ſed relinquere Epiſcopo. Quam ſententiam Cong. Sanct. probavit: ita reperi adnotatum in libris publicis S. Congr. qui olim penès me aſſervabantur: ſed decretum fuit poſteà editum nomine Sanct. uſque ad verſ. *Carceratio enim*; omiſſa etiam poſteriori clauſula, quæ loquitur de remiſſione cauſæ ad Epiſcopum ſuper negotio principali: fortè quia de jure quando appellatur à gravamine ante ſententiam diffinitivam, judex appellationis datur quaſi ſub conditione quoad principalem cauſam; unde primò cognoſcet de gravamine, & tunc ſi invenerit appellationem minùs legitimam pronuntiabit malè fuiſſe appellatum, & remittet partes ad priores judices appellantem in expenſis condemnando: ſed ſi invenerit appellationem legitimam eſſe, pronuntiabit benè appellatum fuiſſe, & hoc caſu non remittet partes ad judicem gravantem, ſed ipſe procedet ſuper principali. Hic eſt caſus *in c. Ut debitus, verſ. Cùm autem inf. eod.* ubi ſi declarat gl. *pen.* communiter approbata. Unde Abb. *ibi n. 8.* ex textu colligit juſtificata appellatione ab interlocutoria judicem ad quem ſuccedere loco judicis à quo: & Præp. *n. 12.* ſimiliter ex eo textu colligit regulam quòd appellatione legitima pronuntiata devolvitur ad judicem ad quem negotium principale: & propterea procedit in illo. Idem probat text. à contrario ſenſu in *c. Romana, §. fin. infr. eod. li. 6.* licèt S. Cong. aliàs noluerit hoc dubium declarare, etenim conſulta, an ſi pendente cauſa in prima inſtantia coram Ordinario, ante diffinitivam a gravamine per eum illato appellatur ad Metropolitanum, debeat, juſtificato gravamine ad Ordinarium cauſa remitti, vel potiùs apud eumdem Metropolitanum in eadem inſtantia terminari, non obſtante decreto Conc. *c. 20. ſeſſ. 24.* Reſpondit, quoad cauſas juris communis diſpoſitione ad Ordinarium necne remittendas, nihil innovaſſe Trident. Conc.

Infertur tertiò, ut cùm à cenſura Eccleſiaſtica, qualis eſt 46
communicatio, ſuſpenſio, & interdictum, *c. Quærenti, de ver. ſignif.* non appelletur ad effectum devolutivum, quia trahit ſecum executionem, *c. Paſtoralis, §. Verum, inf. eod. c. Ad reprimendam ſup. de off. Ord. & c. Is cui, de ſent. excom.* Innoc. in *c. Per tuas, n. 3. in verb. Abſolvere, eod. tit.* licitum ſit appellare à comminata cenſura; quia etiamſi illius ſententia ſit potiùs interlocutoria, quàm diffinitiva, ut notat
Innoc. *in d. c. Per tuas, gl. in ſum. 2. q. 1.* Jo. And. in *c. Venera-* 47
bilibus, de ſent. excom. lib. 6. & DD. in *Rub. de re jud.* tamen ſemper infert gravamen quod per appellationem reparari non poteſt; & ideò ante ſententiam admittitur appellatio ab hoc futuro gravamine, ex his, quæ dicta ſunt *ſup. n. 29.* ita, ut ſi à comminata excommunicatione appellatum fuerit, excommunicatio poſteà lata ſit ipſo jure nulla, *ut c. 1. & ibi*
gl. 2. ſup. eod. & d. c. Per tuas. Quamvis enim regulariter in 48
judicio non detur appellatio à futuro gravamine, ut hìc, *& in d. c. Ut debitus, inf. eod.* & not. Fel. *in c. Significaverunt, n. 9. de teſt.* tamen hoc fallit, ſi comminatum gravamen ſit irreparabile, qualis eſt cenſura Eccleſiaſtica, ut per Felin. *in c.*
Cùm non ab homine, n. 12. de jud. & Duen. in *reg. 42. n. 8.* Qua- 49
mobrem citatus ad dicendam cauſam, quare non debeat ex-
communicari, poteſt appellare, & Ordinarius debebit huic 50
appellationi deferre, ut ex dictis conſtat; ſecus eſt, ſi quis citetur ad dicendam cauſam, quare non debeat declarari incidiſſe in excommunicationem, quia cùm à declaratoria detur appellatio etiam ſuſpenſiva præterquàm in judicialibus, *c. Solet in fin. de ſent. excom. lib. 6.* Rot. *dec. 2. n. 5. de dol. & cont. in nov.* Rom. *conſ. 481. In caſu præmiſſo, n. 9. verſ. Præterea videmus,* Fel. in *c. Rodulphus, n. 43. de reſcr.* illius comminatio non infert gravamen quod reparari non poſſit per appellationem à diffinitiva; & ideò à Conc. prohibita eſt appellatio. Quam differentiã inter comminationem excommunicationis ferendæ, & comminationem declaratoriæ excommunicationis jam latæ, ponunt Fel. & Duen. *ubi ſup.* & ſæpiùs probavit S. Congr. ejuſdem Concilii Interpres.

QUÆRO, an viva voce poſſit appellari, dum ſententia 51
excommunicationis profertur.

Format hanc quæſtionem Hoſt. *in ſum. de ſent. & re jud. §. Qualis, ſub §. Pura, ver. Quid ſi excommunico te*, & diſputat egregiè Jo. And. in *c. Cùm ſunt partium, n. 2. de reg. jur. lib. 6.* in *Mercur.* Quoad effectum devolutivum non cadit dubitatio; quoniam appellatio devolvit, etiamſi fuerit interpoſita poſt latam excommunicationem, ut dictum eſt *ſup. n. 46.* ſed quæſtio eſt quoad effectum ſuſpenſivum.

Pro ſolutione ſic diſtingue: aut conſtat verbum: *Appello*, fuiſſe pronuntiatum ante prolationem verbi, *Excommunico*; & excommunicatio non tenet tamquam lata poſt interpoſitam appellationem, *c. Per tuas, inf. de ſent. excom.* aut conſtant verb. *Appello*, fuiſſe pronuntiatum poſt verb. *Excommunico*; & non valet appellatio tamquã interpoſita poſt excommunicationem, cùm cenſura trahat ſecum executioné, *d. c. Paſtoralis, §. Verùm, inf. eod. cum aliis ſup. alleg. n. 46* Probatur hęc diſtinctio in *c. Si duo, de proc. lib. 6.* ubi non ponderatis præambulis litis, ille ex pluribus procuratoribus cenſetur occupaſſe, vel prævenire, qui priùs litem eſt conteſtatus; ſic in propoſito non conſiderantur præambula, vel exordia ſententię, vel appellationis, ſed ſolùm quis in ſubſtantialibus illorum actuum prævenerit: quod probant jura ibi allegata in gl. *in ver. Litis conteſtationem*; & in his conveniunt Doctores. Aut eſt dubium quis prævenerit, an ſcilicet reus in prolatione verbi, *Appello* an Epiſcopus in prolatione verbi, *Excommunico*, & ſunt opiniones Jo. And. *in d. reg. Cùm ſunt partium, n. 11. in fin. verſ. Secundò verò caſu*, cum quo tranſit hìc Jo. de Imol. *n. 2.* concludit reum eſſe ligatum, & præſumi excommunicationem præceſſiſſe. Ratio eſt, quia de juriſdictione Epiſcopi, & de excommunicatione conſtat; de præcedente verò appellatione non conſtat, alleg. *c. Venerabili-*
bus, ad fin. & quod ibi not. *de ſent. excom. lib. 6.* præſertim 52
quia excommunicatio eſt medicinalis, *cap. 1. eod. tit. & lib.*

&

& actus ſpiritualis eſt penetrabilior, quàm actus humanus, ſecundum quod notat Innoc. *in c. Præterea, il 2. infr. hoc tit.* & pro hac opinione optimè facit *gloſ. ult. ut in d. c. Venerabilibus, in ver. Poſtquam*.

Contrarium tenet Bald. *hic nu.* 7. quia videtur in dubio præſumi appellationem præceſſiſſe *per l. Si quis id quod, ver. Quod ſi dum proponitur, ff. de juriſd. omn. jud. & per l. Arethuſa*, ibi, *Incipiente naſci, ff. de ſtatut. hominum*: nam reus per appellationem incipit liber eſſe.

Placet mihi diſtinctio Præpoſ. *hic num.* 3. *verſ. Et forte*, quæ colligitur ex dictis Innoc. *in c. Cum tu, ſupr. de teſt.* videlicet, ut prima opinio Jo. Andr. procedat in foro cōſcientię, in quo debet quis in dubio ſequi partem tutiorem, & æſtimare ſe cenſura innodatum. Ad quod allego textum optimum *in c. Illud, infr. de Cleric. excom miniſtr.* Hoſt. & Joan. Andr. *in c. fin. n.* 3. *ſup. de bigam.* facit *c. Ad audientiam, c. Significaſti, il 2. & c. Petitio, de homicid.* Secunda autem opinio Baldi obtineat in foro contentioſo, in quo judex in dubio non debet judicare quem excommunicatum, *arg. c. Si quid 86. diſt. & c. Inn. 22. q. 4.* Pro qua diſtinctione vide bonā gl. *in c. Unum, in ver. Æſtimare, ſup. de ſcrut.* S. Tho. 2. 2. q. 60. *art.* 4. & quod ſcripſi *in c. Ne innitaris, n.* 140. *&* 164. *de conſt*:

DE APPELLATIONIBUS.

Idem Alexander III.

CAPUT XXXI.

DE Priore: & infrà. Cæterùm ſi præfatus Canonicus Priorem propter ſuas enormitates manifeſtas, quæ ipſum notabilem reddunt, ad Sedem Apoſtolicam appellavit: & ipſe tali appellationi deferre contempſit: eum cum litteris tuis veritatem continentibus, de tanto exceſſu ſatiſfacturum, ad Sedem Apoſtolicam venire compellas.

SUMMARIUM.

1 *Appelationi interpoſitæ ad Papā non deferens mittitur cum litteris Ordinarii ad Curiam puniendus.*
2 *Subditus poteſt Prælatum ſuum propter ejus exceſſus manifeſtos appellare ad Superiorem.*
3 *Appellari poteſt à correctione Prælati, & Regularis, ſi ſit manifeſtè criminoſus.*
Contrarium, num. 5.
4 *Prælatus notoriè criminoſus nō poteſt ſubditū corrigere.*
Contrarium, num. 5.
5 *Prælatus quantumcumque notoriè criminoſus, & irregularis, ante depoſitionem poteſt juriſdictionem in ſubditos exercere.*
6 *Notabilis, id eſt infamis redditur quis propter delicta, & malos mores, & n. ſeq.*
7 *Fama poteſt ſe habere ad bonum, & ad malum.*
8 *Appellationi etiam extrajudiciali non deferens puniendus eſt.*
9 *Si appellatio ſit juſta, & rationabilis; aliàs ſecus.*
10 *Judex peccat deferendo appellationi manifeſtè frivolæ.*
11 *Et quid in appellatione ab interlocutoria.*
12 *Appellatio in dubio præſumitur juſta, eique eſt deferendum.*
13 *Appellatio à correctione morum non admittitur, & n. 28. 29. & 34.*
14 *Niſi Prælatus etiam Regularis modum excedat in corrigendo.*
15 *Auditor Cameræ an in cauſis Regularium poſſit concedere monitoria, & inhibitiones, & cum quibus clauſulis, diſtinguitur, & nu. ſeqq. uſque in fin.*
16 *Quid in cauſis Reglarium Epiſcopis ſubjectorum.*
Et quid in cauſis ordinariis, quæ vertuntur inter diverſas Religiones, num. 20.
Et quid in cauſis inter Regulares, & Sæculares, ſive Clericos, ſive laicos, num. 21.
Et quid in cauſis Prælatorum Regularium Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectorum, num. 22.
Et quid ſi agatur de debito, ſalario, vel contractu in Curia inito, num. 23.
Et quid ſi agatur de executione litterarum Apoſtolicarum, vel decretorum ſacrarum Congregationū, n. 24.
Et quid ſi rei ſpontè ſe conſtituant in carceribus, n. 26.
Et quid in criminibus atrocioribus, n. 27.
Et quid ſi agatur de Regularium diſciplina, & morum correctione, num. 28.
17 *Appellari poteſt vel ad Metropolitanum, vel ad Papam omiſſo medio à ſententiis per Ordinarios latis in cauſis Regularium ſibi ſubjectorum, & n. 37.*
18 *appellari non poteſt de jure civili ad Imperatorem omiſſo medio, ſed gradatim eſt procedendum.*
19 *Auditor Cameræ eſt judex appellationum, quæ à ſententiis quorumcumque Ordinariorum ad Sedem Apoſtolicam devolvuntur, & num. 36.*
20 *Congregatio Epiſcoporum, & Regularium cognoſcit cauſas vertentes inter diverſas Religiones, dummodò formam judiciariam non requirant.*
21 *Cauſæ inter Regulares, & Sæculares, ſive Clericos, ſive laicos, à quibus ſint cognoſcendæ.*
22 *Cauſas Prælatorum Regularium Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectorum cognoſcere poſſunt tam Legati, & Nuncii Apoſtolici, quàm Auditor Cameræ, & inter eos eſt locus præventioni.*
23 *Curiales etiam Regulares pro debitis, & contractibus in Curia initis, & pro ſalario conveniri poſſunt coram Auditore Cameræ.*
24 *Auditor Cameræ pro executione litterarum Apoſtolicarum, & Decretorum, ſeu Declarationum Congregationum, dat monitoria etiam in cauſis, & negotiis Regularium.*
Et quid in hoc fuerit proviſum per Congregationem à Sanctiſſimo deputatam, n. 25.
25 *Monitoria pro executione litterarum Apoſtolicarum, &c. in negotiis Regularium qualiter ab Auditore Cameræ ſint concedenda.*
28 *Monachorum etiam Epiſcopo ſubjectorum correctio ſpectat ad Abbatem.*
29 *Appellatio non admittitur, ubi de Regulari diſciplina, & morum correctione agitur, niſi adſit exceſſus.*
30 *Auditor Cameræ an poſſit procedere in prima inſtantia in cauſis Ordinariis tam civilibus, quàm criminalibus inter Religioſos ejuſdem Ordinis.*
Et quid in gradu appellationis, n. 36. & ſeqq. uſque in fin.
31 *Auditor Cameræ poteſt cognoſcere de exceſſibus exemptorum privativè quoad omnes.*
32 *Declaratur, ſi exempti ſint Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecti, & alium Judicem non habeant.*
33 *Cauſæ inter Religioſos ab illorum ſuperioribus ſunt terminandæ juxta quarumcumque Religionum inſtituta.*
34 *Auditor Cameræ prohibetur quidquam decernere, quod locorum Ordinarios impedire poſſit, ne ad executionem Decretorum Concilii Tridentini, & correctionem morum liberè procedant.*
35 *Et ejus facultates limitantur, ut non obvient Concilii Decretis.*
37 *Provinciales ſunt Ordinarii in Provincia, & comparantur Prælatis habentibus quaſi Epiſcopalem juriſdictionem.*

DE Priore. Legitur quatuor modis, ut hìc per Abbatem *n. 4. in fin. verſ. in gl. 1.* Sed communiter ſic ſummatur. Qui non detulit appellationi interpoſitæ ad Papam, mittitur cum litteris Ordinarii ad Curiam puniendus. Hoc dicit.

Nota primò ibi, *Priorem propter has enormitates manifeſtas*, ſecundùm intellectum Innocentii, quòd ſubditus po-

teſt Prælatum ſuum propter ejus exceſſus manifeſtos appellare ad Superiorem: & hujuſmodi appellatio eſt quædam provocatio ad cauſam, *ut in c. Cum ſit Romana, ſupra eod.* Dicunt Abb. & Alex. de Nev. *hic in 1. not.* de hoc mirandum non eſſe, quia ſubditus poteſt accuſare Prælatum ſuum, & ejus crimen denuntiare Superiori, *ut c. Licèt Heli, de ſimonia, c. Ex parte, & c. Veniens, de accuſ.* Unde eodem modo poteſt eum provocare ad cauſam. Intereſt enim cujuslibet ſubditi habere bonum Prelatum, *c. Audacter, & c. Qualis,* 8. q. 1.

3 Secundò nota in eiſdem verbis, *Propter ſuas enormitates manifeſtas,* ſecundùm intellectum Jo. Andr. *in c. 1. n. 9. ad fin. verſ. Dicit autem de cenſib. lib. 6.* Hoſt. & Jo. Andr. *in c. Licèt in corrigendis, ſupra de offic. Ordin.* quòd ubi Prælatus etiam Regularis eſt notoriè, & manifeſtè criminoſus, ſi corrigat ſubditos, poteſt ab ejus correctione appellari, dicendo,
4 *Amice ejice trabem de oculo tuo:* nam ex quo notoriè eſt criminoſus, vel famoſus, non poteſt alium corrigere, *c. Judi-*
5 *cet. 3. q. 7.* ſecundùm eos. Sed in contrarium eſt veritas, quia Prælatus quantumcumq; notoriè criminoſus ante diſpoſitionem poteſt juriſdictionem in ſubditos exercere, etiam ſi ſit irregularis ex homicidio, ut eſt textus notabilis *in c. Veritatis ſupra de dolo, & contum.* & tenet gl. *in c. Cùm non liceat, in ver. Recedere, ſupra de præſcript.* Innoc. *in c. Cùm noſtris, n. 2. infra de conceſſ. præb.* Abb. *in c. Sciſcitatus, n. 9. ſupra de reſcript.* & ibi DD. *& in c. Nonne 8. q. 2.* Unde meritò prædictam lecturam reprobant hic Abb. *n. 5.* Franc. *col. 2. in fin. verſ. Sed adverte,* Præpoſ. *n. 2. verſ. Sed in contrarium,* Alex. de Nevo, *n. 20.* & Dec. *n. 10. verſ. Sed iſte intellectus reprobatur communiter.* Nec obſtat *dictũ c. Judicet,* 3. q. 7. quia non loquitur de poteſtate judiciali exercenda, ſed quoad meritum vitæ, & damnationem Prælati, qui magis delinquit corrigendo alium, & non ſe, ſed nihilominùs poteſt corrigere, ſecundùm Abbatem, & alios præallegatos.

6 Tertiò nota ibi, *Quæ ipſum notabilem reddunt,* delicta & malos mores reddere quem notabilem, id eſt infamem. Unde expone textum, ibi, *Notabilem,* id eſt infamia notatum: ſi-
7 cut enim fama poteſt ſe habere ad bonum, & ad malum, *ut in l. Capitulum, §. Famoſos ff. de pœn.* & per Bart. *in l. De minore, §. Plurium, n. 5. ff. de q. Ita & hoc ver. Notabilis,* quia poteſt referri ad virum moribus, & origine generoſum, & ad virum criminibus infectum; quia ille reddit ſe notum ex bonis operibus, hic verò ex pravis, ut in tex. *& in c. Ex parte A,* ibi, *Infames, & notabiles ad teſtimonium dicitur produxiſſe; ſupra de teſtib.* & ita exponunt hanc litteram, Hoſt. *ante nu. 1. in ver. Notabilem,* Jo. Andr. *n. 1.* Abb. Alex. de Nævo, *in 2. not.*

8 Quartò nota ex textu, non deferentem appellationi etiã extrajudiciali eſſe puniendum, ut hìc patet, & notant Abb. *n. 2.* Franc, *in 1. not.* Præpoſ. *n. 2. in fin. verſ. Et ideo intelligit,*
9 Dec. *n. 6.* Alex. de Nævo *in ult. not.* Quod verum eſt, ſi appellatio ſit juſta, & ex rationabili cauſa interpoſita; ſecus verò ſi injuſta ſit, aut frivola, ut hìc probatur ibi, *Ipſe tali,* à contrario ſenſu: nam ex quo punitur hìc non deferens appellationi juſtæ, ergo ſi injuſta eſt appellatio, non deferens non punitur, ut diſtinguit Bald. *in l. Judicibus, nu. 1. C. de appell.*
10 Abbas, & alii proximè citati. Quinimò peccat deferendo, quia declaratio hujuſmodi eſt interlocutoria, quæ debet eſſe juſta. Si ergo appellatio eſt manifeſtè frivola, peccat judex eam admittendo; facit text. *in c. 1. de re judic. lib. 6.* Et quemadmodùm peccat non deferendo appellationi juſtæ, ita peccat deferendo injuſtæ, cùm contrariorum eadem ſit diſciplina, *c. Hoſpitiolum, 32. diſt. c. Intellectum, de jurejur.* & hìc firmant Card. *nu. 2.* ubi quòd mortaliter peccat, Abb. Franc. & Alex. de Nævo *loc. cit.* & Præpoſ. *n. 3.* qui tamen li-
11 mitat hoc procedere in appellatione à diffinitiva: ſecus verò in appellatione ab interlocutoria, quia non peccat judex illi non deferendo, niſi à die inhibitionis factæ per judicem ad quem *c. Non ſolùm, & c. Romana, §. Quod ſi objiciatur, eodem tit. lib. 6.* & notat Angel. *in l. Quoniam judices, n. 4. C. de appell.* In dubio tamen appellationi potiùs eſt deferendum,
12 quia præſumitur juſta, gl. notabilis *in l. 1. in ver. Locupletiorem, C. ſi adverſ. credit.* Specul. *eod. tit. § Nunc dicamus, poſt medium, verſ. Vincentius dixit,* Archid. *in c. Si à judice, n. 1. verſ. Nota tamen quod ubi dubium eſt, eod. tit. lib. 6.* Franc. *hic col. 1. in fin. verſ. Et ideo à quo,* Alex. de Nævo *n. 14.* Præpoſitus *n. 3. in fin. verſ. In dubio tamen,* & adde quod ſcripſi *in c. Paſtoralis, n. 25. infra eodem.*

In gloſſa prima nota benè intellectum gloſſæ: nam iſte Prior fecerat ſpoliari Canonicum Regularem ſibi ſubjectum uſque ad interulam, & ſic exceſſerat modum in corrigendo: unde Canonicus à tali exceſſu appellavit ad Papam; & quia Prior non obſtante appellatione proceſſit enormiter contra eum, Papa mandat Priorem ad Curiam vocari de tanto exceſſu ſatisfacturum. Et ita caſum hic formant Bernardus, Baldus, & alii: & colligitur hic intellectus ex antiqua: nam, ut dicit Abb. Antiq. *n. 1.* in antiqua continebatur, quòd uſque ad effuſionem ſanguinis iſte Canonicus fuit verberatus, & caſtigatus, & ob hoc appellaverat; & verba antiquæ ſunt infraſcripta, videlicet, *de priore, qui non deferens protectioni noſtræ, & appellationi ad Sedem Apoſtolicam factæ, quemdam Canonicum ſuum veſtibus fecit omnibus uſque ad camiſiam ſpoliari, & accuſationi, & appellationi renuntiare coegit, quia de ſuis, & quorumdam fratrum enormitatibus murmuravit:* refertur integra ab Antonio Auguſtino *in 2. Collect. Decret. lib. 2. tit. 19. c. 3.* Et ex hac lectura, & ex textu collige notabiliter, quòd etſi à correctione non appelletur, *c. Ad noſtram, & c. Reprehenſibilis, in ult. reſponſ. ſupra eodem, & c. Cùm ſpeciali, in fin. infr. eodem,* & patet ex antiqua, ut præfertur, relata ab Antonio Auguſtino, ubi dicitur: Sacroſanctam Romanam Eccleſiam non 13
conſueviſſe hujſmodi appellationem admittere, ne Monachis, vel Canonicis Regularibus præbeatur audacia delinquendi: & ex Concil. Trident. *ſeſſ. 13. c. 1. verſ. In cauſis viſitationis, & correctionis, ſeſſ. 22. c. 1. in fin.* tamen ſi Præla- 14
tus etiam Regularis modum exceſſerit in corrigendo, benè admittitur appellatio, & tenetur Prælatus hujuſmodi appellationi deferre, aliàs punitur, ut hìc eſt textus, qui ad hoc quotidie à Doctoribus allegatur: & notant gloſ. 1. Abb. Antiquus *n. 1.* Hoſt. *eod. n.* Jo. Andr. *n. 4.* Butr. *n. 6.* & plerique alii, Calder. *conſ. 209. in princ. aliàs 3. de appell. verſ. Sed prædicta ſunt vera,* concordat textus *in c. Licèt in corrigendis,* & ibi notat gl. *ult. ſupra de off. Ordin. & in c. ſequenti circa princ.* ibi: *Niſi formam in talibus exceſſerint, & in c. Univerſitatis infr. de ſent. excom.* & hoc caſu Religioſus Epiſcopo ſubjectus poteſt ab illius ſententia appellare, vel ad Metropolitanum, ut eſt caſus *in d. c. Licèt in corrigendis,* vel ad Papam, ut hìc eſt expreſſum.

Ex facto quæſitum eſt, an in cauſis Regularium conce- 15
denda ſint monitoria, & inhibitiones à Tribunali Auditoris Cameræ, vel Commiſſiones à Signatura Juſtitiæ: & quatenùs concedenda, quomodo, & cum quibus clauſulis.

Die 5. Aprilis 1650. in Congregatione Cardinalium, & Prælatorum ſuper appellationibus, & inhibitionibus Tribunalis Auditoris Cameræ, & aliorum Tribunalium Curiæ Romanæ à ſan. mem. Urbano VIII. deputata; & à Sanctiſs. D.N. Innocentio X. nunc renovata, conceptum fuit dubium ut ſupra propoſitum, per manus tranſmiſſum; & in ſequenti Congregatione diſcutiendum. Pro cujus facili- 16
liori ſolutione videntur excludendi aliquot caſus non dubii, in quibus Auditor Cameræ poteſt concedere monitoria, & inhibitiones in cauſis, & negotiis Regularium.

Primus caſus non dubius eſt in Regularibus Monaſteriorum Epiſcopis ſubjectorum, prout ſunt plures Abbatiæ, & Monaſteria in Germania, Belgio, & Polonia, in Congregationem non redacta, quæ nulla potiuntur prærogativa exemptionis, ſed Epiſcopis Diœceſanis ſunt ſubjecta, quemadmodùm erant Monaſteria omnia de jure veteri, *c. Si quis Abb. & c. Abbates 18. q. 2. c. Qui verè, in fi. 16. q. 1. c. Cùm dilectus,* & ibi dixi *n. 1. & 12. infra de Relig. domib.* Nam ſi in eorum 17
cauſis ordinariis Epiſcopus pronuntiaverit, à tali ſententia poteſt appellari, vel ad Metropolitanum, *c. Licèt in corrigendis de off. Ord.* vel ad Papam omiſſo medio, *c. Ad Metropolitanum, 2. q. 7. c. Ad Romanam 1. & 2. & c. Si quis, 2. q. 6.* gl. *1. in c. Si duobus ſupra eodem.* Licèt de jure civili non poſſit 18
immediatè appellari ad Imperatorem, ſed gradatim ſit procedendum, *l. Imperatores, ff. de appell.* Gemin. *conſ. 73. Quia ſubtiliter, n. 2.* Ita ſi appellatur ad Papam, poterit procede- 19
re, & inhibitiones concedere Auditor Cameræ, qui eſt judex ordinarius appellationum, quæ à ſententiis per quoſcumque Ordinarios latis etiam extra ſtatum Eccleſiaſticum ad Sedem Apoſtolicam interponuntur, ut in Bulla 28. Pauli V. *Ad eximiæ fidelitatis, § 10. in Bullar. to. 3. pag. 212.*

Secundus caſus itidem non dubius eſt in cauſis ordina- 20
riis, & telam judiciariam requirentibus, quæ vertuntur inter diverſas Religiones: nam S. Congreg. Epiſcoporum, & Regularium in hujuſmodi cauſis ſe non ingerit, cùm in Bulla Sixti V. *ſuper inſtitutione Congregationis Regularium, § 1.* ſta-

ſtatutum ſit per hæc formalia verba, *Audiant itidem, ac de-
cidant prædicti Cardinales cauſas, & controverſias inter
prædictosOrdines vertentes in univerſum, ſive ratione parti-
cularium locorum, dummodò formam judiciariam non requi-
rant, in Bullar.to.2.pag.615.* Quare in cauſis prædictis una
Religio convenienda erit coram ſuo Conſervatore, ſi il-
lum habeat; alioquin coram loci Ordinario, ad præſcri-
ptum Conſtitutionis Gregorii XV. *de exemptorum privile-
giis*; & Auditor Cameræ erit judex competens in cauſa ap-
pellationis ad Sedem Apoſtolicam interpoſitæ à ſententia
per Conſervatorem, vel Ordinarium lata, *ut in d.* §. 10.
Bullæ Pauli V.

21 Tertius caſus non dubius eſt, cùm lis, & cauſa vertitur in-
ter Regulares, & Sęculares, ſive Clericos, ſive Laicos: nam
ſi Regulares ſint, conveniendi ſunt coram ſuo Conſervato-
re, vel Ordinario, ut dictum eſt in caſu præcedenti: ſi verò
ſint actores, & agant contra laicum, tenentur ſequi forum
rei, *c. Si Clericus Laicum, de foro compet.* & tunc extra ſtatũ
Eccleſiaſticum à ſententia judicis Laici appellatur ad ſupe-
riores judices laicos gradatim, *ut in d.l. Imperatores, ff. de
appellat.* non autem ad Curiam, ſeu ad Auditorem Camerę;
ſed in ſtatu Eccleſiaſtico poteſt appellari ad Sedem, ex dicta
Bulla 28. Pauli V. §. 10. Si verò reus ſit Clericus, convenien-
dus erit coram ſuo Ordinario in prima inſtantia, ut in
Conc. Trident. *ſeſſ. 24. c. 20.* & in ſecunda inſtantia appellari
poterit omiſſo medio ad Papam, ut dictum eſt ſupra *nu.* 17.
& in utroque caſu in gradu appellationis ad Sedem inter-
poſitæ Auditor Cameræ eſt judex competens *ex d.* § 10.

22 Quartus caſus ſimiliter non dubius eſt in cauſis Prælato-
rum Regularium, qui generalibus Capitulis, aut Epiſcopis
non ſubſunt, nec ſuos habent Ordinarios Regulares viſita-
tores, ſed ſub immediata Sedis Apoſtolicæ protectione exi-
ſtunt, de quibus in Conc. Trident. *c. 8. ſeſſ. 25. de Regul.* Has
enim cauſas in prima inſtantia cognoſcere poſſunt tam Le-
gati, & Nuncii Apoſtolici, quàm ipſe Auditor Cameræ,
tamquam judex ordinarius exemptorum, ut in d. Bulla 28.
Pauli V. §. 12. Et quamvis in hoc caſu facultatem habeat pri-
vativè quoad omnes, ut ibi diſponitur, tamen in his proce-
dunt etiam Legati, & Nuncii ex ſpeciali facultate, quam ha-
bent à Sede Apoſtolica; ideòq; inter eos, & Auditorem Ca-
merę, cùm juriſdictio ſit cumulativa, eſt locus pręventioni,
arg. c. Propoſuiſti, de jur. compet. cum concord. de quibus ibi *in
gl. 1. & c. Cum ſit generale*, cum ibi notatis per Abbatem, &
DD. *eod. tit.* & notat Paul. de Caſtro *in l. Si quis in hoc genus,
n. 4 verſ. Item nota, C. de Epiſc. & Cleric.* & in Monitoriis
apponenda eſſet clauſula, *Quatenus lis non pendeat, alioquin
præſentes litteræ minimè ſuffragentur.* Quòd ſi Legati, vel
Nuntii in cauſa prævenerint, ab eorùm ſententiis appella-
bitur ad Sedem Apoſtolicam, & in ſecunda inſtantia Audi-
tor Cameræ erit Judex competens juxta ſuas facultates.

23 Quintus caſus pariter non dubius eſt, cùm agitur de debi-
tis in Curia contractis, aut de ſalario ſeu contractu in ipſa
inito: nam Auditor Cameræ poteſt citare, & monere ad ſa-
tisfaciendum Curiales, Eccleſiaſticos ſæculares, vel Regu-
lares etiam ab ipſa Curia abſentes pro quibuſvis rebus, &
pecuniarum ſummis ad inſtantiam quorumvis etiam ab-
ſentium, ut diſertis verbis cavetur in eadem Bulla §. 16.

24 Sextus caſus adhuc non dubius eſt, ubi agitur de executio-
ne litterarum Apoſtolicarum, vel decretorum ſeu declara-
tionum Congregationum, quia Auditor Camerę pro hujuſ-
modi executione dat monitoria etiam in cauſis, & negotiis
Regularium, ex ead. Bulla 28. Pauli V. §. 14 & expedit, ut hęc
facultas ei conſervetur, quia favorabilis eſt Religionibus,
quæ hoc præſidio ſe tuentur adverſus eos, qui eorum privi-
legia convellere, aut lædere moliuntur. Hinc tamen in dies
oriuntur multa inconvenientia, quia cùm Religiones ferè
omnes habeant Conſtitutiones à Sede Apoſtolica confir-
matas, & innumera quaſi privilegia, & monitoria conce-
dantur in genere contra quoſcumque, nullaque expreſſa
cauſa, inde fit, ut nullum ſit negotium, in quo prætextu exe-
cutionis alicujus ſtatuti, vel privilegii, aut declarationis ex-
torqueri non poſſit monitorium. Unde multoties contigit,
ut in actu celebrationis Capituli, vel electionis etiam in
partibus ultramontanis præſentata fuerint monitoria non
ſine gravi turbatione, & ſcandalo. Et ſæpè etiam Ordina-
riis, & Nunciis manus ligatæ fuerunt in cauſis in eorum
Tribunali pendentibus, & in calculo ferendæ ſententiæ,
25 Quare viſum eſt expedire, ut de cætero pro executione hu-
juſmodi non dentur monitoria niſi expreſſis perſonis, con-

tra quas, & ex qua cauſa, & cum clauſula, *Quatenus lis non
pendeat*: lite autem pendente, dari quidem poſſint ſine præ-
dicta clauſula, ſed nonniſi parte citata, & audita. His additi
fuerunt duo alii caſus, in quibus Auditor Cameræ procedit
in cauſis Regularium, videlicet cùm rei ſpontè ſe conſti- 26
tuunt in illius carceribus, & in criminibus atrocibus, in
quibus procedere poteſt ex particulari oraculo Sanctiſſimi 27
eidẽ notificato per Secret. S. Congr. Hic tamen ultimus ca-
ſus nõ eſt ex vi ſuarũ facultatum, ſed ex ſpeciali cõmiſſione.

Rurſus excludendus eſt alius caſus non dubius, in quo vi- 28
ceverſa Auditor Cameræ non procedit in cauſis Regula-
rium, nempe ubi de Regulari diſciplina, & morum corre-
ctione agitur; hæc enim ſpectant ad Abbatem, etiamſi Mo-
naſterium eſſet Epiſcopo ſubjectum, *c. Corripiantur, 24. q. c.
Reprehenſibilis, in fi. ſupr. eodẽ, gl. in c. Quanto, in ver. ſi. Præ-
lati, de off. Ord.* unde Auditor Cameræ in his non poteſt ſe
ingerere in prima inſtantia; ſed neque in gradu appellatio-
nis, quia in prædictis niſi adſit exceſſus, ut in hoc *c.* non da-
tur appellatio, *ut in d. c. Reprehenſibilis*, ibi, *Nec ſubjecti con- 29
tra diſciplinam Eccleſiaſticam in vocem appellationis erum-
pant*, & infrà ibi, *Præcipuè verò hoc in Religioſis volumus ob-
ſervari, ne Religioſi cum pro aliquo exceſſu fuerint corrigen-
di, contra Regularem Prælati ſui, & Capituli diſciplinam
appellare præſumant; ſed humiliter, ac devotè ſuſcipiant
quod pro ſalute ſua fuerit eiſdẽ injunctum.* Concordat *c. Ad
noſtram, ſupra eodem*, cum aliis ſupracitatis *in gl. 1. n. 14.*

Itaque excluſis caſibus, in quibus nulla eſt dubitatio, pro- 30
poſitum dubium reſtringitur ad cauſas ordinarias tam civi-
les, quàm criminales, quę vertuntur inter Religioſos ejuſ-
dem Ordinis, vel inter ſubditos, vel inter ſubditum, &
Prælatum, vel inter ſubditos, & Capitulum, vel inter Mo-
naſterium, & Monaſterium, vel inter Provinciam, &
Provinciam, vel aliàs quomodolibet.

Pro ſolutione examinandum eſt, an Auditor Cameræ
poſſit in his cauſis ſe immiſcere vigore ſuarum facultatum
ſive in prima inſtantia, ſive in gradu appellationis.

Et quidem pro juriſdictione Auditoris Cameræ reſpectu 31
primæ inſtantiæ facit Bulla 28. Pauli V. §. 12. ubi datur ei fa-
cultas cognoſcendi tam per ſe, quàm per Notarios ſuos, eo-
rumque ſubſtitutos, de exceſſibus commiſſis per quoſcum-
que exemptos à juriſdictione Ordinarii, & Sedi Apoſtolicę
immediatè ſubjectos, & culpabiles repertos puniendi. Ta-
les enim videntur eſſe etiam Regulares, cum Religiones
ferè omnes ex ampliſſimis privilegiis ab omnimoda ordi-
nariorum juriſdictione ſint exemptæ, ac Sedi Apoſtolicæ
immediatè ſubjectæ, ut plenè ſcripſi *in c. Tuarum, infra de
privil.* & cum ſupradicta Bulla Pauli V. loquatur de exem-
ptis per verba univerſalia, & geminata, videlicet, cujuſcum-
que ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, videntur
includere etiam Regulares, licèt de illis expreſſam mentio-
nem non faciat, ad gl. *in c. Paſtoralis, in ver. Temporaliter,
infr. de donation. cum ſimilibus*, ut dixi *in c. Ex parte, n. 31. &
44. de privil.* præſertim ponderando verba *Cujuſcumque or-
dinis*, quæ propriè conveniunt Regularibus, *ut c. Unico de
Religioſ. domib. lib. 6.* & Clem. 1. *de Regular. cum ſimilibus.*

Sed nihilominùs in Congregatione habita die 5. Julii
1650. contrarium fuit reſolutum, videlicet, in cauſis Regu-
larium ejuſdem Religionis, ſive ſint inter ſubditos, ſive
inter ſubditum, & Prælatum, ſive inter Monaſterium, &
Monaſterium, ſive aliàs quomodolibet, Auditorem Ca-
meræ ſe immiſcere non poſſe in prima inſtantia. Nam prę-
citata Bulla Pauli V. *in d.* §. 12. debet intelligi de illis exem- 32
ptis, qui ſunt immediatè ſubjecti Sedi Apoſtolicæ, & alium
Judicem non habent, quales ſunt plures Abbates in Ger-
mania in Congregationem non redacti, qui nec Epiſcopis,
nec Capitulis ſubſunt, nec ſuos habent Ordinarios viſita-
tores, de quibus loquitur Concilium Tridentinum *c. 8. ſeſſ.
25. de Regular.* quales etiam ſunt multi Prælati inferiores,
& Commendatarii nullius diœceſis, de quorum crimini-
bus, & exceſſibus Auditor Cameræ poteſt inquirere, &
in culpabiles animadvertere. Sed Bulla non procedit in
exemptis Regularibus in Congregationem redactis, qui
ſubſunt Prælatis ſuis, *c. In ſingulis, de ſtat. Monachor. c. Re-
prehenſibilis, ſupra eodem cum multis ſimilibus.* Quod ex
eo convincitur manifeſtè, quia *in d.* §. 12. datur facultas Au-
ditori Cameræ cognoſcendi de criminibus exemptorum
privativè quoad omnes. Ergo non poteſt hoc verificari in
Regularibus, qui ſuis Prælatis, Viſitatoribus, & Capitulis
ſubſunt: aliàs ſequeretur, ut Superiores Regulares non poſ-

33 ſent pun.re exceſſus ſuorum ſubditorum, quod eſſet intolerabile, & contra Sacros Canones, Generalia Concilia, & Decreta Apoſtolica, Statuta Ordinum, & communem obſervantiam, & ſignanter contra Bullam Sixti V. erectionis S. Congregationis Regularium, *in Bullar. tom. 2. pag. 613.* ubi *in §. 1.* ſic legitur: *Cauſas vero, quas inter ipſos Religioſos oriri contigerit, juxta quarumcumque Religionum inſtituta, eorumque diſpoſitionem, Superiores illorum definiant, atque terminent.*

Præterea Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 20.* ſtatuit, ut cauſæ omnes ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, in prima inſtantia coram Ordinariis locorum co-
34 gnoſcantur, & terminentur; & in Bulla 113. S. Pii V. *ſuper reformatione Tribunalis Auditoris Cameræ*, §. 16. *in Bullar. tom. 2. pag. 219.* diſponitur, ut nihil ſine ſpeciali commiſſione Pontificis Auditor Cameræ decernat, aut man-
35 det, quod Epiſcopos, & alios locorum Ordinarios impedire poſſit, ne ad executionem Decretorum Sac. Concilii Tridentini, correctionemque morum liberè procedant; & in dicta Bulla 28. Pauli V. poſt facultates Auditori Cameræ attributas, *in* § 38. Legitur clauſula infraſcripta, videlicet, *Per præſentes autem non intendimus Decretis Concilii Tridentini in aliquo derogare, vel aliàs præjudicare; ſed illa ſalva eſſe, & in ſuo robore permanere.*

36 Quo verò ad cauſas Regularium in gradu appellationis ex eadem Bulla 28. Pauli V. § 10. Auditor Cameræ poteſt cognoſcere cauſas appellationum, quæ à ſententiis quorumcumque Ordinariorum etiam extra ſtatum Eccleſiaſticum ad Sedem Apoſtolicam devolvuntur. Provinciales
37 autem ſunt Ordinarii in Provincia, & comparantur Prælatis habentibus quaſi Epiſcopalem juriſdictionem: & ita obſervatur teſte Cardinale *conſ. 89. Caſus ſuper quo. nu. 2. verſ. Nam tales miniſtri*: & ab eorum ſententiis de jure communi appellari poteſt ad Papam omiſſo medio, ut hic, & in concordantiis, de quibus ſupra in primo caſu non dubio *n. 17.* & ita ſi appelletur ad Papam, Auditor Cameræ videtur poſſe appellationes recipere, & inhibitiones decernere in vim ſuarum facultatum.

38 Cæterùm Sac. Congregatio Epiſcoporum, & Regularium anno 1587. decrevit, ut infrà, videlicet.

Quoniam nonnulli Regulares vagandi ſtudio, ſibique imminentem admiſſorum criminum pœnam ex ſuis Conſtitutionibus, aut aliàs debitam, ſibi metuentes, falſa, & commentitia gravamina cauſati, non ad immediatos ſui Ordinis Superiores, ſcilicet à gravamine Prioris ad Provincialem, à Provinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, prout per cujuſcumque Religionis Conſtitutiones diſponitur, ſed ad hanc Romanam Curiam ſæpiùs fugiunt, potiùs quàm recurrant: ex quo Ordinum diſciplina relaxatur, Prælati contemnuntur, & ipſi in dies audaciores evadunt: Placuit Sac. Congregationi Regularium ex ordine Sanctiſſimi ſtatuere, ut ſi quis Regularium impoſterum temerè, levique ex cauſa hanc almam Urbem, ſeu Curiam abſque ſui Superioris licentia, & ſupradicta forma prætermiſſa adire præſumpſerit, ad ſuos eoſdem Superiores ſeveriori pœna plectendus remittatur.

Et ſanè expedire non videtur, ut Religioſi in ſuis cauſis litigent extra Ordinem; quia ſic datur eis materia vagandi extra clauſtra, & diſcurrendi per Curias contra Canones, *ut c. Si cupis, & c. Placuit communi, 16. q. 1. c. Quanto, de offic. Ordin. c. Monachi, de ſtat. Monachor.* Clem. *Ne in agro*, §. *Quia vero, eodem tit.* cùm multis concordantibus, tum quia propter ingentes ſumptus, qui fiunt in litibus proſequendis, coguntur pecunias quandoque etiam illicitis mediis ſibi comparare, & proprietatem habere, contra *c. Cùm ad Monaſterium, de ſtat. Monachor.* tum quia eorum delicta ſic publicantur in ſæculo cum ignominia Religionum, & ſcandalo ſæcularium, contra *c. In ſcripturis, 96. diſt.* ubi refertur Conſtantinum dixiſſe: Verè ſi propriis oculis vidiſſem Sacerdotem Dei, aut aliquem eorum, qui Monaſtico habitu circumamicti ſunt, peccantem, chlamydem meam expoliarem, & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur: tum denique quia ex hoc enervatur Monaſtica diſciplina, & Prælatis Regularibus debita ſubtrahitur obedientia, contra textum *in c. Reprehenſibilis, ſupra eodem*, Quam ob cauſam multæ Religiones obtinuerunt à Sede Apoſtolica, ut ab ordinationibus Superiorum non liceat ſubditis appellare, & in ſpecie Sixtus IV. dicitur conceſſiſſe Generali Ordinis S. Auguſtini, & Carmelitarum, ut poſſint ſua officia exercere rejecta quacumque appellatione. Et Julius II. dicitur prohibuiſſe Fratribus Prædicatoribus ſub pœna excommunicationis appellare à mandatis, & ordinationibus Prælatorum dicti Ordinis, ut refertur *in Compendio Privilegiorum Mendicantiũ in ver. Appellare.*

Et ex his reſultat etiam reſolutio ad tertium dubium ſuperiùs propoſitum de Commiſſionibus Signaturæ Juſtitiæ, quia videtur non expedire, ut cauſæ Religioſorum extra Ordines committantur.

Verumtamen in Sac. Congregatione deſuper habita die 19. Julii 1650. tantummodò fuit proviſum, ut in caſibus, in quibus Auditor Cameræ poteſt appellationes recipere à ſententiis, & gravaminibus Prælatorum Regularium, inhibitiones minimè decernat; nec Præfectus Signaturæ juſtitiæ dat Commiſſiones, niſi citato Procuratore Ordinis,

DE APPELLATIONIBUS.

Innocentius III. Cancellario Meten.

CAPUT XLVI.

Conſtitutis in præſentia noſtra Decano ſancti Salvatoris, & Cantore Meten. & infrà. Meten. Epiſcopus intimavit, quòd ſancti Salvatoris præpoſitura vacante, die electioni præfixo, per Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, in virtute obedientiæ, ac ſub animæ periculo Canonicos adjuravit, ut ſecundùm Deum & juxta conſcientiam ſuam, unum eligerent de duobus, in quos partes videbantur oculos extendiſſe, quem Eccleſiæ magis utilem & idoneum reputarent. Decanus autem cum duobus Diaconibus & Subdiaconibus tribus, dictum Cantorem in Præpoſitum nominavit: Cantor verò ipſe, qui Presbyterali officio fungitur, & Cuſtos cum Scholaſtico & Magiſtro B. ſacerdotibus, Levitis duobus, & Subdiaconibus quinque te concorditer elegerunt; cujus electionem tamquam à majori, & ſaniori parte Capituli factam (cùm de perſonæ tuæ honeſtate conſtaret) prædictus Epiſcopus confirmavit: & cùm tibi vellet domum, & inveſtituram porrigere, (ut eſt moris) Decanus ad ſedem Apoſtolicam appellavit, contra te impotentiam dumtaxat allegans; proponendo te in partibus illis, quaſi penitùs impotentem, in quibus præpoſituræ poſſeſſiones exiſtunt; addens, quòd alia tibi objiceret in præſentia noſtra, quæ tunc in præſentia judicis ſuſpecti noluit explicare. Nos ergo, quia conſtitit evidenter illam appellationis cauſam, quæ fuit expreſſa, rationabilem non fuiſſe; aliam autem tunc non expreſſit: & ſi dixerit idem Decanus, quòd aliam vellet objicere coram nobis: decernimus tuæ confirmationis effectum non debere per ea, quæ ſunt propoſita, impediri. Si quid tamen contra te non in modum exceptionis ad impediendum electionis & confirmationis effectum, ſed in modum denuntiationis vel accuſationis duxerit proponendum, poſtquàm pacificam ipſius præpoſituræ poſſeſſionem fueris aſſecutus, proponendi licentiam non negamus.

SUM-

S U M M A R I U M.

1 *APpellatio contra electum, & confirmatum non admittitur ad impediendum electionis, vel confirmationis effectum, & nu.*17.

*Fallit primò in appellatione judiciali, n.*18. *&* 19.

*Fallit ſecundò in confirmatione clandeſtinè facta, n.*20.

Fallit tertiò, ſi in loco vigeat conſuetudo confirmandi, non poſitis edictis, n. 21.

*Fallit quartò in collatione, ſeu proviſione, ibid. n.*22.

2 *Electio an, & quando poſſit reſtringi ad duos.*

3 *Electio honeſtius eſt ut fiat de idoneo de eodem Collegio, quàm ut fiat tranſitus ad magis idoneum alterius Collegii.*

4 *Electoribus deferri poteſt juramentum à Superiore, ut magis idoneum eligant.*

5 *Patronis poteſt Epiſcopus deferre juramentum de præſentando magis idoneum, ſi ſubſit ſuſpicio, ne moveantur aliquo inordinato affectu.*

6 *Fallit, ſi contra Patronos eſſet præſumptio perjurii.*

7 *Juramentum numquam eſt deferendum illi, contra quem vehementer præſumitur de tranſgreſſione.*

8 *Electio in foro conſcientiæ debet fieri de magis idoneo.*

9 *Eligens dignum poſthabito digniore mortaliter peccat.*

Et magis idoneus dicitur non tantùm reſpectu ſui, ſed etiam in ordine ad utilitatem Eccleſiæ, n. 14.

10 *Electio de digno, omiſſo digniore, in foro externo valida eſt, nec debet retractari.*

11 *Quod procedit non obſtante juramento de eligendo magis idoneum.*

12 *Et quid ſi à contraria electione fuerit appellatum.*

13 *Et quid in concurſu Parochialium Eccleſiarum.*

14 *Prælatus eligendus eſt melior non ſimpliciter, ſed in ordine ad Eccleſiam regendam, & n. ſeq.*

Et an dives, & potens pauperi, & litterato ſit præferendus, vel è converſo, n. 16.

15 *Epiſcopi non debent eſſe tantummodò revolutores chartarum, ſed etiam factores operum.*

19 *Confirmatio facta judiciali ordine obſervato habet vim diffinitivæ.*

20 *Confirmatio electionis clandeſtinè facta quando dicatur.*

21 *Conſuetudo confirmandi electum non poſitis edictis valida eſt.*

1 C*Onſtitutis*, il ſecondo. Appellatio fruſtratoria poſſeſſionem confirmandi non impedit. Hoc dicit, Joan. Andr. Bald. Bellam. Butr. Card. Anch & Imol. Vel aliter ſecundum Abb. Franch. Præpoſ. & Alex de Nævo: Contra electum, & confirmatum nullum aliud jus expectantem non admittitur regulariter exceptio, vel appellatio, maximè fruſtratoria ad impediendum electionis, & confirmationis effectum, ſed poſſeſſione habita poterit accuſari, vel denuntiari. Hoc dicit: & eſt caſus notabilis. Dividitur in tres partes. In prima narrat factum. In ſecunda diffinit, ibi, *Nos ergo*. In tertia proteſtatur, ibi, *Si quid tamen*.

2 Nota primò ibi, *Unum eligerent de duobus*, electionem poſſe reſtringi ad duos: quod verum eſt in duobus caſibus, ſecundùm Imol. *hìc num.* 2. & Joan. de Anan. *num.* 3. & Præpoſ. *num.* 11. Primus eſt, quando ipſimet eligentes in tractatu ad hoc ſe reſtrinxerunt: hoc enim non eſt contra formam Concilii generalis *in ca. Quia propter de elect.* cum nuſquam inveniatur prohibitum, quin de duobus tantùm poſſit fieri ſcrutinium, vel compromiſſum, *arg. c.* 2. § *Sed*
3 *neque de translat. Epiſc.* Secundus eſt, quando non eſſent niſi duo idonei de Collegio: nam de ſuo potiùs, quàm de extraneo debet fieri electio, *c. Nullus invitis*, 61. *diſt.* & interdum ex gremio certæ Eccleſiæ, *c. Cùm dilectus, de conſuet. c. Abbate de verb. ſignific.* Honeſtius enim eſt, ut idoneus eligatur de eodem Collegio, quam ut fiat tranſitus ad magis idoneum alterius Collegii, ſecundùm Abb. *hìc n.* 8. *verſ. Et intellige prædicta*, & Præpoſ. *num* 18. *verſ. Si tamen in Eccleſia illa*, & in hoc reſident Innoc. *in princ.* Abb. Antiqu. *num.* 1. Hoſt. *num.* 2. *in ver. Unum*, Joan. Andr. *num.* 5. Bellam. *num.* 2. *in ver. de Duobus*, Butr. *nu.* 3. Anchar. *num.* 4. Imol. & Joan. de Anan. Præpoſ. *locis citatis*. Aliàs verò electio per ſuperiorem reſtringi non poteſt, cùm debeat eſſe libera, ſecundùm ea, quæ leguntur, & notantur *in cap. Cùm terra, de elect.* Unde Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum conſulta à Generali Ordinis ſancti Auguſtini, an ei liceat in electione Provincialium, Priorum, aliorumque Officialium facienda aliquos nominatim proponere, ex quibus unus Canonicè per ſecreta ſuffragia ad officium eligatur? Reſpondit non licere.

Secundò nota ibi, *Magis idoneum, & utilem reputa-* 4
rent, Superiorem, ad quem ſpectat jus confirmandi, poſſe deferre Sacramentum electoribus, & ſic eos jurejurando adſtringere, ut ſecundum Deum, & conſcientiam ſuam eligant magis idoneum: nam obteſtatio, ſeu adjuratio, de qua in textu, loco juramenti habetur, gloſſ. 2. *hic*, Hoſt. *num.* 2. Abb. Præpoſ. & Alex. de Nævo omnes *in* 1. *notab.*

Et ex hoc textu deducitur primò notabilis theorica 5
ſecundum Abb. *ubi ſupra*, videlicet quòd ubi Epiſcopus timeret, ne patroni moverentur aliquo inordinato affectu, poſſet eis deferre juramentum de præſentando magis idoneum, & ſequuntur Præpoſ. *num.* 2. Alex. de Nævo *num.*
3. & Dec. *in* 1. *notab.* Qui tamen intelligit hoc verum 6
eſſe, niſi contra patronos eſſet præſumptio perjurii, quia tunc non deberet adjuratio fieri, ſeu juramentum deferri. Quod ſatis placet per text. *in cap. Clericos, de cohabitat.*
Clericor. & mulier. ubi non debet Prælatus deferre jura- 7
mentum Clericis concubinariis de non redeundo ad concubinas, ne in perjurii reatum incurrant. Ex quo textu Abb. *num.* 2. generaliter infert, ut numquam juramentum ſit deferendum illi, contra quem vehementer præſumitur de tranſgreſſione: imò deferens peccat, ut eſt text. optimus *in cap. Ille* 22. *quæſt.* 5. ubi Auguſtinus ait, *Ille, qui hominem provocat ad jurationem, & ſcit eum falſum juraturum, vincit homicidam, quia homicida corpus occiſurus eſt, ille animam, imo duas animas, & ejus, quem jurare procuravit, & ſuam.*

Secundò, ex textu deducitur manifeſtè, electores in fo- 8
ro conſcientiæ teneri digniorem eligere, nec ſuæ obligationi ſatisfacere dignum eligendo: nam ſi ad hoc non tenerentur, nullatenùs poſſet eis juramentum deferri, ut in text. concordat *ca. Licèt ergo*, 8. *quæſt.* 1. ubi qui præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, & qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium, *c. Illud, ead. cauſ. & quæſt. c. Unum omnium, §. Nunc autem*, ibi, *Sed talis eligatur, cujus comparatione cæteri grex dicantur*, 25. *diſt. cap. Viliſſimus*, 1. *quæſt.* 1. *cap. Metropolitano*, 63. *diſt. in fin.* ibi, *Ex Presbyteris ejuſdem Eccleſiæ, vel Diaconis optimus ordinetur*, *cap. Quoniam de jurepatr.* ibi, *Ille præficiatur Eccleſiæ, qui majoribus juvatur meritis*, *cap. final. de offic. cuſtod.* ibi, *Ut ad hoc opus tales ordinentur, quales & meliores, & ſanctiores eſſe videntur.* Et quamvis gloſſ. *in d. cap. Licèt ergo, in ver. Qui* 9
præſtantior, 8. *quæſt.* 1. relatis aliorum opinionibus concludat cum Hugone, eligentes non peccare, ſi eligant dignum, licèt potuerint eligere digniorem, & cum gloſ. conſentiunt hìc Joan. de Imol. & Philippus Franchus: tamen opinio gloſſ. procedit in voluntariis tantùm; ſed in neceſſariis, ut in electione, oportet meliorem eligere, ut ibidem declarat Archidiac. *num.* 3. Et hæc opinio communiter tenetur, & videtur etiam de jure verior, ut atteſtatur hìc Decius *num.* 6. & 12. Itaque eligentes dignum vulnerant conſcientiam, ſi potuerunt eligere meliorem, ut ait Federicus de Senis *conſ.* 95. *Super dubitationem articuli*, *num.* 1. & Abbas *hìc num.* 7. Imò peccant mortaliter, & eſt orandum pro eis, quia multi incidunt in hunc laqueum, ut formaliter inquit Butr. *in c. Inter cætera, num.* 5. *de offic. Ord.* Idem pluribus relatis tenet Covar. *in reg. Peccatum, part.* 2. §. 7. *num.* 4. *verſ. Is vero, qui dignum*, ſubdens ita communi omnium conſenſu receptum eſſe in hoc Cap. Et eſt ſententia D. Thom. *in* 2. 2. *q.* 63. *art.* 1. *& q.* 185. *art.* 3. *& quodlib.* 8. *art.* 6. *& quodlib.* 6. *art.* 9. quam etiam probavit Rota *deciſ.* 65. *num.* 8. *part* 1. *recent. & in Toletana Canonicatus* 18. *Maji* 1584. coram ſan. mem. Clem. VIII. impreſſ. apud Marcheſ. *de Commiſſ. part.* 1. *cap.* 7. *fol.* 287. Hodie hæc opinio in iis, qui majoribus Eccleſiis præficiuntur, eſt indubitata, quia Concilium Tridentinum *in cap.* 1. *ſeſſ.* 24. *Omnes, & ſingulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus à Sede Apoſtolica habent, aut alioquin operam ſuam præſtant, hortatur, & monet, ut in primis meminerint nihil ſe ad Dei gloriam, & po-*

pulorum ſalutem utilius poſſe facere, quàm ſi bonos paſtores, & Eccleſiæ gubernandæ idoneos promoveri ſtudeant, eoſque alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, non quidem precibus, vel humano favore, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis præfici diligenter cura-
10 *verint.* Hæc ibi. Cæterum in foro externo, & poſt factum electio de digno poſthabito digniore valida eſt, nec debet retractari, c. *Monaſterium*, 16 q. 7. c. *Cùm terra*, c. *Cùm nobis olim*, & c. *Cùm in cunctis*, *juncto* c. *Quia propter*, *de elect.* c. *Niſi cum pridem*, §. *Pro defectu*, *de renunt.* c. *fin. de præſumpt.* & hìc firmat gloſ. *in ver. Magis utilem*, Butr. *n.* 15. Card. *ſub nu.* 3. Abb. *n.* 6. & 7. Præpoſ. *n.* 2. & 18. Dec. *nu.* 12. & reliqui omnes, Rota *in d. Toletana Canonicatus*, *n.* 3. & *d. dec.* 65. *n.* 8. *p.* 1. *rec.* S. Thom. *in* 2 2. *q.* 63. *art.* 2. *ad* 3. dicens, quantùm ad hoc, ut electio impugnari non poſſit in foro judiciali, ſatis eſſe eligere bonum, nec oportere eligere meliorem, quia ſic omnis electio poſſet habere calumniam. Et idem repetit *quol.* 8. *art.* 6. *ad* 5. *verſ. Vel dicendum*, & *quodlib.* 6. *art.* 9. *verſ. Sed contra*, Silveſt. *in ver. Electio*, *in* 1. *q. n.* 26. & alii plures tam Theologi, quàm Canoniſtæ, quos cumulat Covar. *in d. reg. Peccatum*, 1. *p.* 2. §. 7. *n.* 3.

11 Quod procedit etiam ſtante juramento de eligendo magis idoneo, quia nihilominùs electio de digno non retractatur, ut probatur hìc, & tenet Cardin. *d. n.* 2. & Præpoſ. *eod. n.* Covar. *ubi ſupra*, *verſ. Secundò probatur*, & Rota *in dicta Toletana Canonicatus*, *d. num.* 3.

12 Fallit hęc concluſio, ſi ab initio Electoribus denuntiatum fuiſſet, ut digniorem eligerent, & à contraria electione fuiſſet appellatum, quia tunc electio de digno prætermiſſo digniori non valeret, ut hìc Abb. *n.* 7. *verſ. In hac materia*, id eſt irritanda eſſet per viam attentati, quaſi contra appellationem facta, non quia nulla eſſet ipſo jure, ſecundùm Prępoſ. *n.* 18. Et quamvis Franchus *col.* 2. *circa med. verſ. Sed adverte*, poſt Imol. oppoſitum ſentiat, putans etiam hoc caſu electionem de digno validam eſſe, nec retractari poſſe, ejuſque opinionem in practica admittendam putet Covar. *in d. reg. Peccatum*, *n.* 3. *verſ. Contra Imol.* ob eam rationem, quia alioquin quęlibet electio revocari poſſet in diſcrimen, & omnia litibus involverentur: tamen primam opinionem Abb. complectitur, & benè ab objectis tuetur Dec. *hìc n.* 12. quæ etiam mihi magis placet. Nec videtur urgere conſideratio Covarruviæ, quia hic caſus denuntiationis, & appellationis à futura electione de digno omiſſo digniori eſt admodùm rarus, & rarò etiam contingit in Parochialibus Eccleſiis, non obſtante, quòd ex Conſtitutione S. Pii V. ſint conferendæ magis idoneo in concurſu, & rejecto licitum ſit appellare à præelectione facta de digno; & conſtito de irrationabili judicio, præelectio ſit retractanda, ut plenè dixi in *c. Eam te*, *ſuprà de ætat. & qualitat.*

13 Et hinc collige ſecundam fallentiam ad regulam ſuperiùs propoſitam, quòd electio de digno omiſſo digniori valida ſit in foro judiciali: fallit enim in Eccleſiis Parochialibus, quæ conferuntur prævia forma examinis per concurſum ad præſcriptum Concilii Tridentini *c.* 18. *ſeſſ.* 24. Nam in his Epiſcopus inter probatos ab Examinatoribus Synodalibus debet omninò eligere magis idoneum; alioquin licebit poſtpoſito appellare, & provocare præelectum ad novum examen, & electio per judicem appellationis erit retractanda, conſtito de irrationabili judicio Epiſcopi, & Parochialis magis idoneo erit conferenda, ut in præcitata Conſtitutione S. Pii V.

14 Tertiò nota in eiſdem verbis, *Magis idoneum, & utilem reputarent*, eligendum in Prælatum debere eſſe magis idoneum, non tantùm reſpectu ſui, ſed etiam in ordine ad utilitatem Eccleſiæ, ut hìc per Abb. *in* 3. *not.* concordat Concilium Tridentinum *in d. c.* 1. *ſeſſ.* 24. ibi: *Niſi quos digniores & Eccleſiæ magis utiles judicaverint*; neque enim Epiſcopi debent eſſe tantummodò revolutores chartarum, *ut in c. In*
15 *Canonibus* 16. *q.* 1. & alibi ſimpliciter repellit à promotione, *ut c. Petrus* 39. *diſt.* Itaque non oportet, ut ad Prælationem ſemper eligatur, qui eſt melior ſimpliciter; poſſibile eſt enim, ut illi, qui eſt in charitate perfectior, deficiant multa, quæ requiruntur ad hoc, ut aliquis ſit Prælatus idoneus, quę in alio, qui eſt minoris charitatis, inveniuntur, ut ſunt ſcientia, induſtria, potentia, & alia hujuſmodi. Unde non oportet ſemper eligere meliorem ſimpliciter, ſed eum, qui ſit melior ad Eccleſiam regendam, ita S. Thom. *d. quolib.* 8. *art.* 6. & *quolib.* 6. *art.* 9. Conſiderandum eſt igitur, an perſona ſit ſufficiens etiam reſpectu ipſius beneficii, an verò non, ut hìc per Imol. *nu.* 8. & Præpoſ. *num.* 6. puta, ſi beneficium habeat poſſeſſionem inter inimicos, eligitur potiùs Primas in civitate, & dux factionum, vel homo potens, & robuſtus, quàm literatus, *c. Officii ſupra de elect.* & innuit text. noſter in illis verbis: *In quibus Præpoſituræ poſſeſſiones.* Similiter, ſi
beneficium eſſet ære alieno gravatum, potiùs eligeretur di- 16
ves, & potens, quàm pauper, & doctor, *arg. c. Hos jus porrectum* 10. *q.* 2. Quod ſi beneficium eſſet vel inter hæreticos, vel inter abhorrentes à cultu, præferendus eſſet Theologus, vel Canoniſta diviti, & potenti, ad notata *in c. infra de conſangu. & affin.* Quod latiùs diſcurrendo per ſingulas qualitates proſequitur *hìc* Hoſt. *n.* 7. Jo. Andr. *n.* 21. Licèt gl. notabilis *in cap. Quoniam vetus*, *in ver. Invidia* 24. *q.* 1. referat, cùm duo certarent de electione, & unus allegaret ignobilitatem, & paupertatem alterius, alium ex adverſo reſpondiſſe: *Piſcatori Petro fabri filio ſucceſſorem quærimus*, non Auguſto; unde gloſ. additionalis ibi:

Nobilitas faſtum, faſtus litem parit, & amat,
Lis odium, capiunt hæc tria mortis iter.

Facit *c. Venerabilis*, & *c. de multa in fin.* cum utrobique notatis per DD. *infr. de præben.* qua de re plura cumulat hìc Jo. Andr. *nu.* 21. & adde quod de qualitatibus concurrentium ſcripſi *in d. c. Eam te*, *in ult. q. de ætat. & qualit.*

Ultimò nota ibi, *Confirmationis effectum*, appellationem 17
interpoſitam poſt confirmationem electionis non impedire quominùs confirmatus poſſeſſionem conſequi debeat, ut hìc eſt caſus ſecundùm Abb. & alios ſupracitatos in Sum. tex. Ratio eſt, quia poſſeſſio illa eſt quid facti, & effectus conſecutivus juris præcedentis; ac proinde ob interpoſitam appellationem differri non debet, ut hìc *in gloſ. ult. ad fin.* & notat Imol. *n.* 6. & 13. Abb. *n* 6. & Præpoſ. *n.* 12.

Declara primò text. noſtrum, ut procedat in appellatione 18
extrajudiciali, prout intelligunt communiter DD. nam confirmatio, de qua text. loquitur facta fuit abſque ſolemni cauſæ cognitione; & ideò cauſa etiam rationabilis appellationis emiſſæ extra judicium non caſſat, quod factum eſt ante appellationem, nec impedit illius executionem, vel effectum, ut in text. At ſecus eſt in appellatione emiſſa in judicio, quando ſcilicet confirmatio fit oblato libello, lite 19
conteſtata, & alio judiciali ordine obſervato, quia tunc cõfirmatio habet vim diffinitivę; & idcircò appellatio judicialis ſuſpendit ſententiam, & effectum ejus, ſecundùm Inn. *hìc n.* 2. cum quo tranſeunt Abb. *n.* 14. & communiter DD.

Declara ſecundò text. noſtrum, ut locum habeat in con- 20
firmatione, in qua fuerit ſervata forma *c. fi. de elect. lib.* 6. ſecus autem in confirmatione clandeſtinè facta, veluti quia edictum inſpici non potuit, vel quia fuit appoſitum tempore incongruo, vel in loco, unde potuit de facili auferri, vel quia fuit à pluviis corruptum; hoc enim caſu appellatio etiam extrajudicialis benè impedit confirmationis effectum, quia ceſſat ratio, de qua infrà in quarta declaratione, ita determinat Innoc. *in c. penult. num.* 3. *ſupra de cauſ. poſſ. & propriet.* & ſequitur Præpoſ. *hìc num.* 14.

Declara tertiò, ut non procedat, ſi in loco vigeat conſue- 21
tudo de non ponendo edictum juxta formam dicti *c. fin. de elect. lib.* 6. talis enim conſuetudo valida eſt, ut ibi notatur per DD. nihilominùs appellatio extra judicium ſuſpendit effectum confirmationis, ut per Prępoſitum *ubi ſupra verſ. Vel pone quod conſuetudo*: nam & hoc caſu ceſſat ratio, de qua infra proximè.

Declara quartò hunc textum, ut locum non habeat in 22
collatione ſeu proviſione: nam appellatione extrajudicialis benè impediet, ne proviſus poſſeſſionem aſſequatur, *ut c. Accedens*, *infra de Accuſat.* & poſt Innoc. firmat Butr. & alii *in d. cap. penult. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* & Præpoſ. *hìc num.* 13. Ratio differentiæ inter confirmationem, & collationem eſt, quia in confirmatione citatur pars, vel ſaltem per edictum fit citatio generalis, *ut in d. c. final. de elect. lib.* 6. Unde veriſimile eſt, ut ſi quid eſſet diſcutiendum illud fuiſſet diſcuſſum in ipſa confirmatione, ideòque exceptio, ſeu appellatio videtur poſteà calumnioſè interponi ad impediendum, ne confirmatus poſſeſſionem adipiſcatur. At ſecus eſt in collatione, quia licèt habeat vim confirmationis, ut notat gloſ. *in cap.* 1. *de elect. lib.* 6. tamen in ea non requiritur citatio illa, ſeu propoſitio edicti, quæ requiruntur in confirmatione, ut eſt gloſſ. communiter approbata *in d. cap. fin. in ver. Electione circa fin.* Unde nil mirum, ſi volens opponere ſit admittendus, antequam tradatur

datur

datur poſſeſſio, cùm non potuerit contradicere in collatione, ut bene hìc per Præpoſ. *d. nu.*13. Eamdem differentiam inter confirmationem, electionis, ſeu inſtitutionem, & liberam collationem, ſeu proviſionem, ponit Lambert. *de jurepatr. lib.*2.*p.*2. *q.*11. *art.*5. *n.*5 Quamobrem non videntur audiendi Gonzalez *ad regulam de menſibus gl.* 9. §. 1. *in annotat. nu.*27. & Lancellot. *de attent.* 2.*p. cap.*12. *limit.* 5. *num.*4. & 5. & *limit.* 40. *nu.* 5. citati à modernis Collectoribus hìc, dum dixerunt, quando proceditur extrajudicialiter, nullam appellationem ex adverſo interpoſitam ſuſpendere collationem, nec poſſeſſionis traditionem: etenim tex. noſter, & DD. ab eis citati non loquuntur in collatione, ſed in confirmatione, in qua diverſa militat ratio, ut dictum eſt.

DE APPELLATIONIBUS.

Idem Innocentius III. Epiſcopo Helin.

CAPUT LIII.

PAſtoralis officii diligentia: & infrà. Quæſiviſti utrùm, quando inhibetur appellatio in reſcripto, fruſtratoria tantùm inhibita videatur? Nos igitur attendentes, quòd per appellationem fruſtratoriam, etiamſi non fuiſſet inhibita, negotium non debeat impediri: reſpondemus, quòd quælibet provocatio intelligitur removeri, quæ à jure non indulgetur expreſsè: ſed ſi appelans fuerit gravatus injuſtè, gravamen hujuſmodi per ſuperiorem poterit emendari. Verùm quia multotiens quis ad tempus per appellationem legitimam, à judicis ſui, quoad aliquem certum articulum, eximitur poteſtate: conſuluiſti nos, utrùm ſi quis excommunicationis ſententia innodatus, ante denuntiationem ipſius ab ea tamquam minùs rationabiliter promulgata, in eo caſu, in quo ante ſententiam appellatio vires obtinuiſſet, curaverit provocare, eò quòd per appellationem interpoſitam excommunicantis videtur juriſdictio dormitaſſe, ipſe denuntiare poſſit eumdem, & ad tempus Eccleſiaſticis beneficiis Clericum ſpoliare? Nos itaque reſpondemus, quòd cùm executionem excommunicatio ſecum trahat, & excommunicatus per denuntiationem ampliùs non ligetur, ipſum excommunicatum denuntiare potes, ut ab aliis evitetur. Et illi proventus Eccleſiaſtici meritò ſubtrahuntur, cui Eccleſiæ communio denegatur.

SUMMARIUM.

1 *Clauſula*, Appellatione remota, *tollit omnem appellationem, quæ à jure non eſt expreſsè permiſſa.*

2 *Et datur à Summo Pontifice tantùm in terris Eccleſiæ indiſtinctè, ſed in terris Imperii in cauſis ſpiritualibus, vel mixti fori, aut inter perſonas Eccleſiaſticas, num.*4.

3 *Clauſula*, Appellatione remota, *non datur à Congregationibus Cardinalium, nec à Signatura juſtitiæ.*

4 *Datur ab Imperatore in locis Imperio ſubjectis in cauſis temporalibus, & inter laicos.*

5 *Item à Regibus, & Principibus non cognoſcentibus Superiorem in temporalibus.*

6 *Appellatio cùm ſit ſpecies defenſionis, quæ eſt de jure naturali, qualiter tolli poſſit à Principe.*

7 *Clauſulam*, Appellatione remota, *à ſententia interlocutoria, an Judices inferiores dare poſſint in ſubdelegatione cauſarum.*

8 *Clauſula utcũq; odioſa in reſcripto appoſita debet intelligi, ut aliquid operetur ultra jus commune & n. ſeqq.*

9 *Appellationis remedium nulli denegandum.*

10 *Privilegio fruſtra impetratur, quod de jure communi competit.*

11 *Expreſſio ejus, quod tacitè ineſt, debet aliquid augere.*

12 *Statutum debet interpretari, ut non ſit de caſu indubitabili, & à jure communi deciſo.*

13 *Verba ſtatuti debent impropriari, ut aliquid operentur.*

14 *Appellationi frivolæ deferendum non eſt, licèt appellatio in reſcripto non ſit inhibita, n.*20.

15 *Clauſula*, Appellatione remota, *tollit appellationem, quæ à jure non indulgetur expreſsè, ad effectum ſuſpenſivum tantùm, non autem devolutivum.*

16 *Ex ſtylo Curiæ quoad partes nihil operatur, ſed tantùm quoad judicem, ne teneatur deferre.*

17 *Et gravamina à judice illata poſt appellationem non revocantur per viam attentati, ſed per viam querelæ, num.*30.

18 *Clauſula*, Appellatione remota, *an hodie aliquid operetur, & quid & n. ſeqq. uſque in fin.*

19 *Appellationis quatuor ſunt ſpecies.*

20 *Appellatio manifeſtè frivola ſemper inhibetur à judice, & à jure.*

21 *Clauſula*, Appellatione remota, *nihil operatur reſpectu appellationis, quæ à jure indulgetur expreſsè, nu.*23.

22 *Et quando appellatio dicatur à jure expreſsè indulgeri.*

24 *Clauſula*, Appellatione remota, *non impedit appellationem, ubi manifeſtè quis gravatur.*

25 *Appellatio latens frivola inhibetur à jure, ſed non à judice, quamdiu falſitas latet.*

26 *Judex datus cum clauſula*, Appellatione remota, *an hodiè teneatur deferre appellationi ex cauſa probabili, quæ à jure non indulgetur expreſsè, & an hoc c. ſit correctum per cap. Ut debitus infrà eodem.*

27 *Intellectus c. Edoceri de reſcript.*

28 *Appellatio ex cauſa probabili non expreſſa in jure non ſuſpendit juriſdictionem judicis procedentis appellatione remota, quin poſſit ſententiam exequi.*

29 *Fallit in tribus caſibus hìc expreſſis.*

31 *Clauſula*, Appellatione remota, *effectus octodecim, remiſſivè.*

32 *Clauſula*, Appellatione remota, *nihil operatur de conſuetudine, ſi apponatur in literis executorialibus, quæ expediuntur per contradictas; ſecus ſi in litteris commiſſionis.*

P*Aſtoralis*. Per clauſulam, *Appellatione remota*, om- 1
nis appellatio prohibetur, quæ à jure non eſt expreſsè
permiſſa. Hoc dicit uſque ad §. *Verùm*. Communis diviſio. Conſultatio, & reſponſio. Secunda, ibi, *Reſpondemus*,
Nota primò, ibi, *Inhibetur appellatio in reſcripto*, appella- 2
tionem tolli non poſſe, niſi per reſcriptum Apoſtolicum, ſive bullatum, ut *c. Si ſup. de reſcript.* ſive in corpore juris clauſum, ut in *c. Ad noſtram ſuprà eod. & in c. Licèt de off. Ord. & in c. Paſtoralis*, §. *final. de offic. deleg. cum ſimilib.* de tali enim reſcripto intelligitur hæc littera, ut notant Hoſt. & Jo. Andr. ambo *in princ.* Inferior autem à Papa non reſcribit appellatione remota, quia non poteſt tollere jus alterius, *c. Super quæſtion.* §. 1. *cum ibi notat. de off. deleg* & ita tranſeunt communiter Doctores hìc, ut teſtatur Abb. *n.* 4.
Unde non ſemel audivi Sanctiſſimum Dominum noſtrum 3
Urbanum VIII. dicentem, Congregat. Cardinalium non poſſe dare clauſulam, *Appellatione remota*, quam nec Signatura juſtitiæ dare poteſt, ut affirmat Marcheſ. *de Commiſſ. par.* 1. *c.* 10. *in tit. de Commiſſ. cum clauſula, Appellatione remota, in princ.* & dixit Rota apud Cardin. Seraph. *dec.* 857.
num. 2. Hanc concluſionem declarat Abb. *hìc eod. nu.* 4. ut 4
habeat locum in cauſis ad juriſdictionem Eccleſiaſticam

per-

pertinentibus, in quibus ſolus Papa removet appellationem in aliis verò ſolus Imperator. Tu dic, in locis, quæ ſunt de temporali juriſdictione Eccleſiæ, ſolum Romanum Pontificem appellationem tollere etiam in cauſis profanis, & inter laicos; in terris autem Imperii in cauſis Eccleſiaſticis tantùm, vel mixti fori, aut inter perſonas Eccleſiaſticas, ex his quæ notat gloſ. in c.2. in ver. Lex civilis, verſ. Sed quid dices de arbitr. lib.6. & Bart. in l. Privilegia n. 2. C. de Sa-
5 croſ. Eccleſ. Sed in cauſis temporalibus inter Laicos, & in terris Imperio ſubjectis ſolus Imperator dat judices appellatione remota, ut eſt tex. in l.1. §. final. à quibus appellar. non lic. Per hoc tamen non excluditur, quin idem poſſint alii Reges, & Principes non recognoſcentes Superiorem in temporalibus, quia eſt eadem ratio, ut firmat Bart. in d.§.fin. n.3. Anton. de Butr. in c. Venientes n.8. ſup. de jurejur. Felin. in hic rubr. n.2. & in c.1. in princ. de reſcript. plenè Roland. à Valle conſ.29. Quæritur an à ſententia nu.13. & 15. vol.1.
6 Prædictis non adverſatur, quòd appellatio ſit defenſio, cap. Cùm ſpeciali, §. Porrò infrà eod. & defenſio ſit de jure naturali, l. Ut vim, ff. de juſt. & jur. Clem. Paſtoralis de re judic. jus autem naturali à Principe tolli non poſſit, ut in Summa 8. diſt. & §. Sed naturalia inſtit. de jur. natur. gent. & civil. & notant Innoc. & alii in c. Quæ in Eccleſiarum ſup. de conſtitut. Nam, ut reſpondet, hìc Præpoſ. num. 7. quamvis defenſio ipſa tolli non poſſit: tamen modalitas, ſeu forma ſe defendendi benè poteſt tolli, cùm fuerit inducta de jure poſitivo, ut in ſimili notat Bart. in Extravag. Ad reprimendum in ver. Sine figura, & tenet hic Butr. nu.4. & in cap. 1. col.1. ſuprà de reſcript.
7 Limitat concluſionem ſuperiùs firmatam gloſſ. 1. in l fin. C. de ſentent. & interlocut. omn. jud. ut procedat tantummodò in appellatione à ſententia diffinitiva; ſecus in appellatione ab interlocutoria, quam removere poſſunt etiam inferiores judices in ſubdelegatione cauſarum; & illam gloſſam ſequitur, & extollit ibi Bart. nu.4. dicens neminem poſſe niſi ſolum Principem committere cauſam appellatione remota à diffinitiva, ſed benè ab interlocutoria: & ſubdit de hoc eſſe ibi caſum notabilem. Hanc etiam limitationé dicit eſſe mirabilé Abb. hìc d. n.4. verſ. Vide ad prædicta.

Contrarium tenet idem Bart. in præalleg. §. fin. nu. 2. ubi concludit, judices nec à diffinitiva, nec ab interlocutoria poſſe applicationem removere. Idem tenet Alber. in d.l.fin. in princ. C. de ſentent. Præpoſ. hic n.13. verſ. Secundus caſus, & Dec. n.11. Probatur hæc opinio duplici fundamento. Primum eſt, quod adducit Bart. nempè quia hoc eſſet tollere jus Superioris, ad quem appellatur, quod non poteſt inferior, arg. l. penult. ff. de aqua pluv. arcen. & eſt tex. optimus in c. Venientes de jurejur. Alterum fundamentum eſt, quia cum judex non poſſit non deferre appellationi legitimæ, ut notat Abb. in c. De priore ſup. eod. conſequenter nec poteſt hanc facultatem alteri ſubdelegare, c. Nemo poteſt plus juris, de reg. jur. lib 6. Et ita teneas. Non obſtat tex. in d.l. fin. C. de ſentent. quoniam intelligi debet de appellatione frivola, quam judex poteſt removere in ſubdelegatione cauſæ, ſecundùm Bart. in d. §. fin & ad objectum Abbatis, quod ſecundùm hunc intellectum illa lex eſſet ſupervacua, quæ tamen videtur edita cum magna ſolemnitate; reſponde ut hìc per Dec. n.11. poſt Alber. in d.l.fin. in princ.

Secundò, nota, in verſ. Nos igitur attendentes, clauſulam
8 utcumque odioſam, & reſtringibilem appoſitam in reſcripto, ita eſſe intelligendam, ut aliquid operetur ultra jus commune. Clauſula enim, Appellatione remota, eſt valdè
9 odioſa quia appellationis remedium nec Diabolo denegandum foret, ſi eſſet in judicio, ut dixit Rot. dec. 16. n.3. de dol. & contumac. in nov. per textum in c. Cum inter ſuprà de except. & c. Cùm ſpecialis inf. eodem: & tamen quia ſi intelligeretur de appellatione frivola, nullius eſſet effectus, cùm talis appellatio jam remota eſſet de jure antiquo, ut notatur in cap. Ad Romanam, & c. ſeqq. 2. q.6. idcirco intelligitur, ut locum habeat etiam in appellatione legitima, ut ſic aliquid operetur ultra terminos juris communis, ut hic patet. Fruſtra enim precibus impetratur, quod de jure communi
10 competit, ut leg.1. C. de theſaur. lib.10. & l.1. §. Quod beneficium, ff. ad municipal. & notat gloſſ. 1. in c 1. ſup. de reſcript. & ita ex hac littera deducit Abb. Antiq. num. 5. quem ſequuntur communiter Doctores. Unde Baldus num.2. ſimi-
11 liter colligit ex textu, expreſſionem ejus, quod tacitè in eſt habere aliquid augere; allegat concordantem l.3. C. ſi pend. appellat. mors interven. & Butr. nu.3. notat clauſulam privilegiatam ſonantem contra jus in dubio debere intelligi, ut in aliquo detrahat juri, vel addat: ad hoc cap. Si Papa, de privileg. lib.6. l. Si quando, C. de inoffic. teſtam. & in d.l. 1. in fin. ff. ad municipal. ſequitur Abbas Siculus in 2. notab.
Quod nota in perpetuò ſtatutis, ut hìc per Bald. nu. 3. Facit 12
quod notat Dynus conſ.32. Quæſtio talis eſt, Ordinarius, in princip. & per totum, ubi pluribus firmat ſtatutum debere interpretari, ut non ſit de caſu indubitabili, & à jure communi deciſo Idem voluit Feder. de Senis conſ. 109 Quæſtio nu.2. verſ. Nec eſt veriſimile: Cùm enim, ut inquit, lex debeat eſſe utilis, & neceſſaria, c. Erit autem lex 4. diſt. quam utilitatem ſequimur, ſi ſolum jus commune contineat? ut 13
quid membranas occupet? Eamdem theoricam poſuit Bartol. in l.4. §. Prætor ait num. 15. ff. de damn. infec. ubi dicit ſtatutum debere intelligi, ut aliquid addat juri communi, quia aliàs nihil operaretur: & ſequuntur Roman. conſ. 83. Licet jure communi n. 2. verſ. Nec præmiſſæ ſententiæ Alex. conſ. 196. Perſpectis num. 2 lib.6. & alibi paſſim Doctores. Quinimò ſecundùm Abb. hìc n.2. verſ. Et adde ad prædicta, & Præpoſ. n.3. verſ. Et ideò infert; quando diſpoſitio ſtatuti eſſet prorsùs inutilis; intelligendo verba ut jacent, debent verba impropriari, ut aliquid operentur, licèt diſpoſitio ſit odioſa, & pœnalis, ut ſingulariter probat textus in cap. Si ſententiam in fine, de ſent. excommun. lib.6. Et idem voluit hìc Baldus, dicens de hoc eſſe textum meliorem de jure, in l. Hæredibus, §. fin. ff. ad Trebell.

Tertiò, nota ibi, Et ſi non fuiſſet inhibita, appellationi frivolæ deferendum non eſſe, licèt appellatio in reſcripto non 14
ſit remota: & eſt ratio, quia ceſſat cauſa finalis appellationis, quæ fuit ad removendum gravamen, ut c. Suggeſtum ſupr. eod. Fruſtratoriè autem appellans non cenſetur gravatus, ut hìc per Præpoſ. in 2. notab. de quo latiùs dicam infrà n.20.

Quartò, nota ex tex. per clauſulam, Appellatione remota, prohiberi appellationem probabilem, & ex juſta cauſa interpoſitam, dummodò tamen cauſa hujuſmodi non ſit in jure expreſſa, ut hìc eſt caſus ſecundùm omnes, qui non reperitur alibi. Sed an hodiè hoc ſit correctum per Decretalem, Ut debitus infrà eod plenè dicam infrà in gloſſ. 1.

Ultimò, nota ibi, Gravam. hujuſmodi per Superiorem poterit emendari, quod etiamſi clauſula, Appellatione remota, 15
tollat appellationem legitimam, quæ à jure non indulgetur expreſsè: tamen ſi juſta ſit cauſa gravaminis, poterit gravatus adire Superiorem etiam per modum appellationis: nam etſi aliqui, præſertim Hoſt. n.1. in fin. verſ. Aut ex cauſa non expreſſa in jure, & Jo. And. n.4. in ver. Emendari, magis probaverint intellectum, ut hoc caſu gravatus adire poſſit Superiorem per viam ſupplicationis, ſeu querelæ, arg. l.1. ff. de offic. Præfec. Præt. juncta Auth. Quæ ſupplicat. C. de prec. Imper. offer. & c. Tum ex litteris, cum ibi notat. ſup. de in integr. reſtit. verior tamen intellectus habet, ut id liceat etiam per viam appellationis, ut clarè innuit hæc littera, dum dicit; Sed ſi appellans fuerit gravatus, poterit gravamen hujuſmodi per Superiorem emendari; & ſic apertè ſupponit eum fore audiendum per viam appellationis, non enim diceretur appellans, niſi appellaret, ut inquit Abb. Antiq. n.3. in eod. verſ. Sed ſi appellans, & hanc opinionem dicit magis communem Abb. n.15. verſ. Sed opinio. Hunc etiam intellectum communem eſſe atteſtatur Præpoſ. n.6.

Quod ſi objicies: Quid ergo operabitur clauſula, Appellatione remota, ſi etiam in caſibus non expreſſis in jure gravatus poteſt appellare? Reſpondeo, hæc appellatio non operabitur reſpectu judicis à quo, ſed reſpectu judicis ad quem, ut ſic devolvat negotium ad eum, ſed non ſuſpendat juriſdictionem primi judicis, ut hìc declarant Butr. num.2. & nu.5. verſ. Alius eſt effectus, & Abb. nu. 9. & hoc intendunt Abb. Antiq. num.5. Hoſtien. num.2. verſ. Tu dicas expreſsè, & num.4. in ver. Injuſtè, Joan. And. eodem nu. verſ. Ex hoc ſecundo, dum dicunt judicem à quo non teneri hoc caſu appellationi deferre, docentes practicam, videlicet ut judex tradat libellos, ſeu apoſtolos refutatorios, in quibus exprimat; Et ideò non detuli, quia cauſa non erat expreſſa in jure, & appellatio remota fuerat in reſcripto, ut c. Cordi, §.1. infrà eodem lib.6. Qui intellectus poteſt etiam confirmari ex eo, quòd etiam Concilium Tridentinum in multis caſibus removet appellationem, puta in cauſa viſitationis, & correctionis, & ante diffinitivam, ut in cap.1. ſeſſ.13. & c. 20. ſeſſ. 24. & tamen Sac. Congregatio ejuſdem Concilii interpres declaravit in illis caſibus eſſe inhibitam appellationem ad effectum ſuſpenſivum tantùm, ſed non de-

vo-

volutivum ut ſcripſi pleniùs in *c. Super eo, il ſecondo, n.29.*
16 *& 30. ſuprà eodem*: & ita ſe habet ſtylus Curiæ, ut hìc atte-
ſtatur Collectar. *nu.*1. ubi ait, Curiam tenere, ut clauſula,
Appellatione remota, quoad partes nihil operetur, quomi-
nus ſemper ex cauſa juſta poſſit appellari, ſed benè quo ad
judicem ne teneatur deferre; & ita removet appellationem
17 ſuſpenſivam, ſed non devolutivam. Hinc autem reſultat no-
tabilis effectus: nam etſi appellatio admiſſibilis ad utrumq;
effectum ſuſpendat juriſdictionem judicis à quo itaut, quid-
quid fit per ipſum poſt interjectam appellationem revocari
debeat tamquam attentatum, ut *c. Non ſolum inf. eod. lib.6.*
tamen ſecus eſt, quando judex à quo non tenetur appella-
tioni deferre, & ſic inhibita eſt appellatio ſuſpenſiva, ſed
non devolutiva: nam tunc gravamina per ipſum illata poſt
appellationem non revocabuntur per viam attentati, ſed
per viam querelæ, cùm illius juriſdictio non ſit ſuſpenſa, ut
hìc benè per Abb. *d. nu.*15. *verſ. Et intellige*, & latiùs dicam
infrà *n.*30.
18 In gloſſa prima QUÆRO, an clauſula *Appellatione re-
mota*, hodie aliquid operetur, & quid.
19 Ad evidentiam præmitto (quod ſpectat ad rem præſen-
tem) quatuor eſſe ſpecies appellationis, ſecundùm Petr. de
Sampſon. & Abb. Antiq. hìc *nu.*2. & Jo. Andr. *num.*5. Prima
eſt manifeſtè fruſtratoria, ſeu frivola, veluti cùm quis appel-
lat à ſententia ſuper notorio crimine, vel de quo in judicio
confeſſus eſt, ut *c. Romana*, § *ſi autem poſt ſententiam infrà
eod. lib.6.* Secunda eſt latens fruſtratoria, ut cùm appellatur
ex cauſa legitima, ſed non vera, puta ſi quis appellet, quia
trahitur ultra duas dietas extra diœceſim, quod tamen non
eſt verum, ut *c. Olim ſup. de except.* Tertia eſt latens probabi-
lis, veluti cùm appellatur ex cauſa probabili, & vera, non ta-
men expreſſa in jure, ut in *d. c. Romana*, §. *Quod ſi objicia-
tur*, Quarta eſt manifeſtè probabilis, veluti cùm appellatur
ex cauſa expreſſa in jure, cujus veritas eſt notoria, ut patet
in *c. Accedens, il ſecondo ſup. ut lite non conteſt. & in c. Cum
R. offic. deleg. cum concord.* de quibus infrà *n.*23.
20 His præmiſſis, ad aperiendam quæſtionis veritatem ante
omnia excludam caſus non dubios, & erit bonus modus
ſolvendi, ne ſit prolixa diſtinctio, ut docuit Joan. And. in *c.
Cùm ſunt partium nu.8. verſ. Ad aperiendam, de regul. jur.
lib.6. in Mercurial.*
Primum igitur extra dubium eſt clauſulam, *Appellatione
remota*, nihil operari reſpectu primæ ſpeciei appellationis,
ſcilicet manifeſtè fruſtratoriæ, quia tali appellationi nec ju-
ſtitia defert, nec eſt à judice deferendum, etiamſi appellatio
in reſcripto non ſit inhibita, ut hìc patet apertè in *verſ. Nos
igitur attendentes, & in cap. Cùm appellationibus infr. eod.
lib.6.* & notatur in *c. Ad Romanam, il primo 2. q. 6.* Atque
ita hæc ſpecies appellationis ſemper inhibetur à judice, & à
jure, ut inquit Abb. Antiq. *d. n.*2.
21 Similiter extra dubium eſt hanc clauſulam, *Appellatione
remota*, nihil operari reſpectu appellationis quartæ ſpeciei,
quæ ſcilicet à jure indulgetur expreſsè, ut hìc eſt caſus ſe-
22 cundùm Jo Andr. & omnes *in ſumm* Unde talis appellatio
ſecundùm Abb. Antiq. ſemper admittitur à judice, & à jure.
Ad hoc autem, ut appellatio dicatur expreſsè à jure indulge-
ri, non requiritur, ut jus permittat appellationem in eo ca-
ſu, in quo remota eſt appellatio in ſcripto, juxta terminos, *c.
Ex parte, & c. Poſtremo ſup. eod. & c. Ex conqueſtione ſup.
de reſtit. ſpoliat.* ut putavit gl.1. hìc, quæ nimis reſtrinxit diſ-
poſitionem hujus Decretalis; ſed ſatis eſt, ut appellatio ſit
expreſsè in jure approbata licèt jura non loquantur in caſu
appellationis in reſcripto inhibitę, ſecundùm Hoſt. *nu.*3. *in
verſ. Tu dicas expreſsè*, cum quo tranſeunt communiter
23 Doctores, ut teſtatur Abb. *num.*14. Exempla patent in *c. Si-
gnificante, in c. Rodulphus, & c. Significavit ſuprà de reſcr.
in c. Exhibita, de judic. in c. Dilecti, c. Dilectæ, & c. Signi-
ficaverunt, de except. & in c. Signific. ſup. eod.* In his ergo, &
conſimilibus caſibus in quibus jura expreſsè indulgent ap-
pellationem, nihil operabitur clauſula, *Appellatione remota.*
Et eſt ratio ſecundùm Abb. *nu.* 14. quia ex quo jura permit-
24 tunt expreſsè appallere, gravamen cenſetur notorium, ac
proindè nihil debet operari remotio appellationis, arg. *cap.
Secundò requiris ſuprà eod.* & eſt tex. ſingularis in *d. cap. Ex
conqueſtione de reſtit. ſpoliat.* ubi gl. *penult.* ex eo textu col-
ligit remotionem appellationis in litteris non impedire ap-
pellationem, ubi manifeſtè quis gravatur, quam gl. ſequuta
eſt Rota apud Puteum *deciſ.*414. *lib.*3.
25 Rurſus extra dubium eſt appellationem ſecundæ ſpeciei,
ſcilicet latentis fruſtratoriæ, etiamſi in reſcripto non ſit re-
mota appellatio, non eſſe admittendam, ubi conſtat de falſi-
tate cauſæ Ratio eſt quia tunc deſinit eſſe latens fruſtrato-
ria, & tranſit in primam ſpeciem manifeſtè fruſtratorię, quę
ſemper rejicitur, ut dictum eſt ſuprà in prima ſpecie *nu.*20.
Oportet enim cauſam in appellatione exprimendam ne-
dum eſſe probabilem, ſed etiam veram, ut *c. Interpoſita ſup.
eod.* & dixi in *c. Super eo, il ſecondo nu.*24. *ſuprà eod.* Sed an-
tequam conſtet de falſitate cauſæ, quamvis hujuſmodi ap-
pellatio non admittatur à jure, a quo nulla falſitas approba-
tur: tamen admittitur à judice, ſecundùm Abb. Antiq. Atq;
ita hęc appellatio latens fruſtratoria, quamdiu non apparet
falſitas reſpectu judicis, regulatur perindè, ac ſi eſſet latens
probabilis. Unde in ſolutione quęſtionis, omiſſa appellatio-
ne latenter frivola, agemus tantùm de tertia ſpecie latenter
probabili, ſub qua reſpectu judicis includitur latenter frivo-
la. Qua ratione & Innocent. hìc *num.* 1. poſuit tres tantùm
ſpecies appellationis, videlicet frivolam, cui numquam eſt
deferendum; & expreſsè conceſſam à jure, cui ſemper eſt de-
ferendum; & mediam, ut cùm quis gravatur in caſu, in quo
appellatio non eſt à jure expreſsè cõceſſa, veluti ſi non dé-
tur dilationes, vel nimis breves, vel non tot, quot ſufficiant.
Demum extra dubium eſt, non obſtante clauſula, *Appel-
latione remota*, appellationem probabilem, quæ à jure non
indulgetur expreſsè, admittendam eſſe ad effectum devo-
lutivum, quia talis clauſula appellationem devolutivam
non tollit, ut dixi ſuprà in *ult. notab. n.*15.
Quibus ita conſtitutis, dubium ad hoc reſtringitur, vide- 26
licet, an judex datus cum clauſula, *Appellatione remota*, te-
neatur deferre appellationi probabili, & ex juſta cauſa in-
terpoſitæ, quæ tamen à jure non indulgetur expreſsè.
Gloſſatores hìc, *& in c. Ut debitus infra eod.* & alibi ubi-
cumque attingunt hunc articulum, communiter in ea ſunt
opinione, ut hodie clauſula, *Appellatione remota*, nullus ſit
effectus. Et quidem reſpectu appellationis manifeſtè frivo-
læ, & reſpectu appellationis, quę expreſsè indulgetur à jure,
hoc eſt clarum. Quo verò ad appellationem probabilem
moventur, quia prædicta clauſula non tollit appellationes
in jure expreſſas, ut hìc deciditur. Sed hodie in jure expreſ-
ſum eſt, ut liceat appellare ex quacumque cauſa probabili, ut
in *d. c. Ut debitus infra eod.* Ergo hujuſmodi clauſula non
tollit appellationem ex quacumque cauſa probabili inter-
poſitam. Atque ita in effectu gloſſæ ſentiunt hanc Decreta-
lem eſſe correctam per illud *c. Ut debitus*, & conſenſit Inno-
cent. hìc *nu.*1. *verſ. Sed hodiè remota eſt hæc Decretalis*, &
in *d. c. Ut debitus*, dicens hoc eſſe tenendum, licèt alii aliter
ſomniaverint. Et pro hac opinione videtur textus in *c. Edo-
ceri ſupra de reſcript.* ubi quamvis inhibita ſit appellatio, ta-
men poteſt ex rationabili cauſa appellari.
Sed his non obſtantibus in oppoſitum eſt magis commu-
nis opinio, quam tenent hìc Abb. Antiq. *num.* 3. *& 4.* Hoſt.
*num.*8. *verſ. Sed ſi benè advertas*, Jo. Andr. *nu.*13. Collect.
in *princip.* Bellam. *nu.*3. *in* 2. *& q.* 3. Butr. *n.*5. *&* 7. & com-
muniter Doctores ſequentes, ut teſtatur Abb. Sicul. *nu.* 8.
& ſequitur Philipp. Franc. *col.*3. *verſ. Sit ergo concluſio*, di-
cens ita reſidere communiter omnes Doctores hìc; ut in
d. c. Ut debitus. Hæc igitur ſit cocluſio, ut judex procedens
cum clauſula, *Appellatione remota*, non teneatur deferre ap-
pellationi ex cauſa probabili interpoſitę, quę in jure expreſ-
sè non approbatur, cùm hoc c. non ſit correctum per De-
cret. *Ut debitus*: quod evidenter probatur triplici conſidera-
tione. Prima conſideratio eſt quia text. in *c. inquiſitioni
inf. eod.* qui emanavit poſt Decretal. *Ut debitus*, decidit clau-
ſulam, *Appellatione remota*, in medio litterarum appoſitam
referri ad præcedentia, quibus annectitur, non autem ad ſe-
quentia. Quod utique ille textus non feciſſet, ſi hujuſmodi
clauſula poſt *c. Ut debitus*, nihil operaretur. Secunda conſi-
deratio eſt, quod illud *c. Ut debitus*, non loquitur de appella-
tione interponenda à ſententia diffinitiva, ſed ab interlo-
quutoria tantùm. Hoc autem c. loquitur indefinitè; & ſic
de appellatione tam à diffinitiva, quàm ab interloquutoria.
Ergo non eſt veriſimile, ut illa Decretalis voluerit hanc cor-
rigere indiſtinctè. Tertia, & validior conſideratio eſt, quia
prædictum *c. Ut debitus*, non loquitur in judice dato cùm
clauſula, *Appellatione remota*: hìc verò deciditur caſus, in
quo ſpecialiter remota eſt appellatio in reſcripto. Ergo (ut
verbis Hoſt. utar) quæ neceſſitas quæ æqualitas, quæ utili-
tas, quæ juſtitia, quæ ratio, imò potiùs, quæ inſania eſt, ut
quæſtionem ſpecialem tam ſerioſè, tam rationabiliter eum
diſtin-

diſtinctione hìc ſolutam per illam generalem Conſtitutioni cogat dicere abrogatam? Nec eſt hæc ſana doctrina, ſecundum quam ſpeciei per genus detrahitur; imò potiùs edocemur in omni parte juris generi per ſpeciem derogari, *l. In toto, ff. de jur.* & notatur in *c. 1. ad fin. ſup. de reſcript. & in c. Studuiſti, §. 2. in princ. de offic. legat.* Ita Hoſt. cujus verba tranſcripſerunt Jo. Andr. *num.* 13. Ballam. in 3. *q.* & alii præcitati.

27 Non obſtat textus in *d. c. Edoceri, de reſcript.* quia dum decidit à ſententia judicis procedentis appellatione remota poſſe appellari ex rationabili cauſa, intelligi debet, id eſt in jure expreſſa, ut ſic illa Decretalis declaretur per iſtam, ut *l. Non eſt novum,* cùm *l. ſeqq. ff. de legib.* ſecundùm Hoſt. hìc *n. 2. in ver. Expreſsè,* & Jo. Andr. *eod. n. & ver.*

Ex his habes primum effectum hujus clauſulę, *Appellatione remota*, quia tollit omnem appellationem, quę expreſsè non reperitur à jure conceſſa, ut fusè oſtenſum eſt ſupra.

28 Secundus effectus eſt, quia judex à quo non tenetur hujuſmodi appellationi deferre, ut ſimiliter patet ex dictis; unde & poterit ſententiam ſuam executioni demandare, ut colligitur ex *c. Paſtoralis, §. Præterea de offic. deleg.* & hic notat Abb. *n. 9.* Cùm enim appellatio aliàs ſuſpendat juriſdictionem judicis à quo, hunc effectum tollit clauſula, quia
29 juriſdictio non ſuſpenditur; niſi judex à quo deferat appellationi, vel niſi fuerit inhibitus à judice ad quem, ut *c. Roman. de appell. lib. 6.* vel niſi Superior deliberet de appellatione admittenda, tunc enim primi judicis juriſdictio ſuſpenditur ab eo tempore, quo ex certa ſcientia appellationem admittit, ut *d. §. Præterea,* & notat Butr. hìc *n. 5. verſ. Primò enim appellatio.*

Tertiùs effectus, qui ex præcedenti conſequitur, eſt, quia judex non deferens appellationi quantumcumque probabili non incidit in pœnam *c. Decreto, 2. q. 6.* ex quo appellatio jure non indulgetur expreſsè: hoc enim facit juris authoritate, unde Principis majeſtatem non contemnit, nec peccat, *c. Qui peccat 23. q. 4. & l. Gracchus, C. ad l. Jul. de adult.* ſecundùm Hoſt. hìc *num. 9.* Butr. *n. 5. verſ. Ex ſecundo,* & Abb. *n.* 10.

30 Quartus effectus eſt, quia cùm innovata poſt appellationem interpoſitam ante omnia revocari debeat per judicem appellationis tamquam attentata, ut *c. Non ſolum infr. eod. lib. 6.* hoc operabitur clauſula, *Appellatione remota*, ut non revocentur per viam attentati, vel nullitatis, & ita tenent omnes teſte Franch. hìc *col.* 3. & Put. *deciſ. 328. in princip. li. 2.* Quoniam cùm juriſdictio judicis à quo non ſit ſuſpenſa, proceſſus non eſt irritus, niſi in caſibus, quos poſui ſupra proximè in ſecundo effectu. Per Superiorem tamen poterit revocari per viam querelæ, ut concludunt Hoſtien. *nu. 9. verſ. Quartò quod ſi pendente*, Joann. Andr. *num. 4. in ver. Emendari,* Butr. *nu. 5. verſ. Tertius effectus,* Abb. *nu.* 11. & plerique alii.

Hi ſunt præcipui effectus clauſulæ, *Appellatione remota.* 31
Sed in univerſum Philipp. Franc. hìc *col. 3. circa med. verſ. Operatur ergo primò*, proſequitur ſeptemdecim effectus, quos prędicta clauſula operatur, & octodecim, Prępoſ. *nu. 32. verſ. Succedit tertia quæſtio principalis.*

Adverte tamen ad id, quod idem Præpoſ. dixit *num. 22.* 32
videlicet de conſuetudine clauſulam, *Appellatione remota*, nihil operari, allegando Hoſt. in *Summa de offic. deleg. §. Quod ſit ejus officium, verſ. Quod autem hæc clauſula,* Spec. *eod. tit. §. In quibus, verſ. Ego dico,* Lap. *alleg.* 128. Angel. in *l. fin. C. de ſentent. & interlocutor. omn. judic.* & Butr. *hic circa fin.* Adverte, inquam, ne decipiaris, quia hoc intelligi debet quando hujuſmodi clauſula apponitur in litteris executorialibus, quæ expediuntur per contradictas, ex quo dantur ſine aliqua cognitione cauſę, & paſſim in omnibus clauſula apponitur, & hoc caſu tenenda eſt opinio Hoſt. *ubi ſuprà*: nam; ut ait Bald. hìc in 1. *oppoſ. cùm hodiè dicta clauſula apponatur potius de ſtylo generali* (intellige in litteris executorialibus) *quàm miniſterio ſpeciali, ſonat potius in quamdam monitionem, videlicet, ut non deferatur appellationi fruſtratoriæ, quàm quod in aliquo deroget, juri communi.* Hęc Bald. Secus verò ſi dicta clauſula apponatur in reſcripto commiſſionis, quia cùm Princeps, vel Signatura talem clauſulam non apponat, niſi cum cauſæ cognitione; tunc benè operatur effectus ſuos. Ita ſingulariter declarat Rota apud Put. *deciſ.* 328. incip. *In una Hiſpalen. lib.* 2. De quo dic latiùs, ut ſcripſi in *c. Studuiſti in 1. q. n. 40. ſup. de offic. leg.*

DE APPELLATIONIBUS.

Honorius III. Decano Cancellario, & Cantori Linconien.

CAPUT LXII.

Cum cauſam, quæ inter Abbatem & fratres de Valle Sancti Joannis ex parte una, & Priorem, & Canonicos de Novo loco ex altera, ſuper Eccleſia de Holiſeth vertitur, R. Sancti Angeli Diacono Cardinali commiſerimus audiendam: & infrà. Procurator prædictorum Prioris & Canonicorum propoſuit, quod cùm coram ſubdelegatis judicum delegatorum inducias ad proponendum exceptiones dilatorias petiiſſet: quia advocatus ipſius ductus errore reſpondit, quod Eccleſia de Novo loco, Eccleſiam, de qua erat quæſtio, per quadraginta annos & ampliùs pacificè poſſederat, licèt ipſe eadem die advocati errorem corrigens, ipſius reſponſionem, quæ ſuæ petitioni contradicere videbatur (ne per eam aliquod ſibi poſſet præjudicium generare, pro eo quod ante litis conteſtationem ſunt exceptiones dilatoriæ proponendæ) coram eiſdem judicibus revocavit. Judices tamen per hujuſmodi reſponſionem erroneam advocati, litem conteſtatam fore credentes, ad receptionem teſtium partis alterius proceſſerunt: & infrà. Mandamus, quatenus ſi dicti Prior & Canonici legitimè probaverint, quod per Procuratorem ipſorum eadem die advocati reſponſio extiterit revocata, quia ſic per conſequens lis conteſtata non fuit: vel quod delegati teſtes receptos à ſubdelegatis ſubdelegatorum ſuorum approbaverint: cùm nonniſi delegatus à Principe cauſam alii valeat delegare, quidquid ab ipſis poſt appellationem eorum factum eſt (dummodò hæc in appellatione ipſa expreſſa fuerint) nuntietis irritum & inane.

S U M M A R I U M.

1 *Advocati confeſſionem eadem die revocatam ſi judex velit habere pro lite conteſtata, vel proceſſum ſubdelegati ratificet, ab eo licitè appellatur.*

2 *Delegatus ab aliquo, quàm à Principe, non poteſt cauſam alteri delegare.*

3 *Delegatus ab inferiore à Principe ad univerſitatem cauſarum poteſt unam cauſam ſubdelegare.*

4 *Delegatus ad univerſitatem cauſarum Ordinario æquiparatur, n. 15.*

5 *Et idem poteſt quod Ordinarius.*
Et ab ejus ſententia non appellatur ad Delegantem, ſed ad Superiorem ipſius Delegantis, n. 6.

6 *Ordinarius dicitur cui cauſarum univerſitas eſt commiſſa.*

8 *Au-*

8 *Auditor Nuncii an poſſit cognoſcere cauſas ad Nuncii forum pertinentes, quamvis non habeat requiſita c. Statutum, de reſcriptis lib. 6. & Conc. Trident. c. 10. ſeſſ. 24. & num. ſeqq. uſque in fin.*

9 *Auditores Nunciorum non poſſunt cognoſcere cauſas appellationum à ſententia Epiſcopi, vel ejus Vicarii, in criminalibus lata.*

10 *Et ſententiæ ab eis latæ in cauſis appellationum hujuſmodi non ſuſtinentur ex communi errore.*

11 *Auditores Legatorum an habeant juriſdictionem ordinariam, vel delegatam, & n. ſeqq.*

12 *Legati æquiparantur Proconſulibus Provinciarum. Legati Proconſulis delegatam habent non ordinariam juriſdictionem, ibid.*

13 *Auditores Legatorum an cenſeantur Ordinarii, licèt cauſas cognoſcant ex delegatione ſpeciali.*

14 *Ordinarius ex ſpeciali commiſſione non efficitur Delegatus.*

1 CUm *cauſam*. Si judex confeſſionem Advocati eadem die revocatam pro lite conteſtata velit habere, vel proceſſum à ſubdelegato factum ratificet, ab eo licitè appellatur. Hoc dicit ſecundùm Jo. Andr. & omnes.

2 In gloſſ. in *verb. Delegatus circa finem, verſ. Et quod dicitur*, nota benè hanc gloſſam, quia etſi Delegatus ab alio, quàm à Principe, non poſſit cauſam alteri delegare, ut dicitur hìc in textu circa finem: tamen ut dicit gloſſ. hoc intel-
3 ligitur de eo, qui eſt Delegatus ab inferiori à Principe ad unam cauſam tantùm: ſecus verò ſi ei eſſet delegata univerſitas cauſarum, quia tunc benè poſſet unam cauſam alteri ſubdelegare, *l. Cùm Prætor, §. 1. ff. de judic. l. Legatus*, ſecundum unam lecturam, de qua ibi gl. *unic. ff. de off. Proconſul. & Legat.* & voluit Bart. in *l. More num. 11. ff. de juriſd. omn. judic.* dicens id communiter teneri: & pondera ratio-
4 nem in gloſſ. noſtra expreſſam, quia talis Delegatus ad univerſitatem cauſarum quaſi Ordinarius videtur; & cum gloſſ. concordant hìc Hoſtien. *num. 3.* Jo. Andr. *num. 6.* Butr. *num. 11. verſ. Hæc vera dicit*, & reliqui omnes; & ſic non eſt verè, & propriè Ordinarius, ſed Ordinario ſimilis, ut per Jaſon. in *in d. l. More n. 19. circa medium, verſ. Et ideò reſpondendo*, & tenet umbram Ordinarii, ut inquit Butr. *ubi ſup.* & Ordinarium & Delegatum ad univerſitatem cauſarum æquiparat gl. 1. in *l. fin. Cod. de jud.* Bart. in *d. l. More n. 5. verſ. Venio ad fin. ff. de juriſd. omn. judic.* & ibi etiam Jaſon. *d. n. 19* Alexan. *conſ. 12. Viſo proceſſu n. 4. lib. 6.* Felin.
5 alios cumulans in *c. Qualiter, & quando, il primo n. 40. de ac-*
6 *cuſat.* Bald. in *l. Si ut proponit, la prima nu. 10. C. quomod. & quand. jud.* ubi ait Delegatum ad univerſitatem cauſarum, cùm remaneat in eſſentia juriſdictionis univerſalis, idem poſſe quod Ordinarius. Quinimò gloſſ. appellat eum Ordinarium in *c. Statutum, §. Inſuper in verb. Moderatas, de reſcript. lib. 6.* prout illam gloſſ. ad hoc ponderat Jaſ. *loco cit.* Item Specul. in *tit. de offic. Ordin. n. 2* ait Ordinarium dici cui univerſitas cauſarum eſt commiſſa: & idem dixit Petr. de Anchar. in *c. Licet undique col. 2. ad finem, verſ. Nec*
7 *mirum de offic. Delegat.* Quo fit, ut à ſententia Delegati ad univerſitatem cauſarum non appelletur ad Delegantem, quaſi idem ſit tribunal, ſed ad Superiorem ipſius Delegantis ut *l. 1. in finem, ff quis & à quib. appellat.* & argum. *cap. 2. de conſuetud. lib. 7. & l. final. C. de offic. Vicar.* & notat Jaſon in *d. l. More n. 19. circa med. verſ. Et ideò reſpondendo, ff. de juriſd. omn. judic.*

8 Hinc ſumpta occaſione QUÆRO, an Auditor Nuncii Sedis Apoſtolicæ poſſit cognoſcere cauſas ad Nuncii forum pertinentes, quamvis non habeat qualitates requiſitas in *c. Statutum, de reſcriptis lib. 6.* nec ſit deputatus in Synodo diœceſana, juxta Decretum Concilii Tridentini *cap. 10. ſeſſ. 25.*

9 Si quæritur de cauſis appellationum à ſententia Epiſcopi, vel ejus Vicarii in criminalibus lata, jam Sacra Congregatio declaravit Auditorem Nuncii non poſſe eas cognoſcere, obſtareque *c. 2. ſeſſ. 13.* ac poſteà adjecit ſententias Audi-
10 toris in cauſis hujuſmodi appellationum latas ex communi errore non ſuſtineri: & hæ declarationes auditis partibus editæ, miſſæ fuerunt ad Nuncium Florentiæ.

Quoad alias cauſas appellationum non comprehenſas in *d. c. 2.* remanet dubium, an Auditor Nuncii eas poſſit cognoſcere, quamvis nec ſit in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutus, nec in Synodo Diœceſana deputatus, juxta dictum *c. Statutum*, & Decretum Concilii *d. c. 10.* In qua difficultate Corneus in *conſ. 48 Repetito Divino Numine*, latiſſimè diſcuſſa in *2. dubio n. 3. volum. 1.* apertè ſentit Auditores Le- 11
gatorum etiam de latere non habere ordinariam juriſdictionem, ſed tantùm delegatam; redditque optimas rationes, inter quas ea eſt præcipua, quòd Legati æquiparantur Proconſulibus Provinciarum, *c. 2. de offic. Legat. lib. 6.* Lega- 12
ti autem Proconſulis delegatam habent, non ordinariam juriſdictionem, *l. Legati Proconſul. ff. de offic. Proconſul.* Quæ opinio ſi vera ſit, inde ſequitur, ut ipſi Auditori cauſæ committi non poſſint, niſi concurrant in eo qualitates *d. c. Statutum*, & decreti *d. c. 10.*

Verùm quia hæc opinio totum ferè orbem commoveret 13
ob innumeras propemodùm ſententias latas, & quæ paſſim feruntur ab Auditoribus Nunciorum non habentibus has qualitates, videtur potiùs adhærendum ſententiæ, ut Auditores Nunciorum ſint Ordinarii, & ſic neque comprehendantur in *c. Statutum*, neque in Decreto Concilii. Ad quod probandum adducitur Bal. in *l. final. n. 4. C. ubi Senat. vel claris*, qui tamen id magis præſupponit, quàm diſcutit; non enim ibi quærit, an ſint Ordinarii, ſed præſupponens duos Auditores Cardinalis Sabinenſis eſſe Ordinarios, quærit, an ex eo, quòd non cognoſcebant cauſas niſi ex delegatione ſpeciali, cenſerētur delegati; & putat non cenſeri Delegatos, ſed Ordinarios, quia illa eſt potiùs diſtractio cauſarum, ac partitio curæ, quàm vera delegatio. Quæ doctrina vera quidem eſt poſito quòd ſint Ordinarii. nam ex illa ſpeciali commiſſione non efficiuntur delegati. Quod ſcripſerunt Pavin. in *tract. de offic. & poteſt. c. Sede vacante in 2. q. primæ partis princip. n. 4.* Vant. in *tract. de nullit. tit. Cor. quo num. 14.* Verùm Bald. ut dictum eſt, ibi non diſputat, an ſint Ordinarii, vel Delegati, ſed tantùm ſupponit eſſe Ordinarios, ſentiens ex ſpeciali commiſſione non effici ex Ordinariis Delegatos, ſed remanere Ordinarios, ut prius erant. Quod potuit contingere, quia fortè à Principe eſſent conſtituti Ordinarii, & deputati Auditores Nuncii. ſed quia hoc eſt divinare; ideò Bald. pro hac ſententia ſimpliciter referunt Jaſon. in *l. Ex hoc jure, ff. de juſt. & jur. n. 8. in 4. limit.* Felin. in *c. Sunt & alii*, vel in *c. Nonnulli, §. Sunt & alii n. 49. verſ. Pro iſta opinione de reſcript.* Jo. Bapt. Ferr. *conſ. 204. n. 10. 20. & ſeqq.* & Pavin. *d. loco n. 3. in fin.* Hæc itaque opinio videtur eſſe communior, & certè tutior eſt, quam uſus, & praxis quotidiana comprobavit; licèt opinio Cornei in puncto juris fortè videri poſſit verior, & ſolidioribus nixa rationibus. Ex qua opinione communi ſequitur reſolutio ad dubium: nam cum Auditores Nunciorum ex prædicta opinione ſint Ordinarii, in eis non poteſt habere locum *c. Statutum*, nec tex. Concilii loquens de iis, quibus delegandæ ſunt cauſæ; quamvis enim Nuncius eis ſpecialiter cauſas committat, ex Ordinariis non effici propterea delegatos ſentiunt Doctores citati à Vant. & Jo. Franc. Pavin. in *locis ſupra alleg.*

Præterea etiamſi hujuſmodi Auditores eſſent delegati, 14
non tamen videntur in eis habere locum *c. Statutum*, & Decretum Conc. loquentis de cauſis delegandis: nam Delegatus ad univerſitatem cauſarum æquiparatur ordinario, & tenet gloſſ. *penult. hìc*, & fusè oſtenſum eſt ſupra *nu. 4.* Concilium verò jure voluit, ut tam Sedis Apoſtolicæ Nuncii, quàm Legati cauſas in partibus committendas perſonis deſignatis in Synodo committerent, ne ex ignorantia perſonarum rudes, & ignari ad cauſas cognoſcendas delegarentur. Quæ ratio non procedit in Auditore Nuncii, qui ad cauſarum univerſitatem deligitur.

Ad hæc ita Concil. videtur eſſe intelligendum ex conſuetudine ita obſervata, quæ eſt optima Concilii interpres, *l. Si de interpretatione, ff. de legib. c. Cùm dilectus de conſuetudin.* Nam ſemper Auditores etiam non deſignati in Synodo, & non præditi qualitatibus requiſitis in *cap. Statutum*, cauſas cognoverunt, & deciderunt. Quæ omnia in dubium revocarentur, ſi exceptio nullitatis ex hoc capite eſſet admittenda. Validæ igitur, niſi aliud obſtet, eſſe videntur hujuſmodi ſententiæ ab Auditoribus Nunciorum latæ; ſed ad tollendam omnem difficultatem expedire videtur, ut Sanctitas ſua, ſi ita ei viſum fuerit, per Breve eidem Nuncio directum declaret licuiſſe Auditori prædicto à Nuncio electo, & deputato

hujuſ-

hujuſmodi cauſas cognoſcere, quamvis non haberet qualitates requiſitas in *cap. Statutum*, nec eſſet in Synodo Dicœceſana deputatus: atque ex hoc capite ſententias ab eo latas, ac ab eo, aliiſve Auditoribus de cætero ferendas, minimè impugnari, aut nullas dici poſſe, vel debere.

DE CONFIRMATIONE UTILI VEL INUTILI.

Alexander III. Exonen. Epiſcopo.

CAPUT I.

SI quis rei litigioſæ confirmationem impetravit ab Apoſtolica Sede, non minùs poteſt judex de cauſa cognoſcere; & eam fine debito terminare. Sed ſi rem tunc pacificè poſſidebat, cùm inde confirmationem obtinuit, non eſt licitum judici de quæſtione poſteà exorta decernere, aut eam diffinire, abſque Sedis Apoſtolicæ mandato.

SUMMARIUM.

1 *DE re ſcienter confirmata per Papam judex inferior non cognoſcit, niſi tempore confirmationis res eſſet litigioſa, vel confirmatio aliàs ſubreptitia.*

2 *Confirmatio rei litigioſæ etiam ex certa ſcientia, non facta mentione litis, eſt ipſo jure nulla, nec impedit judicem in cauſa procedere.*
Declaratur, n.17.

3 *Impetratio ſubreptitia privilegii, vel beneficii non valet.*

4 *Judex poteſt in cauſa procedere non obſtante privilegio poſt motam litem impetrato, ſi in eo litis mentio facta non fuerit; aliàs ſecus, n.17.*

5 *Poſſidere quis non dicitur rem pacificè, ſi ſuper ea quæſtio ſibi moveatur.*

6 *Litigioſa res eſt, de cujus dominio cauſa movetur inter petitorem, & poſſeſſorem judiciaria conventione.*

7 *Idem ſi cauſa moveatur de quaſi dominio directo, vel utili.*

8 *Litigioſi vitium non naſcitur ſuper bonis, ſi actio perſonalis fuerit intentata.*

9 *Litigioſi vitium non inducitur ſuper proprietate, ſi lis moveatur ſuper profeſſione.*

10 *Poſſeſſio tamen efficitur litigioſa.*

11 *Confirmatio ex certa ſcientia quando dicatur, num.28. & 29.*

12 *Confirmatio in qua inſeritur tenor rei confirmatæ, dicitur in forma ſpecifica.*

13 *Confirmatio in qua exprimitur ſubſtantia rei, probat abſque eo, quod doceatur de confirmato.*

14 *Confirmatio ex certa ſcientia ligat manus judicis, quominus poſſit cognoſcere de quæſtione exorta ſuper re confirmata.*

15 *Niſi conſtet notoriè confirmationem eſſe ſubreptitiam, num.18.*

16 *Judex inferior non cognoſcit de quæſtione, an confirmatio Apoſtolica ſit valida, necne.*
Et quid poſt Concil. Trident. n.26.

18 *Confirmatio in forma communi quæ ſit.*

19 *Parum, aut nihil operatur.*

20 *Non impedit judicem cognoſcere de re confirmata.*
Ad quid impetretur, num.22.
Dat cauſam, & titulum legitimum præſcribendi, numer. 23.

21 *Confirmatio ſine cauſæ cognitione an ſit vera, vel falſa, ſolus Papa cognoſcit, n 26.*

24 *Concordiæ à Sede Apoſtolica confirmatæ non ſunt ſublatæ à Conc. Trident. c.6. ſeſſ.25. n.34.*

25 *An hoc procedat tantùm in confirmationibus ex certa ſcientia, an verò etiam in confirmationibus in forma communi, & n. ſeqq. uſque in fin.*

26 *Confirmationum Apoſtolicarum Concilium Trident. non meminit, niſi in c.14. ſeſſ.24.*

27 *Confirmatio in forma communi, & ex certa ſcientia in quibus differant.*

28 *Confirmatio an ſit ex certa ſcientia, ſi fiat cum clauſula* Sicut juſtè poſſidet.

29 *Et quid ſi cum clauſula*, Ex certa ſcientia.

30 *Confirmatio ut ſuos producat effectus, duo rèquiruntur, id eſt ut fiat ex certa ſcientia, & cum cauſæ cognitione vocatis partibus.*

31 *Juramentum eſt fortius vinculum, quàm confirmatio in forma communi, & firmat actum invalidum.*

32 *Concordiæ, ut ſint reales, & obligent ſucceſſores, debent eſſe confirmatæ ex certa ſcientia: aliàs ſunt perſonales.*

33 *Per confirmationem in forma communi Papa non cenſetur præjudicare Ordinariis.*

35 *Confirmationis appellatione in dubio venit illa, quæ fit ex certa ſcientia.*

37 *Concordiæ à Sede Apoſtolica confirmatæ in forma communi intelligitur derogatum à Concilio Tridentino, etiamſi cum ea concurrat immemorabilis conſuetudo.*

38 *Gonſuetudines à Sede Epoſtolica confirmatas an Concilium Tridentinum ſuſtulerit.*

S*I quis*. De re ſcienter confirmata per Papam judex infe- 1
rior non cognoſcit, niſi tempore confirmationis res eſ-
ſet litigioſa, vel confirmatio aliàs ſubreptitia. Hoc dicit cum
c. ſeqq. & ſunt duo dicta. Secundum ibi, *Sed ſi*.

Nota primò ex prima parte text. confirmationem à Se- 2
de Apoſtolica impetratam lite pendente, nullam eſſe ipſo ju-
re, adeòut ea non obſtante poſſit judex cauſam cognoſcere,
ac diffinire perindè, ac ſi confirmatio non emanaſſet, ut hìc
notant Abb. & Decius ambo in 1. *notab.* Quod verum eſt
etiam ſi confirmatio emanaverit à Papa ex certa ſcientia, &
cum cauſæ cognitione; de hanc enim intelligunt hunc tex-
tum Abb. Antiq. Jo. And. Bald. Bellam. Cardin. Anchar Abb.
& Jo. de Anan. omnes *in princ.* & benè, quicquid dicat De-
cius hìc *in 3. not.* nam cùm textus dicat judicem poſſe co-
gnoſcere, ſi confirmatio ſit rei litigioſę, & non poſſe cogno-
ſcere, ſi ſit rei pacificè poſſeſſæ: utique neceſſariò ſupponit
utroque caſu confirmationem emanaſſe ex certa ſcientia:
aliàs enim ſi ſub communi forma, ſive res eſſet litigioſa, ſive
non indiſtinctè poſſet judex in cauſa procedere, ut tangitur
in gloſſ. *ult. num.* 14. & hoc eſt ex mente Innocen. dicentis
hunc intellectum eſſe planiorem, *nu. 1. verſ. Planior eſt in-
tellectus.* Prædicta tamen procedunt, dummodò in litteris
confirmationis non ſit facta mentio litis pendentiæ; tunc
enim confirmatio reſpectu illius rei, ſuper qua lis vertitur,
eſt ſubreptitia, & ipſo jure nulla, *c. Ad noſtram*, ibi, *De-
nuncietis irritas, & inanes, & c. Porrecta*, ibi, *Denuncies
non valere, infrà eod.* Et eſt communis regula non ſolùm 3
in confirmationibus, ſed etiam in privilegiis, beneficiis,
ut impetratio ſubreptitia non valeat, ut notat Calderin. in
conſ. 1. de feud. Dec. hìc *num.* 3. & ſcripſi plenè in *cap. Ad
audientiam, il ſecondo* poſt Abb. & Felin. *ſupra de reſcript.*
Et tenet hìc Innocen. *num.* 1. *verſ. Imò quod plus eſt*, di- 4
cens, judicem poſſe procedere non obſtante privilegio poſt
motam litem impetrato, in quo litis mentio facta non
fuerit, per *cap. Cauſam, il ſecondo ſupra de teſtam.* Secus
verò ſi in confirmatione, vel privilegio diceretur, *Non ob-
ſtante quod res ſit litigioſa*; quia tunc illa cauſa eriperetur
à juriſdictione judicis inferioris, ut *cap. fin.* ibi, *De dicta
quæſtione facta mentio non fuiſſet ſuprà, ut lite pendente*, ſe-
cun-

eundùm Innocen. hìc *num.* 1. cui ſubſcribunt Hoſtien. *eod. num. verſ. Sed ſecundùm Dominum noſtrum*, Jo. Andr. *nu.* 5. Butr. Imol Abb. & Dec. omnes in 1. *notab.*

5 Secundò, nota ibi, *Sed ſi rem tunc pacificè poſſidebat*, quem
non dici pacificè rem poſſidere, ſi ſuper ea quæſtio ſibi moveatur, ut hìc notant Butr. & Imol. ambo in *ult. notab.* Abb. *num.* 3. & Decius *nu.* 19. Cardin. in *Clem. Gratiæ in* 3. *quæſt. de reſcript.* Archid. Joan. Andr. & Gemin. in *cap. Commiſſa de elect. lib.* 6.

6 Adverte tamen, quia per hoc res ipſa non efficitur liti-
gioſa, niſi quæſtio, ſeu lis moveatur inter petitorem, & poſſeſſorem judiciaria conventione dicit text. in *Auth. Litigitſa*, *C. de litigioſ.* & ibi notant Jacob. Butricar. Bald. & Salycet. omnes *in Summario*, Oldrad. Cyn. uterque *num.* 1. Petr. de Bellapert. *verſ. Dicit enim*, Hoſt. in *c. Eccleſia San-*
7 *ctæ Mariæ num.* 2. *ſuprà ut lit. pendent.* Et idem dicendum, ſi
lis moveatur ſuper quaſi dominio directo, vel utili, puta per Publicianam in rem actionem, vel aliquam utilem rei
8 vendicationem, ut notat gloſſ. in *d. Aut. Litigioſa in ver.*
Dominio, Odofred. Ballapert. & Hoſtien. *locis citatis.* Secùs verò ſi actio perſonalis fuerit intentata, quia ex hoc ſuper bonis vitium litigioſi non naſcitur, ut eſt textus in *l. Quam-*
9 *quam*, §. *Julianus*, *ff. de aqua pluv. arc.* & voluit Rot. *dec.* 173.
n. 6. *part.* 7. *recent.* Item ſecùs ſi quæſtio moveatur ſuper poſſeſſione, quia per hoc vitium letigioſi non inducitur ſuper proprietate & ita intelligas gloſſam primam; hìc ſecundùm Abb. *n.* 5. Alberic. *in d. Auth. Litigioſa nu.* 1. Caſſador. *deciſ.* 6. *num.* 2. *de reſcript.* Sarnen. in *regul. de Triennal. qu.* 53. *nu.*
10 8. Sed tamen poſſeſſio ipſa, ſuper qua movetur controverſia,
efficitur litigioſa; & ita procedit hoc cap. ut declarat Abb. *d. n.* 5. *verſ. Secundò poteſt*, Cravett. in *conſ.* 279. *Scripſi aliàs nu.* 3. *verſ. Præſuppoſito*, & fuit reſolutum in Rota, ut refert Lancellott. *de attent. part.* 2. *c.* 4. *in præfat. num.* 493.

11 In gloſſa ultima nota confirmationem eſſe in duplici dif-
ferentia. Alia eſt, quæ conceditur ex certa ſcientia, & cum cauſæ cognitione, veluti cùm totum negotium fuit Papæ reſervatum, & ipſe nulla conditione adjecta ſimpliciter confirmat; tunc enim intelligitur confirmare ex certa
12 ſcientia, ut hìc firmat gloſſ. noſtra poſt medium, *verſ. Et hoc*
intelligitur, Abb. Antiq. *num.* 3. & Abb. Sicul. *num.* 6. *verſ. Et dicitur ex certa ſcientia.* Et idem eſt ſi in litteris inſeratur tenor rei confirmatæ, *c. Venerabilis infrà eodem*, Rot. *in recent. deciſ.* 157. *nu.* 8. *part.* 6. quo caſu dicitur confirmatio in forma ſpecifica, ut per Rotam *deciſ.* 222. *nu.* 12. *&* 13. *part.*
13 7. *recent.* & ubi fuit expreſſa ſubſtantia rei, confirmatio pro-
bat abſque eo, quòd doceatur de confirmato, ut decidit Rota *deciſ.* 36. *num.* 1. *& ſeqq. part.* 2. *diverſ. & deciſ* 226. *nu.* 22. *part.* 7. *recent.* Et talis confirmatio habet tres effectus, quos notat gloſſ. in *c. Cum acceſſiſſent in ver. Confirmatum ſuprà*
14 *de conſtitut.* & fuſiùs proſequitur Abb. hìc *num.* 6. *&* 7. Sed
quod pertinet ad textum noſtrum, hæc confirmatio ligat manus judicis, quominus poſſit cognoſcere de quæſtione exorta ſuper re confirmata, ſine mandato Papæ, ut hìc eſt
15 caſus in fine: & ita intelligi debet Vincentius hìc allegatus
in gloſſa *ultima*: niſi tamen confirmatio eſſet ſubreptitia, puta, quia fuit obtenta ſuper re litigioſa non facta mentio-
16 ne de lite, vel alio modo peccat in ſubreptione; tunc enim
quamvis judex inferior non poſſit cognoſcere de quęſtione orta, an ipſa confirmatio valeat, necne, ſecundùm opinionem Laurentii, quam dicit veram Bernardus hìc in *ultima gloſs. ante medium*, *verſ. Laurentius dicit*, & tacitè approbavit Tridentina Synodus in *cap.* 14. *ſeſs.* 24. ut dicam infrà *num.* 26. tamen non impeditur cognoſcere de re confirmata, quia ſi certum eſſet confirmationem fuiſſe obtentam per falſi ſuggeſtionem, impetratio non valeret, ut *c. Proxim. infrà eodem*, & probatur hìc in prima parte textus, & fuit opinio Tancredi, quam hìc ſequitur gloſ. *ult. in fi-*
17 *ne*, & Rota *deciſ.* 351. *num.* 14. *part.* 6. *recent.* Ad hoc tamen
requiritur, ut notoriè conſtet de vitio ſubreptionis, puta ex partis confeſſione, vel ex tenore ipſius Bullæ, ſecundùm Innocent. in *cap. ſeqq. in fine.* & Abb. *nu.* 8. *verſ. Et hoc intellige*, & vide quod legitur, & notatur in *cap. Cum veniſſent ſuprà de judic.*

18 Alia eſt confirmatio, quæ conceditur in forma communi, videlicet adjecta conditione ſi juſtè, canonicè, aut providè factum ſit, vel alia conſimili, ut per Abb. hìc *nu.* 6. *verſ. Et dicitur*, quæ hodiè in confirmationibus ſtatutorum, & privilegiorum ex ſtylo conſuevit exprimi per illam clauſulam, *Dummodò ſacris Canonibus*, *Tridentini Concilii Decretis*, *& Conſtitutionibus Apoſtolicis non ad-*
verſentur: & talis confirmatio, ſeu innovatio nihil novi ju- 19
ris tribuit, ex juribus hìc allegatis in gloſ. 2. eamque parùm, aut nihil valere aſſerunt hìc gloſſ. *ult.* Abb. Antiq. *n.* 2. *verſ.*
Aut non opponitur, Bald. *n.* 2. Abb. Sicul. *num.* 6. & paſſim 20
alii, Caſſador. *deciſ. unic. hoc tit.* Rota *deciſ.* 84. *nu.* 8. *par.* 7 *recent.* Unde per hujuſmodi confirmationem non præcluditur via judici ordinario cognoſcendi de validitate juris confirmati, *c. Bonæ infrà eod. & c. Quia diverſitatem*, *de conceſſ. præben.* & in hoc conveniunt omnes: & eſt ratio ſecundùm gloſſ. 2. quia Summus Pontifex cenſetur hæc facere ſine alicujus præjudicio, ut patet in juribus præallegatis, & in *c. final.* ubi gloſſ. *unic. infra eod.* Bald. hìc *n.* 10. Ro-
ta *dec.* 356. *n.* 19. *part.* 6. *recent.* Cæterùm etſi judex, ut præ- 21
dixi, non impediatur cognoſcere de validitate juris confirmati; tamen ſi quæſtio ſit, an confirmatio ipſa obtenta ſine cauſæ cognitione ſit vera, vel falſa, ſolus Papa cognoſcit, ut poſt Innocenc. firmat Bald. hìc *n.* 5.

Sed dicens, Ad quid ergo prodeſt talis impetratio? Reſ- 22
pondeo cum gloſſ. 2. & Abb. *n.* 6. parùm prodeſſe, & impetrationem fieri ad cautelam, ne videatur ſine ſcientia Papæ proceſſiſſe, & ad hoc ut ob illius reverentiam ma-
gis teneatur, arg. *c. Quamquam* 23. *diſt.* Adde tu alium ef- 23
fectum valdè notabilem hujus confirmationis vel privilegii ſub communi forma, quem tangit Abb. Antiq. hìc *n.* 2. *verſ. Sed dic*, *& in cap. Dudum num.* 2 *verſ. Et eſt nota dignum infrà de decim.* quia ſcilicet dat cauſam, & titulum legitimum præſcribendi: ad hoc *cap. Cùm perſonæ*, §. *Quod ſi tales de privileg. lib.* 6.

QUÆRO, poſita deciſione S. Congrationis Conci- 24
lii, qua declaratum fuit, concordias à Sede Apoſtolica confirmatas, non eſſe ſublatas decreto Conc. Trident. *c.* 6. *ſeſſ.*
25. an hujuſmodi deciſio vendicet ſibi locum in confirma- 25
tionibus tantùm, quæ emanarunt ex certa ſcientia, & cum cauſæ cognitione; an verò etiam in confirmationibus in forma communi.

Confirmationes Apoſtolicæ ex certa ſcientia emanatæ 26
nullo caſu per Concil. Trident. videntur ſublatæ: obſervandum eſt enim, de confirmationibus Apoſtolicis expreſſam mentionem haberi dumtaxat in *cap.* 4. *ſeſs.* 24. ubi ſolùm tribuitur facultas Ordinariis tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatis cognoſcendi de earum ſubreptione, & obreptione, & intentionis defectu, quæ facultas aliis Epiſcopis non competebat; in *c. Proxim. infrà eod.* & dictum eſt ſuprà *n.* 15. *&* 21. Quippè Patres Concilii pro debita reverentia de Proviſionibus Apoſtolicis judicari noluerunt, niſi maturè, & Apoſtolica authoritate; quæ reverentia in plurimis ejuſdem Concilii decretis elucet.

Pro ſolutione dubii præmittendum videtur, hanc di- 27
ſtinctionem confirmationum eſſe legalem, ut patet in *cap. Quia diverſitatem*, *de conceſs. præben. & in c. Illa*, *ne Sede vacante*, quibus in locis fit expreſſa mentio de confirmationibus in forma communi ad differentiam aliarum, quæ emanant ex certa ſcientia, & cum cauſæ cognitione. Item eſſe realem, & diverſos inter ſe effectus producere, ut per gl. in *dictis juribus*, *& in cap. Paſtoralis*, §. *Præterea de off. deleg.* Hoſt. in *ſumm. de confirm. util. vel inut.* Caſſador. *dec. unic. eod. tit.* & patet ex dictis *ſuprà n.* 11. *&* 18.

Præmittendum ſecundò, ad diſcernendas invicem has 28
confirmationes, tradi à Doctoribus, & gloſſis regulas, nec eſse tutum dicere illas eſſe in forma communi, in quibus appoſita eſt clauſula, *Sicut ſine pravitate, vel ſicut juſtè poſſides*, ut dicebat Abb. Antiq. hìc *num.* 2. quia hæc verba poſſunt ſumi conditionaliter; & cauſaliter, ut notat alter Abb. in *cap. Venerabilis*, *& in c. Examinata in fin. infrà eo-*
dem. Quemadmodum neque omnes, in quibus ponitur 29
clauſula, *Ex certa ſcientia*, negant eſſe in forma communi ut per eundem Abb. & apertiùs Pariſ. *conſ.* 19. *nu.* 12. *vol.* 2.
poſt Aretin. *conſ.* 15. Nam duo copulativè requiruntur, ut 30
confirmatio Apoſtolica ſuos producat effectus, nempè ut fiat ex certa ſcientia, & cum cauſæ cognitione, vocatis partibus, ut plenè per Rotam *deciſ.* 166. *num.* 4. 5. 8. *&* 14. *par.* 5. *recent.* Denique præmittendum, quantum attinet ad propoſitam quæſtionem, confirmationes in forma communi illas intelligi, quæ novum jus tribuunt, nec confirmant ita, quæ aliàs ſunt ex ſe invalida, juxta communes traditiones, & conſtat ex dictis ſuprà *num.* 19.

His præmiſſis, ad propoſitam quæſtionem reſpondetur, has confirmationes in forma communi cenſeri ſublatas,

ſive

ſive afficiant concordias, ſive ſtatuta, ſeu alia quæ per Concil. Trident. expreſsè tolluntur tam in *c*.4. *ſeſſ*.9. quam alibi.

31 Probatur primò, juramentum eſt fortius vinculum, quàm confirmatio in forma communi; ſiquidem illud firmat actum invalidum, *Auth. Sacramenta puber, C. ſi adverſ. vendit.* Pariſ. *conſ*.33. *num*.24. *lib*.1. poſt gloſſ. & Doctores hìc, & in *c. Dilecta infrà eodem*. At Concilium tollit vinculum juramenti, non obſtante, quòd præſupponat aliud vinculum præcedens, ſive ſit ſtatutum, ſive concordia, ſuper qua interponitur. Ergo etiam confirmationem in forma communi.

32 Secundò, Concilium ſecundùm declarationem S. Congregationis præſervat illas concordias, quæ alioqui reales ſunt, & aptæ ligare ſucceſſores; aliàs præſervatio nulla eſſet earum concordiarum, quæ perſonales ſunt, & obligant tantùm auctores, ſecundùm ea, quæ leguntur, & notantur in *cap. Veniens ſupra de tranſact.* At ſolæ confirmationes emanatæ ex certa ſcientia reddunt concordias reales, ut obligent Succeſſores, *d. cap. Veniens*, ubi expreſsè Innocen. Rota *deciſ*.1. *de confirm. util. vel innutil. in addit. in novis*. Ergo &c.

33 Tertiò, illa interpretatio facienda eſt, quæ proximior eſt menti ſtatuentis, & per quam omnia conciliantur, & vitantur abſurda. Talis autem eſt hæc, quæ non ſolùm ſequitur intentionem confirmantis Papæ, qui per confirmationes in forma communi non intendit præjudicare Ordinariis, *cap. final. infrà eodem*, *cap. Ex parte de conſtitut. cap. Dudum*, *§. final. de decim.* & dictum eſt ſuprà *nu*.20. ſed deſervit etiam menti Patrum in Concilio, qui voluerunt tolli funditùs omnia obſtacula impedientia Capitulorum viſitationes, ſcientes rata eſſe Capitula, quæ non poſſunt juvari hujuſmodi confirmationibus in forma communi, ut ex inſpectione actorum ejuſdem Concilii planè col-
34 ligitur. Nec diſcrepat à ſententia S. Congregationis, quæ difficilè deſcendit in hanc partem, per quam confirmationes Apoſtolicæ præſervantur, ex rationibus, & effectibus militantibus dumtaxat in confirmationibus ex certa ſcientia.

Accedit, quòd gloſſ. *antepenult. in Clem. Dudum de ſepultur.* propter quam primùm Rota, deinde Sac. Congregatio mota fuit, loquitur in pacto ex ſententia confirmata ex certa ſcientia, ut ex lectura, & iis, quæ Doctores ibidem dicunt, facilè deducitur, Bellam. *deciſ*. 534. Quare in eiſdem terminis tum deciſio Rotæ, tum Sac. Congregationis declaratio erit intelligenda, ad tex. *in l*. 1. & ibi Bart. in *princ. ff de conjug. cum emancip. liber. cum ſimil. lib.* ut dixi in *c. Quoniam n*.23. *ſuprà de conſtitut.* nam ſi ſola ratio duplicis vinculi talem declarationem perſuaſiſſet, eadem ratione intelligi deberent præſervatæ illæ concordiæ, quæ juramento vallatæ, & inſuper ſententiis eſſent confirmatæ; quia triplex funiculus difficiliùs rumpitur, *cap*. 1. *de tregu. & pac.* Quod tamen alienum eſt à ſententia tum Rotæ, tum S. Congregationis.

35 Ad hæc, verba declarationis debent accipi in potentiori ſignificatu, *l* 1. *ff. Si ager vect. vel emphyt. per.* Ideòque in dubio appellatione confirmationis intelligitur illa, quæ fit ex certa ſcientia, Joann. Andr. in *cap. penult. in fin.* Abb in *cap. Examinata nu*.5. *verſ. Conclude infrà eod.* per text. in *cap. Inter dilectos de fid. inſtr. & in cap. Conſtitutus*, juncta gloſſ. in *verſ. Confirmavit, de religioſ. domib.* Ergo declaratio Sac. Congregationis non eſt intelligenda de ea, quæ fit in forma communi.

Quod verò dicitur, Concilium tollere concordias, quę ſuos tantùm ligent auctores, *cap*. 4 *ſeſſ*.6. *& cap*. 5. *ſeſſ*. 25. directè adverſatur diſpoſitioni Concilii, quod imò præſervat concordias quoad hunc effectum, ut ſuos obligent auctores. Procederet propoſitio, quando Concilium loqueretur modo indicativo; Quæ ſuos tantùm ligant auctores. Cæterùm cùm loquatur modo imperativo; Quæ ſuos tantùm ligent auctores; oſtendit verba hæc accipienda eſſe non demoſtrativè, ſed potius limitativè, quaſi Concilium derogando omnibus concordiis etiam illis, quæ aptæ erant ligare Succeſſores, reſtringat obligationem ad earum auctores dumtaxat: & ſecundùm hunc intellectum textus inducitur ad probandum ſublatas eſſe, vel ſaltem modificatas concordias confirmatas etiam ex certa ſcientia; aliàs enim ſuperflua videri poſſet derogatio Concilii: ſi quidem omnes aliæ concordiæ, præter has confirmatas ex certa ſcientia ſunt perſonales, *c. Veniens de tranſact.* Poſtremò Concilium intelligendum eſt de vinculo confirmationis valido, quod ſit ſimile aliis expreſſis in Concilio, quæ fiunt cum matura conſideratione. Unde ſequitur, ut ſit intelligendum potiùs de vinculo confirmationis ex certa ſcientia, quod eſt validius, & fit cum majori deliberatione: confirmatio enim in forma communi ex ſe debile vinculum eſt, imò nec vinculum, quia non vincit, nec fit ad vinciendum, ſed ut magis timeatur ob reverentiam Sedis Apoſtolicæ, ut fuſiùs dictum eſt ſuprà *n*. 19. & 22. 36

Et hanc ſententiam in fortioribus terminis olim probavit S. Congregatio Concilii: nam propoſito dubio, an decreto *c*. 6. *ſeſſ*. 25. intelligatur derogatum concordiæ confirmatæ à Papa in forma communi, ſi ſimul cum ea concurrat immemorabilis conſuetudo: S. Congregatio cenſuit intelligi derogatum. 37

Porrò cùm Rota decidiſſet in una Salamantina juriſdictionis, *c*.9. *ſeſſ*. 24. *& cap*. 10. *ſeſſ*. 23. loquentia de viſitatione, & conceſſione dimiſſoriarum, non ſuſtuliſſe conſuetudines à Sede Apoſtolica confirmatas: Sac. Congregatio die 12. Januarii 1581. cenſuit deciſionem Rotæ revocandam per ipſammet Rotam, tamquam decretis Concilii non congruentem, & permanendum in decretis aliàs ab hac Sac. Congregatione in hujuſmodi materia editis, rationibus adductis in duobus votis; & id ſignificandum Rotæ Auditori, coram quo cauſa pendet in tertia inſtantia. Sed prius omnia referenda S. D. N. ſi Sanctitas ſua id fieri probaverit. 38

Die 16. Januarii 1581. in Conſiſtorio Sanctiſſimus reſpondit audiendum Epiſcopum: & inſtitit propter duplex vinculum.

Hanc deciſionem videtur ſequuta Rota coram Finetto in una Palentina, in qua quærebatur, an Archidiaconus in Cavore poſſet viſitare in territorio ſui Archidiaconatus non ſervata forma decreti Concilii, & Epiſcopum viſitantem impedire; & Rota ſenſit non poſſe niſi ſervata forma, non obſtante vinculo ſimplici, ſcilicet conſuetudinis, ſententiarum Rotalium, & confirmationis Apoſtolicæ.

Finis Secundi Libri Decretalium.

PROSPERI FAGNANI COMMENTARIA IN TERTIUM LIBRUM DECRETALIUM.



VENETIIS, MDCCXXIX.

Ex Typographia Balleoniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

RUBRICÆ ET CAPITULA HUJUS TERTII LIBRI DECRETALIUM.

de *Baptiſmo, & ejus effectu.* pag. 589.

MAjores. 582
Si quis puerum. 589

de *Capellis Monachorum, & aliorum Religioſorum.* 500

EX parte. 504
In Eccleſiis. 500

de *Celebratione Miſſarum, & Sacramento Euchariſtiæ, & Divinis Officiis.* 572

CUm Creatura. 584
Cùm Marthæ, §. Quæſiviſti. 580
Dolentes. 580
Presbyter. 572
Quidam. 576

de *Cenſibus, exactionibus, & procurationibus.* 538

AUctoritate. 553
Auctoritate, *ſcil. Diſceptatio de Grangiis.* 556
Cum Venerabilis. 544
Licet. 538
Olim. 542
Procurationes. 546
Venerabili. 550

de *Clericis conjugatis.* 25

JOannes. 25

de *Clericis non reſidentibus in Eccleſia, vel præbenda.* 26

AD audientiam. 59
Clericos. 63
Conquerente. 34
Cùm ad hoc. 62
De cætero. 36
Ex geſtis. 26
Ex parte. 40
Ex tuæ. 53
Qualiter. 48
Qua nonnulli. 28
Relatum. 30
Tuæ. 57

de *Clerico ægrotante, vel debilitato.* 154

COnſultationibus. 163
Cùm percuſſio. 154
De Rectoribus. 156
Ex parte. 161

de *Cohabitatione Clericorum, & mulierum.* 8

QUæſitum. 21
Veſtra. 8

de *Conceſſione Præbendæ, & Eccleſiæ non vacantis.* 184

LItteras. 194
Nulla. 184
Poſtulaſtis. 200
Quia diverſitatem. 191

de *Conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris.* 568

AQua. 568

de *Converſione Conjugatorum.* 428

COnjugatus. 441
Cùm ſis. 433
Ex parte. 449
Ex publico. 444
Præterea. 428
Verùm. 431

de *Decimis, Primitiis, & Oblationibus.* 312

CUm contingat. 315
Cum in tua. 321
In aliquibus. 321
Nuper. 323
Quoniam. 312

de *Donationibus.* 243

PRudentes. 243

de *Eccleſiis ædificandis, vel reparandis.* 621

AD audientiam, il primo. 621

de *Feudis.* 228

EX parte. 231
Inſinuatione. 228

de *his, quæ fiunt à majori parte Capituli.* 220

CUm in cunctis. 220

de *his quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu Capituli.* 210

CUm Apoſtolica. 210
Et ſi membra. 217
Paſtoralis. 211

de *Immunitate Eccleſiarum, Cæmeterii, & rerum ad eas pertinentium.* 628

ECcleſiæ. 645
Immunitatem. 648
Inter alia. 636
Non minùs. 630
Pervenit. 628

de *Inſtitutionibus.* 170

CUm veniſſent. 180
Ex frequentibus. 180
Non amplius. 170

de *Iurepatronatus*. 508
Conſultationibus. 520
Cùm autem. 522
Cùm propter. 528
Ex Litteris. 515
Nobis. 525
Perlatum. 508
Poſtulaſti. 536
Quoniam. 510

de *Locato*, & *Conducto*. 226
Potuit. 226

Ne Clerici vel Monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant. 651
Multa. 651
Non magnoperè. 656
Relatum. 663
Secundùm. 661
Sententiam. 681
Sicut te. 676
Super ſpecula. 681

Ne Sede vacante aliquid innovetur. 203
Illa. 206
Novit. 203

de *Obſervatione jejuniorum*. 611
Conſilium. 611
Explicari. 617

de *Parochiis*, & *alienis Parochianis*. 302
Nullus. 303
Si Epiſcopus. 302
Significavit. 308

de *Peculio Clericorum*. 245
Si quis ſanè. 245

de *Præbendis*, & *Dignitatibus*. 67
Ad hæc. 84
Cùm jamdudum. 95
Cùm ſecundum. 89
De Multa. 116
Dilecto. 111
Dilectus, il primo. 102
Dilectus, il ſecondo. 113
Epiſcopus. 69
Expoſuiſti. 144
Extirpandæ. 124
Extirpandæ, §. Qui verò. 125
Grave. 122
Licèt. 131
Niſi eſſent. 105
Non liceat. 67
Prætereà. 88
Quia intantum. 75
Referente. 78
Significatum. 80
Super inordinata. 149

de *Presbytero non baptizato*. 601
Veniens. 601

de *Rebus Eccleſiæ non alienandis*. 222
Ad noſtram. 226
Nulli. 222

de *Regularibus*, & *tranſeuntibus ad Religionem*. 327
Ad Apoſtolicam. 380
Ad noſtram. 399
Conſulti. 346
Cùm ſimus. 378
Cùm virum. 365
Ex parte. 404
Licèt. 390
Ne Religioſi. 413
Non eſt vobis. 346
Nullus. 327
Porrectum. 371
Sanè. 353
Sicut nobis. 386
Significatum. 358
Si quis. 332
Statuimus. 407
Vidua. 346
Ut Clerici. 341

de *Religioſis domibus*, *ut Epiſcopo ſint ſubjectæ*. 484
Ad hæc. 487
Conſtitutus. 496
Cum dilectus. 496
De Xenodochiis. 484
Inter quatuor. 494

de *Reliquiis*, & *Veneratione Sanctorum*. 602
Audivimus. 602
Cùm ex eo. 608

de *Sepulturis*. 289
Fraternitatem. 289

de *Solutionibus*. 234
Ad hoc. 234
Odoardus. 237

de *Statu Monachorum*, & *Canonicorum Regularium*. 453
Cum ad Monaſterium. 474
In ſingulis. 481
Monachi. 453
Quòd Dei timorem. 470
Recolentes. 464

de *Succeſſionibus ab inteſtato*. 287
Cum dilectus. 287

de *Teſtamentis* & *ultimis voluntatibus*. 253
Cum eſſes. 265
Joannes. 285
Nos quidem. 258
Quia ingredientibus. 253
Relatum. 278
Tua nobis. 280

de *Vita*, & *honeſtate Clericorum*. 5
A Crapula. 5

de *Voto*, & *Voti redemptione*. 452
Litteraturam. 452
Quod ſuper his. 452

PRO-

PROSPERI FAGNANI COMMENTARIA In Tertium Librum DECRETALIUM.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

Innocentius III. in Concilio Generali.

CAPUT XIV.

A Crapula & ebrietate omnes Clerici diligenter abſtineant; unde vinum ſibi temperent, & ſe vino: nec ad bibendum quiſpiam incitetur; cum ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. Unde illum abuſum penitus decernimus abolendum, quo in quibuſdam partibus ad potus æquales, ſuo modo ſe obligant potatores: & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fecundiores exhaurit. Si quis autem ſuper his ſe culpabilem exibuerit, niſi à ſuperiore commonitus ſatisfecerit, ab officio, vel beneficio ſuſpendatur.

SUMMARIUM.

1 *CLericus crapuloſus, vel ebrioſus monitus non deſiſtens, ab officio vel beneficio ſuſpenditur.*
2 *Ebrius quid differat ab ebrioſo.*
3 *Ebrietas inducit exilium mentis, & libidinis incentivum.*
4 *Ebrietatis quæ & quanta ſint mala.*
5 *Vinolentum Sacerdotem & Apoſtolus prohibet, & vetus lex damnat.*
6 *Clericis an liceat bibere ultra tertiam vicem.*
7 *Moniales debent vinum fugere ſicut venenum.*
8 *Crapula quid ſit, & unde dicatur.*
9 *Ebrietas quid.*
10 *Cerviſiæ immoderatus potus an ſit crapula, vel ebrietas.*
11 *Sicera quid ſit.*
12 *Crapula quandoque inebriat, & mentis exilium inducit.*
13 *Obligantium ſe ad potus æquales abuſus reprobatur.*
14 *Verſellizantes qui dicantur.*
15 *Sponſio quòd alter alterum in bibendo ſuperabit, non eſt rata.*
16 *Clerici bibentes vinum ſine aqua qualiter peccent.*
17 *Cibus nullus, vel potus eſt illicitus, niſi per accidens.*
18 *Vinum bibere an propter ſcandalum ſit peccatum.*
19 *Verba imperativa an obligationem inducant.*
20 *Conſilium perfectionis non eſt obligatorium.*
21 *Canonis impetrantis, vel prohibentis tranſgreſſio ex ſui natura eſt culpa mortalis.*
22 *Suſpenſus ab officio an ſit ſuſpenſus a beneficio.*
23 *Electio in pœnis alternativis eſt Judicis.*
24 *Ebrietas an ſit peccatum mortale.*
25 *Peccatum nullum adeò eſt veniale, quod non fiat mortale, ſi placet.*
Declaratur, n.31.
26 *Væ eſt comminatio pœnæ æternæ.*
27 *Peccatum veniale an, & quomodo poſſit fieri mortale, & num.32.*
28 *Peccata minima, ſi negligantur, occidunt.*
29 *Ebrietas tripliciter poteſt contingere.*
30 *Moralia accipiunt ſpeciem non ab his, quæ per accidens eveniunt præter intentionem, ſed ab eo, quod eſt per ſe intentum.*
31 *Rationis uſu ſeipſum privare, an ſit culpa lethalis.*
32 *Ebrietatem eſſe peccatum mortale, ſi ſit aſſidua, quomodo intelligendum ſit, & n.ſeqq.*
33 *Ebrietas voluntaria ad valetudinem recuperandam; an ſit peccatum, & n.ſeqq.*
34 *Ægrotus frequenti ebrietate à perículoſo morbo de conſilio medici liberatus.*
35 *Cibus & potus moderatus ſano, poteſt eſſe ſuperfluus infirmo, & è converſo.*
36 *Inebrians ſe ad vomitum provocandum, an peccet.*
37 *Inebriare ſe num liceat ſine peccato ad vitandam tyranni ſævitiam.*
38 *Mutilare ſibi membrum putridum corporis corruptivum num liceat ſine incurſu irregularitatis.*
39 *Membrum ſibi amputare ad vitandam ſævitiam tyranni non licet.*
40 *Tyranno præcipienti eſum carnium in diebus prohibitis obtemperari non poteſt ſine peccato.*

1 A *Crapula.* Abbas antiquus ſic ponit caſum brevem; Clerici ſe ingurgitare, vel inebriare non debent: aliàs poſt monitionem legitimam, ab officio, vel beneficio ſuſpenduntur. Sed Jo. Andr. Bald. Butr. Card. Abbas Siculus, Jo. à Capiſtrano, & cæteri ſummant ſic: Clericus crapuloſus, vel ebrioſus monitus non deſiſtens, ab officio, vel beneficio ſuſpenditur; & benè, quia hìc non punitur actus, ſed habitus, & frequentia.

2 Ebrius enim hoc differt ab ebrioſo, ſecundùm Bald. *n.*1. quòd ebrius dicitur actu; ebrioſus habitu, vel conſuetudine ſe inebriandi. Et eſt aliquantulum difficilis probationis, ut notat Innoc. *in c. Cùm cauſam de teſtib.* Dividitur in tres partes. Primò, prohibet crapulam, & ebrietatem. Secundò, reprobat abuſum obligantium ſe ad æquales potus. Tertiò, ſtatuit pœnam tranſgreſſoribus. Secunda ibi, *Unde illum abuſum.* Tertia ibi, *Si quis autem.*

3 Nota primò, ebrietatem inducere exilium mentis, & libidinis incentivum, §.1. 44. *diſt.* Eſt enim fomes omnium vitiorum, *c. Ante omnia*, 35. *diſtin.* Unde Apoſt. Epheſ. 5. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria*, *cap. Etſi Chriſtus*, *§. Quadam de jurejur. & Proverb.* 20. *Luxurioſa res eſt vinum, & contumelioſa ebrietas. Qui cum his imiſcetur, non erit ſapiens*, refertur *in c. Luxurioſa* 35. *diſt.* Unde ſingulariter Bern. *in lib. de contemptu mundi:* Quid turpiùs, inquit,
4 ebrioſo, cui fœtor in ore, tremor in corpore, qui promit ſtulta, pandit occulta, cui mens alienatur, facies tranſmutatur? ibi nullum ſecretum, ubi regnat ebrietas. Et Auguſt. relatus à Mar. Socc. *in c. Si conſtiterit*, *n.*22. *de accuſ.* & à Petro de Anch. *hìc n.*2. ebrietas aufert memoriam, diſſipat ſenſum, confundit intellectum, & impedit linguam, concitat libidinem, corrumpit ſanguinem, totum denique corpus debilitat.

5 Præcipuè verò hoc damnatur in Eccleſiaſticis, & Dei ſervitio mancipatis. Unde vinolentum Sacerdotem & Apoſtolus damnat, & vetus lex prohibet, *c. Vinolentum*, *ead. diſt.* Nec Clerici debent bibere ultra tertiam vicem, ut eſt text. *in cap. Quando*, *il ſecundo* 44. *diſtinct.* ibi, *Et maximè ultra tertiam vicem poculum non contingant.* Un-
6 de Lucius Apulejus *Florid.* 1. Prima, inquit, cratera ad ſitim pertinet, ſecunda ad hilaritatem, tertia ad voluptatem, quarta ad inſaniam. Quare Clerici ultra tertiam vicem bibentes peccant, ut per Navarr. *in manual. cap.* 25. *num.* 111. Quod intelligit Abbas *hìc num.* 2. *verſ. Nam debet Clericus*; dummodò appetitus naturalis ultra non exigat: ſed Marian. Soccin. *in cap. Si conſtiterit nu.* 19 *verſ. Tertiò, quoties ſit bibendum*, *infra de accuſat.* puta in hoc ſpectandam eſſe qualitatem complexionis, & temporis, & omnia ad ſobrietatem, & neceſſitatem eſſe reducenda.
7 Moniales verò debere vinum fugere tamquam venenum, ſcripſit Hieronymus, ut *in capit. Carnem*, *de conſecrat. diſtinct.* 5.

8 Secundò nota, aliud eſſe crapulam, aliud ebrietatem. Et quidem crapula eſt exceſſus cibi, ſeu immoderata voracitas, & ingluvies qua ſtomachus prægravatur, *cap. Ne tales de conſec. diſtin.* 5. dicit enim lex; Ex nimia ingurgitatione olet os, *l. Quid clavum*, *§. Is cui*, *ff. de edil. edict.* *gloſ. in c. Cùm Apoſtolus*, *in ver. Sumptuoſas*, *infra de cenſ.* dicitur enim crapula, quaſi cruda epula; quia homines ita voraciter epulantes perfectè non digerunt, ſed materiam indigeſtam emittunt, *c. Sint tibi*, *& d.c. Ne tales de con-*
9 *ſecr. diſt.* 5. Ebrietas verò eſt exceſſus vini, & immoderata potatio; & ita diſtinguunt gl. 1. hìc Hoſt. *n.*1. Jo. Andr. *n.*4. Butr. *n.*8. Anch. & Abb. *n.*1. & Mar. Socc. *in c. Si conſtiterit*, *n* 18. *inf. de accuſat.* Sed Ariſt. *in Problem.* in eo diſtinguit crapulam ab ebrietate, quod ebrietas una cum mente adimit & ſenſum doloris; crapula verò conſtante animo caput affligat. Unde Aug. *lib.* 10. *Confeſſ. c.*31. *ante med. tom.* 1. Ebrietas, inquit, longè eſt à me, miſereberis ne appropinquet mihi; crapula autem nonnumquam ſubrepſit ſervo tuo. Refert S. Th. *in* 2. 2. *quæſt.* 150. *art.* 2. *ad* 3. Sed idem S. Th. *d. q.*150. *art.*1. dicit crapulam dividi in comeſſationem, & ebrietatem. Quæ duo prohibet Apoſt. ad Rom. 13 *Non in comeſſationibus, & ebrietatibus.* Verùm quam Apoſtolus dicit comeſſationem, hæc Decretalis vocat crapulam. Unde tu, quod ſpectat ad intellectum textus, ne recedas ab expoſitione gloſſe, & DD. Quid de immodera-
10 to potu cerviſiæ, an ſit crapula, vel ebrietas? Bald. *hìc nu.* 4. dicit ebrietatem eſſe exceſſum vini, vel cerviſiæ, quę fit nimio potu aquæ puræ; ſed ſtatim ſe corrigit dicens: Poteſt dici crapula, ſed non ebrietas, quia corrumpit ſtomachum, generat vomitum, & anguſtiam. Sed certè hujuſmodi effectus etiam ex ebrietate proveniunt, & ferunt immoderatam potationem cerviſiæ, perinde ac vinum inebriare. Unde contra Bald. videtur tex. expreſſus *in c. Vinolentum*, 11
35. *diſt.* ubi dicitur, Sicera Hebræo ſermone omnis potio nuncupatur, quæ inebriare poteſt. Et infra, Quidquid inebriat, & ſtatum mentis evertit, fuge ſimiliter ut vinum, Ad idem tex. *in c.* 2. *infr. de homicid.* ibi, *Mediocri cerviſia utere temperatè.* Nam quod hìc dicitur, *Vinum ſibi temperent*; ibi dictum eſt, *Utere temperatè*; & quod hìc dicitur, *Et ſe vino*, ibi dictum eſt, *Mediocri.* Licèt cerviſia vini appellatione non contineatur, *ut l. Si quis vinum*, *ff. de trit. vin. & ole. lega.* Niſi dixeris etiam crapulam quandoque inebriare, & mentis alienationem inducere, etiam ſine immo- 12
derato uſu vini, ut pluries ſe vidiſſe teſtatur Mar. Socc. *in d. c. Si conſtiterit n.*18. *verſ. Et idem dicendum de accuſat.*

Tertiò nota in verſ. *Unde illum*, à Concilio generali hìc 13
reprobari abuſum illarum regionum, quæ ad potus æquales ſuo modo ſuos obligant potatores, & judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fecundiores exhaurit. Et tales Hoſt. *in princ.* appellat Verſellizantea, *& n.* 6. 14
in ver. partibus, exemplificat in Scotia, & Uvalia. Et ſubdit, ſe id ſæpius, vellet nollet, expertum fuiſſe. Et in Normannis exemplificat Collect. *in fin.* Unde infertur, ut ſi ali- 15
qui veniant ad ſponſionem, quod alter alterum in bibendo ſuperabit, hujuſmodi ſponſio non ſit rata, quia ut hìc patet, inhoneſta eſt cauſa in ſponſionem deducta, *l. ſi rem*, *§. ſi quis ſponſionis*, *ff. de reſcript. verb.* Et ita per hanc Decretalem noviſſimè firmant Moderni *in tract. de Mercatura*, *tit. de ſponſion. p.* 4. § *Item quæro*, *n.* 1.

Quartò nota ibi, *Vinum ſibi temperent*, argumentum 16
quòd Clerici bibentes vinum ſine aqua abſque juſta cauſa, peccant, quia faciunt contra hoc Concilium, *c. fin. §. quod præcipitur*, 14. *q.*1. ſecundùm Hoſt. *hìc n.*2. *in ver. abſtineant*; intellige venialiter, ſecundùm Jo. Andr. *n.*1. *in ver. ſibi temperent*, Anchar. *nu.*3. & Jo. à Capiſtr. *in* 1. *notab.* qui dicit hoc eſſe peccatum contra conſilium, non contra præceptum, & ſic veniale, niſi per accidens eſſet gravius; nam nullus cibus, vel potus ſecundum ſe eſt illicitus, Math. 15.
Non quod intrat per os, coinquinat animam; ſed per acci- 17
dens poteſt illicitè bibi, quandoque ex conditione bibentis, ut quia de facili læditur vino, vel quia ſpeciali voto obligatur ad vini abſtinentiam; quandoque ex modo, quia immoderatè bibit; quandoque ex conſortio, ut ſi quis ſcan- 18
dalizetur; hoc enim intendit Apoſtol. Rom. 14. *Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, in quo frater tuus ſcandalizatur*, de quo per D. Th. 2. 2. *q.* 149 Ego arbi- 19
tror verum eſſe quod dicunt DD. videlicet hoc peccatum eſſe tantummodò veniale, non quidem propter rationem Jo. à Capiſtr. quia text. hìc non conſulit, ſed præcipit, cùm loquatur imperativè, *Clerici à crapula, & ebrietate abſtineant, & vinum ſibi temperent, & ſe vino.* Unde quod imperatur, neceſſe eſt fieri *ut in d. §. Quod præcipitur.* Et eſt bonus text. *in c. Integritas*, 32. *q.*1. dùm ibi dicitur, *Virginitas ſuaderi, & non imperari poteſt.* Et ita verba imperativa ex ſui natura eſſe obligatoria, firmat Dec. *in c. Nam concupiſcentiam*, *n.*26. *de Conſt.* Quod ſi hæc eſſet tantummo- 20
dò lex conſilii perfectionis, utique ad nullam culpam obligaret, *ut in c. ult. & in d.c. Denique*, *§. Hæc etſi legibus* 4. *diſt. gl.*2. Abb. & omnes *in c.*2. & ibi dixi *n.*43. *de Conſt.* Sed puto eſſe veniale ex levitate materiæ, ut furtum oboli; nemò enim dixerit Clericum ex eo quod ſemel, aut bis bibat modicum vini puri, mortaliter peccare. Unde Auguſt. *in ſerm. de Purgat.* relatus à Gratiano *in c. Unum orarium*, *§. Nunc autem*, 25. *diſt.* & à D. Th. *in.* 2. 2. *q.*150. *art.* 2. *in* 2. *argum. contrario.* dicit; Quoties aliquis in cibo, aut potu plus accipit, quam neceſſe eſt, ad minuta peccata noverit pertinere, ideſt ad venialia, ut explicat S. Thom. *ubi ſupra*,
licèt tranſgreſſio Canonis imperantis, aut prohibentis, ex 21
ſui natura ſit culpa mortalis, *c. Nulli fas*, 19. *diſt. & cap. Violatores* 25. *q.*1. Archid. *in c. Deteſtanda*, *n.*4. *de conceſſ. præb. lib.*6. Et ſcripſi plenè *in c. fin. n.*22. *de Conſt.* Addunt, & benè Card. *hìc n.*3. & Abb *nu.*2 in hac materia ſpectandam eſſe vini, regionis, & complexionis qualitatem, & idem notat Marian. Socc. *in c. Si conſtiterit*, *nu.*18. *&* 19. *infr. de accuſat.*

Ultimò nota ibi, *Ab officio, vel beneficio*, argumentū quòd 22
ſuſpenſus ab officio non eſt ſuſpenſus à beneficio; loquitur enim

enim hic textus alternativè, & electio eſt Judicis, ſecun-
dùm gloſſ. fin. quam ſequuntur Joan. Andr. & communiter
DD. hìc ut teſtatur Abb. *n.* 4. quam tamen declara, ut per
eum, & pleniùs per Felin. *in c. Inter cæteras n.* 5 *ver. Fallit*
23 *quinto*, ubi prædictam concluſionem reſtringit decem mo-
dis, *ſupra de reſcript.*
24 QUÆRO, an ebrietas ſit peccatum mortale? Docto-
res hìc tenent eſſe tantummodò veniale; non autem mor-
tale, niſi ſit aſſidua, vel in conſuetudine. Et in hoc reſi-
det Joan Andr. *num.* 1. *in ver. Sibi temperent*, Butr. *num.* 2.
& num. 5. Card. & Ancharan ambo *num.* 3. Collectar. *num.*
3. & alii, Abb. *in cap. Si conſtiterit*, *num.* 3. *in 2 notab. in-
fra de accuſat.* ubi dicit ebrietatem, ſi rara eſt, eſſe pecca-
tum veniale, ſed non mortale; & cum eo tranſeunt ibi
Marian. Soccin. *num.* 5. *in 2. notab.* & Felin. *num.* 2. Idem
tenet Lucas de Penn. *in l. 1. verb. Cæterùm, C. de erogat. mi-
lit. anno lib.* 12. & probatur apertè *in cap. Unum orarium*;
§. *Non autem verſ. Aliàs ea denuò* 25. *diſtinct.* ubi Augu-
ſtinus recenſet peccata capitalia ex ſuo genere, & inter illa
connumerat ebrietatem, ibi, *Ebrietas ſi aſſidua ſit.* Ad
idem optimus textus *in c. Multi 2. quæſt.* 1. ubi referuntur
verba Apoſt. 1. ad Corinth. 5. *Nunc ſcripſi vobis non commi-
ſceri; ſi quis qui frater nominatur in vobis eſt aut fornicator,
aut idolis ſerviens, aut avarus, aut maledicus, aut ebrio-
ſus, aut rapax, cum hujuſmodi nec cibum ſumere*: Et de-
cretum Concilii Tridentini *ſeſſ. 6. de juſtific. capit.* 15. ibi,
*Divinæ legis doctrinam defendendo quæ à Regno Dei non
ſolùm infideles excludit, ſed & fideles quoque fornicarios,
adulteros, avaros, ebrioſos, &c. cæteroſque omnes, qui le-
thalia committunt peccata*, ponderando utrobique verbum,
Ebrioſus, quod ſecundùm Bald. *hic num.* 1. Collectar. *num.*
2. importat conſuetudinem ſe inebriandi. Ad idem eſt Ca-
non Apoſtolorum 42. relatus *in c. 1. 35. diſt.* Epiſcopus aut
Presbyter, aut Diaconus aleæ, aut ebrietati deſerviens,
aut deſinat, aut deponatur: Subdiaconus autem, aut Le-
ctor, aut Cantor ſimilia faciens, aut deſinat, aut com-
munione privetur, ſimiliter & laicus; ponderando illud
verbum, *Deſerviens*, quod eodem modo conſuetudinem
deſignat, ut ibi poſt Hug. notat Archid. *n.* 1. *ver. Deſerviens*,
Turrecr. *n.* 12. & Præpoſ. *nu.* 3. *verſ. Quæro an iſti Clerici*,
25 Et huic opinioni videtur ſuffragari dictum Auguſt. *in cap.
Unum*, §. *Nunc autem, verſ. Criminis 25. diſtin.* videlicet
Peccatum nullum eſt adeò veniale, quod non fiat crimina-
le, dum placet.
26 Sed in oppoſitum eſt textus *in cap. Sextò die 35. diſtinct.*
Et quod habetur Iſajæ 5. *Væ qui potentes eſtis ad bibendum
vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem.* Nam,
Væ, eſt comminatio pœnæ æternæ, quæ non fit niſi pro
mortali peccato, ſecundùm Turrecrem. *in d. cap. Sexto
die num.* 6. Probatur *in cap. Veh qui dicitis* 11. *q.* 3. *& in cap.*
27 *Veh eis, de pœnis diſtinct.* 4. Præterea, ſi ebrietas eſſet tan-
tummodò peccatum veniale, idem actus ebrietatis ex ſola
frequentia, & aſſiduitate non poſſet fieri mortale; quia
ea quæ differunt in infinitum, ſicut peccatum mortale, &
veniale, non tranſmutantur in invicem, ut declarat S. Th.
in 1. 2. quæſt. 88. art. 4. Archid. & Turrecr. *in c. Tres ſunt*,
28 *de pœnit. diſtinct.* 1. ubi illud Auguſtini *tract. 12. in Joann.*
peccata minima, ſi negliguntur, occidunt: necnon il-
lud, venialia multiplicata ita poſſunt obruere, ſicut unum
mortale; intelligunt diſpoſitivè, & per occaſionem, non
per cauſam.
29 Quid tenendum? Dic ebrietatis culpam conſiſtere in in-
ordinato uſu, & concupiſcentia vini. Hoc autem contin-
git eſſe tripliciter. Uno modo, quando quis ignorat uſum
vini eſſe immoderatum, & inebriare potentem, ut cùm
neſcit vini fortitudinem, & hujuſmodi; & hæc ebrietas
poteſt eſſe ſine peccato, ſicut creditur Noe inebriatus fuiſ-
ſe, *Gen.* 9. Alio modo, quando quis percipit potum eſſe
immoderatum, non tamen æſtimat poſſe inebriare; & ſic
ebrietas poteſt eſſe cum veniali peccato. Tertio modo,
quando quis benè advertit potum eſſe immoderatum, &
inebriantem; & tamen magis vult ebrietatem incurrere,
30 quàm à potu abſtinere: & talis propriè dicitur ebrius; quia
moralia recipiunt ſpeciem non ab his, quæ per accidens
eveniunt præter intentionem, ſed ab eo, quod eſt per ſe
31 intentum; & ſic ebrietas eſt peccatum mortale; quia ſe-
cundùm hoc homo ſciens, & volens privat ſe uſu rationis
quo ſecundùm virtutem operatur, & peccata declinat, &
ſic peccat mortaliter, periculo peccandi ſe committens.

Dicit enim Ambr. Vitandam dicimus ebrietatem, per quam
&c. *c. Sanè* 15. *q.* 1. ita Archid. *in c. Sexto die nu.* 9. 35. *diſt.*
qui hanc diſtinctionem ad litteram tranſtulit ex Div. Tho-
ma, licèt illius non faciat mentionem, in 2. 2. *q.* 150. *art.* 2.
ubi Cajetanus dicit, privare ſe uſu rationis ex inordinata
concupiſcentia vini, abſque dubio eſſe mortale peccatum,
quia propter delectationem in potu non curat ſciens, &
volens privare ſe uſu rationis. Atque ita non privatio uſus
rationis abſolutè, quæ aliquando poteſt eſſe ſine culpa, ut
in dormiente, nec delectatio in potu vini abſolutè culpam
conſtituit; ſed delectatio in potu vini inebriantis in ſciente,
& volente illam, conſtituit rationem culpæ mortalis.
Eamdem diſtinctionem ſequitur Turrecr. *in d. c. Sexto die
n.* 8. 36. *diſt.* Joan. à Capiſtr. *hic n.* 7. & Silv. *in ver. Ebrietas
nu.* 2. Nec diſſentit Navarr. *in Man. c.* 23. *n.* 121. dum dicit
eum qui ſe, vel alium ſcienter inebriat, mortaliter pecca-
re, quia notabiliter vult nocere alteri, & ſibi eſſe nocu-
mento, cui renuntiare non poteſt volens ſe, vel alium uſu
rationis privare.
Non obſtat authoritas Auguſtini *in d. cap. Unum orarium* 32
in verſ. Aliàs ea demum 25. diſtin. dicentis ebrietatem eſſe
peccatum mortale, ſi ſit aſſidua. Etenim hunc locum re-
verenter gloſſat S. Thom. *d. art.* 2. *in reſp. Ad primum*, di-
cens, aſſiduitatem facere, ut ebrietas ſit peccatum mor-
tale, non propter ſolam iterationem actus, *Aſſiduitas enim
importat circumſtantiam, quæ non trahit in aliam ſpeciem
peccati; nec poteſt in infinitum aggravare, ut de veniali fa-
ciat mortale.* Sed quia non poteſt eſſe, ut homo aſſiduè
inebrietur, quin ſciens, & volens ebrietatem incurrat,
dum multoties experitur fortitudinem vini, & habilita-
tem ſuam ad ebrietatem. Et ſequitur Cajetan. *ibi reſponſ.
ad primum, verſ. Ad hæc dicitur*; ubi ait locum Auguſti-
ni eſſe intelligendum de aſſiduitate quoad effectum, qui
eſt cognoſcere fortitudinem vini, & habilitatem pro-
priam ad ebrietatem. Et quoniam hujuſmodi cognitio non
eſt effectus proprius aſſiduitatis ebrietatis, quia ſine tali aſ-
ſiduitate poteſt talis cognitio haberi; idcirco ſine aſſidui-
tate tam præſenti, quam prætèrita, eſt ebrietas peccatum
mortale, ſi adſit dicta cognitio. Neque hoc eſt contra
Auguſtinum, quoniam ipſe dicit affirmativam, ſcilicet,
ebrietas aſſidua, id eſt, habens talem cognitionem, eſt
mortale, & non negativam, ſcilicet, niſi ſit aſſidua; quam-
vis etiamſi diceret negativam, gloſſaretur, ut dictum eſt,
Aſſidua, hoc eſt habens cognitionem fortitudinis vini, &
propriæ habilitatis, quia de aſſiduitate non ſecundùm ſe,
ſed ratione talis effectus intelligitur. Hæc Cajetanus.
Quod ipſum docuit idem S. Thomas *in 1. 2. quæſt. 88. art.* 5.
Ad primum. Diuturnitas, inquit, non eſt circumſtantia
trahens in aliam ſpeciem, ſimiliter nec frequentia, nec
aſſiduitas, niſi fortè per accidens ex aliquo ſupervenienti.
Non enim aliquid acquirit novam ſpeciem ex hoc, quòd
multiplicatur, vel protelatur, niſi fortè in actu protelato,
vel multiplicato ſuperveniat aliquid, quod variet ſpeciem,
puta inobedientia, vel contemptus, vel aliquid hujuſ-
modi. Ebrietas verò ſecundùm ſuam rationem habet, ut
ſit peccatum mortale. Quod enim homo abſque neceſſi-
tate reddat ſe impotentem ad utendum ratione, per quam
homo in Deum ordinatur, & multa peccata occurren-
tia vitat, ex ſola voluptate vini, expreſsè contrariatur
virtuti. Sed quod ſit peccatum veniale, contingit pro-
pter ignorantiam quandam, vel infirmitatem, puta cum
homo neſcit virtutem vini, aut propriam debilitatem, unde
non putat ſe inebriari; tunc enim non imputatur ei ebrie-
tas ad peccatum, ſed ſolùm ſuperabundantia potus. Sed
quando frequenter inebriatur, non poteſt per hanc igno-
rantiam excuſari, quin videatur voluntas ejus eligere ma-
gis pati ebrietatem, quàm abſtinere à vino ſuperfluo: un-
de redit peccatum ad ſuam naturam. Hactenus verba D.
Th. Et hoc intendit gloſſ. *in d. c. Unum orarium*, § *Nunc
autem, verſ. Aliàs ea demum in ver. Ebriètas 25. diſt.* dum
dicit ebrietatem quandoque dici ſtudium ad inebriandum
ſe, & hoc eſſe mortale peccatum. Allegat hanc decreta-
lem, *& c. Ante omnia 35. diſt.* Quandoque verò ebrietatem
dici frequentem actum bibendi; & hoc modo eſſe veniale,
ut *in d. §. Nunc autem; in verſ. Aliquis in cibo.* Quamobrem
dum Canoniſtæ noſtri hìc dicunt affirmativè cum Augu-
ſtino; Ebrietas eſt mortale peccatum, ſi ſit aſſidua; benè
dicunt, quia ebrietas aſſidua ſemper eſt cognita, & volun-
taria; & ſic mortale. Sed dum dicunt negativè. Ebrietas

non eſt mortale peccatum, niſi ſit aſſidua, non benè dicunt. Neque hoc dixit Auguſtinus, quia cognitio ebrietatis poteſt aliundè provenire, quam ex aſſiduitate; & omnis ebrietas cognita, licèt non ſit aſſidua, eſt voluntaria, & conſequenter mortale peccatum, ex ſupradictis.

Quod autem dixit Aug. *in d. c. Unum orarium*, §. *Nunc autem, ver. Criminis* 25. *diſt.* videlicet, nullum peccatum eſt adeò veniale, quod non fiat criminale, dum placet, non eſt intelligendum de qualibet placentia; quia ſi quælibet placentia faceret peccatum mortale, tunc omne veniale eſſet mortale, quia quodlibet veniale placet, cùm ſit voluntarium: ſed talis placentia eſt intelligenda, quæ ad confirmationem ſpectat, in qua omnis humana perverſitas conſiſtit, dum rebus utendis fruimur, ut dicit Auguſt. Hæc S. Th. apud Turrecr. *in d. c. Unum orarium*, §. *Nunc autem n.* 4. Et concordat ibi Archid. exponens verbum, *Dum placet*, itaut illa delectatio præponatur Deo.

33 Limita nunc concluſionem ſuperiùs firmatam, qua dictum eſt ebrietatem voluntariam eſſe peccatum mortale, ut non procedat, ſi vinum immoderatè ſumatur de conſilio Medici ad valetudinem recuperandam, prout limitat
34 Mar. Socc. *in c. Si conſtiterit nu.* 20. *de accuſ.* ubi refert ſe Florentiæ vidiſſe Magiſtrum Ugonem Bentium inſignem Philoſophum, & Medicum cognatum ſuum frequenti ebrietate quendam filium Bernar. de Uzano à periculoſo mor-
35 bo liberaſſe. Quod videtur ex mente Div. Th. in 2. 2. *q.* 150. *art.* 2. *ad* 3. ubi ait: *Cibus & potus eſt moderandus, ſecundum quod competit corporis valetudini; & ideò ſicut quandoque contingit; ut cibus, vel potus, qui eſt moderatus ſano, ſit ſuperfluus infirmo: ita etiam poteſt è converſo contingere, ut il-*
36 *le, qui eſt ſuperfluus ſano ſit moderatus infirmo. Et hoc modo cum aliquis multùm commedit, vel bibit, ſecundùm conſilium medicinæ, ad vomitum provocandum, non eſt reputandus ſuperfluus cibus, vel potus.* Hæc ille. Et quamvis ſubdat: Nec tamen ad vomitum provocandum requiritur potus inebrians, quia etiam potus aquæ tepidæ vomitum cauſat; & ideò propter hanc cauſam non excuſaretur aliquis ab ebrietate. Quærit tamen ibi Cajetanus in reſponſione ad tertium, an ebrietas ſcienter non ex delectatione potus, ſed propter medicinam ſit licita; & concludit eſſe licitam, ſi medicinæ ars diſponeret ebrietatem eſſe neceſſariam ad evacuationem, ſeu curam alicujus infirmitatis, quia ebrietas in illo caſu non eſſet ebrietas formaliter, quæ eſt peccatum, ſed materialiter tantùm, quoniam non eſſet ex delectatione in potu vini. An autem ita ſit de facto, ut medicina diſponat in aliquo eam ebrietatem neceſſariam eſſe, ut ipſe ait, non eſt Philoſophi moralis, nec Theologi, ſed ſcientiæ medicinæ opus. Idem tenet Mart. *in* 1. *q. de ebriet.* relatus à Cajet. *d. art.* 2. ubi ait, vomitum non provocari ex potu aquæ tepidæ in omnibus hominibus. Item vomitum ex alia, & alia cauſa provocatum, alias ſuperfluitates emittere. Ac demum poſſe contingere, ut quis eſſet talis complexionis, ut ex vino quantumcumque, & qualitercumque ſumpto inebriaretur, & ex alio potu gravius læderetur in corpore; quo caſu ei liceret vinum ſumere, & uti minùs malo ſe, inebriando alioquin eſſet perplexus, quod eſt abſurdum. Eamdem limitationem amplectitur, & pluribus confirmat noviſſimè Card. Toler. *de Inſtruct. Sacerdotum lib.* 8. *tit. de ebriet. qualeſit peccatum c.* 61. *circa med.* ubi reprobat contrariam opinionem Angeli *in Summa in verſ. Ebrietas*, & ſequitur Card. Cajet. *ubi ſup.* & Silv. *in eodem verb.*

Limitat ſecundò prædictam concluſionem idem Martin, 37
apud Cajet *ubi ſup.* ut locum non habeat, ſi quis inebriaretur ad evitandam ſævitiam tyranni, ut ſic relinqueretur pro communi bono. Sed hanc limitationem refellit Cajet. *ibid. verſ. Ad alterum verò.* Quia cùm potus talis in ordine ad primum, & proximum finem ſit immoderatus, quia in ordine ad corpus, & uſum rationis eſt immoderatus; & hujuſmodi immoderatio ſcienter facta ſit peccatum ex ſuo genere, & non ſint facienda mala, ut eveniant bona; non excuſaretur à peccato non ſolùm, qui inebriaretur, ſed nec ſi modum excederet in cibo, & potu, ut evaderet ſævitiam tyranni, aut infidelis. Non ſunt enim hæc congrua media ad hujuſmodi finem. Ita Cajetan. cujus opinio mihi magis placet; non enim puto valere illationem: ad infir- 38
mitatem curandam licet ſe inebriare: ergo & ad evitandam tyranni ſævitiam. Quoniam videmus ad evitandam mortem naturalem licere ſeipſum mutilare, ut ſi membrum putridum ſit corporis corruptivum, *c. Reſecandæ* 23. *qu.* 3. S. Thom. *in* 2. 2. *q.* 65. *art.* 1. Silv. *in ver. Homicidium* 3. *nu.* 4. adeòut nec propterea incurratur irregularitas, niſi ex mutilatione inducatur deformitas vel impotentia ad Ordinis executionem, ut *in Summa Confeſſ. lib.* 2. *tit.* 1. *q.* 43. Silv. ubi ſupra. Et tamen ad vitandam mortem à tyranno immi- 39
nentem, non liceret ſibi manum, aut pedem amputare, ut colligitur ex Div. Th. ubi ſupra. Similiter propter infirmitatem in diebus jejunii licet carnes comedere, *c.* 2. *de obſerv. jejun.* Et tamen tyranno ſub nimis mortis eſum car- 40
nium præcipienti in diebus prohibitis non poſset obtemperari ſine reatu mortalis peccati, ut patet exemplo Machabæorum. Ad hoc ſunt jura *in c. Injuſtum, c. Si quis Epiſcopus cum tribus ſeqq. c. Qui reſiſtit, c. Imperatores, c. Quid ergo, & c. Si is qui præeſt* 11. *q.* 3. Et eſt ratio diverſitatis, quia ebrietas, abſciſſio membri, & eſus carnium poſsunt eſse remedia naturalia, & quandoque neceſsaria ad ſalutem corporis ſecundùm artem medicinæ, ut dictum eſt ſupra *num.* 4. At mortem à tyranno imminentem naturaliter depellere non poſsunt, nec ſunt media ad id ex neceſſitate ordinata, ſed per accidens tantùm ob pravam intentionem tyranni. Quæ ratio colligitur ex Div. Thoma *in q.* 64. *art.* 7. *ad quartum* 2. 2. ubi aſſignans differentiam, cur liceat homicidium committere ſe defendendo pro conſervatione propriæ vitæ, & tamen non liceat committere ſimplicem fornicationem, vel adulterium, vel quodcumque aliud peccatum mortale pro conſervatione propriæ vitæ, cum vita ſpiritualis præferenda ſit corporali: Actus, inquit, fornicationis, vel adulterii non ordinatur ad conſervationem propriæ vitæ ex neceſſitate, ſicut actus, ex quo quandoque ſequitur homicidium.

An autem liceat aliquem inebriare ad detegendum aliquod ſecretum concernens publicam ſalutem, latiſſimè examinavi *in c.* 1. *à nu.* 33. *uſque in fin. infra de reliq. & venerat. Sanctor.*

DE COHABITATIONE CLERICORUM ET MULIERUM:

Lucius III.

CAPUT VII.

Veſtra duxit devotio inquirendum: & infrà. Alicubi dicitur, Nullus audiat Miſſam Sacerdotis, quem ſcit indubitanter concubinam habere; alibi verò legitur, Non poteſt aliquis quantumcumque pollutus fuerit, divina polluere Sacramenta, quæ purgatoria cunctarum contagionum exiſtunt. Qualiſcumque enim Sacerdos ſit, quæ ſancta ſunt, coinquinari non poſſunt. Sumite ergo ab omni Sacerdote Chriſti myſteria: quia omnia in Chriſti fide purgantur. Cæterum aliud eſt crimen notorium, aliud occultum. Notorium diffinitur, de quo Presbyter canonicè condemnatur. Occultum: quod ab Eccleſia toleratur. Cæterùm aliud eſt, quando crimen notorium non diffitetur Presbyter, vel de ipſo eſt canonicè condemnatus. Aliud eſt penè occultum, quod ab Eccle-

Eccleſia toleratur. Item aliud eſt à talium officiis abſtinere, ut peccandi licentia cæteris auferatur, & hujuſmodi ad penitentiæ fructum trahantur: atque aliud ſi talium tamquam in fornicatione jacentium myſteria reſpuantur. Sine dubitatione itaque teneatis, quòd à Clericis & Presbyteris quamquam fornicariis, quamdiu tolerantur, nec habent operis evidentiam, licitè divina myſteria audiantur, & alia recipiantur ſacramenta Eccleſiaſtica.

S U M M A R I U M.

1 *A Clerico fornicario non notorio licitè audiuntur Divina, & percipiuntur ſacramenta: ſi autem eſt notorius, abſtinendum eſt, & num. 10. & 14. & ſeqq. Et quid poſt Conſtitutionem Concilii Conſtantienſis, num. 17.*

2 *Verba imperativi modi æquipollent verbis præceptivis.*

3 *Miſſæ ſacrificium non polluitur ex nequitia Sacerdotis, & nu. ſeqq. uſque ad n. 10.*

4 *Sacramenta tranſeunt per Sacerdotem ſicut aqua per lapideos canales.*

5 *Sacerdos quantum ad virtutem ſacramenti eſt merè inſtrumentum, & organum inanimatum, licèt ſit organum vivum quantum ad meritum perſonale.*

6 *Oratio ſancti fulcitur duplici merito; ſed profani unico tantùm.*

7 *Eccleſia quo ſenſu dicatur pollui ab indignis, & n. ſeqq.*

8 *Sacerdos quantumcumque pollutus non poteſt divina ſacramenta polluere, quæ purgatoria cunctarum contagionum exiſtunt.*

9 *Sacerdotes mali Sacramenta adminiſtrando ſe tantummodò lædunt, & unde aliis commoda exhibent, inde ſibi diſpendium præbent.*

11 *Clericus fornicarius eſt ſuſpenſus quoad ſe, ſicut quilibet exiſtens in peccato mortali, & graviſſimè peccat celebrando.*

12 *Non tamen incurret irregularitatem.*

13 *Suſpenſio illata à Deo irregularitatem non inducit.*

14 *Clericus fornicarius ſi ſit occultus, ſeu ab Eccleſia toleratus, non eſt ſuſpenſus quoad alios.*

15 *Secus ſi ſit notorius notorietate Juris.*
Et quid ſi ſit notorius per operis evidentiam, nu. 16.

16 *Sacerdos notoriè concubinarius an ſit vitandus in Divinis officiis, & Sacramentis, antequam ſit monitus ab Epiſcopo.*

17 *Poſt Conſtitutionem Concilii Conſtantienſis non eſt vitandus, niſi fuerit nominatim denuntiatus per ſententiam, & nu. ſeq.*

18 *Sacerdos notoriè fornicarius an celebrando efficiatur irregularis.*

19 *Notoriè criminoſis, excommunicatis, vel ſuſpenſis à Canone poſt Concilium Conſtantienſe, licitè communicamus etiam in divinis, & Sacramentis, niſi ſint denominatim denunciati, vel notorii Clericorum percuſſores.*

20 *Ad v ritatis notitiam pluribus modis pervenitur, & quilibet modus habet ſuum peculiare vocabulum.*

21 *Argumentum quid ſit, & quot modis ſumatur.*

22 *Præſumptio quid ſit.*

23 *Præſumptio variatur, debilitatur, & fortificatur, prout ſuadent circumſtantiæ.*

24 *Præſūptio alia temeraria, alia probabilis, alia violenta.*

25 *Præſumptio alia Juris, & de Jure, ſeu Canonis, alia Juris tantum, alia hominis, alia naturæ, alia facti.*

26 *Judicium quid ſit, & unde dicatur.*

27 *Fama quid ſit, & quotuplex.*
Fama de homine deſcribitur, ibid. & n. 41.

28 *Fama propriè loquendo non poteſt eſſe niſi bona, & n. 42.*

29 *Famam ſuam negligens crudelis eſt.*

30 *De fama cum dubitatur, in loco converſionis eſt quærendum.*

31 *Infamia quid ſit, & quomodo contrahatur, & aboleatur.*

32 *Infamia Juris quæ ſit.*

33 *Infamia facti quæ.*

34 *Infamiam facti removere ſolius Dei eſt.*

35 *Infamia ſurgens à malevolis, & inimicis, non ſufficit ad inquirendum, & n. ſeq.*
Orta ex ſententia Judicis laici contra Clericum non attenditur, n. 129.

36 *Ab inimicis, & æmulis quod oritur, ſuſpicione, & invidia non caret.*

37 *Infamia Canonica per peccatum contrahitur, & per pœnitentiam aboletur.*

38 *Famæ inter homines deſcriptiones variæ, & n. ſeq.*

39 *Vox populi vulgò dicitur vox Dei.*

40 *Fama eſt publica rei geſta, vel quæ reputatur pro geſta.*

42 *Fama vulgaris eſt publicus præco virtutis; infamia vitiorum.*

43 *Famam ſubtractam an, & quando detractores reſtituere teneantur.*

44 *Rumor quid ſit, & in quo differat à fama.*

45 *Occultum propriè quid ſit, & n. ſeqq. & n. 121.*

46 *Solius Dei judicio relinquitur.*

47 *Eccleſia damnat in genere, & pœnam infligit pro crimine occulto, ſed occultum peccatorem manifeſtè, & ſpecificè non punit.*

48 *Occultum penè quod dicatur, & n. ſeqq. & n. 121.*

49 *Secretum dicitur, quod fit in præſentia quinque perſonarum, antequam judicialiter ſit diſcuſſum, & n. 118.*

50 Penè, & quaſi, *dictiones diminuunt aliquid de ſignificatione ejus, cui adjiciuntur.*

51 *Occultum, & penè occultum qualiter differant.*

52 *Publicum quot modis dicatur.*
Et in quo differat à manifeſto, n. 56.

53 *Publicum ut quid dicatur, non eſt neceſſe, ut ſingulorum auribus inculcetur.*

54 *Manifeſtum quot modis ſumatur.*

55 *Manifeſtum prout diſtinguitur à notorio quid ſit.*

56 *Et in quo differat à publico.*

57 *Manifeſtum ut inducatur, quot homines requirantur, & n. 88. & 89. & 115.*

58 *Populum, ſeu plebem faciunt decem homines,*

59 *Decem homines poſſunt infamare Presbyterum, ut ei ſit purgatio indicenda, & n. 117.*

60 *Famam, ſeu manifeſtum facit clamor tot hominum, quot ex clamore ſcandalum ſuſcitatur, & n. 116.*

61 *Manifeſtum inducit acclamatio majoris partis populi.*

62 *Manifeſtum quot homines inducant, relinquitur arbitrio Judicis, dummodò non excedat majorem partem populi, vel viciniæ,*
Nec ſint infra decem, n. 88. & ſeqq.

63 *Manifeſtum, & famoſum in quo differant.*

64 *Manifeſtum prout diſtinguitur contra omninò occultum, dici poteſt quodlibet probabile per duos teſtes.*

65 *Imò quod unus tantùm vidit.*

66 *Notorii materia difficilis eſt, & involuta.*

67 *Notorium quid ſit, & quotuplex, & quælibet ejus ſpecies.*

68 *Notorium in genere ſumptum quid, & unde dicatur, & num. ſeq.*
Pars major totum populum repræſentat, ibid.

69 *Notorium aliud juris, aliud facti, aliud præſumptionis.*

70 *Notorium juris qualiter deſcribatur, & n. 76.*

71 *Confeſſio in jure facta parit notorium.*

72 *Acta Judicis faciunt probationem notoriam, dummodò ſint publicata, & ſit concluſum in cauſa, aliàs ſecus.*

73 *Sententia inducit notoriũ, ſi ſit Canonicè lata, & n. 140.*

74 *Etiamſi factũ, ſuper quo lata eſt, nullo modo ſit probatũ.*

75 *Nihil generat ſeipſum.*

77 *Notorii facti deſcriptiones variæ.*

78 *Notorium facti triplex, id eſt, facti permanentis, facti tranſeuntis, & facti interpolati.*

79 *Notorium facti permanentis quod dicatur, & exempla.*

80 *Concubinæ publica detentio cadit ſub notorio facti permanentis, copula verò ſub notorio præſumptionis, niſi extaret ſoboles.*

81 *Vox præconis cùm ſit tranſitoria, in notorium non tranſit: Edictum ſecus.*

82 *Notorii facti tranſeuntis exempla.*

83 *Notoriũ facti interpolati quod dicatur, & ejus exẽplum.*

84 *Notorium præſumptionis quid ſit.*

85 *Et illius exempla.*

86 *Filiatio verè probari non poteſt, ſed Jus vehementer præſumit eum filium, qui natus eſt ex nuptiis.*

87 *No-*

87 *Notorium præſumptionis ut inducatur, quæ requirantur.*

88 *Notarium facti ut inducatur, quot hominum ſcientia ſit neceſſaria, & num. ſeqq.*

89 *Decem homines faciunt Parochiam, & teſtimonium unius Parochiæ facit crimen eſſe notorium, num. 90. & 117.*

91 *Tres homines faciunt Collegium, duo Congregationem.*

92 *Judicis arbitrio relinquitur, quot homines faciant notorium.*

93 *Dummodò non ſint major pars viciniæ, nec pauciores, quam decem.*

94 *In notoriis an ordo Juris ſit ſervandus.*

95 *Citatio in notoriis an, & quando requiratur.*

96 *Sententia in notoriis an ſit neceſſaria.*

97 *Notorium an requirat probationem.*

98 *Quid in notorio facti permanentis.*

99 *Et quid in notorio juris, vel poſſeſſionis.*

100 *Et quid in notorio facti interpolati.*

101 *Et quid in notorio facti tranſeuntis.*

102 *Notorium per quot teſtes probetur.*

103 *Appellatio an detur à ſententia lata ſuper notorio.*

104 *Notorius criminoſus non auditur appellans.*

105 *Appellationis remedium non eſt ad defenſionem iniquitatis, ſed ad præſidium innocentiæ inſtitutum.*

106 *Occultum delictum quando dicatur ad effectum, ut Confeſſores in vim literarum S. Pœnitentiariæ, vel Epiſcopi in vim Concilii Trident. poſſint diſpenſare ſuper irregularitate ex eo proveniente.*
Latè diſcutitur, ut nu. ſeqq. uſque in fin.

107 *Occultum quandoque accipitur, prout diſtinguitur contra notorium, & nu ſeq. & n. 128.*
Contrarium, n. 109.
Declaratur, n. 112. & 128.

108 *Publicum eſt quod patet omnibus.*

110 *Famoſum omne, & manifeſtum contradiſtinguitur à notorio.*

111 *Sacerdotibus pro crimine famoſo, & non notorio indicitur Canonica purgatio, & ſi in purgatione defecerint, ſunt deponendi.*

113 *Occultum accipitur, prout contradiſtinguitur à publico.*
Contrarium, nu. 116.
Declaratur, num. 117.

114 *Publicum dicitur quod eſt notum in Civitate, vel Parochia, ſeu vicinia, vel majori parte ipſius, dummodò ibi ſint ſaltem decem homines.*

115 *Manifeſtum, vel famoſum, ut quid dicatur, duo copulativè requiruntur.*

116 *Diſpenſatio in criminibus exceptis prohibetur propter ſcandalum.*

118 *Occultum accipitur pro penè occulto, & probabili, & num. ſeq.*
Quod verum eſt largè, ſecùs ſecundùm proprietatem vocabuli, & nu. 121. & ſeqq. & n. 127.

120 *Tridentinum Concilium ſeſſ. 24. cap. 6. expenditur, & num. 124.*
Pœnitentiariæ ſtylus in diſpenſatione utroque machinante, & in abſolutione ab hæreſi, ibid. verſ. Porrò.

121 *Occultum propriè dicitur, quod ex ſui natura, vel ex accidenti probari non poteſt.*

122 *Nihil eſt propriè tale, quod eſt ſimpliciter tale.*

123 *Verba ſecundùm propriam ſignificationem ſunt accipienda, & propria ſignificatio eſt, quæ ſtricta eſt, & non larga, & n. 127.*

125 *Accuſatus non ſtatim reus eſt, ſed qui convincitur criminoſus.*
Declaratur, n. 126.

126 *Accuſatio ſola, vel inquiſitio facit, ut delictum non ſit occultum quoad hoc, ut Epiſcopus non poſſit diſpenſare.*

127 *Diſpenſatus ab Epiſcopo in materia delicti perpetrati coram duobus, vel tribus teſtibus, licèt non ſit notorium, non eſt tutus in coſcientia ex ſententia Sac. Congregationis Concilii.*

128 *Occultum dici poteſt quod non eſt notorium, ſed Concilium Tridentinum non reſtringendum ad hanc acceptionem.*

129 *Occultum vix conſiderari poteſt in materia Bullarum contra bannitos, & extrahentes frumenta, & ideò hi caſus remittendi per Epiſcopos ad Sedem Apoſtolicam.*

130 *Occultum remanet delictum, etiam deductum ad forum contentioſum, ſi reus fuit abſolutus diffinitivè.*
Et quid ſi ab obſervatione judicii, n. 133.
Et quid ſi mediis depravatis, & falſis teſtibus, num. 134.
Et quid ſi accuſator per annum tacuerit, n. 135.
Et quid ſi reus fuerit dimiſſus cum cautione de ſe repræſentando, n. 136.

131 *Reus quādo diffinitivè abſolvatur ex capite innocentiæ.*
Et quando ab obſervatione judicii tamquam non repertus culpabilis, n. 133.

132 *Innocentiæ verbum importat omnimdam carentiam criminis, & doli.*

136 *Diſpenſare non poteſt Epiſcopus cum inquiſitis de delicto, quod non potuit probari, ſi nec diffinitivè.*

137 *Nec alio modo fuerint abſoluti, ſed dimiſſi cum cautione de ſe repræſentando.*

138 *Occultum remanet delictum non obſtante ſententia Judicis ſæcularis contra Clericum lata, & fama inde ſuborta, & n. ſeq.*

139 *Irregularis non eſt Clericus condemnatus à Judice laicò uti particeps homicidii, quod non commiſit, licèt contra eum eſſet publica vox, & fama.*

140 *Diſpenſare non poteſt Epiſcopus in materia delicti ad forum contentioſum deducti, & per ſententiam puniti, & refellitur contraria opinio.*

141 *Occultum dicitur delictum, ſi complicibus tantùm ſit notum.*

142 *Socii criminis regulariter in criminalibus recipi non poſſunt, nec eis receptis creditur.*

143 *Etiam ſi ſint duo, vel plures contra eamdem perſonam deponentes.*

144 *Teſtes ubi ſunt prorsùs inhabiles ad teſtimonium ferendum, numerus non ſupplet defectum.*

145 *Quod nihil eſt, ſupplementum non recipit.*

146 *Imperfecta plura in ſua ſpecie non faciunt unum perfectum.*

147 *Socii criminis in criminibus exceptis recipi poſſunt in teſtes, ſed probationem non faciunt.*

148 *Diſpenſare poteſt Epiſcopus cum occultè excommunicato, qui publicè celebravit.*
Secus ſi publicè ſit excommunicatus, & celebraverit occultè, ibid.

V*Eſtra*. A Clerico fornicario non notorio licitè audimus Divina, & percipimus Sacramenta; ſed ſi eſt notorius, abſtinere debemus, non tamen eo animo, ut credamus officia, vel Sacramenta talium fore polluta. Hoc dicit Jo. Andr. Calderin. Bald. Butr. Cardinal. Anchar. Jo. de Anan. & Joan. à Capiſtrano. Vel aliter ſecundùm Abb. inhærendo verbis litteræ: A Clerico fornicario quamdiù toleratur, nec habet operis evidentiam, licitè audiuntur Divina, & percipiuntur Eccleſiaſtica Sacramenta: à notorio verò abſtinendum eſt, non quia in Sacramento ſit defectus, ſed ad ipſorum fornicatorum emendationem. Hoc dicit, & ſunt duæ partes: conſtitutio & deciſio. Secunda ibi, *Cæterùm*. & eſt famoſum cap. & multum difficile, ac ſolemniter repetitum ab Antonio de Butrio, & Jo. Calderino *vol.4. Repetentium, fol.* 208. 1

Nota primò ibi, *Nullus audiat*, verba imperativi modi æquipollere verbis præceptivis, ut hìc patet, *& in c. Nullus, 32. diſt.* Nam per hæc verba præcipitur, ut nemo Miſſam audiat Sacerdotis, quem ſcit indubitanter concubinam habere, ut hìc per Butr. *n.* 3. Abb. *in 2. not.* & Joan. à Capiſtran. *nu.* 2. Ad quod vide bonum textum *in c. Quiſquis præceptis, 14. quæſt. 1.* licèt hoc non ſit generaliter verum, ut legitur, & notatur *in Clem. Exivi de Paradiſo, §. Cæterum de ver. ſignif.* Quod tamen ſpectat ad caſum hujus Decretalis, indubitatum eſt ea verba eſſe præceptiva, quia hoc ſub præcepto formali interdicitur *in c. Præter hoc, 32. diſt.* ibi, *Præcipiendo mandamus, ut nullus Miſſam audiat Presbyteri, quem ſcit concubinam habere indubitanter.* 2

Secundò nota ibi, *Quantumcumque pollutus fuerit*, ex nequitia Sacerdotis Miſſæ ſacrificium non pollui, nec inquinari; quia virtutem, & efficaciam habet ex opere operato, ideſt, ex conſecratione Corporis, & Sanguinis Chriſti, in quo conſiſtit eſſentialiter oblatio, *cap. Utrum*, 3

de

de conſecrat. diſt. 2. cap. ultim. 15. quæſt 8 dict. cap. Præter, §. Verum 32. diſt. & patet ex Concilio Trident. *ſeſſ. 22. de ſa-*
4 *crificio Miſſæ cap. 2.* ibi, *Et hæc quidem munda illa oblatio eſt, quæ nulla in dignitate, vel malitia offerentium inquinari poteſt.* Et tenent Theologi omnes poſt D. Th. *in 3 part. quæſt. 82. art. 6.* Tranſeunt enim Sacramenta per Sacerdotes, ſicut tranſit aqua per lapideos canales, quæ nihil germinat ſuper lapide, nec contaminatur, *ut in cap. Si juſtus fuerit, 1. quæſt. 1.* Abb. *hic in 4. not.* Unde Auguſtin. *in cap. Intra Catholicam, eadem cauſ. & quæſt. Intra Catholicam,* inquit, *Eccleſiam in myſterio Corporis, & ſanguinis Domini nihil à bono majus, nihil à malo minus perficitur Sacerdote, quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo*
5 *perficitur Creatoris, & virtute Spiritus ſancti.* Quod egregiè explicat Scot. *in quodlib. 20. §. de ſecundo,* in hæc verba: *Sacerdos quantum ad virtutem ſacrificii eſt merè inſtrumentum, quia organum inanimatum; licèt enim ſit organum vivum quantum ad meritum perſonale in celebrando, quia ſic mereri eſt ejus, in quantum in ſe vivit vita gratiæ: tamen quantum ad illud bonum, quod debetur virtute ſacrificii, eſt organum præcisè ratione ordinis, & æquè provenit effectus iſte virtute ſacrificii, etiamſi miniſter in ſe non vi-*
6 *vat vita gratiæ.* Hęc ille. Et ita hæc eſt differentia inter Sacerdotem ſanctum, & profanum, quia oratio ſancti fulcitur duplici merito, ſed profani unico tantùm, ſecundùm Hoſtien. *hic nu. 4. in fin.* & Joan. Andr. *nu. 2. circa fin. verſ.*
7 *inter ſacerdotem.* In oppoſitum tamen videntur Jura *in cap. ſic populus, 1. quæſt. 1.* ibi, *Quamvis enim ſancta videantur ſpecie ſui, quæ offeruntur a talibus; tamen quia facta ſunt ab eo, qui pollutus in anima eſt, omnia polluentur; & in cap. Multi eadem cauſ. & quæſt.* ibi, *Polluimus itaque panem, ideſt, Corpus Chriſti, quando indigni accedimus ad altare, & ſordidi mundum ſanguinem bibimus.* At reſpondetur, revera nullum polluere Sacramenta, ut
8 hic dicitur. Quid enim firmum, & ſtabile, ſi ſcanctitas incorrupta corrumpatur? *leg. Si quemquam, Cod. de Epiſcopis, & Cleric.* Itaque ut legitur *in cap. fin. 15. quæſt. ult. non poteſt aliquis quantumcumque pollutus, ſacramenta divina polluere, quæ purgatoria cunctarum contagionum exiſtunt, nec poteſt Solis radius per cloacas, & latrinas tranſiens aliquid exinde contaminationis attrahere. Proinde qualiſcum-*
9 *que Sacerdos ſit, quæ ſancta ſunt coinquinare non poteſt. Idcirco ab eo, uſquequo judicio Epiſcoporum reprobetur, communio percipienda eſt, quoniam mali bona adminiſtrando ſe tantummodo lædunt, & cerea fax accenſa ſibi quidem detrimentum præſtat, aliis vero lumen in tenebris adminiſtrat: & unde aliis commodum exhibet, inde ſibi diſpendium præbet. Sumite ergo intrepidi, ab omni Sacerdote, &c.* Hæc ibi. Veruntamen pollutus, quantum in ſe eſt, polluit ſacramenta, vel meliùs dicitur, polluere ſemetipſum. Et ſic intelliguntur contraria, *ut cap. Secundum, 19. diſt. & d. cap. Si juſtus fuerit, 1. quæſt. 1.* ſecundùm Hoſt. *hic. nu. 4* Joan. Andr. *2. verſ Solutio,* Abbatem *nu. 2. verſ. Jura ergo,* & Jo à Capiſtrano, *n. 8.*

Tertiò nota *in verſ. Cæterùm,* tres qualitates delicti, quoddam eſt notorium, quoddam occultum, & quoddam penè occultum. Item nota tria, ex quibus notorium inſurgit, videlicet ex confeſſione, ex ſententia, & ex operis evidentia. Sed de his latiùs dicam infrà in declaratione materiæ.

10 Quartò nota, *in verſ. Sine dubitatione,* à Clericis fornicariis licitum eſſe divina myſteria audire, & Eccleſiaſtica ſacramenta percipere, ſi ſint occulti, ſeu ab Eccleſia tolerati: ſecus verò ſi ſint notorii per operis evidentiam. Sed hoc ultimum hodiè corrigitur per Conſtitutionem Concilii Conſtantienſis, ut dicam *infra in 2 qu. n. 17.*

11 Nunc pro declaratione textus.

QUÆRO primò, an Clericus fornicarius ſit ſuſpenſus quoad ſe? Et dic breviter eſſe ſuſpenſum ſicut quilibet alius exiſtens in peccato mortali, *ut c. ult. infr. eod.* Unde graviſſimè peccat celebrando, *c. Quotidiè, de conſecratione, diſt. 2. cap. de homine, de celebrat. Miſſar.* & tenet gloſ. *in cap. Teſtamentum, in verſ. humiliter, 6. diſt.* & Abb. *hic num. 4.* Hæc tamen ſuſpenſio quoad ſe non eſt cenſura Eccleſiaſtica, de
12 qua loquitur textus *in cap. Querenti, de verb. ſignificat. & de Cleric. excom. miniſtr. per tot.* & ideò celebrando irregularitatem non incurrit, cùm hoc non ſit in Jure expreſſum, *c. Is qui, de ſent. excommun. lib. 6.* & ibi habes bonam gloſſam
13 *in verſ. In jure.* Certum eſt enim ſuſpenſionem illatam à Deo irregularitatem non incurrere, ut hic per Ancharan. *num. 12. circa med. verſ. Præterea,* & Joann. de Imol. *in cap. fin. num. 6. infrà eod.*

QUÆRO ſecundò, an Clericus fornicarius ſit ſuſpenſus quoad alios, ita ut peccent audientes ab eo divina, vel percipientes Eccleſiaſtica ſacramenta? 14

Pro ſolutione diſtingue: nam aut eſt occultus, ſeu toleratus, & non eſt ſuſpenſus quoad alios, & ideò alii non peccant, ut hic probatur, *& in d. cap. ult. infr. eod.* Aut eſt 15
notorius notorietate juris, id eſt, per confeſſionem ſpontaneam in judicio factam, vel per ſententiam judicis: & tunc eſt ſuſpenſus etiam quoad alios, & ideò licitum non eſt eum audire, & peccant contrafacientes, quia veniunt contra preceptum Eccleſiæ, ut ſimiliter probatur hic, *in d. c. ult.* 16
Sed dubium eſt, quid ſi ſit notorium notorietate facti, ut quia palam, & publicè habet concubinam in domo, nec fuit in judicio confeſſus, vel per ſententiam condemnatus. Et in hoc ſunt principaliter duæ opiniones. Quidam enim, quos tacito nomine recenſet Abbas *hic nu. 6.* tenent ſine aliqua monitione eſſe à talibus abſtinendum, ut videntur ſentire multi *in cap. Si quis ſupra eod. & in cap. Si celebrat. de Cler. excom. miniſtr.* unde Hoſt. hic, Jo. Andr. & Ant de Butr. non requirunt monitionem. Et pro hac opinione pondero text. *in d. cap. ult. infra eod.* ubi primò deciditur Clericum in fornicatione prolapſum non debere in officiis evitari, quia licèt ſit ſuſpenſus quoad ſeipſum, non tamen eſt ſuſpenſus quoad alios; & mox ſubjungitur limitatio per hæc verba: niſi peccatum hujuſmodi ſit notorium per ſententiam, ſeu per confeſſionem factam in jure, aut per evidentiam rei, quæ tergiverſatione aliqua celari non poſſit; & ſic æquiparantur quo ad hoc notorium juris, & notorium facti, nec ulla ſit mentio de monitione, & idem patet in hac Decretali. Sed Hugo, Laurentius, & Archidiaconus *in c. Nullus 23. diſt. & in c. Si quis 81. diſt.* Jo de Lignan. & Card *hoc n. 10. in 6. oppoſ. & n. 12.* cenſent, monitionem eſſe neceſſariam, quia populus, niſi præcedat monitio, non videtur habere indubitatam ſcientiam de concubinatu, ut Canones requirunt, cùm poſſit Clericus habere aliquam excuſationem. Pro concordia, hoc jure inſpecto, placet diſtinctio, in qua finaliter reſidet Abbas *hic n. 6. circa med. verſ. ſed cogitavi,* videlicet quod aut fornicatio eſt adeò notoria, ut nullam habeat dubitationem, ſicut videmus in pluribus Clericis, qui tenent ita publicè concubinas ſicut uxores, & palam nutriunt filios, ita ut nec ipſi hoc audeant diffiteri: & tunc eſt omninò à talibus abſtinendum ſine alia monitione, & pro hac parte facit texus *hic in fine,* ibi, *Nec habet operis evidentiam.* Et meliùs *in cap. Tua, & in d. c. ult. infra eod.* ubi non tantùm requiritur, ut factum ſit notorium, ſed etiam additur, ut nulla poſſit tergiverſatione celari; nec ulla requiritur monitio; & ex contrario ſequeretur, ut numquam fornicatio poſſet eſſe notoria. Aut fornicatio non habet illam evidentiam, ſed poteſt probabiliter tergiverſari, puta quia concubina habitat cum matre Clerici, & aſſerit eam eſſe matris pediſſequam, ſeu ancillam, vel quid ſimile: & tunc procedit contra opinio Hugonis, & ſequacium, ut expectetur monitio, & ejus contemptus, & hanc putat Abb. eſſe mentem juris.

Tu verò dicas hanc controverſiam, & diſtinctionem hodie ſublatam eſſe per Conſtitutionem Martini V. *Ad evitanda,* in Concilio Conſtantienſi editam, quæ ad evitanda ſcandala, & multa pericula, quæ conſcientiis timoratis contingere poſſent, indulſit, ut nemo deinceps à communione alicujus in ſacramentorum adminiſtratione, vel receptione, aut aliis quibuſcumq; divinis, vel extra teneatur abſtinere, vel aliquem vitare prętextu excommunicationis, ſuſpēſionis, vel interdicti, niſi à judice ſpecialiter, & nominatim fuerint denunciati, vel in ſententiam Canonis, *Si quis ſuadente,* adeò conſtiterit incidiſſe, ut nulla poſſit tergiverſatione celari. Quare illi tantùm excommunicati, ſuſpenſi, vel interdicti dicuntur non tolerati ab Eccleſia, ut eos vitare teneamur, & ab eorum communione in divinorum auditione, vel Sacramentorum perceptione, vel aliàs abſtinere, qui per ſententiam hominis ſunt nominatim denunciati, aut notorii Clericorum percuſſores. Idque jam more Eccleſiæ receptiſſimum eſſe atteſtantur Cardin. Cajetan. *in Summa verſ. Excomm major. & in 2 2. qu. 2 art. 2.* Sot. *in 4. ſent. diſt 22. q. 1. art. 4.* Navarr. *in Manuali c. 27. n. 33.* Covar. *in c. Alma mater p. 1 §. 2. n. 9. verſ. Supereſt igitur.* Verba hujus cōſtitutionis retuli *in c. Quod à Prædeceſſore, n. 54. infra* 17
de

de ſchiſmat. & de illius auctoritate, & intelligentia egi latiſſimè ibi à n.39. uſque ad n.57. ubi plenè videas Itaque Clericus concubinarius notorietate facti, ſeu per operis evidentiam, hodiè dicitur toleratus, nec ante denunciationem eſt ſuſpenſus quoad alios quantum ad hoc, ut non liceat ei communicare in divinis, & perceptione ſacramentorum, cujus oppoſitum hic deciditur.

18 Procedit autem hęc concluſio, etiamſi teneamus opinionem, quam contra Innocentium, Joan. de Lignan. Cardin. & Anchar. tenet Abb. hìc n.7. quòd Clericus notoriè fornicarius per operis evidentiam ſit ipſo jure ſuſpenſus, non modò ſuſpenſione indirecta reſpectu audientium, quibus verba prohibitionis diriguntur, ſed etiam ſuſpenſione directa, per text. in c. Præter hoc, 32. diſt. adeò ut celebrans efficiatur irregularis. De cujus opinionis veritate latiùs diſſeram in ca. final. in ult. not. infra eodem. Quamvis, inquam, teneamus hanc opinionem Abbatis, nihilominus hodiè à Clerico notorio fornicario, etiam per operis evidentiam, utcumque ſuſpenſo ab officio ſuſpenſione directa, licitè audire poſſumus divina, & percipere Eccleſiaſtica ſacramenta, quia ex precitata Conſtitutione Conſtantienſis Concilii licitè communicamus ſuſpenſis non denunciatis per ſententiam hominis, etiam in ſacramentorum adminiſtratione, & aliis quibuſcumque divinis, ut oſtenſum eſt ſupra. Ea enim Conſtitutio vendicat ſibi locum etiam in Clericis notoriè fornicariis, ut tenet Nav. in c.1. §. Laboret n.10 de pœnit. diſt.6. Gutier. Canonicar. quæſt. lib.2. c.7. nu.85. Suar. de Cenſur. tom.5. diſp.31. ſect.4. n.16. & tom.3. diſp.18. ſect.1. & diſp.88. ſect. ult. circa finem. Nicol. Garz. de Benef. part.7. ca.
19 14. à n.36. & alii Recentiores. Et quod diximus de fornicariis, idem intelligas de quibuſcumque aliis criminoſis à Canone excommunicatis, ſuſpenſis, vel interdictis; non enim hodie prohibemur audire divina, & ſacramenta percipere niſi ab iis, qui propter crimen per ſententiam hominis ſunt publicè ſuſpenſi, excommunicati, vel interdicti, necnon ab iis, qui ſunt notorii Clericorum percuſſores, & ſic inutilis eſt hodiè diſtinctio quam facit Abb. hìc nu.9. inter ſuſpenſos ſeu præciſos ab homine, & ſuſpenſos à Canone, & eos, qui nec ab homine, nec à Canone ſuſpenſi, ſed jacent in peccato; quandoquidem ex dicta Conſtitutione Ad evitandam, ſolùm diſtinguimus, an ſint nominatim denuntiati, & notorii Clericorum percuſſores necne, & reliquis omnibus criminoſis etiam notoriis per operis evidentiam, & cenſura irretitis à Canone, licitè communicamus, ut dictum eſt.

20 Nunc deſcendamus ad materiam notorii. Et ad pleniorem intelligentiam, & declarationem terminorum, præmittendum eſt pluribus, & variis modis ad notitiam veritatis perveniri, & quemlibet modum habere ſuum proprium, & peculiare nomen, ut hìc plenè per Jo. Cald. nu.27. Anton. de Butr. n.30. Petrum de Anchar. n.13. & Abb. n.10. circa finem, verſ. Ad primum, & n. ſeq. & alios communiter. Sunt enim Argumentum, Præſumptio, Indicium, Fama, Rumor, Occultum, Publicum, Manifeſtum, & Notorium.

21 Argumentum, ſecundùm Calder. hìc n.28. eſt illatio rei dubiæ fidem faciens; de quo loquitur c. in quadam, infra de celebrat. Miſſar. ibi, Nec verò poſſet argumento probari, vel ſecundùm Anton. de Butr. hìc ſub n.30. col.31. ante med. Argumentum eſt rei dubiæ oſtenſio in gradu materię ſubjectę poſſibili. Et hoc dupliciter ſumitur: Primò ſtrictè pro diſcurſu intellectuali in finem ſcientiæ, ut ſillogiſmus, & enthymema: & hoc ſpectat ad Dialecticos, & dividitur in quatuor ſpecies, ut notat Cald. in rubr. ſupra de Sum. Trin. & fid. Cathol. & interdum eo utitur etiam judex in concludendo ex probationibus, ut in l. optimam, C. de contrahen. & committen. ſtipulat. & in cap. ex tenore de teſtib. cum ſimilib. Nam ſi Titius hodiè eſt Romæ, ſequitur, ut non ſit Pariſiis, & hæc illatio ſi trahat originem à ſenſu corporeo, fit ex argumentis, ut hìc patet, & in c. Cum ex injuncto de hæret. lib.6. Deinde ſumitur argumentum largè ſecundùm Calderin. hìc n.28. prout mentem, vel intellectum arguit, ideſt de ignorantia reprehendit. Et ſic omne id per quod intellectus illuminatur qualitercumque, dicitur argumentum. Unde etſi non jure, aut verè inferat, tamen ſi ad intellectum informandum inducitur, argumentum dici poteſt, ut d.c. Cum ex injuncto, ibi, Quod ſi fortè quis arguitè, &c. & ſic ſumptum comprehendit omnem probationis modum plenum, ſemiplenum, & debilem, ut l.1. ff. de teſtib. cap. Sola 4. quæſt.3. cap. Sunt quorum 2. quæſt.6. cap. Præterea, in fin. ſupra de teſtibus, & l.2. Cod. Quor. appell. non recip.

Præſumptio, ſecundum Speculat. in tit. de præſumpt. in 22
princ. eſt argumentum ad credendum unum factum ſurgens ex probatione alterius, puta ex cohabitatione perſonarum ſuſpectarum præſumitur coitus, c. Nec aliqua, 27. q.1. c. Dixit Dominus, 32. q.1. c. Litteris de præſumpt. Vel præſumptio eſt cognitio ex circumſtantiis reſultans, c. ex ſtudiis, & per totum, ſupra de præſumpt. ſecundum Cald. hìc n.29. Alexan.
conſ.89 Viſo themate n.7. & ſeq. verſ. & ſimiliter lib.3. Unde 23
variatur, debilitatur, & fortificatur plus, & minuùs, prout ſuadent circumſtantiæ, ex quibus reſultat, de quo plenè in c. Ferrum, 50. diſt. in c. Is qui de ſponſal. in c. Primo ſemper, 2. q.1. in ca. Quantò de præſumpt. & in Speculatore eod. tit. de præſumpt. Quo fit, ut quædam preſumptio ſit temeraria, quę
rejicitur, c. Oves 6. q.1. quædam probabilis, quæ quandoque 24
purgationem inducit, infra de purgat. Canonica per tot. quędam violenta, quæ ſic appellatur, quia in applicando animum violentat mentem Judicis, & ideò ſufficit ad condemnationem; ut c. Afferte de præſumpt. & d.c. Dixit Dominus, 32. q.1. & notat gl.1. in d. cap. Quantò eod. tit. Speculat. d. tit. de præſumpt. §. Species, n.1. & Butr. hìc nu.30. col.11. poſt
medium verſ. Secundus gradus. Rurſus alia præſumptio eſt 25
legis, vel Canonis, ſeu Juris, & de Jure, quæ probationem in contrarium non admittit: alia eſt Juris tantùm, contra quam admittitur probatio; alia hominis, alia naturæ, alia facti, ut diſtinguit, & declarat gloſ. in cap. Is qui fidem, in ver. contra præſumptionem, infra de ſponſal.

Indicium ſecundùm Jo. Andr. in Addit. ad Speculat. in tit. 26
de probat. §. Videndum, nu.19. litt. E, eſt notabile ſignum maleficii, vel alterius rei ad ipſius veritatem habendam. Vel indicium eſt ſignum, ex quo procedit præſumptio, ſecundum Calder. n.30 vel informans animum ad ſuſpicandum, ſecundùm Anton. de Butr. ubi ſupra. Vel aliter ſecundùm Abbatem nu.12. in fin. Indicium propriè eſt notabile ſignum alicujus dicti, rei, ſeu facti, quod ſubjicitur neceſſitati probandę, & largo modo argumentum poteſt dici indicium, ut dicitur in cap. Forus, de verb. ſignificat. & dicitur indicium ab indicando, id eſt monſtrando, cap. Qui cum fore, infra de fort. l. ſolent, ff. de preſcript. verb. Cæterum; & quamvis proportionetur indicium ad quemlibet gradum probationis, tamen ſumitur potiùs in jure pro gradu animo Judicis ſuſpicionem ingerente, ut dicit Jo. Andr. in Addit. ad Speculat. loc. cit. & Gulicl. de Suza in quæſt. Statutorum ſub litt. S, quos refert, & ſequitur Butr. ubi ſupra.

Fama duplex eſt, ſcilicet de homine, & inter homines. 27
Fama de homine eſt illæſæ dignitatis ſtatus, vita, & moribus comprobatus, leg. Cognitionum, §. exiſtimatio, ff. de variis, & extraordinar. cognit. prout originaliter deſcripſit gloſ. in c. Infames in ver. Infamia, 3. quæſt.7. Speculat. in tit. de notoriis criminibus, §. Fama, in princ. Salycet. poſt Jacob. de Aren. in l. ea quidem n.92. C. de accuſat. Calder. hìc nu.1. &
alii poſt eum. Hæc tamen deſcriptio convenit bonæ famæ 28
dumtaxat: nam ſi mala eſt, vulgò quidem fama vocatur, ſed debet dici opinio voce populi nunciata: propriè autem loquendo, & ab excellentiori extremo non poteſt eſſe, niſi bona ſit, quia fama eſt argumetum virtutis, ut eleganter in-
quit Bald. in c. in Geneſi n.66. ſupra de elect. Et hanc famam 29
qui negligit, crudelis eſt, c. Nolo, 12. q.1. Unde Apoſtolus 1. ad Corinth.9. Expedit magis mori, quàm ut gloriam meam quis evacuet, c. Sacerdos, 1. q.2. & curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri magni, & pretioſi, ut Eccleſiaſt.41 Item melius eſt nomen bonum quàm ungenta pretioſa, ut Eccleſ.7. Item lux oculorum lætificat animam, fama bona impinguat oſſa, ut Prov. 15. Unde quamvis principaliter ſit cavendum de bona vita: tamen quantum poſſibile eſt, curandum eſt etiam de bono nomine, & bona fama, ne proximi ſcandalizentur, c. Inter
verba, 11. q.3. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fa- 30
ma, c. Non ſunt, ead. cauſ. & qu. Quòd ſi de hac fama dubitetur in loco converſationis eſt quærendum, c. poſtquam, & c. Scriptum, de elect. c. Cum in juventute, de præſumpt. c. penult. & c. Cùm dilectus, de purgat. Canonic. Salicet. in d. leg. ea qui-
dem, n.103. C. de accuſat. Famę contrarium eſt infamia, ſcili- 31
cet læſę dignitatis ſtatus, vita, & moribus reprobatus, ſecundùm Cald. hìc n.31. & Salycetum in d. l. ea quidē, n.9. verſ. Mala verò. Quæ quomodo contrahatur, habetur in §. Tria ad fin. 3. q.7. & quomodo aboleatur, in c.2. 6. q.1. Infamia alia juris, alia facti, ut notat præcitata gloſ. in c. Infames, §. Porrò,
3. q.7. Infamia juris eſt, quæ à jure irrogatur, cùm quis per 32
ſen-

ſententiam de crimine publico condemnatur civiliter, vel
criminaliter, aut de delicto privato ſi ſit tale, quod deſcen-
dat ex actione famoſa, l. Infame, ff. de public. Judic. & non
agatur civiliter, ſed criminaliter, l. 2. ff. de crim. Stellion. ni-
ſi in caſibus, ſed quibus in eadem gl. poſt med. verſ. Sed ſi
33 civiliter. Infamia facti eſt, cùm quis aggravatur, vel infama-
tur apud bonos, & graves, de quo agitur in l. 2. & l. Licèt,
ff. de obſeq. à liber. c. Sunt plurimi, 6, q. 1 ſcilicet, quando lę-
ſa eſt fama alicujus propter factum quod commiſit, apud
34 bonos, & graves. Et hanc infamiam omninò removere ſo-
lius Dei eſt, c. Ex tuarum, & ibi gl. fin. de Purgat. Canonica.
35 Ex infamia tamen ſurgente à malevolis, & inimicis non
poteſt procedi contra aliquem, c. Caveant, 3. q. 9. c. Qualiter,
il ſecondo de accuſat. & notat Innoc. in c. Tua, n... ibi, Hoc ad-
ducit inquiſitionem, niſi à recto homine æmulo, vel inimico
36 habeat originem, inf. eod. Quia quod ab inimicis, & æmu-
lis oritur, ſuſpicione, vel invidia non caret, l. 1. C. Si quis
imper. maledix. & ſequitur Bald in d. c. Tua n. 3. verſ. Sed
Judex. & Salycet. in d. l. Ea quidem n. 104. verſ. Interdum, C.
37 de accuſ. Eſt & tertia ſpecies infamię, quę appellatur Cano-
nica, de qua c. 2. 6. q. 1. & ibi per Archid. n 2. & in c. Si Epi-
ſcopus n. 2. 50. diſt. & in c. Teſtes, 2. q. 7. Et hæc irrogatur ex
quolibet peccato mortali, in c. omnes, & ibi gl. 1. 6. q. 1. &
aboletur per pœnitentiam, quando orta eſt ex crimine oc-
culto, ſed non quando ortum habuit eſt ex crimine mani-
feſto, gl. in c. Illi qui in ver. Niſi, ead. cauſ. & q. Speculat.
in tit. de teſte, § Opponitur n. 86.
38 Fama inter homines eſt publica, ſeu famoſa, & com-
munis inſinuatio, vel proclamatio ex ſola ſuſpicione, &
certo auctore proveniens, c. Sicut nonnulli, 46. diſt. c. San-
ctum in fine de conſecr. diſt 4. c. Cùm inſinuante, de Purga-
tione Canonis, & infrà c. Proximo, & ſic deſcribitur à Jo.
Andr hic num. 9 verſ. Fama verò inter homines: & Cald.
numer. 32. vel ſecundùm Speculat. in tit. de Notor. crimin.
§. Fama numer. 1. & 2. & eundem Calder. ubi ſuprà; eſt
vulgi, loci, ſeu majoris partis vehemens opinio rei, de
qua quæritur conſentiens, c. Inquiſitionis in fin. infra de
accuſat. l. 3 §. ejuſdem, ff. de teſtam. cap. Sæpè, 4. qu. 3. c.
Litteris, & cap. Tertio loco, ſupra de præſumpt. vel ſecun-
dùm Bart. in l. Minore, §. Plurimum num. 7. de quæſtion.
39 Fama eſt communis opinio voce manifeſtata ex ſuſpicione
proveniens: & groſſo modo dicitur, Vox populi, &
in vulgari dicimus, Vox populi, Vox Dei, quia opinio,
in qua omnes concurrunt, vel major pars, præſumitur
in ſe habere rationem, ut Bald. inquit hic num. 2. & in c.
40 Quoniam num. 62. ſuprà de probat. & eſt pica rei geſtæ,
vel quæ reputatur pro geſta, ut idem ait in d. cap. in Ge-
41 neſi n. 64. de elect. Utramque famam de homine, & inter
homines ſic deſcribit ipſe Bald. in cap. Dilecti nu. 5. de ap-
pellat. Fama naturalis eſt ſtatus hominis, ex radice natu-
42 ræ proveniens, & inhærens. Fama vulgaris eſt publicus
præco virtutis, infamia vitiorum, & in cap. Tua num. 2.
inf. eod. Fama, inquit, quoad ſe, ideſt, in ſe ipſa, eſſen-
tialiter, & verè eſt veritas, & integer ſtatus bonæ opi-
nionis; ſed quoad alios eſt proclamatio, & murmuratio
populi, & infrà nu. 5. Fama famans eſt vox in auribus po-
puli ſonans; materiam autem famę, & infamię latè pro-
ſequitur Speculat. in tit. de Notoriis criminibus d. §. Fama,
& Jo. Andr. ibi in Addit. & Salyc. in d. l. Ea quidem, C.
de accuſat. ubi eam declarat per novem quæſtiones à n. 92.
uſq. ad fin.
43 Qualiter autem reſtituatur fama ſubtracta; dicas de-
tractorem poſſe alicui auferre famam tripliciter. Primò,
verò dicendo, & juſtè, puta, cùm aliquis crimen alterius
prodit ſervato ordine charitatis, Matthæi 18. Si peccave-
rit in te, &c. & c. Si peccaverit, 2. q. 1. & tunc non tenetur
ad reſtitutionem famæ. Secundò, falſum dicendo, & in-
juſtè; & tunc tenetur famam reſtituere confitendo ſe fal-
ſum dixiſſe, & injuſtè, & in præſentia eorum, coram
quibus infamavit eum, quantùm fieri poteſt, ut ſi occul-
tè, occultè; ſi palam, palam, ut cap. Quidam, 5. q 1. &
in 4. ſent. diſt. 15. per Ricchard & Scot. Tertiò, verùm di-
cendo, ſed injuſtè, ut quia prodit crimen alterius verum,
ſed contra ordinem charitatis, & tunc tenetur reſtituere
famam quantum poteſt ſine mendacio, ut dicendo ſe malè
dixiſſe, & injuſtè diffamaſſe. Quòd ſi non poſſit ei commo-
dè famam reſtituere debet ei aliter recompenſare ſicut in
aliis injuriis, ut c. de injur. & damn. dat. Et probantur hęc in
c. 1. Si res, 14. q. 7. & in cap. Falſas, de pœnit. diſt. 5. & per
D. Thom. in 2:2. q. 62. art. 2. ad 2. & q. 73. art. 2. in corp. &
in 4. ſent. d. diſt. 15. q. 1. art. 5. q. 2. ad 1. & Jo. à Capiſtrano
hic n. 26. verſ. Qualiter autem reſtituatur.
Rumor eſt particularis inſinuatio, ſeu proclamatio, c. 44
Super eo, infra de eo, qui conſang. uxor. ſuæ, ex ſola ſuſpi-
cione, c. Oſius de elect. & in certo auctore proveniens, c.
Veniens circa princ. de Regul. Hoſt. hic n. 3. Jo. Andr. n. 11.
Cald. n. 33. & alii communiter, Specul in tit. de Notor. crim.
§. Nunc de rumore n. 1. & Ex hoc patet, in quo differat à fa-
ma, quia rumor ab incerto, fama à certo procedit auctore.
Item differunt ratione materię, quia fama majoris partis vi-
ciniæ, rumor autem alterius partis, vel minoris, ut medię
tertię, vel quartæ, ſecundùm Ant. de Butr. hic n. 30. col. 12.
in princ. verſ. Ad gradum, & ante eum Hoſt. in d. c Super
eo, n. 1. in verb. Aliqua pars, ubi ait, rumorem dici clamo-
rem alicujus partis viciniæ, famam verò totius civitatis, &
ſic rumor eſt quid minus, quàm fama, ſecundùm Abb. hic
n. 12. in fin. verſ. Rumor verò, & ſentit gl. ult in d. c. Super
eo. Pręterea, ut inquit Baldus in præalleg. c. Proximo n. 5.
inf. eod. Fama vires ſuas eundo, & perſeverando extendit.
Unde Virgilius 4. Æneid. Fama malum, quo non aliud velo-
cius ullum, Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo, jux-
ta illud Pſalm. 18. In omnem terram exivit ſonus eorum, &c.
Rumor autem quandoque citò deficit, ut l. fin. ff. de hæred.
inſtituen.
Occultum propriè dicitur, quòd nulla ratione probari 45
poteſt, c. unico, inf. ut Eccleſiaſt. benef. Specul. in tit. de
Notorio, §. Nunc de occulto n 1. & hic tradunt Hoſt. n. 14.
Jo. Andr. n. 12. Calder. n. 34. Henric. Boich. n. 5. Butr. n. 3.
poſt princ. Card. n. 18. Anchar. n. 14. Abb. n. 10. in fin. verſ.
Occultum propriè, Jo. à Capiſtrano n. 40. & nullus diſcre- 46
pat, & ideò ſolius Dei judicio relinquitur, c. Conſuluiſti,
verſ. Spontanea, 2. q. 5. c. Omnia 6. q. 1. c. Erubeſcant, 32.
diſt. c. Sicut tuis in fin. & c. ſeqq. de Simonia. Facit text. in
l. duo ſunt Titii, ff. de teſtam. tutel. quia latentia peccata
vindictam non habent, c. Chriſtiana, 32. q. 5. gl. hic in ver.
Occultum, ideſt humano judicio non ſubjiciuntur, ut hic
in gl. margin. in eod. verb. Occultum. Adverte tamen, quia 47
Eccleſia in genere damnat, & verbalem pœnam infligit
pro crimine occulto; ſed occultum peccatorem ſpeciali-
ter, ideſt manifeſtè, & ſpecificè non punit, ideſt non pu-
blicè, niſi fiat fides. Et ita intelligas jura præallegata. Et
quod notatur in Clem. Multorum, ad fin. de Hæret. ſecun-
dùm Cald. hic d. n. 34. & Card. n. 18 verſ. Sed in genere quan-
doque punitur. Et adde quod in propoſito ſcripſi in c. Dolo-
res à n. 23. uſque ad n. 65. infrà de celebrat. Miſſar. maxi-
mè n. 58. & n. 64.
Penè occultum eſt ſingularis, & privata inſinuatio ex 48
ſcientia, & certo auctore proveniens, ut deſcribit Alberic.
in Dictionar. in ver. Occultum, verſ. Penè occultum eſt. Et 49
dicitur, quod per paucos, vel difficulter probari poteſt,
puta per duos, vel tres, aut quinque: nam ſecretum dici-
tur, quod fit in præſentia quinque perſonarum, antequam
judicialiter ſit diſcuſſum, ut §. Hæc ergo ſecreta circa me-
dium, verſ Filiam namque Archiſynagogi, & ibi notat gl.
in verb. Secreta, poſt c. Quis aliquando, de pœnit. diſt. 1. &
ideò donec clarè fiat fides, ab Eccleſia toleratur, ut hic:
& notant Specul. in tit. de Notor. crimin. §. Penè occultum
n. 1. Hoſt. hic n. 25. Cald. n. 35. Abb. n. 11. Jo. And. Henric.
Boich. Butr. & alii in locis proximè citatis. Et dicitur penè 50
occultum ad differentiam occulti ſimpliciter, quia dictio,
Penè, diminuit aliquid de ſignificatione ejus, cui adjicitur,
c. Dudum, il 1. de elect. ſicut dictio, Quaſi, c. Relatum, & ibi
gl. 1. de offic. delegat. Itaq; in hoc differunt occultum & pe- 51
nè occultum, ſecundùm Card. hic n. 18. quia occultum di-
citur actu, & habitu; penè occultum actu, ſed non habi-
tu. Occultum non eſt poſſibile, ut unquam manifeſtetur,
vel ſaltem per modum probationum probari non poteſt, &
ideò non cadit niſi ſub punitione Eccleſię. Illud dicitur oc-
cultum propriè; hoc verò non dicitur propriè occultum,
ſed quaſi occultum, ut in textu. Moderni tamen Theolo-
gi accipiunt occultum, prout contra diſtinguitur à pu-
blico, ut dicam infrà n. 113.
Publicum eſt nomen generale, & verificatur in notorio, 52
& quandoque in fama, ſecundùm Abb. hic n. 11. verſ. Publi-
cum verò. Unde notorium poteſt dici publicum, ſicut id,
quod conſtat per famam, ut eſt text. in c. Tua inf. eod. & i-
dem quaſi de manifeſto, ſecundum eum. Unde, ut in-
quit Bart. per illum textum in l. 1. §. Conſequens nu. 1. ff.
de

de ſuſpect. tutor. Publicum eſt illud, quod omnibus patet
Item illud, quod ponitur in porta alicujus Eccleſiæ, dicitur
eſſe publicum, ut idem Bart. notat *in Auth. Quomodo opor-*
53 *teat Epiſcop.* §. *Sed neque n.* 2. Ad hoc tamen, ut quid dica-
tur eſſe publicum, non requiritur, ut ipſius notitia ſingu-
lorum auribus inculcetur; ſed ſatis eſt, ut publicè ſit actum,
ut legitur *in c. 1. ſup. de poſtul. Præl.* & idem Abb. tradit *in*
conſ. 99. Illud in præſentiarum n. 1. *lib.* 1 & dicitur quando-
que publicum, quod probari per teſtes poteſt, ut per eum,
qui ad hoc allegat gl. noſtram *in verb. Notorium*, & ſecun-
dùm hoc pro eodem accipiuntur plenè occultum, & publi-
cum, quorum oppoſitum eſt occultum, ut latiùs dicetur,
infrà *n.* 121.

54 Manifeſtum ſumitur duobus modis, ſecundùm Calder.
hìc n. 36. & Card. *n.* 19. videlicet eſt genus, & includit ſub
ſe manifeſtum, ut eſt ſpecies, & notorium. Unde vera,
eſt aſſertio; Omne notorium eſt manifeſtum, *c. Cùm o-*
lim, *& c. Super quibuſdam, de verb. ſignific. c. Manifeſta*,
& c. de manifeſta, 2. *q.* 1. Sed non convertitur, quia aliqua
dicuntur manifeſta non notoria, & tunc eſt ſpecies à noto-
rio diſtincta, quia non patet, ſed de facili poteſt patere, vel
probari, *c. Eorum*, 11. *q.* 3. Probatur hęc diſtinctio *in c. De*
hoc, *inf. de Simonia.* Et adde Feder. de Sen. *in conſ.* 8. incip.
55 *Quæſtio quomodo accipiatur manifeſtum per totum.* Eſt au-
tem manifeſtum, prout diſtinguitur à notorio, publica, ſeu
famoſa inſinuatio, vel proclamatio, & communis, ex
certa ſcientia, & certis auctoribus proveniens; & ſic deſ-
ſcribitur à Specul. *in tit. de Not. crimin.* § *Sequitur de ma-*
nifeſto n 1. Jo. Andr. *hìc n.* 9. *in fin.* Calder. *n.* 36. *verſ. Eſt*
autem manifeſtum, Butr. *n.* 33. Henr. Boich. *n.* 2. & Abb. *n.*
12. Dicitur famoſa inſinuatio, vel proclamatio, quia opor-
tet, ut fama concurrat cum veritate ad inducendum mani-
56 feſtum. Et ex hoc aſſignari poteſt ſubtilis differentia inter
publicum, & manifeſtum, ſecundùm Ant. de Butr *ubi ſup.*
videlicet, ut illud dicatur publicum, quod eſt factum præ-
ſentibus multis, ſed non eſt famoſum. Ad hoc bonus text.
in c. 1. ſup. de poſtulat. Prælator. Manifeſtum verò, quod
ſecum habet famam: & ſecundùm hoc omne manifeſtum
habet in ſe publicum, ſed non omne publicum habet mani-
feſtum: & ſic illam proportionem habet manifeſtum ad
publicum, quam habet notorium ad manifeſtum, ſecun-
dùm ea, quæ dicta ſunt ſupra *num.* 54. Sequitur in deſcri-
ptione *verſ. Communis*, quia manifeſtum debet eſſe multo-
rùm; nam ſatis non eſſet duos, vel tres teſtes hoc ſciviſſe,
ut ſic differat à probatione, & à publico, ad quod ſufficiunt
57 duo, vel tres teſtes, ut dixi ſuprà *n.* 52. Quot autem requi-
rantur ad inducendum manifeſtum, Doctores non conve-
niunt, & fortè ſufficiunt decem, ut dicit gl. 1. *in c. de ma-*
nifeſta, 2. *q.* 1 per text. *in c Unio*, *verſ. Sed & hoc*, 10. *q.* 3.
58 Nam decem homines faciunt plebem, ſeu populum, ut ibi
notat gloſſ. *in verbo Mancipia*, & Archid. *n.* 7. gl. *in c.* 1.
in verb. Duo, de elect. Bart. *in l. Prætor, la* 2. *in pr. n.* 2. & 3.
ff. de vi bonor. raptor. & ex hoc inferunt gl. & Archid. *in d.*
c. Unio, ut decem poſſint infamare Preſbyterum, juxta text.
59 *in c. Preſbyter, ſi à plebe*, 2. *q.* 5. ubi Preſbyter à plebe ſibi
commiſſa, mala opinione infamatus, ſi Epiſcopus le-
gitimis teſtibus hoc probare non potuerit, jubetur ſuſpen-
di, ne populus in eo ſcandalum patiatur, ut ibi dicitur. Si-
ve ergo à decem, ſive à pluribus de ſuis ſit infamatus, dici-
tur infamatus à plebe; quia nomine plebis etiam decem in-
telliguntur, ſecundùm Hug. & Archid. *d. num.* 7. & ideò
indicenda eſt illi Canonica purgatio, ut optimè probatur
in *c Omnibus poſt medium*, *verſ. Ipſe ergo Sacerdos*, 2. *q.* 5.
ubi Leo Papa ad Carolum Magnum ſcribens ſic ait: (Ipſe
ergo Sacerdos ſi ſuſpicioſus, aut incredibilis ſuo Epiſcopo,
aut reliquis ſuis Conſacerdotibus, ſive bonis, & juſtis de
60 ſuo populo, vel de ſua plebe hominibus fuerit: ne in crimi-
ne, aut in prædicta ſuſpicione remaneat, &c. ſe Sacra-
mento coram populo ſuper quatuor Evangelia dato, pur-
61 gatum Eccleſiæ reddat.) Hęc ibi. Pauci ergo non infa-
mant, *c. Inquiſitionis in fin. de accuſat.* & tot hominum
clamor facit famam, ſeu manifeſtum, quot ex clamore
ſcandalum ſuſcitatur, *c. Qualiter eod. tit.* ut dicunt Jo. &
Vincentius *in d. c. Inquiſitionis*, relati ab Archid. *in d. cap.*
Unio n. 7. *verſ. Sed pauci non infamant*, 10. *q.* 3. & idem
innuit ibi Goffred. qui exponit verbum, *Paucorum*, ideſt
duorum vel trium. Et ſatis eſt fama loci, ſi ſit fama popu-
li, ut ſatis clarè innuit præallegat. *c. Omnibus*, ſecundùm Ar-
chid. Nec diſſentit Ant. de Butr. *hìc dicto n.* 33. dicit enim
ad inducendum manifeſtum in acclamatione tot homines
requiri, quot famam inducant; & ita exigi, ut hoc accla-
metur à majori parte populi; *& infrà eod. n. verſ. Qui au-*
tem exigantur, concludit non poſſe dari certam doctri- 62
nam, quot homines requirantur ad inducendum manife-
ſtum, & ideò hoc relinquendum arbitrio judicantis, dum-
modò non excedant majorem partem populi, vel viciniæ,
quia ſic eſſet notorium: credit tamen ad hoc ſufficere de-
cem homines, per ea, quæ notat Cyn. *in l. Ea quidem*, *C.*
de accuſat. & ſic concordat cum gl. *in c. de manifeſta*, 2. *q.*
1. licèt eam non allegat. Adjicitur in deſcriptione ex certa
ſcientia, & certis auctoribus, quia ad hoc, ut ſit manife-
ſtum oportet, ut aliqui præſentes fuerint, à quibus ortum
habuerit, quive ex certa ſcientia poſſint de hoc deponere,
quia fuerunt præſentes, & aliquo ſenſu naturali, ſecun-
dùm quod rei natura exigit, id perceperint. Et hinc appa-
ret differentia inter famoſum; & manifeſtum; nam in fa-
moſo ſufficit ſola ſuſpicio. Item in famoſo ſufficit, ut fama 63
habuerit ortum à certo auctore, & exindè acclamet tota
vicinia, vel major pars, nec eſt neceſſe, ut oſtendantur plu-
res auctores, qui hoc habuerint ex certa ſcientia, vel præſé-
tia. Sed in manifeſto oportet, ut plures adfuerint auctores,
quia per certam ſcientiam, & ſenſum corporeum hoc ap-
prehenderint, & ſuper hoc poſſint teſtimonium perhibere,
Ant. de Butr. *hìc d. n.* 33. *circa fin.* Facit ad hoc quod nota-
tur in *d. c. de manifeſta*, 2. *q.* 2. & per Legiſtas, maximè bald.
in *l. De minore*, §. *Plurimum n.* 9. *ff. de qu.* & notatur in *c.*
Qualiter, *il* 2. *c. Cùm oporteat inf. de accuſat.* & per Arch.
& in c. Omnibus, 2. *q.* 5. Et hęc vera ſunt ſumendo mani- 64
feſtum, prout contradiſtinguitur à notorio, & penè occul-
to. Verùm prout contradiſtinguitur ab omninò occul-
to, manifeſtum dici poſſet omne probabile, quod duo te-
ſtes ſcirent. Ad hoc quod notatur *in c. Ex tenore, de temp.*
ord. & in c. Cùm Vintonien. de elect. Imò poſſet etiam dici
manifeſtum non occultum, quod unus tantùm vidit, §. *Sed*
ſciendum, 2. *q.* Et ita accipitur *in l* 2. *& in l. ſeqq ff. de fur-* 65
tis, & ſic dicimus furtum manifeſtum, & non manifeſtum,
ut in dictis juribus, ſecundùm Ant. de Butr. *hìc n.* 33. *in fin.* 66

Expedictis neceſſariis prèludiis ad intellectum Decreta-
lis, ſupereſt, ut deſcendamus ad materiam notorii, quę dif-
ficilis eſt, & involuta: nam ut ait gl. 1. *in c. Manifeſta*, 2.
q. 1. quotidiè de notorio loquimur, & quid ſit notorium
ignoramus. De quo per Innocen. & Hoſt. in *cap. Tua, in-*
fra eodem, & Speculator. *in tit. de notoriis criminibus*, §.
Item de notor. Salyc. *in l. Ea quidem à num.* 58 *uſque ad n.*
89. *Cod. de accuſ.* Et per Doctores hic maximè per Butr. *à*
num 29. *uſque in finem*. Ego circa hanc materiam hunc or-
dinem ſervabo. Nam primò quæram quid, & quotuplex
ſit notorium, & quęlibet ejus ſpecies. Secundò quot ho-
minum ſcientia requiratur ad inducendum notorium. Ter-
tiò, numquid in notorio ſit ſervandus ordo Juris, & prę-
cipuè an requiratur citatio, vel ſententia. Quartò, num-
quid in notorio requiratur probatio. Quintò, quot teſtes
requirantur ad probandum notorium. Sextò, an à ſenten-
tia ſuper notorio detur appellatio. Septimò, & ultimò,
an occultum crimen, vel impedimentum in decreto Con-
cilii Tridentini *cap.* 6. *ſeſſ.* 24. & in litteris S. Pœnitentia-
riæ accipiatur, prout diſtinguitur contra publicum, &
notorium.

Redeo igitur ad primum.

QUÆRO, quid & quotuplex ſit notorium, & quæli- 67
bet ejus ſpecies.

Notorium in genere ſumptum, prout complectitur om- 68
nes ejus ſpecies, ſic definitur ab Ant. de Butr. *hìc n.* 31. vi-
delicet: Notorium eſt probatio indubitata, & finita, nulla
diſcuſſione egens. Sed melius ſecundùm Salicetum *in d. l.*
Ea quidem n. 58. *C. de accuſ.* neutraliter: & in genere ſum-
ptum ſic poteſt deſcribi, videlicet: Notorium eſt jus, vel
factum tranſiens in notionem omnium, vel majoris par-
tis eorum. Nam per majorem partem totus populus reprę-
ſentatur, ut *l. Nulli*, *& l. Planè*, *ff. Quod de cujuſque uni-*
verſ. nomin. & l. Quid major, *ff. ad municip. & l. Illud*, §.
Refertur, *ff. de reg. jur.* Et dicitur notorium à notione,
quia tranſit in cognitionem omnium, ut per eum.

Notorium eſt triplex ſecundùm gl. *hìc in ver. Notorium*, 69
& in d. c. Manifeſta, 2. *q.* 1. Innoc. *in c. Tua nos n.* 2. *inf. eod.* &
alios communiter, videlicet juris, facti, & pręſumptionis. Et
quamvis Calderin *hìc num.* 36. *verſ. De notorio*, & Abb.
num. 24. dicant ſub notorio juris includi etiam notorium
præ-

præſumptionis; & ſic faciant diſtinctionem bimembrem, ſcilicet juris, & facti, & primum membrum ſubdividant in judiciale, & extrajudiciale: tamen hoc reprehenditur, & benè, ab Anton. de Butr. hìc *n.*32. ubi oſtendit notorium juris, & præſumptionis, eſſe duas ſpecies diſtinctas, nec unum comprehendi ſub altera. Dicitur autem hoc notorium, juris ſive juridicum, quia oritur in jure, ideſt in judicio, *c. final. infra eodem*, idem Butr. hìc *n.*30. *col.*12. *ante medium verſ. Et appellant hoc notorium juridicum*. Ad hoc bona gl. *in l.*1. *in verb. Confeſſus in jure, Cod. de Confeſſ.*

70 Notorium juris eſt ſpontanea confeſſio, clara probatio, juſta, & irretractabilis diffinitio, & ſic deſcribunt hìc Hoſt. *n.*10. Jo. And. *eod. n.* Calder. *n.*36. *verſ. de notorio*, Abb. *n.*4. Speculator. *in tit. de notor. crim.* §. *Iam de notorio num.*3.

71 Dicitur primò in deſcriptione, ſpontanea confeſſio, quia ex ſpontanea confeſſione in jure facta oritur notorium, ut hìc, *& in cap.*1. *de Confeſſis.* Item oritur clara probatio, quia ex probatione judiciali, & indubitata, ſimiliter ſurgit noto-
72 rium, ut *in c. Cùm olim, de verb. ſignif.* Et omne judicialiter probatum dici poteſt notorium, ut inquit Abbas *in c. fin. n.*7. *ſup. de tempor. ordin.* Imò ſecundùm eum omne conſtans ex actis, notorium dici poteſt, allegat Innoc. *in c. ex inſinuatione in fin. de appellat. & c. evidentia de accuſat.* cum ſua gloſ. *in ver. non indiget clamore*, dummodò tamen acta ſint publicata, *l. Geſta, C. de re judicata*, & dummodò ſit concluſum in cauſa, Abb. *in c. fin. n.*4. *in fin. infr. eod.* & non aliter; quia quandiù poteſt probari contrarium, non dicitur probatio notoria, gloſſ. *in c. Significaverunt, in ver. liquere, ſupra de teſtibus*, plenè Nata *conſ.*52. *viſo proceſſu n.*18. *& ſeq.* Jaſ. *in l. Admonendi, in* 2. *lectura n.* 50. *& ſeq. verſ. & ex iſta* 2. *lectura, ff. de jurejuran.*

73 Item dicitur juſta, & irrevocabilis diffinitio, quia eodem modo ſurgit notorium ex diffinitione judiciali, & ſententia, quę non poteſt ampliùs retractari, ut *in hoc c. & in c. fin. inf. eod. & in c. Cùm inter de re judicat.* nam res judicata pro veritate habetur, *l. Res judic. ff. de re judic. & l. ingenuum ff. de ſtat. homin. & in d. c. Cùm inter.* Dummodò, tamen ſententia ſit canonicè lata, ſecus ſi ſit nulla ipſo Jure; nam hęc ſpecies notorii vacatur notorium Juris; & ideò debet
74 habere validitatem, quę Jure conſiſtit, ut ait Bal. *hìc n.*1. Verùm ſi nullo modo factum eſt probatum, & tamen ſententia condemnatoria aliàs canonicè eſt lata; nihilominus crimē dicitur notorium propter auctoritatem ſententię, ut idem
75 Bal. *notat. n.*2. Tria ergo faciunt notorium Juris, Judicialis confeſſio, indubitata probatio, & res judicata. Et ex hoc patet ſuprà ſcriptam definitionem non eſſe bonam, quia confeſſio, probatio, & ſententia ſunt cauſę efficientes, & productivę notorii; ergo non ſunt notorium, quia nihil generat ſeipſum, nec aliquid poteſt eſſe cauſa ſui ipſius, *c. Didicimus* 24. *q.*1. & inter cauſam, cauſatum debet eſſe diſcretio, *c. Debitum, de Baptiſmo*, cum concord. ibi allegat *in gl. in ver.*
76 *Diſcretio.* Unde poſthabita diffinitione Ant. de Butr. *d. n.*32. tamquam nimis prolixa, & quę multas patitur difficultates, exiſtimo hanc ſpeciem notorii breviter ſic poſſe diffiniri: Notorium juris eſt evidentia ex judiciali confeſſione, vel probatione, aut re judicata proveniens. Dixi evidentia, ut ſit genus ad omnes ſpecies notorii, quę ſive naturę ſive juris miniſterio evidentiam habent, & excludat famoſum, publicum, & manifeſtum, in quibus non cadit evidentia. Dixi ex judiciali confeſſione, &c. ad differentiam notorii facti, & præſumptionis, quæ licèt evidentiam habeant, tamen hæc non provenit ex auctoritate, & fomento judicii, ſed à natura, vel miniſterio juris extra judicium.

77 Notorium facti in genere, ut deſcribitur à Calder. hìc *n.*40. eſt factum ſic exhibitum conſpectui hominum, ut nulla poſſit tergiverſatione celari, ut *c. ultimo infr. eod. & c. Cùm olim, de verb. ſignif.* Vel notorium facti eſt, quod factum ex ſe non dubitatur à populo, vel majori parte populi, ſecundùm Vincentium. Vel notorium facti eſt, quod quotidie viget, & in pręſenti eſt publicum, ſecundùm Ubertum. Vel notorium facti eſt, in quo fama ſuum pręebet adminiculum, & ipſa rei evidentia proteſtatur ita eſſe oculis omnium, vel majoris partis loci ſe exhibens, ut nulla tergiverſatione celari poſſit, ſecundùm Specul. *in tit. de notor. crim.* §. *de notorio n.*3. Has partim recenſet Jo. And. *hìc n.*10. partim Cald. *n.*40. & omnes, Ant. de Butr. *hìc n.*31. Vel notorium facti eſt crimen, vel factum, cujus teſtis populus eſt, & diſſimulationi locus non eſt ſecundum Archid. *in c. Manifeſta n.*4. 2. *q.*1. & Abb. *hìc n.* 14. *verſ. Notor. facti.* Ad hoc tex. optimus quem Butr. dicit eſſe meliorem de corpore Juris, *in c. cùm dilectis, inf. de Purgat. Canonica.* Placet diffinitio Antiquorum, quam hìc refert idem Butr. *num.*31. & probat Abb. *ubi ſup.* videlicet, notorium facti eſt publica, vel famoſa vox proveniens ex evidentia rei, quę nulla tergiverſatione celari poteſt *l. vicinis, Cod. de Nuptiis, c. Tua, & c. Quæſitum, inf. eod.* Unde Petrus de Samplone relatus hìc à Jo. And. *n.*13. ponebat verſus: Quæ vel nemo negat, populo, vel teſte probantur; Vel ſe ſubjiciunt oculis, notoria dicas.

Et hoc notorium facti eſt triplex, nam quoddam eſt noto- 78
rium facti permanentis, ſeu continui; quoddam eſt facti tranſeuntis, ſeu momentanei, & deficientis, & non redeuntis; quoddam eſt facti interpollati, gl. *unic. in d. c. Manifeſta* 2. *q.*1. Innoc. *in c. Tua, inſ. eod.* Speculator. *in tit. de notorio. crim.* § *Item de notorio, n.*8. gl. *hìc in verb. Notorium*, quem communiter ſequuntur Doctores.

Notorium facti permanentis ſecundùm Speculatorem. 79
*ibid. n.*10. dicitur, quod ita publicè fit, ut aliqua tergiverſatione celari non poſſit, & habet facti continuationem; exemplum, cum Clericus in carcerem detruditur, *c. Dilectus ſup. de appell.* Innoc. *in d. c. Tua, n.*2. *in fin. verſ. Si autem ſit continuum, inf. eod.* & Specul. *ubi ſup.* Quod verum putat Butr. hìc *n.*34. quando carceres patent oculis hominum, ſecus ſi eſſent carceres occulti. Aliud exemplum in eo, qui 80
detinet domi concubinam publicè, & omnibus ſcientibus, *c. De manifeſta* 2. *q.*1. Præſertim verò ſi infantes audiantur vagire in ejus gremio. *c. Tua, inf. eod. l. ſi vicinis, C. de nupt. c. Priuſquam* 29 *diſt. c. propoſuiſti* 82. *diſt. c. Significaſti inf. de Divortiis*; Cald. *hìc n.*42. Sed tu adverte, quia hoc exemplum benè procedit quantum ad hoc, ut concubinam, teneat, quia cùm hoc pateat oculis hominum, benè cadit ſub notorio facti permanentis. Ad hoc Concilium Trident. *de reform. matrim. c.*8. *& ſeſſ.*25. *c.*14. Secus verò quantum ad copulam, quia cùm hęc non fiat ſub conſpectu hominum, non pertinet ad hanc ſpeciem notorii facti permanentis, ſed ad notorium pręſumptionis, cùm Jus hoc vehementer pręſumat, ut benè hìc per Butr. *n.*34. Niſi fortè extaret ſoboles, ut per Innoc. *in d. c. Significaſti n.*1. *de Divortiis*, ubi dicit eſſe notorium facti actu permanentis, quando manent filii, qui reddunt notoriam incontinentiam. Idem tenet Specul. *in tit. de notor. crim.* §. *Iam de notorio n.*10. ubi ait, quem tenere concubinam eſſe notorium facti continuè, quando eam tenet in domo, menſa, & lecto, & liberi vagiunt gremio ejus bajulantes. Allegat ſuprà ſcripta jura, *& c. Conſuluit, & c. Relatam de appell.* Aliud exemplum materiale ponit Butr. *hìc n.*34. nempè, quòd Turris Aſinellorum ſit in Porta Ravennati, & aliud Abb. *n.*15. quòd Palatium Dominorum ſit in platea; hoc enim propriè dici debet notorium facti permanentis, quaſi res nota omnibus inſpicere volentibus, *ad hoc c. Evidentia de accuſat.* & Auth. *Qui ſemel, l. Quomodo & quand. Jud.* ubi vox præconis, cùm ſit tranſitoria, & paucis innoteſcat, in notorium non tranſit: ſed edi- 81
ctum ſecus, quia per multos diſpoſitum omnibus liquet, ut ibi notat gl. *in ver. Paucis innoteſcit.*

De notorio facti tranſeuntis exemplificant Doctores, ut 82
ſi in conſpectu populi aliquis fuit occiſus, §. *quando autem* 2. *q.*1. Innoc. *in c. Tua n.*2. & ibi etiam Hoſt. *n.*1. *infra eodem*, Speculat. *d. tit. de notoriis crimin.* §. *Iam de notorio n.*8. *in fin.* vel ſi Epiſcopus tranſit de Eccleſia ad Eccleſiam, quia tranſitus ſit cum apparatu, *c. Illud, de Cler. excom. miniſtr. in c. Quanto de translat. Epiſc.* Jo. And. *hìc n.*13. *verſ. circa iſtud notorium*, Calder. *n.*41. Butr. *n.*34. & Abb. *n.*15.

Notorium facti interpolati dicitur, quod ſit ſic publicè, 83
ut aliqua tergiverſatione celari non poſſit, & quod ſępiùs iteratur, non tamen ſit continuè, ſecundum Speculat. *d.* §. *Iam de notorio n.* 9. Exemplum in mutuante ad uſuras, ut *c. Cum tu, de Uſuris*: quia non ſemper mutuat, ſed interpollatim, licèt dici poſſit habere actum continuum reſpectu aptitudinis, ut per Butr. & Abb. *loc. cit.*

Notorium pręſumptionis eſt evidentia juris vehementer 84
pręſumpta, ſecundùm Hoſt. *hìc n.*12. Jo. And. *n.*20. *in fin.* Abb. *n.*14. *verſ. Et tunc dic quod notorium*, Specul. *in d.* §. *de notorio in princ.* vel ſecundum Calderin. *n.*38. Notorium præ- 85
ſumptionis eſt factum, vel dictum ex publicis circumſtantiis à Jure pro veritate acceptum. Exempla notorię pręſum- 86
ptionis ſunt paternitas, & filiatio. Hoc enim, quòd quis ſit alterius filius, non poteſt jure probari, *l. Lucius, ff. de cond. & demonſtr.* ſed jus pręſumit vehemēter eum filium, qui natus eſt de nuptiis, *l. Filium meum diffinimus, ff. de iis, qui ſunt*

ſui vel alieni juris, l. Quia, ff. de in jus voc. Innoc. *in c. Tua n.3. infra eod.* vel qui publicè habitus eſt pro filio alicujus, *c. Michael. & c. Quoniam de filiis Presbyter*, & ita exemplificant gloſ. *hic in ver. Notorium* item gl. *unica in d. c. Manifeſta 2. q.1.* Speculat. *in tit. de notoriis crimin. d. §. Iam de notorio in primo, verſ. Notor. præſumptum*, qui etiam exemplificat in infamato, cui eſt indicta purgatio in judicio, & deficit, *c. Tua in fin. infra eod. c. Inſinuatum de Simonia*,

87 Adverte tamen ſecundùm Anton. de Butr. hìc *n.36.* quia ad inducendum notorium præſumptionis duo requiruntur, videlicet ut factum, ex quo à jure trahitur præſumptio, ſit notorium facti, vel juris: Secundò, ut jus vehementer præſumat, vel fingat, habendo illud pro violenta præſumptione, quæ æquivaleat probationi ad finem ferendæ ſententiæ. Exemplum: Si quis omnibus videntibus detinet fœminam ſuſpectam in domo, vel id in judicio confitetur, factum detentionis eſt notorium facti, vel juris: & ex hoc jus violenter præſumit inter eos copulam carnalem interceſſiſſe; & hoc eſt notorium præſumptionis. Similiter ſi uſurarius teneat menſam paratam, & pannum rubeum omnibus videntibus; ecce factum notorium per operis evidentiam: & ſi mutuat ibi, jus præſumit eum ad uſuras mutuari; ecce notorium præſumptionis: & eodem modo ſi vicinis ſcientibus aliquis tenet fœminam ut uxorem, cum concedenti tractu in veſtibus, & aliis; ecce notorium facti: & ex hoc jus elicit præſumptionem matrimonii inter eos, & legitimitatis prolis inde ſuſceptæ; ecce notorium præſumptionis, & ſic de ſimilibus. Et ita intelligas ea, quæ de probatione filiationis leguntur, & notantur *in c. Per tuas, de prob. & in c. Mich. de filiis Presbyt.* & de probat. filiationis legitimæ, vel illegitimæ *in c. Tranſmiſſa, c. Lator, & c. Per tuas, Qui filii ſint legit.*

88 QUÆRO ſecundò. Quot hominum ſcientia requiratur ad inducendum notorium facti?

Solutio. In hoc articulo ſunt variæ opiniones, quas recenſet Speculat. *in tit. de notor. crimin. §. Iam de Notorio n.5. & 6.* Quidam enim dixerunt, tot homines adeſſe debere, ut eorum præſentia reddat factum notorium, nec ſufficere præſentiam paucorum, puta duorum, trium, vel quinque, ut dictum eſt *ſup. n.48. & 49.* Imò putant requiri totius viciniæ notoriam, & ut omnes communiter acclament crimen commiſſum fuiſſe ut *c. Scelus, 2. q.1. & c. Cum quiſque 23. q. 4.* Quidam, ut Vincentius, tenuerunt ſufficere ſcientiam majoris partis viciniæ, vel Parochiæ, *c. Conſtit. de Purg. Canonica, c. De manifeſta*, & ibi gl. *in ver. Plurimis 2. q.1.* & in hoc reſident Abb. *hìc n.16.* & Salycet. *in l. Ea quidem n.58. C. de accuſ.* dicentes, ad notorium inducendum requiri, ut detur ſcientia totiùs viciniæ, vel majoris partis ipſius: non enim requiritur ſcientia totius populi, ſed ſufficit ſcientia totius viciniæ, ut benè probatur, *c. Cùm dilectis, de Purg. Cano-*

89 *nica*, vel majoris partis ipſius. Subdit tamen Abb. dummodò non ſint minùs decem, & ita intelligit gl. *in d. c. De manifeſta 2. q.2.* Unde in loco, ubi non ſunt decem perſonæ, non poteſt oriri notorium ſecundum eum. Quod etiam docuit Bart. *in l. Scriptus n.2. verſ. Quid ergo ſi in villula, ff. de Religioſ. & ſumpt. fun.* ubi quærit. Quid ſi in villula, ubi ſunt pauci habitantes, aliquid in conſpectu omnium factum ſit, qui fortè non ſunt ſex, vel octo, numquid dicatur notoriũ? Et reſpondet non, quia debet eſſe notum plurimis, & multitudini, *c. fin. inf. eod.* & vicinia debet ſcire, *c. penult. verſ. fin. de purgat. canon. l. Prætor §.1. ff. ubi bonor. reptor. l. Palam, ff. de verb. ſignif. l. Sed & ſi pupill., §. Præſcribere, ff. de inſtit.*

90 Alii dixerunt requiri ſcientiam viginti, ut ibi refert Bar. *per d. l. Prætor, §. Alii*, ut gl. Joann. relata à Speculatore *in tit. de not. crimin. d. §. Iam notorio nu. 6.* & Bartol. *ubi ſup.* exiſtimaverunt decem hominum ſcientiam ſufficere, ut quid dicatur notorium nam tot faciunt Parochiam *c. Unio 10. q. 3.* & teſtimonium unius Parochiæ facit crimen notorium, eſſe, ut *d. c. Cùm dilectis de purg. Canon.* & conſtat ex dictis, *ſupr. n.58. & 59.* Alii verò opinati ſunt tres ad hoc ſufficere,
91 quia tot faciunt Collegium, *l. Neratius, ff. de verb. ſignif.* Sed ut ait Specul. *d. n.6.* hoc nihil eſt, quia & eadem ratione duo
92 ſufficerent, qui faciunt congregation. *c.1. de elect.* Demum alii, & fortè melius, cenſuerunt diſcretum Judicem ex variis circumſtantiis, & qualitate actus, loci, & temporis arbitrari debere factum eſſe notorium, vel non, cùm hoc non reperiatur à jure diffinitum, *l.1. §. 1. ff. de jure deliberandi, l. continuis, §. 1. & 2. ff. de verb. oblig. c. de cauſis primo reſponſo, ſup. de offic. delegat.* Et hoc videtur placere Speculat. *in d. §. Iam de notor. n. 6. circa fin. verſ. Quidquam etiam*, & Bart. *d. l. Scriptus n.2. verſ. Alii remittunt arbitrii Judicis*: & tenent Cald. *hìc n.44. verſ. Ad quæſtionem ergo*, & Abb. *n.16.* 93
Hoc tamen arbitrium reſtringit Cardin. & benè, ad minorem partem viciniæ dumtaxat: nam quoad majorem; hoc eſt expreſſum in Jure, & ideò non intrat Judicis arbitrium, Et idem puto, ſi in Parochia non ſint decem homines, quia expreſſum eſt in Jure, ut ex minori numero, quàm decem, non conſtituatur Parochia, ut *in d. c. Unio 10. q. 3.* & ideò Judex arbitrari non poteſt ibi eſſe notorium: quod tenent Speculat. Bart. & Abb. *in locis ſup. citatis*, & hìc junge quæ in propoſito dixi *n.57 & ſeqq.*

QUÆRO tertiò. Numquid in notorio ordo Juris debeat obſervari?

Reſp. Juriſconſulti, non eſſe obſervandum, *c. Manifeſta,* 94
& c. ſeqq. c. manifeſta, & c. Cœlum, 2. q.1. l. Ea quidem, C. de accuſat. c. Bonæ il 1. de elect. c. Quoniam de filiis Presbyt. c. ſuper eo, de teſtib. c. Porrò, de divort. c. Evidentia de accuſ. cum ſimilibus: & notat Innoc. *in c. Ex parte il 1. nu. 3. poſt med. ver. quia non ſervatur ordo juris in notor. facti, vel juris, de verb. ſignif.* Nam, ut colligitur ex prædictis, juribus, accuſatio, denuntiatio, libelli oblatio ſeu petitio, litis conteſtatio & probatio non ſunt neceſſaria; & ideò dicitur in notoriis non eſſe ſervandum juris ordinem, qui debet in aliis obſervari, vel non eſſe per omnia obſervandum, ut *cap. Ad noſtrum il 3. ſupra de jurejur.* & notat Innoc. *in c. Tua, n.8. circa fin. verſ. Item dicimus, infr.* ubi ait [Quamvis in notoriis procedi poſſit præſentibus partibus lite conteſtata, & ſervato in aliis judiciario ordine; poſſe tamen eis præſentibus procedi lite non conteſtata, nec alio judiciorum ordine ſervato, ſicut quando reus eſt abſens & contumax] & concordant hìc Jo. And. *n.20.* Cardin *n.45.* Abb. *n.18.* quod latiùs per ſingula capita proſequitur Butr. *n.38.* Omni tamen caſu requiritur citatio, & quòd venienti exponatur factum, pro quo citatus eſt, & quod audiatur ejus defenſio; quod ſi non fiat, ſatis poteſt dici ſententiam non tenere ſuper notorio latam, ut inquit Innoc. ubi ſuprà, & Joan. Andr. *d. n.20. verſ. Omni tamen caſu, per c. Qualiter il 2. Debet de accuſat.* & in hoc nullus dubitat, ut dicit Alberic. *in l. Ea quidem n.14. in fin. C. de accuſ.* Hanc etiam dicit eſſe magis communem opinionem Aretinus *conſ. 153. n.7* quem refert Boſſ. *in tit. de Denunciatoribus n.9. in fin. & in tit. Quomodo procedatur in crimine notorio, poſt num.6.* & Jul. Clar. *in pract. criminali, §. fin qu.9. verſ. Quæro numquid.* Sicut enim in aliis cauſis, quæ requirunt ordinem judiciarium, non valet ſententia, quæ fertur non adhibita cauſæ cognitione, ut *l. Prolatam, C. de ſent. & interloc. om. n. Jud. l. Si accuſatorib. & l. Abſentem, C. de accuſ.* Ita videtur in notoriis, 95
ubi, etſi non omnis aliquis tamen ordo ſervandus, ut *in d. c. Ad noſtram il 3. de jurejur.* ſecundùm Joan. And. In hoc tamen articulo Innocent. mirabiliter variavit, *in c. Tua infr. eodem, & in cap. Porro, de divort. iis.* Et multas Doctorum opiniones recitat Calder. *hìc n. 47.* Sed communiter ſic diſtinguitur ſecundùm Abbatem *hìc nu.18. verſ. Et poſſunt in hoc*, videlicet, aut factum eſt ita notorium, ut certum ſit abſenti nullam defenſionem competere; & tunc non eſt neceſſaria citatio, quia illa fieri debet ad hoc ut reus ſe defendat, & ſic intelligitur textus *in c. Venerabilem, de elect. & in l.1. ff. de adminiſtr. rer. ad Civit. pertinen. & in c. Cùm olim, de re judic.* & ibi notat gl. *in ver. liceat abſenti*, quàm pluribus exornat Felin. ibi *nu. 11.* Soccin. ſen. *conſ. 4. n. 24. & 25. lib.3. cum ſimilibus*, ut dixi *in c. Cùm ex juncto n.45. & ſeq. inf. de nov. oper. nunciat.* Aut poteſt reo competere aliqua defenſio, quod regulariter contingit; & tunc requiritur citatio, alioquin non valeret ſententia, & ſic intellige textum *in cap. fin.* juncto *cap. 1. de offic. delegati lib.6.* & in Clem. *Paſtoralis de re judic.* & in hoc caſu loquuntur Innoc. & Jo. Andr. ſupra citati: & hanc diſtinctionem fieri per omnes atteſtatur Practica Carreri *fol.28. verſ. Et an, & quando*, quem refert Julius Clarus *in pract. criminal. §. fin. d. qu.9. verſ. Quæro numquid.* Ipſe tamen Clarus indiſtinctè tenet in quocumque notorio, ſi reus eſt abſens, debere citari non modò ad proceſſum, dummodò non ſit de fuga ſuſpectus; nam eo caſu debet, ſi poteſt, perſonaliter capi, ſecundùm opinionem, quam dicit communẽ Ferret. *conſ.31. nu.11.* ſed etiam ad ſententiam: non enim apparet, quomodo conſtare poſſit nullam defenſionem reo competere, niſi eo monito & audito. Quidquid tamen ſit, honeſtius eſt, & tutius, ut in omni caſu fiat citatio & monitio, ut inquit Calder. *hìc num.47. circa med. verſ. Honeſtius tamen*, quia, ut dicunt

Hoſt.

Hoſt. & Jo. And. *in c. Cùm ſit Rom. in fin. de appell.* multi dicuntur notorii, qui non ſunt, *c. Conſul. de appell.* & ideò juſtius & tutius eſt nullum quantumcumque notorium fore damnandum ſine citatione vel admonitione, dixi in prędicta Decretali, *c. cùm olim, n.46. & ſeqq. de jure judic.*

96 De ſententia verò, numquid in notorio ſit neceſſaria; DD. ſimiliter non conveniunt; nam gloſ. *in c. Super eo, in ver. Non requiratur, de teſtib. cogen. & in c. Porro, in ver. Notoria de divortiis, & c. penult. in ver. Non erat illi indicenda, de purg. Canon. & in c. Evidentia, in ver. Non indiget clamore de Accuſ.* tenuit etiam ſuper notorio ferendam eſſe ſententiam, & hanc gloſſam dicit communiter approbatam, Marſil. *in practica crimin. §. Aggredior, n.*133. Practica Corrad. *fol.*238. *poſt n.*4. Sed contrarium tenet Innoc. *in c. Ex parte, il 1. n.1. in fin. verſ. Nec ibi neceſſaria ſit ſententia, infra de verb. ſignif.* Calder. hìc *n.* 47. *verſ. At verò neceſſar.* dicit in notorio non eſſe neceſſariam ſententiam in ſcriptis, & cum ſolemnitate, ut notatur in Auth. *ut judici ſine quoquo ſuffragio, §. Neceſſe autem* in gloſ. *in ver. Sine libello.* Requiritur tamen aliqualis ſententia, ut videtur textus *in l. Si confeſſus, ff. de cuſtod. & exhibit. reor. & c. Nos in quemquam*, 2. *q.* 1. & ſatis eſt, ut fiat præceptum ſecundùm Calder. quem ſequitur Abbas hìc *n.18. circa fin. ver. De ſententia verò*: & ita intelligunt Innoc. *loc. cit.* Sed quidquid ſit de jure, certè de conſuetudine indiſtinctè obſervatur, ut etiam in criminibus notorii requiratur ſententia declaratoria, ut atteſtatur Julius Clarus *in Pract. crim. §. fin. q.9. ver. Præterea quæro*, & ita etiam hanc ſententiam eſſe in praxi receptam fatetur Covar. *in relect. c. Alma Mater, fol.*360. 1. *p. §.2. n.9. verſ. Ipſe verò adhuc indiſtinctè, de ſent. excom. lib.*6. Imò dicunt aliqui non poſſe dici delictum notorium, quod excuſationem non habeat, niſi priùs fuerit ſuper hoc cognitum, & declaratum per Judicem illud eſſe notorium, citato etiam ipſo reo. Et hanc opinionem teſtatur eſſe communem Aretin. *conſ.*163. quem referunt Feret. *conſ.*31. *n.* 35. & Clar. *loc. cit. ver. Plus dicunt aliqui*, ubi etiam admonet Judices, ut in hujuſmodi notoriis cautè ambulent, ne ſi nimis properent, ſe ipſos involvant.

97 QUÆRO quartò, numquid in notorio requiratur probatio.

98 Pro ſolutione diſtingue ſecundùm Anton. de Butr. hìc *n.* 42. & Abb. *n.* 19. Aut quæritur de notorio facti permanentis, & nulla probatio requiritur, *ut in c. Tua, inf. eod. & in*
99 *c. Evidentia, de accuſat.* Aut de notorio juris, & neceſſaria eſt probatio, ut ſi reus negaret ſententiam contra ſe latam; nam deberet concludenter probari, *ut in c. Sicut, de re judic.* Et idem dicendum de notorio præſumptionis, *ut in c. Per tuas, de probat.* Sed circa hoc membrum vide quod dixi
100 ſup. *n.*87. Aut quæritur de notorio facti interpolati; & requiritur probatio, licèt non multum plena, *ut c. Cùm Diœceſi, de uſur.* & gl. 1. *in c. Manifeſta, 2. q. 1.* dicit in notorio
101 facti interpolati requiri ſemiplenam probationem. Aut quæritur de notorio facti tranſeuntis, & in hoc DD. non conveniunt: nam Innocentius variè locutus fuit, ut hìc plenè per Butr. *n.*42. Sed *in c. Tua inf. eod.* videtur tenuiſſe in hujuſmodi notorio neceſſariam eſſe probationem. Ait enim teſtes debere duo concludere, videlicet ſe vidiſſe id, de quo teſtificantur fieri, & tot alios fuiſſe præſentes, ut crimen factum fuerit notorium; aliàs non probaretur crimen eſſe notorium, & ideò non deberet reus ad ipſorum dicta condemnari: quod ſi fieret, ſententia eſſet nulla, quia lis non eſſet conteſtata, *ut l. Prolat. C. de ſent. & ſup. ut lit. non conſtet. in rubro, & nigro.* Sed contrariam opinionem, ideſt, in hoc notorio facti nullam requiri probationem, tenet Vincentius *in c. Conſul. il 1. ſup. de appellat.* relatus hìc à Calder. *n.* 48. & hanc dicit eſſe communem Alter. *in l. Ea quidem n.*18. *C. de accuſ.* & ideò ut dicit Angelus *in l. Ictus fuſtium, n.4. ff. de his qui notantur infam.* hodie mos inolevit, ut Rectores immediatè abſque aliquo proceſſu faciant decapitari, & ſuſpendi de facto malefactores notorios, eiſque membra mutilari, quibus, ut ipſe ait ita pœnas imponi ſubitò expedit Reipublicę, ut refert Jul. Clar. *d. q.9. ver. Item quær.* Pro concord. Spec. *t. de notor. crim. §. Jam de notor. n.*17. *ver. Utraque tamen opinio*, dicit opinionem Innoc. eſſe veram, quando judex procedit ad petitionem alicujus; contrariam verò Vincentii, quando ex officio inquirit. Tu verò ſequere indiſtinctè primam opinionem Innoc. quę efficaciter probatur *in c. Cum dilect. ver. Dicitur. enim, de purgat. can.* & eam tenet & pluribus confirmat Cald. hìc *n.*48.

dicens ſatis eſſe probare qualitatem iſtam, ſcilicet quod eſt notorium, vel major pars populi pro certo aſſerit id publicè factum fuiſſe, vel eſſe, & quòd inficiationi locus non fuit, nec eſt, nec ab aliquo contrarium aſſeritur. Idem tenet *n.*19. ubi ait, in notorio facti tranſeuntis requiri plenam probationem & eſſe valdè utile, ut judex à principio declaret factum eſſe notorium: allegat textum cum gloſſa *in ver. Declarato, Clem. in Paſtoralis, de re judicat.* Idem voluit Salyc. *in l. Ea quidem, col. 2. verſ. 2. juxta hoc, C. de accuſat.* ubi conludit probandum eſſe crimen, de quo agitur, notoriè commiſſum fuiſſe. Et in hoc nemo contradixit, ut inquit Julius Clarus *d. q.9. verſ. Item quæro*, ſubdens opinionem Alberici eſſe valdè periculoſam. Debet igitur Judex ſuper tali notorio informationes aſſumere. Et hæc eſt communis opinio, ut atteſtatur Afflictus *ſuper 2. par. Conſtit. Regni, rubrica* 10. *poſt n.*30. Nec ſufficerent informationes ab ipſo judice extrajudicialiter aſſumptæ, ſed debet conſtare judici ut judici, ex actis, ſecundum communem opinionem, ut dicunt Practica Corradi *fol.*240. *in fin. & fol.*241. *n.* 14. & Jul. Clar. *loc. cit.* Et ideò rectè Salycet. *in d. l. ea quidem, n.91. verſ. Caveant tamen, C. de accuſ.* dicit: Caveat judex, ne aſſerat delictum notorium, cùm non ſit; multa enim dicuntur notoria, quæ non ſunt: & propterea conſulit judici, ut majorem partem viciniæ examinet ſuper delicto commiſſo, ne poſteà tempore depoſiti officii puniatur, ſi de notorio non doceat. Et hìc junge quæ dixi ſupra *n.*95. *verſ. Quidquid tamen ſit.*

QUÆRO quinto, quot teſtes requirantur ad probandum notorium. 102

Breviter dicendum, ſufficere duos, vel tres teſtes idoneos ſicut ſufficiunt ad probandam famam, *ut c. Tam literis, ſupra de teſtib. c. Inquiſitionis, & c. Teſtamentum, de accuſat. l. Bonorum, C. de bonorum poſeſſ. l. Quæſtionem, C. de fideicomm.* & tenet gl. *in c. Deus omnipotens, §. Quando autem in ver. Judicis*, 2. *q.* 1. & ita ſe habet communis opinio, ut atteſtatur Butr. hìc *n.*48 & Salyc. *in d. l. Ea quidem, n.* 82. *C. de accuſat.* ut in ore duorum vel trium ſtet omne verbum. Imò in hoc concordant omnes, ut dicit Calder. hìc *n.* 50. Nec obſtat *c. Inquiſitionis, de accuſat.* quia non dicit duos non probare infamiam, ſed non infamare.

QUÆRO ſexto, an à ſententia ſuper notorio lata, detur appellatio. 103

In hoc articulo variè locuti ſunt DD. Jura tamen dicunt; 104
Notorius criminoſus non auditur appellans, *c. Cum ſit Romana, §. Præterea, in fin. & c. Pervenit*, ibi, *Si vero publicus eſt & notorius, appellat. obtentu non prætermittas, quin eos excommunicatos denunties, ſupra de appellat. c. Conſuluit, il 1.* ibi, *Quod ſi aliqui, quos manifeſtum ſit, & notorium uxorem alterius detinere, aut injeciſſe manus violentas in Clericum, appellaverint, eorum appellationi non eſt aliquatenus deferendum, c. Propoſuit, in fin. & c. Cùm ſpeciali, §. Porrò*, ibi, *Commonito ad appellationis obſtaculum convolante, ſi ejus exceſſus evidentia rei, vel ipſius confeſſione, aut alio* 105
modo legitimo fuerit manifeſtus (cùm appellationis remedium non ſit ad defenſionem iniquitatis, ſed ad præſidium innocentiæ inſtitutum) non eſt provocationi hujuſmodi deferendum, eod. t. & c. Romana, §. Si autem, de appellat. l.6. & ita dicit communiter teneri Jo. de Anan. *in c. Quam pernicioſum, poſt n. 1. de uſur.* & Butr. hìc *n.* 45. Sed Calder. *nu.*51. *verſ. Breviter puto*, diſtinguit, an judex proceſſerit contra abſentem non citatum, aut ipſo citato, probationibus receptis, vel non receptis. Tu autem recurre ad Anton. de Butr. *in c. Paſtoralis, de appell.* ubi hunc articulum pleniſſimè examinat, & adde Salyc. *in d. l. Ea quidem, n.88. & ſeqq. de accuſat.*

Septimò, & ultimo, cum in Brevibus S. Penitentiariæ 106
Apoſtolicæ pro diſpenſationis matrimonialibus in gradibus proibitis, & ſuper irregularitate apponatur clauſula, (Dummodò impedimentum inde proveniens ſit ocucltum:) vel, (Dummodò præmiſſa occulta ſit.) Item cùm in decreto Conc. Trid. *ſeſſ* 24. *c.*6 detur facultas Epiſcopis diſpenſandi in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum: necnon abſolvendi in foro conſcientiæ pœnitentes in quibuſcumque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis.

QUÆRO, quando impedimentum, vel crimen dicatur occultum ad hoc, ut Confeſſoribus in vim dictorum

Brevium, & Epiſcopis in vim Concilii liceat diſpenſare, & abſolvere?

Aliqui ex modernis involvunt materiam, & confundunt terminos, non diſtinguentes inter occultum, & penè occultum, famoſum, manifeſtum & notorium. Sed pro clariori ſolutione, tu dicas in hoc articulo reperiri in univerſum quatuor opiniones.

107 Prima opinio eſt aliquorum exiſtimantium occultum accipi, prout diſtinguitur contra notorium; inter quos Majol. *de Irregul. c.51. n. 4.* Vivald. *in Candelabro Sacramentorum in 2. p. ubi de irreg. n.315.* Sayr. *in Theſauro Caſuum Conſcientiæ, tom.1. l.4. c.17. n.21. & lib.7. c.13. n. 12.*

108 & Emanuel Sà *in Gemma in ver. Epiſcop. n.* 33. Pro quibus facere videtur, quia omne quod non eſt publicum, poteſt dici occultum, & publicum definitur eſſe, quod patet omnibus, ſecundùm Bartol. *in l.1. §. Conſequens, n.1. ff. de ſuſpect. tut.* & ita oportet eſſe notorium, ut conſtat ex dictis ſupra *n.77.* Item pro his allegari poteſt Abbas *in c. fin. n.3. ſupra de tem por. ordin.* ubi ex eo textu elicit regulam, ut omne delictum quantumcumque grave, excepto homicidio, intelligatur occultum, prout diſtinguitur contra notorium probabile tamen, ad effectum ut poſt peractam pœnitentiam non impediat ad Ordines aſcendere, & in ſuſceptis miniſtrare: *& in c. Quæſitum, n.4. de pœnit. & remiſſ.* ubi ſimiliter ex illo textu colligit occultum dici quod eſt aliquibus notum; & capit occultum pro ſpecie diſtincto à notorio, & loquitur ad effectum, ut Sacerdotibus Græcis, ex quorum incuria parvuli in cunis ſuffocati reperiuntur, non imponatur pœnitentia publica, ſi id occultum ſit.

109 Verùm hæc prima opinio eſt apertè falſa, quia ſi occultum acciperetur, prout diſtinguitur contra notorium, omne famoſum, vel manifeſtum diceretur occultum; nam

110 omne famoſum, & manifeſtum diſtinguitur contra notorium, ut probatur *in c. De hoc, infra de ſimon.* & hic notant Calder. *n.* 36. & Card. *n.19.* & conſtat ex dictis ſuprà *n.54. & 55.* Unde ſecundùm hanc opinionem Pœnitentiariæ, & Epiſcopis liceret diſpenſare in omnibus impedimentis, & irregularitatibus non habentibus operis evidentiam, utcumque aliàs eſſent famoſa, & manifeſta; quod abſurdum eſt affirmare, tum propter ſcandalum publicum, ut notat gloſſ. *in c.2. in ver. Non valebit, de Apoſtat.* tum quia pro

111 crimine famoſo, & non notorio Sacerdotibus inducitur canonica purgatio, & ſi in purgatione defecerint, ſunt deponendi, ut ſunt jura clara *in d. c. De hoc, de ſimon. in c. Presbyter ſi a plebe, & in c. Omnibus, 2. q.5. & in c. Cùm dilectis, de purgat. canon.* cum multis concordantibus; quia abſonum videtur, ut hæc vox, occultum, exponatur idest famoſum, & manifeſtum; nam etſi quandoque occultum accipiatur pro penè occulto, vel probabili, ſecundum ea, quæ dicta ſunt ſupra *n.* 48. nullibi tamen in jure cautum reperitur, ut famoſum, & manifeſtum dicatur occultum, & quod Sanctorum Patrum documento ſancitum non eſt, &c. *c. Conſul. 2. q.5. c. Inter corpor. de Tranſlat.* Nec Abb.

112 in locis ſupracitatis ſtatuit hunc ſenſum: quamvis enim dixerit occultum accipi, prout diſtinguitur contra notorium, tamen pro occulto non intellexit famoſum, vel manifeſtum, ſed probabile tantum, quod idem eſt, ac penè occultum, ut illius verba demonſtrant *in d. c. fin. n.3.* ibi, *Probabilem tamen.* Quod etiam convincitur ex eo, quia ibi loquitur ad effectum, ut criminoſus occultus poſſit promoveri. At certum eſt infamatum promoveri non poſſe, niſi ſe purgaverit, *ut in d. c. De hoc ſim.* cum aliis ſupracitatis. Ergo Abb. non potuit accipere occultum pro famoſo, vel manifeſto, ſed pro penè occulto, & probabili, & ſic potuiſſet potius allegari pro tertia opinione, de qua infrà *n.111.*

113 Secunda opinio eſt eorum, qui putant occultum accipi prout contradiſtinguitur à publico; & intelligunt eſſe pu-

114 blicum quod eſt notum in civitate, vel Parochia, ſeu vicinia aut majori parte ipſius, dummodo ibi decem ſaltem perſonæ inveniantur. Et in hac ſententia fuerunt in terminis litterarum S. Pœnitentiariæ Navar. *in Manual. c.27. n.* 254. *verſ. Undecimò, & n.25*[illegible] ubi ait occultum eſſe quod non eſt publicum, publicum autem quod non eſt notorium, manifeſtum, vel famoſum: & infra *ver. Tunc autem dicitur*, affirmat ad hoc non requiri, ut ſit notum Provinciæ, civitati, vel parochiæ, ſed ſufficere, ut ſit notum majori parti ipſius, modo ibi ſint ſaltem decem homines, & eum ſequitur Thom. Sanch. *de matr. l.8. diſp.34. n. 55. & l.2. diſp.37. n.* 11. & in terminis C. Trid. firmant idem Navar. *ibid.* Suar. *de cenſuris diſput.41. ſect.* 3. *nu.6.* Azor. *Inſtit. Moral. l.8. tit.1. cap.10. q.9.* Henric. *in Summ. l.14. de irregular. c.* 20. *n.4.* Manuel. *in Bulla Cruciatæ, § 9 n.129. in fin. & in Sum. tom.1. cap.166. num.3.* Ludovic Lop. 2. *par. Inſtructori de Clavibus, cap.8. de Bulla fol.825. col.* 1. §. *Igitur antiquam Bullam*, quos refert, & ſequitur Sanch. *loc. cit.* Tolet. *in Summa lib.1. c.89. n.5.* Molin. *de Juſt. & jur. tract.* 3. *diſp. 79. n 8. verſ. Secundo* & alii apud Modernos *in tractat. de offic. & poteſt. Epiſcopi, p.2. alleg.39. n.21. & 24. verſ. Quare textum illum.* Moventur, qui ratio, cur detur facultas diſpenſandi in occultis, & in aliis denegetur, eſt ut obvietur ſcandalo publico juxta cap. *Nihil de præſcript.* cui ſatis obviatur non diſpenſando in notoriis manifeſtis, ſecundùm Navar. & alios preallegatos.

Sed tu adverte, quia hæc ſententia in effectu accipit oc- 115
cultum, prout diſtinguitur à manifeſto, vel famoſo; nam, ut ſuprà diximus *n.54. & 55.* ad manifeſtum inducendum duo copulativè requiruntur, alterum ut ſit notum toti viciniæ, vel majori parti ipſius; alterum ut non ſint ibi pauciores, quàm decem homines; quæ duo etiam requiruntur ad in- 116
ducendum notorium, ſecundùm Abbatem hìc *n.* 16. & dictum eſt ſuprà *n.88. & 89.* Unde ſecundùm iſtam opinionem ſi in Parochia eſſent v. g. mille Parochiani, & factum eſſet notum quadringentis, vel quingentis, non eſſet manifeſtum vel famoſum, quia non eſſet notum majori parti Parochiæ, prout neceſſariò exigitur ad conſtituendum manifeſtum, vel famoſum, ut dictum eſt. In Parochia enim, ubi ſunt mille Parochiani, quadringenti, vel quingenti non conſtituunt majorem partem, ſed dimidiam, vel infra, ut palam eſt; & conſequenter caſus diceretur occcultus, cum ſecundùm opinionem hanc dicatur occultum omne quod non manifeſtum vel famoſum; & major Pœnitentiarius ex ſuis facultatibus, & Epiſcopi ex C. poſſent ſuper eo diſpenſare; quod tamen nemo ſani capitis auderet aſſerere. Nec puto præallegatos Authores habuiſſe hunc ſenſum, tum quia fundantur in ratione ſcandali; & negari non poteſt, quin tot hominum clamor ſufficiat ad ſcandalum ſuſcitandum, ut ex Jo. Vincentio, & Archidiacono dictum eſt ſupra *n.60.* nam delicti manifeſtatio diſpenſationem prohibet propter ſcandalum, ut inquit gloſ. *in c. 2. in ver. Non valebit* & ibi Hoſt. *n.5. in eod. ver. infr. de Apoſtat.* tum quia præcitati Authores ponderant ad excludendum occultum ſufficere, ut factum ſit probabile per aliquot teſtes, ſecundum ea, quæ de penè occulto dicta ſunt ſup. *n.* 48. *& ſeq.* Unde hæc opinio dum dicit occultum eſſe omne, quod non eſt notum toti vi- 117
ciniæ, vel majori parti ipſius, videtur temperanda, dummodò perſonæ, quibus factum eſt notum, ſint infra decem; nam ſi eſſent decem vel plures, factum nullatenus poſſet dicit occultum, cum decem homines faciant plebem, ſeu populum, & ſufficiant ad infamãdum Presbyterum, ita ut ei ſit purgatio indicenda, *ut c. Unio, cum ſua gl. in ver. Manc. p.10. q.3.* juncto *c. Presb. ſi à plebe, & c. Omn. 2. q.5.* & fuſius dictum eſt *ſup. n.58. & 59* Item decem homines faciunt Parochiam & teſtimonium unius Parochiæ facit crimen notorium ut ex Spec. & aliis ſimiliter dictum eſt ſup. *n.89. & 90.*

Tertia opinio eſt illorum, qui accipiunt occultum pro penè occulto, probabili, ad differentiam illius occulti, quod 118
probari non poteſt, vel ex ſui natura, vel ex accidenti, ſecundùm ea, quæ tradit Navar. *d. c.27. n.255. verſ. Occultum item triplex*, & conſtat ex dictis ſup. *n.45. & ſeqq.* Quare ſecundùm hoc dicitur impedimentum, vel crimen occultum, licèt aliquibus ſit notum, puta quatuor, vel quinque, juxta §. *Hæc ergo ſecret. de pœnit. diſt.1. ſupra cit. n.49.* cum ſua gloſ. *in ver. Secreta.* Et hanc tertiam opinionem ſervat S. Pœnitentiaria, & videtur ex mente Navar. & aliorum, quos ſupra retulimus pro ſecunda opinione, eique in terminis Bullarum ipſius Pœnitentiariæ videtur adhærere Nicolaus Garz. plurimos citans *de benef. par.* 2. *cap.* 11. *num.45.* & videtur probari poſſe, tum quia cùm factum paucis eſt notum, non militat ratio ſcandali, propter quàm denegatur diſpenſandi facultas, ut dicunt gloſ. & Hoſt *in d. cap.2. de Apoſtat.* tum quia non eſt de occulti eſſentia, ut ſuaptè natura vel ex accidenti non ſit probabile, quia hoc eſſet 119
contra *d. §. Hac ergo ſecreta, de pœnit. diſt.1.* cum ſua gloſ. *in ver. Secreta*, quatenus probat dici occultum, quod factum eſt in præſentia quinque, & contra *d. c. 2. de Apoſt.* quatenus probat miniſterium Acolythi juvantis Presbyterum rebaptizantem poſſe occultum eſſe, ſecundùm Navar. *loco citato*; & tamen ibi præter Acolythum adfuerunt

fal-

ſaltem duo, ſcilicet rebaptizans, & rebaptizatus, licèt ille
textus parùm faciat, quia cùm illi duo eſſent ſocii criminis,
per eorum confeſſionem crimen Acolyti probari non po-
terat, *c. 1. de Confeſſ. c. Veniens, de Teſtib. l. Quoniam*, &
ibi Bald. *num. 1. C. eodem*; tum quia ſecundùm Navar. ubi
ſuprà, penè occultum videtur eſſe ſpecies occulti, quod vi-
detur probari in hoc cap. dum dicit occultum, quod ab Ec-
cleſia toleratur, *& gloſ. unica, in c. Manifeſta, 2. q. 1* Simi-
liter ait quandoque occultum dici, quod poteſt probari, &
quod quinque ſciunt: tum quia nulla irregularitas contra-
hitur ſine facto ſua natura probabili, & paucæ ſunt, quarum
120 factum aliquo modo probari non poſſit. Quod autem ſpe-
ctat ad Concilium Tridentinum *d. c. 6. ſeſſ. 24.* hæc opinio
videtur probari poſſe, quia ſancta Synodus à regula diſpen-
ſandi in occultis excipit duos tantùm caſus, videlicet homi-
cidium voluntarium, & deducta ad forum contentioſum:
ergo in aliis occultis, quæ probari poſſunt firmat regulam
in contrarium, *ad l. Nam quod liquidè, §. fin. ff. de penult.
legata, cum ſimil.*

Porrò in duobus caſibus manifeſtum eſt hunc ſacræ Pœ-
nitentiariæ ſtylum ſervari non poſſe. Primus eſt in diſpen-
ſationibus, quæ conceduntur omnibus, qui per adulterium
ſe carnaliter cognoverunt, & ut matrimonium inter ſe
contrahere poſſent, ni mariti oratricis mortem cùm effectu
machinati fuerint: opponitur enim in litteris clauſula in-
fraſcripta, videlicet; Dummodò omninò occultum ſit, quod
uterque oratorum in mortem d. mariti machinatus ſit, &
planè ignoretur, quòd illius mors inde ſecuta ſit. atque ita
cum Sac. Pœnitentiaria hoc caſu non utatur termimo oc-
culti ſimpliciter, ſed omninò occulti, & cum geminatione
illorum verborum, & planè ignoretur, ſuccedit doctrina
Hoſt. hìc *n. 14.* & Jo. Andr. *n. 12.* dicentium occultum om-
ninò eſſe, quod nulla ratione probari poteſt Secundus caſus
eſt in abſolutione ab hæreſi; nam in Bulla Urbani VIII. *Re-
gimini Univerſalis Eccleſiæ*, edita die 28. Septemb. 1634.
cautum eſt, ut infrà, videlicet, Et circa abſolutionem ab hæ-
reſi nihil aliud volumus eſſe permiſſum majori Pœniten-
tiario, quàm quod à ſan. mem. Pio Papa V. fuit ſibi conceſ-
ſum per ejus vivæ vocis oraculum, tenoris, &c. Ut hæreti-
ci, qui cum nemine de ſuis hæreſibus loquuti ſunt, neque
aliquem actum anteriorem fecerunt, unde argui poſſint
hæretici, quorum denique hæreſes nulli prorſus, niſi ſibi
ipſis notæ ſunt, eiſque omninò occultæ ſunt, ſi petant ab-
ſolvi, in foro conſcientiæ tantum poſſint eos abſolvere abſ-
que alia abjuratione cor. Ordinario, & Inquiſitore facien-
da: idem etſi feciſſent aliquos actus, ex quibus argui poſſint
hæretici, ſi tamen hujuſmodi actus adhuc remanent occul-
ti, quia nullus, quantum ipſi ſciant, advertit, licèt ſui na-
tura ſint noſcibiles, ſeu ad notitiam deducibiles, &c.

121 Quarta & ultima opinio eſt aliorum, qui accipiunt oc-
cultum, prout contradiſtinguitur à penè occulto, & ex ſui
natura, vel ex accidenti probari non poteſt; unde ſi impedi-
mentum, vel crimen ſit notum duobus, vel tribus teſtibus,
non erit occultum, nec licebit majori Pœnitentiario, vel
Epiſcopis ſuper eo diſpenſare. Et nititur hæc opinio vali-
diſſimo fundamento; quia etſi occulti vocabulum variis
modis accipiatur, & quandoque idem oportet quod penè
occultum, & probabile; quandoque verò occultum dica-
tur omne id, quod non eſt publicum, aut famoſum, mani-
feſtum, vel notorium, ut ex dictis conſtat, & plenè notatur
per Albert. *in Dictionario, in ver. Occultum*; tamen ex pro-
prietate vocabuli occultum dicitur illud tantùm, quod nul-
la ratione probari poteſt, ſive id proveniat ex ſui natura, ut
in mentalibus, *c. Erubeſcant, 32. diſt. c. Tua nos de Simo-
nia*, ſive ex accidenti, puta ſi homicidium fuerit veneno
perpetratum, aut parvuli in lecto ſuffocati nemine præſen-
te, *ut c. Conſuluiſti, 2. q. 5. c. Unico, Ut Eccleſiaſtica benefi-
cia.* Aliæ verò acceptiones omnes occulti ſunt impropiæ
& abuſive, ut declarant Card. hìc *n. 18.* & Canoniſtæ omnes
ſupracitati *n. 45. & 50.* & propterea quod per teſtes probari
poteſt, ſed difficulter, non dicitur occultum ſimpliciter, ſed
penè occultum, ut hìc notant Hoſtien. *n. 15.* Jo. Andr. *n. 12.*
Cald. *n. 35.* Henric. Boich. *n. 5.* Butr. *n. 30. poſt princ.* Card.
n. 18. Anchar. *n. 14.* Abb. *n. 11.* & Jo. Capiſtrano *n. 40.* &
illa dictio *plenè*, diminuit ſecundùm Abb. *d. n. 11.* & dictum
122 eſt ſuprà *n. 50.* & ſic penè occultum, & probabile non eſt
ſimpliciter occultum, quia nihil eſt propriè tale, quod non
eſt ſimpliciter tale, *l. Hoc legat. in fin. ff. de legat. 3.* & per
illum textum dixit Bald. *in l. De quibus n... ff. de legib.* cujus
dictum refert Paulus de Caſtro *conſ. 292. Videtur dicendum,
n. 1. l. 1.* Et verba ſecundum propriam ſignificationem ſunt 123
accipienda, *l. Non aliter, ff. de legat. 3. c. Audient. de de-
cimis cum ſimilibus*, ut per Gemin. *conſ. 76. Licet copioſè, n. 1.*
& propria verbi ſignificatio eſt, quæ ſtricta eſt, non larga, *l.
Labeo, ff. de verb. ſign. l. Plautius, ff. de aur & argen. l. c Ora-
torium, & c. ſeq 42. diſt.* Calder. *conſ. 7. Propria verbi ſigni-
ficatio, de verb ſignif.* Et ex his patet reſolutio ad objecta, de 124
quibus ſupra *n. 118. & 119.* Nec quidquam facit ponderatio
Authorum contrariæ ſententiæ, de qua ſuprà *n. 120.* quòd
Concilium excipiendo à regula homicidium voluntarium,
& crimina ad forum contentioſum deducta, firmet regulam
in contrarium in alliis occultis, quæ probari poſſunt. Ete-
nim hæc ratiocinatio non procedit, quia regula Concilii
non eſt in occultis, quæ probari poſſunt, ſed in occultis ſim-
pliciter: unde in his occultis ſimpliciter per exceptionem
firmatur regula in oppoſitum, & in non occultis, quæ pro-
bari poſſunt, & quæ non dicuntur occulta ut ſæpiùs repeti-
tum eſt. Nec dicatur, Exceptio Concilii, niſi ſint deducta
ad forum contentioſum, loquitur de occultis, quæ probari
poſſunt: ergo & regula, quia exceptio declarat regulam de
materia exceptionis eſſe intelligendam, ut notat Bald. *conſ.
401. Super facto, n. 2. verſ. Secundò quæritur, l. 5.* Nam reſ-
pondetur, imò illam exceptionem generaliter loqui etiam
de occultis, quæ probari nequeunt; poteſt enim contingere
ut delictum ſit ſimpliciter occultum, & improbabile, veluti
ſi unus tantùm teſtis adfuerit, & tamen poteſt eſſe dedu-
ctum ad forum contentioſum, puta ſi is, qui interfecit, vel
alius qui ab eo audivit, homcidam accuſaverit. Unde hoc
caſu delictum erat ocultum, & poterat ſuper ea Penitentia-
ria, & Epiſcopus diſpenſare: ſecus verò poſteaquàm in ju-
dicio fuit deductum. Nec obſtat text. *in c. ult. in fin. 15 q. 5.*
ibi, *Ante probationem accuſationis illatæ neminem à com-
munione ſuſpendas, quia non ſtatim, qui accuſatur, reus, eſt,* 125
ſed qui convincitur criminoſus. Nam reſpondetur hoc pro-
cedere ad effectum puniendi, non autem ad effectum impe-
diendi diſpenſationem, de qua Concilium loquitur, quia ad
hoc ſola accuſatio, vel inquiſitio ſufficit ſine alia probatio- 126
ne, ut ex ſententia Sac. Congr. Conc dicam *n. ſeq.* Unde
hanc ultimam opinionem in terminis Conc. Trid.ample-
ctuntur Gutier. *Quæſt. Canonicar. lib. 1. c. 13. n. 27.* Angles
Flores *par. 1. ubi de Confeſſ. q. 4. art. 5. diſt. 6.* Manuel. *in ad-
dit. ad Bullam Cruciatæ, §. 9. nu. 69.* Jacob. de Graff. *tom 2.
conſ. ſub tit. de homicid. conſ. 2. n. 2. & in deciſ. aur. l. 1. c. 13.
n. 45.* Nic. l. Garz *de benef. par. 7. c. 11. n. 46.* Armendor. *in
Addit. ad Recopilationem l. Navar. lib. 1. tit. 18. l. 3. de ir-
reg. in declar. n. 23.* & ſaltem quod ſpectat *ad d. c. 6. ſeſſ. 24.*
Ab hac ſententia nullatenus eſt recedendum, tum quia vali-
dioribus rationibus eſt fulcita, tum quia eam ſæpiùs proba-
vit S. Cong. ejuſdem Conc. interpres, cujus declarationes
non ſunt ſimpliciter doctrinales, ſeu probabiles, ſed neceſ-
ſariæ, & habentes legis authoritatem, ut latiſſimè probavi
in c. Quoniam, ſupr. de Con. Nam cum fuerit quæſitum, an 127
delictum coram uno, aut duobus teſtibus dicatur occultum
adeòut Epiſcopus cùm delinquente poſſit diſpenſare in fo-
ro conſcientiæ, juxta *d. c. 6.* S. Congr. primum cenſuit
hoc pendere ex diſpoſitione juris communis. Sed poſteà
cùm dubitatum fuerit, an abſolutus & diſpenſatus à proprio
Epiſcopo in materia delicti perpetrati coram duobus, vel
tribus teſtibus, quod tamen non fuit notorium, eſſet tutus
in conſcientia: Reſpondit non eſſe tutum, quia Concilium
utitur termino occulti, quod propriè loquendo eſt illud,
quod probari non poteſt, Abb. *in c. Veſtra, de Cohab. Cler.
& Mulier.* At per duos probari non poteſt, & verba Con-
cilii debent accipi ſecundum proprietatem. Hactenus ver- 128
ba deciſionis. Et aliàs cenſuit, quod non eſt notorium, poſ-
ſe dici occultum, ſecundùm quod opponitur notorio, non
tamen *c. 6. ſeſſ. 24.* eſt reſtringendum ad hanc acceptionem
Et iterum cùm Epiſcopus Civitatis Caſtelli petiiſſet decla- 129
rari, an ex *c. 6. ſeſſ. 24.* poſſet abſolvere in foro conſcientiæ
delinquentes in Bullam Pii V. contra bannitos, & Gregor.
XIII. contra extrahentes frumenta: S. Congr. cenſuit refe-
rendum Sanctiſſimo, qui dixit vix poſse conſiderari caſum
occultum in iſta materia, ideò ſcribendum Epiſcopo, ut
iſtos caſus remittat ad Sedem Apoſtolicam.

Verumtamen ſi delictum aliàs occultum deductum qui- 130
dem ſit ad forum contentioſum, non tamen probatum,
ſed reus abſolutus, poteſt Epiſcopus diſpenſare, quia adhuc
manet occultum, cùm non fuerit deductum cum effectu, ex

quo non fuit probatum. Et ita graviſſimi Doctores Sal-
manticæ renuerunt (licet alii contra ut) per Jacobum Graf-
fium *in deciſ. aur. l.1. d. cap.13.* & alios plures apud Nicol.
Garz. *de beneſ. par.7. d. cap. 11. num.48. & ſeqq.* Et eſt ex
mente Sacræ Congregationis Concilii, ut patebit *infra n.*
137. & ſatis placet, quia ſequuta abſolutione jam ceſſat ra-
tio ſcandali, propter quam prohibita eſt diſpenſatio, juxta
gloſ. *in d. c. 2. in ver. Non valebit, & infrà de Apoſtat.* &
conſequenter ceſſare debet ipſa prohibito, *cap. Et ſi Chri-
ſtus, §. Quædam*, cum gloſ. *in ver. Ceſſante cauſa, ſupra de
jurejur.* Quod ſine difficultate procedit, ſi inquiſitus fuerit
abſolutus diffinitivè tamquam repertus innocens, & non
131 culpabilis, quod fieri ſolet, quando teſtes fuerunt convicti
aut condemnati de falſo ut ſervatur in Tribunali Sanctiſſi-
mæ Generalis Inquiſitionis, vel quando aliàs conſtat de-
lictum non fuiſſe commiſſum, puta quia vivit ille, de cujus
132 homicidio aliquis imputatur, vel quid ſimile. Nam verbum
Innocentiæ denotat omnimodam immunitatem, & caren-
tiam criminis, & doli, *l. Abſent. ff. de pœnis*, & notat Bald.
in l. Si quis adulteriis, n.3. ver. Secunda ſolutio, C. Ad legem
133 *Jul. de adulter* Sed quid ſi abſolutus fuerit à proceſſu ex ha-
ctenus deductis, vel ab obſervatione judicii, ſeu tamquam
non repertus culpabilis, nec de jure punibilis; vel ſtantibus
rebus prout ſtant, prout ſervari in Hiſpania atteſtatur
Covar. *var. reſol. l.1. c. 2. nu.8.* in Gallia Igneus *in repetit.
§. Non alias poſt num.* 180. & Rebuff. *in proœm. Conſtitut.
Franciæ, gl. 5. n.* 118. & Mediolani Jul. Clar. *in pract. cri-
min §. fin. quæſt.57. verſ. Sed hic quæro, & q.62. verſ. For-
ma autem.* Ex fieri ſolet, quando reus purgavit indicia per
torturam, tunc enim venit abſolvendus non diffinitivè, ſed
ab obſervatione judicii, ſecundum Bart. *in l. fin. §. Qui ſine,
n.1. verſ. certè hoc non debet fieri, ff. de quæſtionibus*, Petr.
de Bellapert. & Salyc *in l. ſi quis adulterii, C. de Adulter.*
Alex. *in l. Unius, §. Reus in ver. Nec confitetur, ff. de quæſt.*
Et ſervatur da conſuetudine, ut poſt alios atteſtatur Jul.
Clar. *§. fin. d. q.62. verſ. for. autem.* Pro negativa facit, quia
etſi reus fuit aliquo modo abſolutus, tamen cum id non
contigerit ex eo, quod vere delictum non commiſerit, ſed
quia illud probari non potuit, vel purgavit indicia per tor-
turam, negari non poteſt, quin ejus fama remaneat aliquo
modo gravata apud homines, ſicut dicitur de ceſſione bo-
norum, quæ licèt infamiam non eroget, ſigillat tamen ſta-
tum cadentis quantum ad infamiam facti, ut inquit Coll.
in c. Odoard. n.7. de ſolut. & ante eum Hoſt. *in c. Quidam,
n.6. v. Nam ſi ceſſio, de renunciat.* Sed tamen hoc caſu de-
lictum cenſeri occultum, & licere Epiſcopo diſpenſare, vi-
134 detur ſenſiſſe S. C. C. ut dicam *infr. n.* 137. & tenent com-
muniter moderni, qui ampliùs putant id habere locum, etſi
reus mediis depravatis, & falſis teſtibus ab obſervatione ju-
dicii abſolutus fuerit. Inter quos Avila *de Cenſur. 2. p. c.7.
diſp. 1. dub. 11. concl.3. ad. fin.* Sayr. *in Theſaur. caſ. conſc.
tom.1. lib.7. c.7 n.12* Suarez *de cenſur. diſp.4. ſect.3. n.6.* &
alii quos refert, & ſequitur Sanch. *de matrim. l. 2. diſp 34.
n.57. & 58. & ſuper Decalog. lib.2. c. 11. n.21. verſ. Quod ſi*
135 *de. inquens*, Campanil. *in diverſor. Jur. Canonici rubr.7. c.3.
n.8. & rubr.11. c.23. n.144.* qui ampliùs opinatur poſſe Epiſ-
copum elapſo anno diſpenſare, etiamſi judicium per ſen-
tentiam abſolutoriam non ſit finitum, ſi accuſator per an-
num tacuerit, ex notatis per gloſ. *in c. Tantis, in ver.
Obepſit 81. diſt.* & Majolus *de irregul. c.18. n.9.*

136 Sed quidquid ſit de his, illud certum eſt, ſi reus non fuerit
abſolutus, ſed relaxatus ſub fidejuſſione de repræſentando
tunc non licere Epiſcopis diſpenſare; nam etſi talis relaxa-
tio quodammodo habeat vim tacitæ abſolutionis ab obſer-
vatione judicii, & in ejus locum ſucceſſerit, ſecundùm pra-
cticam, quam ſervari teſtatur Boſſ. *in tit. de ſen. n.6.* & Jul.
Clar. *d. §. fin. q.46. verſ. Pariter etiam*; tamen negari non
poteſt, quin delictum ſit deductum ad forum contentio-
ſum, nec adhuc judicio finitum; unde intrat exceptio, de
137 qua *in d. c.6. ſeſſ.24.* Et hanc ſententiam aliàs probavit S. C.
ejuſdem Concilii interpres; nam propoſito dubio: An
illi, qui occaſione delictorum fuerunt inquiſiti, ſed quia
non potuerunt delicta probari non fuerunt quidem diffini-
tivè vel, alio modo abſoluti, ſed ſimpliciter dimiſſi, recepta
promiſſione de ſe repræſentando, poſſint uti beneficio *c. 6.
ſeſſ 24.* S. Congr. cenſuit non poſſe, quia ſcriptura eſt de-
ducta ad forum contentioſum, ſicque ſufficit ſola deductio
138 quidquid inde ſequatur. Rurſus certum eſt, delictum adhuc
manere occultum, ſi Clericus fuerit condemnatus à judice
ſæculari, licèt ex hujuſmodi ſententia ſuborta fuerit contra
eum fama perpetrati delicti, ex iis quæ leguntur & notan-
tur *in c. At ſi Clerici, de judiciis.* Et aliàs cenſuit eadem S. 139
Congreg. nam Presbyter Sarſinenſis in contumaciam à
judice laico condemnatus, uti particeps cujuſdam homici-
dii, cujus verè ipſe innocens erat, obtinuit à S. Congreg.
Concilii declarationem ex hac ſententia nullam ſe infamię
notam aut irregularitatem contraxiſſe. Sed quoniam Ordi-
narius ſub prætextu, quòd in ſua Diœceſi eſſet publica vox,
& fama ipſum fuiſſe complicem dicti delicti, illum non ad-
miſit ad celebranorum: petiit declarari ſe non eſſe irregula-
rem etiam ex prætenſa fama, que ſi modò extat, certè duxit
originem, vel à dicta ſenſentia, vel a fratribus eorum, qui
ob dictum homicidium fuere ad triremes tranſmiſſi. Die
25. Maji 1613. S Conreg. cenſuit oratorem nullam hac de
cauſa irregularitatem contraxiſſe; ideòque ſignificandum
Epiſcopo, ut illum, niſi aliud obſtiterit, ad miniſtrandum
admittat in ſuſceptis Ordinibus.

Non tamen admittimus quod ait Sanch. *ſuper Decalogo* 140
c.11. n.21. ver. Sed quid ſi delictum; videlicet licere Epi-
copo diſpenſare, etiamſi delictum ſit deductum ad forum
contentioſum, & jam judicio finito punitum; hoc enim re-
probant Gutierez *Canonicarum qq. lib.1. c.3. ad fin.* Suarez
de cenſur. diſp.41. ſect.22. n.5. ad fin. & alii apud Modernos
de offic. & poteſt. Epiſcop. alleg.39. n.35. Et quidem jure op-
timo, tum quia per ſententiam condemnatoriam delictum
efficitur notorium, ut hic eſt textus, ibi: *Notorium, de quo
Presbyter Canonice condemnatur, & in c. fin. infra eod.* ibi:
*Niſi peccatum hujuſmodi ſit notorium per ſententiam, cum
concordantibus ſupra citat. n.73.* Ergo ridiculum eſt, ut poſt
ſententiam remaneat occultum, *c. De hoc, de Simon.* Tum
quia ſi in delictis deducti ad forum contentioſum, quando
adhuc incertum eſt, in inquiſitus ſit culpabilis necne, non
licet Epiſcopo diſpenſare: longe minus licebit, quando per
ſententiam condemnatoriam certum, & notorium eſt re-
um eſſe culpabilem: hoc enim caſu multò magis ex diſpen-
ſatione ſcandalum ſuſcitatur, juxta gloſs. ſepiùs allegatam
in c. 2. in ver. Non licebit, de Apoſtat.

Sed quid ſi crimen ſit notum complicibus tantùm, num- 141
quid adhuc dicatur occultum, adeò ut non liceat in vim
Concilii Tridentini, & litterarum Sac. Pœnitentiariæ diſ-
penſare? Videtur reſpondendum adhuc cenſeri occultum:
nam propriè occultum dicitur quod probari non poteſt, ut 142
plenè oſtenſum eſt *ſup. n.* 121. At per complices non poteſt
probari, quia regulariter ſocii criminis in criminalibus re-
cipi non poſsunt, nec eis receptis creditur, *l. Quoniam*, ibi,
Si ſocii, & particip. criminis non dicuntur, ubi Salycet. *n.3.*
C. de teſtib c. Perſonas, ibi, *Morbo conſimili laborantes, ſup.
de teſtib. & c. Veniens, il* 1. ibi, *Eo quod ille, qui eodem erat
infectus crimine, inde contra eum teſtificari non poſſet, nulli-
que de ſe confeſſo adverſus alium in eodem crimine ſit cre-
dendum, eod. c.1. de Confeſſis, ibid. de reatu proprio*: confi-
tentis periculoſa confeſſio non eſt adversùs quemlibet ad-
mittenda, & perjure generaliter firmarunt Speculator. *in
tit. de teſtib. §.1. n.37. verſ. Item quod eſt ſocius criminis*, Mar-
ſil. *in l. Si fortè. n.15. & 16. ff. ad l. Corn. de ſicar.* Bald. *conſ.*
95. *Regula l.1.* Boer. alios citans *diſt.319. in princ. verſ. Vel
e contra*, & alii paſſim. Quod locum habet, etiamſi ſocii cri- 14
minis ſint duo, vel plures contra eamdem perſonam depo-
nentes, quia nihilominùs non probant, Bald. *in d. l. Quo-
niam, n.2.* nam ut ipſe ait, ſi ex quatuor, qui in rixa interve-
nerunt; tres volunt deponere, quòd ille alter fuit culpabi-
lis, non creditur ipſis de ſe confeſſis in alium allegat text.
in l. fin. C. de accuſat. Anchar. *conſ.246. In cauſa agitata,*
Felin plura cumulans *in c. Teſtimonium, in 2. notab. de te-
ſtib.* Natta *conſ. 298. Viſo, & diligenter conſiderato, n.9. in
fin. verſ. Præterea, & nu. 10. vol.2.* reddens rationem, cur 14
ſocii criminis, etiamſi ſint numero plures, & conteſtes, ta-
men non probent, quia ubicumque teſtes laborant eo de-
fectu, qui non diminuat de ejus fide, ſed ex toto reddat
eum inhabilem, ut eſt hoc caſu, quia ſocius criminis inha-
bilitatur à jure ad teſtimonium perhibendum, ut in præci-
tatis juribus: tunc numerus non tollit inhabilitatem, 1
nec ſupplet prohibitionem; quia quod nihil eſt, ſupple-
mentum non recipit, *l. Sed ſi manente. ff. de Precar.* &
ex pluribus imperfectis in ſua ſpecie non poteſt unum per-
fectum reſultare, *l.1. Cod. Qui mun. tutel. ſe excuſ.* Gram-
mat *conſ.21. poſt num.10.* ubi poſt Andr. de Iſern. con- 1
cludit, plures ſint confitentes de nominato, horum tamen
de-

depoſitiones non valebunt tantùm, quantùm dictum unius teſtis, & idem repetit *in conſ. 61. poſt n. 1. & conſ. 35. poſt n. 25. & deciſ. 28. poſt n. 17.* Boſſ. *in tit. de inquiſit. n. 51.*

Quinimò hoc vendicat ſibi locum etiam in criminibus exceptis, puta hæreſis, læſæ majeſtatis, & conſimilibus. Nam etſi in his ſocii criminis admittantur in teſtes, *ut c. In fidei favorem, de hæret. lib. 6. & c. Nemini, 15. q. 3.* tamen ſic admiſſi probationem non faciunt, Hyppolitus de Marſil. *in pract. §. Diligenter, n. 68.* Boer. *diſt. 319. n 4. in fin.* Blanch. *de indit. ad l. fin. n. 384. pariter ad fin. ff. de q.* Cum itaque occultum propriè ſit, quod probari non poteſt, ut oſtenſum eſt *ſupr. n. 121.* & per ſocios criminis etiamſi multi ſint, delictum non poſſit probari; neceſſariò ſequitur, ut ſuper eo liceat diſpenſare tamquam in occulto, ſi ad forum contentioſum non ſit deductum, ut ex dictis conſtat, & in hanc ſententiam videtur reſpondiſſe S. Congr. Conc. *ut in dec.* Presbyteri Sarſinatenſis ſuperiùs relata *n. 139.*

Ad extremum pro complemento materiæ admonendi ſumus, ad hoc ut liceat Epiſcopo diſpenſare, non ſufficere, ut actus, ex quo incurritur irregularitas, ſit materialiter publicus; ſed oportere, ut ſit publicus formaliter in quantum eſt delictum id eſt, ut publicè ſciatur illum eſſe delictum, *arg. l. In delict. §. Si extraneus, ff. de Noxal. act.* & tenet Navar. *in Manual. c. 26. n. 255. in fin. v. Duodec. & n. 241. v. Circa hæc dico 1.* Sayr. *in Theſ. caſ. conſcien. tom. 1. l. 7. c. 13. n. 13.* & alii apud Sanch. *de matr. l. 8. diſp. 34. n. 56.*

Quo fit, ut ſi occultè excommunicatus publicè celebraverit, liceat Epiſcopo diſpenſare in vim *d. c. 6. ſeſſ. 24.* quia licèt actus celebrationis ſit publicus, non tamen publica eſt illius malitia, ut per Navar. *ubi ſuprà*, ubi refert ita diffinitum fuiſſe in Prætorio Sacræ Penitentiariæ. Licèt quod ſpectat *ad d. cap 6.* ſecus ſit in caſu converſo. Et ita alias declaravit S. Congregatio Conc. ut in ſubjecta declaratione, videlicet.

An vigore *c. 6. ſeſſ. 24 de reform.* poſſit Epiſcopus abſolvere ab irregularitate proveniente à delicto, quod licet publicum ſit in ſe, tamen tamquam cauſa irregularitatis occultum cenſeri poteſt; quia licèt actus publicus ſit delictum, publicè tamen neſcitur eſse delictum; die 9. Septembris 1582. *S. C.* cenſuit, quando delictum, ex quo provenit irregularitas, eſt publicum, quamvis actus ille, quo interveniente irregularitas incurritur, occultus ſit, Epiſcopum diſpenſare non poſse, veluti ſi Sacerdos publicè excommunicatur, vel notoriè ſimoniacus occultè Miſsam celebraverit: quòd ſi delictum occultum eſt, ut puta excommunicatio, vel fornicatio, actus verò Miſsam celebrandi, ex quo irregularitas incurritur, publicus, poſse nihilominus Epiſcopum ab omni irregularitate abſolvere, *ex d. c. 6.*

DE COHABITATIONE CLERICORUM, ET MULIERUM.

Gregorius IX.

CAPUT X.

QUæſitum eſt de Clericis in fornicationem prolapſis, ſi eorum ſit officium, priuſquam pœnituerint, audiendum. Verùm etſi quemlibet pro mortali peccato quoad ipſum conſtet eſſe ſuſpenſum, non debet tamen in officiis evitari, quia quantum ad alios etiam in caſu propoſito ſuſpenſus non eſt: niſi peccatum hujuſmodi ſit notorium per ſententiam, ſeu per confeſſionem factam in jure, aut per evidentiam rei quæ tergiverſatione aliqua celari non poſſit.

SUMMARIUM.

1 *CLericus concubinarius in officiis vitandus non eſt, niſi ſit notorius.*
2 *Clericus à jure ſuſpenſus propter notoriam fornicationem, illicò poſt pœnitentiam recuperat officii executionem quoad alios, & n. 17.*
3 *Clericus non tantùm pro fornicatione, ſed & pro quolibet peccato mortali eſt ſuſpenſus quoad ſe, & peccat graviſſimè miniſterium alicujus Ordinis exercendo, & n. 21.*
4 *Non tamen propterea efficitur irregularis, & n. 21.*
5 *Sacerdos notoriè crimino ſus non eſt ſuſpenſus quoad alios, nec eſt vitandus, niſi ſit præciſus notorius fornicator, vel ſimoniacus.*
6 *Et quid poſt extravagantem Martini V.* Ad evitanda, *& n. 26.*
7 *Notorius fornicator an celebrando efficiatur irregularis, & n. ſeqq. uſque in fin.*
8 *Suſpenſus ab homine ſi celebret, antequam ſententialiter abſolvatur, irregularis efficitur, & n. 20.*
9 *Concubinarius notorius eſt ipſo jure ſuſpenſus quoad ſe, & quoad alios, & quamvis pœniteat, non debet celebrare ante diſpenſationem, aliàs fit irregularis, & n. 12.*
Contrarium, n. 13.
Diſtinguitur, n. 21.
Concluditur, n. 22.
10 *Suſpenſio minor irregularitatem non inducit, & numer. 22.*
11 *Intellectus* cap. Prætor hoc diſt. 32. *& n. 19. & 24.*
13 *Notorius fornicator celebrando non fit irregularis, niſi monitus non deſiſtens ſit ſuſpenſus ab homine, & nu. ſeqq. uſque in fin.*
14 *Irregularitas non contrahitur, niſi ſit expreſſum in jure.*
15 *Suſpenſus à Canone propter crimen, celebrando non fit irregularis, niſi Canon hoc exprimat.*
16 *Suſpenſus à Canone tunc demum incurrit irregularitatem, quando per modum ſententiæ fit in Canone ſuſpenſio.*
17 *Concubinarius notorius non eſt ſuſpenſus ſimpliciter, ſed quamdiu non pœnituerit.*
18 *Suſpenſus uſque ad congruam ſatisfactionem, cui citò ſatisfacit, officium ſuum, & beneficium recuperat.*
22 *Suſpenſio quoad ſe non eſt cenſura, ſed eſt ſuſpenſio illata à Deo, quæ irregularitatem non inducit.*
23 Sicut, *dictio importat omnimodam ſimilitudinem in ſubſtantia, & qualitate, & modo ſimul.*
25 *Suſpenſio quoad alios eſt ſuſpenſio indirecta non inducens irregularitatem.*
26 *Et hodie etiam quoad notorios fornicatores ſublata eſt per extravagantem Martini V.* Ad evitanda.
27 *Quod caret eſſe, caret virtute & operatione.*
28 *Tridentinum Concilium cap. 14. ſeſſ. 25. de refom. circa concubinarios expenditur, & n. ſeq.*
Nihil ex veteri jure immutat, vel ex ſtatutis Eccleſiæ, ſed tantùm juri communi addit, n. 31.
29 *Concubinarii Clerici, & Epiſcopi ex Concilio Trid. quas pœnas incurrant.*
30 *Suſpenſus ab officio cenſetur etiam ſuſpenſus à Beneficio tribus concurrentibus.*

Q*Uæſitum.* Propter fornicationem non notoriam non reſpuuntur ab officio Clerici. Hoc dicit ſecundum 1
Abb. Antiq. Communiter tamen ſic ſummatur: Clericus concubinarius in officiis vitandus non eſt, niſi ſit notorius, Jo. Andr. Butr. Card. Anch. Abb. Siculus. Jo. de Anan & Jo. à Capiſtrano. Communis diviſio. Secunda, ibi, *Verùm.*

Nota primò, ibi, *Priuſquam pœnituerint*, à contrario ſenſu Clericum à Jure ſuſpenſum propter notoriam fornicationem, illico poſt pænitentiam recuperare officii execu- 2
tionem quoad alios, ita ut licitè poſſint ab eo audiri Divina, prout notant Petr. de Anchar. *in cap. Veſtra, num. 12.*

poſt med. verſ. Et ex iſta opinione infertur, *ſupra eod.* Abb. *hic in primo, notab.* & voluit Innoc. *in c. Sicut n. 2. verſ. Vel dic quod licet*, *ſupra eod.* ubi ait, pœnam juris ceſſare, ſi ceſſet à peccato, quantum ad hoc, ut alii poſſint audire ejus officia. Ad hoc bonus textus *in cap. Si quis ſunt Presbyteri* & ibi gloſſ. *in ver. Emendet*, 81. *diſt.* Licèt hæc ſuſpenſio à jure inducta quoad alios hodie ſit penitus ſublata, per ea, quæ dicam infra *n. 26.*

3 Secundo nota, ibi, *Quemlibet pro mortali peccato*, non tantùm pro fornicatione, ſed & pro quolibet peccato mortali Clericum eſſe ſuſpenſum quoad ſe, ut hic in litera, id eſt non debet cum peccato miniſterium alicujus Ordinis exercere, *ut c. fin.* ibi, *In teſtimonium ſuæ damnationis in ſuſceptis etiam ordinibus non miniſtrent*. *Supra de tempor. ordinat.* & notat Innoc. *d. cap. Sicut nu. 2. in ver. Suſpendatis*, *ſupra eod.* & Abb. hic *in 3. notab.* Præcipuè autem non debet attingere Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, *ut c. Sacerdotes, c. 1. q. 1. c. Teſtamentum, in fin. 6. diſt.* alioquin peccat graviſſimè, *cap. Quotidie*, *de conſecr. diſt. 2. c. De homine*, *de celebr. Miſſar. cap. Habuiſſe*, 32. *diſt.* Abb. *in cap. Veſtra, n. 4. ſupra eodem*: *Qui enim manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini*, 1 ad Corinth. 11. *c. Sicut Judas, de Conſecr. diſt. 2.* Jo. à Capiſtrano hic *nu. 2.* Non tamen ſic celebrando

4 irregularis efficitur; quia hæc ſuſpenſio quoad Deum non eſt propriè cenſura Eccleſiaſtica, & ideò irregularitatem non inducit, ut notat Petr. de Anchar. *in d. c. Veſtra, n. 12. circa med. verſ. Præterea*, & Jo. de Imol. hic *n. 6.* & latiùs dicam infra *nu. 6 & 21.*

5 Tertiò nota, ibi, *Niſi peccatum hujuſmodi ſit notorium*, non quemlibet notoriè criminoſum eſſe vitandum in Divinis Officiis, ſed tantummodò notorium concubinarium; qui eſt ſuſpenſus, non tantùm quoad ſe, ſed etiam quoad alios, hoc jure inſpecto: nam cum textus reſpectu ſuſpenſionis quoad ſe prius generaliter egiſſet de quolibet mortali peccato, poſtea cum agit de ſuſpenſione quoad alios, reſtringit ſe ad peccatum fornicationis, ut innuit illa dictio, *hujuſmodi*, quæ relationem habet ad caſum fornicationis, de qua egit ſupra proximè, ibi, *etiam in caſu propoſito*, ſcilicet, fornicationis, *ut expl. gl. 3.* hic, reddens rationem, quia in hoc crimine magis eſt vitandus, cùm in aliis non ſit quis ipſo jure ſuſpenſus, quantumcumque crimen ſit notorium, excepto crimine ſimoniæ, ubi eſt ſuſpenſus ipſo jure, etiamſi crimen ſit occultum, *c. Præter, § Verum, 32. diſt. c. Reperiuntur 1. q. 1. c. Tanta, de Simon.* In aliis ergo à Clerico notorio criminoſo non tenemur in Divinis abſtinere, quandiù ab Eccleſia toleratur, ut probatur *in d. c. Præter*, per locum à ſpeciali, & in hac opinione fuit Vincentius, quem ſequitur hic Bern. *in d. gl. 3.* item gloſſa Joannis *in d. c. fin. in ver. Sciſcitantibus, ad fin. 15. q. 5* ubi ait: Sacerdotem in mortali exiſtentem non eſſe ſuſpenſum quoad alios, niſi ſit præciſus, vel notorius fornicator, vel ſimoniacus. Item *gloſ. 1. in c. Cum liceat, de præſcript.* quæ ſimiliter tres caſus excipit videlicet hæreſis, ſeu ſchiſmatis, notoriæ fornicationis, & ſimoniæ. In aliis autem criminibus, etiamſi ſint notoria, dicit expectandam eſſe ſententiam, *ut in d. c. fin. 15. q. 5. & c. Nonne 8. q. 4.* & conſentiunt hic Abb. *in 5. not.* & Jo. de Anan. *n. 1.* licèt aliud videatur ſenſiſſe Innoc. *in c. Veſtra, n. 2. ſupra eod.*

6 Sed tu adverte quia hujuſmodi differentiæ hodie ſublatæ ſunt per Extravag. Martini V. *Ad evitanda*, in Concilio Conſtantienſi editam, quia indultum eſt, ut liceat communicare in quibuſcumque Divinis, & perceptione Sacramentorum, excommunicatis, ſuſpenſis, vel interdictis, niſi ſint nominatim denuntiati, vel notorii Clericorum percuſſores. Unde jam more Eccleſiæ receptum eſt, ut hi tantùm dicantur ab Eccleſia non tolerati, & ſint vitandi; reliqui verò, ſive fornicarii, ſive hæretici, vel ſchiſmatici, & ab Eccleſia præciſi, utcumque notorii, dicuntur tolerati, & licitè ab eis audiuntur Divina officia, & percipiuntur Eccleſiaſtica Sacramenta, ut dixi *in d. c. Veſtra, n. 17. & 18. ſupra eod.* & fuſius *in c. Quod à prædeceſſore, infr. de ſchiſmaticis*, ubi egi latiſſimè de authoritate, & intellectu hujus extravagantis *à n. 39. uſque, ad n. 57.* Quare hæc Decretalis dum determinat Clericum concubinarium in Divinis officiis eſſe evitandum, ſi ſit notorius per ſententiam, vel per confeſſionem factam in jure, vel per operis evidentiam, remanet correcta quoad ſuas ſpecies notorii, ſcilicet per confeſſionem judicialem, & per evidentiam facti; & ſervari debet tantummodò quoad nominatim denunciatos per ſententiam homini, & quoad notorios percuſſores Clericorum, quod etiam cenſent Navarr. *in c. 1. §. Lectores, n. 10. de pœnit. diſt. 6.* & alii plures relati à Nicolao Garzia *de benef. p. 7. c. 14. n. 36.*

Ultimò nota ex textu, Clericum notoriè concubinarium eſſe ſuſpenſum quoad ſe, & quoad alios, concordat *c. Si qui ſunt Presbyteri*, 81. *diſt. & cap. Veſtra, ſupra, eod.* Sed qualis ſit hujuſmodi ſuſpenſio, patebit ex dicendis in *quæſt. ſeqq.*

QUÆRO, an notorius fornicator celebrando incurrat irregularitatem? 7

Si ſit notorius per ſententiam, planum eſt irregularitatem incurrere, quia ſuſpenſi ab homine, celebrando irregulares fiunt, *cap. 2. c. Latores, c. Poſtulaſtis, & c. Si celebrat*, & ibi Innoc. & Hoſt. *n. 2.* Jo. Andr. *n. 3.* & Henric. Boich. *n. 12. poſt med. verſ. Si in foro judiciali, de Cler. excom. miniſtr.* Specul. *in it. de diſpenſat. §. Juxta, n. 10. verſ. Secus autem eſt in ſuſpenſis ab homine*, Innoc. *in cap. Sicut, n. 4. ſupra eod.* Hoſt. *in c. Quod translationem, n. 3. ſupra de temp. ordinat.* Archid. *in cap. Lugdunen. nu. 4. 9. q. 2.* Tales enim numquam debent celebrare, niſi prius ſententialiter abſolvantur per Judicem, *arg. cap. 1. regul. jur. & cap. Presbyter ſi à plebe, 2. q. 4.* & ſi celebrant ante abſolutionem, ſunt irregulares, *c. Si quis Presbyter, & c. ſeq. 11. q. 3. c. Cum dilecta, de reſcript. c. Apoſtolicæ, de except.* ſecundùm Innoc. Hoſt. Speculat. & Henric. Boich. *locis ſupracit.* & in hoc conſentiunt omnes. 8

Si verò ſit notorius per operis evidentiam, tunc ſunt duç principales Doctorum opiniones. Prima eſt eorum qui affirmant notorium fornicatorem eſſe ſuſpenſum ipſo jure ſuſpenſione directa, & ideò celebrando irregularitatem contrahere, & hæc videtur communis, cujus authores ſunt Hoſt. *in d. c. Si celebrat n. 4. verſ. Cum igitur ſimoniaca*, ubi ait, ſimoniacos, & notorios fornicatores eſſe ab officio ſuſpenſos propter crimen, quamvis à Canone, *§. Verum, 32. diſt.* Ideoque ſi celebrent, incurrunt irregularitatem, quia quantumcumque pœnitentiam agant, numquam celebrare debent, quoſque cum eis per Sedem Apoſtolicam fuerit diſpenſatum, *cap. Tanta, infra de ſimonia*, & cum Hoſt. concordant ibi Calder. Herinc Boich. *n. 14.* dicens ſe credere hanc opinionem eſſe veriorem, & idem Hoſt. & Joan. Andr. *in c. Cum æterni, ſuper ver. involvit, de re judic. l. 6.* Anton. de Butr. hic *n. 9.* & Jo. de Imol. *n. 6.* & idem Butr. *in cap. 1. n. 32. de Judic.* Jo. de Anan. *num. 1.* & Felin. *in 4. notab. c. Cum dilectus, de accuſat.* Præpoſ. *in cap. Præter hoc. n. 1. 32. diſt.* Abb. *in c. Veſtra, n. 7. ſupra eodem*, Gloſ. Pragmaticæ ſanctionis, *tit. de concubinario in ver. Inhabiles*, Rebuff. *in concord. tit. de Publicis concubinariis, in princ.* Guido Papa *q. 558. Fuit dubitatum*, Gonſalvus à Villadiego *de irregularit. c. De ſuſpenſione, col. 3.* Jo. Bernardus Diaz. Epiſcopus Calaguritanus *in practica criminali Canonica, cap. 73* Abulenſis *in tract. de concubinariis Clericis concluſ. 7.* Petr. de Palude *in 4. ſent. diſt. 27 q. 4. col. 2.* S. Antonin. *in part. tit. 27. c. 3.* Silveſter dicens hoc veriùs *in Summa in ver. Concubinarius, quarto, n. 4.* Bernard. *in tract. de concubin. pag. 270.* ubi atteſtatur hanc opinionem eſſe communem, quod etiam fatentur, licèt eam non ſequantur Navar. *in c. Si quando, col. 53. de reſcript.* & Covar. *in Clem. Si furioſus, §. 1. n. 5 poſt princ. verſ. Sunt tamen, qui ab hac tertia illatione de homicid.* 9

Pro hac opinione inducitur primò hæc Decretalis, ubi patet notorium fornicatorem eſſe ſuſpenſum, & quoad ſe, & quoad alios; & ſic ſuſpenſione directa, quæ dirigitur etiam in ſubjectum, hoc eſt in ipſum Clericum concubinarium, non tantum in objectum, hoc eſt in ipſos Parochianos, qui prohibentur Divina officia ab eo audire, & Sacramenta percipere, ſecundùm Ant. de Butr. hic *d. n. 9.* & conſequenter ſi celebret, irregularis efficitur, *c. 1. de re jud. l. 6.*

Sed certè, ut inquit Imola hic *in ult. notab.* hoc dictum non benè probatur *in hoc cap.* Quia hic dicitur Clericum fornicatorem eſſe ſuſpenſum quoad ſe, ſicut quilibet exiſtens in peccato mortali; talis ergo ſuſpenſio quoad ſe cenſetur eſſe ſuſpenſio minor, quæ irregularitatem non inducit; ut plenè notatur per Innoc. Hoſt. & alios *in c. Si celebrat, infrà de Cler. excomm. miniſtran.* & latiùs dicam infra *n. 22.* Neque hic colligitur hanc ſuſpenſionem quoad ſe eſſe ſuſpenſionem majorem, & directam. 10

Secundò igitur loco allegatur text. *in cap. Præter hoc, 32. diſt.* 11

32. *diſt.* ubi dicitur, *Ex parte Dei Omnipotentis, & auctoritate Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli præcipimus, & omninò contradicimus, ut Miſſas non cantet, nec Evangelium, aut Epiſtolam ad Miſſam legat, &c.* nam, ut inquit Abb. *in d. c. Veſtra n. 7. ſupra eod.* nulla apparet differentia inter hæc verba, *ſuſpendo ab officio, & interdico tibi officium.* Sed per prima verba infligitur ſuſpenſio directa ipſo jure, adeò ut ſic celebrans efficiatur irregularis, juxta text. *in c. 1. de re judic. lib. 6. & in c. 1. de ſent. excom. eod. lib.* Ergo & per ſecunda verba, quia non refert quid ex æquipolentibus fiat, *c. Licèt quædam, de teſtibus.* Ad idem textus *in c. Si qui ſunt, 81. diſt.* ubi dicitur; *Si qui ſunt Presbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi, qui in crimine fornicationis jaceant, interdicimus eis ex parte Dei Omnipotentis, & S. Petri auctoritate Eccleſiæ introitum, &c.*

12 Tertio loco huic opinioni ſuffragatur §. *Verum, in fin. verſ. Prohibentur, poſt d. c. Præter hoc, 32. diſt.* ubi ſimiliter probatur notorium concubinarium eſſe ſuſpenſum ipſo jure quoad ſe, & quoad alios, nec ibi adjiciantur illa verba, *Sicut quilibet exiſtens in mortali peccato.* Ergo celebrando efficitur irregularis; nam, ut notat Hoſtien. *in c. Tanta n. 2. de Simon.* Clericus propter aliquod crimen ſuſpenſus quoad ſe, & quoad alios, etiam poſt peractam pœnitentiam celebrare non poteſt; & idem notant Arch. Henric. Boich. & Jo: Faber. relati à Covar. in *d. Clem. Si Furioſus, §. 1. nu. 5. verſ. His accedit Gratiani ſententia.*

13 Contrariam opinionem, ideſt, notorium fornicatorem non eſſe ipſo jure ſuſpenſum ſuſpenſione directa, & ideò ſi celebret, in irregularitatem non incidere, uti veriorem amplectitur Innocentius *in c. Si celebrat, n. 3. verſ. De notorio autem fornicatore, infra de Cleric. excom. miniſtr.* ubi ait, notorium fornicatorem non eſſe ſuſpenſum principaliter à Canone, ſed à Deo; quod ex eo apparet, quia quàm citò pœnitet, licitè celebrat, ut hic, *Licèt per Canonem in odium criminis aliquid adjectum ſit quoad evitationem eorum, c. Tua ſupra eod. cap. Nullus, & §. Verum, 32. diſt.* Sed certè ut ſubdit Inn. *quàm cito pœnituerit, & hujus Sacerdotis officia ſunt audienda,* & cum eo videtur tranſire Jo. Andr. *ibid. n. 4. verſ. Alii dicunt,* contra Speculat. *in tit. de diſpenſat. §. Juxtà n. 20. verſ. Quod autem dixi de excommunicato minori,* Jo. de Lignano *in cap. Veſtra ſupra eod.* ubi intermiſcet quæſtionem, an ad hoc ut notorius fornicator dici poſſit, requiratur monitio, nec ne? & refert antiquos, & modernos variare invicem in hoc paſſu, & loquitur admodum intricatè, ſed tandem concludit notorium fornicatorem non eſſe ſuſpenſum ſuſpenſione directa, ita ut celebrando efficiatur irregularis, niſi priùs monitus non deſiſtens ſit ſuſpenſus ab homine. Idem voluit Jo: de Fano relatus ab Archid. *in d. cap. Si qui ſunt, n. 2. in ver. Maluerunt 81. diſt n.* & idem Archid. *in d. cap. Nullus, circa fin. 32. diſt.* dicens duram eſſe opinionem illorum, qui tenuerunt notorium fornicatorem etiam non præmiſſa monitione ſuſpenſum eſſe ipſo jure, & quoad ſe, & quoad alios, & contrarium innuere textum *in d. cap. Si qui ſunt presbyteri,* ubi primò ſuſpenditur quoad ſe, & poſt perſeverantiam quoad alios, & *n. 2. & 3.* ſequitur opinionem Laurentii, & Hugonis dicentium notorium concubinarium celebrando non fieri irregularem, niſi præcedat monitio. Idem firmant *in d. c. Veſtra, ſupra eod.* Cardin. *n. 1.* & Petr. de Anchar. *nu. 12.* ubi plenè Jo. de Imol. *in cap. 1. n. 23. de judic.* ubi reprobata opinione Antonii de Butr. ſequitur opinionem Innocentii, dicens eam benigniorem, & ideò amplectendam; licèt ſubdat cautius eſſe, propter opiniones vitandas, diſpenſationem impetrare. Nicol Plovius *de irregularit. reg. 41.* Navar. *cap. Si quando, in 17. except. n. 8. de reſcript.* Quibus ſubſcribit Covar. *in Clem. Si furioſus, §. 1. n. 5. poſt. medium, verſ. Ego quidem, de homicid.* dicens primam opinionem licèt communem, tamen ſibi nimis duram videri, & ſe non auſurum ſecundùm eam judicare quemquam irregularem eſſe: quamvis conſulat, ut abſolutio, aut diſpenſatio impetretur à Romano Pontifice.

14 Præcipuum hujus opinionis fundamentum eſt, quia irregularitas non contrahitur niſi in caſibus in jure expreſſis, & qui dicit aliquem irregularem, debet dare caſum juris, *c. Is qui, de ſent. excom. lib. 6.* Specul. *in tit. de diſpenſ. d. §. juxta, n. 22.* Hoſt. *in c. Si quis Presbyter, n. 4. de Cler. excom. miniſtr.* & ibi dixi *n. 4.* & idem Hoſt. *in c. Quod translationem, n. 3. de tempor. ordin.* ubi ait: Ergo de facili neminem irregularem judico, niſi jus expreſſum ad tale judicium me compellat. Et hanc dicit eſſe optimam regulam, & tenendam Cardin. *in c. Si celebrat, n. 4. col. 3. verſ. Sed inter cætera, & col. 4. verſ. Regula optima eſt, de Cler. excom. miniſtr.* Ad hoc quod notat Archid. *in c. Cùm æterni, n. 5. in verſ. Involvet, de re judicata, lib. 6.* relatus ab Anchar. *in d. c. Veſtra, n. 12. poſt med. verſ. Prætereà non reperitur*; ubi poſt Vin- 15
centium ait, ſuſpenſum propter crimen tunc demum irregularitatem incurrere, cùm Canon hoc exprimit. At nullibi reperitur expreſſum in jure, ut notorius fornicator miniſtrans in Ordinibus irregularitatem incurrat, meritò, &c. Nec relevat, ſi dicas id ſatis cautum eſſe, cùm notorius fornicator ſit ſuſpenſus quo ad ſe, & quoad alios, ut hìc dicitur, *& in d. §. Verum, circa fin. verſ. Prohibetur, 32. diſt.* Quoniam ut reſpondent Doctores, & in ſpecie Card. *in c. Veſtra, n. 1. ſupra eod.* ſuſpenſus à Canone tunc demum incur- 16
rit irregularitatem, quando per modum ſententiæ ſit in Canone ſuſpenſio, ſicut fit in *c. 1. de re judic. lib. 6. & in c. Is cui, de ſent. excom. eod. lib.* At non ſic eſt in Clerico fornicario, qui non per modum ſententiæ, ſed enuntiativè videtur in Canone ſuſpenſus, ut hìc, *& in d. c. Veſtra.* Ergo non fit celebrando irregularis, *arg. d. c. Is, qui, de ſenten. excom. lib. 6.* Prætereà, ut ponderat Imola *in d. cap. 1. n. 23.* 17
de judiciis, notorius fornicator non eſt ſuſpenſus ſimpliciter, & abſolutè, ſed quamdiù non pœnituerit, ut hìc patet *in princ.* ibi, *priuſquam pœnituerit, & in c. Si qui ſunt Presbyteri, 81. diſt.* ibi, *Interdicimus eis Eccleſiæ introitum uſque dum pœniteant, & emendent.* Et ita eſt de mente Canonis, ut cùm primùm pœnituerit, ceſſet ſuſpenſio, nec requirit aliam diſpoſitionem Papæ, prout requireret, ſi notorius fornicator eſſet ſuſpenſus ſuſpenſione directa. Unde gloſ. 2. *in d. c. Si qui ſunt Presbyteri,* ponderans illa verba, *donec pœniteant, & emendent*: Ex hoc, inquit, videtur, quòd ſicut tales ipſo facto ſuſpenduntur, ſic ipſo facto per contrarium reſtituitur eis officium. Idem notat gl. *in c. Nullus, in ver. Audiat 32. diſt.* ubi ait: Si adhuc poſt pœnitentiam corrigi voluerit, non dicam eum ſuſpenſum ipſo jure. Et paulò infrà: Licèt notorius fornicator ipſo actu ſit ſuſpenſus, tamen propter contrarium actum ipſo jure reſtituitur ei officium. Unde quàm citò pœniteat, licitè 18
celebrat. Facit quod notat Innoc. *in c. Sicut, n. 1. ſupra eod.* ubi ait eum, qui ſuſpenſus eſt uſq; ad congruam ſatisfactionem ſeu quouſque emendaverit, quam citò ſatisfecerit, ut debet, ſtatim officium ſuum, & beneficium recuperare, idque verius eſſe poſt alios affirmat Silveſt. *in ver. Suſpenſio, n. 5. verſ. Quædam verò eſt ab eo*; & hoc ſatis probari per illud cap. quia dicit eum eſſe ſuſpenſum uſque ad congruam ſatisfactionem: ergo poſt dignam ſatisfactionem primum ſtatum recuperat. Nec obſtat textus in contrarium allegatus *in d. c. Præter hoc 32. diſt.* quia non loquitur in ſuſpenſo 19
donec pœniteat, ſed ſimpliciter, ſecundum Jo. de Imola *in d. c. 1. n. 23. de Judic.*

Pro eadem opinione Anchar. *in d. cap. Veſtra, n. 12. ſupra* 20
eod. ponderat textum *in cap. ut Clericum, de vita, & honeſt. Cler.* ibi enim primò ab omni libidinis vitio præcipit Clericos abſtinere, & tamen ſubdit: *Quòd ſi ſuſpenſus hac de cauſa præſumpſerit celebrare divina, deponatur, &c.* Ecce igitur quòd in quolibet genere incontinentiæ, ad hoc ut fieri poſſit privatio, vel depoſitio Clerici fornicatoriis, requiritur, ut præcedat ſuſpenſio Epiſcopi, & ea ſuſpenſione durante in divinis miniſtret. Qui dicendum? Abbas *in cap. Veſtra n. 6. verſ. Sed cogitavi, & n. 7. verſ. Sed ego diſtinguerem ſupra eod.* quem ſequitur Silveſt. *in ver Concubinarius, n. 4.* pro concordia opinionum diſtinguit ſic; nam aut for- 21
nicatio eſt ita notoria per operis evidentiam, ut nullam habeat dubitationem, ſicut videmus in pluribus Clericis, qui tenent ita publicè concubinas ſicut uxores, & publicè nutrium filios, ita ut nec ipſi hoc audeant diffiteri; & tunc omninò abſtinendum eſt ab eis ſine alia monitione, & tales ſunt ſuſpenſi à Canone ſuſpenſione directa, ita ut ſi celebraverint, irregulares efficiantur, ad hoc *d. c. Præter hoc, & §. Verum, 32. diſt.* Aut fornicatio non habet illam operis evidentiam, ſed poteſt probabiliter tergiverſari, puta quia concubina habitat cum matre Clerici, & dicit illam eſſe matris pediſſequam, vel quid ſimile; & hoc caſu neceſſaria eſt monitio, & ejus contemptus, alioquin celebrando non incurrit irregularitatem. Et in hoc caſu procedit ſecunda opinio Innocentii, & ſequacium.

Ego verò indiſtinctè exiſtimo opinionem Innocentii ho- 22
die eſſe indubitatam: nam in Clerico notoriè concubinario

aut conſideramus ſuſpenſionem quoad ſe, aut ſuſpenſionem quoad alios. Prima ſpecies ſuſpenſionis quoad ſe non eſt cenſura Eccleſiaſtica, de qua in *c. Quærenti, de verb. ſignif.* ſed eſt ſuſpenſio illata a Deo, quæ irregularitatem non inducit, ut notat Innoc. *in cap. Si celebrat n. 2. circa medium, verſ. In ſuſpenſis autem à Deo, de Cler. excomm. miniſtr.* ubi ait; Suſpenſos a Deo, qualis eſt omnis peccator, qui indignè Corpus Domini ſumit, & judicium ſibi manducat, & bibit, numquam eſſe irregulares, ſi celebrant, niſi in certis criminibus, ut homicidio, & ſimonia, de quibus notatur *in c. Niſi cùm pridem, §. 1. de renunc. & in c. Quæſitum, de tempor. ordin.* Hi enim etſi peccent, numquam tamen in Canone reperitur, quòd celebrando fiant irregulares; quia irregularitas jure tantùm Canonico inducta eſt. Ita Innoc. cum quo totidem ferè verbis concordant ibi Hoſtienſ. *n. 4. verſ. De ſuſpenſis autem,* Jo. Andr. *eod. n. 4. verſ. Suſpenſi verò,* Butr. *n. 2 verſ. In ſuſpenſis,* dicens ſuſpenſos à Deo tantùm dici qui ſunt ſuſpenſi quoad ſe tantùm, & non quoad alios, ut ſunt in peccato conſtituti, non carentes ordinis executione; quia non eſt tale delictum, ut ordinis executionem impediat poſt peractam pœnitentiam; & concludit tales celebrando non incurrere irregularitatem, Card. *n. 4. col. 4. in princ. verſ. Et facit differentiam,* Abb. *n. 4.* ubi ait tales ſuſpenſos à Deo celebrando non fieri irregulares ſecundùm omnes quia jure non cavetur, & quia directè non eſt eis officium interdictum à jure, ſed peccant miniſtrando. Hoc etiam dicit eſſe certum Petr. de Anchar. *in d. c. Veſtra, n. 12. poſt medium, verſ. Et ex iſta opinione, ſupra eod.* & Jo. de Imola hìc *n. 6.* & probatur apertiſſimè in hac decretali, *in princ.* dum dicit Clericos fornicatores eſſe ſuſpenſos quoad ſe, ſicut quilibet in mortali peccato: nam dictio illa, *ſicut,* importat omnimodam ſimilitudinem, *ut c. Olim de verb. ſignif.* & hoc non tantùm in ſubſtantia, ſed & in qualitate, & modo ſimul, *cap. fin.* & ibi notat Butr. *in 4. notab. de reſtit. ſpoliat.* Sed exiſtentes in mortali, exceptis criminibus, quæ poſt peractam pœnitentiam impediunt Ordinis executionem, non ſunt ſuſpenſi ſuſpenſione majori, & directa, quæ irregularitatem inducat, ut oſtenſum eſt ſupra: ergo nec Clerici fornicatores, alioquin quilibet peccator, utcumque occultus, eſſet ſuſpenſus ſuſpenſione directa, & celebrando fieret irregularis, quod nemo ſani capitis auderet

24 affirmare. Nec obſtat *c. Præter hoc, 32. diſt.* quia non dicit, *Interdicimus ei officium,* aut *Eum ab officio ſuſpendimus,* ſed dicit, *Præcipimus, & omninò contradicimus, ut Miſſas non cantet, nec Evangelium, &c.* & ſic non ſuſpendit, ſed improbat, & damnat, ut Sacerdos fornicarius in divinis miniſtret. Hoc autem facit Eccleſia cum quolibet exiſtente in peccato mortali, *ut in c fin. de tempor. ordin.* ibi: *Qui ſi non pœnituerint, monendi ſunt, & ſub interminatione divini judicii obteſtandi, ut in teſtimonium ſuæ damnationis in ſuſceptis etiam ordinibus non miniſtrent.* Ecce igitur, quòd Eccleſia improbat, & damnat eorum miniſterium, ſed tamen eos directè ab officio non ſuſpendit: ideòque, ut ibi dicitur, *non debent hi (præter reos homicidii) poſt pœnitentiam in jam ſuſceptis vel ſuſcipiendis ordinibus impediri.* Quare conſiderata hac ſuſpenſione quoad ſe tantùm, notorius fornicator celebrando non efficitur irregularis. Aut conſideramus ſuſ-

25 penſionem quoad alios; & ſimiliter irregularis non efficitur, non ſolùm quia hæc eſt ſuſpenſio indirecta reſpectu aliorum ad effectum, ut ab eo non audiant divina; nec eſt bona conſequentia: Præc. pro vobis, ut non audiatis Titium legentem: ergo Titius eſt ſuſpenſus à lectura, ut inquit Abbas *in d. c. Veſtra, n. 7. ſupra eod.* ſed potiſſimum, quia

26 hæc ſuſpenſio quoad alios etiam in notorio fornicatore, niſi ſit ſuſpenſus ab homine, & nominatim denuntiatus, hodie prorſus ſublata eſt per extravag. Martini V. editam in Concilio Conſtantienſi, ut dictum eſt ſupra *n. 6.* Unde quatenus etiam talis ſuſpenſio quoad alios de jure fuerit apta producere in fornicatore celebrante effectum irregularitatis; tamen cùm hodie hæc cauſa jam pænitus ceſſaverit, ceſſare etiam debet omnis illius effectus, *cap. Quod pro remedio, 1. q. 7. c. Et ſi Chriſtus de jurejur. c. Poſt tranſlationem,* cum concord. ibi in gloſſ. *in ver. Ceſſante, de renuntiat.* impoſſibile enim eſt ut non ens aliquid operetur, Bellam. *conſ. 33. Quoad ſi ad perſonas, [illegible] 39. verſ. S[illegible] probo,* plenè Oldrad. *conſ. 203. factum tale eſt [illegible] ſecundam* 27
quæſtionem, & quod caret eſſe, caret virtute, & operatione Alex. *conſ. 246. Placet, n 2. verſ. Num [illegible] lib. 6* & fuit dictum Bald. *in repetit. l. 1. n. 56. C. de ſacroſ. Eccleſ.* Quare cum ſuſpenſio quoad ſe non ſit cenſura Eccleſiaſtica inducens irregularitatem, & ſuſpenſio quoad alios per dictam extravag. Martini V. omninò ſublata fuerit; reſtat, ut notorius fornicator celebrando nullatenus fiat irregularis, niſi monitus non deſiſtens per ſententiam hominis fuerit ab officio ſuſpenſus.

Nec prædictis adverſatur, quin potiùs favet Concilium 28
Tridentinum *cap. 14. ſeſſ. 25. de reform[illegible].* Nam ibi prohi- 29
betur primò, ne Clerici concubinas, aut alias mulieres ſuſpectas in domo, vel extra retineant, aut cùm iis veram conſuetudinem habeant, alioquin pœnis à jure, vel ſtatutis Eccleſiarum impoſitis puniantur. Secundò ſtatuitur, ut ſi moniti non abſtinuerint, tertia parte fructuum beneficiorum, ac penſionum ipſo facto ſint privati. Tertiò, ut ſi monitioni ſecundæ non paruerint, fructus omnes ut ſupra amittant, & ab adminiſtratione beneficiorum ſuſpendantur arbitrio Ordinarii. Quartò, ut ſi ita ſuſpenſi adhuc in concubinatu perſeveraverint, tunc etiam beneficiis, & penſionibus, ac officiis Eccleſiaſticis perpetuò priventur, & ad alia obtinenda inhabiles reddantur, donec poſt pœnitentiam cùm eis per ſuperiores fuerit diſpenſatum. Quintò ut ſi dimiſſas mulieres reaſſumpſerint, excommunicationis gladio plectantur. Sextò, ut beneficia non obtinentes, juxta delicti, & contumaciæ perſeverantiam, & qualitatem ab Epiſcopo carceris pœna, ſuſpenſione ab Ordine, aliiſque modis juxta ſacros Canones puniantur. Ultimò, ut Epiſcopi, ſi moniti à Synodo ſe ab his non emendaverint, ipſo facto ſint ſuſpenſi, & ſi perſeverent, etiam ad Papam ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpę etiam per privationem in eos animadvertat. Ex quo contextu potiùs colligitur Clericos concubinarios non eſſe ſuſpenſos ipſo jure ſuſpenſione directa: tum quia poſt ſecundam monitionem amittunt ſolùm fructus, & ab adminiſtratione beneficiorum ſuſpenduntur arbitrio Ordinarii, & ſic adhuc non paruerint, præcipit Concilium, ut beneficiis priventur, ſcilicet per ſententiam, ſecundùm gloſſam notabilem *in l. Jubemus nulli, § Oeconomus, in ver. Privetur, C. de ſacr. Eccl.* & ſic non ſunt ipſo jure ſuſpenſi à beneficio, & 30
conſequenter nec ab officio, quia ſuſpenſus ab officio, ſi duo concurrant, videlicet ut ſit ſuſpenſus propter crimen grave, & ſit in mora petendi abſolutionem, prout concurrunt hoc caſu, cenſetur etiam ſuſpenſus à beneficio, ut concludit gloſ. *in Cle. Cupientes, in [illegible] ſuſpenſi, ad fin. de pœn[illegible]* quam dicit meliorem de corpore juris, Jo. de Imola *in c. Cùm dilectus, n. 31. de conſuet[illegible].* Tum quia Clericos non beneficiatos pro qualitate delicti, & contumaciæ Concilium puniri præcipit ab Epiſcopo pœna ſuſpenſionis ab Ordine. Ergo non ſunt ſuſpenſi à Canone, ad gloſ. ſecundam, *in cap. fin. de jure patron. & in l. In criminali, in ver. habeatur, verſ. Et dic, [illegible] de juriſd. omnium judic.* Tum denique quia ſpeciale eſt in Epiſcopis, quos in impudicitiæ ſordibus verſari longè deteſtabilius eſt, ut ſint ipſo jure ſuſpenſi, *ut in d. c. 14. in fin.* gravius enim peccant propter altiorem gradum, *c. Homo, 40. diſt. c. Quæſitum,* & ibi Jo. Andr. *n. 2. de Pœnit. & remiſſ.* & ideò plus puniuntur, *c. Excommunicamus, il 1. §. Credentes* cum gloſ. *in ver. gravior exercetur, de hæret.* Et nihilominus etiam in Epiſcopis ad incurrendam ſuſpenſionem ipſo facto Concilium requirit monitionem, ut patet ibi, *Et à ſynodo Provinciali admoniti ſe non emedaverint, ipſo facto ſint ſuſpenſi.*

Demum Sacr. Congregatio ejuſdem Concilii interpres 31
conſulta, an concubinarii publici, cum quibus ex decreto Concilii *cap. 14. ſeſſ. 25.* actum non eſt, ipſo facto in irregularitatem incurrant, licèt non celebrent, dum ſunt in peccato; cenſuit hoc decretum nihil ex veteri jure immutare, vel ex ſtatutis Eccleſiæ, ſed tatùm juri communi addere.

DE

DE CLERICIS CONJUGATIS.

Innocentius III. Epiſcopo Pictavien.

CAPUT VII.

JOannes nobis conquerendo monſtravit, quòd tu eum, quamquam jamdudum uxorem legitimam duxerit, pro eo quòd priùs in Acolythum fuerat ordinatus, compellere niteris, ut tonſuram deferat Clericalem, ex qua inter ipſum & uxorem ſuam poſſet ſcandalum generari: cùm de conſuetudine terræ tuæ Clerici uxorati non cogantur inviti portare tonſuram. Quoniam igitur idem etiam tonſuratus non poteſt privilegio Clericali gaudere: Mandamus, quatenus ipſum ſuper tonſuratione hujuſmodi non moleſtes: dummodò nullum percipiat beneficium Eccleſiaſticum, cujus ratione teneatur Clericalem deferre tonſuram. quia cùm eum oporteat ſæcularibus negotiis immiſceri, tonſura ipſius ſæcularia exercentis, videretur profectò in miniſterii noſtri vituperium redundare.

S U M M A R I U M.

1 *Clericus conjugatus non beneficiatus non cogitur deferre tonſuram.*
Declaratur, num.2.

2 *Clericus conjugatus non bigamus habitum, & tonſuram non deferens retinet privilegium Canonis, & Eccleſiæ inſerviens etiam privilegium fori, ſed reliqua privilegia perdit ipſo jure.*

3 *Nec poteſt eſſe Vicarius Epiſcopi in ſpiritualibus, ſed benè in temporalibus.*

4 *Clericus conjugatus in habitu laicali in contumaciam condemnatus in Curia ſæculari, an poſſit reaſſumpto habitu, tonſura, & ſervitio Eccleſiæ, pro eodem delicto à judice laico perſonaliter diſtringi, & num. ſeqq.*

5 *Clericus ut gaudeat fori privilegio quoad perſonam, inſpicitur in quo ſtatu reperiatur, cùm judex laicus incipit eum diſtringere.*

6 *Judex laicus ſi cauſam prævenit contra Clericum in habitu non incedentem, poteſt cauſam, modo à perſona abſtineat, ad finem deducere, non obſtante reaſſumptione habitus: ſi verò prævenit perſonam, reaſſumptio habitus non impedit, quominus judicium etiam contra perſonam proſequi valeat.*

1 JOannes. Clericus conjugatus non beneficiatus non cogitur deferre tonſuram, hoc dicit, ſecundum Andr. qui hanc Decretalem ſolemniter repetiit: cùm quo concordant Butr. Card. Abb. & reliqui omnes. Primò ponitur Joannis quæſtio. Secundò Papæ definitio, ibi, *Quoniam igitur*.

In textu ibi, *Etiam tonſuratus non poteſt privilegio Clericali gaudere*, nota Clericum conjugatum non gaudere Clericali privilegio, licèt habitum & tonſuram deferat, ut hìc eſt expreſſum, & notat Bernardus poſt caſum, & Joan. Andr *num. 8. verſ. Item quod conjugatus*. Sed cave
2 ne decipiaris, quia per Conſtitutionem Bonifacii VIII. *in cap. unico infrà eodem lib. 6.* innovatam à Concilio Tridentino *cap. 6. in fin. ſeſſ. 23.* Clerici conjugati non bigami gaudent duobus tantùm privilegiis, videlicet Canonis, *Si quis ſuadente* 17. *qu.* 4. & fori, ne ſcilicet pro commiſſis exceſſibus trahi poſſint criminaliter, vel civiliter ad judicium ſæculare; ad hoc tamen ex *d. c. unic.* requiritur, ut tonſuram, & veſtes deferant Clericales, & ex *d. cap. 6.* & quoad fori privilegium, præter habitum, & tonſuram requiritur etiam, ut alicui Eccleſiæ inſerviant. Dixi *quod fori privilegium*, quia quoad privilegium Canonis decretum Concilii nihil novi ſtatuit, ut aliàs fuit reſolutum. Quare licèt hodie non cogantur deferre tonſuram præcisè, coguntur tamen cauſativè, id eſt, ſi velint Canonis, & fori privilegio potiri, ut hìc per Abb. *num. 7. verſ. Et conclude latius*, quia ſine tonſura, & habitu non retinent privilegium Canonis, & ſine tonſura, habitu, & ſervitio non retinent privilegium fori. Dum ergo hæc Decretalis dicit Clericum conjugatum etiam tonſuratum non gaudere Clericali privilegio, non intelligas tu de prædictis duobus privilegiis, ſed de reliquis privilegiis Eccleſiaſticis, quæ Clericus conjugatus perdit ipſo facto, ut *in dict. cap. unico, verſ. In cæteris*, & ibi notat gloſſ. communiter approbata. Neque ad hoc requiritur monitio, ſed ſufficit ſolus contractus matrimonii: nam ex contrario actu hæc privilegia amittuntur. Et ita limitant, & intelligunt hunc text. gloſſ. 1. Abb. Antiq. *num. 1. in verb. Gaudere*, Hoſt. *poſt princ. in verb. Privilegio*, Joan. Andr. *num. 24.* Abb. ſen. *num. 3.* & alii communiter.

Quo fit, ut Clericus conjugatus, quamvis bigamus non ſit, & habitum Clericalem, & tonſuram deferat, 3
tamen eſſe non poteſt Officialis, ſeu Vicarius Epiſcopi, nec ipſius delegatus ad cauſam ſpiritualem, quia per dictam Decretalem *unicam de Clericis conjugatis lib. 6.* cenſetur Clericus in duobus tantùm, in reliquis verò ut laicus judicatur. Ad hoc *cap. In nova cum duobus, cap. ſeqq. 16. q. 7. cap. Eccleſia de conſtitut. c. fin. de reb. Eccleſ. non alien.* Et ita hic determinat Joan. Andr. *num. 20.* qui ampliùs ſubdit ſententiam latam per talem eſſe ipſo jure nullam, quia judex non eſt, *cap. Clericum nullus* 11. *q* 3. *cap. Ad noſtram ſupra de conſuetud.* & cum Joan. Andr. concordant hìc Butr. *num. 16.* Anchar. *num. 11.* Cardin. *num. 18. 4. q.* Imol. *nu. 18.* & Joan. de Anan. *in fine*, Anchar. *in d. cap. unico, num. 3* Gemin. *num. 8.* & Franc. in gloſſ. *in verb. Recipiunt*, Abb. *in cap. Decernimus, num. 12. in fin.* & Dec. *ibidem, nu. 123. de Judic.* Quod tamen intellige, ſi conſtituatur Vicarius in ſpiritualibus, aut Vicarius Generalis; ſecus verò in temporalibus tantùm, ut ſi Epiſcopus haberet temporalem juriſdictionem in loco, juxta tex. *in cap. Romana*, §. *Debet, de appellat. lib. 6.* quia tunc Clericus conjugatus benè poſſet eſſe Vicarius Epiſcopi, ſicut quilibet alius laicus, ut notat Archid. *in d. cap. In nova, num. 1. & 3.* & ibi etiam Turrecrem. *nu. 1. & 2. 16. qu. 7.* Joan. Franciſc. Pavin. *de offic. & poteſt. Cap. Sede vacant. in 2. part. principal. q. 10. n. 15.* Lap. Abb. *in cap. 1. n. 2 de offic. Vic. lib. 6.* & tenent *in d. cap. Decernimus, de Judic.* Butr. *num. 6. in fin verſ. Si quæritur*, Abb. *num. 12. in fin.* Felin. poſt alios *num. 6. verſ. Quintò*, & Dec. *num. 125.* qui etiam reſpondet objectis Andreæ Sicul. contrarium ſentientis.

QUÆRO, an Clericus conjugatus, qui pro delicto commiſſo in habitu laicali in curia ſæculari ante reaſſumptum habitum, & tonſuram Clericalem fuit in contumaciam condemnatus, poſſit poſtquam reaſſumpto habitu cœpit ſervire Eccleſiæ, pro eodem delicto à judice laico in carcerem conjici, & perſonaliter puniri? 4

Videtur reſpondendum non poſse. Ratio eſt, quia eo tempore, quo judex laicus incipit Clerici perſonam diſtringere, reperit eandem ſibi non ſubeſse. Quandoquidem hoc tempore, cùm habeat qualitates per *d. c. unicum, de Cleric. conjugat. lib. 6. & cap. 6. ſeſſ. 23* Concil. Trident. requiſitas, non poteſt ei non ſuffragarari fori declinatoria, quia poteſt dicere, *Mea perſona tibi non ſubjacet*: & hoc eſt, quod ſibi volunt DD poſt Joan. Andr. *hic qu. 4.* & inter cæteros Cardin. & Anchar. *ibi*, qui in hac materia hìc ſolùm conſiderant, an Clericus poſſit dicere: Hoc tempore, quo incipio à te conveniri, ſeu diſtringi, gaudeo privilegio fori. 5
Idem videtur ſentire Joan. Andr. Abb. & cæteri *in cap. unico, de obligat. ad ratiocin.* qui ſolùm conſiderant præventionem judicii reſpicientem cauſam, & reſpicientem perſonam: nam ſi judex laicus prævenit cauſam, aſsumptio habitus non tollit juriſdictionem, quominùs cauſam, modò à perſona abſtineat, ad finem deducat. Si verò prævenit perſonam capiendo eam in ſtatu non exempto, videlicet ſine habitu incedentem, reaſsumptio habitus non impedit, quominùs judicium contra dictam perſonam pro- 6

ſe-

ſequatur. Hoc idem probat Joan. Monach. *in d.c.unico, de cleric. conjugat. lib. 6.* qui etſi utatur verbo, *ſaltem*, in effectu concludit Clericum conjugatum reaſſumere privilegium etiam pro delictis, quæ commiſſit, quando habitum non geſtabat. Unde Franc. *ibid.* hoc ideò ſine trepidatione aſſerit, & cæteri DD. qui dum abſolutè dicunt Clericum conjugatum eo ipſo quòd habitum reaſſumit, exemptionem reaſſumere, abſolutè etiam intelligunt quoad omnia delicta per eum ſive tempore quo geſtabat, ſive quo dimiſerat habitum commiſſa; Unde hoc caſu ſolùm habetur ratio, an quando judex apprehendit Clerici perſonam, dictus Clericus ſit in habitu, vel non, ut primo caſu remittatur ad Eccleſiaſticum, ſecundo non item, ut poteſt ſatis clarè deduci ex Capell. Toloſ. *deciſ.* 104. 144. 147. & ibi addentes, ubi nunquam conſideratur tempus delicti, ſed ſolùm tempus captivæ perſonæ, & ſequitur Clar. *in §. fin.qu.39.verſ. Sed quid ſi Clericus*, ubi ait, *Clericum conjugatum, qui fuit condemnatus à laico eo tempore, quo non ferebat habitum, ſi ante capturam illum reaſſumpſerit, non poſſe ampliùs à judice ſæculari nec capi, nec puniri.* Idem expreſſiùs tradit Marſil. *ſingul.*488. ubi ait, *communem eſſe opinionem, judicem ſæcularem non poſſe Clericum conjugatum incedentem in habitu, & tonſura punire pro delicto per eum perpetrato eo tempore, quo non incedebat in habitu.* Et quamvis Alex. *conſ.8. vol.* 1. teſtetur communem eſſe, ut attendatur tempus delicti; tamen hoc ultimum dictum procedit in alio caſu, ſcilicet in illo de Clerico, qui modò deſiit eſſe vel privilegiatus, vel Clericus, de quo diſtinguitur: nam aut delictum, pro quo modò à judice ſæculari moleſtatur, fuit ab eo perpetratum eo tempore, quo incedebat in habitu & tonſura, & pro quo fuit tunc à judice Eccleſiaſtico citatus: & ei prodeſt fori declinatoria, aliàs non, quia hoc caſu attenditur tempus delicti; alioquin Alexander contradiceret alteri concluſioni, quam paulò ante poſuit pro hac ſententia, aſſerendo cauſam eſſe communem; & hoc poſtremum dictum Marſil. & Alex. ſic, & non aliter eſse intelligendum expreſsè patet doctrina Bart. cui Alexander innititur *in l. Affinitatis jure, C. commun. de ſucceſſ. in fin.*

His adde, quod in propoſita dubitatione ſcripſi *in c. Magnus, num.81. & ſeqq. ſupra de obligat. ad ratiocin.* & ibi vide reſolutionem S. Congregationis Concilii *num.* 73.

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS.

Leo III.

C A P U T II.

EX geſtis: & infrà. In Synodo Anaſtaſius Presbyter Cardinalis tituli beati Marcelli, ab omnibus canonicè eſt depoſitus, eò quòd Parochiam ſuam per annos quinque, contra Canonum inſtituta deſeruit, & in alienis uſque hodie demoratur.

S U M M A R I U M.

1 *CArdinalis deponitur, qui in titulo ſuo non reſidet, & num.* 17.
2 *Geſta in Concilio perpetuam fidem faciunt.*
3 *Dummodò ſint deſcripta per perſonam publicam, vel reperiantur in archiviis authenticarum perſonarum.*
4 *Geſta extrajudicialia ſunt; acta verò judicialia.*
5 *Cardinalis an poſſit per Papam deponi ſine Concilio.*
6 *Imperator per Papam depoſitus præſente, non autem approbante Concilio, & cur.*
7 *Cardinalis an poſſit per Papam deponi ſine conſilio fratrum.*
8 *Papa de honeſtate non debet ardua expedire ſine Cardinalium conſilio, poteſt tamen de plenitudine poteſtatis.*
9 *Cardinalis in ſuo titulo non reſidens privari non debet, niſi legitimè monitus non redeat.*
10 *Cardinales tenentur in Romana Curia reſidere, nec poſſunt inde abſcedere ſine licentia Papæ, & cur, & num. ſeqq. uſque ad nu.*17.
*Fallit in Cardinalibus, qui Cathedralibus, & majoribus Eccleſiis præfecti ſunt, n.*16. *&* 24.
11 *Cardinalis in ſuo titulo curam habet animarum tam fori pœnitentialis, quàm contentioſi.*
12 *Cardinales ſunt Sacerdotes Levitici generis, coadjutores & conſiliarii Papæ, & cum eo judicant orbem.*
13 *Sunt membra, & pars corporis Papæ.*
14 *Ejuſque collaterales.*
15 *Reſidentes in Curia æquiparantur ſtellis fixis, legati verò planetis.*
17 *Cardinalis, qui ſpreta Parochia ſua tamquam vagus in alienis demoratur, deponi poteſt.*
18 *Et tempus, quo expectari debet, eſt arbitrarium.*
Secus poſt Bullas Leonis X. & S. D. N. Innocentii X. num. 19. *&* 22.
19 *Cardinalis officium verſatur in frequenti Papæ aſſiſtentia, & Sedis Apoſtolicæ negotiis.*
20 *Cardinales à Romana Curia abſentes, ex Bulla Leonis X. quas pœnas incurrant.*
21 *Et quid ex Decreto Pauli III.*
Et quid ex Bullla S. D. N. Innocentii X. n. 23.
22 *Conſtitutio S. D. N. Innocentii X. ſuper receſſu Cardinalium à ſtatu Eccleſiaſtico ſine licentia Papæ, & reditu eorum ad Romanam Curiam, compendiosè per partes refertur.*

EX *geſtis*. Deponitur Cardinalis, qui in titulo ſuo non 1
reſidet. Hoc dicit ſecundùm Joan. Andr. & omnes:
& eſt textus multùm notabilis ſecundùm Abb. & Alex. de Nævo. Dividitur in duas partes. In prima narrat depoſitionem Cardinalis. In ſecunda depoſitionis cauſam aſſignat, ibi, *Eo quòd*.

Nota primò ex principio textus, geſta in Concilio perpetuam fidem facere, ut hìc, *& in l. Geſta, Cod. de re judic. & in cap. fin. de probat.* ſecundùm Hoſtien. hìc Joan.
Andr. Butr. Cardin. & Joan. à Capiſtr. omnes *in principio*. 2
Quod tamen Abb. & Alexan. de Nævo uterque *in* 1. *notab.* intelligunt verum eſſe, dummodò geſta ſint deſcripta per
perſonam publicam, ut in juribus præalleg. & idem eſt, ſi 3
reperiantur in archiviis authenticarum perſonarum, puta eorum, qui poteſtatem habent authenticas ſcripturas faciendi, ut notat Innocen. *in cap.*1. *num.* 1. *ſuprà de Procurator*, & ibi vide quot modis dicantur geſta: differunt au-
tem ab actis, quia acta judicialia ſunt, geſta verò extra- 4
judicialia, ut *l.*1. *ff. de offic. Procur. Cæſar.* & ibi notatur in gloſſ. 1. De quo tamen vide ibi per Bart. *nu.*1.

Secundò nota ibi, *ab omnibus*, argumentum, quòd Car- 5
dinalis non debet, & ſecundùm aliquos non poteſt deponi à Papa ſine Concilio, & in hanc partem propendit Hoſtienſ. *hic num.* 1. Butr. *in* 1. *notab.* & Abb. *num.* 3. Verùm gloſſ. 1. exponit verbum, *ab omnibus*, id eſt approbantibus, quoniam ſolus Papa hunc Cardinalem depoſuit, & Innocen. *in princip.* dicit in illius amotione Synodum congregatam, & ſuper ea totius Synodi conſenſum fuiſse habitum, ſed tamen Papa depoſitionem fecit. Hæc ultima opinio videtur omninò amplectenda, quia in Summo Pontifice abſq; Concilio reſidet plenitudo poteſtatis, ut eſt tex. notab. *in cap. Cuncta per mundum* 9.q.3. ibi, *nec ulla Synodo præcedente*, necnon ibi, *damnandi nulla exiſtente Synodo, quod oportuit, habuit facultatem*: & ſcripſi latiſſimè *in cap. Significaſti ſupra de elect.* ideòque Bonifacius ſine Concilio Cardinales Columnenſes depoſuit, ut *in c. un. de ſchiſmat. lib.*6.

6 *lib. 6.* Item Papa depoſuit Imperatorem præſente, non autem approbante Concilio, ut *in cap. Ad Apoſtolicæ, de re judic. eod. lib.* ubi gloſſa prima, *Nota*, inquit, *quòd in ſuprascriptione dicitur, ſacro præſente Concilio ad memoriam ſempiternam, quod dicit de Concilio, potius eſt ad honeſtatem, quàm ad neceſſitatem; nam ſine ſententia Concilii ſententia Papæ ſufficeret contra Imperatorem, & quemcumque alium, cap. Alius 15. q. 6. ubi non dicitur, quòd in Concilio facta fuerit depoſitio.* Et infrà in eadem gloſſa ſuper verbis inſcriptionis, *Sacro præſente Concilio*, ſic legitur: *Præſente, non dicit approbante, ſicut in cap. Sacro de ſentent. excomm. Fortè ex cauſa, ne crederet aliquis ſine approbatione Concilii depoſitionem Imperatoris fieri non poſſe*; & ſequuntur ibi totidem verbis Joan. Andr. *in c. Novellæ, n. 5. verſ. in gloſſ.* 1. Gemin. *col. 3. verſ. In eod. gloſſ.* ibi, *præſente*, & ad propoſitum depoſitionis Cardinalium illam gloſſam ponderat, & dicit valdè notabilem, Abb. *hic circa fin. verſ. Et contra dictum eſſet etiam valdè grave*, & forſan multis periculis expoſitum, ſi pro cauſa depoſitionis oporteret Synodum univerſalem indicere, & ſententiam protrahere uſque ad illius celebrationem, arg. *cap. Ubi periculum, de elect. lib. 6.* Quod obſervat Andr. Sicul. *in tract. de præſtan. Cardin. q. 8. nu. 5.* ubi ait non eſſe opus Concilio ad deponendum Cardinalem, propter difficultatem, quæ ſubeſſet in congregando Concilio univerſali; & hoc tene incunctanter.

7 Major eſt difficultas, an Papa poſſit Cardinalem deponere, legitima ſubſiſtente cauſa, ſine fratrum ſuorum conſilio.

Diſputat hanc quæſtionem in utramque partem Andreas Barbatia in prælleg. *tract. de præſtan. Cardin. quæſt. 8. per totam*, & præmiſſa proteſtatione, quòd non intendit in aliquo derogare poteſtati Romani Pontificis, tandem concludit pro opinione negativa, dicens *num. 6.* eam tenere illuſtres Doctores, Hoſt. Joan. Andr. Butr. Cardin. & Modernos *hic*, & eum refert, & ſequitur Dec. *in rubr. de Conſti. in 2 lectura, num. 12.* ubi Sylveſt. Aldobrand. *in addit. in ver. Deponere*, teſtatur ita ſervari: & allegat Hippolyt. de Marſil. *in ſingul. 669.* Cæterùm fundamenta Barbatiæ videntur ſatis infirma, & Hoſt. *hic num. 1.* Joan. Andr. *num 2.* & ſequaces proponunt quæſtionem de Synodo, ut dixi ſuprà *num. 2.* non autem de conſilio Cardinalium, licèt aſſerant Papam non debere, & ſecundùm aliquos, non poſſe Cardinales excommunicare, vel aliquod præceptum facere ſine conſilio, & conſenſu ſuorum fratrum, arg. *cap. Irrefragabili, §. 1. de offic. Ordinar. & cap. 1. de ex eſſ. Prælat.* & nihilominùs Hoſt. tandem concludit his verbis: Quidquid tamen dicatur, hoc de plano fateor, quòd in ſolo Papa plenitudo reſidet poteſtatis, *ca. Ad honorem ſupra de uſu palii*, contra quam ſcribere non intendo, ex his, quæ leguntur, & notantur *in c. Propoſuit infra de conceſſio præb.*

8 Tu dicas Papam de honeſtate non debere Cardinalem deponere, vel alia ardua expedire ſine fratrum conſilio; unde *in cap. un. de ſchiſmat. lib. 6.* ſic legitur, *De fratrum noſtrorum conſilio depoſuimus à Cardinalatu, &c. & in cap. Ad Apoſtolicæ, de re judic. eod. lib.* depoſitio Henrici Imperatoris legitur facta cum fratribus noſtris, & Sancto Concilio, deliberatione præhabita diligenti; *& in cap. 1. de renunc. eod. lib.* Cœleſtinus depoſuit ſeipſum renunciando Papatui deliberatione habita cum ſuis fratribus S.R.E. Cardinalibus. Sed de plenitudine poteſtatis Papa poteſt proculdubio ardua expedire, & Cardinalem deponere ſine ulla requiſitione fratrum. Ita Alex. de Nævo *hic num. 12.* Communis enim concluſio habet Papam poſſe ardua explicare etiam Cardinalibus inconſultis, ut teſtatur Gemin. *in cap. Super eo circa med verſ. Communis concluſio*, Dec. *in rubr. de Conſtitut. in 2. lect. num. 10.* & ante eum Felin. *ibi num. 2 verſ. Sed quod imò Papa*, ubi hanc partem juribus, & rationibus comprobat, & plurimos cumulat idem ſentientes, & contrariam opinionem dicit procedere de honeſtate, prout etiam loquitur textus *in cap. Per venerabilem, §. Rationibus infra qui fil. ſint legit.* in quo tantam vim faciunt Abbas *nu. 4. verſ. Sed tu vide textum optimum*, & Philipp Franc. *in d. c. Super eo circa fin. verſ. Et videtur de hoc, de hæret. lib. 6.* Et prædictis adde, quòd in noviſſima Conſtitutione Innocentiana, de qua infrà *num. 22.* ubi agitur etiam de imponenda pœna privationis dignitatis Cardinalatus, legitur infraſcripta clauſula, videlicet, *Perinde ac ſi in Conſiſtorio noſtro ſecreto de eorumdem venerabilium fratrum noſtrorum conſilio, & unanimi aſſenſu emanaſſent.*

De his tamen conſule Cardin. Paleott. *in tract. de Sacr. Conſiſt. conſult. par. 1. qu. 3.* ubi per octo diſtinctos articulos de hac materia luculenter diſſerit.

Tertiò nota ibi, *Canonicè eſt depoſitus*, Cardinalem 9 in ſuo titulo non reſidentem eſſe priùs legitimè commonendum, ut redeat, ut hìc, *& in cap. Inter quatuor, & cap. ult. infrà eod.* aliàs quantumcumque vagabundus diſcurrat, non eſt privandus, ut infrà, *cap. Ex tua*, & tenet hìc gloſſ. *ult.* Hoſt. *nu. 4. in ver. Canonice.*

Quartò nota ibi, *Contra Canonum inſtituta*, ex Sacro- 10 rum Canonum præſcripto Cardinalem teneri in ſuo titulo, & ſic in Romana Curia reſidere, ut hìc patet, & notant Hoſt. *in princip.* & Joan. Andr. *num. 1. ver. Inſtituta*, Abb. *in 3. notab.* & alii communiter. Quare inde abſcedere non poteſt ſine licentia Papæ, cùm habeat alas ligatas, ut inquit Præpoſ *in cap. Filium veſtrum, n. 1. & 2. quæſt. 1.* poſt Hoſt. *in cap. Bonæ, il 1. num. 1. ſupra de poſtul. Prælat.* & ſequitur Sarnen. *in reg. de impetr. benefi. vac. per obitum famil. Cardin. qu. 17. num. 4.* & conſtat ex conſtitutionibus, de quibus infrà *in ult. notab. à num. 19. uſque in fin.* Cujus aſſertionis multiplex ratio reddi poteſt.

Prima ratio, quia Cardinalis in ſuo titulo curam habet 11 animarum tam fori pœnitentialis, quàm contentioſi, *c. His quæ*, & ibi plenè ſcripſi ſuprà *de major. & obed.* & propterà iſte Cardinalis ſancti Marcelli dicitur hìc deſeruiſſe Parochiam ſuam, ſcilicet titulum, cùm eſſet Presbyter Cardinalis, ut hìc per Abb *in 3. notab.* omnes autem, quibus animarum cura commiſſa eſt, tenentur in ſuis Eccleſiis perſonaliter reſidere, *cap. Quia nonnulli, & cap. Relatum infrà eodem, cap. Extirpandæ, §. Qui verò de præben.* Concil. Trident. *ſeſſ. 23. cap. 1.*

Secunda ratio, quia ut inquit Innocentius III. *in c. Per* 12 *venerabilem, §. Rationibus infrà qui fil. ſint legit. Sunt autem Sacerdotes Levitici generis fratres noſtri* (ſcilicet Cardinales, ſecundùm communem expoſitionem) *qui nobis jure Levitico in executione Paſtoralis officii coadjutores exiſtunt*, & ut legitur in Conſtitutione Sixti V. quæ incipit, *Poſtquam verus, in prœm. to. 2. Bullar. pag. 560. Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales repræſentantes perſonas SS. Apoſtolorum, dum Chriſto Salvatori regnum Dei prædicanti, atque humanæ ſalutis myſterium operanti miniſtrarent, eidem Pontifici in executionem Sacerdotalis officii, & in dirigenda ipſa Eccleſia Catholica, cui præeſt, conſiliarii, & coadjutores aſſiſtunt.* Hæc ibi. Quamobrem cum Summo Pontifice orbem judicant, & diſponunt, ut per illum textum dixerunt Hoſt. *hìc num. 3. verſ. Sed*, & cum eo Joan. Andr. *num. 2.* & reliqui poſt eos, & ut verbis Oldradi utar *in conſ. 48. jus commune, num 1.* Cardinales aſſumunt partem ponderis diei, & æſtus, ſicut illi, qui in partem ſolicitudinis ſunt vocati, & de quorum conſilio Summo Pontifex agenda ordinat, & diſponit, *cap. Fundamenta, §. Decet de elect. lib. 6.* quod fuſius proſequere, ut in prælleg. Sixti V. Conſtitutione. Quæ omnia nequaquam ab iis præſtari, & impleri poſſunt, qui Summo Pontifici perſonaliter non aſſiſtunt, & à conſpectu ſunt remoti, Sarnen. *dict. qu. 17. num. 5.*

Tertia ratio, quia Cardinales ſunt membra, & pars 13 corporis Papæ, *l. Juriſperitos, ff. de excuſ. tutor. l. Quiſquis*, ibi, *Senatores etiam, nam & ipſi pars corporis noſtri ſunt, C. Ad leg. Jul. Majeſt. cap. Si quis 6. q. 1. cap. Felicis de pœnis lib. 6.* Hoſt. *hic num. 3.* Abb. *eod. num. verſ. Sunt enim Cardinales*, Oldrad. *d. conſ. 48. in fin.* & conſtat ex præcitata Conſtitutione Sixti V. ubi Cardinales dicuntur Summo Pontifici aſſiſtere, quaſi oculi, & aures, ac nobiliſſimæ ſacri capitis partes, & præcipua illius membra à Spiritu Sancto conſtituta; & ſic etiam ſunt Collaterales Papæ, 14 *cap. Excommunicatis ſuprà de offic. Leg.* Hoſtien. *in cap. Dilectus, il 1. num. 7. de præben.* Oldrad. *loco citato.* Ergo contra naturam rei eſt, ut ſe ab illius latere ſubducant: nam & à capite non licet membra recedere, *cap. Cùm non liceat ſuprà de reſcript.* Unde ut eleganter dixit Bald. *in cap. Bonæ,* 15 *il 1. nu. 5. de poſtul. Prælat.* Cardinales reſidentes in Curia æquiparantur ſtellis fixis, quæ non moventur, niſi motu orbis, ſic & Cardinales non moventur niſi motu Papæ, Sed Cardinales Legati, qui de licentia Papæ abſentes ſunt, æquiparantur conſtellationibus, ſive planetis, qui moventur motu proprio, nutu Dei, ſicut Legati nutu Papæ, ſequitur Sarnen. *in prælleg. qu. 17. num. 4. in fin.*

Fallit concluſio ſuperiùs firmata in Cardinalibus, qui 16
Ca-

Cathedralibus, & majoribus Eccleſiis prefecti ſunt: tales enim non excuſantur a reſidentia in prædictis Eccleſiis eo prætextu quòd reſideant in ſuis titulis, aut etiam in Epiſcopatibus quos habent propè Urbem, ut ſcripſi *in ca. Qualiter*, *num.* 22. *infrà eod.* & patebit infra *num.* 24. Quidquid contra incautè ſcripſerit Anaſtaſ. Germ. *de indult. Card.* §. *Tibi quoad vixeris*, *num.* 9.

17 Ultimò nota ibi, *In alienis uſque hodie demoratur*, unam legitimam cauſam deponendi Cardinalem à dignitate Cardinalatus, videlicet, ſi deſerto titulo, ſeu Parochia ſua, in alienis partibus demoretur, ſcilicet, tanquam vagus, Eccleſia ſua ſpreta, ut exponit Hoſt. *hic. in fin.* & Joan. Andr. *num.* 1. *in ver. in alienis*; captivis enim ſubvenitur, & non transfugis, *l. Inter*, *ff. Ex quibus cau. major.* & videtur hìc argumentum, quòd antequam deponatur, expectari debeat per quinquennium, ſicut fuit expectatus iſte Cardinalis S.
18 Marcelli, ut per Butr. *hic in* 3. *notab.* Sed dicendum eſt, quod hìc legitur de quinquennio, denotare facti contingentiam, aliàs enim tempus eſt arbitrarium, per id, quod habetur *in c. Quoniam frequenter*, §. 2. *ſupra*, *ut lit. non conteſt.* ſecundùm Joan de Anan. *hic n.* 2. & dicetur *in c. Ex tua*, *infrà eodem*.

19 Porrò adverſus Cardinales extra Romanam Curiam demorantes, aut ab ea recedentes ſine licentia, Pontifices Maximi ſanctiones diverſas ediderunt; Nam Leo X. in Conſtitutione incipien. *Sub pœna diſpoſitionis arbitrio*, edita in Concil. Lateranenſi, §. 28. *in Bullar. tom.* 1. *pag.* 474. ſanxit in hæc verba, *Et cùm Cardinalis officium in primis verſetur in frequenti Rom. Pontificis aſſiſtentia, & Sedis*
20 *Apoſtolicæ negotiis: propterea ſtatuimus, ut omnes Cardinales in Romana Curia reſideant, & qui ſunt abſentes, ſi in Italia, intra ſex menſes, ſi extra Italiam, infra annum à die publicationis præſentis Conſtitutionis revertantur; alioquin fructus beneficiorum, & omnium officiorum ſuorum emolumenta amittant, omnibuſque privilegiis generaliter, & ſpecialiter Cardinalibus conceſſis quamdiu abfuerint omninò careant: exceptis tamen illis, quos ratione officii ab Apoſtolica Sede injuncti, vel de Romani Pontificis mandato, aut licentia, vel juſto metu, aut quavis alia legitima cauſa impediente, vel ægrotationis, abeſſe contingat, privilegiis, indultis, & immunitatibus eiſdem Cardinalibus conceſſis, & in Bulla noſtra ſub data coronationis noſtræ contentis, & expreſſis, in ſuo robore nihilominùs permanentibus.*

21 Similiter Paulus III. edidit decretum conſiſtoriale, quo Cardinales jubentur reſidere in Romana Curia, quod ſi non fecerint, privantur ipſo facto durante abſentia omnibus indultis, & privilegiis, quibus alii Cardinales gaudent, & gaudere poſſunt, niſi cum expreſſa licentia Papæ apud Eccleſiam Metropolitanam, ſeu Cathedralem cui præſint, reſideant, ut refert Caputaq. *deciſ.* 86. *num.* 1. & 2. *part.* 2. & Anaſtaſ. Germon. *de indult. Cardin. d.* §. *Tibi quoad vixeris*, *num.* 18.

22 Sed & alia decreta prodierunt receſſum Cardinalium à Romana Curia ſine licentia Papæ prohibentia ſub diverſis pœnis etiam per Romanos Pontifices arbitrandis.

Noviſſimè verò emanavit conſtitutio S. D. N. Innocentii X. ſub datum Romæ ſub annulo Piſcatoris die 19. Februarii 1646. Pontificatus ſui anno ſecundo, quæ incipit, *cum juxta*, ſuper receſſu S. R. E. Cardinalium à ſtatu Eccleſiaſtico ſine licentia Summi Pontificis, & reditu eorum, qui ſine licentia hujuſmodi receſſerunt, ad Romanam Curiam: cujus tenorem per partes ſingulas compendiosè hìc referendum putavi. Dividitur ergo hæc Conſtitutio in octo partes.

In prima, ponitur conſtitutionis cauſa, nempè obligatio 23
Cardinalium reſidendi apud Papam in Romana Curia, decreta contra ſic recedentes edita, & illorum tranſgreſſores.

In ſecunda ibi, *Quia verò*, Cardinales, qui poſt Bullam non obtenta Papæ licentia ſe tranferent extra ſtatum Eccleſiaſticum, primò privilegiis, & indultis omnibus, etiam beneficia conferendi, penſiones, & fructus Eccleſiaſticos transferendi, & facultate teſtandi privantur, & ab ingreſſu Eccleſiæ interdicuntur, ultra alias pœnas arbitrio Papæ infligendas: mandaturque deveniri ad ſequeſtrum fructuum, officiorum, & beneficiorum, necnon penſionum, ac fructuum reſervatorum. Secundò, ſi infrà ſex menſes à die receſſus ad Curiam non redierint, privantur iiſdem fructibus arbitrio Papæ diſtribuendis. Tertiò, ſi non redierint infrà alios ſex menſes immediatè ſequentes, ultra memoratas pœnas privantur omnibus officiis, beneficiis, penſionibus, & fructibus reſervatis, ut ſuprà diſtribuendis.

In tertia ibi, *Cardinales autem*, Cardinales, qui ante Bullam ſine licentia Papæ extra ſtatum Eccleſiaſticum jam ſe tranſtulerunt, ſi infrà ſex menſes à die publicationis non redierint ad Curiam, primò interdicuntur ab ingreſſu Eccleſiæ, privantur facultate teſtandi, ac privilegiis, & indultis prædictis, necnon fructibus officiorum, beneficiorum, ac penſionum. Secundò, ſi non redierint infrà alios ſex menſes immediatè ſequentes, ipſis officiis, beneficiis, penſionibus, ac fructibus reſervatis privantur.

In quarta ibi, *Si autem Cardinales*, ſtatuitur, ut contra Cardinales, qui ante Bullam ſine licentia Papæ extra ſtatum Eccleſiaſticum jam ſe tranſtulerunt, aut poſt Bullam ſe transferent, ſi per alios tres menſes immediatè ſequentes, qui pro tribus canonicis monitionibus, ac peremptoriis terminis aſſignantur, & ſic in totum infra quindecim menſes ad Romanam Curiam non redierint, deveniri poſſit ad alias pœnas per Papam declarandas, etiam uſque ad privationem dignitatis Cardinalatus incluſivè.

In quinta ibi, *Ac demum*, Cardinalibus, qui de cætero ſine dictà licentia extra ſtatum Eccleſiaſticum ſe transferent, adimitur facultas ſubſtituendi Cardinalem, Prælatum, vel alium quemcumque in ſuis officiis, Legationibus, Præfecturis, Guberniis, Protectionibus, necnon adminiſtrationibus Tituli, vel Diaconiæ, aut etiam Epiſcopatus, & Eccleſiarum etiam Patriarchalium, ac beneficiorum quorumcumque, & caſſantur indulta ſuper his conceſſa.

In ſexta ibi, *Ab omnium*, declaratur ab antedictis penis non excuſari Cardinales prætextu ſervitii, aut juſſus etiam Imperatoris, & Regum, aut diſtantiæ locorum, niſi ex cauſa in corpore Juris clauſa, coram Papa
allegata, & expreſsè admiſſa. Præſervatur tamen Conſti- 24
tutio Urbani VIII. ſuper reſidentia Epiſcoporum etiam Cardinalium.

In ſeptima ibi, *Ac ulterius*, reſervatur Papæ abſolutio, & relaxatio earumdem pœnarum privativè etiam quoad Collegium Cardinalium Sede vacante.

In octava ibi, *Decernentes*, præmiſſorum obſervantia injungitur, decretum irritans apponitur, contrariis derogatur cum clauſulis admodùm urgentibus, Conſtitutio publicari, & illius tranſumptis fides adhiberi jubetur.

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS.

Ex Concilio Lateranen.

CAPUT III.

Quia nonnulli modum avaritiæ non imponentes, dignitates diverſas Eccleſiaſticas, & plures Eccleſias Parochiales, contra ſacrorum Canonum inſtituta, nituntur accipere, ut cùm unum officium vix implere ſufficiant, ſtipendia ſibi vendicent plurimorum: ne id de cætero fiat, diſtrictiùs inhibemus. Cùm igitur Eccleſia vel Eccleſiaſticum miniſterium committi debuerit, talis ad hoc perſona quæratur, quæ reſidere in loco, & curam ejus per ſeipſam valeat exercere. Quòd ſi aliter actum fuerit; & qui receperit, quod contra ſacros Canones accepit, amittat: & qui dederit, largiendi poteſtate privetur.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Dignitates plures, vel Eccleſiæ uni conferri non debent, & cur, & num. ſeqq.*
2 *Beneficia plura obtinens ex diſpenſatione, an teneatur pluries officium recitare.*
3 *Canonum inſtituta beneficiorum pluralitatem prohibentia, unde originem duxerint.*
4 *Beneficia perſonalem reſidentiam requirentia ſunt incompatibilia.*
5 *Beneficia ſimplicia obtinentes, an teneantur in Divinis deſervire per ſeipſos.*
6 *Collatio ſecundæ dignitatis, vel Parochialis, ex Lateranenſi Concilio an valeat, & num. ſeqq.*
7 Amittat *verbum an importet privationem ipſo jure, & num. ſeqq.*
8 Subjacet *verbum eſt latæ ſententiæ.*
9 *Dignitas quot modis accipiatur.*
10 *Dignitates in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis quale ſervitium requirant, & an eas obtinentibus liceat quotannis ultra tres menſes ab Eccleſia abeſſe, & num. ſeqq. uſque in fin.*
11 *Trident. Concil. decreta, cap. 3. ſeſſ. 21. & cap. 3. ſeſſ. 2. expenduntur, & conciliantur, & nu. ſeqq.*
12 *Dignitatum duo genera à Concilio Tridentino conſtituuntur in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis.*
13 *Dignitates habentes redditus ſeparatos à Capitulo, de jure communi non obbligant ad reſidentiam.*
14 *Nec ſunt incompatibiles cum aliis beneficiis reſidentiam requirentibus.*
15 *Fructus præbendæ dignitatum qualiter in diſtributiones ſint convertendi, & num. 21.*
16 *Diſtributiones quando accreſcant inſervientibus, vel applicentur fabricæ Eccleſiæ, & num. 21.*
17 *Jus accreſcendi in quibus dignitatum redditibus habeat locum.*
18 *Appellatio à converſione fructuum in diſtributiones, quando ſublata ſit à Concilio Tridentino.*
19 *Dignitatibus ſeparatos redditus habentibus poteſt Epiſcopus arbitrio ſuo competens ſervitium aſſignare.*
20 *Dignitates Cæſar auguſtanæ eodem jure cenſeri debent, quo aliæ, de quibus agitur à Concilio Tridentino ſeſſ. 22. cap. 3.*
21 *Et Archiepiſcopus poteſt illis congruum ſervitium ſtatuere, & diſtributiones pro tertia parte fructuum deductis penſionibus aſſignare.*

1 Q*Uia nonnulli*. Uni plures Dignitates, vel Eccleſiæ conferri non debent, & Eccleſia illi eſt conferenda, qui reſidere, & regere valeat per ſeipſum; aliàs perdet Eccleſiam, & donans conferendi poteſtate privabitur. Hoc dicit ſecundùm Joan. Andr. & omnes, & tria facit, ut dicebat Hoſt. ponit vitium, adhibet remedium, imponit pœnam. Ponendo vitium tria facit. Primò ipſum nominat. Secundò exemplificat. Tertiò reprobat.

Nota primò ex principio textus, quatuor rationes ob quas non debet Clericus eſſe pluralis in beneficiis Eccleſiaſticis. Prima eſt, quia hoc procedit ex fomite avaritiæ, quæ modum non habet, ut hìc, *& in cap. Sicut ii 47. diſt. in cap. Quid dicam 24. quæſt.* 4. Secunda, quia vix poteſt Clericus congruè in officio deſervire, & in duo diviſus plenam ſui non habet poteſtatem, ut ei, à quo ſtipendium recipit, pleniùs famuletur, dicit textus *in cap. Diverſis ſupra de Cleric. conjug.* Unde ſumitur argumentum, ut obtinens
2 plura beneficia ex diſpenſatione teneatur pluries officium recitare, ſi poteſt, ſecundùm Petr. de Anchar. *in 4. notab.* Hoc tamen communiter non ſervatur, ut inquit Imola *num.* 2. & Alex. de Nævo *in* 1. *notab.* quia diſpenſatus ad plura, videtur ex conſequenti diſpenſatus, ut in altero tantùm reſideat, & illi deſerviat, cùm in utroque reſidere non poſſit. Facit quod notatur *in cap. Quia in tantùm infra de præben. & in cap. Non poteſt*, in gloſſ. *in ver. Retinere, eodem tit. lib. 6.* Tertia ratio, quia ſic unus occupat ſtipendia plurium, & pauperes Clerici, qui poſſent hujuſmodi Eccleſias obtinere, ſtipendiis privantur. Ad hoc *cap.* 1. 16. *qu.* 7. Quarta, quia id obviat ſacrorum Canonum
3 inſtitutis, ut 21. *q.* 1. *per totam cum concord.* de quibus hìc in gloſſ. 2. Quæ quidem inſtituta originem duxerunt ab Apoſtolo dicente 1. ad Corinth 7. *Unuſquiſque in quo vocatus eſt permaneat apud Deum, cap.* 1. 21. *diſtin.* ſecundùm Hoſt. *num.* 7. Joan. Andr. *num.* 10. & Cardin. *in* 3. *notab.* Alias rationes prohibitæ pluralitatis recenſent Hoſt. Joan. Andr. Abb. & alii *in cap. Ad hæc*, & ibi dixi *in* 1. *notab. infra de præben.* & rationes decem congerit Rebuff. *in praxi benefic. in tit. de diſpenſ ad plur. ac num.* 2. *uſque ad num.* 21. & adde S. Thom. *quodlib.* 8. *art.* 15. & quod ſcripſi *in cap. Quia in tantum à num.* 3. *uſque ad num.* 14. *infrà de præb. & in cap. Dudum, il* 2. *in* 2. *notab. ſuprà de elect.*

Secundò nota ibi, *Eccleſiaſticum miniſterium*, non tantùm dignitates, ſed etiam alia beneficia Eccleſiaſtica perſonalem reſidentiam requirentia de jure communi eſſe incompatibilia. Quod intelligit Innocen. *in ver. Miniſterium*, ſive hujuſmodi reſidentiam requirant ex conſuetudine, ſive ex privilegio, vel ſtatuto, aut alio quovis modo legitimo. Et conſentiunt Hoſt. *num.* 7 & Joan Andr. *num.* 10. *ambo in eod. ver.* Hodie hoc eſt expreſſum in decreto Concilii Trident. *ſeſſ.* 24. *c.* 17. ibi, *Dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat.* Hanc materiam latiùs proſequor *in cap. Cùm jamdudum, & in cap. De multa infrà de præben.* ubi plenè videas, quæ beneficia hodie ſint incompatibilia, & quando per aſſecutionem ſecundi vacet primum ipſo jure. 4

Tertiò nota ibi, *Per ſeipſum*, in beneficiis Eccleſiaſticis Clericos teneri per ſeipſos deſervire, nec poſſe muneri ſuo ſatisfacere per ſubſtitutum, qua hic eſt actus, in quo cenſetur electa induſtria perſonæ, *l. Inter artifices, ff. de ſolut. cap. Quoniam Apoſtolica, de offic. leg.* & hanc regulam ex hoc textu eliciunt Butr. & Imol. ambo *num.* 3. & Alex. de Nævo *num.* 5. Contrariam regulam in beneficiis ſimplicibus conſtituit Lap. in pluribus allegationibus, quia cùm de generali conſuetudine perſonalem reſidentiam non requirant, oneri inſerviendi in Divinis poteſt per alium ſatisfieri, niſi ſecus in eorum fundatione cautum reperiatur: & illius allegationes Rota multoties ſequuta eſt; quinimò & S. Congregatio Concilii, ut plenè ſcripſi *in cap. Ut Abbates, num.* 62. *& ſeqq. ſuprà de ætat. & qualit.* Nec obſtat hæc Decretalis, quia loquitur in dignitatibus, & Eccleſiis Parochialibus, aut etiam ſecundùm Innocen. in beneficiis ſimplicibus ex conſuetudine, vel ſtatuto, aut alio jure ſpeciali requirentibus perſonalem reſidentiam, ut dictum eſt in præcedenti notab. & in his ſalvari poteſt opinio Anton. de Butr. & ſequacium. 5

Quartò nota ibi, *Amittat*, collationem ſecundæ Dignitatis, vel Beneficii Curati hoc jure inſpecto non valere, 6
prout hanc litteram intelligunt Butr. *num.* 5. Anchar *nu.* 5. & Imol. *num.* 3. *verſ. Item nota pœnam*, & ita ſecundùm eos verbum, *amittat*, importat privationem ipſo jure. Quod etiam voluit Abb. *in cap. Cum in cunctis, num.* 6. *verſ. Non obſtat ſuprà de elect.* dicens verbum, *amittat*, eſſe intelligendum ipſo jure, quia de illius ſignificatione eſt, ut non requirat actualem executionem, ſeu miniſterium alterius, ad inſtar verbi, *ſubjaceat*, quod ſimiliter eſt latè ſententiæ, ut notat gloſſ. *ult. in cap un. de injur. lib.* 6. & ſequitur Felin. *in cap Rodulphus, num.* 24. *in ver. Amittat ſuprà de reſcript.* Quibus videtur ſuffragari hæc littera ibi, *Quod contra ſacros Canones accepit, amittat*, quaſi dicat, quod de facto accepit, de facto amittat. Contrarium, videlicet recipientem plures Dignitates, vel beneficia curata non eſſe ipſo jure privatum, ſed privandum ſecundo, quod eſt incompatibile cùm primo, tenent hìc Abb. & Alex. de Nævo ambo *in ult. notab.* Card. *in conſ.* 3. *circa elucidationem, n.* 4. Caſſad. *deciſ.* 1. *in tit. de Conſtit.* Pro quibus facit, quia verbum, *amittat*, non ſonat in præteritum, ſed in futurum, niſi addatur, *ipſo jure*, gloſſ. *in l. Amiſſione*, §. *in ver. Relegati, ff. de Capit. dimin.* quam rarò invenies alibi ſecundùm Baldum ibi, Quem videas: tamen alia ſimilis videtur eſſe *in l. Si quis in tantum, in ver. Amittat, C. unde vi*, ut per Felin. *ubi ſuprà.* Quidquid tamen ſit, hodie hoc corrigitur per Decretalem, *de mult. infrà de præben.* ubi recipiens ſecundam Dignitatem, vel beneficium curatum, nec eſt privatus ipſo jure, nec privandus ſecundo, ſed eſt ipſo jure privatus primo. In hac tamen materia tu diſtingue quinque tempora, ut dixi *in cap. Referente in* 1. *q. infrà de præben.* 7 8

Gloſſa 1. ponit quot modis dicatur Dignitas. Dic ut in ea, & adde Archid. & Joan. Andr. *in cap.* 1. *de conſuetud. lib.* 6. & Bart. *in l.* 1. *C. de dignit. lib.* 12. Prout tamen accipitur 9

tur hic, *& in cap. De multa infrà de præben.* Dignitas eſt
adminiſtratio perpetua rerum Eccleſiaſticarum cum præ-
eminentia in gradu, ut dixi *in cap. Ad hæc à num.*20.*eodem
tit.* ubi plenè videas.
10 QUÆRO, quale ſervitium hodie requirant Dignita-
tes in Cathedralibus, vel Collegiatis Eccleſiis: & in ſpe-
cie, an Dignitates, de quibus agitur à Concilio Tridenti-
no *in cap.*3. *ſeſſ.*22. comprehendantur *in cap.*12.*verſ.Præte-
reà obtinentibus ſeſſ.*24.itaut illarum ſervitium ita ſit mode-
randum, ut eas obtinentibus non liceat quotannis ultra
tres menſes ab Eccleſia abeſſe.
11 Emerſerit hæc quæſtio in Eccleſia Cæſarauguſtana. Pro
cujus ſolutione procedendo juxta conſiderationes aliàs à
Sac.Congregatione admiſſas circa intellectum, & concor-
12 diam *cap* 3.*ſeſſ.*21.*& cap.*3.*ſeſſ.* 22. videtur animadverten-
dum, Concilium duo genera dignitatum, & officiorum
in Collegiatis Eccleſiis diſtinxiſſe, quod etiam animadver-
tit Navarr. *in Manual.cap.*27. Unum, earum dignitatum,
quæ participant de redditibus Menſæ Capitularis, de qui-
bus intelligitur *cap.* 3.*ſeſſ.* 21. Alterum, earum, quæ pro-
prios, & ſeparatos habent redditus, & nihil habent com-
mune cum Capitulo; quas etiam agnovit jus commune,
13 ut per Oldrad. *conſ.*150. & non obligant ad reſidentiam,
Hoſt. *in Summa tit. de Cleric. non reſid.*§.*Qualiter, num.*2.
14 *verſ. Item poſſunt eſſe Canonici*, poſſuntque retineri cum
aliis beneficiis requirentibus reſidentiam, *cap.Dudum, il* 2.
ubi Abb. *num.*9.*verſ. & facit optimè, de elect. & in cap. De
multa num.*21.*verſ.Secunda concluſio cum ſeqq.de præb.*Sta-
phil.*de litter.grat.tit.de ætat.& qualit. benefic.num.*44.*cum*
15 *ſeqq.* & de his intelligitur *cap.* 3.*ſeſſ.* 21. In utriuſque autem
dignitatibus non idem jus Concilium ſtatuiſſe, videre eſt
primò in ſeparatione tertiæ partis; quia in illis fit deductio
ex neceſſitate, quando nullæ ſunt diſtributiones quotidia-
næ, vel ita tenues, ut veriſimiliter negligantur. In his
fit etiam ceſſante hac ratione, & etiamſi diſtributiones eſ-
ſent tales, quæ veriſimiliter non negligerentur, dummo-
dò non aſcendant ad tertiam partem fructuum, & fit in
odium non reſidentium.
16 Secundò, in applicatione diſtributionum, quæ amittun-
tur; quia in illis diſtributiones non ſervientium accreſcunt
deſervientibus, in his applicantur fabricæ Eccleſiæ, aut al-
17 teri pio loco arbitrio Ordinarii. Et ratio diverſitatis inter
utrumque caſum non alia profectò reddi poteſt, quàm
quia ubi redditus ſunt communes, inter participantes ex
illis habet locum jus accreſcendi, ſeu non decreſcendi. Ubi
autem ſunt ſeparati, redditus qui amittuntur, nemini ac-
creſcunt, ſed Eccleſiæ applicantur, gloſſ. in Clem. 2. *in
ver. Pars dimidia*, ubi etiam Imol. *col. penul. numer.* 10.
Cardin. *in* §. *Ille verò num.*21. Vitalin. *n.* 15. *in fin. de ætat.
& qualit.* Felin. *in cap. Apoſtolicæ num.* 12. *de except.* Co-
18 varr. *variar. reſolut. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 7. Tertiò, in illis
Epiſcopus exequitur non obſtantibus appellationibus: in
his Concilium appellationes non ſuſtulit. Quartò, notan-
da eſt diverſitas in modo loquendi, quo Concilium de
utriſque diſponens utitur: nam illa tertia, quæ deducitur
vigore *cap.*3.*ſeſſ.* 21. expreſsè mandatur converti in diſtri-
butiones quotidianas dividendas inter dignitates, & cæ-
teros Divinis intereſſentes, juxta diviſionem ab Epiſcopo
faciendam: hæc, de qua *in ſeſſ.* 22. *cap.*3. dividitur in diſtri-
butiones Epiſcoporum arbitrio deſſignandas, ut ſcilicet
19 obtinentes Dignitates, ſi perſonaliter competens ibi ſervi-
tium quolibet die ſtatuto non impleverint, illius diei diſtri-
butiones amittant; cum credi poſſit non abſque conſilio fa-
ctum, ut in hoc Decreto *ſeſſ.*22. nullam mentionem habea-
mus de diſtributionibus quotidianis, neque de diſtributio-
nibus Horarum; ſiquidem de diſtributionibus quotidianis
expreſſit *in cap.*12.*ſeſſ* 24 §.*Diſtributiones verò*. Nec abs re
Patres Concilii Tridentini conſcii de qualitatibus harum
dignitatum, quibus plerumque varia onera juriſdictionis,
vel officiorum imminent, & ſcientes ſervitium, ad quod
de jure aliàs præſtandum tenerentur: voluerunt compe-
tens ſervitium ab illis requirere, quod ſignificat arbitrium
hominis potiùs, quàm rigorem juris; in quo arbitrio in-
nuerunt habendam eſſe rationem perſonarum, ibi, *Perſo-
naliter competens ſibi ſervitium*, ſecundùm primam editio-
nem Aldinam in folio majori. Alii enim codices habent,
competens ibi ſervitium. Tum onerum talibus dignitati-
bus imminentium, ibi, *quod ſi alicui ex prædictis*.
Ex quibus minùs videtur abſurdum hanc etiam differen-
tiam inter utriuſque generis Dignitates conſtituere, ut il-
læ, de quibus *in cap.*3.*ſeſſ.*21. ultra tres menſes juxta §. *Præ-
tereà d. cap.* 12. abeſſe non poſſint, teneantur ſingulis horis
intereſſe, & diſtributiones ex tertia parte deducta, pro
ſingulis Horis aſſignentur. Has verò, de quibus *in cap.* 3.
ſeſſ. 22. ſufficiat præſtare illud ſervitium, quod compe-
tens boni viri arbitrio judicabitur, etiamſi non expleat
numerum novem menſium, nec obliget ad ſingulas horas
Canonicas: & conſequenter pro ſingulis horis non ſint
aſſignandæ diſtributiones quotidianæ, ſed pro illis diebus,
& horis in competenti ſervitio comprehenſis. Cùm igi- 20
tur dignitates hujuſmodi Cęſarauguſtanæ ex ſententia Sac.
Congregationis eodem jure cenſeri debeant, quo cenſen-
tur aliæ, de quibus *in cap.* 3.*ſeſs.*22. declaratumque ſit Ar-
chiepiſcopum potuiſſe, & poſſe ipſis ſtatuere competens
ſervitium juxta primum decretum: competens harum di-
gnitatum ſervitium non videtur eſſe præcisè determinan-
dum ad novem menſes, & omnium, ſingularumque ho-
rarum intereſſentiam, juxta §.*Prætereà*. Nec urget, quòd
Conc. *in d.* §. *Prætereà*, generaliter loquatur, aptumque
ſit comprehendere obtinentes quaſcunque dignitates; quia
diſpoſitio generalis ſubſequens non refertur ad ea, de qui-
bus ſpecialiter ſupra cautum eſt, ad *l. Doli clauſula, ver-
bor. obligat.*
Itaque ad dubium videtur reſpondendum, Dignita- 21
tes, & officia obtinentes in prædicta Eccleſia non
comprehendi *in dict.* §. *Prætereà*, nec teneri illud ſervi-
tium præſtare ad eum modum, qui præſcribitur *d.* §. *Præ-
tereà*; ſed Archiepiſcopum poſſe ſervitium illis congruum
ſtatuere *ex cap.* 3.*ſeſſ.* 22. illudque pro muneribus, & one-
ribus ipſis dignitatibus incumbentibus moderari, ſimul-
que rationem habere habitantium extra clauſtrum, in
præſcribendis videlicet horis, quibus intereſſe quiſque
teneatur. Et juxta horas, & dies ſervitii ad hunc modum
determinatum dividendas eſſe diſtributiones in tertia
parte quorumcumque fructuum, & proventuum earum
Dignitatum, & officiorum deſumptas, deductis tamen
penſionibus, aliiſque legitimis oneribus, quamdiu dura-
verint. Quæ quidem diſtributiones ab iis, qui ſpeciali-
ter ſtatuto tempore non deſervierint, amittantur, & fa-
bricæ Eccleſiæ, aut alteri pio loco juxta Decretum
ejuſdem *cap.* 3. applicentur. Et ita Sac. Congregatio reſ-
pondit.

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS.

Alexander III. Eboracen. Archiepiſcopo.

C A P U T IV.

RElatum eſt nobis, quòd cùm in Lateranen. Concilio ſtatutum ſit, ut perſonæ tali Eccleſia vel beneficium Eccleſiaſticum conferatur, quæ reſidere in loco, & curam ejus per ſe valeat exercere; nonnulli ad Eccleſias præſentati hoc ſe poſſe affirmant, ſed efficere contradicunt: & infrà. Cùm igitur verba accipienda ſint cum effectu: tales ſi præſantati fuerint, non debent admitti, & admiſſi potuerunt amoveri; niſi fortè de licentia ſuorum Prælatorum, vel ſtudio litterarum, vel pro aliis honeſtis cauſis contigerit eos abeſſe: nec patrocinari debet eis appellationis diffugium, ſi conra hujuſmodi intentionem decreti fuerit interjectum.

SUM-

S U M M A R I U M.

1 *PRæſentatus ad Eccleſiam non confirmatus, ſi nolit reſidere, non inſtituitur, & confirmatus privatur appellatione remota.*
2 *Verba in quacunque diſpoſitione cum effectus ſunt accipienda.*
3 *Beneficia ſunt illis conferenda, qui velint, & poſſint reſidere, & curam per ſeipſos exercere.*
4 *Beneficium recipiens non intendens reſidere, vel intendens, donec aliud pinguius adipiſcatur, non dicitur canonicè promotus.*
5 *Prælatus inferior poteſt ex juſta cauſa impertiri licentiam Clerico à ſua Eccleſia abſcendi.*
Declaratur, num.7.
6 *Prælatorum appellatione veniunt etiam inferiores Epicopo.*
8 *Prælatus dicitur, qui habet in loco ordinariam juriſdictionem.*
9 *Prælatus largè dicitur quilibet Clericus habens curam animarum.*
10 *Beneficiatus ut licitè abeſſe poſſit, copulativé requiritur honeſta cauſa, & Prælati licentia, & n.29.*
11 *Prælati etiam in caſibus à jure permiſſis ſine juſta cauſa non diſpenſant contra jus.*
12 *Beneficiatus ut licitè abeſſe poſſit, requiritur Prælati licentia petita, & obtenta, & nu.29.*
13 *Et Prælato renuente poteſt adiri ſuperior, qui eum compellat licentiam concedere ſubſiſtente legitima cauſa.*
14 *Beneficiatus, ſi neceſſitas repentina occurrat, poteſt abſcedere etiam Prælato inconſulto, & num. 33. & ſeqq.*
15 *Licentia Epiſcopi an requiratur, ut beneficiati abeſſe poſſint temporibus à Concilio permiſſis.*
16 *Canonici ut abeſſe poſſint tribus menſibus à Concilio permiſſis, nec Epiſcopi, nec Capituli licentia, nec cauſa requiritur.*
17 *Epiſcopi ut æqua ex cauſa poſſint quotannis duos, vel tres menſes abeſſe, Papæ, vel Metropolitani licentia non exigitur.*
18 *Licentia an requiratur, ut docentes, vel ſtudentes in Theologia percipiant in abſentia fructus præbendarum ſuarum.*
19 *Dictio*, omninò, *quid importet.*
20 *Parochi etiam per duos, vel tres menſes abeſſe non poſſunt, niſi cauſa prius per Epiſcopum probata, ac de illius licentia in ſcriptis.*
21 *Dictio*, quandocumque, *comprehendit omne tempus.*
22 *Conſtitutio Epiſcopi, ut Parochi abeſse non poſſint ultra duos dies, valida eſt.*
23 *Statutum prohibens, ne quiſpiam Curatus ab Eccleſia abſit etiam unicum diem ſine Epiſcopi licentia ſub pœnis pecuniariis, non eſt contra Concilium Tridentinum.*
24 *Addendum tamen ſtatuto, ut detur facultas Vicariis foraneis concedendi talem licentiam.*
25 *Parocho licet abeſſe ſex, vel ſeptem dies ad inviſendum parentes ſenes, & pauperes.*
26 *Requiritur tamen licentia Epiſcopi, & n.32. & 49.*
27 *Parochus an poſſit abeſſe ſine Epiſcopi licentia ob ſolam diſtantiam loci ab Epiſcopo cum æqua diſcedendi cauſa, & num.29. uſque ad nu.50.*
28 *Et an habens juſtam cauſam abſcedendi per duos, aut tres menſes ſatisfaciat ſuæ conſcientiæ, ſi juret gravem ſe habere cauſam, & licentiam petat, licèt non obtineat, & num. 49. & ſeqq.*
29 *Parochus de jure communi abeſſe non poteſt etiam ex juſta cauſa ſine Ordinari licentia petita, & obtenta.*
30 *Licentia ſuperioris ubi requiritur, videtur eidem reſervata cognitio, an caſus ſit licitus.*
31 *Abſentia illicita Beneficiato non permittitur, etiam cum licentia.*
32 *Curatis inferioribus non licet abeſſe etiam per hebdomadam abſque licentia Epiſcopi in ſcriptis, & n.49.*
Parochus abeſſe non poteſt ſine licentia, niſi cauſa tantã requirat celeritatem, ut Epiſcopus conſuli non poſſit. Etiam per hebdomadam, num 49.
34 *Cauſa repentina an in foro conſcientiæ excuſet Parochum ab obtinenda licentia abeundi extra Parochiam, & num.45.*
35 *Abſentia quæ cenſeatur remota, arbitrarium eſt.*
36 *Cauſas abſentiæ repentinas Epiſcopus non tenetur Metropolitano ſignificare.*
37 *Caſus repentini æquiparantur neceſſitati, quæ non ſuccumbit legi.*
38 *Reſidentiæ decreta non ſunt amarè intelligenda.*
39 *Statuta Epiſcoporum, ne Parochi abſint ultra duos dies, licèt non ſint contra Concilium Tridentinum, ex iis tamen jubetur tolli pœna excommunicationis.*
40 *Excommunicatio non infligitur, niſi pro culpa mortali.*
41 *Parochi ab Eccleſia abſentes contra decretum Concilii Tridentini peccant mortaliter, niſi modicitas temporis eos excuſet.*
42 *Vicarii foranei licentia permittitur ſufficere, ut Parochus abeſſe poſſit in caſibus repentinis.*
43 *Vicarius foraneus non eſt ordinarius.*
44 *Vicarius Generalis an poſſit concedere Parocho licentiam abſcendi.*
45 *Parochus abſens ex cauſa repentina, ac neceſſaria, ſine licentia, an excuſetur in foro fori.*
46 *Epiſcopi judicium qualiter ſit informandum in cauſis abſentiæ Parochi.*
47 *Parochus abſcedens ſine licentia ex cauſa repentina non excuſatur à pœna, niſi aut ſtatim revertatur, aut Epiſcopum certiorem faciat.*
48 *Licentia debet præcedere, nec ſufficit tacita, ubi requiritur expreſſa.*
49 *Ignorantia juris non excuſat Parochum abſentem per hebdomadam, etiam ex juſta cauſa, ſine licentia Epiſcopi.*
50 *Juramento Parochi ſuper neceſſitate cauſarum abſentiæ non ſtatur.*
51 *Conſcientiæ ſuæ quis relinquitur in materia indifferenti, non autem in prohibita.*

R*Elatum*. Præſentatus ad Eccleſiam non confirmatus, 1
quem apparet nolle reſidere non inſtituitur. Et confirmatus ſine juxta cauſa non reſidens, privatur appellatione remota, Hoc dicit. Sunt duæ partes. In prima ponitur exceſſus. In ſecunda proviſio, ibi, *Cùm igitur*.

Nota primò, in quacunque diſpoſitione verba cum effe- 2
ctu eſſe accipienda, ut hìc in littera, *& in §. Hæc autem verba de pœnit, diſtin.* 1. *& in l.* 1. *§. Hæc autem verba, ff. quod quiſque jur. cum concord.* de quibus hìc per gloſſ. 3. & Hoſt. *num.* 1. *in ver. Cùm effectus*. Nam rebus, & non verbis legem imponimus, *cap. Pſalmiſta* 23. *diſt. cap. In Canonibus, verſ. Cuſtodes chartarum ibid. qu.* 1. *l.* 1. *in fin. C. commun. delegat.* Ergo ut Abbas hìc dicit *in* 3. *notab.* rejiciendus eſt intellectus, qui ſolum ſervit de vento, & deſervit verbis, & non rei, ut *in cap. Commiſſa, §. Porro, de elect. lib.* 6.

Secundò nota, beneficia Eccleſiaſtica eſſe illis conferen- 3
da, qui velint, & poſſint reſidere, & curam per ſeipſos exercere, ut hic in littera, *& in cap. Quia nonnulli ſupra eodem*; unde deducit Hoſt. *hic num.* 2. *in ver. Amoveri*, ut ſi 4
quis recipiat Eccleſiam, vel Præbendam, non intendens reſidere, vel intendens, quouſque aliam pinguiorem poterit adipiſci, minùs Canonicè promoveatur. Simile *in cap. fin. infrà de condit. appoſ. & in c. Sicut vir.* 7. *qu.* 1. Ex tali enim animo ſequitur ambitio, *cap. Quia in tantùm, & in c. Cùm jamdudum infrà tit. prox.* licèt hujuſmodi peccatum per pœnitentiam aboleatur, arg. *cap. fin. infra de ſimon.* Et hæc dicta Hoſt. ſequuntur Joan. Andr. *num.* 3 *in ver. Amoveri*, & Card. *in* 3. *not.* De quo tamen dic plenius, ut habetur *in d. cap. Commiſſa, §. Cæterum, de elect. lib.* 6.

Tertiò nota, non tantùm Epiſcopum, ſed etiam Præla- 5
tum inferiorem poſſe ex juxta cauſa impertiri licentiam Clerico, ut à ſua Eccleſia, vel beneficio abeſſe poſſit. Ad hoc *cap. Licèt Canone, in fine de elect. lib* 6 & tenent hìc Innoc. *in fine*, Hoſt. *nu.* 3. & communiter DD. ut teſtatur Abb. *num.* 4. & ſatis clarè deducitur ex hac littera, quæ non lo- 6
quitur de Epiſcopis, ſed de Prælatis, ibi, *ſuorum Prælatorum*, quorum appellatione veniunt etiam inferiores Epiſcopo, *cap. Cum ab Eccleſiarum*, ubi optimus text. *ſupra*

de

de offc. Ordin. cap. fin. infrà de regular. gloſſ. in Clem. 1. *in ver. Prælatum.*, *de elect.* plenè Abb. *in cap. 2. num. 16. de judic.*

7 Cæterùm etſi DD. ſimpliciter tranſeant, hoc tamen ego intelligo, ſi inferior Prælatus habeat proprium territorium, & juriſdictionem quaſi Epiſcopalem privativè ad Epiſcopum; alias enim abſcedendo, licentia non ab inferiori Prælato, ſed ab Epiſcopo petenda eſſet, ut meo tempore reſpondit S. Congregatio Concilii ab Archiepiſcopo Theatino conſulta, & ſæpè alias. Ad hoc gloſſ. notab. in Clem. 1. *in ver. Diœceſanis*, *de foro compt.* Et quod ſcripſi *in cap. Accedentibus infrà de exceſſibus Prælator. & in cap.*

8 *Significaſti ſuprà de offic. Archid.* Et videtur de mente Innocen. & Doctorum hic, quia ſtrictè & propriè Prælatus dicitur, qui habet in loco ordinariam juriſdictionem, ut *in d. cap. 2. de judic.* & ibi gloſſ. *ult.* & Abb. *d. num. 16.* licèt

9 latè ſumpto vocabulo, quilibet Clericus habens curam animarum dicatur Prælatus, ut probatur *in cap. Tua, de Cleric. ægrotan.* & minùs latè Prælatorum appellatione intelligantur etiam alii habentes prærogativam majorem ſine juriſdictione, ut Plebani, Decani, Archipresbyteri, & conſimiles, ut *in cap. 1. de ætat. & qualit. & in cap. Romana*, §. *Nec etiam, de foro compet. lib. 6.* Sed ſtrictè, ut prædixi, inferiores Epiſcopo non dicuntur Prælati, niſi habeant ordinariam juriſdictionem, & ad effectum, de quo agitur, niſi illam habeant excluſis Epiſcopis, juxta gloſſam præallegatam in d. Clem. 1. *de foro compet.* quam ibi ſequuntur Card. Anchar. & alii communiter.

10 Ultimò nota in verſ. *Niſi fortè*, ad hoc ut Clericus beneficiatus licitè abeſſe poſſit à beneficio, duo copulativè eſſe neceſſaria, videlicet honeſtam cauſam, & Prælati licentiam. Ergo ſola cauſa utcunque honeſta, & rationabilis ſine Prælati licentia, & diſpenſatione non ſufficit, ut *hic, & in cap. Non oportet, de conſecrat. diſt. 5. & in c. Magnæ de voto.* Sicut neque è converſo ſufficit licentia

11 Prælati ſine honeſta, & rationabili cauſa. Et eſt ratio, quia Prælati etiam in caſibus à jure permiſſis ſine juſta cauſa non diſpenſant contra jus, *cap. Inſtitutionis 25. q. 2. & cap. Dilectus*, & ibi dixi *de tempor. Ordin.* plenè Archid. *in cap. Licèt Canon. num. 3. verſ. Et ibi aſſertivè dixit, de elect. lib. 6.* Et hodie eſt expreſſum in decreto Concilii Trident. *cap. 18. ſeſſ. 25.*

Nec prædictis obſtat, quòd dum hæc Decretalis dicit, vel ſtudio litterarum, videatur velle, ut ſtudii cauſa beneficiatus abeſſe poſſit ſine alia licentia, ponderando disjunctivam, *vel*, quæ facit caſum diverſum à præcedenti. Sicut de copula not. gloſſ. *rubr. ff. de jur. & fact. ignoran.* Etenim verba illa, *de licentia Prælatorum*, referri debent ad ſequentes caſus de ſtudio, & de aliis honeſtis cauſis. Et poſteriora verba, *vel ſtudio litterarum, &c.* debent intelligi expoſitivè, non autem disjunctivè, ut poſt gloſſ. *penult.* declarat Hoſt. *num. 3. in ver. Suorum*: dicens hunc eſſe verum intellectum, & Card. *num. 6. in 2. oppoſ.* Et hic ſenſus facilè percipitur legendo litteram ordine inverſo, videlicet, *Niſi fortè aut ſtudio litterarum, aut pro aliis honeſtis cauſis contigerit eos abeſſe de licentia ſuorum Prælatorum*. Simile *in cap. De cætero infrà eodem.*

12 QUÆRO, an ut beneficiatus licitè abeſſe poſſit, ſufficiat Prælati licentia petita, licèt non obtenta.

Reſp. non ſufficere, ut probatur *in cap. Non oportet, il primo*, & ibi gloſſ. *penult. de conſecr. diſt. 5. & cap. Cùm ex eo, de elect. lib. 6.* Ubi enim lex requirit licentiam ſuperioris, duo intelligitur requirere, id eſt, ut petatur, item ut obtineatur, *l. 2.* juncta gloſſ. *C. de in jus vocan.* Et hanc eſſe generalem regulam dicit Ripa *in tractat. de Peſte, in tit. de privileg. contract. nu. 140.* poſt Jaſ. *in §. Pœnales col. 3.* per illum textum *inſtitut. de action.* Unde non ſufficit petita niſi in caſu in jure expreſſo, ut *in cap. Licèt infrà de regular.* ut hìc per Cardin. *num. 4. in 4. notab.* & Abb. *num. 5.* Et eſt ratio, ut dicam infrà *n. 28. & ſeqq.* Nec refragatur, quòd jura nonnunquam exprimant licentiam petitam, & obtentam, ut *in c. Religioſus, de teſtam. lib. 6.* & in Clem. *un. eod. tit.* Etenim hoc faciunt ad majorem declarationem, quia in caſu illo controverſum erat apud Doctores, an Religioſus poſſet eſſe executor teſtamenti de licentia ſui Superioris petita, licèt non obtenta. Ad quam dubitationem ſubmovendam facta eſt illa expreſſio, ut not. gloſſ in

13 dict. Clem. *in ver. Obtenta.* Quòd ſi Clerico poſtulanti Prælatus renueret licentiam impertiri, poſſet haberi recurſus ad ſuperiorem ipſius Prælati; & ſubſiſtente rationabili cauſa, poſſet idem ſuperior Prælatum compellere ad eam concedendam, arg. *cap. Nullus de jurepatr.* ſecundùm Abb. *hic nu. 6. verſ. Sed diceres tu*, & Ripam *de Peſte in d. tit. de privilegiis contractuum n. 139.* & cenſuit S. Congregatio Concilii, ut dixi *in cap. Licèt nu. 7. infrà tit. prox.*

Cæterum ſi neceſſitas ſubitò occurreret, beneficiatus 14
poſſet abſcedere, etiam ſuo Prælato inconſulto: nam multoties tempus, ſeu locus non patitur licentiam peti. Ad hoc *l. 1. ff. de exercit. action. & l. Tutor qui repertorium, ff. de administr. tutor.* & tenent Doctores *in c. Inter quatuor infrà eod.* Ripa *loco cit.* & Abb. *hic num. 6. verſ. Item adde.* Quod tamen intellige, ut dicam infrà *n. 33. & 45.*

QUÆRO ſecundò, an temporibus à Concilio Tri- 15
dentino permiſſis beneficiati abeſſe poſſint ſine Epiſcopi licentia.

Pro ſolutione diſtingue: Aut agitur de obtinentibus 16
Dignitates, Canonicatus, Præbendas, vel portiones in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis. Et hoc primo caſu jam reſpondit Sac. Congregatio, ut prædicti abeſſe poſſint tribus menſibus à Concilio permiſſis, *in c. 12. §. Prætereà ſeſſ. 24.* nec Epiſcopi, nec Capituli licentiam, nec cauſam requiri. Circa quod tamen vide quæ ſcripſi *in d. cap. Licèt à n. 48. & præſertim nu. 52. infrà tit. prox.*

Aut agitur de Parochis, & aliis obtinentibus beneficia, 17
quibus cura animarum incumbit. Et in his difficultas emergit, quia Concilium *in d. c. 1. ſeſſ. 23. in verſ. Quoniam*, declarat Epiſcopis licere duos, aut tres menſes ſingulis annis abeſſe à ſuis Eccleſiis, cùm ex veterum Canonum ſententia, qui aliquantiſper tantùm abſunt, non videantur abeſſe. Manifeſtum eſt autem, ut Epiſcopi hos tres menſes abeſſe poſſint, Summi Pontificis, aut Metropolitani licentiam non requiri; quia Concilium etſi præcipiat legitimas abſentiæ cauſas eſſe à Romano Pontifice, vel Metropolitano examinandas; tamen cauſam in prædictis tribus menſibus abſentiæ dicit tantummodò debere æquam eſſe, eamque abſcedentium conſcientiæ relinquit, quam ſperat religioſam, & timoratam fore, cùm Deo corda pateant, cujus opus non fraudulenter agere ſuo periculo tenentur. Itaque ut Epiſcopi duos, vel tres menſes abeſſe poſſint, non requiritur, ut cauſa ſit probata à ſuperioribus, & conſequenter alia licentia non exigitur, cùm id faciant authoritate illius Decreti. Ad hoc gloſſ. *in c. Super* 18
ſpecula, in ver. De licentia, infrà de magiſtr. ubi cùm textus dicat, docentes, & ſtudentes in Theologica facultate per annos quinque percipere debere de licentia Sedis Apoſtolicæ proventus præbendarum ſuarum, gloſſa exponit illud verbum, *licentia*, id eſt generali, conceſſa authoritate illius Conſtitutionis, itaut non ſit neceſſe aliam indulgentiam impetrare. Simile *in cap. Non debere 80. diſtin. in c. Cunctis 16. qu. 1. & in cap. Quoniam 100. diſt.* cum aliis allegatis in gloſſa. Ergo idem videtur dicendum de Curatis inferioribus; quia quæ fuerunt diſpoſita de Epiſcopis, Concilium ad inferiores Curatos extendit in illis verbis, *Eadem omninò etiam quoad culpam, fructuum amiſſionem, & pœnas de Curatis inferioribus SS. Synodus declarat, & decernit.* Maximè ponderando illam dictionem, *omninò*, 19
quæ idem importat quod, *totaliter*, ut per Joan. Andr. *in cap. Si beneficia, de præb. in 6. & in omni caſu*, ſecundùm Bart. *in l. Græcè, §. poſt litem, ff. de fidejuſſor.* Quas ſignificationes, præter alias plures, ponit etiam Felin. *in c. Ex parte, il primo, in princip. verſ. Dicunt hic Moderni, de offic. deleg.*

Sed his non obſtantibus, tenendum eſt inferiores Cura- 20
tos non poſſe ab Eccleſia abeſſe, etiam per illum ſpatium duorum, vel trium menſium ſine licentia Epiſcopi in ſcriptis obtenta. Quia Decretum *cap. 1. ſeſſ. 23. in verſ. Eadem*, etſi totaliter extendat diſpoſita circa reſidentiam Epiſcoporum ad Curatos inferiores; tamen immediatè ſubnectit limitationem his verbis, *Ita tamen ut quandocunque eos, cauſa priùs per Epiſcopum cognita, & probata, abeſſe contigerit, Vicarium idoneum relinquant. Diſcedendi autem licentiam in ſcriptis, gratiſque concedendam ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſa, non obtineant.* Ponde- 21
ra primò illam dictionem, *quandocunque*, quæ comprehendit omne tempus, & conſequenter etiamſi contigerit Parochos abeſſe duos, aut tres menſes, oportebit cauſam priùs cognoſci, & approbari ab Epiſcopo. Deinde pondera ſequentia verba, quæ apertè innuunt abſcedendi li-

licentiam eſſe omni tempore in ſcriptis, & gratias conce-
dendam: *Sed ultra bimeſtre, nonniſi ex gravi cauſa.* Quæ
cùm ita ſint, non licet inferre ab Epiſcopis ad inferiores
Curatos, in quibus verba Concilii clara non admitunt in-
terpretationem, ſeu voluntatis conjecturam, *l. Licèt Impe-
rator, ff. de legat.* 1. Abb. *conſ.* 97. *Viſo inſtrumento nu.* 1. *verſ.
Et primò quia lib.* 2. Atque ita ſemper intellexit hoc Decre-
22 tum S. Congregatio; imò conſulta, an valeat conſtitutio
Epiſcopi, ut Parochi non poſſint abeſſe ultra duos ſine li-
23 centia; reſpondit valere. Quin etiam cùm Epiſcopus Bri-
xien. eſſet editurus conſtitutionem prohibentem, ne quiſ-
piam Curatus abeſſet à ſua Eccleſia etiam unicum diem
ſine ejus licentia ſub pœnis pecuniariis; & Parochi ejus
diœceſis dubitaſſent, an id Epiſcopo liceret, cùm ex Con-
cilio *cap.* 1. *ſeſſ.* 23. quia pauliſper abeſt à ſua Eccleſia, non
videatur abeſſe: Sac. Congregatio cenſuit non poſſe decla-
rari tale ſtatutum eſſe contra Concilium, quod videtur vel-
le, ne paulum poſſit abeſſe Rector abſque licentiam Epiſco-
pi, etiam per unum diem.

24 Expectandum tamen, ut Epiſcopus edat Conſtitutio-
nem, quæ ſi erit cum aliquo temperamento, poterit per-
mitti; ſin minùs, S. Congregatio curabit addi, ut alicui
ex Vicariis foraneis detur facultas concedendi talem licen-
tiam.

25 Nec prediƈtis adverſatur, quòd cùm Parochus quidam
Oriolen. poſtulaſſet declarari, an liceret ſibi à ſua Eccleſia
ſex, vel ſeptem dies abeſſe viſendi cauſa ſuos parentes ſe-
nes, & pauperes, incolentes locum diſtantem per dietam à
26 Parochiali; reſponſum fuerit licere; ſi quidem S. Congre-
gatio tunc conſulta fuit tantumodò ſuper cauſa abſentiæ;
& ad conſultationem reſpondens, exiſtimavit cauſam illam
eſſe æquam, & qualem exigit Concilium *in d. cap.* 1. *ſeſſ.* 23.
ibi, *Dummodò id æqua ex cauſa fiat.* Sed de licentia nihil fuit
quæſitum. Unde hoc reſponſum intelligi debet de licentia
Epiſcopi, juxta declarationes aliàs editas.

27 QUÆRO tertiò, an ob ſolam diſtantiam loci ab Epi-
ſopo cum æqua diſcedendi cauſa Parochus poſſit abeſſe à
ſua Eccleſia ſine licentia in ſcriptis obtenta.

28 Anve habens juſtam cauſam abeundi extra Parochiam
per duos, aut tres menſes, ſatisfaciat ſuæ concientiæ, ſi pe-
tat licentiam, jurans gravem ſe habere cauſam, quam non
expediat manifeſtare, ut ſic petita licentia abeſſe poſſit, li-
cèt Epiſcopus non concedat.

29 Pro ſolutione dubii præmittendum, Curatos ex diſpo-
ſitione juris communis non poſſe à reſidentia abſcedere,
etiam ex juſta cauſa, ſine licentia Ordinarii, ut eſt textus
hìc, ubi not. Abb. *num.* 1. poſt gloſſ. *in c. Præſentium, & c. Si
quis in Clero* 7. *qu.* 1. & diƈtum eſt ſuprà *in ultimo notabili*,
nec ſufficit licentiam fuiſſe petitam, niſi obtenta fuerit, *cap.
Tua*, ubi Abb. *num.* 3. *infrà eod.* & pariter eſt diƈtum ſuprà
30 *in qu.* 5. *num.* 12. Ratio eſt, quia ubi requiritur Superioris li-
centia, videtur illi reſervata cognitio, utrum caſus ſit lici-
tus, Abb. *in cap. Ut ſuper nu.* 17. *de rebus Eccleſ. non alienan.*
quaſi jus voluerit occurrere, ne quid indiſcretè agatur, &
31 providere etiam in caſibus licitæ abſentiæ; nam illicita ab-
ſentia non permittitur etiam cum licentia, ut hìc per Abb.
num. 1. & conferunt tradita per eundem Abb. *in cap. fin. n.* 5.
cum ſeqq. de Eccleſ. ædifican.

Hanc juris communis diſpoſitionem Concilium Tri-
dentinum non ſolùm probavit ſuis decretis, ſed expreſſiùs,
& arƈtiùs ſtatuit Epiſcopos, & inferiores Curatos non
poſſe à ſuis Eccleſiis abeſſe, niſi ex certis cauſis, & modis
explicatis *in cap.* 1. *ſeſſ.* 23. ubi quamvis Epiſcopis indulgea-
tur aliquanto longius abſentiæ tempus, ibi, *Duos, aut ad
ſummum tres menſes*, & relinquatur eorum conſcientiæ ju-
dicium ſuper æquitate cauſæ, nec requiratur licentia pro
diƈto tempore, ut oſtenſum eſt ſuprà *n.* 17. inferioribus ta-
men Curatis viſum eſt non eſſe idem indulgendum. Ideò-
que poſt *verſ. Eadem omninò*, adjeƈta fuit reſtriƈtio in *verſ.*
32 *Ita tamen*, ut dixi latiùs *in præced. quæſt. nu.* 20. Unde infer-
tur non valere argumentum in prædiƈtis: Hoc licet Epiſco-
pis per Concilium; ergo & inferioribus. Hinc S. Congre-
gatio cenſuit non poſſe Parochos etiam per duos menſes,
imò nec per hebdomadam abeſſe abſque licentia Epiſcopi,
quæ cauſa cognita, & in ſcriptis concedenda eſt.

33 Quibus præmiſſis, ad primum dubium reſpondetur, non
poſſe, niſi cauſa gravis, & neceſſaria immineret, quæ tan-
tam celeritatem requireret, ut Superior pro licentia conſuli
34 non poſſet. Quia ſola diſtantia, aut caſus repentinus non
relevat à petitione licentiæ, argumento eorum, quæ de
conſenſu Superioris requirendo in alienatione rerum Ec-
cleſiæ, tradit Abb. *in cap. fin. num.* 8. *de Eccleſ. ædifican.* &
cumulat Redon. *in tract. de reb. Eccleſ. non alienan. fol.* 271.
& fol. 308. *num.* 9. Nam etiam de jure illa tantùm abſentia
remota excuſat, quæ habetur pro impotentia, Bellam. *deciſ.*
662. *nu.* 1. facit *cap. Sciſcitatus de reſcript.* Quæ autem ab- 35
ſentia cenſeatur remota, arbitrarium eſt, ſecundùm gloſſ. 1.
in cap. un. ne Sede vacam. in 6.

Non obſtat Concilium *in diƈto cap.* 1. *ſeſſ.* 23. ibi, *Niſi cum
abſentia inciderit*, ubi videntur excipi cauſæ notoriæ, & 36
repentinæ, ut eas nec ſignificari quidem ſit neceſſe. Quia
illud ſpeciale eſt in abſentia Epiſcoporum, quibus, ut præ-
miſſum eſt, plus indulgetur, quàm inferioribus. Et illæ
cauſæ non aptantur ad inferiores, ut patet ibi, *Propter ali-
quod munus Epiſcopatibus adjeƈtum*. Imò retorquetur ar-
gumentum: Nam ſi neceſſe fuit ponere hanc exceptionem
in Epiſcopis, ut excuſentur; cùm non ſit eadem repetita
in inferioribus, quoad ipſos manebit regula, de qua in
verſ. Ita tamen.

Hæc autem ſuprapoſita Regulæ exceptio circa celerita-
tem defendi poteſt, argum *l.* 1. *in princip. de exercit. act.* &
eſt de mente Hoſtin. & aliorum *in cap. Inter quatuor infrà
eodem*, & præſertim Abb. *hìc num.* 6. ut dixi ſuprà *num.* 14.
Quibus addo Affliƈt. *deciſ.* 289. *num.* 34. Felin. *in cap. Quere-
lam nu.* 11. *de jurejur. & in cap. Si pro debilitate, de offic. de-
leg. num.* 4. *in fine.* Ratio eſt, quia talis caſus æquiparatur ne- 37
ceſſitati, & neceſſitas non ſuccumbit legi, Felin. *in d. c. Que-
relam*, Dec. *in l. Quapropter neceſſitatem, de reg. jur.* Et quæ 38
ſtatuta ſunt de reſidentiam, non ita amarè intelligenda ſunt,
Cardinal. poſt gloſſam *in Clem.* 1. *quæſt.* 12. *numer.* 21. *de
foro compet.*

Nec aliter Decreta Concilii Sacr. Congregatio videtur 39
intellexiſſe, quando in nonnullis ſtatutis Epiſcoporum cir-
ca prohibitionem abſentiæ, etiam ad paucos dies, ut puta
duos, vel tres, deſideravit aliquod temperamentum, licèt
ſenſerit non poſſe talia ſtatuta declarari eſſe contra Conci-
lium, ut dixi ſuprà *num.* 23. *& ſeqq.* Et propterea ſuſtulit pœ- 40
nam excommunicationis impoſſitam adverſus eos, qui per
duos dies abfuiſſent: cùm alioqui legitimè imponatur, ubi
præſupponitur reatus peccati mortalis, 11. *q.* 3. *c. Nemo, & c.
Nullus*, quem reatum incurrunt abſentes contra Decretum
Concilii, *d. c.* 1. §. *Si quis autem*, niſi modicitas temporis ex- 41
cuſet. Hinc etiam S. Congregatio permiſit, ut caſibus re-
pentinis pro abſentia modici temporis ſufficeret licentia 42
Vicarii foranei, cùm alioquin Concilium requirat licen-
tiam Ordinarii, *d.* §. *Eadem omnino*; & Vicarius foraneus
non ſit Ordinarius, ſed ſolus Vicarius Generalis, ad not. per 43
gloſſ. & DD. *in cap. Romana in princip. de apellat. l. b.* 6. Imò
poteſt dubitari etiam de Vicario Generali, maximè exiſten- 44
te in diœceſi Epiſcopo, per *cap. de offic. Vicar. li.* 6. *& c. Cùm
nullus, de temp. Ordin. eod. lib.* & not per gloſſ. & Cardin.
in Clem. 1. §. *Volumus, de foro compet.*

Prædiƈta autem intelligenda videntur in foro conſcien-
tiæ reſpeƈtu cauſæ urgentis, & difficultatis petendi licen- 45
tiam utrum excuſent à peccato. At in foro fori ita demum
videntur excuſari à pœna amiſſionis fruƈtuum abſentes ſi-
ne licentia, ſi de gravi cauſa, & repentina, ut non potuerit
peti licentia, ipſi Epiſcopo deinde conſtiterit; quia neq; hoc
caſu relinquendi ſunt conſcientiæ ſuæ, cui Concilium non
admodùm confidit. Informabit autem Epiſcopus judicium 46
ſuum, ut notat Abb. *hìc n.* 6. conſiderata qualitate cauſæ,
præjudicii, & difficultatis petendi licentiam. In quibus om-
nibus ſtatur arbitrio judicis, prout in cauſa gravi diſcernen-
da dicit Felin. *in d. cap. Si pro debilitate num.* 4.

Hæc cautela ad obviandum malitiis neceſſaria eſt, &
quodammodò exemplo Concilii edocetur adhibenda: nam
ſicut de licentiis conceſſis à Metropolitano, vel ſuffraga-
neis in Conc. Provinciali judicatur; ita inferiores Curati
licentiati à jure ex cauſis legitimis, nihilominùs expeƈtare
debent Epiſcoporum ſuorum judicium ſuper neceſſitate,
& qualitate earundem cauſarum. Ad Felin. ubi ſuprà *n.* 5.

Nec excuſarem iſtos à pœna, niſi brevi tempore redirent 47
ad reſidentiam, Joan. Andr. *in d. c. Inter quatuor*, aut cùm
primùm potuerint, Ordinarios ſuos de abſentia, & cauſis fa-
ciāt certiores: nam ceſſantes inciperent eſſe in culpa. Quòd
ſi dicatur, quid ergo juvat imminens neceſſitas cum diffi- 48
cultate, aut impotentia adeundi Ordinarium pro licentia?
Reſpondetur, multùm, quia aliàs etiamſi ſubeſſet cauſa ne-

neceſſaria, propter quam Epiſcopus conceſſurus fuiſſet licentiam diſcedendi; nihilominus abſens ſine licentia puniretur ex præmiſſis, cum licentia præcedere debet, *cap. Licèt, de regul. jur. in 6.* Hoſt. & Joan. Andr. *in cap 1. De his, quæ fiunt à Prælat.* & ubi requiritur licentia, debet eſſe expreſſa, nec ſufficit tacita, Caputaqu. *deciſ. 110. n. 7.*

49 Ad primam partem ſecundi dubii reſpondetur, ſtante reſponſione ad primum, non poſſe etiam per hebdomadam Parochum abeſſe abſque licentia in ſcriptis obtenta ex diſpoſitione juris communis, & verbis expreſſis Concilii *dict. cap. 1.* & alias reſponſum fuit a Sac. Congregatione, ut dictum eſt ſuprà *num. 32.* Et conſequenter abſentem ſine licentia, licèt ex juſta cauſa, debere ſuæ conſcientiæ conſulere, quòd tranſgrediendo Decretum Concilii graviter offendit, *cap. 2. de majorit. & obed.* ſive ex ignorantia juris, quæ non excuſat, Reg. *Ignorantia, de regul. jur. in 6.* præſertim quando lex reſiſtit prohibendo, Dec. *in reg. Non videtur facere, ff. eod. tit.* ſive ex contemptu, qui aggravat peccatum, ut not. Felin. *in dict. cap. 2.*

Non obſtat juramentum, quia illi ſtatur, cùm quæritur de jurantis conſcientia, *cap Si vero, de ſent. excommun.* non autem in præjudicium tertii, *cap. Cùm in jure peritus, de offic. deleg.* & multò minùs in præjudicium Eccleſiæ, cui præſentia ſui Rectoris ſubtrahitur. Ad Felin. *in d. c. Si pro debilitate n. 5.* ubi tenet allegantem impedimentum teneri illud probare, aliàs non ſtari ejus dicto. Quare cùm Epiſcopus debeat cognoſcere, & probare cauſam abſentiæ, non eſt ſtandum juramento aſſerentis ſe habere cauſam, quam non expediat manifeſtare, ex quo Concilium non reliquit hoc conſcientiæ Parochi abfuturi, nec ſumus in materia indifferenti, ſed potius expreſsè prohibita; quibus in caſibus non relinquitur quis conſcientiæ ſuæ, Card. *in Clem. 1. §. Sanè n. 2. de foro compet.* 50 51

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS.

Idem Alexander III.

CAPUT VI.

CONquerente nobis R. Presbytero accepimus, quòd G. Clericus ab eo, pro Eccleſia ſua, de qua vitæ neceſſaria vix poteſt percipere, annuatim viginti ſolidos extorquere conatur, aſſerens beneficium illud in eadem Eccleſia ſibi fuiſſe collatum: & infrà. Fraternitati tuæ mandamus, quatenùs ſi tibi conſtiterit, quòd dictus G. habeat Eccleſiaſtica beneficia ſibi ſufficientia, vel quòd eidem Eccleſiæ non deſerviat, ſibi ſuper præſcripto beneficio ſilentium, ſublato impedimento appellationis, imponas.

SUMMARIUM.

1 *REſidentiam non faciens in beneficio, etiam modicæ æſtimationis, illo privari debet.*
2 *Beneficium quantumcumque minimum de jure communi perſonalem reſidentiam requirit, & num. 18.*
3 *Solidorum appellatione veniunt uſuales.*
4 *Beneficia ſimplicia ex generali conſuetudine non requirunt reſidentiam, niſi aliud ſit inductum de jure ſpeciali.*
5 *Beneficia plura obtinens ad ſuſtentationem ſufficientia privari poteſt, ſicut non reſidens.*
6 *Et quid poſt Concilium Tridentinum.*
7 *Beneficiatus poſt collationem non poteſt opponere, quòd beneficium ſit tenue, ſed tempore collationis tantùm.*
8 *Horas Canonicas beneficiatus recitare tenetur, quantumcumque beneficium ſit tenue, & nullum omninò ſervitium requirat.*
9 *Quod procedit non modò ſi beneficiatus ſit dubius, ſed etiam ſi ſit omninò certus de tenuitate beneficii.*
10 *Capellania ea lege fundata, ut uſufructuariæ manutenere debeant Capellanum, qui omni die celebret, & reſideat in Eccleſia, an ſit ſacerdotalis, &c. & nu. ſeqq. uſque in fin.*
11 *Capellanus non tenetur celebrare per ſeipſum, niſi in fundatione cautum ſit, ut per ſeipſum celebret.*
12 *Reſidentiam facere in Eccleſia non Parochiali, nec Collegiata, an importet, ut Capellanus celebrare debeat per ſeipſum, & ſit actu Sacerdos.*
13 *Reſidentia etiam in beneficiis ſimplicibus de jure communi per alium impleri non poteſt.*
14 *Reſidentiæ onus intelligendum eſt cum effectu.*
15 *Parochus licèt teneatur ad reſidentiam, poteſt tamen per alium celebrare.*
16 *Reſidere nihil aliud eſt, quàm deſervire.*
17 *Reſidentia continua requirit ſervitium magis præciſum, num. 26.*
18 *Teſtator cenſetur ſe retuliſſe ad diſpoſitionem juris communis.*
19 *Relatio fit ad præcedentia cum omnibus qualitatibus.*
20 *Verba geminata oſtendunt magis enixam voluntatem.*
21 *Reſidentia ex vulgari uſu loquendi fundatorum intelligitur perſonalis.*
22 *Ad dignoſcendum, an Capella ſit Sacerdotalis, multum faciunt proviſiones ſubſequutæ.*
23 *Obſervantia longè poſt fundationem non poteſt eſſe interpretativa actus fundationis.*
24 *Fundationis qualitatibus non poteſt Ordinarius derogare, etiam de conſenſu patronorum.*
25 *Status ultimus non attenditur, ubi conſtat de contrario ſtatu præcedenti.*
26 *Capella ex eo, quòd Capellanus debet eſſe Præsbyter, eſt Sacerdotalis, ſed non propterea Sacerdos tenetur per ſeipſum celebrare.*
27 *Fundationis verba quando non reſpiciunt actum præſentationis, ſed illius proſecutionem, non requirunt Sacerdotium actu.*
27 *Beneficia Sacerdotalia exigunt ſolam habilitatem ad Sacerdotium.*
29 *Capellania Sacerdotalis poteſt conferri ſimplici Clerico in ea ætate conſtituto, ut infrà annum poſſit ad Sacerdotium promoveri, niſi aliud ex fundatione caveatur.*
30 *Verba habentia tractum ſucceſſivum non requirunt qualitatem actu, ſed ſufficit aptitudo.*
31 *Manutenere idem eſt quod alere, ac ſuſtentare.*
32 *Fundationis verba pro ſuſtentatione Clerici, qui Divinis inſerviat, non reſpiciunt actum præſentationis.*

COnquerente. Qui non reſidet in beneficio etiam modicæ æſtimationis, illo privari debet. Hoc dicit ſecundum omnes. Et ſunt duæ partes. In prima impetrantis querela. In ſecunda commiſſionis forma, ibi, *Fraternitati.* 1

Nota primò, ibi, *Viginti ſolidos*, beneficium quantumcumque minimum, putà viginti ſolidorum, ex quo habetur pro titulo, de jure communi perſonalem reſidentiam requirere, adeòut non reſidens beneficio privari debeat; & ita hìc eſt caſus ſecundùm Hoſt. *in princip. & n. 3.* & Jo. Andr. *in ſumm. textus*, cui Butr. Cardin. Anchar. Imol & reliqui conſentiunt, Rebuff. *in tract nomin. q. 2. n. 25.* Et quamvis ſolidorum multiplex ſit acceptio, ut latè per Covarruv. *variar. reſol. c. 11. nu. 3* & ſecundùm Abb. *hìc in 2 not.* hæc Decretalis intelligi poſſit de ſolidis aureis, ſeu legalibus, quorum ſeptuaginta duo unam libram conſtituunt, ut 2 3

l. Quo-

l. Quotieſcunque, & ibi gloſſ. *ult.* & Bart. *C. de ſuſcept.* & Anchar. *lib.*10. Melius tamen Cardin. *in* 1. *notab.* dicit hoc debere intelligi de ſolidis uſualibus, qui ſcilicet communiter currunt; & ſic non requiritur, ut ſeptuaginta duo faciant unam libram auri: & ſequitur hìc Joann. de Imola *n.* 3. allegans textum cum gloſſ. *in cap.* 2. *de malefic.* & hæc eſt veritas, ut inquit Alex. de Nævo *hìc num.* 5. qui idem tenuit poſt Petr. de Anchar. *in cap. Quanto nu.*93. *ſuprà de jurejuran.* Et ita accipiendo viginti ſolidos pro parvis, & communiter concurrentibus, iſte textus optimè probat beneficium quantumvis tenue de jure communi obligare ad perſonalem reſidentiam.

4 Dixi de jure communi, quia ex generali conſuetudine beneficia ſimplicia reſidentiam non requirunt, niſi aliud ſit inductum de jure ſpeciali, ut notat gloſſ. *in cap. Gratiæ in ver. de jure teneri, de reſcipt. lib.*6. Lap. *alleg.* 36. *in princ.* Felin. *in cap. Dilectus, il* 2. *n.*1. *de reſcript.* Rebuff. *in praxi benefic. in tit. diſpenſatio, de non reſid. n.*8.

5 Secundò nota ibi, *Vel quòd eidem Eccleſiæ non deſerviat*; hos duos caſus æquiparari, videlicet habere plura beneficia ad ſuſtentationem ſufficientia, vel habere alterum, & in illo non reſidere: nam quodcumque iſtorum ſub disjunctione poſitorum probetur, ſilentium imponitur, ut in textu. Unde ſicut pluralis privari poteſt beneficio, ita & non reſidens, ut hìc notat gloſſ. *ult.* Innoc. *in princ.* Hoſt.
6 *in* 2. & alii communiter. Verùm hodiè iſta æquiparatio non procedit, quia ex Concil. Trident. *c.* 17. *ſeſſ.*24. obtinens beneficium ſufficiens, ſi ab Ordinario obtineat ſecundum etiam inſufficiens, adepta pacifica poſſeſſione ſecundi, perdit primum ipſo jure; & ſi utrumque retinere perrexerit, utroque remanet ipſo jure privatus, ex *cap.*4. *ſeſſ.*7. ut ſcripſi plenè *in cap. De multa in* 1. *notab. n.*3. *& in cap. Cùm jamdudum num.*37. 44. *&* 70. *infrà de præb.* & ſic hodiè duriùs agitur cum plurali, quàm cum abſente, qui non eſt privatus ipſo jure, ſed privandus per ſententiam, ut hìc.

7 In gloſſ. *percipere*. Nota benè hanc gloſſam juncto textu, quòd impetrans poteſt quidem opponere, quòd beneficium ſit exigui valoris, & inſufficiens ad neceſſariam vitæ ſuſtentationem, tempore collationis dumtaxat, ſed non poſtea, ut *cap. Dilectiſſimi* 8. *q.*2. Propterea enim hìc Papa non reſpondit allegationi ejus, qui excipiebat de tenuitate beneficii, quia hujuſmodi allegatio poſt collationem non erat juridica: nam ex quo ſemel conſentit, quamvis paupertate laboret, non poteſt amodò diſſentire, ſed debet propriis manibus ſibi victum quærere, *cap. Clericus victum* 91. *diſt.* & ita hìc notat gloſſ. præalleg. Joann. And. poſt Ægid. *n.*1. *in ver. Vix*, Card. *in* 1. *oppoſitione*, Ancharan. *in*
8 1. *notab.* Abb. *n.*6. & Joan. de Anan. *n.*2. *in* 2. *notab.* Ex hoc notabiliter infero, ut tenuitas beneficii non excuſet beneficiatum à recitatione divini officii, quod efficaciter probat hoc caput, quia ſicut non excuſatur à reſidentia ex eo, quòd ex beneficio vitæ neceſſaria non percipiat, ut hìc patet; ita nec excuſatur ab horis dicendis: nam ut formaliter inquit Cardin. *in Clem.* 1. *n.*9. *de celebrat. Miſſar.* imputet ſibi, ſi beneficium non ſit competens, quia nihilominùs tenebitur ad Horas, ex quo fecit ſe ad hoc intitulari. Idem Goffred. *in d. c. Clericus victum* 91. *diſt.* & ſequitur Silveſt. *in ver. Hora n.*3. *verſ. Non poſſunt ſe excuſare ratione exiguitatis*, & Tabien. *in eod. verb. n.*1. *in fin.*

Et ſtringitur argumentum, quia multa ſunt beneficia, quæ nullum omninò ſervitium requirunt, ut præſtimonia, & præſtimoniales portiones. Et tamen illa obtinentes obligantur ad dicendas Horas Canonicas, ut in Extravag. Pii V. 135. quæ incipit, *Ex proximo*, §. *verſ.*1. *Declarantes in Bullar. tom.*1. *pag.* 347. Ergo arctior eſt obligatio dicendi officium, quàm reſidendi. Et conſequenter ſi exiguitas beneficii non excuſat à reſidentia, multò minùs ab Horis dicendis, *cap. Ex parte, il* 3. *de decim.* Cùm præſertim Conſtitutio Pii V. utatur verbis illis univerſalibus, *Et qualiacumque alia beneficia*, quæ comprehendunt etiam minima, ex his quæ ſcripſit Aym. *conſ.*194. *verb. Tranſactionis col. antepenultima, verſ. Secundò, & verſ. Tertiò, & conſ.*227. Goffredus *n.*12. *verſ. Octavò conſidero*, ex quibus patet, quàm malè
9 Salas *in* 1.2. *qu.*21. *tract.*8. *diſp. unic. ſect.*17. *n.*154. *in fin.* ſcriptum reliquerit beneficiatum non teneri Divinum Officium recitare, cum dubitat, an beneficium ſit tenue, necne: imò enim ad hoc obſtringitur non modò cùm dubius eſt, quo caſu tenetur ſequi ex præcepto partem tutiorem, ut probavi latiſſimè *in cap. Ne innitaris à num.* 114. *uſque ad* *num.*125. *ſuprà de conſtitut.* ſed etiam quando eſt omninò certus ne exiguitate beneficii, ut ex dictis conſtat.

Ex facto quæſitum eſt, an poſito tenore fundationis in- 10
fraſcriptæ beneficium, de quo agitur, ſit Sacerdotale, itaut actu Sacerdoti ſit conferendum. Uſufructuariæ teneantur, & debeant manutenere unum Capellanum, ſeu Presbyterum, qui omni die celebret, & celebrare debeat Miſſam unam in Eccleſia per ipſum teſtatorem fundata, & poſt earum obitum per N. & N. quos elegit in patronos dictæ Eccleſiæ, manuteneri debeant duo Capellani, qui omni die reſidentiam faciant in dicta Eccleſia, & qui celebrent, & celebrare debeant Miſſam in eadem.

Præſens quæſtio duas habet inſpectiones. Altera eſt, an Capella, de qua agitur, ſit Sacerdotalis. Altera an requirat Sacerdotium actu. Quoad primam inſpectionem, omiſſa priori clauſula fundationis, de qua inter partes non controvertitur, videtur reſpondendum Capellam eſſe Sacerdotalem ex poſterioribus illis verbis; Manuteneri debeant duo Capellani, qui omni die reſidentiam faciant: non quia directè teſtator juſſerit eligi Capellanos Presbyteros, ſed quia cenſetur voluiſſe, ut eligantur Capellani, qui per ſeipſos Miſſas celebrent; quòd perindè eſt, ac ſi voluiſſet, ut Presbyteri eligerentur. Quamvis enim ſæpè aliàs S. Congre- 11
gatio Concilii, & præſertim die 6. Julii 1581. quam Rota ſecuta eſt in cauſa Romana Capellaniæ coram Card. Pamphil. declaraverit non teneri Capellanum ſacros Ordines ſuſcipere, ſed per alium Miſſarum oneri ſatisfacere poſſe, dummodò in fundatione cautum non ſit, ut Capellanus per ſeipſum celebret, ſecuta opinionem Lapi *in ſuis alleg. videlicet* 36. 116. *&* 117. nihilominùs in caſu præſenti ſa- 12
tis videtur cautum in fundatione, ut Capellanus debeat per ſeipſum inſervire ex illis verbis: Et qui omni die reſidentiam faciant in dicta Eccleſia, ex pluribus.

Et primò, quia cùm dicta Capella nec Parochialis ſit, 13
nec Collegiata, ac proindè onus non habeat curæ, vel chori, ex nullo alio capite poterat exigere reſidentiam, quàm ratione celebrationis Miſſarum. Sed oneri reſidentiæ de jure etiam in beneficiis ſimplicibus non poteſt per alium ſatisfieri, ut hìc, *& in cap. Super inordinata*, ubi DD. infrà *de præbend.* Ergo nec Miſſis celebrandis, quarum ratione in caſu præſenti requiritur reſidentia, id eſt perſonale ſervitium. Nam alioquin onus reſidentiæ fruſtrà fuiſſet impoſi- 14
tum à teſtatore, niſi Capellanus teneretur per ſeipſum inſervire, *cap. Qui nonnulli ſuprà eod.* Benè Cardin. *in Clem. unica n.*22. *de foro competen.* ubi ait onus reſidentiæ eſſe intelligendum cum effectu, præſertim cùm hoc caſu Capellani arctentur ad reſidentiam continuam, ut in verbis, *Omni die*.

Et per hoc reſpondetur ad *allegat.* Lap. 216. *num.*9. *in* 15
fin. verſ. Et ſi dicas, ubi dicit Parochum, licèt teneatur ad reſidentiam, poſſe tamen per alium celebrare, cùm non teneatur per ſeipſum. Id enim ſi verum eſt, procedit, quia illa reſidentia in Parocho ſatis operatur, id eſt, quoad Sacramentorum adminiſtrationem, Verbi Dei prædicationem, &c. At in caſu, de quo agitur, eſſet omninò inutilis, cùm nullum aliud onus adſit, quàm celebratio Miſſarum.

Secundò. Reſidere nihil aliud eſt, quàm deſervire, 16
ut hìc eſt textus apertus in illis verbis, *Vel quod eidem Eccleſiæ non deſerviat*, & notat Hoſt. *in ſumm. de Cler. non reſid. n.*2. *verſ. Qualiter autem*, & expreſſiùs Cardin. *Clem.*1. *n.*22. *verſ. Decimotertiò quæro de foro comp.* Silv. *in ver. Reſidentia in princ.* Præpoſ. *in c. Pervenit n.*24. *verſ. Et nota quod reſidere eſt deſervire* 7. *q.*1. Sed Capellani hoc caſu tenentur reſidere per ſeipſos, cùm non admittatur reſidentia per ſubſtitutum, *d. c. Super inordinata*. Ergo etiam tenetur per ſeipſos inſervire. Unde Navarr. *conſ.*6. *n.*3. *de Cler. non reſid.* afferit hæc verba, *Reſideat, Interſit, Cantet*, vel *Serviat*, eſſe æquipollentia, cùm præſertim reſidentia, de qua in 17
caſu noſtro, ſit de illa ſpecie arctiori, quam ponit Innoc. *in cap. fin. in fin. de præb.* ob verba illa fundationis, *Omni die*. Quo caſu requiritur ſervitium magis præciſum, ut per Innoc. ibi, & Navar. *conſ.*4. *n.*4. *de Cleric. non reſid.*

Tertiò. Cùm teſtator locutus eſt de reſidentia, dicendus eſt intellexiſſe de illa, quam requirunt hujuſmodi beneficia ſimplicia de jure cōmuni, ut in hoc *c.* Oldr. *conſ.*140. *n.*3. *ver. Et ſi dicatur*, Rebuff. *in prax. tit. de non reſid. n.*7. Anch. *conſ.* 233. *n.* 3. Sed beneficia ſimplicia de jure communi requi- 18
runt reſidentiam perſonalem, ut dixi ſuprà *in* 1. *not.* & tradit Abb. *in d. c. Super inordinata n.*5. ubi nota, inquit tex. apertum,

tum, quòd quis tenetur per ſe deſervire etiam in beneficio ſimplici. Et eſt communis DD. concluſio, ut teſtatur Navarr. *conſ.6.n.2.de Cler. non reſid.* Ergo & beneficium, de quo agitur, requirit perſonalem reſidentiam, quaſi videatur rediiſſe ad primævam naturam ſuam, argum. *l. Si unus*, §. *Pactus ne peteret*, *ff. de pact.*

19 Quartò. Verba illa fundationis, *Et qui celebrent &c.* faciunt relationem præcedentium cum omnibus qualitatibus, Bart. *in leg. Si quis ſervus*, §. *fin. verſ. Sed quæro de leg.2.* Alexan. *conſ.112. num.2. lib.1. & conſ.141. n.1. lib.2.* Sed verba illa antecedentia, *Qui omni de reſidentiam faciant*, *&c.* importans onus perſonale, ut ſuperius dictum eſt. Ergo etiam illa immediatè ſequentia, *Et qui celebrent, & celebrare debeant, &c.* idem onus perſonale important, præſertim ob dictiones geminatas, *Celebrent, & celebrare debeant, &c.* quæ oſtendunt magis enixam fundatoris voluntatem, ut in terminis Pariſ. *conſ.50. n.15. lib.4.*

20 Quinto. Hanc opinionem videtur ſequi Lap. *alleg.117. num.2. verſ. Nec etiam requirit*, ubi ſentit præsbyterum tunc poſſe per alium inſervire, cùm verba fundationis illum non arctant ad reſid. Et idem Lap. *alleg.35.num.4.* ubi ait ſatis eſſe per Vicarium deſervire, ubi non exigitur à jure perſonalis reſidentia, quaſi ſentiat oportere deſervire per ſeipſum, ubi perſonalis reſidentia requiritur, ut in caſu præ-
21 ſenti: & loquitur in terminis Capellaniæ, & de communi uſu loquendi fundatorum in hac ſpecie teſtatur Navarr. *conſ.6 n.6. de Cler. non reſid.* ubi ait ſecundùm vulgarem modum intelligendi eorum, qui fundant hujuſmodi Capellanias, per reſidentiam intelligi perſonalem.

22 Quæ confirmatur ex proviſionibus immediatè ſubſecutis de Sacerdotibus, quæ multùm faciunt ad cognoſcendum an Capella ſit Sacerdotalis, ut in ſpecie Pariſ. *d.conſ.50. n.19. lib.4.* Lambert. *de Jurepatr. in 1.p. lib.1. in 2.q. principali art.4. & lib.2.q.7.art.3.n.22.* Et dixit Rota in Salamantina Capellaniæ 12. Junii 1598 coram Orano, & in Alexandrin. Decanatus 19. Junii 1598. coram eodem, & in Recanaten. Beneficii 15. Martii 1608. coram Cardin. Lancell. quæ habetur *in recent. deciſ.216 n.2. part.2.*

23 Nec obſtat, quò ultimo loco fuerit præſentatus ſimplex Clericus, Aymon. *conſ.100.n.11.* Siquidem hæc præſentatio tanquam longè facta poſt fundationem Capellæ non poteſt deſervire pro obſervantia interpretativa actus fundationis ut decidit Rota Rom. 19. Octobris 1588. in Tiraſonen. Juris præſentandi coram Bubalo, & in d. Alexandrin. Decanatus coram Orano 12. Junii 1598. Præterquam quòd ho-
24 die ex Decreto Concilii Trident. *c.5. ſeſſ.25. de reformat.* non eſt facultate Ordinarii derogare qualitatibus in fundatione appoſitis, etiam de conſenſu patronorum, ut cen-
25 ſuit S. Congregatio, & dixit Rota in d. Alexandrin. Et ubi conſtat de certo ſtatu præcedenti, ut hoc caſu, non attenditur ultimus ſtatus contrarius, ut in puncto dicitur fuiſſe reſolutum in cauſa Caputaq. ſeu nullius juriſpatronatus coram Clemente VIII. 1. Martii 1574 & 11. Martii 1575. & in alia Peruſin. S. Biſignati coram Cardin. Pamphilio 13. Martii 1588. & in eadem 17. Martii 1589.

Ultimò, pro hac ſententia videtur in terminis eſſe dicta deciſio Sac. Congregationis edita tempore Cardinalis Matthæi, videlicet.

Poſito tenore fundationis; ſint tres voces in præſentando Sacerdotem, & Capellanum d. Capellæ, qui ſerviat in Divinis eidem Capellæ, & ibidem continuè Divina celebret, Miſſam, & officia diurna, & nocturna, & reſidentiam continuam faciat, &c.

Quæritur, an Rector dictæ Capellæ teneatur reſidere, ac munia ſupradicta adimplere per ſeipſum. S. Congregatio cenſuit hujuſmodi Rectorem teneri reſidere, ac munia hujuſmodi explere per ſeipſum.

Ubi notandum eſt, S. Congregationem non fuiſſe mo- 26
tam ex illis verbis, *Sint tres voces in præſentando unum Sacerdotem, &c.* quia ex hoc ſolum infertur, ut Capella ſit Sacerdotalis, ſed non infertur, ut Sacerdos teneatur per ſeipſum inſervire: jam enim S. Congregatio declaraverat, ex verbis fundationis, quòd debeat eligi Presbyter Capellanus, inferri tantùm, ut Capella ſit Sacerdotalis; ſed tamen Presbyterum poſſe per alium inſervire. Sed Sac. Congregatio mota eſt ſimpliciter ex illis verbis, *Et reſidentiam continuam faciat*, quæ important onus perſonale. Ex quibus cùm huic parti videantur favere jus commune, vulgaris uſus loquendi teſtatorum, obſervantia ſubſecuta, ac reſolutio Sac. Congregationis, videtur poſſe tutò reſponderi dictos Capellanos teneri per ſeipſos celebrare, ac propterea Capellam eſſe Sacerdotalem.

Quoad ſecundam inſpectionem, videlicet an requiratur, 27
ut Capellani præſentandi ſint actu Sacerdotes, quod eſt alterum caput dubitationis per manus tranſmiſſum. Videtur negativè reſolvendum; quia quotieſcunque verba fundationis non reſpiciunt actum præſentationis, ſed potiùs illius proſecutionem, ſatis eſt, ut præſentatus ſit Sacerdos habitu licèt non actu. Abb. *in c. Cum in cunctis*, §. *Inferiora ſub n.10.* & ibi etiam Dec. *n.12. de elect.* Vitalin. *in Clement. 2. §. In illa n.16.* poſt Imol. *col.10. de ætat. & qualit.* & ſenſit ſæpiùs Rota; & præſertim in cauſa Rom. Capellaniæ 19. Martii 1586. & die 14. Novemb. 1586 & 23. Januarii 1589.

Et confirmatur, quia regula eſt in beneficiis Sacerdotali- 28
bus, ſufficere ſolam habilitatem ad Sacerdotium, *cap. 2. cum ibi not. de inſtit. lib.6.* Abb. & Dec. poſt Innoc. *in d. §. Inferiora*, Rolan. *conſ.42.n.59. lib.1.* ubi teſtatur de communi, & in terminis Capellaniæ Sacerdotalis de recepta opinione teſtatur Navarr. *conſ.7. in fin. de præb.* Unde S. Congrega- 29
tio cenſuit hujuſmodi Capellanias poſſe conferri ſimplici Clerico; in ea tamen ætate conſtituto, ut intra annum ad Sacerdotium promoveri queat, niſi alia eſſent verba in fundatione poſita, quæ requirerent obtinentem tempore collationis eſſe actu Presbyterum: verba autem præſentis fun- 30
dationis ſunt, *Manutenere debeant duos Capellanos*, quę habent potiùs tractum ſucceſſivum, quo caſu non requiritur qualitas actu, ſed ſufficit aptitudo, Alex. *conſ.101.n.13.lib.7.* Socin. *in l. Solemus in fin. ff. de condit. & demonſtr.* Dec. *conſ.480.n.8.* Ruin. *conſ.9. n.8, lib.1.* Hoc enim verbum, *Manu- 31
tenere*, in caſu præſenti idem importat, quod *Alere*, ſeu *Suſtentare*, quod vulgariter dicitur, *Manutenere*, ut in ſimili conſuluit Bald. *conſ.110. per totum, & conſ.145. per totum lib.3.* 32
In verbo autem, *Suſtentationis*, quod equipollet verbo, *Manutentionis*, adeſt in puncto deciſio Rotæ in d. Rom. Capellaniæ die 19. Martii 1586. ubi deciditur verba illa in fundatione Capellaniæ Sacerdotalis appoſita, nempè *Pro ſuſtentatione unius Clerici, qui in Divinis inſerviat, &c.* non reſpicere actum præſentationis, ſed illius proſecutionem; ideòque non requiri Sacerdotium actu. Atque ex his videtur concludendum, Capellam prædictam eſſe quidem Sacerdotalem, ſed non requirere Sacerdotium actu; & hæc pars mitior videtur, & magis conſona voluntati fundatoris, qui in ſecunda parte fundationis non meminit qualitatis Presbyteratus, ſicut fecerat in priori parte.

De hac materia ſcripſi latiſſimè *in c. Ut Abbates, & in c. Quæris ſuprà de ætat. & qualit.* ubi plenè videas.

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS.

Idem Alexander III.

C A P U T VII.

DE cætero: & infrà, Statuimus, ne Canonicis, donec in ſervitio tuo fuerint, quidquam ſubtrahi debeat, vel auferri, quod de communitatis ſibi beneficio debetur: niſi fortè ſint victualia, quæ non conſueverunt abſentibus exhiberi.

S U M M A R I U M.

1 *Canonicus exiſtens in ſervitio Epiſcopi, percipit fructus beneficii, ſed non diſtributiones quotidianas.*

2 *Et quid de exiſtente in ſervitio inferioris Prælati, & num. 6.*

3 *Beneficiatis abſentibus de jure communi nihil debetur ex redditibus beneficiis.*

4 *Abſentes pro ſervitio domini ſui, pro præſentibus ſunt habendi.*

5 *Epiſcopi habere poſſunt duos Canonicos tantùm pro ſervitio ſuo, etiam ſine Capituli conſenſu, & non probata utilitate Eccleſiæ.*
Declaratur, num. 12.

6 *Prælati inferiores an uti poſſint opera duorum Canonicorum ſine Capituli licentia, vel non probata Eccleſiæ utilitate.*

7 *Epiſcopus an & qualiter pro ſuo ſervitio habere poſſit ultra duos Canonicos, & num. ſeqq.*

8 *Licentia Capituli non requiritur, ut plures Canonici, quàm duo, abeſſe poſſint ex cauſa utilitatis Eccleſiæ, ſed ſufficit licentia Epiſcopi.*

9 *Diſtributiones quotidianæ abſentibus non debentur, quantumcumque abſint ex juſta cauſa.*

10 *Diſtributionum quotidianarum quæ ſit natura.*

11 *Canonici duo, vel Beneficiati abſentes pro ſervitio Epiſcopi, an percipere debeant ſine diminutione diſtributiones quotidianas, in quibus univerſi Capituli redditus conſiſtunt, & num. ſeqq. uſque in finem.*

12 *Abſentes pro ſervitio Epiſcopi, quatenùs Epiſcopus eſt, cenſentur abeſſe pro ſervitio Eccleſiæ.*

13 *Eccleſia eſt in Epiſcopo.*

14 *Beneficiati Cathedralis Eccleſiæ ſicut & Canonici abſentes pro ſervitio Epiſcopi, percipiunt integrè fructus beneficiorum ſuorum.*

15 *Canonici duo cogi poſſunt, etiam inviti, Epiſcopo inſervire.*

16 *Abſentiæ cauſa quædam probabilis eſt, quædam neceſſaria.*

17 *Diſtributiones quotidianas de jure communi integrè lucrantur duo Canonici in ſervitio Epiſcopi exiſtentes, ſi univerſi Capituli redditus hujuſmodi diſtributionibus conſtent. Et quid poſt Concilium Trident. num. 29. uſque in finem.*

18 *Diſtributiones quotidianæ ſuccedunt loco fructuum præbendæ, ubi nulli ſunt redditus à diſtributionibus diſtincti, & num. 23.*

19 *Intellectus cap. Olim, de verbor. ſignific.*

20 *Privilegia juris ita intelligi debent, ut aliquid operentur, & non ſint eluſoria.*

21 *Abſentia pro ſervitio Epiſcopi, & ſtudiorum cauſa æquiparatur.*

22 *Studiorum cauſa abſentes de jure communi integrè percipiunt diſtributiones quotidianas, in quibus redditus omnes conſiſtunt.*

23 *Idem in obtinentibus ex diſpenſatione Apoſtolica Canonicatum, & Parochialem.*

24 *Canonici nullum detrimentum ſentire debent ex abſentia, cùm non ſtat per eos, quominus reſideant.*

25 *Diſtributiones quotidianæ debentur Canonico ab Eccleſia per vim expulſo.*

26 *Item injuſtè excommunicato, aut carceri mancipato, ſi anteà ſolitus erat Divinis intereſſe.*

27 *Victualia cur dicantur diſtributiones quotidianæ.*

28 *Diſtributiones quotidianæ propriè quæ ſint.*

29 *Canonici abſentes pro ſervitio Epiſcopi poſt Concilium Tridentinum percipere debent duas tantùm tertias partes diſtributionum, ubi alii non ſunt redditus à diſtributionibus ſeparati, & num. ſeq. uſque in finem.*

30 *Diſtributiones ubi nullæ ſunt, vel tenues, tertia pars fructuum ſeparari debet, & in diſtributiones converti.*

31 *Fictio non eſt tanta potentiæ, quanta eſt veritas, & naturalis actus.*

32 *Natura primæva faciliùs retinetur, quàm nova inducatur.*

33 *Naturalis cauſa præfertur accidentali.*

Proſp. Fagnan. in III. Lib. Decretal.

34 *Canonici ſtudiorum cauſa abſentes poſt Concilium Tridentinum lucrantur duas tertias partes quotidianarum diſtributionum, in quibus redditus omnes conſiſtunt, amiſſa alia tertia, quæ accreſcit inſervientibus.*

De *cætero*. Legitur dupliciter. Primò exponendo lit- 1
teram, ibi, *In ſervitio tuo*, id eſt, Epiſcopo; nam
Epiſcopo loquitur ſecundùm Hoſt. *in princ.* Et juxta hanc
lecturam ſummatur ſic: Qui eſt in ſervitio Epiſcopi, perci-
pit fructus beneficii tanquam reſidens, ſed non diſtributio- 2
nes quotidianas. Secundò legitur intelligendo litteram ge-
gneraliter non tantùm in Epiſcopo, ſed etiam in quocumq;
alio Prælato habente in ſubditos ordinariam juriſdictio-
nem, prout intelligit Innocentius, cujus opinionem ſe-
quuntur communiter Doctores, ut hic teſtatur Abb. *n.* 3.
Nam littera ſimpliciter dicit, *In ſervitio tuo*, nec colligi-
tur ex ſupraſcriptione, cui hæc Decretalis epiſtola directa
fuerit. Et fortè Pontifex reſcripſit inferiori Prælato. Et
eadem ratio militat in omnibus Prælatis reſpectu ſubdito-
rum, ut dicunt Joan. Andr. Butr. Abb. & alii. Niſi tamen
Canonici, vel inferiores hoc Clerici malitiosè procurarent,
vel affectarent, arg. *l.* 2. §. *Si quis caution. & leg. qui mittun-
tur cum duabus ſeqq. ff. ex quibus Can. maior.* ſecundùm In-
noc. Hoſtien. & Joan. Andr. Et juxta hanc lecturam De-
cretalis hoc intendit: Canonicus, qui eſt in ſervitio Prælati,
fingitur reſidere. Dividitur in duas partes. Primo ponit
dictum. Secundò exceptionem, ibi, *Niſi fortè*.

Nota primò caſum in jure expreſſum, in quo Canonici 3
percipiunt in abſentia fructus præbendæ: regula enim eſt in
oppoſitum, quia abſentibus nihil debetur ex redditibus be-
neficii; & hoc eſt jus commune, *cap. Cùm omnes*; ubi hoc
notat gloſſ. 1. *ſupra de Conſtitution. cap. Pervenit, il ſecondo
de appelat. cap. Inter quatuor, & cap. fin. infrà eodem*, gloſſ. in
cap. Prox. in ver. de ſerviat ſuprà eodem, Butr. *hic num.* 2. &
alii apud Covarr. *lib.* 3 *variar. reſol. cap.* 13. *num.* 3. *verſ. Ve-
rùm*. Sed fallit in Canonicis in ſervitio Epiſcopi exiſtenti-
bus, ut hìc patet. Et ſufficit, ut abſint pro ſervitio Epiſcopi 4
quatenùs Epiſcopus eſt, licèt verè utilitatem Eccleſiæ non
proſequantur, ſecundùm Doctores, ut latiùs dicam infrà
num. 12. Ad hoc textus optimus *in leg. Teſtamento, ff. de ali-
men. & cibar. legat. & in leg. Prædia*, §. 1. *ff. de fund. inſtr.*
ubi abſentes pro ſervitio domini ſui pro præſentibus ſunt
habendi.

Dicit tamen notabiliter Hoſtien. *hic num.* 1. *verſ. Dicas*, 5
hoc eſſe privilegium Epiſcopi ſpeciale ut poſſit pro ſervitio
ſuo uti operam duorum Canonicorum, etiam ſine Capituli
conſenſu, & non probata utilitate Eccleſię, iidemque Ca-
nonici percipiant in abſentia fructus Prębendarum ſuarum.
Sed in aliis inferioribus Pręlatis neceſſariam eſſe licentiam 6
Capituli, vel ſaltem probationem neceſſitatis, vel utilitatis
Eccleſiæ, *cap. Ex parte tua infrà eod.* Et ſequitur Jo. Andr.
num. 1. Et hoc modo conciliari poſſunt opiniones, & lectu-
ræ, de quibus ſuprà *in princ.* licèt Butr. & Abb. ambo *num.* 3.
haud fideliter videantur retuliſſe verba Hoſtienſ. nam ſe- 7
cundùm eos Hoſtien. dicit Epiſcopum habere poſſe in ſuo
ſervitio duos Canonicos, licèt non probet utilitatem Eccle-
ſiæ, ſed ultra duos habere non poſſe, niſi Capituli con-
ſenſu, & probata Eccleſiæ neceſſitate, vel utilitate. Sed ve-
rè Hoſtien. nihil expreſſit de Canonicis ultra numerum
duorum, ſed de Prælatis inferioribus, inter quos & Epiſco-
pum conſtituit illam differentiam utilitatis Eccleſiæ, ut ex
illius verbis videre eſt. Præterea in ſecundo caſu Hoſt. non
requirit conſenſum Capituli, & probationem prędictam co- 8
pulativè, ſicut referunt Butr. & Abb. ſed alternativè, ait
enim. In aliis autem Pręlatis inferioribus requirenda eſt Ca-
pituli licentia, vel ſaltem probatio, &c. Et meritò, quia ſuf-
ficit licentia Epiſcopi, ut Canonici abeſſe poſſint ex cauſa
neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiæ, *cap. Cùm non deceat, de
elect. in* 6. *& cap. un. de Cliric. non reſid. eod. tit.* Dictum ta-
men ipſorum eſt in ſe verum, quia Epiſcopus non poteſt in
ſuo ſervitio adhibere ultra duos Canonicos, ut probatur *in
dict. cap. Ad audientiam infrà eod.* ubi omnes notant.
Et quamvis hæc Decretalis loquatur ſimpliciter de Cano-
nicis ſine ulla numeri præfinitione; tamen declarari, & re-
ſtringi debet per *d. cap. Ad audientiam*, quod ſpecialiter
loquitur de duobus, idque Eccleſiarum uſus approbavit.

Secundò nota *in verſ. Niſi fortè*, victualia, ſeu diſtribu- 9
tiones quotidianas non debere abſentibus, quantumcum-
que abſint ex juſta cauſa, ſicut non debentur Canonicis in

ſervitio Epiſcopi exiſtentibus, ut hîc patet, & not. Petr. de
10 Anchar. *in ſecundo notabil.* Etenim harum diſtributionum ea eſt natura, ut non debeantur his, qui ficte, & per juris interpretationem, ſed his tantùm, qui verè ſtatis horis interfuerint, *ut in cap. unic. infrà eod. lib. 6.* innovato à Concilio Tridentino *in cap. 12. verſ. Diſtributiones verò ſeſſ. 24.* & tradit Covarr. *lib. 3. variar. reſol. cap. 13. num. 2. verſ. Nam harum diſtributionum.*

An autem, & in quibus caſibus obtinentes beneficia in Cathedralibus, vel Collegiatis Eccleſiis licitè percipere poſſint in abſentia fructus præbendæ, vel diſtributiones quotidianas, ſcripſi latiſſimè *in cap. Licèt infrà à tit. prox. à num. 15. uſque ad n. 171.*

11 QUÆRO, an duo Canonici, vel Beneficiati abſentes pro ſervitio Epiſcopi percipere debeant integrè diſtributiones quotidianas, in quibus univerſi Capituli redditus conſiſtunt.

Contigit hic caſus in Eccleſia Cathedrali Leirienſi in qua non ſunt præbendæ diſtinctæ, neque aliqui fructus, ut vocant, groſſi; ſed omnes redditus Menſæ Capitularis conſiſtunt in diſtributionibus quotidianis, quæ dividuntur inter beneficiatos Horis Canonicis, & divinis officiis intereſſentes, ac inter eos, qui pro intereſſentibus habentur. Sed cùm ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopus duos ex his beneficiatis in ſuo ſervitio detineat, & eorum opera utatur in cauſis viſitationum, & aliis ſimiliter juſtis, & honeſtis, ab eodem Epiſcopo quæſitum eſt.

An ſtante decreto *cap. 12. ſeſſ. 24.* Concilii Tridentini iidem duo beneficiati, ut præfertur, in ſervitio Epiſcopi exiſtentes percipere debeant ſine diminutione hujuſmodi diſtributiones.

12 Pro ſolutione præſentis dubii ſupponendum eſt duos Canonicos, qui abſunt pro ſervitio Epiſcopi, percipere fructus præbendarum ſuarum, juxta textum hîc, *& in d. cap. Ad audientiam infrà eod.* & utrobique notant DD. Rebuff. *in praxi benefic. tit. de Vicar. Epiſcop. nu. 5. & tit. de diſpenſ. non reſidend. à n. 37.* Silveſt. *in ſumma in ver. Reſidentia n. 7.* & Navarr. *in Man. c. 25. n. 121.*

13 Ratio eſt, quia abſentes ab Eccleſia pro ſervitio Epiſcopi, ubi ſervitium vel neceſſarium, vel utile eſt Eccleſiæ, & reſpicit Epiſcopum, quatenùs Epiſcopus eſt, juris cenſura præſentes reputantur, & cenſentur inſervire Eccleſiæ, *d. c. Ad audientiam, Cùm abſentes dici non debeant, ſed præſentes, qui tecum pro tuo, & ipſius Eccleſiæ ſervitio commorantur.* Et ſervitium Epiſcopi, quatenùs Epiſcopus eſt, cenſetur quaſi ſervitium Eccleſiæ, cui præſidet, cùm Eccleſia ſit in Epiſcopo, *c. Scire debes 7. q. 1. c. Similiter 16. q. 1. c. Hæc hujus placiti 11. qu. 2.* & notat hîc gloſſ. 1. Hoſtien. *in princ.* & reliqui omnes. Et quamvis Innoc. dicat oportere, ut neceſſitas, & utilitas vel Epiſcopi, vel Eccleſiæ adſit, tamen intellexit de Epiſcopo, ut Epiſcopus eſt; tum quia allegat textum *in d. c. Ad audientiam*, qui hunc habet ſenſum, ut mox patebit; tum quia Innocentius ſubdit: Alias cùm non pertineret ad officium ſuum, non poſſet eis præcipere, *cap. Quia frater 7. qu. 1.* & notatur *in cap. Ad aures ſuprà de tempor ordinat.* Itaque ſicut abſens pro utilitate, & ſervitio ſuæ Eccleſiæ percipit fructus beneficii, quia reſidere, & illi inſervire cenſetur, *c. Ex parte tua infrà eod. cap. Cùm non deceat, de elect. lib. 6.* ſic eadem cenſura juris abſentes in ſervitio Epiſcopi dummodò ſervitium ad eundem, quatenùs Epiſcopus eſt, & ad Eccleſiæ utilitatem ordinetur, omnes beneficii fructus percipere debent. Idque apertè elicitur ex textu *in d. cap. Ad audientiam infrà eod.* qui cùm in principio egerit de abſentibus pro ſervitio Epiſcopi, poſteà in fine dicit eos in Epiſcopi, & Eccleſiæ ſervitio commorari, planè ſignificans ſervitium Epiſcopi uſque adeò cùm Eccleſiæ ſervitio eſſe conjunctum, ut qui pro ſervitio Epiſcopi abſunt, in Eccleſiæ ſervitio commorari dicantur.

14 Quæ omnia habent locum non ſolùm in Canonicis, verùm etiam in quibuſvis aliis ejuſdem Eccleſiæ beneficiatis, prout ſupponit Innoc. *hic in princ.* & ferè omnes *in d. c. Ad audientiam*, & Silveſt. *in ver. Reſidentia n. 7.* Rebuff. *ubi ſuprà n. 36.* & Navarr. *in d. c. 25. n. 121.*

15 Qui ſanè duo Canonici, vel Beneficiati non ſolùm ultrò debent ſuo Epiſcopo inſervire in his, quæ reſpiciunt ipſius, & Eccleſiæ utilitatem, ut ex proximè relatis patet; verùm etiam ad inviti ab eodem poſſunt cogi, ut ſentit gloſſ. *in d. cap. Ad audientiam in ver. Ut duo in fine*, ibi, *Ultra duos non poſſe cogere*, & ibi etiam Abb. *num. 3.* poſt Innoc. *in d. c. De cætero.* Quo fit, ut cauſa abſentiæ pro ſer- 16
vitio Epiſcopi non ſolùm ſit juſta, & probabilis, verùm etiam neceſſaria, propterea quòd eſt juſtificata, & approbata à jure, atque includens neceſſitatem, quia poteſt quiſpiam illorum ad abſentiam neceſſariò cogi, prout in cauſa militiæ, legationis, & ſimilium, reſolvunt gloſſ. *fin. in princ.* Bart. & DD. *in l. ult. ff. de in intenr. reſtitut.* Jaſ. *n. 3. ibidem, & recentiores in §. Rurſus inſtitut. de action.* dum diſtinguunt cauſas abſentiæ, ut quædam ſint probabiles, & neceſſariæ ſimul; aliæ verò probabiles tantùm, & non neceſſariæ, veluti cauſa ſtudii, ex qua etſi quis poſſit abeſſe, non tamen cogitur neceſſariò.

Quibus ita ſuppoſitis, verius videtur in caſu de quo agimus, duobus Canonicis, ſeu Beneficiatis Eccleſiæ in ſervitio Epiſcopi abſentibus, quod ſpectat ad juris communis diſpoſitionem, dari debere ſine diminutione hujuſmodi diſtributiones, ex ſequentibus. 17

Primò, quia in Eccleſiis, in quibus non ſunt præbendæ diſtinctæ, neque etiam fructus groſſi, ſed omnes redditus conſiſtunt in diſtributionibus, quæ ſingulis diebus, & horis diſtribuuntur inter illos qui interſunt, & nihil datur non intereſſentibus; tales diſtributiones ſuccedunt in locum præbendarum, & fructuum, quos groſſos communiter appellamus, ut expreſsè notat gloſſ. *penult. verſ. Et ad hoc facit, & verſ. Sed quid dicis in cap un. infrà eod. lib. 6.* quam ibi ſequuntur Gemin. §. *Qui verò num. 14.* Franc. *n. 8.* & reliqui omnes. Sed in Eccleſia prædicta nullæ ſunt præbendæ, aut fructus groſſi, ſed totum in diſtributionibus conſiſtit, quæ intereſſentibus diſtribuuntur, & nihil datur eis, qui non interſunt. Ergo tales diſtributiones jure debentur beneficiatis in Epiſcopi ſervitio commorantibus, cùm ex juris diſpoſitione illis debeantur fructus ſuarum præbendarum. 18

Secundò, pro hac ſententia facit textus *in cap. Olim, de verbor. ſignif.* juxta intellectum gloſſ. *penult.* & aliorum ibidem poſt Hoſt. & Joan. Andr. quos referunt, & ſequuntur gloſ. *pragm. ſanctionis, Tit. Quo tempore quiſque debet eſſe in Choro, §. Jubet, ver. Diſtributiones*, Pariſ. *conſ. 32. nu. 7. lib. 4.* Anton. de Butr. & alii complures hîc, ſecundum quos *in d. cap. Olim*, manualia beneficia, hoc eſt diſtributiones quotidianæ debentur ei, qui non intererat horis, & juris cenſura reſidere fingebatur, quia videlicet in Eccleſia, de qua textus ille agit, non erant præbendæ diſtinctæ, aut aliqui fructus groſſi, ſed omnes redditus conſiſtebant in illis manualibus beneficiis, ſeu quotidianis diſtributionibus, quæ cùm ſuccedant in locum fructuum præbendæ, quos Canonici ſinguli habere debent, *c. Relatum, de preb.* ne detur Canonia ſine præbenda, *c. Dilectus il 1. eod. tit.* hæ diſtributiones ſapiunt naturam fructuum præbendæ, in quorum locum ſubrogantur in his Eccleſiis, quæ alios fructus non habent, juxta regulam text. *in c. Eccleſ. ut lit. penden.* Unde ſicut in Eccleſiis habentibus præbendas, & fructus groſſos, tales fructus debentur his, qui in Epiſcopi ſervitio commorantur, ut ex initio relatis patet: ſic in aliis Eccleſiis, ubi nec præbendæ, nec alii groſſi fructus habentur, ſed redditus omnes in diſtributionibus conſtant, illas abſentes in Epiſcopi ſervitio habere debent. 19

Tertiò, ſuadetur hæc ſententia ex hoc, quia certum eſt privilegia à jure communi indulta ſemper ita eſſe intelligenda, ut juxta concedentis intentionem operentur, ne aliàs ſint fruſtratoriæ, *cap. In his, verſ. Cùm autem, de privileg. cap. Si Papa eod. tit. lib. 6.* tradunt Ant. de Butr. *conſ. 19. n. 3.* Cravett. *conſ. 135.* Rebuff. *in prax. tit. de differentia inter reſcriptum, & privilegium n. 10.* Si autem in his Eccleſiis, in quibus nulli ſunt fructus groſſi, & totum in diſtributionibus conſiſtit, hujuſmodi diſtributiones non deberentur abſentibus in ſervitio Epiſcopi, utique privilegium, de quo in hac Decretali, pro his, qui in Epiſcopi ſervitio commorantur, nihil omninò operaretur, ſed eluſorium eſſet, quod abſurdum eſt, & contra juris intentionem, prout arguit, & concludit gloſſ. *fin.* communiter recepta *in cap. Licet infrà de prabend.* 20

Quartò, urget maximè pro hac parte, quòd juxtà communes traditiones æquiparantur in jure, qui in ſcholis ſtudiorum cauſa abſunt, & qui in Epiſcopi ſervitio exiſtunt, ut hîc per gloſſ. *fin.* & Doctores, & per Hoſt. *in ſumma hoc tit. §. Qualiter*, Hojed. *de benef. plur. in cap. 10. nu. 8.* ſed ſtudentibus debentur omnes præbendarum, ſeu beneficiorum fructus integri, exceptis diſtributionibus quotidianis, *c. fin.* 21
22
de

de Magiſtr. cum ſimil. Ergo & abſentibus in ſervitio Epiſcopi, itaut aliquid eis non ſubtrahatur præter quotidianas diſtributiones, ut hic patet in *verſ. Neque quidquam ſubtra-*
22 *hi debeat, &c.* At jure conſtitutum eſt, ut in Eccleſiis, in quibus beneficiati non habent alias præbendas, aut maſſam groſſam, & totum in diſtributionibus conſiſtit, hujuſmodi diſtributiones dentur abſentibus in ſtudio, ut conſtat ex his, quæ notant gloſſ. *fin. in d cap. Licet de praben.* Hoſt. *in ſumm. tit. de Magiſtr. n.9.* Oldrad. *conſ.* 300. *num.* 10. gloſſ. *pragmat. ſanct. tit. Quo tempore quiſque debet eſſe in Choro, §. Jubet in ver. diſtributiones*, Rebuff. *de privileg. ſcholar. privileg.* 31. *n.* 12. & Cravet. *conſ.* 125. *n.* 24. Ergo eo caſu dari etiam debent abſentibus pro ſervitio Epiſcopi. Quod in hac ſpecie probat idem Hoſtienſ. *ubi ſuprà* & Abb. *hic verſ. Secundo quæritur.* Quibus addo à fortiori eaſdem diſtributiones dari debere abſentibus in ſervitio Epiſcopi: nam cauſa ſtudii quamvis ſit juſta & probabilis, nihilominùs non eſt neceſſaria; cùm tamen hæc inſerviendi Epiſcopo non ſolùm juſta & probabilis, ſed etiam neceſſaria ſit, ut ex ſupra notatis conſtat.

Et confirmatur hoc ipſum ex nonnullis declarationibus Sac. Congregationis Concilii. Aliquando enim cenſuit legentem Theologiam, quamdiu legit, pro reſidente haberi, ut recipiat omnes fructus, præter diſtributiones quotidianas, ſuppoſito quòd adſit maſſa groſſa, ſeu præbenda, &c. Sanè verba illa, *Suppoſito, &c.* declarant ea, quæ immediatæ præcedunt, ibi, *Præter diſtributiones quotidianas, &c.* Et ita ſenſus eſt, ut non debeat illas percipere, ſi adſit maſſa groſſa, ſeu præbenda; quòd ſi non adſit, ut quia totum conſiſtat in diſtributionibus, eas percipere debeat. Ergo ſuppoſita prædicta æquiparatione eorum, qui ſtudent, & qui Epiſcopo inſerviunt, declaratio illa ſatis concludit utroque caſu deberi quotidianas diſtributiones, ubi nulla adſit maſſa
23 groſſa, ſeu præbenda. Idipſum conſtat ex alia declaratione Eugub. in hac verba, *Si nullæ ſint præbendæ, eò quod Cannonicatus tantùm diſtributiones habeant, idem ſtatuendum eſt, quod de præbendis, cùm in illarum locum ſucedant, &c.* Item ex alia Caſalen. quæ ſic ſe habet, *Canonicatum & Parochialem habens ex præſcripto Bullæ S. Pii V. diſtributiones quotidianas lucratur, ſi Canonicatus conſiſtat ſolùm in diſtributionibus quotidianis, non habens præbendam.*

24 Poſtremo ſi Epiſcopus poteſt, ut ſupra notavimus, compellere beneficiatos, ut ad ipſius ſervitium accedant, & ita abſentia hæc non ſolùm probabilem, verùm etiam neceſſariam inducit; contra juſtitiam videtur, ut qui poteſt ad Epiſcopi ſervitium per cenſuras, vel aliter cogi, & parere tenetur, dum ſic coactus, & impeditus ab Eccleſia recedere compellitur, amittat hujuſmodi diſtributiones; cùm imputari non debeat ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum, ut in regula ſexti *Imputari*, & in regula *Cùm non ſtat*. Et nemo debeat incurrere in pœnam, aut detrimentum ſentire pro eo, ex quo præmium & laudem promeretur, quia officium ſuum nemini debet eſſe damnoſum, *cap.* 2. ubi gloſſ. *de fidejuſſor. & cap. Cùm non deceat in princ.* ubi gloſſ. 2. *de elect. lib.* 6. Itaque ubi Canonicus ſuo Epiſcopo obtemperans inſervit eidem, & propterea abeſt; non debet ipſi imputari, quòd horis, & divinis officiis non interſit. Inſuper ſic obtemperans in re licita, & neceſſaria, præmium & non diſpendium ſentire debet. Sed imputaretur ſibi, diſpendiumque ſentiret, & officium ſuum ei damnoſum eſſet, ſi quamdiu ſic invitus, & obediens degit in ſervitio Epiſcopi, amitteret quotidianas diſtributiones.
25 Ergo, &c. Porrò is, per quem non ſtat, quo minùs in ſuo beneficio reſideat, nullum ob non reſidentiam detrimentum ſentire debet. Ac propterea reſolvunt Doctores Canonicum expulſum per vim, cui reſiſtere non poteſt, veluti per potentiam alicujus coactum ab Eccleſia recedere, diſtributiones quotidianas percipere debere, Calder. *conſ.* 17. no-
26 tatur *in d. c. un. infrà eod. lib.* 6. Et teſtatur communem eſſe opinionem, Pariſ. *conſ.* 32. *n.* 19. *lib.* 4. Covarr. *lib.* 3. *variar. reſ. c.* 13. *num.* 8. *verſ. Decimò*. Idemque in eo qui abeſt, & non inſervit propter excommunicationem, vel carcerem abſque ſua culpa, tradit Felin. *in cap. Apoſtolicæ n.* 12. *de except.* Pariſ. & alii, ut per Guttier. *in quæſtionibus Canonicis c.* 1. *num.* 138. declarantes hoc procedere in eo, qui ante excommunicationem, vel carcerem ſolitus erat divinis intereſſe. Ergo ſaltem in caſu, ubi nulli ſunt fructus, idem dicendum in eo, qui abſque ſua culpa, vel fraude aliqua cogitur invitus commorari in ſervitio Epiſcopi.

Quibus non obſtat hæc Decretalis, ubi eſt expreſſum, ab- 27
ſentibus in ſervitio Epiſcopi dari non debere victualia, ubi gloſſ. & Doctores interpretantur victualia eſſe diſtributiones quotidianas; quia ſic appellantur multis in locis, eò quòd in victum quotidianum præſtentur, ut videre eſt *in d. c. un.* ibi, *Quotidianas diſtributiones, quæ aliàs manualia beneficia, ſeu victualia nucupatur, & in c. Olim de verbor. ſignificat.* Unde hinc multi deducunt hujuſmodi quotidianas diſtributiones nunquam deberi abſentibus pro ſervitio Epiſcopi. Nam reſpondetur textum noſtrum, ac jura omnia, quæ in contrarium facere videntur, procedere in diſtributionibus quotidianis, quæ diſtinguuntur à fructibus groſſis, & à præbenda, hoc eſt in illis, quæ ultra fructus groſſos, aut præbendas diſtribuuntur inter eos, qui Horis Canonicis interſunt; quia hæ ſunt veræ, & propriæ diſtributiones, de quibus agunt text. & DD. in contrarium citati, dum dicunt diſtributiones quotidianas non dari his, qui Epiſcopo inſerviunt, docent, aut ſtudent in Scholis, prout conſtat ex ſupra relatis, & explicant gloſſ. in Extravag. *in ver. in totum, ne Sede vacan.* inter communes gloſ. *penult.* & DD. *in eodem cap. un. de Cleric. non reſiden. in* 6. gloſſ. & alii *in cap. Licèt de preb.* gloſſ. *pragmat. ſanct. tit. Quo tempore quiſque debet eſſe in Choro, §. Jubet in ver. Diſtributiones*, Rebuff. *in concordatis tit. de collat. §. Primum, verſ. Diſtributionum*, Pariſ. *conſ.* 32. *n.* 5. *& conſ.* 33. *n.* 2. *lib.* 4. Covarr. *lib.* 3. *variar. reſol. c.* 13. *in princip.* Quæ procedere non poſſunt in aliis diſtributionibus, quę diſtribuuntur in Eccleſiis, ubi nulli ſunt fructus groſſi, aut prębendæ, & omnes redditus in diſtributionibus conſiſtunt. Nam cùm ſuccedant in locum præbendæ, & maſſæ groſſæ, non incongruè fructus dici poſſunt. Quapropter de jure communi ſine diminutione dari debent abſentibus in Epiſcopi ſervitio, cùm illis aliàs dari
debeant fructus ſuarum præbendarum. Quod verum eſſe 28
conſtat etiam ex hac Decretali, *ex dict. cap. Licèt, & c. Cum non deceat, de elect. in* 6. dum diſponunt abſenti in Epiſcopi ſervitio, vel in Scholis, aut pro Eccleſiæ utilitate, deberi omnes fructus præter diſtributiones quotidianas.

Cæterum quæ ſuperiùs dicta ſunt, procedunt quidem in- 29
ſpecta juris communis diſpoſitione, ſecundum quam abſentes ex legitima cauſa percipere debent integras diſtributiones, in quibus univerſi Capituli redditus conſiſtunt. At poſt Concilium Tridentinum ita ſunt temperanda, ut ſic abſentes percipiant duas tertias illarum partes dumtaxat, amiſſa alia tertia, quæ inſervientibus accreſcit.

Differentiæ ratio ea eſt, quia de jure communi ne privilegium ſit eluſorium, & ne detur Canonica ſine Præbenda, ut conſiderant gloſſ. & DD. *in d. c. un. diſtributiones*, omnes eo caſu ſuccedunt loco fructuum; ideòque abſentes pro ſervitio Epiſcopi illas percipere debent abſq; diminutione, quemadmodum ſine diminutione fructus prębendę perciperent, ſi à diſtributionibus eſſent diſtincti, ut habetur *in d. c. Ad au-*
dientia infrà eod. ponderando verbum, *Integrè*. Sed aliud 30
dicendum eſt poſt Concilium, quia decreto *c.* 3. *ſeſſ.* 21. ſtatuitur, ut ubi nullę ſunt diſtributiones, vel ita tenues, ut veriſimiliter negligantur, ab Epiſcopo ſeparetur tertia pars fructuum præbendæ, & in diſtributiones quotidianas convertatur, quæ inter Dignitates obtinentes, & cæteros Divinis
intereſſentes proportionabiliter dividantur. Ex mēte igitur 31
S. Synodi eſt, ut in illis caſibus, in quibus diſtributiones ſuccedunt loco fructuum, tertia illarum pars retineat primævam naturam diſtributionum, in quas etiam veri fructus ex præſcripto Concilii debuiſſent converti: abſurdum enim eſſet, ut magis operaretur ficto in caſu fictio, quàm veritas in caſu vero, cùm fictio non ſit tantæ potentiæ, quantæ eſt veritas, & naturalis actus, ut inquit Bald. in *l.* 4. *C. ad Vellejanum, & conſ.* 337. *In primis videndum nu.* 2. *verſ. Item nec debet lib.* 1. & Paul. de Caſtr. *conſ.* 21. *Primum dubium in fin. lib.* 1. Sed in caſu vero abſentes ex juſta cauſa, ſi veri fructus extarent, deberent amittere tertiam illorum partem ob converſionem ab Epiſcopo faciendam in diſtributiones quotidianas: Ergo illam amittere debent etiam in caſu ficto, ideſt, cùm diſtributiones per fictionem, ſeu juris interpretationem in locum fructuum ſubrogantur. Præterquam quòd ex contrario ſequeretur, ut plus perciperent abſentes in illis Eccleſiis, in quibus redditus omnes conſiſtunt in diſtributionibus, quàm in illis, in quibus extarent fructus à diſtributionibus diſtincti, quia hoc ſecundo caſu abſentes pro ſervitio Epiſcopi perciperent ſolummodò fructus, amiſſis diſtributionibus, cùm tamen in primo nihil prorsùs amitte-

rent. Et ſic diſtributiones quotidianæ inductæ ad divini cultus agmentum, operarentur illius diminutionem, contra juris regulas, & contra rationem expreſſam *in d.cap.3. ſeſſ.21.* ibi, *Ne qua in parte minuatur divinus cultus, ſed ei debitum omnibus in rebus obſequium præſtetur.*

32 Quibus accedit, quòd faciliùs primæva natura retinetur, quàm nova inducatur, arg. *l. per retentionem, C. de uſufr. &c.* 2 ubi Bald. *in 3.notab.C. de fideicomm.* Et naturalis cauſa præfertur accidentali, Abb. *conſ.70. Videtur n.2. verſ. Præterea lib.1.* Sed fructus præbendæ ex præſcripto Con-
3 cilii debent eorum naturam immutare pro tertia parte, & novam accidentalem diſtributionem induere: Ergo longè magis eandem naturam retinere debent pro tertia parte redditus illi, qui jam à principio ſunt veræ diſtributiones quotidianæ.

Poſtremò ſæpiùs reſpondit Sac. Congreg. Concilii, ab- 34
ſentes ſtudiorum cauſa percipere debere fructus præbendæ tantùm, amiſſis diſtributionibus quotidianis.

Quòd ſi univerſi Capituli redditus hujuſmodi diſtributionibus conſtent, lucrari debere duas tertias illarum partes, amiſſa alia tertia, quæ inſervientibus accreſcit. Ergo idem dicendum in Canonicis abſentibus pro ſervitio Epiſcopi, propter æquiparationem, de qua ſuprà *num. 21.* arg. *Inter corporalia, de translat. Epiſcop. cum ſimilibus.*

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS.

Cœleſtinus III.

CAPUT VIII.

EX parte veſtra noſtro fuit Apoſtolatui relatum, quòd Eccleſiæ veſtræ Decanus, qui in partibus Gallicanis ſibi potiùs habitationem elegit, jam per decem annorum ſpatium Eccleſia veſtra ipſius præſentiam habere nequivit. Quia igitur nolumus, ut eadem Eccleſia Decani officio defraudetur: Mandamus, quatenùs ſcribatis eidem, quòd ſuum ibidem officium ut Decanus debeat exercere. Quòd ſi vocatus venire noluerit, eligendi alium, qui præeſſe Eccleſiæ veſtræ valeat, & prodeſſe, vobis ex tunc concedimus liberam facultatem.

S U M M A R I U M.

1 *PRælatus, vel Clericus non reſidens, qui citatus non revertitur, privandus eſt, niſi habeat juſtum impedimentum.*
2 *Prælatus abſens etiam per decennium, ex hoc ſolo non cenſetur habere Eccleſiam pro derelicta.*
3 *Rediiſſe non dicitur, qui ſtatim recedit.*
4 *Prælatus qui ad Eccleſiam revertitur, & ſtatim recedit, amplius non eſt monendus.*
5 *Prælatus abſcedens, cui certus terminus fuit præfixus ad redeundum, lapſo termino privari poteſt ſine alia monitione,*
6 *Dummodo in conceſſione licentiæ fuerit monitus redire in termino.*
7 *Privatio revocatur, poſtquam Prælatus abſens docuerit de legitimo impedimento.*
8 *Epiſcopus, qui tantùm præeſſe deſiderat, & non prodeſſe, non eſt dicendus Epiſcopus.*
9 *Prælati curam animarum habentes tenentur in ſuis Eccleſiis perſonaliter reſidere.*
10 *Reſidentiam Paſtorum an Concilium Tridentinum definierit eſſe de jure divino, uſque ad numer. 20. & numer. 28.*
11 *Epiſcopi tam præſentes, quàm abſentes an poſſint Paſtoralia munia aliis delegare, & num. 28. & 67. verſ. Demum non obſtat.*
12 *Aſſiſtere an importet perſonalem præſentiam, & n. 31.*
13 *Papa habet curam, vigilantiam, & ſolicitudinem omnium Eccleſiarum, & populi Chriſtiani in univerſo orbe,*
14 *Deſerere quid ſit, & num. 31.*
15 *Reſidentia debet eſſe laborioſa, & non otioſa.*
16 *Epiſcopum non habere, vel habere inutilem, paria ſunt.*
17 *Epiſcopus quamvis poſſit aliquando gregem deſerere corporaliter, nunquam tamen poteſt illum deſerere ſpiritualiter.*
18 *Jus divinum nulla poteſt deſuetudine abboleri.*
19 *Hæreticus eſt, qui negat aliquem ex articulis ab Eccleſia diffinitis,*
20 *Epiſcopi, & alii inferiores, quibus cura animarum incumbit, an teneantur jure divino in ſuis Epiſcopatibus, vel Eccleſiis perſonaliter reſidere, & nu. ſeqq. uſque ad num. 75.*
21 *Ambroſius Catharinus fortè omnium primus aſſeruit Paſtorum reſidentiam eſſe de jure poſitivo humano.*
22 *Conſuetudo inſerviendi per Vicarium in beneficio curato, & fructus in abſentia percipiendi, valida eſt ſecundùm aliquos.*
Contrarium, num. 27.
23 *Diſpenſatio ad duo curata eſt de jure poſitivo, & ideò concedi poteſt per Papam, etiam ſine ulla cauſa.*
Contrarium, num. 56. & ſeqq.
Declaratur, num. 61.
Deſtruere ejus eſt, cujus eſt condere, ibidem.
24 *Papa poteſt bona Eccleſiæ curatæ in feudum concedere, & ſtatuere, ut cura per Capellanum à feudatario deputandum exerceatur, & numer. 65.*
25 *Reſidentiam in Epiſcopatibus, & beneficiis curatis eſſe de jure divino, qui authores ſenſerint,*
26 *Reſidentiæ præceptum quo ſenſu dicatur eſſe de jure divino.*
27 *Conſuetudo etiam immemorabilis percipiendi fructus beneficii curati in abſentia, eique per Vicarium inſerviendi, eſt corruptela.*
28 *Reſidentiæ præceptum in Epiſcopatibus, & beneficiis curatis eſſe de jure divino, multipliciter oſtenditur.*
29 *Epiſcopi tenetur præcepto divino oves ſuas verbi Dei prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, & bonorum operum exemplo paſcere.*
30 *Medium ſine quo finis eſſe non poteſt, cadit ſub obligatione finis.*
31 *Abſentes dicuntur Eccleſiam deſerere.*
32 *Epiſcopi præcepto divino tenentur ad curam animarum propter illarum ſalutem, qui eſt finis obligationis Epiſcopalis.*
33 *Epiſcopalis dignitas inſtituta eſt à Domino propter officium.*
34 *Media, quibus Epiſcopum uti oportet ad curam animarum, quæ ſint.*
35 *Epiſcopi & Parochi jure divino per ſeipſos, ac ſi legitimè impediti fuerint, per alios prædicare tenentur, & num. ſeqq.*
Epiſcopum oportet eſſe Doctorem, ibid.
36 *Paſtor dicitur occidere, quos tacendo noluit increpare.*
37 *Prædicatio eſt munus præcipuum ipſius Epiſcopi.*
38 *Paſtoris officium præcepto Evangelico incumbit ipſimet Epiſcopo, nec poteſt alteri demandari, & num. ſeqq. uſque ad num. 54.*
39 *Viſitatio Prælati curam animarum habentis eſt de jure divino,*
40 *Officium paſcendi per bonorum operum exemplum perſonaliſſimum eſt, nec poteſt impleri per miniſtros, & num. ſeqq.*

41 *Epiſcopi dicuntur lux mundi.*
42 *Exemplum vitæ eſt veluti quoddam perpetuum prædicandi genus.*
43 *Epiſcopi debent ipſe ipſis oſtendere, qualiter alios in domo Dei oporteat converſari.*
44 *Epiſcopus pauper ut extra ſuam diœceſim alteri Epiſcopo inſerviat, abuſus eſt deteſtabilis.*
45 *Agris ſuis ſitientibus, alieni non ſunt irrigandi.*
46 *Altare unum non debet diſcooperiri, ut aliud cooperiatur.*
47 *Epiſcopi titulares in Eccleſia ſunt per accidens.*
48 *Epiſcopos titulares ſine rationabili cauſa creare abuſionis eſt.*
49 *Epiſcopus in diœceſi aliena non eſt Paſtor, ſed mercenarius.*
50 *Debitor in officiis, & muneribus perſonalibus non liberatur, ſi per alium facit.*
51 *Sacerdos officium, vel Miſſam celebrans per alium, ſatisfacit his, pro quibus tenetur offerre, ſed non ſuæ obligationi.*
52 *Subſtitutus non admittitur, ubicumque electa eſt induſtria perſonæ.*
53 *Epiſcopus qualis ſit eligendus.*
54 *Epiſcopi poteſtatem juriſdictionis accipiunt immediatè à Papa; ſed poteſtatem Ordinationis immediatè à Deo.*
55 *Paſcendi officium incumbit Epiſcopo ex divina inſtitutione, quæ ab Eccleſia immutari non poteſt.*
56 *Papa quomodo diſpenſare poſſit ſuper reſidentia in Epiſcopatibus, & beneficiis curatis, & n. ſeq.*
57 *Diſpenſatio dupliciter accipitur.*
58 *Papa diſpenſare poteſt ſuper Evangelio, illud interpretando.*
59 *Diſpenſatio ad plura beneficia curata, quam cauſam requirat, & n. ſeq.*
60 *Diſpenſatio ad jus naturale non pertinet, ſed ad poſitivum.*
61 *Diſputare non licet de factis Papæ.*
62 *Diſpenſatio non habens reſpectum ad bonum commune, irrationabilis eſt.*
63 *Acceptio perſonarum non debet eſſe apud Papam.*
64 *Bona Eccleſiaſtica ſunt Dei.*
65 *Diſpenſatio intuitu carnalitatis, & affectionis, non dicitur diſpenſatio, ſed diſſipatio.*
66 *Dignitatem obtinens, cui ſit annexum beneficium curatum reſidere debet in dignitate, & conſtituere Vicarium perpetuum in Parochiali.*
67 *Vicarius perpetuus dicitur Curatus, & Paſtor animarum.*
68 *Reſidentiæ præceptum in Epiſcopatibus, & Curatis per ſe obligat non tantùm ſemper, ſed etiam ad ſemper.*
69 *Præcepta affirmativa in quo differant à negativis.*
70 *Reſidentiæ præceptum licèt affirmativum, includit in ſe præceptum negativum.*
71 *Epiſcopales actus ſunt in triplici differentia.*
72 *Paſtorem ita oportet eſſe aſſiduum muniis Epiſcopalibus, ut actum paſcendi ferè numquam intermittat.*
73 *Paſcendi actus eſt principalis actus Epiſcopi.*
74 *Epiſcopus quandoque per accidens ad perſonalem reſidentiam non tenetur.*
75 *Epiſcopus quibus ex cauſis excuſetur à perſonali reſidentia.*
76 *Impedimentum duplex.*
77 *Epiſcopus an poſſit ab Eccleſia abeſſe ex cauſa infirmitatis.*
78 *Perſecutionum duæ ſunt ſpecies, & quæ præbeant Epiſcopo juſtam cauſam recedendi ab Eccleſia.*
79 *Negotium excuſans Epiſcopum à reſidentia, tripliciter conſideratur.*
80 *Epiſcopus an poſſit abeſſe à diœceſi pro tuendis juribus Eccleſiæ ſuæ, & n. 88.*
81 *Et quid pro neceſſitate ſpirituali alterius Epiſcopi.*
82 *Epiſcopi licitè ſunt legati ad pacem inter Principes Chriſtianos.*
83 *Secus ad negotia temporalia.*
84 *Epiſcopus an, & quando licitè abeſſe poſſit à diœceſi pro negotiis univerſalis Eccleſiæ, vel pro ſervitio Papæ, & num. ſeqq.*
85 *Epiſcopus an eſſe poſſit Officialis in Romana Curia.*
86 *Conditio perſonæ an, & quando excuſet Epiſcopum à reſidentia.*
87 *Perſecutionis tempore an liceat Prælato fugere, & plebem derelinquere.*
88 *Prælatus ut abeſſe poſſit à ſua Eccleſia, non ſufficit legitima cauſa, ſed requiritur etiam licentia.*

E*Xparte*, il primo. Privandus eſt Prælatus, vel Clericus non reſidens, qui tacitus non revertitur intra congruum terminum ſibi aſſignatum, niſi habeat juſtum impedimentum. Hoc dicit duobus cap. ſeqq. Communis diviſio. Secunda, ibi, *Quia igitur*. Et ſecundùm Hoſtien. notantur hìc tria, Facti perverſio, Perverſi monitio, & Moniti rebellis punitio. 1

Nota primò, Prælatum à ſua Eccleſia abſentem etiam per decennium ex loco ſolo non videri Eccleſia habere pro derelicta, nec eſſe ipſo jure privatum, imo nec privandum, niſi priùs fuerit monitus, & intra tempus ſibi præfixum non redierit, ut hìc patet, & notant Petr. de Ancharan. *n.* 1. *in* 2. *notab.* Anton. de Butr. Abb. & Alexan. de Nævo *cap. omnes*, *n.* 2. Adverte tamen, quia non ſufficit, ut revertatur, niſi etiam permaneat: nam ſi rediret, & ſtatim recederet, non videretur rediiſſe, *cap. Relatum ſupra eod. l. Aliud, ff. de verb. oblig. & l. divortium, ff. de divort.* quæ eſt canonizata *in c. Divortium, de pœnit. diſt.* 1. Ideòque qui revertitur, & ſtatim recedit, ampliùs non eſt monendus, *c. Clericus, c. Sicut, & c. Si autem, de cohabit. Cleric. & mulier.* Secundùm Petr. de Anchar. *hic nu.* 3. *in* 4. *notab.* & Alexand. de Nævo *num.* 8. poſt Hoſt. & Joan. Andr. 2 3 4

Adde alium caſum, in quo monitio non requiritur, videlicet cum Prælato volenti ſe abſentare certus terminus fuit præfixus ad redeundum; tunc enim ſtatim elapſo termino privari poteſt, ut ſic dies pro homine interpellet, *l. Magnam., C. de contrahen. ſtipulat. & c. Potuit, de locato*, ſecundùm Goffred hìc. Quod tamen intelligit Joann. And. ſi in conceſſione licentiæ fuit monitus redire in termino, ut notat ſimiliter idem Jo. And. *in c. Quoniam, n.* 14. *ſupra, ut lite non conſtet.* & ſequitur hìc Petr. de Anchar. *num* 3. *verſ. Quærit*, Jo. Andr. & Card. *nu.* 5. *verſ. Quod dic verùm, & verſ. Quod procedit*. Hoc tamen caſu, ſic ut & cùm aliàs eſt monitus in abſentia, ſi doceat de legitimo impedimento, revocabitur privatio, *c. Præſentium* 7. *q.* 1. ſecundùm Anchar. *hic in fin.* Unde etiam poſt elapſum terminum prudenter faciet ſuperior, ſi aliquantiſper abſentem exſpectet, ut per Innoc. *in c. Extirpandæ, nu.* 2. *ver. Imò, & poſt hoc, infra tit. prox.* Sed hodie quomodo ſit procedendum contra Prælatos abſentes ex decretis Conc. Trid. & ex Conſtitutione S. D. N. Urbani VIII. dicam in *c. proximo infra eod.* 5 6 7

Secundò nota, Prælatum debere eſſe talem, qui poſſit præeſſe pariter, & prodeſſe; debet enim præeſſe rectè judicando, *cap. Judicet*, 3. *quæſt.* 7. prodeſſe verò prædicando, & rectè adminiſtrando, ſecundùm Card. *hìc nu.* 2. & Alex. de Nævo *num.* 5. concordat text. *in cap. Licet infra de Regul.* adeòut ut Epiſcopus, qui præeſſe deſiderat, & non prodeſſe, non ſit dicendus Epiſcopus, *cap. Qui Epiſcopatum*, 8. *quæſt.* 1. 8

Ultimò nota, Prælatum teneri in ſua Eccleſia perſonaliter reſidere, concordat *c. Pervenit, cum multis ſeq.* 7. *q.* 1. *c. Quia nonnulli, & c. Relatum, ſupra eod. c. Extirpandæ, §. Qui verò, infra de præb.* & hodie eſt expreſſum tam de Epiſcopis, quam de inferioribus Curatis in Conc. Trid. *c.* 1. *ſeſſ.* 23. 9

Circa hoc decretum hæſitari ſolet à pleriſque, an Concilium ibi declaraverit Paſtorum reſidentiam eſſe de jure divino, Navarr. *in Manuali cap.* 25 *n.* 12. *verſ. Ex quo obiter notandum*, relatis verbis Concilii, ex illis notat non ſolùm Epiſcopos, ſed etiam Parochos jure divino teneri ad reſidendum in ſuis Parochiis, & ad prædicandum populo; quæ alibi non videntur ita expreſſa. Idemque ex eo decreto colligit Alphonſus Hojeda *in tract. de benef. incompatib. part.* 1. *cap.* 1. *num.* 4. & Vaſqu. *in opuſc. moral. tract. de benef. cap.* 4 §. 2 *dub.* 1. *num.* 121. & videtur ſenſiſſe Sac. Congregatio Concilii, ut dixi *in cap. Bonæ, il* 2. *nu.* 27. *ſupra de poſtul. Prælat.* Sed alii exiſtimant, ex verbis hujus decreti nequaquam colligi ſanctam Synodum voluiſſe hoc definire, ad quod expendunt ſingula ibi enumerata Paſtoris officia: nam etſi negandum non ſit, quin munia hujuſmodi ſint 10

ſint propria Paſtorum ex jure Divino; tamen inde non ſequitur, ut ad ea adimplenda neceſſariò requiratur de jure divino Paſtoris præſentia. Si enim ita requireretur, eadem officia nullo modo eſſent delegabilia; cùm tamen paſſim munus prædicationis, Sacramentorum adminiſtratio,
11 præterea cura pauperum, & munia Pontificalia ab Epiſcopis tum præſentibus, quam abſentibus, ritè, rectèque alteri delegentur, *ut in c. Inter cætera in fin. ſup. d. off. Ordin. cum mult. ſimil.* Quin etiam, ut ipſi ajunt, neque ad oves agnoſcendas, neq; ad paſcendas bonorum operum exemplo, neque ad offerendum pro illis Sacrificium neceſſaria videtur præſentia Epiſcopi, cùm etiam abſens poſſit per literas, & per alium oves cognoſcere, & bona opera facere, & ſacrificia offerre. Et confirmatur ponderando verba illa, quæ ſtatim ſubnectuntur à Concilio, videlicet; *Quæ omnia ab his nequaquam præſtari, & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non invigilant, neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt;* non enim dicit prædicta munia non impleri ab his, qui abſunt, ſed ab his, qui non invigilant, neque aſſiſtunt. Requiritur ergo in Epiſcopis vigilantia, ut excubent animo, quantumvis abſint corpore, eam dico vigilantiam, quam ſe habuiſſe Apoſtolus teſtatur, dicens, 2. ad Cor. 28. *Inſtantia mea quotidiana ſolicitudo omnium Eccleſiar.* Ipſe enim quamvis de omnibus Eccleſiis
12 eſſet ſolicitus, non tamen omnibus Eccleſiis præſens eſſe poterat. Neque refragatur verbum illud, *Aſſiſtunt*, quia poſitum videtur pro ſynonymo illius verbi, *Invigilant* ſuperiùs explicati, & congruè referri poteſt ad animum, ad ſolertiam, curam, & diligentiam. Sic Romani Principes ex forma juramenti, quod præſtant Eccleſiæ Romanæ, tenentur illi conſiliis, & auxiliis aſſiſtere opportuni, ut legitur in Clem. *Unica, col. fin. de iurejur.* & tamen hoc ſine
13 corporali præſentia præſtare poſſunt. Sed etiam dicimus Summum Pontificem eſſe totius, ſeu univerſalis Eccleſiæ Epiſcopum, *c. Suſpectos, in ſupraſcriptione, 3. q.* ejuſque regimini præſidere, Extravagan. *Ex debito de elect.* & habere curam, vigilantiam, & ſolicitudinem Eccleſiarum, & populi Chriſtiani in univerſo orbe, *c. Cùm inſtantia, de cenſ.* Clem. *Paſtoralis, de re judic.* nec tamen corpore ſingulis Eccleſiis aſſiſtit, ſed animo & vigilantia illarum curam, & tutelam gerit, *c. 1. de immun. Eccleſ.* & Extravag. *Unigenitus, de pœnit. & remiſſ.* Huc autem interpretationi
14 videtur ſuffragari illud verbum, *Deſerunt*, quod contraponitur duobus illis verbis, *Invigilant* & *Aſſiſtunt*, & ſignificat negligentiam & deſertionem curæ. Ad hoc *l. quiſquis, C. de Agricul. & cenſit. lib.* 11. ubi gl. 1. exponit verbum,
15 *Deſertis*, id eſt *Neglectis*. Quòd ſanè fieri poteſt, etiam Epiſcopo reſidente, arg. *c. Quia nonnulli, & c. Conquerente, ſupr. eod.* Unde Concilium Aquilejenſe 1. *in tit. de reſidentia Epiſcoporum, tom. 9. Concilior. pag. 698. col. 2. Quod verò*, inquit, *de Epiſcoporum reſidentia à S. Trid. Concil. & Summorum Pontificum Conſtitutionibus cautum eſt, hoc non eſt intelligendum, ut præſentia aſſideant, nihil præterea agant, cum ex ſacris Canonibus reſidentia ſit accipienda in*
16 *eum ſenſum, ut ſit laborioſa, non otioſa.* Hæc ibi; parificantur enim Epiſcopum habere inutilem, & non habere, *c. 1. de reſcript.* Quàm multi autem Epiſcopi ſunt, qui licèt reſidentes, tamen more mercenariorum pecus deſerunt, & abjiciunt curam, quàm ſi longiſſimè abeſſent, de quibus Aug. *in d. c. qui Epiſcopatum, 8. q. 1.* & Chryſoſtomus *in c. multi, 40. diſt.* hinc Cajet. *in 2 2. q. 185. art. 5. ver.*
17 *Tertium:* Quamvis, inquit, liceat Epiſcopo in caſu deſerere gregem ſuum, non tamen licet ei unquam deſerere eum ſpiritualiter.

Pætereà ex modo loquendi, quo uti conſuevit Concilium, facilè colligitur verbum *Deſerunt*, importare curæ negligentiam & contemptum, non autem corporalem abſentiam, quippè cum in eodem *c. 1. in fin.* ubi agitur de abſentia perſonali, loquatur Concilium per verbum, *Abeſſe*, numquam autem per verbum, *Deſerere*. Quod ipſum licet
19 obſervare *in c. 1. ſeſſ. 6.* Poſtremò præcipit S. Synodus *in d. c. 1. ſeſſ. 23.* tam decretum illud ſub Paulo III. quàm hoc ipſum de reſidentia in Conciliis Provincialibus, & Epiſcopalibus publicari, redditque rationem, ut nulla deſuetudine aboleatur. At quæ ſunt ex præcepto divino, nulla unquam poſſunt deſuetudine aboleri, *c. Cùm eſſes, de teſtam.* & eſt communis omnium reſolutio *in c. Quanto, de conſuetud.* teſte Covarr. *var. reſol. lib. 3. c. 13. n. 9.* Rationem reddit S. Thomas *in 1. 2. q. 83. art. 3. ad primum*, quia lex divina procedit a voluntate divina; unde non poteſt mutari per conſuetudinem procedentem à voluntate hominis, ſed ſolùm per authoritatem divinam mutari poſſet; & inde eſt ut nulla conſuetudo vim legis obtinere poſſit contra legem divinam.

Quid dicendum? Ego exiſtimo Concilium noluiſſe formaliter huc articulum definire, nam ſi voluiſſet, diſertis verbis expreſſiſſet, ut moris eſt Patrum in definitionibus fidei: & idcirco decreta de Paſtorum reſidentia non poſuerunt inter Canones ad dogmata pertinentes, ſed inter alia decreta de reformatione. Quinimò *in d. c. 1. ſeſſ. 24.* quamvis declaraverint Epiſcopos obligari ad perſonalem in ſua Eccleſia, vel Diœceſi reſidentiam; tamen hanc declarationem non poſuerunt in prima parte Decreti, in qua egerunt de præcepto divino, neque illam deduxerunt immediatè ex principiis divini juris; ſed eam poſuerunt ſeorſim & ad alium finem, videlicet ne ſtatuta ſub Paulo III. de reſidentia, in ſenſus à S. Synodi mente alienos traherentur, ut in §. *Ne verò.* Demum Eccleſia neminem hactenùs con- 19
demnavit ex eo, quod docuerit, vel affirmaverit etiam cùm pertinatia reſidentiæ præceptum eſſe tantùm de jure poſitivo Eccleſiaſtico; & tamen ſecus eſset, ſi ejuſmodi articulus eſset ab Eccleſia definitus, *cap. Sicut, 15. diſt. cap. Cum Chriſtus, infra de hæret.* & docet S. Thomas *in 2. 2. q. 5. art. 3.*

Cætærum ſi ſingula utriuſque Decreti verba accuratè expendantur, non obſcurè apparebit S. Synodum utrobique voluiſse virtualiter inſinuare obligationem Paſtorum ad perſonalem reſidentiam deduci ex præcepto Evangelico. Huc enim ſpectant verba toties inculcata tam *in c. ſeſſ. 6.* ibi: *Attendentes ſibi, univerſo gregi, &c.* Et ibi: *Ovium ſuarum, quarum ſanguis de eorum eſt manibus à ſupremo Judice requirendus.* Necnon ibi: *Propriæ etiam ſalutis immemores, terrenaque cœleſtibus, ac divinis humana præferentes in diverſis curiis vagantnr, ovili derelicto. Et in d. c. 1. ſeſſ. 23.* ibi, *Cùm præcepto divino mandatum ſit, &c.* Et ibi: *Divinorum præceptorum memores.* Item ibi, *Cùm corda Deo pateant, cujus opus non fraudulenter agere ſine periculo tenentur.* Item ibi; *Et mortalis peccati reatum, quem incurrit.* Non enim moris eſt S. Synodi de mortali culpa mentionem facere, niſi ubi agitur de tranſgreſſione legis divinæ, ut in decreto de juſtificatione *ſeſſ. 6. c. 15.* Ac demum ibi, *Conſuetudine etiam immemorabili, quæ potiùs corruptela dicenda eſt.* Et quantum pertinet ad explicationem mentis Concilii ſupradictis verbis involutam.

Nunc QUÆRO abſolutè, an Epiſcopi, & alii infe- 20
riores, quibus cura animarum incumbit, teneantur jure divino in ſuis Epiſcopatibus, vel Eccleſiis perſonaliter reſidere.

Hac de re nulla fuit controverſia apud antiquos, ut Ca- 21
jet. adnotavit in 2. 2. q. 185. art. 5. quia nullus contradicebat, quin Paſtores animarum tenerentur præcepto divino ad perſonaliter reſidendum. Unde hanc quæſtionem temporum iniquitas celebrem fecit, ut inquit Soto *de juſt. & jur. lib. 10. q. 3. art. 1.* & fuit diù, multumque agitata in Conc. Trid. inter Theologos, & Canoniſtas, ut patet ex Actis Concilii, quæ in Arce S. Angeli aſservantur.

Et quidem Ambroſius Catharinus Archiepiſcopus Compſæ in opuſculo de reſidentia, ſeu in Apologia quadam contra Dominicum Sotum, & Bartholomeum Mirandam, fortè omnium primus ante Concilii publicationem aſseruit reſidentiam in Epiſcopatibus, & beneficiis hujuſmodi eſse tantùm de jure poſitivo humano. Sed ejus rationes infirmæ ſunt eaſque diſsolvit Gabr. Vaſq. *in opuſc. mor. in tract. de benef. c. 4. §. 2. dub. 1.* & de ſcriptis ejuſdem Catharini, & quanta cum cautela ſint legenda vide quæ Card. Bellarm. adnotavit in *opuſc. de Scriptor. Eccleſiaſticis.*

Eidem ſententiæ adhæſit ante Concilium Albinianus in 22
tract. de reſidentia & ex Canoniſtis videtur hoc ſenſiſse Jo. de Imola, prout à quibuſdam citatur in *cap. ult. de reſcript. l. 6.* ubi tenet valere conſuetudinem inſerviendi per Vicarium in beneficio curato, & fructus in abſentia percipiendi. Quam opinionem nec falſam, nec prorsùs veram eſse audet aſserere Dec. *in cap. Cùm omnes, in 2. lect. num. 4. de Conſt.* eamque expreſsè conatur defendere ibi Andreas ab Exea, *num. 18.* ut refert Covarr. *variar. reſul. lib. 3. c. 13. nu. 9.* hoc enim neceſsariò ſupponit reſidentiam in beneficiis Curatis non eſse de jure divino, adversùs quod nullam vim habet conſuetudo, ut reſolvunt omnes in *cap. Quanto*

ſupra

23 *ſupra de conſuetud.* & notat Covar. *loc. cit.* Quinimo pro hac ſententia adduci poteſt authoritas Innocent. in *c. Cum ad Monaſterium, n. 3. infr. de ſtatu Monac.* ait enim. *Nota quòd quidam dicunt, & fortè non malè, quòd licèt in his, quæ ſunt contra Evangelium, non proſit diſpenſatio, niſi ex cauſa fiat: non tamen hoc eſt verum in his diſpenſationibus, quæ fiunt contra jus poſitivum tantùm, ſicut apparet in ſtatutis, quæ facta ſunt de Ordinibus conferendis intra certa interſtitia temporum, ut 87. diſt. per totam; & quòd quis non poſſit habere duas curas,* ut notat *ſupra de præben. c. De multa, & de elect. c. Dudum. In his enim diſpenſationibus ſufficit ſola voluntas diſpenſatoris etiam ſine cauſa, quod probo: nam ſi ſola voluntaria conſtitutio erat cauſa, quare aliquid prohibeatur, & ſola voluntas erit cauſa, quare prohibitio relaxetur, quia ejus eſt deſtruere jus, qui illud condit, nec tenetur Princeps ſua lege ligatus, ut C. de legib. l. Digna vox.* Hæc Innocentius, qui ut vides non obſcurè ſentit obligationem reſidendi in beneficiis curatis eſſe de jure poſitivo. Nam ſi ſecundùm eum probitio habendi duas curas eſt ex voluntaria conſtitutione Eccleſiæ, & ideò Papa poteſt in ea diſpenſare pro libito voluntatis, etiam nulla cauſa ſubſiſtente: conſequens eſt, ut obligatio reſidendi in utraque ſit ex conſtitutiones Eccleſiæ, non autem de jure divino, quia ſic diſpenſatus neceſſariò eximitur à reſidentia in alterutra ipſarum, cùm impoſſibile ſit in utraque perſonaliter reſidere: & Innocentium totidem verbis hìc referunt, & ſequuntur Hoſtienſ. *num. 3. verſ. Dicunt etiam quidam*, & fortè non malè, Jo. Andr. *ſub num. 29. verſ. Refert etiam Innocentius*, Butr. *eod. num. 29. verſ. Numquid autem Papa*, & alii plures.

24 Quin etiam eidem ſententiæ videri poteſt aliquo modo adhæſiſſe Sacra Congregatio Concilii. Nam cum Papa Joannes omnia bona Eccleſiæ Brecen curatæ in feudum conceſſiſſet Chriſtopharo Valeræ, & ejus ſucceſſoribus cum onere eidem deſerviendi per Capellanum, ab eis deputandum, & omnia neceſſaria ſuppeditandi; & Comes Vacratus dicti Chriſtophori ſucceſſor Nobilis, & egens petiiſſet declarari, an jure ea bona teneret: Sacr. Congregatio cenſuit hunc Comitem poſſe ſe tueri ex auctoritate Pontificis, qui fecit hoc, & facere potuit, nec Concilium revocavit.

25 Sed contrariam ſententiam, id eſt, perſonalem reſidentiam in Epiſcopatibus, & beneficiis Curatis eſſe de jure divino, ſequitur ferè univerſa Theologorum Schola, eamque in primis tuentur Cajet. in 2. 2. *d. q. 185. art. 5.* Franciſcus Torrenſis Hiſpanus, unus ex Theologis à Summo Pontifice miſſis ad Tridentinum Concilium in ſpeciali tractatu hac de re edito; & omnium diligentiſſimè Bartholomæus à Miranda Archiepiſcopus Toletanus in ea controverſia, quam ſuper hoc apud Tridentum habuit, cui adverſus Ambroſium Catharinum latiſſimè ſubſcripſit Dominicus à Soto *de juſt. & jure libro* 10. *quæſt.* 3. *art.* 1. *&* 2. Corduba *lib.* 1. *Quæſtionarii, queſt.* 19. & Vaſq. *in opuſcul. moral. in tractat. de benefic. cap. 4. §. 2. dub. 1. num. 121.* Idem tenet Thomas Campeggius, qui & Tridentino Concilio interfuit, in opuſcolo de reſidentia, Navarr. *in Man. cap* 25. *nu.* 121. Covar. *lib.* 3. *variar. reſol. cap.* 13 *num.* 9. Alphonſus Hojeda alios citans in *tract. de benef. incompatib. part. 1 c. 1. num.* 4. latè Ferret. *conſ.* 32. *num.* 14. & ex antiquis tribuitur hæc ſententia Gabr. *in* 4. *diſt.* 15. *qu.* 18 *art.* 3. *dub.* 2. & Adriano *in 4. in materia de reſtitut. quæſt. de pluralit. beneficior.* quæ incipit, *Quia in præmiſſis*, Gerſon. *Alphabeto* 24. *lit. Q. &* 40. *lit E & I. &* 44. *litt. I.* quinimò & Divo Thomæ *Quolib. 6. art. 15. & in 2. 2 qu. 185. art. 5.* prout illum citant

26 pro hac ſententia Cajetanus, Sotus, & Vaſq. *loc. citatis*; qui omnes docent Epiſcopos, & Prælatos curam animarum habentes teneri ad perſonalem reſidentiam præcepto divino, non quidem expreſſo per hæc formalia verba, *Epiſcopi reſideant*; nuſquam enim hoc legitur in Evangelio; ſed per verba æquipollentia, & idem importantia; nam & hoc jus divinum appellatur, ut explicat Sot. *d. art.* 1. *in* 2. *col. verſ. Ad horum autem perſpicacem intelligentiam*, licèt fatentur Epiſcopos, & inferiores Curatos poſſe aliquando ex legitimis cauſis à ſuis Eccleſiis abeſſe. Quibus addi

27 poſſunt Canoniſtæ, qui tenent non poſſe conſuetudine introduci, ut quis percipiat fructus beneficii Curati in abſentia, & illi inſerviat per Vicarium: videntur enim tacitè ſentire reſidentiam non eſſe de jure poſitivo humano, quod poteſt contraria conſuetudine aboleri, ut in *c. fin. de conſuet.* Hi autem ſunt Innoc. *in c. Quia nonnulli, ſupra eod.* Abbat. *in c. Extirpandæ, §. Qui verò, col. 16. n. 36. de præb.* Archid. Gemin. & Præpoſ. *in c. Sacerdotibus, 31. diſt.* Gemin. *in c. ult. de reſerv. in 6. ſuper gloſſ. fructibus*, Felin. *in c. Cùm omnes, n. 33. de Conſt.* & Jo. de Selva *de benef. in 4. par. qu. 2.* Quorum ſententiam probavit Conc. Trid. *in d. c. 1. ſeſſ. 23.* ibi: *Conſuetudine etiam immemorabili, quæ potiùs corruptela cenſenda eſt.*

Ego verò arbitror cum Cajetano *loco citat.* præceptum 28
de perſonali reſidentia eſſe de jure divino, & obligare ſemper, & ad ſemper ex ſui natura, licèt per accidens quandoque non obliget. Hæ tres aſſertiones ſunt ſigillatim probandæ.

Et quidem prima aſſertio, id eſt præceptum de perſonali 29
reſidentia eſſe de jure divino, omiſſis Patrum teſtimoniis, quæ copiosè adducit Miranda, ex Epiſtolis Athanaſii, quas referunt Franciſcus Tortenſis, & Sotus locis ſupracitatis.

Probatur primò. Nam Epiſcopi, & omnes, quibus cura animarum incumbit, tenentur precepto divino oves ſuas agnoſcere, verbique divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum operum exemplo paſcere, & in cætera munia paſtoralia incumbere: ſed hæc omnia ab his impleri non poſſunt, qui gregi ſuo non aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt: Ergo Epiſcopi, & omnes, curam animarum habentes, tenentur præcepto divino gregi ſuo aſſiſtere, eumque more mercenariorum non deſerere, & conſequenter eodem præcepto divino tenentur in ſuis Epiſcopatibus, Parochis perſonaliter reſidere. Major propoſitio habetur diſertis verbis in Concilio Trid. *d. c. 1. in princ. ſeſſ.* 23. & patebit ex dicendis *infra nu.* 34. *& ſeqq.* Minor propoſitio ſimiliter eſt ad literam expreſſam in eodem Concilii decreto in verſ. *Quæ omnia, & in c. 1. ſeſſ. 6.* ibi, *Implere autem illud ſe nequaquam poſſe ſciant, ſi greges ſibi commiſſos mercenariorum more deſerant.* Et eſt per ſe nota, quia non eſt poſſibile, ut oves paſcantur ab eo, qui illas deſerit more mercenariorum, & fuſiùs patebit ex dicendis infrà *n.* 35. 38. *& ſeq.*

Conſequentia eſt clara, quia eadem obligatione, qua 30
quis tenetur ad finem, tenetur etiam ad medium, ſine quo finis eſſe non poteſt, S. Thomas in 1. *p. qu.* 19. *art.* 3. cùm omnia ordinata ad finem habeantur ſub ratione finis, ut *l. Nam & Pædius, ff. de legibus*, S. Thomas *in* 1. 2. *in princ.* & notant in propoſito Cajet. & Soto *ubi ſupra*. Quòd ſi paſtores tenentur præcepto divino ovibus ſuis aſſiſtere, & illas non deſerere; conſequens etiam eſt, ut eodem præce- 31
pto divino teneantur perſonaliter reſidere, quia verbum, *Aſſiſtere*, ex propria ſignificatione importat nedum vigilantiam, & ſollicitudinem animi ſed etiam corporalem preſentiam, *l. ult. in fin. C. de Advoc. diver. judic.* & idem eſt, quod *Adeſſe, c. Si quem*, juncto *c. Quamvis in fin. de procur. lib. 6* Conc. Trid. *in c. 4. in fine ſeſſ.* 13. Similiter verbum, *Deſerere*, quamvis aliquando ſignificet idem, quod negligere, ut ſuperius tetigimus; tamen ex proprietate vocabuli importat ſubtractionem corporalis præſentiæ, & receſſum ab Eccleſia. Unde abſentes à ſacris Canonibus paſſim dicuntur Eccleſias deſerere, ut in *c. Si quis Presbyt.* ibi, *Deſerta Eccleſia ſua aliam tranſeundam eſſe crediderit*, 7. *qu. 1. c. 2. ſupra eod.* ibi, *Parochiam ſuam per annos quinque contra Canonum inſtit. deſeruit, c. Inter quatuor, in princ. & c. Ex tuæ*, ibi: *Qui ſe fraudulenter abſentant, & ultra ſex menſes deſeruerint Eccleſias, infra eod.* cum multis ſimilibus.

Secundò, principaliter eadem propoſitio probatur, quia Epiſcopus ex neceſſitate præcepti divini juris tenetur ad curam animarum propter illarum ſalutem, qui eſt finis obligationis Epiſcopalis, S. Thomas *d. q. 185. art. 5.* ſecundum illud Actor. 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo Spiritus Sanctus vos poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo, c. Suggeſtum, 5. queſt.* 1. Concil. Trident. *c. 1. ſeſſ. 6.* Dignitas enim Epiſcopalis inſtituta eſt à Chriſto Domino propter officium, ſicut Auguſtinus dicit in *Iſaiam homilia* 7. Qui vocantur ad Epiſcopatum, non ad Principatum vocantur, ſed ad ſervitium totius Eccleſiæ, ut patet in *cap. Qui Epiſcopatum, 8. qu. 1. & cap. Multi 40. diſt. c. Niſi cum pridem de renunt. & in cap. 1. ſeſſ.* 25. Concil. Trident. ubi Epiſcopi dicuntur eſſe vocati ad ſolicitudines, labores pro Dei gloria, & animarum ſalute; & paſſim alibi. Ergo ex eadem neceſſitate præcepti juris divinis tenentur ad medium neceſſarium procura

cura

34 curam animarum, ut oſtenſum eſt ſupra *n.*30. Media verò, quibus Epiſcopum uti oportet ad ejuſmodi finem conſequendum, ſecundum Cajetanum, ſunt infra aſcripta, videlicet Doctrina, Sacramentorum adminiſtratio, Conſecratio, Viſitatio, Cuſtodia, ac Vigilantia. Quæ ſingula partim explicitè, & partim implicitè continentur in præallegatis decretis Concilii Trident. *cap.*1.*ſeſſ.*23.*& cap.*1.*ſeſſ.*6. Hujuſmodi autem actus tenetur Epiſcopus præcepto divi-
35 no per ſeipſum exercere: nam de doctrina Apoſtolus ait 1. ad Titum 3. *Oportet Epiſcopum eſſe doctorem*, & non dicit, Oportet Epiſcopum habere Doctorem; & in ordinatione Epiſcopi dicitur, *Vade, prædica populo Dei*, ut in Pontificali Romano, & non dicitur, Mitte ad prædicandum, & Paulus 1. ad Corinthios 9. *Væ enim mihi eſt, ſi non evangelizavero, neceſſitas mihi incumbit*; *& in cap. Diſpenſa-*
36 *tio* 43. *diſt.* Anacletus, vel ſecundum alios Nicolaus Papa; *Diſpenſatio*, inquit, *eſt nobis cœleſtis ſeminis injuncta, væ ſi non ſparſerimus, væ ſi tacuerimus*; & in *cap. præced.* Paſtor dicitur eos occidere, quos tacendo noluit increpare, & non eſſe mundum à ſanguine, qui Dei conſilium non annuntiat. Et plura ſacrarum literarum teſtimonia habentur *in c. Sit Rector. & in c. Epheſiis*, 43. *diſt. & in c. Niſi cum pridem de renunt.* ut propterea non mirum, ſi prædica-
37 tionis munus dicatur Epiſcoporum præcipuum eſſe à Con. Tridentino *c.*4.*ſeſſ.* 24. At non eſſe præcipuum ipſius Epiſcopi, ſi abſque legitimo impedimento poſſet per alium adimpleri. Unde meritò S. Synodus *d. c.*4. Epiſcopis mandat, ut in Eccleſiis ſuis per ſe, aut ſi legitimè impediti fuerint, per eos, quos ad prædicationis munus aſſument, in aliis autem Eccleſiis per Parochos, ſive iis impeditis per alios ab Epiſcopo deputandos ſacram ſcripturam, & divinam legem annuntient.

De adminiſtratione Sacramentorum patet, quia quædam ſunt ſacramenta, quæ ſolus Epiſcopus poteſt miniſtrare, ut Confirmationis, & Ordinis, *c. Quanto, de conſuet. c.unic.§. Per frontis chriſmationem de ſacra Unct.* Concilium Florentinum in decreto fidei Eugenii IV. *§. Secundum Sacramentum, & §. Sextum Sacramentum*: & Tridentinum *ſeſſ.*7. *de Confirmatione can.* 3. *& ſeſſ.*23. *de Sacram. Ordin. cap.* 4. *& can.*7. Idemque patet de conſecrationibus Virginum, Baſilicarum, de unctione Altarium, confectione Chriſmatis, & hujuſmodi, in *cap. Quamvis Chorepiſcopis*, 68. *diſt. cap. Perlectis*, *§. Ad Epiſcopum*, 25. *diſt. cap. Aqua, infra de conſecr. Eccleſ. vel Altar.* & *d. c.* 4. *de Sacram. Ordin. ſeſſ.* 23.

38 De viſitatione, cuſtodia & vigilantia ſimiliter patet, quia niſi ad hæc Epiſcopus perſonaliter teneretur, non eſſet ipſe Paſtor cuſtodiens gregem, & vigilans ſuper eo, & agnoſcens vultum pecoris ſui; ſed potiùs eſſet dominus ovium habens mercenarium, cui committit, ut vigilet, cuſtodiat, & viſitet. At manifeſtum eſt Epiſcopos ipſos jure Evangelico eſſe Paſtores ovium Chriſti, juxta verbum Domini ad Petrum, *Paſce oves meas* Joan. 21. non enim dixit, fac paſcere oves, & quamvis ſoli Petro hæc verba dicta fuerint: *cap. Significaſti, ſupra de elect.* tamen Auguſt. *in libro de Paſtore, cap.* 13. obſervat idcircò Chriſtum injunxiſſe ſingulariter Petro id, quod omnibus erat commune, ut unitatem commendaret: Multi enim, inquit, erant Apoſtoli, & uni dicitur: *Paſce oves meas.* Ad hoc *c. In novo*, 21. *diſt. & c. Loquitur Dominus*, 24. *q.* 1 Quod clariùs explicans Ambroſius *in Paſtorali*: *Nobis*, inquit, *in verbis divinis credita eſt diſpenſatio, gregemque Chriſti alendum ſuſcepimus*; & infrà: *Repetitum eſt à Domino tertiò: Paſce oves meas: Quas oves, & quem gregem non ſolùm tunc Beatus ſuſcepit Petrus, ſed nobiſcum illas ſuſcepit, & cum illo nos ſuſcepimus omnes. Juſſit Dominus Petro paſcere oves, per quem ad reliquos omnes poteſtas, & authoritas paſcendi manat à Deo.* Hæc ille. Sed & *Proverbiorum* 27. dicitur. *Di-*
39 *ligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera*; & non dicitur, fac agnoſcere. Ex quo teſtimonio eliciunt DD. perſonalem viſitationem Prælati eſſe de jure divino.
40 Extravag. *Salvator, de præb. inter communes.* Similiter de bonorum operum exemplo dicitur Matth. 5. *Vos eſtis lux mundi, &c. ſic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrum veſtrum, qui in cœ-*
41 *lis eſt.* Pondera, quia non dicit, ut audiant opera veſtra bona, ſed, ut videant, & hæc verba omnibus Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus à Domino dicta fuiſſe, adnotavit Sot. *de juſt. & jure lib.*10.*qu.*3.*art.*1.*col.*3.*verſ. Hac quippè ratione* & ad Titum ſecundo: *In omnibus præbe teipſum exemplum bonorum operum*, & 1. ad Timot.3. *Oportet Epiſcopum irreprenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, &c. & teſtimonium habere bonum ab iis, qui foris ſunt.* Item ab iis qui intùs ſunt, *c. unico*, §. *Ad exhibendum de ſacra unctione, c. Licèt ergo* 8. *q.*1. Nihil eſt 42
enim quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum aſſiduè inſtruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui ſe divino miniſterio dedicarunt. Cùm enim à rebus ſæculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos tamquam ſpeculum reliqui oculos conjiciunt, ex iiſque ſumunt, quod imitentur, ut legitur in decreto Conc. Trid. *c.*1. *in princ. ſeſſ.* 22. & hoc veluti perpetuum quoddam prædicandi genus eſſe dicitur, in *cap.*1. *ſeſſ.*25. At ridiculum eſt affirmare Epi- 43
ſcopum eſſe poſſe irreprehenſibilem, ſobrium, caſtum & ſuis ſubditis poſſe prælucere, & exemplo eſſe per Vicarium, vel ſubſtitutum, cùm in ſeipſo debeat oſtendere, qualiter alios in domo Dei oporteat converſari, dicit tex. in *c. Cùm in cunctis, ſupra de elect.* & ſalus ſubditorum ſit integritas præſidentium, ut in *c. Miramur*, 61. *diſt. & in c.*1. *in princ. ſeſſ. ejuſdem Concilii*: item vanitas eſt ſubditos poſſe imitationis exemplum ſumere ab Epiſcopo in longinquis partibus moram trahente. Unde patet officium hoc paſcendi per bonorum operum exemplum, ad quod præcepto divino obligantur Epiſcopi, eſſe perſonaliſſimum, nec ullatenùs poſſe per miniſtros adimpleri.

Denique de cuſtodia, & vigilantia idipſum patet ex authoritate Apoſtoli 2. ad Timoth.4. non enim dicit, Fac vigilare, ſed, dicit *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple.* Quamobrem cùm ſingula munia, ad quæ Epiſcopi præcepto divino obligantur, exigant corporalem ipſorum præſentiam, & perſonale miniſterium; hinc manifeſtè ſequitur, ut eoden præcepto divino ad perſonalem reſidentiam teneatur.

Non obſtat, ſi dicatur; Epiſcopi poterunt hæc munia exer- 44
cere per alios Epiſcopos pauperes: quoniam ut verbis Cajetani utar, abuſionis eſt deteſtabilis, ut pauper Epiſcopus relicta ſua Eccleſia alteri ſerviat, cùm ſinguli Epiſcopi teneantur ad hæc omnia per ſe explenda in ſua Diœceſi. Hinc ſtatutum legitur in Concilio Antiocheno *c.*11. Epiſcopum de diœceſi ad diœceſim alteram non debere tranſire, neque ſi ſeipſum ingeſſerit, neque ſi à populis fuerit violenter attractus, neque ſi etiam hoc ei ab Epiſcopis ſuadeatur. Manere autem debere eum in Eccleſia Dei, quam ab initio ſortitus eſt, & non ab ea aliò demigrare, ſecundùm regulam ſuper hoc olim à Patribus conſtitutam, refertur in *cap. Epiſcopum*, 7. *quæſt.*1. Item agris ſuis ſitientibus alieni non ſunt irrigandi, *l. Præſes Cod. de ſervit. & aqua*, ibi,
Cùm ſit durum, & crudelitati proximum ex tuis prædiis aquæ 45
agmen ortum, ſitientibus agris tuis, ad alium uſum vicinorum injuria propagari, c. Quia per ambitiones 64. *diſt. l.*2. 46
C. Ut nemo privat. l. Pupillus, & ibi Bart. *ff. de excuſat. tutor.* gloſſ. *in c. Qui vult in ver ſeipſo, de pœnit. diſt.*3. & vulgare eſt non debere unum altare diſcooperiri, ut aliud cooperiatur, Clem. *Quia contigit, de Relig. domib. cap. Cùm cauſam de præb.* & in Auth. *Quomodo oporteat Epiſcopos.* §. *Si verò.*

Quòd ſi inſiſtas; ſaltem exerceri hæc poterunt per Epiſcopos titulares. Reſpondet Cajetanus eſſe per accidens, ut in Eccleſia ſint Epiſcopi titulares: id enim contingit quia Eccleſiæ aliquę ſunt ab infidelibus occupatæ, vel deſtructæ, ut in *cap. Paſtoralis*, 7. *queſt.*1. Quod autem eſt per acci- 47
dens ab arte, relinquitur, nec infirmat rationem per ſe ſolidam, *l. naturalem*, §. *Pavonum, ff. de acquir. rer. domin. l. jura, cum trib. ſeqq. ff. de legib.* Ut enim creentur Epiſcopi titulares ſine ulla rationabili cauſa, & eo tantùm fine, 48
ut ea dignitate alicujus perſona qualificetur, ſeu decoretur, abuſionis eſt.

Prætereà tollitur prædicta objectio, quia quilibet Epi- 49
ſcopus, ſive titularis, ſive non, in alterius diœceſi non eſt Epiſcopus proprius, ſed alienus & mercenarius, *c.* 1. *cap. Nullus Primas*, & *per tot.* 9. *q. c.*1. 2. 3. & *per tot.* 71. *diſtin. c.*3. *infra de Paroch. & cap. Cùm nullus, de tempor. ordinat. lib.*6. *cum multis ſimil.* & in ſpecie de Epiſcopis titularibus patet in decreto Concilii Tridentini *ſeſſ.*14. *cap.*2. ibi: *Nonnulli Epiſcopi Eccleſiarum, quæ in partibus infidelium conſiſtunt, Clero carentes, & populo Chriſtiano, cùm ferè vagabundi ſint, & permanentem ſedem non habeant, non quæ Jeſu Chriſti, ſed alienas oves inſcio Paſtore quærentes, &c.*

At

At grex à Dominio jubetur paſci, non per mercenarium, ad quem non pertinet de ovibus, c. *Adverſitas*, §. *Hoc tunc ſervandum*, 7. qu. 1. ſed per ipſummet Paſtorem: ait enim Dominus Joan. 10. *Qui autem intra per oſtium, Paſtor eſt ovium, cujus vocem oves ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & educit eas. Et cum proprias oves emeſerit, ante eas vadit, & oves illum ſequuntur, quia ſciunt vocem ejus alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum.* Hæc ibi. Pondera ſingula verba, quæ evidenter demoſtrant officium Paſtoris animarum eſſe omninò perſonale ex precepto Evangelico, nec poſſe ex ſui natura per alienum adimpleri.

50 Demùm tollitur eadem objectio. Quia tametſi aliquo ſpeciali caſu æquè benè poſſet eſſe conſultum utilitati Eccleſiæ per deputationem optimi Vicarii, vel Epiſcopi ſuffraganei; non tamen propterea proprius Epiſcopus eximeretur à perſonali reſidentia, quia tenetur præcepto divino non tantùm ad providendum utilitati Eccleſiæ ſuæ, ſed etiam ad paſcendum perſeipſum, ut proximè oſtenſum eſt. In debitis autem, ſeu muneribus perſonalibus non abſolvitur debitor, ſi per alium facit, ut Cajetanus obſervat in 2.2.d. qu. 185. art. 5. probatur in *l. 1. & per tot. ff. de excuſ. muner. & qui ætate ſe excuſ. & tit. ſeq. lib. 10. & cap. Pervenit, de immun. Eccleſ.* & tradit Bald. *conſ.* 165. *Proponitur*
51 *lib. 5* Textus optimus in *l. Inter artifices, ff. de ſolution.* Sicut Sacerdos, ſi divinum officium, vel Miſſam celebret per aliquem devotum Presbyterum, ſatisfacit quidem illis, pro quibus tenetur officium, vel ſacrificium offerre, ſed non propterea excuſatur à celebratione officii, vel Miſſæ, ad quam tenetur, quia debitum perſonale eſt *cap. Nihil*, 7. q. 1. Concilium Tridentinum in *cap. 4. ſeſſ. 22. & in c. 12.*
52 *verſ. Omnes verò, ſeſſ. 24.* Quod multò magis procedit in muneribus publicis, præſertim ubi agitur de regimine animarum, *c. Cum ſit, ſupra de ætat. & qualit.* in his enim cenſetur electa induſtria perſonæ; & ideò non admittitur ſubſtitutus, per regul. *c. fin. §. Is enim de off. deleg.* & ſunt jura aperta in *cap. Quia non nulla*, ibi; *Quæ reſidere in loco, & curam per ſeipſum valeat exercere, & c. Relatum ſupra eod. cap. Clericos*, ibi; *Alios ſubſtituere non premittas, cum id ſatis ſit abſonum, & abſurdum, de offic. Vicar. cap. Extirpandæ, § Qui vero de præbend.* ubi dicitur: *Qui Parochialem habet Eccleſiam, non per Vicarium, ſed per ſeipſum deſerviat*, notat Archid. *in cap. Sacerdotibus*, 11. qu. 1. Abb. *in d. §. Qui verò num. 32. verſ. Quia in commiſſione curæ eligitur induſtria perſonæ, cui committitur*; ideò non eſt rationabile, quòd ipſe alii committat, Dec. *in c. Cùm omnes, in 2. lect. in 1. notab. de Conſtit.* Ferret. *conſ. 32. nu.* 15. & pluribus probat Sotus *de juſt. & jure lib. 10. d. q. 3. art.*
53 *1. col. 20. verſ. Ad eorum ergo argumentationem.* Unde meritò B. Bernardus ab Hoſtienſi relatus in *cap. Extirpandæ, n. 10.* dicit: *Qui per Vicarium inſervit, per Vicarium remunerabitur.* Quo loco libet referre verba graviſſima Damaſi Papæ Epiſt. 4. quæ habetur *tom. 1. Conc. pag.* 164 ait enim; *Curam vobis à Deo demandatam negligitis. Qui talia ſumunt, videntur mihi meretricibus eſſe ſimiles, quæ ſtatim ut pariunt infantes, aliis nutricibus tradunt educandos, ut ſuā citiùs libidinem explere valeant; ſic & iſti infantes ſuos, id eſt populos ſibi commiſſos aliis educandos tradunt, ut pro ſuo libitu curiis ſæcularibus inhient, & ad Principes, & ad eorum favores confugiant, & quod unicuique viſum fuerit, liberiùs peragant: pro talibus enim animæ negliguntur, oves pereunt, morbi creſcunt, hæreſes & ſchiſmata prodeunt, Eccleſiæ deſtruuntur, Sacerdotes vitiantur, & reliqua mala proveniunt. Non enim ita Dominus docuit, nec Apoſtoli inſtituerunt, ſed ipſi, qui curam ſuſcipiunt, ipſi peragant. Nam Dominus ovem perditam diligentes quæſivit, ipſe invenit, ipſe propriis humeris reportavit. Si Dominus pro ovibus tantum curam habuit, quid nos miſeri dicturi ſumus, qui etiam pro populo nobis commiſſo curam impendere negligimus, & aliis educandum tradimus*; Hæc Sanctus Pontifex. Et ſanè cùm nihil magis inculcent ſacræ Literæ, Canones, & Concilia, quàm ut ad majorum Eccleſiarum regimen non aſſumatur, niſi qui præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, *cap. Licet ergo, 8. qu. 1. cap. Cùm in cunctis, ſupra de elect.* & hoc munus ejuſmodi eſſe cenſeant, ut ſi pro rei magnitudine expendatur, numquam ſatis cautum de eo videri poſſit, ut legitur in decreto Concil. Trident. *c. 1. ſeſſ. 24.* & ſcripſi plenè in *cap. Niſi cum pridem ſupra de renunt.* utique tam exquiſitæ diligentiæ, & cautelæ eſſent prorsùs ſupervacaneæ, ſi Epiſcopi poſſent muneri ſuo per alium ſatisfacere.

Rurſus non obſtat, ſi dicatur: Epiſcopi accipiunt poteſtatem immediatè à Summo Pontifice, *c. Qui ſe ſcit, & c. Decreto, 2. q. 6. c. Sacroſancta, & c. Omnes, 22. diſt.* & docent Alex. de Ales, Albertus Magnus, S. Thomas, & S. Bonaventura relati à Card. Turecrem. *in d. c. Omnes, 22. diſt.* ubi latè hanc ſententiam tuetur. Ergo Epiſcopi tenentur perſonaliter reſidere jure Pontificio, non autem Divino.

Id inquam non obſtat: Primò, quia Epiſcopi accipiunt 54
immediatè à Romano Pontifice poteſtatem juriſdictionis tantùm. Et ita loquuntur Canones, & DD. ſupracitati, ut ſcripſi latiſſimè in *c. 1. à n. 31. ſupra de off. ordin.* At verò poteſtatem Ordinis, quæ non ex injunctione hominis, ſed per conſecrationem confertur, accipiunt immediatè à Chriſto, *c. In novo*, & ibi gloſſ. *in ver. Pari, 21. diſt.* & dixi in *c. 1. in 2. notab. de ſupplen. neglig. Prælat.* Cùm autem Epiſcopi teneantur præcepto divino oves paſcere, etiam Sacramentorum adminiſtratione, ut habetur in decreto prælleg. Conc. Triden. *c. 1 ſeſſ. 23.* & hoc ſpectet ad poteſtatem Ordinis, utique ſaltem hoc reſpectu præcepto divino tenetur perſonaliter reſidere.

Deinde, & fortè melius prædictum argumentum dici- 55
mus non obſtare, quia etſi quilibet Epiſcopus accipiat juriſdictionem immediatè ab Eccleſia Romana, tamen inſtitutio ipſa Ordinis, & gradus Epiſcopalis eſt Dei, ut eſt diffinitum à Concilio Trid. *ſeſſ. 23. de Sacra. Ordin. can. 6.* & dixit pleniùs in *c. Quanto, ſupra de conſuet. & in cap. 1. de ordinat. ab Epiſc.* Et huic inſtitutioni ab ipſo Deo fuit annexum onus paſcendi oves, ut ſæpiùs repetitum eſt; & conſequenter quamvis Romanus Pontifex promoveat Epiſcopos, eiſque juriſdictionem conferat; ipſam tamen divinam inſtitutionem immutare, aut onus illi annexum à Deo adimere non poteſt. Et quemadmodum, ut Soti exemplo utar, qui morum ſerit, efficere non poteſt, ut prunus inde, aut alia arbor germinetur, quam morus; ita nec qui Epiſcopum facit, efficere poteſt, ut ejus natura divinitùs inſtituta non ſit per ſe paſcere.

Similiter non obſtat, ſi dicatur; Papa aliquando diſpenſat 56
ſuper reſidentia; Conc. Triden. *in cap. 2. ſeſſ. 6.* ibi: *Indulgentiis verò, & diſpenſationibus temporalibus, &c.* Quinimò, & Epiſcopus, ut patet in *c. Cum ex eo, de elect. lib. 6.* ubi eſt expreſſum Epiſcopos diſpenſare poſſe cum habentibus Parochiales Eccleſias, ut ad ſeptennium abſint ſtudiorum cauſa; & generaliter ex juſta cauſa, ut in *c. Relatum, in fin.* & ibi gloſſ. *fin. ſup. eod.* Item aliquando diſpenſat Papa ſuper retentione plurium Epiſcopatuum, aut plurium beneficiorum curatorum, ut in *c. De multa in fin. de præb. cap. Dudum, il 2. de elect.* Clem. *Si plures*, & Extravag. *Execrabilis de præbend.* Ergo reſidentia non eſt de jure divino, ſuper quo Eccleſia non diſpenſat, *c. Sunt quidam, 25. q. 1. cap. Sicut, cum ibi not. 15. diſt.* D. Thom. *in 1. 2. quæſt. 97. art. 4. ad 3.*

Reſpondetur enim ex Richardo de Mediavilla in 4 *ſent.* 57
diſt. 38. q. 9. art. 1. & Cardin. *in c. Cum ad monaſterium, §. Abbas, n. 16. infra de ſtatu Monach.* diſpenſationem poſſe accipi dupliciter. Uno modo pro juris relaxatione, ut notatur in §. *Niſi rigor*, 1. q. 7. Alio modo pro juris declaratio-
ne; & hoc tantùm reſpectu dicimus Papam diſpenſare ſu- 58
per jure divino, videlicet illud declarando, & interpretando, *c. In omni de teſtib.* Addo gl. *unic. in d. c. Sunt quidam*, quæ dicit Papam diſpenſare in Evangelio, interpretando ipſum, *c. Licet, in fin. de teſtibus.* Itaque Summus Pontifex propriè non diſpenſat cum Epiſcopo ſuper reſidentia, ſed potiùs interpretatur jus divinum eo caſu propter aliquam circumſtantiam non obligare; & ita reſpondet Covar. *var. reſ. lib. 3. c. 13. n. 9 ver. Fateor, enim*, Sot. *de juſt. & jure lib. 10. q. 3. art. 1.* & Vaſq. *in opuſc. mor. in tract. de benef. cap. 4. § 2. dub. 1. nu. 122. in fin.* Quod egregiè explicat D. Thom.
Quodl. 9. art. 15. ait enim, *Sunt quædam actiones, quæ ab-* 59
ſolutè conſideratæ inordinationem, & deformitatem quamdam important, quæ tamen aliquibus circumſtantiis advenientibus bonæ efficiuntur, ſicut non reſidere propter incompatibilitatem in beneficio curato eſt per ſe malum; tamen aliæ circumſtantiæ poſſunt ſupervenire ita honeſtantes actum, ut prædictæ inordinationes totaliter evacuentur, ut puta ſi ſit neceſſitas in pluribus Eccleſiis ejus obſequi, & poſſit plus ſervire

vire

vire Eccleſiæ, vel tantumdem abſens, quàm alius præſens,
60 *& ſi quæ alia ſunt hujuſmodi; & tunc iſtis conditionibus ſupervenientibus cum recta intentione non erit peccatum, etiam nulla diſpenſatione interveniente, ſi conſideretur tantùm ſecundum jus naturale, quia diſpenſatio ad jus naturale non pertinet, ſed ſolùm ad poſitivum. Nunc autem certum eſt per antiqua jura hoc eſſe prohibitum; & ideò neceſſaria eſt*
61 *diſpenſatio, etiam illis circumſtantiis ſupervenientibus, quæ ſecundùm conſiderationem juris naturalis actum poterant honeſtare* Hæc S. Thom. Nec refert, quòd Innoc. *in d. cap. Cum ad Monaſterium*, *num.*3. tenet Papam diſpenſare poſſe etiam ſine ulla cauſa, ut quis obtineat duo beneficia curata, ut dixi *ſupra num.*23. nam huic doctrinæ Innocentii in ſpecie reſpondet Abb. *in cap. Extirpandæ*, *§. Quia verò*, *n.*44. *de præben.* dicens illa procedere quoad forum militantis Eccleſiæ, in quo non licèt diſputare de factis Papæ, *cap. Si quis ſuadente*, *§. Qui autem*, 17. *quæſt.*4. quia ipſe de aliis judicat, ſed à nemine judicatur; *c. Si Papa* 40. *di-*
62 *ſtinct.* ſed quoad Deum non procedere: nam jus ſcriptum fundatum eſt ſuper bono communi, *cap. Erit autem lex* 4. *diſt.* hoc autem privata conſideratione iſtius, vel illius non debet omitti, *c. Miramur*, 61. *diſt. cap. Licèt de Regular. cum ſimil.* Diſpenſatio autem per privatam conſiderationem illud remittens, irrationabilis eſt, cùm apud Papam non debet eſſe accepto perſonarum, *c. Novit*, *de judic. cum concord.* Sed negari non poteſt, quin ſit acceptio unius
63
64 perſonæ, quod aliis communiter denegatur. Item ſi Papa eſſet negligens, vel remiſſus, & non intentus circa bonum publicum, graviùs puniretur à Deo, ut in *d. c. Si Papa*, & maximè circa bona Eccleſiaſtica, quæ ſunt Dei, ut in *c. Ex eo*, *de elect. lib.*6. & in Extravagan. *Salvator*, *de præben.* inter communes, Innoc. in *cap. Cùm ſuper de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* Nam quæcumque Eccleſiis offeruntur, dicuntur eſſe oblata Deo, *cap. Videntes*, 12. *q.*1. *& c. Res*, *q.*2. Unde non debet attenta carnalitate, & affectione ſpeciali de his rebus diſponere, ſed attento bono publico ſpirituali. Debet enim eſſe fidelis, & providus diſpenſator, & non infidelis, & ejus judicium debet de vultu Dei prodire, ut in *c. Ut noſtrum*, *ut Eccleſ. benefic. & cap. Cùm æterni*, *de ſent. & re judic. lib.*6. ita Abb. & hoc ipſum dicit Jo. de
65 Lign. in Clem. *Gratiæ*, *de reſcript.* ubi ſimiliter concludit poſſe Papam diſpenſare generaliter, ut unus habeat plura curata, & conſequenter ſuper reſidentia: *Totum tamen* (ut ipſe ait) *debere referri ad cultum divinum, aliàs ſi nuda voluntate, non habita relatione ad bonum publicum, non foret diſpenſator, ſed diſſipator. De fideli diſpenſatore loquitur textus Lucæ* 11. ibi: *Quis putas fidelis eſt diſpenſator, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, &c. Infidelis autem diſpenſator eſt, qui non habet intuitum rationis, & boni publici. Item imprudens non conſiderans cauſas motivas in bonum publicum directivas. Ex quo ſequitur, ut quoad Deum non ſit tutus is, cum quo ſic diſpenſatur, imò verius diſſipatur*, *c. Non eſt*, & ibi not. *in* 2. *gloſſ. de voto*, *facit c. Si is qui præeſt*, 11. *qu.*3. *& cap. Manet*, 24. *qu.*1. Hæc Joan. de Lignano, quem refert, & ſequitur Abb. *in d. §. Qui verò*, *num.* 29. *ver. Totum tamen*, *& nu.* 46. *verſ. Alia concluſio*, & cum his conſentit D. Thomas in 1. 2. *qu.* 97. *art. ult.*

Nec ad rem pertinet deciſio S. Congregationis adducta in contrarium ſuprà *n.*24. ſiquidem Papa Joannes non exemit Parochum à reſidentia; ſed titulum Parochialitatis ſuppreſſit, & in locum Parochi Capellanum ſubrogavit; quod non excedit poteſtatem Papæ. Ideòque Conc. Trid. in *cap.* 16. *ſeſſ.* 25. etſi prohibeat, ne beneficia curata convertantur in ſimplicia, etiam aſſignata Vicario perpetuo congrua portione; tamen præſervat gratias, quæ ſuum plenarium effectum ſunt conſecutæ.

66 Item non obſtat *c. Extirpandæ*, *§. Qui verò*, *de præben.* ubi obtinens dignitatem, cui ſit annexum beneficium curatum, debet reſidere in dignitate, & conſtituere Vicarium in Parochiali, quod fieri non poſſet, ſi reſidentia in
67 beneficio curato eſſet de jure divino. Nam reſpondetur eo caſu Vicarium ipſum eſſe Paſtorem animarum, ut patet ex litera, ibi, *Idoneum, & perpetuum habeat Vicarium Canonicè inſtitutum*. Et propterea, quæ de Eccleſiis curam animarum habentibus per receptionem aliarum ſimilium amittendis, ac de ipſarum rectoribus promovendis ad ſacerdotium, & de eorum ætate à jure ſtatuta noſcuntur, in perpetuis Eccleſiarum Parochialium Vicariis, & aſſumptis ad eas, jubentur obſervari in Clem. *unica de off. Vicar.* Et Vicarium perpetuum eſſe Curatum, probat tex. *eod. tit. in c. fin.* ibi, *Reſideant, & ſe in Presbyteros, ut eorum cura exigit, faciant promoveri*, & notat gloſſ. fin. in d. Clem. unica.

Demum non obſtat, quod dictum eſt de delegatione ſupra *n.*11. Nam ut reſpondet Cajet. *d. art.* 5. *verſ. Ad ſecundum argumentum*, cùm perſonali officio ſtat, ut perſona Epiſcopi, ſalva conſcientiæ puritate, ex rationabili cauſa abſtineat ab aliquo proprio ſibi actu, & per alium exerceat illum, puta ut prædicet per alium, ubi hoc magis expediens fuerit, exemplo Valerii, qui per Auguſtinum prædicabat. Et hanc Cajetani reſponſionem in effectu olim probavit S. Congregatio Concilii in Curatis inferioribus, ut dixi in *c. Extirpandæ*, §. *Qui verò*, *in* 2. *notab. verſ. Cæterum, infr. de præb.* Advertit tamen Sot. *d. art.* 1. *col.* 19. *verſ. Ergo ſi jura*, Valerium hoc feciſſe ingraveſcente jam ætate, quando vires ſibi non ſuppetebant.

Itaque rationibus firmatum eſt quemlibet Epiſcopum, vel Curatum, per ſe loquendo teneri ex divini juris præcepto perſonaliter reſidere in ſuo Epiſcopatu vel Parochia: licèt non me lateat de hoc articulo ingentem controverſiam, & diuturnam altercationem extitiſſe inter Patres Concilii Tridentini, imò & inter ipſos Cardinales præſidentes; & proptereà Decretum ea forma verborum fuiſſe conceptum, ut neutri ſententiæ formaliter adverſaretur, prout refert P. Sfortia Pallavicinus multis in locis ſuæ admirabilis Hiſtoriæ.

Secunda itidem aſſertio, videlicet præceptum de perſonali reſidentia Epiſcopi, vel inferioris Curati per ſe obligare, 68
non tantum ſemper, ſed etiam ad ſemper, probatur: Quia 69
etſi præcepta affirmativa obligent ſemper, non autem ad ſemper, ſed pro loco & tempore, & in hoc formaliter differant à præceptis negativis ut per D. Th. in 1. 2. *q.*71. *art.*5. *ad* 3. *& q.*88. *art.*1. *ad* 2. *& q.*100. *art.*10. *in corp.* nihilomi- 70
nùs aliud dicendum eſt de perſonali reſidentia, quoniam licèt ſit affirmativum, tamen includit etiam præteptum negativum obligans ad ſemper, quia præcipitur Paſtori, ut oves non dimittat, aut deſerat more mercenariorum, ut oſtenſum eſt *ſupra nu.*29. *& ſeqq.* Simile habetur *in c. Super hoc de renunt. & in c.*1. in gloſ. *in ver. Non timore*, *ſupra de iis, quæ vi met. cauſ.*

Præterea, ut obſervat Caiet. initio citatus, actus Epi- 71
ſcopales ſunt in triplici differentia: nam quidam exiunt certum, & determinatum tempus, ut collatio Ordinum, *cap.*3. *de tempor. ordinat.* & confectio Chriſmatis, *cap. Literis de conſecr. diſt.*3. *c. Quoniam*, *de ſent. excomm. lib.* 6. gloſ. *in can. Presbyteris, de conſec. diſt.*4. & ratione actuum hujuſmodi ſatis eſſe, ut Epiſcopus reſideret temporibus ab Eccleſia præſcriptis ad illos exercendos. Quidam verò actus ſunt temporis indeterminati, ſed tamen non frequenter occurrunt, ut conſecrationes, & benedictiones, de qui- 72
bus in *cap. Quamvis*, 68. *diſt. & toto tit. de conſecrat. Eccl. vel Altar. & de conſecr. diſt.*1. & horum ratione ſufficeret Epiſcopum ita reſidere, ut ex defectu eorum actuum Eccleſia non pateretur detrimentum. Quidam denique ſunt actus temporis indeterminati, & frequentis, ita ut nullum tempus ſit exceptum, in quo non facile, & crebrò occurrat eorum neceſſitas, ut eſt actus paſcendi gregem Chriſti oportet enim muniis Paſtoralibus ita aſſiduum eſſe Paſtorem, ut actum paſcendi ferè numquam intermittat: ſcriptum ex enim: *Qui præeſt*, *in ſolicitudine*, *c. Quia præſulatus* 91. *q.*4. *&* 2. ad Corint. 11. 28. *Iſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror;* Sic & Apoſtolicus à paſtorali ſolicitudine circa omnes Eccleſias numquam omninò ceſſat, ut dicit text. *in cap. Cùm inſtantia de cenſ.* & noctes ducit inſomnes pro omnibus cogitationem ſuſcipiens, ut in Auth. *Ut judices ſine quoquo ſuffrag. in prin.* Amplius à Paſtore exiguntur ſex actus, qui habentur Ezechi. *c.*39. quos manifeſtum eſt exigere tempus continuum, aut valdè frequens, prout explicant Cajet. & Sot. qui proptereà irridet, & redarguit Ediſcopos, qui opinatur ſe muneri ſuo ſatisfeciſſe, ſi per aliquot horas cauſis decidendis aſſiſtant.

Et ratione actuum hujus trettiæ ſpeciei Epiſcopus jure 73
divino obſtrictus eſt aſſiduè in ſuo Epiſcopatu reſidere; quoniam tanta temporis frequentia continuam exigit reſidentiam, tum ex frequentia exercitii actuum hujuſmodi, tum ex præparatione ad eoſdem actus: nam etſi non omne tem-

tempus inſumatur in exercitio actuum paſtoralium, nullum tamen tempus excipitur, in quo non oporteat Epiſcopum eſſe paratum ad paſtorales actus exercendos, S. Thom. *in* 2. 2. *qu.* 185. *art.* 5. *ad* 3. Et quia actus paſcendi ſecundùm Cajet. eſt principalis actus Epiſcopi, & ex principali actu judicium eſt ſumendum; idcircò per ſe loquendo Epiſcopus adſtringitur præcepto Evangelico ad continuam reſidentiam in ſuo Epiſcopatu, ita ut hoc præceptum quamvis affirmativum, tamen ex natura rei, quæ præcipitur, obliget ſemper, & ad ſemper, id eſt aſſiduè, quia ſicut habet determinatum locum, ſcilicet propriam diœceſim, *c. Si quis Epiſcopus*, 92. *diſt. c. Pervenit*, 7. *qu.* 1. & in ceteris temporibus ipſam Cathedralem Eccleſiam, *c. Placuit*, *ead. cauſ. & quæſt.* Conc. Trid. *in d. c.* 1. *verſ. Eoſdem interim admonet*, *ſeſſ.* 23 ita & determinatum tempus, id eſt aſſiduè, & quaſi ſemper.

Dixi, *quaſi*, quia brevis, & modica interpollatio continuam reſidentiam non interrumpit, ut not. Petr. de Anchar. in *c. unic. n.* 1. *verſ. Quandoque verbum* reſidere *adjicitur actioni* continuè, *de Cler. non reſid. lib.* 6. Et ita ſecundùm eum intelligitur, quod de habitatione continua triennii dicitur in *c. fin. de frigid. & malefic.* Nam & ſtillicidum non ſemper cadens dicitur habere cauſam continuam, ut *l. Foramen*, *ff. de ſervit. urban. præd. & l.* 1. §. *Quotidiana*, *ff. de aqua quotid. & æſtiva*, facit *l. Si quis ita ligaverit*, *ff. de condit. & demonſtr. & l. Mævia*, *ff. de ann. legat.* Unde Conc. Trid. in *præcit. c.* 1. *ſeſſ.* 23. admittit, ut Epiſcopi duos, aut tres menſes ſingulis annis abeſſe poſſint. Quoniam, *inquit*, qui aliquantiſper tantùm abſunt, ex veterum Canonum ſententia non videntur abeſſe, quia ſtatim reverſuri ſunt; dum tamen id æqua ex cauſa fiat, & abſque ullo gregis detrimento; quod an ita ſit, abſentium conſcientiæ graviſſimis verbis relinquitur.

74 Tertia demùm aſſertio, videlicet per accidens quandoque Epiſcopum non teneri ad perſonalem reſidentiam, ſecundùm Cajet. *in* 2. 2. *d. q.* 185. *art.* 5. *verſ. Et quoniam*, probatur, quia cùm hæc obligatio ad ſemper ſit ex parte materiæ, & materia ipſa ſit mutabilitati, & variationi obnoxia, propterea contingit, ut abſque violatione præcepti Epiſcopus non ſemper reſideat.

75 Cauſæ verò excuſantes Epiſcopum à vinculo neceſſariæ continuitatis reſidendi in diœceſi, ex Decreto Conc. in *eod. c.* 1. ſunt infraſcriptæ, videlicet, Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, ac evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas. Quæ omnia Cajet. loc. cit. & poſt eum recentiores Thologi perſtringunt ad tria capita. Primum eſt neceſſitas impedimenti. Secundum qualitas negotii. Tertium conditio perſonæ.

76 Neceſſitas tamen impedimenti nemo dubitat quin excuſent, & eſt expreſſum in *d. c.* 1. *& in c. Inter quatuor*, *infra*
77 *eod. cum concord.* Impedimentum autem eſt in duplici differentia. Aliud enim eſt intrinſeco, aliud ab extrinſeco. Impedimentum ab intrinſeco eſt, quod provenit ex infirmitate, & hoc præbet juſtam cauſam abſcedendi ad tempus ab Eccleſia, ut ſi oportet cœlum mutare, vel ire ad balnea, ſecundùm Cajet. *ubi ſupra*. Ad hoc *c. Nihil*, 7. *q.* 1. *c. Ad evidentiam*, *inf. eod. c. unico*, *eodem tit lib.* 6. *& de Cler. ægrot. per totum*. Quòd ſi morbus ſit incurabilis, premittitur reſignatio, juxta terminos *c. Niſi cum pridem*, §. *Alia vero cauſa eſt debilitas corporis*, *ſupra de renunt.* Sic Silvanus Epiſcopus Philenenſium propter aeris intemperiem renuntiavit Eccleſiæ, & Atticus Patriarca Conſtantinopolitanus Eccleſiam Troadis illi commiſit, inquiens: *Ecce quomodo nullam habes excuſationem, cùm Dominus tibi providerit de loco temperato, & commodo pro corporis morbis tolerandis*. Vel datur coadjutor, ut in *c.* 1. *& c. fin. infra*, *de Cler. ægrot. & c. unico*, *eod. tit. lib.* 6. Non enim conſuevit Sedes Apoſtolica abſolutè diſpenſare, ut quis non reſideat, ſed ad tempus, & ex legitima cauſa, *c. fin. de reſcript. lib.* 6. Conc. Trid. *ſeſſ.* 6 *c.* 2.

78 Impedimentum ab extrinſeco eſt, quod provenit ex perſecutione. Perſecutionum autem duæ ſunt ſpecies ſecundùm gloſſ. in *c. Adverſitas*, *in ver. Hoc etiam*, 7. *q.* 1. Alia extrinſeca, quam patitur Eccleſia à tyranno, vel manifeſtis inimicis, de qua dicam infra *n.* 87. Alia intrinſeca, quæ conſiſtit in eis, qui ab unitate Eccleſiæ non ſunt præciſi; ſed tamen nec paſci ab Epiſcopo, nec corrigi volunt, juxta textum in *d. c. Adverſitas*, *& c. ſeq. & in c. Niſi cùm pridem*, §. *Propter malitiam*, *ſupra de renunt.* Et hæc ſpecies an, & quando præbeat Prælato juſtam cauſam non reſidendi notavit plenè in *c. Poſt translationem*, *à n.* 2. *uſque in fin. eod.*
tit. Negotium autem excuſans Epiſcopum à reſidentia, tri- 79
pliciter ſe habet ad ſuam Eccleſiam. Primò, in ordine ad ſeipſam, ſicut totum ad partes. Secundò, in ordine ad alias Eccleſias, ſicut pars ad compartem. Tertiò, in ordine ad Eccleſiam univerſalem, ſeu Romanam, ſicut pars ad totum, ſeu membrum ad caput.

Primo caſu, quando ſcilicet negotium ſe habet ad ſuam 80
Eccleſiam, ut totum ad partem, puta quia imminet neceſſitas defendendi Eccleſiam, & jura ipſius, ob quam oporteat Epiſcopum ad remotiores partes migrare; tunc manifeſtum eſt jure excuſari à reſidentia: textus eſt in *c. Ex parte*, *infra eod.* & notat gloſ. 1. *in c. fin. de privil. lib.* 6. Quinimò, ſi neceſſitas poſtulet, poteſt, & debet Epiſcopus ad ſublevandam Eccleſiam ſuam in aliqua calamitate conſtitutam accedere ad Curiam, vel Romanam, vel Regiam, idque jure Divino, & naturali, dummodò id per alios perficere non poſſit, ut formaliter inquit Sot. *de juſt. & jure*, *lib.* 10. *q.* 3. *art.* 4. *verſ. Qualitas autem negotiorum*. Et eſt ratio, quia Epiſcopus tenetur propriæ Eccleſiæ exhibere non ſolùm alios actus Paſtorales, ſed etiam hunc, qui eſt defendere, vel procurare bonum ejus, *c. Suggeſtum*, ibi, *Quas tueri debet Eccleſias*, 7. *q.* 1. Ac proinde ex hac cauſa licitè poteſt ab Eccleſia abeſſe, ut probatur in *præalleg. c. Ex parte*, ibi, *Præpoſituræ tuæ jura fideliter proſequeris, cùm per hoc cenſeri debeas reſidens*. Quamvis enim ab Eccleſia abſit, tamen adeſt negotiis Eccleſiæ, ut dicit ibi Innoc. & Hoſt. *n.* 2. *in verſ. Reſidens*.

Secundo caſu, quando ſcilicet negotium ſe habet in or- 81
dine ad alias Eccleſias, ſicut pars ad compartem, *cùm ſimus omnes unum corpus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra*, ad Rom. 12. *c. Singula*, 89. *diſt.* poteſt, & debet Epiſcopus jure charitatis alterius Epiſcopi neceſſitati ſpirituali ſuccurrere, etiam cum detrimento temporalium licèt non è converſo. Et hac de cauſa Paulus Timotheum, & alios diſcipulos abire juſſit ad alias Eccleſias pro neceſſitate promulgandæ fidei, ut fusè probat Cajet. *in* 2 2 *d. qu.* 185. *art.* 5. *verſ. Cùm autem negotium ad bonum alterius particularis Eccleſiæ*, & Sot. *d. art* 4. *col.* 8. *verſ. Præter hæc*.
Item ſecundùm eos cùm unum ſpirituale bonum ſit magis 82
neceſſarium, quam aliud, *c. Bonæ*, *il* 1. *de poſtulat. Prælat.* Conc Trid. *c* 18. ibi, *Et major quandoque utilitas poſtulaverit*, *ſeſſ.* 25. puta negotium fidei, vel pacis, quam miniſtratio Sacramentorum, & hujuſmodi; laudabiliter Epiſcopus pro negotio fidei, vel pacis in aliena moratur Eccleſia: & propterea licitè Epiſcopi ſunt legati ad pacem inter Reges Chriſtianos componenda: *ſi enim cujuſquam*, inquit Ambroſius, *officium eſt pacem facere*, *Sacerdotis maxime*
officium eſt. Sed de hoc *infra num* 88 Quod autem lega- 83
ti eant promiſcuè ad temporalia negotia (ut Cajetanus ſubjicit) abuſionis eſt, quia *nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus*, 2. ad Timoth. 2. *c.* 1. *infra*, *ne Cler. vel Monach.*

Tertiò caſu, quando ſcilicet negotium Eccleſiæ particu- 84
laris ſe habet ad Eccleſiam Romanam, vel univerſalem, ſicut pars ad totum, ſeu membrum ad caput, certum eſt, ſi neceſſitas poſtulet, licitè poſſe Epiſcopum à ſua Eccleſia abeſſe, *arg. d. c. Bonæ*, *il* 1. *de poſtul. Prælat. & c. Cùm dilectus infra eod.* & eſt expreſſum in decreto Conc. Trid. *d. c.* 1. *ſeſſ.* 23. ibi, *Evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas*: nam bonum partis ordinatur ad bonum totius, ut ad finem; & debet pars exponi pro bono totius, ut cùm manus præciditur pro ſalute totius corporis, *c. Reſecandæ*, 29 *q.* 3 S.
Th. *in* 2. 2. *q.* 6. *art.* 1. Silv. *in ver. Homicidium* 3. *n.* 4. Quo 85
tamen loco libet referre ad literam notabilia verba, & declarationem Cardinalis Cajetani in *d. art.* 5. *verſ. Cùm verò negotium*; ait enim: *Eſt tamen hic opus diſtinctione, an negotium hujuſmodi univerſalis Eccleſiæ ſit neceſſario exigens Epiſcopum, vel non; nam ſi negotium neceſſario exigit Epiſcopum, ut ire ad Concilium generale, vel Synodum Provincialem, quæ etiam ſe habet ad Eccleſiam Epiſcopalē ut totum ad compartem; conſtat, quod rationabilis eſt abſentia. Sed ſi negotium univerſalis Eccleſiæ non neceſſario exigit Epiſcopum, puta quia perſona Epiſcopi habet officium, quo oportet ipſum univerſalis Eccleſiæ ſervitio perpetuò perſonaliter Romæ deſervire, v. g. eſt ſecretarius Sedis Apoſtolicæ, vel Auditor Rotæ, aut hujuſmodi: non ex hoc excuſatur à reſidentia quoad Deum. Et ratio diverſitatis eſt, quia*

par-

partes dupliciter ordinantur ad bonum totius. Primo abſolutè; & ſic ſecundùm naturalem ſtatum ordinantur ad bonum totius, ſicut manus, pedes, & reliqua membra hominis abſolutè quidem ordinantur ſecundùm ſuos naturales ſtatus ad bonum hominis, cujus ſunt partes. In caſu autem, quo totius bonum periclitatur, partes etiam perdendo naturales ſuos actus ordinantur ad bonum totius. Secluſo autem caſu neceſſitatis, ſeu periculi totius, natura totius non requirit defectum in parte aliqua, ſed nititur ſingulas perſonas ſalvare in ſuis naturalibus ſtatibus. Sic autem proportionaliter oportet fieri in toto, & partibus Eccleſiæ Politicæ ſecundùm rectam rationem, ita quod quælibet particularis Eccleſia ordinatur ad univerſalis Eccleſiæ bonum, & ſervitium, abſolutè quidem, ſalva cujuſque Eccleſiæ perfectione. In caſu autem neceſſitatis ordinatur ad bonum univerſalis Eccleſiæ etiam cum ſui detrimento. Et quia ſervitia quædam, ut ire ad Synodum, ſunt manifeſtè in articulo neceſſitatis Eccleſiæ univerſalis, vel Provincialis: ſervitia autem, quæ Romæ in hujuſmodi officiis exhibentur, nulla neceſſitate communiter exigunt, ut Epiſcopi incumbant talibus officiis, ſed ſunt tales in Eccleſia Dei, velut monſtra in natura: ideò non excuſantur à reſidentia. Et ſi inſtetur, quòd reſidentes in Eccleſia communi, qualis eſt Romana, cenſentur ubique reſidere: Reſpondetur, quòd ſi hoc eſt verum fictione poſitivi juris, quod Juriſtis relinquo, non tamen eſt verum quoad Deum. Hæc Cajet. quem multùm extollit Sot. *d. art. 4. verſ. Si autem neceſſitas univerſalis Eccleſiæ*, qui tamen addit, ſi Papæ expedierit propter egregiam doctrinam, aut ſingularem authoritatem perſonæ, accreſcere aliquem Epiſcopum ad Curiam, cujus conſilium capiat in commune bonum, licebit quidem ad tempus eum à ſuo Epiſcopatu evocare. Quod ex eo confirmari poteſt, quia Leo Papa ſecum habuit Proſperum Epiſcopum Regenſem, & Urbanus III. Anſelmum Epiſcopum Lucenſem, & Greg. *lib.* 12. Epiſt. 15. invitavit Juvinium Epiſcopum Catanenſem, ut Romam veniret, quo ipſum in ſacro eloquio collegam haberet.

Conditio autem perſonæ excuſans Epiſcopum à perſo-
86 nali reſidentia, ſecundùm Cajetanum eſt unica, videlicet cùm perſona talis eſt meliùs, aut ſaltem æquè benè per eam abſentem regatur Eccleſia, quàm regeretur per aliam præſentem. Quod & S. Thomas docuit *dict. quolib. 9. art.* 15. Et hac ratione ſunt ſex Epiſcopatus propè Urbem habentes Romæ reſidentiam, quia ſunt Epiſcopatus Cardinales, ut in Conſtitutione Sanctiſs. D. N. de qua infra in *cap. proximo*. Similiter ob eamdem rationem poſſet unus plures Eccleſias habere, deficientibus aliis idoneis, *c. Illud*, 21. *q.* 1. *gl. in c. Dudum, il 2. in ver. Intitulatam, ad fin. ſupra de elect.* Unde in Polonia ob Sacerdotum penuriam non rarò diſpenſatur ſuper pluralitate Parochialium Eccleſiarum; & in Germania ſuper pluralitate Cathedralium, ut dixi in *dict. cap. Dudum*.

Porrò quia his caſibus per accidens eſt, ut Epiſcopus excuſetur à reſidentia, videlicet ob defectum idonei Paſtoris, non mirum, ſi etiam per accidens oporteat ſupplere vices proprii Paſtoris per Epiſcopum titularem, vel Vicarium. Sed his caſibus ceſſantibus, & per ſe loquendo, reſidentiæ
præceptum jure divino obligat ſemper, & ad ſemper. Et 87
hæc eſt apertè doctrina D. Th. *in* 2. 2. *a. q.* 185. *art.* 5. ubi nec perſecutionis tempore concedit licitam eſſe abſentiam Paſtoris, niſi in caſu, *Quia*, inquit, *ſubditorum ſalus exigit perſonæ Paſtoris præſentiam, non debet Paſtor perſonaliter ſuum gregem deſerere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod perſonale periculum imminens, cùm bonus Paſtor animam ſuam ponere teneatur pro ovibus ſuis.* Et ſic deducit ex præcepto Evangelico obligationem reſidendi in Eccleſia, etiam uſque ad ſanguinis effuſionem. Quem locum D. Th. fuſiùs explicat Sot. *de juſt. & jure lib.* 10. *q.* 3. *art.* 4.

Eidem ſententiæ adhærent unanimiter Canoniſtæ, dum in perſecutione extrinſeca, quam patitur Eccleſia à tyranno, & manifeſtis inimicis, quotieſcumque ſine Prælato non eſt tuta ſalus Eccleſiæ, vel cùm non ſolus Prælatus quæritur, ſed etiam Clerus, concludunt Prælatum non poſſe Eccleſiam deſerere, ſed potiùs debere animam ſuam ponere pro ovibus ſuis, exemplo B. Thomæ Cantuarienſis, qui pro hac cauſa martyrium ſubiit, *c. Sicut dignum, de homic.* ita gl. in *c. Adverſitas, in ver. Hoc etiam 7. quæſt.* 1. quam ſequitur Innoc. in *c. Niſi cum pridem, in ver. Malitiam ſub n.* 4. Hoſt. Card. Ant. de Butr. Anchar. & alii communiter *ſupra de renunt.* & probatur *in c. Suggeſtum, in c. Sciſcitaris, & in d. c. Adverſitas, & in §. Hoc tunc ſervandum*, 7. *q.* 1. Ergo ſi etiam perſecutione ingruente tenetur Paſtor potiùs mortem ſubire, quàm gregem deſerere; quantò magis perſecutione ceſſante illicita erit, & pernicioſa abſentia Paſtoris ſine rationabili cauſa?

Porrò cùm de cauſis excuſantibus à perſonali reſidentia 88
Paſtores animarum, ſuperiùs diffusè actum fuerit, hoc loco admonendi ſunt cauſas ejuſmodi non ſufficere, niſi etiam adſit licentia ſuperioris, text. eſt in *c. Relatum in fin.* & ibi notat gl. *in ver. Prælatorum*, & communiter DD. *ſup. eod. c. Non oportet, de conſecr. diſt. 5. c. Magnæ, de voto*, gl. *in c. fin. in verſ. Abſentare, de privil. lib.* 6. & Greg. *Epiſt. lib.* 3. *c.* 36. neminem Pontificum à Parochia ſua vel parumper abſque inevitabili prorsùs neceſſitate diſcedere permittebat. Et ex Conc. Trid. *c.* 1. *ſeſſ.* 23. legitimæ abſentiæ cauſæ à Beatiſſimo Romano Pontifice, aut à Metropolitano, vel eo abſente, ſuffraganeo Epiſcopo antiquiori reſidente in ſcriptis ſunt approbandæ. Sed in his omnibus hodie ſervari debet noviſſima Conſtitutio S. D. N. Urbani VIII. de qua plenè dixi infra *cap. proximo*.

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS.

Innocentius III. Capitulo Raguſino.

C A P U T IX.

QUaliter Archiepiſcopus veſter temeritate propria receſſerit ab Eccleſia Raguſinenſi, nec jam ultra quadriennium expectatus redierit, per litteras etiam veſtras revocatus: & infrà. Diſcretioni veſtræ mandamus, quatenùs (niſi forſitan jam redierit) vos poſt menſem à receptione præſentium, perſonam vobis idoneam in Archiepiſcopum eligatis.

S U M M A R I U M.

1 *ARchiepiſcopus, qui propria temeritate ab Eccleſia receſſit, & commonitus non rediit, poteſt ſpoliari Archiepiſcopatu.*

2 *Capitulum quamvis non poſſit citare Epiſcopum, poteſt tamen eum monere, ut redeat ad reſidentiam.*

3 *Monitio procedit etiam de inferiori ad ſuperiorem, & de pari ad parem.*

4 *Epiſcopus, qui commonitus non redit ad reſidentiam, videtur habere Eccleſiam pro derelicta.*

5 *Prælatus quibus caſibus cenſeatur habere Eccleſiam pro derelicta.*

6 *Epiſcopus qui Eccleſiam habet pro derelicta, poteſt ea ſpoliari per Papam ſine citatione, & ſententia.*

7 *Citatio, & ſententia in notoriis non requiritur.*

8 *Capitulum quantumcumque monet Prælatum ad reſidentiam, non tamen poteſt procedere de electionem alterius ſine authoritate Papæ.*

9 *Epiſcopi non reſidentes, ex Decretis Conc. Tridentini, & conſtitutionibus Apoſtolicis quas pœnas incurrant, & n.* 11. *& ſeqq.*

Et

Et quibus ex cauſis abeſſe poſſint, ibid.

10 Concilium Tridentinum in quibus innovet antiquos Canones contra Paſtores non reſidentes.

11 Bulla Sanctiſſimi D. N. ſuper reſidentia Epiſcoporum refertur.

12 Metropolitanus, vel eo abſente ſuffraganeus antiquior reſidens an hodie probare poſſint cauſas abſentiæ Epiſcoporum.

13 Cardinalis à Turrecremata invectiva in Epiſcopos non reſidentes.

14 Epiſcopus ab Imperatore, ſeu Rege evocatus, an excuſetur à reſidentia.

15 Et quid ſi à Principe habeat regalia, & n. ſeqq.

16 Intellectus c. Si Epiſcopus, 18. diſt. & c. Si vobis fratres, 23. quæſt. ultim.

17 Epiſcopus habens feudum à Principe, ſi vocetur à Papa etiam poſt regiam præceptionem, relictis omnibus etiam Regalibus ſequatur Papam, & n. ſeq.

18 Epiſcopus vocatus à Metropolitano ad Concilium, vel ad cauſam, item vocatus à Rege, cui potius parere teneatur.

19 Epiſcopi non habentes ragaliæ à Principe, illius præceptis non ſunt obnoxii.

20 Sacerdotalis dignitas excedit omnem dignitatem ſæcularem.

21 Epiſcopi ratione muneris, aut Reipublicæ officii Epiſcopatibus adjuncti, quomodo excuſentur à reſidentia.

22 Cardinales ex eo quod in Epiſcopatibus propè Urbem, vel in Urbe in ſuis titulis reſiderent, non excuſantur à reſidentia in Cathedralibus, quibus præfecti ſunt.

23 Auditor Cameræ procedit contra Epiſcopos non reſidentes uſque ad ſententiam diffinitivam excluſivè.

24 Epiſcopi ultra, vel citra montes quamdiu ex cauſa viſitationis liminum abeſſe poſſint.

25 Epiſcopus an hodie ſingulis annis abeſſe poſſit tribus menſibus à Concilio Tridentino permiſſis.

26 Cardinalibus Epiſcopis quomodo, & quamdiu à ſuis Cathedralibus abeſſe liceat ex cauſa vacationis Sedis Apoſtolicæ.

27 Epiſcopi temporibus Adventus, Quadrageſimæ, &c. an in Cathedrali Eccleſia reſidere teneantur, an verò ſatis ſit, ut in diœceſi reſideant, & n. ſeq. uſque in fin.

28 Epiſcopus abſens à Cathedrali, ſi in diœceſi reſideat, an incidat in pœnas Tridentini Concilii.

29 Lex ubi plura copulativè requirit, non habet locum niſi omnia ſimul concurrant.

30 Dictio, ſi, adjecta verbo futuri temporis conditionem importat.

31 Gerundium importat conditionem.

32 Alternativæ natura eſt, ut alterutrum ſufficiat.

33 Parochus etſi teneatur in ædibus Parochialibus reſidere, tamen ſi reſideat extra dummodò in Parochia, non incidit in pœnas non reſidentium.

34 Epiſcopi ante Tridentinum Concilium tenebantur omni tempore in Cathedrali reſidere.

35 Alternativa, vel, an ſit ordinis, vel electionis.

36 Diſtributiones Canonicorum abſentium primo applicandæ ſunt fabricæ Eccleſiæ, ſi indigeat; ſin minus alteri pio loco arbitrio Ordinarii.

37 Verbum, debet, regulariter neceſſitatem importat.

38 Verba hortatoria, juncta verbis obligationem importantibus non excludunt obligationem.

39 Epiſcopi an uti poſſint abſentia trium menſium à Concilio permiſſa temporibus Adventus, Quadrageſimæ &c. & num. 44.

40 Epiſcopus an poſſit jungere trimeſtrem abſentiam unius anni cum trimeſtri anni ſequentis, & n. 44. & ſeq.

41 Epiſcopus in caſibus, in quibus ex rationabili cauſa abeſſe poteſt, an primò uti debeat tribus menſibus à Concilio permiſſis, & non niſi ipſius conſumptis, licentiam petere non reſidendi, & n. 46.

42 Epiſcopus viſitans Limina in fin. unius triennii, an poſſit in principio triennii ſequentis iterùm viſitare, & ab Eccleſia abeſſe per octo continuos menſes ex Bulla Urbani VIII. & n. 47.

43 Epiſcopo an poſſit concedi, ut per tres menſes abeſſe queat ex ſola cauſa, quòd per multos annos continuos reſederit, & n. 48.

45 Statim dictio quid importet.

Proſp. Fagnan. in III. Lib. Decretal.

QUaliter. Summatum eſt ſuprà in cap. prox. Communis 1
diviſo. Primò, exceſſus. Secundò, mandatum, ibi,
Diſcreptionis.
Nota primò, Archiepiſcopum, qui receſſit ab Eccleſia
temeritate propria, id eſt ſine licentia Romani Pontificis, ut
exponunt Ægidius Bononien. Jo. Andr. & Card. omnes in
ver. Temeritate, ſi commonitus non redeat, poſſe ſpoliari
Archiepiſcopatu.
Secundò nota, ex illis verbis, Per veſtras etiam litteras re- 2
vocatus, quòd Capitulum quamvis non poſſit citare pro-
prium Prælatum, vel in eum animadvertere, quia inferior
in ſuperiorem, &c. c. Inferior, 21. diſt. c. Cùm inferior de ma-
jor. & obed. poteſt tamen eum requirere, vel monere, ut re-
deat ad reſidentiam, ut notant hìc Innoc. Abb. Antiqu. &
Hoſt. omnes in verb. Revocatus, Collectar. n. 3. Ant. de Butr.
n. 2. Petr. de Anchar. in 1. notab. & Abb. n. 1. Idemque dicunt 3
DD. in c. Ex tuæ, infr. eod. Monitio enim procedit etiam de
inferiori ad ſuperiorem, c. 1 ſupra de ſupplen. neglig. Prælat.
Et de pari in parem, ut per gl. 1. in c. Cum cauſa, verſ. 5. Item 4
qualiter poſſunt duo ſupra de off. deleg. Et ex hujuſmodi mo-
nitione Epiſcopus videtur conſtitui in contumacia non re-
ſidendi, ut per Butr. eod. n. 2. & habere Eccleſiam pro dereli-
cta, ut propterea meritò illa ſpoliari poſſit: nam ſecundùm
gloſſ. 1. hìc, & Abb. n. 5. ut habeat quis Eccleſiam pro dereli- 5
cta, tribus modis poteſt contingere. Primò, ſi Beneficiatus
fiat miles, vel joculator. Secundò, ſi matrimonium contra-
hat. Tertiò, ſi monitus non redeat ut hìc. Siquidem, ut in- 6
quit Hoſt. in ver. Eligatis in fin. præſumitur evidenter præ-
ſumptione juris, & de jure, quod Eccleſiam habeat pro de-
relicta, Papa qui ſuper omnes eſt approbante hoc. Et ſequi-
tur Jo. Andr. in fin. Et in his caſibus nec ſolemnis citatio, nec
ſolemnis ſententia requiritur, ut hìc patet. Nam Papa dedit
licentiam Canonicis Raguſinis eligendi alium in Archiepi-
ſcopum, abſque eo quòd præceſſerit formalis citatio, vel ſen-
tentia privationis, ut benè obſervat Abb. hic in 3 not. & te-
net gloſ. in c. fin. in ver. redierint infrà eod. Et ſic non obſtat
c. 1. infrà de conceſſ. Præb. quia non intelligitur fieri electio
inſtituta Eccleſia, ſed vacante, ut dicit hìc Hoſt. in fin. Et ſe-
cundùm Abb n. 6. ſpoliatio hoc caſu poteſt fundari ſuper du-
plici cauſa. Prima, quia, ut dictum eſt Eccleſia habetur pro
derelicta à Prælato abſente, ut dicunt gloſſæ præalleg. Intel-
lige poſt monitionem, aliàs ſecus, etiamſi per decennium
abſuiſſet, ut per Butr. ſuprà in c. prox. in 1. not. Secunda, ra-
tione notorii quia cùm crimen non reſidentiæ notorium
ſit, poteſt ſuperior illum ſpoliare abſque alia citatione, vel
ſententia privationis, quæ in notoriis non exigitur, & ſe-
cundùm eum ad hoc facit c. Ex tuæ, infr. eod. Quod optimè 7
probat hæc Decretalis, legendo, Per veſtras litteras, ut habet
communis littera. Sed aliàs legitur, Per noſtras. Et ſecun-
dùm hanc lecturam videntur neceſſariæ litteræ Papæ, ut per
Hoſt. & Joan. Andr. in princ. in ver. Veſtras, & Petr. de
Anchar. in princ. & formalis citatio, ut per gloſſ. in c. Ex
parte, in ver. Per decem annorum, ſuprà eod. Primam tamen 8
opinionem tuetur Abb. ſuprà in cap. prox. num. 4. in 3. notab.
ubi etiam allegat Oldrad. conſ. 130. & Gaſpar. de Calder. ibi
dicentem, alias ſic fuiſſe in Curia determinatum. Addit
hìc Innoc. in ver. Eligatis, quòd quantumcumque ſub-
diti moneant Prælatum de redeundo, non tamen poſſunt
procedere ad eligendum ſibi ſuperiorem ſine anthoritate
illius, in cujus manibus poteſt renunciare, vel qui juriſ-
dictionem habet ſuper eum. Quod dictum ſequuntur Abb.
Antiq. Joan. Andr. Collectar. Butr. Anchar. Abbas, & cæ-
teri omnes.
Hodie verò contra Prælatos non reſidentes ſervanda eſt 9
forma à Concilio Tridentino præſcripta ſub Paulo III. in
cap. 1. ſeſſ. 6. Nam qui juſtis, & rationabilibus cauſis ceſſan-
tibus ab Eccleſia ſex menſibus continuis extra ſuam
diœceſim morando abſuerit, quartæ partis fructuum
unius anni, fabricæ Eccleſiæ, aut pauperibus loci per ſupe-
riorem Eccleſiaſticum (id eſt, Metropolitanum reſpectu
Epiſcoporum Comprovincialium, ex ſententia S. Congre-
gationis) applicandorum, pœnam ipſo jure incurrit. Quòd
ſi per alio ſex menſes in hujuſmodi abſentia perſeverave-
rit, aliam quartam partem fructuum ſimiliter applicandam
eo ipſo amittit. Creſcente verò contumacia, Metropoli-
tanus ſuffraganeos Epiſcopo abſentes, Metropolitanum
verò abſentem ſuffraganeus Epiſcopus antiquior reſidens
ſub pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ eo ipſo incuren-
da infra tres menſes per litteras, ſeu nuncium Romano

Pontifici denuntiare tenetur, qui in ipſos abſentes, prout cujuſque major, aut minor contumacia exegerit, animadvertere,& Eccleſiis ipſis de Paſtoribus utilioribus providere poterit. Præterea ex decreto *c.1. ſeſſ.23.* ſub Pio IV. in §. *Si quis Epiſcopus*, abſens præter mortalis peccati reatum, quem incurrit, pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non facit, nec tuta conſcientia, etiam alia declaratione non ſequuta,illos ſibi retinere poteſt; ſed tenetur,aut ipſo ceſſante per ſuperiorem Eccleſiaſticum illos fabricæ Eccleſiæ, aut pauperibus loci erogare. Et paulò ſuperiùs in §. *Ne verò*, exprimuntur quatuor cauſæ, propter quas Paſtoribus abeſſe licet, nempè Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, & evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas.

Sed objicies:In *d.c.1.ſeſſ.6.* innovantur antiqui Canones adverſus Paſtores non reſidentes, qui habentur 88. *diſt. per tot.*& paſſim 21.q.3. in Concilio Eliberino, *c.19.c.Pervenit, c.Si quis vero,c.Si quis Præsbyt.c.Placuit,c.Si quis inClero, 7.q.1.c.2.21.q.2.* Cur ergo alia illis pœna à Concilio præſcribitur; an ut poſſimus pœna Concilii, vel Canonum contra non reſidentes? Quòd ſi pœna à Concilio impoſita utendum eſt, quorſum antiqui Canones innovantur? At reſ-
10 pondetur innovari Canones quoad culpam, videlicet ut Epiſcopi reſidere teneantur, & quoad pœnam privationis tituli, de qua à Concilio nihil ſtatuitur, ut declarat paulò poſt in *d.§. Creſcente verò contumacia:* & ſic etiam quoad modum privationis. Quamobrem quod ſpectat ad privationem tituli, & privationis modum, ſervandum erit quod ſtatuitur in hac decretali, & in aliis Canonibus, & præſertim in *c. Ex tuæ, infr. eod.*

11 Noviſſimè ſuper reſidentia Epiſcoporum promulgata eſt Conſtitutio S. D. N. Urbani VIII. quæ incipit, *Sancta Synodus*,ſub die 12. Decemb 1634. in qua Sanctitas ſua primò innovat decreta Concilii Tridentini, Conſtitutiones Apoſtolicas, & Decreta Conciſtorialia ſuper reſidentia Epiſcoporum,multæ enim Conſtitutiones ſuper hoc anteà prodierunt,ut Pii IV. & Pii V. Item multa Decreta Conciſtorialia, Et in ſpecie Gregorius XIII.declaravit Decreta Concilii, & pœnas ejuſdem habere locum etiam in S. R. E. Cardinalibus. Et Clemens VIII. ſuo Decreto Conciſtoriali addit pœnam inhabilitatis Epiſcoporum non reſidentium ad majores dignitates, & Eccleſias obtinendas.

Secundò, Sanctitas ſua jubet jam præfectos Cathedralibus,& majoribus Eccleſiis etiam S.R.E.Cardinales ſe itineri committere,& ad reſidentiam conferre infra unum menſem,ſi in urbe exiſtant;infra duos, ſi extra urbem in Italia; ſi extra Italiam, infra quatuor computandos à die publicationis Bullæ: nondum autem præfectos, infra terminos ſuperiùs expreſſos computandos à die eorum promotionis. Indeque nec ſupradictos, nec alios jam reſidentem abſcedere abſque licentia per Breve, vel litteras miſſivas ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ,amiſſionis fructuum, & facultatum teſtandi ipſo jure incurrenda; necnon privationis à regimine, & adminiſtratione Eccleſiarum, aliiſque pœnis arbitrio Sactitatis ſuæ infligendis. Concilium Trid. in *d. c.1. verſ. Nam cùm Chriſtiana Charitas, ſeſſ.23.*decernit le-
12 gitimas abſentiæ cauſas à Romano Pontifice, aut à Metropolitano, vel ea abſente ſuffraganeo Epiſcopo antiquiori reſidente, qui idem Metropolitani abſentiam probare debebit, in ſcriptis eſſe aprpobandas.Bulla verò Sanctiſſimi prohibet, ne Epiſcopi jam reſidentes abſcedant abſque licentia per Breve, vel litteras miſſivas. Ergo hac in parte videtur adempta facultas probandi cauſas abſentiæ, quæ ex Concilio competebat Metropolitano, vel ſuffraganeo antiquiori. Et quidem optimo conſilio: Nam Epiſcopis prætextu cauſarum, de quibus in §. *ſeq.* non fuiſſet difficile à Metropolitano, vel ſuffraganeo abſcedendi licentiam extorquere, &
13 lex eſſet ludibrio poſita. Hæc jam pridem fieri otptaverat Turrecrem. in *c. Si vobis, 23.q. ult.* dicens: *Turpe eſſet, ut Epiſcopi ſe inferant ad ſervitia Imperatoris, vel alterius Principis ſæcularis, & deſerant cauſam ſubditorum, & officia devotionis. Hoc non facerent, ſi mortem ſpiritualem timerent,& inteligerent ſe reddituros rationem de ovibus ſuis Deo Summo Judici. Utinam etiam de Curia Romana hoc in parte obſervaretur, in qua plures Epiſcopi conveniunt non devotionis gratia, ſed ambitionis ſpiritu propulſati, ut altiora quærant, aut beneficia addant beneficiis, aut honores honoribus, utque officia, & legationes quærant,quæ curæ animarum ſibi commiſſarum afferunt plurimum impedimenti. Utinam Summi Pontifices conſiderarent, quanta negligentia circa animas committitur ex abſentia Prælatorum ab Eccleſiis ſuis.* Hactenus Turrecrementa.

Quoad pœnas, Pius IV. in Bulla, quæ incipit, *In ſuprema*,edita poſt Concilii publicationem, ſimiliter præcipit Epiſcopis, ut in ſuis Eccleſiis perſonaliter reſideant ſub pœna privationis à regimine, & adminiſtratione Eccleſiarum ſuarum, ac aliis ſuo arbitrio imponendis pœnis, & bona decedentium extra reſidentiam decernit tamquam ſpolia ad Cameram Apoſtolicam pertinere, etiamſi facultatem ſpecialem de illis teſtandi obtinuerint. Et pœnam interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ imponit in alia ejus Conſtitutione edita ante publicationem Concilii, quæ incipit, *De ſalute gregis.*

Tertiò, Sanctiſſimus declarat contrafacientes non excuſari à pœnis prætextu ſervitii Imperatoris, aliorumque 14
Principum,aut Regnorum, defenſionis litium,etiam Eccleſiarum,ineundi fœderis, aut alterius negotii etiam graviſſimi,ſpeciali nota digni, diſtantiæ locorum, brevitatis temporis expectandi licentiam ab Urbe, vel alterius cauſę etiã publicæ,ac piæ, utilitatis, vel neceſſitatis Eccleſiarum, vel perſonarum. Ex his verbis conſtitutionis ſatis liquet non habere locum,quod dicit hic gloſſ.1.& Hoſt.*in princ. in ver. Ultra quadriennium*, videlicet Epiſcopum non debere ultra annum abeſſe, niſi juſſio Imperialis eum detineat, Præſertim verò, quia nec de jure communi Epiſcopi ab Imperatore vocati ad comitatum,id eſt ad Curiam Imperialem ire debent,*c.Quo caſu,c.Si quis Epiſcopus,& c.Reprehenſibile, 23. q.8.c.Omne,25.q.1.c.Quicumque militũ,12. q.2.& c.Cùm parati,infrà de appellat.*etiam pacis procurandę gratia,vel Re- 15
gi conſilium præbendi,aut eum orandi, niſi ab ipſo habeant regalia,id eſt bona feudalia,*c.Si in morte,§.Ecce, 23. q.8.* Et 16
ita intelligi debet textus in *c.Si nobis fratres,ead.cauſ.& q.* ibi: *Niſi fortè hi qui à Religioſis Imperatoribus vel invitati, vel vocati fuerint.* Et in *c.Si Epiſcopus, 18. diſt.* ibi *Excepta præceptione regia.* Et in Auth. *Quomodo oporteat Epiſcopos, §.Illud. alias eſt,§. Et etiam diffinimus,col.1.*ibi, *Niſi hoc per imperialem fiat juſſionem.* Hæc enim jura vendicant ſibi locum tantummodò in Epiſcopis habentibus Regalia, prout conſtat ex *d. §.Ecce:* & intelligunt Hoſt. & alii in *d.c.Cùm parati, de appellat.* Archid. in *d.c Si vobis fratres,in princ.* dicens, *Vocati ergo Epiſcopi ab Imperatore ad comitatum, ire debent ut hic.* Quod verum eſt,cauſa pacis reformandæ, vel cauſa conſilii dandi vel orãdi,ut dicit Gratian.*in §. præc.* Et hoc ita demum ſi regalia habuerint. Et in hac opinione, quam ponit ſecundo loco, videtur ibi reſidere. Et idem dicunt ibi Bellam.& Turrecrem. Præterea text. in *d.c. Si Epiſcopus, 18.diſt.*debet intelligi quando aliter inſurgeret ſcandalum,niſi Epiſcopus pareret Regi. Et ita intelligi Hugo illum textum,*allegat.c. Salonitana, 63, diſt.* Vel intelligitur quando Rex eſſet Legatus Papæ,quia tunc propter legationem eſt major Archiepiſcopo;& ſic ei potiùs quàm Archiepiſcopo eſt parendum. Quos duos intellectus ad illum textum ſequitur etiam Jo. de Fan. & Alexand. de Nævo in *d.c. Cùm parati, n.29. verſ. Secunda concluſio.*

Accedit, quòd etiamſi Epiſcopus habeat regalia à Princi- 17
pe, tamen ſi vocetur à Papa etiam poſt mandatum Regis, exemplo Petri,*Lucæ 5.*relictis omnibus,etiam regalibus, ſequatur Papam.Quæ ſunt verba formalia gloſſæ in *d. c. Cùm parati, in ver. In legatione Regis.* Cui hac in parte ſubſcribunt ibidem Hoſt. *n.*4.Jo.Andr.*n.*7. Butr. *n.6.in fin.*Abb *n.*7. & eſt communis opinio,ut teſtatur Præpoſ.*n.20. in fin. verſ.*
Et prædictus articulus. Quinimò, ut dicit ibi Innoc. *Si Ar-* 18
chiepiſcopus vocat Epiſcopum, vel alium Prælatum ad Concilium, vel ad cauſam, & Rex ante, vel poſt vocavit eundem, licitè poteſt prætermittere mandatum Archiepiſcopi, & ire ad Regem, cui honor eſt deferendus, per jura, quæ primò allegat.gloſ. Quod intelligit Hoſt. *d. n.4. de Epiſcopo tenente Regalia.* Et ſequuntur alii proximè citati. Sed ſi Archiepiſcopus præceperit Epiſcopo, non obſtante præceptione Regia, debet obedire Archiepiſcopo, cum ſit de ejus juriſdictione, & non Regis, & magis obediendum ſit ſpiritui, quàm carni, *c. Solitæ de major. & obed.* Papæ autem ſemper eſt obediendum nulla præceptione obſtante, tam ratione honoris, quàm juriſdictionis,*c.Qui reſiſtit, 11. quæſt. 3.* Et paulò poſt reſpectu Archiepiſcopi dicit conſiderandum eſſe, an Epiſcopus affectaverit ſe vocari à Rege,an non,ut in *c. Paſtoralis, §.fin. de off. deleg.* & an habeat regalia,necne. Ita Innoc.cujus dictam ſequuntur totidem verbis Hoſt.*eodem num.*4.Jo. And. & alii præalleg.Itaque Canoni-

ſtæ

ſtæ omnes videntur in hoc convenire, ut ſi Epiſcopus habeat regalia à Rege, vocatus ab ipſo, tenetur parere, niſi ſub præcepto obedientiæ fuerit vocatus à Mentropolitano; Papæ autem indiſtinctè ſit obediendum poſthabitis regali-
19 bus, & quacumque præceptione Regia. Si verò regalia non habeat, non teneatur parere, quia cùm non ſit de illius foro, præceptis ejus non obſtringitur. Unde Abb. *in d. cap. Cùm parati n.7.* not. poſt gloſ. quod Clericus non obtinens regalia, id eſt bona feudalia à principe ſæculari non debet prætextu vocationis Principis reſiſtere mandato Superioris ſui, quia Clericus quancucumque ſimplex, maſſimè ſi eſt Sacerdos, non ſubjicitur in aliquo judici ſæculari, ut in *c. Cùm*
20 *non ab homine, de judic.* Imò dignitas Sacerdotalis excedit omnem dignitatem ſæcularem, *c. Duo ſunt, 96. diſt.*

21 Quartò, Sanctitas ſua excipit cauſam intereſſentiæ in Synodis Provincialibus, vel Congregationibus, ſeu Aſsembleis generalibus, quibus Eccleſiaſtici intereſse ſolent ratione muneris, aut Reipublicæ officii Eccelſiis adjuncti, quamdiu tamen actu duraverint. Hanc ipſam cauſam excepit Tridentina Synodus in *d. c.1. ſeſſ.23.* ibi: *Niſi Cùm abſentia inciderit propter aliquod munus, & Reipub. officium Epiſcopatibus adjunctum, cujus quoniam cauſæ ſunt notariæ, & interdum repentinæ, ne eas quidem ſignificari Metropolitano neceſſe erit.*

22 Quintò, declarat S.R.E. Cardinales priores in ordine habentes Epiſcopatus propè Urbem, etiamſi in illis, vel in Urbe in ſuis titulis reſiderent, non excuſari à reſidentia in Cathedralibus, & majoribus Eccleſiis, quibus præfecti ſunt, nec ex eo quòd Papa eos videat, & toleret, & ad functiones etiam Pontificales & ſolemnes admittat.

23 Sextò, præcipit Auditori Cameræ, ut ſummariè procedat adverſus non reſidentes uſque ad ſententiam diffinitivam excluſivè, quam ſibi reſervat in Conſiſtorio. Hoc ipſum ordinavit Pius IV. in motu proprio incipien. *Cùm tam Sacroſanctum.*

24 Septimò, Sanctitas ſua indulget, ut exiſtentes ultra montes abeſſe poſſint ex cauſa viſitationis Liminum per ſeptem menſes, & citra montes per quatuor, dummodo eo tempore ad alios actus non divertant.

25 Porrò trimeſtre ſpatium, quo Epiſcopis æqua ex cauſa ſingulis annis à ſuis Eccleſiis abeſſe licet ex decreto Concilii Tridentini in *d. c.1. ſeſſ.23.* S.D.N. ut audivimus, declaravit ſua Conſtitutione non ſuſtuliſſe.

26 Octavò, indulget Cardinalibus Præfectis Cathedralibus, & aliis majoribus Eccleſiis, ut ex cauſa vacationis Sedis Apoſtolicæ poſſint non ſolùm ad locum Conclavis accedere, dummodò à diœceſibus non diſcedant, niſi habita certa notitia mortis Pontificis ſed etiam in Urbe commorari uſque ad peractam electionem, & per duos menſes poſt coronationem Pontificis.

Nonò, ſtatuit, ut nemo poſſit prædictam Conſtitutionem interpretari, aut declarare præter Romanum Pontificem, & adjicit clauſulas generales in forma ampliſſima.

Poſtremò declarat eos, qui pluribus Eccleſiis præſunt, excuſari quidem à pœnis, dummodò reſideant in earum altera, in qua tenentur de jure; non tamen propterea excuſari Cardinales habentes aliquem ex ſex Epiſcopatibus propè Urbem, quin teneantur reſidere in aliis, quibus præfecti ſunt.

27 QUÆRO, an Epiſcopis temporibus præſcriptis in *cap.1. verſ. eoſdem interim admonet, ſeſſ.23.* Concil. Trident. in Cathedrali Eccleſia reſidere teneantur; an verò ſatis ſit, ut in diœceſi reſideat.

Hæc quæſtio habet duas inſpectiones. Prima eſt quoad
28 pœnas Epiſcoporum non reſidentium, an ſcilicet Epiſcopus in diebus Adventus, Quadrageſimæ, & alii à Concilio præſcriptis ita apud Cathedralem Eccleſiam reſidere teneatur, ut ſi in diœceſi reſideat, incidat in pœnam amiſſionis fructuum inflictam Decreto *cap.1. ſeſſ.6.* & illos non faciat ſuos, juxta *d. cap.1. ſeſſ.23.*

Secunda eſt quoad ipſam obligationem ſimpliciter, & abſolutè, an ſcilicet Epiſcopus prædictis temporibus teneatur ex præcepto in Cathedrali reſidere, quamvis ſi in diœceſi reſideat, faciat fructus ſuos, neque illis privari debeat.

Quoad primam inſpectionem verius videtur Epiſcopum in diœceſi quandocumque reſidentem in pœnas Concilii non incidere: nam Decretum in *d. c.1. ſeſſ.6.* ad hoc ut Epiſcopi incidant in pœnam privationis quartæ partis fructuũ, requirit, ut ſex menſibus continuis à ſuis Eccleſiis extra ſuam
29 diœceſim morando abfuerint. Unde ad ejuſmodi pœnam ſatis non eſt ut abfuerint à ſui Eccleſiis tantùm, niſi etiam abfuerint extra diœceſim, cùm Concilium utrumque copulativè requirat, ac ſub unica verborum ſtructura, *l. Si hæredes, ff. de condict. inſtr.* Felin. in *c. Ex parte, n.22. & ſeq. de reſcript.* Quod maximè procedit in pœnalibus, in quibus ſi lex, vel ſtatutum ad pœnam incurrendam duo requirat copulativè, nullatenùs eſt locus pœnæ, niſi utrumque ſimul concurrat, *l. Inter omnes, §. Rectè de furt.* Oldrad. *conſ.291. n.5. verſ. Præterea,* & Signoroll. *conſ.239. n.5.*

Et confirmatur ponderando verba illa, *ſi quis,* quæ cùm 30
ſint adjuncta verbo temporis, *abfuerit,* conditionem important, *l. Conditionem, ff. de condit. & demonſtrat.* Oldrad. *conſ.*
242 *n.3. verſ. Sed adhuc inſtatur.* Sicut etiam importat ge- 31
rundium illud, *morando,* Bald. *conſ.267. proponitur, n.3. verſ. Joannes fecit,* juncto verſ. *Iſta quæſtio, n.4. lib.5.* Conditio autem debet impleri in totum, nec ſufficit ut impleatur pro parte, quia perinde eſt ac ſi non eſſet impleta, *l. qui duobus, & l. Cum fundus, ff. de condit. & demonſtr.* Bald. *in l.2 fin. C. Si adver. rem jud.* Conditio enim quoad implementum non ſcinditur ut inquit Angel. *conſ.16. Teſtator in omnibus, n.3. verſ. Venio ad ſecundum.*

Hoc ipſum ante Concilii publicationem iiſdem ferè verbis ſtatuit Pius VI. in Conſtitutione, quæ incipit, *De ſalute Gregis;* ut patet ibi: *Epiſcopos ab Eccleſiis, & Diœceſibus ſuis abſentes, in virtute ſanctæ obedietiæ, ac ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ pœna eo ipſo abſque alia declaratione incurrenda diſtrictè præcipiendo monemus.* Loquitur ergo Pius IV. de abſentibus copulativè ab Eccleſia, & Diœceſi, & his poſteà pœnas imponit his verbis: *Si quis ſex menſibus continuis extra ſuam diœceſim morando abfuerit.*

Sed & aliud Decretum Concilii in *d. c.1. ſeſſ.23.* hoc ipſum 32
indicat, primò enim declarat, *Epiſcopus teneri ad perſonalem in ſua Eccleſia, vel Diœceſi reſidentiam:* ac deinde: *Si quis,* inquit, *contra hujus decreti diſpoſitionem abfuerit, &c. pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non faciat.* Concilium ergo obligat Epiſcopos ad reſidendum alternativè in civitate, vel Diœceſi, & contravenientibus pœnam imponit. At non dicitur contravenire diſpoſitioni alternativæ Epiſcopus, qui alterutrum adimplet reſidendo in Diœceſi, *c. Inter cæteras,* & ibi dixi in *primo notab. de reſcript. l. ille, aut ille, ff. de legat.1.* gloſ. in Clem. *Dudum, in ver. Vel quorum, de judic.*

Et ſimiliter Pius IV. in alia Conſtitutione poſt Concilii publicationem edita, quæ incipit, *In ſuprema,* dum ſupponit ſpoliis Cameralibus bona Epiſcoporum decedentium, reſtringit ſe ad decedentes extra diœceſim, his verbis: *Bona quæcũque ad Epiſcopos, qui extra prædictas Eccleſias, & diœceſes non reſidentes deceſſerunt, pertinentia, tamquam ſpolia ad Camerã Apoſtolicam legitimè pertineant.* Et in alia Conſtitutione quæ incipit, *Cùm tam ſacroſanctum,* edit contra Prælatos non reſidentes, dum committit Auditori Cameræ, ut contra eos procedat, loquitur itidem de non reſidentibus in diœceſi, ibi: *Contra Epiſcopos, & alios quoſcumque Prælatos in propriis diœceſibus non reſidentes de inobedientia propria uſque ad ſententiam excluſivè procedat, &c.*

Sive igitur Epiſcopi dictis anni temporibus teneantur in Cathedrali reſidere, ſive non, de quo inferiùs dicetur in ſecunda inſpectione: abſolutum tamen videtur eos non incidere in pœnas non reſidentium, dummodò reſideant in Diœceſi. Et hæc interpretatio, ut magis conſona verbis Concilii, & dictarum Conſtitutionum, & quæ etiam benignor eſt in pœnalibus, videtur omninò amplectenda, *c. Statutum, de elect. in 6. cum ſui concordant.*

Præſertim quia idem ſuadetur etiam exemplo Parocho- 33
rum, qui quamvis teneantur omninò reſidere in ædibus Parochialis Eccleſiæ, tamen ſi extra eas reſideant, dummodò non extra limites Parochiæ, fructus ſuos faciunt, nec incidunt in pœnas à Concilio Parochis non reſidentibus inflictas, ut in caſu contingenti olim reſpondit S. Congregatio.

Quoad ſecundam inſpectionem, ideſt, quoad præceptum, 34
& obligationem Epiſcoporum, ſupponendum eſt ante Concilium Trident. Epiſcopos obſtrictos fuiſſe omni tempore in ſua Cathedrali reſidere. Quod conſtat ex Concilio Carthaginenſi V. *cap.5.* his verbis: *Placuit, ut nemini ſit facultas, relicta principali Cathedra, ad aliquam Eccceleſiam in diœceſi conſtitutam ſe conferre:* ut refertur in Can. *Placuit, 7. q.1.* ubi gloſ. *in ver. In diœceſi,* dicit hoc adeò verò, ut non liceat Epiſcopo ad diœceſim divertere, niſi ex cauſa viſitationis.

Idemque patet ex Concilio Aurelianenſi *c.33.* relato in *can. Epiſcopus de conſecr. diſt.3.* in hæc verba: *Epiſcopus ſi infirmi-*

firmitate non fuerit impedictus, Eccleſiæ, cui proximus fuerit, die Dominico deeſſe non debet. Unde infert gloſſ. Epiſcopum Dominicis diebus in Epiſcopali Eccleſia Divinis Officiis intereſſe debere, in qua Sacerdotali more reſidere præcipitur. Et Gregor. *lib.* 5. *Epiſt.* 23. *Pervenit*, inquit, *ad nos Primerium Amalphitanæ Civitatis Epiſcopum in Eccleſia ſua reſidere non eſſe contentum, ſed foris per diverſa loca vagari. Idcirco hac tibi authoritate præcipimus, ut ſupradicto Epiſcopo intereminari non deſinas, quatenus hoc de cætero facere non præſumat, ſed in Eccleſia ſua Sacerdotali more reſideat.* Quod refertur in *can. Pervenit*, 7. *q.* 1. ubi Præpoſ. *num.* 1. notat reſidentiam eſſe faciendam in loco ſecundùm conditionem perſonæ, quia Epiſcopus per villas vagari non debet, ſed in civitate commorari.

Atque hoc ſuppoſito ad dubium videtur reſpondendum, temporibus à Concilio præſcriptis Epiſcopum teneri omninò apud ſuam Eccleſiam reſidere, niſi munia Epiſcopalia in Diœceſi eum aliò vocent: nam etſi decretum Concil. Trid. *d. c.* 1. *ſeſſ.* 23 declaraverit, *Epiſcopos obligari ad perſonalem in ſua Eccleſia, vel Diœceſi reſidentiam*: tamen per hæc verba non eſt cenſendum funditus ſuſtuliſſe antiquam Epiſcoporum obligationē, ut in ſimili legitur in *c. Eccleſia veſtra, il* 2. *verſ. Neque enim credendum eſt, ſupra de elect.* cùm præſertim ibi inhæreat decreto *c.* 1. *ſeſſ.* 6. quo innovantur antiqui Canones adverſus non reſidentes promulgati; ſed tantùm moderatum fuiſſe rigorem ſacrorum Canonum. Nam illa verba per dictionem alternativam, *in ſua Eccleſia, vel Diœceſi*, indicant potiùs ordninem, quàm electionem, gloſſ.
34 in *c. penult. in ver. vel in Parochiali, de ſepult.* Quemadmodùm in terminis aliorum Decretorum Concilii ſæpiùs cenſuit Sac. Congregatio. Et in ſpecie In Decreto *c.* 16 *ſeſſ* 24 quo jubetur ſede vacante eligi Vicarius, qui in jure Canonico ſit Doctor, vel alias quantum fieri poterit idoneus: cenſuit dictionem alternativam, *vel*, *eſſe* ibi ordinis, non electionis,
35 juxta doctrinam Gemin. *in c. Licet in fin. de ſepult. in* 6. Ideòque electionem factam de Sacerdote non Doctore, quamvis alioquin idoneo, omiſſis Doctoribus, eſſe nullam. Et ſimiliter dum in *c.* 13. *ſeſſ.* 22 diſtributiones abſentium juben-
36 tur applicari fabricæ Eccleſiæ, vel alteri pio loco S. Congregatio reſpondit alternativam, *vel*, non eſſe electionis ſed ordinis: Ideòque applicationem primo loco faciendam eſſe fabricæ Eccleſiæ, ſi indigeat; ſin minùs, eſſe arbitrio Ordinarii illas alteri pio loco applicare. Eodem igitur modo dum Concilium declarat Epiſcopos obligari ad perſonalem in Eccleſia, vel Diœceſi reſidentiam; hæc alternativa non eſt cenſenda importare electionem, ita ut arbitrium ſit Epiſcopo hic, vel alibi reſidere; ſed potius ordinem, ita ut primò, & principaliter reſidendum ſit in Cathedrali Eccleſia, idque tempore Adventus, Quadrageſimæ, & aliis ſolemnitatibus, in quibus major, & præcipua eſt reſidentiæ obligatio; ut eſt textus in *c. Si quis in Clero*, 7. *q.* 1. deindè verò, id eſt aliis temporibus, ſatisfieri poſſit ejuſmodi obligationi, etiam reſidendo in Diœceſi.

Quæ interpretatio videtur primò amplectenda, quia per eam minùs receditur à diſpoſitione veterum Conciliorum, & Canonum, ad *c. Cum expediat, de elect. in* 6. & *l. Si quando, C. de inoff. teſtam. cum ſuis concordant.* Deinde quia hoc modo ceſſat abſurdum illud, quod aliàs ſequeretur, ſi Epiſcopi poſſent præcepto reſidentię ſatisfacere abſque eo quòd unquam Eccleſiam Cathedralem, & ſponſam ſuam inviſerent. Denique quia cum præcepto divino mandatum ſit omnibus Epiſcopis oves ſuas agnoſcere, verbique divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, & bonorum operum omnium exemplo paſcere, & in cætera munia paſtoralia incumbere, ut habetur *in d. c.* 1. non apparet, quomodo hæc omnia impleri poſſint ab Epiſcopo, qui ad villas, & pagos divertit, nec unquam reſidet apud Eccleſiam ſuam Cathedralem, ullaſque ibi functiones Epiſcopales exercet; nec præſens agnoſcit oves, quarum pars major ut plurimùm illic commoratur.

Quod ſatis indicant verba *d. c.* 1. Nam dum hortantur Epiſcopos, ut certis temporibus ſuam Cathedralem Eccleſiam non deſerant, eam rationem afferūt, nempè quia illis diebus refici maximè, & in Domino gaudere Paſtoris præſentia
37 oves debent. Si ergo oves Cathedralis Eccleſiæ dictis temporibus debent maximè refici, & Paſtoris præſentia gaudere: Ergo etiam viceverſa Paſtor debet eas reficere, & permittere, ut ejus præſentia oves gaudeant. Idque dicendum eſt in præcepto eſſe, cum verbum, *debet*, regulariter neceſſitem importet, ut notatur in *l. Sæpè, ff. de offic. Præſid.*

Neque his obſtat, quòd illic Concilium utatur verbis hortatoriis, dum ait: *Eoſdem interim admonet, & in Domino hortatur, ne per illius temporis ſpatium Adventus, Quadrageſimæ, & c. ipſi ab Eccleſia ſua Cathedrali ullo pacto abſint*, Quæ quidem verba cùm non præceptum, ſed conſilium importent, obligationem non inducunt, *cap. quod præcipitur*, 14. *q.* 1. & 4. *diſtinct.* §. *fin.* Dec *in cap. Nam concupiſcentiam, n.* 20. *de Conſtitut.*

Nam reſpondetur primò, verba hortatoria impropriari 38
quando ſubjecta materia eſt de præcepto, ut hoc caſu; textus eſt in *c. Rogo*, atque ibi gloſ. 11. *q.* 3. & *in c.* 1. *in ver. Hortamur*, ubi gloſ. exponit, id eſt præcipimus, *de teſtam.* Ad idem gloſſ. in Clem. 1. *in ver. Hortamur, de teſtib.* & Abbas in *d. c. Nam concupiſcentiam, n.* 3. *de Conſtit.* Vel certè, ut ait ibi Dec. *n.* 21. verba hortatoria tunc non impropriantur, quia non eſt inconveniens aliquem hortari ad illud, quod facere tenetur. *c. Pervenit*, 84. *diſt.* Et ideò verbum, *rogo*, & verbum, *hortamur*, in locis præallegatis propriè intelliguntur, & non inducunt præceptum, ſed per alia jura materia præcepti eſſe dicitur, ut ibi per eum.

Deinde reſpondetur ejuſmodi verba hortatoria in decreto Concilii eſſe conjuncta cùm verbis obligationem importantibus, ut ſuperiùs dictum eſt; unde tantùm abeſt, ut per hanc admonitionem ſublata cenſeatur antiqua obligatio, ut potiùs ex ea videatur renovata. Nam Concilium hortatur Epiſcopos, ut reſideant in Cathedrali in illis diebus, in quibus maximè oves refici, & gaudere Paſtoris præſertim debent, quod perinde eſt, ac ſi illos adhortatum fuiſſet, ut dictis diebus ſuam implerent obligationem apud Cathedralem Eccleſiam reſidendi. Præſertim quia hoc ipſum fecerat ibidem paulò ante his verbis. *Sacroſancta Synodus eos* (id eſt Epiſcopos) *admonet, & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio, & veritate paſcant, & regant.* Ecce igitur quemadmodùm adhortationem à præcepto, & obligatione Concilium non ſejunxit. Quod & Pius IV. fecit in præalleg. Conſtitutione, *De ſalute gregis*: ibi: *Epiſcopos ab Eccleſiis, & Diœceſibus ſuis abſentes præcipiendo monemus.*

Ac prætereà obſervandum eſt verba illa Concilii, *eoſdem interim admonet*, fortè non limitare regulam, quam priùs Conciliū conſtituerat declarando Epiſcopos teneri ad perſonalem in civitate, vel diœceſi reſidentiam; ſed potiùs ſublimitare limitationem, per quam ſuperiùs immediatè declarat licere Epiſcopis per duos, aut tres menſes quotannis ab Eccleſia abeſſe: tria enim ibi facit S. Synodus. Primò, declarat obligationem reſidendi in civitate, vel diœceſi. Secundò, indulget Epiſcopus, ut ſingulis annis duos, vel ad ſummum tres menſes abeſſe poſſint. Tertiò, hortatur Epiſcopos, ut 39
non tamen abſint temporibus Adventus, Quadrageſimæ, & aliis ibi præſcriptis. Quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet: Etſi Epiſcopi poſſint quotannis per tres menſes abeſſe; illos tamen hortamur, ut hac indulgentia minimè utantur illis diebus in quibus maximè refici, & gaudere Paſtoris præſentia oves debent. Et hoc modo quamvis illa verba eſſent conſilii tantùm, non tamen ſequeretur, quin circumſcipta trium menſium indulgentia, Epiſcopi aliàs non tenerentur in dictis diebus apud ſuam Cathedralem reſidere. Prior tamen intellectus magis congruit verbis Concilii, quia in eodem verſ. *Eoſdem interim admonet*, non agitur de abſentia a Diœceſi, ſed à Cathedrali Eccleſia tantùm, ut patet ibi: *Ab Eccleſia ſua Cathedrali*; & clariùs ibi: *Niſi Epiſcopalia munia in ſua Diœceſi, &c.* Et conſequenter non limitatur indulgentia, qua Epiſcopis abeſſe licet tribus menſibus extra diœceſim, ad *l. Nam quod liquidè*, §. *fin ff. de penu. leg.*

Itaque ad dubium videtur reſpondendum Epiſcopos temporibus à Tridentino Concilio præſcriptis teneri quidem apud ſuam Cathedralem Eccleſiam reſidere, ita ut aliter ſuæ obligationi non ſatisfaciant, niſi munia Epiſcopalia in ſua Diœceſi eos aliò vocent; cæterùm non incidere in pœnas à Sancta Synodo Epiſcopis non reſidentibus inflictas, dummodò in diœceſi reſideant. Et hanc ſententiam probavit S. Congregatio ejuſdem Concilii interpres.

In S. Congregatione ſuper reſidentia Epiſcoporum habita in Quirinali die 17. Julii 1657. cui interfuerunt Eminen- 40
tiſſimi Cardinalis Ginettus, Meltius, & Paulucius, necnon R. P. D. Farneſius, Alterius, Gualterius, Ugulinus, De Vecchiis Secretarius, & ego, propoſita fuerunt ex ordine Sanctiſſimi infraſcripta dubia, videlicet

Cùm

Cùm S. Concilium Trident. *cap.* 1. *ſeſſ.* 23. *de reformat.* permittat Epiſcopis, ut ſingulis annis, dummodò æqua ex cauſa, & abſque ullo Gregis detrimento fiat, abeſſe poſſint à ſua diœceſi per duos, aut ad Summum tres menſes: Quæritur.

Primò, an Epiſcopus poſſit jungere trimeſtrem abſentiam unius anni, cùm abſentia trimeſtri ſequentis anni, adeò ut licitè abeſſe valeat à ſua Eccleſia per menſes Octobris, Novembris, & Decemb. anni v. g. 1657. & continuare abſentiam per menſes Januarii Februarii, & Martii anni 1658.

Secundò, an Epiſcopus in caſibus, in quibus rationabilem cauſam habet non reſidendi, debeat uti menſibus per Sac. Concilium conceſſi, & non niſi ipſis conſumptis, quatenùs abſentiæ cauſa duret, licentiam petere non reſidendi; an verò primò licentiam petere, & ad alios uſus reſervare bimeſtre, aut trimeſtre tempus à Concilio conceſſum.

Per Bullam ſan. mem. Urbani VIII. ſuper reſidentia Epiſcoporum, incipien. *Sanctæ Synodus*, 27. Alias 137. permittitur, ut Epiſcopi ad effectum viſitandi ſtatutis terminis ſacra Beatorum Apoſtolorum limina, abeſſe poſſint à ſuis Eccleſiis per certum tempus, videlicet citra montes, vel mare exiſtentes, per quatuor menſes, alii verò & c. hinc

Tertiò quæritur, an Epiſcopus viſitans ſacra limina in fine unius termini, v. g. in fine unius triennii, poſſit immediatè in principio ſequentis trinenii iterùm viſitare, ac proinde viſitationem titulo abeſſe à ſua Eccleſia per octo continuos menſes.

Quartò quæritur, an Epiſcopo, qui antea per multum temporis, v. g. per decem continuos annos in ſua Eccleſia reſedit, & vel ab ipſa vacatione per S. Concilium ex rationabili cauſa ſingulis annis permiſſa ſemper ſe abſtinuit, poſſit aliquando concedi facultas non reſidendi per aliquod tempus, licèt non abſit ulla cauſa ex approbatis ab eodem S. Concilio Tridentino.

Ad primum Sac. Congregatio reſpondit, non poſſe, tum quia ejuſmodi ſemeſtris abſentia complectitur illius temporis ſpatium Domicini Adventus, & Quadrageſimæ, quo ne à ſua quidem Cathedrali, nedum à Diœceſi Epiſcopo abeſſe licet, ut in Concilio Trident. *d. c.* 1. *verſ. Eoſdem interim admonet*, *ſeſſ.* 23. & fuſiùs dictum eſt *ſupra à n.* 34 *uſque ad n.* 40. tum quia in eo, qui abeſt ſex menſibus continuis, non verificatur illud verbum *Aliquantiſper*, quo utitur Cõcilium in *d. c.* 1. dum ait: *Quoniam autem qui aliquantiſper tantum abſunt, ex veterum Canonum ſententia non videntur abeſſe*, cùm Concilium illud reſtringat ad duos, vel ad ſummum tres menſes, & antiqui Canones ad unum, ut in *cap. Præſentium*, 7. *q.* 1. vel ad duos, ut in *c. Si quis in Clero eod. cauſ. & qu.* Et quantenùs verificaretur verbum *aliquatiſper*, non tamen verificantur ſequentia, videlicet, *quia ſtatim reverſuri ſunt*; nam qui abeſt per ſemeſtre tempus, utique non ſtatim eſt reverſurus, cùm dictio *ſtatim*, regulariter ſignificet modicum temporis intervallum, ut eſt textus in *l. Cùm quidam, ff. de legat.* 2. *& in l. Si finito*, §. *Non autem ſtatim, ff. de damno infect.* & notat Tiraquel. in *l. Si unquam in ver. revertatur*, *n.* 120. *C. de revoc. donat.* & aliquando importat intervallum unius menſis, ut notatur in *l. Divortio facto*, aliàs eſt *l. fructus* 7. §. *Papinianus*, in gloſſ. *in ver. Statim, ff. ſol. matr.* Tum quia abſentia Epiſcoporum per ſex continuos menſes à Concilio non reputatur brevis, ut patet *ſeſſ.* 6. *c.* 1. ibi: *Si quis ſex menſibus continuis extra ſuam diœceſim morando abſuerit, quartæ partis fructuum unius anni pœnam ipſo jure incurrat.* Tum denique quia magis relaxari poteſt nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, majuſque detrimentum in ſpiritualibus, & temporalibus poteſt pati Eccleſia, & pravi abuſus, & corruptelæ in Clero, & populo faciliùs introduci, & difficiliùs eradicari, ſi trimeſtre tempus abſentiæ unius anni conjungatur cùm trimeſtri alterius anni, quàm ſi trimeſtria ſint interpolata. Ob quam rationem cùm in *c. In ſingulis*, *de ſtatu Monach.* ſtatutum ſit, ut Capitula Provincialia Religioſorum fiant de triennio in triennium, Jo. Andr. ibi *in princ.* dici non ſufficere in fine primi triennii facere unum Capitulum, & ſtatim in principio ſecundi triennii facere aliud, quia id potiùs eſſet facere Capitulum de ſexto in ſextum annum, quam de triennio in triennium & multo tempore poſſet ſic retardari Ordinis reformatio, ut ſcripſi pleniùs in *c. Ego N. num.* 51. *de jurejur.* Unde trimeſtre tempus quod interpolatè, & per ſe ſumptum à Concilio reputatur breve, & cadit ſub permiſſione, quia brevi reverſus, nec divertiſſe videtur, *l.* 3. *in fin. ff. de divort.* ſi poſteà jungatur cum alio trimeſtri, æſtimatur eſſe longum, & cadit ſub prohibitione, ut de diverſis donationibus ſimul junctis notat Hoſtien. in *cap. Apoſtolicæ*, *de donationib. & de unionibus*, quæ quamvis ſingulæ per ſe non gravent, tamen ſimul omnes conſideratæ gravant; & ideò omnes ſunt revocandæ. Decidit Oldradus *conſ.* 262. *In quæſtione num.* 2. & de pluribus furtis rei modicæ docet S. Thomas in 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 6. *ad* 3. Silveſtr. *in ver. Furtum*, *num.* 4. Confert textus in *l. Si libertus*, §. *Si quis plures*, *ff. de jurepatr.* & arg. *l. Necnon*, §. *Si quis ſæpius*, *ff. ex quibus cauſ. major.*

Ad ſecundùm S. Congregatio conſultius putavit nihil generaliter reſpondere, ſed ubi caſus particulares acciderint, maturiùs deliberare. 46

Ad tertium reſpondit, Epiſcopum, qui Beatorum Apoſtolorum limina viſitavit v. g. in fine unius triennii, nequaquam poſſe immediatè in principio ſequentis triennii iterùm viſitare, ac proindè nec viſitationis titulo per octo continuos menſes à ſua Eccleſia abeſſe. Rationes hujus tertiæ reſolutionis habentur in *d. cap. Ego N. n.* 50. ubi plenè videas, *de jurejuran.* 47

Ad quartum reſpondit, non poſſe. Quam Congregationis ſententiam S. D. N. ad ſe relatam in omnibus approbavit. 48

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS.

Idem Innocentius III. Archiepiſcopo Panormitano.

CAPUT XI.

Ex tuæ devotionis: & infrà. In Eccleſiis eorum, qui ſe fraudulenter abſentant, nec ad ipſos valet citatio pervenire, trinæ citationis edictum facias publicari: & ſi nec ſic curaverint obedire, & ultra ſex menſes ſuas deſeruerint Eccleſias, (juxta ſanctiones Canonicas) eis debent meritò ſpoliari.

Contra eos etiam procedatur, ut ipſos per ſuſpenſionis & excommunicationis ſententiam, ad tuam obedientiam venire compellas. Quòd ſic nec ſi eorum malitia poterit emolliri, eos B. tituli ſanctæ Suſannæ Presbyter Cardinalis Apoſtolicæ ſedis Legatus à ſpiritualium adminiſtratione removeat: & quibus præſunt Eccleſiis, de perſonis idoneis faciat provideri. Sed in eos degradationis ſententiam non promulget, ut cum eis miſericorditer (ſi expediat) faciliùs agi poſſit.

SUMMARIUM.

1 *Beneficiatus abſens, ſi ingnoretur ubi ſit, tribus edictis citatus, & infrà ſex menſes non reverſus, beneficio privabitur.*
Et quid poſt Concilium Tridentinum, *n.* 31. *& ſeq.*
Proſp. Fagnan in III. Lib. Decretal.

2 *Intellectus hujus cap. in* §. Contra eos, *& n.* 18.

3 *Citatio per edictum contra Clericum abſentem affigi debet valvis Eccleſiæ ſuæ.*

4 *Beneficiatus numquam citari debet per edictum, ut redeat ad reſidentiam, ſi perſonaliter citari poſſit, & n.* 9.
Et quid poſt Concilium Tridentinum, *n.* 31. 35. *&* 36.

 5 *Cita-*

5 Citatio contra beneficiatum abſentem fieri poteſt etiam extra Provinciam, ſed ad id judex non tenetur.

6 Citatio per edictum ubi requiritur trina, non ſufficit unica licet peremptoria.

7 Et an ſufficiat unica peremptoria ad pœnam incurrendam, ſi fuerit perſonaliter exequuta, & n.10.

8 Citatio trina, & unica peremptoria cum competentibus intervallis regulariter æquiparantur.

9 Beneficiatus abſens perſonaliter citatus, niſi redeat infra terminum ſibi præfixum, beneficio ſpoliari poteſt, etiam non expectatis ſex menſibus.

10 Monitio trina perſonalis cur requiratur, ut Clerici carnifices, ſeu tabernarii perdant privilegium fori.

11 Beneficiatus abſens quamdiu ſit expectandus, ut beneficio privari poſſit.

12 Citationis edicta ſex menſium ſpatio præſumuntur deduci ad notitiam citati.

13 Beneficium Clerici, qui tribus edictis citatus infra ſex menſes non revertitur ad reſidentiam, confertur quaſi vacans ſine alia ſententia privationis.

14 Canonici, & alii Beneficiati in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis, ex capite non reſidentiæ privari non poſſunt titulo, niſi poſt lapſum trium annorum, & n.35.

15 Canonicus abſens ultra tres menſes, primo anno privari debet dimidia parte fructuum ad ratam menſium, quibus abſuit, ſi non integer eſt annus,
Secundo omnibus fructibus.

16 Archiepiſcopus poteſt procedere contra Epiſcopos deſerentes Eccleſias ſuas, excommunicando, & ſuſpendendo, non autem removendo eos ab Epiſcopatu, vel adminiſtratione.

17 Depoſitio Epiſcoporum jure divino eſt Papæ reſervata.

18 Epiſcopi arbitrium eſt procedere contra Parochos non reſidentes vel cenſuris, vel ſequeſtratione, & ſubtractione fructuum, vel privatione Parochialis, & n.20. verſ. Poſtremò.

19 Forma procedendi adverſus Parochos non reſidentes à jure communi præſcripta an immutata fuerit Decretis Concilii Tridentini, & n.ſeq. uſque ad n.35.

20 Statutum ad pœnam trahi non debet ad gratiam.

21 Qualitas appoſita circa aliquas perſonas primò nominatas, non cenſetur repetita quoad aliàs perſonas poſtea nominatas, etiam in eadem ratione.

22 Dictio Idem, quandoque importat identitatem in genere, & diverſitatem quoad ſpecificas qualitates.

23 Clauſula in fine poſita refertur ad præcedentia in eodem cap. ſed non in Capitulis ſeparatis.

24 Epiſcopus quoties in pœnam non reſidentiæ vult Parochis ſubtrahere partes fructuum, quos fecerunt ſuos, quoad intervalla, & quotas, ſervare debet præſcriptum Concilii cap.1. ſeſſ.6.

25 Secus in executione facienda ſuper fructibus, quos pro rata temporis abſentiæ ſuos non fecerunt.

26 Concilium Tridentinum c.1. §. Eadem ſeſſ.23. expenditur.

27 Lex innovata ineſt legi innovanti.
Verba legis clara non admittunt interpretationem, nec voluntatis conjecturam.

28 Forma procedendi contra Parochos non reſidentes à jure præſcripta, in quibus immutatta fuerit à Concilio Tridentino, & n.ſeq. uſque in finem.

29 Parochi non reſidentes à Concilio Tridentino quibus pœnis ſubjiciantur.

30 Sententia privationis beneficii contra Parochum non reſidentem eſt nulla, ſi in ultima monitione Epiſcopus comminatus fuerit privationem fructuum, non autem tituli.

31 Parochus abſens, etiamſi ignoretur ubi ſit, ex Concilio Trident. citari poteſt per edictum, etiam unicum, & non ſolemniter publicatum, & n. ſeqq.

34 Et lapſo termino eidem præfixo privari poteſt Parochiali, etiam non expectatis ſex menſibus.

35 Canonici non reſidentes poſt lapſum trium annorum qua forma ſint privandi Canonicatu.

36 Forma hujus Capituli ad unguem ſervari debet tantùm in obtinentibus beneficia perſonalem reſidentiam requirentia extra Cathedrales, & Collegiatas Eccleſias.

EX *tuæ*. Si neſcitur ubi ſit Clericus abſens, tribus pu- 1
blicis edictis citabitur apud Eccleſiam ſuam; at ſi poſteà expectatus per ſex menſes non redeat, ea privabitur. Hoc dicit primò. Deinde ponit practicam procedendi contra Prælatos non reſidentes. Atque ita ſunt duę partes principales. Nam primò, ponit practicam procedendi contra 2
Clericos. Secundò, ponit practicam procedendi contra Prælatos. Secunda ibi; *Contra eos*, ſcilicet Prælatos. Unde ſecundùm Hoſtienſ. *n.7. in ver. Eos.* & Jo. Andr. *n 6. in eod. ver.* meliùs dixiſſet, *alios*, ſcilicet Epiſcopos; nam uſque huc loquutus eſt de inferioribus, hìc incipit loqui de Epiſcopis.

Et hunc intellectum ſequitur gloſſa *in ver. Ut ipſos*, & communiter Doctores, teſte Jo: de Imola *poſt princ. verſ. Sed prima lectura communiter tenetur*. Imò Innoc. *ſuprà in proœmio*, uni litteram hujus Decretalis ex regiſtro corrigit, & in aliquibus ſupplet, teſtatur veram litteram eſſe, *Contra alios*, ut hìc referunt Butr. *n.1. in fin.* & Imol. *poſt princ. verſ. facit quod notat Innocentius*.

Nota primò, quoties Clericus abſens per edictum citari 3
debet, citationem eſſe affigendam valvis Eccleſiæ ſuæ, ut probat hęc littera ibi, *In eorum Eccleſiis*, & notant Card. *in princ.* & Abb *n.1.* Nam contra latitantem ſufficit procedere ex edicto ad Eccleſiam, vel domum ſuam, *c. Cauſam, & c. fin. de dolo, & contumac.* ſecundùm Hoſt. *hìc n.6. in ver. Publicari*, Card. *n.1. in prima oppoſitione*, & Anchar. *in 1. not.* Rota *in Terdonen. Præpoſituræ*, 17. *Martii* 1600. coram Decano, relata à Joanne Garz. *in tract. de benef. p.3. c. 2. n.157.*

Secundò nota ibi, *Nec ad eos valeat citatio pervenire*, 4
Clericum utcumque ex injuſta cauſa abſentem ab Eccleſia ſua, numquam eſſe citandum per edictum, ſi intra Provinciam ſui copiam faciat, & citari poſſit perſonaliter, ut per Hoſt. *d. n.6.* Cardin. *n.2. verſ. Ex quibus*, Anchar. *n.1. in 2. notab.* & Abb. *n.3. in 3. notab.* Dixi, *Intra Provinciam*; quia 5
ſi Celericus extra Provinciam abeſſet, intimari quidem poſſet, & fortè etiam citari, per *cap. Romana, §. Contrahentes, de foro compet. lib. 6.* & dixi poſt Collectar. in *c. fin. eodem tit.* ſed tamen ad hoc judex forſan non tenetur ſecundùm Hoſtienſ. *num.6. in ver. Pervenire*, Joan. Andr. *num.2. in ver. Valet*, & Anchar. *n.1.* De hoc notatur in *cap. Dilectus, ſuprà de Procurat.* An autem hoc procedat poſt Concilium Tridentinum, dicam *infrà n.31. 35. & 36.*

Tertiò nota ibi, *Trinæ citationis*, Rectorem Eccleſiæ ab- 6
ſentem, ſi ignoretur ubi ſit, eſſe citandum tribus edictis, ut redeat ad reſidentiam, Quo fit, ut non ſufficiat unicum peremptorium pro omnibus, quia hujuſmodi citationes per edictum difficilè tranſeunt in notitiam citati, & facilius eſt ut innoteſcant, ſi ter publicè fiant, quàm ſi ſemel, licèt peremptoriè. Fortè enim amicus citati intererit in ſecunda, vel tertia, qui non interfuit in prima, & poterit hoc citato denunciare. Et ita firmat hìc Jo. Andr. *n.4 in ver. Trinæ*, & fuſiùs *in addit. ad Speculat. ſuper hac rubrica in 3. q.* ubi refert ſe ita conſuluiſſe in quodam Clerico, qui unica citatione peremptoriè citatus, beneficio privatus fuit, quia non venit; reſpondit enim privationem eſſe nullam, ob non ſervatam formam hìc præſcriptam: & ſequuntur hìc Anton. de Butr. *n.3.* Anchar. *n.2. in 3. notab.* Imola *n.3. verſ. Et adverte, & n.4.* & Abb. *in 4. notab.*

Quinimò ubi ad pœnam incurrendam lex requirit tri- 7
nam citationem, non ſufficit una peremptoria, licet perſonalis, ut ſentit gloſſa in Clem. 1. *in ver. Tertio, de vita, & honeſt. Cleric.* quam ſequitur Imola, & ſingularem reputat Abb. *ubi ſup.* Ad quod Gulielm. de Monte Laud. dicit eſſe textum apertum in *c.1. tit. de Milite vaſſallo, qui contumax eſt, in uſib. feudor.* Quod nota ad limitationem *l. Contu-* 8
maciam, verſ. Contumax eſt, ff. de re judic. & c. de illicita, verſ. Quicumque tribus authoritatibus, 24. *q.3.* Nam regulariter æquiparantur trinæ citationes, & unica peremptoria cùm competentibus intervallis, ut in juribus præallegatis, & in *c. Conſtitutionem, de ſent. excom. lib.6.*

Hæc procedunt in Clericis latitantibus, de quibus igno- 9
ratur ubi ſint, vel ad quos non valet citatio pervenire. Hi enim, ut dixi ſuprà *in 2. notab.* citari debent tribus edictis, id ſolemniter propoſitis, & publicatis, ut innuit littera in *ver. Facias publicari*; aliàs enim cõtra abſentes ex edicto procedi non poſſet, & ita procedit textus *in d. l.1. §. Item cùm ex edicto, ff. quæ ſent. ſine appell. reſcind.* qui ibi edictum non fuit ſolemniter poſitum, ut poſt gloſſ. 1. & Innoc. declarat hìc Hoſt. *n.6 in ver. Edictum & in ver. Publicari*, & ſequuntur DD. de quo tamen vide hìc per Immolam *n.4. verſ. Circa pri-*

primum, Hæc inquam procedunt in Clerico, qui neſcitur ubi ſit, vel ita longè diſtat ut commodè perſonaliter citari non poſſit, & de eo loquitur hæc Decretalis. Indicuntur enim contra eum hæc duo ſpecialia, ut citatio ſit trina, & abſens poſtea expectetur per ſex menſes, ut ſic ſuppleatur defectus citationis perſonalis. At verò ſi ſciatur ubi ſit Clericus beneficiatus, & commodè citari poſſit, tunc non requiritur trinum editum, ſed debet perſonaliter citari, & ſufficit unica citatio, ſi fuerit perſonaliter executa. Imò ſufficit ſimlpex requiſitio, ſeu monitio, vel revocatio cùm competenti termino ad redeundum, quo elapſo etiam non expectatis ſex menſibus, Eccleſia ſpoliari poterit, cum videatur illam habere pro derelicta, textus eſt in *c. Ex parte*, & ibi dixi *ſupra eod.* Et ita diſtinguit, & declarat gloſſa communiter approba in *d. cap. Quoniam frequenter*, §. *Porrò*, *in ver. Canonibus, ſupra, ut lite non conteſt.* & Abb. *hìc n.*10. 3. *oppoſ. & n.*13. *verſ. Conclude ergo*, Jo. de Selva *in tract. de benef. p.*4. *q.*4. *& ſeq.* & reſolvit Rota apud Cardin. Mantic. *dec.*67. *n.*5. quam deciſionem poſteà ſecuta eſt eadem Rot. *in Terdonem. Præpoſituræ ſupracit. in primo notab.*

10 Non obſtat gloſſa præallegata in Clem. I. *in ver. Tertio, de vita, & honeſtate Cleric.* quæ dicit ad pœnam incurrendam non ſufficere unicam citationem etiam perſonalem, & peremptoriam, prout eam allegat Abb. *hìc in* 4. *notab.* Quoniam textus in d. Clem. loquitur de Clericis officium carnificum, & tabernariorum publicè, & perſonaliter exercentibus, & ſic de his qui non latitant, ſed perſonaliter citari poſſunt. Et tamen jubet eos nominatim, & tertiò moneri. Non igitur mirum, ſi ad illam pœnam incurrendam unica citatio perſonalis non ſufficit, cùm textus in illo ſpeciali caſu trinam requirat. Et fortè ratio ſpecialitatis fuit gravitas pœnæ amiſſionis privilegii clericalis, quod eſt de Jure Divino, *c. Si Imperator*, 96. *diſt.* & ſcripſi latiſſimè in *cap. Eccleſia S. Mariæ, ſupra de conſtitut.* At ſecus eſt in beneficiatis abſentibus, quia ſi eorum copia haberi poſſit, jura nihil aliud exigunt, quàm ut ſemel perſonaliter moneantur, ſeu revocentur ad reſidentiam, ut in *d. cap. Ex parte, ſuprà eod.* & conſtat ex ſupradictis. Verumtamen aliud dicendum eſt poſt Concilium Tridentinum quoad Parochos, quia ſufficit citatio per edictum, nec requiritur perſonalis ut patebit *infra n.*31.

11 Quartò nota ibi, *ultra ſex menſes*, Clericum à ſua Eccleſia abſentem, ſi ignoretur ubi ſit poſt trinam citationem eſſe expectandum per ſex menſes. Unde ſublata eſt diſpoſitio antiquorum Canonum, qui variè circa hoc diſponunt. Quidam enim dicunt Clericum duobus tantùm menſibus eſſe expectandum, *c. Præſentium*, 7. *q.*1. Quidam dicunt de tribus hebdomadis, *c. Si quis in Clerico*, *ead. cauſ. & q.* Quidam de quinque annis, *c.*2. *ſupra eod.* Quidam de anno, ut in Authent. *de Sactiſſim. Epiſ.* §. *Interdicimus*, ſecundùm Innoc. *hìc n.*1. & latius per gloſſam in *c. Quoniam frequen-*

12 *ter*, §. *Porrò, in ver. Canonibus*, *ſupra ut lite non conteſt.* Sed hodie contra Beneficiarium latitantem de jure communi ſervandùm erit quòd hìc dicitur, ut ſcilicet expectandus ſit per ſex menſes; Juris enim præſumptio eſt ut infra hoc ſpatium citationis edicta ad illius notitiam perducantur. Ad quòd hunc textum ſingularem reputat Abb. *hìc n.*5. *in* 5.

13 *notab.* Ergo lapſis ſex menſibus beneficio ſpoliari poterit, ut in textu, etiam lite non conteſtata; ut in *d. c. Quoniam frequenter*; & hìc notat gloſſa *in ver. Removeat*, etiam non præcedente ſententia privationis: propterea enim dixi ſpoliari, & non privari, quia nòn fertur ſententia, ſed datur beneficium quaſi vacans; & ſic abſens videtur ſpoliari, ut formaliter hìc dicunt Hoſt. & Joan. Andr. ambo *in verb. Spoliari*: & ſequuntur alii. De quo dic ut ſcripſi in *cap. Ex parte*, *& c. Qualiter*, *ſupra eodem*.

14 Limita nunc notabiliter diſpoſitionem hujus Decretalis, ut non procedat in obtinentibus dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis. Hi enim ex Decreto Concilii Tridentini *c.*12. §. *Præterea ſeſſ.*24. ſi ultra tres menſes abfuerint, primo anno privari debent dimidia parte fructuum: ſecundò anno omnibus fructibus. Creſcente verò contumacia procedendum eſt contra eos ad ſacrorum Canonum præſcriptum, id eſt, ad privationem tituli. Atque ita abſentes ultra tres menſes hodie beneficio privari non poterunt, niſi poſt lapſum trium annorum, & ſervata forma ibi præſcripta, ut ſæpiùs declaravit Sac. Congregatio ejuſdem Concilii interpres. Minimè enim verùm eſt quod refert Mantica in præ-

alleg. *deciſ.*67. *n.*6. videlicet per Illuſtriſſ. S. Congregationis Interpretes fuiſſe declaratum, Epiſcopos poſſe procedere ad privationem ob non reſidentiam, tametſi temporum intervalla, de quibus in *d. cap.*12. § *Præterea*, *ſeſſ.*24. non fuerint obſervata. Imò enim S. Congregatio cenſuit expe- 15
ctandum eſſe lapſum trium annorum, priuſquam ad privationem in totum procedatur; & primo anno abſentem ultra tempus permiſſum privandum eſſe dimidia parte fructuum, & quidem ad ratam menſium, quibus abfuit, ſi non integer eſt annus. Secundo, omnibus fructibus. Tertio, privandum titulo, & ad privationem hujuſmodi procedi non poſſe, niſi hac forma ſervata, ut etiam dixi in *c. Licet*, *n.*26. *infrà tit. de proximo*.

Idem reſponſum, cum Epiſcopus in pœnam reſidentiæ vult Parochis ſubtrahere partes fructuum, quos reſidendo ſuos fecerunt: debet enim ſervare quoad intervalla, & quoad quotas præſcriptum Concilii, *c.* 1. *ſeſſ.* 6. ut latiùs dicam *infra num.*24.

Ultimò nota in §. *Contra eos*, Archiepiſcopum poſſe pro- 16
cedere contra Epiſcopos deſerentes Eccleſias ſuas, excommunicando, & ſuſpendendo: removere autem illos ab Epiſcopatu, vel adminiſtratione non poſſe; hoc enim ſpecialiter Legato hic conceditur, ut forma dicit Innoc. *num.* 5. *in ver. Procedatur*, & ſequuntur alii. Nam depoſitio 17
Epiſcoporum jure Divino eſt Romano Pontifici reſervata, ut in *cap. Inter corporalia, de transl. Epiſc.*

Verùm intelligendo hunc §. *Contra eos*, non ponere ca- 18
ſum diverſum, ſed continuare caſum præcedentem de Clericis inferioribus, juxta alium intellectum gloſſæ *in ver. Spoliari*. Hinc collige Epiſcopum non arctari præcisè ad procedendum contra beneficiatum non reſidentem per viam privationis beneficii; ſed eſſe in optione ipſius procedere etiam per ſubtractionem fructuum, cenſuras Eccleſiaſticas, ut hìc notant Imola, & Jo. de Anan. quos ſequitur Mantica *in præalleg. dec.*67. *n.*6.

Quod procedit etiam contra Parochos non reſidentes in terminis Concilii Trident. *c.*1. *verſ. Quod ſi per edictum, ſeſſ.* 23. ponderando illa verba, *liberum eſſe vult Ordinariis, &c.* Et quamvis oppoſitum videatur declaraſſe S. Congregatio contra Parochos non reſidentes tempore peſtis, ut dixi in *cap. fin. num.*41. *&* 45. *infra eod.* fortè tamen ita cenſuit in illo ſpeciali caſu, quia erat admodùm controverſum inter Theologos, & Canoniſtas, an peſtis tempore Parochi tenerentur perſonaliter reſidere, ut ibi dixi *n.*42. *&* 49. Unde contra abſentes exiſtimavit non eſſe illicò procedendum ad privationem Parochialis; ſed priùs experienda eſſe alia remedia cenſurarum, & ſubtractionis fructuum. Verùm extra illum caſu generaliter conſulta, an ſit arbitrium Epiſcopi, qua via, & quo remedio uti voluerit contra non reſidentes, nempè vel cenſuris, vel ſequeſtratione, & ſubtractione fructuum, vel privatione. Reſpondit ita eſſe. Idemque patet ex deciſione edita in cauſa Imolen. de qua infra *n.*30.

QUÆRO, an forma procedendi adverſus Parochos 19
non reſidentes à jure communi præſcripta, immutata fuerit Decretis Concilii Tridentini *c.*1. *ſeſſ.*6. *& c.*1. *ſeſſ.*23.

Diſponit S. Synodus in *c.*1. *ſeſſ.*6. adverſus Epiſcopos non reſidentes, ut primis ſex menſibus eorum abſentiæ in pœnam amiſſionis quartæ partis fructuum unius anni ipſo jure incurrant. Quòd ſi per alios ſex menſes in hujuſmodi abſentia perſeveraverint, aliam quartam partem fructuum ſimiliter eo ipſo amittant. Creſcente verò contumacia, præſcribit, qua forma ſit contra eos procedendum ad graviora remedia. Deinde in *c.*1. *ſeſſ.* 23. interpretatur primò dictum decretum, & ſtatuit, ut ejus prætextu non liceat Epiſcopis ultra tres menſes quolibet anno abeſſe: alioquin præter mortalis peccati reatum, quem incurrunt, pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non faciant. Poſtremò eadem omninò quoad culpam, omiſſionem fructuum, & pœnas de Curatis inferioribus declarat, & decernit, ut in §. *Eadem*. Quo loco, cùm nihil ſtatutum fuerit de modo procedendi contra inferiores Curatos, conſequens videtur eſſe, ut ſervari debeat veterum Canonum diſpoſitio, de qua præcipuè in hac Decretali, cùm eam Concilium non immutaverit: nam correctio jurium vitanda eſt, *c. Cùm expediat*, *de elect. in* 6. *l. Præceptum*, *in fine*, *C. de appell. l. fin. C. de inoff. teſtamen.* & quod non mutatur, ſtare non prohibetur, *l. Sancimus*, *C. de teſtament.* Quòd ſi Concilium voluiſſet modum procedendi circa Curatos inferiores præſtituere, utique expreſsè diſpoſuiſſet, ſicut de culpa, pœna, &

 fru-

fructuum amiſſionis diſpoſuit. Ad hoc *cap. inter corporalia*, ibi, *Si circa tranſlationem id fieri voluiſſet, quod de ceſſione dixerat, & de tranſlatione poterat expreſſiſſe, de tranſlat. Epiſc.* Ad idem text. in *cap. Ad audientiam, de decim. & in l. unica*, §. *Sin autem ad deficientis*, *C. de caduc. tollen.* Quod igitur non eſt Sanctorum Patrum Decreto ſancitum, ſuperſtitioſis non eſt adinventionibus præſumendum, ut in *d. c. 2. & in c. Conſuluiſti*, 2. q. 5.

Præterea intentio finalis S. Synodi in *d. cap. 1. ſeſs. 23.* fuit occurrere negligentiæ Paſtorum non reſidentium, illoſque diſtrictius arctare, ut gregi ſibi commiſſo ſedulò invigilarent. Et propterea non eſt inferendum, ut intervalla longiora Epiſcopus procedens contra non reſidentes ſervare teneatur, quàm de jure Canonum prius ſtatuta fuiſſent: alioquin inducta ad effectum coanguſtandi licentiam non reſidentium, eorumdem habenas laxarent; quod eſſet abſurdum, ut per Bald. *conſ. 472. num. 2. verſ. Sed ubi apponi-*
20 *tur, lib. 2.* & Angel. *conſ. 66. verſ. Clauſula enim.* Siquidem quod ſtatutum fuit ad pœnam, trahi non debet ad gratiam, *d. cap. Inter corporalia, verſ. Nec quod de ceſſione, de tranſlat. Epiſc.* & generaliter inducta ad unum finem, contra illum operari non debent, *l. Cum tale*, §. *Falſam, ff. de condit. & demonſtr. l. Legata inutiliter, ff. de adimen. legat.* Ad hæc cum in *d. c. 1. ſeſſ. 23. in verſ. Quod ſi per editum*, eadem tribuatur facultas Ordinariis compellendi non reſidentes per cenſuras Eccleſiaſticas, vel ſequeſtrationem, & ſubtractionem fructuum; ſequitur, ut quemadmodum nihil eſt immutatum in modo procedendi, quando eligitur via cenſurarum; ita nec quidquam novi cenſeatur inductum quando proceditur per fructuum ſubtractionem: una enim determinatio reſpiciens plura determinabilia, debet illa æqualiter determinare, *l. Jam hoc jure*, §. *fin. ff. de vulgar. & pupill. text. in l. fin.* & ibi Bart. *C. de ſentent.* Dec. *in c. Novit, n. 56. ſupra de judic.*

His accedit, quod in *eod. cap. 1. ſeſſ. 6.* Concilium tantùm de majoribus Prælatis diſponit, ut patet ex illis verbis: *Ab his, qui majoribus Eccleſiis præſunt, initium cenſuit eſſe ſumendum*: Ergo ſequens diſpoſitio applicari non poteſt Parochis, cùm verba poſita in prooemio indicent, & oſtendant animum diſponentis, *l. fin.* ubi Bart. & omnes, *ff. de hæred. inſtit. l. fin. ad Maced. cum concord.*

Poſtremò difficilius, & majori deliberatione proceditur contra Archiepiſcopos, & Epiſcopos, quàm contra Parochos: quamvis enim Parochus abſens, & ter citatus intra ſex menſes non adverſus privari per Epiſcopum valeat, ut hìc; Epiſcopus tamen non poteſt per Archiepiſcopum deponi, & privari *d. cap. inter corporalia de tranſl. Epiſc.* Concilium Tridentinum *c. 5. ſeſſ. 29. & d. c. 1. ſect. 6.* & dictum eſt ſupra *in ult. notab.* Ideòque Epiſcopi non aliter coercentur ad reſidentiam, quàm ſi per ſuperiorem citra Papam excommunicatione & ſuſpenſione feriantur, ut hìc patet in §. *Contra eos*, ſecundùm communem intellectum, de quo ſupra *in princ. & in ult. notab.* & non reſipiſcentes privantur per Summum Pontificem, vel ejus ſpecialiter delegatum, ut hìc per Abbatum, *n. 9.*

21 Quamobrem non eſt protrahenda diſpoſitio loquens de Epiſcopis ad Parochos, in quibus minor ratio viget, & minus detrimentum, & ſcandalum afferat inconſulta coercitio, vel privatio, quia qualitas appoſita circa aliquas perſonas primò nominatas non cenſetur repetita quoad alias perſonas poſteà nominatas etiam in eadem oratione, & ſtructura verborum, *l. ult.* §. *Sejo*, ubi Bart. *de leg. 2.* Ita Alex. *conſ. 158. num. 2. lib. 6.* Alciat. *præſumpt. 56. n. 25. verſ. Tertio quia*, Socin. jun. *conſ. 142. num. 22. lib. 3.* Quod multò magis dicendum eſt in caſu præſenti, in quo qualitas modi procedendi circa Epiſcopos fuit appoſita in *cap. 1. ſeſſ. 6.* Et propterea non debet cenſeri repetita quoad Parochos nominatos in *c.* diverſo, nempè in *cap. 1. ſeſſ. 23.*

22 Nec refragantur verba illa, *eodem omnino, &c.* tum quia non eſt abſurdum, ut dictio *idem*, denotet identitatem in genere, & diverſitatem quoad ſpecificas qualitates, gloſſ. in *cap. final. de magiſtr.* Alex. *in l. 2. in fine, ff. ſi cert. petat.* tum
23 etiam quia illa clauſula, *eodem omnino*, poſita propè finem capituli, refertur quidem ad præcedentem capituli contextum, *l. Talis ſcriptura*, §. *fin. ff. de legat. 1. c. Inquiſitioni, in fine de appellat.* Felin in *c. Cauſam quæ de reſcript. cum ſimil.* ſed non ad *c. 1. ſeſſ. 6.* ſeparatum, Bart. *d. l. Talis ſcriptura*; præſertim cum capitulum illud *ſeſſ. 6.* circa modum procedendi ſit diverſum à ſacrum Canonum diſpoſitione, gloſ. in *d. l. Talis ſcriptura*, §. 1. Anton. Gabr. *in tit. de clauſul. n. 5.* ubi ex his ampliat, etiamſi clauſula in fine poſita referret ſe in genere ad omnia præcedentia.

Cæterùm his non obſtantibus oppoſitum declaravit Sac. 24
Congegatio Concilii Tridentini interpres: orta enim dubitatione, an Epiſcopus procedens per ſubtractionem fructuum adverſus Parochos non reſidentes, juxta decretum *c. 1.* §. *Eadem omnino*, *ſeſſ. 23.* teneatur obſervare eadem intervalla eamdemque rationem, quæ contra Epiſcopos non reſidentes ſtatuitur in *cap. 1. ſeſſ. 6.* cenſuit Epiſcopum, quoties in pœnam omiſſæ reſidentiæ vult Parochis ſubtrahere partes fructuum, quo reſidendo ſuos fecerunt, debere ſervare quoad intervalla, & quoad quotas præſcriptum Concilii *cap. 1. ſeſſ. 6.* in executione autem facienda ſuper illis 25
fructibus, quos iidem Parochi pro rata tempori abſentiæ ſuos non fecerunt, nec tuta conſcientia retinere poſſunt ex decreto *c. 1. ſeſſ. 23.* § *Si quis autem*, Epiſcopum non debere ſequi intervalla, de quibus in *d. c. 1. ſeſſ. 6.*

Conſiderationes verò ſupra in contrarium adductæ facilè diluuntur, ſi verba *d. cap. 1. in verſ. Eadem*, ſedulò expen- 26
dantur. Nam cum S. Synodus prius egerit de reſidentia Epiſcoporum, poſtea ſubjungit: Eadem omnino etiam quoad culpam, amiſſionem fructuum, & pœnas de curatis inferioribus declarat & decernit. Et quidem de culpa, id eſt, de mortali reatu, quem incurrunt non reſidente, & de amiſſione fructuum, quos in abſentia ſuos non faciunt, diſponit in *eod. cap. 1. ſeſſ. 23. in verſ. Si quis autem.* At verò de aliis pœnis ibi nihil novi ſtatuit, ſed tantummodò innovavit pœnas adverſus Epiſcopos non reſidentes ſub Paulo III. impoſitas, id eſt in *c. 1. ſeſſ. 6.* Si igitur Concilium in *d. verſ. Eadem*, extendit diſpota circa Epiſcoporum reſidentiam ad inferiores Curatos non tantum quoad culpam, & amiſſionem fructuum, ſed etiam quoad pœnam; & de pœnis nihil diſpoſuit niſi *d. c. 1. ſeſſ. 6.* utique hinc neceſſariò ſequitur, ut pœna Epiſcopis non reſidentibus ibidem inflicta locum habeat etiam in Curatis inferioribus; & conſequenter etiam in ipſis ſervanda erunt temporum intervalla in pœna privationis fructuum ibi præfixa. Nam pœna illa licet in genere repetita in *d. verſ. Eadem*, tamen cùm ſit unica, cenſetur nominatim expreſſa, *ut l. 2. ff. de lib. & poſthum. & inſtitut. de exhæredat. lib.* §. *Nominatim.* Præterea etſi clau- 27
ſula poſita in *d. verſ. Eadem*, non eſſet referenda niſi ad contenta in *eod. c. 1. ſeſſ. 23.* tamen cum ibi innoventur pœnæ impoſitæ in *dict. cap. 1. ſeſſ. 6.* perinde eſt, ac ſi pœna hujuſmodi eſſent in poſteriori decreto inſertæ, quia lex innovata ineſt legi innovanti, non ſecus ac ſi illius tenor eſſet in ea inſertus, *c. Cum dilecta de confir. util. vel inutil.* gloſſ. *in c. Ut litigantes, in ver. Statuimus de offic. ordin. in 6.* Doctores in Clem. *Dudum*, *de ſepultur.* Atque ita ceſſant conjecturæ omnes adductæ in oppoſitum de correctione veterum Canonum, de mente Concilli, & de clauſula in fine poſita. Quoniam verba Concilii clara non admittunt interpreta- 28
tionem, neque voluntatis conjecturam, *l. Licèt Imperator, ff. de legat. 1.* Abb. *conſ. 97. viſo inſtrumento, n. 1. verſ. Et primò quia*, *lib. 2.* Socin. *conſ. 13. n. 38. lib. 1.*

Concludendo dic, juris communis diſpoſitionem adverſus Parochos non reſidentes, de qua præcipuè in hac Decretali, in multis fuiſſe à Concilio immutatam, & alteratam; 29
Primò enim fuit immutata in eo quòd Parochus non reſidens de jure communi non perdit fructus ipſo jure, ſed procedi poteſt contra eum per fructuum ſequeſtrationem, ſeu privationem, ut dictum eſt *ſupra num. 18.* At verò poſt Concilium non ſolùm non facit fructus ſuos pro rata temporis abſentiæ, ut in *d. cap. 1. ſeſſ. 23.* ſed etiam ſi abfuerit ultra ſex menſe, incidit ipſo jure in pœnam privationis quartæ partis fructuum unius anni impoſitam Epiſcopis in *d. c. 1. ſeſſ. 6.* & innovatam in *c. 1. ſeſſ. 23. in verſ. Si quis autem*, & ampliatam ad Curatos inferiores in verſ. *Eadem*. Quòd ſi per alios ſex mēſes in hujuſmodi abſentia perſerveraverit, aliam quartam partem fructuum ut ſupra eo ipſo amittit, ut in *d. c. 1. ſeſſ. 6.* Et quamvis integrum ſit Epiſcopo pro- 30
cedere etiam ad privationem beneficii, tamen ſi elegerit procedere per ſubtractionem fructuum, tenetur obſervare illa temporum intervalla, nec poteſt illicò ad privationem tituli procedere. Unde cùm Epiſcopus Imolen. privaſſet Rectorem Parochialis, quia non reſidebat, & Rector Sacram Congregationem Concilli adiiſſet: Reſponſum eſt privationem eſſe nullam, & reſtituendam Rectori Parochialem quia in ultimò precepto ante ſententiam, quo illum ad

ad reſidentiam vocaverat, comminatus fuerat Ordinarius fructuum amiſſionem,& non privationem Parochialis.

31 Deinde forma procedendi contra Parochos non reſidentes à jure præſcripta, fuit à Concilio immutata in eo, quòd de jure communi Parochus,ſi ſcitur ubi ſit,citari non poteſt per edictum, ſed citari debet perſonaliter, ut oſtenſum eſt ſupra *n.*4.*&* 9 At per Concilium citari poteſt per dictum etiam non perſonaliter, ac ſi contumax fuerit, privari etiam Parochiali, ut patet *d. cap.*1.*ſeſſ.*23. ibi, *Quod ſi per edictam citati etiam non perſonaliter, contumaces fuerint, liberum eſſe vult Ordinariis per cenſuras Eccleſiaſticas, & ſequeſtrationem, & ſubtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam uſque ad privationem compellere.* Et verba illa, *uſque ad privationem*, S. Congregatio declaravit eſſe intelligenda incluſivè.

32 Tertiò, fuit immutata in eo, quòd de jure communi beneficiatus latitans citari debet tribus edictis, ut patet hic in textu. At poſt Concilium ſufficit indiſtinctè unicum edictum peremptorium cum competenti termino ad redeundum, cùm non requirat trinum, ſed ſimpliciter dicat, *per edictum citati.*

33 Quartò, fuit immutata in eo, quòd edicta hujuſmodi de jure communi debent per præconem ſolemniter publicari, ſecundùm opinionem Hoſt. & aliorum, de qua ſuprà *n.* 9. Secus poſt Concilium,quod hanc ſolemnitatem publicationis non exigit. Unde ſatis eſt, ut edictum affigatur valvis Eccleſiæ, ſecundùm ea quæ dicta ſunt ſuprà in 1. *notab.*

34 Demum immutata fuit in eo, quòd de jure communi Parochus ſi ignoretur ubi ſit, poſt trinæ citationis edictum non poteſt illicò privari beneficio, ſed expectari debet per ſex menſes, ut hic eſt caſus. At poſt Concilium citatus,ſive ſciatur ubi ſit, ſive non, lapſo termino eidem præfixo, ſtatim privari poterit. Nam cùm ex Concilio edictum ſucceſſerit loco citationis perſonalis, quemadmodum perſonaliter citatus non eſt expectandus per ſex menſes, ſed ſtatim poteſt privari, *ut in c. Ex parte,il* 1. *& in c.ſeqq.ſup. eod. & infrà in cap. fin.* & dictum eſt ſuprà *n.* 8 ita & citatus per edictum. Ex quibus patet hanc Decretalem in primo reſponſo per Tridentinum Concilium ferè in omnibus abrogatam fuiſſe quoad Parochialium Eccleſiarum Rectores.

Quo verò ad obtinentes Dignitates, Canonicatus, vel 35 Portiones in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis, ſimiliter patet primum reſponſum hujus Decretalis fuiſſe immutatum in eo,quòd ex Concilio, antequam beneficio privari poſſint, expectandus eſt lapſus trium annorum, ut oſtenſum eſt ſuprà *n.*14. Verùm tranſacto tertio anno, ſi ignoretur ubi ſint, citandi erunt trinæ citationis edicto, & poſteà expectandi erunt per ſex menſes, juxta formam hìc præſcriptam, quam Concilium non immutavit, imò expreſsè præſervavit *in dict.cap.*12. §.*Præterea*, *ſeſſ.*24. ibi, *Contra eos juxta ſacrorum Canonum Conſtitutiones procedatur*, id eſt beneficio priventur ad eum modum, quo ſacri Canones præſcribunt.

Supereſt igitur, ut forma procedendi contra Clericos non reſidentes præfinita in hac Decretali ad unguem ſervari debeat tantummodò quoad eos, qui obtinent beneficia ſimplicia perſonalem reſidentiam requirentia extra Cathedrales, & Collegiatas Eccleſias.

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS.

Idem Innocentius III. Altiſſiodorenſi Epiſcopo.

CAPUT XII.

TUæ fraternitatis diſcretio poſtulavit: & infrà. Quæſiviſti præterea, ut cùm interdum Canonici, quibus ſtudiorum gratia eſt indultum, ut in abſentia ſua fructus percipiant præbendarum ſuarum, accepta licentia ſe ad villas transferunt; vel caſtella, in quibus nullum eſt, vel minùs competens ſtudiorum exercitium: utrùm præbendarum ſuarum fructus ſint talibus conferendi? Ad quod breviter reſpondemus, eis qui hujuſmodi fraudem committunt, (cùm fraus & dolus nemini debeat patrocinium impertiri) præfatam indulgentiam competere non debere.

SUMMARIUM.

1 *Privilegiatus, ut abſens in ſtudio fructus præbendæ recipiat, exiſtens in villa, vel caſtello, ubi nullum eſt, vel minùs competens ſtudium, privilegio non fruitur.*
2 *Licentia Prælati, & privilegium requiruntur adhoc, ut abſens in ſtudio fructus præbendæ percipiat.*
3 *Et licentia non ſufficit petita, niſi etiam ſit obtenta.*
4 *Quòd ſi Prælatus eam deneget adeundus eſt ſuperior, ut eum dare compellat.*
5 *Prælatus inferior an Curatis Eccleſiarum ſibi ſubjectarum dare poſſit licentiam non reſidendi, & n.ſeqq. uſque in fin.*
6 *Capitulum ex præſcriptione, vel privilegio poteſt in certis Eccleſiis ſibi acquirere jura Epiſcopalia excluſo Epiſcopo.*
7 *Eccleſia pleno jure ſubjecta dicitur, in qua quis habet ordinariam, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem.*
8 *Tridentinum Concilium ubi loquitur de concernentibus juriſdictionem, non intendit eam uni auferre, & dare alteri.*
9 *Licentiam dare de non reſidendo pertinet ad legem juriſdictionis.*
10 *Et eam dare poteſt non modo Epiſcopus, ſed etiam inferior Prælatus.*
11 *Capitulum Civitaten. quam juriſdictionem habeat in Eccleſiis ſibi ſubjectis.*
12 Liberè, *ideſt, ſine alicujus licentia.*
13 *Inſtituere, & deſtituere ſpectat ad Ordinariam juriſdictionem.*
14 *Obſervantia ſubſequuta ſuperat omnes alias probationes, & eſt omnium interpretationum Regina.*
15 *Conſuetudo interpretativa non requiritur, ut ſit præſcripta.*
16 *Tridentinum Concilium* c.1. §.Eadem omninò, ſeſſ.23. *expenditur, & n.* 8.
17 *Epiſcopi appellatione in materia juriſdictionis veniunt etiam inferiores Prælati ſimilem juriſdictionem habentes.*
*Secus ſi habeant ſolùm jus conferendi, n.*20.
18 *Ordinarii appellatione venit etiam inferior Prælatus inſtitutionem habens.*

TUæ. Privilegiatus, quòd abſens in ſtudio fructus præbendæ percipiat, ſtudens in ſtudio particulari, privilegio non utitur. Hoc dicit Joan. Andr. Butr. Cardin. Anchar. Imol. Jo. de Anan. & Alex. de Nævo. Vel ſic ſecundùm Abbatem, Privilegiatus, ut abſens in ſtudio fructus præbendæ recipiat, exiſtens in villa, vel caſtello, ubi nullum eſt, vel minùs competens ſtudium, privilegio non utitur, Hoc dicit, & tunc duæ partes. Quæſtio, & reſponſio. Secunda ibi, *Ad quod.* 1

In textu ibi, *Studiorum gratia eſt indultum*, junctis verbis, *accepta licentia*; nota duo copulativè eſſe neceſſaria ad hoc, ut abſens ſtudiorum cauſa percipere poſſit fructus præbendarum ſuarum. Primum eſt, ut ſuper hoc habeat indultum, ſeu privilegium. Secundum eſt, ut habeat licentiam 2

centiam Prælati ſui, prout hic notant Joan. Andr. num. 1.
in ver. Fructus, ubi contra Archidiaconum in c. De quibuſ-
dam in fin. 37. diſt. concludit non ſufficere licentiam, quam
dat Epiſcopus exiſtendi in ſtudio, niſi etiam ſit ſtudium in
hoc privilegiatum; nec licentia eſt ſuperflua, quia operatur,
ut puniri non poſſit, quia non reſidet in beneficio, Butr. in
1. notab. Cardin. n. 7. in 5. q. Imol. n. 1. Ancar. n. 7. Abbas n. 3.
Jo. de Anan. n. 2. verſ. Nota quod habens privilegium, &
Alex. de Nævo in 1. notab. & ſcripſi plenius in c. Relatum
3 ſuprà eod. Et indultum intelligitur, vel ab Epiſcopo, vel à
Papa, ut dicit gloſs. 1. hìc vel à jure, ut in c. Super ſpecula,
de Magiſtris, vel ex conſuetudine, arg. cap. Avaritiæ, de
præbend. & c. Cum omnes, de Conſtitut. vel ex Conſtitutione
Eccleſiæ, ut c. Cùm dilectus infrà eod. vel ex privilegio ſpe-
ciali, ut hìc, & in c. Cùm ad hoc infrà eod. ſecundùm Hoſt.
& Jo. Andr. hìc n. 1. in ver. Indultum, & omnes, ut atteſta-
tur Felin. in c. fin. n. 3. verſ. ſexto limita, de Magiſtris: &
licentia debet eſse obtenta, ut probat hæc littera ibi, accepta,
& ſic non ſufficit petita, ut hìc, & in c. Relatum ſuprà eod.
& notat Hoſtien. hìc n. 1. in ver. Licentia, & Jo. Andr. n. 2.
4 in ver. Accepta, Butr. n. 7. Abb. n. 3. & reliqui omnes. Si
tamen Prælatus ſine cauſa contradiceret, poſſet haberi re-
curſus ad Superiorem, ut eum compelleret licentiam dare,
arg. c. Nullus, de jurepatron. ſecundùm Hoſt. hìc n. 1. Joan.
Andr. n. 2. Abb. n. 3. & Felin. loc. cit. Nec obſtat c. Licèt infrà
de Regular. ubi pro tranſitu Religioſi ad ſtrictiorem Ordi-
nem ſufficit licentia petita, licèt non obtenta. Quoniam
illud eſt ſpeciale favore Religionis, ſecundùm Goffred. &
Jo: Andr. ubi ſuprà, vel ſecundùm Hoſt. in d. c. Licèt n. 11.
talis à Spiritu Sancto intelligitur abſolutus à licentia impe-
tranda, qui ei ſpirat, ut tranſeat: ergo ei tanquam Superio-
ri obediendum eſt, c. Qui reſiſtit. 11. q. 5.
5 Porrò cùm decreto Concilii Tridentini c. 1. §. Eadem om-
ninò ſeſſ. 23. cautum ſit, ut cùm inferiores Curatos à ſuis Ec-
cleſiis abeſſe contigerit, cauſa debeat eſſe ab Epiſcopo priùs
cognita, & probata, & licentiam in ſcriptis, gratiſque con-
cedendam, ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſa non
obtineant: ex facto quæſitum eſt, an Capitulum Civitaten.
Vicariis Eccleſiarum ſibi ſubjectarum poſſit ejuſmodi licen-
tiam impertiri, necne;
6 Pro dubii ſolutione ſupponendum eſt primò, de jure
quemlibet inferiorem poſſe ſibi acquirere juriſdictionem
quaſi Epiſcopalem in aliqua Eccleſia privativè ad Epiſco-
pum, vel præſcriptione, vel privilegio, ut habetur in c. Au-
ditis, & ibi notat Abb. n. 4. & Felin. n. 1. ſuprà de præſcript.
Franciſcus Baldus de præſcript. part. 1. 5. partis principalis q.
11. n. 2. & in terminis Capitulum poſſe in aliquibus Eccleſiis
ſibi acquirere præſcriptione, vel privilegio omnia jure Epiſ-
copalia, & juriſdictionem Epiſcopalem, conſuluit latè Cal-
derin. conſ. 2. incipien. An Archibresbyter in tit. de præſcript.
& ſequitur Bald. ubi ſuprà.
7 Supponendum ſecundò, idem eſſe habere Eccleſiam ſibi
ſubjectam pleno jure, & habere Ordinariam, & quaſi Epiſ-
copalem juriſdictionem, quia tunc Epiſcopus nullum jus
Epiſcopale poteſt in ea exercere, ut notat Hoſt. in cap. Quo-
niam ante n. 1. in ver. Utroque jure, de privil. Abb. in d. cap.
Auditis n. 4. & ibi etiam Felin. eod. n. præſcript. Bald. ubi ſu-
prà num. 3.
8 Supponendum tertiò; Concil. Trid. ubi non loquitur de
concernentibus officium, vel dignitatem Epiſcopi, ſed de
concernentibus juriſdictionem, noluiſſe juriſdictionem uni
auferre, & dare alteri, ex traditis per Vitalinum in Clem.
Attendentes, §. Hæc igitur num. 3. & 4. de ſtat. Monachor.
Put. in terminis Concil. Trid. deciſ. 239. incip. Die 1. Apri-
lis lib. 3.
9 Supponendum quartò, dare licentiam de non reſidendo
10 ſpectare ad legem juriſdictionis, c. Relatum ſup. eod. Quæ
quidem licentia poteſt dari de jure communi non ſolùm ab
Epiſcopis, ſed à quibuſcumque inferioribus Prælatis, ut pro-
bat text. in d. c. Relatum, ibi De licentia ſuorum Prælatorum
ubi Innoc. n. 2. Nota, inquit, inferiores Prælatos dare licen-
tiam eundi ad Scolas, &c. & concordant ibi Hoſt. n. 3. Burat.
n. 5. & Abb. qui de communi atteſtatur n. 4. Card. in Clem. 1.
§. Sanè, il 2. n. 6. de ſtat. Monach.
11 Supponendum ultimò, Capitulum Civitaten. habere Ec-
cleſias, de quibus agitur, ſibi pleno jure ſubjectas, quod pa-
tet ex litteris Cœleſtini, Pii II. & Pauli III. nam in litteris
Cœleſtini cavetur, ut Capitulum poſſideat dictas Eccleſias
liberè, & dictam libertatem confirmat; & verbum liberè,
omnem ſubjectionem excludit, & denotat poſſeſſionem 12
abſque alicujus licentia, gloſſ. in Clem. Dudum, §. Si verò, in
ver. Liberè, de ſepultur. & notatur in c. De multa, de præben.
& in c. Licèt Epiſcopis, eod. tit. lib. 6. & probatur in c. fin. §. fin.
de conſuet. lib. 6. & in c. Cùm plures, & ibi gloſſ. in ver. Libe-
rè, de offic. deleg. eod. lib. & in c. Statuimus, & ibi dixi n. 3. de
Regular. Barbat. conſ. 11. n. 3. ver. Item traſtulit in fin. lib. 2.
Rubeus Alexandrin. conſ. 43. n. 4. Ex litteris verò Pii II. quia,
ut ibi dicitur, Capitulum habet jus inſtituendi, & deſtituen-
di, quod idem priùs confirmat, necnon ejus ſolitam juriſdi- 13
ctionem, & ſic quaſi Epiſcopalem, cùm inſtituere, & deſti-
tuere ſpectet ad ordinariam juriſdictionem, c. Conquerente
de offic. Ordin. & toto tit. de inſtitut. Pariſ. conſ. 22. n. 19. lib. 4.
Sed clariùs ex litteris Pauli III. in quibus Papa confirmat ex-
preſsè ordinariam juriſdictionem, ac jus conferendi, inſti-
tuendi, & deſtituendi; & ubi verba ſunt clara, non eſt ad-
mittenda quæſtio voluntatis l. Ille, aut ille de legat. 3.
Confirmantur omnia ex effectus ſubſequuto, ut in fa- 14
cto ſupponitur, ſemper Capitulum in iſtis Eccleſiis exercuit
juriſdictionem ordinariam in cauſis matrimonialibus, in
dandis licentiis, in inſtituendo, & deſtituendo, & in ſimili-
bus, cùm obſervantia ſubſequuta ſuperet omnes alias proba-
tiones, ut inquit Tiber. Decian. in conſ. 124. n. 12. lib. 2. &
ſit aliarum probationum regina. Quæ quidem obſervantia 15
cùm ſit interpretativa dictarum Bullarum, non requiritur
ut ſit præſcripta, Aret. conſ. 11. col. 3. verſ. Sed tamen ex ſu-
per abundanti, Roch. de Curt. de conſuet. n. 28. Purpurat. in
l. Certi conditii, §. Si munus n. 21. ff. Si cert. pet. Dec. in l. Uti
liberis n. 19. C. de collat. & in conſ. 48. col. 1. verſ. Et in tali
conſuetudine, Menoch. conſ. 37. n. 96. lib. 1.
His ita conſtitutis, defluit ſuo marte ſolutio propoſiti du-
bii: nam cùm dictum Capitulum poſſit habere Eccleſias in
Diœceſi Aquilejen. ſibi ſubjectas pleno jure, & ſic cùm ju-
riſdictione quaſi Epiſcopali, ut ſuprà in ſuppoſito primo, & ſe-
cundo, & illas habeat ſic ſubjectas cum dicta juriſdictione ex
Bullis Summorum Pontificum, ut in ultimo ſuppoſito; &
dare hujuſmodi licentias ſit juriſdictionis, & Concilium in
his, quæ ſunt juriſdictionis, non intendat illam uni auferre,
& dare alteri, ut in ſuppoſito 3. & 4. hinc reſultat, ut ipſius 16
Concilii diſpoſitio in d. c. 1. §. Eadem omnino ſeſſ. 23. dum lo-
quitur de licentia danda ab Ediſcopo cauſa cognita, minimè
excludat Capitulum Civitaten. quo minùs Vicariis Eccle-
ſiarum ſibi pleno jure ſubjectarum impertiri poſſit licen-
tiam abſcedendi ab eorum curis.
Nec obſtat, quòd Concilium dicat, cauſa priùs per Epiſ- 17
copum cognita. Quoniam ubi agitur de his, quæ ſunt juriſ-
dictionis, ubi fit mentio de Epiſcopo, intelligitur etiam de
quocunque alio inferiori Prælato ſimilem juriſdictionem
habente, ut declarat Abbas in c. Sicut unire ſub n. 3. de exceſſ.
Prælat. Cardin. in conſ. 47. Reverende Pater per tot. ubi di-
cunt dictum c. Sicut unire, licèt loquatur de Epiſcopis, ta-
men cùm jus uniendi Eccleſias ſit juriſdictionis, intelligi
etiam de aliis Prælatis inferioribus habentibus jura Epiſco-
palia. Præſertim verò, quia diſpoſitio Concilii in hoc debet
recipere interpretationem paſſivam à jure communi, l. 2. C.
de Noval. de quo jure quilibet Prælatus inferior poteſt con-
cedere hujuſmodi licentias, ut dictum eſt ſuprà in 4. ſuppo-
ſito. Imò conſtat manifeſtè Concilium ibi loqui de Ordina- 18
rio, ut patet ibi, Vicarium idoneum ab ipſo Ordinario ap-
probandum; appellatione autem Ordinarii veniunt etiam 19
Prælatis inferiores inſtitutionem habentes, ut dicit gloſſ. in
c. Ordinarii in verb. Locorum, de offic. Ordin. lib. 6. Franc.
in cap. 2. n. 7. de Conſtit. eod. lib.
Item non obſtat deciſio S. Congregationis Concilii, quæ 20
circumfertur, quòd omnia contenta in d. cap. 1. ſeſſ. 23. per
Epiſcopum executioni demandari debeant, etiamſi collatio
ad inferiorem ſpectet, & ad Abbates Regulares. Quia illa
loquitur, quando ſola collatio ſpectat ad inferiorem, qui non
eſt caſus noſter. Secus verò dicendum eſt, ut ibi omnis ju-
riſdictio Ordinaria ad aliquem inferiorem ſpectaret, ut in
hoc caſu, quia ſi inferior habet omnem Ordinariam juriſdi-
ctionem, debet etiam habere hanc facultatum dandi hujuſ-
modi licentias, quia illa eſt juriſdictionis Ordinariæ, ut di-
ctum eſt, & nulla ſubeſt ratio diverſitatis: imò ſi quis habet
jus inſtituendi, & deſtituendi, quod eſt plus, debet habere
etiam hoc jus dandi licentias, quod eſt minus, ut in reg. l.
Non debet, ff. de reg. jur. & c. Cui licet, eod. tit. lib. 6.

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS.

Honorius III. Melden. Epiſcopo.

CAPUT XV.

AD audientiam noſtram pervenit, quòd cùm in Melden. Eccleſia quædam ſit conſtitutio vallata juramento, & authoritate Sedis Apoſtolicæ confirmata: ut Canonici, qui non reſident in eadem, ſuarum priventur fructibus præbendarum; illis exceptis, quos infirmitas excuſaret, ſive in Apoſtolicæ Sedis ſervitio contingeret detineri: & infrà. Decernimus ut duo ex Canonicis Eccleſiæ memoratæ, in tuo ſervitio exiſtentes, ſuarum fructus integrè percipiant præbendarum: cùm abſentes dici non debeant, ſed præſentes, qui tecum pro tuo & ipſius Eccleſiæ ſervitio commorantur.

SUMMARIUM.

1 *Canonici duo abſentes pro ſervitio Epiſcopi fructus præbendarum ſuarum percipiunt, non obſtante Conſtitutione contraria, & n.7.*
Idem in abſentibus pro ſervitio Papæ, n.7.
2 *Statutum diſponens idem, quod jus commune, & juramentum ſuper eo interpoſitum, recipit omnes limitationes, quas recipit jus commune.*
3 *Statutum excipiens duos caſus, cenſetur excipere etiam alios caſus, in quibus viget eadem ratio.*
4 *Declaratur procedere, ſi ſtatutum ſit ſecundùm jus, ſecus ſi ſit contra, vel præter.*
5 *Caſus exceptus à jure communi extenditur ad alios caſus conſimiles.*
6 *Caſus non proviſus à ſtatuto relinquitur in diſpoſitione juris communis.*
7 *Infirmi percipiunt in abſentia fructus præbendæ, diſtributiones, & portionem accreſcentem, quatenus infirmitas eſt cauſa non reſidendi, vel non deſerviendi.*
8 *Conſuetudo longiori quàm novem menſium ſpatio quotannis inſerviendi in Cathedralibus, vel Collegiatis Eccleſiis, an ſit ſublata à Concilio Tridentino, & n. ſeqq. uſque ad n.16.*
9 *Conſuetudo, aut ſtatutum vacandi ultra tres menſes à ſervitio Cathedralis, vel Collegiatæ Eccleſiæ reſtringitur à Concilio Tridentino ad tres menſes.*
10 *Conſtitutio, & conſuetudo ſunt duæ ſpecies juris inter ſe valdè differentes.*
11 *Et appellatione unius non venit alia, etiam in materia in qua verba impropriantur.*
12 *Conſtitutiones longius ſervitii tempus, quàm novem menſium requirentes in Cathedralibus, vel Collegiatis, cur ſint præſervatæ à Concilio Tridentino, & non conſuetudines, & n. ſeqq.*
13 *Conſuetudo in quibus differat à ſtatuto.*
Canonici de jure communi nullam habent certam vacationem à ſervitio Eccleſiæ.
15 *Conſuetudo juri communi conformis ſublata cenſetur jure communi ſublato.*
16 *Conſuetudo, ſecundùm quam Canonici Regulares, & Portionarii ſæculares abſunt cum licentia per quadraginta dies, & lucrantur diſtributiones, an valeat, & n. ſeqq. uſque in fin.*
17 *In Eccleſia Regulari an Clerici ſæculares habere poſſint præbendas, & beneficia, aut ſtipendia.*
18 *Beneficiati Regulares, & ſæculares æquiparantur quoad poteſtatem diſpenſandi fructus beneficiorum.*
19 *Eccleſiæ Regulares an comprehendantur* in cap. unic. de Cleric. non reſid. lib. 6. & in cap. 12. §. Diſtributiones ſeſſ. 24. Concil. Trid.
20 *Eccleſiæ appellatione venit etiam Eccleſia Regularis.*
21 *Canonicorum appellatione etiam Regulares continentur.*
22 *Victualia, ſeu manualia magis propriè dantur Regularibus ratione ſui victus, quorum præbendæ olim his ſolis conſiſtebant.*
23 *Regulares quoad dignitates, & officia, quæ habent in titulum, non comprehenduntur in decreto Concilii Tridentini cap. 2. ſeſſ. 25. de Regul.*
24 *Canonici Regulares, & Portionarii ſæculares in Eccleſia Regulari, an gaudeant vocatione trium menſium à Concilio Tridentino permiſſa.*
25 *Beneficia Regularia etiam non curata requirunt majorem reſidentiam, quàm beneficia ſæcularia.*
26 *Tamen rationabilis cauſa excuſſat.*
27 *Beneficiati ſæculare abeſſe poſſunt tempore permiſſo, etiam abſque licentia ſuperioris. Regulares ſecus.*
28 *Licentia juſtam cauſam includit.*
29 *Canonici Regulares abeſſe poſſunt cum licentia ſuperioris, etiam ultra quadraginta dies ex conſuetudine permiſſos, citrà amiſſionem aliquam fructuum.*
30 *Portionariis abſque licentia abſentibus fructus groſſi non debentur.*
31 *Clerici ceſſantes à Divinis officiis tenentur ad reſtitutionem fructuum.*
32 *Verbum idem reſpectu diverſorum importare poteſt privationem juris, & facti.*

A*D audientiam.* Duo Canonici abſentes cum Epiſco- 1
po, ſeu in ejus ſervitio, fructus præbendarum ſuarum percipiunt, non obſtante Conſtitutione contraria. Hoc dicit; & continet optimum caſum in materia interpretationis ſtatutorum. Primò, ponitur facti narratio. Secundò, proviſio, ibi, *Decernimus*.

Nota primò, ſtatutum diſponens idem, quod jus commu- 2
nem, & juramentum ſuper eo interpoſitum recipere omnes limitationes, quas recipit jus commune; quod optimè probatur hic: nam Conſtitutio, quam iſti Canonici ediderant, & juramento firmaverant ſuper fructibus in abſentia non percipiendis, erat juri communi conformis, ut *c. Quia nonnulli, & c. Relatum ſuprà eod.* gloſſ. ult. *in c. Cùm omnes de Conſtitut.* & gloſſ. 1. hìc; dixi *in c. Licèt n.21. infrà de præben.* & tamen quia jus commune limitatur, ut non procedat in duobus Canonicis pro ſervitio Epiſcopi abſentibus, ut *c. De cætero ſuprà eod.* eamdem limitationem, & reſtrictionem recipit memorata Conſtitutio, ut hìc patet, & ſic ſtatutum recipit interpretationem paſſivam, vel ſuppletionem, ſeu ſubauditionem à jure communi. Ad hoc bonus textus *in l. 2. C. de Noval.* & declarat Bart. & Doctores *in l. 1. §. Hæc autem edictum, ff. de nov. oper. nunc. & in l. ſciendum, ff. qui ſatiſdare cogan.*

Secundò nota ibi, *Illis exceptis*, ſtatutum excipiens 3
duos caſus, cenſeri excipere etiam alios caſus conſimiles & ſic exceptio non firmat regulam in caſibus non exceptis, quàdo in illis eadem viget ratio, quæ viget in exceptis: quod ſimiliter clarè probatur in hoc cap. nam Conſtitutio Canonicorum de fructibus non percipiendis in abſentia excipiebat duos tantùm caſus, videlicet abſentium ex cauſa infirmitatis, & abſentium pro ſervitio Sedis Apoſtolicæ, & tamen textus decidit idem juris eſſe in abſentibus pro ſervitio Epiſcopi, redditque eam rationem, quia abſentes dici non debent, qui tecum pro tuo, & Eccleſiæ ſervitio commorantur. Quæ quidem ratio communis eſt etiam infirmis, & exiſtentibus in ſervitio Sedis Apoſtolicæ, ut de infirmis patet *in cap. 1. infrà de Cleric. ægrot. in l. 3. §. Stichus, ff. de ſtat. liber.* & notat gloſs. hìc *in ver. Infirmitas*, & de exiſtentibus in ſervitio Papæ, *in c. Cùm dilectus ſup. eod.* gloſs. hìc *in ver. In Apoſtolicæ*; & ſic identitas rationis efficit, ut hìc quoque tertius caſus cenſeatur exceptus; quod nota ad limitationem Regulæ, de qua *in cap. Dominus 32. q. 7. & in l. quæſitum. §. Denique, ff. de fund. inſtruct.*

Cæ-

4 Cæterùm adverte, quia hæc theorica procedit, quando ſtatutum excipiens nonnullos caſus diſponit idem quod jus commune, tunc enim cenſetur etiam excipere alios caſus conſimiles; & ita loquitur hæc Decretalis, ſecundùm Ant.
5 de Butr. Abb. & Alex. de Nævo, omnes *in 1. not.* Ratio eſt, quia ſicut caſus exceptus à jure communi extenditur ad caſum ſimilem propter identitatem rationis, ut probatur in *c. Cùm dilecta, de confirmat. util. vel inutil.* ut notat gloſſ. *in l. 1. in ver. Judicati, C. de condit. indeb.* ita & caſus exceptus à ſtatuto diſponente idem, quod jus commune, ut hìc probatur ſecundum Abbatem, & alios præallegatos, At ſe-
6 cus videtur dicendum, ſi ſtatutum diſponat contra, vel præter jus: quia tunc caſus exceptus a ſtatuto non extenditur ad alios caſus non exceptos ex identitate rationis. Imò caſus non proviſus, ſeu omiſſus à ſtatuto reliquitur diſpoſitioni juris communis, arg. *l. Commodiſſimè, ff. de liber. & poſth. c. Suſcepti, de reſcript. lib. 6. & c. In noſtra, de injur.* ſecundùm Abb. ubi ſupra. Quod ſatis placet, & poteſt eſſe ratio diverſitatis, quia in his, quæ à jure communi exorbitant, non fit extenſio de caſu ad caſum ex identitate rationis, *cap. Quæ à jure*, & ibi gloſſ. unic. *de reg. jur. lib. 6.* gloſſ. *in c. Conſtitutionem, in ver. Prorogamus, de regular. eod. lib.* Bart. in Extravag. *Qui ſint rebelles, §. Tranſit. n. 3.*

7 Tertiò notat ex Decretali tres caſus, in quibus Canonici percipiunt redditus in abſentia, videlicet cùm abſunt ex cauſa infirmitatis, cùm abſunt pro ſervitio Sedis Apoſtolicæ, & cùm abſunt pro ſervitio Epiſcopi, ut in textu, & notat Butr. *num. 6.* Non tamen hi tres caſus per omnia æquiparantur; nam infirmi percipiunt in abſentia non ſolum fructus præbendarum ſuarum, ſed etiam diſtributiones quotidianas, ut eſt expreſſum *in cap. un. de Cleric. non reſiden. lib. 6.* quinimò & portionem accreſcentem, ut dixi *in cap. 1. in ult. quæſt. infrà de Cleric. ægrotan. cap. Quod tamen*, ita intelligit hìc Joan. Andr. *n. 2.* ut is qui alias erat reſidens, & per infirmitatem impeditur reſidere, percipiat præbendam, is verò, qui aliàs erat deſerviens, & per infirmitatem impeditur deſervire, percipiat diſtributiones; & ſic in tantùm integrat, jus, in quatùm infirmatas privat, & non plus: & concordant Butr. *n. 8.* Cardin. *num. 2.* Anchar. *num. 6.* & cæteri omnes: & ſcripſi pleniùs *in cap. Licet à num. 136. uſque ad num. 150. infrà de præben.* Abſentes verò pro ſervitio Sedis Apoſtolicæ, percipiunt quidem fructus præbendæ, ut hìc patet, *& in cap. Cùm dilectus ſuprà eodem*; ſed non diſtributiones quotidianas, ut hìc notat gloſſ. in ver. *integrè*, niſi in caſu, ut dixi *in d. cap. Licèt num. 1. 24. & ſeqq.* Et eodem modo duo Canonici abſentes pro ſervitio Epiſcopi percipiunt præbendam cum integritate, ut hìc dicitur, non autem diſtributiones, ſeu victualia, ut eſt textus *in d. cap. De cætero ſuprà eodem*, ibi, *Niſi fortè ſint victualia, quæ non conſueverunt abſentibus exhiberi*, & notat gloſſ. præalleg. *in ver. Integrè*: quod tamen fallit ſimiliter, ut dixi in prædicta Decretali, *De cætero à num. 11. uſque in fin.* ubi plenè videas.

In gloſſa prima; collige ex hac gloſſa duas concluſiones. Prima eſt, quòd de jure Canonici tenentur Eccleſiæ inſervire, adeòut in abſentia nil percipere debeant: nam beneficium quantumcunque ſimplex, & modicæ æſtimationis jure communi inſpecto, requirit perſonale ſervitium, ut eſt textus *in cap. Conquerente*, & ibi dixi *in 1. not. & num. 18. ſuprà eodem*. Secunda eſt, quòd valet conſuetudo percipiendi fructus in abſentia, & cum hac gloſſ. concordat gloſſ. ult. *in cap. Cùm omnes ſuprà de Conſtit.* Sed hodie quoad utramque concluſionem ſervari debet diſpoſitio Sacri Concilii Tridentini *in cap. 12. ſeſſ. 24* ut ſcripſi *in d. c. Licèt à num. 25. infrà de præben.* & in ſpecie, an & quibus caſibus hodie valeat conſuetudo non reſidendi in Cathedralibus, vel Collegiatis Eccleſiis, & redditus in abſentia percipendi, plenè notavi *in d. c. Cùm omnes à n. 11. uſque ad n. 36.*

8 Hìc QUÆRO, an conſuetudo Cathedralis, vel Collegiatæ Eccleſiæ, quæ alicubi ante Concilium vigebat, ut obtinentes Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut portiones longiori, quàm novem menſium ſpatio quotannis ipſi Eccleſiæ inſervirent, ſit ſublata ejuſdem Concilii decreto, *cap. 12. §. Prætereà ſeſſ. 24.*

9 Videtur reſpondendum, verbis Concilii neque ſublatam eſſe, neque præſervatam, ſed relictam in illis terminis, in quibus erat ante Concilium. Non eſſe ſublatam probatur primò, quia Concilium voluit ampliare, non autem diminuere ſervitium Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum: nam ubi Canonici vigore conſuetudinis, aut ſtatuti longiori tempore, quàm trium menſium, ab Eccleſiæ ſervitio ante Concilium poterant abeſſe, noluit de cætero ut abeſſe poſſent ultra tres menſes. Cùm itaque ſervitium Eccleſiæ velit Concilium augere, eſſet abſurdum, ut tolleret conſuetudinem longius ſervitii tempus requirentem: nam hoc pacto diminueret ſervitium, non augeret, arg. *l. 1. § Nuntiatio, ff. de nov. oper. nunc. l. Quod favore, C. de legibus*, Bald. *conſ. 472. In cauſa n. 2. verſ. Sed opponitur lib. 2.*

Prætereà ſi Concilium tolleret conſuetudinem, id non ex aliis verbis elici poſſet, quàm ex illis, quibus præſervat Conſtitutiones longius ſervitii tempus requirentes. Verùm illa verba, quæ apposita ſunt ad præſervandum ſervitium diuturnius, ſi tollerent hujuſmodi conſuetudinem, operarentur contrarium effectum illius, propter quem poſita ſunt contra vulgatas regulas *l. Legata inutiliter, ff. de legat. 1. & de adimen. legat. l. Titia, § fin. de manu teſtam. cum ſimilibus*. Conſtat igitur Concilium noluiſſe tollere hanc conſuetudinem.

Sed neque dicendum eſt eam *d. decreto cap. 12.* præſerva- 10
tam fuiſſe: cùm enim *d. verſ. Salvis*, Concilium præſervet Conſtitutiones, & de conſuetudinibus nullam mentionem faciat, plenè conſtat illis verbis non comprehendere con-
ſuetudines. Primò, quia conſtitutio, & conſuetudo ſunt 11
duæ ſpecies juris inter ſe valdè differentes, Alberic. latiſſimè *in l. De quibus n. 38. & n. 113. ff. de legib.* & appellatione conſtitutionis non venit conſuetudo, nec è converſo, etiam in materia, in qua verba impropriantur, Bart. *in d. l. De quibus in fin.* Guil. de Mont. Laud. & alii citati per Jaſ. *d. loco n. 91.* Alberic. *ibid. n. 114.*

Secundò, quia ſicut Concilium paulò ante mentionem habuit tam conſuetudinis, quam ſtatuti, ubi ſtatuit non licere ultra tres menſes abeſſe; ita ſi in clauſula præſervativa utrumque comprehendere voluiſſet, utrumque expreſſiſſet, *cap. Inter corporalia, §. Sed neque, verſ. Unde ſi circa, de translat. Epiſcop.* Præſertim cum etiam paulò poſt ubi agit de diſtributionibus, & vult derogare ſtatutis, & conſuetudinibus, utrumque exprimat, & in ſpecie *in c. 9. ſeſſ. 22.* ubi in alia materia, quam derogationis, imò potiùs in materia præſervationis utrumque expreſſit, ibi, *Quod ſi ex conſuetudine, vel conſtitutione aliqua loci*. Patet igitur neutrum ex his opinionibus eſse tutam, videlicet, Concilium ſuſtuliſse hujuſmodi conſuetudinem, vel dicto decreto eam præſervaſse: nam priori opinioni repugnat ratio, & mens Concilii; poſteriori autem non deſerviunt verba, quæ de Conſtitutionibus tantùm loquuntur.

Tutior eſt igitur media opinio, videlicet Concilium neque ſuſtuliſse, neque præſervaſse hujuſmodi conſuetudinem; ſed eam reliquiſse in illis terminis, in quibus erat ante Concilium: nam quod non mutatur, &c. *l. Sancimus, C. de teſtam. l. Præcipimus in fin. C. de appell.* gloſs. *in c. Conſtitutionem, in ver. Prorogamus, de reg. in 6.* Huic opinioni conveniunt verba Concilii, & mens non repugnat; & ita omnia vitantur abſurda. Conveniunt verba, quia cùm Concilium in præſervatione de Conſtitutionibus tantùm loquatur, noſtrum non eſt extendere Concilium ad ſpeciem juris diverſam ab illa, de qua loquitur, *c. Quod ſi dormierit 31. q. 1. c. Conſuluiſti 2. q. 5.* Præſertim cùm una non comprehendatur ſub altera, etiam latè ſumpto vocabulo, ut per Bart. & alios ſupra citatos *in d. l. De quibus*. Mens Concilii quoque huic opinioni non refragatur, quin favet potiùs, & ita vitatur abſurdum ſupra conſideratum in prima parte, dum dicebatur alienum eſse à recta interpretatione, ut Concilium tendens ad cultum Divinum, & ſervitium Eccleſiarum ampliandum, illud diminuat, prout eveniret, ſi tolleret conſuetudines longius ſervitii tempus requirentes. Nam hoc pacto non ſequitur in abſurdum, cùm dicamus Concilium, ſicut eo decreto non præſervat conſuetudines, ita nec eas tollere, vel enervare, & conſequenter diminuere ſervitium, ſed relinquere in eo robore, in quo erat priùs. Ceſsat etiam illud abſurdum, quòd Concilium in clauſula præſervativa tollat; quia hoc pacto ſi non præſervat, nec tollit etiam, & ſic non ſequitur effectus intentioni Concilii contrarius.

Quòd ſi diceretur, ob quam rationem Concilium Con- 12

ſti-

ſtitutionem in hac materia præſervavit, conſuetudinem
prætermiſit. Reſpondetur, non omnium, quæ à majori-
bus noſtris ſtatuta ſunt rationem reddi poſſe, *l. Non om-
nium, ff. de leg.* & ſufficit nobis legem ita eſſe ſcriptam,
l. Proſpexit, ff. qui, & à quibus, & caſum conſuetudinis
eſſe omiſſum, & conſequenter remanere in diſpoſitione
juris communis, *l. Commodiſſimè, ff. de liber. & poſthum.*
13 *cum ſimil.* Poſſent etiam reddi nonnullæ rationes diverſita-
tis inter conſtitutiones, & conſuetudines, nempè quòd
hæ præſumantur illis rationabiliores, Alberic. *d. l. De quibus
num. 79* quamquam conſtitutiones in facto recipiant mi-
norem dubitationem, quàm conſuetudines, præſertim
pendentes ab actibus facultativis, ut eſſe videntur hæ, de
quibus agimus.

14 Cæterùm vera ratio, cur Concilium eo loci non memine-
rit conſuetudinis, ea videtur eſſe, quia cùm de jure com-
muni Canonici teneantur quotidie Hori Canonicis inter-
eſſe, itaut nullum habeant certum vacationis tempus à
ſacris Canonibus præfinitum, Clem. 1. ubi gloſſ. *in verb.
Canonici, & in ver. Debitis de celebrat. Miſſar. Clem. 1. in
fin. de reliq. & ven. Sanctor. & Clem. 2. in ver. Certis ho-
ris de ætat. & qualit.* conſuetudo requirens longius ſervitii
tempus, quàm novem menſium, cùm eſſet juri commu-
ni conformis, nihil aliud erat quàm obſervantia juris
communis, ut notat Hoſtien. *in cap. un. de Cleric. coniugat.
lib. 6.* Alexan. *in l. De quibus in princip. ff. de legib.* & Roch.
de Curte *in tract. de conſuet. num.* 11. ac propterea opus non
fuit, ut Concilium illam expreſsà præſervaret; nam ex ſei-
pſa habebat juris fomentum, & tanquam favorabilis Eccle-
ſiæ, & cultui Divino, non egebat adjumento, aut præ-
ſervatione Concilii: imò Concilium novando juris com-
munis diſpoſitionem quoad obligationem ſervitii in Cathe-
dralibus, & Collegiatis Eccleſiis, videtur etiam tacitè in-
novaſſe, atque approbaſſe ejuſdem juris obſervantiam,
quemadmodum in caſu converſo S. Congregatio in cauſa
15 Mediolanenſi declaravit, dum Concilium quoad fori pri-
vilegium ſuſtulit jus commune, ſuſtuliſſe etiam conſuetu-
dinem juri communi conformem, quæ nihil aliud erat,
quàm ipſius juris obſervantia, ut plenè ſcripſi *in cap. Si quis
num. 59. ſeqq. de foro compet.* At ſecus eſt in ſtatutis Ec-
cleſiæ, quia fortè non erant in uſu, aut per contrarium
uſum abrogata fuerant: unde conſentaneum fuit, ut Con-
cilium illa præſervaret, atque ita in uſum, atque obſervan-
tiam induceret.

16 QUÆRO ſecudò, an conſuetudo, ſecundùm quam
Canonici Regulares, & Portionarii, qui ſunt in eadem
Eccleſia ſæculares, ſingulis annis cum licentiam Prioris, &
Capituli, ultra quadraginta dies abeſſe poſſunt, & ejus tem-
poris quotidianas diſtributiones percipiunt, ſit necne ob-
ſevanda.

17 Pro declaratione dubii præmittendum eſt primò, quam-
vis Clerici ſæculares prohibeantur recipi ad præbendas in
Monaſteriis Regularium, *c. Ea quæ, §. Præcipimus de ſtat.
Monach.* tamen ſicut poſſunt habere beneficia in eadem Ec-
cleſia, dummodò non faciant unum corpus cum Canonicis,
nec habeant vocem in Capitulo, Hoſtien. Jo. Andr. Anchar.
& alii *in d. c. Ea quæ*; ita poſſunt habere portiones præben-
darum. Et ipſe Abb. qui *conſ. 59. par. 2.* tenet non poſſe ſæ-
culares habere titulos beneficiarios in Eccleſia Regulari, fa-
tetur poſſe habere ſtipendia pro ſervitio coadjutorio, *dict. §.
Præcipimus n.* 10.

Præmittendum ſecundò ex Navarr. *in c. Cui portio* 12. *q.* 1.
n. 15. *& in cap. Non dicatis ead. cau. & q. num.* 15. proprium
eſſe duplicis generis. Unum importat verum dominium,
& proprietatem, qualem habent homines ſæculares, *tot. tit.
de acquiren. rer. domin.* cujus non ſunt capaces Monachi,
*cap. Monachi, & cap. Cum ad Monaſterium, de ſtat. Mo-
nach.* Alterum intelligitur proprium, quoad liberam ad-
18 miniſtrationem, qualem habent beneficiati; & hoc diſtin-
guitur in tres ſpecies, ut per eundem Navarr. Et ſecundùm
hoc Clerici ſæculares, & Religioſi habentes adminiſtratio-
nem, hoc eſt beneficia in titulum, æquiparantur quoad
poteſtatem diſpenſandi, Cardin. *in Clem. 2. §. Sed & tales*,
per illum text. *de vit. & honeſt. Clecric.* quod reſumit latiùs
Navarr. *in d. c. Non dicatis n.* 10. & 11. Rota *diverſ. dec.* 772.
n. 2. *par.* 1.

19 Quibus præmiſſis, dubitatur generaliter, an *cap. un. de
Cler. non reſiden. lib. 6.* & decretum Concilii *cap. 12. ſeſſ. 24.
§. Diſtributiones*, locum habeant in Eccleſiis Collegiatis
Regularibus. Pro negativa facit, quòd cum ſuperior Re-
gularis ſit loco ſtatuti, *c. un.* derogat conſuetudinibus non
ſtatutis. Et quamvis Concilium tollat etiam conſtitutiones,
adhuc videtur diſpoſitio tam Concilii, quàm juris antiqui
habere locum in Eccleſiis tantùm, non etiam in Monaſte-
riis, quæ invicem diſtinguuntur, *cap. Grandi*, & ibi not.
de ſuppl. neglig. Prælator. lib. 6. Præterea ſi ſuperior vult di-
ſtributiones etiam abſentibus elargiri, non videtur prohi-
bendus ex cauſa ſibi benè viſa.

Sed in contrarium pro parte affirmativa conſiderandum 20
eſt, appellatione Eccleſiæ venire etiam Regularem, Clem.
1. ubi not. *de ætat. & qualit.* Et diſpoſitionem Concilii, &
cap. un. loqui de Canonicis ſimpliciter. At appellatione Ca-
nonicorum, & Canonicatus venire etiam regulares, gloſſ. 21
*in Clem. Diſpendioſam, in ver. Beneficiis de jud. probant. c.
Cùm cauſam, cap. De elect. & c. In cauſis, c. Dilecti, de Ju-
dic. cum concord.* Imò victualia, & manualia, in quibus
coſiſtunt diſtributiones quotidianæ, magis propriè dantur 22
Regularibus ratione ſui victus, quorum præbendæ olim in
his ſolis conſiſtebant.

Concludendum, hujuſmodi ſtatutum, & conſuetudinem
tolerari poſſe, cùm non imponat neceſſitatem Priori, &
Capitulo abſentibus concedendi has diſtributiones quoti-
dianas, ſed oſtendat ſubeſſe juſtam cauſam, puta valetu-
dinis, concedendi licentiam abſcedendi, & eoſdem ab amiſ-
ſione diſtributionum excuſandi: poſſunt enim ſuperiores
ex cauſis congeſtis per Navarr. *in cap. Nullum* 18. *q.* 2. *n.* 29.
ſuis Regularibus concedere portiones, quas vocant privi-
legiatas. Quæ opinio quamvis ſit admodùm periculoſa 23
quoad Regulares non beneficiatos, ut latiſſimè ſcripſi *in
cap. infr. de ſtat. Monach.* tamen procedit de plano quoad
Regulares obtinentes beneficia in titulum, quia jam S. Con-
gregatio Concilii declaravit dignitates & officia, quæ dan-
tur in titulum Religioſis, non comprehendi decreto *c. 2. ſeſſ.
25. de Regular.*

At verò quatenùs exiſtimaretur ex hujuſmodi ſtatuto, &
conſuetudine obligari ſuperiores ad ſtatuti obſervationem,
ut denegari ſic abſentibus non poſſint diſtributiones: hoc
eſſet contra jus, quia de jure beneficiatis abſentibus non
debentur diſtributiones, niſi ex illis tribus cauſis ex-
preſſis *in d. cap. unic.* nec plus juris ſuper diſtributiones tri-
buit titulus Reguiarium, quàm ſæcularium, imò minus ex
præmiſſis.

Atque ex hac concluſione idem videtur inferendum de
portionariis, qui aut cenſeri debent ut alii portionarii ſæ-
culares in Eccleſiis ſæcularibus, & manifeſtum eſt excludi
à diſtributionibus quotidianis, niſi interſint divinis officiis
etiam pro tempore premiſſæ abſentiæ, juxta declarationem
S. Congregationis aliàs editam, *ad §. Præterea eod. cap. 12.
ſeſſ. 24 & §. diſtributiones*, Aut cenſendi ſunt eodem jure,
quo Regulares, & non debent melioris eſſe conditio-
nis, qui famulantur, & ſunt veluti ſtipendiarii, quàm
ipſi Canonici.

Suppoſito autem quòd ex hujuſmodi ſtatuto, & conſue- 24
tudine tam Canonici, quàm portionarii abſentes ultra qua-
draginta dies priventur diſtributionibus quotidianis dum-
taxat, non autem parte aliqua fructuum. Dubitatur ſecundo
loco, an eiſdem liceat gaudere vacatione trium menſium,
juxta permiſſum Conc. *eod. cap. 12. §. Propterea*, citra amiſ-
ſionem alicujus partis fructuum.

Pro ſolutione præmitto beneficia omnia regularia et- 25
iam non curata requirere perſonalem reſidentiam, *c. Cum
ſingula, de præbend. lib. 6.* & quidem majorem, quàm be-
neficia ſæcularia, Navarr. *in cap. Nullam* 18. *q.* 2. *num.* 43.
Non enim ſola poſſeſſio, & fructuum perceptio eſt cauſa
in iis perſonalis reſidentiæ; ſed titulus, ut amputetur ma-
teria vagationis, & diſſolutionis, 16. *q.* 1. *cap. Quidam*,
& cap. Monachi. Ita Vital. *in Clem. 1. §. Sanè n. 9. de ſtat.
Monach.*

Secundo præmitto, à reſidentia etiam in beneficiis regu- 26
laribus excuſare cauſam rationabilem, puta ſtudii, *d. Clem.*
1. §. *Sanè*, Conc. Trident. *ſeſſ. 25. de Regular. cap. 4.* Cæte- 27
rùm inter beneficiatos ſæculares, & regulares hæc eſt diffe-
rentia, quòd illi tempore permiſſo poſſunt abeſſe etiam ſine
licentia, & nihilominùs fructus percipere, ut cenſuit Sac.
Congregatio; Regulares autem nonniſi cum licentia ſui ſu- 28
perioris, *d. c. Quidam, & c. Monachi* 16. *q.* 1. quæ licentia
includit etiam juſtam cauſam, Abb. *in c. cum ad hoc n. 4. de
Cleric. non reſid.*

Hinc

29 Hinc reſpondetur Canonicos Regulares poſſe etiam ultra 40. dies abeſſe cum licentia ſui ſuperioris citra amiſſionem aliquam fructuum; tum quia nulla ſupponitur Conſtitutio Eccleſiæ, qua prohibeatur abſentia ultra 40. dies; unde præſervatio Concilii *d. c.*12. §. *Salvis*, non intrat; tum quia quatenus adeſſet, non videretur impedire, quo minus Prælatus permittere valeret Canonico Regulari, ut ex cauſa rationabili abeſſet pro tempore ſibi benè viſo, & interim fructus debitos ratione tituli conſequeretur. Quamvis de diſtributionibus, quæ ratione perſonalis ſervitii dantur, diverſa quædam ratio ſit, ob quam fortè neceſſarius eſt conſenſus Capituli de cujus intereſſe particulariter agitur propter jus accreſcendi.

30 De Portionariis ſæcularibus, quatenus abſint cum debita licentia, idem videtur dicendum; eiſdem autem abſentibus abſque licentia denegandos eſſe etiam fructus groſſos, nedum diſtributiones; tum quia Concilium quatenus permittit vacationem trium menſium, ſtat reſtrictivè, ut tollat longiores vacationes, non ut illam concedat, ubi aliàs non permittitur, ad gloſſ. *in cap. Quantò in ver. Immoderatas, de Uſur.* tum quia etiam de jure communi, qui non fecerunt reſidentiam, ſi petant fructus, repellũtur exceptione, ut per Abb. *in cap. Cor querente n.*4. *ſuprà eod.* Quod magis procedit contra ipſos Portionarios, qui ſunt tamquam ſtipendiarii, Abb. *in c. Ex qua*, §. *Præcipimus de ſtat. Monach.* Et ſtipendium datur ratione famulatus, *cap. Diverſis*, 31
de Cleric. conjug. ubi Abb. dicit eſſe textum pro opinione Calderini, quòd Clerici ceſſantes à divinis officiis teneantur ad reſtitutionem fructuum. Quam opinionem in foro conſcientiæ tutiorem dicit Abb. *in cap.* 1. *in fin. de celebr. Miſſar.* & S. Congregatio alias videtur ſecuta. Nec refragatur ponderatio Concilii *d.* §. *Propterea*, *in ver. Priven-* 32
tur, quia advertendum eſt illud verbum referri etiam ad illam portionem fructuum, quos deſerviendo illo anno ratione præbendæ, & reſidentiæ fecerunt ſuos, quorum fructuum reſpectu propriè cadit privatio. Non enim eſt novum, idem verbum reſpectu diverſorum importare privationem juris, & facti; ut not. per gloſſ. *in cap. Eos, & in ver. Statuunt, de tempor. ordin. lib.*6. Et facit text. *in l.* 2. ubi gloſſ. *in ver. Manumitti, ff. de off. Proconſ. & in l. Pater Severinam*, §. *Conditionum verba, ff. de condit. & demonſtr.* cum ſimilibus adductis per Roman. *conſ* 480. *n.*5. *verſ. Nec enim eſt incogruum unum idemque verbum*, & latiùs per Socin. Jun. *conſ.*128. *n.*220. *cum multis ſeqq. lib.*1.

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS.

Gregorius IX. Patriarchæ Antiochiæ Apoſtolicæ Sedis Legato.

C A P U T XVI.

CUm ad hoc ſint Eccleſiaſtica beneficia deputata: & infrà, Sanè nobis innotuit, quòd Eccleſia Antiochena, multis ex ſervitoribus ejus abſentibus, eſt ferè deſtituta miniſtris: Unde mandamus, quatenus non obſtantibus Apoſtolicis indulgentiis, & prædeceſſorum tuorum licentia, abſentes Canonicos & aſſiſios revoces ad reſidendum in Eccleſia ſupradicta; & ſi non venerint, tu de ipſorum beneficiis, dum abſentes fuerint, ipſi Eccleſiæ facias congruè deſerviri, in utilitatem ejuſdem, quod ex præfatis beneficiis ſuperfuerit, convertendo.

S U M M A R I U M.

1 *PRivilegiati ſuper abſentia coguntur redire per ſubtractionem proventuum, ſi Eccleſia patitur miniſtrorum defectum, & n.*14.

2 *Canonici, & præbendati, qui abſque Epiſcopi licentia ſe contulerunt ſtudiorum cauſa ad Univerſitatem privilegiatam, an poſſint ab eo revocari ad reſidentiam, præſertim ſi Eccleſia miniſtrorum defectum patiatur, & n. ſeqq. uſque in fin.*

3 *Beneficiatis abeſſe non licet ſtudiorum cauſa ſine licentia Epiſcopi petita, & obtenta.*

4 *Aliàs coguntur redire per ſubtractionem fructuum, & beneficii.*

5 *Etiamſi univerſitas ſit privilegiata ſuper fructibus in abſentia percipiendis, & n. ſeqq.*

6 *Scholares ut in abſentia licitè percipiant fructus præbendarum ſuarum, copulativè requiruntur licentia Epiſcopi, & privilegium.*

7 *Et ſufficit privilegium generale, de quo in cap. fin. de Magiſtris.*

8 *Diſpenſationes de non reſidendo, & de fructibus in abſentia percipiendis non ſuffragantur, niſi Ordinarii conſenſus accedat.*

9 *Licentia Capituli non prodeſt ad hoc, ut beneficiatus abeſſe poſſit ſtudiorum cauſa.*

10 *Scholares debent eſſe dociles, & Epiſcopus debet cognoſcere, an ſint ætate, natura, & ingenio tales, qui poſſint in litteris proficere.*

11 *Scholares negligenter, & inutiliter ſtudentes, revocari poſſunt ad reſidentiam.*

12 *Scholares facientes caſtra, & numerantes regulas, non ſunt ſcolarium privilegiis honorandi.*

13 *Beneficiati, qui in ſtudiis morantur ſine licentia Epiſcopi, præſumuntur id facere in fraudem legis.*

14 *Canonici non ultra duos de licentia Epiſcopi abeſſe poſſunt ſtudiorum cauſa.*

15 *Quod verum eſt, ubi immineret præjudicium Eccleſiæ, ſi plures mitterentur ad ſtudia.*

C*Um ad hoc.* Si Eccleſia patitur miniſtrorum defectum, 1
privilegiati ſuper abſentia, per ſubtractionem proventuum redire coguntur: hoc dicit ſecundum Jo. Andr. & omnes, & eſt bonus tex. & poteſt multùm prædicari ſecundũ Abb. Primò narrat factum. Secũdò providet, ibi, *Mandamus.*

QUÆRO, an Epiſcopus poſſit revocare ad reſidentiam 2
Canonicos, & præbendatos qui abſque ejus licentia abſceſſerunt, & ſe contulerunt ad ſtudia alicujus univerſitatis privilegiatæ, præſertim ſi Eccleſia propter eorum abſentiam miniſtrorum defectum patiatur.

Emerſit hoc dubium in Cathedrali Ovetenſi: nam cùm Epiſcopus ſuis litteris conqueſtus eſſet Domino Papæ, quòd plures Canonici, & præbendati deſerta Eccleſia ſine ejus licentia ad Univerſitatem Salamantin. ſtudiorum cauſa ſe contuliſſent, & Sanctitas ſua miſiſſet has litteras ad S. Congregationem Cardinalium Tridentini Concilii interpretum, emanavit ſupradictum dubium, ad quod videtur affirmativè reſpondendum.

Nam explorati juris eſt, nulli Beneficiato ex iis, qui 3
ad reſidentiam tenentur, abeſſe licere ſtudiorum cauſa ſine proprii Epiſcopi licentia petita, & obtenta, ut apertè conſtat ex *c. Relatum*, & ibi gloſs. *in ver. Prælatorum*, & Abb. *num.*1. *&* 5. *& ex cap. Tuæ*, ibi, *Accepta licentia ſuprà eodem*, ubi hoc notant Joann. Andr. *num.* 1. Butr. *num.* 7. Abb. *num.*3. & alii communiter, *& ex cap. Cùm ex eo*, & ibi gloſſ. *in ver. Epiſcopi*, Gemin. *num.*9. & Franhc. *num.*2. *de delect. lib.*6. Felin. *in cap. fin. num.*3. *verſ. Sextò limita infrà de Magiſtris.* Et qui ſine hujuſmodi licen- 4
tia abſceſſerunt, compelli poſſunt redire ad reſidentiam, non modò per ſubtractionem fructuum, prout fit cum illis, qui abſunt indulgentia Sedis Apoſtolicæ, ut patet *hìc in fine*, juncta gloſs. ult. ſed etiam per privationem, ſeu ſubtractionem beneficii ex toto, ut dicitur *cap. Relatum, verſ. Poterunt amoveri*, & ibi gloſſ. *in verb. Amoveri*,

veri, cap. Inter quatuor, & ibi gloſs. *in ver. Privari*, *& c.*
Ex tuæ ſuprà eod. & notat gloſs. ult. hìc, Joan. Andr *in d. c.*
Relatum n. 1. & 2. & ibi etiam Butr. *n. 1.* & idem Jo. Andr.
in cap. 2. num. 4 Gemin. *n. 7. de privileg. lib. 6.* Hoſt. *in Sum-*
ma hujus tit. §. *Quæ ſit pœna num. 3. verſ. Sed ſi non habuit*,
& verſ. Aut cauſa probabili, *& in tit. de Magiſtris*, §. *An*
Clericus ſtudio n. 9. verſ. Sine licentia autem Prælati. Quod
etiam noviſſimè ſtatutum eſt in Concilio Trident. *ſeſſ. 6. de*
reform. cap. 2. & in cap. 12. verſ. Præpterea obtinentibus, ſeſſ.
24. de reform.

5 Quæ concluſio vendicat ſibi locum, etiam poſito quòd
Academia Salamantina ſit ſpecialiter privilegiata à Sede
Apoſtolica ſuper fructibus in abſentia percipiendis, quia ad
hoc, ut abſens ſtudiorum cauſa hujuſmodi fructus percipe-
re poſſit, duo copulativè requiruntur, videlicet, ut abſit
de licentia ſui Prælati, & ſtudium ſit privilegiatum ſuper
6 percipiendis fructibus in abſentia, ſicut eſt ſtudium Bono-
nienſe, vel aliàs abſens ſit privilegiatus ex indulgentia Papę,
vel Prælati, vel à ſtatuto Eccleſiæ vel conſuetudine: ſic
probat text. *in c. Tuæ*, *in verb. ſtudiorum gratia eſt indul-*
tum, junctis verbis, *Accepta licentia ſuprà eod.* & ibi dixi
n. 2. poſt Jo. Andr. *n. 1. in ver. Fructus*, Butr. *in 1. notab.*
Cardin. *n. 7. in 5. q.* Imol. *n. 1.* Anchar. *n. 7.* Abb. *n. 3.* Joan.
de Anan. *n. 2. verſ. Nota quòd habens privilegium*, & Alex.
de Nævo *in. 1. not.*

7 Neque obſtat, quòd gloſs. *in cap. fin. in ver. Licentia, de*
Magiſtris, exponendo verba illa text. *de ſcientia Sedis Apo-*
ſtolicæ, dicat, ſcilicet generali authoritate illius Conſtitutio-
nis? unde non eſt neceſse aliam indulgentiam impetrare.
Simile *in cap. Non debere 80. diſtin. c. Cunctis 16. q. 1. & cap.*
Quoniam 100. diſtin. cum aliis allegatis in eadem gloſs. Id,
inquam, non obſtat, quia illa gloſs. non loquitur de licentia
non reſidendi, ſed de licentia, ſeu indulgentia percipiendi
fructus in abſentia: nam cùm textus dicat docentes, & ſtu-
dentes in Theolegica facultate per annos quinque percipe-
re debere de licentia Sedis Apoſtolicæ proventus prębenda-
rum ſuarum, gloſs. exponit illud verbum, *licentia*, id eſt,
generaliter conceſsa authoritate illius conſtitutionis, Sed
non excludit aliam licentiam Prælati de non reſidendo, quę
ultra privilegium omninò eſt neceſſaria, ut conſtat apertiſſi-
mè ex juribus, & authoritatibus ſupracitati. Neque ex
eo, quod privilegium requiritur, licentia Prælati eſt ſuper-
flua; quia operatur, ut puniri non poſſint; quia non reſi-
dent in beneficio, ut contra Archidiac. *in c. De quibuſdam*
in fin. 37. diſt. concludit Jo. Andr. *in d. c. Tuæ n. 1. in verb.*
Fructus ſuprà eod. cum quo concordant ibi Cardin. *in 5. q.*
Anchar. *n. 7.* & communiter DD. Marin. Soccin. *in cap. fin.*
n. 17. de Magiſtris.

8 Quinimò hodie nec Indulta Apoſtolica de non reſiden-
do, & de fructibus in abſentia percipiendis ſuffragantur,
niſi Epiſcopi conſenſus accedat, quia Pius IV. in ſua Con-
ſtitutione incipien. *Sanctiſſimus in Chriſto Pater*, publica-
ta die 24. Novembris anni 1564. declaravit has diſpenſa-
tiones de non reſidendo, ac de fructibus præbendarum, &
beneficiorum in abſentia ſtudiorum cauſa percipiendis,
quæ à Sacra Pœnitentiaria, & Sede Apoſtolica concedi;
& emanare contigerit, nequaquam hujuſmodi abſentibus
ſuffragari, niſi ſingulorum Ordinariorum locorum, in
quibus ſingula beneficia hujuſmodi conſiſtunt, conſenſus
gratis præſtandus ad id accedat. Habetur hæc Conſtitutio
inter alias regiſtratas poſt indicem materiarum Concilii
Tridentini. Quamobrem ſi Canonici, & Præbendati
abfuerunt ſine conſenſu, & licentia Epiſcopi, ut ſupponi-
tur in dubio, utcumque univerſitas ſit privilegiata, ambigi
non poteſt, quin juris remediis poſſint ad reſidentiam re-
vocari.

Nec ſe tueri poſſunt licentia Capituli, quia ut ex dictis 9
conſtat, requiritur licentia, & conſenſus Ordinarii; præ-
ſertim quia, ut inquit Hoſtienſ. *in Summa de Clericis non*
reſid. §. *Quis Clericus teneatur n. 1. ad fin. verſ. Is verò*, & §.
Quæ ſit pœna n. 3. verſ. Item excuſatur, non ita exactè id cu-
rat Capitulum, quia cùm interim percipiat, quod abſens
lucraretur, faciliter dat iſtas licentias. Ideò autem eſt ne- 10
ceſſaria Epiſcopi licentia, quia cùm tranſmittendi ad ſtudia
litterarum debeant eſſe dociles, ut dicitur *in d. cap. fin.* Epiſ-
copus debet ſedulò diſquirere, an ſint ætate, natura, & in-
genio tales, qui poſſint in litteris proficere, & hos tantùm
licentiare, ut inquiunt ibi Hoſtien. *n. 2.* Joan. Andr. *num. 10.*
Butr. *n. 3. & 9.* Abb. *n. 2.* & Felin. *n. 3. verſ. Sextò limita*, &
idem Hoſtien. *in Summa eod. tit. An Clericus ſtudio inſiſtens*
n. 9. verſ. Sine licentia autem Prælati, gloſſ. *in cap. Cùm ex*
eo, *in verb. Litterarum*, & ibi etiam Joan. Monach. *num. 1.*
& Philipp Francus *num. 2. de elect. lib. 6.* Quo fit, ut ad re- 11
ſidentiam revocari poſſint etiam illi, qui manentes in uni-
verſitate de licentia Epiſcopi, negligenter, & inutiliter dant
operam litteris, ut notant *in dict. cap. fin. de Magiſtris n. 2.*
Joan. Andr. *num. 4 & 10.* Felin. *num. 3. verſ. Secundò limi-*
ta, *& verſ. Sextò limita:* nam ut ibi inquit Hoſtienſ. re-
vocabitur ex cauſa, puta ſi non profuit, quia voluntas,
ſeu natura repugnat. Et placet mihi hæc opinio, quia
Scholares non intrantes, & non attendentes, nec ſtuden- 12
tes, non gaudent privilegio Scholarium, nec Scholares
ſunt nominandi, ut notat Joan de Lignan. *in procem.*
Clem. & poſt eum Marian. Soccin. *in cap. fin. num.*
24. de Magiſtris, facit text. *in l. 1. in fin. Cod. de ſtuden.*
lib. urb. Rom. ubi gloſſ. dicit; Nota text. contra Scholares,
qui malè attendunt, qui quandoque ædificant caſtra, &
quandoque numerant tegulas. Unde jure optimo, qui
non prævia ſuper præmiſſis Epiſcopi cognitione, ac licen-
tia in ſtudiis morantur, ad reſidentiam revocari poſſunt,
ac debent.

Et eò magis, quia tales id facere præſumuntur in frau- 13
dem legis, ſecundùm Jo. Andr *in dict. cap. Relatum n. 1.*
ut ſcilicet fugiant ipſius Epiſcopi correctionem, vel ut libe-
riùs vivant, aut forſan ut litibus vexent extraneos, ut col-
ligitur ex gloſſ. pragmat. ſanctionis *tit. de collat.* §. *Primum*
cum, in gloſſ. *in ver. Liberius*, *verſ. Ideò qui veniunt ad*
ſtudium.

Hæc autem fortiùs procedunt, quando ex abſentia 14
miniſtrorum Eccleſia debito ſervitio deſtituitur; tunc enim
ad reſidentiam revocandi ſunt etiam privilegiati, ut eſt
caſus apertus in hac Decretali. Quinimò ob hanc ratio-
nem non defuerunt, qui exiſtimaverint licentias de non
reſidendo, & indulta de percipiendis fructibus in abſen-
tia non ſuffragari, niſi duobus Canonicis, arg. *cap. Ad*
audientiam, cum ibi notatis per gloſſ. *in ver. Aut duo*, Butr.
num. 13 & Abb. *num. 6. ſuprà eodem.* Et quamvis hæc 15
opinio non ſit generaliter vera, tamen admitti in eo
caſu, in quo immineret præjudicium Eccleſiæ in divi-
nis, ſi plures mitterentur ad ſtudia, ut declarat Felin.
in dict. cap. fin. num. 3 verſ. Quartò limita, de Magiſtris,
& propterea quamvis Sacra Congregatio Concilii aliàs de-
claraverit, adhoc, ut Canonici abeſſe poſſint tribus menſi-
bus à Concilio permiſſis, nec Epiſcopi licentiam, nec cau-
ſam requiri, illicò tamen adjecit limitationem; Dummo-
dò non omnes ſimul abſint, ne Eccleſia debito ſervitio de-
ſtituatur: quota autem pars ſimul abeſſet poſſit, Epiſcopi
eſſe judicium.

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS.

Idem Gregorius IX.

CAPUT XVII.

CLericos in Eccleſiis tuæ juriſdictionis beneficia, quæ reſidentiam exigunt, aſſecutos, ſi ad alterius diœceſim abſque licentia tua morandi cauſa tranſierint, liceat tibi, ſi moniti non redierint, dictis beneficiis (niſi excuſationem rationabilem oſtenderint) ſpoliare.

S U M M A R I U M.

1 *BEneficiatus non reſidens privatur, ſi monitus non redeat nec juſtam excuſationem alleget.*

2 *Clericus habens beneficium reſidentiam requirens, non poteſt ad aliam diœceſim morandi cauſa tranſire ſine ſui Prælati licentia.*

3 *Licentia quid importet.*

4 *Beneficiatus abſens, an & quando teneatur inſervire per ſuſtitutum.*

5 *Indulta perpetua de non reſidendo etiam ex juſtis, & rationabilibus cauſis conceſſa non ſuffragantur.*

6 *Beneficiati an & quando ad breve tempus ad aliam diœceſim tranſire poſſint ſine licentia Epiſcopi.*

7 *Beneficiati quibus ex cauſis à reſidentia excuſentur.*

8 *Infirmitas an excuſet Parochum à reſidentia, & n. ſeqq. uſque ad n.16.*

9 *Et quid ſi in morbum incidat extra locum beneficii.*

10 *Et quid ſi infra limites Parochiæ.*

11 *Et quid ſi deſit ibi copia Medicorum, medicinarumve.*

12 *Et quid ſi oporteat cœlum mutare, vel ire ad balnea.*

14 *Parochus, qui ad curandam valetudinem morbo gravi inſtante ſine licentia abſceſſit, an ſit liber à culpa, & pœna amiſſionis fructuum.*

15 *Parochi non excuſantur à reſidentia ob eaſdem cauſas, ob quas excuſantur Canonicis, & num. ſeqq. uſque ad num.22.*

16 *Senectus non excuſat Parochum à reſidentia.*

17 *Epiſcopo non licet pro Cathedralis Eccleſiæ ſervitio, vel ſuo, aliquem ex Curatis extra ipſorum curam adhibere.*

18 *Nec pro viſitatione Diœceſi, niſi pro tempore à Concilio permiſſo; & tunc conſtituto in Parochiali idoneo Vicario.*

19 *Nec pro Vicario foraneo, vel ſervitio ſeminarii.*

20 *Nec pro cura Monaſteriorum Monialium etiam ob Sacerdotum penuriam.*

21 *Epiſcopi de jure communi diſpenſare poſſunt cum Parochis, ut ad ſeptennium ſtudiorum cauſa abeſſe poſſint, & interim non teneantur ad Sacerdotium promoveri.*

Et quia poſt Concilium Tridentinum.

22 *Inimicitia an excuſet Parochum à reſidentia.*

23 *Recuſari poteſt locus, ubi ſunt inimici, vel eorum domeſtici, ſeu amici.*

24 *Inimicis capitalibus non debet quis ſe committere etiam cum litteris ſalvi conductus.*

25 *Congregationis Concilii ſtylus in licentiis non reſidendi inimicitiarum cauſa.*

26 *Parochus, ſi inimicitiæ ſint veriſimiliter duraturæ, inducendus eſt ad reſignandum, vel permutandum.*

27 *Punitur quis ſine culpa, ſed non ſine cauſa.*

28 *Parochus leproſus ab adminiſtrationis officio removetur, ſed de bonis Eccleſiæ ſuſtentatur.*

29 *Inimicitiæ graves, & graviſſimæ, ſeu capitales quæ dicantur.*

30 *Odium Parochianorum non eſt ſufficiens cauſa non reſidendi.*

31 *Lis ſuper beneficio an excuſet Parochum à reſidentia, & n. ſeqq.*

33 *Lite pendente ſuper titulo Parochialis, non tenetur Parochus ad ſacros Ordines promoveri.*

34 *Parochus an licitè abeſſe poſſit, ut ſe defendat in cauſa criminali, in qua fuit condemnatus ab Ordinario.*

35 *Aeris intemperies an Parochum à reſidentia excuſet, & num 48.*

36 *Titulus* de Cleric. non reſiden. *in quibus beneficiis procedat.*

37 *Peſtis tempore an Parochi teneantur reſidere in ſuis Parochialibus, & Sacramenta per ſeipſos miniſtrare Parochianis ſuis eo morbo infectis, & n. ſeqq. uſque in fin.*

An ſi id non faciant, poſſint ſtatim privari non expectato tempore à jure præfixo, n.41. & 45.

38 *Parochi an teneantur miniſtrare infectis peſte alia Sacramenta, quàm Baptiſmi, & Pœnitentiæ, num. 40. & 45.*

39 *Et an per ſe, vel per alium, & num.45.*

40 *Archiepiſcopi Florentini ſententia de obligatione Parochorum tempore peſtis.*

41 *Peſtis tempore adverſus Parochos non reſidentes qua forma ſit procedendum, & n.45.*

42 *Parochus abeſſe poſſe ex cauſa peſtis, ſicut ob capitales inimicitias, cenſuerunt ex multi Theologis, & Canoniſtis, & n.49.*

43 *Epiſcopus quæ temperamenta adhibere debeat, ut peſte laborantibus Sacramenta adminiſtrentur.*

44 *Conſuetudo laudabilis, ut Principes, & Magiſtratus tempore peſtis Miniſtros Sacramentorum conducant mercede ex ærario.*

45 *Gregorii XIII. decretum de Parochorum reſidentia tempore peſtis.*

45 *Epiſcopus peſtis tempore an continuè reſidere, & Parochis infectis Sacramenta miniſtrare teneatur.*

47 *Et an ad aliquam ſuæ Diœceſis partem, in qua peſtis non vigeat, ſe conferre poſſit.*

48 *Parochus cur excuſetur à reſidentia propter inimicitias, & non propter peſtem.*

49 *Epiſcopus poteſt cedere Epiſcopatui, ſi in Diœceſi non poſſit ſecurè morari, vel propter aeris intemperiem, vel propter inimicitias.*

50 *Prælatus poteſt fugere, cum ſpecialiter quæritur à perſecutoribus, & ſalus animarum per alios tuta eſſe poteſt.*

51 *Secus ſi periculum omnibus immineat.*

52 *Paſtor animarum, ubi neceſſe fuerit tenetur mortem ſubire pro ovibus ſuis.*

C*Lericos.* Privatur beneficio Clericus non reſidens, ſi 1
monitus non redeat, nec juſtam excuſationem alle-
get. Hoc dicit. Nec patitur diviſionem, propter unicam
verborum ſtructuram.

Nota primò, Clericum habentem beneficium, quod per- 2
ſonalem reſidentiam requirit, non poſſe licitè ad aliam
diœceſim morandi cauſa tranſire ſine ſui Prælati licentia, nec
illuc eſſe recipiendum, *c. Primatus, cum tribus ſeqq. 71.
diſt. & c. Fraternitati, ſuprà eod.* Unde à contrario ſenſu
infert Abb. *in 1. notab.* ut de licentia Prælati liceat Benefi-
ciato ad aliam diœceſim ſe transferre, etiam morandi cau-
ſa. Quod tamen limitat duobus modis. Primò, dummodò 3
licentia fuerit conceſſa ex juſta cauſa; hoc enim indicat ver-
bum, *licentia*, quæ non nudam voluntatem importat, ſed
conceſſionem ex rationabili cauſa factam, ut notat Bart. in
Extravag. *ad reprimendum, & in l. Alio hærede, n. 8. ff. de
alimen. & cibar. legat.* licèt Innocentius aliud ſenſerit *in cap.
Cùm ad Monaſterium, in fin. de ſtatu Monach.* Nam *licentia*
derivatur à verbo, *licet*, quod importat arbitrium boni viri,
ut declarat ibi Bart. & idem Abb. *in cap. prox. in 3, notab.
n.4. ſup. eod.* Secundò limitat, dummodò Beneficiatus ab- 4
ſens inſerviat Eccleſiæ ſuæ per Vicarium, ſeu ſubſtitutum.
Et hoc ultimum ſublimitat, dummodò beneficium habeat
unicum rectorem; quia hoc caſu Eccleſia carere non debet
miniſtri ſuffragio, *ut in cap. Cùm ex eo, de elect. in 6.* & in
decreto Concilii Trident. *cap. 1. verſ. Eadem omninò, ſeſſ.*
23. ibi, *Ita tamen ut quandocumque eos cauſa priùs per Epiſ-
copum cognita, & probata abeſſe contigerit, Vicarium ido-
neum ab ipſo Ordinario approbandum eum debita mercedis
aſſignatione relinquant.* At ſecùs eſt in Cathedralibus, &
Collegiatis Eccleſiis, quia cùm ſint alii miniſtri & ſervien-
tes, qui poſſunt ſupplere vices abſentis; Canonicus, vel
alius Præbendatus ex juſta cauſa abſens de licentia Epiſcopi
non tenetur inſervire per ſubſtitutum, argum. *cap. prox.
ſuper eodem*; & ita ſæpiùs cenſuit S. Congregatio Concilii.
Niſi fortè Canonico ex legato, vel Capellania eidem an-
nexa incumberet onus celebrandi Miſſas, quia tunc ex ip-
ſius Congregationis ſententia teneretur huic oneri per ſub-
ſtitutum ſatisfacere.

Ultra limitationes Abbatis, ſupradicta concluſio limitari 5
poteſt tertiò, dummodò licentia morandi in aliena diœceſi
concedatur Beneficiato ad tempus; ſecus ſi in perpetuum,
textus eſt *in c. fin. de reſer. in 6.* & hodie eſt expreſſum in de-
creto Concilii Trid. *c. 2. ſeſſ. 6.* ubi præſervantur indulgen-
tiæ temporales non reſidendo, & fructibus in abſentia
percipiendis, ex veris, & rationabilibus cauſis tantùm
conceſſæ, & abrogantur perpetuæ, & ſtatuitur, ut privile-
gia hujuſmodi, ſeu indulta perpetua nulli ſuffragentur.

Se-

6 Secundò nota ibi, *Morandi cauſa*, à contrario ſenſu Clericum beneficiatum poſſe ad aliam dięceſim tranſire, etiam ſine Prælati licentia, ſi tranſeat non morandi cauſa, ſed ad breve tempus, quia ex veterum Patrum ſententia, qui aliquantiſper tantùm abſunt, non videntur abeſſe, quia ſtatim reverſuri ſunt, ut legitur in decreto Conc. Triden. *c.1.verſ. Quoniam autem ſeſſ.* 23. Ad hoc *c. Quanto 63. diſt. c. Nam & ego, de verb.ſignif. l. Item eorum, §. 1. ff. Quod cujuſque univerſit. l. Si pro Patre, §. Verſum, ff. de in rem, ver. Cùm aliis allegatis*, in gl. *in c. Ad noſtram, in ver. Statim pœnituit, de Regular.* Quod tamen eſt verum quoad obtinentes Dignitates, Canonicatus, vel Portiones in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis, quibus licet ſingulis annis tres menſes ab Eccleſia abeſſe, ad preſcriptum Conc. Trid. *in c.* 12. §. *Præterea ſeſſ.* 24. abſque licentia Epiſcopi, vel Capituli, ut S. Congr. declaravit. Item hoc eſt verum in Epiſcopis, qui abeſſe poſſunt quotannis æqua ex cauſa duos, vel tres menſes abſque licentia Papæ, vel Metropolitani, ut *in d. c. 1. verſ. Quoniam vero ſeſſ.* 23. At ſecus eſt in Curatis inferioribus, qui nec duos menſes, imò nec per hebdomadam abeſſe poſſunt, niſi cauſa abſentiæ priùs per Epiſcopum cognita, & probata, ut habetur *in eod. cap. 1. verſ. Eadem omninò*, & ſcripſi pleniùs *in c. Relatum n. 20. & ſeqq. & n.23. & 49. ſupra eod.*

Ultimò nota, ex fine literæ, adverſus beneficiatum abſentem non poſſe procedi ad privationem, vel alias pęnas, ſi rationabilem oſtendat excuſationem, concordat *d.c.Relatum, c.Ex parte, il 1. & c. Inter quatuor ſupra eod.*

QUÆRO, quæ ſint cauſæ rationabiles excuſantes Clericos beneficiatos à perſonali reſidentia.

7 Gloſſ. fin. exemplificat primò in infirmitate, deinde in capitalibus inimicitiis, ac demum generaliter in alia quacunque juſta cauſa; & DD. ponunt exemplum in ſpecie in intemperie aeris, in fractione pontis, & in aliis impedimentis, de quibus Hoſt. *in ver. Excuſationem*. Sed tu diſtingue. Nam quædam ſunt beneficia, quæ curam animarum non habent annexam, puta Dignitates, Canonicatus, Præbendæ, & Portiones in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis, vel alia ſimplicia beneficia, quæ ex fundatione, privilegio, ſtatuto, vel conſuetudine perſonalem reſidentiam requirunt, ut in decretis Conc.Trid. *c.12.§.Præterea ſeſſ.24. c.2. ſeſſ.6.& c.5.ſeſſ.25.* Et de his dic, ut ſcripſi latiſſimè *in c.Licèt infra tit.prox.* Quędam verò ſunt beneficia, quibus cura animarum incumbit, putà Parochiales Eccleſiæ, ut *in c.Extirpandæ. §. Qui verò infr. de præb.* vel Vicariæ perpetuæ, ut *in c.fin.ſup. de offic. Vicar.* & quia non omnes cauſæ, quæ excuſant Canonicos à perſonali reſidentia, æquè excuſant obtinentes beneficia curata, in quibus obligatio reſidentiæ eſt multò arctior, ut dixi *in d.cap. Ex parte, il 1.ſupra eod.* & patebit infra *num.* 15. idcircò de his ſpecialiter.

8 QUÆRO primò, utrùm infirmitas excuſet Parochum à reſidentia?

9 Breviter duo caſus ſunt diſtinguendi. Primus eſt, cum Parochus abſens extra locum beneficii in morbum incidit, & hoc primo caſu manifeſtum eſt eum non teneri redire ad reſidentiam, ac ſi procederetur contra eum, non fieret illi præjudicium. Caſus eſt ad litteram *in c. Præſentium 7. qu. 1.* Et ita intelligo gloſſ. *ult. hic*, dum dicit, puta quia erat infirmus, quare venire non potuit. Atque ita ſupponit beneficiatum in infirmitatem incidiſſe extra reſidentiam, juxta terminos *d. can. Præſentium*, quem allegat, & hoc eſt clarum.

10 Secundus caſus eſt, cùm Parochus ægrotat in loco reſidentiæ, ſeu infra limites Parochiæ ſuæ; & tunc S.Congr. Concilii declaravit infirmitatem non excuſare Parochum
11 à reſidentia. Sed ſi infirmitas ſit curabilis, & in loco Parochialis non ſit copia Medicorum, medicinarumve; poſſe ab Ordinario dari dilatione trium, aut quatuor menſium Parocho ægroto, ut curari poſſit in locis vicinioribus, & commodioribus, interim tamen per ipſum Ordinarium deputato idoneo Vicario ad curam dictæ Parochialis cum aſſignatione congruę portionis ex ipſius Parochialis reddi-
12 tibus. Idem dicendum eſſet, ſi Parochum infirmum ex Medicorum conſilio oportet cœlum mutare ad breve tempus, vel ire ad balnea, ut poſt Cajet.& Sot.dixi in præ
13 dicta Decretali, *Ex parte n.77.ſupra eod.* Verùm ſi abſce-
14 deret ſine licentia, non excuſaretur. Nam propoſito dubio, an ſit liber à culpa; & à pœna amiſſionis fructuum, qui veluti per quatuor menſium ſpatium ex urgenti admodùm cauſa ad curandam valetudinem morbo gravi inſtante à Parochiali receſſit, & ad hujuſmodi abſentiam non petiit licentiam ab Epiſcopo, quia bona fide putavit evidentiam cauſæ ſatis eſſe: S.Congr. cenſuit non eſſe liberum, niſi periculum fuiſſet in mora petendi licentiam.

Non obſtat *c. Ad audientiam ſup. eod. & c. unic. de Cler.* 15
non reſid. lib. 6. ubi infirmitas juſtam præbet excuſationem non reſidendi. Quoniam illa jura loquuntur in Canonicis, qui morbo impediti non tantùm habentur pro reſidentibus, ſed etiam pro intereſſentibus, & lucrantur ſine diminutione quotidianas diſtributiones. Sed alia eſt cauſa obtinentium beneficia curata, & Paſtorum animarum, quorum reſidentia, ut prædixi, multò arctior, & ſtrictior eſt, ut in decreto Conç. Trid. *c.1.ſeſſ* 23.

Hinc S.Congr.cenſuit Canonicis ſenio confectis deberi 16
in abſentia quotidianas diſtributiones, ſi aliàs reſidere ſint ſoliti, & tamen declaravit Parochos non excuſari a reſidentia propter ſenectutem.

Similiter Epiſcopi uti poſſunt opera duorum Canonico- 17
rum pro ſervitio ſuo, & Eccleſiæ, *c. De cætero, & c. Ad audientiam ſup. eod.* Unde eorum miniſterio uti poſſunt in viſitatione diœceſis, pro ſervitio Seminarii, pro cura Monaſteriorum Monialium, & pro aliis muneribus, ut fuſiùs dixi ex ipſius Congregationis ſententia *in c.Licèt n.106.&*
ſeqq.inf.tit.proxim. Et tamen conſulta, an liceat Epiſcopo 18
pro Cathedralis Eccleſiæ ſervitio, vel ſuo aliquem ex curatis extra ipſorum curam ad certa negotia adhibere, conſtituto in illis etiam Vicario idoneo: reſpondit non licere. Item cenſuit Epiſcopum non poſſe uti opera parochi in viſitatione ſuę dięceſis, niſi pro tempore à Concilio permiſſo, quo tamen idoneus Vicarius erit in Parochiali deputandus.
Et iterùm ſuborto dubio, an Epiſcopus poſſit dare licentiam 19
Parocho, ut non reſideat, ut ejus opera utatur pro Vicario foraneo, vel ſervitio Seminarii; reſponſum eſt non poſſe. Et Epiſcopo Burgi S.Sepulchri declarari poſtulante, an
cùm in civitate ſua pauci Sacerdotes eſſent, & quatuor Mo- 20
naſteria magni Monialium numeri, poſſet aliquos Parochos ad curam Monaſteriorum adhibere, ita ut ex hac cauſa liceret eis ab eorum Eccleſiis abeſſe; reſponſum, non poſſe, ſed faciendum verbum cum Sanctiſſimo, qui renuit.

Demum, etſi Canonici ad quinquennium de licentia Epi- 21
ſcopi abeſſe poſſint ſtudiorum cauſa, & in abſentia percipere fructus prębendarum ſuarum, ut *in c.fin.de magiſtr. & in d. c. Licèt de præb.* tamen Parochis abſcedendi licentiæ ex hac cauſa jam non conceduntur à locorum Ordinariis, cùm Parochiales Eccleſie, pręvia forma examinis per concurſum magis idoneis ſint conferendæ, ad pręſcriptum Conc. Trid. *in c.18.ſeſſ.24* & Conſtitutionis Pii V. quæ incipit, *In conferendis.* Licèt ex diſpoſitione Decretalis *Cùm ex eo, de elect. lib. 6.* poſſint Epiſcopi diſpenſare cum obtinentibus Eccleſias Parochiales, ut uſque ad ſeptennium abeſſe poſſint, & interim non teneantur ad Sacerdotium promoveri.

Imò nec S. Congr. ejuſdem Concilii interpres ejuſmodi licentias impertiri ſolet, niſi admodùm rarò, & perſonarum, ac locorum qualitatibus probè perſpectis. Unde cùm Stanislaus Clericus Uladislavienſis dięceſis ex nobili genere procreatus, qui Parochialem Eccleſiam in dięceſi Gneſnen. ſitam obtinebat, petiiſſet, ut ſibi liceret per triennium in publica Univerſitate vacare ſtudio ſacrorum Canonum, fructuſque Parochialis intereà percipere. Die 16. Junii 1605. S.Congr. tametſi non conſueverit concedere, ut Parochi à parochiali abeſſe poſſint ſtudiorum cauſa; tamen quia ſacri Canones id privilegium tribuunt, & Concilium illud non revocat, ſed præſervat, *c.1.ſeſſ.5.* cenſuit gratiam petitam juveni optimæ ſpei concedendam, ut rem Chriſtianam, ſacrorum Canonum ſcientia inſtructus, in illis partibus promovere poſſet.

QUÆRO, an Parochus excuſetur à reſidentia pro- 22
pter inimicitias? Reſpondeo excuſari, ſi inimicitiæ ſint capitales, ita ut ad Eccleſiam redire non audeat, *c. Bonæ, il 1. ſupra de elect.* per quem textum ita tenet hic gloſ.ult. Hoſt. *n. 5. in ver. excuſationem*, Anton. de Butr. *n.9.* in gloſ. fin. alii communiter, gloſ.1. *in c. Ad ſupplicationem, ſupra de renunt.* quæ exponit verba illa text. eò quòd ibi non poterat ſecurè morari, ſcilicet propter capitales inimicitias. Meliùs probatur *in c. Paſtoralis, 7. q. 1.* ubi propter inimicitias Prælatus poteſt ab Eccleſia abſcedere. Ad idem textus in Clem. *Ne in agro, §. Caterùm*, juncta gl. *in ver. Cauſa* ratio-

rationabili, de ſtatu Monachor. quem ad hoc allegat Felin. *in c. Accedens, il 2. verſ. Sexta concluſio, ut lite non conteſt.* Jaſ. *in l. .. §. penult. ad fin. ff. Si quis caution.* & Ripa *in tract. de Peſte, in tit. de privileg. contract. num. 136. verſ. Quintò.*

23 Hinc Specul. *in tit. de citat. §. 1. verſ. Item quod ſit ad locum,* dicit poſſe recuſari locum ubi ſunt inimici, vel eorum do-
24 meſtici, ſeu amici. Imò non debet quis ſe committere ſuis capitalibus inimicis, etiam cum literis ſalvi conductus. Textus eſt *in d. c. Accedens,* ibi, *Et licèt literas non habuerit de conductu, tamen ſi miſſæ ei fuiſſent, non debebat ſe credere ſuis capitalibus inimicis.* Simile *in c. De cætero, &*
25 *c. Quamvis infra de ſent. excomm.* Et in hanc ſententiam ſæpius reſpondit S. Congregatio Concilii, quæ in his caſibus conſuevit dare literas ad Epiſcopum, ut ſi veræ ſint, & graves inimicitiæ, quæ narrantur, & abſque Parochi culpa, & antequam Eccleſiam obtinuit, exortæ; ſuper quibus Epiſcopi conſcientia oneratur; dilationem ei det, ut in alio tutiori, ac viciniori loco manere poſſit, durantibus dumtaxat inimicitiis, dum tamen non ultra ſex menſes durent. Intereà autem Vicarium idoneum in illa Eccleſia conſtituat Epiſcopus, aſſignata ei congrua portione ex redditibus Eccleſiæ, & partes etiam ſuas interponat, & omnem diligentiam ad-
26 hibeat, ut tutò poſſit reſidere Parochus. Quòd ſi intra ſex menſes necdum ſedatæ ſint inimicitiæ, reſcribit Epiſcopo, ut det illi ſex menſium prorogationem, repetitis omnibus, quæ in prioribus literis continebantur, & ſine ſpe ulterioris prorogationis, quæ rariſſimè conceditur: nam cùm indulta perpetua de non reſidendo etiam ex juſtis, & rationabilibus cauſis jam ſublata fuerint Decreto *c. 2. ſeſſ. 6.* ubi inimicitiæ ſunt veriſimiliter duraturæ, ut conſulatur curæ animarum, inducendus eſt Parochus ad reſignandum, vel per-
27 mutandum, arg. *c. Ad ſupplicationem, de renunt.* Et ita Parochus punitur ſine culpa, ſed non ſine cauſa, ut notat
28 gloſſ. *in c. Tua nos, in ver. Adminiſtrationis, de Cler. ægrot.* ad exemplum Parochi leproſi, qui adminiſtrationis officio removetur, ſed de bonis Eccleſiæ ſuſtentatur; ut in præd. decret. *Tua nos.* Simile *in c. Quoniam frequenter,* §. *Quod ſi forſan in fine ſupra, ut lite non conteſt.*

29 Quæ autem ſint graves, & graviſſimæ inimicitiæ, notat Bald. *in l. 3. §. fin. ff. ad imen. legat.* & quæ ſint inimicitiæ capitales, vide *in l. Cùm autem, §. Excipitur, ff. de ædil. edict. in l. Edicto, ff. de verb. ſignif. in l. 2. ff. de public. Jud. & in l. Capitalium, §. Si opus, ff. de pœn.* notatur *in c. Per tuas inf. de Simonia.*

30 Porrò, ob ſolum odium Parochianorum S. Congregatio cenſuit Parochum à reſidentia non excuſari.

31 3 QUÆRO, an lis ſuper beneficio excuſet Parochum à reſidentia. Reſpondeo excuſare. Caſus eſt *in c. Ex parte, il 2.* ibi, *Si te non abſentando in fraudem Præpoſituræ*
32 *tuæ jura fideliter proſequeris, cùm per hoc cenſeri debeas reſidens,* & ibi omnes notant *ſupra cit.*

33 Hinc cùm Antonius Lutius Diœceſis Feſulan. obtinens Eccleſiam S. Donati Parochialem, ſuper qua poſt habitam poſſeſſionem ſibi lis mota fuerat, dubitaſſet, an teneatur lite hujuſmodi durante ſuſcipere ſacros Ordines: S. Congreg. cenſuit non teneri, ſi vera eſt lis, ſuſcipere ſacros Ordines. Et licèt Caſſad. *dec. 9. de cauſ. poſſ. & propr.* dixerit hoc intelligendum, quando lis mota fuit intra duos menſes: tamen Patres dixerunt nihil exprimendum de iſtis duobus menſibus, ſed ſimpliciter non teneri, ſi vera eſt lis, ad ſuſcipiendum Ordines, cùm nec reſidere teneatur. Et ex ſtylo in his caſibus dari ſolet dilatio paucorum aliquot menſium ad litem proſequendam. Idemque obſervari conſuevit
34 in cauſis criminalibus. Et in ſpecie Archipresbyter Ripæ criminaliter inquiſitus, & condemnatus ab Ordinario, Romam profectus, & obtenta cauſæ commiſſione, fuit citatus ab Ordinario ad reſidendum cum fructuum ſequeſtratione. Et cùm propterea adiiſſet S. Congreg. pro remedio, dictum eſt videndam priùs commiſſionem cauſæ, quæ ſi vera fuerit, ſcribendum ad Epiſcopum, ut tollat ſequeſtrum, & ſinat eum abeſſe per quatuor menſes ex hac cauſa. Ad hoc *c. Super cauſa,* & ibi gloſ. fin. & DD. 2. q. 4.

35 4 QUÆRO, an Parochus à reſidentia excuſetur ob aeris intemperiem.

Doctores hìc ſuper verſ. *Excuſationem,* communiter tenent intemperiem aeris præbere juſtam excuſationem Clerico non reſidendi, per text. *in c. Quorundam 74. diſt.* & accipiunt intemperiem pro aeris corruptione, ut per Hoſt. *n. 5.* & idem notat gl. *in c. Ad ſupplicationem, in ver. Securè*
36 *morari, de renunt.* Et quamvis expreſsè non loquantur de Parochis, ſed de obtinentibus beneficia perſonalem reſidentiam requirentia, juxta text. hic: tamen Innocentius quærens, in quibus beneficiis habeat locum hæc Decretalis, & totus hic titulus, concludit habere locum in beneficiis curatis, & in beneficiis ſimplicibus, quæ reſidentiam requirunt ex privilegio, ſtatuto, conſuetudine, vel quocumque alio modo. Et cum eo tranſeunt Hoſt. Jo. Andr. Butr. Card. Abb. & reliqui omnes.

Cæterùm quidquid ſit in obtinentibus beneficia, quibus cura animarum non incumbit, de quibus dic, ut ſcripſi *in c. Licet n. 46. infra tit prox.* certè Parochos à reſidentia non excuſat aeris intemperies, ut ſæpius S. Congr. declaravit. Nec mirum, quia nec peſtis formalis eos excuſat, ut patebit in quæſtione ſequenti.

5 QUÆRO, an Parochi tempore peſtis teneantur re- 37
ſidere in ſuis Parochialibus, & Sacramenta per ſeipſos miniſtrare Parochianis ſuis eo morbo infectis.

Anve, ſi id non faciant, poſſint ſtatim privari non expectato tempore à veteribus Canonibus præfixo iis, qui à ſuis Eccleſiis abſunt.

Inſtante ſa. mem. Card. Borromæo Archiepiſcopo Me- 38
diolanenſi propoſita fuerunt in S. Congreg. Concilii ſupraſcripta dubia. Et die 11. Octobris anni 1576. S. Congregatio cenſuit Parochos tempore peſtis teneri in Parochialibus reſidere, ex ſententia Ripæ *in tract. de peſte, tit. de privil. contract. verſ. Quintò, nu. 147. & 150.* Item ex ſententia S. Thomæ *in 2. 2. q. 26. art. 5. in fin.* & Navarr. *in Manual. c. 24. n. 10. & c. 25. nu. 20.* teneri eodem tempore Parochianis ſuis peſte laborantibus miniſtrare dumtaxat duo Sacramenta ad ſalutem neceſſaria, nempè Baptiſmum, & Pœniten- 39
tiam, ſeu Confeſſionem. Poſſe autem ea miniſtrare, vel per ſe, vel per alium. Sed quod attinet ad illud verbum, *Alium,* quia Concilium obligat ad per ſe, faciendum verbum cum Sanctiſſimo.

Die 12. Octobris Sanctiſſimus audita ſententia Congregationis, eam approbavit etiam in eo, ut poſſet per alium, dummodò idoneum, ea præcipuè ratione, ut Parochus poſſet audire confeſſiones ſanorum, quia alias eum reformidarent, ſi viderent ipſum accedere ad peſtilentes, & nollent ei confiteri, veriti contagionem; utque etiam ipſe Parochus officio hortandi, prædicandi, conſolandi ſuos omnes Parochianos, uberiùs, & pleniùs fungi poſſit. Cumque poſteà 40
fuiſſet reperta deciſio Archiepiſcopi Florentini 3 *p. tit. 22. c. 12. §. 3.* his verbis; Eos quibus cura animarum imminet, de neceſſitate ſalutis ſuæ oportet per ſe, vel per alium idoneum Sacramenta miniſtrare, quantumcumque infectis peſte; & dubitari poſſet, quid agendum, cùm hìc Sanctus ſimpliciter Sacramenta dicat, nec ſe reſtringat ad duo. Res tota ad Sanctiſſimum delata eſt.

Die 26. Octobris 1576. referentibus Cardinalibus Alc. & Senonen. dictum Archiepiſcopi Florentini non haberi pro deciſione neceſſaria, quia non doctor, non judex, non alia auctoritate ſuffultus: Sanctitas ſua inclinavit in eam ſententiam, ut litera ſcribenda indiſtinctè dicat Sacramenta, & decretum ſic eſſe concipiendum, teneri omninò miniſtrare Baptiſmum, & Pœnitentiam; & loco dictionis, *Dumtaxat,* apponendam dictionem, *Omninò.* An ſit facienda, & edenda Conſtitutio, ampliùs deliberandum, & audiendas rationes Montis Alcini, qui dixit ſe diſſentire, & dubium mittendum ad Patrem Toletum, & alios duos, vel tres Theologos, qui ſuam ſententiam dicant. Et diſcutiendum etiam, an Parochi, quatenus teneantur, ſi id non faciant, debeant ſtatim expectato ſemeſtri privari.

S. Congregatio die 6 Decembris 1576. cenſuit communi ſententia (excepto tantùm Senonen. qui dixit monendos, & ſervandam conſuetudinem) perſiſtendum in Decretis, ut ſcilicet teneantur reſidere, itemque Sacramenta Baptiſmi, & Confeſſionis omninò miniſtrare per ſe, vel 41
alium idoneum; hoc tamen non per legem generalem ſtatuendum, ſed per literas Congregationis, ut ſolet, ſignificandum Cardinali, & addendum, contumaces Prochos non ideò ſtatim privandos eſſe, ſed præmiſſo edicto, ſeu monitione, contra eos procedendum, prout Conc. mandat *ſeſſ. 23. c. 1.* nempè priùs per cenſuras, ſecundò per ſequeſtrationem, & ſubtractionem fructuum, de indè ſi hæc remedia non proſunt, poſſe per privationem. Sed agendum priùs bonis verbis, & piis cohortationibus, & admonitionibus. Ampliùs, quia Theologi aliqui diſſentiunt, Tabiena, Ar- 42
milla, & Canoniſtæ etiam *in c. fin. de Cler. non reſid.* &

Barb.

Barb. *conſ.* 87. *n.* 2. dum dicunt, ſi Parochi excuſantur propter inimicitias capitales, ita etiam excuſari debent propter peſtem; & quia ſani fugerent Parochos, & quia Parochi om-
43 nes morerentur: Ideò cenſuere omnes ab Archiepiſcopo Cardinali temperamentum aliquod adhibendum ex ſua prudentia, vel ut non omnes Parochos cogeret, ſed aliquos partiendo opus, vel deputaret aliquos ſacerdotes etiam non Parochos, voluntarios tamen, etiam mercede conſtituta, qui Sacramenta præſtent ægrotis, prout aliàs Romæ dicitur factum, & prout Cardinalis Senonen. teſtatus eſt inolevif-
44 ſe laudabilem conſuetudinem, ut Principes Magiſtratus, & Civitates provideant de Miniſtris Sacramentorum ex Clero, etiam conducendo eos mercede ex fiſco, & ærario, collectis etiam à Clero exactis, & ita in literis quæ ſcribentur, addendum: tamen priùs cùm Sanctiſſimo agendum.
45 Die 10. Septembris 1576. facta Sanctiſſimo relatione in Conſiſtorio, Sanctitas ſua decrevit ſcribendas ſimpliciter literas ad Cardinalem S. Praxedis, quibus ſignificetur, dubio in Congregatione propoſito, & ad Sanctiſſimum relato, Sanctitatem ſuam decreviſſe, Parochos tempore peſtis teneri omninò reſidere in ſuis Eccleſiis Parochialibus; poſse tamen per alium idoneum miniſtrare Parochianis ſuis peſte infectis Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ; & ſi non reſederint, contra eos procedendum eſſe ſervata forma *c.* 1. *ſeſſ.* 23. *in fin.*

Die 23. Decembr. 1576. S. Congreg. cenſuit ſcribendas literas in hanc formam: Parochi tempore peſtis teneantur omninò reſidere in ſuis Eccleſiis Parochialibus; & ſi non reſideant, agendum contra eos ex decreto Conc. *c.* 1. *ſeſſ.* 23. & ſervata forma ibidem præſcripta. Miniſtrent verò Parochianis peſte infectis Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ per alios. Et licèt Alciat. diceret, quòd ex ultimis verbis videtur prohiberi Parochis, ne per ſeipſos hęc duo Sacramenta etiam volentes miniſtrent: tamen tota Congregatio dixit hanc fuiſſe mentem Sanctiſſimi in prohibendo hęc Parochis ad commodum Parochianorum, qui ſani eſſent: hi enim veriſimiliter nollent converſari cum Parochis euntibus ad infectos peſte. Hæc de Parochis, & curatis inferioribus.
46 Quo verò ad Epiſcopos, dubium ortum eſt nonnullis Prę-latis Eccleſiarum, quod ſit proprium Epiſcopi officium tempore peſtis, an ſcilicet ad reſidentiam continuam, & an ipſe Curatis Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare teneatur; vel potiùs hoc tempore ab Eccleſia ſua abeſſe poſſit, ut ſe
47 pro bono ſubditorum ſuorum incolumem ſervet. Et an tutiori conſcientia ad aliquam ſuæ diœceſis partem, in qua forſan Epidimia non vigeat, ſe conferre poſſit, relicta civitate, & parte infecta, licèt ejus præſentia ſummoperè indigeat. Sanctiſſimus die 18. Decembris 1576. dixit decretum factum in Parochis, multò magis debere procedere in Epiſcopis, qui magis obligati ſunt; tamen poſſe Epiſcopos in locis tutioribus manere, & inde providere; ſed nunc id non eſſe opus diſcutere ulteriùs, aut diffinire.
48 Supereſt pro complemento materiæ, ut inveſtigemus, cur Parochi excuſentur à reſidentia propter inimicitias; & tamen non excuſentur propter peſtem: videbantur enim hi duo caſus à pari procedere, cùm utrobique ſubſit æquale periculum mortis. Unde *in cap. Ad ſupplicationem, de renunt.* abſolvitur à vinculo Eccleſiæ Archiepiſcopus Ra- 49
guſien. eò quòd ibi non poterat ſecurè morari, & ſi acceſſum haberet ad illam, mortis ſibi periculum immineret Et gloſſa exponens verba illa, *Non poterat ſecurè morari*, forſan, inquit, propter intemperiem aeiris, vel quia habebat capitales inimicos. Similiter in Clem. *Ne in agro*, § *Cæterùm, de ſtatu Monachor.* ſtatuitur, ut priores tam Conventualem, quàm curam animarum habent s teneantur in ſuis Prioratibus, ſeu adminiſtrationibus reſidere, niſi ſtudiorum, vel alia cauſa rationabili ad tempus fortè ab hujuſmodi reſidentia excuſentur. Et gloſſa exponit cauſam rationabilem, id eſt propter infirmitatem, aeris intemperiem, capitales inimicitias, vel ſimilia. Atque ita gloſſæ præallegatæ, & DD. hìc æquiparant caſum inimicitiarum, & corruptionis aeris, ſeu peſtis. Unde licere beneficiato à reſidentia abſcedere propter peſtem, ſicut propter inimicitias opinati ſunt multi ex Theologis, & plerique ex Canoniſtis ſuperiùs relatis *nu.* 35. *&* 42. & ultra eos Hoſt. *in ſumma hoc tit.* §. *fin.*

Solutio patet ex verbis text. *in c. Adverſitas*, §. *Hoc tunc* 50
ſervandum 7. *q.* 1. videlicet: *Cùm Paſtor ſpecialiter quæritur, fugiat exemplo Chriſti, qui à facie Herodis fugit in Ægyptum; fugiat exemplo Pauli, qui à fratribus per murum ſubmiſſus eſt in ſporta.* Unde Aug. ait: *Fugiat miniſter Chriſti, ſicut ipſe Chriſtus in Ægyptum; fugiat & qui ſpecialiter quæritur, dum per alios firma eſt Eccleſiæ ſalus. Hinc etiam ait Dominus diſcipulis: Si vos perſecuti fuerint in una Civita-* 51
te, fugite in aliam. Hinc etiam idem abſcondit ſe, & exivit de templo, quando Judæi lapides tulerunt, ut jacerent in eum. Cùm verò non Prælato tantùm, ſed generaliter periculum omnibus imminet, & animarum ſalus ſalva eſſe non poteſt: debet Prælatus animam ſuam ponere pro ovibus ſuis. Hæc ibi. Et hanc dictionem in materia inimicitiarum, & perſecutionis extrinſecæ ponunt Innoc. Hoſt. Jo. And. Butr. Card. & omnes *in c. Niſi cùm pridem*, §. *Propter malitiam ſupra de renunt.* & S. Th. *in* 2. 2. *q.* 185. *art.* 5.

Itaque propterà Parochus poteſt fugere à perſecutori- 52
bus, & inimicis, quia non deſunt alii à periculo immunes, per quos animarum ſalus tuta eſſe poſſit. At non poteſt fugere à loco peſtifero, quia cùm periculum omnibus ſit commune, nec ſint alii, qui tutò poſſint gregi aſſiſtere: non illi, ad quos non pertinet de ovibus, ſed Paſtor ipſe pro ovibus ſuis debet animam ſuam ponere, *c. Tres perſonas* 23. *q.* 4. id eſt mortem ſubire, ut ſentit D. Th. *loc. cit.* quem ita explicat Sot. *lib.* 10. *de juſt. & iur. q.* 3. *art.* 4. Sicut verus, & optimus Paſtor illam poſuit, & factus eſt obediens uſque ad mortem, §. *Ecce* 2. *q.* 7. & ita exemplum dedit Sacerdotibus ſuis, ut quemadmodum ipſe fecit, ita & ipſi facerent, *c. Significaſti ſupra de elect.*

DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.

In corpore Canonum.

CAPUT II.

NOn liceat ulli Epiſcopo ordinare Clericos; & eis nullas alimonias præſtare: ſed duorum alterum eligat: vel non faciat Clericos, vel ſi fecerit, det illis unde vivere poſſint.

SUMMARIUM.

EPpiſcopus Clericum ordinans ſine titulo, ei in neceſſariis providere tenetur, & nu. 3.
2 *Allegatio generalis admittitur.*
3 *Clericos non debere ſine titulo ordinari, quibus ex cauſis conſtitutum fuerit, & nu.* 9.
4 *Alimoniæ quid importent.*
5 *Epiſcopus promovens aliquem ſine titulo ad minores Ordines, an teneatur ei vitæ neceſſaria miniſtrare, & num. ſeqq. uſque in fin.*
6 *Clericorum appellatione veniunt etiam conſtituti in minoribus Ordinibus.*
7 *Intellectus c. Neminem* 70. *diſt. & nu.* 12.
8 *Intellectus c. Cùm ſecundum infra eod. & nu.* 11.
10 *Ordinum minorum functiones exercentibus ſtipendia aſſignari debent ex redditibus beneficiorum, vel fabricæ Eccleſiæ, & nu.* 14.
13 *Clericis minorum Ordinum cur Epiſcopus non cogatur titulum aſſignare, ſicut conſtitutis in ſacris.*

1 N*On liceat*. Epiſcopus Clericum ordinans ſine titulo, ei in neceſſariis providere tenetur. Hoc dicit. Breve eſt, & ideò non dividitur.

2 Nota primò, ſupraſcriptionem pro generali allegatione: nam ſatis eſt dicere, hoc habetur in corpore Canonum, vel in corpore juris civilis, ſecundùm Ant. de Butr. *n.2.* & Jo. de Imol. *num.1.*

3 Secundò nota, nulli Epiſcopo licere quemquam ordinare ſine titulo. Quod multiplicem habet rationem ſecundùm Turrecrem. *in c. Neminem n.1. verſ. Reſpondeo dicendum 70. diſt.* Prima ratio deſumitur ex *cap. Cùm ſecundùm Apoſtolum infra eod.* Juſtum enim eſt, ut qui obligantur ad inſerviendum Altari, ſeu Eccleſiæ, ex proventibus Eccleſiæ alantur, dicente Apoſt. 1. ad Corint. 9. *Qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edant; & qui altari deſerviunt, cum altari participent.* Sed Clerici in ſua ordinatione obligantur ad inſerviendum Eccleſiæ, *c. Cleros 21. diſt. c. Duo ſunt genera 12. q.1.* & hodie eſt expreſſum in decreto Conc. Trid. *c. 16. ſeſſ. 23.* Ergo convenienter eis in ordinatione aſſignatur titulus, ex quo vitę neceſſaria percipiant. Et confirmatur, quia Clericus in ordinatione ſua recipit officium in Eccleſia, *d. c. Duo ſunt, & c. Perlectis 25. diſt.* Ergo rationabiliter aſſignandum eſt ei beneficium in Eccleſia, *c. Dilectus 1. & 2. infra eod. & c. Propoſuit ſupra de filiis Presbyt.* nam propter officium datur beneficium, *c. fin. de reſcrip. lib. 6.* Ideòque privatus officio, & beneficio privatus intelligitur, cùm ſit ejus ſequela, *c. Vos, & c. Si quis Sacerdotum 81. diſt. & c. Præter hoc 32. diſt.* gl. *in d. c. fin. in ver. Datur.* Unde cùm officium, & beneficium ſint connexa, uno collato ſine reliquo, eſſet dividere unitatem, & individuum, quod eſſe non debet, ut formaliter inquit Petr. de Anchar. *in 1. notab.* Prætereà rationabiliter hoc ſtatutum eſt, ne aliàs Clerici cum dedecore Ordinis Clericalis mendicare cogantur, *c. Diaconi ſunt 93 diſt.* & probatur *in c. Poſtulaſti ſupra de reſcrip.* Ad hæc conveniens fuit ſic ſtatuere, ut ordinatus ligetur ex titulo, ne incertis vagetur ſedibus, & locum deſerat inconſulto Epiſcopo, *c. Non oportet, & c. Si quis 7. q. 1.* & patet ex *d. c. 16. ſeſſ. 23.* Conc. Trid. Quibus conſequitur alia ratio ſecundùm Abb. *hìc in 2. notab.* videlicet numerus Clericorum nimiùm excreſceret; nam turba facit eos contemptibiles, ut *c. Legimus, ver. Diaconos 93. diſt.* & propterea Conc. Trid. *ubi ſup.* inhærendo veſtigiis 6. *Can.* Concil. Chalcedonen. decrevit, ut nullus in poſterum ordinetur, qui illi Eccleſiæ, aut pio loco, pro cujus neceſſitate, vel utilitate aſſumitur, non adſcribatur. Ac demum ſecundùm Petr. de Anch. *nu. 1.* non debet quis ordinari ſine titulo, ſicut nec fundari Eccleſia ſine dote, *c. Nemo, de conſecr. diſt. 1.* ſpiritualia enim ſine temporalibus diù eſſe non poſſunt, *c. Si quis objecerit 1. q. 3.*

Tertiò nota, pęnam Epiſcopi ordinantis Clericum ſine certo titulo: nam tenetur ei vitæ neceſſaria miniſtrare, donec beneficium Eccleſiaſticum ſit conſequutus, de quo dic, ut ſcripſi latiſſimè *in d. c. Cùm ſecundùm Apoſtolum.*

4 Ultimò nota, verbum illud, *Alimonias*, quod importat vitæ neceſſaria, ut colligitur *hìc in fine*, & concordant *c. Aurum, & c. Hæc hujus, c. Eccleſiarum ſervos 12. qu.2. c. Inter cætera 22. q.4. & l. Necare, ff. de liber. agnoſc.* Quæ autem dicantur vitæ neceſſaria, & quid veniat illorum appellatione, dixi *in c. Epiſcopus in 2. notab. infra eod.*

5 QUÆRO, an Epiſcopus promovens aliquem ſine titulo ad minores Ordines, teneatur ei vitæ neceſſaria adminiſtrare.

Doctores non conveniunt: gl. 1. & Innoc. *hìc in princ.* tenent etiam Clericis in minoribus Ordinibus conſtitutis debere ordinatorem providere, arg. *c. De iis 28. diſt. & cap. Propoſuit ſupra de filiis Presbyt.* & ſequitur Abb. *num. 2.* ubi concludit Epiſcopum è principio ſervare debere, quod hìc ſtatuitur, in omnibus Ordinibus. Idem tenet Hugo, & Gloſſ. *in c. Neminem 70. diſt.* dicens etiam in minoribus Ordinibus non debere quem ſine titulo ordinari, arg. *cap. Videntes 12 q.1. & c. Si qui verò 32. diſt.* gl. 1. *in c. Epiſcopus infra eod.* Turrecr. *in d. c. Neminem n. 2. verſ. Reſpondeo ſub duabus concluſion.* & idem firmant *in c. Cùm ſecundùm Apoſtolum infra eod.* Hoſt. *n. 11. in ver. Ordinatis*, & Joan. And. *n.3. in eod. ver. & ex recentiorib.* Navarr. *conſ. 14. num. 1. de temp. ordin.*

6 Pro hac opinione inducitur primò hæc Decretalis, quæ dicit, *Non liceat ulli Epiſcopo Clericos ordinare, & nullas ei alimonias præſtare.* Et ſic loquitur de Clericis generaliter, & indefinitè; Clericorum autem appellatione, præſertim in materia favorabili, qualis eſt hæc, veniunt etiam conſtituti in minoribus Ordinibus, ut patet *in cap. Cleros 12. diſtinct. & in cap. Duo ſunt 12. qu.1.* & expreſſius in Auth. *de ſanctiſs. Epiſcop. §. Presbyteros*, quæ eſt canonizata *in cap. De perſona 11. qu.1.* notatur *in c. Cùm non ab homine de Judic. & in cap. 2. de foro compet.* & in propoſito notant hìc gloſſ. Hoſtien. Joann. Andr. & Abb. *loc. cit.* & Decius poſt eos *nu. 17.* & ita ex hoc textu colligunt Doctores, & in ſpecie Ant. de Butr. *num. 4. Nota*, inquit, *arg. quòd obligatio, quæ ſurgit contra Epiſcopum ordinantem aliquem ſine titulo, habet locum in quocumque Ordine promoveat Clericos.* Et ſequitur totidem verbis Imol. *nu. 1. in 2. notab.* & Anchar. *num. 3.*

7 Secundò, ad idem inducitur *c. Sanctorum 70. diſt.* ubi generaliter decernitur, ut ſine titulo facta ordinatio irrita habeatur: ſub nomine autem ordinationis dubitandum non eſt, quin etiam minores Ordines comprehendantur, *c. Acolythus cum tribus ſeqq. 23. diſt. & c. 3. ſupra de temp. ordinat.* Conc. Trid. *de Sacram. Ordin. ſeſſ. 23. c. 2. & can. 2. & 3.* & ita illum tex. ponderat Hugo *in c. Neminem ead. diſt.* dicens, *Ego credo, quòd generaliter intelligatur de Ordine quolibet;* nam generaliter, & indiſtinctè prohibetur *in ſeqq. cap.* ut refert ibi Turrecr. *n. 2. verſ. Hoc idem dicit Hugo.*

Tertiò, pro eadem opinione videtur textus apertus in *d. c. Neminem 70. diſtin.* ubi Conc. Chalcedonen. decrevit neminem abſolutè, (id eſt ſine titulo, ut exponit gloſſ. & Archid.) ordinari Presbyterum, vel Diaconum, vel quemlibet in Eccleſiaſtica ordinatione conſtitutum. Hæc enim poſteriora verba tamquam univerſalia non videntur poſſe reſtringi ad ſolos Subdiaconos, abſque, eo quòd vis inferatur literæ, arg. *c. Solitæ, verſ. Quodcunque ligaveris ſupra de major. & obed.* Nec refragatur, quòd dictum *cap. Neminem, & c. Sanctorum*, fuerint correcta per *c. Cùm ſecundùm infra eod.* quoniam hoc verum eſt quoad pœnam ordinati ſine titulo, non autem quoad prohibitionem ordinationis, arg. *l. Præcipimus in fin. C. de appell. & l. Sancimus, C. de teſtam.* Expedit enim jura juribus concordare, *c. Cùm expediat, de elect. lib. 6.*

8 Quartò, pro hac parte ponderandus eſt text. in *d. c. Cùm ſecundùm Apoſtolum*, inducendo eum dupliciter. Et primò ille textus in priori parte loquitur de Clericis in ſortem, ſeu hæreditatem Domini aſſumptis. Hi autem proprie dicuntur non tantùm in ſacris, ſed etiam in minoribus Ordinibus conſtituti, ut probat text. *in c. Cleros 21. diſt. & in c. Duo ſunt 12. qu. 1.* Et de his ponit deciſionem in genere, videlicet, ut ordinatis ſine titulo vitæ neceſſaria miniſtrentur per Ordinatores, vel ſucceſſores eorum. Ergo hæſitandum non eſt, quin huic pęnæ ſubjiciantur etiam Epiſcopi, qui ad minores Ordines promovent titulum non habentes. Nec refert, quòd in verſ. *Inde eſt*, poſtmodum textus agat in ſpecie de quodam Subdiacono, quoniam id fecit, quia in facto ſic contigit; ſed per hoc non videtur reſtrinxiſſe generalitatem deciſionis præcedentis: nam genus non reſtringitur ad id, quod per ſpeciem ſpecialiter providetur, *cap. Denique 4. diſt. cum concordantibus*, de quibus per Petr. Brixien. *in Repert. in ver. Genus.* Deinde text. in *d. c. Cùm ſecundùm Apoſtolum*, commemorat pœnam antiquorum Canonum, videlicet *c. Neminem, & c. Sanctorum 70. diſt.* ſecundum quam ordinati ſine titulo erant ſuſpenſi ab Ordinum executione, ut dixi in *d. c. Cùm ſecundùm, in 5. notab. num. 1.* & illam pęnam abrogat, & ejus loco aliam imponit, videlicet ut Ordinatores, & ſucceſſores eorum teneantur ſic ordinatis in neceſſariis providere. Sed pęna antiquorum Canonum habeat locum etiam in promotis ad minores Ordines, ut dictum eſt ſupra in tertio, & quarto argumento. Ergo eodem modo in promotis ad minores habet locum pęna Ordinatoris, quæ in locum primæ ſuffecta eſt, arg. *c. Is qui in jus, de reg. jur. lib. 6. & l. Is qui jus, ff. eod. l. Si judex, & l. Mortuo, ff. de Judic. cum ſui concord.*

9 Quintò, pro eadem opinione multùm urget præcipua ratio, quam ſacri Canones præ oculis habuerunt, dum inſtiterunt neminem debere ſine certo titulo ordinari, videlicet ne Clerici cogerentur mendicare in opprobrium Ordinis Clericalis: nam & legitur *in cap. Diaconi ſunt 93. diſt.* Mendicat infelix Clericus in plateis, & civili operi mancipatus, publicam à quolibet depoſcit alimoniam. Et in hac ratione paupertatis Clericorum fundari hanc proviſio-

nem

nem declarat text. expreſſus *in c. Poſtulaſti ſupra de reſcript.* qui eſt gl. *in c. Cum ſecundum Apoſtolum inf. eod.* ut dicit ibi Hoſt. *n. 17. in ver. Eccleſiaſticum*. Hujuſmodi autem ratio, ſicut & aliæ, quarum ſuperiùs meminimus *in 1. notab.* vigent etiam in Clericis inferiorum graduum: ergo in illis quoad hoc, idem jus ſervari debet, vulgatis juribus.

10 Ultimò, his accedit, quòd cuilibet Ordini ſuum peculiare officium in Eccleſia eſt aſſignatum, *c. Acolythus cum tribus cap. ſeq. 23. diſt. & c. Perlectis 25. diſt.* Cuilibet autem in Eccleſia laboranti debetur ſtipendium, ut *c. Charitatem, 12. q. 2.* Et propterea Conc. Trid *in cap. 17 ſeſſ. 23.* præcipit Epiſcopis, ut functiones Minorum Ordinum pluribus in locis aliquando intermiſſas curent reſtituendas, & ex aliqua parte reddituum aliquorum ſimplicium beneficiorum, vel fabricæ Eccleſiæ ſtipendia aſſignent eas functiones exercentibus.

Contrariam ſententiam amplectuntur hìc Hoſt. & Joan. Andr. ambo *n. 3.* Butr. *n. 6.* dicens hoc tenere DD. Card. *n. 1. in 2. oppoſit.* Anchar. *n. 3.* & Imol. *n. 4.* ubi ait, hoc communiter teneri, ut Epiſcopus non ſit compellendus ad præſtandum alimenta Clericis promotis ſine titulo, niſi quando ſunt promoti ad ſacros, ſeu ad aliquem ſacrorum Ordinum. Idem firmant *in d. c. Cùm ſecundùm infra eod.* Butr. *n. 4.* & Card. *nu. 6. in 10. notab.*

Et pro hac opinione facit primò, quòd etſi hæc Decretalis loquatur de Clericis indefinitè, tamen text. *in c. Epiſcopus infra eod.* adſtringens Ordinatorem ad præſtanda alimenta ordinato titulum non habenti, quaſi hanc declarando reſtringit ſe ad Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, ut patet ibi, *In Diaconum, vel Presbyterum ordinave-*
11 *rit*, & eodem modo tex. *in c. Cùm ſecundùm Apoſtolum*, quamvis in principio loquatur de Clericis in ſortem Domini aſſumptis; tamen poſteà in verſ. *Inde eſt*, ait de Subdiacono, quem ſine titulo ordinavit Epiſcopus Zamorenſis, quaſi ſentiat deciſionem præcedentem non habere locum, niſi in promotis ad ſacros, ut ibi advertit Card. *loc. cit.* Unde ſive hoc c. fuerit correctum, ſive declaratum per poſteriores Canones, hódie pena Ordinantis ſine titulo non afficit, niſi promoventem ad Sacros Ordines. Et hoc intendit Hoſt. hic *n. 3.* qui exponit verbum, *Clericos*, id eſt in Subdiaconatu ut ſupra conſtitutos, & apertiùs Ant. de Butr. *in d. c. Cùm ſecundùm nu. 4.* dicens: *Nota hodie promoventem quem ad ſacros ſine titulo teneri ad miniſtranda neceſſaria ordinato, donec ſibi ſit proviſum de beneficio; & nota quòd iſta ju-*
12 *ra habent locum in ordinato ad ſacros*. Et eodem modo reſponderi poteſt ad jura antiqua, nempè ad *c. Neminem, & c. Sanctorum 70. diſt.* nam illorum generalitas, utcumque ſit apta comprehendere etiam Clericos minorum Ordinum, tamen reſtringitur, ſeu declaratur per Canones poſteriores, de Ordinibus ſacris ſpecialiter loquentes, arg. *c. Generi, de reg. jur. lib. 6. & l. In toto, ff. eod. cum ſimil.*

13 Deinde facit pro hac parte, quia multùm intereſt inter Clericos in minoribus, & in ſacris Ordinibus conſtitutos; nam illis licitum eſt retrocedere ab habitu Clericali, ut *cap. Cùm ex eo circa fin. de elect. lib. 6.* & propterea ſecundùm Abb. hìc *n. 6.* Eccleſia non tantùm eis ſubvenit, quantùm conſtitutis in ſacris. Et hanc rationem conſiderat Hoſt. *eod. n. 3.* cui cæteri ſubſcripſerunt; ait enim, *Et ratio quare Clericis inferiorum Ordinum non cogitur Epiſcopus aſſignare titulum, quia adhuc non ſunt in Eccleſia radicati, imò quotidiè avelluntur, ut notatur in c. 1. & c. Joannes ſupra de Clericis conjug. & ideò cùm tales beneficiati ſunt in Eccleſia, magis videtur inde Eccleſia confundi, & ſperni*, arg. *l. Litigatores 1. reſponſ. ff. de arbitr. cap. Præterea 51. diſtin. & cap. unico ſupra de obligat. ad ratiocin.* Hæc ille. Et ex hoc patet etiam reſponſio ad quintum argumentum contrarium: nam ratio mendicitatis, & aliæ ibi conſideratæ, multò magis vigent in promotis ad Ordines ſacros, quàm ad minores: & propterea text. *in d. cap. Diaconi 93. diſtin.* poſt illa verba, *Mendicat infelix Clericus, &c.* ſtatim ſubjungit, *Et quidem ex eo deſpicitur cunctis Sacerdotale officium, dum miſericordia deſolatus juſtè putatur ad hanc ignominiam deveniſſe*. Et ſic ille Canon loquitur de Sacerdotibus, prout etiam loquitur *c. Legimus*, qui immediatè ſubſequitur, ibi, *Diaconos paucitas honorabiles. Presbyteros turba contemptibiles facit*.

Ad ultimum reſpondetur, ex eo, quòd Clerici cujuſcum- 14
que Ordinis habeant ſuum peculiare officium in Eccleſia, hoc tantùm inferri, ut ſubſidium ſit eis aſſignandum pro obſequio, quod impendunt, ne cogantur militare propriis ſtipendiis, ut *in d. c. Charitatem, & c. Quicumque 12. q. 1.* Sed hinc non ſequitur, ut in ipſa ordinatione ſit eis aſſignandus titulus, adeòut Ordinator aliàs teneretur de ſuo providere; ut clarè colligitur ex Decreto Conc. Trid. *d. c. 17. ſeſſ. 23.* ubi exercentibus functiones minorum Ordinum jubetur aſſignari aliqua portio ex redditibus beneficiorum ſimplicium, vel fabricæ Eccleſiæ. Ex quibus patet hanc poſteriorem ſententiam eſſe non tantùm communem, ſed etiam de jure veriorem, quæ etiam ſervatur de conſuetudine: nam Eccleſia Romana non conſuevit cogere Ordinatores ad providendum ordinatis ſine titulo, niſi conſtitutis in ſacris; aliis verò in minoribus conſtitutis, ita demum ſi Eccleſiæ inſerviant, & aliunde non habeant, unde ſuſtententur, ut teſtantur Authores utriuſque ſententiæ ſupracitati *n. 5. & 10. verſ. Contrariam ſententiam*.

Hodie ceſſat difficultas ex Decreto Conc. Trid. *c. 2. ſeſs. 21.* ubi quamvis præmittatur ratio illa generalis ad quoſcunque Clericos, videlicet cùm non deceat eos, qui divino miniſterio adſcripti ſunt, cùm Ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere; tamen deciſio reſtringitur ad Clericos ſacrorum Ordinum, & ſtatuitur, ne quis deinceps Clericus ſæcularis ad ſacros Ordines promoveatur, niſi priùs legitimè conſtet eum beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens pacificè poſſidere. Et quoad hos innovantur pœnæ antiquorum Canonum. Quod & Navar. obſervat in præalleg. *conſ. 14. de temp. ordin.* Et de intellectu hujus Decreti, vide quod ſcripſi *in c. Epiſcopus, nu. 25. & ſeqq. infra eod.*

DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.

Alexander III. in Concilio Lateranen.

C A P U T IV.

EPiſcopus ſi aliquem ſine certo titulo, de quo neceſſaria vitæ percipiat, in Diaconum, vel Presbyterum ordinaverit: tamdiù ei neceſſaria ſubminiſtret, donec in aliqua Eccleſia ei convenientia ſtipendia militiæ Clericalis aſſignet: niſi talis ordinatus de ſua, vel paterna hæreditate ſubſidium vitæ poſſit habere.

S U M M A R I U M.

1 *EPiſcopus, qui ordinavit aliquem ad ſacros Ordines ſine titulo, non habentem de ſuo unde vivat, ei de proprio providere tenetur, donec aliquem titulum fuerit conſequutus.*
2 *Licèt talis jam eſſet in ſacro Ordine conſtitutus.*
3 *Intellectus hujus Capituli.*
4 *Diſpenſare non poteſt Epiſcopus cum ordinato ſine titulo ad aliquem ex ſacris Ordinibus, ut ſine novo titulo ad altiores Ordines aſcendat, & refellitur contraria opinio Henriquez.*
5 *Ordinatus ad ſacros Ordines ſine titulo à pluribus Epiſcopis poteſt quemlibet in ſolidum convenire ſuper alimentis.*
6 *Is tamen, qui non ordinavit, non tenetur ex facto Ordinatoris.*
7 *Ordinato ad ſacros ſine titulo beneficii, vel patrimonii*

Ordinator tenetur vitæ neceſſaria miniſtrare.
8 *Alimenta quid comprehendant.*
9 *Et qua ratione taxari debeant.*
10 *Beneficium ſufficiens quod dicatur.*
11 *Quid in ordinato ad ſacros Ordines ſine titulo.*
12 *Et quid in Rectore Parochialis Eccleſiæ.*
13 *Et quid in eo, qui ratione nobilitatis, vel ſcientiæ pluribus indiget beneficiis.*
Nobilis, & doctus pinguiora beneficia conſequi debet quàm ignobilis, & idiota, ibidem.
14 *Papa cùm ſcribit pro aliquo beneficiando in pluribus Eccleſiis, conſiderata qualitate perſonæ, quæ ſint conſideranda in beneficii aſſignatione.*
15 *Subſidium vitæ, & neceſſaria vitæ, idem important.*
Legatum ſimpliciter factum puellæ pro ſubſidio vitæ, intelligitur factum pro alimentis, ibid.
16 *Ordinatus ad ſacros Ordines ſine certo titulo, ſi ex patrimonio ſuſtentari valeat, non poteſt petere alimenta ab Ordinatore, & num. ſeqq.*
Et quid poſt Conc. Trid. num. 29.
17 *Clerici non beneficiati habentes de patrimonio, unde vivant, licitè poſſunt ad Sac. Ordines promoveri.*
Et quid ex Conc. Trid. num. 24.
18 *Ordinatus ad ſacros Ordines, an poſſit petere alimenta ab Ordinatore, licèt habeat patrimonium ſufficiens, ſi ad illius titulum expreſsè ordinatus non fuerit.*
Et quid poſt Conc. Trid.
19 *Patrimonium non efficitur titulus Eccleſiaſticus, niſi hoc expreſsè ſit actum, & num. 33.*
20 *Ordinatus ſi habeat patrem divitem, à quo poſſit exigere alimenta, non poteſt illa petere ab Ordinatore, & num. 23.*
Secus poſt Conc. Trid. num. 26.
21 *Pauper non dicitur, qui patrem habet divitem.*
22 *Æſtimum patris filii reputatur, & num. 26.*
24 *Patrimonium hodie non eſt titulus ad ſacros Ordines, niſi diſpenſativè, & nu. 49. & 50.*
25 *Conc. Trid. c. 2. ſeſſ. 21. expenditur, & nu. ſeqq.*
26 *Patrimonium patris non eſt patrimonium filii, niſi interpretativè, & per juris fictionem.*
27 *Obtinere dicitur, qui habet jus in re, & legitimè poſſidet.*
28 *Veritas, & fictio opponuntur.*
30 *Patrimonium, ad cujus titulum Clericus eſt ordinatus, gaudet privilegio bonorum Eccleſiæ, & nu. 33.*
Etiam in caſibus in jure non expreſſis, nu. 40.
Et ſubrogatur in locum beneficii, nu. 32. & 39.
31 *Bona ſunt acceſſoria ad perſonam.*
33 *Patrimonium Clerici ad hoc ut indiſtinctè gaudeat privilegiis bonorum Eccleſiæ, exigitur, ut Clericus ad illius titulum fuerit expreſsè ordinatus.*
34 *Congregatio ſuper bono regimine conſuluit Congregationem Concilii de pluribus dubiis ſpectantibus ad interpretationem c. 2. ſeſſ. 21.*
35 *Bona patrimonialia Clericorum non gaudent privilegiis bonorum Eccleſiæ, niſi in caſibus à jure expreſſis.*
Et qui ſint hujuſmodi caſus, num. 41.
36 *Bona patrimonialia Clericorum præſcribuntur ſicut bona laicorum.*
37 *Reſtitutio in integrum non competit Clerico in bonis patrimonialibus, ſicut competit in bonis Eccleſiæ.*
38 *Compromittere poteſt Clericus in laicum de bonis patrimonialibus, non autem de bonis Eccleſiaſticis.*
40 *Bona patrimonialia, ad quorum titulum Clerici ordinantur, cenſentur quaſi dotalia, & alienari non poſſunt ſine licentia Epiſcopi.*
42 *Bona patrimonialia Clericorum, an & pro qua parte ſint obnoxia ſolutioni onerum Cameralium.*
43 *Patrimonium, quod remanet Clerico beneficium reſignanti, gaudet privilegio bonorum Eccleſiæ, pro ea tantùm parte, quæ ad congruam illius ſuſtentationem ſufficiat.*
44 *Patrimonium reſignantis beneficium ſuccedit loco tituli, tametſi Epiſcopus hoc non declaraverit.*
45 *Subrogatio, quæ fit juris interpretatione, cenſetur fieri cum omnibus qualitatibus.*
46 *Beneficium, quod conſequitur jam ordinatus ad titulum patrimonii, non ſuccedit loco tituli.*
47 *Nec prohibetur reſignari à Conc. Trid.*
48 *Patrimonium, ad cujus titulum Clericus eſt promotus, non poteſt ſine licentia Epiſcopi alienari, licèt poſteà Clericus adeptus ſit beneficium ſufficiens.*
50 *Patrimonii titulus eſt ſubſidiarius in Clerico ad Ordines ſacros promovendo, non autem in jam promoto.*
51 *Titulus patrimonii de Epiſcopi licentia poteſt commutari in titulum beneficii, & è converſo.*
52 *Privilegium exemptionis ab oneribus Cameralibus conceſſum patrimonio, donec Clericus aſſequatur beneficium, extinguitur adepto beneficio, nec reviviſcit per beneficii dimiſſionem, & n. ſeq. uſque ad nu. 63.*
Contrarium num. 63. uſque in fin. præſertim ſi dimiſſio ſit coacta, num. 66.
53 *Dictio*, donec, *collata in incertum eventum importat conditionem.*
Vel terminum temporis, num. 56.
54 *Conditio ſatis eſt, ut per momentum temporis impleatur, licèt implementum non duret.*
Niſi non duret facto illius, qui cōditionē implevit, n. 61.
Aut niſi aliter conſtet de mente diſponentis, nu. 64.
55 *Legatum factum alicui, cùm filios habuerit, debetur nato filio, licèt is poſteà decedat.*
57 *Jus ſemel extinctum non reviviſcit.*
58 *Fidejubens judicatum ſolvi, donec lata fuerit ſententia diffinitiva, liberatur lata ſententia abſolutoria, licèt illa poſteà revocetur.*
59 *Diſpoſitio in primo actu verificatur, ſi actus effectum ſortitus fuerit.*
60 *Quod procedit in diſpoſitione legis, ſecus in diſpoſitione hominis.*
61 *Beneficium ſpontè dimittenti non datur regreſſus ad jus ſemel extinctum.*
62 *Beneficii aſſecutio tractum ſucceſſivum non habet, ſed unico momento perficitur.*
63 *Jus ſemel extinctum ex certa ratione, vel cauſa, reviviſcit ratione illa, vel cauſa ceſſante.*
65 *Conditionem non ſufficit ſemel extitiſſe, ubi ſequitur effectus juris.*
67 *Beneficium conſequutus à Principe, ſi facto Principis illud amittat, debet ad ſuam gratiam ipſo jure redintegrari.*

E*Piſcopus.* Qui ordinavit aliquem ad ſacros Ordines ſine titulo, non habentem de ſuo unde vivat, ei de proprio providere tenetur, donec aliquem titulum fuerit conſequutus. Hoc dicit. Primò ponit dictum. Secundò exceptionem, ibi, *Niſi.* 1

Nota primò ibi, *Diaconum, vel Presbyterum*, non licere Epiſcopo ad ullum ex ſacris Ordinibus quemquam promovere ſine titulo, licèt talis jam fuerit in ſacro Ordine conſtitutus: nam hic arctatur Ordinator ad præſtanda alimenta ordinato in Diaconum, vel Presbyterum, & ſic ei, qui priùs erat ſaltem Subdiaconus, ut hìc per Decium in 1. *notab.* Non enim placet expoſitio Hoſtienſis quòd hoc cap. loquatur ſecundùm antiqua tempora, quando Subdiaconatus pro ſacro Ordine non habeatur: etenim cùm cœperit haberi pro ſacro à temporibus Gregorii I. ut *in capit. Ante triennium*, ubi plenè notatur 32. *diſt.* & Urbani II. ut refertur *in cap. A multis*, *ſupra de ætat. & qualit.* & Author hujus capituli fuerit Alexander III. in Concilio Lateranen. qui ſedit multò poſt memoratos Pontifices: utique ex hoc capite non fuiſſet prætermiſſus Subdiaconatus, qui multò ante jam ubique in Eccleſia reputabatur ſacer, ut *in d. cap. A multis, & c. Miramur de ſerv. non ordinand.* Sed arbitror propterea hìc non fuiſſe factam mentionem Subdiaconatus, quia de illo non erat dubium: nam cùm Epiſcopus per collationem Subdiaconatus primò ordinatum conſtituerit in ſtatu, à quo non poterat retrocedere, & tamen titulum non aſſignaverit, abſque dubio obſtrictus erat illi in neceſſariis providere, ut *in c. 2. ſupra eod.* & infrà *in cap. Cùm ſecundùm.* Sed de ordinato ad Diaconatum, vel Presbyteratum, major erat difficultas; quia cùm eſſet jam conſtitutus in ſacro Ordine, non videbatur ei prohibendus aſcenſus ad ſuperiores Ordines, licèt titulum non haberet; & hunc caſum uti magis dubitabilem voluit hìc decidere Concil. Lateranen. ſtatuendo, ut Epiſcopus teneretur alimenta præſtare ordinato etiam ad Diaconatum, vel Presbyteratum, non obſtante, quòd jam eſſet in ſacro ordine con- 2 3

conſtitutus. Sed eſto hoc cap. loqueretur ſecundùm tem-
pora primitivæ Eccleſiæ, adhuc tamen cùm adſtringat E-
piſcopum ad præſtanda alimenta ordinato in Diaconum,
vel Presbyterum, & ſic loquatur alternativè: profectò lo-
cum habet etiam iu Epiſcopo, qui ordinavit aliquem in
Preſbyterum, non obſtante, quòd talis jam eſſet conſtitu-
tus in ordine ſacro, id eſt Diaconatus, *ad c. Inter cæteras,*
4 *ſupra de reſcript. & reg. in alternativis, de reg. jur. lib.* 6. Un-
de incautè Henriquez *in ſumm. lib.* 10. *de excomm. c.* 37. *dub.*
2. §. *Contrarium*, dixit Epiſcopum poſſe occultè diſpenſare
cum ſic promoto, ut ſine novo titulo ad altiores Ordines
aſcendat, contra quem eſt text. clarus hìc ut ſupra pondera-
tus: nam ſi poſſet diſpenſare, utique ordinando, non inci-
deret in pęnam hìc ſtatutam: quia, quod legitimè factum
eſt, pœnam non meretur, *l. Grachus, C. Ad legem Ju-
liam de adulteriis:* & ita in diſpenſatione arguit gloſ. *in cap.
Nihil, in ver. Ætatis, ſupra de elect.* Tene igitur jura pro-
hibere promotionem ad quemlibet ordinem ſacrum ſine
certo titulo, & non ad Subdiaconatum tantùm. Sed &
Conc. Trid. *in c.* 2. *ſeſſ.* 21. diſtributivè, & in plurali loqui-
tur, videlicet, Ne quis Clericus ſæcularis ad ſacros Ordi-
5 nes promoveatur, &c. Ex his notabiliter infero, ut ſi quis
ſine titulo ad ſacros Ordines promoveatur à pluribus Epi-
ſcopis, puta ad Subdiaconatum ab Epiſcopo domicilii, ad
Diaconatum ab Epiſcopo originis, & ad Presbyteratum ab
Epiſcopo beneficii, juxta textum *in c. Cum nullus, de tem-
por. ordinat. libr.* 6. quilibet horum Epiſcoporum teneretur
in ſolidum ei in neceſſariis providere, & eſſet in optione
ordinati hunc vel illum convenire, aut illius ſucceſſorem
vel hæredes; ad quod vide quod ſcripſi *in c. Cùm ſecundum*
6 *Apoſtolum, in* 5. *ampliat. verſ. Sed remanet dubium, nu.*
39. *infr. eod.* Cæterùm ſi ſacros Ordines quis ſuſcepiſſet ab
uno tantùm Epiſcopo, puta Beneficii, Epiſcopus domicilii,
vel ordinis non eſſent cogendi: quia hæc Decretalis, &
d. c. Cùm ſecundum, hac obligatione non devinciunt niſi
ordinatores, vel ſucceſſores eorum.
7 Secundò nota, ibi, *Neceſſaria*, Clerico ad Ordines
promoto ſine certo titulo Ordinatorem teneri præſtare ali-
menta, id eſt cibaria, veſtitum, & habitationem, ut *leg.*
8 *legatis, ff. de alim. & cib. legat.* item medicinas, ſalarium me-
dici, ſtratum, ſive lectum, & omnia ad victum neceſſaria,
*l. Sicut impendia, ff. de uſufructu, l. Verbo victus, ff. de verb.
ſignif.* & notat Bart. *in l. Si cùm dotem, §. Sin autem nu.* 9. *ff.
ſolut. matr.* Jaſ. poſt alios *in l. Cùm hi, §. Qui tranſigit, nu.* 3.
ff. de tranſact. Et hęc taxari debent ſecundum facultates E-
9 piſcopi, & conditionem ordinati, *l. Cùm alimenta, ff. de
alim. & cib. legat. l. Plenum, §.* 1. *ff. de uſu, & habit.* & no-
tatur *in c. De multa, infra eod.* cum aliis hìc allegatis in gl.
2. Atque ita hoc verbum, *Neceſſaria*, in hac ſpecie exponit
Goffred. *in d. c. Cùm ſecundum Apoſtolum*, & poſt eum Ho-
ſtien. *n.* 15. Jo. And. *n.* 5. *in ver. neceſſaria*, Butr. *n.* 11. Card.
n. 9. *in* 18. *notab.* & Abb. *n.* 9. Petr. de Anch. *in c. Non liceat,
in* 2. *notab. ſupra eod. gl.* 2. hìc Butr. *n.* 7. & alii communiter.
10 Et de Medicinis vide hìc plenius per Anchar. *nu.* 5 Obſer-
vandum eſt tamen tribus modis quæri poſſe de beneficio aſ-
ſignando, ſecundùm Hoſtien. *in præd. Decretal. cum ſecun-
dum num.* 17. quem ſequitur ibi Card. *in* 4. *qu.* & Joan. Andr.
11 *in cap.* 1. *nu.* 3. *in verb ſubſtan. infr. eodem lib.* 6. Primò quoad
ordinatum ad ſacros ordines, qui conqueritur de Ordina-
tore, vel præſentatore; & tunc locum habet, quod di-
ctum eſt ſupra de victu, & veſtitu, & hoc ſecundum Jo:
12 Andr. dici poteſt beneficium neceſſarium. Secundò quoad
Curatum Parochialis Eccleſiæ; & tunc requiritur, ut be-
neficium ſit ſufficiens, id eſt quòd ſibi, & ad minus uni
Clerico, vel pluribus ſecundum quantitatem, & qualita-
tem Parochiæ ſufficiat in victu, & veſtitu, *cap. Ut quiſque
Presbyter, ſupra de vita, & honeſt. Cleric.* & quoad ho-
ſpitalitatem ſervandam, & jura Epiſcopalia perſolvenda,
ut *in d. c.* 1. *de Præb. lib.* 6. *in c. de Monach. ſupra eod. & in
c. de ſupplen. neglig. Prælatorum.* Item quòd providere poſ-
ſit perſonis, conjunctis indigentibus, ut matri, amitæ,
vel ſorori, ſi habeat, *c.* 1. *ſupra de cohabit. Cler. & mulier.*
cum concord. de quibus ibi in gloſs. *in ver. Canones*, & de
tali ſufficienter loquitur textus *in cap. Extirpandæ, infr. eo-*
13 *dem*, & Conc. Trid. *c.* 13. *ſeſſ.* 24. Tertiò quoad dignum,
& egentem pluribus beneficiis ratione nobilitatis, vel
ſcientię, qui pinguiora beneficia conſequi debet, quàm igno-
bilis, & idiota, ut *c. de multa, in fine infra eodem cum concor.*
de quibus per Hoſt. *in d. cap. Cum ſecundum, num.* 12. *in ver.*
Qualitate. Qui tamen *n.* 17. dicit hoc præcipuè locum ha- 14
bere, cùm Papa ſcribit pro aliquo beneficiando in pluribus
Eccleſiis, conſiderata qualitate perſonæ, ut in præallega-
to *c. de multa*; & formam, quam tunc dare conſuevit Cu-
ria, ponit ibidem Jo. Andr. ſuper *ver. Ratio.* Sed & facul-
tates ipſius videntur conſiderandæ, *l. Cùm plures, §. penut.
ff. de adminiſtr. tutor.* Item honeſta conſuetudo patrisfa-
milias, arg. *l. vel univerſorum, ff. de pignor. act. & l. Qui
ſemiſſes, ff. de uſur.* Rurſus mos patriæ in his omnibus ſpe-
ctandus eſt; nam etiam æqualibus perſonis minus benefi-
cium ſufficeret in provincia Provinciæ, quàm in Anglia,
ubi majores expenſæ fieri conſueverunt, ad hoc *c. Quiſque
41. diſt. c. Cùm Apoſtolus, §. fin. de cenſib. & c. Cæterum de
donat.* Potiſſimùm habenda eſt ratio facultatum Eccleſia-
rum, quæ providere coguntur, ut notatur *in c. Quoniam,
ſupra de vita, & honeſt. Cleric.* Ac demùm alia attendi de-
bent, quæ notantur *in c. Cùm adeò, ſupra de reſcrip.* in
gl. *in ver. Sufficientem.*
Tertiò nota, neceſſaria vitæ, & ſubſidium vitæ eſſe ſy- 15
nonyma, & idem importantia. Unde infertur, ut lega-
tum ſimpliciter factum puellæ pro ſubſidio vitæ, intelliga-
tur factum pro alimentis, ut *l. Filia*, & ibi Bald. *C. de
Patr. poteſt.* & tenet hìc Dec. *nu.* 11. & 12.
Quartò nota, Epiſcopum, qui ordinavit aliquem ad ſa- 16
cros Ordines ſine titulo, non obligari ad alimenta ei ſub-
miniſtranda ſimpliciter, & abſolutè, ſed in ſubſidium dum-
taxat, videlicet cùm ordinatus de patrimonio vivere non
poteſt, ut clarè probant illa verba: *Niſi talis de ſua, vel
paterna hæreditate ſubſidium vitæ poſſit habere.* Idem in-
nuit litera ib i, *Vitæ neceſſaria.* Ergo ſi dives eſt ordinatus,
quod petit, intus habet, ut arguunt Hoſt. *in princ.* Jo. Andr.
n. 1. & ut inquit gloſ. 1. *in c. tuis, infra eod.* judicium ſibi
manducant, & bibunt, qui de ſuo habent, & alienum re-
cipiunt, *c. Quoniam, quidquid* 16. *q.* 1. Idemque colligitur 17
ex *d. c. Tuis*, ubi Clerici non beneficiati habentes ex patri-
monialibus, unde vivant, licitè poſſunt ad ſacros Ordines
promoveri, & per conſequens ordinator ex facto à jure
permiſso non eſt puniendus, ut dictum eſt ſupra in 1. *notab.
n.* 4. & tenet expreſsè Innoc. hìc *n.* 1. dicens: Nota non co-
gi ordinatorem ordinato providere per Decretal. *Cùm ſe-
cundum, infr. eod.* ſi patrimonio ſuſtentari valeat, arg. *cap.
Paſtor, & c. Clericos*, 1. *q.* 2. Idem firmat Hoſt. *n.* 1. *in ver.
Niſi*; ubi ait ex hoc c. evidenter colligi, ut ordinato qua-
litercumque diviti, & qui ſibi poteſt ſufficere, non coga-
tur Epiſcopus providere; unde & talis poteſt ordinari nul-
lo titulo aſſignato, ut in *d. c. Tuis infr. eod.* & ſequuntur
DD. infra citandi, *num. ſeq. verſ. Sed oppoſitum.*
Sed hìc incidit quæſtio, an ad hoc ut Epiſcopus ſit ſolu- 18
tus obligatione ſuppeditandi alimenta Clerico ad ſacros
Ordines promoto ſine certo titulo, ſufficiat, ut ordinatus
habeat ex bonis patrimonialibus, unde vivere poſſit: an
verò requiratur, ut fuerit expreſsè ordinatus ad titulum
patrimonii. Joan. & Goffred. hìc tenuerunt hoc non ſuffi-
cere, ſed oportere, ut ad titulum patrimonii fuerit expreſ-
sè ordinatus. Idemque inſinuat Innoc. *n.* 1. dum ait, ne-
ceſſarium eſſe, ut ordinator, & ordinatus expreſsè con-
ſentiant, ut de patrimonialibus vivat; alioquin poſſe ordi-
natum petere beneficium ab ordinatore, licèt propter hoc
patrimonium ejus non fiat Eccleſiaſticum.
Sed oppoſitum cenſuerunt Tancred. & gloſs. fin. exiſti-
mantes ſatis eſſe, ut promotus habeat ex bonis patrimo-
nialibus, unde ſuſtentari valeat, quia intelligitur tacitè
ordinatus ad titulum patrimonii; & hanc partem amplecti-
tur Hoſt. *n.* 2. dicens opinionem Joannis, & Goffred. eſſe
contra hunc text. *& c. Cùm ſecundum,* 1. *reſp. verſ. Cùm enim
à Clero, & c. tuis infr. eod.* Idem tenet gloſs. 3. *in c. Si Epi-
ſcopus, infra eod. lib.* 6. & conſentiunt hìc Jo. And. *nu.* 2. *in
ver. Niſi talis*, Ant. de Butr. *in* 2. *notab.* dicens: Nota,
quòd ad hoc, ut ceſset obligatio iſta, ſufficit Clericum ha-
bere patrimonium, unde ſuſtentari poſſit, licèt non aſſi-
gnetur in titulum, Petr. de Anchar. in 3. *notab.* Abb. *n.* 2.
in ult. notab. & Decius, *num.* 6.
Verùm Card. *n.* 7. *in* 7. *qu.* dicit utramque opinionem eſse
veram: nam Clericus intelligitur tacitè ordinatus ad titu- 19
lum patrimonii quoad excludendam actionem per condi-
tionem hujus Capituli, & concordantium; id eſt quam-
vis non fuerit expreſsè ordinatus ad titulum patrimonii, ta-
men ſi verè patrimonium habeat, unde vivere poſſit, non
habet actionem ad alimenta contra ordinatorem; & hoc

reſpectu intelligitur tacitè ordinatus ad titulum patrimonii, & ita procedit opinio gloſ. Tancred. & Hoſt. Sed non cenſetur ad titulum patrimonii ordinatus quoad hoc, ut patrimonium fuerit effectus titulus beneficii Eccleſiaſtici; & ſic procedit ſecunda opinio Joan. Goffred. & Innoc. Eamdem diſtinctionem ante Cardinal. poſuit Gloſſ. Joannis Andr. in *cap. Si Epiſcopus*, *in ver. Titulum infra eod. lib. 6. in additione*, ubi ait: *Licet ad obligationem, de qua hîc loquimur, ſequar Tancred. & Hoſtien. non tamen dico patrimonium eſſe titulum, niſi expreſsè fuerit ſic actum*. Et pro primo hujus diſtinctionis membro vide text. *in c. Poſtulaſti, ſupra de præſcript.* qui eſt Gloſ. Capituli, *Cùm ſecundum Apoſtolum*, ubi habetur, Sedem Apoſtolicam per illam formam voluiſſe ſuccurrere neceſſitatibus pauperum Clericorum. Ergo ſi ex bonis patrimonialibus habeant, undè commodè vivere poſſint, non intendit cogere ordinatorem ad alimenta eis præſtanda.

20 Ex his infert Decius *hîc n. 7.* ut ſi ordinatus tempore promotionis haberet patrem divitem, vel alium conjunctum, à quo poſſet exigere alimenta, non obligaretur Epiſcopus; & dicit hoc ſentire Imolam *hîc col. 2. verſ. Ultimò potes no-*
21 *tare*. Ad quod facit, quia pauper non dicitur, qui patrem habet divitem, ut *in c. 1. infr. de Mag. ſtr.* ibi, *Ne pauperibus, qui parentum opibus juvari non poſſunt, ſubtrahatur, & quia æſtimum patris, filii reputatur*, ut notat gloſ. *in l. 2.*
22 *in ver. Poteſtate, l. qui ætate, libr. 10.* Qua de re plura ſcribit Alex. *in l. 1. in ſuis, ff. de liber. & poſth.* Ad idem confert text. *in c. Clericos, 1. q. 2.* ibi, *Quibus parentum, & propinquo-*
23 *rum nulla ſuffragantur bona, & c. ult. ad hon. 16 qu. 1.* Quod tamen limitat Decius *num. 10.* ut procedat, dummodo pater teneatur alimenta filio præſtare: fortè quia filius propter dignitatem non poteſt ſibi propriis manibus victum quærere, ſecundùm ea quæ notantur per Bartolum *in l. Si quis, §. 2. in ver. ſed filius*, poſt gloſ. *in ver. Ut operis, ff. de libert. agnoſc.* Aliàs ſecùs, ut hîc latiùs per eum.

24 Tu adverte; nam ſupraſcriptas Doctorum opiniones hodie non obſcurè ſuſtulit S. Trid. Synodus *in c. 2. ſeſſ. 21.*

Primò enim dum ſtatuit, ne quis Clericus ſæcularis deinceps ad ſacros Ordines promoveatur, niſi priùs legitimè conſtet eum beneficium Eccleſiaſticum pacificè poſſidere; patrimonium verò, vel penſionem obtinentes ordinari poſthac non poſſint niſi illi, quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum ſuarum: apertè ſuſtulit diſpoſitionem *c. tuis, infra eod.* ſecundùm quam Clerici non beneficiati licitè poterant ad ſacros Ordines promoveri ad titulum patrimonii; quod etiam licebat in vim hujus Decretalis, ſecundùm intellectum Jo: Andr. & DD. exponentium verba illa, *certo titulo*, ſcilicet beneficii, vel patrimonii: nam hodie ſolum beneficium eſt titulus legitimus ad ſacros Ordines, patrimonium verò nonniſi diſpenſativè, quemadmodum etiam alias declaravit S. Congregatio ejuſdem Concilii Interpres. Et proptereà Concilium utitur illis verbis, *Statuit ne deinceps*, quæ oſtendunt hanc proviſionem eſſe jus novum, ut notat gloſ. in Clem. *Eo, in ver. Deinceps, de Regular.* Ideòque colligitur ex dictione illa, *Poſthac*, quę idem importat, quod *Deinceps*, ſeu *Dec. vero*, *ut l. Si quis poſthac, C. de bon. Pro-*
25 *ſcriptor.* Rurſus Concil. ibidem correxit opinionem gloſſ. Tancred. & Hoſt. de qua *ſupra in 18. verſ. Sed oppoſitum*, qui dixerunt Clericum, ſi patrimonium habeat, ordinari poſſe, etiam nullo titulo aſſignato, & tacitè ad titulum patrimonii ordinatum cenſeri: nam poſt Concilium non ſufficit, ut habeat patrimonium, ſed exigitur, ut expreſsè ad patrimonii titulum ordinetur diſpenſativè ob neceſſita-
26 tem, vel utilitatem Eccleſiæ. Ad hæc dum Conc. in verſ. *Eo quoque*, diſpoſuit, ut priuſquam Clerici ordinentur ad titulum patrimonii, conſtare debeat patrimonium illud verè ab eis obtinendum: ſatis clarè improbavit opinionem Imolæ, & Decii, exiſtimantium Clericum poſſe ad ſacros Ordines jure promoveri, ſi patrem habeat divitem, ut dictum eſt ſupra *n. 20.* Quandoquidem patrimonium patris non eſt patrimonium filii, verè, ſed interpretativè, ſeu per quandam juris fictionem, ſecundùm quam pater, & filius cenſentur una, & eadem perſona, *c. Contradicimus, §. Hac auctoritate, 35. q. 3.* ut notat gloſſ. præallegata in *l. 2. in ver. Poteſtate, C. de his, qui ætate ſe excuſant, lib. 10.* At ex Conc. hujuſmodi præſumptio, ſeu fictio non ſufficit, quemadmodum nec ſufficit, ut pater teneatur filio ad alimenta: ſed exigitur, ut promovendus patrimonium illud verè ob-
tineat. Obtinere autem non dicitur, qui actionem habet, vel jus ad rem, ſed qui habet jus in re, & legitimè 27
poſſidet, ut notat Archid. *in c. Si gratioſè, n. 1. ver. Nam cùm non habeat jus in re, de reſcrip. lib. 6.* & Alberic. *in Dictione in ver. Obtinere*, ſicut habere, eſt cum effectu habere, ut *l. Nomen filiarum, §. Habere, ff. de verb. ſignif.* Et 28
adverbium illud, *verè*, fuit appoſitum à Conc. ad hujuſmodi fictiones excludendas: nam veritas, & fictio opponuntur, ut *l. Qui in utero, ff. de ſtat. hom. & l. Si pater familias, §. Qui duos, ff. de adop.* & aliud eſt eſſe tale, aliud haberi pro tali; quod pluribus exornat Oldrad. *conſ. 67. Quæſtio talis eſt, n. 4. verſ. Hæc autem multum refert.* Præſertim verò, quia Concilium paulò poſt adjecit, ut patrimonium illud deinceps ſine licentia Epiſcopi alienari non poſſit, quę verba non conveniunt niſi bonis verè aſſignatis in titulum, non autem bonis paternis, quorum pater liberam habet diſpoſitionem, *l. Cùm oportet, & l. Cum non ſolùm, C. de bon. quæ liber.* Ac demùm dum Concilium *in d. c. 2 ſeſſ. 21.* in ex- 29
tremis verbis innovavit pœnas antiquorum Canonum, *C. Id eſt hujus c. & c. Cùm ſecundum infr. eod.* non autem *cap. Neminem, & c. Sanctorum, 70. diſtin.* ut S. Congregatio declaravit, videtur ſuſtuliſſe opinionem Hoſtien. Joan. Andr. Butr. & aliorum, de quibus *ſupra num. 18. verſ. Sed oppoſitum*, qui dixerunt, ad hoc ut Epiſcopus eximatur à pœna, ſeu obligatione præſtandi alimenta, ſufficere, ut Clericus habeat patrimonium, unde ſuſtentari poſſit, licèt ad illius titulum non fuerit ordinatus. Hodie enim hoc videtur corrigi, quia cùm patrimonium non ſit titulus ad ſacros Ordines niſi diſpenſativè, ex eo quòd Clericus habeat, unde vivat, non videtur ſatisfactum Concil. quod voluit neminem ordinari niſi ad titulum beneficii, excepta cauſa neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiarum; & conſequenter cùm Epiſcopus non ſervaverit formam ſibi præſcriptam, videtur incidiſſe in pœnam, de qua hîc, *& in d. c. Cum ſecundum*, à Concilio innovatam; & ſic obligari ad providendum ordinato de competenti beneficio Eccleſiaſtico, ne alioquin inveniatur Clericus ad ſacros Ordines promotus ſine titulo beneficii, nulla ſubſiſtente cauſa neceſſitatis, vel commoditatis Eccleſiæ: tutius tamen eſset ſuper hoc dubio S. Congregationem conſulere.

In gloſ. fin. nota diligenter hanc gloſ. & ex ea collige bo- 30
na patrimonialia, ad quorum titulum Clericus eſt ordinatus, gaudere privilegiis bonorum Eccleſiæ; prout hanc gloſ. ad hoc ponderat Felin. *in c. Eccleſia S. Mariæ, num. 10. de Conſtit.* & Dec. *hîc n. 20.* Rationem aſſignat gloſ. quia talis de foro Eccleſiæ factus, licèt non habeat Eccleſiam: & allegat jura *in c. Eccleſiarum ſervos, 12. qu. 2. & c. Sunt, 16. q. 1.* Sed hæc ratio, & jura allegata includunt quoad privilegium in perſona, non autem in rebus. Abb. verò hîc 31
n. 4. dicit hoc ideò eſſe, quia bona ſunt acceſſoria ad perſonam, & propter prærogativam perſonæ ſæpè privilegiantur bona, ut *l. 3. C. de Epiſc. & Cler.* melior text. eſt *in cap. Similiter, 16. q. 1.* Verùm hæc ratio Abbatis generalis eſt ad omnia bona patrimonialia Clericorum, quæ tamen non gaudent privilegiis rerum Eccleſiaſticarum, niſi in caſibus expreſſis in jure, ut dicam infra *nu. 35. & ſeqq.* & è contra nimis ſtricta eſt alia ratio, quam reddit gloſ. *in c. Ex literis, in ver. Obligata, infr. de pign.* ait enim res Clericorum proptereà gaudere eodem privilegio, quo res Eccleſiæ, juxta text. *in d. c. Similiter; 16. q. 1.* quia ſunt obligatæ Eccleſiæ, ſi malè adminiſtraverint. Hanc enim rationem 32
meritò refellunt hîc Butr. *n 8.* & Abb. *n. 4.* nam ſi ratio gloſ. procederet, ſequeretur, ut Clericus non habens beneficium non gauderet illo privilegio. Dic ergo veram rationem eſſe, quia patrimonium, ad cujus titulum Clericus eſt promotus, ſubrogatur in locum beneficii, & idcircò ſapit illius naturam, *§. Fuerat, inſtit. de act.* cum ſimilibus, ut latiùs dicam *infr. num. 43.*

Ad unum tamen adverte, quia dum gloſ. noſtra dicit pa- 33
trimonium Clerici ordinati ſine titulo beneficii gaudere privilegio bonorum Eccleſiæ, etiamſi patrimonium illud non fuerit ei expreſsè aſſignatum in titulum, hoc à DD. non admittitur; quia ad hoc ut patrimonium Clerici gaudeat generaliter, & indiſtinctè privilegiis bonorum Eccleſiaſticorum, requiritur, ut Clericus ad illius titulum fuerit expreſsè ordinatus, ſecundùm opinionem Joan. Goffred. & Innoc. hîc, & gloſ. *in cap. Si Epiſcopus in ver. Titulum, infra eodem libr. 6.* quæ à Doctoribus communiter recipitur, ut patet ex dictis *ſupra numer. 19.* & fuſiùs patebit

ex

ex his, quæ dicentur infrà in præludiis quæſtionum ſubſequentium.

34 Sacra Congregatio ſuper Bono Regimine conſuluit Sac. Congregationem Concilii ſuper dubiis infraſcriptis.

Primò, Clericus ordinatus ad titulum beneficii reſignavit illud non coſtituto ſibi authoritate Principis, vel Ordinarii certo patrimonio, ſed ſolùm narrato in reſignatione quòd habeat patrimonium ſufficiens ad vitam.

Quæritur, an hoc patrimonium in totum, vel pro aliqua parte, & pro qua conſequatur immunitates conceſſas patrimonio, ad cujus titulum Clericus ordinatur.

Secundò, Clericus ordinatus ad titulum patrimonii conſequitur beneficium ſufficiens ad vitam.

Quæritur, an dictum patrimonium amittat immunitates ei conceſſas in ordinatione.

Tertiò, Clerico ordinato ad titulum patrimonii fuit conceſſum privilegium particulare reale ab oneribus cameralibus, donec conſequatur beneficium: obtinuit beneficium, & poſtea illud dimiſit.

Quæritur, an dictum privilegium, quod ceſſavit per aſſecutionem beneficii, redeat ad primævam ejus naturam per ejuſdem beneficii dimiſſionem.

35 Pro clariori ſolutione harum dubitationum præmittendum eſt, bona patrimonialia Clericorum hoc differre à bonis, ad quorum titulum Clerici ordinantur, quòd illa non gaudeant privilegiis bonorum Eccleſiæ, niſi in caſibus à jure expreſſis; & hoc pro regula conſtituunt Anton. de Butr. Imol. & Abbas *in c. Si dilig nti, de præſcript.* Rom. *in l. Uſucapionem, ff. de uſucap.* Felin. poſt alios *in c. Eccleſia S. Mariæ, ſub n. 8. verſ. Sed nihilominus, de conſtitution.* Andr. Barbat *ibidem n. 59.* & Decius *hic nu. 18.* qui teſtatur
36 hanc eſſe communem opinionem: ideòque bona patrimonialia Clericorum præſcribuntur ſicut bona laicorum, ut notat gloſ. 1. *in cap. Poſſeſſiones, 16. quæſt. 4.* Roman. *ſingul.*
37 464. Butr. & Abb. *in d. cap. ſi diligenti.* Rurſus in his bonis non competit Clerico reſtitutio in integrum, ſicut competit in bonis Eccleſiæ, ut notat Spec. *in tit. de reſtit.*
38 *in integr. § Qualit. verſ. Sed nunquid*, & gloſ. 2. *in Clem. 1. eod. tit.* Item poteſt Clericus de his propria authoritate compromittere etiam in laicum, quod non poteſt de Eccleſiaſticis, gloſ. 2. *in d. cap ſi diligenti*; ac plura alia exempla congerunt Abb. & Felin. *loc. cit.*

39 At verò bona, ad quorum titulum Clerici ordinantur, habent indiſtinctè omnia privilegia, & exemptiones, quæ competunt bonis Eccleſiæ, in quorum locum ſunt ſubrogata, gloſ. *fin.* hìc, Felin. *in d. cap. Eccleſia S. Mariæ nu. 10.* ubi aſſerit hæc bona gaudere privilegiis bonorum Eccleſiæ etiam in caſibus à jure non expreſſis; quia cum ſubrogentur loco beneficii, non videtur deinceps eſſe ſimplex patrimonium temporale, & profanum, ſed quædam quaſi ſpiritualis merces, & præmium pro ſervitiis altari exhibendis: quod latiùs proſequitur, & ab objectis tuetur Anton. Burgoſ. *in repetitione ejuſdem can. num.* 130. *& ſeqq. verſ. Limitant moderni.*

40 Atque inde fit, ut bona patrimonialia licèt poſſit Clericus alienare, etiam inconſulto Ordinario, aliud tamen ſit ſi ad eorum titulum fuerit ordinatus, quia tunc cenſentur effecta quaſi dotalia, atque alienari non poſſunt abſque ſolemnitatibus, &c. ut docuit Hoſt. *in cap. Tuis, nu. 1. infr. eod.* quem ibi ſequuti ſunt Jo. Andr. *n. 6. verſ.* Hoſtien. dicit, Card. Zabarel. *nu. 3. verſ. Septimò quæro*, Butr. & Anchar. *in fin.* & Imol. *num.* 11. ubi teſtatur de communi, Jo. de Anania *nu. 6. verſ. An autem iſte Clericos*, Anton. Burgoſ. poſt alios *in d. c. Eccleſia S. Mariæ, num.* 144. *de Conſtitut.* Quod clarius hodie eſt ſancitum decreto Concilii Trident. *c. 2. ſeſſ. 21.*

41 Caſus autem à jure expreſſi, in quibus bona patrimonialia Clericorum bonis Eccleſiaſticis æquiparantur, ſunt immunitas à collectis, atque à juriſdictione ſæculari, privilegium fori, & alii plures, quos cumulat Felinus *in dict. c. Eccleſiæ S. Mariæ, n. 7. & ſeq.*

42 Cæterùm quoad immunitatem à collectis, etſi inſpecta juris communis diſpoſitione, nulla ſit differentia inter alia bona patrimonialia Clericorum, & bona, ad quorum titulum Clerici ſunt ordinati, ſed omnia indictinctè ſint immunia ab illarum exactione, ut proximè dictum eſt, ut probatur *in c. 1. de immunit. Eccleſ. lib. 6. & in cap. Quamquam, de cenſibus, eodem lib.* tamen ſtantibus Bullis Pauli III. & Pauli IV. Clementis VIII. Pauli V. & aliorum Summorum Pontificum revocatoriis quarumcumq; exemptionum, & immunitatum à ſolutione onerum Cameralium, Sac. Congregatio ſuper Bono Regimine ſæpius mandavit adſtringi Eccleſiaſticos, & alios privilegiatos ad ſolutionem hujuſmodi onerum, niſi libertatem præſcripſerint, præterquam ex bonis patrimonialibus, ad quorum titulum Clerici ad ſacros Ordines ſunt promoti.

Quod tamen non modicam patitur difficultatem, quia revocationes hujuſmodi non afficiunt exemptiones, quæ de jure competunt Eccleſiaſticis, prout expreſsè declaravit Paulus V. in Conſtitutione ſua, quæ incipit, *In maximis*, in Bullar. *tom. 3. pag.* 118. ibi, *Volumus autem, ac declaramus noſtræ intentionis non eſſe revocare exemptiones, & immunitates quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis tam ſæcularibus, quam Regularibus de jure competentes.*

Nec tollit obicem, quod ordinationes, ut præfertur, editæ à S. Congregat. referri debeant ad onera quæ copulativè ſunt certa, realia, & invariabilia, à quorum ſolutione Eccleſiaſtici non ſunt exempti, ut in deciſ. Rotæ in cauſa Brunduſina gabellæ coram Penia cum ſuis concord. quam ſæpiùs probavit S. Congregatio ſuper controverſiis juriſdictionalibus. Quoniam ſi tales ordinationes ita eſſent intelligendæ, à ſolutione prædictorum onerum non fuiſſent excipienda bona, ad quorum titulum Clerici ſunt ordinati; quia ſolutioni illorum etiam hæc bona ſunt obnoxia, perinde ac bona Eccleſiarum, ut in præallegat. deciſ. Verùm quidquid ſit, in hac diſputatione ſupponenda eſt differentia inter patrimonium, ad cujus titulum Clericus eſt ordinatus, & alia bona patrimonialia Clericorum, ut illud quidem ſit immune à ſolutione onerum Cameralium, hæc autem non item.

Atque hoc ſuppoſito, ad primam quæſtionem videtur reſpondendum, patrimonium illud, quod remanet Clerico beneficium reſignanti, conſequi immunitates conceſſas patrimonio, ad quod Clericus ordinatur, pro ea tantùm parte, quæ ad congruam Clerici ſuſtentationem ſufficiat. 43
Nam etſi Concilium *d. cap 1. ſeſſ. 21.* tantum diſponat, ut beneficium, ad cujus titulum Clericus eſt promotus, reſignari non poſſit, niſi conſtito, quod ipſe aliunde commodè vivere poſſit, nec ulteriùs procedat, arctando Ordinarios ad certum patrimonium pro titulo reſignanti conſtituendum: tamen bona illa, quæ ex Concilio debet habere Clericus reſignans, videntur ſuccedere loco tituli, etiamſi hoc Epiſcopus non declaraverit; alioquin Concilium minimè proſpexiſſe decori Ordinis Clericalis, quia Clericus dimiſſo beneficio poſſet poſteà bona illa ad libitum alienare, ſi loco tituli non ſuccederent, ſecundùm opinionem Hoſt. & communem *in d. cap. Tuis, infr. eod.* atque ita cogeretur, aut cum Ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere, contra expreſſam rationem *d. cap. 2.* Accedit, quod cum de jure communi bona Clerici ſimpliciter ordinati non ſubrogentur loco tituli, niſi quoad hoc, ut Clerico non competat conditio adversùs Epiſcopum ordinantem, ex communi ſententia *in d. c. tuis & in d. c. Eccleſia S. Mariæ, de conſtit.* ut dictum eſt *ſupr. num 19.* ſupervacaneum eſſet hac in parte Trid. Concil. decretum, ſi nihil adderet diſpoſitioni juris communis. Quamobrem ut Clericorum dignitati ſatis conſultum ſit, & Concilii proviſio in re tam neceſſaria inanis non videatur, ea bona quæ ſuperſunt Clerico beneficium reſignanti, intelligi debent ſubrogari in locum tituli inalienabilis, licèt Epiſcopus id non expreſſerit, ad hoc optimus text. *in leg. Si donatæ, §. 1. ff. de donat. inter virum, & uxor. & in leg. Filiæ, §. fin. ff. de condit. & demonſtrat.* 44

Hæc autem ſubrogatio, cum fiat juris interpretatione, intelligenda eſt fieri pro ea tantùm parte, quam jus requirit; pro ea nimirum, quæ ad vitam Clerici congruè ſuſtentandam ſit ſatis. Neque enim aliud exigit Concilium *in d. cap. 2.* E ſubrogatio legis cenſetur fieri cum omnibus qualitatibus, & conditionibus ejus in cujus locum fit, *l. 1. §. Hæc actio*, & ibi notat Bartol. *ff. Si quis teſtam. liber. eſſ. juſſ. fuer.* Jaſon. *in l. licèt Imperator. num. 25. ff. de leg. 1.* Quæ autem dicatur congrua ſuſtentatio, & ad quam rationem taxari debeat, prolixè explicatum eſt *ſuprà in 2. notab. num. 8.* 45

Secundæ quæſtionis ſolutio ex eo videtur pendere, an beneficium, quo conſequitur Clericus promotus ad titulum patrimonii, ſuccedat loco tituli, ita ut ex Concilio reſignari non poſſit. Nam ſi ſuccedit, patrimonii titulus extin- 46

extinguitur per acquiſitionem alterius tituli Eccleſiaſtici; ſicut dicimus de novatione, quæ priorem obligationem extinguitur, & in aliam transfundit, *l. 1. ff. de novat. & de obligat. Epiſcopi ordinantis aliquem ſine titulo*, quæ extinguitur, eo ipſo quòd ordinatus aſſequitur beneficium, ut hìc, *& in cap. Cum ſecundum, infra eod.* Sin autem beneficium non ſuccedat loco tituli; tunc patrimonium, ad cujus titulum Clericus eſt promotus, retinebit ſua jura, & privilegia, arg. *leg. Sancimus, C. de teſtam.* Videtur autem dictum beneficium non ſuccedere loco tituli, quia cùm Clericus habeat titulum patrimonii ex proviſione hominis, ceſſat titulus beneficii ex proviſione legis, *l. fin. C. de pact. conv. cum ſim.* Ac propterea Concilium juſſit Clericos ordinari cum titulo ſufficienti; nec cogerentur mendicare in opprobrium Ordinis Clericalis. Quæ ratio ceſſat, ubi Clericus eſt jam promotus ad titulum patrimonii inalienabilis; ac proinde nulla ratio ſuadet, ut beneficium intelligi debeat ſubrogari in locum patrimonii, ad cujus titulum
47 Clericus promotus fuerat. Quam interpretationem ſæpiùs videtur ſequuta S. Congregatio Concilii. Aliquando enim cenſuit decretum *d. cap. 2. ſeſſ. 21.* dum prohibet reſignationem beneficii, ad cujus titulum quis fuit ordinatus, non comprehendere reſignationem illius beneficii, quod poſteà conſequutus eſt Clericus jam promotus ad titulum patrimonii, ſed patrimonium ipſum remanere inalienabile. Ergo ex ſententia Sac. Congregationis beneficium illud non eſt loco tituli, neque extinguit antecedentem titulum patrimonii, & conſequenter patrimonium non amittit propterà immunitates ei conceſſas in collatione Ordi-
48 num. Aliquando etiam reſpondit patrimonium alienari non poſſe ſine licentia Epiſcopi, etiamſi promotus adeptus ſit beneficium ſufficiens, &c. Ergo titulus patrimonii ex S. Congregatione non extinguitur per aſſecutionem beneficii; nam ſi extingueretur, alienari poſſet etiam Epiſcopo inconſulto, ex communi ſententia *in dict. c. tuis, infra eodem*, ut patet ex dictis *ſupra numer. 41.* Cujus quidem deciſionis potiſſima ratio fuit, quia ſi Clericus adepto beneficio alienare poſſet patrimonium ſine licentia Epiſcopi, poſſet poſteà etiam beneficium illud reſignare in fraudem Concilii, quia decretum *d. cap. 2.* non arctat Clericum reſignantem, niſi ad faciendam mentionem, quòd ad illius beneficiis titulum ſit promotus. Hoc autem caſu Clericus poſſet tutò ſubjicere ſe fuiſſe promotum ad titulum beneficii, quod poſteà adeptus fuit; quia utcumque ſuccederet in locum tituli, ſemper tamen verum eſſet eum non fuiſſe promotum ad illum titulum, ſed ad titulum patrimonii, atque ita Clericus utroque titulo deſtitutus cogeretur mendicare in opprobrium Ordinis Clericalis, quod tantopere abhorrent ſacri Canones, *ut c. Diaconi ſunt, 93. diſt. & c. Poſtulaſti, ſupra de reſcript.* Quare huic interpretationi favet expreſſa mens Concilii. Verba autem non adverſantur, quia illorum ſenſus non eſt, ut bona, quæ ſine licentia Epiſcopi prohibentur alienari, donec ordinatus beneficium Eccleſiaſticum ſit adeptus, alienari deinde poſſint ſine licentia Epiſcopi; ſiquidem verba illa, *Sine licentia Epiſcopi*, poſita ſunt ad oſtendendam differentiam, quæ conſtituitur inter eadem bona, antequam Clericus ſit aſſecutus illud beneficium, & poſtquam illud aſſecutus eſt; ut priùs quidem nec de ipſius Epiſcopi conſenſu poſſint alienari, poſteà verò poſſint, ſed de conſenſu Epiſcopi tantum. Alioquin ſi alius eſſet dictorum verborum ſenſus, ſequeretur, ut dum Concilium prohibet Clerico alienationem patrimonii ſine licentia Epiſcopi, donec beneficium ſit adeptus, cenſeretur à contrario ſenſu illam permittere de Epiſcopi licentia. Quod eſſet maximè abſurdum. Neque obſtat, quòd titulus
49 patrimonii non ſit titulus ad Ordines niſi diſpenſativè, eò quòd non poſſint Clerici indiſtinctè ordinari ad ejuſmodi titulum, ſed illi tantùm, quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum ſuarum, ut ſtatuitur *in d. cap. 2.* Et conſequenter per aſſecutionem beneficii, qui eſt titulus approbatus à ſacris Canonibus, prior titulus minùs Canonicus, & ſubſidiarius extinctus cenſeri debeat, arg. *§. Sciendum, inſtit. de ſatiſdat. tutor. l. 1. & per totum, ff. de Magiſtrat. Convent.* Nam objectum tollitur, quia Concilium *d. cap. 2.* non conſtituit differentiam, an Clericus promotus ad titulum patrimonii aſſequatur beneficium Eccleſiaſticum, vel aliud ſufficiens habeat, unde vivere poſſit, imò utroque caſu permittit Clerico alienationem patrimonii; loquitur enim alternativè, ut patet ibi, *Remitti nullatenus poſſint, donec beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ſit adepti, vel aliunde habeant unde vivere poſſint*; & ſic ſufficiat alterutrum verificari, *ut c. Inter cæteras ſuprà de reſcript.* & in regula *in alternativis, de reg. jur. l. 6.* Ergo quemadmodum per aſsecutionem aliorum bonorum non extinguitur prior titulus patrimonii; ita nec
per aſſecutionem beneficii. Neque enim titulus patrimo- 50
nii eſt ſubſidiarius, niſi cum agitur de Clerico promovendo: eo enim caſu ordinari non debet, niſi pro neceſſitate,
vel commoditate Eccleſiæ: at ubi eſt jam promotus, Con- 51
cilium non improbat tituli commutationem; quinimò ex Concilio permittitur tranſitus à titulo beneficii ad titulum patrimonii, ut ibi, *Neque ea reſignatio admittatur, niſi conſtito quod aliunde vivere commodè poſſit.*

Ad tertiam quæſtionem videtur reſpondendum, ſpeciale 52
privilegium, quod ceſſavit per aſsecutionem beneficii, mi-
nimè reviviſcere per ejuſdem beneficii dimiſſionem. Nam 53
verba illa, *Donec conſequatur beneficium*, cum ſint collata in incertum eventum, faciunt conditionem, Bartol. *in l. 1. in princ. in 6. col. ff. de condit. & demonſt.* Jaſ. *in l. ſufficit, n. 5.*
ff. de condit. indeb. Conditionem verò ſufficit aliquo mo- 54
mento temporis impleri, licèt implementum non duret, *l. Si quis hæredem*, ubi omnes notant, *C. de inſtit. & ſubſtit. leg. in ſubſtitutione, ff. de vulgar. & pupillar.* Ant. Gabriel. poſt alios *l. 4. comm. concluſ. tit. de fideicomm. concluſ. 7. & 8.*
Ideòque legatum factum alicui, cùm filios habuerit, debe- 55
tur nato filio, nec quicquam obeſt, ſi is decedat, text. *in l. Cum uxor.* Et ibi Bald. & Salycet. *C. quando dies legati ce-*
dat. Vel certè, ut placuit Bald. *conſ. 415. Quod dicta Con-* 56
teſſina, l. 1. in princ. dictio illa *Donec*, nec conditionem, ſed terminum temporis importat; ac proinde privilegium Clerico conceſſum, donec beneficium aſsequatur, non perdurabit, niſi uſque ad illius aſſecutionem. Neque enim eſt privilegium perpetuum, ſed temporale, & limitatum uſque ad actum conſecutionis beneficii; atque hoc pacto arguit Dec. *conſ. 14. viſa prohibitione ſub n. 11.* & Caſtr. *conſ. 184.*
n. 2. verſ. Colligitur inſuper, l. 2. Ac propterea cum privile- 57
gium fuerit ſublatum per beneficii aſsecutionem, non redibit ad primævam ejus naturam per dimiſſionem ipſius, quia jus ſemel extinctum non reviviſcit, *l. Qui res, §. Aream ff. de ſolut. & cap. Quæri, de conſecrat. diſt. 4.* Petrus de Ancharan. *conſ. 38. mortua d. Domina, n. 3.* & quia intereà eſt jus quæſitum Cameræ in exigendis oneribus, quod non poteſt auferri per dimiſſionem voluntariam beneficii, atque ita cum jus non modo quoad Clericum ſit peremptum, verùm etiam ad alios devolutum, numquam revivi-
ſcit, ut ibidem animadvertit Anchar. Ideòque in ſimili vi- 58
demus eum, qui fidejuſſit judicatum ſolvi, donec lata fuerit ſententia diffinitiva; lata ſententia abſolutoria liberari, nec poſteà obligationem reviviſcere per ipſius ſententiæ revocationem; quia cum principalis fuerit ſemel abſolutus, & ſic quæſita fuerit liberatio fidejuſsori: condemnatio poſteà ſubſequens non poteſt jus illi quæſitum auferre. Caſus eſt in *l. fin. ff. de pactis*, ubi ita concludunt Bart. & DD. & fusè
conſuluit Soccin. *conſ. 91. Concludo, per totum vol. 4.* Neque 59
obſtat quod diſpoſitio ita demum verificetur in primo actu ſi factus effectum ſortitus fuerit, ſecundum gl. quæ communiter recipitur, *in l. Qui per ſal. §. Hoc ſerm ff. de jurejur.*
Nam reſpondetur hoc procedere in diſpoſitione legis, non 60
autem in diſpoſitione hominis, ut in caſu præſenti; ſufficit enim in iſto caſu, ut diſpoſitio verificetur in primo actu, licèt talis actus non duret, vel non ſortiatur effectum. Ita declarat Bald. *in l. 1. q. 4. C. de his qui pœn. nom.* & Socc. *d. con. 91. n. 4.* Etenim ad diſsolutionem obligationis ex parte Cameræ ſufficit primum unicum impedimentum, aſsecutio-
nis ſcilicet beneficii, licèt implementum non duret, ut in- 61
quit Anch. *conſ. 404. Tria dub. n. 6.* Præſertim verò quia cùm hoc caſu implementum ceſset facto ipſius Clerici, qui potuit non dimittere, non datur ſibi regreſsus ad jus ſemel extinctum, ut in terminis Clerici beneficium ſpontè dimittentis probat Archid. *in cap. Non poteſt, de Præben. in 6.* & confert. doctrina Bald. *in l. Si quis hæred. verſ. Item facit ad quæſtionem, C. de inſtit. & ſubſtit.* ubi docet non ſufficere conditionem ſemel extitiſse, quando implementum non durat facto, & culpa illius, qui implevit. Et Bald. ſequitur ibi Salycetus *circa finem*, & Alex. *col. 2. ver. Tangit* etiam Bald. & alii, quos cumulat Gabriel. *comm. concluſ.*
lib. 4. tit. de fideicommiſſ. concluſ. 8. num. 3. Quæ omnia ſatis 62
etiam comprobantur ex tenore ipſius privilegii, quod cum ſup-

ſupponatur conceſsum ſub his verbis, *Donec Clericus beneficium conſequatur*; nulla videtur habita ratio retentionis
beneficii, ſed aſsecutionis tantùm, quæ tractum ſucceſſivum non habet, ſed unico momento perficitur, Bald. *in l. fin. col. 2. in 2. notab. Codice, de ind. vid. toll.* Gabr. *loc. cit.*
63 *num. 6.*

Fateri tamen oportet hanc materiam eſse ſatis dubiam:
Nam jus ſemel extinctum ex certa ratione, vel cauſa, reviviſcit ratione illa, vel cauſa ceſsante, ut reſpondit Abbas
conſ. 3. Nitar. *ſub n. 8. col. 14. verſ. Nec obſtat, juncto fin. illius q. 17. l. 1.* In caſu autem præſenti privilegium immunitatis
ab oneribus Cameralibus, donec Clericus aſsequatur beneficium ſufficiens, fuit conceſsum ea tantùm ratione, quia
adepto beneficio ad vitam ſufficienti, Clericus habet unde vivere poſſit, etiamſi ejus patrimonium ſit obnoxium impoſitionibus Cameralibus. Hæc autem ratio ceſsat dimiſso beneficio; quia eo caſu Clericus non haberet unde viveret, vel
cogeretur cum Ordinis dedecore mendicare, ſi ejus patri-
64 monium ab oneribus Cameralibus abſorberetur, vel minueretur. Ac proindè ceſsante hujuſmodi cauſa extinctionis,
privilegium redibit ad primævam ejus naturam. Et confir-
65 matur, quia non ſat eſt conditionem momento extitiſſe, ubicumq: conſtat diſponentem voluiſse, ut perduraret,
Ang. *conſ.* 159. Conrad. Alb. *n. 3. col. 4. verſ. Nec etiam obſtat.* Adhæc ubi factum, vel caſus poſitus in conditione requirit effectum juris prout ſi in conditione eſt, ſi teſtamentum fecerit, ſi conſul fuerit, ſi matrimonium contraxerit, ſi
Monaſterium intraverit, cujus generis videtur eſse etiam
hæc, ſi beneficium aſsequutus fuerit; utique ſi factum non
duret, vel effectus juris non ſequatur, conditio non eſt impleta, nec ſufficit, ut ſemel extiterit, niſi perſeveret, ut trad.
Angel. *dict. conſil. 159. numero 3. verſicul. Quandoq: in conditione, & numer. ſeqq.* ubi plura congerit exempla.
ſimilia. Quod proculdubio procederet, ſi dimiſſio beneficii 66
non eſset voluntaria, ſed coacta, puta ratione infirmitatis
perpetuę, inimicitiarum, vel pręcepti ſuperioris; ex ſingulari doctrina Anchar. *conſ.* 404. *n.* 8. & cujus verba hæc ſunt:
(Iſta multum differunt, facere actum voluntarium, vel coactum, ſive neceſsàrium: iſtis enim qui neceſsariò actum faciunt, ſemper eſt à jure ſuccurendum, ut remaneant ſine
damno, alis non ita, *ut l. Fidejuſſ. §. Si neceſſaria, §. ff. Qui ſatiſd. cog.* Si ergo huic reſignanti videtur à jure ſubveniendum, ut ſi beneficium, quod vigore gratiæ conſequutus
fuerat, facto legis animatæ, id eſt Papæ, amiſit, ad ſuam gratiam priſtinam, etiamſi extincta fuerit, ipſo jure redeat, ut
ſervetur illæſus, *c. Si beneficia de præb. l. 6.* ubi ad jus etiam 67
per renunciationem extinctum qui revertitur, ſi illud,
quod obtinuit, facto Papæ perdidit, ſive amiſit. Pro hoc etiam facit natura reſciſsorum, quando enim facto legis, vel
judicis de novo quæſitum reſcinditur, ſemper ad antiquum
quis revertitur ipſo jure. Et *infr.* Si ſemel beneficio Principis beneficium conſequutus ſim, & illud facto ejus amitto,
æquum eſt me ad meam gratiam ipſo jure reintegrari: nam
ſicut à beneficio Principis receditur, cùm incipit eſse iniquum, *c. Suggeſtum de decim.* ita e converſo, ſi revocatio extinguitur, debet beneficium reviviſcere.) Hæc Petr. de
Anhar. qui hoc modo conciliat opiniones Archid. & Jo.
Andr. *in d. c. Non poteſt, de præl. in* 5. Itaque *in hac* 3 *quæſtio* nihil putarem generaliter reſpondendum, ſed inſpiciendas rationes, ac verba cujuſque privilegii, an Clericus ſponte dimiſerit, an coactus; an remaneat pauper, an
dives dimiſso beneficio, atque ita in ſingulis caſibus, rerum, ac perſonarum qualitatibus maturè conſideratis, deliberandum; & ita reſponſum ad ſingula ſuperiùs propoſita.

DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.

Idem Alexander III. in eodem Concilio.

CAPUT V.

QUia in tantum qnorumdam proceſſit ambitio, ut nòn duas vel tres, ſed plures Eccleſias perhibeantur habere, cùm nec duabus poſſint debitam proviſionem impendere: Per fratres & Cœpiſcopos noſtros hoc emendari præcipimus; & de multitudine (præbendarum) Canonibus inimica, quæ diſſolutionis materiam & evagationis inducit, certùmque continet periculum animarum eorum, qui Eccleſiis deſervire valeant, indignentiam volumus ſublevari.

SUMMARIUM.

1 *EPiſcopi permittere non debent, quem plures Eccleſias, vel præbendas obtinere.*
2 *Beneficiorum pluralitas quibus ex cauſis improbetur.*
3 *Ambitio quid ſit.*
4 *Ambitioſus quas pœnas incurrat.*
5 *Beneficia plura obtinere abſque irrationabili diſpenſatione an ſit peccatum mortale, & n. ſeq. uſque ad n. 20.*
6 *Opinionum diverſitas circa pluralitatem beneficiorum an excuſet a peccato.*
7 *Præbendas plures obtinere an ſit prohibitum jure divino.*
8 *Et an jure naturali.*
9 *Beneficiorum pluralitas quas habeat deformitates, & inordinationes.*
10 *Et quibus ex cauſis hujuſmodi deformitates evacuentur vel augeantur, & n. ſeq.*
11 *Diſpenſatio ad jus naturale non pertinet.*
12 *Beneficia plura obtinere etiam ex legitima cauſa, jure Eccleſiaſtico non licet abſque diſpenſatione.*
13 *Diſpenſatio ad plura beneficia ſine rationabili cauſa non reddit tutum diſpenſatum quoad Deum.*
14 *Diſpenſatio irrationabilis, diſſipatio dicenda eſt.*
15 *Papæ voluntas in diſpenſationibus habetur pro ratione.*
16 *Declaratur.*
17 *Conſuetudo nutriens pluralitatem beneficiorum non valet.*
18 *Conſuetudo obtinendi plura beneficia ſimplicia, ſi unum ſit ſufficiens, eſt corruptela.*
19 *Beneficium ſecundum ex Concilio Tridentino ita demum uni poteſt conferri, ſi primum ſit inſufficiens, & utrumque perſonalem reſidentiam non requirat.*
20 *Diſpenſationes ſunt odioſæ, & in eis non valet argumentum de majori ad minus.*
21 *Diſpenſatio cum Monacho ad beneficium curatum non extenditur ad ſimplex.*
22 *Diſpenſatio, ut quis tranſire poſſit ad Archiepiſcopatum, non habet locum in Epiſcopatu.*
23 *Diſpenſatio extenditur ad acceſſoria, vel connexa, ſeu conſecutiva, & dependentia.*
24 *Diſpenſatus ad plura beneficia cenſetur etiam diſpenſatus ſuper fructibus alterius in abſentia recipiendis & num 28.*
25 *Parochialem obtinens cum dignitate, vel Canonicatu ex diſpenſatione, tenetur reſidere in Parochiali, & tunc lucratur reditus omnes dignitatis, vel Canonicatus, præter diſtributiones quotidianas.*
26 *Diſpenſatus ad Parochialem cum Canonicatu, dum reſidet in Parochiali, an percipere debeat integras diſtributiones quotidianas in quibus univerſi Capituli reditus conſiſtunt, vel aliquam earum partem, & n. ſeq. uſque in finem.*
27 *Diſpenſatus ad duo incompatibilia, cenſetur diſpenſatus ſuper reſidentia alterius.*
28 *Et conſequenter ad percipiendos fructus in abſentia.*
29 *Diſtributiones quotidianæ, ubi nulli ſunt fructus, ſuc-*

cedunt

cedunt in locum præbendæ; & ideò debentur abſentibus ex juſta cauſa.

30 *Privilegium debet latè interpretari, ut aliquid conferat.*

31 *Canonica non datur ſine præbenda.*

32 *Canonicis pro ſervitio Epiſcopi. vel ſtudiorum cauſa abſentibus, de jure communi debentur integrè diſtributiones quotidianæ, in quibus univerſi redditus conſiſtunt.*

33 *Idem ſi fructus præbendæ ſint admodum tenues.*

34 *Sed poſt Concilium Tridentinum debentur tantùm duæ tertiæ illarum partes, amiſſa alia tertia, quæ inſervientibus accreſcit.*

1 QUia in tantum. Non debent Epiſcopi permittere quem plures Eccleſias vel præbendas obtinere. Hoc dicit. Sunt duæ partes. In prima ponitur exceſſus. In ſecunda proviſio, ibi *Per fratres*. Vel ſecundum Hoſtien. & Jo. Andr. ambitionem Clericorum diverſa beneficia uſurpantium præcipit corrigi, & pauperum inopiam ſublevari. Secunda, ibi, *Et de multitudine*.

2 Nota ex hac Decretali pluralitatem beneficiorum, & præbendarum improbari tamquam Canonibus inimicam, ut hìc, *& in cap. Presbyteros, 16. quæſt. 1. 21. quæſt. 1. per totam, cap. Sanctorum, 70. diſt. cap. de multa, infra eodem* cum multis ſimilibus. Et collige ex littera plures cauſas, cur

3 hujuſmodi pluralitas reprobetur. Prima eſt. quia procedit ex radice ambitionis. Eſt enim ambitio propriè aſpiratio ad dignitatem procedens ad actum, *cap. Cum jamdudum infra eodem. l. Quiſquis, ff. ſi cert. pet.* ſecundum Hoſt. *hic n. 1. in verb. Ambitio*, Jo. Andr. *in eod. verb.* Card. & Abb. *in 1. notab.* licèt S. Thom. *in 2. 2. qu. 131. art. 2.* dicat ambitionem eſſe inordinatum appetitum honoris; nam ambitioſus non reſpicit unde venerit, ſed quò tendit; nec ſibi tam jucundum eſt multos poſt ſe videre, quàm grave aliquem ante ſe, ut ait Seneca, relatus ab Anton. de Butr,

4 hìc *n. 3.* Et quemadmodum talis tenetur pœna ſimoniacæ pravitatis in ſpiritualibus, *cap. 1. infrà de Simon.* ita *l. Julia de ambitu in temporal. ut C. ad l. Jul. de ambitu, per totum*, ſecundùm Hoſtien. & alios præalleg. Et quamvis Abb. dicat contra pluralem eſſe præſumptionem ambitionis, pro quo facit littera ibi, *Quorundam*, tamen. Hoſt. exponens illud verbum, *Quorumdam*, meliùs, inquit, dixiſſet *Omnium*. Et recitat illud B. Bernardi, videlicèt: *O ambitio ambientium, crux quomodo omnes torques, omnibus places!*

Secunda cauſa eſt, quia præbet diſſolutionis materiam videlicet in veſtibus, & moribus, ut explicant Hoſtien. & Jo. Andr. *in ver. diſſolutionis*, & Cardin. *in 4. notab.* Nam *ex adipe prodiit iniquitas*, ut dicitur in Pſalmo 72. Et rurſus in Cantico Moyſis Deuteron. 32. 15. *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit, impinguatus, incraſſatus, dilatatus.*

Tertia cauſa eſt, quia præbet materiam vagationis, ut *in cap. 2. ſupra de offic. Archipresb.* nam ut Abb. inquit *n. 2.* quo magis homo exuberat, eo faciliùs efficitur vagus.

Quarta cauſa eſt impotentia pluribus ſerviendi, ut patet ibi, *Cum nec duabus poſſint debitam proviſionem impendere.* Ad idem *cap. Quia nonnulli, de Cleric. non reſid.* Rationem habes *in c. Diverſis, ſupra de Cler. conjug.* ſecundùm Hoſt.

5 Quinta demum cauſa eſt, quia talis pluralitas certum periculum continet animarum, ut dicitur in littera. Et hinc apertè deducunt Hoſtien. & Joan. Andr. Card. Abb. & alii

6 peccatum eſſe plures præbendas obtinere. Et quamvis multi, præſertim ex recentioribus, affirment in hoc articulo extare utrinque opiniones probabiles, ac proinde eſſe tutum in conſcientia, qui ejuſmodi opinionibus innixus, plures Eccleſias, vel beneficia obtinet: verè tamen, ut ſingulariter inquit Hoſt. hìc, ſi quæratur à te, utrum tenere multas Eccleſias peccatum ſit; nota quod dicitur hìc, nec ubi certum te reddit littera, dicas te dubitare, *c. Cùm contig. §. penult. ſup. de reſcript.* ſubdens hic eſſe expreſſum jus, *& in cap. Quia nonnulli, ſup. tit. prox.* contra id, quod notat Innoc. *in cap. Cum Eccleſiaſticæ, de exception.* Quamobrem cùm lex ſit certa, quamvis qui ſequitur opiniones Magiſtrorum, non faciat contra conſcientiam; tamen tenendo plures præbendas facit contra legem, & ideò peccat, ut egregiè probat D. Thom. *Quodlib. 8. n. 13.* De certitudine autem legis ambigi non poteſt, quia eſt textus clarus hìc, *in d. c. Sanctorum, 70. diſt. & in cap. 1. 21. quæſt. 1.* quod eſt ſeptimæ Synodi *cap. 15.* ubi habetur: *Clericus ab inſtanti tempore non connumeretur in duabus Eccleſiis; negotiationis enim hoc eſt, & turpis lucri commodum, & ab Eccleſiaſtica conſuetudine penitùs alienum.* Ad idem decretum Concilii Tridentini *cap. 17. ſeſſ. 24.* ubi expreſſum eſt, *Eccleſiaſticum Ordinem perverti, cùm unus plurium officia occupat Clericorum; & multos qui improbæ cupiditatis affectu ea, quæ benè conſtituta ſunt, variis artibus eludere, & plura ſimul beneficia obtinere non erubeſcunt, ſeipſos, non Deum decipere.* S. Thomas *Quodlib. 9. art. 15.* diſputat hanc quæ- 7
ſtionem, utrum habere plures præbendas ſine cura animarum ſit peccatum mortale? Et ex ejus dictis eliciuntur ſex concluſiones.

(Prima concluſio eſt, Jure divino hæc quæſtio non invenitur determinata expreſsè, cùm in ſacra Scriptura expreſſa mentio de eo non fiat.

Secunda concluſio, quod pertinet ad jus naturale, plu- 8
res præbendas obtinere non eſt actus habens deformitatem inſeparabiliter annexam, ſicuti eſt fornicatio; alias in nullo caſu diſpenſationem recipere poſſet. Item non eſt actus ex ſe indifferens ad bonum; & malum: non enim licitum eſt habere plures præbendas, ſicut plura poma, ut nonnulli perperam dixerunt; ſed eſt actus continens in ſe plurimas inordinationes. Primò enim non eſt poſſibile ali- 9
quem in pluribus Eccleſiis deſervire, in quibus eſt præbendatus, cùm præbendæ videantur eſſe ordinatæ quaſi quædam ſtipendia Deo ibidem miniſtrantium. Secundò, hinc ſequitur diminutio cultus divini, dum unus loco plurium inſtituitur. Tertiò, fraudantur voluntates teſtatorum, qui ad hoc aliqua bona Eccleſiis contulerunt, ut certus numerus Deo deſervientium ibi eſſet. Quartò, hinc ſequitur inæqualitas, dum unus pluribus beneficiis abundat, & alius nec unum habere poteſt; & multa alia hujuſmodi, quæ de facili patent. Unde ejuſmodi actus habendi plures præbendas non poteſt contineri inter indifferentes actiones, & multo minùs inter eas, quæ ſunt ſecundùm ſe bonæ.

Tertia concluſio, quamvis idem actus ſit ex genere 10
illorum, qui abſolutè conſiderati, deformitatem, vel inordinationem quandam important; tamen hæc deformitas cum non ſit intrinſeca, ſeu inſeparabilis, ceſſare poteſt aliquibus circumſtantiis advenientibus: nam ſicut occidere hominem, vel percutere, in ſe deformitatem quamdam importat; ſed ſi addatur, occidere malefactorem propter juſtitiam, vel percutere delinquentem cauſæ diſciplinæ, non erit peccatum, ſed virtuoſum; ita quamvis plures præbendas obtinere, aliquas inordinationes contineat; tamen aliæ circumſtantiæ poſſunt ſupervenire ita honeſtantes actum, ut prædictæ inordinationes totaliter evacuentur, ut puta, ſi ſit neceſſitas in pluribus Eccleſiis ejus obſequii, & poſſit plus ſervire Eccleſiæ, vel tantumdem abſens, quam alius præſens, & ſi quæ alia ſunt hujuſmodi.

Quarta concluſio, his conditionibus, ſeu circumſtan- 11
tiis ſupervenientibus obtinere plures prebendas cum recta intentione non erit peccatum, etiam nulla diſpenſatione interveniente, ſi conſideretur tantum ſecundùm jus naturale, quia diſpenſatio ad jus naturale non pertinet, ſed ſolum ad poſitivum. Si verò aliquis ea intentione plura beneficia habeat, ut ſit ditior, ut lautius vivat, & ut faciliùs ad Epiſcopatum perveniat in aliqua Eccleſiarum ubi eſt præbendatus; non tolluntur prædictæ deformitates, ſed augentur, quia cum tali intentione, & unum beneficium habere, quod nullam inordinationem importat, eſſet illicitum.

Quinta concluſio jure Eccleſiaſtico prohibitum eſt plu- 12
res præbendas obtinere abſque diſpenſatione; etiam illis circumſtantiis ſupervenientibus, quæ deformitatem, ſeu inordinationem tollunt.

Ultima concluſio, ceſſantibus ejuſmodi circumſtantiis 13
licitum non eſt plures præbendas obtinere etiam cum diſpenſatione, eò quòd diſpenſatio non auferat ligamen juris naturalis, ſed ſolùm ligamen juris poſitivi.) Hæc ex D. 14
Thoma. Et in hoc tamdem reſident hìc Canoniſtæ noſtri: nam Hoſtien. in fine, dicit pluralitatem præbendarum certum periculum animæ continere, id eſt peccatum eſſe, niſi rationabiliter fuerit diſpenſatum: alioquin, inquit, ſi ſine cauſa ſit, te talis diſpenſatio diſſipabit; quia ſecundùm D. Bernardum, talis non diſpenſatio, ſed diſſipatio debet dici. Sequuntur Jo. Andr. *in fine*, Card. *num. 5.* Anchar. *nu. 3.* & Abb. *num. 2. verſ. Non valebit diſpenſatio*, ubi teſtatur de communi opinione. Et idem fuſius proſequitur *in c. Extirpandæ*,

pande, §. Qui verò, de præben. poſt Jon. de Lign. quem citat in Clem. Gratiæ de reſcript. Dixit latiſſimè in cap. fin. de fil.
15 Presb. & in c. Dudum, il 2. de elect. Nec diſſentit Dec. hìc: nam etſi num. 6. dicat doctrinam Hoſtienſis procedere in Epiſcopo tantùm, cujus diſpenſatio ſuper pluralitate beneficiorum non valet ſine cauſa, non autem in Summo Pontifice, quia de factis ejus judicare non licet, cap. Nemini, 17. qu. 4. & in ejus diſpenſationibus ſola voluntas eſt pro ratione: & allegat Innocen. in d. cap. Dudum; tamen inferiùs n. 9. declarat hoc procedere quoad Eccleſiam militantem,
16 ſecus quoad Deum. Et ita etiam dictum Innocentii declarat Abb. in c. De multa, col. 3. verſ. Ex prædictis infero, inf. eodem, & in d. §. Qui verò, nu. 44. Dixi in cap. Ex parte, à nu. 56. uſque ad num. 66. ſuprà tit. prox. Unde concludendum cum B. Bernardo relato à D. Thoma d. quodlib. 9. art. 15. Qui non unus, ſed plures eſt in beneficiis, non unus, ſed plures erit in ſuppliciis.

17 Ex his infert Anton. de Butr. num. 2. verſ. Et propter hoc ultimum, ut non valeat conſuetudo nutriens pluralitatem beneficiorum; quia cum inducat periculum animarum, & ſit cauſa tantorum malorum, eſt irrationabilis, c. Ex parte, & cap. fin. de conſuetud. & ſequitur Abb. hìc num. 2.
18 Et fuſius in d. cap. Extirpandæ, §. Qui verò, nu. 36. de præben. ubi optimis rationibus concludit conſuetudinem obtinendi plura beneficia ſimplicia, etiam perſonalem reſidentiam non requirentia, ſi unum ſit ſufficiens, eſſe corruptelam, & ideò impræſcriptibilem. Et videtur ex mente S. Thom. d. quodlib. 9. art. 15. dum dicit, jura antiqua prohibentia pluralitatem præbendarum continere jus naturale; & ideò non poſſe per contrariam conſuetudinem abrogari.
19 Hodiè Decreto Concilii Tridentini c. 17. ſeſſ. 24. ſtatutum eſt, ut in poſterum unum tantùm beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur. Quod quidem ſi ad vitam ejus, cui confertur, honeſtè ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodò utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri. Et circa hoc decretum vide quod ſcripſi in cap. Cum non ignores, infrà eod.

20 Gloſ. 1. ibi, In omnibus acceſſoriis: nota diſpenſationem extendi ad conſecutiva, ſeu acceſſoria, & dependentia; quod numquam tradas oblivioni, ad limitationem eorum, quæ not. Hoſtien. in cap. Poſtulaſti, n. 12. de reſcript. ubi ſingulariter ait in diſpenſationibus non valere argumentum; diſpenſatum eſt in majori, ergo & in ſimili, vel minori. Quod dictum valdè extollit hìc Decius num. 10. Ratio eſt, quia diſpenſationes ſunt odioſæ, & ſtrictè intelligendæ, c. 1. in fine de fil. Presbyt. in 6. & c. Quod dilectio, inf. de conſang. & affinit. præſertim ſuper pluralitate beneficiorum, ut hìc, & in c. fi. de translat. ſecundum Hoſt. ubi
21 ſup. Unde ſi diſpenſetur cum Monacho ad beneficium Curatum, non cenſetur diſpenſatum ad ſimplex, ut notabiliter ſcripſit Jo. Andr. in reg. quæ à jure, de regul. jur. in 6. in
22 Mercurial. quem ſequitur Dec. hìc n. 4. Et diſpenſatio, ut quis tranſire poſſit ad Archiepiſcopatum, non extenditur ad Epiſcopatum, ut eſt text. in d. c. fi. de translat. & notat Gemin. in c. Quamvis de præbend. in 6. per textum in c. Cui de non Sacerdotali, eod. tit. & lib. Hæc, inquam, doctrina
23 Hoſtienſis cum ſuis illationibus, quas cumulant DD. in d. c. Poſtulaſti, non procedit in acceſſoriis, vel connexis, ſeu conſecutivis & dependentibus; quia ad illa extenditur diſpenſatio, quantumvis odioſa, & ſtricti juris, ut in gloſſ. noſtra, quam ſequuntur Anton. de Butr. num. 5. & 6. Abb. num. 3. & communiter DD. Mandoſ. ad regul. 20. Cancell. q. 7. n. 3.

24 Hinc fit, ut diſpenſatus ſuper pluralitate beneficiorum, cenſeatur etiam diſpenſatus ſuper reſidentia alteriùs, ut dicam infrà n. 27. & diſpenſatus ad duo beneficia, cenſeatur etiam diſpenſatus ſuper fructibus alteriùs in abſentia percipiendis, cùm hoc ſit conſecutivum, & acceſſorium
25 ad principalem diſpenſationem, ſecundùm Archid. & alios inferiùs citandos num. 28. argum. c. Licèt, infrà eod. c. De cætero, & cap. Cùm dilectus, ſuprà tit. prox. & cap. Olim, de verbor. ſignificat. Et hodie eſt expreſſum in Conſtitutione Pii V. quæ incipit, Cupientes, edita 8. idus Julii 1568. in Bullar. tom. 2. pag. 262. ubi obtinentes ex diſpenſatione Apoſtolica Parochialem cum dignitate, vel Canonicatu, tenentur reſidere in Parochiali; & nihilominus ſic reſidentes lucrantur in abſentia omnes, & ſingulos fructus, & proventus Canonicatus ſui, vel Dignitatis, exceptis dumtaxat quotidianis diſtributionibus, & aliis, quæ ex juſta cauſa abſentes percipere non ſolent.

QUÆRO de quæſtione facti. Poſita diſpenſatione 26
Joannis Baptiſtæ de Angelis à Sede Apoſtolica conceſſa ad obtinendum Canonicatum Catedralis, & Parochialem intra mœnia ejuſdem civitatis: ita tamen ut in Parochiali reſidere, & in Cathedrali poſt impletum Parochialis ſervitium horis Canonicis intereſſe teneatur, amittatque diſtributiones quotidianas illarum horarum, quibus ipſe Parochialis ſervitio occupatus, choro Cathedralis non potuerit deſervire: Quæſitum eſt, an idem Joannes Baptiſta obtinens vigore dictæ diſpenſationis tam Parochialium, quàm Canonicatum, cujus fructus omnes quotidianis diſtributionibus conſtant, illis horis, quibus præpeditus Parochialis ſervitio chori nequiverit intereſſe, percipere debeat diſtributiones quotidianas, vel aliquam earum partem.

Juxta uſitatum hujus diſpenſationis tenorem obtinens tam Parochialem, quàm Canonicatum, illis horis, quibus ob ſervitium Parochialis non poteſt intereſſe choro Eccleſiæ, in qua eſt Canonicus, percipit fructus præbendæ, ſed amittit diſtributiones quotidianas, ut in Conſtitutione Pii V. ſuperiùs relata num. 25. Ratio autem perceptionis 27
fructuum ea eſt, quia diſpenſatus ad duo incompatibilia, eſt diſpenſatus etiam ſuper reſidentia alterius, & ex conſequenti etiam ad percipiendos fructus, ut de primo tradit gloſ. 2. in c. Si quis in Clero, q. 1. quàm hìc ſequuntur Cardinal. n. 6. Anchar. & Abb. ambo num. 3 Idem notat Specul. in tit. de diſpenſ. §. Dicendum verſ. Quod ſi habens, Hoſtien. & Jo. Andr. in c. Dudum, il 2. de elect. Et de 2. tradit Archid. in c. 1. de quibuſd. 37. diſt. Feder. de Sen. conſ. 246. de jure communi, Lap. Gemin. & alii in c. 2. de privil. in 6.
Et in ſumma taliter diſpenſatus veluti privilegiatus quoad 28
reſidentiam debet haberi pro reſidente quoad percipiendos fructus, ſed non pro intereſſente ad percipiendas diſtribunes quotidianas, ut docent Gemin. & Franc. in cap. unico, §. Statuimus, ſuper gloſ. in ver. affuerint de Cler. non reſident. in 6. Cùm igitur in caſu hujuſmodi diſpenſationis, Joan. Baptiſta, dum Parochiali inſervit, & non poteſt Canonicatui deſervire, ſit habendus pro reſidente quoad fructus, ſed non pro intereſſente quod diſtributiones; quæritur nunc in dubio, cum omnes redditus Canonicatus ſint diſtributiones quotidianæ, nec alii fructus ex Canonicatu percipiantur; an diſpenſatus, dum Parochialis ſervitio occupatur, debeat earum horarum diſtributiones percipere.
Et certè ſive ſpectemus jus commune Sacrorum Cano- 29
num, ſive Sacræ Congregationis morem, deciſioneſque in caſibus huic affinibus ſæpiùs editas, videtur reſpondendum debere hunc diſpenſatum prædicto tempore hujuſmodi diſtributiones percipere: nam ex recepta concluſione, quoties fructus omnes Canonicatus conſtant diſtributionibus tantum; qui ſtudiorum vel alia de cauſa habentur pro reſidentibus, ſed non pro intereſſentibus; & ideò alias percipere deberent in abſentia fructus præbendæ amiſſis diſtributionibus; eo caſu lucrifaciunt diſtributiones ipſas perinde, ac ſi divinis intereſſent, textus eſt notabilis in c. Olim, infr. de verb. ſignifi. ſecundùm intellectum Hoſt. verum, & communiter approbatum, ut ibi dixi in 5. notab. Et eſt ſententia gloſ. in c. Licet, de præb. in ver. diſtributiones, quam ibi Butr. Imol. & cæteri omnes ſequuntur, Gugliel. de Monte Laud. & alii, quos refert, & ſequitur Rebuff. in tract. de privileg. Scholar. privil. 31. num. 12. Horat. Lut. Callien. eod. tract. de privil. Scholar. privil. 100. in prima limitat.

Hujus autem determinationis duæ ſunt rationes, altera 30
eſt, quam reddit gloſſ. in d. c. Licet, quia niſi privilegiati ad fructus percipiendos perciperent diſtributiones, cum ex Canonicatu nulli alii redditus percipiantur, privilegium eis nihil prodeſſet, contra text. in c. In his de privil. Altera 31
eſt ratio magis ex juris Canonici propriis terminis deſumpta, quia ubi omnes redditus Canonicatus conſtant diſtributionibus, ſi tunc tales diſtributiones non haberent rationem præbendæ, eſſet dare Canoniam ſine præbenda, quod juxta Sacros Canones abſurdum eſſet. Hanc rationem aſſignat gloſ. in cap. unic. de Cler. non reſiden. in 6. in ver. Receperit, dicens hunc eſſe verum intellectum d. cap. Olim, de verbor. ſignif. Cùm igitur hic diſpenſatus percipere deberet fructus, & amittere diſtributiones, ubi illæ eſſent à fructibus diſtinctæ, percipiet hoc caſu loco fructuum diſtributiones ipſas, quæ ſolæ ex Canonicatu colliguntur,

quam-

quamvis non inſerviat Choro illis horis, quibus vacat ſervitio Parochialis. Et ita in ſimili ſæpiùs reſpondit Sacra Congregatio, quæ tam ſcholaribus in publica univerſitate, vel Theologiæ, vel juri Canonico operam dantibus, quàm Canonicis Epiſcopo inſervientibus præſtari jubet diſtributiones quotidianas, cùm præter eas nihil percipitur ex Canonicatu; quamvis ubi præbendæ ſunt diſtinctæ à diſtributionibus ſupradictis, concedat ſolos fructus præben-
32 darum, amiſſis diſtributionibus. Imò in cauſa Cameranen. reſpondit abſentes ſtudiorum cauſa, qui percipere debent diſtributiones quotidianas, in quibus omnes redditus Canonicatus conſiſtunt, debere etiam eaſdem diſtribu-
33 tiones percipere, cùm fructus præbendæ ſunt adeò tenues, ut puta trium, vel quatuor ducatorum, ut perinde haberi debeant, ac ſi nulli eſſent fructus. Et nonnumquam ad hunc effectum arbitrata eſt fructus præbendæ cenſeri tenues, ita ut illorum ratio habenda non ſit, cùm ad quar-
34 tam diſtributionum partem non aſcendunt. Semper tamen has deciſiones ita temperavit, ut tales privilegiati cum percipiunt diſtributiones, eò quod in illis univerſi fructus Canonicatus conſiſtant, amittant tamen earum tertiam partem. Idque poſt Concilium optima ratione: nam cùm decretum *cap.3. ſeſſ.21.* mandaverit, ubi nullæ ſunt diſtributiones, vel ita tenues, ut veriſimiliter negligantur, præbendarum tertiam partem ſeparari; & in diſtributiones quotidianas converti, non debent hi privilegiati volentes acquirere diſtributiones, eò quòd in eis ſolis conſiſtant univerſi redditus Capituli, eſſe hoc caſu melioris conditionis, quam ſi omnes eſſent fructus præbendæ abſque diſtributionibus. Sed ſi eſſent omnes fructus præbendæ, tertia pars in diſtributiones convertenda eſſet, ac proinde ab eis amitteretur. Ergo idem juris eſſe debet, cùm omnes ſunt diſtributiones, ne ſequatur inconveniens, ut faciliùs acquirantur diſtributiones, quam fructus præbendæ, ut pleniùs probavi *in c. De cætero, à n. 29. uſque in finem ſuprà tit. prox. & in cap. Licet, n.124. & ſeq. infra eod.* Poſſet itaque etiam hoc caſu reſolutio ita temperari, ut diſpenſatus hujuſmodi dicto tempore amittat tertiam partem quotidianarum diſtributionum, quæ reliquis inſervientibus accreſcat.

DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.

Idem Alexander III.

CAPUT VII.

REferente J. Presbytero accipimus, quod cum duas haberet Eccleſias, Archidiaconus tuus ipſum altera ſpoliavit, & cuidam Presbytero G. nomine aſſignavit eamdem: prædictus autem J. ſentiens ſe in hac parte gravari, ad Metropolitanum, videlicet Rhemen. Archiepiſcopum appellavit. Cùmque de mandato ejuſdem Archiepiſcopi, in prædicta Eccleſia reſtitutus fuiſſet, præfactus Archidiaconus eumdem J. eò quòd ad præſentiam ſuam vocatus venire contempſit, vinculo excommunicationis aſtringit. Nos autem ipſum à ſententia qua tenebatur, facientes abſolvi, tibi mandamus, quatenus præſcripto J. de prædictis Eccleſiis, una, quam voluerit, relicta, alteram præfato G. ſi Eccleſiam non habet, non differas aſſignare: alioquin ipſam alteri perſonæ idoneæ, beneficio Eccleſiaſtico carenti, incunctanter aſſignes.

S U M M A R I U M.

1 *Ecleſias plures habens alteram eligere, & alteram dimittere compellitur.*
2 *Metropolitanus, & Archiepiſcopus an & in quo differant.*
3 *Conſuetudo appellandi ab Ordinario inferiori ad Metropolitanum omiſſo medio valida eſt.*
4 *Appellatio omiſſo medio valet parte non excipiente.*
5 *Beneficia duo incompatibilia obtinens abſque diſpenſatione, an, & quando cogi poſſit unum eligere, & alterum dimittere, & n. ſeq. uſque ad n.9.*
5 *Tempora quinque conſiderari debent ad dignoſcendum an pluralis in beneficii habeat optionem, an vero privetur primo, vel ſecundo, vel utroque, & n. ſeq.*
7 *Ordo ſcripturæ in decretalibus non attenditur quoad hoc, ut illa cenſeatur priùs edita, quæ in præcedenti titulo reperitur collocata.*
8 *Optio eligendi unum beneficium, & alterum dimittendi hodie ſublata eſt à Concilio Tridentino in quibuſcumque beneficiis.*
Fallit, num.10.
9 *Beneficia duo incompatibilia ſi alicui ab Epiſcopo conferantur eodem inſtanti, an alterum ipſorum, vel utrumque dicatur vacare; an verò liceat unum eligere, & alterum dimittere.*
10 *Et quid poſt Concilium Tridentinum.*

R*Eferente.* Habens plures Eccleſias, alteram eligere, &
1 alteram dimittere compellitur. Hoc dicit: Et ſunt duæ partes. Prima impetrantis conqueſtio; ſecunda ipſius abſolutio, & cauſæ commiſſio, ibi, *Nos autem.*

2 Nota primò Metropolitanum, & Archiepiſcopum eſſe ſynonyma, ſeu idem importantia, cùm textus dicat, ad Metropolitanum, id eſt Rhemenſem Archiepiſcopum. Sed Archidiac. *in cap. Præſenti num.1. de offic. Ordinar. l.6.* dicit inter Metropolitanum, & Archiepiſcopum differentiam eſſe; nam Archiepiſcopus eſt major, allegat *c. Clericos, 21. diſt.* ubi Archiepiſcopus dicitur præſidere tam Metropolitanis, quam cæteris Epiſcopis, & in Authen. *de privileg. Archiepiſcop. Collat. 9. in princ.* ibi: *Non ſolùm Metropolitanus, ſed etiam Archiepiſcopus fiat*; & habetur illa Rubrica poſt titul. *de Sanctiſſ. Epiſc.* quæ non legitur, nec gloſſatur, ſecundùm Jo. Andr. *in d. cap. Præſenti n. 5.* Verùm Cardinalis poſt Guglielm. de Monte Laudun. In *Clem. 2. num.27. de privileg.* affirmat Metropolitanum, & Archiepiſcopum idem eſſe; ſed Metropolitanum trahere nomen à *Metros*, quod eſt menſura, & *Polis*, quod eſt civitas, & ſic trahere nomen ab Eccleſiis, & earum numero: Archiepiſcopum verò à perſonis, ab *Arcos*, quod eſt Princeps Epiſcoporum, *ut in d. c. Clericos, & 80. diſt. per tot.*

Secundò nota argumentum, quod ab Ordinario inferio-
ri videtur poſſe appellari ad Metropolitanum omiſſo me- 3
dio, ſicut iſte Presbyter appellavit ad Archiepiſcopum Rhemenſem, poſthabito Epiſcopo, & appellatio fuit valida, cùm illius vigore ab eodem Archiepiſcopo obtinuerit reſtitui ad Eccleſiam qua fuerat ſpoliatus. Sed hoc intelligit Hoſt. *in ver. Metropolitanum*, & alii poſt eum, quia Rhemenſis Epiſcopus habet ex conſuetudine, ut ad eum omiſſo medio appellationes interponantur, alioquin gradatim appellandum fuiſſet, *cap. Metropolitanum, 2. qu.* Etſic collige validam eſse conſuetudinem appellandi ad Archiepiſcopum omiſso medio, ut ſentit gloſ.2. hìc, & probatur *in cap. Romana, §. 1. de appellat. l.6.*

Cæterùm adverte, quia etſi Rhemenſis Eccleſia talibus
utatur conſuetudinibus, prout ſe ſcire atteſtatur hìc Ho- 4
ſtien. *in ver. Metropolitanum, verſ. Scimus*, tamen quod ſpectat ad iſtum textum, hìc intellectus divinat. Unde ſecundùm Abbatem *num.4.* dici poteſt hìc non fuiſse propoſitam exceptionem, quòd gradatim eſset appellandum. Et ita habes hìc caſum, quod valet appellatio omiſso medio, parte non excipiente. Quod latius proſequitur idem Abbas *in c. Dilecti, il 3. ſup. de appell.* poſt gloſ. *unicam*, ibi, *verſ. Dicas quod gradatim*, Cald. *conſ. 2. in tit. de appell.* quam-

vis

vis contrarium ſentiat Archid. *in c. Si delegatus, de offic. de legat. lib.6.* tamen prima opinio communiter tenetur, ut atteſtatur Prępoſitus *in d. c. Dilecti n.* 8. ubi etiam allegat Rotam *dec. 289.* quæ incipit, *Item ſi tres*.

Ultimò nota textum valde notabilem, quòd habens duas Eccleſias non poteſt utraque vel earum altera præciſè privari; ſed habet optionem dimittendi unam, & retinendi alteram, quam maluerit. Sed quia obſtat Decretalis *De multa, infra eodem*, & Doctores ſe involvunt circa ſolutionem contrarii; ideò tu dic pleniùs, ut in quæſtione ſequenti.

5 QUÆRO, an & quando obtinens abſque diſpenſatione duo beneficia incompatibilia, teneatur unum eligere, & alterum dimittere.

6 Pro ſolutione diſtinguenda ſunt quinque tempora. Primum tempus fuit ante Concilium Lateranen. ſub Alexandro III. de quo *in c. quia nonnulli, ſupra de Cleric. non reſid.* & tunc non privabatur primo, nec ſecundo, ſed optionem habebat alterutrum retinendi. Et ſecundum hoc tem-
7 pus procedit hæc Decretalis, *& c. Prætereà, inf. eod.* Quamquam enim ordine compilationis ſint poſita poſt *d. c. Quia nonnulli*, & omnium author fuerit idem Alexander III. ut patet ex illorum ſupraſcriptione: tamen in editione præceſſerunt *d. c. Quia nonnulli*, ut ibi adnotavit Alexan. de Nęvo *in ult. notab.* & communiter Doctores, ut hic teſtatur Abb. *n.3.* Et hinc collige, ut non ſit attendendus ordo ſcripturæ, videlicet, ut illa Decretalis cenſeatur primò edita, quæ in præcedenti titulo reperitur collocata, ut per Alex. de Nęvo *loc. cit.* Secundùm tempus fuit Concilii Lateranen. in pręcitato *c. Quia nonnulli*, ſecundum quo prima dignitas, vel primum benefiicum Curatum non vacabat ipſo jure per receptionem alterius ſimilis; ſed recipiens ſecundum erat illo privandus, ut per Card. *conſ. 3. n.9.* Abb. *in d. cap. Quia nonnulli, n.4.* & Alex. de Nævo *in ult. notab.* vel erat ipſo jure privatus ſecundo, ut ibi dixi poſt Butr. Ancharan. & Imol. qui ita intellexerunt verbum *Amittat*, ibi poſitum, ſcilicet ipſo jure. Tertium fuit tempus Concilii generalis ſub Innocentio III. de quo in Decretali *De multa infra eod.* qua ſtatutum fuit, ut obtinens Beneficium Curatum, ſi ſecundum tale aſſequatur, perdat primum ipſo jure, Quarto fuit tempus Extravag. *Execrabilis*, Joan. XXII. *de præb. in §. Qui verò deinceps*, ubi ſtatuitur ut recipiens ſecundum Curatum, vel ſecundam dignitatem, niſi ſtatim adepta pacifica illius poſſeſſione, verbo, & facto in manibus Ordinarii ſub teſtimonio publico dimittat primum, privatus ſit utroque, & inhabilis ad S. Ordines, & ad beneficia Eccleſiaſtica obtinenda; & beneficium, quod fuit ultimo collatum, non poſſit conferri per alium, quàm per Papam. Et ita hæc quatuor tempora diſtinguunt Cardinalis *d. conſ. 3. n.4.* Abb. & Alex. de Nęvo *in d. c. Quia nonnulli*, uterque *in ult. not.* Cardinal. & Imol. hic Caſſad. *deciſ. 1. in tit. de conſtitut.* Grammat. *in tract. de offic. legat. l.5. Reg. An Legat. poſſit plura beneficia uni conferre, n.67.* & Alphonſ. Hojeda *in tract. de incompatibilit. beneficior. p.1. c.7 n.7.* Quibus temporibus inſpectis, optio, de qua in hoc text. non erat funditus ſublata, quandoquidem *c. Quia nonnulli*, & Conſtitutio *Execrabilis*, locum nòn habent niſi in obtinentibus plures dignitates, vel plura beneficia curata. & ſimiliter Decretalis *De multa*, inducens vacationem primi per aſſecutionem ſecundi, non habęt locum, niſi utrumque beneficium ſit curatum, ut ibi dixi *in 1. not.* poſt Anchar. *n.10.* & Abb. *in 3. not.* Unde ſi obtinens dignitatem recipiebat beneficium curatum, aut viceverſa obtinens curatum recipiebat dignitatem, vel aliud beneficium non curatum perſonalem reſidentiam requirens, non erat privandus ſecundo, *ex d. c. Quia nonnulli*: nec erat ipſo jure privatus primo ex Decretali *De multa*, nec erat privatus utroq; ex Conſtitutione *Execrabilis*; ſed optionem habebat dimittendi unum, & retinendi alterum, ex hoc *c. & c. Prætereà, infr. eod.* ut hìc per Abb. *n.3.* Alioquin ſi hęc jura fuiſſent funditur ſublata per ſubſequentia, fruſtatoriorum fuiſſet illa inſerere in hac compilatione, contra ea, quæ dicuntur ſupra in proœmio. Quamobrem huic juri antiquo ſtandum erat, niſi in quantum ab eo reperiretur receſſum per jura poſteriora, *leg. Præcepimus, in fin. C. de appell.* gloſ. *in c. Conſtitutionem, in ver. Prorogamus de Regular. l.6.* Expedit enim jura juribus concordare, *c. Cùm expediat, de elect. eod. lib.* Sed poſteà ſupervenit quintum tempus Conc. Tri- 8
dentini, quod *in c. 4. ſeſſ. 7.* ampliavit pœnam *c. De multa*, ad obtinentes plura beneficia ex quovis capite incompatibilia, *& in c. 17. ſeſſ. 24* voluit incompatibilia eſſe duo beneficia ſimplicia, quando primum eſt ſufficiens ad honeſtam Clerici ſuſtentationem, vel quando utrumque perſonalem reſidentiam requirit. Quapropter hodiè non habet amplius locum optio, *de qua in hoc c.* Quia aut beneficia ſunt compatibilia, puta quia primum eſt inſufficiens, & optio non intrat, quia ex Concilio poteſt retineri utrumque. Aut ſunt incompatibilia, vel ratione ſufficientiæ, vel ratione reſidentię, vel aliàs quomodocumq; & ſimiliter non intrat optio, ſed per aſſecutionem pacificam ſecundi vacat primum ipſo jure, & per retentionem cum primo vacat utrumque ex *d. c.* Et ita *c. De multa*, conſtitutio *Execrabilis*, hodiè locum habent in omnibus beneficiis qualitercumque incompatibilibus, prout hæc omnia pleniùs explicavi *in d. c. De multa à n.3.* & plenius *in c. Cùm jamdudum, præſertim in 3. q. inf. eod.*

2. QUÆRO, quid ſi Epiſcopus uno, & eodem mo- 9
mento, ac verbo conferat alicui duas dignitates, vel duas Eccleſias Parochiales, nec conſtare poſſit, cujus poſſeſſionem priùs ſit nactus, an altera ipſarum, vel utraque dicatur vacare; an verò ſit locus optioni, de qua in hoc *c. & in c. Prætereà, infr. eod.*

Hoſtienſis format hanc quæſtionem *in c. Quia nonnulli, n. 6. ſup. de Cler. non reſid.* Et primo dicit reſponderi poſſe: Non deficit jus, ſed probatio, ut *l. Duo ſunt, ff. de teſtam. tutel.* deinde dicit ſe non teneri reſpondere, quia quęſtio eſt excogitata & ficta; nec legiſlatores inſpiciunt quod rarò fit, ut in *Auth. Ut ſine prohib. matr. fil. tit. ger. coll.8.* arg. *l. Nam ad ea, ff. de l. & c. Erit autem lex, 4. diſt.* Tertiò concludit vacare utrumque: nam de rigore juris non tenuit collatio, cùm nec duas uxores quis ſimul poſſit habere *c. Gaudemus, §. Quia vero, de div.* Poſtea tamen ſubdit, quod aliqui contrarium judicarent, & huic Clerico optionem darent, ut infra ſex menſes unam dimitteret, & alteram retineret, ut ſic res magis valeat, quàm pereat, *c. Abb. §. Contra quod, inf. de verbor. ſignif.* Tandem remittit ad notata *in c. Dudum, il 2. de elect. & in c. Omnis, de pœn. & remiſſ.* Dixit Guliel. *in Speculo in tit. 2. §. Videndum, verſ. Sed quare*, hanc gl. fuiſſe factam ab Hoſtien. ad inſtantiam ſuam. Et hæc dicta recitat ſimpliciter, nihil addens, vel detrahens, Jo. And. in *d. c. Quia nonnulli, de Cler. non reſid. n.9.* & Anchar. *eod. n.* primum dictum Jo. de Lignano dicit eſſe verius, ſed ſecundum æquius; Cardinalis verò *ibid. in 12. q. n. 17.* dat Clerico optionem; quia hìc non eſt incompatibilitas in collatione, ſed in conſecutione: ergo antequam poſſeſſionem adipiſcatur, poterit eligere quam maluerit. Hæc ratio eſt in ſe vera, ſed non ſolvit quæſtionem propoſitam de illo, qui reperitur in poſſeſſione utriuſque beneficii, & non conſtat cujus poſſeſſionem priùs ſit nactus. Verius videtur huic Clerico competere optionem alterum retinendi, & alterum dimittendi; quia hic caſus non poteſt dici pręviſus per *c. Quia nonnulli*, nec per Decretalem, *De multa*, nec per Extravag. *Execrab.* cùm hæc jura loquantur in eo caſu, in quo Clericus primo obtinuit unam dignitatem, vel unam Parochialem, & poſteà pacifice aſſecutus eſt ſecundam: hic autem quando eodem inſtanti aſſecutus eſt utramque. Ergo hujuſmodi caſus tamquam omiſſus, remanſit in diſpoſitione juris antiqui, & communis, quod dat optionem, ut in hoc *c. in d. c. Prætereà, infr. eod.* & hoc tenet Bart. *in d. c. Quia nonnulli, n.5.* Imol. *n.12. verſ. Tang. etiam*, & Alex. de Nęvo *in ult. q. n.22.* Hoc autem puto verum eſſe poſt Con- 10
cilium Tridentinum, quia dum *in c. 4. ſeſſ. 7.* extendit pœnam Decretalis, *De multa, infr. eod.* ad omnia beneficia incompatibilia: hoc intelligi debet retentis iiſdem terminis, id eſt cùm quis primò obtinuit unum beneficium, deinde adeptus eſt poſſeſſionem ſecundi, & utrumque ſimul retinere perrexit; quod non contingit, quando eodem inſtanti aſſequutus eſt primum, & ſecundum, & vult alterum dimittere, & alterum retinere; & ſic habes caſum, in quo optio non eſt ſublata.

DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.

Idem Alexander III. Præpoſito & Capitulo Inſul.

CAPUT XI.

SIgnificatum eſt nobis, quod cuidam Sacerdoti præbendam unam in Eccleſia veſtra, communi voluntate dediſtis, ita quòd Miſſam de ſanta Maria (niſi corporis infirmitate gravatus ſit) debeat quotidie celebrare: & Eccleſiam veſtram, nonniſi communi tam Præpoſiti, quam Capituli conſenſu poſſit dimittere, vel cuiquam præbendæ illius anniverſarium delegare. Quam ſiquidem inſtitutionem eatenus confirmamus, ut prædictus Sacerdos, niſi infirmitate corporis impeditus, Aſſiduè debeat obſequium ſuum impendere Eccleſiæ memoratæ, & quantò frequentius poteſt (ſalva honeſtate ſua, & debita devotione) Miſſarum ſolemnia celebrare: niſi ſibi liceat hoc illi ſubtrahere, ſive cauſa voluptatis, ſive ſe ad aliam Ecceleſiam transferendo:

S U M M A R I U M.

1 *PRælatus, & Capitulum poſſunt præbendæ vacanti honeſtum onus imponere, ad quod præbendarius teneatur.*
2 *Contrarium.*
3 *Beneficio novum onus celebrationis Miſſarum ab Epiſcopo imponi non poteſt.*
Etiam ex conjecturis veriſimilibus, n.5.
4 *Beneficia ſimplicia obtinentes non tenentur deſervire per ſe, nec per ſubſtitutum.*
6 *Vicarius Apoſtolicus, cui facultas in litteris Apoſtolicis tributa non fuit, non poteſt beneficium onerare novo onere celebrationis Miſſarum.*
7 *Sacerdos poteſt locare operas ſuas ſpirituales abſque vitio ſimoniæ, n.39.*
8 *Sacerdos non poteſt obligari pacto, vel ſtatuto vel celebrandum quotidie, aut ſemper de uno Sancto.*
6 *Beneficii inſtitutio, qua quis adſtringitur ad celebrandum quotidie per ſeipſum, eſt illicita.*
10 *Secus ſi in inſtitutione cautum ſit, ut celebret per ſeipſum.*
11 *Dictiones*, aſſiduè, ſemper, indeſinenter, *& conſimiles non ſunt amarè intelligendæ, ſed civiliter, & cum aliquo temperamento.*
12 *Prælatus inferior cum Capitulo an poſſit ſtatuere, ut præbendatus non poſſit præbendæ ſuæ renuntiare, niſi de ipſorum conſenſu.*
13 *Papa in confirmatione poteſt immutare, alterare, & interpretari voluntatem ſtatuentium, teſtantium, & paciſcentium, & n. 25.*
14 *Miſſarum onera an, & quando per Sedem Apoſtolicam reduci poſſit, aut debeant, & num. ſeqq. uſque ad n. 37.*
Quid ſi ſint impoſita ex piis defunctorum relictis, n.16.
Et quid ſi ex largitionibus inter vivos, n. 17. & ſeq. uſque ad n. 29.
15 *Miſſarum onera ante Conciliam Tridentin. impoſita, aut in beneficii fundatione Epiſcopi & Generales Ordinum reducere non poſſunt in vim c.4. ſeſſ. 25.*
Etiamſi legatum ſit adeò tenue, ut non ſit qui velit onus illi injunctum ſubire, ibid. verſ Quinimò.
18 *Laici, qui non ſunt de temporali juriſdictione Eccleſiæ, non tenentur poteſtati Eccleſiæ obedire in non concernentibus animam.*
19 *Papa in actiones Laicorum poteſtatem non habet, niſi prout diriguntur ad beatè vivendum.*
20 *Pecunia pro Miſſis celebrandis collata, an ſit reſtituenda, ſi illarum numerus reducatur.*
21 *Princeps non tam amplam habet poteſtatem in diſpoſitionibus inter vivos, atque in ultima voluntate.*
22 *Papa poteſt immutare pias diſpoſitiones tam mortuorum, quàm viventium, & n. ſeqq.*
Intellectus Clemen. Quia contingit, de Relig. domib. ibid.
23 *Res, quæ donantur Eccleſiæ cum onere celebrationis Miſſarum, deſinunt eſſe laicales.*
24 *Eccleſia Romana eſt caput univerſalis Eccleſiæ, & ideò ejus eſt ad ſingula membra alimenta transfundere.*
26 *Pacta ſi reſpiciant tantùm Religionem, immutari poſſunt per Papam, etiamſi ſint licita; ſecus ſi reſpiciant temporale.*
27 *Pactum inferioris non poteſt præjudicare ſuperiori.*
28 *Papæ authoritas in pactis reſpicientibus Religionem, & juramentis, ſemper intelligitur excepta.*
29 *Miſſarum onera futura, an per Papam reduci poſſint, & num. ſeq.*
30 *Eccleſia recipiens rem oblatam cum onere celebrationis Miſſarum, facto ipſo naturaliter obligatur ad oneris implementum.*
31 *Pactum quantumcumque ſimplex poteſt appellari fides.*
32 *Pactum nudum quamvis non pariat actionem, parit tamen exceptionem, & recedens à pacto peccat mortaliter.*
33 *Inter pactum nudum, & veſtitum, nec Deus, nec bona conſcientia diſtinguit.*
34 *Miſſarum onera ſi Eccleſia non adimpleat, res oblatas non facit ſuas, & ad reſtitutionem tenetur.*
35 *Datum ob cauſam repeti poteſt, cauſa non ſequuta.*
36 *Legibus humanis non ſubſunt, quæ ratione naturali nituntur.*
37 *Leonis X. indultum fratribus Minoribus conceſſum ſuper futuris eleemoſynis Miſſarum dicitur ſubreptitiè obtentum.*
38 *Sacerdos, qui tenetur ad ſolam Miſſæ celebrationem, non autem ad illius applicationem, an poſſit pro applicatione eleemoſynam accipere.*
39 *Simoniacum an, & quando ſit pro celebratione Miſſæ pecuniam accipere.*
Joannis Vvicleffi error aſſerentis omnes eſſe ſimoniacos, qui ſe obligant ad orandum pro ſubvenientibus, damnatur in Concilio Conſtantienſi.
41 *Sacerdos poteſt accipere eleemoſynam pro Miſſa etiamſi aliunde habeat ſuſtentationem.*
42 *Intellectus c. Clerici 1. q 2.*
43 *Suſtentationis duplex titulus haberi non poteſt, niſi pro rebus diverſis.*
44 *Eleemoſynam dantes pro Miſſa, communiter intendunt, ut ſacrificium ſibi applicetur.*

S*Ignificatum.* Poſſunt Prælatus, & Capitulum præbendæ 1
vacanti honeſtum onus imponere, ad quod præbendarius teneatur Sic ſummant Abb. Antiqu. Joan. Andr. Butr. Card. & reliqui omnes. Dividitur in duas partes. In prima ponitur ordinatio tria continens. In ſecunda confirmatio cum limitatione, ibi, *Quam ſiquidem*.

Nota primò ibi, *Communi voluntate dediſtis*, juncta ſupraſcriptione, Prælatum etiam inferiorem cum Capituli conſenſu poſſe prębendę vacanti ad ſuam collationem pertinenti per viam ſtatuti, vel pacti aliquod ſpirituale onus perpetuum imponere, dummodò illud ſit honeſtum, prout hìc notant Butr. & Cad. ambo *in* 5. *notab.* & Imol. *n.* 4. & colligitur hic intellectus ex gloſ. ad cujus mentem Doctores communiter ſummant textum, ut ſuprà proximò dictum eſt. Verè tamen præſens littera hoc non probat; quin potius innuit oppoſitum. Nam Papa hìc non decidit ordinationem Præpoſiti, & Capituli eſſe validam; ſed illam confirmat cum modificatione, ut patet ibi: *Inſtitutionem eatenus confirmamus*. Ergo pactum, & onus injunctum

non

2 non ſubſtitiſſet, niſi acceſſiſſet robur confirmationis Apo-
ſtolicæ, propterea enim fuit petita, arg. *cap. Cum pridem,*
ſupra de pactis, cap.1. & 2. de confir. util. vel inutil. & ob-
ſervant hic Joan. Andr. *num.1. in fine,* Butr. *n.6.* Card. &
Abb. ambo *in 1. notab.* Vel certè ſecundùm Hoſtien. *in*
princip. onus fuit annexum huic præbendæ in limine ere-
ctionis, arg. *l. In traditionibus, ff. de pact. cap. Cum vene-*
rabili, infra de cenſib. & cap. Verùm de condit. oppoſ. Sed
præbendæ jam erectæ authoritate ordinaria novum onus
annecti non poteſt, quia obſtat *cap. Cùm dilectus ſupra de*
conſuetud. Concilium Lateranenſe *in cap. Prohibemus, infra*
de cenſib. & Concilium Tridentinum *cap.5. ſeſſ.25. de re-*
3 *form.* Unde Sac. Congregatio ejuſdem Concilii interpres
ſæpiùs declaravit Epiſcopum non poſſe novum beneficiis
onus imponere, ſed tantùm curare debere, ut quæ illis ex
fundatione vel conſuetudine incumbunt, exactè adimple-
antur: & in ſpecie, aliàs cenſuit novum onus Miſſæ in
hebdomada non potuiſſe Epiſcopum imponere beneficio
habenti onus anniverſarii tantùm. Non igitur potuit iſte
Præpoſitus cum Capitulo annectere præbendæ vacanti no-
vum onus celebrationis Miſſarum, vel perſonalis reſiden-
tiæ, ut habet communis lectura, & ideò fuit neceſsaria
4 confirmatio Apoſtolica. Hinc cùm beatæ mem. Cardinalis
Borromæus vellet cogere obtinentes ſimplicia beneficia in
Parochialibus, ut per ſe, vel ſubſtitutos deſervirent, cùm
cap.3. ſeſſ.21. præſupponat omnia beneficia deſtinata eſſe ad
cultum divinum, & Eccleſiaſtica munia obeunda, juxta
c. fin. de reſcr. l.6. S. Congregatio ab eo conſulta reſpondit
non eſſe cogendos ad aliud, quàm ad dicendas horas Cano-
nicas; nec teneri, ſi beneficia ſimplicia ſint, deſervire per
ſe, nec per ſubſtitutum, exemplo Canonici, qui cùm non
teneatur reſidere cauſa ſtudii, non tenetur etiam ad ſubſti-
5 tutum, Abb. *in c. Licèt de præben.* Rurſus cum Epiſcopus
Aſculanus impoſuiſset onus paucæ eleemoſynæ cuidam
Prioratui, quod eſt beneficium ſimplex, pro Miſſis bis in
hebdomada celebrandis in Cathedrali Eccleſia; idque quia
licèt dictus Prioratus actu Eccleſiam non haberet, cùm ta-
men haberet redditus, & adeſsent veſtigia veteris Eccleſiæ,
non erat veriſimile illam ſine onere Miſsarum celebranda-
rum erectam fuiſse; S. Congregatio conſulta, an id potuiſset
Epiſcopus, reſpondit nullum onus novum imponendum
6 ex conjecturis veriſimilibus. Sed nec viſitatorem Apoſto-
licum, cui facultas attributa non fuerit in litteris Apoſtoli-
cis, cenſuit potuiſse onerare beneficium ſimplex novo one-
re celebrationis Miſsarum.
7 Secundò nota ibi, *Ita quòd Miſſam de S. Maria,* Sacer-
dotem poſse locare operas ſuas ſpirituales abſque vitio Si-
moniæ, arg. *c. Cùm ſit, de Simon.* ſecundùm Vincent. Sed
hoc latiùs explicabitur infrà in gloſs. *1. n.38.*
8 Tertiò nota ibi, *Debeat quotidie celebrare,* ſtatutum,
vel pactum quo Sacerdos obligatur ad celebrandum unam
Miſsam quotidiè, & de uno Sancto, non adeò ſtrictè eſse
intelligendum, ut ſingulis diebus abſque ulla intermiſſione,
vel ſemper de illo Sancto celebrare teneatur; ſed hanc inter-
pretationem admittere, ut illam celebret quantò frequen-
tiùs poterit ſalva honeſtate & devotione, prout ejuſmodi
ordinationem, & pactum hìc temperat & moderatur Pon-
tifex *in verſ. Quam ſiquidem inſtitutionem,* & notant Abb.
& Dec. ambo *in 3. notab.* & pleniùs idem Abb. *in conſ. 99.*
videtur in 1. dub. lib.2. Et dixit, *ſalva honeſtate,* fortè pro-
pter pollutionem nocturnam, *ut in cap.1. in fin.* ibi, *Propter*
talem pollutionem à ſacro myſterio ea die abſtinere oportet, 6.
diſtinct. Vel fortè quia non decet eum celebrare cum vi-
libus indumentis, vel in Calice æreo, ſecundùm Innocen.
in ver. Honeſtate: & idem de ſimilibus impedimentis,
quæ poterunt contingere, ut per Hoſtien. *num.9.* & Abb.
num 4.
9 Declara notabiliter concluſionem proxime firmatam, ut
procedat in eo tantùm caſu, in quo ſpecialiter cautum eſt,
ut Præsbyter celebret unam Miſsam quotidiè per ſeipſum,
prout hìc cautum fuerat, ut patet ex littera ibi, ***Vel cuiquam***
præbendæ illius anniverſarium delegare, & notat gloſs. ante-
penult. Hoſtien. *n.5. in ver. Vel cuiquam,* Card. *in 4. oppoſit.*
& Dec *in 4. notab.* Hujuſmodi enim inſtitutio eſt illicita, ſe-
cundùm Abb. *in 3. notab.* quia multoties præberet materiam
peccandi, cùm facilè non contingat Sacerdotem quotidiè
devotum exiſtere ad celebrationem; nam ſatis eſt felix qui
poteſt dignè unam Miſsam quotidiè celebrare. Unde Au-
guſtinus talem celebrantem nec laudat, nec vituperat, *in c.*
Sufficit, de conſecrat. diſt.1. Ac proindè talis inſtitutio eam
recipit interpretationem, ut non obliget ad celebrandum,
niſi quantò frequentiùs poterit ſolva honeſtate & devotio-
ne, ut dictum eſt. Secus verò ſi ſimpliciter ſtatutum aut 10
conventum ſit, ut Sacerdos celebret quotidiè unam Miſ-
ſam, nec ſit adjectam ut celebret per ſeipſum, quia tunc
oneri celebrationis Miſsarum poteſt per alium ſatisfacere
ut tenet Lapus *in ſuis allegationibus, videlicet alleg.34. alias*
36. Utrum abſque diſpenſatione, *alleg.116. Philippus num.3.*
verſ. In contrarium arguitur, & verſ. Et licèt prædicta, &
alleg.117. factum ſuper quo num.2. quem ſæpius & Rota, &
S. Congregatio Concilii ſequuta eſt, ut ſcripſi latiſſimè *in c.*
1. ſupra de ætat. & qualit. à n.60. uſque ad num.89. & præ-
ſertim *nu.62.* Et conſequenter cùm onus non ſit perſonale,
nihil impedit, quo minus Miſsa celebrari debeat quotidiè
abſque ulla intermiſſione. Ceſsat enim ratio honeſtatis, &
devotionis celebrantis hìc conſiderata, cùm onus adimple-
ri poſſit per ſubſtitutum, argum. *c. Etſi Chriſtus de jurejur.*
cum ſimil. Et ita virtualiter hunc textum declarat Abb.
in d. conſ.99. in 1. dub. num.4. verſ. Et ex his patet reſponſio
lib.2.
Quartò nota, ibi, *Aſſiduè debeat obſequium ſuum impen-* 11
dere, hoc verbum *Aſſiduè,* non eſse amarè intelligendum,
& abſque ullo temporis intervallo; ſed civiliter, & cum ali-
quo temperamento, & moderamine, ut hìc patet *in verſ.*
Quam ſiquidem inſtitutionem, concordat *cap.1. ſuprà de*
offic. Archipresb. ibi, *Et aſſiduè in Eccleſia ſtare,* id eſt horis
congruis, ut ibi per Hoſtien. *n.3. in ver. Aſſiduè, & c. Sa-*
croſancta, 22. diſt. ibi, *Aſſidua effundatur oratio.* Idem dici-
tur de verbo, *continuè, ut in c. fin. de frigid. & malefic.* & de
verbo, *indeſinenter, ut in cap. ſi quis vult,* & ibi gloſs. ult. *36.*
diſt. & ita etiam intelligitur illud, *Semper orandum eſt, ut c.*
Si laicus, 31. diſt. nec non illud, *Nunquà excidat pſalterium*
de manibus tuis, c. Nunquam, de conſecr. diſt.5. id eſt horis
conſtitutis, ut ibi in gloſ. *1.* facit textus *in l. quod dicimus, ff.*
de ſolut. Quod nota pro dictis teſtium deponentium Eccle-
ſiam ſemper percepiſse decimas ex tali loco; nam intelligen-
dum eſt, *ſemper,* id eſt, tempore competenti, quia de bladis
in hieme decimæ non percipiuntur, ſed in æſtate, ſecudùm
Abb. Antiq. hìc *n.1. in ver. Aſſiduè.*
Quintò, nota argumentum, quòd Præpoſitus, & Capitu- 12
lum poſsunt ſtatuere, ut liceat præbendato de communi con-
ſenſu præbendæ ſuæ renuntiare, nam illa verba, *Nonniſi*
communi tam Prepoſiti, quàm Capituli conſenſu poſſit dimit-
tere, à contrario ſenſu videntur innuere, ut de communi
conſenſu hoc poſſit. Sed quia obſtat ***c. Admonet. de renun-***
ciat. tu diſtingue ex mente ex Doctorum: Aut ſtatuitur ab il-
lis, ut præbendatus poſſit renuntiare cum ſolo conſenſu
Præpoſiti, & Capituli; & non valet ſtatutum, quia eſt con-
tra jus commune, & in præjudicium Epiſcoipi, in cujus
manibus debet fieri dimiſſio, *ut in d. c. Admonet.* Nec obſtat
iſte textus, quia ſtatutum non valuit, niſi vigore confirma-
tionis Apoſtolicæ, & ideò confirmatio fuit petita. Simile
in c. Cùm acceſſiſſent, ſupra de conſtit. ſecundùm Hoſt. hìc
n.5. verſ. Vel poteſt reſponderi, Jo. Andr. *n.1. in fine:* Butr. *n.6.*
& Card. *n.3. in 2. oppoſ.* In veteri codice Barcinon. legitur,
Authoritate Epiſcopi, communi conſenſu, ut refert Ant. Aug.
in notis ad primam collectionem Decret. lib.3. tit.5. c.13. Aut
ſtatuitur, ut preter conſenſum Epiſcopi in renunciatione re-
quiratur etiam conſenſus Præpoſiti, & Capituli; & valet
ſtatutum etiam ſine confirmatione Apoſtolica, quia non eſt
contra, ſed præter jus commune, nec derogat juri Epiſco-
pi, ut per Butr. *ubi ſuprà.*
Ultimò nota ibi, *Eatenus confirmatus,* Papam in confir- 13
matione poſſe immutare, alterare, & interpretari volunta-
tem ſtatuentium, teſtantium, & paciſcentium, Prout hìc
notant Innoc. *poſt princ. in ver. Aſſiduè,* Hoſtien. *n.7.* Abbas
Antiq. *n.1. in ver. Eatenus,* Jo. Andr. *n.3.* Butr. *n.8.* Card.
in 5. oppoſit. Anchar. *in 6. notab.* Abb. *n.5. verſ. Et ex prædi-*
ctis. Sed qualiter hoc ſit intelligendum, plenè explicabitur
in quæſtione ſequenti *à n.25.*
QUÆRO, an, & quando onera Miſſarum celebranda- 14
rum, quæ in aliquibus Eccleſiis ex variis defunctorum reli-
ctis, vel ex largitionibus fidelium impoſita ſunt, Sedes Apo-
ſtolica moderari, & ad pauciorem numerum reducere poſ-
ſit aut debeat.
Hæc quæſtio proponitur de Sede Apoſtolica; quia de ju- 15
re communi Epiſcopi hanc poteſtatem non habet, ut ſcripſi
plenè *in cap. Ex parte à n.20. ſupra de conſt.* & quod ſpectat

ad Concilium Tridentinum, Sac. Congregatio Cardinalium ejuſdem Concilii interpretum olim conſulta, an facultas tributa Epiſcopo in Diœceſana Synodo, & Generalibus Ordinum in Capitulis generalibus per decretum Concilii *c.4. ſeſſ.25.* ſit intelligenda de præteritis oneribus ab antiquo uſque ad Concilium, & primam Congregationem Epiſcopalem, ſeu generalem Capitulorum Ordinum, aut etiam de oneribus in futurum imponendis, quoties opus fuerit: Reſpondit *d. cap.4.* eſſe intelligendum de onere Miſſarum impoſito ante Concilium. Item cenſuit decretum *d. cap.4.* non procedere in obligationibus Miſſarum, quæ impoſitæ ſunt Cappellis erectis in titulum, ſive ex prima inſtitutione teſtatorum, ſive ex alia quacumque. Et propterea in decretis *de celebr. Miſſar.* à S. D. N. Urbano VIII. confirmatis, §.1. eodem Sacr. Congregatio diſtrictè prohibet, atque interdicit, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoquomodo reducant onera ulla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis: ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apoſtolicam ſedem recurratur, quę re diligenter perſpecta id ſtatuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur, *ut in Bullar. tom.4. pag.315.* Quinimò etſi legatum ſit ita tenue, ut non ſit qui velit onus illi injunctum ſubire, & ſi recurrendum ſit ad Sedem Apoſtolicam pro moderatione oneris, totum, aut ferè totum inſumendum ſit pro expenſis ad id neceſſariis: nihilominùs S. Congregatio cenſuit pro reductione oneris ut ſupra impoſiti ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apoſtolicam eſſe adeundam, quæ abſque ulla impenſa id ſtatuet, quod magis in Domino à re eſſe judicaverit, *eod. tom.4. pag.317.* Pro ſolutione quæſtioni eſt animadvertendum, duplex eſſe genus harum largitionum: nam aliquæ ſemel offeruntur, ut cum dantur centum aurei, ut ex eorum annuo reditu Miſsæ quinquaginta quotannis celebrentur. Aliquæ verò dictim dantur, & appellantur manuales, ut cùm offeruntur duo julii pro duabus miſſis. Præterea ex oblationibus primi generis quæ ſemel ſiunt, aut quærimus de jam factis, aut de faciendis. Ruſus jam factæ aut proveniunt à defunctis, aut ab his, qui adhuc vivunt. Singulas igitur conſiderando.

16 Dubitatur primò, an Summus Pontifex poſſit prædictas reductiones, ſeu moderationes facere pro ſimilibus largitionibus factis ab iis, qui jam mortui ſunt: & cùm hæ ad pias jam defunctorum voluntates reducantur, non videtur ambigendum, quin in Pontifici ex cauſa liceat, ut ſatis patet ex *d. c.4. ſeſſ.25.* & de hoc diſputare dicit eſse ſacrilegium, Gemin. *conſ.63. Dubia ſupraſcripta in princ.*

17 Dubitatur ſecundò, quid de illis largitionibus, quarum largitores adhuc vivunt: & tunc cùm verſemur quidem in materia pia, ſed extra defunctorum voluntates, aliquibus non videtur ita Clarum, Pontificem poſſe largitoribus non
18 conſentientibus dictas obligationes moderari. Nam prima fronte cùm laici, qui non ſunt de temporali juriſdictione Eccleſiæ non teneantur poteſtati Eccleſiaſticæ in non concernentibus animam obedire, *c. Novit. de jud.* Innoc. *in c. Inquiſitioni, propè finem, verſ. Item ſi præcipiat laico, de ſentent. excomm.* Abb. *in ſua q.1. incip Epiſc. col.2. circa med.* Felin.
19 *in c. Accepimus, n.2 de fide inſtrum.* nec Papa ſuper actiones laicorum habeat poteſtatem, niſi prout diriguntur ad beatè vivendum, *c. Per venerabilem*, & ibi gloſſ. *in ver. Habeat poteſtatem, Qui filii ſint legitim.* Victor. *de poteſtate Eccleſiaſtica*, in illa quæſtione, utrùm poteſtas ſpiritualis ſit ſupra temporalem, per totam, nec ſit peccatum laico, ſi nolit bona ſua Eccleſiæ aliter dare, quàm ſuper prædictis ſibi benè viſis conditionibus, *l. In traditionibus, ff. de pact.* fortè non videtur ſubeſſe fundamentum, quo Pontifex id in invitos poſſit, contra reg. *c. Id quod noſtrum, de reg. iur. lib.6. & in l. In re mandata, C. Mand. cap. Super his de Sepultur.*

20 Poſſet quidem Papa mandare, ut hæ oblationes cum hoc onere non reciperentur, ſeu etiam ut adjecta onera minuerentur; ſed tamen res ob id receptæ, niſi rationabilis cauſa excuſaret, fortè reſtituendæ eſſent: argumentum ejus, quod idem Concilium diſpoſuit in diſſolutione juriſpatronatus, *ſeſſ.25. cap.9. in fine*, ibi, *Reſtituto patronis eo, quod ab eis idcirco datum eſt*, & hìc notat Butr. *num.12. verſ. Etſi non adimpleatur, & tenendo hanc opinionem non obſtat hæc Decretalis, ubi Papa modificavit illam erectio-*
21 *nem præbendæ cum certis oneribus adjunctis.* Quoniam hìc ſolùm moderatus eſt, quoad qualitates non laudabiles. Præterea hìc nihil minuit, ſed ſolùm declaravit illud verbum, *perpetuo*, quomodo intelligatur & continua etiam reſidentia quomodo eſſet intelligenda: ſed non inde ſequitur, ut eidem ſimilis competat authoritas in recipientibus temporalia, ut ibi not. Abb. *num.5.* Similiter non obſtat Concil. *d. c.4. ſeſſ.25.* quia Princeps habet quidem poteſtatem immutandi voluntates defunctorum, præſertim juſta ex cauſa, *l.1. & l. Legatam, ff. de adminiſtr. rer. ad Civit. pert.* & quoad pia idem poteſt Papa, *cap. Quia contingit, de relig. domib.* in Clement. ſed inde non videtur inferri ad diſpoſitiones inter vivos, in quibus Princeps non tam amplam habet facultatem, Bart. *in l. Servientes, in fin. ff. de ſervitut.*

Cæterùm his non obſtantibus contraria opinio eſt verior, 22
pro qua primò adducitur textus in dicta Clem. *Quia contingit, de relig. dom.* ubi præcipitur, ut impleantur onera hoſpitalibus incumbentia ex erogationibus, & largitionibus fidelium, nec diſtinguitur, an hujuſmodi largitiones factæ fuerint per diſpoſitionem inter vivos, an in ultima voluntate, & gloſ. *in ver. Largitione*, exponit verbum illud, *in vita, & morte*: & tamen textus dum diſponit, ut ea quæ ad certum uſum largitione ſunt deſtinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium converti, expreſsè interſerit præſervationem illam, ſalva Sedis Apoſtolicæ authoritate. Ergo ex eo textu conſtat apertè Sedem Apoſtolicam habere poteſtatem immutandi uſum piarum largitionum, & ſic moderandi onera Eccleſiis, vel piis locis incumbentia, etiam ex largitionibus viventium, & propterea gloſſ. ibi, *in ver. Sedis Apoſtolicæ:* Nota, inquit per hanc litteram ſolum Papam alterare poſſe uſum illorum, quæ per fideles donata ſunt, vel relicta, *cap. Quod translationem, de off. Leg.* Pondera illud verbum gloſſ. *donata ſunt*, quod propriè importat donationem inter vivos, *l.1. ff. de don.* & eodem verbo utitur ibi Abb. *nu.4. verſ. ſolus Papa* Ratio eſt, quia res 23
quæ à laicis donantur Eccleſiis, vel locis piis adjecto onere celebrationis Miſſarum, deſinunt eſſe laicales, & tranſeunt in dominium, & proprietatem Eccleſiæ, *cap. Conqueſtus*, & ibi gloſſ. fin. *de foro compet.* Anchar. hìc *n.5. verſ. ſalvando tamen dicta Doctorum*, & Eccleſiæ collatum dicitur conſecratum Deo & Sanctis ejus, *c. Injuſtum, de rer. permut.* ac proindè ſubſunt omnimodę diſpoſitionis Summi Pontificis, qui ut in propoſito dicit Laudun. in *d. Clem. Quia con-* 24
tingit, & poſt eum Cardin. ibi *num.4.* eſt gubernator inſolidum univerſalis Eccleſiæ, cujus caput eſt Eccleſia Romana; & ideò ejus eſt tamquam capitis ad membra ſingula alimenta transfundere, *c. Cuncta, & cap. Per principalem, 8. q.3.* Clemen. *Frequens, §. Præterea, de exceſſ. Prælator.*
Deinde pro hac ſetentia eſt textus apertus hìc non cavillan- 25
do litteram. Nam Papa immutavit pactum, aut conditionem illam in tribus ſecundùm Innoc. *poſt princ. in verb. Aſſiduè*, Abb Antiq. *n.1. in ver. Eatenus*, Hoſt. *n.7.* Jo. Andr. *num.3.* Butr. *num.8.* Cardin. *in 5. oppoſ.* Anchar. *in 6. not. & in 3. oppoſ.* & Abb. *num.5.* Quia ubi erat conventum de celebrando Miſſam de S. Maria, & quotidiè, immutatur primò, ut Sacerdos non arctetur ad celebrandum quotidiè, ſed ſecundùm qualitatem ſuæ devotionis. Secundò, ut non arctetur ſemper ad dicendam Miſſam de Sancta Maria, ſed poſſit ſolemniter aliàs celebrare ſecundùm devotionem & honeſtatem. Tertiò, quod conventum fuit, ut non poſſit præbendatus dimittere Eccleſiam, & tranſire ad aliam; modificatur, ut non habeat locum, ſubſiſtente legitima cauſa, & in hoc ſecundùm Hoſtien. *confirmatio Apoſtolica limitat, ſeu immutat pactum.* Ex quibus patet in hac Decretali propriè agi de immutatione, ſeu modificatione conventionis inter vivos, non autem de interpretatione, niſi quatenùs interpretatio ſumitur pro correctione, ſeu modificatione, juxta text. *in l.1. §. Qui operas*, juncta gloſſ. *in ver. Interpretatione, ff. ad Tert.* Abb. *in cap. Super quæſtionum, num.8. de offic. deleg.* Paul. de Caſtro *conſ.340. Præmiſſis allegationibus in princip. l.1.* Et quam- 26
vis Innocentius, ubi ſuprà, dicat ſe non credere, quòd ſi aliquid eſſet in pactis à Jure tolerabile, liceret illud à confirmatore commutari: immediatè tamen ſubjicit aliam opinionem, quòd ſi pacta reſpiciant tantùm religonem, ſicut eſt cantare Miſſam de S. Maria, liceat Superioribus ea immutare, etiamſi ſint licita; ſecus, ſi reſpicerent temporale commodum, & hæc ſecunda opinio placet ibi Hoſtien. cum quo tranſit Joan. Andr. & reliqui ſuprà citati. Unde Anton. de Butr. *num.9.* Oppono, inquit, Partes, con-

conveneriunt, & tamen pacta iſtarum partium aliter moderatur, quod facere non debuit, quia contractus legem accipiunt ex conventione, *ut l.1.§. Si conveniat, ff. de poſſ.* & ex eis oritur obligatio naturalis, *ff. de pact. l.1. ſolutio*. Aut pacta reſpiciunt Religionem, & tunc poſſunt immutari per Papam ut hic, etiamſi ſint licita. Aut reſpiciunt temporale commodum, & non eſt licitum Papæ ipſa commutare, poſtquam inita ſunt authorizante Judice Eccleſiaſtico; & in hoc ſecundo caſu *n.12.* dicit habere locum regulam, *l. In re mandata, C. Mandati*, non autem in ſpiritualibus. Quod etiam dixit Cardin. *in d. Clem. Quia*
27 *contingit, in 2. oppoſ. n.9. de Relig. domib.* Ratio eſt ſecundùm Joan. Andr. & Butr. *locis citatis*, quia pactum inferioris non poteſt præjudicare ſuo ſuperiori, nec inferior ſuperioris ſui jus revocare poteſt, *c. Cùm acceſſiſſent de Conſtit.*
28 & in hujuſmodi pactis, ſicut & in juramento, ſemper intelligitur excepta authoritas Papæ, *cap. Venientes*, & ibi gloſſ. *in ver. Superioris de jurejur.* gloſs. *in cap. Conſtitutus, in ver. Juramento*, & ibi etiam Felin. *n.9. de reſcript. gloſ. ſecunda in c. Ex parte, de Cleric. non reſid.* Feder. de Sen. *conſ.191. n.4.* Bald *conſ.29 n.2. in fine lib.1.* & per hæc patet etiam reſponſio ad objecta.

29 Dubitatur tertiò, numquid reduci poſſint onera futura Miſsarum celebrandarum: & non video, qua ratione id fieri poſſit abſque eo quòd Chriſti fideles fraudentur, ſeu rebus ſuis ſpolientur cum mendacio, ac violatione fidei, &
30 obligationis naturalis. Nam ſtatim atque Eccleſia recepit rem ſibi cum tali onere oblatam, facto ipſo, quo magis, quàm verbis loquimur, *l. Si tamen, §.1. ff. de ædil. edict. cap. Dilecti, il 2. de appell.* promittit dicta onera adimplere, unde obligatio naturalis deducitur, *l.1. ff. de pact.* quæ ſuper omnia ſervanda eſt, ut ibi, *& l. Juriſgentium, §. Ait Prat. ff. eod. c.1. eod. tit. c. Puellæ, 20. q.1. c.1. Innocens, 23. q.4. & c. Eleu-*
31 *therius 18. q.2.* Omne enim pactum quantumcumque ſim-
32 plex poteſt appellari fides, *c.1. de Sponſ. duor.* & quamvis nuda pactio obligationem non pariat, parit tamen exceptionem, quia recedens à pacto mortaliter peccat, ut dicit gloſ.
33 *1. in d. cap.1. de pact.* Nam inter pactum nudum, & veſtitum, nec Deus, nec bona conſcientia diſtinguit, ut ibi ait Bald. *n.5.* ſubdens de Jure Canonico omne pactum æquum cujuſcumque ſit generis, & formæ appellari veſtitum veſtimento Canonis, ſeu veſtimento roboris Canonicæ San-
34 ctionis. Accedit, quòd ſi Eccleſia accipit oblata hac intentione, ut onera adimpleat, utique aliàs nec rem ſub hoc onere oblatam facere videtur ſuam, ad exemplum eorum qui beneficia Eccleſiaſtica obtinent, & diurnum officium non recitant, ſecundùm opinionem Calder. *in cap.1. de celebr. Miſſar.* Quomodo ergo poteſt eamdem retinere? arg. *cap.*
35 *Si res aliena 14. q.6.* Item ubicumque aliquid datur ob cauſam, illa non ſequuta poteſt repeti, *l.1. & quaſi per tot. ff. de condict. cauſ. dat. l. In ſumma, §. Quod ob rem, ff. de condit.*
36 *indeb. & l.1. ff. de condict. ob turp. cauſ.* Quæ omnia nituntur naturali ratione; & ideò humanis legibus non videntur ſubeſse, *Clem. Paſtoralis*, cum ibi notatis *de re judic. §. Sed naturalia, Inſtit. de jur. natur.*

37 Neque obſtat, quòd Leo X. informatus, quòd in quibuſdam regionibus pro celebratione unius Miſsæ certa pecuniæ quantitas dari conſuevit in eleemoſynam fratribus Minoribus adeò tenuis, ut dicti fratres tot miſsas, quot ſunt largientes, pro ſingulis celebrare non valeant, declaraverit, & conceſserit prædictis fratribus, ut celebrando unam Miſſam dumtaxat, ſi eleemoſyna æquivalens uni Julio, id eſt, decima parti ducati non elargiretur, commemorationem in genere faciendo, in hoc conſcientiarum puritati prædictorum fratrum ſatisfactum eſſet. Etenim, ut inquit Collector privil. Mendican. *in ver. Miſſa 3. n.14. Cavendum eſt omninò, ne quis utatur hujuſmodi conceſſione, quia revera nullius eſt valoris, prout multi celebres Theologi, & Juriſperiti ſuper hoc conſulti reſponderunt, & conſtat eam fuiſſe ſubreptitie obtentam. Unde frater Joannes Clapion. dum inſtitutus eſſet Procurator Curiæ Romanæ, promiſit procurare revocationem, ſeu potiùs declarationem nullitatis hujus conceſſionis & credendum eſt obtinuiſſe, licèt ad manus noſtras non pervenerit.* Hæc ille, quem totidem verbis refert Rodriq. *de regular. tom.1. q.43. art.17.* ubi etiam allegat Medin. additque eam conceſſionem per contrarium uſum fuiſſe abolitam. Noviſſimè in præalleg. *de celebr. Miſſar. in §. Id verò*, revocantur privilegia, & indulta omnia quibuſvis perſonis, Eccleſiis, ac locis piis tam ſecularibus, quàm regularibus cujuſcumque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti quamcumque ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, ut certarum Miſſarum, vel Anniverſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu orationibus, plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat: & verba illa, *in futurum ſuſcipiendis*, ſunt intelligenda de oneribus ſuſcipiendis poſt privilegium, ut S. Congregatio declaravit; habetur declaratio *in Bullar. tom.4. pag.317.*

In gloſſ. prima Quæro, an Sacerdos, qui tenetur ad ſolam 38
Miſſæ celebrationem, non autem ad illius applicationem, poſſit pro applicationem eleemoſynam accipere.

Videtur reſpondendum poſſe: nam communis Theolo- 39
gorum ſententia eſt poſt D. Thomam *in 2.2. q.100 art.3.* necnon Canoniſtarum hic poſt Vincen. & gloſſ. præalleg. Sacerdotem pro Miſſæ celebratione juſtè poſſe eleemoſynam accipere, non quidem ratione rei, & tamquam pretium commenſuratum fructui Sacramenti, quem applicat; hoc enim tamquam ſimoniacum damnatur à Concil. Toletano 11. *c.8. ut in c. Quidquid 1. q.1.* ſed tamquam ſuſtentationis ſtipendium, ut inquit D. Thom. *ubi ſupra in reſponſione ad ſecundum*, & ibi Cajetan. *in 1. dub.* ſeu ratione ipſius Sacerdotis, qui ſecundùm Vincent. gloſſ. & Anton. de Butr. *hic n.12.* potiùs videtur locare operas ſuas, quàm vendere divina, arg. *c. Relatum, 10. q.3. c. fin. 1. q.2. & c. Cùm ſit, de Simon.* de quo tamen plenè diſſerit Cajetan. *ubi ſup. in 2. dub.* quive, ut ſacrificium offerat, debet ali ex juſtitia, & vivere de altari: nam, *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? qui paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* 1. ad Corinth. 9. *c. Ex his, 12. q.1. & c. Cùm ex officii, de præſcript. Dignus eſt enim operarius mercede ſua*, 1. ad Timoth. 5. *cap. Quicumque, 12. q.2.* & denario fraudari non debent in vinea Domini operantes, *cap. fin. de magiſtr.* nec qui ad onus eligitur, repelli debet à mercede, *cap. Cum ſecundum, infr. eod. c. Charitatem, 12. q.2.* ibi; juſtum namque eſt, ut illi conſequantur ſtipendium, qui pro tempore ſuum commodare reperiuntur obſequium, *& c. Eccleſiaſticis, eod. cauſ. & qu.* ubi legitur: Eccleſiaſticis utilitatibus deſudantes, Eccleſiaſtica dignum eſt remuneratione gaudere. Atque hanc ſententiam clarè approbavit Concilium Tridentinum, dum *in c.4. ſeſ.25.* fecit Epiſcopis, & Generalibus facultatem reducendi onera Miſſarum, quia eleemoſynæ pro illis celebrandis ſæpè erant tenues, ut non facilè invenirentur, qui vellent huic ſe oneri ſubjicere. Nam ſi pecuniæ pro Miſſis celebrandis acceptæ fuiſſent à Sacerdotibus per ſimoniam conventionalem, non fuiſset agendum de moderatione onerum, ſed de illarum reſtitutione, *cap. De hoc, de Simon.* ibi, *Si qua receperint, ſine diminutione reſtituant, cum ea ſine gravi ſuæ ſalutis periculo retinere non poſſint*, Sylveſt. *in ver. Simonia, n.29.* quidquid ſit in ſimonia mentali, per *c. Mandato*, & ibi Doctores, *eod. tit.* Quare jure optimo in Concil. Conſtantienſi *ſeſſ.8.* dam-
nantur quadragintaquinque errores Joannes Vvicleff. quo- 40
rum vigeſimus quintus talis erat, videlicet: Omnes ſunt ſimoniaci, qui ſe obligant orare pro aliis, eis in temporalibus ſubvenientibus, ut habetur *tom.3. Concil. pag.859. col.2.* Po- 41
teſt autem accipi hujuſmodi eleemoſyna, etiamſi Sacerdos aliunde habeat ſuſtentationem, imò etiamſi redditibus Eccleſiaſticis abundet, gloſs. & Doct. *in c. Clericis, 1. q.2.* & docet D. Thom. *quodl.6. art.10.* Navar. *in Manual. c.23. n.102.*
& Suar. *in 3. par. tom.3. diſp.86. ſect.3. concl.1. & 2.* Unde 42
cùm *in d. c. Clerici, 1. q.2.* decernatur, ut Clerici omnes, qui Eccleſiæ fideliter vigilant, & deſerviunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita ſecundùm ſervitii ſui meritum per ordinationem Canonum à Sacerdotibus conſequantur, Abb. *in ſua q.4.* quæ incipit, *Titius Clericus in 4. dub. ſub n.12. uſque in fin.* obſervat ponderandum eſse illud verbum, *omnes*, quod includit tam pauperes, quàm divites, aliàs ad quid dixiſset omnes? Item ponderanda eſse illa verba, *ſtipendia ſanctis laboribus debita*, quæ innuunt danda eſse ſtipendia Sacerdotibus non propter indigentiam, ſed propter labores, quos ſuſtinent. Quæ quidem ratio verificatur tam in divitibus, quàm in pauperibus. Item ponderandum quod dicitur, *ſecundùm ſervitii ſui meritum*, non autem ſecundùm indigentiam qualitatem.

Non obſtat textus *in cap. Sacerdos, 1. quæſt.2.* ubi deciditur Clericos pauperes, ſive ex nativitate, ſive ex propria voluntate, juſtè vivere de bonis Eccleſiaſticis, quia ad ea accipienda non eos cupiditas ducit, ſed vivendi neceſſitas cogit; & mox notabiliter ſubnectitur: De talibus videtur dicere Apoſtolus, 1. ad Corinth. 9. *Qui in ſacrario operantur*, quæ

quæ de ſacrario ſunt, edunt, & qui in altario ſerviunt, cum altario participant. Ex quo textu videtur colligi, ut Clerici divites, quos non neceſſitas, ſed cupiditas ducit, non poſſint vivere de altario, quamvis eidem inſerviant, cùm de talibus non intelligatur Apoſtoli authoritas, ſed de Sacerdotibus pauperibus, prout ad hoc illum textum ponderat Abb. *in d.q.4. in 4. dubio ſub n.*12. Nam ut idem reſpondet, ille textus, atque alii, qui in contrarium afferuntur, nempe *c.Clericos, c.Si quis, & c.Paſtor.* 1.*q.*2.*& c. Quoniam*, 16. *q.*1.*c. Illi, & c.fin.* 12.*q.*1. procedunt ſecundùm ſtatum primitivæ Eccleſiæ, quando exiles erant redditus, & diſtribuebantur ex facultatibus Eccleſię, prout cuique opus erat juxta *c.*2.*& c.Tua, ead. cauſ. & quæſt.* Quæ ſolutio fuit originaliter Hugonis, & Archid. *in d.c.Clericos, in princ.* ubi etiam Præpoſ. & latiùs idem Præpoſ. *in Summa*, 44. *diſt.* Abb. *in ſua q.*3.*incip. Sempronius Clericus*, Felin. *in c.Poſtulaſti, n.*6. *de reſcr.* Covar. *in c.*1 *n.*2. *de teſtam.* & eſt ex mente S. Th. *in* 4.*diſt.* 38. *art.*2. *q.*2. *ad* 3. qua de re nos latiſſimè diximus *in c.Si quis ſanè, ſup. de pecul. Cler. in quæſt.* an, & quando Epiſcopi, & Clerici teneantur præcepto charitatis, vel juſtitiæ, redditus beneficiorum ſuorum pauperibus erogare, *à n.* 9. *uſque ad n.*17. Atque hoc ſuppoſito, ſequitur, ut Sacerdos, qui habet ſtipendium pro ſola Miſſæ celebratione, adhuc tamen poſſit accipere aliud ſtipẽdium pro illius applicatione, quia ſcilicet ratione applicationis ſufficientem ſuſtentatio-
43 nem non habet, licèt eam habeat aliundè. Et quamvis nemo poſſit habere duplicem titulum ſuſtentationis, ut tradit Vaſq. *in* 3.*par. diſp.*234. *cap.*4. hoc tamen non habet locum ubi ſuſtentatio recipitur pro rebus diverſis, cujuſmodi ſunt celebratio, & applicatio Sacrificii. Atque ita hanc ſententiam ſequitur Suar. *in* 3.*par. tom.*3. *diſp.*86. *ſect* 3.

Verùm tutius fortè eſſet abſtinere ab hujus dubii declara- 44
tione, quia hoc rarò accidit. Nam qui dant eleemoſynam pro Miſſa, licèt aliud non exprimant, communiter intendunt, ut ſacrificium ſibi applicetur, idemque intendunt beneficiorum fundatores, cùm hoc ſit eis utilius, *arg. l.*3.*ff. de teſtam milit.* & obſervat Scot. *quodl.*20. §. *De ſecundo, verſ. poteſt ergo dici*, & poſt eum Sylveſt. *in ver. Miſſa, primo n.*11. & Abb. *conſ.*99. *videtur primò, col.*4. *in* 3. *dubio, verſ. Præterea, lib.*2. Itaque hic caſus ſolùm ferè poſſet verificari, ubi benefactores exprimerent ſe nolle Sacerdotem obligare niſi ad ſolam Miſſæ celebrationem, non autem ad illius applicationem, quòd fortè vix unquam continget. Deinde abſtinendum eſſet à declaratione, quia Sacerdotes poſſent illa abuti, & eludere Decretum S. Congregationis accipiendo plures eleemoſynas ſub prætextu quòd non teneantur ad applicationem Sacrificii. Difficile tamen erit non reſpondere poſtulantibus, cùm hoc dubium intrinſecè pendeat ab intellectu decretorum de celebratione Miſſarum, quorum quidem decretorum declaratio, ſeu interpretatio eſt omnibus aliis interdicta, ut habetur *in* § *Porro, in fine*.

Poſſet fortè reſponderi Sacerdotem ex decretis hujuſmodi non prohiberi accipere eleemoſynam pro applicatione ſacrificii, ſi expreſsè appareat eum non teneri niſi ad ſolam Miſſæ celebrationem, non autem ad illius applicationem. Verùm an prohibeatur aliunde, quàm ex ipſis decretis, non pertinere ad S. Congregationem id declarare.

DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.

Idem Alexander III. Salernitano Archiepiſcopo.

CAPUT XIII.

AD hæc licèt: & infrà. Illud eſt omni rationi contrarium, ut onus Clericus in una vel diverſis Eccleſiis plures dignitates, vel perſonatus obtineat: cùm ſingula officia in Eccleſiis aſſiduitatem exigant perſonarum.

SUMMARIUM.

1 *DIgnitates plures, vel perſonatus in una, vel diverſis Eccleſiis quis habere non poteſt.*
2 *Dignitatum, ac perſonatuum pluralitas eſt omni rationi contraria.*
3 *Eccleſias plures obtinens videtur ſpiritualis adulter.*
4 *Beneficiorum pluralitas æquè prohibita eſt in una Eccleſia, atque in diverſis.*
5 *Dignitates, & officia requirunt reſidentiam continuam.*
6 *Dignitas, perſonatus, & officium quid ſint, & an inter ſe differant, & n. ſeqq. uſque in fin.*
7 *Dignitas, perſonatus, & officium quandoque accipiuntur ut ſynonyma, & n.*9. *&* 12.
8 *Quandoque ut diverſa, & n.*14. *&* 15.
9 *Dignitas largè comprehendit etiam perſonatum, vel cuſtodiam, ſeum officium, aut inferius miniſterium.*
10 *Dignitatis appellatione an veniant Epiſcopatus, & majores dignitates, & n.*17.
11 *Perſonatus quandoque includit majora, & minora beneficia.*
12 *Inter dignitatem, perſonatum, & officium jura non conſtituunt ſpecificam differentiam; & nominum diverſitas introducta eſt ex diverſis conſuetudinibus Eccleſiarum, & n. ſeqq.*
*Contrarium, n.*14.
13 *Nominum diverſitas non ſemper arguit diverſitatem in ſubſtantia.*
15 *Perſonæ Eccleſiarum in Anglia dicuntur, quæ præſunt Eccleſiis, qui alibi dicuntur Curati.*
16 *Dignitas ſe habet ad perſonatum, & officium, tanquam genus ad ſpecies.*
*Contrarium, num.*18.
17 *Dignitas ſumitur largè, & ſtrictè ſecundùm ſubjectam materiam, vel intentionem proferentis.*
18 *Generis poſitio neceſſariò ſequitur ad poſitionem ſpeciei.*
19 *Dignitatem habens dicitur etiam habere perſonatum, ſed non è contra.*
20 *Dignitatis diffinitio quæ.*
21 *Adminiſtrationis appellatione continentur omnia Eccleſiaſtica officia.*
22 *Dignitatis ventoſæ nullus alius eſt effectus, quàm ut invidiam generet, & ſcandalum ſeminet inter fratres.*
23 *Dignitas Eccleſiaſtica non conſtituitur, niſi ſit perpetua.*
24 *Suffraganeatus non eſt titulus perpetuus, nec per illius acceptationem Parochialis intelligitur vacare.*
25 *Vicariatum Epiſcopi acceptans, an perdat dignitatem, vel beneficium Curatum.*
26 *Vicarius Epiſcopi dignitatem habet ratione præeminentiæ provenientis ex juriſdictione, & Tribunali Epiſcopi, & n.*28.
27 *Judex dicitur habere dignitatem.*
28 *Vicarius tam abſente, quàm præſente Epiſcopo præcedit Canonicos, dignitates, & Capitulum etiam in actibus indifferentibus.*
30 *Dignitas Eccleſiaſtica ſatis eſt ut habeat adminiſtrationem rerum temporalium, ad Eccleſiam pertinentium.*
31 *Dignitas eſt excellentior gradus.*
32 *Dignitas quæ ſit major in Eccleſia, ex quibus deprehendatur. Remiſſive.*
33 *Dignitatis præeminentia ex quatuor cauſis conſtituitur, & n. ſeqq.*
34 *Dignitas Eccleſiaſtica cognoſcitur ex eo, quòd quis ha-*

habeat adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum cum juriſdictione, & n. ſeqq.

35 *Dignitas, adminiſtratio, & juriſdictio ſunt annexa, & quaſi inſeparabilia.*

36 *Syndici, Procuratores, Sacriſtæ, & alii Miniſtri, qui ſine ulla juriſdictione officium aliquod habent, non dicuntur in dignitate conſtituti, etiamſi ſint perpetui, & num. 54.*

37 *Prior Eccleſiæ Collegiatæ, vel Conventualis, dicitur habere dignitatem.*

38 *Abbatiſſa an habeat dignitatem.*

39 *Theſauraria an ſit dignitas. Remiſſivè.*

40 *Camerarius Papæ cum adminiſtrationem habeat cum juriſdictionem, dici poteſt habere dignitatem.*

41 *Dignitas propriè dicitur, cum in illius inſtitutione cautum eſt, ut ſit dignitas.*

42 *Dignitas cenſetur, quæ ex conſuetudine Eccleſiæ reputatur dignitas, licèt de jure non ſit talis.*

43 *Conſuetudine introduci poteſt, ut officium in Eccleſia, quod nullam habet prærogativam juriſdictinois, ſit dignitas.*

44 *Dignitas non tantùm adminiſtrationem habentes cum juriſdictione, ſed etiam quæ ſolùm ex conſuetudine Eccleſiæ pro dignitatibus habentur, præſervatæ ſunt à Conc. Trid. in c. 6. ſeſſ. 25.*

45 *Dignitatem habere non dicitur exercens miſterium ſpectans ad dignitatem, ſi in loco non reputetur dignitas.*

46 *Conſuetudo poteſt efficere, ut dignitas perdat primævam naturam, & tranſeat in naturam benficii ſimplicis.*

47 *Dignitas an conſtituatur ex eo, quòd vòcetur aliquo nomine dignitatis in jure expreſſæ, & n. ſeq.*

48 *Conſuetudo, & communis reputatio non ſolùm defert, ſed etiam adimit dignitatem.*

49 *Dignitas cognoſcitur, quando habet nomen dignitatis, & prælationis, & prærogativam in choro, & in Capitulo, licèt non habeat rerum adminiſtrationem, vel juriſdictionem, ut Archidiaconus Parmenſis.*

50 *Perſonatus quid ſit.*

51 *Non habet præeminentiam in gradu, ſed ſimplicem prærogativam in Choro, & in Capitulo, & ſimilibus.*

52 *Et tenet medium gradum inter dignitatem, & Canonicos.*

53 *Officium quid ſit.*

54 *Caſtaldi, Syndici, Procuratores, Vicedomini, & alii habentes onus officio annexum, ut Præpoſiti Eccleſiæ Carnoten. dicuntur habere officium,*

1 AD *hæc.* Plures dignitates, vel perſonatus in una, vel diverſis Eccleſiis qui habere non poteſt. Hoc dicit ſecundum Jo. And. & omnes. Et ſunt duæ partes In prima ponit dictum. In ſecunda rationem ſubdit, ibi: *Cum ſingula.*

2 Nota primò, pluralitatem dignitatum, ac perſonatuum eſſe omni rationi contrariam, ut in littera: adverſatur enim rationi naturali juris humani primævi, quod exigit, ut unus unicam tantùm habeat conjugem carnalem, *c. Gaudemus, infrà de divortiis.* Ergo & ſpiritualem, *c. Sicut*, 21. *q.* 2. Atque

3 ita plures habẽs Eccleſias videtur ſpiritualis adulter, *c. Sicut vir*, 7. *q.* 1. Similiter adverſatur rationis juris Canonici, ex cujus diſpoſitione ſingula officia ſingulos miniſtros requirunt, ut hìc, *& in c. Singula*, 89 *diſt. & in c. Cum ſingula, infr. eod. lib.* 6. Rurſus adverſatur rationi juris civilis, quo cavetur, ut unus conſcribi non poſſit in duabus militiis, *l. 1. §. In poſterum, l. Qui milit. non poſſ. lib.* 12. neç in duabus Societatibus, *l. 1. §. fin. ff. de colleg. illic.* gloſſ ult. *in c. Prapterea, infrà eod.* nec plures habere honores, *l. Libertus, §. Praſcriptio, ff. ad municip.* nec ſimul eſſe aſſeſſor, & advocatus, *ut l. Nemo, ff. de off. aſſeſſoris*, & pleniùs notatur *in d. c. Singula*, 89. *diſt.* Demum hæc pluralitas adverſatur etiam rationi congruæ locutionis: nam ſi Petrus habeat duos Canonicatus, cogimur dicere: Petrus Canonici venit, quod eſt contra rationem recti ſermonis, *l. Plautius, ff. de aur. & argen. legat.* Ita Hoſt. Jo. And. Card. Anchar. & Abb. omnes *n.* 1. Butr. *n.* 2. & Imol. *n.* 3. & plenè Rebuff. *in prax. tit. de diſpenſ. ad plura beneficia à n.* 2. *uſque ad n.* 21.

4 Secundò nota, ibi, *In una, vel diverſis Eccleſiis*, beneficiorum pluralitatem æquè prohibitam eſſe in una Eccleſia, atque in diverſis: non obſtat text. *in l. antepenult. ff. de oper. libert.* ubi libertus ſervit duobus dominis in eodem domo, quoniam illud procedit quoad officia diverſa, nec ſe invicem impedientia, ut per Hoſt. *n.* 1. *in ver. Unus Clericus*, Butr. *n.* 5. Card. *n.* 3. Anchar. *n.* 2. & Imol. *n.* 5. magis tamen abhorrent jura, ut quis ſit plurali in una Eccleſia, ut notat gloſ. ult. *in Clem. fin. de Præben.* dixi *in c. Litteras à n.* 6. *infrà de conceſſion. Præben.*

Tertiò nota, ibi, *Dignitates, vel perſonatus*, aliud eſſe dignitatem, aliud perſonatum, ponderando particulam diſjunctivam, *vel l. Hæc verba, ff de verbor. ſignif. c. Inter cæteras ſuprà de reſcript.* Imol hic *n.* 9. Sed de hoc latiùs dicam infrà in prima quæſtione.

Ultimò nota, ibi, *Aſſiduitatem exigunt perſonarum*, digni- 5
tates, & officia Eccleſiaſtica requirere continuam reſidentiam in Eccleſiis, prout verbum *aſſiduitatem*, exponit Joan. Andr. *in fin.* Butr. *in* 2. *notab.* Imol. *n.* 2. & Abb. *n.* 3. Hodie hoc eſt expeditum in decreto Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 12. circa quod vide quod ſcripſi *in c. Licèt inf. eod. & in c. Quia nonnulli, in ſecunda quæſt. ſuprà de Cler. non reſid.*

QUÆRO, quid ſit dignitas, quid perſonas, & quid 6
officium; & an inter hæc ſit differentia.

Quæſtio eſt difficilis, tum ob varias iſtorum nominum acceptiones, quæ paſſim habentur in jure; tum ob diverſas opiniones interpretum *in c. De multa, infra eod. & in c.* 1. *de conſuetudine, lib.* 6. & paſſim alibi. Nam jura interdum 7
accipiunt digniatem, perſonatum, & officium tamquam ſynonyma, ut eſt text. expreſſus *in c. cùm acceſſiſſent, ſupra de conſt.* ubi Primiceriatus Eccleſiæ Tullen. primò appellatur perſonatus, ſecundò dignitas, tertiò officium, *in cap. Ad aures, de reſcript.* ubi Decani, Archidiaconi, Præcentores, & alii, dicit textus, ſupprimunt nomen dignitatis ſuæ, tamquam ſi non habeant aliquem perſonatum, *& in c. Dudum, il 2. §. Licet autem, verſ. Sed cum in jure, de elect.* ubi de Archidiacono juriſdictionem habente dicitur negari non poſſe, quin ſit perſonatus, ad idem *c. Cùm olim, de conſuetud. cap. Cùm in cunctis, §. Inferiora, de elect. & c. Cum ad noſtram, de inſtitut.* Hinc Hoſt. *in Summa hujus tituli, §.* 2. dicit, dignitatem eſſe præeminentiam in gradu, quæ alio nomine dicitur perſonatus, allegat *d. cap. Cùm ad noſtram.* Multoties verò dignitas, perſonatus & officium accipiun- 8
tur in jure tamquam diverſa, ut patet in hoc cap. *in cap. De multa, infrà eod. in cap. in Geneſi, ſuprà de elect. & lib.* 6. *cap. Statutum, de reſcriſpt. cap.* 1. *de conſuet. cap.* 1. *§. Hoc autem de elect. cap. Eum qui de eo, qui mitt. in poſſeſſ. c. Quia ſæpè, de Præben. cum ſimil.* Et ita negari non poteſt, quin ſint diverſa, ut inquit Jo. Andr. in prædicta Decretali, *De multa num.* 13. *& in d. cap. Cùm acceſſiſſent, num.* 7. ubi dicit falſam eſſe opinionem dicentium dignitatem, perſonatum, & officium eſſe ſynonyma, & ſequuntur ibi Butr. *n.* 4. Imol. *n.* 1. & Abb. *in princ.* & idem Jo. And. *in d. c. Quia ſæpè, in ver. Vel officio*, ubi notat hæc tria, ſcilicet dignitatem, perſonatum, & officium ibi ponit ut diverſa, prout etiam ponuntur *in cap. fin. de Præben. lib.* 6. Nec diſſentit Innoc. *in d. c. De multa, n.* 6. nam, ut ipſe ait, hæc tria ferè ſemper pro eodem accipiuntur; & ita ſecundùm eum ex ſui natura hæc ſunt diverſa, quamvis plerumque uſurpentur à jure, ac ſi eſſent idem; & cum ipſo tranſeunt ibi Jo. Andr. *d. n.* 13. Imol. *n.* 9. & 39. & pleriquæ alii.

In hac varietate prima opinio fuit Abbatis Antiqui in *cap. Dudum, il* 2. *de elect.* dicentis dignitatem eſſe præeminentiam cum cura, perſonatum ſine cura. Sed, ut inquit Joan. Andr. *ibidem num.* 27. hoc conſtat eſſe falſum per *cap. In illis, de Præbendis lib.* 6. *& c. unic. de ætat. & qualit. eod. lib.*

Secunda opinio fuit Archidiaconi *in cap.* 1. *num.* 1. *verſ.* 9
Sed circa hoc, de conſuetud. lib. 6. quem totidem ferè verbis ſequitur Joan. Andr. *eodem num.* Nam ſecundùm eos ſi dignitas ſumatur in larga ſignificatione, ſecundùm quòd dicitur quædam præminentia in gradu, comprehendit etiam perſonatum, & ſic aliquando dignitas appellatur perſonatus, vel cuſtodia, *cap. Cùm ad noſtram, de inſtitut. ſeu officium*, vel inferius miniſterium, *cap. Cùm acceſſiſſent, de conſtit. c. Cùm olim, de conſuet. c. Cùm in cunctis, §. Inferiora, de election. & c. Niſi, de Præben.* Unde Archidiaconatus, Decanatus, & Primiceriatus iis nominibus ptomiſcuè appellantur, & poſſunt ii omnes Præpoſiti appellari ex eo, quòd præ aliis quamdam præeminentiam habere noſcuntur, *cap. Quamvis, de verborum ſignific. lib.* 6. Si autem 10

ſtrictè ſumatur hoc verbum *Dignitas*, accipitur etiam pro majoribus, ſcilicet Epiſcopatibus, & ſimilibus. De quo vide per Felin. *in Rubr. de major. & obed. col.* 5. ubi an dignitas comprehendat Papatum, Archiepiſcopatum, Epiſcopatum, Cardinalatum, Patriarchatum, & ſimilia. Per-
11 ſonatus verò accipitur pro Archidiaconis, & ſimilibus, & hoc modo ſecundùm eos intelligi poteſt *c. Eam qui, de eo, qui mitt. in poſſeſſ. lib.* 6. ubi perſonatur comprehendit majo-
12 ra, mediocria, & minora beneficia. Verùm, ut inquit Gemin. *in d. c.* 1. *col.* 1. *poſt medium, verſ. Mihi videtur*, iſti non declarant funditùs hanc materiam.

Tertia opinio fuit Gulielmi de Monte Lauduno in Extravag. *Execrabilis*, n. 3. *de Præben.* quæ habetur ibi in gloſſ. *in verſ. Perſonatus*, ubi firmat, jura inter dignitatem, perſonatum, & officium non conſtituere aliquem gradum, ſeu diſtinctionem aliquam: & licèt nomina ſint diverſa, unam tamen formam tenere, ſicut legitur de Primatibus, & Patriarchis *in c. Provinciæ*, 99. *diſtin.* Diverſitas autem nominum introducta eſt ex diverſo modo loquendi, & diverſis
13 conſuetudinibus Eccleſiarum. Nec obſtat, quòd de ſtylo Curiæ omnia in litteris, & Conſtitutionibus ſpecificantur; quia ſecundùm eum hoc fit ad cautelam, & ex ſuperabundanti, cùm talia non vitient, ſed proſint potiùs ad exceptiones ſuperfluas citiùs elidendas, vel ut diverſis locutionibus Gentium ſatisfiat, arg. Clem. 1. *de Magiſtris, c. Qui de menſa*, 37 *diſtin.* Ad varietatem autem diverſæ locutionis, ſeu mutabilitatem nominantium nihil immutatur in iſtis realiter in effectu, nec mutari debet, ſeu aliqua diverſitas denotari, arg. *cap. Lege*, 10. *diſt.* Unde dicit Philoſophus propter noſtrum affirmare, vel negare rei veritas non mutatur, *l. Aſſumptio, ff. ad Municipal.* Eamdem opinionem amplectitur Cardinal. *in d. c. De multa*, §. *Hoc idem*, n. 3. *verſ. Et per prædicta*, dicens dignitatem, perſonatum, & officium non habere diſtinctionem præciſam in jure; & licèt perſonatus videatur poni ſupra officium, & dignitas ſupra perſonatum, tamen hoc jure non probatur; nec eſt jus, quia de iſtis idem judicium, *cap.* 1. *de conſuetud. lib.* 6. nec ulla realis differentia inter hæc poteſt aſſignari; & hæc vocabulorum varietas potiùs originem traxit à diverſitate locorum, quàm à jure, & ſequitur Abb. *in d. cap. De multa*, n. 2. *verſ. Prima concluſio*, ubi ait, credendum eſſe ex diverſitate locorum inſurrexiſſe hæc diverſa vocabula, nam in multis locis dignitas appellatur perſonatus, & in aliquibus dicitur perſonatus quolibet beneficium curatum; & ideò in his debet attendi ſubſtantia rei magis quàm denominatio.

14 Sed certè hæc opinio deſtruitur ex prædicta Decretali, *De multa*, § *Hoc idem*, ubi primò ſtatuit de dignitatibus, & poſteà ſubdit: hoc idem in perſonatibus decernimus eſſe obſervandum. Quod fruſtrà feciſſet, ſi perſonatus in ſubſtantia idem eſſet quod dignitas, ut benè per Archidiac. & Jo. Andr. *in d. cap.* 1 *n.* 1. *de conſuet. lib.* 6. & Oldrad. *conſ.* 105. incipien. *In Eccleſia*, n. 3. *verſ. & hoc reſpectu*. Et ſatis infirma eſt reſponſio Lauduni *loc. cit.* quia illud verbum *idem*, non denotat identitatem perſonatus cum dignitate, ſed identitatem juris, circa diverſa tamen beneficia. Et conſideratio illa quòd hæc diverſitas nominum inſurrexerit ob diverſas locorum conſuetudines, adaptari poteſt tantummodò ad illa jura, quæ emanarunt pro aliqua peculiari Eccleſia, *ut cap. Cum acceſſiſſent, de conſtit. pro Eccleſia Tullen. cap. Dudum il* 2. *de elect.* pro Eccleſia Ambian. & conſimilia. Sed congruè adaptari non poteſt ad illa jura, quæ non reſtringuntur ad certa loca, ſed per modum legis univerſalis hanc differentiam conſtituunt, ut facit Concilium Generale *in d. c. De multa*, Concilium Lugdunen. *in c.* 1. §. *Hoc autem, de elect. lib.* 6. ibi, *In dignitatibus, perſonatibus, & Canoniis obſervari volumus*, Bonifacius *in d. cap.* 1. *de conſuet. lib.* 6. per quem textum, ut inquit ibi Geminian *col.* 1. *circa medium*, deſtruitur contraria opinio, quia ibi dignitas, perſonatus, & officium ponuntur ut diverſa, & idem Bonifac. *in cap. Statutum, in princ. de reſcript. eod. lib.* ibi, *dignitate*
15 *prædictis, vel perſonatum obtinentibus*, & in aliis juribus ſupracitatis n. 8. Et quamvis ſecundùm locorum conſuetudinem hæc nonnumquam accipiantur tamquam ſynonyma, prout in Anglia, ubi perſonæ Eccleſiarum dicuntur quæ præſunt Eccleſiis, qui alibi dicuntur Curati, *c. Perſonæ, ſuprà de appellat. & c. Quæſitum*, 1. q. 3 & nihilominùs dicuntur in dignitate conſtituti, ſecundùm Innoc. *in d. c. De multa*, n. 6. attamen circumſcripta conſuetudine, neceſſe eſt fateri prædicta differre non ſolùm nomine, ſed etiam re, & ſubſtantia, & verùm eſſe quod dicunt Archid. & Joan. Andr. *locis citatis*, & Oldrad. *d. conſ.* 50. *num.* 3. ubi ait: [Si horum duorum vocabulorum virtus (ſcilicet dignitatis, & perſonatus) propriè ſumatur, neutrum eſt alterum; licèt ſi ſumantur largè, & impropriè, vel ſint ſynonyma vel convertibilia alterum in altero, ſicut genus in ſpecie, & ſicut emptum & partum, *ut l. Si quid eorum*, §. *Inter emptum, ff. de legat.* 2.] quod etiam dixerunt Archid. & Joan. Andr. *in dict. cap.* 1. *ambo num.* 3. facit text. *in l. Si idem, C. de codicill.*

Quarta opinio fuit Gemin. *in cap.* 1. *col.* 1. *poſt medium*, 16
verſ. Mihi videtur, de conſuetud. lib. 6. qui putavit dignitatem habere ſe ad perſonatum, officium tamquam genus ad ſpecies: nam dignitas eſt quoddam nomen generale generaliſſimum aptum denotare omnem habentem aliquem gradum præeminentiæ, & hoc voluit gloſſa *in cap. Denique, in ver. Dignitas*, 4. *diſt. cum ſimil.* Item dignitas ſumitur largè, & ſtrictè ſecundùm naturam materiæ, in qua fit prola- 17
tio, vel ſecundùm intentionem proferentis, ſi de ea conſtat. Unde etiam in materia ſtricta, & pœnali dignitatis appellatione comprehenditur Epiſcopatus, & ſuperiores, quando hoc exprimitur, *ut in c. Felicis*, §. *Quod ſi quis, de pœn. lib.* 6. Quandoque non comprehenditur Epiſcopatus appellatione dignitatis, ut notatur *in c.* 2. *de Præben. lib.* 6. & *in c. Dilectus de conceſſ. Præbend. eod. lib.* Perſonatus, & officium ſunt ſpecies comprehenſæ ſub illo genere.

Verùm neque hæc theorica videtur procedere; quia ſi di- 18
gnitas ad perſonatum, & officium ſe haberet ut genus ad ſuas ſpecies, omnis perſonatus, & omne officium eſſet dignitas, quia ad poſitionem ſpeciei neceſſariò ſequitur poſitio generis, *l. Si quid earum*, §. *Interemptum*, & ibi notant gloſſ. Bart. & DD. *ff. de legat.* 2. ſicut dicimus de credito, & mutuo, *ut in l.* 2. §. *Creditum*, & ibi Bald. *ff. ſi cert. petat.* & tamen hoc conſtat eſſe falſum, qui eſt dare perſonatum, qui non eſt dignitas, *ut in d. cap. Multa, infrà eod.* & ſimiliter eſt dare officium, quod non eſt dignitas, ut *c. Salvator*, §. *Nomine*, 1. q. 3. & patet *in titulis de officio Cuſtodis de officio Sacriſtæ*, & in multis juribus infra citandis, *num.* 54. Quin potiùs oppoſitum eſt verum, quia qui 19
dignitatem habet, dicitur etiam habere perſonatum, ſed non convertitur, ut dicunt *in c.* 1. *de conſuetud. lib.* 6. Archid. *num.* 3. *verſ. Dico tamen*, & Joan. Andr. *n.* 2. *verſ. Dicit autem*, & Cardinal. *in cap. De multa*, §. *Hoc idem in ultima quæſt. num.* 3. *verſ. De hac materia, infrà eodem*. Ego verò 20
in hac materia ponam primo diffinitionem dignitatis ſtrictè ſumptæ, prout comprehenditur in decretali, *De multa*, & illius parte explicabo. Deinde per quatuor concluſiones deducam ſigna ad dignoſcendum, quando quis dicatur habere dignitatem. Tertiò, ſubjiciam diffinitionem perſonatus. Quartò diffinitionem officii: ex quibus deprehendi facilè poterit, quænam inter iſta ſi ſpecifica differentia.

Dignitas nihil aliud eſt, quàm adminiſtratio perpetua rerum Eccleſiaſticarum cum præeminentia in gradu. Dicitur Primò *adminiſtratio*, quod eſt genus ad omnia officia Eccleſiaſtica: adminiſtrationis enim appellatione jure no- 21
ſtro continentur omnia Eccleſiaſtica officia, *Clem.* 1. *de reſcript. cap.* 2. *ſupra de ætate, & qualitate*, & notat gloſ in Extravag. *Execrabilis, in ver. Perſonatus, de Præben. inter communes*, Innoc. *in c. Ex litteris*, n. 2. *de probat.* Idque ad exemplum tutoris, qui adminiſtrationem habet, *ut in tit. de adminiſtrat. tutor.* & dicitur habere officium, *l. Alienam, C. de Procurat.* & dicitur *adminiſtratio*, id eſt gubernatio, *l. Sancimus*, §. *fin. ff. de adminiſtr. tutor.* ſeu regimen, *ut d. c.* 2. *de ætate, & qualit.* Itaque dignitati ineſt adminiſtratio, ut notat Bald. *in l.* 2. *num.* 54 *C. de ſervitut. & aqua*. Et 22
ex hoc excluditur dignitas ventoſa, & ſine adminiſtratione, *ut l.* 3. *C. ubi Senator, vel Clariſſ. & l. ad Rempublicam, ff. de muner. & honor.* quæ eſt abuſivè dignitas, & cujus effectus alius non eſt, quàm ut invidiam generet, & ſcandalum ſeminet inter fratres, ut idem Bald. ſcripſit *in c. Cùm olim*, n. 8. *de conſuet.*

Sequitur in definitione illud verbum, *perpetua*, quia 23
ad conſtituendam dignitatem Eccleſiaſticam requiritur, ut ſit perpetua, *cap.* 2. §. 1. *infrà de ſtatu Monachor. cap.* 1. *de conſuetud. lib.* 6. & firmat Innoc. *in cap. De multa*, n. 6. *in fin. infra eod.* ubi formaliter ſic ait: *Numquam autem reputamus aliquem ad hanc Conſtitutionem teneri, niſi perpe-*

tuam

ſuam habeat dignitatem; & eum ſequuntur ibi Hoſt. Joan. Andr. Abb. & alii communiter.

24 Et hinc fit, ut cùm ſuffraganeatus non ſit titulus perpetuus, Parochialis Eccleſia quam obtinebat is, qui à Sede Apoſtolica ad Epiſcopatum titularem promotus, ac eodem tempore alicui Epiſcopo in ſuffraganeum deputatus eſt, non intelligatur vacare, ut olim delcaravit Sac. Congre-
25 gatio Concilii. Hinc etiam ſolvitur quæſtio, nunquid acceptans Vicariatum Epiſcopi perdat dignitatem, vel beneficium Curatum, ex diſpoſitione *diſt. cap. De multa*,
26 *infra eod.* Pro parte affirmativa facit, quia per Vicariatum conſequitur dignitatem, ut notat gloſſ. *in Clem. Etſi principalis, & in ver. Per electionem, de reſcript.* reddens rationem, quia quamvis non ſit perpetua, ſatis tamen eſt, ut poſſit eſſe perpetua, quia fortè Epiſcopus quamdiu vixerit eum non removebit, argum. *l. Juriſperitos, ff. de excuſat.*
27 *tutor.* Item facit pro hac parte, quia judex dicitur habere dignitatem, *l. ult. ff. de alb. ſcriben. l. Obſervandum, ff. de offic. Præſid.* & notatur *in cap. Quia nonnulli, ſuprà de Cler. non reſid.* & per Archid. *in cap. 1. num. 1. verſ. Sic etiam judex, de conſuet. lib. 6.* In contrarium eſt veritas ſecundùm Abb. *in d. cap. 1. De multa, num. 23.* quia illa dignitas eſt Epiſcopi, & Vicarius facilè poteſt amoveri, ad hoc *cap. 1. de offic. Vicar. lib. 6.* & ſequuntur Rebuff. *in prax. tit. Vicar. Epiſcopor. num. 7.* Alphonſ. Hojed. *de benef. in-*
28 *compatibilit. part. 2. q. 10. num. 15.* Verumtamen etſi Vicarius ſtrictè dignitatem non habeat, quæ ſit cum alio beneficio incompatibilis, habet tamen dignitatem quoad præeminentiam ex juriſdictione provenientem, & ex tribunali, ſeu conciſtorio Epiſcopi, ſecùndum quod ipſe eſt una, & eadem perſona cum Epiſcopo, *cap. 2.* & ibi Archid. *de conſuetud. lib. 6. cap. Romana de appellat. eod. lib.* & declarat gloſſa *in d. Clement. Etſi principalis, in ver. Delegatus*, quæ propterea dicit Officialem Epiſcopi tamquàm conſtitutum in dignitate Eccleſiaſtica comprehendi *in cap. Statutum, de reſcript. lib. 6.* quoad hoc ut poſſit dari delegatus Papæ, quamvis gloſſa dubitet, an dari poſſit conſervator, & illam gloſſam ſequuntur ibi Cardin. *num. 22.* Anchar. *in princ.* Imol. *num. 13. & 18.* & Abb. *num. 8. & 11.* Hoſtienſ. *in ſumma de offic. Vicar. num. 2.* Nicol. Mill. *in Repertor. in ver. Dignitas eſt eſſe Vicarium Epiſcopi*; ideòque, ſive præ-
29 ſens ſit Epiſcopus, ſive abſens, Vicarius debet ſedere in prima ſede ratione ſuæ locumtenentiæ, & præferri omnibus Canonicis, & Capitulo, tam in actibus, in quibus intervenit ratione ſuæ juriſdictionis, quàm in omnibus aliis indifferentibus, & promiſcuis, præcedendo ipſum Archidiaconum, & Archipresbyterum, ut reprobatis duobus conſiliis Jacobi Menochii, videlicet 51. & 52. reſpondit bonæ mem. Rebuſterius Rotæ Auditor in quodam ſuo voto noviſſimè impreſſo apud Gratianum *diſcept. forenſ. cap. 111. n. 23. ad fin.* præſertim ſi eſſet Vicarius Apoſtolicus, ut *ibid. à n. 54.*

30 Subſequuntur in definitione verba illa, *Rerum Eccleſiaſticarum, ut in cap. Salvator, §. Nomine, 1. q. 3.* ad differentiam dignitatis ſæcularis, quæ ſimiliter dicitur adminiſtratio, ut in Auth. *Quomodo oport. Epiſcop. §. Si quis autem*, ſed non rerum Eccleſiaſticarum: non tamen intelligas, *Eccleſiaſticarum*, id eſt ſpiritualium, quia ſatis eſt, ut habeat adminiſtrationem rerum temporalium ad Eccleſiam pertinentium, ſecundùm Innoc. *in d. c. De multa, n. 7. verſ. Item dignitatem vocamus inf. eod.*

31 Subjungitur in definitione, cùm præeminentia in gradu, quia dignitas eſt excellentior gradus, ut inquit Bald. *in cap. Cùm olim, n. 8. de conſuet.* & hoc ad differentiam Perſonatus, qui quamvis habeat aliquam prærogativam, non tamen habet gradus præeminentiam, ut dicam infra *n. 50.* Ad hoc *l. Honor*, ibi, *Cùm dignitatis gradu, ff. de muner. & honor.* & confert quod notat Oldrad. *d. conſ. 150. n. 3.* dum ait dignitatem eſſe quandam preeminentiam ex adminiſtratione.

32 Ex quibus autem dignoſcatur, quæ dignitas ſit in Eccleſia major, vide Dominos de Rota, apud Greg. XV. *deciſ. 411.* & ibi adnotationes.

33 Quoniam verò hujuſmodi preeminentia in gradu ex quatuor cauſis potiſſimum oriri poteſt, nempè ex juriſdictione ex inſtitutione, ex conſuetudine, & ex denominatione, conſequens eſt, ut ex his quatuor cauſis pariter dignitas conſtituatur, & ſecundùm hoc ſtatui poſſunt quatuor ſequentes concluſiones.

34 Prima concluſio. Qui perpetuam habet adminiſtratio-

Proſp. Fagnan. in III. Lib. Decretal.

nem rerum Eccleſiaſticarum cum juriſdictione, is verè, & propriè dicitur habere dignitatem Eccleſiaſticam, *c. Volumus, c. Diaconum, & c. Quia 99. diſt.* Hæc concluſio eſt Archidiaconi *in d. c. 1. n. 2. de conſuetud. lib. 6.* dum ait di- 35
gnitatem Eccleſiaſticam cognoſci ex eo, quòd habeat adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum cum juriſditione, & eum ſequitur ibi Jo. Andr. *num. 1. verſ. Primus quandò.* Nam generaliter, ut inquit Bald. *in l. 2. n. 54. C. de ſervit. & aqua.* dignitati ineſt adminiſtratio, adminiſtrationi ineſt juriſdictio; unde ſunt annexa, & quaſi inſeparabilia, dignitas, adminiſtratio, & juriſdictio. Idemque voluit Innoc. *in cap.* 36
De multa, num. 7. in fin. dicens: Miniſtri autem, qui ſine ulla penitùs juriſdictione officium aliquod habent, ſicut ſunt Syndici, Procuratores, & Sacriſtæ, qui pulſant campanas, & hujuſmodi, non dicuntur eſſe in dignitate conſtituti, etiamſi ſint perpetui. Si autem haberent aliquam juriſdictionem, ſecus, *l. 1. ff. de Procur. Cæſar.* & cum Innoc. tranſeunt ibidem Hoſtien. *n. 9.* Abb. *n. 1. in 1. concluſ. verſ. Communiter tamen*, ubi ait communem concluſionem Doctorum eſſe in hac materia, ut is dicatur habere dignitatem, qui habet juriſdictionem. Unde quilibet Rector, ſeu 37
Prior Eccleſiæ Collegiatæ dicitur habere dignitatem, allegat. Paul. de Eleazar. *in Clem. 1. de elect. & in Clem. Ne in agro, de ſtatu Monachor.* & Domine de Rota *deciſ. 66. quæ eſt deciſ. 9. incip. de Theſauraria, de Præb. in nov.* Similiter & Prior Eccleſiæ Conventualis dicitur habere digni- 38
tatem, *ut cap. Niſi eſſent, infr. eod.* necnon Abbatiſſa, ut ex textu *in c. Indemnitatibus, §. Verum*, & ibi Gemin. *in 2. notab. de elect. lib. 6.* & notat Bartol. *in l. 1. n. 43. C. de dignitatibus, lib. 12.* dicens Abbatiſſas habere dignitatem, & adminiſtrationem in ſuas Moniales, & interdum extra, cùm habeant caſtra, & ſimilia, Felin. *in c. Meminimus, num. 5. verſ. Ulteriùs quæro an Abbatiſſa, de accuſat.* Licèt hodie de hoc dubitari poſſit in Abbatiſſis Italiæ, quia non ſunt perpetuæ, ſed triennales, ex Conſtitutiones Gregor. XIII. incipien. *Expoſcit, in Bullario tom. 2. pag. 463.* & ſic deeſt illis alterum ex ſubſtantialibus requiſitis ad conſtituendam dignitatem Eccleſiaſticam, ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſuprà *n. 23.* Sed nihilominùs dic contra, ut ſcripſi *in c. 1. ſuprà de filiis Præsbyteror.* De Abbatibus verò, Decanis, Prepoſitis, Archidiaconis, & Archipræsbyteris, vide text. *in cap. Ut Abbates*, & quod ibi plenè ſcripſi, *ſuprà de ætat. & qualit.* & de Theſauraria an ſit dignitas, vide latè per Dominos de Rota 39
in præcit. deciſ. 9. de Præben. in novis; & de Camerario Pa- 40
pæ notat Archid. *in cap. 1. n. 3. verſ. Si autem haberet*, & poſt eum Jo. Andr. *n. 2. verſ. Si autem cum officio*, & Rota *d. deciſ. 9. in fin.* quia cùm juriſdictionem habeat cum adminiſtratione, dici poteſt habere dignitatem, arg. *l. 1. ff. de off. Prætor. Auguſt. l. 1. C. Ut cauſ. final.*

Secunda concluſio. Dignitas propriè dicitur, quando 41
in illius inſtitutione cautum eſt, ut ſit Dignitas, ut colligitur ex Innoc. *in d. cap. De multa, n. 6. verſ. Et intelligimus infr. eod.* dum ait perſonatum, vel dignitatem intelligi ſecundùm inſtitutionem, & ſequitur Abb. *ibid. verſ. Quarta concluſio* & plerique alii. Ad hoc *cap. Cùm olim, de conſuetud. cum ſimilibus.*

Tertia concluſio. Si ex conſuetudine Eccleſiæ aliqua re- 42
putetur Dignitas, licèt de jure non ſit talis; tamen Dignitas cenſere debet, ſecundum conſuetudinem, & communem reputationé loci, *d. c. Cùm olim, de conſuetud.* Hæc concluſio eſt Innocentii loco proximè citato, dum ait: *Et intelligimus Dignitates, vel perſonatus ſecundùm inſtitutionem, vel ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ.* Et infra *n. 7.* dum ait: *Item dignitatem vocamus, dummodò pro Dignitate habeatur in Eccleſia, ubi eſt.* Et cùm Innoc. conſentiunt ibi Abb. *num. 22. verſ. Tertia concluſio*, Card. *in §. Hoc idem, n. 3. ad fin.* Rota *deciſ. 4. incip. Fuit dubitatum, n. 2. de elect. in noviſ.* Feder. de Sen. *conſ. 80. Factum eſt tale, n. 2. verſ. Nec præſupponitur*, Archid. *in d. cap. 1. n. 2. verſ. Tertius modus*, & ibi etiam Jo. Andr. *eodem num. & verſ. de conſuetud. lib. 6. per l. De quibus, §. Inveterata, ff. de legibus cap. Conſuetudo, & c. Quemadmodum 12. diſt.* Unde ex conſuetudine in- 43
troduci poteſt, ut officium in Eccleſia, quod nullam habet prærogativam juriſdictionis in alios, ſit Dignitas, Gemin. *conſ. 101. quoad primum dubium in princ.* Aretin. *conſ. 23. in præſenti conſultatione per tot.*

Hinc orta dubitatione, an Deretum Concilii Tridennti- 44
ni *cap. 6. §. Qui verò non obtinent dignitates, ſeſſ. 25.* præſervet eas ſolùm dignitates; quæ habent adminiſtratio-

nem cum juriſdictione; an verò etiam illas, quæ ſolùm ex conſuetudine Eccleſiæ, in qua ſunt conſtitutæ, pro Dignitatibus habentur: Die 21. Auguſti 1596. Sac. Congregatio Concilii, cui interfuerunt S.R. Eccleſiæ Cardinales Montelperus, Juſtinianus, Cuſanus, De Monte, Paravicinus, Matthejus, Platus; Blanchettus, SS. Quatuor, & Mantica, cenſuit, omnibus uno ore hanc ſententiam probantibus, decretum *d.cap.6.§.Qui verò*, præſervare etiam illas Dignitates, quæ pro talibus habentur in Eccleſia, ut manu bonæ mem. Cardinalis Matthei eſt adnotatum. Die 27. Auguſti 1596. retuli Sanctiſſimo Domino noſtro hanc ſententiam, quam approbavit.

Idem dicendum in caſu converſo; nam etſi quis exer-
45 ceat miniſterium ſpectans ad aliquam Dignitatem; tamen ſi in loco non reputetur Dignitas, non habebitur pro Dignitate, ſecundum Innoc. *in d.cap.De multa*, *n. 6. verſ. Si autem miniſteria*: & quamvis Abb. ibi, *n.23.verſ. Sexta concluſio*, dicat contrarium fortè poſſe attentari, ut magis attendamus ſubſtantiam rei, quàm erroneam loci æſtimationem: tamen non videtur recedendum ab opinione Innocentii, quam ſequuntur Domini de Rota *d.deciſ.4. n.2. de elect. in novis*. Quia ſi communis reputatio licèt erronea efficere poteſt, ut aliqua cenſeatur dignitas, licèt de jure non ſit talis; ut ipſemet Abbas admittit in tertia concluſione; non video cur eadem reputatio, quamvis erronea, viceverſa facere non poſſit, ut quæ de jure eſt dignitas, tamen pro dignitate non habeatur, cùm utrumque præſtare valet conſuetudo, *ut in d. cap. Cùm olim de conſuetud.* Unde ſi ex conſuetudine habeatur pro ſimplici beneficio, & non pro dignitate, erit officium, & non dignitas, vel perſonatus, ſecundùm Archid. *in d.cap.1. n.3. Tertio modo*, & Jo. Andr. *ibid.*
46 *n.2. eodem verſ.* Nam dubium non eſt, quin conſuetudo poſſit efficere, ut dignitas perdat primævam naturam, & tranſeat in naturam beneficii ſimplicis, argum. *c. Cùm de beneficio, de Præb. lib.6.* & tenet Feder. de Sen. *conſ.132. Caſus talis eſt, quædam eſt Canonica, ſub n.2. verſ. Idem in Archipresbytero Maſſæ*.

47 Quarta concluſio. Ad dignoſcendam Dignitatem ſpectare debemus, an vocetur aliquo nomine Dignitatum, quæ ſunt jure expreſſæ, puta Archidiaconatus, licèt nullum miniſterium dignitatis exerceat. Ita Innoc. *in d.c. De multa*, *n.6.* dicens: *Non tamen puto quem cadere in hanc Conſtitutionem, niſi vocetur aliquo nomine, quod in dignitatem ſonet: ſed ſi vocetur aliquo nomine dignitatis, vel pro perſona in dignitate conſtituta reputetur, licèt nullum miniſterium dignitatis faciat, reputo eum hac Conſtitutione teneri.* Hæc ille, & ponit exemplum in Archidiacono Parmenſi. Sed rectiùs poteſt poni exemplum in Archidiacono Senenſi; nam Parmenſis ſaltem habet ſtallum præeminens in Choro, ſecundùm Abb. *ibid. n.21. verſ. Nos rectius*. Atque ita ſolùm nomen dignitatis in jure expreſſum abſque ullo miniſterio, vel reputatione dignitatem conſtituit, ſecundùm Innoc. cùm loquatur alternativè. Et eum ſimpliciter ſequuntur Domini de Rota *d.deciſ.9. de Præben. in novis*, & Cardinalis *in d. c. De multa, § Hoc idem, in fin.* ſed eum refellit Abbas *ibid. n.21. verſ. Secunda concluſio*. Quia potiùs debemus attendere vim, & ſubſtantiam rei, quàm nudum nomen. Et quia pluralitas dignitatum fuit prohibita propter impotentiam deſerviendi in utraque, ut hìc, *& in cap. Quia nonnulli, ſupra de Cleric. non reſid. & cap. Quia in tantum, ſupra eod.* Quæ ratio ceſſat in illa, quæ nudam habet denominationem abſque ullo miniſterio. Abbas tamen nihil determinat, ſed cogitandum relinquit. Pro concordia mihi videtur ſic diſtinguendum. Aut cum denominatione concurrit communis reputatio Provinciæ, vel Eccleſiæ, & abſque dubio erit dignitas, cùm ad hoc ſola etiam reputatio ſufficiat, ſecundùm Dominos de Rota *d. deciſ.9. n.2. de elect. in novis*, & firmatum eſt ſuprà in tertia concluſione
n.42. Aut cum denominatione communis reputatio non 48
concurrit, eò quòd in loco talis licèt vocetur nomine dignitatis, communiter tamen dignitas non reputatur, ut Præpoſiti Carnoten. & non erit dignitas, quia conſuetudo, & communis reputatio dignitatem non ſolùm defert, ſed etiam adimit, *cap. Cum olim, de conſuetud.* Rota *in præalleg. dec.9. de Præben. in novis*, & ſimiliter firmatum eſt *ſupra, n.45. & 46.*

Quæ diſtinctio videtur ex mente Archidiac. *in d.c.1.n.2.* 49
verſ. Secundus modus, & Jo. Andr. *ibid. n.1. eod. verſ. De conſuetud. lib.6.* dum dixerunt, Dignitatem Eccleſiaſticam cognoſci, quando habet nomen dignitatis, & prælationis, & prærogativam in Eccleſia ſua tam in Choro, quàm in Capitulo, licèt non habeat rerum adminiſtrationem; vel juriſdictionem; & exemplificant in Archidiacono Parmenſi, & ſic præter nudum nomen requirunt etiam prærogativam Chori, & Capituli. Hæc de dignitate. De variis autem acceptionibus dignitatum, vide per Archidiac. *in d. cap.1. n.1.* gloſ.1. & Doctores *in cap. Quia nonnulli, ſuprà de Cler. non reſid.* & per Bart. *in l.1. C. de dignit. lib.12.*

Perſonatus ſtrictè ſumptus eſt adminiſtratio perpetua re- 50
rum Eccleſiaſticarum cum aliqua prærogativa. Et eſt quid
minus, quàm dignitas, quia non habet præeminentiam in 51
gradu, ſed ſimplicem quandam prærogativam in Choro, vel in Capitulo, in optionibus, & Proceſſionibus, in vocibus dandis, & ſimilibus præ aliis Canonicis ſui ordinis; non tamen quantum illi, qui ſunt in dignitatibus conſtituti, qui in prædictis prærogativis præferuntur eiſdem. Ita Archid. *in d.cap.1. n.2. verſ. Perſonatus verò, de conſuet. lib.6.* qui ſubdit hæc poſſe colligi *ex c. Duaum, il 2. de elect. & cap. De multa, infra eod.* Idemque totidem verbis reperit ibidem Jo. Andr. *n.1. verſ. Perſonatus autem*. Et eſt quid plus, quàm officium: quod nullam habet prærogativam, ut inferiùs di-
cetur. Et ſic perſonatus eſt quid medium inter dignitatem, 52
& officium, quod pluribus comprobat Cujac. *in rubr. de Præben. col.2. in princ. verſ. Parique ratione*, oſtendens perſonatum tenere medium gradum inter Dignitatem, & Canonicos, & ſequitur Hojed. *de benef. incompatibil. part.1. c.9. n.2.* & noviſſimè Lotter. *de re benefic. lib.1. q.16. n.59.* & ex his confunditur differentia quam conſtituit Oldrad. *in præalleg. conſ.150. n.3.* dum ait, Dignitatem eſſe quandam præeminentiam ex adminiſtratione; Perſonatum eſſe honorem quemdam ſine adminiſtratione.

Officium verò multipliciter accipitur, ut plenè notant 53
in d.c.1. De conſuet. lib.6. Archidiac. *n.2. verſ. Officium verò*, & Jo. Andr. *n.1. eod. verſ.* Sed ſtrictè ſumptum, eſt adminiſtratio perpetua rerum Eccleſiaſticarum ſine prærogativa
in Choro, vel in Capitulo ultra alios ſui ordinis, ſicut ſunt 54
Præpoſiti Eccleſiæ Carnoten. & qui habent onus annexum officio, ut Syndici, Procuratores, & Caſtaldi, de quibus *in c. Salvator, §. Nomine, 1. q. 3. & l. Alienam, C. de Procur.* item Vicedomini, §. *Officium, 89. diſt.* Archidiac. & Joan. Andr. locis citatis, & Domini de Rota *d. dec.9. verſ. Tamen quidquid ſit, de Præb. in novis*.

DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.

Idem Alexander III. Burdegalen. Archiepiſcopo.

CAPUT XIV.

PRætereà de G. qui in tua & Toloſana Eccleſia eſt Archidiaconus conſtitutus, & in utraque Eccleſia regulariter profeſſus: Mandamus, quatenus eumdem altero, quem maluerit, Archidiaconatu facias eſſe contentu.

SUM-

S U M M A R I U M.

1 *Dignitates plures habens alteram dimittere compellitur.*

PRæterea. Habens plures Dignitates, alteram eligere, alteram dimittere compelletur, hoc dicit. Concordat *cap. Referente ſuprà eod.* ubi plenè ſcripſi de intellectu hujus textus, & an optio, de qua hìc, & ibi, funditùs ſublata fuerit per jura poſteriora, ac Trident. Concilii Decreta. Illuc recurre. 1

DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.

Innocentius III. Zamoren. Epiſcopo.

C A P U T XVI.

CUm ſecundùm Apoſtolum, Qui Altari ſervit, vivere debeat de Altari: &, Qui ad onus eligitur, repelli non debeat à mercede: patet à ſimili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio Jeſu Chriſti, cujus obſequio deputantur, ut ipſa nominis ratio perſuadet. Cùm enim à *Cleros*, quod eſt ſors vel hæreditas, Clerici appellentur: quia in ſui ordinatione vel aſſumuntur in hæreditate Domini, vel aſſequuntur hæreditatem in ipſo; ut verè poſſint pſallere cum Propheta: Dominus pars hæreditatis meæ: dignum eſt, ut Eccleſiæ ſtipendiis ſuſtententur, in qua & per quam divinis obſequiis adſcribuntur. Licèt autem prædeceſſores noſtri, ordinationes eorum, qui ſine certo titulo promoventur, in injuriam ordinantium irritas eſſe voluerint & inanes: Nos tamen benigniùs agere cupientes, tamdiù per ordinatores, vel ſucceſſores eorum provideri volumus ordinatis, donec per eos Eccleſiaſtica beneficia conſequantur. Inde eſt, quòd cùm G. lator præſentium, à prædeceſſore tuo fuerit ad Subdiaconatum nullo præſentante promotus; Mandamus, quatenùs ſi eum hi, quibus examinationem ipſius duximus committendam, te citato legitimè, ut per te ipſum, vel idoneum reſponſalem interſis, & tam ſuper idoneitate perſonæ, quàm etiam ſuper quantitate, ac qualitate beneficii proponere tibi liceat quicquid rationabiliter duxeris proponendum, idoneum eſſe repererint, tamdiù ei vitæ neceſſaria congruè ſubminiſtres, donec per te in Zamoren. Eccleſia, vel alia fuerit competens beneficium Eccleſiaſticum aſſecutus, ſciturus pro certo, quòd ſi per examinationem eorum fuerit repertus idoneus, & tu ei juxta mandatum noſtrum neglexeris providere, cùm hoc nobis per litteras eorum innotuerit, ad id exequendum te per diſtrictionem Eccleſiaſticam compellemus.

S U M M A R I U M.

1 *ORdinato per Epiſcopum ad ſacros ſine titulo, nemine præſentante, ordinator, vel ſucceſſor compellitur in neceſſariis providere, donec titulum habeat.*
2 *Sacerdotibus, & Eccleſiæ miniſtris debentur alimenta ex redditibus Eccleſiæ de jure Divino.*
3 *Sacerdotibus de Altario vivere, non luxuriari permittitur.*
4 *Clerici habentes patrimonium, quamvis poſſint vivere de bonis Eccleſiæ, tamen ſi illa inſumant in uſus inhoneſtos, tenentur ad reſtitutionem.*
5 *Pauper locare poteſt operas ſuas ſpirituales ſine labe ſimoniæ.*
6 *Bona Eccleſiarum ſunt patrimonium Jeſu Chriſti.*
7 *Argumentum ab etymologia vocabuli validum eſt in jure.*
Si negativè ſumatur, ſed ſi affirmativè, ita demum valet, ſi definitioni rei non contradicat, n.10.
Et quid in etymologia nominis proprii, n.14.
8 *Etymologia dat verbis proprium ſignificatum, ubi definitio non repugnat.*
9 *Etymologia quid ſit.*
11 *Etymologia non convertitur ſicut deffinitio cum diffinito, ſed generalior eſt.*
12 *Argumentum à genere ad ſpeciem affirmativè non valet, ſed negativè.*
13 *Genus comprehendit ſpecies, ſed non infert: ſpecies verò infert genus, ſed non comprehendit.*
15 *Nomina propria ad beneplacitum imponuntur.*
16 *Gregorius dicitur quaſi gregem regens.*
17 *Proſper unde dicatur.*
18 *Ordinationes factæ ſine certo titulo olim irritæ erant quoad executionem, & num.67.*
19 *Sed hodie ſecus, & num.68.*
20 *Ordinato ſine titulo an & quando Epiſcopus teneatur vitæ neceſſaria miniſtrare, & num. ſeqq. uſque in finem.*
Quid ſi ordinatus jam erat conſtitutus in ſacro Ordine, num.23.
Et quid ſi plures Epiſcopi ordinaverint ſubditum ratione originis, domicilii, vel beneficii, n.24.
Et quid in Epiſcopo alieno, qui ordinavit ex commiſſione generali Epiſcopi proprii, n.25.
Et quid in ſucceſſore Epiſcopi ordinantis, n.26.
Et quid ſi ordinatus neglexerit petere alimenta ab ordinatore, quando erat ſolvendo, n.33.
Et quid ſi Epiſcopus renuntiaſſet Epiſcopatui, aut eſſet depoſitus, num.34.
Et quid in hæredibus ordinatoris, n.36.
Et quid ſi titulus ordinato evictus fuerit, aut exinanitus, n.41. & 45. & ſeqq.
Et quid in promoto ad minores Ordines ſine certo titulo, num.47.
Et quid ſi ordinatus aliundè habeat, unde vivere poſſit, num.48.
Et quid ſi fuerit ab alio præſẽtatus, & examinatus, n.49.
Et quid in Epiſcopo alieno, cui Diœceſanus commiſit, ut certas perſonas ordinaret, n.50. & 58.
Et quid in alieno, qui ordinavit in vim licentiæ de ſe promoveri faciendo a quocunque Antiſtite, n.59.
Et quid ſi ordinatus furtivè ſe in numerum ordinandorum intruſerit, n.61.
Et quid ſi confictο titulo ordinatorem deceperit, num.62. & 66. uſque in finem.
21 *Conſecrans Eccleſiam ſine competenti dote tenetur de ſuo eam dotare.*
22 *Argumentum à conſecratione Eccleſiæ ad conſecrationem Miniſtri, & è converſo valet.*
27 *Succeſſor cur teneatur ex delicto Epiſcopi, qui Clericum ſine titulo ordinavit, & n. ſeq.*
Crimina regulariter morte extinguuntur, ib.
28 *Clericorum mendicitas cedit in dedecus ordinis Clericalis, & opprobrium ejus, in cujus ſortem aſſumpti ſunt, & num.69.*
29 *Ad onus qui eligitur, non debet repelli à mercede.*
30 *Clericorum numerum augere favorabile eſt.*
31 *Epiſcopus ex ſuo officio generali providere debet, ne quis Clericorum egeat, & n.44. & 46.*
32 *Bona Eccleſiarum pauperum ſunt.*

35 *Ordi-*

35 *Ordinator tenetur conſtituere Ordinato ad ſacros Ordines ſine certo titulo, unde perpetuò vivere poſſit.*

37 *Obligatio Epiſcopi ordinantis Clericum ſine titulo oritur ex contractu, vel quaſi, & ideo tranſit ad hæredem.*

38 *Heredes ſecundùm Canones etiam ex maleficio defuncti obligantur.*

39 *Hæredes an ſint diſcutiendi priùs, quàm conveniatur ſucceſſor in dignitate ſuper alimentis promoti ad ſacros Ordines ſine certo titulo, & n. ſeqq.*

40 *Obligatio, quæ contrahitur ex ordinatione ſine titulo, an ſit realis, vel perſonalis.*

42 *Epiſcopus qui contulit beneficium alterius, an teneatur providere de æquivalenti beneficio.*

43 *Donator non tenetur de evictione.*

45 *Minori ſatis eſt ab initio adire locupletem hæreditatem.*

46 *Epiſcopus tenetur providere ordinatis, ſi eorum patrimonium pereat chaſmate, vel alluvione.*

50 *Ordinans ſubditum alienum ex commiſſione Epiſcopi proprii, non tenetur inquirere, an promovendus ſit idoneus, & num. 55.*

51 *Et ſi promotus reperiatur ſine titulo, non tenetur ei providere qui ordinavit, ſed qui examinavit.*

52 *Ordines conferre debent Epiſcopi per ſemetipſos, & ægritudine impediti ſubditos ſuos non aliter, quàm probatos, & examinatos, ad alium Epiſcopum ordinandos dimittere.*

53 *Ordinari nemo debet ab Epiſcopo alieno, niſi ejus probitas, & mores Ordinarii ſui teſtimonio commendentur.*

54 *Etiam invim licentiæ Apoſtolicæ de ſe promoveri faciendo ab alieno Epiſcopo.*

55 *Ordinans alienum ſubditum de Ordinarii licentia poteſt ſi vult, ſed non tenetur deferre Ordinarii atteſtationi, & n. ſeqq.*

56 *Litteris Examinatorum creditur.*

57 *Conſtitutio Sixti V. præcipiens Epiſcopis, ut examinent qualitates ordinandorum, intelligenda eſt de propriis ſubditis tantùm.*

Examen de qualitatibus ordinandorum, quamvis ſit faciendum ab Epiſcopo dimiſſorias concedente, non tamen ab ordinante; tamen ſi Epiſcopus alienus ſciret aliquem criminoſum, peccaret ordinando, ib.

60 *Dimiſſorias concedere poteſt Epiſcopus etiam abſenti, & examen committere Ordinario loci, in quo ille degit.*

62 *Epiſcopus ignoranter ordinans ſubditum alienum, qui furtivè, aut ex ſimplicitate ſe in numerum Ordinandorum ingeſſit, aut litteras detulit furtivè impetratas, in pœnam ſuſpenſionis non incidit.*

63 *Ordinati ad ſacros ſine titulo poſt Concil. Trid. an ſint ſuſpenſi ab executione Ordinum, ac ſi miniſtraverint irregulares, & n. ſeqq.*

64 *Patrimonium, ad cujus titulam Clericus eſt ordinatus, ſi ſit minus ſufficiens, tenetur Epiſcopus tandiu ex proprio ſupplere, donec per ipſum Epiſcopum, vel alium in ſua, vel aliena Eccleſia fuerit competens beneficium aſſecutus.*

65 *Ordinati ſine titulo ex Conſtitutione Sixti V. ſuſpenſi erant ab executione Ordinum, ac ſi miniſtraſſent irregulares. Sed ea Conſtitutio redacta fuit à Clemente VIII. ad terminos juris, & Concilii Tridentini.*

66 *Ordinatus ad ſacros Ordines, qui conficto titulo Ordinatorem decepit, an incidat in ſuſpenſionem ab Ordinum executione, & n. ſeqq. uſque in finem.*

67 *Ordinati ſine certo titulo beneficii, vel patrimonii, quas pœnas incurrant, ſecundùm jus antiquum, medium, & noviſſimum, & num. ſeqq.*

1 C*Um ſecundum*. Ordinato per Epiſcopum ad Sacros ſine titulo, nemine præſentante, ordinator, vel ſucceſſor compellitur in neceſſariis providere, donec titulum habeat. Hoc dicit. Primò ponit exordium, ex quo elicit editionem novi juris, & correctionem antiqui. Secundò, facti narrationem, mandatum, & cominationem, ibi, *Inde eſt*.

2 Nota 1. ex principio text. Sacerdotibus, & Eccleſiæ mi-
niſtris deberi alimenta ex redditibus Eccleſiæ de jure Divi-
no: nam quod hic dicitur, ſecundùm Apoſtolum: *Qui
Altari ſervit, de altari vivere debet*, *in can.* 41. *Apoſtolo-
rum*, dicitur, *Lex Dei præcipit, ut qui Altario deſerviunt,
paſcantur de ipſo*, ut refertur *in cap. Ex his* 12. *qu.* 1. de
quo plura teſtimonia concordantia ex ſacris litteris deſum-
pta poſuit *in cap. final. n.* 7 *infrà de pecul. Cleric.* Et ponde- 3
ra illud verbum, *Vivere*: nam, ut inquit Hier. *in Michæam
cap.* 3. *in fine*, *Tibi, ò Sacerdos, de Altare vivere, non
luxuriari permittitur*, ut *in ſumm.* 44. *diſt.* & ponitur luxu-
ria pro omni illicita concupiſcentia. Ex quo notabiliter in- 4
fert Abbas *hic num.* 2. ut Clerici habentes bona patrimonia-
lia, quamvis licitè poſſint ex bonis Eccleſiæ victum perci-
pere, ſecundum communem opinionem, de qua teſtatur
Dec. *in cap. Epiſcopus num.* 13. *ſuprà eodem*; tamen ſi reddi-
tus Eccleſiaſticos convertant in uſus inhoneſtos, teneantur
ex propriis bonis reſtituere Eccleſiæ, quod malè expende-
runt; allegat *cap.* 1. & 2. 12. *q.* 4. Idem tenet Archidiaconus
44. *diſt. in princ. in ver. Permittitur*, & Dec. *in d. c. Epiſcopus
num.* 13. *verſ. prædicta ergo procedunt*. Sed an hoc obtineat
in portione, quæ contingit Clerico ultra congruam ſuſten-
tationem, latiſſimè examinavi *in d. c. fin. à num.* 1. *uſque in
fin. de pecul. Cleric.*

Secundò nota ibi, *A mercede*, proventus Eccleſiaſticos 5
deberi Sacerdotibus tamquam mercedem oneris, ſeu labo-
ris, ut hìc, & *in cap. Charitatem*, & *in cap. Quicumque* 12.
q. 1. Nam *dignus eſt operarius mercede ſua*, ut 1. *ad Timoth.* 5.
Unde colligit Abbas *hic num.* 3. ut pauper locare poſſit ope-
ras ſuas ſpirituales, nec ſimoniam committat; quia non
intendit principaliter ſpiritualia vendere, ſed victum ſibi
quærere, de quo dic, ut *in cap. Significatum ſup. eod.*

Tertiò nota ibi, *De patrimonio Jeſu Chriſti*, bona Eccle- 6
ſiarum non eſſe Prælatorum, ſed patrimonium Jeſu Chri-
ſti acquiſitum Sanguine ſuo; concordat tex. *in cap. Cùm ex
eo*, ibi, *De patrimonio Jeſu Chriſti ditari*, &c. *de elect. lib.* 6.
Quod ſigna contra Prælatos reputantes ſe dominos, ſecun-
dùm Hoſt. *hic num.* 1. *in ver. Patrimonio*, Jo. Andr. *n.* 2.
Cardin. *num.* 1. Abb. *num.* 4. & Joan. de Anan. *num.* 9. & vide
gloſſ. *in cap. Cauſa*, Caſpen *in ver. Sacrilegus, de verbor. ſi-
gnificat.* & Innocent. *in cap. Cùm ſuper, de cauſ. poſſeſſ. &
propriet.*

Quartò nota ibi, *Ut ipſa nominis ratio*, licitum eſſe ar- 7
guere ab etymologia vocabuli, ut hìc, & *in l.* 2. §. *Appella-
ta, ff. cert. petat. in l.* 1. ubi Bart. Ang. Joan. de Imola,
Alex. & Doctores notant, *ff. de acquirenda poſſeſſ. in c. Privi-
legia* 3. *diſt.* & *in cap. Cleros*; ubi Gemin. & Præpoſ. 21. *diſt.
cum multis ſimilib.* Nec mirum, quia etymologia dat verbis 8
proprium ſignificatum, ubi diffinitio non repugnat, *l. No-
tionem*, §. *Inſtrumentorum, in ver. Proprietatis, l. Quibus præ-
cipua, l. Tugurii, l. Ut Alphenus, & l. Pupillus, §. Territorium,
ff. de verbor. ſignific. & cap. Forus infrà eod. tit.* Eſt enim ety- 9
mologia reſolutio vocis in proprium effectum rei, quæ de-
monſtratur, ut notat Bald. *in cap.* 1. §. *Si quis, de manſo col.
ult. de controverſia inveſtituræ in uſibus feudorum*. Sed ſe- 10
cundùm Abbatem *hic n.* 5. argumentatio hæc à vi nominis
ſemper eſt valida, ſi negativè ſumatur, ut *in d.* §. *Appella-
ta*; ſed affirmativè, ita demùm valet, ſi diffinitioni rei non
contradicat, *d. l.* 2. *ff. ſi cert. petat.* & notat Bart. *in l.* 1. *ff. de te-
ſtam.* ut exempli gratia, cùm mutuum dicatur, quia de
meo fit tuum, & teſtamentum quaſi teſtatio mentis: con-
cludit argumentum; De meo non fit tuum: ergo non eſt
mutuum: item; Non eſt teſtatio mentis: ergo non eſt te-
ſtamentum, ut *in d. l.* 1. ſed non procedit affirmativè, quia
non ſemper ſequitur: De meo fit tuum: ergo eſt mutuum;
nam poteſt eſſe donatio, ut *l.* 1. *ff. de donat.* Item non ſequi-
tur: Eſt teſtatio mentis: ergo eſt teſtamentum; nam &
codicillus eſt mentis teſtatio, & tamen non eſt teſtamen-
tum, ut *l. Si idem, C. de codicill.* Eamdem theoricam poſuit
idem Abb. *in conſ.* 82. incipien. *Quamquam num.* 2. *lib.* 1. & 11
eſt ratio differentiæ; quia etymologia non convertitur ſi-
cuti diffinitio cum diffinito, ut *l.* 1. §. *Dolum, ff. de dolo*: ſed
eſt generalior, ut probatur *in cap. Cleros*, §. *Epiſcopatus* 21.
diſt. A genere autem ad ſpeciem affirmativè non valet argu- 12
mentatio; non enim ſequitur: Eſt animal: ergo eſt homo:
ſed benè valet negativè; quia à quo removetur genus, re-
movetur & ſpecies, ut *l. Fundi, ff. de fundo inſtructo*, & *l. Sed
ſi pater*, & ibi gloſſ. *in ver. Ex omni eventu, ff. ad Macedo-
nian.* & notat Dyn. *in regul. mor. de regul. jur. lib.* 6. Item ge- 13
nus comprehendit ſpeciem, ſed non infert: ſpecies verò in-
fert

fert genus, ſed non comprehendit, *cap. Pœnale* 14. *quæſt*. 5.
cap. Auditi ſuprà de præſcript. c. 2. *infrà de Capell. Monac.*
notat Bart. *in l.* 2. §. *Doli mali, ff. de vi bonor. raptor.* & Petr.
Brix. *in repertor. in ver. Genus.*
14 Advertere tamen, qui hæc differentia inter argumentum
negativè, & affirmativè ſumptum procedit in etymologia
nominis appellativi, ut hìc, & in juribus præallegatis:
non autem in etymologia nominis proprii; nam indiſtin-
ctè non concludit argumentatio, text. eſt *in l. fin. circa fi-
nem*, juncta gloſſ. *in ver. Nam ſolam nominis, ff. ad muni-
cipal.* & notant Bart. Bald. Imol. Alex. & alii *in Rubrica, ff.*
15 *ſolut. matrim.* Ratio eſt, quia nomina propria ad beneplaci-
tum imponuntur, ut *in l. Si quis in fundi vocabulo, ff. de
legat.* 1. Unde non ſequitur, Talis eſt Bolognettus: ergo
eſt Bononienſis: vel è contra, Non eſt Bononienſis: ergo
non eſt Bolognettus; quo exemplo utitur gloſſ. *in d. l. final.*
16 ſicut Gregorius dicitur quaſi gregem regens, ut ait Joan.
Andr. *in prœmio hujus compilationis, in ver. Gregorius n.* 5.
& tamen non ſequitur, Talis non regit gregem; igitur non
eſt Gregorius. Accipe aliud exemplum noſtri nominis.
17 Componitur Proſper ex procul, & aſper, quaſi procul ex
aſperitate, & moleſtia, ut idem Jo. Andr. inquit *in prœ-
mio lib.* 6. §. *Sacroſanctæ num.* 1. *in ver. proſperitate.* Profe-
ctò à nobis procul non abfuit aſperitas, cùm in miſeriam
cæcitatis nos perduxerint peccata noſtra; quod tam aſpe-
rum eſt, ut ſacri Canones inhumanum putent tantæ cala-
mitatis non miſereri, ut *in cap. Licèt de cenſib.* & tamen
Proſperi nuncupationem non amiſimus: licèt aliquando
vila ſit nobis verior contraria alluſio, ut ſcilicet potiùs dica-
tur Proſper, quaſi propè aſper, quàm procul aſper. Sed
benedictus Deus, qui unxit nos unctione miſericordiæ ſuæ,
& conſolatus eſt nos in omni tribulatione noſtra.
18 Quintò nota, pœnam ordinati ſine titulo ſecundùm an-
tiquos Canones: nam ordinationes hujuſmodi in inju-
riam ordinantis erant irritæ, & inanes, ut hìc dicitur *in
verſ. Licèt autem*, & Concil. Chalcedon. *cap.* 6. præcepit
tales habere vacuam manus impoſitionem, & nullum tale
factum valere. Et in Conc. Urbani II. habito Placentiæ
ſtatutum eſt, ut ſine titulo facta ordinatio irrita habeatur,
ut refertur *in cap. Neminem, & cap. Sanctorum* 70 *diſtinct.*
Quod tamen intellige quoad executionem, non autem
quoad veritatem; quia characteris impreſſionem non im-
pedit defectus tituli, ut hìc notat gloſſ. *in ver. Irritas*, &
Butr. *n.* 14. gloſſ. Archid. Bellam. & Gemin. *in d. cap. Ne-
minem*, omnes *in ver. Vacuum*, & idem Archid. *in d. cap.
Sanctorum in princ. in ver. Irrita.*
19 Sextò nota, hodie ordinatum ad Sacros ſine titulo non
eſſe ampliùs ſuſpenſum ab Ordinum executione, quemad-
modùm erat ex diſpoſitione veterum Canonum; ſed tan-
tummodò ordinantes, & eorum ſucceſſores teneri ſic or-
dinatis tamdiu vitæ neceſſaria miniſtrare, donec benefi-
cium Eccleſiaſticum fuerint aſſecuti; & ſic pœnam anti-
quorum Canonum fuiſſe abrogatam per hanc Decretalem,
quod fuſiùs infrà explicabitur in ſecunda, & tertia quæ-
ſtione.

QUÆRO pro declaratione materiæ, an & quando
Epiſcopus teneatur providere ordinato ſine titulo.

Hæc quæſtio plures implicat inſpectiones, quæ faciliori
methodo explicabuntur conſtituendo regulam cum amplia-
tionibus, & limitationibus.
20 Regula eſt: Epiſcopus, qui ſine certo titulo Clericum
promovit ad ſacros Ordines, tenetur ſic promoto tamdiu
de ſuo vitæ neceſſaria congruè ſubminiſtrare, donec ille
in Cathedrali, vel alia Eccleſia per ipſum ordinatorem,
vel àlium, competens beneficium Eccleſiaſticum fuerit aſ-
ſequutus. Probantur hæc in hac Decretali *in cap.* 2. *& cap.
Epiſcopus ſuprà eod. & in cap. Si Epiſcopus, eod. tit. lib* 6. &
21 ex dicendis infrà *num.* 64. Quod confirmatur etiam exem-
plo Epiſcopi, qui Eccleſiam conſecravit ſine competenti
dote, contra textum *in cap. Nemo, de conſecr. diſt.* 1. nam
tenetur de ſuo illam dotare, ut notat gloſſ. *unica in cap. Cùm
ſicut infrà, de conſecr. Eccleſiæ, vel Altaris*, quæ illic à Do-
ctoribus communiter recipitur; unde eodem modo tene-
tur de ſuo providere Clerico conſecrato ſine ſufficienti ti-
tulo, arguendo à conſecratione Eccleſiæ ad conſecratio-
22 nem Miniſtri, & è converſo, prout in propoſito arguit
gloſſa præallegata, & Lambertinus poſt alios *in tract. de
jurepatr. lib.* 1. *part.* 1. *in* 5. *q. principal. art.* 8. *in princ. verſ.
Si autem Eccleſia.*

Ampliatur primò hæc regula, ut procedat etiam in Epi- 23
ſcopo, qui Clericum ſine titulo jam conſtitutum in ſacro
Ordine promovit ſine novo titulo ad ſuperiores Ordines,
text. eſt *in cap. Epiſcopus*, & ibi dixi poſt Decium *in* 1. *no-
tab. ſuprà eod.*

Ampliatur ſecundò, ut procedat etiam in pluribus Epi- 24
ſcopis, qui Clericum ſubditum ratione originis, domici-
lii, vel beneficii, ſine titulo ordinarunt: nam quilibet eo-
rum tenetur in ſolidum præſtare alimenta ſic ordinato, ut
ſcripſi *in d. cap. Epiſcopus n.* 5.

Ampliatur tertiò, ut procedat non tantùm in Epiſcopo 25
proprio, ſed etiam in alieno, cui nullis perſonis expreſſis
in genere proprius Epiſcopus commiſit, ut in ſua diœceſi
Ordines celebraret: nam ſi quempiam ad Sacros Ordines
promoveat titulum non habentem, tenetur illi, cùm in
culpa fuerit, taliter ordinando eundem, vitæ neceſſaria
miniſtrare, donec ei per ordinatorem, vel alium de com-
petenti beneficio ſit proviſum, ut eſt caſus *in cap. Si Epiſco-
pus in* 1. *reſponſ. infrà eod. lib.* 6.

Ampliatur quartò, ut procedat non ſolùm in Epiſcopo 26
ordinante, ſed etiam in illius ſucceſſore: nam & is tene-
tur de ſuo providere ordinato ad ſacros Ordines ſine certo
titulo, ut hìc diſertis verbis ſtatuitur *in verſ. Licèt autem*,
ibi, *Per Ordinatores, vel ſucceſſores eorum, & in verſ. Inde
eſt*, ubi Clericus fuerat ordinatus ad Subdiaconatum à
prædeceſſore, & tamen Pontifex mandat Epiſcopo ſucceſ-
ſori, ut ſic promoto vitæ neceſſaria miniſtret.

Quòd ſi quæras, cur ſucceſſor conveniatur ex delicto 27
defuncti, contra text. *in l. unica, C. ne ex delicto defuncti*,
cùm regulariter crimina morte extinguantur, *cap. Quorun-
dam* 23. *diſt. & l.* 2. *C. ſi reus, vel accuſatus fuerit mortuus*;
ſolvit gloſſ. *hic in ver. Succeſſores*, quòd hoc caſu non tam
punitur ſucceſſor, quàm Eccleſia, ſine cujus conſilio or-
dinationes fieri non debent, *cap. penult.* 24. *diſt.* propterea
enim punitur, quia non reſtitit ordinatori delinquenti, ut
cap. Quapropter 2. *q.* 7. Sed hæc ſolutio non placet Hoſtien.
num. 11. quia multa ſunt Capitula Cathedralium, quæ pa-
rum punirentur, ſi Epiſcopalis menſa gravaretur; neque
enim puniretur Eccleſia, cùm Epiſcopus teneatur provi-
dere ex menſa ſua, ut dicit Abbas *num.* 10. *verſ. Nec proce-
dit dictum gloſſæ.* Unde dic meliùs, eſſe ſpeciale in hoc ca-
ſu, ut ſucceſſor ex facto prædeceſſoris ad id obligetur; &
ratio ſpecialitatis multiplex reddi poteſt, ſecundùm Innoc.
num. 1. & Hoſt. *num.* 9. *in ver. Per ordinatores*, Joan. Andr.
num. 20. in gloſſ. *Sed quare*, Butr. *num.* 15. & Abb. *num.* 10.
Prima ratio eſt, quia mendicitas Clerici cedit in dedecus 28
Ordinis Clericalis, *cap. Diaconi ſunt, verſ. Mendicat infe-
lix Clericus* 93. *diſt. & cap. Ad ſupplicationem*, ibi, *In vitu-
perium miniſterii noſtri, defectum in rebus temporalibus pa-
tiatur, ſup. de renunc.* Adde Conc. Trid. *c.* 2. *in princ. ſeſſ.* 21.
Secunda eſt, quia ſi egeret Clericus, hoc redundaret in op-
probrium ejus, in cujus ſortem, ſeu hæreditatem aſſum-
ptus eſt, juxta text. *hic, & in cap. Cleros* 21. *diſt.* quando-
quidem,

Non ſibi, ſed domino gravis eſt, cui ſervit, egeſtas, hìc 29
in gloſſ. *in ver. Obſequium.* Tertia, quia ex quo eligitur ad
onus, repelli non debet à mercede, ut hìc dicitur, *& in c.
Charitatem, cap. Quicunque, & cap. Eccleſiaſticis* 12. *q.* 2.
Quarta, ut nomen conveniat rebus, ut in litteris, ibi, *Ut ipſa
nominis ratio perſuadet, & in cap. Chorepiſcopi, §. Quod au-
tem* 68. *diſt. & inſtit. de donat. §. Eſt & aliud.* Quinta, ne
Eccleſia videatur ſic promoto fraudulenter laqueum inje-
ciſſe, arg. *cap. Conſtituit* 20. *q.* 3. *cap. De viduis, il* 2. 27. *q.* 1.
cap. per tuas, §. fin. infra de donat. Sexta, quia favorabile 30
eſt augere cultum Divinum, & per conſequens numerum
Clericorum. *c. Ex parte, ſuprà de conſtit. c. Vaſa, de conſecr.
diſt.* 1. *cap. Quæ ad perpetuam* 25. *q.* 1. *& q.* 2. *cap. Quæcum-
que.* Septima, quia Epiſcopus ex ſuo officio generali provi- 31
dere debet, ne quis Clericorum egeat, ut patet 10. *q.* 1. *per
totam, cap. Præcipimus, & cap. Sequenti* 12. *q.* 1. *& cap. Poſ-
ſeſſiones* 16. *q.* 1. Octava, & ultima, quia omnia bona Ec- 32
cleſiarum, pauperum ſunt, ut *c. Cleros, & c. Paſtor* 1. *qu.* 2.
& cap. fin. 16. *q.* 1.

Procedit autem hæc ampliatio, etiamſi quo tempore or- 33
dinator erat ſolvendo, ordinatus neglexerit ab eo petere
vitæ neceſſaria, & poſteà idem ordinator ad inopiam re-
dactus fuerit: nam nihilominùs poterit ordinatus ad ſuc-
ceſſorem recurrere, nec ei obſtabit exceptio, quòd dum
potuit ab Ordinatore titulum exigere, tamen neglexit,
quia

quia hæc Decretalis tribuit illi hoc jus indefinitè, ac ſine ulla exceptione, ut concludit Innoc. *num.* 3. Hoſt. *num.* 10. *verſ. Quid ſi dum ſolvendo*, Jo. Andr. *num.* 11. *verſ. Et licet ordinatus*, & Cardin. *num.* 15. *in* 5. *quæſtione*, quod fuſiùs proſequitur idem Hoſtienſ. *in cap. Tuis quæſtioni-*
34 *bus infrà eodem*. Cæterùm ſi ordinator reſignaſſet Epiſcopatum, aut depoſitus eſſet, & haberet unde poſſet Clericis à ſe ordinatis ſine titulo vitæ neceſſaria miniſtrare, ipſe ad hoc eſſet compellendus, & non ſucceſſor, ut hic determinat Innoc. *num.* 2. *verſ. Dicimus tamen*, adjiciens ita judicatum fuiſſe in Epiſcopo Ambianen. & ſequitur Hoſt. *num.* 9. *verſ. Quid ſi ordinator reſignavit*, Joan. Andr. *n.* 11. Butr. *num.* 17. Cardin. *num.* 13. *in* 2. *qu.* & Joan. de Anan. *num.* 2. Et probatur à fortiori: nam ſi præſentator priùs tenetur providere talibus, quàm ordinator, ut hic colligitur à contrario ſenſu: longè magis primò loco cogendus eſt ordinator, qui non ſolùm Ordines contulit, ſed etiam ſibi præſentavit: nam de talibus loquitur hæc littera, ubi ſcilicet non eſt alius præſentator, ut latiùs patebit infrà *in* 2. *limitatione*. Ad hoc argumentum optimum *in cap. De mul-*
35 *ta*, §. *Ultra ſex menſes infrà eod.* Quod nunquam tradas oblivioni, quia hæc eſt notabilis limitatio ad hanc Decretalem, quæ ſimpliciter, & indiſtinctè obligat ſucceſſorem in Epiſcopatu ex facto ordinatoris; & tamen Doctores illam reſtringunt, ut tantummodò vendicet ſibi locum in ſucceſſore Epiſcopi prædefuncti, non autem Epiſcopi, qui renunciavit, aut depoſitus eſt. Imò plus voluit Innoc. *num.* 2. *verſ. Imò plus videtur*, videlicet ut ordinator vivens, ſi habeat de proprio, cogi poſſit, ut ordinato conſtituat, unde perpetuò vivere poſſit, & cum eo tranſit Joan. Andr. *num.* 11. & Cardin. *in* 3. *qu.* Quod videtur intelligendum, donec ordinatus conſequatur competens beneficium Eccleſiaſticum, ut hic, *& in cap. Epiſcopus ſuprà eod. & in cap. Si Epiſcopus infrà eod. lib.* 6.

36 Ampliatur quintò prædicta regula, ut procedat etiam in hæredibus ordnatoris, ut firmant hìc Innoc. *num.* 2. *verſ. Videtur etiam quod hæredes*, Hoſt. *num.* 10. Joan. Andr. *num.* 11. *verſ. Videtur etiam*, Cardinalis *in* 3. *quæſt.* & alii
37 communiter; quandoquidem ex contractu, vel quaſi oritur hæc obligatio inter ordinatorem, & ordinatum; & ideò tranſit actio ad hæredem, ut *inſtit. de obligat.* quæ ex quaſi contractu naſcuntur, *& l. unica*, *C. Ut actiones ab*
38 *hæred. & contra hæred. incipiant, in rubro, & nigro.* Quòd ſi dicas hujuſmodi obligationem non oriri ex quaſi contractu, ſed ex maleficio, vel quaſi: nihilominùs hæredes ſecundùm Canones obligantur, ut patet in eo quod legitur, & notatur *in cap. Parochiano infrà de ſepultur. & in cap. Lit-*
39 *teris*, *de raptor.* ſecundùm Hoſt. Sed remanet dubium, quid ſi ordinator habeat hæredes reſpectu patrimonii ſui, numquid priùs ſint compellendi hæredes, quàm ſucceſſor in Dignitate: Abb. *hic num.* 11. dicit Hoſtienſem, quem communiter Doctores ſequuntur, tenere quòd priùs ſint diſcutiendi hæredes per rationes proximè adductas. Ipſe tamen Abbas dicit ſe dubitare, an hoc ſit indiſtinctè verum, quia hic textus inſinuat oppoſitum, dum decidit ordinato providendum eſſe per ordinatores, & ſucceſſores; ac deinde mandat indiſtinctè compelli ſucceſſorem; nec
40 præcipit, ut priùs diſcutiantur hæredes ordinatoris. Unde pro ſolutione putat conſiderandum, an hujuſmodi obligatio, quæ contrahitur ex ordinatione ſine titulo, ſit realis reſpectu Eccleſiæ, an verò perſonalis. Et concludit obligationem videri realem, ſi Eccleſia Cathedralis redditibus abundet: ac proinde in ſucceſſorem tranſire, ut *in c. Dilecti ſuprà de foro competenti*: nam ſicut poteſt Sacerdos præſentare aliquem ad titulum Eccleſiæ ſuæ, ut *in cap. Per tuas*, *de ſimon.* eodem modo Epiſcopus poteſt diſponere, ut ordinati vivant ex proventibus Eccleſiæ Cathedralis, & ideò text. fecit mentionem tantummodò de Epiſcopo, vel ſucceſſore. Sed ubi Eccleſia eſſe impotens, tunc cùm Epiſcopus deliquerit, tenebitur ipſe, vel hæres ſuus, per regulam, *Delictum perſonæ &c.* Et ita Abbas vult in effectu, ut priùs diſcutiendi ſint redditus Eccleſiæ; & hæredes Ordinatoris non teneantur, niſi in ſubſidium, ubi ſcilicet Eccleſia non eſt ſolvendo.

Tu adverte, quia quòd Abbas dicit Hoſtienſem, & communiter Doctores tenere, ut priùs ſint conveniendi hæredes, quàm ſucceſſor in Dignitate, hoc non videtur verum; nam Innoc. *num.* 2. cujus verba ad litteram tranſtulit Hoſt. & alii ſupracitati *num.* 36. cùm priùs declaraſſet ſucceſſorem teneri ex facto prædeceſſoris, poſteà formaliter ſic ait: Videtur etiam quòd hæredes ordinatoris ad hoc teneantur, quia ex quaſi contractu eſt hæc obligatio; unde Innoc. & Hoſt. non dicunt hæredes eſſe prius diſcutiendos, quàm ſucceſſorem in Epiſcopatu, quin potiùs videntur ſentire, aut primo loco teneri ſucceſſorem, aut certè omnes teneri æqualiter, & in ſolidum. Idque eorum menti proximiùs accedit, ponderando dictionem *etiam*: quæ eſt augmentativa, & implicativa præcedentium. Unde verius videtur tam ſucceſſorem in dignitate, quàm hæredes in bonis patrimonialibus teneri in ſolidum ex facto ordinatoris, & eſſe in optione ordinati hos, vel illum convenire, ut de duobus reis cavetur *in l.* 2. *& l.* 3. §. *Ubi duo*, *ff. de duobus reis*, & vide quòd dixi *in cap. Epiſcopus*, *in* 1. *notab. verſ. Et ex his notabiliter infero*, *ſuprà eod.*

Ampliatur ſextò eadem regula, ut locum habeat, etiamſi 41
Epiſcopus ordinaverit aliquem ad certum titulum, qui poſteà fuerit evictus: nam nihilominùs tenebitur illi providere de alio beneficio, arg. *c. Præſentium*, 7. *quæſt.* 1. *& cap. Inter cætera*, *inf. eod.* & hujus ſententiæ fuit Vincentius.
Sed hoc intellige verum, ſi Epiſcopus fraudulenter contulit 42
beneficium alterius, quo titulari non fuerat juſtè privatus, aut beneficium alteri debitum, & ipſe, & cui contulit hoc ignoravit; tunc enim tenetur Epiſcopus ei providere de æquivalenti beneficio, ut firmat gloſ. *hic in ver. Donec per te*: quæ in hoc adducit jura præallegata, *& cap. Paſtorali*, *infr. de iurepatr.* & pro gloſ. *in ver. Ignoravit*, ſecundum Joan. And. *in fin.* Facit text. *in c. Si beneficia*, *infr. eod. lib.* 6. & ſequuntur Butr. *n.* 19. & Card. *in* 6. *quæſt.* Sed ceſſan-
te fraude non oritur hæc obligatio; quia donator non tene- 43
tur de evictione, *l. Ad res donatas*, *C. de Ædilitio edicto.* Unde ſi Epiſcopus ordinaſſet bona fide ad titulum beneficii, quod non credebat alteri debitum: tunc non poſſet conveniri ex obligatione ſpeciali proveniente ex diſpoſitione hujus Capituli; teneretur tamen ex obligatione generali, qua obſtringitur providere omnibus indigentibus in ſua 44
Diœceſi, ſecundùm Vincentium, & declarant Butr. *num.* 19. Abb. *n.* 15. *verſ. Sed ſi Epiſcopus ordinaſſet*, & pleniùs Jo. de Anan. *n.* 15. 16. *&* 17.

Et eodem modo non tenetur Epiſcopus, ſi ab initio con- 45
tulit ordinatum beneficium ſufficiens, quod poſtea effectum eſt inſufficiens, & exinanitum, ſecundùm Vinc. ſatis enim eſt minori ab initio adire locupletem hæreditatem, ut *l. Verum*, §. *ſi locupleti*, *ff. de minoribus*; videtur tamen teneri 46
ex generali obligatione, ut *ſuprà*; & hoc tenet gloſſ. 1. *in c. tuis*, *infra eod.* ubi firmat Epiſcopum tenere providere ordinatis de beneficio Eccleſiaſtico, ſi illorum patrimonium periret chaſmate, vel alluvione; quia cùm ad ſæculum redire non poſſint, eorum paupertas redundaret in opprobrium Ordinis Clericalis. Et idem tenet Innoc. *in cap. Epiſcopus*, *in fin. ſuprà eodem.*

Ampliatur ſeptimò eadem regula, ut locum habeat etiam 47
in Epiſcopo, qui aliquem promovit ad Ordines minores ut probat text. in ſui generalitate *in cap. Non liceat*, *ſuprà eod.* nam nec ad minores ordinari quis debet abſolutè, ſeu ſine titulo, ut videtur expreſſum *in cap. Neminem*, ibi *Vel quemlibet in Eccleſiaſtica ordinatione conſtitutum*, 70. *diſtin.* ubi hoc tenet gloſſ. 1. & Hoſt. *hic num.* 11. *verſ. Ordinatis*, & Joan. Andr. *num.* 3. *in eod. verb.* Sed hoc non ſervat Eccleſia Romana; & ideò de hoc articulo dic pleniùs, ut ſcripſi in prædicta Decretali, *Non liceat*, *à n.* 5. *uſque in fin.*

Nunc limita primò regulâ ſuperiùs firmatam, ut non pro- 48
cedat, ſi ordinatus ſine titulo aliundè habeat, unde congruè poſſit ſuſtentari, tex. *eſt in c. Epiſcopus*, *ſuprà eod.* ubi primò ponitur regula, ut Epiſcopus ordinato ad ſacros ſine certo titulo teneatur neceſſaria ſubminiſtrare; ac deindè adjicitur limitatio, ibi, *Niſi talis ordinatus de ſua, vel paterna hæreditate ſubſidium vitæ habere poſſit*: nam Clericus non beneficiatus, ſi de patrimonialibus bonis habeat, unde vivere poſſit, ad ſacros Ordines legitimè promovetur, ut eſt caſus in *cap. Tuis*, *infrà eod.* quia in eo caſu intelligitur ordinari ad titulum patrimonii quoad hoc ut non poſſit petere alimenta ab ordinatore, ut ibi dici conciliando opiniones *num.* 19. poſt gloſſ. *final.* & Card. *n.* 7 *in* 7. *quæſt.* & gloſſ. *in c. Si Epiſcopus*, *in ver. Titulum*, *infr. eod. lib.* 7. Hoc ipſum inſinuat hæc decretalis, quæ adſtringit Epiſcopum ad ſubminiſtrandum ſic ordinato vitæ neceſſaria: ergo ſupponit eum eſſe pauperum, ad aliunde non habere, unde vivere poſſit. Atque ita Papam hic non intendere niſi pauperibus

bus

bus Clericis providere, declarat text. qui eſt gloſſa hujus Decretalis, *in c. Poſtulaſti ſuprà de reſcript.* ut hìc per Hoſt. *num.* 17. *in ver. Eccleſiaſticum*. Hodie tamen in hoc ſervari debet jus noviſſimum Concil. Triden. *in cap.* 2. *ſeſſ.* 21. ut ſcripſi plenè *in d. c. Epiſcopus n.* 24. 25. *& 29.*

49 Limita ſecundò propoſitam regulam, ut non procedat, ſi ordinatus ſine certo titulo fuerit ab alio præſentatus, & examinatus; quia tunc non tenetur illi providere Epiſcopus, qui eum ordinavit, ſed ille qui præſentavit, & examinavit, ut *cap. Ex antiquis, & cap. Si ſervus* 54. *diſt. & c. Quando* 24. *diſt.* & notatur *in c. Accepimus, de ætat. & quali.* Et hoc innuit hæc Decretalis à contrario ſenſus in illis verbis, *Nullo præſentante,* & tenent gloſſ. *in ver. Succeſſores ad finem, verſ. Et hoc intelligo,* Innoc. *n.* 3. *in ver. Præſentante,* Butr. *num.* 5. *&* 16. Card. *num.* 7. *in* 11. *notab. & n.* 12. & videtur expreſſum *in c. Si Epiſcopus in fine infrà eod. lib.* 6. ut patebit *in ſeq. limit.*

50 Et hinc colligè præſentatos, & examinatos ab aliis Epiſcopis, vel exemptis, non eſſe neceſſariò examinandos ab Epiſcopo ordinatore, ad hoc *cap. Epiſcopum* 9. *qu.* 2. quia non tenetur illis providere, ſecundùm Innoc. *d. n* 3. *verſ. Hic apparet,* Joan. Andr. *num.* 4. Butr. *num.* 9. Quotieſcumque enim proprius Epiſcopus committit alteri Epiſcopo ordinationem certorum Clericorum, & nominatorum, Epiſcopus cui facta eſt commiſſio, non tenetur inquirere,
51 an nominati ſint idonei, necne, ſed debet præſumere præſentatos eſſe idoneos: ideòque ſi tales reperiantur ſine titulo, imputandum eſt committenti, non ordinanti, ut ad litteram inquit gloſſ. Jo. Andr. *in. cap. Si Epiſcopus in princ.*
52 *infrà eod. lib.* 6. Quod multò magis procedit poſt Decretum Conc. Trid. *cap.* 3. *ſeſſ.* 23. ubi ſtatuitur, ut Epiſcopus per ſemetipſos Ordines conferant, quòd ſi ægritudine fuerint impediti, ſubditos ſuos non aliter, quàm jam probatos, &
53 examinatos ad alium Epiſcopum ordinandos dimittant. Oportet igitur, ut de idoneitate ordinandi conſtet ordinatori per litteras teſtimoniales Ordinarii, alioquin alieno Epiſcopo non liceret eum ordinare, ut eſt expreſſum *in cap* 8.
54 *ejuſdem ſeſſ. verſ. Quodſi quis ab alio promoveri petat.* Quinimò S. Congreg. ejuſdem Concilii interpres conſulta, an qui facultatem à Sede Apoſtolicca obtinuit, ut poſſit ordinari ab alio quàm à ſuo Ordinario, debeat nihilominùs probitatem ſuam, & mores Ordinarii ſui teſtimonium comprobare: Reſpondit ita debere, prout Signatura gratiæ jam dudum ſolita eſt in hujuſmodi facultatibus ponere clauſulam illam, *De licentia Ordinarii, & cujus teſtimo-*
55 *nio probitas, & mores commendentur:* Et hoc caſu verum eſt, quod docuit Innoc. videlicet Epiſcopum non teneri promovendum examini ſubjicere, ſed ſuper illius qualitatibus, & titulo poſſe deferre Ordinarii atteſtationi. Creditur enim litteris Examinatorum, ut *cap. in præſentia ſuprà de renunc. cap. Poſt ceſſionem, de probat. cap. Ad probandum de re judic. cap. Sopitæ, de cenſibus, & hìc,* ubi notant Hoſt. Joan. Andr. *in ver. Per litteras,* Card. *num.* 10.
56 Idemque jampridem probavit Sac. Congr. Conc. nam cùm fuerit quæſitum, an Epiſcopus ordinans alienos ſubditos ſæculares cum dimiſſoriis proprii Epiſcopi aſſerentis eos examinatos fuiſſe, & idoneos repertos, hujuſmodi atteſtatione deferre teneatur, vel etiam poſſit eoſdem ordinandos examinare: Sac. Congregatio cenſuit eſſe arbitrarium,
57 & ideò poſſe, ſed non teneri. Conſtitutio autem Sixti V. qua parte injungit Epiſcopis, ut examinent natalia, vitam, & reliquas ordinandorum qualitates, ex ipſius Congregationis ſententia eſt intelligenda de propriis dumtaxat ſubditis: nam quoad eos, qui alienæ Diœceſis ſunt, hujuſmodi inquiſitio adhibenda eſt ab Epiſcopis litteras dimiſſorias concedentibus; quod tamen fallit in caſu *cap. Si Epiſcopus in* 1. *reſponſo infrà eod. lib.* 6. ut dictum eſt ſuprà in 3. *ampliat. n.* 25.

Subdunt tamen Innoc. Joan. And. & Butr. *ubi ſuprà,* & benè, quòd ſi Epiſcopus alienus ſciret eum criminoſum, peccaret ordinando.

58 Limita tertiò ſupraſcriptam regulam, ut non procedat in Epiſcopo alieno, cui Diœceſanus commiſit non in genere, ſed in ſpecie, ut certas perſonas ordinaret: nam ſi quempiam illorum ad ſacros Ordines promoverit titulum non habentem, non ipſe qui ordinavit tenebitur ſic promoto providere, ſed Diœceſanus, qui ordinationem commiſit:
59 debuit enim prævidere, an titulum haberent. Et idem ſi Diœceſanus det aliquibus licentiam, ut poſſint à quo maluerint Epiſcopo promoveri: non enim qui ordinat, ſed qui licentiam tribuunt, cùm eam dare non debeant titulum non habenti, obligantur, ut de his eſt cauſas ad litteram *in cap. Si Epiſcopus in* 2. *&* 3. *reſponſo infrà eod. lib* 6. Licèt hæc limitatio in effectu coincidat cum præcedenti: nam Decretalis, *Si Epiſcopus,* emanavit ad declarationem textus 60
noſtri, præſertim in illis verbis, *Nullo præſentante;* & declarationem eorum; quæ in propoſita ſcripſerunt Innoc. & Hoſtien. *in c. antepenult. & penult. ſuprà de ætat. & qual.* ut notatur *in d. c. Si Epiſcopus in gloſſ.* 1. Hanc tamen tertiam limitationem ſublimita, niſi Epiſcopus proprius committeret alieno, ut non ſolùm Ordines conferret, ſed etiam ordinandum examinaret ſuper titulo, & aliis qualitatibus requiſitis, quia tunc non is qui commiſit, ſed ordinator, & examinator obligaretur, ſi promoveret titulum non habentem, ut patet tum ex dictis ſuprà in 2. *limitat. num.* 49. tum quia licet de delicto promoventis conſtet eo ipſo quod conſtat de inhabilitate promoti, *cap. Tantis Daniel in fin.* 81. *diſt. & cap. Cum ſit ars ſuprà de ætat. & qualit.* Hoc tamen procedit, ſi promovens per ſeipſum examinaverit, ſecus ſi per alium, quia tunc puniendus eſt tantùm qui examinavit, *cap. Quando* 24. *diſt. cap. Ad hæc ſuprà de offic. Archid.* & notant *in d. cap. Cum ſit ars,* gloſſ. *in ver. Deprehendi,* Innocent. *n.* 3. *in ver. ordinato,* Hoſt. *n.* 10. & pleríque alii. Poteſt autem Epiſcopus proprius committere alieno Epiſcopo examen ordinandi, non obſtante *cap.* 3. *ſeſſ.* 23. Concil. Trid. dummodò id faciat ex legitima cauſa. Unde cùm Epiſcopus Feretranus dubitaret, an poſſet litteras dimiſſorias concedere cuidam ſuo Diœceſano, qui in Urbe habitabat, etſi ejus qualitates notas non haberet: S. Congreg. cenſuit poſſe; ſi enim qualitates ejus non novit, poterit committere examen Ordinario loci, in quo degit, ut aliàs deciſum fuit *in una Mediolanen.* his verbis, *Sac. Congregatio cenſuit Epiſcopum quamquam abſentem poſſe litteras dimiſſorias dare, & ordinandos ſubjicere ſuo examini; & ſi abſentes ſint, ad ſe ut examinet vocare ſi commodum erit; alioquin eorum examen commitere Ordinario loci, in quo illi degunt*

Limitatio quarta colligi poteſt ex dictis Joan. Monachi 61
in cap. 2. *n.* 6. *de tempor. ordinat. lib.* 6. videlicet cùm Epiſcopo probabiliter ignorante, alienus Clericus furtivè, vel ex ſimplicitate ſe in multitudinem Ordinandorum ingeſſit, vel 62
cùm Epiſcopus fuit deceptus juxta ignorantiam facti, putà ſi ordinatus detulerit litteras furtim impetratas à Cancellario ſui Epiſcopi. Et quamvis Joan. Monach. loquatur de pœna ſuſpenſionis Epiſcopi ordinantis Clericum alienum ſine licentia Epiſcopi proprii, de qua *in d. c* 2. *& c. fin. de tempor. ordinat. in* 6. tamen idem dicendum de pœna ordinantis Clericum ſine titulo, ut patebit infra *in* 3. *qu. à num.* 66. *uſque in finem.*

2. QUÆRO, an per illa verba poſita in fine *cap.* 2 *ſeſſ.* 63
21 Concil. Trid videlicet, *Antiquorum Canonum pœnas ſuper his innovando,* cenſeatur innovata pœna *c. Neminem, & c. Sanctorum* 70. *diſt.* ita ut qui ſine aliquo titulo poſt Triden. Concil. ſacros Ordines ſuſceperunt, ſint ſuſpenſi, ac ſi miniſtraverint, irregulares.

Propoſito hoc dubio, Sacr. Congregatio Cardinalium Concil. Trident. interpretum cenſuit fuiſſe innovatas dumtaxat pœnas *cap. Cum ſecundum de præben.* Præcipuum hujus deciſionis fundamentum fuit quia cùm pœna ſuſpenſionis ab executione Ordinum, de qua *in d. c. Neminem, & cap. Sanctorum,* jam fuiſſet ſublata per hanc Decretalem, ut dictum eſt ſuprà *in* 6. *notab.* Concil. *in d. c.* 2. dum innovavit pœnas antiquorum Canonum, non cenſetur innovaſſe pœnam illam, quæ per poſteriores Canones jam fuerat abrogata, ut etiam patebit infrà in tertia quæſtione.

Unde poſteà cùm quidam promotus ad ſacros Ordines 64
ad titulum patrimonii inſufficientis, quæreret quid ſibi agendum, ut ad Sacerdotium promoveri poſſet; S. Congregatio cenſuit, ſi patrimonium, ad cujus titulum orator eſt ordinatus, minùs ſufficiens ſit ad ejus ſuſtentationem congruam, teneri Epiſcopum tamdiu ex proprio ſupplere, donec per ipſum Epiſcopum in ſua, vel alia Eccleſia fuerit competens beneficium aſſequutus; ideò debere ad reliquos Ordines Oratorem ab Epiſcopo promoveri. Quod autem dixit Sacra Congregatio, per ipſum Epiſcopum, ſupple, vel per alium: ita enim hoc cap. hodie ſuppletur per Decretalem, *Si Epiſcopus,* ibi *Donec ſibi per eum, vel alium de competenti beneficio ſit proviſum, infrà eodem lib.* 6. & ita olim ſupplebat Innocen. *hic in fine,* & confert

fert

fert textus *in capit. Si pauper , eodem titul. & libro* .

Item cùm nonnulli ad ſacros Ordines abſque titulo promoti quæſiviſſent , an eſſent ſuſpenſi,& irregulares ex eo , quòd in ſuſceptis Ordinibus miniſtraſſent:Sac.Congregatio cenſuit Oratores minimè quidem debuiſſe ad ſacros Ordines abſque titulo ſufficienti beneficii , aut patrimonii promoveri , oportuiſſeque obſervare , quod providè ſtatuitur Decreto *cap.2. ſeſſ.*21. Cæterùm Ordinatos ante felic. record. Sixti V. Conſtitutionem hac de re editam nequaquam propterea eſſe ſuſpenſos , neque irregulares, tametſi in ſuſceptis Ordinibus miniſtraverint .

65 Porrò in Conſtitutione *Sanctum de ſalutare* , cujus ſit mentio in declaratione S. Congregationis, Clerici ſine titulo ſufficientis beneficii , vel patrimonii , aut aliàs malè promoti , declarantur perpetuò ſuſpenſi ab executione Ordinum , ac ſi in eis miniſtraverint , irregulares, ut *in Bullar. tom.2. pag.*651. Sed eam Conſtitutionem , excepto capitè Simoniæ , poſteà moderatus eſt,& ad terminos juris Bullæ Pii II. & Concilii Trident. reduxit Clemens VIII. in Conſtitutione *Romanum Pontificem , in Bullar. tom.3. pag.*54.

66 3 QUÆRO: Poſita prædicta deciſione S. Congregationis, qua declaratum fuit Concilium Tridentinum *c 2. ſeſſ.*21. prohibens aliquem ordinari ad ſacros Ordines abſque titulo ſufficienti beneficii , vel patrimonii, in illis verbis, *Antiquorum Canonum pœnas ſuper his innovando* , innovare pœnam, ut menſa Epiſcopalis teneatur ad alimenta ordinati , non autem pœnam , ut ordinans, & ordinatus ſint ſuſpenſi: an diverſum cenſeri debeat , cùm Clericus circa hujuſmodi titulum in ordinatione fraudem committit, adeò ut ſi is confiсto titulo beneficii, vel patrimonii ordinatorem deceperit , in ſuſpenſionem propterea incidere intelligatur .

67 In hac materia habemus jus antiquum , jus medium , & jus noviſſimum Tridentini Concilii . Jus antiquum habetur *in cap. Neminem & cap. Sanctorum* 70. *diſt.* quibus ordinatio Clerici ſine titulo in odium ordinatoris irrita decernitur ; quod intelligendum eſt , ut ordinatus careat executione,prout declarant ibi omnes ; præſertim Turrecrem. poſt
68 Hugon. *n.*5. & fuſiùs dictum eſt ſupra in 5. *notab.* Jus medium habetur in hoc cap. quo ſtatuitur , ut ſi quis ab Epiſcopo ſine titulo ordinetur , menſa Epiſcopalis teneatur ad alimenta ordinati ; quod etiam cavetur *in c. Non liceat , & c. Epiſcopus ſuprà eod. & c. Si Epiſcopus infra eod. lib.*6. Hìc verò ſatis perſpicuè aboletur pœna , quæ antiquitùs conſtituta erat *in d.c. Neminem, & cap. Sanctorum*, ut ſcilicèt ordinatus ſit ſuſpenſus, quæ etiam de conſuetudine non ſervabatur, ut teſtatur Turrecrem. *in d. c. Neminem in fine* , & propterea poſt hanc Decretalem ordinatus ſine titulo non carebat ampliùs executione , ſed menſa Epiſcopalis tenebatur ita ordinato vitæ neceſſaria ſuppeditare. Jus noviſſimum Tridentini Concilii traditur Decreto *cap.2. ſeſſ.*21. quo conſtituitur , ut ordinati ad ſacros debeant habere beneficium , vel patrimonium ſufficiens, & antiquorum Canonum pœnæ ſuper his innovantur: & cùm eſſet poſtea dubitatum , an Concilium ibi innovaſſet pœnam hujus cap. ut menſa Epiſcopalis teneretur alere ordinatum, an verò etiam pœnam poſitam *in cap. Neminem , & cap. Sanctorum* , ut ordinatus eſſet ſuſpenſus : S. Congregatio , ut prædiximus *num.* 63. declaravit, dicto Concilii Decreto innovatam eſſe pœnam hujus Decretalis , quæ obligat menſam ad alimenta ordinato ; non autem pœnam ſuſpenſionis poſitam *in c. Neminem , & cap. Sanctorum*, & jam abrogatam per hanc Conſtitutionem .

His poſitis ſuboritur nunc alia dubitatio , an ſaltem quoad ordinatum ſine titulo,qui ordinantem decepit ementitis falſis fortè probationibus ſe congruum titulum habere, adhuc duret pœna ſuſpenſionis , quæ ſtatuta erat *in d.c Neminem , & cap Sanctorum* , Cujus dubitationis ſolutio pendere videtur ab alia , de qua erat controverſia inter dd. Doctores etiam ante Concilium Tridentinum, an videlicet hoc capitulum correxerit , & ſuſtulerit pœnam ſuſpenſionis ſtatutam per anteriores Canones , cùm Clericus eſt in culpa,quia ordinantem confiсto , falſoque titulo beneficii , vel patrimonii decepit . Nam ſi hæc pœna quoad hujuſmodi Clericum non ſit ſublata , non videtur poſſe dubitari , quin vigeat , & quin innovata ſit à Tridentino Concilio : ſi verò eſſet ſublata , Concilium innovando pœnas non videretur referri ad jam abrogatas , ut jam in ſuperiori deciſione ſenſit Sacra Congregatio .

In hac dubitatione tutior, & ſalubrior videtur opinio , ut pœna ſuſpenſionis non ſit ſublata per hanc Decretalem , quam opinionem tenet hìc Antonius de Butrio *in fine* , & Decius *à num.2. verſ In gloſſ. fin.* eam validiſſimis rationibus defendit, inter quas ea eſt potiſſima, quia cùm in hoc capitulo corrigatur pœna ſuſpenſionis, quæ erat inducta in injuriam, id eſt, ut Archidiaconus interpretatur *in d. c. Neminem*, in ignominiam ordinatoris , ubi ordinator non fuit in aliqua culpa , & ordinatus dolo , & fraude, confiсto titulo ordinatorem fefellit; conſequens eſt, ut correctio pœnæ juris veteris non extendatur ad caſum, in quo non militat ratio correctionis, id eſt , ubi nihil eſt, quod imputetur ordinanti , ſed ſolis ordinato . Et hanc ſententiam poſt Tridentinum Concilium , & in ipſius Concilii terminis ſequitur , & rationibus à Decio deſumptis tuetur Navarr. *conſ. ult. de tempor. ordinan.* Quod ſi ab ea recederemus , Concilium facilè eluderetur, quia ſi nulla eſſet pœna ſuſpenſionis in hujuſmodi ordinatum, qui fraudem commiſit , facile eſſet cuiquam confictis titulis abſque vero titulo promoveri , & obtenta abſolutione in foro conſcientiæ , abſque ullo impedimento in Ordinibus ſuſceptis miniſtrare ; quo pacto multi ad ſacros aſcendere poſſent abſque titulo, & poſteà contra mentem Concilii cum Ordinis dedecore mendicarent .

Non obſtat, quòd Imola , & Abbas *in d. cap. Non liceat*, contrarium ſenſerint , quia præterquàm quòd Imol. non ſatis clarè explicat quid ſentiat : contra eos ſtant Anton. & Decius , & firmiores rationes à Decio collectæ , qui omnibus Abb. rationibus plenè ſatisfacit .

Item non obſtat , quòd Imola teſtetur de communi opinione in oppoſitum , ut illum citat Decius, *ubi ſupra* . Nam reſpondetur Imolam non affirmare in hoc articulo contrariam opinionem eſſe communem, ſed tantùm quòd Doctores communiter ſequuntur gloſſ. *fin. d. c.*1. *Non liceat* , quæ articulum noſtrum nec examinat , nec attingit . Imò gloſſ. potiùs facit pro hac opinione, dum ait per hoc cap. eſſe correctum , quod ſtatutum erat in odium ordinatoris , quaſi a cõtrario ſenſu velit non eſſe correcta jura vetera quoad pœnam , quæ non odium ordinantis, ſed ordinati delictum reſpiciebant , & ita gloſſæ , quàm Doctores ſequuntur , authoritas ponderata huic noſtræ opinioni favet , ut etiam videtur perpendiſſe Decius , qui inſinuat opinionem Anton. de Butr. *in illa gloſſ.* eſſe fundatam ; & poſteà ibi confirmando hanc opinionem , dicit opinionem gloſſæ eſſe communem . Quæ ratio validiùm confirmatur ex eo , quòd Sa- 69
cri Canones præ oculis habebant, ne in opprobrium Cleri mendicaret per plateas infelix Clericus , Turrecrem. & alii *in d. c. Neminem n.*1. & traditur *in cap. Diaconi ſunt* 93. *diſt. & in cap. Poſtulaſti ſuprà de reſcriptis* . Id autem inconveniens duobus modis vitarunt ; Primò ſtatuendo pœnam ſuſpenſionis in promotum ſine titulo : non enim erat in conſideratione,quòd mendicaret, ex quo non habebat ordinis executionem , ut perpendit Decius *in d. c. Non liceat in fin.* Secundò,abrogata hac pœna , aliam ejus loco ſubjiciendo, ut ſcilicet menſa Epiſcopalis ad ejus alimenta teneretur, adeò ut ſemper providè occurſum ſit à ſacris Canonibus huic periculo mendicandi cùm totius Ordinis vituperio. Hoc autem abſurdum remaneret in Clerico ordinatem decipiente , ſi jura antiqua etiam quoad ipſum eſſent correcta , & à Concilio Tridentino non innovata ; quia ipſe ſine titulo ordinatus nec eſſet ſuſpenſus , nec à menſa Epiſcopali alimenta petere poſſet , & ex conſequenti ordinatus ad ſacros,habens executionem,oſtiatim cogeretur quærere eleemoſynam,quod tantoperè & S.Canones , & Trident. Concilium ſunt deteſtati . Die 27. Novembris 1610. S.Congregatio Concil. propoſito ſupraſcripto dubio , omnium ſententiis cenſuit hoc caſum pœnam ſuſpenſionis ante Concilium non fuiſſe correctam & hodie à Trident. Conc. eſſe innovatam , & propterea hujuſmodi Clericum , qui adhibito dolo , confictoque titulo ordintorem decepit , eſſe ipſo jure ſuſpenſum , carereque Ordinum executione .

DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.

Idem Innocentius III. Epiſcopo, & Cantori Tornacen.

CAPUT XVIII.

CUm jamdudum:& infrà. Verùm quoniam ab R. Siçlun. Canonico, J. de Bithynia quædam objecta fuere: multitudo videlicet tam dignitatum, quàm etiam præbendarum, ambitionis & avaritiæ vitium: cui nondum finem imponens, contra diffinitionis noſtræ tenorem, & Lateranen. ſtatuta Concilii, ad obtinendam Præpoſituram Siclunen. ſe ingerit & ingeſſit:& quòd die intruſionis ſuæ ante confirmationem præſumpſerit miniſtrare; ſicut & poſt confirmationem caſſatam. Mandamus, quatenùs ſi inveneritis prædictum J. habere plures alias dignitates, atque præbendas; aut aliquid aliud præmiſſorum, quod ad caſſationem ejus ſufficiat inveneritis eſſe verum; ei ſuper jam dicta Præpoſitura ſilentium imponatis, ab impetitione ipſius Siclunen. Eccleſiam abſolventes. Cùm multa per patientiam tolerentur, quæ ſi deducta fuerint in judicium, exigente juſtitia, non debeant tolerari.

SUMMARIUM.

1 *OPponenti plura contra electum ſufficit alterum probare, quod ad caſſationem ſufficiat.*
2 *Dignitates plures obtinens abſque diſpenſatione Apoſtolica, ineligibilis eſt, & inhabilis ad beneficia obtinenda.*
3 *Intruſus eſt qui ingerit ſe adminiſtrationi ante confirmationem, vel præter authoritatem ejus, ad quem ſpectat, etiamſi præceſſerit electio.*
4 *Adminiſtrationi ſe introducere ante obtentam confirmationem, & poſt confirmationem caſſatam, paria ſunt.*
5 *Caſſatio deducit rem de eſſe ad non eſſe.*
6 *Confirmatus poteſt liberè adminiſtrare, etiamſi de viribus confirmationis in judicio diſceptetur.*
7 *Dummodò à confirmatione appellatum non fuerit, aliàs ſecus.*
8 *Probare ſufficit unum ex pluribus copulativè in reſcripto narratis, vel in judicium deductis, ſi quodlibet per ſe ſufficiat ad fundandam intentionem impetrantis, vel ad victoriam cauſæ.*
9 *Niſi quis ſe aſtrinxerit ad omnia probanda, quod in dubio non præſumitur.*
10 *Clauſula,* non eſſe tamen adſtringens ad omnia probanda, *quid operetur.*
11 *Diſpenſatio tacita non inducitur ex ſimplici tolerantia Papæ in his, quæ ſunt contra jus.*
12 *Tolerantia Papæ non operatur, ut pluralis juſtè poſſideat, ſed ut ſubditi licitè ab ipſo Sacramenta percipiant.*
13 *Præbendarum, ſeu Beneficiorum ſimplicium pluralitas an de jure communi ſit prohibita, necne, & num ſeqq. uſque ad num. 31.*
Et quid ex Concilio Tridentino num. 31. & ſeqq. uſque ad n. 46.
14 *Canonicus, & Præbendatus abſque diſpenſatione quis poteſt eſſe in pluribus Eccleſiis etiam diverſorum Epiſcopatuum ſecundum opinionem Innocentii, & num. ſeqq. & n. 32.*
15 *Intellectus hujus c. & n. 21. & 23.*
16 *Beneficiorum ſimplicium pluralitas ante Concilium Tridentinum erat permiſſa ex generali conſuetudine, & num. 30.*
18 *Præbendas plures intitulatas nemo poteſt habere, niſi habeat ab eo, qui omnia poteſt, ſecundum opinionem Hoſtienſis, & n. 32.*
19 *Canonici de jure communi ſunt adſtricti ad perſonalem reſidentiam.*
20 *Præbendæ ſingulæ requirunt ſingulos actus, & miniſtros.*
22 *Intellectus* c. De multa, *infrà eod.*
23 *Dictio,* una, *abſonum eſt, ut reſpectu unius determinabilis ſtet alternativè, & reſpectu alterius copulativè.*
24 *Præbendatus non Canonicus, vel Canonicus non præbendatus, an quis poſſit eſſe in pluribus Eccleſiis, & n. ſeqq. 34. & 42.*
Canonicus in una Eccleſia, & Præbendatus in alia, tenetur ſervare ſtatuta Eccleſiæ, in qua eſt Canonicus, ibidem.
25 *Avaritia notatur magis in pluralitate præbendarum, quàm Canonicatuum.*
26 *Præbendarum effrænata multitudo prohibita eſt, & n. 33. & 35.*
27 *Beneficia plura perſonalem reſidentiam requirentia ſunt incompatibilia.*
28 *Beneficiorum pluralitas an ſit tantùm inhibita quoad peccatum in foro animæ, an verò etiam quoad pœnam in foro fori, & n. 57.*
29 *Beneficia conſtitui non debent, niſi ſufficientia ad congruam Clerici ſuſtentationem.*
30 *Conſuetudo generalis plura beneficia ſine cura obtinendi abſque diſpenſatione, an excuſet à peccato.*
31 *Tridentinum Concilium ſeſſ. 24. cap. 17. de beneficiorum pluralitate expeditur, & num. ſeqq. uſque ad n. 58. & n. 57.*
33 *Beneficium unum tantùm ex Concilio Tridentino regulariter etſi ſingulis conferendum etiam S.R.E. Cardinalibus, & n. 60.*
34 *Canonicatus, de præbendæ in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis, cùm hodie perſonalem reſidentiam requirant, ſunt incompatibiles.*
35 *Beneficium inſufficiens obtinenti poteſt Ordinarius conferre ſecundùm, ſed non ultra duo, & n. 45. & 71.*
36 *Beneficium ſufficiens obtinenti, nec in titulum, nec in commendam licet obtinere ſecundùm.*
37 *Beneficium primum ſufficiens vacat per aſſecutionem pacificam ſecundi, & per retentionem cum primo, vacat utrumque, & n. 44.*
38 *Beneficia plura perſonalem reſidentiam requirentia ſunt hodie incompatibilia, ſive illam requirant ratione curæ animarum, ſive ratione ſervitii.*
39 *Beneficia incompatibilia propter reſidentiam ratione curæ, quæ ſint.*
Et quæ ratione ſervitii, n. 42.
40 *Vicarius amovibilis indicat curam animarum eſſe penes Rectorem.*
41 *Parochialis acceſſoriæ unita non eſt incompatibilis cum alia Parochiali.*
43 *Beneficium ſufficiens obtinenti non poteſt Ordinarius conferre ſecundum, etiam inſufficiens.*
44 *Beneficium inſufficiens obtinenti an poſſit ab Ordinario conferri ſecundum, quod per ſe ſit ſufficiens, & num. 55. & ſeqq.*
45 *Beneficia duo obtinenti non poteſt authoritate ordinaria conferri tertium, etiamſi omnia ſint inſufficientia, & n. 71.*
46 *Diſpenſare an poſſit Epiſcopus ſuper pluralitate beneficiorum ſimplicium.*
47 *Quid ſi beneficia exiſtant in diverſis Eccleſiis, & num. 49.*
48 *Et quid ſi in eadem Eccleſia, & n. 50.*
49 *Et quid poſt Concilium Tridentinum, & n. ſeqq.*
51 *Beneficium ſufficiens habenti ſi Ordinarius aliud conferat, an collatio ſit nulla, an verò adepta pacifica poſ-*

ſeſ-

ſeſſione ſecundi vacet primum ipſo jure, & n.ſeqq. & num.56.

52 Conferatur, *verbum qualiter ſit accipiendum, & n.54. & 70.*

53 *Datarius qualiter admittere debeat ſupplicationes illas, quibus habens Parochialem, vel ſimplex ſufficiens, petit ſibi aliam Parochialem; vel aliud ſimplex.*

58 *Beneficium obtinens, quod per ſe ſufficiat, præſumitur moveri ad impetrationem ſecundi ex ambitione, & avaritia, ſed non è contra.*

59 *Canonicatum, & officium habenti in eadem Eccleſia, quæ ex fundatione compatibilia ſunt, ſi Epiſcopus Canonicatum alterius Eccleſiæ contulerit, an collatio ſecundi Canonicatus ſit irrita, necne, & n.ſeqq. uſque in fin.*

61 *Beneficia duo incompatibilia obtinens, ante Concilium Lateranen. habebat optionem alterutrum retinendi, ex eodem Concilio debebat privari ſecundo. Poſt Concilium vacabat primum, & poſt* Execrabilem, *primum illicò erat dimittendum.*

62 *Intellectus* c.Ordinarius, §.in conferendis de offic.Ordinar. lib.6. *& n.ſeqq. & n.67.*

63 *Collactio tertii beneficii incompatibilis de jure communi eſt nulla, & n.64.*

Et quid in tertiò beneficio, quod etſi eſſet compatibile de jure, effectum eſt tamen incompatibile ex Concilio Tridentino, vel ratione numeri, vel ratione ſervitii, ibid. & n.ſeqq. & n.67. & ſeqq.

64 *Beneficia duo incompatibilia obtinens etiam ex diſpenſatione inhabilis eſt ad aliud ſimile aſſequendum, & num.66.*

65 *Beneficia duo compatibilia ex lege fundationis, non cenſentur compatibilia reſpectu tertii.*

66 *Diſpenſatio ad duo incompatibilia nihil operatur reſpectu collationis tertii beneficii.*

68 *Collatio tertii beneficii incompatibilis vigore ſtatuti non inducit vacationem aliorum incompatibilium.*

1 CUm jamdudum. Opponenti plura contra electum
ſufficit alterum probare, quod ad caſſationem ſuffi-
ciat: Hoc dicit ſecundùm Joan. Andr. vel ſpecialiùs ſecun-
dùm Abb. Caſſatur electio illius, qui poſſidet plures di-
gnitates, atque præbendas, & idem ſi detinetur aliquo vi-
tio hìc ſcripto. Dividitur ſecundùm Hoſt. in tres partes.
Primò ponit ſex, quæ opponebantur contra electum. Se-
cundò diffinitionem quæſtionis conditionalem. Tertiò an-
tipophoram. Secunda ibi, *Mandamus*, Tertia ibi, *Cùm
multa*.

Nota primò ibi, *Multitudo*, obtinentem plures digni-
2 tates, vel perſonatus eſſe ineligibilem, & inhabilem ad be-
neficia obtinenda, ut hìc, *& in cap. Ordinarii, de offic. Or-
dinar. lib.6. & in c. Dudum, il ſecondo ſuprà de electione*, &
in Extravag. *Execrabilis*, §. *Qui verò deinceps, de præben.* &
hìc notant Imol. *num.7.* & Abb. *num.2.* Quod intellige, niſi
habeat diſpenſationem Apoſtolicam, *d.cap. Dudum, verſ. In-
ſuper, & cap. De multa, §. Circa infrà eod.* ſecundùm Bernar.
hìc in princ. Hoſt. *in princip. in ver. Præbendarum*, Jo Andr.
n.2. Butr. *n.9.* & Imol. *n.12.*

Secundò nota ibi, *Die intruſionis ſuæ*, intruſum eſſe
3 qui ingerit ſe adminiſtrationi ante confirmationem, & ſic
ſine titulo; vel præter authoritatem ejus, ad quem ſpectat,
etiamſi præceſſerit electio, quod notabis ſecùdùm Abb.
num.4. poſt Butr. *eod. num.* & Imol. *n.6.* Quippè nemo de-
bet ſibi honorem aſſumere, &c. *& cap. Qualiter ſuprà de
elect.* & ex hoc quilibet reddit ſe ſuſpectum, *l. Quæ omnia,
ff. de Procur. & l. Si quemquam, C. de Epiſcop. & Cleric.* ſe-
cundùm Hoſt. *hìc num.2.* Qui propriè dicantur intruſi, &
quot ſint illorum ſpecies, dixi *in cap. Niſi cum pridem à num.
26. ſuprà de renunt.*

4 Tertiò nota ibi, *Sicut & poſt*, paria eſſe adminiſtrationi
ſe intrudere ante obtentam confirmationem, & poſt con-
5 firmationem caſſatam. Et meritò, quia caſſatio hujuſmo-
di deducit rem de eſſe ad non eſſe; & perindè eſt ac ſi con-
firmatio non præceſſiſſet, *l. Si pro parte, §. Verſum, ff. de in
rem verſ. cap. Cum acceſſiſſent ſuprà de conſt.* Unde ex utro-
que vitio pariter quis redditur ineligibilis, ut hìc patet, &
notant Hoſt. *n.2.* Butr. *n.5.* & Imol. *n.8.*

6 Quartò nota ibi, *Poſt confirmationem caſſatam*, argu-
mentum optimum, quòd poſt confirmationem, de cujus
viribus in judicio diſceptatur, poteſt quis liberè adminiſtra-
re. Quod efficaciter hìc probatur per argumentum à con-
trario ſenſu. Nam cùm textus dicat non licere ſe admini-
ſtrationi ingerere poſt confirmationem caſſatam: ergo à
contrario priùs quàm caſſata fuerit, & ſic etiam ſi de illa di-
ſceptetur in judicio, benè licebit ſe ingerere. Hoc tamen
intelligunt, & declarant Doctores, ut locum habeat, quando
à confirmatione non extitit appellatum; quia tunc ſi admi-
niſtrat, & eſt in poſſeſſione, removeri non poteſt niſi per
viam denuntiationis, vel accuſationis. Facit quod habetur
*in cap. Conſtitutus ſuprà de appellat. & in c. Accedens infrà
de accuſat.* Secus ſi à confirmatione appellatum fuerit;
quia tunc appellatione pendente adminiſtrare non debet,
cùm per eam confirmatio ſit extincta. Ita declarat gloſſ. *in
cap. Avaritiæ, in ver. Confirmatur, de elect. lib.6.* dicens
ita fuiſſe olim diſputatum, & terminatum Bononiæ, per *l.
Reus, §. Eum contra quem, ff. de muner. & honor.* & ſe-
quuntur hìc Petr. de Anchar. *in 2. not.* Imol. *n.8.* & Joan.
de Anan. *n.3.*

Quintò nota ibi, *Plures alias Dignitates, atque Præben- 7
das*, ſolam pluralitatem Præbendarum non eſſe de jure
prohibitam, cùm textus requirat utrumque copulativè;
ſed an hoc ſit verum, latiùs examinabitur infrà *in 1. quæ-
ſtione.*

Sextò nota ibi, *Aut aliquid aliud promiſſorum*, ex plu- 8
ribus in reſcripto copulativè narratis aut in judicium de-
ductis, ſufficere unum probare, ſi quodlibet per ſe ſufficiat
ad fundandam intentionem impetrantis, vel ad victoriam
cauſæ, ut hìc eſt caſus, ſecundùm omnes in ſummario tex-
tus, & notant Hoſtien. *num.7.* Joan. Andr. *num.4.* Butr. *n.6.*
Cardin. *n.4.* Anchar. *n.3.* Imol. *num.9.* & Joan. de Anan.
num.4. Et eſt theorica gloſſ. 1. *in c.2.* & ibi DD. *ſuprà de re-
ſcript.* & vide quæ leguntur, & notantur *in cap. Olim eodem
tit. & in cap. Exhibita, de judic.* Hoc tamen intelligas, niſi 9
quis ſe aſtrinxerit ad omnia probanda, per ea, quæ habentur
in c. Licèt ſuprà de probat. ſecundùm Anchar. Imol. & Joan.
de Anan. quod in dubio non præſumitur, ut notatur *in d.c.
Licet*, & per Bart. *in l. Divus n.5. ff. de re judic.* & Anchar.
d.n.3. Cautela eſt, ut in poſitionibus, vel in articulis ap- 10
ponatur clauſula, non ſe tamen aſtringere volens ad omnia
probanda; prout faciunt practici Advocati, ut in forma
Capitulorum Actoris, quam ponit Joan. Petr. de Ferrar. Pa-
pien. *in ſua Pract. fol. 138.* & notat Bart. *ubi ſuprà n.6.* De
qua clauſula vide per Alex. *conſ.6. Circa proceſſum n.7. vol.3.*
Marſil. *in rubr. C. de probat. n. 598.* Dec. *in cap. col. penult.
verſ. Quinto ſuprà de reſcript.* & Marant. *in Specul. in ſecun-
do membro Judicii n.11.*

Ultimò nota ex fine litteræ, ex ſimplici tolerantia Papæ 11
non induci tacitam diſpenſationem in his, quæ ſunt con-
tra jus, arg. *c. Super eo infrà de cognat. ſpirit. & c. Mulieri
ſuprà de jurejur.* Quia multa per patientiam tolerantur, quæ
ſi deducta fuerint in judicium, exigente juſtitia tolerari
non debent, ut hìc in text. qui quotidiè ad hoc conſuevit
allegari, & firmant gloſſ *ult.* Butr. *num.7.* Imol. *num.11.* &
Abb. *n.5.* Sed in contrarium ſecundùm Hoſt. *n.8* videtur 12
text. *in l.1. §. Scientiam ff. de tribut. act.* ubi cavetur, ut ſi do-
minus ſciat, & toleret ſervum contrahere in merce peculia-
ri, & non proteſtetur in contrarium, cùm poſſit, conſenti-
re videatur. Facit text. *in l. Sed ſi pupillus, §. de quo palam, ff.
de inſtit. act.* Idem ergo dicendum in Papa, ut ſi ſciat, &
toleret, videatur conſentire, & tacitè diſpenſare, ex quo po-
teſt reſiſtere, ne dicamus eum præbere aſſenſum peccatis,
cap. Quapropter 2. quæſt.7. & quod notatur *in cap. Is qui ta-
cet, de regul. jur. lib.6.* ſolvit Hoſt. ſub diſtinctione, videlicet
quòd in præteritum, & quoad ea, quæ concernunt animas
ſubdictorum, ex tolerantia Papæ inducatur tacita diſpenſa-
tio, ſeu permiſſio, ne animæ illaqueentur. Secus verò quo-
ad promotum indignè, ſeu illegitimè; quia reſpectu illius
diſpenſatio, ſeu permiſſio non inducitur. Ratio differentiæ
eſt, quia in ſubditis non deficit fides, licèt deficiat Sacra-
mentum. Facit *c. Veniens infrà de Presbyt. non baptizat.*
de quo per gloſſ. *in cap. Dudum, il ſecondo ſuprà de electión.*
quaſi velit Hoſtien. ut quoad ipſum pluralem patientia Pa-
pæ non operetur, ut per hoc juſtè teneat: ad hoc enim
non ſufficit ſola patientia, ſed exigitur diſpenſatio expreſſa,
& in hoc caſu loquitur hìc textus. Sed quantum ad ſubdi-
tos, ut ipſi juſtè ab eodem plurali Sacramenta recipiant
ex tolerantia Papæ, benè inducitur tacita diſpenſatio,
ſeu

ſeu permiſſio, quia putant eum juſtè tenere, & ſic in eis non
deficit fides. Quam diſtinctionem ſequuntur hìc Jo Andr.
& Butr. ambo *in fin.* Imol. *n.* 12. & Abb. *n.* 10. Reſpectu ſub-
ditorum, an geſta à Prælato putativo ſuſtineantur propter
communem reputationem, itaut ſubditi ab ipſo licitè Sa-
cramenta percipiant, eſt materia *l. Barbarius, ff. de offic.
Prætor.* de qua vide per Canoniſtas *in cap. Nihil, ſuprà de
elect.* & quod plenè ſcripſi *in cap. Quod Prædeceſſore à
n. 129. infrà de ſchiſmat.* Deſcendo ad quæſtiones.

13 Et primò QUÆRO, an pluralitas Præbendarum, ſeu
beneficiorum ſimplicium de jure communi ſit prohibita,
necne?

Hæc quæſtio ardua eſt, & difficilis ob diverſitatem Ju-
rium, & opinionum inter primarios Canoniſtas. Ego pro
faciliori ſolutione primò referam ſingulorum opiniones,
earumque fundamenta; deindè ſubjiciam quid hodiè te-
nendum ſit, conjungendo jus commune cum jure noviſ-
ſimo Concilii Tridentini. Ex opinionibus duæ, videlicet
prima, & ſecunda, ſunt principales, & invicem oppoſitæ:
reliquæ ſeptem ſunt mediæ, & diſtinguentes: decima &
ultima, principales opiniones conciliant.

14 Prima igitur, & principalis opinio fuit Innoc. *hìc nu.* 2.
verſ. Tu autem dic, quòd ſcilicet abſque diſpenſatione quis
poſſit eſſe Canonicus, & Prebendatus in pluribus Eccleſiis,
15 etiam diverſorum Epiſcopatuum. Pro qua allegatur primò
hæc Decretalis in illis verbis, *Plures alias dignitates, atque
præbendas*, quæ probant ex ſola pluralitate præbendarum
quem non reddi ineligibilem, cùm textus non loquatur al-
ternaitvè per dictionem, *Vel*, ſed requirat pluralitatem
Dignitatum, & præbendarum copulativè, per illam dictio-
nem, *Atque*. Et ita eſt hìc argumentum expreſſum, quòd
ſola pluralitas Præbendarum, & Canonicatum non im-
probatur a jure. Deindè allegatur *cap. De multa infrà eod.*
ubi Papa in Concilio Generali fecit ſpecialem prohibitio-
nem in Curatis, Dignitatibus, & Perſonatibus: ergo de
aliis videtur pluralitatem tacitè conceſſiſſe, *cap. Nonne, de
præſumpt. l. Cùm Prætor, ff. de judic* Nam ſi idem de prebben-
dis intellexiſſet, ſicut Dignitates, & Curata excepit, pariter
& præbendas excepiſſet, *c. Ad audientiam, de decim. cum
16 ſuis concor.* Tertiò, pro hac opinione allegantur plura jura,
quæ videntur pluralitatem permittere, nempè, *c. Dilectus,
ſuprà de reſcript.* ubi ille Joannes Saracenus in tribus Epi-
ſcopatibus retinebat beneficia, *c. Ex inſinuatione ſuprà de
Procurat. c. Eccleſia, il 2. de elect. & c. Officii, infra de ſent.
excommun.* ubi in eadem perſona jus habent diverſi Prelati,
quod non poteſt facilè contingere niſi ratione diverſorum
beneficiorum, ad idem *cap. Relatum, il 2 infrà de teſtam. &
c. fin. de religioſ. domib.* ubi hujuſmodi pluralitas ſpecialiter
17 prohibetur Religioſis: Ergo ſæcularibus videtur permiſſa
d. l. Cùm Prætor. Quartò, allegat Innoc. *in c. Cùm Eccleſia-
ſticæ ſuprà de except.* ubi hoc videtur expreſſum. Demùm
huic opinioni ſuffragatur generalis cõſuetudo plura ſimpli-
cia obtinendi, quàm Papa ſcit, & tolerat. Nam conſuetudo
talis cum patientia Superioris facit jus, *ut l. De quibus, ff. de
leg.* Multi enim damnarentur, ſi contrarium diceremus, &
ſanguinem elicit, qui nimium emungit, *cap. Denique, §. De
ipſæ, 4. diſt.* de qua conſuetudine atteſtantur hìc poſt Inno-
cen. *n.* 1. Hoſtien, & Joann. Andr ambo *n.* 3. Card. *n.* 11.
Anchar. *num.* 6. & plerique alii, Hoſtien. *in c. Litteras nu.* 4.
verſ. Item generaliter infrà de conceſſ. præb. Herinc. Boich.
in cap. De multa nu. 5. *in fin. infrà eod.* & S. Tom. *quodlib.* 9.
ar. 15. *verſ. Sed contra eſt, & in corp.* Non obſtant jura,
quæ prohibent pluralitatem Præbendarum, nempè *c. San-
ctorum 70. diſt. cap. Epiſcopi* 80. *diſt. & c. Presbyteros* 16. *q.* 1.
cum multis ſimilib. quoniam ex non multorum ſententia
loquuntur ſecundùm antiqua tempora. Vel ſecundùm
Innocen. intelligi debent de pluralitate, quæ ſonat in
vitium, & ex qua notatur ambitio, & avaritia illorum,
qui non propter honorem Dei, nec propter utilitatem Ec-
cleſiarum plura beneficia obtinent, ſed propter fructus
dumtaxat, quos cum tali intentione neque de jure com-
muni, neque ex diſpoſitione poſſunt licitè retinere. Non
obſtat, quòd pluralis in diverſis Epiſcopatibus non poterit
duobus Prælatis parere diverſa præcipientibus. Quoniam
ut reſpondet Innocent. obediet primo; quia ſecundus vi-
detur eum ſub illa conditione elegiſſe, ut primo ſemper
obtemperet, argum. *leg. in operis, ff. locat.* niſi fortè ſe-
cunda Eccleſia multùm egeret ejus ſervitio, & prima mo-
dicùm, aut nihil, aut eſſet periculum in mora; quia tùnc
ſecundo patebit. Et huic opinioni adhæret hìc Abb An-
tiq. cum ſuo Magiſtro Petro de Sampſone, eamque dicit
veriorem eſſe Cardin. *n.* 11.

Secunda principalis opinio primę oppoſita, fuit Hoſtien. 18
hìc nu. 6. qui poteſt Vincen. & Goffred. reprobans primam
opinionem Innocentii, dicit illius rationes eſſe ſatis debi-
les, & facilè poſſe omnibus reſponderi, nullaque adhibi-
ta diſtinctione firmat non poſſe quem habere duas præben-
das intitulatas, niſi hoc habeat ab illo, qui omnia poteſt,
cap. Propoſuit, de conceſſ Præbend. & ita ipſe notat *in cap.
Super inordinata, num.* 1. *in verſ. Eccleſiis, & n. ſeq. infrà
eod.* Quod fuſiùs proſequitur *in cap. Litteras num.* 5. *infrà
de conceſſ. præben.* Movetur Hoſtien. *per d. cap Sanctorum,
70. diſt.* ubi etiam ex diſpenſatione Epiſcopi non poteſt
quis eſſe Canonicus Præbendarius in diverſis Eccleſiis.
Item per *d. cap. Super inordinata*; ubi dicit eſſe caſum ex-
preſſè, quòd nullus poteſt habere plures præbendas, quod
etiam innuitur *in cap. de Inſtitut. & in cap. de multa, §.
Et ſi ultra, infrà eod* Ad idem *cap. Epiſcopi, 80. diſt. cap.
Præsbyteros, 16. quæſt.* 1. *cap. Cùm non ignores ſupra eod.
& d. cap. Litteras.* Rurſus movetur, quia Canonici vi- 19
dentur adſtricti ad perſonalem reſidentiam, *ut cap. Conque-
rente, & cap. penult. ſupra de Cler. non reſid. & cap. Extir-
pandæ, § Qui verò, infrà eod.* ubi reſidentia in Præbenda 20
prævalet reſidentiæ in Parochiali Item ſingulæ præbendæ
videntur requirere ſingulos actus, & miniſtros, *c. Singula,
89. diſt. & c. Ad hæc, ſupra eodem.* Unde quemadmodum
in caſtro requirente duodecim cuſtodes, non poſſet unus
occupare locum duorum; ita nec in Præbendis, ut in
Auth. Ut Cler. qui rec. collat. 5. Nec obſtant jura in contra-
rium adducta pro prima opinione, *n.* 16. quæ videntur per-
mittere pluralitatem. Quoniam ſecundùm Hoſt. narrativè
loquuntur, & notant facti contingentiam, non juris diſpo-
ſitionem. Vel intelliguntur, quando diſpenſatio interceſſit.
Et ad hunc textum reſpondet exponendo dictionem *At-* 21
que, pro *Vel*, argumento eorum, quæ habentur *in c. Cùm
teneamur, & cap. Cùm non ignores, ſupra eodem*, juncta
l. Sæpe, ff. de verb. ſignif.

Hæc opinio Hoſtien. mihi videtur de jure verior: quod
ſic probo. Ex diſpoſitione antiquorum Canonum plurali-
tas præbendarum abſque dubio erat inhibita, ut ſunt jura
clara *d. c. Sanctorum, 70. diſt.* cum aliis ſupra citatis *n.* 18.
Regulæ igitur, & antiquo juri ſtandum eſt, niſi in quan-
tum reperitur receſſum, ut notat gloſſa *in c. Conſtitutionem,
in ver. Prorogamus, ad finem de regul. lib.* 6. & Jo. Andr. *in c.
Quæ à jure, de reg. jur, eod. lib.* Qui vero affirmant antiqua 22
jura eſſe correcta, fundantur tantummodò *in d. c. De mul-
ta, infrà eod.* & in hac Decretali. Quæ tamen jura ſi ſedulò
expendantur, nullatenùs corrigunt jus antiquum: nam
Conſtitutio *De multa*, ſolùm diſponit, ut recipiens ſecun-
dum beneficium Curatum ipſo jure ſit privatus primo, & ſi
utrumque contenderit retinere, etiam ſecundo ſpolietur.
Et idem ſtatuit de Dignitatibus, & Perſonatibus; & ità ibi
eſt caſus ſecundum omnes. Hanc autem pœnam fateor non
eſſe extendendam ad præbendas, & beneficia ſimplicia, ſed
habere locum dumtaxat in Curatis, & Dignitatibus, in qui-
bus illa Conſtitutio inducit jus novum, ut probat Cardin.
conſ. 3. incipien. *Circa elucidationem, n.* 2 & ita illa diſpoſi-
tio ſpecialis eſt quoad pœnam ibi ſtatutam. Ergo in reli-
quis, & ſic quoad incompatibilitatem præbendarum, &
beneficiorum ſimplicium, jura antiqua manent in ſuo ro-
bore, ut per Cardin. *loc. cit.* Nam quod non mutatur, cur
ſtare prohibetur? *leg. Sancimus, C. de teſtam.* Facit *c. Cùm
expediat, de elect. l.* 6. Hæc autem Decretalis in illis verbis, 23
Plures alias dignitates, atque Præbendas, omninò intel-
ligi debet disjunctivè, ut ſi copula *Atque*, reſolvatur in
disjunctivam *Vel*. Quod efficaciter ſic probo. Sola plura-
litas Dignitatum ſine Præbendis facit quem ineligibilem,
ut hìc, *& in c. Dudum, il 2. §. penult. ſuprà de elect.* & hìc
notant Hoſtien. *in princ. in ver. Multitudo Dignitatum*,
Jo. Andr. *n.* 2 & reliqui omnes. Ergo ſimiliter facit quem
ineligibilem ſola pluralitas prebendarum ſine dignitatibus,
& ſic reſpectu utriuſque termini textus intelligitur disjun-
ctivè: abſonum enim eſſet, ut eadem dictio, *Atque*, reſpectu
unius determinabilis, ſcilicet dignitatum, ſtaret copula-
tivè, & reſpectu alterius, ſcilicet præbendarum, ſtaret al-
ternativè, *l. Jam hoc jure, §. Sed ſi*, & ibi Bart. *nu.* 1. *ff. de
vulg. & pupil.* cum concordan.

Tertia fuit opinio, quòd in pluribus Eccleſiis poſſit 24

quis eſſe Præbendatus,ſed non Canonicus, per *d. cap. Sanctorum 70. diſt.* ubi videtur littera prohibere,ne quis intitu-letur in pluribus Eccleſiis; & ſic non videtur prohibere, ne quis habeat plures præbendas.Unde talis erit Canonicus in prima Eccleſia, & habebit præbendam in titulum; in ſecunda habebit præbendam in ſtipendium, ſed non habebit ibi Canonicatum, & ſecundum hoc ſervabit ſtatuta primæ Eccleſiæ, & electioni illic celebrandæ intererit,& à Diœceſano illius Eccleſiæ ordinabitur, & judicabitur; quaſi cenſeatur ſortiri domicilium,ubi primò eſt Canonicus,non ubi ſecundò habet præbendam. Poterit tamen ratione ipſius præbendæ, in loco ubi eſt ſita, conveniri, per ea quæ habentur *in c. fin. de foro compet.* Et circa hanc tertiam opinionem vide quod tangit Henric. Boich. *in d. c. De multa n. 4. in fin. verſ. Et tunc aut unum eſt intitulatum.*

25 Quarta fuit opinio præcedenti oppoſita,quòd quis poſſit eſſe Canonicus in pluribus Eccleſiis,ſed non Præbendatus, quam poſuit Innoc. *in cap. fin. ſup. de Cleric. non reſid.* reddens rationem diverſitatis; quia in pluralitate præbendarum notatur avaritia, & ambitio, quæ ſunt cauſæ, cur pluralitas ſit prohibita, ut hìc probatur: ſed in pluralitate Canonicatuum verſatur utilitas Eccleſiæ, cui expedit plures habere conſiliarios, arg. *c. Prudentiam, de offic. deleg.*

Quinta fuit opinio, quòd ſi in plures præbendas non poteſt notari ambitio, vel avaritia, ut quia ad illas non promovetur propter utilitatem propriam, aut favorem perſonæ, ſed propter utilitatem Eccleſiæ; & honorem Dei, ut quia eſt induſtrioſus, & meliùs novit gubernare quatuor beneficia,quàm alter unum: tunc talis pluralitas cenſeatur permiſſa; ſecùs ſi fiat propter favorem perſonæ, & ſic notari poſſit avaritia, vel ambitio: quia tunc pluralitas eſt inhibita: & hanc opinionem tetigit Innoc. *hìc circa finem magnæ gloſſæ ſub n. 3. verſ. Quod enim.*

26 Sexta opinio fuit, quòd effrænata Præbendarum multitudo duntaxat ſit prohibita, veluti ſi quis obtinere velit octo, vel decem præbendas; & in hoc caſu intelligunt *d. c. Sanctorum 70. diſt.* Secus ſi non eſſet effrænata,ut quia non vult habere niſi duas, ut exemplificant Butr. *num. 10. verſ. Sexta fuit opinio*, & Imol. *nu. 14. verſ. Quinta fuit opinio*, vel tres, ſecundùm Abb *num. 6. verſ. Secunda opinio*; tunc enim hujuſmodi pluralitas non prohibetur, ut hìc, & pro hac diſtinctione facit quod habetur *in cap. Quia in tantum ſup. eod.* & hanc opinionem ſequitur Butr. *d. num. 10. verſ. Videte.*

27 Septima fuit opinio, quod in Præbendis perſonalem reſidentiam requirentibus pluralitas ſit inhibita; ſunt enim incompatibiles propter onus reſidentiæ, *cap. penult. ſuprà de Cleric. non reſid.* & hoc eſt ſecundùm mentem juris: nam quodlibet beneficium creatur propter officium, ut *c. fin. de reſcript. lib. 6.* & in hoc primo membro conveniunt hìc Innocen. *n. 4.* Butr. *n. 10. circa fin. verſ. Modica item*, Cardin. *nu. 11.* Abb. *num. 7. verſ. Circa primum*, & reliqui omnes, Hoſt. *in locis ſupracitatis in 2. opinione*, Lap. *allegat. 36. 99. & 117.* Rota *deciſ. 497 n. 7. p. 1. recent.* Secus ſi reſidentiam non requirant: quia tunc videtur ceſſare ratio *c. Quia nonnulli, & c. Relatum ſupra de Cleric. non reſiden.* & hanc amplectitur Innoc. *d. n. 4.*

Octava opinio fuit,quòd aut una præbenda, ſeu beneficium ſimplex ſufficiens eſt ad congruam Clerici ſuſtentationem, & non licet obtinere plura beneficia propter utilitatem propriam, imò eſt peccatum mortale, cùm ſit ibi vitium ambitionis, & avaritiæ, ut occupentur ſtipendia aliorum pauperum, ut notat gloſſ. *in cap. Dudum, il 2. in verb. Intitulatam, de elect.* quæ concludit, ſi primum beneficium ſit ſufficiens,non poſſe obtineri ſecundum,niſi diſpenſativè; & ita etiam poſt intelligi *d. c. Sanctorum 70. diſt.* ubi cavetur,ne quis poſſit eſſe Prebendatus,& Canonicus in diverſis Eccleſiis. Aut unum ſimplex beneficium per ſe non ſufficit,& licet tenere plura uſque ad congruam ſuſtentationem; & ſic poſſunt intelligi *c. Gratia, de reſcript. lib. 6. & Clem. Gratiæ eod. tit. & cap. Cùm teneamur à contrario ſuprà eodem.* Et hanc opinionem tenet gloſſ. *præallegat.* Imol. *hìc n. 14. verſ. Unde videtur dicendum* & Abb. *n. 8.*

Nona opinio diſtinguitur, an quis habeat plures præbendas in titulum, an verò unam in titulum, aliam in commendam, ut primo caſu inhibita ſit pluralitas, in ſecundo autem non, per text. *in cap. Qui plures 21. q. 1. & in c. Dudum, il 2. §. Inſuper*, & ibi gloſſ. *in ver. Intitulatam, verſ. Item ſi habet ſuprà de elect.* & facit quod habetur *in c. Nemo, de elect. lib. 6.* ut hìc per Butr. *nu. 10. verſ. Si verò non requirunt*, & Imol. *n. 14. in eod. verſ.*

Decima, & ultima opinio fuit Cardin. *hìc num. 11.* qui dixit dupliciter quæri poſſe, an multitudo beneficiorum ſimplicium ſit permiſſa. Primo modo ut quæramus, an plura talia ſint incompatibilia in foro externo, adeòut per aſſecutionem pacificam ſecundi vacet primum ipſo jure, vel ſaltem liceat Ordinario obtinentem privare primo, vel ſecundo. Alio modo quæri poteſt, an ejuſmodi pluralitas ſit prohibita in foro animæ, itaut ſit peccatum plura obtinere. Primo modo dicit veram eſſe opinionem Innocentii tam de jure,quàm de conſuetudine: nam beneficia incompatibilia modo prædicto dicuntur tantùm in ſequentibus caſibus, videlicet, ſi ſunt duo Curata, vel Dignitates, vel Perſonatus, vel aliquod iſtorum cum altero, ut *c. 1. de conſuetud. lib. 6.* vel plura ſimplicia reſidentiam requirentia,ut *cap. fin.* cum ibi not. *ſuprà de Cler. non reſid.* vel plures Canonicatus in ead. Eccleſia, *c. Litteras infrà de conceſſ. præb.* prout hæc notantur *in Clem. Gratiæ,* in gloſſ. *in ver. Beneficium, de reſcript.* Quoad ſecundum modum quærendi,cum 29
inſpecto ſtatu beneficiorum originario beneficia conſtitui non debeant, niſi ſufficientia ad congruam Clerici ſuſtentationem, *c. Ut quiſque ſuprà de vita, & honeſt. Cler.* hinc fit, ut abſque peccato non liceat habere plura talia ſine diſpenſatione; & ſic loquitur text. *in c. Cùm non ignores ſup. eod. cum ſimilib.* & ſecundùm hoc procedit opinio Hoſt. 30
Subdit tamen Cardin. hoc ultimo caſu evitari peccatum, ſi quis obtineat plura talia propter generalem conſuetudinem, quæ poteſt de illicito facere licitum, & è converſo, *cap. Cùm olim, de Cleric. conjugat.* Sed attento ſtatu hodierno beneficiorum, cùm reperiantur ſæpè beneficia ſimplicia inſufficientia, ſecundùm eum non eſt peccatum propter hujuſmodi generalem conſuetudinem, ita tamen ut abſit avaritia. Tandem remittit ad ea, quæ latiùs dixit in præalleg. *Clemen. Gratiæ*, in hoc ſecundo diſtinctionis membro. Tu recurre ad S. Th. *quodlib. 9. art. 5.* ubi egregiè explicat, an habere præbendas ſine cura animarum abſque diſpenſatione ſit peccatum mortale, & an excuſet conſuetudo. Et vide eundem *quodlib. 8. art. 13.* & quod in propoſito ſcripſi *in d. Dudum, il 2. ſuprà de elect.*

Quid tenendum? Hodiè tam ingens controverſia ex omni parte ſublata ex Decretis Concil. Trident. & præſertim ex *cap. 17. ſeſſ. 24.* cujus hæc ſunt verba, *Cùm Eccleſiaſticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum, ſanctè ſacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Eccleſiis conſcribi verùm quoniam multi improbæ cupiditatis affectu ſeipſos, non Deum decipientes, ea quæ benè conſtituta ſunt, variis artibus eludere, & plura ſimul beneficia obtinere, non erubeſcunt; S. Synodus debitam regendis Eccleſiis diſciplinam reſtituere cupiens, præſenti Decreto, quod in quibuſcumque perſonis quocumque titulo, etiamſi Cardinalatus honore fulgeant, mandat obſervari, ſtatuit, ut in poſterum unum tantum beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur. Quod quidem ſi ad vitam ejus, cui confertur, honeſtè ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri.* Hæc ibi. Ponderanda ſunt ſingula verba, quæ videntur ſtudioſè appoſita propter diſſidentes antiquorum opiniones. Et quidem in illis verbis, *Sanctè Sacris Canonibus cautum fuit*: necnon in verbis, *Reſtituere cupiens*, Concilium indicavit ſe velle innovare, & in uſum reſtituere antiquos Canones ſuper pluralitate beneficiorum, qui habentur *in c. 1. & 2. 21. qu. 1. in c. Unio, §. Sed & hoc, 10. qu. 3 in cap. Sanctorum 70. diſt.* cum aliis ſupracitatis *nu. 18.* Sed quia Canones illi videbantur abrogati, vel per jura poſteriora, vel per contrariam conſuetudinem, quæ ubique vigebat, ut dictum eſt ſuprà *nu. 17. & n. 30.* præterea S. Synodus utitur verbis illis, *Statuit, ut in poſterum*, quæ jus novum inducunt, ut notat gloſſ. *in Clem. Eos, in ver. Deinceps, de Regular.* & eſt commune dictum, ut inquit Cardin. *conſ. 3. num. 2.* & ſic tollitur fundamentum, quod Innoc. & alii conſtituebant ſuper generali conſuetudine. Deinde in illis verbis, *Unum tantum beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur*, necnon in illis verbis, *Aliud ſimplex*, Concilium ſuſtulit primam opinionem Innocentii, & approbavit ſecundã Hoſt. qui ſenſit indiſtinctè non licere cuiquam abſque diſpenſatione Papæ obtinere plures præbendas, vel beneficia ſimplicia. Nam de his etiam ſimplicibus Concilium loquitur, ut probat illa dictio, 32

Aliud,

Aliud, quę eſt repetitiva ſimilium, *Clem 2. de celebrat. Miſſar.* gloſſ. *in l. Si fugitivi, in ver. Alia pœna*, & ibi Bal. Angel. & Paul. de Caſtr. & Salyc. *C. de ſerv. fugit.* Præterea in
33 iiſdem verbis ſublata fuit ſexta opinio illorum, qui dicebant ſolùm effrænatam beneficiorum multitudinem eſſe prohibitam: nam Concilium conſtituit regulam, ut unum tantùm beneficium ſingulis conferatur, & permittit ſecundum in eo tantùm caſu, in quo primum eſt inſufficiens, atque ita ex Concilio beneficia ſunt incompatibilia, etiamſi ſint duo tantùm, & non plura. Rurſus dum Concilium dixit, *Hoc decretum locum habeat in quibuſcumque perſonis, etiamſi Cardinalatus honore fulgeant*, non admiſit quintam opinionem eorum, qui pluralitatem admittebant, ſi perſona eſſet induſtrioſa, & quæ præ aliis ſciret Eccleſiam regere, licèt hæc poſſit eſſe juſta cauſa obtinendi Apoſtolicam diſpenſationem, ſecundùm ea quæ habentur, & notantur *in c. De multa, §. Circa ſublimes, infrà eodem.* Ad hæc in verbis ſequen-
34 tibus, *Dummodò utrumque perſonalem reſidentiam non requirat*, correxit tertiam, & quartam opinionem eorum, qui dicebant poſſe aliquem in pluribus Eccleſiis eſſe præbendatum, & non Canonicum, vel è converſo Canonicum, & non Præbendatum: hodiè enim tam Canonicatus, quàm præbendæ, ſeu portiones in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis perſonalem reſidentiam requirunt ex alio ejuſdem Concilii Decreto, nempè ex *cap.* 12 *ſeſſ.* 24. & conſequenter ſunt incompatibiles ex *dict. c.* 17. ut decidit Rota *dec.* 497. *n.* 1. *par.* 1. *recent.* Unde etiam patet Concilium hoc loco approbaſſe primum membrum ſeptimæ opinionis quoad prohibitam pluralitatem beneficiorum perſonalem
35 reſidentiam requirentium. Ampliùs in illis verbis, *Si ad vitam honeſtè ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens eidem conferre*, ſimiliter approbavit primum membrum octavæ opinionis, & permiſit pluralitatem beneficiorum ſimplicium perſonalem reſidentiam non requirentium in eo caſu, quo primum eſt inſufficiens, non tamen permiſit poſſe conferri ultra duo, quia dixit, *Aliud, &c.* & ſic ſecundum, & non plura. Unde etiam improbavit illorum ſententiam, qui exemplificabant multitudinem non effrænatam in tribus beneficiis, ut dictum eſt in ſexta opinione. Demùm jungendo hoc decre-
36 tum *cap.* 17. *ſeſſ.* 24. cum decreto *cap* 4. *ſeſſ.* 7. Concilium ſuſtulit duas ultimas opiniones Primò enim dum *in cap.* 17. ſtatuit, ut ſecundum beneficium ſimplex ſit incompatibile, ſi primum ſit ſufficiens, *& in dict. cap.* 4. impoſuit pœnam obtinentibus plura incompatibilia, ſive in titulum, ſive in Commendam: utique correxit *cap. Dudum, il* 2. *de elect.* & improbavit nonam opinionem eorum, qui dixerunt unam præbendam poſſe obtineri in titulum, & aliam in Commendam: nam ex *d. cap.* 4. nec in titulum, nec in Commendam licet obtinere plura incompatibilia, qualia ſunt ex *cap.* 17. duo beneficia ſimplicia, quando pri-
37 mum eſt ſufficiens. Deindè dum *in dict. cap* 4. ampliavit diſpoſitionem Decretalis, *De multa*, ad beneficia incompatibilia ex quovis capite, & in præced. *cap.* 17. voluit primum beneficium ſufficiens eſſe incompatibile cum ſecundo, reprobavit decimam opinionem Cardinalis, qui ad ſententias conciliandas dixit duas præbendas eſſe incompatibiles quoad peccatum, & in foro animæ: non autem quoad incurrendam pœnam privationis in foro judiciali; nam hodiè cùm ſecundum beneficium ſimplex ſit incompatibile cum primo ſufficienti ex *dict. cap.* 17. ſequitur, ut obtinens ſecundum, perdat primum ipſo jure, & per retentionem amborum ſit privatus utroque ex *dict. cap.* 4. quod extendit pœnam *cap. de multa*, ad beneficia qualitercumque incompatibilia, ut plenè ſcripſi in præd. Decretali *in* 1. *not. num.* 3 Atque ita prohibetur incompatibilitas non ſolùm in foro animæ, & quoad peccatum, ut patet *in d. c.* 17. ibi, *Seipſos non Deum decipientes*, quod Cardin. fatetur: ſed etiam in foro externo, & quoad pœnam, quod Cardin. negat.

38 Quibus ita conſtitutis, jungendo jus commune cum decretis Concilii, & declarationibus Sac. Congregationis, cùm quæritur, an plura beneficia ſint hodiè incompatibilia? pro ſolutione quæſtionis ſic diſtingue: Aut quæris de beneficiis perſonalem reſidentiam requirentibus, aut de aliis beneficiis, quæ talem reſidentiam non requirunt. Primo caſu conclude plura beneficia eſſe incompatibilia tam de jure communi ex unanimi DD. ſententia, ut dictum eſt ſup. in ſeptima opinione, quàm ex Conc Trid. *in d. c.* 17. ſive hujuſmodi reſidentiam requirant ratione curæ animarum, ſive ratione ſervitii. Qua de re multæ declarationes fuerunt 39
editæ a S. Congregatione. Et primò ratione reſidentiæ propter curam animarum incompatibiles ſunt duæ Parochiales. Item Parochialis cum Baptiſmali, & ſimiliter beneficium, cui injunctum ſit onus coadjuvandi in curam animarum. Item is, qui habet Rectoratum, ſi curam exerceat per Vicarium amovibilem, poteſt Parochialem obtinere ſiquidem amovibilitàs indicat curam reſidere penes Rectorem: 40
ſecus ſi cura exerceri ſolita eſſet per Vicarium perpetuum, itaut eo renuente Rector curam non poſſet exercere. Et 41
cùm fuiſſet quæſitum, an caſu quo cura unita eſt alicui Eccleſiæ ex altera dependenti, itaut ei per Vicarium perpetuum deſerviatur, juxta terminos *c. Extirpandæ. §. Qui verò de præb.* reſultet ratione curæ animarum incompatibilitas talis Eccleſiæ cum alia Parochiali? Reſponſum eſt negativè, ut etiam per gloſſ. *in cap. Eam te, de ætat. & qualit. in verb. Pendeat.* Ratione reſidentiæ propter ſervitium ex 42
Concilio inſurgit incompatibilitas non ſolum in Parochialibus, & Curatis, ſed etiam in beneficio Curato, & Canonicatu, & in pluribus Canonicatibus tam Cathedralium, quàm Collegiatarum Eccleſiarum, cùm perſonalem reſidentiam requirant propter ſervitium, *ut in c.* 12. *ſeſſ.* 24. licèt de jure communi hoc eſſet controverſum, ut patet ex opinionibus ſuprà relatis. Item ex Congregatione incompatibilis eſt præbenda Theologalis erecta per unionem aliquot ſimplicium beneficiorum cum Parochiali, vel Canonicatu. Idemque dicendum de pluribus Monaſteriis, ſeu Capellaniis ſervitium perſonale, ſeu reſidentiam requirentibus propter divini Officii celebrationem. Verumtamen ex Congregatione ſervitium Eccleſiæ receptitiæ, pro quo non levantur Bullæ, nec ulla fit inſtitutio, ſeu confirmatio, ſed Presbyteri tenentur ſolùm ad Miſſas, & Horas Canonicas, deque præſtimoniis participant pro rata ſervitii, circumſcriptis Eccleſiæ ſtatutis, non eſt incompatibile cum Parochiali communi pluribus uti pluribus, habente onus celebrandi ternis hebdomadis; ideòque illam obtinens, ubi ſatisfecerit dictis oneribus Miſſarum, poteſt inſervire dictæ Eccleſiæ receptitiæ.

Secundo caſu, ideſt cùm beneficia perſonalem reſidentiam non requirunt, eò quòd jus commune inducens reſidentiam in omnibus beneficiis, ſecundum ea quæ leguntur & notantur *in c. Conquerente ſup. de Cleric. non reſiden.* abrogatum fuerit ex generali conſuetudine, ut notatum eſt ſuprà in prima opinione *n.* 17. iterùm ſic diſtingue: Aut primum beneficium eſt ſufficiens ad congruam ſuſtentationem Beneficiati, & non poteſt haberi ſecundum, ex *d. c.* 17. *ſeſſ.* 24. etiamſi ſecundum ſit inſufficiens, quia Concilium permittit, ut poſſit conferri ſecundum in eo tantùm caſu, in quo primum ad ſuſtentationem non ſufficit. Collatio tamen ſecundi non eſt nulla, ſed adepta pacifica poſſeſſione ſecundi, vacat primum ipſo jure, & per retentionem ſecundi cum primo vacat utrumque ex *c* 4. *ſeſſ.* 7. Quod ampliat diſpoſitionem, *cap. De multa infra eod.* ad beneficia quomodolibet incompatibilia ratione ſufficientiæ, de quo latiùs dicetur infrà *in* 3. *quæſt.* Aut primum eſt inſufficiens, 43
& poteſt conferri ſecundum, etiamſi ſolum per ſe ſufficiat, ut ſonat littera *d. c.* 17. ibi, *aliud ſimplex ſufficiens*; non enim dixit ſufficiens unà cum primo, ſed ſimpliciter ſufficiens: quod tamen fuſiùs infrà examinabitur in quarta quæſtione. Sed ultra duo haberi non poſſunt ab Ordinario, licèt omnia ſimul ſint inſufficientia, ut ſæpiùs Sac. Congregatio cenſuit, & dicam infrà *num.* 70. An autem collatio tertii ſit nulla, necne, fusè videbitur infrà *in ult. quæſt.* Et hæc intelligas de beneficiis in diverſis Eccleſiis: nam ſi in eadem Eccleſia exiſtant, erit aliter diſtinguendum, ut dicam *in quæſt. ſeqq.* 44 45

2. QUÆRO, an Epiſcopus ſuper pluralitate Præbendarum, vel beneficiorum ſimplicium poſſit diſpenſare. 46

De jure communi articulus eſt ſatis dubius: communiter tamen tenetur diſtinctio Joan. Andr. *in c. Litteras, infrà de conceſſ. præben.* Quòd aut Canoniæ, & Præbendæ, ſeu beneficia ſimplicia exiſtunt in diverſis Eccleſiis, & diſpenſat Epiſcopus. Aut exiſtunt in eadem Eccleſia, ſeu ſub eodem tecto; & tunc ſubdiſtingue: nam aut ſunt difformia, & poteſt Epiſcopus diſpenſare: aut ſunt conformia, & non poteſt, ſed opus eſt diſpenſatione Apoſtolica. Ratio diverſitatis eſt, quia in primo caſu non frangitur ibi numerus: ſecus in ſecundo: & hanc diſtinctionem amplectitur hic 47 48

Ant. de Butr. *n.10. verſ. Ultimate*, d cens te ill adhærere,
quia eſt ſententia tanti Doctoris, ut fuit Joan. Andr. quod
latiùs proſequitur Abb *n.9.* qui tamen limitat dictum Joan.
Andr. quando una præbenda non eſt ſufficiens. alias ſecus
49 per *cap. Sanctorum 70. diſt.* Sed tu breviter dicas, hodiè ad
plura beneficia ſimplicia in diverſis Eccleſiis Epiſcopum
nullo caſu poſſe diſpenſare; quia aut primum eſt ſufficiens,
& poteſt obtineri ſecundum non requirens reſidentiam
abſque ulla diſpenſatione, ut dictum eſt in præced. quæſt.
n.45. Aut primum eſt ſufficiens, & Epiſcopus non diſpen-
ſat; quia obſtat Concilium Tridentinum, contra quod
Epiſcopus non habet facultatem diſpenſandi, ut latiſſimè
probavi *in c. fin. de fil. Præsby*. Quod multò magis proce-
dit in Canonicatibus, & Præbendis, cùm ex capite perſona-
lis reſidentiæ ſint incompatibiles, ut dictum eſt ſuprà *n.38.*
50 *&* 42 Si verò duo beneficia ſint ſub eodem tecto, ſiqui-
dem ſint conformia, Epiſcopus non diſpenſat: & vera eſt
opinio Joan. Andr. & communis *in d. c. Litteras*. Sin au-
tem ſint difformia, tunc aut primum eſt ſufficiens, & ſimi-
liter non diſpenſat Epiſcopus, obſtante Concil. Trident. *in
d. cap. 17. ſeſſ. 24.* Aut eſt inſufficiens, & hoc caſu Epiſco-
pus diſpenſare poteſt, & procedit limitatio Abb. *d. num.9.*
dummodò tamen utrumque perſonalem reſidentiam non
requirat; quia tunc obſtaret Concilium, & ideò opus eſ-
ſet diſpenſatione Apoſtolica, prout hæc omnia latiùs expli-
cavi *in d. cap. Litteras in 1. q.*

51 3 QUÆRO, an quando habenti beneficium ſufficiens
Ordinarius aliud confert, collatio ſit nulla, vel ſi valida
ſit, an adepta pacifica poſſeſſione ſecundi, vacet primum
ipſo jure.

Hoc dubium fuit tranſmiſſum per manus Cardinalium
Sac. Congr. Concilii cum voto Cardinalis Alciati, qui ejus
erat opinionis, ut Ordinarius non poſſet conferre, & ſi
conferret, nulla eſſet collatio. Rationes ſunt infraſcriptæ.

52 Primò, quia Concilium utitur illo verbo, *Conferatur*,
quod propriè reſpicit actum ipſum collationis; & ſic in
effectu prohibet eam ferri de duobus beneficiis uni perſo-
næ. Unde ſequitur, ut ſi facta fuerit contra hanc prohibi-
tionem legis, ſit ipſo jure nulla, ſecundùm regulam *l. Non
dubium*, ub. Jaſ. *n.17. C. de legibus*. Nec poteſt hæc diſpo-
ſitio Concilii intelligi juxta terminos juris communis, de
quibus *in c. De multa de præben.* quia d. c. non utitur verbo,
Conferatur, nec prohibet actum ipſius collationis; quinimò
eam permittit, & amplius vult eam eſſe validam, quod patet
ibi, *in verſ. Præterea*, dum ſtatuit, ut quicunque receperit ſe-
cundum beneficium curatum, ſit privatus illo, quod habe-
bat. Ergo apparet, quòd collatio ſecundi fieri potuit; & fa-
cta valuit, & eam recipiens acquiſivit ſecundum benefi-
cium, licèt primùm perdiderit. At non ita Concil. diſpo-
ſuit, ſed ſimpliciter vetuit, ne ſecundum conferatur, & vide-
tur Concil. Trid. voluiſſe renovare decretum Lateranen.
Concil. quod erat ante *d. c. De multa*, & cujus fit mentio ex-
preſſa in princip. *d. c.* per quod prohibitum erat, ne habens
Parochialem reciperet aliam, & ſi recepiſſet, eam amitte-
ret, & qui contuliſſet, conferendi poteſtatem non habuiſſe
cenſeretur: & ita Sac. Congregatio videtur à principio in-
53 tellexiſſe *d. c. 17.* nam cùm dubitatum eſſet, an Datarius ſup-
plicationes illas deberet admittere, quibus habens Paro-
chialem, vel ſimplex, quod tamen ſufficeret ad victum, pe-
tebat ſibi aliam Parochialem, vel aliud ſimplex: fuit decre-
tum, & ita dict. Datario injunctum, ut ſupplicationes iſtas
non admitteret, niſi addita hac clauſula, quòd Orator habita
poſſeſſione ſecundi beneficii, intra duos menſes, vel ſi per
eum ſtaret, quominus haberet, teneretur primum, vel ſe-
cundum dimittere, aliàs careret utroque. Ex quo decreto
clarè colligitur, Congregationem non intellexiſſe *d. c. 17.*
ſecundum diſpoſitionem *c. De multa*, quia clauſula illa non
eſſet conformis *d. cap.* neque Extravag. *Execrabilis*, § *Qui
verò deinceps*. Et ſic longè diverſa à terminis juris commu-
nis, de quibus etiam per Abb. *in d. c. De multa*, *num.* 10. ſe-
cundum quos terminos neque præfigebatur impetranti ali-
quis terminus ad adipiſcendam poſſeſſionem ſecundi bene-
ficii, neque ei dabatur optio dimittendi utrum mallet, ſed
quandocumque poſſeſſionem ſecundi adeptus fuiſſet, illicò
abſque ulla mora cogebatur præcisè dimittere primum. Et
ex aliis etiam deciſionibus apparet Congregat. ſenſiſſe, in
toto illo *cap. 17.* nullam fuiſſe habitam rationem *d. cap. De
multa*, & memor eſt Alciatus ſe audiviſſe à Patribus, qui
interfuerunt Concilio, eam fuiſſe mentem ferè omnium, ut
d. cap. De multa, prorſus abrogaretur; & quòd ita etiam
Pius IV. ſcripſiſſet ad Concilium.

Tamen Congregatio cenſuit poſſe conferri ſecundum, 54
ſed habita pacifica poſſeſſione ſecundi vacare primum ipſo
jure; quia verba illa Concilii, *Conferatur*, debent intelligi
cum effectu, id eſt ad finem retinendi, & per text. *d. c. Non-
nulli, de Cleric. non reſid.* ibi, *Accipere*, quod verbum in
ſenſu paſſivo eſt ſimile verbo, *Conferatur*, prout ſentiunt
ibi Abb. & alii, qui ſummant textum, quòd plures Eccleſiæ
uni conferri non debeant; & tamen, ut ibi declarant Abb.
& cæteri, diſpoſitio illius *cap.* intelligitur, ut illa ſimul reti-
neat, ſed debet altero privari, prout etiam probatur *in d. c.
De multa*. Quod cùm non procedat niſi in Curatis, fuit per
Concilium ampliatum ad omnia beneficia ſufficientia, &
cum Concil. ſit jus novum, & correctorium, ſatis eſt ut ma-
ximè operetur abſque eo, quòd ampliùs reſtringatur Ordi-
nariorum facultas, & maximè ſine utilitate, cùm ſatis ſit
quoad intentionem Concilii, ut unus in effectu non poſſit
retinere plura beneficia. Sed cùm hoc fuiſſet decretum
Congreg. parvæ, fuit dictum referendum ad Sanctiſſimum,
an velit de hoc agi in Congregat. generali. Sanctitas ſua
decretum Congregat. parvæ probavit, & noluit revocari
in dubium in Congreg. generali, ſed tantùm in ea agi, quid
quando habenti duo alias incompatibilia, ex diſpenſatio-
ne Ordinarius confert tertium, an collatio ſit nulla.

4. QUÆRO, ſi quis habens ſimplex beneficium non 55
ſufficiens, acquirat ex collatione Epiſcopi aliud benefi-
cium, quod per ſe ſolùm ſufficiat, an ex decreto Conc. *ſeſſ.
24. c. 17.* poſſit utrumque retinere. An verò dicantur hæc
beneficia incompatibilia, itaut adepta pacifica poſſeſſione
ſecundi, primum vacet ipſo jure, vel qui obtinet, privan-
dus ſit per ſententiam.

In Congregatione publica diſcuſſa latè materia, ex ſe-
ptem Cardinalibus, tres, nempè Per... Sanctorum Quatuor,
& Albanus, tenuerunt poſſe utrumque retineri, neque in-
compatibilia eſſe, & minùs vacare ipſo jure, aut eum qui ob-
tinet, privandum eſſe altero: nec obſtare Concilium, quia
non prohibet, quin habenti unum inſufficiens detur alte-
rum; & Concilium, ut patet ex proœmio, & verbis, nihil vo-
luit decidere, niſi quod priùs jure veteri, & commmuni erat
deciſum: & ſic voluit tantùm reſtituere jus vetus, quo talia
beneficia non erant incompatibilia. Sed aliis viſa eſt hæc
opinio periculoſa. Primò, quia Concilium nihil novi indu-
xiſſet. Secundò, quia verba Concilii loquuntur etiam de
ſimplici, quod non erat jure veteri. Tertiò, quia Concilium
loquitur taxativè, unum uni tantùm, &c. Ergo excludit, &
prohibet duo, prout eſt naturæ taxativæ, Jaſ. *in l. 1. n. 47. de
offic. cuj.* Item ex verbis, *Liceat conferre ſi non ſufficit*. Ergo
ſi ſufficiat, non licebit. Lu... dixit eſſe incompatibilia, non ut
adepta poſſeſſione ſecundi vacet primum, ſed juxta gloſſ. *in
c. Dudum, il 2. de elect. ver. Retinet*, ut ſcilicet cum peccato
tenens non faciat fructus ſuos in conſcientia, & ſit privan-
dus, prout jus commune vetus ſanxit. Senonen. & Carafa
tenuerunt primum non vacare, etiamſi ſecundum requirat
reſidentiam; ſed per ſententiam privandum eſſe ex Conci-
lio, quia prohibet utrumque ſimul retineri, quando aliud
ſufficit, & jure veteri erat quoque ſic privandus, Abb. *in c.
Conquerente in 3. not. & in c. Quia nonnulli, de Cleric. non
reſid.* Alciatus autem admiſſo illo, quod Concilium prohi-
bet utrumq; ſimul retineri, cenſuit primum vacare ipſo ju- 56
re: nam quando duo beneficia ſunt incompatibilia, adepta
pacifica poſſeſſione ſecundi, vacat ipſo jure primum, Abb.
in c. De multa, de præb. n. 10. & 16. quæ habent locum etiam
in ſecundo beneficio ſimplici, quod de jure non poteſt reti-
neri cum primo, *Clem. Gratia, de reſcrip.* ubi poſt Innoc. Fe-
der. de Sen. & alios in terminis firmat Barbat. in gloſſ. *in ver.
Beneficium col. 3. verſ. Ego autem eligo opinionem*, *uſque ad
verſ. Et in quantum iſta gloſſ.* comprobatur per Card. *conſ. 3.
propè fin. verſ. Attento etiam teſtamento*, ubi vult, ut quan-
do ſtatutum eſt, ut beneficium ſimplex non poſſit haberi
cum alio beneficio ſimul, tunc aſſecutione ſecundi benefi-
cii vacet primum. Et ita quoq; in terminis tenet Rebuff. *in
praxi ſua, tit. de diſpenſat. ratione ætatis, in ver. Incompati-
bilia n.6. juncto cum n.1* A Concilio autem ſatis clarè vide-
tur ſtatutum, ut beneficium per ſe ſufficiens non poſſit obti-
neri cum alio. Poſteà ex conſenſu omnium dictum fuit re-
ferendum ad Sanctiſſimum. Convocata tota Congregat.
Sanctiſſimus voluit de hac quæſtione ampliùs agi in Con-
gregatione, ſuadendo omnibus, ut denuò ſtuderent, & deli-

be-

berarent. In Congregatione cui interfuerunt octo Cardinales; Sanctorum quatuor, & Albanus videntur ſenſiſſe non eſſe incompatibilia ex Concilio; ideò non vacare neq; ipſo jure, neque per privationem ante ſententiam: Lu..... Senonen.....Montal. Carafa, Per.....cenſuerunt non vacare ipſo jure, ſed benè ſenſerunt privandum; quia Concilium pro incompatibilibus habet; ſed ſolùm eſſe huic dubio reſpondendum, quòd non vacet. Alciatus verò cenſuit vacare ipſo jure, ut alias in ſimilibus Congregatio decidit, & reſponſum eſt pluribus.

57 Tu verò conſidera; nam ut ſuprà tetigi *num.* 44. Concilium *in d.c.* 17. *ſeſſ.* 24. non diſpoſuit ſimpliciter, ut habenti unum beneficium inſufficiens ad honeſtam ſuſtentationem poſſit conferri aliud, ſed ut poſſit conferri aliud ſufficiens; nec addidit, ſufficiens unà cum primo, ſed ſolùm dixit ſufficiens, & ſic videtur intellexiſſe de alio, quod per ſe ſufficiat; cùm præſertim agatur ad effectum inducendi privationem primi beneficii per aſſecutionem ſecundi. Unde in conſtituenda ſufficientia ſecundi beneficii conjungi non debent fructus inſufficientes primi, quia in materia pœnali ſummæ non coacervantur, & quinquaginta & quinquaginta non ſunt centum; ut notat Bart. *in leg. Fidejuſſor. in princip. ff. de ſolut.* & dixi *in cap. Inſinuante*, *num.* 34. *infrà qui Cleric. vel vov.* Et eſt communis theorica, quam pluribus exemplis exornat Alexan. *conſ.* 113. incip. *Viſo themate num.* 3. *& ſeqq. lib.* 5. Nec obſtat, ſi dicatur, Mens Concil. fuit, ut Clericus ex fructibus unius, vel alterius beneficii Eccleſiaſtici non habeat niſi honeſtam ſuſtentationem; & quemadmodum non permittit, ut qui habet unum ſufficiens, poſſit obtinere ſecundum etiam inſufficiens, ut concluſum eſt in præced. quæſt. ita è converſo non cenſetur permiſiſſe, ut cui habet ſecundùm ſufficiens, poſſit illud retinere cum primo inſufficienti, arg. *c. Inferior*, cum gloſſ.

58 *in ver. Hinc* 2. *diſt.* Id inquam non obſtat, quia inter utrumque caſum conſidero magnam eſſe rationem diverſitatis: nam qui habet primum ſufficiens, cùm jam habeat congruam ſuſtentationem, videtur moveri ad impetrationem ſecundi ex avaritia, & ambitione, quæ ſunt præcipuæ cauſæ prohibitionis pluralitatis, ut hìc patet, & notat Innoc. *n.* 3. *verſ. Quod enim.* At qui habet primum non ſufficiens, juſtè appetit ſecundum ad ſui honeſtam ſuſtentationem. Et quamvis ex accidenti contingat, ut ſecundum per ſe ſufficiat: tamen appetendo illud non peccat, cum hoc faciat Concilii authoritate, *c. Qui peccat*, 24. q. 3. nec recipiendo ſecundum ſufficiens debet incidere in pœnam privationis primi inſufficientis; quia cùm lex hoc permittat, quod legitimè factum eſt, nullam pœnam meretur, dicit text. *in l. Gracchus, C. ad l. Jul. de adult.* gloſſ. 1. *in c.* 2. *de conſtit.* gloſſ. *in c. Nihil in verb. Ætatis, de elect.* Præterea ſi habens primum inſufficiens non poſſet obtinere ſecundum ſufficiens, oporteret eum expectare, quouſque vacaret aliquod beneficium inſufficiens, ad hoc, ut poſſet illud retinere cum primo, & ita poſſet contingere, ut per multos annos remaneret cum primo beneficio ſine ſufficienti ſuſtentatione, prout accideret ſi per multum temporis non contingeret vacatio alicujus beneficii, niſi ſufficientis: non enim illud poſſet obtinere abſque eo, quòd per aſſecutionem pacificam ſecundi incideret in pœnam privationis primi. Ad quod fortè animadvertentes Patres Concilii ſimpliciter voluerunt, ut habenti unum beneficium, quod non ſufficeret ad congruam ſuſtentationem, poſſet conferri ſecundum ſufficiens, nulla habita diſtinctione, an eſſet ſufficiens per ſe ſolùm, vel unà cum primo. Quæ ratio non viget in eo, qui certus eſt de ſua congrua ſuſtentatione; & ideò non poteſt appetere ſecundum ſine vitio ambitionis, vel avaritiæ. Inſuper ponamus juxta conſuetudinem loci, & conditionem perſonæ, congruam ſuſtentationem eſſe ducatorum centum: ſi talis perſona haberet beneficium ducatorum quinquaginta, abſque dubio poſſet obtinere aliud beneficium ducatorum octoginta, cùm neutrum per ſe conſideratum ſit ſufficiens, neque hoc caſu per aſſecutionem pacificam ſecundi perderet primum; alioquin remaneret ſine congrua ſuſtentatione contra mentem Concil. & hoc planum. Si verò talis haberet beneficium ducatorum viginti, non poſſet obtinere aliud beneficium ducatorum centum, admiſſa opinione illa, quòd habenti unum inſufficiens non poſſit conferri ſecundum, quod per ſe ſolùm ſufficiat. Atque ita talis ex Concil. poſſet authoritate ordinaria habere duo beneficia ſimplicia valoris centum, & triginta ducatorum, ut in primo caſu: & tamen habere non poſſet ex Concil. duo beneficia ſimplicia valoris ducatorum centum, & viginti, ut in ſecundo caſu. Dicamus ergo indiſtinctè habenti unum beneficium inſufficiens poſſe aliud conferri ab Ordinario, ſive ſecundum ſit per ſe ſufficiens, ſive non, arg. *c. Majores*, §. *Caterùm infrà de Bapt.*

Ultimò QUÆRO, ſi habenti in eadem Eccleſia Canonicatum, & officium, quæ ex fundatione compatibilia ſint, Epiſcopus Canonicatum alterius Eccleſiæ contulerit, an collatio ſecundi Canonicatus ſit irrita, necne? 59

Innocentius *in c. Singula* 89. *diſt.* ſtatuit ſingula beneficia eſſe ſingulis conferenda, & pleriſque in locis improbatur pluralitas beneficiorum, *ut hìc*, *& in c.* 1. *per totam* 21 *q.* 1. *in cap. Quia in tantum*, *& c. Ad hæc ſuprà eodem*, *& infrà in cap. Super inordinata cum multis ſimilib.* ſed non deciditur, an collatio tertii ſit ipſo jure nulla, necne; quemadmodum nullo jure irrita decernitur collatio ſecundum beneficii incompatibilis. Nam ante Concilium Lateranen. proviſus habebat optionem alterutrum retinendi, *cap. Referente*, *& cap. Præterea ſuprà eodem.* Ex Concilio Lateranen. relato *in cap. Quia nonnulli*, *de Cleric. non reſid.* debeat privari ſecundo. Poſt Concil. Lateranen. vacabat primum ipſo jure *ex c. De multa infrà eod.* At poſteà per Extravag. *Execrabilis*, tenebatur primum verbo, & facto in manibus Ordinarii illicò dimittere; alioquin vacabant utrumque, & proviſus inhabilis efficiebatur ad Ordines, & benefi ia, ut ibi *in* §. *Qui verò*, prout hæc quatuor tempora diſtinctè recenſet Cardin. *conſ.* 3. *circa elucidationem n.* 4. *& in d. cap. Referente*, Abb. *in d. c. Qui nonnulli.* Decretum Concilii Trident. *c.* 14. *ſeſſ.* 24. diſponit, ut ab Ordinariis ſecundum beneficium eidem conferri poſſit, ſi primum non ſit ſufficiens, ſed tertii collationem non irritat: Decretum verò *cap.* 4. *ſeſſ.* 7. ſimiliter non agit de nullitate collationis, ſed ſolùm de pœna illorum, qui plura beneficia incompatibilia recipere, & ſimul retinere præſumpſerit. Solus text. *in cap. Ordinarii*, §. *In conferendis*, *de offic. Ordinar. lib.* 6. decernit irritam collationem tertii beneficii. Quamobrem ſolutio præſentis quæſtionis pendebit ab inſpectione, an *d.* §. *conferendis*, quo irrita decernitur collatio tertii beneficii incompatibilis, habeat locum in tertio beneficio, quod quamvis non eſſet incompatibile de jure communi, tamen effectum eſt poſteà incompatibile per ſupervenientem Concilii diſpoſitionem, ſive ratione ſervitii, juxta *c.* 17. *ſeſſ.* 24. ſive ratione numeri, cùm *in cap.* 17. *ejuſdem ſeſſ.* Concilium prohibet authoritate ordinaria conferri poſſe tertium beneficium obtinenti duo etiam inſufficientia. 60 61 62 63

Præmittendum eſt primò, *d.* §. *In conferendis*, quidquid ſenſerint ibi Joann. Monach. *ſub num.* 1. *in fin.* & Rebuff *in prax. tit. de diſpenſat. ratione ætatis, in verb. Quoad vixerit*, ex identitate rationis procedere in omnibus beneficiis incompatibilibus de jure communi, licèt loquatur in ſpecie de obtinente duas dignitates, vel perſonatus, ſive Eccleſias curam animarum habentes. Atque ita ex eo textu colligunt Gemin. *in princ.* & Franc. *in* 2. *notab.* ubi notant habentem plura beneficia incompatibilia etiam virtute diſpenſationis cenſeri inhabilem ad aliud beneficium aſſequendum, Petrus de Anchar. *conſ.* 59. *in publicis nu.* 1. *circa med. verſ. Benè ponderandum*, Vital. *in Clem. Si plures*, *n.* 12. ubi reddit rationem, *& n.* 46. *de præben.* & Pariſ. *conſ.* 74. *Gratia num.* 39. *&* 40. *vol.* 4. Itaque ex diſpoſitione illius textus habenti duo beneficia quovis modo incompatibilia de jure communi non poteſt conferri tertium, & ſi conferatur, collatio eſt ipſo jure nulla. 64

Præmittendum ſecundò, Canonicatum & officium, de quibus agitur, eſſe compatibilia ex fundatione, quoad hoc tantùm, ut poſſint ab eodem recipi, & retineri abſque diſpenſatione Apoſtolica; ſecus autem reſpectu tertii beneficii, quia lex fundationis non ſuſtulit niſi primam ſpeciem incompatibilitatis reſpectu ſervitii, vel reſidentiæ, aliam verò ſpeciem reſpectu numeri reliquit diſpoſitioni juris communis, cujus vigore cùm hæc duo beneficia non ſint invicem unita, juxta *c. Super eo, de præben. lib.* 6. faciunt numerum reſpectu tertii, & pariunt incompatibilitatem à jura inductam, ut probatur ex doctrina Matt. relat. per Cardin. *in Clem. Si plures in* 3. *oppoſ. verſ. Quod voluit hìc, de præb.* ubi ait, *Duo beneficia incompatibilia habentur quidem loco unius, quoad hoc ut ſimul poſſint retineri contra jus commune vigore diſpenſationis; ſed comparando iſta duo ſimul reſpectu tertii, nihil operatur diſpenſatio*, 65 66

& conſentiunt Gemin. & Franc. ut dictum eſt ſuprà *nu* 64. Eſt ergo locus juri communi, unde & lex fundationis hoc caſu tantùm operatur, ut Canonicatus, & officium, quæ aliàs incompatibilia ſunt, ſimul legitimè retineri poſſint: ſed non propterea tollit incompatibilitatem a jure provenientem quoad alios effectus; quia cum ſit contra jus commune, eſt ſtrictè interpretanda, & ut minùs faveat beneficiorum pluralitati, quàm fieri poſſit, ut per Specul. *tit. de diſpenſat. verſ. Dicendum reſtat ſub nu.* 20. *verſ. Præſertim cum Indulgentia*, Gemin. *in c. Si cui conceditur col.* 2. *verſ. Nec obſtat, de præbend. lib.* 6.

67 His præmiſſis, ad quæſtionem breviter videtur reſpondendum, collationem ſecundi Canonicatus eſſe ipſo jure nullam, veluti factum habenti duo beneficia incompatibilia, per tex. *in d. c. Ordinarii, §. In conferendis, de offic. Ordinar. lib.* 6. ſive enim Canonicatus ſit incompatibilis cum officio de jure communi, ſive ex decreto *cap.* 12 *ſeſſ.* 24. ſive *c.* 17. *ejuſd. ſeſſ.* ille textus vendicat ſibi locum in quacumque ſpecie incompatibilitatis, ut initio probavimus *num.* 64. In qua quidem incompatibilitate, quod attinet ad rem præſentem, nulla eſt habenda ratio fundationis, quia hæc nihil operatur reſpectu aſſecutionis tertii, ſed tantùm reſpectu retentionis Canonicatus, & officii, ut ſimiliter patet ex doctrina Cardinalis proximè relati.

Neque obſtat, quòd *d.* §. *In conferendis*, loquatur de incompatibilibus de jure communi, non autem de hac nova ſpecie incompatibilitatis à Concilio introducta reſpectu reſidentiæ, vel numeri, eò quòd de hac jus commune non cogitaverit; & quòd propterea jura de incompatibilitate loquentia ad hanc ſpeciem non extendantur, ut in ſpecie conſulit Anchar. *conſ.* 59. *In publicis tot.*

68 Nam reſpondetur Anchar. fuiſſe conſultum, an per collationem tertii incompatibilis vigore ſtatuti vacarent duo prima incompatibilia ipſo jure, *per Clem. Si plures, de præbend.* & reſpondit non vacare; quia jura inducentia vacationem primi per adeptionem ſecundi incompatibilis, cùm ſint pœnalia, & correctoria juris communis antiqui, non extenduntur ad caſum novum, & improviſum, de quo antiqua jura non cogitarunt. At in caſu præſenti non eſt quæſtio, an obtinens tertium incompatibile ſit privatus ipſo jure beneficiis anteà obtentis, ſed an obtinens duo incompatibilia ſit habilis ad tertium ſimile. Atque ita in caſu Anchar. tractatur de jure quæſito amittendo: hìc verò de inhabilitate ad jus quærendum, inter quæ Anchar. ipſe *ibidem ſub n.* 5. expreſsè differentiam conſtituens ait, difficiliùs tolli jus in re, quàm jus ad rem; nec eſſe bona conſequentiam; Facio actum incompatibilem juri meo: Ergo videor rei renunciare: illud enim non eſt verum in jure quæſito, ſed in jure quærendo.

69 Rurſus in caſu Ancharan. erat quæſtio, an jura antiqua de incompatibilitate loquentia extenderentur ad beneficia incompatibilia ex ſtatuto particulari in materia pœnali, & correctoria juris communis antiqui. At in caſu præſenti quæritur, an jus antiquum diſponens de incompatibilitate habeat locum in beneficiis incompatibilibus ex generali Concilio in materia favorabili, & ſecundùm jus commune, quod ubique improbat beneficiorum pluralitatem, & præſertim *in c.* 1. *de conſuetud. lib.* 6. ubi omnes notant. Quamobrem non mirum, ſi diſpoſitio *d.* §. *In conferendis*, procedat etiam in obtinente tertium incompatibile ex Concilio. Atque ita poſt Concilium, quamvis obiter, animadvertit Nicolaus Garz. *in tract. de benef. part.* 11. *num* 268. quicquid ſcripſerit Navarr. *conſ.* 10. *de præbend.*

His accedit, quòd decretum *c.* 4 *ſeſſ.* 7. ampliat diſpenſationem *c. De multa infrà eod.* & jura omnia de incompatibilitate loquentia, ad quamcumque ſpeciem incompatibilitatis. Ideòque Sac. Congregatio ſæpiùs reſpondit per adeptionem poſſeſſionis ſecundi beneficii, etiam inſufficientis vacare primum ſufficiens ipſo jure, ex *d. c.* 4. & ſimiliter vacare primum Canonicatum adepta pacifica poſſeſſione ſecundi. Unde quemadmodum jura de incompatibilitate loquentia extenduntur à Concilio ad omnem ſpeciem incompatibilitatis ad effectum inducendi vacationem propter omnium retentionem, ita diſpoſitio *d.* §. *In conferendis*, debet cenſeri ampliata à Concilio ad novam incompatibilitatis ſpeciem ad effectum irritandi collationem tertii beneficii. Idq; ex majoritate rationis, cùm in primo caſu, quo inducitur privatio, tollatur jus quæſitum; in ſecundo fiat inhabilitatio ad jus quærendum, & occurratur pluralitati ſacris Canonibus inimicæ, ut per Ancharan. *in d. conſ.* 59. *num* 5.

Poſtremò, videtur irrita collatio tertii beneficii, etiam ex decreto *d. cap.* 17. *ſeſſ.* 24. quod dum tribuit facultatem Ordinariis duo beneficia ad ſummum conferendi, neceſſariò prohibet collationem tertii, & tacitè irritat, ſi quid ſecùs factum fuerit; quia lex præſertim lata in Concilio generali, quamvis ſimpliciter prohibeat, ſemper tamen intelligitur habere clauſulam derogatoriam, & annullativam actus, ut notat Bald. per illum text. *in l. Non dubium in* 4. *not.* & Jaſ. poſt alios *n.* 17. *C. de legib.*

Nec obſtat, quòd Concilium ibi ſimiliter prohibeat collationem ſecundi, 70
quando primum eſt ſufficens; & tamen Sac. Congregatio ſæpiùs declaraverit collationem ſecundi non eſſe irritam. Nam reſpondetur, ideò obtinenti unum poſſe conferri ſecundum, quia unum obtinere non eſt contra jus commune; ideòque illud habens non cenſetur inhabilis ad aliud beneficium etiam incompatibile aſſequendū: & in hoc Concilium recepit declarationem à jure communi, ita ut quamvis ſimpliciter prohibeat collationem ſecundi; hoc tamen inteligi debeat ad effectum utrumque retinendi, ut olim interpretata eſt S. Congreg. At verò obtinere duo eſt contra jus commune; idòque plura obtinens tanquam tranſgreſſor Canonum non eſt habilis ad aliud obtinendum abſq; diſpenſatione Pontificis, & ita in propriis terminis hanc rationem differentiæ aſſignat gloſſ. *fin. in d. c.* 71
Ordinarii, §. In conferendis, de offi. Ordinar. lib. 6. Atq; hanc ſententiam paſſim ſequuta eſt S. Congregatio. Nam ſæpius in caſibus contingentibus reſpondit, Epiſcopum habenti unum ſimplex beneficium, quod non ſufficiat ad ejus ſuſtentationem, poſſe aliud ſimile conferre; ſed non poſſe ultra duo abſque diſpenſatione Sedis Apoſtolicę, etiamſi omnia ſimul ad illius ſuſtentationem nō ſufficiant. Quod multò magis videtur habere locum hoc caſu, quo adeſt incompatibilitas, non ſolùm reſpectu numeri, ſed etiam reſpectu ſervitii, cùm tam officium, quàm duo Canonicatus perſonalem reſidentiam requirant, ad præſcriptum *c.* 12. *ſeſſ.* 24.

DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.

Idem Innocentius III. Archiepiſcopo, & Archidiacono Senonen.

CAPUT XIX.

1 Dilectus filius T. Canonicus Liconien. propoſuit, quòd cùm de mandato C. Papæ prædeceſſoris noſtri Linconien. Epiſcopus quamdam prebendam aſſignavit eidem in Eccleſia Linconien. quia Capitulum ipſum ad eamdem recipere contemnebat: & infrà. Ad inſtantiam Rhemen. Archiepiſcopi, tunc Epiſcopi Preneſtin. Apoſtolicę Sedis legati, & auctoritate ipſius, talis inter eum & Epiſcopum & Canonicos Linconien. compoſitio interceſſit: quòd ipſo ab eis recepto in Canonicum, cum, & conceſſo ſibi ſtallo in Choro, & participatione qualibet divinorum, idem fructus præbendæ percipere non deberet, niſi loco proximo vacaturæ: & infrà. Cum ergo dictum T. in Canonicum recipi, & Canonicis non obviet inſtitutis, & vacaturam expectare præbendam Lateranen. Conc. non ſit du-

dubium obviare: Nos facto ejuſdem Legati illicito reprobato, quod eſt licitum approbantes; quia videtur indignum, ut receptus in Canonicum præbendæ beneficio defraudetur: Mandamus, quatenùs dictos Epiſcopum & Canonicos, ut ei præbendam (cùm ſe facultas obtulerit) non differant aſſignare, appellatione poſtpoſita compellatis; facientes eidem portiones quotidianas, quæ fiunt in Eccleſia memorata, ſine diminutione qualibet aſſignari.

S U M M A R I U M.

1 *IN Canonicum receptò, quàm citò facultas ſe obtulerit præbenda debetur, & interim quotidianas diſtributiones habebit, & n. 16. uſque in fin.*

2 *Compoſitio ſuper re ſpirituali fieri poteſt, ſed non tranſactio.*

3 *Canonici receptio non vitiatur ex infecta promiſſione futuræ præbendæ.*

4 *Quod procedit, ſi recipiatur ea intentione, ut ſtatim ſit Canonicus, ſed præbendam non habeant, niſi cùm vacaverit.*

5 *Secus ſi effectu tam receptionis, quàm promiſſionis differatur in tempus vacaturæ.*

6 *Factum idem diverſis reſpectibus poteſt ſimul approbari, & reprobari.*

7 *Canonico ſupranumerario debetur præbenda, cùm ſe facultas obtulerit, non ex vi promiſſionis, quæ nulla eſt, ſed ex vi receptionis, & n. 14.*

8 *Canonicus recipi poteſt ſine beneficio, ſeu præbenda.*

9 *Dummodò id fiat ex cauſa, & non multi ſic recipiantur.*

10 *Nec interveniat pactum, ut receptus nihil participet.*

11 *Legatas de latere non poteſt contra Concilium diſpenſare.*

12 *Poteſt beneficium vacaturum reſervare etiam pro certa perſona, ſed non dare jus ad vacatura, & quæ ſit ratio diverſitatis.*

13 *Præbenda vacans non Canonico numerario, ſed ultra numerum recepto, conferri debet, ubi præbendæ ſunt diſtinctæ.*

14 *Canonicus ſupranumerarius vacante præbenda extinguitur, & numerarius efficitur, & n. 18.*

15 *Secus in Monialibus ſupranumerariis.*

16 *Canonici ultra numerum recepti an habere debeant ſtallum in Choro, vocem in Capitulo, & quotidianas diſtributiones, & n. ſeqq. uſque in fin.*

17 *Quid ſi ſuper hoc extet conſuetudo Eccleſiæ.*
Et ceſſante conſuetudine quid in receptis voluntariè à Capitulo, n. 20.
Et quid in receptis de mandato Papæ, n. 25.

18 *Conſuetudo, quæ communiter eſt ubique, ut recepti ultra numerum non habent jura Canonicalia, nec diſtributiones quotidianas, valida eſt, & obſervanda.*
Canonici expectantes dici non poſſunt beneficiati, & vocantur Canonici in herbis, ibid.

19 *Canonici ultra numerum ad limites inſtallationis vocem conſequuntur.*

21 *Numerus frangitur, ſi receptio ultra numerum fiat à Capitulo ſimpliciter: ſecus ſi cum adjectione, ut receptus ſit ſupranumerarius, n. 24.*

22 *Canonicus ultra numerum receptus poteſt eſſe delegatus Papæ.*
Item poteſt eſſe conſervator poſt Bullam Gregor. XV. de Conſervatoribus.

24 *Canonicus ultra numerum à Capitulo receptus, eo adjecto, ut ſunt ſupranumerarius, non conſequitur, niſi jus quoddam præparatorium ad jus integrum obtinendum.*

25 *Numerus non frangitur, ſi Papa mandet quem recipi in Canonicum ultra numerum ſimpliciter.*

26 *Clauſula*, cum plenitudine juris Canonicalis, *includit quotidianas diſtributiones.*

1 DIlectus, *il primo*. Recepto in Canonicum, quàm citò facultas ſe obtulerit, præbenda debetur, & interim quotidianas diſtributiones habebit. Hoc dicit ſecundùm Joann. Andr. cui conſentiunt Butr. Anchar. Imol. Abb. & omnes, præter Cardin. qui ponderando litteram, quæ in fine dicit, *Portiones*, & non *Diſtributiones*, aliter ſummat, videlicet: Si recipitur quis in Canonicum ſub expectatione

prædendæ, adjecto quòd interim nil recipiat, non tenet adjectio etiam authoritate legati facta, & ei providebitur, cùm facultas ſe obtulerit, & interim portiones quotidianas habebit. Primam tamen lecturam videtur ſequi gloſ. 3. & communiter Doctores, ut ipſemet Cardin. fatetur. Decretalis quatuor continet ſecundùm Hoſtien. Primò ſcilicet mandatum Apoſtolicum. Secundò. ibi, *Ad, inſtantiam*, juſtum, & injuſtum præceptum. Tertiò, ibi, *Cùm ergo*, juſti præcepti confirmationem, & injuſti reprobationem. Quartò, ibi, *Facientes*, Papalem ſubjunctione.

Nota primò ibi, *Compoſitio interceſſit*, valere compoſi- 2
tionem ſuper re ſpirituali; & per hoc ſigna differentiam inter compoſitionem, & tranſactionem: nam de ſpiritualibus ſtrictè non poteſt tranſigi, *c. Super eo, ſupra de tranſact.* & tamen fieri poteſt amicabilis compoſitio ſuperioris authoritate, dummodò aliàs ſit licita, ut hìc, *& in c. Statuimus, de tranſact.* & hìc notant Butr. Immol. & Abb. omnes *in primo notab.* facit text. *in c. Niſi eſſent*, ubi Abb. *in 5. not. infra eod.*

Secundò nota *in verſ. Cùm ergo*, receptionem in Canonicum non vitiari ex infecta promiſſione futuræ præbendę, 3
quia cùm aliud ſit Canonia, aliud Præbenda, & receptio, & promiſſio ſint duc actus ſeparati, & diſtincti, quamvis ſint ſimultanei, utilis ab inutili non inficitur, ut in regula Sexti, *Utile*. & hìc notat Butr. *n.* 5. Anchar. *in 4. not.* & Imol. *n.* 4. Quod tàmen procedit, quando ea intentione quis reci- 4
pitur, ut ſtatim ſit Canonicus, ſed præbendam non habeat niſi cùm vacaverit? & ita contingit in caſu hujus Decretalis; nam fuit conventum inter partes, ut receptus in Canonicocum illicò haberet ſtallum in Choro, & participationem divinorum, quæ ad Canoniam pertinent; ſed præbendam non haberet, niſi loco proximo vacaturam. Et propterea Pontifex factum legati licitum, ſcilicet receptionem, approbavit, & factum illicitum, ſcilicet promiſſionem vacaturæ, quæ Lateranen. Concilio adverſatur, reprobavit. Secùs verò ſi effectus tam receptionis, quàm promiſſionis 5
differatur in tempus vacaturæ: tunc enim vitiatur utrumque, quia licèt inſpecta diverſitate conceptionis verborum videantur duo actus, ſcilicet receptio, & promiſſio, tamen inſpecta unitate effectus, eſt unicus actus, & individuus, & idcircò utile per inutile vitiatur. Ita Innoc. *hìc nu. 1. ver. Proximo*, cui conſentiunt Hoſt. *n. 5. in ver. Niſi loco proximo*, Joan. Andr. *n.* 10. Butr. *n.* 11. & plerique alii, & idem Butr. *in cap. Cùm M. num. 32. verſ. Quartus caſus*, ubi etiam Imol. *n. 26. verſ. ſecus ſi conſtaret de mente, ſupra de conſtit.* Generaliter autem, an, & quando Canonici ultra numerum recipi poſſint cum expectatione futuræ præbendæ, & quibus caſibus vitietur receptio, aut promiſſio vacaturæ, vel utrumque, plenè examinavi in prædicta Decretali, *Cùm M. à n. 57. uſque in fin.*

Tertiò nota in eodem verſ. idem factum, veluti ſenten- 6
tiam, compoſitionem, donationem, & alia hujuſmodi poſſe diverſis reſpectibus approbari, & reprobari. Poteſt enim reprobari reſpectu modi, ſeu medii, & approbari reſpectu finis. Ad hoc *cap. Raynutius, infrà de teſtam.* cùm aliis hìc alleg. gloſ. *in ver. Approbantes*, & per Hoſtien. *n.* 7. Hìc enim Pontifex improbat factum legati, in quantum continet promiſſionem vacaturæ ex diſpoſitione hominis, quia talis promiſſio damnatur à jure, *ut in c. 2. infrà de conceſſ. præbend.* Sed quia receptio fuit valida, & Canonicus 7
non debet carere præbenda, ut hìc, *& c. Relatum, ſup. eod. cum ſimil.* ideò præcipit, ut præbendam habeat, cum ſe facultas obtulerit, non ex diſpoſitione hominis, quæ nulla eſt, ſed ex diſpoſitione juris ſurgentis ex receptione; & ſic approbavit finem, ſcilicet conſecutionem præbendæ, ſed reprobavit modum, ſcilicet mediante promiſſione; & ita non fuit ſibi contrarius, ut hìc benè per Butr. *n. 7. & 14.* & not. gloſ. *in c. 2. in verb. Indirectè, de conceſſ. præb. lib. 6.* & Abb. *in c. Cùm M. n. 29. de conſtitut.*

Quartò nota ibi, *Quod eſt licitum approbantes*, licitum eſſe 8
recipere aliquem in Canonicum ſine beneficio, ſeu prębenda, ut hìc eſt expreſſum, ſecundùm Innoc. *n. 2. verſ. Item hìc*

habes, Hoſt. *num. 6.* & Abb. *num.* 3. & eſt ſimile *in c. Dilectus infrà eodem*, *& in c. Cùm ſuper, de conceſſ. præbend.* Quamvis enim Canonicus eſſe non poſſit ſine ſpe, & expectatione futuræ præbendę, ut in prædictis juribus, *& in c. Si quis objecerit 1. q. 3.* tamen actualis præbenda non eſt de ſubſtantia Canonicatus, ut hìc, *& in cap. Cùm M.* ibi, *In Canonicos receperunt nullis præbendis aſſignatis eiſdem, ſuprà de conſtitut.* & iſtic notat Bal. *n.* 18. Abb. *in 3. notab. & nu. 16. verſ. Hoc dictum*, Aretin. *n. 6.* & Ripa *n. 26.* poſt Innoc. *in c. fin. ſuprà de Cleric. non reſiden.*

9 Declara primò prædictam concluſionem, ut procedat, dummodò receptio in Canonicum ſine præbenda fiat ex cauſa, putà ut receptus inſtituatur in moribus & officiis Eccleſiaſticis, & inſerviat prioribus, & antiquis Canonicis, & Eccleſiæ, *cap. Statuimus, de major. & obed.* alioquin ſuperior ex officio ceſſabit, præſertim ſi multi ſic fuerint recepti, arg. *l. 1. §. In honorariis, l. 2. & 3. ff. de var. & extraord. cognit.* ſecundùm Innoc. *hic n. 2. verſ. Solutio*, & Hoſt. *nu. 6. in eod. verſ.* & Abb. *in d. c. Cùm M. in 3. notab. de conſtitut.* ubi ait, non multos debere ſic recipi, ne hoc tendat in dedecus Eccleſiæ. Quot autem recipi poſſint, & qualis proportio in hoc haberi debeat ad numerum antiquorum Canonicorum, vide hic per Jo. Andr. *n.* 12. & Butr. *eod. num.*

10 Declara ſecundò eandem concluſionem, ut locum non habeat, ſi receptio in Canonicum fieret cum pacto, ut receptus nec de Canonia, nec de Præbendis, nec de communibus proventibus quidquam perciperet: hoc enim eſſet ſimoniacum, ut ex hoc textu deducit gloſſ. *in d. c. Cùm M. in verb. Nihil perciperent*, Innocen. *num.* 5. & communiter Doctores *ſuprà de conſtit.* & eſt ex mente gloſſ. 1. hic. Facit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 14.* Fallit hoc, ſi Papa vellet facere Canonicum honorarium, ut notat Hoſtien. *in c. 1. n. 1. infrà de inſtit.* dicens videri corrigendam formam litterarum Apoſtolicarum, quibus mandatur quotidie, ut aliquis recipiatur, licèt præbenda non vacet: niſi Papa velit facere Canonicos honorarios, ſecundum ea, quæ notantur *in c. Super inordinata infrà eod.* Subdit tamen: Quiſquid ſentiamus, non poſſumus (ſcilicet corrigere) quia non debemus ponere os in cœlum. Ad quod vide, quod de his Canonicatibus, & Dignitatibus honorariis, & ventoſis ſcripſi poſt Bald. *in c. Ac hæc n. 22. ſuprà eod.*

11 Quintò nota ibi, *Facto ejuſdem legati illicito reprobato*, Legatum etiam de latere, prout erat iſte Epiſcopus Præneſtinus, qui etiam erat Cardinalis, non habere authoritatem diſpenſandi contra Generale Concilium, ut hìc probatur evidenter. Nam Papa reprobat factum legati tanquam illicitum, ſcilicet promiſſionem vacaturæ præbendæ, & reddit rationem, quia obviat Concilio Lateranenenſi, & ita hìc notat gloſſ. *penult.* communiter recepta, quam ſemper dicit
12 eſſe tenendam Abb. *nu.* 10. Hinc etiam collige, Legatum de latere, quamvis poſſit beneficium reſervare vacaturum etiam pro certa perſona, ut *in c. Cùm dilectus infrà de jurepatr. & in c. pen. de offic. deleg. lib. 6.* non tamen poſſe dare jus ad vacatura, ut hìc eſt expreſſum. Et poteſt eſſe ratio diverſitatis ſecundùm Abb. *hìc num.* 3. quia per reſervationem nullum jus acquiritur perſonæ, cùm Legatus variare poſſit, & alteri conferre beneficium ſic reſervatum: undè non præbetur tanta occaſio captandi mortem proximi. Sed ſi poſſet dari jus ad beneficium vacaturam, jus acquireretur perſonæ, quæ de facili mortem alterius deſideraret, ut ejus beneficium conſequeretur, contra rationem expreſſam *in c. Nullam de conceſſ. præb. & c. Deteſtanda, & c. Nec captandæ, eod. tit. lib. 6.* Tu adde aliam rationem, quia promiſſioni vacaturæ reſiſtit Generale Concilium, *ut in d. c. Nulla*, contra quod legatus non diſpenſat, ut proximè dictum eſt. Reſervatio verò nullam habet reſiſtentiam, quin potiùs eſt juri conſona, *ut in d. c. Cùm dilectus.*

Sextò nota ibi, *Cùm ſe facultas obtulerit in Eccleſia*, ubi
13 ſunt præbendæ diſtinctæ, præbendam vacantem non eſſe conferendam Canonico numerario, ſed Canonico ultra numerum recepto: nam ipſe ſupranumerarius vacante pręb-
14 enda extinguitur, & numerum antiquum ingreditur: & cùm jam reperiatur de numero, non eſt inconveniens, imò juri conſentaneum, ut præbenda illi conferatur, ut hìc, *& in cap. Relatum ſuprà eod. & in c. Cùm ſuper infrà de conceſſ. prabend. cum ſimil.* Neque hinc aperitur via ad vacatura, quia præbenda non debetur illi ex diſpoſitione hominis, quod à jure improbatur, & ita loquitur *c. Nulla, de conceſſ. præ.* ſed ex diſpoſitione juris ex vi receptionis, & connexionis, quam habet præbenda ad Canonicam, ut dixi ſuprà *in 3. notab. & in c. Cùm M. num. 17. & 28. ſuprà de conſtit.* & ita hìc declarat Butr. *nu. 9. verſ. Hæc eſt in effectu*, & Imol. *n. 16. verſ. Sed adverte*, contra Innoc. cujus dictum communiter damnant Doctores, ut ibi teſtatur.

Contrarium in Monialibus cenſuit S. Congregatio Epi- 15
ſcoporum, & Regularium negotiis præpoſita, Hæ namque non ſubrogantur in locum Monialis numerariæ decedentis, ſed ſemper remanet ſupranumerariæ, ut dixi aſſignando rationem diverſitatis *in cap. 1. de inſtit.*

Ultimò nota ibi, *Portiones quotidianas*, Canonico au- 16
thoritate Apoſtolica ultra numerum recepto deberi quotidianas diſtributiones abſque ulla diminutione, ut hìc videtur expreſſum, & notat Butr. *num.* 8. Sed quia textus ſecundùm Card. non loquitur de diſtributionibus, ſed de portionibus quotidianis, & articulus eſt admodùm controverſus: pleniùs examinabitur in quæſt. ſeqq.

Revoco igitur in dubium, an Canonici ultra numerum recepti habere debeant ſtallum in Choro, vocem in Capitulo, & quotidianas diſtributiones?

Hæc quæſtio difficilis eſt, & involuta ob multiplices Doctorum opiniones, quas recenſent *in c. Cùm M. ſuprà de conſtit.* Ant. de Butr. *in ult. quæſt. num. 66.* Joann. de Imol. *n.* 28. & Abb. *n. 29. in gloſſ. ultra numerum.* Ego dicta aliorum 17
perſtringendo, & opiniones quantum fieri poterit ad concordiam reducendo exiſtimo ſic diſtinguendum, videlicet; aut ſuper hoc viget conſuetudo in Eccleſia, & ſtandum eſt conſuetudini, ut firmat gloſſ in præd. decretali, *Cùm M. in ver. Ultra numerum*, quæ in hac parte communiter re- 18
cipitur, & hoc ad limites conſuetudinis, ut ibi per Imol. *num. 28. verſ. Si tamen conſuetudo Curiæ.* Unde ſi conſuetudo habeat, ut Canonici ultra numerum recepti non habeant jura Canonicalia, talis conſuetudo, quæ communiter eſt ubique, valida eſt, & obſervanda, ut decidunt Domini de Rota *deciſ.* 445. incip. *Si Legatus*, aliàs *26. de præbend. in nov.* ubi propoſito dubio, an Canonicus receptus cum expectatione futuræ præbendæ, cenſeatur habere beneficium, poſt prolixam diſputationem in utramque partem *nu. 6.* pro determinatione dicunt receptum ultra numerum, ſicut ſunt omnes expectantes Apoſtolici, non poſſe dici beneficiatum, quia tales hodiè de conſuetudine, & obſervantia univerſalis Eccleſiæ, nec participiant de quotidianis diſtributionibus, & vocantur Canonici in herbis, nec perpetuò retinent illum Canonicatum ſic collatum, ſed vacante præbenda diſtincta Canonicali infra numerum, & collata impetranti, ſtatim proviſus conſequitur novum Canonicatum infra numerum, & primus eſſe deſinit, allegant Jo. de Lignan. in hoc cap. Compoſtell. *in d. c. Cùm M. & in c. Capitulum, de reſcrip.* & illam deciſionem ſequitur in eodem *cap. Cùm M.* Imol. *n. 28. verſ. Tamen Domini de Rota*, Felin. *n. 23. verſ. Limita tertiò*? & idem in caſu converſo:
nam ſi ſit conſuetudo inſtallandi Canonicos ultra nume- 19
rum receptos, tunc ad limites inſtallationis vocem conſequuntur, itaut ſi ſint inſtallati in Choro, habeant ea quæ ſunt Chori; ſi in Capitulo, ea quæ ſunt Capituli, ut tenent *in d. c. Cùm M. de conſtit.* Innoc. *num.* 4. & Compoſtell. *nu.* 12. quos refert, & ſequitur ibi Ripa *num.* 187. Federic. de Sen. *conſ.* 290. incip. *Quia in præſenti nu. 5. verſ. An iſti recepti.*

Aut non conſtat de conſuetudine, & tunc conſti- 20
tuo duo membra. Primum eſt in receptis ultra numerum de voluntate propria Capituli. Secundum in receptis de mandato Papæ.

In primo membro ſubdiſtingue: nam aut receptio ultra 21
numerum fit à Capitulo ſimpliciter; & ſic receptus habere debet ſtallum in Choro, vocem in Capitulo, & quotidianas diſtributiones; & in hoc caſu procedit opinio Innoc. in præcit. *c. Cùm M. d. n. 4. verſ. Si autem nulla eſſet conſuetudo.* Tum quia ex quo receptus eſt ad jus Canoniæ, conſequenter habere debet jura Canonicalia, ut plenè per Rip. *in d. c. Cùm M. n. 186.* & imputent ſibi, qui voluntariè elegerunt, ut per Butr. *ibid. num. 66.* Calder. & Imol. relatus ibi à Felin. *nu.* 23. Tum quia per receptionem ſimpliciter factam ultra numerum frangitur numerus, ut probatur in eadem Decretali *Cùm M.* ibi, *In derogationem ſuæ Conſtitutionis:* & per conſequens habere debet omnia jura Canonicalia, & expectare præbendam, cùm vacaverit, ut ibi per Abb. *n. 31. verſ. Unde ad propoſitam quæſtionem*, & Felin. *n. 23. in prima limit. verſ. Ubi autem receptus.*

Et

22 Et hinc fit, ut talis poſſit eſſe delegatus Papæ, ad præſcriptum *c. Statutum, de reſcrip. lib. 6.* ſecundum Guil. de Monte Landun. in Extrav. Jo. XXII. *Sedes Apoſtolica*, *in gl.* incip. *Cùm integritate*, Jo. Andr. & Gemin. *in d. c. Statutum*, 23 & Felin. *in d. c. Cùm M. n. 23.* Ex quo infero, ut hodiè poſſit etiam eſſe conſervator, ſtante Bulla Greg. XV. de Conſervatoribus, incip. *Sanctiſſimus*; nam etſi de jure communi Canonicus Capitularis non poſſet eligi Conſervator, ut *in cap. fin.* cum ibi notatis *de offic. deleg. lib. 6.* tamen ſecus poſt Gregorianam Conſtit. per quam fuit 24 extenſa diſpoſitio *d. cap. fin.* ad Canonicos Cathedralium Eccleſiarum, juxta terminos *d. cap. Statutum*. Aut receptio ultra numerum fit à Capitulo non ſimpliciter, ſed eo adjecto, ut receptus ſit ſupranumerarius; & tunc non conſequitur jura Canonicalia, quia Capitulum recipiendo cum tali adjectione ſeu proteſtatione, cenſetur noluiſſe numerum frangere, ſed quoddam jus extraordinarium dare; unde ſic receptus non habet jus integrum & ordinarium, ſed tantummodò jus quoddam præparatorium ad jus integrum obtinendum, quod interim eſt inane, & ventoſum: & in hoc caſu procedit opinio gloſ. ad quam quotidiè fit remiſſio, *in d. c. Cùm M. in verb. Ultra numerum, de Conſtit.* ut ibi per Abb. *num. 31. in fin.* Felin *num. 23. verſ. Secundo limita*, & Rip. *n. 188.*

25 In ſecundo membro principali, ſcilicet in recepto authoritate Papæ, ſimiliter ſubdiſtingue: nam aut Papa mandat quem recipi ultra numerum ſimpliciter; & ſic receptus non conſequitur jura Canonicalia, quia in dubio Papa non cenſetur voluiſſe numero derogare; ſed potiùs, ut dictum eſt in præc. membro, creare jus quoddam extraordinarium, & præambulum ad jus integrum conſequendum, juxta text. *in c. Dilecti*, *infr. eod.* atque ita ex tali receptione numerus non frangitur, ſecundum communem opinionem DD. *in c. Pro illorum*, *inf. eod.* de qua teſtantur *in d. c. Cùm M.* Abb. *n. 32. in 2. limit.* & in hoc caſu procedit deciſio Rot. ſupracit. *n. 18.* Unde jus pinguius habet ſimpliciter receptus ultra numerum authoritate Capituli, quam Papæ, licèt regulariter contra: nam receptus à Capitulo conſequitur diſtributiones quotidianas, & alia jura Canonicalia, quod non videmus ſervari in receptis de neceſſitate, aut authoritate Papali, ut inquit Jo. And. hìc *n. 7.* Et ſit ratio diverſitatis, quia magis ſubvenitur Capitulo recipiendi ultra numerum ex neceſſitate, quàm ex nuda voluntate, ut *in c. Ab arbitris*, & ibi gl. *fin. de off. deleg. lib. 6.* & notant *in d. c. Cùm M.* Jo. And. *n. 41.* Butr. *n. 66. verſ. Si eſt receptus auctoritate*, Imol. *n. 28.* Verùm Cald. ibi tenet indiſtinctè receptum ultra numerum de mandato Superioris etiam ſimpliciter cònſequi debere jura omnia Canonicalia, & ſic vocem & diſtributiones quotidianas: eique adhærent ibi, Jo de Imol. *n. 28. ver. De jure mihi placet*, & Dec. *n. 135. ver. Et ſupradicta*, & perpendit Rip. *n. 186.* Pro qua opinione videtur text. expreſſus in hoc cap. ubi recepto ultra numerum fuit facta ſimpliciter de mandato Papæ, & tamen dicitur, ut receptus habere debere quotidianas diſtributiones, ut per Butr. *n. 8.*

Aut Papa ſcribit, ut aliquis recipiatur ultra numerum 26
non ſimpliciter, ſed cum plenitudine juris Canonicalis: & hoc caſu receptus abſque dubio obtinere debet vocem in electionibus, diſtributiones quotidianas, & alia jura, quæ competunt Canonicis numerariis, ſecundum Ant. de Butr. *in c. Pro illorum, ad fin. inf. eod.* quem ſequitur Abb. *in d. c. Cùm M. n. 32. verſ. Si verò ad mandatum Papæ*, & Felin. *d. n. 23. ver. Limita ſecundò*. Et in ſpecie, quòd verba, cum plenitudine juris Canonicalis, includant quotidianas diſtributiones, eſt text. expreſſus *in c. fin. §. In illis verò, de conceſſ. præb. lib. 6.* ubi hoc tenet Gemin. *in princ.* adjiciens tales non comprehendi in Statuto de Canonicis loquente, & eum ſequitur Felin. *loc. cit.*

DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.

Idem Innocentius III.

CAPUT XXI.

NIſi eſſent viri providi & honeſti, tam qui ordinationem fecerunt, quàm illi circa quos eſt facta ordinatio in Eccleſia veſtra, ſuper negotio Prioratus, ordinationem illam valdè ſuſpectam, propter exempti perniciem, haberemus. Quod ergo poſt concertationem diutinam ordinatum eſt circa unum de duobus electis, ut ipſe habeat Prioratum, hoc ex juriſdictione delegata, ſecundùm juſtitiam videtur eſſe ſtatutum: quod autem ordinatum eſt circa reliquum, ut ipſe viginti libras de redditibus Capituli, & quadraginta de proventibus Prioratus percipiat annuatim, hoc ſecundùm providentiam intelligitur eſſe præceptum ex arbitraria poteſtate, cùm in delegatos fuerit compromiſſum, cui auctoritatem ſibi retinendo commiſſam, ſe pro bono pacis, & utilitatis hoc ordinaſſe fatentur. Quia igitur hæc ordinatio ab omnibus eſt recepta, poſſuntque licitè Prior & Capitulum de proventibus ſuis propter cauſas prædictas, non quidem ex pactione partium, ſed ex juſſione judicum, proviſionem hujuſmodi exhibere: Nos eam hoc adhibito moderamine toleramus, ut ad præſtationem quadraginta librarum non dignitas Prioratus, ſed perſona prioris maneat onerata, ne fortè circa proventibus aliqua videatur facta ſectio Prioratus; ita quòd ipſo Priore defuncto, ſucceſſor ipſius ad præſtationem quadraginta librarum minimè teneatur.

S U M M A R I U M.

1 *PEnſionem annuam poteſt Judex commiſſarius pro bono pacis uni ex duobus electis aſſignare, & alterum confirmare.*

2 *Factum ab honeſta, & provida perſona, licèt aliàs videatur de genere malorum, non præſumitur factum illicitè.*

3 *Compoſitio ſuper jure beneficii præſumitur ſimoniaca, niſi facta fuerit auctoritate ſuperioris.*

4 *Compoſitio amicabilis ſuper ſpiritualibus valida eſt, licèt tranſactio ſtricta non valeat, & n. 42.*

5 *Oportet tamen, ut compoſitio capiat initium ab auctoritate ſuperioris, & non à pactione partium.*

6 *Arbitratores pronuntiando pro bono pacis poſſunt excedere limites juris; ſed judices contra jus pronuntiare non poſſunt, & n. 41.*

7 *Beneficium, quantum ad ipſius ſubſtantiam, non eſt diviſibile, nec quantum ad fructus, quando diviſio eſt realis, ſeu perpetua. & n. 43.*

8 *Penſio ſuper fructibus beneficii de conſenſu beneficiati auctoritate ſuperioris impoſita, extinguitur mortuo ipſo beneficiato, vel beneficium amittente, & n. 13.*

9 *Quòd ſi renuntiet, & poſteà eligatur, præſumitur fraus, niſi probetur bona fides. & n. 11 & 12.*

10 *Renuntiaſſe non videtur, qui ſtatim iterùm eſt aſſumptus.*

12 *Renuntiatio præſumitur facta in fraudem penſionarii, ſi beneficium conſanguineo renuntiantis conferatur.*

14 *Epiſcopus an poſſit auctoritate ordinaria penſiones imponere*

ponere

ponere ſuper proventibus beneficiorum ſuæ Diœceſis, latè diſcutitur, & n. ſeqq. uſque in fin.

15 *Sine juſta cauſa non poteſt, & n. 17.*

Nec ſine conſenſu titularis, n. 22.

Nec quando beneficium confert cum pacto ſolvendi penſionem, n. 18.

Nec quando fructus Parochialis non excedunt ducatos centum, n. 25.

Nec quando penſio excedit medietatem fructuum, n. 27.

16 *Papa poteſt penſionem imponere nulla cauſa expreſſa.*

18 *Epiſcopus in collatione beneficii convenire non poteſt, ut penſio ſolvatur ſibi, vel alteri, & n. 53.*

19 *Conditio omnis, quæ jure non ineſt, adjecta collationi beneficii, efficit eam ſimoniacam.*

20 *Reſignatio beneficii cum reſervatione penſionis non poteſt fieri coram Epiſcopo.*

21 *Simoniaca eſt pactio inter partes ſine judice, ut una pars cedat liti, & recipiat penſionem ab altera, ſi pars cedens habeat jus in cauſa, aliàs ſecus.*

22 *Dignitatis jura Prælato irrequiſito Epiſcopus diminuere non poteſt.*

23 *Penſio ſuper fructibus beneficii vacantis non poteſt ab Epiſcopo reſervari, & n. 53.*

24 *Eccleſia vacante illius fructus diminui poſſunt.*

Declaratur, n. 30.

26 *Penſio ſuper beneficio de jure imponi non poteſt, niſi ſuperſit redditus ſufficientes ad ſuſtentationem Rectoris.*

27 *Papa non ſolet reſervare penſionem ultra tertiam vel dimidiam fructuum.*

28 *Epiſcopus an poſſit imponere penſionem duraturam ad vitam gravati, & nu. ſeqq.*

29 Toleramus, *verbum inducit tacitam diſpenſationem ſuper facto aliàs illicito, & n. 32.*

30 *Compoſitio ſuper juribus Eccleſiæ poteſt fieri à Rectore in præjudicium ſui ipſius, etiam ſine conſenſu ſuperioris.*

Epiſcopus antequam beneficium conferat, ſi aliquid ſubtrahat de fructibus illius in pios uſus expendendum non eſt illicitum, n. 31. verſ. Tertiò ad idem.

32 *Epiſcopus an poſſit imponere penſionem ad vitam penſionarii, ita ut ſit tranſmiſſibilis ad ſucceſſorem in beneficio, & n. ſeqq. uſque in fin.*

33 *Cenſus Eccleſiæ impoſitus ex cauſa tranſactionis ſine auctoritate Epiſcopi non excedit vitã ejus, qui ſolvit.*

34 *Præbendæ duæ ex una poſſunt conſtitui, ſi rationabilis cauſa ſubſit.*

35 *Penſio impoſita ab Epiſcopo pro perſona ſibi beneviſa, eſt, ſimoniaca, & confidentialis, ex Bulla Pii V.*

37 *Epiſcopus poteſt reſervare penſionem per modum quantitatis, non autem per modum quotæ.*

38 *Sed contra.*

39 *Epiſcopus pro bono pacis, & ex cauſa concordiæ poteſt imponere penſiones tranſmiſſibiles ad ſucceſſores in beneficio.*

40 *Contrarium.*

43 *Beneficium ſcinditur per impoſitionem penſionis realis, ſeu perpetuæ.*

44 *Beneficii ſectio de jure eſt prohibita. Et in hoc non diſpenſat Epiſcopus etiam ex magna cauſa.*

46 *Penſionem novam Eccleſiis imponi, vel veterem augeri prohibet Concil. Lateranenſe, contra quod Epiſcopus non diſpenſat.*

47 *Beneficia Eccleſiaſtica ſine diminutione ſunt conferenda, & num. 49.*

48 *Intellectus c. Extirpandæ, §. Qui verò, de præb.*

50 *Eccleſia non poteſt conſtitui cenſualis auctoritate Epiſcopi.*

Declaratur, n. 64.

51 *Penſio perpetua facit Eccleſiam cenſualem.*

52 *Beneficiatus conſentiendo reſervationi penſionis auctoritate Epiſcopi obligat ſucceſſorem.*

54 *Penſio non poteſt imponi ab Epiſcopo in actu collationis beneficii.*

55 *Et conſenſus titularis eſt ſimoniacus.*

56 *Alienatio rerum Eccleſiæ etiam cum cauſa Epiſcopo eſt prohibita.*

57 *Penſionis impoſitio eſt alienatio, ſeu donatio rerum Eccleſiæ.*

58 *Penſionarius habet hypothecam ſpecialem ſuper fructibus beneficii, niſi penſio ſit perſonalis.*

59 *Penſio ſuper beneficio, de quo alicui per obitum providetur, imponi non poteſt ſine expreſſa licentia Papæ, ex Decreto Pauli IV. & n. 61.*

60 *Penſiones ab Ordinario impoſitæ non datur confirmatio Apoſtolica, ſed Papa ex integro reſervat.*

62 *Penſio alicui Eccleſiæ ab Epiſcopo imponi non poteſt, ex declarationibus S. Congr. Concilii.*

63 *Penſiones ex uſu, & ſtylo Romanæ Curiæ ſolus Papa reſervat.*

64 *Eccleſiæ duæ ſi litigent ſuper ſubjectione, poteſt ſubjecta conſtitui cenſualis auctoritate Epiſcopi.*

65 *Præbendæ duæ ſi una conſtituantur, præbenda non dividitur, ſed ſunt duæ præbendæ integræ pro duobus Canonicis.*

N*Iſi eſſent.* Si duo electi ad aliquam dignitatem com- 1
promittant in judicem, poteſt ipſe judex alterum
confirmare, & alteri ad vitam confirmato pro bono pacis
annuam penſionem de proventibus beneficii aſſignare.
Hoc dicit Jo. Andr. Butr. Card. Anchar. Imol. Abb. & Jo.
de Anan. Dividitur in duas partes: nam primò excuſat ſu-
ſpectam ordinationem, & duo membra ipſius declarat.
Secundò præmiſſis motivis cum certa moderatione illam
approbat. Secunda ibi, *Quia igitur*, Joan. Andr. & eſt pul-
cherrima deciſio, & in toto corpore juris non habes con-
ſimilem, Abb. Sicul.

Nota primò ibi, *Viri providi, & honeſti*, factum ab 2
honeſta, & provida perſona, licèt aliàs videatur de gene-
re malorum, vel de ſuſpectum, tamen nòn debere præ-
ſumi factum illicitè, ſed potiùs ex honeſta cauſa, ut hìc pa-
tet. Ad idem *c. Lugdun. 9. q. 2. c. Omni, 7. q. 1. c. Qui men-
ſas*, ubi de hoc 37. *diſt. in noſtra, ſupra de procurat.* & hìc
notant gloſ. 1. Abb. Antiq. *num. 2. in ver. Providi*, Collect.
n. 1. Butr. *n. 4.* Card. Anch. Imol. Abb. & Jo. de Ann. om-
nes *in 1. notab.*

Secundò nota ibi, *Ordinationem illam valdè ſuſpectam*, 3
compoſitionem factam ſuper jure baneficii fructibus tem-
poralibus alteri litigantium aſſignatis videri ſuſpectam de
ſimonia, & habere ſpeciem ſimoniæ: ſed nihilominùs tol-
li hanc præſumptionem, ſi aſſignatio facta fuerit auctori-
tate ſuperioris, præſertim providi, & honeſti; & ſic licèt 4
in ſpiritualibus tranſactio ſtricta non valeat, tamen valet
amicabilis compoſitio; & ad hoc quotidie allegatur hoc
cap. ut per Butr. & Imol. *n. 2.* Oportet tamen, ut hujuſmo- 5
di compoſitiones ſuper beneficiis, & beneficialibus, ad hoc
ut valeant, & à ſimonia excuſentur, capiant principium
ab authoritate ſuperioris, & non à pactione partium, ut
probat hæc littera, ibi. *Non quidem ex pactione partium, ſed
ex juſſione judicum.* Quamobrem qui priùs faciunt inter ſe
compoſitionem, & poſteà adeunt judices, ut interponant
auctoritatem, non excuſantur ſecundum bonam conſcien-
tiam, quo minùs incidant in vitium ſimoniæ, ut adver-
tunt iidem Butr. & Imol. *n. 10.* Abb. *nu. 9. ver. Quandoque
partes recedunt*, Dec. *conſ. 141. Ad plura dubia, n. 2. verſ.
Et concluſio.* Quinimò Rota in Calaguritana penſionis 29.
Maji 1595. coram Penia, impreſſa apud Nicol. Garz. *de be-
nef. p. 1. c. 5. n. 343.* reſolvit reſervationem penſionis nec à
compromiſſariis poſſe initium capere. Sed hoc eſt contra
hanc litteram, ibi, *Sed ex juſſione judicum.* Nam iſti judi-
ces delegati penſionem reſervarunt, non tamquam judi- 6
ces, & ex virtute delegationis, ſecundum quam non po-
terant contra jus pronuntiare; ſed tamquam arbitratores,
& amicabiles compoſitores, qui pronuntiando pro bono
pacis poſſunt excedere limites juris, ut hìc declarant Butr.
n. 6. Imol. *eod. num. verſ. Item nota, quòd arbitrator, & n.
13. verſ. Unde licèt gloſ.* & Abb. *nu. 4. verſ. Item nota aliud
pulchrum dictum, & n. 6.*

Tertio nota ibi, *Ne fortè circa proventus aliqua videatur* 7
facta ſectio prioratus, quòd ſicut dignitas & beneficium
non eſt diviſibile quantum ad jus, & ſubſtantiam ipſius be-
neficii, ita nec quantum ad redditus, vel proventus, quan-
do diviſio eſt realis, vel perpetua; ſecùs quando eſſet tem-
poralis, ut hìc, & *in c. ult. 1. q. 3. & in c. Si Monachus, 16.
q. 1. & in c. Ut noſtrum, infra ut Eccleſiaſtica beneficia*, &
hìc notant gloſ. ult. Butr. *u. 11. & 15.* Card. *n. 10. in 7. op-
poſit.* & Imol. *n. 11.*

Quartò nota ibi, *Priore defuncto ſucceſſor ipſius ad præ-* 8
ſta-

ſtatione n quadraginta librarum minimè teneatur, quòd penſio ſuperioris auctoritate impoſita ſuper fructibus beneficii conſenſu beneficiati non tranſit in ſucceſſorem, ſed extinguitur ipſo beneficiato vita functo, ut in littera: ſuppletu, vel remoto, aut quocumque alio modo beneficium dimittente, quia qualitercumque vacet, eadem ratio militat, ne ſucceſſor remaneat obligatus, ſecundum Hoſt. *hic n.8. in ver. Defuncto*, Jo. Andr. *n.6 in eodem verſ.* Butr. *n.* 16. Card. *n.*15.*in* 3.*q.* Anchar.*n.*8. Imol. *n.* 17. *verſ. Tertiò tangit*, & Abb.*n.*10.

9 Sed quid ſi renuntiet, & poſteà eligatur? Præſumitur fraus, & adhuc tenetur ad ſolutionem penſionis, *l. Sicut re*, §. *Supervacuum*, *& l. Voluntate*, 1. *reſponſo*, *& l. ult. ff. Quibus modis pignus, & hypothec. ſolvat. l. Is bonis paternis*, *ff. de acqu. hæred. c. Ad noſtram*, *infra de contrahen. empt.* Petitur enim res eadem, & eadem eſt obligationis cauſa, & eædem perſonæ ſunt, *l. Cùm quæritur*, *& l. ſeq. ff.*

10 *de except. rei judic.* Nec renuntiaſſe videtur, qui ſtatim iterum eſt aſſumptus, *l. Si patrem*, §. *Verſum*, *ff. de in rem*

11 *verſo*, *c. Officii cum ſuis concord. ſupr. de elect.* Et quod dixi de præſentatione fraudis, intelligas verum eſſe, niſi probet ſe bona fide renuntiaſſe ex aliqua rationabili cauſa, & fortè latente, ut quia vitioſum habuit initium; aliàs præſumitur contra ipſum, *c. Quanto*, §. *penult. de divort.* Hoſt. *hic d.n.8. verſ. Quid ergo*, *& n.9.* Jo. Andr. *n.6.* Butr. *n.* 16. Card. *n.* 13. *in* 4.*q.* Anchar. *n.* 8. Imol. *n.* 17. *verſ. Quid au-*

12 *tem ſi renuntiavit*, & Jo. de Anan. *n.* 9. & ſimiliter, ſecundum eos, ſi ipſe renuntiet, & beneficium ejus nepoti, vel conſanguineo conferatur, præſumitur hoc feciſſe in eluſionem, & fraudem Penſionarii, arg. *l. Qui autem*, § *Si-*

13 *militer*, *& l. Ait prætor*, §. *Similiter*, *& l. Lucius*, *ff. de his quæ in fraudem credit.* Veruntamen Anchar. *d.n.8.verſ. Sentiunt ergo*, videtur ſentire obligationem ſolvendi annuam penſionem remanere apud eum, qui conſenſit reſervationi etiam poſt dimiſſum beneficium, etiam ſine ulla fraude; ſed tamen in fine cogitandum relinquit.

14 QUÆRO generaliter, an Epiſcopus poſſit ordinaria auctoritate ſuper proventibus beneficii annuam penſionem imponere.

Hæc quæſtio difficilis eſt, & admodum controverſa; ſed pro faciliori illius ſolutione excludam caſus non dubios. Sunt enim aliqui caſus, in quibus planum eſt Epiſcopo hanc facultatem non competere.

15 Primus caſus eſt, quando nulla ſubeſt juſta cauſa, ſine qua manifeſtum eſt Epiſcopum non poſſe annuam penſionem reſervare, ut hìc probatur à contrario ſenſu, ibi: *Se*

16 *pro bono pacis & utilitatis hoc ordinaſſe fatentur*; & admittunt hìc ſcribentes omnes. Hæc enim eſt differentia inter Papam, & Epiſcopum; quia Papa poteſt reſervare penſionem abſque eo, quòd ullam exprimat cauſam, cùm ſit ſupra omne jus humanum poſitivum, & in beneficialibus pleniſſimam habeat poteſtatem, *c. Propoſuit*, *de conceſſ. Præbend. c.* 2. *de Præb. lib.6* Clem. 1. *in fin. ut lit. pend.* Epiſcopus

17 verò hoc non poteſt ſine juſta cauſa, & concernente utilitatem Eccleſiæ. Ita Felic. *in c. Ad audientiam*, *il* 2. *num.*2. *circa fin. verſ. Et ex iſtis videtur poſſe concludi*, *de reſcript.* Caccialup. *in tract. de penſ. q.*5. Hier. Gigas *in eodem tract. q.*6.*n.*5.6. *&* 7. Aliàs reſervatio nulla eſt, & invalida, Coraſ. *de benef. p.*1.*c.*4.*n.*13. & alii apud Nicol. Garz. *in eodem tract. p.*1.*c.*5.*n.*322.

18 Secundus caſus non dubius eſt, quando Epiſcopus confert beneficium cum pacto, ſeu conditione ſolvendi penſionem; hoc enim eſt ſimoniacum ut patet in hoc cap. ibi, *Non quidem ex pactione partium*, & fuſiùs dictum eſt ſupra in ſecundo notab. *n.*5 *verſ. Oportet tamen*: quod locum habet non modò, ſi in collatione beneficii Epiſcopus adjiciat pactum, ſeu conditionem, ut penſio ſolvatur ſibi ſecundum Abb. *in c.*5.*n.*13. *notab. inf. ut Eccl. benef.* poſt D. Th.

19 *in* 2.2. *q.*100. *art.*4. *in fin.* ſed etiam ſi conveniat, ut penſio ſolvatur alteri, ut hìc probatur, & eſt ratio: quia omne pactum & omnis modus, & conditio, quæ jure non ineſt, adjecta collationi beneficii, efficit eam ſimoniacam, ut *c. Quam pio*, 1.*q.*2. *& c. fin. de pact.* & in hac ſpecie reſpondit Navarrus *con.* 4 *An committatur ſimonia*, *ſi Epiſcopus*, *de ſimon.* & voluit Rebuff. *de pacific. poſſeſſ. n.*122. *aliàs* 105. & in receptione *c. Extirpandæ*, § *Qui verò*, *in* 6. *not. circa materiam penſionis*, *infra eod.* Redoan. *de ſimon. in* 2.*p. c.*14. *in fin. & c.*22. & alii apud Nicol. Garz. *de benef. par.*1.

20 *c.* 5. *nu.* 340. Atque ita coram Epiſcopo non poteſt fieri reſignatio, ſeu ceſſio beneficii cum reſervatione penſionis, ut tenent præcitati DD. & Coraſ. *in eod. tract. p.*1.*c.*8.*n.*13. Boer. *dec.*2.*n.*45. dicens ad ſolum Papam ſpectare admittere reſignationes cum penſione, Petr. Andr. Gammar. *de offic. leg. lib.*6. *n.*163. *&* 618 quos ſequitur aliis relatis Garz. *ubi ſupra n.* 345. quibus adde Abbatem *in c. Cùm pridem*, *n.* 8. *verſ. Sed inter partes*, *ſupra de pactis*, ubi notabiliter 21
ait, inter partes ſine judice non debere admitti pactionem, ut una pars cedat liti ſuper beneficio, & recipiat penſionem annuatim ab altera, quia poſſet in ſe continere ſimoniam, quia fortè renuntians liti habet jus in cauſa; ſed ubi jus non haberet, non eſſet aliqua ſimonia, ſed pars potiùs redimeret vexationem ſuam, ut dicit gloſ. *in d. c. Cùm pridem*, *in verb. Illicitæ pactionis de pactis*.

Tertius caſus itidem non eſt dubius, cùm penſio imponitur ab Epiſcopo ſine conſenſu titularis: nam planum eſt 22
hoc fieri non poſſe, ut notat Innoc. *in c. unic. nu.* 6. *infra*, *ut Eccleſiaſt. benef.* ubi ait, *Cùm dignitas non vacat*, *Prælato irrequiſito*, *qui eſt in dignitate conſtitutus*, *non poteſt Epiſcopus illius jura diminuere ſine cauſæ cognitione*, *l. Nec tuo*, *C. de emancip. l. Quicumque*, *C. de omni agro deſerto*, *c. Ad audientiam*, *de Eccleſ. ædific.* & probatur à contrario ſenſu in hoc cap. ibi, *Quia igitur hæc ordinatio ab omnibus eſt recepta*. Unde gloſſ. 3. dicit Papam hìc toleraſſe compoſitionem, ut unus habeat beneficium, alius penſionem tum propter bonum pacis, tum quia omnibus placuit, ſequitur Card. *n.*10. *in* 1.*q. verſ. Quod fuit autem una*, & Abb. *n.*9. *verſ. Sed adverte*, ubi expreſsè dicit Judices hoc non poſſe, niſi partes conſentiant.

Et hinc fit, ut ſuper fructibus beneficii vacantis minimè 23
poſſit Epiſcopus penſionem alteri reſervare, quia non eſt ibi Rector, qui poſſit conſentire, ac proinde non poteſt jus reale ibi conſtitui, ut determinat ibi Innocent. *poſt med. in verb. Sectio*, *verſ. Et eſt alia ratio*, cum quo cæteri con- 24
cordant, ut latiùs dicam infra *nu.* 53. & quòd Eccleſia vacante ejus fructus minui non poſſint, tenet Hoſt. & poſt eum Jo. Andr. *in c. Avaritiæ*, *n.*5. *ſuper eod. per c. Dudum*, *de reb. Eccl. non alien. lib.*6.

Quartus caſus ſimiliter non dubius eſt in Parochialibus 25
Eccleſiis, quarum redditus ſummam duccatorum centum ſecundum verum annum valorem non excedunt: planum eſt enim Eccleſias hujuſmodi nullis penſionibus, aut reſervationibus fructuum poſſe ab Epiſcopo gravari reclamante nimirum Conc. Trid. *in c.*13. §. *Ad hæc*, *ſeſſ.* 24. ſed & jure communi inſpecto oportet, ut detracta penſione ſuper- 26
ſint redditus ſufficientes ad ſuſtentationem Rectoris, ut *c. Extirpandæ*, *infra eod* & notat Abb. *in c. Paſtoralis*, *n.*6. *ſupra de his*, *quæ fiunt à Præl.* non enim debet unum altare diſcooperiri, ut aliud cooperiatur, *c. Cùm cauſam*, *infra hoc tit.*

Quintus denique caſus non dubius eſt, cùm penſio excedit medietatem fructuum, quandoquidem nec Papa ſo- 27
let reſervare penſiones ultra tertiam, vel dimidiam partem fructuum, ut atteſtantur Domini de Rota *dec.* 444. *num.*1. *p.*2. *rec.* ex Giga *de penſion. q.*9.*n.*1. facit text. *in d. c. Extirpandæ*, *infra eodem*, & quod notat Oldrad. *conſ.* 226. *Quidam Epiſcopus*, ubi conſuluit penſionem ab Epiſcopo impoſitam ſuper fructibus menſæ Epiſcopalis fuiſſe nullam, quia erat immoderata.

Extra caſus ſupraditos, & ſi qui ſint ſimiles, revocatur in dubium, an Epiſcopus ſuper beneficiis ſuę Diæceſis poſſit penſionem imponere.

Pro ſolutione duo ſunt videnda: Primum, an Epiſcopus 28
poſſit imponere penſionem duraturam ad vitam gravati. Secundum, an poſſit imponere penſionem ad vitam penſionarii, ita ut ſit tranſmiſſibilis ad ſucceſſores in beneficio. Circa primum, receptiſſima ſententia eſt, Epiſcopum jure ſuo ordinario poſſe imponere penſionem ad vitam Titularis gravati, Innoc. *in c. De cætero*, *n.*7 *verſ. Sed benedicimus*, *ſupra de tranſact.* ubi ait: Cùm auctoritate Capituli ſui poſſe Epiſcopum conſtituere, ut aliquis poſſit ad tempus fructus alicujus dignitatis tenere, Abb. *ibi num.* 2. Gloſſ. 2. *in c. Audivimus*, *infra de coll. ſ. detegen.* quæ ampliùs ſentit etiam ſine authoritate Epiſcopi poſſe conſtitui penſionem ad vitam ejus, qui ſolvit, dummodò per colluſionem facta non fuerit, Oldrad. *conſ.* 226. ubi conſuluit penſionem ab Epiſcopo impoſitam ſuper fructibus ſuæ menſæ Epiſcopalis non tranſire in ſucceſſorem; & ita ſentit penſionem ſuſtineri ad vitam conſtituentis, Felin. *in cap.*

Ad

*Ad audiendam, il 2. n. 2. verſ. Secunda concluſio, ſupra de
reſcrip.* ubi dicit, ex cauſa licita & honeſta poſſe ab Epiſco-
po conſtitui penſionem alicui dandam ex redditibus bene-
ficii per hoc capit. ubi pro bono pacis fuit alteri litigantium
ſtatuta penſio de redditibus Eccleſiæ ad vitam ſolvendis.
Sarnen. *in Compend. utriuſque Signaturæ, quſt.* 55. *num.* 56.
verſ. (*Et eſt advertendum*, quòd licèt inferiores à Papa
poſſint ſuper beneficiis penſiones imponere in caſibus no-
tatis per Paul. Roman. *in tract. de penſion. qu.* 1. 10. *&* 11.
& quæſt. 4. *num.* 10 & habetur *in cap. Paſtoralis, de his quæ
fiunt à Præl. & in c. Niſi*, ubi Abb. *in fin. de præbend.* tamen
in illis penſionibus de ſtylo Signaturę non ſolet in commiſ-
ſionibus apponi d. clauſula, *Sine retardatione*. Secus eſt
in penſionibus impoſitis per Papam. Ratio diverſitatis eſt,
quia inferiores à Papa non poſſunt niſi in ceteris caſibus, &
cauſa expreſſa imponere penſiones, quæ non tranſeunt ad
ſucceſſores, ut notant Jo. Batiſta de S. Severino *in tract.
de penſion. qu.* 4. & DD. *in c. Extirpandæ, §. fin. de præben.*)
Hæc Sarnen. quem refert & ſequitur Redoan. *de Simon. in
2. par. cap.* 14. *num.* 27. Navarrus *conſ.* 43. *Cajus, & Titius,
num.* 4. *de Simon.* ubi conſulit poſſe imponi penſionem ab
Ordinario duraturam, quamdiù gravatus tenuerit benefi-
cium, Redoan. *de Simon. in 2. part. cap.* 21. *num.* 36. di-
cens Epiſcopum non poſſe imponere penſionem, niſi ad vi-
tam onerati. Et pro hac opinione adduci poſſunt DD. om-
nes infra citandi *n.* 35. qui tenent Epiſcopum ex juſta cauſa
poſſe ſuper beneficiis ſuæ Diœceſis imponere penſiones,
etiam perpetuas, & tranſmiſſibiles ad ſucceſſores: hi enim
à fortiori cenſent eum poſſe imponere penſiones ad vitam
onerati. Rurſus pro hac opinione afferi poſſunt etiam Au-
thores, qui ſimpliciter & abſolutè affirmant Ordinarios ex
juſta cauſa poſſe penſiones reſervare: videntur enim intel-
ligendi de reſervatione ad vitam ejus, qui ſolvit. Inter
quos Anchar. *conſ.* 270. *Quæſtio proponitur, num.* 1. *poſt med.
verſ. Ex qua cauſa*, Dec. *in c. Ex parte, il* 1. *n.* 16. *de offic.
deleg.* ubi ait etiam Epiſcopum poſſe in collatione beneficii
apponere onus alimentandi illum, qui renuntiavit; &
idem Decius *in conſ.* 436. *Viſa inſtitutione, nu.* 12. ſubdens
ita etiam ſentire Oldrad. *d. con.* 226. quia licèt videatur pen-
ſionem impugnare, tamen hoc ideò facit, quia erat ex-
ceſſiva: ergo ſecùs ſentit, ſi fuiſſet moderata. Et ex recen-
tioribus Flamin. Pariſius alios referens *de confiden. qu.* 28.
num. 120 ubi proſequitur plures modos, & cauſas reſerva-
tionis, latiſſimè Nicol. Garz. *de benef. p.* 1. *c.* 5. *n.* 295. & de-
cidit Rota in Meliten. Canonicatus 9. Martii 1595. coram
Card. Milinio, impreſſ. apud Marcheſ. *de commiſſ. p.* 1. *pag.*
611. in qua fuit reſolutum pro validitate penſionis reſerva-
tæ ab Epiſcopo in actu collationis beneficii in favorem
Clerici ex cauſa paupertatis, & quia ſacris litteris operam
dabat. Hæc concluſio probatur apertiſſimè in hac Decreta-
li, ubi Papa tolerat ordinationem à judicibus factam, quòd
unus ex litigatoribus habeat dignitatem, & alter annuam
penſionem, hoc tamen adhibito moderamine, ut perſona,
non autem dignitas remaneat onerata & ſic Papa declarat
Judices potuiſſe imponere penſionem perſonalem, ſeu du-
raturam ad vitam onerati, idque ob rationem in textu ex-
preſſam, quia per hujuſmodi impoſitionem penſionis per-
ſonalis, ſeu ad vitam non ſcinditur beneficium, ſicut ſcin-
ditur per impoſitionem penſionis realis, & tranſmiſſibilis
ad ſucceſſores in beneficio.

Sed dices: Papa hìc utitur verbo, *Toleramus*, ubicumque
29 autem in facto ſpecifico Princeps reſpondendo, vel ſcri-
bendo dicit, *Toleramus*, videtur diſpenſare ſuper illo actu
aliàs illicito, ut eſt text. *in cap. Quia circa*, juncta gloſ. ult.
infrà de conſanguinit. & affinit. & hìc declarat Abb. *num.* 9.
ergo ut inquit gloſſ. 3. hìc, *Papa toleravit hanc compoſitio-
nem ob cauſas in textu expreſſas, videlicet quia facta fuit pro
bono pacis, & utilitatis, & quia placuit omnibus, & ſi Pa-
pa compoſitionem non toleraſſet, auctoritas Judicis non fuiſſet
ſufficiens, quia de jure hoc facere non poterat; unde dicit
Papa, nos eam hoc adhibitio moderamine toleramus, & ad
tempus, ut ſequitur*. Hactenus verba gloſſ. quæ, ut vides,
apertè ſentit ſine tolerantia Papæ reſervationem penſionis
etiam ad tempus non ſuſtineri. At reſpondetur contra gl.
tenere Hoſt. & communiter DD. ut dicit Abb. hìc *n.* 8. *in fin.
verſ. Contrarium tamen*, & idem tenet gloſſ. Archid. in
30 *c. Ea quæ*, 1. *q.* 3. & meritò, quia Rector poteſt ſuper juri-
bus Eccleſiæ immobilibus, & ſpiritualibus tranſigere, &
componere etiam ſine ſuperioris conſenſu in præjudicium
ſui ipſius, ita ut compoſitio ſit valitura toto tempore, quo
ipſe erit Rector. Caſus eſt *in c. Veniens, ſupra de tranſact.*
& ibi dixi *n.* 2. poſt Abb. *n.* 1. dicentem ſe neſcire alibi ita bo-
num textum. Idcircò autem Papa hìc dixit, *Toleramus*, ne
ex toto videretur approbare hoc factum, quia erat ſuſpe- 31
ctum de ſimonia, niſi proceſſiſſet à viris probis, & hone-
ſtis, & non expediebat, ut aſſumeretur in exemplum; un-
de dicit ſe tolerare, quia multa ſunt toleranda, non lau-
danda, propter malum, quod poteſt ſubeſſe, ut hìc per Abb.
n. 9. *ver. Quare ergo dixit, toleramus.*

Denique pro hac opinione adducitur tex. *in c. De cætero,
ſupra de tranſact.* ubi Abb. *num.* 3. Nota, inquit *quod per
compoſitionem factam auctoritate judicis delegati poteſt Cle-
ricus ſe obligare ab ſolvendum adverſario cenſum, ſeu an-
nuam penſionem toto tempore vitæ ſuæ, licèt Epiſcopus non
conſenſerit, nec conſentire velit*, quod eſt notatu dignum.
Nam licèt bona Eccleſiaſtica debeant converti ad uſus
pios, *ut in c. Paſtoralis, de his quæ fiunt à Prælat.* tamen pro
bono pacis poteſt conſtitui ex redditibus Eccleſiæ cenſus
ſolvendus adverſario.

Tertiò ad idem facit, quod notat Innoc. *in c. unic. n.* 6. *in-
fra:* Ut Eccleſiaſtica beneficia, ubi ait eſſe ibi argumen-
tum, quòd Epiſcopus ex cauſa poteſt conſtituere cum con-
ſenſu Capituli ſui de reſervandis fructibus dignitatis, vel
præbendæ vacantis, puta ſi Eccleſia gravaretur debitis,
allegat *c. Significatum, ſup. eod.* & concord. S. Th. *in* 2. 2.
q. 100. *art.* 4. *in fin.* ubi ait: *Si Epiſcopus antequam benefi-
cium alicui conferat, ob aliquam cauſam ordinaverit aliquid
ſubtrahendum de fructibus beneficii, & in pios uſus expen-
dendum, non eſſe illicitum.*

Quidquid tamen ſit de jure, uſus Sedis Apoſtolicæ ubi-
que receptus habet, ut ſolus Papa penſiones reſervet; ideò-
que Congregatio deputata in cauſa Leodienſi, reſpondit
non licere Epiſcopo penſiones ad vitam reſervare, ut ſcrip-
ſi *in c. Cùm de ſua, n.* 11. *&* 17. *de corpor. vitiat.*

Circa ſecundum, videlicet, an Epiſcopus poſſit impo- 32
nere penſionem ad vitam penſionarii, ita ut ſit tranſmiſſi-
bilis ad ſucceſſorem in beneficio.

Ad partem affirmativam inducitur primò *c. Paſtoralis,
ſupra de his quæ fiunt à Prælat.* ubi deciditur Epiſcopum
non poſſe viris Religioſis penſionem conſtituere ſuper fru-
ctibus Parochialium Eccleſiarum prӕter ſui Capituli volun-
tatem: ergo de conſenſu Capituli poteſt. Et ita ex illo textu
Abb. hìc *n.* 3. notat Epiſcopum cum conſenſu Capituli ſui
poſſe imponere penſionem Eccleſiæ abundanti ſolvendam
ad ſuſtentandam vitam Religioſorum; & ſic non ſolùm Pa-
pam, ſed etiam Epiſcopum poſſe imponere penſionem Ec-
cleſiæ, dummodò tamen detracta penſione Rector Eccle-
ſiæ poſſit commodè ſuſtentari.

Secundò, ad hanc partem inducitur *c. De cætero, ſupra 33
de tranſact.* ubi cenſus, ſeu penſio Eccleſiæ impoſita ex cau-
ſa tranſactioni ſine conſenſu Epiſcopi non excedit vitam
ejus, qui ſolvit, ubi Innoc. *n.* 5. ſic ait: *Si conſtituatur cen-
ſus Eccleſiæ perpetuò ſolvendus, hoc non poteſt ſine auctorita-
te Epiſcopi: ergo à contrario ſi penſio impoſita fuerit de Epi-
ſcopi conſenſu, excedit vitam ſolventis, & tranſit in ſucceſſo-
rem?* & ita gl. ultima dicit talem compoſitionem eſſe per-
ſonalem, nec tranſire in ſucceſſorem, niſi facta fuerit au-
ctoritate Epiſcopi, & concordant ibi Butr. *n.* 4. *verſ. No-
ta quod non poteſt, & n.* 6. Abb. *num.* 2. *verſ. Item nota*, &
alii communiter.

Tertiò, ad idem inducitur *c. Vacante, infra eod.* ubi ha-
betur, quòd etſi Turonenſe Concilium ſectionem inhibeat 34
præbendarum, tamen rationabili cauſa ex una præbenda
duæ poſſunt conſtitui: ergo & penſio perpetua poteſt im-
poni, ſi rationabilis cauſa ſubſit.

Quartò, ad idem allegantur *c. Ad audientiam, il* 2. *de
reſcript. c. Conquerente de Cler. non reſiden. & c. Quamvis,
de præben. lib.* 6. & facit text. *in c. Conſtitutus, infra de Reli-
gioſ. domib.*

Et pro hac opinione conſuluit Petr. de Anch. *in conſ.* 270.
Quæſtio proponitur, n. 1. *poſt med. ver. Ex qua cauſa.* ubi ex 35
facto reſpondit Epiſcopum ceſſante pactione qualibet par-
tium, ex ſuo puro, & mero officio fortè poſſe providere,
ut in permutatione beneficii unus ex permutantibus tenea-
tur dare alteri jam ſentio confecto, & inhabili annuam pen-
ſionem ad vitam ejus ſuſtentandam, quia huic ſeni, &
debili dandus eſſet coadjutor cum congrua fructuum aſſi-
gnatione, *cap. penult. & fin. de Cler. ægrot.* longè autem
uti-

utilius eſt habere compermutantem, qui ad ſuſtentationem dicti ſenis aliquid conferat, quàm ei coadjutorem dare cum onere expenſarum; & ſic tenet Anchar. auctoritate Epiſcopi poſſe conſtitui penſionem ſuper beneficio ad vitam penſionarii, & ſic tranſmiſſibilem ad ſucceſſorem, quamdiù penſionarius vixerit, & iſtud conſ. referunt, & ſequuntur Felin. *in c. Ad audientiam, il 2. n. 2. verſ. Secunda concluſio, de reſcript.* licèt poſteà ſubdat ſe dici deſideraſſe de hoc habere pleniores deciſiones, Decius *conſ.* 436. *viſa inſtrutione num.* 12. Caccialup. *de penſion. qu.* 4. *num.* 3. *& q.* 5. Gigas *in eodem tract. q.* 6. *num.* 3. *&* 4. ubi quòd in illis caſibus, in quibus Epiſcopus poteſt penſionem imponere, tamen illam imponere non poteſt niſi ad vitam ejus, cui aſſignatur. Item pro hac opinione allegatur Oldrad. *d. conſil.* 226. *Quidam Epiſcopus, per totum*, ubi latè impugnat penſionem ab Epiſcopo conſtitutam cuidam nobili tamquam de Eccleſia benemerito, tum quia de meritis non conſtabat, tum quia penſio erat in quantitate enormi; & ex deductis per eum poteſt rectè inferri, ut ubi concurrunt merita, & de ipſis conſtat, poſſit Epiſcopus in quantitate moderata aliquam penſionem reſervare alicui, quoad vixerit, de redditibus Eccleſiæ; & ita ex illo conſ. Oldrad. deducunt Felin. & Dec. *locis proximè citatis*, & tenuit Rota in Melevitana Canonicatus 6. Martii 1595. impreſſ. apud Garz. *de benef. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 113. *& ſeq.* in qua firmatum fuit Epiſcopum ex juſta cauſa poſſe reſervare penſionem ad favorem alterius. Allegat Anchar. Felin. Dec. & Gigas in *locis ſupra citatis*, & præter eos Abb. *in cap. Conquerente, num.* 5. *de Cler. non reſidentibus*, & Rimin. *conſ.* 298. *num.* 26. quæ deciſio fuit firmata in Calaguritana penſionis 29. Maji 1595. coram Penia, apud eumdem Garz *dict. par.* 1. *cap.* 5. *num.* 343. & idem tenuit Rota *deciſ.* 519. *part.* 1. *diverſ.* ubi penſio reſervata in favorem ex cauſa ceſſionis fuit judicata valida. In prædictis tamen deciſionibus non aperitur, an penſio perpetua, & tranſmiſſibilis ad ſucceſſores, necne.

36 Et tendendo hanc opinionem obſtat Bulla 85. Pii V. *ſuper confidentia*, §. 3. *verſ. Idem ſi Ordinarius, in Bullario tom.* 2. *pag.* 284. illis verbis: *Seu penſionem illi, vel illis, quem, vel quos idem collator, aut cedens, vel alius per ſe, vel alium ſcripto, aut verbo juſſerit, ſeu ſignificaverint, perſolvat.*

37 Quoniam Bulla loquitur, quando penſio fuit impoſita per Epiſpopum perſonæ ſibi beneviſæ, & poſteà declarandæ; tunc enim eſſet ſimoniaca, & confidentalis. Sed extra hunc caſum per Bullam non fuit adempta Epiſcopis facultas reſervandi penſiones ex juſta cauſa, ut reprobando Flamin. Pariſ *de confident. q.* 28. *num.* 120. tenet Garz. *de benef. p.* 1. *c.* 5. *num.* 113. *& ſeq.* & Gonzal. *ad regulam de menſib. gloſſ.* 5. §. 5. *num.* 27. & cenſuit Rota in Meliten. Canonicatus 9. Martii 1595. coram Cardin. Mellino apud Marcheſ. *de commiſſ. part.* 1. *fol.* 611. Temperant nonnuli hanc opinionem, ut locum ſibi vendicet, dummodò penſio reſervetur per viam quantitatis pecuniæ, ſeu frumenti, vel bladi, non autem per modum quotæ, puta tertiæ, vel quartæ partis fructuum, quia eſſet ſcindere beneficium, quod eſt de jure prohibitum, *c. Majoribus, de præb. & c. De cætero, de tranſact.* & hanc declarationem poſuit Felin. *in d. c. Ad audientiam, num.* 2. *poſt med. ver. Debet tamen iſtud ordinarii, de reſcript.* & ante eum Jo. de Anan. *in c. Audivimus, num.* 3 *verſ. Debet tamen iſtud ordinari, infra de colluſ. deteg.*

38 Sed hæc declaratio aſt apertè contra text. noſtrum, ubi improbatur penſio perpetua, & tranſmiſſibilis ad ſucceſſorem in dignitate, quia per eam fit ſectio beneficii, & tamen penſio non fuit conſtituta per modum quotæ; ſed per viam quantitatis pecuniæ, videlicet quadraginta librarum, ut in littera.

39 Alii verò opinantur Ordinarium non poſſe penſionem imponere, quæ ſit tranſmiſſibilis ad ſucceſſores in beneficio, niſi pro bono pacis, & concordiæ, prout loquitur hoc capitulum, *& cap. De cætero, ſupra de tranſact.* Et hanc dicit eſſe communem opinionem Granut. ad Simon. *de reſervat. quæſt.* 62. *num.* 6. *&* 7. ſubdens in hac communi fuiſſe fundatum decretum Pauli IV. de quo infra *n.* 59. Gumeſ. *in regula de annali quæſt. num.* 5. *verſ. Et ſic videmus*, ubi ſic ait (Licèt penſiones impoſitæ per inferiores à Papa non ſint perpetuæ, nec tranſeant ad ſucceſſores; ubi tamen Ordinarius penſionem imponeret cauſa concordiæ, ut à lite recedatur, tranſiret penſio ad ſucceſſores:) & eum ſequuntur Redoan. *de ſimon. in* 2. *p. c.* 21. *n.* 36. & Mandoſ. *in reg.* 33. *q.* 14. *n.* 11. in hæc verba: (Licèt Ordinarius penſiones perpetuas, & ad ſucceſſores tranſmiſſibiles, & aliàs ut Papa conſtituere poſſit, nec fructus beneficiorum dividere, *c. Prohibemus, de cenſib. c. Paſtoralis, de his quæ fiunt a Prælat. c. Extirpandæ, in fin. de præb.* Paul. Roman. *in tract. de penſion. q.* 1. *nu* 10. *& ſeq.* tamen pro bono pacis ex cauſa concordiæ, & ad lites tollendas, penſiones prout Summus Pontifex perpetuò duraturas, & quæ ad ſucceſſores tranſeant, imponit) allegat præter alios Innoc. hìc *in fin.* qui tamen hoc non dicit.

Sed his non obſtantibus dicendum videtur Epiſcopum 40
ordinaria auctoritate, nec pro bono pacis, ſeu ex cauſa concordię ad extinguendas lites poſſe imponere penſiones perpetuas, ſeu tranſmiſſibiles ad ſucceſſores in beneficio. Quod probatur primò irrefragabiliter per illum text. Nam hìc per viam amicabilis compoſitionis, & pro bono pacis auctoritate ſuperioris fuit ordinatum, ut unus ex litigatoribus haberet dignitatem Prioratus, & colitiganti ſolveret annuam penſionem ex fructibus ipſius Prioratus; & Papa tolerat hanc ordinationem non ſimpliciter, ſed hoc adhibito moderamine, ut penſio ſit perſonalis ad vitam onerati, non autem realis, ſeu tranſmiſſibilis ad ſucceſſorem in dignitate, & ſic apertè improbat, ut pro bono pacis reſervetur uni ex litigatoribus annua penſio, quæ duret ad vitam Penſionarii, ita ut tranſeat ad ſucceſſorem in beneficio.

Nec obſtat, ſi dicas impoſitionem penſionis hìc fuiſſe improbatam reſpectu ſucceſſoris in Prioratu, quia fuit facta à judicibus delegatis; quorum juriſdictio non extendebatur in tantum, ut poſſent gravare ſucceſſorem in beneficio, *cap. De cætero, de tranſact.* ergo ſecùs, ſi facta fuiſſet Ordinarii auctoritate, quia cenſetur realis, & tranſmiſſibilis ad ſucceſſores, ut *c. Veniens, eod. tit.* & poſt Butr. declarat hìc. Jo. de Imol. *nu.* 15. *poſt med. verſ. Dominus Antonius dicebat.*

Nam huic objectioni reſpondeo. Primò, iſtos Judices 41
non impoſuiſſe penſionem tamquam judices, neque ex virtute delegationis, ſecundum quam non poterant contra jus pronuntiare; ſed tamquam arbitratores & amicabiles compoſitores quo reſpectu potuerunt excedere limites juris, ut ex Butr. Imol. & Abb. oſtenſum eſt ſupra *in* 2 *notab. num.* 6. Et tamen Papa noluit approbare impoſitionem penſionis, niſi cum hoc moderamine, ut eſſet perſonalis & non afficeret ſucceſſorem in beneficio; ergo longè minùs eam approbaſſet, ſi facta fuiſſet auctoritate Ordinarii, qui pariter tenetur ſecundùm jus pronuntiare, *c. Judicet, §. Bonus Judex*, 3. *q.* 7. Et hinc eſt, ut in ſpiritualibus non valeat 42
tranſactio, & tamen valeat amicabilis compoſitio, ut notat Butr. per illum text. *in d. c. De cætero*, *n.* 2. *notat. ſupra de tranſact.* & in terminis reſervationis penſionis idem Butr. *in c. Audivimus, n.* 2. *infra de colluſ. detig.* & dictum eſt ſupra *num.* 4.

Denique reſpondeo, Papam non improbare reſervationem penſionis, ex eo quòd proceſſerit auctoritate delegata, 43
ſed quia per reſervationem perpetuam, & realem ſcinditur beneficium; & in hoc fundat deciſionem ſuam, ut patet ibi: *Ne fortè citra proventus aliqua videatur facta ſectio benefic. Prioratus.* Et hanc rationem deciſionis ponderant hìc Innoc. *circa med. in verb. Sectio*, Abb. Antiq. *n.* 4. Butr. *n.* 11. *&* 15. Card. *n.* 10. *in* 7. *oppoſit.* Imol. *n.* 11. *&* 17. *verſ. Secundò tangit*, & reliqui omnes. Hæc autem ratio æquè viget in Judice ordinario, ut Epiſcopo, vel Legato, atque in Judice delegato, ut mox patebit in 2. argum. & conſequenter hìc eſt text. apertus, quòd nec pro bono pacis, & concordiæ poteſt Epiſcopus, vel alius inferior a Papa imponere penſionem, quæ ſit tranſmiſſibilis ad ſucceſſorem.

Secundò, idem probatur, quia ſectio beneficii de jure eſt prohibita, ut *c. Tuæ, & c. Majoribus, ſupra eod.* Sed per 44
reſervationem penſionis perpetuæ fit ſectio beneficii, ut hìc eſt expreſſum *in ver. Ne fortè circa proventus*, & fuſiùs 45
dictum eſt ſupra *nu.* 43. Ergo reſervatio penſionis prepetuæ prohibita eſt, & contra hujuſmodi prohibitionem, cùm fuerit inducta ab Alex. III. in Conc. Turonen. ut patet *in d. cap. Majoribus*, & refertur in *d. c. Tuæ*, Epiſcopus diſpenſare non poteſt etiam ex magna cauſa, ut latiſſimè probavi in *c. Nimis, à n.* 11. *uſque in fin. ſupra de fil. Presbyt.* facit *cap. Cùm cauſa, infra eod.*

Tertiò, ad idem arguitur, quia Lateran. Concilii ſtatuta 46

tuta prohibent novam penſionem imponi Eccleſiis, vel veterem augeri, ut *in cap. Prohibemus, de cenſib. & in c. Paſtoralis, de his, quæ fiunt à Præl. ſine conſ. Cap.* & contra prohibitionem Conc. Generalis, Epiſcopi etiam ex magna cauſa non habent facultatem diſpenſandi, ut proximè dictum eſt.

47 Quartò idem ſuadetur, quia Eccleſiaſtica beneficia Canones præcipiunt ſine ulla diminutione conferri, *c. Si quis Præbendas, in fin. 1. q. 3. & infra*, ut Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur, in rubro, & nigro. Et contra hoc præceptum Canonum Epiſcopus etiam ex cauſa ſimiliter diſpenſare non poteſt, ut poſt Innoc. Archid. Feder. de Sen. plenè probavi *in c. Dilectus, ſupra de temp. ordin.* & licèt Abb. *in c. Conquerente, n. 5. de Cler. non reſiden.* Et Rota in Meliten. Canonicatus, 9. Martii 1595. coram Card. Milino apud Marcheſ. *de commiſſ. p. 1 pag. 612. n. 4.* dicant non obſtare reſervationi penſionis factæ ab Epiſcopo, quòd beneficia debeant conferri ſine diminutione, quia hoc eſt verum, quando penſio non reſervatur ex juſta cauſa: tamen, ut dixi, Epiſcopus etiam ex cauſa non diſpenſat contra Canones præſertim Conciliares.

48 Quintò, hoc videtur expreſſum *in c. Extirpandæ §. Qui verò, in fin. infra eod.* ubi ſic legitur. *Illud autem penitus interdicimus, ne quis in fraudem de proventibus Eccleſiæ, quæ curam habere debet proprii Sacerdotis, penſionem alii quaſi pro beneficio conferre præſumat.* Dicitur enim, *quaſi pro beneficio*, id eſt, ut ſit perpetua ad inſtar beneficii. Et quamvis Abb. *in d. c. Conquerente, n. 5. de Cler. non reſid.* dicat illum text. procedere, quando Epiſcopus erigit in Parochiali Eccleſia beneficium, eique pro dote aſſignet penſionem ex redditibus Eccleſiæ, ad hoc ut illud beneficium in fraudem conferat, puta nepoti ſuo, quod eſt prohibitum: tamen hìc intellectus non conſonat litteræ *d. §. Qui vero*, quia penſio propriè non eſt beneficium, ut *c. Quamvis, de præb. lib. 6.* & text. non dicit, beneficio, ſed quaſi pro beneficio; & ſic loquitur de aſſignatione penſionis perpetuæ, & quaſi in titulum in fraudem ſucceſſoris, & non de erectione, vel collatione beneficii propriè ſumpti; & ſic tollitur etiam inductio, quam ex eo textu facit Rebuff. *de pacific. poſſ. n. 120. verſ. Et prohibetur?* ait enim ibi, (Prohibentur Epiſcopi in fraudem penſionem imponere: ergo
49 ceſſante fraude non.) Allegat Gigant. *de penſion. qu. 6.* Sed nos dicimus fraudem probari eo ipſo, quòd penſio conſtituitur quaſi pro beneficio, id eſt ut ſit perpetua, hoc enim ſemper fit in fraudem ſucceſſoris, qui ſine diminutione aliqua collato ſibi beneficio debet perfrui, ut dicitur *in d. cap. Si quis præbendas, in fin. 1. q. 3.* & innuit Innoc. *hic poſt med. in verb. Sectio verſ. Item cùm ageregetur.*

50 Sextò, auctoritate Epiſcopi non poteſt conſtitui Eccleſia cenſualis, *c. Prohibemus, de cenſib.* & aliàs declaravit S. Congreg. Concilii Epiſcopum non poſſe novum beneficio
51 onus imponere. Sed per impoſitionem penſionis perpetuæ Eccleſia conſtituitur cenſualis, ut notat gloſ. ult. *in d. c. Extirpandæ, infr. eod.* Ergo penſionem perpetuam Epiſcopus imponere non poteſt.

52 Septimò, aut Epiſcopus vult conſtituere penſionem perpetuam ante vacationem beneficii, aut poſt proviſionem, aut in actu collationis. Non primum, quia aut Rector beneficii non conſenſit reſervationi penſionis; & reſervatio non tenet, ut oſtenſum eſt *ſupra in 3. cauſa non dubio, n. 22.* Aut conſentit; & tunc quamvis pro bono pacis poſſit obligare ſeipſum ad ſolvendam penſionem collitiganti, ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſupra *n. 21.* tamen nequit obligare ſucceſſorem, de cujus utilitate non agitur, ut hic per Innoc. *poſt med. in verb. Sectio, verſ. Item cum ageretur de jure perſonali* Butr. *num. 15.* Card. *num. 10. in 7. oppoſ. verſ. Tertia quia.*

53 Neque ſecundum, quia beneficio vacante nullus eſt ibi Rector, qui poſſit conſentire; & ideò non poteſt jus reale ibi conſtitui, nec obligari ſucceſſor, arg. eorum, quæ notantur *in c. Statuimus, de tranſact. in c. 2. de precar. in l. Quamvis, § fin. & in l. In perſonam, ff. de pact.* & hic tradunt Innoc. *poſt med. in ver. Sectio, verſ. Et eſt alia ratio,* Hoſt. *n. 7. in eod. verb. & verſ.* Jo. Andr. *n. 5. verſ. Item tempore compromiſſi,* Butr. *d. n. 15.* Card. *d. n. 10. in 7. oppoſit. ver. Alia, quia tempore,* Anch. *in 7 not.* Imol. *n 17. verſ Secunda ratio,* & dictum eſt ſupra *n. 22. & ſeqq.* & quòd Epiſcopus vacante adhuc beneficio non poſſit penſionem imponere, non obſcurè admiſit Rot. in d. Meliten. penſionis apud Marcheſ. *de commiſſ. p. 1. pag 611.* in illis verbis; (Non obſtat, quòd Epiſcopus non poſſit imponere penſionem, quando beneficium vacat, ſed antea, vel poſtea: quia hoc non poteſt procedere in iſtis terminis, cùm penſio non reſervetur ante vacationem, nec poſt proviſionem.)

Neque tertium, quia etſi Rota ibidem tenuerit penſio- 54
nem potuiſſe imponi ab Epiſcopo in ipſo actu collationis beneficii, ex Dec. *in c. Ex parte, n. 16. de off. de leg.* & hujuſmodi impoſitionem eſſe actum Epiſcopo licitum, ac proinde non Simoniacum, ex Mohed *dec. 224.* & aliis allegatis: tamen obſervandum eſt Epiſcopum numquam imponere penſionem niſi de conſenſu beneficiati, ut patet ex dictis ſupra *in 3. cauſa non dubio n. 22.* Hujuſmodi autem conſenſus in ipſo actu collationis beneficii eſt Simoniacus, quia 55
continet pactum, & conventionem reciprocam dandi penſionem pro beneficio: & hujuſmodi pactionem eſſe Simoniacam clarè deciditur in hoc cap ibi, *Non quidem pactione partium*; & ita Epiſcopum, ſi beneficium conferat, reſervata ſibi, vel alteri penſione, committere Simoniam, firmat Navar. *conſ. 4. de Simon.* & latius probatum eſt ſupra in *2. cauſa non dubio, n. 18. & ſeqq.*

Octavò explorati juris eſt Epiſcopum etiam cum cauſa 56
hodie non poſſe res Eccleſiæ alienare ſine beneplacito Apoſtolico, ut in Etravag. *Ambitioſæ, de reb. Eccl. non alien.* licèt per veteres Canones hoc poſſet ex cauſa, & cum ſolemnitate, *c. Sine exceptione, 12. q. 2. c. 1. de reb. Eccl. non alien. lib 6* gloſſ. *penult. in c. 1.* & ibi Abb. *n. 17. de in integr. reſtit.* Oldrad *conſ. 226. Quidam Epiſcopus, in princ.* Sed impoſitio penſionis perpetuæ eſt alienatio, & donatio re- 57
rum Eccleſiæ, Rebuff. *de pacif. poſſ. n. 123. verſ. Sed hæc eſt alienatio, & in repetit. c. Extirpandæ, §. Qui verò, in 6. notab. verſ. Circa tertium quæ ſolemnitas, & verſ. Quantùm ad ſeptimam, de Præb.* Caccialup. *de penſ. qu. 5.* Gig. *in eod. tract. q. 10. nu. 1. & 2.* & ante eos Oldrad. *d. conſ. 226.* Ergo eſt prohibita Epiſcopo etiam cum cauſa, & ſolemnitate ſine beneplacito Apoſtolico.

Et confirmatur, quia in prædicta Extravag. *Ambitioſæ*, 58
eſt prohibita etiam hypotheca, ſcilicet ſpecialis, ut *c. Nulli, infra de reb. Eccl. non alien.* Per impoſitionem autem penſionis realis indicitur ſpecialis hypotheca ſuper fructibus beneficii in favorem penſionarii, ut per Ludovic. Roman. *conſ. 388 In caſu propoſiti thematis, n. 3.* & Gigant. *de penſ. q. 51. num. 15. & ſeqq.*

Nonò hoc eſt expreſſum in decreto Pauli IV. quo ſtatutum eſt, ut penſio ſuper beneficio, de quo alicui per obitum 59
providetur, imponi non poſſit ſine ipſius Papæ expreſſa licentia, ut refert Quint. Mandoſ. *de ſignat. tit. de penſion. verſ. Hodie tamen decreto Pauli IV.* cujus etiam meminit Granut. ad Simonet. *de reſerv. q 62. nu. 6. & 7.* Quo fit, ut 60
penſionis ab Ordinario impoſitæ non detur confirmatio Apoſtolica, ſed Papa ex integro concedit; & ita Alexander IV. in ſignatura ſervandum eſſe ſtatuit, ut idem Mandoſ. teſtatur *de ſignatur. in tit. de confirmat. verſ. Penſionis, ab Ordinario,* & rationem reddit, quia Ordinarius non poteſt beneficium dividere, ſeu partem fructuum uni aſſignare, prout Papa: & quamvis Garz. *de benefic. p. 1. c 5. num. 300.* dicat dictum decretum Pauli IV. videri factum 61
pro Dataria, ſcilicet ne miniſtri, ſeu officiales Papæ abſque ipſius expreſſa licentia penſionem imponat, tamen hæc aſſertio divinat, cùm ex verbis decreti hoc nullatenùs deprehendatur. Item cùm miniſtris, & officialibus Papa non eget decretis, ſed ſatis eſt, ut oretenùs mentem ſuam aperiat. Unde Granut. ad Simonet. *de reſervat. q. 62. n. 6. & 7.* rectiùs affirmat prædictum decretum fuiſſe fundatum in communi opinione, quòd Ordinarius non poſſit penſionem imponere: de hoc tamen decreto Pauli IV. nobis non conſtat authenticè.

Decimò, ad idem afferuntur duæ declarationes S. Cong. 62
Concilii. Altera ad Vicarium Agrigentinum in hæc verba, videlicet, (Si reſignatio Eccleſiæ Parochialis verè fuit Romæ expedita, antequam Ordinarius reſignantem titulo, & beneficio dictæ Paorchialis privaret, eadem reſignationem debere ſuum ſortiri effectum, nec Ordinarium poſſe eam infringere, nec alicui Eccleſiæ penſionem imponere.) Pondera illa verba, *Nec alicui Eccleſiæ*, quæ generalia ſunt, nec reſtringuntur ad Eccleſiam illam, qua Parochus concubinarius ab Ordinario privatus fuerat, ut malè putavit Garz. *de benef. p. 1. c. 5. n. 304.*

Altera declaratio hujuſmodi. Cùm Epiſcopus univiſ-

ſet

ſet Eccleſiam Parochialem Matrici ob ejus paupertatem, & penſionem Parocho reſervaſſet: S. Congr. cenſuit potuiſſe Epiſcopum facere hujuſmodi unionem, ſed penſionem reſervatam petendam à Sanctiſſimo.

63 Undecimò, hanc ſententiam firmavit diuturna obſervantia, quæ eſt optima legum interpres, *l. Si de interpretatione, ff. de leg. c. Cùm dilectus, de conſuet.* Nam, ut inquit Rebuff. *in praxi benef. tit. de reſerv. tam general. quàm ſpecial.* hodie Epiſcopi non conſtituunt penſiones. Item Ludov. Lopez. *inſtit. conſcien. tom.* 1. *c.* 303. poſt Sot. *de juſt. & jur. lib. 9. q. 7. art. 2.* affirmat jam uſu Romano receptum eſſe, ut ſolus Papa penſionem imponere poſſit. Similiter Zecch. *de benef. & penſ. c.* 11. *n.* 2. *in princ.* teſtatur jam uſu receptum eſſe, ut Epiſcopus nullo caſu propria auctoritate poſſit penſionem imponere. Sed & Ledeſma *in 2. par. Summ. tract.* 12. *concl.* 20. & 21. aſſerit jure poſitivò facultatem imponendi penſionem eſſe reſervatam Summo Pontifici, ut conſtat ex ibi. Quinimò, ut inquit Card. Tolet. *in Summ. lib. 5. cap. 26. in fin.* ob conſuetudinem, & communem ſtylum Romanæ Curiæ, ſi quis ſine Summi Pontificis facultate penſionem haberet, Simoniacus eſſet. Et hanc facultatem ex non uſu Epiſcopos amiſiſſe affirmat Camil. Cautius *in tract. de penſ. Epiſc. ad fin* Eamque poteſtatem ex non uſu receſſiſſe ab aula ante publicationem Bullæ Pii V. ſuper confidentia pariter atteſtatur Flam. Pariſ. *de confiden. q. 28. n.* 120. allegat Rebuff. *ubi ſup.* & Modern. *in tract. de penſ. to. 15. p. 2. tract.* & ſubdit, verè ſe numquam vidiſſe hoc ſervari in praxi; ideòque de hujuſmodi facultate nullam eſſe habendam conſiderationem

Poſtremò in terminis juris hanc opinionem tenet Butr. *in c. Audivimus, n. 2. inf. de colluſ. deteg.* ubi nota, inquit, quòd in cauſis beneficialibus non eſt licita tranſactio, ut beneficium uni remaneat, & alteri certa portio detur; & infra *n.* 5. tenet cum gloſſ. 2. quòd etiam ceſſante colluſione non valet conſtitutio penſionis, ut ſit perpetua, & ex recent. per text. hic idem firmat Garz. *de benef. p. 5. c. 5. n.* 334.

Non obſtant modò argumenta contraria: Nam ad primum, nempè *ad c. Paſtoralis, de his quæ fiunt à Præl.* reſpondetur Papam ibi non decidere affirmativè, ut Epiſcopus poſſit ſuper fructibus Parochialium Eccleſiarum piis locis penſionem conſtituere cum conſenſu Capituli; ſed negativè, videlicet ut id non poſſit præter Capituli voluntatem. Hinc autem non licet arguere à contrario: ergo cum voluntate Capituli poteſt; quia argumentum à contrario ſenſu non rectè ſumitur, ubi illius argumenti contrarium reperitur in jure expreſſum, ſicut reperitur hoc caſu in hac Decretali; ita declarat Jo. Andr. *in c. Publicato, n.* 18. *ſupr. de elect.*

Et eadem modo reſpondetur ad ſecundum, id eſt ad *cap. De cætero, de tranſact.* & ad doctrinam Innoc. ibi poſitam, 64
n. 5. & ita in puncto reſpondet Abb. *in c. Audivimus, in* 1. *notab. inf. de colluſ. deteg.* Deinde reſpondetur illum tex. intelligi in eo caſu, in quo duæ Eccleſiæ litigant ſuper ſubjectione: tunc enim Eccleſia ſubjecta poteſt conſtitui cenſualis auctoritate Epiſcopi, ut ibi notat gloſ. *ult. in fin.*

Ad tertium reſpondetur negando conſequentiam, quia 65
quando ex una præbenda fiunt duæ, præbenda non remanet ſciſſa, nec dividitur unitas, quæ diviſionem non recipit, *c. Loquitur Dominus*, 24. *q.* 1. nec præbenda ſic dividitur, ut ſub nomine præbendæ cenſeatur uterque quaſi dimidius Canonicus; ſed ſunt duæ præbendæ integræ pro duobus Canonicis, & duo nova jura. Meritò in fieri poteſt ex rationabili cauſa non obſtante ſtatuto Turonenſis Concilii, ut ibi deciditur, & optimè declarat gl. ſingularis *in c. Tuæ fraternitatis, in verb. Sectionem, ſup. eod.* At ſecus eſt in impoſitione penſionis perpetuæ, quia beneficium remanet ſciſſum, quamdiù durat penſio, ut hìc patet. Facit tex. *in c. Cùm cauſa, infra eod.* ubi Papa dicit non eſſe intentionis ſuæ, ut pro reintegratione unius præbendæ alia ſcindatur.

Alia jura in contrarium allegata parum, aut nihil faciunt.

DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.

Idem Innocentius III. Trecen. Epiſcopo.

CAPUT XXV.

Dilecto filio P. ſanctæ Pudentianæ Presbytero Cardinali, Cellerario Trecen. & R. Procuratori tuo, auditore conceſſo, idem Cellerarius propoſuit coram eo, quòd cùm in manibus Rhemen. Archiepiſcopi tunc Apoſtolicæ ſedis legati intendentis providere G. nepoti ſuo in Trecen. Eccleſia, præbendam, quam ibi obtinebat, liberaliter reſignaverit: dictus legatus præfatum G. & eumdem Cellerarium in Canonicos Trecen. inſtituit, & ambobus Capitulum Trecen. ſtallum in choro, & locum in Capitulo, & idem Archiepiſcopus ſupradictæ præbendæ fructus dividendos communiter aſſignarunt, donec idem G. integrum eſſet præbendale ſtipendium aſſecutus: & infrà. Quorum receptionem Procurator Generalis prædeceſſoris tui; in partibus Conſtantinopolitanis tunc agentis, poſtmodùm approbavit. Dictus quoque Cellerarius lectionem, & Evangelium in hebdomada ſua legiſſe dignoſcitur: & tam Decani, quàm Epiſcopi electioni, & aliorum negotiorum tractatibus, ſicut Canonicus Trecen. interfuit: & domum quamdam per Capitulum memoratum obtinuit, quæ nonniſi Canonico conſueverat aſſignari: tuque cùm ad eamdem acceſſiſſes Eccleſiam conſecratus, eum cum Canonicis aliis ad oſculum recepiſti, cùm tunc nonniſi Canonici ad oſculum admittantur: & eidem ſuper prædictis non moviſti per biennium quæſtionem: propter quod petiit, ut te ab ipſius ſuper hoc moleſtatione indebita compeſcere dignaremus: & infrà. Procurator tuus propoſuit ex adverſo, quòd ad unicum jus ſpirituale, quod vacabat ibidem, inſimul duos Canonicos inſtituere prædicto legato non licuit: nam ſi duo unicam præbendam haberent, id eſſet contra Turonen. Concilium, quod præbendarum inhibet ſectionem. Si verò duobus receptis uni tantùm præbenda daretur, ſub expectatione alius contra Lateranen. Concilium remaneret. Præterea licèt in Eccleſia, in qua non eſt certus numerus præbendarum, nulla etiam vacante, in Canonicum quis poſſit aſſumi, cùm intelligatur ad quoddam jus eligi, quod ex electorum aſſenſu de novo creatur, & cum electo in Canonicum naſcitur; & deſinit cùm defuncto: in Eccleſia tamen, quæ determinatum habet numerum præbendarum, uno individuo jure vacante, duo ſimul eligi non poſſunt ad illud: eò quòd hujuſmodi ſpirituale jus dividi ſeu communicari nequeat inter eos, quamquam interdum hi, ad quos ſpectat electio, de communi aſſenſu augmentare valeant numerum præbendarum, quoddam jus ſpirituale de novo creando: niſi fortè ſtatutum aliquod obviaret, quod eſſet juramento firmatum, vel cui ſedis Apoſtolicæ confirmatio acceſſiſſet, hujuſmodi clauſula prohibitionis adjecta, ut ſi quidquam contra id fie-

id fieret, non valeret; propter quod inſtitutionem præfatam nullam fuiſſe dictus aſſeruit Procurator, cùm in Trecen. Eccleſia certus ſit præbendarum numerus, quem Capitulum vel legatus augmentare minimè intendebat, vel jus aliquod de novo creare. Unde dictum Cellerarium ad reſtitutionem eorum, quæ ratione prædictæ inſtitutionis tenebat, ſententialiter duximus condemnandum, ei ſuper præbenda ipſa, vel ejus parte ſilentium imponentes: ita quòd per hoc prædicto G. nullum præjudicium generetur, cùm res inter alios acta, regulariter aliis non obſiſtat.

S U M M A R I U M.

1 *CAnonici duo ſi recipiantur ad unam præbendam, non tenet receptio, etiam ſi legati authoritas intervenerit, & n.7.*
2 *Beneficium vacans etiam ex cauſa reſignationis, de jure communi non prohibetur quis conferre nepoti ſuo.*
3 *Secus ex Bulla Pii V.*
4 *Et quid ſi beneficium vacet per aſſecutionem alterius incompatibilis remiſſivè.*
5 *Reſignatio fieri poteſt ea intentione, ut beneficium alteri conferatur, dummodò id non deducatur in pactum.*
6 *Reſignans cum pacto, ut beneficium alicui conferatur, ſimoniam committit.*
7 *Præbenda Canoniæ annexa eſt jus ſpirituale indiviſibile.*
8 *Canonici receptio ad vacaturam præbendam non valet.*
Legatus non diſpenſat contra Concilium, nec contra Canones non Conciliares.
10 *Niſi in caſibus in quibus diſpenſat Epiſcopus.*
11 *Poſſeſſio juris Canonicalis qualiter ſit articulanda.*
12 *Vacatio præbendæ non eſt poſſibilis in Eccleſia non numerata.*
13 *In Canonicum cùm quis recipitur in Eccleſia non numerata, creatur quoddam jus de novo, quod naſcitur, & extinguitur cum perſona.*
14 *Canonico vita functo in Eccleſia non numereta, ſi ejus Canonicatus impetretur, non valet impetratio.*
15 *Extingui aliud eſt, aliud ceſſare, vel in ſuſpenſo manere.*
16 *Canonicorum numerus an poſſit ab Epiſcopo augeri de Capituli conſenſu, & n. ſeq. uſque in fin.*
17 *Quid ſi numerus non ſit per ſtatutum juratus, nec confirmatus.*
Et quid ſi ſit juratus, ſed non confirmatus, n. 19.
Et quid ſi ſit juratus, & confirmatus cum decreto irritanti, num. 22. Et quid ſi redditus Eccleſiæ ſint aucti, num. 23.
18 *Canonicorum numerus neque ab Epiſcopo augeri poteſt ſine Capitulo, neque à Capitulo ſine Epiſcopo.*
20 *Statum qui poteſt tollere, poteſt etiam tollere juramentum illi acceſſorium.*
21 *Niſi juraverit non contravenire, quia tunc requiritur ſuperioris authoritas.*
23 *Canonicorum numerus etiam juratus, & confirmatus, cum clauſula decreti, habet in ſe conditionem reſolutivam, niſi Eccleſiæ facultates excreverint.*
24 *Eccleſiæ intereſt habere plures conſiliarios, & miniſtros.*
25 *Canonicos ſupranumerarios poteſt Epiſcopus creare, ita tamen ut nullum jus ad vacaturam præbendam ſibi vendicent ex tali erectione.*
26 *Dignitatem omninò novam Eiſcopus erigere non poteſt.*
27 *Canonicatus erectio ſine Capituli conſenſu eſt nulla.*

1 D*ilecto*. Si ad unum Canonicatum, & præbendam vacantem in Eccleſia duo Canonici ſint recepti, non tenet receptio, etiamſi Legati Sedis Apoſtolicæ authoritas intervenerit. Hoc dicit. Dividitur in tres partes. In prima ponuntur multa, quæ faciunt pro Cellerario. In ſecunda ponuntur, quæ faciunt contra eum. In tertia diffinit. In quarta proteſtatur, vel tacitæ quæſtioni reſpondet. Secunda ibi, *Procurator*. Tertia ibi, *Unde dictum*. Quarta ibi. *Ita quòd*.

2 Nota primò ibi, *Intendentis providere G. nepoti ſuo*, habentem poteſtatem conferendi beneficium non prohiberi illud conferre nepoti ſuo, etiamſi vacet ex cauſa reſignationis, prout hìc vacabat præbenda in Eccleſia Trecenſi, concordat *c. Ex parte, il 1. ſupra de off. deleg.* Caveat tamen, ne affectum ſanguinis præponat judicio rationis, *c. Grave, infra eod.* ſecundùm Hoſt. *hic in princ. in verb. Nepoti*, Jo. Andr. *n.2. in eod. verb.* Card. *in 2. notat.* & Abb. *nu. 2.* Ad quod vide graviſſima verba Conc. Trid. *ſeſſ. 25. c. 1. ver. Omninò verò eis interdicit*. Sed hodie hoc corrigitur ex Con-
ſtitutione Pii incip. *Quanta Eccleſiæ Dei incommoda*, edita 3
Calendis Aprilis 1568. qua prohibetur Epiſcopis, ne beneficia in eorum manibus reſignata, eorum aut dimittentium conſanguineis, affinibus, vel familiaribus conferant, alioquin irrita ſit collatio, ut ibi habetur *in §. Præcipimus*. Quid
autem ſi beneficium vacet ob aſſecutionem alterius incom- 4
patibilis, numquid Epiſcopus ex prædicta Bulla prohibeatur illud conferre nepoti ſuo; dixi *in c. Non ſine, à n. 34. uſque in fin. ſupra de arbitr.*

Secundò nota ex iiſdem verbis Clericum licitè poſſe be-
neficium ſuum reſignare ea intentione, ut alteri confera- 5
tur, dummodò actum renuntiationis tacitè, vel expreſsè
non deducat in pactum, ſed purè, & liberaliter reſignet, 6
& ita per hunc textum tenet gl. notabilis *in c. Ordinationes in ver. Pretio, 1. qu.* Butr. & Imol. *hic ambo in 1. notab.* & Abb. *n.3.* Sed ſi in actu renuntiationis hoc in pactum deduceret, reſignatio facta in manibus Ordinarii eſſet ſimoniaca, *c. Cum pridem, & c. fin. de pact. c. Ex parte, il 1. de off. deleg. c. Tua nos, de ſimon.* & tenet hìc gloſs. 1. Joan. Andr. *n.15.* Abb. *n.3.* & communniter DD. Felin. *in c. Ad audientiam, il 2. n.3. ſupra de reſcript.* Stapphil. *de liter. grat. tit. Reſignationis modus, n.5.* Rebuff. *in prax. tit. de pura reſignat.* Hodie hoc eſt expreſſum in præcitata Bulla Pii V. *in §. Caveant autem.*

Tertiò nota in verſ. Procurator, electionem, ſeu rece-
ptionem duorum ad unum Canonicatum, vel præbendam 7
vacantem non valere, ut hìc eſt caſus valdè notabilis. Rationem habes in textu; nam aut illi duo unicam habent præbendam, & hoc eſt contra Concilium Turonenſe, quod præbendarum inhibet ſectionem, ut *in cap. Majoribus ſupra eodem*. Præbenda enim Canoniæ annexa eſt jus ſpirituale indiviſibile, ut patet in hoc text. ibi, *Ad unicum ſpirituales jus*, & ibi, *Quoddam jus ſpirituale*, & fortè non probatur alibi ita clarè ſecundùm Card. *in 10. notab.* & Abb.
n.6. Aut præbenda illa datur uni tantum ex duobus, & alius
remanet ſub expectatione futuræ præbendæ; quod eſt con- 8
tra Concilium Lateranenſe, ut *in c. Nulla, infra de conceſſ. præbend.* Et ſic collige non valere receptionem duorum ad unam præbendam animo illam ſcindendi; & ſimiliter non valere receptionem unius ad vacaturam, prout has duas regulas ex hoc textu colligunt Butr. *num. 7.* & Imol. *num. 10.*

Quartò notà, ibi, *Prædicto legato non licuit*, Legatum
non habere poteſtatem diſpenſandi contra Concil. hìc enim 9
allegantur duo Concilia, & circa utrumque denegatur legato poteſtas contraveniendi. Nec mirum, quia nec contra Conſtitutiones Apoſtolicas non Conciliares Legatus diſpenſat, ut firmat, *de hæret. lib. 6.* Hoc tamen limitat Abb.
hic in 4. notab. ut non procedat in illis caſibus in quibus di- 10
ſpenſat Epiſpopus. Sed circa hoc vide tu, quod ſcripſi in *c. Dilectus, ſupra de tempor. ordin. & in cap. Nimis, de fil. Præsbyt.*

Quintò nota multa, ex quibus infertur quaſi poſſeſſio Ju-
ris Canonicalis, quæ colliguntur in verſ. *Dictus*, uſque ad 11
verſ. *Procurator*, & ex textu collige bonam practicam probandi hanc quaſi poſſeſſionem: oportet enim, ut articuletur ſuper exercitio actuum, qui non competunt niſi Canonicis; non tamen requiritur, ut eis competant ex diſpoſitione juris, ſed ſatis eſt, ut competant ex conſuetudine; ſicut iſte Cellerarius allegabat ſe habuiſſe domum fortè prope Eccleſiam, quæ erat ſolita aſſignari Canonicis tantùm, ut patet ibi, *Quæ ſolis Canonicis conſueverat aſſignari*; ſeque receptum fuiſſe ad oſculum pacis eo tempore, quo ſoli Canonici recipiebantur, ut patet ex illis verbis, *Cum tunc nonniſi Canonici ad oſculum admittantur*; & ita hìc no-

notant Butr. *n.* 5. Anchar. *in* 8. *notab.* Card. *num.* 4. Imol.
*n.*5. & Abb. *n.*7.
12 *Sextò* nota in *verſ. Prætereà*, in Eccleſia non habente
certum numerum præbendarum non eſſe poſſibile dare va-
13 cationem alicujus præbendæ; idemque dicendum in Cano-
nicatibus, nam cum in tali Eccleſia quis recipitur in Ca-
nonicum, creatur quoddam jus de novo, quod cum rece-
pto naſcitur, & deſinit, ſeu extinguitur cum defuncto, ut
dicitur in littera. Vacare autem non poteſt, quod jam ex-
tinctum eſt, *c. Ex parte Aſten. infr. de conceſſ. præb. cap.*
Cum acceſſiſſent, *ſupra de Conſtit.* ſecundùm Hoſt. *hic n.*
11. Butr. *in c. Cùm M. n.* 1. *in fin. ſup. de Conſtit.* & ad hoc
14 quotidiè allegatur hæc Decretalis, ut per Abb. *n.*9. Quo ſit,
ut ſi in Eccleſia non numerata ſint plures Canonici, quo-
rum unus moritur, non valeant litteræ, ſi impetrentur ſu-
per illius Canonicatu alteri conferendo, quia non vacat,
ſed deſinit. Ubi verò eſt certus numerus non deſinit, ſed
vacat. Ita Innoc. *hic n.*3. cui conſentiunt Jo. Andr. *n.* 6. *in*
verb. Diſinit, Card. *in* 3. *not.* & Anchar. *in* 12. *not.* Facit
ad prædict. *l. Comperimus*, *C. de proxen. Sac. Scrin. l.* 12.
Non plures, *C. de ſacroſ. Eccleſ. l. Petitionem*, *C. de Ad-*
15 *voc. diverſ. Jud.* Aliud enim eſt extingui, aliud ceſſare, ſi-
cut aliud eſt extinctum eſſe, & aliud in ſuſpenſo manere,
ut, *l. Illa quæſtio*, *§. fin. ff. de hæred. inſtit. & l.* 2. *ff. de verb.*
oblig. §. 1. ubi habes bonam gloſ. *in ver. Detur*.
Ultimò nota ibi, *Augumentare numerum præbendarum*,
in Eccleſia numerata poſſe augeri Canonicorum, & præ-
bendarum numerum per eos, ad quos ſpectat Canonico-
rum receptio, quoddam jus ſpirituale de novo creando, ut
dicitur in littera, & notant Innoc. *n.* 3. *in verb. augmenta-*
re, Abb. Antiq. *in fi.* Abb. Sicul. *n.*10. & alii communiter.
Sed quia in textu excipiuntur duo caſus, & articulus plu-
res habet inſpectiones ideò dic pleniùs, ut *in q. ſeq.*
16 QUÆRO, an numerus Canonicorum poſſit ab Epiſ-
copo augeri de Capituli conſenſu.
17 Pro ſolutione quæſtionis tres caſus videntur diſtinguen-
di. Nam aut numerus Canonicorum non eſt per ſtatutum
juratus, nec aliquo modo confirmatus, & in hoc primo ca-
ſu Epiſcopus cum conſenſu Capituli poteſt numerum di-
ctum Canonicorum propria authoritate augere, ut hic pa-
18 tet, & in *c. Vacante*, *inf. eod.* Quam ſententiam ſequutus
fuit Abb. *in c. Cùm acceſſiſſent*, *n.*4. *de conſt. & in eod. c.* Fe-
lin. *n.*11. aſſerentes tamen, nec Epiſcopum ſine Capitulo,
nec Capitulum ſine Epiſcopo hujuſmodi augmentationem
facere poſſe, cùm unum corpus conſtituant Epiſcopus, &
Capitulum, *c. Novit*, *& c. Quanto*, *de his quæ fiunt à Præl.*
gl. *in c.*2. *verſ. Statutum*, *de verb. ſign. l.*6.
19 Aut numerus Canonicorum eſt juratus, ſed non con-
firmatus; & hoc etiam caſu Epiſcopus cum conſenſu iti-
dem Capituli poſſet dictum numerum augere, ſublato
tamen priùs ſtatuto. Idem Abb. in præalleg. *cap. Cùm*
acceſſiſſent, & poſt eum ibi Felin. *n.* 11. per ea quæ notan-
tur in hoc *c. Dilecto*.
20 Nec refragatur, quod tales Canonici videantur venire
contra juramentum. Quoniam conceſſa eis poteſtate tol-
lendi ſtatutum, quod eſt principale, ut *in ſimil. ſup. alleg.*
conceditur etiam poteſtas propria authoritate tollendi ju-
ramentum, quod eſt acceſſorium; præſertim quia ab alte-
ro alteri præſtitum, & non Deo præſentialiter, *cap.*2. *de*
ſponſal. Card. in Clem. 1. *verſ. Tertio quæro*, *de Regul.* per
totam illam quæſtionem, & Felin. *loc. cit.* Idem firmat
Bart. *in l. Omnes populi*, *n.* 32. *ff. de Juſt. & jur.* Quamvis
idem eſſet ſi Canonici hoc facerent antequam tollerent
ſtatutum, cùm nemo præſumatur immemor propriæ ſa-
lutis, *in c. Saluberrimum*, 1. *q.* 1. Quæ concluſio falleret,
ſi Canonici juraſſent obſervare contenta in ſtatuto. Quo 21
caſu eſset neceſsaria Summi Pontificis licentia, Felin. *loc.*
cit. n. 12. & citati ab eo.
Aut demum numerus dictorum Canonicorum eſt jura- 22
tus, & confirmatus; & hoc caſu non poſset Epiſcopus illum
augere cum ſolo conſenſu Capituli, ſi in confirmatione ad-
eſset clauſula Decreti irritantis, ut *in hoc c.* & notat Fel. *in*
d. c. Cùm acceſſiſſent, *n.*13. *de Conſt.* poſset tamen auctis fa-
cultatibus Eccleſiæ, ut tenet Butr. *in c. Cùm M. n.* 2. *verſ.*
Si eſt confirmatus, *de Conſt.* Felin. *loc. cit.* & Jaſon. *in l.*
Quod Servius, *ff. de condit. caut. dat. non ſeq. n.* 11. quia
ſecundum eos hujuſmodi ſtatutum ſic confirmatum cum 23
dicta clauſula habet in ſe conditionem reſolutivam tacitè
ſubintellectam, niſi facultates excreverint, ut eſt tex. *in*
d. c. Cum M. ibi, *Niſi tantùm excreverint Eccleſiæ facul-*
tates, & ibi notat gloſ. *in verb. Sufficere*. Card. *in princ.*
& communiter Doctores; quibus propterea auctis, & ſic
eveniente conditione, ſtatuentes poſsunt ſtatuto contra-
venire abſque ſuperioris licentia.
Quibus ſic ſe habentibus, nulli dubium eſt, quin Canoni-
ci cum Epiſcopi conſenſu, & Epiſcopus cum conſenſu Ca-
pituli poſſit numerum Canonicorum augere, ſervata ta-
men ſupradicta diſtinctione. Quæ concluſio fortiùs proce-
deret in augendo numerum Canonicorum, in quo nullum
adeſt ſtatutum, nullum præſtitum juramentum, nullaque
Summi Pontificis confirmatio, ut per Abb. *hic n.* 10. *& in*
d. c. Cum acceſſiſſent, *n.* 4. *de conſtit.* Præſertim verò quia 24
hujuſmodi augmentum cedit in utilitatem Eccleſiæ, cujus
intereſt plures habere conſiliarios & defenſores, ac mini-
ſtros, *c. Extra*, 64. *diſt. c. Obeuntibus*, 63. *diſt.* Innoc. *in c.*
fin. ſub n. 1. *circa med. infr. de Cler. non reſid.*
Suffragatur prædictis deciſio aliàs edita à Sacr. Congre- 25
gatione Concilii, videlicet poſse ab Epiſcopo Canonicos
ſupranumerarios creari, ea tamen conditione, ut nullum
jus ad præbendam vacaturam habeant, vel vendicent
ſibi ex tali erectione. Neque verò concluſioni ſuperiùs 26
firmatæ obſtant jura contraria, cum loquantur in crea-
tione dignitatis omninò novæ, ut inter alios declarat
Abb. *in d. c. Cum Acceſſiſſent*, *num.* 4. *per text. in cap.* 1.
22. *diſt.* Nam dignitatem omninò novam Epiſcopum eri-
gere non poſſe, etiam S. Congregat. declaravit. Sicuti nec 27
obſtat textus *in cap. olim de conſuet.* quia ibi non aderat
conſenſus Capituli; & ideò non mirum, ſi habitus fuit re-
curſus ad Summum Pontificem, ut declarat idem Abb. *in*
eod. cap. Cùm olim, *n.*2.

DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.

Idem Innocentius III. Vercellen. Epiſcopo.

CAPUT XXVII.

ij DIlectus filius G. Clericus nobis expoſuit conquerendo, quòd cum pro eo ad Novarien. Capitulum mandatum Apoſtolicum miſiſſemus, ut eum in Canonicum reciperent, & in fratrem, præbendam (ſi qua tunc vacabat) conferentes eidem: & infrà. Fraternitati tuæ mandamus, quatenus ſi tibi conſtiterit, quod in Novarien. Eccleſia præbenda vacaret tempore, quo ejuſdem Eccleſiæ Canonici noſtras litteras receperunt: cùm eam alii in eluſionem mandati noſtri duxerint conferendam, eumdem Clericum, ſi non habet ſufficiens beneficium Eccleſiaſticum, in Canonicum recipi facias, & ſibi de redditibus Eccleſiæ ſingulis annis aſſignari proventus, donec ei ſit in beneficio præbendali proviſum.

S U M M A R I U M.

1 *DAtæ tempus, vel receptionis an attendantur in reſcriptis ad lites, vel ad beneficia.*

2 *Quoad habilitatem, vel inhabilitatem impetrantis in litteris ad beneficia inſpicitur tempus executionis, & non datæ, & n. ſeqq.*

Niſi à principio fuerit commiſſa ſubreptio, n. 4. & 5.

3 *Habilitas perſonæ ſatis eſt ut adſit, quando potentia excitatur ad actum.*

5 *Gratia ab initio ſubreptitia ob ætatis defectum, per ſupervenientiam legitimæ ætatis non convaleſcit,*

6 *Acceſſus ante Concilium Tridentinum Clerico illegitimo reſervatus per deceſſum ultimi poſſeſſoris ad beneficium quod ante ejus pater obtinuerat, an potuerit ſortiri effectum defuncto ultimo poſſeſſore poſt Concilium, latè diſcutitur, ut n. ſeqq. uſque in fin.*

7 *Gratia conditionalis ſuperveniente impedimento ante implementum conditionis expirat.*

8 *Dies conditionis adimpletæ non retrotrahitur ad tempus diſpoſitionis, quando ante impletam conditionem ſupervenit impedimentum.*

9 *Clauſula,* ex nunc, pro ut ex tunc, *non operatur niſi eveniente conditione, nec conſideratur niſi à tempore conditionis purificatæ.*

10 *Conſtitutio nova comprehendit diſpoſitionem, quæ habet factum de præterito, quod expectat perfectionem de futuro, ſi antequam perficiatur, nova conſtitutio ſuperveniat.*

11 *Factum legitimè non retractatur, licèt deveniat ad eum caſum, à quo incboare non poterit, ſi actus fuerit perfectus, & conſummatus, aliàs ſecus,*

12 *Acceſſus non tribuit jus in re, ſed ſpem quandam beneficium obtinendi, & n.24.*

13 *Jus ad beneficium perditur, ſi inhabilitas ius habentis ſuperveniat, antequam beneficium conſequatur.*

14 *Matrimonium per ſuperveniens impedimentum non diſſolvitur.*

Sponſalia ſecus, ibidem.

15 *Regreſſu uti non poteſt regreſſatarius propter ſupervenientem inhabilitatem.*

16 *Epiſcopus electus, & confirmatus repellitur, ſi fiat inhabilis ante conſecrationem.*

17 *Ius in re difficilius amittitur, quàm ad rem.*

18 *Habilitas quando conſideretur utriuſque extremi.*

19 *Tempus vacationis beneficii attenditur, ubi agitur de habilitate, vel inhabilitate perſonæ.*

20 *Conſtitutio prohibens uſum alicujus rei, vel actus, comprehendit etiam uſum rei præteritæ.*

21 *Coadjutoria cum futura ſucceſſione ante Conc. Trid. obtenta non poteſt poſt Conc. effectum ſortiri.*

22 *Statutum de lucranda parte dotis uxoris præmortuæ comprehendit dotem ante ſtatutum aceptam, ſi uxor poſt ſtatutum moriatur.*

23 *Statutum prohibens, ne mulieres deferant veſtes ſericas, includit etiam uſum veſtium jam factarum.*

25 *Verbum* obtinendi, *quid propriè ſignificet.*

26 *Diſpenſatio ad beneficia in Eccleſia, in qua pater, non extenditur ab beneficium patris.*

1 D*ilectus il ſecondo*, ſummatur, & dividitur, ut per Jo.
Andr. in textu, ibi: *Tempore quo ejuſdem Eccleſiæ Ca-*
nonici noſtras litteras receperunt. Ex his verbis gloſ. in ver.
Receperunt, movet quæſtionem illam broccardicam, num-
quid in reſcriptis conſideretur tempus datæ, an reſcriptio-
nis? Allegat jura pro, & contra, & tandem concludit
diverſificando caſus contrarios, non tamen tradit aliquam
bonam doctrinam. Joan. Andr. *nu.* 17. recitat prolixam
diſtinctionem Petr. de Sampſone. Sed Abbas *num.* 7. con-
jungendo eorum dicta dat generalem theoricam diſtin-
guendo inter reſcripta ad lites, & ad beneficia, & utrum-
que membrum proſequitur, plura capita ſubdiſtinguen-
2 do Ex ejus dictis collige notabilem regulam cum limita-
tione. Regula eſt, quòd in litteris ad beneficia, quoad
habilitatem, vel inhabilitatem impetrantis, non inſpici-
tur tempus datæ, ſed tempus executionis, hìc eſt textus
notabilis *in cap. Ei cui, de præbend. lib.* 6. ad idem *cap. Is,*
3 *cui, & cap. Si poſtquam eod. & lib.* ſatis enim eſt, ut ſit
habilis perſona, quando potentia excitatur ad actum, ut di-
cunt *in d. c. Is cui*, Jo. Monach. & Joan. Andr. *num.* 3. *in
verb. Dimittat*, & ſequitur poſt alios Felin. *in c. Eam te,
num.* 18. *in prima Fallentia*, & ibi etiam Ripa *nu.* 42. *de re-
ſcriptis*. Limitatur prædicta regula, quando à principio 4
committitur ſubreptio, quia tunc inſpicitur tempus datæ.
Et iſte eſt caſus *cap. Si eo tempore, de reſcriptis lib.* 6. & ita
ad concordiam reducuntur hæc duo cap. quæ videntur in-
vicem pugnantia. Nam *in capit. Si eo tempore*, decidi-
tur, ut ſi mandetur provideri alicui de beneficio Curato
vacativo, & impetrans non habeat ætatem legitimam tem-
pore impetrationis, licèt eam habeat tempore vacationis
beneficii, reſcriptum ſit ſubſcriptum. Sed *in c. Ei cui*, vi-
detur dici oppoſitum; nam ibi cavetur, ut ſi mandetur
provideri alicui de præbenda vacatura, & in illa Eccleſia
ſint variæ præbendæ, quædam Diaconalis, quædam Sacer-
dotalis, quamvis tempore datæ impetrans non habeat æta-
tem ad obtinendam præbendam Sacerdotalem, ſi tamen ſit
in legitima ætate, tempore quo vacat, debetur ei Sacerdo-
talis: hæc enim diverſitas inde oritur, quia *in c. Si eo tem-* 5
pore, impetrans commiſit ſubreptionem eo ipſo, quòd im-
petravit litteras ad beneficium Curatum, non facta men-
tione de defectu ætatis. Unde gratia, quæ propter ſubrep-
tionem fuit à principio nulla, non potuit poſteà convale-
ſcere per ſupervenientiam legitimę ętatis; & ideò attendi-
tur tempus datæ: ad quod vide bonam gloſſam *in c. Dudum,
il primo, in verb. Electionis tempore, ſupra de election.* &
Rota apud Verallum *deciſ.* 40. *num.* 2. *par.* 2. Achill. *deciſ.* 2.
num. 2. *de reſcriptis*, Seraphin. *dec.* 936. *nu.* 1 *& in recent.
deciſ.* 140. *n.* 1. *par.* 7. At verò in *cap. Ei cui*, nulla fuit com-
miſſa ſubreptio, quia impetravit in genere, non faciendo
mentionem de præbenda Diaconali, vel Sacerdotali; &
ideò ſatis fuit, ut tempore vacationis reperiretur in ætate
legitima; quod benè nota.

Hinc ſumpta ſuaſione infero ad quæſtionem, quæ olim
contingit in facto, videlicet.

Poſito Decreto Concilii Tridentini *c.* 15. *ſeſſ.* 25. utrum 6
acceſſus ante Concilium Clerico illegitimo authoritate
Apoſtolica reſervatus per deceſſum ultimi poſſeſſoris ad
beneficium, quod antea ejus pater obtinuerat, effectum
ſortiri potuerit defuncto ultimo poſſeſſore poſt Concilii
publicationem.

Gregorius Alvares Pater Joannis de Barreda, dum vive-
ret, in Eccleſia Conchen. obtinuit nedum Canonicatum,
ſed etiam ipſum Decanatum, qui eſt prima Dignitas poſt
Pontificalem. Poſteà idem Joannes non obſtante Decreto
Conc. Trid. *c.* 15. *ſeſſ.* 25. vigore acceſſus aliàs ſibi per de-
ceſſum Conſtantini ſenioris authoritate Apoſtolica reſer-
vati prætendebat obtinere eumdem Decanatum per obi-
tum prædicti Conſtantini ſenioris poſt Conc. defuncti: ex
parte verò Conſtantini junioris de eodem Decanatu legiti-
mè proviſi prætendebatur adverſario obſtare Concilium,
dum filios illegitimos Clericorum, qualis eſt ipſe Joan. in
Eccleſiis, in quibus eorum partes aliquod beneficium Ec-
cleſiaſticum habēt, vel habuerũt, quodcumque etiam diſſi-
mile beneficiũ obtinere prohibet fuit quęſitum, quid juris?

Videtur reſpondendum prędicto Joan. obſtitiſſe Decre- 7
tum *d. c.* 15 licet acceſſus hujuſmodi fuerit ante Concilium
reſervatus. Primo, quia prætenſa gratia dicti acceſſus fuit
conditionalis, videlicet, decedente Conſtantino ſeniore.
Quæ verba reſpiciunt futurum eventum, & diem incer-
tam, & ſunt ablativi abſoluti, & ideò conditionem impor-
tant, *l. A Teſtatore, ff. de cond. & demonſtr. l. Evict. ff. de
evict.* Pariſ. *conſ.* 81. *n.* 7. *l.* 1. & in terminis idem Pariſ. *conſ.*
82. *n.* 4. *& ſeq. l.* 4. & cùm ante eventum conditionis ſuper-
venerit impedimentum, prętenſa gratia non ſuffragatus ad
text. *in l. Intercid. ff. de cond. & demonſtr. & in l. Quoties,*
§. 1. *ff. de novat. cum notat.* ibi per Bart. *in l.* 1. §. *Sin autem
aliquod, C. de cad. tollen. & in l. Si ita legat.* §. *Illi enim no-
let, ff. de legat.* 1. & tradunt Jo. Monach. Jo. Andr. & An- 8
char. *in c. Deteſtan. de conceſ. præb. l.* 6. Dies enim conditio-
nis adimpletę tunc ſolùm retrotrahitur, quando pendente
conditione non ſupervenit aliquod, quod illius diſpoſitio-
nis conditionalis effectum impediat, ad tex. *in l. Bonor. ff.
Rem ratam haberi, in c. Si pro te, de reſcript. lib.* 6. & in
terminis ſimilis Concilii tradit Caſſad. *in dec.* 3. *in princip.
num.* 16. *& ſeq. de præb.* aliàs ſecus, etiam ubi eſſet clauſula
ex nunc prout ex tunc: illa enim non operatur niſi evenien- 9
te conditione, & conſideratur à tempore conditionis, non
autem à tempore datæ, gloſ. in Clem. 1. *in verb. Ex nunc,*

de

de conceſſ. præb. & ibi Cardin. & Imol. Rota *deciſ.* 11. *eod. tit. in nov. in prima addit.* Caſſad. *d. dec. num.* 15. Tiraqu. *de retract. nu.* 86. Sed hic tempore evenientis conditionis videlicet obitus Conſtantini ſenioris, emanaverat decretum Conc. quod, ut dixi, inhabilitat filios Clericorum, ut non poſſint obtinere beneficia in Eccleſia, in qua pater,
10 &c. Ergo dictus acceſſus effectum ſortiri non poteſt. Eadem quoque concluſio alia ſecunda ratione comprobatur, videlicet quia conſtitutio nova comprehendit diſpoſitionem, quæ habet factum de præterito, quod expectat perfectionem de futuro, ſi antequam perficiatur nova conſtitutio ſupervenerit, ut eſt gloſ. communiter approbata in Clem. 2. *in verb. Impoſterum, juncto text. de ætat. & qualit.* Felin. *in c. fin. n.* 11. *de Conſtit.* poſt Abb. Imol. Anton.
11 Card. Dominic. & alios, quos allegat. Et quamvis regulariter factum legitimè non pereat, licèt ad eum caſum deveniat unde incipere non poſſit, reg. *Factum l. 6. l. In ambiguis*, §. 1. *ff. eod. t.* tamen illum procedit, quando actus fuit perfectus, & confirmatus; ſecus eſt ubi non eſt conſummatus, quia tunc deſtruitur, ſi deveniat ad eum caſum, à quo inchoare non poteſt, *l. Si metallum*, §. *Si ſervo alieno, ff. de his quæ pro non ſcript. hab. l. Patre furioſo, ff. de his quæ ſint ſui vel alterius juris*, Oldrad. *conſ.* 58. *n.* 4. In caſu autem noſtro tempore ſupervenientis Concilii, prętenſus acceſſus nondum fuerat effectum ſortitus, neque conditio aliquo modo purificata, merito, &c.
12 Tertiò, quia per acceſſum hujuſmodi non niſi jus ad rem, ſeu potius quædam ſpes obtinendi beneficium dicto Joanni ante conditionis purificationem acquiſita fuit, non
13 autem jus in re. Sed omne jus ad rem ad aliquod beneficium competens perditur, ſi inhabilitas illud habenti ſuperveniat, antequam jus in re perfectum conſequatur, Rebuff. *in concord. de mand. app. in verſ. Proſequentes, & in tract.*
14 *nominat. quæſt. final.* Anchar. *conſ.* 58. *Circumſcriptis.* Et facit quod in ſimili videmus in matrimonio carnali: illud enim ſi perfectum ſit, propter impedimentum ſuperveniens non diſſolvitur, *c. Quoniam de coniug. leproſ. d. l. Patre furioſo, ff. de his qui ſunt ſui, vel alien. jur.* ſponſalia verò de futuro, quibus jus ad rem aſſimilatur, per ſupervenientiam inhabilitatis diſſolvuntur, *c. Quemadmodum, de jurejur.* Facit etiam quòd hæres, qui tempore teſtamenti & mortis teſtatoris reperitur habilis ad hæreditatem adeundam, & ſic jus ad rem habet, & multò propinquius ad jus in re, quàm qui habet acceſſum ad beneficium nondum mortui, ſi tamen ante editam hæreditatem fiat inhabilis, illud jus ad rem ante ſibi quęſitum perdit, *l. Si alienum*, §. *In extraneis, ff. de hæred. inſtit.* & idem videmus in legatario conditionali: nam is perdit ſpem, ſi pendente conditione deportetur, & durante deportatione dies legati ceſſerit, vel conditio purificata fuerit, *d. l. Interdic. ff. de condit. & demonſtr. l. Intervenit, ff. de leg. præſt. l. Si Cognat.* cum ibi notatis, *ff. de reb. dub.* & tamen conſtat plus juris eſſe legatario conditionali in legato poſt mortem teſtatoris acquiſito, quam habenti acceſſum ad beneficium ante mortem
15 illud obtinentis. Et in regreſſu, quod propter inhabilitatem ſupervenientem regreſſatarius illo uti non poſſit, habetur per Anton. Auguſtin. *in ſuis notis, n.* 347. & in fortioribus terminis de Epiſcopo electo, & confirmato, qui ſi ante
16 conſecrationem efficiatur inhabilis, repellitur; tradunt Cardin. Butr. Imol. & alii *in c. Ex parte, de Cler. ægrot.* & tamen poſt electionem, & confirmationem jus in re acquiritur, *c. Tranſmiſſam, de elect.* & difficilius amittitur jus in re, quàm jus ad rem. Prob. *in c. Si pauper, num.* 4. *de*
17 *præben. l. 6.* Pariſ. *conſ.* 5. *num.* 96. *lib.* 4. ubi propriè loquitur in terminis regreſſus.
18 Quartò, quia decretum Concilii inhabilitat filios Clericorum ad obtinenda beneficia, & ſic inhabilitat finem, & conſummationem actus, ut patet ex illo verbo, *obtinere:* ſed conſummatio dicti acceſſus completa fuit poſt Concilium: ergo à Concilio comprehenditur, à quò filius Clerici tempore conſummationis acceſſus inhabilitatus reperitur. Ita in terminis alterius Conc. concludit Caſſad. *in d. dec. n.* 16. *& ſeq. & in notab. q.* Decius *conſ.* 24. *n.* 6. *verſ. Prædicta fundamenta*, quia tunc habilitas conſideratur tempore utriuſque; ut per Caſſad. *ibi*, Sarnen. *in reg. de infirm. q.* 31. *ad fin. & in cap. Statutum, num.* 116. *de reſcript. l.* 6. Imò quando actus recipit eſſentiam à fine, habilitas, vel inhabilitas conſideratur in fine, non in principio. Cald. & Anton. *in c. Dudum il 1. de election.* vel quando finis dat eſſe perfectum, res, & præcedentia ordinantur ad finem, ut per Caſſad. *in d. dec.* 3. *num.* 13. vel quando initium habet relacionem ad finem, Sarnen. *de infirmis, quæſt.* 32. *n.* 5. Quæ omnia in acceſſu concurrunt, quia eſt actus inchoatus, non perfectus, & recipit ſubſtantiam, eſſentiam à fine, & ordinatur ad finem, videlicet ad tempus vacationis beneficii: & regulare eſt in materia beneficiali, ut ubi agitur de habilitate perſonę, tempus vacationis attendatur, Abb. *hic*, & dictum eſt ſuprà *n.* 2. *& ſeq.* Et facit quod voluit Angelus *in l.* 19
Vicar. ff. de fideicom. & in l. 1. *C. de his qui accuſ. non poſſ.* videlicet ſtante ſtatuto, ne querelæ bannitorum audiantur, accuſatorem, qui pendente accuſatione bannitus, amplius audiri non debere, quia inhabilitas ante rem perfectam ſuperveniens repellit.

Nec obſtat, quod natura legis ſit futuris dare formam ne- 20
gotiis, *c. 2. & c. fin. de Conſtitution. l. Leges Sacratiſſimæ, C. de leg.* quia ubicumque conſtitutio prohibet uſum, & exercitium alicujus rei, vel actus, comprehendit etiam uſum, & exercitium rei præteritę, ut per gl. juncto text. in Clem. 2. *in ver Utetur de vit. & honeſt. Cler.* quam ſequuntur Card. Abb. Imol. *ibi* & Felin. & Dec. *in c. fin. de Conſt.* quoniam ut ibi gloſſ. ſubtiliter ſubjicit, per hoc non extendimus Conſtitutionem ad præterita, ſed damnatur uſus rei futurus. Sicut igitur d. Clem. 2. comprehendit uſum futurum rei præteritæ, ita & Concilium Tridentinum comprehendit futuram ſucceſſionem ratione rei præteritæ, & ſic futuram ſucceſſionem vigore dicti acceſſus. Et ita in ſi-
milibus, & ferè iiſdem terminis cenſuit Sac. Congregatio 21
videlicet in gratia coadjutoris cum ſimili futura ſucceſſione ante Concilium obtenta, cui futuræ ſucceſſioni poſt Concil. locus fuerat, in una Canarieñ. Canonicatus. Et iterùm in facultate optandi vigore ſtatuti Eccleſiæ ante Concil. competenti, cenſuit enim filium Clerici dicta facultate uti non poſſe ad obtinendum beneficium in Eccleſia, in qua pater. Et idem reſolvit in una Salamantina Cantoriæ. Quæ conſilio pluribus aliis ſimilibus comprobari poteſt, & primò per text. *in c. Avaritiæ, de elect. lib.* 6. ubi electus antequam confirmatur, non poteſt adminiſtrare, etiamſi ante dictam conſtitutionem electus fuiſſet, ut ibi declarat Dominic. *col. verſ. Quod de illis*; ea ratione, quia Conſtitutio loquitur de adminiſtratione, & hæc ſequitur poſt conſtitutionem, & ſic reſpicit futura. Ita in caſu noſtro Concilium prohibet filios obtinere beneficia in Eccleſia, in qua pater, & hoc ipſum obtinere venit poſt Concilium, quia vacatio poſt ſupervenit, & ideò comprehenditur ſub prohibitione Concilii. Contraria autem procederent, ſi Concilium prohiberet reſervari acceſſus; tunc enim dici poſſet non comprehendere acceſſus jam reſervatos.

Secundò, per gloſ. *ultim. in c.* 1. *de injuriis lib.* 6. quæ voluit textum illum, qui excommunicat concedentes, vel extendentes repræſalias ad Clericos, comprehendere etiam eos, qui antea conceſſas extendunt; & ita comprehendit actum futurum rei præteritæ.

Tertiò, per Jo. Andr. *in c. fin. n.* 1. *verſ. Dico tamen quod hæc Conſtit. de elect. l.* 6. qui voluit illud cap. ſtatuens formam cofirmandi electiones, comprehendere confirmationes electionum præteritarum, quia etſi electiones ſint præteritæ, non tamen uſus earum, & confirmatio.

Quartò, per doctrinam Guil. de Suſa, & Jacob de Aren. quos Cyn. *in l.* 2. *C. de leg.* refert de ſtatuto veteri, quod continebat, ut banniti eximerentur à banno ſolutis 50. libris, poſteà ſupervenit novum ſtatutum, ut ſolvi debeant libræ centum: bannitus ante novum ſtatutum volebat eximi à banno, & ſolvere 50. libras: fuit determinatum, ut deberet ſolvere centum, quia ſtatutum non dat formam futuris bannis, ſed futuris exemptionibus bannitorum, & ſic lex nova ſervari debet.

Quintò, per Bart. *in l. Omnes populi, n* 47. *de juſtitia, &* 22
jure, de ſtatuto novo de lucranda parte dotis uxoris præmortuę, quod comprehendit etiam dotem uxoris ante ſtatutum acceptæ, ſi uxor poſt ſtatutum moriatur; & idem tenent Raymund. de Forli *ib. n.* 63. & Baptiſta de Sancto Sever. *n.* 83. Anchar. *conſ.* 125. *Viſis, col. fin.* & Bald. *in d. c. Omn. populi, n.* 14. concludit ſtatutum vetans mulieribus, ne
deferant veſtes ſericas, includere uſum veſtium jam factarũ: 23
& Crot. *in ead. l. Omn. populi, n.* 8. voluit, ut ſtatutum dans præmium præſentanti bannitum, habeat locum etiam in eo, qui ante ſtatutum captus fuiſſet, ſi poſt ſtatutum preſẽtetur, cùm multis aliis ſimilibus, quę brevitatis cauſa omittimus.

24 Prætereà non poteſt negari, quin Joannes tractaverit de obtinendo beneficio Eccleſiaſtico poſt Concilium, & ſic eo tempore, quo fuit inhabilitatus; quia certum eſt eum ante Concilium non potuiſſe prætendere jus in re, ſed tantùm jus ad rem, ſeu potiùs quandam ſpem, ut per Pariſ. *conſ. 5. n. 96. lib. 4.* cum vacatio beneficii non fuerit niſi poſt Concilium, quo tempore Joannes vigore d. acceſſus jus in re ſe acquiſiviſſe prætendebat. Quam quidem acquiſitionem ipſum Concilium prohibuit, dum diſpoſuit, ut illegitimi non poſſint obtinere beneficia in Eccleſia, in qua pater.

25 Inſuper dum Concilium prohibet obtentionem, intelligitur nedum de obtentione de jure, id eſt acquiſitione juris in beneficio, ſed etiam de facto, id eſt adeptione poſſeſſionis, quia verbum *obtinere*, quo Concilium utitur, verificatur de jure, & de facto, Rota *deciſ. 12. de præbend. in antiq.* Imò ſecundum dicti verbi propriam ſignificationem, obtentio facti, & non juris deſignatur, ut per gloſ. & DD. *in l. Stipulatio iſta, §. Hoc quoque, ff. de verb. oblig.* Et ideò cum Joannes poſt Concilium voluerit acquirere poſſeſſionem Decanatus in Eccleſia Conchen. in qua ejus pater fuit Canonicus, & etiam Decanus, & ſic Decanatum de facto obtinuerit, dictum decretum Concilii ei obſtitiſſe dicendum eſt; & eò magis, quia ratio dicti Decreti, videlicet repellendi memoriam incontinentiæ paternæ ab Eccleſiiis, magnoperè viget in caſu de quo agitur, cùm Decanatus ſit prima dignitas, & habeat etiam juriſdictionem, ita ut Joan. in Eccleſia Conchen. in oculis omnium extitiſſet valdè conſpicuus.

Neque enim obſtat, quòd in ipſis litteris acceſſus narretur cum Joanne diſpenſatum fuiſſe, quia ex eadem narrativa apparet diſpenſationem non eſſe ſufficientem: verba enim ſunt hujuſmodi; (etiam in Eccleſiis, ſeu locis, in quibus genitor ſuus fuit, erat, vel eſſet beneficiatus, &c.) Diſpenſatio autem eſt ſtrictè intelligenda, *cap. 1. de fil. Presbyter. lib. 6.* Rota *deciſ. 5. eod. tit. in antiquis.* Odioſius autem eſt illegitimum obtinere ipſum beneficium, quod fuit obtentum à patre, quam obtinere aliud beneficium in eadem Eccleſia, in qua pater fuit beneficiatus: ergo diſpenſatio non extenditur ad illud, ex notatis per Abb & alios *in cap. fin. eod. tit.* ubi diſtinguunt de diſpenſatione facta ad obtinendum beneficium diverſum à paterno in eadem Eccleſia, & ad obtinendum ipſum beneficium paternum. Sed ceſſat omnis difficultas, quia Concilium tollit omnes diſpenſationes, dum ait: *Et ſuper his quæcumque diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur:* preſertim ponderando, quòd Concilium utitur verbo pluralis numeri, ibi, *& ſuper his*, & ſic refertur ad omnia, quæ in *d. c.* 15. diſpoſita fuerunt, ut Alex. *conſ. 226. n. 8. lib. 6.* cum aliis per eum allegatis. 26

DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.

Idem Innocentius III. in Concilio Generali.

CAPUT XXVIII.

DE multa providentia fuit in Lateranen. Concilio prohibitum, ut nullus diverſas dignitates Eccleſiaſticas, & plures Eccleſias Parochiales reciperet contra ſacrorum Canonum inſtituta: alioquin recipiens ſic acceptum amitteret, & largiendi poteſtate conferens privaretur. Quia verò propter præſumptiones, & quorumdam cupiditates, nullus hactenùs aut rarus de prædicto ſtatuto fructus provenit: Nos evidentiùs & expreſſiùs occurrere cupientes, præſenti decreto ſtatuimus, ut quicumque receperit aliquod beneficium curam habens animarum annexam, ſi prius tale beneficium habebat, eo ſit ipſo jure privatus; & ſi fortè illud retinere contenderit, etiam alio ſpolietur. Is quoque ad quem prioris ſpectat donatio, illud poſt receptionem alterius liberè conferat, cui meritò viderit conferendum; & ſi ultra ſex menſes conferre diſtulerit, non ſolùm ad alios ſecundùm Lateranen. Concilii ſtatutum ejus collatio devolvatur, verùm etiam tantum de ſuis cogatur proventibus, in utilitatem Eccleſiæ cujus eſt illud beneficium, aſſignare, quantum à tempore vacationis ipſius conſtiterit eſſe perceptum. Hoc idem in perſonatibus eſſe decernimus obſervandum; addentes, ut in eadem Eccleſia, nullus plures dignitates aut perſonatus habere præſumat, etiamſi curam non habeant animarum. Circa ſublimes tamen, & litteratas perſonas, quæ majoribus ſunt beneficiis honorandæ; cùm ratio poſtulaverit, per ſedem Apoſtolicam poterit diſpenſari.

SUMMARIUM.

1 *Dignitatem, vel perſonatum, aut beneficium Curatum obtinens, ſi ſecundum tale recipiat, vacat primum; quod ſi retinere contenderit, etiam ſecundo privabitur.*

2 *Beneficium primum vacat per receptionem ſecundi, dummodò utrumque ſit Curatum, aliàs ſecus.*

3 *Et quid poſt Concilium Tridentinum.*

4 *Beneficium ſufficiens habenti poteſt conferri aliud, ſed habita poſſeſſione ſecundi, vacat primum ſufficiens.*

5 *Beneficia plura ratione reſidentiæ, aut aliàs incompatibilia præſumens poſt Concilium Tridentinum retinere incidit in pœnam,* cap. 4. ſeſſ. 7.

6 *Beneficia plura incompatibilia quando quis retinere dicatur, ad hoc ut omnibus ipſo jure privatus exiſtat.*

7 *Beneficium primum, quo ipſo jure privatus eſt per aſſecutionem ſecundi, ſtatim non dimittens in manibus Ordinarii, privatus eſt etiam ſecundo, & inhabilis ad Ordines, & beneficia.*

8 *Beneficium Curatum obtinens, & aliud ſimile recipiens olim non erat privatus ſecundo, ſed erat privandus per ſententiam. Hodie ſecus.*

9 *Beneficium Curatum non vacat per aſſecutionem alterius ſimilis, niſi poſt adeptam poſſeſſionem ſecundi.*

10 *Et poſſeſſio debet eſſe pacifica.*

Et ideò non vacat per promotionem ad Epiſcopatum Titularem, num. 11. verſ. Et ex hoc.

11 *Et an requiratur adminiſtratio majoris partis bonorum.*

12 *Beneficium Curatum vacat adepta poſſeſſione ſecundi ſimilis, etiamſi proviſus adhuc ſit infra tempora promotionis ad Ordines, aut vi occupet ſecundum.*

Vel primum habeat de jure, & non de facto, ibid.

13 *Prioratus etiam manualis, & non curatus vacat ipſo jure per receptionem ſecundi ſimilis.*

14 *Beneficia non vacant per promotionem ad Epiſcopatum, & adeptam poſſeſſionem, niſi poſt ſex menſes præfixos ad conſecrationem ſuſcipiendam.*

Electus, & confirmatus in Epiſcopum non eſt Epiſcopus, niſi poſt conſecrationem, ibid.

15 *Beneficium in multis caſibus non vacat per aſſecutionem alterius incompatibilis, remiſſivè.*

Liberè, *dictio quid importet.*

16 *Beneficium vacans per aſſecutionem alterius, poteſt, & debet ab Epiſcopo ſtatim conferri, etiam irrequiſito poſſeſſore, ibid.*

17 *Sed poſſeſſio tradi non poteſt niſi poſſeſſore prius vocato.*

18 *Collatio primi beneficii vacantis per aſſecutionem ſecundi, ad proximum ſuperiorem devolvitur, ſi Epiſcopus infra ſex menſes non conferat.*

19 *Et tantumdem ex ſuis proventibus tenetur Epiſcopus illi Eccleſiæ aſſignare, quantum ex fructibus ipſius du-*

durante vacatione conſtiterit eſſe perceptum.

20 *Quòd ſi proprios proventus non habeat, aliter puniatur arbitrio Judicis.*

21 *Et ſex menſes computari debent à die, quo Epiſcopus ſcivit proviſum habuiſſe poſſeſſionem pacificam ſervandi beneficium.*

22 *Perſonatus plures non Curatos in diverſis Eccleſiis obtinens an incidat in pœnam hujus Conſtitutionis, & num. ſeqq.*

23 *Diſpenſatus ad plures dignitates non cenſetur diſpenſatus ad plures dignitates in eadem Eccleſia, niſi hoc exprimatur.*

24 *Perſonatus plures non Curati in diverſis Eccleſiis haberi non poſſunt abſque diſpenſatione. Et an Epiſcopus poſſit ſuper hoc diſpenſare.*

25 *Et quid poſt Concilium Trid.*

26 *Perſonatus plures in eadem Eccleſia haberi non poſſunt, licèt curam non habeant animarum.*

27 *Et an per receptionem ſecundi vacet primus.*

28 *Et quid poſt Concilium Tridentinum.*

29 *Dignitas aliud eſt, aliud Perſonatus.*

30 *Diſpenſare poteſt Papa cum ſublimibus, & litteratis perſonis ad plures dignitates, & beneficia etiam Curata, & num. ſeqq.*

31 *Et quæ ſit forma talis diſpenſationis.*

32 *Diſpenſare nequeunt Epiſcopi ad plura Curata ob prærogativam perſonæ.*

33 *Neque ob urgentem Eccleſiarum neceſſitatem, vel evidentem utilitatem.*

34 *Beneficia habitu tantùm curata an debeant regulari, & conferri ut curata, an verò ut ſimplicia, & an comprehendantur in hac conſtitutione Concilii Generalis, & nu. ſeqq. uſque ad nu. 48.*

35 *Delegatio ſi fiat Epiſcopo, & unus habeat Epiſcopatum habitu, alius exercitio, erit judex qui habet habitu.*

36 *Parochialem Eccleſiam non facit exiſtentia actus, ſed ſuperioris authoritas.*

37 *Potentia reducta ad actum reponit rem in primo ſtatu.*

38 *Parochialis habitu non comprehenditur* in c. Licèt Canon. de elect. lib. 6.

39 *Status ultimus attenditur ad cognoſcendum, an beneficium ſit Curatum, nec ne, & nu. ſeq.*

40 *Beneficium quod fuit erectum per decem proximos annos à Clerico ſæculari, cenſetur ſæculare, niſi contrarium probetur.*

41 *Gratia ad beneficium Curatum verificatur in Curato tempore vacationis, licèt tempore datæ litterarum eſſet ſimplex.*

42 *Gratia nulla ab initio, ex ſuperveniente cauſa confirmari poteſt.*

43 *Beneficium Curatum habitu non cenſetur curatum niſi ſubſit ſpes, ut de proximo revertantur Parochiani.*

44 *Collegiata Eccleſia non dicitur quæ per deſuetudinem deſiit eſſe collegiata.*

45 *Expectativa ad beneficium ſimplex an comprehendat beneficium curatum habitu tantùm, & nu. ſeqq.*

46 *Qualitates requiſitæ in ſubjecto concurrere debent actu, & habitu in diſpoſitione hominis, ſecùs in diſpoſitione legis.*

47 *Actus momentaneæ interpoſitionis non excludunt continuum.*

48 *Regula de Triennali an habeat locum contra Decreta Concilii Trid. & n. ſeq. uſque ad n. 52.*

49 *Diſpenſationibus veris ſuper pluralitate incompatibilium à Concilio Tridentino ſublatis, multò magis ſublatæ cenſentur præſumptæ.*

50 *Fictio non debet eſſe majoris efficaciæ, quàm veritas, & naturalis actus.*

51 *Diſpenſatio Apoſtolica ex diuturnitate temporis in inſolitis non præſumitur.*

52 *Regula de Annali an tueatur poſſeſſorem plurium beneficiorum incompatibilium contra eum, qui contenta in ſecunda parte illius non adimplevit, & nu. ſeqq. uſque in fin.*

53 *Regula de Annali non adverſatur Decr. Tridentini Concilii prohibentibus pluralitatem beneficiorum, & num. ſeqq.*

54 *Regula de Triennali inducta eſt in favorem poſſeſſoris.*

Proſp. Fagnan. in III. Lib. Decretal.

55 *Et tribuit robur juri invalido, & tuetur poſſeſſorem quoad omnes, num. 57.*

Regula de Annali inducta eſt in odium impetrantium, & exquirentium lites, nu. 54.

56 *Nullum jus tribuit poſſeſſori, ſed tantùm adimit ab impetrante.*

58 *Non excludit omnes, ſed ſolùm impetrantem, qui contenta in regula non adimplevit.*

59 *Et illius beneficio uti poteſt poſſeſſor Execrabilis.*

DE *multa*. Famoſum eſt, & valdè utile in materia ſua, 1
licèt in aliquibus ſit alteratum ex jure noviſſimo Concilii Tridentini. Et in ſumma hoc intendit, ſecundùm Joan. Andr. Butr. Abbatem, & omnes: Habens dignitatem, perſonatum, vel beneficium curatum, ſi ſecundum tale recipiat, vacat primum; quòd ſi retinere contenderit, etiam ſecundo privabitur. Et is, ad quem ſpectat prioris collatio, liberè illud confert, ſtatim atque inſtitutus ſecundum recepit. Quòd ſi infra ſex menſes non conferat, duplici pœna punitur. Cum ſublimibus tamen perſonis circa incompatibilium pluralitatem Papa diſpenſat. Dividitur in tres partes principales. In prima ponitur Conſtitutionis cauſa. In ſecunda Conſtitutio, ibi, *Præſenti*. In tertia quædam proteſtatio, ibi, *Circa*. Prima pars pro Conſtitutionis cauſa Concilium Lateraneñ. repetit, & illius tranſgreſſionem ponit. Secunda verò ſubdividitur in ſex. Nam prima privat habentem beneficium Curatum ipſo beneficio, ſi ſecundum tale recipiat. Secunda ibi, *Et ſi fortè*, in contemptorem pœnam aggravat. Tertia ibi, *Is quoque*, collatorem primi monet, ut conferat. Quarta ibi, *Et ſi ultra*, eum punit, ſi non conferat. Quinta ibi, *Hoc idem*, ad perſonatus Conſtitut. prorogat. Sexta ibi, *Addentes*, addit de pluribus dignitatibus, aut perſonatibus etiam non Curatis in una Eccleſia non habendis.

Nota primò ibi, *Curam animarum habere annexam*, per 2
receptionem ſecundi beneficii vacare primum ipſo jure, dummodò utrumque ſit Curatum. Unde à contrario ſenſu infertur, ut ſi obtinens beneficium curatum recipiat non curatum, vel è converſo obtinens non curatum recipiat ſecundum curatum, non inducatur vacatio primi ipſo jure, licèt non curatum perſonalé reſidẽtiam requirat, vel aliàs ſit incõpatibile; quia textus requirit, ut primum beneficium ſit curatum ſicut ſecũdum, ut patet ibi, *Si prius tale*; & quamvis nonnulli contradicant, hoc tamen dictum eſt verius, & communis, ut inquit Abbas *hic in 3. not.* poſt Anchar. *n.* 10.

Hodie dic contra, quia ex jure noviſſimo Concilii Tri-
dentini pena hujus Decretalis extenditur ad beneficia quo- 3
modolibet incompatibilia *in c. 4. ſeſſ. 7.* nam decretum illud generaliter loquitur de quibuſcumque beneficiis incompatibilibus vigore quorumcumque Canonum, nec ſe reſtringit ad hunc textum, quia dicit, præſertim, ut obſervat Rota *deciſ. 483. n. 4. part. 1. diverſ.* Alphonſ. Hojed. *de incompatibil. Beneficior. c. 9. n. 5.* Gonzal. *ad regul. de menſ. gl. 15. n. 16.* & Nicol. Garz. *de benefic. part. 11. c. 5. n* 80. dicens, ita eſſe indubitanter tenendum, & fuit aliàs reſolutum, ut ibi per eum, & mox dicetur, quidquid contra ſcripſerint Navarr. *conſ.* 17. incipien. *An per adeptionem de præben.* & nonnulli alii apud Garz. *loco citato*. Plura autem beneficia ſimplicia ſi perſonalem reſidentiam requirant, vel ſi primum ſit ſufficiens, ſunt incompatibilia ex alio ejuſdem Concilii decreto, nempè ex *cap. 17. ſeſſ. 24* ubi, *Statutum eſt, ut unum tantùm beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur. Quòd quidem ſi ad vitam ejus cui confertur honeſtè ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominùs aliud ſimplex ſufficiens, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri.* Hæc ibi. Et conſequenter primum beneficium ſimplex ſi ſit ſufficiens, per receptionem alterius ſimilis, & ſimiliter primum perſonalem reſidentiam requirens, licèt non curatum, nec ſufficiens, per receptionem ſecundi ſimilis vacant ipſo jure, ut per Rotam *deciſ 497. nu. 1. part. 1.*
recent. & ita ſæpiùs fuit reſponſum à Sac. Congregatione 4
Cardinalium ejuſdem Concilii interpretum. Aliquando enim cenſuit, habenti beneficium ſufficiens poſſe conferri aliud; ſed habita poſſeſſione ſecundi, vacare primum ſuffi-
ciens. Et aliàs cenſuit eum, qui retinere præſumit plura 5
incompatibilia ratione reſidentię, poſt Concilium, incidere in Decretum Concilii *ſeſſ. 7. cap.* 4. Et iterùm conſulta, an in omnibus beneficiis reſidentiam requirentibus, aut aliàs quomodocumque incompatibilibus, etiamſi Canonicatus

 vel

vel Portiones, inducatur vacatio ipſo jure primi per adeptionem ſecundi pacificè poſſeſſi: reſpondit induci ex *cap.4. ſeſſ.7.* & juxta diſpoſitionem *c. de multa, de præben.*

6 Secundò nota ibi, *Retinere contenderit*, ad hoc ut recipiens ſecundum beneficium Curatum illo ſit privandus, neceſſarium eſse, ut idem beneficium una cum primo retinuerit uſque ad litis conteſtationem. Si enim ante deſtiterit retinère, non privabitur utroque ſecundùm gloſsam ſecundam hìc, quę ita intelligit verbum *Contenderit*, ſcilicet uſque ad litem conteſtatam, & judicium contentioſum. Ita enim eſt in aliis ſtatutis pęnalibus, ut *l. Hoc amplius, ff. rem rat. haber.* & *l. Quamvis, ff. de in jus vocan.* & ſic ponitur *in c. Statuimus*, 16. q. 1. & in hoc conſentiunt Vincen. Jo & Philip. Sed contrarium tenet Innoc. *hic nu.2. in ver. Contenderit, verſ. Vel dic*, cui adhærent Abb. Antiq. & Ægid. dicentes, ex ſola retentione eſse privandum, etiamſi quando incipit conveniri, velit dimittere; & hoc duplici motivo. Unum eſt, quia ſatis manifeſta cauſa privationis apparet, ex quo non obtemperavit Canoni ſic præcipienti. Alterum, quia furtum committit in rebus prioris beneficii, quo ipſo jure privatus eſt, *c. Cùm jam dudum, ſupra eod.* & *c. Dudum, il ſecundò, ſupra de elect.* Hoſt *verò n.2. in ver. Alio*, dicit hoc eſſe intelligendum, dummodò monitus per Judicem dixerit ſe nolle dimittere, vel ſi hoc non fecerit infra tempus ſibi à jure aſſignatum, & allegat. *c. Sicut, de cohabitat. Cleric. & mulier*, & hoc dictum ſatis videtur æquum, ſecundùm Joan. And. *n* 17. Hodie hæc controverſia ſublata eſt per Extravag. Jo. XXII. *Execrabilis, de præbend.* ubi ſi ſecundum recipiens, primum, quo privatus eſt, abſque moræ diſpendio verbo, & facto in manibus Ordinarii ſub teſtimonio publico non dimittat, privatus eſt etiam ſecundo, & inhabilis ad ſacros Ordines, & beneficia, ut ibi *in §. Qui verò*, ubi gloſ. exponit verba illa, *abſque mora diſpendio*, id eſt, non expectata ſententia privatoria facti, vel litis conteſtatione; & ita de prædictis opinionibus non eſt curandum, ſecundùm Jo. Andr. *hic n.7.* & *d. n.17. verſ. Hodie*, Henric. Boich. *col.4. circa finem verſ. Hodie verò*, Anchar *in 4. not.* Cardin. *in ult. q. n.9.* Imol. *n.5.* & Abb. *n.10.* Quod nota pro intellectu Concilii Trident. *in d. cap.4. ſeſſ.7.* in illis verbis, *ac ſimul retinere præſumpſerit.*

7

8 Tertiò nota ibi, *Et alio ſpolietur*, per retentionem primi, & ſecundi beneficii curati, in terminis hujus Conſtitutionis non induci privationem ſecundi ipſo jure, ſed requiri ut privetur à Judice: ita enim intelligitur illud verbum *Spolietur*, ſcilicet per ſententiam, ſecundum Innoc. *n.2. in verb. Contenderit.*

Contrarium tamen videtur innuere Concilium Trident. in prælleg. *c.4. ſeſſ.7.* ubi cavetur, ut retinens plura beneficia incompatibilia, omnibus ipſo jure privatus exiſtat juxta diſpoſitionem Concilii Lateranen. de qua hic. Atque ita videtur ſupponere ex diſpoſitione hujus textus induci privationem utriuſque beneficii ipſo jure. Et quamvis addat verba illa, *Etiam præſentis Canonis vigore*; fortè tamen hoc fecit, quia de jure poterat hoc in dubium revocari propter illud verbum, *Spolietur*. Unde ad majorem cautelam Concilium voluit inducere privationem etiam ſui Canonis authoritate; quaſi dicat; ſunt ipſo jure privati ex Concilio Lateranen. ſed nihilominus ſint privati etiam vigore hujus Canonis. Quidquid tamen ſit, hodie expeditum eſt, etiam ſecundum beneficium per retentionem ſimul cum primo vacare ipſo jure, & ſi non conſtitutionem Concilii Lateranen. certè opinionem Innocentii, & ſequacium eſſe correctam per Conſtitutionem *Execrabilis*, & Decretum *d. c.4.* ut dictum eſt in præcedenti *notab. n.7.*

9 Quartò nota ibi, *Poſt receptionem alterius*, primum beneficium curatum non vacare ipſo jure per aſſecutionem alterius ſimilis, niſi poſt adeptam poſſeſſionem ſecundi: hoc enim importat illud verbum *Receptionem*, ſcilicet corporalem, gloſ. hìc in *ver. Poſt receptionem*, allegat *cap. Si quis jam translatus, 21. q.2* & notata *in c. Cùm in cunctis, §. Cùm verò, ſupra de elect.* & *in c. Si qui Epiſcopi 42. diſt.* Idem Innoc. *hic nu.4 in ver. Sex menſes*, Hoſt. *nu.1. in ver. Receperit, & num. 6. in ver. Receptionem*, Anchar. *num.3* Imol. *num.5.* & Abb. *n. 16* quia receptio ſecundi cum effectu eſt accipienda, *c. Relatum, de Cler. non reſiden. l.1 ff. quod quiſque jur.* Hodie hoc eſt expreſſum *in cap. Licèt Epiſcopus, de præben. lib. 6.* & in Extravag. *Execrabilis, §. Qui verò, eod. tit.*

10 Sed numquid hoc habeat locum, ſi poſſeſſio ſecundi beneficii ſit litigioſa? Innoc. *hic num.2. verſ. Sed ſi habeat poſſeſſionem*, & fuſiùs *n.4. in ver. Sex menſes*, tenet adhuc primum beneficium vacare ipſo jure, & poſſe ſtatim conferri, per *d. c. Si quis jam translatus*, 21. q.2. & *c Cum in cunctis, §. Cum verò, de elect.* Nec obſtat, quòd ſecunda proviſio, ex quo per ſententiam apparet invalida, non debeat tollere primam. Quoniam ut reſpondet Innoc. in culpa fuit acceptando rem litigioſam, vel de hoc non benè diſquirendo, ut notatur *in c. Noſtra ſupra de reſcript.* Sed ejus opinio corrigitur hodie *in d. c. Licèt Epiſcopus, inf. eod. lib.6.* ubi patet primum beneficium curatum poſt aſſecutionem ſecundi ſimilis conferri non poſſe, niſi proviſus habuerit pacificam poſſeſſionem ſecundi, vel per eum ſteterit, quominùs haberet. Quinimò ſecundùm aliquos nec ſufficit poſſeſſio pacifica, 11 niſi etiam habeat adminiſtrationem majoris partis rerum ſecundæ Eccleſiæ, arg. *c. fin. de reſtit. ſpoliat.* ut refert Innoc. *hic n.2. verſ. Quidam etiam dicunt*, Hoſt. *n.6.* Jo. Andr. *n.9.* Tu dic ſufficere liberum exercitium curæ, ut notat gloſ. *in cap. Commiſſa, in verb. Pacificam, de elect. lib.6.* Cardin. *hic in §. Is quoque, in 2. quæſt.*

Et ex hoc notabiliter infero, ut beneficia promoti ad Epiſcopatum in partibus infidelium minimè vacent, cùm per eum non ſtet, quo minus poſſeſſionem Epiſcopatus aſſequatur, Staphil. *de qualit. & ſtat. benefic. §. Hujuſmodi autem, n.15.* Mandoſ. *reg.26. Cancell. quæſt.4. n.5.* Burſat. *conſ.* 351. Navarr. *conſ.14. n.3. de elect.* & alii apud Garz. *de benefic. part.11. cap.6. num.24.*

Hęc regula, qua dictum eſt primum beneficiũ vacare ipſo 12 jure adepta pacifica poſſeſſione ſecundi incompatibilis, ampliatur primò, ut procedat, etiamſi recipiens ſecundum beneficium adhuc ſit infra tempora promotionis ad Ordines, ad preſcriptum *c. Licèt Canon. de elect. lib.6.* quia nihilominùs vacat primum adepta pacifica poſſeſſione ſecundi, nullo tẽpore prætextu ordinationis expectato, ut hìc firmat Inn. *n.1. verſ. Melius credimus*, & Hoſt. *n.2. in ver. Receptionem.*

Ampliatur ſecundò, ut procedat, etiamſi obtinens primum beneficium vi occupet ſecundum, vel in eo ſe ſcienter intrudat: textus eſt *in c. Eum qui infra eod. lib.6.* & hìc notat Butr. *n.4* & Cardin. *in 5. not.*

Ampliatur tertiò, ut procedat etiam in eo, qui habet primum beneficium de jure, ſed non de facto, ut quia eſſet ſpoliatus: adhuc enim per receptionem ſecundi vacat primum, ſecundum Innoc. cui conſentiunt Cardin. *num.9. in 5. qu.* & Butr. *num.17.*

Ampliatur quartò, ut locum habeat etiam in Religioſis 13 habentibus Prioratus, vel Eccleſias curatas, ut *cap. Cùm ſingula, infra eodem lib.6.* Quod procedit etiam in Prioratibus manualibus, Clement. *Quia Regulares*, cum ibi notatis in gloſ. *antepenult. de ſupplen. neglig. Prælator.* Cardin. *hic n.4. in 1. quæſt.* & Butr. *num.13.*

Ampliatur quintò, ut locum habeat etiam in eo, qui obtinet plura curata ex diſpenſatione Apoſtolica: nam ſi pacificè aſſequatur aliud Curatum, vacabunt omnia priora, *Clem. ſi plures, de præbend.* Caveat igitur, ne ultimi vitietur collatio, ut ibi notatur in gloſ. *antepenult. per cap. Ordinarii, in fin. de Offic. Ordinar. lib.6.* Card. *hic nu.8.*

Ampliatur ſextò, ut multò magis vendicet ſibi locum in eo, qui habet jus, ſeu expectativam ad dignitatem, vel beneficium Curatum: nam ſi pacificè aſſequatur aliud incompatibile cum primo, fortiùs extinguitur illud jus ad rem, quam hìc extinguatur jus in re, hic eſt caſus in Clem. *Gratiæ*, & ibi omnes notant *de reſcript.*

Sed fallit eadem regula in Epiſcopatibus; non enim per 14 promotionem ad Epiſcopatum, & adeptam poſſeſſionem vacant beneficia priùs obtenta, niſi poſt ſex menſes pręfixos ad munus conſecrationis ſuſcipiendum, *ca. Cum in cunctis, §. Cum verò, ſupra de elect.* gloſſa *hic in ver. Poſt receptionem*, & Innoc. *n.1. verſ. Melius credimus* reddens rationem diverſitatis, quia electus, & confirmatus in Epiſcopum non eſt Epiſcopus, niſi ſit conſecratus. Sed electus ad dignitatem inferiorem, puta Archidiaconum, ſtatim atque eſt confirmatus, eſt verus Archidiaconus, & omnia quæ pertinent ad dignitatem, exercere valet: nec poteſt contra eum excipi ut non fiat Archidiaconus, licèt excipi poſſit, ut non ordinetur, quia eſt criminoſus, argum. *cap. Conſtitutus, ſupra de appellat.* Et dictum Innoc. ſequuntur, licèt rationem impugnet. Hoſt. *n.6. verſ. Hæc tamen ratio non placet*, & Joan. Andr. *n. 18.* Anchar *in 2. oppoſ.* & Imol. *n.16.* Ratio tamen Innocentii placet Abbati *nu.12.*

Item fallit ſupradicta regula in quampluribus caſibus, in 15 qui-

quibus primum beneficium incompatibile non vacat ade-
pta poſſeſſione ſecundi, quos ponit Vincentius *in c. Du-
dum, il 2. ſupra de elect.* & Jo. Andr. *hic n.* 19. Cardin. *in
§. Is quoque, q.* 11. Imol. *n.* 20. Abb. *n.* 13. & Jo. de Anan. *n.* 5.
16 Quintò nota, ibi, *liberè conferat*, poſt adeptam pacificam
poſſeſſionem ſecundi beneficii imcompatibilis, poſſe, ac de-
bere Epiſcopum ſtatim conferre primum, etiam irrequiſito
poſſeſſore; hoc enim importat verbum *liberè*, id eſt ſine
monitione, ut hìc per Jo. Andr. *nu.* 10. *in verb. Liberè*,
Henrich. Boich. *n.* 19. *verſ. Et nota quod dicit textus*, Butr.
n. 29. Imola *n.* 6. Anchar. *in 5. not.* Cardin. *in §. Is quoque, in
3. q.* Abb. *n.* 3. & Joan. de Anan. *n.* 8. & eſt expreſſum *in d.
cap. Licet Epiſcopus, infra eod. lib.* 6. Neque hoc eſt ſpecia-
le in caſu iſto ex indulgentia hujus Decretalis; imò obtinet
etiam in aliis caſibus, in quibus beneficium ipſo jure vacat,
17 ut fusè probat Innoc. *ſub n.* 3. *verſ. Quantum ad hoc*. In
poſſeſſionem tamen illum cui contulit, Epiſcopus non in-
ducet, niſi poſſeſſore priùs vocato, ut eſt caſus *in d. c.
Licet Epiſcopus*, ſecundum Genſelin. & omnes, & hìc no-
tat Jo. Andr. *d. n.* 10. *in verb. Liberè*, & Imol. *d. n.* 6.
18 Sextò nota in verſ. *Si ultra ſex menſes conferre diſtule-
rit*; & ſigna duplicem pœnam, in quam incidit Epiſcopus,
ad quem collatio pertinet, ſi infra ſex menſes non conferat
primum beneficium vacans per receptionem ſecundi. Pri-
19 ma eſt, quia devolvitur jus conferendi ad proximum ſupe-
riorem. Secunda, quia tenetur tantumdem ex ſuis proven-
tibus aſſignare illi Eccleſiæ, cujus beneficium diſtulit con-
ferre, quantum ex fructibus ipſius durante vacatione con-
ſtiterit eſſe perceptum, ut in littera. Et dic, conſtiterit, ſcili-
cet facta fide coram Judice per juramentum Rectoris Ec-
cleſiæ, vel Syndici, cum hoc intereſſe ſurgat ex delicto, ut
notatur *in c.* 1 *ſupr. quod met. cauſ.* ſecundùm Hoſt. *hic nu.
7. in verb. Conſtiterit*, & Joan. Andr. *nu.* 12. *in eod. ver.*
20 Butr. *n.* 21. & Card. *in §. Is quoque, in ult. q.* Quod ſi Epi-
ſcopus proprios proventus non habeat, aliter puniatur arbi-
trio Judicis, *c. Illud*, 15. *q.* 1. *c. Si res*, 14. *q.* 6. *& c. Statui-
mus inf. de Maled.* Hoſt. *d. n.* 7. & hoc non ſolum propter
negligentiam, ſed etiam propter delictum, quo deprendi-
tur, quia differendo collationem, præſumitur favere deti-
nenti, & vitium ejus palliare, ſecundùm Hoſt. *d n.* 7. *in ver.
Cogatur*, Jo. Andr. *n.* 11. *in eod. ver.* & Card. *in §. Is quoque,*
21 *n.* 1. Prædicti autem ſex menſes computari debent à die,
quo Epiſcopus ſcivit eum recepiſſe ſecundum beneficium,
& illius poſſeſſionem pacificam habuiſſe, *c. Quia diverſita-
tem, infra de conceſſ. præb.* ſecundùm Innoc. *hic n.* 4. *in ver.
Sex menſes*, Hoſt. *n.* 7. *in eod. ver. & in ver. Diſtulerit*, &
Joan. Andr. *n.* 10. *in ver. Sex menſes, & n.* 11. Anchar. *n.*
5. Butr. *n.* 19. Cardin. *in §. Is quoque, in 4. & 5. q.*
22 Septimò nota ibi, *Hoc idem in Perſonatibus*, hanc Con-
ſtitutionem, & illius pœnam habere locum non tantùm in
beneficiis curam animarum habentibus, ſed etiam in Per-
ſonatibus diverſarum Eccleſiarum non curatis, ſecundum
opinionem Hoſt. *n.* 7. *in ver. Hoc idem*, qui ita intelligit
hanc litteram, ductus hoc fundamento, quia cum textus in
principio generaliter diſpoſuerit de beneficiis curam ani-
marum habentibus, in diſpoſitione illa utique erant com-
prehenſi etiam perſonatus curati. Unde ſupervacaneum
fuiſſet poſteà decernere idem eſſe obſervandum in per-
ſonatibus curatis; & conſequenter ille verſiculus, *Hoc idem*
intelligi debet de perſonatibus curam animarum non ha-
bentibus, cum de curatis jam hoc ſtatutum fuiſſet. Idem
tenet gl. *hic in ver. Eccleſia*, dum dicit idem eſſe judicium
de perſonatibus curatis, & non curatis, & Card. *in §. Hoc
idem, in* 1. *q.* Imol. *n.* 8. Abb. *n.* 4. & Jo. de Anan. *n.* 19. Ve-
rùm Innoc. *n.* 4. *in ver. Hoc idem*, tenet contrarium, ſen-
tiens hanc litteram eſſe intelligendam de perſonatibus cu-
ratis, ut ſic verba illa, *Curam animarum habens anne-
xam*, quæ habentur in principio textus, qualificent etiam
perſonatus, de quibus agitur infra *eod. verſ. Hoc idem*, quaſi
dicat, quod ſtatutum eſt in genere de beneficiis habentibus
curam animarum, ut ipſo jure vacet primum recepto
ſecundò ſimili, idem in ſpecie ſtatuimus in perſonatibus
diverſarum Eccleſiarum ſimiliter curam animarum ha-
bentibus. Et hic intellectus magis conſonat litteræ, quia
ſtatim additur, in eadem Eccleſia plures dignitates, vel per-
ſonatus haberi non poſſint, etiamſi curam non habeant ani-
marum, ut in verſ. *Addentes*. Ergo præcedens diſpoſitio
intelligi debet de perſonatibus diverſarum Eccleſiarum,
qui curam animarum habent annexam: alioquin textus ni-
hil adderet, nam prohibita pluralitate perſonatuum in di-
verſis Eccleſiis, multo magis intelligebatùr prohibita plu-
ralitas in eadem Eccleſia, ſecundùm ea, quæ leguntur, &
notantur *in c. Litt. inf. de conceſſ. præb.* Unde videmus, diſ-
penſatum ad plures dignitates, non cenſeri diſpenſatum ad
plures dignitates in eadem Eccleſia, niſi hoc exprimatur, 23
ut poſt Ægidium hìc tenet Jo. Andr. *nu.* 13. Anchar. *nu.* 7.
Imol. *n.* 8 & communiter Doctores, & ut Abbas teſtatur.
num. 4. Quinimò magis abhorrent jura, ut quis habeat
duas Præbendas in una Eccleſia, quam duo beneficia
Curata in diverſis Eccleſiis, ut probat gloſsa ult. in Clem.
fin. de præben. & cum opinione Innoc. videtur tranſire
Joan. Andr. *n.* 12.
Fatetur tamen Innoc. plures perſonatus non curatos 24
etiam in diverſis Eccleſiis obtineri non poſse, & abſque diſ-
penſatione retineri, licet Epiſcopus poſſit ſuper hoc diſpen-
ſare. Nec obſtat *c. Dudum; il ſecondo, ſup de elect* quia
non dicit non poſse diſpenſari, ſed peccare eum, qui tenet
plures perſonatus non curatos abſque diſpenſatione; vel ibi
eſt allegatio ſecundùm Innoc. & Jo. Andr. *ubi ſupra*. Con-
trarium firmat Card. hìc *in §. Hoc idem in 3. q.*
Tu dic has controverſias hodie terminatas eſse; quia 25
pœna hujus cap. ampliata eſt à Concilio Tridentino *in c.* 4.
ſeſſ. 7. ad beneficia ex quovis capite imcompatibilia, ut dixi
ſupra *in* 1. *not. num.* 3. Plures autem perſonatus etiam non
curati, & in diverſis Eccleſiis, eſto non comprehendantur
in hac Conſtitutione; tamen nemo negat, quin ſint incom-
patibiles, quia de hoc ſunt jura clara *in c. Ad hæc, ſupra eo-
dem, in c. Quia nonnulli, de Cler. non reſid. & in c.* 1. *de
conſuetud. lib.* 6. cum ſuis concord. Præſertim ſi ſint in Ca-
thedralibus, vel Collegiatis Eccleſiis; quia tunc perſona-
lem reſidentiam requirnnt, ex Concil. Tridentin. *cap.* 12.
ſeſſ. 24. Ac proinde ſunt incompatibiles, etiam ex capite re-
ſidentiæ, tam de jure communi, ut per Card. *conſ.* 3. incip.
Circa elucidationem, & Abb. *& in c. cum jam dudum, n.* 7.
verſ. Circa primum, ſup. eodem, quàm ex alio ipſius Conc.
decreto, nempè ex *cap.* 17. *ſeſſ.* 24. & per conſequens pri-
mus perſonatus vacat ipſo jure per aſsecutionem pacificam
ſecundi, & per retentionem amborum vacat utrumque, ex
d. c. 4. *ſeſſ.* 7. & ita decidit Rota *dec.* 497. *n.* 1. *par.* 1. *recent.*
Unde corrigitur prædicta opinio Innoc. & approbatur
opinio Hoſtienſis. Nec Epiſcopus contra decretum illud
Conciliare diſpenſare poteſt, ut dixi in prædict. Decretali,
Cùm jam dudum, in 2. quæſt. Quod eſt ſecundùm opinio-
nem Card. *in d. §. Hoc idem, in 3. q.*
Octavò nota in verſ. *Addentes*, textum expreſsum, quòd 26
plures dignitates, vel perſonatus in eadem Eccleſia haberi
non poſsunt, licet curam non habeant animarum, ut litte-
ra, & notat Butr. *n.* 6. & Anchar. *n.* 7. Textus tamen ni- 27
hil repetit de pœna; unde Jo. tenet recipientem ſecundam
dignitatem non curatam in eadem Eecleſia non perdere
primam ipſo jure, argum. *l. Interpretatione, ff. de pœn.*
Sed oppoſitum cenſet Tancredus, quia idem juris eſt de Di-
gnitatibus, ſeu Perſonatibus, & Parochialibus, ut *c. Du-
dum, il ſecundo de elect.* Et quod præmiſsum eſt, multoties
intelligitur repetitum, *l. Titia, §.* 1. *ff. de verbor. obligat. &
cap. Apoſtolus*, 32. *quæſt.* 7. Quod verius eſt ſecundum Ho-
ſtienſem, & Cardinal. *in §. Hoc idem in 2. q.* & Butr. *n.* 33.
Sed hodie ſublata eſt hæc dubitatio, quia, ut dixi in præce-
denti notab. in fin. ex decreto Concilii Tridentini *cap.* 4. 28
ſeſſ. 7. pœna hujus conſtitutionis extenditur ad omnia be-
neficia qualitercumque incompatibilia, & ſic ad Dignita-
tes non curatas in eadem Eccleſia, quæ abſque dubio ſunt
incompatibiles, ut hìc patet in eodem verſ. *Addentes, &
in cap. Ad hæc ſupra eod.* ubi eſt caſus.
Nonò nota ibi, *Dignitates, aut Parſonatus*, aliud eſse 29
dignitatem, aliud Perſonatum, ut ex hac littera colligit Jo.
Andr. *n.* 13. & concordant alia jura per eum allegata. De
hoc ſcripſi plenè *in d. c. Ad hæc, ſupra eod.* Dic ut ibi.
Ultimò nota ibi, *Circa ſublimes, & litteratas perſonas*, 30
Sedem Apoſtolicam poſse diſpēſare propter prærogativam
perſonarum ad plures dignitates, & beneficia etiam cu-
ram animarum habentia, ut hìc eſt expreſſum, & fusè
comprobat, & ab objectis tuetur Jo. Andr. *n.* 14. & copula
& reſolvitur in disjunctivam, *licet*, ſecundum eum *n.* 13. *in
fin.* cum in hoc inſtandum non ſit, cùm agatur de poteſtate 31
Papæ. Solet autem in hujuſmodi diſpenſatione, ut idem re-
fert *n.* 14. dari talis forma, videlicet: (Apoſtolicæ Sedis be-
nignitas ſic merita perſonarum provida deliberatione

diſcernit, ut eos, qui litterarum ſcientia, morum, a ge-
neris nobilitate præcellunt, favoris gratia efferat amplioris
& majoribus ſtudeat beneficiis honorare, quia non indignè
tunc uni, quod ſufficeret pluribus, ſpeciali proviſione
conceditur, cùm circa dona virtutum ſolus obtinere di-
gnoſcitur, quod diviſum in pluribus invenitur. Hinc eſt,
&c.) Adverte tamen, quia text. non dicit ſimpliciter diſ-
penſandum cum ſublimibus, & litteratis; ſed addit verba il-
la, *Cum ratio poſtulaverit*, ut obſervant Jo. Andr. *n.* 13. &
Card. *in* §. *Circa*, *n.*3. per hoc innuens in diſpenſatione ad
plura beneficia curam animarum habentia principale obje-
ctum eſſe debere bonum publicum ſpirituale, ut fusè proba-
vi *in c. Dudum, il ſecondo, a n.*20 *ſupr. de elect.*

32 In gloſſa finali nota, ad plura curata ob prærogativam
perſonarum Epiſcopos non poſſe diſpenſare, ut gloſſa fir-
mat. Nam cum textus dicat, per Sedem Apoſtolicam diſ-
penſari poſſe, per hoc innuit hanc facultatem inferioribus
non competere: & quamvis Petr. de Sampſ. Abb. Antiqu.
33 Hoſt. *hic n.*13. *in verſ. Honorandæ*, & fuſius *num.*14. *& ſeq.*
& Abb. Siculus *num.*19. diſtinguat triplicem cauſam: quæ
diſpenſationem inducit; videlicet urgentem Eccleſiarum
neceſſitatem, evidentem utilitatem, & prærogativam per-
ſonæ, & in tertiò tantum caſu diſpenſationem eſſe Sedi
Apoſtolicæ reſervatam, & correctum eſſe *c. Sanctorum*,
70. *diſtinct.* in primo autem, & ſecundo caſu etiam Epiſco-
pos poſſe diſpenſare juxta text. *in d. cap. Sanctorum*; tamen
contrariam opinionem ſervat Curia, ut idem met Hoſt. fa-
tetur Joan. Andr. *num.*21. *verſ. Fatentur*, Imol. *num.* 28.
& Anchar. *in* 3. *oppoſ.* adeò ut etiam Legatus de latere cen-
ſeatur excluſus, prout ſervari atteſtantur Joan. Andr. &
Anchar. Et eſt verior, & communior ſententia, ut ſcripſi
plenè *in d. cap. Dudum il ſecondo, à num.* 14 *de elect.* Rur-
ſus & ſi Abb. *in cap. Extirpandæ*, §. *Qui verò*, *num.* 38.
verſ. Et pro tanto, infra eod. diſtinguat inter diſpenſatio-
nem, quæ fit principaliter ob utilitatem Eccleſiæ, ſecun-
dariò autem ob prærogativam perſonæ; & inter illam, quæ
fit principaliter ob prærogativam perſonæ, ſecundario au-
tem ob utilitatem Eccleſiæ: ut in primo caſu Epiſcopi diſ-
penſare valeant, non autem in ſecundo: hanc tamen di-
ſtinctionem latiſſimè confutavi in prædicta Decretali *Du-
dum*, *à n.*20. *uſque in fin.*

34 QUÆRO, utrum beneficia habitu tantùm curata de-
beant regulari, & conferri ut curata, an verò ut ſimplicia,
& ſignanter an comprehendantur in hac Conſtitutione
Concilii Generalis.

Ad partem affirmativam inducitur 1. textus *in l. Foramen*,
ff. de ſervit. urban. prædior. ubi dicitur: Licèt aqua cadens
de cœlo non cadat aſſiduè, quia tamen eſt apta cadere, exi-
35 ſtimatur perpetuò cadere. Ad idem quod notatur per Jo.
Andr. *in c. Per venerabilem*, *nu. infra*, *Qui filii ſint legiti-
mi*, ubi ait: *Si cauſa delegaturum Epiſcopo, & unus habet
habitu Epiſcopatum, alius habet exercitium, & poſſeſſionem,
ille erit judex, qui habet habitu Epiſcopatum.*

36 Secundò, ad hoc ut Eccleſia cenſeatur Parochialis, non
attenditur exiſtentia actus, ſed authoritas ſuperioris, qui
eam conſtituit Parochialem, *cap. Nullus omninò*, 16. *qu.* 7.
37 & hìc notat Jo. Cald. Sic etiam Epiſcopus nullius Eccleſiæ
dicitur, *cap.*2. *de translat. Epiſcop.* & ideò ſi homines re-
verterentur ad Eccleſiam, non eſſet opus authoritate ſupe-
rioris, ut efficeretur Parochialis, ſed potentia reducta ad
actum reponit rem in primo ſtatu, *l. Si unus*, §. *Pactus ne
peteret*, ibi *In priſtinam naturam rediit*, *ff. de pact.* Et ita
ſcripſit Bald. *in l. Cunctos populos, col.*2. *num.*18. *verſ. Ter-
tiò quia, ſicut dicimus, C. de Summ. Trinit.*

Tertiò, ex varietate facti non debet immutari jus curæ
quod non dependet à facto, ſe ab ipſo ſuperiore tribuente
tale jus, *d. c. Nullus*, 16. *quæſt.* 7 Et quamvis Rector de
facto non exerceat curam, tamen dicitur habere jus curæ,
& quacumque hora Parochiani reverterentur, poſſet eam
curam exercere, & quaſi jure poſtliminii ſtatum ſuum re-
cuperaret, ex quo de illo aliter non eſt actum, *cap. In pri-
ma actione* 16. *quæſt.*3. ad hoc *cap. Quia diligentia, de elect.
lib.*6. *& c. Ab exordio*, 35. *diſt.* Alioquin ſi ponderaretur
exercitium, ſequeretur, ut tempore nocturno, vel etiam
diurno, quando de facto cura non exercetur, deſineret Ec-
cleſia eſſe curata, quod eſſet abſurdum; & ita per hanc ratio-
nem concludit Card. *hic in* 3. *quæſt.* & in Clem. *un. in* 21.
q. de offic. Vicar.

Quartò, diſpoſitio hujus cap. habet locum etiam in
acceptatione beneficii habitu tantùm curati, ut hìc firmant
Innoc. Abb. Antiqu. Jo. de Lignan. & Calder. cum quibus
reſident Petr. Anchar. *in* 2. *not.* & Jo. de Imol. *n.* 33. *verſ.
Tangit*, Jo. Andr. & dicit eſſe verius Cardin. *in* 3. *quæſt.*
ne ſcilicet Eccleſia ſine culpa perdat jura ſua, quod regula-
riter non contingit, *cap. Sine culpa de regul. jur. lib.* 6. &
idem videtur velle Speculator *de legat.* §. *Dicendum reſtat.
circa med. verſ. Sed quia*. Et facit quod not. gl. & Docto-
res *in cap. Statutum, in fin. de elect. lib.* 6. & Thom. Fa-
chol. *dub.* 25. incipien. *Aliud factum*. Cæterùm his non
obſtantibus videtur verior contraria opinio.

Primò, per Gloſſ. ordin. in propriis terminis *in c. Li-* 38
*cet Canon. in verb. Parochialis, ad fin. de elect. l.*6. quæ de-
cidit illum textum, quo irritatur collatio Eccleſiæ Paro-
chialis facta minori vigintiquinque annis, non habere lo-
cum in Eccleſiis, quæ olim habuerunt Parochianos, ſed
nunc habere deſierunt; quia deficientibus perſonis, defi-
cit eſſe collegium, ut ibi per eam. Idem tenet ibi Jo. Mo-
nach. *n.* 2. & fuſiùs Jo. de Imol. Et quamvis hic Doctor ibi
in 3. *col.* reaſſumat longam diſtinctionem Butr. *in proœm.
Clement.* ad ſciendum, quando ſufficiat aliquid eſſe habi-
tu tantùm: tamen ſi accuratè expendantur membra di-
ſtinctionis, manifeſtè approbat gloſſ. ibi, *Et conſequenter
caſum noſtrum*. Nam in verſ. *Tertiò caſu*, dicit: Ubi actus
deficit in re, & non in ſpe: tunc ſufficit habitus, ut proce-
dat quod dictum eſt *in d. c. De multa*, in quo tamen com-
munis opinio eſt in contrarium, ut ibi dicam. Sed ad pro-
poſitum noſtrum ſubdit paulò poſt: Hoc eſt verum, niſi ex-
primat verba notantia actum; & ita poteſt procedere gl.
ibi, quia text. requirit qualitatem ætatis, & Sacerdotii, ut
curam gregis gerat; ſed ubi non eſt actus, & facultas exer-
cendi curam, ceſſat illa Conſtitutio; & ita etiam dicit
tenere Paulum in Clem. 1. *de offic. Vicar.*

Secundò, adducitur quod notat Butr. *hic nu.* 9. ubi di-
cit communem opinionem eſſe, quòd hìc textus non pro-
cedat in Curatis habitu tantum; quia jura in hac materia
tantùm ponderant periculum animarum, quod ceſſat in
carentibus exercitio Curiæ. Si igitur teſte tanto Canoniſta
hæc eſt communis opinio: ergo & ſequenda, *c. In Cano-
nicis*, 19. *diſt.* Jo. Andr. & alii *in cap.* 1. *De conſtitut.* cum
concord. Et communem eſse patet, quia illam tenent Hoſt.
Butt. & Imol. *in c. Quia nonnulli, de Cler. non reſident.* &
Imol. poſt Paul. in Clem. 1. *in* 5. *col. de offic. Vicar.* & Feder.
de Sen. *conſ.*80. incip. *Factum eſt tale ad fin.* de quo memi-
nit Card. *hic n* 3. *in verſ. Tertiò quæro*. Idem Mar. Soc.
*col.*92. dicens. Ratio prohibitionis *cap. De multa*, fuit
actuale exercitium, & per conſequens deſerviendi utrique
Eccleſiæ. Quæ ratio ceſsat in Eccleſia Curata habitu tan-
tùm. Unde Clem. 1 *de offic. Vicar.* loquitur de habentibus
actu; & cùm hæc conſtitutio ſit pœnalis, non eſt exten-
denda, ut latiùs per eum. Et idem tenent alii quampluri-
mi, quos citavi *in c. Extirpandæ*, §. *Qui verò*, *num.* 42.
infrà eod.

Tertiò, adducitur quod notat Bald. *in l. Si mater, C. ne* 39
de ſtat. defunctor. ubi arg. illius gloſsæ quando beneficium
fuit aliquando Curatum, poſteà verò fuit rectum ſine
Cura; ut ipſe ait, habetur pro non curato; quia præſens
ultimus ſtatus attenditur, per *l. Mala*, §. *Sed ſi alimenta*,
ff. de alim. & cibar. legal. ubi relictis alimentis conſuetis,
ſi diverſimodè præſtita fuerint, attenditur ultimus ſtylus
temporis mortis teſtatoris. Ad idem quod nota Rota *in
Antiq. ſub tit. de probat. deciſ.*19. ubi dicit, ſatis eſse pro- 40
bare ultimum ſtatum beneficii, ut concludatur in materia,
*cap. Cum de beneficio, de præbend. lib.*6. Unde ſufficit pro-
bare, ut in decem proximis annis beneficium fuerit rectum
per ſæculares Clericos, niſi contrarium probetur. Ad
idem quod notat Rota *de Præbend. deciſ.* 60. *in antiqu.* di- 41
cens, Si impetretur gratia ad Curatum, venit illud, quod
tempore vacationis eſt Curatum, licet anteà eſset ſimplex
& in conſideranda taxa inſpicitur tempus præſens, non
præteritum; inducit notata per gloſs. & DD. in Clem. *fin.
de reſcript.* & alia plura, quæ faciunt ad propoſitum. Ad
idem ſolemnis diſputatio Cald. quæ incipit, *Impetravit Cle-
ricus*, ubi concludit, inſpiciendum eſse præſentem ſtatum
beneficii, ut cognoſcatur an cadat ſub gratia. De quo me-
minit Anchar. *in repet.* Clem. 1. *in* 13. *col. n.*83. *verſ. Quid
ergo ſi mutetur; de conceſſ. præbend.* Nec obſtat *c. Si eo tem-
pore, de reſcript. lib.*6. quia ibi impetrans erat inhabilis, & 42
ſi cum gratia fuerit ſubreptitia, & per conſequens nulla,

ex

ex ſupervenienti cauſa confirmari non potuit, per regulam ſexti; Non firmatur: nam in conſideranda habilitate, vel inhabilitate impetrantis attendimus tempus gratiæ, *c. Dudum, il* 1. cum gloſſ. *in verb. Electionis tempore, de elect.* ſecundùm Rotam *ubi ſup.* & poſt Oldrad. optimè declarat Jo. de Imol. *in Clem. fin. in pen. col. de reſcript.*

Quarto, affertur deciſio Anchar. *in cap. 1. ſub nu. 4. verſ. Item nota, de conſuet. lib. 6.* ubi firmat, quòd ſi unum beneficium denominatur Plebs, non tamen habet Parochianos, vel Collegium; licèt habeat Capellas ſub ſe, & fructus Plebaniæ, non dicitur dignitas, ad hoc ut impediat habere aliud Curatum; & refert ita conſuluiſſe Feder. de Sen. *conſ.* 80. incip. *Factum tale eſt, Legatus de latere*, & idem tenet Ægydius Bellam. *in d. c. Licet Canon. in 5. col. verſ. Primò*
43 *quæritur*, ubi per tres columnas ſolemniter hinc inde arguens concludit jura loquentia de Beneficio Curato non habere locum in beneficio habente curam habitu tantùm, non actu, niſi ſit ſpes, ut Parochiani de proximo revertantur, quod fuſius reaſſumit *in Clem. 1. in 1. col. de offic. Vicar.* addens aliam limitationem, videlicet niſi Parochia habeat territorium, & diſtinguatur per limites, infra quos conſueverint homines habitare; quia licèt hodie non habitent, eſt Curata; niſi homines receſſiſſent, & haberent
44 animum redeundi, & eſſet ſpes de reditu eorum. Idem Jo. de Anan. hìc *num. 4.* dicens, hanc quæſt. decidi per gloſſ. *in l. Uſusfructus, ff. Quibus mod. uſusfructus amittatur*, quia ſi Parochiani receſſerunt animo redeundi, habet locum hoc *cap. Per l. Nihil, ff. de capt.* non enim dicitur receſſiſſe qui animum redeundi habet: aliàs ſecus facit; quod notat Bald. *in proœmio Decretal.* dicens Eccleſiam non dici Curatam, quando non eſt ſpes reparationis, licèt olim fuerit Curata. Secus ſi eſt ſpes reparationis. Confert etiam quod notat idem Bald. *in l. Non ambigitur, nu. 3. verſ. In contrarium, ff. de legib.* dicens Eccleſiam Collegiatam non dici hodie Collegiatam, ſi per deſuetudinem deſiit eſſe talis. Idem Francus *in dict. cap. Licet Canon. in 2. col.* affirmans indiſtinctè cum gloſſ. 1. in caſu illius cap. non ſufficere habitum ſine actu. Idem Anchar. *in* 11. *col.* licèt nihil firmet, ſicut nec Joan. Andr. tamen Anchar. ait pro opinione prædicta multùm urgere hanc rationem, quia textus dicit, *Ut curam Gregis ſibi crediti gerat*, quæ verba non applicantur niſi Curato actu. Cùm prædictis eſt Abb. hìc *in fin.* quia in pœnalibus verba debent capi cum effectu; & ſic mentio de Curato intelligitur de Curato actu. Et quamvis Gemin. *in*
45 *proœmio Decretalem in* 11. *col.* dicat, ubi in diſpoſitione apponuntur verba, quæ denotant actum, non ſufficere habitum, allegando gloſſ. *in d. c. Licet Canon*, & ſic videatur tranſire cum prædictis, licèt in ſua magiſtrali diſtinctione, quam ponit *in cap. Licet Canon*, non videatur determinare aliquid in propoſito; tamen in illa diſtinctione *in verſ. Quarto caſu*, expreſsè approbat gloſſ. ibi, *Quia textus notat curam animarum Gregis illi commiſſi*; & ſic videtur gratia expectactiva ad beneficia ſimplicia comprehendere ea, quæ habent curam animarum ſolo habitu ſine Parochia habente limites, & ſine probabili ſpe reviſionis incolarum. Et per hoc facit doctrina Lapi, quam ſequitur idem Gemin. *in cap. Deliberatione, in fin. de offic. deleg. lib. 6* quòd li-
46 cèt in diſpoſitione juris facta mentione alicujus ſubjecti ſufficiat, ut illud ſubjectum habeat qualitates ſuas habitu tantùm; tamen ſecundùm eum in diſpoſitione hominis, quæ ſtrictius interpretatur, ad hoc, ut aliquid comprehendatur ſub ea, requiritur, ut habeat qualitates ſuas habitu & actu. Et ideò Legatus habens facultates reſervandi Collegiatas, non reſervat Collegiatas habitu, & non actu, ſecundum eos; ſic in propoſito habens expectativam ad ſimplicia, intelligitur excluſus à contrario ſenſu à Curatis habitu, & non actu. Unde de habente curam habitu tantùm concedens gratiam non cogitavit; quia facta à contrario ſenſu mentione quaſi expreſſa Curati, intelligitur de Curatis actu. Atque ita ſolus habitus Curæ non excludit eum, quin in gratia ſua comprehendatur, ex quo in diſpoſitione hominis requiritur habitus, & actus. Inducitur etiam deciſio Baldi clara *in l. Sed & milites, §. fin. ff. de excuſ. tutor.* ubi ſcripſit non dari Parochialem Eccleſiam, niſi habeat populum actu, & exercitio. Similiter dicit idem Bald. *in l. Si qui, §. fin. ff. de excuſ. tutor.* non dari Eccleſiam Curatam, quæ habet curam nomine, & habitu, ſed non re. Sentit idem Imol. *in Clem. In pleriſque, in 3. col. verſ. Ulterius quærit. de elect.* volens, ut ſi homines receſſerint animo non revertendi, Eccleſia deſinat eſſe Parochialis, facit *l. Si uſufruct. ff. quibus mod. uſusfruct. amittit.* ubi ſi civitas cui legatur uſusfructus, eſt paſſa aratrum, non eſt ampliùs civitas nec debetur legatum.

Ad primam oppoſitionem *d. l. Foramen* reſpondet Hoſt. hoc procedere in cauſa naturali. At nos verſamur in cauſa accidentali, ſicut eſt habere, & non habere Parochianos, quod venit ex accidenti. Eodem modo reſpondent *in d. cap. Licet, Canon de elect. lib. 6.* Jo. Monach. *nu.* 2. & Jo. Andr. *n. 6.* in gloſſ. *Sed numquid.*

Ad ſecundum reſpondetur, per defectum hominum non extingui habitum Curæ, quia ab ipſis non fuit creatus; ſed tamen extingui actum, quod ſufficit, ut beneficia non veniant appellatione Curati.

Ad tertium datur eadem reſponſio. Non obſtat abſur- 47
dum Cardinalis, quia actus momentanei quibus non exercetur cura, non faciunt, ut Rector dicatur continuè habere curam, & indeſinenter, quia ſufficit habere temporibus congruis, licèt cum interpellatione, ut ſunt plurimæ gloſſæ in Decretalibus allegatis per Butr. *in proœm. Decretal. §. Rex Pacificus, ad fin.* & ibi per DD. Ludovic. Rom. & alios *in l. 1. ff. ſolut. matr.* Sed hìc non eſt interpellatio momentanea, ſed totalis extinctio quoad omnes actus, licèt poſſibile ſit, ut aliquando reviviſcat exercitium; & tunc erit Curata habitu, & actu; non autem nunc.

Ad hanc quæſtionem vidè quod ſcripſi *in cap. Extirpandæ, §. Qui verò, infra eod.* in hoc ipſo articulo, an Parochialis habitu tantùm Curata reguletur uti beneficium ſimplex, an verò retineat primævam naturam Parochialis quo ad reſidentiam, & incompatibilitatem, *à n. 40. uſque in fin.* Et vide diſtinctionem, quam ad conciliandas opiniones ibi poſui *n. 43.* ſecundum ſtylum Cancellariæ, & decretum Gregorii XIII.

2 QUÆRO, an præſumpta diſpenſatio, in qua funda- 48
tur regula de Triennali, locum habeat contra decreta Concil. Trid. *cap. 4. ſeſſ. 7. c. 17. ſeſſ. 24. & cap. 15. ſeſſ. 25.* ita ut poſſidentes beneficia contra diſpoſitionem Dictorum Decretorum, ex tali præſumpta diſpenſatione ſuam poſſeſſionem tueri valeant.

Reſpondendum videtur, nec præſumptam diſpenſationem locum habere, nec tali poſſeſſione quem tueri ſe poſſe.

Primò, quia præſumpta illa diſpenſatio ſuper pluralitate beneficiorum deducta ex pacifica triennali poſſeſſione provenit ab allegatione diſpenſationis ex illo triennio inductæ, quæ præſcriptio dat præſumptivè titulum coloratum, ſicut aliàs decennalis poſſeſſio eundem operatur effectum, allegata, licèt non probata aliqua cauſa ad colorandum titulum, ut per Cardin. *in c. Cùm noſtris, de conceſſ. præbend.* Felin *in c. Sicut, n. 31. de re judic. & in c. Licet Helt. de Simon.* At Concilium expreſsè tollit quoſcumque titulos cujuſcumque nominis exiſtant, ut uniones ad vitam, & Commendas, alioſque contra formam hujus cap. obtentos, *ut in c. 4. ſeſſ. 7.* quòd verbum, *quoſcumque*, nullam reſtrinctionem patitur, & nihil excludit, *cap. Solitæ in fin. in verb. Quodcumque ligaveris, de major. & obed.* Alciat. *conſ. 30. n. 3.* Mandoſ. ad Rom. *conſ. 31. n. 2. & ſeq.* Ergo & hic titulus præſumptivus ſublatus cenſebitur.

Deinde hæc præſumptio diſpenſationis oritur ex alia præſumptione viſitationis Epiſcopi; nempè quòd non præſumatur Epiſcopus viſitando Diœceſim permiſiſſe quem tot beneficia ſine diſpenſatione retinere, *ad c. Ordinarii, de offic. Ordinar. lib. 6* & notat Abb. *in cap. Illud, nu. 8. de præſumpt.* & Rota *deciſ.* 255 *n. 4. part. 7. recent.* Et tamen certum eſt de jure non admitti præſumptiones ex alia præſumptione, ſeu quòd duo ſpecialia ſimul concurrant, *l. fin. C. de dot. promiſ. cum vulgar. de commiſſ.* Caſtil. *conſ. 4. num. 14. in fine.*

Tertiò, Canon Concil. Trid. dum innovat hanc Conſtitutionem, utique à prohibitione, & regula excipit ſublimes, & litteratos in cap. exceptos, cum quibus ſolùm per Sedem Apoſtolicam, vel Summum Pontificem diſpenſatur, ut hìc notat gloſſ. & DD. & dictum eſt ſupra *n. 32.* Ergo cæteros caſus omnes, & formas ſub regula includit, vulg. *l. Nam quod liquidæ, §. fin. ff. de pen. legat.* Idque ea præcipuè ratione, quia tenentes Execrabilem defendi per dictam regulam de triennali, eò quòd præſumatur titulus, & diſpenſatio, (etſi inter ſcribentes valdè dubia controverſia exiſtat) principaliter fundat eorum ſententiam, eò quia regula de triennali ſolùm excipit duos caſus, ſimoniaci, & intruſi, ne-

neque alios, & *Execrabilem* includit, & per Ludov. Go-
mez. *in d.regul. de Triennali*, *q.10.n.11.& 12.& ſeq.* Ergo
pari jure Concilium Tridentinum cum approbet unicam
formam hujus Decretalis in odium deficientium, & impe-
trantium plura beneficia, hunc titulum diſpenſationis præ-
ſumptæ ſine dubio ſuſtuliſſe arbitrabimur.

49 Quartò tolluntur ex verbis expreſſis diſpenſationes quæ-
cumque, *in d.c.17.& cap.15.* Si igitur tolluntur diſpenſatio-
nes veræ, & propriæ, à Papa impetratæ, & denuò impe-
trandæ, quantò magis hæ fictæ, & præſumptæ ſublatæ erunt,
50 *c. Ex parte, il 3. de decim.* Quippè præſumptio, ſeu fictio
non debet eſſe majoris efficaciæ, imò minoris, quàm veri-
tas, & naturalis actus, Bald. *in l.4. n.2. C. ad Vellejan.* nec
tacitum majoris virtutis, quàm expreſſum, *c. Conſtitutio-
nem, de reg. lib.6. & reg. expreſſa nocent.*

51 Demum propoſito ſuprascripto dubio, die 28. Januarii
1587. S. Congr. Concilii cenſuit, non habere locum contra
citata Trid. Concilii Decreta: qua deciſione ad Sanctiſſi-
mum relata, Sanctitas ſua reſpondit rectè Congregatio-
nem cenſuiſſe, atque ita exequendum eſſe. Ratio deciſio-
nis ea potiſſimum fuit; quia cùm Papa hodie non conſue-
verit diſpenſare in inſolitis, non eſt præſumenda diſpenſa-
tio, Put. *dec. 139. l. 3.*

52 3 QUÆRO, an poſſeſſor plurium beneficiorum in-
compatibilium poſſit ſe tueri regula de Annali contra eum,
qui contenta in 2. parte illius non adimplevit.

Jam S. Congreg. Concilii declaravit præſumptam diſpen-
ſationem, in qua fundatur regula de Triennali, non habere
locum contra Decreta Concilii Trid. *cap.4. ſeſſ. 7. c. 17. ſeſſ.
24. & cap.15. ſeſſ. 25.* nec poſſidentes beneficia contra diſpo-
ſitionem dictorum Decretorum, ex tali præſumpta diſpen-
ſatione ſuam poſſeſſionem tueri poſſe, ut proximè dictum
eſt, Nunc poſita hujuſmodi deciſione, quæritur, an ſal-
tem tueri ſe poſſint regula de Annali.

Videtur reſpondendum, poſſe; nam regula de Annali 53
non adverſatur Decretis Trident. Concilii prohibentibus
pluralitatem beneficiorum, nec fovet obtinentem incom-
patibilia, quemadmodum illa de Triennali.

Primò, quia regula de Triennali inducta eſt in favorem 54
poſſeſſoris: regula autem de Annali in odium impetran-
tium, & exquirentium lites, ut habetur in principio regu-
læ, & conſiderat Sarnen. *ſuper ead. regula, q 52. verſ. Pro
qua opinione*, Quint. Mand. *ibid. q.3. n.2.* & eſt deciſio Caſ-
ſadori 14. *ſuper regulis, n.2.*

Secundò, quia regula de Triennali tribuit robur juri in- 55
valido, Sarnen. *in regula de Triennali in princ. verſ. Nec
mirandum.* Et ita ſi tueretur poſſidentem incompatibilia,
validaret jus nullum, & à Concilio improbatum. At re- 56
gula de Annali non reddit validum jus illius, qui poſſidet,
nec ei quidquid tribuit, ſed tantùm adimit impetranti, pro-
pter ejus negligentiam.

Tertiò, regula de Triennali tuetur poſſeſſorem quoad 57
omnes, ut habetur in regula, ibi: *Super beneficiis tali-
ter poſſeſſis moleſtari nequeant.* Et propterea ſi illa uti
poſſet poſſeſſor triennalis incompatibilium, non dare- 58
tur caſus, ut poſſidens incompatibilia per triennium
contra Decreta Concilii cogi poſſet ad ea dimittenda.
At regula de Annali non excludit omnes, ſed eum tan-
tùm, qui contenta in regula non adimplevit. Et ideò
quamvis talis impetrans repellatur, non propterea obti-
nens incompatibilia eſt tutus, cùm poſſit ab alio impe-
trante, qui ſervet requiſita in regula, ſpoliari beneficio,
& amoveri à poſſeſſione, ut per Sarn. *d. q 52. verſ. Prima
eſt.* Et in terminis ferè noſtris poſſeſſorem *Execrabilis*, 59
uti poſſe beneficio regulæ de Annali, tenuit Rota relata
per Sarnen. *d. regula q.54. in fin. & q.52. §. Pro qua opinione,
in fin.* ubi ſubdit ejuſdem deciſionis mentionem habere
etiam Caſſadorum.

DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.

Idem Innocentius III. in eodem Concilio Generali.

CAPUT XXIX.

GRave nimis eſt, & abſurdum, quòd quidam Eccleſiarum Prælati, cùm poſſint viros idoneos ad Eccleſiaſtica beneficia promovere, aſſumere non verentur indignos, quibus nec morum honeſtas, nec litterarum ſcientia ſuffragatur, carnalitatis ſequentes affectum, non judicium rationis: unde quanta Eccleſiis damna proveniant, nemo ſanæ mentis ignorat. Volentes igitur huic morbo mederi, præcipimus, ut prætermiſſis indignis, idoneos aſſumant, qui Deo & Eccleſiis velint, & valeant gratum impendere famulatum; fiatque de hoc in Provinciali Concilio diligens inquiſitio annuatim: ita ut, qui poſt primam & ſecundam correctionem fuerit repertus culpabilis, à beneficiis conferendis per ipſum Concilium ſuſpendatur: inſtituta in eodem Concilio perſona provida & honeſta, quæ ſuſpenſi ſuppleat defectum in beneficiis conferendis. Et hoc ipſum circa capitula, quæ in his deliquerint, obſervetur. Metropolitani verò delictum ſuperioris judicio relinquatur, ex parte Concilii nuntiandum. Ut autem hæc ſalubris proviſio pleniorem conſequatur effectum, hujuſmodi ſuſpenſionis ſententia, præter Romani Pontificis auctoritatem, aut proprii Patriarchæ, minimè relaxetur: ut in hoc quoque quatuor Patriarchales ſedes ſpecialiter honorentur.

S U M M A R I U M.

1 *BEneficia indignis conferentes, poſt ſecundam correctionem ſuſpenduntur per Concil. Provinciale à beneficiorum collatione.*

2 *Et illam ſuſpenſionem relaxat ſolus Papa, vel Patriacha.*

3 *Indigni in defectum idoneorum aſſumi poſſunt ad beneficia Eccleſiaſtica.*

4 *Niſi tanta ſit indignitas, ut eis provideri non poſſit ſine mortali peccato, vel ſine gravi aliorum ſcandalo.*

5 *Mandato Papæ de providendo non eſt obtemperandum cum peccato mortali.*

6 *Illiterati an, & quando repellantur à promotione.*

7 *Prælatorum affectus erga nepotes, & propinquos pervertit judicium rationis.*

8 *Argentinæ Eccleſiæ Canonicorum inordinata ordinatio de ſuis nepotibus in Canonicos aſſumendis, redarguitur ab Hoſtienſi.*

9 *Pœnitentiarius Cathedralis an habeat jus intereſſendi Diœceſanæ Synodo, ita ut ab Epiſcopo repelli non poſſit.*

10 *Ad Synodum Diœceſanam vocandi ſunt Abbates, Sacerdotes, & univerſus Clerus.*

11 *Item ſpecialiter invitandi ſunt Canonici Cathedralis, & num. 15.*

Item Curati omnes tenentur accedere, nu.13.

12 *Pœnitentiarius Cathedralis habet juriſdictionem audiendi confeſſiones omnium Diœceſanorum, non ex commiſſione Epiſcopi, ſed à lege, & ideò habet ordinariam.*

14 *Ad Concilium Provinciale de neceſſitate vocandi ſunt ſoli Epiſcopi; ſi tamen alii veniant, ſunt admittendi.*

Gra-

1 GRave. Concilium generale à Beneficiorum collatione ſuſpendit eos, qui poſt ſecundam correctionem indi-
2 gnis beneficia conferunt; providet etiam, quis interim beneficia conferat, & illam ſuſpenſionem relaxat ſolus Papa, vel ſolus Patriarcha. Hoc dicit. Sed cave, ne decipiaris, quia *ver. Generale*, fuit mediatè appoſitum in ſummario hujus compilationis, fortè per errorem Typographi: nam Generale Concilium hìc non ſuſpendit, ſed jubet ſuſpendi à Provinciali Concilio quare loco verbi *Generale*, reponendum eſt *Provinciale*, prout ſummant Jo. Andr. Butr. Card. Anch. Imol. Abb. & Jo. de Anan. primò narrat delictum, ſecundò providet, ibi, *volentes*. Dicebat Hoſt. *in princ.* Tangit Prælatorum delictum: facit præceptum: punit contemptum: excipit Metropolitanum: honorat Sedes Patriarcharum.

3 Nota primò ibi, *cum poſſint*, ad beneficia Eccleſiaſtica ſolos idoneos eſſe aſſumendos, ſi reperiri poſſint, ut in littera. Ergo à contrario in defectum idoneorum aſſumi poterunt indigni, prout ex hac littera deducunt Hoſt *n.1. in ver. Cùm poſſint*, Jo. Andr *n.2* Butr *n.10.* Card. *n.2.* & Abb. *in 1. notab.* Nam ſecundùm Hoſt. quia non ſemper poſſunt idonei reperiri, *ut in c. Venerabilis, §. penult. infrà eod.* conſtruenda eſt domus ex lapidibus, qui occurrunt, & melius eſt locum implere, quàm vacuum dimittere, arg. *l. Generaliter, §. Spurios, ff. de Decurionibus*, ubi in defectum legitimorum
4 ſpurii in Decuriones aſſumuntur. Sed hoc notabiliter limitat Abb *ubi ſuprà*, & eſt ex mente Hoſt. & ſequacium, niſi indignitas tanta ſit, ut eis provideri non poſſit ſine peccato mortali, vel ſine gravi aliorum ſcandalo. Ad quod facit optimè quod notat Jo. Andr. *in c. Cùm adeò n.6 de reſcript.*
5 ubi ait: (Nec mandato Papæ obtemperandum eſſe, quando eſt tanta indignitas ex parte promovendi, ut ſine mortali
6 peccato promoveri non poſſit: ſecus verò ſi indignitas non ſit tanta, ut quia patitur ſolùm defectum in ſcientia, in reliquis tamen eſt bonus Clericus;) tunc enim procedit argumentum à contrario hujus litteræ, ſecundùm Abb. Ad hoc bonus text. *in c. Cùm nobis, verſ. Illius q que, ae el. ct.* Sed tu hoc intelligas, dummodò defectus ſcientiæ non ſit totalis: nam prorſus illiteratus omninò repellitur, quinimò & dejicitur jam promotus, *ut c. p. fin. de æt. & qualit.* per quem text. dicebat ald. *in c. Niſi cùm pridem n.7 de renunc.* (In Epiſcopo requiritur ſcientia eminens; tamen toleratur ſcientia competens. ſed nihil ſciens, etiamſi ſit Epiſcopus, debet deepiſcopari; & ſic de illiteratis, & imperitis Parochialium Eccleſiarum Rectoribus.) vide Concil Trid. *c. 6. ſeſſ.21.* & quod ſcripſi *in cap. Cùm cunctis n.151. & 152. de elect. & in c. Quæris n.18. de ætat. & qualit.*

7 Secundò nota ibi, *carnalitatis ſequentes affectum*, præcipuam cauſam, propter quam ad dignitates, & beneficia Eccleſiaſtica interdum aſſumuntur indigni, eſſe inordinatum Prælatorum affectum erga nepotes, & propinquos, quia judicium rationis pervertit, ut hìc per Butr. *in 2. not.* Unde S. Trid. Synodus *in c.1. ſeſſ. 25. de reform.* graviſſimis verbis monet Eccleſiarum Antiſtites, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquoſque carnis affectum, unde multorum malorum in Eccleſiam ſeminarium extat, penitùs deponant. Cæci enim ſunt Epiſcopi erga nepotes, ut inquit gloſſ. *in c. Pervenit, in ver. Gravius 1. q. 3.* dixi *in c. Accepimus n.45. & 46. de pactis*, & B. Hironym. ad Fabiolam hìc relatus à Jo. Andr. *n.3. Multa nos cogit affectus, & dum propinquitatem reſpicimus corporum, corporis & animæ offendimus Creatorem:* & B. Bernardus dicebat, *Epiſcopus committit tali, ſcilicet nepotuloſuo duo millia animarum de facili, cui non libenter committeret duo pria*, ut refert hìc
8 Hoſt. *n.4. in fin.* qui ſuperiùs *n.3.* (ponit exemplum affectus carnalis in Canonicis Argentinis, qui cùm non poſſent concordare de Canonicis creandis, convenerunt in hoc, ut quilibet Canonicus crearet ſuum nepotem, vel conſanguineum, nobilem tamen; & tales erant perſecutores Eccleſiæ, & indigni. Quidam Romanus, & ipſius Eccleſiæ Canonicus, nominavit Aſinum Canoniæ, dicens illum aliis præferendum, quia ſemper procuraverat utilitatem Eccleſiæ, & abſtinuerat à damno, quod alii non fecerunt, ad hoc *c. In quibuſdam infrà de pœn. & c. Cùm in officiis Charitatis, de teſtam.* & fortè de hac inordinata ordinatione loquitur text. *in c. Super inordinatæ, infrà eod.* dirigitur enim Epiſcopo Argentino, qui fortaſſe inductus fuit à prædicto Romano ad eam conſultationem faciendam.) Ita Hoſt. & ex illo Jo. Andr. hìc *n.2. in ver. Carnalitatis.*

Ultimò nota ibi, *annuatim*. Concil. Provinciale hoc jure inſpecto eſſe celebrandum ſingulis annis, & idem dicendum de Diœceſana Synodo, *ut c. Sicut olim, de accuſat.* ubi utrumque dictum probatur, ſecundùm Abb. hìc *nu. 5.* Dixi hoc jure inſpecto, quia ex jure noviſſimo Conc. Trident. *cap. 2. ſeſſ. 24* ſatis eſt, ut Provincialia Concilia quolibet ſaltem triennio celebrentur.

Tractat hìc Innoc. *à n.1. uſque ad n.8.* de auctoritate Concilii Archiepiſcopalis, & quinam ſint vocandi tam ad hoc Concilium, quàm ad Concilium Epiſcopale, ſeu Diœceſanum, de Provinciali Concilio egi latiſſimè *in d. c. Sicut olim, de accuſat.* per decem quæſtiones, & in quinta egi de iis, qui ad eam Synodum ſunt vocandi, de quo etiam, & plenè tractavi *in c. Et ſi membra à n.1. uſque ad n.47. de his, quæ fiunt à Prælat.* de iis verò qui intereſſe debent in Synodo Diœceſana egi *in cap. Super his à num. 1. uſque ad n. 15. de major. & obedient.*

Hìc quæro, quid in Canonico Pœnitentiario. Cùm 9
Raphael Miralles Canonicus Pœnitentiarius Eccleſiæ Ilerd. voluiſſet in eſſe in Diœceſana Synodo habita anno 1516. fuit ab Epiſcopo repulſus hoc prætextu, quòd ex diſpenſatione juris Pœnitentiarius locum in Synodo non habeat. Quapropter idem Canonicus ſentiens ſe gravatum, ad S. D. N. & Sacr. Congregationem Concilii appellavit, quam nunc conſulit, an tanquam Pœnitentiarius inſtitutus in vim Conc. Trid. *c.8. ſeſſ. 24.* habeat jus aſſiſtendi in Diœceſana Synodo, ita ut abſque legitima cauſa ab Epiſcopo repelli non poſſit.

Videtur reſpondendum Pœnitentiarium eſſe admittendum ad Synodum Diœceſanam, nec repelli poſſe ab Epiſcopo, ex doctrina Inn. in hoc c. *n.2.* ubi ait ad Epiſcopale Concilium eſſe vocandos Abbates, Sacerdotes, atque omnem Clerum Civitatis, & Diœceſis per text. *in c. fin. 8. diſt.* & Innoc ſequuntur hìc Jo. Andr. *n.5 verſ. Ad Synodale*, Petrus de Anchar. *eod. verſ. ſub n.15* Butr. *n 16. verſ. Ad Synodale autem*, Card. *n.2. verſ. Ad 2.* & Jo. de Anan. *n. 14. verſ. In Concilio autem Synodali*. Canonici autem Cathedralis non modò ſunt admittendi, ſed etiam ſpecialiter invitandi, *cap. fin. de iis, quæ fiunt à Prælat. ſine conſ. Cap* tradit poſt alios Henric. Bott *de Synodo Epiſcopi in 2. part. n. 23 & ſeqq.* & jam cenſuit S. Congr. Concilii.

Non videtur autem dubitandum, quominùs Pœnitentiarius teneatur ad Synodum Diœceſanam accedere, cùm ſit quaſi Parochus totius Diœceſis, habeatque jus audiendi Diœceſanorum Confeſſiones non ex ſpeciali Epiſcopi commiſſione, ſed à lege, idest à Tridentino Concilio, ideòque Ordinarius cenſeri debeat Nam juriſdictio quæ defertur à lege, vel ſtatuto, ordinaria eſt, *l. Et quia, ff. de juriſd. omn. Judicum, l. 1. in 1. reſp. ff. de officio ejus, cui mandata eſt juriſdictio*, & notat Innoc. *in c. Cùm ab Eccleſiarum n.3 verſ. Et quia lex, ſuprà de offic. Ordin.* Quod abſque dubio procedit, cum juriſdictio datur ad univerſitatem cauſarum, vel ad unum negotium univerſale, ut in hoc caſu Bart. *in l. Ambitioſa n.34. verſ. Sed conceder do, ff. de Decret. ab Ordin. facien. & in l. More 15. n.9.* ubi etiam Jaſ. *n.51* & communiter DD. *ff. de juriſd omn. Judic.* & ſcripſi pleniùs *in c. Cùm olim n. 65. de major. & obed.* Certum eſt autem, teneri ad hanc Synodum accedere omnes quoquomodo curam animarum habentes, ut tradunt omnes *in c. Quod ſuper his, de major. & obed.* & ſtatuitur decret Concil. Trid. *c 2. ſeſſ 24.* 13

Quamobrem ſi Pœnitentiarius teneatur ad Concil. accedere, Epiſcopus quoque tenetur illum admittere, cùm obligatio accedendi, & admittendi reciproca ſit, & correlativa, arg. *l. fin. C. de indict. vidùit. & l. ult. ff. de Acceptilat. & l.1. C. de Cupreſſis lib.10.* Quinimò fortior, & ſtrictior eſt 14
obligatio admittendi ex parte Epiſcopi. Ideòque quamvis ad Provinciale Concilium Epiſcopi ſoli, & non alii de neceſſitate vocandi ſint: ſi tamen alii veniant, ſunt admittendi, ſecundùm Innoc. Jo. Andr. & Anchar. *loc. cit.* Et Canonici Cathedralis, & ſi aliquando accedere non teneantur, tamen ſunt ſemper ſpecialiter invitandi, ut probat Henric. Bott. *d. par. 2. ſub n. 24. verſ. Quid tenendum.* Et revera abſurdum eſſet, ut Pœnitentiarius teneretur ad Synodum accedere, ſi Epiſcopus non deberet illum admittere; & ſi admittendi ſunt ex neceſſitate ſimpliciter Canonici, nulla ratio ſuadet, cur admitti non debeat, qui ſimul eſt Canonicus, & Pœnitentiarius, ad hoc bona gloſſ. *in Clem. Dudum ad finem in ver. Pacta, de ſepultur.*

DE

DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.

Idem Innocentius III. in eodem Concilio Generali.

C A P U T XXX.

EXtirpandæ conſuetudinis vitium in quibuſdam partibus inolevit, quòd ſcilicet Parochialium Eccleſiarum patroni, & aliæ quædam perſonæ, proventus ipſarum ſibi penitùs vendicantes, Presbyteris earumdem ſervitiis deputatis, relinquunt adeò exiguam portionem, quòd ex ea nequeant congruè ſuſtentari; nam (ut pro certo didicimus) in quibuſdam regionibus, Parochiales Presbyteri pro ſua ſuſtentatione non obtinent niſi quartam quartæ, id eſt, ſextam decimam decimarum. Unde fit, ut in his regionibus penè nullus inveniatur Sacerdos Parochialis, qui ullam vel modicam habeat peritiam litterarum. Cùm igitur os bovis ligari non debeat triturantis, ſed qui Altari ſervit, de Altari vivere debeat, ſtatuimus, ut (conſuetudine qualibet Epiſcopi vel patroni, ſeu cujuslibet alterius non obſtante) portio Presbyteris ipſis ſufficiens aſſignetur.

Qui verò Parochialem habet Eccleſiam, non per Vicarium, ſed per ſeipſum illi deſerviat, in ordine quem ipſius Eccleſiæ cura requirit: niſi fortè dignitati, vel præbendæ Parochialis Eccleſiæ ſit annexa: in quo caſu concedimus, ut qui talem habet præbendam, vel dignitatem, cùm oporteat eum in majori Eccleſia deſervire, in ipſa Parochiali Eccleſia, idoneum & perpetuum habeat Vicarium canonicè inſtitutum, qui (ut prædictum eſt) congruentem habeat de ipſius Eccleſie proventibus portionem: alioquin illa ſe ſciat auctoritate hujus decreti privatum, liberè alii conferenda, qui velit & poſſit quod dictum eſt adimplere. Illud autem penitùs interdicimus, ne quis in fraudem de proventibus Eccleſiæ, quæ curam habere debet proprii Sacerdotis, penſionem alii quaſi pro beneficio conferre præſumat.

S U M M A R I U M.

1 *PArochus non obſtante conſuetudine Epiſcopi, vel Patroni, debet de redditibus Eccleſiæ ſufficientem habere portionem.*

2 *Conſuetudo nutritiva peccati extirpanda eſt.*

3 *Item in conſtitutione, appellatione, juramento, & privilegio.*

4 *Et ſuper talibus ad Papam, non ad Imperatorem, eſt recurrendum.*

5 *Patroni, vel adminiſtratores Eccleſiarum prætextu conſuetudinis congruam portionem Rectoris diminuere non poſſunt.*

6 *Conſuetudo, qua Patronus aliquid ſibi vendicat de fructibus Eccleſiæ ultra portionem Rectoris, an valeat de jure communi.*

7 *Et quid in Patrono laico.*

8 *Patroni qui in fructibus Eccleſiæ ſe ingerunt, ex Concilio Tridentino quas pœnas incurrant, & n. ſeq.*

9 *Patronis beneficiorum prohibitum eſt bona ipſorum conducere.*

10 *Pœna à Concilio impoſita Patronis occupantibus fructus Eccleſiarum locum non habet, niſi in doloſa occupatione.*

11 *Pater qui ſe ingerit in fructibus Eccleſiæ, cujus non ipſe, ſed filius eſt Patronus, an incidat in pœnam Concilii Tridentini.*

12 *Patroni Eccleſiarum Parochialium cogi poſſunt ad aſſignandam congruam portionem Rectoribus ibi inſtitutis.*

13 *Parochialium Eccleſiarum paupertati quibus remediis ſit ſuccurrendum.*

14 *Peritia nulla, vel modica æquiparantur.*
Competens tamen toleratur, ibid.

15 *Illiteratis Parochialium Rectoribus dandi ſunt Coadjutores ab Epiſcopo.*

16 *Parochiales non ſunt ita prægravandæ fructuum detractionibus, ut non ſuperſit ſufficiens portio pro Rectore.*

17 *Et quæ dicatur ſufficiens portio.*

18 *Penſionibus, & reſervationibus fructuum gravari non debent Cathedrales, quæ ducatos mille, & Parochiales, quæ ducatos centum non excedunt.*

16 *Et ducati intelligendi ſunt juxta morem cujuſque regionis.*

20 *Penſionarii an ſint cogendi contribuere ad onera, cùm non ſuperſunt centum pro Rectore.*

EXtirpandæ. Rector Eccleſiæ, non obſtante conſuetu- 1
dine Epiſcopi, vel Patroni, de redditibus Eccleſiæ debet ſufficientem habere portionem. Hoc dicit, uſque ad §. *Qui verò*. Et ſunt tres partes. Prima narrat vitium in genere. Secunda ſpecificat, ibi, *Nam ut*. Tertia reformat, ibi, *Cùm igitur*.

Nota primò, ex principio litteræ, extirpandam eſſe 2
conſuetudinem nutritivam peccati. Non enim conſuetudo, ſed corruptela dicenda eſt, cùm diuturnitas temporis non minuat peccatum, ſed augeat, *cap. Schiſma*, 24. q. 1. *cap. fin. de conſuetud. cap. Cùm in Eccleſiis, & cap. Non ſatis, infra de Simon*. Unde hęc Decretalis hanc non appellat ſimpliciter conſuetudinem, ſed conſuetudinis vitium. Simi- 3
liter & omnis Conſtitutio nutriens peccatum caſſanda eſt, *cap. fin. ſupra de præſcript.* & omnis appellatio, *c. Cùm ſpeciali de appellat.* & omne juramentum, *c. Inter cætera*, 22. q. 4. & omne privilegium, *l. unica*, *C. de rapt. virg.* Et ſu- 4
per talibus eſt ad Papam, non ad Imperatorem ſpecialiter recurrendum, ut notatur *in cap. penult. §. 1. ſupra de conſuetud.* & tenet hìc Hoſt. *nu. 9.*

Secundò nota, Patronos, vel Adminiſtratores Parochia- 5
lium Eccleſiarum non poſſe prætextu conſuetudinis ipſarum redditus ita ſibi vendicare, ut congruam portionem Rectoris diminuant, ut per Abb. *n. 2.* Unde à contrario ſen- 6
ſu videtur colligi, ut valeat conſuetudo legitimè præſcripta aliquid ſibi vendicandi de fructibus Eccleſię ultra ſufficientem portionem Rectoris. Quod verum eſt de jure communi in Patronis Eccleſiaſticis, de quibus loquitur hæc Decretalis, ſecundùm Hoſt. *num. 2. in ver. Patroni*, Jo. Andr. *num. 1. in fine*, *in eodem ver.* & Abb. *in 1. notab.* Sed laici in Eccleſiis nullam de jure poſſunt percipere portionem, 7
niſi in limine fundationis à Diœceſano fuerit eis reſervata, ut eſt textus *in c. Præterea*, *infra de jurepatron.* Sed hodie 8
decreto Concilii Tridentini *cap. 9. ſeſſ. 25.* generaliter interdictum eſt, ne Patroni beneficiorum, etiamſi Communitates, Univerſitates, Collegia quæcumque Clericorum, vel laicorum exiſtant, in perceptione fructuum, proventuum, obventionum quorumcumque beneficiorum, ullatenùs, ullave cauſa, vel occaſione ſe ingerant; ſed illos liberè Rectori, ſeu Beneficiato, non obſtante etiam quacumque conſuetudine, diſtribuendos dimittant. Et infrà: Si ſecus fecerint, excommunicationis, & interdicti pęnis ſubjiciantur, & dicto Jurepatronatu ipſo jure privati exiſtant. Quo decreto ſublata eſt ſupradicta differentia, quam 9
hìc ponunt Doctores inter Patronos Eccleſiaſticos, & laicos. Nam quo ad omnes derogatum eſt conſuetudini, ſecundùm quam Patroni in fructibus beneficiorum ſe ingerunt. Et diſpoſitio hujus Decretalis in hoc corrigitur, & in aliis multipliciter ampliatur, ita ut ex Sacræ Congregatio-

tionis ſententia prohibitum etiam ſit Patronis beneficiorum bona eorumdem conducere. Et verſiculum illum, *ſi ſecus fecerint*, Sacra Congregatio declaravit nedum ad clauſulam immediatè præcedentem, ſed etiam ad ſuperiorem eſſe referendum; itaut Patronus beneficii in ejus ſe fructibus ingerens, incidat in pœnam excommunicationis, & privationis poſitam eo decreto. Totum tamen quod ibi dicitur de perceptione fructuum, quam faciunt Patroni, cenſuit de doloſa occupatione eſſe intelligendum; nam ubi non eſt dolus, ibi non cadit delictum.

11 Unde orta dubitatione, an prohibitio Concilii, ne Patroni in beneficiorum ſe fructibus ingerant, habeat locum in patre Rectoris, qui eſt de familia, & patronatum non habet, licèt poſt mortem Patroni ad eum ſpectare debeat ex proviſione fundatoris, præſertim cùm fructus quos accepit, filio Rectori reſtituerit: Reſponſum eſt non habere locum. Poſt quam reſolutionem cum ex facto concordato proponeretur, quòd pater Rectoris erat principalis patronus, & exegiſſet etiam antequam filius ejus Rector eſſet, & poſt ejus obitum integrum annuum cenſum quindecim ducatorum nomine proprio, quorum ducatorum octo debebantur Eccleſiæ; dubitatum fuit, an haberet locum hoc caſu Concilium *d. c. 9.* Et ſimiliter reſponſum eſt non habere locum, quia cenſus erat ſibi communis cum Eccleſia, unde fit interpretatio, ut jure ſuo, & non in fraudem exegerit. Ad hoc *l. Merito, ff. pro ſocio*, cum aliis adductis per Roman. *conſ. 113. Pro deciſione n. 1.*

12 Tertiò nota, Patronos, vel alios habentes adminiſtrationem temporalium in Eccleſiis Parochialibus, teneri, & compelli poſſe ad aſſignandam congruam portionem Rectoribus ibi inſtitutis, ut hìc per Butr. *nu. 2. in 2. notab.* &
13 concordat. *c. de Monac. ſup. eod.* Alia remedia ad augendos exiguos Parochialium Eccleſiarum redditus habentur in decreto Concilii Trident. *c. 13. verſ. in Parochialibus ſeſſ. 24.* Curare enim debet Epiſcopus, ſi per beneficiorum unionem, non tamen Regularium, id fieri non poſſit, ut primitiarum, vel decimarum aſſignatione, aut per Parochianorum ſymbola, ac collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione tantum redigatur, quod pro Rectoris, aut Parochiæ neceſſitate decenter ſufficiat.

Quarto nota, nullam, vel modicam peritiam æquiparari, quod bene probat littera ibi, *Nullam, vel modicam*. Imò ſecundùm Abb. *num. 3.* interdum deterius eſt habere modicam peritiam, quam nullam; quia modica aliquando in errorem perducit, ſed prorſus ignarus conſulit alios. Sed
14 modicam intellige, id eſt minùs ſufficientem, & infra mediocritatem; alioquin contra, *ut in c. Niſi cum pridem, §. Pro defectu ſup. de renunc.* per quem textum Bald. ibi ait: In Prælato deſideratur ſcientia eminens, competens tamen toleratur, ſed nihil ſciens debet deepiſcopari. Veruntamen
15 Concilium Tridentinum tolerat illiteratos, & imperitos Parochialium Eccleſiarum Rectores jam promotos, ſi aliàs ſint honeſtæ vitæ, eiſque tantum dari præcipit ab Epiſcopo Coadjutores, ſeu Vicarios, & partem fructuum eiſdem pro ſufficienti victu aſſignari, *ut in cap. 6. ſeſſ. 21.*

Ultimò nota, Parochiales Eccleſias non eſſe ita prægravandas fructuum detractionibus, ut non ſuperſit ſufficiens 16
portio ad ſuſtentationem Rectoris. Et pondera inconveniens, quod hinc ſequitur quaſi neceſſariò, videlicet promotio, & aſſumptio imperitorum, ſecundùm Anton. de Butr. *n. 2. in 1. notab.* & Abb. *n. 3.* Quod eſt valde periculoſum Eeclesiis. Nam ſi cæcus cæcum ducat, ambo in foveam dilabuntur, *c. Per in fine ſuprà de ætat. & qualit.* Et de Paſtorum imperitia vide quoad ſcripſi *in c. 1. ſupr. de Summ. Trinit. & in d. c. Niſi cùm pridem, de renunc.*

Dicitur autem ſufficiens portio non quoad neceſſaria vi- 17
tæ tantùm, ſed ſecundùm decentiam, & qualitatem perſonæ, ut not. *in c. Cùm ſecundùm, §. penult. ſup. eod.* & tenet gl. *hìc in ver. Sufficiens*, Hoſt. *n. 4. in verb. Congruè*, & alii communiter. Et eſt bona gl. *in c. Conquerente, in ver. Sufficientia ſupr. tit. prox.* Imò ſecundùm gl. hìc, portio debet eſſe ſufficiens pro ſe, & ſuis, *ut in c. Studeat 50. diſt.* qui textus hoc benè probat ſecundùm Abb. hìc *n. 4.* Cæterùm in hujuſmodi decentia arbitranda habenæ non ſunt nimis laxandæ, ut ſcripſi plenè *in c. fin. ſupr. de pecul. Cleric.* Unde cum myſterio Concilium Trident. cojunxit decentiam cum neceſſitate *in d. c. 13. ſeſſ. 24.* ibi, *Quod pro Rectoris, aut Parochiæ neceſſitate decenter ſufficiat.*

Porrò quoad penſiones, & reſervationes fructuum, San- 18
cta Synodus *in eod. c. 13.* ſufficientem æſtimavit portionem, quæ in Cathedralibus Eccleſiis aſcendit ad mille ducatos, & in Parochialibus ad ducatos centum, dum ſtatuit ut omnes hæ Cathedrales Eccleſiæ, quarum redditus prædictam ſummam ducatorum mille, & Parochiales, quæ ſummam ducatorum centum ſecundùm verum annuum valorem non excedunt, nullis penſionibus, aut reſervatio-
nibus fructuum graventur. Et S. Congregatio conſulta, an 19
verba illa Conc. *ducatorum centum*, ſint intelligenda juxta morem cujuſque regionis; reſpondit, ita intelligenda die 30 Martii 1594.

Porrò cùm ſanctæ memoriæ Cardinalis Borromæus con- 20
queſtus eſſet apud S. Congregationem, quòd Parochiales ſuæ Provinciæ eſſent gravatæ penſionibus, itaut titulari non remanerent centum, ſed quinquaginta quinque, nec Penſionarii vellent contribuere neceſſitatibus Eccleſiarum propter clauſulas prægnantes in reſervatione penſionis; fuit in S. Congr. dubitatum, an eſſet adhibendum remedium, ut penſionarii omnes cogerentur ad ratam contribuere, non obſtantibus quibuſcumque clauſulis, & Ordinarius eos ad id compellere valeret. Et patres cenſuerunt non conſtituendam legem generalem hac de re, ſed caſus particulares conſiderandos, poſteà illis providendum, prout æquum videbitur, inſpecta qualitate perſonarum, & locorum. Et ita Sanctiſſimus quoque probavit.

DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.

Cap. Extirpandæ, §. Qui verò.

SUMMARIUM.

1 *PArochialium Rectores tenentur perſonaliter reſidere, eiſque non per Vicarios, ſed per ſeipſos deſervire.*

2 *Delegari non poſſunt ea, in quibus electa eſt induſtria perſonæ.*

3 *Paſtor non eſt, qui gregem alienum paſcit, ſed mercenarius.*

4 *Parochi cogi debent ad ſubeundum per ſeipſos, & non per ſubſtitutos omnia munia Parochialia.*

5 *Et an ſint tolerandi, ut per ſubſtitutos ſuppleant in aliquibus caſibus, & in quibus.*

6 *Parochus tenetur ad reſidentiam licèt, redditus Eccleſiæ ſint valde tenues.*

7 *Imputandum eſt ei, qui beneficium tenue acceptavit.*

8 *Parochus non excuſatur a reſidentia ex eo, quod fructus omnes ſint alteri reſervati, & nihil remaneat pro Rectore.*

9 *Parochi inopiæ ſubveniendum eſt ordinario, vel extraordinario auxilio.*

10 *Sed decreta de reſidentia interim ſuſpendi non debent.*

11 *Reſidere tenetur Parochus, etiamſi eſſent in illa Parochia tres tantum, vel quatuor incolæ.*

12 *Parochi tenentur habitare in domo Eccleſiæ Parochialis, ac ſi domum non habeant, debent aliquam conducere, ſaltem infrà limites Parochiæ.*

13 *Ex cauſa tamen quandoque permittuntur habitare in ædibus paternis infrà limites Parochiæ, & num. 17. & ſeqq.*

14 *Parochus reſidens in civitate, in qua ſita eſt Parochialis, licèt extra Parochiæ limites, non tenetur ad fructuum reſtitutionem, & n. 16.*

15 *Cogendus tamen eſt reſidere in domo Eccleſiæ, vel ſi non*

non habet in propinquiore infra limites Parochiæ.

16 *Parochus juſus in ædibus Parochialibus reſidere, niſi paruerit, mulctari poteſt ab Epiſcopo.*

17 *Epiſcopus permittere poteſt, ut Parochus, qui neque ex fructibus ædes conſtruere, nec aliàs intra Parochiæ fines conducere poteſt, inhabitet domum in viciniori Parochia ſitam.*

18 *Rector duarum Parochialium unitarum, qui permittentibus Epiſcopis reſedit in domo à Parochianis conſtructa in caſtro extra limites utriuſque Parochiæ, fructus facit ſuos.*

19 *Et permittitur ita pergere arbitrio Epiſcopi, dum tamen domunculam ædificet prope alteram Eccleſiam, ibique alat Presbyterum, qui curam animarum exerceat.*

20 *Parochiani cogi poſſunt ad contribuendum pro ædificandis ædibus Parochialis Eccleſiæ, cujus fructus ſummam quinquaginta ſcutorum non excedunt.*

21 *Eccleſia baptiſmalis, licèt non ſit curata, tamen requirit perſonalem reſidentiam, & eſt incompatibilis cum Canonicatu, vel Parochiali.*

22 *Cancellaria inter ſigna Eccleſiæ Curatæ præcipuè attendit, an in ea ſit fons baptiſmalis.*

23 *Plebaniam obtinens, ad quam pueri baptizandi neceſſariò ſunt deferendi, debet tempore collationis attingere annum vigeſimumquintum, & infra annum ad Sacerdotium promoveri.*

24 *Parochialem obtinens annexam dignitati, vel præbendæ, tenetur in majori reſidere, & Parochiali deſervire per Vicarium perpetuum.*

25 *Præbenda ratione Eccleſiæ, in qua ſita eſt, dicitur major Parochiali.*
Contrarium, num. 27.

26 *Beneficia duo incompatibilia obtinens poteſt reſidere in quo maluerit, ſi ſint æqualia, aliàs reſidere debet in majori, & num. 30.*

27 *Cura animarum cæteras omnes ſuperat, & excellit.*

28 *Reſidentia in beneficiis non Curatis eſt de jure poſitivo.*

29 *Parochialis perpetuò, & acceſſoriè unita amittit nomen Parochialis, & efficitur membrum beneficii, cui eſt annexa, & num. 36.*
Nec in ejus colluſione requiritur concurſus, nu. 39.

30 *Parochiales duas unitas obtinens, & Præpoſituram Curatam ex diſpenſatione, tenetur reſidere in Præpoſitura tamquam in digniori.*

31 *Parochiales duas obtinens æquè principaliter unitas, poteſt eligere in qua maluerit reſidentiam, ſi per omnia ſint æquales.*

32 *Aliàs reſidendum in digniori, aut ſi id non conſtet, in frequentiori, & in ea, quæ eſt intra urbem.*

33 *Unio Parochialis ad vitam non liberat obtinentes, quin teneantur ſe promoveri facere, & reſidere in eis.*

34 *Sardiniæ inſulæ Parochiales unitæ Canonicatibus Cathedralium poſteà deſtructarum, an obligent ad reſidentiam.*

35 *Sardiniæ inſulæ Parochias ad primævum ſtatum reduxit Pius V.*

36 *Parochiales duæ, quarum una eſt alteri perpetuò, & acceſſoriè unita, altera verò habitu tantùm curata, an requirant reſidentiam, & ſint incompatibiles cum alia Parochiali, & num. ſeqq. uſque ad nu. 53. & num. 56.*

37 *Diſpenſatio nulla requiritur, ut quis poſſit habere perſonatum cum cura, & præbendam, cui ſit annexa Eccleſia Parochialis.*

38 *Beneficiorum incompatibilium pluralitas cur ſit prohibita.*

39 *Parochiales duas obtinens non tenetur alteram dimittere, ſi una ex his unita ſit Dignitati, vel beneficio ſimplici perpetuò, & acceſſoriè.*

40 *Conſuetudo immemorabilis non reſidendi in Parochialibus ſublata eſt à Concilio Tridentino tamquam corruptela.*

41 *Parochialis habitu tantùm curata reſidentiam requirit, & eſt cum alia Parochiali incompatibilis, & n. 45.*

42 *Contrarium.*
Declaratur, num. 48.

43 *Parochialis habitu an ſit incompatibilis cum Cathedrali.*

44 *Cancellariæ ſtylus circa collationem Parochialis habitu curatæ, & num. 47.*

45 *Gregorii XIII. declaratio circa incompatibilitatem Parochialis habitu tantùm curatæ.*

46 *Epiſcopi judicium eſt, an beneficium ſit curatum habitu tantùm, nec ne.*

48 *Beneficium habitu tantùm curatum regulatur ut curatum actu, ſi ſubſit ſpes reverſionis Parochianorum, aliàs ſecus, num. 55.*

49 *Epiſcopus civitatis ab hoſtibus captivatæ, alteri Eccleſiæ eſt præficiendus.*

50 *Officium paſcendi, cui innititur obligatio reſidentiæ, ceſſat ovibus deficientibus.*

51 *Divertiſſe non videtur populus ſtatim reverſurus.*

52 *Potentia proxima actui in favorabilibus habetur pro actu.*

53 *Rector parochialis habitu ab Epiſcopo Seminario unitæ, an teneatur reſidere in novo pago infra limites ipſius parochialis conſtructo, & num. ſeqq. uſque in finem.*

54 *Jus Parochialis extinctum per receſſum Parochianorum, reviviſcit per novorum parochianorum habitationem.*

55 *Parochialis habitu non poteſt ab Epiſcopo uniri Seminario.*

56 *Parochus tenetur reſidere in Parochiali habitu, ſi ſit ſpes, ut redeant Parochiani.*

57 *Unio ab initio valida, & effectum ſortita non reſcinditur ipſo jure ex eo, quòd deveniat ad caſum, à quo incipere non poteſt.*

58 *Unio in dubio præſumitur perpetua uti facta contemplatione Eccleſiæ.*

59 *Unio Parochialis habitu facta Seminario, quamvis fuiſſet valida, tamen eſſet diſſolvenda ob reditum Parochianorum.*

60 *Eccleſia Parochialis poteſt agere ad demolitionem Eccleſiæ, ſeu Capellæ infra Parochiæ limites conſtructæ.*

61 *Translata Eccleſia, omnia jura ad eam pertinentia tranſeunt in Eccleſiam, ad quam facta eſt tranſlatio.*

62 *Remiſſoria non datur, ubi articuli ſunt irrelevantes.*

§. QUi verò, Privatus eſt Parochiali Eccleſia Rector in ea non reſidens, niſi ſit annexa Dignitati vel Præbendæ, quo caſu debet ibi perpetuum habere Vicarium. Et in fine prohibet in fraudem Rectoris de ipſius fructibus penſionem in beneficium dari. Hoc dicit ſecundùm Jo. Andr. & DD. communiter. Vel ſecundùm alium intellectum: Non reſidens in Eccleſia Parochiali non ponens Vicarium, quando eſt annexa beneficio majori, privatus eſt ea. Et quatuor facit. Primò ſtatuit. Secundò excipit, ibi, *Niſi*. Tertiò punit, ibi, *Alioquin*. Quartò fraudem damnat, ibi, *illud*.

Nota primò generalem regulam, ſecundùm Hoſtienſem, & DD. videlicet, Parochialium Eccleſiarum Rectores teneri perſonaliter reſidere, eiſque non per Vicarios, ſed per ſeipſos deſervire, ut hìc eſt caſus *in cap. Nonnulli, ſupra tit. prox.* Ratio eſt ſecundùm Abb. *nu. 2.* quia videtur electa induſtria perſonæ; ideòque non poteſt cura alteri delegari per regulam *c. fin. §. Is enim, Supra de offic. deleg. & c. Is cui*, & ibi gloſ. *pen. eod. tit. lib. 6.* Confert optimus textus *in l. Inter artifices, ff. de ſolution.* Formalis ratio eſt, quia omnes, quibus animarum cura commiſſa eſt, tenentur paſcere juxta præceptum Domini ad Petrum, Joannis 20. Concilium Tridentinum *cap. 1. ſeſſ. 23.* Paſcendi autem officium perſonale eſt: Nam qui gregem alienum paſcit, non eſt paſtor, ſed mercenarius, ad quem non pertinet de ovibus, ut patet *Joan. 10. c. Adverſitas, §. Hoc tunc ſervandum, 7. q. 1. & c. Tres perſonas, 23. q. 4.* Dixi *in c. Ex parte, nu. 38. & ſeqq. & n. 49. ſupra tit. prox.* ubi etiam latiſſimè probavi *à n. 20. uſque in finem*, obligationem perſonalis reſidentiæ in beneficiis Curatis eſſe de jure divino, licèt Concilium Tridentinum hoc formaliter non diffinierit, ut ibidem probavi *à nu. 10. uſque à nu. 20.*

(Margin numbers in this paragraph: 1 at "Nota primò", 2 at "omnes, quibus animarum", 3 at "ſtor, ſed mercenarius".)

Cæterùm ſi Curati reſideant, & curam per ſeipſos exerceant, non repugnat ſacris Regulis, quin aliqua munia in cer-

certis caſibus poſſint aliis demandare. Unde nonnulli obti-
nentes Parochiales Eccleſias Archipresbyteratus, & Præ-
4 poſituras nuncupatas, etſi in eis reſiderent, cùm tamen
eſſent plerique ex eis Portionarii, & litteris humanioribus
præditi, obtinuerunt ab Ordinario, ut reſidentes in Paro-
chialibus, curam animarum non per ſe, ſed per ſubſtitutos
exercerent, ſatis eſſe aſſerentes, ſi ſubſtitutis exercentibus
curam adſint, & præſint. Unde, excepta Miſſa, cætera
omnia ſacramenta, & munia ſubſtitutis exercenda permit-
tebant. Quæſitum fuit, an id ipſis, præcipuè ex licentia, li-
ceret. S. Congregatio cenſuit cogendos eſſe hujuſmodi Re-
ctores ad ſubeundum per ſeipſos, & non per ſubſtitutos om-
5 nia munia, ad quę Parochi tenentur; tolerandos autem ut
per ſubſtitutos ſuppleant in illis tantùm caſibus, in quibus
expreſſis verbis Canonum, decretorumve Concilii permiſ-
ſum eſt Parochis, ut per Vicarios coadjutores, vel ſubſti-
tutos poſſint officio ſuo fungi, quales ſunt *ſeſſ. 5. cap. 2. verſ.*
Archipresbyteri ſeſſ. 6. cap. 2. in fin. ſeſſ. 21. c. 4. in princ. ſeſſ. 22.
de Sacrif. Miſſæ cap. 8. in fin. ſeſſ. 23. cap. 1. verſ. Eadem omni-
nò, cap 1. de reform. matr. ſeſſ. 24. verſ. Qui aliter, & verſ.
Prætereà eadem, & eadem ſeſſ. cap. 4.
6 Extenditur primò ſupradicta regula, ut habeat locum, et-
iamſi fructus Parochialis ſint valdè tenues, puta viginti ſo-
lidorum: nam nihilominus Parochus tenetur perſonaliter
reſidere, ac per ſeipſum deſervire, *cap. Conquerente ſuprà*
7 *de Cleric. non reſid.* & notat Hoſt. *in cap. fin. n. 5. eod. tit.* Im-
putandum enim eſt ei, qui beneficium tenue acceptavit, ut
8 dicit Abb. *in cap. Conquerente n. 6.* Quinimò hoc vendicat
ſibi locum, etiamſi Parochialis nullos habeat fructus. Un-
de propoſito dubio in Sac. Congregatione Concilii, an ex-
cuſetur quis à reſidentia, quia fructus omnes Eccleſiæ re-
ſervati reperiuntur, & nihil remanet pro Rectore, vel quia
Eccleſiam Parochialem parùm à civitate diſtantem obti-
net, vel quia operam litteris dat in eadem civitate, ita tamen
ut ſingulis diebus Dominicis ſit in Eccleſia, vel ob aeris in-
temperiem, vel quia locus in quo manſurus eſt Parochus,
9 neceſſe habeat ejus opera pro Magiſtro Grammaticæ: Reſ-
ponſum eſt in nullo ex his caſibus excuſari. Subveniendum
eſt tamen inopiæ Parochi ordinario, vel extraordinario
auxilio, *cap. Licèt infrà de cenſib. cap. Unio 10. q. 3. l. 1. Cod.*
nova vectigal. l. His quoque, C. de alluvion. & not. Hoſtien.
in d. c. Conquerente n. 1. in ver. Vitæ neceſſaria. Et hodie eſt
expreſſum in Decreto Concilii Tridentini *c. 13. verſ. In Pa-*
rochialibus, ſeſſ. 24. ut fuſiùs dixi ſuprà in principio Capitu-
li *num. 13.*
10 Hinc cùm Canonici Collegiatæ Eccleſiæ, qui Canonica-
tus, & Parochiales tenuis redditus obtinebant, peterent di-
ctæ tenuitati provideri per uniones, & interim non com-
pelli ad reſidendum in Parochialibus, prout compellleban-
tur in vim Bullæ Pii V. & Concilii Provincialis Mediolan.
Sac. Congregatio cenſuit non poſſe ſuſpendi Bullam Pii V.
& Decretum Synodi Provincialis, ſed ſcribendum ad Epi-
ſcopum, ut unionibus provideat.
11 Extenditur ſecundò eadem regula, ut habeat locum,
etiamſi numerus animarum ſit valdè exiguus.
Unde S. Congregatio conſulta, an Parochus teneatur
reſidere, etiamſi eſſent in illa Parochia tres tantùm, vel
quatuor incolæ? Reſpondit teneri.
12 Extenditur tertiò, ut nec ſufficiat Parochum ubilibet re-
ſidere infrà limites Parochiæ, ſed oporteat eum habitare
in ædibus Parochialibus, ut ſæpiùs fuit reſolutum.
Et in ſpecie cùm multi Rectores Parochialium Eccleſia-
rum in Diœceſi Eboren. tametſi proprias ædes Parochiales
haberent, vel ſaltem percommodè poſſent alias conduce-
re intra limites Parochiæ, tamen aut extra Parochiam,
aut extra prædictas ædes inhabitarent, & Epiſcopus quæ-
ſiviſſet quid agendum? Sacra Congregatio cenſuit Paro-
chos teneri habitare in domo Eccleſiæ Parochialis, ac ſi
domum non habeant, debere aliquam conducere, ſaltem
intra limites Parochiæ.
13 Et rurſus petente Præpoſito Piſcen. declarari, an poſſet
compellere Parochos ad habitandum ædes conjunctas Ec-
cleſiis Parochialibus? S. Congregatio cenſuit poſſe com-
pellere. Si tamen aliquis caſus occurrat, qui rationibus ſpe-
cialibus innitatur, reſcribendum ad S. Congregationem.
Unde Vincentio Taurellio poſtulante ſibi concedi, ut poſ-
ſet habitare in domibus paternis, eò quòd in domibus Ec-
cleſiæ Parochialis ſatis commodè, cùm ſenex eſſet, habitare
non poſſet, præſertim cum Eccleſia eſſet vicinia domi-
bus paternis, & in Eccleſia etiam coadjutorem ſuſten-
taret: cenſuit ſcribendum Epiſcopo, ſi vera ſunt narra-
ta, permittendum oratorem manere in domibus pa-
ternis, dum tamen & ipſe curam animarum exerceat, ut
debet.
Cæterùm cùm fuerit quæſitum à Parocho Ravennaten. 14
an Parochialem Eccleſiam intra civitatem obtinens, & in
ædibus Eccleſiæ, ſeu intra limites Parochiæ die, noctu-
que non reſidens, eidem tamen Eccleſiæ in divinis inſer-
viens, teneatur tanquam non reſidens ad fructuum reſti-
tutionem: Reſponſum non teneri, ſed cogendum in po- 15
ſterum reſidere in domo Eccleſiæ, vel ſi non habet, in
propinquiore intra limites Parochiæ.
Et iterùm orta dubitatione, an Rector Parochialis Ec- 16
cleſiæ habens domos Parochiales ſatisfaciat reſidentiæ ha-
bitando in domibus propriis ipſius Rectoris, intra tamen
Parochiæ limites conſtitutis, itaut aliàs non faciat fructus
ſuos, ſed teneatur ad reſtitutionem perceptorum: Reſpon-
ſum eſt teneri habitare in ædibus Parochialis Eccleſiæ, non
tamen amiſiſſe fructus, ſi intra Parochiæ fines reſedit, ni-
ſi ab Epiſcopo fuerit juſſus in ædibus Parochialibus reſide-
re: quo caſu ſi id non præſtitit, mulctari poteſt ab Epiſco-
po, 6. Aprilis 1606.
Verùm cùm Parochialis ſancti Pauli Caſtri Majoli Fere- 17
tranæ Diœceſis ſita extra, & propè dictum Caſtrum, &
triginta quatuor familias ſub ſe habens, domo, & habita-
tione careret, nec ex ejus fructibus, qui vix ad quadragin-
ta aureos aſcendunt, domus pro Rectore ædificari poſſet,
nec ulla alia infrà limites Parochiæ in promptu eſſet, quæ
ab eo conduceretur, ac proptereà idem petiiſſet, ut ſibi li-
ceret habitare in alia parte Caſtri, quæ eſt intra limites al-
terius Parochialis, in qua ſperabat ſe domum conducere
poſſe: Die 16. Junii 1607. Sac. Congregatio cenſuit, ſecun-
dùm ea, quæ proponuntur, Epiſcopum ſuo arbitrio poſſe
permittere, ut Rector, qui neque ex fructibus ædes in Pa-
rochiali conſtruere, nec alias intra ſuæ Parochię fines con-
ducere poteſt, inhabitet domum in altera Parochia vicinio-
ri ejuſdem Caſtri ſitam; atque ita in ſua Parochiali anima-
rum curam gerat, fructuſque ſuos faciat, perindè ac ſi in
Parochiali habitaret; idque donec alia ratio, qua reſiden-
tiæ adamuſſim ſatisfiat, poſſit iniri.
Similiter Michael Angelus Rector duarum Parochialium 18
unitarum in territorio Caſtri Delci ejuſdem Feretranę Diœ-
ceſis petiit declarari poſſe ſe in dicto Caſtro reſidere, quod
per ſpatium tertiæ partis ſtadii à finibus Parochiæ diſtat.
Primò, quia aliam domum non habet, præter illam, quam
ibi ad hunc effectum olim Parochiani ædificarunt, quamve
ab immemorabili tempore alii Rectores omnes inhabita-
runt. Deindè quia his, quæ ad curam ſpectant animarum,
promptiùs poteſt ibi preſsò eſſe, quàm intra fines Parochię;
defluit enim inter utramque Eccleſiam flumen, quod media
ſaltem anni parte vadari non poteſt, itaut neceſſe ſit per
pontem tranſire, qui pęnes dictum Caſtrum conſtructus eſt.
Ac demum quia idem Caſtrum nec januis, nec mœniis
cingitur, & Rector quandocumque liberè exire poteſt.
Die 15. Septembris 1607. S. Congregatio Concilii cenſuit
Rectorem, qui hactenus in dicta domo in Caſtro ex ædifi-
cata permittentibus Epiſcopis permanſit, fructus feciſſe
ſuos. Imò etiam deinceps poſſe Epiſcopum, ſi ita Paro- 19
chianis ambarum Parochiarum unitarum conſultum eſſe
pro ſuo arbitrio exiſtimaverit, permittere, ut ibidem ma-
nere pergat, dum tamen domunculam propè illam ex dua-
bus Eccleſiis unitus, cui hyberno, vel alio tempore ob plu-
viam, & itineris difficultatem præſtò eſſe non poteſt,
quamprimùm ædificet, in eaque aliqua parte anni eju-
ſdem Epiſcopi arbitrio, quod ex neceſſitate Parochiano-
rum, & temporum qualitate pro ſua prudentia moderabi-
tur, alat Presbyterum, qui in dicta Eccleſia celebret,
illiſque Sacramenta adminiſtret, & alia munia obeat Pa-
rochialia.
Nec eſt omittendum ex ſententia Sacr. Congregationis 20
idem remedium, quod ex Decreto Concilii *cap. 13. ſeſſ. 24.*
competit pro augendis redditibus exiguis Parochialium
Eccleſiarum per Parochianorum ſymbola, vel collectas,
competere etiam pro ędificatione domus Parochialis. Un-
de in caſu contingenti reſpondit Epiſcopum debere offi-
cium ſuum ad ſacrorum Canonum præſcriptum impertiri
Parocho petenti, ut Parochiani compellerentur ad contri-
buendum pro ędibus intra Parochiam ędificandis, cùm ipſe
co-

cogeretur habitare domum ruſtici cultoris terrarum Parochialium, & Eccleſiæ redditus non excederent ſummam ſcutorum quinquaginta.

21 Extenditur quartò prædicta regula, ut locum ſibi vendicet etiam in Eccleſiis baptiſmalibus; nam propoſito dubio, an obtinens Eccleſiam baptiſmalem Plebaniam nuncupatam, teneatur ad reſidentiam; & an poſſit cum ea retinere beneficium Curatum; S. Congregatio, licèt hujuſmodi Eccleſia non ſit Parochialis, neque Curata ex Doctrina Pauli Zabar. Vital. Gonzal. Gomez. tamen quia agitur de actu principali ad ſalutem animæ, & fons ibi ſtat erectus, & paratus ad baptizandum quibus tenetur, & in mini-
22 ſtrando hæc Sacramenta videtur electa induſtria perſonæ, & inter ſigna cognoſcendi Curatum præcipuè Cancellaria attendit ſi in ea adſit fons baptiſmalis: ideò cenſuit teneri ad reſidentiam, nec poſſe oratorem hujuſmodi Eccleſiam retinere unà cum Canonicatu, vel Parochiali. Et aliàs conſulta, an obtinens Eccleſiam baptiſmalem, cui incumbit ſola cura baptizandi omnes infantes oppidi exiſtentes ſub cura Archipresbyteri, teneatur ad reſidentiam, præſuppoſito quòd in Eccleſia Archipresbyteri, præter baptiſmum, alia Sacramenta miniſtrentur: Die 20. Maji 1587. itidem cenſuit teneri.

23 Ac demum propoſitis dubiis, cujus ætatis, & quibus Ordinibus initiatus eſſe debeat obtinens, vel retinens Eccleſiam Plebaniam nuncupatam baptiſmalem tantùm, an perſonaliter reſidere, & an per ſeipſum baptizare teneatur, & an poſſit ab his excuſare ſe, ac defendere conſuetudine quadam, vel abuſu non reſidendi, ſed baptizandi per ſubſtitutum, attenta præſertim Conſtitutione Synodali infraſcripta, quæ dat regulam recipiendi, & præbendi Sacramentum baptiſmi, in hæc verba, *Inveſtigent, an baptizandus de ſuo Plebatu ſit, ad eoſque pertineat illum baptizare; quòd ſi alieni comperient eſſe Plebatus, ad proprium jubeant deferri Plebanum, nulloque pacto eum baptizare præſumant, niſi vitæ periculum immineat, aut proprii Plebani licentia intercedat; privilegio tamen Eccleſiæ Cathedrali à jure communi conceſſo, ut in ea Diœceſani baptizari poſſint, in ſuo robore perſiſtente*: Sacra Congregatio cenſuit, ſi pueri baptizandi ad illam Plebaniam neceſſariò deferantur, eam obtinentem debere tempore collationis attingere vigeſimum quintum annum, & infra annum ad Sacerdotium promoveri, perſonaliterque reſidere, & per ſeipſum, ubi legitimè impeditus non fuerit, baptizare.

Sed cùm quælibet Plebania habeat ſub ſe aliquot certas Parochiales, in quibus Sacramentum baptiſmi non adminiſtratur, & adhuc fuerit quæſitum pro clariori intellectu Decreti, an pueri tam ipſius Plebis, quàm ipſarum Parochialium Parochiani dicantur neceſſariò pro baptiſmo deferendi ad dictam Plebaniam, attenta præſertim dicta Conſtitutione; licèt aliquando aliò propter majorem commoditatem arbitrio parentum deferri contingat: Reſponſum eſt hujuſmodi pueros, ſecundùm ea quæ proponuntur, neceſſariò deferri ad Plebaniam hujuſmodi, ac propterà in ea locum habere ſuperiùs conſcriptam deciſionem.

Secundò nota in ver. *Niſi*, limitationem ad regulam, de
24 qua ſupra in primo notabili, videlicet ut non procedat in obtinenti Parochialem annexam Dignitati, vel Præbendæ, quia non tenetur in Parochiali reſidere, ſed in majori, & Parochiali deſervire debet per Vicarium perpetuum: quod expreſſius habetur *in cap. Super eo, infrà eod. tit. lib. 6.* Unde
25 infert Abb. hìc *in 4. notab. num. 5.* ut non ſolùm Dignitas, ſed etiam præbenda ratione Eccleſiæ, in qua ſita eſt, cenſeatur major Parochiali. Et ob hanc rationem putat beneficiatum teneri deſervire in præbenda, tamquam in majori per ſeipſum, & in Parochiali per Vicarium. Pro quo facit littera ibi, *In majori Eccleſia*. Certum eſt enim obtinen-
26 tem ex diſpenſatione duo beneficia, teneri in digniori reſidere, & alteri per Vicarium deſervire, ut ſentiunt hìc DD. per hoc limitantes gloſſam notabilem *in cap. Non poteſt, in verb. Retinere, infrà eod. lib. 6.* quæ dicit habentem duo beneficia incompatibilia ex diſpenſatione, poſſe reſidere in quo maluerit, vel nunc in uno, & nunc in altero: debet enim illa gloſſa ſecundùm Abb. reſtringi ad caſum, quando beneficia ſunt æqualia; ſecus ſi unum ſit dignius altero, ſicut præbenda eſt dignior Parochiali. Sed certè ſi
27 hoc verum eſſet obtinens ex diſpenſatione præbendam, & Parochialem Eccleſiam, teneretur reſidere in præbenda tanquam in digniori. Quod tamen eſt falſum, ut patet in Conſtitutione Pii V. quæ incipit, *Cupientes*, edicta octavo idus Julii 1568. ubi ſtatuitur, ut obtinentes ex diſpenſatione Parochialem, & Canonicatum, vel Dignitatem, etiam majorem poſt Pontificalem, in quibuſvis Patriarchalibus, aut Metropolitanis, vel Cathedralibus, ſeu Collegiatis Eccleſiis, teneantur, & obligati ſint ad reſidendum in Eccleſia Parochiali, & ibi in divinis deſerviendum; ad idque per locorum Ordinarios cogi, & compelli poſſint, ac debeant. Et præmittitur ratio illa, cùm prima, & præcipua debeat eſſe cura animarum. Quæ ratio expreſſius habetur in alia Conſtitutione ejuſdem Pii V. de qua infrà *n.* 35. ubi in principio ſic legitur; *Quantum animarum cura cæteras omnes ſuperat, & excellit; tantò nos impenſius providere neceſſe eſt, ut id officii genus omni ubique adhibita induſtria excolatur.* Ad hoc *cap. Cùm ſit ars ſuprà de ætat. & qualit.* Atque ita quod ſpectat ad rem præſentem, dignior habetur Parochialis Eccleſia quocumque alio beneficio non curato. Et meritò: Nam perſonalis reſidentia in Parochialibus innititur 28
jure divino, ut in decreto Concilii Trident. *cap. 1. ſeſſ. 23.* & dictum eſt ſuprà *in 1. notab.* In aliis verò beneficiis inducta eſt ex conſtitutione Eccleſiæ, ita ut propterea valeat conſuetudo in eis non reſidendi, & fructus in abſentia percipiendi, ut eſt text. *in cap. Cùm omnes*, & ibi dixi *n. 18. ſup. de Conſtit.* cùm tamen conſuetudo non reſidendi in benefi- 29
ciis Curatis ſit corruptela, ut dicitur *d. c. 1.* Vera igitur ratio, cur obtinens Parochialem annexam præbendæ non teneatur reſidere in præbenda, non eſt quòd præbenda ſit dignior, ſi ſeorſim à Parochiali conſideretur, ut putavit Abb. ſed quia beneficium acceſſoriè, & perpetuò annexum amittit nomen beneficii, & induit naturam beneficii, cui eſt unitum, & efficitur illius prædium, ut colligitur ex textu *in cap. Recolentes in fin. infrà de ſtatu Monachor.* Oldrad. *conſ. 257. Factum tale eſt n. 15. verſ. Fundata igitur*, & dixit Rota *deciſ. 370. aliàs 11. de rebus Eccleſ. non alien. in antiq* & apud Card. Seraph. *deciſ. 1078. nu. 6 DD. in c. Dudum, il ſecondo de elect.* & ibi dixi *n. 31. & in cap. Licèt nu. 68. infrà eod.* Et hoc reſpectu in hac Decretali Dignitas, vel Præbenda dicitur major Parochiali. Fateor tamen verum eſſe quod dicit Abb. videlicet obtinentem ex diſpenſatione 30
duo incompatibilia, ita demum poſſe reſidere in quo maluerit, ſi ſint æqualia. Et ita eſſe limitandam gloſſam *in d. c. Non poteſt*. Secus ſi unum ſit dignius altero, putà Dignitas Curata cum ſimplici Parochiali, quia tenetur reſidere in Dignitate tanquam in digniori.

Unde orta controverſia, an obtinens ex diſpenſatione Apoſtolica duas Parochiales unitas, in quibus non reſideat, nec unquam reſederit, & Præpoſituram Collegiatam, cui annexa eſt cura animarum, & in qua hactenus reſederit, poſſit dictis Parochialibus, ſeu earum fructibus privari, præcipuè cùm Ordinarius per edicta omnes monuerit ad reſidendum in ſuis Parochialibus Eccleſiis ſub pœna privationis: S. Congregatio cenſuit non poſſe privari, ſi exercitium Curæ præpoſituræ incumbit perſonæ ipſius Præpoſiti; ipſeque eam exercuit, & exercet. Quinimò ſi nollet reſidere in Præpoſitura, eſſe cogendum, cùm ea ſit dignior, & quis teneatur reſidere in digniori ex beneficiis pluribus, quæ obtinere poteſt.

Similiter ſi duo beneficia ſint æquè principaliter unita, 31
Beneficiatus tenetur reſidere in digniori; ac ſi per omnia æqualia ſint, in quo maluerit.

Unde cùm Andreas Abulen. declarari petiiſſet, an cùm ipſe obtineret duas Parochiales ad invicem unitas, liceret ſibi in utra mallet reſidere; Reſponſum eſt: Si iſtæ Parochiales ſunt ad invicem æquè principaliter unitæ, ita ut altera non dicatur annexa acceſſoriè, & æquales ſint, ita ut neutra ipſarum habeat titulum Dignitatis, poſſe Rectorem eligere in utra earum reſidentiam.

Verùm hoc procedit, ut prædixi, ſi per omnia ſint æqua- 32
les; aliàs ſecùs. Ideòque ſuborto dubio, ſi duo Eccleſiæ fuerint unitæ, in qua ſit reſidendum; Reſponſum eſt eſſe reſidendum in digniori. Quòd ſi non conſtet, quæ ſit dignior, in frequentiori. Quòd ſi una fuerit extra, & altera intra urbem, eſſe reſidendum in ea, quæ eſt intra.

Hec, ut vides, procedunt in Parochialibus non unitis, vel in unitis æquè principaliter. At verò cùm Parochialis ſubjectivè, & acceſſoriè annexa eſt præbendæ; tunc reſidendum eſt in præbenda, quæ propter unionem ſubjectivam dicitur major, & Eccleſiæ annexæ deſerviendum eſt per Vicarium perpetuum. Et ita intelligitur textus, quia

per

per unionem acceſſoriam extinguitur titulus Parochialitatis, & Parochialis efficitur membrum beneficii, cui eſt annexa, ut prædixi, & idemmet Abbas fatetur. Quod adeo verum eſt, etiamſi Parochialis Eccleſia ſit acceſſoriè, & perpetuò unita beneficio ſimplici, nihilominùs beneficiatus non ſit obſtrictus ad reſidendum in Parochiali, ut fuſiùs patebit in quæſt. ſeq. præſertim *n.39*.

33 Dixi *perpetuò*, quia unio ad vitam non eximit à reſidentia. Unde cùm fuerit dubitatum, an in Parochiali Eccleſia unita præbendæ in Cathedrali ad vitam præbendati poſſit inſtitui Vicarius perpetuus; & poſito quod non, an præbendatus teneatur ſe promoveri facere ad ordinem Presbyteratus, vel ſatisfactum ſit Canoni deputando Vicarium ad vitam præbendati. S.Congreg. cenſuit Parohiales unitas Canonicatui ad vitam non liberare obtinentes, quin teneantur ſe promoveri facere, & reſidere in eis.

34 Quid in Parochialibus unitis olim Canonicatibus Cathedralium Eccleſiarum poſteà deſtructarum?

Contigit hic caſus in Regno Sardiniæ, in quo ſunt tres Archiepiſcopatus, & quatuor Epiſcopatus, & cuilibet eorum unitæ ſunt duæ, vel tres Eccleſiæ Cathedrales deſtructæ, in quibus nulla eſt reſidentia Canonicorum. Et cùm olim his Canonicatibus intra Cathedrales prædictas, antequam deſtruerentur, plures Eccleſiæ Curatæ unitæ fuiſſent, poſteà abuſus invaluit, ut appellarentur Canonicatus; & hoc prætextu plures à multis obtinebantur, & in nulla reſidendo fructus lucrabantur omnium, conſtitutis tantùm in pagis Eccleſiarum Vicarii, qui nomine illorum Sacramenta miniſtrarent: & cùm Epiſcopi dicti Regni S.Congreg. pro opportuno remedio conſuluiſſent: S.Congr. cenſuit cogendos obtinentes has Eccleſias Parochiales in eis reſidere, ſi modò non ſint ſuppreſſæ, donec Cathedrales deſtructæ reficiantur, vel Eccleſiæs conſiſtentes, quibus unitæ ſunt deſtructæ, non indigeant reſidentia Canonicorum. Secundum quam ſententiam S. Pius V. edidit Bullam, quòd obtinentes Dignitates, & Canonicatus in Eccleſiis deſtructis, nullum habere locum in eis contenderent, ſed ſinguli in ſingulis Parochialibus reſiderent.

35 Porrò edita per S.Pium V. Bulla qua cavebatur obtinentes in Inſula Sardinia parochiales annexas Canonicatibus Cathedralium deſtructarum, teneri in Parochialibus reſidere; Archipresbyter, & Canonici Civitatis Caſtren. ſub prætextu, quòd eorum Cathedrali Eccleſia adhuc intacta maneret, & æquè principaliter unita Eccleſia Algaren. haberet Capitulum, ac nomen, & Dignitatem Epiſcopalem, obtinuerunt à S. Pio V. Motum proprium, in quo expreſsè diſponitur Archipresbyterum, Canonicos, Capitulum in eorum Antiquo ſtatu, nomine, & dignitate perpetuò relinqui. Verùm Epiſcopus Algaren. adiit Sanctiſs. narrando Motum proprium prędictum reducendum eſſe ad terminos Bullæ priùs editæ, quia ex unione, quam exhibuit, conſtabat Canonicatus Eccleſiæ Caſtren. cum ſuis præbendis fuiſſe translatos ad Eccleſiam Algaren. Et ideò non poſſe diffugere eos Canonicos reſidentiam in dicta Eccleſia, prout faciunt, nullibi reſidentes; præſertim quia ſi Canonicatus Eccleſiæ Caſtren. non extinguuntur, Parochiales illis annexæ debita reſidentia defraudantur. Sanctiſſimum negotium hoc totum Congregationi Concilii decidendum commiſit, quæ cenſuit illum ſecundum Motum proprium S. Pii V. obtentum ab Archipresbytero, & Canonicis Caſtren. reducendum eſſe ad terminos juris, & primæ illius Conſtitutionis S.Pii V. & ita juſſit Sanctiſſimus obſervari, Conſtitutio hac de re edita fuit Calendis Octobr. anno 1568. Et incipit, *Quantum animarum cura*. Et habetur in Bullar. *tom.2. pag.271*.

36 QUÆRO de quæſtione facti. Raphael Miralles Hiſpanus habet in Diœceſi Illerden. duas Parochiales Eccleſias quarum altera ſub titulo S. Salvatoris de Almenara ruralis eſt, carens populo, & incolis à ducentis annis, & ultrà, ita ut in præſentia ſit ſolo habitu Curata: altera verò ſub titulo S.Mariæ de Balda immemorabili tempore acceſſoriè, ac perpetuò unita eſt dictæ Parochiali Curiali S.Salvatoris. In neutra harum Eccleſiarum reſederunt unquam Rectores ſupra hominum memoriam; ſed tantùm conſuevit præfici Vicarium amovibilis in Eccleſia unita, juxta decretum Conc.Trid. *c.7. ſeſſ.7*.

Conſuluit idem Raphael S.Congr. Concilii, utrum dictæ Parochiales habeant onus reſidentiæ, & an ſint cum alia parochiali incompatibiles.

Et quidem quoad Eccleſiam S. Mariæ, res videtur carere omni difficultate, quia cùm, ut proponitur, non æquè principaliter, ſed acceſſoriè unita ſit Parochiali S.Salvatoris; ſuppreſſo ejus titulo per hujuſmodi unionem ſubjectivam, effecta eſt veluti prædium Eccleſiæ, cui eſt unita, ut dictum eſt ſupra *n.29.* ideòque nec reſidentiam requirit, ut 37
hic patet in *verſ. Niſi*, nec eſt ex hoc capite incompatibilis cum alia Parochiali, ſic probat text. apertus in *c. Super eo, de præb. in 6.* ubi ſtatuitur nullam requiri diſpenſationem, ut quis poſſit habere perſonatum cum cura, & præbendam, cui ſit annexa Eccleſia parochialis, atque ita ibi notant gl *in verb. Non obviet*, Jo. Andr. *in ſumm. illius text.* Archid. & Franchus *propè fin. in ver. Obviet*, Gemin. *n.4.* Jo. Mon. & Probus *n.1. & ſeq.* Atque ita obſervatur in praxi, ut teſtatur illic Gemin. & Lap. *alleg.36. verſ. Abſque diſpenſatione, propè fin.*

Rationem aſſignat hìc Innoc. *n.1. verb. Præbenda*. Quia 38
inquit, cùm cauſa prohibitionis habendi plures Parochiales ſit, quia non poteſt apud utrumque reſidere, & per ſe curam agere, *c. Quia nonnulli, & c. Relatum ſupra de Cler. non reſid.* & cauſa ceſſet in Parochiali annexa, quia reſidere non tenetur, ut hìc; item cùm prohibitio de jure communi ceſſet in præbenda, hinc apparet, quòd conſtitutio *De multa*, locum non habet. Ita Innoc. cum quo reliqui tranſeunt.

Qua in re non eſt opus prolixiori diſputatione, quia jam 39
S.Congr. cenſuit obtinentem duas Parochiales non teneri alteram dimittere, ſi una ex his unita ſit dignitati, vel beneficio ſimplici perpetuò, & acceſſoriè, quia per talem unionem parochialis deſinit eſſe parochialis, & aſſumit naturam beneficii ſimplicis, vel dignitatis, cui annexa eſt. Hinc etiam reſponſum eſt in parochialialibus perpetuò, & acceſſoriè unitis non requiri formam examinis per concurſum à Conc. Trident. præſcriptam *in c.19 ſeſſ.24.* Et in ſpecie cùm dubitatum fuerit, an in collatione Dignitatis nuncupatæ Abbatia De la Seji, cui unita erat Parochialis Eccleſia de Valera, requireretur examen per concurſum: Sac.Congreg. cenſuit non requiri, dummodò hæc unio authoritate Sedis Apoſtolicæ, ac perpetuò, & acceſſoriè facta ſit.

Quò verò ad Eccleſiam S.Salvatoris, cùm immemorabi- 40
lis conſuetudo non reſidendi in Curatis corruptela ſit ſublata à Conc. Trident. *c.1. ſeſſ.23.* difficultas reſtringitur ad hoc, an ex eo quòd ſit habitu Curata, & non actu, re- 41
guletur uti beneficium ſimplex, an verò retineat primævam naturam parochialis quoad reſidentiam, & incompatibilitatem.

Et quidem Eccleſiam habitu tantùm curatam requirere reſidentiam, & eſſe incompatibilem cum alia parochiali tenuerunt multi ex gravioribus antiquis, videlicet in *c. De multa, ſupra eod.* Innoc. *in princip. verſ. Item non eſt jus*, Abb. Antiq. *n.2.* Jo. Andr. poſt Cald. Petr. & Florian. *num.3. in verb. Parochiales*, ubi reſidet cum opinione Innoc. & Abb. Anchar. *n.1. & 2.* Jo. de Imol. *ſub n.33. verſ. Jo. Andr.* & in *c. Licèt Canon de elect. in 6.* Archid. *col.1. verſ. Et quod hic dicitur*, ubi fusè hanc ſententiam tuetur, Gemin. *ſub n.6. col.3. verſ. Tertio caſu*, Guil. Duran. *n.17. in verb. De parochialibus*, Lap. *num.2.* Jo. Andr. poſt Jo. de Lignan. *ſub n.6. in verb. Parochianos*, Petr. de Anchar *ſub num.5. verſ. Quærit gloſſa*, Zabar. *conſ.48. n.2. verſ. Intelligo ergo*, Gomez. *in reg. de Idiomate, q.11. ſub n.5. verſ. Et hoc quod de cura*, Silv. *in verb. Beneficium*, §.4. *num.7. verſ. ſecundum Hoſt.* Sed ibi neutram firmat Card. in Clem. *1. q.21. ſub nu. 20. de off. Vicar.* & in Clem. *In pleriſque ſub n.4. verſ. Quoad ultimum de elect.* Barb. inter conſ. Alex *conſ.74. Viſo puncto, ver. Et quod talis Eccleſia lib.4.* Alex. *conſ.75. n.33. ver. Nec in hoc habet obſtare, lib.4.* & ad hanc partem multa induxi *in c. De multa, n. 34. ſupra eod.*

Contrariam verò opinionem, pro qua videtur text. ex- 42
preſſus *in c. Paſtoralis, 7. q.1.* ſecuti ſunt gloſ. *in d. c. Licet Canon, in verb. Parochialis*, Butr. *n.13. ibid.* Hoſt. *in cap. Quia nonnulli, n.5. ver. Quid ſi omnes parochiani, de Cler. non reſid.* Feder. de Sen. *conſ.80 Factum tale eſt, col.2. verſ. Item non obſtat*, Paul. in Clem. *1. de off. Vicar.* Roman. *conſ. 356. Circa primum, n.4.* Abb. *in d. c. de multa, propè fin.* Jo. de Selva *de benef. p.3. q.42.* Duen. *reg.71. verſ. Quarto fallit*, Steph. *de lit. grat. rubr. de qualit. & c. §. Circa ſecundùm, verſ. Dicitur ergo beneficium.*

Et hanc eſſe communem opinionem teſtantur Butr. *in*

dict.cap.Licet Canon, *num.9.* Felin. *in cap. Poſtulaſti*, *ſub num.1. col.2. verſ. Sic vero ipſa Eccleſia de reſcript.* Capra *reg.90. num.74. cum ſeq.* Rebuff. *tract. ai. de nomin. quæſt.16. num.23.*

Eandem ſequuntur recentiores ferè omnes, Alphonſ. Hojed. *de benefic. incomp. p.1. c.13. num.10. & ſeq.* ubi teſtatur de communi opinione, & obſervantia, Gonzales *ſuper regul.8. Cancell.gl 6. § fin. num.89. & 90.* Garz. *de benef. par.5. cap.3. num.15. & 122. & par.1. cap.6. num 4. & ſeqq.* Maſcard. *de prop. concluſ.189. num.5.* & probatur pluribus fundamentis, quæ adduxi *in c. De multa*, *num.38. uſque ad num.47. ſupra eod.*

43 In hoc opinionum conflictu, cùm tempore Cardinalis Alciati dubitaſſet Epiſcopus Septen. an Eccleſia habitu curata, ſeu parochialis, & non actu, eſſet incompatibilis cum Eccleſia Cathedrali, juxta decretum Trid. Conc. *ſeſſ. 24. de reform. c.17.* S. Congr. cenſuit, non eſſe; quia appellatione parochialis non venit iſta, quæ actu non eſt curata; & communis eſt DD. opinio, de qua teſtatur Felin. *in c. Poſtulaſti*, *n.9. de reſcr.* & Rebuff. *de non prom. infr.*

44 *an. n.34.* Tamen quia Cancellaria aliud ſenſit, fortè quia de die in diem poteſt fieri actu, ſi revertantur parochiani, & Sanctitas ſua alias viſa eſt idem ſentire. Ideò agendum cum Sanctiſſimo.

45 Sanctiſſimus declaravit ſecundùm ſententiam Cancellariæ, appellatione parochialis comprehendi etiam illam, quæ tantùm habitu ſit, quoniam in horas ſingulas poteſt fieri actu.

Deinceps verò Sacr. Congregatio ſecundùm Sanctiſſimi ſententiam reſpondit. Et in ſpecie cùm Canonicus Cathedralis Aprutin. proviſus de beneficio tunc curato habitu, ſed non actu, quod à 50. annis ejus Ordinarius declaravit diffinita ſententia beneficium ſimplex, & rurale, non curatum actu, nec habitu, conſuluiſſet S. Congreg. an hujuſmodi beneficium haberet onus reſidentiæ, & eſſet compatibile cum Canonicatu: S.Congregatio cenſuit ſcribendum ad Epiſcopum, parochialem, quamvis curatam habitu tantùm, ad reſidentiam obligare, & cum Canonicatu incompatibilem eſſe. Verùm cognitionem facti, ſcilicet an curata

46 verè habitu ſaltem exiſtat, necne, S. Congreg. relinquere Epiſcopo, qui proceſſu, ſententia, cæteriſque omnibus penſatis, conſcientiæ ſuæ, atque juſtitiæ hac in re ſatisfaciat.

47 Hujuſmodi tamen reſolutiones ad præſens revocantur in dubium, quia noviſſimè officialium Cancellariæ teſtimonio, & ſcripturis compertum eſt, verè ex ſtylo Cancellariæ parochialem habitu tantùm curatam conferri uti beneficium ſimplex, quemadmodum etiam colligitur ex libello, qui inſcribitur *Praxis Cancell. tit. Notabilia ſuper vacantibus, &c. verſ. curata Eccleſia fol.128.*

48 Inter has opiniones oppoſitas adeſt opinio quædam media, ut ſcilicet ita demùm parochialis habitu reguletur uti beneficium ſimplex, ſi non adſit ſpes proxima, ut habitus reducatur ad actum, per reverſionem parochianorum; aliàs verò ſi ſit veriſimile, ut brevi incolæ revertantur, reguletur ut parochialis actu. Ita in ſpecie diſtinguit Collect. *d.c De multa*, *n.6.* & quidam alii recentiores; & videtur ſentire Gemin. *in d.c. Licèt col.3. verſ. Tertio caſu*, & apertiùs ibi Bellam. *in 5. col. verſ. Primò quæritur*, & ſæpè deciſum fuit in Rota.

Et ſecundùm hanc ſententiam, qua opiniones conciliantur, videtur tutò poſſe reſponderi, quia ſtylus Cancellariæ, ſecundùm quem parochiales habitu tantùm conferuntur uti beneficia ſimplicia, quem ſecutus eſt Greg.XV. non videtur habere locum, niſi quando eſt veriſimile, ut de proximo revertantur animæ. Nam S.Congr. dixit Cancellariam aliud obſervare, quia parochialis habitu de die in diem poteſt fieri actu; & idem Gregorius hanc partem uti tutiorem probavit non ſimpliciter, quia ita eſſet ſtylus Cancellariæ, ſed quia, inquit, Eccleſia habitu curata in horas ſingulas poteſt fieri actu, ſi revertantur parochiani. Et ſic habuit rationem hujuſmodi potentiæ proximæ.

49 Neque huic ſententiæ obſtat, imò potiùs favet tex. *in cap. Paſtoralis*, *7. q.1.* Nam ibi civitas Liſſitana erat ab hoſtibus captivata, nec ſuberat ſpes propinqua liberationis; ideòque non mirum, ſi ibi ſtatuitur, ut ejuſdem civitatis Epiſcopus alteri Eccleſiæ præficiatur.

50 Accedit etiam, quòd Authores, qui ſentiunt Eccleſiam habitu curatam regulari uti beneficium ſimplex, moventur omnes ea potiſſimùm ratione, quia ceſſante cauſa incompatibilitatis, & reſidentiæ, eò quòd Eccleſia careat populo, & incolis, & ſic deſit materia, in qua Rector Eccleſiæ officium paſcendi exerceat, debet etiam ceſſare effectus; qua præcipuè ratione ita concludunt gl. Jo. Mon. But. Felin. atque alii omnes ſupra relati.

Hæc autem ratio non militat, ubi eſt ſpes proxima reverſionis animarum: nam juris interpretatione non videtur divertiſſe populus, qui ſtatim eſt reverſurus, *l. divortium*, *ff. de divort. & l. plerique*, *ff. de rit. nupt.* conferunt jura *in c. Conſtat 1.q.1. in c. Vides*, *23.q.6. in l. Si filius*, *ff. quod cum eo qui in alien. poſſ. & in l. Si pro patre*, *§. Verſum*, *ff. de in rem verſ.* Et regulariter eſt præſertim in favorabilibus, ut potentia proxima actui habeatur pro actu, *l. pen.* ubi gloſ. & Bald. *ff. de mil. teſtam.* idem Bald. *l.1. col.6. ſub n.24 verſ. Quid ſi filius*, *ff. ſol. matr.* Jaſ. qui plura ſimilia congerit *in l. Divortio*, *§. Interdum*, *n.15. ff. eod.* licèt in dubio ſufficiat, ut parochialis ſit curata habitu, ſecundùm Gemin. *in d. c. Licèt Canon col.3. propè fin. verſ. Aut ex verbis non apparet. de elect. in 6.* 51 52

Ex quibus omnibus videtur reſpondendum, parochialem habitu tantùm curatam minimè inducere incompatibilitatem, nec reſidentiam requirere, niſi ſubſit ſpes, ut brevi populus revertatur; quæ tamen non videtur ſubeſſe in caſu præſenti, cùm ſecundùm ea, quæ proponuntur, dicta parochialis ruralis ſit, ac ſine populo, & incolis ſupra ducentos annos. Et in hanc ſententiam S. Congregatio reſpondit.

Ulteriùs QUÆRO, an Rector Parochialis habitu ab Epiſcopo Seminario unitæ teneatur reſidere in novo Pago infra limites ipſius Parochialis conſtructo. 53

Pagus Cortuladi Militen. Diœceſis ob aeris intemperiem, ac facinoroſorum hominum injuriam deſertus, ac deſtructus fuit quadraginta circiter ab hinc annis, & illius incolæ ad diverſa alia loca commigrarunt, adeò ut Parochialis Eccleſia ejuſdem Pagi, quæ adhuc integra eſt, & in qua illius Rector miſſam quotidie celebrat, ad præſens non ſit ampliùs curata actu, ſed habitu tantùm: & in hoc utraque pars conſentit. Ab annis verò circiter quatuor extructus eſt novus pagus ſub eodem nomine Cortuladi, paulò minùs quatuor miliaribus diſtans à veteri pago deſtructo, ut deponunt teſtes. Cujus quidem novi pagi univerſitas prætendit Rectorem pagi veteris debere in novo pago reſidere, & in Eccleſia ibi ædificata adminiſtrare Eccleſiaſtica Sacramenta, hoc potiſſimùm fundamento, quia novus pagus conſtructus fuit infrà limites parochiæ, ideòque jus illud parochialitatis, quod quantum pertinet ad exercitium, per diſperſionem parochianorum extinctum fuerat, revixit per habitationem novorum parochianorum infra limites ejuſdem parochiæ, juxta text. *in c. Paſtoralis*, *7. q.1.* Quòd autem novus pagus ſitus ſit infra eoſdem limites, probat univerſitas per plures teſtes formaliter examinatos, qui tamen non reddunt ſufficientem rationem, nec benè intelligunt parochiæ fines. Quinimò alii teſtes coram Epiſcopo Nicoterenſi examinati juſſu S.Congr. Epiſcoporum, deponunt duas familias in individuo, quæ olim pagum veterem incolebant, ad novum demigraſſe: ſed revera non carent ſuſpicione falſitatis, & quidam illorum ſunt apertè falſi. 54

Epiſcopus Militenſis è converſo negat dictum Rectorem debere in novo pago reſidere, atque ibi adminiſtrare Sacramenta.

Et primò opponit unionem, quàm fecit de dicta parochiali habitu tantùm curata ſeminario Clericorum. Quam quidem unionem veluti factam ad præſcriptum Conc. *c.18. ſeſſ.23.* prætendit non debere diſſolvi ex eo, quòd habitus curæ fuerit redactus ad actum.

Deinde opponit novum pagum minimè fuiſſe ædificatum infra limites parochiæ veteris, ſed eſſe novum populum, & intra alios fines; ideòque Rectorem antiquæ Eccleſiæ non eſſe ullatenùs cogendum illic reſidere, aut Sacramenta adminiſtrare: petitque litteras remiſſoriales ad hoc probandum.

Certum eſt primò, unionem ab Epiſcopo factam eſſe nullam; jam enim ſæpiùs cenſuit S Congr. Conc. parochialem habitu tantùm curatam minimè poſſe uniri ſeminario ab Epiſcopo ex decreto *d.c.18.* Et quamvis quoad reſidentiam parochi S. Congregatio conſueverit diſtinguere, an ſubſit ſpes, ut parochiani revertantur, & habitus reducatur ad actum, an non, ita ut primo caſu Parochus teneatur 55 56

reſi-

reſidere in Parochiali habitu, non autem in ſecundo: & hoc modo conciliaverit diſſidentium Canoniſtarum opiniones in *c. De multa, de præb. & in cap. Licèt Canon, de elect. in 6.* tamen quoad uniones hanc diſtinctionem S. Congreg. non adhibuit. Ratio differentiæ eſt, quia per non reſidentiam non infertur Eccleſiæ aliquod gravamen irreparabile: nam cùm primùm Parochiani revertentur, Parochus poterit apud ſuam Eccleſiam reſidere, *d. c. Paſtoralis.*

57 At per unionem infertur gravamen, quod reparari non poteſt revertentibus Parochianis, quia unio ab initio valida, & effectum ſortita, poſteà ob futurum eventum ipſo jure non diſſolvitur, text. eſt in *c. Novit, ne Sede vac.* & tenet Rota *in antiq. dec.* 183. Caccialup. *in tract. de union. Eccleſ. c. 9. n. 3. & 4.* Petr. de Peruſ. *in tract. de revoc. union. c. 5.* Ideòque S. Congr. indiſtinctè reſpondit, nullam eſſe unionem Eccleſiæ habitu tantùm curatæ. Quamvis enim actus deſtruatur, quando devenit ad caſum, a quo inchoari non potuit, *l. Pluribus, §. Etſi placet, & l. Inter ſtipulantem, §. Sacram, ff. de verb. oblig.* hoc tamen non procedit, ſi actus ſit omninò perfectus, & conſummatus, *l. Patri furioſo, ff. de his qui ſunt ſui, vel alien. jur. & l. in ambiguis, la 1. §. Non eſt novum,* ubi ita declarat Dec. *ff. de regul. jur.* Card. Zabar. *conſ.* 105. *n. 6. verſ. Pro hoc.*

58 Præterea unio in dubio præſumitur facta contemplatione Eccleſiæ, cui fit unio, *c. Novit, ne Sede vac.* Petr. de Peruſ. *in tract. de union. Eccl. c. ult. n. 1.* Ideòque ex ſui natura perpetua eſt, ut patet in hac Decretali, *& d. c. Novit.* Petr. de Peruſ. *ubi ſupra.* Non igitur benè infertur de reſidentia temporali ad unionem perpetuam.

59 Accedit, quòd etſi unio ab initio fuiſſet valida; tamen ob reditum Parochianorum eſſet diſſolvenda, Petr. de Peruſ. *in eodem tract. de revoc. union. c. 1. n. 1.*

Deindè certum videtur, ſive novus pagus fuerit conſtructus infra limites Parochiæ antiquæ, ſive non; nihilominùs Rectorem non eſſe cogendum reſidere in novo pago, tenetur enim potiùs reſidere apud Eccleſiam antiquam, & in ædibus Parochialibus, ut aliàs cenſuit S. Congreg. quæ aliquando etiam Parochis indulſit ex rationabili cauſa, & ad tempus limitatum, ut poſſint domum paternam inhabitare infra limites Parochiæ exiſtentem, ut patet ex dictis ſupra *n. 12. & ſeq.* Quinimò Eccleſia Parochialis poteſt age- 60
re ad demolitionem Eccleſiæ, ſeu Capellæ infra Parochiæ limites conſtructæ, ut eſt textus *in cap. Coram de offic. delegat.*

Ad hoc autem, ut eſſet cogendus reſidere in novo pago, 61
non ſolùm probandum eſſet illum fuiſſe conſtructum intra fines Parochiæ veteris, ſed ampliùs Eccleſiam antiquam fuiſſe legitimè translatam ad Eccleſiam noviter ædificatam. Quo caſu omnia jura pertinentia ad Eccleſiam translatam, pertinerent ad Eccleſiam, in qua facta eſſet translatio, *c. Et hoc diximus 16. q. 7. c. Abbati in fin.* & ibi gl. *de verb. ſignif. gl. un. in c. Si quis vult 16. q. 7.* Jo. Andr. *in c. cùm perſonæ,* & ibi etiam Anch. *in 13. not. de privil. in 6.* Rota apud Cardin. Seraph. *dec.* 1149. *num.* 16. aliàs enim Rector non eſſet ſolutus obligatione reſidendi apud priorem Eccleſiam. Quod tamen nec factum eſt, nec allegatur factum fuiſſe. Ideòque non videtur concedenda Epiſcopo remiſſoria, quia 61
probatio conſtructionis infra, vel extra limites, quoad hoc nihil relevaret, *l. Ad probatione, C. de probat.* Seraph. *dec.* 1364. *n.* 2. Caputaq. *dec.* 66. *p.* 3.

DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.

Honorius III. Abbati, & Priori S. Genoveſæ.

CAPUT XXXII.

LIcèt vobis direxerimus ſcripta noſtra, ut magiſtro N. Eboracen. Archidiacono in ſacra pagina cupienti ſtudere, proventus ſuos Eccleſiaſticos faceretis integrè miniſtrari: Nolumus tamen, ut quotidianas diſtributiones, quæ tantùm reſidentibus in Eccleſiis, & his qui interſunt horis Canonicis, exhibentur, ei tribui faciatis.

SUMMARIUM.

1 *ABſens in ſtudio Theologiæ percipit fructus præbendæ, non autem diſtributiones quotidianas.*
2 *Diſpenſatus ſuper fructibus in abſentia percipiendis, quotidianas diſtributiones non percipit.*
3 *Fructuum appellatione non veniunt diſtributiones quotidianæ.*
4 *Niſi materia largè interpretanda ſuadeat.*
5 *Diſtributiones quotidianæ ſunt redditus caſuales, & incerti.*
6 *Dignitates obtinentes, licitè poſſunt ſtudiorum cauſa ab Eccleſia abeſſe.*
7 *Epiſcopus debet concedere Canonicis licentiam non reſidendi ad quinquennium ſtudiorum cauſa, ac ſi renuerit, cogi poteſt à ſuperiore.*
Declaratur, n. 73.
8 *Docentes, & ſtudentes tam in Theologia, quàm in Jure Canonico in publica univerſitate, gaudent privilegio de percipiendis fructibus in abſentia, & n. 129.*
9 *Etiamſi præbendæ ſitæ ſint in Cathedrali ejuſdem Civitatis.*
Et quid in docentibus in Eccleſia, n. 115.
10 *Indulta Apoſtolica de non reſidendo ſtudiorum cauſa non ſuffragantur, niſi accedat conſenſus Ordinarii loci, ubi beneficia conſiſtunt.*
11 *Cauſa legitima abſentiæ fingit quem haberi pro reſidente, non autem pro divinis intereſſente.*
12 *Specialia duo non debent concurrere circa idem.*
13 *Privilegium partim favorabile, & partim odioſum debet reſtringi, quatenùs præjudicat alteri, vel cultui divino.*
14 *Diſtributiones quotidianæ cur inſtitutæ.*
15 *Canonicatus, & beneficia obtinentes in Cathedralibus, vel Collegiatis Eccleſiis, an & quibus caſibus percipere poſſint in abſentia redditus beneficiorum ſuorum, & num. ſeqq. uſque in fin.*
16 *Fructus beneficiorum non debentur non reſidentibus, niſi in caſibus in jure expreſſis.*
17 *Fructus præbendæ, & diſtributiones quotidianæ in quibus differant.*
18 *Diſtributiones quotidianæ cenſentur, etiamſi dividantur in fine anni, dummodò diviſio fiat pro rata ſervitii, & abſentes nihil percipiant.*
19 *Seminario Clericorum non eſt contribuendum ex diſtributionibus quotidianis.*
20 *Intellectus Extravag.* Cùm nonnullæ, c. 1. de præb.
21 *Dignitates, Canonicatus, vel portiones obtinentes in Cathedralibus, vel Collegiatis, tenentur perſonaliter reſidere.*
22 *Canonici de jure communi in abſentia fructus præbendæ non percipiunt.*
Declaratur, n. 25.
23 *Reſidere quid ſit.*
24 *Beneficia ad divinum cultum, & Eccleſiaſtica munia obeunda ſunt conſtituta.*
25 *Canonici abſentes non ſunt ipſo jure privati fructibus præbendarum ſuarum, ſed privandi ad præſcriptum Conc. Trid.*
26 *Canonicus non reſidens hodie non poteſt privari titulo, niſi poſt lapſum trium annorum.*
27 *Nec eſt privandus diſtributionibus, in quibus univerſi redditus conſiſtunt, quia ſatis eſt illis privatus.*
28 *Diſtributiones, quas perdit abſens ultra tempus à Con-*

cilio permiſſum, non accreſcunt inſervientibus, ſi redditus omnes in diſtributionibus conſiſtant.

29 *Conſtitutio, qua abſentes ultra duos menſes privantur Capellaniis, quomodo ſit intelligenda.*

30 *Pœna amiſſionis fructuum ob non reſidentiam non habet locum in diſtributionibus, quas Canonicus inſerviens jam lucratus eſt.*

31 *Conſuetudo vacandi à ſervitio Chori ultra tres menſes ſublata eſt à Conc. Trid.*

32 *Etiamſi ſit immemorabilis in Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus,*

33 *Et quid in Collegiatis non inſignibus.*

34 *Statuta Eccleſiarum, quæ longius abſentiæ tempus indulgent, itidem ſublata ſunt à Conc.*

35 *Statutum, ut una, vel duabus horis intereſſentes lucrentur maſſam groſſam, ſive præbendam amiſſis diſtributionibus quotidianis, non valet.*

36 *Licentia, quam Capitula Cathedralium Hiſpaniæ ab immemorabili concedere conſueverunt, ut Canonici abeſſe poſſint, quoad Capitulum viſum fuerit, non excuſat eos à pœna Conc. Trid.*

37 *Licentia vacandi à ſervitio Eccleſiæ ultra tres menſes, nec Epiſcopus, nedum Capitulum concedere poteſt, etiam ex rationabilibus cauſis in jure non expreſſis.*

38 *Canonici abſentes in ſtudio Theologiæ non percipiebant fructus præbendæ ante c. Super ſpecula, de Magiſtr.*

39 *Canonici facultatem non habent diſtributiones, aut fructus abſentibus remittendi.*

40 *Dignitates obtinentes in Cathedrali ſine ullis fructibus tenentur reſidere non obſtante contraria conſuetudine.*

41 *Canonici abſentes à ſervitio Eccleſiæ puniendi ſunt, licèt ſint præſentes in civitate, ubi Eccleſia conſiſtit.*

42 *Canonici etſi ſuæ obligationi ſatisfaciant quoad ſervitium Chori, & Altaris, tamen non poſſunt tuta conſcientia ordinariè abeſſe à Capitulo.*

43 *Statutum, vel conſuetudo, qua mulctantur non intereſſentes Congr. Capitularibus, valent.*

44 *Canonicus an poſſit ſumere dies abſentiæ permiſſos in diebus Capituli, ſeu Congr. Capitularium.*

45 *Canonico abſenti pro defenſione jurium Eccleſiæ Parochialis, in qua eſt intitulatus, non debentur fructus ſui Canonicatus.*

46 *Aeris intemperies an excuſet Canonicos à reſidentia, & num. 57.*

47 *Indultum Capituli Caurien. vacandi quinque menſes ſingulis annis à ſervitio Eccleſiæ ob aeris intemperiem.*

48 *Canonicis ita demum tres menſes ſingulis annis abeſſe licet, ſi hoc habeat ſtatutum, vel conſuetudo Eccleſiæ.*

49 *Conſtitutiones, quæ longius ſervitii tempus requirunt, quàm novem menſium, præſervantur à Conc. Trid.*

50 *Canonici qui majori ſervitio Eccleſiæ, quàm novem menſium, ſunt adſtricti, ſi non reſederint, ſubjacent pœnis Conc. Trid.*

51 *Indultum vacandi tres menſes à ſervitio Eccleſiæ non conceditur Canonicis majori ſervitio adſtrictis.*

52 *Canonici ut abeſſe poſſint tres menſes à Concilio permiſſos, nec Epiſcopi, nec Capituli licentia, nec cauſa requiritur.*

53 *Et tunc abſentes pro negotiis privatis aliàs non ſunt mulctandi, quàm amiſſione quotidianarum diſtributionum, & n. 92.*

54 *Canonici non poſſunt à ſervitio Eccleſiæ abeſſe ultra tres menſes, ſive continuos, ſive interpollatos.*

55 *Nec omnes ſimul abeſſe poſſunt, ſed ea tantum quota pars, quæ videbitur arbitrio Epiſcopi, & Capituli.*

56 *Horæ cujuslibet diei non ſunt computandæ ad conficiendos tres menſes abſentiæ, ſed dies integri abſentiæ tantum.*

57 *Statutum, ut Canonici in uno ex novem menſibus reſidentiæ uni horæ quotidie interſint eſt contra Conc. Trid. non tamen prædicti incidunt in pœnam, quaſi abſint ultra tres menſes.*

58 *Fundationum privilegiis, quibus ultra tres menſes Canonicis abeſſe licet, an Conc. Trid. derogaverit.*

59 *Statuta à ſede Apoſtolica confirmata, ut Canonici abeſſe poſſint ultra tres menſes, an ſint ſublata à Conc. Tridentino.*

60 *Et quid de ſtatuto, ut Canonici ſemel in vita annum abeſſe poſſint, Hieruſalem proficiſcendi cauſa.*

61 *Et quid in ſtatutis confirmatis à Cardinale authoritate Apoſtolica.*

62 *Et quid in confirmatis à Papa in forma communi.*

63 *Canonici Regulares poſſunt cum licentia ſuorum ſuperiorum ex rationabili cauſa abeſſe per id tempus, quod ipſis permittitur.*

64 *Portionarii ſæculares in Collegiatis regularibus non lucrantur in abſentia diſtributiones quotidianas, niſi ex cauſis in jure expreſſis.*

65 *Nec ipſis abſentibus debentur fructus niſi pro tempore, quo ex ſtatuto, ſeu conſuetudine Eccleſiæ ipſis abeſſe licet, modò non ultra tres menſes.*

66 *Abbates Vallis umbroſæ tenentur reſidere in loco Abbatiæ, vel Prioratus, licèt ibi non poſſit Collegium Monachorum ſuſtentari.*

67 *Canonicatum, vel Dignitatem obtinens cum Parochiali ex diſpenſatione Apoſtolica tenetur in Parochiali reſidere, & tunc lucratur fructus Canonicatus, vel Dignitatis.*

68 *Beneficium annexum induit naturam beneficii, cui perpetuò, & acceſſoriè eſt unicum.*

69 *Dignitates, quibus perpetuò, & acceſſoriè annexum eſt Canonicatus, non tenentur niſi ad reſidentiam Dignitatibus injunctam.*

70 *Secus in obtinentibus Dignitates cum Canonicatibus ex conſuetudine, vel diſpenſatione Apoſtolica.*

71 *Canonici duo in ſervitio Epiſcopi exiſtentes percipiunt in abſentia fructus præbendæ.*

72 *Canonici familiares Papæ percipiunt fructus in abſentia non obſtante contraria conſtitutione.*

73 *Canonici ſtudentes in publica univerſitate, integrè percipiunt in abſentia fructus præbendæ, modò ultra quinquennium non abſint.*

Idem in docentibus etiam in Eccleſia, n. 115.

74 *Canonici in illis caſibus, in quibus in abſentia lucrantur diſtributiones quotidianas, multò magis percipere debent fructus præbendæ.*

75 *Canonicis abeſſe non licet à ſervitio Eccleſiæ, niſi ex cauſis in jure expreſſis, quæ an verè ſubſint, Epiſcopi eſt judicium.*

76 *Diſtributiones quotidianas non recipiunt, niſi qui ſtatis horis interfuerint.*

77 *Conſuetudo percipiendi quotidianas diſtributiones in abſentia non valet.*

78 *Etiamſi introducta fuerit poſt Conſtit. Bonif. VIII.*

79 *Et etiamſi ſit immemorabilis.*

80 *Statuta, ut diſtributiones quotidianæ debeantur non intereſſentibus, ſublata ſunt à Conc. Trid.*

81 *Statutum Eccleſiæ Compoſtellanæ, ut beneficiati, qui diu inſervierunt, habeantur pro jubilatis, an valeat, & num. 166.*

82 *Diſtributiones non lucrantur abſentes, licèt per ſubſtitutum inſerviant.*

83 *Dignitates non obſtante contraria conſuetudine tenentur per ſeipſas celebrare Miſſas, ſicut cætera officia.*

84 *Canonicis an liceat ſeſe invicem ſubſtituere.*

85 *Conſuetudo, ſecundum quam qui non ſint Presbyteri, licèt inſerviant, diſtributiones non lucrantur, ſervanda eſt.*

86 *Conſuetudo, qua nullus percipiat de maſſa communi, niſi per annum gratis inſervierit, non eſt ſublata à Conc. Trid. nec à Conſtit. S. Pii V.*

87 *Statutum Capituli, ut recipiendi in Eccleſia non ordinentur ſine Capituli licentia, & ſic ordinati gratis per triennium inſerviant, valet.*

88 *Et ſervari debet etiam in proviſo de dignitate.*

89 *Canonici Baſilicæ S. Petri tum de jure communi, tum ex Conc. Trid. tenentur ad pſallendum in Choro.*

90 *Canonici non poſſunt mutuam remiſſionem punctaturarum facere, & portionem, quam ſibi invicem remiſerunt, debet Epiſcopus applicare fabricæ Eccleſiæ, vel alteri pio loco.*

91 *Et quid poſtquam portiones non reſidentium perceperunt.*

92 *Canonici abſentes tres menſes à Concilio permiſſos, percipiunt fructus præbendæ, ſed non diſtributiones quotidianas, non obſtante immemorabili.*

93 *Statutum à Canonicis generaliter juratum, quo centum dies abeſſe licet, & diſtributiones lucrari, ſublatum eſt à Conc. Trid.*
94 *Conſuetudo qua abſentes tres menſes à Concilio permiſſos amittunt etiam fructus maſſæ groſſæ, eſt laudabilis, & obſervanda.*
95 *Canonicis, qui peſtis cauſa abſuerunt, an debeantur quotidianæ diſtributiones.*
96 *Studiorum cauſa abſentes lucrantur fructus præbendæ amiſſis diſtributionibus quotidianis.*
97 *Et quid ſi redditus omnes in diſtributionibus conſiſtant, & n.124. & ſeqq. & n.129.*
98 *Epiſcopus Canonicus, dum abeſt ex cauſa viſitationis ſuæ diœceſis, diſtributiones quotidianas non lucratur.*
99 *Familiares Papæ non percipiunt in abſentia diſtributiones quotidianas.*
100 *Nec privilegiati ſuper fructibus in abſentia percipiendis.*
101 *Etiamſi in reſcripto dicatur, ut pro præſentibus habeantur.*
Secus ſi dicatur, perindè ac ſi divinis intereſſent, n.103.
102 *Diſtributiones debentur his, qui verè divinis interſunt, non autem his, fictè, aut juris interpretatione.*
104 *Diſtributiones quotidianæ non debentur Inquiſitoribus, nec examinatoribus ſynodalibus, nec his, qui voluntariè ſe confeſſionibus audiendis exponunt.*
105 *Nec familiaribus Epiſcopi eum comitantibus, aut illi inſervientibus, dum Miſſam particulariter celebrat.*
106 *Nec duobus Canonicis in ſervitio Epiſcopi exiſtentibus niſi redditus univerſi diſtributionibus conſtent, & num.124.*
107 *Nec aſſociantibus Epiſcopum volentem audire Miſſam in Eccleſia non Cathedrali.*
108 *Canonici tenentur aſſiſtere Epiſcopo etiam non Pontificaliter celebranti, ſi ita ſe habeat conſuetudo, ſed diſtributiones non percipiunt.*
109 *Diſtributiones non lucrantur inſervientes Epiſcopo in Monialibus velandis, in examine promovendorum, in Seminario, aut in Congreg. S. Officii.*
110 *Nec comitantes Epiſcopum in viſitatione diœceſis.*
111 *Nec Canonicus Vicarius Epiſcopi, non obſtante immemorabili conſuetudine.*
112 *Nec electus judex in vim reſcripti, aut judex Synodalis, niſi abſit pro exequendis ſibi commiſſis.*
113 *Nec aſſiſtens Congregationi rerum ſpiritualium.*
114 *Nec ſermoncinantes ex debito ſui officii.*
115 *Theologalem præbendam obtinens, in diebus feſtis, in quibus non legitur, poteſt ſe excuſare à ſervitio Chori, & fructus percipere amiſſis diſtributionibus quotidianis.*
116 *Sed in diebus, in quibus legit, habetur pro præſente, & intereſſente, ex declaratione Gregorii XIII.*
117 *Non tamen cenſetur præſens matutinis, quæ ex conſuetudine Eccleſiæ celebrantur veſpere præcedenti.*
118 *Diſtributiones non lucrantur Canonici Miſſam celebrantes ſubmiſſa voce, dum horæ Canonicæ recitantur, niſi illa hora ad celebrandum compulſi fuerint.*
119 *Nec peregrinantes devotionis cauſa.*
120 *Et quid in abſentibus tempore Jubilæi.*
121 *Parochialem obtinentes cum Canonicatu, vel dignitate ex diſpenſatione tenentur reſidere in Parochiali, & tunc lucrantur fructus, ſed non diſtributiones.*
Niſi fructus omnes diſtributionibus conſtent, n.124. & ſeqq.
122 *Et an excludantur à ſervitio Canonicatus, & an teneantur per ſubſtitutum obire onus præbendæ magiſtrali injunctum, ibidem verſ. Amplius.*
123 *Et quid in obtinentibus duos Canonicatus, vel Canonicatum cum Dignitate.*
124 *Canonici abſentes ex cauſis in jure expreſſis lucrantur integrè diſtributiones quotidianas, ſi præbendas diſtinctas, aut fructus groſſos non habeant.*
Sed poſt Conc. Trid. lucrantur duas tertia illarum partes, amiſſa alia tertia, quæ inſervientibus accreſcit, n.126. & ſeqq.
125 *Diſtributiones in quibus univerſi redditus conſiſtunt, habentur loco præbendæ, & eſt locus erectioni præbendæ Theologalis.*
126 *Diſtributiones ubi nullæ ſunt, vel tenues, tertia pars fructuum ſeparari debet, & in diſtributiones converti.*
127 *Diſtributiones an ſuccedant in locum præbendæ, ubi tenues ſunt fructus à diſtributionibus diſtincti.*
129 *Et quommodo hæc tenuitas ſit æſtimanda.*
129 *Et quid ſi fructus quartam partem diſtributionum non ſuperent.*
130 *Canonici Regulares an poſſint in abſentia diſtributiones quotidianas percipere.*
131 *Diſtributiones debentur abſentibus, ſi ita cautum ſit lege fundationis.*
132 *Vel ſtatuto à Sede Apoſtolica confirmato.*
133 *Privilegia Apoſtolica percipiendi in abſentia diſtributiones quotidianas, non ſunt ſublata à Concil. Tridentino.*
134 *Diſtributiones debentur viſitantibus limina pro Epiſcopo, aut eum in eadem viſitatione comitantibus.*
135 *Ordinarius poteſt ſine Capituli conſenſu excuſare Canonicos à ſervitio Chori, ex cauſis tantùm expreſſis in Conſtitutione Bonifacii VIII.*
137 *Diſtributiones quotidianæ debentur infirmis abſentibus etiam non probata conſuetudine illas in abſentia percipiendi.*
137 *Famulo ægroto an debeatur ſalarium.*
138 *Statutum Capituli, ut ægrotis non dentur diſtributiones non valet.*
139 *Canonicus infirmus percipere debet etiam portionem accreſcentem.*
140 *Tempus infirmitatis non eſt computandum pro tempore vacationum.*
Declaratur, n.149.
141 *Canonico conceduntur diſtributiones illius horæ, cui ſine vitæ periculo intereſſe non poteſt.*
142 *Diſtributiones debentur podagra impedito.*
143 *Cæcus non tenetur horas Canonicas recitare.*
144 *Nec Choro intereſſe, & tamen lucratur diſtributiones.*
145 *Cæcitas non privat voto, quod quis haberet ſi cæcus non eſſet.*
146 *Diſtributiones debentur ſenio confectis, ſi aliàs reſidere ſint ſoliti.*
147 *Item infirmis ex propria culpa, & peccato.*
148 *Dummodò anteà eſſent ſoliti Choro intereſſe.*
149 *Et an debeantur ei, qui dum abeſſet tribus menſibus vacationum, vel ex cauſa Jubilæi, in morbum incidit.*
150 *Diſtributiones quotidianæ debentur abſentibus ob juſtam, & rationabilem corporalem neceſſitatem.*
Unde debentur ei, qui medicinam ſumpſit, aut ſanguine minutus eſt, ibid.
151 *Item expulſo à civitate propter ſeditiones.*
152 *Etiam non probata conſuetudine, ut diſtributiones debeantur abſentibus ex juſta cauſa.*
153 *Item indebitè conjectis in carcerem ubique locorum.*
Et quid de fructibus præbendæ, ſeu maſſæ groſſæ.
154 *Item abſenti, ut injuſtam Judicis vexationem redimeret.*
155 *Item citato ob cauſam criminalem, qui ſe innocentem præbuit.*
156 *Item condemnato, vel excommunicato, & poſteà abſoluto per ſententiam, quæ in judicatum tranſierit.*
157 *Excommunicatus injuſtè repetit fructus medii temporis.*
158 *Diſtributiones quotidianæ debentur abſentibus ob evidentem Eccleſiæ utilitatem.*
159 *Niſi probetur conſuetudo, ſecundùm quàm abſentes ob dictam cauſam diſtributiones non percipiant.*
Intellectus c. Cùm non deceat, de elect. in 6. & conciliatio cum c. un. de Cler. non reſid. eod. lib. ibid.
160 *Et cujus Eccleſiæ utilitas ad hoc requiratur.*
161 *Canonicis à ſecretis Regis Portugaliæ in rebus Eccleſiaſticis ex gratia conceduntur in abſentia diſtributiones quotidianæ.*
162 *Archidiacono habenti nudum jus præſidendi in Choro, dum reſidet in locis ſuæ juriſdictioni ſubjectis, non debentur diſtributiones.*
163 *Debentur tamen abſentibus pro exercitio curæ animarum ſuæ Dignitati, vel Canonicatui incumbentis.*
164 *Dum ſunt in actu adminiſtrandi Sacramenta, vel ea exercendi, quæ ad curam ſpectant.*
165 *Et dummodò hoc præſtent per ſeipſos.*

166 *Statuta ut qui per quadraginta annos continuos divinis interfuerunt habeantur pro jubilatis, ſunt toleranda.*

167 *Canonicus abſens pro negotiis Capituli lucratur diſtributiones quotidianas, nec tenetur inſervire per ſubſtitutum.*

168 *Canonici, qui tenentur aſſiſtere Epiſcopo Pontificalia exercenti in Cathedrali, tenentur etiam in aliis civitatis locis, & ſuburbiis, & tunc lucrantur diſtributiones.*

169 *Diſtributiones debentur Theologo præbendato in diebus, in quibus legit.*

170 *Item pœnitentiario audienti confeſſiones in Eccleſia, ſive extra, dum divina celebrantur.*

171 *Item dum Capitulum comitatur corpus defuncti ad ſepulturam.*

1 LIcèt. Abſens in ſtudio Theologiæ percipit fructus præbendæ, non autem diſtributiones quotidianas. Hoc dicit ſecundùm intellectum Jo. Andr. & communem. Vel
2 generaliùs ſecundùm alium intellectus Hoſt. Card. & Abb. Diſpenſatus ſuper fructibus in abſentia percipiendis, quotidianas diſtributiones non percipit. Dividitur in duas partes. Primò, ponit privilegii tenorem. Secundò, ejus interpretationem, ibi, *Nolumus*.
3 Nota primò, appellatione fructuum præbendæ non venire diſtributiones quotidianas. Item probat text. *in c. unic. de Cler. non reſid. lib. 6. & in c. fin. §. in illis, de conceſſ. præb. eod. lib.* & tenet Caſſad. *dec. 1. de Cler. non reſid.* & Covarr.
4 *lib. 3. var. reſol. c. 13. n. 1.* niſi materia largè interpretanda
5 aliud ſuadeat, ut reſolvit Rota apud Put. *dec. 239. lib. 1.* Ratio eſt, quia quotidianę diſtributiones ſunt redditus caſuales, & incerti, nec attinent ad corpus præbendæ, ut fusè probat Oldrad. *conſ. 118. Ex virtute gratiæ*, cujus rationes tranſtulit, ac ſibi adſcripſit Jo. Andr. *in addit. ad Specul. in tit. de conceſſ. præb.* nulla Oldradi mentione habita de quo miratur Petr. de Anch. in Clem. *un. n. 39. eod. tit.* ubi idem firmat, & poſt eum Felin. alios cumulans *in c. Ad aures n. 14. de reſcript.* & Covar. *loc. citat.* inferentes propterea ad regulas Cancellariæ de valore fructuum exprimendo.
6 Secundò nota, obtinentes dignitates licitè poſſe ſtudiorum cauſa ab Eccleſia abeſſe, ut de Archidiacono eſt caſus hic, & de Abbatibus notat Jo. Andr. *in c. 3. infra, ne Cler. vel Monach.* Intellige ſecundùm ea, quæ dicam infra *n. 10.*
7 *Fallentia n. 73.* Item intellige de Ordinarii licentia, quam tenetur ipſe Ordinarius impertiri, ut legitur & notatur *in c. Relatum ſuprà tit. prox.* ſecundùm Abb. *hic n. 2. in 1. notab.* ac ſi renuerit, adiri poteſt ſuperior, ut eum cogat, arg. *c. Nullus, d. jurepatr.* & tenet idem Abb. *in d. c. Relatum n. 6. verſ. Sed diceres tu.* Sed & S. Congr. Concilii declaravit ejuſmodi licentiam ab Epiſcopo ad quinquennium concedi poſſe, quòd ſi renuerit, ejus ſuperiorem adeundum eſſe, qui eum compellat.
8 Hoc autem privilegium vendicat ſibi locum tam in docentibus, quàm in ſtudentibus, & tam in Theologica facultate, ut eſt caſus *in d. c. fin. de Magiſtr.* quàm in jure Canonico, ut notatur *in cap. Cùm ex eo*, in gloſſ. *in verb. Litterarum, de elect. lib. 6.* & per Abb. & DD. *in c. Tuæ, de Cler.*
9 *non reſid.* Quinimò cenſuit S. Congr. docentes jus Canonicum in publica univerſitate gaudere, & potiri privilegio de percipiendis in abſentia ſuarum præbendarum fructibus, quamvis præbendæ, quas obtinent, ſitæ ſint in Cathedrali ejuſdem civitatis, in qua publici Lectoris munere funguntur. Quid autem in jure civili, dixi *in c. Super ſpecula,*
10 *N. Cler. vel Monach.* Hodie gratiæ de reſidendo, & fructibus in abſentia percipiendis ſtudiorum cauſa à Sede Apoſtolica impetratæ non ſuffragantur, niſi accedat conſenſus Ordinarii loci, ubi beneficia conſiſtunt, ex Conſtitutione Pii IV. publicata 24. Novemb. 1564.
11 Ultimò nota, ſecundùm Ant. de Butrio *n. 3.* legitimam abſentiæ cauſam, quamvis fingat quem haberi pro reſiden-
12 te, non tamen fingere, ut habeatur pro divinis intereſſente. Ratio poteſt eſſe duplex. Altera quam ponit hic Petr. de Anch. *n. 3.* quia cùm diſtributiones quotidianæ debeantur præſentibus, & intereſſentibus divinis officiis, *c. unic. de Cler. non reſid. lib. 6.* Princeps concedendo unum ſpeciale, ut non præſens fructus percipiat, non cenſetur concedere alind, ut ſcilicet habeatur etiam pro intereſſente, & conſequatur diſtributiones quotidianas, quia duo ſpecialia non debent concurrere circa idem, *lib. 1. C. de dot. promiſſ. l. Cùm poſt, §. Gener. de jur. dot.* Altera ratio eſt, quam ponit Abb. *n. 3. in 2. notab.* quia privilegium partim favorabile, 13
& partim odioſum, debet reſtringi quatenùs præjudicat alteri, vel cultui Divino. Nam privilegium hic conceſſum ſu- 14
per fructibus integrè percipiendis, ideò non extenditur ad quotidianas diſtributiones, quia habet naturam ſeparatam ab aliis fructibus Eccleſiæ, & introductæ fuerunt in uſum cultus divini, ut Canonici ad divina officia promptiùs convenirent, Clem. *Si dominum, de reliq. & vener. Sanct.* nam ut Hoſt. inquit *in c. Olim n. 2. in verſ. Et manualia*, talis intereſt pro denario, qui non intereſſet pro Deo. Et propterea ut neque in parte minuatur divinus cultus, ſed ei debitū omnibus in rebus obſequium præſtetur, ſtatuit Conc. Trid. *in c. 3. ſeſſ. 21.* in Eccleſiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, in quibus nullæ ſunt diſtributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut veriſimiliter negligantur, tertiam partem fructuum ſeparari debere, & in diſtributiones quotidianas converti, quæ inter dignitates obtinentes, & cæteros divinis intereſſentes, dividantur.

QUÆRO, an & quibus caſibus obtinentes beneficia in 15
Cathedralibus, vel Collegiatis Eccleſiis, licitè percipere poſſint in abſentia redditus ſuorum beneficiorum.

Hæc quæſtio pro clariori ſolutione dividenda eſt in duo 16
membra principalia. Primum eſt, an & quando abſentibus debeantur fructus præbendæ. Secundum eſt, an & quando iiſdem debeantur diſtributiones quotidianæ. Et quia proventus, & emolumenta beneficiorum non debentur non reſidentibus, niſi in caſibus in jure expreſſis, nec licet Epiſcopo impertiri licentiam percipiendi fructus in abſentia in caſibus non expreſſis in jure, ut patebit infra in diſcurſu materiæ præſertim *n. 37.* ne multiplicitas, & varietas caſuum ingerat confuſionem, in utroque membro procedam faciliori methodo per concluſiones, ampliationes, & limitationes, ſed præcipuè ex reſponſis S. Congr. Conc. tum quia ſi oporteret ſingula diſcutere, materia in volumen excreſceret; tum quia jus commune in multis reperitur immutatum ex jure noviſſimo Conc. Trid. itaut fidere DD. ſententiis non ſit uſquequaque tutum, cùm pleraque ex decretis, & declarationibus Apoſtolicis certam interpretationem habuerint.

Ad evidentiam præmittendum eſt fructus hoc differre à 17
diſtributionibus quotidianis, quòd fructus ſint redditus certi, ipſum corpus præbendæ conſtituentes, qui dantur reſidentibus non habita ratione ſervitii quotidiani, quia percipiuntur ſine facto & miniſterio hominis; diſtributiones verò ſunt emolumenta incerta, ad corpus præbendæ non pertinentia: pendent enim, & exitum habent ex incerto fortunæ actualis miniſterii, & operis; & dividuntur pro rata ſervitii inter eos tãtùm, qui horis Canonicis interſunt. Textus eſt in Extravag. *Poſtulaſti*, §. *Licèt de præb.* Et hanc 18
differentiam conſtituit, & pluribus firmat Oldr. *conſ. 118. ex virtute gratiæ, per tot.* Quod vendicat ſibi locum, etiamſi divindantur in fine anni, non autem dietim. Nam ſi diviſio fiat non æqualiter, ſed habita ratione ſervitii cujuſque horæ, & abſentes nihil percipiant, ſunt veræ diſtributiones quotidianæ, non autem fructus præbendæ, ſeu fructus groſſi, vel maſſæ communis, ut decidit Rota apud Achill. *dec. un. de deſtrib.* Caputaq. *dec. 29. p. 2.* & rurſus coram Card. Seraph. *dec. 1140. n. 2.* ubi reſolvit redditus Collegiatæ Eccleſiæ Aquavivæ, qui in fine anni dividuntur pro 19
rata ſervitii diurni, eſſe diſtributiones quotidianas, ac propterea ex illis non eſſe contribuendum Seminario Barenſi. Quam deciſionem poſteà in eadem cauſa probavit S. Congreg. Concilii, ut ſcripſi plenè *in c. Olim à n. 45. uſque in fin. infra de verb. ſignif.*

Nec obſtat textus in Extravag. *Cùm nonnullæ, la 1. §. Præ-* 20
tereà, de præbend. ubi eſt expreſſum, illam bladi quantitatem, & pecuniæ ſummam, quæ pro quolibet menſe, vel hebdomada Canonicis miniſtratur, non debere pro quotidianis diſtributionibus computari; ſed illam tantùm quæ præfatis Canonicis quotidiè pro diurnis, & nocturnis horis diſtribuuntur ſine fraude. Nam reſpondetur textum loqui de illa bladi, & pecuniæ quantitate, quæ conſuevit aſſignari abſentibus ſtudiorum cauſa, vel pro negotiis de licentia Capitulorum, ut ibi eſt expreſſum; unde ſecus eſſet, ſi nihil conſueviſſet abſentibus exhiberi. Et dum text. dixit cenſeri diſtributiones, quæ dividuntur quotidiè, reſpexit ad id, quod frequentiùs fieri ſolet; propterea enim ap-

appellantur diſtributiones quotidianæ. Sed tamen ſi diviſio fiat habita ratione quotidiani ſervitii, non ideò minùs cenſeri debent quotidianæ, quòd dividantur in fine hebdomadæ, aut menſis, vel anni, quia hoc fit gratia commodioris ſolutionis, nec alterat naturam diſtributionum, quæ conſiſtit in hoc, ut ſint deputatæ pro ſervitio cujuſque diei, & non intereſsentes nihil percipiant, ut habetur in dicta Extravag. *Poſtulaſti*, §. *Licèt de præbend.* & in præalleg. §. *Præterea*, ad quem aliàs remiſit S. Congregatio Concilii: Nam conſulta, quæ ſint diſtributiones, de quibus Concil. *cap.* 12. *ſeſſ.* 24. *& cap. unico de Cleric. non reſid. in* 6. & quæ ſint diſtributiones, quæ habentur loco præbendæ, à quibus non excluduntur abſentes ratione alicujus privilegii, de quibus *in d. c. unico, in verſ. Receperit*, ſimpliciter reſpondit id declaraſse Extravag. *Cùm nonnullæ*, §. *Præterea de præbend.*

21 Quibus præmiſſis, circa primum membrum ſtatuitur principalis concluſio: Obtinentes beneficia, puta Dignitates, Canonicatus, Præbendas, vel portiones in Cathedralibus, vel Collegiatis Eccleſiis, tenentur in eis perſonaliter reſidere, nec in abſentia percipere debent fructus præbendarum ſuarum, ut hìc, *& in c. Inter quatuor, & c. fin.*
22 *de Cler. non reſid. & in c. Pervenit, il* 2. *infra de appellat.* Idem probatur *in c. Cùm omnes ſupra de Conſtit.* ubi Canonici abſentes percipere poſsunt fructus præbendarum ſuarum vigore conſuetudinis. Ergo ſecluſa conſuetudine, de jure communi illos percipere non debent; & ita notat gl. 1. communiter approbata, dicens, hoc eſse jus commune, ut Canonici abſentes nihil percipiant. Item tenet gloſsa in *c. Conquerente, in verſ. Deſerviat, de Cler. non reſiden.* & gloſsa noſtra in illis verbis, de corpore præbendæ ſuæ, quam in abſentia de jure communi percipere non debent
23 Clerici. Et verbum, *reſidere*, accipiendum eſt cum effectu, id eſt Eccleſiæ in divinis officiis deſervire, *cap. Relatum, de Cleric. non reſiden. & d. cap. Conquerente*, & tenent Hoſt. *in ſumma eodem tit.* §. 2. *qu.* 27. Aſten. *lib.* 6. *tit.* 34. Silveſt. *in ver. Reſidentia in princip.* Andreas ab Exea *in cap. Cùm omnes n.* 58. *de Conſtit.* quos ſequitur Covarr. *lib.* 3. *variar. reſolut. cap.* 13. *n.* 3. *verſ. Verùm priorem hujus diſtinctionis partem.* Idem tenet Petr. de Anchar. *in cap. unico in* 6. *notab. de*
24 *Cleric. non reſiden. in* 6. Nam reſidentia debet eſse laborioſa, non deſidioſa, cùm beneficia ad divinum cultum, & Eccleſiaſtica munia obeunda ſit conſtituta, *cap. Cùm ad hoc, in parte deciſa eod. tit.* & habetur in decreto Concilii Trident. *c.* 13. *in princ. ſeſſ.* 21. Quid enim prodeſt præſentia in loco, ex quo divinis non adſunt? ut inquit gloſs. *in dict. cap. unic. in verb. Preſentes.* Et ita intellexit Canonicorum reſidentiam S. Congreg. ejuſdem Concilii interpres, ut patebit
25 infra in ſexta ampliatione *n.* 41. Cæterùm etſi abſentes percipere non debeant fructus præbendarum, non tamen hoc ita accipendum eſt, ut illos perdant ipſo jure: Imò enim acquiruntur ſine facto, & miniſterio hominis, ut ex Oldrado dictum eſt ſuprà *n.* 18. Sed ita eſt intelligendum, ut privandi ſint ad præſcriptum Concil Trid. *in cap.* 12. §. *Præterea ſeſſ.* 24. ubi ſtatuitur, ut abſentes ultra tempus ibi permiſsum primo anno priventur dimidia parte fructuum, quos ratio-
26 ne etiam præbendæ, ac reſidentiæ fecerunt ſuos. Quòd ſi iterùm eadem fuerint uſi negligentia, priventur omnibus fructibus, quos eodem anno lucrati fuerint. Creſcente verò contumacia, contra eos juxta ſacrorum Canonum Conſtitutiones procedatur, ideſt ad privationem tituli. Atque ita hodie correcta eſt diſpoſitio antiquorum Canonum, ſecundùm quam Canonicus abſens privari poterat beneficio, ſi infrà congruum terminum ſibi præfixum ad reſidentiam non rediiſset, ut *in d. c. Pervenit, il ſecundo de appellat. c. Inter, & c. ult. de Cler. non reſid.* Nam poſt Concil. privari non poteſt titulo, niſi poſt lapſum trium annorum.

Unde cùm Epiſcopus Tarentinus olim petiiſset declarari à Sac. Congreg. Concil. An rectè proceſſiſset contra Subcantorem Canonicum Eccleſiæ ſuæ, jam decem, & octo menſes abſentem, cùm ei comminatus fuiſset pœnam privationis, ſi intra menſem non reſideret? S. Congreg. duo declaravit: Primum, Concilium clarè diſpoſuiſse expectandum eſse lapſum trium annorum, antequam ad privationem in totum procedatur, ut *in d. c.* 12. *ſeſſ.* 24. *verſ. Præterea obtinentibus.* Nam in primo amittit non reſidens dimidiam, in ſecundo omnes fructus, in tertio privatur titulo; & ita reſcriptum fuit plurimis Epiſcopis.

27 Secundum: etſi omnes redditus in quotidianis diſtributionibus conſiſtant, pro primo anno, vel ſecundo, non debere incidi privationem, quia cùm ſint quotidianæ, & non percipiat eas non reſidens, ſatis eſt privatus, & pro primo, & pro ſecundo; & admonendum Epiſcopum, ne has diſtri- 28
butiones, quas amittit iſte non reſidendo, ſinat accreſcere ſervientibus. Conſtitutionem verò, qua abſentes ultra duos 29
menſes privantur Capellaniis, S. Congr. ſic cenſuit intelligendam, ut abſentes ultra duos menſes primo anno priventur dimidia parte fructuum, ſecundo omnibus, tertio Capellaniis. Hos autem duos menſes, cùm Conſtitutio ſit odioſa, oportere eſse continuos, quemadmodum & ſupradictos tres annos, non autem interpollatos. Quòd ſi quis fraude uſus fuerit, tunc Ordinario licere animadvertere in eos, qui fraudem commiſerint: pœnam autem amiſſionis fructuum 30
cenſuit non habere locum in quotidianis diſtributionibus, quas Canonicus inſerviens jam lucratus eſt.

Ampliatur primò principalis concluſio ſupra firmata, ut 31
habeat locum non obſtante contraria conſuetudine non reſidendi, aut fructus in abſentia percipiendi. Nam etſi conſuetudo hujuſmodi valida eſſet de jure communi, ut eſt text. *in c. Cùm omnes, de Conſtit.* & ibi notat gloſſ. fin. Innoc. & alii, ſaltem in eo caſu, in quo Canonicus abſens inſerviebat per ſubſtitutum, ſecundùm opinionem Hoſtien. *ibid. n.* 10. cum quo tranſeunt communiter DD ut ibi teſtatur Abb. *n.* 10. tamen hodie ſublata eſt à Conc. Trid. *in d. c.* 12. §. *Præterea*, ubi ſtatuitur, ut obtinentibus in Cathedralibus, aut Collegiatis Eccleſiis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut portions, non liceat vigore cujuſlibet ſtatuti, vel conſuetudinis ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe. Quo decreto corrigitur prædict. Decretalis, *Cùm omnes*, & opiniones DD. in hac materia, ut ibi dixi *n.* 21.

Quinimò in Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus 32
eo decreto ſublata eſt conſuetudo etiam immemorabilis vacandi ultra tres menſes à ſervitio Chori, ut multoties reſpondit S. Congr. ut dixi latiùs in prædict. Decretali, *Cùm omnes n.* 31. *& ſeqq.*

Ampliatur ſecundò, ut procedat etiam in Collegiatis 33
non inſignibus; cenſuit enim S. Congr. Canonicos Collegiatarum Eccleſiarum, etiam non inſignium, teneri ad reſidentiam, niſi tamen iſtæ non inſignes Collegiatæ eſſent rurales, prorſùs deſtitutæ, aut in quibus nunquam anteà ſupra hominum memoriam ſolitum eſſet reſideri, aut adeò tenuis redditus eſſet, ut Canonicos aliundè non habentes unde vivant, alere non poſſet. Et de intellectu hujus declarationis vide, quod ſcripſi *in d. c. Cùm omnes n.* 31. 32. *&* 33. *de Conſtit.*

Ampliatur tertiò, etiamſi Eccleſiæ ſtatutum longius ab- 34
ſentiæ tempus indulgeat, quia decretum *d. c.* 12. *ſeſſ.* 24. *in præalleg.* §. *Præterea*, derogat non tantùm conſuetudinibus, ſed etiam ſtatutis, ibi, *Vigore cujuslibet ſtatuti.* Unde 35
cùm fuerit quæſitum, an valeat ſtatutum, ut una, vel duabus horis intereſſentes lucrentur maſſam groſſam, ſive præbendam, amiſſis diſtributionibus quotidianis; reſponſum eſt non valere.

Ampliatur quartò principalis concluſio, ut locum ha- 36
beat non obſtante licentia, quam Capitulum concedere conſuevit vacandi à Choro ultra tres menſes. Imò cenſuit Sac. Congreg. non excuſare à pœna Concilii licentiam, quam Capitula Cathedralium Hiſpaniæ ab immemorabili tempore concedere conſueverunt, ut Canonici abeſſe poſſint quoad Capitulo viſum fuerit: Quin etiam hanc licen- 37
tiam nec Epiſcopum, nedum Capitulum etiam ex rationabilibus cauſis in jure non expreſſis, & ſuppoſita immemorabili poſſe concedere. Et propterea DD. dicunt de jure 38
communi antiquo nec abſentes in ſtudio Theologiæ debuiſſe percipere fructus præbendæ, antequam emanaſset illa decretalis, *Super ſpecula de magiſtr.* ut in ſpecie hìc notant Anton. de Butr. *in* 1. *notab.* & idem Butr. Card. & alii in 1. *oppoſit.*

Et eodem modo ad pœnam privationis fructuum con- 39
tra abſentes ultra tempus à Concilio permiſſum procedendum eſt, non obſtante quavis remiſſione Canonicorum. Cenſuit enim Sac. Congreg. hujuſmodi remiſſionem eſse prohibitam tam quoad diſtributiones, de quarum remiſſione ſi conſtiterit, debere Epiſcopum jure agere in reos, quàm quoad fructus præbendæ, quos remittere non eſt in facultatem Canonicorum, cum Eccleſiæ ſint applicandi.

40 Ampliatur quintò etiam in dignitatibus Cathedralium Eccleſiarum, quæ nullos habent redditus: nam nihilominùs obligant ad perſonalem reſidentiam, non obſtante contraria conſuetudine; de quo tamen dic, ut ſcripſi *in d. cap. Cùm omnes n.25. & ſeqq. de Conſt.*

41 Ampliatur ſextò, ut nec ſufficiat reſidentia in civitate, ſed omninò requiratur intereſſentia divinis officiis, adeò ut contra abſentes à Choro ultra tres menſes procedendum ſit ad præſcriptum Concilii; reſidentia enim accipienda eſt cum effectu, ut dixi ſupra *n.23.* ideòque cùm eſſet quæſitum, an verba poſita *in d. cap. 12. §. Præterea ſeſſ.24.* prohibeant, ne Canonici, & alii abſint à Choro, vel tantùm ne abſint à civitate, S. Congreg. cenſuit prohibere, ne abſint à Choro. Et ad conſultationem Cardinalis S. Praxedis tunc Archiepiſcopi Mediolanenſis reſpondit puniendos eſſe, qui abſunt à ſervitio Eccleſiæ, licèt in Civitate, locove, in quibus ipſa Eccleſia conſiſtit, ſint præſentes; quia verba Concilii dicunt (ab eiſdem Eccleſiis abeſſe, non à loco Eccleſiæ) & ſic intelliguntur de ſervitio Eccleſiæ. Et iterùm conſulta, quomodò eſſent privandi, qui ultra medietatem anni abſunt à ſervitio Eccleſiæ prætextu, quòd non diſceſſerint à Civitate: Reſpondit primo anno privandos eſſe dimidia parte fructuum: ſecundo, omnibus: tertio, prout ſancitum eſt decreto Conc. *c.12. ſeſſ.24.*

42 Ampliatur ſeptimò, ut Canonici non ſolùm teneantur Choro intereſſe, ſed etiam Congregationibus Capitularibus. Unde cùm fuerit quæſitum, an Canonicus ſuæ obligationi ſatisfaciens in eo, quod attinet ad reſidentiam, & ſervitium Chori, & Altaris, poſſit tuta conſcientia ordinariè abeſſe à Capitulo, ſeu Congregationibus Capitularibus S. Congreg. cenſuit non poſſe.

43 Item declaravit validum eſſe ſtatutum, vel conſuetudinem, qua mulctantur hi, qui Congregationibus Capitu-
44 laribus non interfuerint. Verùm ſuborta dubitatione, an Canonicus poſſit ſumere dies abſentiæ à conſuetudine, vel ſtatuto Eccleſiæ permiſſos, & à Concilio non ſublatos, in diebus Capituli, ſeu Congregationum Capitularium; inclinavit poſſe. Sed tamen nihil fuit deciſum: quia priùs edoceri voluit, numquid hujus dubii ſolutio peteretur ad evitandam pœnam, vel mulctam impoſitam adverſus eos, qui hujuſmodi Congregationibus non interfuerint, vel ad acquirendas diſtributiones aſſignatas pro horis, quibus habentur hujuſmodi Congregationes. Sed aliàs fuit reſolutum poſſe.

45 Ampliatur Octavò eadem concluſio, ut habeat locum etiam in abſentibus à Cathedrali pro utilitate, vel neceſſitate alteriùs Eccleſiæ: nam ad hoc ut pro præſentibus habeantur, exigitur utilitas, vel neceſſitas illius Eccleſiæ in ſpecie, de cujus fructibus agitur, ut latiùs dicam infra *n.98. & n.160.* facit textus *in c. Ex parte, il 2.* ibi, *Si te non abſentando in fraudem Præpoſituræ tuæ jura fideliter proſequeris, cùm ex hoc cenſeri debeas reſidens, & c. ſupra de Cler. non reſid.*

Hinc Canonico abſenti pro defenſione jurium Eccleſiæ Parochialis, in qua erat beneficiatus, & electionis factæ de ejus perſona ad Rectoriam dict. Parochialis, non deberi fructus præbendæ ſui Canonicatus, decidit Rota, cujus deciſionem S. Congr. probavit.

46 Ampliatur ultimò, ut nec aeris intemperies excuſet Canonicos à reſidentia ultra tres menſes à Concilio permiſſos. Hinc petentibus Canonicis, ut liceret dimidiæ eorum parti per alternas hebdomadas inſervire, eò quòd Cathedralis frigida, & humida eſſet: S. Congr. abnuit, & Sanctiſſimus itidem abnuit. Adverte tamen, quia DD ſuper verb. *Excuſationem in c. fin. ſup. tit. prox.* communiter tenent, beneficiatum excuſari à reſidentia ob aeris intemperiem, per *c. Quorundam 74. diſt.* ſed videntur accipere intemperiem pro aeris corruptione, prout accipit ibi Hoſtien. *n.5.* quo caſu licet eis abſcedere etiam renuente ſuperiore; cùm periculum ſit in mora, ut concludit Ripa *in tract. de peſt. in tit. de privil. contr. ict. num.* 140. Aliquando tamen hæc cauſa juſta viſa fuit cum aliquibus diſpenſandi. Et in ſpecie petente Capitulo Caurien. ob aeris intemperiem, ne reſidere tenerentur.

47 Sanctiſſimus die 7 Octobris 1580. audita relatione Congregationis, impertitus eſt facultatem Epiſcopo, ut poſſit ſingulis annis, ſi ſibi juſtæ cauſæ diſpenſandi videbuntur, licentiam concedere Canonicis non reſidendi per alium menſem ultra tres, quibus per Concilium, & quartum, quo vigore litterarum ſan. mem. Pii V. eiſdem abeſſe licet, in eo numero, qui Epiſcopo viſus fuerit, ne cultus divinus deleatur.

Nunc principalis concluſio, & regula ſuperiùs firmata 48
n.21. fallit primò, ſi ex ſtatuto Eccleſiæ, vel conſuetudine uſque ad tres menſes quodlibet anno ab Eccleſia abeſſe liceat: hujuſmodi enim conſuetudinem, & ſtatutum à contrario ſenſu præſervat Concilium Trident. *in d. c.12. §. Præterea ſeſſ.24.* non autem indulget Canonicis omnium Eccleſiarum, ut tres menſes abeſſe poſſint, ut quidam incautè putarunt. Non enim procedit concedendo, ſed prohibendo, ibi, *Non liceat prætextu cujuslibet ſtatuti, vel con-
ſuetudinis ultra tres menſes abeſſe.* Imò expreſsè præſervat 49
Conſtitutiones, quæ longiùs abſentiæ tempus requirunt,
ibi, *Salvis nihilominus.* Unde propoſito dubio, an Cano- 50
nici, qui majori ſervitio Eccleſiæ, quàm novem menſium ſunt adſtricti, ſubjaceant, ſi non reſederint, eiſdem pœ-
nis, de quibus *in d. c.12.* S. Congr. cenſuit ſubjacere. Et 51
Canonicis ut ſupra adſtrictis, poſtulantibus ex gratia vacationem trium menſium, S. Congreg. meo tempore ſemper abnuit.

Suppoſita autem conſuetudine, vel ſtatuto Eccleſiæ, ut 52
Canonici abeſſe poſſint tres menſes à Concilio permiſſos cenſuit, nec Epiſcopi, nec Capituli licentiam, nec cauſam
requiri. Et abſentes eo tempore ex cauſa privatorum ne- 53
gotiorum non debere alias mulctari, quàm amiſſione quotidianarum diſtributionum; de quo latiùs infra *in 2. membro princip. in 8. ampliat. n.92.*

Amplius cenſuit non oportere, ut abſentia ſit continua, 54
ut comprehendatur *c.12.* ſed ſatis eſſe, ut dies abſentiæ li-
cèt interpollati ſuperent trimeſtre. Item reſpondit non poſ- 55
ſe Epiſcopum contrarium ſtatuere. Et rurſus orta dubitatione, an tres menſes, quibus Canonicis abeſſe licet ab eorum Eccleſiis ex *c.12. ſeſſ.24* poſſint eſſe continui, & quoad omnes Canonicos: cenſuit poſſe eſſe continuos, non tamen omnes Canonicos poſſe abeſſe eodem tempore, ne Eccleſia deſtituatur omni ſervitio; ſed tantùm eam quotam partem Canonicorum, quæ videbitur arbitrio Epiſcopi, & Capituli: & Sanctiſſimus probavit ſententiam Congregationis ad ſe relatam, ſubdens Concilium non dediſſe tres menſes Capitulo, ſed Canonicis, ſcilicet ſingulis per vices.

Verumtamen etſi Canonici teneantur omnibus ſeptem 56
horis inſervire, Clem. 1. ubi gloſſ. *in ver. Canonicis, & in ver. Debitis de celebr. Miſſar.* Clem. 1. *in fin. de reliq. & vener. Sanct.* Clem. 2. *in ver. Certis horis, de ætat. & qual.* nec valeat ſtatutum, ut reſidens in unà hora habeatur pro reſidente in omnibus, Laud. Card. & Anch. in d. Clem. 1. *de celebr. Miſſ.* nihilominùs ad conficiendum ſpatium trium menſium reſponſum eſt horas cujuslibet die non eſſe computandas, ſed dies integros abſentiæ tantùm. Sed nec poſſe confici ex horis, quibus Canonici reſidentes abſunt à Choro, dies, ut ex diebus, & horis ſic collectis conficiantur menſes abſentiæ, de quibus in decreto *cap.12. ſeſſ.24.* Neque ad conſtituendum ſervitium novem menſium colligendas eſſe punctaturas; quaſi iis, qui novem partes punctaturarum ex duodecim, qui ex ſervitio totius anni conflantur, deſerviendo tulerint, ſervitio punctaturarum debito ſatisfecerint; ſed ipſos dies reſidentiæ, & ſervitii, ſive continui fuerint, ſive interpollati, numerandos eſſe, ut com-
pleant numerum dictorum novem menſium. Quare dubi- 57
tante Epiſcopo Palentino, an Præbendati Capituli valentini, qui in uno ex novem menſibus reſidentiæ uni horæ quotidie interſunt, ſtatuto Eccleſiæ id permittente propter nimiam Eccleſiæ, & loci frigiditatem, & aeris intemperiem pro lucrandis fructibus illius menſis, ex eo quòd reliquis horis non interfuerint, privari poſſint tanquam abſentes ultra tres menſes, juxta formam Conc. *ſeſſ.24. c.12. verſ. Præterea:* S. Congr. cenſuit ſtatutum, de quo ſupra, tolli debere, utpotè contra Concilium, adeò ut non intereſſentes omnibus horis in prædicto menſe amittant illam ratam fructuum, quam amitterent in aliis octo menſibus, ſingulis horis non intereſſendo; non tamen incidere in pœnam *d. ver. Præterea*, quaſi abfuiſſent ultra tres menſes.

Fallit ſeccundò principalis concluſio, ſi in fundatione 58
Eccleſiæ cautum fuerit, ut abeſſe liceat ultra tres menſes. Nam etſi hoc dubium fuerit diù, multùmque agitatum in S. Congr. poſtremò tamen cùm poſtulaſſent declarari Canonici Eccleſiæ Segobicen. an Conſtitutio in fundatione eorum Eccleſiæ edita, quæ permittit Canonicis abeſſe ul-

ultra

tta tres menſes, cenſeretur ſublata à Concilio *ſeſſ.24.c.12.*
Quatuor Cardinales cenſuerunt non eſſe derogandum fun-
dationi. Octo cenſuerunt derogatum, præſuppoſito quòd
Concilium ſuſtulerit conſuetudinem immemorabilem in
hac materia reſideniæ in Cathedralibus: cùm enim ea det
meliorem titulum, qui poſſit allegari, & ſic etiam titulum
fundationis: Ergo, & c. Non obſtat deciſio Ludov. Rom. *in
leg. Si vero*, §. *De viro*, *num.45. ff. ſol matrim.* Felin. *in tit.
de litter. Apoſtol. in lim. patr. col.5. ampliat.7.* qui dicunt per
Conſtitutionem generalem nunquam cenſeri derogatum
fundationi: nam loquuntur in fundatione facta à laico pa-
trono, ne retrahatur à fundatione. Item in derogatione
facta à Papa in collatione beneficii. Modò autem quæritur
de derogatione legis in fundatione, quę neſcitur à quo facta
ſit, nec ſi juſpatronatus adſit. Sed tamen non capta reſolu-
tio, ſed dictum, ut videretur fundatio, & poſtea iterùm re-
ferendum ad Congregationem. Sed poſtea die 21. Februa-
rii 1578. Congregatio parva declaravit non ſublatum pri-
vilegium in fundatione conceſſum, non obſtante dubitatio-
ne Congregationis generalis.
59 Fallit tertiò, ſi ſtautum Eccleſiæ à Sede Apoſtolica con-
firmatum, longius abſentiæ tempus indulgeat: nam decre-
tum Concilii *in d. cap.12.* etſi ſuſtulerit ſtatuta Eccleſiæ, non
tamen ſuſtulit confirmata à Sede Apoſtolica, propter duplex
vinculum, ex doctrina gloſſæ poſt Joan. Monach. *in Clemen.
Dudum ad finem, in ver. Pacta de ſepultur.* & deciſionem
Achillis. Unde cùm fuerit dubitatum in una valentia, an
per *d. cap.* 12. eſſet ſublatum ſtatutum à Sede Apoſtolica
confirmatum, quo diſponitur Canonicos reſidentes poſſe
eligere quatuor menſes, per quos à reſidentia ſint exempti:
S. Congregatio cenſuit agendum cum Sanctiſſimo, prout de
illa deciſione Achillis, de qua Sanctitas ſua, & Congrega-
tio deliberarunt in una Veronen. Sanctitas ſua dixit propo-
nendum eſſe in Congregatione generali, an in capite reſi-
dentiæ intret deciſio illa Achillis: Congregatio generalis
die 7. Julii 1575. Quatuor nempè Urſinus, Senonenſis,
S. Sixti, Caraf., cenſuere ſtatutum etſi confirmatum à Sede
Apoſtolica, eſſe ſublatum à Concilio *dict. cap.* 12. ex mente
ipſius Concilii, quæ fuit ſolùm indulgere tres menſes pro
majori cultu divino. Tum quia vult ſalva eſſe omnia ſtatu-
ta, quæ majus ſervitii tempus requirunt. Ergo nulla alia,
quæ minùs. Item quia ferè omnia hujuſmodi ſtatuta fue-
runt approbata à Sede Apoſtolica. Unde facilè eluderur di-
ſpoſitio Concili de reſidentia. Tres verò, nempè Moron.
Geſ. Alc. cenſuerunt non eſſe ſublatum ſtatutum, quia de
mente Concilii non conſtat, neque ea colligi aliunde po-
teſt, quàm ex proprietate verborum. Sed verba Concilii
ſecundum communes theoricas non tollunt approbata
à Sede Apoſtolica, niſi exprimant, & Concilium alibi
expreſſit, quando voluit. Et ita in ſpecie de reſidentia
Parochorum *ſeſſ.23. cap.1. in fine*, tollit etiam confirma-
ta verbis expreſſis, *dict. cap.12.* non repetit illa verba,
Etiam confirmata. Ergo, & c. Tandem dictum fuit
dandam dilationem ad ampliùs informadum, & po-
ſteà referendum Sanctiſſimo. Poſteà iterùm ſublata Con-
gregatione, quatuor pro ſtatuto, quatuor contra ſenſe-
runt. Sanctiſſimus his auditis, juſſit ſervari ſtatutum con-
firmatum.
60 Et poſteà cùm in Eccleſia Eboren. extaret ſtatutum ante
Concilium à Sede Apoſtolica confirmatum, ut Canonici ſe-
mel in vita, annum abeſſe poſſint Hieruſalem proficiſcendi
cauſa, & ſex menſes, cùm Baſilicam S. Petri quolibet quin-
quennio viſitare vellent: dubitatum fuit, an illud eſſet ſubla-
tum à Concilio *cap.12. ſeſſ.24.* S. Congreg. cenſuit ſtatu-
tum hujuſmodi à Sede Apoſtolica confirmatum, non eſſe
ſublatum per Concilium; & ita etiam Sanctiſſimus pro-
bavit.
61 Intellige hanc declarationem, dummodò confirmatio
emanaverit immediatè à Papa; ſecus ſi à Cardinali autho-
ritate Apoſtolica. Unde ſtante declaratione, ut præfertur
edita, cùm dubitatum fuerit, quid cenſendum de ſtatutis
Eccleſiæ Tarviſinæ ſuper materia *d. cap.12. ſeſſ.24.* à Cardi-
nali authoritate Apoſtolica confirmatis, vel ab eodem Car-
dinali ſimili authoritate edictis: die 22 Auguſti 1583. Sac.
Congreg. cenſuit ipſius Congregationis declarationem ne-
quaquam habere locum in his ſtatutis.
62 Rurſus intellige declarationem prædictam, dummodò
confirmatio emanaverit à Papa ex certa ſcientia, & cum
cauſæ cognitione; ſecus ſi in forma communi, quia talis
confirmatio nihil novi tribuit, *c. Cùm dilecta*, §. *Nos igitur,
ver. Nolentes de confirm. util. vel inutil.* gloſ. *in c. Ex parte,
in ver. confirmatione, de conſtit.* Unde in ſimili quamvis Sac.
Congregatio declaraverit confirmationibus Apoſtolicis
per Concilium *ſeſſ.6. c.4. & ſeſſ.26. c.6.* non eſſe derogatum
poſteà tamen dixit intelligi derogatum concordiæ confir-
matæ a Papa in forma communi.
Fallit quartò, in Collegiatis Regularibus, quę quoad Ca- 63
nonicos Regulares non comprehenduntur decreto *d. cap.
12. ſeſſ.24. §. Præterea*. Ideòque cùm fuerit dubitatum ſtan-
te decreto Concilii *in d. cap.12. §. Diſtributiones verò*, quid
cenſendùm de ſtatuto, & conſuetudine Eccleſiæ Collegia-
tæ Canonicorum Regularium, ut tam ipſi Canonici Regu-
lares, quàm Portionarii, qui ſunt ſæculares in eadem Eccle-
ſia, ſingulis annis cum licentia Prioris, & Capituli per
quandraginta dies abeſſe poſſint, quibus una cum fructibus
Groſſæ, & diſtributiones quotidianas accipiant, perinde ac
ſi divinis officiis intereſſent. Præſuppoſito quod ex hujuſ-
modi ſtatuto, & conſuetudine iidem Canonici & Portio-
narii abſentes ultra quadraginta dies priventur diſtributio-
nibus quotidianis dumtaxat, non autem parte aliqua fru-
ctuum Groſſæ; an liceat eiſdem gaudere vacatione trium
menſium juxta præmiſſum Concilii decretum, *& d. c.12.
§. Præterea*, circa amiſſionem alicujus partis fructuum:
Sac. Congregat. cenſuit decretum Concilii *ſeſſ.24. cap.12.
§. Præterea, & §. Diſtributiones* non comprehendere Cano-
nicos Regulares; ſed nulla habita ratione ante dicti ſtatuti,
& conſuetudinis, Canonicos Regulares poſſe cum licentia
ſuorum ſuperiorum ex cauſa rationabili abeſſe per id tem-
pus quod ipſis permittitur, diſtributioneſque quotidianas
eatenus ſic abſentes percipere, quatenùs Superiori, & Capi-
tulo eis videbuntur concedendæ.
Portionarios verò ſæculares, qui divinis officiis non in- 64
terſunt, minimè poſſe conſequi diſtributiones quotidianas
niſi ex cauſis in jure permiſſis: Canonicos Regulares cum
legitima licentia Superiorum abeſſe poſſe etiam ultra qua-
draginta dies citra amiſſionem alicujus partis fructuum;
Portionariiſque ſæcularibus abſentibus non deberi fructus 65
niſi pro tempore, quo ex ſtatuto, ſeu conſuetudine Eccleſiæ
ipſis abeſſe licet, modo non ultra tres menſes.
Verumtamen Congregatio Vallis Umbroſæ expoſuit 66
habere quaſdam Abbatis, & Prioratus adeò tenues, ut in
illis non poſſit ordinare Collegium Monachorum; ideò ad
eorum curam conſuev. ſſe deputare Præsbyteros ſæculares,
autem unum vel duos Monachos ejuſdem Ordinis; titulum
autem, & dignitatem alicui Monacho ejuſdem Ordinis in
alio Monaſterio Collegiato conferre. Dubitavit itaque, an
id jure liceret, cùm talis Abbas, vel Prior hoc caſu non re-
ſideat: & deciſum eſt Abbatem, vel Priorem debere reſide-
re in loco Abbatiæ, vel Prioratus, cùm ſit dignitas. Nec ob-
ſtat, quòd non poſſit ibi Collegium ſuſtentari, quia Abbates
ſoli ibi commorari poterunt. Quoad curam animarum,
illam eſſe exercendam per eos, qui fuerint approbati ab Or-
dinario, juxta *c.11. ſeſſ.25. de Regular.*
Fallit quintò, in Canonicis obtinentibus unà cum Ca- 67
nonicatibus ex diſpenſatione Apoſtolica Parochiales Eccle-
ſias; tenentur enim reſidere in Parochialis, & ſic reſiden-
tes lucrantur omnes, & ſingulos fructus, redditus, & pro-
ventus Canonicatuum, vel Dignitatum, ſeu alterius cujuſ-
cumque beneficii, ut in conſtitutione Pii V. *Cupientes, in
Bullar. tom.2. pag* 262. & patebit infrà *in 2. membro princi-
pali in 21. ampliatione*. Sed etſi in Parochiali adſit onus
aſſiſtendi horis Canonicis, Sac. Congregatio inclinavit Ca-
nonicum ſimul, & Rectorem teneri potius intereſſe horis
Canonicis in Parochiali, quàm in Cathedrali; & vide limi-
tationem proximè ſequentem.
Fallit ſextò, in obtinentibus Canonicatus perpetuò, & 68
acceſſoriè annexos beneficiis requirentibus ſervitium mi-
noris temporis, quàm novem menſium; tenentur enim
tantummodò exhibere illud ſervitium, quod requirit bene-
ficium, cui Canonicatus eſt annexus, *cap. Exturpandæ,
§. Qui vero, de præb & cap. Super eo, e. d. tit. lib.6.* Ratio eſt,
quia beneficium perpetuò annexum amittit nomen benefi-
cii, & induit natura beneficii, cui ſubjectivè, & acceſſo-
riè eſt unitum, & fit illius prædium. Rota *deciſ.370. alias
11. de reb. Eccleſ. non alien. in antiq.* Oldrad. *conſ.257 factum
tale eſt n.15. verſ. Fundata igitur*, Doctores *in c. Dudum, il 2.*
& ibi dixi *n.31. ſuprà de elect.*
Hinc ſuppoſito ſtatuto Eccleſiæ Jacen. à Sede Apoſtolica 69
con-

confirmatio, ut Canonici teneantur per octo menſes quotannis in dicta Eccleſia reſidere, Dignitates verò per quatuor menſes; facta Congregatio cenſuit, Dignitates, quibus perpetuò, & acceſſoriè annexus eſt Canonicatus, ſive annexio facta fuerit ante confirmationem Apoſtolicam, ſive poſt, non teneri niſi ad reſidentiam quatuor menſium
70 injunctam Dignitatibus. Illos verò qui ex ſola conſuetudine Eccleſiæ, aut aliàs ex diſpenſatione obtinent dignitatem cum Canonicatu, ratione Canonicatus teneri ad reſidentiam octo menſium, ratione dignitatis ad reſidentiam aliorum quatuor.

71 Fallit ſeptimò, in duobus Canonicis in ſervitio Epiſcopi exiſtentibus, qui ex Sacrorum Canonum præſcripto percipere poſſunt in abſentia fructus præbendæ, ut ſunt jura in *cap. de cætero*, & ibi dixi, *& in cap. Ad audientiam, de Cler. non reſiden.* quibus non eſt derogatum à Concilio Tridentino *in d. cap. 12. §. Præterea, ſeſſ. 24.* in illis verbis: *Cujuslibet ſtatuti*, quia juri ſpeciali per generale non derogatur, ut per Dec. *in l. In toto, n. 7. de regul. jur.* & ita conſuluit Navarr. *conſ. 1. de Cler. non reſiden.* & fuit ſæpiùs reſolutum, ut dicam infrà *in 2. membro principali in 6. ampliatione, n. 106.*

72 Fallit octavò, in Canonicis familiaribus Papæ, qui percipiunt fructus præbendarum in abſentia, non obſtante contraria conſtitutione, ut eſt text. *in cap. Cùm dilectus, de Cler. non reſiden.* Non enim debent, ut legitur, minori prærogativa gaudere, quàm duo Canonici exiſtentes in ſervitio Epiſcopi. De hoc latiùs infrà *in 2. membro in 12. ampliatione, n. 99.*

Fallit nonò, in Canonicis abſentibus pro ſervitio ſuarum Eccleſiarum, *cap. Cum non deceat, de elect. lib. 6.* cui ſimiliter non eſt præjudicatum per Concilium *in d. §. Præterea*, ut per Navarr. *conſ. 8. de Cler. non reſiden.* & fuſiùs patebit infrà *in ſecundo membro, in principali, n. 155.*

73 Fallit decimò, in Canonicis abſentibus ſtudiorum cauſa, quibus debentur integrè præbendarum ſuarum fructus, ut eſt textus hìc, dummodo non ſtudeant in villa, vel caſtello, ubi nullum eſt, vel minùs competens ſtudium, *ut in cap. Tuæ, de Cler. non reſid. & in l. Sed & reprobare, §. fin.* & ibi gloſſ. *fin. ff. de excuſat. tutor.* ſed in publica Univerſitate, ut *in d. cap. fin. de magiſtr.* ibi, *In Scolis*, & clariùs in decreto Concil. Trident. *cap. 1. ſeſſ. 5.* ibi, *Dum publicè in Scholis*, text. *in l. 1. C. de Profeſſor. qui in Urbe, lib. 12.* & dixi ſuprà *num. 9.* Et idem ſi doceant in Eccleſia, ut patebit infrà *n. 115.* & dummodò ultra quinquennium non abſint, *dict. c. final.* Hoſtien. *hìc n. 1.* & Anchar. *n. 2.* & annum ætatis vigeſimum quintum non excedant, ut aliàs cenſuit Sacra Congregatio Concilii, & concurat Superioris licentia, ut dictum eſt ſuprà *in ſecundo notab.*

74 Fallit undecimò in tribus caſibus, in quibus Canonici lucrari poſſunt in abſentia diſtributiones quotidianas, juxta *cap. unic. de Cleric. non reſiden. lib. 6.* de quibus latè dicam infrà *in ſecundo membro principali in ultima fallentia*. In illis enim caſibus multò magis percipere poſſunt fructus præbendæ; cùm non tantùm pro præſentibus, ſed etiam pro intereſſentibus habeantur, ut *in d. cap. unic.* & ibi Anchar. *in princ.*

75 Fallit poſtremò in omnibus caſibus expreſſis in jure; generaliter enim cenſuit S. Congregatio nemini abeſſe licere, præterquam ex cauſis in jure expreſſis quæ an verè ſubſint, Epiſcopi eſſe judicium.

76 Circa ſecundum membrum de diſtributionibus, quæ aliàs manualia beneficia, ſeu victualia nuncupantur, *in c. olim, de verbor. ſignif. & in cap. De cætero, de Cler. non reſid.* ſimiliter ſtatuitur principalis concluſio deſumpta ex Trid. Concil. decreto *cap. 12. §. Diſtributiones verò, ſeſſ. 24.* videlicet, diſtributiones quotidianas qui ſtatis horis interfuerint, recipiunt, reliqui his carent, juxta Bonif. VIII. decretum, quod incip. *Conſuetudinem*, relactum *in cap. un. de Cler. non reſid. lib. 6.* quod S. Synodus in uſum revocat. Idem probatur hìc, & in Extravag. *Poſtulaſti, § Licèt de præb.* & Extravag. *Cùm nonnullæ, la prima, §. Propterea, eod tit.* & in aliis ejuſdem Concilii decretis *capit. 3. ſeſſ. 21. & cap. 3. ſeſſ. 22.*

77 Ampliatur primò prædicta concluſio, ut procedat, etiamſi conſuetudine introductum ſit, ut diſtributiones abſentibus debeantur; ea enim conſuetudo non valet, ſive introducta
78 fuerit ante Conſtitutionem Bonifacii *in d. cap. unic.* ſive poſt, quia cùm ea Conſtitutio non ſimpliciter deroget conſuetudini, ſed illi reſiſtat, eamque reprobet ut iniquam, & irrationabilem ibi, *Reprobantes*: ex hoc cenſetur non tantùm præterita, ſed etiam futura ſuſtuliſſe, ut ſentit Innoc. *in cap. Ex part. verſ. Sed diſtingue, de conſuetud.* Gemin. *in cap. 1. col. ult. de conſtit. in 6.* quos in propoſito ſequitur Covarr. *lib. 3. variar. reſol. cap. 13. num. 4. verſ. Prima concluſio*.
Et ob eam rationem ſæpiùs reſpondit Sac. Congregatio de- 79
creto *d. cap. 12. verſ. Diſtributiones, ſeſſ. 24.* etiam immemorabilem conſuetudinem fuiſſe ſublatam, ut pleniùs patebit infrà in diſcurſu materiæ.

Ampliatur ſecundò, ut locum habeat, etiamſi ex ſtatuto 80
Eccleſiæ cautum ſit, ut diſtributiones debeantur in abſentia. Ejuſmodi enim ſtatuta expreſsè ſublata ſunt à Concilio *in d. c. 12. §. Præterea ſeſſ. 24.* ibi, *Cujuslibet ſtatuti*, ut dictum eſt ſuprà in primò membro principali in tertia ampliatione.

Hinc infertur, ut de rigore juris non valeat ſtatutum, ut 81
Canonici, qui diù inſervierunt, habeantur, ut ajunt, pro Jubilatis. Et hæc fuit Sacræ Congregationis ſententia, licèt Gregorius XIII. in ſpeciali caſu Eccleſiæ Compoſtellanæ dixerit tolerandum eſſe hoc ſtatutum. Nam cùm in prædicta Eccleſia extaret ſtatutum ab immemorabili tempore obſervatum, ut poſtquam Præbendatus annos quadraginta in Eccleſia Horis divinis interfuerit, & inſervierit continuè, habeatur pro Jubilato in eo loco, ita ut ſit exemptus à ſervitio, & lucretur diſtributiones quotidianas perinde, ac ſi reſidere & inſerviret; fuit dubitatum, an eſſet validum. S. Congregatio cenſuit hujuſmodi ſtatutum eſſe ſublatum à Concilio *in cap. 12. ſeſſ. 24.* tamen referendum ad Sanctiſſimum, qui dixit, toleradum eſſe hoc ſtatutum; & ita ſcriptum fuit.

Ampliatur tertiò, etiamſi abſentes inſerviant per ſubſti- 83
tutum: nam nihilominùs diſtributiones quotidianas non lucrantur, nec valet contraria conſuetudo. Nam *in d. c. 12.* omnes divina per ſe, & non per ſubſtitutos tenetur obire officia Eccleſiaſtica, & Sacra Congregatio declaravit etiam 83
dignitates per ſe ipſa debere celebrare Miſſas, ſicut cætera officia, nec valere contrariam conſuetudinem.

Dixit tamen debere Epiſcopum concedere facultatem 84
Capitularibus ſeſe invicem ſubſtituendi in ſervitio tum Eccleſiæ, tum Chori; dum tamen non iis temporibus ſubſtituantur, quibus ſervitio Eccleſiæ adſtricti ſunt. Sed circa intellectum hujus declarationis vide quod ſcripſi *in c. Cum omnes n. 28. ſupra de conſtit.*

Ampliatur quartò, ex ſententia Sac. Corgegationis, ut 85
etiam ſervanda ſit conſuetudo, ſecundùm quam qui non ſint Presbyteri, licèt inſerviant, non tamen diſtributiones lucrentur. De quo vide quod ſcripſi *in cap. Olim, num. 27. & n. 56. de verbor. ſignif.*

Ampliatur quintò, ut eodem modo ſervanda ſit conſue- 86
tudo, ſecundùm quam de maſſa communi nullus Presbyter participat, niſi per annum gratis Eccleſiæ inſervierit. Hanc enim conſuetudinem reſponſum eſt nec decreto *d. c. 12. ſeſſ. 24.* nec Conſtitutione Pii V. incipien. *Durum nimis*, fuiſſe ſublatam. Quinimò in Eccleſia Andrien. extat ſtatutum à 87
Capitulo Eccleſiæ conditum abſque confirmatione Sedis Apoſtolicæ, quo cavetur, ut Clerici recipiendi in dicta Eccleſia ad aliquem ordinem non aſcendant, niſi de licentia Capituli, & ſic ordinati teneantur in quolibet ordine gratis per biennium inſervire, quo elapſo diſtributiones, & fructus percipere poſſint, juxta conſuetudinem dictæ Eccleſiæ.
Et orta controverſia, an Presbyter proviſus de dignitate 88
Cantoratus in dicta Eccleſia teneretur gratis inſervire prout in dicto ſtatuto continetur, vel eſſet admitttendus ad percipiendas diſtributiones, & fructus, non expectato lapſu biennii: Sac. Congreg. cenſuit dictum proviſum teneri expectare ad inſtar aliorum.

Ampliatur ſextò, ut nec ſufficiat Horas Canonicas in 89
choro legere aut ſubmiſſa voce recitare; oportet enim pſallere alta voce, ut articulo diligènter diſcuſſo in Canonicis Baſilicæ S. Petri de Urbe declaravit Sacra Congregatio. Nam propoſita controverſia, an ſtantibus Eccleſiæ Conſtitutionibus, quarum exemplum datur in neceſſariis, & decreto Conc. Trident. *c. 12. ſeſſ. 24. verſ. Omnes vero*, & conſuetudine Eccleſiæ, etiam poſt Concilium, ut Canonici Beneficiati, & Clerici intonent Antiphonas, inchoent pſalmos, hymnos, invitatorium, decantent verſiculos, orationes tam ad Miſſas, quàm ad omnes horas; decantent lectiones ad Matutinum, & capitula, ſeu lectiones breves ad omnes horas, recitent Confeſſionem, & Abſolutionem, & fugantur in Miſſa ſolemni, quæ quotidiè cantatur, offi-

officio Sacerdotis, Diaconi, & Subdiaconi, Acolythi, &
pariter officio Mortuorum: in cantando autem pſalmos,
& reſponſoria, &c. non ſoleant niſi ad libitum eorum ali-
qui Cantoribus, & Capellanis, qui officia divina decan-
tant, ſuas voces adjungere: plerique verò ſilere, & adſiſte-
re: & ſtantibus Bullis Julii II. & aliorum, & noviſſimè
Gregorii XIII. & Sixti V. quibus approbatur uſus Canto-
rum, & Capellanorum ad dicendum in Choro, cum clau-
ſula tamen ut Canonici beneficiati, & Clerici non per hoc
à functionibus ſuis abducantur; an poſſint & debeant
cogi omnes Canonici, & Beneficiati, & Clerici ad alta
voce in Choro pſallendum, & decantandum horas Cano-
nicas.

Die 12. Novembris 1592. propoſitum fuit ſupraſcriptum
dubium in Congregat. cui interfuerunt decem Cardinales.
Et cùm fuerit dubium plenè diſcuſſum, octo Cardinales
fuerunt illius ſententiæ, Canonicos Baſilicæ S. Petri tum
ex diſpoſitione juris communis, tum etiam ex decreto
Concilii *c.12. ſeſſ.24.* & ex Conſtitutionibus ipſius Baſilicæ
teneri ad pſallendum in Choro.

90 Ampliatur ſeptimò, ut nec liceat Canonicis punctaturas
ſibi mutuò remittere, aut condonare; obſtat enim huic re-
miſſioni tam juris communis diſpoſitio, ut poſt Archid. no-
tat Jo. Andr. ad gloſſ. *in d. cap. unic. in ver. Suas, de Cler. non
reſid. lib.6.* quam Conc. Trid. *in d. cap. 12. §. Diſtributiones
verò, ſeſſ. 4.* ibi, ***Reliqui quavis colluſione, aut remiſſione ex-
cluſa his careant.***

91 Unde cùm fuerit quæſitum, an Canonici poſſunt mutuam
remiſſionem punctaturarum facere, reſponſum eſt non
poſſe; imò debere Epiſcopum illas portiones, quam Cano-
nici ſibi invicem remiſerunt, in pœnam fraudis applicare fa-
bricæ Eccleſiæ, vel alteri pio loco. Aliàs tamen dictum fuit
poſſe Canonicos, poſtquam portiones non reſidentium
perceperunt, illas quibus placuerit, dare.

92 Ampliatur octavò, principalis concluſio, ut vendicet
ſibi locum etiam in abſentibus ultra tres menſes à Concilio
permiſſos. Nam etſi eo tempore percipere poſſint fructus
præbendæ, non tamen lucrantur diſtributiones quotidia-
nas; quia hic caſus non eſt de exceptis in Conſtitutione
Bonifacii VIII. innovata a Concilio *in d. cap. 12. verſ. Di-
ſtributiones, ſeſſ.24.* Imò hoc procedit non obſtante contra-
ria conſuetudine etiam immemorabili, ut ſcripſi plenè *in
cap. Cum omnes, num.22 ſupra de conſtit.* Item procedit non
obſtante contrario ſtatuto Eccleſiæ a Canonicis jurato.

93 Ideòque cum in Eccleſia Eborenſi extaret ſtatutum à Ca-
nonicis conditum, & inter alia ejuſdem Eccleſiæ ſtatuta ge-
neraliter juratum, per quod licebat Canonicis per centum
dies quolibet anno à ſua Eccleſia abeſſe, & nihilominùs di-
ſtributiones quotidianas lucrari, dubitatum eſſet, an hoc
ſtatutum eſſet ſublatum à Concilio, *cap. 12. ſeſſ. 24.* Sacra
Congregatio cenſuit quoad quotidianas diſtributiones nec
quidem in tribus menſibus à Concilio permiſſis poſſe
quemquam Canonicum eas in abſentia lucrari. Quod
verò attinet ad quæſtionem, an ſtatutum illud juratum cen-
ſeatur ſublatum; cenſuit eſſe ſublatum, quamvis juratum;
tum quia lex generalis tollit ſtatuta: ergo & juratum,
quia juramentum fuit generale, non ſpeciale ad id ſtatutum;
tum quia ſtatutum factum eſt a ſolis Canonicis, qui nullam
poteſtatem habent ita ſtatuendi. Quinimò per contrarium
94 ſi adſit conſuetudo, ut abſentes illis menſibus amittant
etiam fructus maſſæ groſſæ a diſtributionibus diſtinctæ;
reſponſum eſt conſuetudinem eſſe laudabilem, & ob-
ſervandam.

95 Ampliatur nonò in abſentibus à loco beneficii tempore
peſtis; nam etſi fructus præbendæ percipiant, non tamen
habebunt diſtributiones quotidianas, niſi ex conſuetudine
obtentum ſit eas abſentibus ex juſta cauſa dari. Contigit
hic caſus Patavii; nam peſte ibi ſæviente quidam Canoni-
ci, qui diu abfuerunt à ſervitio Cathedralis, petebant di-
ſtributiones quotidianas, quippè qui abfuiſſent ex juſta, &
rationabili cauſa. Sed cùm cæteri Canonici, qui reſederant,
ſibi deberi contenderent: Sacra Congregatio cenſuit Ca-
nonicis, qui cauſa peſtis abfuerant, non deberi quotidia-
nas, niſi probaretur conſuetudo legitima, quòd diſtributio-
nes hujuſmodi darentur abſentibus ex juſta cauſa, prout
etiam decidit Ripa *de peſte de privileg. contr. 11. verſ. Quin-
ta, peſtis, n. 143. 144. 145.* & ſufficere, ut probetur con-
ſuetudo, qua abſentes ex juſta cauſa percipiunt diſtributio-
nes quotidianas. Sequitur prællegatum Ripæ reſponſum
etiam Covarr. *lib.3. variar. reſolut. cap. 13. num.8. verſ.
Nono hinc deciditur.*

Ampliatur decimò, etiam in Canonicis abſentibus ſtu- 96
diorum cauſa, quibus debentur fructus præbendæ tantùm,
non autem quotidianæ diſtributiones, ut hìc eſt caſus ad lit-
teram. Quod tamen ex ſententia S. Congregationis locum
habet, ſi Canonicatus habeant fructus à diſtributionibus di-
ſtinctos; ſecus verò ſi redditus omnes in diſtributionibus 97
conſiſtant, quia tunc ſtudiorum cauſa abſentes lucrantur
duas tertias illarum partes amiſſa alia tertia, quæ inſervien-
tibus accreſcit, latiùs dicam infra *in prima fallen. n.124.
& ſeqq. & n.129.* Idque declaravit habere locum tam in do-
centibus, quam in ſtudentibus.

Ampliatur undecimò, etiam in Epiſcopo Canonico, qui 98
abeſt ex cauſa viſitationis ſuæ Diœceſis, non enim eo tem-
pore lucratur diſtributiones quotidianas, quia littera *d. cap.
unici, de Cler. non reſid. lib.6.* ibi, ***Evidens Eccleſiæ utilitas,***
intelligitur de utilitate Eccleſiæ particularis, de cujus diſtri-
butionibus agitur, ut fuſiùs patebit infra *n.160.*

Unde propoſito hoc dubio, an Epiſcopi obtinentes Cano-
nicatus, & præbendas in eorum Eccleſiis, poſſint, & de-
beant gaudere fructibus, & diſtributionibus quotidianis
durante tempore viſitationis ſuorum Epiſcopatuum. Sacr.
Congregatio cenſuit Epiſcopum pro tempore, quo viſi-
tat, non debere percipere diſtributiones quotidianas dari ſo-
litas tantùm intereſſentibus, juxta *cap. unicum, de Cler. non
reſid. in 6.* & Concilium Tridentinum *ſeſſ.24. c.12.*

Ampliatur duodecimò, in familiaribus Papæ, qui non ob- 99
ſtante conſtitutione contraria, præbendarum ſuarum fru-
ctus percipiunt in abſentia, ſed non quotidianas diſtribu-
tiones, ut eſt caſus *in dict. cap. Cum dilectus*, juncta gloſ.
omnium conſenſu approbata *in ver. Fructus, de Cler. non
reſident.*

Ampliatur decimotertiò, in habentibus privilegium 100
Apoſtolicum percipiendi fructus beneficiorum ſuorum in
abſentia, quibus ſimiliter debentur fructus præbendæ tan-
tùm, non autem diſtributiones, ut hìc eſt textus ſecundum
unam lecturam. Item textus *in cap. final. de reſcript. in 6.*
& tradit Covarr. *lib. 3. var reſol. cap. 13. num. 2. verſ. Qui-
bus adſtipulatur.* Imò hoc vendicat ſibi locum, etiamſi in 101
reſcripto Papæ præcipiatur, ut abſenti tribuantur fructus
beneficii, ac ſi præſens eſſet: nam nihilominus ex hoc ei
diſtributiones non deberentur, ut notat gloſ. *in d. c. unic.
in ver. adfuerunt*, quam dicit ab omnibus approbatam
Covarr. *loc. cit.* Nam harum diſtributionum ea eſt propria 102
natura, ut debeantur his tantum, qui verè intereſſunt divinis
officiis, non autem his qui fictè reſident, aut juris interpre-
tatione, *cap. De cætero, de Cler. non reſident.* Covarr. *eod. n.2.
verſ. nam harum diſtributionum.* Secus eſſet, in reſcripto 103
diceretur, perinde ac ſi divinis intereſſet, ſecundum gloſſ.
prælleg. quæ proptereà admonet impetrantem, ut ſit cau-
tus, & ſecundum hanc formam impetret, ſi poteſt, licèt ſub-
dat. Non memini vidiſſe talem formam ab Apoſtolica Sede
manaſſe; ſi tamen daretur, eſſet quartus caſus exceptus, ſci-
licet ex privilegio Apoſtolico. De hoc infra *num....*

Ampliatur decimoquartò, in Inquiſitoribus, qui hæreti- 104
cæ pravitatis munere funguntur. Item in examinatoribus
Synodalibus, dum ſimiliter ſuo munere funguntur. Item in
Canonicis, qui voluntariè, non autem ex officio ſeſe Con-
feſſionibus audiendis exponunt; abſentes enim his tribus ca-
ſibus a ſervitio Chori ex ſententia S. Congregationis diſtri-
butiones non lucrantur, etiamſi adſit contraria conſuetudo
in Synodo Diœceſana confirmata.

Ampliatur decimoquintò, in Canonicis familiaribus Epi- 105
ſcopi, qui dum abſunt, vel ex eo quòd ab Epiſcopo vocan-
tur in Choro ad eum comitandum, vel ad inſerviendum
dum Miſſam particulariter celebrat, ex S. Congregationis
ſententia non lucrantur diſtributiones; imò etiam fructi-
bus, ſi non reſederint, ſunt privandi, niſi ſint illi duo Ca-
nonici, quorum opera Epiſcopus ad præſcriptum ſacrorum
Canonum uti poteſt; hi enim tunc fructus perciperent
amiſſis diſtributionibus quotidianis.

Ampliatur decimoſextò, in duobus Canonicis exiſtenti- 106
bus in ſervitio Epiſcopi, qui, ut proximè dictum eſt, perci-
piunt in abſentia fructus præbendæ tantùm, non autem
quotidianas diſtributiones, caſus eſt *in cap. De cætero, & in
cap. Ad audientiam, de Cler. non reſid.* niſi redditus uni-
verſi diſtributionibus conſtent, ut dicam infrà *num.124. &
ſeqq.* & ſcripſi latiùs *in d. cap. De cætero.* Hinc cenſuit Sac. 107
Con-

Congregatio duos Canonicos aſſociantes Prælatum volentem quandoque audire Miſſam in Eccleſia non Cathedrali Civitatis, non poſſe participes eſse quotidianarum diſtributionum.

108 Item cenſuit ſtante conſuetudine, ut Epiſcopo in Cathedrali etiam non Pontificaliter celebranti duo Canonici aſſiſtant, hos Canonicos ad hoc teneri, ſi ſit conſuetudo legitimè præſcripta. Cæterùm ſive conſuetudine adactos, ſive volentes, ubi adſtiterint, percipere diſtributiones quotidianas nequaquam debere.

109 Item cenſuit diſtributiones non lucrari Canonicos inſervientes Epiſcopo in viſitatione diœceſis, aut in Monialibus velandis, aut in examine ordinandorum, & promovendorum ad beneficia, vel qui Seminario præſident, aut in con-
110 gregationibus S. Officii adhibentur. Quinimò Archiepiſcopo Januenſi petente, ut duo Canonici eum comitantes in viſitatione Diœceſis pergere poſſent in percipiendis quotidianis diſtributionibus, juxta antiquam illius Eccleſiæ conſuetudinem, cenſuit non concedendum.

111 Item propoſito dubio, an Canonico Cathedralis Eccleſiæ, qui munere Vicarii Epiſcopalis fungitur, diſtributiones quotidianæ debeantur, etſi horis divinis non interſit, præſertim cùm à tempore immemorabilis obſervatum ſit, ut debeantur: reſpondit non deberi.

112 Ampliatur decimoſeptimò, in Canonico, qui electus fuit judex vel vigore commiſſionis, ſi in evidentem, vel vigore litterarum remiſsorialium vel compulſorialium, & id genus aut electus judex Synodalis, qui niſi abſit pro exequendis ſibi commiſſis, ex ſententia S. Congregationis perdit diſtributiones, nec poteſt ad illas admitti: & idem reſponſum in
113 Canonico aſſiſtente Congregationi rerum ſpiritualium ad regimen, & directionem Eccleſiæ ſpectantium.

114 Ampliatur decimoctavò, in Canonico legente, & ſermocinante ex debito ſui officii, cui ſimiliter reſponſum eſt deberi fructus præbendæ, ſed non diſtributiones.

115 Unde cùm obtinens præbendam Thologalem in Eccleſia Anagnina quæſiiſset à S. Congregatione, an teneretur ad inſerviendum in Chororo divinis officiis cum aliis Canonicis, præſertim in diebus feſtis, in quibus non legitur: Sacra Congregatio cenſuit poſse ſe excuſare ab hoc onere, & nihilominus percipere fructus ſui beneficii, exceptis quotidianis diſtributionibus, *ad cap. Super ſpecula de Magiſtr.*

Item conſulta, *an cap.* 1. *ſeſſ.* 5. *verſ. Docentes*, habeat locum in docentibus in Eccleſiis, ut quamvis à ſervitio Chori abſint, poſſint tamen percipere fructus ſuorum Canonicatuum, exceptis quotidianis diſtributionibus: reſpon-
116 dit habere. Verùm diebus, quibus legunt, habendi ſunt ſicut præſentes in Choro, & intereſsentes, ut declaravit Gregorius XIII.

117 Et ſtante hac declaratione ſuborto dubio, an cenſendus ſit etiam præſens matutinis, quæ ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine dicuntur veſpere præcedenti pro die ſequenti: reſponſum eſt non cenſeri.

118 Ampliatur decimononò, in Canonico celebrante Miſsam devotionis cauſa, quem ſimiliter reſponſum eſt diſtributiones non lucrari, niſi celebraverit ex onere ſibi injuncto. Et aliàs deciſum Canonicos Miſsam celebrantes ſubmiſſa voce, dum divina celebrantur, diſtributiones itidem percipere non debere, niſi illa hora ad celebrandum Miſſam ab eo, ad quem pertinet, compulſi fuerint. Idem reſponſum de Canonicis, qui abſunt à Choro, ut celebrent in Capellis, in quibus tenentur Miſſas celebrare, vel devotionis gratia, qui non debent percipere diſtributiones illius horæ. Quòd ſi permiſſu ſuperioris id facerent, admonendum eſſe ſuperiorem, ut abſtineat ab his licentiis concedendis.

119 Ampliatur vigeſimò, in peregrinantibus devotionis cauſa, quos itidem non lucrari diſtributiones declaravit Sacra
120 Congregatio. Verumtamen ex gratia cenſuit poſſe concedi, ut tribus menſibus Jubilæi cauſa abſentes diſtributiones quotidianas percipiant; ita tamen ut Epiſcopi ſit arbitrium, quota pars Canonicorum eodem tempore poſſit abeſſe.

121 Ampliatur vigeſimoprimò, in obtinentibus ex legitima diſpenſatione Parochialem cum Canonicatu, vel Dignitate; tenentur enim reſidere in Parochiali, & ſic reſidentes lucrantur fructus, ac redditus omnes Canonicatus, vel Dignitatis, exceptis dumtaxat diſtributionibus quotidianis, ut diſertis verbis cavetur in Bulla S. Pii V. ſuperiùs relata *num.*67. & ſæpiùs Sacra Congregatio declaravit. Quæ itidem conſulta, an habens Parochialem, & Canonicatum, excludatur à ſervitio Canonicatus; cenſuit non excludi, dummodò omnibus diebus; & horis priùs debitis Parochiali inſervierit, ut nihil prorsùs depereat debito ſervitio Parochialis. 122

Ampliatur vigeſimoſecundò, in obtinente duos Canonicatus ex diſpenſatione Apoſtolica, qui ex ſententia S. Congregationis privatur diſtributionibus illius Canonicatus, cui non deſervit. Quinimò propoſito dubio, an obtinens dignitatem cum Canonicatu, ſeu portione in eadem Eccleſia, teneatur per ſeipſum utriuſque beneficii onera ſubire, ita ut non ſatisfaciat Concilio deſerviendo perſonaliter in dignitate, per ſubſtitutum verò in Canonicatu, ſeu portione, non obſtante contraria Eccleſiæ conſuetudine etiam immemorabili; S. Congregatio cenſuit teneri, nec aliter Concilio ſatisfacere, quàm ſi perſonaliter utrique beneficio deſerviat, niſi ſervitia ita ſimul concurrant, ut ab una perſona eodem tempore præſtari nequaquam poſſint. 123

Fallit tamen concluſio ſupra firmata, *n.*76. Primò, ſi Canonici non habeant præbendas diſtinctas, nec fructus groſſos, ſed univerſi Capituli redditus ſolis diſtributionibus conſtent; tunc enim abſentes in caſibus expreſſis in jure, puta ſtudiorum cauſa, inſpecta juris communis diſpoſitione illas lucrantur integrè, textus eſt *in c. Olim*, *infrà de verb. ſignif.* ſecundùm intellectum, quem dicunt verum eſſe, Hoſtien. *num.*3. & Jo. Andr. *n.*2. & pleniùs probavi *ibidem in* 5. *notab.* & tenet gloſ. *pen. verſ. Et ad hæc facit*, *& verſ. Sed quid dicis*, *in cap. unic. de Cler. non reſid. lib.*6. quem ibi ſequuntur Gemin. §. *Qui vero*, *num.*14. Franc. *num.*8. & reliqui omnes. Idem tenet gloſ. noſtra hìc omnium conſenſu approbata. Ratio eſt, tum quia cùm juxta Sacros Canones non detur Canonia ſine præbenda, *cap. Relatum*, *& cap. Dilectus il primo*, *ſup. eod.* conſequens eſt, ut diſtributiones, in quibus univerſi redditus conſiſtunt, ſuccedant integrè in locum præbendæ. Tum quia aliàs privilegium eſſet inutile, ſi abſentes in caſibus privilegiatis illas non perciperent: quas duas rationes aſſignat gloſſa præallegata *in d. cap. unic.* 124

Hinc orta dubitatione, an cùm Canonicatus Eccleſiæ Cathedralis omnes redditus in diſtributionibus quotidianis conſiſtant, diſtributiones ipſæ pro præbenda ſint intelligendæ, ut ſit locus erectioni præbendæ Theologalis, juxta *cap.*1. *ſeſſ.*5. Sac. Congregatio cenſuit ita eſſe intelligendas quia cùm omnes redditus conſiſtant in diſtributionibus, illæ habentur loco præbendarum, gloſ. *in cap. Licèt*, quæ loquitur de diſtributionibus, quæ dantur intereſſentibus tantùm de præbend. & Card. *ibid.* 125

Et quamvis Concilium, ibi, *Nulla vel non ſufficiens*, providerit in caſu, quo nulla adeſſet præbenda; tamen non poteſt dici non adeſſe præbenda, cùm adſint diſtributiones, quæ habentur loco præbendarum. Idque etiam in materia perceptionis fructuum in abſentia ſentiebat olim Sac. Congregatio. Nam cùm in Eccleſia Anagnina Canonici nullas haberent præbendas diſtinctas, ſed tantùm diſtributiones quotidianas, quæ dantur inſervientibus tantùm, & partim ſunt certæ, ut illæ, quæ ex redditibus Eccleſiæ colliguntur, partim incertæ, ut mortuaria, & alia ſimilia: Dubitatum fuit, an Canonico abſenti ex cauſa ſtudiorum, obtenta legitima licentia, deberentur hæ diſtributiones: S. Congregatio cenſuit exceptis incertis illis, & quotidianis diſtributionibus, quæ tantummodò inter eos quotidiè dividi ſolent, qui ſacris interſunt, reliquas debere dari iis, qui obtenta legitima licentia, abſunt ex cauſa ſtudiorum.

Et iterùm cùm fuiſſet dubitatum in una Narnien. an duo Canonici inſervientes Epiſcopo deberent lucrari diſtributiones quotidanas, ſi omnes redditus Capituli in illis conſiſtant; cenſuit duos Canonicos verè inſervientes Epiſcopo debere lucrari partem ſuarum diſtributionum quotidianarum, ac ſi præſentes inſervirent Eccleſiæ; quia cum nullus alius redditus ſit, nullave diſtinctio præbendarum, & ſolùm ſint diſtributiones iſtæ quotidianæ loco præbendarum ſecundum gloſſ. *in cap.*1. *de Cler. non reſid. in* 6. debentur iſtis Canonicis ſervientibus Epiſcopo, ne aliàs privilegium datum Epiſcopo, *& cap. Cætero*, inutilia reddantur, gloſ. *in cap. Licèt de præb.* Butr. *conſ.*42.

Ampliùs ſuborta dubitatione, an obtinentes Parochiales ex legitima diſpẽſatione unà cum Canonicatibus poſſint percipere diſtributiones, quæ dantur inſevientibus in Cathe-

thedrali, ſi in ſolis diſtributionibus redditus Capituli conſiſtant? Sanctiſſimus decrevit ex ſententia Congregationis, ut Canonici obtinentes ex legitima diſpenſatione dictas Parochiales, debeant in eis perſonaliter reſidere. Et ſi redditus ſuorum Canonicatuum verè conſiſtat in diſtributionibus quotidianis, ita ut omnes percipiantur de communi acervo, & nullæ porsùs præbendæ diſtinctæ ſint nec detur aliquid iis, qui horis divinis non interſunt, poſſint ſic reſidentes in ſuis Parochialibus eos integrè percipere: quòd ſi poſt debitum ſervitium Parochialibus ſuis præſtitum potuerint etiam Canonicatibus inſervire, tunc eos non percipient, niſi quatenùs inſervirent. Ita, inquam, ſentiebat olim S. Congregatio.

126 Verùm quia in illis Eccleſiis, ubi nullæ ſunt diſtributiones, vel ita tenues, ut veriſimiliter negligantur, Concilium Tridentinum jubet ſeparari tertiam partem fructuum, & in diſtributiones converti, quæ inter dignitates obtinentes, & cæteros divinis intereſſentes dividantur, ut *in cap.3. ſeſſ.21.* propterea S. Congregatio poſtea ſemper dixit in illis Eccleſiis, ubi redditus omnes diſtributionibus conſtant, tertiam partem retinere naturam diſtributionum, ita ut non intereſſentes illam non percipiant; reliquas duas partes ſuccedere in locum præbendæ, & deberi abſentibus ex legitima cauſa. Qua de re pleniùs diſſerui *in d. cap. De cætero, de Cler. non reſid. à num.29. & in cap. Quia in tantum, n.34. ſuprà eod.*

127 Ulteriùs idem juris eſſe cenſuit, ſi redditus Canonicatus ferè omnes in diſtributionibus conſiſtant; tunc enim declaravit perinde eſſe, ac ſi nulli eſſent fructus; ac proinde abſentes ſtudiorum cauſa, vel in ſervitio Epiſcopi, aut in aliis ejuſmodi caſibus, percipere debere duas tertias illarum partes, amiſſa tertia, quæ inſervientibus accreſcit.

128 Quomodo autem hæc tenuitas fructuum æſtimanda ſit, S. Congregatio certis limitibus generaliter non præfinivit. Licèt aliquando declaraverit hoc habere locum in aliquibus Eccleſiis, in quibus adeò tenues erant fructus; ut Canonici
129 in univerſum triginta aureos tantùm perciperent. Et aliàs cenſuit, ubi fructus præbendæ ſunt ita tenues, ut quartam partem diſtributionum non ſuperent, procedi poſſe, ſi Sanctiſſimo viſum fuerit, ut docentes in publica univerſitate Sacram Scripturam, necnon ſtudentes per quinquennium duas partes lucrentur, dimiſſa tertia, quæ ut ſupra accreſcit inſervientibus.

Vidi aliquando per Secretarium Brevium expediri litteras, in quibus indulgetur abſentibus ſtudiorum cauſa, ut percipere poſſint non tantùm fructus præbendæ, ſed etiam duas partes quotidianarum diſtributionum, nulla habita diſtinctione, an fructus præbendæ ſint tenues, necne. Sed hæc clauſula fortè irrepſit per incuriam miniſtrorum, nam verè duæ partes diſtributionum non ſunt concedendæ abſentibus ex prædicta cauſa, niſi quando aut nulli extant fructus, aut ita tenues, ut non habeantur in conſideratione, ex ſuprædictis.

130 Fallit ſecundò principalis concluſio in Collegiatis regularibus, quarum Canonici regulares de licentia ſuperiorum percipere poſſunt in abſentia nedum fructus, ſed etiam diſtributiones quotidianas, cum non comprehendantur in decreto Conc. Trident. *c.12. §. Prætereà, & §. Diſtributiones, ſeſſ.24.* ut dictum eſt ſuprà *in 1. membro princip. in 4. Fallentia n.63.* & ſcripſi pleniùs *in c. Ea quæ, §. Præcipimus, de ſtatu Monach.*

131 Fallit tertiò, ſi ex lege fundationis Eccleſiæ, vel Canonicatus cautum ſit, ut abſentes in aliquo caſu perciperent de diſtributionibus quotidianis. Nam Concil. *in d. cap.12. ſeſſ.24.* fundationibus non derogavit, ut dictum eſt ſupra *in 1. membro princ. in 2. fall. num.58.* Quippè in duobus tantùm caſibus Concil. legitur derogaſſe privilegiis in limine fundationis, nempè *in cap. ult. ſeſſ.25. de regul. & in cap.6. ſeſs.25. de reform.*

132 Fallit quartò, ſi ex ſtatuto Eccleſiæ à Sede Apoſtolica confirmato indulgeat, ut abſentes in aliquo caſu ſimiliter participent de quotidianis diſtributionibus. Nam etſi Concil. *in d. cap.12. §. Prætereà,* tollat ſtatuta; non tamen tollit confirmata ex certa ſcientia, & cum cauſæ congnitione, ut pariter dictum eſt ſupra *in 3. fallen. primi membri principalis num.59.*

133 Fallit quintò, ſi Canonici habeant indultum Apoſtolicum vacandi à ſervitio Eccleſiæ, & nihilominùs percipiendi diſtributiones, ut per Joan. Andr. *in d. cap. unic. num.3. in verb. Et excuſaret, de Cler. non reſid. lib.6.* quia Concilium in præcitato *c.12.* ſuſtulit conſuetudines, non autem privilegia. De hoc ſupra *in hoc ſecundo membro in 13. ampliat. n.100.*

Hinc cùm fuerit quæſitum, an Concilium Tridentinum 134
d. c.12. ſeſſ.24. obſtet, quominùs Canonici Piſtorien. juxta indultum Sixti V. poſſint gaudere vacationibus permiſſis, & nihilominùs percipere diſtributiones quotidianas, quæ aliàs de jure debentur intereſſentibus tantùm? Secundò, an ſit auferenda facultas Capitulo concedendi licentias abſentiæ, quam habet ex d. indulto? Quoad primum S. Congreg. cenſuit, quia Concilium in hac parte non derogat privilegiis, non obſtare. Ad ſecundum reſpondit non eſſe auferendam, licèt poſſit Epiſcopus providere, ne fiat fraus cultui divino ex aliquo abuſu; quia cùm ſit jam ſtatutum indulto quota pars Canonicorum abeſſe poſſit ſimul, non eſt locus decreto S. Congreg. tribuenti hanc facultatem Epiſcopo cum conſilio Capituli. Et aliàs declaratum fuit Canonicos tempore permiſſo abeſſe poſſe abſque licentia.

Fallit ſextò in Canonicis, qui Epiſcopum ad limina Beatorum Apoſtolorum comitati ſunt, aut qui eadem limina Epiſcopi nomine viſitarunt, quibus ex decreto Sixti V. jubentur aſſignari diſtributiones quotidianæ totius temporis acceſſus, manſionis, ac reverſionis, quod in hanc cauſam inſumpſerint; eiſque ad Eccleſiam ſuam revertentibus conſueverunt hac de re dari litteræ à S. Congreg. Concil.

Fallit ſeptimò, in Canonicis abſentibus tempore peſtis, quibus debentur diſtributiones quotidianæ, ſi ex conſuetudine obtentum ſit, ut dentur abſentibus ex legitima cauſa, ut oſtenſum eſt ſuprà *in hoc ſecundo membro in 9. ampliat. n.95.* & huic limitationi ſuffragatur, quòd etſi conſuetudine introduci non poſſit, ut diſtributiones quotidianæ debeantur non intereſſentibus divinis officiis, ut eſt text. *in d. cap. unic. de Cler. non reſiden. lib.6.* & dictum eſt ſupra *in hoc ſecundo membr. principali in prima ampliat.* tamen hoc non procedit, ſi conſuetudo hoc introduxerit in eo caſu, in quo de jure dubium ſit, an diſtributiones abſentibus debeantur, necne: eo enim caſu conſuetudinem validam eſſe, & juris ambiguitatem poſſe interpretari, ac declarare, ſcripſerunt Baldus *inter conſ. Cardin. conſ.53.* Dec. *in cap. Cum omnes, in prima lectura, col.1. num..... de conſtit.* & Andreas ab Exea, *ibid. num.50.* Roch. de Curte *in tract. de conſuet. c. ult. fol.15. col.2. in 3. notab. 3. limit.* & Covar. *lib.3. variar. reſol. cap.13. num.3. verſ. Prima ſanè in hunc modum proponitur.*

Fallit ultimò, in tribus caſibus expreſſis in Conſtitutio- 135
ne Bonifacii VIII. à Concilio innovata, quæ habetur in præalleg. *cap. unic. de Cler. non reſid. lib.6.* ibi, exceptis illis, quos infirmitas, ſeu juſta, & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret. Unde propoſito dubio, utrum Ordinarius poſſit excuſare à reſidentia Chori aliquem Canonicum, vel Capellanum ex cauſa legitima, juxta *c. unic. de Cler. non reſiden. in 6.* ſine conſenſu aliorum Canonicorum, aut Capellanorum, quorum intereſſe videtur propter jus accreſcendi: Reſponſum eſt poſſe, ſi eſt ex cauſis comprehenſis *in d. cap. unic.* quia illud Concilium non ſuſtulit, nec requirit Capituli conſenſum.

Primus igitur caſus exceptus, in quo de jure quotidia- 136
næ diſtributiones debentur abſentibus, eſt infirmitas, ut ibi eſt expreſſum, & tenet gloſsa ab omnibus approbata *ibid. in verb. Infirmitas.*

Extenditur primò hic primus caſus, ut habeat locum etiam non probata conſuetudine percipiendi diſtributiones in abſentia. Neque enim admittendus eſt intellectus Philippi Franchi ad illum textum, exiſtimantis ita demum morbo impeditis deberi quotidianas diſtributiones, ſi ex conſuetudine introductum ſit, ut abſentibus debeantur; imò enim etiam circumſcripta conſuetudine debentur infirmis, ut clarè probatur *in d. cap. unico*, ubi à regula, quæ præmittitur de diſtributionibus quotidianis in abſentia non percipiendis, excipiuntur primo loco ii, quos infirmitas excu-
ſaverit. Idem probat text. gloſ. *in leg. Arboribus, §. de illo, ff. de* 137
uſufructu, per quem text. gloſ. ibi adnotavit famulo deberi ſalarium etiam pro eo tempore, quo ægrotus ſit. Quod etiã cenſuerunt Innoc. Joan. Andr. & Barboſ. *in cap 3. de locato, n.25.* Ad idem text. *in l.4 §. Stichus ſi hæredi, ff. de ſtat. lib.* ubi conditio ſerviendi certo tempore cenſetur eveniſse, ſi eo tempore ſervitium impendi non potuit morbo impediente, & optimus text. *in l.1. §. Divus, ff. de var. cognit.*

Et

Et eſt communis opinio,ut *in d.c.*3.teſtatur Jo.de Imol.*n.*13. & quidquid ſit in famulo,in quo contrariam opinionem dicit eſſe veriorem,Imol. *eod.num.*13.& communem Abb in *cap.*1.*num.*8. *infrà de Cler. ægrotan.* quia titulum non habet, ſed tantum locat operas ſuas, & poteſt ad nutum amoveri: certè in Clerico intitulato hæc ſententia non eſt omninò amplectenda. Atque ita diſtributiones quotidianas deberi Canonicis, qui ægritudine impediti, divinis officiis intereſſe non potuerunt, etiam nulla exiſtente conſuetudine, exploſa contraria Philippi Franchi interpretatione, concludit poſt alios Covarr. *d.l.*3.*variar.reſolut. cap.*13.*num.*8. *verſ. Ergo contrariam ſequutus opinionem*, & hoc ſervat Curia, ut mox patebit.

138 Extenditur ſecundò, ut habeat locum non obſtante ſtatuto Capituli,ut ægrotis,vel ex quavis cauſa abſentibus non dentur diſtributiones: hujuſmodi enim ſtatutum Sac.Congregatio cenſuit non eſſe confirmandum, cùm ſit irrationabile, & contra bonum Eccleſiæ, ut probatur *in cap.*1. *de Cler. ægrot.* ibi,quia ſi alii ejus eſſent exemplo deterriti, fortè non poſſet qui militaret Eccleſiæ inveniri.

139 Extenditur tertiò, ut procedat etiam quoad portionem accreſcentem. Nam ex ſententia Sac. Congregationis hanc quoque percipere debet Canonicus infirmus, ut ſcripſi plenè *in cap.*1. *in* 2. *qu. infrà de Cler. ægrot.*

140 Extenditur quartò, ut nec tempus, quo Canonicus fuit infirmus, ſit computandum pro tempore vacationum, ut S.Congregatio declaravit. Quod tamen intellige,ut dicam infrà *n.*149.

141 Extenditur quintò, ut habeat locum etiam in his, qui ſine periculo vitæ divinis intereſſe non poſſunt. Unde cùm Canonicus propterea primis horis, ac matutinis non intereſſet,quòd Medici atteſtabantur id fieri non poſſe abſq; imminenti vitæ periculo; datæ fuerunt litteræ ad Ordinarium, ut pro ſuo arbitrio diſtributiones illius temporis eidem Canonico concederet.

142 Extenditur ſextò, ut habeat locum etiam in Canonico, qui tempore podagræ ita infirmitate verè impeditur, ut horis Canonicis nequeat intereſſe: huic enim deberi quotidianas diſtributiones cenſuit Sacra Congreg.

143 Extenditur ſeptimò, ut procedat etiam in cæco,qui ſicut non tenetur Horas Canonicas recitare,Angel.*in ver. Hora*, *num.*9. *verſ. Utrum non habens librum, vel carens viſu*, Tabien. *in eodem ver. num.* 20. Silveſtr. *num.*5. *verſ. Tertium:*
144 ita nec Choro intereſſe, & nihilominus percipere debet quotidianas diſtributiones, ut S. Congregatio declaravit, & ſcripſi plenè *in d. cap.*1. *de Cler. ægrot.* & videtur non obſcurè ſenſiſſe Petr. Rebuff. *conſ.*26. *n.* 15. ubi reſpondit cæcitatem non eſſe minus impedimentum, quàm alias infirmitates, & loquitur ad effectum *cap. unici*, *de Cler. non re-*
145 *ſiden. in* 6. quod ibi allegat Simili modo Sacra Congregatio conſulta,an cæcitas privet aliquem eo voto, quod aliàs haberet, ſi cæcus non eſſet, reſpondit non privare, facit textus *in d.cap.Licèt, de cenſib.& l.*1.*Cod.qui morbo ſe excuſ. lib.*10.

146 Extenditur octavò, ut locum ſibi vendicet etiam in ſenio confectis, quibus Sacra Congregatio declaravit quotidianas diſtributiones deberi, ſi aliàs reſidere ſint ſoliti. Ad hoc cap.1. §. *Verum*, ibi, *Senio, aut valetudine corporali gravatus*, *de Cler. ægrot. lib.*6. *& cap. Pervenit*, *il ſecondo* 18.*diſt.*de ſenio ſcripſi latiſſimè *in cap. Cùm ſis*, *de converſ. conjugator.*

147 Extenditur ultimò, ut habeat locum etiam in his, qui ex propria culpa in morbum inciderunt, juxta textum *in cap. Cùm infirmitas*, *infrà de pœnit. & remiſſ.* Nam & his quotidianas diſtributiones deberi ſcripſit Covarr. *lib.*3. *variar. reſolut. cap.*13. *n.*8. *verſ. Septimò quotidianæ diſtributiones*, reprobata contraria opinione Philippi Franchi *in d. c. unico num.*7. *de Cler. non reſiden. lib.*6. Ratio eſt, quia etſi tales propria culpa ſint impediti, hoc tamen impedimentum nec à jure, nec ab homine, ſed ab ipſo Deo illatum eſt. Confert textus optimus *in cap. Cùm percuſſio*, 7.*quæſt.*1. ubi Gregorius, *Cùm percuſſio*, inquit, *corporalis imminet, utrum pro purgatione, an pro vindicta contingat, Dei in hoc judicium ignoratur; & ideò non debeat à nobis addi flagellatis afflictio.* Et huc reſpexit Sacra Congregatio Concilii in deciſione hujus articulis: nam conſulta,an diſtributiones quotidianæ, quæ ex Conſtitutione Bonifacii Octavi à Concilio Tridentino innovata, debentur ægrotis, qui in Choro infirmitate impediente divinis officiis intereſſe nõ poſſunt, debeantur iis, qui ex propria culpa, & peccato in morbum inciderunt; reſpondit deberi; aliàs enim nimius rigor eſſet, nec ſuperiorem hujuſmodi inquiſitionem facere debere addendo afflictionem afflictis, quia multæ poſſunt eſſe cauſæ, & non turpes. Et hanc partem tamquam mitiorem approbavit Gregorius XIII. Facit quod notat Hoſt. *in cap. Niſi cum pridem num.*13. *in fine*, *in ver. Infirmitas corporis*, *ſuprà de renunc.* ubi firmat debilitatem corporis,quæ reddit Epiſcopum inhabilem ad executionem paſtoralis officii,eſſe juſtam cauſam cedendi, etiamſi ex peccato proveniat, dummodò Epiſcopum pœnitet, ut *in d. c. cùm infirmitas.*

Declaratur modò hic primus caſus, ut procedat,dummo- 148
dò Canonicus infirmus, dum integra valetudine uteretur, ſolitus eſſet divinis officiis intereſſe; aliàs enim diſtributiones quotidianas non lucratur, quia morbus non eſt cauſa non reſidendi in eo, qui etiam ſanus non reſediſſet. Joan. Andr. Cardin. & Abb. *in cap. Ad audientiam*, *de Cler. non reſiden. & in cap. Cùm percuſſio*, & ibi dixi *in* 4.*not.infrà de Cler.ægrotan.* & idem Joan. And. Gemin. & Franc. *in d.cap. unico*, *eod. tit. lib.*6. Felin. dicens ita omnes tenere, *in cap. Apoſtolicæ*, *num.*12. *de except.* & alii apud Covarr. *variar. reſolut. in præalleg. cap.*13.*nu.*8. *verſ. Sextò hoc ipſum erit intelligendum.*

Hinc Canonico, qui dum abeſſet in tribus menſibus à 149
Concilio permiſſis, in morbum, incidit, Sacra Congragatio cenſuit illius temporis diſtributiones non deberi, quia ægritudo non fuit cauſa non intereſſendi, cùm etiam ea ceſſante tunc temporis vacaſſet à ſervitio Eccleſiæ. Verùm ſi ultra tres menſes morbus perduraſſet, ab eo tempore diſtributiones non eſſe illi ſubtrahendas; quia cùm antea ſolitus eſſet divinis intereſſe, veriſimiliter expletis menſibus vacationis, ad ſervitium Chori rediiſſet, & ſic infirmitas fuiſſet cauſa non intereſſendi.

Hinc etiam cuidam Canonico Romam petenti anno Jubilæi ex Capituli licentia, ut votum impleret, atque ibi in ægritudinem lapſo, fuerunt ex gratia conceſſæ à Sanctiſſimo ex Congregationis ſententia omnes diſtributione illius temporis, quo ab Eccleſia abſuit.

Secundus caſus exceptus in *d. cap. unico*, in quo deben- 150
tur quotidianæ diſtributiones in abſentia, eſt juſta, & rationabilis corporalis neceſſitas, ut ſi potionem, vel medicinam ſumpſit, vel ſanguine minutus eſt, ut ibi exemplificant Archid. & Joann. Andr in *verſ. Corporalis neceſſitas*, qui ad hoc allegant *cap. Si qui, de conſecr. diſt.*4. *& cap. Epiſcopus* 18. *diſt.* & ſequitur Anchar. *num.* 2. *in eodem ver.* &
cæteri omnes. Hinc infertur, ut Canonicus expulſus à civi- 151
tate propter ſeditiones abſque ſua culpa à contrariæ factionis hominibus, integrè percipere debeat quotidianas diſtributiones, ut pluribus probat Joann. Andr. in *d. cap. unico*, *n.*1. *verſ. Vidi jam dubitari*, & ibi etiam Anchar. *n.*2.*verſ. Sed, quæris ipſe*, & ex facto reſpondit Calderin. *conſ.*7. *in tit. de præben.* quem ſequuti ſunt Felin. in *cap. Cùm omnes*, *num.*22. *de conſtit.* & Philipp. Prob. in *d. cap. unico num.*22.
Et quamvis Covarr. in *d. cap.*13. *num.*8. *verſ. Decimò*, ea- 152
dem ratione exiſtimet hoc verum eſſe, dummodò diſtributiones ex conſuetudine debeãtur abſentibus ex juxta cauſa; hæc tamen declaratio admittenda non eſt quia text. in *d. cap. unico*, ſub unica verborum ſtructura excepit caſus infirmitatis, corporalis neceſſitatis, & Eccleſiæ utilitatis, ut ibi in *verſ. Exceptis*. Ergo debent ſingulos æqualiter determinare, *l. Quamvis, C. de impub. leg. jam hoc jure, ff. de vulg. & pupill.* text. in *l. fin.* ubi Bart. *C. de ſentent.* Dec. in *c. Novit. n.*56. *de judic.* Sed ex cauſa infirmitatis abſentes lucrantur diſtributiones, etiam ſi talis conſuetudo non extet, idque idemmet Covarr. fatetur contra Philip. Franc. ut dictum eſt ſupra in prima extenſione, *n.*136. Ergo idem dicendum in abſentibus ex cauſa corporalis neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiæ, & ad textum in *c. Cùm non deceat*, *de elect. lib.*6. reſponde ut dicam infrà in 3. *caſu n.*159.

Hinc enim infertur, ut injuſtè detentis in carcere de- 153
beantur diſtributiones quotidianæ perindè, ac ſi divinis intereſſent, ut concludit Joann. Andr. in *d. cap. unico*, *num.*1. *verſ. Idem ſi vi detineretur*, *per cap. Bonæ*, *il primo de elect. & cap. Quoniam quidem*, *verſ. Si quis vero*, 18. *diſt.* licèt Covar. *in d. cap.*13. *n.*8. *verſ. Undecimò*, hoc reſtringat ad Canonicum injuſtè conjectum in carcerem in eodem loco, ubi Eccleſia ſita eſt; & minùs benè, quia rationes Joann. Andr. militant ubivis locorum Canonicus ſine ſua culpa vi detineatur. Neque hanc diſtinctionem adhibuit Sacra Con-

Congregatio Concilii; ſed generaliter orta dubitatione, an
diſtributiones quotidianas lucretur is, qui indebitè conje-
ctus in carcerem fuerit: cenſuit lucrari; fructus autem
præbendæ, ſeu maſſæ groſſæ ei tamdiu deberi, quamdiu
per ſententiam fuerit declaratum, juſtè illum in carcere de-
tineri.
154 Item cenſuit diſtributiones deberi Canonico abſenti, ut
155 injuſtam Judicis vexationem redimeret. Item citato ob
cauſam criminalem, qui ſe innocentem exhibuit, ac pro-
pterea à ſervitio Eccleſiæ abfuit, licèt ex ſtatuto Eccleſiæ
abſentes per ſex menſes univerſam illius anni portionem
156 amitterent. Sed & Canonicum qui de crimine inquiſitus,
& condemnatus fuit, appellavitque, & fuit abſolutus per
tres ſententias conformes, vel unicam, quæ in rem judi-
catam tranſierit, cenſuit debere utique percipere nedum
fructus, ſed etiam diſtributiones quotidianas totius tem-
poris, quo propter eam cauſam horis Canonicis non po-
tuit intereſſe. Demum cenſuit Canonico excommunicato,
ac poſteà per ſententiam abſoluto, quæ in rem judicatam
tranſivit, deberi diſtributiones quotidianas, & ſi quæ alia
ſunt emolumenta, quæ ab infirmis percipi conſueverunt.
157 Quippè injuſtè excommunicatum repetere fructus medii
temporis tradit gloſſa *fin. in cap. Super cauſa, 2. quæſt. 4.* item
gloſ. *fin. in cap. Paſtoralis, §. Verum, de appellat.* & ibi Imola,
Abb. & DD. communiter, ut Dec. teſtatur, Gemin. *in cap.
Contumaces, 50. diſt.* & Felin. *in cap. Apoſtolicæ, num. 12. de
except.*

158 Tertius denique caſus exceptus *in d. c. unico, de Cler. non
reſiden. lib. 6.* in quo diſtributiones debentur non intereſſen-
tibus, eſt evidens Eccleſiæ utilitas. Ad idem textus *in cap. ex
parte il ſecondo, eod. tit.*

159 Sed huic deciſioni ſignatur contrarium *in c. Cùm non de-
ceat, de elect. lib. 6.* ubi illi qui proſequuntur utilitatem Ec-
cleſiæ, diſtributiones percipiunt cujus oppoſitum deciditur
in d. c. unico. Pro conciliatione harum decretalium dantur
à gloſſa, & Doctoribus plures ſolutiones. Prima ſolutio eſt
Archidiaconi *in d. c. unico*, dicentis illam decretalem loqui
in Eccleſiis, in quibus eſt conſuetudo, ut abſente iſta reci-
piant; contrarium in Eccleſiis, in quibus non eſt talis con-
ſuetudo.

Secunda ſolutio eſt gloſſæ *in d. cap. Unico in ver. Utilitas*,
quòd Canonici non teneantur diſtributiones talibus con-
cedere, ut *in d. cap. non deceat*, tamen ſi conceſſerint, reci-
pientes non tenentur ad reſtitutionem, ut *in d. c. unico.*

Tertia ſolutio, quam refert gloſſa præallegata, eſt illorum,
qui dicunt textum *in d. Cum non deceat*; loqui in abſentibus
à loco Eccleſiæ; textum verò *in d. c. unico*, loqui in preſenti-
bus, ita ut præſentes in loco, qui proſequuntur utilitatem
Eccleſiæ, diſtributiones percipiant, licèt divinis non inter-
ſint; abſentes minimè. Et hanc ſolutionem ſequitur Ripa in
tract. de Peſte in 2. part. n. 145. & Covarr. *d. lib. 3. variar. re-
ſol. c. 13. n. 8. verſ. Octavo non tantum ægrotis.*

Verùm Sacra Congregatio Concilii, examinatis ſingulo-
rum opinionibus, & articulo diligenter diſcuſſo, intellexit
textum *in d. c. Cùm non deceat*, in eo caſu, in quo ex conſue-
tudine abſentes ob Eccleſiæ utilitatem non percipiunt di-
ſtributiones: ſed non probata hujuſmodi conſuetudine, cen-
ſuit abſentes ob evidentem Eccleſiæ utilitatem diſtributio-
nes lucrari perinde, ac ſi divinis intereſſent, juxta textum *in
d. c. unico.* Et Congregationis ſententiam ſan. mem. Paulus
V. ad ſe relatam approbavit.

160 Cæterum hæc concluſio intelligenda eſt procedere, dum-
modò abſentia contingat ob utilitatem Eccleſiæ in ſpecie,
de cujus diſtributionibus quæritur, ut formaliter inquit Jo.
Andr. *in d. c. unico, n. 3. verſ. Item intelligendum de Cler. non
reſiden. lib. 6. allegat. c. Cùm dictus, & c. De cætero, eod. tit.*
& textum hìc, & ſequitur ibi Petr. de Anchar. *n. 4. in 5. notab.*
Secus ſi abſentia contingat ob utilitatem alterius Eccleſiæ
particularis, vel Eccleſiæ generalis. Et hæc eſt ratio, cur di-
ſtributiones non debeantur Canonicis exiſtentibus in ſervi-
tio Papæ, ut dictum eſt ſupra *n. 99.* licèt cenſeantur ſervire
Eccleſiæ univerſali, *d. c. cùm dilectus*, ibi, *Qui circa non ſe ob-
ſequiales exhibent univerſis, de Cler. non reſiden.* nec abſenti-
bus in ſtudio ſacræ paginæ, ut hìc, quamvis hæc quoque cau-
ſa concernat utilitatem univerſalis Eccleſiæ, ut probatur *in
c. fin. verſ. Qui cum docti fuerint, infrà de magiſtr. in c. Super
ſpecula verſ. Quia verò Theologiæ ſtudium, c. Ne Cler. vel Mo-
nach.* & melius *in c. Cùm ex eo*, ibi, *In grande univerſalis Ec-
cleſiæ, quæ viris litteratis permaximè noſcitur indigere, di-
ſpendium, & jacturam, de elect. lib. 6.* Unde Canonico à ſe- 161
cretis Regis Portugalliæ in rebus Eccleſiaſticis eadem de
cauſa abſenti fuerunt quidem conceſſæ diſtributiones, ſed ex
gratia & de conſenſu Capituli, vel majoris partis. Item Ar- 162
chidiacono habenti tantùm jus præſidendi in Choro, nul-
lum tamen ſervitium, & hebdomadam, dum reſidet in ali-
quibus locis ſuæ Archidiaconali juriſditioni ſubjectis, deci-
ſum eſt non deberi diſtributiones quotidianas. Ad eos igitur
percipiendas requiritur utilitas particularis Eccleſiæ, de
cujus diſtributionibus, agitur ut prædixi.

Ex hoc tertio caſu infertur primò, ut abſens propter exer- 163
citium curæ animarum ſuæ dignitati, vel Canonicatui in-
cumbentis, quo tempore illam exercet, pro præſente habea-
tur, & quotidianas diſtributiones lucretur, ut expreſſum in
decreto Concilii Trident. *cap. 3. verſ. Quod ſi alicui, ſeſſ. 22.*
Unde orta dubitatione, an Archipresbytero Cathedralis ab-
ſenti propter ſervitium curæ animarum diſtributiones quo-
tidianæ debeantur: Sac. Congregatio cenſuit deberi. Et
iterum cùm fuerit quæſitum, an habeantur tamquam præ- 164
ſentes in Choro, qui curam animarum exercent imminen-
tem Eccleſiæ Cathedrali: reſponſum eſt haberi, dum tamen
ſunt in actu adminiſtrandi Sacramenta, vel alia exercent,
quæ ſpectant ad ipſam curam. Et alias reſponſum, obtinen- 165
tes dignitates, quibus imminet cura animarum, ſi reſideant
in ſuis Eccleſiis, lucrari diſtributiones, dummodò per ſe
ipſos curam actu exercuerint.

Infertur ſecundò, ut toleranda ſint ſtatuta Eccleſiarum, 166
quibus declarantur jubilati, & immunes choro, qui per
quadraginta annos continuos Eccleſiæ inſervierunt. Hoc
enim in utilitatem Eccleſię intelligitur eſſe ſancitum, ut Ca-
nonici & Miniſtri ſpe immunitatis aſſequendæ ad ſervitium
chori diutiùs exhibendum alacriores reddantur. Licèt de
rigore juris dicendum ſit, ut patet ex dictis ſupra *n. 81.* Sæpè
etiam me Secretario indultum fuit Canonicis ſeptuagena-
riis, qui quadraginta annos continuos divinis interfuerunt,
ut tamquam benè de Eccleſia meriti, percipere valeant di-
ſtributiones quotidianas, licèt choro non interſint.

Infertur tertiò, ut pro præſente habeatur Canoni- 167
cus abſens pro negotiis Capituli; unde in caſu contingen-
ti cenſuit Sacra Congregatio Canonicum, quo tempore
pro negotiis Capituli abfuit, non debuiſſe onerari, ut ſub-
ſtitutum interim aleret, & Capitulum eſſe cogendum,
ut dicti temporis diſtributiones, ac ſtipendia capellani illi
reſtituat.

Infertur quartò, ut diſtributiones debeantur Canonicis 168
aſſiſtentibus Epiſcopo Pontificalia exercenti ad præſcri-
ptum *d. cap. 12. verſ. Omnes verò ſeſſ.* 4. tam in Cathedrali
Eccleſia, quàm alibi. Cenſuit Sac. Congreg. Canonicos,
qui tenentur aſſiſtere, & inſervire Epiſcopo celebranti, &
Pontificalia exercenti in Cathedrali, teneri etiam aſſiſtere
& inſervire celebranti, & Pontificalia exercenti in aliis ci-
vitatis locis, atque ejus ſuburbiis, tuncque hujuſmodi Ca-
nonicos id officii Epiſcopo præſtantes, debere percipere di-
ſtributiones quotidianas.

Infertur quintò, ut obtinentes præbendam Theologa- 169
lem, in diebus, in quibus legunt diſtributiones quotidianas
lucrentur, ut dictum eſt ſuprà *n. 116.*

Infertur ultimò, ut Canonicus Pœnitentiarius, dum 170
confeſſiones in Eccleſia audit, interim præſens in choro
cenſeatur, ut difertis verbis cavetur decreto Concilii Tri-
dent. *c. 8. ſeſſ. 24.*

Et cùm fuerit quæſitum, an Pœnitentiarius ſit habendus
pro præſente in choro, dum audit Confeſſiones in Eccleſia
ſive in Confeſſionario, ſive extra: reſponſum eſt, haben-
dum præſente eo tempore, quo audit confeſſiones, aliis
in Choro divina celebrantibus.

Et rurſus cùm dubitatum fuerit, an Pœnitentiarius Ec-
cleſiæ Cathedralis audiendo confeſſiones eorum, qui non
habent caſus reſervatos, ſeu eorum, qui tantùm peccata
venialia habent, tamquam præſens in choro cenſeatur,
adeò ut percipere valeat diſtributiones quotidianas; re-
ſponſum habendum pro prræſenti; & mirati ſunt Patres
hujuſmodi dubium excitari; tum quia Concilium gene-
raliter loquitur; tum quia inde præberetur occaſio reve-
landi peccata gratia, & deterrendi confitentes.

Ac demùm cùm Concillium decernat præſentem in cho- 171
ro cenſeri Pœnitentiarium, cùm confeſſiones in Eccleſia
audit; ſuborto dubio, an etiam præſens cenſeri debeat
extra chorum, puta cùm Capitulum comitatur corpus
defun-

defuncti ſepulturæ tradendum, ut eo quoque caſu percipiat diſtributiones perinde, ac ſi illis interfuiſſet: Dictum eſt referendum ad Sanctiſſimum, quia Concilium loquitur tantùm de Choro; eamdem tamen utroque caſu militare rationem: Sanctiſſimus declaravit videri hoc in caſu voluiſſe Concilium Pœnitentiarium eſſe participem, & quidem à fortiori, id eſt ſi in Choro, multò magis extra.

DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.

Idem Honorius III. Epiſcopo Veſprimen.

CAPUT XXXIII.

EXpoſuiſti nobis, quòd Eccleſiæ tuæ Canonici, diminuta ipſorum proviſione à tempore Concilii generalis, cùm eis ex tunc non fuerint ad eorum ſuſtentationem conceſſæ capellæ, ſicut ante fieri conſuevit, de redditibus præbendarum ſuarum nequeunt ſuſtentari: & infrà: Si evidens neceſſitas, vel utilitas exigat, præbendas Eccleſiæ tuæ poteris de capellis in perpetuum annectendis eiſdem (ſicut diſcretione prævia expedire videris) augmentare; reſervata tamen congrua capellarum Presbyteris portione.

SUMMARIUM.

1 *Præbendis Eccleſiæ Cathedralis propter illarum paupertatem poſſunt annecti Capellæ, reſervata ipſarum Presbyteris congrua portione.*
2 *Ubicumque in jure ſit mentio ſimpliciter de generali Concilio intelligitur de Lateranenſi ſub Innocentio III.*
3 *Capellæ appellatione quid veniat, & quot ſint Capellarum ſpecies.*
4 *Præbenda eſt incompatibilis cum Parochiali.*
5 *Præbendis Canonicalibus quas ob cauſas annecti poſſint Eccleſiæ Parochiales.*
6 *Prærogativa perſonæ quamvis interdum ſit juſta cauſa diſpenſandi ad plura incompatibilia, non tamen eſt juſta cauſa annectendi unum beneficium alteri.*
7 *Unio incompatibilium ad vitam non eſt propriè unio, ſed magis quædam palliata diſpenſatio, & reprobatur à Concilio Tridentino.*
8 *Uniri non debet Parochialis Eccleſia præbendæ Canonicali, niſi ſuperſit congrua portio pro Vicario perpetuo.*
9 *Paupertas tolerabilior eſt in Canonico, quàm in Rectore Eccleſiæ.*
10 *Uniri poſſunt ab Epiſcopo de jure communi Parochiales Eccleſiæ præbendis, vel Dignitatibus ob illarum paupertatem.*
11 *Sed poſt Concilium Tridentinum.*
12 *Unio æque principaliter Parochialis cum præbenda, vel dignitate, an ſit prohibita à Concilio Tridentino, & n. ſeqq. uſque ad n. 18.*
13 *Beneficium per annexionem Parochialis non ſit curatum.*
14 *In unione æquè principali unus eſt rector utriuſque beneficii.*
15 *Unio facta ab Ordinario ſine cauſa, non valet.*
16 *Canonicus habens præbendam æquè principaliter unitam cum Parochiali, tenetur in Parochiali reſidere tamquam in digniori.*
17 *Præbendarum tenuitati in Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus, qua ratione Epiſcopus providere poſſit ex Concilio Tridentino.*
18 *Anve illis unire poſſit de conſenſu Capituli aliquot portiones ejuſdem Eccleſiæ, & num. ſeqq. uſque ad num. 24.*
19 *Uniones ſunt odioſæ, & reſtringendæ.*
20 *Beneficii appellationes non venit beneficium exiſtens in Cathedrali.*
21 *Portiones exiſtentes in Cathedralibus, vel Collegiatis inſignibus, perſonalem reſidentiam requirunt.*
Beneficia ſimplicia ex generali conſuetudine non requirunt reſidentiam, ibid.
22 *Capellæ appellatione non venit portio.*
23 *Cappellanorum tenuitati, aut fabricæ, vel Sacriſtiæ in Cathedrali Epiſcopus providere non poteſt remedio c. 15. ſeſſ. 24. Concilii Tridentini.*
24 *Unire an poſſit Epiſcopus beneficia ſimplicia menſæ Capitulari ob præbendarum tenuitatem in vim Concilii Tridentini, & n. 27.*
25 *Unio beneficii facta ab Epiſcopo menſæ Capitulari etiam de Capituli conſenſu, de jure communi eſt ipſo jure nulla.*
26 *Et ad hoc requiritur authoritas Papæ, nec ſufficit Metropolitani.*
27 *Uniendi facultas extendi non debet de caſu ad caſum ad correctionem juris communis.*
28 *Unio beneficiorum ſimplicium facta ab Epiſcopo menſæ Capitulari, an valeat, ſi in Eccleſia nullæ ſint præbendæ diſtinctæ, ſed tantùm maſſa communis in diſtributionibus conſiſtens, & num ſeqq. uſque ad num. 33.*
29 *Capitulum poteſt in facto proprio authorizare, ubi agitur principaliter ad intereſſe ſingulorum, & ſecundariò de intereſſe Capituli, ſed non è contra.*
30 *Unio fieri non poteſt ab Epiſcopo portionibus privilegiatis.*
31 *Maſſa communis, cujus redditus omnes in diſtributionibus conſiſtunt, non ſuccedit loco præbendæ quoad effectum unionis.*
32 *Authoritas in facto proprio ita demum interponi poteſt palam, & bona fide, ſi hoc fiat coram ſuperiore.*
33 *Curatus, & Rector Parochialis annexæ quis dicatur, & n. ſeqq. uſque in finem.*
Quid ſi Parochialis ſit annexa præbendæ Canonicali, num. 35.
Et quid ſi ſit annexa Capitulo, vel menſæ Capitulari, num. 41.
Et quid ſi aſſignata ſit certa portio ſuper fructibus Parochiali alicui ex Canonicis, vel Capitulo, n. 42.
34 *Unio quotuplex ſit.*
35 *Canonicorum redditus quot modis augeri poſſint ex proventibus Eccleſiæ Parochialis, & num. ſeqq. uſque in fin.*
36 *Cura habitualis in foro animæ an ſit penes Canonicum, cujus præbendæ unita eſt Parochialis.*
37 *Ætas vigintiquinque annorum an requiratur ad obtinendam præbendam, cui annexa eſt Parochialis, & num. 39.*
38 *Vicarii poteſtas an extinguatur extincta poteſtate principalis Prælati, & n. 40.*
41 *In Vicarium perpetuum S. Petri de Urbe translatum eſt ſolùm curæ exercitium privativè ad Capitulum, cura verò habitu penes Capitulum remanſit.*
43 *Penſio ſuper fructibus Parochialis an poſſit ab Epiſcopo conſtitui pro augendis redditibus præbendæ, vel menſæ Capitularis.*

Expo-

1 EXpoſuiſti. Propter paupertatem præbendarum Eccleſiæ Cathedralis poſſunt eis annecti Capellæ, reſervata ipſorum Presbyteris congrua portione. Hoc dicit. Primò ponit ſupplicationem. Secundò proviſionem, ibi, *Si evidens*.

2 Nota primò ibi, *Concilii generalis*, ubicumque in jure ſimpliciter fit mentio de generali Concilio, ſemper intelligi de Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. ut hìc, *& in c. Eccleſia veſtra, il 2. de elect. in c. Quamquam, & in c. Si cui, eod. tit. lib. 6. cum ſimil.* & notat gloſ. 2. *in c. fin. de Capell. Monachor.* Idque non per antonomaſiam, ſed ad differentiam alterius Concilii Lateranenſis paulò ante celebrati ſub Alexandro III. ut probavi *in c. 1. à n. 1. uſque ad n. 12. ſup. de Summa Trinit. & fid. Cathol.*

3 Secundò nota, Capellæ appellatione venire Parochialem Eccleſiam: nam de Parochialibus intelligitur hæc littera ſecundùm omnes, cùm referat ſe ad Concilium generale, quod de illis loquitur *in c. Extirpanda, ſuprà eod.* & hìc notat Abb. *n. 6.* Quandoque tamen nomine Capellæ intelligitur Eccleſia Collegiata *ut in c. Cùm Capella, infrà, de privil.* quandoque domus religioſa, ſeu Monaſterium, ut *infrà de Capell. Monach. per tot.* & ibi Abb. *in rubr.* & fuſiùs Specul. *eod. tit.* frequentiùs autem Capellæ nomine intelligimus vel ſacellum, id eſt locum Deo conſecratum intus, vel extra Eccleſiam, *c. Quiſquis, verſ. Capellæ*, 17. q. 4. Paul. de Cittadin. *in tract. de Jurepatr. par. 3. q. 32. Primæ cauſæ, n. 43. verſ. Secundò ſciendum eſt, quod Capella dicitur locus*, & Lambert. *in eod. tract. part. 1. lib. 1. art. 6. q. 11. fol. 97. in fin.* vel altaria in eiſdem ſacellis conſtructa, de quorum natura multa cumulat Felin. *in c. Ex parte, il 2. n. 1. & ſeq. ſupra de reſcript.* vel Capellanias ſive perpetuas, ſive manuales cum onere Miſſarum celebrandarum, de quibus egi latiſſimè *in c. 1. ſupra de ætat. & qualit.* licèt ut plurimum Capella, altare, & Capellania, pro eodem accipiantur, ut probat gloſ. 1. in Clem. 2. *verſ. Quintò, quid de Capellaniis, vel beneficiis altarium, de decim.* Felin. *in d. c. Ex parte, n. 2. verſ. Naturam verò iſtorum altarium, ſive Capellarum*, & Quintil. Mandoſ. *in reg. de Annal. q. 17. num. 2.* qui etiam *num. 5.* diſtinguit quatuor Capellarum ſpecies. Frequenter etiam Capellarum nomen uſurpamus pro oratoriis ſeu privatis, ſeu publicis; quorum ſpecies diſtinguit idem Mandoſ. *loco citato num. 8.* & de his vide quæ nos plenè adnotavimus *in cap. In his, à nu. 1. uſque in fin. de privileg.* Interdum etiam Capellæ dicuntur Sacrorum ſolemnia, quæ coram Papa, & Cardinalibus peraguntur, ut per Cardin. Paleott. *de Sacro Conſiſtor. conſultat. part. 5. q. 11. pag. 313. littera B*, & de his Capellis Pontificiis plura ſanxit Sixtus V. in Conſtitutione, quæ incipit, *Egregia, in Bullar. tom. 2 pag. 517.*

4 Tertiò nota ibi *Non fuerunt conceſſæ Capellæ*, textum expreſſum ſecundum Abb. Antiq. quòd non poteſt quis retinere cum præbenda Parochialem Eccleſiam, quæ illi non ſit annexa. Circa quod Hoſt. hìc *in princ. verſ. Si de hac materia*, ponit prolixam diſtinctionem, per quam dicit omnia jura contraria de hac materia loquentia ad veram conſonantiam reduci, eamque ad litteram recitat, & probat Jo. Andr. *n. 4.* Hodie hoc eſt expeditum jure noviſſimo Concilii Tridentini, cùm Canonicatus in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis perſonalem reſidentiam requirant, *ut in c. 12. ſeſſ. 24.* ac proinde ſunt incompatibiles in Parochialibus, *ut in c. 4. ſeſſ. 7. & c. 17. ſeſſ. 24.*

5 Quartò nota ibi, *Si evidens neceſſitas, vel utilitas*, duas cauſas, propter quas Eccleſia Parochialis de jure communi licitè poteſt uniri Præbendæ ſecundùm Cardin. & Anchar. *in 2. notab.* & Abb. *in 4. notab.* Una eſt propter evidentem neceſſitatem, id eſt cùm ob præbendarum tenuitatem non reperiuntur qui velint acceptare Canonicatus, & ita Eccleſia debito ſervitio deſtituitur. Altera eſt propter utilitatem, quia licèt reperiantur, non tamen ſunt idonei, & convenientes dignitati Eccleſiæ Cathedralis, puta quia ſunt ſimplices, & idiotæ, & meliores non inveniuntur. Ex hoc enim damnificantur Eccleſiæ Cathedrales, cùm non ſint perſonæ idoneæ, quæ tantæ paupertati velint ſe alligare, & indecens etiam ſit, ut cogantur mendicare, *ut c. 1. infra de Cler. ægrot. & c. Cùm ſecundum, ſup. eod.* ſecundùm Hoſt. hìc *in princ. in ver. Suſtentari*, Jo. Andr. *nu. 1 in eod. ver.* & Card.
6 *in primo notab.* Et conſidera hìc nullam fieri mentionem tertia cauſa, videlicet de prærogativa perſonæ, de qua *in c. De multa in fin. ſupra eod.* ſed tantummodò de neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ. Ex quo notabiliter infert Abb. hìc *num. 5.* ut quamvis prærogativa perſonæ interdum ſit juſta cauſa diſpenſandi ad plura incompatibilia, *ut in d. c. De multa*; non tamen eſt juſta cauſa annectendi unum beneficium alteri, quia fieret præjudicium ipſis beneficiis, cum unum veniret acceſſoriè ad aliud. Dic clariùs, propter 7
prærogativam perſonæ, quæ eſt cauſa temporalis, & extinguitur cum perſona non poſſe fieri unionem perpetuam in præjudicium beneficii annexi, quia limitata cauſa, &c. Clem. *Ne Romani, §. Eo tamen proviſo, de elect.* & de unione perpetua loquitur hoc cap. unde nil mirum, ſi de prærogativa perſonæ nullam fecit mentionem. Unio autem ad vitam non eſt propriè unio, ſed magis quædam palliata diſpenſatio, Put. *dec. 246. n. 3. lib. 1.* Caſſad. *dec. 3. n. 3. de Judic.* & hodie prohibita eſt à Concilio Trident. *in c. 4. ibi, Sive per viam unionis ad vitam, ſeſſ. 7. & c. 17. §. Illi verò, ſeſſ. 24.*

Quintò nota ibi, *Reſervata congrua Capellarum Presbyteris portione*, quotieſcumque Parochialis Eccleſia unitur 8
præbendæ, hoc ſemper eſſe attendendum, ut ſuperſit congrua portio pro Vicario curam animarum exercente, ut hìc *in c. Paſtoralis, ſupra de his quæ fiunt à Prælat. & in c. Extirpandæ, §. Qui verò, ſupra eod.* alioquin abſtinendum erit ab annexione, quia, ut notabiliter inquit Hoſt. hìc *n. 2.* tolerabilius eſt, ut Canonicus egeat, quàm Rector Eccleſiæ. Quod dictum ſequuntur Jo. Andr. *n. 4. in ver. Pravia*, Henric. Boich *in fin.* Butr. *n. 5.* Imol. & Anchar. ambo *n. 3.* & Abb. *n. 7.* & tunc ſecundùm eos providebitur Canonicis, 9
ut notatur *in cap. De rectoribus in gloſ. ult. infrà de Cler. ægrot.* & hodie ut dicam *infrà n. 17.*

Ultimò nota, Epiſcopum de jure communi poſſe auge- 10
re redditus tenues præbendarum annectendo illis Parochiales Eccleſias, ut hìc eſt caſus ſecundùm unam lecturam, quæ communiter recipitur: nam licèt aliqui intelligant hujuſmodi unionem fieri poſſe ab Epiſcopo authoritate Apoſtolica, quos tacito nomine hìc refert Innocen. *in fin.* tamen communis intellectus habet, ut fieri poſſit etiam authoritate ordinaria, prout hìc firmant Abb. Antiq. *in princ.* Hoſt. & Jo. Andr. ambo *in ver. Poteris*, exponentes verbum illud, *Poteris*, id eſt authoritate tua, arg. *c. Vacante, ſuprà eod. & c. Sicut unire, infrà de exceſſ. Prælat.* & ſequuntur Butr. *num. 4.* Card. *eadem num. in 2. quæſt.* & Anchar. *in 3. notab.* Idque communiter teneri teſtatur Imola *nu. 2.* Addunt tamen Joan. Andr. & reliqui poſt eum, debere Epiſcopum hoc facere de Capituli conſenſu, juxta textum in Clem. *Si una de reb. Eccleſ. non alien.* Et quod dictum eſt de præbendis, idem intelligas de Dignitatibus, quia eadem eſt ratio, & ſic idem jus, *c. Tua, de conſang. & affinit.* ſecundùm Hoſtien. *in princ. in ver. eiſdem*, Jo. Andr. *nu. 3.* Cardin. *in 3. q. n. 5.* Imol. *in primo notab.* Anchar. *in 3. notab.* & Abb. *n. 8. verſ. & credo.*

Verùm hodie hæc facultas uniendi Parochiales Eccleſias 11
præbendis Cathedralium Eccleſiarum ob illarum paupertatem, ut in textu, vel Dignitatibus ob identitatem rationis, adempta eſt Epiſcopis a Concilio Tridentino *in c. 13. verſ. In unionibus, ſeſſ. 24.* nam ſancta Synodus præcipuam rationem habens Eccleſiarum Parochialium ob animarum periculum ſtatuit, ut in unionibus, ſive ob redditu um tenuitatem, ſive ob alias cauſas faciendis, Eccleſiæ Parochiales Monaſteriis quibuſcumque, aut Abbatiis, ſeu Dignitatibus, ſive præbendis Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, ſive aliis beneficiis ſimplicibus, aut Hoſpitalibus, Militiiſve non uniantur, & quæ unitæ ſunt, revideantur ab Ordinariis juxta decretum ſub Paulo III. editum *in cap. 6. ſeſſ. 7.* Quare hæc decretalis ſi intelligatur de unione facienda ab Epiſcopo ordinaria authoritate, juxta communem intellectum, correcta eſt à Concilio *in d. c. 13.* Secus ſi intelligatur de unione facienda authoritate Apoſtolica, ſecundum aliam lecturam, quia Concilium non ligat Papam, ſed ligatur ab ipſo, *c. Significaſti*, & ibi Joan. Andr. *n. 10.* & reliqui *ſupra de elect.*

Sed hìc incidit dubitatio, quid de unionibus Parochia- 12
lium, quæ fiunt præbendis ſine ſuppreſſione, ut cùm duo beneficia æquè principaliter uniuntur, & utrumque per ſe remanet, nec immutat ſtatum, aut naturam ſuam, juxta notat per gloſ. *in c. 1. infra Ne ſed. vacan.*

Et primo intuitu videtur dicendum, hanc ſpeciem unionis non comprehendi in prohibitione Concilii, quia nullũ præjudicium fit Parochiali ſic unitæ, *c. Et temporis 16. q. 1.*

Sicut fit per unionem acceſſoriam, ſeu ſubjectivam, per quam Eccleſia unita amittit titulum, & nomen beneficii juxta diſtinctionem Felin. *in cap. In noſtra, in 33. coroll. nu. 30. de reſcript.* poſt Oldrad. *conſ.* 257. *n.* 15. Rota *deciſ.* 370. *alias* 11. *de reb. Eccleſ. non alienan. in antiq.* Caſſad. *dec.* 2.
13 *n.* 6. *de union.* Item hæc ſpecies unionis non facit Canonicatum curatum; nec beneficium ſimplex, cui ſic unitur Parochialis, definit eſſe ſimplex, ut poſt Oldrad. *conſ.* 223. *poſt princ.* tenet Sarnen. *in reg. de Idiom. quæſt.* 11. *num.* 6. & notant gloſſ. & DD. *in c. Super eo, de præben. lib.* 6. Item Concilium non prohibet, ne Parochiales, & præbendæ ad invicem uniantur, ſed ne Parochiales uniatur præbendis. Quæ verba videntur importare unionem acceſſoriam, non autem æquè principalem, *d. c. Super eo, de declarat.* Felin. *loco citato*. Item hac interpretatione minùs corrigitur jus commune, *l.* 1. *C. de inoffic. dotib. c. Cùm expediat, de elect. lib.* 6. *cum ſimilib.*
14 In contrarium facit, quia intereſt Eccleſiæ habere ſuum proprium Rectorem, *c. Cum non ignores, ſupra eod.* At per hujuſmodi unionem, tametſi unumquodque beneficium retineat ſua jura, & privilegia; tamen unus eſt Rector utriuſque, *d. c. Et temporis qualitas*, & ibi gloſſ. *in ver. Unire*, 16. *q.* 1. *& d. cap.* 1. *Ne ſed. vacan.* Marian. Socin. *in c. Sicut unire, in* 2. *articulo principali, n.* 6. *de exceſſ. Prælat.* Præterea unio requirit cauſam neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiæ
15 ut hìc patet; alioquin non valet, etiamſi fiat ab Ordinario ſervata juris forma, ut tenent Imol. & Abb. hìc, Oldrad. *conſ.* 261. *& ſeq.* Marian. Socin. *in d. cap. Sicut unire, in* 5. *artic. principali, n.* 90. Rota *deciſ.* 133. *num.* 3. *part.* 2. *diverſ.* Hujuſmodi autem unio tantùm abeſt, ut habeat cauſam neceſſitatis, vel utilitatis, ut potiùs utrique beneficio ſit damnoſa Parochiali quidem, quia patitur fructuum diſmembrationem, nec ampliùs habet peculiarem Rectorem, ſed communem cum præbenda, ut dictum eſt. Præbendæ verò, quia licèt illi accreſcant redditus, tamen decreſcit ſervitium, & minuitur divinus cultus, ad quem beneficia Eccleſiaſtica ſunt conſtituta, *c. fin. de reſcr. lib.* 6. Concil. Trid.
16 *c.* 3. *ſeſſ.* 21. Nam Canonicus, cujus præbenda unita eſt cum Parochiali æquè principaliter, tenetur in Parochiali reſidere tamquam in digniori, ut in Conſtit. S. Pii V. *Cupientes, in Bullar. tom.* 2. *pag.* 262. Nec obſtat *c. Extirpandæ*, § *Qui verò, ſupra eod.* quia loquitur in caſu, in quo Parochialis annexa eſt dignitati acceſſoriè, ut ibi dixi *n.* 27. *&* 29. Quòd ſi teneretur reſidere in Cathedrali, Parochialis debito ſervitio deſtitueretur, & tamen decretum *d. c* 13. prohibet uniones ex quibuſvis cauſis faciendas: ergo fortiùs hanc,
17 quæ nocet utrique beneficio. Et hoc puto verius, quia præbendarum tenuitati alia ratione Concilium provideri voluit, quàm per unionem Parochialium Eccleſiarum: nam *in c.* 15 *ſeſſ.* 24. decrevit, ut in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus, ubi frequentes, adeòque tenues ſunt præbendæ ſimul cum diſtributionibus quotidianis, ut ſuſtinendo decenti Canonicorum gradui pro loci, & perſonarum qualitate non ſufficiant, liceat Epiſcopis cùm conſenſu Capituli, vel aliquot ſimplicia beneficia, non tamen regularia iis unire, vel ſi hac ratione provideri non poſſit, aliquas ex iis ſupprimere, & illarum fructus reliquarum diſtributionibus applicare.
18 QUÆRO, an Epiſcopus facultate ſibi tributa decreto Concilii *d c.* 15. *ſeſſ* 24. poſſit cum conſenſu Capituli unire aliquot ejuſdem Eccleſiæ portiones præbendis Canonicalibus, quarum fructus adeò ſunt tenues, ut ſuſtinendo decenti Canonicorum gradui non ſufficiant.
19 Videtur reſpondendum non poſſe. Nam Concilium *d. c.* 15. extendi non debet ad alia beneficia, quam ad ea, de quibus loquitur, ſcilicet ad beneficia, & præbendas Canonicales, cùm verſemur in materia unionum quæ ſunt odioſæ, à jure exorbitantes, ambitioſæ, & reſtringendæ, *c. Sanctorum* 70. *diſtin.* per quem textum ita reſpondit Calderin. *conſ.* 13. *An unio, ſub tit. de reb. Eccleſ. non alien.* quem refert, & ſequitur Dec. *conſ.* 233. *Viſo tenore, n.* 6. & Quintil. Mandoſ. *in reg* 12. *q.* 6. *n.* 12.
20 Deindè *d. c.* 15. dat Epiſcopo dumplicem facultatem. Prima facultas eſt uniendi beneficia ſimplicia, quorum appellatione non veniunt portiones Cathedralium. Tum quia appellatione beneficii non venit beneficium exiſtens in Cathedrali, *cap. Quamvis in* 1. *&* 2. *reſponſo de præben. lib.* 6. Rota *in antiq. deciſ.* 2. *de fil. Presbyter. & deciſ.* 4. *de offic. Ordin.* Joan. de Selva *in tract. de benefic. quæſt.* 11. *part.* 3. *num.* 117. Tum quia hæ portiones exiſtentes in Cathedrali reſidentiam requirunt ex Concilio *cap.* 12. §. *Prætereà ſeſſ.* 24. quam 21
non requirunt beneficia ſimplicia ex generali conſuetudine gloſ. *in c. Gratiæ, in ver. De jure teneri de reſcr. in* 6. Lap. *alleg.* 36. *in princ.* Rebuff. poſt alios *in Praxi, tit. Diſpenſatio de non reſiden. n.* 8.
Alia facultas eſt aliquas præbendas ſupprimendi, cæteraſque ad pauciorem numerum redigendi. Appellatione autem 22
præbendarum, de quibus loquitur Concilium, itidem non venit portio, non ſolùm quia quando Concilium voluit comprehendere portiones, id expreſſit, *ut in d.* §. *Prætereà*; ſed etiam quia manifeſtè loquitur de præbendis Canonicalibus, cùm requirat eas adeò eſſe tenues, ut ſuſtinendo decenti Canonicorum gradui non ſufficiant. Et dum poſteà dat facultatem uniendi, loquitur de eiſdem præbendis Canonicalibus; quod non poteſt contingere in portionibus, quarum ſuppreſſio non diminuit numerum Canonicorum.
Confirmatur, quia Concilium ejuſmodi facultatem adeò ampliavit, ut voluerit eam procedere non obſtante reſervatione, vel affectione, cùm tamen de jure communi Epiſcopus non poſſet unire reſervata, vel affecta, ſaltem ut unio tunc poſſet effectum ſortiri, Rota *deciſ.* 658. *alias* 6. *de reb. Eccleſ. non alien. in antiq.* Collect. *in c. Sicut unire, n.* 6. & ibi dixi *n.* 22. *infra de exceſſ. Prælat.* & ideò Concilium magis eſt ſtrictè intelligendum ad limites verborum, *c. Quæ à jure, de regul. jur. lib.* 6.
Demum orta dubitatione, an ob tenuitatem Capellanorum Eccleſiæ Cathedralis pro divini cultus augmento, vel 23
ob tenuitatem redditnum fabricæ, vel Sacriſtiæ Eccleſiæ Cathedralis liceat Epiſcopis ut remedio *cap.* 15. *ſeſſ.* 24. Sac. Congreg. cenſuit non licere. Ergo ſi Concilium qua parte loquitur de prebendis Canonicalibus, non extenditur ad Capellas, vel farbricam, aut ſacriſtiam, longè minùs ubi loquitur de beneficiis ſimplicibus, extendi debet ad portiones; nam reſpectu præbendarum, quibus fit unio, diſpoſitio Concilii eſt favorabilis, cùm per eam augeantur redditus Canonicorum ob cauſam neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiæ ut hìc patet; at verò reſpectu beneficiorum ſimplicium eſt odioſa, cùm per unionem titulus, & nomen beneficii annexi extinguatur, *c. Super eo, de præben. lib.* 6. Oldrad. *conſ.* 257. *factum tale eſt n.* 15. Rota *deciſ.* 370. *alias* 11. *de reb. Eccleſ. non alien.*
Ulteriùs quæro, an Epiſcopus ex decreto Concilii in eodem *cap.* 15. *ſeſſ.* 24. nedum præbendis Canonicorum, ſed 24
etiam ipſi Capitulo, ſeu Capitulari menſæ beneficia ſimplicia poſſit unire, ubi frequentes, atque adeò tenues ſunt præbendæ, ut ſuſtinendo decenti Canonicorum gradui non ſufficiant.
Et juris communis diſpoſitione manifeſtum eſt irritam 25
eſſe unionem beneficii factam ab Epiſcopo menſæ Capitulari etiam ſuo conſentiente Capitulo, ut eſt caſus in Clem. *Si una*, §. *Quòd ſi Epiſcopus*, ubi omnes, *de reb. Eccleſ. non alien.* & notant hìc Jo. Andr. *num.* 2. *in fin. in ver. Poteris*, Imol. *n.* 3. & reliqui. Rationem aſſignat gloſſ. communiter approbata in d. Clem. *Si una in ver. Capitulo*, & Imol. *d. n.* 3. quia Capitulum non poteſt in facto proprio authorizare, *c. Qui manumittitur*, 12. *q.* 2. Quidquid contra ſcripſerit Oldrad. *conſ.* 182. qui non reſpondet ad d. Clem. imò propter illam fatetur ſe dubitare de victoriæ cauſa, & eum reprobat Caccialupp. *in tract. De union. art.* 4. *q.* 10. Quare neceſſa- 26
ria eſt authoritas Papæ, ut tenet gloſſ. in d. Clemen. *in ver. Menſæ, ad fin.* quam ibi ſequuntur Card. *nu.* 3. *in fin.* Abb. *n.* 6. & ipſemet Oldrad. ſibi contrarius *in conſ.* 262. *nu.* 3. ubi addit nec ſufficere authoritatem Metropolitani, quia hic non eſt de caſibus Archiepiſcopo reſervatis, quoad ſubditos ſuffraganei, *c. Paſtoralis*, & quod ibi notatur *ſupra de offic. ordin.* Ad hoc *c. Sicut unire, verſ. Non obſtante, infra de exceſſ. Prælat.* & hoc planum. Sed in terminis Concil. Trident. die 29. Novembris 1612. in Sacr. Congregat. cui interfuerunt S. R. E. Cardinales Montelperus, Juſtinianus, de Monte, Paravicinus, Matthejus, Aquaviva, Plattus, Blanchettus, Mantica, Doratus, Bonviſius, & Sanctorum quatuor, propoſito ſupraſcripto dubio, Matthejus cenſuit Epiſcopum non poſſe unire menſæ, rationibus in ejus voto adductis; & præcipuè quia Concilium tribuit facultatem uniendi præbendis dumtaxat, non autem menſæ Capitulari, & cùm verſemur in materia ſtricta, & à jure improbata, ut in Clem. *Si una, de reb. Eccleſ. non alien.* extendi non debet ad caſum in verbis non comprehenſum ad 27

corre-

correctiorem Juris communis. Montelp. idem ſenſit, & in hanc ſententiam allegavit conſ. Hieronymi Gabriel. 101. Idem ſenſerunt de Monte, & Paravicinus Sed Aquaviva dixit ſe contrariam ſententiam veriorem exiſtimare, quia nullam inter utrumque caſum videbat rationem diverſitatis. Neque obſtare, quòd Capitulum non deberet authorizare in facto proprio, quia hæc non eſt authoritas, ſed conſenſus. Juſtinianus putavit negativè reſpondendum, quia Concilium, quando voluit præjudicare juri communi, id expreſſit; quod cùm non fecerit, videtur noluiſſe. Plattus dixit ex verbis Concilii ſe elicere, quòd unio fieri poſſit menſæ Capitulari, eo quòd voluit fructus præbendarum ſuppreſſarum quotidianis diſtributionibus applicari. Blanchett. conſiderabat, quòd aut præbendæ ſunt inæquales, & non poteſt Epiſcopus unire menſæ; aut ſunt æquales, & poteſt abſque conſenſu Capituli, quia in alienatione, quæ fit vigore legis, non requiritur ſolemnitas. Mantica cenſuit reſpondendum negativè. Dorat. etiam negativam ſententiam ſequutus eſt, quia quoties facultas aliqua tribuitur, non debemus eam ampliare ad caſus non expreſſos, *l. Illicitas*, §. *Qui univerſas*, *ff. de offic. Præſid.* Ad id quod dicebat Dominus Cardinalis Plattus, reſpondit facere pro hac parte, quia Concilium voluit præbendarum ſuppreſſarum fructus reliquarum diſtributionibus applicari, & ſic ſemper egit de applicatione facienda præbendis, non autem menſæ. Ad id quod adducebat Dominus Cardin. Blanchettus, reſpondit Concilium non cogere, ut fiat hæc unio, ſed tantùm dare facultatem illam faciendi, ideòque in hoc caſu non procedere quod dicitur in alienatione neceſſaria nullam requiri ſolemnitatem Bonviſius, & Sanctorum quatuor ſententiam negativam & ipſi ſequuti ſunt. Itaque ex communi ſententia decretum fuit nequaquam Epiſcopum poſſe hujuſmodi beneficia unire Capitulo, ſeu Capitulari menſæ idque ſi fecerit, nullam eſſe unionem. Quam Congreg. ſententiam die 19. Decembris 1612. ad ſe relatam S. D. N. probavit.

28 Succeſſivè quæro: Poſita deciſione Sac. Congregationis Concilii, qua declaratum fuit Epiſcopum vigore facultatis ſibi tributæ decreto Conc. Tridentini *c. 5. ſeſſ. 24.* beneficia ſimplicia præbendis Cathedralium, vel Collegiatarum Eccleſiarum de conſenſu Capituli uniendi, non poſſe eadem beneficia unire menſæ Capitulari, & ſi uniat, unionem eſſe nullam; an etiam nulla ſit unio beneficiorum ſimplicium facta ab Epiſcopo menſæ Capitulari, ſi in Cathedrali, vel in Collegiata nullæ ſunt præbendæ diſtinctæ, ſed dumtaxat maſſa communis Capituli, cujus proventus omnes his tantùm, qui ſtatutis horis interfuerunt, diſtribuuntur.

Epiſcopus Calvenſis afferens fructus menſæ Capitularis eſſe tenuiſſimos, eidem menſæ cum conſenſu Capituli aliàs univit decem, & tria beneficia ſimplicia; & cùm poſteà quatuor ex eis vacaſſent in menſibus reſervatis, Julius Cæſar Malaſpina illa à Sede Apoſtolica impetravit, & lite priùs coram Auditore Cameræ, & deindè in Rota introducta contra Capitulum Cathedralis, quod ſe fundabat *in d. unione*, Julius Cæſar obtinuit à S Congreg. deciſionem ſuppoſitam in dubio per manus delato, videlicet nullam eſſe unionem factam ab Epiſcopo menſæ Capitulari, cùm Concilium tribuat ſolùm facultatem uniendi præbendis, non autem menſæ Capitulari. Et quia Julius Cæſar hac deciſione impugnavit unionem in Rota, Capitulum habuit recurſum ad S. Congreg. prætendens deciſionem ſupradictam habere locum tantùm quoties in Cathedrali ſunt præbendæ diſtinctæ, non autem cùm nullæ ſunt diſtinctæ præbendæ, ſed ſola maſſa Capitularis, ut in caſu, de quo agitur; idcòque petiit reſolutionem dubii ſupradicti.

Ad quod videtur affirmativè reſpondendum, videlicet hujuſmodi unionem menſæ Capitulari factam juxta priorem deciſionem eſſe nullam, etiam cùm nullæ ſunt in Eccleſia præbendæ diſtinctæ, ſed ſola maſſa Capitularis. Nam ratio in priori deciſione conſiderata, quare liceat Epiſcopo vigore *c. 15. ſeſſ. 24.* unire beneficia præbendis Canonicalibus, non autem menſæ Capituli, ea fuit, quia etiam de jure communi ante Concil. eadem uniendi poteſtas competens Epiſcopo quod omnes præbendas, ut ſcilicet poſſet illis unire beneficia, non competebat ei quoad menſam Capitularem. Ita colligitur ex d. Clem. *Si una*, *in verſ. Menſa ſua*, ubi omnes notant *de rebus Eccleſ. non alien.* ex hac decretali, & declarat in ſpecie Vital. in d. Clem. *n. 14.* & ratio diverſitatis inter utrumque caſum ea aſſignatur à Doctoribus, quòd cùm in unione requiratur conſenſus Capituli, ut in dict. Clem *Si una*, & Capitulum non poſſit authorizare in facto proprio, ut ibidem omnes tradunt, poteſt quidem Capitulum præſtare authoritatem in unione facta omnibus præbendis, ut hìc, quia tunc principaliter agitur de intereſſe ſingulorum, & ſecundariò de intereſſe Capituli; non autem cùm unio fit menſæ, quia tunc agitur principaliter de intereſſe Capituli, & ſecundariò ſingulorum. 29
Clari autem juris eſt poſſe interponi authoritatem ab eo, cujus non intereſt principaliter, ſed ſecundariò, *l. 1. ff. de author. Tutor. cum ſimil.* Huic autem opinioni apertè videtur adhæſiſſe Conc. *d. cap.* 15. cùm facta mentione præbendarum voluit licere Epiſcopo de conſenſu Capituli aliquot ſimplicia beneficia iis unire, ſcilicet præbendis, cùm myſterio admittens unionem cum conſenſu Capituli fieri præbendis, non facta mentione facultatis uniendi menſa tamquam prohibitæ de jure communi, & adverſanti rationi naturali, ſecundùm quam non convenit quempiam in facto proprio authorizare, ut per DD. in d. Clem.

Hæc autem ratio deciſionis jam editæ, quòd non poſſit Epiſcopus unire beneficia menſæ Capitulari, quia requiritur conſenſus Capituli, quod illum interponere non debet in facto proprio, militat etiam cùm præbendæ non ſunt diſtinctæ, quia utrobique intereſt Capituli, & quidem principaliter; ac propterea deciſio prædicta etiam hoc caſu locum habere videtur. Quod in terminis juris veteris apertè ſentire videntur DD. in d. Clem. dum negantes unionem factam ab Epiſcopo menſæ Capitulari, non limitant hanc opinionem, ubi præbendæ non ſunt diſtinctæ, cùm tamen ſint multæ Eccleſiæ, quæ non habent hanc diſtinctionem, ut ait Innoc. *in c. Dilectus, il* 1. *n.* 4. *ſupra eod.* Imò
Vital. in d. Clem. *Si una*, §. *Quod ſi*, *n.* 14. *&* 15. *de reb. Eccl. non alien.* expreſsè declarat prohibitionem juris communis, ut Epiſcopus menſæ Capitulari beneficia unire non poſſit, procedere etiam cùm præbendæ non ſunt diſtinctæ, inferens portionibus privilegiatis non poſse ab Epiſcopo fieri uniones, quia hujuſmodi portiones non ſunt Eccleſiæ, ſed de redditibus communiter collectis extrahuntur, ut dicit Innoc. *in d. c. Dilectus*, *in fin.* 30

Non obſtat, quòd ubi præbendæ non ſunt diſtinctæ, ſed redditus omnem in diſtributionibus conſiſtunt, quæ ex communi maſsa percipiuntur, videantur diſtributiones eſſe loco præbendarum, juxta gloſs. magnam communiter receptam *in cap. Licet, ſuprà eod.* quia aliàs eſset dare Canoniam ſine præbenda, ut animadvertit gloſs. *in cap. unic. de Cleric. non reſid. in 6. ver. Receperit*, adeò ut ſicut ex Concilio poteſt Epiſcopus unire præbendis, ita potuerit unire maſsæ communi, quæ reſolvitur in præbendis juris interpretatione. Ad hoc enim benè reſpondit Vital. *loc. cit. Licet enim*, inquit *alio reſpectu maſſa, vel portiones exæquentur præbendis, non tamen quoad hoc ut illis poſſit fieri unio propter rationem ſuperiùs expreſſam*; & propterea quoad effectum uniendi non ſufficit, ut pro præbendis habeantur. 31

Non obſtat, quòd ſecundùm hunc intellectum ſequatur, ut Concilium hoc ſalutari unionis remedio non omnibus Cathedralibus eo indigentibus proſpexerit, cùm multæ, ut dictum eſt, ſint Eccleſiæ ſine præbendis diſtinctis cum maſſa communi valdè tenui, quam Epiſcopus unionibus beneficiorum non poterit reddere pinguiorem.

Nam reſpondetur caſum hunc omiſſum à Concilio remanere ſub diſpoſitione juris communis, vulg. *l. Commodiſſimè*, *ff. de liber. & poſthum.* Nec propterea ullum ſequi abſurdum, quia ſi menſa Capitularis erit tenuis, adeundus erit pro unione ſummus Pontifex, ut per DD. in d. gloſs. ſuper verb. *Menſa*, & dictum eſt ſupra, *n.* 26 die 5. Februar. 1611. Habita eſt Congregatio in ædibus D Cardinalis Montelperi, cui præter ipſum interfuerunt Domini Cardinales de Monte, Plattus, Arigonius, Mantica, Millinus, Nazareth, in eaque propoſito ſupraſcripto dubio, omnes uno ore cenſuerunt deciſionem jam editam habere locum, etiam cùm præbendæ non ſunt diſtinctæ, ſed ſola maſsa communis. Cardin. Plattus addidit non obſtare, quòd in facto 32
proprio poſſit authoritas interponi bona fide, & palam, ex Bart. *in l. Frater à fratre*, *n.* 50. *ff. de condict. indeb.* quia id intelligitur, quando authoritas interponitur coram ſuperiore, qui debet actum confirmare, ut ibi per Bart. Cardinalis Millinus etiam adjecit hanc dubitationem à Car-

dinali Platto propoſitam, jam ſopitam eſſe per d. Clem. *Si una, de reb. Eccleſ. non alien.* contra opinionem Oldrad. *conſ.*182. Quod dubium perpendit etiam hanc rationem, quòd unico eſt facienda præbendis diſtinctis, ut ſciatur quis ſit Prælatus beneficiorum unitorum. Et pro hac opinione quòd unio ſit nulla facta menſæ Cathedrali, in qua præbendæ non ſunt diſtinctæ, citavit Gabriel. *conſ.*186. *aliàs* 188. *lib.*2.

33 In gloſ.3. QUÆRO, cùm Parochialis Eccleſia, vel fructus illius annectuntur præbendæ, vel menſæ Capitulari, quis dicatur habere curam animarum, & ſit Prælatus, ac Rector Eccleſiæ, an ſcilicet Canonicus præbendarius, vel Capitulum, an verò Vicarius perpetuus ad hoc ut ſibi, & non alteri debeantur decimæ, primitiæ, & oblationes, quæ de jure communi competunt.

Propoſitum dubium in duobus caſibus ad praxim deduci poteſt. Primus eſt in unionibus factis, vel faciendis authoritate Apoſtolica. Secundus in unionibus ab Epiſcopo factis, & effectum ſortitis ante publicationem Conc. Trid. Ex eo enim tempore ſublata eſt facultas, quam ex hac decretali habeant diœceſani uniendi Parochiales Eccleſias præbendis Canonicalibus, ut dictum eſt ſupra *n.*11.

34 Rurſus ad praxim poteſt deduci hæc controverſia in unione acceſſoria tantùm, cùm ſcilicet Parochialis perpetuò annectitur, & ſubjicitur præbendæ, juxta textum hìc, *& in c. Extirpandæ*, §. *Qui verò, ſupra eod. & in c. Super eo, de præben. lib.* 6. non autem in unione extinctiva, ſeu tranſlativa cùm ſcilicet ex duabus Eccleſiis una fit Eccleſia, & jura unius perimuntur, ſeu transferuntur in aliam. Nec in unione æquè principali, ut cùm duæ Eccleſiæ ad invicem uniuntur, ita ut unaquæque retineat ſua jura, & privilegia. Quandoquidem in his duabus unionum ſpeciebus unus tantùm eſt Rector utriuſque Eccleſiæ, *ut in c. Et temporis*, & ibi gloſſ. *in ver. Unire* 16. *q.*1. *& in c.*1. *cum gloſ.*2. *infra ne ſed. vac.* & conſequenter non habet competitorem ſuper jure prælationis, & curæ animarum.

35 Quibus præhabitis, conjungendo dicta gloſſarum cùm dictis DD. hìc, & præſertim Hoſt. *n* 6. & Jo. Andr. *n.*8. pro ſolutione quæſtionis obſervandum eſt, tribus modis augeri poſſe redditus Canonicorum ex proventibus Eccleſiæ Parochialis. Primus modus eſt per annexionem Parochialis alicui ex præbendis Canonicalibus, ita ut fructuum perceptio ſpectet ad Canonicum, certa portione Vicario relicta, ſive in pecunia numerata, ſive in aliis ſpeciebus, ut hìc, *& in c.*1. *infr. eod. lib.*6. *& d.* §. *Qui verò*, ſive quia ipſe Vicarius comedit in menſa Prælati, ſicut fieri teſtatur Herinc. Boich. in omnibus Prioratibus habentibus curam animarum annexam totius diœceſis Leonen. unde ipſe eſt oriundus: & hoc primo caſu de jure communi cura animarum, & rei vendicatio fructuum ſpectat ad ipſum Canonicum, maxmè in foro contentioſo; ſed exercitium curæ in foro animæ ad Vicarium pertinet, ut *in c. Super eo, de præb. lib.*6. & ita intelligendi ſunt Hoſt. & Jo. Andr. *ubi ſup.* dum dixerunt Canonicum eſſe Prælatum, & curam habere, & Vicarium ſuum ſimiliter, *ut c.*1. *&* 2. *ſup. de offic. Ord.* ideſt Vicarium in foro animæ, & Canonicum in foro judiciali, ita ut de jure communi vendicet decimas, & alia jura, ut probatur *in c. Ex tranſmiſſa, ſupra de præſc. in c. Ex parte il* 1. *& in c. In noſtra, infra de ſepult.* & hìc declarat Herinc. Boich. *ante med. verſ. Aut per-*
36 *ceptio fructuum*: vel certè, ut inquiunt Butr. *in fin.* & Card. *in* 7. *q. n.*8. Canonicus eſt Prælatus, & habet curam quoad habitum, Sacerdos verò quoad exercitium. Idem Jo. de Lign. & poſt eum Gemin. *in c. Super eo, colum.*2. *in gloſ.* 2 & Franc. *n.*2. *in ead. gloſ. de præb. lib.*6. ubi ſic diſtinguunt: Aut loquimur de cura fori contentioſi, & tunc proculdubio illam habet Canonicus, ut in terminis *d. c. Super eo.* & notatur in Extrav. *Execrabilis, in ver. Perpetuos*. Aut loquimur de cura fori pœnitentialis, & tunc in illa concurrit habitus, & actus. Quoad habitum curæ clarum eſt, quia eſt penes Canonicū,
37 quoad actum, ſeu exercitium eſt penes Vicarium. Cæterùm Petr. de Anchar. hìc *n.*6. videtur concludere Canonicos, qorum præbendis facta eſt annexio, nec quoad exercitium, nec quoad habitum habere curam fori pœnitentialis. Primò, quia cùm poſſint eſſe minores vigitiquinque annorum, ut notatur *in c. Si eo tempore, de reſcr. lib.*6. per Hoſt. & DD. *in c. Poſtulaſtis, infrà de conceſſ. præben.* non apparet quo pacto poſſit in eis cadere titulus, & jus curæ, ſeu illius
38 exercitium. Deindè quia ſi penes ipſos eſſent curæ, & Sacerdotes in Parochialibus poſiti cenſerentur illorum Vicar. in curæ exercitio, ſequeretur, ut defunctis, vel tranſlatis Canonicis extingueretur jus ipſorum Sacerdotum, qui haberent cauſam, & titulum à Canonicis, & penderent ab eis, ut *c.*1. *de offic. Vicar. lib.*6. Sed hoc eſt falſum, ut notatur *in d. c. Extirpandæ, ſuprà eod.* Ergo hujuſmodi Sacerdotes non ſunt cenſendi Vicarii Canonicorum propriè, cùm ſint perpetui, nec ad libitum Canonicorum poſſint removeri, ut *in d. c. Extirpandæ*, §. *Qui verò*, nec ab eis dependentiam habeant ullo modo, ſed authoritate juris habeant curæ exercitium de per ſe, quam principalis Canonicus impedire non poſſet, nec ſe de ipſa intromittere, ſicut nec Epiſcopus invito Rectore Eccleſiæ Parochialis poſſet ibi curam animarum aſſumere. Demum ob dictam curam Vicarius eſt ille, qui aſtringitur ad pœnas, *c. De multa*, & Extrav. *Execrabilis, de præben.* recipiendo aliud beneficium ſimilem curam habens, ut patet in prædicta Extrav. *in fine*, & in Clem. 1. *de offic. Vicar.* Fatetur tamen Anchar. Canonicum agere poſſe pro juribus ſpectantibus ad Eccleſiam annexam, & pro eis conveniri, quia emolumentum temporalium principaliter ſpectat ad eum.

Sed certè quidquid ipſe dicat, non videtur recedendum à communi opinione, quia Sacerdos Eccleſiæ annexæ appellatur Vicarius, ut eſt caſus *in d. c. Extirpandæ*, §. *Qui verò*, *ſupra de præb.* & conſequenter habitus curæ videtur eſſe penes Canonicum. Neque obſtat, quòd Canonicus poſſit eſſe major ſeptennio, vel annorum quatuordecim, licèt ſit mi- 39
nor vigintiquinque: Quoniam jura, quæ præſcribunt ætatem vigitiquinque annorum, loquuntur in Parochiali, ut *in c. Licèt Canon. de elect. lib.*6. ſecundum Cardin. vel certè ut dicit Jo. de Imola, jura prædicta vendicant ſibi locum in his, qui habere debent curam quoad exercitium, non autem quoad habitum, in quandam conſequentiam propter annexionem factam præbendæ: tunc enim jus videtur quodammodo diſpenſare, ut habeant hujuſmodi curam in habitu, ex quo permittit, eum habere præbendam, cui annexa eſt Eccleſia curata, arg. *c. Præterea, & c. Ex litteris, ſuprà de offic. deleg. & l.*2. *ff. de juriſd. omn. judic.* Item non obſtat ſe- 40
cundum motivum Anchar. quòd deberet extingui poteſtas Vicarii extincta poteſtate principalis Prælati; ſiquidem hoc procedit in Vicario temporali, & voluntario: ſecùs in perpetuo & neceſſario, qui authoritate Canonis, non autem ipſius Prælati conſtituitur, prout contingit hoc caſu, ut patet *in d.* §. *Qui verò*. Tandem non obſtat ultimum motivum quòd Vicarius adſtringatur ad pœnas, *c. De multa*, & Extrav. *Execrabilis*. Quia hoc non provenit ex eo, quòd ſit Prælatus, & habeat jus curæ, ſed propter curæ exercitium: Canonicus verò his pœnis non adſtringitur, quia cùm habeat curam annexam præbendæ, conſideramus ipſam præbendam tamquam principale, ut notatur *in c. Super eo, in gloſ. in ver. Non obviet, inf. eod. lib.*6. curam verò tamquam acceſſorium, *ad hoc c. Si confirmationem, de elect. lib.*6. ſecundùm Card. hìc *n.*8. & ita opinionem Petri de Ancarano refellit Jo. de Imola *n* 4. *verſ. Sed certè*, cum quo tranſit Jo. de Anan. *eod. n. verſ. Jo. de Imola*. Et hanc ſententiam probavit S. Congr. Concilii, ut mox patebit.

Secundus modus augendi redditus Canonicorum eſt per 41
annexionem Parochialis Eccleſiæ ipſi Capitulo, ſeu menſæ Capitulari; intellige per Papam, vel de illius mandato, propter Clem. *Si una, de reb. Eccleſ. non alien.* ita ut ad Capitulum ſpectet perceptio fructuum Eccleſiæ, ut in proprios uſus convertat, *ut in c. Conſultationibus, infrà de donat.* certa portione ſimiliter relicta Vicario perpetuo, & tùnc jure pertinet ad Collegium ſimul, non autem ad ſingulos, §. *Qui manumittitur*, 12. *q.*2. *l. Sed ſi hac lege*, §. *Qui manumittitur, ff. de in jus vocan. & l. Sicut municipium*, §.1. *ff. Quod cujuſque univerſ. nom.* & firmant hìc Hoſt. *n.*6. Joan. Andr. *n.*8. Butr. & Cardin. ambo *num.*7. Sed hoc intellige quoad temporalia, ita ut ipſum Collegium ſpectet vendicatio rerum Eccleſiæ; & quoad habitum tantùm, non autem quoad exercitium in foro animæ, quod ſpectat ad Vicarium perpetuum privativè ad Capitulum, ut concluſum eſt in caſu præcedenti.

Hinc cum fel. record. S. Pius V. in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe erexiſſet perpetuam Vicariam pro cura animarum Parochianorum prædict. Eccleſiæ exercenda, prout in Motu proprio ſub Dat. Romæ apud S. Petrum nonis Novembris ſui Pontificatus anno 6. & modernus Vicarius perpetuus prætenderet curam animarum prædictæ Baſilicæ ad ipſum ſpectare, privativè ad Capitulum: ob eam cau-

cauſam orta ſuper hoc lite, quæſitum eſt à S. Congregatione Concilii, an litteræ Motus proprii S. Pii V. Inſtitutionis Vicariæ transferant omnem curam in Vicarium perpetuum privativè ad Capitulum: S. Congreg. Cardinalium Concilii Trid. Interpretum auditis utriuſque partis procuratoribus, & advocatis, reque diligenter examinata, cenſuit ex litteris ſan. mem. S. P. V. ſolum curæ exercitium fuiſſe translatum in Vicarium perpetuum privativè ad Capitulum; curam verò habitu penes Capitulum remanſiſſe. Cæterùm quæ ad habitum, & quæ ad exercitium pertineant, maturius, ubi partes petierint, eſſe deliberandum.

42 Tertius denique modus augendi redditus Canonicorum eſt per aſſignationem, ſeu impoſitionem penſionis ſuper fructibus Parochialis, vel ad favorem ipſius Capituli, vel particularis Canonici, ita ut Collegium, vel Canonicus præbendarius certam portionem percipiat, reliquis fructibus cadentibus in uſus Vicarii; & hoc tertio caſu cura animarum, & vendicatio fructuum pertinebit ad Sacerdotem; ipſeque erit Prælatus & Rector Eccleſiæ, *ut in c. Avaritiæ, & c. De Monachis ſuprà eod.* & ita intelligitur finis hujus gloſ. 3. ibi, *Sed verius*, dum approbat primam opinionem.

43 Non obſtat *c. Extirpandæ*, §. *Qui verò, ſuprà eod.* ubi non licet penſionem ex fructibus Parochialis conferre non beneficiato: Quoniam ibi fraus tantùm excluditur per illa verba, *Illud tamen penitus interdicimus, ne quis in fraudem Eccleſiæ curatæ penſionem quaſi pro beneficio conferre præſumat*; hìc verò aſſignatur penſio bona fide, & ex cauſa rationabili, ſecundùm Hoſt. vel ibi ſine annexione, hìc autem per annexionem quæ fit prębendæ, ſecundùm Cardin. vel deniq; ibi cenſetur excepta cauſa evidentis neceſſitatis, vel utilitatis, ut hìc. Hodie non puto augeri poſſe redditus præbendarum ab Ordinario per impoſitionem penſionis, ſeu diſmembrationem fructuum Eccleſiæ Parochialis; quia in hac materia jam proviſum eſt à Concilio Trid. quia forma ſit procedendum, ut dictum eſt ſuprà *n.* 11. præſertim poſt regulam S. D. N. Urbani VIII. revocatoriam reſervationum penſionum perpetuarum ſuper beneficiis Eccleſiaſticis etiam ad favorem Collegiorum, Capitulorum, & beneficiorum, quæ nondum ſortitæ ſunt effectum; nec non indultorum imponendi penſiones etiam temporales Quæ habetur *in Bullar. tom. 4. pag.* 379. Prædictam diſtinctionem probavit Guil. de Monte Laud. in Clem. 1. *in gloſſ. magna, verſ. Hic quæro, de offic. Vicar.* & in Clem. 1. *in ver. Jura Epiſcopalia, de cenſib.* & in Extravag. *Execrabilis, in fin. ſuper ver. Parochias, de præben.* & idem Guil. & Zenzelin. in Clem. 1. *ſuper ver. Aſſignare neglexerint, de jurepatr.* Gemin. poſt Jo. de Lignano *in c. Super eo, colum. 2. in 2. gloſ.* & ibi etiam Franc. *colum. 1. in eodem gloſſ. infrà eod. lib. 6.* & ſequuntur hìc Henrich. Boich. *n.* 1. & Abbas *n.* 10. & eſt ex mente Hoſt. Jo. Andr. & reliquorum ferè omnium.

DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.

Gregorius IX. Argentinen. Epiſcopo.

CAPUT XXXV.

SUper inordinata ordinatione: & infrà. Cùm autem illi ſint in Eccleſiis idonei reputandi, qui ſervire poſsunt & volunt in ipſis: conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quòd pueri, & beneficiati, qui non poſsunt in eadem Eccleſia deſervire, in ea non debent idonei reputari.

SUMMARIUM.

1 *PUeri, & aliàs beneficiati nonſunt idonei ad beneficia conſequenda.*
2 *Poteſtas, & voluntas requiritur ad quemlibet actum expediendum.*
3 *Beneficium ſimplex obtinenti an, & quando Epiſcopus poſſit conferre ſecundum ex juris communis diſpoſitione, & nn. ſeqq.*
Et quid ex Concilio Tridentino, n. 7.
4 *Reſponſio ut ſit latior, quàm interrogatio, non eſt inconveniens.*
5 *Beneficia ſimplicia de jure communi requirant perſonalem reſidentiam.*
6 *Beneficium obtinens, quod perſonalem reſidentiam non requirit, de jure communi non eſt inhabilis ad aliud obtinendum.*
7 *Et quid poſt Concilium Tridentinum.*
8 *Beneficia duo perſonalem reſidentiam requirentia, quantumcumque modici ſint valoris, hodie ſunt incompatibilia.*
9 *Collatio ſecundi beneficii incompatibilis valida eſt, ſed adepta pacifica poſſeſſione ſecundi vacat primum.*
10 *Ætas quæ requiratur de jure communi ad obtinenda beneficia ſimplicia, & Canonias in Cathedrali Eccleſia, & nn. ſeqq.*
11 *Pueri qui dicantur.*
12 *Canonicos Cathedralis jura præſumunt eſſe peritos, & conſilio maturos.*
13 *Ætas quatuordecim ſaltem annorum hodie requiritur ad beneficium obtinendum.*
14 *Et collatio ante facta ab Epiſcopo eſt ipſo jure nulla, & proviſus non facit fructus ſuos.*
15 *Sufficit tamen annum decimumquartum eſſe inchoatum.*
16 *Puer præſentari poteſt ad beneficium juriſpatronatus in duodecimo ætatis anno, ſi ita in illis fundatione ſit cautum.*
17 *Canonicatus, & portiones Cathedralis Eccleſiæ hodie annexum habent Ordinem Presbyteratus, Diaconatus, vel Subdiaconatus.*
18 *Ætas quæ requiratur ad ſingula beneficia tam ſæcularia, quàm regularia obtinenda remiſſivè.*
19 *Ordines minores in qua ætate ab Epiſcopo conferri poſſint, aut debeant, & nn. ſeqq. uſque in finem.*
20 *Tonſura requirit ætatem ſeptem annorum completam, & nn. ſeqq.*
21 *Ætatem nullam præfinivit Concilium Trident. ad primam tonſuram, & minores Ordines, & n. 41.*
22 *Ætatis decem & octo annorum latoribus præfinitæ in c.* Nemo, 78. *diſt. nulla eſt habenda ratio, & cur.*
23 *Decreta Conciliorum, Decretales, & legis civiles à Gratiano volumini ſuo inſerta, non aliam habent authoritatem, quàm leges ipſæ, Decreta, & Decretales.*
Leges civiles ita demum dicuntur canonizatæ, ſi à Papa in Canonibus inſerantur, ibid.
24 *Ætas minorum Ordinum ex decreto Zoſimi Papæ.*
25 *Item ex decreto Siricii.*
26 *Item ex Concilio Toletano.*
27 *Item ex opinionibus gloſſarum, & Doctorum.*
Item ex conſuetudine generali, n. 32.
Item ex Pontificali Romano, n. 34. verſ. Alterum eſt.
28 *Intellectus c.* De iis, 28. *diſt. & nn. ſeqq.*
29 *Dictio*, A, *ex ſui natura eſt excluſiva, præſertim conjuncta tempori.*
30 *Infantiæ proximus quis dicatur.*
31 *Dictio*, Mox, *quid importet.*
32 *Conſuetudo univerſalis Eccleſiæ quamvis ſit contraria juri ſcripto, pro lege ſervanda eſt.*
33 *Conſuetudo interpretativa facilius, & minori tempore inducitur, quàm novi juris induſtria.*
34 *Ordinatus in Acolytum ante pubertatem non poteſt ſuſpendi ab executione.*
35 *Ordines minores an de neceſſitate Sacramenti, vel de neceſſitate præcepti, an verò de honeſtate tantùm requirant uſum rationis.*
36 *Pueri, & uſu rationis carentes poſſunt ſuſcipere Sacr. omnia, in quibus non requiritur actus ſuſcipientis.*

37 *Ordines ſacri uſum rationis requirunt ex neceſſitate præcepti, non autem Sacramenti.*
38 *Et quid in conſecratione Epiſcopali.*
39 *Ordinatus infra annos diſcretionis, non reordinatur.*
40 *Sacramentum quodlibet non iterabile non requirit aliquam diſpoſitionem ex parte ſuſcipientis, ſed tantùm ut ob ex contrariæ voluntatis non obſiſtat.*
41 *Ordinantes ad primam tonſuram, vel minores, aut ſacros ordines ante ætatem legitimam, quas pœnas incurrant ex Bulla Sixti V.*
42 *Ætas diſcretionis quæ dicatur.*
43 *Ætas ſeptennii ſufficit ad ſponſalia contrahenda.*
44 *Ordines minores una die hodie conferri non debent niſi ex cauſa.*

1 S*Uper inordinata*. Pueri, & aliàs beneficiati non ſunt idonei ad beneficia conſequenda. Hoc dicit. Dividitur in tres partes. In prima ponitur deciſa conſultatio. In ſecunda rationis ratio, ibi, *Cùm autem*. In tertia, reſponſio, ibi, *Conſultationi*. Secundum Hoſtienſem, & Joan. Andr. fit conſultatio. Reſpondetur in genere. Exemplificatur in ſpecie.

2 Nota primò ibi, *Poſſunt, & volunt*, ad quemlibet actum expediendum duo eſſe copulativè neceſſaria; poteſtatem ſcilicet & voluntatem, ut hìc per Butr. *in* 1. *not.* Ad idem text. *in c. Cùm ſuper, de offic. deleg. & in l. Cùm ſe*, & ibi Bald. *n.* 1. *C. de donat. ante nupt.*

3 Secundò nota, obtinendum ſimplex beneficium non eſſe habilem ad aliud beneficium obtinendum primo retento. Concordat textus *in c. Is cui, infra eod. lib.6.* ubi patet habentem poteſtatem Apoſtolicam conferendi beneficium perſonæ idoneæ, non poſſe illud conferre obtinenti beneficium ſimplex, ſi illud ſit ſufficiens. Et hoc tenet gloſſ. ſecunda hìc, *& in c. Dudum, il ſecondo, in ver. Intitulatam, in fine ſuprà de elect.* ubi concludit obtinentem ſimplex beneficium, quod ſit ſufficiens, non poſſe obtinere ſecundum niſi diſpenſativè. Et quamvis Innoc. *in ver. Reputandi*, reſtringat hanc decretalem ad Prælaturam; tamen Hoſtien. *n.* 1. *in verſ. Eccleſiis*, dicit hìc non agi de Prælationibus, ſed de beneficiis non curatis, & Eccleſiarum prębendis, & de hoc eſſe caſum expreſſum hìc; & fuſiùs idem proſequitur *infrà n.6. verſ. Sed puto, quòd alia ſit mens*.

4 Neque obſtat, quòd integra, cujus pars eſt hæc decretalis, quamvè ex regiſtro deſumptam referunt hìc ad litteram Hoſt. & Jo. Andr. loquatur de obtinentibus Dignitates, & beneficia curata: nam nihilominus deciſio ſumenda eſt ex parte inſerta in hac compilatione, quæ generaliter & indiſtinctè loquitur de beneficiatis, ſecundùm ea, quæ adnotavi *in cap.* 1. *n.*14. *& n.*20. *verſ. Ad hanc difficultatem ſuprà de Pactis*. Præterquamquòd, ut conſiderat Hoſt. ubi ſupra, non eſt abſurdum, ut Papa latiùs reſpondeat, quàm quæſitum fuerit: hoc enim ſæpè accidit, ut legitur, & notatur *in c. unico*, 1. *reſponſ. ſuprà de Sacra Unctione*. Ne conſulens de hoc poteſt conqueri; imò debet gratias agere, ſi conſultationi ſuæ ſatisfiat, ipſeque ulteriùs inſtruatur, pro
5 ut hìc fit, ut latiùs per eum. Pondera tamen rationem in littera expreſſam, cur obtinens beneficium ſimplex non ſit idoneus ad beneficium in alia Eccleſia obtinendum, quia ſcilicet in eadem ſervire non poteſt. Et ex hac ratione collige duas concluſiones.

Prima concluſio eſt, de jure communi beneficia quantumcumque ſimplicia, & Eccleſiarum præbendas perſonalem reſidentiam requirere. Et ad hoc quotidiè hìc textus à Doctoribus allegatur: Nam dum decidit beneficiatum propterea eſſe inhabilem ad obtinendum aliud beneficium, quia eidem ſervire non poteſt, neceſſariò ſupponit utrumque requirere perſonale ſervitium. Nulli enim dubium eſſet, quin beneficiatus eſſet idoneus ad inſerviendum alteri Eccleſiæ per ſubſtitutum, ut hìc per Abb. *nu.* 5. Idcircò igitur ut dicatur non idoneus, qui non poteſt utrique per ſe ipſum inſervire, cùm non ſit poſſibile, ut ſimul corporaliter adſit, & miniſtret in duabus Eccleſiis, *c. Acutius, & c. Presbyteros* 16. *q.* 1. *l. Sicut certo, §. Si duobus vehiculum, ff. commod.* & notatur per Innoc. & DD. *in cap. Bona, il primo, de Poſtulat. Prælat.* & per Hoſtien. hìc *n.* 6. *verſ. Sed puto quòd alia ſit mens*.

6 Secunda concluſio eſt: Si beneficium ex fundatione, vel alias perſonalem reſidentiam non requirat, prout hodie non requirunt beneficia ſimplicia ex generali conſuetudine, ut dixi *in c. Licèt num.... ſuprà eodem*, ſi beneficiatus de jure communi eſt inhabilis ad aliud beneficium obtinendum, prout hìc concludit Hoſt. *n.8. in ver. In eadem*. Ergo, inquit, è contrario, ſi quis haberet beneficium, quod non requireret reſidentiam, idoneus reputaretur, ut notatur *in cap. fin. de Cler. non reſid.* & ſequuntur Jo. Andr. *n.* 3. *in ver. Non poſſunt*, Anchar. *in* 1. *notab. in fine*, & Abb. *n.* 3. In hujuſmodi enim beneficiis ceſſat ratio perſonalis ſervitii hìc conſiderata.

Verùm hodie hęc aliter ſe habent propter jus noviſſimum 7
Concilii Trid. *in c.*17. *ſeſſ.*24. quod ſtatutum eſt, ut in poſterum unum tantùm beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur. Quod quidem ſi ad vitam ejus, cui confertur, honeſtè ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominùs aliud ſimplex ſufficiens, dummodò utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri. Quo decreto in multis ſublatæ ſunt veterum Doctorum opiniones in materia incompatibilitatis beneficiorum ſimplicium.

Primò enim dum decernit unum tantùm beneficium eſſe ſingulis conferendum, ſuſtulit opinionem illorum, qui aſſeruerunt, Clericum poſſe duas præbendas, ſeu duo beneficia ſimplicia obtinere, ſaltem ex diſpenſatione Epiſcopi. Quod tenuit gloſſ. *in d. c. Dudum, il ſecondo, in ver. Intitulatam, poſt med. verſ. Quid dicemus de aliis Clericis, ſuprà de elect.* Hodie enim hoc ampliùs non licet, cùm Epiſcopi nequeant contra hoc decretum generalis Concilii diſpenſare, ut ſcripſi latiſſimè *in c. fin. ſuprà de fil. presbyt.*

Deindè dum ſtatuit, obtinenti unum beneficium inſufficiens, poſſe nihilominùs aliud ſufficiens conferri, correxit opinionem Hoſt. hìc *num.* 8. ubi poſt multa concludit ſic: *Conſideratis igitur verbis, & intentione hujus Capituli, expone quod hìc dicitur, & beneficiati, id eſt, quocumque titulo alligati etiam viginti ſolidorum, ut patet in c. Conquerente, ſuprà de Cler. non reſiden. Imò & quantumcumque ſimpliciter beneficiati ſint, repelli poſſunt. Cùm enim hìc dicat ſimpliciter, & indiſtinctè beneficiati; ſimpliciter & indiſtinctè hoc intelligi oportet.* Ita Hoſt. cujus opinio, ut vides, corrigitur à Concilio, quia inſufficienter beneficiatus non repellitur à ſecundo; licèt revera Hoſtienſis videatur loqui de beneficiis perſonalem reſidentiam requirentibus, ut dictum eſt *ſupra n.6.* quæ etiam ex concilio ſunt incompatibilia, quantumcumque modici ſint valoris, ut paulò inferiùs dicetur.

Tertiò, dum decidit obtinenti inſufficiens, poſse con- 8
ferri ſecundum, dummodò utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, à contrario ſenſu correxit opinionem DD. de quibus *ſupra eod. n.6.* qui reſtrinxerunt hanc decretalem ad beneficia perſonalem reſidentiam requirentia, exiſtimantes obtinentem ſimplex beneficium, cui non ſit annexum perſonale ſervitium, non eſse habilem ad aliud obtinendum, licèt primum ſit ſufficiens. Secus enim eſt poſt Concilium, ut mox dicetur.

Quartò, in iiſdem verbis, *Dummodo utrumque*, abrogavit antiquos Canones, qui permittebant, ut Epiſcopi poſsent uni conferre duas Parochiales, vel aliàs incompatibilia beneficia, quorum redditus ita erant tenues, ut proprium Sacerdotem non poſsent convenienter alere, *ut in c. Unio, in fin.*10. *q.*3. *& in c. Eam te, ſupra de ætat. & qualit.* & notat gloſs. præalleg. *in d. c. Dudum, il ſecondo, in v. Intitulatam, verſ. Item propter paupertatem Eccleſiarum*: hodie enim hoc corrigitur, quia ex Conc. obtinenti beneficium quantumcumque inſufficiens, non poteſt Ordinarius conferre ſecundum, ſi utrumque requirat perſonalem reſidentiam.

Hoc tamen non ita intelligi debet, ut collatio ſecundi in- 9
compatibilis ſit nulla; imò enim valida eſt, ſed adepta illius pacifica poſseſſione vacat primum; ac ſi beneficiatus utrumque retinere perrexerit, utroque ipſo jure privatus exiſtit per decretalem *De multa ſuprà eod.* innovatam, & ad omnia incompatibilia ampliatam à Concilio Trident. *in c.*4. *ſeſſ.*7. Et ita aliàs declaravit S. Congregatio ejuſdem Concilii interpres, licèt diſsentiente Cardinale Alciato, cujus fundamenta retuli *in cap. Quia nonnulli, ſuprà tit. proximo*.

Tertiò nota, ad beneficium Eccleſiaſticum obtinendum 10
quem non eſſe idoneum ante decimumquartum annum:
hìc enim pueri dicuntur non idonei ad beneficium. Puer 11
autem propriè quis dicitur à ſeptennio uſque ad annum decimumquartum, *c. Pueri*, 22. *q.* 5. *c. Indecorum, & c. Ex ratione, ſuprà de ætat. & qualit.* gloſ. 1. hìc, Butr. *n.*5. Dixi *in*

cap.

cap. Cùm ſis, de converſ. conjug. ubi hominum ætates diſtinxi poteſt gloſſ. *in procemio Sixti, in ver. Perfectus*, & Turrec. *in c. In ſingulis*, 77. *diſt.* Et quamvis gloſſa prima prælleg. *verſ. quid ergo*, primò videatur intelligere hoc capitulum de pueris ante ſeptennium, quia tunc ſervire non poſſunt, quia nec diſcretionem habent; unde non reputantur idonei: ſecus verò poſt ſeptem annos, quoniam ſunt doli capaces, *c. Pueris, infrà de delict. pueror.* & hoc per *c. De his*, 28. *diſt. c. in ſingulis, & c. Quicumque*, 77. *diſt.* tamen poſteà ab hac opinione videtur recedere, dum dicit ſtandum eſſe huic Capitulo tamquam poſteriori. Atque ita gloſſ. videtur reſidere in prima opinione, videlicet ut pueri ante decimum quartum annum non ſint habiles ad beneficium obtinendum, cùm ſint impotentes ad ſerviendum propter defectum ætatis, prout eam intelligit Cardin. hìc *n.* 7. & Abb. *n. 6.*

Sed oppoſitum tenet gloſſa Jo. Andr. *in c. Si eo tempore, in ver. Ætatem, de reſcr. lib. 6.* ubi concludit pueros ſeptennes, & majores ſeptennio eſſe idoneos ad Canonias, & præbendas Cathedralis Eccleſiæ, & beneficia non curata, quia cùm in tali ætate poſſint ordinari, ergo & in beneficio intitulari, arg. *c. Cùm ſecundùm, ſupra eod.* & ſequuntur Butr. *n.* 5. & Cardin. *n.* 10. *verſ. Secundo caſu*, dicens opinionem Joan. Andr. meliùs de jure probari. Et idem Butr. *in d. c. Si eo tempore, n.* 15. ubi dicit opinionem Bernardi, quòd minor quatuordecim, major ſeptennio, ſit idoneus ad ſimplicia, eſſe communiorem, & veram. Et pro ea videtur text. *in cap. Ex eo, de elect. lib. 6.* ubi impubes fuit proviſus de Canonicatu, & interim ejus vox ſuſpenditur. Et quamvis Archid. ibi dicat puerum illum fuiſſe promotum diſpenſativè; tamen ſecundùm Cardin. hoc eſt divinare. Et hanc opinionem Jo. Andr. ſervavit curia uſque ad tempora D. Joannis Papæ, ut hìc teſtatur Collectar. *n.* 1. Abbas verò hìc *n.* 12. diſtinguit inter beneficia ſimplicia ſonantia in nomen Rectoriæ, & beneficia in Eccleſia: ut primo caſu pueri non dicantur idonei ad beneficium, quia indecorum eſt, ut regant Eccleſiam, qui non noverint gubernare ſeipſos, ut dicitur *in d. c. Indecorum*. In ſecundo autem caſu ſufficit ætas ſeptem annorum, niſi beneficium requirat maturitatem conſilii, ut Canonicatus Eccleſiæ Cathedralis, quia tunc requiritur ætas quatuordecim annorum ſecundùm Hoſt. hìc *n. 9. verſ. Aliud ſæculare ſimplex*, & Anchar. *n. 5. verſ. Et iſtorum aliud*, & Archid. *in d. c. Si eo tempore de reſcr. in 6.* Quorum opinionem ſervat Curia, ut te-
12 ſtantur de ſuo tempore Cardin. & Abb. *loc. citatis*. Quam etiam credit veriorem Collectar. niſi fiat violentia litteræ hujus decretalis. Jura enim præſumunt Canonicos Eccleſiæ Cathedralis eſſe peritos, & conſilio maturos, *c. Statutis, de reſcr. lib. 6.* Quibus ergo etiam accedo: nam contraria opinio fundatur *in d. c. Ex eo, de elect. lib. 6.* & tamen ille textus eam non probat, quia ibi non agebatur, an Canonicus impubes eſſet legitimè promotus, necne; ſed tantùm erat controverſia, an haberet vocem in electione, & ita ſupponebatur eum fuiſſe ritè promotum, & ſic diſpenſativè: neque hoc eſt divinare, ut idem net Card. in ſimili caſu declarat *in c. Dilectus, n. 5. verſ. Et vult. hæc ſolutio*, & ibi dixi *n. 16. verſ. Neq; dicas, hunc intellectum eſſe divinativum,*
13 *ſupra de reſcr.* Hodie tamen hujuſmodi altercationes, & diſtinctiones ſuſtulit Concilium Tridentinum. Nam *in c. 6. ſeſſ.* 23. ſtatuit, ut nullus prima tonſura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus, ante decimumquartum annum beneficium poſſit obtinere. Itaque correcta eſt opinio Jo. Andr. & ſequacium exiſtimantium, beneficium non curatum poſſe conferri puero ſeptenni, & majori ſeptennio. Item ſublata eſt diſtinctio Abbatis volentis beneficium in Eccleſia poſſe conferri ante annum decimumquartum, dummodò non requirat maturitatem conſilii: hodie enim nullum beneficium Eccleſiaſticum poteſt conferri ab Epiſcopo minori annorum quatuordecim; alioquin
14 collatio nulla eſt, ut probat verbum, *poſſit*, quod præcedente illa negatione, *nullus*, tollit potentiam, & inficit actum ipſo jure ſecundùm gloſſ. ordinar. *in cap. 1. de regul. jur. lib. 6.* Unde cùm dubitatum fuerit, an *d. cap. 6. ſeſſ.* 23. diſponens neminem ante decimumquartum annum beneficium obtinere poſſe, comprehendat eum, qui anno duodecimo ętatis beneficium obtinuit, & nunc effectus eſt ętatis annorum quatuordecim, adeò ut nunc non ſit legitimus poſſeſſor, & fructus ſuos non fecerit S. Congreg. innixa doctrinæ Jaſonis *in l. Gallus, num. 17 cum ſeqq. de liber. & poſthum.* ubi quòd actus redditur nullus ipſo jure, cùm quid prohibetur cum verbo *non poſſit*, cenſuit collationem ante decimumquartum annum fuiſſe nullam, & proviſum fructus ſuos non facere.

Veruntamen conſulta, an idem *c. 6. ſeſſ.* 23. requirens 15
ætatem annorum quatuordecim ad obtinendum Eccleſiaſticum beneficium, procedat in eo, qui ingreſſus eſt annum decimumquartum, ſed non complevit: reſpondit ſufficere annum decimumquartum eſſe inchoatum. Item decretum 16
illud non ſuſtulit legem fundationis, cui nuſquam legitur Concilium derogaſſe, *niſi in cap. ult. ſeſſ. 25. de Regular.* quoad decreta omnia illius ſeſſionis, *& in cap. 6. ſeſſ. 25. de refor.* Ideòque cùm aliàs Rota declarari petierit, an decretum ejuſdem *c. 6. ſeſſ.* 23. in quo diſponitur, ut nullus prima tonſura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus conſtitutus, ante decimumquartum annum beneficium poſſit obtinere, habeat locum in fundatione juriſpatronatus, in qua teſtator ordinavit, ut præſentandus ad dictum beneficium ſit conſtitutus in duodecimo ſuæ ætatis anno: reſponſum eſt non habere locum. Et ſecundùm hanc ſententiam poſteà reſolvit Rota apud Farinac. *dec.* 194. *num.* 1. *part. 2. recen.*

Quo verò ad Canonias, & præbendas Cathedralium Ec- 17
cleſiarum, hodie non ſolùm abrogata eſt opinio Jo. Andr & aliorum, de quibus ſupra *num. 11. verſ. Sed oppoſitum*, qui voluerunt quemlibet puerum ſeptennem, & majorem ſeptennio eſſe idoneum ad illas obtinendas; ſed etiam opinio Hoſt. Archid. Collectarii, & Abbat. requirentium ætatem quatuordecim annorum, quia ex Concil. Trident. *in cap. 12. verſ. in omnibus verò Eccleſiis, ſeſſ.* 24. omnes Canonicatus, & portiones in Cathedralibus Eccleſiis annexum habent Ordinem Præsbyteratus, Diaconatus, vel Subdiaconatus. Unde recipendi non ſunt niſi exiſtentes in tali ętate, ut infra annum Ordinibus requiſitis initiari valeant, ut ibi ſtatuitur *in verſ. Neminem, & in c. 4. ſeſſ. 22.* Atque ita hodie factus eſt locus limitationi, quam poſuit Jo. Andr. *in d. c. Si eo tempore, in gloſſ. in verb. Ætatem, in fin. de reſcript. lib. 6.* ubi declaravit opinionem ſuam eſſe intelligendam, dummodò non eſſent talia beneficia, quæ ſacrum Ordinem ex privilegio, conſuetudine, vel ſtatuto, vel alio modo requirerent. Ad hoc *c. Ei cui, de præben. eod. lib.* Sed quid juris ſit ante factam Ordinum diſtributionem, dixi, *in c. Cum in cunctis in 4. q. n... infra de elect.* Quæ autem generaliter 18
requiratur ad ſingula beneficia Eccleſiaſtica obtinenda, latè examinat hìc Hoſtienſ. *n* 9. & poſt eum Jo. Andr. *n.* 4. Abb. *n.* 7 & reliqui. Sed quia multa hodie correcta ſunt ex decretis Concilii Trid. ideò tu dic, ut ſcripſi pleniſſimè *in d. cap Cùm in cunctis.*

Gloſſa 2. attingit, quæ ætas requiratur ad Ordines mi- 19
nores. Sed quia admodùm ſuccinctè loquitur, & ſine ulla examinatione materiæ, & res non eſt uſque adeò clara, non erit abs re hunc articulum pleniùs examinare. Revoco igitur in dubium.

In qua ætate minores Ordines ab Epiſcopo conferri poſſint, aut debeant.

Non levis eſt difficultas, veram, & conſiſtentem habere, ac ſolutam concluſionem in jure, quæ ſit cuique minorum Ordinum conſtituta ætas; adeò generaliter proceſſere ii, qui hac de re ſcripſerunt. Et quidem quoad primam tonſu- 20
ram conveniunt omnes infantiam expletam, quæ ſeptennio concluditur, *l. Si infanti, & l. Potuit, C. de jure deliber.* à ſacris Canonibus conſtitutam eſſe, *c. Nullus*, & ibi gloſſ. *in verb. Infanti de tempor. ordin. lib. 6. cap. In ſingulis, & cap. Quicumque*, 77. *diſt.* gloſſ. 2. hìc, Præpoſ. *in c. De iis*, 28. *diſt.* Rebuff. *in prax. benef. tit. de Cler. malè promot. in gloſſ. 2 n. 1.*

Et quamvis S Congregatio Conc. olim dixerit nullam eſſe 21
à Concilio Trident. præſtitutam ætatem tonſuræ, & quatuor minoribus Ordinibus, ſed etiam attendendam quæ à ſacris Canonibus præſcribitur: aliàs tamen denegante Epiſcopo Toletano primam tonſuram conferre cuidam, qui attingebat ſeptimum annum, ſed nondum compleverat; cùm ordinandus S. Congregationem adiviſſet; reſponſum eſt in prima tonſura requiri ætatem ſeptem annorum completam, *c. in ſingulis*, 77. *diſt.* Angel. *in ver. Ætas*. At verò in reliquis minoribus Ordinibus adeò confuſa, & incerta, quinimò & repugnans videtur mens Canonum, ut vix aliquid certi haberi poſſit.

Primùm enim textus *in c. Nemo*, 78. *diſt.* Lectoribus vo- 22
luit ætatem non eſſe minorem decem, & octo annis. Verùm illius Capituli nulla eſt habenda ratio: tum quia Palea eſt non habens legis auctoritatem: tum quia deſum-

23 pta eſt ab Imperatore in Auth. *de Sanctiſſ. Epiſc.§. Presbyterum*, cujus quidem de his ſtatuendi nulla eſt authoritas, ut habetur 10. *diſt. per totum*, & *in c. Eccleſia S. Mariæ*, & ibi dixi *n.*17. poſt Abbat. *num.*10. *ſupra de Conſtitut.* Decreta enim Conciliorum, Decretales, & leges civiles à Gratiano volumini ſuo inſertæ, non aliam habent auctoritatem, quam leges ipſæ, Decreta, vel Decretales, ut notant Jo. Andr. & alii poſt eum *in cap. De reſcript. & in addit. ad Specul. in tit. de appell.* § *In quibus, verſ. Sed pone*. Ac proindè ſi interſerat in volumine decreti leges correctas, vel contrarias, non cenſentur approbatæ, nec cononizatæ, ut notat gloſſ. *in c. Novit. de judic. in cap.* 1. *de reb. Eccleſ. non alien. lib.*6. & *in c. In primis*, 2.q.1. Sed illæ tantùm leges cenſentur canonizatæ, quæ à Papa Canonibus inſeruntur, *ut in d. c. In primis*. Ita Præpoſ. *in proœmio Decreti n.*2. poſt Arch. *in c. Quicumque*, 11.q.1.

24 Zoſimus verò relatus *in c. In ſingulis*, 77. *diſt.* ſecundùm vulgatam lectionem primis tribus Ordinibus minoribus aſſignavit ætatem annorum duodecim: Acolithatui verò quatuordecim, ut ibi communis habet interpretatio. Verba enim illius decreti ſic ſe habent: *Si ab infantia Eccleſiaſticis miniſteriis nomen dederit, ut inter Lectores, & Exorciſtas quinquennio teneatur. Exinde Acolythus, vel Subdiaconus quatuordecim annis fiat*. Hunc tamen locum alii depravatum eſſe volunt, eumque aliter referunt, videlicet: *Si ab infantia Eccleſiaſticis miniſteriis nomen dederit inter Lectores uſque ad vigeſimum ætatis annum continuata obſervatione perduret. Si major jam, & grandævus acceſſerit, ita tamen ut poſt baptiſmum ſtatim ſe divinæ militiæ deſideret mancipari, ſive inter lectores, ſive inter Exorciſtas quinquennio teneatur. Exinde Acolythus, vel Subdiaconus quatuor annis*. Hæc ibi. Et in uno etiam pervetuſto Gratiani Codice, & apud Raban *de inſtit. Cler. lib.*1. *cap.*13. legitur, quatuor annis, non autem quatuordecim. Et eodem modo refertur *tom.*1. *Concil. par.*1. *pag.*711. *col.*2. licèt propter gloſſas nihil immutatum, additumve fuerit, ut eſt adnotatum in calce *d. c. In ſingulis*. Unde ex hac lecturam varietate apparet tanta perplexitas, ut nihil prorſus certi ex eo textu deſumi poſſe videatur.

25 Siricus autem *in c. Quicumque*, 77. *diſt* poſt Zoſimum videtur ejus ſententiæ fuiſſe, ut ætatem legitimam ad primos tres Ordines exiſtimaverit eſſe ab infantia uſque ad annos pubertatis, & ſic à ſeptennio uſque ad quartum decimum annum, qui excludens pubertatem in maſculis dicitur annus adoleſcentiæ; exinde verò tempus, quod intercedit uſque ad vigeſimum annum, aſſignet Acolytho; ait enim: *Quicumque ita ſe Eccleſiæ voverit obſequiis, à ſua infantia ante pubertatis annos baptizari, & lectorum debet miniſterio ſociari, qui ab acceſſu adoleſcentiæ uſque ad vigeſimum ætatis annum ſi probabiliter vixerit, &c Acolytus, & Subdiaconus eſſe debebit*. Hactenus verba Siricii, ex cujus interpretationem ad text. Zoſimi redditur ſatis dubia expoſitio DD qui interpretati ſunt mentem Zoſimi eam fuiſſe, ut primi tres minores conferri poſſint ab anno ſeptimo uſque ad duodecimum, & ex eo tempore uſque ad decimumquartum fiat collatio Acolythatus. Preterquam quòd nec Siricius aperuit, quo tempore ſinguli Ordines conferri debeant.

26 Demum text. *in cap. De iis*, 28. *diſt.* ex Concilio Toletanto III. *cap.* 1. videtur ſenſiſſe Clericum quandocumque poſſe ad minores ordinari uſque ad decimumoctavum annum. In eo enim decreto ſic legitur: *De iis, quos voluntas parentum à primis infantiæ annis Clericatus officio mancipavit, ſtatuimus obſervandum, ut mox detonſi, vel miniſterio electorum, ſive* (ut in vulgata lectione habent alii) *lectorum traditi, in domo Eccleſiæ ſub Epiſcopali præſentia à præpoſito ſibi debeant erudiri. At ubi octavum decimum ætatis ſuæ compleverint annum, voluntas eorum de expetendo conjugio perſcrutetur, quibus ſi gratia caſtitatis Deo inſpirante placuerit, & promiſſionem caſtimoniæ ſuæ abſque conjugali neceſſitate ſpoponderint ſervaturos, ſubdiaconatus miniſterium à vigeſimo anno ſuſcipiant*. Hæc ibi Sed certè ille textus nihil ſtatuit ſuper eo, de quo quærimus. Nam prius diſponit de diſciplina qua pueri tradit Eccleſiis ſæcularibus, & detonſi debeant erudiri, & mox ſubdit: *Cùm attingunt decimum octavum annum, ex quo in proximo volunt ad ſacros promoveri, perſcrutetur de eorum conſcientia, an velint contrahere matrimonium, vel perpetuam promittere continentiam*. Et id omne quod de infante dicitur in textu exiſtimari poteſt incidenter dictum fuiſſe, quia ſic contigit in facto; textus enim loquitur per illa verba, *à primis infantiæ annis*. Unde ſi intelligeretur loqui diſpoſitivè, ſequeretur, ut infans minor ſeptennio tonſurari poſſet; quod eſſet inconveniens, & contra *cap. Nullus, de tempor. ordin. lib.*6.

Quamobrem cùm textum hac de re expreſſum, clarum 27
non habeamus, non mirum, ſi gloſſatores primùm, deindè reliqui ſcribentes tantoperè diſcrepaverint inter ſe.

Prima opinio eſt gloſſ. Jo Andr. *in cap. Si eo tempore, in ver. Ætate, de reſcript. lib.*6. quæ tenet puerum ſeptennem, & majorem ſeptennio poſſe ordinari, & ſequitur ibi Gemin. *col. ult. circa fin verſ. Quædam ſunt*, & Franc. *in fin. verſ. Facit gloſſ. hic*; licèt illa gloſſa cùm ſimpliciter dicat ſeptennem poſſe ordinari, nec ſpecificet ad quos ordines, verificari poſſit in prima tonſura, quæ Canoniſtis habetur pro ordine, *ut cap. Cùm contingat*: & ibi dixi ſupra *de ætat. & qualit.* Sed apertiùs gloſſ. final. *in Clem. Generalem, eod. tit.* docet ætatem minorum Ordinum eſſe majorem infantia, & movetur per text. *in d. cap. De iis, & in cap Nullus, de tempor. ordin. in* 6. & *cap.* 2. 28. *diſt.* & cum ea gloſſ. conſentiunt ibi Abb. *num.*10. *in fin.* & Joan. Vvanquel *verſ. Tertio caſu.* Similiter gloſſ. 1. hìc dicit pueros poſt ſeptem annos eſſe habilis ad minores Ordines, quia ſunt doli capaces, *cap. Pueris, de delict. puer.* & ſequitur totidem verbis Butr. *n.*5 & plerique alii Et hanc opinionem ſervari in practica teſtantur Cardin. & Joan. Vvanquel *ubi ſupra*, & Albert. Trotius *de vero, & perfect. Cleric. cap.*18. *n.*2. *inter tract. comm.*

Secunda opinio eſt gloſſ. *in ſumm.* 77. *diſt.* quæ dicit Clericum poſſe fieri Oſtiarium, Lectorem, & Exorciſtam uſque ad annum duodecimum, & exindè poſſe ordinari Acolythum. Et hanc gloſſam ſequuntur Gofred. *in Summ. de ætat. & qualit* Card. & poſt Paul. *in d. Clem Generalem, num.*7. *verſ. De ordinandis*, Jo. de Imola *ibid. num.* 18. & Vital. *nu.*33. Henric. Boich. *in cap. Super inordinata propè finem, verſ. Aut pro quatuor minorib. Ordinaribus, de præb.* poſt Gulielm. de Mont Laud. *in d. Clem. Generalem*, Turrecrem. *in dict. cap. In ſingulis, in princ. in verb. Teneatur*, 77 *diſt.* Armilla *in ver. Ordines*, 1 Rebuff. *in praxi benef. de Cleric. ad ſacr. Ordin. malè promot.* in gloſſ. 2. *num.*1. *verſ. Ætas legitima*, & ad regulas Cancell. *regul* 23. *verſ. Iſta ætas*. Et hanc poinionem de jure veriorem eſſe affirmant
Cardin. & Albertus Troitus *loc. citatis*, & videtur probari 28
in dict. cap. De iis, 28. *diſt.* ſi diligentiùs expendatur. Neque enim, ut ibi gloſſa adnotavit, verba illa, *à primis infantiæ annis*, videntur exponenda, id eſt à primis pueritiæ annis, ſed potiùs, poſt proximos infantiæ annos: atque ita poſt ſeptimum annum expletum. Sæpè enim jure noſtro dictio, *A*, idem ſignificat, quod, *Poſt, ut in cap. Statutum,*
de præben. in 6. *in Clem. Sicut, de appellat.* & utrobique 29
notat gloſſ. & *in l. Neminem, Cod. de decur. lib.* 10. cum concord Siquidem ex ſui natura dictio hujuſmodi eſt excluſiva, & ſeparativa, ut per gloſſ. *in dict. Clem, Sicut in ver. A die, & in l. Ratio*, §. *Si per venditionem, in fin, ff. de act. empt. DD in l.* 1. *ff. Si qui caut.* præſertim conjun- 30
cta tempori, Abb. *in d. Clem. Sicut, num.* 2. per textum ibi. (Quòd autem ſequentia verba, idest *primis infantiæ annis*, exponi debeant, id eſt *proximis*, & ſic exacto ſeptimo anno, ſuaderi poteſt, quia propriè tranſactio eo anno dum pueritia incipit, illa ætas appellatur proxima infantiæ.) Quod affirmarunt Cujacus, Myſinger & alii, *Inſtitut. de inutil. ſtipulat.* ſic exponentes textum, ibi *in* §. *Pupillus*. Dici etiam poteſt, antiquitùs à parentibus filios etiam ætate infantili ſeptimo anno nondum peracto Eccleſiæ ſæculari tradi conſueviſſe, de quibus quid agendum eſſet, ſtatuerunt Patres eodem Concilio Toletanno, ut à traditione, *mox*, id eſt *poſteà*, tempore congruo minoribus Ordinibus initiaretur. Quod utrumque probat textus. Primò ibi, *quos voluntas parentum à primis infantiæ annis Clericatus officio mancipavit*. Secundò ibi, *ſtatuimus obſervandum, ut mox detonſi, vel miniſterio lecto-*
rum traditi in domo Eccleſiæ erudiri debeant. Nec pro- 31
tereà quòd textus dicat, *mox detonſi*, cenſeri debet ſtatuiſſe, ut ſtatim à tempore traditionis, vel à ſeptennio exacto detonderentur. Sed dictio, *mox*, videtur exponenda, idest tempore congruo. Scimus enim dictionem illam, *mox* non ſolùm idem ſignificare quod in continenti, & ſtatim, ſed importare etiam longius intervallum pro ſub-

jecta

jecta materia, *l. De ætat. §. ex cauſa, ff. de interrog. act.* Quod latiùs declarat Bald. *in l. Gallus, §. Illi caſus n. 9. de liber. & poſthum.* & Rebuff. *in l. Avunculus colum. 2. & in l. Labeo, & l. Sabinus. §. Idem ſi Dominus n. 7. circa med. de verb. ſignific.* etiamſi integri anni intercedant, ut eſt text. *in l. Sed ſi conditioni, §. Solemus, ff. de hæred. inſtit.* Quare cùm lex indefinitè loquens, intelligenda ſit ſecundum aliarum legum diſpoſitionem, ac diſtinctionem, ut per Bald. *in l. Adverſus n. 3. C. de furt.* verba illa, *mox detonſi*, ſunt referenda ad communem intellectum, text. *in d. c. In ſingulis cum ſeqq. 77. diſt.* Unde patet, jura juribus concordando, Canonem Concil. Toletani *in d. c. de iis*, potiùs facere pro ſecunda opinione.

Tertia demum opinio fuit Hoſt. *in Summa de tempor. ordinat. §. Et cui poſt omnes regulas, verſ. Sed & præter regulas prædictas*, qui putavit à ſex annis uſq; ad duodecimum poſſe Clericum ordinari. Verùm hanc opinionem uti ſingularem, & ſine textu, & ratione, non reperi à quoquam approbatam fuiſſe. Sed certè littera ibi eſt corrupta, & in meo Codice ſic legitur, *ab infantia, ſcilicet à ſeptem annis uſque ad duodecimum poteſt tradi Eccleſiæ, & recipere minores Ordines:* & citat jura prælleg. Quamobrem Hoſt. eſt apertè pro ſecunda opinione gloſſ. *in Summ. 77. diſt.*

32 Porrò in hac ſententiarum diſſonantia, etſi verior, & magis communiter recepta videatur jam relata diſtinctio temporum, & ordinum; tamen plerique teſtantur univerſaliter ſervari, ut minores Ordines conferantur quandocumque poſt ſeptimum annum completum, nulla niſi pro voluntate ordinantis annorum, aut ordinum diſtinctione ſervata, atque etiam ut uno die dentur omnes, *cap. de eo, de tempor. ordin. & cap. pen. De eo, qui furtivè ordin. ſuſc.* Hæc autem generalis Eccleſiæ obſervantia antiquis juribus eſt præponenda, ut eſt textus clarus in d. Clem. *Generalem, de ætat. & qualit.* quandoquidem habetur pro lege, *cap. Illa 12. diſt. c. Perniciofus infrà de celebrat. Miſſar.* Dixi *in cap. Conſilium n. 44. eodem tit.* Et quamvis apertè eſſet contraria legi ſcriptæ, ſervari tamen deberet, quia legem tollit, *l. De quibus, ff. de legib.* & jus poſitivum, *c. final. de conſuetud.* Sed multò magis hoc procedit in caſu præſenti ex tri-

33 plici capite. Primum eſt, quia cum ſacrorum Canonum diſpoſitio in hac materia ſit ſatis obſcura, & ambigua, ut oſtenſum eſt ſupra; conſuetudo hæc dicenda eſt potiùs interpretativa, quàm novi juris inductiva, ac proindè faciliùs, ac minori tempore inducitur, ad *l. Si de interpretatione, ff. de legib. & cap. Cum dilectus, de conſuet.* & ubi utrobique gloſſ. & DD. Bart. *l. Labeo, ff. de ſuppellect. legata*, Put. *dec. 283. lib. 1.* & ob hanc rationem Cardin. in d. Clem. *Ge-*

34 *neralem, verſ. Puto tamen, de ætat. & qualit.* exiſtimat ordinatum in Acolytum ante pubertatem, poſt infantiam non poſſe ſuſpendi ab executione Ordinis, ex quo non eſt jus expreſſum hoc prohibens.

Alterum eſt, quia huic conſuetudini apertè ſuffragatur Pontificale Romanum *rubric. de Ordin. conferen.* ibi, *Prima tonſura, & minores Ordines ante ſeptimum annum completum dari non debent.* Quibus verbis à contrario ſenſu ſatis clarè inſinuat, etiam minores Ordines dari poſſe ſeptennio completo, eoſque à pari procedere reſpectu ætatis cum prima tonſura.

Tertium eſt, quia eadem conſuetudo quandocumque

35 majores Ordines conferendi poſt ſeptimum ætatis annum, ratione quoque probari poteſt. Imò à fortiori, quoniam ex ſententia D. Thom. *in 4. ſent. diſt. 25. q. 2. art. 2. q. 2. Ad ſuſceptionem horum Ordinum uſus rationis nec requiritur de neceſſitate Sacramenti, nec de neceſſitate præcepti, ſed de honeſtate tantùm*; ait enim, *Per pueritiam, & alios defectus,*

36 *quibus tollitur uſus rationis, præſtatur impedimentum actui; & ideò omnia illa Sacramenta, quæ actum requirunt ſuſcipientis, talibus non competunt, ſicut pœnitentia, matrimonium, & hujuſmodi. Sed quia poteſtates infuſæ ſunt priores actibus, ſicut & naturales, quamvis acquiſitæ ſint poſteriores, remoto autem poſteriori non tollitur prius; ideò omnia Sacramenta, in quibus non requiritur actus ſuſcipientis de neceſſitate Sacramenti, ſed poteſtas aliqua ſpiritualis divinitus datur, poſſunt pueri ſuſcipere, & alii qui uſu rationis carent: hac tamen diſtinctione habita, quòd in minoribus Ordinibus requiritur diſcretionis tempus de honeſtate propter dignitatem Sacramenti, ſed non de neceſſitate præcepti, neque de ne-*

37 *ceſſitate Sacramenti. Unde aliqui, ſi neceſſitas adſit, & ſpes profectus, ad minores Ordines poſſunt ante annos diſcretionis promoveri ſine peccato, & ſuſcipient Ordinem: quia quàvis tunc non ſint idonei ad officia, quæ eis committuntur, tamen per aſſuetudinem idonei redduntur, ſed ad majores Ordines requiritur uſus rationis & de honeſtate, & de neceſſitate præcepti propter votum continentiæ, quod habent annexum & quia etiam eis Sacramenta tractanda committuntur. Sed ad Epiſcopatum, ubi in corpus myſticum accipitur poteſtas, requiritur actus ſuſcipientis curam Paſtoralem; & ideò* 38
eſt etiam de neceſſitate conſecrationis Epiſcopalis, quod uſum rationis habeat. Quidam autem dicunt, quod ad omnes Ordines requiritur uſus rationis de neceſſitate Sacramenti, ſed eorum dictum ratione, vel authoritate non confirmatur. Hæc D. Th. Et idem docuit ibidem S. Bonavent. quos refert, & ſequitur Cardin. Turrecr. *in cap. Subdiaconus nu. 2.* & ibi etiam Præpoſ. *eod. num. 77. diſt.* Imò plus dicunt Hugo, & Archid. ibid. videlicet in cunis poſſe puerum eſſe Sacerdotem, & Epiſcopum, & omnes Ordines recipere.

Porrò doctrina hæc D. Thom. quod pertinet ad neceſſi- 39
tatem Sacramenti, communiter recipitur, & probatur efficaciter *in c. 1. de Cleric. per ſalt. prom.* ubi promotus ad minores Ordines infrà annos diſcretionis, non reordinatur, ſed permittitur in eis miniſtrare; quod non fieret, niſi verum Ordinem ſuſcepiſſet. Item probatur à Scoto relato 40
à Præpoſ. *in eod. c. Subdiaconus n. 3.* quia reſpectu cujuſcumque Sacramenti non iterabilis non requiritur ex parte ſuſcipientis neceſſariò aliqua diſpoſitio præcedens diſpoſitionem Sacramenti, ſed requiritur tantùm non factio, vel poſitio contraria obicis actualis, ad hoc *c. Majores in fin. infrà de baptiſ.* ubi hoc eſt expreſſum. Sed nihil horum eſt in puero ante uſum rationis, quia nec factio contrarii eſſe poteſt, nec deliberatio voluntatis. Ergo puerilis ætas non excludit ſuſceptionem cujuſcumque Ordinis ſacri.

Sed quoad neceſſitatem præcepti ſupradicta diſtinctio inter Ordines minores, & ſacros non procedit; quia obſtat Clem. I. *de ætat. & qualit.* Secundum Silveſt. *in ver. Ordo 4. n. 1. verſ. Et tertio.* Sed certè illa Clem. loquitur tantùm de ætate præficiendorum; at de Ordine nihil dicit, prout etiam ibi advertit Joan Andr. in gloſſ. *in verb. Ætate.* Verum eſt tamen prædictam diſtinctionem quoad neceſſitatem præcepti adhuc non procedere, quia ex *cap. Nullus, de tempor. ordin. lib. 6.* & ex Pontificali Romano prohibitum eſt Epiſcopis primam tonſuram, vel minores Ordines conferre ante ſeptimum annum completum, & ſic puero non habenti uſum rationis. Unde dubitari non poteſt, quin hodie hoc ſit in præcepto.

Idem apertiùs conſtat ex Conſtitutione Sixti V. quæ in- 41
cipit, *Sanctum & ſalutare*, edita nonis Januarii 1588. ubi ſtatuitur, *ut Epiſcopus, qui ad primam tonſuram, vel minores, aut ſacros Ordines quemcumque ſæcularem, aut regularem ante ætatem per ſacri generalis Trident. Concilii decreta primæ tonſuræ, ac cuique ordini præſcriptam, aut non ſervatis temporum interſtitiis Clericali charactere inſignieverit, aut ad Ordines minores, vel ſacros, ut præfertur, vel aliàs malè promoverit, ut in eo in quo delinquit puniatur, à collatione quorumcumque ordinum, atque ideò ipſius tonſuræ & ab executione omnium munerum Pontificalium eo ipſo ſuſpenſus, & ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus exiſtat.* Hæc ibi. Et quamvis verba illa Conſtitutionis, *Per Sacri Triden. Conc. decreta primæ tonſuræ & cuique ordini præſcriptam*, fortè per miniſtrorum incuriam irrepſerint, quia revera Concil. Trident. nullam ætatem præfixit primæ tonſuræ, aut minoribus Ordinibus, ut ex Sac. Congregationis ſententia dictum eſt ſuprà *num. 21.* quidquid tamen ſit, certum eſt Epiſcopis diſtrictè prohibitum eſſe quemquam ad primam tonſuram, vel alios Ordines promovere ante ætatem legitimam. Præterea dici poteſt etiam ex Concilio non debere quem tonſurari ante uſum rationis; id enim non obſcurè colligitur ex *cap. 4. ſeſſ. 23.* dum ſtatuitur, *ut prima tonſura non initientur, de quibus probabilis conjectura non ſit eos non ſæcularis judicii fugendi fraude, ſed ut Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe*; hujuſmodi enim electio, & propoſitum voluntatis non cadit in pueros ante uſum rationis, *l. Si infanti, C. de jure deliber. l. 1. C. de falſ. mon. c. Ex parte, il primo infrà de corp. vitiat.* Et hoc modo ſalvari poſſunt verba Bullæ: tacitè enim Conc. præſcripſit ætatem majorem infantia, dum requiſivit electionem generis vitæ in promovendis ad primam tonſuram. Quod etiam tacitè videtur ſanxiſſe de Ordinibus minoribus, dum *in cap. 11.* ejuſdem ſeſſionis eos promoveri jubet, qui ſaltem linguam latinam intelligunt. Unde uſus ratio-

rationis tam ex præſcripto ſacrorum Canonum, quàm ex mente Tridentinæ Synodi, in promovendis exigitur non tantùm de honeſtate, ſed etiam ex neceſſitate præcepti. Hìc tamen omittendum non eſt ſupraſcriptam Conſtitutionem Sixti V. exceptis pœnis contra Simoniacè ordinantes, vel ordinatos, fuiſſe redactam ad terminos juris, Conſtitutionis Pii II. & Concilii Trident. per Clementem VIII. in Bulla, quæ incipit, *Romanum Pontificem*, *edita pridie*
42 *Kalend. Martii* 1595. *in Bullar. to.3.pag.* 54. Cæterum expleto ſeptennio pueri etiam de honeſtate ad minores Ordines promoveri poſſunt, quia ſufficit, ut ordinandus in ea ætate ſit conſtitutus, ut virtutibus erudiri poſſit, quod probè fieri poteſt ſeptimo anno abſoluto: tunc enim dicitur homo perveniſſe ad eam, quam diſcretionis ætatem appellant, *c.* 1.30. *q.2. c. Omnis utriuſque*, ubi gloſſ. & DD. *de pœnit. & remiſſ.* & tantum habet cognitionis, & intelligentiæ, quantum de honeſtate ſat eſt ad nudum illum actum ſuſceptionis Ordinum, qui nec officii, nec miniſterii tam ſancti, atque ſolemnis ſunt, ut à pueris nequeant expleri,
43 *c. Perlectis* 25. *diſt.* Et quemadmodùm ad ineunda ſponſalia, quæ ad matrimonium carnale præambula dicuntur, ætas ſeptennii ſufficit, *d.c.*130.*q.2. c. Litteras, de deſp.imp.* eò quòd voluntas, ac naturalis conſenſus cadat etiam in impuberem poſt ſeptimum annum, *d.l. Si infanti*, juncta *l. Potuit, C. de jure delib.* ita etiam ſufficere debet ad ineunda ſpiritualia; in minoribus enim Ordinibus conſtituto adhuc remanet libertas retrocedendi, *c. unic. de bigam. lib.* 6. *c.*1. *de Cleric. conjug. eod. lib. c. Joannes, & c. Cum olim infrà eod. tit. c.*1. *de vita, & honeſt. Cleric.* & Clem. 1. *eodem tit.* & in illis conferendis ferè major ratio videtur habenda litteraturæ, ac morum, quàm ætatis. Quod ſenſiſſe videntur Patres Concil. Trident. *ſeſſ.*23. *cap.* 4.5.7. & 11. & Conc. Toletani II. *c.*1. *relati d. c.*1. *De iis* 28. *diſt.*

Temperanda eſt tamen hujuſmodi conſuetudo, ac re- 44
ducenda ad limites *d.c.*11. *ſeſſ.*23. Nam etſi antiquitùs omnes etiam uno die darentur, *c. de eo, de tempor. ordinat.* hodie tamen nonniſi ex cauſa omnes ſimul conferri debent, ſed per temporum interſtitia, ut *in d. c.* 11. & in Conſtitutione Sixti V. ſuperiùs relata.

Regula verò, quam Antiſtites ordinantes ſervare, ac præ oculis habere deberent, videtur ſumenda à textu cum gloſſa, & aliis ſupra allegatis *in dict. cap. In ſingulis* 77. *diſt.* videlicet, ut tres primi Ordines minores, Oſtiarii, Lectoris, & Exorciſtæ, conferantur à ſeptimo ad duodecimum annum, & exindè ad quatuordecim ordinetur Acolythus.

DE CLERICO ÆGROTANTE, VEL DEBILITATO.

Gregorius Candido Epiſcopo Urbevetan.

CAPUT I.

CUm percuſſio corporalis: & infrà. Fraternitatem tuam hortamur, quatenùs latorem præſentium, ad percipienda quæ conſueta ſunt ab Eccleſia tua, ægritudo ſua non debeat impedire: quia ſi alii ejus eſſent exemplo deterriti, fortè non poſſet, qui militaret Eccleſiæ inveniri: ſed ſecundùm ejus ordinem, quæcumque ei, ſi ſanus eſſet, poterant miniſtrari, de ipſa exiguitate, quæ Eccleſiæ poteſt accedere, fraternitas tua præbeat ægrotanti.

S U M M A R I U M.

1 *INfirmus integrè precipit beneficii fructus.*
2 *Verbum*, hortamur, *quandoque eſt neceſſitatis.*
3 *Clerici ſunt humaniter tractandi, ne alii deterreantur à Clericatu.*
4 *Beneficio ſuo ſine cauſa quis privari non debet, etiam per Papam.*
5 *Papa volens ſine rationabili cauſa turbare ſtatum univerſalis Eccleſiæ non eſt tolerandus.*
6 *Clerici dicuntur milites Eccleſiæ.*
7 *Privilegia militibus conceſſa competunt etiam Clericis.*
Declaratur, num. 10.
8 *Donatio facta à Clerico concubinæ non valet, ſicut nec facta meretrici à milite.*
9 *Clericus inſtar multis non convenitur, niſi in quantum facere poteſt.*
10 *Ignorantia juris excuſat militem, ſed non Clericum.*
11 *Infirmo debentur etiam diſtributiones quotidianæ, dummodò infirmitas ſit principalis cauſa non reſidendi, & num.* 26.
12 *Cæcus an teneatur Choro intereſſe, itaut alioquin non lucretur diſtributiones quotidianas, & num. ſeqq. uſque ad num.* 28.
13 *Diſtributiones quotidianæ debentur Canonico, qui amitit officium linguæ, quamvis Choro non interſit.*
14 *Oculorum officium amiſiſſe durius eſt, quàm linguæ.*
15 *Canonicorum munus eſt pſallere in Choro.*
16 *Obligatio pſallendi in Eccleſia eſt unica, & individua.*
17 *In obligationibus individuis, qui non tenetur ad totum, ad nihil tenetur.*
18 *Præceptum Eccleſiæ obligans ad aliquid certo modo faciendum, non obligat ad quamlibet ejus partem eo modo, quo fieri poteſt, faciendam.*
19 *Horarum Canonicarum majorem partem qui recitare non poteſt, ad partem ſuperſtitem, quam poteſt, non obligatur.*
20 *Jejunare obſtrictus certa die, ſi in ea non poteſt, non tenetur in alia.*
21 *Horas Canonicas recitare impeditus non tenetur alia die eas reaſſumere.*
22 *Opera nec ſolvi, nec deberi, nec peti pro parte poteſt.*
23 *Cæcus excuſatur à muneribus perſonalibus.*
24 *Infirmus qui horas Canonicas recitare non poteſt, non tenetur illas audire.*
25 *Cæcus non tenetur dicere horas Canonicas.*
27 *Cæcus tamquam miſerabilis perſona eſt ſub protectione Eccleſiæ.*
28 *Canonicus infirmus an percipere debeat etiam portionem quotidianarum diſtributionum, quæ à Canonicis abſentibus amiſſa, inſervientibus accreſceret, & nn. ſeqq. uſque in fin.*
29 *Infirmus juris fictione habetur pro intereſſente.*
30 *Lex loquens in caſu vero, an habeat locum in caſu ficto.*
31 *Ficta præſentia an æquiparetur veræ.*
32 *Portio portioni accreſcit, non perſonæ, & aſſumit naturam portionis, cui accreſcit.*

C*Um percuſſio.* Clericus infirmus integrè percipit beneficii ſui fructus. Hoc dicit ſecundùm Joan. Andr. & omnes. Ponit dictum, & rationem interſerit, ibi, *Quia ſi alii*, & eſt pars *cap. Cùm percuſſio*, 7. *q.* 1. ut patet ex ſupraſcriptione.

Nota primò ibi, *Hortamur*, hoc verbum quandoque neceſſitatem importare, ut hìc per Innoc. & Hoſtien. in princip. qui tamen loquuntur per dictionem, *fortè*; ſed ſine illa Cardin. *num.* 2. & Imol. *num.* 6. concordat textus *in cap.* 1. *infrà de teſtam.* ubi per hoc verbum *hortamur*, demandatur cauſæ cognitio, & exponitur ibi à gloſſa, id eſt, *præcipimus*. Tu dic, verba hortatoria ex ſui natura eſſe conſilii, non præcepti. Improprianţur tamen, & præceptum inducunt, quando ſubjecta materia hoc ſuadet,

det, ut ſcripſi *in cap. Canonum Statuta num.*45. *ſuprà de Conſtit.*

3 Secundò nota ibi, *Exemplo deterriti*, & ſigna præcipuam rationem, cur Clerico ægrotanti ſtipendia Eccleſiæ non ſint ſubtrahenda; nimirum quia ſi alii hoc exemplo eſſent perterriti, non reperirentur qui vellent Eccleſiæ deſervire, ut in littera. Nam, ut inquit Petrus de Ancarano *nu.*3. ex mala unius Clerici tractatione multi deterrentur; & multis minatur, qui uni facit injuriam; ſic & pœna unius eſt metus multorum, ad hoc *c. Clericos in fin. ſuprà, de cohabit. Cleric. & mulier.* Ergo Clerici humaniter ſunt tractandi, ne alii arceantur à Clericatu, ut hic per Cardin. *in* 3. *&* 4. *notab.* Imol. *num.*6. & Joan. de Anan. *nu.*5. Quod ſecundùm eos facit contra collectores, qui nimis rigidè ſpoliant Clericos vita functos. Item contra eos, qui docent, Clericos in fructibus beneficiorum ſuorum eſſe ſimplices uſurarios, ac ſi eſſent Monachi. De quo tamen dic, ut plenè notavi *in cap. Si quis ſanè num.*3. 5. *&* 11. *uſque ad num.*17. *infrà de pecul. Clericor.* Ex prædictis collige ex eo, quòd Clerici inhumaniter tractentur, & tempore ægritudinis priventur fructibus beneficiorum ſuorum, turbari ſtatum Eccleſiæ nedum præſentem, ſed etiam futu-
4 rum. Unde ſingulariter infert Abbas *hic num.*3. ut Clericus privari non debeat beneficio ſuo ſine cauſa, etiam per Romanum Pontificem: nam ut ipſe ait, *Si exiſtenti in infirmitate, & ſic in impotentia ſerviendi non debet ſubtrahi beneficium, ne ex hoc turbetur ſtatus Eccleſiæ, ut hic: Ergo*
5 *longè minùs ubi nulla ſubeſt cauſa rationabilis.* Papa autem non eſt tolerandus volens turbare ſtatum Eccleſiæ ſine rationabili cauſa, ut notabiliter ait Innocentius *in c. Quanto nu.*5. *verſ. Tamen ſi Papa alia faceret ſuprà de conſuetudine*, & fuſiùs idem Abbas in ſua *q.*1. incipien. *Epiſcopus, & quidam Rector*. Sed circa hoc ultimum dictum Innocentii vide quod ſcripſi *in cap. Significaſti num.*66. *ſuprà de elect.*

6 Tertiò nota ibi, *Militare*, Clericos dici milites Eccleſiæ, ut hìc. Item cœleſtes milites, ut *in cap. Chriſtianis* 11. *q.*1. *& cap. Degradatio, de pœn. lib.*6. Item milites Chriſti; ut *in cap. Reprehenſibile* 23. *q. ult.* & milites Dei, ut *in c.*1. *infrà, Ne Cleric. vel Monach.* Unde conſtituitur notabilis
7 regula ſecundùm Abb. *hic num.*5. & Joan. de Anan. *num.*6. ut privilegia conceſſa militibus ſæculi competere etiam de-
8 beant militibus cœleſtis militiæ. Quo fit, ut ſicut miles ſæculi non poteſt donare meretrici, *l.*2. *C. de donat. inter vir. & uxor.* ita nec Clericus concubinæ, ut diſputando tenuit Richardus Malumbra, quem refert, & ſequitur Bart. *in l. Affectionis num.*1. *ff. de donat.* Cardin. *hic num.*4. dicens ſe ita vidiſſe in facto, Anchar. & Imol. ambo *num.* 5. Abb. *nu.*4.
9 & Joan. de Anan. *num.*7. Hic etiam fit, ut quemadmodùm miles non convenit, niſi in quantum facere poteſt, ut *l. Miles in princip. ff. de re judic.* ita nec Clericus, ut tenet gloſſ. *notab. in d. l. Miles in ver. Facere in fin.* Cardin. & alii proximè citati. De quo tamen dic, ut legitur, & notatur *in*
10 *cap. Odoardus de ſolution.* Declaratus tamen prædicta regula ſecundùm Abb. ubi ſuprà *d. num.*5. ut procedat in caſibus, in quibus viget eadem ratio, aliàs ſecus; videlicèt juris ignorantia, *l.*1. *C. de jur. & fact. ignoran. & l. Regula, in princip. ff. eod.* quippè quem arma magis, quàm leges ſcire oportet, ut *l. fin.* § 1. *in fin. C. de jur. deliber.* non tamen excuſat Clericum, ut notat gloſſ. *in d.* §. 1. *in ver. Arma*, Anchar. *hic n.*4. *in fin.* & Abb. *d. n.*5. *tit. itidem in fine*.

11 Quartò nota ibi, *Exiguitate*, Canonico infirmo reſpondendum eſſe de redditibus Eccleſiæ, quos percipiebat, dum ſanus eſſet, ſine ulla diminuitione, & ſic debentur illi etiam victualia, ſeu diſtributiones quotidianæ, ſecundùm Innoc. in *ver. Exiguitate*, cum quo alii tranſeunt: hodie hoc eſt expeditum *in c. un. de Cleric. non reſiden. lib.*6. Quod tamen declarat hìc Joan. Andr. *n.*2. *in ver. Ægritudo*, ut vendicet ſibi locum, dummodò infirmitas ſit principalis cauſa non ſerviendi, & deprehendat infirmum in ſervitio Eccleſiæ. Secus ſi deprehendat eum abſentem, quia tunc ſicut ante ægritudinem non debebantur illi diſtributiones, ita nec debentur; ſi in eo ſtatu morbus ſuperveniat, ut ſic caſus ſuperveniens ſecundùm proximum ſtatum illius declarationem aſſumat, arg. *c. Majores ad fin. infra de baptiſm.* remittit Io. Andr. ad ea, quæ adnotavit *in cap. Ad audientiam ſuprà de Cler. non reſid.* & ſequuntur hìc Butr. *n.*5. Cardin. *n.*6. *in* 2. *oppoſit.* Anchar. *eod. num.*6. Imol. *num.*2. Abb. *num.*6. & Joan. de Anan. *num.*1. & vide in materia quæ ſcripſi *in cap. Licet ſuprà de præbend.* ubi egi latiſſimè, an quando Canonico ægrotanti debeantur in abſentia diſtributiones quotidianæ *à num.*136. *uſque ad n.*151.

QUÆRO, an Canonicus poſt adeptum Canonicatum 12
utroque lumine orbatus teneatur Choro intereſſe, itaut alioquin non lucretur diſtributiones quotidianas.

Tametſi Navar. *in tract. de horis Canonic. c.*19. *concl.*8. nec authoritate, nec ratione ulla ſuffultus opinatus fuerit Canonicum cæcum diſtributiones non lucrari, niſi divinis
interſit; verior tamen videtur contraria opinio, pro qua 13
primò irrefragabiliter induco hanc decretalem: nam Canonicus hìc Urbevetanus perſonaliter adivit Papam, ut probat littera ibi, *Lator præſentium*: & tamen ægrotabat. Erat igitur talis ægritudo, quæ non impediebat eum itinerare, & Choro intereſſe; ſed tantùm impediebat pſallere, fortè quia amiſerat officium linguæ, prout obſervant Jo. Andr. *num.*1. *in verb. Laborem*: Talis, inquit, erat infirmitas, quæ impediebat ſervire, ſed non itinerare, fortè quia perdiderat loquelam, & Butr. *n.*4. Cardin. *num.*6. *in* 1. *oppoſit.* Imol. *n.*2. *verſ. Quando autem*, Abb. *num.*6. *verſ. Sed contra*, & Guidopap. *n.*2. & tamen textus decidit huic Canonico reſpondendum eſſe in abſentia de redditibus beneficii ſui abſque ulla diminutione, ſicut reſpondebatur, dum ſanus erat, & ſic etiam de victualibus, & diſtributionibus
quotidianis, ut dictum eſt ſuprà *in* 4. *notab.* Si igitur diſtri- 14
butiones hujuſmodi debentur Canonico abſenti, qui propter impedimentum linguæ non poteſt pſallere, qui tamen poteſt per ſeipſum adire Eccleſiam, & Choro intereſſe: multò fortiùs debentur cæco, qui nec poteſt pſallere, nec ad Eccleſiam accedere ſine ope, & miniſterio alterius, ut *in cap. penult.* ibi, *Cæcus lucem ignorat, & quò greſſus porrigat, neſcit*, 49. *diſt. & cap. Cùm ſit ars*, ibi, *Si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam dilabuntur, ſuprà de ætat. & qualit.* In cæco enim concurrunt duo impedimenta, quæ vincunt unum, *cap. Cauſam, quæ, de elect. cap.*1. *de tregu. & p. c. cum ſimil.* & per Bald. *in conſ.*188. incipien *in ſubſtitutione, in princ. lib.*1. Unde decretalis ultima infrà eod. quæ loquitur de Archidiacono, qui propter paralyſim amiſit officium linguæ, fortiùs locum habet in eo qui amiſit officium oculorum, ut ibi declarat. gloſſ. 1. Hoſt. *in princip.* Joan. Andr. *in fin.* & alii communiter.

Sed etſi cæcus poſſet per ſeipſum ad Eccleſiam accedere 15
adhuc tamen non teneretur divinis intereſſe. Quod ſic probo: Canonicorum obligatio eſt pſallere in Choro, Clem. 1. ibi, *Fructum labiorum ſuorum*, & infrà ibi, *Devotè pſallatur, de celebr. Miſſar.* S. Thom. *in* 2. 2. *q.*83. *art.* 12. & ſtatuitur à Concilio Tridentino *in cap.*12. *verſ. Omnes verò ſeſſ.* 24. ibi, *Atque in Choro ad pſallendum inſtituto hymnis, & canticis* Dei *nomen reverenter, diſtinctè, devotèque laudare*; & olim reſpondit S. Congregatio ejuſdem Concilii interpres in Canonicis S. Petri de Urbe, articulo diligenter examinato. Sed Canonicus cæcus non tenetur pſallere, cùm nec poſſit, niſi fortè integrè pſalterium memoriter teneret. Ergo nec tenetur Choro intereſſe, quando quidem
obligatio pſallendi in Choro eſt unica, & individua, cùm 16
ſit facti, *l. Stipulationes non dividuntur, ff. de verbor. obligat.* Doctores *in l.*4. *§. Cato, ff. eod.* Ideòque qui non tenetur ad totum, ad nihil tenetur, *l. Operæ, ff. de oper. libert.* & notat Jaſ. *in d. l. Stipulationes nu.* 28. & Eccleſiæ præceptum obli-
gans ad aliquid certo modo faciendum, non obligat ad 17
quamlibet ejus partem eo modo, quo fieri poteſt, facien-
dam; ſicut juſſus Romam petere, ſi id implere non poſſit, 18
non tenetur dimidiam itineris partem conficere, ut nota-
tur *in cap. Cùm dilecti ſuprà de dolo, & contumac.* Et qui ad- 19
verſa valetudine, vel aliàs legitimè impeditus majorem Horarum partem dicere non valet, ad partem ſuperſtitem, quam poteſt dicere, non obligatur, ut pluribus probat Navarr. *in eod. tract. de horis Canonicis c.*11. *n.*15. *& ſeqq.* Sic
etiam obſtrictus certa die jejunare, ſi ea die impediatur, non 20
tenetur in alia, ut notat Abb. *in cap.*1. *nu.*1. *infrà de obſervat. jejunior.* Et impeditus recitare officium, non tenetur
alia die illud reaſſumere, ſecundùm Innoc. quem cæteri ſe- 21
quuntur *in cap.*1. *infrà de celebrat. Miſſar.* & Silveſt. *in ver. Hora ſub num.*5. Ad idem optimus textus *in l. Libertas, ff. de oper. libert.* ubi Ulpianus reſpondit, libertum qui poſt indi-
ctionem operarum, valetudine impeditur, quominùs ope- 22
ras præſtet, ad partem non teneri, quia, inquit, neque ſolvi, neque deberi, nec peti pro parte opera poteſt. Quod fuſiùs proſequuntur gloſſ. & Doctores *in l. Si quando, ff. eodem.*

Ergo

Ergo ſimili modo cum Canonicus teneatur pſallere in Choro, ſi ob cæcitatem non poſſit pſallere, utique non tenebitur Choro intereſſe, quia hæc obligatio, ut prædixi, individua eſt, nec poteſt pro parte adimpleri.

23 Præterea cæcus excuſatur à muneribus perſonalibus, *l. 1. C. qui morbo ſe excuſ. lib. 10. cap. Licèt infra de Cenſib* ubi id notant Innoc. *in princip.* Hoſtien. *n.* 3. Joan. Andr. Collect. & Joan. de Anan. omnes *n.* 2. Henric. Boich. Butr. & Anchar. omnes *n.* 1. Nec mirum, quia corporis debilitas eorum numerum excuſationem præſtat, quæ corpore implenda ſunt, dicit textus *in l. 2. §. Corporis, ff. de vacat. numer.* totius autem corporis humani debilitas eſt oculos perdidiſſe, ut inquit Lucas de Penna *in d. l. 1 n.* 4. Ergo ſimiliter excuſari debet cæcus ab hoc perſonali munere intereſſe in Choro divinis officiis, ut per Joan. Franciſc. Pavin *in tract. de viſitat. n. 1. q. 100. p. 2.*

24 His accedit, quòd qui ægritudine impeditur horas Canonicas recitare, non tenetur illas audire, ut tenet Innoc. & DD. communiter *in c. 1. infrà de celebrat. Miſſar.* Petr. de Pauld. *in 4 diſt. 15. q. 5. col. 5* Summa Piſana *in verſ. Hora, verſ. Utrum Clericus*, Silveſt. *in eod. ver. n 5. verſ. Qui ex infirmitate*, Tabien. *ibidem. n. 19.* Navarr. *de hor. Canonic.*
25 *cap. 11. num. 6.* Sed cæcus non tenetur recitare, ut per Angel. *in ver. Hora num. 9. verſ. Utrum non habens librum, vel carens viſu*, Silveſt. *d. n. 5. verſ. Tertium*, & Tabien. *ubi ſuprà n. 20.* Igitur nec audire. Quo fit, ut nec teneatur Choro intereſſe, quia ſolutus eſt utroque munere, & recitandi, & audiendi: neque enim exigitur in Choro Canonicorum præſentia, ut augeant numerum, ſed ut divinas laudes perſolvant, ut in d. Clem. 1. *de celebrat. Miſſar.* & in decreto Conc. Triden. *cap. 12. verſ. Omnes verò ſeſſ. 24.* & præſentia cæci reliquis Canonicis canentibus potiùs impedimento, &
26 perturbationi eſſe poſſet. Atque hinc conſequitur, ut in abſentia cæcus lucretur integrè diſtributiones quotidianas tamquam morbo impeditus, juxta textum hìc, & apertiùs *in d. c. unico*, ibi, *Exceptis illis, quos infirmitas, ſeu juſta, & rationabilis nececeſſitas excuſaverit, de Cler. non reſiden. lib. 6.* ubi id notant Archid. Joan Andr. Gemin. & omnes, Covar. *lib. 3. var. reſol. c. 13.* & ſæpiùs reſpondit S. Congreg. Concilii. Atque hanc opinionem in cæco videtur ſequutus, licèt ſuboſcurè, Petr. Rebuff. *conſ. 26. nu. 15.* ubi conſuluit cæcitatem non eſſe minus impedimentum, quàm alias infirmitates, & loquitur ad effectum *dict. cap. unic.* quod ibi allegat.

Poſtremò hæc ſententia videtur in dubio amplectenda
27 tamquam æquior, & benignior, quia cæcus tamquam miſerabilis perſona eſt ſub protectione Eccleſiæ, *c. Defenſionis 87. diſt. d. c. Licèt*, & ibi Innocen. Hoſtienſ. & alii *infrà de Cenſib.* & ſatis calamitate cæcitatis affligitur nec debet amplius affligi, *cap. Cùm percuſſio 7. q. 1.* Ideòque potiùs eſt ei conſulendum, quàm aliquid auferendum, ut de ipſo dicit gloſſa *in d. c. Licè, in ver. Miſereri.* Facit text. *in l. 1. §. Caſum, ff. de poſtul. & in l. Cæcus, ff. de judic.* Qua de re plura ſcripſi *in c. Significantibus à n. 50. ſuprà de offic. deleg.* Et ita reſolutum.

2. QUÆRO, Poſita deciſione S. Congregationis Con- 28
cilii, qua declaratum fuit Canonicum ob infirmitatem Choro non inſervientem percipere debere diſtributiones quotidianas, perinde ac ſi inſerviret; an percipere etiam debeat portionem earum diſtributionum, quæ à Canonicis abſque legitimo impedimento à Choro abſentibus amiſſa, præſentibus accreſceret.

Videtur reſpondendum debere percipere, ex duobus fundamentis.

Primum eſt, quia cùm infirmus quoad percipiendas di- 29
ſtributiones quotidianas fictè, ac juris interpretatione habeatur pro intereſſente, ut patet ex deciſione S. Congregationis, & probatur *in c. unico, de Cleric. non reſiden. lib. 6.* Abb. *hic in 2. notab. & n. 7.* Aufrer. *dec. 268.* Covarr. *variar. reſol. lib. 3. c. 13. n. 8.* ſicut portio deficientium per jus accreſcendi verè intereſſentibus acquiritur, gloſſ. in Clem. *Ut ii, in ver. Pars dimidia, de ætat. & qualit.* Covar. *d. loco n. 7.* ita acquiri debet etiam infirmis, qui fictè, ſeu juris interpretatione ſunt interſſentes: nam lex loquens in caſu vero 30
extenditur ad fictum, & ficta præſentia veræ æquiparatur, adeòut fictè præſens conſequi debeat ea, quæ verè præſentibus tribuuntur, Joan. Andr. *in cap. Cùm in tua n. 3. & 4.* quem ibi Gemin & Franc. ſequuntur *de conſuetud. lib. 6.* Cui opinioni etſi adverſetur Archid. quoad jus optandi, quod eſt contra jus, & in quo jus non facit æquiparationem inter veram fictamque præſentiam: tamen quantum ad caſum noſtrum attinet, etiam ſecundùm opinionem Archid. ficta præſentia ſufficit ad conſequendas diſtributiones, quia verſamur in materia, in qua jus ipſum æquiparat fictè præ- 31
ſentem, id eſt infirmum, verè præſenti, ut *in d. c. unic. de Cler. non reſid. lib. 6.* Et quia nos non verſamur in ſtatuto, quod eſt contra jus, de quo loquitur Archid. ſed in lege, & in jure communi, quod ex ſui natura, cùm loquitur de caſu vero extenditur ad fictum, Jaſ. poſt alios *in l. Si is qui pro tempore n. 284. ff. de uſucap.*

Alterum fundamentum eſt quia in materia juris accre- 32
ſcendi portio portioni accreſcit, non perſonæ, *l. Cùm ex filio, §. fin. ff. de vulg. & pupill.* quia portio eſt illa, quæ portionem ad ſe trahit, ut declarat Ripa *in l. Re conjuncti num. 7.* & ibi DD. *de leg. 3.* Sicut ergo portio principalis diſtributionum debetur infirmo, quamvis à Choro abſenti; ita hæc, quæ aſſumit naturam portionis, cui accreſcit, Ripa poſt alios *in d. l. Re conjuncti num. 200.* Gomez qui plures textus ad hoc citat *lib. 1. var. reſol. c. 10. n. 16. verſ. Sed ulterius.* Et ita S. Congregatio cenſuit, ut dixi *in c. Licèt nu. 139. ſuprà de præben.*

DE CLERICO ÆGROTANTE, VEL DEBILITATO.

Lucius III.

CAPUT III.

DE Rectoribus Eccleſiarum lepræ macula uſque adeò infectis, quòd Altari ſervire non poſſunt: nec ſine magno ſcandalo eorum, qui ſani ſunt, Eccleſias ingredi: hoc volumus te tenere, quòd eis dandus eſt coadjutor, qui curam habeat animarum: & de facultatibus Eccleſiæ ad ſuſtentationem ſuam, congruam recipiat portionem.

SUMMARIUM.

1 *REctori Eccleſiæ leproſo dandus eſt coadjutor, qui ſuſtentandus eſt de facultatibus Eccleſiæ.*
2 *Leproſi à communione hominum ſeparari debent.*
3 *Eiſque interdici poteſt ingreſſus Eccleſiæ.*
4 *Leproſus, ſive ſit Epiſcopus, ſive inferior, non removetur ex toto prælatione, ſed datur illi coadjutor, itaut habitus curæ ſit penes coadjutum, exercitium verò penes coadjutorem, & nn. ſeqq. uſque ad n. 8.*
5 *Rectores Eccleſiarum ex proprietate vocabuli dicuntur inferiores curati.*
6 *Coadjutor dicitur habere curam animarum quoad exercitium, non autem quoad jus, & habitum curæ, & num. 34.*
7 *Leproſus privatur officio actualis adminiſtrationis, ſed dignitatem tenet, ſive officium, quod in jus reſonat, & num. 38.*
8 *Coadjutor vivere debet de Eccleſiæ proventibus, & inde recipere congruam portionem.*
9 *Congrua portio Coadjutoribus, & Vicariis aſſignanda ex præſcripto Concilii Tridentini, an & quando taxari debeat arbitrio Epiſcopi.*
10 *Et qualiter id arbitrium ſit moderandum.*

11 *Ap-*

11 *Appellatio a datione coadjutoris, & aſſignatione congrua datur ad effectum devolutivum tantùm.*

12 *Coadjutori, & coadjutoſi redditus Eccleſia non ſufficiant, uter ſit præferendus, & nn. ſeqq.*

13 *Parochiani cogi poſſunt ad ſumptus coadjutori miniſtrandos, ſi alia ratio non ſuppetat.*

14 *Redditus Eccleſiæ an ſint in diſpoſitione Rectoris infirmi, an verò coadjutoris.*

15 H*abere curam animarum non dicitur, qui non eſt Prælatus Eccleſiæ, & num.* 17.
Sed contra num. 34.

16 *Pœnitentiariæ Officialis luminibus orbatus, an remanſerit privatus officio ex eo, quòd major Pœnitentiarius aſſeruerit alium obtinuiſſe prædictum officium facto verbo cum Sanctiſſimo, num. ſeqq. uſque in finem.*

17 *Obtinere idem eſt quod habere.*

18 *Habere quis dicitur jure dominii.*
Declaratur, num. 34. & 38.

19 *Obtinere quis dicitur, quando Canonicè poſſident, & habet jus in re.*
Tamen verificatur etiam in detentione, nu. 37. *verſ. Et eo magis.*

20 *Officium tunc dicitur Papa voluiſſe alteri tradere, & privare poſſeſſorem, quando in locum ejus alium ſubrogat.*
Declaratur, num. 39.

21 *Spoliato per ſupremum Principem non dantur remedia reſtitutoria.*

22 *Pœnitentiariæ officia ſunt perpetua, ſicut beneficia Eccleſiaſtica, & num. ſeqq. uſque ad n.* 32.

23 *Confirmatio Apoſtolica dat jus perpetuum, & irrevocabile.*

24 *Pœnitentiariæ officia ordinem ſacrum habent annexum, & ideò regulantur ut beneficia Eccleſiaſtica, & num.* 26.

25 *Officiis manualibus ſacri Ordines non annectuntur.*

27 *Ordinarii nemo poteſt ad titulum officii manualis.*

28 *Vacatio in manualibus non datur.*

29 *Officia quedam Pœnitentiariæ conferuntur prævio concurſu, qui in manualibus non ſervatur.*

30 *Pœnitentiariæ officiales abſentes pro ſervitio Sedis Apoſtolicæ, vel aliàs legitimè impediti percipiunt emolumenta, & officio inſerviunt per ſubſtitutum.*

31 *Officium manuale reſpectu illius, cui ad vitam fuit collatum, cenſetur perpetuum.*

32 *Privatio non præſumitur, niſi probetur.*

33 *Cæcus retinet magiſtratum, & officium prius obtentum, & num.* 41.

35 *Coadjutor nec titulum habet, nec poſſeſſionem, ſed nudum exercitium; titulus verò, & poſſeſſor remanet penes coadjutum.*

36 *Titulus radicatus in perſona unius non evellitur, licèt alteri exercitium, & adminiſtratio concedatur.*

37 *Privatio tituli non inducitur ſine expreſſa derogatione juris quæſiti.*

38 *Verba ſunt impropriianda, ne jus tertio quæſitum tollatur.*

40 *Cardinali aſſerenti aliquid factum de mandato Papæ, ut ſit credendum, tria debent concurrere, & num. ſeqq.*

41 *Officialis perpetuus propter morbum incurabilem ab officio non removetur, ſed datur illi coadjutor.*

42 *Cardinalis etiam majoris Pœnitentiarii aſſertioni non ſtatur in præjudicium tertii.*

43 *Beneficium, vel officium minimè vacans Papa non intendit conferre.*

44 *Vacatio beneficii juſtificari debet de jure, & de facto; aliàs gratia, de cujus validitate agitur, eſt obreptitia.*

1 DE *Rectoribus*. Si Rector Eccleſiæ ſit leproſus, dandus eſt ei coadjutor, qui ſuſtentandus eſt de facultatibus Eccleſiæ. Hoc dicit. Communis diviſio. Secunda ibi, *Hoc volumus*.

2 Nota primò ibi, *Eccleſias ingredi*, leproſos debere à communione hominum ſeparari, & hanc eſſe generalem conſuetudinem teſtatur hìc Guido Papa *in 1. not.* Idque ob eam rationem, ne morbi contagione ſani inficiantur,
cap. Reſecandæ 24. quæſt 3. Propterea enim leproſo interdi- 3
ci poteſt ingreſſus Eccleſiæ, ut eſt hìc argumentum optimum ſecundùm Abb. *in 2. not.* Hinc S. Pius V. *in Conſtitutione*, quæ incip. *Decori, edita die 1. Februarii* 1570. permiſit Monialibus exire clauſuram ex cauſa magni incendii, lepræ, & epidimiæ.

Secundo nota ibi, *Dandus eſt coadjutor*, Rectorem Eccleſiæ leproſum non removeri ex toto à Prælatione, ſed dandum illi eſſe coadjutorem, itaut habitus curæ ſit penes leproſum coadjutum, exercitium verò penes coadjutorem; & ita nihil eſt ſpeciale in leproſo, ut propter ſcandalum, & abominationem removeatur omninò ab adminiſtrationis officio, ut voluit gloſſ. *in cap. Tua, in ver. Adminiſtrationis, infrà eodem*. Idem enim eſt in lepra, quod in aliis infirmitatibus, ut ſcilicet nullo caſu ægroto viventi alius ſuſtituatur, niſi eo renuntiante, ſecundùm opinionem Hugonis, & Laurentii; & quamvis alii aliter ſentiat, ut plenè per Hoſtienſ. *in dict. cap. Tua, in verb. Miniſtrentur*, tamen hæc opinio verior, & communior eſt, ut ibi teſtatur Abb. *num.* 4. Prò qua eſt textus apertus hìc non cavillando litteram. Hic enim formatur quæſtio de leproſo; & tamen Pontifex jubet illi dari coadjutorem: ergo neceſſariò ſupponit propter morbum lepræ eum non deſinere eſſe Prælatum quoad jus, & habitum Curæ; alioquin ſi ex toto removeretur, impoſſibile eſſet, ut daretur illi coadjutor, quia non eſſet quem coadjuvaret, ut inquit Cardin. *in cap. fin. num.* 19. *in 24. q. ad fin. infrà eod.* & tamen coadjutor definitur eſſe qui datur, ut coadjuvet miniſti, vel præſidentis officium, & dicitur coadjutor à coadjuvando, ſicut tutor a tuendo, ut *l. 1. ff. de tutel.* ſecundùm Joan. Andr. *in dict. cap. fin. num. 3. verſ. De primo,*
& num. 4 Nec acceſſorium poteſt eſſe ſine principali, ut 4
de coadjutore tradit Put. *deciſ. 226. n. 3 & 12. lib.* 3. Rota *deciſ 410. num. 3. & ſeqq. par. 4 recent.* Expoſitio autem Tancredi, qui *ver. Coadjutor*, exponebat, id eſt ſucceſſor, infert vim litteræ.

Non obſtat, quòd hæc Decretalis ſit intelligenda de eo, qui non erat adeò infectus lepra, ut non poſſet eſſe in Collegio ſuo, ſecundum Innocentium *in dict. cap. Tua, circa medium, verſ. Et reſpendetur*, quoniam hic intellectus divinat. Imò repugnat verbis textus, quæ clarè loquuntur de totaliter infectis, ut patet ibi, lepræ macula uſque adeò infectis, quòd Altari ſervire non poſſunt, nec ſine magno ſcandalo eorum, qui ſani ſunt, Eccleſias ingredi. Item non obſtat; quòd hìc textus intelligi debeat in Epiſcopo, qui propter lepram ex toto non removetur, ſed datur illi coadjutor, cum ſpirituale conjugum, quod eſt propriè inter Epiſcopum; & Eccleſiam difficiliùs ſolvatur, *cap. Inter corporalia, de translat. Epiſcop.* Textus verò *in dict. cap. Tua, infrà eodem*, procedat in inferioribus, qui in ſpeciali caſu lepræ prorſus removentur, prout diſtinxit ibi Hoſtienſ. *in ver. Miniſtrentur*. & Archidiac. *in*
ſumma num. 1. 7. quæſt. 1. Imò enim hoc cap. expreſsè lo- 5
quitur de Rectoribus Eccleſiarum, & curam animarum habentibus, quorum appellatione ex proprietate vocabuli veniunt inferiores Curati, *c. fin. de præben. cap. Ex tranſmiſſa, de decim. cap. Ad audientiam, il 1. de Eccleſ. ædific. cum multis ſimil.* Prætereà hoc cap. eſt pars *cap. Ad aures ſuprà de reſcript.* & Lucius tertius reſpondet conſultationi Lincol. ſeu Vinton. Epiſcopi, aliàs Lingon. Archid. ut refert. Anton. Auguſt. *in 1. collect. Decretal. tit. 2. c. 6. & in notis ad cap. 3. tit.* 6. Ergo debet neceſſariò intelligi de Eccleſiarum Rectoribus, qui ſubjecti erant illi Epiſcopo, ſeu Archidiacono, non autem de Epiſcopis, quibus non dantur coadjutores, niſi à Sede Apoſtolica, ut *cap unic. infrà eod. lib.* 6. Meritò Joan. Andr. & communiter alii ſequentes tenent indiſtinctè primam opinionem Hugonis etiam in Prælatis in inferioribus, ut teſtatur Abb. *in d. c. Tua n. 4. verſ. Sed Joan. Andr.*

Demùm non obſtat, quòd coadjutor hìc dicatur habe- 6
re curam animarum, ex quo gloſſ. in ver. *Curam*, inferebat eum eſſe Prælatum: etenim hoc debet intelligi quoad exercitium tantùm, non autem quoad habitum ipſius curæ, qui remanet penes coadjutum, ut hìc declarant Hoſtienſ. Joan. Andr. & communiter Doctores, ut pleniùs di-
cam infrà *num.* 34. Et eodem modo intelligi debet text. *in* 7
dict. cap. Tua, infrà eodem, dum dicit leproſum removeri ab adminiſtrationis officio, quoniam ut ait Laurentius, Sacerdos leproſus privatur officio actualis adminiſtrationis,

nis,ſed dignitatem tenet,ſive officium,quod in jus reſonat, puta quia illi pręſtabitur obedientia in his,quę utiliter mandabit,arg. *c. Ex parte,infrà eod.* & *c. Quia frater* 7. q. 1.

8 Tertiò nota ibi, *De facultatibus Eccleſiæ*, coadjutorem vivere debere de Eccleſiæ proventibus, & inde recipere congruam portionem, ut hìc eſt text. expreſſus,concordat *c. unic. c. infrà eod. lib.6.* ibi, *Coadjutores hujuſmodi de proventibus Prælatorum,in quorum aſſumuntur auxilium,ſumptus recipiant moderatos*, & notat Abb. *hic in ult. not.* & communiter alii, Joan. Andr. *in c. fin. num.* 12. *infrà eod.* dicens, *Coadjutorem debere alimenta congrua,& moderata habere de bonis dignitatis Eccleſiæ,vel officii, cujus Prælato,vel miniſtro datus eſt*, Put. *deciſ.* 226. *n.* 13. *lib.* 3.

9 Porrò Coadjutoribus, quos Epiſcopi, etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, deputare poſſunt Rectoribus Parochialium Eccleſiarum illitteratis, & imperitis, itidem aſſignanda eſt pars fructuum pro ſufficienti victu, ex Decreto Concilii Tridentini *cap.6.ſeſſ.*21. Ac ſimiliter Parochi abſcedentes tenentur idoneum Vicarium relinquere cum debita mercedis aſſignatione, ut *in cap.1. §. Eadem omninò,ſeſſ.*23. & in Parochialibus unitis ab Epiſcopo deputandi ſunt Vicarii cum tertiæ partis fructuum, aut majori, vel minori, arbitrio ipſorum Ordinariorum, portione etiam ſuper certa re aſſignanda,ut *in c.7.ſeſſ.7.* licèt hæc congrua Vicariis perpetuis aſſignanda ex Bulla S.Pii V. *Ad exequendum*, non poſſit eſſe major ſcutorum centum, nec minor quinquaginta. Sed & Vicario in Parochialibus vacantibus deputando aſſignari debet congrua portio arbitrio Epiſcopi, ut *in c.*18. *in princ. ſeſſ.* 24 Et ita cùm dubitatum fuerit, quænam ſit congrua portio aſſignanda Vicario, qui ponitur in Parochialibus vacantibus: reſponſum eſt congruam eſſe portionem arbitrio Judicis. Ex his collige, & congruam portionem coadjutoribus aſſignandam ex præſcripto hujus Decretalis taxandam eſſe arbitrio Ordinarii,
10 cùm & aliæ congruæ ſint arbitrariæ, excepta illa Vicarii perpetui, quæ tamen à quinquaginta uſque ad centum, & ipſa arbitraria eſt. Qualiter autem arbitrium in hujuſmodi taxatione ſit moderandum, conjice ex infraſcripta declaratione,an fructuum portio conſtituenda Parochialium Eccleſiarum vacaturarum Vicario curam exercenti, quouſque ad novam inſtitutionem deveniatur, referri debeat ad ſolam ipſius ſuſtentationem, quotam, aut ipſarum vacantium annuum valorem, vel ad ipſius Vicarii qualita-
11 tem: S. Congr. cenſuit ad hæc omnia eſſe referendam. Rurſus cenſuit à datione coadjutoris Vicario inſufficienti, & a congrua aſſignatione dari appellationem devolutivam tantùm,& de gravaminibus videndum in ſecundo judicio.

12 Sed hìc occurit quæſtio notabilis, & quotidiana, quid ſi redditus Eccleſiæ non ſufficiant coadjutori, & Prælato ægrotanti, quis eorum ſit præferendus.

Gloſſa finalis hìc tenet ex proventibus Eccleſiæ priùs eſſe providendum coadjutori, qui Eccleſiæ inſervit, & Rectori infirmo providebit Epiſcopus, allegat *cap.* 1. & 2.82. *diſt.* & cum gloſſ. concordant Tancred. & Goffred. *hic*, Archid. *in Summa in fin.*7.*q.*1. & Henric.Boich. *in c.fin.n.* 10. *infrà eodem*; jura tamen quæ gloſſa adducit, hoc non probant,ſecundum Cardin. & Abb. *hic*,ſed tantùm faciunt in argumentum, generaliter enim diſponunt, ut Epiſcopus pauperibus, & infirmis, qui ſuis manibus laborare non poſſunt, victum, & veſtitum largiatur. Unde Vincentius dicit hanc gloſſam ſibi non placere, quia debilioribus in loco conſulitur, allegat *c. In nullo qu.* 2. Et quamvis neque hic textus ad rem pertineat, tamen cum opinione Vincentii, quam recitant ultimo loco, ſimpliciter hìc tranſeunt Joan. Andr. *num.* 3. *in gloſſ. ult.* Butr. *num.* 4. & Anchar. *eodem num.* eamque expreſsè approbant Cardin. *numer.* 2. & 3. ſubdens ſe ita in facto conſuluiſſe, Abb. *num.* 6. & Joan. de Anan. *num.* 13. quæ etiam mihi magis placet, & majori æquitate, ac ſolidioribus nititur fundamentis, quia ægrotus intelligitur Eccleſiæ deſervire, *c. 1. ſuprà eodem*. Ergo illi priùs ſubveniendum eſt de redditibus Eccleſiæ, quia qui Altari ſervit, &c. *c. Cùm ſecundùm ſuprà de præben.* & cùm habeat titulum, & poſſeſſionem unà cum ſervitio, præferendus eſt coadjutori, qui nec titulum habet, nec poſſeſſionem, ſed nudum exercitium, ut dicam infrà *num.* 35. Alioquin ſi ægroto ſubtraherentur ſtipendia, hoc exemplo deterriti, non invenirentur qui vellent Eccleſiæ militare, ut legitur *in dict.cap.*1.& ita ex hoc videretur perturbari ſtatus Eccleſiaſticus, nedum præſens, ſed etiam futurus, ut accuratè ibi obſervat Abb. *in 2. not. & hic num.6. verſ. Et ad deciſionem*. Pro qua opinione multùm etiam ſtringit, quòd coadjutor debet de redditibus Eccleſiæ congruam recipere portionem, ut hìc dicitur, vel moderatos ſumptus, ut *in cap. unic. infrà eod. lib.*6. Ergo proventus Eccleſiæ primò,& principaliter ſunt in diſpoſitione Rectoris, & conſequenter illius neceſſitati priùs eſt providendum; coadjutori autem,: cum redditus 13
utrique non ſafficiant, providebit Epiſcopus, vel Parochiani, ſecundum Cardin. & Abb. *locis citatis*. Et pro hoc ultimo vide bonam gloſſam *in cap. Omnis Chriſtianus, in ver. Vacuus, de conſecr. diſtin.* 1. & quod legitur, & notatur *in cap. Ad audientiam, il primo de Eccleſ. ædific.* & in Concil. Triden. *cap. 4. ſeſſ.* 21. ubi ſi redditus Eccleſiæ non ſufficiant pro Sacerdotibus Parochialium noviter erectarum, cogi poteſt populus ea ſubminiſtrare, quæ ſufficiant ad vitam dictorum Sacerdotum ſuſtentandam. Et in coadjutore aliàs reſpondit Sac. Congregatio ejuſdem Concilii interpres: nam cùm pro augendis redditibus tenuiſſimæ Parochialis plus, quàm mille animas habentis, coadjutoris aſſumendi gratia quæſitum eſſet, an poſſent compelli Parochiani, cùm alia ratio non ſuppeteret: Sac. Congregatio cenſuit dandas eſſe litteras ad Archiepiſcopum Theatinum, ut ageret cum univerſitate.

Quærit hìc Abb. *num. 5. verſ. Et ex hoc inſurgit*, in cu- 14
jus diſpoſitione ſint redditus Eccleſiæ, an ſcilicet Prælati ægrotantis, an verò coadjutoris? Et diſtinguit ſic; Aut infirmitas eſt talis, ut impediat adminiſtrationem in temporalibus, & ſpiritualibus puta dementia, ſeu furor; & tunc coadjutor habeat adminiſtrationem in utriuſque, & congruam portionem tribuat ægroto, & aliam congruam ſibi retineat; reliquos autem fructus convertat, ſeu diſpenſet in utilitatem Eccleſiæ, ſicut tenetur bonus Rector; & ita ſecundùm eam poteſt intelligi *cap. Tua infrà eodem*. Aut verò infirmitas impedit adminiſtrationem in ſpiritualibus tantùm; & tunc cùm officium coadjutoris ſe non extendat ad temporalia, Prælatus percipiat redditus omnes, & congruam portionem aſſignet coadjutori. Sed contra hanc diſtinctionem facit textus *in dict. cap. unic. infrà eod. lib.* 6. qui in ſpecie loquitur de Prælato dementi, & tamen præcipit, ut coadjutor de redditibus Eccleſiæ habeat tantùm ſumptus moderatos: ergo reliqui redditus ſine diminutione ſpectant ad Prælatum ægrotantem, cùm illis non appareat privatus; quo argumento in caſu contrario utitur ipſemet Abb. *hic num. 5. verſ. Sed contra*. Ego puto inſpiciendam eſſe formam coadjutoriæ, an ſcilicet fuerit datus coadjutor in ſpiritualibus, & temporalibus, an verò in ſpiritualibus tantùm, & de variis ſpeciebus coadjutoriæ vide Cardin. *conſ.* 70. incip. *In Eccleſia Magdeburgenſi,in princip.*

In gloſſa *in verb. Curam*, nota ver. *Habet*, ſonare in 15
jus, adeòut ex eo, quòd quis habeat curam animarum, rectè inferri poſſit, ut ſit Titularis, & Prælatus Eccleſiæ, ut apertè ſentit hæc gloſſa.

Ex hoc infero ad notabilem quæſtionem facti: Cùm 16
N. S Pœnitentiariæ corrector deſiiſſet officium exercere ob ſupervenientis cæcitatis impedimentum, fuit authoritate Apoſtolica deputatus ad illud exercendum S. Rotæ Auditor cum honoribus, & oneribus dumtaxat; ſed poſteà emolumenta fuerunt ei perſoluta; ac ſubindè ipſo Auditore vita functo,idem officium uti vacans per illius obitum, ſemel atque iterùm fuit aliis collatum, & ſic primus officialis non citatus, nec auditus remanſit de facto ſpoliatur titulo, & emolumentis officii: & cùm propterea petiiſſet ſe reintegrari, exadverſo fuerunt exhibitæ litteræ patentes Cardinalis Majoris Pęnitentiarii, in quibus enunciatur, quod prædictus Rotæ Auditor exercuerit Correctoris officium primò cum honoribus,& oneribus,& deinde facto verbo cum Sanctiſſimo etiam cum emolumentis obtinuit. Quibus verbis adverſarii contendebant conſtare primum officialem fuiſſe officio privatum à Summo Pontifice, ac proinde reintegrationem petitam non eſse illi concedendam; quæritur quid juris?

Contra Officialem inducitur hæc gloſs. *in ver. Curam*
nam verbum, *obtinuit*, idem importat quod verbum *habuit*, 17
c. Dudum, il 2. circa fin. verſ. Suggeſſit enim ſuprà de elect. cap. Quia in tantùm, juncto *cap. Ad hæc, cap. De multa, & quaſi per tot. de præbend.* & notat Archid. *in c. Si gratiosè, n.1. verſ. Nam cùm non habeat, de reſcript. eod. lib.* 6. Dum autem

autem prædictus Rotæ Auditor obtinuit Correctoris Officium, utique dicitur illud habuiſſe reſpectu tituli, non autem quoad nudum exercitium, & miniſterium facti; ſicut coadjutor ex eo, quòd hic dicatur habere curam animarum, arguit gloſſ. ut ipſe, non autem coadjutus infirmus, ſi Prælatus Eccleſiæ, & cum hac gloſſa conſentiunt
18 Tancred. Goffred. & alii, quos retuli ſuprà num.12. Et meritò, quia habere quis dicitur jure dominii, l. Hoc Senatus, & ibi gloſſ. in ver. Habuit, ff. de uſufruct. ear. rerum. quæ uſu conſum. l. Habere, ff. de verbor. ſignific. l. Stipu-
19 latio, iſta §. Habere, ff. de verb. obligat. Et eodem modo obtinere quis dicitur, quando Canonicè poſſidet, & habet jus in re, cap. Quoddam, in fin. de præben. lib.6. cap. Quoniam, de conceſſ. præbend. eodem lib. Archid. loco cita-
20 to, Alber. in dictionario in ver. Obtinere: & conſequentre primus officialis remanſit officio privatus, quia tunc Papa dicitur voluiſſe alteri officium tradere, & privare poſſeſſorem, quando in locum officialis poſſidentis alterum ſubrogat, ut notat Angel. in l. Quod ſi fortè, §.1. num.4. ff. de
21 ſolut. Soccin. conſ.4. ſuper quæſtione nu.23. in fin. lib.3. quo fit, ut idem officialis de ſpolio conqueri non poſſit, quia ſpoliato per ſupremum Principem non dantur remedia reſtitutoria, Doctores in cap. Ex conqueſtione, de reſtit. ſpoliat. Carol. Tobia de Conſtit. Princ. in l. fin. cap.9. num. 74. Mohed. deciſ.4. de reſtit. ſpoliat. Et conferunt quæ de abſoluta poteſtate Papæ in officiis, & beneficiis Eccleſiaſticis plenè adnotavi in cap. fin. à num 25. infrà eodem.

22 Contrarium credo verum, & ad evidentiam præmitto officia S. Pœnitentiariæ ex ſui natura eſſe perpetua, ſicut Eccleſiaſtica beneficia, quod conſtat ex infraſcriptis. Et primò, quia ex præſcripto Conſtitutionis Pii V. In omnibus, edita ſuper reformatione Pœnitentiariæ Apoſtolicæ, §.9. in Bullar. tom 2 pag 281. illius officiales deliguntur à Majori
23 Pœnitentiario, & à Summo Pontifice confirmantur. Ex hujuſmodi autem confirmatione confertur electo jus perpetuum, & irrevocabile, cap.2. & ibi Innoc. Hoſtien. & Jo. Andr. omnes in princ de confir. util. vel inutil cap. Super his, de accuſ. gloſſ. in cap Frater in ver. Authoritate 17.q.4. textus optimus in cap. Si Apoſtolica, & ibi gloſſ. in ver. Præferri, de præben. lib.6. & de officiali confirmato tradit Bald. conſ.325. ſuper primo puncto circa finem, verſ. Aut eſt confirmatus lib.5. Roman. conſ.467. Ut clara num.4. verſ. Secundùm idem, & ante eos Cynus in l. Cum lex, ff. de legib.

24 Secundò, quia officia Pœnitentiariæ ex eadem Pii V. Conſtitutione, §.10. Ordinem ſacrum habent annexum; ideòque in litteris patentibus proviſionum apponi ſolet clauſula: *Et quia dictum officium juxta ordinationem novi ſtatus ejuſdem S. Pœnitentiariæ ſacrum Ordinem requirit, volumus, ut infrà ſex proximos menſes ſacris Ordinibus ini-*
25 *tiari tenearis.* Hæc autem annexio Ordinis ſacri non fit officiis manualibus, ſed perpetuis dumtaxat, Clem. Ut ii, de ætat. & qualit. Concilium Tridentinum cap.4. ſeſſ.22. & eſſet valdè abſonum, & contra naturalem rationem, ut poſteaquam officialis ſacro Ordine eſt inſignitus, poſſet illicò, & ſine ulla cauſa ab officio amoveri, & remaneret obſtrictus voto perpetuo continentiæ, & onere Divinum officium qotidiè recitandi, l. Secundum naturam, ff. de reg.
26 jur. cap. Cùm ſecundùm, de præbend. cum ſimil. Unde officia S. Pœnitentiariæ, & alia id genus, ex eo quòd ſacrum Ordinem habeant annexum, regulari ut beneficia Eccleſiaſtica tradit in puncto Sarnen. in reg. de infirm. q.22. verſ. Aut loquimur de officiis mixtis.

27 Tertiò, quia nonnumquam S. Pœnitentiariæ officiales ad titulum ſuorum officiorum fuerunt ſacris Ordinibus initiati, quod apertè oſtendit tituli perpetuitatem, cùm ad titulum officii manualis non liceat quemquam ordinare, reclamante Trident. Concilii decreto cap.2. ſeſſ.21. ut ſepiùs S. Congreg. reſpondit.

28 Quartò, quia prædicta officia vacant per obitum, vel promotionem ad inſtar Clericatuum Cameræ, Auditoratuum Rotæ, & aliorum conſimilium officiorum ex ſui natura perpetuorum; ex hoc autem quòd hujuſmodi officia dentur uti vacantia, ſequitur, ut dici non poſſint manualia, ut cenſuit Rota coram Gregor. XV. dec.48. n.5. In manualibus enim non datur vacatio, Seraphin. dec.13. num.7. part. 6. recent. deciſ.1095. num.2. Rota poſt alios.

29 Quintò, quia ex præſcripto ejuſdem Conſtitutionis in §.11. quædam Pœnitentiariæ officia, videlicet Procuratorum, & ſcriptorum, conferuntur prævio concurſu poſitis edictis. Hæc autem forma in manualibus obſervari non conſuevit, ſed ſolùm in perpetuis, ut in Cantoribus Capellæ Pontificiæ, & in Parochialibus, ex decreto Conc. Triden. cap.18. ſeſſ.24.

Ultimò, hoc idem conſtat apertiſſimè, quia officiales hu- 30
juſmodi abſentes pro ſervitio Sedis Apoſtolicæ, item infirmi, vel aliàs legitimè impediti, officiorum ſuorum titulos indifferenter retinuerunt, ſibique emolumenta perceperunt, & officio inſervierunt per ſubſtitutum, nec unquam auditum eſt, quòd eorum aliquis fuerit amotus, quantucumque diuturnum fuerit impedimentum. Et ita in individuo obſervatum in S. D. N. Innocentio X. olim Sac. Pœnitentiariæ Conſultore Canoniſta, in bon. mem. Cardinali Millino Regente, & in Cardinali Cennino Sigillatore, dum apud Catholicam Majeſtatem Nuntii Apoſtolici extitere: & nunc idem quoque caſu accidit in R. P. D. Roſpiglioſo itidem Sigillatore. Quin etiam extat notabile exemplum Petri Briſonii ſcriptoris, qui quamvis eſſet ſenio confectus, infirmus, & perpetuò inhabilis; tamen quoad vixit, officium retinuit cum emolumentis, & illud exercuit per ſubſtitutum, cui ſalarium fuit ſubminiſtratum à bon. mem. Cardin. Burgheſio majori Pœnitentiario. Quæ quidem obſervantia innititur præcip. Conſtit. S Pii V. in §.12. qua decernitur, ut legitimè impediti fructus, & emolumenta percipiant, quamvis non ſint præſentes, & actu inſerviant; ex quibus credimus officiorum hujuſmodi perpetuitatem in dubium revocari non poſſe.

Et nihilominùs etiam ſi eſſent manualia, tamen cùm 31
officium Correctoris per literas in forma Brevis conceſſum fuerit prædicto Officiali ad ſui vitam, reſpectu ipſius cenſetur perpetuum, ut de officiis manualibus ſcripſit Abb. in cap. Cùm inter R. in 3. not. de elect. & in cap. Ad noſtram num.7. de confirm. util. vel inutil.

Quibus præmiſſis dicendum videtur petitam reintegra- 32
tionem deberi prædicto Officiali ex juſtitia; quia numquam per ſententiam juris, vel hominis fuit privatus officio ex ſui natura perpetuo, ſibique ad vitam collato, & tamen privatio cum ſit facti, probari debet ab allegante, l.1. Cod. de probat. & tradit Bald. in l. Ex perſona num.14. Cod. eod. tit.
Non per ſententiam juris, quia cæcus retinet Magiſtra- 33
tum, & officium priùs obtentum, l.1. §. Quamvis autem, ff. de poſtul. l. Cæcus, & ibi gloſſ. Bart. & DD. ff. de judic. cap. fin. juncta gloſſ.1. communiter approbata, & ibi dixi num.42. infrà eodem. Nec per ſententiam hominis, quia 34
ad hoc probandum adducitur ſola enunciativa Majoris Pœnitentiarii, quòd S. Rotæ Auditor habuerit prædictum officium, & per conſequens eo privatus remanſerit primus officialis. Sed hæc non eſt bona conſequentia, quia verbum habuit, ſeu obtinuit, intelligi debet reſpectu exercitii, non autem reſpectu tituli; ad quod inducitur in terminis hoc cap. juncta communi expoſitione DD. hìc enim cavetur, ut coadjutor dandus Rectori Eccleſiæ leproſo curam habeat animarum; & tamen illud verbum habeat, non intelligitur reſpectu tituli, & habitus curæ, qui remanet penes infirmum, ſed reſpectu exercitii tantùm, prout rejecta expoſitione gloſſ. firmant hic, Hoſtien. poſt princip. in ver. Animarum. Joan. Andr. in verb. Curam habeat, Butr. num3. Cardin. num.1. Anchar. num.3. Imol num.1. & 3. Abb. num. ult & Joan. de Anan. num.2. quorum authoritatibus innixi Domini de Rota deciſ.410. num.5. part.4. recent. decidunt
coadjutorem nec jus, nec titulum habere in beneficio, ſed 35
tantùm exercitium, & adminiſtrationem; jus autem reſidere penes coadjutum: & ſubdunt gloſſam præallegatam communiter reprobari, quinimò num.3. tenet coadjutorem non ſolùm non habere titulum, ſed nec poſſeſſionem, cùm illam habeat coadjutus, nec poſſeſſio poſſit eſſe penes plures in ſolidum, l.3. §. Ex contrario. ff. de acqu. poſſeſſ. quod etiam firmat Coll. deciſ 398. in Miſcell. & Caputq. deciſ. 65. in manuſcript. Rota in Salamatina Coadjutore 25. Junii 1593 coram Penia impreſſa apud Garz. de benefic. par.4. cap.5. num.34. Habemus igitur hic text. apertum ſecun-
dùm communem intellectum, quòd quando quis dicitur 36
habere, ſeu obtinere officium ab alio obtentum, hoc non intelligitur reſpectu tituli, ſed reſpectu exercitii tantùm. Atque ita jus, & titulus radicatus in perſona unius non evellitur, licèt alteri dicti juris exercitium, & adminiſtratio concedatur, l.3. ff. pro ſoc. & in terminis Coadjutoris eſt text. in cap. Grandi, ubi id notat Anchar. nu.5. verſ. Num jus de ſuppl. neglig. Prælat. lib.6 Abb. in cap. Tua nos n.4.

infrà

infrà eodem. Et ratio eſt evidens, quia pœna in materia privativa ſine expreſſione aperta non inducitur, ut in Authen. *de non eligen. ſecund. nuben. §. Cùm igitur, verſ. Sin autem*. Caſſad. *deciſ. 3. num. 3. verſ. Nam non reperitur expreſſum, de loc.* & pœna privationis tituli, quæ graviſſima eſt, non inducitur ſine expreſſa derogatione juris quæſiti, ut notat Bald. in Authen. *ex teſtamento num. 13. Cod. de ſecund. nupt.* & eò magis, quia verbum *obtinuit*, plus habet facti, quàm verbum *habuit*. Nam obtinere verificatur etiam in ſola detentione, *l. Habere, ff. de verbor. ſignific.* Rota *dec. 8. de elect. in antiq.* Mohed. *dec. 6. circa med. verſ. Obtinere, & per tot. de locat.* Unde ſi *ver. habuit*, quod plus habet juris, refertur ad nudum exercitium, ne titulus abdicetur à coad-
37 juto, ut hìc; longè magis idem dicendum de *ver. obtinuit*; & nihilominùs quamvis hoc verbum ex propria ſignificatione intelligeretur etiam reſpectu dominii, ut in cõtrariis, tamen verba ſunt etiam improprianda, ne jus tertio quæſitum tollatur, ut per Sarnen. *in regul. de jure quæſit. non tollen. q. 1. num. 4.* & propterea verba illa, *ab adminiſtrationis debet officio removeri*. quæ habentur *in cap. Tua infrà eodem*, quamvis propriè ſint apta importare remotionem à titulo beneficii; tamen impropriantur, & intelliguntur reſpectu actualis exercitii tantùm, ne inferatur præjudicium Rectori coadjuto, prout intelligit Laurent. & alii communiter, & tetigi ſuprà *n. 7.* Quod adeò verum eſt, ut etiamſi Papa contuliſſet officium, ſeu beneficium, cum clauſula, *non obſtante collatione alteri facta*; tamen intelligeretur de collatione invalida, ne læderetur jus tertii, ut voluit originaliter Compoſtell. *in cap. Cauſam quæ n. 13. verſ. Et per eaſdem ratio-*
38 *nes, ſupra de reſcript.* Cujus opinio non habet contradictorem, ut ibi teſtatur Felin. *n. 19. & 25. in fin.* eamque ſequuta eſt Rota coram Mohed. *dec. 7. n. 6. de reſtit. ſpoliat.* ubi in terminis reſolvit collationem officii Portę Salarię ab alio obtenti factam per Papam cum clauſula, *non obſtante collatione per Nos alteri facta*, non valere, & obſtare regulam *de jure quæſito*, & eam clauſulam eſſe intelligendam de collatione invalida. Allegat Bart. idem tenentem *in l. Prædia n. 2. C. de locat. præd. lib. 11.* & Bald. in authen. *Hoc inter liberos n. 3. verſ. de Clauſula autem, C. de teſtam.* Et per hæc patet reſponſio ad objectum, quòd Papa intelligatur officialem ab officio removere, quando in ejus locum alium ſubrogat: hoc enim vendicat ſibi locum, quando ſubrogatio fit plenariè, & reſpectu tituli, non autem reſpectu adminiſtrationis, & exercitii, ut ex dictis conſtat.

39 Sed quatenùs verb. *habuit*, ſeu *obtinuit*, importaret collationem tituli, & per conſequens remotionem primi officialis; tamen certum eſt, Cardinali aſſerenti aliquid factum de mandato Papæ, ſtandum non eſſe, niſi hæc tria ſimul concurrant; Primò, ſcilicet, ut Cardinalis aſſerat veriſimilia; Secundò, ut Papa ſit præſens, ad quem facilè poſſit haberi recurſus; Tertiò, ut aſſertio non contineat rem tertio præjudicialem, prout hæc tria copulativè ad conciliandas opiniones requirit Rota *deciſ. 630. num. 2. part. 4. recent.* Hoc autem caſu tantùm abeſt, ut hæc tria requiſita ſimul concurrant, ut potiùs deficiant omninò. Deficit enim primum, quia cùm non deceat honeſtatem ſuperioris ſine manifeſta, & rationabili cauſa aliquem ſuis officiis, vel beneficiis ſpoliare, *cap. Conquerente, de reſtit. ſpoliat.* omninò inveriſimile eſt, ut Papa, qui eſt fons juſtitiæ, & non præſumitur velle contra jus, *cap. Ex ore, de privileg.* voluerit officialem privare officio ex ſui natura perpetuo, eique ad vitam per ipſummet Pontificem collato, ex ſola cauſa cæcitatis in ipſo officio contractæ, contra æquitatem naturalem, Cardinalis *conſ. 142. num. 2.* contra inveteratam conſuetudinem Sac. Pœnitentiariæ, in qua ut dixi ſupra *num. 30.* officiales impediti ſemper retinuerunt officium cum emolumentis, inſervientes per ſubſtitutum, *cap. Conſuetudinis 12. diſt. c. Sub ſancta Romana cum quinque ſeqq. 12. diſt.* & contra omnia jura, quæ ubique inculcant inhabi- 40
lem ad officium exercendum propter morbum incurabilem non eſſe ab officio priùs habito removendum, ſed tantummodò illi dandum eſſe coadjutorem, ut hìc, *& in c. Ex parte*, ibi *Incurabili morbo, infrà eod. & in cap. un. §. Verum*, ibi, *Perpetuò impeditus*, & ibi gloſſ. *in verb. Perpetuò*, Joan. Monach. Archid. Gemin. & omnes *eodem titul. lib. 6.* Vital. in Clem. *Cupientes num. 46. de pœnis*, & in cæco tenet gloſſ. 1. Hoſtien. *in princip.* Joan. Andr. *num. 14.* & alii communiter *in cap. final. infrà eodem*. Deficit etiam ſecundum requiſitum facilitatis recurſus ad Papam: ſed hæc inſpectio cùm pendeat ex multis circumſtantiis, quæ in facto conſiſtunt, & nihil habent juris, in lectura conſultò prætermittitur.

Demùm deficit tertium, quia cùm aſſeratur enunciati- 41
vam illam importare privationem officialis, negari non poteſt, quin contineat rem tertio maximè præjudicialem. Quod quidem præjudicium, data etiam veriſimilitudine, & facilitate recurſus, per ſe ſolum ſufficeret ad hoc, ut aſſertioni Cardin. ſtandum non eſſet, ut originaliter ſcripſit 42
Angel. *conſ. 182. n. 2. verſ. Finaliter credo*, cui ſubſcribunt Anchar. in Clem. 1. *n. 3 de probat.* latiſſimè Barbat. *de Cardinali Legato q. 1. in 2. prælud.* Abbas *in c. Sicut nobis nu. 5.* poſt gloſſ. *ibi in ver. Alio modo, de ſentent. ex comm.* Aret. *in cap. Cùm à nobis num. 15. verſ. Nam hoc dictum limito, de teſtib.* Dec. *in cap. Cùm cauſam, in fin. de offic. deleg.* & alii paſſim, & in aſſertione majoris Pœnitentiarii tenuit Gozadin. *conſ. 41. col. penult.* Gabriel. *concl 3. de probat. n. 17.* & Maſcard. *in tr. de probat. concl. 140. n. 13.*

Cum igitur prædicta verba enunciativa nullatenus pro- 43
bent privationem officialis, conſequens eſt, ut proviſiones Apoſtolicæ poſteà ſubſequutæ de officio Correctoris tamquam de vacante ſint ſubreptitiæ, ac nullæ, cùm Papa non intendat conferre officium minimè vacans, ad notata *in cap. Cùm noſtras, & c. Nullæ, de conceſſ. præb. cap. Deteſtanda, eodem tit. lib. 6.* & dixit Rota *deciſion. 348. nu. 2. part. 3. rec.*

Nec relevat objectum, quòd ad juſtificationem ultimæ 44
proviſionis ſufficiat, ut officium vacaret de facto, licèt non de jure, juxta *deciſ.* Bellam. *216. n. 3. in fin.* Rota *dec. 9. de elect. in antiq. & d. dec. 348. ſub n. 1. verſ. Comulabantur*. Quoniam hìc non agitur de juſtificatione gratiæ pro executione litterarum Apoſtolicarum, quæ jam executionem habuerunt, in quibus terminis loquuntur deciſiones præallegatæ: ſed agitur de valetudine earumdem litterarum, in quibus cùm narratum fuerit officium vacare, neceſſariò probari debet, & verificari, quòd tunc temporis illud vacaret de jure, & de facto, aliàs gratia eſt manifeſtè obreptitia, ut per Oldrad. *conſ. 208. Quoniam ex tempore num. 2. verſ. Ex hoc facto*, Joan. Monach. *in c. Si tibi abſenti num. 12. de præben. lib. 6.* Gemin. *conſ. 86. In cauſa n. 1.* ubi ait de hoc eſſe caſum *in d. cap. Cùm noſtris, de conceſſ. præbend.* Put. *deciſ. 30. n. 4. & 5. lib. 1.* Ex quibus etiam conſequitur, ut idem officialis meritò poſſit conqueri de ſpolio, eique competant remedia reſtitutoria, cum non à ſupremo Principe, ſed ab inferiore fuerit de facto ſpoliatus, *c. In litteris, cap. Item cùm quis, & cap. Ex conqueſtione, de reſtit. ſpoliat.* Rota *deciſ. 15. eodem tit. in novis cum multis ſimilibus*.

Verùm ſi concederemus officialem privatum fuiſſe per ipſummet Principem, idque ſufficienter probari ex prædictis verbis enunciativis Majoris Pœnitentiarii: tunc dicendum eſſet privationem ex cauſa cæcitatis non ſuſtineri, & caſſandam eſſe per Summum Pontificem ſucceſſorem, ut tredecim fundamentis latiſſimè probavi *in cap. Conſultatioribus infrà eodem*.

Et ita obtentum, ut dixi *in cap. Cæterùm, in fin. ſuprà de reſcript.*

DE CLERICO ÆGROTANTE.

Innocentius III. Arelaten. Archiepiſcopo.

CAPUT V.

EX parte tua fuit propoſitum, quòd cùm Auraſienſis Epiſcopus gravi & incurabili morbo ferè per quadriennium laboraverit, ita quòd Paſtorale officium non poteſt nullatenùs exercere; Princeps terræ illius, ac Cives civitatis ejuſdem, à te poſtulant inceſſanter, ut ipſis (cum ſis Metropolitanus eorum) ſtudeas providere. Verùm cùm ipſum ad ceſſionem compellere non poſſis, nec debeas ullo modo, nec afflicto afflictio ſit addenda, imò potiùs ipſius miſeriæ miſerendum, eò quòd idem vir bonus extiterit, & Eccleſiam ſalubriter ſibi commiſſam gubernaverit: Nos volentes tam Epiſcopo quàm Eccleſiæ providere; Mandamus, quatenùs illi coadjutorem aſſocies virum providum, & honeſtum; per quem tam Epiſcopo, quàm populo utiliter conſulatur.

SUMMARIUM.

1 *COadjutor dandus eſt Epiſcopo, qui propter incurabilem morbum Paſtorale officium exercere non poteſt.*
2 *Coadjutorum datio Epiſcopis, & ſuperioribus Prælatis eſt de cauſis majoribus, & pertinet ad ſolum Papam.*
3 *Prælatus inhabilis propter morbum perpetuum non poteſt compelli ad cedendum, & nu. ſeqq.*
4 *Coadjutor datur etiam invito.*
5 *Afflicto non eſt addenda afflictio, ſed potiùs illius miſeriæ miſerendum, & nu. ſeqq.*
6 *Afflictus in uno, in alio eſt relevandus.*
7 *Duplici damno quis affici non debet.*
8 *Beneficia Eccleſiaſtica debent eſſe perpetua.*
9 *Coadjutoris officium quando expiret.*
10 *Beneficium vacat per mortem coadjuti, tam naturalem, quàm civilem, & nu. ſeqq.*
11 *Uſufructuarii jus deperit corpore perempto.*
12 *Tutela finitur morte pupilli, ſeu naturali, ſeu civili.*
13 *Coadjutor unde dictus, & nu. 20.*
14 *Coadjutoria duplex.*
15 *Coadjutoria cum futura ſucceſſione quando expiret.*
16 *Coadjutori cum futura ſucceſſione acquiritur in beneficio jus ad rem, quod eveniente vacatione per obitum coadjuti efficitur jus plenum, nec eſt opus nova collatione.*
17 *Coadjutor datus Epiſcopo cum futura ſucceſſione, an poſſit adminiſtrare ea, quæ ſunt juriſdictionis, ſpiritualis, ſeu temporalis, ipſo Epiſcopo contradicente, & n. ſeqq. uſque ad n. 25.*
18 *Quid ſi datus ſit dementi, vel aliàs omninò inhabili.*
19 *Et quid ſi datus ſit impedito, vel non prorsùs inhabili, & n. ſeqq.*
21 *Coadjutor quid ſit.*
22 *Coadjutus retinet in habitu poteſtatem, & juriſdictionẽ.*
23 *Potentia ad operationem reducitur.*
24 *Coadjutor an & quando poſſit beneficia conferre.*
25 *Coadjutus alteri delegare non poteſt ea, quæ coadjutor vult, & poteſt per ſeipſum exercere.*
26 *Coadjutus non poteſt revocare quæ coadjutor geſſit in caſibus ſibi à jure, vel conſuetudine permiſſis.*
27 *Coadjutori conveniens habitatio eſt concedenda in ædibus Epiſcopalibus.*
28 *Coadjutor in conſueto tribunali Epiſcopi jus reddere debet.*

1 EX *Parte*. Epiſcopo, qui propter incurabilem morbum paſtorale officium exercere non poteſt, dandus eſt coadjutor. Hæc dicit, & ſunt duæ partes. In prima ponitur facti narratio. In ſecunda proviſio, ibi, *Verùm*.

Nota primò, ibi, *Cùm ſis Metropolitanus eorum*, ſpecta-
2 re ad Archiepiſcopum dare coadjutorem Epiſcopo ſuffraganeo ægrotanti, ut hìc notat Bernardus. Sed hodiè hoc reprobatur in *c. un. infrà eod. lib. 6.* ubi expreſſum eſt, dationem coadjutorum Epiſcopis, & Superioribus Prælatis eſſe de cauſis majoribus, & ad ſolum Papam pertinere. Nec adverſatur hæc decretalis, quin potiùs facit pro hac parte; quia iſte Archiepiſcopus non dedit coadjutorem Epiſcopo comprovinciali authoritate ordinaria, ſed tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, ut patet ex littera, ibi, *Mandamus*. Et obſervant Card. in 4. *notab.* Abb. *n.* 2. & Guido Pap. *n.* 2.

Secundò nota, ibi, *Incurabili morbo*, text. apertum quòd 3
Prælatus inhabilis propter morbum perpetuum, & incurabilem, non poteſt compelli ad cedendum officio ſuo, ſed tantummodò ad recipiendum coadjutorem, qui datur etiam invito, ut hìc, *& in c. De Rectoribus, ſuprà eod.* & infrà *c. prox. & arg. c. Ad audientiam, il primo infrà de Eccleſ. ædif.* Atque ita hìc expreſsè reprobatur diſtinctio Baſiani, an morbus ſit curabilis, vel incurabilis, de qua in *c. Tua*, in gloſſ. *penult. ſuprà eod.* Concordat textus in *d. c. unic.* §. *Verum*, ibi, *Perpetuò impeditus, infrà eod. lib.* 6 & hìc notant 4
gloſſa *ultima in fin.* Hoſt. in *princ. & in fin.* Card. in, Anchar. Abb. & Joan. de Anan. omnes in 1. *not.* & ſcripſi pleniùs in *c. prox. n.* 40. *infr. eod.* Si verò morbus ſit curabilis, & temporalis, nedum Prælatus non cogitur cedere, quod fieri non debet, etiamſi morbus ſit perpetuus; ſed nec dandus eſt illi coadjutor, ut eſt argum. hìc ſecundum Abb. in 1. *notb.* & firmat Archid. in *ſumm. 7. q. 1. in gloſſ.* Adde, & Henric. Boich. infrà in *c. ſeq. col. 1. verſ. Idem Archid.* Quicquid contra incautè ſcripſerit Nicolaus Garzia *de benef. part.* 4. *c.* 5. *n.* 4 Sed eo caſu ipſemet Prælatus poterit ſibi Vicarium temporalem conſtituere, ut dixi in *c. ſeq. n.* 12. *&* 13.

Tertiò nota, ibi, *Nec afflicto*, & ſigna rationem, cur 5
ægrotus non ſit removendo à beneficio, videlicet, quia non eſt addenda afflictio afflicto, ut hìc, & in *c. Cùm percuſſio 7. q. 1. in c. Indicas 3. q. 9. & in c. Ad ejus 5. diſt.* Sed potiùs 6
illius miſeriæ miſerendum, ut in littera, & in *cap. Licet, inf. de cenſ. & in leg. Jure ſuccurſum, ff. de jure dot.* ubi dicitur, afflictum in uno relevandum eſſe in alio, ne detur afflictio afflicto, & hìc notant gl. *in verb. Afflictio*, Hoſtien. *nu.* 1. & Butr. in 2. *notab.* Propenſior enim in calamitoſos debet eſſe benignitas, niſi calamitate digni fuerint, ut inquit Tull. 2. *de offic.* Et cum hac ratione coincidit alia, quam Hoſt. ad- 7
ducit *hic in princ. in verb. Poſſis*, nempè quia duplici damno quis affici non debet, *l. Navis*, §. *Cùm autem, ff. ad leg. Rhodi. de jact.* ubi ſi jactus mercium factus eſt, & alicujus merces remanſerunt deterioratæ, is non tenetur conferre, ne oneretur duplici damno deteriorationis, & collationis, *c. Scripſit, cap. Qualiter, & cap. Quamvis ſit triſte 7. q. 1.* Aliam rationem, & quidem valdè notabilem adducit textus in *c. 1. ſuprà eod.* qui eſt pars *d. c. Cùm percuſſio*, videlicet exempli perniciem: nam alii qui vident Clericos ita inhumaniter tractari, ex hoc arcentur à Clericatu, & ſtatus Eccleſiæ turbatur. Circa quod vide quod dixi infrà in *c. ſeq. nu.* 49. Aliam denique rationem affert *hic gloſ. fin.* Hoſt. *n.* 3. Joan. Andr. *n.* 5. & Cardin. *n.* 3. in 2. *oppoſ.* Quia ſcilicet beneficia 8
Eccleſiaſtica debent eſſe perpetua, *c. Præcepta 55. diſt. & arg. l. Quæſitum, ff. de adopt.* ibi: Nec enim moribus noſtris convenit temporalem filium habere, *leg. Hæreditas, ff. de hæredibus inſtituen.* ibi: *Hæreditas ad diem, vel ex die non rectè datur.; ſed vitio temporis ſublato, remanet inſtitutio, leg. Actus legitimi, ff. de reg. jur.* ubi actus legitimi, veluti emancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, ſervi optio, datio tutoris, in totum vitiantur propter temporis, vel conditionis adjectionem, *l. Libertas, ff. de manumiſſ. teſtam.* ubi libertas ad tempus dari non poteſt, *&* *l. peculium*, §. 2. *ff. de pecul.*

ubi qui ſemel de peculio egit, rurius auctor peculio, de re-
ſiduo debiti agere poteſt.
Quæro, quando expiret coadjutoris officium.
9 Reſpondeo expirare eo mortuo, cui datus eſt coadjutor,
ut firmat Jo Andr. in *cap.prox. in 8. qu. n.10. infra eod.* cum
quo Butr. Anchar. Abb. & alii tranſeunt, Put. *deciſ.* 226.
*nu.*3.*lib.*3. ubi dicit per obitum coadjuti beneficium vacare,
10 cùm coadjutoria non duret niſi durante vita ipſius coadju-
ti; & eſt expreſſum in *c. Grandi, in fin. de ſupplen. neglig.
Prælat.lib* 6. & ibi Gemin. *n.*7. Rota *deciſ.*456. *n.* 5. *part.*1.
recent. ubi ait coadjutoriam expirare cum omnibus ejus ef-
11 fectibus mortuo coadjuto. Quemadmodum & jus uſusfru-
ctuarii deperit corpore perempto, *l.* 2. *ff. de uſufructu.*
Quod intelligunt Doctores etiam in morte civili, ut quia
renunciat, vel deponitur is, cui datus eſt coadjutor; talis
enim quoad Eccleſiam habetur pro mortuo, *cap.In apibus*,
§. *Ecce in quibus* 7. *q.*1. & notatur in *c.Suſceptum*, in gloſſ.
12 *penult.de reſcript.lib.*6. Idque ad exemplum tutelæ, quæ ſi-
militer finitur per mortem pupilli tam naturalem, quàm
civilem, *ut inſtitut quibus modis tut.finitur*, §.2 & 3. Quod
etiam probat vocabuli etymologia, à qua validè ſumitur ar-
13 gumentum, *ut cap.Cùm ſecundum ſupra de præb.* Dicitur
enim coadjutor à coadjuvando, ſicut tutor à tuendo, quaſi
tutor, & defenſor, *ut l.* 1. *ff. de tutel.* Sicut æditui dicuntur
qui ædes tuentur, ut ibi. Mortuo autem, vel depoſito, aut
renunciante coadjuto, non eſt ulteriùs quem coadjuvet:
itaque juriſdictionem tunc exercebit Capitulum, vel is, ad
quem ſpectat ſede vacante, *c.*3. *& 4. de ſupplen.neglig. Præ-
lat.lib.6.c.*1. *de inſtit.eod.lib.c.His quæ, & c.Cùm olim, ſu-
prà de major. & obed.& c.un. eod.tit. lib.* 6.
14 Obſervandum eſt tamen duplicem eſſe coadjutoriam:
Alia enim eſt temporalis, & revocabilis, cùm ſcilicet coad-
jutor ad normam juris datur Prælato, qui propter morbum
incurabilem, vel ſenium factus eſt inhabilis ad Paſtorale
officium exercendum, juxta textum hìc, cum concordan-
tibus, de quibus ſuprà in 2. *notab.* & in hac ſpecie vendi-
cant ſibi locum, quæ ſuprà proximè dicta ſunt. Alia eſt
15 perpetua, & cum futura ſucceſſione, quæ ex ſtylo eſt ad-
inventa, ut apud Caſſad. *deciſ.*2 *n.*2. *de reſtitut.ſpoliat.* cu-
jus formam ponit Mandoſ.*reg.*11. *q.*6. Et coadjutoria hujus
ſecundæ ſpeciei quatenus reſpecit favorem coadjuti, expi-
rat eo mortuo ad exemplum coadjutoriæ temporalis.& re-
16 vocabilis, Put. in *præcit. deciſ.*226. *n.*3. *lib.*3. Sed in quan-
tum reſpicit favorem coadjutoris, per obitum coadjuti non
expirat, ut declarat idem Put. *deciſ* 98 *lib.*2. Per hujuſmo-
di enim gratiam præventivam acquiritur coadjutori in be-
neficio jus ad rem, quod eveniente vacatione per obitum
coadjuti efficitur jus plenum adeò ut non requiratur pro
coadjutore nova collatio, ſed abſque aliquo miniſterio
gratia coadjutoriæ ex primo jure ſibi conceſſo effectum
ſortiatur, cùm Papa in iſtis coadjutoriis ex nunc prout ex
tunc faciat collationem, ut reſoluit Rota in Tiraſonen.
Coadjutoriæ 8. Novembr. 1599. coram Penia, quæ habe-
tur impreſſa apud Garziam *de benef. part.* 4. *c* 5. *nu.*128. *ſeu*
138. Nec beneficium poteſt alteri conferri, ut per Seraph.
*deciſ.*1447.*n.*4. An autem coadjutoria cum futura ſucceſſio-
ne exorbitet à jure communi, & quibus caſibus à Concilio
Trident.ſit permiſſa, ſcripſi in *c. Accipimus à n... uſque ad
n.... ſuprà de pact.* ubi plenè videas.
17 Quæſitum fuit, an perpetuus coadjutor datus Epiſcopo
cum futura ſucceſſione, & cum libera poteſtate admini-
ſtrandi, & c. prout in Bulla coadjutoriæ, poſſit ſolus ad-
miniſtrare quæ ſunt juriſdictionis ſpiritualis, ſeu tempora-
lis, ipſo Prælato contradicente.
18 Videtur diſtinguendum, aut coadjutor datus eſt Epiſco-
po dementi, vel aliàs omninò inhabili, ut in caſu *c.unic.*§.
*Si verò Epiſcopus infrà eod. lib.*6. & hoc caſu coadjutor po-
teſt ſolus adminiſtrare, quia cùm non poſſit Prælatus præ-
ſtare rationalem conſenſum, vel diſſenſum, §. *Furioſus
19 inſtitut.de inutilib.ſtipulat.* coadjutor liberè exequitur, *d.*§.
Si vero. Aut coadjutor datus eſt impedito, vel alias non
prorsùs inhabili, ſed propter gravem infirmitatem paſto-
ralia munia per ſeipſum exercere non valenti, & tunc non
poteſt ſolus exequi, & expedire ea, quibus Prælatus ratio-
nabiliter contradicit.
Probatur primò ex vi nominis: nam ut formaliter arguit 20
Franc. in *d. c.un.in fin.* dicitur coadjutor, quia coadjuvat:
ergo non ſolus. Item ex vi definitionis; nam coadjutor 21
eſt quid ad hoc datur ex cauſa juris, vel judicis auctorita-
te, ut coadjuvet miniſtri, vel præſidentis officium, prout
definit Jo. Andr. in *c.proxim.n.*3 *verſ. De primo dic. infrà
eod.* quem ibi ſequuntur Butr. Card. Anchar. Abb. & omnes
in 1. *qu.*
Secundò, Prælatus, cui datus eſt coadjutor, retinet in 22
habitu poteſtatem, & juriſdictionem, ut patet ex littera hu-
jus Decretalis, ibi, *Coadjutorem aſſocies, & arg. c.*1. *ſuprà
de ordinat.ab Epiſcop.qui renunc.Epiſcop.* At fruſtra retine-
ret, ſi cauſa ſuadente illius uſum non haberet, *adnot. in c.
Ex tenore, & c. Licet ſuprà de foro compet.* Quibus in locis
patet juriſdictionem in laicos, quam Eccleſia habet in ha-
bitu, reduci in certis caſibus ad actum; & generaliter ha-
betur per Philoſophum in 3. *Metaph. c* 1.
Tertiò facit, qu a reverentia, quæ inculpabiliter exhi- 23
beri debet Prælato, cui conſtitutus eſt coadjutor, *c. Fra-
ter* 7. *q.* 1. non patitur, ut eodem Prælato invito omnia
poſſit expedire coadjutor, in quem communicata quoad
exercitium, & non translata eſt juriſdictio penitùs quoad
habitum, ut hic.
Quartò facit, quod notat Jo. Andr. in *cap. fin. in 7. mem-* 24
bro n.9. verſ.Sed numquid infrà eod. ubi quærens, an coad-
jutor poſſit beneficia conferre: reſolvit ſub diſtinctione,
videlicet aut datus eſt ad aliquod certum, puta adminiſtra-
tionem rerum temporalium dumtaxat, & non confert be-
neficia, ſed illa confert Prælatus ut priùs. Aut datus eſt ad
ſpiritualia, & de coadjutoris conſenſu Prelatus confert, ſi
ſit ſanæ mentis: ſint autem datus ſit dementi, vel huic ſi-
mili; tunc coadjutor ille confert beneficia: & ſequitur
Franc. in *c.un. n.*3. *verſ. Et adverte infrà eod. lib.*6.
Nam obſtat *cap. Is cui, de elect. lib.* 6. quia non loquitur
in coadjutore, ſed in Procuratore, ſeu adminiſtratore da-
to per Papam Cathedrali Eccleſiæ cum plena, & libera
facultate in ſpiritualibus, & temporalibus, ut ſonat il-
la littera.
Item non obſtant verba generalia, quæ conſueverunt
apponi in Bulla coadjutoriæ, videlicet, *In coadjutorem
perpetuum, & irrevocabilem, & c. cum plena, libera pote-
ſtate & c. & futura ſucceſſione.* Quoniam reſtringuntur ad
ea, quæ pertinent de jure, vel conſuetudine ad coadjuto-
ris officium.
Demum non obſtat, quòd coadjutor detur etiam invito,
ut dixi ſuprà *nu.* 4. Quandoquidem hoc non auget poteſta-
tem coadjutoris.
Ex quibus inferendum ex Congregatione, ut coadjutor
datus Epiſcopo ob ſenium, aut ægritudinem de ejus conſen-
ſum cum futura ſucceſſione, & cum plena, libera, & omni-
moda facultate in temporalibus, & ſpiritualibus admini-
ſtrandi ea omnia, quæ ad officium coadjutoris pertinent;
minimè poſſit ſe immiſcere in exercitio Pontificalium, ne-
que juriſdictionalium, quibus defungi poteſt, & vult ipſe
Epiſcopus; nec ea ſolus expedire, quibus ex rationabili
cauſa Epiſcopus contradicit. Ea verò, quæ Epiſcopo im- 25
pedito coadjutor exercere poteſt, & vult per ſeipſum, non
poteſt Epiſcopus alteri delegare. Et quæ coadjutor in caſi- 26
bus prædictis, & aliis ſibi à jure, & conſuetudine permiſ-
ſis geſſit, & expedivit, ſimiliter Epiſcopus revocare non
poteſt. Ad hæc ſi domus Epiſcopalis commodè capere po- 27
teſt Epiſcopum, & coadjutorem, conveniens in ea habi-
tatio eſt impertienda. Coadjutor autem ſeparatum tribu-
nal ſtatuere, aut habere non poteſt, ſed in conſueto tribu-
nali Epiſcopi jus reddendum eſt,

DE

DE CLERICO ÆGROTANTE.

Honorius III. Epiſcopo Averſano.

CAPUT VI.

COnſultationibus; & infrà. Archidiacono autem, quem morbo paralytico laborantem officium linguæ aſſeris amiſiſſe, coadjutor eſt meritò adhibendus.

SUMMARIUM.

1 *COadjutor dandus eſt Archidiacono loqui non valenti.*
2 *Prælatus inhabilis propter morbum ſupervenientem ab officio non amovetur, ſed datur illi coadjutor, & n.6.*
3 *Idem in habente perſonatum, vel quodcumque beneficium certi miniſterii, & officii.*
4 *Idem in Abbate, & num.72.*
5 *Idem in Generali perpetuo Religionis, & nu.40.*
7 *Electus, & confirmatus, qui ante conſecrationẽ officium linguæ, vel oculorum amiſit, conſecrari non debet, ſed in totum amoveri; & quid in inferiori Prælato, ibid.*
8 *Coadjutor ut infirmo dari poſſit, aut debeat, talis eſſe debet infirmitas, ut eum impediat officiũ ſuum exercere.*
Item debet eſſe perpetua, & incurabilis, n.10.
Et talis cenſetur, licèt tolli poſſit per Divinum miraculum, num.11.
9 *Infirmitas debilis, aut vetus quartana non eſt juxta cauſa percipiendi in abſentia redditus beneficii.*
12 *Coadjutor non datur ægroto, ſi morbus ſit curabilis; ſed ipſemet poteſt ſibi Vicarium temporalem conſtituere ab Ordinario approbandum, & num.ſeq.*
13 *Vicarios inſtituendi auctoritas eſt penes Epiſcopum, ſi ſint perpetui; ſed ſi temporales, eſt penes Curatos, & Vicarios perpetuos.*
14 *Coadjutor datur illi, qui officium linguæ, vel oculorum amiſit, & num 41.*
15 *Non autem monoculo, num.70.*
16 *Item datur epileptico.*
17 *Item decrepito.*
18 *Item dementi, vel furioſo.*
19 *Leproſus ſi ſit Epiſcopus, vel Superior, non cogitur cedere, ſed datur illi coadjutor. Inferior autem removetur in totum, & num.ſeq.*
Et quæ ſit ratio differentiæ, nu.21. ſed contra, ibid. verſ.Tu dic meliùs.
20 *Epiſcopi per excellentiam dicuntur Eccleſiarum Rectores.*
22 *Coadjutor quid ſit, unde dicatur, quis detur, cur, & quibus caſibus, & per quem, quid ſit ejus officium, quæ poteſtas, & quando expiret, an detur invito, & cujus expenſis an plures uni, & unus pluribus dari poſſit.*
23 *Coadjutores de jure communi non ſumebantur niſi propter neceſſitatem regendi Eccleſias, & hi non cum futura ſucceſſione.*
24 *Officialis Pœnitentiariæ an ex ſola cauſa, quòd cæcus evaſit, juſtè potuerit ab officio removeri, & alius in ejus locum ſubrogari, & n.ſeqq. uſque in fin.*
25 *Papa ſupra jus, & extra jus omnia poteſt.*
26 *Maximè in beneficialibus.*
27 *Et adeò poteſt quem privare beneficio ſuo, etiam ſine ulla cauſa.*
Imò & Epiſcopum deponere, nu.30.
Contrarium n 45. & ſeqq. uſque ad n.51. & 76.
Declaratur n.72. & 76.
28 *Beneficiatus non habet dominium utile, neque directum, ſed à Papa eſt conſtitutus adminiſtrator.*
29 *Papæ beneficia omnia ſunt manualia.*
Declaratur nu.72. & 76.
31 *Officiorum omnimoda diſpoſitio in conferendo, transferendo, & removendo, pertinet ad Romanum Pontificem.*
Proſp. Fagnan. in III. Lib. Decretal.
Declaratur nu.46. verſ.Quartò, & nu.72. & 76.
36 *Verba*, ad tui vitam, *perpetuitatem important.*
37 *Officia Eccleſiaſtica perpetua regulantur ad inſtar beneficiorum, & dignitatum, quæ in titulum conferuntur.*
38 *Officialis perpetuus habet titulum.*
39 *Papæ, & Imperatori limitatæ poteſtates ſunt à Deo tributæ.*
40 *Officialis propter morbum perpetuum, & incurabilem effectus inhabilis, non poteſt ab officio removeri, ſed dandus eſt illi coadjutor.*
42 *Cæcus quamvis ad novum Magiſtratum aſpirare prohibeatur; tamen retinet Magiſtratum prius acceptũ.*
43 *Idem in furioſo.*
Mulier cum qua quis juravit contrahere, ſi ante contractum matrimonium oculos, vel naſum amittat, repelli poteſt: ſecus ſi poſt, ibid.
44 *Correctori pœnitentiariæ quæ incumbant munera, & an à cæco præſtari valeant.*
Officiales Pœnitentiariæ percipiunt in abſentia fructus, & emolumenta, quando ſunt legitimè impediti, ibidem verſ. Corroborantur.
45 *Intellectus c. Scripſit 7. q. 1.*
Aegrotum ab officio removere ex ſola cauſa ægritudinis peccatum eſt, ibid. & nu. ſeq.
46 *Poteſtas Eccleſiæ ad peccatum ſe non extendit, imò nec potentia Dei, & nu.50.*
47 *Beneficiis ſuis aliquem ſpoliare non decet honeſtatem ſuperioris ſine manifeſta, & rationabili cauſa.*
48 *Intellectus c. Cùm percuſſio 7 q. 1.*
49 *Aegroti ſi ab officiis ſuis removeantur, Clerici hoc exemplo deterrentur à clericatu, & ſtatus Eccleſiæ turbatur.*
50 *Papa non poteſt ſalva juſtitia jus alteri quæſitum auferre abſque rationabili cauſa.*
Declaratur nu.72. 76. & 77.
51 *Reſcripta, quæ abſorbent jus tertii, cenſentur extorta Principe circumvento, & ſunt nulla ex defectu voluntatis.*
52 *Papa quandoque concedit non concedenda propter importunitatem impetrantium.*
53 *Papæ intentio non eſt ex bonis alterius aliquid ſibi applicare.*
54 *Collatio beneficii ſi fiat non obſtante collatione alteri facta, hoc intelligitur de invalida.*
55 *Papa ſi conferat pluribus idem beneficium, præfertur primus, etiam ſi ſecundus obtinuerit gratiam motu proprio, & poſſeſſionem acceperit.*
Papa non præſumitur velle contra jus, ibid.
56 *Papæ quædam ſunt poſſibilia, quæ tamen non ſunt honeſta, nec laudabilia, ut beneficium revocare.*
57 *Princeps præſumitur circumventus præſumptione juris, & de jure, quando etiam motu proprio revocat conceſſionem à ſe prius factam, & nu.60.*
58 *Princeps debet habere unum calamum, & unam linguam, & eſſe immobilis ſicut lapis angularis.*
59 *Variatio eſt quædam illuſio, & in Principe Eccleſiaſtico damnatur, & nu.61.*
62 *Beneficium acceptans cenſetur ex quaſi contractu ſe obligare ad illius adminiſtrationem.*
63 *Donatio facta à Principe ex cauſa remunerationis revocari non poteſt etiam propter ingratitudinem ſupervenientem, & nu.65.*
64 *Privilegia Auditoribus Rotæ conceſſa in remuneratio-*

rationem laborum ſunt irrevocabilia.

66 *Papa ſi de plenitudine poteſtatis auferat alicui beneficium ſine juſta cauſa, tenetur ei ex juſtitia de æquivalenti beneficio providere.*

67 *Papa poteſt omnia, clave tamen non errante.*

68 *Papa ſaltem de poteſtate ordinaria non poteſt procedere ad privationem beneficii parte non citata, & num. ſeq.*

69 *Nec eſt tantæ potentiæ, ut poſſit auferre defenſionem oppreſſo.*

70 *Intellectus c. Si Evangelica 55. diſt.*

Diaconus cui oculus fuit effoſſus, in Presbyterum ordinari non poteſt, ibid.

72 *In Papa duplex eſt poteſtas.*

Poteſtatis plenitudo quid ſit, & qualiter diffiniatur, ibidem.

73 *Princeps uti non debet poteſtatis plenitudine niſi ex magna cauſa.*

74 *Populus Romanus numquam fuit uſus plenitudine poteſtatis.*

75 *Princeps in dubio poteſtatis plenitudine uti velle non præſumitur.*

76 *Papa de poteſtate ordinaria non poteſt quem privare officio, vel beneficio ſuo ſine juſta cauſa.*

77 *Papa quo ſenſu intelligatur poſſe ſine cauſa jus quæſitum auferre de plenitudine poteſtatis.*

78 *Succeſſor factum prædeceſſoris revocat in quatuor caſibus hìc expreſſis.*

79 *Princeps, qui de plenitudine poteſtatis aufert jus tertii, præſumitur id facere cum cauſa, quando procedit per viam legis generalis; ſecus ſi per viam reſcripti.*

80 *Item quando procedit motu proprio: ſecùs ſi ad ſupplicationem partis.*

81 *Item ſecus quando procedit parte non citata.*

82 *Item ſecùs ſi in litteris ſit expreſſa cauſa minùs juſta.*

83 *Libellus quamvis non requirat cauſæ expreſſionem, parte non opponente; tamen ſi exprimatur inepta, rejicitur.*

1 C*Onſultationibus*. Archidiacono loqui non valenti
dandus eſt coadjutor. Hoc dicit. Breve eſt, & non
dividitur.

2 Nota ex text. Prælatum non eſſe removendum à benefi-
cio ſuo propter morbum ſupervenientem; ſed ſi ad offi-
cium exercendum ſit effectus inhabilis, dabitur illi coadju-
tor; atque ita remanebit Prælatus in ſtatu ſuo reſpectu ti-
tuli, ſed exercitium non habebit, ut de Archidiacono eſt
caſus hìc. De Epiſcopo, & ſuperioribus Prælatis in *c. Ex
parte ſupra eod. & cap. un, eod. tit. lib. 6.* De Rectore Paro-
3 chialis Eccleſiæ in *cap. De Rectoribus, ſupra eod.* ſecundum
unam lecturam. De habentibus perſonatum, vel quod-
cumque beneficium certi miniſterii, & officii, tenet Ho-
ſtien. *hic nu. 1. verſ. Nam ſi fuiſſet, argum. cap. Quemadmo-
dum §. Quod ſi poſt hujuſmodi, ſupra de jurejur.* De Abbate
4 fusè probat Archid. in *c. fin. n. 2. de ſuppl. negl. Prælat. lib 6.*
quem hìc ſequuntur Joann. Andr. *n* 1. Butr. *n.* 18 & Guido
Papa in *princ. verſ. Sed numquid Abb.* reprobata contraria
5 opinione Jo. Vincentii, & Hoſt. De Generali perpetuo Re-
ligionis tradit Anchar. *conſ.* 118, incip *Viſis conſiliis n. 7. ver.
Præmittendum eſt etiam pro veritate, & n.* 12. ut latiùs di-
6 cam infra *n.* 40. Et generaliter de quocumque Prelato notat
gloſ. hìc in figuratione caſus, Hoſt. *n. 1. in verſ. Coadjutor,*
Joann. Andr. *in eod verſ. n. 1. &* 2. & Butr. *in 1. notab.*

7 Fallit ſupradicta concluſio in electo in Epiſcopum, &
confirmato, qui ante conſecrationem officium linguæ, vel
oculorum amiſit, aut aliàs effectus eſt inhabilis; huic enim
non datur coadjutor, ſed amovetur in totum, nec debet
conſecrari, ut tenet Vincentius, & poſt eum Jo. Andr. in
cap. proxim. num. 1. ſupra eod. Abb. Antiq. *hìc*, & gloſ. in
ſumma in verb. Quod autem in fin. 7. qu. 1. & eſt ratio, quia
aliud ſcrutinium adhuc reſtat, *ut cap. 1. ſupra de ætate,
& qualit* & in illo tranſire non debet minus idoneus. Con-
trarium tamen dixit idem Vincentius *in c ult. ſupra de corp.
vitiat. arg. c. Cum in cunctis, §. Hæc ſanè ſupra de elect.* cùm
confirmatus, qui Prælatus eſt, ſine culpa Prælatura privari
non debeat; ſed fortè intellexit illud in non Epiſcopo, hoc
verò in Epiſcopo, ſecundùm Jo. Andr. *loc. cit.* & Butr. *ibid. n.*
5. Card. *num.* 4. Anchar. *in 1. notab.* & Abbas *in ult. notab.*

QUÆRO, qualis debeat eſſe infirmitas, ad hoc ut dan- 8
dus ſit coadjutor?

Reſpondeo debere eſſe talem, ut impediat officium ſuum
exercere, ut hìc, *& in c. Ex parte, & c. 3. ſupra eod. c. Scripſit,
c. Quamvis, & c. Petiiſti, 7. q. 1.* Joan. Andr. *hìc n. 6.* Ergo ve- 9
tus quartana, vel debilis infirmitas, quæ non impedit ſua
propria negotia expedire, non eſſet juſta cauſa dandi coa-
djutorem; imò talis nihil perciperet, niſi per ſe ipſum in-
ſerviret, arg. *leg. Quæſitum, ff. de re judic & l. 1. §. Sed ſcien-
dum, ff. de ædilit. edict.* qui enim non præſtat officium, cùm
præſtare poſſit, non percipit beneficium, ut *cap. 2. infrà de
inſtit.* Ita Hoſt. & Joan. Andr. hìc, ambo *n. 2. in fin.* Henric.
Boich. *col. 1. circa med. in verſ. Aut quæritur de alio morbo,*
& Butr. *n. 18. verſ. Niſi eſſet.*

Inſuper oportet, ut morbus ſit incurabilis, & perpetuus, 10
ut *in d. cap. unic.* ibi, *Impeditus perpetuò, infra eod. lib. 6. &
in cap. prox.* ibi, *Gravi & incurabili morbo,* & ibi Card. An-
char. Abb. & Joan. de Anan. omnes *in 1. notab. ſupra eod.* & 11
perpetuus cenſetur, licèt tolli poſſit per Divinum mira-
culum, ut per Jo. Andr. *d. num. 6. & in cap. Fraternitatis,
infra de frigid. & malef.* Secùs ſi ſit curabilis, & tempora- 12
lis, ut tenet multùm notabiliter Archid. *in ſumma 7. quæſt.
1. in gloſ.* adde Joan. Andr. *hìc n. 6.* & Henric. Boich. *col. 1.
verſ. Idem Archidiaconus;* tunc enim ipſemet poterit ſibi
Vicarium temporalem conſtituere pro tempore morbi du-
rantis, *arg. cap. Pervenit, il ſecondo, ſupra de appellat. & l.
1. §. Hujus rei, ff. de off. c. ejus, cui mand. eſt juriſd.* & not. Hoſt.
in c. Clericos, ſupra de offic. Vicarii.

Quamquam enim authoritas inſtituendi Vicarios perpe- 13
tuos in beneficiis ſit penes Epiſcopum, ut *cap. Ex frequen-
tibus,* cum ibi notatis per Bernard & Hoſt. *infra de inſtit.*
Curati tamen, & Vicarii perpetui utique Vicarios tempo-
rales abſque Epiſcopi licentia ſibi aſſumere poſſunt, dum-
modò ſint noti, & de promotione eorum conſtet, ut no-
tatur *in cap. Adjicimus, 16. quæſt.* 1 Ad idem *cap. Mulier,*
23 *diſt.* Ad hoc Concil. Tridentinum *cap. 4. in princ. ſeſſ. 21.*
dummodò tamen ſtatutum Synodale, vel Provinciale non
impediat, *cap. Illud, & cap. Nihil, 7. quæſt* 1. ſecundùm
Henric. Boich *ubi ſupra.* Hodiè tamen approbari debent
ab Ordinario, ut in Concilio Tridentino *cap. 1. §. Eadem
omninò, ſeſſ. 23. & cap. 11. verſ. Nec ibi aliqui, ſeſſ. 25. de re-
gular.* & ab ipſo Ordinario deputari debent in caſu *cap. 7.
ſeſſ. 7. & cap. 6. ſeſſ. 21.* Quæ cùm ita ſint, dabitur coadju- 14
tor ei, qui amiſit officium linguæ, ut hìc eſt caſus; & ex
identitate, ſeu potiùs majoritate rationis dabitur & illi, qui
amiſit officium oculorum, ut hìc tenet gloſſa 1. & Hoſtien.
in princ. licèt ſecùs ſit, ſi amiſiſſet unum tantùm, quia talis 15
remanet tutor, ut *l. Frater tuus, Cod. de excuſat. tutor.* ſe-
cundùm Philipp. quem hìc ſequitur Joann. Andr. *num.* 14.
Butr. *num.* 19 Item dabitur epileptico, *cap. Scripſit, 7. q. 1.* 16
& notat gloſſa *in Summa eadem quæſt. in verb. Quod autem,* 17
Joann. Andr. *hìc num. 6.* Item dabitur ſeni, *cap. Petiiſti, 7.
quæſt. 1.* ſecundum gloſſam, & Jo Andr. *ubi ſupra.* Intellige
ſi ſit decrepitus, ſecundùm Anchar. *conſ.* 188. *num.* 7. id eſt
ſi exceſſerit annum ſeptuageſimum, ut notat Franc. *in cap.
unic. § Verum, in princ infra eod. lib. 6.* Item dabitur demen- 18
ti, & furioſo, *cap. Quamvis, 7. quæſt. 1. & dict. cap. unic.*
Anchar. *ubi ſupra.* Rurſus dabitur leproſo, ut *cap. De
Rectoribus, ſupra eodem:* quod tamen aliqui dicunt ve- 19
rum eſſe in Epiſcopo, vel Superiore, qui propter lepram
non cogitur cedere, ſed datur illi coadjutor; ſecùs au-
tem in inferiori Prælato, vel beneficiato, qui propter le-
pram omninò amovetur à Prælatione, & beneficio, & hoc
propter ſcandalum, & abominationem populi, ut *in cap.
Tua, ſupra eodem,* ubi poſt multa ita concludit gloſ. in
ver. Adminiſtrationis, Hoſt. *hìc nu. 1. in fin. verſ. Excipe,*
& Henric. Boich. *col. 1.* Nec obſtat, quòd *in d. cap. De Re-
ctoribus,* Rector Eccleſiæ leproſus non amovetur, ſed illi 20
datur coadjutor; quia ſecundum Hoſtien. ille textus intel-
ligitur de Epiſcopis, quos ibi per excellentiam Papa vo-
cat Rectores; cùm ſint loco Apoſtolorum, *cap. In novo,*
21. *diſt.* & ſequitur hìc Henric. Boich. *poſt princ.* & eſt 21
ſpeciale in Epiſcopo, ut per lepram non amoveatur: & eſt
ratio ſpecialitatis ſecundùm eum, quia faciliùs removen-
tur inferiores, quàm Epiſcopi, ut *cap. Inter corporalia, &
cap. Licèt, ſupra, de translat. Epiſcopi, & cap. Qualiter,
& quando, il 2. § 1. infra de accuſ. & cap. Per tuas, il pri-
mo in fin. de Simon.* quia Epiſcopus nullo caſu remove-
ri poteſt niſi per Romanum Pontificem, ut *d. cap. Inter*

cor-

corporalia, in princ. & cap. Multum ſtupeo 3. quæſt. 6 & quia propriè eſt ſponſus Eccleſiæ, *ut cap. 1. & 2. 32. qu. 7. & d. cap. Inter corporalia*, & ideò non removetur etiam propter lepram; nihil enim humanius eſt, quam in fortuitis caſibus mulieris maritum, & uxorem viri participem eſſe, *l. Si cum dotem, §. Si maritus, ff. ſol. matrim. & infra de conjug. lepreſor. per tot.* & ita etiam de conſuetudine obſervatur ſecundum Hoſt. in præalleg. *c. de Rectoribus, & in ſumma eod. tit.* & Archid. in *ſumma 7. q. 1. in gloſſ.* Adde & Henr. Boich. *ubi ſup. a*, & latiùs infra *col. 2. verſ. Ad primum*. Tu dic meliùs, idem eſſe in inferiore, quod in Epiſcopo, ut ſcilicet propter lepram nullus amoveatur ex toto, ſed detur illi coadjutor, ut ex communi ſententia latè probavi in *d. c. De Rectoribus in 2. notab.*

22 Coadjutorum materiam compendioſè hìc tractat idem Joan. Andr. Quærit *n. 1.* quid ſit coadjutor. 2. unde dicatur. 3. quis detur. 4. cui, & quibus caſibus. 5. per quem. 6. quod ſit ejus officium. 7. quæ poteſtas. 8. an expiret illo mortuo, cui datus eſt. 9. an detur invito. 10 cujus expenſis alatur. 11. an plures uni, & unus pluribus dari poſſit; & ejus quæſtiones, quas per te videas, ferè ad litteram tranſcribunt, & probant Butr. Cardin. Anchar. Abb. & Jo. de Anan. Nihil tamen agit de coadjutoriis perpetuis, & cum futura ſucceſſione, quia de jure communi coadjutores non ſumebantur niſi ob neceſſitatem Eccleſiam regendi, & gubernan-

23 di, & hi non cum futura ſucceſſione, *cap. Inter cætera, de off. ordinar. & c. unic. infra eod. lib. 6.* copioſè Joan. Andr. *hic in 8. q.* Imò nec ei, qui proximus morti erat, permittebatur alium ſucceſſorem pro ſe ordinare, *ut c. Epiſcopo, il primo 8. quæſt. 1.* Sed de his coadjutoriis vide tu jus noviſſimum Concil. Trident. *cap. 7. ſeſſ. 25. de reform.* & quod ſcripſi in *c. prox. à n. 14. ſupra eod.* & pleniùs in *cap. Accepimus, ſupra de pact.*

24 Secundò quæro de notabili quæſtione facti: Cùm N. S. Pœnitentiariæ corrector, plaga cæcitatis percuſſus, deſiiſſet hujuſmodi officium exercere, fuit Apoſtolica authoritate deputatus ad illud exercendum cum honoribus, & oneribus dumtaxat B. Rotæ Auditor, qui tamen poſtea, ut aſſeritur in litteris patentibus Cardinalis majoris Pœnitentiarii, facto verbo cum Sanctiſſimo, idem officium cum emolumentis obtinuit. Ex quibus verbis deducebatur prædictum Auditorem obtinuiſſe officium, etiam reſpectu tituli, & per conſequens primum officialem fuiſſe per Papam eodem officio privatum. Et quamvis hæc deductio non ſit juri conſona, ut oſtendimus in *cap. De Rectoribus à nu. 16. uſque in fin. ſupra eod.* tamen ea nunc ſuppoſita, vertitur in dubium, an privatio officialis de Correctoris officio, ut præfertur, facta ex ſola cauſa cæcitatis ſupervenientis, de jure ſubſiſtat, necne.

Ad partem affirmativam, videlicet privationem ſubſiſtere, inducitur primò textus in *cap. Si Evangelica 55. diſt.* ubi Diaconus, cui nulla ſui culpa oculus erutus fuit, propter hujuſmodi impedimentum removetur ab Eccleſia Collegiata, in qua erat poſitus, & alius in ejus locum ſubſtituitur. Fortiùs ergo idem dicendum in illo, qui utroque lumine orbatus eſt, ut hoc caſu, *argum. l. Frater tuus, ff. de excuſ. tutor.*

Secundò, ad hanc partem inducitur *cap. Si quis Abbas 18 qu. 2.* ubi Abbas effectus inhabilis, ab Epiſcopo, & vicinis Abbatibus removetur ab officio, prout ex illo textu deducunt gloſſa Joannis in *Summa 7. qu. 1. in verb. Quod autem in fin.* Vicentius hìc & Hoſt. in *ſumma hujus tit. in fin.* Et confert quod ait Seneca *epiſt. 9.* videlicet: *Qui utilitatis cauſa aſſumptus, tamdiu placebit, quamdiu utilis fuerit.* Cujus dictum in propoſito hìc refert Henric. Boich. *col. 1. poſt med.*

Tertiò, induci poſſunt jura in *l. Si longius, ff. de jud. & in l. Si quos, C. de offic. Præfect. Rector. Orien. & Illyric.* quæ probant propter nimiam ſenectutem primo judici alterum ſubrogari.

25 Quartò, pro hac parte ponderatur, quòd hæc privatio, & proviſio emanavit à Summo Pontifice; unde nullatenùs videtur poſſe impugnari, quia Papa habet plenitudinem poteſtatis, *cap. Præpoſuit, de conceſſ. præb. cap. Ad honorem de authoritate & uſu pall. c. Cuncta per mundum, & c. Per principalem 9. q. 3.* Item Papa eſt omnia, & ſuper omnia, ſecundum Bald. *in leg. Barbarius in fin. ff. de offic. Prætor.* Item Papa poteſt mutare quadrata rotundis, ut dixit Hoſt. *in cap. Cum veniſſent nu. 5. de judic.* Marian. Socin. in *cap. Ad petitionem n. 18 de accuſat.* & Præpoſ. in *d. cap. Per principalem nu. 7* Item Papa ſupra jus & contra jus, & extra jus omnia poteſt, ut Bald. inquit in *cap. Cum ſuper nu. 1. de cauſ. poſſeſſ. & propr.* Item Papa eſt cauſa cauſarum, ideòque non eſt de ejus poteſtate inquirendum, cùm primæ cauſæ nulla ſit cauſa, ut idem Baldus ait in *c. Eccleſia S. Mariæ in pen. col. ut lite penden.* Item nemo poteſt dicere Papæ: Cur ita facis? ſecundum Specul. in *tit. de legat. §. Nunc oſtendendum in ver. 89.* ſola enim poteſtas eſt pro cauſa, & qui de hoc dubitat, dicitur dubitare de Fide Catholica, ut verbis ipſius Bald. utar in *conſ. 447* incip. *Quæritur utrum nu. 28. lib. 1.* & Abbas poſt eum in *ſua q. 1.* incip. *Epiſcopus col. 2. in fin. & col. 3. in princ.* Hæc autem maximè procedunt in officiis & beneficiis Eccleſiaſticis, in quibus Romanus Pontifex abſolutè poteſt omnia, *cap. 2.* ibi, *Plenaria diſpoſitio, de præben. lib. 6. & Clem. 1. in fin* ibi, *Plena, & libera diſpoſitio, ut lit. pend.* Unde poteſt quem privare titulo beneficii, etiam nulla ſubſiſtente cauſa. Ad quod conſuevit allegari gloſſa celebris in *d. ca. Per principalem in verb. Ad nos 9. q. 3.* & tenent Gemin. in *cap. Si gratioſè, col. 3 in fin. verſ. Nota iſtam gloſſam de reſcript. lib. 6. & in conſ. 8.* incip *Super præmiſſis, nu. 5. & 6. verſ. Papa autem liberè, conſ. 88.* Innoc. Papa 26
in *princ. verſ. Et prædicto, & conſ. 53. Pro reſponſ. num. 1. verſ. Secundò præmitto*, Card. in *Clem. 1. in 10. notab. ut lit. pend.* Roman. *conſ 298.* incip. *Circa præmiſſa nu. 2. verſ. Et ſi hæc vera ſunt*, Jaſ. in *leg. fin. n 17. ff. de pact. & in d. leg. Barbarius n. 43. ff. de offic. Prætor.* Hippol. de Marſil. *in ſingul. 634.* incip. *Credo te ſcire*, & alii apud Anton. Gabr. *in tit. de jur. quæſ. non toll. concl. 1. num. 9.* Rationem aſſignat Abbas in *præalleg. qu. 1. col. 3 num. 4.* quia tituli beneficiales ſunt de jure poſitivo, *c. 1. & 2. 22. diſt.* Unde non mirum, ſi ſubſint omnimodæ diſpoſitioni Romani Pontificis, qui eſt ſupra omne jus humanum poſitivum, *cap. Præpoſuit*, & ibi omnes notant, *de conceſſ. Præbend.* Aliam rationem reddit Paul. de Caſtro *conſ. 415.* incip. *In facto præſente num. 4. verſ. Præterea lib. 1.* quia ſicut Imperator poteſt auferre rem privati, & dare militibus in præmium, *leg. Item ſi verberatus, §. 1. ff. de rei vindic.* ita & multò magis Papa poteſt auferre rem unius Eccleſiæ, vel Clerici, & dare alteri; nam beneficiatus non habet dominium, neque utile, neque directum, ſed eſt conſtitutus procurator, & adminiſtrator à Papa, *ut in c. 2. infra de donat.* & idem repetit *conſ. 46. Viſo, & examinato in fine verſ. Plus videtur, & nu 3. verſ. reſtat. lib. 2.* 27
Et cùm omnia beneficia ſint libera, & manualia Papæ, & aliis conceſſerit jus diſponendi, ſi ad ſe revocat, neminem lædit, quia quod ſuum eſt, vendicare poteſt, ut per Æneam de Falcon. *de reſervat. in ſecundo prœludio.* Quinimò in tantum Papa in beneficialibus habet poteſtatem abſolutam, ut ſecundum Hoſt. Jo. Andr & Ant. de Butr. in *cap. Si unanimiter, de poſtulat. Prælat.* poſſit etiam Epiſcopum invitum transferre, & amovere, quia Epiſcopus reſpectu ad Papam ſe habet ut Monachus reſpectu ad ſuum Superiorem, qui non habet contradicendi poteſtatem; & ſequitur Jaſ. in *d. l fin. n. 17. ff. de pactis.* Quæcumque autem ſuperiùs dicta ſunt de beneficiis, obtinent etiam in officiis Eccleſiaſticis, quorum omnium plena diſpoſitio ad Romanum Pontificem noſcitur pertinere in conferendo, removendo, & ſimilibus, ut formaliter inquit Petr. de Anch. *conſ. 188. Viſis conſiliis n. 4. verſ. Et maximè in materia.* 28 29 30 31

Ad partem verò negativam, id eſt privationem prædicti officialis de Correctoris officio de jure non ſuſtineri, multa ſimiliter induci poſſunt. Sed ad evidentiam præmittendum eſt primò, officia Sacræ Pœnitentiariæ Apoſtolicæ ex ſui natura eſſe perpetua, ſicut beneficia Eccleſiaſtica, ut plenè probavi in *cap. De Rectoribus à num. 22. ſupra eod.* & quamvis eſſent manualia, nihilominùs officialis prædictus fuit declaratus ad Correctoris officium à majori Pœnitentiario, & à Papa confirmatus per litteras in forma Brevis cum illis verbis: *Ad tui vitam*, quæ clarè inducunt officii perpetuitatem. Textus, & gloſſ. 1. in *l. 1. ff. pro ſoc.* & tradit Abb in *c. Cum inter R. in 3. notab. de elect. & in c. Ad noſtram, n 6. de confirm. util. vel inutil.* & Rota *deciſ. 334. nu. 1. part. 4. diverſ.* 32 36

Præmittendum ſecundò, officia Eccleſiaſtica perpetua regulari ad inſtar beneficiorum, & dignitatum, quæ in titulum conferuntur; æquiparantur enim Officium, Perſonatus, & Dignitas, ut eſt textus in *d. cap. De conſuetud. lib. 6.* & not. Feder. de Sen. *conſ. 20. in princip. & num. 3 verſ. Sed quod officio Pœnitentiariæ, & numer. 4. in fin. verſ.* 37

L 3 *Item*

Item quod non acquiratur; & nu. 6. in col. antepen. n.7. Et
de his officiis mixtis Sac.Pœnitentiariæ, quæ Ordinem ſa-
crum habent annexum, tradit Sarn.*in regula de infirm.q.22.*
38 *verſ. Aut loquimur de officiis mixtis.* Etenim officialis per-
petuus habet titulum, ut per Gemin. *conſ.* 79. incip. *Super
primo dubio nu.2. verſ. Sed illam receptionem*, & perpetua
hujuſmodi officia reſignantur in manibus Papæ, ſicut be-
neficia Eccleſiaſtica, *cap. Quod in dubiis, & cap. Admo-
net, de renunc.* & tradit Rolandus à Valle *conſ.11. Omiſſis
philacteriis nu.8. lib.2* poſt Nicol de Ubald.in *tract.de ſuc-
ceſſi. ab inteſt. in prima part. n.* 31.
39 Demùm præmittenda videntur ipſamet verba, quæ in
propoſito præmiſit Alex. *conſ.216. in princ. lib.2,* videlicet
Nec arguendi ſumus, ſi de Principis poteſtate, prout in
conſultatione præſenti accidit, diſputare contingat, cùm
Imperatori, & Pontifici poteſtates limitatæ tributæ ſint,
ut plura ſint, in quibus eorum authoritas verſari non po-
teſt, patet in *c.Litteras, de reſtitut.ſpoliat.& in c.Cùm ad
monaſterium in fin.de ſtat.Monach.c.Sunt quidam 25.q.1.*&
quod legitur, & notatur in *cap. Ex publico, de converſ. co-
njug.* & plenè Specul.in *tit. de leg. §. Tunc. breviter dicen-
dum*. Hæc Alex.ubi Adden *litt. A.* plures citat concord.
His præmiſſis, ad hanc partem, videlicet privationem
non ſuſtineri, inducuntur infraſcripta.
40 Primùm enim omnia jura clamant inhabilem ad offi-
cium exercendum propter morbum perpetuum, & incura-
bilem, non poſſe ab officio, ſeu beneficio priùs habito amo-
veri, ſed tantummodò dandum eſſe illi coadjutorem. Ca-
ſus apertus eſt hìc, & in *cap.Ex parte*,ibi, *Gravi,& incura-
bili morbo,ſupra eodem*, ubi redditur ratio, quia afflicto af-
flictio non eſt addenda, ſed potiùs ejus miſerię miſeren-
dum, & in *cap.un.§ Verum*,ibi,*Perpetuò impeditus, infra eo-
dem lib.6.* ubi gloſ.*in verb. Perpetuo*, Et ſic nota, inquit,
quòd licèt ęgrotans laboret morbo incurabili,non remove-
tur, ſed datur ei coadjutor, & conſentiunt ibi Joann. Mo-
nach. Archid. Gemin. Franc. & omnes, Hoſt. in *d. cap. Ex
parte, in princ. in verb. Incurabili*, & ibi etiam Cardin. &
Anchar.ambo in 1. *notab.* Vital in *Clem.Cupientes nu.46. de
pœnis*, ubi ait, (Suſpenſum ab officio ſine culpa, vel deli-
cto ſuo, ſicut eſt quando caſu, vel ſenio, aut morbo per-
petuo, ſeu incurabili redditus eſt inhabilis, ſeu impotens
deſervire officio, non deſinere eſſe intitulatum, nec pro-
pterea privandum eſſe, ſed ſolvendum eſſe ſtipendium ali-
cui, qui pro ipſo deſerviat illi officio)allegat *d.c.un.& c.2.&
c. Ex parte, ſupra eod.* & textus in pręſenti. Idem firmat
Hoſt. *hic n.1. in verb. Coadjutor*, dicens, hoc incunctanter
tenendum, Joann. Andr.*in eodem verb.num.1. & 2.* Henr.
Boich. *nu.3. & 4.* Butr.in 1.*notab.* Archid.in *ſumm.7.q.1. in
gloſſ. Adde*, & fuſiùs dictum eſt ſupra in 1.*notab. & n 1. qu.*
& ex facto reſpondit Petr.de Anchar.in *conſ.*188. incipien.
Viſis conſiliis, qui loquitur in Generali perpetuo Humilia-
torum, qui ex cauſa ſupervenientis dementiæ à Summo
Pontifice amotus fuit ab officio Generalatus, & conſuluit
litteras ad inſtantiam partis deſuper impetratas non valere,
nec debere executioni demandari tamquam contra jus: &
n.7. rationem reddit, quia valetudo corporis, dementia,
vel defectus alius ſuperveniens abſque culpa non eſt juſta
cauſa remotionis ab officio, ſed dationis coadjutoris, ut
ibi per eum; & ſequitur Navar. dicens, hanc eſſe commu-
nem opinionem, in *conſ.1.n.1. hoc tit.*
Idque pro regula in hac materia conſtituunt paſſim DD.
41 Hæc autem regula in ſpecie procedit non ſolùm in eo, qui
amiſit officium linguæ,de quo eſt caſus hìc, ſed ex identita-
te, ſeu majoritate rationis, etiam in illo qui amiſit officium
oculorum, ut in caſu præſenti, quemadmodum hìc tenet
gloſſa 1. Hoſt.*in princ.* Jo.Andr. *n.14.* Boich. *nu.4.* Butr. *nu.*
19. & concordant leges civiles. Nam cæcus quamvis ad
novum Magiſtratum aſpirare prohibeatur, tamen retinet
42 Magiſtratum priùs acceptum,ut eſt textus in *l.1. §. Caſum,
& §. Quamvis autem, ff.de poſtul. & in l.Cæcus*, juncta gloſ.
in *verb. Fungitur, ff. de judic.* Nec mirum, quia & furioſus
retinet Magiſtratum ante furorem obtentum, *ut l. Qui fu-
43 rore,ff. de ſtat.homin. & leg. Cum furioſus, ff. de judic.* & de
utroque notat Speculat. in *tit.de teſtam. §.1. verſ. Sed num-
quid cæcus*, & in cæco reſpondit Abb. *conſ.47.* incip. *Vide-
tur primo, per totum lib.1.* Facit optimè text. in *c. Quemad-
modum, §. Quod ſi poſt hujuſmodi, ſupra de jurejur.* ubi mu-
lier, cum qua quis juravit contrahere, ſi ante contractum
matrimonium oculos, vel naſum amittat, aut quid dete-
rius ei contingat, repelli poteſt, ſecus ſi poſt. Nec refert
quòd cæcus non poſſit judicantis officio fungi, & in ſcri-
ptis ſententiam ferre, prout tenetur, *l.1. & l.fin. Cod. de
ſent. ex pericul. recitan.* Quoniam etſi non poſſit per ſe-
ipſum, poterit tamen per alium, quod ſatis eſt, ut not.
gloſſa & Bart. in *dict.l. fin.*hoc enim operatur neceſſitas ſu-
perveniens, cujus ratione multa permittuntur aliàs prohi-
bita, ut hoc tit. per totum, *& l.Longius, ff.de judic.* & ſe-
cundum Abb. *d. conſ. 47. num. 4.*
Quod multò clariùs procedit hoc caſu, quia Corrector
Pęnitentiariæ duplex habet miniſterium. Unum ſcilicet 44
corrigendi ſupplicationes, & hoc poteſt cęcus probè adim-
plere per ſeipſum, faciendo, ut ſupplicationes ſibi legantur
a Procuratoribus Pęnitentiariæ, ut moris eſt. Alterum con-
ſulendi, & votum ſuum in Congregationibus proferendi,
quod per ſeipſum præſtare poteſt: nam cæcus non ſolùm
poteſt, ſed etiam tenetur obire munera, quæ conſilio adim-
plentur,*ut l.2.§.Corporis, ff.de vacat. muner.* & notat gloſſa
in *l.1.C.Qui morb.ſe excuſ.lib.10.in verb.Perſonalium*,quæ
dicit, cæcum non excuſari à conſilio, vel patrocinio, quia
ingenio pollet, cui viſum natura negavit, & Jo.de Anan. in
c.Licet n.4. infra de Cenſibus, ubi ait, cæcum cogi poſſe, ſi
ſit ſapiens, ut conſiliis interſit, ut ibi dixi *n.23.* Sed & Sacr.
Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpre-
tum jam pridem reſpondit, cæcitatem non privare aliquem
eo voto, quod aliàs haberet, ſi cæcus non eſſet.
Corroborantur etiam prædicta ex Bulla Pii V.Reforma-
tionis Pœnitentiariæ Apoſtolicæ, quæ incipit, *In omnibus,
in Bullario tom. 2. pag.281.* ubi ſic legitur: Omnes verò ſu-
pradicti (ſcilicet Officiales, inter quos & Corrector) of-
ficia ſua per ſeipſos exerceant, ſolique præſentes, & actu
exercentes, niſi legitimè impediti, fructus, & emolu-
menta percipiant. Ecce igitur verba Conſtitutionis clara,
quæ legitimè impeditis, qualis eſt cæcus, concedunt non
tantùm officii retentionem, ſed etiam illius fructus, &
emolumenta. Bulla intelligi debet etiam de impeditis mor-
bo perpetuo, & incurabili, ut ſic recipiat interpretatio-
nem paſſivam à jure communi, juxta textum in *l. 2. C. de
noxal. cum ſimil.*
Secundò principaliter inducitur textus in *cap. Scripſit 7.* 45
q.1. ubi Gregorius: *Omnino*, inquit, *injuſtum eſt, ut ſi mo-
leſtia corporis irruit,honore ſuo privetur ægrotus. Atque ideò
hoc per nos fieri nullatenus poteſt, ne peccatum in mea anima
ex ejus depoſitione veniat.* Hæc ibi, & pondera, quia non
dixit,*Per nos fieri non debet*,ſed *nullatenus poteſt*,quæ verba
negant potentiam, & reddunt actum ipſo jure nullum, ut
notat gloſſ.ordinaria in *c.1.in verb. Non poteſt, de reg. jur.
lib.6.* & ſcripſi pleniùs in *cap.Cauſam n. 21. & ſeq. de elect.*
Item pondera rationem illam, *Ne anima peccato involva-* 46
tur, quæ inſinuat in Eccleſia non eſſe hanc poteſtatem re-
movendi quem ab officio ex ſola cauſa ægritudinis: nam ad
peccatum non ſe extendit poteſtas Eccleſiæ,imò nec poten-
tia Dei, quia poſſe peccare eſt poſſe deficere in agendo,
quod repugnat omnipotentiæ, & præclarè docet S. Tho-
mas in *1.part.qu.25. art.3.ad 2.* & in his terminis Bellam. in
*cap. Per principalem num.87. verſ. Secundò igitur hoc probo
9.quæſt.3.*
Tertiò, ad idem adducitur textus in *c. Quamvis 7.q.1.*
ibi (Quia viventem ab officio ſuo neceſſitas infirmitatis,
non crimen abduxit, alium loco ejus, niſi recuſante eo,
nulla ſinit ratio ordinari:) concordat *text. in c. Petiiſti,
eadem cauſa, & q,* ubi Zacharias Papa: *Nimis*, inquit, *re-
prehenſibile eſſe manifeſtum eſt, ut te vivente, tibi alium
ſubſtituamus*: & loquitur de inhabili propter ſenectutem,
& corporis inhabilitatem.
Quartò, ad idem allegatur *cap. Satis perverſam 56.diſt.*
ubi idem Gregorius generaliter ſic ait: *Satis perverſum,
& contra Eccleſiaſticam probatur eſſe cenſuram, ut fruſtra
pro quorumdam voluntatibus quis privetur, quem ſua culpa,
vel facinus ab officio, quo fungitur, gradu non dejicit.* Hæc
ibi, & loquitur Gregorius de remotione inferiorum Cle-
ricorum,ut ibi per gloſ.& Archid.Unde per illum text. Re-
buff.in *tract. nominat. q.21. n.65.* dixit perverſum eſſe ut à
Papa ægrotus privetur ſuis officiis, vel beneficiis, quia de-
bent eſſe perpetua, *c.Præcepta 55.diſt.*& Papa pleniſſimam
habet poteſtatem antequam conferat, poſtea non ut aufe-
rat, allegat Barbat.in *c.Quod translationem nu.121.de offic.
leg.* ubi idem aſſerit per *c. Inventum 16. q. 7.* & Abb. in *cap.
fin. de confirm. util.vel inutil.*

Quintò

47 Quintò allegatur *cap. Conquerente, de reſtitut. ſpol.* ubi dicitur: (Non decet honeſtatem Superioris ſine manifeſta, & rationabili cauſa, aliquem ſuis beneficiis ſpoliare; imò tenetur illis paterna proviſione conſulere,) quem textum in remotione facta per Papam allegat Roman. *conſ.*345.*circa primum*, nu. 14. Omnis autem indecentia in Principe eſt impoſſibilis, ut in propoſito inquit Henric. Boich. in *c. Nulla col.*2.*poſt medium*, *infra de conceſſ. Præb.* poſt Jo. Monach. quem allegat ſub nomine Card. in *c. Super eo, ſub nu.* 3. *de hæret. lib. 6.*

48 Sextò, ad idem eſt textus notabilis in *cap. Cum percuſſio* 7. *q.*1. ubi gloſſa ſic format caſum: *Calumnioſus Clericus corporalem patiebatur percuſſionem, cujus occaſione Candidus Epiſcopus de Urbe veteri ipſum beneficio Eccleſiæ ſpoliavit. Super quo cùm Gregorius querela pulſaretur, præcepit Candido quatenùs ſibi omnia reſtituat; quia ſi pro ægritudine Eccleſia privaretur, & Deus offenderetur, & alii non invenirentur, hoc exemplo deterriti, qui vellent Eccleſiæ militare.* Hactenùs verba gloſſæ, quæ ſubdit iſtum caſum colligi ex textu ibi, juncto *c.*1.*ſupra hoc tit.* quæ eſt pars *d.c. Cum percuſſio*, ut patet ex parte deciſa, & ex ſupraſcriptione, ut ibi not. Jo. Andr. & Card. ambo *in princ.* Hæc autem jura dupliciter probant Clericos inferiores non eſſe ab officio removendos, etiam per Papam, ex cauſa ægritudinis corporalis. Primò, quia id fieri non poteſt ſine offenſa Dei, & peccato, ut patet ex littera *d.c. Cum percuſſio*, ibi, *Ne nos culpæ, quod abſit, offenſa reſpiciat*, & poſt gloſſ. præalleg. & Hugon. notant *in d.c. Cum percuſſio*, Archid *num.*1. Bellam. & Gem. ambo *in princip.* & Turrecr. *in fin.* Papę autem authoritas, ut prædixi, ad peccatum ſe non extendit, & propterea Gregorius apertè ibi loquitur de peccato Papæ, dum ait, *Ne*
49 *nos culpæ, &c.* Deinde quia textus in *d. cap.*1. reddit rationem illam, cur hoc fieri non poſſit, videlicet quia ſi alii hoc eſſent exemplo deterriti, non invenirentur qui vellent Eccleſiæ militare. Ex quibus verbis Abb. *in* 2. *notab.* ſingulariter ait: (Nota quòd Clerici non debent inhumaniter tractari, ne alii terreantur à clericatu; hoc enim videtur turbare ſtatum Eccleſiaſticum nedum præſentem, ſed etiam futurum; & poteſt adduci hæc ratio multùm notabilis in argumentum, quòd Clericus non debet privari beneficio ſuo ſine cauſa, etiam per Roman. Pontificem; nam ſi exiſtenti in infirmitate, & ſic in impotentia ſerviendi, non debet ſubtrahi beneficium, ne ex hoc turbetur ſtatus Eccleſiæ: ergo multò fortiùs ubi nulla ſubeſt cauſa rationabilis. Papa autem non eſt tolerandus volens turbare ſtatum Eccleſiaſticum ſine cauſa rationabili, ut notabiliter dicit Innoc. *in c. Quanto, ad fin. verſ. Tamen ſi Papa talia fecerit, de conſuet.*) Hactenùs verba Abbatis. Idem firmat Cardin. *conſ.*142. incip. *Punctus quæſtionis, n.*3. & 4.

50 Septimò, principaliter cùm officiali prædicto jam eſſet plenè quæſitum jus perpetuum per confirmationem, & inſtitutionem Apoſtolicam, ut oſtenſum eſt ſupra in 2. *prælud. n.*34. non potuit jure ſuo ſine rationabili cauſa privari: nam ut formaliter inquit Cardin. *in d. conſ.*142 *nu.*2. *verſ. Sed his litteris non obſtantibus*: (Hoc eſt contra æquitatem naturalem, ut quis jure ſuo ſine culpa, & ſine juſta cauſa privetur, *c.*2. *de conſtit. & reg. ſine culpa, lib.*6. Unde dicit Canon. Quiſquis alicui jus ſuum detrahit, injuſtitiam facit, *cap.*1. 22. *diſt.* & gloſſ. ibi, *In verb. Injuſtitiam*, dicit, nec Papam debere uni detrahere, ut det alteri, niſi ſubſit cauſa. Quòd ſi hoc eſt injuſtum; ergo illicitum, & peccatum, & ſic etiam Papæ incoveniens, qui debet omninò juſtè judicare, *c. ex ore, de privileg.* cùm ejus ſententia faciat jus quoad omnes, ut cæteri debeant ſimiliter judicare, *cap. in cauſis de re judic.* nam & ejus geſta conformari debent Redemptori noſtro, *cap. Significaſti, de elect.* Dicunt autem Theologi omnes, indecens eſſe Deo impoſſibile. Quæ autem decentia, vel juſtitia poteſt eſſe, ut quis privetur jure ſuo fortè vigiliis, expenſis, & laboribus quæſito? *ca. Super hoc, de renunciat.* & præcipuè in Papa, qui debet habere meliorem ſolum omnibus aliis, *cap. Officiis* 24. *qu.*1.) Hactenus verba Cardin. cujus conſil. ſequitur Jaſon *conſ.* 145. incip. *Circa primum nu.*3. *verſ. Iſtud idem vol.* 2. & Rebuff. *in praxi beneficiar. in tit. de non toll. Jus quæſ. in gloſ.*6. *nu.*13. ubi ait: (Quamvis Papa in beneficialibus plenariam habeat poteſtatem conferendi, uniendi, dividendi, & aliàs jure diſponendi; tamen jus parti quæſitum tollere non intendit, nec poteſt ſine peccato; nam quæ juſtitia poteſt eſſe, ut alicui tollatur beneficium tot laboribus acquiſitum ſine cauſa? Sanè hoc eſſet exercere poteſtatem ad deſtructionem, non ad ædificationem, quæ tamen ædificatio Papæ incumbit, ut D. teſtatur Paulus in ſuis Epiſtolis:) Hæc Rebuff. quæ latiùs proſequitur *in tract. nominat. q.*21. *n.*65. Unde non abs re Bart. *in l. fin. Cod. ſi contra jus, vel util. publ.* dixit numquam potuiſſe intrare in caput ſuum, quòd Deus dederit iſtam poteſtatem Papæ, vel Imperatori, ut poſſit mihi auferre rem meam, vel beneficium ſine cauſa, ut referunt Add. ad Abb. *in cap. fin. ſub litt. A, de confirm. util, vel inut.* & conſentiunt Cotta *in memorab. in verb. Beneficium pag.*73. & *in verb. Papa pag.*647 Sarnen. *in proœmio regul. qu.* 2. & *in reg. de non toll. jus quæſit. gloſſ.* 6. *num.* 13. Staphil. *de litter. grat. tit. de modo proviſ. nu.*11. Navarr. *in c. Si quando except.*13. *de reſcript.* Sot. *de juſtitia & jure lib* 3. *q.*6. *art.*2. & in terminis revocationis conceſſionis officii plura in propoſito cumulat Bolognet *conſ.*3. *nu.*26. Et quamvis nonnulli diſſentiant, hæc tamen opinio eſt communior, & rationabilior, ut patet ex relatis ab Anton. Gabr. *in præalleg. tit. de jure quæſ. non tollend. concluſ.*1. *nu.*10. *verſ. Contrarium*, & eſt ex mente Sancti Thomæ, ut dicam infra *numer.* 67. *in fin.*

Octavò, principaliter quatenùs privatio officialis impugnari 51 non poſſet ex defectu poteſtatis Papæ, in qua nihil audeo firmare; eſt tamen invalida ex defectu voluntatis, quia hujuſmodi litteras contra jus tertii Princeps non vult valere, quaſi obtentæ fuerint ipſo circumvento, *l. fin. C. Si contra jus, vel util. publ. l. Nec damnoſo, & l. Reſcripta, C. de precib. Imper. offeren.* quæ ſunt canonizatæ 25. q. 2. ita Bald. *conſ.*359. incip. *Proponitur*, *nu.*1. *lib.*1. Reſcripta enim quæ abſorbent jus tertii, præſumuntur per occupationem Papæ, aut per importunitatem, vel ambitionem impetrantium extorta; & ideò non valent, nec ſunt exequenda, *cap. Ex parte*, & ibi gloſſa *in verb. Occupationem, infra de Capell. Monach.* & *cap. Si quando, ſupra de reſcript.* ubi dicit Pontifex: Patienter ſuſtinebimus, ſi non feceris, quod prava fuerit nobis inſinuatione ſuggeſtum, & per illum textum tradit Anchar. *d. conſ.*188. *nu.*7. & pleniùs *conſ.*313. *Niſi legibus, in princ.* Cardin. *dict. conſ.*142. *nu.*6. & 7. nam Sedes Apoſtolica quandoque concedit non concedenda ex importunitate 52 impetrantium, *cap. Tuæ fraternitatis ſupra de præbendis, & c. Si quando infra de ſent. excommunic.* Quemadmodum & Imperator, *ut l.*1. *de petitione bonor. ſublat. lib.* 10. Per quæ datur materia obloquendi de Prælatis Eccleſiaſticis, & dicendi ubi eſt Deus Clericorum, quæ ſunt verba Cardinal. in *conſ.* 143. incip. *Poſt hoc conſ. in fin.* & propterea ut ipſe ait *nu.* 2. talia impugnari poſſunt ex defectu intentionis concedentis. Imò diſplicet Papæ quando aliquis uſque adeò formidat reſcripta contra jus impetrata, ut non audeat reclamare *d.c. Si quando*. Ideòque debent talia extorqueri de manibus Impetrantis, *l.*3. *C. de offic. Com. Sac. largit.* Oldrad. *conſ.*326. *Quod articuli n.*1. *in fin.* & ab omnibus judicibus refutari, dicit text. *in c. Reſcripta* 25. *qu.* 2. & notat Anch. *conſ.*240. *Per prædicta in princ.*

Et confirmatur hæc quæſtio voluntatis ſecundum Card. 53 in præalleg. *conſ.*142. *num.*2. *verſ. Confirmatur*, quia non eſt de mente Papæ, cum alterius jactura aliquid ſibi applicare, *cap. Ecce* 99. *diſt.* & quod ibi notatur in gloſſ. 1. ergo longè majus ad commodum alterius, cùm omnibus aliis præferre debeat Sedis Apoſtolicæ dignitatem, nec permittere ipſam pro aliis confundi, *c. Niſi de auth. & uſu pall.* Hinc 54 fit, ut ſi Papa alicui conferat beneficium cum clauſula, *Non obſtante collatione alteri facta*, intelligitur de collatione invalida, non autem de valida, ut probat Alexan. *conſ.*3. *Ex his quæ n.*3. *lib.*5 & fuit originaliter opinio Compoſtel. *in cap. Cauſam quæ nu.* 13. *verſ. Et per eaſdem rationes, ſupra de reſcript.* quæ non habet contradictorem, ut ibi atteſtatur Felin. *num.* 19. & 25. *in fin.* Sarnen. *in reg. de jure quæſ. non toll. qu.*1. *nu.*2. Et ſimiliter ſi conferat pluribus 55 idem beneficium, præfertur primus, etiamſi ſecundus poſſeſſionem obtinuerit, quia Papa non præſumitur velle contra jus, ut per Roman. *conſ.* 298. *Circa præmiſſam n.* 2. ubi dicit communem: quod procedit etiam in gratia motu proprio, niſi derogetur juri quæſito, ſecundum Alex. *d. conſ.*3. *n.*7. *verſ. Accedit.*

Nonò, principaliter multùm ſtringit, quòd beneficium 56 Principis debet eſſe manſurũ, *l. beneficium, ff. de conſt. Principis, c. Decet de reg. jur. l. & c. Si cui de præb. eod. lib.* Card. *con.* 142. *nu.* 6. *verſ. Et præcipuè ſi quam gratiam fecit*, adeò ut Bald. *in proœm. Decretal. in ver. Gregor. n.*13. dixerit: Quædã

Papæ ſunt poſſibilia, quæ tamen non ſunt honeſta, nec lau-
dabilia, ut beneficium revocare: notatur in *c. Quod dilecti,*
de conſangu.& affinit. in c. Pervenit, de immun. Eccl. & in
c. Cùm veniſſent, de judic. per Hoſt. Ad quorum confirma-
tionem conferunt quæ eleganter ſcribit idem Baldus *conſ.*
57 327. incip. *Hodie enim, in primo vol. n.*4. ubi primò aſſerit
(Principem fingi circumventum, quando etiam motu pro-
prio revocat ſuam conceſſionem, adeò ut contrarium pro-
bari non poſſit, quaſi hæc ſit præſumptio juris, & de jure,
quæ probationem in contrarium non admittit: & ita ſe-
cundum eum ampliatur quod dicitur in *c. Cum olim, de re*
jud. quòd ſecunda conceſſio contraria primæ non valeat,
58 allegat bonum textum in *l. Prædia, C. de locat. prædiorum*
*civil. lib.*10. ac deinde ſubdit: In Principe tamquam juſti-
tiæ fonte debet eſſe conſtans, & perpetua voluntas, & con-
venit ei illud verbum, *Semel locutus eſt Deus*, & iterùm
Quod ſcripſi, ſcripſi: Unde Princeps debet habere unum
calamum, & unam linguam, & non plures linguas, quia
ſcriptum eſt, *Quæ proceſſerunt de labiis meis, non faciam ir-*
rita: & ideò debet eſſe immobilis ſicut lapis angularis, &
ſicut polus in cœlo.) Hæc Baldus, quæ totidem verbis re-
fert, & ſequitur Dec. *conſ.* 293. incip. *Pro tenui facultate,*
59 *num.*9. Quæ maximè vendicant ſibi locum in Principe Ec-
cleſiaſtico, in quo variatio plurimùm damnatur, quia eſt
quædam illuſio, *c. Quidam de renunc. Clem. Cum illuſio, eod.*
tit. & notat Card. in præalleg. *conſ.* 142. *num.*5. dicens: (Si
quam gratiam fecit Papa, quæ ſit conſummata, non debet
eam de facili revocare; eſt enim ſumma vilificatio dignita-
tis Apoſtolicæ & ſtatus Eccleſiaſtici, ut ex nulla rationa-
bili cauſa fiant mutationes in officiis, & beneficiis Eccle-
60 ſiaſticis, *c. Querimoniam, de jurepatron.*) & loquitur de
revocatione facta motu proprio, & de plenitudine pote-
ſtatis, ac ab eodem Principe, qui gratiam facit, ut patet
ex themate conſilii, *& nu.*1. prout & Bald. loquitur *d. conſ.*
327. *n.*3. *verſ. Item Cœleſtinus lib.*1. Sed & Gemin. *conſ.*36.
incip. *Quod collatio n.*2. (Non præſumitur (inquit) quòd
Dominus Papa ita de facili revocet ea, quæ fecit; imò
omnis diſpoſitio facta per eum contra ea quæ fecit, cenſe-
tur ſubreptitia, & non valet, quia præſumitur circum-
61 ventus contra ea, quę leguntur, & not. in *c. Ex parte, il*
primo, de offic. deleg. & in c. Cum olim, de re judic. & infr.
num. 5. Non præſumitur quis velle ſua judicia impugnare,
notaretur enim talis de variatione, incoſtantia, & illuſio-
ne, quæ reprobatur à jure, maximè in omnibus Eccleſia-
ſticis, fortiùs ergo in Papa.) Hæc Gemin. Unde Bald. *in*
*c.*1. *n.*1. *de natur. feud.* arguit contra Cœleſtin. Papam, qui
de manè conferebat gratiam, & de ſerò auferebat, & al-
teri conferebat. Cujus dictum refert Andr. Bombat. in *ſuo*
*conſ.*1. *n.*1. *vol.*1. & conferunt quæ in propoſito notat Abb.
in *conſ.* 41. incip. *Videndum eſt, nu.* 4. *verſ. Item poteſt non*
*immeritò attentari lib.*1.

62 Decimò, ſecundùm Card. *in præcit. conſ.* 142. *n.*5. is qui
acceptat officium, vel beneficium ſibi collatum, videtur
per quaſi contractum ſe obligare ad illius adminiſtratio-
nem, *c. Niſi, de renunc.* & hæc eſt ratio, cur beneficiatus
non poſſit beneficium dimittere ſine Superioris licentia, *c.*
Admonet, & c. Quod in dubiis, eod. tit. Talis ergo contra-
ctus non debet ſine cauſa diſſolvi, per ea, quæ notat Innoc.
in *c. Quæ in Eccleſiarum, de conſtitut.* nam & Princeps obli-
gatur ad obſervantiam contractus per ſe initi cum ſubditis,
c. 1. *de probat.* per quem text. ſic notant Cyn. & Bald. in *l.*
Digna vox, C. de legib. Quod ergo debet in ſeipſo, tene-
tur & in aliis obſervare. Ita arguit Card. *ubi ſupra*, &
Alex. *d. conſ.*216. *n.*4. *&* 8. *lib.*2.

63 Undecimò principaliter, officium, de quo agitur, fuit of-
ficiali conceſſum in remunerationem laborum, quos diu ſu-
ſtinuerat, ac jugiter ſuſtinere non deſiſtebat pro Sede Apo-
ſtolica, ut patet ex verbis narrativis Papæ, ſuper quibus fun-
datur ejus intentio, ut plenè deducit Petr. de Anchar. in
*conſ.*295. incipien. *Pro clariori evidentia, nu.*7. ſed ita eſt,
quòd conceſſio in remunerationem non dicitur mera libe-
ralitas, vel donatio propriè, ut tradit Bart. in *præm. c. Fo-*
*rum, n.*14. *verſ. Prætereà probari per l. Sed ſi lege, §. Conſu-*
luit, ff. de petit. hæred. & l. Aquilejus, & l. Si pater, §. ſi quis, ff.
de donat. & Canoniſtæ, præſertim Abb. *in rubr. infra de do-*
*nat. per l.*1. ibi, & propter nullam aliam cauſam, *ff. eod.* ſed
potiùs eſt debitum juſtitiæ, ut per Anch. *loc. cit.* ergo hujuſ-
modi conceſſio eſt omninò irrevocabilis, *ut d. §. Si quis*, &
firmat Alex. *d. conſ.*216. *n.*2. & Pariſ. poſt alios in *conſ.*11. in-
cipien. *Caſtrum illud per Summum Pontificem, n.*44. *& ſeq.* 64
*lib.*1. (Ob quam rationem videmus, nec privilegium conceſ-
ſum à Principe propter benemerita poſſe revocari, ſicut
non revocatur debitum naturale ſolutum) & reſpondit Ol-
drad. *conſ.*266. incip. *Quod autem per revocationem nuper fa-*
*ctam per Dominum Papam n.*7. & Alex. *loco prox. citato.* Sic
etiam privilegium conceſſum Auditoribus Rotæ in remu-
nerationem laborum eſſe irrevocabile, quia tranſivit in
contractum, conſuluit Roman. *conſ.*439. incip. *Quod indui-*
*tum n.*14. *in fin. verſ. Septima principalis ratio*, quem refert,
& ſequitur Petr. Rebuff. *ſuper concord. in præfat. ad rubr. de*
collat. ante fin. verſ. Item quando privilegium, & in terminis
officii conceſſi propter benemerita, dixit Rota *deciſ.*344. *n.*
1. *verſ. Et tantò magis, part.*4. *diverſ.* poſt Bologn. *conſ.*5. *nu.*
132. *uſque ad n.*137. *& conſ.*2. *à n.* 42. Quod adeò verum eſt, 65
ut conceſſio à Principe facta propter benemerita, ſeu ex
cauſa remunerationis, revocari non poſſit, etiamſi ingra-
titudo ſuperveniat, prout per *d. l. Si pater, §. Si quis, ff. de do-*
nat. ſcripſit Alex. *d. conſ.*216. *nu.*2. *&* 3. poſt Bald. quem citat
in *leg. Si cum mihi, ff. de dolo*, & ſequitur Felin. in *cap.*1. *n.*10.
verſ. Secunda diſpoſitio, ſupra de reſcript. Dec. *conſ.*186. in-
cip. *Pro tenui n.*4. Ant. Gabr. *lib.*2. *reg.*6. *in tit. de jure quæſ.*
non tollen. & latiſſimè Tiraquell. in *leg. Si unquam, num.*13.
Cod. de revocat. donat. ubi exemplificat in quadragintaquin-
que privilegiis.

Duodecimò principaliter: Eſto Papa de plenitudine po- 66
teſtatis poſſit, ſi velit, quem officio, vel beneficio ſuo priva-
re, etiam ſine cauſa; tamen ut verbis utar Præpoſiti in *cap.*
*Per principalem nu.*9. *verſ. Et retenta opinione gloſſ.* 9. *q.*3.
(Tenebitur mihi Papa, ſi aufert à me beneficium meum ſine
juſta cauſa, de æquè bono providere, per ea quæ notat In-
noc. in *c. Niſi cum pridem, de renunc.* Paul. de Caſtro in *l.*
Digna vox, C. de legibus, Baldus poſt gloſſ. in *c.*1. *§. Ad hæc,*
de pace juram. firman. in uſibus feudorum. Poteſtas enim 67
Papæ intelligitur, ut omnia poſſit clave non errante, ut not.
Bald. poſt gloſſ.2. in *c. Quanto*, & ibi communiter ſequuntur
DD. *de ſent. excomm.* Graviter enim erraret clavis Papæ, ſi
ſine cauſa privaret me beneficio meo, & non daret mihi
recompenſam.) Hactenus Præpoſitus, qui paulò ſuperiùs
*num.*7. (Non negamus, inquit, quin in foro conſcientiæ
Papa peccet, ſi injuſtè me beneficio meo privet non data
mihi recompenſa.) Idipſum plenè tradit Hippol. de Marſil.
in *ſingul.*634. *circa fin.* & Rebuff. *in praxi benefi. in tit. de non*
*toll. ius quæſit. in gloſ.*5. *nu.*16. dicens: (Quando Papa tollit
jus quæſitum alteri de plenitudine poteſtatis, tenetur illi de
ſimili beneficio, vel de re æquivalenti; alioquin injuſtè agit,
& tenebitur reddere rationem Deo Optimo Max.) Hæc ex
illo. Et alios plurimos cumulat Carol. Tap. in *l. final. ff. de*
*conſc. Princip. cap.*9. *n.*6. *part.*2. Cujus rei extat memorabi-
le exemplum apud Joan. Valer. *de differ. inter utrumque fo-*
rum, in verb. Electio differens, ubi refert Sixtum V. contu-
liſſe quamdam dignitatem cuidam nobili Doctori Cęſarau-
guſtano, & poſtea precibus Oratoris Regis Catholici, &
in ejus gratiam abſtuliſſe dictam dignitatem à proviſo jam
in Hiſpania agente; & cùm anceps eſſet Papa, quonam mo-
do hoc facere poſſet, conceſſit antidatam in favorem illius,
in quem Rex Catholicus conferri cupiebat. Quod cùm prę-
dictus Doctor Cæſarauguſtæ cognoviſſet, rediit citiùs Ro-
mam, cui poſtea alia dignitas fuit data in recompenſatio-
nem, & ſatisfactionem ablatæ. Et in Cantoribus Capel-
læ Pontificiæ idem Sixtus V. ſtatuit, ut gravi ęgritudine, aut
corporis, ſeu vocis imbecillitate, vel alio legitimo impedi-
mento detenti, à Collegio amoveri nullatenùs poſſint, niſi
eis priùs de æquivalenti recompenſa fuerit omninò provi-
ſum, ut in ejus Conſtitutione 38. *In ſuprema, §.*8. *in Bullar.*
*tom.*2. *pag.*541. *Ad hoc l. Venditor, § Si conſtat, ff. Commem.*
prædior. l. Si pendentes, §. Si quid cloacarum, ff. de uſufr. l. ſi
locus, §. fin. ff. Quemadmodum ſervit. amitt. Per quæ jura di-
cunt Doctores, non poſſe Principem etiam de poteſtatis
plenitudine ſine cauſa auferre rem privati, niſi data æqui-
valenti reſtauratione, ut per Alex. *conſ.*190. incip. *Maturè*
*digeſtis, n.*2. *&* 3. *lib.*2. *& conſ.*151. *In cauſa nu.*2. *verſ. Circa*
*ſecundum, lib.*6. Rol. à Vall. *conſ.*69. *in caſu præſenti per tot.*
*maximè nu.*14. *& ſeqq. lib.*2. Et quamvis hæc ardua ſit quæ-
ſtio, & utrimque ſit Doctorum caterva; tamen negativa
opinio eſt communior, & rationabilior, teſte Fulgoſ. in *d.*
l. fin. Cod. Si contra jus vel util. publ. & patet ex congeſtis
ab Anton. Gabr. *in tit. de jur. quæſit. non tollen. concluſ.* 1.
nu. 1. & eam amplectitur Sanctus Thom. *quodl.* 12. *art.*24.
in fin.

in fin. dicens contrarias leges eſſe tyrannicas; & in propriis
terminis officii latè conſuluit Bolognet. *conſ.* 3. *n.* 16.

68 Decimotertiò & ultimò, quatenus privatio officialis, &
ſubſequens proviſio non eſſet nulla ex defectu poteſtatis,
aut voluntatis; adhuc tamen impugnari poſſet ex defectu
ſolemnitatis, quia ad privationem proceſſum fuit ſine cita-
tione ipſius officialis. Explorati enim juris eſt etiam in be-
neficialibus requiri citationem, licèt procedatur de pleni-
tudine poteſtatis, Clem. *Paſtoralis, circa fin. de re judic.*
ubi redditur ratio, quia citatio eſt ſpecies defenſionis, quæ
69 à jure provenit naturali: Papa autem non eſt tantæ poten-
tiæ, ut poſſit auferre defenſionem oppreſſo: & ita per il-
lum textum dixit Rom. *conſ.* 521. incip. *Circa proximam,*
num. 5. Ad idem textus in *c.* 1. *ſupra de cauſa poſſeſſ. & pro-
priet.* & in *l. fin. C. de legibus,* & ibi notant gloſſ. Bald. &
Paul. de Caſtr. Roman. *conſ.* 89. incip. *Quamvis copioſe,*
num. 3. *verſ. Nec potuit etiam citatio tolli, lib.* 5. Et ſaltem
de poteſtate ordinaria nequit Papa non ſervata ſolemnitate
juris, id eſt non citata parte, ad privationem procedere,
alioquin actus eſt nullus; ita enim reſultat nullitas ſenten-
tiæ Principis ex defectu citationis, ſicut & ſententiæ Ordi-
narii inferioris. Hic eſt caſus in *d. l. fin.* & in aliis juribus
ſupracitatis: & probatur per locum à ſpeciali in *cap. Cum
olim,* ubi id notant Imola, Abbas, & Felin. *ſupra de re
judic.* & tradit Roman. in *conſ.* 369. incip. *Circa primum,*
n. 5. & 6. ubi Mandoſ. *in addit. littera C. in ver. Legitima-
tio,* plurimos citat concordantes. Et in terminis Genera-
lis Humiliatorum amoti per Papam ex cauſa dementiæ ab
officio Generalatus non prævia citatione, tradit Petr. de
Anchar. *de conſ.* 188. *num.* 7. *verſ. Deponere autem Præla-
tum non citatum.*

70 Et retenta hac opinione non videntur obſtare jura, &
fundamenta in contrarium adducta. Et primò non obſtat
c. Si Evangelica 55. *diſt.* quoniam illa Diaconus, cui ocu-
lus à Presbytero fuit effoſus, non erat in aliqua admini-
ſtratione poſitus, cujus ratione aliquos certos redditus
perciperet, ut in hoc caſu; atque ita non habebat officium;
ut patet ex dictis ſupra in *prælud. num.* 32. ſed erat de qua-
dam Collegiata Eccleſia, in qua plures erant Sacerdotes,
& quia propter oculi amiſſionem in Presbyterum ordinari
non poterat idcircò ab Eccleſia amovetur, & alius in ejus
locum ſubſtituitur; & ita ad illum textum reſpondet ad li-
teram Hoſt. *hic n.* 1. *in ver. Coadjutor,* Jo. Andr. *in eodem
ver. n.* 1. & 2. & Butr. *in* 1. *notab.* Præterea Diaconus ille
promoveri non poterat non tantùm, quia oculum amiſe-
rat, ſed etiam quia Presbyterum ad tantam iracundiam
provocaverat, ut ibi advertunt Archid. *n.* 3. Gemin. *n.* 4.
& Præpoſ. *n.* 3.

71 Non obſtat ſecundùm, videlicet *capit. Si quis Abbas,*
18 *q.* 2. quoniam ille textus loquitur de Abbatibus vitioſis
ex cauſa damnabili, non autem de ſenio confectis, aut cor-
pore vitiatis, ut patet ex illa littera in princ. & ibi, *Etiamſi
omnis Congregatio vitiis ſuis conſentiens, &c.* & notat hìc
Jo. Andr. *n.* 1. Butr. *n.* 8. Guido Papa *in princ. verſ. Num-
quam Abbas.* Archid. in *cap. fin. num.* 2. *de ſupplen. neglig.
Prælat.* & Turrecrem. in *cap. Scripſit, numer.* 1. *quæſt.* 1 *ad
fin. verſ. Ad quartam de Abbat.* 7. *q.* 1. & dictum eſt ſupra
num. 4.

Non obſtat tertium, quia leges illæ loquuntur de hono-
re temporali, non autem de honore ſpirituali, & perpe-
tuo, & alia eſt ratio in ſæcularibus cauſis, alia in Divinis,
c. Non ita, 2. *q.* 6. & *cap. Celeritatem, in fin. de conſecrat.
diſt.* 3. Ita in ſpecie ad illa jura reſpondit Hugo in *d. c. Si
quis Abbas,* 18. *q.* 2. & poſt eum Archid. *in d. c. fin. num.* 2.
verſ. Ad hoc poteſt dici, de ſuppl. neglig. Prælat. l. 6. & Tur-
recrem. *loc. cit. in reſp. ad* 1. & 2. *verſ. His habitis:* vel ſe-
cundum Archid. *ibid. verſ. Sed poſſet reſponderi,* illa *l. Si
longius, ff. de judic.* loquitur in judice delegato, cujus ju-
riſdictio de facili per Ordinarium judicem eum delegan-
tem revocatur, cùm judicium ſolvatur vivente eo, qui juſ-
ſit judicare, ut *l. Judicium,* & *l. Sed etſi ſenium, in fin. ff.
eod.* & notatur in *c. Super quæſtionum,* §. *Porrò,* in gloſſ. *in
Transfert, verſ. Dicas quod leges illæ, ſupra de offic. deleg.*
Demum ut formaliter reſpondet Turrecr. *ut ſupra:* Dictæ
leges habent alias contrarias leges, in quibus continetur,
quòd propter furorem, vel cæcitatem ſupervenientem ju-
dex, vel Magiſtratus non debet removeri, ut *ff. de ſtatu
hom. l. Qui furore,* & *ff. de poſtul. l.* 1. §. *Caſum,* & *ff. de ju-
dicis, l. Cæcus.*

Non obſtat quartum fundamentum, nempè quòd amo-
tio primi officialis, & proviſio ſecundi emanaverit à Sum- 72
mo Pontifice, qui in his, quæ ſunt juris poſitivi, & ma-
ximè in beneficialibus habet poteſtatem plenariam. Nam
reſpondetur, in Papa dublicem eſſe poteſtatem. Alia eſt ſu-
prema, & abſoluta, quam alio nomine appellamus pleni-
tudinem poteſtatis, eamque ſic definit Bald. in *l.* 2. *n.* 45. *C.
de ſervit. & aqua;* Plenitudo poteſtatis eſt arbitrii plenitu-
do nulli neceſſitati ſubjecta, nulliſque juris publici regulis
limitata: & ſecundùm hanc in beneficialibus juxta unam
opinionem Papa abſoluté poteſt omnia, & ſola voluntas
habetur pro ratione; ita Gemin. *conſ.* 8. incip. *Super præ-
miſſis, n.* 6. & 7. quia pro libito ſuæ voluntatis poteſt in to-
tum tollere jus poſitivum, ut idem Gemin. ait *conſ.* 53. *Pro
reſponſione in princ. verſ. Quædam eſt poteſtas ſuprema;* &
de hac ſpecie poteſtatis ſunt intelligenda, quæ in contra-
rium dicta ſunt ſupra *n.* 25. De hac enim diſputare, inſtar
ſacrilegii obtinet, *l.* 2. *C. De crimin. ſacrileg. c. ſi quis ſua-
dente,* §. *Qui autem,* 17. *q* 4. Bolognet. *conſ.* 3. *n.* 2. Hac ta- 73
men uti non debet ſine magna cauſa, ſecundum Innoc. &
Abb. in *c. Innotuit, in fin. de elect.* & dicebat Bald. in *tit. de
Pace Conſtantiæ, in* 23. *colum. in verb. Non obſtante,* Po-
pulum Romanum numquam fuiſſe uſum iſta clauſula, *De
plenitudine poteſtatis.* Cujus dictum uti egregium extollit 74
Jaſ. *conſ.* 140. incip. *Circa primam dubitationem, n.* 3. *ver.
Hinc eſt, quod Papa volum.* 2. Quapropter neceſſe eſt, ut
conſtet Papam voluiſſe uti poteſt plenitudine, cum clauſu- 75
la, *Non obſtante, &c.* aliàs cauti non præſumitur, ut notat
Innoc. *in d. c. Innotuit,* Ang. in *l. Benè à Zenone, Cod. de
quadrien. præſcript.* Marſil. *ſing.* 84. incip. *Princeps in dubio*
& Gem. *conſ.* 36. incip. *Quod collatio facta per Dominum
Papa non valeat, num.* 5. *verſ. Et hoc, loquendo de pote-
ſtate regulata,* ubi etiam allegat Bald. in *l. Si teſtamentum,
C. de teſtam.* & probatur in *l. Si quando, in princ. C. de in-
offic. teſtam.* & mos eſt apponendi in literis clauſulam illam,
Deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine. Quæ tamen clauſu-
la in literis, de quibus nunc agitur, non reperitur appoſi-
ta. Alio verò eſt poteſtas ordinaria, à jure regulata; & ſe- 76
cundum hanc Papa non poteſt ſine juſta cauſa quem ab of-
ficio, vel beneficio amovere, quia licèt Princeps ſit ſolu-
tus legibus, tamen ſecundum leges vivere debet, *l. Digna
vox, C. de legib.* Ita diſſidentes opiniones conciliat, & de-
clarat Gemin. *loc. prox. cit.* Dec in *c. fin. nu.* 30. & 31. *verſ.
Et ita opinio, de confirm. util. vel inutil.* Præpoſ. *in c. Per
principalem, n* 8. 9. *q.* 3. Cravet. *de antiq. temp. p.* 1. *n.* 37.
& *ſeq.* & Ant. Gabr. in *tit. de jur. quæſ. non toll. concl.* 1. *n.* 11.
Et in terminis terminantibus dixit Rota in Bononien. offi-
ciis Portæ Palatii 5. Novembr 1594. coram Litta, quæ eſt
dec. 334. *p.* 1. *diver.* in hæc verba: (Domini reſolverunt ob-
ſtare regulam de jure quæſito non tollend. nam regulariter
officia de ſui natura ſunt perpetua, Guido Papa *dec.* 195. *n.* 1.
Cald, *conſ.* 3 *de reſcrip.* præſertim quando conceduntur ad
vitam, tunc officiales habent jus quæſitum in tantùm, ut
ſine cauſa de poteſtate ordinaria non debeant removeri, ut
latè deducit Bologn. *conſ.* 3.) Hæc ibi. Quinimò Ludov.
Roman. plura adducens in *conſ.* 345. incip. *Circa primam,
n.* 15. abſolutè ait, non rectè dixiſſe gl. ſimpliciter loquen-
tem in *d. c. Per principalem.* & Bald. in *l. Reſcripta, C. de
precibus Imper. offer.* dum volunt omnia beneficia mundi,
etiam Epiſcopatus, quoad Papam dici debere manualia, ut
ſic eorum Rectores ab eo ad nutum removeri poſſint.
Quoniam hoc verum non eſt, niſi ſubſit juſta cauſa, vel niſi
conſenſus intervenerit ipſius amovendi; & iſta eſt magis
communis opinio, ut ibi teſtatur Horat. Mendoſ. *in addit.
lit. B. in ver. Non poſſit.* De qua latè per Felin. in *c. Quæ in
Eccleſiar. n.* 43. *de conſtit.* Similiter Cardin. *in præcit. conſ.*
142. *n.* 3. *verſ. Et ſi dicatur,* affirmat [Papam habere qui-
dem plenariam poteſtatem in titulis beneficialibus, ſed
etiam hoc ita intelligendum eſſe, ut evitetur inconveniens,
ne alicui fiat injuſtitia. Item, ut ipſe ait, non eſt verum
quod gloſ. dicit. in *d. c. Per principalem,* Papam poſſe ſine
cauſa auferre beneficium: hoc enim debet intelligi cum
cauſa; ſicut & aliàs dicit gloſſa Papam poſſe Epiſcopatus
dividere ex cauſa, *c.* 1. 10. *diſt.* nam & *l. Benè à Zenone,*
quam alleg. gl. in *d. c. Per principalem,* non probat Impera-
torem poſſe ſine cauſa alicui rem auferre; imò etiam Con-
ſtitutio Principis, quæ ſine cauſa transfert jus unius in
alium, non tenet, nec obſervanda eſt etiam in foro judiciali,
ut notabiliter dicit Iun. in *c. Quia plerique, ad fi. gl. magnæ*

de im-

de immun. Eccl.] Hæc Card. & ſecundùm Alex. *conſ.*216. incip. *Hac arguendi ſumus*, *n.*1. *lib.*2.

77 Ampliùs quod dicunt DD. Papam de poteſtatis plenitu-
dine non poſſe ſine cauſa quem ab officio, vel beneficio
amovere, in hunc ſenſum eſt accipiendum, ut in foro qui-
dem judiciali, eodem Pontifice adhuc ſuperſtite, illius judi-
cium à nemine infringi poſſit, nimirum quia non eſt forus
contentioſus, qui de factis Papæ valeat judicare, aut primę
Sedis retractare judicium, *c. Patet*, *c. Nemo*, *cap. Aliorum*,
c. Facta ſubditorum, *& per tot.* 9. *q.*3. Sed hinc non ſequitur
quin Papa in foro conſcientiæ peccet contra juſtitiam, ut
declarat Præpoſ. *in d. c. Per principalem*, *n.*9. *verſ. Et hac*
78 *attendenda ſunt*, *ead. cauſa*, *& quæſt.* Ac propterea ſic ge-
ſta caſſari debent, vel ab ipſo, vel à Pontifice ſucceſſore,
qui eadem fungitur authoritate, & imperio, *c. Innotuit*,
de elect. & ita declarat Card. Bellam. in *d. c. Per principa-
lem*, *n.* 94. 9. *q.* 3. ubi quòd ſi Papa hoc fecerit ſine cauſa,
peccat quoad Deum, ſeu quoad iſtam Eccleſiam militan-
tem oportet tenere, quod facit, quia non eſt qui de factis
ipſius judicare poſſit; ſed ipſe, vel ſucceſſor ejus requiſitus
iſtud revocare debet. Quippè ſucceſſor factum Predeceſſo-
ris revocat propter manifeſtam iniquitatem, *c. Novit*, 100.
diſt. Item propter alteriùs oppreſſionem, *c. Ante trien-
nium*, 31. *diſt.* Item propter exempli perniciem, *c. Quia
ſancta*, §. *Verùm*, 63. *diſt.* Item ob judicis circumventio-
nem, *c. Apoſtolicæ*, *cum duob. ſeq.* 35. *q.*9.

79 Nec adverſatur prædictis, quòd in Principe diſponente contra jus tertii cauſa præſumatur, ut notant Legiſtæ in *l. Reſcripta*, *C. de precib. Imper. offer.* & Canoniſtæ *in c. Quæ in Eccleſiarum*, *ſup. de Conſtit.* nam reſponderur hanc eſſe arduā queſtionem, in qua vix diſcerni poteſt, utrum opinio ſit communior, ut patet ex cumulatis per Ant. Gabr. *d. tit. de jur. quaſ. non toll. concl.*3. *n.*1. *&* 4. Sed nihilominus opinio affirmativa recipit quatuor declarationes, quæ omnes concurrunt in caſu præſenti. Primò enim declaratur, ut vendicet ſibi locum, quando Princeps tollit jus tertii per viam legis generalis; ſecus ſi per viam reſcripti, ut hoc caſu, quia tunc præſumitur cauſa, quin potius literæ finguntur extortæ Principe circumvento. Ita Curt. ſen. in *conſ.* 20. incip. *Sæpènumero animo voluit*, *n.*10. *verſ. Tertiò reſpondeo*, Rom. *conſ.*436. incip. *Quod indultum*, *n.* 19. Rebuff. in *tract. nomin. qu.* 1. *n.*66. & probatur ex dictis ſupra *n.* 51.

80 Secundò declaratur, ut locum habeat, quando Princeps procedit motu proprio: ſecus ſi ad ſupplicationem partis, ut in hac ſpecie; quæ declaratio fuit Jo. Monach. in *d. c. Si motu proprio*, *nu.* 10. *&* 13. *de Præb. lib.*6. Felin. *in d. cap. Quæro in Eccleſiarum*, *col.*23. *verſ. Limita quintò*, *de Conſt.* & aliorum, quos congerit Gabr. *d. concl.*3. *n.*12.

81 Tertiò declaratur, ut non habeat locum, quando Princeps procedit parte non citata ad diſpoſitionem alteri prejudicialem. Et hoc voluit Abb. *in c.* 1. *col.* 2. *in princ. de cauſ. poſſ. & propr.* Socc. Sen. *conſ.*266. incip. *In cauſa vertitur*, *n.*49. *& conſ.* 164. *Viſa Bulla*, *n.* 14. *&* 15. *vol.* 2. Jaſ. *conſ.*233. *Circa primam*, *n.*3. *v. Præterea quando Princeps*, *vol.*2. Curt. ſen. *d. conſ.*20. *n.*8. Curt. jun. *conſ.*170. *Habita diligenti conſideratione*, *n.*25. *verſ. Cùm igitur in propoſito*, & Crav. *con.* 50. *Tria ſunt principaliter*, *n.*5.

Quartò, (& hoc removet omne dubium) prædicta opi- 82
nio affirmativa declaratur non procedere, quando Prin-
ceps in reſcripto contra jus tertii exprimit cauſam eviden-
ter frivolam, ſeu minùs juſtam, quia tunc non obſtante
clauſula, *Ex certa ſcientia*, *de plenitudine poteſtatis*, *motu
proprio*, & ſimilibus, Princeps præſumitur circumventus,
& tales literæ ſunt ipſo jure nullæ. Hæc eſt ſingularis limi-
tatio Dec. in *conſ.* 576. *n.* 10. quam in terminis conceſſio-
nis officii priùs alteri ad vitam conceſſi, ſequitur Bologn.
conſ. 2. *n.*45, & eam tenent Soc. ſen. *conſ.*273. *ante fin. vol.*2.
Ruin. *conſ.* 123. *n.*23. *vol.*3. & Gabr. *d. concl.* 3. *n.*10. Et eſt
ſimile in libello, in quo tametſi non ſit neceſſaria cauſæ ex-
preſſio parte non opponente, *l. fin. C. de except.* ſi tamen
cauſa inepta exprimatur, libellus rejicitur, ſecundùm Bart. 83
in l. 1. *in princ. ff. de eden.* Bart. & Bald. *in l. Edita*, *C. eod.*
Nam ſecundum Alex. ibi, & Ruin. *d. conſ.* 123. *nu.*24. per
expreſſionem cauſæ ineptę apparet notoriè de calumnia li-
bellantis, allegat gl. in *l. Qui cum major*, §. 2. *de bon. liber.*
& text. cum gloſ. in Clem. *Conſtitutus*, *de elect.* quæ ratio
ceſſat, quando cauſa non fuit expreſſa. Idem vidimus in
appellatione à ſententia diffinitiva, in qua etſi non oportea illam cauſam exprimere, ſed ſatis ſit dicere, appello, ut *l. Scio*, *ff. de appel. cap. Cordi*, §. *His quæ*, ubi hoc notant Archid. & Jo. And. *infr. eod. lib.*6. tamen ſi cauſa frivola exprimatur, non tenet appellatio; talia enim expreſſa nocent, non expreſſa non nocent, *l. Expreſſa*, *ff. de reg. jur.* & declarat Henr. Boich. in *cap. Conſtitut. col.* 2. *verſicul. Tamen ſic appellans*, *de appellat.* Ita ergo in propoſito cùm in literis Apoſtolicis fuerit expreſſa cauſa inhabilitatis ad officium exercendum propter cæcitatem, & hæc cauſa ſit irrationabilis, & inſufficiens ad removendum officialem ab officio correctoris ſibi ad vitam conceſſo, ut abundè oſtenſum eſt ſupra *n.* 40. *& ſeqq.* hinc manifeſtè ſequitur, ut ceſſet præſumptio juſtæ cauſæ, licèt aliàs in Principe præſumeretur.

In hac cauſa per tres Cardinales judices Delegatos pronuntiatum fuit pro reintegratione Officialis amoti, ut dixi *in c. Cæterum*, *in fin. ſupra de reſcript.*

Omnia tamen, & ſingula ſuperiùs dicta humiliter ſubjicio determinationi, & correctioni S. Romanæ Eccleſiæ, repetita proteſtatione, quàm poſui ſupra in proœmio operis.

DE INSTITUTIONIBUS.

Ex Concilio Arelaten.

CAPUT I.

NOn ampliùs ſuſcipiantur in monaſterio Monachorum, aut Clericorum, ſeu etiam puellarum, quam quot ſe regere de bonis Eccleſiæ abſque penuria poſſint.

SUMMARIUM.

1 *NUmerus perſonarum in Monaſteriis inſtitui debet ſecundum menſuram facultatum ipſorum.*

2 *In Monaſteriis tam virorum, quam mulierum non plures ſunt recipiendi, quàm quot de illorum redditibus abſque penuria ſuſtentari valeant.*

3 *Reſcripto ut quis recipiatur in Eccleſia non numerata, ſi facultates non ſuppetant, obſtat exceptio paupertatis.*

4 *Niſi Papa faciat Canonicum honorarium.*

5 *Prælati cogi poſſunt tot Monachos, vel Clericos inſtituere, quot poſſunt de redditibus Eccleſiæ ſe ſuſtentare. Declaratur*, *n.* 38.

6 *Numerus in monaſteriis ex Conc. Trid. qualiter conſtituendus.*

7 *Clericorum Regularium appellatione Monachi, & Moniales non comprehenduntur.*

8 *Monachi latè ſumpto vocabulo veniunt appellatione Clericorum.*

9 *Numeri præfixio in Monaſteriis tam virorum, quàm mulierum ad quem ſpectet.*

10 *Et qualiter fieri debeat in Monaſteriis virorum Italiæ, & Inſularum adjacentium.*

Conſtitutio Sanctiſs. D. N. Innocentii Decimi circa ſtatum Regularium compilata in Congregatione hic refer-

refertur, ibid. verſ. Sed quia decreta.
11 *Numeri præfinitio in quibus Monaſteriis ſit facienda.*
12 *Quid de jure communi.*
13 *Et quid ex Conc. Trid.*
14 *Monaſterii redditus in præfixione numeri ad quam rationem pro alimentis uniuſcujuſque de familia computari debeant, & n. ſeq. uſque ad n. 26.*
Quid de jure communi, n. 15.
Et quid ex Conc. Trid. n. 19.
15 *Commodè ſuſtentari, & ſine penuria, an differant, & n. ſeq. uſque ad n. 20.*
16 *Commoditas æſtimatur ſecundum conſuetudinem regionis, & qualitatem perſonæ, & n. 18. & 20.*
17 *Penuria quid ſit, & unde dicatur.*
21 *Dotis taxatio in ducatis ducentis indifferenter facta ab Epiſcopo in monaſteriis Monialium Majoricen. non probatur à S. Congreg. Concilii.*
23 *Monaſteria pro duodecim Monialibus nullibi fundantur cum minori redditu, quàm trecentorum ſcutorum præter dotes ordinarias.*
24 *Dos Monialis numerariæ an licitè recipi poſſit à monaſterio.*
25 *Cautela recipiendi pecuniam ab ingredientibus monaſterium ſine labe ſimoniæ.*
26 *Profeſſiones eorum, qui recipiuntur in monaſterio, ultra quàm ſuſtentari poſſint, an valeant, & n. ſeq. uſque ad n. 33.*
27 *Quid in profeſſione Monialium, & n. 32.*
28 *Et quid in profeſſione Monachorum.*
29 *Et quid poſt Conc. Trid. & n. ſeq.*
30 *Decretum irritans tollit conſuetudinem nedum præteritam, ſed etiam futuram.*
31 *Et operatur, ut non poſſit dari de non uſu Conſtitutionis.*
33 *Numerus familiæ in monaſteriis tam virorum, quàm mulierum ſemel præfinitus an augeri poſſit auctis redditibus, & n. ſeq. uſque ad n. 41.*
34 *Numeri præfixio habet tacitam conditionem, niſi redditus monaſterii augeantur.*
36 *Numerus non rumpitur ipſo jure per augmentationem redditum, ſed inducitur potentia rumpendi.*
37 *Numerus augeri non poteſt niſi ex fructibus ſupercreſcentibus, ut ſupranumerarii æquale ſtipendium habeant cum exiſtentibus de numero.*
38 *Numerus præfixus in monaſteriis virorum Italiæ, & Inſularum adiacentium, augeri non poteſt etiam auctis redditibus ſine licentia Sacræ Congregationis Concilii.*
39 *Numeri taxatio facta in vim Bullæ Pauli V. non computatis computandis, iterum eſt facienda.*
40 *Novitius profiteri poteſt in monaſterio, ubi commodè vivere nequit, dummodò poteſt, collocetur in alio, ubi commodè ali poſſit.*
41 *Moniales ſupranumerariæ an, & qualiter recipi poſſint in monaſteriis, in quibus numerus eſt taxatus, & n. ſeq. uſque ad n. 47.*
42 *Dos Monialis ſupranumerariæ quanta eſſe debeat.*
43 *Monialium decedentium loca non poſſunt concedi cuiquam puellæ ante vacationem.*
34 *Moniales ſupranumerariæ qualitates requiſitas habere debent tunc temporis, cum loca eis promittuntur, vel dantur.*
45 *Monialibus ſupranumerariis ſatis eſt, ut durante anno probationis alimenta à parentibus miniſtrentur, & poſt profeſſionem ex dote redditus augeantur, quantum ſufficiunt puellis recipiendis.*
46 *Monialibus ſupra numerum recipiendis in Monaſteriis Placentiæ, Congr. Concilii probavit, ut propinqui ultra dotem ſe obligent ad annuam præſtationem.*
47 *Et promiſſio facienda eſt monaſterio, & pecuniæ recta deferri debent ad manus Abbatiſſæ.*
48 *Moniales ſupranumerariæ non ſubrogantur in locum Monialium decedentium intra numerum, ſed ſemper remanent ſupranumerariæ.*
49 *In cæteris tamen ab aliis non differunt, ſed illis per omnia ſunt æquales.*
50 *Canonici ſupranumerarii cur ingrediantur locum Canonicorum decedentium intra numerum, Moniales ſecus.*
51 *Monaſteria de novo erigi non poſſunt, niſi duodecim ſaltem Religioſi in eis habitare, & commodè ali poſſint.*
52 *Alioquin ſic erecta poſt diem 21. Junii 1625. ſubjecta ſunt omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci, & nihilominus remanet antiqua prohibitio, n. 54. verſ.* Et noviſſimè.
53 *Quod locum habet etiam in Religionibus Capuccinorum, Societatis Jeſu, & aliis, quæ non conſueverunt onera Miſſarum recipere.*
54 *Item locum habet etiam extra Italiam.*
55 *Monaſteria tam virorum, quàm mulierum an erigi poſſint de licentia ſolius Epiſcopi, & n. ſeq. uſque ad num. 72.*
56 *Quid de jure communi antiquo.*
Et quid ex Conſtitutione Bonifacii VIII. n. 59.
Et quid ex Concilio Tridentino n. 60.
Et ex Conſtitutione Clementis VIII. n. 65. & 87.
Et quid ex Bulla Innoc. X. n. 71. verſ. 4.
57 *Monaſterii deſtructi reædificatio fieri non poteſt ſine licentia Epiſcopi, reparatio ſecus.*
Novum dicitur, cujus facies immutatur, ibid.
58 *Monaſterii erectio ſuſtinetur, ſi Epiſcopi conſenſus accedat poſt factum.*
59 *Mendicantibus ex Conſtitutione Bonifacii VIII. non licebat nova loca recipere, vel recepta mutare ſine licentia Papæ, niſi pro eremitica vita ducenda.*
60 *Monaſteria ex Conc. Trident. an poſſint erigi ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, & n. ſeq. uſque ad n. 72.*
61 *Quid in non mendicantibus, & eremitis.*
Et quid in mendicantibus, n. 62.
Et quid in monaſteriis monialium, n. 69.
62 *Mendicantes qui ſint.*
63 *Correctio jus eſt favorabilis, quando fit reductus ad jus commune antiquum.*
64 *Licentia quid ſit.*
65 *Monaſteria Mendicantium erigendi licentia qua forma ab Ordinariis ſit concedenda, ex Bulla Clementis VIII & n. 87.*
66 *Eadem forma ſervari debet in erectionibus, quæ fiunt de licentia Ordinarii, non autem Sedis Apoſtolicæ.*
67 *Congregationi peregrinorum Ordinis Prædicatorum conceditur, ut ſine Epiſcopi conſenſu poſſint conventus erigere, ubi non ſunt Epiſcopi.*
68 *Eccleſia ſæcularis ab Epiſcopo erigi poteſt in monaſterium de conſenſu quorum intereſt, & ſine præjudicio Rectoris.*
70 *Vicarius Capituli ſede vacante an dare poſſit licentiam erigendi novum monaſterium.*
71 *Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis B. Mariæ Fullienſis, & Clericorum Regularium S. Pauli Decollati indulta erigendi monaſteria de ſola Ordinarii licentia expenduntur.*
Monaſteria in virorum in Italia poſt Bullam Innocentii X. erigi non poſſunt ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, n. 71. verſ. Quartum.
72 *Vicarius generalis Epiſcopi abſque ſpeciali mandato an poſſit licentiam concedere novum monaſterium erigendi, & n. ſeq. uſque in fin.*
73 *Mandatum generale non includit ea, quæ ob ſui gravitatem certæ perſonæ, vel dignitati à jure ſpecialiter ſunt commiſſa, & n. 84.*
74 *Vicarius Epiſcopi ſine ſpeciali mandato non poteſt beneficium ſupprimere, & n. 86.*
75 *Vicario generali non cenſetur commiſſa facultas, quæ non competit de jure communi.*
76 *Vicario Epiſcopi regulariter non competunt, quæ ſunt juriſdictionis voluntariæ, & ſapiunt gratiam.*
77 *Licentia erigendi monaſterium eſt voluntariæ juriſdictionis, & gratiam ſapit.*
78 *Eccleſias & altaria dedicare ſolus Epiſcopus poteſt, non autem Vicarius.*
79 *Vicarius Epiſcopi ſine mandato ſpeciali non poteſt novam Dignitatem erigere.*
80 *Et ſicut non poteſt beneficium conferre, ita nec creare.*
81 *Monaſterium inſtitui non poteſt ſine Abbate, vel Priore, & Monachis.*
82 *Beneficia regularia duplicia quæ dicantur.*
83 *Et quæ ſimplicia.*

84 *Mo-*

84 *Monaſterii ædificatio eſt de majoribus, quæ non tranſeunt in generali mandato.*

85 *Vicarius Epiſcopi non poteſt Eccleſias de loco ad locum transferre.*

87 *Ordinariorum appellatione, de quibus fit mentio in Bulla 99. Clem. VIII. qui comprendantur.*

1 NOn *amplius*. Jo. Andr. non ſummat. Sic tamen ſummari poteſt: Numerus perſonarum in Monaſteriis inſtitui debet ſecundùm menſuram facultatum ipſorum. Hoc dicit, & non dividitur.

2 Nota primò, in Monaſteriis tam virorum, quàm puellarum non plures eſſe recipiendos, quàm quot de illorum redditibus abſque penuria ſuſtentari valeant, ut hìc eſt caſus deſumptus ex Concilio Arelatenſi *cap.* 8. & hoc ne ad menſuram perſonarum quæramus poſſeſſiones, quod nimis avarum eſt; ſed ex poſſeſſionibus quæ ſunt, metiamur expenſas, ut in Auth. *Ut determin. ſit num. Cler. poſt med. collat.* 1. ſecundùm Jo. Andr. *hìc nu.* 3. Cardin. *in* 1. *notab.*

3 & Anchar. *nu.* 2. Quo fit, ut ſi quis impetraret reſcriptum, ut in tali monaſterio, vel Eccleſia reciperetur, obſtaret exceptio paupertatis, ut hìc, & in *cap. Si proponente, ſuprà de reſcript.* ſecundùm Hoſt. *in princ.* Abb. *num.* 4. *verſ. Ultimò*. Idem Butr. *n.* 2. & Imol. *num.* 1. qui ex hoc notant in Eccleſia non numerata ſemper competere exceptionem ut plures non recipiantur, quàm ex bonis ipſius poſſint ſuſtentari ſine penuria.

4 Fallit hoc, ſi Papa faceret Canonicos, vel Dignitates honorarias, ſecundùm ea, quæ notantur in *cap. Super inordinata, ſupra de præben. ut hìc* Hoſt. *nu.* 2. & vide quod de his Dignitatibus ventoſis notat Bald. in *cap. Cùm olim, n.* 8. *ſupra de conſuetud.*

5 Quamvis autem præceptum hìc poſitum ſit negativè conceptum, videlicet, non amplius recipiantur in monaſteriis, quàm poſſint ibi ſuſtentari, ut in littera; tamen includit in ſe præceptum affirmativum, id eſt, ut tot ſint recipiendi, quot ex redditibus monaſterii ſine penuria ali poſſint; & ad hoc quotidie allegatur iſte textus, ſecundum Abb. *in* 1. *notab.* qui hinc colligit bonam practicam contra Prælatos, qui avaritiæ cauſa nolunt multos Monachos inſtituere. Poſſunt enim compelli ab eorum Superioribus, ut tot inſtituant, quot poſſint de redditibus Eccleſiæ ſe ſuſtentare, ſubdens hoc nunquam eſſe oblivioni tradendum; & eſt ex mente Innocentii, ut dicam infra *nu.* 35. Sed hoc ſupponit aliam quæſtionem, videlicet, an Prælati Regulares auctis redditibus monaſterii poſſint, aut debeant augere numerum ibi præfinitum; quod inferiùs examinabitur in 5. *q.* 5. *à n.* 33. & præſertim *n.* 38.

6 Secundò nota argumentum, quòd in Eccleſiis Regularium certus numerus taxari poteſt, ſecundum Abb. Antiq. *hìc*. Hodie hoc eſt expreſſum à Concilio Tridentino in *cap.* 3. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* ubi ſtatuitur, ut in monaſteriis tam virorum, quàm mulierum bona immobilia poſſidentibus, vel non poſſidentibus, is tantùm numerus conſtituatur, ac in poſterum conſervetur, qui vel ex redditibus propriis monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari. Concordant Conſtitutio Pii V. quæ incipit, *Circa paſtoralis*, §. 7. *in Bullar. tom.* 2. *pag.* 184. & Decreta Clem. VIII. ſuper reformatione Regularium §. 7. *in Bullar. tom.* 3. *pag.* 81.

7 Tertiò nota ibi, *Vel clericorum*, appellatione clericorum regularium non comprehendi Monachos, nec Moniales, cùm iſta ponantur hìc tamquam diverſa. De clericis enim regularibus intelligi debet hæc littera, non autem de clericis ſæcularibus, ut intellexerunt Butr. Card. & alii, & non benè, quia verbum *clericorum* regulatur à verbo monaſteriis. Non dicuntur autem monaſteria clericorum ſæcularium, ſed regularium dumtaxat. Quinimò monaſteria religioſorum non debent converti in habitacula ſæcularium clericorum, nec debent regi per ſæculares, *cap. Dudum*, 18. *q.* 2. *cap. Quæ ſemel, & cap. ſeq.* 19. *q.* 3. & clerici ſæculares utentes habitu, & nomine monachali jubentur fieri Monachi, vel ab hoc deſiſtere, ut in *cap. Ut clerici infrà de regular.* Nec placet, in verbum *clericorum* ſuppleatur, ideſt Collegio, ut voluit Cardin. quoniam cùm littera poſſit congrue intelligi de clericis regularibus non eſt recurrendum ad ſuppletiones, cùm præſertim de ſæcularibus diſpoſitum fuerit in *cap. Authoritate, infra*

8 *eod.* Hoc tamen intellige in ſtricta ſignificatione; nam latè ſumpto vocabulo Monachi comprehenduntur etiam clericorum appellatione, ut *hìc* per Abb. *in notab.*

Hinc inveſtiganda ſunt multa, quæ à Doctoribus aut non attinguntur, aut minùs perfectè. Primò ſcilicet, ad quem ſpectet præfixio numeri in monaſteriis. Secundo, in quibus monaſteriis ſit facienda. Tertiò, ad quam rationem. Quarto, an receptio ſupra facultates monaſterii ſit nulla. Quinto, an numerus augeri poſſit auctis redditibus. Sextò, an & qualiter in monaſteriis recipi poſſint Moniales ſupranumerariæ. Septimo, an ſupranumerariæ in locum numerariæ decedentis ſubrogentur. Octavò, pro quot Regularibus monaſteria ſint erigenda. Nonò, an erigi poſſint de licentia ſolius Epiſcopi. Decimò, & ultimò, an poſſint erigi a Vicario Epiſcopi ſine ſpeciali mandato.

QUÆRO igitur primò, ad quem ſpectet præfixio numeri in monaſteriis mulierum? 9

Solutio: In monaſteriis Monialium, quæ ſubjecta ſunt Epiſcopo diœceſano, planum eſt numeri præfixionem ad ipſum tantùm pertinere, *arg. cap. Præcipimus*, 12. *qu.* 1. *cap. Omnes Baſilicæ*, 16. *q.* 7. *cap. Monaſteria*, 18. *qu.* 2. Si verò ſint ſubjecta ſuperioribus regularibus, numeri præfinitio ſpectat tam ad Epiſcopum, quàm ad Prælatum regularem, ex Concilio Tridentino *cap.* 3. *juncto cap. ult. in fin. ſeſſ.* 25. *de regular.* nam *in d. cap.* 3. Concilium loquitur imperſonaliter ibi, *Is tantùm numerus conſtituatur, & in poſterum conſervetur*. In prædicto autem *cap. ult.* præcipit ut decreta omnia illius ſeſſionis executioni demandentur ab Epiſcopis in monaſterii ſibi ſubjectis, & in omnibus aliis, ipſis in ſuperioribus decretis ſpecialiter commiſſis, atque omnibus Abbatibus & Generalibus, & aliis Superioribus Ordinum.

Et ita S. Congregatio ejuſdem Concilii Interpres olim conſulta, an taxatio numeri Monialium Regularibus ſubjectarum, quæ facienda ex decreto Concilii *c.* 3. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* pertineat ad Epiſcopum ſolùm, vel ſuperiorem regularem: reſpondit ſpectare ad utrumque, & ad Ordinarium, & ad ſuperiorem. Poſtea edita fuit Conſtitutio Gregorii XIII. quæ incipit, *Deo ſacris virginibus*, quæ obſervanda eſt. Mandat hæc Conſtitutio in §. 6. Monialium numerum per locorum Ordinarios etiam in monaſteriis ab eorum cura, & regimine quomodocumque exemptis, cum illarum ſuperiorum interventu ſtabiliri, & ordinari, neque ſupra illum numerum aliàs recipi poſſe etiam de conſenſu Superiorum ſuorum, ut in *Bull. tom.* 2. *pag.* 368. 10

Hæc obtinent in monaſteriis Monialium ubique locorum. Pro monaſteriis autem virorum Italiæ, & Inſularum adjacentium emanavit decretum S. Congreg. Concilii *de celebrat. Miſſarum*, §. *Poſtremo*, quo præcipitur Superioribus regularibus intra fines hujuſmodi exiſtentibus, ut in qualibet provincia adhibitis duobus, aut tribus Regularibus ſui Ordinis, bona immobilia, redditus, & conſuetas eleemoſynas diligenter recognoſcant, omnibus detractis, quæ reparationes, præſtationes, grandines, ſterilitates, & alia onera conſueverunt abſorbere: eaque omnia in proximo Capitulo generali, vel provinciali coram tribus judicibus ab ipſomet Capitulo deligendis proponant, qui ſedulo examinent, quot religioſi homines connumeratis etiam laicis, aliiſque neceſſariis ſervientibus in unoquoque monaſterio juxta regionis, & proprii inſtituti morem competenter valeant ſuſtentari. Tum eorumdem bonorum, redditunm, & eleemoſynarum, & onerum præciſam notam ipſimet Capitulo exhibeant, ut in illo diligenter omnibus diſcuſſis, in ſingulis monaſteriis cujuſq; provinciæ certus earum tantùm perſonarum numerus Patrum Capitularium voto præfigatur, quæ ex redditibus & eleemoſynis hujuſmodi ſufficienter ali poſſint, ut in eodem decreto plenius continetur: pro cujus executione in §. *ſeq.* alia adjiciuntur, & pœnæ trangreſſoribus infliguntur, ut in *Bullar. tom.* 4 *pag.* 316 Idemque ferè per omnia ſanxerat Paulus V. in ſua Conſtitutione, quæ incipit, *Sanctiſſimus, edita die* 4. *Decembris* 1605. ut in *Bullar. tom.* 3. *pag.* 187. Sed quia Decreta hujuſmodi nondum fuerunt executioni demandata, in Congregatione Cardinalium, ac Prælatorum à Sanctiſſimo Domino Noſtro Innocentio X. nuper inſtituta ſuper ſtatu Religionum, diù multumque deliberatum eſt de ratione ineunda pro illorum executione, & injunctū eſt mihi velut uni ex Prelatis ipſis Congregationis, ut minutam Conſtitutionis deſuper conſti-

conficere, quæ poſteà per manus delata, & à Sanctiſſimo probata, tandem juſſu Sanctitatis ſuæ promulgata fuit. Et eſt tenoris infraſcripti, videlicet.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

INter cætera quæ ad regularem diſciplinam inſtaurandam, conſervandamque Sacroſancta Trident. Synodus ſalubriter decrevit, illud ſemper præcipuum, & maximi momenti habitum eſt, quo injungitur, ut in ſingulis monaſteriis, & domibus Regularibus, is tantùm numerus conſtituatur, & impoſterum conſervetur, qui vel redditibus propriis monaſteriorum, vel conſuetis eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari. Quapropter ad ejus uſum inducendum fel. record. Clemens VIII. Paulus V. & Urbanus VIII. Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri varia decreta ediderunt; ſed quia nihilominus, ſivè ob injuriam temporum ſive ob Superiorum incuriam, ſive alias ob cauſas, illius executio huculque protracta eſt, non ſine gravi monaſteriorum in ſpiritualibus, & temporalibus detrimento, ac Religionum jactura; idcirco Nos nequaquam ignorantes, quantum ex monaſteriis piè inſtitutis, & rectè adminiſtratis in Eccleſia Dei ſplendoris, atque utilitatis oriatur, quantumque dignitati, & commodo Eccleſiaſtici Ordinis detrahat multitudo Religioſorum, quæ ſine delectu ſupra vires monaſteriorum in Religiones invehitur; ac proinde arbitrari valdè acceptum, ſacriſque Religionibus proficuum fore, ut Decretum tam ſalubre debitæ executioni demandetur; de conſilio nonnullorum Venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Card. ac Dilectorum filiorum Romanę Curiæ Prælat. motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium præcipimus, & mandamus omnibus, & ſingulis dilectis filiis Generalibus, Commiſſariis, Præſidentibus, Provincialibus, Miniſtris, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Præfectis, Rectoribus, Guardianis, Correctoribus, Vicariis, & quibuſcumque aliis Superioribus Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum ac Domorum quorumcumque Monachorum, & Regularium virorum, bona immobilia poſſidentium, vel non poſſidentium, cujuſcumque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Congreg. Societatis, & Inſtituti etiam neceſſariò, & in individuo exprimendi, exiſtentium intra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium, ut ſinguli ad quos pertinet, adhibitis duobus, vel tribus Regularibus ſui Ordinis probatioribus, ac rerum uſu peritioribus, bona immobilia, cenſus, redditus, ac proventus omnes Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, ac Domorum Regularium hujuſmodi (etiamſi ſint Hoſpitia, vel ab alio Monaſterio dependeant, ſintve illius granciæ, ſeu membra) ſex annorum immediatè præcedentium habita ratione, ac detracto omni eo, quod grandines, ſterilitates, reparationes, & alii caſus hujuſmodi abſorbere ſolent; conſuetas item eleemoſynas, & obventiones; item victus, veſtitus, ac medicinalium, & alias quaſcumque tam ordinarias, quàm extraordinarias expenſas; æris quoque alieni, necnon Miſſarum celebrandarum, fabricæ, Sacriſtiæ, annuarum preſtationum, contributionum, ac procurationum aliave cujuſvis generis onera diligẽter, ac maturè recognoſcant, eaque omnia in ſcripturam redigant, exprimentes ipſius Monaſterii titulum, ſeu denominationem, item capacitatem, ac ſituationem, videlicet in qua diœceſi, & an intra mœnia civitatis, vel oppidi, anve in pagis, ſeu villis, vel in ſilvis, aut nemoribus, & quantum diſtet à locis frequentibus & populoſis; item a quo tempore fundatum fuerit, quave authoritate, & cujus ſumptibus; anve, & à quo numerus Religioſorum in eo fuerit aliàs præfixus, & quot ibi Religioſi, & ſervientes in præſentia degant, ſpecificatis uniuſcujuſque nomine, cognomine, & patria; ſcripturamque ſic confectam propria manu ſubſcribant, medio juramento atteſtantes vera eſſe omnia, quæ in ea continentur, conſuetoque ſigillo obſignatam infra quatuor mẽſes à publicatione præſentium in hac Alma Urbe noſtra, ut infra, facienda computandos tranſmittant, ſeu conſignent Procuratori Generali ſui Ordinis in Urbe commoranti, qui unà cum aliquibus gravioribus Religioſis à Congregat. prædictorum Cardinalium, & Prælatorum ad hoc ſpecialiter deputandis, negotio maturè perpenſo, ac computatis hujuſmodi redditibus, eleemoſynis, & obventionibus univerſis, atque oneribus, ut ſupra, detractis, ſedulò examinent, quot Religioſi homines, connumeratis etiam laicis, aliiſque neceſſariis ſervientibus, in unoquoque monaſterio, conventu, collegio, & domo Regulari, quamvis, (ut præmittitur) ſit hoſpitium, ſeu alterius Monaſterii membrum, juxta proprii inſtituti morem, victum & veſtitũ, ac medicinalia in communi habentes, commodè valeant ſuſtentari, omnibuſque diligenter diſcuſſis, familię cujuſque monaſterii, convẽtus, collegii, ac domus Regularis hujuſmodi in qualibet provincia, vel Congr. certum earum tantum perſonarum numerum præfigat, quæ redditibus, eleemoſynis, & obventionibus, ut ſupra; competenter ali poſſint; eaſque numeri præfixiones unà cum originalibus ſcripturis ſuper ſtatu cujuſque monaſterii, ac domus Regularis a Superioribus, ut præfertur, confectis, infra alios quatuor menſes eidem Congreg. Cardinalium, ac Prælatorum exibeat, ut ab ea recognoſcantur, & approbentur. Quòd ſi memorati Superiores, ac Procurator Ordinis intra præfixum terminum prædicta adimplere neglexerint, privationis vocis activæ & paſſivę, nec non officiorum, quę tunc temporis obtinenbunt, & inhabilitatis ad illa, vel alia in poſterum obtinenda perpetuam pęnam eo ipſo abſque alia declaratione incurrant, rehabilitatione nobis, & Sedi Apoſtolicæ reſervata. Intereà verò prohibemus, & interdicimus omnibus, & ſingulis capitulis, & Congregationibus generalibus, provincialibus, & conventualibus, necnon Superioribus tam generalibus, quàm provincialibus, & localibus antedictis ne deinceps quemquam ad habitum ſuæ Religionis recipiant, nec jam receptos, aut in poſterum contra hujuſmodi prohibitionem forſan recipiendos ad profeſſionem admittant, donec ſcripturæ prædictæ, & præfixiones numeri familię cujuſque monaſterii, ac domus Regularis hujuſmodi, eidem Congregationi Cardinalium, & Prælatorum realiter, & cum effectu fuerint exhibitę, ac deinde memorati Superiores licentiam recipiendi ad habitum & profeſſionem ab eadem Congregatione obtinuerint. Alioquin receptiones tam ad habitum, quàm ad profeſſionem aliter factæ, ſint ipſo jure nullæ, nullamque inducant obligationem ad Religionem in ſpecie, vel in genere, aut ad alios quoſcumque effectus. Et nihilominus contravenientes ſententiam excommunicationis incurrant, à qua per alium, quam per Nos, & Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, niſi in mortis articulo conſtituti abſolvi non poſſint. Non obſtant quòd præmiſſa omnia, & ſingula Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Societatum & cujuſvis alterius inſtituti, etiam Societatis JESU, & monaſteriorum, conventuum, collegiorum, domorum, ac locorum Regularium quorumcumque; nec non illorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, vel conſuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis etiam ex cauſa, & titulo oneroſo, vel in limine fundationis, etiam in Mari magno, ſeu Bulla aurea, aut aliter nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficaciòribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritan. decretis etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam ad Imperatoris, Regum ſeu aliorum Principum inſtantiam, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis quoad ea, quæ præſentibus quomodolibet adverſantur, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis ten. & formis ſpecialis, & individua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut quævis alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habẽtes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quòd præſentes litteræ in valvis Eccleſiæ Lateranen. & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in Acie Campi Floræ de eadem Urbe publicentur, & affigantur; quæ

poſt

poſtquam ſic affixæ, & publicatæ fuerunt, omnes, & ſingulos quos illæ concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent: quodque earumdem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 17. Decembris 1649. Pontificatus Noſtri Anno ſexto. M. A. Maraldus.

Anno à Nativitate D. N. Jeſu Chtiſti milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo nono, Indictione ſecunda, Pontificatus autem Sanctiſs. in Chriſto Patris, & D. N. D. Innocentii Divina Providentia Papæ X. anno ſexto; die verò 22. menſis Decembris, ſupradictæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Eccleſiæ Lateran. & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicę; ac in Acie Campi Floræ, per nos Jo: Garziam, & Jacobum Cornelium. prælibati S. D. N. Papæ Curſores.

11 2. QUÆRO, in quibus monaſteriis facienda ſit numeri taxatio.

12 Solutio, de jure communi facienda erat tantummodò in monaſteriis non Mendicantium, ex Conſtitutione Bonifacii VIII. in *cap. un. §. Sanè, de ſtatu Regular. lib. 6.* & potuit eſſe ratio, quia cùm monaſteria Mendicantium bona immobilia non poſſiderent etiam in communi, ut *cap. Nimis iniqua, & c. Nimis prava de exceſſ. Prælat. c. Exiit qui ſeminat, de verb. ſignif. lib. 6.* taxatio numeri ad rationem redditũum propriorum monaſterii non videbatur poſſibilis, cùm nec poſſent habere annuos redditus, qui inter immobilia computantur, ut in Clem. *Exivi, §. Cùmque annui redditus, de verb. ſignif.* unde nec in his ſervari poterat hæc Decretalis, quæ præcipit tot recipi, quot ex redditibus monaſterii ſuſtentari poſſint. Verùm hanc dif-
13 ferentiam ſuſtulit Tridentina Synodus in *d. c. 3. ſeſſ. 25. de Regul.* ubi diſertis verbis præcipit taxari numerum familię in monaſteriis tam virorum, quàm mulierum bona immobilia poſſidentibus, vel non poſſidentibus. Atque ita hac in parte ampliavit Conſtitutionem Bonifacii ad monaſteria quæcumque etiam Ordinum Mendicantium. Nec obſtat objecta impoſſibilitas, quoniam ex Concilio in Monaſteriis non poſſidentibus bona ſtabilia fieri potuit taxatio ſecundùm conſuetas eleemoſynas; præterquam quod in monaſteriis virorum etiam Mendicantium, exceptis Capuccinis, & Minoribus de Obſervantia, & in omnibus monaſteriis Sanctimonialium poterit fieri taxatio numeri, etiam ad rationem propriorum redditũum monaſterii, quia ex indulgentia Concilii bona immobilia eis poſſidere licèt, ut in *d. c. 3. in princ.*

14 3. QUÆRO, ad quam rationem redditus monaſterii in præfixione numeri pro alimentis uniuſcujuſque de familia computari debeant.

15 Solutio, textus noſter in taxandis Regularium alimentis hoc tantùm requirit, ut ſine penuria ſuſtentari poſſint: & ita etiam loquitur *c. un. §. Sanè, de ſtatu Regul. l. 6.* Unde Jo. Andr. in ſua gloſſ. ordinaria ibi poſita in ver. *abſque penuria*: [Nota (inquit) non dixit, *commodè* ſed *abſque penuria*; nam poteſt contingere, ut ſuſtentari non poſſint commodè, & tamen poſſint ſine penuria; ſicut Canonicus Bononien. de centum florenis non poſſet commodè
16 ſuſtentari, & tamen abſque penuria de vigintiquinque ſuſtentaretur. In illa enim commoditate inſpicitur conſuetudo regionis, & qualitas perſonæ. Penuria verò ſecun-
17 dùm derivatores habet in ſe egeſtatem, indigentiam, & defectum neceſſariorum. Hoc ergo voluit Conſtitutio, ut conſtitutæ in monaſterio non Mendicantium non haberent neceſſe mendicare propter neceſſariorum defectum.] Hęc Jo. Andr. cujus diſtinctionem probant ibi Gemin. *n.* 4. & Franc. *n.* 1. Imol. hìc *n.* 1. & Abb. *n.* 4. dicentes ſatis eſſe, ut ſine penuria ibi eſſe poſſint, licèt non commodè, & inter hæc longam eſſe differentia. Et conſentit Rebuff. in *tract. congruæ portionis, q 8. n.* 78. nam ut ipſe ait, penuria dicitur inopia earum maximè rerum, quæ in penu recondi ſolent, & penus nomine continentur, quæ eſui, & potui ſunt accommodata, *l. 3. in princ. ff. de pen. leg* commo-
18 dè autem vivere intelligitur aptè, utiliter, & ſecundùm qualitatem ſtatus. Eamdem differentiam pluribus confirmat Ripa *in c. Cum M. n. 21. ſup. de Conſt.* ſed illam impugnat Dec. ibi *n.* 4 contendens, eam jure non probari. Ego 19
verò adverto differentiam hanc fortè admitti poſſe in terminis juris communis, ad inducendam nullitatem profeſſionis, prout loquitur gl. Jo. Andr. *in d. §. Sanè*: nam illud jus novum, & pœnale, quod receptionem vitiat, & loquitur de receptis, quæ ſuſtentari non poſſunt abſque penuria, non debet extendi ad receptas, quæ non poſſunt ibi commodè ſuſtentari, licèt abſque penuria poſſint: & ita in eo caſu Joan. Andr. dicit ſe in facto obtinuiſſe. Verùm quoad receptionem ipſam, & taxationem numeri familiæ in monaſteriis tam virorum, quam mulierum, dico hanc differentiam hodie ſublatam eſſe à Concilio Tridentino in *d. c. 3. ſeſſ. 25. de Regul.* ubi diſertis verbis præcipitur, ut is tantùm numerus in eis conſtituatur, & in poſterum conſervetur, qui vel ex redditibus propriis monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſynis, commodè poſſit ſuſtentari Pondera, quia non dixit ſine penuria, ſed dixit commodè. In hac autem commoditate arbitranda fateor 20
cum Joan. Andr. *loc. cit.* certam regulam conſtitui non poſſe, ſed pro qualitate regionis, & perſonarum modò plus, modò minus taxari debere. Unde cùm Univerſitas Majo- 21
ricen. conqueſta eſſet apud Sacr. Congregationem Concilii, quòd Epiſcopus ſtatuiſſet, ne Moniales in monaſteria reciperentur cum minori dote, quàm ducentorum ducatorum: Sac. Congregatio cenſuit ſcribendum ad Epiſcopum, ut nihil præcisè ſtatuat, & ſi quidquam ſtatuit, 22
abroget: verùm tamen pro qualitate perſonarum, ac temporum, modò plus, modò minùs bonorum monaſteriis 23
tradi ſinat. Habenda tamen eſt ratio onerum monaſterii, ut hìc per Abb. *num. 2. verſ. Et intellige*, & fuſius dictum eſt ſupra *n.* 10.

In ſpecie autem pro monaſteriis Sanctimonialium ubique locorum fundandis à S. Congreg. Epiſcoporum, & Regularium negotiis prępoſita non conſuevit fundationes admittere, niſi pro numero duodecim Monialium conſtituatur dos perpetua non minoris ſummæ, quam annuorum ſcutorum 300. non in cenſibus, ſed in bonis ſtabilibus, & frugiferis conſiſtentium; ac præterea requiritur, ut Moniales ſecum deferant eleemoſynam dotalem poſt profeſſionem in bonis ſtabilibus, vel in cenſibus perpetuis, ac tutis inveſtiendam.

Sed dices, ſi monaſteria habent, prout habere debent 24
redditus ſufficientes ad alendas Moniales numerarias; ergo dotis delatio illicita eſt, & ſimoniaca, per textum in *c. Quoniam, infra de Simon.* ubi Simoniaca labes dicitur uſque adeò pleraſque Moniales infeciſſe, ut vix aliquas ſine pretio recipiant in ſorores, paupertatis prætextu volentes hujuſmodi vitium palliare: & S Congr. Cardinalium Conc Trid. Interpretũm olim conſulta, an in Monaſteriis Monialium, in quibus juxta decretum *c. 3. ſeſſ. 25. de Regul.* Epiſcopus certum numerum conſtituit, liceat Abbatiſſæ in locum Monialium deficientium aliàs recipere, pacta certa eleemoſyna pro dote, & quatenùs non liceat, quæ proviſio ſit per Epiſcopum adhibenda: reſpondit, ſi ex redditibus monaſterii, vel ex conſuetis eleemoſynis tantùm ſuppetat Monialibus, ut ad ipſarum victum, & ad fabricam Eccleſiæ, aliaſque neceſſitates commodè ſufficiat, minimè licere; ſecus ſi Monialium numerus augeatur. Cùm autem hujuſmodi theorica ad praxim difficulter deduci poſſit, referendum, Sanctiſſimo, qui probavit ſententiam Congregationis, confirmans augendum numerum, ſi dos recipienda ſit.

Verùm hanc difficultatem poſteà ſuſtulit S. Congregat. ſuper negotiis Epiſcoporum; & Regularium, quæ animadvertens Sanctimonialium Monaſteria ſine dotium ſubſidio diù ſuſtineri non poſſe; & propter ingruentes neceſſitates, & caſus inopinatos plerumque ad inopiam redigi: ſummis Pontificibus approbantibus prudenter ſanxit, ut dotales eleemoſynæ à monialibus numerariis perſolverentur, tametſi numerus eſſet taxatus ad menſuram redditũum Monaſterii. Ex penuria enim multa proveniũnt mala, præſertim in Monaſteriis Dominarum, ut inquit Hoſt.
hic in fin. facit *c. Si quis objecerit, 1. q. 3.* Nec obſtat textus 25
in *d. c. Quoniam*: nam ut ibi reſpondet gloſſa Joannis in *ver. Paupertatis*, ſi moniales ita pauperes ſunt, ut non poſſint aliquo modo ibi aliam recipere, quia non habent ibi victum; ſub hac forma poſſunt recipere: Non habemus quid demus tibi pro victu, niſi tu portes tecum, unde

vivas,

vivas, dum tamen hoc non dicatur in fraudem, nec deducatur in pactum, argum. *c. Si quis, propter hoc*, 1. q 2. & quamvis Bernardus ibi in fine ejuſdem gloſſæ addat, tutius eſſe, ut nullo caſu taliter aliqua recipiatur; tamen praxis quotidiana docuit id ſine gravi Monaſteriorum detrimento ſervari non poſſe.

26 4 QUÆRO, ſi in Monaſterio plures recipiantur, quàm ex redditibus ipſius poſſint ſine penuria ſuſtentari, an receptio ſit nulla, necne?

27 Solutio, ſi Monaſteria ſit mulierum Ordinis non Mendicantium, de jure communi palam eſt receptionem non valere, quia Bonifacius VIII. in *c. un. §. Sanè, de ſtatu Regul. lib.6.* diſtrictè inhibuit, ne in Monaſteriis dictorum Ordinum aliquæ reciperentur de cætero in ſorores, niſi quot poſſent de ipſorum Monaſteriorum bonis, ſive proventibus, abſque penuria ſuſtentari, irritum decernendo, ſi ſecus actum eſſet. Atque ita ex hoc cap. profeſſiones eſſe nullas firmant *hic* Jo. Andr. *n. 1. in ver. Puellar.* Butr. Imol. & Abb. omnes *n. 2.* Secus ſi monaſteria mulierum ſint Ordinis Mendicantium, quia de illis non loquitur Conſtitutio, & pœna nullitatis profeſſionis ultra caſum ibi

28 expreſſum extendi non debet ad correctionem juris communis, *c. Quæ à iure, de reg. jur. lib.6* Et idem eſt in Monaſteriis virorum etiam Ordinis non Mendicantium, ut poſt Jo. Monach. & Archid. firmat gl. ultra in *d. §. Sanè*, quia licèt etiam in his ultra quàm ſuſtentari poſſunt recipi non debeant: ſi tamen fuerint recepti, tenebit; nam & hominum cœtibus ſe immiſcere, & ſub vitæ neceſſaria acquirere poſſunt, *c. Numquam, de conſecrat. d.5*

29 Cæterùm hanc Conſtitutionem Bonifac. VIII. quoad pœnam nullitatis profeſſionis contraria conſeutudine abrogatam eſſe exiſtimat Thom Sanch. *in præcep Decal. to. 2. lib. 3. c. 23. n. 4. verſ. Secunda concluſio*, & moderni Collectores in *d. §. Sanè, n. 31.* cùm compertum ſit plures ſæpè admitti, quàm ſuſtentari valeant, nec unquam noſtris temporibus auditum ſit ex hoc cap. in controverſiam verti va-

30 liditatem profeſſionis, nedum eam irritari. Sed judicio meo hoc patitur difficultatem, quia cùm Conſtitutio Bonifacii in *d. §. Sanè*, habeat decretum irritans, contraria conſuetudine abrogari non potuit: nam decretum irritans tollit conſuetudinem nedum præteritam, ſed etiam futuram ut firmant in *cap. Cùm ad beneficia, de præb l. 6.* Archid. *in ver. Sed pone*, Joan. Andr. *in ver Legitima, verſ. Si Papa*, Gemin. *col. 2 verſ. Nota bene*, & Franc. *numer. 4. verſ. Ex quibus notat.* & eſt communis opinio, ut teſtatur Anton. Gabriel plures commulans *lib. 6. comm. concl. in tit de clauſ. concluſ. 3. num. 40. verſic. Tertius principalis effectus, & num. 42.*

31 Nec poteſt dari de non uſu illius Conſtitutionis, in qua eſt appoſitum decretum irritans, Abb in *cap.* . *n. 4 verſ Unde ibi, ſupra de treug. & pac.* & ibi Felin. *n 6. verſ. Lex nova*, Rota *dec. 207. n. 6 par. 7 recent.* Dico igitur ex alio cap profeſſionem ſuſtineri, nempè quia Concilium Tridentinum in *d. c. 3. ſeſſ. 25. de Regular.* præſcribit novam formam taxationis numeri in monaſteriis tam virorum, quam mulierum, etiam Ordinum Mendicantium, nec apponit pœnam nullitatis receptionis inde ſignum eſt noluiſſe, ut profeſſiones ex hoc capite eſſent irritæ, argum. *cap. Inter corporalia, verſ. Unde ſi circa, ſupr. de transl. Epiſc.* præſertim ſtante longiſſima obſervantia ſubſequuta ad *l. Si de interpretatione, ff. de legibus, & in c. Cum dilectus, de conſuetud.* Et quamvis ſic inducatur correctio Conſtitutionis Bonifac. in *d. §. Sanè*, tamen hoc caſu correctio juris eſt favorabilis, cùm per eam reducamur ad jus

32 commune antiquum, ut dicam infra *num. 63.* Atque ita propoſito dubio, an profeſſio receptarum ultra facultatem monaſteriorum præfixo, vel non præfixo numero ſit nulla ſtante *cap. Periculoſo, §. Sanè, de ſtatu Regul.* juncta reg. *cap. fin. ſeſſ. 25. de reg.* nempè in ea verba: *Hæc omnia, & ſingula in ſuperioribus decretis contenta obſervari S. Synodus præcipit:* Sac. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum cenſuit non eſſe nullam.

33 5. QUÆRO, an numerus familiæ in monaſteriis tam virorum, quàm mulierum ſemel præfinitus augeri poſſit, ſi redditus fuerint adaucti.

Ad partem negativam facit decretum Conc. Trident. in *d. c. 3. ſeſſ 25. de regul.* quo non tantum præcipit, ut in monaſteriis ad menſuram reddituum numerus conſtituatur, ſed etiam ut in poſterum conſervetur.

In oppoſitum eſt veritas, quia in conſtitutione taxativa 34
numeri ſubintelligitur tacita conditio, niſi redditus monaſterii augeantur. Caſus eſt in *capit. Cùm M. verſ. Niſi in tantum excreſcerent Eccleſiæ facultates, ſupra de Conſtitut.* & ibi notat gloſſ. *in verb. Sufficere*, Card. *in princ.* & communiter omnes. Nam quælibet diſpoſitio intelligitur rebus ſic ſtantibus, *cap. Beatus, 22. quæſt. 2. & cap Quemadmodum*, cum ibi notatis, *de jurejuran* & conſtitutio limitatur ad limites cauſæ ipſius conſtitutionis. Cauſa determi- 35
nativa numeri eſt ſola penuria fructuum: augmentatio ergo fructuum debet eſſe cauſa reſolutiva conſtitutionis ex defectu cauſæ, ut benè per Butr. in *d cap Cùm M. num. 2. verſ. Si eſt confirmatus*, Felin. in *cap. Cum acceſſiſſent, numer. 13. de Conſtitut.* & Jaſ. in *l. Quòd Servius, num. 11 ff. de condit. cau. dat. non ſeq.* & hoc tenet apertè Innoc. *hic poſt princip.* dicens plures in monaſterio eſſe ponendos, ſi plures quàm ibi ſint, commodè poſſint ſuſtentari, al egat *c. Quantò infr. de cenſib. cap. Præcipimus, 12. q. 1. & c. Canones, 16. q. 7.* & cum Innoc. conſentiunt hìc Hoſt. *num.* 36
v. in ver. Regere, & Abb. *n. 51.* Quinimò gloſſ hìc videtur tenere per ſuper excreſcentiam fructuum in monaſterio numerum frangi ipſo jure. Quam gloſſam extollit Butr. *hic numer. 5. & 6.* remittens ad *cap. Dilectus, il 1. ſupra de præbend. & cap. Cum M. de Conſtitut.* Contrarium tamen ex eadem gloſſ. poſteà deducit idem Butr. *hic num. 7.* colligens ex illa augmentationem, ſeu diminutionem redditùum non rumpere numerum, ſed inducere potentiam rumpendi; quod magis placet: nec gloſſa dicit, ipſo jure, & in hoc etiam reſident hìc Imol. *numer. 3. verſ Nota benè*, & Abb. *num. 5. in fin.* Conclude igitur auctis redditibus poſſe augeri numerum familię tam in monaſteriis virorum ultra montes, quàm in Monaſteriis Monialium ubique locorum, juxta declarationem Sac. Congr. Concilii 37
à Sanctiſſimo approbatam, de qua ſupra in 3. *qu. num. 24.* dummodò tamen augmentum ſit tale, ut perſonæ ultra numerum receptę ex redditibus ſuperexcreſcentibus ęquale ſtipendium habeant cum reliquis de numero, vel ſaltem ſufficiens, & honeſtum, ut probat text. in *dict. cap. Cùm M.* ibi, ſi ex is pares potuerint cum aliis ſortiri prębendas, *ſupra de Conſtitut.* & firmat gloſ. noſtra hìc, *verſ. Ergo tantùm debet:* nam propter augmentum modicum non eſt 38
augendus numerus, *arg. l. 1. & fin. Cod. de allu.* ſecundum Innoc. *hic in fin.* Hoſt. *num.* 3. Butr. *num 6.* Card. & Anch. *n. 3.* Dixi in monaſteriis virorum ultra montes; quia in his, quæ ſunt in Italia, & inſulis adjacentibus, ſervari debent decreta Sacræ Congregationis Concilii *de celebrat. Miſſ.* quibus ſpecialiter cautum eſt, ut Superiores regulares perpetuò ſervare teneantur numerum familiæ in ſingulis hujuſmodi monaſteriis, Capituli generalis, vel provincialis authoritate præfinitum, nec poſſint illum quoquomodo augere, etiam prætextu augmenti redditùum, abſque Sac ipſius Congregationis licentia, ſub pœna privationis officiorum, vociſque activę, ac paſſivæ, & perpetuæ inhabilitatis eo ipſo incurrenda, ut in §. 13. *in Bullar. tom. 4. pag. 316.* Idemque priùs ſtatuerat Paulus V. in Conſtitutione quæ incipit, *Sanctiſſimum, edita die 4. Decembris 1605. ut in Bull. tom. 3. pag. 187.*

Porrò ubi hæc numeri præfixio facta jam fuerat in vim 39
prædictæ Conſtitutionis Pauli V. abſque tamen computatione redditùum cujuſque religioſi, S. Congreg. Concil. Sanctiſſ D N. Urbano VIII. approbante cenſuit eſſe iterùm faciendam ſervata forma ultimi decreti hac de re editi, ut in declarationibus impreſſis, quæ habentur in *Bull. in calce eorumdem decretorum, tom. 4. pag. 318. verſ. Decimoſeptimo:* declaravit etiam novitios ad habitum re- 40
gularem admiſſos, eſſe admittendos ad profeſſionem in monaſteriis, in quibus habita, ut ſupra, præfixione numeri, commodè ali non poſſunt, ſi alias habiles exiſtant, ac deindè in aliquo alio monaſterio ejuſdem Religionis collocandos eſſe, ubi commodè ali poſſint, ut in declarationibus impreſſis, quæ habentur in *Bull. in calce eorumdem decretorum, verſ. 17 & verſ. 18.*

6. QUÆRO, an in monaſteriis Monialium, in quibus 41
numerus eſt taxatus, poſſint recipi Moniales ſupranumerariæ.

Affirmant Navar *de reddit. Eccl. q. 1. monit. 62.* Suar. *de relig. tract. 3. l. 4. c 9. num. 17.* Val Regin. *in praxi fori pœnit lib. 23. n. 194.* & Sanch. *in Præcepta Decalog. tom. 2. l. 7. c. 23. n. 24. verſ. Tertia*, exiſtimantes ex diſpoſitione juris

juris communis, & Concil. Trid. tantummodò prohiberi ne in monaſterio, in quo plures Moniales ali non poſſunt, aliæ recipiantur Monaſterii expenſis alendæ; & ad hanc partem facit gloſſa in *c. Quoniam*, *in verb. Paupertatis*, *infra de ſim.* ut dixi *ſup. in 3. q. n. 25*.

Solutio, ex ſtylo Curiæ pro Monialibus ſupranumerariis in Italia, & Inſulis adjacentibus dari ſolent licentiæ impreſſæ Sacr. Congregationis Epiſcoporum, & regularium, ſigillo Cardinalis Præfecti obſignatæ, & à Secretario ipſius Congregationis ſubſcriptæ. Extra Italiam verò expediuntur per litteras Sanctiſſimi Domini Noſtri in forma Brevis. In quibus quidam licentiis multæ conditiones præſcribuntur, & inter cæteras, ut duplicem ſolvant elee-
42 moſynam. Declaravit autem Sac. eadem Congregatio die 6. Septembris 1604. duplicis eleemoſynæ nomine intelligi ſemper debere duplicatam ſummam ejus, quæ in receptione cujuſque Monialis intra numerum in quolibet monaſterio conſtitutum erogari pro tempore conſueverit: ita tamen ut ubi ſumma, quæ confertur, minor eſt ſcutis ducentis, ibi ſaltem ratione duplicatæ eleemoſynæ
43 ſolvenda ſint ſcuta quadringenta, & non minus. Eadem quoque Sacr. Congregatio diſtrictè prohibuit, ne loca per obitum Monialium intra numerum decedentium pro tempore vacatura, cuiquam puellæ ad habitum regularem recipiendæ concedantur, neque promittantur, niſi ſequuta vera, & reali illorum vacatione; atque ita demum & non antea de eis diſponi, ac Monialis demortuæ locum promiſſionem, aut receptionem in Capitulo, ſeu quovis alio modo fieri juſſit, dummodò tunc temporis puella ipſa recipienda, & ætatem habeat idoneam, & cæteras qualitates requiſitas; quibus etiam præditas eſſe debere voluit eas puellas, quæ ſupra numerum recipiendæ ſunt, etiam tunc cum eis loca vel promittuntur, vel dantur. Si quid verò contra à quoquam fieri contigerit, irritum, & inane, ac nullius roboris, & momenti fore, & eſſe decrevit. At nihilominùs Abbatiſſas, Prioriſſas, & alios quoſcumque monaſteriorum Superiores, qui cujuſvis puellæ receptioni, vel admiſſioni, aut locorum vacaturorum promiſſioni adverſus præſentis decreti diſpoſitionem conſenſerint, privationis vocis activæ, & paſſivæ, aliiſque arbitrio ejuſdem Congregationis infligendis pœnis obſtrictos, & obnoxios fore declaravit; ſalvis etiam ſemper,
44 & in ſuo robore permanentibus aliis quibuſcumque ipſius Congregationis decretis aliàs latis, præſenti decreto non contrariis, præſertim circa Monialium admiſſionem, & receptionem ad habitum, & profeſſionem, circa eleemoſynarum depoſitionem, & derogationem in bona ſtabilia, quibus nullatenus derogare voluit, & intendit. Decretum habetur impreſſum apud Steph. Quarant. *in Sum. Bullar. in ver. Monaſteria Monialium*, *pag.* 359. licèt corruptè ibi legatur verbum, *Quadraginta*, & legendum ſit, Quadraginta.

45 Porrò cùm Placentiæ ferè in omnibus Monaſteriis taxatus eſſet numerùs Monialium, qui ex redditibus, & conſuetis eleemoſynis commodè ſuſtentari valeat; cùmque multæ puellæ inſtarent, ut ſupra numerum reciperentur, dicentes, ſe non fore oneroſas monaſterio; tum quia ſolvent dotem ſolitam, quæ poterit converti in emptionem alicujus annui redditus; tum quia parentes ſe obligabunt dare cuilibet ipſarum, donec vixerint, aliquid pro ſuſtentatione vitæ illius; & cum difficile eſſet cohibere cives, ut expectarent mortem multarum, quæ nunc ſunt Monialium; Epiſcopus anceps quid agendum eſſet, conſuluit S. Congreg. Concilii. Primò, an durante tempore probationis ſatis conſultum ſit, puellæ alimenta à parentibus ſubminiſtrentur.

Secundò, an adveniente tempore emittendæ profeſſionis, ſatis ſit ſolvere dotem ea pactione, ut inde emantur annui redditus, vel res ſtabiles, vel ut redimatur aliquis ager monaſterii, ita ut augeantur redditus monaſterii, licèt inſpectis omnibus monialibus in communi, adhuc non poſſint commodè ſuſtentari.

46 Tertiò, an ſatis conſultum ſit menti legiſlatoris, ſi ultra dotem in ſolutum dandam certa promiſſio fiat à parentibus alicujus annuæ penſionis vita durante illius puellæ, quæ ſufficiat ad victum illius.

47 Quartò, an promiſſio facienda ſit monaſterio, vel puellę.

Ad primum Sac. Congregatio reſpondit ſatis eſſe conſultum.

Ad ſecundum ſatis eſſe, ſi pecunia, quæ nomine dotis dabitur, convertatur verè in emptionem tanti annui redditus, vel in redemptionem tot bonorum monaſterii oppignoratorum, ut ſic redditus monaſterii tantùm augeantur, quantum ſufficiat victui puellarum in Moniales recipiendarum; quod tamen augmentum non privatim vertatur in utilitatem ipſarum puellarum, ſed in totius monaſterii communem uſum, ex quo & ipſæ puellæ unà cùm aliis Monialibus ali poterunt.

Ad tertium debere Epiſcopum id curare omninò, ut propinqui publico, validoque inſtrumento ſe obligent ad certam annuam præſtationem, quæ minor non ſit duodecim aureis pro neceſſitatibus puellarum dum vixerint.

Ad quartum reſpondit promiſſionem hanc faciendam eſſe monaſterio, non autem puellis ipſis. Minimè permittendum, ut pecunia hæc detur eis, ne alioquin contra votum ſuum ſolemne fiant proprietariæ: ſed rectà deferatur ad manus Abbatiſſæ, quæ in primis ex ea ſubveniet arbitrio ſuo neceſſitatibus earum Monialium, pro quibus perſoluta fuerit. Si quid verò reliquum erit, convertet in communem uſum monaſterii. Quæ omnia Sanctiſſimus in Conſiſtorio approbavit, non tamen ad eum finem, ut fiat nova Bulla ſuper hac declaratione, ſed ut ſingulis Epiſcopis petentibus, prout nunc petiit Placentinen. ita reſpondeatur.

7. QUÆRO, an monialis ſupernumeraria, decedente 48 aliqua Moniali de numero, in ejus locum ſubrogetur.

Ad partem affirmativam facit, quia Canonicus ultra numerum receptus in Eccleſia, in qua ſunt præbendæ diſtinctæ, ſi moriatur Canonicus numerarius, extinguitur, & locum decedentis ingreditur, eique præbenda ut præfertur vacans, eſt conferenda, non autem Canonico numerario, ut ex communi DD. ſententia contra Innoc. firmat Anton. de Butr. in *d. c. Dilectus*, *il 1. num. 9. verſ. Hæc eſt in effectu*.

Solutio, Sac. Congregatio negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, generali decreto ſtatuit, & declaravit Moniales, quæ ſupra numerum in quolibet Monaſterio conſtitutum recipiuntur, in locum Monialium decedentium intra numerum nequaquam ſubrogari, neque impedimento eſſe, quin aliæ in locum earumdem ex numero demortuarum recipi eo modo valeant, quo in ſingulis monaſteriis Moniales intra numerum poſſunt admitti. Quinimò 49 eaſdem ſic ſupra numerum receptas ſupernumerarias ſemper quoad hoc remanere, etiamſi in cæteris ab aliis nihil differant, ſed illis in omnibus pares, & æquales juxta cujuſque monaſterii inſtitutum eſſe debeant, 6. Septembris 1604.

Non obſtat contrarium de Canonicis ultra numerum re- 50 ceptis, quia in eis diverſa militat ratio: nam cùm nihil in Eccleſiam deferant, de illius redditibus ſunt alendi, videlicet de quotidianis diſtributionibus, ut in *cap. Dilectus, il primo in fin. ſupra de præbend.* & de redditibus ſuperexcreſcentibus, ut in d. *cap. Cum M. de Conſtitut.* iiſque non extantibus, habere debent præbendam, cùm primum ſe facultas obtulerit, dict. *cap. Dilectus*, *& cap. Relatum*, *de præb. & cap. Cum ſuper de conceſſ. præb.* unde meritò ſupra numerum receptus ſubrogatur in locum antiqui prædefuncti. At ſecus eſt in Monialibus ſupranumerariis, quia cùm unaquæque ſecum deferat eleemoſynam dotalem ſcutorum ad minùs quadringentorum, in bonis ſtabilibus, vel cenſibus perpetuis inveſtiendam, ex quorum redditibus commodè ali poſſit, nulla ratio ſuadet, ut locum decedentis ingrediatur.

8. QUÆRO, pro quot Religioſis ad minùs monaſte- 51 ria ſint erigenda.

Solutio, Gregorius XV. approbante S. Congregatione Cardinalium ſuper negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium, ſub die 17. Auguſti 1621. revocavit licentias à Paulo V. conceſſas erigendi novos Conventus cum ſola licentia Ordinariorum, voluitque, ut de cætero non erigerentur, niſi in eo ſaltem duodecim Religioſi habitare, atque ex redditibus ipſorum monaſteriorum, & conſuetis eleemoſynis commodè ſuſtentari poſſent.

Ex decretis autem S. Congregationis Conc. *de celebr.* 52 *Miſſar. editis ſub die 21. Junii* 1625. §. 14. ſtatutum eſt, ut monaſteria, conventus, domus, congregatio, vel ſocietas

Reli-

Religioſorum, ſeu Regularium nullibi recipiantur, niſi
præter alia ad id requiſita, in ſingulis ejuſmodi locis duo-
decim ſaltem Religioſi degere, & ex redditibus, & con-
ſuetis eleemoſynis competenter ſuſtentari valeant ad præ-
ſcriptum Decreti Gregorii XV. hac de re editi; alioquin
Monaſteria, & loca hujuſmodi poſthac recipienda, in qui-
bus duodecim Religioſi ut ſupra ſuſtentari, atque inhabi-
tare non poterunt, & actu non habitaverint, Ordinarii lo-
ci viſitationi, & correctioni, atque omnimodæ juriſdi-
ctioni ſubjecta eſſe intelligantur, *in Bull. tom.* 4 *pag.* 316.
53 Et S. Congregatio conſulta, an hoc decretum, quod vi-
detur editum in ordine ad celebrationem Miſſarum, com-
prehendat eas Religiones, quæ non conſueverunt onera
Miſſarum recipere, ut ſunt Religiones Capuccinorum,
ac Societatis Jeſu: Sac. Congregatio cenſuit comprhen-
54 dere. Item conſulta, an idem decretum habeat locum in
Italia dumtaxat, ad quam eſt reſtrictum decretum proximè
antecedens, an verò etiam extra Italiam: Reſpondit habe-
re locum etiam extra Italiam, ut in declarationibus S D.
N. Urbani VIII. authoritate editis, quæ habentur im-
preſſæ *in Bullar. eodem tom.*4.*pag.*318. *verſ. decimonono*,
& verſ. ultimò

Et noviſſimè quæſitum fuit, an decretum felic. record.
Urbani VIII. *de celebrat. Miſſar.* § 14. *Bullar. nov. tom.* 4.
pag. 314 prohibens recipi Monaſteria, ſeu Conventus, in
quibus duodecim ſaltem Religioſi ſuſtineri non valeant,
adjecta pœna ſubjectionis juriſdictioni Ordinarii loci, ſit
correctorium, ſeu abrogativum Conſtitutionis fel. record.
Gregor. XV. 31. *in ordine ebd. to.*4.*pag.*134. abſolutè prohi-
bentis erectionem Monaſteriorum, ſeu Conventuum, in
quibus duodecim ſaltem Religioſi ex redditibus & elee-
moſynis conſuetis ſuſtentari non poſſint, itaut aliàs erectio,
quamvis ex pio legato facta, cenſeatur prohibita, & in-
digeat diſpenſatione Apoſtolica?

Die 13. Aprilis 1652. S. Congregatio Eminentiſs. Cardi-
nalium Concilii Tridentini Interpretum cenſuit ſupradi-
ctum decretum fel. record. Urbani VIII. non eſſe corre-
ctorium, ſeu abrogativum dictæ Conſtitutionis fel. re-
cor. Gregor. XV. incip. *Cùm aliàs*.
55 9. QUÆRO, an Monaſteria tam virorum, quàm mu-
lierum erigi poſſint de licentia ſolius Epiſcopi.
56 Pro ſolutione quatuor tempora ſunt diſtinguenda. Pri-
mum tempus eſt juris communis antiqui, & ſecundùm hoc
Monaſteria regularium abſque dubio erigi poterant autho-
ritate Epiſcopi Diœceſani, ut *c. Quidam* 18. *q.*2. ibi, *Pla-
cuit igitur neminem aut ædificare, aut conſtruere Monaſte-
ria aut Oraterii domum ſine conſcientia ipſius Civitatis E-
piſcopi*. Quod & leges civiles ſanxerunt, ut in Auth. *Ut
nullus fabricet Oratorii domos*, § *Sancimus*, *coll.*5. Ad idem
c. Cellulas, ead. cauſ. & q. ubi dicitur Cellulas novas, aut
Congregatiunculas Monachorum abſque Epiſcopi notitia
prohibemus inſtitui, *& c. De Monachis*, immediatè præ-
cedenti, ubi ſic legitur, *De Monachis Monaſterium no-
vum, niſi Epiſcopo aut permittente, aut probante, nullus in-*
57 *cipere, aut fundare præſumat*, ubi gloſſa prima ponderando
illud verbum, *Novum*, notat requiri conſenſum Epiſcopi,
ſi totum Monaſterium ſit deſtructum, quia novum dicitur,
cujus facies immutatur, *l.* 1. §. *Opus novum*, *ff. de nov. oper.
nunciat.* Secus in reparatione, *c. Si quis vult.* 16. *q. ult. c.
Judei, infr. de Judeis, & l.*2. *&* 3. *C. de oper. publ.* Item gl. *ult.*
58 *in d. c. de Monachis* ponderando verbum, *Probante*, no-
tat ſatis eſſe, ut Epiſcopi conſenſus accedat poſt erectio-
nem, quia ratihabitione poteſt confirmare *c. ult.* 2. *q.* 1.
& conſentiunt ibi Hugo, Archid. & alii; alioquin quod
factum fuerat, deſtruatur, ut *c. Placuit, de conſecr. diſtin.*
1. Licentia verò Sedis Apoſtolicæ tunc temporis non re-
quirebatur, ut *c. Nimis, il ſecondo verſ. Ad hoc infra,
de exceſſ. Prælator.* & notat gloſſa *in c. unic. in ver. De-
inceps*, per illum text. *eòd. tit. lib.* 6.
59 Secundum tempus eſt Conſtitutionis Bonifacii VIII. *in
dict. c. unico, de exceſſ. Prælat. lib.*6. qua prohibetur, ne de-
inceps liceat fratribus Mendicantibus nova loca, aut Mo-
naſteria alicubi ad habitandum ſuſcipere, ſeu olim ſuſcepta
mutare, vel in alia transferre abſque ſpeciali Sedis Apoſto-
ilcæ licentia, quæ de illa prohibitione mentionem faciat;
excipiuntur tamen acquirentes loca pro Eremitica vita
ducenda; & hæc prohibitio adjectis pœnis fuit poſtea in-
novata in Clem. *Cupientes, in princip. de pœnis.* Unde hoc
tempore inſpecto adempta erat Epiſcopis facultas, quam
habebant ex diſpoſitione antiquorum Canonum, quoad
Monaſteria, & loca Ordinum Mendicantium dumtaxat,
ſed ſalva erat quoad Eremitas, & non Mendicantes.

Tertium tempus eſt Concilii Tridentini, quod *in cap.*3. 60
*in fin. ſeſſ.*25. *de Regul.* ſtatuit per hæc formalia verba, vi-
delicet, *Nec de cætero ſimilia loca* (id eſt Monaſteria, & do-
mus tam virorum, quàm mulierum, bona immobilia poſſi-
dentes, vel non poſſidentes) *erigantur ſine Epiſcopi, in cu-
jus Diœceſi erigenda ſunt, licentia priùs obtenta.* Et poſito
hoc decreto in dubium vertitur, an Monaſteria hodiè erigi
poſſint de licentia ſolius Epiſcopi.

Negant Hieronym. Campan. *in diverſ. jur. Canon. rubr.*
12. *cap.* 13. *nu.* 80. *verſ. Verum cum diſpoſitione*, Zerol. *in
praxi Epiſcop. p.*1. *in ver. Monachi*, §.2. & Auguſt. Barboſ.
de offic. & poteſt. Epiſc. par. 2. *allegat.* 26. *nu.* 4 exiſtiman-
tes, Epiſcopi conſenſum non ſufficere, niſi etiam Summi
Pontificis accedat authoritas, eò quod Concilium Triden-
tinum *in d. c.*3. non abrogaverit juris communis diſpoſitio-
nem, de qua *in d. c. un. de exceſſ. Præl lib.*6. & referunt ita
deciſum fuiſſe per Eminent. Patres ejuſdem Concil. Inter-
pretes. Quam opinionem inde etiam confirmant, quòd
multæ Religiones impetrarunt indulta à Sede Apoſtolica
erigendi Monaſteria de ſola Epiſcopi licentia, ut dicam in-
fra *n.*71. hinc deducentes ſine hujuſmodi indulto Monaſte-
ria ſic erigi non poſſe: alioquin privilegium fuiſſet inane,
& nihil eis contuliſſet, contra textum *in c. In his infr. de
privil. & c. Abbate, de verbor. ſignific.* Sed contra Epiſcopi
tantùm licentiam eſſe neceſſariam affirmant Sorb. *in Com-
pen. Privileg. Mendican. in ver. Ædificare, in annot. verſ.
Circa* §. 20. & Eman. Rodriq. *q. regular. tom.*2. *q.*49. *art.*3.

Tu dicas, quoad loca Eremitica, & Monaſteria Ordi- 61
num non Mendicantium rem carere omni difficultate,
quia facultas, quam Epiſcopi habebant de jure veteri, ſimi-
lia loca erigendi, ex *d. c. Quidam, c. De Monachis, & c.
Cellulas*, 18. *q.* 2. fuit expreſsè illis præſervata *in d. c. un.*
quoad loca Eremitica, & quoad Monaſteria non Mendi-
cantium non fuit illis adempta, cùm prohibitio illa loqua-
tur tantum modò de Mendicantibus. Unde quod non mu-
tatur, &c. *leg. Sancimus, C. de teſt. & l. Præcipimus, in fin.
C. de appell.* & cùm Conſtitutio de Mendicantibus nega-
verit, de non Mendicantibus cenſetur conceſſiſſe, *c. Non-
nè ſup. de præſumpt. c. Qualis* 25. *diſt. l. Prætor, ff. de iudic.*

Quo verò ad Mendicantes, exceptis Capuccinis, & Mi- 62
noribus de Obſervantia S. Franciſci, videtur idem dicen-
dum. Nam prohibitio Bonifacii VIII. *in d. c. un.* locum ha-
bet in illis Mendicantibus, quibus victum tribuit incerta
mendicitas, & qui redditus, aut poſſeſſiones ex regula, vel
conſtitutione habere non poſſunt, juxta textum *in c. un. de
religioſ. domib. lib.*6. ut notat gl. in præalleg. Decretali Bo-
nifacii *in ver. Mendicantes.* At ex Concilio Trident. *in d.
c.*3. *in princ.* Regularibus quorumcumque Ordinum, præ-
dictis tantùm exceptis, licet bona immobilia poſſidere, &
conſequenter in eis videtur ceſſare prohibitio Bonifacia-
na, & nihilominùs quoad omnes Concilium videtur Epiſ-
copis reſtituiſſe facultatem eis ademptam à Bonifacio, cùm
de omnibus loquatur ſub unica determinatione, & juris
correctio ſit favorabilis, cùm per eam fiat reductio ad jus
commune antiquum, ut notatur *in cap. Cum dilectus*, in
gloſſ. *in ver. Juri communi*, & ibi per Hoſt. *nu.* 17. & com- 63
muniter Doct. *ſuprà de conſuetud.* Nec credendum eſt S.
Synodum voluiſſe arctare eos, qui licentiam erigendi 64
Conventus à Summo Pontifice impetrarunt, ad aliam li-
centiam obtinendam ab Epiſcopo Diœceſano, cum licen-
tia ſit gratia, per quam alicui licet quod priùs non licebat,
ſecundùm Card. poſt Gugliem. de Monte Laud. in Clem.
*fin. num.*9. *de elect.* Nec Patres eo caſu fuiſſent uſi verb.
Licentia, ſed potiùs ver. *Conſenſus*, ſicut uſus fuit Pius
IV. dum voluit, ut diſpenſationes Apoſtolicæ de non reſi-
dendo ſtudiorum cauſa non ſuffragarentur, niſi accedente
Ordinariorum conſenſu, ut in Conſtitutione incip. *San-
ctiſſimus, edita die* 26. *Novembris* 1564.

Et confirmatur: nam Clemens VIII. *in Conſtitutione* 99. 65
incip. *Quoniam ad inſtitutum, edita die* 23. *Julii* 1603. de
voto S. Congr. Cardinalium ſuper negotiis Epiſcoporum,
& Regularium declaravit, *Locorum Ordinarios non poſſe
licentiam ad novos Conventus cujuſcumque Mendicantium
Ordinis in civitatibus, & locis eorum, &c. Ordinariæ ju-
riſdictioni ſubjectis erigendos impertiri, niſi vocatis, &
auditis aliorum in eiſdem civitatibus, & locis exiſten-*

tium Conventuum Prioribus, & aliis intereſſe habentibus, & cauſa ſervatis ſervandis cognita conſtiterit in eiſdem Civitatibus, & locis novos hujuſmodi erigendos Conventus ſine aliorum detrimento commodè ſuſtentari poſſe. Quod ſi à ſententiis Ordinariorum ad Sedem Apoſtolicam appellari contigerit, tamdiu ipſos Ordinarios erectionem novorum Conventuum ſuſpendere debere, quouſque ab ipſa Sede in eadem cauſa pronunciatum extiterit. Decernens irritum, &c. ut in Bull. to. 3. pag 146 Quam Conſtitutionem poſteà innovavit Urbanus VIII præviа revocatione facultatum Regularibus conceſſarum erigendi Conventus ubique locorum de ſola Ordinarii licentia, ut in ejus *Conſtitut.* 25. incip. *Romanus Pontifex, edita* 21. *Septembris* 1624.
66 *in Bullar. tom.* 4. *pag.* 265. Ergo à contrario ſenſu ſervata forma in Conſtitutione Clementis præſcripta Conventus Mendicantium erigi poterunt de licentia Ordinarii, nec opus erit licentia Sedis Apoſtolicæ; & hunc intellectum jam pridem probavit Sacr. Congregatio Concilii, dum cenſuit pro erectione Monaſterii nedum requiri licentiam Ordinarii, ſed ſervandum eſſe Decretum Clementis VIII. niſi erigatur de licentia Sedis Apoſtolicæ, quia tunc erigi poteſt ſine Ordinarii licentia. Patet igitur non eſſe admittendum intellectum eorum, qui dixerunt Concil. *in dict. cap.* 3. *in fin.* non ſuſtuliſſe Conſtitutionem Bonifacii VIII. ſed præter licentiam Sedis Apoſtolicę, voluiſſe, ut adhiberetur etiam licentia Ordinarii: imò enim ex ſententia Sac. Congreg. ubi erectio fit de licentia Papæ, Ordinarii licentia non eſt neceſſaria, & ubi fit de licentia Ordinarii, non eſt neceſſaria licentia Papæ, ſed tantummodò ſervari debet ſolemnitas Conſtitutionis Clementis, & ita multoties vidi obſervatum: nam eadem S. Congregatio tam me Secretario, quàm anteactis temporibus multas Monaſteriorum erectiones probavit ab Ordinariis factas abſque licen-
67 tia Sedis Apoſtolicæ. Quinimò aliàs cenſuit concedendum Congregationi Peregrinantium Ordinis Prędicatorum, ut poſſint erigere Conventus inconſultis Epiſcopis quoad loca, in quibus non ſunt Epiſcopi. Aliorum verò locorum Epiſcopis commendandos eſſe hos Regulares, ut cùm poſtulaverint alicujus Monaſterii erectionem, illis faveant
68 pro tempore, niſi aliquid relevans obſtiterit. Et aliàs cenſuit Epiſcopum non prohiberi de Capituli, & quorum intereſt conſenſu, & abſque Rectoris præjudicio Eccleſiam ſæcularem ordinaria authoritate in Monaſterium erigere. Et Datarius idem ſenſit, niſi agatur de commutatione ulti-
69 mæ voluntatis. Rurſus cenſuit Epiſcopum non prohiberi ordinaria authoritate Monaſterium Monialium erigere. Quid tamen in hoc ſervetur de ſtylo Curiæ, dixi *in c. Grave n.* 53. *verſ. Conſuevit ſuprà de offic. Ordin.* Quin etiam hanc facultatem novum Monaſterium erigendi S. Congr. nec denegavit Vicario generali Epiſcopi ad id ſpeciale
70 mandatum habenti, ut dicam latè in ſequenti quæſt. Nec forſitan Vicario Capituli ſede vacante; & propterea quoddam Monaſterium fratrum S. Dominici cœptum ædificari de illius licentia, reſpondit ſinendum eſſe ad finem perduci. Quæ omnia cogunt me credere apocripham eſſe deciſionem, quam referunt Campan & allii præcitati. Cùm præſertim loquatur de Monachis, qui nullo jure arctantur ad obtinendam ſuper hoc licentiam Sedis Apoſtolicæ, nec talem deciſionem uſquam reperi in libris publicis S. Congregationis.

71 Non obſtant indulta erigendi Monaſteria de licentia ſolius Ordinarii: nam ſi rectè advertatur, Regulares pręſertim non Mendicantes indulta hæc non impetrarunt, ut ſe eximerent ab obtinenda licentia Summi Pontificis, quia non indigebant; ſed ſolùm ut ſe eximerent à forma d. Bullę Clementis VIII. ut ſcilicet Monaſteria poſſent erigere ubique locorum, nullo aliorum Ordinum Regularium requiſito conſenſu; & ſic cantant indulta pro Monachis Congregat. B. Mariæ Fullienſis, pro Carmelitis Diſcalceatis, pro Clericis Regularibus Sancti Pauli Decollati, quæ habentur reſpectivè in tribus Conſtitutionibus Pauli V. nempè 51. & 10. *alias* 8. & 64. *in Bullar. tom.* 3. *pag.* 242. 188 & 254. Unde patet ex prædictis indultis ineptè inferri, ut in hujuſmodi erectionibus licentia Sedis Apoſtolicę ſit neceſſaria.

Quartum denique tempus eſt Bullæ Sanctiſs. D. N. Innocentii X. quæ incip. *Inſtaurandæ*, me Secretario compilatæ in S. Congregatione ſuper ſtatu Regularium, ac publicatæ die 22. Octobris 1652. in qua ex cauſis in prœmio expreſſis primò (extinguuntur, ac ſuprimuntur Conventus omnes Regularium virorum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, exiſtentes intra fines Italiæ, & inſularum adjacentium, in litteris ab eadem Congregatione propediem expediendis nominatim exprimendi, in quibus ob parvum numerum Religioſorum Regularis diſciplina ſervari non poteſt. Ac deindè quia parum eſt mala præcidere, niſi etiam malorum cauſa, & radix evellatur, innoventur Conſtitutiones Bonifacii, & Clementis, quarum ſuperiùs meminimus *num.* 59. & 65. aliorumque Romanorum Pontificum ſuper erectione novorum Conventuum editę, illiſque addendo prohibetur, ne deinceps aliquis Regularium Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Congr. Societatis, & cujuſvis alterius inſtituti, etiam Societatis Jeſu, in aliqua civitate, caſtro, villa, ſeu loco ad habitandum domos, vel loca quęcumque de novo recipere, ſeu Monaſteria; Conventus, & Collegia incipere, vel fundare præſumat abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, plenam, & expreſſam faciente de prohibitione hujuſmodi mentionem, in ſcriptis, & gratis concedenda, pręvia examinatione S.C. negotiis Epiſcoporum, & Regularium pręposite. Si ſecus egerint, eo ipſo incurrant pęnas privationis vocis activæ, & paſſivæ, necnon dignitatum, & officiorum, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia in poſterum obtinenda; & nihilominùs receptiones, fundationes, & erectiones ſint ipſo jure nullę, & invalidę, & domus, ac loca ipſa, & perſonę in eis degentes omnimodę juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Ordinarii loci plenè in omnibus ſubjaceant.) Hæc ibi. Quamobrem ceſſant hodie altercationes, quæ ex præcedentibus Conſtitutionibus, & Trid. Conc. Decretis oriebantur: nam poſt Bullam Innocentianam manifeſtum eſt nova Monaſteria erigi non poſſe ſine licentia Sedis Apoſtolicæ. Sed quia hæc Bulla loquitur de Monaſteriis virorum, & nondum egreſſa eſt fines Italiæ, & inſularum adjacentium; propterea in Monaſteriis Monialium, & ultra montes ſervabis antedictam temporum diſtinctionem: nam quod mutatur, ſtare non prohibetur, *l. Sancimus, C. de teſtam. cum concord.*

Decimò, & ultimò QUÆRO, poſito Decreto Trid. 72
Conc. *cap.* 3. *in fin. ſeſſ.* 25. *de Regul.* an Vicarius generalis Epiſcopi abſque ſpeciali mandato poſſit licentiam concedere novum Monaſterium erigendi.

Videtur reſpondendum non poſſe. Primò, quia in gene- 73
rali commiſſione non veniunt ea, quæ ob ſui gravitatem certæ perſonæ, vel dignitati à jure ſpecialiter ſunt commiſſa, *l.* 1. *ff. de offic. ejus, cui mandat. eſt juriſd.* & *c.* 2. *de offic. Vic lib.* 6. Sed facultas novum Monaſterium erigendi, ob rei gravitatem de jure ſpecialiter eſt commiſſa Epiſcopo, *c. Quidam, c. De Monachis, & c. Cellulas* 18. *q.* 2. Ergo non tranſit in Vicarium ex generali commiſſione. Quo argu-
mento utitur Ferrett. *conſ.* 347. *n.* 12. & per hanc rationem 74
Rota apud Puteum *deciſ.* 53. *lib.* 2. decidit Vicarium non poſſe beneficium ſupprimere abſque ſpeciali mandato.

Secundò, per generalem Vicarii conſtitutionem non 75
cenſetur tranſlata facultas, quæ non competit Epiſcopo de jure communi, *c. fin. ubi not. de offic. Vicar. lib.* 6 Innoc. quem cęteri ſequuntur *in c. Cum in cunctis n.* 5. *de elect.* Sed facultas erigendi novum Monaſterium non competit Epiſcopo de jure communi: Ergo non cenſetur tranſlata per
generalem Vicarii conſtitutionem. Minor probatur, quia 76
etſi de jure communi antiquo novum Monaſterium conſtitui poſſet de licentia Epiſcopi, ut *in d. c. Quidam* 18. *q.* 2. quod eſt decretum Concilii Chalcedonenſis, & *in d. c. De Monachis, & c. Cellulas* 18. *q.* 2. quæ ſunt Conc. Agathenſis: tamen Bonifacius VIII. poſteà decrevit, ne deinceps liceret Fratribus Mendicantibus nova loca, aut Monaſteria alicubi recipere abſque Sedis Apoſtolicæ licentia, ut *in c. unic. de exceſſ. Prąl. lib.* 6. quam Conſtitutionem deindè innovavit Clemens V. ac pœnas contrafacientibus adjecit, ut in Clem. *Cupientes, de Pœnit.* Poſt hęc ſupervenit decretum Concilii Trident. *c.* 3. *ſeſſ.* 25. *de Regul.* quod reſtituit Epiſcopo facultatem anteà ſublatam Conſtitutione Bonifacii VIII. ut fuſiùs dictum eſt in præcedenti quæſtione à *nu* 55. Unde hęc facultas ſaltem quoad Mendicantes competit Epiſcopo de jure ipſius Concilii, non autem de jure communi, ac proindè non cenſetur demandata Vicario per generale mandatum. Et ob hanc rationem, quamvis Cardinales in ſuis titulis juriſdictionem habeant Ordinariam, & Epiſcopalem, ſecundùm ea, quæ leguntur, & notantur *in c.*

His

His quæ ſupra de major. & obed. tamen Gregor. XIII. dixit ſe nolle, ut illis competerent ea, quæ Epiſcopis conceſſa ſunt a Concilio Tridentino, ut ſcripſi in prædicta Decretali, *His quæ n.* 16.

Tertiò, ea, quæ ſunt voluntarię juriſdictionis, & ſapiunt gratiam, regulariter non cenſentur translata in generalem Vicarium; ſed tantùm ea, quæ ſunt contentioſæ juriſdictionis, & ſapiunt juſtitiam, *cap.* 1. *&* 2. *de offic. Vicar. lib.* 6. Ferret. *conſ.* 344. *n.* 1.

77 Sed licentia erigendi novum Monaſterium eſt voluntariæ juriſdictionis, cum judicialem indaginem non requirat, ſaltem ante decretum Clementis VIII. & ſapit gratiam, ſicut beneficiorum collatio, ut per Ferrett. *conſ.* 347. *n.* 13. *propè fin.* facit quod dixi ſuprà *num.* 64. Ergo non cenſetur translata in generalem Vicarium; atque ita arguit in ſimili Lap. *alleg* 81. *num.* 7. & Ferrett. *d. conſ.* 344. *n.* 1.

78 Quartò, ſolus Epiſcopus, non autem ejus generalis Vicarius poteſt Eccleſias, & Altaria dedicare, *c. Quicumque* 16. *q.* 1. *& cap. Nemo, il primo de conſec. diſt.* 1. & tradit Joan. de Selva *in tract. de benefic. part.* 2. *q.* 5. *nu.* 175. Sed Monaſterium erigi non debet abſque dedicatione Eccleſię, vel Altaris, *cap. Abbas, & c. Pridem* 18. *q.* 2. Ergo ſaltem ratione Eccleſię facultas erigendi Monaſterium non competit generali Vicario.

79 Ultimò, Vicarius generalis ſine ſpeciali mandato non poteſt novam dignitatem erigere, ut poſt Joan. de Deo, Federic. de Sen. & Gemin. tradunt *in cap. Cum acceſſiſſent, de Conſtit.* Felin. *n.* 14. *verſ. Verùm non ſufficit authoritas Vicarii non habentis ſpeciale mandatum,* & Dec. *n.* 41. Ferrett. *conſ.* 327. *n.* 7. ubi ampliat hoc procedere, etiamſi Vicarius habeat mandatum cum expreſſione aliquorum ſpe-
80 cialium, ac deindè cùm clauſula generali. Imò nec novum beneficium Vicarius generalis poteſt erigere ſine ſpeciali facultate, ut *in d. c. fin.* tradit Jo. Andr. *in princip.* quem illic ſequuntur Gemin. *col.* 1. *verſ. Sed pone, quòd Plebanus,* Anchar. *n.* 1. Franc. *col.* 2. *in* 2. *quæſt.* Ferrett. *d. conſ.* 327. *n.* 4. *& conſ.* 343. *ſub n.* 109. *verſ. Rurſus*. Ratio eſt, quia ſicut Vicarius Epiſcopi non poteſt beneficium conferre, ut habetur *in d. c. fin.* nec illo privare, ut *in c. præced.* ita nec illud creare, ut ibi deducit Joan. Andr. & alii ſupra relati. Quemadmodum nec poteſt erigere novam Parochiam, juxta *c. Ad audientiam il primo de Eccleſ. ædific.* ut probatur *in d. c. Nemo, in ver. Veniat, de Conſecr. diſtin.* 1. Non videtur autem poſſe dubitari, quominùs in erectione novi
81 Monaſterii erigatur nova dignitas, aut ſaltem plura beneficia Regularia, quia Monaſterium erigi, atque inſtitui non poteſt ſine Abbate, vel Priore, & Monachis, *c.* 2. *& c. Cum ad Monaſterium, infra de ſtatu Monach.* Abbatia verò eſt propriè Dignitas Eccleſiaſtica, *c. Sicut deinceps,* 16 *q.* 7. *&*
82 *c. Ut Apoſtolicæ, de privil. lib.* 6. & quidem de majoribus, ſecundùm Lapum *alleg.* 87. *col. fin.* aut ſaltem media inter Epiſcopatum, & inferiores Dignitates, ut tradit Joan. de Selva *in tract. de benefic. part.* 1. *qu.* 2. *n.* 8.

Similiter Prioratus Conventualis dicitur eſſe Dignitas, ut *in c. Niſi eſſent, de præb.* & in Clem. 2. *de reſcript.* Prioratus autem clauſtralis, quamvis non ſit dignitas, eſt tamen beneficium, *d. c. Cùm ad Monaſterium, de ſtatu Monachor.* & Clem. *Ne in agro, eod. tit.* & notat Joan. de Selva *ubi ſupra.* Et hæc tria inter beneficia regularia appellantur duplicia, ſeundùm Rebuff. *in praxi tit. Quod ſit & quot modis dicatur beneficium in rubr. Regularia beneficia multiplicia à n.* 1. *uſque ad n.* 6.

83 Simplex itidem Prioratus dicitur beneficium, ut notat Abb. *in c. Super inordinata num.* 9. *verſ. Aut eſt Prioratus, de præb.* Sicut & ſimplex Monachatus, gloſſ. in Clem. *Diſpendioſam, in ver. Beneficiis, de judic.* & Joan. de Selva *loc. cit. in fin.* Et hæc duo, nempè Prioratus Regularis, & Monachatus, inter beneficia regularia vocantur ſimplicia à Rebuffo *ubi ſupra n* 6.

Cùm itaque Monaſterium erigi, atque inſtitui non poſſit, quin ſimul erigantur Abbatia, vel Prioratus, ac plures Monachatus, hinc neceſſariò ſequitur, ut ſicut non poteſt Vicarius generalis Epiſcopi novam dignitatem, aut beneficium erigere, ſic & multò minùs Monaſterium, quod conſtat dignitate, ac pluribus beneficiis Conventualis Ec-
cleſiæ. Atque ita in puncto conſuluit Cald. *conſ.* 3. incip. 84
An Vicarius Generalis, de offic. Vicar. motus, quia ædificatio Monaſterii eſt de majoribus, quæ non tranſeunt in generali mandato, alleg. *c. Nemo, il primo de Conſec. diſt.* 1. *cap. Quicumque, & c. Quidam* 18. *q* 2. *c. Cùm olim, de privileg. & c. Authoritate, eod. tit. lib.* 6. in quibus exprimitur de Epiſcopo. Nec ſecundùm eum obſtat gloſſ. *d. c. Nemo,* dicentis Epiſcopum id poſſe per ſe, vel alium; quia ut ibi dicit Archid. *nu.* 4. in gloſſ per ſe, illud, *Alium,* intelligitur de delegato Epiſcopi ſpeciali, & ſequuntur ibi Bellam. *in eadem gloſſ. n.* 2. & Turrecr. *in* 3. *q. num.* 5. dicens idem tenere Hoſt. *in ſumma de Eccl. ædific.* & ita prædicti omnes ſunt apertè pro hac ſententia.

Nec dicatur in erectione novi Monaſterii non creari nova beneficia, ſed potius transferri de loco ad locum. Nam id jure negari poteſt; verè enim dignitas, quę transfertur, deſinit eſſe dignitas in loco, in quo erat ante transla-
tionem, *c. Si quis jam translatus* 21. *q.* 2. *& c. Si qui Epiſ-* 85
copi 92. *diſt.* At per erectionem novi Monaſterii dignitas illius nullibi eſſe deſinit; ergo non transfertur, ſed de novo erigitur. Et quamvis aliæ ejuſdem ſpeciei dignitates in aliis Monaſteriis reperiantur, tamen quotieſcumque agitur, an Vicarius poſſit erigere novam dignitatem, non intelligitur de dignitatibus omninò novis, puta Cardinalatus, &c. quia illas nec Epiſcopus poteſt erigere, ut jam cenſuit S. Congregatio Concilii; ſed de uſitatis, ut Abbatia, Archidiaconatu, & conſimiles. Prætereà etſi hæc non eſſet erectio novæ dignitatis, ſed translatio de loco ad locum; adhuc tamen idem eſſet reſpondendum, quia Vicarius generalis abſque ſpeciali mandato non poteſt Eccleſias de loco ad locum transferre, ex traditis per Innoc. & Abb. *in c. Ad hæc ſupr. de offic. Archid.* & per Doctores *in d. c. fin. de of-*
fic. Vicar. lib. 6. Sicuti nec poteſt beneficium antea erectum 86
ſupprimere, ut decidit Rota apud Put. *dict. dec.* 53. *lib.* 3. Quamobrem cum facultas erigendi novum Monaſterium non competat Vicario Epiſcopi ex diſpoſitione juris communis, abſurdum eſſet, ut competeret ex decreto Concilii Tridentini *cap.* 3. *ſeſſ.* 25. *de regular.* quod conſtituit regulam prohibitivam, ibi, *Non erigantur,* à qua deinde ſolùm excipit caſum, niſi de Epiſcopi licentia. Undè cum emanaverit ad reſtringendam Monaſteriorum multiplicitatem, ne ſcilicet illorum multitudo potiùs detrimentum; quàm utilitatem Religionibus afferret, non debet eorumdem ampliationem operari, *l. Legata inutiliter, ff. de adimen. legat. cum ſimilib.* Præſertim quia Concilium quando voluit comprehendere etiam Vicarium, regulariter uſus eſt nomine Ordinarii, non autem Epiſcopi.

Neque obſtat decretum Clementis VIII. quod utitur 87
verbo, *Ordinarii*: nam reſpondetur factum eſſe, quia ibi pręſcribitur modus generalis, & ab omnibus obſervandus in erectione novorum Monaſteriorum. Quę quidem erectio, quia fieri conſuevit non tantùm ab Epiſcopis, ſed etiam ab aliis Ordinariis locorum; ut ſunt Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, & Vicarii generales habentes ſpeciale mandatum; ideò uſus eſt nomine Ordinarii, quod magis latè patet, quam Epiſcopi, *c. Ordinarii,* cum ibi notatis, *de offic. ordin. lib.* 6 Felin. *in c. Cùm olim col.* 1. *de præſcript.* Sed non licet indè inferre, ut hęc facultas competat indiſtinctè omnibus locorum Ordinariis. Hoc enim decretum non tribuit Ordinariis novam erigendi facultatem, cum potiùs emanaverit ad comprimendam hujuſmodi erectionum multiplicationem in præjudicium aliorum regularium. Et quamvis dum prohibet, ne ab Ordinariis locorum de cætero nova Monaſteria erigantur, niſi ſervata forma ibi pręſcripta, à contrariò ſenſu videatur permittere, ut ſervata eadem forma Ordinarii poſſint hujuſmodi erectiones facere; in hoc tamen ſupponit terminos habiles, *l. Qui teſtamento, ff. de teſtam. & c.* 1. *de ætat. & qualit. lib.* 6 gloſ. 3. *in l. Gallus, ff. de liber. & poſthum.* Atque ita intelligi debet de illis Ordinariis, quibus hæc facultas aliàs legitimè competat, qualis non eſt Vicarius Epiſcopi abſque ſpeciali mandato, ut ſuperius oſtenſum eſt. Et ita reſolutum me Secretario ſub die 11. 162....

DE INSTITUTIONIBUS.

Alexander. III Cantuarien. Archiepiſcopo, & ejus Suffraganeis:

CAPUT III.

EX frequentibus querelis didicimus, in partibus veſtris conſuetudinem pravam, à multis retroactis temporibus invaluiſſe, quod Clerici Eccleſiaſtica beneficia, ſine conſenſu Epiſcopi diœceſis vel officialium ſuorum (qui hoc de jure poſſunt) recipiunt: minùs quam deceat cogitantes, quomodo id à ſanctorum Patrum eſt inſtitutionibus alienum, & Eccleſiaſticæ contrarium honeſtati. Unde cùm tu, frater Archiepiſcope, ex officio tibi commiſſo: tam iniquam conſuetudinem de Provincia tua velis (ſicut debes) radicitùs extirpare, tam in illos, qui Eccleſiaſtica beneficia taliter occupata ſcienter detinent, quàm in eos, qui de cætero occupare præſumpſerint, excommunicationis ſententiam protuliſti: Nos itaque eamdem ſententiam ratam habentes, & eam authoritate Apoſtolica confirmantes; Mandamus, quatenùs Clericos ipſos, qui ipſam ſententiam incurrerint, niſi congruè ſatisfecerint, abſolvere minimè præſumatis,

SUMMARIUM.

1 *INſtitutio beneficiorum ſpectat ad Epiſcopos, vel eorum Officiales.*
2 *Vicarius Epiſcopi, qui in concurſu Parochialis vacantis magis idoneum eligit, an poſſit Parochialem eidem conferre vigore generalis mandati, & nn. ſeq.*
3 *Collatio beneficiorum alia neceſſaria, alia voluntaria.*
4 *Vicarius Epiſcopi ſine ſpeciali mandato non poteſt facere collationes voluntarias.*
5 *Sed neceſſarias poteſt.*
6 *Collatio neceſſaria non eſt donatio, & nn. ſeqq.*
7 *Collatio Parochialis eſt debita magis idoneo prælecto in concurſu.*
8 *Ratione legis correcta, cenſetur etiam correcta illius diſpoſitio.*

E*X frequentibus.* Inſtitutio Beneficiorum ſpectat ad Epi-
1 ſcopos, vel eorum Officiales. Hoc dicit Joan. Andr.
Butr. Card. Anchar. Imol. Abb. & Joan. de Anan.

QUÆRO, an Vicarius Epiſcopi, qui inſtituto Paro-
2 chialis vacantis concurſu ad præſcriptum Concilii Tridentini *cap.* 18. *ſeſſ.* 24. ex concurrentibus ab examinatoribus prævio examine approbatis eum elegit, quem cæteris magis idoneum judicavit, poſſit eidem Parochialem conferre, quando collatio ad Epiſcopum ſpectat, quamvis ſpeciale mandatum ad conferenda beneficia ab Epiſcopo non obtinuerit, ſed tantùm generale in forma.

Videtur reſpondendum poſſe: Nam duplex eſt beneficio- 3
rum collatio, ſcilicet neceſſaria, quam collator facere tenetur: altera voluntaria, quæ ex mera voluntate dependet, Rebuff. *in praxi benefic. in tit. de collat. n.* 1. & 2. Put. *dec.*
100. *lib.* 3. Vicarius autem non poteſt quidem vigore gene- 4
ralis mandati facere collationem voluntariam, quia eſt ſpecies donationis, quæ in generali facultate non includitur, ut
eſt caſus *in c. final.* ubi Doct. *de offic. Vicar. lib.* 6. ſed benè 5
poteſt facere collationes neceſſarias, ut nominatis benefi-
cia conferre, vel præſentatos inſtituere, ut patet in hoc. c. 6
quia tunc non exercetur aliqua liberalitas, *l. Rem legatam, ff. de adimen. legat.* & declarat Abb. *hic n.* 7. & eſt bona gloſ. *in c. Relatum, in verb. Liberaliter ſupra de præb.* & ideò
tranſit hæc facultas ex generali conceſſione. Cum itaque 7
hodie neceſſaria ſit effecta collatio Parochialis quoad illum, qui eſt electus tamquam magis idoneus inter probatos ab examinatoribus Synodalibus, ut patet ex Conc. Trid. *in d. cap.* 18. in illis verbis, *Illique, & non alteri collatio fiat ab eo, ad quem ſpectabit eam conferre*; ſequitur, ut ve-
niat in generali mandato, cùm non ſit ampliùs ſpecies do- 8
nationis. Et ita cùm ſit correcta ratio text. *dict. cap. fin. de offic. Vicar lib.* 6. propter quam ibi decretum fuerat, in generali mandato beneficiorum collationem non comprehendi, correcta etiam cenſeri debet illius diſpoſitio, ad text. cum gloſſ. 1. *in leg.* 1. & ibi latè per Alexand *in addit. ad Bart. in princip. ff. de legit. Tutor. cum ſimilibus*, ut per Tiraquell. *in tract. ceſſante, cauſa, part.* 1, *num.* 127.

DE INSTITUTIONIBUS.

Innocentius III. Helien. Epiſcopo, & Archidiacono Norvicen.

CAPUT IV.

CUm veniſſent ad Apoſtolicam Sedem Archidiaconus Richemundiæ, & Procuratores Eboracen. Archiepiſcopi, ex parte Archiepiſcopi fuit propoſitum, quod inſtitutio perſonarum, & cuſtodia Eccleſiarum vacantium, ad eum in diœceſi ſua ſpectat, tam de jure communi, quàm de conſuetudine generali: verùm quidam prædeceſſores ipſius quibuſdam Archidiaconis Richemundiæ, tam inſtitutionem, quàm cuſtodiam perſonaliter commiſerunt: & infrà. Inter alia verò Archidiaconus ipſe reſpondit, quod Archiepiſcopus tam inſtitutiones, quàm cuſtodias, non perſonaliter Archidiacono, qui tunc erat, ſed perpetuò de conſenſu Capituli Archidiaconatui reali conceſſione donavit. Cum autem Archidiaconatus ipſe in continua poſſeſſione tam iſtarum, quàm aliarum libertatum, multorum Archiepiſcoporum, & Archidiaconorum temporibus extitiſſet, & Archiepiſcopus ſine conditione qualibet conceſſiſſet ipſum eidem, poſt conceſſionem aſſeruit, quòd ipſum conceſſerat, inſtitutionibus & cuſtodiis vacantium Eccleſiarum exceptis. Ipſe verò timens, ne ſi negaret expreſsè, cum nondum eſſet Archidiaconus poſſeſſionem adeptus, vel impediret penitùs factum ejus, vel diutiùs differretur, reſpondit, quod non ſolùm de illo, ſed de omnibus redditibus ſuis faceret quod ſibi placeret: & infrà. Nos igitur interlocuti fuimus, Archidiaconum eſſe in plena libertatum ejuſdem Archidiaconatus poſſeſſione tuendum, donec probatum legitimè fuerit ex adverſo, libertates ipſas Archidiaconis, ab Archiepiſcopis perſonaliter fuiſſe conceſſas: cum in hoc caſu tam ante, quàm poſt, & in ipſa etiam conceſſione, Archiepiſcopus eas retinere potuerit licitè tam-

quam

quam ſuas, vel donec legitimè probatum fuerit, eaſdem libertates Archidiaconum abjuraſſe. Sed in hoc caſu, ſi conceſſio illa fuerit realis, Archiepiſcopo nihil juris vel utilitatis accederet: quia nos vel ad petitionem Eboracen. Eccleſiæ, vel per nos ipſos, ſuper hoc Archidiaconatui conſulemus. Si ergo alterutrum ipſorum fuerit legitimè comprobatum, Archidiacono ſuper libertatibus ipſis: ſi neutrum, Archiepiſcopo ſilentium imponatur.

S U M M A R I U M.

1 *INſtitutiones, & cuſtodiæ poſſunt de jure ſpeciali ad inferiorem pertinere, & pendente lite cum Diœceſano, in poſſeſſione defenditur.*

2 *Epiſcopus fundat intentionem de jure communi ſuper inſtitutione, & deſtitutione perſonarum in beneficiis ſuæ diœceſis, & n. 11.*

3 *Declaratur.*

4 *Conſuetudo generalis poteſt concurrere cum jure communi, eique aliquid addit, ſaltem illud confirmando, & roborando.*

5 *Verba generalia, & adulatoria, ad complacentiam alterius prolata, non inducunt obligationem, ſeu diſpoſitionem.*

6 Placet, *verbum importat arbitrium boni viri.*

7 *Poſſeſſio contra jus ſufficit ad repellendum proprietarium, ſi ſit adjuta vera præſumptione alicujus tituli, licèt clarè de æqualitate tituli non conſtet.*

8 *Poſſeſſio contra jus regulariter non prodeſt contra proprietarium in judicio proprietatis, nec relevat ab onere probandi.*

9 *Præpoſito Buxeti an competat jus inſtituendi tàm ad beneficia in ſuo privilegio expreſſa, quàm ad alia poſteà erecta infra limites præpoſituræ, & nn. ſeqq. uſque ad n. 22.*

10 *Burgi Sancti Donini erectio in Epiſcopatum non obſtat juriſdictioni præpoſiti Buxeti.*

Præpoſiti Buxeti juriſdictio eſt cumulativa cum Epiſcopo, ibid.

11 *Jus inſtituendi in beneficiis jurispatronatus non pertinet ad Prælatum Eccleſiæ inferioris, ſed ad Epiſcopum prævia patronorum præſentatione.*

12 *Geſta à Delegato præter, vel contra formam reſcripti ſunt ipſo jure nulla.*

13 *A jure deſtituendi non infertur ad jus inſtituendi, ſi jus deſtituendi ſit ex privilegio, ſecus ſi de jure communi.*

14 *Prælatus inferior habet jus inſtituendi in Eccleſiis ſibi pleno jure ſubjectis.*

15 *Secus ſi ejus juriſdictio ſit cumulativa cum Epiſcopo.*

16 *Jus inſtituendi poteſt præſcribi ab inferiore.*

17 *Poſſeſſio longiſſimi temporis ſufficit ad præſcribendum etiam ſine ſcientia, & patientia Epiſcopi.*

18 *Scientia, & patientia Epiſcopi ex quibus præſumatur.*

19 *Titulus juſtus elicitur ex facto executoris inſtitutionem tribuentis.*

20 *Jus inſtituendi, ac juriſdictio ex præſcriptione, an cenſeatur privativè ad Epiſcopum, vel cumulativè.*

21 *Præſcriptio non currit vacante Eccleſia.*

22 *Juramentum à Prælato præſtitum in damnum Eccleſiæ ab ipſo Prælato ſervandum eſt.*

Si ſit ſeparabile à præjudicio Eccleſiæ, aliàs ſecus num. 28.

23 *Juramenta non ſunt, ſed perjuria, quæ contra utilitatem Eccleſiæ attentantur.*

24 *Juramentum præſtitum ab Epiſcopo Anteverpienſi de ſervandis conſuetudinibus, & privilegiis Collegiatæ Eccleſiæ, an poſt erectionem dictæ Eccleſiæ in Cathedrali obſtet, quominùs Epiſcopus uti poſſit ſua juriſdictione in ejuſdem Eccleſiæ capitulum, & perſonas ejuſdem civitatis.*

25 *Juramentum generale de obſervandis privilegiis an extendatur ad revocata, & n. 35.*

26 *Juramentum de ſervando ſtatuto tollitur per ſtatuti revocationem, & n. 36.*

27 *Epiſcopus etiam de Capituli conſenſu non poteſt abdicare à ſe juriſdictionem in totum.*

28 *Epiſcopus tenetur ſervare juramentum in his, quæ ſunt ſeparabilia à præjudicio Eccleſiæ, & n. 30.*

29 *Archidiaconus, qui abjuravit inſtitutiones, & cuſtodias vacantium Eccleſiarum, non poteſt eas repetere.*

Proſp. Fagnan. in III. Lib. Decretal.

30 *Præjudicium Prælati quando cenſeatur dividuum à præjudicio Eccleſiæ.*

31 *Juramenta ab Epiſcopis præſtita in materia viſitationis, ac privationis Capitularium, ſuos obligant authores.*

32 *Juramentum non porrigitur ad incogitata.*

33 *Juramentum per relationem ad aliud perindè habetur, ac ſi eſſet præſtitum ſuper re certa per ſe.*

34 *Juramentum habet tacitam conditionem, rebus ſic ſtantibus.*

C*Um veniſſent.* Si poſſidet jus inſtituendi is etiam, ad 1 quem de jure communi non ſpectat, pendente judicio proprietatis, in poſſeſſione defenditur. Hoc dicit ſecundùm Joan. Andr. cum quo concordant Butr. Card. & omnes. Vel ſic ſecundùm Abbatem; Inſtitutiones, & cuſtodiæ poſſunt de jure ſpeciali ad non Epiſcopum pertinere, & pendente lite cum Diœceſano, defenditur in poſſeſſione. Dividitur in tres partes. In prima allegatio pro Archiepiſcopo. In ſecunda allegatio pro Archidiacono, ibi, *Inter alia.* In tertia interlocutio, & ſub certa forma diffinitivè commiſſio, ibi, *Nos igitur.*

Nota primò ibi, *Ad eum ſpectat de jure communi*, Epi- 2 ſcopum fundare intentionem de jure communi ſuper inſtitutione perſonarum in beneficiis ſuæ diœceſis. Ad hoc *c. Omnes Baſilicæ, & c. Nullus omnino 16. q. 7. c. Ex frequentibus ſupr. eod. c. Cùm ex injuncto, in fin. de hæreticis cum ſimilibus*, Butr. *hic n. 3.* & Abb. *in 1. notab.* Sed hoc intelli- 3 gas de inſtitutione collativa, ut in prædictis juribus, & de inſtitutione authorizabili, ut *in c. Cum ſatis ſupra de offic. Archid.* ſecus verò de inſtitutione corporali, quæ de jure communi ſpectat ad Archidiaconum, ut *in c. Ad hæc, §. In quadam, & in c. Ut noſtrum, in fin. eod. tit.* & ſcripſi pleniùs *in c. Eam te n. 2. & ſeqq. de ætat. & qualit.*

Secundò nota ibi, *Quam de conſuetudine generali*, conſuetudinem poſſe concurrere cum jure communi; nam etſi 4 diſponat idem, quod jus commune, nihilominùs aliquid addit, ſaltem illud confirmando, & roborando, ut hìc per Butr. *n. 4.* & Abbatem *n. 3.* Quod benè nota ad declarationem gloſſæ *in c. 1. in ver. Facti, de Conſtit.* & eorum, quæ ſcripſi *in cap. Si quis n. 61. ſupra de foro compet.*

Tertiò nota ibi, *Faceret quod ſibi placeret*, generalia ver- 5 ba, & adulatoria, ad complacentiam alterius prolata, obligationem, ſeu diſpoſitionem non inducere: quamvis enim iſte Archidiaconus dixerit Archiepiſcopo, ut de omnibus redditibus faceret quod ſibi placeret; non tamen obſtrictus fuit illas libertates dimittere ad votum Epiſcopi, ut per Butr. *hic n. 8. & 9.* & ad hoc quotidie allegatur hoc c. ſecundum Abb. *n. 5.* & notat. Bald. *in conſ. 218. Petita venia col. 2. circa fin. verſ. Conſiderandum lib. 3.* Corneus *conſ. 149. Viſis nonnullis actis n. 7. & ſeq. lib. 2.* Ad hoc bonus textus *in l. Litteræ, ff. de Jure Codicill. & in §. Cæterum Inſtit. de milit. teſtam.* Unde ſi tu petas à me librum, & ego reſpondeam: Nedum de illo libro, ſed etiam de omnibus bonis meis faciam ad placitum tuum, ſeu quicquid tibi placebit; hujuſmodi verba nullam inducunt obligationem, ut poſt Butr. Card. Imol. & Abb. hìc tradit Alex. alios referens *in conſ. 237. Perſpectis n. 12. verſ. Accedit illud lib. 6.* & facit ſecundùm Abbatem, quia verbum *placet*, importat arbi- 6 trium boni viri, ut *l. Thais, §. Sorore, ff. de fideicomm. libert.* Unde Hoſt. *hic n. 11.* exponit ver. *placeret*, id eſt placere deberet, ad hoc *c. Ex litteris, il 1. infrà de ſponſal.*

Ultimò nota *in verſ. Nos igitur*, quòd poſſeſſio, quam habet inferior Prælatus contra jus commune, ſufficit ad repellendum Epiſcopum proprietarium illius juris, ſi ſit adjuta vera præſumptione alicujus tituli, licèt clarè de qualitate tituli non conſtet, niſi ex adverſo clarè probetur defectus tituli præſcripti. Quod colligitur ex hoc c. ſecundùm Abb. *n. 8.* nam jus commune hìc faciebat contra Archidiaconum, & pro ipſo erat poſſeſſio, & ejus titulus præſumptus, quia clarè non cõſtabat conceſſionem juris inſtituendi fuiſſe factam Archidiaconatui realiter, ſed propter præ-

ſumptionem, quæ erat pro eo, quia conſtabat de conceſſione per confeſſionem Archiepiſcopi, præſumebatur conceſſionem fuiſſe realem ex longæva, & continuata poſſeſſione adjuta hac præſumptione. Et hæc fuit ſufficiens ad Archiepiſcopum repellendum, niſi Archiepiſcopus proba-
8 ret defectum tituli, ut in fine textus. Quod nota perpetuò ad limitationem *c. Cùm perſona*, *de privil. lib.6.* nam poſſeſſio contra jus regulariter non prodeſt contra proprietarium in judicio proprietatis, nec relavat ab onere probandi, ut probatur *in c. Cùm Eccleſia Sutrina*, *in fin. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* & notat. *in c. Ex inſtit. de Procur. & in c. Conſtitutus*, *de elect.* ubi Innoc. *in princ. verſ. Sed fortè dices*. Sed hoc fallit, quando poſſeſſio eſt aliquo titulo roborata, licèt de modo tituli non conſtet, vel qualitate. Quod eſt notabile dictum, & memoriæ perpetuò commendandum, nec alibi ita apertè probatur, ut inquit Butr. *hic n.12.*

9 Ex facto quæſitum eſt, an Præpoſito Buxeti Diœceſis Burgi Sancti Donini ex privilegio, vel præſcriptione competat jus inſtituendi tàm ad Canonicatus, & Eccleſias in litteris Apoſtolicis ſui privilegii expreſſas, quàm ad Eccleſias poſt privilegium erectas infra limites ipſi Præpoſito aſſignatos.

10 Propoſita juriſdictionis controverſia inter Epiſcopum Burgi S. Donini, & Præpoſitum Buxeti, Sac. Congreg. Concil. cenſuit neque litteras erectionis Eccleſiæ Burgi S. Donini in Cathedralem, neque ſubreptionem litterarum Eugenii IV, quam Epiſcopus afferebat, quidquam obeſſe Præpoſito, quin ſua juriſdictione uti poſſit in Eccleſias, Canonicos, & perſonas iiſdem litteris deſignatas. Cæterùm nec Præpoſiti privilegium obſtare Epiſcopo, quominùs ſi prevenerit, jus ſuum in eaſdem Eccleſias, Canonicos, & Perſonas exercere valeat; atque ita Prepoſiti juriſdictionem cumulativam cum Epiſcopo, non autem privativam.

Nunc verò plures dubitationes emergunt inter Epiſcopum, & Prepoſitum, de quibus uterque conſuluit S. Congregat. atque inter alias una eſt, an Præpoſito competat jus inſtituendi ad Canonicatus, & Eccleſias in litteris Eugenii expreſſas. Altera, an Præpoſitus eamdem habeat juriſdictionem in Eccleſias poſt privilegium Eugenii erectas, & fundatas infra limites ipſi Præpoſito aſſignatos.

11 Quoad primum, ex diſpoſitione juris communis in Beneficiis juriſpatronatus, qualia ſunt hæc, de quibus agitur, jus inſtituendi non pertinet ad Prælatum Eccleſiæ inferioris, ſed ad Epiſcopum prævia Patronorum præſentatione, ut in propriis terminis decidit Caſſad *dec. 22. n.3. verſ. Et in patronali præſentatione, de præbend.* Et indiſtinctè inſtitutionem ſpectare ad Epiſcopum, non ad inferiorem, probant *in cap. Cùm in Eccleſia Vulterana*, *de elect.* Anton. de Butr. *nu. 21. verſ. Aut agitur de proviſione Eccleſiæ Collegiatæ*, Imol. *ſub n.5. verſ. Si verò non ſit patronata*, Abb. *ſub num.8. verſ. Quoad ſecundùm caſum*, Selva *de benefic. part.2. q. 22. n.45. & ſeqq.* Felin. *in cap. Cùm venerabilis num. 35. & ſeq. de except.* & eſt communis opinio, quàm Rota ſequi conſuevit, Caſſador. *d. dec. 22. num.* 3. Puteus *deciſ.* 135. *lib.* 1. Itaque jus commune favet Epiſcopo, qui habet intentionem fundatam ſuper inſtitutione, & deſtitutione beneficiorum omnium ſuæ diœceſis, ut *hìc, & in c. Cùm ex injuncto, in fin. de hæred. lib.6. cum concordant.* de quibus ſupra *in 1. notab.* Neque verò in litteris erectionis præpoſituræ legitur attributa præpoſito inſtituendi facultas; quinimò ex illarum ſerie contrarium potius colligitur, quia in ea parte, in qua Pontifex dat facultatem reſervandi juſpatronatus familiæ DD. de Pallavicinis, unico contextu jubet fieri præſentationes coram eis, ad quos inſtitutio pro tempore pertinebit; quod indicat Pontificem nihil voluiſſe diſponere circa inſtitutionem, ſed eam reliquiſſe in terminis juris communis, præſertim ob clauſulam incontinenti additam, *juribus Epiſcopi aliàs ſemper ſalvis*, ad text. *in c. Salvo 8. q.3. & in c. Cùm longè 63. diſtin. & in l. Si debitor*, *§. Si in venditione*, *ff. Quibus modis pignus*, *vel hypothec. ſolv.* Ac propterea executor Apoſtolicus, qui reſervavit præpoſito jus inſtituendi, exceſſit limites, man-
12 dati, quia revera id non continebatur in litteris commiſſionis; ideòque quicquid per ipſum geſtum eſt præter, vel contra formam litterarum Apoſtolicarum, dicitur ipſo jure nullum, *cap. Cùm dilectus*, ibi notatur *de reſcript. & cap. Cui, de præbend. lib.6.*

13 Nec obſtat, quòd in dictis litteris concedatur præpoſito facultas deſtituendi, quaſi hinc videatur etiam inferri ad jus inſtituendi, ex regula *dict. cap. Cùm ex injuncto*, *in fin. de hæret. lib.6.* Nam hoc procedit in eo, cui hæc facultas competit de jure communi, ſecus ſi ex privilegio, ut hoc caſu, ſicut declarant Hoſt. Abb. Felin. & alii ibid. & Rota *dec. 6. de renunc. in novis*.

Rurſus non obſtat, quòd inferiori Prælato competat jus 14
inſtituendi in Eccleſiis ſibi pleno jure ſubjectis, *c. In Lateranenſi*, ubi omnes notant, *de præb.* Quia id procederet 15
ſi Epiſcopus nullum jus Epiſcopale ibi exerceret, ſed tota juriſdictio ad præpoſitum pertineret. Quod non eſt hoc caſu, cum juriſdictio utriuſque ſit cumulativa, ex deciſione jam à S. Congregatione edita: ita declarat Lambert. *de jurepatr. 3. p. lib. 2. art. 17. ante 1. q. principalem n.2.*

Cæterùm etſi propoſito jus commune obſiſtat, cui litte- 16
ræ Apoſtolicæ non derogarunt, favet tamen illi antiquiſſima inſtituendi poſſeſſio. Certum eſt enim jus inſtituendi poſſe acquiri præſcriptione. Card. in Clem. 1. *ſub num.11. col. 9. in fin. de ſuplen. neglig. Præl.* Abb. poſt alios *in c. Auditis n. 6. de præſcript.* Gemin. *in cap. 1. num. 6. 21. diſtin.* Lambert. *de jurepatr. art.10. 1. q. princ. 3. part. lib.2.* Felin. *cap. De quarta n.13. eod. tit.* Caſſador. *d. dec.22.*

Præpoſitus autem exhibet inſtitutiones ab anno 1506. 17
uſque ad annum 1601. atque ita centum ferè annorum. Quæ quidem longiſſima poſſeſſio ſufficit ad præſcribendum etiam abſque ſcientia, & patientia Epiſcopi, ſecundum ſententiam quam dicit eſſe veriorem ac magis communem, Alex. *conſ.6. col.2. in fin. n.4. vol.* 1. & alii quamplures relati à Maſcar. *de prob. vol.3. concl.1219. n.42.* & in quadragenaria præſcriptione incorporalium ita decidit Innoc. *in c. Bonæ, il 2. de poſtulat. Prælat.* quem refert, & ſequitur Paul. de Caſtr. *in l. 2. col. 1. n. 3. ſuper ver. Uſus tibi interdictus*, *C. de ſervit. & aq.* & alii apud Maſcar. *loc. cit. n.56.* Ratio eſt, quia ſpatio longi temporis ſcientia, &
patientia Epiſcopi præſumitur, Salicetus *in l. Authen. verſ.* 18
Quæro de quæſtione facti, *C. Unde vi*, Rota *dec. 38. num.7. & deciſ. 147. num.3. part. 1. diverſ.* Quemadmodum etiam hoc caſu præſumitur ex inſtitutionum multiplicitate, Abb. *in c. Cùm Eccleſia n. 25. de cauſ. poſſeſſ. & propr.* Put. *dec. 217. in fin. lib.1.* Rota *in Nullius, ſeu Squillacenſis Juriſdictionis* coram Martino Andrea 9. *Martii* 1616. & ex viſitationibus Epiſcopi Cremonen. Rota *diverſ. p.2. dec.106.*
n.8. Juſtus verò titulus, etſi in præſcriptionibus longiſſimi 19
temporis non requiratur, elicitur tamen ex facto executoris inſtitutionem tribuentis, *c. Cum dilectus, de conſuet.* ubi Anton. de Butr. nota *col. 5. ver. ſSecunda eſt opinio, uſque ad colum. 8. verſ. Secundo oppono.*

Non obſtat ſententia anno 1565. lata per Ormanettum judicem compromiſſarium inter Epiſcopum Cremonæ, & Præpoſitum, in qua caſſantur, atque irrita decernuntur omnia acta hinc inde producta. Nam non propterea fuit ſublatum jus inſtituendi, quod præpoſitus ex præſcriptione jam completa acquiſierat ſpatio annorum ſupra quadraginta, id eſt ab anno 1506. uſque ad tempus ſententiæ. Preterquamquod ſententia hac in parte non habuit effectum, quia poſteà prepoſitus perrexit inſtituere uſque ad annum
1601. Habet igitur præpoſitus jus inſtituendi ad ſupraſcri- 20
ptas Eccleſias ex præſcriptione, quo caſu inſpecta juris communis diſpoſitione, gravis quæſtio eſſet, an illud haberet in privationem, & exluſionem Epiſcopi, an verò cumulativè cum ipſo; Ægidius enim *in c. Cum ſatis n.3. ad fin. de offic. Archid.* ſentit, licèt ſuboſcurè, jus inſtituendi quæſitum præſcriptione competere inferiori privativè ad Epiſcopum: atque hoc ipſum de præſcripta juriſdictione reſpondit Calder. *conſ. 2. de præſcript. & conſ. 6. de ſent. excomm.* Abb. *in c. Auditis nu. 7. de præſcript.* gloſſ. *in c. Paſtoralis*, ubi etiam Abb. *n.4.* & Felin. *n.5. in 8. limit. de offic. Ordin.* Pariſ. *in d. p. Auditis n.12. verſ. Secunda concluſio*, latiſſimè Bald. *de præſcript. p.1. primæ partis prin. q.11.*

At contra quòd juriſdictio per præſcriptionem quæſita privativè non competat, ſed cumulativè, probare conantur, & verum cenſent Hoſt. Jo. Andr. Butr. & Imol. *in d. c. Paſtoralis*, quorum opinio fortè ſervaretur in practica ob illorum authoritatem, ut teſtatur *ibid.* Abb. & eſt magis communis, ut aſſerit Covarr. *in priore part. relect. c. Alma mater*, §. 12. *ſub n. 3.*

Sed certè in caſu præſenti manifeſtum videtur juriſdictionem Præpoſiti eſſe cumulativam cum Epiſcopo, quia uterque tàm Præpoſitus, quàm Epiſcopus inſtituerunt ſpatio annorum plus quàm quadraginta: ex parte enim Epiſco-

pi exhibentur inſtitutiones ab anno 1558. uſque ad 1613. atque ita ſupra quinquaginta annos; quando autem etiam Epiſcopus exercuit, juriſdictionem inferioris præſcribentis eſſe cumulativam, pluribus probat Abb. *in d. c. Auditis nu.* 14.

Et quamvis Præpoſitus anno 1558. jam complevisset præſcriptionem, nihilominùs etiam Epiſcopus potuit contra ipſum cumulativè præſcribere ſpatio annorum quadraginta, Abb. *conſ. 94. in fin. verſ. Item, & 2. lib.* 1. Zabarell. *conſ.* 13. *Videndum eſt nu.* 6. Alex. *conſ.* 5. *ſub n.* 11. *verſ. Nec iſtis obſtat lib.* 5. & eſt textus *in cap. Cùm de beneficio, de præb. lib.* 9.

Nec refragatur, quòd ab anno 1601. Præpoſitus ampliùs non inſtituerit: nam non propterea dicendus eſt amiſiſſe hoc jus quæſitum præſcriptione, quia Præpoſitura vacavit ab eo tempore per ſpatium quatuor annorum, quibus ſub-
21 ductis uſque ad tempus motæ litis, vix octo, aut novem anni interceſſerunt: non enim currit præſcriptio vacante Eccleſia, *cap.* 1. *cap. Auditis, & cap. De quarta*, ubi gloſſ. & DD. *de præſcript.* Quamobrem non eſt opus diſcutere, an Præpoſitus ex non uſu decem annorum amiſerit jus inſtituendi legitima præſcriptione quæſitum.

Atque ex his ſatis perſpicuum videtur jus inſtituendi competere Præpoſito cumulativè cum Epiſcopo. Quia tamen non deſunt graves authores *in d. cap. Auditis*, qui ſentiunt ex inſtitutionibus Epiſcopi interrumpi præſcriptionem inferioris Prælati, & è converſo, itaut nullo modo præſcribat: fortè ſatius eſſet hunc articulum cumulativæ præſcriptionis in alia Congregatione diligentiùs examinare. Hunc articulum habes pleniſſimè à nobis examinatum *in d. cap. Auditis à numer. 2. uſque ad num.* 19.

Quoad ſecundum caput, itidem manifeſtum videtur juriſdictionem Præpoſiti extendi etiam ad Eccleſias poſt privilegium Eugenii erectas infra limites eidem præfixos: ita enim diſertis verbis cavetur in litteris erectionis hujuſmodi, & in ſententia executoriali in hæc verba, *Ipſis Præpoſitis tam præſentibus, quàm futuris jus Archidiaconale in Eccleſias, Canonicos, & Perſonas hujuſmodi præſentes, & futuras, &c. perpetuò concedimus*; nam verbum illud *futuras*, videtur qualificare tam perſonas, quàm Eccleſias, Pariſ. *con. 26. num. 37. vol.* 3.

Verùm & quoad hoc caput fortaſſe ſatius eſſet nihil generaliter reſpondere, ſed tantùm perſpectis qualitatibus cujuſque Eccleſiæ poſt dictam erectionem conſtructæ, à quo ſint dotatæ, an ſint ejuſdem, vel alterius ſpeciei, an obſervantia ſuffragetur Epiſcopo, vel Præpoſito, & ſimilia id genus, juxta deciſionem Rotæ 17. *part. 2. diverſor.*

22 In gloſſa *in ver. Abjuraſſe*, nota ex hac gloſſa, & ex textu factum Prælati non præjudicare Eccleſiæ, ſed nihilominùs juramentum præſtitum à Prælato ſervandum eſſe, contra id, quod habetur *in cap. Sicut, il primo ſuprà de jure-*
23 *jurando*, ubi dicitur non juramenta, ſed perjuria potiùs eſſe dicenda, quæ contra utilitatem Eccleſiaſticam attentantur, *cap. Pervenit, il primo eodem titulo, cap. Si quis Presbyterorum, de rebus Eccleſ. non alienand.* Sed qualiter hoc ſit intelligendum, declarabitur in ſequenti quæſtione, præſertim, *n.* 28.

24 Suppoſita declaratione S. Congregationis Concilii, quæ cenſuit privilegia Capitulo, & Decano Eccleſiæ Collegiatæ Antverpienſis conceſſa, eſſe revocata per ejus erectionem in Cathedralem: itemque ſuppoſito præſentis Epiſcopi
25 juramento in ea forma, cujus exhibetur exemplum; Dubitatur, an ipſum juramentum obſtet Epiſcopo, quominus univerſa juriſdictione Epiſcopali uti poſſit contra Decanum, & Capitulum, aliaſque perſonas Civitatis Antver-
26 pien. Contra Capitulum duo præcipuè videntur urgere. Primum quia cùm privilegia hæc jam eſſent revocata, juramentum generale Epiſcopi de ſervandis privilegiis ad revocata extendi non debet, Ripa *reſp. 5. n. 4. & 5. lib.* 1. & ad rem facit doctrina Baldi *in proœmio feud. n.* 15. ubi vult, ut ſi quis juraverit obſervare ſtatutum; & illud poſteà re-
27 vocetur, tollatur vinculum juramenti. Secundum, quia Epiſcopus etiam de conſenſu Capituli non poteſt abdicare à ſe juriſdictionem in totum, Abb. *in c. Cùm olim, il ſecondo n. 4. de privileg.* Felin. *in c. Cùm inter n. 4. circa princ. verſ. In contrarium*, ubi teſtatur de magis communi, *de re judicat.* Quod ſi juramentum hujuſmodi ligaret Epiſco-

pum, perindè eſſet, ac ſi ipſe totam juriſdictionem in vita ſua alienaſſet.

Sed his non obſtantibus contrarium videtur reſpondendum, videlicet Epiſcopum impediri juramento, quominùs poſſit dum vivit juriſdictionem, quæ ante erectionem Capitulo, & Decano Collegiatæ competebat, ſibi vendicare. Eſt enim communis concluſio, quando Epi- 28
ſcopus juravit in his, quæ ſunt ſeparabilia à præjudicio Eccleſiæ, ut ſunt jura incorporabilia, teneri eum obſervare juramentum, ac ſi contra illud vellit venire, non eſſe audiendum, ut poſt gloſſam noſtram optimè declarat Anton. de Butr. *hic numer.* 32. & ſatis probatur in hac Decretali, 29
ubi Archidiaconus, qui abjuraverat libertates Archidiaconatus, ſcilicet inſtitutiones, & cuſtodias vacantium Eccleſiarum, non poteſt eas repetere, & contravenire juramento. Et quamvis textus non dicat non poſſe repetere, cùm tamen dicat Archidiaconum eſſe conſervandum in quaſi poſſeſſione libertatum, donec probetur ipſum eas abjuraſſe, neceſſariò infertur, ut ibi conſtaret de abjuratione, non eſſet audiendus contra juramentum, ut hic tradunt omnes. Opinionem Butrii ſequitur Felinus *in c. Pervenit, il primo n. 8. de jurejur.* ubi eam defendit ab impugnatione Imolæ, Abbas *hic nu.* 16. & 18. Joan. de Selva *in tract. de Juram. in 3. par. in 1. q. n.* 33. Aretin. *conſ.* 114. *n.* 3. quem ſequuta eſt Rota in deciſionibus exhibitis coram Seraphino, & de Groſſis, ubi juramentum Epiſcopi in mate- 30
ria viſitationis dixit eſſe ſervandum, cùm ſit ſeparabile à præjudicio Eccleſiæ, & duret durante vita Epiſcopi jurantis. In his enim, quæ ſunt juriſdictionis, fructumque 31
non afferunt, ſed ſunt ſolùm honorificentiæ perſonæ præſidentis, præjudicium Prælati cenſetur dividuum à præjudicio Eccleſiæ, ut per Butr. *dict. n. 32. verſ. Ubi verò præjudicium*, Aretin. *d. conſ.* & Rota *in eadem dec.* Et hanc do- 32
ctrinam videntur probaſſe Patres in Concilio Trid. dum decretis *cap. 4. ſeſſ. 6. & cap. 6. ſeſſ.* 25. in materia viſitationis, & privationis Capitularium, ſanxerunt juramenta ab Epiſcopis præſtita ſuos obligare auctores. Facit textus *in cap. Perſuas ad fin.* ibi: *Quia juramento ſuo ſeipſum perſonaliter, non Eccleſiam poterat obligare, de arbitr.*

Non obſtant adducta in contrarium: nam ad primum 33
reſpondetur verum eſſe, quod dicitur juramentum generale, & incertum de obſervandis ſtatutis non porrigi ad revocata, quia juramentum non porrigitur ad ea, de quibus non eſt cogitatum, gloſſ. *in c. penult. in ver. Quod promiſit, de jurejuran.* jurans autem non cenſetur cogitaſſe de ſtatutis revocatis. Cæterum juramentum, de quo nunc agimus, non ſimpliciter generale, & incertum de obſervandis conſuetudinibus, & privilegiis; ſed eo modo, quo Capitulares uſi fuerunt tempore Epiſcoporum Cameracen. & ſic refert ſe Epiſcopus jurans ad factum, & ad 34
uſum; quo caſu non poteſt juramentum reſtringi ad privilegia non revocata, cùm juramentum ſit ſuper re certa per relationem ad aliud, quòd perindè habetur, ac ſi eſſet præſtitum ſuper re certa per ſe, *l. Certum. ff. ſi cert. petat. l. In ſumma, ff. de judicat.* & ita videtur ſpecialiter juraſſe ſe obſervaturum hæc, & hæc privilegia, exemptiones, & conſuetudines. Imò hoc caſu apertè conſtat jurantem voluiſſe ſe obligare etiam quoad privilegia revocata, quia retulit ſe ad tempus Epiſcoporum Cameracen. & ſic ad tempus ante revocationem per erectionem, adeòut videatur juraſſe ſe ſervaturum privilegia, quibus poſitum eſt Capitulum tempore Epiſcoporum Cameracen. etiamſi hodie mutato ſtatu abrogata fuerint. Et propterea ceſſat interpretatio defectus voluntatis in jurante.

Secundò reſpondetur, opinionem Ripæ nulla authoritate fulciri: nam Bald. quem citat, loquitur de juramento 35
obſervationis ſtatuti, quod poſteà tollitur, & dicit jurantem non teneri ad illud obſervandum, ut etiam tradunt Doctores *in c. 1. de his, quæ fiunt à major. part.* Quia juramentum habet tacitam conditionem, rebus ſic ſtantibus, *c. Ad naturam, il ſecondo, & c. Quemadmodum, de jurejur.* Oldr. *conſ.* 241. *Factum tale eſt nu. 2. verſ. Secundo quia d. juramentum*, Feder. de Sen. *conſ.* 239. *Super 5. except. circa med. verſ. Et vos ſcitis*, Gemin. *conſ.* 84. *Quia iſtud dubium, in fin. verſ. Ad illud quod dicitur*, Baccor. *de jurejur. n.* 126. dicens juramentum ſuperveniente revocatione, & ſic ſtatu mutato ampliùs non obligare. At nos loquimur de privilegiis jam revocatis tempore juramenti, in quibus nihil ſupervenit, quod evincat jurantem.

Ad ſecundum reſpondetur primò nos non quærere, an Epiſcopus potuerit Capitulum à ſe validè in perpetuum eximere. Quo caſu obſtaret opinio illa DD. Sed tantùm, an Archiepiſcopus, qui juravit, impediatur, dum vivit, venire contra proprium juramentum. Secundò reſpondetur nos non verſari in alienatione univerſæ juriſdictionis, de qua loquuntur DD. exadverſo; quia etſi juramentum ſervet Epiſcopus, reliqua tamen ei erit juriſdictio in caſibus Decretorum Concilii Tridentini, quos Epiſcopus in juramento excepit.

DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ, & Eccleſiæ non vacantis.

Ex Concilio Lateranen.

CAPUT II.

NUlla Eccleſiaſtica miniſteria, ſeu etiam beneficia, vel Eccleſiæ tribuantur alicui, ſeu promittantur antequam vacent; ne deſiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum & beneficium ſe crediderit ſucceſſurum. Cùm enim in ipſis etiam legibus gentilium inveniatur inhibitum; turpe eſt, & divini plenum animadverſione judicii, ſi locum in Eccleſia Dei futuræ ſucceſſionis expectatio habeat, quam ipſi etiam gentiles condemnare curarunt. Cùm verò præbendas Eccleſiaſticas, ſeu quælibet officia, in aliqua Eccleſia vacare contigerit, non diu maneant in ſuſpenſo: ſed infra ſex menſes perſonis, quæ dignè adminiſtrare valeant, conferantur. Si autem Epiſcopus, ubi ad eum ſpectat, conferre diſtulerit, per Capitulum ordinetur. Quod ſi ad Capitulum pertinuerit, & infra præſcriptum terminum hoc non fecerit, ſi Epiſcopus ſecundùm Deum hoc cum religioſorum virorum conſilio exequatur: vel ſi omnes fortè neglexerint, Metropolitanus de ipſis ſecundùm Deum abſque illorum contradictione diſponat.

S U M M A R I U M.

1 *BEneficia non vacantia concedi, vel promitti non debent.*
2 *Beneficia conferri debent infra ſex menſes, quibus elapſis de Epiſcopo ad Capitulum, & è converſo, & demum ad proximum ſuperiorem collatio devolvitur, & n. 34.*
3 *Miniſteria Eccleſiaſtica, beneficia, & Eccleſiæ, an & in quo differant.*
4 *Beneficii vacaturi promiſſio non valet, nec ullam inducit obligationem.*
5 *Sive fiat in ſpecie, ſive in genere.*
6 *Beneficium promittens cùm poterit, olim obligabatur; hodie ſecus.*
7 *Papa poteſt tribuere ius in beneficiis vacaturis, & n. 15. & 45.*
Declaratur, n. 20. 81. & ſeq.
8 *Expectativæ, reſervationes mentales, & quæcumque gratiæ ad vacatura, & indulta ad alienas Eccleſias ex Concilio Tridentino nemini ſunt concedenda etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus.*
9 *Precum primariarum indultum Imperatori conceſſum, & à Pio IV. confirmatum, eſt ſublatum à Concilio Tridentino, & n. ſeq.*
10 *Imperator non comprehenditur in decreto Conc. Tridentini ſeſſ. 24. cap 19.*
11 *Beneficia vacantia poſſunt per Prælatum promitti, ſed ex hoc non adeo afficitur beneficium, ut annulletur collatio alteri facta.*
12 *Votum ſimplex non dirimit ſecundum ſolemne.*
13 *Mortem proximi ſperare non licet.*
14 *Quanto quis eſt ſanctior, tantò facilius debet abſtinere à promiſſionibus vacaturorum beneficiorum.*
15 *Beneficii vacaturi collatio, vel promiſſio non inducit votum captandæ mortis cauſaliter, ſed occaſionaliter.*
Et ideo Papa poteſt ſuper hoc diſpenſare, & n. 18.
16 *Canones non dedignantur leges gentilium immitari.*
17 *In beneficiis Eccleſiaſticis expectatio futuræ ſucceſſionis eſt contra omnia jura.*
19 *Utilitas publica prætextu privilegii vacillare non debet.*
20 *Papa quamvis poſſit conferre in genere beneficia vacatura; tamen in ſpecie, & ad inſtantiam certæ perſonæ conferre non debet, niſi ea ignorante.*
21 Diu *dictio quod tempus importet.*
22 *Officia, & beneficia conferri debent perſonis, quæ dignè valeant adminiſtrare.*
23 *Pœna* c. Cum in cunctis, de elect. *non habet locum in conferente.*
Perſona quid ſit, ibidem.
24 *Beneficium qui diſtulit conferre ultra ſex menſes, privatur ea vice poteſtate conferendi.*
25 *Et tempus ſex menſium currit à die ſcientiæ, nec requiritur monitio.*
26 *Et moram purgare, aut in integrum reſtitutionem petere non licet.*
27 *Item tempus ſex menſium eſt utile, in quantum non currit ignoranti, aut conferre non valenti, & n. 33.*
28 *Sed eſt continuum, in quantum currit etiam diebus feriatis.*
29 *Devolutio poteſtatis conferendi fit ad ſuperiorem, ſi is ad quem ſpectat, ultra ſex menſes conferre neglexerit.*
30 *Quod procedit in omnibus Dignitatibus, officiis, & præbendis, dummodò ſint diſtinctæ, vel certus numerus ſit ſtatutus.*
31 *Item procedit etiam in Epiſcopat. & Abbat. ſed minus tempus datur ad eligendum, id eſt trium menſium.*
32 *Inſtitutioni faciendæ nullum tempus reperitur à jure præfixum.*
33 *Devolutionis pœna locum non habet contra eum, qui beneficium non contulit propter impotentiam juris, vel facti, etiam culpa contingentem.*
34 *Devolutio ob negligentiam non conferentis beneficium fit ad proximum ſuperiorem gradatim, & quilibet ipſorum habet ſex menſes ad conferendum.*
35 *Devolutio poteſtatis conferendi non fit ad Metropolitanum, niſi omnes inferiores infra præſcriptum tempus conferre neglexerint.*
36 *Papa lapſo primo ſemeſtri ſtatim poteſt de beneficio providere.*
Et illius negligentiam nemo ſupplet.
37 *Papa ſi beneficium vacans in Curia non conferat infra menſem à die vacationis, Ordinarius confert, ibid.*
38 *Legati nati, quamvis poſſint juriſdictionem excercere diœceſibus ſuffraganeorum ſuorum, non tamen poſſunt conferre beneficia ad eorum collationem ſpectantia, niſi poſt devolutionem.*
Legati nati non habent niſi unum ſemeſtre ad conferendum beneficia ad ſe devoluta propter negligentiam inferiorum, ibid.
39 *Devolutio poteſtatis conferendi fit etiam de ſuperioribus ad minores, velut ab Epiſcopo ad Capitulum.*
Inferior non ſupplet negligentiam ſuperioris, vel paris, niſi in jure ſit expreſſum, ibid.

40 Ca-

40 *Capitulo poteſt competere jus conferendi beneficia etiam privativè ad Epiſcopum.*

41 *Beneficiatus poteſtatem non habet dandi ſucceſſorem in beneficio.*

42 *Coadjutoriæ, quæ dantur hodie a Sede Apoſtolica cum futura ſucceſſione, an adverſentur juri communi, vel decretis Concilii Trid. & nu. ſeqq. uſque in fin.*

43 *Coadjutoriæ gratia non eſt merè præventiva, ſed habet fomentum juris propter conſenſum coadjuti.*

46 *Coadjutorias hodiernas eſſe odioſas, & à jure communi exorbitantes, qui authores ſenſerint.*

47 *Coadjutoria cum futura ſucceſſione in Cathedralibus, & Monaſteriis an, & quo reſpectu dicatur eſſe contra Canones, & nu. ſeqq.*

48 *Intellectus cap.* Petiiſti, 7. & quæſt. 1. *num.* 49. 78. *& ſeqq.*

49 *Papa ex ſpeciali indulgentia, & diſpenſatione poteſt tribuere Epiſcopo facultatem, ut in ultimo vitæ ſpiritu ſibi ſucceſſorem deſignet, & n.78. & 82.*

50 *Coadjutoriæ cum futura ſucceſſione, quæ dantur à Papa in Canonicatibus, & aliis beneficiis, in Cathedrali vel collegiata Eccleſia, an exorbitent à jure communi, & nu. ſeq. uſque ad n.69.*

Anve exorbitent à Concilio Tridentino, n.69.

51 *Coadjutoria cum futura ſucceſſione in inferioribus beneficiis eſt prorſus incognita ſacris Canonibus.*

52 *Coadjutoria hodierna hæreditariæ ſucceſſionis imaginem refert, & n.75.*

53 *Coadjutoria cum futura ſucceſſione ingerit votum captandæ mortis, quod non excluditur per conſenſum coadjuti, & nu. ſeqq.*

54 *Coadjutor cum futura ſucceſſione reſpectu beneficii nec titulum habet, nec poſſeſſionem, ſed eſt fictus beneficiatus, & n. 66.*

56 *Coadjutoria cum futura ſucceſſione propter conſenſum coadjuti eſt minùs odioſa, quàm gratia merè præventiva.*

57 *Coadjutoria hodierna in quibus differat à coadjutoria ſecundum formam juris communis, & nu. ſeq. uſque ad num. 69.*

58 *Coadjutoria perpetua requirit conſenſum coadjuti, alioquin gratia eſt nulla.*

59 *Coadjutor de jure communi tenetur reſidere.*

60 *Coadjutor cum futura ſucceſſione non poteſt choro, aut capitulo intereſſe, nec aliquid jurium Canònicalium exercere contradicente coadjuto.*

61 *Coadjutoria de jure non datur propter benemerita, aut in favorem perſonæ, ſed ob Eccleſiæ neceſſitatem.*

62 *Coadjutoria cum futura ſucceſſione continet duas gratias æquè principales, unam in favorem coadjutoris, alteram in favorem coadjuti.*

63 *Coadjutoria temporalis non datur niſi decrepitis, vel morbo incurabili impeditis officium exercere.*

64 *Coadjutori de jure datur certa portio ex redditibus beneficii in compenſationem laborum.*

65 *Coadjutor cùm futura ſucceſſione diſtributiones non lucratur ſibi, ſed ad utilitatem coadjuti, nec quidquam percipit ex fructibus beneficii.*

66 *Coadjutor temporalis poteſt quandocumque amoveri, & alius in ejus locum ſubrogari.*

67 *Coadjutoria temporalis dari poteſt ab eo, ad quem ſpectat deſtitutio, vel ceſſionis admiſſio.*

68 *Coadjutoriam perpetuam non dat Legatus de latere, ſed ſolus Papa.*

69 *Coadjutoriæ cùm futura ſucceſſione permittuntur à Concilio Tridentino in Cathedralibus, & Monaſteriis dumtaxat, non autem in beneficiis inferioribus, & n. ſeqq. uſque ad n. 87.*

Et quæ ſit ratio differentiæ, n 72.

70 *Concilium Tridentinum quo ſenſu in aliquibus prohibitionibus intelligatur includere Summum Pontificem, & n. ſeqq.*

71 *Expectativæ ad beneficia vacatura ab inferioribus à Papa concedi non poſſunt.*

73 *Canonicus infirmus, vel ſenio confectus non tenetur inſervire per ſubſtitutum.*

74 *Coadjutoriæ utilitas non eſt tanta, ut illi non præponderent gravamina plurima, quæ ex futura ſucceſſione Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis inferuntur.*

75 *Et quæ ſint hujuſmodi gravamina, & n. ſeq. & 79.*

76 *Ad coadjutoriam obtinendam exiguntur litteræ commendatitiæ aut Epiſcopi, aut Capituli.*

77 *Papa concedendo in Germania coadjutorias perpetuas in omnibus menſibus, dicitur Concordatis contravenire.*

79 *Coadjutor cum futura ſucceſſione quibus conditionibus detur Epiſcopo ſecundùm antiquos Canones.*

80 *Ordinare, quandoque idem importat; quod conferre, vel confirmare.*

81 *Auguſtinus non fuit ſucceſſor, ſed coepiſcopus Valerii Hipponenſis Eccleſiæ Epiſcopi.*

82 *Papa poteſt dare futuram ſucceſſionem in beneficio viventis, non ſecundum jus commune, ſed diſpenſativè, & ex plenitudine poteſtatis, & n. ſeqq.*

85 *Expectativæ conceſſæ à Papa ſuſtinentur, etiamſi Concilio Trid. derogatum non fuerit.*

86 *Concilio Tridentino nec ſolet, nec oportet generaliter, aut ſpecialiter derogari, dummodò ſupplicatio manu Papæ ſignata fuerit, ex motu proprio S. Pii V.*

N*Ulla*. Quidam erant nimis celeres in conferendis be- 1
neficiis, quia promittebant illa, vel conferebant
priuſquam vacarent; & contra hos providet prima pars
Concilii Lateranen. Alii verò viceverſa nimis erant tardi
in illis conferendis cùm vacabant; & contra hos deſides
providet pars ſecunda, ibi, *Contra verò*. Et breviter hoc
intendit ſecundùm Jo. Andr. cui cæteri conſentiunt: Bene-
ficia non vacantia concedi, vel promitti non debent; & 2
cùm vacaverint, concedi debent infra ſex menſes, quibus
elapſis de Epiſcopo ad Capitulum, & è converſo, & de-
mum ad proximum Superiorem collatio devolvitur. Pri-
ma pars tria facit. Primò ponit prohibitionem. Secundò
ejus cauſam, ibi, *Ne deſiderare*. Tertiò, illam fortificat
per locum à minori, ibi, *Cum enim*. Pars ſecunda itidem
facit tria. Primò, ſtatuit tempus ad conferendum. Secun-
dò, punit negligentiam primi gradus, ibi, *Si autem* Ter-
tiò, punit negligentiam ſecundi, ibi, *Vel ſi omnes*.

Nota primò, ex principio textus, differentiam eſſe in- 3
ter Eccleſiaſtica miniſteria, beneficia, & Eccleſias: nam pro
Eccleſiaſticis miniſteriis hìc poſſunt intelligi officia, & di-
gnitates, veluti Archidiaconatus, Præceptoriæ, Sacriſtię,
& ſimilia, *ut c. Cùm in cunctis, §. Inferiora, ſupra de elect.* Pro
beneficiis ſtrictè intelliguntur prębendæ; & pro Eccleſiis
Parochiales, ut hic per gloſ. 1. Hoſtien. *in princ.* Jo. Andr. *n.* 2.
Card. *n.* 1. & Abb. *in* 1. *notab.* In latiori tamen ſignificatione
omnia comprehenduntur beneficii appellatione, *ut c. Bene-
ficium, de reg. jur. lib.* 6. Abb. 6. *ubi ſupra*, & notant Butr. &
alii *in c. Olim, infra, de verbor. ſignif.*

Secundò, nota ibi, *Antequam vacent*, promiſſiones de 4
beneficiis vacaturis non valere, ut hìc, *& in cap. ſeq. cap.
Ex tenore, & cap. fin. infr. eod.* Cùm enim ſint contra jus
nulla ex illis oritur obligatio, *l. fin. ff. de pact. & c. fin. eodem
tit.* & ita hìc firmant gloſ. ſecunda, Hoſt. *in princ. in ver. An-
tequam vacent*, Butr. *in* 1. *notab.* & Card *nu.* 6. Quod pro- 5
cedit, ſive promiſſio fiat in genere, ſive in ſpecie, & ſive per
hæc verba, *Cum beneficium vacabit*, ſive alio quovis modo,
ut hic per Henric. Boich *col* 2. *in fin. verſ. Aut numquia poſ-
ſint*, poſt Goffred. & Jo. Andr. *nu.* 13. *ver. Et per hoc dicunt
quidam*. Et quamvis ex conſtitutione Innocentii *c. Acce-
dens infra eod.* obligaretur Prælatus promittens beneficium 6
ſub hac forma, *cùm poterit*, vel *cùm ſe facultas obtulerit*; ta-
men conſtitutionem illam poſtea revocavit Bonifacius
VIII. decernens has, & conſimiles promiſſiones, per quas
directè, vel indirectè aperitur via ad beneficia vacatura, eſ-
ſe omninò irritas, *ut in c. Deteſtanda, infra eod. l. b.* 6. Et prę- 7
dicta intellige in Epiſcopis, & aliis Prælatis inferioribus,
non autem in Papa, qui poteſt jus tribuere in beneficiis va-
caturis, *ut c.* 2. *de præb. lib.* 6. cum ſit ſupra jus, *ut c. Propoſuit
infra eod.* & hìc notat Innoc. *in princ.* ibi. *Verum eſt niſi in
Papa*, Henric Boich. *col.* 2. *verſ. in* 1. *caſu*, Butr. *n.* 12. *in fin.*
Joan. Andr. *in d. c. Propoſuit, n.* 3. *in ver. Vacaturæ*, & latiùs
dicam infrà *n.* 82. *&* 84.

Sed hodie à Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *ca.* 19. decretum 8
eſt, mandata de providendo, & gratias expectativas nemini
ampliùs, etiam Collegiis, Univerſitatibus, Senatibus,
& aliis ſingularibus perſonis etiam ſub nomine indulti,
aut ad certam ſummam, vel alio quovis colore concedi,
nec hactenùs conceſſis cuiquam uti licere. Sed nec reſer-
vatio-

vationes mentales, nec aliæ quæcumque gratię ad vacatura, nec indulta ad alienas Eccleſias, vel Monaſteria alicui etiam ex S. R. E. Cardinalibus concedantur, & hactenus conceſſa abrogata eſſe cenſeantur.

9 Stante hoc decreto Philippus de Monte impetravit ab Imperatore preces primarias ad Archiepiſcopum Cameracen. quæ dantur pro beneficiis vacaturis, cùm tale ſit jus earum precum; quibus legitimè intimatis Archiepiſcopo, vacavit Eccleſia Beatæ Mariæ Virginis Cameracen. Theſauraria, de qua licèt vigore dictarum precum providendus fuiſſet aſſertus Philipphus, qui infra tempus debitum eam acceptavit; nihilominus Archiepiſcopus Cameracen. illam contulit cuidam Giberto Leonino, ſub prętextu, quòd decretum Concilii *ca.19. ſeſſ.24.* tollit quaſcumque conceſſiones ad vacatura. Et quia *in d. cap.19.* nulla habetur mentio de Imperatoribus, ſupplicavit declarari per Congrega-
10 tionem Concilii, an *d. cap.19.* afficiat hujuſmodi conceſſiones, & indulta ad vacatura ſic anteà conceſſa per Romanum Pontificem Imperatori, & demum per Pium IV. confirmata. S. Congregatio cenſuit haſce primarias preces non comprehendi *d. cap.19.* quia non nominatur Imperator, qui eſt ſpeciali nota dignus & nominantur Cardinales, qui ſunt & ipſi ſpeciali nota digni. Unde ſi Concilium voluiſſet comprehendere Imperatorem, expreſſiſſet, vel ſaltem poſt Cardinales dixiſſet, & quibuſcumque aliis. Quo caſu dictio, *aliis* intelligeretur de iis, qui & ipſi ſpeciali nota digni fuiſſent. Præterà exprimitur de expectativis conceſſis Univerſitatibus, Senatibus, & aliis ſingularibus perſonis. Ergo Concilium expreſſiſſet etiam Imperatores, ſi voluiſſet. Referendum tamen Sanctiſſimo D.N. Gregorio XIII. qui probavit ſententiam Congregationis, & juſſit fieri declaratoriam per litteras Congregationis, & ultra rationes ponderatas à Congreg. addidit Sanctitas Sua, quod meminit tempore Concilii, quando formabatur *d. cap.19.* aliquos voluiſſe addi, & primarias preces Imperatori conceſſas; ſed communior ſententia Patrum fuit, ut tolleretur earum mentio. Sicque non comprehenduntur *d. cap.19.*

11 Tertiò nota, præbendas vacantes per Prælatum, vel Capitulum poſſe promitti: ut hìc probatur à contrario ſenſu in illis verbis, antequam vacent, ſecundùm Jo. Andr. *n.3.* Collect. *nu.4* Henric. Boich. *col.3. in princ. verſ. Numquid poſſunt promitti*, Butr. *n.7.* Card. *n.9* Anchar. *nu.8.* Abb. *n.2.* & Jo. de Anan. *n.6.* Qui tamen omnes affirmant ex promiſſione hujuſmodi non uſque adeò beneficium affici, ut annulletur collatio alteri facta, ad inſtar ſponſaliorum de futuro, quæ non irritant matrimonium cum alia initum, *cap. Sicut, & cap. Si inter, infra de ſponſal.* Sic etiam vo-
12 tum ſimplex non dirimit votum ſecundum ſolemne, *c. Qui poſt votum, de regular. lib.6.* Facit textus à contrario *in cap. Si tibi abſenti, de præbend. eod. lib.* An autem ex vi promiſſionis ad aliquid poſſit agi, & ad quid, dic ut notatur *in c. 2. infrà eod. lib. 6.*

13 Quartò nota ibi, *Ne deſiderare:* non eſſe licitum culquam ſperare mortem proximi ſui, quem diligere debet ſicut ſeipſum, Matth. 22. Lucæ 10. *cap. unic.* cum ſua gloſ. *in ver. Caput, ſupra, de ſacr. unct.* Cardin. hìc *in 3. notab.* & Anchar. *n.9.* Propterea enim expectativæ ſunt prohibitæ, quia ingerunt votum mortis alienæ, concordat *cap. 2. & c. Ne captandæ, infrà eod. lib.6. l. de fideicommiſſo, C. de tranſact.* Sunt enim hujuſmodi pactiones plenæ triſtiſſimi,
14 & periculoſi eventus, dicit textus *in l. fin. C. de pact.* & ideò quantò ſuperior eſt ſanctior, tantò faciliùs debet abſtinere à promiſſionibus vacaturorum beneficiorum, ut
15 formaliter inquit Abb. hìc *n.3.* Non tamen id efficiunt cauſaliter, ſed occaſionaliter; & ideò Papa poteſt ſuper hoc diſpenſare, ut notat Jo. Andr. *in cap. Propoſuit, num. 3. in ver. Vacaturæ, infrà eod.*

16 Quintò nota ibi, *In ipſis etiam legibus Gentilium*, Sacros Canones non dedignari leges Gentilium imitari: nam Canonum ſtatuta Principum conſtitutionibus adjuvantur, *c.1. infr. de nov. oper. nunc.* quaſi ſint ancillæ Canonum, ut ibi explicat Jo. Andr. *n.2. in ver. Adjuvantur*, & de libris Gentilium, & Paganorum vide bonam gloſſam *in cap. Forus, in ver. De qua Virgilius, infr. de verb. ſignif.* Sed quæres, ubi ſunt ejuſmodi leges Gentilium improbantes pactum de futura ſucceſſione? Joan. & Tancred. inducunt *l. Ex eo inſtrumento, C. de inutil. ſtipul. & l. fin. C. de pact.* Sed non benè, quia leges illæ ſunt Chriſtianorum Imperatorum. Solvit Hoſt. hìc *nu. 1.* quòd pro Gentilibus hìc intelligantur laici gentiliter viventes. Sed melius infrà, in verb. *Gentiles*, dicit hoc eſſe inhibitum etiam in legibus digeſtorum, *ut l. Neminem, ff. de acquir. hæred. l. Quidam, §. ... ff. de donat. l. 2. in fi. ff. de his quib. ut indig.* & in aliis compluribus per eum allegatis. Quod etiam innuitur *in d. l. fin. C. de pact.* ibi, *Secundum veteres itaque regulas*, & ſequitur Jo. Andr. *nu 12.* & Card. *n.4.*

Sextò, nota ex parte textus expectationem futuræ ſuc- 17
ceſſionis in beneficiis Eccleſiaſticis eſſe contra omnia jura, ut probat hìc contextus Concilii Lateranen. ponderando ſingulas illius partes. Quòd ſit contra jus divinum, inſinuant verba illa, *Et divini plenum animadverſione judicii:* niſi enim legi divinæ adverſaretur, utique divina ultione non puniretur, *cap. Qui peccat, 23. q. 4.* Quòd ſit contra 18
jus naturale, colligitur ex textu, tum quia dicit hoc turpe eſſe, id eſt contra bonos mores, *ut l. Ex eo, C. de inutil. ſtipulat.* tùm quia ſubnectit rationem illam, ne quis deſiderare mortem proximi videatur (id eſt præſumatur, ſecundùm Hoſt. & Jo. Andr.) in cujus locum, & beneficium ſe crediderit ſucceſſurum. Atque ita expectatio futuræ ſucceſſionis anſam præbet captandi mortem proximi ſui, quod repugnat principiis naturæ, Matth. 22. Luc. 10. Unde Colle- 19
ctar. *in cap. Accepimus, nu.1. verſ. Sed dicendum, ſupra de pact.* dicit hanc rationem naturalem eſſe, & pro bono publico inductam: & publica utilitas prætextu privilegii vacillare non debet, *l.2. C. de privil. Scholar. lib.12.* Et propterea 20
quamvis Papa poſſit conferre in genere beneficia vacatura, *ut cap. Tibi qui, de reſcript. lib 6. & cap. Is cui, de præb. eod. lib.* in ſpecie tamen, & ad inſtantiam certæ perſonæ conferre non debet, ut ibi per eum, quem refert, & ſeq. Bellam. *ibid. in 4. quæſt. n. 4.* Et quamvis poſſit reſervare illius contemplatione, hoc tamen fieri debet eo ignorante, ne detur occaſio, &c. & ita obſervat Curia ſecundùm eos. Quòd ſit contra jus gentium, ſatis innuunt illa verba, *Quam ipſi etiam Gentiles condemnare curarunt, l. 1. §. Jus gentium, ff. de jur. natur.* Similiter quòd ſit contra jus civile, demonſtrat littera ibi, *In ipſis etiam legibus Gentilium inveniatur inhibitum*; & patet ex legibus ſupra citatis in præced. notab. *nu.16.* Demum quòd ſit contra Canones, & decreta generalium Conciliorum, patet apertiſſimè ex hac conſtitutione Concilii Lateranen. *& cap. Dilectus, il primo, ſupra de præben.* ibi, *Vacaturam expectare præbendam Lateranen. Concilio non ſit dubium obviare, & c. Deteſtanda, de conceſſ. præb. lib.6* ex Concilio Tridentino *d. cap.19. ſeſſ. 24. & cap. 7. in princ. ſeſſ. 25. & c. Accepimus, ſupra de pact.* ubi futura ſucceſſio in beneficiis Eccleſiaſticis dicitur iniqua, deteſtabilis, & ſacris Canonibus inimica, cùm concord. de quibus ibi per gloſſ. *in ver. Canonibus.*

Septimò, nota ex ſecunda parte textus dictionem, *diu*, 21
quandoque connotare tempus ſex menſium, ut patet hìc, ſecundùm Joan. Andr. *num.6.* qui remittit *ad cap. fin. infra de fidejuſſ.* Anchar. *num. 12.* Imol. *num.4.* & Joan. de Anan. *n. 16.* Quandoque denotat tempus quadraginta dierum ſecundùm ſtylum Curiæ, ut per Joan. Andr. *in cap. Ex parte Abbatiſſæ, infra de privileg.* & Gemin. *conſ.78.* incip. *Formantur, ſub n.5. verſ. Nec obſtat ſi dicatur.* Quandoque *diu* dicitur tempus decem, vel viginti annorum, ut notat gloſ. *in l.2. in verbo Diu, C. de acquir. poſſeſſ.* & Bart. *in l. 1. §. Denique n.2. ff. de aqu. pluv. arcen.* Alibi dicitur arbitrio Judicis, ut notatur *in l. Lucius, ff. Mand. & in l. Si pro eo, C. eod.* & per Menoch. *de arbitrar. jud. in Addit. ad lib. 2. caſ. 231. n.40.* Vide remiſſiones Petri Brixien. *in ſuo Repertorio, in ver. Diu.*

Octavò nota ibi, *Perſonis*, officia, & beneficia Eccle- 22
ſiaſtica eſſe conferenda perſonis, quæ dignè valeant adminiſtrare, ut hìc in littera. Eſt autem perſona, rationalis naturæ individua ſubſtantia, ut diffinit Boetius relatus à D. Thom. *in 1. ſentent. diſt. 25. art. 1.* vel rationalis creaturæ individua eſſentia, ſecundùm Jo. Andr. hìc *n.7.* Ad quod non advertit ille Epiſcopus Brixienſis, qui amico ab eo petenti Eccleſiam vacantem pro filio ſuo nondum nato, reſpondit, Habeat illam, ſit maſculus vel fœmina: ut ita refert Joan. Andr. ſe audiviſſe à Joanne ipſius Epiſcopi ſucceſſore. Conferens tamen indigno non incidit in pœnam *c. Cùm in* 23
cunctis, de elect. quia pœna illa locum habet in eligente, non autem in conferente, ut notat Butr. *in cap. De multa*, per illum textum *n. 3. ſupra de præbend.* & ibi etiam Imol. *n.4.* In hoc tamen vide Abbatem in prędicta decretali, *Cùm in cunctis, §. fin. n.4.*

Nonò

24 Nonò nota ibi, *infra ſex menſes*, Ordinarios Collatores
habere ſemeſtre tempus ad conferendum beneficia ad ipſo-
rum collationem ſpectantia, quo elapſo pro illa vice confe-
rendi poteſtate privantur, ut hìc eſt caſus ſecundùm omnes,
& notant Butr. *in 2. notab.* Anchar. *n.* 13. Imol. *n.* 3. Abb. *n.* 4.
25 & Jo. de Anan. *num.* 18. Hoc autem tempus incipit currere
non à die monitionis, ut voluit Hugo, quæ non requiri-
tur, cùm dies interpellet pro homine, *c. Potuit, de locat.*
neque à die vacationis beneficii, ut quidam putarunt, ſed
à die ſcientiæ, *ut c. Quia diverſitatem, in fin. infr. eod.* & te-
net hìc gloſſ. *in verb. Infra ſex menſes*, Innoc. *in eod. ver.*
Hoſt. *n.* 2 Butr. *n.* 13. Anchar. *num.* 17. & alii communiter,
Abb. *in c. Ex parte, num.* 13. *infra eod. & in cap. fin. n.* 7. *de*
jurepatr. Rota *deciſ.* 6. *de jurepatr. in novis*. Ideòque impe-
trans beneficium tamquam devolutum probare debet noti-
tiam vacationis illius, ad quem collatio pertinet: alioquin
gratia non cenſetur juſtificata, ut reſolvit Rota coram
26 Card. Seraph. *deciſ.* 1270. *n.* 1. Elapſo autem ſemeſtri etiam-
ſi ſuperior jure devoluto nondum contulerit, non licet
moram purgare, argum. *c. Licèt, & c. Litteras, de ſuppl. ne-*
glig. Prælator. ſecundùm Innoc. *in eod. verb. Sex menſes,*
verſ. Nos autem dicimus, Hoſt. *n.* 3. & Jo. Andr. *n.* 14. Butr. *nu.*
15. Anchar. *nu.* 18. Imol. *nu.* 12. & Abb. *n.* 11. ubi reddit ratio-
nem quia per lapſum hujus temporis in continenti devolvi-
tur poteſtas ad ſuperiorem. Quo fit, ut nec liceat petere in
integrum reſtitutionem, ſecundùm Collect. hìc *nu.* 20. *per*
dict. c. Licèt, poſt Jo. Andr. in Clem. *unic. de in integrum re-*
27 *ſtit.* Rurſus hoc tempus ſex menſium eſt utile ab initio, tum
quia non currit ignoranti, ut proximè dictum eſt per *d. c.*
Quia diverſitatem, §. fin. & d. cap. Licèt, & ſic eſt utile, *ut l.*
Annus, ff. de Calumniator. & l. 2. *C qui admitt.* Tum quia
non currit non valenti conferre etiam ſui culpa, *ut d. cap.*
Quia § Sic tamen. Unde ex hoc ſemeſtri ſubtrahitur tem-
pus ſuſpenſionis, & peregrinationis, ut hìc per gloſſ. *in ver.*
28 *infr. ſex menſes,* Innoc. *in eod. verb* Hoſt. *n.* 2 *&* 3. *verſ. Quæ-*
ritur an iſtud tempus. Sed alio reſpectu eſt continuum, quia
currit etiam diebus feriatis, ſecundùm Jo. Andr. *n.* 14. *verſ.*
Et ibi utile. Facit *c. Capellanus, de fer. & l.* 1. *§ Item nun-*
tiatio, ff. de nov. oper. nunc. & eſt ſimile in decennio appel-
lationis, de quo *in c Anteriorum, 2. q. 6.*
29 Decimò nota ibi, *Conferre diſtulerit*, jus conferendi be-
neficium devolvi ad ſuperiorem, ſi is, ad quem ſpectat col-
latio, diſtulerit ultra ſex menſes conferre, ut eſt caſus hìc.
30 Quod procedit in omnibus dignitatibus, officiis & præben-
dis, dummodo tamen ſint diſtinctę, vel certus numerus ſta-
tutus: aliàs ſecùs, ut in Eccleſiis non numeratis, quia in il-
lis non datur vacatio; ac proindè non poteſt eſſe locus de-
volutioni, textus eſt *in c. Ex parte, infra eod.* & hìc notat
gl. *in verb. Infra ſex menſes, verſ. Iſta tamen Conſtitutio,*
Innoc. *poſt med. verſ. Et dicimus locum habere*, licèt lega-
tur corruptè, Hoſt. *n.* 3 *verſ. Quarto*.
31 Rurſus quamvis olim hæc devolutio locum non haberet
in Epiſcopatibus, & Archiepiſcopatibus, *ut c. Dilectus*,
infr. eod. hodie tamen locum habet tam in ipſis, quàm in
Abbatiis, ut poteſtas eligendi transferatur ad Superiorem;
ſed minus tempus devolutioni præſcribitur, id eſt trium
menſium, quia mora in talibus eſt periculoſa; hìc eſt tex-
tus *in c. Ne pro defectu, ſupra de elect. & in c. Quamquam*,
eod. tit. lib. 6. gl. præalleg. hìc Innoc. *circa fin. verſ. Et licèt*
olim, & Hoſtien. *n* 3. *verſ. Quartò*.
32 Cæterum non vendicat ſibi locum pœna devolutionis
hìc ſtatuta in eo, qui debet inſtituere preſentatum à Patro-
no, ut tenent Domini de Rota *deciſ.* 212. *aliàs* 4. *verſ. Præ-*
terea nullum tempus, de jurepatr. in novis; quia hæc de-
cretalis loquitur in eo, ad quem ſpectat jus conferendi;
unde non extenditur ad eum, ad quem ſpectat jus inſtitu-
endi: reſpectu enim inſtitutionis faciendæ non reperitur
tempus à jure præfixum; & illam deciſionem refert, &
ſequitur Abb. hìc *num.* 11.
33 Demum pœna devolutionis locum habet, dummodò
is, ad quem ſpectat collatio, diſtulerit conferre per ne-
gligentiam: ſecùs ſi per impotentiam juris, vel facti, etiam
culpa contingentem, *ut c. Quia diverſitatem, infra eod. &*
c. Cùm M. ſupra de Conſtit. ſecundum Innoc. hìc *in fin.* Hoſt.
nu. 3. *ver. Conferre*, & Jo. Andr. *nu.* 7. *in ver. Diſtulerit*,
quibus cæteri conſentiunt, & fuſiùs dictum eſt ſupra in
præc. notab. *nu.* 7.
34 Undecimò nota in eodem *verſ. Diſtulerit*, hanc devolu-
tionem poteſtatis conferendi beneficium ob negligentiam
non conferentis fieri ad proximum Superiorem gradatim,
ut hìc eſt deciſio multùm notabilis, quæ quotidiè obſerva-
tur in praxi. Unde ſi Capitulum infra ſex menſes non con-
ferat, poteſtas devolvitur ad Epiſcopum, qui habet ſex
menſes, ut hìc, *& in c. Licèt, ſuprà de ſuppl. neglig. Præl.* &
Epiſcopo negligente, fit devolutio ad Metropolitanum,
qui ſimiliter habet alios ſex menſes: eoque non conferente,
devolvitur poteſtas ad Patriarcham, cui Archiepiſcopo ſu-
beſt. Quòd ſi Superiorem non habeat, ad Papam fit devo-
lutio, ut hìc firmat Abbas *in ult. notab.* poſt Hoſt. *in fin.* Jo.
Andr. *nu.* 8. *in ver. Omnes*, Imol. *n.* 16. Rebuff. *in praxi benef.*
tit. de devol. n. 7. & tenent Domini de Rota *deciſ.* 1. *nu.* 4. *de*
ſupplen. neglig. Prælator. in nov. Mantic. *deciſ.* 260. *n.* 2. Nota 35
tamen differentiam inter Metropolitanum & Papam: nam
Metropolitanus conferre non poteſt jure devoluto, niſi
omnes inferiores Collatores ultra ſex menſes conferre ne-
glexerint, ut patet ex littera ibi, *Vel ſi omnes, & in c. Po-*
ſtulaſtis, infr. eod. & tenent hìc Jo. Andr. *n* 8. *in ver Omnes.* 36
Sed Papa lapſo primo ſemeſtri ſtatim poteſt providere, ut
per Gonzal. *ad regul. de Menſib in proœm.* § 3. *nu.* 5 & vide
Rotam apud Card. Seraphin. *deciſ.* 1363. Rurſus Papæ ne- 37
gligentiam nemo ſupplet, cùm ſuperiorem non habeat; ſal-
vo tamen eo quod habetur *in c. Statutum, de præb. lib.* 6. ubi
ſi Papa beneficium vacans in Curia non conferat infra
menſem à die vacationis Ordinarius confert ſecundum
Boattinum, cujus dictum hìc ſequitur Jo. Andr. *n.* 8. *in ver.*
Metropolitanus, Imol. *nu.* 16. & Jo. de Anan *n.* 19.
Sed hìc incidit dubitatio, numquid legatus natus, ad 38
quem devolvitur poteſtas conferendi propter negligentiam
inferioris, habeat duo ſemeſtria ad conferendum.
Præmitto ejuſmodi legatos natos, ut ſunt Archiepiſcopi
Eboracenſ. Cantuarienſ. Rhemenſ. & Piſan. quamvis poſ-
ſint ſuam juriſdictionem exercere in diœceſibus ſuffraga-
neorum ſuorum, & tota Provincia, ut habetur *in cap.* 1. *de*
offic. leg. lib. 6. *& in c.* 1. *de appellat* non tamen poſſe confer-
re beneficia ad collationem inferiorum ſpectantia, niſi po-
ſteà quam propter negligentiam eorumdem inferiorum ad
eos devoluta fuerit collatio, juxta textum hìc. In quo ca-
ſu dubitatur an talis habeat duo ſemeſtria, unum ſcilicet
tamquam Archiepiſcopus, aliud tamquam Legatus.
Pro parte affirmativa facit concurrentia diverſorum ju-
rium in eadem perſona, arg. eorum, quæ habentur *in c. A*
collatione, de appell. lib. 6. *in c. Poſtulaſtis, infra eod. in c. Cùm*
inter univerſas, ſupra de elect. & in l. Tutorem, ff. de his qui
indig. Contrarium tenent Domini de Rota *in præalleg. dec.*
1. *n.* 5. *de ſuppl. neglig. Prælat. in nov.* dicentes de hoc eſſe ca-
ſum *in c. Licèt, ſuprà de ſuppl. neglig. Prælat.* ubi de Ebora-
cen. Archiepiſcopo, qui eſt Legatus natus ratione ſuæ digni-
tatis ſicut Canturien. *ut in c.* 1. *ſupra de offic. legat.* & tamen
ibi antequam fiat devolutio ad Papam, non habet, niſi uni-
cum ſemeſtre, & ſequuntur prædictam deciſionem Butr. hìc
n. 10. & Imol. *n.* 17. quia tamquam Prælatus non habet pote-
ſtatem ſupplendi negligentiam propriam, ubi neglexerit
tamquam Archiepiſcopus; & ideò ſibi tamquam legato non
dabitur aliud ſemeſtre, ſicut de ſeipſo non poteſt appellari,
nec querela deponi, ſecundùm ea, quæ habentur *in cap. Ro-*
mana de foro compet. lib. 6. *& in c.* 2. *de conſuetud. eod. lib.*
Non obſtant contraria, quia loquuntur in eo caſu, in quo
quis ſimul cum alio debet actum exercere: tunc enim po-
teſt negligentiam propriam ſupplere, *d. c. Poſtulaſtis*, Secùs
quando ſolus debet actum expedire, quia tunc negligen-
tiam ſuam minimè ſupplebit, ut per eoſdem firmat gloſſ.
Pragmat. Sanct. *in tit. de collat. in ver. Reſpectivè*, & Jo. de
Selv. *de benef. in* 2. *part. q.* 3. *n.* 55.
Duodecimò nota, ibi, *Per Capitulum ordinetur*, poteſta- 39
tem conferendi non tantùm devolvi ex minoribus ad Su-
periores, ſed etiam ex Superioribus ad minores, quemad-
modum hìc fit devolutio de Epiſcopo ad Capitulum, &
notat. Hoſt. *n.* 3. *ver. Tertiò quæritur*, Anchar. *n.* 14. & Imol.
n. 5. Aliàs verò minor, aut per negligentiam Superioris, vel
paris non ſupplet, niſi ubi reperitur expreſſum, ut poſt Ar-
chid. *in c. Volumus, 89. diſt.* not. hìc Collect. *n.* 5. & Abb. *n.* 6.
Simile habetur *in c. Cùm ſimus, 9. q.* 3.
Ultimò nota ibi, *Quod ſi ad Capitulum pertinuerit*, Ca- 40
pitulo poſſe competere jus conferendi beneficia etiam pri-
vativè ad Epiſcopum, ut apertè probatur hìc: aliàs enim
non fieret devolutio de Capitulo ad Epiſcopum, & no-
tat Bernard. hìc *in princip.* & Abb. *num.* 5. De ſimultanea
verò inter Epiſcopum, & Capitulum, vide textum

in cap. Cum Eccleſia Vulterana, *ſupra de elect. & in c. Po-*
ſtulaſtis, & quod utrobique plenè notavi *infr. eod.*
41 In gloſſ. 3. nota benè rationem gloſſæ, cur pactum de fu-
tura ſucceſſione in beneficiis Eccleſiaſticis non validetur
ex conſenſu beneficiati, cum tamen ſecùs ſit in pacto de
hæreditate viventis, *ut l. fin. C. de pact.* Ratio enim diffe-
rentiæ eſt ſecundum gloſ. quia non eſt in poteſtate benefi-
ciati dare ſucceſſorem in beneficio, *ut c. Deteſtanda*, *infra*
eod. lib. 6. ſed Paterfamiliàs benè poteſt concedere cui vult
ſuam hæreditatem. Beneficiatus enim eſt Procurator, Pa-
terfamilias dominus, ut per Card. hìc *nu. 7.* Eamdem ratio-
nem aſſignant *in c. Accepimus, de pact.* Jo. Andr. *n. 2.* Bellam.
in princ. in 1. oppoſ. Butr. *n. 6.* & Card. *n. 2.*
42 QUÆRO, an Coadjutoriæ quæ dantur hodie à Sede
Apoſtolica cum futura ſucceſſione, adverſentur juri com-
muni, vel decretis Concilii Tridentini.
Quod ſpectat ad jus commune, duæ ſunt opiniones; Pri-
ma eſt eorum, qui putant hujuſmodi Coadjutorias eſſe con-
formes juri communi, cui adhærent nonnulli ex modernis,
videlicet Nicolaus Garzia *in tract. de benef. part. 4. c. 5. n. 19.*
& Lotter. *de re benef. lib. 2. q. 25. à n. 6.* ubi nititur hanc gra-
tiam à detractoribus vendicare, *& nu. 8.* contendit illius
uſum eſſe antiquiſſimum, & à S. Canonibus approbatum, &
videtur ex mente Putei *deciſ. 478. n. 5. l. 2.* ubi ait, gratiam
43 Coadjutoriæ non eſſe merè præventivam, ſed habere fo-
mentum juris propter conſenſum Coadjuti: nec eſſe ita
odioſam, ſicut eſt gratia merè præventiva, & Quintil.
Mandoſ. *ad reg. 11. q. 5. n. 5.* dum dicit uſum hujus gratiæ ha-
bere aliquam conformitatem cum jure Canonico, licèt
eum carpat Gonzal *ad reg. de Menſib. gloſ. 5. §. 9. n. 46.*
Allegantur pro hac opinione tria jura. Primò ſcilicet *c.*
Petiiſti, *q. 1.* ubi hoc videtur expreſſum. Sed de intellectu
hujus textus plenè dicam infrà *n. 48. 49. & n. 78.*
44 Deinde allegatur *c. Sicut vir. §. Ecce his authoritatibus*,
verſ. Hinc etiam, *cum c. Non autem*, *immediatè ſeq. ead.*
cauſa & quæſt. ubi B. Auguſtinus ſucceſſit in Eccleſia Hip-
ponenſi de conſenſu Epiſcopi ægrotantis, ut dicunt Put. *de-*
ciſ. 226. n. 17. lib. 3. & Lotter. *d. q. 25. n. 8.* qui tamen errore
45 ſunt lapſi, ut patebit infrà *n. 80.* Tertiò allegatur *c. 2. de præb.*
lib. 6. ubi expreſſum eſt Romanum Pontificem, non ſolùm
beneficia cùm vacant poſſe de jure conferre, ſed etiam jus
in ipſis tribuere vacaturis. Ex quibus verbis videtur colli-
gi has gratias præventivas reſpectu Papæ non adverſari La-
teran. Concilio, de quo tamen videbimus infrà *n. 82.*
46 Secunda opinio primæ oppoſita eſt exiſtimantium coad-
jutorias cum futura ſucceſſione nequaquam eſſe juri com-
muni conformes, ſed ex ſtylo adinventas. Ita Caſſador. *de-*
ciſ. 2. n. 2. de reſtit. ſpol. Mohedan. *deciſ. 10. de privil. aliàs*
36. ad fi. dicens hodiernas Coadjutorias eſſe in utraque par-
te odioſas, & exorbitantes à jure, Rota *deciſ. 392. n. 2. par. 3.*
rec. ubi ait in forma hujus gratiç multa decreta contineri ad
favorem Coadjutoris, & Coadjuti, quæ non conveniunt
Coadjutoriæ in forma juris communis, Petr. Andr. Gamb.
in tract. de offic. & poteſt. leg. lib. 5. ſub tit. de Coadjut. n. 23.
Quintil. Mandoſ. *de ſignat. grat. tit. de Coadjut. verſ. Altera*
cum futura ſucceſſione, & in reg. 11. q. 5. n. 4. Navarr. *conſ. 2. n.*
2. in tit. de Cler. ægrot. Quinimò Petr. Gregor. Tholoſan. *de*
benef. c. 30. nu. 2. affirmat Coadjutorias cum futura ſucceſ-
ſione per mortem ejus cui datur Coadjutor, videri deteſta-
biles in jure, per textum *in c. Accepimus*, *ſupra de pact.*
Nituntur omnes hoc pręcipuo fundamento, quòd de jure
communi Coadjutor datur pro neceſſitate Eccleſiæ, & ad
tempus impedimenti, non autem cum futura ſucceſſione,
quæ eſt Sacris Canonibus inimica, ut dicitur *in d. c. Accepi-*
mus; imò ejus officium expirat per obitum Coadjuti, ut pa-
tet ſupra *de Cler. ægrot. per tot. & in c. Grandi, de ſuppl. negl.*
Prælat. lib. 6. & tradunt Jo. Andr. Butr. Card. & reliqui *in c.*
fin. omnes *in 8. q. de Cler. ægrot.*
47 Quid dicendum: Pro ſolutione quæſtionis arbitror di-
ſtinguendas eſſe duas ſpecies Coadjutoriæ cum futura ſuc-
ceſſione. Quædam enim datur pro Cathedrali Eccleſia, vel
Monaſterio, cùm ſcilicet Epiſcopus, vel Prælatus propter
ſenium, vel ægritudinem factus eſt inhabilis ad Paſtorale
munus exercendum, Quędam verò datur pro beneficiis in-
ferioribus in Cathedrali, vel Collegiata Eccleſia, cùm ſcili-
cet Dignitatem obtinens, vel Canonicatum, aut portionem,
ſimiliter propter ſenium, aut morbum redditus eſt inhabilis
ad inſerviendum Eccleſiæ in divinis. Quoad primam ſpe-
ciem, dum dicimus, gratiam Coadjutoriæ perpetuæ in Ca-
thedralibus, & Monaſteriis etiam reſpectu Papæ eſſe con-
trariam S. Canonibus, obſervandum eſt hoc duobus modis
accipi poſſe: Uno modo ut dicamus hanc gratiam uſque
adeò eſſe Canonibus injuſtam, ut neque ex privilegio, vel
diſpenſatione Papæ ſit alicui concedenda, & in hoc ſenſu
hæc gratia nullatenus eſt contra Canones; quod patet ma- 48
nifeſtè, quia Canones permittunt, ut Papa poſſit eam con-
cedere ex urgenti neceſſitate, text. eſt apertus *in c. Petiiſti*,
7. qu. 1. ubi Zacharias Papa duo conceſſit Archiepiſcopo
Moguntino. Unum ſcilicet ut ſibi Coadjutorem adjunge-
ret, cùm eſſet ſenectute, & corporis imbecillitate grava-
tus. Alterum ut in qua hora cognoſceret ſe ex hac vita mi-
graturum eſſe, eumdem Coadjutorem ſibi ſucceſſorem de-
ſignaret. Sed & Concil. Trid. permittit hanc ſpeciem Coad-
jutoriæ *in c. 4. verſ. Quod ſi quando*, *ſeſſ. 25.* ut fuſiùs pate-
bit infrà *n. 69.* Et hoc planum.
Alio modo hęc gratia dici poteſt juri communi contra- 49
ria, in quantum conceditur à Papa non jure ordinario, ſicut
conceditur Coadjutoria temporalis, *ut in c. unic. de Cler.*
ægrot. li. 6. ſed ex ſpeciali privilegio, & diſpenſatione: & hoc
ſenſu veriſſimum eſt Coadjutoriam perpetuam etiam pro
Cathedralibus, & Monaſteriis exorbitare à jure communi,
etiam reſpectu Summi Pontificis. Hoc deduco evidenter
ex *d. c. Petiiſti*, ubi poſteaquam Papa fecit Archiepiſcopo
gratiam Coadjutoris cum futura ſucceſſione, ſtatim ſubje-
cit hæc verba, videlicet, *Hoc nulli concedi alii patimur, quod*
tibi charitate cogente largiri cenſuimus. Et ita hanc conceſ-
ſionem uti Eccleſiæ neceſſariam prodiiſſe ex ſpeciali privi-
legio adnotarunt ibi Hugo Archid. Prępoſ. & alii, ſeu ex
ſpeciali indulgentia, ut loquuntur *in c. Accepimus*, *de pact.*
Hoſt. *n. 2. in verb. Omninò frivolas*, Bellam. *in princ. verſ.*
Non obſtat, Butr. *n. 8.* & Jo. Andr. *in fin.* dicens idem tenere
Goffred. Tancred & Hoſt. *in c. Conſtitutus*, *infra eod.* Facit
optimè decretum Concil. Trid. *c. 18. ſeſſ. 25.*
Quò verò ad ſecundam ſpeciem Coadjutoriæ, quæ da- 50
tur à Summo Pontifice cum futura ſucceſſione in Canoni-
catibus, & aliis beneficiis inferioribus, exiſtimo hujuſ-
modi gratiam omninò exorbitare à jure communi, & à
Concilio Tridentino.
Quod ſpectat ad jus commune, moveor primò, quia nul- 51
lus Canon in corpore juris clauſus reperitur, qui memine-
rit ſimilis gratiæ in inferioribus beneficiis: nam textus in
contrarium adductus *in c. Petiiſti*, *7. q. 1. & §. Ecce his au-*
thoritatibus, *cum c. Non autem*, *immediatè ſeq. ead. cauſ. &*
quæſt. loquuntur in Epiſcopo, in quo longè diverſa eſt ratio,
ut inferiùs explicabitur *n. 72.* Unde Coadjutoria, per quam
ſucceditur Coadjuto in Canonicatibus, & conſimilibus
beneficiis, eſt prorſus incognita Sacris Canonibus. Et
qui contrarium dicit, adducat textum; alioquin erubeſcat
ſine lege loqui, *l. Illam*, *C. de collat.*
Moveor ſecundò, quia Sacri Canones magnoperè abhor- 52
rent à ſucceſſione in beneficiis Eccleſiaſticis, ut patet *in ca.*
Accepimus, ſupra de pactis, in illis verbis: *Hoc iniquum eſt &*
SS. Canonibus inimicum, & ideò non debet aliquatenus tole-
rari; nec non infra, ibi: *Hujuſmodi ſucceſſiones tam deteſta-*
biles, & iniquas. Concordant jura plurima, ibi allegata in
gloſſ. *in verſ. Canonibus.* Hæc autem jura obtinere etiam in
Coadjutoria, quæ datur hodie à Sede Apoſtolica cum futu-
ra ſucceſſione, oſtendo apertiſſimè ex pręalleg. *cap. 7. ſeſſ. 25.*
Concilii Trid. nam ibi in princ. præmittitur ratio illa, vide-
licet: Cùm in beneficiis Eccleſiaſticis ea, quæ hæreditariç
ſucceſſionis imaginem referunt, Sacris Conſtitutionibus
ſint odioſa, & Patrum decretis contraria; ac deinde veluti
conſequens ex præmiſſa ratione deductum ſtatuitur, ut ac-
ceſſus, regreſſus, & Coadjutoriæ cum futura ſucceſſione de
cætero nemini permittantur, ſcilicet à Summo Pontifice,
ut latè deducam infrà *n. 70.* Ergo evidenter apparet has Co-
adjutorias etiam reſpectu Papæ à S. Synodo referri inter ea,
quæ ſapiunt hæreditariam ſucceſſionem, & Sacris Canoni-
bus adverſantur. Quod etiam alia ratione ſuadetur: nam 53
ratio, cur jura deteſtentur hanc ſucceſſionem, illa eſt præci-
pua, quia alienæ mortis ingerit votum, *cap. Deteſtanda*,
de conceſſ. præbend. lib. 6. & latiùs dictum eſt ſuprà *in 4.*
notab. Hæc autem ratio negari non poteſt, quin potiſſi- 54
mùm vigeat in hac ſpecie Coadjutoriæ cum futura ſucceſ-
ſione, cùm Coadjuti vita durante Coadjutor gratis inſer-
viat, & reſpectu beneficii nec titulum habeat, nec poſſeſ-
ſionem, ſed ſit fictus beneficiatus, ut decidit Rota in Sala-
mantina Coadjutoriæ 25. Junii 1593. coram Penia, impreſſa
apud

apud Marcheſan. *de Commiſſ. lib.* 1. *fol.*468. Nic. Garz. *de benef. part.*4. *c.*5. *nu.*34.

55 Nec relevat reſponſio Lotterii *de re benef. lib.*2. *d.q.*25. *n.* 20 *&* 21. quòd in hodierna Coadjutoria requiritur conſenſus, & requiſitio Coadjuti, & propterea ceſſet amaritudo captandæ mortis, ut notat Bart. per illum textum *in l. fin. ſub n.*11. *verſ. Tertiò probo, C. de pact.* Oliſc. *deciſ.*100. *ſub n.* 3. *verſ. Tertiò defenditur*, & in terminis hujus gratiæ Puteus *deciſ.*478. *col. ult. verſ. Nam licèt gratia*, *lib.*2. Etenim hæc ratio videtur ſatis infirma, quia cùm Coadjutor non poſſit ſuccedere in beneficio, niſi ipſo Coadjuto priùs de medio ſublato, in quoddam veluti neceſſarium antecedens ad conſequutionem beneficii inclinatur in deſiderium mortis ipſius, ut colligitur ex hoc cap. ibi: *Ne deſiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum, & beneficium ſe crediderit ſucceſſurum*. Hæc autem inclinatio, & propenſio cùm ſit naturalis, ut dixi ſuprà *n.*19. ex Collect. & Bellam. ridiculum eſt, ut ceſſet ex eo, quòd Coadjutus conſenſerit futuræ ſucceſſioni: non enim Coadjutor minùs appetit illius beneficium, quòd Coadjutus voluerit eum habere in ipſo beneficio ſucceſſorem. Et quidquid ſit ſecundùm leges, certè ſecundùm Canones improbatur pactum futuræ ſucceſſionis propter votum captandæ mortis, etiam conſentiente beneficiato, ut oſtenſum eſt ſuprà *n.* 41. Put.
56 *verò loc. cit.* tantùm dicit gratiam Coadjutoriæ propter conſenſum Coadjuti eſſe minùs odioſam, quàm ſit ſimplex expectativa; ſed non dicit propter conſenſum Coadjuti ceſſare deſiderium captandæ mortis.

57 Moveor tertiò ex quampluribus differentiis, quæ apparent inter Coadjutoriam ſecundùm formam juris communis, & hodiernam. Differunt enim primò, quia Coadjutoria de jure communi datur ad tempus impedimenti, Mohedan. *deciſ.* 10. *aliàs* 36. *de privil.* & expirat per mortem Coadjuti tam naturalem, quàm civilem, Jo. Andr. *in c. fin. in* 8. *q.* & ibi omnes *de Cler. ægrot.* Hæc verò quatenus reſpicit favorem Coadjutoris, per obitum Coadjuti non extinguitur, ut declarat Puteus *deciſ.*98. *lib.*2. & ſcripſi pleniùs *in cap. ex parte*, *n.* 5. *eod. tit.* Differunt ſecundò, quia de jure Coadjutor datur etiam invito, *c. De rectoribus, de Cler. ægrot. & d. cap. Ex parte*, ubi gloſ. ult. *in fin.* Hoſt. *itidem in fin.* & alii communiter, Jo. Andr. *in d. c. fin. in* 9. *q. nu.* 11.
58 Sed in hodierna Coadjutoria requiritur Coadjuti conſenſus, Put. *d. deciſ.*478. *n.*5. *lib.*2. Rota *deciſ.* 410. *n.*8. *part.*3. *recent.* alioquin gratia eſt nulla, Rota *deciſ.* 313. *num.* 27.
59 *part.*7. Differunt tertiò, quia Coadjutor ſecundùm formam juris tenetur reſidere, ne aliàs Eccleſia ob impedimentum Coadjuti debito ſervitio fraudetur; ad hoc enim principaliter fuit adinventa Coadjutoria, *cap.*1. *de Cleric. ægrot.* Put.
60 *deciſ.*226. *n.*13. *lib* 2. Rota *deciſ.*276. *nu.*2. *part.*3. *recent.* At Coadjutor hodiernus nec poteſt in Choro reſidere, nec Capitulo intereſſe, nec aliquid jurium Canonicalium exercere
61 re contradicente Coadjuto, Rota *d. deciſ.*410. *nu.*8. Differunt quartò, quia de jure Coadjutoria non datur propter benemerita, aut in favorem perſonæ, cui conceditur, ſed ob Eccleſiæ neceſſitatem, *c. unic. de Cler. ægrot. lib.*6. Put. *d. deciſ.*226. *n.*13. *lib.*3. Rota *deciſ.*114. *n* 13. *part.*6 *recent.*
62 Sed hodierna Coadjutoria datur ex gratia, & in favorem Coadjutoris, & Coadjuti; ut patet ex tenore litterarum Apoſtolicarum, & obſervat Navar. *conſ.*2. *de Cler. ægrot.* & Rota *d. deciſ.* 392. *n.*2. *par.* 3. *rec.* Continet enim duas gratias æquè principales, unam in favorem Coadjuti, alteram in favorem Coadjutoris, ut per Put. *deciſ.*98. *verſ. Fuit tamen reſolutum*, *lib.*2.
63 Differunt quintò, quia Coadjutoria hodierna indiſtinctè dari ſolet Canonicis ſexagenariis, etiamſi aliàs imbecillitate corporis non ſint gravati, ut paſſim ſervari videmus, cùm tamen de jure non detur niſi decrepitis, id eſt annorum ſeptuaginta: vel alio morbo incurabili impeditis officium exercere, *d. cap. unic*, §. *Verum*, ubi id notat Franc. *in* 2. *notab.* poſt Archid. *n.*6. *de Cler. ægrot. lib.*6.
64 Ancharan *conſ.*188 incip. *Viſis conſiliis*, *n.*7. Differunt ſextò, quia jure communi inſpecto Coadjutori datur certa portio ex redditibus beneficii in compenſationem laborum, *ca. De rectoribus, de Cler. ægrot. & d. c. unic. gloſ. ult. in fin. in cap. Ex parte*, & Jo. Andr. *in cap. fin. in* 10. *membro*, *n.* 12. *eod. tit.* Put. *deciſ.*226 *nu.*13. *lib.*3. At Coadjutor hodiernus
65 nihil percipit, Mohed. *d. deciſ.*10. *aliàs* 36 *de privil.* & divinis intereſſendo diſtributiones non lucratur ſibi, ſed ad utilitatem Coadjuti abſentis, Navarr. *conſ.*2. *n.* 3. *de Cler. ægrot.* & dicitur cenſuiſſe S. Rituum Congreg. in cauſa Conimbricen. 16. Septembris 1606. in 6. dubio, & in Elboracen. 15. Aprilis 1606. & patet ex formula Coadjutoriæ, quam ponit Nicol. Garz. *de benef. part.*4. *cap.*5. *n.*54. Et quamvis nonnumquam inter partes aliter conveniatur, regulariter tamen in litteris conſuevit apponi clauſula infraſcripta, videlicet, quia partes ita conveniunt, ut Coadjutor non poſſit petere congruam, nec quidquam exigere quovis titulo ratione Coadjutoriæ, ut refert Garz. *loc. cit. & in Addit. ſub n.* 130. *dub* 36. Differunt ſeptimò, quia licèt Coadjutor cum 66
futura ſucceſſione nullum jus habeat in beneficio, nec reſpectu tituli, nec reſpectu poſſeſſionis; nihilominus habet jus quoddam noviter creatum circa facultatem coadjuvandi, & eſt fictus beneficiatus, ut dixit Rot. *ſupracitata*, *n.*54. nec revocari poteſt, Put. *deciſ.*98. *lib.*2. Seraph. *deciſ* 1447. *in fin.* At Coadjutor datus ſecundum formam juris, nullum habet jus de novo creatum, ſed nudum miniſterium manuale, & poteſt quandocumque amoveri, & alius in ejus locum ſubrogari, ut per Jo. Andr. *in d. cap. fin. in* 11. *membro n.*13. *de Cler. ægrot.* Ex quibus liquidò conſtat hodiernas Coadjutorias ferè nullam habere conformitatem cum jure communi. Et hinc reſultat alia differentia, quia licèt Co- 67
adjutoria temporalis in inferioribus Prælatis dari poſſit ab Ordinario, ad quem ſpectat deſtitutio, vel ceſſionis admiſſio, *ut cap. De rectoribus*, *& cap fi.* ubi hoc tenet Jo. Andr. *in* 5. *membro*, *n.* 7. Abb *n.*5. & communiter Doctores, *de Cler. ægrot.* tamen Coadjutoriam perpetuam etiam in bene- 68
ficiis inferioribus dat ſolus Papa, qui poteſt ſolus contra Canones diſpenſare, *c. Propoſuit, infr. eod. cap.* 2. *de præb. lib.*6. & firmat Lambertin. *de jurepatr. eod. lib. in* 1. *part.* 2. *libri*, *art.*20. *n.*4. & Navarr *conſ.*1. *de Cler. ægrot.* adeò ut nec dari poſſit à Legato de latere, ut per Gambar. *de offic. leg. lib.* 5. *in rubr. de Coadjutor.* Gonzal. *ad regul. de menſib. gl.*5. §.9. *n.*91. Flamin. Pariſ. *de reſign. benefic. lib.*6. *q.*5. *n* 15. *& lib.*7. *q.*20. *n.*14. & propendit Lambertin. *d. art.*20. *n.*5. Hactenus de jure communi.

Quod verò ſpectat ad Concilium Tridentinum, ſi illius 69
verba ſedulò expendantur, conſtabit apertiſſimè Coadjutorias, quæ dantur hodie cum futura ſucceſſione in Canonicatibus, & conſimilibus beneficiis à S. Synodo eſſe omninò improbatas, & tantummodò eſſe permiſſas ex urgenti cauſa in Epiſcopatibus & Præpoſituris regularibus juxta diſtinctionem, quam ſuperiùs adhibui *nu.*47. Nam in decreto *cap.*7. *ſeſſ.*25. *de refor.* poſt prohibitum acceſſum, & regreſſum ad quodcumque beneficium, primò ſtatuitur regula his verbis, videlicet: *In Coadjutoriis quoque cum futura ſucceſſione idem poſthac obſervetur, ut nemini in quibuſcumque beneficiis Eccleſiaſticis permittantur*. Et in hac re- 70
gula dubitandum non eſt, quin præcipuè includatur Summus Pontifex, quia cùm facultas concedendi Coadjutorias cum futura ſucceſſione ante Concilium Epiſcopis minimè competeret, ut oſtenſum eſt ſuprà *num.* 68. utique fruſtrà Concilium ſtatuiſſet, ut id eis non permitteretur in futurum per illam dictionem, *poſthac*, per quam jus novum ſtatuitur, ut notat gloſſ. in Clem. *Eos*, *in ver. Deinceps*, *de Regular.* Ergo neceſſe eſt, ut mens Concilii fuerit, ut de cætero non permitterentur hujuſmodi Coadjutoriæ à Summo Pontifice, cui ſoli priùs erant permiſſæ ob ſuæ poteſtatis plenitudinem, *c. Propoſuit*, *infrà eod.* Et quamvis Concilium vi coactiva Pontificem Maximum non aſtringat, *c. Significaſti*, & ibi Abb. Antiq. *n.*2. Abb. Sicul. *n.*3 & alii communiter *de elect.* eum tamen non comprehendit vi directiva rationis, quia voluntarius debet ſe illi ſubjicere, ut eſt expreſſum *in c. ult.* § *His ita*, 25 *q.* 1. *& in l. Digna vox*, *C. de leg.* & poſt D. Thomam *in* 1. *part. quæſt.* 96. *art.* 5 *ad* 3. ſcripſi plenè *in cap. Canonum ſtatuta*, *n.*9. *de conſt.* Per hoc enim Concilium indicat Papæ non quid ſit poſſibile, ſed quid ſit honeſtum & laudabile, *c. ult. de reſcript. lib.*6. & notat Calder. *conſ.*526. *circa med. aliàs* 11 *de privil g.* Bald. *in proœm. Decretal. in ver. Gregorius*, *n.*13. Sicut fecit *in cap.* 5. *in fine*, *ſeſſ.* 24. *de reform. matrim.* dum vetuit in ſecundo gradu diſpenſari, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam; & *in cap.* 19. *ſeſſ* 24 dum prohibuit expectativas reſervationes mentales, & alias quaſcumque gratias ad vacatura, etiam in favorem Cardinalium: has enim prohibitiones utique indicavit principaliter Pontifici Ma- 71
ximo, cùm inferioribus nulla ſit poteſtas in gradibus prohibitis diſpenſandi, *cap. Quod ſuper his*, *de conſangu. & affinit.* nec gratias expectativas concedendi contra Concilium Lateranen. ut hic, *& in cap. Dilectus*, *il primo*, *de præb. &*

in

in cap. Deteſtanda, de conceſſ. præb. lib. 6. Regula igitur Con-
cilii in præcitato *cap. 7. ſeſſ. 25.* hæc eſt, videlicet, Coadjuto-
riæ cum futura ſucceſſione in quibuſcumque beneficiis Ec-
cleſiaſticis a Sede Apoſtolica de cætero nemini permittan-
tur. Ab hac regula immediatè ibi ſubnectitur exceptio per
hæc formula verba, id eſt, *Quod ſi quando Eccleſiæ Cathe-
dralis, aut Monaſterii urgens neceſſitas, aut evidens utili-
tas poſtulet, Prælato dari Coadjutorem, is non aliàs cum
futura ſucceſſione detur, quàm hæc cauſa priùs diligentiſſimè
à Sanctiſs. Rom. Pontifice ſit cognita, & qualitates omnes in
illo concurrere certum ſit, quæ à jure, & decretis hujus S. Sy-
nodi in Epiſcopis & Prælatis requiruntur. Aliàs conceſſio-
nes ſuper his factæ ſubreptitiæ eſſe cenſeantur.* Hæc ibi. Ex
quo contextu luce clariùs apparet Coadjutorias cum futura
ſucceſſione à S Synodo non eſſe permiſſas Summo Pontifi-
ci quacumque de cauſa, niſi in Cathedralibus, & Mona-
ſteriis: nam cùm præmiſerit regulam univerſalem negati-
vam in quibuſcumque beneficiis, & ab illa exceperit tan-
tùm Cathedrales, & Monaſteria ex urgenti cauſa, utique
hæc exceptio firmat regulam in contrarium, in Canonica-
tibus, & in aliis beneficiis non exceptis, adeò ut in illis qua-
cumque de cauſa Coadjutoriæ cum futura ſucceſſione de
cætero à Summo Pontifice nullatenùs ſint permittendæ,
c. Dominus, & ibi gloſſ 32. *qu. 7. c. 2. de Conjug leproſor. l.
Nam quod liquidæ, §. fin. in 1. reſp. ff. de pena leg cum ſimil.*
& ita hodiernam Coadjutoriam dici exorbitantem, quia de-
viat ab orbita Concilii Tridentini *in d. cap. 7.* dicit Mohed.
*deciſ. 10. ad fin. de privil. ad gloſ. ult. in c. Quæ à jure, de reg.
jur. lib. 6.* cum aliis per Menoch. *de recuperan. remed. 15. nu.*
13. Unde poſt Concilium nemini fuerunt conceſſæ uſque
ad tempora Sixti V. ut atteſtatur Nicolaus Garzia *de benef.
par. 4. c. 5. nu. 23. & 24.*

72 Quòd ſi quæras, cur Concilium illas permiſerit tantum-
modò in Cathedralibus, & Monaſteriis, non autem in be-
neficiis inferioribus: Reſpondebimus, inter hæc magnam
eſſe rationem diverſitatis; nam in primo caſu cùm Epiſ-
copus vel Prælatus propter ſenium. vel ægritudinem red-
ditus eſt inhabilis ad Paſtorale officium exercendum, ne-
ceſſitas cogit, ut illi de Coadjutore provideatur propter
periculum animarum, ne gregi fidelium deſit cuſtodia Pa-
ſtoralis, *cap. Qualiter, 7. q. 1. cap. Ex parte, de Cler. ægrot.* Sæ-
pè autem contingit, præſertim ultra montes, ut Epiſco-
patus, vel Abbatiæ, Prælato exiſtente inhabili, indigeant
Coadjutore magnæ authoritatis, & potentiæ, qui valeat ibi
Catholicam Religionem ſartam tectam ſervare, & bona,
immunitatemque Eccleſię ac perſonarum Eccleſiaſticarum
ab infidelium, & hæreticorum injuriis defendere. Perſo-
næ autem hujus generis vix ac ne vix quidem induci poſ-
ſunt ad onus Coadjutoris ſubeundum, niſi cum futura ſuc-
ceſſione, ut docuit experientia. Igitur in eo caſu, & in aliis
ſimilibus, charitate cogente, ut dicit textus *in c. Petiiſti, 7.
q. 1.* poterit Summi Pontificis circumſpecta providentia de
perpetua Coadjutoria ſalubriter providere. Hęc autem ra-
tio non viget in Canonicatibus, & aliis beneficiis Cathe-
dralium, vel Collegiatarum Eccleſiarum. Tum quia illis
73 non imminet periculum animarum; & ſi fortè immineret,
non deeſſent, qui cum competenti mercede Coadjutoriam
ſuſciperent ſine futura ſucceſſione. Tum quia in prædictis
Eccleſiis divina officia perſolvuntur à reliquis Collegiali-
bus, & miniſtris Eccleſiæ, nec Canonicus infirmus, vel
ſenio confectus tenetur ſibi Coadjutorem adjungere, aut
inſervire per ſubſtitutum, *c. unic. de Cler. non reſid. lib. 6.* &
fuit milles reſolutum, ut ſcripſi latè *in c. Licèt, à n. 136. ſu-
pra de præb.* Non igitur mirum, ſi in beneficiis inferioribus
Tridentina Synodus has Coadjutorias minimè permiſerit,
cùm in illis conſiderari non poſſit ratio ulla urgentis neceſ-
ſitatis, *c. Quod pro neceſſitate, 1. q. 1. c. Pro remedio*, & ibi
gloſ. *p. 1. q. 7. & c. Paſtoralis, 7. q. 1.* Non enim in argumen-
tum trahi poſſunt, quæ propter neceſſitatem aliquando
ſunt conceſſa, *c. In argumentum, de reg. jur. lib. 6. & cap.
Quod non eſt licitum, infra eod. tit.*

Nec dicatur ſaltem in eis poſſe conſiderari rationem uti-
74 litatis Eccleſiæ, quæ neceſſitati æquiparatur, *c. Poſt tranſla-
tionem, §. Cum ergo, de renunc. & d. c. 7. verſ. Quod ſi Ca-
thedralis. ſeſſ. 25.* eò quòd Eccleſiæ addatur miniſter, qui ſer-
viat in divinis loco Canonici impediti. Nam reſpondetur,
hoc augmentum unius miniſtri ad tempus impediti non eſ-
ſe tanti momenti, ut illi non preponderent gravamina plu-
rima, quæ inde perſonis Eccleſiaſticis inferuntur, ut *c. De-
teſtanda, de conceſſ. prebend. lib. 6.* Nam, ut ait Petr. Andr. 75
Gamb. *de offic. & poteſt. legat. lib. 5. ſub tit. de Coadjut. n. 13.*
per has gratias intrat fœda ſucceſſio in Eccleſia Dei, veluti
referens in beneficiis hæreditariam quandam imaginem,
ſub qua plerumque hæredes fiunt pueri, qui nedum ipſi Co-
adjutore, ſed pædagogo egent. Cujus dictum refert, & ap-
probat Gonzal. *ad reg. de menſib. gloſ. 5. §. 9. n. 41.* Ad hoc bo- 76
nus textus *in c. Indecorum, ſupra de ætat. & qualit.* Et quam-
vis Lotter. *de re benefic. lib. 2. q. 25. num. 19.* dicat hoc perti-
nere ad contingentiam contra mentem Summi Pontificis
ex ſiniſtra informatione, quæ vix præcaveri poteſt, ut oſten-
dit Pius II. *in Epiſtola, quæ inſcribitur, De morib. Germanor.
char. 6. verſ Decipiur interdum*; nihilominus ſi res ſeriò
conſideretur, apparebit id provenire etiam ex natura rei:
nam ad Coadjutoriam non ſolent concurrere niſi graves, &
provectiores, ac benè de Eccleſia meriti. Tum quia tales
ſperant ſe poſſe provideri de beneficio, cùm per obitum va-
cabit; tunc enim digniores præferri ſolent: tamen quia ſi-
bi dedecori eſſe putant tamquam fictos beneficiatos dici
gratis inſervire, poſtremum locum tenere, & ad beneficium
pervenire per viam gratiæ præventivæ. Indeque fit, ut viri
ſeniores, & præſtantiores à junioribus, & minùs idoneis
excludantur, & quaſi ſupplantentur. Et quamvis ad Coad-
jutoriam obtinendam exigantur litteræ teſtimoniales, &
commendatoriæ aut Epiſcopi, aut Capituli ſuper qualitati-
bus Coadjutoris, & indigentia Eccleſiæ, ut atteſtantur
Gonzal. *ad reg. de menſib. gloſ. 5. §. 9. num. 48. cum ſeqq.* &
Lotter. *d. q. 25. n. 27.* docuit tamen experientia hanc caute-
lam parum prodeſſe, cùm ſæpè ſæpiùs hujuſmodi litteræ
emendicatis favoribus extorqueantur. Quinimò audivi
pluribus ab hinc annis quendam Cathedralis Eccleſiæ Ca-
nonicum (Papa, ut arbitror, circumvento) prætextu inha-
bilitatis ad inſerviendum Eccleſiæ in divinis obtinuiſſe ſibi
dari Coadjutorem in Canonicatu cum futura ſucceſſione,
& paulò poſt eumdem Canonicum fuiſſe deputatum Coa-
djutorem dignitatis itidem cum futura ſucceſſione in alia
Eccleſia, atque ita fuit ſimul Coadjutus, & Coadjutor,
& qui habebatur pro inhabili ad inſerviendum pro ſe ipſo,
& egebat Coadjutore in Eccleſia propria, fuit reputatus
habilis ad inſerviendum, & coadjuvandum alium in Eccle-
ſia aliena. Unde ad hæc, & ſimilia abſurda evitanda for- 77
tè conſultius foret, ut Sedes Apoſtolica ab hujſmodi gra-
tiis abſtineret ubique locorum, ſicut abſtinet in Germania,
ubi ex concordatis cautum eſt, ut Papa concedendo Coa-
djutorias cum futura ſucceſſione in omnibus menſibus, di-
catur concordatis contravenire. De quo plenè agit Put. *de-
ciſ. 226. per totam, lib. 3.* Nec obſtat *cap. Petiiſti, 7. quæſt. 1.*
quia loquitur in Epiſcopo, cui ex permiſſione Canonum 78
diſpenſativè dari poteſt Coadjutor cum futura ſucceſſione
ſecundum ea, quæ dicta ſunt ſupra *nu. 47. & num. 69.* Præ- 79
terea, ut ex illo textu perſpicuè apparet, etiam Epiſcopo
Papa non dat Coadjutorem cum futura ſucceſſione, niſi
cum duabus conditionibus. Una eſt, ut Epiſcopus eum
probet in miniſterio Coadjutoriæ. Altera eſt, ut poſtquam
eum probaverit, & aptum eſſe reperit ad officium Paſto-
rale, in ultima hora, in qua cognoverit ſe fore ex hoc ſæ-
culo migraturum, eumdem ſibi ſucceſſorem deſignet.
Nam in tam brevi intervallo, & ſalute Epiſcopi jam deſpe-
rata, ceſſat omnis ſuſpicio voti captandæ mortis. At in
hodierna Coadjutoria, neutra ex his conditionibus obſer-
vatur; imò ante nullum experimentum, & citra periculum
mortis Coadjuti unico contextu datur Coadjutoria, & fu-
tura ſucceſſio, ad hoc *c. Miramur, 61. diſt.* Denique ſi tex-
tus ille accuratè expendatur, conſtabit Zachariam Papam
non dediſſe Archiepiſcopo Moguntino poteſtatem ſibi eli-
gendi ſucceſſorem, ſed tantummodò Coadjutorem aſſu-
mendi, qui tamen poſt obitum Prælati à Sede Aeoſtolica 80
eſſet ordinandus, ut clarè colligitur ex littera ibi, *Ea hora,
qua te de præſenti ſæculo migraturum eſſe cognoveris, præſen-
tibus cunctis ſucceſſorem deſigna, & hic veniat ordinandus.*
Hæc ibi, & ſic non fuit ibi Coadjutoria cum futura ſucceſ-
ſione, ſed ſimplex deſignatio ſucceſſoris, qui tamen ordi-
nandus, ſeu providendus eſſet ab Apoſtolica Sede poſt obi-
tum Coadjuti. Nam ordinare idem importat, quod con-
ferre, ut patet ex littera hujus textus, ibi, *Si autem Epiſco-
pus conferre diſtulerit, per Capitulum ordinetur*, & notat
Butr. *in 5. notab.* Archid. *in cap. Si tibi abſenti, de præb. lib. 6.*
Vel certè idem eſt quod confirmare, *c. Nullus, 58. diſt. c. 2.
de arbitr.* & ita ad text. *in d. c. Petiiſti*, reſpondet Auguſt.

Triumph. *de poteſt. Eccleſiaſt. q.2. art. 2. ad* 2. dicens: Zacharias Papa non conceſſit Epiſcopo Moguntino ſucceſſorem poſſe ſibi inſtituere, ſed benè conceſſit aliquem Epiſcopum poſſe ſibi Coadjutorem aſſumere, qui poſt obitum ejus ad Apoſtolicam Sedem accederet eligendus, & confirmandus.

81 Item non obſtat *c. Non autem, 7. q. 1. & §. His authoritatibus immediatè præced.* quoniam ſimiliter loquitur in Epiſcopatu, non autem in inferioribus beneficiis, de quibus nunc agimus. Preterea ille textus non tractat de ſucceſſione, ſed de acceſſu: nam Auguſtinus non fuit ſucceſſor, ſed coepiſcopus Valerii; quidquid contra ſcripſerint Put. & Lotter. ſupracitati *n.* 44. ut clarè conſtat ex illis verbis, *Ita conſecratus eſt, ut non ſuccederet in cathedra Epiſcopo, ſed accederet: nam incolumi Valerio Hipponenſis Eccleſiæ coepiſcopus Auguſtinus factus eſt.* Hæc ibi. Unde hæc authoritas potuiſſet à modernis omitti, quia impertinens eſt ad Coadjutoriam cum futura ſucceſſione, quæ multùm differt ab acceſſu, ut illic patet, & in præcitato decreto Concilii Tridentini *c.7. ſeſſ.25.*

82 Demùm non obſtat *cap 2. de præb. lib.6.* quia tantùm probat Summum Pontificem poſſe tribuere jus in beneficiis vacaturis, quod nemo negat. Sed hoc intelligitur non per viam juris communis, ſed per viam diſpenſationis, quæ eſt juris relaxatio, *gloſſ. in c. Ut conſtitueretur, in ver. Detrahendum, 50. diſt.* & dicitur vulnus, quia per eam Jus vulneratur, *cap. Ipſa pietas,* 23, *q.*4. & notat Silveſt. *in ver. Diſpenſatio, in princ.* Quòd autem futura ſucceſſio in beneficio viventis non concedatur a Summo Pontifice ſecundum jus commune, imò contra Canones, & ex ſpeciali indulgentia & diſpenſatione, ac de plenitudine poteſtatis, probo apertiſſimè per quatuor textus. Primus eſt *in c. Propoſuit, infrà eod.* in illis verbis: *Licèt autem intentionis noſtræ non ſit inveſtituras de vacaturis factas contra Canonum inſtituta ratas habere, qui ſecundum plenitudinem poteſtatis de jure poſſumus ſupra jus diſpenſare:* ubi Jo Andr. *n.3. in ver. Vacaturæ,* notabiliter ait: *Quomodo in proviſione vacaturæ Papa tollit vitium, quod eſt in promiſſione, voti ſcilicet captandæ mortis. Reſpondeo, quia Papa eſt ſupra jus.* Secundus textus eſt *in c. Conſtitutus, infr. eod.* ubi dicitur ex Canonicis ſanctionibus prohiberi beneficia concedi, vel promitti antequam vacent, & mandatum de vacaturis continere gratiam perſonalem. Tertius eſt *in c. Ne captandæ, de conceſſ. præb. lib.6.* ubi dicitur: Ne captandæ alienæ mortis occaſio ex benignitate gratiarum Sedis Apoſtolicæ tribuatur; & ſic futura ſucceſſio in beneficiis emanat non ſecundùm jus, ſed ex gratiæ benignitate, & ſpeciali indulgentia Apoſtolicæ Sedis. Quartus textus admodùm clarus eſt *in c. Petiiſti,* 7.
q.1. ubi poſteàquam Zacharias Papa indulſit Archiepiſcopo 83
Moguntino, ut in ſuo tranſitu Coadjutorem ſuum poſſet ſibi ſucceſſorem deſignare, immediatè ſubdit: *Hoc nulli concedi alii patimur, quod tibi charitate cogente largiri cenſuimus;* & ita id eſſe non ſecundùm jus, ſed ex ſpeciali gratia tenent ibi Hugo, & Archid. ſeu ex ſpeciali indulgentia, ut loquitur Jo. Andr. *in c. Accepimus, in fi.* & Butr. *n.8. ſuprà de pact.* Idem firmant ibi Hoſt. *n.2. in ver. Omninò frivolas,* dicens Coadjutorem cum futura ſucceſſione, de quo loquitur textus *in d. c. Petiiſti,* concedi ex diſpenſatione factà à Papa ex certa, & ſpeciali gratia, & ſequitur Bellam. *in d. c. Accepimus, in 4. q. n.4.* poſt Collectar. *ibi n.* 1. Concludo igitur hodiernas Coadjutorias eſſe odioſas, & exorbitantes à jure communi, & Concilio Tridentino.

84 Ceterùm conſtanter affirmo, poſſe Pontificem Maximum ex ſpeciali indulgentia, & diſpenſativè, ut prædixi, legis vinculum relaxare, & has gratias concedere, ut clarè probatur in juribus proximè citatis, *& in d. c* 2. *de præb. lib.*6. & tradit Put. *deciſ.* 226. *n.*17. *lib.* 3. & alibi paſſim Doctores. Nec quiſquam auderet hoc in dubium revocare propter plenitudinem poteſtatis Papæ in beneficialibus, ut in Clem. 1. *in fin. Ut lit. penden.* & ſcripſi latè *in c. Conſultationibus, n.26. & ſeqq. ſupra de Cler. ægrot.* Quod adeò verum eſt, ut non ſolùm Coadjutoria cum futura ſucceſſione, ſed etiam ſimplex expectativa, quæ proculdubio eſt contra Concilium Tridentinum *c.19. ſeſſ.24.* ut dixi Rot. *deciſ.276. nu.*3. 86
par 1. *recent.* ſuſtineatur, licèt Tridentino Concilio derogatum non fuerit, quia illi nec ſolet, nec oportet ſpecialiter derogare, propter expreſſam præſervationem authoritatis Apoſtolicæ Sedis, quæ habetur *in cap. ult. ſeſſ* 25, *de reform.* ſed ſatis eſt, ut Papa diſponat contrarium ejus, quod Concilium diſponit, dummodò ſupplicatio manu Papæ ſignata fuerit, ut expreſsè declaravit ſan. mem. Pius V. in ſuo Motu proprio, quem ad litteram refert Nicol. Garz. *de benef. par 4. ca.5. n.*32 & 33. & ſæpiùs cenſuit S. Congregatio ejuſdem Concilii Interpres, & fuit declaratum in Cancellaria Apoſtolica per Abbreviatores, ut idem Garz. atteſtatur *d. c.5. n.*34. & 35. & decidit Rota in una Penſionis S. Angeli 16. Decembris 1594. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, ut per eundem Garziam *d. c.5. n.*30.

DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ.

Innocentius III. P. Sanctæ Mariæ in via lata diacono Card. Apoſtolicæ ſedis legato:

CAPUT V.

QUia diverſitatem corporum, diverſitas ſæpè ſequitur animorum: & infrà. Conquerebatur inter cætera Eboracen. Archiepiſcopus, quòd cùm ad eum in Eccleſia Eboracen. & aliis ſuis Eccleſiis collatio pertineat præbendarum, tempore ſuſpenſionis ipſius, & poſtmodum etiam, quidam præter ejus auctoritatem ſe intruſerunt in ipſas: & infrà. Mandamus, quatenus eos, qui prebendas vel dignitates Eccleſiæ Eboracen. vel aliarum ad donationem ejus ſpectantes, præter auctoritatem acceperunt ipſius, ad eas reſignandas monitione præmiſſa per excommunicationis ſententiam, & ſubtractionem aliorum beneficiorum, non obſtante confirmatione à ſede Apoſtolica obtenta ſub forma communi, quæ confirmat beneficia & præbendas, ſicut juſtè & pacificè poſſidentur, appellatione remota compellas: niſi fortè aliqui ea vel ex ſpeciali mandato Apoſtolicæ ſedis, vel auctoritate Lateranen. Concilii ab Eboracen. Capitulo ſint adepti: Sic tamen, ut tempus ſuſpenſionis in ſex menſibus nullatenus computetur, cùm illa Lateranen. Concilii conſtitutio contra negligentes tantùm fuerit promulgata: & tunc ſi voluerit, non tamen valuerit Archiepiſcopus ipſe in conferendis præbendis uti propria poteſtate, à qua etſi fuerit ſua culpa ſuſpenſus, non tamen ad ipſum Capitulum ex illa culpa præbendarum erat donatio devoluta; ſed ad illum tempore ſuſpenſionis illius præbendarum donatio pertinebat, qui præter ejus deſidiam & negligentiam, poterat præbendas donare. Tempus etiam quo ad Apoſtolicam ſedem acceſſit, & apud illam permanſit, vel receſſit ab illa, infra ſex menſes nullatenus computetur. Semeſtre autem tempus; non à tempore vacationis præbendarum, ſed notitiæ ipſius potiùs volumus computari.

SUM-

S U M M A R I U M.

1 *SEmeſtre ad eligendum, ſeu conferendum à jure præfixum non currit legitimè impedito, & nu. 7.*
2 *Nec incipit currere niſi à die notitiæ vacationis, & n. 9.*
3 *Quot capita, tot ſententiæ.*
4 *Diverſitatem corporum diverſitas ſæpè ſequitur animorum.*
5 *Arguitur quandoque de extrinſecis ad intrinſeca.*
6 *Intruſus propriè quis dicatur.*
7 *Impedimenti tempus non computatur à ſemeſtri dato ad conferendum, ſive impedimentum ſit juris, ſive facti.*
8 *Impeditus juſtè non poteſt dici negligens.*
10 *Ignorantia excludit negligentiam.*
11 *Suſpenſo non currit tempus ad conferendum, niſi ſit negligens in petenda abſolutione.*
12 *Tempus currit etiam ignoranti, ſi præfixum ſit non in odium negligentiæ, ſed in favorem alterius.*
13 *Prælato ſuſpenſo jus conferendi non devolvitur ad Capitulum, nec ad Archiepiſcopum, ſed ad Papam, & num. 23.*
14 *Papa poteſt præbendas conferre etiam non data negligentia inferioris collatoris.*
15 *Collatio ſi ſit ſimultanea inter Epiſcopum, & Capitulum, Epiſcopo ſuſpenſo, jus conferendi ad Capitulum devolvitur.*
16 *Prælato excommunicato, vel ſuſpenſo, an juriſdictio devolvatur ad Capitulum, ita ut ſit locus electioni Vicarii Capitularis, & nu. ſeqq. uſque in fin.*
17 *Sedes vacat interpretativè, ſi Prælatus ſit excommunicatus, vel ſuſpenſus.*
18 *Aut ſit inutilis ad agendum de jure, & n. 31.*
Declaratur, n. 20. & 23.
19 *Viduata dicitur Eccleſia habens Prælatum inutilem.*
21 *Prælatus excommunicatus, vel ſuſpenſus, pro mortuo reputatur.*
22 *Donatio cauſa mortis confirmatur morte civili ſicut naturali.*
23 *Actus fictus non debet eſſe majoris potentiæ, quàm actus naturalis, & verus.*
24 *Epiſcopo notoriè hæretico, facultas concedendi dimiſſorias pertinet ad Capitulum, & n. 34.*
25 *Epiſcopo excommunicato, vel ſuſpenſo, nec ejus officialis, nec alius poteſt jus reddere niſi Papa.*
26 *Suffraganei excommunicati juriſdictio non devolvitur ad Metropolitanum.*
27 *Argumentum à ſpeciali validum eſt in jure.*
28 *Epiſcopo à paganis, vel ſchiſmaticis capto, ſedes quaſi vacat, & juriſdictio tribuitur Capitulo, & num. ſeqq.*
29 *Mors civilis non æquiparatur naturali, niſi in caſibus in jure expreſſis.*
30 *Prælato ab hoſtibus capto, juriſdictio jure proprio pertinet ad Papam.*
32 *Prælato inhabili datur Coadjutor, nec juriſdictio tranſit in Capitulum.*
33 *Sede vacante interpretativè ob ſuſpenſionem Prælati, œconomus non poteſt convenire, nec conveniri.*

1 QUia diverſitatem. Semeſtre ad eligendum, ſeu confe-
rendum à jure prefixum non currit legitimè impedi-
to. Hoc dicit Abb. Antiq. Jo. Andr Butr. Cardin. Anchar.
2 Imol. & Jo. de Anan. Nec incipit currere, niſi à die notitiæ
vacationis, Abb. Sicul & Guido Papa. Dividitur in duas
partes principales. In prima Archiepiſcopi querela. In ſe-
cunda cauſę commiſſio, ibi, *Mandamus*. Secunda ſubdividi-
tur: nam primò ponit mandatum, & ſolvit obſtaculum. Se-
cundò, duos caſus excipit, ibi, *niſi*, & ſecundum caſum tri-
pliciter exponit ibi, *ſic tamen*; Abbas Siculus adjiciens
omnes diviſiones eſſe notandas, quia multum conferunt ad
declarationem text. nec fruſtra ſunt adinventæ.
3 Nota primò, ex principio litteræ, illud vulgatum: *Quot
capita, tot ſententiæ*; de quo pleniùs in gloſſ. erant enim
diverſæ opiniones, an Archiepiſcopo ex ſua culpa ſuſpenſo
curreret ſemeſtre tempus ad conferendum, & ad quem de-
volveretur collatio præbendarum, an ad Capitulum, vel
ad proximum ſuperiorem, quia diverſitatem corporum di-
4
verſitas ſæpè ſequitur animorum, ut obſervant Abb. Antiq.
n. 1. Abb. Sicul. & Jo. de Anan. *in* 1. *notob.* nam de extrinſe- 5
cis quandoque arguimus ad intrinſeca, & ad hoc ſæpè al-
legatur hoc cap. ut per Ant. de Butr. *n.* 1.
Secundò nota, intruſum propriè dici, qui pręter aucto- 6
ritatem ſuperioris, ad quem pertinet collatio, beneficium
eſt ingreſſus, ut patet in text. ibi, *Præter ejus auctoritatem
ſe intruſerunt*, concordat *c. Ex frequentibus, de inſtitution.
& c. Cum veniſſent, de in integr. reſtit.* & hìc notant Butr. *n.*
4. dicens de hoc eſſe hìc textum apertum, Imol. *n.* 1. & Abb.
in 2. *notab.* Dixi *in c. Cùm jamdudum, nu.* 3. *de præb. & in c.
Niſi cum pridem, à n.* 26. *de renunc.* ubi latè de intruſis, &
quatuor illorum ſpeciebus.
Tertiò nota, in tempore ſex menſium dato Epiſcopis ad 7
conferendum non computari tempus, quo juſtè ſunt impe-
diti, ſive impedimentum ſit juris, ſive facti. De impedi-
mento juris exemplificat textus ibi, *Tempus ſuſpenſionis in
ſex menſibus nullatenus computetur*. De impedimento facti
exemplificat ibi, *Tempus etiam quo ad Apoſtolicam Sedem
acceſſit, & apud illam permanſit, vel receſſit ab illa*, & no-
tant Butr. *n.* 7. Imol. *nu.* 4. & Abb. *nu.* 3. & ſigna rationem in 8
textu expreſſam, quia Lateranenſis Concilii Conſtitutio
contra negligentes tantùm fuit promulgata, *ut in ca. Nulla
ſupra eod.* juſtè autem impeditus non poteſt dici negligens,
& ideò tempus ei non currit, ut hìc, *& in l.* 1. *§. ult. C. de
ann. except. & in l. In rebus, C. de jure dot.* & hìc notat gloſ.
in verb. Suſpenſionis, Jo. Andr. Cardin. Anchar. & omnes
in ſummario textus, Butr. Imol. & Abb. *in locis proximè
citatis*. Unde etiam fit, ut tempus ſex menſium ad confe- 9
rendum non currat à tempore vacationis beneficii, ſed à
die habitæ notitiæ ipſius vacationis, ut hìc eſt caſus, & te-
nuit Rota *deciſ.* 323. *num.* 2. *part.* 2. *recent.* & apud Card.
Seraphin. *deciſ.* 702. *num.* 1. ubi etiam habes, quomodo præ-
dicti ſex menſes ſint computandi, de quo in gloſſ *in cap.
Quam ſit, in verb. Menſes, de elect. lib.* 6. Ratio eſt, quia da-
ta ignorantia, excluditur negligentia, & is qui neſcit, po- 10
teſtatem experiendi non habet, *l. Annus, in fin. ff. de ca-
lumniat. l. Cùm ſex menſes, ff. de ædilit. edict. c. Biduum*,
2. *q.* 6. ſecùs ſi ſciviſſet, quia imputaretur ei, ut hìc in gloſ.
ult. nam etiam Romæ, & in via poſſet beneficia conferre,
ut inquit Innoc. *n.* 5.
Ex quo infertur, ut ſi Archiepiſcopus fuiſſet negligens in 11
petenda abſolutione, tunc benè tempus ei curreret, argum.
c. Quoniam 100. *diſt. c. Si autem, de reſcript. l. Quoniam po-
teſt, ff. de re jud. l. Non omnia, ff. de minor.* ſecundùm gloſſ.
fin. hìc Innoc. *n.* 4. *verſ. Si enim eſſet in mora*, Hoſt. *n.* 6. *verſ.
Alias enim*, Jo And. *n.* 7. *verſ. Secus ſi potuiſſet*, & alios com-
muniter. Et eſt ſimile *in l Qui poteſt facere, ff. de reg. jur. &
in l. Non omnes, §. Qui captus, ff. de re milit.* Hoc autem ca-
ſu Archiepiſcopus licèt fuerit in culpa, non tamen fuit in
mora petendi abſolutionem, ex quo protinùs ad Curiam ſe
contulit, ut patet in text. ibi, *Ad Apoſtolicam Sedem ac-
ceſſit*, & in integra relata ab Ant. Auguſt. *in* 3. *Collect. De-
cret. lib.* 3. *tit.* 8. *c.* 2. & hìc obſervat Innoc. *d. n.* 4.
Ex his rectè deducit Abb. hìc *n.* 3. ut ſi tempus eſſet præfi- 12
xum non in odium negligentiæ, ſed in favorem alterius,
tunc tempus curreret etiam ignoranti, de quo eſt text. *in
l. Genere, ff. de his qui not. infam.* quod latiùs proſequere,
ut per eum.
Ultimò nota, ibi, *Non tamen ad ipſum Capitulum*, Præ- 13
lato ſuſpenſo ab officio, & juriſdictione, ſecundùm Lau-
rentium, & Joannem, vel in ſpecie à poteſtate conferendi
beneficia, ſecundùm Abb. Antiq. hìc *n.* 1. *in ver. Culpa*, jus
conferendi non devolvi ad Capitulum, nec ad Archiepiſco- 14
pum, ſed ad Papam, qui poteſt præbendas conferre etiam
non data negligentia inferioris collatoris, ut in text. ibi: *Sed
ad illum, qui præter ejus deſidiam, & negligentiam poterat
præbendas donare, ad cap.* 1. cum ibi notat. *de ſuppl. neglig.
Prælat. lib.* 6. Et hìc notant gloſſ *in ver. Præter.* Innoc. *nu* 4.
in verb. ad illum, & infr. verſ. Melius videtur, Abb Antiq.
in fin. Hoſt. *n.* 8. *in verb. Sed ad illum, & in verb. Donare*,
Joan. Andr. *n.* 6. *in verb. Sed ad illum, & in verb. Poterat*,
Abb. Siculus *n.* 4. & 5. & reliqui omnes.
Hoc tamen limita notabiliter, niſi collatio inter Epiſco- 15
pum & Capitulum ſit ſimultanea, quia tunc ſuſpenſo vel ex-
communicato Epiſcopo, jus conferendi ad Cpitulum de-
volvitur, ut hìc firmat Innoc. *n.* 3. Hoſt. *eod. nu. in ver. Com-
putetur*, & Abb. *d. n.* 4. Hodie hoc eſt expreſſum *in cap. unic.
ne ſed. vac. lib.* 6. ubi gloſſ. 1. dicit illam Decretalem emanaſſe

ad declarationẽ eorũ, quæ hìc notant Goffr. Innoc. & Hoſt.

16 Hinc ſumpta occaſione QUÆRO, an Prælato excommunicato, vel ſuſpenſo, juriſdictio ad Capitulum devolvatur, adeò ut ſit locus electioni Vicarii Capitularis.

Emerſit nuper hæc quæſtio in caſu Archipresbyteri Altamuræ, qui ab Epiſcopo Gravinæ declaratus fuit excommunicatus, eò quòd ipſius juriſdictionem turbaverit. Et cùm propterea Capitulum contenderet juriſdictionem ad ſe devolutam, & eſſe locum electioni Vicarii Capitularis, juxta conſuetudinem illius Eccleſiæ; re ad S. Congr. Epiſcoporum, & Regularium delata, conſultus fui, quid mihi
17 juris eſse videretur.

Pro Capitulo allegabatur Hoſt. *in Summ. tit. Ne ſede vac.* §. *Quot modis dicatur ſedes vacare*, n. 2. ubi ait, ſedem vacare duobus modis, ſcilicet verè, ut *in tit. Ne ſede vac.* & interpretativè, ut quia Prælatus eſt hæreticus, excommunicatus, vel ſuſpenſus, per hoc *cap. & per c. 1. de Paroch.* &
18 ibi notat gl. *ult. de præſcript. & cap. Quia diligentia de elect.* vacat enim, ſi Prælatus inutilis ſit ad agendum de jure, *l. 1.* §. *pen.* ibi, *Non eſſe authorem, vel ſyndicum: tunc quoque intelligimus, cùm is abſit, aut valetudine impediatur, aut inhabilis ſit ad agendum, ff. Quod cuiuſque univerſ. nomin.*
19 Unde dicitur Eccleſia viduata, quæ licèt Prælatum habeat, tamen inutilem perhibetur habere, *ut c. Inter corporalia*, §. *Sed neque, de translat. Epiſc.* ſic malus Sacerdos non dicitur Sacerdos, *c. Multi*, 41. *diſt.* nec malus Epiſcopus di-
20 citur Epiſcopus, *c. Non omnes*, 2. q. 7. Et quamvis hoc caſu ſecundum Hoſt. non habeat locum *d. tit. Ne Sede vacante*, utcumque tamen verè vacat ſedes, vel interpretativè, ſcilicet de jure, delicto Prælati exigente; vel de facto, dummodò ejuſdem negligentiæ imputari poſſit, ille titulus locum habet, arg. *c. Sciſcitatus, de reſcript.* ita Hoſt. quem ferè ad calamum refert, & ſequitur Joan. Franc. Pavinus in *tract. de offic. & poteſt. cap. Sede vac. Præl. 7. & ult. num. 13. verſ. 2. Si Prælatus, tract. tom. 13. p. 2. fol. 412.* ſubdens hoc etiam tenere Zenzelinum Clem. *fin. de procurat.* Quemad-
21 modum ergo cùm ſedes vacat verè, juriſdictio devolvitur ad capitulum, *ut c. His quæ, & c. Cum olim, de major. & obed.* ita & cùm vacat interpretativè, ſcilicet Prælato excommunicato, vel ſuſpenſo; quia mortuus reputatur, *c. Facilius*, §. *Hoc idem probatur, de pœnit. diſt. 1. c. Viſis*, 16. q. 2. gl. *in d. c. Inter corporalia*, §. *Sede neque, in verb. Inutilem, de translat. Epiſc.* Hoſt. *in c. Per venerabilem*, n. 35. *qui fil. ſint legit.* ad quod vide bonam gl. *in c. Si Epiſcopus, in verb.*
22 *Sed Capitulum de ſuppl. neglig. Prælat. lib. 6.* ubi ait; Et ſic nota, quòd ſicut Capitulum, cùm vacat Eccleſia, ſupplet vicem Epiſcopi in juriſdictione, *ut c. Eccleſiæ, eod. tit. & lib. & c. 1. de major. & obed. lib. 6.* ſic & cùm quaſi vacat. allegat ſimile *in l. Res uxoris, C. de donat. inter vir. & uxor.* ubi donatio cauſa mortis confirmatur morte civili ſicut naturali, & in *l. ult. C. de Epiſc. & Cler.*

23 Non obſtat, quòd Prælato ſuſpenſo ad Capitulum non devolvatur jus conferendi beneficia, ut hìc eſt expreſſum. Quoniam reſponderi poteſt hoc ideò contingere, quia etiam quando ſedes vacat verè, puta per mortem Prælati, tamen jus conferendi in Capitulum non tranſit, ut eſt tex. *in c. Illa, ne ſed. vac.* per rationem gl. *in d. c. Cum olim, in verb. Capitulo, circa fin. de major. & obed.* Unde nil mirum, ſi nec tranſeat, cum ſedes vacat interpretativè, quia actus fictus non debet eſſe majoris potentiæ, quàm actus naturalis, & verus, ut inquit Bald. *in l. 4. n. 2. C. ad Senat. Conſult. Vellejan.* Nec uſquam reperitur jure ſancitum, ut Capitulum ſuppleat vices Prælati in collatione beneficiorum, niſi quando Prælatus eſt negligens in conferendo infra ſemeſtre tempus, ut hìc, & *in c. Nulla, ſupra eod.* & ideò licèt jus conferendi præbendas ſit actus juriſdictionis: tamen ex eo non infertur ad juriſdictionem in genere, quæ tranſit in Capitulum ſede vacante, ut notat gloſſ. *fin in ver. Legitimam, de ſupp. neglig. Prælat.* dicens, non eſſe bonam
24 conſequentiam: quis habet adminiſtrationem legitimam: ergo beneficia confert. Et hanc ſententiam in terminis Epiſcopi hæretici olim probavit S. Congreg. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum. Nam propoſito dubio, an Epiſcopo exiſtente hæretico, facultas concedendi dimiſſorias juxta *c. 10. ſeſſ. 7.* pertineat ad Capitulum Cathedralis Eccleſiæ, die 14. Januarii 1588. S. Congr. cenſuit ad Capitulum pertinere, ſi Epiſcopus ſit notoriè hæreticus.

25 Sed his non obſtantibus reſpondi, Prælato excommunicato, vel ſuſpenſo juriſdictionem non devolvi ad Capitulum, nec eſſe locum electioni Vicarii Capitularis, ſed Papam eſſe adeundum, ut provideat.

Primò enim expreſsè hoc voluit Hoſt. *in c. 1. n. 8. de offic. Vicar. lib. 6.* dicens Epiſcopo excommunicato nec ejus Officialem, nec alium poſſe jus reddere, niſi Papam. Idem tenuit gloſſ. ibi in *ver. Ipſius*, ubi ait: Si Epiſcopus eſt excommunicatus, nec ipſe, nec ipſius Officialis, cùm eorum idem ſit conſiſtorium, de cauſis cognoſcent. Quid ergo tunc fiet? Adeatur Papa, ut provideat. Idem Jo. Monach. *n. 5.* ibi: Sed pone, Epiſcopus eſt excommunicatus, dic, quòd nullus cognoſcit præter Papam, qui hoc caſu habet providere.

Secundò, hoc probat tex. quem præcitati Authores alle- 26
gant *in c. Romana, de ſuppl. neglig. Prælat. lib. 6.* ubi dicitur juriſdictionem ſuffraganei excommunicati ad Metropolitanum non devolvi, & redditur ratio, cùm id non inveniatur à jure conceſſum, & conſequenter conditor Canonis cenſetur eam facultatem ſibi retinuiſſe, per regulam *c. Nuper, infra de ſent. excomm.* Item ſi juriſdictio Prælati ſuſpenſi devoluta eſſet ad Capitulum, Papa non reddidiſſet eam rationem, quòd juriſdictio non inveniatur Metropolitano à jure conceſſa; ſed potiùs reddidiſſet aliam, nempè quòd juriſdictio inveniatur à jure conceſſa alteri, ſcilicet Capitulo, cui jus ſuum non poteſt Metropolitanus auferre, ut dicit gloſ. *in c. fin. in verb. Non poteſt, de ſuppl. neglig. Prælat. lib. 6.*

Tertiò, ad idem eſt text. *in c. Si Epiſcopus, de ſupplen.* 27
neglig. Prælat. lib. 6. inducendo illud per locum à ſpeciali, quod argumentum eſt validum in jure, *ut cap. Præſenti*, §. *loca, de Præb. eod. lib.* & notat Abb. *in cap. Inter alia, num. 21. infra de immunit. Eccleſ.* nam in *d. c. Si Epiſcopus.*
Juriſdictio Epiſcopi naturaliter viventis tribuitur Capitulo 28
in ſpeciali caſu, quando ipſe Epiſcopus eſt captus à paganis, vel ſchiſmaticis, quaſi tunc ſedes per mortem Prælati vacare cenſeatur, ut in litera. Ergo regulariter ſecus, quia 29
mors civilis, vel ſpiritualis non æquiparantur morti naturali, niſi ubi in jure hoc cautum invenitur. & hoc pro regula tenendum eſſe dicit gloſ. Joannis *in cap. Placuit, il 2. in verb. Mortuus*, 16. q. 1. quem in propoſito allegat gloſ. *in dict. capit. Si Epiſcopus, in verb. Sed Capitulum, in fin.* & ita juriſdictionem Prælati ſuperſtitis non tranſire in Capitulum, niſi in caſu illo ſpeciali *d. c. Si Epiſcopus*, firmat Paul. de Caſtro *in conſ. 99. Circa primum, num. 1. verſ. Si igitur, lib. 2.* Et confirmatur, quia juriſdictio ibi non com- 30
petit Capitulo jure proprio, ſed ex indulto proviſionali ipſius Papæ, ut patet ibi, *Donec per Sedem Apoſtolicam, cujus intereſt Eccleſiarum providere neceſſitatibus, ſuper hoc per ipſum Capitulum, quàm citò poterit conſulendum, aliud contigerit ordinari:* & ibi notant Joan. Andr. & omnes in ſummario tex. Ex his enim verbis apparet, Eccleſia quaſi vacante per captivitatem Prælati, adminiſtrationem in ſpiritualibus, & temporalibus jure proprio non ad Capitulum, ſed ad ſummum Pontificem pertinere, unde ipſe poterit ordinare aliter providendo, vel fortè viſitatorem dando, ut dicit ibi gloſ. *in verb. Ordinati.* Ergo idem dicendum, cùm ſedes vacat interpretativè per ipſius Prælati excommunicationem, vel ſuſpenſionem.

Quartò, Sedes æquè vacat interpretativè per excom- 31
municationem, vel ſuſpenſionem Prælati, ac per ipſius inhabilitatem, *ut cap. Inter corporalia*, §. *Sed neque, de translat. Epiſcop.* & poſt Hoſt. tradit expreſsè Joann. Franciſc. Pavin. *de offic. & poteſt. Epiſcop. ſed vac. in ultim. præalud. num. 13. verſ. Secundo, ſi Prælatus eſt hæreticus excommunicatus, vel ſuſpenſus, & verſ. Tertio, Si Prælatus eſt*
inutilis ad agendum, & dictum eſt ſupra n. 17. Sed cùm ſe- 32
des vacat interpretativè per inhabilitatem Prælati, juriſdictio non devolvitur ad Capitulum, ſed Papa providet dando illi coadjutorem, ut *cap. 1. cum pluribus capitibus ſeqq. 7. q. 1. cap. Ex parte, de Cleric. ægrot. & c. unic. eod. tit. lib. 6.* Ergo nec devolvitur ad Capitulum, cùm ſedes vacat interpretativè per excommunicationem, vel ſuſpenſionem ipſius Prælati.

Quintò, huic ſententiæ ſuffragatur diuturna obſervantia, quæ eſt optima legum interpres, *l. Si de interpret. ff. de legib. c. Cum dilectus, de conſuet.* Nam Epiſcopo propter delictum, vel inhabilitatem à juriſdictione ſuſpenſo, non adminiſtrat Capitulum; ſed Sedes Apoſtolica conſuevit conſtituere Vicarios Apoſtolicos, ſicut nunc reperiuntur conſtituti in Eccleſia Benevent. Tranen. Lancianen. Biſinianen. & Alatrina.

Sextò, præcipuè hoc vendicat ſibi locum in inferiori Prælato, de quo nunc agitur: tum quia non conveniunt DD. an juriſdictio Prælati inferioris tranſeat in Capitulum ſede vacante, de quo articulo egi pleniſſimè *in cap. His quæ, à num. 36. uſque ad num 49. de major. & obedient.* tum quia Sac. Congreg. Concilii aliàs conſulta, an Decretum Concil. *in cap. 16. ſeſſ. 24.* quòd Capitulum ſede vacante conſtituere debeat Vicarium, qui ſaltem in jure Canonico ſit Doctor, vel Licentiatus, locum habeat etiam in Collegiata defuncto ejus Prælato, qui ordinariam juriſdictionem, & omnia jura Epiſcopalia habeat: reſpondit non habere locum.

33 Non obſtat doctrina Hoſt. & Jo. Franc. Pavini ſupra in contrarium allegata, quia dum dicunt ſedem vacare interpretativè Prælato exiſtente hæretico, excommunicato, vel ſuſpenſo, non loquuntur ad effectum devolutionis juriſdictionis in Capitulum, ſed ad effectum, ut ſit locus titulo ne ſede vacante aliquid innovetur, ut patet ex verbis eorum ſupra relatis, *n. 17.* æquitas enim ſuadet, ut tunc temporis nihil innovetur, cùm ſedes quaſi vacet; nec œconomus poſſit convenire, vel conveniri, & ſic Eccleſia careat legitimo defenſore, *in c. 1. & per tot. ne ſede vac.* & notat gl. *ult. in c. 1. de reſcript.* Sed hinc non poteſt inferri, ut juriſdictio ad Capitulum devolvatur; ideòque in caſu juriſdictionis ipſemet Hoſt. contrarium tenuit, ut dictum eſt ſupra *num. 25.*

Item non obſtat gl. in contrarium allegata *in c. Si Epiſcopus in verb. Sed Capitulum, de ſuppl. neglig. Prælator.* quia non dicit generaliter Capitulum ſupplere vices Epiſcopi, cùm Eccleſia quaſi vacat; ſed loquitur in terminis illius textus, ideſt, cùm Sede quaſi vacat per captivitatem Prælati: in aliis verò caſibus in jure non expreſſis mors civilis non æquiparatur naturali, ut innuit illa gloſſ. *in fin.* dum ſe remittit ad gloſſ. Jo. *in c. Placuit, il 2. 16. qu. 1.* & dictum eſt ſupra *num. 29.*

Demùm non obſtat declaratio S. Congr. Concilii ſupe- 34
riùs relatæ *n. 24.* quia loquitur, quando Epiſcopus eſt notoriè hæreticus; tunc enim juriſdictio, & jus concedendi dimiſſorias idcircò ſpectat ad Capitulum. quia ſedes non vacat interpretativè, ſed vacat verè, *c. Ut commiſſi, de hæret. lib. 6.* & fusè probavimus *in c. Ad abolendam, à n. 29. uſque ad num. 44. eod. tit.*

DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ.

Idem Innocentius III. Epiſcopo, & Magiſtro P. Canonico Hildeſemenſi.

C A P U T IX.

LItteras veſtras accepimus, quòd cùm pro D. Clerico vobis ſcripſerimus, ut eum de præbenda vacante Sancti Vviſcardi Bremen. quam dicebat ad donationem noſtram fuiſſe juxta Lateranen. Concilii ſtatuta devolutam, curaretis authoritate Apoſtolica inveſtire: & infrà. De facto fuit propoſitum coram nobis, quòd H. Præpoſitus, quondam ſimplex Canonicus ejuſdem Eccleſia, de ipſa in majori Eccleſia in Canonicum eſt electus: & poſtmodum anni ſpatio evoluto, in ipſa Eccleſia Sancti Vviſcardi in Præpoſitum eſt aſſumptus, priorem præbendam nihilominùs retinens, quam in ipſa Eccleſia tunc habebat: & infrà. Sed Præpoſitus allegabat è contra, quòd erat ex conſuetudine generali, quòd unus in eadem Eccleſia plures haberet præbendas: & cùm Archiepiſcopus Bremen. Præpoſitum ipſum de præpoſitura in plena ſynodo inveſtiret, tam præpoſituram illam, quàm præbendam ei de communi Canonicorum confirmavit aſſenſu: & infrà. Unde cùm vobis dubium videretur, utrùm cùm aliquis de una præbenda eligitur ad aliam, ſtatim prior vacare incipiat, an per ſententiam debeat adjudicari eidem: an propter confirmationem hujuſmodi; quæ ſuperiùs eſt expreſſa, præbenda illa dici debeat non vacare: nos conſulere voluiſtis. Cùm igitur, ſi ita eſt, præbenda illa, etſi non de facto, de jure tamen vacare noſcatur: Mandamus, quatenùs dictum Præpoſitum ut illam ſine difficultate reſignet, appellatione remota cogatis: quam cùm de facto vacaverit, Clerico memorato conferre curetis.

S U M M A R I U M.

1 *PRæbendam habens, ſi in eadem Eccleſia recipiat dignitatem cum præbenda, vel aliam præbendam, vacat prima.*
2 *Beneficii tertii collatio uni facta ab Ordinario non eſt nulla de jure communi.*
3 *Niſi omnia beneficia in eadem Eccleſia exiſtant, num. 59.*
4 *Vel niſi alia ſint incompatibilia.*
5 *Et quid ex Concilio Tridentino.*
6 *Beneficiorum pluralitas magis eſt inhibita in una Eccleſia, quàm in diverſis, & num. ſeqq.*
7 *Conſuetudo obtinendi duas præbendas in eadem Eccleſia de jure communi non valet, ſecus in diverſis Eccleſiis, & n. 10.*
8 *Præbendam obtinens in una Eccleſia, non poteſt ibi aliam obtinere, etiam virtute annexionis, quam habet præbenda ad dignitatem, & n. 61.*
9 *Præbendas duas ut quis habeat in una Eccleſia, magis abhorrent Jura, quàm aliàs duo beneficia curata.*
10 *Præbendæ quot ſunt in Eccleſia, tot Canonici debent conſtitui.*
11 *G[illegible] idem operatur quoad omnia, quod ſpecies quoad ſpeciem.*
12 *Conſuetudo obtinendi in eadem Eccleſia duas præbendas non valet, etiamſi unam præbendam quis habeat uti principalem, & aliam ut annexam.*
13 *Diſpenſare non poteſt Epiſcopus ad duos Canonicatus, vel duas præbendas in eadem Eccleſia, & n. 39. & 41.*
14 *Beneficium quandoque vacat de jure, ſed non vacat de facto, & è converſo, & n. 27. & 30.*
15 *Dominium quandoque difficiliùs perditur, quàm poſſeſſio. Regulariter contra.*
16 *Declaratur.*
17 *Beneficium ſimplex vacat ipſo jure per aſſecutionem alterius ſimilis in eadem Eccleſia, & n. 65.*
18 *Et quid ſi in diverſis Eccleſiis.*
19 *Litteræ impetrationis beneficii vacantis de jure, ſed non de facto, valent, etiam non facta mentione poſſeſſionis alterius, quæ colorata non eſt, & n. 22. & ſeqq. & n. 37.*
20 *Executor Apoſtolicus beneficium conferre non poteſt, niſi priùs cogat detentorem ad renuntiandum de facto, & num. 23.*
24 *Beneficium vacans de jure, licèt non de facto, conferri poteſt ab Ordinario abſque eo, quod cogat detentorem ad dimittendum; ſed non à delegato, & cur, & n. ſeqq.*
25 *Poteſtas extraordinaria magis eſt reſtringenda, quàm ordinaria.*

26 *Pa-*

26 *Papa non præſumitur per ſuas litteras velle alicui dare cauſam litigii.*

27 *Beneficium an vacare debeat de jure, vel de facto, vel utroque modo, ad hoc ut conferri poſſit ab Ordinario, vel Delegato, & n. ſeqq.*

28 *Inſtitui ſcienter ſe patiens in beneficium viventis, hoc ipſo pellendus eſt, & nihilominus deponendus.*

29 *Conferens ignoranter beneficium viventis, tenetur ei cui contulit, ad conſimile beneficium.*

30 *Beneficium vacans de jure, ſed non de facto, an poſſit conferri, priuſquam poſſeſſor facto ipſo renunciaverit, & n. ſeqq. uſque ad n.36.*

31 *Quid ſi poſſeſſio ſit colorata, & n.34.*

32 *Et quid ſi nullum habeat colorem juris.*
Detentatio pura nec collationem impedit, nec impetrationem, ibid.
Declaratur n.36. verſ. Tene igitur.

33 *Poſſeſſio quando dicatur colorem juris habere & quando non.*

34 *Poſſeſſor ſi cauſam habet à Judice, vel ab aliquo colore juris, factum Judicis tuetur Prætor.*

35 *Poſſeſſio incolorata differt à penitus incolorata ſecundum Jo. de Imol.*

36 *Contrarium.*

38 *Diſpenſare an poſſit Epiſcopus ad duo beneficia in eadem Eccleſia, & n. ſeqq. uſque ad n.51.*

39 *Quid ſi beneficia ſint conformia.*

40 *Et quid ſi difformia.*
Diſpenſare poteſt Epiſcopus ad dignitatem cum canonicatu in eadem Eccleſia, ibid. & n.43. & 45.
Contrarium, n.49.

41 *Beneficia plura conformia ſub eodem tecto cùm in una perſona uniuntur, frangitur ibi numerus. Secus ſi ſint difformia, & n. ſeqq.*

42 *Canonico in Eccleſia non numerata ſi conferatur ſecundus canonicatus, collatio nihil operatur.*

43 *Canonicatus cum capella in eadem Eccleſia obtineri poteſt ex diſpenſatione Epiſcopi, & n.45.*

44 *Item Canonicatus cum Archipresbyteratu, cui ex conſuetudine annexa eſt duplicata præbenda.*
Contrarium, n.49.

46 *Beneficia ſuorum onera ad Parochialem tranſlata ſunt, eo quòd eorum Eccleſiæ in ſilvis eſſent ſitæ, non ſunt incompatibilia quaſi ſub eodem tecto.*

47 *Diſpenſare non intelligitur Epiſcopus conferendo ſimpliciter duo beneficia difformia ſub eodem tecto, ſed requiritur diſpenſatio expreſſa, & n.67.*

48 *Diſpenſatio ad duo difformia ſub eodem tecto quam cauſam requirat, & n.68.*

49 *Diſpeſare non poteſt Epiſcopus ad duo difformia ſub eode tecto, ſi præciſam reſidentiam requirant.*

50 *Idem ſi primum ſit ſufficiens ad congruam ſuſtentationem.*

51 *Conſuetudo obtinendi duo difformia ſub eodem tecto ex collatione Ordinarii an locum habeat in præbenda Theologali cum Archidiaconatu, & num. ſeqq. uſque in fin.*

52 *Conſuetudo obtinendi duo beneficia difformia ſub eodem tecto de jure communi valida eſt.*

53 *Conſuetudo, quæ habet fomentum juris, & nemini præjudicat, extenditur ad caſus ſimiles.*

54 *Conſuetudo obſervata in monaſteriis Religionis extenditur ad nova ejuſdem Religionis monaſteria.*

55 *Regula, tantum præſcriptum, quantum poſſeſſum, non habet locum in conſuetudine.*

56 *Præſcriptio non extenditur de ſpecie ad ſpeciem, ſed benè ad actus ejuſdem ſpeciei poſteà occurentes.*

57 *Præbenda Theologalis, & Archidiaconatus ſunt beneficia difformia.*

58 *Pœnitentiarii præbenda cum dignitate poſt Conc. Trid. retineri non poteſt in vim conſuetudinis ante Concil. obtinedi duo difformia ſub eodem tecto.*

59 *Beneficia tria etiam difformia ſub eodem tecto vigore conſuetudinis obtineri non poſſunt.*

60 *Pœnitentiarii officium etiam ante vacationem præbendæ eſt beneficium, & incompatibile cum Parochiali, & num.63.*

61 *Beneficium etiam unitum computatum ad inducendam incompatibilitatem in eadem Eccleſia.*
Proſp. Fagnan. in III. Lib. Decretal.

62 *Theologus cathedralis habet onus legendi injunctum præbendæ, per ſeſtans, & n. ſeq.*

63 *Pœnitentiaria inſtitui debet ante vacationem præbendæ.*

64 *Beneficia duo conformia ſub eodem tecto obtineri non poſſunt abſque diſpenſatione Apoſtolica, non obſtante contraria conſuetudine etiam immemorabili.*
Niſi ſecus cautum ſit lege fundationis ab Ordinario approbata, n.66.

65 *Beneficium ſervitorium, & præſtimonium in eadem Eccleſia ſunt conformia, ac primum vacat per aſſecutionem ſecundi.*

67 *Beneficia duo difformia ſub eodem tecto obtineri non poſſunt abſque proviſione Apoſtolica, niſi id dictet Eccleſiæ ſtatutum, conſuetudo, aut Epiſcopus expreſsè diſpenſet.*

69 *Proviſi ab Ordinario de duobus beneficiis difformibus ſub eodem tecto, tutius eſt ut petant novam proviſionem à Sede Apoſtolica.*

L*itteras*. Legitur variè: ſed ſecundum intellectum, 1
quem dicunt eſſe verum Cardin. Imol. & Abb. hoc intendit: Si habens præbendam in eadem Eccleſia recipit dignitatem cum præbenda, vel aliam præbendam, vacat prima; & quamvis à ſuperiore ſibi confirmetur, tamen valet ejus impetratio, etiam tacita, de poſſeſſione altrius, quæ colorata non eſt. Dividitur in duas partes principales. In prima ponitur conſultatio: In ſecunda reſponſio. ibi, *Cum igitur*. Prima ſubdividitur: nam primò ponit formam mandati pro actore decreti, ſecundò allegationem actoris, ibi, *De facto*. Teriò defenſionem rei, ibi, *Sed Præpoſitus*. Quartò elicit dubia ex prædictis, ibi, *Unde*.

Nota primò, ex decretali collationem tertii beneficii ei- 2
dem factam ab Ordinario non eſſe nullam de jure communi, ut hic probatur expreſsè. Nam iſte N. erat Canonicus Eccleſiæ S. Viſcardi: deinde aſſumptus fuit in Canonicum majoris Eccleſiæ: tertiò obtinuit præpoſituram cum præbenda in primò dicta Eccleſia S. Viſcardi & ſic erat triplex; & tamen collatio præpoſituræ non fuit nulla, ſed tantummodò per illius aſsecutionem vacavit prima præbenda, ut colligitur ex ſententia Papæ.

Hinc cenſuit Sacr. Congregatio Concilii, Epiſcopum 3
non prohiberi inſtituere ad beneficium obtinentem alio duo ſimplicia; ſed inſtitutum poſteà non poſse illud unà cum duobus utcumque inſufficientibus retinere abſque nova proviſione, vel diſpenſatione Papæ. Hoc tamen limita primo, niſi tria beneficia eſsent in eadem Eccleſia; quia tunc collatio tertii ſine diſpenſatione Apoſtolica eſset nulla ipſo jure, non obſtante contraria conſuetudine etiam jurata, & immemorabili. Textus eſt clarus in *c.1.* & ibi omnes, *de conſuetud. lib.6.* & hìc notat Imol. *n.8. verſ. Intellige, dummodò quis non ſit triplex*. Deinde limita, niſi duo 4
beneficia eſsent aliàs incompatibilia; quia tunc non valet collatio tertii ſimiliter incompatibilis, ut eſt caſus in *c. Ordinarii*, *§. In conferendis*, *de off. Ordin. lib.6* Hodie verò 5
cùm Conc. Trid. *cap.17. ſeſſ.24.* non permittat, ut habenti unum beneficium poſſit conferri niſi aliud, & ſic tertium indiſtinctè ſit incompatibile cum prioribus collatio tertii etiam ſimplicis, & inſufficientis irrita eſt ex *d. §. In conferendis*, *juncto d.c.17.* ut fusè probavit in *c. cum jam dudum, in ult. qu. ſupra de præb.*

Secundò nota, ex textu pluralitatem beneficiorum 6
magis eſse à jure improbatam in eadem Eccleſia, quàm in diverſis. Nam conſuetudo generalis obtinendi in 7
eadem Eccleſia plures præbendas, propter juris reſiſtentiam non valet; & tamen valet, ſi præbendæ exi- 8
ſtant in diverſis Eccleſiis. Utrumque probatur in textu ſecundum Abb. in 1. *notab.* Nam iſte Præpoſitus obtinebat præbendam in una Eccleſia: deinde obtinuit aliam præbendam in diverſa Eccleſia, & ſic retinuit utramque, nec vacavit prima per aſsecutionem ſecundæ, ſaltem ex conſuetudine generali. Poſtremò obtinuit in prima Eccleſia Præpoſituram, cui erat annexa alia præbenda, ut colligitur ex *verſ. Sed Præpoſitus*, licèt in littera non exprimatur; & per hoc vacavit ipſo jure prima præbenda non obſtante conſuetudine generali, ut patet ex ſententia Papæ in fine textus; & ſic magis reſiſtunt jura, ut quis ſit pluralis in una, quàm in duabus Eccleſiis; quo fit, ut diſpenſatus à Sede Apoſtolica ad duas dignitates, non cen-

ſeatur diſpenſatus ad duas dignitates in eadem Eccleſia,
niſi hoc in literis ſit expreſſum, ut tenet Ægid. *in cap. De
multa ſupra de præbend.* quem ibi ſequuntur Jo. Andr. *num.*
13. Anchar. *num.*7. Imol. *num.*8. & communiter DD. ut te-
8 ſtatur Abb. *num* 4. Hinc etiam fit, ut obtinens præbendam
in una Eccleſia non poſſit in eadem obtinere aliam præ-
bendam etiam virtute annexionis, quam habet præbenda
ad dignitatem, ut hìc, & apertiùs in Clement. *fin. de præ-
bend.* & tamen obtinens parochialem poteſt aliam obtinere
virtute annexionis, quam habet ad dignitatem; vel præ-
9 bendam, ut *cap. Super eo, de præb. lib.6.* Unde deducitur
unum, quod videtur mirabile, videlicet, ut magis abhor-
reant jura, ut quis habeat duas præbendas in eadem Ec-
cleſia, quam aliàs duo beneficia curata, ut notat gloſſ. ult.
in d. Clem. fin. & Abb. *hic in 1. notab. in fin.* Non obſtat *cap.
Cum in Eccleſia, de præben. lib.6.* quia ibi non erat conſue-
tudo, ut Epiſcopus haberet duas præbendas in eadem Ec-
cleſia, ſed ſolùm ut haberet unam præbendam, quia ex con-
ſuetudine eo ipſo, quòd erat Epiſcopus, erat etiam præ-
bendarius, ut hìc per Jo. Andr. *num.2. in ver. Generali*, &
Butr. *num.*10.

10 Tertiò nota ibi, *Ex conſuetudine generali*, textum ex-
preſſum, quòd conſuetudo obtinendi duas præbendas in
eadem Eccleſia non valet: eſt enim corruptela, *capit. Ad
noſtram, cum duobus cap. ſeqq. de conſuetud. & cap. eodem
tit. lib.6.* quia quot præbendæ, vel perſonatus ſunt in Ec-
cleſia, tot Canonici debent inſtitui, arg. *cap. Nulla ſupra
eodem, & cap. in Eccleſia de inſtitut. cap. Singula, 89. diſt.
& cap. Cum ſingula, de præb. lib. 6.* & ita hìc firmat gloſ. *in
ver. Ex conſuetudine.* Item Tancred. Joann. Vincent. &
Philip. Innoc. *in princ. in ver Conſuetudine*, Hoſt. *num.* 1.
in eod. ver. Joan. Andr. *num.*11. Butr. *num.*10. Cardin. *num.*
2. *in prima oppoſit.* Abb. *in primo not.* & Jo. de Anania *num.*
3. & ita hoc communiter tenetur, ut inquit Imol. *num.*4.
11 Et quamvis nonnulli dicant hoc habere locum duntaxat in
conſuetudine generali, de qua textus loquitur, non au-
tem in ſpeciali conſuetudine Eccleſiæ: hoc tamen nihil eſt
ſecundùm Cardin. quia idem operatur genus quoad omnia,
quod ſpecies quoad ſpeciem, & è converſo, *cap. Si non li-
cet, 23. quæſt.4. cap Denique, 4. diſtinct. cap. Ad ejus, 5.
diſt.* notatur in *cap. Solitæ, de major. & obedient. & in cap.
Quia circa, de privileg.* & per gloſſ. & Bart. in *leg. Sed ſi
quis, §. Quæſitum, ff. Si quis caut.* Et procedit hæc conclu-
12 ſio, etiamſi quis habeat unam præbendam ut principalem,
& aliam ut annexam, ſicut erat hìc una ex duabus præben-
dis annexa Præpoſituræ, ut innuitur *in verſ. Sed Præpoſitus*,
ſecundùm Anch *in 3. notab.* & Jo. de Anan. *num.*3. Ad hoc
Clem. *ult. de præb.*

13 Quartò nota ibi, *De communi Canonicorum confirmavit
aſſenſu;* ad duos Canonicatus, vel duas præbendas in ea-
dem Eccleſia Epiſcopum diſpenſare non poſſe; & ita eſt
hìc argumentum optimum, & quaſi expreſſum, ut inquit
Abb. *n.*3. ſed de hoc latiùs *infra in 1. qu.*

14 Quintò nota ibi, *Et ſi non de facto*, quandoque benefi-
cium vacare de jure, & tamen non vacare de facto, prout
in caſu hujus cap. in quo jus inducit vacationem primæ
præbendæ per aſſecutionem ſecundæ in eadem Eccleſiæ, &
tamen prima præbenda non vacavit de facto, quia poſſeſ-
ſor facto ipſo illam non dimiſit. Et propterea quamvis di-
gnitas, vel beneficium curatum vacet ipſo jure per aſſecu-
tionem pacificam alterius ſimilis, ut in *cap. De multa, ſu-
pra de præb.* nihilominùs in Extravag. *Execrabilis. Joann.
XXII. in §. Qui verò deinceps*, ſtatuitur, ut poſſeſſor facto
ipſo abſque moræ diſpendio teneatur primum dimittere in
manibus Ordinarii: alioquin ſit privatus utroque, & inha-
15 bilis ad ordines, & beneficia. Et hinc collige, quandoque
faciliùs perdi dominium, quàm poſſeſſionem; regulari-
ter tamen dominium difficiliùs perditur, *l. Si quis vi, §. Dif-
ferentia, ff. de acqu. poſſ.* & ita poſt Vinc. & Jo. hìc notat
Jo. Andr. *n.*7. Card. *in 2. not.* & Jo. de Anan. *n.*5. Tu dic ſe-
16 cundum Anch. *in 7. notab.* juris authoritate dominium fa-
ciliùs amitti, quàm poſſeſſionem, quia dominium conſi-
ſtit in jure, poſſeſſio in facto conſiſtit, & ſine facto non
perditur juris diſpoſitione, *ut l. Denique, & l. Nec utilem,
ff. Ex quibus cauſis major.*

17 Sextò nota ibi, *De jure vacare noſcatur*, & ſigna caſum
ſingularem, in quo primum beneficium ſimplex vacat ip-
ſo jure per aſſecutionem alterius ſimilis, videlicet cùm
utrumque eſt in una Eccleſia, ſeu ſub eodem tecto, ſe-
cundùm Cardin. *in primo notab.* & Abb. *in 3. notab.* & vi-
detur communis opinio, ut teſtatur Imol. *numer.*4. quam
etiam probavit Sacra Congregatio Concilii, ut dicam in-
frà *n.*65. Secus enim eſt, ſi in diverſis Eccleſiis exiſtant, 18
ut probatur per locum a ſpeciali in *cap. De multa*, & ibi di-
xi *in 1. notab. ſupra de præben.* Sed hodie hoc regulariter eſt
etiam in beneficiis ſimplicibus diverſarum Eccleſiarum,
ſi aliàs ſint incompatibilia, vel ratione reſidentiæ, puta duo
canonicatus, vel præbendæ; vel ratione ſufficientiæ:
unde ſimplex beneficium ſufficiens vacat ipſo jure adepta
pacifica poſſeſſione alterius, ex Conc. Tridentino *c.4. ſeſſ.
7. juncto cap.17. ſeſſ.24.* ut dixi in prædicta decretali, *De
multa, num.3. & in cap. Cum jam dudum, in 3. qu. ſupra de
præbend.*

Ultimò nota ex fine litteræ, textum valdè notabilem in 19
materia, quod litteræ impetrationis beneficii vacantis de
jure ſed non de facto, validæ ſunt etiam non facta mentio-
ne poſſeſſionis alterius, quæ colorata non eſt; ſed tamen 20
executor Apoſtolicus beneficium conferre non poteſt, ni-
ſi priùs cogat detentorem ad dimittendum de facto. Utrum- 21
que hìc probatur expreſsè juxta verum intellectum Cardi-
nal. ut dixi ſupra *in Summ.* quem communiter Doctores ſe-
quuntur. De primo patet; nam præbenda S. Viſcardi va-
cabat ipſo jure per aſſumptionem ad præpoſituram cum
præbenda in eadem Eccleſia, ſed non vacabat de facto,
quia Præpoſitus illius poſſeſſionem vacuam non dimiſerat
nec in literis de hoc fuit facta mentio, & tamen literæ im-
petrationis fuerunt validæ; quia virtute illarum ſecun-
dùm communem intellectum iſti executores jubentur con-
ferre primam præbendam, & poſſeſſio illa non erat colo- 22
rata, cùm titulus jam eſſet extinctus, alioquin litteræ
impetrationis non valuiſſent, quæ de hujuſmodi colorata
facti poſſeſſione mentionem non feciſſent, & ita obſtaret
text. in *cap. Cùm noſtris, ſupra eod.* ſecundum intellectum
Joann. Andr. verum & communem, ut ibi teſtatur Abbas
in princ. De ſecundo ſimiliter patet, quia Papa hìc man- 23
dat, ut executores non conferant priùs quàm coegerint
detentorem ad dimittendum, ſcilicet facto ipſo juxta Ex-
travagan. *Execrabilis, §. Qui verò deinceps, de præbend.*
Et ex hoc pondera differentiam inter Delegatum, & Or- 24
dinarium: nam Delegatus, ut prædixi, conferre non po-
teſt, niſi priùs compellat detentorem ad cedendum de facto:
ſed Ordinarius poteſt liberè conferre beneficium vacans
per aſſecutionem pacificam alterius, vel per alium mo-
dum vacationis, etiam irrequiſito poſſeſſore, ut ex text.
in cap. De multa, §. Is quoque ſupra de præbend. ubi hoc te-
nent Innocent. *num.*3. Joan. Andr. *num.*10. *in verb. Liberè*,
Henric. Boich. *num.*19. *verſ. Et nota quod dicit textus*, Butr.
*num.*29. Imol. *num.*6. Anchar. *in 5. notab.* Cardin. *in d. §. Is
quoque, in 3. q.* Abb. *num.* 3. & Jo. de Anan. *num.*8. con-
cordat textus in *cap. Extirpandæ, §. Alioquin, eodem titul.*
& ita prædictam differentiam ponunt hìc Innoc *num.*1. Ho-
ſtien. *eod. num. in ver. Confirmavit*, Jo. Andr. *num.* 3. *&* 8.
& Butr. *in 7. not.* reddentes rationem diverſitatis; quia ma- 25
gis eſt reſtringenda poteſtas extraordinaria, quàm ordina-
ria, ad hoc *c. Ut debitus, de appellat.* & ideò delegatus non
poteſt, quod poteſt Ordinarius, *d. capit De multa, §. Is* 26
quoque. Prætereà non eſt præſumendum, ut Papa per ſuas
literas aliquibus præbere velit cauſam litigii, *c. Nonnulli,
de reſcript.* quin potiùs præſumptio eſt, ut intendat dare
Eccleſiam impetranti avocata poſſeſſione à poſſeſſore. In
Ordinario autem præſumptio, eſt ut velit jus ſuum tueri,
c 2. de feud. l.1. ff. Si quis juriſdict. non obtemper. Verumta-
men nec Ordinarius eum, cui contulit, in poſſeſſionem
inducet, niſi poſſeſſore priùs vocato, ut eſt caſus in *c. Li-
cet Epiſcopus, de præb. lib.6.* & notant *in d. cap. De multa*,
Joan. Andr. *num.*10. *in ver. Liberè*, & Imol. *num.*6. Et jux- 27
ta prædicta conclude generaliùs diſtinguendo ſecundùm
Joann. Andr. *hic num.7. in ver. Quam cùm de facto*; Quan-
doque beneficium vacat de jure, & de facto, & tunc eſt
conferendum perſonæ idoneæ, *cap.2. ſupra de inſtitut. cap.
Super, & cap. Grave, de præben* Quandoque vacat de fa- 28
cto, & non de jure, ut cùm quis ſpoliatus eſt beneficio,
*c. Ad audientiam, & c. Abbas, ſupra de his, quæ vi met.
cauſ.* Quandoque nec de facto, nec de jure, quod non eget
exemplo. Et in his duobus caſibus conferri prohibetur,
adeò ut qui ſcienter patitur ſe inſtitui in beneficium viven-
tis, hoc ipſo pellendus ſit, *cap.1. ſupra eodem*, & nihilomi-
nùs deponendus, *cap. In primis, 2. q.1.* & notat gloſ. in d.

cap.1. in ver. Pellendi. Si verò ignoranter, excuſatur con-
29 ferens, ſed tenetur ei, cui nulliter contullit, ad conſimile
beneficium, ut *c. Præſentiam*, 7. q.1. & notat gloſ. præal-
legata, adhibita tamen diſtinctione, de qua per Joan. And. in
30 *c. Inter cætera*, *ſupra de præbend.* Aliquando verò benefi-
cium vacat de jure, eò quòd jus ipſum vacationem indu-
cit, ſed non vacat de facto, quia poſſeſſor facto ipſo non
ceſſit beneficio, ut hìc patet in illis verbis: *Et ſi non de fa-*
31 *cto, de jure tamen vacare noſcatur*. Et hoc quarto caſu Jo.
Andr. *ubi ſupra* poſt Hoſt. ſubdiſtinguit: nam aut factum
aliquid juris habet, ſeu colorem tenendi, & tunc benefi-
cium conferri non poteſt quouſque renunciatum eſt, ut hic
32 & in *c. Cum noſtris*, *ſupra eod.* aut factum nullum habet co-
lorem juris, & non obſtante detentione facti, conferri po-
teſt, *c. Propoſuit*, *ſupra eod.* & *c. De multa*, *de præb.* At-
que ita purum factum, quod in ſola detentione conſiſtit
collationem non impedit, nec impetrationem; factum
verò, quod aliquid juris habet, utrumque impedit; & ſic
ſine calumnia, ut inquit Jo. Andr. poteſt intelligi quod hìc
dicitur, & *c. Cum noſtris*, §. *Auditor*, ibi, *Quid talis poſ-*
33 *ſeſſio*, *ſupra eod.* Dicitur autem factum purum, & nihil ju-
ris habere, quando nullum juris colorem habet; illud ve-
rò dicitur aliquid juris habere, quando habet authoritatem
judicis vel alium colorem juris, puta quia poſſeſſor cau-
ſam habet ab illis, qui etſi injuſtè eligant ad præbendam,
vel ipſam conferant, habent tamen poteſtatem eligendi,
vel conferendi, ſecundum Jo. Andr. *ubi ſupra*, & patet ex
notatis per eumdem *in c. Poſt electionem*, *in 2. reſponſo*, *in
ver. Perſonæ idoneæ*, *num.4.* & *in c. Propoſuit*, §. *Si ſuper
in ver. Intelligebatur*, *ſuprà eod. cap. illa*, *infra ne ſed vac.*
34 & *cap. Auditis*, *ſupra de elect.* Et eſt ratio diverſitatis, cur
in poſſeſſione colorata aliud ſit tenendum, quam in nuda
detentione facti tantùm; quia ſi poſſeſſor habet cauſam à
judice, vel ab aliquo colore juris, factum judicis tuetur
Prætor, *l.1* §.1. & 2. *ff. Quo cum falſ. tutor.* pro quo ſem-
per eſt præſumendum, ut *leg. & not. in cap. In præſentia*,
§.1. *ſup. de renunt.* & quid peccat, non peccat juris authori-
tate, *c. Qui peccat*, 24. q.3. & juſtè poſſidet, qui judicis autho-
ritate poſſidet, *l. Juſtè*, *ff. de acquir. poſſeſſ.* Iedòque talis poſ-
ſeſſor, vel ex indulgentia Sedis Apoſtolicæ, quam oſten-
dit electoribus, vel conferentibus, antequam eum eligè-
rent, vel ei conferrent; vel aliquo jure credendus eſt ju-
ſtam cauſam favore, de qua etiam inquirendum eſt; & ni-
ſi reperiatur juſta poterit privari ipſe poſſeſſor, & cogi ad
reſignandum, & facta reſignatione poterit fieri collatio,
ut hìc patet, & in d. *c. Cum noſtris*, §. *fin.* & *in c. Propoſuit*,
§. *fin. ſupra eod.*

35 Cæterùm in hoc 4. membro, videlicet, cùm præbenda
vacat de jure, ſed non de facto, aliter diſtinguit Imola *n.16.
verſ. Et prædictis*: nam ut ipſe ait, interdum eſt poſſeſſio
penitùs incolorata, interdum eſt incolorata, ſed non pe-
nitùs, interdum verò eſt incolorata. In primo caſu, quando
eſt penitùs incolorata, non impeditur impetratio, nec etiam
collatio, nedum Ordinarii, ſed nec etiam Delegati, per
ea, quæ notantur in *c. De multa*, §. *Is quoque*, & *in c. Ex-
tirpanda*, §. *alioquin*, *de præb.* meliùs in *c. Cum in cunctis*,
in gl. *penult. de elect.* Dicitur autem poſſeſſio penitùs icolo-
rata, quando poſſidens nullum habet titulum, nec etiam
habuit; vel ſi habuit, fuit illo privatus per ſententiam ju-
ris, vel hominis, per ea, quæ habentur *in d.* §. *Is quoque*,
& notat gl. præall. Idemque videtur, ſi habet titulum ab il-
lo, ad quem non ſpectat originaliter, nec accidentaliter,
per id, quod habetur in *c. Illa*, *infra ne ſed. vac.* non ta-
men poterit poſſeſſor ſua poſſeſſione privari, niſi priùs eò
citato, & de jure illius cognito, *c. Licèt Epiſcopus*, *de præb.
lib.6.* Secundo autem caſu, quando poſſeſſio eſt quidem in-
colorata, ſed non penitùs, veluti ſi quis habeat titulum ab eo,
ad quem originaliter ſpectat, licèt poteſtas accidentaliter
ſit translata in alium; tunc talis poſſeſſio non impedit im-
petrationem, nec collationem Ordinarii. Executor ta-
men conferre nõ poteſt, antequam coegerit poſſeſſorem ad
dimittendum, ut hìc eſt caſus ſecundum intellectum Anch.
qui dixit notabilem, idem Jo. de Imola *n.16. col.12. in fin. ver.
Unde poſſet dici*: nam iſte Archiepiſcopus originaliter po-
terat conferre primam vacantem per aſſecutionem ſecun-
dæ, ſed accidentaliter poteſtas ad Papam fuit devoluta, ut
patet ex litera; unde per confirmationem, quam conceſ-
ſit Archiepiſcopus, conceſſio non remaſit penitùs abſque
colore.

Verùm hæc diſtinctio inter poſſeſſionem incoloratam, &
penitùs incoloratam, eſt nimis ſubtilis, & eſt contra men- 36
tem Doctorum, qui communiter dicunt, poſſeſſionem
tunc eſſe incoloratam, quando nullum habet colorem te-
nendi, quem quidem colorem nullo prorſus modo præbuit
dicta confirmatio, quia ad hoc non inſpicitur origo, ſed
tempus ipſius confirmationis, *c. Dudum*, *il primo*, §. *Cum
autem*, ibi, *Electionis tempore*, *c. Cum inter R. in fin.* & *c.
Auditis*, *verſ. Cùm tamen*, *de elect. capit. Quorumdam*,
cum ibi notatis per Jo. Monach. & Jo. Andr. *eod. tit. libr.6.*
Henric. Boich. in d. *c. Dudum*, *num.26.* Quo quidem tem-
pore inſpecto certum eſt Archiepiſcopum caruiſse funditùs
pro illa vice conferendi poteſtate, *cap.2. ſupra eodem.* Un-
de perinde eſt, ac ſi eam numquam habuiſſet. Tene igitur
intellectum Cardinales, de quo ſupra *num.19* quod ſcilicet
impetratio beneficii vacantis de jure, ſed non de facto,
quia ab alio poſſidetur, ſit valida, ſi poſſeſſio nullum ha-
beat colorem tenendi; ſed nihilominùs executor Apoſtoli-
cus conferre non poſſit, priuſquam coegerit detentorem ad
cedendum de facto, ut hic videtur caſus non cavillando li-
teram. In tertio autem caſu, quando ſcilicet poſſeſſio eſt 37
colorata, breviter conclude collationem Ordinarii valere
ſecundum ea, quæ dicta ſunt *ſuprà num.24.* ſed impetratio-
nem certi beneficii, non facta mentione talis poſſeſſionis
eſſe invalidam, ut eſt text. ſecundum communem intelle-
ctum in *cap. Cum noſtris*, *ſuprà eod.* & dictum eſt ſupra *n.*
22. In hoc tamen ultimo caſu poſſet latiùs diſtingui, ut per
Compoſtel. in *cap. Capitulum S. Crucis*, *ſupra de reſcrip.* Cu-
jus diſtinctionem hic reaſſumunt, & probant Henr. Boich.
num.3. & Imol. *num.16. coll.13. poſt medium*, *verſ. Tertio
caſu*.

QUÆRO, an Epiſcopus poſſit diſpenſare ad duo bene- 38
ficia in eadem Eccleſia, Præmittendum eſt, hanc quæſt.
proponi de beneficiis aliàs incompatibilibus: nam ſi eſſent
incompatibilia, vel ratione curæ animarum, vel ratione
ſufficientiæ, ſecundum ea, quæ dixi in *cap. Cum jam dudum*,
à num.31. ſupra de præb. explorati juris eſſet Epiſcopum di-
ſpenſare non poſſe quia cùm hanc facultatem non habeat,
quando hæc beneficia incompatibilia exiſtunt in diverſis
Eccleſiis, ſed opus ſit diſpenſatione Apoſtolica, ut firmavi
in *d. cap Cum jam dudum*, *in 2. quæſt.* longè minùs illam ha-
bet, quando exiſtunt in eadem Eccleſia, ut patet ex dictis
ſupra n.6. & *ſeqq.*
Hoc præmiſſo, in quæſt. propoſita duæ ſunt opiniones.
Prima eſt Tancredi, qui arbitratus eſt Epiſcopum poſſe di-
ſpenſare. In qua etiam reſidet hìc Bernard. in gl. ult. & ad
hanc Decretalem reſpondet, confirmationem idcircò non
valuiſſe, quia Archiepiſcopus non intendebat diſpenſare.
Nam præbenda vacabat de jure, licèt non de facto, & Ar-
chiepiſcopus de novo non contulit, ſed confirmavit; quæ
quidem confirmatio ſine nova collatione non induxit di-
ſpenſationem, *c.2. de ſchiſmat.* Secus autem eſſet, ſi diſpen-
ſationem expreſsè, & cum cauſa impertitus fuiſſet, ut *cap.
Cum noſtris*, *ſup. eod.*

Secunda opinio eſt Goffredi, qui dixit Epiſcopum ad plu-
res præbendas, ſive in diverſis, ſive in eadem Eccleſia, nul-
latenùs poſſe diſpenſare, & reprehendit Tancredum, qui
dixerat oppoſitum, quia crimina non ſunt palpanda, ut in-
curata ſerventur, *c. Si quis Diaconus*, 50. *diſt.* & Goffred.
ſequitur Petr. de Sampſone, dicens hoc eſſe hìc expreſſum:
& cum eo tranſit Abb. Antiq. ejus auditor, *n.3.* Idem ex
hoc text. colligi Innoc. *in princ. in verb. Quoniam*. Quibus
adjungi poſſunt Hoſt. & Authores omnes, qui exiſtimant
Epiſcopum non habere facultatem diſpenſandi ad plures
præbendas, etiam in diverſis Eccleſiis, quos retuli in *cap.
Cum jam dudum*, *in 1. quæſt. verſ. Secunda opinio*, *num.....ſup.
de præb.* Hi enim fortiùs tenent Epiſcopum id non poſſe in
eadem Eccleſia, per ea, quæ dixi *ſupra num.6.* Moventur
per *cap. Sanctorum*, 70. *diſt.* ubi Epiſcopus non diſpenſat,
ut quis habeat duas præbendas, etiam in diverſis Eccleſiis.
Item quia cum tranſierit ad ſecundam, vacavit prima, *cap.
Si quis jam translatus*, 21. q.2. Ergo Epiſcopus non poteſt
hoc jus tollere, *cap. Dilectus*, *ſupra de tempor. ordinat.* Item
quia cùm diſtinctæ ſint præbendæ in aliqua Eccleſia, non
poſſunt uniri duæ in unam perſonam, nec una dividi inter
duas, *cap. Tuæ*, *ſup. de præb. cap. Singula*, 89. *diſt.* ſecun-
dum Innoc.

Tu verò pro concordia ſequere diſtinctionem Jo. Andr.
num.8. videlicet: Aut beneficia in eadem Eccleſia ſunt 39

conformia, puta duo Canonicatus, vel duæ præbendæ, & Epiſcopus diſpenſare non poteſt, ſed requiritur diſpenſatio Apoſtolica, de qua eſt argumentum optimum, & quaſi expreſſum hìc ſecundum Abb. *in 2. notab.* Et in hoc caſu intelligi poteſt ſecunda opinio Goffred. & ſequacium.

40 Aut beneficia ſunt difformia, puta dignitas cum Canonicatu, vel præbenda, & diſpenſat Epiſcopus, ut videtur caſus in *capit. 1. in fin.* & ibi gloſſ. *in verb. Niſi unicum, de conſuetud. libr. 6.* & facit text. in Clementin. *Si juxta*, & quod ibi notatur in ultim. gloſſ. *de præbend.* & ita procedat
41 prima opinio Tancredi, & Bernardi. Ratio diverſitatis eſt, quia in primo caſu cum duo beneficia conformia in una perſona uniuntur, frangitur ibi numerus: nam ſi in una Eccleſia mihi Canonico detur alia Canonia, aut Eccleſia, non habet certum numerum, aut habet. Primò ca-
42 ſu ſuperflua eſt datio ſecundi Canonicatus, & videtur fieri potius verbotenus, quàm quoad effectum: veluti cum ſecundo manumittitur ſemel manumiſſus, baptizatur baptizatus, vel ordinatur ad eumdem ordinem jam ordinatus, ut *l. 2. Cod. de manumiſſ. vindict. cap. Presbytero*, §. *Quod ergo*, & quod ibi notatur 68. *diſtin.* Secundo autem caſu cum habet numerum, per diſpenſationem numerus frangeretur: nam ſi ſint duodecim Canoniæ, & ego habeam duas, non erunt niſi undecim, & ſi diſpenſaretur cum aliis quinque, ut ſinguli duas haberent, non eſſent niſi ſex. Patens eſt igitur ratio fractionis numeri. Præterea ſubtrahitur Eccleſiæ alterius conſilium, & ſuffragium, ad quod ego jam tenebar ex prima Canonia, ita ut per ſecundam nihil addatur: unde Eccleſia multum lederetur: Secus autem eſt cum beneficia ſunt difformia: nam ſi in una Eccleſia ſint duodecim Canonici, & extra numerum ſint Perſonatus, vel officia perpetua, ſi Perſonatum habeo cum Canonia, numerus non infringitur, & nunc Cananicatui, nunc Perſonatui potero deſervire: conformitas ergo officiorum prohibet, quod diverſitas officiorum permittit: ita diſtinguit, & declarat hìc Joan. Andr. *num. 11. verſ. Item ſi in diverſis*, cui adſtipulantur Butr. *num. 11. verſ. Per quæ concludit*, Imol. *num. 8.* & communiter Do-
43 ctores, ut Abb. teſtatur *n. 6.* Eodem modo diſtinguit gloſ. ultim. in Clem. *fin. de præb.* dicens Epiſcopum non poſſe diſpenſare, ut quis habeat duas Canonias in eadem Eccleſia, ſed benè poſſe diſpenſare, ut habeat Canoniam cum perſonatu, & ſequuntur ibi DD. Feder. de Sen. *conſ. 120. Quæſitum eſt per tot.* ubi conſuluit ex diſpenſatione Epiſcopi poſſe quem obtinere Canonicatum cum capella in eadem Eccleſia, licèt obtinere non poſſit duas præbendas, & ſequitur illud conſ. Abb. *conſ. 70. Videtur primo, circa fin. verſ. Ad ſecundum, lib. 1.* & idem Feder. *conſ. 205. Ad aures, junct. conſ.*
44 206. *Reverende Pater*, ubi reſpondit ſimiliter poſſe Epiſcopum diſpenſare, ut in eadem Eccleſia Canonicus præbendatus poſſit obtinere Archipresbyteratum, cui ex conſuetudine annexa erat duplicata præbenda, Lapus *allegat.* 117.
45 Philippus *num. 3. & 4. verſ. Et eadem ratione*, dicens duos Canonicatus eſſe duo membra, requirere duo conſilia, & vota in eodem corpore, videlicet in Capitulo; & ideò in illis intrare incompatibilitatem ſub eodem tecto. Secus in Canonicatu & Capellania, vel in Canonicatu cum dignitate. Doctores in *cap. Cum jam dudum ſupra de præb.* ubi in ſpecie Abb. *num 9.* & Butr. *num. 10. verſ. Ultimate*, ubi ait, ſe prædictæ diſtinctioni adhærere, quia eſt opinio tanti Doctoris, ut fuit Joan. Andr. quam etiam ſæpius probavit Rota & præſertim *in cauſa Toletana Capellaniæ de Barajas* 3. *Martii* 1589. & 4. *Junii* 1590. coram Cardin. Mantica, & 15. *Februarii* 1591. coram Card. Pamphil. ut *in deciſ. impreſſ.* apud Garz *de benef. part. 11. cap. 5. ſub num. 22.* Quinimò eamdem probavit & S. Congregatio Concilii, ut dicam in ſequenti quæſtione *num.*
46 64. & 67. Beneficia tamen quorum onera ad Parochialem Eccleſiam translata ſunt, eò quòd eorum Eccleſiæ in ſilvis eſſent ſitæ, ex ipſius Congregationis ſententia non ſunt incompatibilia tamquam exiſtentia ſub eodem tecto.

47 Declara primò ſecundum membrum propoſitæ diſtinctionis, qua dictum eſt, duo beneficia difformia ſub eodem tecto poſſe obtineri ex diſpenſatione Epiſcopi, ut locum habeat, dummodò Epiſcopus expreſsè diſpenſaverit: nam utrumque ſimpliciter conferendo, non intelligitur tacitè diſpenſare, *c. 2. infra de ſchiſmat.* & tenet gloſ. *ultim. hic verſ. Vel dic quod ideo confirmatio*, Imol. *n. 7. col. 5. verſ. Alia fuit opinio*, Butr. *n. 11. verſ. Quod non dato*, & aliàs cenſuit S. Congr. ut dicam *infr. n. 67.*

Declara ſecundò, ut procedat, dummodò diſpenſatio 48
fiat ex magna, & evidenti Eccleſiæ utilitate, aut urgenti neceſſitate, aut maxima prærogativa meritorum: alias enim diſpenſatio non valeret, ut plenè per Feder. de Senis *in prælleg. conſil. 205. & conſil. 206. numer. 1.* Ad quod tamen vide, quod dicam infra *num. 68.* ex S. Congreg. ſententia.

Declara tertiò, niſi utrumque beneficium difforme ex 49
privilegio, ſtatuto vel conſuetudine requireret præciſam reſidentiam; quia tunc Epiſcopus diſpenſare non poſſet, ut tenet Feder. de Sen. *dict. conſil. 120. numer. 2. verſic. In quæſtione.* Et eſt ratio; quia ſi beneficia hujuſmodi unirentur in eadem perſona, minueretur divinus cultus, & Eccleſia non modicum reciperet in ſpiritualibus, & temporalibus detrimentum, ut per eumdem Feder. *dict. conſ. 205. in princ.* & hoc ſervatur de conſuetudine, ut dicam in declaratione ſequenti. Ex quo notabiliter infero, ut cum hodie dignitates, Canonicatus & portiones in cathedralibus, & collegiatis Eccleſiis non cauſativè ad effectum percipiendi fructus, ſed præcisè perſonalem reſidentiam requirant ex Concilio Tridentino *cap. 12. ſeſſ. 24.* Epiſcopus diſpenſare nequeat, ut quis in eadem Eccleſia obtineat dignitatem cum canonicatu, vel portione, aut eorum alterum cum altero, & ita in hoc corrigitur *cap. 1. in fin. de conſuetud. lib. 6.* & opinio Joann. And. & ſequacium, de qua ſupra *num. 40.* qui tenuerunt ex diſpenſatione Epiſcopi poſſe obtineri canonicatum cum dignitate, vel perſonatu. Et eò magis, quia non deſunt, qui ſenſerint etiam de jure communi non licere ex diſpenſatione Epiſcopi obtinere in eadem Eccleſia Canonicatum cum dignitate, & per aſſecutionem, dignitatis cenſeri renunciatum canonicatui: quod tenuit Signorol. de Homod. *conſil. 112.* Præterea ex alio ejuſdem Concilii decreto nempè *cap. 17. ſeſſ. 24.* Epiſcopi prohibentur conferre duo beneficia etiam ſimplicia, & ad ſuſtentationem inſufficientia, quando utrumque requirit perſonalem reſidentiam: nec diſtinguitur, an in una, vel pluribus Eccleſiis exiſtant: fortiùs autem eſt inhibita pluralitas ſub eodem tecto, ut oſtenſum eſt ſupra *num. 6.* & mox patebit ex his, quæ dicentur in ſequenti declaratione.

Declara quartò, ut locum habeat, niſi primum benefi- 50
cium ſit ſufficiens ad honeſtam ſuſtentationem: tunc enim Epiſcopus ex Concilio Tridentino *in dict. cap. 17. ſeſſ. 24.* prohibetur conferre ſecundum, etiam in diverſis Eccleſiis, ut ſcripſi pleniùs in *cap. Cum jam dudum, numer. 31. & 43. & 49. ſupra de præbend.* Ergo fortiùs in eadem Eccleſia: quia magis eſt inhibita pluralitas ſub eodem tecto, quàm in diverſis Eccleſiis, ut patet evidenter in hoc *capit. Litteras*: nam præbenda Eccleſiæ S. Viſcardi non vacavit per aſſecutionem ſecundæ in majori Eccleſiæ, & tamen vacavit ipſo jure per aſſecutionem alterius præbendæ in eadem Eccleſia S. Viſcardi, & fuſiùs dictum eſt ſupra *in 2. notab.* & notat gloſ. ult. in Clem. *fin. de præb.* Obtinenti igitur beneficium ſufficiens, magis prohibetur à Concilio conferri ſecundum in una Eccleſia, quàm in diverſis. Et hoc approbat etiam communis conſuetudo, ſecundùm quam Epiſcopus diſpenſare non poteſt ad duo beneficia ſimplicia, quando exigunt reſidentiam, vel quando primum eſt ſufficiens, ut teſtatur Abb. *in præall. conſ. 70. in fin. verſ. Et hodie ex communi conſuetudine*, juncto præcedenti *verſ. Ad ſecundum.*

Secundò QUÆRO, ſuppoſita conſuetudine Eccleſiæ 51
Barcinon. obtinendi ex collatione Ordinarii, retinendique duo beneficia difformia ſub eodem tecto, an liceat vigore hujus conſuetudinis obtinere in eadem Eccleſia, ac retinere præbendam Theologalem unà cum Archidiaconatu.

Videtur reſpondendum licere: nam conſuetudo ob- 52
tinendi duo beneficia difformia ſub eodem tecto valida eſt ex diſpoſitione juris communis, ut probatur per locum à ſpeciali *in capit. 1.* & ibi DD. *de conſuetudin. libr. 6.* Et quamvis in Eccleſia Barcinonen. numquam fuerit obſervatum in præbenda Theologali, ut eam aliquis retinuerit cum dignitate, vel alio beneficio diſſimili: tamen ſatis eſt, ut in genere fuerit obſervatum, ut duo beneficia difformia poſſent in dicta Eccleſia licitè obtineri: & ideò 53
nunc idem ſervari poteſt in præbenda Theologali; nam conſuetudo non præjudicans juri alterius, & legi non con-

contraria, prout eſt hæc, quæ habet fomentum à jure communi, juxta *d. c. 1.* extenditur ad ſimiles caſus, Abbas in *cap. Tranſlato, in fin. de conſtitut.* Felin. in *c. Auditis, n. 21. in ſecunda declaratione, de præſcript.* Balb. *in tract. de præſcript. in 2. part. princ. in 2. q. num. 29. cum ſeqq.* Ægid. Bellam. *conſ.* 581. Gabriel. qui hanc atteſtatur eſse receptiorem opinionem,
54 *lib. 5. de præſcript. concl. 2. n. 15.* Et propterea conſuetudinem obtentam in monaſteriis alicujus Religionis, extendi etiam ad nova ejuſdem Religionis monaſteria, tradit Felin. poſt
55 Cardin. *loco cit.* Quod autem dici ſolet, tantum præſcriptum, quantum poſſeſſum, *l. Quod meo, §. fin. ubi Doctores, ff. de acquir. poſſeſſ.* procedit in præſcriptione, in qua vertitur rigor, non autem in conſuetudine, in qua conſideratur æquitas, Bald. in *l. Scimus, prope fin. C. de inoffic. teſtam.* Balbus, & Felin *in locis ſupracitatis*, Jaſ. *in l. Non dubium, n. 30. C. de legib.*
56 Præterea etiamſi ageretur de præſcriptione, non poſſet quidem fieri extenſio de una ſpecie actuum ad aliam ſpeciem; ſed tamen poſſet fieri extenſio ab actibus unius ſpeciei, in quibus habuit locum præſcriptio, ad alios actus ejuſdem ſpeciei poſtea occurrentes, ut declarat Abb. in *c. Cum in tua, in 2. not. de decim.* Balb. *ubi ſupra n. 23.* Gabriel. *d. loco n. 19.* & ita quamvis caſus non acciderit in præbenda Theologali, ut obtenta fuerit cum alio beneficio difformi; tamen ſatis eſt, ut in genere receptum fuerit, ut illa ſpecie beneficiorum, ſcilicet difformium, conſuetudo ſit ſervata: debet enim vigore obſervantiæ in illa ſpecie ſubſequuta extendi ad omnes alios actus ſub illa ſpecie comprehenſos, & conſequenter
57 habebit locum in præbenda Theologali, & Archidiaconatu, quæ ſub ſpecie beneficiorum difformium comprehenduntur, ut conſtat ex dictis *ſupra n. 40. 43. & 45.*
58 Non obſtat, quòd Sac. Congregatio jam dudum declaraverit vigore conſuetudinis obtinendi duo beneficia difformia ſub eodem tecto, quæ ante Concilium innolevit, non licere poſt Concilium retinere in eadem Eccleſia præben-
59 dam Pœnitentiarii cum dignitate. Nam hujuſmodi deciſio eo nititur fundamento, quod in eadem Eccleſia non licet eſse triplicem, etiam vigore conſuetudinis, licèt beneficia ſint difformia, DD. in *d. c. 1. de conſuetud. lib. 6.* obtinens autem dignitatem, & præbendam Pœnitentiarii eſſet
60 triplex. Primò enim obtineret dignitatem. Secundò, officium Pœnitentiarii, qui eſt titulus Eccleſiaſticus per ſe ſtans, cùm juxta deciſiones Sacræ Congregationis poſſet conferri, & ſit incompatibile cum Parochiali, etiam ante vacationem præbendæ: ideòque hujuſmodi officium Eccleſiaſticum eſt beneficium, Jo. de Selva in *tract. de Incompatibil. beneficiorum, in prima part. q. 8. n. 3.* & cadit ſub prohibitionem pluralitatis, *d. c. 1.* & ibi Doctores, Hojed. *ubi ſuprà*. Tertiò, obtineret præbendam Canonicalem, & ita eſſet triplex in eadem Eccleſia.
61 Neque obſtat, quòd præbenda unita officio Pœnitentiarii non inducat incompatibilitatem, cùm ſolum officium, cui facta eſt unio, ſit conſiderandum, *c. Super eo*, ubi Doctores *de præb. lib. 6.* Lapus *allegat. 35. in fin.* & beneficium unitum nomen beneficii amittat, Oldrad. *conſil. 257. n. 15.* Pariſ. *conſ. 30. n. 18. in 4. vol.* Nam reſpondetur id procedere, cùm beneficium alteri unitum non exiſtit in eadem Eccleſia. Nam pluralitas in una, & eadem Eccleſia adeò eſt ſacris canonibus invisa, ut ad inducendam pluralitatem etiam beneficium unitum alteri debeat conſiderari, ut poſt gloſ. ult. in *Clemen. fin. de præben.* tradunt Doctores communiter in *d. c. 1. de conſuetud. lib. 6.* & præſertim Franc. *ibid. n. 6.* Abb. *hic n. 2.* & patet ex dictis *ſuprà n. 8.* Declaravit igitur Sac. Congregatio, non poſſe vigore dictæ conſuetudinis poſt Concilium obtineri cum dignitate præbendam Pœnitentiarii;
62 quia obtinens fuiſſet triplex in eadem Eccleſia. Hæc ratio ceſſat in caſu præſenti; nam obtinens præbendam Theologalem cum dignitate, erit tantum duplex, quia habebit præbendam & dignitatem. Nec urget, ſi dicas, obtinebit etiam officium Lectoris nam id eſt onus annexum præbendæ, non autem officium per ſe ſtans, quod conferatur in titulum beneficii Eccleſiaſtici, ut poſſit cauſare pluralitatem. Quod patet ex pluribus. Primò, quia Concilium Trident. loquens de hac præbenda *ſeſſ. 5. c. 1.* utitur his verbis: *Cui aliud onus incompatibile injunctum non ſit*: per illam dictionem, *Aliud* implicans onus legendi, & quaſi inſinuans non eſſe officium, ad gloſſ. *fin. in addit. ad margin. in l. 1. C. de ſervis fugit.* Secundò, quia Concilium *ſeſſ. 24. c. 8.* voluit inſti- 63
tui Pœnitentiariam ante vacationem præbendæ, ut Sacra Congregatio declaravit; & ſic voluit eſſe titulum beneficii Eccleſiaſtici, qui per ſe ſtaret. At verò non ita diſpoſuit de Lectore S. Scripturæ, ſed tantùm decrevit præbendam ad hunc caſum ipſo facto conſtitutam, & deputatam intelligi, & ſic voluit eſſe præbendam, quæ huic uſui inſerviret; non autem voluit id munus legendi eſſe titulum, vel beneficium Eccleſiaſticum. Tertiò, id munus legendi eſſe onus præbendæ annexum, & non titulum, id apparet, quòd Doctores in *c. Significatum, ſupra de præb. & in cap. Quia nonnullis, de Magiſtr.* quærentes, an Epiſcopus præbendæ vacanti onus injungere poſſit loquuntur tam de onere Miſſas celebrandi, quam legendi, & ſic utrumque appellant onus, & non officium, & in ſpecie gloſ. in *d. c. Quia nonnullis, in ver. præb. in fin.* quam ibi Doctores ſequuntur, obligationem legendi, ad quam præbendatus tenetur, appellat onus præbendæ annexum. Et propterea qui talem præbendam, quamvis onus annexum habentem, obtinuerit, poterit etiam dignitatem obtinere, & cùm illa in eadem Eccleſia non triplex, ſed duplex erit, quod licet in difformibus vigore conſuetudinis, juxta *d. c. 1.*

Sed dices, hoc dubium fruſtra proponi cum ſuppoſito 64
conſuetudinis quia ſi beneficia ſub eodem tecto ſint conformia, puta duo perſonatus, vel duæ dignitates, aut duo officia, obtineri non poſſunt abſque diſpenſatione Apoſtolica, non obſtante contraria conſuetudine, etiam immemorabili, ut eſt caſus in *d. c. 1. de conſuetudine lib. 6.* Ideòque Sac. 65
Congregatio ab Epiſcopo Salamantino conſulta declaravit duo beneficia ſimplicia perſonalem reſidentiam non requirentia in eadem Eccleſia parochiali, quorum alterum ſervitorium, alterum verò præſtimonium nuncupatur, eſſe conformia; ac propterea ſi uni ab Ordinario fuerint collata, primum per aſſecutionem ſecundi ipſo jure vacaſſe, ſed & ſecundum vacare, ſi utrumque ſciens, & prudens retinere perrexerit, niſi aliud lege fundationis ab Ordinario approbata cautum eſſet.

Quippè ante legem non fuiſſe à Concilio ſublatam cen- 66
ſuit eadem Congregatio, cùm per eam non frangatur numerus, nec minuatur cultus divinus, quæ ſunt duæ rationes, ob quas vetitum eſt obtinere duo beneficia ſub eodem tecto, ut dixi *ſuprà n. 4.* Quod ſi duo beneficia in eadem Eccleſia ſint difformia, obtineri poſſunt cum diſpenſatione Ordinarii etiam circumſcripta conſuetudine, ſecundum opinionem Jo. Andr. & communem, de qua *ſuprà n. 40.*

Verùm ad hoc patet reſponſio ex ſubjectis declarationi- 67
bus Sac. Congregationis Concilii. Et primò, cùm Epiſcopus Maurianenſis in ſuo menſe contuliſſet Canonicatum & Capellam in ſua Eccleſia vacantem Amedeo Clerico Gebennen. & quæſitum eſſet, an tuta conſcientia poſſet idem Amedæus retinere Capellam cum canonicatu abſque diſpenſatione Apoſtolica: Sac. Congregatio cenſuit non poſſe Amedæum abſque proviſione Sedis Apoſtolicæ hæc duo difformia ſub eodem tecto beneficia obtinere, niſi id dictet ſtatutum, vel Eccleſiæ Maurianenſis conſuetudo, vel Epiſcopus cum eo expreſsè diſpenſaverit, cùm utrumque conferendo non intelligatur tacitè diſpenſaſſe. At dein- 68
de cùm generaliter dubitatum fuerit, an pro tutiore conſcientia obtinentium duo beneficia difformia ſub eodem tecto collata ſibi ab Ordinario debeat nova proviſio peti à Sanctiſſimo? Reſpondit ita debere, quia licèt Epiſcopus poſſit ex cauſa diſpenſare ad duo beneficia difformia ſub eodem tecto; tamen periculoſum, eſſe an cauſa ſubſit ea, quam Canones requirunt; ideò tutiùs eſſe adire Sanctiſſimum.

Hujuſmodi autem difficultates ceſſant ſuppoſita conſuetudine Eccleſiæ Barcinonenſis obtinendi duo difformia ſub eodem tecto, quia illius vigore licitum eſt ſimul obtinere præbendam theologalem, & Archidiaconatum, cùm ſint difformia, etiamſi Ordinarius non diſpenſaverit, ſed ſimpliciter utrumque ſimul contulerit, quod abſque conſuetudine non liceret, ut ex prædictis patet.

DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ.

Idem Innocentius III.

CAPUT XV.

POſtulaſtis per Sedem Apoſtolicam edoceri, ut cùm ad vos & Archiepiſcopum veſtrum ſimul donatio præbendarum Eccleſiæ veſtræ pertineat, utrum præbendæ vacantis donatio penes Archiepiſcopum ipſum remaneat, ſi eam infrà ſemeſtre tempus neglexeritis ordinare? Ad quod breviter reſpondemus, quòd ſi vos & idem Archiepiſcopus infrà tempus præſcriptum circa hoc negligentes extiteritis: ſicut nec ab illo ad vos, ita nec à vobis ad illum poteſtas devolvitur conferendi: ſed ſecundum ſtatuta Lateranen. Concilii ad ſuperiorem tranſit donatio: niſi fortè Archiepiſcopus, non ut Prælatus, ſed ut Canonicus vobiſcum jus habeat conferendi. Et in hoc caſu cùm doloſè impedierit, dolus ei ſuffragari non debet.

SUMMARIUM.

1 *Collatio pertinens ad Capitulum, & Prælatum, ut Prælatum, lapſu temporis ad alium non tranſit, & num.6.*
2 *Canonicatuum, & præbendarum collatio in cathedrali de jure communi eſt ſimultanea inter Epiſcopum, & Capitulum.*
3 *Intellectus hujus cap.*
4 *Verbum*, Pertineat, *quid importet.*
5 *Collatio beneficii poteſt appellari donatio.*
6 *Actus ubi per Prælatum ut Prælatum, & Capitulum explicandus eſt, unus non ſupplet negligentiam alterius.*
7 *Secus ſi unus ſit effectus inhabilis.*
8 *Capitulum ſolum an poſſit præbendas conferre ſtante abſentia Epiſcopi in Curia, cujus redditus facile non ſperabatur.*
9 *Intellectus cap. unic. Ne ſede vacan. lib.6.*
Conferre habens de conſilio alterius, illo in remotis agente, poteſt ſolus conferre, ibidem.
10 *Secus ſi collatio ſit ſimultanea, vel fieri debeat de conſenſu alterius.*
11 *Epiſcopus aliquando intereſſe poteſt Capitulo tamquam Canonicus.*
12 *Una, & eadem perſona poteſt vices duarum repræſentare, & reſpectu diverſæ qualitatis diverſo jure cenſeri.*
13 *Etiam in actibus incompatibilibus.*
14 *Argumentum ae tamquam, ſeu reſpectivis.*
Epiſcopus cui commendatum eſt monaſterium exemptum, ordinare non poteſt ſæculares ſibi ſubditos ratione monaſterii, ibid.
15 *Oratori, ſeu Legato quod donatur, an cedat lucro ipſius, an verò mittentis, & n.ſeqq. uſque ad n.25.*
16 *Procurator tenetur reſtituere, ſi tamquam procurator percepit, non autem ſi tamquam quilibet.*
17 *Donatum ſocio occaſione ſocietatis cedit lucro donatarii.*
18 *Socio imputatur, ſi occaſione ſocietatis damnum ſit paſſus, non ſocitati.*
19 *Legati conſueverunt remunerari ab eo, ad quem ſunt miſſi.*
20 *Donationes, quæ fiunt ab Imperatore, videntur fieri contemplatione ejus, in quem conferuntur.*
21 *Donorum qualitas an ſit attendenda ad dignoſcendum cujus intuitu fuerint collata, & n. ſeqq.*
22 *Leonis, vel ſtatuæ donum an magis congruat Principi quam Oratori, & n.ſeqq.*
23 *Sceptrum, vel corona regalis ſi donentur Oratori, non ipſi, ſed Regi acquiruntur.*
24 *Donorum magnitudo ſpectanda eſt non tam ex perſona illius cui conferuntur, quàm ex perſona ejus qui confert.*
25 *Epiſcopus qui Capitulo intereſt tamquam Canonicus, quo in loco ſedere debeat, & n.ſeqq.*
26 *Vicarius Epiſcopi, qui etiam eſt Canonicus, in choro non debet ſedere primus, quando eſt ibi in apparatu Canonicali.*
27 *Epiſcopus qui eſt in ſtudio ut ſcholaris, in actibus ſcholaſticis ſedere debet poſt rectorem Univerſitatis.*
28 *Patriarcha Hyeroſolimitanus, qui eſt etiam Canonicus Baſilicæ S.Petri, ſedet in choro poſt Canonicos primò receptos.*
29 *Ordo ſedendi in Prætorio S. Pœnitentiariæ.*
30 *Prælatus quomodo conſtet an interſit Capitulo ut Prælatus, an ut Canonicus.*
31 *In dubio cenſetur quis in actu intervenire tamquam præſidens majori Dignitati.*
32 *Appellandum eſt in dubio à collatione ſimultanea Epiſcopi & Capituli, non ad Epſicopum, ſed ad Superiorem.*

POſtulaſtis. Si ad Capitulum, & Prælatum ut Prælatum poteſtas conferendi pertinet, de uno ad alterum lapſu temporis non tranſibit. Secus ſi Prælatus ſit ibi ut Canonicus, quia tunc de Capitulo tranſit ad Prælatum, niſi dolum committat. Hoc dicit. In prima parte conſultatio. In ſecunda, ibi, *Ad qu d.* Reſpoſio, à qua unum caſum excipit, ibi, *Niſi*, quem determinat, ibi, *Et in hoc.* 1

Nota primò ex principio litteræ, ibi, *Cùm ad vos, & Archiepiſcopum veſtrum ſimul collatio præbendarum Eccleſiæ veſtræ pertineat*, collationem Canonicatuum, & Præbendarum in Cathedrali Eccleſia de jure communi eſſe ſimultaneam inter Epiſcopum, & Capitulum: non enim textus loquitur conditionaliter, ut putavit Ægid. Bellam. *conſ.* 10. incip *Factum eſt tale*, *col. ult. verſ. Nec obſtat c. Poſtulaſtis*; ſed loquitur cauſativè, & dictio, *Cum*, exponitur pro, *Quia, ut in cap. fin. ſuprà de conſuetud. & in leg. Si ab arbitrio, ff. Qui ſatiſd. cogan. cum ſimil.* Unde ſenſus eſt, Quia de jure ad vos, & Archiepiſcopum veſtrum ſimul collatio præbendarum pertinet; ideò poſtulaſtis, &c. Et quamvis Joann. Andr. & DD. communiter ſumment hoc capitulum per modum conditionis; hoc tamen faciunt, quia in *verſ. Niſi fortè*, ſupponitur eſſe dubium, an Archiepiſcopus interſit Capitulo ut prælatus, an ut Canonicus, & in hoc dubio Doctores conjungentes utramq; partem conſtitutionis, diſtinxerunt, ſi ad Prælatum ut Prælatum, & Capitulum collatio pertinet, de uno ad alterum non fit devolutio; ſecus ſi ad Prælatum ut Canonicum. Sed hinc non ſequitur, quin textus, qui ſeorſim loquitur, in primo reſponſo procedat deciſivè, & per modum cauſæ. Nec refert, quòd Hoſtienſ. hìc in principio intelligat hoc capitulum de conſuetudine, eò quòd non dixerit, pertinere debeat, ſed pertineat; & ſic notet factum & non jus; ideòque parùm faciat hæc littera ad id, ad quod alii ipſam inducunt. Etenim contrarium tenet Goffred. cum quo tranſit Joan. Andr. *num.1. in verb. Pertineat*, intelligentes hanc litteram de jure communi. Nec verum eſt, verbum *Pertineat*, connotare factum: imò enim connotat jus, *ut l.1. §. Juris noſtri*, cum gloſ. *in verb. Pertinet, ff. de verb. ſignific. gloſ. in cap. Inter dilectos, in verb. Pertinere ſup. de fide inſtrum.* Et quamvis referri poſſit etiam ad jus competens ex conſuetudine, ut notat Jaſ. in *l. Centurio col. penult. ff. de vulgar.* tamen cùm hìc nulla fiat mentio conſuetudinis in dubio potiùs referri debet ad jus commune, *arg. cap. 1. de conſtitut. lib.6.* Et propterea Doctores, qui firmant de 2 3 4

jure

jure communi inter Epiſcopum, & Capitulum collatio-
nem eſſe ſimultaneam, ad hoc primò allegant hanc Decre-
talem, ut gloſ. *in cap. Cùm Eccleſia Vulterana, in verb.
Poſtolavit, ſupra de elect.* ibi: *Et quod ſimul eligere de-
beant, habens infra de conceſſ. præb. cap. Poſtulatis.* Item
gloſ. *in cap. Si pro te, in verb. Epiſcopi, & Capituli, de re-
ſcript. lib.6.* Joan. Lauren. Vincen. Goffred. Jo. Monach.
& Jo. Andr. quos refert, & ſequitur Henr. Boich. *in capit.
Novit. col.1. circa med. verſ. Aut iſta omnia ceſſant, infra
de his, quæ fiunt à Præl.* Et ſanè ſi collatio ad eos pertinuiſ-
ſet de conſuetudine, Pontifex non fuiſſet loquutus per mo-
dum cauſæ, ſed per modum conditionis, ſicut fecit *in c. fin.*
& ibi notat gloſſ. *in verb. Pertineat de Regul. libr.6.* Et hæc
eſt communis opinio, quam etiam hodie ſervat Rota Ro-
man. ut dixi *in d. c. Cum Eccleſia Vulterana, ſupra de elect.*
ubi hunc articulum, relatis DD. opinionibus, latiſſimè
examinavi.

5 Secundò nota, *in verb. Donatio*, quod ter hìc legitur
repetitum, collationem beneficii poſſe appellari donatio-
nem. Quod tamen intellige, ut dixi *in c. Cùm acceſſiſſent,
in 6 notab. ſupra de Conſtit.*

6 Tertiò nota, id quod dictum eſt in Summa, videlicet,
ubi collatio præbendarum eſt ſimultanea inter Epiſcopum,
& Capitulum, lapſo ſemeſtri tempore Lateranen. Conci-
lio ad conferendum præfixo *in cap. 2. ſupra eod.* jus confe-
rendi de uno ad alium non devolvi. Et ſic ubi actus per
Prælatum ut Prælatum, & capitulum explicandus eſt,
unus non ſupplet negligentiam alterius, ſi tempus utri-
7 que ad actum explicandum eſt lapſum, ut hìc notat Abb.
*num.*4. dicens mente tenendum. Secus, tamen eſt, ſi unus
ſit effectus inhabilis, quia alter explicabit, ut eſt text. in
8 *cap. un. in princ. ne ſede vac. libr.6.* Quod ſi unus in remo-
tis agat, ad alium non fit devolutio, ut mox patebit. Un-
de redditur valdè dubitabile, quod dixit Rota in cauſa Pla-
centinæ Canonicatus 26. Februarii 1596. coram Orano, re-
lata a Garz *de benef. par.5. cap.4. num.*43. videlicet ſtante
Epiſcopi abſentia in Curia, cujus redditus de facili non ſpe-
9 rabatur, ſolum Capitulum potuiſſe conferre *ex dict. capit.
unic in fin.* Quoniam ille textus loquitur in eo caſu, in quo
quis tenetur conferre cum conſilio Epiſcopi: tunc enim
Epiſcopo in remotis agente, jus conferendi habens, con-
ferre poteſt ſine illius conſilio, ut ubi deciditur in fine. At
10 non procedit ille textus ubi collatio ſimul pertinet ad Epi-
ſcopum, & Capitulum, ut colligitur ex text. ibidem jun-
cto primo reſponſo, ubi nulla fit mentio de abſentia Epi-
ſcopi, & tenet ibi Gemin *num.* 10. & Franc. *n.8.* imo nec
habet locum illa Decretalis, cùm quis conferre tenetur
cum conſenſu Epiſcopi, ut ibi firmat gl. *in verb. Cum con-
ſilio*, & Franc. *ſub n.3. & 6. in fin.* item gloſ. *in c. Pro te,
in verb. Aſſenſus, de reſcript. eod. lib.* & Lap. *ibid. n.8.* &
Gemin. *n.*12 *ad fin.*

11 Ultimò nota ibi, *Non ut Prælatus, ſed ut Canonicus*, ali-
quando Epiſcopum intereſſe Capitulo tamquam Canoni-
cum. Quod intelligitur gloſſ.2. quando jus Canoniæ eſt an-
nexum Epiſcopatui ex conſuetudine, concordat *c. A col-
latione de appell lib.6. & c. Cum in Eccleſia, de præb. eod.
12 lib. cum ſimilibus.* Et hinc collige unam, & eamdem per-
ſonam poſſe vices duarum repræſentare, & reſpectu di-
verſæ qualitatis diverſo jure cenſeri. Ad hoc *cap. Per tuas,
de major. & obed. c. Ex ore, in fin. & c. Cum cappella*, &
ibi gloſ. *un. de privil.* Et procedit hoc etiam in actibus in-
compatibilibus, ut declarat Gemin. *in d. cap. A collatione
13 in 6. notab.* Quod nota ad limitationem regulæ, de qua in
cap. Cognovimus in fin 12. q.2. & c. Cum in tua, de decim.
Et propterea electum à ſe ut Canonico Epiſcopus ut Epi-
ſcopus examinabit & confirmabit, & ſic diverſis reſpe-
ctibus idem erit elector, & confirmator, ut poſt Hoſt. no-
tat hìc Jo. Andr. *n.3. verſ. & ſequitur ex his*, & eſt hìc ar-
14 guendi locus, quem DD appellant. *de tamquam*, ſeu reſpe-
ctivis. Cujus meminit gl. *in l. Si vero, §. Item quidquid in
verb. Quaſi ad patronum, ff. ſol. matrim.* & ibi Bart. *in princ.
verſ. Nota argumentum de tamquam*, g. *fin. in c. Cum inter
univerſas, ſup. de elect.* Jo. Andr. *in d. c. A collatione, n.7.
verſ. Ad eumdem inducitur hæc littera, de appell. lib.6.* Bart.
in l. Si pater, §. Qui duo, n.3. & 4. ff. de adopt. Jo. And. *in
regula, In toto de reg. jur. lib.6. in Mercurial.* Abb. *hìc n.*4.
Hinc S. Congregatio Concilii aliàs conſulta, an Epiſcopus,
cui commendatum eſt monaſterium exemptum, poſſit ſibi
ſæculares ſubditos ratione monaſterii ordinare, non obſtan-
te *c.10. ſeſſ.23.* Conc. Trident. Reſpondit non poſſe, quia
ordinaret eos ſubditos tamquam Abbas, non tamquam Epi-
ſcopus.

Hinc etiam DD. inferunt ad quæſtionem, an quod dona- 15
tur legato, ſeu ut vocant *Ambaſciatori*, cedat ipſius lucro
an verò Principis mittentis.

Pro mittente inducitur primò hęc Decretalis Nam quem-
admodum Prælatus, qui in Capitulo perſonam Canonici
repræſentat, non regulatur ut Prælatus, ſed ut Canoni-
cus; & ideò in caſu negligentiæ fit ad eum devolutio tam-
quam ad Prælatum: eodem modo quia legatus in actu le-
gationis non repræſentat perſonam privatam, ſed domini
mittentis, intelligitur honorari tamquam dominus mittens,
ac proinde dona ipſi mittenti acquiruntur, quaſi ipſius intui-
tu, & contemplatione videantur collata, arg. hujus text.
& c. fin. 93. diſt.

Secundò, pro hac parte inducitur texuts *in l. Qui pro- 16
prio, §. Procurator, ut in cæteris, ff. de Proc.* ibi: [Itaque
quod ex lite conſecutus erit, ſive principaliter ipſius rei
nomine, ſive extrinſecus ob eam rem, debet mandati ju-
dicio reſtituere,] ubi Accurſ. *in ver. Nomine*, notat Pro-
curatorem teneri reſtituere, ſi tamquam Procurator per-
cepit, non autem ſi tamquam quilibet: ſed Legatum per-
cipit dona non tamquam quilibet, ſed tamquam Legatus,
& procurator Principis mittentis, & occaſione legationis:
ergo tenetur reſtituere. Et ita ſubdit Accurſius diffinitam
fuiſſe cauſam, quam habuerunt Conſules Mediolanen-
ſes miſſi ad Imperatorem Conſtantinopolitanum. Idem
notat gloſſ. *in l. Sed ſi plures, §. In Arrogato*, per illum
textum *in verb. Beneficio, ff. de vulgar. & pupill.* licèt non
firmet.

Contra verò dona cedere lucro ipſius Legati, ſeu Ora- 17
toris, licèt occaſione legationis in eum fuerint collata, pro-
batur efficaciter *in l. Si ſocium, qui in eo § fin. ff. pro ſocio*, ubi
ſecundum communem lecturam, ſi donatur ſocio occaſio-
ne ſocietatis, nihilominus quia donatio fit perſonæ, &
non ſocietati, cedit lucro donatarii, non autem ſocietatis.
Nec mirum, quia non tantum in lucro ſed etiam in damno
idem eſt judicium. Nam ſi ſocius occaſione ſocietatis dam-
num ſit paſſus, ſibi imputatur, & non ſocietati, ut ibi eſt 18
text. notab. & notat Innoc. *in c. Sicut, il 2. n.8. verſ. in ſo-
cietate tamen de jurejur.* & per illam *leg.* Bart. *in d. § Procu-
rator*, reprobat præallegatam gloſſam Accurſii, *& in l. Si
vero, §. Item quidquid, ff. ſolut. matrim.* affirmat pro Am-
baſciatoribus eſſe caſum, ſi benè inſpiciatur *in d. l. Socium,
qui in eo, in fin.*

Secundò, ad idem inducitur textus *in dict. l. Si verò, §.
Item quidquid, ff. ſolut. matrim.* ubi quidquid maritus ſer-
vum dotalem manumittens conſequitur ex bonis liberti,
reſtituit uxori; beneficium tamen quod in eum libertus
contulit, in reſtitutione non venit. Et ita per illam l. de-
terminat quæſtionem pro legatis Mediolanenſibus ad Im-
peratorem Conſtantinopolitanum, gloſ. *ibi in verb. Qua-
ſi ad patronum*, & Bart. *num.*3. Oldrad. in ſimili *conſ.* 129.
in queſt.

Tertiò, ad hoc inducitur text. *in l. Divus, ad fin. ff. de 19
bon. damn.* ibi: *Barbaros etiam inde munerari venientes ad
ſe vel legationis vel alterius rei cauſa.* Ex quibus verbis
patet, Legatos conſueviſſe remunerari ab eo, ad quem
ſunt miſſi: at nulla eſſet remuneratio, ſi quod acquirunt,
non ſibi, ſed mittenti acquirerent.

Demum idem probatur ſecundum Bartol. quia donatio- 20
nes, quæ fiunt ab Imperatore, videntur fieri contempla-
tione ejus, in quem conferuntur, *l. Cùm multæ, Cod. de
bon. quæ liber.* Nec eſt novum, ut etiam in honorem
alterius detur alteri, *ut in l. Cùm filius, §. pater, ff. de le-
gat. 2.*

In hac varietate Jo. Calder. hìc dicit eſſe conjungendas 21
opiniones, quæ ponuntur *in d. l. Qui proprio, §. Procurat.
ff. de Procur.* ait enim conſiderandum eſſe an Legati priùs
noti eſſent Principi, ad quem ſunt miſſi: & tunc putat do-
na cedere ipſorum lucro. An verò ignoti; & hoc ſecun-
do caſu cenſet inſpiciendam eſſe qualitatem rei donatæ: 22
quædam enim præſumuntur magis congruere Principi, à quo
ſunt miſſi, veluti ſi donaretur Leo: & tunc dona eidem
Principi acquiruntur, quæ illius contemplatione cenſen-
tur donata. Quædam verò magis congruunt ipſis Legatis,
ut veſtes; pecunia, vel quid ſimile: & hæc cedunt ipſo-
rum lucro. Ita Calderin. cum quo reſidet Abb. hìc *num.*5.
con-

concludens in dubio donorum qualitatem eſſe inſpiciendam. Quod etiam verius putat Everard. *in ſua Centuria in loco de Tamquam num.6.* Eamdem diſtinctionem probavit Joan. Andr. *in cap. A collatione num.7. verſ. Hæc jura faciunt ad quæſtionem, de appellat.lib.6.* Nam in caſu illo Mediolanenſium ſic ait: *Dici ſolet, quòd dona cedunt Ambaſciatoribus, ſi prius erant noti Principi; aliàs communis, ſi erant ignoti; vel communi cedunt, ſi donum conveniebat communi, ut leo, ſtatua, vel ſimile. Secus ſi conveniebat perſonis, ut ſi Doctori librum, vel militi arma donavit,* & ſequuntur totidem verbis ibi Gemin. *colum.4.verſ. Hæc jura faciunt,* & Franc. *num.3.verſ. Quod inducitur ad quæſtionem.*

Baldus autem *in conſ.194. Præmiſſis verbis num.2. libr.2.* dicit fuiſſe antiquam quæſtionem de Ambaſciatoribus Mediolani, qui receperunt xenia, ſive dona ab Imperatore Conſtantinopolitano, utrum teneantur ea reſtituere communi Mediolani; & refert in ea Doctores communiter ſic dixiſſe: Aut donatum fuit contemplatione communis, & tunc communi quærunt: aut contemplatione ipſorum, & tunc ipſis quæritur. Aut dubitatur; & tunc aut Imperator habeat eos notos, & tunc videtur eorum contemplatione datum, *ut l. Si fortè, l. Miles, l. Dotem filio, §. fin. & l. Heredi in princ. ff. de Caſtren.pecul.* Aut non habebat eos aliàs notos; & tunc refert, an præmiſerit nomina propria, an appellativa, *ut l. Si ſervus communis, §.1.ff.de ſtipul. ſervor. l. Cum ita datur, ff. de condit. & demonſtrat. & l. Cum aliquis, C. de jure deliber.* Alii verò, ut idem Bald. ſubdit, dixerunt: Aut donaria ſunt eis congruentia, aut non; & ex eorum qualitate conjecturam eſſe ſumendam, *ut leg. Utrum, ff. de donat. inter vir. & uxor. & l. In reb. §. poſſunt, ff. Commod.* quæ diſtinctiones, ut vides, ſi conjungantur, ferè coincidunt cum diſtinctione Jo. Cald. de qua ſupra.

Verùm Bart. *in d. l. Si verò, §. Item quidquid, ff. ſolut. matrim.* determinat legatos, ſeu Oratores non teneri reſtituere, niſi fuerit expreſsè donatum eo pacto, ut redderetur mittenti, & alleg. Guliel. de Cun. idem dicentem in *dict. §. Procurator,* ac in cæteris hoc ipſum tenent Petr. & Jacobus de Raven. nam ut ipſi dicunt, quamvis contemplatione mittentis fuerint eis conceſſa donaria; tamen eis conceduntur, ut ſibi habeant, *leg. Divus in fin. ff. de bon. damnator.* & ſequitur Bald. *d. conſ. 194.* ubi conſuluit pro Conſiliario Admirati civitatis Januæ ſuper donatione eidem facta per Regem Cypri. Et cum opinione Bart. tranſeunt *in d. §. Item quidquid,* Paul. de Caſtr. & DD. communiter teſte Everar. *in d. loco de Tamquam, num.6.* quæ etiam moribus recepta eſt; nam ut Bald. inquit, *in præall. conſ. 194 num.2. verſ. Item quia conſuetum eſt ſic fieri, hoc potiſſimè inſpiciendum eſt, ut l. Juriſgentium, §. Pactorum, ff. de pact.*

Et tenendo communem opinionem, non obſtat hæc Decretalis, quia ut diſertis verbis reſpondet Abb. *n.5. circa fin. verſ. Et ad iſtum text.* Epiſcopus intererat hìc ut Canonicus. Sed Orator licèt repræſentet perſonam domini mittentis, nihilominùs conſiderari poteſt ut perſona privata in donis ei conferendis.

Item non obſtat text. *in d. l. Qui proprio, §. Procurator, ut in cæteris, ff. de Procurat.* Quoniam illa lex determinatur *per d. l. Socium qui in eo, in fin. ff. Pro ſoc.* ſecundùm Bart. *in d. §. Procurator.*

23 Limitari forſan poſſet communis opinio, ut non procederet, ſi dona eſſent talia, ut nullatenùs congruerent miſſo, ſed mittenti dumtaxat. Quid enim ſi dono daretur Regio Oratori corona aut ſceptrum regale, aut Nuntio Apoſtolico regnum Papale? Quippè abſonum eſſet, ut miſſus hæc dona ſibi retineret; cum videantur ei collata, non ut ſibi habeat, ſed ut deferat ad ſuum Principem. Et in hoc caſu fortè ſalvari poſſet diſtinctio Jo. Calder. Non enim mihi prorſus probatur illud exemplum leonis, & ſtatuæ, quia cùm Legati, & Oratores regii plerumque ſint Primates Regni, & Barones inſignes, non dedecet, ut ſibi habeant leonem, prout aliquando habuerunt Romæ. Et ſtatuas paſſim habent etiam privati.

24 Et quamvis hæc ſint dona inſignia; tamen donorum magnitudo ſpectanda eſt non tam ex perſona illius, cui conferuntur, quàm ex perſona ejus qui confert. Ad hoc, *c. etſi quæſtiones,* ibi, *Quem etiam* (ideſt equum) *joculatori non petenti vir tantus, & tam abundans fortè donaret, infra, de Simon.* ubi Jo. Andr. *n.8.* refert illud Alexandri, qui cum cuidam urbem donaret, dicente illo, cui donabatur, non convenire fortunæ ſuæ: Non quæro, inquit, quid te oporteat accipere, ſed quid me oporteat dare.

Ulteriùs QUÆRO, quo in loco ſedere debeat Epiſcopus, quoties intereſt Capitulo tamquam Canonicus. 25

Gloſſa *in c. A collatione in ver. Prælatus verſ. Sed quando ſedet, vel ſubſcribit de appellat. lib.6.* videtur velle, ut quando quis eſt in Capitulo ut pars Capituli, & non ut ſuperior, ſedere debeat in eo loco, in quo ſederet, ſi non eſſet ſuperior, prout ex illa gloſſ. deducunt ibi Gemin. *col.4. circa med. verſ. Nota tamen ex iſta gloſſa,* & Franc. *numer.4. verſ. In ea gloſſ. in fin.* Quod ſecundum eos facit ad quæſtionem de Vicario Epiſcopi, qui eſt Canonicus Eccleſiæ, ut in Choro non debeat ſedere primus inter alios quando eſt ibi in apparatu canonicali. Quod etiam tenet Caſſan. *in Catal. glor. mund. 4. par. 45. conſider.* & Cardinal. Seraphin. *deciſ. 437. num.5.* Quinimò, ut formaliter inquit Abbas *in cap. Auditis num.4. de elect.* gloſſa illa dicit, quòd ſi Epiſcopus habet vocem in Capitulo tamquam Canonicus, non debet habere primum locum in Capitulo, quia non eſt ibi ut Epiſcopus; ſed prior Capituli debet habere primum locum. Similiter ex eadem gloſſa infertur ad quæſtionem de Epiſcopo, qui eſt in ſtudio ut ſcholaris, ut in actibus ſcholaſticis debeat ante ipſum ſedere Rector Univerſitatis, ut concludunt Gemin. & Franc. *locis citatis,* & facit, quod notatur in procem. Sexti, & ita de conſuetudine obſervari in Univerſitate Lovanienſi teſtatur Everard. *in loco de Tamquam num.9.* Imò hanc conſuetudinem vigere in omnibus ferè ſtudiis, eamque defendi poſſe per illam gloſ. affirmat Abb. *in d. cap. Auditis num.4. verſ. Et propter hanc gloſſam.* 26 27

Pro ſolutione quæſtionis diſtingue: Aut Epiſcopus eſt Canonicus in ſua Eccleſia; & debet ſedere immediatè poſt eum, qui præeſt Capitulo, ut ſentit gloſſ. præall. & Abb. *hic num.8.* Felin. *in rubr. de major. & obed. coll.2. in fin.* Aut habet Canonicatum in alia Eccleſia; & debet ſedere in loco Canonicatus. Ita diſtinguit Rota *in præallegat. deciſ.* Seraphin. 437. *num.4.* dicens ſpeciale eſſe, ut Epiſcopus ſedeat poſt illum, qui præeſt Capitulo, quando eſt Epiſcopus illius Capituli; alioquin debet ſedere in loco canonicali. Et quamvis Rota non alleget rationem ſpecialitatis, tamen ratio eſſe poteſt, quia cùm Epiſcopus ſit caput Capituli ſui, & Canonici membra, *c.6. Novit. & c. Quanto, de his, quæ fiunt à Prælat.* indecens eſſet, ut ſederet ultimus, ut ſemper contingeret in Epiſcopo noviter aſſumpto aut ultimò recepto. Unde honorari debet, ut ſaltem habeat ſecundum locum poſt præſidentem. Quæ ratio ceſſat in aliena Eccleſia. Confert textus *in cap. Requiſiſti, verſ. Quoniam non eſt tanta communio, de teſtam.* Sic ad præſens in Baſilica Sancti Petri Patriarcha Hieroſolymitanus, qui eſt etiam Canonicus, ſedet in choro poſt Canonicos ante ipſum receptos. 28

Et meo tempore in Prætorio Sacræ Pœnitentiariæ hoc ordine ſedebamus. Primus poſt Summum Pœnitentiarium Dominus Coccinus Pœnitentiariæ Regens, & Rotæ Decanus. Secundus P. Stephanus à Bubalo Societatis Jeſu Pœnitentiariæ Rector, & Conſultor Theologus. Tertius Dominus Merlinus Pœnitentiariæ Datarius, & Rotæ Auditor. Quartus Dominus Pirovanus Conſultor Canoniſta. Quintus ego uti Corrector Pœnitentiariæ. Sextus, & ultimus D. Alterius Epiſcopus Camerinen. Pœnitentiariæ Sigillator. Licèt in publicis functionibus Epiſcopus Camerinen. ſedeat ſecundus immediatè poſt Regentem, & Pater à Bubalo ultimus poſt omnes Prælatos. 29

Quòd ſi quæras, quomodo conſtabit, an Prælatus interſit Capitulo ut Prælatus, an ut Canonicus. 30

Solvit gloſſ. *in d. cap. A collatione, verb. Prælatus, de appellat. lib.6.* videlicet: Si eſt in primo loco, & ei primo ſcribitur, tunc apparet eum eſſe ut Prælatum, vel ut caput. Sed quando ſedet, & ſubſcribit poſt Archidiaconum, vel alium, qui ibidem præſit Capitulo, tunc patet ipſum ibi eſſe ut Canonicum, ad hoc *cap. ult. 17. diſt. & cap. Statuimus, de major. & obed.* In dubio autem cenſetur ibi eſſe ut Prælatus, ſecundum gloſſam, & idem tenent ibi Archidiac. Jo Monach. Jo. Andr. Gemin. & Franc. Eodem modo diſtinguit Abb. *hic num.8.* qui tamen dicit in hoc primùm

eſſe

eſſe recurrendum ad ſtatutum Eccleſiæ, ſi quod eſt, ſecundò ad communem conſuetudinem, & reputationem loci, *ut leg. Labeo, ff. de ſupellect. leg. & cap. Ex litteris, infra de ſponſal.* quibus ceſſantibus ſequitur gloſſ. præallegatam.

31 Itaque in dubio præſumitur quis in actu intervenire tamquam præſidens majori dignitati, licèt intervenire poſſit etiam tamquam ſimplex perſona, ut ibi per Franc. *num.* 3. Unde fit, ut ſi aliud non appareat, per lapſum temporis jus conferendi non devolvatur à Capitulo ad Epiſcopum; quia cùm in dubio cenſeatur intereſſe ut Epiſcopus, fieret devolutio ab Epiſcopo ad ipſummet Epiſcopum, quod repugnat, *argum. cap. Cùm ad noſtram ſupra de inſtitut.* cum concordan. de quibus ibi, *per gloſſ. fin.* Et ob hanc 32
rationem Joann. Monach. Joann. Andr. & Franch. ubi ſuprà concludunt in terminis prædictæ Decretalis à collatione ſimultanea Epiſcopi, & Capituli in dubio non ad Epiſcopum, ſed ad ſuperiorem eſſe appellandum. Quod nota.

NE SEDE VACANTE ALIQUID INNOVETUR.

Innocentius III. Priori & Conventui Glaſton.

CAPUT I.

NOvit ille qui ſcrutator eſt cordium, quò licèt C. prædeceſſor noſter, Eccleſiam veſtram erexerit Cathedralem, ipſam Bathonien. Eccleſiæ uniendo, ut idem eſſet Epiſcopus utriuſque: quia tamen hæc unio aſſerebatur à vobis in grave præjudicium Glaſton. Eccleſiæ redundare, cùm per ipſam diſſolveretur religio, & fraudaretur eleemoſyna, & hoſpitalitas tolleretur: Nos ad relevandum Eccleſiæ veſtræ ſtatum cœpimus intendere diligenter: & infrà. Vos autem poſt obitum Bathonien. Epiſcopi humiliter poſtulaſtis, ut quia tempus advenerat; quo ſine ſcandalo Eccleſiæ veſtræ ruina poterat relevari, cùm & Bathonien. Eccleſia idipſum pariter poſtularet: Rex quoque cum regni magnatibus, & quidam Epiſcopi cum multis Abbatibus depoſceret illud idem, ut unione penitùs diſſoluta, Monaſterium veſtrum reduceremus in ſtatum antiquum, ſub Abbatis regimine gubernandum. Attendentes igitur, quòd Epiſcopali ſede vacante non debet aliquid innovari, cùm non ſit qui Epiſcopale jus tueatur: maximè ne plus faviſſe perſonæ, quàm Eccleſiæ videremur, ſi quod eo vivente conceſſimus, poſt obitum ejus ſubitò mutaremus: petitionem veſtram nequivimus exaudire, authoritate prædicta indulgentes, ut cum Bathonien. Eccleſia de Præſule fuerit ordinata, jus veſtrum apud Sedem Apoſtolicam proſequendi facultatem liberam habeatis: interim autem ſub cura Prioris idem Monaſterium gubernetur.

S U M M A R I U M.

1 *SEde vacante ſtatus Eccleſia mutari non debet, & num.* 14.
2 *Unio Eccleſiarum quot modis fieri poſſit, & n. ſeqq. uſque ad n.* 12.
3 *Unio acceſſoria quæ dicatur, & qui ſit illius effectus, & num.* 8.
4 *Unio æquè principalis quæ, & illius effectus, n.* 9. *&* 10.
5 *Sancti Angeli in Vado, & Caſtri Durantis Eccleſiæ in Cathedrales erectæ ab Urbano VIII. & æque principaliter unitæ.*
6 *Unionum quinque ſunt ſpecies, & num. ſeqq. uſque ad num.* 12.
7 *Monachus poteſt in diverſis Monaſteriis locum habere quoad communicationem ſpiritualium, non autem vagationis cauſa.*
11 *In unionibus Eccleſiarum attendendus eſt tenor privilegii.*
12 *Monaſterium etſi in Cathedralem erigatur, tamen ibi ſervanda eſt Religio.*
13 *Monaſteria ordinantur ad Religionem, eleemoſynam, & hoſpitalitatem.*
14 *Sedis vacantis tempus non eſt conveniens ad aliquid agendum, vel tractandum ſuper ſtatu Eccleſiæ.*
15 *Etiamſi negotium fuerit cœptum in ſede plena.*
16 *Præſcriptio dormit vacante Eccleſia.*
17 *Sede Epiſcopali vacante non debet aliquid innovari, cùm non ſit qui Epiſcopale jus tueatur.*
18 *Sententia lata contra Eccleſiam vacantem non valet, ſicut nec contra minorem, qui non habet tutorem vel curatorem.*
19 *Panormitani ad ſedandam populi commotionem abſolverunt gabellas.*
20 *Et cùm nonnullas ſede vacante repoſuiſſent, etiam ab Eccleſiaſticis perſolvendas, ſupplicatio confirmationis fuit rejecta.*
21 *Vicarius Capitularis cum Clero ſede vacante non ſupplet conſenſum Epiſcopi ad hoc, ut Eccleſiaſtici gravventur gabellis.*
22 *Capitulum ſede vacante non ſuccedit in poteſtatem deducendi jura Epiſcopi in judicium, etiam defendendo.*
23 *Item non ſuccedit in poteſtatem alienandi jura, & bona Eccleſiæ, & n.* 31.
24 *Etiamſi magna urgeat neceſſitas, & n.* 29.
25 *Eccleſia comparatur pupillo, & jure minoris fungitur.*
26 *Et ſine decreto Epiſcopi nil alienare poteſt.*
27 *Clerus etiam donando Papæ non poteſt obligare Epiſcopum ad ſolvenda datia à ſe indicta.*
28 *Sede vacante nihil fieri debet, in quo Eccleſia præjudicetur.*
30 *Principum, & Prælatorum petitioni non eſt annuendum, cùm æquitatem non fovent.*
31 *Capitulum ſede vacante alienare non poteſt res, quæ ſervando ſervari non poſſunt, dummodo pretium ſerveiur.*
32 *Item ſi Eccleſia diu eſſet vacatura, & ex dilatione periculum immineret.*
33 *Debet tamen Eccleſiæ dari curator, aut defenſor, cujus authoritate fiat alienatio.*
Et eſt ſpeciale in Eccleſiis inferioribus, ibid.
34 *Uniones Cathedralium Eccleſiarum Papa ſolus poteſt diſſolvere.*
35 *Reſtitutio in integrum non datur contra factū Principis.*
36 *Nec ſupplicatio admittitur niſi infra biennium.*
37 *Authoritas eadem quæ requiritur in conſtructione actus, requiritur in illius deſtructione.*
38 *Legatus de latere non poteſt diſſolvere uniones factas à Papa de plenitudine poteſtatis.*
39 *Nec revocare uniones Eccleſiarum exemptarum, quia nec poteſt illas unire.*
40 *Camaldulenſes, & Montis Coronæ Eremitas univit Urbanus VIII.*
41 *Quæ unio ab eis diſſolvi non potuit.*
42 *Religiones diverſas, vel monaſteria diverſorum Ordinum ſolus Papa poteſt unire, & uniones diſſolvere.*

43 *Unio-*

43 *Unione diſſoluta, Eccleſia unita redit ad primævam naturam, & ſtatum, in quo erat ante unionem.*

44 *Res de facili revertitur ad naturam ſuam.*

45 *Congregatio Clericorum Doctrinæ Chriſtianæ unita Religioni Clericorum Regularium de Somaſcha, diſſoluta unione, redacta fuit ad antiquam ſtatum ſæcularem.*

1 NOvit. Vacante Eccleſia ſtatus ipſius mutari non debet. Hoc dicit, Joan. Andr. Butr. Card. Anchar. Imol. Abb. Joann. de Anan. & Guido Pap. Dividitur in duas partes. In prima ponitur petitio cum Facti narratione. In ſecunda petitionis repulſio cum quadam proteſtatione, ibi, *Attendentes*.

2 Nota primò ibi, *Ipſam Bathonien. Eccleſiæ uniendo, ut idem eſſet Epiſcopus utriuſque*, unum modum unionis faciendæ. Tribus enim modis poteſt fieri unio Eccleſiarum, ut dixit gloſ. *hic in verb. Uniendo*, & Innoc. *in princ.* item gloſ. *in cap. Et temporis qualitas, in verb. Unire 16. quæſt.* 1. Primò ſcilicet ut una Eccleſia ſubjiciatur alteri, & ſecundum hoc dignitas, & Sedes Epiſcopalis erit tantùm apud Eccleſiam, cui fit unio. Secundo modo fit unio, ut ex duabus dignitatibus una ſit dignitas, juxta text. *in cap. Decimas in fin.* ibi, *Sicut enim Papa duos Epiſcopatus in unum poteſt reducere* 16. q. 1. & ſecundùm hoc illi qui ſunt. Canonici in una Eccleſia, erunt Canonici in altera, & Canonici utriuſque ſimul intererunt electionibus, & aliis communibus negotiis. In hac tamen unione diſtingui-
3 tur ſecundùm præcitatas gloſſas. Nam aut una Eccleſia unitur alteri, aut illæ duæ uniuntur ſimul, quæ duo ſunt longè diverſa. Primo caſu ſcilicet cùm unitur alteri, aſſumit jus naturam, conſuetudinem, & privilegia ejus, cui unitur & pereunt jura Eccleſiæ unitæ, *cap. Recollentes §. ult. infrà de ſtat. Monach.* Item, ut dicebat Archidiacon. *in d. cap. Et temporis num* 4. Eccleſia, cui fit unio, cenſetur tamquam mater, & Eccleſia unita cenſetur tamquam filia, *cap. Cùm dilectus ſuprà quod metus cauſ. capit. Inter dilectos infrà de donationib.* & tunc filia ſortitur privilegia matris, *dicto cap. Recolentes*. Doctores communiter appellant hanc ſpeciem unionis acceſſoriam, ſeu ſubjectivam, per quam beneficium annexum amittit nomen beneficii, & induit naturam beneficii, cui eſt unitum, & efficitur illius prædium. Oldrad. *conſ.* 257. *factum tale eſt num.* 15. *verſ. Fundata igitur*, Rota *deciſ.* 370. *alias* 11. *de rebus Eccleſ. non alien. in antiq.* Cardin. Seraphin. *deciſ.* 1078. *num.* 6. *DD. in cap. Dudum, il ſecondo*, & ibi dixi *num.* 31. *ſuprà de elect. & in c. Licet num.* 68. *de præb.* Hoc tamen primum membrum ſecundæ ſpeciei in effectu videtur coincidere cum prima ſpecie unionis, de qua ſuprà *num.* 2. Ideòque Innocentius non poſuit hanc ſubdiviſionem. Secundo autem caſu, videlicet cùm neutra Eccleſia unitur alteri ſed ambæ inſimul uniuntur, conſuetudines & privilegia, quæ meliora ſunt, & humaniora in altera earum, debent uniri, vel retineri in unitate, *cap. Medicamentum, de pœnit. diſt.* 1. & *cap. Non eſt culpandus* 32. *qu.* 1. ſicut cùm Imperator unit actionem bonæ fidei, & ſtricti juris, illud unitum retinet ea, quæ meliora fuerunt in altera actione, *ut l. un. in princ. C. de rei uxor. act.* & eum legata, & fideicommiſſa unientur, id, quod humanius erat tam in una, quàm in alia,
4 retinet illud unitum, *l.* 2. *circa fin. C. comm. deleg.* Tertio modo poſſunt uniri duæ Eccleſiæ; ita ut utraque remaneat Epiſcopalis: & ſecundum hoc duæ erunt dignitates, ſeu Epiſcopatus, ſicut erant ante unionem: erit tamen utraque Eccleſia, ſeu dignitas ſub regimine unius Epiſcopi: & de hac unione eſt caſus *hic*, & *in d. cap. Et temporis* 16. *qu.* 1. & ſecundùm hoc ſi hujuſmodi Eccleſiæ diverſis ſuberant metropolitanis, propter hanc unionem neuter metropolitanus perdit jus ſuum, *Cap. Quia Monaſterium infrà de relig. domibus, cap. ult. de confirmat. util. vel inutil.* ſecundum Innocen. & gloſſ. præalleg. ſic & Imperator quandoque unit duas dignit. *ut in auth. ut Judic. ſine quoque ſuffrag. § Illud col.* 2. & hæc unio dicitur æquè principalis, quæ operatur, ut quælibet Eccleſia retineat naturam ſuam, ut per Caccialup. *in tract. de union. art.* 8. *num.* 5. *verſ. Et hoc ſi modo*, Rebuff. *in prax. benef. tit. de union. num.* 11. latè Mandoſ. *conſ.* 27. *per tot.* Alphonſus Ojeda *de benefic. incompatibilit.* 2. *part. cap.* 3. *num.* 2. *verſ.* 3.
& hoc modo paucis ab hinc annis fel. record. Urbanus 5
VIII. in Cathedrales erexit Eccleſiam Sancti Angeli in Vado, quæ mihi patria chariſſima eſt, & Eccleſiam Sancti Chriſtophori caſtri Durantis hodiè Urbania, & utramque inſimul æquè principaliter univit, ita ut utraque eſſet Cathedralis, & unus eſſet Epiſcopus utriuſque: & idem de Epiſcopatu Viterbien. & Tuſcanellæ dicunt Ojeda *ubi ſuprà*, & Gonzal. *ſuper regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 5. §. 7. *num.* 29.

Sed pleniùs Hoſtien. *hic num.* 4. & *in ſumm. hujus tit.* 6
§. *Quot modis fiat unio*, ponit quinque ſpecies unionum.
Primò enim fit unio quoad communicationem ſpiritua- 7
lium tantùm, & ſic multæ Cathedrales, & Monaſterio inveniuntur unita. Nam uno ex fratribus vita functo conveniunt omnes in alia Eccleſia ſicut in propria ad faciendum Anniverſarium, ſeu ſeptimum, vigeſimum, vel trigeſimum pro ipſius anima, de quibus legitur *in cap. fin. infrà de teſtam.* & hoc modo poteſt unus Monachus in diverſis Monaſteriis locum habere, neque ad hanc unionem requiritur authoritas Papæ, vel Epiſcopi Diœceſani. Nec obſtat *cap. fin. de Relig. domib.* quia obtinere locum in diverſis Monaſteriis vagationis cauſa non eſt licitum, ut ibi, ſed benè ex cauſa charitatis, & officii Divini, *arg. cap. Damnamus*, §. *Cum ergo, ſuprà de ſumm. Trinit.* Se- 8
cundò, ſic fit unio, ut una Eccleſia alteri ſubjiciatur in ſpiritualibus, & temporalibus, itaut una ſit mater, & altera filia, *ut cap. Cùm dilectus ſuprà quod met. cauſ.* & fuſiùs dictum eſt ſuprà in ſecunda ſpecie unionis. Tertiò, 9
ſic fit unio, ut neutra Eccleſia ſubjiciatur alteri, ſed quælibet in ſuo ſtatu, & ſuo honore permaneat: unde ſi ante unionem utraque erat Cathedralis, & Epiſcopalis, utraque remanebit talis etiam poſt unionem, nec Canonici unius Eccleſiæ erunt Canonici alterius, iſti vocabuntur ad depoſitionem illorum, neque è converſo; erit tamen unus Epiſcopus duarum Eccleſiarum, & ab omnibus communiter eligetur in loco, de quo in unione conventum eſt, aliàs deferant ſibi morem, *argum. c. Paſtoralis, ſuprà de reſcript.* & in hoc caſu poteſt intelligi text. *in cap. Et temporis qualitas* 16. *qu.* 1. Si verò una ſit Cathedralis, & altera Conventualis, in Cathedrali fiet electio, & Prælatus erit Epiſcopus Eccleſiæ Cathedralis, & Abbas, ſive Præpoſitus, Eccleſiæ Conventualis; & ſecundum hanc ſpeciem videntur unitæ Eccleſiæ Viennen. & Romanen. ejuſdem Diœceſis; item Lugdunen. & S. Juſti ejuſdem civitatis; item Ciſtercien. & Folcarquerien. ejuſdem Diœceſis: nec propter hoc Conventualis efficitur Cathedralis, niſi hoc habeat à Sede Apoſtolica, *cap. Felix*, 16. *qu.* 1. *arg. cap. De locorum, de conſecrat. diſt.* 1. & *cap. Cùm inferior ſupra de major. & obed.* nam ab Eccleſia Romana dignitates omnes traxerunt originem, *capit.* 1. 22. *diſt.* Quartò ſic poteſt fieri unio, ut idem ſit Collegium utriuſque Eccleſiæ quoad ſpiritualia, & temporalia, itaut qui eſt Canonicus in una, ſit Canonicus & in altera; & tunc dicitur vera unio; nam cùm priùs eſſent duo Collegia poſt hujuſmodi unionem erunt unum, *cap. Ad Apoſtolicam infrà de converſ. conjugat.* & tali unione facta, eligi debent de utraque Eccleſia conſuetudines, & ſtatuta laudabiliora, quæ in utraque de cætero debeant obſervari. Quintò denique ſic fit unio, ut Eccleſia Conventua- 10
lis etiam Regularis in Cathedralem erigatur, & alteri Eccleſiæ Cathedrali antiquæ uniatur, utraque Epiſcopali remanente ſub uno, & eodem Præſule; & de talis unione loquitur hæc decretalis, ita Hoſt. cum quo concordant hìc Joan. Andr. *n.* 11. Butr. *eod. num.* Anchar. *n.* 4. *verſ. Hoſt. dicit.* Abb. *n.* 6. communiter DD. Petrus de Peruſio *in tract. de union. cap.* 1. *n.* 5. Caccialup. *in eod. tract. art.* 2. *n.* 1. Hæc 11
tamen, quæ diximus, non ſunt perpetuò vera, ideò diligenter attendendus eſt tenor privilegii, *cap. Porrò de privil. c. Dico ſimul, ſup. de offic. ordin.* ſecundum Innoc. *hic n.* 1. *in fin. verſ. Hæc verò*, cum quo tranſeunt Hoſtien. *n.* 4. *circa fin. verſ. Tamen ſecundum Dominum noſtrum*, & Jo. Andr. *n.* 11. *ad fin.*

Secundò nota ibi, *Cùm per ipſam diſſolveretur reli-* 12
gio, tametſi Monaſterium in Eccleſiam Cathedralem 13
erigatur, nihilominùs ibi ſecundam eſſe Religionem, ex quo ibidem remanent Religioſi, qui tenentur ad eleemoſynam, & hoſpitalitatem ſervandam. Nam ad hæc tria ordinantur Monaſteria, ut hìc per Butr. *n.* 4. Imol. *eod. num.* & Abb. *n.* 2.

Tertiò

14 Tertiò nata ibi, *Quia tempus advenerat*, tempus ſedis
vacantis non eſſe conveniens ad aliquid agendum, vel tra-
ctandum ſuper ſtatu Eccleſiæ. Nam iſti Monachi exulta-
bant, quaſi tempus ſedis vacantis eſſet opportunum ad repa-
randam Eccleſiæ ruinam, & dicebant: Benedictus Domi-
nus, ecce nunc tempus acceptabile, &c. Sed decipiebantur
quia tempus hujuſmodi contra eos revolvitur, ſecundum
15 Hoſt. hic n.9. & Jo. Adr. n.2. in verb. Tempus. Quod lo-
cum habet, etiamſi negotium fuerit cœptum in ſede plena,
prout hìc cœptum fuerat ab Innoc. ut patet in text. ibi, *Cœ-
pimus intendere*. Nam nihilominùs Epiſcopo è vivis ſubla-
16 to, negotium debet conquieſcere. Et eſt ſimile in præſum-
ptione, quæ dormit vacante Eccleſia, cap.1. & ibi gloſ. ult.
ſuprà de præſcript. Rationem habes hìc in text. quia Epiſco-
pali ſede vacante non debet aliquid innovari, cùm non ſit
17 qui Epiſcopale jus tueatur: & hoc pro regula ponunt hìc
Butr. & Imol. n.5. & alii communiter, & ideò non valet
ſententia contra Eccleſiam vacantem lata, ut in c.fin. infrà
18 eod. ſicut nec contra minorem, qui non habet tutorem, vel
curatorem, l. Acta, §.ult. ff. de re judic. l. In univerſ. C. qui dar.
tutor. poſſ. & tenet gloſſ. hic in ver. ſede vacante in fin. Innoc.
n.4. Hoſt. n.11. Jo. Andr. n.6. Cardin. n.11. in quarta quæſt.
Imol. n.13. & reliqui omnes.
19 Et per prædicta cùm Senatus Panormitanus ad ſedandas
commotiones populi neceſſarium duxiſſet abolere antiquas
gabellas, idque redundaret in grave detrimentum laicorum,
& Eccleſiaſticorum, eo quòd gabellæ hujuſmpdi eſſent do-
tes montium non vacabilium, in quibus jus habebant Ec-
cleſiæ, Monaſteria, hoſpitalia, & alia loca pia ipſius civita-
tis; ideòque ad ſatisfaciendum montiſtis de fructibus, & ad
20 relevandas communes neceſſitates, ſede Archiepiſcopali va-
cante, de conſenſu Vicarii Capitularis, Canonicorum Ca-
thedralis, & Collgiatæ, necnon Parochorum, ac Superio-
rum Regularium, novas gabellas nuper impoſuerit etiam
ab Eccleſiis perſolvendas, & hujuſmodi impoſitionis con-
firmationem à Sede Apoſtolica poſtulaverit. Die ..... No-
vembris 1649. in Congregatione a Sanctiſſimo D. N. ad
hoc ſpecialiter deputata cenſuimus obſtare hoc cap. item
c. Non minus, & c. Adverſus infrà de immunit. Eccleſ. ubi
ad hujuſmodi onera imponenda præter alia exigitur delibe-
21 ratio, & conſenſus Epiſcopi, & Cleri; unde non ſufficit
conſenſus Vicarii Capitularis, quia etſi Capitulum ſede va-
22 cante ſuccedat in juriſdictionalibus, ut in c. Cum olim, & c.
His quæ ſuprà de major. & obed. non tamen ſuccedit in po-
teſtate deducendi jura Epiſcopi in judicium, etiam defen-
23 dendo; ut hìc notabiliter dicit Abb. Panormit. num.4. Item
cùm Eccleſiæ, Eccleſiaſticæque perſonæ, ac res ipſarum
non ſolùm jure humano, ſed etiam divino à ſæcularibus
exactionibus ſint immunes, ut legitur in cap. Quamquam de
cenſib. lib.6. renunciationi immunitatis hujuſmodi non po-
teſt Vicarius Capitularis aſſenſum præbere, quia Capitu-
lum ſede vacante non ſuccedit in poteſtate alienandi jura,
& bona Eccleſiæ, c. Si qua de rebus, & c. Præcariæ 12. qu.2.
24 gloſ.1. in c. Si quis Epiſcopatus 10.q.2. gl. ult. in cap. Proximo
infrà eod. item gloſ. ult. in c. Cum olim, & ibi Butr. n.16 ſu-
prà de major. & obed. etimſi magna urgeat neceſſitas, ut
contra opinionem Hug. & Jo. de qua in d. c. Si qua de re-
bus in verb. reſciſſo, tenet gloſſ. Bernard. hìc in verb. ſede
vacante. Et fuit opinio Vincentii in c. Ad abolendam infra
de hæret. cum quo tranſeunt Archid. in d.c. Præcariæ n.2. &
ibi etiam Bellam. circa med. verſ. Sed quod non poteſt alie-
nari, & Præpoſ. num 1. verſ. Quod non videtur procedere,
25 reddentes rationem, quia cùm Eccleſia pupillo compare-
tur, & jure minoris fruatur, c.1. & c. Auditis verſ. Nos at-
26 tendentes ſuprà de integr. reſtit. ſicut pupillus nihil alie-
nare poteſt ſine authoritate tutoris, l.1. & 2. C. de auth. præ-
ſtand. ita nec Eccleſia, dum caret paſtore, alienare poteſt ſi-
27 ne decreto Epiſcopi, c. Sine exceptione 12.q.2. per quem
text. Abb. conſ.7. Tria circa primum n.4. col. ult. ante med.
verſ. Poſtremo, lib.2. in fortioribus terminis conſuluit Cle-
rum Florentinum non potuiſſe donando etiam Summo
Pontifici obligare Archiepiſcopum ad contribuendum, &
ſolvendum certa datia per Clerum indicta. Ad idem c. Pla-
cuit, & cap. Abbatibus 12. qu.2. c. Noverit, & c. Regenda 10.
28 q.1. Quare cùm Panormitana Eccleſia ſit Archiepiſcopo vi-
duata, minimè licuit Capitulo, aut Clero conſentire im-
poſitioni gabellarum in præjudicium Archiepiſcopatus,
quia ut dicit gloſ. ult. in c. fin. infrà eod. ſede vacante nihil
fieri debet, in quo ei præjudicetur. Nec quicquam facit,
quòd nova impoſitio gabellarum facta fuerit ad relevandas
communes Cleri, & populi neceſſitates, ex quo laico-
rum facultates non ſuppetunt. Quoniam præter hæc duo
requiritur etiam conſenſus Archiepiſcopi cum Clero, ut in
d. c. Non minùs, & c. Adverſus, de immunit. Eccleſ. unde
cùm ſede vacante deficiat Archiepiſcopi conſenſus, nihil
prodeſt communis neceſſitas, & laicorum inopia. Præte- 29
reà etiam in caſu hujus decretalis Monachi petentes unio-
nem diſſolvi, adducebant pro cauſa, quia per hoc Eccleſiæ
ruina poterat relevari; & nihilominùs quia ſedes vacabat,
& Eccleſia carebat defenſore, Papa noluit eos exaudire.
Demum non proſunt ſuffragia Regis, quia ſimiliter in caſu
hujus cap. concurrebant conſenſus Eccleſiæ, & ſuffragia 30
Regis Angliæ cum Regni Magnatibus, & Epiſcoporum
cum multis Abbatibus, ut dicitur in littera; & tamen non
fuerunt exauditi, quia cùm ſedes vacaret, eorum petitio
erat illicita, ut dicunt Hoſt. hic n.9. & Jo. Andr. n.2. Nam
petitioni Principum vel Prælatorum non eſt annuendum,
cùm æquitatem non fovent, ut ex hac littera hac deducunt
Card. n.4. Anchar. n.12. Abb. eodem n. circa fin. verſ. Nota
quod petitioni, & Jo. de Anan. n.6. & eſt ſimile in cap. Inno-
tuit verſ. Multa, ſuprà de elect. Nec obſtat, quòd Innoc. hic 31
n.2. excipiat duos caſus, in quibus per Capitulum ſede va-
cante fieri poteſt alienatio. Primò ſcilicet quando ſunt res,
quæ ſervando ſervari non poſſunt; quia tunc dummodò
pretium ſervetur, Capitulum poterit alienare, arg. l. Lex quæ 32
tutores, C. de adminiſtr. tut. & l. fin. C. Si propter publ. penſ.
Secundò quando Eccleſia eſt in eo ſtatu, ut diu ſit vacatu- 33
ra, & immineat Eccleſiæ periculum, ſi alienatio differatur.
Quoniam Innoc. loquitur in Eccleſia inferiori, de qua etiam
loquitur c. Dudum, de rebus Eccleſ. non alien. lib.6. & nihi-
lominùs tenet per Capitulum non poſſe fieri alienationem,
niſi per judicem detur bonis curator, aut defenſor, cujus au-
thoritate fiat alienatio, l.1. & 2 ff. de Curat. bon. dand. ad
hoc d. c. Dudum de reb. Eccl. non alien. lib.6. Idque ſpeciale
eſſe in Eccleſiis minoribus, notat Calder. conſ.1. poſt med.
verſ. Non obſtat, quod vacante ſede. Hodiè tamen in his
ſervari debet diſpoſitio Extravag. Anbitioſæ de reb. Eccleſ.
non alien. His acceſſerunt aliæ conſiderationes multi pon-
deris, ob quas ſupplicatio Senatus Panormitani rejecta fuit;
ſed eas conſultò omittimus, quia non faciunt ad materiam
hujus decretalis.
Ultimò nota ibi, *Authoritate Apoſtolica indulgentes*, ſo- 34
lum Romanum Pontificem qui poteſt Cathedrales Eccle-
ſias erigere, c. Felix 16. qu.6. eaſque invicem unire, c. Sicut
unire, infrà de exceſſ. Prælat. ſimiliter poſſe illarum uniones
diſſolvere: Papa enim authoritate Apoſtolica hìc indulget,
ut poſtquam Bathonienſis Epiſcopus fuerit ordinatus Prior,
& Monachi Eccleſiæ Glaſtonienſis unitæ facultatem ha-
beant proſequendi jus ſuum apud Sedem Apoſtolicam pro
diſſolutione unionis. In hoc autem fuit indulgentia, quia 35
cùm unio harum Eccleſiarum facta fuiſſet à Cœleſtino, &
ab Innocentio confirmata, permittitur eis agere contra fa-
ctum prædeceſſoris, & Principis, contra quod non liceret 36
etiam petere beneficium reſtitutionis in integrum, l. Minor
autem, ff. de minor. nec poterat ſupplicari, quia biennium
erat elapſum, l. Quæ ſupplicatio, C. de precib. Imper. offer. &
hìc notat gloſ. fin. Innoc. n.7. in ver. Indulgentes verſ. Item eſt
ſpecialis gratia, Hoſt. n.24. Jo. Andr. n.7. verſ. Item quia pro-
mitt. & Butr. n.9. verſ. Item eſt indulgentia. Prætereà omnis 37
res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur,
c.1. infrà de reg. jur. l. Nihil tam naturale, & l. Ferè, la ſecon-
da, ff. eod. & eadem authoritas quæ requiritur in conſtitutio-
ne actus, requiritur etiam in illius deſtructione, Clem. Ne
Romani, de elect. Roman. conſ.65. verſ. Themate n.2. verſ.
Hoc enim, & conſ.116. Viſis in princ. & in terminis revoca-
tionis unionis eſt text. in d. c. Sicut unire, ibi, Authoritate, de
exceſſib. Prælatorum. Ideòque nec Legatus de latere poteſt 38
revocare uniones, quas fecit Papa de plenitudine poteſtatis,
ut concludit Petr. de Peruſ. in tract. de revocat. union. c.4. n.2.
circa fin. verſ. De ſecundo verò. Quemadmodum nec poteſt 39
Legatus revocare uniones Eccleſiarum exemptarum, quia
nec poteſt illas unire, ut notat gloſſ. in d. cap. Sicut unire,
in verb. In tua diœceſi de exceſſ. Prælat. & ibi etiam Hoſt.
num.1. in verb. Suæ diœceſis, & num.2. in verb. Authoritate
noſtra, & firmat Petr. de Peruſio d. c.4. n.3. verſ. Secundò
quæritur; & generaliter uniones factas per Papam non poſſe
per inferiorem diſſolvi, dixit Rota in recent. deciſ.737. n.2.
part.2. per notata in c. Inter dilectos, de fide inſtrum.

Et

40 Et ex his cùm ſuperioribus annis ſan. mem. Urbanus VIII. de plenitudine poteſtatis univiſſet Eremitas Camaldulenſes, & montis Coronæ, & Camaldulenſes prætenderent unionem fuiſſe diſſolutam ab ipſiſmet Eremitis montis Coronæ in Congregatione particulari habita die 22. Novembris 1649. hæc prætenſio rejecta fuit tamquam frivola, quia non licuit partibus venire contra factum Papæ, *cap. Inferiore*, 11. *diſt. cap. Cum inferior de major. & obed. Clem. ne Romani de elect.* & in terminis diſſolutionis unionis tradunt Innoc. & alii ſupracitati *num.* 35. Et quemadmodum ſolus Papa poteſt diverſas Religiones aggregare, ſeu unire, *ut cap. fin. de relig. domib. lib.* 6. & latè probavi *in cap. Recolentes*, *à num.* 24. *infrà de ſtat. monach.* & Monaſteria diverſorum Ordinum, tenet Paulus de Leazzaris in *Clem.* 1. *de elect.* & poſt eum Butr. *hic num.* 11. *circa fin. verſ. An unio poſſit fieri de Monaſteriis diverſæ Religionis*; ita ſolus Papa poteſt uniones Religionum diſſolvere, quia prout quoque producitur, ſic reſolvitur, ut Bald. inquit *in conſ.* 28. *ſuper eo num.* 1. *verſ. Nam regula generalis eſt lib.* 3. & conſtat ex dictis.

41 (margin)

42 (margin)

43 Ultimò nota ibi, *Ut unione diſſoluta Monaſterium veſtrum reduceremus in ſtatum antiquum*, hunc eſſe præcipuum effectum diſſolutionis unionis, quia cujus conditionis, & qualitatis erat Eccleſia ante unionem, illius conditionis, & qualitatis remanebit diſſoluta unione: & hanc regulam principalem ex hoc text. elicit Petrus de Peruſio *in tract. de revocat. unionis cap.* 7. *n.* 1. *inter tract. communes vol.* 15. *fol.* 161. unde ſecundum eum ſi Eccleſia unita erat ſine cura, remanebit ſine cura diſsoluta & revocata unione. Item ſi Eccleſia erat curata, remanebit curata: Item ſi erat Baptiſmalis Eccleſia, remanebit Baptiſmalis: Item ſi Eccleſia erat Collegiata, remanebit Collegiata: Item ſi Eccleſia erat ſæcularis, remanebit ſæcularis: Item ſi Eccleſia erat Regularis, remanebit Regularis: Item ſi Monaſterium erat erectum in Eccleſiam Cathedralem, remanebit ut Monaſterium, non ut Eccleſia Cathedralis; quia hæc omnia reſpiciunt antiquum ſtatum Eccleſiæ, ut per eum facit text. *in leg. Planè*, *ff. de oper. libert. in leg. Adulter.* §. *fin. ff. de adulter. in leg. In rem*, §. *fin. ff. de rei vendicat. & in* §. *Si quis ex aliena inſtitut. de rerum diviſione*. Res enim de facili redit ad naturam ſuam, *capit. Ab exordio* 35. *diſt. leg. Si unus*, §. *Pactus ne peteret*, *ff. de pact.* 44
Idem firmat Joann. Bapt. Caccialup. *de unionib. in* 10. *art. eod. vol.* 15. *Tractatuum fol.* 152. Rebuff. *in Praxi benef. in tit. de revocat. union. num.* 38. Calcan. *conſ.* 34. *num.* 3. *verſ. Fateor*, & Nicolaus Garzia *de benef. part.* 12. §. 3. *n.* 309. concludentes revocationem, & diſsolutionem unionis operari, ut corpora unita revertantur ad ſuam primævam naturam facit, Rota *dec.* 706. *num.* 4. *part.* 2. *rec.* & coram Verallo *dec.* 345. *n.* 1. *part.* 3.

Et ex hoc cùm Congregatio Sæcularis Clericorum Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia à Clem. VIII. inſtituta, à Paulo V. unita fuerit Religioni Clericorum Regularium de Somaſcha, ut in bulla unionis, quæ incipit, *Ex injuncto in Bullar. tom.* 3. *in appendic. pag.* 66 & nuper à Sanctiſſimo D. N. Innocentio X. per litteras in forma brevis ſub die 30. Julii 1647. hæc unio fuerit diſsoluta: Die 12. Junii 1651. in Congregatione Cardinalium, & Prælatorum à Sanctitate ſua ad hoc ſpecialiter deputata dictum fuit, primò dictam Congregationem Clericorum Doctrinæ Chriſtianæ per diſsolutionem unionis hujuſmodi redactam eſse ad ſtatum ſæcularem, nec opus fuiſse illam ſæcularizare, quia ex ipſa unionis diſsolutione amiſit ſtatum regularitatis, & reaſſumpſit ſtatum antiquum ſæcularitatis, in quo ante unionem reperiebatur, licèt perſonæ, quæ ſolemnem profeſſionem in ea emiſerunt durante unione, adhuc remaneant Regulares: actus enim omnes facti durante unione non revocantur per reg. Factum legitimè non retractatur, licèt perveniat ad caſum, à quo incipere non potuit, & notat Rebuff. *ubi ſuprà n.* 45. 45

NE SEDE VACANTE.

Honorius III. Epiſcopo Calmen. & Magiſtris V. & S. Canonicis Sueſſanen.

CAPUT II.

Illa devotionis ſinceritas: & infrà. Eccleſiam Sancti Leucini, de qua Magiſtrum R. donationis noſtræ gratia præcedente, præbendæ nomine de mandato noſtro Capuanus Archiepiſcopus inveſtivit, ſibi duximus confirmandam: non obſtante conceſſione per Capitulum facta alii, ſeu confirmatione noſtra, ſi qua in forma communi apparet obtenta: cùm nuſquam inveniatur cautum in jure, quòd Capitulum vacante Sede fungatur vice Epiſcopi in collationibus præbendarum: nec in eodem caſu poteſt dici poteſtas conferendi præbendas, ad Capitulum per ſuperioris negligentiam devoluta: cùm non fuerit ibi ſuperior, qui eas poſſet de facto, vel de jure conferre.

S U M M A R I U M.

1 *Capitulum ſede vacante non confert beneficia ſpectantia ad collationem ſolius Prælati, & num.* 8.
2 *Secus ſi collatio inter Epiſcopum, & Capitulum ſit ſimultanea, vel ad Capitulum tantùm pertineat, & num.* 16.
3 *Impetrans beneficium non tenetur facere mentionem de collatione priùs alteri facta à non habente poteſtatem conferendi; nec de poſſeſſione inde ſecuta.*
4 *Collatio facta à non habente poteſtatem non imprimit colorem tenendi.*
5 *De gratia adverſarii, quæ nulla eſt, non tenetur quis in gratia ſua facere mentionem.*
6 *Prohibitum cenſetur quod non apparet conceſſum in his, quæ generaliter ſunt prohibita.*
7 *In aliis procedit contraria regula.*
8 *Collatio beneficiorum vacantium poſt obitum Epiſcopi reſervatur Epiſcopo ſucceſſori, & ſi periculum ſit in mora, recurritur ad Papam.*
9 *Sed ex Regula ſecunda Cancellariæ pertinet ad Papam indiſtinctè.*
10 *Capitulum ſede vacante ſuccedit in jure confirmandi electiones, ſed non in jure conferendi beneficia, & quæ ſit ratio diverſitatis, & n. ſeqq.*
11 *Confirmans non donat, ſed tantummodò ſeras adminiſtrationis ſolvit, & reſervat.*
12 *Confirmatio eſt actus neceſſitatis, & ſapit juſtitiam: collatio eſt voluntatis, & ſapit gratiam.*
13 *Capitulum ſede vacante non ſuccedit in juriſdictione voluntaria, ſed in neceſſaria tantùm.*
14 *Non ſuccedit in dandis indulgentiis.*
15 *Succedit in præſentationibus admittendis, & inſtitutionibus faciendis.*

16 *In-*

16 *Inſtitutio præſentatorum eſt juriſdictionis neceſſariæ, non voluntariæ, ibid.*

17 *Capitulum ſede vacante, vel Decanus nullam authoritatem ſibi vendicat in examinibus per concurſum pro collatione Parochialium Eccleſiarum, ſed infra octo dies poſt obitum Epiſcopi Vicarium conſtituit, & n.25.*

18 *Vicarius Capituli ſede vacante conſtituit Vicarium in Parochiali vacante cum congrua fructuum aſſignatione, & n.28.*

19 *Item vacat per editum publicum, Omnes, qui volent examinari, & concurſum inſtituit, & magis idoneum eligit juxta formulam præſcriptam à S. Congregatione Concilii.*

20 *Examinotorum Synodalium authoritate an & quando expiret.*

21 *Examen per concurſum requiritur in qualibet vacatione, nec ſufficit, ut quis fuerit aliàs in concurſu approbatus.*

22 *Examinatores Synodales non unum ſolum, ſed plures quos judicaverint idoneos, debent renuntiare.*

23 *Ex quibus non Examinatores, ſed Epiſcopus, vel Vicarius Capituli ſede vacante magis idoneum eliget.*

24 *Vicarius Capituli ſede vacante qua formula concipiat littaras teſtimoniales concurſus peracti tranſmittendas ad Papam pro collatione Parochialis Eccleſiæ.*

26 *Capitulum ſede vacante non poteſt conferre Parochialem vacantem in Commendam temporalem ei, qui magis idoneus fuerit judicatus.*

27 *Nec ei fructus concedere durante Commenda.*

29 *Vicarius Capituli ſede vacante non poteſt eum, quem magis indoneum judicavit, in Parochiali vacante Vicarium conſtituere.*

30 *Vicarius Apoſtolicus deputatus cum juriſdictione contentioſa, & voluntaria, excepta beneficiorum collatione, an poſſit concurſus inſtituere, & n. ſeqq. uſque in finem.*

31 *Exceptio firmat Regulam in caſibus non exceptis. Viſitator Eccleſiæ vacantis non confert beneficia, niſi ſit datus à Papa, ibid.*

32 *Electio magis idonei, & collatio, ſunt diverſa, & ex una ad aliam non infertur.*

33 *Concurſus fieri debet ab Epiſcopo, licèt collatio Parochialis ad alium ſpectet.*

34 *Vicarius Capituli ſede vacante beneficia non confert, & tamen concurſus inſtituit.*

35 *Vicarius Epiſcopi ſine Capituli commiſſione non confert beneficia, & tamen inſtituit concurſus Epiſcopo impedito.*

36 *Capitulum habens jus conferendi Parochialem, non poteſt edicta proponere pro concurrentibus, ſed hoc jus pertinet ad Epiſcopum.*

37 *Probibito aliquo, prohibetur omne id, per quod pervenitur ad illud.*

38 *Prohibito conſequenti, cenſetur etiam prohibitum omne neceſſarium antecedens.*

39 *Quod procedit, quando conſequens eſt deſtructum, aut perpetuo prohibitum.*

1 ILla. Capitulum ſede vacante non confert præbendas ſpectantes ad collationem Prælati. Hoc dicit Jo. Andr. Butr. Cardin. Anchar. Imol. & Joan. de Anan. vel clariùs ſecundum Abbatem, Beneficia ſpectantia ad collationem Prælati dumtaxat, non poſſunt conferri per Capitulum ſede vacante: ſecus ergo ſi collatio inter Epiſcopum, & Capitulum eſſet ſimultanea, vel ad Capitulum tantùm pertineret, ut *cap. unico, infrà eod. lib. 6.* & hìc notant Abb. Antiquus *in fin.* Hoſt. *num.3. verſ. Hoc eſt intelligendum,* Joann. Andr.
2 *eod. num. in ver. Epiſcopi*, & reliqui omnes. Dividitur in tres partes. Prima deciſè narrat factum. Secunda diffinit, ibi, *Eccleſiam.* Tertia ſolvens obſtaculum, probat devolutioni locum non fuiſſe, ibi, *Non obſtante.*

3 Nota primò, ibi, *Non obſtante conceſſione per Capitulum facta*, in impetratione beneficii non eſſe opus mentionem facere de collatione priùs alteri facta à non habente poteſtatem conferendi, nec de poſſeſſione inde ſequuta, prout hìc fuit facta collatio, ſeu proviſio per Papam non habita mentione de collatione priùs alteri facta per Capitulum ſede vacante: nam talis collatio non imprimit colorem tenendi, & ſic non obſtat *cap. Cùm noſtris, ſuprà de conceſſ. præb.* & hanc regulam ex hoc textu deducunt hìc Anton. de Butr. *num.3.* Imol. *num.2.* Anchar & Joann. de Anan. *in primo notab.* Et quamvis Joann. Cald. *in d. c. Cum noſtris*, & Abb. *hic num.2.* dicant hìc non apparere, quòd proviſus per Capitulum poſſederit; tamen veriùs videtur, quod primò dixi, quia poſſeſſio hìc non erat colorata, cùm Capitulum careret conferendi poteſtate, & ideò de tali poſſeſſione non erat facienda mentio in litteris proviſionis, ut etiam advertit Cardin. *in d. cap. Cùm noſtris in 10. oppoſ. num.12. verſ. Vel ibi poſſeſſio non erat colorata.* Generaliter autem de gratia adverſarii, quæ nulla eſt, non teneor in gratia mea facere mentionem, quia non præſtat impedimentum, &c. ut ſolvit Rota *deciſ.179.* incip. *Nota quod de gratia adverſarii aliàs 69. de reſcript. in Antiq.* 4 5

Secundò nota, ibi, *Cùm nuſquam reperiatur cautum;* cenſeri prohibitum, quod non apparet conceſſum, ut hìc, & in concordan. de quibus in *gloſſ. 3.* quæ regula procedit in his quæ generaliter ſunt prohibita, ſicut eſt collatio præbendarum. Nam regula prohibitoria eſt, ut nullus beneficia conferat niſi Epiſcopus, *ut cap. Nullus, il primo 16. quæſt.7.* cum concord. de quibus hìc per Joann. Andr. *num.2. in verb. In jure*, & declarat Card. *eod. num.2.* In aliis procedit contraria regula, videlicet, intelligitur conceſſum, quod non invenitur prohibitum, *cap. Sunt nonnulli 16. qu.1. cap. Nuper*, & ibi gloſſ. *in verſ. Non retinuit, de ſent. excom. l. Nec non, §. Quod eis, ff. ex quibus cauſ. major.* cum ſimilibus, ut per gloſſ. *in cap. Inter corporalia, §. Sed neque in verb. Non invenitur de tranſlat. Epiſcopi.* In talibus enim edictum eſt prohibitorium; & ideò quicumque non prohibetur, per conſequentiam admittitur, *ut cap. Cùm apud de ſponſ. leg. Mutus, ff. de Procurat. & l.1. ff. de teſtib.* Et in idem recidit alia diſtinctio, quam ibi ponit gloſſ. in fine, videlicet, quòd ubi conſtitutio promulgata fuit affirmativè, tunc intelligitur conceſſum, niſi reperiatur prohibitum, ut patet exemplum *in cap. Deus maſculum, & cap. Quod ſi dormierit 31. q.1.* ubi verò Conſtitutio fuit promulgata negativè, ſemper intelligitur prohibitum, niſi inveniatur conceſſum. Exemplum habens *in c. Si non licet 25. q.5.* & in hoc ſecundo membro loquitur hoc cap. 6 7

Ultimò nota, ibi, *Fungatur jure Epiſcopi in collatione,* Capitulum ſede vacante quamvis ſuccedat in juriſdictione Epiſcopali, *ut cap. His quæ, & cap. Cum olim*, & ibi dixi *in 2. notab. ſupra de majorit. & obed.* tamen non ſuccedere in jus conferendi præbendas, & beneficia pertinentia ad collationem ſolius Epiſcopi, ut hìc eſt caſus ſecundum omnes in ſummario textus. Imò eorumdem collatio reſervari debet ſucceſsori. Quòd ſi periculum eſset in vacatione, recurrendum eſset ad ſuperiorem, *ut cap. Quia diverſitatem, §. penult. ſupra de conceſſ. præb.* ſecundum Innoc. *hìc in princ.* ſcilicet Papam, qui generalis eſt Ordinarius totius Orbis, *ut cap. Cuncta per mundum 9. q.3. & cap.2. de præbend. lib.6.* Unde alius ſuperior in hoc ſe intromittere non poſset, *cap. Romana de ſupplend. neglig. Prælator. lib.6.* ſecundum Hoſtien. *hìc n.1. circa med. in verb. Fungatur*, Jo. Andr *num.2. in verb. In jure*, Card *num 4. verſ. Tertio oppono*, Abb. *numer.3.* & alios communiter. Tu verò dicas, hodiè nullo caſu collationem tranſire in Epiſcopum ſucceſsorem, ſed indiſtinctè pertinere ad Papam, licèt non ſit periculum in vacatione, quia ex regula ſecunda Cancellariæ reſervantur dignitates & beneficia omnia, quæ tempore vacationis Epiſcopatuum quomodocumque vacaverint uſque ad proviſionem ſucceſsorum, & adeptam ab eis pacificam poſseſſionem. 8 9

Quod ſi quæras rationem, cur collatio præbendarum non tranſeat in Capitulum ſede vacante, reſpondet Innoc. *hìc in princ.* quia Prælati jus conferendi præbendas non habent à Capitulo, ſed à fundatione, vel privilegio, vel alio modo, ut notatur *in cap. Ad abolendam de hæret.* Et inde eſt, ut Capitulum ſuccedat in jure confirmandi electiones, *in cap. Cum olim, ſupra de major. & obed.* quia confirmatio eſt de jure Epiſcopali, quod Prælatus intuitu Eccleſiæ habet: collatio autem præbendarum competit Epiſcopo de jure ſpeciali, in quo Capitulum non ſuccedit. Sed hæc ratio non placet Hoſt. *hìc num.1. poſt med. verſ.* 10

verſ. Hæc ratio, quia jus conferendi præbendas de jure communi ſpectat ad Capitulum, & non ad alium, *ut in l. & notat. in cap. Cum Eccleſia Vulterana de elect. in cap fin. de Cler. peregr. in cap. 3. de inſtitut.* Sed etſi ex donatione Regis, vel alio modo Epiſcopus hoc jus acquiſiviſſet, nihilominùs Eccleſiaſticum cenſeretur, ut legitur, & not. *in cap. Dilectus, il terzo de præbend.* Dicendum eſt, igitur ſecundum Hoſtien. idcircò jus conferendi beneficia non tranſire in Capitulum, quia ſpecialis prohibitio eſt, generaliter tamen promulgata, ut nullus conferat beneficia niſi Epiſcopus, vel ejus Viceſgerens, *ut in cap. Nullus il primo 16. quæſt. 7. cap. 3. de inſtitut. & cap. Admonet de renunc.* Statur ergo huic ſpeciali prohibitioni contra regulam generalem, quòd Capitulum ſupplet defectum Epiſcopi ſede vacante, *ut in cap. his quæ, & cap. Cùm olim, de major. & obed.* quia ſemper generi per ſpeciem derogatur, *c. 1. & cap. Paſtoralis, ſuprà de reſcript. cap. Generi de reg. jur. lib. 6.* & propterea jus conferendi Capitulo non conceditur, quamvis de juriſdictione ſit, *ut cap. Hoſt. de elect.* ſecundum Hoſt. cum quo concordat per omnia Joan. Andr.
11 *num. 2. in ver. In jure.* Eſt igitur ratio differentiæ inter confirmationem, & collationem; quia plus eſt conferre, quàm confirmare: nam qui confirmat, non donat, *leg. Et quia, ff. de juriſd. omn. judic. cap. Inter. dilectos, §. Cæterum de fide inſtrum.* ſed tantummodò ſeras adminiſtrationis ſolvit, & reſerat, *cap. Cùm dilecta, §. Nos igitur ad fin. de confirm. uti. vel inutil.* Oldrad. *conſ. 146. Factum eſt tale de conſuetud. n. 4. verſ. Sed ad hoc reſpondetur.* At, qui confert, donat, *ut cap. ult. de Offic. Vicar. lib. 6.* Et hanc rationem differentiæ aſſignat gloſſa *in cap. 1. in verb. Non poſſit de*
12 *inſtitut. eod. lib.* Hoſt. & Joan. Andr. *loc. citatis* Ego aſſigno aliam rationem, quia confirmatio eſt neceſſitatis, *cap. 3.* & ibi Butr. *in 5. notab ſupra de elect.* & ſapit juſtitiam, cùm per electionem ſit jus quæſitum electo, eique ſit debita confirmatio, *ut cap. Cùm inter, il terzo, eod. tit.* ſed collatio eſt voluntatis, & ſapit gratiam, *ut hic in princ. & in dict. cap. fin. de Offic. Vicar. lib. 6.* & notat gloſſ. ante caſum *in cap. 1. de inſtit. eodem lib.* & Abb. *hic num. 3. & poſt med.*
13 *& num. 6. verſ. Ratio diverſitatis.* At Capitulum ſede vacante non ſuccedit in juriſdictione voluntaria, ſed in neceſſaria tantùm, quia eſt neceſſarius, & non voluntarius adminiſtrator, ut tenet gloſſa *in Clement. 1. in verb. Capituli de hæret.* quam dicit communiter approbatam, Felin. *in dict. cap. Cùm olim numer. 6. verſ. ad decimam tertiam quæſt. ſuprà de major. & obed.* Rota *deciſ. 5.* incip. *Si Epiſcopus n. 3. de offic. Vicar. in novis.* Nec ſuccedit in his, quæ ſapiunt gratiam, gloſſ. *in cap. 1. in verb. Præſentatos de inſtitut. lib. 6.*

14 Et inde eſt, ut Capitulum ſede vacante non ſuccedat in dandis indulgentiis ut, voluit Joan. Andr *in cap. Accedentibus num, 2. verſ. ex prædictis de exceſſ. Prælat.* Calderin. *in repetit. cap. Noſtro ad fin. de pœn. & remiſſ.* Archid. & Gemin. *in cap. eod. tit. lib. 6* & Felin. poſt alios *in d. c. Cùm olim num. 7* Et quamvis nonnulli oppoſitum ſentiant; tamen hæc opinio communiter tenetur, ut dicit Cardin. in *Clem. 2. § Ad hæc q. 3. n. 14. ad fin. verſ. de Capitulo etiam de pœnit. & remiſſ.*

15 E conra verò Capitulum ſuccedit in admittendis præſentationibus, & inſtitutionibus faciendis, quia hæc ſunt juriſdictionis neceſſariæ, & non voluntariæ, ut eſt expreſſum *in cap. 1.* & ibi notat Jo. Andr. *num. 10. verſ. in gloſſ.* & ibi, *Conferendi de inſtitut. lib. 6.* Hoſt. *hic num. 3. ad fin verſ. Puto contrarium*, Card. *in cap. His quæ num. 2. de major.* &
16 *obed.* Rota *d. deciſ. 5 num. 3. de offic. Vicar.* Et propterea *in reg. 2. Cancellariæ*, quæ reſervantur Papæ Beneficia vacantia tempore vacationis Epiſcopatuum, ad collationem, præſetationem, electionem, & quamcumque aliam diſpoſitionem Epiſcoporum pertinentia, apponuntur duæ exceptiones per illa verba: *Non tamen ad collationem cum alio, vel aliis, aut etiam alterius præſentationem, vel electionem pertinentia.* Prima exceptio fuit poſita propterea, quæ habentur *in c. un. Ne ſede vac. in. lib. 6.* ut tetigi ſuprà *n. 2.* Secunda verò propter ea, quæ habentur *in d. cap. 1. de inſtit. eod. lib.*

17 Et ob eamdem rationem Vicarius Capituli ſede vacante poteſt inſtituere concurſus Parochialium vacantium, & magis idoneum eligere ad præſcriptum Concilii Trident *cap. 18. ſeſſ. 24.* Nam magis idoneo reperto inter probatos ab examinatoribus ſynodalibus, debetur prælectio ex juſtitia, itaut ſi fuerit poſtpoſitus, poſſit appellare, & provocare prælectum ad novum examen, ex Conſtitutione S. Pii V. 33. *In conferendis*, ut plenè. adnotavi *in cap. Eam te ſuprà de ætat. & qualit.* Unde cùm actus prælectionis ſit juriſdictionis neceſſariæ, meritò tranſit in Vicarium Capituli ſede vacante ex prædictis, licèt Capitulum in hoc ſe ingerere non poſſit.

Porrò in S. Congregatione Concil. fuit actum de obſervandis in examinibus faciendis pro collatione Parochialium Sede Cathedrali vacante, & ita concepta fuit declarationum formula per manus tranſmiſſa, & à Sanctiſſimo approbata. In primis Capitulum nullam ſibi in hiſce examinibus authoritatem vendicabit, ſed conſtituet officialem, ſeu Vicarium infra octo dies poſt mortem Epiſcopi, prout mandat Concilium Trident. *ſeſſ. 24. cap. 16.*
Is Vicarius ſic conſtitutus obibit illa omnia munia, quæ 18
Concilium *ſeſſ. 24. cap. 18.* ſtatuit obeunda ab Epiſcopo, ſeu ejus Vicario, cùm Parochialis Eccleſiæ vacatio contigerit; & in ſpecie ſtatim habita notitia vacationis Eccleſiæ, & antequam ullum fiat examen, conſtituet idoneum in ea Vicarium cum congrua fructuum portionis aſſignatione, reſervatis reliquis fructibus iis, quibus jure videbitur. Hic autem Vicarius in Parochiali poſitus ejus onera ſubſtinebit, donec ei de Rectore provideatur. Poſtea per edictum publicum vocabit omnes, qui voluerint examinari pro obtinenda Parochiali vacante. Dein- 19
dè examinabit eos, qui concurrerint, adhibitis etiam aliis examinatoribus, ſaltem tribus, quorum votis, ſi paria, aut ſingularia fuerint, accedere poſſit ipſe Vicarius, quibus magis ei videbitur. Curabit idem Vicarius, ut ſin- 20
gulis annis à diœceſana Synodo probentur examinatores ſaltem ſex, ex quibus tres ipſe eliget eoſque congregabit, qui ſecum examen perficiant ad ſingulas Parochiales vacantes; & ſi duo, vel unus tantùm ex dictis examinatoribus etiam cum Vicario, vel omnes tres aut etiam ſex abſque vicario ſe ipſos congregaverint, & examen perfecerint, nullum erit. & ſi ex dictis ſex examinatoribus aliqui intra annum ſuæ electionis mortui fuerint, tota facultas examinandi ad Superſtites, etiamſi unus tantùm ſupereſſet, ſpectabit eo anno durante. Si contingat ſequentibus annis nullos alios examinatores eligi in Synodo diœceſana, illi ſex, qui ſemel præcedente anno ex decreto Concilii fuerint electi, pro legitimis habeantur etiam poſt lapſum anni ſuæ electionis, & ſic in officio ſuo perſeverare poſſint, donec alii ſervata forma Concilii electi fuerint. Et ſi ex dictis ſex examinatoribus aliqui mortui fuerint, curabit Vicarius, ut lapſo anno alii in locum demortuorum ſufficiantur, ſeu eligantur in Synodo diœceſana: alioquin qui ſupererunt, pro legitimis non habeantur. Examen, & approbatio pro legitimis non ha- 21
beantur ad Parochialem vacantem, ſi ante ad alias Parochiales, quæ priùs vacaverint, fuerint facta, itaut non ſufficiat, quem judicatum fuiſſe idoneum præteritis menſibus, aut annis ad aliquas Parochiales; ſed ſemper opus ſit novo examine, & nova approbatione ad ipſam Parochialem, de cujus collatione ſingulis vicibus agitur. Examinatores ex pluribus examinatis non unum ſolum, ſed plures, quos judicaverint idoneos, ſignificabunt Vicario, 22
& ex iſtis pluribus idoneis per examinatores judicatis, non ipſi examinatores, ſed ſolus Vicarius eliget, quem cæteris magis idoneum judicaverit. Hæc enim facultas nullo 23
modo examinatoribus competit, cùm ſoli Epiſcopo à Concilio ſit attributa, cujus loco erit Vicarius ſede vacante.
Ipſe etiam ſolus Vicarius abſque examinatoribus ſcribet 24
litteras ad Sanctiſſimum D. N. ad quem collatio Paro- 25
chialis ſpectabit, quibus præcipuè teſtabitur propoſitum fuiſſe edictum, & examen per concurſum factum, totque examinatos fuiſſe, & ex examinatis tot idoneos à tribus ſaltem examinatoribus judicatos, ſe verò ex iſtis idoneis talem cæteris magis idoneum judicaſſe, elegiſſeque.

Capitulum, aut Decanus Cathedralis Eccleſiæ nullum 26
ſibi jus vendicet proponendi edictum, aut deputandi, ſeu eligendi, vel convocandi coram ſe examinatores, nec jubendi, aut curandi, ut coram ſe, aut examinatoribus deputatis, ab eo examen fiat; minùs eligendi magis idoneum, aut litteras teſtimoniales de eo ſcribendi. Sed hæc omnia, ut ſuprà dictum eſt, exequetur partim ſynodus diœceſana, partim Vicarius ſede vacante conſtituendus,

quem

quem Capitulum omninò conſtituere debebit ex *d.*16. Mul-
26 tò magis idem Capitulum abſtineat à conferendo Parochialem vacantem in commendam temporalem ei, qui magis idoneus fuerit judicatus: maximè etiam caveat, ne concedat
27 omnes fructus ipſius Parochialis eidem d. Commenda durante: quoniam Conc. hæc omnia prohibuit, dum ſtatuit debere Epiſcopum ſtatim habita notitia vacationis Paro-
28 chialis idoneum in ea Vicarium cum congrua fructuum portione conſtituere, quod munus obibit, ut ſuper. dict. eſt, Vicarius præcisè ſede vacante deputatus. Cavebitque & ipſe à dicta commenda, & à conceſſione omnium fructuum. Et
29 illud quoque ſibi interdictum ſciet, ne eum quem magis idoneum ipſe judicaverit, conſtituat Vicarium in Parochiali, aut ei quoquomodo præficiat, donec collatio fiat; ſed debet omninò à principio vacationis, & antequam ullum examen fiat, conſtituere in ea alium Vicarium, qui curam animarum intereà gerat, donec Parochialis fuerit à Sede Apoſtolica magis idoneo collata.

30 Sed quæritur, an Vicarius Apoſtolicus deputatus cum juriſdictione tam contentioſa, quàm voluntaria ad Epiſcopum pertinente, excepta tamen facultate beneficia Eccleſiaſtica conferendi, & litteras commendatitias, & dimiſſorias ad ſacros Ordines concedendi, poſſint edicta proponere pro concurſibus Parochialium vancatium inſtituendis, & magis idoneum eligere: an verò id jus ad Epiſcopum ſpectet, juxta formam *d. cap.*18. *ſeſſ.*24.

De hoc dubio conſultus, de mandato Sanctiſſimi D.N. Innocentii X. in caſu Archiepiſcopi Beneventani, Reſpondi hujuſmodi facultatem pertinere ad Vicarium Apoſtolicum, quia cùm fundatam habeat intentionem ſuper exercitio juriſdictionis Epiſcopalis tam contentioſæ, quàm voluntariæ ex forma litterarum Apoſtolicarum, & excipiantur tantummodò duo caſus, videlicet beneficia conferendi, & litteras
31 commendatitias, & dimiſſorias concedendi: talis exceptio firmat regulam in contrarium in caſibus non exceptis, *l. Quæſitum*, §. *Denique Neratius*, *ff. de fund. inſtruct. c. Dominus*, 32. *q.*7. Sicut Viſitator datus à Metropolitano cum adminiſtratione ſpiritualium, & temporalium, excepta beneficiorum collatione, *ut in c. Eccleſiæ*, §. *ult. de ſuppl. negl. Prал. lib.*6. in aliis videtur poteſtatem habere, quaſi per exceptionem firmetur regula, ut dicit gloſſ. in Clem. 1. *in ver. Capituli, de Hæret.* poſt. Jo. Monach. *in d. cap. Eccleſiæ, n.*4. Præſertim verò quia Vicarius Apoſtolicus, niſi obſtaret illa exceptio in litteris ſuæ commiſſionis appoſita, poſſet etiam beneficia conferre ad inſtar Viſitatoris dati à Papa Eccleſiæ vacanti, qui in ſpiritualibus & temporalibus adminiſtrat, & beneficia confert, *ut in d.* §. *Hujuſmodi*, & ibi notat gloſ. *in ver. Non poteſt*, & communiter Doctores.

32 Et confirmatur, quia jus inſtituendi concurſus & eligendi digniorem inter probatos ab Examinatoribus ſynodalibus eſt quid omninò diverſum à collatione beneficii, & ex uno ad aliud non infertur arg. *cap. In illis*, §. *Illis, de Præb. lib.*6. Clem. 1. & ibi gloſſ. *in ver. Quamvis, eod. tit.* Dixi *in c. Nul-*
33 *lus, n.*23. *ſuprà de elect.* Ideòque Concilium Trid. *in d. c.*18. *verſ. Peracto, ſeſſ.*24. ſtatuit, ut inter probatos ab Examinatoribus Synodalibus Epiſcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit, atque illi, & non alteri collatio Eccleſiæ ab eo fiat, ad quem ſpectabit eam conferre; & ſic alius eligit, alius confert. Unde & in Parochialibus affectis, & reſervatis Papa confert, ſed Epiſcopus ex *d. c.*18. & Bulla Pii V. 33. in conferendis inſtituit concurſum, & eligit
34 digniorem. Similiter Vicarius Capituli Sede vacante non poteſt beneficia conferre, ut hìc probatur, & conſtat ex dictis ſuprà *in ult. notab.* & tamen poteſt concurſus inſtituere, & digniorem eligere, ut ex ſententia S. Congr. oſtenſum eſt
35 ſuprà, *num.*17. *& ſeqq.* Item Vicarius Epiſcopi ſine ſpeciali commiſſione non confert beneficia, *ut cap. fin. de offic. Vic. lib.*6. & tamen impedito Epiſcopo inſtituit concurſum, ut habetur *in d. cap.*18. *verſ. Transacto conſtituto tempore.* Item S. Congregatio Concilii in cauſa Burgen. cenſuit Capitulum 36
habens jus conferendi non poſſe edicta proponere pro concurrentibus, ſed hoc jus pertinere ad Archiepiſcopum, ut in ſubjecta declaratione, videlicet.

Cardinalis Pacecho Epiſcopus Burgenſis petiit declarari, quando collatio Parochialis etiam ab immemorabili tempore pertinet ad Capitulum Cathedralis, vel Collegiatę Eccleſiæ, vel ad alium inferiorem, an ad eundem occurente illius vacatione pertinere poſſit edictorum poſitio ad vocandos oppoſitores an vero ad Epiſcopum tantum: die 17. Septemb. 1574. S. Congregatio cenſuit, ſi beneficium ſit in Diœceſi Burgen ſpectare ad Epiſcopum propoſitionem edictorum. Et cùm idem petiiſſet declarari Archiepiſcopus Compoſtellanus: die 15. Junii 1575 eadem S. Congregatio cenſuit reſpondendum ut in Burgenſi.

Igitur ex eo, quòd Vicarius Apoſtolicus non poſſit beneficia conferre, non rectè infertur, ut non poſſit edicta pro concurrentibus proponere, & magis idoneum eligere; ſicut è converſo non rectè infertur: Archiepiſcopus habet collationem beneficiorum: ergo & jus inſtituendi concurſus.

Sed objicies, Aliquo prohibito, omne id prohibetur, per 37
quod pervenitur ad illud, *ut l. Oratio, ff. de ſponſal. cum pluribus concord.* de quibus ibi in gloſſ. unica, & per Jo. Andr. *in c. Cùm quid prohibetur, n.*1. *de reg. iur. lib.*6. Sed Parochialis Eccleſię collatio prohibita eſt Vicario Apoſtolico in litteris ſuę deputationis. Ergo videtur etiam prohibitus concurſus, & electio magis idonei, per quæ pervenitur ad collationem, ſicut prohibito matrimonio prohibentur etiam ſponſalia, per quæ pervenitur ad matrimonium, *ut in d. l. Oratio*, & nota Jo. Andr. *ubi ſupra*: & eò magis quia concurſus, & præelectio dignioris ſunt veluti præambulum, & antecedens neceſſarium ad collationem Parochialis Eccleſiæ, cùm aliter facta collatio non teneat, *ut in d. cap.*18. *ad fin. verſ. Alias proviſiones*, *ſeſſ.* 24. Prohibito autem conſe- 38
quenti cenſetur etiam prohibitum omne neceſſarium antecedens, *ut l.*2. §. *Mutui datio*, & ibi gloſſ. *in ver. In creditum ff. Si cert. petatur*, & notat Jo. de Platea *in l.*1. *C. de Delatoribus*, *lib.*10. *cum ſimil.* ut per Everardum in ſua centuria legali in loco, A deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedentis, *n.*1. *&* 2.

At reſpondetur huic argumentationi ineſſe fallaciam, quia 39
major propoſitio deſumpta ex regula *d. l. Oratio*, procedit in conſequenti prohibito ſimpliciter, & abſolutè tunc enim deſtructo conſequenti, deſtruitur etiam neceſſarium antecedens. At collatio Eccleſiæ Parochialis non eſt prohibita ſimpliciter, & abſolutè; imò poteſt, & debet fieri per eum, ad quem pertinet, *ut in d. cap.*18. ſed tantummodò prohibetur Vicario Apoſtolico; unde conſequenti non deſtructo non licet inferre ad deſtructionem antecedentis; ſed unus confert, & alius eligit, ut ex dictis conſtat. Præterea dictum argumentum procedit tantum, quando conſequens eſt perpetuò prohibitum; tunc enim eſt etiam prohibitum antecedens, *ut in d. l. Oratio*: ſecùs verò ſi conſequens non ſit prohibitum perpetuò, ut in hoc caſu, in quo poſt concurſum fieri debet collatio ab eo, ad quem ſpectat; quia tunc non eſt prohibitum antecedens, *ut l. Si quis officium, in princ. ff. de rit. nuptiar.* & poteſt alios declarat Everard. *ibi ſuprà n.*4. *circa fin. verſ. Vel poterit dicere aliter*: & ita reſolutum in Congregat. particulari die 8. Novembris 1638. videlicet jus inſtituendi concurſus Parochialium Eccleſiarum vacantium in civitate, & diœceſi Beneventana, & eligendi magis idoneum ad præſcriptum Concilii Trid. *cap.*18. *ſeſſ.* 24. non ad Archiepiſcopum, ſed ad Vicarium Apoſtolicum pertinere; quam reſolutionem in Signatura Gratiæ Sanctiſſimus approbavit die 19. Julii 1650.

DE HIS QUÆ FIUNT A PRÆLATIS. ſine conſenſu Capituli.

Innocentius III. Archiepiſcopo, & Magiſtro ſcholarium Bituricen.

C A P U T VII.

CUm Apoſtolica ſedes:& infrà. Sanè ſicut accepimus,cùm ex una parte Capitulum S. Stephani, & ex altera Monachi de Platea, ſuper decima quadam in veſtrum compromiſiſſent arbitrium: dicti Monachi proponebant, donationem ipſius decimæ ſibi à quodam milite factam,& Bituricen, Archiepiſcopi diœceſani ejus accedente conſenſu confirmatam fuiſſe:ſeque auctoritate Hieronymi munitos exiſtere, qui ſcribens ad Damaſum ait: Si aliquando fuerint à laicis malè detenta, quæ divini juris eſſe noſcuntur, & in uſum tranſierint Monachorum, Epiſcopo loci præbente conſenſum, conſtabunt eis omnia perpetua firmitate ſubnixa. E contrario pars allegabat adverſa, conſenſum Epiſcopi ſine Cleri conſenſu minùs ſufficere,auctoritate Leonis Papæ dicentis: Ne quis Epiſcopus de rebus Eccleſiæ quidquam donare,vel commutare,vel vendere audeat;niſi fortè aliquid horum faciat, ut meliora proſpiciat, & cum totius Cleri conſenſu atque tractatu id eligat, quod non ſit dubium Eccleſiæ profuturum. Quia verò nos conſulere voluiſtis, utrùm quando decima tenetur à laico,ſi conferatur Eccleſiæ,ad confirmandam donationem conſenſus Epiſcopi ſine Cleri conſenſu ſufficiat? Taliter reſpondemus,quòd monendus eſt laicus,qui decimam detinet,ut eam reſtituat Eccleſiæ,ad quam ſpectat;qui ſi fortè induci nequiverit,& eam cum diœceſani conſenſu alteri Eccleſiæ aſſignaverit,preſertim religioſo Conventui,conſtabit ipſa donatio perpetua firmitate ſubnixa. Auctoritates enim præmiſſæ,licèt diverſæ ſint,non tamen adverſæ; cùm aliud ſit alienare quod ab Eccleſia poſſidetur,& aliud quod detinetur à laico, ad uſum Eccleſiaſticum revocare. In alienatione quoque juxta Leonis Pape decretum conſenſus Epiſcopi ſine Clericorum conſenſu non ſufficit. In revocatione autem juxta ſcriptum Hieronymi ſufficit conſenſus Epiſcopi, cum per utrumque utilitati Eccleſiæ conſulatur. Nam & in Lateranen. Concilio eſt inhibitum,ne quælibet religioſa perſona, Eccleſias & decimas de manibus laicorum ſine conſenſu Epiſcoporum recipiat; per quod indirectè datur intelligi, quòd ſufficit conſenſus Epiſcopi, ut licitum Eccleſiæ ſit decimas de manibus recipere laicorum. Hoc autem de illis decimis intelligimus, quæ laicis in feudum perpetuò ſunt conceſſæ.

S U M M A R I U M.

1 *DEcimarum donatio, quas laicus ante Concilium Lateranenſe habuit in feudum, facta per eum Eccleſiæ de ſolius Diœceſani conſenſu, valida eſt.*
2 *Lateranenſe Concilium ſub Alexandro III. quo tempore fuerit celebratum.*
3 *Laici etiam hodie licite poſſunt decimas poſſidere, quas ab Eccleſiis obtinuerunt ante Concilium Lateranen.*
4 *Decimarum infeudatio in laicum quo tempore primùm fuerit prohibita.*
5 *Laicus in perceptione decimarum non poteſt ſe tueri immemorabili præſcriptione, ſed neceſſarius eſt titulus, & nn. ſeqq.*
6 *Immemorabilem habens poteſt allegare meliorem titulum de mundo.*
7 *Fallit in laico quoad ſpiritualia propter ejus incapacitatem.*
8 *Immemorabilis ſola non ſuffragatur laico in perceptione decimarum.*
Niſi laicus poſſediſſet decimas tamquam vaſſallus, & ut talis fuiſſet agnitus ab Eccleſia, n. 11.
Vel niſi unà cum immemorabili concurrat fama privilegii, n. 12.
Et quid poſt Bullam Urbani VIII. n. 13.
9 *Immemorabilis eſt infinita, & capit omne tempus.*
10 *Laici nec ante, nec poſt Concilium Lateranenſe fuerunt decimarum capaces.*

1 C*Um Apoſtolica*. Tenet donatio, quam de ſolius Diœ-
ceſani conſenſu facit laicus Eccleſiæ de decimis quas
ab Eccleſia habuit in feudum ab antiquo. Hoc dicit, ſecun-
dum omnes. Dividitur ut hìc per Joan. Andr.& DD. & in-
tellige hunc textum ſecundùm Abb.*n.*11.de decimis in feu-
dum conceſſis laico ante Concil. Lateranen. ſub Alex. III.
2 *c.9.* relato *in cap. Cùm & plantare, infrà de privileg. & in* 1.
compilat. Decretal. c.3. eod. tit. quod fuit celebratum Romæ
in Baſilica Lateran. anno Dom. 1179. ſecundùm Jo. Andr.
hìc *n.9.* cum quo Abb.*n.*11. *in fin.* & alii tranſeunt:& quam-
vis alii aliter ſentiant;tamen hæc eſt ipſa veritas,ut patet ex
Bulla indictionis Conc. quæ habetur *tom. 3. Concilior. p.2.
pag.553. & in Bullar. tom.1. pag.29. quæ eſt nona, & ultima* in-
ter Conſtit. Alexandri III. ubi patet hoc Concilium fuiſſe
indictum ab Alexan. 11. Kalend. Octobr. anno 1178. illius 3
Pontificatus 19. pro prima Dominica advenientis Quadra-
geſimæ. Olim namq; ut Eccleſia auxilium haberet a Chri-
ſtianis, diſpenſativè conceſſit, ut laicis poſſent decimæ in-
feudari;ſed poſteà hoc fuit revocatum,& decretum,ut dein-
ceps non concederentur: prius tamen conceſsæ penès vaſ-
ſalos remanſerunt. Unde etiam hodie laici licitè poſsunt
poſſidere decimas, quas ab Eccleſiis obtinuerunt ante La- 4
teran. Conc. ut hìc patet:& apertius *in c. Statuto, §. Sanè de
decimis, lib. 6.* & ibi omnes maximè Anchar. *in* 11. *notab.*
Et quamvis aliqui opinentur hanc prohibitionem infeuda-
tionis,ſeu tranſlationis decimarum in laicos 1. factam fuiſ-
ſe in Conc. Turonen. ab Urb. II. *ut in c. Decimas, il quarto,*
16.*q.*7.& in uſibus feudorum, *in tit. Epiſc. vel Abbat. c.*1.
*Aliàs eſt, §. Item ſi Epiſcopus, vel Abbas in tit. Quibus modis
feudum amittatur*;& in hac opinione fuerit Hoſt. hìc *n.9. in
ver. Conceſſæ*:tamen Archid. *in c. Statuto, §. Illas autem, in
princ. de decim. lib. 6.* verius putat iſtam prohibitionem pri-
mò factam fuiſse non in Concil. Turon. congregato anno
Dom 1096. ſed per Alex. Pap. III. in Conc. Romæ habito in
Baſilica Lateran. anno 1179. quia jura loquentia de iſta ma-
teria non loquuntur de Turonen. ſed de Lateranen. prout
etiam notat gloſ.1. *in c. Cauſam quæ, ſuprà de præſcr.* & pa-
tet ex ſuprafcriptione illius Decret. *c. Cùm plantare, de pri-
vil.* Nec refragatur decretum illud Urbani;quia de decimis
nullam facit mẽtionem, ſed generaliter prohibet res Eccle-
ſiaſticas in feudum concedi,ut obſervat Henric. Boich. *in c.
Quamvis n.3. infra eod.* ubi etiam plenè videas,an,& quibus
caſibus laicus poſſit decimas ſibi conceſsas licitè retinere.
Sed hìc inſurgit dubium pulcherrimum, & uſu forenſi 5
frequentiſſimum,videlicet,quid dicendum, ſi probari non
poſſit decimas fuiſse conceſsas in feudum laico ante Conc.
Lateranen. fortè quia probationes perierunt ob temporis
longinquitatem, ſed tamen laicus poſsedit decimas per tan-
tum tempus, ut illius contrarii non extet memoria: num-
quid poſſit ſe tueri immemorabili præſcriptione, ita ut Ec-
cleſia non poſſit has decimas ſibi vendicare?
Breviter concludendum pro Eccleſia, quia de jure com-
muni Parochialis fundat intentionem in perceptione deci-
marum prædialium ex fructibus,qui colliguntur infrà limi-
tes Parochiæ ſuæ, *c. Cùm contingat*,& ibi gloſsa 2. Hoſt. *n.*1.

Butr.

Bar. *in 1. notab.* & cæteri omnes, *& cap. Cùm in tua, infrà de decimis*. Ergo niſi ex parte laici probetur titulus, Eccleſia debet obtinere, *cap. 1. de præſcript. lib. 6. c. Ad decimas, de reſtit. ſpoliator. eod. lib. & c. Cùm Eccleſia, ſuprà de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* Nec obſtat præſcriptio, quia laicus non poteſt decimas poſſidere, ac proindè nec præſcribere, ut *in cap. Cauſam, de præſcript.* Et quamvis immemorabilis
6 regulariter habeat vim tituli, *l. Hoc jure, §. Ductus aquæ, ff. de aqua quot. & æſtiv.* ita ut habens pro ſe immemorabilem poſſit allegare meliorem titulum de mundo, ad gloſſam finalem *in c. In aliquibus, verſ. Quia Clericis, vel Eccleſia, de decimis*, & dixit Rota *deciſ. 642. n. 4. part. 4. di-*
7 *verſ.* & in Recent. *deciſ. 150. n. 4. part. 5.* & ſæpè aliàs: tamen hoc limitatur, ut non procedat quoad laicos, quia detentio immemorabilis tunc non habet vim tituli propter illorum incapacitatem gloſſ. 1. *in c. Illud 93. diſt.* & egregiè probant Jo. Monachus, & Jo. Andr. *in cap. 2. n. 6. de præb. lib. 6.* Card. *conſ. 57. n. 3.* Abb. hìc *nu. 13. verſ. Nota tamen benè, & in cap. Quantò, n. 2. de conſuet.* Felin. *in cap. Cùm contingat n. 4. verſ. Secundò fallit, de foro compet.* Baldus *de præſcript. in 1. partis principalis, in 7. q. num. 53.* Pariſ. *in c. Cùm nobis n. 6. de præſcript.*

8 Et ita ſolam immemorabilem præſcriptionem laico non ſuffragari in perceptione decimarum firmant hìc Hoſt. *n. 10.* Abb. *d. n. 13. verſ. Nota tamen benè*, & alii communiter Jo. Monach. & Archid. *in c. 2. de decim. lib. 6.* Feder. de Sen. *conſ. 234. Super primo, n. 3. verſ. Item poteſt poni exemplum in laico*. Et pluribus aliis relatis, articuloque accuratè diſcuſſo reſolvit Rota in Toletana juris decimandi, *quæ eſt dec. 215. part. 2. diverſ.* ubi clarè oſtendit hanc eſſe magis receptam opinionem, pro qua etiam plurimos cumulat Anton. Gabr. *in tit. de præſcript. concluſ. 1. n. 16.*

9 Nec obſtat, ſi dicatur: Laici ante Concilium Lateranen. erant capaces decimarum, ut hìc, *& in d. c. Cùm & plantare*, & immemorabilis percutit etiam tempus ante hoc Concilium, cùm ſit infinita, & capiat omne tempus, ut dixit Rota in Placentina decimarum 29. Maji 1587. coram Bubalo, & in Comen. decimarum 10. Aprilis 1596. coram Orano. Nam reſpondetur, imò laicos numquam fuiſſe capaces juris decimandi ante, nec poſt Concilium, ut benè explicat Rebuff. *in tract. de decim. q. 13. num. 79.* Guidopapa *dec. 61.* Rota *deciſ. 193. n. 19. par. 7. rec.* 10

Concluſionem ſuperiùs firmatam declarat notabiliter Jo. Andr. hìc *n. 9. verſ. Satis videtur contrarium tenendum*, ut locum non habeat, ſi laicus ab immemorabili tempore poſſediſſet decimas tamquam vaſſallus, & ut talis fuiſset agnitus ab Eccleſia; vel niſi unà cum immemorabili concurreret fama ſeu communis opinio privilegii. Et cùm hac declaratione tranſeunt hìc plerique ex Doctoribus, ut Abbas teſtatur *n. 12. verſ. Et cum hac opinione*, ſubdens illam eſse ſatis æquam, quia aliàs ob defectum probationis ſæpè laicus privaretur jure ſuo, de communi Rebuff. *de decimis, q. 13. n. 76.* alios refert Anton. Gabriel *de præſcript. d. concl. 1. n. 18.* Et ita laicum poſse decimas prædiales percipere, ſi vel exhibeat titulum privilegii Apoſtolici, vel probet immemorabilem una cum ipſius privilegii fama, multoties firmavit Rota, ut *in d. dec. 215. n. 2. & 7. par. 2. diverſ.* & in Recent. *dec. 298. n. 2. par. 3. & deciſ. 545. nu. 1. par. 4. & deciſ. 22. n. 14. & deciſ. 56. n. 1. par. 7.* 11 12

Tu verò dicas hanc limitationem hodie non procedere, quia ex Bulla ſan. mem. Urbani VIII. incip. Romanus Pontifex, edita 5. Junii 1641. caſsantur quæcumque præjudicialia Sedi Apoſtolicæ, vel juriſdictioni, immunitati, aut libertati Eccleſiæ, Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis, eorumque bonis, ac juribus, etiamſi cum immemorabili concurrat fama privilegii Apoſtolici, ut ſcripſi latiſſimè *in c. Conſuetudines, ſuprà de conſuet. præſertim nu. 55. 57. 72. & 74.* 13

DE HIS QUÆ FIUNT A PRÆLATIS ſine conſenſu Capituli.

Idem Innocentius III. Epiſcopo Elien.

CAPUT IX.

PAſtoralis officii diligentia: & infrà. Præterea quæſiviſti (cùm auctoritate Dionyſii fuerint Parochiæ limitatæ) quatenùs ſingularum Parochiarum proventus, in uſus Eccleſiæ cederent neceſſarios, & ſtipendia miniſtrorum: ſi Epiſcopo liceat ſine auctoritate ſummi Pontificis, vel ſaltem ſine Capituli ſui voluntate, viris religioſis conferre obventiones alicujus Parochialis Eccleſiæ, ſuſtentatione Vicarii reſervata? Et cùm Lateranen. Concilii ſtatuta prohibeant, Eccleſiis novam imponi vel augeri veterem penſionem, poſtulas edoceri: an Epiſcopus valeat religioſis, conſentiente patrono, totam Eccleſiam, vel de novo conferre aliquam portionem? Ad quod breviter reſpondemus, quòd ſalva conſtitutione Canonica de concedenda piis locis quinquageſima portione, neque primum neque ſecundum facere poteſt Epiſcopus (niſi de licentia Romani Pontificis) præter Capituli ſui voluntatem.

SUMMARIUM.

1 *PArochiales Eccleſias, vel obventiones ipſarum Epiſcopus etiam de conſenſu patroni ſine conſenſu Capituli ſui Monaſterio conferre non poteſt.*

2 *Parochias ſingulas an primus diſtinxerit Dionyſius Papa.*

3 *Parochi non ſunt in totum domini fructuum, & oblationum, ſed diſpenſatores, & n. 30. & 31.*

4 *Diſpenſare an poſſit Epiſcopus contra Concilium generale de ſui Capituli conſenſu.*

5 *Penſionem an poſſit Epiſcopus imponere cum conſenſu Capituli ſuper fructibus beneficiorum ſuæ diœceſis.*

6 *Quinquageſima, vel centeſima redditʋum Eccleſiaſticorum an, & quando ab Epiſcopo aſſignari poſſit Monaſteriis, vel piis locis.*

7 *Et an ex fructibus menſæ Epiſcopalis tantùm, an verò etiam ex fructibus Eccleſiarum ſibi ſubjectarum. Et an requiratur conſenſus Capituli, n. 9.*

8 *Exceptio debet eſſe de regula, aliàs eſt inepta, Proſp. Fagnan. in III. Lib. Decretal. & impertinens, & nn. ſequentibus.*

10 *Eccleſiam ſæcularem non poteſt Epiſcopus in regularem erigere, nec Monaſterium de novo conſtruere ſine conſenſu Capituli.*

11 *Alienationes rerum Eccleſiæ, quæ fiunt ex neceſſitate juris, non requirunt ſolemnitatem. Secùs ſi fiant voluntariè, licèt ex cauſa utilitatis, vel neceſſitatis Eccleſiæ.*

12 *Fratres Minores poſſunt vendere bona immobilia ſub modo licito ſibi legata ſine ulla ſolemnitate.*

13 *Parochialis Eccleſia fundat intentionem de jure communi ſuper omnibus redditibus ſpiritualibus infrà limites Parochiæ ſuæ, & n. 16.*

14 *Oblationes factæ imagini alicujus Sancti depictæ in pariete extra Parochialem, ſed infra limites Parochiæ, cui debeantur, & nn. ſeqq. uſque in fin.*

15 *Imagines Sanctorum ſunt res religioſæ, quarum uſumfructum privatus habere non poteſt.*

16 *Oblationes factæ ubivis locorum infra limites Parochiæ debentur Parocho.*

Ampliatur ſex modis à num. 19. uſque ad n. 29. & declarantur quinque à d. n. 29. uſque in fin.

17 *Proventuum ſpiritualium appellatione veniunt decimæ, primitiæ, oblationes, mortuaria, fructus, & redditus ex Parochia provenientes.*

18 Obventionum *verbum eſt valdè latum, & comprehendit decimas, & alios redditus ſpirituales, cujuſcumque ſint qualitatis.*

19 *Conſuetudo ut oblationes factæ imagini alicujus Sancti debeantur laico domino muri, ubi depicta eſt illa imago, non valet.*

Etiam reſpectu adminiſtrationis, n. 20.

Fallit, num. 21. & 22.

20 *Oblationes res ſpirituales ſunt, quarum laicus non eſt capax, & n. 23. & 29.*

21 *Laicus poteſt eſſe collector oblationum, & fructuum decimarum non jure proprio, ſed ex deputatione Parochi, & tamquam nudus miniſter.*

22 *Confraternitates laicorum ex conſuetudine poſſunt recipere oblationes, dummodò nil ſibi applicent, ſed in pios uſus totum convertant.*

23 *Laico domino muri, ubi ſacra imago depicta eſt, non poteſt Epiſcopus concedere, ut oblationes diſpenſet ad libitum ſuum.*

24 *Oblationes factæ ſacræ imagini exiſtenti in capella, ſeu oratorio infra limites Parochiæ, debentur Parocho, non autem Capellano ibi inſtituto.*

25 *Idem ſi fiant ad altare in Capella alicujus Eccleſiæ.*

26 *Oblationes, quæ fiunt ſacræ imagini exiſtenti in Cathedrali, non quæruntur Epiſcopo, ſed Archipresbytero curam animarum ibi exercenti.*

27 *Oblationes factæ Presbytero celebranti ſunt Rectoris Eccleſiæ, non autem Presbyteri.*

28 *Niſi ſit Epiſcopus, qui Miſſam celebret, etiam in Parochiali.*

29 *Oblationes cedunt Parocho in dubio tantùm, ſecus ſi appareant factæ alterius contemplatione, vel in alium uſum ſint deſtinatæ ex pia intentioue offerentium.*

30 *Oblationum adminiſtratio ſpectat ad Parochum, non ut ſibi applicet, ſed ut diſpenſet in uſus ab offerentibus præſcriptos.*

31 *Oblationes an & quomodo à Parocho ſint dividendæ.*

32 *Oblationes quæruntur Epiſcopo, ſi locus, ubi depicta eſt religioſa imago, non ſit intra fines alicujus Parochiæ.*

33 *Canonica portio an de oblationibus Epiſcopo debeatur.*

34 *Oblationes, quæ fiunt in Eccleſiis Regularium, quæruntur Monaſterio pro Monachis ibi ſervientibus.*

35 *Monaſteria exempta, quamvis ſint in Parochia, vel in Diœceſi, tamen non ſunt de Parochia, nec de diœceſi.*

36 *Conſuetudo ut oblationes non debeantur Parochiali, ſed alteri Eccleſiæ vel perſonæ Eccleſiaſticæ, valida eſt.*

37 *Oblationes factæ novis Sacerdotibus, dum celebrant primas Miſſas, quæruntur ipſis, & non Parocho.*

38 *Mens offerentium recipit interpretationem à conſuetudine.*

39 *Sacerdotes novi non prohibentur primas Miſſas decantare, & in illis poſt offertorium in medio altaris ad populum ſe convertere, & oblationes accipere à ſpontè dantibus, ſed perambulationes per Eccleſiam, & extorſiones prohibentur.*

40 *Parochi diebus feſtis poſſunt poſt offertorium in medio altaris vertere ſe ad populum, & invitando ad oblationes manipulum, vel aliud offerentibus præbere deoſculandum, ſed aliis Sacerdotibus hoc non licet.*

41 *Parochi ſtante conſuetudine poſſunt recedere ab altari poſt offertorium, & ad infimum locum Eccleſiæ accedere ad recipiendas mulierum oblationes.*

42 *Oblationes an poſſint laicis locari, aut vendi, & num. ſeqq.*

43 *Laicis non licet de altari immediatè oblationes accipere.*

P*Aſtoralis*. Epiſcopus Parochiales Eccleſias, vel obventiones ipſarum etiam de conſenſu patroni ſine conſenſu Capituli ſui Monaſterio conferre non poteſt. Hoc dicit. Dividitur in duas partes. In prima ponitur duplex quæſtio. In ſecunda communis reſponſio. ibi, *Ad quod*. 1

Nota primò ibi, *Auctoritate*, Parochias ſingulas fuiſſe à Dionyſio Pontifice diſtinctas, ac limitatas. Quod fuſiùs patet ex illius Epiſtola ſecunda Severo Epiſcopo, quæ refertur *in c. Eccleſias*, 13. *q.* 1. & habetur integra *tom. 1. Concilior. part. 1. pag.* 159. *col.* 2. & ex hac littera deceptus Abbas hìc in primo notab. putavit Parochias antea non fuiſſe diviſas quia Sacerdotes ſimul regebant populum: idemque fuiſſe in Epiſcopatibus in primitiva Eccleſia. Sed utrumque eſt falſum. Conſtat enim hanc Parochiarum diſtinctionem non primùm à Dionyſio, ſed ab Evariſto factam fuiſſe. Verùm cùm in perſecutione Valeriani publico edicto Chriſtiani ab Eccleſiis arcerentur, eorumque Conventus in Cœmeteriis prohiberentur; Eccleſiarum, Parochiarum, & Cœmeteriorum confuſio facta eſt: ſed Valeriano vita functo, & reſtituta per Gallienum pace Eccleſiæ, & libera facultate adeundi Cœmeteria, Dionyſius Eccleſias Rectoribus propter martyrium, vel exilium ſpoliatas, ſingulis Presbyteris dedit, iterumque Parochias, & Cœmeteria diviſit. Lege Cardinalem Baronium *ad annum* 270. *num.* 17. notas ad Concilium ſub Dionyſio Papa *tomo primo Concilior. part.* 1. *eadem pag.* 159. Termini verò Epiſcopatuum ante tempora Apoſtolorum in gentilitate fuerunt diſtincti, *ut cap.* 1. 80. *diſt.* & notat gloſ. 1. *in d. c. Eccleſias* 13. *q.* 1. & ſcripſi pleniùs *in c. Nullus, infrà de Paroch.* Nec verùm eſt in primitiva Eccleſia non fuiſſe Epiſcopos, ſed ſolos Presbyteros rexiſſe populum, ut dixi *in c. Quantò, ſupra de conſuet.* ubi hunc errorem latiſſimè confutavi *à n.* 6. *uſque ad num.* 20. 2

Secundò nota ibi, *Neceſſarios*, Eccleſiarum Rectores non eſſe in totum dominos fructuum, & oblationum, ſed diſpenſatores, cum ad hoc illarum redditus ab initio fuerint deputati, ut in uſus Eccleſiarùm cederent neceſſarios, & ſtipendia miniſtrorum, ut hìc dicitur. Quod facit contra eos, qui omnia ſibi applicant: ut notatur *in cap. Ratio, & cap. Cùm ſecundùm, ſuprà de præb.* & per D. Thomam in 2. 2. *q.* 86. *art.* 2. *in corpore*, & vide quod dicam infrà *num.* 30. & 31. Item facit contra eos, qui dant hiſtrionibus, vel aliàs prodigè expendunt, *cap. Donare*, 86. *diſt.* ſecundùm Hoſt. hìc *n.* 1. 2. & 4. Joan. Andr. *n.* 2. *in verb. Neceſſarios*, Butr. *n.* 3. Card. *n.* 2. Imol. *n.* 1. De hac materia vide quæ ſcripſi *in c. Si quis ſanè infrà de pecul. Clericor.* 3

Tertiò nota ibi, *Lateranenſis Concilii ſtatuta*, Eipſcopum de ſui Capituli conſenſu poſſe diſpenſare contra ſtatutùm Concilii Generalis, ut clarè videtur probare iſte textus ad hoc non ponderatus à DD. Nam Concilium Lateranenſ. ſub Alexandro III. interdixit novam penſionem Eccleſiis imponi, vel veterem augeri, ut hìc refertur, & habetur *in cap. Providemus, infra de Cenſibus* & tamen hìc Pontifex videtur determinare à contrario ſenſu Epiſcopum piis locis penſionem conſtituere ſuper fructibus Parochialium Eccleſiarum abſque beneplacito Apoſtolico, dum modò id non faciat præter ſui Capituli voluntatem. Verùm hoc non admitto, ut latiſſimè probavi *in cap. Nimis, ſupra de fil. Presbyt.* & ad hunc textum reſpondeo Papam hìc non decidere affirmativè, ut Epiſcopus hoc poſſit cum conſenſu Capituli; ſed negativè, videlicet ut non poſſit præter Capituli voluntatem. Hinc autem non licet arguere à contrario: ergo cum voluntate Capituli poteſt; quia argumentum à contrario ſenſu non rectè ſumitur, ubi illius argumenti contrarium reperitur in jure expreſſum, ſicut reperitur hoc caſu *in d. c. Prohibemus*. Ita declarat Joan. Andr. *in c. Publicato, n.* 18. *ſuprà de elect.* & ex hoc videtur ſatis dubia opinio Abbatis hìc *n.* 6. qui ex hoc textu colligit Epiſcopum cum conſenſu Capituli ſui poſse imponere penſionem Eccleſiæ abundanti in favorem Monaſterii ad ſuſtentandam vitam Religioſorum; atque ita non ſolùm Papam, ſed etiam Epiſcopum poſse Eccleſiæ penſionem imponere, dummodò detracta penſione ſuperſint redditus competentes ad ſuſtentationem Rectoris; aliàs enim non debet unum altare diſcooperiri, ut aliud cooperiatur, *cap. Cùm cauſam, ſuprà de præben.* & ad hoc multùm extollit iſtum textum. Sed ut prædixi hoc non videtur verum, quia obſtat generale Concilium, contra quod Epiſcopus diſpenſare non poteſt, ut eſt textus in Extrav. Jo. XXII. *Sancta Romana*, 4 5

mana, §. *Quidam autem*, etiam ex magna cauſa, ut ſcripſi in dicta Decretali, *Nimis de fil. Presbyter. à n.*11. *uſque in fin.* & hoc intellige, ſi penſio ſit perpetua, ut per Gigan. *de penſion. q.*6. *num.*4. *verſ. ſupradictam concluſionem*. Sed an Epiſcopus poſſit penſionem imponere ſuper fructibus beneficiorum ſuæ Diœceſis ad vitam penſionarii, & ex qua cauſa, anve hæc facultas ex Decretis Apoſtolicis, aut ex non uſu illis adempta fuerit, vide per Nicolaum Garziam *in tract. de benef. par.*1. *cap.*5. *à n.*295. Ergo de hac materia ſcripſi latiſſimè *in c. Niſi eſſent, à n.*14. *uſque in fin. ſupra de præben.* ibi plenè videas.

Quartò nota ibi, *Religioſis*, Epiſcopum poſſe concedere Monaſterio Parochialem Eccleſiam cum conſeſu Capituli. Hodie dic contra, ut in Decreto Concilii Trid. *c.*13. *verſ. In unionibus verò*, *ſeſſ.*24.

6 Quintò nota ibi, *Quinquageſima portione*, licere Epiſcopo quinquageſimam partem reddituum Eccleſiæ piis locis aſſignare. Et quidem ſi Monaſterium de novo fundetur, aſſignare poterit quinquageſimam; ſi verò Eccleſiam jam con ſtructam voluerit in regularem erigere, ſeu Monaſticis regulis informare, aut ibi ſuas magnificare ſepulturas; non amplius licebit ei conferre, quàm centeſimam, ut in Decreto Concilii Toletani IX. quod refertur *in c. Bonæ rei*, 12. *q.*2. & declaratur *in c. Apoſtolicæ, infrà de donat.* ſecundùm Abb. Antiq. hìc *n.*1. *in ver. Locis piis*, Hoſt. *n.*4. *in ver. Quinquageſima*, Jo. Andr. *eod. num. & ver* Butr. *nu.*8. Cardin. 5. *not.* & Imol. *n.*4. *verſ. Et nota*.

7 Sed circa hoc duplex occurrit difficultas. Prima eſt, an Epiſcopus conferre poſſit hanc quinquageſimam, vel centeſimam, non modò ex bonis ad Epiſcopalem menſam, vel Cathedralem Eccleſiam pertinentibus, prout loquuntur
8 jura præallegata; verùm etiam ex redditibus inferiorum Eccleſiarum ſibi ſubjectarum. Petrus de Sampſone opinatus eſt hanc portionem conferri poſſe ab Epiſcopo etiam ex fructibus Parochialium Eccleſiarum, *& ſic cap. Bonæ rei*, fuiſſe ampliatum à Cathedralibus ad alias Eccleſias inferiores per hanc Decretalem; nam Pontifex hìc proponit quæſtionem de redditibus Parochialium Eccleſiarum, & deindè excipit quinquageſimam. Ergo ut congrua ſit exceptio, neceſſariò intelligi debet de redditibus earumdem Eccleſiarum, alioquin non eſſet de regula, & eſſet impertinens, *l. Nam quod liquidè*, §. *fin. ff. de pen. leg.* Idem cenſuit Goffred. hìc, *& in ſumma eod. tit.* §. *fin. &* ſequitur Abb. Antiq. *n.*2. dicens ita conſuluiſſe eumdem Petrum Magiſtrum ſuum in quæſt. Avenioni ſuborta inter Fratres Prædicatores, & Parochiales Eccleſias. Verùm Innocent. *num.*1. *in fine*, aſſerit Epiſcopum conferre poſſe hanc quinquageſimam de redditibus Eccleſiæ Cathedralis dumtaxat, non autem de redditibus Eccleſiarum ſibi ſubjectarum; & cum eo tranſeunt Hoſtien. *n.*5. *verſ. Dicunt tamen aliqui*, Butr. *n.*7. *&* 8. *verſ. Dicunt quidam*, & Abb. Sicul. *n.*6. Eamdem opinionem probat Joan. Calderin. & tutiorem dicit Imol. *n.*6. & veriorem Cardin. *n.*4. *in fine*, quia hoc cap. in illis verbis, *Salva Conſtitutione Canonica de quinquageſima, &c.* refert ſe ad *d. cap. Bonæ rei*, qui de Cathedralibus loquitur; & ideò dixit, *Salva*, ne quis crederet illum Canonem fuiſſe correctum. Præterea illa Decretalis, *Apoſtolicæ*, eſt Innocentii III. qui etiam fuit author hujus c. Quòd ſi intelligeretur de proventibus Parochialium, Pontifex videretur ſibi contrarius, contra id quod legitur ſupra in procœmio. Adde quòd iſte textus ſimpliciter præſervat Conſtitutionem Canonicam de quinquageſima per illa verba, *Salva, &c.* De natura autem preſervationis eſt, ut nihil addat de novo, ſed tantummodò rem conſervet in eo ſtatu, in quo priùs reperiebatur, *c. Quia intentionis, &c. Ex parte*, il 2. *infra de privil.* gloſ. 1. & Doctores *in c. Cum dilecta*, *ſupra de confirm util. vel inutil.* Tene igitur cum Innocentio Epiſcopum non poſſe hanc portionem conferre locis piis niſi ex fructibus menſæ Epiſcopalis.

9 Secunda difficultas eſt, an Epiſcopus conferre poſſit hanc quinquageſimam, vel centeſimam ſine conſeſu Capituli? Hugo, & Tancredus tenent etiam hoc caſu requiri Capituli conſenſum? quia licèt Epiſcopo permittatur alienatio ex cauſa utilitatis, vel neceſſitatis, tamen conſenſus Capituli eſt adhibendus, *c. Sine exceptione*, 12. *q.*2. Contrarium tenet Joannes *in d. c. Bonæ*, in gloſſ. 1. & Bernard. hìc *in gloſſ. penult.* quorum opinio videtur probari in hac Decretali: nam exceptio debet eſſe de regula, ut tetigi ſuprà *n.*8. & notatur in *rubr. de regul. jur. lib.*6. Ergo cùm Pontifex faciat primò regulam, ut Epiſcopus non poſſit portionem reddituum dare ſine conſenſu Capituli, & deinde excipiat hanc quinquageſimam; hinc manifeſtè apparet hanc dari poſſe ſine Capituli conſeſu. Quod verùm intelligit gloſſa penultima non obſtante Epiſcopi juramento de rebus Eccleſię non alienandis, *ut in c. Tua, infrà de Eccleſ. ædifican. & in c. Intellecto, ſup. de jurejur.* nemo enim poteſt Epiſcopum accuſare, quòd templum Dei ædificet, *c. Aurum*, 12. *q.*2.

In hac contrarietate Hoſt. hìc *num.*5. putavit ſic diſtinguendum: Aut Epiſcopus vult quinquageſimam dare de redditibus propriis, vel communibus cum Capitulo, & poteſt ſine Capituli conſenſu, ut innuitur *in d. c. Apoſtolicæ*, §. 1. *verſ. Unde cum grave*, *de donat.* licèt non ſine conſilio, *ut c. Novit*, *& c. Quanto*, *ſupra eod.* ſequitur Collectar. hìc *in princ.* Aut vult quinquageſimam dare de redditibus Capituli ſeparatis, & tunc requiritur conſenſus ipſius Capituli, arg. *l. Merito*, *ff. pro ſoc.* Sed aliter diſtinxerunt Petr. de
Sampſone, & Abb. Antiq. hìc *n.*3. dixerunt enim Epiſco- 10
pum non poſſe Eccleſiam ſæcularem monaſticis regulis informare, id eſt, in monachalem erigere, aut Monaſterium de novo conſtruere, *per c. Si Epiſcopus*, 12. *q.*2. ſed jam informatæ, vel conſtructæ benè poſſe ſine conſenſu Canonicorum dare quinquageſimam, vel centeſimam, quia ad dotandum eſt obligatus, ex quo Eccleſiam conſtruxit, *ut c. Cùm ſit, de conſecr. Eccleſ. vel altar.* & ita ad concordiam reduci poſſunt diſſidentes opiniones: & hoc placet Jo. Andr. *in fin.* Card. *in* 2. *q.* Imol. *n.*4. *in gloſ. penult.* & communiter Doctoribus ſequentibus, ut teſtatur Abbas Siculus *num* 4. *verſ. Petrus*, *& Abbas*. Ratio hujus diſtinctionis eſt, quia in pri-
mo caſu alienatio licèt fiat ex cauſa utilitatis, vel neceſſita- 11
tis, tamen eſt voluntaria, cùm non ſit orta aliqua obligatio ad dotandum. At in ſecundo caſu eſt neceſſaria, quia jus precipit illam fieri; & ideò non eſt opus ſervare aliam ſolemnitatem. Ex quo notabiliter deducit Abbas *n.*5. ut in alienationibus rerum Eccleſiæ, quæ fiunt ex neceſſitate juris, non ſit ſervanda ſolemnitas; ſecus ſi fiant voluntariè, licèt ſubſit cauſa neceſſitatis, vel utilitatis: nam hìc textus loquitur de alienatione, quæ fit propter neceſſitatem Religioſorum; ſed tamen quia eſt voluntaria, id eſt quia jus non mandat eam fieri, propterea requiritur Capituli conſenſus. Eamdem theoricam poſuit hìc Anton. de Butr. *num.*11. *verſ. Or. attendatis*, dicens, (Sit regula in iſta materia, quòd omnes alienationes, quæ ſunt neceſſariæ ex neceſſitate juris, poteſt facere Epiſcopus ſine conſenſu Capituli, non obſtante juramento de non alienando, dum tamen non tangat bona Capituli; omnes autem alienationes voluntarias, licèt propter neceſſitatem, facere non poteſt ſine Capituli conſenſu: nam multum intereſt inter alienationem, quam jus vult fieri, quia hæc dicitur neceſſaria, & alienationem, quam jus non præcipit fieri, ſed propter neceſſitatem, vel utilitatem Eccleſiæ fieri expedit.) Hęc Butrius, qui ita conciliat dicta gloſſarum, & intelligit notata per Doctores *in cap. Tua, infra de Eccleſ. ædifican.* & pro hac diſtinctione facit textus *in l. Obſes*, *ff. de præd. Minor.* ſequitur Imola *num.*7. *verſ. Concludit*. Sed & Curia hanc theoricam ſervat. Ideòque
à S. Congregatione Concilii reſponſum eſt valere legatum 12
immobilium factum Fratribus Minoribus ſub modo licito, nempè ut vendant, & pretium convertant in uſum fabricæ, vel Sacriſtiæ: & idem ſi factum fuit ſimpliciter, quia ſub modo licito factum intelligitur, *ut cap. Exiit qui ſeminat*, §. *Ad hæc, quia fratribus de verb. ſignif. lib.*6. nec in hujuſmodi alienatione eſſe opus ſolemnitate, quia fit ex regulæ præſcripto, & Extravag. *Ambitioſæ*, *de rebus Eccleſ. non alien.* habet exceptionem in ventre, ibi, *Præterquam in caſibus à jure permiſſis*.

Ultimò nota ibi, *Singularum Parochiarum conventus*, Pa- 13
rochialem Eccleſiam habere intentionem fundatam de jure communi ſuper omnibus redditibus ſpiritualibus infra limites Parochiæ ſuæ, prout ex hac littera colligunt Hoſt. *nu.*3. Jo. Andr. *n.*1. *in ver. Quatenus*, Butr. *n.*2. Cardin. *n.*1 Anchar. Imol. & Abb. omnes *in* 2. *notab.* & idem Abb. *in c. Dilectus*, *n.*4. *verſ. Secus autem eſt in Eccleſia ſæculari*, *ſuprà de offic. ordin.* concordant *c. Ut dominicis*, *infrà de Paroch. c. Quoniam*, *c. Cùm in tua*, *& c. Dudum*, *de decim.* & latiùs dicam infrà *n.*16.

Ex hoc infero ad quęſtionem, an oblationes factę imagini 14
alicujus Sancti depictæ in pariete extra Parochialem, ſed infra limites Parochiæ, debeantur ipſi parochiali, nec ne.

Hæc eſt quæſtio quotidiana, & ſatis dubia propter va-

rietatem opinionum: nam quidam arbitrati ſunt ejuſmodi oblationes quoad diſtributionem ad Epiſcopum pertinere, qui debebit eas erogare in ſuſtentationem pauperum; ſed quoad proprietatem acquiri Deo, vel Sancto, qui per illam imaginem repræſentatur; & in hac opinione fuit Angel. de Peruſ. *in ſua diſputatione*, quæ incipit: *In refulgenti deliciarum palatio*, *in ſecundo dubio*, *& in l. Statuæ*, *ff. de uſufruct.* ubi plenè diſputat hunc articulum, & in aliis locis citatis à Folin. *in c. Dilectus in princ. ſupra de offic. ordin.* & ubique allegat gloſſ. *in d. l. Statuæ*, quæ ſentit donata Vulti ſancto Lucano eſſe ipſius vultus. Sed illum reprobat Abb. *in d. c. Dilectus*, *n.4. verſ. Vide tamen alias*; & meritò, quia obſtat hoc cap. & alia jura, quæ probant Parochialem Eccleſiam fundare intentionem ſuper omnibus proventibus
15 ſpiritualibus infra ſuos limites. Quidam verò, quos tacito nomine recenſet Ferrett. *conſ.278. Licèt ſuper hoc articulo*, *n.1.* putant has oblationes deberi domino parietis, ubi illa figura, ſeu imago depicta eſt. Verùm communiter tenent omnes Doctores oblationes hujuſmodi ad dominum muri, ſeu parietis nullatenus pertinere, ut teſtatur Marian. Socin. *In tract. oblation. libello* 18. *n.4. verſ. Et iſtam opinionem.* Idque certum eſſe affirmat Abb. *in c. Quoniam*, *n.1. verſ. Illud autem certum eſt*, *infra de decim.* quia privata perſona non poteſt habere oblationes, vel uſumfructum alicujus rei Religioſæ, quales ſunt picturę, vel imagines Sanctorum, ſecundùm gloſſam, quam dicit ſingularem, *in d. l. Statuæ*, & idem repetit *in d. c. Dilectus*, *n.4. de offic. ordin.* maximè ſi ſit perſona ſæcularis: & meritò, quia oblationes ſunt res ſpirituales, quarum laici non ſunt capaces, *c. Sanctorum*, 10. *q.1.* Decian. *conſ.16. n.15. lib.2.* & latiùs dicam infrà *nu.* 20. *&* 23.

Alii conſuluerunt pro Eccleſia Cathedrali, præſertim ſi conſtructa ſit ſub titulo illius imaginis, cui fiunt oblationes; & hoc caſu putant oblationes eſſe dividendas pro medietate inter Cathedralem, & Epiſcopum, juxta textum *in cap. Requiſiſti, de teſtamen.* ubi videtur caſus, & ita pro Cathedrali Senenſi ſuper oblationibus factis imagini B. Mariæ Virginis apud Caſſatum de Magalottis conſuluit Petrus de Peruſio, ut refert Marian. Socin. *de oblat. in præalleg. libello* 18. *num.7. circa fin.* qui tamen dicit hanc opinionem ſibi non placere per ea, quæ inferiùs deducit pro Eccleſia Parochiali.

Alii verò conſuluerunt has oblationes deberi Epiſcopo, & ita Abb. *in rubr. infrà de Paroch.* teſtatur ſe vidiſſe Joan. Andr. *in Addit. ad ſpecul.* allegantem pro Epiſcopo, & pro hac opinione videtur textus *in cap. Præter*, *in fine*, ibi, *Oblationes vivorum, & mortuorum Eccleſiis Dei reddantur à laicis, & in diſpoſitione Epiſcoporum ſint*, 32. *diſt.* Sed hanc opinionem refellit Marian. Socin. *dicto libello* 18. *n.8.* & contra Epiſcopum videtur textus *in cap. De his*, 10. *quæſt.1.*

Alii demùm ſcripſerunt pro Presbytero Parochiali, & quidem frequenti calculo, ut inferiùs patet. Nec defuerunt qui opiniones medias, & diſtinguentes ſequuti ſint, ut Petrus de Peruſio, qui hanc quæſtionem luculenter, & Felino teſte meliùs omnibus diſputavit in ſuo tractatu de Canonica Epiſcopali, *cap.4. in 16. quæſt. principali*, de quo latiùs infrà *n.29.* Ex quibus vides, quanta ſit in hoc articulo opinionum diſonantia, quæ tamen facilè ad concordiam reduci poſſunt, ſi conſiderentur caſus, & circumſtantiæ, in quibus Doctores loquuti ſunt. Unde pro conciliatione videtur mihi ſtatuenda concluſio cum aliquibus ampliationibus, & declarationibus, ex quibus clarè ni fallor rei veritas apparebit.

16 Hæc igitur ſit concluſio; Oblationes factæ imagini Beatiſſimæ Virginis, vel alterius Sancti depictæ, vel affixæ in pariete, ſeu muro alicujus privati, debentur Eccleſiæ Parochiali, in cujus limitibus eſt illa imago. Probatur hæc concluſio efficaciter in hac Decretali: nam Dionyſius Pontifex, ut hìc dicitur, limitavit Parochias ad hoc ut ſingularum Eccleſiarum proventus, ſeu obventiones in uſus Eccleſiæ cederent neceſſarios, & ſtipendia miniſtrorum. Atque ita ut dixi ſuprà in ultimo notabili Parochialis Eccleſia fundat intentionem de jure communi in perceptione pro-
17 ventuum omnium ſpiritualium, quæ obveniunt infrà limites Parochiæ ſuæ, quales ſunt decimæ, primitiæ, oblationes, mortuaria, fructus, & redditus ex Parochia provenientes, *ut cap. Cùm inter vos*, *infrà de verb. ſignific.* Innoc. *hìc ante medium*, *verſ. Nos dicimus*, Hoſt. *num.3. in verſ. Provenius*, & Jo. Andr. *n.1. verſ. Tu dic quia fuit dubitatio*: & ita in terminis propoſitę quæſtionis hunc textum ponderat Butr. *n.3.* dicens ſe de hoc ſcripſiſſe in quadam Clemen. licèt non recordetur, ubi, Imol. & Abb. ambo *in ſecundo not.* & Jo. de Anan. *in 1. notab.* Ad idem eſt textus *in c. Quoniam*, *infrà de decim.* ubi patet redditus ſpirituales noviter provenientes infra limites alicujus Parochiæ pertinere ad Parochialem Eccleſiam: ergo idem dicendum de oblationibus factis imagini intra Parochiam exiſtenti: nam de novalibus, quæ nondum fuerant ad culturam redacta, Parochialis Eccleſia priùs nihil perceperat: & nihilominus quia emerſerunt in ſuis limitibus, debentur eidem Eccleſiæ, & ita illum textum ad hoc inducit Abb. ibi, *in 1. notab. verſ. Et optimè facit textus iſte*, & videtur quaſi expreſſum *in c. Ad audientiam*, *il primo*, *infrà de Eccleſ. ædifican.* per locum à ſpeciali, ibi, *Ejuſdem villæ obventiones Eccleſiaſticas percepturum*: nam verbum, *obventiones*, eſt multùm generale, & comprehendit omnes redditus ſpirituales cujuſcumque ſint qualitatis, ut ibi notat Abbas *n.15. per c. Cùm* 18 *inter*, *de verbor. ſignific.* Ac demum idem probatur expreſsè *in c. Hanc conſuetudinem*, 10. *q.1. & in c. Ex tranſmiſſa de preſcript.* Quamobrem has oblationes quæ fiunt ſacræ imagini infrà limites parochiæ, non ad dominum parietis, nec ad Epiſcopum, ſed ad Parochialem Eccleſiam, ſeu illius Rectorem pertinere, præter Butr. Imol. Abb. & Anan. ſupracitatos, tenuerunt Petrus de Ravenna *ſingulari* 468. *incip. Oblationes*, Dec. *conſ.148. incip. Reverende pater*, *n.2. & 3.* Decian. *conſ.16. lib.2.* ubi ex facto reſpondit pro Parocho contra Epiſcopum ſuper oblationibus factis Iconi ſanctiſſimi Crucifixi, Capella Tholoſ. *deciſ.483.* Marian. Soc. *in tract. de oblat. libello 18. nu.9.* ubi teſtatur hanc eſſe communem Doctorum concluſionem, quam etiam ſæpiùs ſequuti ſunt Domini de Rota, *ut in deciſ.256. part.1. & deciſ. 37. n.2. par.5. rec.* ubi hæc ſententia licèt fuerit olim controverſa, tamen hodie dicitur eſſe receptiſſima: quam etiam videtur amplexus D. Th. in 2. 2. *q.86. art.2. Præſertim in reſponſione ad 2. arg.* eamque probavit S. Congreg. Cradinalium Concilii Trid. Interpretum in cauſa Caven. ut refertur *in præalleg. deciſ.37. n.2.*

Ampliatur primò concluſio ſuperiùs firmata, ut vendi- 19 cet ſibi locum, etiam ſi conſuetudo habeat, ut oblationes hujuſmodi debeantur laico domino muri, in quo depicta eſt illa imago: talis enim conſuetudo expreſsè damnatur *in cap. Hanc conſuetudinem*, 10. *q.1.* & tenent Marian. Socin. *in tractat. de oblat. d. libello*, 18. *n.4.* Dec. *conſ.148. num3.* Decian. *conſ.16. num.15. lib 2.* Ferrett. *conſ 278. in princ.* Quod procedit etiam reſpectu adminiſtrationis, quia cùm 20 oblationes res ſpirituales ſint *c. Quia Sacerdotes*, 10. *q.1.* laici non debent ſe de illis quoquomodo intromittere, & contraria conſuetudo eſt prava, & contra libertatem Eccleſiaſticam, ut plenè conſuluit idem Ferrett. *conſil.143. nu.5.* Conſuetudo tamen ſalvari poſſet, ſi ad hoc deputarentur à Rectore Parochialis Eccleſiæ, ut nomine ſuo has oblationes perciperent, & cuſtodirent, ita ut eſſent nudi miniſtri non tamquam habentes aliquam authoritatem, vel præeminentiam: poteſt enim merus laicus conſtitui principalis collector fructuum, decimarum, & oblationum, ut tenent Butr. & communiter Doctores *in cap. Decernimus*, *ſupra de judic.* ut ibi per Abb. *num.11.* & Dec. *col.13. n.20. verſ. Quartò quæritur*, & in ſpecie noſtra declarat Ferrett. *conſ.143. num.5.* & pleniùs *conſ.278. num.2. & 3.* ubi etiam 21 refert Stephanum Aufrerium aſſerentem ita ſervari de conſuetudine in Gallia *in tract. ſuo de poteſt. ſæcul. ſuper perſon. Eccleſ. in 33. fallen.* Idemque non obſcurè voluit Petrus de Peruſio *in ſuo tractatu de Canonica Epiſcopali*, *cap.4. in 16. quæſt. principali in fin.* nam, ut ipſe ait, de conſuetudine quandoque præponunutur Clerici, quandoque laici ad percipiendas, & cuſtodiendas hujuſmodi oblationes, atque ita Petrus ſentit conſuetudinem valere, dummodò laici ad id deputentur ab habente authoritatem; ſecus, ſi jure proprio, quia eſſet tractare jura Eccleſiæ propria authoritate contra textum, & notata per omnes ſcribentes *in d. c. Decernimus.* Rurſus poſſet ſalvari conſuetudo recipiendi oblationes in 22 confraternitatibus Laicorum, dummodò nil ſibi applicent, ſed in pios uſus totum diſtribuant. In quibus terminis hanc conſuetudinem approbant Decius *d. conſ.148. n.3. verſ. Sed tamen in caſu propoſito*, & Ferrett. *d. conſ.143. n.6.*

Ampliatur ſecundò ſupradicta concluſio, ut nec poſſit 23 Epiſcopus concedere facultatem laico domino parietis, ubi re-

religioſa imago eſt depicta, ut oblationes illi factas diſpenſet ab libitum ſuum, quia ſunt juris ſpiritualis, cujus laici ſunt penitus incapaces, *c. Maſſana*, & *cap. Sacroſancta ſuper de elect. cap. Cauſam, de præſcript.* & in his terminis notat Abbas *in cap. Quamvis, in 2. notab. infrà de decim.* & Ferret. *in præcit. conſ.* 143. *num.* 5. *verſ. Ideò dicit notabiliter.*

24 Ampliatur tertiò eadem concluſio, ut locum habeat etiam in oblationibus factis imagini exiſtenti in aliqua Capella, ſeu Oratorio infrà limites parochiæ; non enim cedunt eidem Capellæ, ſed Parochiali, ut tenet Abb. hìc *n.* 2. per iſtum textum, & per locum à ſpeciali *in d.c. Ad audientiam, il primo, infrà de Eccleſ. ædifican.* Sed Dec. *in præalleg. conſ.* 148. *num.* 2. quando non eſt imago depicta in muro ſub dominio alicujus privati, ſed in Capella, vel Oratorio, dicit omnes DD. convenire, & communiter tenere, ut oblationes acquirantur ipſi Capellæ, per text. *in §. Si quis autem unum, in Auth. de Eccleſ. tit. col.* 9 & per illum text. dicit hoc voluiſſe Angel. *in diſp. ſupra allegat n.* 14 & Petr. de Peruſio *loc. citat.* allegat etiam Abb. *in cap.* 1. *in ult. notab. infra de ſtatu Monach.* Sed Abb. ibi non loquitur de oblationibus, quæ fiunt Capellis; ſed de his, quæ fiunt Monaſteriis, ſeu locis Religioſis, quæ non quæruntur Parocho, vel Epiſcopo, ſed ipſi Monaſterio in ſuſtentationem Monachorum inibi intervientium, ut eſt text. ibi & latiùs dicam infr. in quarta declaratione, *n.* 34. Opinio Decii poteſt procedere, ſi de mente offerentis appareat, vel de conſuetudine; alioquin quidquid ipſe dicat, communis opinio eſt in contrarium, ut teſtatur Mar. Soc. *in præcit. libell.* 18. *n.* 5. *verſ. Sed his non obſtantibus*, per text. *in c. Ex tranſmiſſa, de præſcript.* & per ea quæ dicta ſunt ſupra de Parochiali, *n.* 16.

25 Ampliatur quartò memorata concluſio, ut procedat etiam ſi oblationes fiant ad altare in Capella alicujus Eccleſiæ. Nam nihilominus cedunt Parochiali, intra cujus limites Eccleſia illa ſita eſt. Ita Gaſpar. Calderin. *conſ.* 15. *de Paroch.* per hanc Decretalem. Item per *d. c. Audientiam, & per c. Cùm inter, de verborum ſignific.* & idem tenent Butr. & Abb. hìc, & Dominicus *in c. Ex tranſmiſſa, ſupra de præſcript.* ubi dicit has oblationes debere eſſe Rectoris, & non Capellani inſtituti in illa Capella, vel altari, & ſequitur Mar. Soc. *d. libell.* 18. *num.* 10. Idem firmant Innoc. Hoſt. Butr. & Abbas *in rubr. infra de Paroch.* & eſt communis DD. opinio ut teſtatur Ferret. *d. conſ.* 143. *n.* 4.

26 Ampliatur quintò eadem concluſio, ut locum habeat etiam in oblationibus factis ſacræ imagini exiſtenti in Cathedrali Eccleſia, quia non quæruntur Epiſcopo, ſed Archipresbytero curam animarum ibi exercenti, ut reſolvit Rot. in Beneventana ſpolii 22. Decembr. 1585. & 2. Decembr. 1587. coram Orano, ut refertur *in præalleg. deciſ.* 37. *n* 5. *part.* 5. *rec.*

27 Ampliatur ſextò, ut procedat etiamſi oblationes offerantur in Miſſa Presbytero celebranti: non enim cedunt ipſi Presbytero, ſed Rectori Eccleſiæ, ſecundum Abb. hìc *n.* 2. *verſ. Et per hoc etiam*, quo ad hoc inducit textum *in c. Requiſiſti, infra de teſtam.* ubi relictum Epiſcopo ab extraneo videtur relictum contemplatione Eccleſiæ. Ergo ſimiliter oblationes factæ celebranti videntur factæ intuitu Eccleſiæ: nam oblationes faciunt parochiani propter adminiſtrationem Sacramentorum, *ut c. Omnis Chriſtianus*, cum gloſſ. *de conſecr. diſt.* 1. ſequitur Felin. *in cap. dilectus, n.* 1. *circa fin. verſ. Et adde, ſupra de offic. ordin.* ubi etiam *n.* 2. dicit oblationes factas Capellano, ſeu Vicario deberi Re-
28 ctori. Fallit hoc, ſi ſit Epiſcopus, qui Miſſam celebrat; quia tunc oblationes ſunt ipſius, etiamſi celebret in Eccleſia Parochiali, & ei offerantur à Parochiano, ut tenet Hoſt. *in ſumma in tit. de Paroch. §. in quibus, verſ. Quid ergo ſi Epiſcopus*, & Archid. *in c. Omnis, de conſecr. diſtinct.* 1. ſequitur Mar. Soc. *in d. tract. oblat. libell.* 18. *num.* 10 *verſ. Item quod dixi*, & Silveſt. *in ver. Decima, n.* 3. *verſ. Quod tamen fallit.*

29 Declaratur primò ſupradicta concluſio, ut procedat in dubio. Secus verò ſi oblationes ex pia voluntate offerentium appareant factæ alterius contemplatione, quia tùnc nullatenùs debentur Parocho, ſed pia voluntas eorum, qui oblationes fecerunt, præciſè ſervanda eſt: nam rei ſuæ quilibet eſt moderator, & arbiter, *l. in re mandata, C. Mandati*, & in traditionibus rerum ſuarum poteſt quis adjicere conditiones quas vult, dummodò honeſtæ ſint, *l. in traditionibus, ff. de pactis*, & ita in ſpecie notabiliter declarat Marc. Soc. *in d. tract. de oblat. libell.* 18. *in princ. & n.* 3. Quo fit, ut ſi appareat hujuſmodi oblationes factas fuiſſe à fidelibus contemplatione illius ſacræ imaginis, res oblatæ eidem imagini acquirantur vel Sancto, per illam imaginem repræſentato, & in hoc caſu procedat opinio Angeli de Peruſio, *de qua ſupra in princ. qu. n.* 14. Eodem modo ſi conſtaret eam fuiſſe intentionem offerentis, ut res oblata fieret domini domus, vel muri, ubi eſt imago depicta, eo quòd talis eſſet pauper, vel oblationes in certos pios uſus converteret, utique adimplenda eſſet hujuſmodi voluntas, & procederet ſecunda opinio, de qua ſupra eodem *nu.* 14. Idem & fortiùs dicendum, ſi obtuliſſet contemplatione Epiſcopi, vel Cathedralis, aut alterius Eccleſiæ. Hæc enim eſt regula, ut res oblata ſemper illi acquiratur, cujus contemplatione facta eſt oblatio, *ut in cap. Relatum, il* 2. *de teſtam.* & declarat Marc. Soc. ubi ſupra: & hoc intendit Pet. de Peruſ. *in præalleg. tract. de Canon. Epiſcopal. in* 16. *quæſt. perſonali, num.* 5. *inter tract. comm. to.* 15. *pag.* 258. ubi poſt prolixam diſputationem hujus articuli concludit in hæc verba: (Quandoque oblationes fiunt per reſpectum ad Eccleſiam Parochialem, & quæruntur Eccleſiæ Parochiali, ſive tales oblationes fiant in Eccleſia, ſive extra Eccleſiam) & ita loquitur *c. Cùm inter vos, de verb. ſignific.* (Quandoque fiunt oblationes non per reſpectum ad Eccleſiam Parochialem, ſed per reſpectum ad alium locum, vel extra Eccleſiam ad aliquem Sanctum, cujus figura eſt in Parochia alicujus Eccleſiæ, & tunc Parochiali Eccleſiæ non quæruntur. Ratio eſt, quia non offeruntur contemplatione Parochialis Eccleſiæ, nec contemplatione Rectoris, ſed per reſpectum ad Deum, ſeu imaginem ſic depictam.) Hæc ibi. Et hanc diſtinctionem aliàs probavit Rota in Bracharen. oblationum 17. Decembris 1612. coram Cardin. Pamphil. & in Lunen. Sarzanen. 8. Februar. 1627. coram Merlino, *ut in deciſ.* 37. *n.* 8. *part.* 5. *recent.* ubi firmavit oblationes factas imagini depictæ in muro ſpectare ad Parochum in dubio tantùm ſecus ſi ex piorum offerentium voluntate in certos uſus ſint deſtinatæ. Quod etiam dixerunt Addentes ad Capell. Tholoſ. *deciſ.* 483. & alii recentiores in deciſ. Rotæ allegati. Adverte tamen, quia etſi oblationes deſtinatæ ſint in certum uſum ab offerentibus: 30
nihilominùs illorum adminiſtratio ad Parochum pertinet ex jure Parochialitatis, non quidem ut ſibi applicet, ſed ut fideliter cuſtodiat, & diſpenſet in uſus ab offerentibus deſtinatos, ut notat hìc Abb. *num.* 2. *verſ. Adminiſtrationem autem*, Ferret. *conſ.* 143. *num.* 4. *verſ. Et quod*, & firmatur in præcitata *deciſ.* 37. *num.* 9. & 10. licèt ſecundum Petr. & Peruſio *d. quæſt.* 16. *nu.* 7. cuicumque Eccleſiæ talia acquirantur, videantur remanere ſub diſpoſitione Epiſcopi, per *c. Præter hoc* 32. *diſt.* Adverte etiam, quia dum Rota *in alleg. deciſ.* 37. *num.* 10. concludit oblationes in eo caſu, in quo cedunt Eccleſiæ Parochiali, eſſe per Paro- 31
chum dividendas, ita ut partim convertat in proprium uſum, partim eroget in iis, quæ concernunt cultum Divinum, & partim ad pauperum inopiam ſublevandam per *c. Vulterana, & c. Quatuor*, 12. *quæſt.* 2. hoc non videtur verum, quia illa jura loquuntur in matricibus. In Parochialibus verò, ſalva portione Epiſcopi, omnia ſunt Rectoris, *c. Quoniam, infra de decim.* & ibi dixi *in* 3. *not.* poſt Jo. Andr. & ſcribentes communiter. Vide tamen quæ notavi ſupra *in* 2. *not.*

Declaratur ſecundò concluſio ſuperiùs firmata, ut non 32
procedat, ſi locus, ubi depicta eſt illa imago, non ſit intra fines alicujus Parochiæ, aut incertum ſit de cujus Parochia exiſtat, eò quòd limites non ſint diſtincti; quia tunc oblationes integrè pertinent ad Epiſcopum diœceſanum, ut probat textus *in d. cap. Qoniam, de decim.* ubi hoc notant Innoc. Petrus de Sampſone, Abb. Antiq. Hoſt. & reliqui omnes, ut ibi dixi *in ult. notab. num.* 10. Et quamvis ille textus loquatur de decimis, tamen decimarum appellatione veniunt etiam oblationes, *ut cap. Cùm inter vos, infra de verb. ſignif.* & in terminis de iſtis oblationibus factis imagini alicujus Sancti, hoc tenet Abb. *in c. Dilectus, n.* 4. *verſ. Quoad primum, ſupra de offic. ordin.* & Rota *in præcit. deciſ.* 37. *n.* 4.

Declaratur tertiò eadem concluſio, ut locum non habeat in Canonica portione, quæ de his oblationibus perce- 33
ptis à Parocho debetur Epiſcopo, ut traditur *in cap. Officii, de teſtam.* & tenet Abbas *in cap.* 2. *de ſepultur.* Sed Petr. de

Peruſio *in d. tract. de Canon. Epiſcop. cap. 4. in 16. q. perſonali, c. 7. verſ. Secundo incidenter quæritur*, firmat de oblatis inter vivos imagini B. M. Virginis non deberi Epiſcopo Canonicam portionem. Secùs ſi ſint relicta in ultima voluntate, per text. *in c. Requiſiti, §. Illud, de teſtam.* Et hoc ſi teneamus has oblationes ſpectare ad Eccleſiam parochialem ſecundum eum. Sequere indiſtinctè primam opinionem, niſi aliud obtineat de conſuetudine, pro qua conſuluit Gaſpar. Calderin. *conſ. 15. in tit. de Paroch.* per text. *in c. De his, 10. q. 1. in c. Conquerente, ſupra de offic. ordin. & c. Cùm olim, infrà de cenſib.* quam etiam tenent Mar. Soc. *in ſæpius alleg. libell. 18 n. 8. verſ. Illud ſolum adjungens*, & Silv. *in ver. Decima, n. 5. verſ. Quo tamen caſu*.

34 Declaratur quartò, ut non procedat in oblationibus, quę fiunt ſacris imaginibus exiſtentibus in Eccleſiis Regularium: tales enim non quæruntur Parocho, vel Epiſcopo, ſed Monaſterio pro Monachis ibi ſervientibus, ut eſt text. 1. *in c. 1. in fin.* & ibi Abb. *in ult. notab. infra de ſtat. Monach. & in c. Nimis, in primo, circa finem, de exceſſ. Prælat.* & tenet Petrus de Peruſio *in prœalleg. q. 16. n. 6.* & eſt ratio
35 ſecundum eum, quia licèt Monaſteria ſint intra limites parochiæ, tamen propter exemptionem non ſunt de Parochia; ideò oblationes inibi factæ non quæruntur Parocho. Eamdem rationem adducit Abbas *in c. Dilectus col. 2. ſupra de offic. ordin.* & Ferret. *conſ. 143 n. 2.* Adde tu, quòd Monaſteria exempta, qualia ſunt Monaſteria Fratrum Prædicatorum, & Minorum, de quibus loquitur *d. c. Nimis*, licèt ſint in diœceſi, non tamen ſunt de diœceſi, *cap. Cùm Epiſcopus*, & ibi Gemin. *in 3. notab.* & Franc. *in 2. de offic. ordinar. lib. 6.* gloſſ. Clem. *Frequens, in ver. Anni*. Ubi etiam Vital. *n. 127, de exceſſ. Prœl.* Rota *deciſ. 207. n. 2. par. 2. diverſ.* Unde etiam ex hoc cap. Epiſcopus excluditur à perceptione dictarum oblationum.

36 Declaratur ultimò concluſio ſupradicta, ut non procedat ſi conſuetudo præſcripta, aut aliud ſpeciale jus habeat, ut res oblatæ imagini alicujus Sancti non debeantur Eccleſiæ parochiali, ſed alteri Eccleſiæ, vel loco pio, aut perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ capax ſit quaſi poſſeſſionis jurium ſpiritualium. hujuſmodi enim conſuetudo valida eſt, ut eſt textus expreſſus *in c. Cùm inter, infra de verb. ſignif.* & hoc tenent ibi omnes Doctores, ut inquit Marc. Soc. *in ſæpius alleg. tract. de oblat. libell. 18. num. 3. verſ. Tertio præmittendum*. Item indubitanter procedit talis præſcriptio,
37 *c. Ex tranſmiſſa, & cap. De quarta, de præſcr.* Et ex hoc infero, ut oblationes, quæ fiunt novis Sacerdotibus, dum celebrant primam Miſſam, non quærantur Parocho, ſed ipſiſmet Sacerdotibus, quia ſic ſe habet conſuetudo ubique locorum, & hoc tenet Gaſpar Calder. *conſ. 15. in tit. de Paroch.* ubi dicit oblationes factas Præsbytero celebranti non deberi Parocho, ſi contraria eum ſit conſuetudo, quæ ſervanda eſt, & eum refert & ſequitur Mar. Soc. *d. libell.*
38 *18. num. 10. verſ. Suadet tamen.* Pro quo facit, quia ſtante conſuetudine ex veriſimili mente offerentium res cenſentur oblatæ contemplatione ipſius Presbyteri: unde ſicut potuiſſent offerre ea intentione declarata, ut cederent ipſi Presbytero, ut oſtenſum eſt ſupra in prima declaratione, *n. 19.* ita illorum intentio videatur declarari per hanc conſuetudinem, ſecundum ea, quæ notat Bart. *in l. Haredes mei, §. Cùm ita, ff. ad Trebell. & in l. Jurisjurandi, §. Si liberi, ff. de oper. libert.* Præpoſ. *in cap. Sacroſancta, n. 3. verſ. Nec dicitur fraudare 22. diſt.* & in hac ſpecie obſervat idem Soc. *d. libell. 18. n. 3. verſ. Et ex his*.

39 Adverte tamen circa hujuſmodi oblationes, quæ fiunt pro Miſſis novis: nam Concil. Trid. *ſeſſ. 22. in decreto de obſervan. & evitan. in celebr. Miſſa, in § Atque ubi multa* præcipit Epiſcopis locorum Ordinariis, *ut quidquid pro Miſſis novis celebrandis datur, necnon importunas, atque illiberales eleemoſynarum exactiones potiùs quàm poſtulationes, aliaque hujuſmodi, quæ à ſimoniaca labe, vel certè à turpi quæſtu non longè abſunt, omninò prohibeant.* Hæc ibi. Non tamen prohibentur Presbyteri ex S. Congregationis ſententia à Sanctiſſimo approbata, quominùs primas ſuas Miſſas decantent, & in illis poſt offertorium in medio altaris ad populum ſe convertant accipiendo oblationes à ſponte offerentibus, & eleemoſynas, ut ſolent Parochi diebus Feſtis. Perambulationes verò per Eccleſiam, ſimileſque extorſiones prohibentur. Sed & S. Congreg. Epiſcoporum declaravit Sacerdoti Miſſam novam celebranti licere oblationes accipere, modò non diſcedat ab Altari, ut in Januen. 2. Octobr. 601. in Regiſtro originali *fol. 96.* Rurſus in illis verbis, *Illiberales eleemoſynarum exactiones*, S. Con. Conc. dixit hoc nomine non venire conſuetudinem, 40
quę inolevit, ut Parochus diebus Feſtis ſolemnibus, vel non ſolemnibus poſt offertorium in medio altaris vertat ſe ad populum, & invitando ad oblationes, manipulum, vel aliud offerentibus præbeat oſculandum: aliis verò Sacerdotibus ſimplicibus id non eſſe concedendum. Et iterum quærenti, an liceat Parochis extante conſuetudine in diebus feſtivis in medio Miſſæ invitare populum ad oblationes dando ſin- 41
gulis pacem, & ad recipiendum mulierum oblationes recedere ab altari, & ad infimum locum Eccleſiæ, ubi mulieres manent ſejunctæ à maribus, accedere, ſtante Conſtit. Conc. *c. unic. de obſerv. & evitan. ſeſſ. 22.* ibi, *Quaſcumque importunas, atque illiberales eleemoſynarum exactiones*: Reſpondit conſuetudinem hanc reſtringendam ad exemplum Decreti jam facti nonis Octobr. 1573. Sed facta poſtmodum relatione ad Sanctiſſ. Sanctitas ſua dixit non eſſe eamdem rationem, ſeu bonam converſionem de Miſſis novis ad Miſſas Parochorum, quibus debentur iſtæ oblationes; ideò permittendam hujuſmodi conſuetudinem, prout inolevit.

Ampliùs in illis verbis Concilii, *Aliaque hujuſmodi*, 42
poteſt poni exemplum in conſuetudinibus, quæ in quibuſdam Hiſpaniæ locis inoleverant, ut Plebani, ſeu Rectores venderent, vel locarent laicis oblationes, quæ ponebantur in pede altaris; ſuper qua controverſia communis opinio Doctorum eſt, tales oblationes locari, aut vendi non poſſe, ne per manus laicas profanentur, ut per gloſſ. 1. *in cap. Altare, 1 q. 3.* Archid. *in cap. Sanctorum, n. 1. verſ. Sed nonne, 10. qu. 1.* Abb. *in cap. 2 in fin. ſupra Ne Cler. vel Monach.* Roman. *ſingul. 63. DD. in cap 2.* ubi in ſpecie Aretin. *n. 21.* Decius *n. 114.* & Ripa *n. 55. de judic.* Andr. Hiſpanus *de decim. q. 13. n. 9.* Troil. *de oblat. 3. part. dub. 3. n. 6. & fuſiùs num. 8.* Verùm ut dicit Hugo *in d. cap. Sanctorum*, ſive hoc ſit de jure, ſive non, tamen quotidiè fit ab Epiſcopis, & etiam à Domino Papa. Illud tamen certum eſt, quatenus id liceat, nullo tamen caſu laicos poſſe hujuſmodi oblationes accipere immediatè de altari, ſed debere Clericum conſtitui, qui de altari accipiat, & tribuat eis: nam manus profanæ, & nefariæ non debent Sacra contingere, argum. *c. Aurum 12. qu. 2. cap. Ligna, cap. Nemo, & cap. In ſancta, de conſecr. diſt. 1.* & tenet Archid. *in d. cap. Sanctorum, num. 1. verſ. Sed numquid*, & ibi etiam Turrecrem. *num. 2* Nec videtur diſſentire S. Thom. *in 2. 2 q. 86. art. 2. ad 3.* ait enim; *Oblationes poſtquam fuerint conſecratæ non poſſunt cedere in uſum laicorum, ſicut vaſa, & veſtimenta ſacra: & hoc modo intelligitur dictum Damaſi Papæ in cap. Hanc conſuetudinem, 10. q. 1. Illa verò, quæ non ſunt conſecrata, poſſunt in uſum laicorum cedere ex diſpenſatione Sacerdotum, ſive per modum donationis, ſive per modum venditionis.* Hæc ille, & ſequuntur Turrecrem. *in cap. Quia Sacerdotes, num. 2. in reſponſ. ad 3. ead. cauſ. & quæſt.* & Silveſt. *in verb. Decima, num. 5. verſ. Tertium*.

DE

DE HIS QUÆ FIUNT A PRÆLATIS ſine conſenſu Capituli.

Idem Innocentius III. Archiepiſcopo Senonen. & ejus ſuffraganeis.

CAPUT X.

ET ſi membra corporis: & infrà. Provinciæ Senonen. Capitula Cathedralium Eccleſiarum ad nos quærimonia transmiſerunt, quòd Archiepiſcopus Senonen. & ejus ſuffraganei, procuratores eorum nuper ad Provinciale Concilium convocatos, ad tractatum eorum admittere noluerunt: & infrà. Viſum fuit nobis, & fratribus noſtris, ut Capitula ipſa ad hujuſmodi Concilia debeant invitari, & eorum Nuntii ad tractatum admitti, maximè ſuper illis, quæ ipſa Capitula contingere dignoſcuntur.

SUMMARIUM.

1 *AD Concilium Provinciale debent vocari, & admitti Cathedralium Eccleſiarum Capitula.*
Et an hoc procedat ex honeſtate, vel ex neceſſitate, n. 4. 37. 40. & ſeqq. & n. 49.
Admitti debent ad tractatum, & ad conſulendum, non autem ad decidendum, num. 10. 4 . & ſeqq. & num. 53.
Et pro negotiis etiam ipſa Capitula non contingentibus, num. 11.
Niſi Prælati aliqua ſecreta haberent, quæ revelare non poſſent ſine tranſgreſſione obedientiæ, vel juramenti, num. 14.
Vel niſi alia juſta cauſa ſubeſſet ea non admittendi, num. 15.
2 *Canonici Collegiatarum Eccleſiarum, & alii Clerici inferioris non ſunt vocandi, & n. 37.*
3 *Niſi habeant juriſdictionem quaſi Epiſcopalem.*
4 Debet, *verbum ex proprietate vocabuli eſt neceſſitativum.*
5 *Invitato jus acquiritur ex invitatione.*
6 *Citatus ad actum debet admitti, & fortiùs expectari.*
7 *Niſi de novo perveniat ad citantis notitiam, citatum non habere jus.*
8 *Vocantes tamen non tenentur præcisè vocatum admittere, ſed ei non admiſſo tenentur ad intereſſe.*
9 *In Concilio Provinciali Capitula Cathedralium poſſunt comparere per procuratorem.*
10 *Votum habent conſultivum, non deciſivum, & nu. 41. & ſeqq. num. 53.*
Et poſſunt contradicere, & appellare, n. 13.
Omnia ſunt gerenda de conſilio Capitulorum Provinciæ, num. 46.
Abbates commendatarii, & Capitulorum deputati vocem habent conſultivam tantùm, n. 53.
Procuratores Epiſcoporum vocem habent etiam deciſivam, ſi Concil. Provinciali placuerit, n. 54.
12 Maximè, *dictio implicat idem eſſe in caſu contrario.*
16 *In Concilio Provinciali an laici intereſſe poſſint, aut debeant, diſtinguitur, & n. ſeqq.*
17 *Intereſſe non debent, niſi ſpecialiter vocentur, & num. 50.*
18 *Vel niſi tractaretur cauſa fidei.*
Declaratur, num. 27. & 28.
19 *Vel niſi tractaretur de gradibus circa matrimonium contrahendum.*
20 *Et in his admitti debent ad audiendum, non ad judicandum, vel docendum.*
21 *Item ad conſulendum, & ad juſtitiam petendam, vel defendendam, & n. 50.*
22 *Ab Eccleſiaſticis negotiis, & ubi agitur de correctione Clericorum, laici omninò ſunt excludendi.*
Utile tamen eſt eos vocari in cauſis communibus, num. 29.
Nullo caſu intereſſe poſſunt auctoritate propria, ſed ita demum ſi vocentur ex electione Synodi, num. 30. & 50.
23 *Legati Regii non debent intereſſe ſub quovis titulo, & num. ſeqq.*
24 *Reges, ſeu eorum Officiales Synodalibus Conventibus intereſſe non debent, niſi in caſibus in jure expreſſis.*
Id eſt in Concilio generali, ubi agitur de fide, reformatione, & pace, num. 26.
Item in Provinciali ad recipiendam fidem, ad tuendos Patres ab infidelibus, & ad petendum conſilium in ſpectantibus ad regnum n. 27.
25 *Concilia ſunt cœtus Epiſcoporum, & Sacerdotum, & fiunt propter Eccleſiaſticas cauſas.*
31 *Ad Concilium Provinciale quinam ſint vocandi, & admittendi, & n. ſeqq. uſque ad fin.*
32 *Epiſcopi ſuffraganei vocari debent ex neceſſitate, & num. 44*
Et ſi non veniant, ceſſante legitimo impedimento, puniuntur, num. 45.
33 *Exempti tenentur ſemel eligere aliquem vicinum Metropolitanum, in cujus Synodo Provinciali interſint.*
Nec requiritur conſenſus Capituli, n. 35.
34 *Quod locum habet etiam in Prælatis inferioribus nullius Diœceſis.*
36 *Epiſcopi exiſtentes in Provincia Romana non tenentur eligere Metropolitanum, cujus Synodo interſint.*
37 *Preſbyteri, & Clerici inferiores an ſint vocandi ad Concilium Provinciale, & n. ſeqq.*
38 *Convenire debent omnes, qui de jure, vel conſuetudine intereſſe tenentur.*
39 *Non omnes de Provincia ſunt vocandi, ſed qui ſe læſos exiſtimant.*
41 *Capitula Cathedralium non tenentur accedere, niſi velint, nec poſſunt compelli, & n. 42.*
43 *Abbates, & alii inferiores Epiſcopo ſubjecti non coguntur venire, licèt ſit expediens, ut veniant.*
Exempti, & Abbates non tenentur venire, niſi qui de jure, vel conſuetudine intereſſe debent, n. 48.
Capitula Cathedralium ſunt ſpecialiter invitanda, num 49.
47 *In Concilio Provinciali quo ordine Capitula, Abbates, Commendatarii, Dignitates, & Procuratores Cathedralium conſidere debeant.*
51 *Concilii Provincialis Decreta ſubditi omnes Epiſcoporum obſervare tenentur.*
52 *Exempti compelli poſſunt ad eorum obſervantiam in caſibus, quibus de jure communi, vel ex Concil. Trid. poteſtas in ipſos tributa eſt.*
Vel Epiſcopis, Synodo Provinciali.

E*T ſi membra.* Ad concilia Provincialia convocari debent, & admitti Cathedralium Eccleſiarum Capitula. Hoc dicit Joan. Andr. Butr. Cardin. Anchar. Imola, Abb. & Joan. de Anan. Prima pars ponit querelam. Secunda providet, ibi, *Viſum fuit.* 1

Nota primò ibi, *Cathedralium*, ad Synodum Provincialem non eſſe vocandos Canonicos Collegiatarũ Eccleſiarum, vel alios Clericos inferiores; ex eo enim quòd textus includat Cathedral. Eccleſias, tacitè excludit alias, licèt col- 2

collegiatas; & meritò, quia de illis diſponitur per Epiſcopum, & ſuum Capitulum, *cap. Novit ſuprà eodem*, & ita poſt Ægid. firmat hìc Joan. Andr. *num.1. verſ. Et nota quod dicit Cathedralium*, Cardin. *eodem. num.* Anchar. &
3 Abb. *in 1. notab.* Fallit, ſi Capitula Collegiatarum haberent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, quia tunc ad Synodum eſſent vocanda, ex ſententia S. Congreg. Concilii.

4 Secundò nota ibi, *Debeant invitari*, Cathedralium Eccleſiarum Capitula ad Provinciale Concilium eſſe invitanda, & admittenda ex neceſſitate, ponderando verbum *Debeant*, quod ex proprietate vocabuli neceſſitatem deſignat, gloſſ. in Clem. *Attendentes*, *in verb. Debeant, de ſtatu Monach.* Signorol. de Homod. *conſ.87. num.4. & 5.* & hìc tenet Cardin. *num.3. in fin.* & Abb. *num. 2. verſ. Sed ego*, quod videtur eſſe contra Innoc. *in c. Grave n.3. ſuprà de præbend.* dicentem Capitula Cathedralium ad hoc Concilium non eſſe vocanda, niſi ex honeſtate. Sed an hoc ſit verum; & quomodo ſit intelligendum, plenè examinabitur infrà *in ult. q. num.37. 40. & ſeqq. & n.49.*

5 Tertiò nota ex eodem *ver. Invitari*, invitatum ad actum debere admitti. Unde eſt argumentum, quòd ex invitatione jus acquiritur invitato: nam turpiùs ejicitur, &c *cap.*
6 *Quemadmodùm ſuprà de jurejur.* Item eſt argumentum, quod citatus ad electionem debet admitti, & ſic fortiùs
7 expectari, ut notatur *in cap. Cum inter univerſos ſuprà, de elect.* niſi de novo perveniat ad eorum notitiam citatos non habere jus, *cap. Paſtoralis ſuprà, de except.* Butr. *hic num.4.*
8 Cardin. *in 2. notab.* Anchar. & Imol. *nu.3.* Concludunt tamen Butr. Cardin. & Imol. vocantes non teneri preciſè vocatos admittere, ſed eis non admiſſis teneri ad intereſſe, de quo dicendum, ut notat per gloſſ. & DD. *in d. c. Cum inter univerſos.*

9 Quartò nota ibi, *Procuratores eorum*, Capitula poſſe comparere in Concilio per Procuratorem: nam per ſe commodè comparere non poſſunt, *cap. ult.* juncta gloſſ. *penult. ſupra de major. & obed.* Hoſt. *hic num.1.* Joan. Andr. *num.2.* Anchar. *num.2. not.* & Abb. *num.3.*

10 Quintò nota ibi, *Ad tractatum admitti*, in Synodo Provinciali Capitula Cathedralium Eccleſiarum vel eorum Procuratores eſſe admittendos ad tractatum, non autem ad decidendum, & ſic habere vocem conſultivam tantùm, non autem deciſivam, prout ex hac littera deducit Abb. *hic num.2.* Præpoſ. *in cap. Propter Eccleſiaſticas n 9. verſ. Vel aliter poſſe dicere 18. diſt.* & cenſuit S. Congregatio Concilii, ut dicam infrà *in ult. q.53.*

11 Ultimò nota ibi, *Maximè ſuper illis*, Cathedralium Eccleſiarum Capitula admitti debere ad Synodum Povincialem etiam pro negotiis ipſa Capitula non contingenti-
12 bus, ponderando dictionem, *Maximè*, quæ implicat idem eſſe in caſu contrario, *l.1. §. Vel maximè, ff. de collat. bonor. l. Scire etiam oportet, §. Sed etſi maximè, ff. de excuſ. tutor.* Et
13 hìc tenet Vicent. dicens debere admitti ad omnia generalia, etiamſi non appareat de eorum intereſſe, quia poteſt fieri, ut interſit, itaut ſi preſentes eſſent, contradicerent, & appellarent: quod poſſent, ut *c. Super eo, de offic. delegat.* & conſentiunt hìc Hoſt. *num.2. in fin.* Joan. Andr. *num.3. in fin. in ver. Maximè*, Butr. *num.6.* Cardin. *nu.3. verſ. Oppono*, Anchar. *num 5.* Imol. *num.4. & 5.* dicens hanc partem eſſe veriorem, Abb. & Joan. de Anan. *num.4.* Ex quibus patet hanc eſſe communem opinionem, quam etiam ſequitur Herinch. Bottæus *de Synodo Epiſcop. part.2. n.42.*

14 Hoc tamen intelligas ſecundùm Hoſtien. & alios proximè citatos, niſi Prælati aliqua ſecreta haberent de mandato Superioris in Synodo pertractanda, quæ revalere non poſſent ſine transgreſſione obedientiæ, vel juramenti, *c. Ergo*
15 *N. de jurejur.* Vel niſi aliqua alia juſta cauſa ſubeſſet, quare non deberent id quod agitur omnibus publicare, ut in ſimili notatur *in c. Novit poſt princip. ſup. eod.*

16 In gloſſa ultima QUÆRO, an Laici in Concilio Provinciali intereſſe poſſint, aut debeant?

17 Gloſſa tenet laicos hujuſmodi Conciliis non debere intereſſe, niſi in tribus caſibus. Primus eſt, ſi ſpecialiter vo-
18 centur, & invitentur, & ita debet intelligi *cap. Adrianus 63. diſt.* Secundus eſt, quando tractatur cauſa fidei, quia hæc communis eſt tam Clericis, quàm laicis, ut *c. Ubinam*
19 *legiſtis, & c. Nos ad fidem 96. diſt.* Tertius, quando tractaretur de gradibus circa matrimonium contrahendum, *cap. Ad ſedem 35. q.5.*

20 Sed Hoſt. *hic num.4.* declarat hanc gloſſ. ita eſſe intelligendam, ut in caſibus præmiſſis admitti debeant laici ad audiendum, non autem ad judicandum, vel docendum, *c. Docendus 62. diſt.* Addit Abb. *num.6 verſ. Et in quantum*, laicos admitti poſſe etiam ad conſulendum, per *cap. Adſedem 31. q.6. cap. Ad Apoſtolicæ, de re judic. lib.6.* Quod & S. Congreg. Conc. approbavit, ut dicam infrà *n.50.* Item admitti debent ad juſtitiam petendam, vel defendendam, 21
cap. Novit ſuprà de judic. & cap.1. de ſponſal. In Eccleſiaſti- 22
cis autem negotiis, & ubi tractatur de Clericorum correctionibus, laici omninò ſunt excludendi, arg. *c. Maſſana ſuprà, de elect.* & Extravag. *Non debet*, Bonifacii VIII. Pro modico enim animosè nobis inſidiantur, & oppidò ſunt infeſti, *cap.1. & cap. Laici 2. quæſt.7.* Ita Hoſt. cum quo tranſeunt hìc Joan. Andr. *n.4.* Butr. *num.7.* Anchar. *num.5. verſ. Quintò*, Imol. *n.6. verſ. In gloſſ. fin.* Abb. *n.5. verſ. Et nota*, & Joan. de Anan. *n.5. verſ. Adde*, quod latiùs proſequitur Præpoſitus, & de communi atteſtatur *in c. Canones num.5. 15. diſt.*

Porrò Legati Regii ſub quovis titulo in Conciliis Pro- 23
vincialibus non debent admitti, & hoc potiſſimùm, ut Præſules liberiùs ea, quæ agenda ſunt, ad Dei honorem, & Eccleſiæ ædificationem pertractare, & decernere valeant, 24
arg. *c. Quiſquis ſuprà, de elect.* Reges verò, aut eorum officiales, de jure ſynodalibus Conventibus, nonniſi in certis jure expreſſis caſibus, intereſſe debent, ut in VIII. Synodo *c. 17. & in d. c. Ubinam legiſtis 96. diſt.* & notat. *in d. c. Aarianus 63. diſt.* Sunt enim hi cœtus Epiſcoporum, & Sacerdo- 25
tum, fiuntque propter Eccleſiaſticas cauſas, *c. Propter Eccleſiaſticas 18. diſt. per tot.* Quippè negatur laicis in cauſis Eccleſiaſticis quicquam decernere, *c. Benè quidem 96. diſt. c. Decernimus ſuprà de judiciis.* Cùmque Pontificiæ, & ſæcularis dignitatis officia ſint diſtincta, *c. Cùm ad verum ead. diſt.* ſicut quando Reges habent ſuos Conventus, nullus Pontificis Legatus intervenit, nec reciperetur: ita iniquum eſt impedire ſummos Præſules, & Sacerdotes, ut de rebus ad ipſos pertinentibus tractaturi non poſſint convenire excluſis Regiis arbitris, *d. c. 17.* VIII Synodi. Interſunt qui- 26
dem Principes ſæculares per ſeipſos, vel per ſuos Nuntios in Conciliis Univerſalibus, ubi agitur de fidei reformat. & 27
pace, *diſt. cap. Nos ad Sedem, & cap. Ubinam 96. diſt.* ſic & Conciliis Provincialibus interdum interfuerunt Reges, ut reciperent fidem, quam ipſi proſtrati in terram profitebantur, & jurabant; interdum ad tuendos Patres ab immanitate infidelium, & Hæreticorum; quandoque ut votum, & judicium Concilii haberent ſuper rebus ad ipſos Reges, 28
& Regni regimen pertinentibus, ſicut paſſim in Conc. Toletano, in & aliis videre eſt; licèt quamplura ex d. Conciliis non ſint merè Provincialia, ſed potiùs totius illius nationis. Et quamvis gloſſ. noſtra videatur ſentire laicos debère Synodis Provincialibus intereſſe, ubi de fide agitur: tamen cauſæ fidei non tractantur, niſi in Cociliis Univerſalibus, nec gloſſa loquitur explicitè de Provincialibus, ſed dicit in Conciliis hujuſmodi, & de generalibus Concil. eam intelligit Abb. *hic n.5.* In aliis verò cauſis communibus utile qui- 29
dem eſt laicos vocari, ut per Guiliem. Durand. *in tract. de Conciliis rubr.10.* ſed neceſſariò, vel auctoritate propria 30
etiam in his caſibus intereſſe non debent, Calder. *conſ.8. de Conſtit.* ſed illi dumtaxat ſunt admittendi, qui ex Concilii electione vocantur, ut interſit, prout loquitur in Concilio Toletano IV. *cap.3.* & hìc junge quod dicam infrà *n.50.* ex ſententia S. Congerg. Concilii.

QUÆRO generaliter, quinam ſint vocandi, & ad- 31
mittendi ad Concil. Provinciale.

Manifeſtum eſt Epiſcopos ſufraganeos eſſe vocandos, 32
& admmitendos ex neceſſitate, ſecundùm Innoc. *in c. Grave, in princip. ſuprà de præben.* quem ſequuntur communiter DD. teſte Præpoſito *in cap. Propter Eccleſiaſticas, il primo num.9. verſ. Sed aſſumendo latiùs 18. diſt.* & probatur apertè *in cap. Sicut olim*, ibi, *Metropolitanus cum ſuis ſuffraganeis infra de accuſat. in cap. Non oportet, cap. Pervenit, cap. Quoniam, cap. Si Epiſcopus, cap. Placuit, & cap. Si quis Epiſcoporum, ead. diſt.* Quod locum habet etiam in exemptis, ut in Concil. Lateranenſi noviſſimo ſub Leone X. *ſeſſ.10.* in Conſtitutione, quæ incipt, *Regimini circa finem, §. Maturè quoque conſiderantes tom.4. Conciliorum p.2. pag.99. col.1.* & in Concilio Tridentino *ſeſſ.2. c.24.* ubi ſtatuitur, ut Epiſcopi, qui nulli Archiepiſcopo ſubjiciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum ſemel eligant, in cujus Synodo Provinciali cum aliis intereſſe debeant, & quæ

ibi

ibi ordinata fuerint, obſervent, ac obſervari faciant.

34 Archipresbytero Altamuræ declarari poſtulante a Sac. Congregatione Concilii, an diſpoſitio *dict. cap. 2. ſeſſ. 24.* ſecundum quam Epiſcopi, qui nulli Archiepiſcopo ſubduntur, aliquem vicinium Metropolitanum ſemel eligant, cujus Provinciali Synodo interſint, extendatur ad ipſum Archipresbyterum nullius Diœceſis, nullique Archiepiſcopo ſubjectum: Sanctiſſimus ex ſententia S. Congregationis declaravit ex identitate rationis *d. c. 2.* extendendum etiam ad omnes alios inferiores Prælatos, qualis hic Archipresbyter, qui ſunt nullius Diœceſis, ut ipſi debeant eligere unum Metropolitanum juxta *d. c. 2.* & clarè innuit
35 *cap. 9. ſeſſ. 24.* ibi, *Qui ſemel in Concilio Provinciali à Prælato illius loci electus fuerit*: & cùm Concilium *d. cap. 2.* præbeat facultatem eligendi ſoli Epiſcopo abſque conſenſu Capituli, ita & inferiores poterunt eligere ſine conſenſu ſuorum Capitulorum.

36 Sed cùm dubitatum fuerit, an decretum *d. c. 2. §. Itidem Epiſcopi ſeſſ. 24.* habet locum in Epiſcopis, qui ſunt in Provincia Romana, veluti qui ſunt inter Capuanam Provinciam, & Piſanam, qui habentur *in cap. Sua de offic. Vicar.* & latiùs in Provinciali Cancellariæ Apoſtolicæ; S. Congregatio cenſuit non habere locum.

37 Verùm de aliis inferioribus, & præcipuè de Capitulis Cathedralium Eccleſiarum, Jura, & DD. non videntur convenire, num ad Concil. Provinciale ex neceſſitate vocari debeant: nam text. *in dict. cap. Propter Eccleſiaſticas, il 1. 18. diſtin.* videtur innuere præter Epiſcopos ad hoc Concilium eſſe vocandos etiam inferiores, ut patet ex illis verbis: *In ipſis autem Conciliis & Presbyteros, & Diaconos præſentes eſſe oportet, & omnes quotquot ſe læſos exiſtimant.* At idem text. *in cap. Propter Eccleſiaſticas, il 2. ead. diſtin.* ibi, *Itaut ad Concilium veniant omnes Presbyteri, & Diaconi, vel hi, qui ſe læſos exiſtimant*: & *in d. c. Sicut olim, de accuſat.* ibi, *ad Metropolitanum, & ſuffraganeos, & alios*: nam illa dictio, *Alios*, oſtendit præter Epiſcopos in Synodo Provinciali, alios quoque intereſſe debere, & ita illum textum ponderat ibi Innoc. *ad fin. in*
38 *ver. Alios*, dicens eſſe ibi argumentum, quòd non ſolùm Prælati, ſcilicet Epiſcopi, ſed etiam alii debent intereſſe Concilio Provinciali, & concordat Concilium Tridentinum *in dict. cap. 2. ſeſſ. 24.* in illis verbis, *Epiſcopi omnes, & alii, qui de jure, vel conſuetudine intereſſe debent, convenire omninò teneantur, & in cap. 2 ſeſſ. 25.* ibi, *Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & omnibus aliis, qui de jure, vel conſuetudine in Concilio Provinciali intereſſe debent.* Et de Cathedralium Eccleſiarum Capitulis, quòd neceſſariò vocari debeant, & admitti, videtur text. apertus in hoc cap. illud ponderando, ut dixit ſupra *in 2. notab.* & hoc tenet expreſsè Card. *hic nu. 3. in fin.* & Abb. *n. 2. verſ. Quinimo.*

39 Sed gloſſ *in d. c. Propter Eccleſias, il primo in verſ. Et omnes*, exponit copulam, &, pro, *id eſt*, ſentiens per hoc non omnes de Provincia eſſe vocandos ad Provinciale Concilium, ſed illos tantùm, qui ſe læſos exiſtimant; & movetur ab abſurdo, quia ſi omnes de Provincia eſſent præſentes, ſuperfluum eſſet, ut in diœceſana ſynodo proximè futura publicarentur eis acta Provincialis Concilii, ſicut fieri præcipitur *in d. c. Sicut olim, de accuſat.* & idem tenet gloſſa *in dict. c. Propter Eccleſiaſticas, il ſecondo in ver. Vel hi.*

40 Similiter Innocen. *in dict. cap. Grave*, poſteaquam in princip. dixit ad Provinciale Concilium ſolos Epiſcopos eſſe vocandos ex neceſſitate *n.* 3 ſubjicit Capitula Cathedralium tunc eſſe vocanda, cùm de eorum factis agitur, & ita intelligit hanc Decretalem; aliàs verò minimè vocari debere, niſi de honeſtate, vel propter conſilium, ut *cap. Obeuntibus 64. diſt.* Et hæc opinio Innocentii magis placet Præpoſito *in c. Propter Eccleſiaſticas, il primo n. 9. verſ. Tamen mihi potiùs placet 18. diſt.* Et hoc quia jura, quæ de hac materia loquuntur, tantùm de Epiſcopis faciunt mentionem, ut patet ex Capitulis ſupra allegatis *nu.* 32. Et hæc Decretalis intelligenda eſt de honeſtate, vel ubi agitur de illorum præjudicio. Sed certè hæ tres ponderationes ſunt ſatis infirmæ. Imò enim jura in hac materia loquuntur non tantùm de Epiſcopis, ſed de aliis, ut oſtenſum eſt ſupra *n.* 37. & hoc cap. non loquitur de honeſtate, cùm utatur *ver. Debent*, quod eſt neceſſitativum, ut inquiunt hìc Cardin. *n. 3. in fin.* & Abb. *num. 2. verſ. Sed ego*, & tetigi ſuprà *in 2. notab.* Nec ſine violentia hic textus reſtringi poteſt ad caſum, ubi agitur de eorum negotiis, ut loquatur per adverbium, *Maximè*, quod implicat idem eſſe in caſu contrario, ut obſervat Jo. Andr. *hìc n. 3. in fin. in ver. Maximè*, & ſimiliter dixi ſuprà *in ult. notab.*

Quid dicendum? Ego conſidero Innocentium habuiſſe 41
optimum ſenſum, & opiniones Doctorum in hac materia, ſi ſedulò expendantur, non diſcrepare: Nam Innocentius *in d. cap. Grave num. 8. de præbend.* tenet Capitula Cathedralium ad Provinciale Concilium eſſe vocanda de honeſtate tantùm, præter quàm in duobus caſibus, videlicet cùm de eorum factis agitur, vel propter conſilium: itaque ſenſit Innocen. Capitula eſſe vocanda ex neceſſitate, non quidem ut votum habeant ad decidendum, ſed tantùm ad conſulendum; hoc enim innuunt illa verba alternativè poſita, *Vel propter conſilium*, in quo conveniunt etiam Abb. & Præpoſ. *in loc. ſup. cit.* quia tenent Canonicos Cathedralium vocari debere, & admitti ad Synodum Provincialem, non tamen ut habeant votum deciſivum, ſed conſultivum dumtaxat. Et eſt ex mente Hoſtienſ. *hic n. 2. in ver Nancii*, Joan. Andr *n 3. in eodem ver.* dum dicunt in Concilio Provinciali omnia gerenda eſſe de conſilio Capitulorum Provinciæ, arg. *c. Humiles ſuprà de majorit. & obed.* Sicut in Diœceſana Synodo agi debent omnia de conſilio Canonicorum, arg. *c. fin. infra de his, quæ fiunt à major. part. Capituli, c. Novit, & c. Quando, ſuprà eodem.*

Præterea quod Innocen. dixit ad Concilium Archiepi- 42
ſcopi ex neceſſitate vocandos eſſe Epiſcopos, & non alios, intelligi debet de neceſſitate, non reſpectu eorum, qui vocantur. Unde ſenſus eſt, quòd ſoli Epiſcopi cogi poſſunt ad Synodum venire, prout loquuntur jura ab Innoc. allegata. Alii verò non vocantur ex neceſſitate, quia neceſſe non habent comparere, nec compelli poſſunt inviti. Ed ideò hìc textus cum myſterio dixit *Invitari*, non autem *Vocari*, quia non tenentur venire, niſi velint, ut hìc per Abb. Antiq. *poſt princ. in ver. Invitari*; ideòque de Abbatibus ſubjectis Epiſcopo, & aliis inferioribus, qui non coguntur venire ad Synodum Provincialem, licèt ſit expediens, ut ve-
niant, concludunt Hoſtien. *in c. Quod ſuper his num. 4.* & 43
Joan. Andr. *ibid. n 9. ſuprà de majorit. & obedien.* Id quod apertiùs declarat Præpoſitus *in d. c. Propter Eccleſiaſticas num. 9. verſ. Vel aliter*: ſic enim ait: Licèt Cathedralium Eccleſiarum Capitula debeant invitari ad Concilium; non tamen per hoc concluditur, ut habeant vocem diffinitivam in Concilio, quia hoc pertinet ad ſolos Epiſcopos per jura ſuperiùs inducta. Et hoc etiam colligitur ex alio, quia Epi- 44
ſcopi cùm ſint neceſſarii tamquam diffinitores in Concilio, nedum invitantur ad Concilium, imò vocantur inviti, & ſi non veniant ceſſante legitimo impedimento, puniun-
tur, ut *in c. Pervenit, & in c. Placuit 18. diſt.* De Capitulis 45
verò Eccleſiarum Cathedralium hoc non dicitur, ſcilicet ut compellantur, ſed ut debeant invitari, & hoc eſt pro 46
conſilio: Nam ſicut unuſquiſque Epiſcopus cum conſilio ſui Capituli expedire debet gravia, & non aliter, ut *in c. 1. de exceſſ. Prelat.* ita omnes Epiſcopi Provinciæ ibi exiſtentes juſtum eſt, ut cum conſilio ſuorum Capitulorum expediant ea, quæ in Provinciali Concilio aguntur. Utile enim eſt in rebus arduis multorum, & præſertim peritorum adhibere conſilia, ut *l. Humanum, C. de legib. & l. Duo fratres, ff. de jurepatr.* Hæc præpoſ. qui ſubdit ſecundum hæc poſſe intelligi jura, quæ dicunt Abbates, vel alios debere intervenire in Provinciali Concilio, id eſt, vel pro conſilio, vel ſi eorum interſit.

Demùm hanc ſententiam non obſcurè aliàs probavit Sacra Congregatio Concilii: nam cùm quærereretur de ſeſſione in Concilio Provinciali, & de obſervatione Decretorum, deque intereſſentia tum exemptorum, tum laicorum: ita fuit decretum.

Sacra Congregatio cenſuit in Conciliis Provincialibus 47
Commendatarios Monaſteriorum, ſive Abbatiarum inter Abbates eſſe recipiendos, quando capitulariter procedunt. Extra hunc caſum Abbates Titulares, vel habentes uſum Mitræ debere præcedere Commendatarios. Poſt hos locum tenere Dignitates, & poſt Dignitates collocandi ſunt Procuratores Eccleſiarum Cathedralium. Nec teneri ve- 48
nire Ad Concilium Provinciale exemptos, & Abbates, niſi ii, qui de jure, vel conſuetudine intereſſe debent.
Capitula tamen Cathedralium Eccleſiarum eſſe ſpecialiter 49
invitanda. Laicos verò invitatos poſſe intereſſe, in eoque 50
vo-

tum conſultivum habere. Et ad obſervationem Concilii
51 Provincialis omnes eſſe obligatos, qui Epiſcoporum juriſ-
52 dictioni ſubduntur: exemptos etiam in caſibus, in quibus
à jure communi, & Concilii Tridentini decretis ſpeciali-
ter Epiſcopis, aut Concilio Provinciali in ipſos poteſtas tri-
buta eſt; & contra inobedientes juris remediis eſſe proce-
dendum. Abbates autem, Commendatarios, & Capitulo- 53
rum deputatos vocem dumtaxat conſultivam in Concilio
Provinciali habere. Epiſcoporum verò procuratores poſſe 54
habere etiam deciſivam, ſi Concilio Provinciali placuerit.

DE HIS QUÆ FIUNT A MAJORI parte Capituli.

Ex Concilio Lateranen.

CAPUT I.

CUm in cunctis Eccleſiis, quod pluribus & ſenioribus fratribus viſum fuerit, incunctanter debeat obſervari: grave nimis eſt, & reprehenſione digniſſimum, quòd per quaſdam Eccleſias pauci quandoque non tam de ratione, quàm de propria voluntate ad ordinationem Eccleſiaſticam procedere non permittunt. Quocirca præſenti decreto ſtatuimus, ut niſi à paucioribus & inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit & oſtenſum, appellatione remota prævaleat ſemper, & ſuum conſequatur effectum quod à majori & ſaniori parte Capituli fuerit conſtitutum. Nec conſtitutionem noſtram impediat, ſi fortè aliquis ad conſervandam Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem, ſe juramento dicat adſtrictum: non enim juramenta, ſed potiùs perjuria ſunt dicenda, quæ contra utilitatem Eccleſiæ, & ſanctorum Patrum veniunt inſtituta. Si quis autem hujuſmodi conſuetudines, quæ nec ratione juvantur, nec ſacris congruunt inſtitutis, jurare præſumpſerit; donec dignam egerit pœnitentiam, à perceptione ſit Dominici corporis alienus.

S U M M A R I U M.

1 ORdinatio majoris partis Capituli, per contradictionem, & appellationem minoris nil rationabiliter opponentis, impediri non debet.

2 Geſta à majori, & ſaniori parte univerſitatis, regulariter valent, etiam contradicente minore.

3 Pars major, & ſanior quæ dicatur.

4 Pars major in dubio cenſetur etiam ſanior, niſi contrarium probetur.

5 Majori parti regulariter ſtandum eſt in omni diſpoſitione.

6 Contemptus plus juris habet ad annullandum geſta majoris partis, quàm plures præſentes, & contradicentes.

7 Minoris partis contradictio non impedit geſta è majori parte univerſitatis, niſi cauſa rationabilis probetur coram ſuperiore.

8 Jus paſcendi quòd habent Clerici, & laici in diœceſi Caputaquenſi, an locari poſſit ab Univerſitate Clericis contradicentibus.

9 Jus paſcendi eſt commune pluribus, ut ſingulis, non ut univerſis.

10 Major pars non poteſt ſtatuere in præjudicium minoris in iis, quæ competunt pluribus ut ſingulis. Secus ſi pluribus ut univerſis, & num. 12.

11 Univerſitas non poteſt ſtatuere de paſcuis, niſi omnibus conſentientibus, & n. 13.

14 Minor pars uti poteſt re communi ad uſum deſtinata, licèt major contradicat, & n. 16.

15 Univerſitas non poteſt prohibere, ne incolæ utantur paſcuis juxta conſuetudinem.

17 Superior lege inferioris non ligatur.

18 Univerſitas etiam in re communi pluribus ut univerſis non poteſt ſtatuere in præjudicium domini temporalis.

19 Clerici ſunt laicis ſuperiores, & exempti ab eorùm juriſdictione.

20 Clerici volentes mittere ſua animalia ad paſcua univerſitatis tenentur ad onera ſtatuto univerſitatis impoſita.

21 Secus ſi paſcua ſint ad uſum Clericorum, & laicorum.

22 Clerici etſi ſunt membra Reipublicæ, non tamen ligantur ſtatutis univerſitatis laicalis.

23 Ad ſtatuti validitatem non ſolùm requiritur rationabilis, & honeſta cauſa, ſed etiam ſtatuentis juriſdictio.

24 Statutum univerſitatis etiam generaliter conceptum in ſubditos eſt nullum in præjudicium Clericorum.

25 Statutum univerſitatis adimens Clericis jus paſcendi eſt contra immunitatem Eccleſiaſticam.

26 Statutum editum in odium Clericorum non valet, etiamſi odium redundaret in perſonam ſubditam.

C*Um in cunctis*. Ordinatio majoris partis Capituli per 1
contradictionem, & appellationem minoris nil rationabile opponentis impediri non debet. Hoc dicit ſecundùm Joan. Andr. Anton. de Butr. Cardin. Anchar & Imol. vel clariùs ſecundùm Abbat. In univerſitatibus Eccleſiaſticis prævalet regulariter quod fit à majori parte, niſi minor pars rationabiliter contradicat. Verùm quia non ſufficit contradicere, niſi probetur objectum, ut in littera, & dicam infra *in 2. not.* aptiùs ex mente gloſſæ *in cap. Quia propter, in ver. Vice omnium ſuprà de elect.* ſi poſſet ſummari: Geſta à majori parte univerſitatis effectum ſortiri debent, niſi rationabilis cauſa à paucioribus oſtendatur. Dividitur in duas partes. Prima ponit factum reprehenſibile. Secunda providet per ſtatutum, ibi, *Quocirca*.
Nota primò ex hac decretali regulam, quòd in actibus 2
univerſitatum regulariter valeant geſta à majori, & ſaniori parte, etiam contradicente minore, concordat *c. 1. 2. & 3. 65. diſt. c. De quibus 20. diſt. c. Licèt ſuprà de elect. l. Duo ex tri-*
bus, ff. de re judic. & dicitur pars major reſpectu numeri, & 3
ſanior reſpectu conſilii, & materię ſubjectæ, ſecundùm Hoſtien. *n. 2.* & Abb. *n. 3.* Et dum jura ſimpliciter dicunt ſtandũ eſſe majori parti, intelligi debent de majori, & ſaniori, quia major pars dicitur, quæ majori ratione, & pietate nititur, *c. Sana quippè 9. diſt. cum concord.* de quibus hìc per gloſſ. *in ver. Rationabiliter.* Non enim, ut inquit Hoſt. *in princ.* quę major pars eſt, ſemper ſanior eſt; ſed quæ ſanior eſt, ſemper major reputatur. Et ſecundùm Abb. *in 1. not. n. 3.* non ſufficit, ut major pars univerſitatis decernat, niſi etiam illa ſit
ſanior, ut *hic*. In dubio tamen major pars cenſetur etiam ſa- 4
nior, quia præſumitur pro pluralitate, *c. Nullus 61. diſt.* niſi contrarium probetur, ut hìc patet, *& in cap. Illud 23. diſt.*
ſecundum gloſs. prælleg. regulare enim eſt, ut majori par- 5
ti ſtetetur in omni diſpoſitione univerſitatis, & tractatu ipſius, in authoritatibus Sanctorum, in promulgatione ſententiarum, & ſtatutorum, in datione tutorum, & creatione Canonicorum, & Prælatorum, in remiſione facienda à creditoribus, & ſimilibus, ut poſt Tancredum, Goffredum, & Philippum dicunt Hoſtien. *num. 4.* & Joan.
Andr. *num. 11.* Et intellige prædictam regulam, dummo- 6

dò

do pars major fuerit præſens, dum actus gerebatur; ſecus ſi fuerit abſens, & contempta, ut ſi vocata non fuiſſet eo caſu, quo vocari debuiſſet, quia tunc contemptus non ſolùm minoris partis, ſed unius tantùm, reddit invalidum quod geſtum eſt à majori parte, *c. Quod ſicut ſuprà de elect.* ſecundùm Anton. de Butr. *hic n.2.* Petr. de Anchar. *n.3.* & Imol. *num.1.* Quinimò contemptus, ſi ſuum contemptum proſequatur, plus juris habet ad annullandam ordinationem, ſeu proviſionem majoris partis, quàm haberent plures præſentes, & contradicentes, Oldr. *conſ.64. Quodam Canonicos contempto*, & vide Angel. *conſ.269. Punctus eſt*.

7 Secundò nota *in verſ. Niſi, &c.* exceptionem à prædicta regula, ut ſcilicet non procedat, ſi à minori parte aliquid rationabile objiciatur contra ordinationem majoris partis univerſitatis, quia tunc quoad affectum impeditur, quia revocabitur, poſteaquam de veritate objectæ exceptionis legitimè conſtiterit: non enim ſufficit opponere, niſi objectum probetur coram ſuperiore, ut patet ex littera ibi, *Objectum fuerit, & oſtenſum*, Innoc. *n.3. verſ. Sed eſt jus, & n.4.* Butr. *nu.2. & 3.* Anchar. *n.3.* Imol. *n.1.* & Abb. *num.5.* & facit quod not. *in l.1. ff. Si quadrupes pauper. feciſ. dicatur*, & in Clemen. *1. de reſtit. in integr.* Ceterùm tam regula ſuperiùs propoſita, quàm exceptio procedunt in actibus univerſitatum, prout loquitur hæc Decretalis, & ſic in his, quæ competunt pluribus, ut univerſis: ſecus autem eſt in his, quæ competunt pluribus, ut ſingulis, quia tunc unius tantùm contradictio habet actum vitiare, ut fuſiùs dicam *in ſeqq. quæſt.*

8 Ex facto quæſitum eſt, an jus paſcendi, quod habent Clerici, & laici in Diœceſi Caputaquenſi, locari poſſit ab Univerſitate Clerici contradicentibus.

9 Videtur reſpondendum non poſſe. Primò, quia cùm jus paſcendi ſit commune pluribus ut ſingulis, non ut univerſis, ex rationibus adductis a Capyc. *deciſ.15* incip. *Univerſitas ſub n.3. verſ. Dubium modò ſtat, an hoc territorium*, &

10 Surd. *conſ.65. num.7. col.1.* major pars univerſitatis non poteſt de eo ſtatuere, niſi omnes conſentiant, ſive Clerici, ſive laici, gloſſ. communiter approbat *in cap. Cùm omnes, in ver. Conſtitutum, verſ. Sed numquid eſt verum de conſtit.* Atque ita ob hanc rationem Capyc. *d. deciſ.152.* videtur concludere univerſitatem non potuiſſe aliquibus contradicentibus ſtatuere, ut deinceps non liceret cuiquam uti jure paſcendi, niſi ſoluta certa pecunia in communes neceſſitates

11 eroganda. Hanc eamdem opinionem, id eſt, majorem partem univerſitatis non poſſe aliquibus contradicentibus ſtatuere de paſcuis, ſed neceſſarium eſſe omnium conſenſum, quia agitur de re communi, pluribus, ut ſingulis; tenent Cagnol. *in l.2. in princ. § fin. nu.145. verſ. Et ſimiliter, de orrig. jur.* Covarr. *variar. reſol. lib.1. cap.17. nu.11. verſ. Sic rector civitatis*, & Surd. *conſ.65 per tot. col.1.* ubi etiam citat Jaſon.

12 *conſ.71. col.2. verſ. Ne iſto caſu vol.3.* Quòd enim major pars poſſit ſtatuere in damnum minoris, procedit in rebus, & negotiis univerſitatis, quæ ſunt communia pluribus ut univerſis, *l. Quod major.*; atque ibi gloſſ. & Batr. *ff. ad municip.*

13 *gloſſ. in c.1. in ver. Tractatus, de reb. Eccleſ. non alien. lib.6.* in aliis verò unius diſſenſus poteſt actum impedire, *c. fin. ubi not. de major. & obed. c. Quod omnes*, atque ibi declarat Dyn. *de reg. jur. in 6.* Joan. Andr. *in cap. unic. de rer. permut. eod. lib.* gloſſ. *in c. Quia propter, in ver. Vice omnium ſuprà de elect.* & tradunt omnes *in d. c. Cùm omnes*.

14 Secundò, quia etſi jus paſcendi competere pluribus, ut univerſis, cùm tamen commodum à ſingulis percipiatur, præferuntur qui nemoribus, & paſcuis uti volunt ad uſum deſtinatum, licèt major pars contradicat. Sic probat text. *in l. Civitatibus, ff. de legat.1.* Atque ita in terminis per hanc rationem reſpondit Ripa *reſponſ.5.* incip. *Antiquo ſub tit. juriſdict. & imper. alias reſponſ.93. ſeu 22. lib 1.* ubi pluribus probat univerſitatem non poſſe prohibere, ne incolæ utan-

15 tur paſcuis juxta conſuetudinem, & eſſe deferendum appellationi ſuper hoc interpoſitæ ab aliquibus, non obſtante ordinatione, & ſtatuto majoris partis? & ibi etiam oſtendit ſtatutum hujuſmodi eſſe iniquum, & irrationabile cum

16 aliàs ob cauſas, tum quia iniquum eſt, ut quis non poſſit uti re communi ad uſum deſtinatum, *l.1. C. de paſc. publ. lib.10. l. Arboribus, §. Navis ff. de uſufr. & l. Si ædes ff. comm. divid. cum concord.* Ripam refert, & ſequitur Surd. *conſ.59. Dubitari non poteſt ſub num.21. verſ. Circumſcripta etiam ſuperioritate, & conſ.65. per tot. vol.1.*

17 Tertiò, etſi jus paſcendi eſſet commune pluribus, ut univerſis, & major pars poſſet de eo abſolutè ſtatuere; id tamen haberent locum quoad eos tantùm, qui pars eſſent, vel inferiores, quia ſuperior lege inferioris non ligatur, *c. Venientes, de jurejuran. cap. Inferior 21. diſt. cap. Cùm inferior, de majorit. & obed.* Clement. *Ne Romani, de elect.* & verba ſtatuentium non referuntur ad perſonas non ſuppoſitas, *cap. A nobis, il primo de ſentent. excomm. cap. Ut animarum, de conſtit. lib.6.* Qua ratione quidquid contra videatur dixiſſe Vincent. de Franch. *dec.167. Univerſitas Lapigii per totam*, ſentiens univerſitatem poſſe vendere jus paſcendi 18
etiam contradicente Barone, qui ſe primum civem profitebatur, Surd. *d. conſ.59. num.15. & 16.* conſuluit univerſitatem, quamvis poſſit ſtatuere cica ea, quæ concernunt adminiſtrationem rerum ſuarum, & prohibere, ne cives, & incolæ uti poſſint nemoribus, & paſcuis: hac tamen illius prohibitione non ligari Comitem loci dominum temporalem, qui licèt tamquam civis habeat jus paſcendi, non afficitur tamen populi ordinatione, quia ſtatuta inferioris non limitant juriſdictionem ſuperioris, ut ait Bald. in Auth. *Sed novo jure n.8. in fin. C. de ſerv. fugit.*

Quamobrem cùm Clerici ſint ſuperiores laicis, & exempti ab eorum juriſdictione, *c. Eccleſia S. Mariæ, de conſtitut. cum concord.* locatio univerſitatis non obſtabit ipſis, quo minus uti poſſint jure paſcendi conſuetudine acquiſito. De quo eſt aperta deciſio Abb. *in conſ.6. part.1.* incip. *Caſus ſuper quo petitur, &c.* licet perperam pro contraria parte allegetur; ibi enim in prima parte concludit, ſi paſcua ſint communitatis laicorum, Clericos, qui volunt animalia ſua mittere ad illa loca communitatis, teneri ſolvere onus impoſitum ex ſtatutis ipſius univerſitatis, quia non dicitur hoc caſu communitas legem imponere Clericis, quibus jus paſcendi non competit, ſed vendere uſum fructum rerum ſuarum, quibus ſi Clerici uti velint, æquum eſt ut etiam ſubeant onera iiſdem rebus incumbentia, & hic non eſt caſus noſter, quia Abb. ibi ſupponit Clericos jus paſcendi non habere. Deindè *ſub n.2. Si verò*, inquit, *iſta loca paſturæ fuiſſent ad uſum communitatis Clericorum, & laicorum, & ſic forent communia Clericis, & laicis*, (ut in caſu præſenti,) *tunc non teneretur Clericus, &c. quia per ſtatuta laicorum non tenentur Clerici ſolvere; tum quia ſtatuta laicorum non afficiunt Clericos; tum quia in rebus communibus non poſſent ſoli laici conſtituere in præjudicium aliorum jus in rebus habentium. Quare quod omnes tangit, debet in omnibus approbari, &c. tum quia in re communi potior eſt conditio prohibentis, & par in parem non habet imperium*. Hæc ille. 19 20

Non obſtat, quòd Maſtrill. *deciſ.49. vol.1.* contrarium ſenſerit: nam nullis ducitur authoritatibus, & ejus rationes ſunt leviſſimæ? movetur enim potiſſimùm, quia cùm Clerici ſint membra Reipublicæ, & veniant univerſitatis appelatione, ſubduntur & ipſi ſtatutis laicorum in materia ad univerſitatem pertinente. 21

Quod tamen non admittitur à Canoniſtis: nam eſto tam Clerici, quàm laici ſint myſtici corporis Eccleſiæ membra; tamen Deus juriſdictiones diſtinxit, & Clericos non legibus, & poteſtatibus ſæcularibus, ſed Eccleſiaſticis tantùm voluit eſſe ſubjectos, *c. Si imperator*, ubi Turrecr. & Præpoſ. notant *96. diſt. c. Quamquam de cenſ. in 6. d. c. Eccleſia S. Mariæ, de Conſtit. c. Quoniam, & per totam 10. diſt.* Pulcrè Oldrad. *conſ.83.* incip *An Epiſcopus per tot.* Goffred. Abb. & Felin *in c.2. de foro compet.* Sunt enim Clerici membra honorabiliora Reipublicæ, ut inquit Bald. *conſ.241. Verba Capituli, in fin. lib.3.* & dicuntur magis non ſubditi, quàm alii non ſubditi laici, ſecundùm Signorol. *conſ.21. Statuta civitatis, col.2.* & Dec. *in d. c. Eccleſiæ S. Mariæ n.224.* Argumentũ autem Maſtrilli hanc Clericorum exemptionem radicitùs cõvellit. Nec refert, quòd ſtatutum aliàs ſit ex ſe honeſtum, & rationabile, quia ad validitatem ſtatuti nedum requiritur honeſta, & rationabilis cauſa, ſed etiam authoritas, & juriſdictio, quam laici in Clericos non habent, Bald. *in l.1. C. de Summa Trin. & fide Cathol.* & docent *in d. cap Eccleſia S. Mariæ*, Felin. *n.81.* & Dec. *n.53* Socc. jun. *conſ.8. n.22 vol.4.* Covarr. *pract. q. c.8. n.5.* & Burſ. *conſ.93. n.22. lib.1.* ubi teſtatur de magis communi opinione, Quod procedit, etiam ſi ſtatutum ſit generaliter conceptum, nec ſpecialiter diſponat de Clericis, quia licèt verba cautè dirigantur in ſubditos, tamen cùm Clerici ex locatione graventur, non eſt curandum cum quo quis loquatur, ſed quò dirigatur intentio. Ita Alexan. *conſ.211. num.12. lib.1.* poſt Anchar. *in repet. c. Canonum ſtatuta 2. q. in princip. verſ. Ego quæro, de Conſtitut.* Eſt au- 22 23 24

25 autem ordinatio Univerſitatis contra communitatem Eccleſiaſticam, quia tollit Clericis jus paſcendi ex conſuetudine acquiſitum, quod fieri non poteſt, ut conſiderat Anchar. *conſ.155. in princip.* & Joan.Baptiſta Laderch. *in conſ. ſuo* 103. *num.*11. *vol.* 1. Præſertim quia id videtur ſtudioſè factum fuiſſe in odium Clericorum. Quo caſu ſtatutum 26
non valeret, etiamſi odium redundaret in perſonam ſubditam, ſecundùm Bart. *in l. Omnes populi n.*53. *de juſt. & jure*, Felin. *in d.c. Cùm omnes n.*1. *&* 2. & in terminis juris paſcendi obſervat Surd. *conſ.* 59. *ſub n.*26. *verſ. Ex alio etiam*.

DE REBUS ECCLESIÆ NON ALIENANDIS.

Ex Concilio apud Silvan.

CAPUT V.

NUlli liceat alienare rem immobilem Eccleſiæ ſuæ, ſive agrum, ſive ruſticum mancipium, neque ſpecialis hypothecæ titulo obligare. Alienationis autem verbum continet conditionem, donationem, venditionem, permutationem, & emphyteuſis perpetuum contractum. Unde omnes Sacerdotes ab hujuſmodi alienatione abſtineant, pœnas timentes, quas Leonina conſtitutio comminatur.

SUMMARIUM.

1 *RES Eccleſiarum immobiles, & pretioſæ mobiles alienari non debent, & n.* 2.
2 Nullus, *eſt verbum univerſale negativum.*
3 *Alienatio bonorum Eccleſiæ per Canones prohibetur quibuſcumque clericis, & multò magis laicis; & n.* 5.
4 *Clerici omnes dici poſſunt Sacerdotes.*
6 *In concernentibus animam omnes homines de mundo ſunt de foro Eccleſiæ.*
7 *Alienatio bonorum Eccleſiæ requirit cauſam, & ſolemnitatem, num.* 13.
8 *Et cauſæ alienationis quæ ſint.*
9 *Alienatio bonorum Eccleſiæ, quam ſolemnitatem requirat, & an ſufficiat ſolemnitas introducta de conſuetudine, & num.* 11.
10 *Conſuetudo aliquid addens ſolemnitati à jure requiſitæ in alienatione rerum Eccleſiæ valida eſt, ſi ſit Eccleſiæ utilis.*
11 *Decretum judicis in alienatione rerum Eccleſiæ non requiritur, ſed ſufficit cauſæ cognitio.*
12 *Alienatio rerum Eccleſiæ etiam cum cauſa, & ſolemnitate, poſt Extravag. Pauli II. fieri non poteſt Papa inconſulto, & n. ſeqq. uſque ad n.* 19.
Fallit in 5. *caſibus, ut n.* 19. *uſque ad n.* 29.
13 *Intellectus Extravag.* Ambitioſæ, de reb. Eccleſiæ non alien. *& nn. ſeqq. uſque ad n.* 18. *&* 21.
14 *Clauſula in medio poſita refertur ad proxima, non autem ad omnia præcedentia.*
15 *Clauſula in fine poſita refertur ad omnia præcedentia.*
16 *Emphyteuſis contractus de bonis Eccleſiæ poteſt fieri ſine beneplacito Apoſtolico, ſi tres conditiones concurrant.*
17 Tunc, *dictio denotat extremitatem temporis.*
20 *Feudalia bona Eccleſiæ poſſunt infeudari non obſtante juramento de non alienando Papa inconſulto.*
22 *Fructus, & bona Eccleſiæ, quæ ſervando ſervari non poſſunt, licitè alienantur ſine beneplacito Apoſtolico.*
23 *Et talia dicuntur, quæ non durant triennio, vel uſu conſumuntur, & non fructificant.*
24 *Terrulæ, vel vineolæ Eccleſiæ alienari poſſunt de conſenſu Epiſcopi tribus concurrentibus.*
25 *Cap.* Terrulas 12. q. 2. *non fuit ſublatum per Conſtitutionem Pauli II. nec per Conc. Trid.*
26 *Terræ exigui valoris quæ dicantur ad hoc, ut alienari poſſint ſine beneplacito Apoſtolico.*
27 *Alienatio bonorum Eccleſiaſticorum, quæ fit ex neceſſitate juris, non requirit ſolemnitatem.*
28 *Fratres Minores alienare poſſunt ſine ſolemnitate bona immobilia eis legata ſub modo licito, vel ſimpliciter.*
29 *Alienatio, & ſpecialis hypotheca differunt.*
30 *Hypotheca ſpecialis bonorum Eccleſiæ eſt prohibita.*
Et quid in hypotheca generali, ibid.
31 *Hypotheca generalis bonorum Eccleſiæ in caſu permiſſo an fieri poſſit ſine auctoritate Epiſcopi, & n.* 32.
32 *Congregationis Concilii Decretum de rebus Regularium non alienandis non comprehendit generalem hypothecam.*
33 *Hypotheca in quo differat à pignore.*
34 *Alienationis verbo quæ contineantur.*
35 *Alienationis verbum largè ſumitur, quando lex, teſtator, vel pactio prohibet alienari.*
36 *Alienatio ſtrictè accipitur pro eo contractu, quo transfertur dominum.*
37 *Contractus conditionis dicitur, ubi prædium conſtituitur tributarium.*
38 *Prædium conditionale quod dicatur.*
39 *Locare, & conducere, an & quando ſit alienare.*
40 *Locatio perpetua quando dicatur.*
41 *Conductio ad non modicum tempus dicitur, quando excedit decennium, vel eſt ad decennium.*
42 *Locatio, & conductio bonorum Eccleſiæ poſt Extravagantem Pauli II. fieri non poteſt ultra triennium.*
43 *Et triennium computari debet ex tribus fructuum collectionibus.*
44 *Alienantes bona immobilia Eccleſiarum quas pœnas incurrant, & n.* 46.
Conſtitutio Leonina quæ dicatur, ibidem.
45 *Lex civilis Canonizata, ſeu inſerta Canoni dicitur lex Canonica.*
46 *Alienationis contractus ſi ſit Eccleſiæ utilis, poteſt per eam ratificari, nec ab illo receditur, niſi Eccleſia volente.*

NUlli. Res Eccleſiarum alienari non debent. Hoc dicit Jo. Andr. Butr. Card. Anchar. Imola, Abbas, Jo. de Anania, Barbatia, Guidopapa, & Bero. Sed poſt *ver. Res*, addendum videtur *Immobiles*; prout loquitur iſta littera: nam res mobiles alienari non prohibentur, ut *l. Lex quæ tutòres, C. de adminiſtrat. tutor. & l. Inter omnes, C. de prædiis minorum*, ſecundum Innoc. *hic poſt princip. in ver. Immobilem*, niſi ſint pretioſæ, ut *d. l. Lex quæ, c. Quod ſicut, §. fin. ſuprà de elect. c.* 1. *infrà de pignoribus*, Extravag *Ambitioſæ*, ibi, *Pretioſa mobilia Deo dicata, de rebus Eccleſ. non alien.* & hìc notat Hoſt. *num.* 1. *circa fin. in ver. Immobilem*. Dividitur in tres partes. In prima alienationis prohibitio. In ſecunda quid ſit alienatio. In tertia pœnæ impoſitio. Secunda ibi, *Alienationis*. Tertia ibi, *Unde omnes*, Hoſt. 1

Nota primò ex princip. textus regulam negativam, quòd 2
rem Eccleſiæ immobilem nemini licet alienare, Abb. *hic in* 1. *notab.* & Guidopapa *in ſumm. textus*, & Bero. *num.* 2. traditur enim hìc regula per *ver. Nulli*, quod eſt univerſale negativum, gloſſ. *in c. Statutum, §. Inſuper in ver. Nullum, & in ver. Qualitercumque, de reſcript. lib.* 6 gloſſ. 2. *in c. Nemo poteſt, de reg. jur. eod. lib.* Gemin. *conſ.* 35. *pro clariori n.* 4. *&* 5. Quare hæc prohibitio fit Clerico cuicumque, majori, 3
medio, & minimo, ſecundùm Hoſt. *hic in princ. in ver. Nulli*, Joan. Andr. *num.* 1. *in eod. ver.* & Cardin. *in* 1. *notab.* Nec 4
obſtat littera ibi, *Sacerdotes*, id eſt Prælati; quoniam Clerici omnes dici poſſunt Sacerdotes, ut *cap.* 2. *ſuprà de cohabitat.*

tat. Clericor. & mulier. ſecundùm Abb. Antiq. *hic circa finem in ver. Sacerdotes.* Rurſus hæc proibitio multò magis fit laicis, ut *cap.2. ſuprà eodem*, ſecundùm Hoſt. & Joan.
5 Andr. *ubi ſuprà*, & Bero. *nu.2. verſ. Ex quibus infero*, Idque tum ratione rerum Eccleſiæ, quæ ſunt ſub juriſdictione Papæ, & Eccleſiæ, ſecundùm ea, quæ leguntur, & notantur *in cap.1. de nov. oper. nunc. in cap. Eccleſia San-*
6 *cta Mariæ, & cap. Quæ in Eccleſiarum, de conſtitut.* argum. *cap.2. de foro compet.* tum etiam ratione peccati, ex his, quæ habentur *in c. ult. de reſcript.* & notat gloſſ. in Clem. *Paſtoralis in ver. Fidelitatem, de re judicat.* nam in concernentibus animam omnes homines de mundo ſunt de foro Eccleſiæ, ut inquit Innoc. *in c. Quod ſuper his num.4..... de vot.* & Bero. *hic nu.3.* laici enim etiam cùm cauſa res Eccleſiæ alienantes mortaliter peccant, aliàs perperam excommunicarentur *in cap.2. ſup. eod.* cùm excummunicatio non feratur, niſi pro culpa mortali, ut *cap. Nemo Epiſcoporum cum ſua gloſſ. 11. qu.3.* & hìc obſervat Bero. *num.4.* De Papa autem ſine cauſa res Eccleſiæ alienante vide hìc pereumdem Bero. *n.5. & ſeqq.* & latiſſimè per Bellam. *in cap. Non liceat Papæ 12. q.2.*

7 Limitatur regula ſuperiùs propoſita, niſi alienatio fiat ex cauſa neceſitatis, & cùm juris ſolemnitate, *cap. Sine except. 12. qu.2. cap. Et hoc jus 10. qu.2.* & hanc ſolam cauſam excipiunt gloſſ.1. & Innoc. *in princip.* ſed certè multò plures debuiſſent excipere, quas hìc enumerat Hoſt. *num.1.* & Jo. Andr. *n.5.* & ante eos Petr. de Sampſone, & Abb. Antiquus
8 *in c. penult. num.2. infrà eod.* Alia enim cauſa eſt neceſſitatis, ut ſi debita urgeant Eccleſiam, nec poſſit de fructibus ſatisfieri, *c. Hoc jus 10. qu. 2.* Alia eſt pietatis pro redimendis captivis, ut *cap. Sacrorum, cap. Aurum, & cap. Gloria 12. q.1. cap. 1. infrà de pignorib.* Alia utilitatis; nam poteſt unam rem alienare, ut habeat aliam meliorem, *d. c. Sine except. & cap. Ut ſuper, §. final. infrà eod.* Alia eſt æquitatis, ut cùm res Eccleſiæ conceduntur ei, qui illas ad culturam reduxit, *cap. Ad aures infrà eod.* vel cùm manumittitur ſervus Eccleſiæ de ipſa benemeritus, *c. Si quos de ſervis 12. q.2.* Alia eſt incommoditatis, ſeu minoris utilitatis, ut quia res alienanda eſt magis damnoſa Eccleſiæ, quàm utilis, veluti cùm alienantur terrulæ, vel vineolæ incultæ, aut longè poſitæ, *cap. Terrulas, ead. cauſ. & qu.* Alia demum eſt damni vitandi, ut in rebus, quæ ſervando ſervari non poſſunt, *l. Lex quæ tutores, C. de adminiſtrat. tutor. l. fin. C. Quando decreto opus non eſt.* Et ita in univerſum ſex cauſę numerantur, ex quibus res Eccleſiæ licitè alienari poſſunt. Sed gloſſ. *in Summa 12. q.2.* & Abbas *hic n.4.* numerant quatuor dumtaxat, nempè neceſſitatis, ulilitatis, pietatis, & incommoditatis, putantque alias omnes ad iſtas eſſe reducibiles. Sunt tamen qui numerant multò plures, & in ſpecie Benedictus Canopilus in repetit. Extravag. *Ambitioſæ de rebus Eccleſiæ non alien. à n.43. uſque ad n.88. vol.6. repetent. fol.36.* coacervavit caſus quinquaginta ſex, in quibus res Eccleſiæ poſſunt alienari, & fallit regula illius Extravag. ſecundùm eum.

Similiter quoad ſolemnitatem ſervandam in alienatione bonorum Eccleſiæ, gloſſ.1. hìc non meminit, niſi de ſolemnitate juris, de qua in Auth. *Hoc jus porrectum, C. de ſacroſ. Eccleſ.* quæ eſt canonizata *in cap. Ea enim, §. Hoc jus 10. q.2.* ſed Goffred. hìc dicit ſolemnitatem illam non ſervari, & ſatis eſſe ſervare ſolemnitatem requiſitam ſecundùm conſuetudinem loci; & eodem modo Innocentius *hic in princ.* dicit eſſe attendendam ſolemnitatem, quæ in Eccleſia illa per conſuetudinem introducta eſt licèt, ſit præter jus dummodò tamen non ſit aliàs gravis, quia tunc obſtaret *c. Cùm cauſa ſuprà de re judicata.*

Verùm huic opinioni contradicit Hoſtienſ. *hic nu.1. poſt med. verſ. Et quamvis Goffredus*, dicens eam apertè reprobari *in c.1. infrà eodem lib.6.* Et ſic putat conſuetudinem non
9 poſſe aliquid operari in tollendo ſolemnitates à jure requiſitas in alienatione bonorum Eccleſiæ.

Sed Joan Andr. *hic nu.5.* per id, quod habetur *in d. c.1. infrà eod. lib.6. & in cap.1. in fine ſuprà de conſuetud.* finaliter concludit, quòd ſi quæratur, an conſuetudo poſſit tollere ſolemnitatem Authen. *Hoc jus porrectum*, dicendum eſt poſſe, quia illa ſolemnitas fuit introducta à jure civili, & ideò conſuetudo poteſt ei detrahere, *l. De quibus, ff. de legibus.* Si autem quęratur de ſolemnitatę requiſita per *cap. Sine exceptione 12. q.2.* tunc conſuetudo illi detrahere non poteſt, quia aliàs eſſet Eccleſiæ nimis gravis, & contra ipſius utilitatem
10 ut *d. cap.1. de conſuetud.* Fatetur tamen Joan. Andr. quòd ſi conſuetudo aliquid adderet ſolemnitati, de qua *in d. cap. Sine exceptione*, tunc conſuetudo valeret, ſi cederet in utilitatem ipſius Eccleſiæ, allegat *c. Super his*, cum ibi notatis per eum *inf. de conſang. & affinit.* & quod notatur *in c. Joannes, de Cleric. conjugat. lib.6.* & cum hac diſtinctione Joan. Andr. tranſeunt hìc Butr. *num.9. verſ. Joan. Andr. dicit*, Cardin. *num.2.* & communiter DD. ut teſtatur Abb. *num.6. verſ. Joan. Andr. dicit*, & ita ſecundùm DD. non valet conſuetudo contra ſolemnitatem, *cap. Sine exceptione 12. q.2.* Debet 11
ergo præcedere tractatus, item debet intervenire authoritas ſuperioris, conſenſus Capituli, & ſubſcriptio Clericorum; non tamen requiritur decretum judicis, ſed ſufficit cauſæ cognitio, aliàs alienatio non teneret, prout prædicta notantur per Abbatem *hic n.6. verſ. Et nota iſtum textum.* Item ſecundùm Hoſtienſ. *num.1.* in alienandis rebus Monaſteriorum requiritur conſenſus diœceſani, ut notatur *in cap.1. ſuprà eodem.* In rebus verò Eccleſiæ Parochialis non ſufficit conſenſus Epiſcopi, niſi & Rector conſentiat, ut notatur in eodem cap. Conſuetudo igitur his ſolemnitatibus detrahens non valet, cùm ſit Eccleſiæ oneroſa, quod procedit de plano poſt Bull. Urbani VIII. incip. *Romanus Pontifex*, qua improbantur quæcumque conſuetudines Eccleſiis, earumque bonis præjudiciales, ut dixi *in c. Conſuetudines*, ferè per totum, & præſertim *à num.59. uſque ad n.81. ſuprà de conſuetud.*

Verùm hodie nemini licebit etiam cum cauſa, & juris 12
ſolemnitate alienare res Eccleſiæ immobiles, vel quæ inter immobiles computantur, inconſulto Romano Pontifice, quia in Extravag. *Ambitioſæ, de rebus Eccleſ. non alien.* Paulus II. prohibet omnium rerum, & bonorum Eccleſiaſticorum (ſcilicet immobilium, & pretioſorum mobilium, de quibus ſupra in prooemio) alienationem, omneque pactum, per quod ipſorum dominium transfertur, conceſſionem, hypothecam, (ſcilicet ſpecialem) locationem, & conductionem ultra triennium, nec non infeudationem, vel contractum, emphyteuticum, præterquam in caſibus à jure permiſſis, ac de rebus, & bonis in emphyteuſim ab antiquo concedi ſolitis, cum & Eccleſiarum evidenti utilitate, ac de fructibus, & bonis, quæ ſervando ſervari poſſunt pro inſtantis temporis exigentia, & innovat decreta & Conſtitutiones Prædeceſſorum ſuper hoc editas; alienationes, hypothecas, conceſſiones, locationes conductiones, & infeudationes irritat, & contravenientibus pœnas imponit, de quibus dicam infra *nu.44.* Quare per Dictam Extravag. omnis alienandi modus etiam in caſu licito, & ſervatis juris ſolemnitatibus, regulariter prohibetur, Papa incoſulto.

Sed dices: In eadem Extravag. opponitur exceptio illa: 13
Præterquàm in caſibus in jure permiſſis. Sed in jure permiſſum eſt, ut ob evidentem Eccleſiæ utilitatem, & ob alias cauſas ſuperiùs memoratas *num.8.* ac ſervata juris ſolemnitate fieri poſſit alienatio bonorum Eccleſiaſticorum, ut patet in juribus ſupracitatis *num.7.* & hìc notant gloſſ.1. Innocen. *in princ.* & communiter DD. plenè Oldrad. *conſ.226. Quidam Epiſcopus*, Card. Seraph. *dec.508. num.1. & deciſ. 1499. num.1.* Ergo etiam poſt dictam Extravag. licebit res Eccleſiæ alienare in caſu licito, & cum debita ſolemnitate, ſicut licebat per antiquiores Canones. Et augetur difficultas ex verbis, quæ habentur in prędicta Extravag. ibi, *Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus, prohibitionibus, & decretis aliis ſuper hoc editis, quæ tenore preſentiū innovamus, in ſuo nihilominùs robore remanſuris*: quæ oſtendunt Papam noluiſſe antiquis Canonibus derogare: nec credendum eſt Romanum Pontificem, qui jura tuetur, ſolemnitates multis vigiliis, & laboribus excogitatas uno verbo ſubvertere voluiſſe, *l. Si quando, C. de in offic. teſtam. c. Eccleſia veſtra, il ſecondo, verſ. Neque enim credendum ſupra, de elect.*

Verùm huic difficultati reſponderi poteſt, clauſulam il- 14
lam, *Præterquam in caſibus à jure permiſſis*, eſſe referendam ad emphyteuſim dumtaxat, non autem ad præcedentia, quod apertè oſtenditur triplici conſideratione. Prima eſt, quia eſt poſita in medio duorum Capitulorum, quæ de emphyteuſi loquuntur, & conſequenter referri debet ad ſolum contractum emphyteuticum, non autem ad omnia præcedentia, ſecundùm theoricam Bart. *in l. Talis ſcriptura, §. Hanc autem num.3. ff. de legat. 1.* quam refert, & ſequitur Abb. *conſ.74. Illud de jure col.2. circa fin. verſ.2. hoc videtur li.2.* Soccin. ſen. *conſ.156. pro fundamento n.15. verſ. Ad ultimum lib.2.* & ſic verba illa, *Præterquam, &c.* non limitant regulam de non alienando, ſed ſolùm limitant regu-

gulam de non emphyteuticando. Secunda conſideratio eſt,
quia dum ille textus permittit conceſſionem emphyteuti-
cam de bonis in emphyteuſim concedi ſolitis, addit illa
verba, *Et tunc Eccleſiarum evidenti utilitate*, quæ ver-
ba fuiſſent ſuperflua, ſi exceptio illa præterquàm in caſi-
bus in jure permiſſis eſſet referenda ad omnem ſpeciem
alienationis, quia cauſa evidentis utilitatis eſt unus ex ca-
ſibus permiſſis in jure; ut *cap. Sine exceptione* 12. *quæſt.* 2.
cum ſimilibus. Tertia conſideratio eſt, quia ſi in omnibus
caſibus in jure permiſſis liceret alienare, dict. Extravagans
nihil operaretur, & fruſtra occuparet membranas, contra
id, quod legitur ſupra in proœmio, § *Sanè neque occur-
riſſet alienationi*, qui narrantur in proœmio ipſius Conſtitu-
15 tionis. Nec obſtat, quòd exceptio, quæ poſteà ſubſequi-
tur, ibi, *Ac de fructibus, & bonis, quæ ſervando ſervari
non poſſunt*, non reſtringatur ad ſolam emphyteuſim: nam
reſpondetur id contingere, quia hæc clauſula non eſt poſi-
ta in medio, ſed in fine: & ideò refertur ad omnia præce-
dentia, *l. Talis ſcriptura in fin. cum leg. ſeqq. ff. de legat.*
1. *c. Secundo requiris ſupra de appellat.* Bart. *conſ.*54. Ang.
Mar. *num* 3. *verſ. Clauſula lib.*1. Anchar. *conſ.*68. *ſubtiliter*
16 *n.* 2. Unde ſenſus Extravagantis eſt, ut contractus emphy-
teuticus bonorum Eccleſiæ ſine beneplacito Apoſtolico li-
citè fieri poſſit, ſi tres conditiones concurrant. Prima eſt,
ut ſit de caſibus in jure permiſſis. Secunda, ut ſit de bonis
ab antiquo in emphyteuſim dari ſolitis. Tertia, ut ſubſit
17 evidens Eccleſiæ utilitas de tempore contractus, ponde-
rando dictionem, *Tunc*, quæ denotat temporis extremita-
tem, *l.* 1. *in princ.* & ibi gloſſ. *in ver. Tunc*, & communi-
ter ſcribentes, *ff. de liber. poſthum. l.*4. *§. final.* ubi gloſſ. &
Bart. *ff. de condit. & demonſtrat.* & in puncto cenſuit Rota
coram Cardin. Seraph. *deciſ.* 367. *& deciſ.* 1125. *n.* 5. Nec
proptereà illa verba, *Præterquam in caſibus in jure permiſ-
ſis*, redduntur ſuperflua, quia poteſt contingere, ut bona
ſint ſolita in emphyteuſim concedi, & tamen non ſit per-
miſſum in jure, ut poſſint iterùm emphyteuticari, veluti ſi
à Prælato fuerit menſæ Eccleſiæ incorporatæ, ut dixi *in c.
Ex parte n.*8. *infrà de feud.* Item non obſtat clauſula præ-
ſervativa præcedentium conſtitutionum; quoniam cùm
fuerit poſita immediatè poſt prohibitionem alienationis,
debet referri ad conſtitutiones alias, quæ ſimiliter aliena-
tionem prohibent, ſicut etiam innuunt illa verba, *Prohibi-
tionibus, & Decretis aliis ſuper hoc editis.* Et quatenùs eſſet
referenda generaliter ad omnes Conſtitutiones de hac ma-
teria loquentes, tamen hoc intelligendum eſſet præter-
quàm in his, quæ ipſi Extravag. adverſantur, arg. *l. Doli
clauſula, ff. de verbor. ſignific.*
18 Hæc igitur ſit regula, quòd alienatio bonorum Eccleſiæ
immobilium, vel pretioſorum mobilium, hodie prohibita
eſt etiam cum cauſa, & ſolemnitate ſine beneplacito Apo-
ſtolico.
19 Fallit primò hæc regula in contractu emphyteutico con-
currentibus tribus conditionibus, ut dixi ſupra *n.* 16.
20 Fallit ſecundò in bonis Eccleſiæ feudalibus, ſeu ab anti-
quo in feudum dari ſolitis; poſſunt enim infeudari non ob-
ſtante juramento de non infeudando Romano Pontifice
inconſulto, ut eſt caſus *in c. Ex parte infrà de feudis*, & ibi
notant Bernardus poſt caſum, Innocen. *in princ. & ad finem
in ver. Concedas*, Abb. Antiq. *nu.* 1. *in ver. De novo*, Hoſt.
num. 1. *in ver. Infeudare, & in ver. De novo*, Joan. Andr.
21 *num.* 1. & reliqui omnes. Nec obſtat, quòd in prædicta
Extravag. *Ambitioſæ*, pariformiter prohibeatur infeudatio,
vel contractus emphyteuticus, & tamen exceptio fiat tan-
tummodò de bonis in emphyteuſim concedi ſolitis, non au-
tem de bonis infeudalibus: nam reſpondetur contractum
feudalem, & emphyteuticum eſſe ejuſdem naturę, ut notat
Speculator *in tit. de feudis*, § *Quoniam ſuper homagis*, *n.*63.
ad finem, *verſ. Non intereſt etiam*; & ubi eſt eadem ratio,
nec contrarium reperitur in jure expreſſum, deciſiones lo-
quentes de feudo vendicant etiam ſibi locum in emphy-
teuſi, & è converſo, ſecundum communem opinionem, de
qua teſtatur Socc. ſen. *in conſ.*167. *Non inutilis quæſtio n.*24.
*lib.*2. & ſcripſi pleniùs *in c.* 1. *n.*9. 13. *& ſeqq. infrà de feud.*
& ita exceptio, de qua in prædicta Extravag. *Ambitioſæ*,
quamvis videatur reſtricta ad emphyteuſim, tamen proce-
dit etiam in feudo, non per viam extenſionis, ſed compre-
henſionis, cùm utroque caſu ſit eadem ratio, & quod ſta-
tuitur in dicta Extravag. de bonis ſolitis emphyteuticari, ſit
etiam à jure communi ſtatutum de bonis ſolitis infeudari,
ut in *d. c. Ex parte*, *de feudis*, & dictum eſt ſupra *num.* 20.
Quando autem bona dicantur in feudum, vel emphyteu-
ſim dari ſolita, dixi in prædicta Decretali, *Ex parte*, *num.*
7. *&* 8.
Fallit tertiò in fructibus, & bonis, quæ ſervando ſervari 22
non poſſunt pro inſtantis temporis exigentia; quæ exceptio
ſimiliter habetur in prææallegata Extravagan. *Ambitioſæ*,
concordat text. *l. Lex quæ tutores*, *C. de adminiſtr. tutor. &
in l. ult. C. quando decret. opus non eſt*; & hìc notat gloſſ. 2.
& Hoſt. *n.* 1. tales autem dicuntur res mobiles, quæ non du-
rant triennio, vel uſu conſumuntur, & non fructificant, 23
arg. *d. l. Lex quæ tutores*, *§. final. C. de adminiſtrat. tutor. c.
Veſtra infrà de locato*, & declarant Rebuff. *in compendio
alien. n.*25. Redoanus *de rebus Eccleſ. non alien. q.*6. *n.* 29.
Navarr. *de alienat. rerum Eccleſiaſticarum n.*4.
Fallit quartò in terrulis, & vineolis, quæ de conſenſu 24
Epiſcopi alienari poſſunt ſine ſolemnitate, ut *cap. Terrulas*
12. *quæſt.* 2. debent tamen tria copulativè concurrere, pri-
mò ſcilicet, ut res hujuſmodi ſint exigui valoris, ſecundò,
ut ſint parum Eccleſiæ utiles, tertiò, ut ſubſit neceſſitas alie-
nandi, prout hæc tria colliguntur ex contextu *d. c. Terru-
las*, & tradunt Hippolyt. de Marſil. *conſ.* 103. *num.* 23. *&*
24. Rebuff. *in compendio alienation. num.* 122. Redoanus
*de rebus Eccleſ. non alienand. q.*13. *num.*19. *&* 51. *cap.*8. *&*
20. *n.* 6. Cardin. Seraph. *deciſ.* 401. *n.*3.
Porrò S. Congregatio Cardinalium Tridentini Concilii 25
interpretum die 11. Januarii 1596. cenſuit neque Conſtitu-
tionem Pauli II. neque Concilii Tridentini Decretum de-
rogaſſe diſpoſitioni *d. cap. Terrulas* 12. *q.*2. & iterùm cùm
Epiſcopus Trivicanus quæſiverit, an ſtante decreto Con-
cilii *c.* 11. *ſeſſ.*25. & Extravag. quæ incip. *Ambitioſæ*, *de re-
bus Eccleſ. non alienan.* auctoritatem ſuam in alienationi-
bus rerum Eccleſiarum ad præſcriptum *c. Terrulas* 12. *q.*2.
interponere valeat: Sacra Congregatio cenſuit ex Concil.
Triden. non fuiſſe derogatum facultati conceſſæ Epiſcopi
per *cap. Terrulas* 12. *q.* 2.
Demùm cùm in Civitate, & Diœceſi Meſſanen. eſſent 26
nonnulla pia legata parvi redditus, veluti arbor olivæ, aut
domus, quæ ruinam minabatur, & ferè diruta, aut terru-
læ, vel vineolæ, quarum ferè nulli erant fructus, petiit Ar-
chiepiſcopus ſibi facultatem fieri hujuſmodi legata alienan-
di, & in evidentem Eccleſiæ utilitatem convertendi; nec
non declarari, ad quam uſque quantitatem ſibi liceret hu-
juſmodi parva legata abſque beneplacito Apoſtolico aliena-
re: die 14. Decemb. 1613. S. Congr. Concilii cenſuit *c. Ter-
rulas* 12. *q.* 2. non fuiſſe ſublatum per Extravag. Paulus II.
quæ incip. *Ambitioſæ*. Cæterùm ad quam uſque quantita-
tatem liceat Epiſcopo alienare, petendum eſſe à jure com-
muni. Sanè cum non ſit jure deffinitum, quæ terrulæ, vel vi-
neolæ dicantur exigui valoris, id totum judicis arbitrio erit
relinquendum, arg. *l.* 1. *in fin. ff. de jure deliberand. & c. de
Cauſis*, *§.*1. *ſuprà de offic. deleg.* & Judex arbitrium ſuum mo-
derabitur inſpecta conditione Eccleſiæ, an ſit tenuis, vel
multum abundans, attenta qualitate temporis, locorum, &
rerum, ſecundùm ea, quæ tradit Abb. *in c.*1. *n.*8. *ſuprà de re-
ſtitut. in integrum*, & in terminis *dicti c. Terrulas*, notat
Benedictus Canophilus *in repetitione dictæ Extrav. Ambi-
tioſæ n.*46. *de rebus Eccleſ. non alien. vol.*6. *repetent. fol.* 37.
& quamvis gloſſ. *in d. c. Terrulas*, *in ver. Exiguas*, dicat,
illum textum fortè res exiguas vocare, quæ non excedunt
valorem viginti ſolidorum, & cum gloſſ. concordant
Archid. *in c. Si quos n.*2. *&* 3. 12. *qu.*2. & Alciatus *conſ.*23.
*num.*6. *& ſeqq.* tamen S. Congregatio Concilii aliàs dixit,
quæ res dicantur exiguæ, non eſſe tutum diffinire.
Fallit quintò in alienatione neceſſaria, quæ fit ex neceſſi- 27
tate juris, eò quòd jus præcipiat illam fieri: in ea enim non
requiritur ſolemnitas requiſita in alienatione rerum Eccle-
ſiæ: ſecus ſi fiat voluntariè, licèt ex cauſa neceſſitatis, vel uti-
litatis Eccleſiæ. Hæc eſt theorica Antonii de Butr. *in c. Pa-
ſtoralis n.*11. *verſ. Or attendatis*, & Abbatis *ibidem n.*5. *ſu-
prà de his, quæ fiunt à Prælatis ſine conſ. Capituli.* Quam
theoricam ſervat Curia; ideòque à S. Congregatione Con-
cilii reſponſum eſt valere legatum immobilium fratribus
Minoribus ſub modo licito, nempè ut vendant, & pretium
convertant in uſum fabricæ, vel Sacriſtiæ; & idem ſi factum
fuit ſimpliciter, quia ſub modo licito factum intelligitur, ut
c. Exiit qui ſeminat, *§. Ad hæc quia fratrib. de verb. ſignifi-
cat. lib.*6. nec in hujuſmodi alienatione opus eſt ſolemnita-
te, quia fit ex regulæ præſcripto. Hoc ipſum tenent Dec.
in

in cap. In præſentia n.69. de probat. & Socin. *reg.*10. *num.*3.
29 Secundò nota ibi, *Specialis hypotecæ*, aliud eſſe alienare, aliud ſpecialis hypothecæ titulo obligare, prout hìc notant Butr. *in* 1. *notab.* & Imola *nu.* 2.
30 Tertiò nota in eiſdem verbis, ſpecialem hypothecam bonorum Eccleſiæ eſſe prohibitam, ut in text. & notat Butr. *in* 3. *notab.* & ita intelligas Extravag. *Ambitioſæ, de rebus Eccleſ. non alienand.* ibi, hypothecam, ſcilicet ſpecialem. Generalis ergo hypotheca permittitur, ut hìc probatur à contrario, & notat Ægidius relatus à Joan. Andr. *n.*1. *in ver. Specialis*, Jaſon. *in l. final. n.*78 *Cod. de jure emphyt.* Neguſant. *in tract. de pignor. & hypoth. in* 2. *membr.* 2. *partis n.*28 Alex. Statiacus *in repetit. d. Extravg. Ambitioſæ in* 5. *notab. vol.*6. *repetent. fol.* 27.

Dicebat tamen Ægidius, & poſt eum Joan. Andr. hìc dicto *num.*1. *in verb. Specialis*, & Ancharan. *in* 2. *notab.* pro utilitate Eccleſiæ ſpecialem, & generalem hypothecam eſſe permiſſam ſecundum Canones, *cap. Ad noſtram infra*
31 *eod.* ſed ceſſante Eccleſiæ utilitate nec ſpecialem, nec generalem eſſe permiſſam. Fatentur tamen, prout hìc tangit Cardinalis *numer.* 2. *in* 3. *oppoſit.* generalem hypothecam in caſu permiſſo fieri poſſe ſine auctoritate Epiſcopi, *per l. penult. C. de his, qui ven. ætat. impetr.* ad quod facit etiam *leg. finalis*; *C. quæ res pignor. obligari poſſunt*, ubi habetur generalem obligationem eſſe modici præjudicii: & quamvis, ut dicunt Anton. de Butr. *num.* 6. & Jo. de Imol. *num.* 3. non videatur verum, quòd poſſit fieri obligatio rei Eccleſiæ etiam generalis ſine auctoritate Epiſcopi, cùm illa videatur etiam prohibita, per id, quod habetur in §. *Si verò contigerit, in Authent. de alienat. & emphyt.* tamen opinionem Ægidii ſequuntur magis communiter Doctores, ut teſtatur Alexan. *in conſ.*118. *in caſu num.*20. *in fin. cum ſeq. verſ. Nec ad hoc obſtat lib.*5. eamque tenet etiam gloſ. in §. *Nos igitur in verb. Specialis in auth. de non alienandis*, & Abb. *hìc num.*2. dicens, prælatum contrahendo poſſe generaliter pro obſervantia contractus obligare bona Eccleſiæ ſine licentia Epiſcopi, per iſtum textum à contrario ſenſu: & quidem jure optimo, quia cùm hodiè ex ſtylo generalis obligatio bonorum fieri conſueverit in omni contractu, nimis grave eſſet, ſi ſemper Epiſcopus eſſet adeundus, & ſine illa vix reperiretur, qui vellet cum Eccleſia contrahere, ut in ſimili notat gloſ. in *cap. Hoc jus*, §. *Et is creditor, in verb. Probat.* 10. *q.*2. Nec obſtat textus *in dict.* §. *Si verò contigerit*, in quo Butr. & Imol. ſe fundant: nam ut reſpondet Alex. *d. conſ.* 118. *nu.* 22. *verſ. Nec obſtat textus ibi, & in* §. *Hoc etiam eod. tit.* loquitur de ſpeciali pignore, non autem de generali. De-
32 mum hanc ſententiam probavit meo tempore Sac. Congregatio Concilii in contractibus Regularium: nam propoſito dubio, an in prohibitione nuper edita de rebus Regularium non alienandis comprehendatur generalis hypotheca, necne? Sac. Congregatio cenſuit non comprehendi, & tamen prohibitio illa fuit concepta iiſdem verbis, quibus utitur Paulus II. in *d. Extrav. Ambitioſæ*.

Differt autem hypoteca è pignore, quia hypotheca eſt
33 obligatio rei immobilis, pignus rei mobilis, quaſi à pugno, §. *inter pignus inſtitut. de action.* gloſ. *hic in ver. Hypothecæ*, Hoſt. *n.* 2. & Cardin. *n.* 4. Item differt ſecundùm Abb. Antiq. *hic n.*1. & Butr. *n.* 6. *in gloſ.*3. quia pignus dicitur, cùm rei obligatæ traditur poſſeſſio creditori, hypotheca cùm non traditur, *l. Si rem*, §. *Propriè pignus dicimus, ff. de pignorat. act.*

Quartò, nota ibi, *Alienationis*, ſub hoc ver. Aliena-
34 tionis quinque contineri, quæ hic recenſentur. Primò ſcilicet conditionem, de qua dicetur infrà *num.*37. Secundò, donationem. Tertiò, venditionem. Quartò, permutationem. Quintò, emphyteuſis perpetuum contractum: & quando dicatur perpetuus, vide hìc per Innoc. *circa fin. in ver. Perpetuum*. Et hæc quinque Prælato hìc interdicuntur, ut notat Bernar. in *gloſ. penult. in fine*. His adde ſextum, id eſt infeudationem, & ſeptimum ideſt locationem ultra triennium; & generaliter omne pactum, per quod bonorum dominium transfertur, ut legitur in præallegata Extravagante *Ambitioſæ de reb. Eccleſ. non alinan.* Et dominium intelligas tam directum, quàm utile; nam per contractum emphyteuticum non transfertur directum dominium, ſed utile, *l.*1. *ff. Si ager vectigal. vel emphyteutic. petat.* ut hìc per Butr. *in ult. not.* & Abb. *num.* 3. Unde Bero. ſic ſummat hanc Decretal. *Non licet immobilia Eccleſiæ aliquo titulo alienare, vel ſpeciali hypotheca obligare, & contrafaciens punietur ſecundum Leoninæ Conſtitutionis pœnas: & alienationis appellatione continetur actus per quem dominium etiam utile transfertur.* Et ita alienationis verbum hìc latiſſimè accipitur. Sic in *leg. Sancimus, Cod. de rebus Eccleſ. alienan. vel non, & in Authent. de non alienan. rebus Eccleſ.* §. *Nos igitur collat.*2. & hìc notat gloſ. *in ver. Alienationis*, Innocen. *poſt principium in eod.*
ver. Hoſtien. *num.*3. & Jo. Andr. *num.* 7. qui poſt Ægidium 35
ſubdit, alienationis verbum largè ſumi in tribus caſibus, videlicet quando lex, teſtator, vel actio prohibet alienari, *ut leg. Plebs*, §. *Pignus, ff. de verb. ſignif.* ſequitur Cardinal. *hìc nu.*3. *verſ. Et dicit Aegidius*. Alibi tamen, ut gloſ.
ſubdit, ſtrictiùs accipitur pro eo contractu, quo transfer- 36
tur dominium, *ut l.*1. *Cod. de fund. dotal. leg. Alienationis, ff. de verb. ſignificat.* cum aliis in gloſ. allegat. & per Hoſtien. *n.*3. *verſ. Alibi ſtrictiùs*.

Sed quæres, quid ſibi velit textus, dum dicit alienatio- 37
nis verbo contineri conditionem, Gloſ. penult. intelligit conceſſionem ſub conditione, ſed nihil declarat. Innocentius verò *circa medium in verb. Conditionem*, cui ſubſcribunt Hoſtien. *num.*3. *in eod. verſ.* Joan. Andr. *nu.*2. Butr.
*num.*7. & Ancharan. *num.* 3. clariùs rem totam explicat di- 38
cens: Contractus conditionis dicitur, ubi prædium conſtituitur tributarium, & vulgariter tale prædium dicitur conditionale, quia cadit in commiſſum ſub conditione, ſcilicet ſi non ſolvatur tributum; & pro hoc dicto Innocentii facit text. in *leg. penult.* §. *Inſtituto, ff. de legat.*2. vel contractus conditionis dicitur, ubi contractus celebratur ſub conditione, ſecundum Innoc. *ubi ſuprà*. Sed hoc impugnat Cardinal. *num.* 5. & benè, quia in omnibus exemplis, de quibus hìc, procedit hæc littera, ſive contractus fiat purè, ſive ſub conditione; nam quando fit ſub conditione, ea adveniente, perinde eſt, ac ſi ab initio factus
fuiſſet purè, *ut cap. Præterea, il ſecondo, de appellat.* Qui- 39
dam etiam, ut Innocentius ſubdit, non intelligentes corrumpunt litteram hìc legentes conductionem, cùm tamen conducere nullo modo ſit alienare: ſed hoc verum eſt ſecundum Hoſt. ſi conductio fiat ad tempus, ut patet in *cap. Veſtra, infrà de locat.* perpetua verò conductio alienatio quædam eſt, ut patet in *l.* 1. *& per tot. ff. ſi ager. vectigal. vel emphyt. pet.* & de illa hoc poteſt intelligi ſine corruptione, ut patet in *cap. Ad audientiam, infrà eodem*, ſecundum Hoſt. *ubi ſuprà*, & notat idem Innoc. in *cap. Ad*
aures, circa fin. infrà eodem. Dicitur autem perpetua 40
quando eſt duratura uſque ad triginta annos, *ut inſtitut. de perpet. & temporal. act. in princip.* vel quamdiu emphyteuta vivit, *l.*1. *ff. Pro ſocio, cap. Precariè* 1. *quæſt.*2. vel quam-
diu ſolvitur penſio, *ut* §. *Adeò inſtitut. de locat.* ita dicit 41
gloſ. notabilis in *cap. Hoc jus in ver. Perpetua* 10. *q.* 2. Hoſt. *hìc num.*4. & Joann. Andr. *num.* 3. & Cardinal. *num.* 6. Sed Butr. *numer.* 8. dicit communem opinionem eſſe, quòd conductio dicitur ad non modicum tempus, quando excedit decennium, vel eſt ad decennium, ut notat gloſſ. ult. in *Clem.* 1. *de rebus eccleſ. non alienan.* ad quam quo-
tidiè fit recurſus. Hodiè verò prohibita eſt locatio, & 42
conductio ultra triennium, ut ſæpiùs in citat. Extravag.
Ambitioſæ, eod. tit. & hujuſmodi triennium computari de- 43
bet ex tribus fructuum collectionibus; unde ſi prædium ejus eſſet conditionis, ut quolibet triennio unus tantùm fructus perciperetur, tunc triennium pro uno anno eſſet computandum, & locatio fieri poſſet uſque ad novennium, ſed non ultrà, ut declarat Andr. Barbat. *ſuprà in hac rubrica nu.*52. Covarr. *var. reſol. lib.*2. *c.*16. *nu.*6. Card. Mant. *de tacit & ambig. convent. tom.*1. *lib.* 5. *tit.*3. *nu.*22. Navar. *de alien. rerum eccleſ. nu.*22.

Ultimò nota ex fine textus, alienantes bona immobilia 44
Eccleſiarum incidere in pœnas Conſtitutionis Leoninæ, quæ habetur in *l. Jubemus, C. de ſacroſ. eccleſ.* ſecundum Innoc. *hìc in fin.* Butr. *n.*12. & Cardin. *n.*6. *in* 4. *quæſt.* & ejus pœna eſt depoſitio alienationis, & ſatisfactio incommodi Eccleſiæ de rebus propriis facienda, ad quod obligantur hæredes ſui: & cùm ea Conſtitutio Leonis eſſet localis, per Juſtinianum extenſa eſt ad omnes Eccleſias, & omnia pia loca, *ut in Authent. de non alienan.* §. *Nos igitur, & infrà* §. *Quia verò Leonis, collat.* 2. unde verba hujus c. ſumpta eſſe videntur ſecundum Hoſt. *hìc nu.*4. *in verb. Pœnas, & in ver. Leonina*, & Jo. Andr. *n.*3. & 7. *gloſ. ult.*

Sed dices: ergo lex civilis auctoritatem habet imponen- 45

di pœnam Sacerdotibus delinquentibus in alienatione rerum Eccleſiaſticarum. Abſit, *cap. Imperator 96. diſt. cap. Eccleſia S. Mariæ de conſtituit.* cum ſuis concordantiis. Sed ideò iſti Sacerdotes incidunt in pœnas prædictæ Conſtitutionis Leoninæ, quia eadem Conſtitutio hic per Papam canonizatur, & ideò non eſt ampliùs lex civilis, quæ ligat Clericos, ſed lex Canonica, ut aliàs declaravimus in *cap. Quæ in Eccleſiarum numer. 29. de conſtit.* poſt Felin. *in c. 1. in 1. notab. de præſumpt.* & innuit Hoſtien. *hic in fin. verſ. Et de ipſa lege.* Poſſumus etiam intelligere Conſtitutionem Leoninam pro Conſtitutione, quam fecit Leo Papa in Concilio, de qua *in c. Monemus 12. q. 2.* ut hic *per gloſ. fin.* & Abb. Antiq. *in fin.* & quamvis hoc non placeat Hoſtien. *ubi ſuprà*; tamen nec illud dicere eſt peccatum, ut inquit Jo. Andr. *hic in fine*, & Butr. *itidem in fin.*

46 Verùm per prædictam Extravag. *Ambitioſæ de reb. Eccleſ. non alienan.* pœnæ infraſcriptæ ſunt ſtatutæ. Primò eſt nullitas contractus, qui tamen ſi aliàs ſit Eccleſiæ utilis, cùm nullitas proveniat ex defectu ſolemnitatis, poteſt Eccleſia illum approbare, & ratificare, nec ab eo receditur, niſi volente Eccleſia, ut notat Abb. in *cap. Cauſam quæ il ſecondo, col. final. de judic.* Jaſ. *in l. Non eo minus num. 3. C. de procurator.* Aretin. *conſ. 77. num. 6.* Put. *dec. 3. & 4. de except.* Seraphin. *deciſ. 256. num. 2.* Secunda pœna eſt excommunicatio latæ ſententiæ in alienantes, & bona alienata recipientes. Tertia, interdictum ingreſſus Eccleſiæ Epiſcopis, & Abbatibus, qui ſi per ſex menſes in interdicto perſeveraverint animo indurato, à regimine, & adminiſtratione Eccleſiæ, cui præſunt, eo ipſo ſunt ſuſpenſi. Quarta, inferiores Prælati eo ipſo privati ſunt beneficiis, quorum bona alienarunt. Quinta, bona alienata ad Eccleſiam, ad quam pertinebant, liberè revertuntur.

DE REBUS ECCLESIÆ NON ALIENANDIS.

Innocentius III. Epiſcopo Maurien. & Præpoſito Ulcon.

CAPUT XI.

AD noſtram noveritis audientiam perveniſſe, quòd cùm Tuſieñ. Monaſterium depreſſum eſſet onere maximo debitorum, Abbas & conventus ejuſdem, villam quamdam neceſſitate coacti, B. laico conceſſerunt in feudum, tali conditione appoſita, quòd idem octoginta libras perſolveret, pro quibus eadem extiterat obligata: quod non diſtulit effectui mancipare: & infrà. Unde humiliter ſupplicarunt, ut feudum prædictum faceremus ad utilitatem Monaſterii revocari: præſertim cùm idem laicus primo anno de ipſius proventibus ultra ſummam perceperit prætaxatam, & per multos poſtmodùm annos ſumpſerit ejus fructus: & infrà. Quo circa mandamus, quatenus ſi prædictum Monaſterium propter hoc inveneritis enorme diſpendium incurriſſe, dictum laicum, ut (pecunia, quam pro exoneratione feudi, ſeu etiam pro utilitate ipſius Monaſterii expendiſſe noſcitur, ab eiſdem Abbate & conventu recepta, cùm ſibi fructus percepti ſufficere debeant pro labore) præfatum feudum eidem Monaſterio dimittat liberum & quietum, appellatione poſtpoſita compellatis.

SUMMARIUM.

1 *Eccleſia reſtituitur contra contractum, per quem fuit enormiter læſa.*

2 *Prælatus an poſſit bona Monaſterii ſpecialiter hypothecare.*

1 AD *noſtram*: Eccleſia reſtituitur contra contractum, per quem enormiter fuit læſa. Hoc dicit ſecundum Joann. Andr. Butr. Ancharan. Imol. & Joann. de Anan. vel contra alienationem, ſecundum Cardinalem, & Abbatem. Primò ponitur Monachorum petitio. Secundò, cauſæ commiſſo, ibi, *Quocirca*.

In textu ibi, *Pro quibus eadem extiterat obligata*; nota Prælatum poſſe bona Monaſterii ſpecialiter hypothecare, ut per hunc textum notat Ægidius relatus à Jo. Andr. in *cap. Nulli, nu. 1. in verb. Specialis ſuprà eodem.* Sed de hoc tu dicas, ut ibi ſcripſi *in 2. notab.* 2

DE LOCATO, ET CONDUCTO.

Gregorius IX.

CAPUT IV.

POtuit emphyteuta (Eccleſia primitùs requiſita, eique nuntiato quantum ſibi ab aliis offertur, ſi nolle ſe emere dixerit, vel à denuntiationis tempore duorum menſium ſpatium ſit elapſum) meliorationes & jus ſibi competens aliis vendere, qui ab emptione hujuſmodi minimè prohibentur. Emphyteuta quoque ſecùs præſumendo, vel ceſſando in ſolutione Canonis per biennium, (niſi celeri ſatisfactione poſtmodum ſibi conſulere ſtuduiſſet) juſtè potuiſſet expelli. Non obſtante quòd ei, ut Canonem ſolveret, non extitit nuntiatum: cùm in hoc caſu dies ſtatuta pro domino interpellet.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Emphyteuta poteſt meliorationes ſuas vendere, & jus emphyteuticum in alium transferre, concurrentibus tamen ſeptem requiſitis, de quibus hîc & num. 3.*

2 *Emphyteuta Eccleſiæ ceſſans in ſolutione Canonis per biennium, cadit à jure ſuo, niſi moram celeriter purgaverit, & n. 4.*

5 *In privato autem requiritur triennium.*

6 *Terminus alicui datus ad ſuam voluntatem declarandam non eſt expectandus, ſi ille priùs voluntatem ſuam declaraverit.*

7 *Terminus ubi præſcribitur ad aliquid faciendum, non eſt opus denunciatione aliqua ad moram contrahendam.*

8 *Dies ſtatuta interpellat pro homine.*

Mora purgari poteſt, quando pœna non committitur ipſo jure, ibid. verſ. Ultimò nota.

Aliàs ſecus, nu. 12.

9 *Emphyteuſis ob Canonem non ſolutum infrà ſtatutum tempus non reſcinditur ipſo facto, ſed ita demum, ſi domino placuerit.*

10 *Caducitas cenſetur remiſſa, ſi dominus Canonem accipiat.*

11 *Sive ſit canon temporis futuri, ſive præteriti.*

13 *Emphyteuticus contractus eſt medius inter venditionem, & locationem, & particeps utriuſque.*

14 *Propiùs tamen accedit ad naturam locationis.*

15 *Emphyteuſis, & locatio in quibus differant.*

16 *In emphyteuſis contractu diſpoſita trahi non debent ad contractum locationis perpetuæ.*

17 *Emphyteuſis, & locationis perpetuæ contractus inter ſe magnam habent ſimilitudinem.*

18 *Et de utroque idem eſt judicandum.*

19 *In neutro transfertur dominium directum, ſed tantùm utile.*

20 *Non tamen ſunt per omnia ſimiles, & æquiparati.*

21 *In emphyteuſi ſolvitur quid minimum pro recognitione.*

22 *In locatione penſio debet eſſe magna, ideſt fructibus correſpondens.*

23 *Locatio judicatur ex magna penſione, ex modica verò emphyteuſis.*

24 *Etiamſi contrahentes in inſtrumento appellaverint locationem, vel emphyteuſim.*

25 *Contractus talis denominatur à contrahentibus: ergo talis eſt judicandus, non eſt bona conſequentia.*

26 *Emphyteuſis conceſſa ad tertiam, vel quartam generationem, reputatur locatio, ſi penſio fructibus correſpondeat.*

27 *Locatio cum poſſit fieri in perpetuum, multò magis ad tempus, ideſt ad tertiam, vel quartam generationem.*

28 *Pacta ne bona emphyteutica alienentur in Eccleſiam; an ſint contra immunitatem Eccleſiaſticam, & nu. ſeqq. uſque in fin.*

29 *Pacto privatorum conveniri poteſt, ne res in Eccleſiam alienentur.*

30 *Idem caveri poteſt in ultima voluntate.*

31 *Alienatio emphyteuſis etiam in caſibus aliàs permiſſis fieri non poteſt in perſonam potentiorem.*

32 *Et talis dicitur etiam Hoſpitale.*

33 *Item Eccleſia.*

1 Potuit. Gregorianum eſt, ut inquit Joan Andr. & ideò legale, & ſe ſummat. Sed ſecundum Abb. & ſequaces ſic ſummari poteſt: Emphyteuta Eccleſiæ meliorationes ſuas vendere non poteſt, niſi ſervatis his de quibus hîc;
2 & ſi contrafecerit, vel Canonem per biennium non ſolveri, niſi moram poſteà celeriter purgaverit, juſtè poteſt expelli. Hoc dicit. Primò ponit requiſita, ut jus emphyteuticum poſſit vendi. Secundò contrafacientes punit, ibi, *Emphyteuta*. Tertiò obſtaculum ſolvit, ibi, *Non obſtante*.

Nota primò ex priore parte textus, ſecundùm Hoſt. *n.* 4.
3 Jo. Andr. *n.* 1. & Butr. *n.* 3. Imol. *n.* 1. & Abb. *nu.* 2. ſex requiſita ad hoc, ut emphyteuta poſſit meliorationes ſuas vendere, & jus emphyteuticum in alium transferre. Primum eſt, ut requirat Eccleſiam. Secundum, ut denunciet pretium ſibi ab aliis oblatum, de qua quidem denunciatione plura ponit hîc Imola *num.* 50. Tertium, ut illud ſit verum pretium, non autem fictum, & ſimulatum. Quartum, ut Eccleſia non reſpondente, lapſi ſint duo menſes. Quintum, ut non vendat rem ipſam, ſed ſolum jus ſibi competens. Sextum, ut non vendat perſonis prohibitis. Eadem requiſita colliguntur *ex l. fin. Cod. de jur. emphyt.* Addunt 4
& ſeptimum ex 2. part. textus, nempè ut non ceſſaverit per biennium in Canonis ſolutione, & hoc in emphyteuta Eccleſiæ, ut hîc, *& in Auth. Qui rem, C. de Sacroſan. Eccleſ.* quæ eſt canonizata in *cap. Ea enim, ſeu in cap. Hoc jus porrectum,* §. *Qui rem* 10. *qu.* 2. In privato au- 5
tem requiritur triennium, *ut in l. 2. C. de jure emphyt. gloſ. in verb. Per biennium,* Hoſt. *nu.* 6. *in fin. in eodem verb. Et reliqui omnes.*

Secundò nota, ibi, *Si nolle ſe emere dixerit*, terminum 6
alicui præfixum ad ſuam voluntatem declarandam, non eſſe expectandum, ſi ille priùs voluntatem ſuam declaraverit; ex quo enim conſtat de voluntate, non eſt locus deliberationi, concordat text. in *cap. Ab eo in : reſp. de appellat. lib.* 6. & hîc notat Jo. Andr. *num.* 2. Butr. *n.* 4. Anch. *n.* 2. Imol. *n.* 1. *verſ. Item quod ubi eſt tempus*, & Abb. *nu.* 4. Ad idem text. in *Clement. Quamvis de appellat.* & pluribus exemplis declarat Gemin. *conſ.* 121. *Attenta forma ſtatuti*, ubi eſt caſus.

Tertiò nota, ibi, *Non extitit nunciatum*, ubi terminus 7
præſcribitur ad aliquid faciendum, non eſſe opus denunciatione aliqua, ſeu interpellatione ad moram contrahendam, quia dies ſtatuta interpellat pro homine, & conſtituit eum in mora ut in littera: ad quod allegatur quotidiè 8
hoc c. ſecundùm Abbatem *n.* 5. & concordat textus in *leg. Magnam, C. de contrahend. & commit. ſtipulat.*

Ultimò nota, ibi, *Celeri ſatisfactione*, moram purgari 9
poſſe, ut hîc, & in concordantibus, de quibus in *gloſ. antepenult.* Quod intelligas verum, quando pœna non committitur ipſo jure, ut contingit in terminis hujus decretalis, quia ob canonem non ſolutum infra ſtatutum tempus non reſcinditur ipſo facto emphyteuſis, donec dominus directus patitur emphyteutam tenere rem emphyteuticam, ut patet in littera, ibi, *Juſtè potuiſſe expelli*; ſed ita demum ſi declaraverit velle eſſe locum caducitati, ut hîc per Innoc. *num.* 2. Anchar. *num.* 9. *verſ. Undecimò*, Imol. *num.* 54. & Abb. *in ult. not.* & tenet Bart. *in l.* 2. *num.* 2. *Cod. de jure emphyt.* quem ſequuntur communiter Doctores, ut ait Pariſius *conſ.* 108. *de bono jure numer.* 33. *lib.* 1. & alii apud Clarum in §. *emphyteuſis q.* 9. Ideòque ſi poſtea Cano- 10
nem accipiat, refirmatur contractus, & cenſetur remiſſa caducitas, ſecundum Innoc. *d. num.* 2. & Card. *num.* 20. ſive accipiat Canonem temporis futuri, ſive præteriti, & 11
eſt communis opinio contra Bart. in *d. l.* 2. *num.* 8. ut atteſtatur Gigas *de penſ. q.* 73. *num.* 3. à qua non eſſet in practica recedendum, ut ait Clarus in *d.* §. *Emphyteuſis q.* 10. *verſ.* 12
Aut verò ſumus in dubio. Sed ubi pœna committitur ipſo facto, tunc mora quamvis celeri ſatisfactione purgari non poteſt, ſecundùm Abb. *hîc num.* 6. *verſ. Ubi autem*, qui ad hoc allegat bonum textum in *cap. Licèt de ſupplen. neglig. Prælat.* Et de materia purgationis moræ vide quod notatur in *reg. Mora, de regul. jur. lib.* 6. & per gloſſ. *hîc in verb. Celeri.*

In gloſſa prima nota, quòd contractus emphyteuticus 13
neque eſt venditio, neque locatio, ſed eſt medius, proprium nomen emphyteuſis ſortitus, & utriuſque particeps: accedit enim ad venditionem, quia ab initio quando celebratur, aliquid datur, ſicut in venditione datur pretium: ſed tamen differunt, quia per hunc contractum non transfertur dominium directum, ſicut per venditionem. Propiùs tamen accedit ad naturam locationis, quia 14
in ea retinetur dominium, & quolibet anno aliquid percipitur, ſicut in locatione, & ideò magis ſub hoc titulo collocatur, ut hîc, *& inſtitut. de locato,* §. *Adeo*: & cum 15
hac gloſſa tranſeunt communiter DD. In hoc tamen differunt emphyteuſis, & locatio, quia emphyteuſis locum habet in rebus ſolis dumtaxat, ſed locatio in omnibus. In eo contractu exigitur ſcriptura, in aliis non, *l.* 1. *C. de jure emphyt.* Conductor ad modicum tempus non habet jus in re, nec vendit, nec vendicat; emphyteuta facit utrumq; *ut hîc & l.* 2. *C. eod. & l.* 1. *ff. Si ager, vectigal.* Hoſt *hîc nu.* 1. *& ſeqq.* Complures alias differentias inter hos contractus poſt Cynum

16 num proſequitur hic Petrus de Anchar. *n.* 11. Ideòque diſpoſita in contractu emphyteuſis trahi non debent ad contra-
17 ctum locationis etiam perpetuæ, quia hujuſmodi contractus licèt inter ſe magnam habeant ſimilitudinem, adeò ut de utroque loquantur promiſcuè juris conditores, ut in *Authen. Qui rem*, ibi, *Qui rem hujuſmodi conductam, vel in emphyteuſim acceptavi, C. de Sacroſ. Eccleſ.* & ibi Decius *n.* 1. &
18 *in l. Omnes, C. de fund. patrim. lib.* 11. & de utroque idem ſit judicandum, ut notat Angel. in §. *Scire autem in princ. in Auth. de non alienan.* Bald. in *ca. Querelam in fin. de jurejur.* Abb. in *c. Propter ſterilitatem in ult. not. de locat.* & in ſpecie
19 quòd reſervatio directi dominii æquè conveniat locationi perpetuæ, in qua non transfertur directum, ſed utile tantùm dominium, tradant gloſ. Bart. & alii in *l. Codicillis*, §. *Inſtituto, ff. de legat.* 2. Aret. *conſ.* 51. *n.* 110. *verſ. In contrarium*, Bel-
20 lam *conſ.* 21. *n.* 11. *in fin.* non tamen in omnibus ſunt ſimiles, & æquiparati, ut dixit Rota *deciſ.* 14. *n.* 26. *& ſeqq. part.* 6. *re-*
21 *cent.* Et præcipua differentia eſt, quòd in contractu emphyteutico ſolvitur quid minimum pro recognitione, & hæc eſt propriè ejus forma: & in hoc omnes conſentiunt, ut dicit Natta *conſ.* 49. *poſt n.* 7. & Clar. poſt eum in §. *Emphyteuſis q.*
22 1. *n.* 5. *verſ. Et adverte.* In contractu autem locationis ſolvitur magna penſio, ideſt quæ fructibus correſpondeat, vel
23 quaſi; ideòque ex modica penſione emphyteuſis, ex magna verò locatio judicatur. Bald. in *c. Literæ n.* 5. *verſ. Modo ergo quæro de dilat.* Jaſ. in *l.* 1. *n.* 35. *C. de jur. emphyt.* Barbat. *ſupra in Rubrica n.* 8. Alex. *conſ.* 112. *per tot. lib.* 1. Roland. à Valle *alios citans conſ.* 66. *n.* 24. *&* 26. *lib.* 1. Ruinus *conſ.* 161. *per tot. lib.* 1. Rota *d. deciſ.* 14. *n.* 25 Et ita concludunt communiter ſcribentes, ut ait Cagnolus in *l.* 2. *num.* 202. *Cod. de reſcindend. vendit.*

24 Quod adeò verum eſt, ut etiamſi in inſtrumento contrahentes appellaverint emphyteuſim, adhuc tamen re-
25 putetur locatio, ſi penſio fructibus correſpondeat; & è converſo reputetur emphyteuſis, ſi penſio ſit modica, licèt contrahentes locationem nominaverint, ut latè deducit Neviz. *conſ.* 92. *per tot.* Surd. *deciſ.* 198. *num.* 1. *& ſeqq.* Rota *dicta deciſ.* 14. *num.* 11. *&* 12. *part.* 6. *recent.* Et meritò, quia contractus non à nomine, ſed à pactis, conventionibus, & circumſtantiis ſortitur naturam, ut optimè per Corrad. *de contract. q.* 33. *in* 2. *&* 3. *ſupplet.* ubi ſexcentis exemplis, & authoritatibus probat non valere hanc conſequentiam: contractus talis denominatur à contrahenti-
26 bus: ergo talis eſt judicandus. Quo fit, ut idem ſit dicendum, ſi conceſſio in emphyteuſim pro magna penſione fuerit conceſſa ad tertiam, vel quartam generationem, quia verba hujuſmodi conveniunt etiam locationi, quippè quæ
27 cùm fieri poſſit in perpetuum, multò magis ad tempus, nempè ad aliquot generationes, ut dixit Rota in Narnien. locationis, 16. Februarii 1615. & in præalleg. *deciſ.* 14. *n.* 6. *&* 7. *part.* 6. *recent.*

In gloſſ. *in verb. Prohibentur.* QUÆRO, an pactum 28
ne bona emphyteutica alienentur in Eccleſiam, ſit contra immunitatem Eccleſiaſticam.

Videtur negativè reſpondendum; nam pacto privato- 29
rum conveniri poteſt, ne res in Eccleſiam alienentur, *l. final. C. de pact. inter empt. & venditor. & in feudal. cap.* 1. *de prohib. feud. alien.* per Feder. ubi quòd nec pro anima relinqui, neque adjudicari poſſunt Eccleſiis, & in emphyteuticis, gloſſ. & DD. *hic & in l. final. Cod. de jure emph.* & videtur text. in §. *Sanctiſſimas Auth. de alienat. & emphyt.* Idem etiam caveri poteſt in ultima voluntate, valetque 30
ſi caveatur, *l. Peto*, §. *Frater*, *& l. Cum pater*, §. *Libertis, ff. de legat.* 2. Ratio eſt, quia cùm Eccleſia ſit immortalis, *ca. Si gratioſè, de reſcript. lib.* 6. *cap. Libertis* 12. *q.* 2. dominus directus ſpe conſolidationis perpetuò privaretur, ut conſtat ex his quæ tradit Jo. Andr. in *cap.* 1. *de Immunit. Eccleſ. lib.* 6. & hic notat Cardin. *num.* 17. *verſ. Ced alienatio in Eccleſiam*, & Imol. *num.* 25. *verſ. Ideo alia ratio*, Dominus meus Joan. Franciſcus Fagnanus in *tract. de juſt. & validit. cenſur. Pauli V. in Rempublicam Venetam fol.* 60. Imò hæc 31
prohibitio eſt ex natura contractus emphyteutici qui etiam in caſibus, in quibus licita eſt alienatio irrequiſito domino, ut in donatione, non permittit illam fieri in perſonam potentiorem, Bald. in *Auth. Quas actiones num.* 13. *verſ. Primo modo*, *C. de Sacroſan. Eccleſ.* Gregor. XV. poſt alios *deciſ.* 519. *n.* 5. & perſona potentior, ſeu privilegiata dicitur etiam Hoſpitale Sanctiſſimæ Trinitatis convaleſcentium 32
de Urbe, pro quo emanavit ſupraſcriptum dubium, Gregor. XV. *d. deciſ.* 529. *num.* 6 *& deciſ.* 520. *num.* 11. Nam hujuſmodi Hoſpitale eſt locus pius, & Religioſus, *cap. de Xenodochiis*, *& cap. Ad hæc de relig. domib.* & ſic potentior, Silveſt. Aldobrand. *conſ.* 40. *ſub num.* 2. Simon de Prætis 33
conſ. 54. *num.* 4. & relictum ei factum dicitur factum Eccleſiæ, quæ ad hunc effectum negari non poteſt, quin dicatur potentior, ut firmat gloſſ. *hic in verb. Prohibentur*, & Imol. *num.* 25. item gloſſ. in *l. Si ita quis*, §. *Ea lege*, *in ver. Intereſſet, ff. de verb. obligat.* Bald. in *d. Auth. Quas actiones num.* 12. *in fin. verſ. Tertio modo*, *C. de Sacroſ. Eccleſ.* Salicet. in *l. final. num.* 14. & Jaſ. *n.* 9. *C. de jure emph.* Natta *conſ.* 491. *n.* 13. Clar. in §. *Emphyteuſis q.* 22. *verſ. Perſonæ autem*, Silveſter Aldobrand. qui communem dicit; & rationes allegat *d. conſ.* 40. *n.* 1. Greg. XV. *d. deciſ.* 529. *n.* 8 & ita hoc pactum non eſſe contra immunitatem Eccleſiaſticam fuit reſolutum in Congregatione particulari de mandato Sanctiſſimi, habita die 26. Maji 1630.

DE FEUDIS.

Innocentius III. Marien. Epiſcopo.

CAPUT I.

INſinuatione præſentium declaramus, quòd gageria quam de feudo Eccleſiæ tuæ ab M. dignoſceris recepiſſe, à te poteſt liberè detineri, fructibus non computatis in ſortem: ita videlicet, ut quamdiu fructus illos perceperis in ſortem minimè computandos, idem M. à ſervitio, in quo tibi & Eccleſiæ tuæ pro feudo ipſo tenetur, interim ſit immunis.

SUMMARIUM.

1 *Eccleſia ſi à vaſſallo ſuo recipit feudum in pignus, abſtinendo ab ejus ſervitio, non tenetur fructus in ſortem computare.*
Idem in feudo ſæculari, nu. 4. *& n. ſeq.*
2 *Uſura eſt lucri facere fructus rei pignoratæ.*
3 *Res de facili redit ad primævam naturam.*
5 *Uſura reſpectu laicorum eſt execranda, ſed reſpectu clericorum execrabilior.*
6 *Lex poſitiva non poteſt ſuper uſuris quemquam privilegiare.*
7 *Dominus recipiendo rem emphyteuticam in pignus ab emphyteuta, cui pecuniam mutavit, an teneatur computare fructus in ſortem.*
8 *Feudalis, & emphyteuticus contractus ſunt ejuſdem naturæ.*
9 *Et deciſiones loquentes de fundo locum habent in emphyteuſi, ſi ſit eadem ratio, & contrarium non reperiatur in jure expreſſum, nu.* 13. *&* 14.
10 *Jus accreſcendi an habeat locum in emphyteuſi à duobus fratribus empta ex communi pecunia, & nu. ſeqq. uſque ad fin.*
11 *Jus accreſcendi in feudo, vel emphyteuſi non habet locum*

locum, cum plures pro ſe, & filiis à principio ſtipulantur.
12 *Et quid ſi feudum, vel emphyteuſis fuerint acquiſita ex bonis communibus, & nu. ſeq.*
13 *Argumentum à feudo ad emphyteuſim an & quando procedat, & n. ſeqq.*
14 *Feudalia jura an poſſint allegari in emphyteuſi ad deciſionem cauſarum, & nu. ſeqq.*
15 *Jus accreſcendi cur habeat locum in feudo empto à fratribus ſimul habitantibus ex communi pecunia.*
16 *Argumentum de feudo ad emphyteuſim non procedit quando obſtant regulæ, vel diſpoſitio juris communis, & nu. ſeqq.*
17 *Jus accreſcendi non habet locum in contractibus.*
18 *Argumentum de feudo ad emphyteuſim in materia juris accreſcendi non procedit affirmativè, & nu. ſeqq.*
19 *Jus accreſcendi an habeat locum in emphyteuſi pluribus conceſſa ex cauſa oneroſa.*

I*Nſinuatione*: Si Eccleſia à vaſſallo ſuo recipit feudum in pignus, abſtinendo ab ejus ſervitio, non tenetur fructus in ſortem computare. Hoc dicit ſecundum Joann. Andr. Butr. Anchar. & Imol. Eſt caſus ſingularis, qui alibi non legitur ſecundum Abb. ſed certè caſus habetur in *cap. Conqueſtus in fin. verſ. Niſi infrà de uſuris*; & ideò licèt ſit caſus notabilis, non tamen eſt ſingularis, ut inquit Imol. *hic num. 8. verſ. Concordat.* Dividitur in duas partes. In prima ponitur dictum. In ſecunda limitatio, ibi, *Videlicet.*

1 Nota ex textu caſum valdè notabilem, in quo creditor
poteſt licitè retinere fructus rei ſibi pignoratę eis non com-
putatis in ſortem, videlicet cùm Eccleſia feudum proprium
Eccleſiæ recipit in pignus à vaſſallo ſuo, cui pecuniam
mutuavit; poteſt enim abſque vitio uſuræ fructus hujuſ-
modi lucrifacere, quamdiu tamen à vaſſallo ſervitium ſibi
debitum non recipit. Concordat *d. cap. Conqueſtus in fin.*
de uſur. cum ſua gloſſ. *in verb. de feudo*, & hìc notant Butr.
& Anchar. *num.* 3. Imola *num.* 2. & Joan. de Anan. *num.* 4.
Jo. Andr. & ſequaces, *& in ſumm. text.* Sed cùm aliàs fru-
ctus rei pignoratæ in ſortem ſint computandi, & ſi credi-
tor illos lucrifaciat, uſuram committit, *ut cap. 1. & 2. in-*
2 *frà de uſur. cap. ad noſtram, il primo, ſuprà de jurejuran.*
cap. Cum contra, infrà de pignorib. l. 1. & 2. Cod. de pignor.
actione; multùm torquentur DD in indaganda ratione
hujus deciſionis, & in ſolutione contrarii, indeque emer-
ſerunt plures, & varii intellectus ad hanc Decretalem,
quos hìc proſequuntur Jo. Andr. Card. Imol. Abb. & alii:
vera tamen, & communis ſolutio eſt, quam ponit Card.
num 2. videlicet, quòd dominus directus non dicitur re-
cipere aliquid ultra ſortem, quia cùm vaſſallus abſtineat
à ſervitiis domino debitis, perinde eſt, ac ſi res pignorata
non eſſet feudalis: nam cùm dominium directum uſque
ab initio remanſerit penes dominum, ſi dominium utile
revertitur ad eum ex voluntate vaſſalli pignorantis, fit
conſolidatio ipſius dominii utilis cum proprietate; unde
dominus non dicitur percipere fructus ex aliena re, ſed ex
propria: cùm enim vaſſallus interim liberetur ab obliga-
tione, qua domino tenetur in ſervitiis exhibendis, con
3 ſequenter diſſolvitur, vel ſaltem ſuſpenditur obligatio in-
ter eos contracta, & res feudalis redit ad primævam natu-
ram, *arg. l. Si unus, §. Pactus ne peteret, & §. ſeq. ff. de pa-*
ctis, cap. Super quæſtionem. §. Porrò de offic. delegat. c. Cum
venerabilis, ibi, *Nec intelligatur de cenſibus.* Hoc ergo
vult hæc littera, ut dominus, quamdiu vaſſallus non præ-
ſtat ſervitia, uti poſſit fructibus rei feudalis, ac ſi feudalis
non eſſet; & ita excuſatur ab uſuraria pravitate, & ceſ-
ſant contraria; & hanc ſolutionem, & lecturam Cardi-
nalis, aliis omnibus rejectis, probarunt Imola *hìc num. 7.*
ad fin. verſ. Unde alii dixerunt, & quinto; Abb. *n. 5. verſ.*
Quintam lecturam dicens eam communiorem, & Joan. de
Anan. *nu* 4. *verſ. Ideò dicunt alii.*

Sed dubium eſt, an deciſio hujus textus vendicet ſibi lo-
4 cum in feudo ſæculari. Quidam opinati ſunt non habe-
re locum niſi in feudo Eccleſiaſtico, quia textus ſpecificè
loquitur de Eccleſia, ut patet ibi: *Quam de feudo Eccleſiæ*
tuæ ab M. dignoſceris recepiſſe. Et eodem modo loquitur
cap. Conqueſtus, ibi, *Niſi ipſa terra de feudo ſit Monaſterii*
veſtri, de uſuris. Et dicunt hoc eſſe ſpeciale privilegium
Eccleſiæ, cùm in aliis non reperiatur expreſſum; ideòque
Jo. Andr. & ſequaces ſummant text. in Eccleſia recipiente
feudum à ſuo vaſſallo. Sed hanc opinionem confutat Hoſt.
in ſumma de uſur. §. An aliquo caſu, verſ. Quod dicunt. 5
Et quidem jure optimo, quia aut hoc licitum eſt, aut illi-
citum; ſi licitum: ergo etiam laico, quia eadem ratio, &
ideò idem jus, *cap. Tranſlato de conſtitution. cap. Tua, de*
conſanguinit. & affinit. ſi illicitum, multò minùs debet
concedi clerico, quàm laico, quia cùm uſura reſpectu lai-
corum ſit execranda, reſpectu clericorum eſt execrabilior,
ut cap. 1. & 2. infrà de uſuris: nam & multa licent laicis,
quæ clericis illicita ſunt, *capit. Fornicari* 88. *diſt. cap. Fi-*
lius, de teſtam. cap. 1. & per tot. ne cleric. vel monach. cap. fin.
de vita, & honeſt. clericorum; quamobrem cùm Papa hìc de-
cidat hoc licitum eſſe in feudo Eccleſiaſtico, multò fortiùs
debet cenſeri licitum in feudo ſæculari, *arg. cap. Per tuas,*
infrà de donationib. quia non debent viri Eccleſiaſtici eſſe
exactores, nec lucris temporalibus inhiare, *c. Ex parte,*
in fine de cenſib. Si enim venalitas reputatur reſpectu lai-
corum, multò fortiùs reſpectu clericorum, *cap. Nullus*
ita 1. *qu.* 1. Item ratio deciſionis ut ſuprà à Cardinali conſi-
derata, æquè viget in feudo ſæculari atque in Eccleſiaſtico,
ut ipſemet Cardinal. advertit *numer. 2. in fin. verſ. Hoc ergo*
vult hæc littera, Imol. *nu. 8. verſ. Et hæc ratio*, & Abb. *nu. 5.*
verſ. Et ratio hæc facit. Neque verò hæc Decretalis conti- 6
net privilegium; quia cùm uſuram utriuſque teſtamenti
pagina deteſtetur, *ut cap. Quoniam, & c. Super eo, de uſuris,*
minimè poteſt lex poſitiva ſuper uſuris quemquam privile-
giare, quia ſic privilegiaret ſuper peccato, ad hoc textus
optimus in *c. Sunt quidem* 25. *q.* 1. & quod notat Joan. Andr.
in regula peccatum in 3. & 4. art. principali de reg. juris lib. 6.
& ex communi tradit Imol. *hic num. 7. verſ. Sed hoc non pla-*
cet Hoſtienſi. Sed continet jus commune, ut probat hæc
littera *in verb. Declaramus*, ſecundùm Hoſt. hìc in princ.
& Jo. Andr. *n.* 1. & Cardin. *poſt princ. verſ. Alii dicunt, quòd*
hoc continet gratiam. Nam declaratio novum jus non in-
ducit, ſed quod priùs latebat, manifeſtat, *l. Hæredes pa-*
lam, §. Si quid poſt factum, ff. de teſtam. & probavi latiſſimè
in cap. Quoniam à nu. 15. ſuprà de conſtitutionib. Conclude
igitur deciſionem hujus textus obtinere tam in feudo Ec-
cleſiaſtico, quàm ſæculari. Ideòque Cardin. & Abb. non
ſummant Decretalem in Eccleſia, ſed in domino recipien-
te feudum in pignus à vaſſallo ſuo, juxta communem intel-
lectum, & Joan. de Anan. ſummat in Eccleſia, vel domi-
no; & hoc teneas.

Sed majus dubium eſt, numquid deciſio hujus textus 7
vendicet ſibi locum in domino recipiente rem emphyteu-
ticam in pignus ab emphyteuta, cui pecuniam mutuavit,
Hoſt. *hic n. 6. verſ. Quid de emphyteuta*, ſimpliciter dicit:
Conſulas Principem. Et mox remittit ad ſummam *in tit. de*
uſuris, §. An aliquo caſu, verſ. Quid ergo de emphyteuta.
Ubi ait fortè idem eſſe in emphyteuta quod in vaſſallo,
quia eadem ratio. Deinde refert contrariam opinionem,
quia non gratuitò recipit emphyteuta ſicut vaſſallus. Nam
emphyteuta in introitu ſolvit certam pecuniæ quantita-
tem. Et tandem concludit ſuper hoc Papam eſſe conſulen-
dum, & eum ſimpliciter refert Jo. Andr *hic n.* 3 Sed Anton.
de Butr. *n. 4. circa fin. verſ. An autem diſpoſitio*, dicit rem eſſe
extra dubium, ſi contractus emphyteuticus non teneat,
quia tunc dominus recipit fructus non ex pignore, ſed ex
re propria, & ideò non tenetur eos in ſortem computare.
Quod planum eſt. Sed ſi contractus teneat, Butr. dicit
rem dubiam, quia tunc aliqualiter læduntur regulæ juris.
Et ideò non audet trahere diſpoſitionem hujus textus ad
alium caſum, niſi extenſio fieret per habentem poteſtatem
extendendi, & jus condendi.

Tu conſidera, quia cùm hæc decretalis non contineat privilegium, vel gratiam, ſed jus commune, ut oſtenſum eſt *ſuprà num. 6.* quod deciditur in feudo, poteſt etiam intelligi deciſum in emphyteuſi, quia in utroque militat eadem ratio. Nam ſicut dominus quamdiù remittit ſervitium vaſſallo, non cenſetur percipere fructus ex re pignorata, ſed ex re propria, quia interim res feudalis redit ad primævam naturam, & dominium utile cenſetur conſolidatum cum proprietate: eadem ratione quamdiu dominus remittit emphyteutæ mercedem, ſeu penſionem ſolvendam, res emphyteutica pigniori tradita revertitur ad primævam naturam, & dominium utile cum directo conſolidatur, itaut propterea dominus non

ex re pignorata, ſed ex re propria fructus percipiat, ob quam rationem ita concludit Jo. de Imola *hic num. 8. poſt med. ver. An autem diſpoſitio*, ſubdens hoc ſatis poſſe de jure ſuſtineri, ex quo per omnia eſt eadem ratio, licèt Doctores videantur velle contrarium, videlicet non eſſe faciendam extenſionem extra iſtum caſum, ut hic per Car-
8 dinal. *in 5. quæſt.* Sed ut prædixi, hæc non eſt extenſio, ſed comprehenſio, quia contractus feudalis, & emphy-
9 teuticus ſunt ejuſdem naturæ, ut notat Speculat. in *tit. de feudis*, §. *Quoniam ſuper homagiis nu. 63. ad fin. verſ. Non intereſt etiam*; & ubi concurrit eadem ratio, nec contrarium reperitur in jure expreſſum, deciſiones loquentes de feudo vendicant etiam ſibi locum in emphyteuſi, ut notat Bald. *in c. 1. in fin. quibus modis feud. conſtitui pot. in uſib. feud.* Paulus de Caſtro *conſ. 260. Notandum in fi. lib. 2.* Alex. *conſ. 7. In conſultatione num. 5. lib. 5.* & eſt communis opinio, ut atteſtatur Soc. ſen. *in conſ. 167. Non inutilis quæſtio n. 24. lib. 2.* latiſſimè Everard. *in ſua cenſura legali in loco à feudo ad emphyteuſim*, & latiùs dicetur *infrà n. 13. & ſeq.*

10 Extra QUÆRO, an ſicut in feudo, ita & in emphyteuſi à duobus fratribus empta ex communi pecunia habeat locum jus accreſcendi, necne?

11 Communis eſt regula pertinens tam ad feuda, quàm ad emphyteuſes, quòd cùm duo, pluresve pro ſe & filiis à principio ſtipulantur feudum, vel emphyteuſim, licèt poſtea aliquis ex eis ſine prole decedat, ejus portio aliis ſuperſtitibus non accreſcat, ſed ad dominum directum revertatur, ut de feudo dicit eſſe communem opinionem Clar. § *Feudum*, q. 77. & in emphyteuſim, in §. *Emphyteuſis q.* 39. Corbul. *de jure emphyteutic. tit. de cauſ. privat. ob lin.*
12 *finit. nu.* 33. Quæ regula limitatur quidem in feudo, quotieſ fuerit acquiſitum per fratres ex bonis communibus, per text. *in cap. 1. de bon. fratr. & gloſ. in cap. 1. §. Cùm vero Conradus aliàs: Et quia vidimus in verb. Nominatim de his qui feud. dar. poſſ.* Alvarot. *ibi nu. 9. verſ. Oppono*, Berous *conſ. 113. n. 43. in 1. vol.* Ludovicus Roman. *in l. fin. C. quand. non pet. par. pet. accreſc. num. 41. verſ. Aut hoc non convenit.* Sed hujuſmodi limitatio nuſquam traditur à Doctoribus in emphyteuſi. Quamobrem dubitatur, an in ea quoque ſibi locum debeat vendicare.

13 Pro opinione affirmativa adducitur Bart. *in l. Si mihi, & Titio nu. 4. ff. de verb. oblig.* dum ad ſolvendas plures quæſtiones circa jus accreſcendi in emphyteuſi adducit text. loquentes de feudis, quaſi ſentiat, quicquid in feudis de jure accreſcendi eſt diſpoſitum in uſibus feudorum, habere etiam locum in emphyteuſi in omnibus, & per omnia; & ita Bartol. ſentire interpretatur Caſtr. *d. l. Si mihi, & Titio n.* 3. Corbul. poſt Salic. *in tit. de cauſ. privat. ob lin. finit. num.* 119. Everard. *in loco à feudo ad emphyteuſ. num.* 19. ubi Cyn. & Alber. in hanc ſententiam citat: & in hac materia juris accreſcendi validum eſſe argumentum de feudo ad emphyteuſim, tradit Jaſ. *in ead. l. Si mihi, & Titio nu. 12. verſ. Primum fundamentum*, & Bald. *conſ.* 250. incip. *Conſiderandum num. 2. in 2. vol.* Quæ opinio quoad caſum no-
14 ſtrum confirmari poteſt. Nam quamvis valdè ſit controverſa ea quæſtio, an jura feudalia poſſint allegari in aliis materiis, & præſertim in emphyteuſi ad deciſionem cauſarum, quam latiſſimè examinat Jaſ. *in l. 1. C. de jure emphyteutic. num.* 55. & Everard. *in loco ſupracit.* tamen non videtur dubitandum, quin allegari poſſint, quotieſcumque ſunt feudata in juſta, & naturali ratione, ut per Jaſ. *in d. l. 1. num.* 60 Everard. *ibid. n.* 44. Roman. *conſ. 112. num.* 4. ubi Apoſtilla, *in verb. Validum*, alios citat At verò ratio, pro-
15 pter quam jus feudorum diſponens, ut in feudo empto à fratribus ſimul habitantibus ex communi pecunia habeat locum jus accreſcendi, ea eſt, quam *ibi in princ.* reddit Bald. ſcilicet quia ſimul cohabitantes cenſentur ſibi invicem proſpicere, & auxiliari; & ideò quiſque illorum videtur velle, ut alter ſibi ſine prole decedenti in feudo ſuccedat: quæ ratio eſt planè juſta, & naturalis; & ideò ab hoc jure in juſta, & naturali ratione feudato ex ſupradictis argui poteſt ad emphyteuſim. Contrarium tamen, vide-
16 licet hujuſmodi limitationem non procedere in emphyteuſi, probari videtur, quia de feudo ad emphyteuſim ſecundum communem ſententiam non licet arguere in caſibus, in quibus obſtant regulæ, vel diſpoſitio juris communis, ut conciliando opiniones declarat Alex *in l. Divortio, §. in feudum numer. 3. ff. ſolut. matrim.* Et hanc opinionem teſtatur eſſe communem Apoſtilla ad Roman. *in d. conſ.* 112. *in verb. Validum.* Quin verò hoc caſu obſtet regula juris 17
communis, non eſt quòd dubitemus, cùm in contractibus, ut eſt emphyteuſis, non habeat locum jus accreſcen- 18
di *d. l. Si mihi; & Titio*, ubi DD. Qua ratione Ludov. Roman. *in l. fin. C. quando non pet. par. pet. accreſc nu. 53. verſ. Non obſtat tertium fundamentum*, ſcribit in materia juris accreſcendi non procedere argumentum de feudo ad emphyteuſim: Quod confirmatur ex Bald. *in auth. Quas ruinas. C. de ſacroſ. Eccleſiis*, dum quærens de jure accreſcendi in emphyteuſi, utitur argumentis deductis ab ipſo jure accreſcendi, non autem à juribus feudorum, ut animadvertit Caſtren. *d. leg. Si mihi, & Titio, propè fi. verſ. Bald. autem.* Idem ſentire videtur Alexan. in *d. l. Si mihi, & Titio n. 11. & 15. in fine*, ubi expreſsè confutat doctrinam Bartoli arguentis de feudo ad emphyteuſim. Quibus poſſunt etiam adjungi multi Doctores, & præſertim Raphel. Cuman. & Imol. relati ibidem per Alexan. *num.* 15. qui in illa quæſtione, an inter fratres deſcendentes à primo inveſtito habeat locum jus accreſcendi; aſſentiuntur Bartolo propter quartam rationem ab eo traditam, improbatis primis tribus, inter quas erat ratio illa, quòd ita erat deciſum in feudis per jura feudalia. Quam rationem cùm impugnent, ſatis oſtendunt ſe non putare in hac materia juris accreſcendi rectè argui à feudo ad emphyteuſim. Idemque ſentire videtur Bald. *in d. leg. unic. Cod. quand. non pet. par. pet. accreſc. n.* 30. ubi omnibus rationibus Bartoli in eadem quæſtione juris accreſcendi reprobatis, eidem opinioni, quam Bartol. tuetur, adhærendo, rationem aliam deducit, quæ non ex jure feudorum, ſed ex communi jure civili depromitur. Accedit, quòd cùm Doctores exactè, & diſtinctè tam quoad feudum, quàm quoad emphyteuſim caſus omnes proponant, eos decidant, in quibus jus accreſcendi locum habet, vel non, inter quos præ aliis diligenter, & prolixè materiam hanc proſequitur Roman. *in d. l. fin.* & cùm agunt de jure accreſcendi in feudis, hujuſmodi limitationem ſemper adducant: cùm autem agitur de emphyteuſi, ejuſdem limitationis mentionem non faciant: ſatis inſinuare videntur, non debere locum ſibi vendicare; quin etiam expreſsè quodammodo ſentire videntur eam in em-
phyteuſi non habere locum, dum in ſpecie ſcribunt in 19
emphyteuſi conceſſa duobus, ex cauſa oneroſa, habere locum jus accreſcendi, ſi concedentis interſit, ut cùm magna eſt penſio fructibus correſpondens: cùm autem non intereſt concedentis, ut cùm minima eſt penſio, non habere locum, ut per Alex. poſt alios *d. l. Si mihi num. 12. & 13.* & ſic non diſtinguunt, an emphyteuſis ſit empta ex pecunia communi, ſed tantùm an interſit concedentis. Et cùm hic contractus duorum fratrum de communi pecunia ementium ſit frequentiſſimus, & DD. in ſpecie agant de duobus ex cauſa oneroſa inveſtitis; ſanè expreſſiſſent, ſi in eo ſenſiſſent habere locum jus accreſcendi; & tamen contrarium potiùs affirmare videntur, cùm dicunt generaliter in emphyteuſi ex cauſa oneroſa duobus conceſſa non habere locum jus accreſcendi, niſi interſit concedentis, ut dictum eſt.

Bartoli auctoritas in *d. l. Si mihi, & Titio*, ad rem facere non videtur; tametſi enim ad confirmationem eorum, quæ ſcribit de jure accreſcendi in emphyteuſi, adducat jura feudalia; non tamen inde ſequitur, ut ſentiat in materia juris accreſcendi emphyteuſim debere regulari in omnibus ſecundum naturam feudi; quod probatur primò, quia ſi id Bartol. ſenſiſſet, non oportuiſſet ad confirmandas, quas ſequitur opiniones, adducere alias rationes, ſed ſatis fuiſſet citare textus de feudo loquentes; & tamen Bartol. quaſi eis non quieſcens, adducit alias rationes, quas putat fortiores, quàm adducere textus loquentes de feudis, ut patet ibi *num.* 5.

Secundò, quia cùm aliæ rationes, quas Bart. adducit, deducantur à jure communi, & à contractibus, & ultimis voluntatibus, quaſi velit in materia juris accreſcendi quod in illis diſponitur, etiam in his locum habere, neſcio cur velimus poſtea prævalere potiùs in emphyteuſi jus feudorum, ad inducendam hanc limitationem, quàm contractuum, in quibus hæc limitatio locum non habet ad eam excludendam. Neque obſtat, quòd Bartoli doctrina *in d. l. Si mihi, & Titio*, ſit communiter approbata teſte Alex. ibi *num.* 11. quia eſt approbata quoad opiniones, quas defendit, ſcilicet quando habeat locum jus accreſcendi in emphyteuſi, non autem quoad rationes, & præſertim eam,

eam quæ arguit de jure feudorum, quam multi DD. impugnant, ut ſuprà eſt dictum Paulus de Caſtro, qui ſolus ex his explicitè ſentit, quicquid in materia juris accreſcendi in feudo diſponitur, habere locum in Emphyteuſi, hanc opinionem tribuit Bartolo, cùm re vera ita non ſentiat, ut eſt demonſtratum. *Salicet. in l. unic. C. quan. non pet. part. pet. accreſc.* etſi examinatis nonnullis quæſtionibus de jure accreſcendi in feudis *num.* 20. quærat de emphiteuſi, ut ſubjiciat quæſtionem ea eſse deciſam ex his, quæ dixerat de feudo: tamen hoc ideò dixit, quia in illis queſtionibus, quas circa feudum examinaverat, quæ ſcripſerat in materia juris accreſcendi, conveniebant cum emphyteuſi, & regulæ juris congruebant utrique, ut eum legenti patebit. Sed in caſu noſtro regulæ juris in emphyteuſi repugnant, ut eſt dictum. Everard tametſi apertè dicit diſpoſita in feudo quoad jus accreſcendi habere locum in emphyteuſi: tamen poſtea videtur dubitare, cùm lectorem rejicit ad loca vulgata. Quin etiam Angel. Cyn. & Alber. ab ipſo citati, ſicut & Bald. *in d. conſ.* 250. parùm ad rem faciunt. Nam cùm dixiſsent in feudo duobus conceſso non habere locum jus accreſcendi, poſtea ſubdunt idem in emphyteuſi. Quibus in locis ipſi rectè arguunt. Nam cùm in contractibus non habeat locum jus accreſcendi per *d. l. Si mihi, & Titio*, & tam feuda, quam emphyteuſes ſint contractus, & ſic regulæ juris quoad jus accreſcendi negandum utrique congruant, rectè arguunt de feudo ad emphyteuſim. At non è converſo licet arguere ad jus accreſcendum inducendum, ut ſcilicet quoties habet locum in feudo, habeat etiam locum in emphyteuſi, quia in hoc caſu jus ſpeciale unius non trahitur ad aliud, juris regula repugnante, quæ jus accreſcendi non admittit in contractibus. Corbul. id perfunctoriè dicit, & citat Bart. & Salicet. ex quibus hoc non colligitur, ut dictum eſt.

Itaque cum quæſtio ſit valdè dubia, nec à Doctoribus apertè explicata, nunquam auderem conſulere, ut ſtatueretur in hoc caſu habere locum jus accreſcendi, cùm in caſu tam frequenti nullum Doctorem invenire potuerimus, cujus auctoritate in re tam gravi, & exemplari inniti poſsemus.

DE FEUDIS.

Idem Innocentius III. Mediolanen. Archiepiſcopo:

CAPUT II.

EX parte tua noſtro eſt Apoſtolatui reſeratum, quòd ſæpiùs dubitaſti, utrùm cùm contingit vaſsallum tuum decedere, & ad te feudum ipſius redire, feudum ejus alii liceat tibi dare, quamvis juramento tenearis aſtrictus non infeudare de novo, Romano Pontifice inconſulto? Ad hæc ſi vaſsallum feudum alienare contingat, an ipſius filium vel conſanguineum ejuſdem feudi conſortem, de ipſo valeas inveſtire? Alia quoque dubitatio continebat, ut cùm feudum alienatum repereris, quod per te facilè recuperare non potes: utrùm poſſis alicui laico in feudum illud concedere, qui & illud recuperet, & in feudum per Eccleſiam recognoſcat: & infrà. In primo ergo caſu feudum decedentis liberè (ſi videris expedire) concedas: atque in ſecundo filium vel conſanguineum alienantis inveſties: in tertio feudum alienatum poteris ei licenter concedere, per quem ipſa Eccleſia valeat rehabere.

SUMMARIUM.

1 *Feudum per obitum Vaſſalli ad Eccleſiam revertitur. Declaratur, ut nu. ſeqq.*
2 *Feudum perſonale ad filium non extenditur.*
3 *Fœmina non ſuccedit in feudo, niſi expreſsè ſit cautum in inveſtitura.*
4 *Juramentum de non infeudando Papa inconſulto refertur tantùm ad bona, quæ nunquam fuerunt infeudata, non autem ad bona feudalia.*
Bona infeudari, vel emphyteuticari ſolita non ſunt de menſa Eccleſiæ, ibid. & n. 9.
5 *Juramentum de non infeudando intelligitur, ut terram non feudalem conſtituat feudalem.*
6 *Juramentum de non alienando non extenditur ad bona in emphyteuſim dari ſolita.*
7 *Bona Eccleſiæ dicuntur ſolita dari infeudum vel emphyteuſim, quando infra quadraginta annos bis fuerunt data.*
8 *Bona deſinunt eſſe feudalia, quando Prælatus ea deſcripſit inter bona menſæ Eccleſiæ, vel quando ex illis fructus collegit, tamquam ex bonis menſæ incorporatis.*
10 *Feudalia bona per alienationem vaſſalli ad Eccleſiam devoluta Epiſcopus de novo infeudare poteſt filio, vel conſanguineo alienantis, non obſtante juramento de non infeudando.*
11 *Item poteſt illa infeudare etiam extraneo, ſi ſit talis, ut mediante illius perſona poſſit Eccleſia bona ſic alienata recuperare.*
12 *Vaſſallus alienans feudum ſine conſenſu domini directi cadit ipſo jure à feudo.*
Proſp. Fagnan. in III. Lib. Decretal.
13 *Papa an poſſit in præjudicium ſucceſſorum inveſtire aliquem de feudo nondum devoluto, conſentiente vaſſallo, & n. ſeqq.*
Et quid poſt Bullam S. Pii V. nu. 30. & ſeqq. uſque in finem.
14 *Et an poſſit ſine conſilio, & aſſenſu Cardinalium declarare ſuper evidenti utilitate, & nu. 18. & ſeqq. uſque ad n. 30.*
15 *Succeſſor non tenetur ratam habere inveſtituram non expletam prædeceſſoris de feudo, quod alius tenet, niſi eo conſentiente alius fuerit inveſtitus.*
16 *Inveſtitura de feudo nondum aperto de conſenſu vaſſalli non exſpirat morte infeudantis.*
17 *Et ligat ſucceſſorem.*
18 *Papa poteſt ardua explicare ſine Cardinalibus.*
De poteſtate abſoluta, n. 24.
19 *Nec valet contraria conſuetudo.*
Et lex contraria non ligat ſucceſſorem, n. 23.
Præſcriptio contra ſupremam Papæ authoritatem non valet, d. n. 19.
20 *Cathedralium poteſtas à ſolo Papa emanat.*
21 *Papa de honeſtate non poteſt ardua tractare ſine Cardinalibus.*
22 *Valet tamen conſuetudo in contrarium.*
25 *Cardinalium conſenſus in infeudatione magnæ civitatis de neceſſitate non requiritur, ſed de honeſtate tantùm.*
26 *Princeps poteſt infeudere nedum civitatem, ſed etiam provinciam, & ducatum.*
27 *Cauſa evidentis utilitatis infeudationis an præſumatur in Papa, & an ſit ſtandum illius aſſertioni.*

28 *Bona infeudari ſolita poſſunt de novo infeudum concedi, & cauſa præſumitur ab initio interveniſſe.*
29 *Alienatio ritè, & rectè facta non poteſt per ſucceſſorem infringi.*
30 *Civitates, & loca Eccleſiæ Romanæ infeudari, ſeu alienari ſolita, ad eam devoluta, & devolvenda, ipſo jure Cameræ Apoſtolicæ incorporata cenſentur, ex Bulla Pii V.*
Etiam antequam devolvantur, ex declaratoria Innocentii IX. n. 34. & ſeq.
31 *Et de hujuſmodi infeudatione tractantes, eamque Papæ inſinuantes ſunt excommunicati, & alias pœnas incurrunt, ut in eadem Bulla Pii V.*
32 *Cardinales jurāt loca Eccleſiæ Romanæ non infeudare.*
33 *Et idem jurat electus in Papam.*
36 *Papa poteſt durante generatione inveſtiti in feudo aliis inveſtituram concedere in caſu devolutionis.*
Secus ſtante declaratoria Innocentii IX. n. 34. & 35.
37 *Bulla Pii V. de non infeudandis locis Romanæ Eccleſiæ comprehendit etiam gubernia ultra triennium.*
38 *Sed non comprehendit terras, & loca confiſcata.*
39 *Item nec loca, quæ Camera Apoſtolica emit à Baronibus.*

1 EX *parte*. Ponit tres caſus, in quibus non obſtante juramento de non infeduando poteſt Epiſcopus antiquum feudum ad Eccleſiam reverſum novo vaſſallo concedere. Hoc dicit, & eſt caſus valdè notabilis interpretans juramentum de non alienando, ſecundum Abbatem. Communis diviſio. Secunda ibi, *In primo*.

Nota primò, ibi, *Vaſſalum decedere*, per obitum vaſſalli feudum ad Eccleſiam redire: quod intellige, quando feudum eſt perſonale, quia ad filium non extenditur, *ut in tit. quib. mod. feud. acquir circa princip.* aliàs eſt *in tit. de iis, qui*
2 *feud. dar. poſſ.* §. 1. Hoſt. *hìc nu. 1. in verb. Redire*: vel quando fuit conceſſum pro ſe, & filiis, & vaſſalus decedit non ſuperſtitibus filiis maſculis; nam fœmina, niſi expreſsè
3 ſit cautum in inveſtitura, non ſuccedit in feudo, *ut ca. 1. §. Hoc autem de iis, qui feud. dar. poſſ. & ca. 1 § Filia de ſucceſſ. feud.* Hoſtien. *ubi ſuprà*, Joann. Andr. *num. 1. in ver. redire*, Ancharan. *in 2. notab.* & Abb. *num. 2.* & eſt communis regula, ut Decius inquit, *conſ. 139. incip. Et diligenter n. 2. verſ. Sed tantùm*, ubi allegat concord. & Clar. *in §. Feudum q. 72. in princ.*
4 Secundò nota ibi, *Quamvis iuramento tenearis adſtrictus*, juramentum præſtitum à Prælato de non infeudando Romano Pontifice inconſulto, referri tantùm ad bona, quæ ſunt de menſa Eccleſiæ, id eſt, quorum dominium directum, & utile eſt penès Eccleſiam, & ſic ad illa, quę nunquam fuerunt infeudata, non autem ad bona feudalia, ſeu ab antiquo in feudum dari ſolita. Hæc namque ſi ad Eccleſiam revertantur, de novo ab Epiſcopo infeudari poſſunt, juramento non obſtante, ut hìc eſt caſus in primo reſponſo, & notat Bernardus hic poſt caſum Innoc. *in princ. & ad finem in ver. Concedas*, Abb Antiq. *in verb. De novo*, Hoſt. *n. 1. in verb. Infeudare*, *& in ver. De novo*, Jo. Andr. *n. 1. in eod. ver.* Butr. *in 1. not.* Anchar. *n. 1.* & Abb. Sicul *in 2.*
5 *not.* Et eſt ratio ſecundum Innoc. quia juramentum de non infeudando intelligitur, ut rem feudatariam conſtituat, id eſt, ut terram non feudalem conſtituat feudalem, ut explicat Jo. Andr. *ubi ſuprà*.
6 Et quod dictum eſt de feudo, idem intelligas de emphyteuſi: nam juramentum de non alienando non extenditur ad bona emphyteuticalia, ut hic per Abbatem *in 2. not.* Ad hoc Extravag. Pauli II. *Ambitioſæ de reb. Eccleſ. non alienan.* ibi, Ac de rebus, & bonis in empphyteuſim ab antiquo concedi ſolitis.
7 Dicitur autem res Eccleſiæ conſueta dari in emphyteuſim, vel in feudum quoad hoc, ut poſſit alienari ſine ſolemnitate, *cap. 1. de rebus Eccleſ. non alienan lib. 6. & cap. Sine exceptione 12. qu. 2.* quando ita fuit conceſſa, ſaltem per duas vices, & lapſi fuerunt quadraginta anni, ut in emphyteuſi tenet Dec. *conſ. 142. Pro tenui facultate numer. 4 verſ. Et ſolùm ſupereſt reſpondere*, ubi allegat. Bald. *in l. De quibus numer. 85. ff. de legib.* qui tamen nihil dicit de duabus inveſtituris, ſed tantùm de tempore annorum quadraginta Et in feudo originaliter voluit Jacob. de Belviſ. *in c. 1. tit. 1. In uſibus feud. & in tit. Epiſcopum vel Abbatem c. 1.* ubi concludit rem dici conſuetam infeudari, quando intra quadraginta annos his fuit data ſuadente utilitate, & eum ſequitur Imola *hìc n. 37.* & conſulendo Jaſ. *in conſ. 155. Ut veritas col. 3. paulò poſt prin. verſ. Dicitur autem res Eccleſiæ conſueta dari in feudum vol. 2.* ubi alios citat, & dicit ab hac ſententia neminem diſcrepare, Afflict. *dec. 305. n. 10.* Clar. *de communi in §. Feudum qu. 13. n. 4. verſ. Nunc pro intelligentia quæro.* Et quamvis referat Curt. jun. *de feud. in 1. part. 2. partis principalis q. 4.* & Ruin. *in con. 35. n. 30. lib. 1.* dicentes ſufficere, ut præceſſerit una tantùm infeudatio ſolemniter facta ſine aliquo temporis curſu, vel pluralitate actuum, & hanc eſſe communem opinionem; tamen, ut ait Clarus, hæc opinio non tranſit ſine difficultate: & ideò prima eſſet tenenda tanquam tutior, & quæ minùs favet alienationi rerum Eccleſiaſticarum. Sed tamen Domini de Rota *deciſ. 160. n. 5. part. 2. diverſ.* pluribus citatis dicunt illud ſolitum probari, aut per duas locationes cum curſu quadraginta annorum, aut per unam ſolemniter factam: & hanc eſſe communem concluſionem, quam tenuit Rota in Zamoren. Locationis coram Seraph. 24. Decembris 1579.

E converſo autem res dicitur non ampliùs ſolita infeudari, quando Prælatus eam deſcripſit inter bona menſæ Eccleſiæ, vel quando per multum tempus collegit fructus ipſius rei ſolitæ infeudari, prout facere conſuevit ex aliis rebus, & bonis menſæ incorporatis. Et hanc opinionem dicunt eſſe communem Moderni, quos refert Curt. jun. *in d. 1. part. 2. partis principalis q. 5.* & ſequitur Clar. *ubi ſuprà*. 8

Et hinc collige, bona conſueta infeudari, vel dari in emphyteuſim, non eſſe de menſa, quia in illis Eccleſia non habet dominium utile, ſed ſolùm directum, ut hìc declarat Imol. *in fin.* & ſentit Innoc. *in ver. Concedas*, cum quo Hoſt. & Jo. Andr. *n. 4. in eodem ver.* & alii tranſeunt. 9

Tertiò nota ibi, *Filium, vel conſanguineum*, bona feudalia per alienationem vaſſalli ad Eccleſiam devoluta, juxta text. *in §. 2. & 3. quibus modis feud. amit.* poſſe de novo ab Epiſcopo infeudari filio, vel conſanguineo ipſius vaſſali alienantis, non obſtante juramento de non infeudando, ut ſimiliter hìc eſt caſus in ſecundo reſponſo. 10

Quartò nota ex ultimo reſponſo, Epiſcopum non obſtante hujuſmodi juramento de non infeudando poſſe infeudare bona propter alienationem vaſſalli ad Eccleſiam devoluta, non tantùm filio, & conſanguineo vaſſalli, *ut in præced. notab.* ſed etiam extraneo, ſi ſit talis, ut mediante illius perſona poſſit Eccleſia bona alienata recuperare, ut in littera, ſcilicet de facto, quia de jure vaſſallus alienans abſque conſenſu domini directi, ipſo jure cadit à feudo ſeu à jure feudi, ſecundum Innoc. *hìc circa medium in ver. Recuperare*, Abb. Antiq. *n. 1. in eod. verb.* Hoſt. *n. 4.* & Jo. Andr. *n. 3.* 11 12

Extra QUÆRO an Papa poſſit in præjudicium ſucceſſorum inveſtire aliquem de feudo nondum devoluto conſentiente vaſſallo. Et cùm debeat conſtare de vera, & evidenti utilitate Eccleſiæ, ſtante declaratione Gregorii XIV. in Conſiſtorio ſecreto, de qua *infrà ſub n. 33.* an Papa poſſit ſine conſilio, & aſſenſu Cardinalium declarare hanc evidentem utilitatem. 13 14

Quoad primum dubium videtur affirmativè reſpondendum per text. apertum *in cap. 1. qui ſucceſſ. feud. dar ten.* ubi diſponitur expreſsè; & ita ſummat Bald. ut quamvis ſucceſſor Prælati non cogatur inveſtituram à Prædeceſſore factam, & non completam de feudo, quod alius tenet, ratam habere; tamen id locum non habet, ſi eo conſentiente, qui feudum tenet, ſit alius inveſtitus. Nam conſenſus hujuſmodi operatur, ut ſucceſſor Prælatus teneatur complere, cùm aliter non teneretur, quaſi infeudatio rei, quam non tenebat infeudans, cùm non remanſerit in finibus promiſſionis, ſeu promiſſio in finibus inveſtituræ verbalis, ut conſiderat Iſern. *in d. cap. 1. n. 5.* & operatur, ut factum Prædeceſſoris dicatur tunc de jure conſummatum. Ex quo ſequitur, ut cùm jam gratia ſit facta cum effectu, non expiret per obitum concedentis, ut ponderat ibi Bald. *n. 4.* Alvarot. *nu. 3.* Præpoſ. *n. 2.* & Jacobin. *n. 2.* Et ratio eſt patens: nam cùm talis inveſtitura ſit valida, quia jure feudorum fulcitur, nec malè factum dicatur, quod fit legis authoritate, ut advertit Iſern. *ubi ſuprà nu. 13. verſ. Unde dic.* Prælatus dicitur ritè conceſſiſſe: unde perinde judicandum eſt, ac ſi ipſa Eccleſia contraxiſſet, quæ nunquam moritur, ita Bald. *ibi ante n. 5.* qui inferiùs *n. 12.* innuit ſine conſenſu vaſſalli renuentis obligationem Prælati dici perſonalem, quæ ſucceſſorem non obligat, quia nihil in eum tranſmittit: at cum conſenſu dicetur realis, & perpetua obligatio Eccleſiæ, quæ obligat ſucceſſorem. 15 16 17

Secun-

18 Secundum dubium ſimiliter videtur affirmativè reſol-
vendum, cùm vera, & communis ſit ſcribentium concluſio, Papam ſolum poſſe ſine Cardinalibus ardua explicare,
ut teſtatur Gemin. qui adductis in contrarium reſpondet,
in *c. Super eo, n.4. verſ. Communis concluſio, de hæret. lib.6.*
Et hanc eſſe veriorem ſententiam oſtendit Hier. Zanettinus *in tract. de differ. jur. civil. & can. in 24. differ. n.* 33.
quam etiam veram, & communem dicit, & latiſſimè comprobat Card. Jac. *de Conc. lib. 7. art. 5. de Cap. concl. in
verb. Octavò facit, n. 117. cum plur. ſeq. & in reſponſ. ad*
19 *contraria in ver. Ad illud* 259. Et in tantum poteſt Pontifex ardua per ſe expedire, ut ſi in contrarium adeſſet conſuetudo, illa non valeret; tum quia eſſet præſcribere contra
ſupremam poteſtatem Papæ, contra quam non valet aliqua
præſcriptio, ut notat Abb. *in c. 2. n.4. de Cler. non reſid.* ſequitur Jaſ. *in l. Placet n. 11. C. de Sacroſ. Eccl.* tum quia
Cardinalium poteſtas à ſolo Papa emanat, ut tradit Ar-
20 chid. in *c. ubi pericul. colum. 4. circa fin.* ibi, (Dominorum
autem Cardinalium potentia eſt ab homine: nam quicquid
poſſunt, habent à Papa.) *De elect. lib.6.* & poſt eum Andr.
Barbat. *in tract. de præſtant. Card. q.1 n.11.* & Petr. de Ra-
21 ven. *in tract. de conſuet. ſect. 1. num. 33.* quem ſequutus fuit
Rocch. de Curt. in ſimili ſuo tractatu *n.* 114. ubi ait de honeſtate Papam non poſſe ardua tractare ſine Cardinalibus;
& tamen valere conſuetudinem in contrarium. Et ratio-
22 nem reddit, quia talis conſuetudo habet concurſum juris
communis, cùm de jure communi Papa poſſit ardua tractare ſine Cardinalibus, ſecundùm communem opinio-
23 nem. Imò etiamſi de hoc eſſet lex expreſſa, illa non eſſet
attendenda, quia par in parem non habet imperium, *c. Innotuit, de elect.* de quo latiſſimè Barbat. *conſ. 1. lib. 1. per tot.*
& per tacitam contraventionem Papa videretur eam tolle-
24 re, ut ait Zanettinus *ubi ſup. n.* 36. Quæ omnia veriſſima
eſſe de poteſtate Summi Pontificis, abſoluta, ſeu, ut ajunt,
de plenitudine poteſtatis, pluribus rationibus confirmat
Cardin. Paleot. *de Sac. Conſiſt. conſult. p.1. q.3.*
25 Et quamvis de infeudatione magnę civitatis loquens
Bal. *in l. Cum multa, n.2. C. de bon. quæ liber.* dixerit debere intervenire communem conſenſum Cardinalium; tamen ejus dictum communiter intelligunt DD. de honeſtate tantùm non de neceſſitate, ut reſpondet Zanettinus *ubi
ſup. n. 36. verſ. Et ad allegata in contrarium*, qui priùs citaverat ipſum Bal. *ſub n.* 33. & in propriis terminis declarat
Cardin. Alex. *in c.1. Epiſcopum, vel Abbatem, in vel. feud.
poſt princ.* concluditque valere hujuſmodi actum Papæ ſine
Cardinalibus, quem ſequitur alios referens Claud. *in ſuo
ſpeculo feud. fol. 131. verſ. Nam quantum*, & Redoan. per
eademmet verba *in tract. de reb. Eccl. non alien. caſ. 5. nu.*
21. ubi itidem teſtantur hanc eſſe crebriorem opinionem.
Et verè ita debere intelligi dictam doctrinam Bal. de honeſtate tantùm, non de neceſſitate, ſuadetur: nam ipſe
in d. *l. Cum multa*, ſe remittit ad dicta per eum in *l. Humanum, C. de legib.* ubi præcisè *n.2.* dicit formam illius legis
26 eſſe de honeſtate, non de neceſſitate, cùm ibi dicatur *humanum*, non autem *neceſſarium*; & ſubdit retentis illis
terminis, ſine dubio Principem poſſe infeudare nedum civitatem, ſed & provinciam, & Ducatum, & ut ait Caſtren. *ibi in fin. n.6.* licet dicatur, Papam omnia facere cum
conſilio Cardinalium; ſi tamen facit ſine eis, valet; & ſequitur in *l. Lex eſt n.5. ff. eod. tit.*
Et ex his non videtur dubitandum, quin Papa ſolus totaliter explicare poſſit talem inveſtituram de feudo nondum
devoluto, & cauſas evidentis utilitatis declarare.
27 Quibus addi poteſt, quòd etiamſi verſaremur in dubio
an cauſa ſubeſſet, vel non ſubeſſet, adhuc Summo Pontifice aſſerente; præſumeretur, ut benè per Claud. *in Specul.
feud. in ver. Cauſa legitima, fol.* 218. præſertim ſi verſaremur in materia non ſuſpecta, quod infeudatio fiat in conſanguineos, ut conſiderat Præpoſ. in *c. Non liceat, 12. q.2.
num.7.* Et in hac materia ſunt videndę diſtinctiones per d.
Claudium factæ, quando cauſa poteſt ſubeſſe, & non ſubeſſe; & quando exprimitur, & quando non. Concluſio enim eſt, ſi cauſa exprimitur, quæ tempore conceſſionis potuit intervenire, præſumitur etiam ſine interventu Cardinalium, vel Procerum, ut dicit ipſe *nu.* 132. per
eademmet verba, Redoan. *d. caſu 5. n.22.*
Et ſecundum diſtinctiones ejuſdem Claudii ſunt intelligenda, quæ ſub longo involucro verborum dicit Bellam.
in *c. Per principalem, n.106. verſ. Quarta quæſtio*, ubi relinquit cogitandum, & in *c. Non liceat Papæ, 12. q.2. ante
n. 16.* ubi præcisè aſſerit: Si non laborat mala ſuſpicio contra Papam, quia in nimis propinquum non fit alienatio,
ſtandum eſſe literis, & expreſſioni Papæ.
Et pariter Navar. in ſuis Commentariis ſuper d. *c. Non
liceat Papæ, §. 12. n.7. & ſeq. n. 9.* ſentit ſtandum eſſe aſſertioni Papæ de cauſa juſta; ſi ipſe exprimat ſe ad id ex juſta
cuaſa moveri.
Et eo magis, ſi tractaretur de feudo antiquo, quo caſu 28
cùm præſumatur ab initio interveniſſe hujuſmodi cauſa,
& ob id Innoc. III. hìc concedat, ut ſolita infeudari de novo infeudari poſſint; rectè dicit Bald. in *c. 1. num. 3. Qui
feud. dar. poſſ.* cauſa utilitatis præſumi, quando feudum eſt
apertum.
Quando autem alienatio fit ritè, & rectè, manifeſti juris 29
eſt, nec alienantem, nec ſucceſſorem poſſe illam infringere, ut tradunt Iſern. & cæteri ſcribentes in *d. c. 1. Qui feudum dare teneantur*, & Claud. *in d. Specul. fol.* 151.
Cæterùm adverte, quia præmiſſa non videntur procede- 30
re poſt Conſtitut. à Romanis Pontificibus hac de re editas.
Nam S.Pius V. *in Conſtit. 35. Admonet*, edita 4. Kalen Aprilis 1567. *in Bullar. tom.2. pag.* 221. ſtatuit, ut civitates, &
loca S. R. E. etiam in feudum, aut quemcumque alium
alienationis titulum dari ſolita, ad Sedem Apoſtolicam
quomodolibet devoluta, & pro tempore devolvenda, eo
ipſo Cameræ Apoſtolicæ abſque alia declaratione incorporata cenſeantur, perinde ac ſi nunquam in feudum, vel
alium titulum conceſſa fuiſſent, ut in §. 2. Ac præterea ſtatuit in §. 3. ut de hujuſmodi alienationibus, & feudationi-
bus tractantes, conſulentes, aut aliàs verba facientes, eaſ- 31
que Summo Pontifici per ſe, vel per alium inſinuantes, vel
ſuadentes, excommunicationis pœnam, ac lęſę Majeſtatis
etiam in primo capite, & confiſcationis bonorum, privationiſque dignitatum, ac beneficiorum eo ipſo incurrant.
Et in §. 9. addit, ut Cardinales in aſſumptione pilei, & ſede 32
vacante in conclavi jurare debeant prædictam Conſtitut.
obſervare, eique non contravenire, nec Pontificibus contrafacientibus conſentire, aut abſolutionem à juramento
petere, nec oblatam, aut conceſſam acceptare: & aſſum- 33
ptus in Summum Pontificem idipſum promittat, ac juret,
& poſt coronationem ſuis literis confirmet: ut latius in ipſa Conſtitutione, quam poſteà confirmarunt Pontifices
ſucceſſores, Greg. XIII. *Conſti. 3. Inter cætera, in Bullar.
tom. 2. pag.* 363. Sixtus V. *Conſtit. 26. Quanta eod. to. pag.*
520. Greg. XIV. *Conſtit. 1. Romanus Pontifex, pag.* 286. Et
ad hæc uſque tempora multùm dubitari poterat de intellectu illorum verborum Bullę Pii V. Et pro tempore devolvenda, an ſcilicet comprehenderent loca nondum devoluta tempore infeudationis. Et eò magis, quia idem Gre XIV.
in Conſiſtorio ſecreto Romæ apud S. Marcum die Ven. 13.
Septembris 1591. habito, ſententiis tamen S. R. E Cardinalium, qui tunc aderant, minimè requiſitis, quinimò
multis eorum expreſsè contradicentibus, declaravit, & decrevit, Pium V. Conſtitut. prędicta non prohibere feudum
nondum devolutum, quando neceſſitas, aut evidens, &
vera Eccleſiæ utilitas poſtulaverit iterum infeudari, nec juramentum in ea præſtitum ſimilem caſum comprehendere,
ac neminem licitè jurare poſſe, quòd contra neceſſitatem,
aut evidentem utilitatem Eccleſiæ ſit; ſicque prædictam
Conſtitutionem intelligendam judicavit, ac diffinivit. Sed 34
hanc dubitationem ſuſtulit Innoc. IX. *Conſtit. 1.* incip. *Quæ
ab hac ſancta Sede, edita pridie 9. Novembris* 1591. *eodem
to.2. pag.* 713. nam in §. 4. declaravit, Conſtitutione Pii V.
prohiberi quamcumque infeudationem, & alienationem
civitatum, & locorum eidem Sedi tam immediatè, quàm
mediatè ſubjectorum, non ſolùm poſt eorum devolutionem, ſed etiam antequam devolvantur, & quamcumque
in perpetuum, vel ad tempus prorogationem, & extenſionem infeudationum, & conceſſionum hujuſmodi nondum finitarum; ipſorumque incorporationem quoad effectum impediendæ alienationis, prorogationis, & extenſionis hujuſmodi, non à die eorum devolutionis, ſed à die
ipſius Conſtitutionis, & etiam antequam devolvantur, factam cenſeri: & in §. 5. præcepit S. Pii V. Conſt. jurari debere juxta prædictam declarationem.
Itaque ſtante hac declaratione Innoc. IX. planum eſt, ho- 35
die Papę non licere quemquam inveſtire de feudo nondum
aperto, & ſic diſpoſitio *d. c. 1. Qui ſucceſſ. feud. dar. tenean.*
& textus noſtri, quatenus permittit, ut infeudari poſſint

bona

bona feudalia ad Eccleſiam devoluta juramento non obſtante, locum non habet in Summo Pontifice, ſed tantummodò in inferioribus Prælatis. Forma enim juramenti, qua ſe obſtringit Papa, eſt longe diverſa à juramento de non infeudando, quo ſe adſtringunt Prælati inferiores in terminis hujus cap.

36 Quo fit, ut hodie locum non habeat concluſio, quam pluribus relatis firmat Rota *dec. 664. nu. 11. p. 2. rec.* videlicet Papam poſſe durante generatione inveſtiti in feudo aliis inveſtituram concedere in caſum devolutionis, cum tunc non dicatur agi de præjudicio inveſtiti. Obſtat enim declaratoria Innoc. ideòque nec opus eſt diſcutere, an diſpoſitio *d. c. 1. Qui ſucc. feud. dar. ten.* locum habeat in Summo Pontifice, de quo ibi plenè per Rot. *n. 13.*

Porrò Bulla Pii V. ut præfer. ur declarata ab Innocen. IX. confirmavit, & innovavit, ſeque ſervaturam promiſit, ac juravit Clem. VIII. *in Conſt. 1. ad Romani Pontificis, in Bullar. to. 3. pag. 1.* ubi etiam in §. 7. declarationem Greg. XIV. tamquam deſtruentem prædicti Pii Conſtitut. alienandique occaſionem præbentem, ac minimè neceſſariam revocavit, & annullavit perinde, ac ſi numquam emanaſſet; declarans eadem Pii V. Conſtitutione prohiberi civitatum, & locorum in ea contentorum, tam quæ numquam antea in feudum conceſſa, quam quæ aliàs ſæpius infeudata, ac poſtmodum devoluta, aut etiam nondum devoluta fuerunt, infeudationes, & prorogationes inveſtiturarum etiam ex cauſa neceſſitatis, aut evidentis, & veræ utilitatis factas, & faciendas, utlatiùs in eadem Bulla §. 8. & concordat Regula Cancell. 64.

Præter hæc, Gregor. XIII. die 3. Aprilis 1581. in Conſiſtorio declaravit ſub dicta Bulla S. Pii V. comprehendi etiam conceſſiones gubernatiorum, quas ultra trienniumde locis S. R. E. fieri non contingeret, quam declarationem & Sixtus V. approbavit itidem in Conſiſtorio die 16. Januarii 1589. 37

Prohibitio tamen Pii V. ut ſupra declarata, non comprehendit terras, & loca confiſcata ob delicta de quibus in Conſtit. 65. Greg XIII. incip. *Tanta*, ut ubi declaratur in §. 13. *in Bullar. tom 2. pag. 4*16. Idemque declaravit Sixtus V. in *Conſtit. 6. Hoc noſtri*, §. 8. *pag 491.* 38

Ac ſimiliter non comprehendit ea loca, quæ Camera Apoſtolica emit à Baronibus juxta Conſtitutionem 41. Clementis VIII. *Juſtitiæ*, §. 14. *in Bullar. tom. 3. pag. 55.* 39

DE SOLUTIONIBUS.

Alexander III. Decano, & Capitulo Morinen.

CAPUT I.

Ad hoc in Apoſtolicæ: & infrà. Sicut filius debita patris ſolvere tenetur: ita Prælatus ſui prædeceſſoris pro Eccleſiæ neceſſitate contracta.

SUMMARIUM.

1 *Succeſſor in beneficio tenetur ſolvere debita prædeceſſoris pro neceſſitate Eccleſiæ contracta, & numer. 6.*

2 *Filius non tenetur ad debita patris, niſi creditores probent eum ſe immiſcuiſſe hæreditati paternæ.*

3 *Et tunc tenetur etiam ultra vires hæreditatis, ſi eam adjerit ſine inventario.*

4 *Et quid de æquitate canonica, & in foro animæ.*

5 *Succeſſor in beneficio, & hæres in quibus æquiparentur, vel non.*

6 *Heres tenetur ſolvere omnia debita defuncti qualitercumque contracta.*

7 *Succeſſor in beneficio tenetur ad debitum prædeceſſoris, quod conſtat fuiſſe contractum pro neceſſitate Eccleſiæ, licet non probetur verſum, & numer. 9.*

8 *Fallit in mutuo, in depoſito, & cum res Eccleſiæ pro debito venditur.*

10 *Succeſſor in beneficio tenetur ad debita, quæ prædeceſſor pro ſui ſuſtentatione, vel infirmitate contraxit.*

11 *Succeſſor in Epiſcopatu tenetur ad expenſas advocati pro defenſione, & neceſſitate prædeceſſoris carceribus mancipati.*

12 *Succeſſor in beneficio an teneatur ad penſiones tempore prædeceſſoris decurſas, & non ſolutas, & num. ſeqq. uſque ad n. 22.*

13 *Penſio cum clauſula,* Ut meliùs, & commodius ſuſtentari valeas, &c *cenſetur reſervata ex cauſa alimentorum, & n. 15.*

14 *Hypotheca non oritur ex aſſignatione redditu um ſuper certo fundo, niſi aſſignatio fiat pro alimentis. Contrarium, n. 16. in fin.*

16 *Penſio, cenſus, collecta, & decima ſunt debitum reale, & obligat poſſeſſorem etiam pro terminis præteritis, & n. 19.*

17 *Et an ſit in optione creditoris, vel agere contra ſucceſſorem, vel contra antiquum poſſeſſorem, ſeu ejus hæredem, & numero ſequent.*

18 *Succeſſor in beneficio ex ſtylo Rotæ non tenetur ad penſiones decurſas tempore prædeceſſoris, niſi factis à penſionario diligentiis contra prædeceſſorem, vel illius hæredes.*

20 *Succeſſor pro penſionibus ſolutis pro antiquo poſſeſſore habet actionem contra eum, vel illius hæredes.*

21 *Succeſſor in Epiſcopatu, vel Parochiali etiam factis per penſionarium diligentiis contra prædeceſſorem non tenetur ad penſiones ante ſuam proviſionem decurſas, niſi detracta congrua.*

22 *Succeſſor an teneatur ad penſiones antiquas pro terminis decurrendis, licet ſibi non remaneat congrua. Diſtinguitur, ut n. ſeqq. in fin.*

23 *Quid ſi penſio ſit reſervata cum clauſula.* Dummodò remaneant mille pro Epiſcopo, vel centum pro Rectore.
Et quid cum clauſula, Etiamſi non remaneant mille, vel centum, *n. 30.*
Et quid ſi cum eadem clauſula non expreſſa, ſed tacitè ſubintellecta, n. 31.
Et quid ſi reſervatio ſit pura, n. 32.

24 *Clauſula,* Dummodò remaneant mille pro Epiſcopo, *facit penſionem conditionalem.*

25 *Et in petitorio onus probandi, quòd mille remaneant imcumbit penſionario.*
Etiamſi Epiſcopus reſervationi conſenſerit, n. 26.
Et probatio debet eſſe plena, n. 27.

26 *Conſenſus titularis intelligitur præſtitus ſub eadem conditione, ſub qua penſio fuit reſervata.*

28 *Penſio reſervata cum clauſula,* Dummodò remaneant tot pro Titulari, *ſi ſit exceſſiva, non eſt nulla in totum, ſed reducibilis.*

29 *Fallit, ſi ſit reſervata cum prædicta clauſula, & cum expreſſione certi valoris.*

30 *Trid. Conc. Papa cenſetur derogare reſervando penſionem cum clauſula,* Etiamſi non remaneant mille pro Epiſcopo.

31 *Idem ſi ſciat valorem fructuum, juxa quem non remaneant mille.*

32 *Penſio purè reſervata eſt reducibilis, ſi non remaneant mille*

mille pro Epiſcopo, & Papa fuerit deceptus in expreſſione valoris facta in cedula Conſiſtoriali.

1 AD *hoc*. Jo Andr. non ſummat, quia breve. Sed ſecundùm Abb. ſummatur ſic: Succeſſor in beneficio tenetur ſolvere debita prædeceſſoris, pro neceſſitate Eccleſiæ contracta. Hoc dicit.

2 Nota primò ex principio textus, filium teneri ſolvere debita patris. An autem ſit fundata intentio creditoris agentis contra filium poſt obitum patris ex debito paterno, adeò ut etiam alio non probato cogendus ſit filius ad ſolvendum? Primo intuitu videtur affirmativè reſpondendum per iſtum textum, qui hoc dicit ad literam, & per illud Apoſtoli 8. ad Rom. 17. *Si autem filii, & hæredes*, & 4. ad Galat. 7. *Quod ſi filius, & hæres*. Sed contrarium eſt verum, quia requiritur, ut creditor probet ſe immiſcuiſſe hæreditati paternæ; aliàs enim ſi filius ab illa ſe abſtineat, non tenetur creditoribus hereditariis reſpondere, nec poteſt cogi ad ſolvendum niſi conſtito de aditione hæreditatis; ut legitur, & notatur *leg. Neceſſariis, ff. de acquirend. hæredit.* & ibi per gloſſ. *in ver. Teneantur*, & Bartol. *num.* 1. & tenet gloſſa reputata ſingularis in *leg. Si cum dotem, §. Tranſgrediamur, in ver. Hæres, ff. ſolut. matrimon.* quę dicit ab actore probandum eſſe, quod filius ſit hæres patris, per textum *in leg.* 1. *Cod. Si minor. ab hæredit. abſtin. & in leg.* 1. *C. de jure deliberat.* & hic firmant Ancharan. *num.* 1. & Imol. *num.* 2. Et dictum Apoſtoli: Si filius, ergo hæres; intellige, quantum ad hoc, ut filius poſſit ſe immiſcere hæreditati paternæ, & illam agnoſcere; non autem quoad hoc, ut poſſit à creditoribus conveniri, ſi non appareat, quòd hæreditatem agnoverit, ſecundùm Imol. *ubi ſupra*. Vel dictum Apoſtoli intelligas quantum ad nomen, non autem quantum ad commodum, vel incommodum, niſi ſe immiſceat, ut declarat præcitata gloſ. in *l. Neceſſariis, in ver. Teneantur, ff. de acquiren. hæred.* & literam textus noſtri, ibi, *Filius*, ſupple, *Et hæres*, ſecundùm Bernardum hìc poſt caſum, Abb. Antiq. & Ho-
3 ſtienſ. *in princ.* Itaque filius, quem conſtat hereditati paternæ ſe immiſcuiſſe, tenetur ad debita patris, & quidem in ſolidum, & ultra vires hæreditatis, ſi eam adivit ſine beneficio legis, & inventarii. Sed ſi inventarium confecit, tenetur ſolùm quatenus vires hæreditatis patiuntur, ut *leg. fin. C. de jure delib.* ſecundùm Alan. hìc relatum in gloſſ. 2.
4 Sed Butr. *n.* 3. & Imol. *num.* 7. dicunt hoc verum de rigore juris civilis, & in foro contentioſo; ſed de æquitate canonica, & in foro conſcientiæ, qui adivit ſine beneficio inventarii, non tenetur niſi in quantum ſe extendunt vires hæreditatis. Allegant gloſ. *in c. Quamquam, in ver. Mandaverint, de uſur.* & ibi Jo. Andr. in gl. *in ver. Dicebat*, Bart. & Bald. *in Rubrica, ff. di acqu. hæred.* Tu verò in hoc paſſu recurre ad Feder. de Sen. in ſuo ſolemni *conſ.* 21. incip. *Numquid hæres per tot.* ubi hanc materiam luculenter examinat.

5 Secundò nota ex textu equiparationem, ſeu ſimilitudinem inter heredem, & ſucceſſorem in beneficio, ſecundum Anchar. hic *n.* 2. Imol. *n.* 3. & Abb. *nu.* 1. nam quemadmodum hæres ſuccedit in univerſum jus defuncti, *l. Hæreditas, ff. de reg. jur.* ita & ſucceſſor ſuccedit Prælato in univerſum jus Eccleſiæ, *c. Relatum, il* 2. *§. Nemine, de teſtam.* ſecundùm Hoſt. *hic num.* 3. Joan. Andr. *nu.* 1. & alios ſupracitatos. Item æquiparantur quoad ſolvenda debita per prædeceſſores contracta, ut in textu. Sed nihilominus in multis differunt; nam hæres jus cauſat à defuncto, ſed ſucceſſor in beneficio jus conſequitur non à defuncto, ſed à ſuperiore, à quo inſtitutionem obtinuit, ut hìc per Abbatem *n.* 1. *verſ. Sed in multis*, & dixi in *c. Gravis*, *nu.*
6 136. *& ſeq. ſupra de reſtit. ſpol.* Item differunt, quia hæres tenetur ſolvere omnia debita defuncti qualitercumque contracta, ut notatur in *c.* 1. *infra de teſtam.* & dictum eſt ſuprà *n.* 3 ſed ſucceſſor in beneficio non tenetur niſi ad illa, quæ ſunt contracta pro neceſſitate Eccleſiæ, ut hìc probatur à contrario ſenſu. Concordat textus *in cap. Hoc jus, §. Et his creditor*, 10. *q.* 2. *in cap. Quod quibuſdam, ſupra de fidejuſſ. & in c. Gravis de Depoſito.* Et hìc notat gloſ. ultim. cum qua tranſeunt communiter Scribentes, Gemin. *conſ.* 1. *num.* 2. *&* 3.

7 Ultimò nota ibi, *pro Eccleſiæ neceſſitate*, ad hoc ut ex debito per Prelatum contracto obligetur ſucceſſor, ſufficere, ut probetur debitum pro neceſſitate Eccleſiæ contractum fuiſſe. Et quamvis Innocentius hìc in fine requirat, ut probetur etiam verſio in Eccleſiæ utilitatem, & Abb. Antiq. dicat hoc benè notandum. Tu tamen pondera, quia textus non exigit hanc probationem verſionis, ſed tamen exigit, ut debitum fuerit contractum pro Eccleſiæ neceſſitate. Sufficit ergo probare caſum neceſſitatis, ut hìc per Hoſt. *n.* 3. qui dicit eſſe hìc argumentum expreſſum, quod Eccleſia obligetur, etſi non ſit verſa pecunia, dum tamen probetur, quòd Eccleſia indigebat, & pro illa neceſſitate, quæ imminebat, fuit debitum contractum. Ad hoc bonus text. *in l.* 1. *§. Quod ſi mutuam, & in l. Lucius, ff. de exercitor. action.* & cum Hoſt. videtur hìc tranſire Joann. Andr. *num.* 1. *in verb. Neceſſitate*, Card. dicens hoc verius *nu.* 1. Anchar. *num.* 4. & Abb. *num.* 2. qui hunc text. ita intellectum reputat multùm notabilem. Sed Anton. de Butr. *n.* 1. *ver. Ulterius*, dicit opiniones poſſe ad concordiam reduci, ut opinio Innoc. procedat in mutuo, opinio verò 8
Hoſtienſ. in aliis contractibus, quàm mutui, & cum hoc tranſeunt Jo. de Imol. *n.* 2. *in fin. verſ. Dominus Antonius*, & Joan. de Anan. *n.* 3. *verſ. Nota quod ad hoc*, Tu verò his adde Innoc. in *d. c. Gravis*, *n.* 1. *de Depoſito*, ubi ait contrahentem cum Eccleſia, vel hoſpitali debere eſſe ſolicitum de converſione rei in utilitatem Eccleſiæ tribus caſibus in jure expreſſis. Primus eſt in mutuo, ut *l. Civitas, ff. Si certum petatur, & cap. Quod quibuſdam, ſupra de fidejuſſor.* Secundus in depoſito, *dict. cap. Gravis*. Tertius, cum res Eccleſiæ pro debito venditur, ut in Auth. *Hoc jus porrectum C. de Sacroſanct. Eccleſiis, & in cap. Hoc jus*, 10. *q.* 2. In aliis autem caſibus, licet verſum non probetur in utilitatem Eccleſiæ, ſeu Hoſpitalis, ſi ad hoc datum fuerit, ipſa Eccleſia, ſeu Hoſpitale tenetur. Et hoc dictum 9
Innoc. quicquid dixerit gloſ. *ult. in l.* 1. *C. de venden. reb. civitatis, lib.* 12. communiter ſequuntur Canoniſtę, & Legiſtæ *in d. l. Civitas*, ut teſtatur Ludovicus Roman. *in conſil.* 440. *Non eſt dubium*, *nu.* 4. *&* 5. Ubi propterea conſuluit extra caſus prædictos ſucceſſorem in hoſpitalatu obligari ad debita, quæ præcedens hoſpitalarius in utilitatem hoſpitalis contraxit, licèt verſio probata non fuerit, per hoc cap. Et idem voluit *in conſ.* 517. *in caſu poſt n.* 2. *& in l. Si cum dotem, §. Si maritus, n.* 15. *& in l. In inſulam, §. Uſuras, ante n.* 15. *ff. ſol. matrim.* Abb. *conſ.* 85. *Videtur primo, num.* 3. *lib.* 2.

Sed quid ſi Prælatus contraxerit debita pro ſui ſuſtentatione? Reſpondeo teneri ſucceſſorem, quia pro neceſſitate Eccleſiæ videntur contracta, cùm Eccleſia teneatur Prelatum alimentare, *c. Cum ſecundum Apoſtolum, de præben.* & ita hìc firmat Abb. *n.* 2. *verſ. Nam ſi Prælatus, & in c. Per tuas, n.* 2. *infra de donat. & in c. Ex præſentium, n.* 5. *ſup. de pign.* ubi extendit textum noſtrum, qui obligat ſucceſſorem in beneficio ad ſolvenda debita pro neceſſitate Eccleſiæ contracta, ut idem ſit, ſi contracta fuerint pro neceſſitate perſonę; & hìc ſubdit ſe ita in facto pluries conſuluiſſe, præſertim in Rectoribus Eccleſiarum, qui contrahunt multa debita in infirmitate, ex qua decedunt; nam ſucceſſor tenetur illa ſolvere, ut per eum. Sequitur Quintilianus Mandoſ. *in repet. c* 1. *n.* 11. *verſ. In pluribus de probat. vol.* 6. *Repetentium, in Appendice, fol.* 62. Et propterea cùm quidam Doctor patrocinium præſtitiſſet Epiſcopo Caurienſi carceribus mancipato, & pro ejuſdem neceſſitatibus pecunias expendiſſet, Domini de Rota in Cauriengſi pecuniaria 11. Februarii 1547. coram Puteo concluſerunt ſucceſſorem teneri, ut apud Peregr. *dec.* 14. *ſub tit. de ſolut.* & referunt Mandoſ. *ubi ſup.* & Flam. Pariſ. *de reſign. benef. lib.* 1. *q.* 16. *nu.* 51. 10 11

QUÆRO, an ſucceſſor in beneficio teneatur ad penſiones tempore prædeceſſoris decurſas, & non ſolutas. 12

Rota apud Caſſadorum *deciſ.* 4. *numer.* 3. *de locato* dixit hunc paſſum, an ſucceſſor teneatur ad decurſas penſiones pro prædeceſſore, eſſe dubium, & nondum in Palatio deciſum: & Creſcentius *deciſ.* 3. *num.* 7. *de ſolut.* teſtatur Rotam numquam voluiſſe judicare ſucceſſorem teneri ad penſiones per prædeceſſorem non ſolutas: & Achil. *deciſ.* 3. *num.* 1. *de penſionib.* ſimiliter ait Dominos numquam voluiſſe reſolvere, ut penſio debeatur à ſucceſſore, ne in dies peterentur.

Opinio tamen affirmativa videtur de jure verior, ſaltem in penſionibus, quæ communiter reſervare ſolent cum clauſula, *Ut meliùs, & commodiùs ſuſtentari valeas de* 13
alicu-

alicujus ſubventionis auxilia providere, & ſpecialem gra-
tiam facere volentes. Quæ clauſula id operatur, ut pen-
ſio alimentorum cauſa cenſeatur aſſignata, ut declarat
Quintilianus Mandoſ. *in Regula de infirmis, qu. 11. num.*
6. & ſuper. ſignat. ſub titul. de penſionibus, quæſt. 51. & ſeq.
14 Quamvis autem circumſcripta cauſa alimentorum, ſi red-
ditus ſuper certo fundo aſſignentur, ex tali aſſignatione
fortè hypotheca naſci non videatur, ſed ſolùm perſonalis
actio contra aſſignantem, ut *l. fin. in fine, ff. de contrahen.*
emp. l. Si liberto, in princip. juncta gloſſa ejuſdem princi-
pii, *in ver. Vendita ſunt, ff. de ann. legat.* tamen ſecus eſt
ſi redditus ſuper tali fundo aſſignentur pro alimentis, quia
tunc procedit concluſio Juris, dicens rem illam, ex qua
jubentur alimenta præſtari, eſſe pro ſolvendis alimentis ta-
citè hypothecatam: hìc eſt text. in *leg. 2. in fine, ff. de ali-*
men. & cibar. leg. & tenet Gloſſator *in leg. Lucius, in gloſſ.*
2. ff. eodem & in l. Cajus in ver. Neque in rem, ff. de An-
nuis legatis, & in l. Cum hi, in ver. Idem eſt etſi ageretur,
ff. de tranſact. Cujus ſententiam omnes ſequuntur, ut in-
quit Ludov. Roman. *in conſ. 388. In caſu propoſiti thematis,*
numer. 3. ubi hoc præcipuo fundamento firmat hanc con-
cluſionem, ut Epiſcopus ſucceſſor teneatur ad penſiones
15 decurſas, & non ſolutas tempore prædeceſſoris. Eamdem
conluſionem ſuppoſita reſervatione penſionis cum prædi-
cta clauſula, *Ut commodius, &c.* videtur ſequi Felinus in
cap. Ad audientiam, il 2. n. 6. de reſcript. & eam probant
ſimpliciter Philippus Francus in *cap. ult. nu. 3. & 4. de off.*
Ordin. lib. 6. & Gigas *de penſ. qu. 39. num. 10.* ea ratione,
quia penſio, & cenſus ſicut collecta, & decima ſunt debi-
tum reale, & obligant poſſeſſorem, ut *c. Si quis laicus,*
16 *16. q. 1.* Unde novus poſſeſſor beneficii erit conveniendus,
ut debita ſolvat etiam pro cenſu, & penſionibus preteritis,
ut in hoc *c. Et facit text. in l. Imperator, ff. de Publicanis,*
ubi hoc eſt expreſſum in tributis. Idque procedere etiam
extra caſum alimentorum, pluribus probat Gig. *de penſion.*
17 *q. 51. à nu. 17.* Et tamen in optione penſionarii creditoris,
vel agere contra ſucceſſorem in beneficio, vel contra anti-
quum poſſeſſorem, ſeu ejus hæredem, ut per Gigant *d.*
q. 39. n. 11. Et in decimis, quæ eodem jure cum penſionibus
cenſentur, reſpondit Feder. de Sen. *conſ. 81.* incip. *Laicus*
de prædio ſuo; & in charitativo ſubſidio, quod ſimiliter eſt
onus reale, & tranſit in ſucceſſorem beneficii, voluit Bar-
tholomæus Bellencinus *de charitativo ſubſidio, q. 51. verſ.*
Fateor tamen.
18 Cæterùm adverte, quia etſi Rota non fuerit ſequuta
opinionem Feder. de Sen *in præallegat. conſ. 81.* nec olim
voluerit judicare ſucceſſorem teneri ad penſiones non ſo-
lutas per prædeceſſorem, ut dixi ſupra *nu. 12.* nihilominus
ubi conſtat de diligentiis factis à penſionario pro exactio-
ne penſionis contra prædeceſsorem, vel illius hæredes, paſ-
ſim Rota condemnat ſucceſsorem ad ſolvendos terminos
decurſos in vita prædeceſsoris, & non ſolutos, ut in cau-
ſa Cantuarien. penſionis, 15 Januarii 1592. coram Gipſio,
& in Hiſpalen. penſionis 16. Decembris 1577. coram Car-
din. Blanchett & in Cæſarauguſtana penſionis 13. Aprilis
1592 coram Cardin. Pamphilio, & in concordantibus re-
19 latis à Gregor. XV. *dec. 507. num. 3.* Penſio enim, ut præ-
dixi, eſt onus reale, & cohærens beneficio, ut tetigi ſu-
pra *num. 16.* & fuit dictum in præcitatis deciſionibus, &
propterea obligatur ſucceſsor ad illius ſolutionem, non
ſolùm in futurum, ſed etiam in præteritum pro terminis
decurſis ante ſuam proviſionem, ut *l. Quæſitum, ff. de uſu-*
fruct. & tradunt Philippus Franc. in *d. c ult. num. 4. de offic.*
Ordin. lib 6. Cardin. in Clement. 1. *qu. 11. n. 5. in fin. ver.*
Ad aliud verò, de cenſibus, Gemin. *conſ. 3. Super dubio,*
num. 2. & per tot dicens de hoc eſse caſum in hoc cap Car-
din. Alban. *conſ. 2. nu. 12.* Navar *conſ. 1 numer. 3. & 4. &*
conſ. 2. num. 3. & 5. de ſolut. & alii apud Gregor. *in prælle-*
gata dec. 507. num 2. Licet novus poſseſſor, & ſic ſucceſ-
20 ſor in beneficio poſſit procedere contra antiquum poſseſ-
ſorem, ſeu illius hæredem, ut probatur in *d. c. ult. de offic.*
Ordinar. lib. 6. & ibi notat Franc. *num. 3. verſ. Ipſe tamen*
novus poſſeſſor.
21 Cave tamen, ne decipiaris, quia etſi novus poſseſsor
beneficii factis ut ſupra diligentiis teneatur ad penſiones
decurſas tempore prædeceſſoris, ut dictum eſt: hoc ta-
men eſt moderandum cum temperamento, videlicet dum-
modò ei remaneat congrua, quæ in primis, & ante om-
nia deducenda eſt, ut fuit deciſum in Campanien. penſio-
nis 22. Januarii 1609. coram Juſto, impreſſa apud Marche-
ſanum *de commiſs. p. 1. fol. 547.* quam ita intellexit, & ſe-
quuta eſt Rota coram Greg. XV. in ſæpiùs citata *dec. 507.*
num. 5.
Sed hìc incidit quæſtio, numquid ſucceſsor in beneficio 22
teneatur ad ſolutionem antiquarum penſionum pro termi-
nis ſuo tempore decurrendis, licèt non remaneat congrua
ſibi debita ex præſcripto S. Conc. Triden. *c. 13. §. Ad hac,*
ſeſſ. 24.
Pro ſolutione obſervandum eſt, & quod ad præſentem 23
quæſtionem attinet, Papam quatuor modis reſervare pen-
ſiones ſuper fructibus menſæ Epiſcopalis, vel Parochialis:
primò ſcilicet cum clauſula, *Dummodò remaneant mille*
pro Epiſcopo, vel centum pro Rectore. Et hoc primo caſu
planum eſt Epiſcopum, vel Rectorem non teneri ad pen-
ſiones pro terminis decurrendis, niſi priùs detracta con-
grua; quia penſio hoc caſu eſt conditionalis propter clau-
ſulam, *Dummodò*, Rota *deciſ. 1160. num. 2. par. 3. diverſ.* 24
& ſæpiùs reſolutum fuit in pluribus cauſis, teſte Cardin.
Sereph. *dec. 1121. nu. 2* & clara eſt intentio Papæ, ut ita
demum penſio debeatur, ſi remaneant mille pro Epiſco-
po, vel centum pro Rectore, ad præſcriptum Concil.
Tridentin. *in d. cap. 3.* ut dixit Rota *dec. 679. in fine, verſ.*
Quia clara eſt intentio Papæ, par. 4. diverſor. Ideòque, ſi
Epiſcopus, vel Rector agat petitorio judicio contra pen-
ſionarium, negans ſe penſionem debere, aut dicens pen-
ſionem eſse nullam, tenetur penſionarius aſsumere onus
probandi, quod titulari remaneat congrua, quia ipſius pen- 25
ſionarii intentio fundatur in diſpoſitione conditionali, quę
niſi juſtificetur, illum non relevat, ut *l. Si quis pro condi-*
tione, ff. Si quis omiſſ. cauſ. teſtam. cum concord. & ita fuit
reſolutum in cauſa Salamantina penſionis 26. Maji 1593.
coram Gipſio apud Garz. *de benef. part. 1. cap. 5. num. 424.*
verſ. Tertius caſus, & in præalleg. dec. 679. p. 4. diverſ. Qui-
nimò hoc vendicat ſibi locum, etiamſi titularis reſerva- 26
tioni penſionis conſenſerit; quia conſenſus hujuſmodi in-
telligitur præſtitus ſub eademmet conditione, ſub qua pen-
ſio reſervata exiſtit, ut in d. Salamantina penſionis, *ver.*
Non obſtat, quòd titularis conſenſerit. Et hoc caſu non 27
ſufficit ſemiplena probatio, ſed debet eſſe plena, ut per Mo-
hed. *dec. 148.* & Seraphin. *d. dec. 1122. n. 2.* ubi allegantur 28
aliæ deciſiones concordantes. Cæterùm iſto caſu, ideſt,
cùm penſio reſervatur cum prædicta clauſula, *Dummodò*,
&c. ſi ſit exceſſiva, agi poteſt de ſola reductione, non au-
tem de nullitate penſionis in totum, quia non deficit in-
tentio Papæ eam reſervantis in majori ſumma, cui minor
ineſt; nam ſi voluit reſervare penſionem in majori quan-
titate, fortiùs in minori, *l. 1. §. Si ſtipulanti, ff. de verb.*
oblig. cum ſimilibus, Creſcent. *dec. 17. num. 4. de reſcript.*
Put. *dec. 34. n. 2. lib. 1.* Mantic. *deciſ. 153. num. 2. & 4.* Nec
Papa appoſuit conditionem illam, *Dummodò*, &c. ad effe-
ctum, ut ea non juſtificata penſio in totum reddatur nulla,
ſed ſolùm ut ad minorem ſummam reduci poſſit, ut fuit
ponderatum in præalleg. Salamantina Penſionis, *ver. Nam*
Papa non appoſuit. Verùm hoc intelligas in eo tantùm caſu, 29
in quo penſio fuit quidem reſervata conditionaliter cum
predicta clauſula, *Dummodò remaneant tot pro titulari, ſed*
ſine expreſſione certi valoris; tunc enim, ut prædixi, penſio
exceſſiva non eſt nulla in totum, ſed reducibilis, & ita
procedunt deciſiones præallegatæ: ſecus verò ſi penſio re-
ſervata fuerit ſimul cum prædicta clauſula, *Dummodò*, &
cum expreſſione certi valoris per aſcenſum; quia tunc ſi
penſio reperiatur exceſſiva, non poteſt reduci, ſed propter
ſubreptionem debet declarari nulla in totum, ut fuit deci-
ſum in Peruſina Parochialis, ſeu penſionis 1. Julii 1641. co-
ram Dunozetto Decano.
Secundo modo Papa reſervat penſiones ſuper fructibus 30
menſæ Epiſcopalis, vel Parochialis, cum clauſula primæ
oppoſita, videlicet, etiamſi non remaneant mille pro Epi-
ſcopo, vel centum pro Rectore; quod tamen fit admodum
raro. Et hoc caſu reſolutum eſt Epiſcopum, vel Rectorem
teneri ad ſolutionem penſionis cum integritate, etiamſi
non remaneant mille, vel centum pro ſua congrua. Ratio
eſt evidens, quia de poteſtate Papæ ambigi non poteſt,
c. Propoſuit, de conceſſ. præb. c. 2. de Præb. lib. 6. & de vo-
luntate conſtat, quia id verbis expreſſit, *l. Labeo, §. Id Tu-*
bero, ff. de ſuppell. leg. Gemin. *conſ. 61. Super præmiſſo du-*
bio, in princ. Bald. *conſ. 305. Verba Principis in prin. verſ.*
Aut eſt dubium, libr. 1. & cenſetur Trid. C. derogaſſe, cùm
ſtatue-

ſtatuerit contrarium ejus, quod Concilium diſponit in *d. c.* 13. §. *Ad hac ſeſs.* 24. ut dixi in *c. Ex parte, nu.* 26. *de privil.* Et extat motus proprius S. Pii V. quem retuli in *cap. Nulla, n.* 86. *de conceſs. præb.*

31 Tertio modo Papa reſervat penſiones cum prædicta clauſula, *Etiamſi non remaneant mille* &c. non quidem expreſſa, ſed tacitè ſubintellecta, puta, quia in cedula Conſiſtoriali fuit expreſſus valor fructuum menſæ Epiſcopalis per aſcenſum in ducatis, v. g. mille: & nihilominus penſio fuit reſervata in ducatis quingentis. Et hoc tertio caſu pariter Epiſcopus tenetur ad ſolutionem integræ penſionis, licèt non remaneant mille pro ſua congrua, nec poteſt petere reductionem, quia Papa etiam iſto caſu cenſetur voluiſſe derogare decreto Conc. Trid. in *d. c.* 13. Quia cùm ſciverit valorem fructuum, juxta quem non remanent mille pro Epiſcopo, talis ſcientia habet vim clauſulæ, *Non obſtante*, Felin. in *c. Nonnulli, n.* 13. *verſ. Fallit quartò, de reſcript.* & in propriis terminis reſolvit Rota in cauſ. S. Angeli penſionis 16. Decemb. 1594. coram Card. Pampli. & in Ferret. Penſionis 23. Januar. 1602. coram Ortembergo, quæ referuntur in Campanien. Penſionis 22. Januarii 1509. coram Juſto, impreſſa apud Marcheſ. *de commiſs. p.* 1. *fol.* 547.

32 Quarto demùm modo Papa reſervat penſionem purè, & ſine prędicta clauſula, nec expreſſa, nec tacitè ſubintellecta, puta, quia fructus menſæ Epiſcopalis per aſcenſum expreſſi fuerunt in ducatis mille, & quingentis, & penſio reſervata fuit ſolùm in ducatis quingentis; & in hoc ultimo caſu, ſi facta fructuum liquidatione appareat penſionem eſſe exceſſivam, & non remanere Epiſcopo ducatos mille pro ſua congrua, & Papam fuiſſe deceptum in expreſſione valoris narrati in cedula Conſiſtoriali: tunc penſio erit reducenda, ita ut Epiſcopo remaneant mille pro ſua ſuſtentatione, ut fuit deciſum in d. Campan. penſionis: hoc enim caſu Papa non cenſetur voluiſſe derogare, quin potius ſe conformare decreto Conc. Trid. Et ad excludendam ſcientiam Papę de vero valore, ſecundùm Rot. ubi ſupra, ſatis eſt in informatione valoris pro propoſitione Eccleſiæ in Conſiſtorio teſtes depoſuerint fructus Eccleſiæ aſcendere ad d. ducatos mille, & quingentos: quia hęc probatio licèt non fuiſſet ſufficiens ad probandum verum valorem, informavit ſaltem animum Papæ, quod reſervata penſione quingentorum ducatorum, nihilominùs remanebant mille pro ſuſtentatione Epiſcopi. Unde non poteſt concludi, Papam voluiſſe derogare Concil. ſed potius præſumendum eſt ſe voluiſſe cum Conc. conformare, ut ibi per Rot. Sed ante factam liquidationem fructuum Epiſcopus non poteſt detrectare ſolutionem penſionis hoc prætextu, quod non remaneant mille pro ſua congrua, ut colligitur ex eadem deciſione.

DE SOLUTIONIBUS.

Gregorius IX. Decano, & J. Canonico Tullen.

CAPUT III.

ODoardus Clericus propoſuit, quòd cùm P. Clericus, & D. Laicus, & quidam alii ipſum coram officiali Archidiaconi Rhemen. ſuper quibuſdam debitis conveniſſent, idem in eum recognoſcentem hujuſmodi debita, ſed propter rerum inopiam ſolvere non valentem, excommunicationis ſententiam promulgavit: & infrà. Mandamus, quatenus ſi conſtiterit, quòd prædictus O. in totum; vel pro parte, non poſſit ſolvere debita ſupradicta, ſententiam ipſam ſine difficultate qualibet relaxetis: recepta priùs ab eo idonea cautione, ut ſi ad pinguiorem fortunam devenerit, debita prædicta perſolvat.

SUMMARIUM.

1 *DEbitor qui non eſt ſolvendo, excommunicatus, quia non ſolvit, abſolvitur cum cautione de ſolvendo, ſi ad pinguiorem fortunam devenerit.*

2 *Clericus qui non eſt ſolvendo, non debet excommunicari, nec aliter moleſtari; præſtabit tamen cautionem ſaltem juratoriam de ſolvendo, cum pervenerit ad pinguiorem fortunam.*

3 *Clericus pro debito civili excommunicari poteſt, ſi contumaciter reſiſtat præcepto judicis de ſatisfaciendo, ſe non debet carceribus mancipari.*

4 *Sed ex Concilio Tridentino excommunicari non debet niſi in ſubſidium.*

5 *Ab excommunicatione injuſta non fit abſolutio, ſed relaxatio.*

6 *Contrarium.*

Declaratur, ſi injuſtitia ſit notoria, numero 9. 10. & 11.

7 *Relaxare, & abſolvere, an, & in quo differant, & num.* 9.

8 *Abſolutio ab excommunicatione injuſta datur ſine juramento, & cautione de parendo mandatis Eccleſiæ, & ſolutionis expenſarum.*

9 *Abſolutio competit in dubio, relaxatio quando de injuſtitia evidenter conſtat, & n.* 11.

11 *Excommunicatio notoriè injuſta, ut quia ſit lata contra debitorem, qui notoriè non eſt ſolvendo, an ſit ipſo jure nulla, & n. ſeqq.*

12 *Error expreſſus in ſententia an eam reddat nullam ipſo jure.*

13 *Debitor ad hoc ut gaudeat beneficio hujus c. Odoardus, quæ requiſita debeant concurrere, & n. ſeqq. uſque ad num.* 70.

14 *Debitor laicus, niſi cedat bonis, pro debito civili in ſolidum conveniri, & in carcerem detrudi poteſt.*

15 *Ceſſio bonorum fieri debet uſque ad ultimum quadrantem.*

Non tamen auferuntur panni de dorſo, n. 16.

16 *Damnatis ad ultimum ſupplicium veſtes non auferuntur.*

17 *Debitor laicus, ſi quid acquirat poſt ceſſionem bonorum, non convenitur, niſi in quantum facere poteſt.*

18 *Miles, maritus, donator, & alii privilegiati de jure civili ſine ulla bonorum ceſſione conveniuntur, quatenus facere poſſunt.*

19 *Milites armatæ, legalis, & cœleſtis militiæ, æquiparantur quoad beneficium, ut non conveniantur, niſi in quantum facere poſſunt, habita ratione ne egeant.*

20 *Clerici etiam primæ tonſuræ gaudent beneficio hujus cap.*

21 *Quamvis non ſint beneficiati, nec habitum, & tonſuram deferant, nec alicui Eccleſiæ inſerviant.*

22 *Tridentinum Conc. c.* 6. *ſeſſ.* 23. *non ademit clericis non habentibus requiſita niſi privilegium fori. Privilegium verò hujus c. & reliqua remanſerunt in diſpoſitione juris communis.*

23 *Clericus conjugatus gaudet privilegio fori, & Canonis, ſed non privilegio hujus cap.*

24 *Clericus, qui abjecto habitu clericali geſſit ſe publicè pro laico, non gaudet beneficio hujus cap. ſecus ſi gerat ſe pro clerico, licèt non habeat requiſita Conc. Trident.*

25 *Clericus non habens requiſita Conc. Trid. quamvis non gaudeat privilegio fori, tamen ſi gerat ſe pro clerico, poteſt puniri etiam ab Epiſcopo, & eſt locus præventioni.*

26 *Actio inanis eſt, quam inopia debitoris excludit.*

27 *Pe-*

27 Periculo ejus qui nihil habet, nihil eſſe poteſt.
28 Paupertas in quibus proſit.
29 Solutio partis debiti regulariter non admittitur creditore invito, ſed fallit in clerico, qui pro parte non eſt ſolvendo.
30 Clericus non gaudet privilegio hujus c. Odoardus, ſi creditor ſit ipſo pauperior.
31 Clericus ut gaudeat beneficio hujus c. paupertatem probare debet.
32 Paupertas qualiter probetur.
33 Mendicans præſumitur pauper, niſi creditores probent contrarium.
34 Paupertas probatur eo ipſo, quòd aliquis cedit bonis, nec ejus corpus debet poſteà detineri.
35 Clericus, qui in ludis prohibitis, vel luxurioſè vivendo bona ſua diſſipavit, non gaudet beneficio hujus c. & nu. 39. & 40.
Contrarium n. 41.
36 Clericus cenſetur tacitè renuntiare beneficio hujus c. ſi dolo, vel fraude factus eſt inops, & n. 44. & 46.
Vel ſi prioribus creditoribus præpoſuit poſteriores, n. 38.
37 Alienans omnia bona ſua, vel majorem partem, etiam interpollatis vicibus, præſumitur hoc feciſſe in fraudem creditorum.
40 Meretrices devorant animas perditorum.
42 Ludus Azardi, & alearum multos depauperare conſueverunt.
43 Nomina debent eſſe conſequentia rebus.
44 Doloſus non eſt admittendus ad beneficium ceſſionis, vel ad beneficium hujus c. Odoardus, vel c. Pervenit, de fideiuſſ.
45 Spoliator, qui fraudem adhibuit, non admittitur ad beneficium hujus cap.
46 Alienans bona ſua in fraudem creditorum non gaudet beneficio hujus cap.
47 Clericus non gaudet beneficio hujus c. niſi conveniatur civiliter, vel pro maleficio ad intereſſe præſtandum.
48 Secus ſi agatur criminaliter ad pœnam, vel pœnitentiam imponendam, quia non fit commutatio pœnæ pecuniariæ in corporalem, niſi actore volente.
Et hoc ſi pœna applicetur parti, ſecus ſi applicetur fiſco, num. 50.
49 Injuriarum actio proponitur tantùm ad vindictam.
51 Debitor, qui luit in corpore, liberatur ab obligatione ſolvendi pœnam pecuniariam.
52 Clericus ita demum gaudet privilegio hujus c. ſi conveniatur actione perſonali, ſecus ſi actione reali, ut depoſiti, &c. & n. 54.
53 Maritus non tenetur ultra, quàm facere poteſt, ſi conveniatur actione perſonali, ſecus ſi actione in rem.
55 Clericus non gaudet privilegio hujus cap. niſi debitum confiteatur.
Et multò minus ſi debitum pertinaciter neget, nu. 57. & 58.
56 Si cedat bonis antequam condemnetur, vel debitum in jure confiteatur, non eſt audiendus.
58 Clericus gaudet privilegio hujus c. abſque ulla bonorum ceſſione, ſecus in perſonis non privilegiatis, & num. ſeq. uſque ad n. 64.
59 Ceſſio bonorum quamvis infamiam juris non irroget, tamen ſigillat ſtatum cedentis ſaltem quoad infamiam facti.
60 Ceſſio bonorum alicubi fit cum infamia, & vituperio.
61 Romæ fit ſuper leonem marmoreum penes ſcalam Capitolii.
62 Beneficium c. Odoardus, & c. Pervenit, ex Conſtitut. Pii IV. non datur debitoribus in Urbe, niſi geſtent birretum viride.
63 Ceſſio bonorum de jure fit nudo verbo coram judice.
64 Inopia, & impotentia ſolvendi non extinguit obligationem, ſed ſuſpendit illius effectum in tempus proſperioris fortunæ.
65 Clericus inops, cùm ad pinguiorem fortunam pervenerit, non tenetur in totum, ſed in quantum facere poteſt, habita ratione ne egeat.
66 Clericus ſemel admiſſus ad beneficium hujus c. non prohibetur iterum admitti.
67 Ceſſio bonorum poteſt reiterari.
68 Clericus non admittitur ad beneficium hujus c. niſi præſtet juratoriam cautionem de ſolvendo, cum ad pinguiorem fortunam devenerit, & n. ſeq.
69 Cautionis nomine nuda promiſſio intelligitur, ſed cùm additur idonea, vel ſufficiens, debet eſſe pignoratitia, vel fidejuſſoria.
70 Beneficio ne quis conveniatur, ultra quàm facere poteſt, ſi competat ratione perſonæ privilegiatæ, non poteſt renunciari: ſecus ſi ratione contractus.
71 Fallit in renunciatione tacita, quæ fit per actum contrarium.
72 Privilegio fori expreſsè renuntiare non poteſt Clericus etiam cum juramento: poteſt tamen tacitè habitum vel tonſuram non deferendo, aut Eccleſiæ non inſerviendo, & n. 78.
73 Clericus an poſſit cum juramento renuntiare beneficio hujus cap.
74 Beneficium hujus c. Odoardus, habet duos effectus.
75 Privilegio ne quis aetrudatur in carcerem, renuntiari non poteſt etiam cum juramento.
76 Carceris ſquallor eſt contra naturalem æquitatem.
77 Carcer eſt ſpecies ſervitutis.
78 Privilegio ne quis conveniatur, ultra quàm facere poteſt, ſi competat ob reverentiam perſonæ, renuntiari non poteſt etiam cum juramento.
79 Beneficiatus non fruitur beneficio hujus c. contra penſionarium, ſi per ſeipſum conſenſerit reſervationi penſionis, & n. ſeq.
80 Secus ſi ſucceſſerit in beneficio gravato, & non conſenſerit per ſeipſum.
81 Penſioni conſentiens ſub ſolitis cenſuris, ſi non ſolvit in tempore, ex ſtylo Rotæ illas incurrit ſine alia literarum intimatione.

ODdoardus. Debitor, qui non eſt ſolvendo, excommu- 1
nicatus quia non ſolvit, abſolvitur cum cautione de
ſolvendo, ſi ad pinguiorem fortunam devenerit. Hoc di- 2
cit Jo. And. Butr. Card. Anch. & Imol. Vel notabilius ſecun-
dùm Abb. Si Clericus non habeat, unde ſatisfaciat ſuis cre-
ditoribus, non debet excommunicari, nec aliter moleſtari;
præſtabit tamen cautionem, ſaltem juratoriam, de ſolvendo
cum pervenerit ad pinguiorem fortunam. Hoc dicit, &
ſecundùm eum eſt caſus valdè ſingularis, cum nullam faciat
mentionem de ceſſione bonorum, licèt gloſſ. & DD. aliter
ſentiant, de quo latiùs dicam infra in 8. requiſito n. 59. Di-
viditur in duas partes: nam primò ponit querelam impe-
trantis. Secundò dat judices, ibi, *Mandamus*. Et eſt ce-
lebre c. & uſu forenſi admodum frequens.

Nota primo, ibi, *Excommunicationis ſententiam promul-* 3
gavit, pro debito civili poſſe clericum excommunicari, ſi
contumaciter reſiſtat præcepto judicis de ſatisfaciendo,
ſed non debere carceribus mancipari, ut hìc per Abb. *in* 1.
& 2. *not.* & ita ordo canonum eſt, ut contra debitores con-
tumaces primò adhibeantur cenſuræ, quod eſt remedium
ordinarium *c. Dilecto, de ſent. excom. lib. 6.* ac deinde in ſub-
ſidium, cum ſcilicet cenſura Eccleſiaſtica non proficit, de-
veniendum ſit ad diſtrictionem perſonalem, quæ eſt reme-
dium extraordinarium, juxta notata in *c. 1. de offic. Ord.* Sed
hodie ordine inverſo eſt procedendum: nam primò debito-
res debent in carceres conjici, & in ſubſidium excommuni- 4
cari, propter jus noviſſimum C. Trid. *c. 3. ſeſſ. 25.* quo manda-
tur judicibus Eccleſiaſticis, ut in cauſis judicialibus, quan-
documque executio realis, vel perſonalis in qualibet parte
judicii propria authoritate ab ipſis fieri poterit, abſtineant
ſe tam in procedendo, quàm definiendo à cenſuris Eccle-
ſiaſticis; ſed liceat eis, ſi expedire videbitur, in cauſis civili-
bus ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus
contra quoſcumque etiam laicos per captionem pignorum,
perſonarumque diſtrictionem procedere. Ponderanda
enim ſunt illa verba, *Contra quoſcumque etiam laicos*, quæ
apertè oſtendunt etiam contra Clericos in cauſis civilibus
utendum eſſe remedio executionis, ſeu diſtrictionis perſo-
nalis: nec recurrendum eſſe ad remedium hodie extraordi-
narium cenſurarum, niſi in ſubſidium, videlicet ubi execu-
tio realis, vel perſonalis fieri non poteſt. De quo dic ut ple-
nè ſcripſi in *c. Pervenit, n. 30. inf. de adult.* quod bene notat.

Secundò nota ibi, *Sine difficultate aliqua relaxetis*, ſe- 5
cundum Abb. *in* 4. *notab.* à ſententia excommunicationis
injuſta non fieri abſolutionem, ſed relaxationem ſine alia
difficultate. Sed hoc non videtur verum, quia cum ſenten- 6
tia

tia quoad Eccleſiam leget, neceſſaria eſt abſolutio, tex. in *cap. Per tuas*, & ibi omnes, *infra de ſent. excomm.* ver-
7 bum enim, *Relaxetis*, hic poſitum, idem importat, quod abſolvatis, *c. Solet, eod. tit. lib. 6. c. Capitulum, in fin. ſup de reſcript.* cum multis ſimil. & ita exponunt Jo And. & ſequaces in ſummario tex. tum dicunt debitorem excommunicatum, quia non ſolvit, abſolvit, &c. Sed & Petrus de Anch. *in 4. notab.* & Jo. de Anan. *n.*10. notant, quod Papa
8 mandat hunc Clericum abſolvi, ſi conſtiterit de inopia. Nec refragantur verba illa tex. *Sine difficul. aliqua*, quia exponuntur, ideſt ſine juramento, & cautione de parendo mandatis Eccleſiæ, & ſolutionis expenſarum. Hujuſmodi enim formalitates in abſolutione hoc caſu non ſunt neceſſariò ſervandæ; quia ſententia quoad Deum non ligat, ſecundùm Hoſt. *hic n.7.* Jo. And. *n.3. in ver. Difficultate, & in ver. Relaxetis*, Anch. *in 6. not.* & Card. *n.5. in 2. op-*
9 *poſitione*. Pro dicto tamen Abbatis facit, quod notant Hoſt. *in c.1. n.36.* & Jo. Andr. *n 8. verſ. Superior autem, de ſent. excomm. lib. 6.* ubi dicunt: Aliud ſonat, & ſignificat abſolvere, & aliud revocare, ſeu relaxare: nam obſolutio competit in dubio, revocatio autem, vel relaxatio, quando de injuſtitia evidenter conſtat; & concordat ibi Archid. *ſub*
10 *n.13. verſ. Sed hoc non videtur benè dictum.* At reſponderi poteſt dictum Hoſt. & ſequacium procedere, quando ſententia eſt notoriè injuſta, quia tunc non ligat etiam quoad Eccleſiam, & ideò non requiritur abſolutio, ut dicam in ſequenti notabili.

11 Tertiò nota, in eod. ver. *Relaxetis*, ſententiam excommunicationis latam contra clericum, qui non eſt ſolvendo, non eſſe nullam, ſed revocandam, & relaxandam, ut dixi in præcedenti not. Sed hoc intelligit gl. 3. quando clericus non ceſſit bonis, nec evidenter nota erat illius paupertas, nec judici conſtabat de veritate, prout erat in caſu hujus c. ut patet ibi, *Quatenus ſi conſtiterit, quod prædictus Odoardus in totum, vel pro parte non poſſit ſolvere*: tunc enim propter dubium ſententia tenet, ſed veritate comperta, mandatur relaxari, ut in text. & eſt ſimile in *c. Significantibus, inf. de purgat. vulg.* alioquin ſi certum eſſet eum non eſſe ſolvendo, idque conſtaret judici, ſententia, ſeu præceptum non teneret, nec eum obligaret, *l. Paulus, ff. Quæ ſententiæ ſine appell. reſcind.* quia impoſſibilium nulla eſt obligatio, *l. Impoſſibilium, ff. de reg. jur.* Subdit tamen gl. quòd ſi teneret, tamen injuſta eſſet; ideò ſine difficultate eſſet ſolvendus, & judex teneretur ei ad intereſſe, *c. Sacro, de ſent. excomm.* & hoc dicit eſſe tutius.

Et ex hoc generaliter poteſt inferri ad quæſtionem, numquid excommunicatio lata contra debitorem notoriè non valentem ſolvere, teneat, vel ſit nulla, intellige in foro externo: nam quoad Deum attenditur veritas; & ideò talis debitor non eſt illaqueatus, *c. A nobis, il ſecondo, de ſent. excomm.* gl. *pen. in c. Romana*, §. *Si univerſitatem, eod. tit. lib. 6.* Hoſt. *hic n.7. in ver. Relaxetis*, Jo. And. *n.3. eod. ver.* But. *n.6* Anchar. in *6. not.* & alii communiter. Eſt igitur quæſtio, numquid in foro externo, & quoad Eccleſiam notoria injuſtitia reddat excommunicationem ipſo jure nullam. Gloſ. præallegata arguit pro, & contra, & tandem videtur ſentire hujuſmodi ſententiam ligare, dum dicit hoc eſſe tutius. Sed Hoſt. hic *n.4.* dicit ſententiam excommunicationis latam contra eum, cujus nota erat paupertas, non ligare, & in hoc c. ideò ſententiam tenuiſſe, quia iſte clericus non ceſſerat bonis, nec evidenter nota erat paupertas, nec judici conſtabat de veritate, & ſic quamvis ſententia ſit lata male quoad veritatem, non tamen quoad opinionem: & ideò eſt tenenda. Ant. de Butr. hic *n.12.* concordando opiniones diſtinguit ſic: Aut inopia eſt notoria, & ſententia eſt nulla, velut lata contra notorium, ſecundum ea quæ idem Butr. dixit in *c. Excommunicato, de reſcript.* facit *c. Per tuas, de ſent. excommun. & c. Inter cæteras, de re judic.* & quod notat Paul. de Elezazar. in Clem. *Paſtoralis, eod. tit.* Aut inopia non eſt notoria, & procedit opinio gloſſæ, arg. *c.1. 11. q. 3.* ubi dicitur ſententiam Paſtoris, ſive juſtam, ſive injuſtam, timendam eſſe. Eamdem concordiam ante ipſum poſuit Collect. hic *n.* 10. dicens eum, qui ceſſit bonis, vel notoriè non eſt ſolvendo, non ligari excommunicatione, quia impoſſibile preceptum judicis non obligat, & ita intelligit gloſ. Bernar. hic. Sed Card. *n.5. in oppoſitione*, tenet opinionem gloſſę, videlicet etiamſi certum ſit debitorem non eſſe ſolvendo, excommunicationem eſſe validam, licèt ſit injuſta. Facit quod notatur in *c.2. in fin.* gl. *de teſtib. cogend.* Similiter Jo. de Imol. hic *n.*18. recitatis opinionibus Card. & Butr. tandem reſidet cum gl. quia aliquem eſſe inopem, & ſic non ſolvendo, cum videatur eſſe negativa, & non benè poteſt in notorium tranſire; nam poſſibile eſt, ut habeat pecunias occultatas; quod etiam dicit Ludovicus Romanus *conſil.* 163. *Conſtitutio enim quinta, verſ. Quinimò*, facit ſecundum Imol. quod legitur, & notatur per Legiſtas in Auth. *Quiſemel, C. Quomodò, & quando judic.* Subdit tamen, 12
quod ſi error eſſet expreſſus in ſententia, ut quia judex dixiſſet, Excommunico talem Clericum, licèt bonis ceſſerit vel non ſit ſolvendo, ſententia eſſet nulla, per id quod habetur in *d. c. Per tuas, de ſent. excom.* De quo articulo vide latiſſimè per Felin. *in c. Inter cæteras, n. 5. de re judic.* ubi ponit concluſionem, quod ſententia lata ex cauſa notoriè falſa eſt nulla. Et reſpondet objectis, & ampliat dupliciter, videlicet in notorio tranſeuntis, & in ſententia excommunicationis. Et *n.6.* ponit quatuor declarationes, quas per te videas. Demum Abb. hic *n.9.* relata diſtinctione Antonii de Butrio dicit in aliis ſententiis, quàm excommunicationis, poſſe admitti, ut notoria injuſtitia reddat ſententiam nullam, ut eſt notabile dictum Innocentii in *c. Fraternitatis, num.5. poſt princ. verſ. Et idem eſt etiamſi notorie, de frig. & malefic.* & facit text. *in d. capit. Inter cæteras, de re judic.* & tenent plurimi, quos ibi cumulat, & ſequitur Felin. *num.*11. ubi latè firmat notoriam injuſtitiam ſententię, etiam in ea non expreſſam, reddere eam invalidam, & *n.*11. ampliat, etiamſi notorietas poſt ſententiam ſuperveniat. Sed in ſententia excomunicationis, ut Abbas dicit, Archidiaconus in *c. Venerabilibus, numer. 6. circa finem, de ſent. excomm. lib. 6.* ſentire videtur excommunicationem ſemper tenere, quando error non fuit expreſſus in ſententia, vel quando ſententia fuit lata poſt appellationem, per id, quod legitur, & notatur in *c. Romana*, §. *In univerſitatem, de ſent. excomm. lib.6.* ubi gloſ. *in verb. Penitus*, dicit tutius eſſe tenere, ut ſentantia excommunicationis liget, quamvis ſit injuſta. Sed nihilominus Abbas concludit opinionem contra gloſ. de rigore, & ſubtilitate juris eſſe veriorem: nam ubi eſt notorietas, eſt præſumptio contra ſententiam; unde non apparet ratio; quare Eccleſia velit aliquem injuſtè ligare, cum apud Deum ligatus non ſit, ut in *c.1. de re jud. lib.6.* Hoc ipſum notat idem Abb. *in cap. Per tuas, n.11. verſ. Aut continet errorem, de ſenten. excomm.* Butr. *in c. Cum M. Ferrarienſis, nu. 59. in fin. verſ. Nota hoc dictum, de Conſtit.* Cardin. poſt Paulum de Eleazar. in Clem. *Paſtoralis, n.6. in 7. notab. de re judic.* quos refert, & ſequitur Felin. in *d. c. Inter cæteras, n.5. poſt princ. verſ. Et licèt tex. eod. tit.* Ego hanc ſententiam puto veriſſimam, & fortificando rationem Abbatis pondero text. *in c. A nobis, il 2. de ſent. excom.* Nam ibi dicitur interdum contingere, ut qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus; & è converſo, qui liber eſt apud Deum, Eccleſiaſtica ſit ſententia innodatus. Et aſſignatur ratio hujus differentiæ, quia judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, ſemper innititur: judicium autem Eccleſiæ nonnumquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpè contingit, & falli. In tantum igitur ſententia excommunicationis injuſta non ligat quoad Deum, ſed ligat quoad Eccleſiam, quia judicium Dei non fallitur, cum veritati innitatur; ſed benè fallitur judicium Eccleſiæ, quod opinionem ſequitur. Ergo ſi judicium Eccleſiæ non fallitur, ſententia injuſta etiam quoad Eccleſiam non ligabit; ſed ſtante notorio, & evidentia injuſtitiæ, Eccleſia non fallitur, quia tunc innititur veritati, *c. Veritate manifeſta, 8. diſt. c. Evidentia, infra de accuſat.* ergo ſententia notoriè injuſta non ligat, etiam quoad Eccleſiam; hoc enim caſu non eſt differentia inter judicium Dei, & Eccleſiæ, quia utrumque innititur veritati, ac proinde ſententia excommunicationis in utroque foro eſt nulla, , ſi ſit evidenter injuſta.

Ultimò nota ex text. decem requiſita, quæ ſimul debent 13
concurrere ad hoc, ut debitor gaudeat beneficio hujus c.

Primò enim requiritur, ut ſit clericus, prout erat iſte 14
Odoardus, ut patet ibi, *Odoardus clericus*; nam debitor laicus non fruitur hoc privilegio, & niſi ceſſerit bonis, poteſt pro debito civili in ſolidum conveniri, & in carcerem detrudi, *l.1. C. qui bon. ced. poſſ.* & tormentis ſubjici, *cap. Gravis, ſupra de depoſ.* ut qui non habet in ære, luat in corpore, *leg. fin. ff. de in jus voc.* Anchar. *hic n.7. in 1. & 2. oppoſ.* imò cedere debet omnibus bonis uſque ad ultimum qua-

quadrantem, ut hìc per Collect. n.6. & per Cyn. in l. 1. n.4.
16 C. qui bon. ced. poſſ. & ſecundum aliquos in actu ceſſionis ſpoliari poteſt etiam interula, ideſt veſte intima, & corpori proxima. Sed alii humaniùs dicunt non auferri pannos de dorſo, quia nec auferuntur damnatis ad ultimum ſupplicium, l. Divus, ff. de bon. damnat. & tenent Cyn. in l. fin. C. qui bon. ceder. poſſ. in 4. q. Bart. in l. Qui cedit, n. 5. ff. de ceſſion. bonor. & firmant hìc Collect. dicto num.6. Butr num.9. Anchar. nu.7. poſt princ. verſ. Si verò ceſſionis beneficio, Joan. de Anan. n.2. & Abb. n.8 dicens ita com-
17 muniter teneri. Si quid verò acquiſiverit poſt ceſſionem, non convenitur, niſi in quantum facere poteſt, & ſic deducto ne egeat, ut l. Is qui, la ſeconda, ff. de ceſſ. bonorum,
18 Butr. hic d. num 9. & Anchar. numer.7. in 2. oppoſ. Speciale enim eſt in milite, marito, donatore, patrono, & quibuſdam aliis, ut de jure civili ſine ulla bonorum ceſſione conveniantur: quatenùs facere poſſunt, ut patet in l. Miles, in princ. & in l. Sunt qui, cum ſeq. ff. de re judicat. Ergo contrarium eſt generale in aliis laicis, cap. Præſenti, §.
19 Loca, cum gloſ. in ver. Specialiter de præb. lib.6. Et quia clerici ſunt milites cœleſtis militiæ, c. Chriſtianis 11. q.1. Clem. Gravi, juncta gloſ. in verb. Militia, de celebr. Miſſarum; & ideò multò magis gaudent privilegio hujus c. ut arguit gloſ. in d. l. Miles, in ver. Facere, ff. de re judicata, dicens milites cœleſtis militiæ multò magis gaudere privilegio illius textus, ut non cogantur niſi in quantum facere poſſunt, deducto ne egeant, argum. l. Sacroſanctæ, C. de Epiſcop. & Cler. cùm per eos ſummi Numinis veniam ſperemus, ut epiſtola, Inter claras, Cod. de Summa Trinit. & fid. Cathol. & eam gloſſam commendat Bart. in d. l. Miles, num.3. & ſignat milites armatæ militiæ legalis, & militiæ cœleſtis habere beneficium, ne conveniantur, niſi in quantum facere poſſunt, & ſequitur ibidem Ripa num. 7. dicens opinionem gloſſ. & Bart. communiter teneri à Legiſtis, & à Panorm. & Canoniſtis communiter in hoc cap. Quo argumento à milite armatæ militiæ utitur etiam Anchar. hic in 2. notab. Abb. num.8. verſ. Sed in Clerico, Ro-
20 man. conſ. 369. circa primum, num.3. Et ex hoc notabiliter infero, ut hoc beneficium competat non tantùm Clericis in ſacris Ordinibus conſtitutis, ſed etiam in minoribus, quinimò & prima tonſura initiatis: nam & ipſi dicuntur milites cœleſtis militiæ, ut ſunt jura clara in cap. Chriſtianis in cap. Degradatio, de pœnis, lib. 2. & in cap. Nullus Epiſcoporum 3. diſt. veniunt appellatione clericorum, gloſ. in Clemen. 2. in ver. Clericus de vita & honeſt. cleric. & gaudent omnibus privilegiis clericalibus, ut in Pontificali Romano in tit. de Cler. facien. ibi, Hodie, de foro Eccleſiæ factus es, & privilegia clericalia ſortitus es, Covar. in pract. quæſt. cap.31. ſub numer.9. & plenè probavimus in c. Cum contingat, num.112. & numer. 128. & 129. ſupra de ætat. & qualit. Unde gaudere debent etiam hoc beneficio, ut non conveniantur, niſi in quantum facere poſſunt, quod tenent expreſsè Nevizanus conſil. 59. num. 3. Rol. à Valle conſil. 16. num.11. libr.4. & alii, quos noviſſimè cumulat Carol. de Graſſ in tract. de effect. cleric. effect. 7. in 1. ampliat. num.4. & fatetur eſſe communem opinionem, Co-
21 var. variar. reſol. lib.2. cap. 1. nu.9. Et quamvis ipſe videatur ſentire hoc beneficium non competere niſi clericis in ſacris ordinibus, vel beneficiatis, & Eccleſiæ inſervientibus, non autem aliis clericis minorum ordinum, quod etiam cenſuit Ripa in dicta l. Miles, n.7. in fin. verſ. Quid tenendum, ff. de re judicat. & Farinacc. in praxi crim. q 77. num.69. item quamvis Carolus de Graſſis ubi ſupra, opinetur diſpoſitionem hujus cap. procedere etiam in clericis minorum ordinum, & primæ tonſuræ, dummodò obſervent diſpoſita per Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap.6. videlicet, ut incedant in habitu, & tonſura, & alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi inſerviant, vel ſint beneficiati; tamen hoc non credo verum, quia nimis reſtringit generalitatem hujus text. Non enim apparet iſtum Odoardum fuiſſe in ſacris ordinibus conſtitutum, & textus ſimpliciter eum appellat Clericum, cujus appellatione venit etiam prima tonſura initiatus, ut oſtenſum eſt ſupra: nec apparet eum fuiſſe beneficiatum, ut hìc per Abbatem in fin. imò potiùs conſtat de oppoſito, ſecundùm Cardin. num.6. in fin. verſ. Secundò, quia ſi fuiſſet beneficiatus, potuiſſet ſolvere de redditibus beneficii, ut cap. Pervenit, ſupra de
22 fidejuſſor. Nec applicatur Concilium d. c. 6. quia non ademit clericis non habentibus requiſita ibi præſcripta, niſi privilegium fori; cætera verò privilegia, ut canonici, exemptionis a vectigalibus, & conſimilia, remanſerunt in diſpoſitione juris communis, ut multoties declaravit Sac. Congregatio ejuſdem Concilii interpres. Privilegium autem 23
hujus cap. eſt omninò diverſum à privilegio fori; quod ex eo convincitur manifeſtè, quia clericus conjugatus gaudet privilegio fori, & canonis, ut in c. unic. de Cleric. conjugat. lib.6. & in dicto c.6. in fine ſeſſ. 23. & tamen non gaudet privilegio hujus cap. ut in puncto tradit Ancharan. in d. cap. unic. num.4. ad fin. verſ. Sed numquid habebit, Natta conſ.319. Regulariter, n.5. & 6. & conſ. 356. Non eſt opus, num.1. ergo clerici etiam primæ tonſuræ non habentes requiſita dicti c.6. retinent beneficium hujus cap. cum eis ademptum non fuerit: nam quod non mutatur, &c. leg. Sancimus, C. de teſtam. l. Præcipimus, in fin. C. de appell. gloſſ. in cap. Conſtitutionem, in ver. Prorogamus de regul. lib.6. Pro concordia tamen poſſet ſic diſtingui: Nam aut clericus minorum Ordinum abjecto clericali habitu gerit ſe publicè pro laico, juxta text. in cap. Si judex laicus, de ſenten. excomm. lib.6. quod poteſt facere, ut in cap. 1. & 3. de Apoſtat. cap.1. & cap. Cum olim, & cap. final. de cleric. conjugat. & tunc non gaudet beneficio hujus cap. Quia etſi 24
characterem indelebilem non amiſerit, tamen in omnibus reputatur ut laicus, & omni privilegio clericali nudatus remanet, ut in præallegatis juribus. Aut non gerit ſe publicè pro laico, ſed adhuc retinet veſtigia clericatus, & clericalem habitum geſtat; & hoc caſu gaudet hoc beneficio, licèt Eccleſiæ non inſerviat, nec beneficium Eccleſiaſticum habeat, quia per hoc non perdit niſi privilegium fori, ut dictum eſt; & eſt ſimile: Nam clericus non habens 25
requiſita Concilii non gaudet privilegio fori, & poteſt à judice laico perſonaliter diſtringi, ac puniri, & tamen non prohibetur Epiſcopus in eum animadvertere, & eſt locus præventioni, dummodò talis adhuc remaneat clericus, ideſt dummodò pro clerico publicè ſe gerat; ſecus verò, ſi dimiſſo habitu clericali, gerat ſe publicè pro laico, quia tunc Epiſcopus non alia juriſdictione in eum uti poteſt, niſi qua utitur in merè laicos, ſcilicet in cauſis Eccleſiaſticis, & mixti fori, ut ex ſententia S. Congr. Congreg. Conc. dixi in cap. Si quis, num.9. ſupra de foro compet. Idem ergo dicendum in terminis hujus Decretalis.

Secundo requiritur, ut debitor non ſit ſolvendo, ut pa- 26
tet in tex. ibi, Propter rerum inopiam ſolvere non valentem, necnon ibi, Non poſſit ſolvere; nam tali non poteſt dici: Redde quod accepiſti, cap. Si res, 22. qu. 5. cap Cum tu, de uſur. quia inanis eſt actio, quam inopia debitoris excludit. l. Nam is, ff. de dol. c. Olim il 2. ſupra de reſtitut. ſpoliator. & periculo ejus, qui nihil habet, nihil eſſe poteſt, l. Itaque fullo, ff. de fer. c. Daibertum, 1. q.1. Itaque pauper- 27
tas actionem reddit inanem, liberat à periculo, ſecurita- 28
tem à latronibus præſtat. Unde Juvenalis quarto:

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Goffred. hic, Hoſt. nu.4. Jo Andr. n.7. verſ. In gloſ.3. & ſic paupertas quandoque prodeſt, ſed à tali prodeſſe liberet nos Deus, ut dicit gl. marginal in §. Valdè enim, in ver. Egentis, Inſtit. Quibus ex cauſ. manumit. non licet, poſt Cyn. in l. Si quis ad declinandam, in fin. C. de Epiſc. & Cler. Adverte tamen, quia hic tex. non loquitur de Clerico, qui ni- 29
hil penitus habet in bonis; ſed de eo, qui in totum, vel pro parte non poteſt ſolvere, ut dicitur in litera. Unde hoc caſu admittitur non idonei debitoris particularis ſolutio, & partem illam, quam poteſt ſolvere, coguntur creditores recipere, ut hìc per Anch. in 5. not. & Imol. n.11. licèt regulariter cùm delictum eſſet liquidum, non admittatur particularis ſolutio creditore invito, ut legitur, & notatur in l. Quidam exiſtimaverunt, & ibi gl. l. penult. ff. Si certum petatur, & in l. Tutor §. Lucius ff. de uſur. Verumtamen, ſi creditor eſ- 30
ſet pauperior clerico debitore, hoc caſu ipſe clericus non poſſet ſe tueri beneficio hujus c. quia privilegiatus non utitur privilegio contra privilegiatum, l. Verum, §. fin. ff. de minor. & tradunt And. Barbar. hic n.2. & Neviz. conſ.59.

Tertiò requiritur, ut de hujuſmodi paupertate conſtet, 31
ut patet in litera ibi, Quatenus ſi conſtiterit, quòd prædictus Odoardus in totum, vel pro parte non poſſit ſolvere, Rot. deciſ 998. p.3. diverſ. ubi propterea deciſum fuit quemdam Abbatem, qui habebat beneficium valoris quinquaginta, non eſſe admittendum ad beneficium hujus c. Odoardus, quia conſtabat eum non eſſe pauperem, & ideò Rota aſſignavit Abbati ſcuta triginta pro victu, & ſcuta viginti aſſignavit

credi

32 creditoribus. Confert Seraph. dec. 173. num.7. Conſtabit autem de paupertate per famam, nuditatem, & inediam notoriam; quia ſcilicet oſtiatim mendicat verè, & ſine fraude: aliàs enim punirent, ut l. unica, C. De mendicantibus valid. lib. 11. Præſumitur tamen inops, ex quo mendicat,
33 niſi creditores probetur contrarium, ideſt quòd occultos loculos habet; & ſecundùm hoc intelligitur l. Si creditores, ff. de privil. credit. l. Si verò, §. Qui pro rei qualitate, ff. qui ſatisdare cog. & l. Ex perſona, C. de probat. & c.1. Supra de depoſ. Vel probatur paupertas eo ipſo, quòd bonis ceſſit, nec corpus debet poſteà detineri, ut l.1. C. Qui bon. cedere
34 poſſ. & c.2. de pign. & ita hìc firmat Hoſt. n.3. verſ. Sed qualiter conſtabit de hoc, Jo. Andr. n. 3. in ver. Conſtiterit, Henric. Boich. n.16. Butr. n.5. Card. n.7. Imol. num.19. & 20. & Anchar. in 4. not. qui tamen remittit ad Auth. Prætereà, C. Unde vir. & uxor. & l. Si conſtante, ff. ſol. matrim. & c. fin. ſupra de præſumpt.
35 Quartò requiritur ſecundùm aliquos, ut Clericus debitor ad hanc paupertatem, vel inopiam redactus ſit, non ex propria culpa: nam ſi in ludis prohibitis, vel luxurioſè vivendo ſubſtantiam ſuam diſſipaverit, non gaudebit beneficio hujus cap. ut reſpondit Ferret. conſ. 144. Quæritur in ef-
36 fectu utrum Clericus n.3. allegat Bald. in l.1. col. fin. n.14. ver. Sed renuntiatio tacita, C. qui bonis ced. poſſ. ubi tenet Clericum cenſeri tacitè renuntiare beneficio hujus cap. Primò,
37 ſi pertinaciter neget debitum. Secundò, ſi dolo, vel fraude factus eſt inops; quod præſumitur, ſi alienavit omnia ſua bona, vel majorem partem, ut l. Omnes, §. Lucius, ff. Quæ in fraudem creditorum; ſive ſimul, & ſemel, ſive inter-
38 pollatis vicibus, l. Nomen, §. Filia, ff. de leg. 3. Tertiò, ſi prioribus creditoribus præpoſuit poſteriores, ad l. fin. Et ſi præfatum, C. de jur. delib. & l. Legis Juliæ, C. Qui bon. ced. poſſ.
39 Quartò, ſi bona ſua conſumpſit in ludo perditionis, ut l. Si
40 quis cum juret, ff. de Uſucap. pro empt. Quintò, ſi ea diſſipavit cum meretricibus, quæ devorant animas perditorum, ut l.1. C. de Natur. liber. & ſequuntur ex recentioribus Marc. Ant. Genuen. in prax. Archiep. Cur. Neap. c.3. n.8. Carol. de Graſſ. de effectu Cler. eff.7. n.51. & moderni Collect. hìc
41 n.21. Sed contrarium tenet Collect. hic in princ. ubi quærit: Quid ſi Clericus culpa ſua in paupertatem inciderit? Et reſpondet nihilominus gaudere hoc beneficio, allegat Joan. Andr. in cap. Imputari, de reg. jur. lib.6. & eſt ex mente Hoſt.
42 hic num.3. ubi exponens ver. Debitis, dicit, forſan occaſione Azardi contractis, vel meretricii, in quo caſu adoleſcens non obligaretur, ut l. Si verò non remunerandi, §. Si adoleſcens, ff. mandat. & propterea, ut dicunt idem Hoſtien. hìc in princ. & Joan. Andr. n.1. huic Clerico Odoardo magis conveniebat nomen Azardus, quia hic ludus, & ludus etiam aleæ multos depauperare conſuevit, ut in littera Græca alearum ludus; & nomina debent eſſe conſequentia rebus, ut §. Eſt & aliud, inſtit. de donat. & not. in cap. Cum ſecundùm
43 Apoſtolum, in gloſſ. in ver. Nominis ſuprà de præb. & ita ſentiunt Clericum gaudere hoc beneficio, licèt bona ſua dilapidaverit in meretricibus, & ludis prohibitis. Et eſt ſimile in Clerico, qui ex propia culpa in morbum incidit, cui non ideò ſubtrahuntur emolumenta inſervientibus debita, ut dixi in c. Ut Abbates, n.36. de ætat. & qualit. & in cap. Licèt
44 n.147. de præben. Verumtamen ſi Clericus debitor eſſet in dolo, hoc beneficio non gauderet, Caputaq. dec.278. part.1. ubi quòd doloſus non eſt admittendus ad beneficium ceſſionis bonorum, vel ad beneficium c. Odoardus, vel c. Pervenit, de fidejuſſ. Rota dec 841. p.3. diverſ. Put. dec.251. & & dec.344. lib.1. Mohed. dec.1. n.1. de ſolut. Butr. hìc n.9.
45 Imol. n.18. & de ſpoliatore, qui fraudem adhibuit, eſt deciſio Rotæ in Antiq. de reſtit. ſpoliat. dec.22. aliàs 83. Et
46 idem ſi bona ſua dilapidaſſet in fraudem creditorum, Dyn. in. §. Item ſi quis in fraudem inſtit. de act. Bald. in l.1. C. Qui bon. ced. poſſ. n.4. & 14. verſ. Renuntiatio tacita, Ferrett. d. conſ.144. n.4.
47 Quintò requiritur, ut Clericus debitor conveniatur civiliter, prout conventus fuit iſte Clericus Odoardus, ut patet in litera ibi, Super quibuſdam debitis conveniſſent. Unde, ut dicebat notabiliter Innoc. hìc in princ. ſive inops conveniatur ex contractu, ſive ex maleficio ad intereſſe præſtan-
48 dum, ſatis eſt, ut cedat bonis, ut hìc patet ſecundùm unum intellectum. Si verò agatur non tantùm ad intereſſe, ſed ad pœnam, ſive pœnitentiam imponendam, ut patet in furto, c. Tuæ infra de pœn. tunc ſi placet actori, pœna, ſive pœnitentia in pœnam corporalem poterit commutari, arg.

cap. Fraternitas 12.q.2. ſicut & quando judex ex officio pro- 49
cedit ad pœnitentiam imponendam, ut patet in c. 2. verſ. Et ſi nec ad hoc infrà de maledic. Pro puro autem intereſſe Clericus pœnæ corporali non ſubjicitur, ſed reſervatur in tempus proſperioris fortunæ, ut hìc patet. Ubi verò convenitur quis actione injuriarum, quæ ad vindictam tantùm proponitur, vel etiam aliàs criminaliter convenitur de crimine, pro quo eſt pœna pecuniaria imponenda: tunc poteſt fieri commutatio pœnæ pecuniariæ in corporalem, etiam invito actore, ut l.1. ff. de Pœnis, c. Ut famæ, infrà de ſent. excom. 50
Alii tamen dicūt hanc commutationem habere locum tantummodò ubi pœnæ applicantur fiſco, quod eſt ſemper, niſi in caſibus exceptis: ſed ubi applicantur certis perſonis, non fit commutatio eis invitis. Et in hac ultima opinione videtur reſidere Innoc. quem totidem ferè verbis ſequuntur hìc Hoſt. n.5. Joan. Andr. n.8. Butr. eod. num. Collect. num.5. qui ad idem allegat Arch. in cap. Si res n.4. 14. q.6. Anchar. n.7. verſ. Oppono, & videtur Abb. n.5. verſ. Nota ſolutionem, & Imol. n.29. dicens ultimam opinionem Innocentii 51
eſſe veriorem, quia debitor tractu temporis devenire poſſet ad pinguiorem fortunam, ut l. Si defunctus, C. arbitr. tutel. Unde intereſt actoris, ut non fiat commutatio pœnæ pecuniariæ in corporalem, ne debitor liberetur ab obligatione ſolvendi, prout liberaretur, ſi nolente creditore id fieret, ut notatur in c. Sicut dignum, infrà de homicid. ubi gloſſ. in verb. Si habent, circa finem, dicit eum qui luit in corpore, liberari ab obligatione ſolvendi pœnam pecuniariam, per c. 52
Si res 14. q.6. & arg. cap. Fraternitas 12. q.2.

Sextò requiritur, ut Clericus conveniatur actione perſonali: nam ſi actione reali conveniretur, ex quo cùm nihil contra perſonam prætenditur, non poſſet excipere de hoc privilegio, quod perſonale eſt, ut notat Aret. in §. Si de dote col.1. verſ. in ea gloſſ. in fin. inſtit. de action. Brun. in tractat. de ceſſ. bonor. qu.3. num.14. Et eſt ſimile in marito, qui li- 53
cèt non teneatur, niſi in quantum facere poteſt, ut l. Maritum, ff. ſolut. matrim. tamen ſi conveniatur actione in rem, hoc beneficio non gaudet, ut l. Neſennius, §. Fundum, ff. de re judic. & notat Bart. in d. l. Maritum ante n.1. in.2. oppoſ. Quo fit, ut ſi Clericus ſit debitor ratione depoſiti, ex- 54
cipere non poſſit de privilegio hujus cap. Matheſil. ſingul. 60. num.1. Foller. ſuper conſtit. Regni in tit. de Epiſc. & Cleric. cap. Si quis Clericus num. 3. verſ. Limita prædicta.

Septimò requiritur, ut debitum recognoſcat, ut patet 55
in text. ibi, Recognoſcentem hujuſmodi debita, ſcilicet per confeſſionem, ut hic in gloſſ.2. Put. dec.321. lib.2. Ergo ſi Cle- 56
ricus cederet bonis, antequam recognoſceret debitum, vel antequam condemnaretur, vel debitum in jure confiteretur, non eſſet audiendus, ut l. penult. ff. de ceſſ. bonor. & notat d. gloſſ.2. Hoſtien. num.3. in verſ. Recognoſcentem, & communiter tenetur, ut dicunt Butr. num.11. & Abb. Sicul. n.7. Afflict. deciſ. 379. num.2. Rationem reddit Abb. Antiq. n.2. quia ſi cederet bonis, cùm ex hoc non extinguatur obligatio, ſed remaneat obligatus, ſi ad fortunam pervenerit pinguiorem, niſi ante ceſſionem conſtare deberet, interim poſſet probationis copia deperire, & cùm factus eſſet ſolvendo, debitum probari non poſſet. Eamdem rationem reddiderunt hìc Vicenr. & Philipp. & fuit originaliter dictum Placentini ſecundùm Joan. Andr. hic num.7. Et de 57
forma agnoſcendi debitum vide Butr. hic n.16. Multò autem magis hęc procederent, ſi Clericus debitum pertinaciter negaret: nam ſi poſteà legitimè convinceretur ipſum eſſe debitorem, utique ad beneficium hujus cap. non admitteretur, ut notabiliter decidit Bald. in l.1. col. fin. n.14. verſ. Sed renuntiatio tacita, Cod. Qui bonis ced. poſſ. Ferret. conſ. 144. num. 2. Mohed. deciſ. 1. de ſolut. ubi deciſum fuit contra executoriales, Clericum non admitti ad beneficium hujus cap. Odoardus, ex Staphileo de litteris gratiæ fol.170. quia beneficium hujuſmodi eſt denegandum illi, qui tot viis, & ſubterfugiis negavit debitum, ad notata per Bart. & Bald. in d. l.1. C. Qui bon. ced. poſſ. Angel. & Jaſ. in §. final. col. penult. in inſtit. de action. Adde Rotam deciſ.841. p.3. diverſor.

Octovò requiritur ſecundùm unam opinionem, ut cedat 58
bonis, antequam recognoſcat debitum, vel in jure confiteatur, aut condemnetur; aliàs enim audiri non debet, ut l. pen. ff. de ceſſ. bon. legendo litteram cum illa dictione, Non, prout communiter legitur, & habetur in Pandectis Florentin. & tenet gloſſ.2. hic, Abb. Antiq. num.1. & DD. Cæterùm

adverte, quia hoc poteſt admitti in perſonis non privilegiatis, juxta text. *in dict. l. penult.* ſed in Clerico id nullo jure probatur; imò potiùs probatur oppoſitum; nam ſi iſte Odoardus ceſſiſſet bonis, non fuiſſet excommunicatus, & Papa de hoc mentionem feciſſet, ut magis gravaret proceſſum judicis. Item ſi Papa intendiſſet, ut iſte deberet cedere, quemadmodum mandavit, ut priùs reciperetur cautio, ita mandaſset, ut priùs reciperetur ceſſio bonorum. Ad idem tex. *in c. Pervenit ſupr. de fidejuſſ.* nam ibi Clericus non ceſſit bonis, ſed tantùm fuerunt aſſignati creditoribus redditus beneficii detinendi uſque ad ſatisfactionem debiti, ſicut *in c. Olim il ſecondo de reſtit. ſpoliat.* expectatus fuit ille Epiſcopus, quouſque poſset ſolvere; nec ibi, nec alibi reperitur jure cautum, ut Clericus neceſſitatem habeat cedendi bonis; imò jura prææallegata oppoſitum probare videntur. Satis eſt igitur, ut Clericus in totum, vel pro parte non poſſit ſolvere, abſque eo quòd bonis cedat. Et ita per hæc motiva firmat Abb. *hic num. 8. & 9. poſt med. verſ. In gloſſ. fin.* poſt Anchar. & Imol. & hoc dicit eſse tutius, & frequentius, Covarr. *var. reſol. lib. 2. cap. 1. num. 9.* Menoch. alios citans *de arbitr. caſ. 183. num. 29.* & de magis communi teſtatur Farinac. *qu. 77. num. 66.* & eſt ex mente

59 Hoſtien. *hic num. 3. in verb. Recognoſcentem.* Adde, quòd etſi ceſſio bonorum infamiam non irroget, ſigillat tamen ſtatum cedentis, ſaltem quantum ad infamiam facti, ut notat Hoſt. *in c. Quidam num. 6. verſ. Nam ſi ceſſio, de renunt.* dicens cedentem videri infamem, ſaltem de facto, licèt non de jure, *l. 1. & fin. C. Qui bon. ced. poſſ. & l. Debitores, C. quib. ex cauſ. infam. irrog.* quia dicunt homines, quòd diſſipator eſt, nec inveniret de facili mutuantem: & cum

60 Hoſtien. concordat Collect. *hic n. 2.* & eò magis, quia alicubi fit ceſſio mirabiliter non ſine infamia, & vituperio percutiendo lapidem fortiter cum natibus denudatis, ut refert idem Collect. *n. 7.* ita ut dicit Imol. *n. 29. in fin. verſ. Adde,* quòd de jure in aliquibus locis de conſuetudine, vel ex forma ſtatuti fit ceſſio ſatis vituperoſa, quia cum ſono

61 tubæ in loco publico cum intervallo, & abſque ſarabulis cedens percutit quemdam lapidem cum poſterioribus dicendo, *Cedo bonis*; & ita refert Cyn. *in l. 1. n. 5. in fin. C. Qui bon. ced. poſſ.* ſubdens, quòd Romæ fit ſuper quemdam Leonem marmoreum, qui eſt penes ſcalam Capitolii. Et Pius

62 IV. *in ſua Conſtitut. 39. Cupientes, edita die 1. Novembris 1561. in Bullar. tom. 2. pag. 54.* ut debitores à fraudibus, & ſubterfugiis, ſi non Dei, ſaltem ignominiæ timore abſtineant, ſtatuit, ut quamcumque alternativam ſignificationem, vel aliam quamcumque dilationem etiam ſecundùm *c. Pervenit*, vel *Odoardus*, ſeu inhibitionem aliquam ab Auditore Cameræ, vel aliis Urbis judicibus petere non poſſint, niſi ſe coram illis birettum viride geſtando præſentaverint, & medio juramento promiſerint per ſe, vel ipſis abſentibus, per ſuos procuratores deferre ipſum birretum publicè, & ſecretè ſub pœna fuſtigationis per urbem pro prima vice, & triremium pro ſecunda, qua ſine ipſo reperti fuerint; alioquin alternativæ, & dilationes quæcumque etiam ſecundùm juris formam nullæ ſint, & ipſis debitoribus, etiamſi Clerici ſint, nullatenùs ſuffragentur. Idipſum fermè ſtatuerat Paulus IV. ut refertur in prædicta Conſtitutione Pii IV.

63 Sed neutra ſervatur in praxi, ſaltem quoad Clericos. Et de jure communi abſque gravamine famæ, & alia injuria corporali ſine alia ſolemnitate ſufficit ſimpliciter, ac nudo verbo coram Judicis bonis cedere, *l. In omni, & l. fin. C. Qui bon. ced. poſ.* ſecundùm Hoſt. Collect. & Imol. *loc. cit.* & Cyn. *in l. Si debitores, C. Ex quibus cauſ. infam. irrog.* Et durum eſſet Clericum, qui fortè nulla ſua culpa, ſed fortunæ injuria ad inopiam redactus eſt, arctare ad ceſſionem bonorum cum infamia ſaltem facti, & in dedecus Ordinis Clericalis. Præterquam quòd ſi Clerici ad hoc tenerentur, non eſſent melioris conditionis, quàm merè laici; nec procederet æquiparatio inter eos, & milites armatæ militiæ, qui ut initio diximus *n. 19.* hoc privilegio potiuntur.

64 Nonò requiritur, ut ad pinguiorem fortunam non devenerit, ut patet in fin. text. Nam debitoris inopia, & impotentia ſolvendi non extinguit ſubſtantiam obligationis, ſed ſuſpendit illius effectum in tempus proſperioris fortunæ: & ita civilis, & naturalis obligatio remanet, ſed eſt inefficax durante inopia, *l. 1. C. Qui bon. ced. poſ.* Quare inopia

65 ceſſante ſolvere debet, *l. Is qui la 2. ff. de ceſſ. bonor.* non tamen in totum, ſed in quantum facere poteſt, ut dicitur *in d. l. Is qui*, habita ſcilicet ratione ne egeat: non eſt enim fraudandus alimentis quotidianis, *l. Qui bonis, ff. eod. l. In condemnat. ff. de reg. jur.* ubi dicitur, In condemnatione perſonarum, quæ in id, quod facere poſſunt damnantur, non totum, quod habent, extorquendum eſt, ſed & ipſarum ratio habenda eſt, ne egeant: eſſet enim inhumanum, fortunis ſuis ſpoliatum in ſolidum damnari, quæ ſunt verba tex. *in §. ult. inſtit. de act.* Et ita hìc tenet gl. ult. Hoſt. *n. 8.* Jo. Andr. *n. 6.* Butr. *in 1. not. & n. 3. & n. 14.* Card. *in 2. q. circa fin. verſ. In gloſſa 3.* Anch. *in 8. not.* Imol. *n. 1.* & Abb. *in 3. not.* Nec aliquis diſcrepat, Rota *dec. 31. n. 5. de re jud. in antiq.* Caſſad. *deciſ. 11. n. 1. de reſcript.* Verumtamen ſemel admiſſus ad beneficium 66
hujus cap. & poſteà factus locupletior, ſi rurſus in paupertatem incidat, non prohibetur iterùm admitti; nam & bonorum ceſſio poteſt reiterari, ut notat Pauſ. de Caſtr. *in l.* 67
Ex contractu in fin. C. de bon. auth. judic. poſſid. & ibi etiam Salycet. *n. 2. ad fin. verſ. Quæro creditores.*

Decimò, & ultimò requiritur, ut præſtet idoneam cau- 68
tionem de ſolvendo, cùm ad pinguiorem fortunam pervenerit, ut patet in fine tex. ibi, *Recepta prius ab eo idonea cautione*, ideſt fidejuſſoria, vel pignoratitia. Nam etſi nomine 69
cautionis nuda promiſſio intelligatur, *l. Sancimus, C. de verb. ſignif.* tamen cùm additur idonea, vel ſufficiens, pignoratitia, vel fidejuſſoria intelligitur, *l. Si mandato Titii, §. ult. ff. de mandat. l. 4. § Adjici, ff. de fideic. libert. §. Vendita inſtit. de rer. diviſ.* gl. *in c. fin. in ver. Cautionem idoneam ſup. de pign.* Quòd ſi nec fidejuſſorem dare poſſit, ſatis erit, ut det juratoriam, arg. *l. 2. §. Sed ſi dubitetur, ff. de judic. c. Per veſtras infra de donat. inter vir. & uxor.* Auth. *Generaliter, C. de Epiſc. & Cler.* & firmat gl. *hìc in ver. idonea*, Goffred. Vinc. & Philipp. relati à Jo. Andr. *n. 7. circa fin. verſ. In gloſ. 4.* Butr. *n. 13.* Anch. *in ult. not.* pro hoc facit ſecundùm Card. *n. 6.* & Imol. *n. 17. verſ. in gloſ. penult.* quia poteſt dari caſus, ut quamvis debitor non ſit ſolvendo, tamen cum ſit probatæ fidei, & bonæ opinionis, & ſine culpa fortuitò factus ſit non ſolvendo, veriſimile ſit, ut inveniat, qui pro ipſo velint fidejubere. Verùm Hoſt. *n. 7. circa fin.* indiſtinctè intelligit cautionem idoneam, ideſt juratoriam, qui ex quo cedit bonis, ſatis notum eſt, ipſum non poſſe aliam exhibere. Faciat igitur, quod poteſt, ideſt, juret ſe ſoluturum, cùm ad pinguiorem fortunam pervenerit, *c. Faciat 22. qu. 2.* & cum Hoſt. tranſeunt hìc Jo. Andr. *n. 7. in fin. verſ. Hoſtien. dicit*, Henric. Boich. *n. 10. verſ. Sed Goffredus, & num. 14.* Abb. & ſequaces in ſumm. text. Covarr. *var. reſol. lib. 2. c. 1. n. 9.* & ſequuntur moderniores.

QUÆRO, an poſſit renuntiare beneficio, ne quis con- 70
veniatur, ultra quàm facere poteſt.

Hoſtien. *hìc num. 8. verſ. Quid ſit fiat pactum*, concludit non poſſe renunciari, ſi competat ratione perſonæ privilegiatæ per *l. Alia cauſa, §. Eleganter, & ſeqq. ff. ſolut. matr.* Et facit, quod notatur *in c. in gloſſ. 2. infra de donat.* Si verò ratione contractus conceditur debitori tale privilegium, ut conventus non condemnetur, ultra quam facere poſſit, ſicut contingit in actione pro ſocio, vel tutelæ: benè poterit renuntiari, ut *l. Utrum, §. 1. & ſeqq. ff. pro ſocio, & l. Si convenerit*, & ibi notat gl. *unic. & l. præced. ff. de re jud.* ſecundùm Hoſtien. cum quo concordant hìc Joann. Andr. *n. 9. verſ. Quid ſi habent*, Butr. *num. 15.* Cardin. *num. 9.* Anchar. *num. 8.* Imol. *num. 22.* & Joan. de Anan. *num. 20.* Unde ſequitur, ut Clericus minimè poſſit huic beneficio renuntiare, cùm ei competat ratione perſonæ privilegiatæ, & tamquam militi cœleſtis militiæ, ut dictum eſt ſupra *n. 19.* & ex cogatur mendicare in opprobrium ordinis Clericalis, arg. *cap. Diaconi circa med. verſ. Mendicat infellix Clericus 93. diſt.* & in Clerico tradunt in ſpecie Barboſa in *d. l. Alia, §. Eleganter, ff. ſol. matr.* Covar. *var. reſ. lib. 2. c. 1. n. 38. & alii recentior.* Confert quod notat Bald. poſt Jacob. de Butrigar. *in l. 1. n. 12. circa med. verſ. Item tres ſunt caſus, C. Qui bon. ced. poſ.* ubi dicit beneficio ceſſionis poſſe renuntiari, quando conceditur jure contractus, ſecus verò quando conceditur propter reverentiam perſonæ, per *d. l. Si convenerit, ff. de re jud.* Et hæc vera in renuntiatione 71
expreſſa: ſecus verò in renuntiatione tacita, quæ fit per actus contrarium, ut cùm Clericus pertinaciter negat debitum, vel non vult præſtare cautionem de ſolvendo, cùm ad pinguiorem fortunam pervenerit, vel quid ſimile, quia tunc ex tacita renutiatione, & juris miniſterio privatur beneficio hujus cap. ut idem Bald. notat *in d. l. 1. n. 14.* & fu- 72
ſiùs dictum eſt ſupra *n. 36.* Et eſt ſimile in privilegio fori, cui expreſsè Clericus renuntiare non poteſt, *cap. Si diligenti*

de

de foro comp. & tamen poteſt renunciare tacitè per actum
contrarium, ut ſi habitum, vel tonſuram non deferat, vel Ec-
cleſiæ non inſerviat, ad præſcriptum Conc. Trid. *c.6. ſeſſ.23.*
73 Sed major eſt difficultas, quid ſi beneficio hujus cap.
Clericus renunciaverit cum juramento, numquid renun-
ciatio teneat?
74 Pro faciliori ſolutione obſervandum eſt beneficium hu-
jus cap. habere duos effectus. Primus eſt, ut Clericus, qui
non eſt ſolvendo, pro debito civili non detrudatur in carce-
rem, juxta notata *in l.1. C. Qui bon. ced. poſ.* Secundus eſt, ut
non condemnetur, niſi in quantum facere poteſt, habita ra-
tione ne egeat, ut hic, *& in l. Is qui, la 2. ff. de ceſſ. bon.* cum
75 aliis ſupracitatis *n.65.* Quantum ad primum effectum car-
ceris, abſolutum eſt renunciationem non tenere, licèt jura-
mento firmatam, quia hujuſmodi renunciatio, ſeu pactum
eſt contra bonos mores, ut notat Cyn. *in l. Qui bonis n.11.
C. Qui bon. ced. poſſ.* Ergo juramentum illi adjectum non li-
76 gat, *c. Non eſt obligatorium, de reg. jur. lib.6.* quia contra na-
turalem æquitatem eſt carceris ſqualor, ut notatur in gloſſ.
ord. *in d.l.1. C. eod.* Et ex hoc ſequitur inhumanitas, & cru-
delitas ſine ipſius incommodo, *ut l. Servus, eod. ff. de ſerv.
export.* Nihil enim intereſt creditoris debitorem inhumani-
ter vexari, & in carcere mori, *l. Reo criminis, ff. de ſolut.* &
liberi hominis caro, & corium non poſſunt eſſe in obliga-
tione, *l. Inter ſtipulantem, §. Sacram. ff. de verb. oblig.* Unde
cùm renunciatio debitori noceat, & creditori non proſit,
non debet valere, cùm ex hoc creditor ſit caninus, & veniat
contra præceptum charitatis, argum. *l. fin. ff. de evict. l. Non
tantùm, ff. de appell.* quia deducit ad illicitum, vel ſaltem po-
teſt deducere, arg. eorum, quæ notantur per Archid. *in cap.
Quamvis ſuper ver. Æternæ ſalutis, de pact. lib.6.* Rurſus car-
77 cer eſt ſpecies ſervitutis, cùm deroget libertati, *l.2. ff. de liber.
homin. exhib. l. Titio centum, §. Titio, il 2. ff. de cond. & de-
monſt.* Renunciatio autem, per quam pervenitur ad infrin-
gendam hominis libertatem, non valet, *l. Nec ſi volens, ff. de
liber. cauſ.* Item hinc ſequeretur, ut debitor ſic detruſus non
poſſet audire divina officia, nec Eccleſiaſtica recipere Sa-
cramenta pro libito voluntatis, nec audire prædicationem
verbi Dei, unde forſan ad infidelitatem reduci poſſet; quare
talis renunciatio, quæ poſſet in pejorem ſtatum deducere,
non poteſt vinculari juramento, ex iis, quę notat Archid. *loc.
cit.* Et ita quoad hunc primum effectum carceris renuncia-
tionem juratam non valere, concludit Bald. *in l.1. n.13. verſ.
Tu concorda iſtas opiniones, C. qui bon. ced. poſs.* & Rota *dec.
31. n.1. cum ſeqq. & n.5. col.3 poſt princ. verſ. Quantum verò
ad effectum primum ne detrudatur in carcerem, de ſent. & re
78 jud. in antiq.* Similiter quoad ſecundum effectum, ut debitor
non condemnetur ultra quàm facere poteſt, licèt in perſo-
nis non privilegiatis articulus valdè ſit dubius, per ea, quæ
notant Cynus, & Bald. *loc. cit.* & Rota *in d. dec. 31 n.4. & 5.*
nihilominùs in Clerico tenendum eſt hujuſmodi renuncia-
tionem non validari juramento, quia privilegium hujus
cap. Ne Clerici conveniantur, niſi in quantum facere poſsunt,
indultum eſt eis, ne cogantur mendicare in opprobrium
Ordinis Clericalis, & ſic in reverentiam tam perſonæ ipſius
Clerici, quàm totius Ordinis, dictum eſt ſupra, & con-
ſequenter ei renunciari non poteſt etiam cum juramento,
ſicut nec privilegio fori, ut eſt text. *in cap. Si diligenti,* & ibi
notant omnes ſupra *de foro compet.*

Præterea quando privilegium, ne quis conveniatur, niſi
in quantùm facere poteſt, competit perſonæ, cui debetur re-
verentia, ut ſunt Clerici, tunc pactum, ut quis conveniatur
ultra quàm facere poteſt, eſt contra bonos mores, ut ad litte-
ram dicit text. *in d.l. Alia cauſa, §. Eleganter, ff. ſol. matrim.*
Ergo non firmatur juramento, ut 22. q.4. *per tot. & d.c. Non
eſt obligatorium,* & ita in terminis cenſuit Rot. *in præall. dec.
31. n.5. col.3. circa princ. verſ. Nec obſtat ad hoc, & ead. col.
circa fin. ver. Nec obeſt contra bonos mores, de ſent. & re jud.
& dec.2. num.2. de arbir. in antiq.* & ad litteram hanc opinio-
nem tamquam humaniorem ſequuntur Canoniſtæ hìc, ut
inquit Bald. *in d.l.1. n.13. verſ. Et hanc opinionem, C. Qui bon.
ced. poſs.* & fuit opinio Dyni *in d. §. Eleganter,* cum quo tan-
dem reſidet Cyn. *in d.l. Qui bonis n.10. circa fin. verſ. Et
ideò ſine dubio ſententia Dyni videtur humanior,* & Jac. de
Belvis *in Auth. de fidejuſ §. Quod autem,* Collect. *hic num.9.*
Brun. *in tract. de ceſs. bon. q.3. princ. n.17.* quicquid contra
ſcripſerit Molin. *in tract. de contr. diſp.571. n.16.* Jo. Guttier.
*in tract. de contract. jurat. p.1. q.17. n.34. in 6. tom. tract. di-
verſ. p.2. fol.66.* & Carol. de Graſſ. *de effect. Cler. eff. 7. n.21.*
Verumtamen ſi Clericus beneficiatus conſenſerit reſer- 79
vationi penſionis, non gaudebit beneficio hujus cap. contra
penſionarium, quia ex quo ejus conſenſui ineſt juramen-
tum, & obligatur in forma Cameræ, non eſt honeſtum, ut
poſtquam habet beneficium, ad cujus regreſſum ſe obligavit
ob non ſolutionem, juvetur exceptione hujus *c. Odoardus,*
quia potiùs debet dimittere, & reſtituere beneficium, quod
accepit: non enim convenit, ut beneficium retineat, & pen-
ſionem non ſolvat; aliàs illi facilè daretur occaſio, & anſa
pejerandi. Nec iſto caſu ſi denegatur illi auxilium hujus cap.
fit ei injuria, vulgat. *c. Scienti, de reg. jur. lib.6.* & quia jura-
mentum eſt perſonale, debet per ipſum jurantem impleri in
forma ſpecifica, *cap. Debitores, & c. Ad noſtram, de jurejur.*
Secus verò ſi beneficiatus ſucceſſerit in beneficio gravato, 80
nec per ſeipſum conſenſerit reſervationi penſionis, quia
tunc prædictæ rationes non militant; & ideò juvabitur be- 81
neficio hujus cap. Sicut in ſimili de ſtylo Rotæ, & Curiæ,
quando quis conſentit perſonaliter reſervationi penſionis
ſub ſolitis cenſuris, & pœnis, illas cenſuras, & pœnas incur-
rit, ſi in tempore non ſolvit etiam ſine aliqua alia litterarum
intimatione; ſecus verò ſi non conſenſiſſet, aut per alium
præſtitiſſet conſenſum, tunc requiritur intimatio, prout
judicavit Rota teſte Caſſad. *dec.12. de reſcript.* Et ita in ter-
minis beneficii hujus cap. declarando ſtylum Signaturæ di-
ſtinguit Sarnen. *ſuper reg. Cancell. in compend. utriuſque Si-
gnat. q.16 n 88. & 89. fol.87. à tergo, & in reg. de Annali q.53.
ad fin.* & ſequuntur Covarr. *var. reſ. lib.2. c.1. n.9. ſub verſ.
Quoties,* ibi, *Unde ſi quis conſentiat,* Gigas *conſ.111. n.3. & 5.
& in tract. de penſ. q.10. n.3.*

DE DONATIONIBUS.

Gregorius A. Patritio Gallorum.

CAPUT I.

PRudentes: & infrà. Hanc ſibi quodammodo nobilitas legem imponit, ut debere ſe, quod ſponte tribuit, exiſtimet: & niſi in beneficiis ſuis creverit, nihil ſe præſtitiſſe putet.

SUMMARIUM.

1 *Liberalis in donando exiſtimat ſe debere, quod donat.*
2 *Promittentes aliquid donare, illud tamquam debitum adimplere tenentur.*
3 *Donare eſt proprium animi nobilis.*
Proſp. Fagnan. in III. Lib. Decretal.
4 *Nobilitas intelligitur non ſolùm generis, ſed & animi, & morum.*
5 *Donatio propriè dicitur, cùm aliquis dat non aliam ob cauſam, quàm ut liberalitatem exerceat.*
6 *Legem poteſt aliquis ſibi imponere, à qua non liceat recedere.*
7 *Donatio perfecta revocari non poteſt, niſi in caſibus hìc expreſſis.*

8 *Donans uni Eccleſiæ bona, quæ ſuperfuerint tempore ſui obitus, an poſſit in prædictis bonis aliam Eccleſiam ſibi hæredem inſtituere, & num. ſeqq. uſque in finem.*

9 *Donans bona, quæ acquiſita reperirentur tempore ſui obitus, cenſetur reſervaſſe ſibi facultatem diſponendi de bonis donatis.*

10 *Hæres rogatus reſtituere quicquid ſuperfuerit tempore ſui obitus, poteſt alienare bona fideicommiſſo ſubjecta, reſervata tamen quarta parte fideicommiſſarius, & n.26.*

11 *Donatio bonorum, quæ acquiſita reperientur tempore obitus, includit duplicem conditionem.*

12 *Legatum rei, quæ mea erit cùm moriar, extinguitur per ſubſequutam ejuſdem rei alienationem.*

13 *Verba, Quæ reperientur, ſive quæ reperirentur tempore obitus, faciunt legatum conditionale.*

14 *Diſpoſitio facta ſub duplici conditione evaneſcit, niſi utraque conditio adimpleatur.*

15 *Donatio perfecta, per teſtamentum reſcindi non poteſt.*

16 *Secus ſi donatio ſit conditionalis.*

17 *Donans bona, quæ reperientur tempore ſui obitus, an poſſit de illis diſponere in ultima voluntate, & num. 26.*

18 *Ultima voluntas effectum non ſortitur, niſi poſt mortem, & num. 20.*

19 Alienationis, *verbum comprehendit etiam hæredis inſtitutionem.*

20 *Teſtamentum in vita teſtatoris ordinatur, & perficitur.*

21 *Donatio inter vivos dicitur perfecta licèt effectus ſuſpendatur in tempus mortis.*

22 *Idem in donatione cauſa mortis.*

23 *Donator, qui reſervavit ſibi facultatem diſponendi in vita de bonis donatis poteſt illa teſtamento relinquere.*

24 *Alienatio in ultima voluntate dicitur favorabilior, quàm inter vivos.*

25 *Mitiùs agitur cum eo, qui ex mera liberalitate convenitur, quàm qui ex debito.*

1 PRudentes. Duo recipit intellectus ſecundùm Abb. Juxta primum hoc intendit: Liberalis in donando exiſtimat ſe debere, quod donat. Juxta ſecundùm: Promittentes
2 aliquid donare, illud tamquam debitum adimplere tenentur. Hoc dicit. Hoſt. intelligebat Decretalem in facientibus eleemoſynam, maximè de bonis Eccleſiæ ſuperabundantibus: item in donatione, quam Imperator facit Eccleſiis, ubi ſola immenſitas eſt menſura, ut in Auth. *De non alien.* §. *Sin minus collat.* 2.

3 Nota primò ibi, *Nobilitas*, donationem procedere à nobilitate animi; nam proprium animi nobilis eſt donare. Facit text. *in l. Qui ſaxum*, §. *fin ff. de donat.* & quod nota-
4 tur *in c. Grandi, de ſuppl. neglig. Præl. lib.* 6. & nobilitas intelligitur non tantùm generis, ſed & animi, & morum, ſecundùm Hoſt *hic in princ. in ver. Nobilitas*, Jo. Andr. *n.* 1. *& in eod. ver.* & Abb. *n.* 2.

5 Secundò nota ibi, *Spontè*, quod ſpontè datur, donationem appellari, ſecundùm Anch. hìc *n.* 2. quia donari dicitur id, quod nullo jure cogente conceditur, *l. Donari, ff. de donat.* Et propriè donatio dicitur, cum aliquis dat non aliam ob cauſam, quàm ut liberalitatem, & munificentiam exerceat, *l.* 1. *ff. eod.* Hoſt. *in ſumm. tit. de don.* §. 1. In neceſſitate autem nemo liberalis exiſtit, *l. Rem legatam, ff. de annuis legat.*

6 Ultimò nota ibi, *Legem imponit*, poſſe aliquem ſibi legem imponere, à qua non liceat recedere. Unde non poteſt quis promiſſionem donationis revocare, ut hic eſt expreſſum, ſicut nec donationem perfectam, niſi ex cauſa
7 ingratitudinis, ut *c. fin. infra eod.* vel ex cauſa non implementi, ut *l. Generaliter, C. de revoc. donat.* vel per ſupervenientiam liberorum, ut *l. Si unquam, Cod. eod.*

8 QUÆRO, an donans bona, quæ acquiſita reperientur tempore ſui obitus, uni Eccleſiæ, poſſint in dictis bonis aliam Eccleſiam ſibi hæredem inſtituere.

9 Videtur reſpondendum poſſe, quia per hujuſmodi verba non cenſetur voluiſſe donare, niſi bona illa, de quibus ante mortem non diſpoſuiſſet: ita expreſsè declarat Bart. *in l. Titius in fin. ff. Ad Trebell.* ubi ait, hæc verba, *Quicquid ſuperfuerit tempore mortis*, eſse intelligenda, ſi quid ſuperfuerit non deperditum, vel alienatum; & ſequitur illic Alber. *in fin.* & Corn. *conſ.* 243. *à num.* 4. *uſque ad* 10. *vol.* 4.
ideòque hæres rogatus reſtiuere quidquid ſuperfuerit tempore ſui obitus, poteſt bona fide alienare, & minuere bona 10
fideicommiſſo ſubjecta, nec tenetur reſtituere, niſi quod ſupererit non alienatum, vel diminutum, eſt textus ad litteram *in d. l. Titius*, & in Authen. *Contra rogatus Cod. eodem titulo in l. Fideicommiſſi*, §. *Nonnumquam, ff. de Uſuris, & in l. Sed etſi lege*, §. *Quod autem quis, verſ. Nam & Divus Marcus, ff. de petit. hæred.* Unde per hujuſmodi verba, *Reſtituas quidquid ſupererit*, cenſent ibi omnes eſſe attributam hæredi alienandi facultatem; & idem tradit Gloſſ. Bart. & DD. *in l. Imperator*, §. *fin. ff. de legat.* 2. Ruin. *conſ.* 109. *num.* 10. *lib.* 2. *& conſ.* 163. *num.* 1. *volum.* 3. Corn. *d. conſ.* 243. *vol.* 4. & Mantic. *de conjectur. ult. volunt. lib* 10. *titul.* 4. *ſub num.* 20. *verſ. Illud autem.* Eodem igitur modo is, qui donavit quidquid ſupererit, vel reperietur ſuæ mortis tempore, cenſetur ſibi reſervaſſe omnimodam facultatem diſponendi de bonis donatis, & id demum voluiſſe donare, de quo ante obitum aliter non diſpoſuerit.
Et confirmatur, nam cùm fuerit facta donatio bonorum, 11
quæ acquiſita reperirentur tempore obitus donatoris, hæc verba habent in ventre duplicem conditionem. Prima eſt, ſi & quatenùs acquirantur, ad exemplum donationis vini, quod nocetur ex tali vinea: habeat enim tacitam conditionem ſi naſcatur, *l. Cùm certum, ff. de vin. trit. & oleo legat.* Cagnol. *in l. In omnibus n.* 25. *ff. de reg. jur.* Altera conditio eſt, ſi & quatenùs bona acquiſita poſt donationem reperiantur tempore mortis ipſius donatoris, id eſt quatenus de illis ante obitum donator non diſpoſuerit: ita probat tex. 12
expreſſus *in l. Stichus qui meus erit cùm moriar, de legat.* 1. ubi deciditur legatum rei, quæ mea erit cùm moriar, vel (quod idem eſt) quæ reperietur acquiſita tempore mortis meæ, eſſe conditionale, & habere hanc conditionem, quatenùs illa reperiatur non alienata; ideòque ejuſdem modi legatum extingui per alienationem ſubſequutam, & concordat text. *in l. Nuper*, §. *fin. de leg.* 3. & cenſuit Rota apud Seraph. *dec.* 559. *n.* 2. *verſ. Nec placuit.*

Nec vis facienda eſt, quod quis dixerit, dono, ſeu lego 13
rem, quæ reperietur, vel rem, quæ reperiretur; utroque enim modo diſpoſitio eſt conditionalis, & per alienationem extinguitur, ut declarat Jaſ. *in d. l. Stichum n.* 7. poſt Bart. *in l. Cùm quidam, ff. de aur. & arg. leg.* Quamobrem quamvis donator hoc caſu multa bona poſt donationem acquiſierit, & ſic purificata fuerit prima conditio, nempè acquiſitionis, non fuit tamen purificata ſecunda, quòd bona reperirentur non alienata tempore mortis; ideòque extincta 14
fuit: nam diſpoſitio facta ſub duplici conditione evaneſcit, niſi utraque conditio adimpleatur, *l. Si hæredes plures, ff. de condit. inſtit. l. Si quis ita ſtipulatus fuerit decem, ff. de verb. oblig.* & in donationibus reſpondit Rolan. *conſ.* 58. *num.* 49. *vol* 5.

Atque hinc patet nihil obſtare, quæ in contrarium affe- 15
rantur, quod contractus donationis ſit irrevocabilis, ut hìc, *& in l. Perfecta, C. de donat. quæ ſub mod.* & quòd ſpecie per teſtamentum reſcindi non poſſit, *l. Verba, C. de teſtam. l. Si ante, C. de donat. ante nupt.* Bald. *conſ.* 54. *n.* 2. *lib.* 1. *p.* 3. Si quidem hoc caſu per alienationem non revocatur donatio ratione mutatæ voluntatis; id enim legibus interdictum eſt: ſed extinguitur, quia alienando deficit conditio, ſub qua donatio ab initio facta fuit: neque enim donator voluit donationem valere, aut effectum ſortiri, niſi eveniret caſus, ut bona illa reperirentur non alienata tempore obitus: ita ad literam declarat Jaſ. *in d. l. Stichum n.* 16. Vulgati autem 16
juris eſt donationem conditionalem evaneſcere, niſi conditio purificetur, *l.* 1. §. *Plauſius*, & ibi Bart. & DD. *ff. de condit. & demonſtr.* tradit Socc. jun. *conſ.* 165. *n.* 6. *vol.* 2.

Neque obſtat, ſi dicatur, quamvis donator poſſit bona 17
non acquirere, aut acquiſita alienare per diſpoſitionem inter vivos, & hoc modo efficere ut bona donata non extent tempore mortis; tamen ſi illa acquirat, vel acquiſita non alienet, & patiatur, ut reperiantur tempore ſui obitus, diſpoſitio, quam facit de prædictis bonis in ultima voluntate in favorem ſecundæ Eccleſiæ, non impedit, quominùs con- 18
ditio illa remaneat purificata, quia ultima voluntas effectum non habet, niſi poſt mortem, *l. Illa inſtitutio, ff. de hæred. inſtit.*

Id

19 Id inquam non obſtat, quia donans bona, quæ reperientur tempore mortis, poteſt diſponere de bonis donatis, non ſolùm per alienationem inter vivos, ſed etiam in ultima voluntate. Ita in terminis hæredis rogati reſtituere quidquid ſupereſſet tempore ſui obitus, concludit Bald. in dict. Auth. *contra rogatus n.9. Ad Trebell.*

Et quidem ſententia Baldi videtur ſolidis rationibus fulcita; nam cùm rogatus reſtituere quidquid mortis tempore ſupereſſet, poſſet alienare bona reſtitutioni ſubjecta, idque indubitati juris ſit, per text. *in d. l. Titius, ff. Ad Trebel. eum aliis ſup. alleg.* certè etiam poterit in dictis bonis alium heredem iſtituere, quia hoc modo alienaſſe videtur, ut probat tex. quem Bal. allegat *in l. Si quis prioris, §. Certum, C. de ſec. nup.* cujus hæc ſunt verba, *Certum eſſe ſancimus, quòd etiam illa de cætero videbitur earumdem fuiſſe rerum alienatio, quæ in teſtamento, vel ſpecialiter relinquendo, vel generaliter hæredem inſtituendo facta ſit.* Et tradit Bar. in Auth. *Res quæ ſub n.5. C. Communia deleg.* & Ruin. poſt alios, quos citat *conſ. 163. n.1. vol.3.* Aut ergo, inquit Bald. hæres deceſſit teſtatus, & videtur alienaſſe, *d. §. Certum, & l. Unum ex familia, ff. de leg. 2.* Aut deceſſit inteſtatus, & tunc non videtur alienaſſe; & ideò reſtituendum eſt fideicommiſſariis, quod alienatum non reperitur *l. Sed etſi, §. Quod autem quis, ff. de peten. hæred. & d. l. Titius.* Atque ita ceſſat objectum illud, quòd cùm inſtitutio poſt obitum teſtatoris effectum habeat, videatur purificata illa conditio, quòd bona reperiantur non alienata
20 tempore mortis donatoris. Conſiderandum eſt enim teſtamentum in vita ipſius teſtatoris ordinarii, perfici, ut declarat Mant. *de tac. & ambig. conven. lib. 13. tit. 31. n.7.* in puncto, de quo agitur, Jaſ. *d. conſ. 130. ſub n.3. ver. Nec obſtat*
21 *fundamentum*; & quamvis effectum non habeat, niſi ſequuta morte, tamen hoc parùm refert, quia non ſolùm ultimæ voluntates, ſed etiam actus viventium in tempus mortis ſuſpendi poſſunt, nec ideò minùs dicuntur actus perfecti, & inter vivos celebrati, *l. ult. §. fin. ff. Commun. Præd. l. 2. ff. de donat. quæ ſub modo, & l. Ubi ita Donatus, ff. de donat. cauſ. mor.* Corn. *conſ. 289. n. 11. vol. 4.* Mant. *de tac. lib. 13. tit. 14. n. 1. & ſeqq.* Traditio enim hæreditatis licèt poſt obitum ſortiatur effectum, tamen ad tempus mortis retrotrahitur, *l. Heres quandocumque, ff. de acqu. hæred.*

22 Idemque juris eſt in donatione cauſa mortis, quæ non dicitur pendere, licèt dominii translatio poſt mortem ſuſpendatur, ut tradit gloſ. *in d. l. 2. in ver. Tunc demum.* Sed & legatum à tempore mortis teſtatoris acquiritur, itaut propterea quod legatur, non dicatur ſupereſſe poſt mortem ejus, qui legavit, ut in his terminis advertit Soc. *d. conſ. 53. n. 16. vol. 1.* & Jaſ. *d. conſ. 130. ſub. n. 5. verſ. Nec obſtat vol. 4.* Et in tan-
23 tùm hęc ſunt vera, ut quamvis donator reſervaſſet ſibi facultatem diſponendi in vita de bonis donatis; non tamen per hęc verba cenſeretur prohibitus de dictis bonis in teſtamento diſponere, ut tradit *loc. cit.* Mant. *n.7.* poſt Alex. *in l. ult. n. 4. C. de pact.* & Covar. *var. reſol. lib. 3. c. 12. n. 3.*

Quemadmodum ergo prima Eccleſia potuiſſet excludi à bonis donatis, ſi donator de illis diſpoſuiſſet per contractum vēditionis, aut donationis, vel aliùm ſimilem; ita debet cenſeri excluſa, cùm de illis donator diſpoſuerit per ultimàm voluntatem, ut arguit Bald. in Auth. *Niſi rogati n. 11. C. ad Trebell.* Quinimò cùm excludi poſſet per alienationem in- 24
ter vivos: ergo multò magis ex teſtamento, cùm ea, quæ fit in ultima voluntate, ſit favorabilior alienatio, ſecundùm Bart. *in l. A filia n. 3. ff. Ad Trebell.* ubi propterea decidit rogatum reſtituere quicquid reperietur tempore mortis, qui poteſt alienare ex cauſa dotis inter vivos, multò magis poſſe alienare in ultima voluntate, cùm hæc alienatio ſit favorabilior, & ſequitur ibi Alex. *ſub n. 12.* & idem Bart. & Ang. in Auth. *Res qua, C. Commun. deleg.* & in ſpecie, de qua agitur, Jaſ. *d. conſ. 130. ſub n. 4. verſ. Item d. Claretta vol. 4.* ubi etiam pluribus oſtendit abſurdum eſse, ut cui licet alienare inter vivos, quod plus eſt, non liceat in ultima voluntate, quod eſt minus. Conſidero ex abundanti doctrina ſuperiùs adductas loqui in hærede gravato reſtituere quicquid ſupererit tempore mortis: ſed certè longè clariùs, & faciliùs procedunt in donante, duplici conſideratione. Prima, quia hæres dum reſtituit bona fideicommiſſo ſubjecta, nullam exercet liberalitatem, ſed implet onus reſtitutionis ſibi injunctum à teſtatore, cujus bona non ſpontè, ſed ex debito fiedicommiſſariis reſtituit: at verò donator nulla movetur obligatione, ſed ſua liberalitate, ac munificentia utitur. Unde ſi hæres gravatus reſtituere quidquid 25
ſupererit, poteſt in dictis bonis alium hæredem inſtituere; multò magis id poterit donator. Pinguiùs enim eſt ſuccurrendum donanti quàm ei, qui verum debitum ſolvere cogitur, *l. Exhæredatum, §. fin. & l. ſeqq. ff. de re jud.* & mitiùs agitur cum eo, qui ex mera liberalitate convenitur, quam qui ex debito, ut pluribus exemplis probat Rol. *conſ 37. n. 20. vol. 2.* Altera conſideratio eſt, quia hæres rogatus reſtituere quicquid ſupererit, quamvis poſſit alienare; tatmen velit nolit tenetur reſervare fideicommiſſariis 4. hæreditatis, 26
juxta text. in d. Auth. *Contra rogatus.* Donator verò bonorum, quæ tempore ſui obitus reperientur, nihil prorsùs tenetur donatario reſervare, cùm id non reperiatur jure cautum; ſed omnia poteſt in alium transferre, & facere, ut tempore mortis nihil ſuperſit, ut reſpondit Natta *conſ. 118. n. 3. verſ. Si ergo,* & Mant. *de tac. d. lib. 13. tit. 47. n. 4.* Hinc igitur patet eum, qui donavit quidquid ſupereſſet, habere majorem facultatem diſponendi de bonis donatis, quàm hæredem de bonis fideicommiſſo ſuppoſitis. Unde ſi licet hæredi de illis diſponere in ultima voluntate, longè magis licebit donatori, *c. ex parte, il 3. infra de decim. c. Cùm licet, de reg. jur. lib. 6. cum ſimil.*

DE PECULIO CLERICORUM.

Ex Concilio Toletano.

CAPUT V.

SI quis ſanè Clericorum agella vel vineolas in terra Eccleſiæ ſibi feciſſe probabitur, ſuſtentandæ vitæ cauſa, uſque ad diem obitus ſui poſſideat: verùm poſt ſuum deceſſum Eccleſiæ reſtituat, nec teſtamentario, aut ſucceſſorio jure cuiquam hæredum prohæredumve relinquat: niſi forſan cui Epiſcopus pro ſervitiis, ac præſtatione Eccleſiæ largiri voluerit.

SUMMARIUM.

1 *BEneficiati an & quando teneantur præcepto charitatis, vel juſtitiæ redditus beneficiorum ſuorum pauperibus erogare, & n. ſeqq. uſque in fin.*

Beneficiati redditus ſuperfluos beneficiorum ſuorum pauperibus non erogantes, an teneantur ad reſtitutionem ibid. & n. ſeqq. uſque ad n. 6. & 23.

Conſuetudo diſponendi in vita, & in morte de redditibus Eccleſiaſticis, valida eſt, ibid. verſ. Cui ſententiæ.

Declaratur, n. 26.

2 *Divi Thomæ ſententia adverſus Navarri interpretationem explicatur, & n. ſeqq.*

3 *Beneficiatus facit fructus ſuos, & comparatur uſufructuario in vita, & uſuario in morte.*

Declaratur, n. 5. & à n. 9. uſque ad n. 17.

3 *Redditus Eccleſiarum quomodo intelligantur eſſe pauperum*

perum ſecundùm authoritatem Hieroniymi, Ambroſii, & Bernardi, & n. ſeqq. & n.13. 30. & 31.

6 *Beneficiati poſſidentes ſufficiens patrimonium, an poſſint vivere de fructibus beneficii, patrimonio in alios uſus collato, & n. ſeqq. uſque ad n.17.*

7 *Clericis deſervientibus debita ſunt Eccleſiæ ſtipendia ex ſacrarum litterarum teſtimoniis,*

Et quomodo Eccleſiæ deſervire intelligantur, n.12.

8 *Beneficiati habentes patrimonium poſſunt liberè teſtari de bonis patrimonialibus, & vivere de redditibus beneficii.*

Declaratur à n.11. uſque ad n.17.

Conones Apoſtolorum quot ab Eccleſia recipiantur ut Canonici, n.8.

9 *Authoritas Hieronymi, Auguſtini, & Proſperi aſſerentium Clericos, qui bonis parentum, aut ſuis ſuſtentari poſſunt, peccare, ſi redditus Eccleſiæ percipiant, in quo ſenſu à DD. accipiantur, & n. ſeqq. uſque ad num.17.*

10 *Litteræ impetrationis beneficii an valeant non facta mentionem de bonis patrimonialibus.*

14 *Reddituum Eccleſiaſticorum diſpenſatio, ſeu applicatio conſiderari debet juxta tria tempora uſque ad num.17.*

15 *Clerici in primitiva Eccleſia nihil poſſidebant proprii, ſed omnia erant communia, & erat aliquis modus vivendi ab Eccleſia approbatus.*

16 *Redditus Eccleſiarum poſt inſtitutionem titulorum beneficialium principaliter ſunt deputati in uſus miniſtrorum, ſecudariò autem in ſubſidium pauperum: redditus hoſpitalium contra, n.21. & 22.*

17 *Beneficiatus poteſt excedere de fructibus beneficii non ſolùm in neceſſariis, ſed etiam in iis, quæ decent ſervata ratione conditionis, ſtatus, & perſonæ.*

18 *Beneficiatus poteſt licitè diſtribuere proventus beneficii in eos, qui quamvis habeant neceſſaria ad victum, non tamen habeant ſibi ſufficientia pro qalitate conditionis, & decentia ſtatus.*

19 *Item poteſt uſque ad ſtatus decetium donare conſanguineis, & familiaribus ſuis, & dotare ſorores, vel alias conſanguineas indigentes.*

20 *Conſagvineos de redditibus Eccleſiaſticis ditare, quàm grave ſit ſcelus.*

21 *Beneficiati de redditibus Eccleſiaſticis poſſunt remunerari accepta ſervitia.*

22 *Pauperum àppellatione quoad fructuum Eccleſiaſticorum diſtributionem intelliguntur omnia pia opera.*

23 *Clericus poteſt pro libito diſponere de portione, quam per ſuos labores ab Eccleſia meretur, aut quam ſibi ſubtrahit de iis, quæ ad decentem ſtatum ſunt neceſſaria; nec ſi profundat, tenetur ad reſtitutionem.*

24 *Clerici in Urbe, & ejus diſtrictu intra decem milliaria decedentes, ex Bulla Pauli V. liberè poſſunt de bonis ibi conſiſtentibus, etiam provenientibus ex redditibus Eccleſiaſticis, tam inter vivos, quàm in ultima voluntate diſponere; eiſque inteſtatis ſuccedunt hæredes ab inteſtato.*

25 *Papa poteſt tribuere facultatem teſtandi de redditibus Eccleſiaſticis tam Clericis ſæcularibus, quàm Regularibus.*

26 *Declaratur.*

27 *Beneficiatus, ſi detracto docenti victu ex fructibus beneficii nihil ſuperſit, an nihilominùs teneatur unam portionem fabricæ Eccleſiæ, & alteram pauperibus applicari uſque in fin.*

28 *Commendatarii Monaſteriorum, ſi menſa ſit ſeparata à Conventuali, quartam; ſi verò ſit communis, tertiam fructuum partem tenentur erogare in fabricam, ſeu ornamenta Eccleſiæ, vel alimoniam pauperum.*

Declaratur, n.33. & ſeqq.

29 *Commendatarii, ſeu beneficiati alimenta ſecundùm decentiam ſtatus anteponenda ſunt ſuſtentationi pauperum.*

30 *Charitatis ordo exigit, ut quis primùm ſubveniat ſibi ipſi, deindè proximo, & n.33.*

31 *Alimenta debentur beneficiato ex juſtitia, pauperibus ex charitate.*

32 *Beneficiatus non tenetur ad reparationem Eccleſiæ, niſi ex fructibus, qui ſuperſunt detractis neceſſariis.*

33 *Cardinales de fructibus commendatorum beneficiorum integrè diſponere poſſunt uſque ad decentem perſonæ, atque familiæ ſuſtentationem, & remunerationem familiarium.*

SI *quis ſanè*. Legitur variè: ſecundùm primum intellectum Innocentii *in ver. Feciſſe*, hoc intendit: Poſſeſſiones emptas ex redditibus Eccleſiæ tenebit Prælatus quoad vixerit; de his tamen teſtari non poterit. Sed Antonius de Butr. juxta ſecundùm intellectum gl. & Innoc. ſic ſummat hanc decretalem: Res Eccleſiæ ad culturam redactæ non efficiuntur propriæ culturantis, ſed eas uſque ad vitam tenere poteſt. Demùm juxta tertium intellectum, quem Card. dicit eſſe communiorem, hoc dicit: Meliorationes factæ per Prælatum in rebus Eccleſię ſunt ſuæ in vita, etiamſi dimittat beneficium; ſed de his teſtari nequit. Primò ponit unum dictum, Secundò aliud, ibi, *Verum*, à quo excipit ibi, *Niſi agella*, ideſt parvos agros, ſicut prædiolum eſt diminutivum prædii, terrula terræ, & vineola vineæ, *c. Terrulas, aut vineolas* 12. *q.*1. ſecundùm Joan. Andr. & Card. hìc *in princ.* 1

Nota primò ex illis verbis, *Niſi forſan cui Epiſcopus pro ſervitiis, ac præſtatione Eccleſia largiri voluerit*, Prælatum poſſe bona Eccleſiæ quæſita benemeritis elargiri, quando merita reſpiciunt Eccleſiam, & non ſolummodò perſonam Prælati. Et ita declara, quod habetur *in c.2. infra de donat.* ſecundùm Ant. de Butr. hic *n.*2. & Abb. *n.*3.

Secundò nota ibi, *Uſque ad diem obitus*, argumentum quòd beneficiati uſufructuariis comparantur, ut arguit hìc gloſſ. *in ver. Obitus*; nam morte finitur uſusfructus, §. *Finitur inſtit. de uſufr.* ſicut & jus beneficiati, ut hìc, *& c. fin. ſupra de pign.* Hæc tamen æquiparatio non fit per omnia, quia Prælatus in ſolo Eccleſię poteſt plantare vineam, ut hìc ſecundùm unum intellectum, & tenent gloſſ. præall. Butr. *n.*4. Card. *n.*1. *in* 3. *q.* Anch. *n.*1. & Abb. *eod. num. in* 1. *notab.* quod non poteſt uſufructuarius, *l. Quamvis, & l. Uſufructuarius, ff. de uſufr.* Item uſufructuarius tenetur ſatiſdare ad præſcrip. *d. c. fin.* & ibi gl. *in ver. Cautionem idoneam de pign. & l. Uſufructu conſtituto, C. de uſufr.* Prælatus non, quia non reperitur in jure cautum. Item uſufructuarius facit abſolatè fructus ſuos, & de his teſtari poteſt, ſi ſint ſeparati à ſolo, & reconditi, *l. Arboribus*, §. *Julianus, ff. de uſufr. & l. Si fructuarius, ff. quib. mod. uſufr. amitt.* at Clericus de redditibus beneficii, & meliorationibus teſtari non poteſt, ut hìc, *& c. Quia nos infra tit. prox. & c. Quia Joannes*, 12. *q.*5. Nam etſi de quæſitis ex induſtria poſſit Prælatus teſtari, & ab inteſtato relinquere; hoc tamen non poteſt, ſi illam induſtriam impendit in rebus Eccleſiæ, cedit enim Eccleſiæ augmentum, & utilitas rebus ſuis annexa; ſed ſeparata cedit ejus lucro, & poterit teſtari, ut *in c. Quia nos*. Ita formaliter dici hìc Petr. de Anch. *n.*2. & conſenſit Butr. *n.*4. Card. *eademque* 3. & Abb. *n.*2. Et ex his gl. videtur tandem concludere Clericum beneficiatum non eſſe dominum fructuum, & potiùs comparari uſuario, cui tantùm ut licet ad uſum quotidianum, §. 1. *inſtit. de uſu, & habit.* De hoc dicam plenè *in qu. ſeqq.* præſertim *n.*3.

QUÆRO, an & quando Epiſcopi, & Clerici teneantur præcepto charitatis, vel juſtitiæ redditus beneficiorum ſuorum pauperibus erogare.

Præſens quæſtio pro clariori explicatione hujus graviſſimæ, & periculoſæ materiæ diſtinguenda eſt in tres articulos.

Primus eſt, an beneficiati redditus ſuperfluos beneficiorum ſuorum pauperibus non erogantes ad reſtitutionem teneantur. Secundus, an beneficiati poſſidentes ſufficiens patrimonium poſſint vivere de fructibus beneficii, patrimonio in alios uſus collato. Tertius, an ſtante tenuitate beneficii, & detracto condecenti victu beneficiati, ſi nihil ſit reliquum pro pauperibus, fructus beneficii nihilominùs ſint dividendi juxta *c. De redditibus* 12. *q.*2.

Quoad primum, tanta eſt opinionum varietas, atque argumentorum conflictus, quæ hinc inde adducuntur, ut omnia explicari vix poſſit abſque ingenti volumine. Quare omiſſa ſubtiliori diſputatione, quid pro certo tenendum videatur, referemus. Sed ante omnia prætereundum non eſt, laudandos non eſſe DD. qui ut piis cauſis faveant, falſam opinionem pro vera, vel dubiam pro certa obtrudunt, vel probabilem pro damnata excludunt. Ut enim docuit Ariſt. *lib.*10. *Ethic. c.*1. *Veri ſermones non ſolùm ad cognitio-*

nem,

nem, ſed etiam ad vitam benè degendam ſunt utiles; & ſermo tunc fidem facit, cùm congruit factis, aliàs contemnitur. Qui verò hanc juſtitiæ normam erga pauperes cuſtodiunt ut ſuperflua illis largiantur, vix reperiuntur etiam inter beneficiatos Religioſos; nec expedit inducere Clericis conſcientiam, contra quam facturi ſint, & gratis damnentur.

Quod verò ad rei ſummam ſpectat, tametſi opinio Archidiac. *in Summa 44. diſt. n.5. in c. Si Epiſcopus 12. qu.1. & in c. Statutum, §. Aſſeſſorem n.13. de reſcript. lib.6.* & ante eum S. Raym. *in ſumm. rubr. de Apoſtatis in fin. §. Sed numquid*, quæ Epiſcopos, Clericoſve ſuperflua non erogantes pauperibus obligat ad reſtitutionem, fortè ſit communior, magis tendat ad charitatem, & tutior omninò exiſtat, quàm quæ hac eos obligatione ſolvit; eamque acerrimè tueatur Alvarus Pelag. *de planctu Eccleſiæ in 2. p. c.28.* contraria tamen verior, quam ſequitur D. Th. *2.2. qu. 185. art.7. & quodl.6. art.12.* Præp. *in Summ. 44. diſt.* ubi *à n.2. uſque ad 7. q.* luculenter examinat, & quatuor diſtinctis temporibus jura omnia ad concordiam reducit, Covar. *in c. Cùm in officiis, de teſtam. n.3.* ubi multos adducit ejuſdem opinionis, & Sarnen. *de redditibus Eccleſiaſticis p.2. c.2.* ubi ſimiliter plures allegat pro hac ſententia, *& p.4. c.1.* ubi multis argumentis eamdem confirmat, *& c.2.* ubi argumenta in contrarium diſſolvit. Cui ſententiæ in primis favet conſuetudo, de qua teſtatur D. Th. *in quodl.6. art.12.* Hoſt. *hic n.4. verſ. Secundus verò*, relatus à Card. *in 4. qu. num.3. verſ. Et dicit Hoſt.* Butr. *in c. fin. in 3. cauſa, de cauſ. poſſ. propr.* relatus hìc a Jo. de Imol. *col.4. ſub n.11. verſ. Dicit tamen D. Antonius*, Præp. *ubi ſup. num.5. verſ. Quarta tempus*, & Covarr. *itidem loc. cit.* ubi ait hanc ſententiam eſſe benigniorem, & noſtris hiſce temporibus admittendam ex totius Chriſtiani orbis conſuetudine, cui ſi corruptela exiſteret, iretur obviam per Summos Pontifices; tenetur enim Princeps prohibere, quæ ſunt contra juſtitiam, & ne pauperes Chriſti membra tam grave detrimentum in rebus ſuis accipiant, providere. Et tamen Concil. Antioch. *c.25.* præcipit quidem, ut puniatur Epiſcopus, ſi neceſſariis non contentus, in ſuos uſus domeſticos, & ejus commoda res Eccleſiæ convertat, & fructus agrorum domeſticis ſuis, aut propinquis, aut fratribus, filiiſque concedat; ſed tamen eum non arctat ad reſtitutionem, ut refertur *in c. Epiſcopus Eccleſiaſticarum 12. q.1.* Quod utique Conc. non omiſiſſet, ſi Epiſcopus eſſet reſtitutioni obnoxius, ut advertit Præpoſ. præalleg. *in Summ. 44. diſt. num.5. verſ. Et ideo text.* Cùm igitur Apoſtolicus eam conſuetudinem hactenùs non damnaverit, apparet Clericos in hac materia peccare tantùm contra charitatem, non contra juſtitiam: ideòque hujuſmodi conſuetudinem validam eſſe, tenet Jo. Andr. *in reg. Nemo poteſt, de reg. jur. lib.6.* & dicit eſſe communem DD. concluſionem Præp. *loc. cit. verſ.*
2 *Potuit inſuper*. Sed quoniam D. Thom. opinionem ita Navarrus corrumpit, ut eam in contrarium vi deducat, *in tract. de reddit. Eccleſ. q.1. monit.49.* ideò quid S. Doctor ſenſerit, accuratiùs inquirendum. In Summa loco præalleg. ſic definit, *Si Epiſcopo portio ſeparatim ab aliis eſt aſſignata, poteſt de illa diſponere, ut de patrimonio, & peccat malè diſpenſando contra charitatem, non contra juſtitiam, nec tenetur ad reſtitutionem. Sin autem portio illius non eſt ſeparata, ejus fidei diviſio committitur, qui ſi ſuam portionem faciat paulò majorem, non eſt in mala fide; aliàs ſi eſſet magnus exceſſus, non eſſet fidelis diſpenſator, & eſt reſtitutioni obnoxius.* Hæc Div. Thom. Unde colligitur in utroque caſu Epiſcopum eſſe dominum ſuæ portionis, ut eſt patrimonii; Navarrus autem ait D. Thomam ſupponere portionem Epiſcopo aſſignatam non debere eſſe majorem, quàm illi ſufficiat ad victum, quòd ſi fuerit major, rurſus eſſe dividendam, ut Epiſcopo relinquantur ſolùm neceſſaria ad victum. Verùm hæc explicatio eſt omninò contraria menti D. Thomæ; nam loquens de portione aſſignata Epiſcopo, de qua vult illum poſſe diſponere, ut de patrimonio, ſubdit: *In ejus portionis diſpoſitione poteſt ab Epiſcopo peccari contra charitatem, ſi immoderata ſibi retineat, ſeu malè diſpenſet, perindè ac in bonis propriis.* Ergo partem illam ſupponit poſſe eſſe majorem, quàm ſufficiat ad victum Epiſcopi: aliter enim, ſi eſſet ſufficiens tantùm, non poſſet inde ſibi immoderata ſumere, ſeu eam malè diſpenſare, quod tamen D. Thomas affirmat. Diviſio verò reddituum Eccleſiaſticorum, quæ juxta *c. De redditibus 12. q.1.* videtur in pleriſque Eccleſiis fuiſſe facta, innuitur hìc à D. Thoma, cum ait, *Si fuerint diſtincta bona, quæ debent in uſum Epiſcopi cedere, ab his quæ ſunt pauperibus, & miniſtris Eccleſiæ eroganda.* Idem tradunt Sot. *lib.10. de juſt. & jur. qu.4. art.3.* & Covar. *in d. c. Cùm in offic. n.3. in fin. de teſtam.* ſubeſtque ejus rei non levis conjectura: conſtat enim redditus Epiſcopi, Cleri, & fabricæ eſſe diſtinctos, & ſeparatos. Cur igitur non fuerit ſua portio pauperibus aſſignata? Unde probabile eſt hoſpitalia pleraque erecta, & dotationes factas in opera charitatis. Addo D. Thom. etiam fuiſſe in hac ſententia, ut Clerici obtinentes præbendas, & redditus quoſcumque Eccleſiaſticos in uſum miniſtrorum principaliter applicatos, quamvis hujuſmodi redditus omnes per luxum diſpenſent; non tamen peccent contra juſtitiam, nec teneantur ad reſtitutionem. Ita *in d. quodl.6. art.12. ad 3.* ubi diſtinguit inter redditus hoſpitalium, & redditus beneficiorum, dicens: *Aliter dicendum eſt de illis Eccleſiaſticis bonis, quæ principaliter ſunt attribuenda neceſſitatibus pauperum, & ex conſequenti neceſſitatibus miniſtrorum, ſicut ſunt bona hoſpitalium, & aliorum hujuſmodi: & aliter de illis bonis, quæ ſunt principaliter attributa uſibus miniſtrorum, ſicut ſunt præbendæ Clericorum, & alia hujuſmodi; nam in primis bonis peccatum committitur non ſolùm ex abuſu, ſed etiam ex ipſa rerum conditione, dum aliquis in ſuos uſus aſſumit, quod eſt alterius; & ideò tenetur ad reſtitutionem tamquam defraudator rei alienæ. In ſecundis verò bonis non committitur peccatum, niſi per abuſum, ſicut & de bonis patrimonialibus dictum eſt. Unde non tenetur quis ad reſtitutionem, ſed ſolùm ad pœnitentiam peragendam.* Hacte- 3
nùs verba D. Thomæ, cui videntur aſſentiri hìc Hoſtienſ. *num.4. verſ. Mihi videtur diſtinguendum*, Cardin. *in 4. qu. num.3. verſ. Et dicit Hoſtien.* & Imol. *col.4. ſub num.11. verſic. Dicit tamen Divus Antonius*, dum ſcripſerunt Clericum non habentem adminiſtrationem poſſe in vita, & in morte diſponere de redditibus beneficii: habentem verò adminiſtrationem poſſe tantùm dum vivit donare, moderatè tamen. Idem dicit gloſſ. *in cap. Præſenti in ver. Reſervari, de offic. Ordin. lib.6.* ubi reddit rationem, quia beneficiatus in vita comparatur uſufructuario, & facit fructus ſuos: quam gloſſam a toto mundo allegari dicit Barbat. hìc, quem refert, & ſequitur Bellon. *conſ.3. Curatus Eccleſiæ num.6. verſ. Quinimò lib.3.* Et idem dixi gloſſ. *in cap. Duo ſunt genera, in ver. Proprietatem 12. qu.1.* Gemin. *conſ.3. ſuper dubio num.7. ver. Nam Prælatus*, Anchar. *conſ.233. Factum tale num.5.* Paul. de Caſtr. *conſ.438. in quæſt. in princip. lib.1.* Et de communi opinione teſtantur Calder. *conſ.264. aliàs 2. de rebus Eccl. non alien.* Corn. *conſ.314. num.2. verſ. Quinimò lib.3.* & Bellon. *dict. conſil.3. num.2.* ubi aſſerit communem eſſe diſtinctionem, ut beneficiatus æquiparetur uſufructuario in vita, & uſurario in morte; cui ſententiæ apertè ſuffragatur Concilium Tridentinum *in cap.1. ſeſſ.24.* ibi, *Privetur dimidia parte fructuum quos ratione etiam præbendæ, & reſidentiæ fecit ſuos, & in cap.1. ſeſſ.23.* ibi, *Pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non facere*; quod clarè innuit contrario ſenſu Epiſcopos, & Parochos facere fructus ſuos, dum reſident. Quot etiam apertè colligitur ex Conſtitutione Julii III. quæ incip. *Cùm ſicut nobis*, publicata 26. Junii 1550. ibi, *Fructus occaſione Eccleſiarum, Monaſteriorum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum pro tempore provenientes, licèt poſtquam ad manus beneficiatorum pervenerunt, & cum aliis ipſorum beneficiatorum fructibus commixti ſunt, non ulterius in Eccleſiaſticis, ſed potiùs ipſorum beneficiatorum propriis, & ab eis acquiſitis bonis judicari, & propterea quodammodo pro ſæcularibus, & prophanis haberi conſueverint; nihilominùs, quamdiù beneficiati illos non exegerint, verè Eccleſiaſticos eſſe, & cenſeri debere.* Unde fit, ut Archid. *in c. Statutum, §. Aſſeſſorem num.13. verſ. Quidam voluerunt dicere, de reſcript. lib.6.* relatus hìc à Cardin. *in 4. q. n.3.* fortè liberiùs, quàm par eſt, ſcripſerit, hæreticum eſſe de jure Canonico, dicere Clericum facere fructus ſuos: nam contra eum ſtat litera Concilii Tridentini *locis citatis*, & Conſtitutio Julii III.

Authoritas autem Hieronymi dicentis, Aliena capere cō- 4
vincitur, qui ultra neceſſaria ſibi retinere probatur, *c.1. §. Ordinandus 224. diſt.* & Ambroſii *in c. Sicut hi 47. diſtin. Quis enim tam injuſtus, tam avidus, tam avarus eſt, quàm qui multorum alimenta non ſuum uſum, ſed abundantiam, & delicias facit? neque enim minus eſt criminis habenti*

tollere, quàm eum poſſis, & abundes, indigentibus denegare. Eſurientium panis eſt quem tu detines, nudorum indumentum eſt, quod recludis; & miſerorum redemptio eſt & abſolutio pecunia, quam tu in terram defodis. Et Bernard. *Epiſt.*2. *Denique quicquid præter neceſſarium victum, & ſimplicem veſtitum de altari retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt.* Et *Epiſt.*42. *Clamant pauperes, Noſtrum eſt, quod effunditis, nobis crudeliter ſubtrahitur, quod inaniter expenditur.* Item text. *in c. Qui oblationes* 13. *qu.*2. & alia jura, quæ in hanc rem adducit Archid. *in ſumm. n.*5. 44. *diſt.* & *in c. Epiſcopus, il* 2. 12. *q.*1. *Hæ, inquam, authoritates, & aliæ conſimiles eò tantum tendunt, ut ſit illicita, hæc Eccleſiaſticorum bonorum diſtributio, non autem ut ſit reſtitutio neceſſario facienda; & redditus, qui ſuperſunt ultra neceſſaria, dicuntur alieni, non propriè, ſed ex quadam metaphora, eò quod pauperibus eſſent erogandi.* Unde idem Hieronymus ſcribit, bona Eccleſiarum dici bona pauperum, quoad debitum, quia eis debentur, non quoad dominium, nec quoad proprietatem, ut refert Turrecr. *in c. Videntes n.*2. 12. *q.*1. & Covar. *in d. c. Cùm in officiis n.*3. *verſ. Sed*
5 *hæc, atque alia, de teſtam.* Et hoc eſt, quod voluit Præp. *in ſumma* 44 *diſt. n.*4. *verſ. Exinde uſus*, & alii DD. dum dixerunt beneficia obtinentes non eſſe ex toto uſufructuarios, qui non habent liberam facultatem teſtandi, ſicut uſufructuarii meri; ſed ſunt uſufructuarii qualificati. Unde monentur, ut ex fructibus capiant neceſſaria, & pro ſe & pro ſuis, & reſiduum dent pauperibus. Et propterea ad id tenentur ex debito charitatis, non autem juſtitiæ, & contrafacientes peccant quidem mortaliter, ſed non tenentur ad fructus malè conſumptos reſtituendos. Hæc Præpoſ. Præterea jura prædicta atque aliæ conſimiles authoritates, quæ dicunt redditus Eccleſiaſticos eſſe pauperum, procedunt ſecundùm illud tempus, in quo redditus Eccleſiarum principaliter erant deputati pro ſubſidio indigentium; at ſecus eſt poſtquam facta fuit formalis, & ſolemnis inſtitutio titulorum beneficialium, eorumque fructus principaliter ſunt deputati pro ſubſidio miniſtrorum, ut habetur *in c. Nulli Epiſcoporum, §. His ita reſpondetur* 12. *q.*1. & declarat D. Th. *in d. quodl.*6. *art.*12. *ad* 3. Præpoſ. *ubi ſupr. verſ. Quartum poſtea ſucceſſit tempus*, & Covar. *in d. c Cùm in officiis n.*5. *in fin. verſ Nam poſt factam, de teſtam.* Demum procedunt hujuſmodi authoritates in caſu extremæ neceſſitatis, ut patebit infra *n.* 10. *verſ. Septima ſolutio*. Hæc de opinione D. Thom. & de negotio principali.

Sed quoniam timoratæ conſcientiæ magis accedunt ad oppoſitam ſententiam Archid. & bonarum mentium eſt ibi culpam agnoſcere, ubi culpa non eſt, *c. Ad ejus in fin.* 5. *diſt. c.*2. *de obſer. jejun.* ideò ſuppoſita dicta opinione, ſuccedit ſecundus articulus, videlicet

An beneficiati poſſidentes ſufficiens patrimonium poſſint vivere de fructibus beneficii, patrimonio in alios uſus collocato.

6 Qua de re ſtatuenda eſt pro indubitata præſens concluſio: Epiſcopi, & Clerici habentes patrimonium poſſunt vivere de proventibus Eccleſiæ juxta conditionem, & dignitatem, & patrimonium cum fructibus ſervare quibus volunt. De decentia conditionis, & dignitatis agemus infra *num.*17. & *ſeqq.* In reliquis pro concluſione ſtat authoritas Innocent. *in cap. Epiſcopus num.*1. *de præbend.* ibi, *Non credimus*, inquit, *quod qui habet beneficium, vivere debeat de patrimonio, ſed de altari:* & Hugonis *in c. Illi autem* 12. *q.*1. ubi ait, (Clericos licitè poſſe habere propria, & percipere Eccleſiaſtica beneficia, dummodò propter hoc non deſeratur juſtitia, *c. Habebat* 12. *q.*1. nec peccare accipiendo beneficia ſibi debita, quia jure ſuo utuntur, ex quo ſerviunt Eccleſiæ, & beneficia eis canonicè aſſignata ſunt.) Et ſequuntur Hoſtien. *in cap. Poſtulaſti num.*6. *de reſcript.* Archid. poſt Jo. de Fano *in c. Clericos in princ.* 1. *q.*2. Abb. *in ſua q.*4. quæ incip. *Titius Clericus in* 4. *dub. num.*12. *uſque in fin.* ubi ad partes hanc quæſtionem diligenter examinat, & ſolvit contraria per temporum diſtinctionem; & *num.*14. *verſ. Et licèt hoc dictum*, affirmat opinionem Innoc. & Hoſtienſis communiter teneri per omnes Doctores; quam etiam communem eſſe teſtantur Felin. *in d. cap. Poſtulaſti n.*6. ubi in hanc ſententiam citat Div. Thom. *in* 2. 2. *qu.*185. *art.*7. Covarr. *in cap.*1. *num.*2. *de teſtam.* & Navarr. *de redditibus Eccleſiaſticis num.*78. *aliàs eſt qu.*1. *monit.*32. addens idem eſſe judicium de bonis induſtria quæſitis.

Idem ratio ſuadet divinis oraculis innixa, *Decet enim, ut qui altari ſervit, de altari vivat, cum nemo militet ſtipendiis ſuis*, 1. ad Corint. 9. *c. Ex his* 12. *q.*1. & *c. Cùm ex officio, de præſcript.* & *dignus eſt operarius mercede ſua*, 1. ad Timotheum 5. *c. Quicumque* 12. *q.*2. *nec denario fraudari debent in vinea Domini operantes, c. fin. de magiſt.* item *os bovis ligari non debet triturantis*, Deut. 25. *c. Eccleſias, ver. Item non alligabis* 13. *q.*1. *c. Extirpandæ, de præben.* & *qui ad onus eligitur, repelli non debet à mercede, c. Cùm ſecundum, de præb.* & *c. Charitatem* 12. *q.*2. ibi, *Juſtum namque eſt, ut illi conſequantur ſtipendium, qui pro tempore ſuum commodare reperiuntur obſequium*, & *c. Eccleſiaſticis, ead. cauſ.* & *quæſt. Eccleſiaſticis*, inquit, *utilitatibus deſudantes, Eccleſiaſtica dignum eſt remuneratione gaudere.* Unde *in c. Clerici* 1. *q.*2. decernitur, ut Clerici omnes, qui Eccleſiæ fideliter vigilant, & deſerviunt, ſtipendia ſuis laboribus ſecundùm ſervitii ſui meritum per ordinationem Canonum à Sacerdotibus conſequantur; ubi ſecundùm Abb. *loco prælleg.* ponderandum eſt verbum illud, *Omnes*, quod includit tam pauperes, quàm divites, ut ibi etiam notant DD. aliàs quid dixiſſet, omnes? Item ponderanda ſunt illa verba, *Stipendia ſuis laboribus debita*, quæ innuunt danda eſſe ſtipendia Clericis non propter indigentiam, ſed propter labores, quos ſuſtinent: quæ quidem ratio verificatur tam in divitibus, quàm in pauperibus. Item ponderandum quod dicitur, ſecundùm ſervitii meritum, non autem ſecundùm indigentiæ qualitatem. 7

Hinc emanarunt jura hodierna, quibus diſponitur, ut Clerici habentes beneficium, & patrimonium, poſſint liberè teſtari de bonis patrimonialibus, & vivere de redditibus beneficii, 12. *qu.* 5. *per tot.* & *infra de teſtam. quaſi per tot.* ſecundùm Abb. *in d. cap. Poſtulaſti num.*5. *de reſcript.* Quod clarè ſtatutum legitur in Concilio Agathenſi *cap.*18. relato *in cap. Epiſcopi* 12. *qu.*1. his verbis, *Epiſcopi de rebus propriis, vel acquiſitis, vel quicquid de proprio habent, hæredibus ſuis, ſi voluerint, derelinquant. Quicquid verò de proviſione ſua Eccleſiæ fuerit ſive de agris, ſive de fructibus, ſive de oblationibus, omnia in jure Eccleſiæ reſervare cenſuimus.* Idem probatur *in cap. Manifeſta, ead. cauſ.* & *qu.* ibi; Neque res propriæ Epiſcopi importunitatem patiantur pro rebus Eccleſiæ, ut nec Eccleſia incurrat damnum nec etiam Epiſcopus in ſuis rebus pro rebus Eccleſiæ proſcribatur, concordat text. *in cap. Sint manifeſtæ*, quod immediatè ſubſequitur, *Sint manifeſtæ res propriæ Epiſcopi, ſi tamen habet proprias, & manifeſtæ Dominicæ, ut poteſtatem habeat de propriis moriens Epiſcopus ſicut voluerit, & quibus voluerit derelinquere; ne ſub occaſionem Eccleſiaſticarum rerum ea, quæ Epiſcopi eſſe probantur, intercidant.* Qui deſumptus eſt à Gratiano ex Canonibus Apoſtolorum, *cap.*40. atque ita eſt ex numero Canonum quinquaginta, qui ſoli ab Eccleſia Latina recipiuntur ut Canonici, juxta text. *in c. Clementis* 16. *diſt.* & declarat Cardin. Bellarmin. *de ſcript. Eccl.* ubi ait de S. Clemente Romano. Sed & Alexander III. *in c. Quia nos, de teſtam. Licèt*, inquit, *Clerici de his, quæ paternæ ſucceſſionis, vel cognationis intuitu, aut de artificio ſunt adepti, ſeu dono conſanguineorum, & amicorum, non habito reſpectu ad Eccleſiam, pervenerunt ad ipſos, liberè diſponere valeant: de his tamen, quæ conſideratione Eccleſiæ perceperunt, nullum de jure facere poſſunt teſtamentum.* Hæc ibi. Pone igitur Clericum donaſſe patrimonii fructus, vel ſervare velle ab obitus ſui diem; certè inde ſequitur, ut de fructibus beneficii ſit alendus: quod non eſt inconveniens, ſicut nec id ex quo ſequitur; poſito enim poſſibili, & convenienti, nihil ſequitur inconveniens, vel impoſſibile. 8

Sed concluſioni ut ſupra firmatæ fortiter obſtat text. in *c. Clericos* 1. *q* 2. qui eſt pars *c. Quoniam* 16. *qu.*1. ubi Hieronymus ad Damaſum Papam, *Clericos autem illos convenit Eccleſiæ ſtipendiis ſuſtentari, quibus parentum, & propinquorum nulla ſuffragantur bona: Qui autem bonis parentum, aut ſuis ſuſtentari poſſunt, ſi quod pauperum eſt, accipiunt, ſacrilegium profectò committunt, & per abuſionem talium judicium ſibi manducant, & bibunt:* concordat tex. *in c. Si quis, & in cap. Paſtor.* 1. *q.*2. ubi Proſper, *Nec illi, qui ſua poſſidentes dari ſibi aliquid volunt, ſine grandi peccato ſuo, unde pauper victurus erat, accipiunt: ita poſſeſſores, non alimenta, quibus abundant, ſed aliena peccata ſuſcipiunt.* Et in idem recidit, quo ait Auguſtinus ad Bonifac. Comitem *epiſtol.*50. *Si privatum poſſidemus, quod nobis* 9

ſuffi-

ſufficiat, non illa noſtra ſunt, ſed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus; refertur in *cap. fin.* 12. *q.* 1. quod conſtat etiam ex *cap. Sacerdos* 1. *quæſt.* 2. ubi deciditur [Clericos pauperes, ſive ex nativitate, ſive ex propria voluntate, juſtè vivere de bonis Eccleſiæ, quia ad ea accipienda non cupiditas ducit, ſed vivendi neceſſitas cogit.] Et mox notabiliter ſubjungitur: [De talibus dicere videtur Apoſtolus, Qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt; qui in altario deſerviunt, cum altario participant.] Ergo Clerici divites, quos non neceſſitas, ſed cupiditas ducit, non poſſunt juſtè vivere de bonis Eccleſiæ, quamvis eidem inſerviant, cùm de talibus non intelligatur Apoſtoli authoritas, ſed de Clericis pauperibus. Ad idem eſt textus fortis in *cap. Illi*, 12. *quæſt.* 1. ubi Clerici, qui tam infirmi ſunt animo, ut poſſeſſionibus ſuis renunciare non poſſint, cum peccato illa retinent. Ergo tunc demum debet Clericus de bonis Eccleſiæ vivere, quando non habet patrimonium unde vivat. Et eodem reſpiciunt Canones, qui dicunt Epiſcopum poſſe accipere de rebus Eccleſiæ, quibus indiget, ſi tamen indiget, & eas diſpenſare pro ſuis, & indigentium neceſſitatibus, ut 12. *quæſt.* 1. *cap. Epiſcopus*, *& cap. Ex his*: ubi gloſ. *in ver. Indiget*, reddit rationem quia de rebus Eccleſiæ non debet quis paſci, ſi habet propria: ponderanda enim ſunt illa verba, *Si tamen indiget*; nam qui habet patrimonium, non dicitur indigere, ſecundùm Abb. *d. quæſt.* 4. *n.* 12. *in* 2. *arg. verſ. Ad idem*: hinc Vicent. & Philippus in *cap. Poſtulaſti*, *de reſcript.* relati ab Arch. in *d. cap. Clericos*, *num.* 2. 1. *quæſt.* 2. dice-
10 bant non valere litteras beneficii, niſi facta mentione de paterna hæreditate, quia talis indignè petit beneficium Eccleſiaſticum, allegant *cap. Quoniam*, 16. *quæſt.* 1. *& cap. Illi*, 12. *quæſt.* 1. Cæterùm opinio Vicent. & Philippi communiter reprobatur à DD. & contrarium tenent in eadem decretali Innoc. & Compoſtell. quos refert, & ſequitur Archid. in *d. cap. Clericos*, 1. *quæſt.* 2. *num.* 1. *in verb. Diſpenſat.* ubi concludit eum qui habet bonum patrimonium, poſſe impetrare beneficium à Papa, & valere litteras, etiamſi in eis non fiat mentio de patrimonio, quod habet, niſi eſſet ad patrimonium intitulatus, juxta textum in *d. cap. Poſtulaſti*. Idque ſecundum Innoc. & Archid. ſatis innuitur ex eo, quòd ibi Apoſtolicus non reſpondet conſultationi ſibi factæ ſuper hoc argum. *cap. Nonne præſum*. Et ita ſentiunt communiter DD. ibi, & in *cap. Epiſcopus de præb.* ut teſtatur Præpoſ. in *d. cap. Clericos*, *num.* 1. *in* 1. *concluſ. verſ. Tum item humana lege*: & ita etiam uſu receptum eſt.

Ad prædictos autem Canones ex Hieronymo, Auguſtin. & Proſpero, dantur à gloſ. & DD. per plures ſolutiones, quæ ſunt veluti declarationes, ſeu limitationes ad regulam ſuperiùs firmatam.

Prima ſolutio eſt gloſ. in *d. cap. Clericos*, *in verb. Sacrilegium* 1. *quæſt.* 2. quòd illud, quod ibi dicitur, ſit exhortatio, & conſilium, non autem præceptum; quod etiam ſentit gloſ. in *cap. Illi autem*, *in ver. ſine peccato*, 12. *quæſt.* 1. dum dicit cap. illud de conſilio loqui, & fuit opinio Laurentii ſecundum Archid. ibi *num.* 1. *in gloſ. in ver. De conſilio*. Cui etiam videtur adhærere Covarr. in *c.* 1. *num.* 2. *verſ. Prima etenim authoritas*, *de teſtam.* & pro hac ſolutione facit littera *dict. cap. Clericos*, ibi, *Convenit*, *&c.* repugnant tamen ſubſequentia verba: *Sacrilegium committunt*, *& judicium ſibi manducant*, *& bibunt*, necnon verba *d. cap. Paſtor*, ibi: *Sine grandi peccato*. Et proptereà Hugo in *d. c. Illi autem*, dicit ſe credere, quod dicitur in prædictis juribus, eſſe de præcepto, ut refert ibi Archid. *n.* 1. ſed & Hoſt. in *d. c. Poſtulaſti*, *de reſcript.* Ego crederem, inquit, eis, qui dicunt dicta jura loqui de conſilio, ſi jura inducerent, quæ non habent, ut refert Præpoſ. in *d. cap. Clericos verſ. Nam hunc textum*. Unde hæc ſolutio non placet Abb. *d. quæſt.* 4. incip. *Titius*, *n.* 12. *ver. Prima ſolutio*.

11 Secunda ſolutio eſt, quam ponit Præpoſ. in *eodem cap. Clericos*, *verſ. Quarto reſpondent*, quòd prædicti Canones intelligantur eo caſu, in quo Eccleſia non ſufficit omnibus. Verùm hæc reſponſio quamvis ſit in ſe vera, qui Clerici, quibus propria ſufficiunt, debent tunc ceſſare à ſumptibus Eccleſiæ, cùm ſit caſus in quo deberent potiùs de ſuo ſubvenire, arg. *cap. Paſce*, 86. *diſt. & cap. Licèt*, *de cenſ.* tamen nimis reſtringit illos Canones, qui generaliter loquuntur. Et videtur etiam divinare, cùm hic intellectus ex verbis illorum non colligatur.

Tertia ſolutio eſt gloſ. prælleg. in *c. Clericos*, *in ver. Sacrilegium*, quòd textus de his loquatur, qui occaſione patrimonii ampliandi, quod habent, ſe à divinis ſubtrahunt obſequiis, quibus ſe abſentantibus danda non ſunt ſtipendia Eccleſiaſtica, arg. *cap. Generaliter*, 16. *q.* 1 concordat gloſ. in *d. cap. Illi autem*, *in ver. Sine peccato*, dum ait, textum ibi intelligi de Clericis vagabundis, & ſequitur Præpoſ. in *d. cap. Clericos*, *num.* 1. *in* 1. *concluſ.* dum firmat ſecundum Archid. & alios, iſta Capitula eſſe intelligenda de his, qui non ſerviunt. Quæ tamen ſolutio videtur contra textum in *d. cap. Sacerdos*, 1. *quæſt.* 2. ubi Clericis etiam de ſervientibus non ſunt danda ſtipendia Eccleſiaſtica, niſi ſint pauperes, ut conſiderat Abb. *d. quæſt.* 4. *num.* 12. *verſ. Secunda ſolutio*; ac propterea divinat, ut ipſemet Præpoſit. fatetur *ubi ſupra*, *verſ. Alii dicunt*. Solutio tamen in ſe bona eſt, & ſecundum eum optimè probatur in *cap. Clerici* 1. *quæſt.* 2.
Porrò ſervitium Eccleſiæ non ita eſt accipiendum, ut indiſtinctè Clerici teneantur intereſſe divinis in Eccleſia; ſed ad hoc ut vivere poſſint de proventibus Eccleſiaſticis, & patrimonium ſervare, quibus volunt, ſatis eſt, ut extra Eccleſias recitent horas Canonicas, ſi beneficia ex fundatione, vel ex conſuetudine perſonalem reſidentiam non requirant; & in hunc ſenſum accipienda ſunt oracula ex ſacris litteris deſumpta, de quibus *ſupra n.* 7. ut declarat Præpoſ. in *ſumm. num.* 3. *verſ. Inter has varietates*, 44. *diſt.* dicens, de hoc eſſe gloſſam communiter receptam, in *cap. Gratia*, *de reſcript. lib.* 6. 12

Quarta ſolutio ponitur per gloſ. ubi ſupra, quod prædicti textus loquantur de quarta pauperibus debita, quæ dari prohibetur abundantibus: panis enim egentium, &c. *cap.* 2. 14. *quæſt.* 1. Nam ſi abundantes de bonis Eccleſiæ ſuſcipiunt, licèt non debeat eis denegari portio, quia nemo cogitur ſuis ſtipendiis militare, mortaliter peccant. Quæ fuit etiam opinio Laur. & Jo. de Fan. ſecundum Archid. ibi, *in fin. in ver. Mortaliter peccant*. Et idem innuit gloſ. prælleg. in *d. cap. Illi autem*, dicens textum loqui de oblationibus, quæ abundantibus non ſunt communicandæ. Et hæc ſolutio quamvis non placeat Præpoſ. 12. *d. cap. Clericos verſ. Tertii dicunt*; tamen ſatis congruit cum litteras textus, ibi, *Si quod pauperum eſt*, *&c.* Quæ verba clarè indicant bona propria poſſidentibus illam tantùm portionem denegari, quæ pauperibus debetur. Et concordat littera *d. cap. Paſtor*, ibi, Nec ſua poſſidentes, ſine grandi peccato, unde pauper victurus erat, accipiunt.

Quinta ſolutio eſt Innocentii in *cap. Epiſcopus de præben. num.* 1. quòd *in d. cap. Paſtor*, 1. *quæſt.* 2. Author. Canonis tantùm intendat prohibere, ne quis de patrimonio avarè theſaurizet, & bona Eccleſiæ expendat; alias autem benè licet ſua bona conſervare hæredibus, & bona Eccleſiæ expendere, ſequitur Archidiac. in *d. c. Clericos n.* 1. *verſ. Unde Innoc.* Et hæc ſolutio eſt etiam de mente gloſ. ibidem, dum ait, tunc potiſſimùm mortaliter peccare Clericos, qui abundantes de bonis Eccleſiæ ſuſcipiunt, quando ſua reſervant ex cupiditate. Et opinionem Innocentii communiter à Doctoribus approbari teſtatur Silveſt. *verſ. Clericus*, 4. *num.* 12. De cujus veritate clariùs etiam patebit ex his, quæ mox dicentur in ſeq.

Sexta ſolutio eſt gloſ. in *d. cap. Clericos*, *in verb. Accipiunt*, 1. *quæſt.* 2. dum dicit textum loqui de illis Clericis, qui cùm habeant bona propria, accipiunt bona Eccleſiæ, & in malos uſus convertunt; & ſic eſſe intelligenda ſequentia capitula, ſcilicet cùm malè diſpenſant. Idem tradit Innoc. in *cap. Poſtulaſti*, *in princ. de reſcr.* dicens, Clericos habentes patrimonium, non indignè accipere beneficium, dummodò benè diſpenſent; & cùm hac ſolutione tranſit etiam Archid. in *eod. cap. Clericus in verb. Diſpenſant*, *& in d. c. Illi autem*, *num* 1. 12. *quæſt.* 1. ubi ait, quod dicitur in *cap. Quoniam*, 16. *quæſt.* 1. quòd ſacrilegium committunt, verum eſſe quando ex cauſa quis recipit ſtipendium Eccleſiæ, ut in uſus illicitos convertat, & ne ſuum quotidianis expenſis imminuat, *cap. Si quis proprium*, 1. *quæſt.* 2. & ut patrimonium ſuum augmentet, illud conſanguineis ſuis relicturus; aliàs etiam qui habet propria, licitè de altari vivet, cui ſervit. Ita Archid. quem ſequitur Præpoſ. in *d. cap. Clericos*, *num.* 1. *verſ. Eſt & alia concluſio*, ubi ait graviter peccare illos, qui divites ſunt & ex propriis bonis autem parentum, ſive propinquorum, ſufficientia vitæ habent, ſi cauſa cupiditatis, ſcilicet agendi divitias, & propinquos ditandi, vel ſi vitio prodigalitatis faciunt, ut ſuperfluè, & luxurioſè vivant, ſtipendia Eccleſiæ accipiunt; quia quod pauperum eſt, cùm non

ſufficiat, non illa noſtra ſunt, ſed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus; refertur in *cap. fin.* 12. *q.* 1. quod conſtat etiam ex *cap. Sacerdos* 1. *quæſt.* 2. ubi deciditur [Clericos pauperes, ſive ex nativitate, ſive ex propria voluntate, juſtè vivere de bonis Eccleſiæ, quia ad ea accipienda non cupiditas ducit, ſed vivendi neceſſitas cogit.] Et mox notabiliter ſubjungitur: [De talibus dicere videtur Apoſtolus, Qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt; qui in altario deſerviunt, cum altario participant.] Ergo Clerici divites, quos non neceſſitas, ſed cupiditas ducit, non poſſunt juſtè vivere de bonis Eccleſiæ, quamvis eidem inſerviant, cum de talibus non intelligatur Apoſtoli authoritas, ſed de Clericis pauperibus. Ad idem eſt textus fortis in *cap. Illi*, 12. *quæſt.* 1. ubi Clerici, qui tam infirmi ſunt animo, ut poſſeſſionibus ſuis renunciare non poſſint, cum peccato illa retinent. Ergo tunc demum debet Clericus de bonis Eccleſiæ vivere, quando non habet patrimonium unde vivat. Et eodem reſpiciunt Canones, qui dicunt Epiſcopum poſſe accipere de rebus Eccleſiæ, quibus indiget, ſi tamen indiget, & eas diſpenſare pro ſuis, & indigentium neceſſitatibus, ut 12. *quæſt.* 1. *cap. Epiſcopus*, *& cap. Ex his*: ubi gloſ. *in ver. Indiget*, reddit rationem quia de rebus Eccleſiæ non debet quis paſci, ſi habet propria: ponderanda enim ſunt illa verba, *Si tamen indiget*; nam qui habet patrimonium, non dicitur indigere, ſecundùm Abb. *d. quæſt.* 4. *n.* 12. *in* 2. *arg. verſ. Ad idem*: hinc Vicent. & Philippus in *cap. Poſtulaſti*, *de reſcript.* relati ab Arch. in *d. cap. Clericos*, *num.* 2. 1. *quæſt.* 2. dice-

10 bant non valere litteras beneficii, niſi facta mentione de paterna hæreditate, quia talis indignè petit beneficium Eccleſiaſticum, allegant *cap. Quoniam*, 16. *quæſt.* 1. *& cap. Illi*, 12. *quæſt.* 1. Cæterùm opinio Vicent. & Philippi communiter reprobatur a DD. & contrarium tenent in eadem decretali Innoc. & Compoſtell. quos refert, & ſequitur Archid. in *d. cap. Clericos*, 1. *quæſt.* 2. *num.* 1. *in verb. Diſpenſat.* ubi concludit eum qui habet bonum patrimonium, poſſe impetrare beneficium à Papa, & valere litteras, etiamſi in eis non fiat mentio de patrimonio, quod habet, niſi eſſet ad patrimonium intitulatus, juxta textum in *d. cap. Poſtulaſti*. Idque ſecundum Innoc. & Archid. ſatis innuitur ex eo, quòd ibi Apoſtolicus non reſpondet conſultationi ſibi factæ ſuper hoc argum. *cap. Nonne præſum.* Et ita ſentiunt communiter DD. ibi, & in *cap. Epiſcopus de præb.* ut teſtatur Præpoſ. in *d. cap. Clericos*, *num.* 1. *in* 1. *concluſ. verſ. Tum item humana lege*: & ita etiam uſu receptum eſt.

Ad prædictos autem Canones ex Hieronymo, Auguſtin. & Proſpero, dantur à gloſ. & DD. per plures ſolutiones, quæ ſunt veluti declarationes, ſeu limitationes ad regulam ſuperiùs firmatam.

Prima ſolutio eſt gloſ. in *d. cap. Clericos*, *in verb. Sacrilegium* 1. *quæſt.* 2. quòd illud, quod ibi dicitur, ſit exhortatio, & conſilium, non autem præceptum; quod etiam ſentit gloſ. in *cap. Illi autem, in ver. ſine peccato*, 12. *quæſt.* 1. dum dicit cap. illud de conſilio loqui, & fuit opinio Laurentii ſecundum Archid. ibi *num.* 1. *in gloſ. in ver. De conſilio*. Cui etiam videtur adhærere Covarr. in *c.* 1. *num.* 2 *verſ. Prima etenim authoritas*, *de teſtam.* & pro hac ſolutione facit littera *dict. cap. Clericos*, ibi, *Convenit*, *&c.* repugnant tamen ſubſequentia verba: *Sacrilegium committunt*, *& judicium ſibi manducant*, *& bibunt*, necnon verba *d. cap. Paſtor*, ibi: *Sine grandi peccato*. Et propterea Hugo in *d. c. Illi autem*, dicit ſe credere, quod dicitur in prædictis juribus, eſſe de præcepto, ut refert ibi Archid. *n.* 1. ſed & Hoſt. in *d. c. Poſtulaſti*, *de reſcript.* Ego crederem, inquit, eis, qui dicunt dicta jura loqui de conſilio, ſi jura inducerent, quæ non habent, ut refert Præpoſ. in *d. cap. Clericos verſ. Nam hunc textum*. Unde hæc ſolutio non placet Abb. *d. quæſt.* 4. incip. *Titius*, *n.* 12. *ver. Prima ſolutio*.

11 Secunda ſolutio eſt, quam ponit Præpoſ. in *eodem cap. Clericos*, *verſ. Quartò reſpondent*, quòd prædicti Canones intelligantur eo caſu, in quo Eccleſia non ſufficit omnibus. Verùm hæc reſponſio quamvis ſit in ſe vera, qui Clerici, quibus propria ſufficiunt, debent tunc ceſſare à ſumptibus Eccleſiæ, cùm ſit caſus in quo deberent potiùs de ſuo ſubvenire, arg. *cap. Paſce*, 86. *diſt. & cap. Licèt*, *de cenſ.* tamen nimis reſtringit illos Canones, qui generaliter loquuntur. Et videtur etiam divinare, cùm hic intellectus ex verbis illorum non colligatur.

Tertia ſolutio eſt gloſ. prælleg. in *c. Clericos*, *in ver. Sacrilegium*, quòd textus de his loquantur, qui occaſione patrimonii ampliandi, quod habent, ſe à divinis ſubtrahunt obſequiis, quibus ſe abſentantibus danda non ſunt ſtipendia Eccleſiaſtica, arg. *cap. Generaliter*, 16. *q.* 1 concordat gloſ. in *d. cap. Illi autem*, *in ver. Sine peccato*, dum ait, textum ibi intelligi de Clericis vagabundis, & ſequitur Præpoſ. in *d. cap. Clericos*, *num.* 1. *in* 1. *concluſ.* dum firmat ſecundum Archid. & alios, iſta Capitula eſſe inteligenda de his, qui non ſerviunt. Quæ tamen ſolutio videtur contra textum in *d. cap. Sacerdos*, 1. *quæſt.* 2. ubi Clericis etiam de ſervientibus non ſunt danda ſtipendia Eccleſiaſtica, niſi ſint pauperes, ut conſiderat Abb. *d. quæſt.* 4. *num.* 12. *verſ. Secunda ſolutio*; ac propterea divinat, ut ipſemet Præpoſit. fatetur *ubi ſupra*, *verſ. Alii dicunt*. Solutio tamen in ſe bona eſt, & ſecundum eum optimè probatur in *cap. Clerici* 1. *quæſt.* 2.

Porro ſervitium Eccleſiæ non ita eſt accipiendum, ut indiſtinctè Clerici teneantur intereſſe divinis in Eccleſia; ſed ad 12
hoc ut vivere poſſint de proventibus Eccleſiaſticis, & patrimonium ſervare, quibus volunt, ſatis eſt, ut extra Eccleſias recitent horas Canonicas, ſi beneficia ex fundatione, vel ex conſuetudine perſonalem reſidentiam non requirant; & in hunc ſenſum accipienda ſunt oracula ex ſacris litteris deſumpta, de quibus *ſupra n.* 7. ut declarat Præpoſ. in *ſumm. num.* 3. *verſ. Inter has varietates*, 44. *diſt.* dicens, de hoc eſſe gloſſam communiter receptam, in *cap. Gratia*, *de reſcript. lib.* 6.

Quarta ſolutio ponitur per gloſ. ubi ſupra, quod prædicti textus loquantur de quarta pauperibus debita, quæ dari prohibetur abundantibus: panis enim egentium, &c. *cap.* 2. 14. *quæſt.* 1. Nam ſi abundantes de bonis Eccleſiæ ſuſcipiunt, licèt non debeat eis denegari portio, quia nemo cogitur ſuis ſtipendiis militare, mortaliter peccant. Quæ fuit etiam opinio Laur. & Jo. de Fan. ſecundum Archid. ibi, *in fin. in ver. Mortaliter peccant*. Et idem innuit gloſ. prælleg. in *d. cap. Illi autem*, dicens textum loqui de oblationibus, quæ abundantibus non ſunt communicandæ. Et hæc ſolutio quamvis non placeat Præpoſ. 12. *d. cap. Clericos verſ. Tertii dicunt*; tamen ſatis congruit cum litteras textus, ibi, *Si quod pauperum eſt*, *&c.* Quæ verba clarè indicant bona propria poſſidentibus illam tantùm portionem denegari, quæ pauperibus debetur. Et concordat littera *d. cap. Paſtor*, ibi, Nec ſua poſſidentes, ſine grandi peccato, unde pauper victurus erat, accipiunt.

Quinta ſolutio eſt Innocentii in *cap. Epiſcopus de præben. num.* 1. quòd *in d. cap. Paſtor*, 1. *quæſt.* 2. Author Canonis tantùm intendat prohibere, ne quis de patrimonio avarè theſaurizet, & bona Eccleſiæ expendat; alias autem benè licet ſua bona conſervare hæredibus, & bona Eccleſiæ expendere, ſequitur Archidiac. in *d. c. Clericos n.* 1. *verſ. Unde Innoc.* Et hæc ſolutio eſt etiam de mente gloſ. ibidem, dum ait, tunc potiſſimùm mortaliter peccare Clericos, qui abundantes de bonis Eccleſiæ ſuſcipiunt, quando ſua reſervant ex cupiditate. Et opinionem Innocentii communiter à Doctoribus approbari teſtatur Silveſt. *verſ. Clericus*, 4. *num.* 12. De cujus veritate clariùs etiam patebit ex his, quæ mox dicentur in ſeq.

Sexta ſolutio eſt gloſ. in *d. cap. Clericos*, *in verb. Accipiunt*, 1. *quæſt.* 2. dum dicit textum loqui de illis Clericis, qui cùm habeant bona propria, accipiunt bona Eccleſiæ, & in malos uſus convertunt; & ſic eſſe intelligenda ſequentia capitula, ſcilicet cùm malè diſpenſant. Idem tradit Innoc. in *cap. Poſtulaſti*, *in princ. de reſcr.* dicens, Clericos habentes patrimonium, non indignè accipere beneficium, dummodò benè diſpenſent; & cùm hac ſolutione tranſit etiam Archid. in *eod. cap. Clericus in verb. Diſpenſant*, *& in d. c. Illi autem*, *num* 1. 12. *quæſt.* 1. ubi ait, quod dicitur in *cap. Quoniam*, 16. *quæſt.* 1. quòd ſacrilegium committunt, verum eſſe quando ex cauſa quis recipit ſtipendium Eccleſiæ, ut in uſus illicitos convertat, & ne ſuum quotidianis expenſis imminuat, *cap. Si quis proprium*, 1. *quæſt.* 2. & ut patrimonium ſuum augmentet, illud conſanguineis ſuis relicturus; alias etiam qui habet propria, licitè de altari vivet, cui ſervit. Ita Archid. quem ſequitur Præpoſ. in *d. cap. Clericos*, *num.* 1. *verſ. Eſt & alia concluſio*, ubi ait graviter peccare illos, qui divites ſunt & ex propriis bonis autem parentum, ſive propinquorum, ſufficientia vitæ habent, ſi cauſa cupiditatis, ſcilicet agendi divitias, & propinquos ditandi, vel ſi vitio prodigalitatis faciunt, ut ſuperfluè, & luxurioſè vivant, ſtipendia Eccleſiæ accipiunt; quia quod pauperum eſt, cùm non

beneficia promoventur, & de ſtipendiis deputatis prædictis
officiis ſuſtentantur.

17 Nunc eidem concluſioni ſubjiciuntur quædam corolla-
ria. Primò, Clericus poteſt excedere de fructibus beneficii
non ſolùm in neceſſariis, ſed etiam in iis, quæ decent, ſer-
vata ratione conditionis, ſtatus, & perſonæ, S. Thom.
*quodlib.6. art.*12. ubi ait: *Si quis bona fide diſpenſet Eccle-
ſiaſtica bona, inde accipiens quod ſibi convenit ſecundum con-
ditionem ſtatus & perſonæ, non peccat mortaliter, etiam
ſi fortè aliquid plus in ſuos uſus convertat, quàm oporteat*;
& in 2.2. art.6. & tradunt Navarr. *de reddit. Eccleſ. quæſt.*1.
*num.*92 Rodoan. *de ſpol. qu.*3. §. *Verum quia num.* 16. *cum
ſeq.* Covar. in *cap. Cum in officiis, num.2. verſ.3. ex eadem
ratione de teſtam.* & quamvis gloſ. in *cap. Epiſcopus, in ver.
Uſibus*, 12. *qu.*1. ex eo textus deducat Clericos ea neceſſi-
tate debere eſſe contentos, ut habeant victum, & veſtitum;
& in textu neceſſitatem eſſe referendam ad neceſſitatem
naturæ, & eſſe augmentum contra illos, qui propter neceſ-
ſitatem dicunt ſe habere plures Eccleſias: tamen illa gloſſa
poteſt tantùm ſalvari ſecundum illud tempus, in quo reddi-
tus Eccleſiarum erant principaliter deputati pro uſu indi-
gentium; at ſecus eſt poſteaquam erecti ſunt tituli benefi-
ciales, & illorum fructus deputati principaliter pro ſubſi-
dio miniſtrorum, ut declarat Abb. in *d. qu.4. num.14. col.ult.
verſic. Secundum præſuppoſitum*, & eſt ex mente S. Thomæ
d. quodlib.6. art.12. ad 3. ideòque Hugo relatus à Præpoſ. in
d. cap. Clericos, propè fin. verſ. Sed hic ſurgit quæſtio, 1. *qu.*2.
dicit Clericos habentes proprium patrimonium poſſe acci-
pere de bonis Eccleſiæ quantum ſibi aſſignatam eſt Cano-
nicè, vel hoc pro honeſtate perſonę, & qualitate moderan-
dum eſſe. Et fuit opinio Innoc. in *cap. Epiſcopus, de præb. in
princ.* ubi verbum, *Subminiſtret*, interpretatur pro qualitate
Eccleſiæ, & dignitate Clerici, per text. in *l. penult. ff. de alim.
& cib. leg. & in l. Quæro, ff. de jur. dot.* & idem voluit Hoſt.
in *Summ. de reſcr.* §. *Quæ poſſunt objici, num.* 25. *verſ. Sed
quid appellans*, dicens beneficium ſufficiens appellari quod
ſibi, & ſuis ſufficiat, *cap. Studeat ad fin.*50. *diſt. cap.*1. *de co-
hab. Cleric. & mulier.* conſiderat nobilitate, dignitate, &
majoritate illius, de cujus proviſione quæritur, arg. *c. Non
cogantur* 41. *diſt.* ita Hoſtien.

Ideòque in Extrav. *Execrabilis* Joannis XXII. Cardina-
libus, & Filiis Regum conceditur retentio plurium incom-
patibilium, *& in cap. De multa, in fin. de præb.* dicitur poſſe
diſpenſari cum nobilibus, & litteratis perſonis circa plura-
litatem beneficiorum, licèt poſſint aliundè vivere, ut con-
ſiderat Abbas *in ſua q.3 Sempronius Clericus, n.12. verſ. Un-
de nobiles*, de qua quidem decentia ſtatus dicetur infrà *nu.
ſeq.* & latiùs *n.*33.

18 Secundò, ſi Clericus diſtribuat ſuperflua in eos qui quam-
vis habeant neceſſaria ad victum, non tamen habent ſibi
ſufficientia pro qualitate conditionis, & decentia ſtatus,
benè diſtribuiſſe videtur. Ita D. Thom. *præalleg.* 2. 2. *qu.*
32. *art.*6. Navarr. *de reddit. Eccleſ. qu.*1. *num.*65. Quare
19 Clericus poteſt uſque ad ſtatus decentiam donare etiam
conſanguineis, & familiaribus ſuis, *cap. Studeat, in fin*, 50.
diſt. ibi: *Præcipimus, ut tale beneficium ſibi Eccleſiæ ſuæ con-
cedatur, quo & ipſe & ſufficienter poſſit habere ſuæ ſu-
ſtentationi ſolatium, cap. Omnino*, & ibi gloſ. *in ver. Ut de
mercede*, & Gemin. 3. *diſt. cap. Pervenit*, & ibi Abb. *in 2 no-
tab. de Arbitr.* Felin. *in cap. Poſtulaſti, num.6. verſ. Et hoc,
quod liceat, de reſcript.* Item poteſt de redditibus Eccleſię
dotare ſorores, vel alias conſanguineas, *c.* 1. *de cohab. Cler.
& mulier.* Abb. *in d. cap. Pervenit*, & Silveſt. *in verb. Cleri-
cus*, 4. *num.*11. *verſ. Decimoquarto*. Quod tamen ſecundùm
eum limitatur, & intelligitur, ſi indigeant, non autem ad
pompam, vel alium ſtatum; magnoperè enim cavendum
eſt, ne hujuſmodi decentia ſtatus, & conditionis conſan-
guineorum longiùs, latiùſque protendatur, quàm ferat ne-
ceſſitas. Unde Bernardus in declaratione ſuper illis verbis
Evangelii, *Ecce nos reliquimus omnia*, ſic ait: *Vivat de al-
tario, ut juxta eumdem Apoſtolum alimenta, & quibus tega-
tur habens, his contentus ſit. De altario*, inquit, *vivat, non
ſuperbiat, non luxurietur, denique non ditetur, non ſibi de
bonis Eccleſiæ ampla palatia fabricet, mutans quadrata ro-
tundis, nec loculos inde congreget, aut ſuperfluitione diſper-
gat; non extollat de facultatibus Eccleſiæ conſanguineos ſuos,
aut nepotes, aut neptes neptui tradat*: & Ambroſius *lib.*1.
*de offic. cap.*30. relatus à D. Thom. in 2. 2 *qu.*185. *art.*7.
ad 2. *Hæc eſt approbanda liberalitas, ut proximos ſeminis
tui ne deſpicias, ſi egere cognoſcas; non tamen ut illos ditio-
res fieri velis, ex eo quod tu potes conferre inopibus*, refertur
in cap. Eſt probanda, 86. *diſt. & in 7. Synodo, cap.*12. ſtatu- 20
tum eſt ſecundum Canonem SS. Apoſtolorum, ut non li-
ceat Epiſcopo fraudare quidpiam ex rebus Eccleſiæ, vel co-
gnatis propriis donare quæ Dei ſunt; quòd ſi pauperes fue-
rint, ut pauperibus largiatur: & in Trid. Synodo *c.1. ſeſſ.*25.
totidem ferè verbis omninò Epiſcopis interdicitur, ne ex
redditibus Eccleſiæ conſanguineos familiareſve ſuos auge-
re ſtudeant, cùm & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne
res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent; ſed
ſi pauperes ſint, iis ut pauperibus diſtribuant, eas autem non
diſtrahant, nec diſſipent illorum cauſa: Imò ſeriò monen-
tur, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, pro-
pinquoſque carnis affectum, unde multorum malorum in
Eccleſia ſeminarium extat, penitùs deponant. *Nam*, ut in-
quit gloſ. *in c. Pervenit, in ver. Gravius*, 1. *q.*3. *cæci ſunt Epi-
ſcopi circa nepotes, unde tantus impetus in eo omnia fundendi
fuit reſtringendus*. Ceſſante autem hujuſmodi neceſſitate,
quàm grave ſit ſcelus de redditibus Eccleſiaſticis conſangui-
neos ditare, conſtat ex verbis Gregorii VII. *in c. Pervenit*,
16. *q.*7. ibi: *Si quis fuerit hujus divini præcepti tranſgreſſor,
inter maximos hæreticos, & Antichriſtos non minimos ha-
beatur.* qui Canon procedit etiam in fructibus ſecundùm
intellectum Hugonis, & Archid. & ex aliis innumeris ſa-
crarum litterarum, & SS. Patrum teſtimoniis.

Tertiò, Clericus poteſt de redditibus Eccleſiaſticis remu- 21
nerari accepta ſervitia. Videtur autem hoc eſſe rei debitæ
perſolutio; aliàs incurrit vitium ingratitudinis, ſi nullate-
nùs remuneret, Navarr. *d q.1. monit.36. n.1. verſ. Cæterum
nos in ea ſententia ſumus*, ubi ait recompenſationem iſtam
debere eſſe majorem accepto ſervitio, vel beneficio, per ea,
quæ Ariſtotel. *in lib. Ethic.* tradit de referenda gratiæ men-
ſura accumulativè; nam ut ſcribit Seneca *lib.2. de benef. cap.*
18. Diligentiùs quærendus eſt beneficii, quam pecuniæ cre-
ditor: huic enim reddendum eſt quantum accepi, & ſi red-
didi, ſolutus ſum ac liber: at illi plus ſolvendum eſt, & nihi-
lominus relata gratia cohæremus: qua de re plura apud Co-
varr. *in c. In officiis n* 10. *de teſtam.*

Quartò, nomine pauperum in hac materia intelliguntur 22
omnia pia opera, ſcilicet in Dei cultum tendentia, ut intel-
ligit S. Thom. *in* 2. 2. *qu.*185. *art.*7. Adrian. *in* 4. *in mate-
ria de reſtitut. qu.22. col.2.* Navarr. *d. qu.1. monit.20. num.*1.
Quod ſi verum eſt, apparet pauperes parum juris habere in
redditus Eccleſiaſticos, præterquam in bona hoſpitalium,
quæ eorum uſibus principaliter ſunt deſtinata, & conſe-
quenter in uſus miniſtrorum, *Clemen. Quia contingit*, ubi
notatur *de relig. domib.* quod magis firmat opinionem
D. Thom.

Quintò, Clericus poteſt pro libito diſponere de portio- 23
ne, quam per ſuos labores ab Eccleſia meretur ultra medio-
cre ſervitium debitum illi, & exhibitum: idemque judi-
cium de iis, quæ ad decentem ſtatum neceſſaria ſibi ſubtra-
hit; nec ſi profundat, tenetur ad reſtitutionem, Jo Major.
in 4. diſt.24. col.4. ſequitur Navarr. *ubi ſup. n.*70. Idem di-
cendum de iis, quæ Clericus lucratur pro Miſſarum cele-
bratione, officio cantando, &c. teſtatur de communi Na-
varr. *n.*75.

Sextò, quòd dictum eſt Clericos poſſe excedere de fructi- 24
bus beneficii uſque ad decentiam ſtatus, multò ſecuriùs pro-
cedit in Urbe, & ejus diſtrictu ad decem milliaria, quia
Paulus V. in Conſtitutione edita 8. Aprilis 1606. quæ inci-
pit, *In eminenti*, non ſolùm tribuit omnimodam facultatem
incolis, & civibus urbis, qui in ea, vel ejus diſtrictu in-
fra decem milliaria, non tamen extra debitam reſidentiam
deceſſerint, liberè, & licitè, pro libito voluntatis diſponendi
de omnibus ſuis bonis etiam provenientibus ex quibuſ-
cumque fructibus, redditibus, proventibus, juribus, ob-
venientibus, & emolumentis Eccleſiaſticis etiam decima-
libus Eccleſiarum, & beneficiorum quomodolibet quali-
ficatorum, quæ in titulum, vel commendam, aut admini-
ſtrationem, vel aliàs quomodolibet, etiam ex diſpenſatio-
nibus Apoſtolicis obtinent, ſeu antea obtinuerint, vel in
poſterum obtinebunt, cujuſcumque qualitatis, quantita-
tis, & valoris exiſtant, per eos acquiſitis, vel acquirendis in
eadem urbe, & illius districtu infra decem milliaria ut ſu-
pra conſiſtentibus, tam inter vivos, quàm in ultima vo-
luntate, in favorem conſanguineorum, & affinium ſuorum,
& quarumvis aliarum perſonarum, etiam penitùs extra-

nea

nearum: verùm etiam decrevit, ut iiſdem decedentibus ab inteſtato, eorum bona ex bonis, & redditibus Eccleſiaſticis ſupradictis provenientia per eos ut ſupra acquiſita, in d. urbe, & ejus diſtrictu, intra decem milliaria, ut præfertur, conſiſtentia, ad eorum hæredes ab inteſtato venientes liberè deveniant: idemque pro toto urbis diſtrictu etiam ultra decem milliaria prius ſtatuerat Julius III. in Conſtitut. quæ incipit, *Cupientes, ut alma Urbis noſtra*, edita 6. idus Martii 1549. circa quam plura adnotavit Navarr. *in Comment. de ſpol. Cleric. ſuper cap. Non liceat Papæ*, 12. q. 4.

25 §. 6. Neque enim eſt ambigendum, quin Summus Pontifex impertiri poſſit Clericis facultatem diſponendi in vita, & in morte de fructibus beneficiorum, ut per Angel. & Imol. *in l. Si ſervus communis in princ. ff. de ſtipul. ſerv.* Præpoſ. *in ſumm. 44. diſt. num. 5. verſ. Crederem tamen.* Nec mirum, cùm Papa poſſit hanc facultatem teſtandi concedere etiam Regularibus, argum. *l. Si quando, in princ.* ubi id notat Bald. *C. de inoffic. teſtam.* Franc. *in rubr. de teſtam. lib. 6. col. pen.* & aliis relatis defendit Covarr. *in cap. 2. nu. 10. eod. tit. de teſtam.* (Dummodò tamen, ut inquit Præpoſ. *loc. cit.*

26 *verſ. Crederem hoc caſu*, Clerici habentes indutum à Sede Apoſtolica diſponendi de redditibus Eccleſiaſticis, ſatisfaciant cultui divino beneficii, quod habent in titulum vel in commendam, oneribus illi incumbentibus & reparationi Eccleſiæ. Quòd ſi fructibus abutantur, non tenentur ad reſtitutionem de malè conſumptis fructibus, licèt peccent mortaliter; neque eos excuſat in his conſuetudo, neque amplitudo commendæ facta per Bullas Papæ, neque diſpenſatio tacita, vel expreſſa; quia licèt Papa poſſet dare etiam facultatem diſpenſandi in vita, vel teſtandi de fructibus beneficiorum; tamen non debent trahi neque diſpenſatio, neque conſuetudo ad damnum Eccleſiarum, ut nutriant peccatum, vel ut diminuant cultum divinum; quia in his peccaret Papa mortaliter, neque eſſet excuſatus diſpenſans neque diſpenſatus, facit Archid. *in cap. Non liceat Papæ*, 12. q. 2.) Hactenus verba Præpoſ.

27 Tertius articulus eſt, poſita eadem Archidiac. opinione, an ſtante tenuitate beneficii, & detracto condecenti victu beneficiati, ſi nihil ſit reliquum pro pauperibus, fructus beneficii nihilominùs ſint dividendi, juxta *cap. De redditibus*, 12. q. 2.

28 Dubium hoc movetur, quia Summus Pontifex dum Cardinalium fidei Abbatias commendat, in diplomatibus præcipit, ut tertiam partem redditũum conferant in fabricam Eccleſiæ, vel alimoniam pauperum; quod ſi facerent, victus illorum familiæ, & ipſiſmet fortè deeſſet. Clauſula litterarum Apoſtolicarum eſt tenoris infraſcripti, videlicet: *Tibi ut ſtatum tuum, juxta Cardinalatus ſublimitatem decentiùs tenere, & expenſarum onera, quæ te jugiter de neceſſitate ſubire oportet, faciliùs perferre valeas, de alicujus ſubventionis auxilio providere volentes, motu proprio, &c. Ita quod liceat tibi debitis, & conſuetis dicti Monaſterii ſupportatis oneribus, ac tertia parte omnium fructuum, redditũum, & proventuum Monaſterii hujuſmodi in reſtaurationem illius fabricæ, ſeu ornamentorum emptionem, vel fulcimẽtum, & pauperum alimoniam, prout major exegerit & ſuaſerit neceſſitas, omnibus aliis deductis oneribus, annis ſingulis impartita, de reſiduis illius fructibus, redditibus, & proventibus diſponere, & ordinare, ſicut ipſius Monaſterii Abbates, qui pro tempore fuerunt, de illis diſponere, & ordinare potuerunt, ſed debuerunt, alienatione, &c. interdicta, commendamus.* Quod generaliter ſtatutum eſt in Conſtitutione Leonis X. edita in Concil. Lateranen. 3. nonas Maii 1514. quæ incipit, *Supernè*, his verbis: *Commendatarii, etiamſi Cardinalatus honore, & dignitate fungantur, ſi menſam habuerint ſeparatam, ac ſeorſim à menſa Conventuali, quartam ſuæ menſæ partem pro inſtaurationem fabricæ, ſeu pro ornamentis, veſtibus, & paramentis emendis ſarciendiſque, aut pauperum alimonia, aut ſuſtentatione, ut major exiget, ac ſuadebit neceſſitas: ſi verò menſa fuerit communis tertiam omnium fructuum dicti Monaſterii ſibi commendati partem pro ſupradictis oneribus ſupportandis, & ſuſtentatione Monachorum, omnibus deductis oneribus, impartiri teneantur: ac litteræ, quæ ſuper Monaſteriorum hujuſmodi commendis expedientur, cum clauſula hoc ipſum ſpecificè exprimente debeant expediri: alioquin ſi aliter expediantur, nullius ſint roboris, vel momenti.*

29 Omninò autem cenſeo alimenta Clerici anteponenda eſſe ſuſtentationi pauperum.

Primò per id, quod habetur *in c. Nulli Epiſcoporum*, §. *His ita reſpondetur*, 12. qu. 1. ibi, *Sicut perfectione charitatis manente, licèt res Eccleſiæ omnibus debeant eſſe communes, primùm tamen ſibi, & ſuæ Eccleſiæ deſervientibus ſubminiſtret, reliqua quæ ſuperſunt, fidelium uſibus miniſtraturus ita & præbendæ Eccleſiarum eadem charitate manente, piè, & religioſè poſſunt diſtribui; nec tunc rebus Eccleſiæ ut propriis, ſed ut communibus utilitatibus deſervituris, ut ex his, quæ ſibi aſſignata ſunt, primùm ſibi neceſſaria percipiat: ſi quæ verò ſuis neceſſitatibus ſuperſunt, in communes uſus Eccleſiæ expendat.* Hæc ibi: Quippè ordo exigit charitatis, ut primùm quis ſubveniat ſibi ipſi, deinde proximo, *cap. Qui* 30
vult de pœnit. diſt. 3. ubi Auguſt. *Qui vult eleemoſynam ordinatè dare, à ſe ipſo debet incipere, & eam ſibi primùm dare; eſt enim eleemoſyna opus miſericordiæ, veriſſimèque dictum eſt; Miſerere animæ tuæ placens Deo. Et cap. Si non licet* 23. *quæſt.* 5. ubi idem Auguſt. regulam diligendi proximum a ſemetipſo dilecto accepit, quandoquidem ſcriptum eſt: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*: unde S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 26. *art.* 4. *Dilectio*, inquit, *hominis ad ſeipſum eſt, ſicut exemplar dilectionis, quæ habetur ad alterum; exemplar autem potiùs eſt, quàm exemplatum.* Itaque tenetur quiſque magis diligere ſe ac ſua, quàm aliena, ſecundum gloſ. in Extravag. *Si Fratrum Jo. XXII. in ver. Multò fortiùs, ne ſede vac.* & gloſ. *fin. in cap. Niſi ſpecialis de auth. & uſu pal.* Et poſſum mihi conſulere etiam cum damno alterius, *leg. Si quis fumo, ff. ad l. Aquil.* gloſſ. *in d. cap. Si non licet in ver. Semetipſo*, 23. q. 5. quare Jo. Andr. *in cap. Ex his in ver. Superſunt, de Eccleſ. ædif.* (Non enim, inquit, Rectores beneficiorum tenentur ſubtrahere ſuis neceſſitatibus, ut erogent in pias cauſas, & ſic intelligit Hoſt. 16. *q.* 1. *c. ult. in princ.* Unde quantum poſſibile eſt, debet pauperibus erogare, 87. *diſt. c.* 1. Sicut & libertus patronum alere debet cùm ſibi ſupereſt, & Patrono deeſt, *ff. de alien. liber. l. Si quis à liber.* §. *de alim. C. de oper. libert. l.* 1.) Hæc Jo. Andr. quem totidem verbis ſequuntur ibi Butr. & Anchar. Adjicit Abb. quod dicitur, quidquid habent Clerici eſt pauperum, *c. fin.* 16. *q.* 1. debere intelligi de his, quæ ſibi ſuperſunt, quia ordinata eleemoſyna, ſeu charitas incipit a ſe. Prætereà ali- 31
menta ex redditibus beneficii debentur Clerico ex juſtitia, pauperibus autem ex charitate; ideòque quamvis pauperibus ſint debita, ab ipſis tamen nullo jure peti poſſunt, ſed tantùm judicis officium implorari, gloſ. 1. *in cap. Exigunt*, 1. *qu.* 7. Abb. *in cap. Si quis de furt.* Idque non aliter, quàm ſi pauperes ſint in tali neceſſitate, & divites in tali abundantia, ut eis opem ferre teneantur divino præcepto, ut declarat Silveſt. *in verb. Eleemoſyna in fin.* Atqui opera juſtitiæ ſunt anteponenda operibus charitatis, Auguſt. *in lib. de ver. Domini*, S. Thom. 2. 2. *q.* 32. *art.* 7.

Ad hæc beneficiati alimenta regulariter reparationi tem- 32
pli anteponuntur, itaut ſi quid defuturum ſit, deficere potiùs debeat Eccleſiæ, quàm beneficiato, *c. De his, de Eccleſ. ædif.* quem text. Abbas dicit eſſe perpetuò notandum, quia neſcit eſſe alibi, quòd Sacerdos non teneatur ad reparationem Eccleſiæ ſuæ, niſi quatenùs ei ſupereſt detractis neceſſariis. Reparatio verò Templi cùm ſpectet ad cultum Dei, anteponenda eſt ſuſtentationi pauperum, Silv. *in ver. Clericus, n.* 14. *verſ. Quantum vero ad quartam pauperum.*

Et confirmatur, quia pauperibus debentur ſolùm ſuperflua, ut colligitur ex *cap. Cum ſecundum, de præben.* & tradit Abbas *in d. c. De his, de Eccleſ. ædific.*

Navarrus tamen de redditibus Eccleſ. *qu.* ..... *n.* 92. dicit 33
hoc eſſe intelligendum de portione, quæ beneficiato contingit, in alimenta ſecundum qualitatem & dignitatem Eccleſiæ debita, non juxta perſonæ qualitatem: nam ſi filius Regis vellet ex redditibus Hoſpitalis ſibi commendati vivere pro dignitate ſtatus Regii, vel Cardinalitii, abuteretur iis, quæ pauperum ſunt.

Ego verò dicerem limitationem Navarri fortè admitti poſſe quoad Eccleſiam, ubi egeret neceſſariis ad Dei cultum. Quoad pauperes autem, in iis tantùm bonis, quæ illorum ſuſtentationi ſunt principaliter aſſignata, ut Hoſpitalium. Cardinales verò de fructibus commendatorum beneficiorum integrè diſponere poſſe opinor, uſque ad decentem perſonæ ſuæ, atque familiæ ſuſtentationem, & remunerationem familiarium, quos quemadmodum honoratos apud ſe habere volunt, ita debent honoratè tractare. Idque facit ad dignitatem Cardinalatus; eſſet enim indignum eos apud ſe homines ſordidos, vel obſcuros habere. Moveor ad

ad hoc aſſerendum ex mente præſumpta ſummorum Pontificum, quos veriſimile eſt contuliſſe, aut commendaſſe beneficia illa Cardinalibus,ut tueantur dignitatem,ut advertit Præpoſ.*in ſumm.*44. *diſt.n.*5. quam facta illa diviſione in litteris Apoſtolicis injuncta, ſuſtinere vix poſſunt, niſi pauci ditiores; idque præſumitur etiam ex diſpoſitione Extravag. *Execrabi. de præb.* ubi etſi obtinentes ex diſpenſatione plures dignitates, perſonatus, vel beneficia curam animarum non poſſint retinere,niſi unum,& reliqua verbaliter,& realiter reſignare teneantur; excipiuntur tamen Cardinales, qui circa ſummum Pontificem univerſali Eccleſiæ ſerviendo, ſingularum Eccleſiarum commoditatibus ſe impendunt, & Regum filii,qui propter ſublimitatem ſuam, ac generis claritatem ſunt potioris prærogativa gratiæ attollendi. Imò de hac mente apparet expreſsè ex procemio litterarum commendæ, ibi: *Ut tuum ſtatum juxta Cardinalatus ſublimitatem decentiùs tenere, & expenſare onera, quæ te jugiter de neceſſitate ſubire oportet, faciliùs perferre valeas.*

Limitatio autem Navarri vix ad praxim deduci poteſt in non abundantibus. Finge enim Cardinalem alios redditus non habere, quàm ſex milium ſcutorum ex Monaſterio ſibi commendato; certum eſt qualitate, ac dignitate Eccleſiæ perſpecta,ſummam ſcutorum quatuor millium ſatis ſuperq; eſſe ad vitam commendatarii inferioris ordinis ſuſtentandam,ac proindè teneri eum tertiam partem, quæ ſupereſt, fabricæ, vel pauperibus erogare: at meniſeſtum eſt Cardinalem ex eo redditu quatuor milium ſcutorum decenter vivere non poſſe, etiamſi obſervet ea, quæ de modeſta ſupellectile, frugalitate ac ſimplicitate Cardinalibus præſcribuntur à Concilio Trident.in.*c.*1 *ſeſſ.*25.Ergo nemo dixerit eum teneri familiares ordinarios,& reliqua ad ſuum ſtatum neceſſaria ſubtrahere, ut duo millia ſcutorum diſtribuat in pauperes, qui agris ſuis ſitientibus, alii irrigandi non ſunt, *l.Præſes,C.de ſervit.c.Quia per ambitiones*,64. *diſt. l.*2.*C.Ut nemo Privatus,l.Pupillus*,& ibi Bart.*ff.de excuſ.tutor.*Et non tenetur aliqua actione, qui propter ſuas conſervandas,alienas merces projicit,*l.Qui ſervandarum in princ.ff. de præſcr. ver.*Gloſſ.in *c. Qui vult, in ver Se ipſo de pœnit.diſt.*3.Unde S.Thom. 2.2. *q.*32. *art.*6. quærens, utrum quis debeat dare eleemoſynam de neceſſariis,ſic ait: *Inordinatum eſſet, ſi aliquis tantum ſibi de bonis propriis ſubtraheret,ut aliis largiretur, quod de reſiduo non poſſet vitam tranſigere convenienter ſecundum proprium ſtatum, & negotia occurrentia: nullus enim inconvenienter vivere debet* Hæc D. Thom. Quam quidem decentiam, & honeſtatem contemplata etiam fuit Tridentina Synodus, dum in decreto *c.*17.*ſeſſ.*24. quod in quibuſcumque perſonis etiam S.R.E.Cardinalibus mandat obſervari, ſtatuit, ut in poſterum unum tantùm beneficium Eccleſiaſticum ſingulis cōferatur, quod quidem ſi ad vitam ejus cui confertur, honeſtè ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominùs aliud ſimplex ſufficiens eidem conferri.

Neque obſtat preceptum illlud in litteris appoſitum de eroganda tertia parte redditũum in fabricam Eccleſiæ, vel alimoniam pauperum: ſiquidem intelligi debet habere locum in eo tantum caſu, in quo redditus abudant, deductis neceſſariis ad decentem ſtatus ſuſtentationem, ut ex prædictis patet,& tradit Silv.in *ver.Clericus* 4.*n.*14.*verſ. Et intellige*, ubi quod ſtatuitur per Sacros Canones de quarta parte redditũum applicanda fabricæ Eccleſiæ,affirmat eſſe intelligendum, quando redditus ſuperſunt, detractis omnibus neceſſariis. Præſertim verò,quia in eadem clauſula,dum præcipitur Cardinalibus, ut tertiam partem in fabricam, vel pauperes diſtribuant,annectuntur illa verba. *Omnibus aliis deductis oneribus, inter quæ primum locum obtinet onus alimentorum ipſius commendatarii:* ut habetur in *d. cap. Nulli Epiſcoporum*, §.*His ita reſpondetur*, 12. *q.*1.Et ſanè ſi commendatario Monaſterii non habentis menſam ſeparatam incumberet onus alendi duodecim Monachos, & redditus Monaſterii vix ſufficerent ad ejuſmodi onus ſubeundum; nemo aſſereret commendatarium teneri tertiam partem erogare in fabricam Eccleſiæ vel pauperum alimenta, eamque ſubtrahere neceſſariæ ſuſtentationi Monachorum debite ex juſtitia. Ergo idem & multo fortiùs dicendum eſt de alimentis commendatarii, quæ ante omnia ſunt deducenda, ut in *d.* §. *His ita*; & oſtenſum eſt ſupra *num.*29.*& ſeqq.*

Admonendi tamen eſſent commendatarii,ut ubi ditiores de bonis Eccleſiæ evaſerint, quod ſupererit, conferant in pios uſus; præcipuè verò, quia veriſimile eſt multas Abbatias habuiſſe onus annexum alendi pauperes, quæ etſi fortè mutaverint ſtatum, ita diſponente Summo Pontifice, cui Patrimonii Eccleſiaſtici cura commiſſa eſt,Covarr.*in d.cap. Cum in officiis, n.*2. *de teſtam.* tamen decet à poſſidentibus pauperum aliquam curam geri. Sed ne audaces videamur, cenſemus eumdem Summum Pontificem conſulendum, ut ambiguitas omnis è medio tollatur.

DE TESTAMENTIS, ET ULTIMIS VOLUNTATIBUS.

Gregorius IX.

CAPUT II.

Quia ingredientibus: & infrà. Gabina Abbatiſſa conqueſta eſt, S.quondam Abbatiſſam Monaſterii ſui, poſtquam regendi ſuſcepit officium, condito teſtamento legata quibuſdam reliquiſſe, dicens eam uſque in diem obitus ſui non induiſſe habitum Monachalem, ſed in veſtibus, quibus utuntur loci illius Presbyteri, permanſiſſe, ſicut, & illa, quæ ante ipſam fuerat Abbatiſſa: & hoc penè ex conſuetudine licuiſſe: & infrà. Neceſſarium ergo viſum eſt, poſtquam Abbatiſſa ordinata eſt, & in Monaſterio per annos plurimos uſque ad obitum præfuit, veſtis qualitatem ad culpam fortè Epiſcopi pertinere, cui eam ſic eſſe permiſit: non tamen potuiſſe præjudicium Monaſterio irrogare, ſed res ipſius eidem loco, ex quo illic ingreſſa & Abbatiſſa conſtituta eſt, de jure competere.

SUMMARIUM.

1 *Abbatiſſa teſtari non poteſt, etiamſi numquam induiſset habitum Monachalem.*
2 *Habitus religionis non requiritur neceſſario ad validitatem profeſſionis.*
*Et quid poſt Concilium Tridentinum, n.*7.
3 *Habitus non facit Monachum, ſed profeſſio regularis.*
4 *Habitus Clericorum ſæcularium debet eſſe diſtinctus ab habitu Monachorum, & Monialium, nec valet contraria conſuetudo.*
5 *Moniales portare poſſunt pannum ſecundùm conſuetudinem loci.*
6 *Ad Epiſcopum ſpectat compellere Monachos,& Moniales ad deferendum habitum Religioni congruentem.*
7 *Annus probationis ex Concilio Tridentino non incipit niſi poſt ſuſceptum habitum.*
8 *Medium aggredi non poſſumus, nec ad finem, pervenire niſi principio mediante.*
9 *Nihil poteſt operari, antequam incipiat eſſe.*
10 *Imperator dicitur oriri in die coronationis, nec antea poteſt ſe immiſcere adminiſtrationi imperii.*

11 *Mo-*

11 *Monialis tacitè profeſſa teſtari non poteſt, contraria conſuetudine non obſtante.*

12 *Præſcriptionem non inducit factum uſurpatum.*

13 *Teſtamenti factionem impedit profeſſio tacita, ſicut expreſſa.*

14 *Teſtandi facultas conceſſa Moniali per officium Pœnitentiariæ, ſublata eſt à Concilio Tridentino.*

15 *Renuntiatio Monialis tacitè profeſſæ non valet.*

16 *Monialis nondum profeſſa teſtari non prohibetur.*

17 *Teſtamenta, & aliæ ultimæ voluntates non comprehenduntur in decreto Concilii Tridentini de renunciationibus non faciendis, niſi cum licentia Ordinarii, & infra duos menſes ante profeſſionem.*

18 *Bona igredientis Monaſterium acquiruntur eidem loco in ſpecie, in qua eſt profeſſus tacitè, vel expreſſè.*

19 *Profeſſi in genere generaliſſimo qui dicantur, cui acquirant, & cui ſubjiciantur, & n.22.*

20 *Profeſſi in genere ſubalterno qui ſint, & cui acquirant.*

21 *Et quid de profeſſis in individuo.*

22 *Profeſſio in genere generaliſſimo ſublata eſt à Concilio Trident. adeò ut nec in foro conſcientiæ inducta ſit aliqua obligatio.*

23 *Profeſſio tacita an inducatur ex eo quod quis ſuſcipiat munus Abbatis, vel Abbatiſſæ, & n. ſeqq. uſque in fin.*

24 *Intellectus c. Cùm cauſam, de elect. & n.32.*

25 *Votum ſolemnizatur per profeſſionem tacitam, ſicut per expreſſam.*

26 *Profeſſio nulla nullum producit juris effectum.*
Declaratur, n.35.

27 *Novitius præfici poteſt Abbatiæ per viam poſtulationis, vel collationis.*
Contrarium, n.36.

28 *Intellectus hujus cap.*

29 *Monachus promotus ad prælationem alterius Monaſterii, facto ipſo cenſetur ibi tacitam profeſſionem emittere.*

30 *Abbatiſſatus eſt actus, qui non convenit niſi profeſſis.*
Profeſſus tacitè cenſetur, qui cum debitis præſuppoſitis ingerit ſe actibus profeſſorum, ibid.

31 *Abbatiſſa negans ſe profeſſam reddit ſe indignam Abbatiſſatu, & juſtè privare poteſt.*

32 *Profeſſus tacitè ſicut habet actionem, ut recipiatur à Conventu ad profeſſionem expreſſam; ita à conventu poteſt cogi, ut expreſſè profiteatur.*

33 *Abbas tacitè profeſſus quamvis amoveri poſſit ab Abbatia, tamen cogendus eſt expreſſam profeſſionem emittere.*

34 *Votum ultra intentionem voventis non extenditur.*

35 *Voluntatis declaratio elicitur etiam ex actu nulliter geſto.*

37 *Monialis nondum profeſſa ſi conſentiat ſe eligi in Abbatiſſam ante ætatem 40. annorum, an ex hoc cenſeatur tacita profeſſionem emittere.*

38 *Non profeſſus Abbatiam ſuſcipiens, quibus caſibus intelligi poſſit tacitè profiteri, & num. ſeqq. uſque in finem.*

36 *Abbatiam recipiens ante ſuſceptum habitum, vel ante annum probationis elapſum, non fit tacitè profeſſus, & in hôc corrigitur hæc decretalis.*

40 *Profeſſus tacitè iterùm fieri non poteſt, qui ſemel tacitè fuit profeſſus.*

41 *Novitius per annum deferens habitum indiſtinctiſſimum, ad ſæculum redire non poteſt.*
Niſi hujuſmodi habitum ſuſceperit ante annos diſcretionis, n.46.

42 *Et quid ſi deferat habitum novitiorum diſtinctum ab habitu profeſſorum, & n.51.*

43 *Et quid ſi habitum profeſſionis aſſumpſerit, & n.49.*

44 *Novitius qui ante ætatem profeſſionis ſuſcepit habitum indiſtinctum, non fit profeſſus, niſi illum deferat per annum poſt legitimam ætatem.*

45 *Aut ingerat ſe actibus profeſſorum, vel habitum profeſſionis ſuſcipiat.*

47 *Proteſtatio procedens impedit, ne inducatur profeſſio tacita per geſtationem annalem habitus indiſtincti, vel per receptionem habitus profeſſorum, numer.49.*

48 *Sed non impedit, quin inducatur ex ſuſceptione Abbatiæ, & num.50.*

51 *Novitius quamvis deferat habitùm patenter diſtinctum ab habitu profeſſorum, tamen fit tacitè profeſſus, ſi tranſacto anno ſe actibus profeſſorum immiſceat.*

Q*Uia ingredientibus.* Abbatiſſa teſtari non poteſt, etiamſi 1
numquam induiſſet habitum Monachalem. Hoc dicit. Et ſunt duæ partes. In prima ponitur conqueſtio. In ſecunda proviſio, ibi, *Neceſſarium*, & eſt pars *cap. quia ingredientibus*, 19. *qu. ult.*

Nota primò, ibi, *Sed in veſtibus*, delationem habitus re- 2
ligionis neceſſariò non requiri ad validitatem profeſſionis, 3
nam habitus non facit Monachum, ſed profeſſio regularis, *c. Porrectum*, & ibi gloſſ. in *verb. Non facit habitus infra de regular.* concordat *cap. Ex parte, & cap. Ut Clerici, eod. tit. & cap. Conſuluit, infrà qui Cler. vel voven.* & hìc notat Innoc. in *ver. Sed in veſtibus*, Abbas Antiq. *in eod. ver.* Hoſtien.
*num.*2. Abbas Siculus *in* 2. *not.* & alii communiter. Secùs 4
tamen eſt de honeſtate; quia diſtinctus debet eſſe habitus ſæcularium Clericorum à Monachis, & monialibus; imò ut Moniales non deferant habitum congruentem religioni, conſuetudine induci non poteſt, quando habitus eſt in totum diſcretus à religione, ſeu improportionabilis religioni, ut formaliter ait hìc Butr. *num.* 3. & de tali habitu loquitur hæc decretalis. Nam incedebat hæc mulier, ſicut incedebant Presbyteri illius loci reſpectu coloris, & formæ. Secus autem eſſet, ſi habitus non eſſet omninò conformis ſæcularibus veſtibus, prout de qualitate veſtium eſt text. cum gloſſ. in *Clemen. Ne in agro de ſtat. Regular. in ver. Conſue-*
tudo; ubi cavetur, ut poſſint portare pannum ſecundùm 5
conſuetudinem loci: & ut plurimum Moniales deferunt veſtes nigras, & velum conſecrationis, ſeu profeſſionis nec mos hujuſmodi per hoc cap. eſt ſublatus; ſecundum Abbatem in primo notab. & de veſtibus Monialium vide etiam textum notabilem in *Clem. Attendetes*, §. *Viſitato-*
res, de ſtat. Monachor. Ad Epiſcopum autem ſpectat com- 6
pellere Monachos, & Moniales ad deferendum habitum religioni congruentem, ut hìc probatur, & notat Butr. *num.*4. circumſcriptis tamen exemptionibus Apoſtolicis, de quibus ſcripſi latiſſimè in *cap. Tuarum, à num.* 10. *infrà de*
privileg. Sed jure noviſſimo Concil. Trid. habitus proba- 7
tionis eſt de ſubſtantia novitiatùs: nam ex decreto *cap.* 15. *ſeſſ.* 25. *de regular.* in quacumque religione tam virorum, quàm mulierum, ad hoc ut profeſſio ſit valida neceſſariò exigitur annus probationis; qui quidem annus non incipit niſi ab actu ſuſceptionis habitus, ut patet ibi: *Nec qui minore tempore quàm per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit ad profeſſionem admittatur*; profeſſio autem
antea facta ſit nulla, nullamque inducat obligationem. Ergo 8
ante habitum ſuſceptum impoſſibile eſt annum probationis peragere: quia deeſt principium, quod eſt potiſſima pars cujuſcumque rei, *l.* 1. *ff. de orig. jur. c. Principatus*, 1. *q.* 1. *c.* 1. & ibi gloſſa *magna poſt princ. de lit. conſtet.* neque enim medium poſſumus aggredi, nec ad finem ullatenus pervenire
niſi principio mediante, § *His igitur, inſt. de juſt & jur.* & 9
cùm tempus probationis in ipſo actu ſuſceptionis habitus incipiat eſſe; ergo antea non poteſt efficere, ut profeſſio ſit valida, quia nihil poteſt operari, antequam incipiat eſſe, *l.* 1. §. *Ex hoc reſcripto, ff. de ventr. inſpicien. l. Quoties, ff. de noval.*
pulchrè Oldrad. *conſ.* 180. *Quæſt. eſt utrum imperator, n.* 7. ubi 10
hoc argumento probat Imperatorem non habere poteſtatem ſe immiſcendi adminiſtrationi Imperii ante coronationem; quia Imperator in die coronationis dicitur oriri, & ſic incipere eſſe, & nihil operatur, antequam ſit.

Secundò nota, Monialem tacitè profeſſam teſtari non 11
poſſe, contraria conſuetudine non obſtante, ut hìc eſt caſus; nam, ut inquiunt Hoſtien. & Joann. Andr. ambo *n.* 2. *in ver. Plenè*, non poteſt eſſe conſuetudo, cùm ſit irrationabilis, & contra honeſtatem Eccleſiæ, *cap. Cùm decorum, ſu-*
pra de vit. & honeſtat. Cleric. neque enim quod fiat, ſed 12
quod fieri debeat, conſiderandum eſt, *cap. Cùm cauſam, ſupra de elect. l. Sed licèt, ff. de offic. Præſid.* nec factum uſurpatum præſcriptionem inducit, *cap. Illud*, 93. *diſt. cap. Licèt*, 16. *qu.* 3. etenim in talibus nullus annorum numerus excuſat, *cap. Quod Deo, qu.* 5. ſed potiùs accuſat, *cap. Cùm haberet, de eo qui dux. in matrim. quam poll. per adulter. cap. fin. de conſuet.* unde verſus Bertrandi Epiſcopi Greſſenſis.

Tem-

Tempus longævum te non excuſat in ævum,
Cùm malè ſis uſus, quia non præſcribit abuſus.

13 Refert, & ſequitur Hoſt. *hic n.5.* In hoc igitur tacita, &
expreſſa profeſſio æquiparantur; quia tacita impedit teſta-
menti factionem, ſicut impedit expreſſa, Auth. *ingreſſi, C.*
de ſacroſ. Ecclеſ. quæ eſt canonizata in *cap. Quia ingredien-*
14 *tibus, 19. qu. ult.* & notat hìc Butr. in 6. *notab.* Præſertim poſt
Concilium Trident. in *cap. 2. ſeſſ. 25. de regular.* ubi arctiùs
quàm jus commune providit circa regularium proprieta-
tem, ut ſcripſi latiſſimè in *c. Monachi, infra de ſtat. Monach.*
adeò ut ſuſtulerit etiam facultates teſtandi ex ſententia Sac.
Congregationis Cardinalium ejuſdem Concilii Interpre-
tum. Ideòque cùm anno 1588. fuiſſet conceſſa facultas te-
ſtandi per officium Sacræ Pœnitentiariæ Sorori Victoriæ
Fuſſolanæ Monaſterii S. Claræ, ejuſque facultatis vigore
donaſſet, & donatarius contra Monaſterium ageret, dubita-
tum fuit, an hujuſmodi facultas eſſet revocata per Conci-
lium: S. Congregatio cenſuit facultatem teſtandi à Conci-
15 lio ſublatam fuiſſe: & circa tacitam profeſſionem conſulta
an ſit nulla renunciatio ejus qui tacitè profeſſus eſt: Re-
16 ſpondit eſſe nullam. Verùm ſi Monialis nondum eſset pro-
feſsa, non prohiberetur teſtari, *c. ult. 12. q. 5. Indemnitatibus,*
in fin. de elect. lib. 6. & Clem. Attendentes, de ſtat. Monachor.
& hìc notat Innoc. *in fin.* Abb. Antiq. in *ver. In veſtibus,*
Hoſt. *n. 2.* Joan. Andr. *n. 1.* in *ver. Induiſſe,* Butr. *n. 6.* & An-
char. in 1. *notab.*

17 Nec refert, quòd ex decreto Concilii Trident. *cap. 16. in*
princ. ſeſſ. 25. de regular. nulla ſit renunciatio, aut obligatio,
etiam cùm juramento, vel in favorem cujuſcumque cauſæ
piæ, niſi cum licentia Epiſcopi, ſive ejus Vicarii, fiat intra
duos menſes proximos ante profeſſionem. Etenim S. Con-
gregatio conſulta, an decretum *d. cap. 16.* loquens de renun-
ciatione, locum habeat in teſtamentis, & aliis ultimis vo-
luntatibus: cenſuit non habere locum.

18 Ultimò nota, ibi, *Eidem loco,* bona ingredientis Mona-
ſterium acquiri eidem loco in ſpecie, in quo eſt profeſsus ta-
citè, vel expreſsè, prout hanc litteram obſervat hìc Butr. *n. 5.*

19 Verùm in hoc articulo pleniùs diſtinxit Gaſpar. de Calde-
rinis *conſ. 23.* incipien. *Quidam fecit profeſſionem, in tit. de*
regular. ut referunt in *cap. in præſentia, de probat.* Butr. &
Abb. ambo *n. 64.* & noviſſimè Rota in Cauſa Tullen. Refor-
mationis 10. Januarii 1631. coram Dunozetto: nam ſecun-
dùm eum quidam ſunt profeſſi in genere generaliſſimo, ali-
qui in ſpecie, aliqui in individuo, ſeu certi Monaſterii. Pro-
feſſi in genere generaliſſimo ſunt ii, qui per ſeiſpos votum
ſolemne emiſerunt, vel qui in manibus Epiſcopi, vel alte-
rius ſe Deo devoverunt religionem ſervaturos, quoad tria
ſubſtantialia regulæ, & de talibus intelligi poſsunt *c. Quod*
interrogaſti, 27. diſt. c. Quem progenitores 20. qu. 1. cap. vidua
27. qu. 1. cap. Super eo, & cap. Conſulti de regular. nam
ſecundum Innoc. dicitur quis profiteri Ordinem approba-
tum qui dicit, Profiteor Ordinem Monachatus, licèt non
dicat Ord. S. Benedicti, ut notatur in *cap. Porrectum, de*
reg. Item eſt profeſsus in genere generaliſſimo is, cui lega-
ta eſt libertas ſub conditione, ſi Monachus efficiatur, & ip-
ſe legatum acceptavit, ut in *c. fin. de condit. appoſ.* Item is, qui
intra annum probationis profeſsus eſt regulam Mendican-
tium, ut in *cap. Non ſolùm, de regular. lib 6.* vel tacitam
profeſſionem fecit infra annum, per ſuſceptionem habitus
profeſſorum, in quocumque Ordine, ut in *cap. Conſtitutio-*
nem, & ibi gloſ. in *ver. obligat. eod. tit. & lib.* & horum bo-
na ſunt Religionis in genere; ſed per Epiſcopum Diœceſa-
num diſpenſari debent, quia tales ſunt Epiſcopo ſubjecti,
c. Si quis Monachus, 90. diſt. c. Qui verè 16. qu. 1. ac proinde
illius arbitrio hæc diſtributio commiſsa, *l. Nulli C. de Epiſc.*
20 *& Cler. c. nos quidem, infra eod. c. Cùm tua de uſur.* Profeſſi
autem in ſpecie, ſeu in genere ſubalterno, ſunt qui generali-
ter profitentur certam regulam, vel ordinem in genere: taci-
tè, vel expreſsè, puta Prædicatorum, Minorum, Ciſtercien-
ſium, & ſimilium, qui non ſunt expreſsè profeſſi in certo
Monaſterio, vel clauſtro, & habent unum ſuperiorem; in
cujus manibus fit profeſſio, vel ejus nomine recipitur; &
horum bona non recipienti, ſed toti ordini acquiruntur;
quia ex quo totus Ordo ſenſit onus iſtius ingreſſi, cui tene-
tur ad alimenta, ut forma profeſſionis demonſtrat, ſecun-
dum naturam eſt, ut etiam ſentiat commodum. Allegat
Speculat. *in tit. de ſtat. Monachor. verſ. 19.* & gloſſ. ſecundam
in *cap. de Viduis il primo, 27. qu. 1.* quæ ſingulariter ait,
bona eſſe in poteſtate, & diſpoſitione illius, qui eſt ſuperior
in ordine, ut ſic dividat, & diſtribuat, prout ſibi videtur
cùm certum Monaſterium non ſit expreſſum: & conſentit
Butr. in *d. cap. In præſentia, n. 64. verſ. Profeſſus autem in*
genere ſubalterno, quia hæc communitas datur in profeſſio-
ne totius regulæ, non reſpectu certi loci; & quemadmo-
dum profeſſio incorporat, & acquirit Monaſterio, quando
ad certum locum determinatur, ut patebit infra in 3. *membro*
diſtinctionis: ita in hoc 2. cùm cauſa, ex qua fit incorpo-
ratio, non determinetur ad locum, ſed ad religionem in
univerſum, conſequens eſt, ut acquiratur non loco, ſed re-
ligioni in genere, ut ſic effectus ſequatur naturam cauſæ
ſuæ, & ad illius limites amplietur & reſtringatur. Fatetur
tamen Butr. ſuperiorem teneri æqualiter diſtribuere, & ſub-
dit, quòd ſi eſſent plura Monaſteria ſub uno capite, & pro-
feſſio determinaretur ad loca particularia, eò quod Mona-
chi de particulari loco numquam removeatur, bona appli-
carentur ſpeciali loco, ubi eſt ingreſſus. Quod etiam pla-
cet Abbati in *d. cap. In præſentia, num. 65.* quia naturalis
ratio oneris, & commodi viget hoc caſu reſpectu certi Mo-
naſterii in ſpecie, & non totius Ordinis in genere, *cap. De*
lapſis 76. qu. 6. & ſequitur Ferrettus *conſ. 150. In præmiſſa*
cauſa num. 4. Profeſſi demum in individuo ſunt, qui profi- 21
tentur certam regulam, & in certo Monaſterio, puta in
Monaſterio S. Proculi regulam S. Benedicti. Probatur hæc
diverſitas in *cap. in ſingulis, & c. Ea quæ, de ſtat. regul. in c.*
Cùm deputati, de judiciis, in cap. Cùm & plantare, de privi-
leg. & in Clem. Attendentes, de ſtat. Monach. & hoc tertio
modo profeſſorum bona devolvuntur ad illud Monaſte-
rium, in quo ſunt profeſſi, ut in *d. Auth. Ingreſſi, C. de Sa-*
croſan. Ecclеſ. & d. cap. In præſentia de probat. ſive quæ
habebant tempore ingreſſus, ſive quæ poſtea obvenerunt,
vel de novo acquiſierunt, ut in prædictis juribus, in
c. Abbates, cum ibi notat. 18. qu. 2. & in Auth. Nunc au-
tem, C. de Epiſc. & Cler. & de talibus loquitur hæc de-
cretalis in illis verbis: *Res ipſius eidem loco, ex quo illic in-*
greſſa, & Abbatiſſa conſtituta eſt, de jure competere. Et in
hoc tertio membro conſentiunt Innoc. in *d. cap. In præſen-*
tia, num. 4. & reliqui poſt eum, Lap. *alleg 130. n. 18. verſ.*
Ad ſecundum, Angel. *conſ. 133. S per primo in princ.* & alibi
paſſim Doctores.

Sed tu adverte ad primum membrum diſtinctionis: nam 22
quod ibi dicitur de profeſſis in genere generaliſſimo, hodiè
non videtur ampliùs vim obtinere; quia ex decreto Conci-
lii Tridentini *cap. 15. ſeſſ. 25. de regular.* profeſſio facta ab
eo, qui non ſtetit per annum in Monaſterio poſt ſuſceptum
habitum probationis, eſt nulla, nullamque inducit obli-
gationem ad alicujus regulæ, vel Ordinis obſervationem,
aut ad alios quoſcumque effectus. Et propter hujuſmodi
verba cùm dubitatum fuerit, an is, qui emiſit profeſſio-
nem intra annum probationis, teneatur ad religionem ali-
quam in ſpecie, vel in genere: S. Congregatio cenſuit non
teneri, & in hoc jura antiqua *cap. Non ſolùm, & cap. Con-*
ſtitutionem, de regular. in 6. correcta eſſe; idque abſolutè
eſse intelligendum, adeò ut nec etiam in foro conſcientiæ
inducta ſit aliqua obligatio. Quamobrem hodiè ex profeſ-
ſione facta in genere generaliſſimo in caſibus, quos enume-
rat Calder. *loc. cit.* aut aliis, ſi qui ſint, nulla oritur obliga-
tio in genere ad quoſcumque effectus; & ſic neque ad effe-
ctum ſucceſſionis, ſeu acquiſitionis bonorum; & conſe-
quenter eſt in facultate ſic profeſſi de bonis ſuis liberè di-
ſponere, & teſtari; quemadmodum de non profeſſis cen-
ſent Innoc. Hoſt. & alii ſupracitati *n. 16.* In ſpecie autem an
obligatio illa ad religionem, quæ de jure oritur ex profeſ-
ſione emiſsa in religione non approbata, itidem ſublata fue-
rit à Concilio Tridentino, dixi *in cap. Conſulti, n. 57. & ſeq.*
infra de regular.

QUÆRO, an ſuſcipiens munus Abbatis, vel Abbatiſsę 23
ex hoc cenſeatur tacitam profeſſionem emittere?

Pro parte negativa videtur text. apertus in *c. Cum cauſam* 24
ſupra de elect. ubi Presbyter ſæcularis fuit electus in Prio-
rem à majori parte Conventus, & electionem acceptavit,
quod patet ex eo, quia litem proſequebatur, & tamen Pon-
tifex mandat eum compelli, ut vel regulam profiteatur, vel
Eccleſiam dimittat. Ergo per conſenſum præſtitum ele- 25
ctioni non fuit tacitè profeſsus; alioquin non cogeretur
iterum profiteri, vel certè non poſſet è Monaſterio expelli;
quia votum religionis ſolemnizatur per profeſſionem taci-
tam in aliqua ex Religionibus approbatis, non ſecus ac per
expreſsam, *c. unico, de Voto, lib. 6.*

Præ-

26 Præterea electio in Abbatem de non profeſſo eſt ipſo jure nulla,ut apertè deciditur in *cap. Nullus*, *de elect. lib.6.* Ergo non poteſt tacitam profeſſionem inducere; quia quod nullum eſt, nullum producit juris effectum, *l. Libellorum*, §. *Quod ſi libelli, ff. de accuſat. l.4* §. *Condemnatum*, *ff. re ju-*
27 *dic.* Et hanc partem non obſcurè amplectitur hic Jo. Andr. *n.* 3. nam ſecundum eum ſi novitia non profeſſa permittat ſe præfici in Abbatiſſam, non per hoc intelligitur tacitè profeſſa, ut in *d. cap. Nullus*, licet ſecus ſentiat; ſi procedatur per viam poſtulationis vel collationis: exiſtimat enim decretalem illam uti pœnalem habere locum tantummodò in electionem, nec debere extendi ad poſtulationem vel collationem; ac proinde novitiam, quæ hujuſmodi poſtulationi vel proviſioni aſſenſum præbet, ex hoc cenſeri tacitam profeſſionem emittere, ut per eum: & ſequuntur Cardin. *num.7. in fin.* Anchar. *n.1.* & Abb. *n.4.* & tenendo hanc partem non videtur obſtare hoc Capitulum; qui iſta mulier in ipſo ingreſſu ſe & ſua dedicavit Deo, ut notatur in ult. gloſſ. & ideò non allegabat ſe non profeſſam, ſed non portaſſe habitum Monachalem, qui non facit Monachum, ut obſervat Innoc. *in princ.* & Hoſt. *n.1. in fin. in ver. Sed ne in veſtibus.*

28 Sed his non obſtantibus exiſtimo contrariam opinionem eſſe veriorem, pro qua efficaciter inducitur hoc cap. ubi mulier uſque in diem obitus ſui numquam induit habitum regularem, & tamen quia paſſa fuit ſe præfici in Abbatiſsam, & regendi ſuſcepit officium, text. decidit bona illius tamquam profeſsæ ad Monaſterium pertinere: & pondera, quia non facit vim in eo, quòd jam eſset profeſsa, ſecundum intellectum Innoc. & Hoſt. ſed fundat ſe in hoc, quia Abbatiſsa ordinata eſt, & in Monaſterio per annos plurimos uſq; ad obitum præfuit, & inferiùs repetit eamdem rationem, ibi, *Ex quo illic ingreſſa*, & *Abbatiſſa conſtituta eſt*; ergo per ſuceptionem regiminis poſt ingreſsum in Monſterio inducitur tacita profeſſio; & ita ex hoc text. clarè deducit Joan. Andr. *n.3.* ait enim [Novitia non profeſsa, quæ permiſit ſe præfici in Abbatiſsam, hoc ipſo intelligitur tacitè profeſſa, per *cap. Vidua*, *de regular.* & eum ſequitur totidem verbis Cardin. *n.7. in fin.* Imol. & Butr. ambo *n.2.* dicentes: Nota quòd aſſumptione dignitatis Abbatiæ etiam profeſſorum habitu non aſſumpto quis profiteri videtur tacitè, & ſic habes unum modum inducendi tacitam profeſſionem,] & ſequitur Petr. de Anchar. *n.1.* ubi ait, eo ipſo quod Novitia patitur, & conſentit electioni de ſe factæ, videri tacitè profiteri, quia qui vult conſequens, videtur velle antecedens, ſine quo ad illud conſequens perveniri non poteſt: fingitur enim ſemper primò fieri quod primò faciendum eſt, ut *not. l. Illud, ff. de acquir. hæred.* Idem firmat Feder.
29 de Sen. *conſ.5.* incipien. *Quidam Monachus*, ubi reſpondit Monachum promotum ad prælationem alterius Monaſterii, non teneri iterùm profiteri, quia ipſo facto ſe ad obſervantias regulares adſtrinxit ſuſcipiendo Prælaturam: nam cùm ipſe ſit unum corpus cum ſuis Monachis, cujus corporis ipſe eſt caput, ſatis ipſo facto intelligitur tacitè promiſiſſe ſe obſervaturum, quæ obſervari debent in ipſo Monaſterio per Abbatem. Ita Federicus, cum quo tranſit Petr. de Peruſ. in *tract. de mut. ſtat. perſon. n.7. & 18.* & noviſſimè Navarr. *conſ.64. an regularis translatus*, *de regul. & conſ.60. an Monachus, n.2. eod. tit.* ubi ait Monachos, qui transferuntur, ut ſint Prælati, tacitè profiteri illas obſervantias, cum confirmantur, vel aliàs promoventur in Prælatos, & hoc caſu teneri poſſe *conſ.5.* Federici.

30 Demùm hanc ſententiam aliàs probavit Sac. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Inerpretum: etenim in Monaſterio Tertiariarum Monialium Ordinis Minorum Obſervantium duæ Moniales exiſtebant, quarum altera nec erat profeſſa, nec profeſſionem emittere volebat; quæ cùm eſſet Abbatiſſa, Prælatus eam ab officio removit, & declaravit non fuiſſe legitimam Abbatiſſam. Altera verò annorum octuaginta non erat profeſſa; ſed profiteri volebat. Superior regularis his narratis conſuluit S. Congregationem, quid eſſet agendum? S. Congregatio cenſuit octogenariam illam admittendam eſſe ad profeſſionem. Alteram, quæ negat profeſſionem, habendam eſſe pro tacitè profeſſa, præſuppoſito quod in illo Monaſterio habitus non ſit diſtinctus, prout Commiſſarius Curiæ affirmavit non eſſe; & quòd illa ſponte acceptaverit Abbatiſſatum: cùm enim Abbatiſſatus ſit actus, qui non poteſt fieri niſi à profeſſis, ingerendo ſe cum debitis præſuppoſitis, dicetur tacitè profeſſa ſecundum *cap. Viduam*, ubi Abb. *de regular.* cum præſuppoſitis requiſitis ibi per Abbatem.

Item cùm negaverit profeſſionem, ſe reddidit indignam 31
Abbatiſſatu; ideò juſtè privata eſt a Superiore ſuo, non illa ratione, quia non profeſſa, prout credidit Superior, cùm pro tacitè profeſſa habenda ſit, ſed quia inficiatione profeſſionis reddita eſt indigna, niſi tamen quoad profeſſionem poſſet ſe tueri ex defectu aliquorum requiſitorum per Abb. *d. cap. Viduam.*

Non obſtat textus in *d. c. Cum cauſam de elect.* Nam re- 32
ſpondeo primò verbum illud, *Profiteantur*, eſſe intelligendum de profeſſione expreſſa, quæ non excludit tacitam, ita ut ſit ſenſus, ut presbyter ille quamvis eſſet tacitè profeſſus per ſuſceptionem regiminis, nihilominùs cogendus eſſet expreſsè profiteri; nam ſicut profeſſus tacitè, puta per delationem annalem habitus indiſtincti, juxta terminos *Clem. Eos*, *de regul.* vel aliàs habet actionem, ut recipiatur ad profeſſionem expreſſam, ut poſt Hoſt. & Jo. Andr. notat Butr. in *d. cap. Cum cauſam*, *n.22. verſ. Quæro an Monachus*; ita è converſo conventus poteſt compellere ſic profeſſum, ut expreſsam profeſſionnem emittat, *cap. Ex parte*, & ibi not. gloſ. *fin. de regul.* & in his terminis Abbatem tacitè profeſ- 33
ſum, quamvis amoveri poſſit ab Abbatia, nihilominùs cogendum eſſe ad profeſſionem expreſſam, tenet Goffred. in *c. Cum in magiſtrum*, *ſupra de elect.* quem ibi ſequuntur Jo. Andr. *n.5. in verb. Amotionem*, Cardin. in 5. *notab.* & alii communiter.

Neque verò huic intellectui adverſatur, quod d. Presbyter, & alii Clerici renuente profiteri compellantur Eccleſiam dimittere, quod fieri non poſſet, ſi eſſent tacitè profeſſi, ut *d. c. Ex parte*, & *c. unic. de voto, lib.6.* cum multis ſimilibus: quandoquidem presbyter, qui renuit regulam profiteri expreſsè & ſervare, expellitur non tamquam non profeſſus, ſed tamquam inobediens, & incorrigibilis, ut ibi videtur ſentire Hoſt. *n.10. verſ. Plus dico.*

Deinde reſpondeo; & fortè meliùs, Presbyterum illum idcircò per ſuſceptionem prioratus non fuiſſe profeſſum tacitè, quia cùm per multa, & longa tempora in illo Monaſterio ad Prioratum fuiſsent aſsumpti etiam non profeſſi, 34
allegabat ad ſuſceptionem regiminis profeſſionem non fuiſse neceſsarium: unde non mirum, ſi non fuit tacitè profeſsus, quia defuit voluntas, quæ eſt de intrinſeca ratione voti, *c.1. & c. Sicut tenor*, *infra de regular. & c. Licet de voto*, vovere enim eſt voluntatis, ut Auguſtinus inquit, & ideò in tantum fertur obligatio voti, in quantum ſe extendit voluntas, & intentio voventis, quæ ſunt verba D. Thom. in *2.2. qu. ultim. art.4. in corpor. ad hoc cap. Quod ſuper de voto, cap. Conſuluit, de regular. & l. Verè omnis, ff. Si certum petatur.* Et hunc intellectum ad *d. cap. Cùm cauſam*, *de elect.* licèt valdè ſuccinctè, videtur hic probare Jo. de Anan. *n.2. in fin. verſ. Et ideo poteſt dici.*

Demùm non obſtat, quod electio de non profeſso tam- 35
quam nulla non poſſit tacitam profeſſionem iducere. Nam reſpondetur non eſse electionem, quæ hunc effectum operatur, ſed conſenſum electioni præſtitum, qui quidem conſenſus, & declaratio voluntatis elicitur etiam ex actu nulliter geſto, *l. fin.* & ibi Bart. *ff. de rebus eorum*, Roman. *conſ. 179. Ampliſſimè Doctor*, *n.11.* Bellon. *conſ.5. in puncto*; *n.12. verſ. Nec dicat aliquis.* Et eſt ſimile in Novitio qui interfuit electioni in Capitulo unà cum aliis profeſſis: nam etſi eligere non poſſit, *c. Ex eo, in fi. & c. Indemnitatibus, in princ. de elect. lib.6.* tamen ex hujuſmodi actu nulliter geſto fit tacitè profeſſus, ut tenet Jo. Andr. in *cap. Vidua*, *n.7. de regul.* quem ibi ſequuntur Henr. Boich. *in fin.* Abb. *num.6. & 7.* & alii communiter. Quod autem dicunt Jo. Andr. & alii hic, videlicet non induci tacitam profeſſionem ex eo quòd Novitia permittat ſe præfici in Abbtiſsam, ſi procedatur per viam electionis, eò quòd electio ſit nulla, non autem ſi procedatur per viam poſtulationis, vel collationis; non videtur admittendum; quoniam quatenùs ſuſtineri poſſit decretalem, *Nullus de elect. lib.6.* uti pœnalem non debere locum niſi in electione; tamen poſteà ſupevenit *Clement. Ne in agro*, §. *Sanè Prioratus*, *de ſtat. Monach.* per quam extenditur *d. c. Nullus*, etiam ad collationem, vel aliam proviſionem, ut patet in littera, ibi, *Admitti, vel conferri*, & irrita pronunciatur collatio de non profeſso, pŏderando verbum, *Non poſſit*, quod tollit potentiam, & inficit actum ipſo jure, ut not. gloſ. ordinaria in *c. Beneficium de reg. jur. lib.6.* Bald. in *l.1. n.62. C. qui admitti*, Jaſ poſt alios in *l. Non dubium*, *n.60. Cod. de leg.*

Unde

Unde cùm in hoc pari paſſu ambulent electio, & collatio, dicendum eſt tacitam profeſſionem induci per ſuſceptionem Abbatiſſatus, ſive procedatur per viam collationis, vel poſtulationis, ſive per viam electionis, & hoc cap. non eſſe correctum per d. *cap. Nullus*, prout fateri videtur idemmet Joan. Andr. in *cap. Cùm in magiſtrum*, *nu.* 3. *de elect.* & expreſſiùs ibi Abb. *in* 2. *not.* ubi ponderando verbum, *Præficiendus*, quod æquè convenit proviſo, atque electo, dicit non profeſſum aſſumi non poſſe ad Abbatiam non ſolùm per viam electionis, ſed nec per viam alterius proviſionis.

37 Et ex hoc infero, ut idem ſit dicendum, ſi non profeſſa quæ conſentit ſe eligi in Abbatiſſam, ſit minor annis quadraginta: nam quemadmodùm nullitas electionis, quæ provenit ex defectu profeſſionis expreſſæ, juxta d. *cap. Nullus*, non impedit, quin tacita profeſſio inducatur, ut ſuperiùs concluſum eſt: ita nec videtur impedire, ſi proveniat ex defectu ætatis à Tridentino Concilio requiſitæ in *cap.* 6. *ſeſſ.* 25. *de reg. arg. cap. Inter corporalia ſuprà de translat. Epiſc.*

38 Nunc diſquirendum quo pacto hæc ad praxim deduci poſſint. Videbatur enim nullo caſu poſſe contingere, ut non profeſſus ſuſcipiens præfecturam intelligeretur tacitè

39 profiteri. Nam aut Abbatiam acceptavit ante ſuſceptum habitum probationis, aut poſt: ſi ante, non potuit induci tacita profeſſio; quia non præceſſit annus probationis, qui incipit pòſt ſuceptum habitum, & ſine quo nec expreſsè, nec tacitè poteſt fieri profeſſio, ut ſtatuitur in d. *cap.* 15. *ſeſſ.* 25. *de regul.* In hoc enim hæc Decretalis corrigitur à Concilio; ut fuſiùs explicatum eſt ſuprà *num.* 7. Si verò Abbatiam acceptavit poſt ſuceptum habitum, aut id fecit ante annum probationis elapſum, & profeſſio induci non potuit, repugnante d. *cap.* 15. ut proximè dictum eſt. Aut id fecit tranſacto anno probationis: & tunc aut per annum detulit habitum indiſtinctum, aut indiſtinctiſſimum, aut diſtinctum ab habitu profeſſorum. Primo caſu per delationem annalem habitus indiſtincti, ideſt, à novitiis, & profeſſis geſtari ſoliti, eo ipſo fuit tacitè profeſſus, ut ſunt jura clara in *cap. Ex parte*, *infrà de regul.* ubi eſt caſus ſecundùm Jo. Andr. Butr. Cardinal. & omnes, & in *cap.* 1. *verſ. Quòd ſi per totum ſequentem annum*, *& verſ. Qui verò*, *eod. tit. lib.* 6. & in Clem. *Eos*, *eod. tit.* & conſequenter per ſuceptionem Abbatię non potuit iterùm tacitè profiteri; quia ſemel profeſſus tacitè, ampliùs tacitè pro-

40 feſſus fieri non poteſt, arg. *cap. Ut quis duas*, *de elect. lib.* 6. cùm matrimonium tam ſpirituale, quàm carnale non poſſit conſiſtere ex conſenſibus iteratis, ut declarat Lapus *allegat.* 8. *per totam*, *maximè num.* 4. & ſcripſi plenius *in cap. Quoniam*, *num.* 41. *& ſeqq. infrà de jurepatr.*

41 In ſecundo caſu, ideſt, cum novitius per annum geſtavit habitum indiſtinctiſſimum, quo ſcilicet promiſcuè utuntur profeſſi, & novitii, ac etiam alii communem vitam cum eis ducentes, ſimiliter ex tunc inducta fuit tacita profeſſio, ut deciditur in *eod. c.* 1. *verſ. Qui verò poſt quartumdecimum annum*, & ſic iterùm induci non potuit per ſuſceptionem Abbatiæ.

42 In tertio autem caſu, ideſt, cùm novitius per annum geſtavit habitum novitiorum diſtinctum ab habitu profeſſorum, nunquam fieri potuit tacitè profeſsus, quantumcumque temporis in religione perſeveraverit, ut docent in d. *cap. Ex parte*, *de reg.* Innoc *in princ.* Jo. Andr. *n.* 3. & Card. *eod. n. in* 2. *oppoſ.* Unde Abb. Antiq. *in c. Conſulti*, *n.* 3. *eod. tit.* teſtatur ſe vidiſse litteras abſolutorias datas ſuper hoc cuidam Monacho, qui ferè per decem annos ſteterat in habitu probationis. Quod vendicat ſibi locum, ſi haditus ſit diſtinctus patenter, ideſt, in colore, ſciſsura, vel forma, ab habitu novitiorum, ut hodie eſt expeditum in dict. Clem. *Eos*, & ibi notat gloſ. *in verb. Deinceps*, *in fin. de reg.* At verò ſi ſit patenter diſtinctus, puta per benedictionem veſtiti, perſonam dantem, locum, vel formam dationis; tunc deferens illum per annum eo ipſo profeſsus eſt, & in hoc corrigitur jus vetus per d. Clement. *Eos*, ut notat gloſ. præallegata, & ſic ſuſcipiendo Abbatiam non poteſt iterùm profiteri.

43 Quòd ſi habitum profeſsorum aſsumpſerit, ex hoc ipſo intelligitur tacitè profeſsus, ut eſt textus apertus in dict. *cap.* 1. *in cap. Reſponſo*, ibi, *Vel habitum religionis ſuſcipiat, qui dari profitentibus conſuevit*, concordat *cap. Super eo*, *& cap. Statuimus*, & ibi dixi *in* 3. *not. infrà de regul. in cap. Conſtitutionem*, & *in cap. Beneficium*, *eodem titul. lib.* 6. Quod procedit, etiamſi diſtinctio ſit latens: adhuc enim per illius aſsumptionē ſit tacitè profeſsus, ſi triduo perſeveret, ut in d. *cap. Conſtitutionem*, *in fin.* In hoc enim cauſa jura antiqua non ſunt correcta, ut notat prædicta gloſsa *in verſ. Deinceps*, *circa medium verſ. Unde adhuc hodie*: & per conſequens ex ſuſceptione Abbatiæ nova profeſſio induci non potuit, ut oſtenſum eſt ſuprà in primo caſu.

Pro ſolutione obſervandum eſt in quinque caſibus poſse verificari, ut non profeſsus per acceptationem Abbatiæ intelligatur tacitè profiteri. 44

Primus eſt, cùm quis ante ætatem legitimam ad profitendum (quæ de jure communi eſt poſt annum decimumquartum, ut in *cap. Significatum*, *de Regular.* & ex Concilio Trid. poſt annum decimum ſextum, ut in *cap.* 15. *ſeſſ.* 25. *de Regular.*) induit habitum indiſtinctum: hic enim poſt legitimam ætatem non ſit ſtatim profeſsus tacitè, ſed oportet, ut pergat in geſtatione habitus per totum ſequentem annum, ideſt de jure communi per totum annum decimumquintum; ut eſt caſus in d. *cap.* 1. *verſ. Quod ſi*, *per totum*, *de Regul. lib.* 6. & ex Concilio Trident. per totum annum decimumſeptimum, ut ex ſententia S. Congregationis dixi in *cap.* 1 *nu.* 7. *& ſeqq. de Regular.* Verùm ſi poſt 45 annum decimumſextum completum acceptaret Abbatiam, & anteà poſt ſuſceptum habitum ſtetiſset per annum in monaſterio, utique intelligeretur tacitè profeſsus, non quidem ex ſola geſtatione habitus indiſtincti, quia ad hoc requiritur annus decimus ſeptimus completus, ut prædixi; ſed quia immiſcuit ſe actibus profeſsorum, ut in *cap. Vidua de Regular.* Nam quemadmodùm is, qui ante ætatem legitimam induit habitum indiſtinctum, in ſequenti anno illicò ſit tacitè profeſsus, ſi habitum profeſsorum ſuſcipiat, ut deciditur in *cap.* 1. *in princ de Regular. lib.* 6 eodem modo ſit profeſsus tacitè, ſi ingerat ſe actibus profeſsorum ac ſi ſuſcipiat habitum, qui dari profitentibus conſuevit, ut *cap. Quod interrogaſti*, 27. *diſt. cap. Quem progenitores* 20. *q.* 1. *cap. Vidua*, 27. *q.* 1. *d. cap. Vidua*, *cap. Super eo*, *&c. Conſulti*, *de Regular.*

Secundus caſus eſt, cùm quis ante ætatem ad profitendum præfixam induit habitum indiſtinctiſſimum: talis enim quamvis poſt legitimam ætatem pergat per annum in delatione habitus hujuſmodi; tamen non alligatur religioni, cùm eorum, quæ tunc agit, non habeat intellectum, ut diſertis verbis ſtatuitur in præcitato *cap.* 1. *verſ. Secus autem in illo*, *de Regular. lib.* 6. quod non corrigitur per d. Clem. *Eos*, *eod. tit.* ut ibi notat gloſs. *In ver. Portaverint*; nihil tamen prohibet, quin ſuſcipiendo Abbatiam cenſeatur tacitè profiteri, juxta text. *hic*, & concluſionem ſuperiùs firmatam. 46

Tertiùs caſus eſt, cùm quis aſſumit habitum indiſtinctum, & proteſtatur per delationem annalem habitus hujuſmodi ſe non intendere tacitam profeſſionem emittere: hoc enim caſu tacita profeſſio non inducitur; quia contra præſumptionem juris, & de jure, quæ ſurgit ex delatione annali habitus indiſtincti, admittitur probatio per proteſtationem præcedentem, ut firmat gloſſ. in *cap. Ex parte*, *in ver. Per annum*, *infrà de Regular.* quam ibi ſequuntur Hoſt. *num.* 9. Joan. Andr. *num.* 3. Cardin. *num.* 4. Butr. *nu.* 7. & alii communiter. Unde ſecundùm Vincentium, quem citat ibi Joan. Andr. *num.* 3. ſi quis intra annum probationis proteſtetur, ſe nolle in religione remanere, quamvis aliquo tempore poſt annum remaneat, adhuc poteſt exire. Et hanc ſententiam aliàs probavit S. Congregatio Concilii, dum cuidam puellæ poſtulanti, ut ſibi liceret ex certa cauſa in monaſterio manere ultra tempus novitiatus, nec propterea intelligeretur tacitè profiteri; reſpondit quoad tacitam profeſſionem poſſe puellam ſibi cavere per proteſtationem. Cæterum ſi elapſo anno conſentiat ſe eligi in Abb. ex hoc intelligitur religioni alligatus, non obſtante proteſtatione: tum quia talis proteſtatio reſtricta eſt ad profeſſionem, quę inducitur ex geſtatione annali habitus indiſtincti, & non afficit hunc caſum, in quo profeſſio non inducitur ex delatione habitus, ſed ex eo quòd novitius ſuſcipiendo Abbatiam fecit actum poſitivū, qui non convenit niſi profeſſis, ut dictum eſt in primo caſu: tum quia quatenùs proteſtatio ad hunc caſum extenderetur, tamen per actum contrarium ſuſceptionis Abbatiæ factum non immediatè, ſed ex intervallo, intelligitur receſſum à proteſtatione, ut probat textus in *cap. Cùm virum*, 47 48

rum, *in ver. Præſertim*, *infrà de reg.* & in matrimonio carnali eſt textus apertus in *cap. Ad id*, *quod deſponſ.* dixi in *cap. Ex parte*, *eod. tit.*

49 Quartus caſus eſt, cùm novitius tranſacto probationis anno recipit habitum profeſſorum; ſed ante receptionem formaliter proteſtatur ſe per hoc non intendere profeſſionem emittere. Hujuſmodi enim proteſtatio ſaltem facta immediatè ante habitus ſuſceptionem, utique impedit profeſſionem tacitam, quæ oritur ex ſuſceptione habitus profeſſorum, *cap. Perlatum*, & ibi gloſſ. *in ver. Propoſuit*, *ſuprà de iis*, *quæ vi metuſve cauſ. fiunt*, gloſſ. 1. *circa fin. verſ. Et quia ab initio*, *in c. Porrectum*, *infrà de Regular.*

50 Verùm ſi hoc caſu novitius poſt aſſumptum habitum profeſſorum conſentiret ſe eligi in Abbatem, utique fieret tacitè profeſſus proteſtatione non obſtante, quæ ad hunc caſum non porrigitur; & quatenùs porrigeretur, ab ea intelligeretur receſſum per actum contrarium factum ex intervallo, ut dictum eſt in caſu præcedenti.

Quintus denique caſus eſt, cùm novitius per annum geſtavit habitum profeſſorum patenter diſtinctum ab habitu novitiorum, juxta textum in Clem. *Eos*, *de Regular.* nam etſi ex ſola geſtatione habitus hujuſmodi non cenſeatur tacitè vovere, quantumcumque temporis manſerit in monaſterio, ut dictum eſt ſupra *n.* 42. tamen fit profeſſus tacitè, ſi ſe immiſceat actibus profeſſorum, puta ſuſcipiendo Abbatiam, caſus eſt in *c. Vidua*, *infrà de Reg.* ubi novitia, quæ habitum, ſeu velum converſionis, id eſt probationis aſſumpſit, ſi inter velatas offerat oblationes, & ſic ingerat ſe actibus profeſſarum, cenſetur profeſſa, ut in Summa illius textus firmant Joan. Andr. Butr. Cardin. & omnes. His igitur quinque modis poteſt ad practicam deduci noſtra concluſio; quare diſputatio ſuperiùs habita non eſt inutilis. 51

DE TESTAMENTIS.

Idem Gregorius IX.

CAPUT III.

NOs quidem: infrà. Provenit ad nos S. de hac luce migrantem ſupremæ voluntatis elogio monaſterium præcepiſſe fundari: cujus deſiderium à T. religioſa fœmina ejus hærede protrahitur. Quamobrem te hortamur, ut eam commoneas, quatenùs infra annum, monaſterium, quod juſſum eſt, debeat ordinare: & cuncta ſecundùm voluntatem defuncti ſine altercatione conſtruere. Quòd ſi infra prædictum tempus, ſive in loco, quo conſtitutum fuerat, ſeu ſi ibi non poteſt, & alibi placet ordinari, tecum implere neglexerit: tunc per te ædificetur, & omnia per te loco ipſi ſine diminutione qualibet aſſignentur. Sic enim ſecundùm piiſſimas leges, dilatas defunctorum pias voluntates, Epiſcopali decens eſt ſtudio adimpleri.

S U M M A R I U M.

1 *EPiſcopus propter negligentiam hæredis exequitur piam voluntatem teſtatoris.*
2 *Executio voluntatis teſtatoris fieri debet infrà annum computandum à die monitionis factæ per judicem.*
3 *Intellectus* §. Si quis ædificationem, in Authen. de Eccleſ. titul. & n. 6.
4 *Domus venerabilis appellatione includitur etiam monaſterium.*
5 *Monaſterium à teſtatore ordinatum an debeat infrà annum compleri, an verò ſufficiat opus inchoare.*
6 *Oratorium infrà quinquennium, hoſpitale infra annum compleri debet.*
7 *Relicta ad pias cauſas integrè ſolvi debent infrà ſex menſes.*
8 *Relicta Eccleſiæ, ſeu monaſterio conſtruendo, debentur integra etiam cum fructibus medii temporis.*
9 *Epiſcopi omnium piarum diſpoſitionum tam inter vivos, quàm in ultima voluntate in caſibus à jure permiſſis ſunt executores.*
10 *Epiſcopus hærede, vel executore negligente ſuccedit in facultate exequendi etiam ad non pias cauſas.*
11 *Teſtamentorum publicatio ad Epiſcopum non ſpectat, niſi conſuetudo aliud inducat, & n. ſeq.*
12 *Intellectus* c. Epiſcopus, 88. diſt.
13 *Monaſterium poteſt alibi ædificari arbitrio Epiſcopi, ſi in loco à teſtatore præſcripto conſtrui non poſſit.*
14 *Legatum pium non fit caducum, ſi impleri non poſſit de jure, vel de facto; ſed in alios uſus converti debet.*
15 *Legatum pro Miſſis canendis convertitur in aliud opus ſi Miſſæ non poſſunt cantari propter interdictum.*
16 *Pecunia pro monaſterio conſtruendo relicta, ſi non ſufficiat, convertitur in alium uſum.*
17 *Fructus hoſpitalium ad uſum peregrinorum, ſi in loco non ſunt peregrini, convertitur in uſum inſtitutioni proximiorem ab Ordinario cum duobus de Capitulo.*
18 *Legatum annui redditus Factum fratribus Minoribus an commutari poſſit per Papam in alios uſus, non obſtante quòd teſtator id prohibuerit, & legatum ademerit in caſum commutationis, num. ſeq. uſque ad num.* 48.
19 *Fratres Minores S. Franciſci ſunt incapaces annuorum redituum.*
20 *Annui redditus inter immobilia computantur.*
21 *Relictum nullum ob incapacitatem cauſatam à prohibitione juris reſiſtentis potentiæ capiendi, & relinquendi habetur pro non ſcripto.*
Declaratur, & refellitur opinio Angeli de Peruſio, num. ſeqq.
22 *Legatum annui redditus, vel bonorum ſtabilium relictum Fratribus Minoribus ſub modo licito valet.*
23 *Et factum ſimpliciter intelligitur factum ſub modo licito.*
24 *Modus vel conditio impoſſibilis ſi ad nullum honeſtum finem adiiciatur legato, impleri non debet; ſi verò ad honeſtum finem, fit converſio in alium uſum.*
25 *Legatum Prædicatoribus, vel Minoribus, ut ſe conferant ad habitandum in ædibus teſtatoris, & ibi Divina celebrent, in alium uſum converti debet.*
26 *Relictum Fratribus Minoribus cenſetur factum principaliter pro anima.*
27 *Conditio impoſſibilis in ultimis voluntatibus habetur pro non ſcripta, ſi contineat aliquid turpe; ſecus ſi nihil turpe, quia impleri debet de facto, ſi non poteſt de jure.*
28 *Fratres Minores poſſunt recipere legata annua à ſpontè dantibus per modum eleemoſynæ, dummodò de illis aliter per Papam non fuerit diſpoſitum.*
29 *Fratres Minores ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna prohibentur impedire proviſos Apoſtolicos de beneficiis, quibus legata annua ipſis fratribus relicta applicata fuerunt.*
30 *Prohibitio, ne Papa poſſit commutare legatum annuum Fratribus Minoribus relictum, tamquam turpis, habetur pro non adjecta, & n. ſeq. uſque ad num.* 48.
31 *Legatum ſi de jure, vel de facto juxta mentem teſtatoris*

toris impleri non poſſit, in alium uſum convertitur, non obſtante prohibitione, quòd applicari non poſſit niſi ad uſum deſtinatum.

32 *Pecunia ad certum uſum relicta non poteſt per Superiorem ad alium uſum deputari, quando in eum caſum teſtator providit quid fieri debeat. Declaratur num. ſeq.*

33 *Relictum Religioſis ſub modo licito, aliis uſibus applicari non debet per Papam, quando teſtator alios ſubſtituit caſu quo onera non impleantur, & n. ſeq.*

34 *Proviſio hominis licita facit ceſſare proviſionem legis.*

35 *Papa commutare poteſt pias diſpoſitiones, etiamſi de jure, & de facto applicari poſſint ad uſum deſtinatum.*

36 *Papa poteſt rem uni Eccleſiæ auferre, & dare alteri; ſed ſine cauſa id facere non debet.*

37 *Relictum ſub modo illicito Religioſis incapacibus ea conditione, ut quatenus impleri non poſſit de jure, vel de facto, deveniat ad alium, an debeat aliis uſibus applicari, & n. 51.*

38 *Relictum Fratribus Minoribus ſub modo illicito commutari poteſt ad alium uſum, non obſtante prohibitione teſtatoris, & ademptione relicti in caſum commutationis.*

39 *Conditio adjecta legato facto religioſo, ne Superior poſſit ſe de illo intromittere, aliàs ſit ademptum, tamquam turpis, habetur pro non appoſita, & num. 54. & ſeqq.*

40 *Papa poteſt commutare ultimas voluntates, & de hoc dubitare eſt ſacrilegium.*

41 *Nemo poteſt cavere, ne leges in ſuo teſtamento locum habeant.*

42 *Legem vivam contemnere periculoſius eſt, quàm legem mortuam.*

43 *Pœna adjecta actui illicito non committitur.*

44 *Juri nedum Canonico, ſed etiam Divino repugnat, ut piæ diſpoſitiones non ſubſint Papæ.*

45 *Conditio per indirectum habilitans Fratres Minores ad redditus annuos, eſt turpis.*

46 *Fratres Minores habentes contra regulam redditus annuos, peccant mortaliter.*

47 *Peccatorum correctio ſpectat ad Papam, & qui negat poteſtatem Papæ, negat ſe Chriſtianum.*

48 *Commutatio legati annui Fratribus Minoribus relicti an ſit nulla ex defectu intentionis, eò quòd Papa ignoraverit hæredes fuiſſe vocatos in eventum commutationis, & n. ſeq. uſque ad n. 65.*

49 *Commutatio voluntatis locum non habet, ubi teſtator providit quid fieri debeat de legato, ſi in uſum deſtinatum converti nequeat.*

50 *Et in quibus caſibus commutatio impugnari poſſit ex defectu intentionis, eò quòd Papa ignoraverit proviſionem teſtatoris.*

52 *Teſtator non poteſt diſponere, ut impoſſibile transferatur ad poſſibile.*

53 *Ignorantia diſpoſitionis à jure improbatæ ſubreptionem aut defectum intentionis non parit.*

54 *Paria ſunt ſubſtitutionem non fuiſſe ſcriptam à teſtatore, & de jure haberi pro non ſcripta.*

55 *Ex nihilo nihil producitur.*

56 *Impoſſibilitas juris, & naturæ æquiparantur.*

57 *Fictio idem operatur in caſu ficto, quod veritas in caſu vero.*

58 *Intentionis defectus non oritur niſi ex ignorantia eorum, quæ ſi Princeps ſciviſſet, aut nullo modo, aut difficiliùs conceſſiſſet.*

59 *Papa in ſignatura nullam habet rationem ultimarum voluntatum prohibentium, ne Papa poſſit illas commutare, & n. 61.*

60 *Ad officium Romani Pontificis pertinet illicitas teſtatorum diſpoſitiones corrigere, & emendare.*

62 *Impoſſibile dicitur, quod ſalva dignitate fieri non poteſt.*

63 *In teſtamentis attenditur, quale fuerit principale objectum, & finis teſtatoris.*

64 *Medium ubi eſt illicitum, acquiſitio impeditur.*

65 *Relictum Altari, ſeu Capellæ exiſtenti in Eccleſia Fratrum Minorum pro Miſſis celebrandis, cenſetur relictum ipſis Fratribus, ſicut & relictum Eccleſiæ, & n. 67. & 73. & ſeqq.*

66 *Hæredi à ſeipſo legari non poteſt.*

68 *Conſenſus ſemper acquirendus eſt ab eo, penes quem reſidet jus principale.*

69 *Regulares Ordinum Mendicantium non conſueverunt permittere, ut in eorum Eccleſiis erigantur Capellæ perpetuò officiandæ à Presbyteris ſæcularibus, neque ad id cogi poſſunt.*

70 *Executores habentes ex teſtamento facultatem declarandi voluntatem teſtatoris, à declaratione ſemel facta reſilire non poſſunt.*

71 *Repudiare quis non poteſt quod habere non poteſt.*

72 *Conſuetudo interpretativa non oportet ut ſit præſcripta, ſed ad eam inducendam ſufficiunt decem anni.*

73 *Relictum pro dote Altaris in Eccleſia Fratrum Eremitarum, an cenſeatur factum Deo immortali repræſentando per Presbyteros ſæculares inibi deſervientes.*

74 *Paria ſunt relinquere Eccleſiæ Fratrum incapacium, atque Altari, ſeu Capellæ ibi exiſtenti.*

N*Os quidem*. Propter negligentiam hæredis Epiſcopus 1
exequitur piam voluntatem Teſtatoris. Hoc dicit
ſecundùm Joan. Andr. Butr. Anchar. & Imol. Vel pleniùs
ſecundùm Cardin. & Abbat. Si infrà annum à die monitionis non fit executio teſtamenti per debentem exequi, devolvitur executio ad Epiſcopum. In prima, narratio. In
ſecunda, proviſio, ibi, *Quamobrem*, in qua primò moneri
mandat, ſecundò ſuppleri, ibi, *Quòd ſi*. Tertiò reddit rationem, ibi, *Sic enim*.

Nota primò ex illis verbis, *Eam commoneas quatenùs in-* 2
frà annum, &c. annum præfixum ad ædificationem monaſterii à Teſtatore ordinati, non currere à die mortis teſtatoris, ſed à die monitionis factæ per judicem. Et quamvis gloſſ. & Innoc. *in ver. Infrà annum*, ſimpliciter dicant voluntatem teſtatoris debere infrà annum executioni demandari, allegando textum hìc, & in Authen. *Hoc ampliùs, Cod. de fideicomm.* & in Authen. *de Eccleſiaſt. tit.* §. *Si quis ædificationem*; tamen Abb. Antiq. *num.* 2. intelligit infrà annum, ideſt à juſſu judicis numerandum, & idem dicunt Hoſt. *num. 2. in ver. Ut eam commoneas*, Joan. Andr. *num. 6. in gloſſa* 3. ibi, *Annum*, Anchar. *nu.* 5. & 6. Butr. *num.* 9. & Abbas Siculus *num.* 3. & ita apertè loquuntur text. in d. Authen. *Hoc amplius*, ibi, *Monitus à judice intra annum non implet*.

Nec adverſatur, quin potiùs favet huic parti d. §. *Si quis* 3
ædificationem; ibi enim præcipitur, ut Oratorium provi-
dentia Epiſcopi compleatur infrà quinque annos; Hoſpi- 4
tale verò, & quæcumque venerabilis domus infrà annum: appellatione autem venerabilis domus non eſt dubium quin includatur etiam Monaſterium, ut *cap. fin. de Regular.* & in Decreto Concilii Tridenti *cap.* 11. *in princ.* & *cap.* 22. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* præſertim ponderando illam dictionem univerſalem *Quæcumque*, *cap. Solita, de major. & obed.* licèt Hoſt. videatur exponere venerabilem domum pro Hoſpitali. Sed intelligendo, ut prædixi, quoad ædificationem monaſterii, ille textus concordat cum hac Decretali.

Cæterum Abb. *num.* 9. limitat primò hunc textum in 5
ver. *Infrà annum*, ut procedat reſpectu operis inchoandi non autem reſpectu operis complendi, in quo dicit conſiderari debere qualitatem operis. Nam ſi opus non poſſit perfici infrà annum, hæres non poterit dici negligens. Sed hæc limitatio videtur contra mentem hujus Decretalis: facile enim eſſet cuique hæredi opus inchoare infrà annum, & ſic impedire devolutionem executionis ad Epiſcopum, & poſteà operis perfectionem diù protrahere; unde hæc proviſio eſſet omninò eluſoria, quod non eſt dicendum, *cap. Commiſſa*, §. *Porro*, *de elect. lib.* 6. Prætereà hoc repugnat litteræ, ibi, *Infrà annum monaſterium quod juſtum eſt debeat ordinare, & cuncta ſecundùm voluntatem defuncti ſine altercatione conſtruere*. Quæ verba non admittunt reſtrictionem, ut ſufficiat initium operis. Similiter textus in d. Authen. *Hoc ampliùs* exigit complementum operis, dum jubet ut voluntas teſtatoris infrà annũ impleatur; *c.* 1.
78. *diſt.* & *l.* 1. *C. de Curat. furio.* Accedit, quòd ineptè in d. §. 6
Si quis ædificationem oratorii, conſtitueretur differentia inter ædificationem oratorii infrà quinquennium, & hoſpi-

talis, vel monaſterii infrà annum, ſi ſufficeret opus inchoare; imò operis complementum apertè exigit ille textus, tam reſpectu Oratorii, ponderando verbum *Compleri*, *l.2.ff. de excuſat. tutor.* quàm reſpectu cujuslibet venerabilis domus, & ſic monaſterii, dum mandat illam fieri infrà annum, ac ſi intra annum hæredes non fecerint, eos domum aut comparare, aut locare, ubi poſſint, quæ juſta ſunt adimplere, donec hujuſmodi domus venerabilis expleatur; indebitè enim imponeretur hæredi hoc onus comparandi aliam domum infrà annum, ſi ipſe non teneretur domum à teſtatore ordinatam infrà hoc tempus per-
7 ficere. Demùm non apparet, qua æquitate ſacri Canones, & jura civilia ad opus tantummodò inchoandum conceſſiſſent integri anni dilationem, cùm tamen relicta ad pias cauſas integrè ſolvi debeant intra ſex menſes à die inſinuationis teſtamenti, ut in Authen. *de Eccleſiaſt. tit.* §. *Si legatum*, & tenet Abb. *hic num.10. verſ. Si verò ſunt relicta*. Unde de monaſterio infrà annum non ſimpliciter inchoando, ſed conſtruendo, ſeu ædificando, loquuntur hìc gloſſ. Innoc. Hoſt. Jo. Andr. Butr. & cæteri omnes. Exiſtimo igitur hæredem teneri, & quantum fieri poteſt eniti debere, ut monaſterium infrà annum à die monitionis perficiat, niſi aliud tempus teſtator præfixerit. Quod ſi præ operis magnitudine id præſtari non poſſit, tunc juſtam cauſam ſubeſſe, ut Epiſcopus pro ſuo arbitrio, & prudentia concedat ei congruam prorogationem ad opus perficiendum. Quod videtur etiam de mente Abbatis, dum dicit, aſſignabitur tempus conveniens.

8 Secundò nota ibi, *Sine diminutione qualibet*, relicta Eccleſiæ, ſeu monaſterio conſtruendo debere integrè perſolvi, ac ſine ulla diminutione. Unde conſuluerunt Bart. & Franciſc. de Albergott. etiam fructus medii temporis debere aſſignari, & pro hoc Abb. *hic num.7.* allegat optimum textum *in l. Si ita relictum*, §. *Pegaſus*, *ff. de legat. 2.* ubi ſi legetur prædium in diem, puta poſt decem annos, vel cùm legatarius erit pubes, debetur prædium cum fructibus medii temporis, ſi gratia lugatarii fuit appoſitus dies. Hoc autem caſu cùm legatur monaſterio conſtruendo, dies non apponitur favore hæredis, ſed monaſterii. Nam ſi monaſterium fuiſſet jam conſtructum tempore teſtamenti, utique legaſſet de præſenti, & non in diem ſecundùm Abbat.

9 Tertiò nota, quod hìc ſtatuitur, ut hærede, vel executore negligente Epiſcopus ſuccedat in facultate exequendi, videri reſtringi tantummodò ad legata ad pias cauſas, juxta textum *in l. Nulli*, *C. de Epiſcop. & Cler.* ponderando illa verba, *Dilatas defunctorum pias voluntates Epiſcopali decens eſt ſtudio adimpleri*. Concordat *c. Tua nobis*, *infrà eod.* ibi, *Cùm igitur in omnibus piis voluntatibus ſit per locorum Epiſcopos providendum, ut ſecundum defuncti voluntatem univerſa procedant*, quod eſt deſumptum ex Authen. *de Eccleſ. tit.* §. *Si quis autem pro redemptione*. Et ita etiam loquitur Concilium Trident. *in cap. 8. ſeſſ. 22.* dum ait: *Epiſcopi etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati in caſibus à jure conceſſis omnium piarum diſpoſitionum tam in ul-*
10 *tima voluntate, quàm inter vivos ſint executores*. Verùm Innocentius *hic num.2. in ver. Per te*, ait deciſionem teſtamentorum ad Epiſcopum pertinere, maximè quoad pias cauſas, ut hìc, & idem videri etiam in non piis, per *cap. prox. & cap. Si hæredes infrà eod.* publicationem tamen
11 fieri non debere apud Epiſcopum, *l. Conſulta*, *C. de teſtam.*
12 & cum Innoc. tranſit Hoſt. *num.6.* Rationem reddunt Butr. *num.6.* & Abb. *num.8.* quia quælibet defuncti voluntas poteſt dici pia, *l.1. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* Nec obſtat text. *in cap. Epiſcopus*, *il 2. 88. diſt.* ubi dicitur: *Epiſcopus tuitionem teſtamentorum non ſuſcipiat*. Nam Hoſt. *hic num.6.* exponit tuitionem, ideſt inſinuationem, ſive apertionem, quæ ad Epiſcopum non ſpectat, niſi conſuetudo aliud inducat, ſecundùm eum: vel tuitionem, ideſt patrocinium, ſive defenſionem, quaſi dicat, ad tuitionem teſtamenti non debet Epiſcopus aſſumere partes Advocati: nec mirum, quia nec in propria cauſa hoc decet, *c. Quia Epiſcopus*, 5. q. 3.

13 Quartò nota, ibi, *Si ibi non poteſt, &c.* Monaſterium poſſe alibi ædificari arbitrio Epiſcopi, ſi in loco à teſtatore præſcripto conſtrui non poteſt, ut hic per Innoc. *num.1. in ver. Per teſtatorem*, Hoſt. *num.5. in ver. Et alibi placet*, Jo. Andr. *num.7. in gloſſ. Et alibi placet*, & reliquos omnes, Speculator *in §. Nunc verò aliqua, in ver. Quid ſi teſtator*, *in tit. de inſtr. edit.* Bart. *in l. Legatum civitati*, *num. 3. ff. de uſufruct. legat.*

Et ſic collige legatum non effici caducum ex eo, quòd 14
putari non poſſit ad uſum deſtinatum per teſtatorem; ſed per Epiſcopum commutari debere in aliam piam cauſam, ſicut hìc fit commutatio de loco ad locum, ut per Butr. *n.4.* & Abb. *num. 6.* Id quod procedit, ſive teſtatoris voluntas impleri non poſſit de jure, ſive de facto; de jure, ut ſi teſtator reliquerit centum pro miſſis canendis, quæ cantari non poſſint propter interdictum. Quo exemplo utitur
Bart. *in d. l. Legatum*, *n.2.* De facto, ut ſi pecunia relicta à 15
teſtatore non ſufficiat ad monaſterium conſtruendum; de- 16
bet enim converti in alium uſum, *l. Legatum*, *ff. de adminiſtr. rer. ad civit. pertin.* & tradit Bart. *ubi ſuprà num.* 4. & Abb. *hic num.6.* Ad quod facit optimè decretum Concilii
Tridentini in *cap.8.ſeſſ.25.* ubi præcipitur, ut ſi hoſpita- 17
lia ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum perſonarum genus fuerint inſtituta, nec in loco, ubi ſunt dicta hoſpitalia, ſimiles perſonæ, aut perpaucæ reperiantur, fructus illorum in alium pium uſum, qui eorum inſtitutioni proximior ſit, ac pro loco, & tempore utilior, convertantur, prout Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum uſu peritiores ſint, per ipſum deligendis, magis expedire viſum fuerit.

QUÆRO, an legatum annui redditus factum Fra- 18
tribus Minoribus S. Franciſci commutari poſſit per Papam in alios uſus, non obſtante, quòd teſtator expreſsè hoc prohibuerit, & legatum ademerit in caſum commutationis.

Manifeſtum eſt Fratres Minores S. Franciſci eſſe incapa- 19
ces annuorum redituum, ut eſt caſus in Clem. *Exivi de Paradiſo*, §. *Cumque annui redditus*, *de verbor. ſignific.* ubi
ſic legitur: Cùmque annui redditus inter immobilia cen- 20
ſeantur à jure, ac hujuſmodi redditus obtinere, paupertati & mendicitati repugnet, nulla dubitatio eſt, quòd prædictis Fratribus redditus quoſcumque, ſicut & poſſeſſiones, vel earum etiam uſum, cùm eis non reperiatur conceſſus, recipere, vel habere, conditione conſiderata ipſorum, non licet. Quem textum dicit ad hoc rotundum, & clarum Abb. *conſ.63. Ut veritas in princ. verſ. Præterea quid expedit*, *lib.* 2. & notant ibi gloſſ. *in ver. Cumque annui redditus*, Cardinal. *num.12.* Petr. de Anchar. *nu. 21.* & reliqui interpretes, Rota *dec.365. n.15. verſ. Secunda eſt concluſio*, *par. 5. recentior.* Et patet ex pluribus Decretis Congregationum Generalium ejuſdem Ordinis, de quibus in Bullar. *tom.* 4. *pag.333.* Et fuit ſæpiùs reſolutum. Ergo cùm propter Fratrum incapacitatem legatum præſtari non poſſit ad eum modum, quo teſtator præſcripſit, ſequitur, ut per ſuperiorem converti debeat in alios uſus, juxta regulam hujus textus, & *l. Legatum civitati*, *ff. de uſufr. leg.* & dictum eſt ſuprà *in 4. notab.*

Nec refert, quòd Angel. de Peruſ. *conſ.* 224. *Caſus eſt*, 21
num.2. teneat legatum partis hæreditatis relictum Fratribus Eremitanis non eſſe commutandum in alios uſus, eò quòd ubicumque relictum eſt nullum, propter incapacitatem cauſatam à prohibitione juris reſiſtentis potentiæ capiendi, & potentiæ relinquendi, numquam in alium uſum quantumcunque licitum, & approbatum debet converti: imò funditùs omnibus juribus vacuatur, & habetur pro non ſcripto, & ita pertinet ad hæredes, juxta text. in *l.1. & in l. Si in metallum*, *ff. de his*, *quæ pro non ſcript. habentur*.

Nam reſpondetur, legatum bonorum immobilium, in- 22
ter quæ computantur annui redditus, valere, ſi fiat Fratribus Minoribus ſub modo licito, nempè ut vendant, & prætium convertant in ædificia, vel alia neceſſaria;
& idem ſi fiat ſimpliciter, quia ſub modo licito factum 23
intelligitur, ut eſt text. ad litteram in *cap. Exiit*, §. *Ad hæc quia fratribus*, *de verb. ſignific. lib.6.* & declaravit Sacr. Congregatio Concilii, ſecuta opinionem Cardinalis in d. Clem. *Exivi*, §. *Proinde*, *num. 11.* Atque ita hoc caſu legatum annuum non interdicitur Fratribus ratione rei legatæ propter reſiſtentiam potentiæ capiendi, aut relinquendi; ſed ratione modi à teſtatore expreſſi, quia teſtator voluit redditum ſolvi annuatim in perpetuum, quod repugnat regulæ. Ita expreſsè dicit Bart. *in tract. Minoric. lib.2. diſt.6. cap.1. n.33.* Bald. in Authen. *ingreſſi*, *in 2. lect. n.59. C. de ſacroſ. Eccleſ.* & Abb. *in cap. In præſentia*, *n.63. de probat.*

Nec

Nec adverſantur jura per Angel· adducta *in d. l.* 1. *& l. Si in metallum*, quia procedunt in incapacibus ex delicto: FF. Minores non ſunt incapaces propter delictum, ſed propter zelum Dei, ut poſt Gaſp. de Calder. dicit Abb. *loc. cit. verſ. Idem dicit*. At quando legatum non eſt nullum propter ſe abſolutè, & ſimpliciter, ſed propter modum de jure prohibitum, à teſtatore adjectum, tunc non eſt pro non ſcripto, nec debetur hæredi, ſed commutatur in alios uſus authoritate ſuperioris. Caſus eſt expreſſus *in l. Legatum civitati*, *ff. de uſufr. legat.* & in hac Decretali exponendo verbum, *non poteſt*, ideſt de jure, prout exponit Silv. *in ver. Legatum*, 4. *q.* 11. *verſ. Aut hoc eſt non quia*.

24 Præterea Bart. *in d. l. Legatum civitati*, *nu.* 3. *ff. in hac materia* ſic diſtinguit: Quandoque teſtator adjicit modum, vel conditionem impoſſibilem ad nullum honeſtum finem, & tunc nullatenùs debet impleri, *l.* 1. *l. Conditiones*, *& l. Filius*, *ff. de condit. inſtit.* Quandoque modum, vel conditionem impoſſibilem adjicet ob aliquem finem licitum, & honeſtum, & tunc ſi non poteſt adimpleri, eo modo quo dicit, converti debet in alium uſum licitum, ut dicitur *in d. l. Legatum*. Exemplum ponit Bart. *ibi n.* 3. & Silv. *loc. cit.* Teſtator reliquit prædium, ut ibi monaſterium conſtruatur, quod tamen de juri ibi conſtrui non licet, puta propter privilegium, quod habent Prædicatores, & Minores; conſtruetur in loco congruo, & hone-
25 ſto, ut hic in textu, & in d. *l. Legatum*. Aliud exemplum ponit Silv. *ibid.* Teſtator legat, ut Prædicatores, aut Minores ſe conferant ad habitandum in ædibus teſtatoris, & ibi Divina celebrent pro ſalute animæ ſuæ, quod de jure fieri non poteſt, *c. un. de exceſſ. Prælat. lib.* 6. tamen uſus eſt honeſtus; quia pro anima, & cultu Divino fiet converſio in alium pium uſum. Quam Bart. theoricam ſequitur *hic* Imol. *n.* 22. *&* 23. Abb. *n.* 14. Jo. de Anan. *n.* 7. *&* 8. Roch. de Curte *in tract. de jure patr. in verb. Conſtruxit*, *n.* 17. Guglielm. de Bened. *in repet. c. Raynutius*, §. *Reliquit*, *n.* 17. *infrà eod.* & Anchar. in Clem. *Quia contingit in* 2. *notab. de relig. domib.*

26 Nos verſamur in ſecundo membro diſtinctionis Bartoli, quia legatum factum FF. Minoribus cum hoc ut eis ſolvatur annuatim in perpetuum, quamvis cenſeatur factum ſub modo illicito, ut prædiximus; tamen eſt relictum pro anima, & ſic ad finem licitum, & honeſtum ſecundùm Bart. & omnes in *l.* 1. *C. de ſacroſ. Eccleſ.* & hæc reputatur cauſa finalis, *cap. Verum*, & ibi DD. *de condit. appoſ.* & conſequenter favore animæ in alium pium uſum converti debet.

27 Quamobrem relictum FF. Minoribus debere in alium uſum licitum commutari determinat in puncto Bald. *conſ.* 416. *viſa ſubſtitutione in fin. verſ. Item Joannes Papa*, *lib.* 4. Anton. de Butr. *conſ.* 33. *Etiam mihi videtur*, *nu.* 4. ubi refert ita etiam conſuluiſſe Petr. de Anch Imol. Paul. de Caſtr. Raphael. Cuman. & alii relati ab Ant. Gabr. *Comm. concluſ. lib.* 4. *tit. de legat. concl.* 1. *nu.* 23. Et in individuo Angeli conſilium noviſſimè refellit Marcus Anton. Genuenſis Epiſcopus Iſernienſis *in tract. de Eccleſ. ſive practicabilia Eccleſiaſtica*, *qu.* 440 *per totam*, hoc præcipuè fundamento, quia relictum hujuſmodi cenſetur factum pro anima ut dictum eſt ſupra, additque non obſtare, quòd impoſſibilis conditio in legatis, & ultimis voluntatibus habeatur pro non ſcripta, §. *Impoſſibilis*, *inſtit. de hær. inſtit.* quoniam, ut ait Bald. *in rub. C. de inſtit. & ſubſtit.* id procedit, cum conditio continet aliquid turpe; ſecus ſi nihil turpe contineat, quia tunc ſi de jure adimpleri non poteſt, de facto adimpleri debet, & ſatis eſt, *l. Quidam cum filium*, *ff. de ver. oblig.* Unde cùm legatum factum Religioſis incapacibus non contineat aliquid turpe, debet adimpleri eo modo, quo poteſt, & ſatis dicitur adimpleri, ſi fiat converſio in alium uſum pro ſalute animę teſtatoris, ut ibi per eum: & pro hac ſententia allegat Guglielm. de Benedict. *in repetit. cap. Raynutius*, *verſ. Reliquit*, *nu.* 16.
28 *verſ. Tertio fallit*, *de teſtam.* & ita ſervata Curia Romana, nam Summi Pontifices ſæpiſſimè aliis uſibus applicarunt legata annua FF. Minoribus relicta. Et ex decreto S. Congr. fabricæ edito juſſu S. D. N. Urbani VIII. ſub *die* 14. *Februarii* 1633. quamvis mandetur, ut capitale annuorum reddituum, qui FF. Minoribus relinquuntur, conſervetur ad effectum, ut hæredes, vel debitores poſſint liberè, ſi velint, dd. Fratribus dare annua legata per eoſdem fratres recipienda in eleemoſynam juxta declarationem D. Bonaventuræ, non autem per eos exigenda; mox tamen additur hæc clauſula, videlicet, *dummodo de eis per Romanum Pontificem aliter non fuerit diſpoſitum*, *nec prædicta legata in alios uſus ejus authoritate applicata fue-*
rint, vel applicari contingerit. Et infrà prohibetur Fratribus 29
ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, ne proviſos Apoſtolicos pro tempore de beneficiis, quibus legata ſupradicta fuerint applicata, directè, vel indirectè impedire audeant, vel præſumant.

Nec prædictis obſtat, quòd in dubio propoſito teſtator 30
prohibuerit, ne Summus Pontifex immutet prædictam diſpoſitionem. Quoniam hæc prohibitio tamquam turpis habetur pro non adjecta, *l.* 1 *l. Si quis ita inſtitutus*, *l. Quæ ſub conditione*, *l. Conditiones quæ*, *& l. Conditiones contra*, *ff. de condit. inſtitut. d.* §. *Impoſſibilis*, *inſtitut. de hæred. inſtitut.* & tenet Imol. *in l. Si alienum in pr. nu.* 3 *ff. eod.* Angel. *in l. Quidam*, §. *Illo*, *n.* 2. & ibi etiam Paul. de Caſtr. *in fin. C. de neceſſ. ſerv. hæred. inſtitut.* Petr. de Ubald. *in tract. de Canon. Epiſcop. c.* 7. *n.* 42. *in fin.* ubi ait: Quando le-
gatum non poteſt impleri ſive de jure, ſive de facto eo mo- 31
do, quo per teſtatorem fuit diſpoſitum, poſſe per Superiorem fieri ejuſdem converſionem in alium uſum, non obſtante quòd in teſtamento adeſſet clauſula, ne poſſet applicari, niſi ad uſum deſtinatum.

Nec dicatur, Teſtator, ut ſupponitur in dubio, non ſte- 32
tit in finibus prohibitionis, ſed proceſſit ulterius, adimendo legatum in eventum contraventionis. Quo caſu non eſt locus commutationi, *l. Liberto*, § *Lucius*, *ff. de ann. leg.* ubi Bart. *n.* 2. formaliter dicit, Omnes leges, quæ dicunt pecuniam ad unum uſum relictam poſſe converti in alium uſum ex authoritate Superioris, ſunt veræ, niſi teſtator provideat quid fieri debeat: & quod illo non facto perveniat ad hæredes, quia tunc non poteſt fieri tranſmutatio in alium uſum, & ſequitur Rota *dec.* 365. *n.* 9. *p.* 5. *recent.*
Et videtur probari in Decreto Conc. Trid. *c.* 8. *verſ. Niſi* 33
aliter fortè, *ſeſſ.* 25. Etenim pro ſolutione hujus difficultatis, in qua DD. loquuntur ſatis involutè, diſtinguendi ſunt tres caſus.

Primus eſt, cùm teſtator legat Religioſis capacibus ſub modo licito, & caſu quo onera injuncta non impleantur, ſubſtituit alios, & tunc legatum in alios uſus converti non debet. Et in his terminis loquitur cum ſuis exaggerationibus Bero *conſ.* 49. *lib.* 2. Nam in ſuo caſu teſtator legavit cum onere celebrationis Miſſarum Canonicis Regularibus, qui de jure ſunt capaces dominii in communi, ut *in c. Quanto*, *de Offic. Ordin. & cap. Quod Dei timorem*, *de ſtatu Monach.* & ſubſtituit alium locum pium in caſum non implementi. Unde Summus Pontifex quamvis potuerit de plenitudine poteſtatis commutare prædictam voluntatem, ut Bero fatetur; tamen non debuit, quia ut ipſe ait, proviſio hominis licita facit ceſſare proviſionem legis. Et ad hunc caſum referri poſſunt Cæphal. *conſ.* 52. & Riminal. jun. *conſ.* 116. Nam in caſu eorum teſtator filios maſ-
culos hæredes inſtituit ſub ea conditione, ut ſi Dux Ferra- 34
riæ aut Papa mutaret ſuum teſtamentum, tali caſu hæreditas deveniret ad alios vocatos, & facta mutatione per Papam reſponderunt prædicti DD. fuiſſe locum pœnæ, nimirùm quia diſpoſitio teſtatoris fuit licita: & idem juris eſt, ſi legatum fiat Religioſis incapacibus, ſed ſub modo licito, ut ſi fiat legatum rei immobilis FF. Minoribus ad hoc ut vendant, & pretium convertant in uſum fabricæ, juxta text. in d. *c. Exiit*, §. *Ad hæc quia Fratribus*, *de verb. ſignific. in* 6. Et caſu quo ipſi nolint legatum acceptare, legatur alteri. Nam neque hoc caſu eſt locus commutationi, cùm teſtatoris voluntas licitè poſſit adimpleri, ut declarat Bald. *in l. Dictam*, *col. ult. Cod. de condict. ob cau.* relatus à Bero *d. conſ.* 49. *nu.* 2. *verſ. Quod ultimum dictum*. Et ita procedit doctrina Bart. *in d. l. Liberto*, §. *Lucius*, *ff. de ann. leg. & in l. Legatum civitati*, *nu.* 4. *ff. de uſufr. l.* ut ipſemet declarat *in l. Lucius*, §. *Tres hæredes*, *numer.* 3. *verſ. Sed ſi eſſet tale relictum*, *ff. ad Trebell.*

Et ita etiam procedit decretum Concilii in dict. *cap.* 35
8. *ſeſſ.* 25. ubi mandatur Ordinatio, ut fructus hoſpitalium convertat in alios uſus, ſi ibi non ſint peregrini, &c. dummodò etiam in hunc eventum in eorum fundatione aliter non ſit expreſſum. Etenim cùm proviſio fundatoris ſit licita, ceſſare debet proviſio ſeu commutatio Ordinarii. Adde, quòd doctrina prædictorum conſu-

lentium non eſt vera, quia quod dicitur non poſſe fieri commutationem illius voluntatis, quæ licitè poteſt adimpleri, procedit in inferioribus, non autem in Principe, ut declarat Bart. *in tract. Minor. lib. 2. diſt. 2. c. 3. n. 13.* Petr. de Ubald. *in tract. de Can. Epiſc. c. 7. n. 35.* Armilla *in verb. Legatum, n. 55.* Tabien. *in ver. Legatum, 2. n. 12.* Angel. *verb. Legatum, 2. n. 12.* Covar. 2. *lib. 3. var. reſol. c. 6. nu. 7. Non oberunt*, & probat. apertiſſimè in Clem. *Quia contingit, de rel. domib.* ubi dicitur; Ea quæ ad certum uſum largitione ſunt deſtinata fidelium, ad illum debent non ad alium converti; & ſic textus loquitur de uſu, qui licitè poteſt, & debet impleri, & tamen addit, ſalva Sedis Apoſtolicæ authoritate. Ergo falſum omninò eſt Sedem Apoſtolicam non poſſe commutare piam voluntatem teſtatoris, quæ impleri poteſt de jure, & de facto, ut Petr. Ubald. *ubi ſupra.*

36 Ratio eſt, quia (ut inquit Cardinal. poſt Laudun. in d. Clem. *Quia contingit, nu. 4.*) Papa eſt gubernator in ſolidum univerſalis Eccleſiæ, cujus caput eſt Eccleſia Romana; & ideò ejus eſt tamquam capitis ad membra ſingula alimenta transfundere, *c. Cuncta per mundum, & cap. Per principalem, 9. q. 3.* & propterea poteſt rem uni Eccleſiæ auferre, & dare alteri, *cap. Conqueſtus, cap. Nec verò, & d. cap. Per principalem, eod. cauſ. & qu.* Paul. de Caſtr. *conſ. 288. Primum dubium, col. 2. in princ. verſ. Nam aut quæritur lib. 1.* ubi ait Papam poſſe abſolutè auferre dominium, & jus quæſitum Eccleſiæ ſola voluntate, & nulla ſubſiſtente cauſa, licèt ſine cauſa facere non debeat, *cap. 1.* & ibi gloſ. *in ver. Injuſtitiam 22. diſt. cap. Conſtitutus, de Capell. Monach. cap. Antiqua cum ibi notatis de privileg.* Concil. Trident. *in cap. 6. ſeſſ. 22.* Rationem reddit Paul. de Caſtr. *loc. cit.* quia dominium rerum Eccleſiaſticarum eſt apud Chriſtum, non autem apud aliquam particularem Eccleſiam, ut notat Innoc. *in cap. Cùm ſuper, de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* Et cùm Papa ſit Vicarius Chriſti cum omnimoda poteſtate in terris, & Eccleſia Catholica, cujus caput eſt Chriſtus, ſit una, ejuſque Principatus ſit apud Eccleſiam Romanam, quæ fuit à Deo immediatè inſtituta, aliæ verò Eccleſiæ tamquam rivuli fuerunt inſtitutæ ab ipſa Romana Eccleſia, ut in d. *cap. 1. 22. diſt. cap. Loquitur, 24. qu. 1.* propterea quidquid juris eſt apud particulares Eccleſias, eſt etiam apud Papam, qui eſt Pater Patrum ſecundùm Joan. Monach. & cum omni Prælato concurrit in juriſdictione, unde ſi aufert aliquid ab una Eccleſia, dicitur auferre ſolam adminiſtrationem, quam ipſe dedit. Quinimò ſi Papa rem uni Eccleſiæ auferat ex certa ſcientia, cauſam præſumi, adeò ut contrarium probari non poſſit, poſt Cyn. *in l. Reſcripta, C. de precibus Imper. offeren.* tradit Roman. *conſ. 369. Circa primum num. 28.* & Hieronym. Gigas *in tract. penſion. q. 35. num. 7.* Verum quidquid ſit de veritate ſupradictæ doctrinæ, hic non eſt caſus noſter.

37 Secundus caſus eſt, cum teſtator legat Religioſis ſub modo illicito; & caſu quo ejus voluntas de jure, vel de facto impleri non poſſit, legat alteri: & hoc caſu fortè ſimiliter ſuſtineri poteſt commutationem fieri non debere ſaltem ab inferiori à Principe. Ratio eſt, quia teſtator non legavit præciſè, & ſimpliciter ſub modo illicito, ſed conditionaliter, quatenùs de jure poſſit; & quatenùs non poſſit, legavit alteri. Quæ diſpoſitio videtur rationabilis, & conſequenter non ſubeſt cauſa excludendi ſubſtitutum, *l. Quidam, ff. de uſufruct. leg. & d. §. Lucius Titius, ff. de ann. legat.* licèt contrarium Bald. *in l. Dictam, num. 14. verſ. Tamen ego ſic limito, C. de condict. ob cauſ.* ubi intelligit d. Bart. *in d. §. Lucius, de converſione liciti ad licitum.* Quod autem inquit, impoſſibile transferatur ad poſſibile, iſtud teſtator non poteſt diſponere, nec apponere pœnam amiſſionis, vel translationis in alterum, ut *l. Uxorem, §. Hæres ff. de leg. 3.* Sed neque hic eſt caſus noſter.

38 Tertius & ultimus caſus eſt, cùm teſtator non conditionaliter, ſed ſimpliciter, & abſolutè legat FF. Minoribus ſub modo illicito, puta ut annuatim quid percipiant in perpetuum, prohibendo, ne Papa hujuſmodi legatum convertat in alios uſus, & apponendo pœnam ademptionis legati in caſum commutationis, qui propriè eſt caſus noſter. Et tunc legatum in alios uſus converti poteſt, ac debet non obſtante prohibitione teſtatoris cum pœnæ adjectione. Ratio eſt, quia hoc caſu voluntas teſtatoris licitè adimpleri non poteſt, cùm teſtator voluerit præciſè legatum annuum perpetuò obtineri à fratribus, quod repugnat regulæ; nec legatum ademerit, niſi in eventum commutationis Apoſtolicæ. Et in his terminis loquitur Bart. *in d. l.* 39
Lucius, §. Tres hæredes, num. 3. ff. ad Trebell. ubi concludit conditionem adjectam à teſtatore in legato facto Regulari incapaci, quòd ſuperior non poſſit de illo intromittere, aliàs devolvatur ad hæredem, haberi pro non adjecta, & legatum nihilominùs remanere ad liberam ſuperioris diſpoſitionem, & cùm Bart. conſentiunt ibi Angel. *nu. 2.* & Cuman. *num. 6.* Bald. *in l. Unic. num. 43. verſ. Septimo, quæritur, C. de his, quæ pœn. nom. & in d. l. Dictam, col. ult. C. de condict. ob cauſ.* Abbas *conſ. 63. nu. 7. ad fin. lib. 2.* Cepoll. *cautel. 252. num. 2.* Silveſt. *in ver. Religio, 6. qu. 7.* Tabien. *in ver. Monach. qu. 14. n. 15.* A qua concluſione nemo diſſentit, quando legatum verè eſt factum Religioſo incapaci ſub modo illicito, puta ut ſolvatur annuatim in perpetuum, ut in præſenti quæſt. Tunc enim fatentur omnes prohibitionem commutationis voluntatis, & pœnam illi adjectam continere turpitudinem, & non eſſe attendendam.

Turpitudo autem hoc caſu ſurgit ex duplici capite. 40
Primò, quia cum Summus Pontifex pleniſſimam habeat poteſtatem commutandi ultimas voluntates, ut in Clem. *Quia contingit, de relig. domib.* adeò ut de hoc dubitare ſit ſacrilegium, ut inquit Gemin. *conſ. 63. Dubia ſupraſcripta, in princ.* prohibitio Teſtatoris contra diſpoſitionem dictæ Clementinæ nullius eſt roboris, quia privata teſta- 41
toris diſpoſitio non poteſt generalem Conſtitutionem Canonis immutare, *cap. Requiſiſti, ſuprà eod.* Quam ob cauſam nec Epiſcopo poteſt quis prohibere, ne ſe ingerat in ſuo teſtamento, *c. Tua nobis*, ibi, *Licèt etiam à teſtatoribus id contingeret interdici*, ubi id notat gloſſ. *in ver. Interdici, infrà eod.* & in auth. *de Eccleſ. tit. §. Si quis autem pro redemptione, in ver. In omnibus.* Unde longè minùs id prohibere poteſt Summo Pontifici, qui eſt ſupra jus, *c. Propoſuit de conceſſ. præb.* Similiter nemo poteſt cavere, ne leges in ſuo teſtamento locum habeant, *l. Nemo poteſt, ff. de legat. 1.* Ergo nec conditionem poteſt apponere, quæ excludat Principis authoritatem, quia faceret contra legem vivam, ſicut eſt Princeps, ut in Authen. *de Conſul. ad fin.* & ibi gloſſ. *in verb. Legem animatam*, & contra factum Principis, quod pro lege habetur, *l. 1. ff. de Conſtit. Princip.*
Imò periculoſius eſt contemnere legem vivam, majuſque 42
crimen. quàm legem mortuam, ut notat gloſſ. in *cap. fin. in ver. Nec eligere, ante med. verſ. Quæ eſt ergo ratio, infrà de Cler. excomm. miniſtr.* & Lucas de Penna *in l. 1. col. antepen. verſ. Et ſicut, Cod. de expenſ. judic. lib. 12.* Itaque 43
cùm talis prohibitio contineat turpitudinem, conſequenter pœna ademptionis legati in caſum commutationis tamquam adjecta actui illicito non committitur, *l. unic. in fin. C. de his quæ pœn. nomin.* Et ita in terminis tradit Simon. de Præt. *de interpr. ult. vol. lib. 4. interpret. 2. dub. 4. num. 5.* dicens hanc pœnam cenſeri appoſitam in vilipendium ſupremæ authoritatis Rom. Pontificis, & eum ſequitur noviſſimè Durand. Rotæ Auditor. *in ſuo tract. de condit. & mod. impoſſib. part. 2. c. 1. n. 105.*

Sequitur maximè, quia nedum repugnat Juri Canoni- 44
co, ſed etiam Divino, ut reperiatur aliqua pia diſpoſitio, quæ non ſubſit Summo Pontifici Eccleſiæ Capiti, *c. Cuncta per mundum, & cap. Per principalem, 9. qu. 3. cap. Benè quidem, 96. diſt.* Innoc. *in cap. 1. in princ. de Conſtit.* Deinde 45
prædicta conditio eſt turpis, quia habilitat per indirectum FF. Minores ad retinendos annuos redditus contra præſcriptum regulæ: excluſa enim authoritate Apoſtolica commutandi prædictam diſpoſitionem, nihil fratribus impedimento eſſet, quominùs dictum redditum obtinerent, & exigerent. Hoc autem eſt maximè abſurdum, quia FF. Mi- 46
nores habentes contra regulam redditus annuos, peccant mortaliter ſecundùm declarationem Nicolai IV. *in c. Exiit, §. In primis, verſ. Ad omnia autem, de verb. ſignificatione, lib. 6.* & Clem. V. in d. Clem. *Exivi, §. Cum igitur.* Quod pluribus exagerat Butr. *in conſ. 33. num. 4. in fin.* dicens, eos in talium retentione defendi non poſſe, quomodocumque colorentur, quin injuſtè, & contra animas, & conſcientiam teneant, & quin quotidie celebrando judicium ſibi manducent.

Igitur ſtultum eſt credere propter cōditionem appoſitā 47
in teſtamento Summum Pontificem non poſſe illis prohibere

bere

here hanc retentionem, nec commutare voluntatem illam, quæ inducit Religioſos ad culpam mortalem, *cap. Novit de judic.* ibi: *Nullus qui ſit ſanæ mentis ignorat quòd ad officium noſtrum ſpectet de quocumque mortali peccato corripere quemlibet Chriſtianum; & ſi correctionem contempſerit, per diſtrictionem Eccleſiaſticam coercere*, ubi Anchar. *num.*8. (Nota (inquit) correctionem peccatorum ſpectare ad Papam, & qui negat poteſtatem Papæ, negat ſe Chriſtianum. Extravag. *Unam ſanctam, de major. & obed.*) Cùm præſertim ſanctus inſtitutor voluerit ſuos filios Romano Pontifici ſtrictiori quodam vinculo eſſe ſubjectos. Quamobrem prædicta prohibitio, tamquam detrahens ſupremæ authoritati Sedis Apoſtolicæ, ſcandaloſa, & de jure impoſſibilis, videtur omninò rejicienda cum ſua pœna ademptionis legati, ut per Simon. de Præt. *loc. cit.*

Succeſſivè QUÆRO, cùm ſuperiùs firmatum ſit commutationem annui redditus, ut præfertur, relicti FF. Minoribus S. Franciſci non eſſe nullam ex defectu poteſtatis Papæ, numquid ſaltem impugnari poſſit ex defectu intentionis, juxta text. *in cap. Suſceptum, & cap. Si propter, de reſcript. lib.6. cum concordant.* de quibus ibi per gloſſ. *in ver. Intentionis.*

49 Ratio dubitandi oritur ex eo quòd cùm teſtator prohibuerit, ne Papa poſſit legatum commutare, illudque ademerit, & vocaverit Hæredes in caſu commutationis, ſi Pontifex hanc proviſionem teſtatoris ſciviſſet, fortè non commutaſſet, ex præallegata doctrina Bart. *in l. Liberto, §. Lucius, num.2. ff. de ann. legat.* ubi docet leges omnes, quæ dicunt relicta ad certum uſum poſſe in alios uſus converti, non habere locum, quando teſtator providit quid fieri debeat de legato, caſu quo in uſum deſtinatum converti nequeat. Quod fuſiùs in his ferè terminis proſequitur Bero *conſ.49. lib.2.*

Pro clariori ſolutione hujus dubitationis tres caſus ſunt diſtinguendi, prout etiam diſtinximus in preced. quæſt.

50 Primus caſus eſt, quando teſtator legat Religioſis capacibus, vel aliàs in uſum licitum; & caſu quo ipſi nolint legatum accipere, aut onera adimplere, ſubſtituit alios. Et hoc primo caſu admitti poteſt commutationem Papæ non habita notitia proviſionis teſtatoris eſſe nullam ex defectu intentionis; quia ſi Papa proviſionem licitam teſtatoris ſciviſſet, veriſimiliter non commutaſſet; & in his terminis loquitur Bero *loc. cit.* nam in ſuo caſu teſtator legavit Canonicis Regularibus, qui de jure ſunt capaces bonorum in communi, *cap. Quanto, de offic. Ordinar.* & quatenùs ipſi nollent onera ſubire, ſubſtituit alium locum pium; & conſuluit Berous legatum non debuiſſe converti per Papam in alios uſus, quia, ut ipſe ait, proviſio hominis licita facit ceſſare proviſionem legis; & in hoc primo caſu loquitur Bart. *in d. §. Lucius*, prout illum expreſsè declarat Baldus *in l. Dictam, col. ult. nu.*14. *verſ. Idem dicit Bartolus*, & verſ. *Tamen ego ſic limito, C. de condict. ob turp. cauſ.* & hic non eſt caſus noſter.

51 Secundus caſus eſt, quando teſtator legat Religioſis incapacibus, & caſu quo ipſi de jure non poſſint legatum obtinere, legat alteri; & tunc commutationi fortè objici poſſet defectùs intentionis, ſi Papa non habuiſſet notitiam proviſionis teſtatoris. Ratio eſt, quia hoc legatum non eſt purum, ſed conditionale, ſi fratres ſint capaces: unde data illorum incapacitate, conditio non eſt purificata, & legatum remanet factum directè ad favorem
52 ſubſtituti, juxta text. *in d. l. Liberto, §. Lucius, ff. de ann. legat.* Sed nihilominùs contrarium tenet Bald. *ubi ſupra*, ubi dicit doctrinam Bart. *in d. §. Lucius*, ad hunc caſum non pertinere, & ſubſtitutionem eſſe nullam: Quia (inquit) quòd impoſſibile transferatur ad poſſibile, illud teſtator non poteſt diſponere, nec apponere pœnam amiſſionis, vel translationis in alterum, *l. Uxorem, §. Hæres, ff. de legat.* 3. Sed quidquid ſit de veritate hujus doctrinæ, neque hic eſt caſus noſter; ideòque circa illius deciſionem non inſiſtam.

Tertius caſus eſt, quando teſtator non ſub conditione, ſed purè, & ſimpliciter legat Fratribus incapacibus, & prohibet, ne Papa poſſit legatum commutare in alios uſus, & in eventum commutationis adimit legatum, ſubſtituit hæredes, qui propriè eſt caſus noſter; & hoc tertio caſu dicimus contra commutationem Sanctiſſimi non poſſe opponi de defectu intentionis, ex eo quòd Sanctitas ſua ignoraverit hanc proviſionem teſtatoris.

Primò, quia ignorantia diſpoſitionis quæ nulla eſt, & à 53
jure improbata, ſubreptionem, aut defectum intentionis non parit, gloſ. *in cap. Cum noſtris, in ver. Non vacaret, de conceſſ. præbend.* Rota *in antiq. deciſ.*176. *aliàs* 69. *de reſcript.* quæ incipit: *Nota quòd de gratia adverſari, quæ nulla eſt, non teneor in gratia mea facere mentionem*; Gemin. *conſ.*120. *num.*4. *verſ. Item de jure iſtius*, latè Felin. *in cap. ex tenore, num.*2. *& ſeqq. de reſcript.* Qui omnes eam reddunt rationem, quia non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum, ut in reg. Sexti, *Non præſtat.* Sed diſpoſitio, per quam teſtator prohibet Papæ, ut non poſſit legatum commutare, & dat ſubſtitutum in caſum commutationis, uti facta contra Principis authoritatem eſt nulla, & à jure improbata, etiamſi legatum eſſet factum capacibus, ut in puncto tenet Simon. de Præt. *de interpret. ult. vol. lib.*4. *interpret.*2. *dub.*4. *num.*5. & Duran. *in ſuo tract. de condit. & mod. impoſſ. part.*2. *cap.* . *nu.* 105. & fusè probatum eſt in quæſtione præcedenti. Ergo ignorantia hujus diſpoſitionis non parit defectum voluntatis.

Secundò, quando teſtator legat Regulari incapaci, & 54
prohibet ſuperiori, ne in tali legato ſe ingerat, alium ſubſtituendo in eventum contraventionis, ut in ſpecie noſtra; hujuſmodi ſubſtitutio uti facta ſub conditione impoſſibili de jure, & nutritiva peccati, habetur pro non ſcripta, Bart. *in l. Lucius, §. Tres hæredes, num.*3. *ff. ad Trebell.* & alii, quos ſuperiùs retulimus *num.*39. Paria autem ſunt 55
ſubſtitutionem non fuiſſe ſcriptam à teſtatore, & de jure haberi pro non ſcripta, *l.*1. *&* 2. *& per tot. ff. de his, quæ pro non ſcript. haben.* Sed ſi ſubſtitutio verè non eſſet ſcripta in teſtamento, utique non eſſet poſſibile, ut produceret defectum intentionis Papæ in commutatione, quia ex nihilo nihil producitur, *l. Libellorum, §. Quod ſi libelli, ff. de accuſ.* Ergo eodem modo non eſt poſſibile, ut hunc defe- 56
ctum producat dicta ſubſtitutio, quæ de jure eſt pro non ſcripta: impoſſibilitas enim juris, & naturæ æquiparantur, Bart. *in l. Continuus, §. Inſpiciendum, num.*2. *ff. de verb. oblig.* Eadem operatur fictio in caſu ficto, quod ve- 57
ritas in caſu vero, *l. Si filius familias, ff. ſi cert. petat. & l. Cum hic ſtatus, §. Si ambo, ff. de donat. inter. vir. & uxor.* Decian. *conſ.*1. . *num.*151. *lib.*1.

Tertiò, defectus intentionis non oritur niſi ex ignoran- 58
tia eorum, quæ ſi Princeps ſciviſſet, aut nullo modo, aut difficiliùs reſcripſiſſet, *cap. Super litteris*, & ibi DD. *de reſcript.* Put. *deciſ.*532. *num.*2. *lib.*1. Seraph. *deciſ.*653. *num.*5. At ſi Papa ſciviſſet dictam prohibitionem ſibi no- 59
minatim factam à teſtatore cum pœnæ adjectione in odium ſuæ ſupremæ authoritatis, tantùm abeſt ut abſtinuiſſet à commutatione, ut potiùs eam promptiùs conceſſiſſet ad confundendam teſtatoris temeritatem, & ad ſuam authoritatem vindicandam, *l. Si familia*, ibi, *Et contempta majeſtas Prætoris vindicatur; ff. de juriſdict. omn. jud.* gloſ.1. *in c. Maximianus*, 23. q.3. Unde jure meritò Sanctiſſimus in Signatura nullam conſiderationem habere conſuevit ſimilium prohibitionum.

Quartò, Teſtator voluit, ut hoc legatum eſſet perpetuò 60
penes FF. Minores, nec unquam poſſet extingui, ſeu alienari, aut in alios uſus commutari, etiam per Papam; & appoſuit pœnam ſubſtitutionis in caſum commutationis. At ſi Papa ſciviſſet hanc enixam teſtatoris voluntatem, ut redditus annuus perpetuò poſſideretur à Fratribus contra regulam, utique multò magis voluntatem commutaſſet: nam quò magis voluntas eſt enixa in re illicita, & nutritiva peccati, eò magis ſpectat ad officium Romani Pontificis illam corrigere, & emendare, *cap. Novit, verſ. Nullus qui ſit ſanæ mentis ignorat*, & quod ibi notat Butr. *num.*27. *verſ. Nota diſſimulationem peccatorum*, & Anchar. *n.*12. *de judic.*

Ultimò, ſi Sedes Apoſtolica declararet commutationem 61
non valere propter ignorantiam prædictæ prohibitionis, ſequerentur duo inconvenientia. Alterum, quia Sanctiſſimus videretur aliquam rationem habuiſſe ejuſdem prohibitionis, eamque tacitè approbaſſe. Sed abſit, ut Sanctiſs. fundet defectum intentionis ſuæ, & vim ullam faciat in diſpoſitione tam repugnante S. Canonibus, ſuæque authoritati tam enormiter detrahente.

Alterum, quia hinc eſſet aperta via relinquendi omnibus

bus inca acibus : nam quilibet poſſet in ſuo teſtamento relinquere incapaci, & prohibere, ne Papa poſſet relictum convertere in alios uſus, dando ſubſtitutum in caſu commutationis voluntatis: tunc enim aut Papa non commutaret, & relictum remaneret incapaci, contra juris diſpoſitionem; aut commutaret, & commutatio nulla eſſet ex defectu intentionis non facta mentione prohibitionis
62 teſtatoris. Nec dicatur: Poterit fieri hujuſmodi mentio in litteris: imò enim abſurdum eſſet, & maximè alienum à majeſtate Summi Pontificis, ut in omnibus ſimilibus applicationibus, & gratiis motu proprio apponeretur clauſula, *Non obſtante quod teſtatores nobis expreſsè interdixerint, ne poſſimus eorum voluntates commutare, & ſubſtitutos dederint in eventum commutationis*. Atque ita per tales prohibitiones auferretur per indirectum Papæ poteſtas commutandi omnia legata pia, etiam incapacibus facta: dicitur enim abſolutè non poſſe fieri quod ſalva dignitate fieri non poteſt, *l. Nepos, ff. de verb. ſignif. l. Non aliter, ff. de uſu, & habitat.* Brun. *conſ.* 117. *num.* 173. *& ſeq.*

Nec prædictis obſtat motivum unius ex dominis, quòd teſtator voluerit, ut commutatio Papæ eſſet veluti inſtrumentum, quo mediante legatum devolveretur ad ſuos hæredes.

Primò enim reſpondetur hunc intellectum repugnare menti, & verbis teſtatoris: nam quomodo fieri poteſt, ut teſtator pro devolutione legati voluerit uti hoc medio commutationis Papæ, ſi eamdem commutationem Sanctitati ſuæ diſertis verbis prohibuit: hoc enim eſſet ſimul velle, & nolle commutationem, quod non eſt poſſibile, *l.* 1. §. *Scientia*, & ibi gloſſa *in ver. Velle, ff. de tribut. act. l. Ubi repugnantia, ff. de reg. jur.*

Præterea teſtator non egebat hoc medio, ſeu inſtrumento commutationis Pontificis, ut legatum ſuis hæredibus acquireretur: poterat enim directè eis prælegare, aut vulgariter eos ſubſtituere ſub conditione, ſi fratres nollent, aut non poſſent legatum accipere. Quod tamen non fecit, ſed eos vocavit tantummodò in caſum commutationis Apoſtolicæ, quia ſcilicet ejus abſoluta intentio fuit ut hoc legatum nullo unquam tempore poſſet fratribus auferri, etiam authoritate Summi Pontificis: propterea enim interdixit illius alienationem, & commutationem, & appoſuit pœnam ſubſtitutionis in eventum contraventionis, & ſic hæredes ſubſtituit non ea mente ut legatum ad eos devolveretur, ſed eo tantùm fine, ut hac pœna à commutatione Papam retraheret, & quodammodò de-
63 terreret, ut per Sim. de Præt. *loc. cit.* attenditur enim in teſtamentis quale fuerit principale objectum, & finis teſtatoris, *l. in conditionibus primum locum, & l. Cum vir. in princ. ff. de condit. & demoſtrat.* Anchar. *conſ.* 356. *n.* 2. *verſ. Quarto & ultimo*, Dec. *conſ.* 95. *num.* 1. Et cùm in hoc verba teſtatoris ſint ſatis clara, non admittitur quæſtio voluntatis, *l. Ille, aut ille, §. Cum in verbis, ff. de leg.* 3. Paul. de Caſtr. *conſ.* 185. *n.* 2. *lib.* 2.

64 Deinde reſpondetur, quidquid ſit, an teſtator bono, vel malo zelo ductus fuerit ad ſubſtituendos hæredes, ſemper verum erit eum in hac ſubſtitutione uſum fuiſſe organo, ſeu inſtrumento illicito, prohibendo Papæ commutationem. Quando autem organum, ſeu medium eſt illicitum, acquiſitio impeditur, ut inquit Bald. in Authen. *Ingreſſi, num.* 55. *verſ. Quia cum debeat acquiri mediante organo, C. de Sacroſanct. Eccleſ.* Anchar. in dict. Clem. *Exivi, num.* 6. *verſ. Dominus meus Baldus*, & conſequenter ex ignorantia hujus acquiſitionis, ſeu ſubſtitutionis, quæ de jure nulla eſt, non poteſt oriri defectus intentionis: quia quod nullum eſt, &c. *l. Libellorum, §. Quod ſi libelli, ff. de accuſat.* gl. *fin. in l. Si pater, C. Ne de ſtat. defunct.* & patet ex dictis ſupra in 1. & 2. fundamento.

Et ita in facto obtinui. Nam cùm Sanctiſs. D. N. Urban. VIII. ſuperioribus annis erexiſſet beneficium ſimplex in Collegiata Eccleſia S. Laurentii Civitatis Florentiæ, mihi à primæva erectione collatum, eique pro dote applicaſſet omnia legata annua Conventui, & FF. S. Franciſci de Obſervantia ejus civitatis relicta, quorum iidem Fratres ſunt incapaces; & verteretur in dubium, an in litteris applicationis hujuſmodi comprehenderetur legatum annuum eis factum cum prohibitione, ne Sanctitas ſua illud commutaret in alios uſus, & ademptione legati, datiſque ſubſtitutis in eventum commutationis; Sanctitas ſua ex voto Congregat. Cardinalium, & Prælatorum ſuper hoc ſpecialiter deputatæ declaravit comprehendi, ut in litteris in forma Brevis ſub annulo Piſcatoris expeditis ſub datum Romæ apud S. Petrum die 30. Aprilis 1642.

Fuit etiam in Congregatione excitatum dubium, 65
an prædictum legatum, quod fuit relictum pro Miſſis perpetuò celebrandis in Capella Eccleſiæ ejuſdem Conventus, ſive per viam Capellaniæ, ſive alio modo cenſeretur factum FF. Minoribus, necne. Cui dubitationi reſpondit affirmativè.

Primò, quia relictum Altari, ſeu Capellæ exiſtenti in Eccleſia FF. Minorum S. Franciſci pro miſſis celebrandis, ut hoc caſu, cenſetur relictum ipſis Fratribus, & eorum comtemplatione in fraudem paupertatis. Ita in individuo determinat Bald. in Auth. *Ingreſſi. num.* 55. *verſ. Idem dicit ſi relinquatur Altari Minorum, & num.* 57. *C. de Sacroſancta Eccleſ.* & poſt eum Anchar. in Clem. *Exivi, nu.* 6. *de verb. ſignif.*

Secundò, quia certum eſt hoc legatum non fuiſse lega- 66
tum factum hæredibus: Tum quia hæredi à ſeipſo ligari non poteſt, *l. Legatum, §. Hæredi, ff. de legat.* 1. Angel. *conſ.* 295, *num.* 2. *verſ. Id deſcendo nunc. uſque in fin.* plenè Jaſ. in *l. Planè, §. Si duobus, ff. eod.* Tum quia hæredes ſunt tantummodò ſubſtituti ſub conditione commutationis Apoſtolicæ; & ſic neceſſe eſt dare alium legatarium, cui ademptio, & ſubſtitutio facta fuerit. Aut igitur legatum directè factum fuit fratribus, aut Eccleſiæ ipſorum, aut capellæ teſtatoris; non enim alii ſunt nominati in teſtamento. Si fratribus, habemus intentum, quia notoria eſt illorum incapacitas, ut abundè oſtenſum eſt ſupra in 1. quæſt. Neque aliud à nobis exigit Sac. Congregat. quàm ut oſtendamus hoc legatum fuiſſe Fratribus relictum. Sin autem Eccleſiæ, ſuccedit doctrina Baldi communiter approbata in d. *Auth. Ingreſſi, num.* 55. *verſ. Juxta hoc quæro*,
quòd relictum Eccleſiæ FF. Minorum cenſetur relictum 67
ipſiſmet Fratribus, quia Eccleſia hoc caſu ſumitur pro Collegio, non pro ædificiis quæ ſunt quid materiale, & inſenſatum. Idem tenet Joan. de Lignan. in d. Clem. *Exivi*, ubi dicit eum, qui Eccleſiæ FF. Minorum reliquit, habuiſſe conſiderationem ad Fratres, non ad Eccleſiæ parietes. Et eum refert & ſequitur, ibi, Anchar. *n.* 7. Quòd ſi legatum ſit factum Capellæ teſtatoris, ſimiliter cenſetur factum Collegio Fratrum, ut dictum in præced. fundamento.

Tertiò, quia teſtator dedit executoribus liberam faculta- 68
tem quaſcumque conventiones ineundi cum Fratribus memorati Conventus ſuper Miſſis celebrandis. Ineptè autem juſſiſſet hujuſmodi conventiones fieri cum Fratribus, ſi legatum non fuiſſet illis relictum, ſed hæredibus cum onere celebrandi Miſſas per Presbyteros ſæculares, Nam ut inquit Bald. *in l. Si permittente, n.* 2. *C. ad Macedon.* ſemper conſenſus exquirendus eſt ab eo, penès quem reſidet jus principale.

Quartò, Religiones, & ſignanter FF. Minores non con- 69
ſueverunt permittere, ut in ſuis Eccleſiis erigantur Capellæ perpetuò officiandæ à Sacerdotibus ſæcularibus, ut eſt notorium, & patet ex atteſtationibus ſubſcriptis à ſingulis Procuratoribus Ordinum mendicantium, quæ fuerunt S. Congeragationi exhibitæ. Neque ad id cogi poſſunt inviti ex Conſtitutione Leonis X. in Concil. Lateranenſi edita, quæ refertur in compendio Privilegiorum Mendicantium in verb. *Miſſa num.* 8. quia ad hunc caſum non pertinet. Nec de jure communi, ut probatur *in cap. Dudum*, 18. *q.* 2. & ex facto reſpondit Calder. *conſ.* 28. incipien. *Utrum in Eccleſia Regulari, in tit. de Regul.* Imò licet eis reſiſtere, ne intra eorum clauſtra exteri Sacerdotes in Divinis miniſtrent, ut tenet Angel. *conſ.* 224. *nu.* 3. *verſ. Si autem*. Ergo non cenſetur teſtator diſpoſuiſſe, ut Miſſæ in ſua Capella à Presbyteris ſæcularibus ſint celebrandæ, quia non eſt credendus elegiſſe viam, qua judicium ſuum reddatur eluſorium, *l.* 3. *ff. de milit. teſtam.* Mantic. poſt alios *de conject. ult. vol. lib.* 3. *tit.* 2. *n.* 12.

Quintò, quia Executores juxta arbitrium ſibi plenè 70
collatum à teſtatore declararunt facto ipſo fructus prædicti legati etiam quotannis perſolvendos fratribus dicti Conventus, ad hoc ut Miſſas celebrarent. A qua quidem declaratione non licet eis amodò reſilire, *l.* 1. §. *Styphum, ff. de leg.* 1. *l. Statu liberum*, §. 1. *ff. de legat.* 2. *& l. apud Aufidium, ff. de oper. libert.* In quibus juribus apparet haben-

tem

tem ex ultima voluntate electione, ubi ſemel elegerit, aut declaraverit voluntatem ſuam, amplius variare non poſſe; & hoc tenent ibi communiter gloſſæ,& DD. maximè Bart. ut teſtatur Abb. *conſ.*11.*Tria ſunt n.*4.*verſ. Venio ad tertium dubium lib.*2. præſertim re non integra,& poſt jus Eccleſiæ acquiſitum ex applicatione Apoſtolica, *c. Publicato, & c. Cùm inter de elect. & cap. Si compromiſſarius eod. tit. lib.* 6. cum aliis adductis per Abb. *loc. cit.*

71 Sextò, Fratres ejuſdem Conventus multò ante erectionem beneficii ſolemniter renuntiarunt omnibus legatis annuis, & nominatim huic particulari legato de qua agitur. Quod ſimiliter oſtendit idem legatum fuiſſe illis relictum, cùm repudiare quis non poſſit, quod habere non poteſt, ut dicit text. *in l. Qui poteſt*, §. *Quod quis, ff. de regul. jur. gloſſ.* 2. *in cap.* 3. *de decim.* Ratio eſt, quia repudiatio eſt quædam privatio, quæ præſupponit habitum, Dec. *in d.* §. *Quod quis n.* 1.

Ultimò, ceſſat omnis difficultas ex obſervantia ſubſecuta *ad l. Si de interpretatione, ff. de legib. & c. Cùm dilectus, de conſuetud.* quia ab anno 1615. uſque ad annum 1629. quo beneficium fuit erectum, & ſic etiam poſt renuntiationem ut ſupra factam, fratres ipſi ſemper exegerunt fructus d. legati, hæredibus, & executoribus conſentientibus. Con-
72 ſuetudo autem interpretativa non oportet, ut ſit præſcripta, Put. *deciſ.*283. *lib.* 1. ſed ſufficiunt decem anni, Bart. *in l. labeo n.*6. *ff. de ſuppellect. legat.*

73 Non obſtat, quod Angel. *d. conſ.*224. *incip. Caſus eſt, Jacobus de Ubercellis*, ex facto conſuluerit relictum poſſeſſionum immobilium pro dote unius Altaris conſtruendi in Eccleſia FF. Eremitarum non cenſeri factum Fratribus, neque Eccleſiæ FF. Eremitarum; quia cùm de jure Fratres prædicti tamquam mendicantes ſint incapaces ſimilium bonorum, *ut cap. unic. in fin. de relig. domib. lib.* 6. *& c. Religioſus de teſtam. eod. lib.* teſtator non cenſetur de eis cogitaſſe, ne videatur elegiſſe viam ad impugnandum judicium ſuum; ſed cenſetur cogitaſſe de Presbyteris ſæcularibus, qui capaces ſunt, & de aſſenſu Fratrum poſſunt altari deſervire. Ideòque relictum intelligitur factum Deo immortali repreſentando per Præsbyteros, & Clericos ſæculares inibi deſervientes, *ut l. Si nondum, Cod. de furt. l.*4. *in princ. ff. ad l. Jul. pecul. & l. Statuæ in gloſ. ff. de uſufruct.* Ac proindè Capitulum, & Conventum Eremitarum inſtruere poſſe miniſtros, & ſervientes dicto altari, non ex ſeipſis propter incapacitatem, ſed ex Clero ſæculari, qui temporalium ſunt capaces. Id inquam non obſtat. Tum quia contrarium ſolidioribus fundamentis tenuerunt Joan. de Lignano, Baldus & Anchar. ſupracitati *num.* 65. *&* 67. 74
Nec conſtituenda eſt differentia, an legatum fuerit factum Eccleſiæ, vel Capellæ, *arg. cap.* 1. *&* 213. *diſtin. cap. Cognovimus*, 12. *quæſt.* 2. *cap. Si quis Epiſcopus* 2. *q.* 7. *l. An pars, ff. pro delict. & l. Quæ de tota, ff. de rei vendicat.* Utroque enim caſu legatum poſſet dici relictum Deo immortali per miniſtros repræſentando, & de Eccleſia ſeu templo loquitur text. quem Angel. allegat *in d. l. Si nondum, C. de furt.* Et nihilominus relictum Eccleſiæ cenſetur relictum Fratribus, ut ipſemet Angel. fatetur. Ergo & relictum capellæ. Tum quia illa ratio, ne teſtator videatur elegiſſe viam ad impugnandum ſuum judicium, hoc caſu in oppoſitum retorquetur, cùm fratres Mendicantes non admittant, ut eorum Eccleſiis, & capellis perpetuò deſerviatur à Sacerdotibus ſecularibus, ut dictum eſt ſuprà *n.*69. Tum denique quia in hoc ſpeciali caſu teſtator non diſpoſuit præcisè, ut inſtitueretur Capellania in Eccleſia FF. Minorum, ſed tribuit liberam facultatem executoribus præſcribendi modum celebrationis Miſſarum, ſive per viam Capellaniæ, ſive aliter, prout concordarent cum Fratribus; Executores autem non elegerunt viam Capellaniæ, ſed convenerunt, ut Fratres ipſi annuos redditus perciperent, & Miſſas celebrarent, quemadmodum reipſa obſervarunt uſque ad erectionem beneficii. Cui quidem obſervantiæ potiſſimùm innixa S. Congregatiò exiſtimavit hoc legatum ipſiſmet Fratribus fuiſſe relictum. Unde ex facto ipſo ſatis ſuperque liquet Angeli reſponſum ad hunc caſum non pertinere.

DE TESTAMENTIS.

Alexander III. Hoſtien. Epiſcopo.

CAPUT X.

Cum eſſes in noſtra præſentia conſtitutus, propoſuiſti talem in tuo Epiſcopatu conſuetudinem obtinere, quòd teſtamenta, quæ fiunt in ultima voluntate, penitùs reſcinduntur, niſi cum ſubſcriptione ſeptem, vel quinque teſtium fiant, ſecundùm quòd leges humanæ decernunt. Quia verò à divina lege, & ſanctorum Patrum inſtitutis, & à generali Eccleſiæ conſuetudine, id eſſe noſcitur alienum, cùm ſcriptum ſit: In ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum: præſcriptam conſuetudinem improbamus: & teſtamenta, quæ Parochiani coram Presbytero ſuo, & tribus vel duabus aliis perſonis idoneis, in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere, ſub interminatione anathematis prohibentes, ne quis hujuſmodi audeat reſcindere teſtamenta.

SUMMARIUM.

1 *Teſtamentum quod Parochianus facit coram Preſbytero ſuo, & duobus teſtibus, valet, nec tenet conſuetudo contraria.*

2 *Teſtamentum etiam ad non pias cauſas conditum coram Parocho, & duobus teſtibus valet, nedum in foro Canonico, ſed etiam in foro civili, contraria conſuetudine non obſtante, & n.* 40.

3 *Teſtamentum ſive in ſcriptis, ſive nuncupativum de jure civili requirit ſeptem teſtes, & n.* 159.

4 *Et hic numerus non tantùm eſt de forma probatoria, ſed etiam de forma ſubſtantiali.*

Et ſi unus deficiat, teſtamentum corruit, n. 37.

5 *Codicilli non veniunt appellatione teſtamenti, niſi largè, & impropriè.*

6 *In teſtamento ruri condito ſufficiunt quinque teſtes.*

7 *Sive fiat in ſcriptis, ſive per nuncupationem.*

8 *Teſtamentum tempore peſtis an fieri poſſit cum quinque teſtibus, remiſſivè.*

9 *Teſtamentum ſolemne requirit teſtium ſubſcriptionem.*

10 *Nuncupativum, ſecus.*

11 *Papa poteſt abrogare leges Imperatoris foventes peccatum.*

12 *Papa ratione peccati omnis anima ſubjecta eſt, & nu.* 49. *&* 133. *& ſeqq.*

13 *Papa, ubi peccatum non imminet, non poteſt infringere leges humanas, quoad forum civile, in locis, ubi juriſdictionem temporalem non habet.*

14 *Sed in ſuo foro poteſt tollere legem civilem etiam in locis Imperio ſubjectis.*

15 *Teſtamentum de jure Canonico non requirit, ut teſtes ſint rogati.*

Contrarium n. 17. *& ſeqq. uſque ad n.* 23.

*Et quid in teſtamento ad pias cauſas, n.*23.

16 *Dictio,* coram, *id eſt præſentibus, & intelligentibus, & n.*20.

18 *Inter jus civile, & Canonicum diſcrepantia non eſt inducenda, ubi jus civile non reperitur expreſſè immutatum*

tatum per jus Canonicum, & lex civilis ſervari debet etiam in foro Eccleſiæ.

19 Teſtes in teſtamento tam in ſcriptis, quàm nuncupativo debent eſſe rogati.

20 Parochus non ſufficit ut matrimonio interſit, niſi etiam ſit adhibitus à contrahentibus.

21 Adhibitus idem importat quod rogatus.

22 Teſtes in actibus humanis regulariter non requiritur ut ſint rogati.

24 Teſtamentum de jure Canonico coram duobus, vel tribus teſtibus non valet, niſi etiam adhibeatur proprius Parochus teſtatoris.

25 Fides magis adhibetur indigenis ignotis, quàm extraneis notis.

26 Parochus dicitur pater ſpiritualis omnium ſuorum Parochianorum.

27 Nec eſt veriſimile, ut conſentiat falſitati, & num. 44. & 57.

28 Parochus in teſtamento æquipollet quinque teſtibus.

29 Contrarium.

30 Teſtes duo idonei præferuntur unico, quantæcumque ſit dignitatis, & n. 59.

31 Parochus eſt teſtis authorizabilis, de quo Canones multùm confidunt, & n. 44.

32 Teſtes duo in teſtamento adhibendi de jure Canonico debent eſſe idonei, id eſt in aliquo non ſuſpecti.

33 Teſtes idonei in teſtamento de jure civili dicuntur maſculi, puberes, & liberi.

34 Mulier, & ſervus an de jure Canonico poſſint eſſe teſtes in teſtamento.

35 Quid in teſtamento ad pias cauſas.

36 Et quid teſtamento ad non pias cauſas.

38 Lectura prima quòd hoc c. locum habeat ſolummodo in teſtamentis ad pias cauſas ſicut c. ſequens.

39 Refellitur.

40 Lectura ſecunda quòd hoc c. procedat in teſtamentis ad non pias cauſas, tam in terris Eccleſiæ, quàm Imperii, & in utroque foro.

41 Approbatur, & n. 113. uſque ad n. 157.

42 Veritas Deus eſt, & in omnibus prævalet, & numer. 47.

43 Subtilitas quæ veritatem lædit, per judicem non eſt recipienda.

45 Papæ authoritas, ubi agitur de materia peccati, non circumſcribitur limitibus alicujus territorii, & nu. 49. & 133. & ſeqq.

46 Lectura tertia, quòd hoc cap. ſervari debeat in terris Eccleſiæ in utroque foro, in terris autem Imperii ſervetur jus civile.
Refellitur, n. 49.

47 Veritas prævalet ſolemnitati, & n. 141. verſ. Ac demum.

48 Legiſtæ militant in foro Juſtiniani ſecundùm leges, & Canoniſtæ in foro B. Petri.

49 Lex humana contradicens Divinæ non eſt ſervanda, ſed lex Divina ſervari debet etiam in foro civili, & n. 115. 121. & 133. & ſeqq.

50 Lectura quarta quòd hoc c. ſit ſervandum in foro Eccleſiæ, lex autem civilis in foro ſæculari.

51 Refellitur.

52 Lectura quinta quòd per hoc cap. valeat teſtamentum ad non pias cauſas conditum coram duobus teſtibus, etiam ſine Parocho.
Refellitur, n. 55.

53 Leges civiles requirentes numerum ſeptem, vel octo teſtium, per hoc c. non corriguntur, ſed declarantur irrationabiles, & n. 141.

54 Teſtamentum, de quo certitudinaliter conſtat per duos teſtes omni exceptione majores, mandari debet executioni, ſaltem per viam denuntiationis Evangelicæ ad peccatum vitandum.
Contrarium, n. 59. 60. & 62.

56 Teſtes duo quando ſufficiant, & quando tres requirantur, & quales eſſe debeant, ad Eccleſiam pertinet determinare, neque hoc legi Divinæ adverſatur, & num. 146.

57 Parochus, & duo teſtes idonei in teſtamento adhibiti excludunt omnem falſitatis ſuſpicionem.

58 Teſtamentum ad non pias cauſas coram tribus teſtibus ſine Presbytero Parochiali, non valet.

59 Valet tamen, ſi quatuor teſtes ſint adhibiti.

60 Veritas debet eſſe condita ſale ſacrarum Conſtitutionum, nec eſt peccatum illas ſequi nuda veritate relicta, et num. 102.
Contrarium, n. 137. & 141.

61 Veritas legum adminicula deſiderat.

63 Lectura ſexta quòd hoc c. loquatur tantùm de teſtamentis, quæ fiunt in mortis articulo.
Refellitur, n. 68.

64 Teſtamentum militare non ſolùm requirit militiam, ſed etiam ut miles ſit in conflictu belli, & numer. 70.

65 Intellectus leg. 1. C. de Sacroſ. Eccleſ.

66 Teſtamentum ad pias cauſas conditum mortis articulo coram duobus teſtibus non valet, ſi teſtator reconvaleſcat, & n. ſeq.
Contrarium, n. 71.
Decedens verbum quid importet, n. 66. & n. 71.

67 Donatio cauſa mortis facta revocatur ſequuta reconvaleſcentia.

69 Mortis cogitatione mens turbata alienatur.

71 Teſtamentum quovis tempore fiat, dicitur factum tempore mortis.

72 Lectura ſeptima quòd hoc cap. & cap. ſeq. non loquantur in teſtamentis, ſed in legatis, & fideicommiſſis.

73 Refellitur.

74 Inſtitutio hæredis eſt caput, & fundamentum totius teſtamenti.

75 Lectura octava quòd teſtamentum conditum ſecundùm formam hujus cap. valeat in foro animæ tantùm.

76 Refellitur.

77 Teſtamentum cæci ad non pias cauſas conditum coram Parocho, & duobus teſtibus, an valeat, latiſſimè in utramque partem diſcutitur, à num. 87. uſque ad n. 157.
Referuntur fundamenta opinionis negativæ, à n. 87. uſque ad n. 113.
Item fundamenta opinionis affirmativè à d. n. 113. uſque ad n. 141.
Solvuntur objecta à d. n. 141. uſque ad n. 157.

78 Cæcus de jure civili quam formam ſervare debeat in ſuo teſtamento.

79 Quamvis teſtamentum cæci ſignetur à teſtibus, non eſt nuncupativum.

80 Non requirit, ut ſingula teſtium apponantur in chordulis, ſicut requirit teſtamentum in ſcriptis.

81 Et an inſtitutio hæredis fieri debeat ante legata.

82 Cæci teſtamentum non ſervata forma l. Hac conſultiſſima, C. qui teſtam. fac. poſs. de jure civili non valet, & n. 96.

83 Et quid in codicillis.

84 Et quid in donatione cauſa mortis.

85 Donatio cauſa mortis non eſt mera ultima voluntas, & prout in eſſe deducitur, æquiparatur contractui.

86 Cæcus poteſt contrahere, & donare inter vivos ſicut quilibet alius.

88 Lex generalis poſterior non tollit legem ſpecialiter loquentem, ſed potiùs diſtinguitur, & limitatur per legem antiquam, & n. 110.
Declaratur, n. 141.

89 Cæcus non poteſt teſtari inter liberos, niſi ſervata forma, l. Hæc conſultiſſima, C. qui teſtam. fac. poſs.
Contrarium, n. 154.

90 Species derogat generi.

91 Lex generalis non corrigit legem præcedentem habentem ſpecialem rationem.
Declaratur, n. 141. & ſeqq.

92 Lex generalis nunquam corrigit legem ſpecialem, quando invicem compatiuntur.

93 Lex civilis non contraria Canoni ſervari debet etiam in foro Eccleſiæ.

94 Teſtandi facultas generaliter conceſſa non comprehendit perſonas alioqui inhabiles.
Declaratur, n. 142.

95 Pu-

95 *Pupillus etiam pubertati proximus nec ad pias cauſas teſtari poteſt.*

96 *Cæcus de jure communi eſt inhabilis ad teſtandum, niſi ſervata forma* l. Hac conſultiſſima, C. qui teſtam. fac. poſſ.

97 *Solemnitati legali non detrahitur, niſi quatenus invenitur expreſſum.*

98 *Ius civile contradicens juri Canonico in his, quæ merè ſpiritualia non ſunt, aut à ſpiritualibus non dependent, obſervandum eſt in terris Imperii, & jus Canonicum in terris Eccleſiæ.*

99 *Nec Papa poteſt tollere leges civiles quantum ad eos, qui non ſunt de ſua temporali juriſdictione.*

100 *Teſtium ſolemnitas in teſtamento introducta eſt propter ſuſpicionem falſitatum.*

101 *Hæredes ab inteſtato, qui non credunt duobus, vel tribus teſtibus fidem adſtruentibus teſtamento ad non pias cauſas, non cenſentur habere conſcientiam læſam.*
Contrarium, num. 133.

102 *Conſcientia regulari debet ex his, quæ à jure ſunt diſpoſita.*

103 *Filius natus ex uxore præſumitur eſſe filius mariti.*

104 *Et fatuus reputatur, ſi credat matri aſſerenti eum ex adulterio genitum.*
Contrarium, num. 142. *verſ.* Nec applicatur ſimile.

105 *Lex civilis extra materiam peccati ſervari debet in foro civili, licèt contradicat Canoni.*

106 *Lex civilis poteſt jus divinum, & naturale diſtinguere, & adjuvare, illique addere, vel detrahere.*
Contrarium, num. 143.

107 *Papa poteſt immutare authoritatem illam, In ore duorum, vel trium, &c. addendo, vel minuendo. Sed contra, num.* 121. *& num.* 143.

108 *Lex Divina, In ore duorum, vel trium ſtet omne verbum, non refertur ad majorem numerum, ſed ad minorem. Imò refertur etiam ad majorem, numer.* 144. *& ſeqq.*

109 *Alienum eſſe à lege divina quid importet, & numer.* 150.

110 *Cæci teſtamentum etiam ad pias cauſas conditum non ſervata forma* l. Hac conſultiſſima, C. qui teſtam. fac. poſſ. non valet.
Contrarium, num. 152.

111 *Filiorum favor major eſt, quàm piæ cauſæ.*
Declaratur, num. 155. *&* 156.
Filium exhæredare volens, & Eccleſiam inſtituere, quærat alium, qui ſuſcipiat, quàm Auguſtinum, d. num. 111. *&* 156.

112 *Inter ſpecies illa derogat alteri, quæ ſpecialior eſt, ſicut individua derogant ſpeciei.*

114 *Leges civiles requirentes in teſtamentis numerum ſeptem teſtium, ſunt contra jus divinum, & n.* 166.
Item ſunt contra jus naturale, n. 118. *&* 127.
Item contra inſtituta SS. Patrum, num. 122.
Item contra generalem Eccleſiæ conſuetudinem, numer. 123.
Item fovent peccatum, num. 124. *uſque ad num.* 141. *& num.* 166.

115 *Leges civiles repugnantes legi divinæ ſunt penitùs excludendæ, & num.* 121.

116 *Imperator eſt vicarius Dei, & ideò non poteſt venire contra factum Domini.*

117 *Legibus Imperatorum, quæ contra Dei veritatem feruntur, qui obtemperare non vult, grande acquirit præmium.*

118 *Præceptum divinæ legis, In ore duorum, vel trium, &c. non eſt judiciale, ſed morale.*

119 *Præcepta omnia legis Evangelicæ ſunt juris naturalis præter præcepta de Sacramentis, & de Fide.*

120 *Præcepta moralia per legem humanam alterari non poſſunt.*

123 *Conſuetudo Eccleſiæ generalis ita obligat, ſicut præceptum & num.* 129. *&* 130.

124 *Teſtamentum inpugnans ob defectum ſolemnitatis in numero ſeptem teſtium peccat mortaliter, & poteſt excommunicari, & n. ſeqq. uſque ad num.* 141.

125 *Præcepti Divini tranſgreſſio ſemper eſt mortalis.*

126 *Peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam.*

127 *Præcepta omnia moralia ſunt de lege naturali.*

128 *Legi naturæ quicquid contrariatur, peccatum eſt.*

129 *Conſuetudinis Eccleſiæ tranſgreſſio inducit culpam lethalem, ſicut tranſgreſſio præcepti, & num.* 130.

131 *Leges civiles irritantes teſtamenta cum pauciori numero, quàm ſeptem, vel octo teſtium, tamquam peccati nutritivè, non ſunt ſervandæ.*

132 *Lex eſt ſanctio ſancta, jubens honeſta, prohibens contraria.*

133 *Lex canonica ubi agitur de peccato vitando ſervari debet etiam in terris Imperii, & in omni foro.*

134 *Apoſtoli dicta prævalent dictis Imperatorum.*

135 *Teſtamentum coram duobus, vel tribus teſtibus, ſecundùm Apoſtolum impugnari non poteſt ex defectu ſolemnitatis.*

136 *Canones prævalent legibus in his, in quorum obſervatione emergunt peccata.*

137 *Hæredes ab inteſtato contra conſcientiam occupant bona defuncti, qui coram quatuor, vel quinque teſtibus extraneum hæredem inſtituit.*

138 *Princeps quamvis ex juſta cauſa poſſit ſtatuere contra jus gentium, tamen ubi ceſſat illa cauſa, conſtitutio ſervanda non eſt.*

139 *Iuris civilis authoritas non poteſt aliquem à peccato excuſare.*

140 *Iudices ſæculares cogi poſſunt ad obſervantiam hujus cap.*

144 *Intellectus cap.* Præſul. 2. q. 4.
Teſtes ſeptuaginta duo requiruntur ad damnandum Cardinalem Epiſcopum, ibid.

145 *Declaratur.*

146 *Teſtium defectum ſupplet numerus.*

147 *Teſtes duo, vel tres, ſi habeant qualitates requiſitas de jure canonico, ſufficiunt in omni materia, quantumvis gravi, & num.* 148.

149 *Intellectus* cap. Licèt univerſis de teſtibus.

151 *Peccatum non eſt, quod eſt præter legem divinam.*

152 *Cæcus ita demum teſtari poteſt ad pias cauſas non ſervata forma legis civilis, ſi relinquat piis, & venerabilibus locis, ſecus ſi privatis perſonis pauperibus.*

153 *Contrarium.*

155 *Religio divina eſt carior filiis.*
Teſtamento ad pias cauſas magis favetur, quàm teſtamento inter liberos, ibid.

156 *Fallit quoad legitimam filiis debitam.*
Teſtamentum, in quo Eccleſia inſtituitur, & filius exhæredatur, eſt contra officium pietatis, ibid.

157 *Teſtamentum Romæ conditum ad non pias cauſas coram Parocho, & duobus teſtibus, an valeat ſtante ſtatuto urbis, quod præcipit ſervari jus civile, & eo deficiente jus Canonicum, & num. ſeqq. uſque in fin.*
Statutum urbis diſponens inter cives Romanos, & diſtrictuales ſervandum eſſe jus civile, declaratur, n. 164. *& num.* 166.

158 *Rotæ deciſio in Romana Bonorum de Stocchis refertur.*
Refellitur, num. 163. *& ſeqq. uſque in fin.*

160 *Statutum loci attenditur quoad ſolemnitatem teſtamenti.*

161 *Statutum Ravennæ, quòd ſervetur jus civile, quando contradicit juri Canonico, valet etiam ſine confirmatione Apoſtolica, & num. ſeq.*

162 *Populi Eccleſiæ Romanæ in temporibus ſubjecti poſſunt ſtatuta condere contra jus Canonicum.*

164 *Statutum urbis de ſervando jus civile non extenditur ad leges requirentes numerum ſeptem teſtium in teſtamentis, tanquam foventes peccatum, rebellantes juri divino, ſtatutis Patrum, & generali Eccleſiæ conſuetudini, & n. ſeqq. uſque in fin.*
Item non extenditur ad leges per jus Canonicum abrogatas, num. 166.
Non obſtante confirmatione Apoſtolica, num. 178.

165 *Pa-*

165 *Papa uſque ad animam, & ſanguinem jus divinum ſervare debet.*

167 *Jus civile correctum non dicitur ampliùs jus civile.*

168 *Pœnæ à jure civili latæ contra ſecundò nubentes infra annum luctus, per jus Canonicum hodie ſunt ſublatæ.*

169 *Nec habent locum inter perſonas ſubjectas ſtatuto Urbis.*

170 *Leges multæ referuntur, quæ tamquam foventes peccatum ſunt ſublatæ per jus Canonicum, & numer. ſeqq.*

Ordinandi ad Sacerdotium jure civili debent aliquid offerre ordinanti, & notario; ſed jure Canonico eſt ſimoniacum, ibid.

171 *Pro jure indicando licitum eſt jure civili pecuniam accipere: jure Canonico ſecus.*

172 *Jurare per creaturas jure Canonico non eſt permiſſum: jure civili ſecus.*

173 *Pupillus jure civili non tenetur ſervare juramentum: jure Canonico ſecus, ſiſit doli capax.*

174 *Contrahentes jure civili licitè ſe invicem decipiunt: ſecus jure Canonico.*

175 *Bona fides non requiritur jure civili in præſcriptione: jure Canonico ſecus.*

176 *Filiusfamilias jure civili non obligatur voto: jure Canonico ſecus.*

177 *Patri ſecundum leges licet occidere adulterum cum filia deprehenſum, dummodò & filiam occidat; ſed non ſecundùm Canones.*

179 *Statutum, ut in teſtamentis ſervetur jus civile quoad numerum ſeptem teſtium, non valet, & numer. ſeqq.*

180 *Princeps etiam Papa ſi condit leges contra ea, quæ dicit Dominus, non dicitur condere leges, ſed potiùs convincitur errare.*

181 *Papa non poteſt ſtatuere contra ſtatum univerſalem Eccleſiæ.*

182 *Licèt receperit à Deo poteſtatem, & dignitatem Pontificatus, non tamen poteſtatem peccandi.*

183 *Statuta, & conſuetudines locales requirentes numerum ſeptem teſtium in teſtamento rebellant Juri Divino.*

1 C*Um eſſes*. Legitur octo modis, ut dicam infrà in ap-
paratu *n.* 37. Communiter tamen ſic ſummatur: Va-
let teſtamentum, quod Parochianus facit coram Presby-
tero ſuo, & duobus teſtibus, nec tenet conſuetudo contra-
ria, Jo. Andr. Butr. Cardin. Anchar. Imol. Abb. & Jo. de
2 Anan. Sed ſecundùm lecturam, quæ magis placet Canoni-
ſtis, & videtur verior, hoc intendit: Teſtamentum etiam
ad non pias cauſas conditum coram Parocho, & duobus te-
ſtibus, valet nedum in foro Canonico, ſed etiam in foro ci-
vili, contrària conſuetudine non obſtante. Communis di-
viſio. Secunda ibi, *Quia verò*.

3 Nota primò ibi, *Septem vel quinque teſtium*, Jure civi-
li inſpecto ad teſtamenti validitatem requiri numerum ſe-
ptem teſtium. Hoc enim generale eſt tam in teſtamento in
ſcriptis, *l. Hac conſultiſſima*, *C. de teſtam.* quàm in teſta-
mento nuncupativo, *l. In teſtamentis*, *C. eod. l. fin.* juncta
4 gloſ. *in verb. Oſtenditur*, *C. de fideicomm.* Et hic numerus
non tantùm eſt de forma probatoria, ſed etiam de forma
ſubſtantiali, ut firmat Bart. *in l. Nemo poteſt in* 1. *oppoſit. ff.
de leg. primò*, & eſt communis opinio, ut ibi atteſtatur Ri-
pa *ſub n.* 2. & Covar. *in repetit. hujus cap. n.* 8. Additur autem
in textu illud verbum, *Quinque*, propter codicillos, *ut l. fin.*
5 *§. ult. C. de codicill.* ſecundùm Abb. hìc *in* 1. *notab.* Sed hoc
non videtur verum, quia numerus ſeptem, vel quinque
teſtium hìc refertur tantùm ad teſtamenta, quorum appel-
latione non veniunt codicilli, *ut l. Si idem, C. eod.* niſi forſi-
tan largè, & impropriè, ut notat gloſſ. fin. *in c.* 2. *§. fin. de
uſur. lib.* 6. Unde dicendum videtur, *verb. Quinque*, fuiſſe
6 hic appoſitum propter teſtamentum, quod fit ruri, in quo
teſtes quinque ſufficiunt, ad præſcriptum *l. fin. C. de teſtam.*
7 Hoſt. hìc *n.* 3. Cardin. *in* 2. *notab.* ſive ruſticus teſtetur in
ſcriptis, ſive per nuncupationem, & ita communiter te-
netur, ut tit Alex. *in d. l. fin. ſub. nu.* 8. *in gloſ. in verb. Scri-
ptura*, & Jaſ. *ſub nu.* 2. *verſ. Extende*, & communiter ita
ſervatur, ut dicit Bart. *ibid. num.* 1. An autem hoc vendi- 8
cet ſibi locum etiam in teſtamento quod fit tempore peſtis
eſt ardua quæſtio; Tu vide Auctores pro, & contra de
communi atteſtantes apud Julium Clar *in §. Teſtamentum
q.* 56. *verſ. Et hæc quidem concluſio*: & quod notat Bart. *in
l.* 1. *ad fin. verſ. Et ideò propter talia*, *ff. de bonor. poſſeſſ. ex
teſt. milit.*

Secundò nota ibi, *Subſcriptione*, eodem jure civili in- 9
ſpecto teſtamentum eſſe à teſtibus ſubſcribendum, ut hìc
patet. Quod verum eſt in ſolemni teſtamento, *ut d. l. Hac
conſultiſſima*, *C. de teſtam.* Necnon in teſtamento cæci, *ut
l. Hac conſultiſſima*, *C. qui teſtam. fac. poſſ.* & latiùs dicam
infrà *nu.* 79. *ad fin.* Secùs autem in teſtamento nuncupati- 10
vo, ut notat gloſſ. *in d. l. fin. in verb. Oſtenditur*, *C. de fi-
deicommiſſ.* Hoſt. hìc *n.* 2. *in verb. Subſcriptione*, Ancha-
ran. & Abb. *in* 2. *notab.*

Tertiò nota ibi, *Secundùm quod leges humanæ decernunt.* 11
Summum Pontificem poſſe abrogare leges Imperatoris fo-
ventes peccatum, ut hìc, *& in cap. fin. de præſcript. & in
cap. Cùm contingat de jurejurand. & in c. Licèt eod. tit. lib.*
6. Abb. hìc *nu.* 4. Nam omnis anima ratione peccati Apo- 12
ſtolico ſubjecta eſt, *c. Novit. ſuprà de judic. cap. Si Impe-
rator* 96. *diſt.* Gloſſ. Magna, & DD. *in cap. fin. de præſcrip.* 13
& fuſiùs dicetur infrà *nu.* 49. *&* 133. *& ſeqq.* In aliis verò
caſibus ubi peccatum non imminet, Papa non poteſt in-
fringere leges humanas quoad forum civile in locis, ubi ju-
riſdictionem temporalem non habet, cùm poteſtates di-
ſtinctæ ſint, *c. Cùm ad verum* 96. *diſtin. cap. Quoniam*, ubi
plena gloſſ. *in verb. Diſcrevit*, 10. *diſtinct. cap. Cauſa, qui
filii ſint legitimi*, & notat gloſſ. *in cap. Poſſeſſor. de reg. jur.
lib.* 6. Abb. hìc *num.* 5. Sed in ſuo foro poteſt tollere legem 14
civilem, etiam in locis imperio ſubjectis, ut dicit præcit.
gloſſ. *in c. Poſſeſſor*, & ſcripſi pleniùs *in cap. Antigonus nu.*
28. *ſuprà de pact.*

Quartò nota ibi, *Coram*, ſecundùm Petrum de Anchar. 15
hìc *num.* 6. ad validitatem teſtamenti de jure Canonico
non requiri, ut teſtes ſint rogati: nam dictio *Coram*, ex- 16
ponitur, id eſt eis præſentibus, & intelligentibus: non er-
go dormientibus, pupillis, vel furioſis, *ut l. Diem proferre*,
§. Coram, *ff. de arbitr. & l. Coram*, *ff. de verb. ſignific.* &
hoc tenet Bart. *in l. Habeat, n.* 76. *C. de Sacroſanctu Eccleſ.*
allegat text. *in cap. ſeq. circa fin.* Sed certè ibi potiùs innui- 17
tur oppoſitum, quia dicitur duobus teſtibus requiſitis, nam
verbum, *requiſitis*, videtur idem importare, quod *rogatis*,
ut mox dicetur.

Præterea ubicumque non reperitur aliqua diſpoſitio ju- 18
ris civilis expreſsè immutata à jure Canonico, non debe-
mus inducere diſcrepantiam inter jus Canonicum, & jus
civile; imò lex civilis ſervari debet etiam in foro Eccleſiæ,
ut c. 1. & ibi Abbas Antiq. *nu.* 2. Joan. Andr. *num.* 5. & alii
communiter *infrà de nov. oper. nuntiat.* Anchar. *in c. Ca-
nonum ſtatuta in* 1. *qu. num.* 44. *ſuprà de Conſtitut.* Sed diſ- 19
poſitio juris civilis requirens, ut teſtes ſint rogati tam in
teſtamento in ſcriptis, *ut l. Hac conſultiſſima*, *C. de teſtam.*
quàm in teſtamento nuncupativo, *ut §. fin. inſti. de teſtam.*
nullibi reperitur expreſsè correcta per jus Canonicum,
quin potiùs videtur approbata *in cap. ſeq. in fin.* ergo ſer-
vari debet in utroque foro; & per hanc rationem ita tenet
Collect. hìc *num.* 2. dicens ſe credere teſtamentum non
valere, niſi ſint rogati, nec præſumi rogatos, niſi probetur,
ut l. Hac conſultiſſima, *Cod. de teſtam.* & hæc eſt commu-
nis opinio. Nec refragatur dictio, *coram*, quæ exponi-
tur, id eſt, *præſentibus*; quoniam per hoc non excluditur, 20
quin teſtes debeant etiam eſſe rogati: ideòque cùm Conci-
lium Tridentinum *in cap.* 1. *ſeſſ.* 24. *de reformat. matrim.*
ad validitatem matrimonii requirat, ut celebretur præſen-
te Parocho, & duobus teſtibus: Sacra Congregatio ejuſ-
dem Concilii Interpres declaravit non ſufficere, ut Pa-
rochus matrimonio interſit, niſi etiam à contrahentibus
ſit adhibitus, ut dixi *in cap. Quod nobis num.* 54. *verſic.
Cave tamen*, *infrà de clandeſtin. deſponſatione*. Verbum
autem, *adhibitus*, idem importat, quod, *rogatus*, ut notat 21
gloſſ. *in §. fin. in verb. Adhibitis inſtit. de teſtam.* Bald. *in l.
Nullum, verſ. Nota gloſſ. ff. de divor.* Unde etiam in teſta-
mento videtur requiri, ut non modò teſtes, ſed etiam Pa-
rochus ſit adhibitus. Et quamvis regulariter in aliis 22
actibus humanis non requiratur hæc ſolemnitas, ut te-
ſtes ſint rogati, *ut l. Ad fidem*, *ff. de teſtibus*; tamen ſecus
eſt in teſtamento propter gravitatem materiæ, & maxi-

mum

mum timorem fraudis, & falſitatis: Quæ ratio maximè
viget in teſtamento, quod fit juxta diſpoſitionem hujus c.
valdè enim periculoſum eſſet, ut Parochus, vel teſtes, qui
fortè convivii, vel confabulandi cauſa, vel aliud tractandi
adeſſent, & audirent teſtamentum fieri forſitan aliud men-
te revolventes, & ad illud actum non attendentes, fidem
adſtruerent teſtamento. Quod conſiderat jus civile *in leg.*
Hærede palam, §. *In teſtamentis*, *ff. eod. tit.* Et hoc puto
verius in teſtamento, quod fit ad non pias cauſas, ad præ-
23 ſcriptum hujus Decretalis. Sed in teſtamento ad pias cau-
ſas hæc ſolemnitas juris civilis non videtur neceſſaria, quia
in talibus ceſſat ſuſpicio falſitatis, ut dicit gloſſ. 3. hìc, &
Anchar. *num. 8. verſ. Nam in talibus*; ideòque in hujuſmo-
di teſtamento per jura Canonica eſt inductum, ut non ſte-
tur ſolemnitatibus juris civilis, ſtetur autem juri Divino,
vel naturali, *ut in cap. Proximo infrà eod.* & in hoc ſecun-
do caſu loquitur Bart. *in d. l. Habeat n. 75. & 76. C. de Sa-
croſanct. Eccleſ.* cùm quo reſidet Anchar. hìc *num. 6.* licèt
Bart. in ea fuerit opinione, ut tex. noſter loquatur de teſta-
mento ad pias cauſas, de quo plenè dicitur infra in exami-
natione materiæ.

24 Quintò nota ibi, *Presbytero ſuo*, de jure Canonico non
valere teſtamentum conditum coram duobus, vel tribus te-
ſtibus, niſi etiam fuerit adhibita præſentia Presbyteri Paro-
chialis præfati: hic eſt caſus ſecundùm omnes in ſummario
text. Et pondera illud pronomen, *ſuo*, quia non ſufficit
præſentia cujuslibet Presbyteri, etiam curam animarum
habentis, ſed requiritur, ut ſit proprius, & ordinarius Pa-
rochus teſtatoris; nec ſufficit alienus, ut hìc per Imol. *nu.*
12. verſ. Et per hanc etiam rationem, & Abb. *num. 6. &*
17. & de Presbytero teſtatoris loquitur Angel. *in conſ.*
233. *Punctus eſt*, *num. 5. verſ. Differentia autem*, & Pari-
25 ſius *conſ. 51. Teſtamentum num. 1. lib. 3.* Et poteſt eſſe ra-
tio, quia fides magis adhibetur indigenis ignotis, quàm ex-
traneis notis, *ut in Auth. de teſtam. §. Si verò ignoti*, *col. 9.*
& cap. Poſtquam, *ſupra de elect.* & eſt ſimile quod legitur,
& notatur *in cap. Quamquam*, in gloſſ. *in verb. Parochia*,
26 *de uſur. lib. 6.* Item proprius Sacerdos Parochialis dicitur
pater ſpiritualis omnium ſuorum Parochianorum, cùm il-
los recipiat ad pœnitentiam, *ut in cap. Omnes 30. quæſt. 1.*
27 Non ergo eſt veriſimile, ut talis conſentiat falſitati, *arg.*
l. Non eſt veriſimile, *ff. Quod met. cauſ.* ſecundum Hoſtien.
hìc. *n. 6. in ver. Idoneis*, Calder. *conſ. 337. aliàs 8. circa*
28 *finem de teſtam.* Imò ex hac littera deducunt quidam teſti-
monium Presbyteri Parochialis æquipollere quinque teſti-
bus. In teſtamento enim ſeptem teſtes requiruntur, ut
dictum eſt ſupra *in 1. notab.* ſed hìc ſtatuitur, ut ſufficiant
duo cum Presbytero: ergo dicunt ipſi, Presbyter repræ-
29 ſentat quinque. Sed hos tamquam ſimplices redarguit hìc
Hoſtien. *num. 6. in verſ. Coram Presbytero ſuo*, & Jo.
Andr. *num. 2. in verſ. Presbytero*, & meritò, quia duo
30 teſtes idonei præferuntur unico quantæcumque dignitatis
exiſtat, *cap. Cùm à nobis*, *de teſtibus*, *l. Jurisjurandi*, *C.*
31 *eod. tit.* licèt proprius Sacerdos ſit teſtis authorizabilis, de
quo Canones multùm confidunt, ut ex ſententia S. Con-
gregationis Concilii dixi *in c. Quod nobis nu. 54. de clan-
deſt. deſponſat.*

32 Sextò nota ibi, *Perſonis idoneis*, duos teſtes de jure Ca-
nonico adhibendos in teſtamento debere eſſe idoneos, id
eſt, in aliquo non ſuſpectos, ſecundùm Hoſt. hìc *num. 7.*
33 & Joan. Andr. *nu. 3.* Et quidem de jure civili teſtes idonei
dicuntur, ſcilicet maſculi, non fœminæ, puberes, & libe-
ri, *ut l. Hac conſultiſſima in princ. C. de teſtam.* Verùm
34 ſecundùm Canones, qui jure naturali à teſtimonio repel-
luntur, abſque dubio non ſunt idonei, ut domeſtici, inimi-
ci, & conſimiles, *l. Etiam*, juncta gloſſ. un. *C. de teſtib.*
ſed illi, qui de jure civili tantummodò repelluntur, ut ſer-
vi, & fœminæ, utique de jure Canonico, quod jus natu-
rale imitatur, in teſtamento poterunt eſſe teſtes, ſecundùm
Petr. de Anchar. hìc *n. 6.* & Jo. de Anan. *n. 8.* & de fœmina
Angel. *conſ. 233. Punctus eſt*, *num. 5. verſ. Differentia au-
tem*, & hanc dicit eſſe communem opinionem, Pariſ.
conſ. 51. Teſtamentum conditum nu. 16. lib. 3. & Crot. *de
teſtib. in 1. part. n. 10.* prout illum refert Covar. *in relect.
hujus cap. n. 14.*

35 Sed tu adverte, quia ſi agatur de teſtamento ad pias cau-
ſas, prædicta opinio procedit abſque difficultate, ut per
Bald. *in l. 1. num. 9. C. de Sacroſanct. Eccleſ.* & ita com-
muniter tenetur, ut dicunt Gulielm. de Bened. *in recept.*
c. Raynutius in 1. par. fol. 154. n. 63. infrà eod. Roman. *in
repet. Auth. ſimiliter in 6. ſpeciali piæ cauſæ circa ultimas
voluntates*, *C. ad legem Falcidiam*, & alii apud Jul. Clar.
in §. Teſtamentum q. 6. verſ. Tertiò infertur. Sed in teſta- 36
mento ad non pias cauſas verius videtur mulierem de jure
Canonico non poſſe in teſtem adhiberi, tum quia hoc cap.
quatenus rigorem juris civilis, eſt ſtrictè intelligendum,
argum. c. Statutum de elect. lib. 6. nec à legibus eſt receden-
dum, niſi quatenus contrarium in Canonibus reperitur
expreſsè diſpoſitum, *cap. 1. Cùm materia*, *de no:i oper.
nuntiat. & c. Si in Adjutorium 10. diſt.* & hìc notant Col-
lect. *num. 2.* Imol. *num. 12.* & Abb. *num. 6. verſ. Item qua-
tenus*, Feder. de Sen. *conſ. 211. ubi num....* refert, in quadam
additione, quæ tribuitur Innoc. *in cap. ſeq.* fuiſse defini-
tum leges in his, & aliis eſse obſervandas, niſi in caſibus
per leges, vel Canones exceptis: tum quia cùm hìc requi-
ratur, ut teſtes ſint idonei, hæc qualitas non videtur veri-
ficari in fœmina, quia eſt fragilis, & corruptibilis, ut dicit
gloſs. *in l. Qui teſtamento*, §. *Mulier in verb. Non poterit*,
ff. de teſtam. ideòque valdè periculoſum eſset de illius inte-
gritate confidere in actu tam præjudiciali, & in quo ſæpè
ſolent committi falſitates; & fraudes. Unde hanc opinio-
nem amplectitur Colleg. hìc *num. 2.* Alex. *in conſ. 70. n. 13.*
vol. 2. quod eſt appendix ſive confirmatio *conſ. 84 lib. 2.*
ubi hoc idem tenet, & valdè miratur de quodam conſulen-
te, qui dixerat communem opinionem eſse in contrarium.
Hanc etiam ſequitur dicens veriorem, & magis commu-
nem Jul. Clar. alios referens *in §. Teſtamentum q. 55. verſ.
Sed quid de jure Canonico.*

Abſolutis notabilibus venio ad apparatum. Decernitur 37
hìc, ut valeat teſtamentum conditum coram Parocho, &
duobus teſtibus. Contra hoc oppono: Nam requiruntur
ſeptem, *ut l. fin. C. de fideicom.* ita ut ſi unus deficiat, teſta-
mentum corruit, *ut l. Si unus*, *C. de teſtam.* Hoſt. hìc *n. 3.*
in verb. Leges humanas, & Card. *in 2. notab.* Timore hu-
jus contrarii, gloſs. tertia ponit quatuor intellectus, ſeu
lecturas indeciſas

Prima lectura eſt, quòd hoc *c. Sicut*, *& c. Sequens*, ſit in- 38
telligendum de teſtamentis ad pias cauſas, in quibus minor
ſolemnitas requiritur, ſicut inter liberos, *ut l. Hac conſul-
tiſſima*, §. *Ex imperfecto*, *& auth. Quod ſine*, *C. de teſtam.*
l. ult. C. de famil. erciſc. Quare juxta hanc lecturam in te-
ſtamentis conditis ad non pias cauſas ſervabitur jus civile
de numero ſeptem teſtium etiam in foro Eccleſiæ. Quia
cùm jure Canonico in hujuſmodi teſtamentis ad non pias
cauſas nihil juri civili detractum reperiatur: conſequens
eſt in talibus jus civile incorrectum manere, & ſervandum
eſse ubique locorum, & in omni foro, ut per Fulgoſ. *conſ.*
29. Punctus quæſtionis n. 2. Et in hac lectura reſidet ipſa gloſ-
ſa 3. hìc, *& in c. Sequente in verb. Decretorum in fin.* Item
gl. Jo. *in Summa 2. q. 4. in verb. vel Trium*, Abb. Antiq.
hìc *in princ.* licèt in fine cum Petro de Sampſone vacillan-
do dicat: Tene quod vis, Raymun. *in Summ. lib. 3. tit. de nu-
mero teſtium*, relatus hìc à Joan. Andr. *num. 6.* Bart. *in l. 1. n.
75. C. de Sacroſanct. Eccleſ.* Paulus de Caſtro *conſ. 431. Iſta
inſtitutio per totum lib. 6.* ubi conſuluit non valere inſtitu-
tionem factam ad non piam cauſam in terris Eccleſiæ ob
defectum ſolemnitatis juris civilis, & *n. 2.* dicit potiùs inhæ-
rendum gloſs. Bernard. hìc, quòd hoc cap. locum habeat
ſolùm in relictis ad pias cauſas; & quòd ſi eſset judex, ita
pronuntiaret; & quod ubique locorum vidit obſervari ſo-
lemnitatem juris civilis in relictis ad non pias cauſas, &
idem tenet Guidopapa *deciſ. 543. num. 13.* & hanc opi-
nionem dicit eſse crebriorem apoſtill. ad hoc cap. ut refert
Julius Clar. *in §. Teſtamentum q. 57. poſt princ.* quæ tamen
apoſtilla non reperitur in compillatione, qua utimur. Mo-
vetur gloſs. quia hæ duæ Decretales loquuntur de eadem
materia, & de eodem loco; & ideò hæc intelligitur, & decla-
ratur per ſequentem. Nec eſt veriſimile Papam uno verbo
leges omnes evertere voluiſse, *l. Si quando*, *C. de inoffic.*
Teſtamen. cap. Eccleſia veſtra, *n. 2. de elect.* Sed planè hoc 39
fundamentum gloſs. non ſubſiſtit, quia materia eſt di-
verſa, ut patet ex tenore utriuſque. Item hæc loquitur
de civitate Hoſtienſi, ſequens verò de civitate Velletrenſi;
& ſic eſt etiam diverſitas loci. Prætereà ſi hoc cap. intellige-
retur ad pias cauſas, eſset contrarium c. ſeq. ubi in relictis
ad pias cauſas ſufficiunt duo, vel tres teſtes. Nam in
hoc cap. ultra duos, vel tres requiritur etiam præſentia
Presbyteri Parochialis: ergo alterum iſtorum eſset fal-
ſum,

ſum, vel ſuperfluum: quod eſſet contra id, quod dicit
Papa, ſuprà in prooemio, videlicet in hac compilatio-
ne nihil eſſe falſum, vel ſuperfluum. Ut igitur hæc jura
per diſtinctionem ad concordiam reducantur, quod fa-
cere debemus, *ut in cap. Cùm expediat de elect. lib. 6.* di-
camus, cap. ſequens, quod expreſsè loquitur de relictis
ad pias cauſas, tantùm in illis habere locum: hoc ve-
rò cap. quod loquitur ſimpliciter, & requirit præſen-
tiam Sacerdotis cum duobus, vel tribus teſtibus, locum
habere in aliis teſtamentis, id eſt ad non pias cauſas.
Ita Gemin. *conſ. 49. ſuper iſto puncto num. 5. verſ. Et
adde unam rationem.* Item cùm hìc nulla fiat mentio
de relictis ad pias cauſas, hæc lectura videtur divinare,
ut per Imol. *circa fin. verſ. Et ſic iſta prima lectura.*
Nec obſtat ratio inveriſimilitudinis, deſumpta *ex l. Si
quando, C. de inoffic. teſtam.* quia hoc cap. non pro-
cedi, corrigendo, ſed declarando irrationabilitatem Ju-
ris civilis, ut dicam infrà *num. 53. & num. 141.* Item
non obſtat ponderatio Bald. *conſ. 284. In libro Eſdræ,
num. 3. lib. 3.* quòd dictio, *talis*, poſita in cap. ſeq. ſit re-
ſtrictiva ad ſimilia, & diſſimilium excluſiva; & ideò re-
ſtringat hoc cap. ad pias cauſas: nam ſalva illius reveren-
tia, illa dictio, *talis*, non reſtringit hoc cap. ſed benè re-
ſtringit illud cap. relatum ad relicta Eccleſiæ, de quibus
ibi in princip. mentionem fecerat, ut illic declarat In-
noc. *in fin.* & Imol *num. 1.* Unde contra gloſſ. tenent ma-
gis communiter DD. ut deducit Gemin. *6. conſ. 49. n. 4.* &
mox patebit.

40 Secunda igitur eſt lectura, quòd hoc cap. generaliter dero-
get legibus civilibus quoad numerum ſeptem teſtium,
itaut de jure Canonico valeat teſtamenrum coram Paro-
cho, & duobus teſtibus ad non pias cauſas tam in terris
ſubjectis juriſdictioni temporali Romani Pontificis, quàm
in terris Imperii, & tam in foro Eccleſiæ, quàm in foro ci-
vili. Et hanc lecturam probarunt Tancred. & poſt eum
Bart. Brixien. *in Summa 2. q. 4. in verb. vel Titum in fin.*
Speculat. *in tit. de inſtr. edit. §. Compendiosè num. 11.
verſ. Item per iis Canonicum*, Archid. *in cap. 1. 2. q. 5.*
& tenent hìc Guiliel. Naſo, Ægyd. & Petr. de Sampſon.
relati à Joan. Andr. *num. 2.* Alan. Goffred. & Laurent. ab
41 eodem relati *num. 6. in gloſſ. 3.* Qui omnes ſine diſtin-
ctione loci, aut fori generaliter tenent, hoc cap. loqui in
quolibet teſtamento, & ad non pias cauſas: & expreſ-
ſiùs per hoc cap. tam in foro civili, quàm Eccleſiaſti-
co eſſe generaliter derogatum legibus civilibus loquenti-
bus de ſolemnitate teſtamentorum, firmat Hoſt. hìc *n. 4.
in verb. Improbamus, verſ. Vel ſi dicas*, dicens, hoc ve-
riſſimum eſſe, nec poſſe abſurdum videri, ſi rationes utrin-
42 que expendantur; nam pro hac opinione ſtat lex Di-
vina, lex Canonica, & generalis conſuetudo Eccleſiæ, ut
hìc dicitur in littera; item ipſa veritas, quæ Deus eſt,
& in omnibus prævalet, *2. Eſdræ 10. in fin.* Sed pro opi-
43 nione contraria eſt lex humana, pernicioſa ſubtilitas, &
timor falſitatis, *ut l. fin. C. de fideicomm.* Cujus ergo po-
tiora ſunt jura? utique primæ: ergo ei ſtandum eſt, *l. fin.
Cod. de edict. Div. Andr. toll. cap. Bonæ, il 2. §. fin. ſuprà
de poſtul. Prælat.* Nec recipienda eſt per judicem ſubtili-
tas, quæ veritatem lædit, *l. Sicut re corporali, §. antepen.
ff. Quibus modis pign. vel hypothec. ſolv.* Sed nec obeſt timor
falſitatis, quia quilibet præſumitur bonus, *cap. unico, de
Scrutin. in ordin. facien.* Et nihilominùs ad hunc timo-
44 rem ſubmovendum in text. datur remedium, ut teſtes ſint
idonei, & adhibeatur etiam Presbyter Parochialis: neque
enim veriſimile eſt, ut tales ſint authores falſitatis, nec
ut Parochus alicui falſitati conſentiat, ita Hoſtien. qui &
remittit ad ſummam *de teſtam. §. Qualiter conficiatur*,
ejuſque ſententiam videtur fovere Joan. Andr. hìc *num. 6.*
ut refert Collect. *num. 2. in fin. qui num. 1.* eamdem ſen-
tentiam ſequitur ſubdens ita ſervari de facto; quam etiam
à fortiori tenet Butr. *poſt num. 3. verſ. Ego credo*, &
Corn. *conſ. 137. Placet mihi num. 1. verſ. Totus enim iſte
articulus, vol. 2.* ubi ait Gemin. ſententiam DD. eſſe, ut
hoc cap. loquatur in cauſa prophana, & deroget juri com-
muni in teſtamento, in quo intervenit Presbyter Parochia-
lis, qui eſt judex animarum, de quo jus Canonicum plu-
rimùm confidit. Eamque pluribus tuetur Abb. hìc *num. 8.
poſt med. verſ. Ego autem diſputationis gratia*, cui & ipſe
aſſentior per ea, quæ latiſſimè dicam infrà in quæſtione
de cæco *à num. 113. uſque ad num. 157.* Nam ſi in teſtamen-
to cæci, in quo major viget ſuſpicio falſitatis, & ideò ma-
jor ſolemnitas a jure civili exigitur, ſufficiunt duo teſtes
cum Presbytero Parochiali, etiam in terris Imperii, & in
foro civili, ut ibi probabitur per rationes invicibiles; utique
multò fortiùs idem erit obſervandum in teſtamentis alio-
rum. Et cùm agatur de obſervantia legis Divinæ, & de 45
materia peccati, authoritas Papæ non circumſcribitur li-
mitibus alicujus territorii; ſed ubique locorum, & in omni
foro ejus diſpoſitio ſervanda eſt neceſſitate precepti *c. fin.* &
ibi gloſſ. *magna de præſcript.* & latiùs patebit infrà *n. 49. n.
113. & ſeqq.*

Tertia eſt lectura, quam gloſſ. hìc recitat, quòd in terris 46
ſubjectis temporali juriſdictioni Eccleſię ſervari debeat hoc
cap. tam in foro Eccleſiaſtico, quàm in foro civili; in ter-
ris autem Imperii ſervandum ſit jus civile de numero ſe-
ptem teſtium; & hanc tenet Gemin. alios referens *in conſ.
49. Super iſto puncto n. 3. verſ. Alia eſt opinio*; eamque com-
munem eſſe atteſtatur Alex. *conſ. 146. Viſo themate nu. 6.
lib. 2. & conſ. 46. Abundè num. 2. eodem lib.* dicens, in ter-
ris Eccleſię ſecundum magis communes concluſiones ſuffi-
cere duos teſtes cum Parochiano, *& conſ. 177. Viſo the-
mate num. 2. lib. 2.* ubi ait hanc eſſe magis communem opi-
nionem Canoniſtarum, *& conſ. 17. Ponderatis n. 15. & ſeq.
lib. 3.* ubi tollit contraria, *conſ. 176. Viſo proceſſu, num.
10. verſ. Poteſt etiam lib. 5. & conſ. 105. Viſo n. 15. verſ.
Imò fortiùs ubi de communi lib. 4.* Pariſ. *conſ. 51. Teſta-
mentum num. 1. lib. 3.* dicens ita hìc affirmare ſcribentes
omnes, nullo excepto, dicentes hanc concluſionem eſ-
ſe communem, & ſequendam in judicando, & conſu-
lendo, *& num. 15.* aſſerit eam eſſe firmiſſimam, & indu-
bitabilem, Bald. *conſ. 285. Factum tale eſt, aliàs ſi quis ju- 47
ris in fin. lib. 3.* ubi dicit hanc eſſe communem opinionem
Canoniſtarum, quia veritas prævalet ſolemnitati: licèt
ſubdat forum eſſe ſervandum, quia Legiſtæ tenent contra-
rium, & militant in foro Juſtinani ſecundum leges, & Ca- 48
noniſtæ triumphant in foro B. Petri. Et idem tenuit
conſ. 351. Quoniam ex facto, & conſ. ſeq. lib. 4. Sequitur
Com. *conſ. 18. Principale dubium num. 14. verſ. Et cap. Il-
lud, ſecundum communem ſententiam, vol. 2. & conſ. 168.
In præſenti n. 2. verſ. His tamen minimè refragantibus eod.
vol.* ubi ait communem lecturam hujus Capituli eſſe, quòd
in terris Eccleſiæ in utroque foro & in terris Imperii in
foro Canonico valeat teſtamentum coram Presbytero Pa-
rochiali, & duobus aliis teſtibus, & ibi plures allegat.
Idemque atteſtantur Ripa *in tract. de peſte in privileg. con-
tractuum num. 12.* Bellon. *conſ. 14. n. 3.* & Jo. Dilect. *de art.
teſt. tit. 2. caut. 2. poſt num. 2.* Quæ opinio eſt etiam generali
conſuetudine roborata, ut atteſtatur Joan. Andr. hìc *nu. 6.
verſ. Communiter*, ubi ait communiter ſervari, ut in reli-
ctis ad pias cauſas in omni foro ſufficiant duo teſtes, in
aliis in foro civili, qui non ſit de temporali juriſdictione
Eccleſiæ, ſervetur lex. Cardin. *num 5. verſ. Joan. Andr.
dicit*, ubi explicans dictum Joan. Andr. ſimiliter ait com-
muniter ſervari, ut in terris Eccleſiæ, etiam ad non pias
cauſas, valeat ultima vuluntas cum presbytoro Parochiali,
& duobus teſtibus etiam in foro civili, in terris autem Im-
perii ſervanda ſit lex civilis in foro civili, & jus Canonicum
in foro Eccleſiæ; & hanc lecturam dicit eſſe veriorem.
Et eodem modo Joan. de Imol. *num. 13.* dicit hanc opi-
nionem videri conſuetudine roboratam, & per conſe-
quens ſervandam; & paulò infra, *verſ. Sed iſta opinio*,
dicit eſſe de jure veriorem, quod etiam affirmat Card.
loco proximè cit. Sed & Calder. *conſ. 8. circa finem de teſtam.*
dicit hanc ſervari de facto. Unde, ut ait Clarus *in §. Teſta-
mentum q. 57. verſ. Quæ quidem*, non eſſet ab ea in conſu-
lendo, & judicando recedendum, & paulò infrà dicit:
A qua non recedas in practica, quia quantum ego vidi
apud omnes, ita ſervatur ſine controverſia. Quinimò
fertur Innocentium IV. ſemel in Conſiſtorio ita pro-
nutiaſſe, ut refert. Bald. *in conſ. 284. Dominus Raynutius
n. 2. lib. 3.*

Quod ſanè vix credibile, eſt quia idem Innoc. hìc,
& in cap. ſeq. in hac materia nihil certum ſcripſit, ſed
tantummodò opiniones recitavit, prout etiam referunt
hìc Hoſt. *num. 6. verſ. Dominus tamen noſter in hac ma-
teria*, Jo. Andr. *num. 6. verſ. Innocentius verò, & pleri-
que alii.*

Suffragari videtur huic lecturæ, quòd civitas Hoſtienſis,
de qua hìc agitur, eſt de temporali juriſdictione Romanæ
Eccle-

Eccleſiæ, & hoc cap. loquitur, quando quæſtio coram Ec-
cleſia agitatur, ut patet evidenter ex littera, ſecundum An-
gel. d. conſ. 233. n. 5. verſ. Et attendendum.
49 Verùm, ut inquit Abb. hìc n.8. licèt hæc lectura videa-
tur colorata; tamen ſalva reverentia Jo. Andr. & Jo. de Fa-
no, non videtur vera, quia cùm textus dicat leges civiles
decernere, ut teſtamenta non fiant cum minori numero,
quàm ſeptem teſtium, & hoc eſſe contra legem Divinam:
hinc patet eas nec in foro civili eſſe obſervandas, quia ubi
lex humana adverſatur legi Divinæ, ſervanda eſt lex Divina
in foro etiam ſæculari, ut in cap. Contra mores 8. diſt. & in
cap. Qui reſiſtit, & cap. Julianus 11. q. 2. cap. fin. & ibi gloſſ.
magna de præſcription. quod latiùs proſequar infrà in quæ-
ſtione de teſtamento cæci à n. 115. 121. & 133. & ſeqq. Et
quoad DD. in contrarium allegatos adverte, quia hæc le-
ctura implicat duas concluſiones. Prima eſt, quòd in terris
Eccleſiæ valet in utroque foro teſtamentum ad non pias
cauſas conditum coram Presbytero Parochiali; & duobus
teſtibus: & hanc primam concluſionem dicunt eſſe magis
communiter approbatam DD. ferè omnes. Et ita in ſpecie
loquuntur Alex. Pariſ. Bald. & Imol. ſupracitati n.46. ut ex
eorum verbis videre eſt.
Secunda autem concluſio hujus lecturæ eſt, quòd in ter-
ris Imperii, & in foro civili ſerventur leges de numero
ſeptem teſtium: & hanc ſecundam concluſionem nullus ex
citatis Doctoribus aſſeverat eſſe communem, exceptis
Corneo, & Claro. Quinimò Pariſ. d. conſ. 51. lib. 3. etſi
dicat concluſionem eſſe indubitabilem, quòd valeat ulti-
ma voluntas, nedum in pia cauſa, ſed etiam in penitùs pro-
phana, coram rectore teſtatoris, & duobus teſtibus:
mox tamen ſubdit hoc maximè habere locum, quando
ſumus in terris, & inter ſuditos Eccleſiæ; unde videtur
idem admittere in terris Imperii, ponderando dictionem,
Maximè, quæ implicat caſum contrarium licèt magis
dubitabilem, ut in juribus vulgatis. Sed & Jo. Andr. quam-
vis affirmet eam communiter ſervari, tamen ipſe pro-
piùs accedit ad opinionem Hoſt. ſecundùm Collect. hìc n.2.
in fin.
50 Quarta eſt lectura, quam ſimiliter ponit gloſſ. noſtra,
quòd hoc cap. ſit ſervandum in foro Eccleſiæ, lex autem ci-
vilis in foro ſæculari: & hanc lecturam recitat ultimo loco
Innoc. in cap. ſeq. ad fi. & ſecundum eam tam in terris Im-
perii, quàm in terris Eccleſiæ ſervandæ ſunt leges in foro
ſæculari, & Canones in foro Eccleſiaſtico, Sed & huic le-
51 cturæ multùm refragantur quæ dicta ſunt ſup. in lectura ſe-
cunda ad fin. n.45. & in tertia n.49.
52 Quinta ſubſequitur lectura, quam ponit hìc Anton. de
Butr. n. 3. verſ. Ego credo, videlicet quòd ex diſpoſitione
hujus textus ubique locorum, & in omni foro valeat te-
ſtamentum factum coram duobus teſtibus etiam non ad-
hibita præſentia Parochi, ſive ſit ad pias cauſas, ſive non.
53 Movetur, quia Decretalis non procedit diſpoſitivè jus ci-
vile corrigendo, ſed illius irrationabilitatem declarando:
ubi enim habemus voluntatem teſtatoris probatam per
54 duos teſtes idoneos, & integros, falſitati non conſetien-
tes, & omni exceptione majores ſuadet æquitas natura-
lis, ut mandetur executioni voluntas defuncti, & pecca-
tum eſt, ſi non mandetur, Et cùm Canones intendat ſa-
lutem animæ, voluerunt teſtamentum ſervari debere poſt-
habita rigoroſitate juris civilis. Idque clarum eſt ſaltem per
viam denuntiationis Evangelicæ ad peccatum vitandum,
quod incurritur non exequendo voluntatem defuncti,
de qua certitudinaliter conſtat, contra æquitatem natura-
lem, & pietatem, ut l.1. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ. Et
dum textus dicit de Presbytero, loquitur ſecundùm con-
ſuetudinem, & accidentia facti: quod patet per rationem
litteræ, quia duo idonei teſtes ſunt ſufficientes ad proban-
dam mentem defuncti: ea igitur probata, eſt omninò exe-
cutioni demandanda, ut latiùs per eum: & hæc opinio ſer-
vatur Venetiis teſte Baldo in conſ. 285. Factum tale eſt,
aliàs ſi quis juris, poſt medium, verſ. Et ita ſervant Ve-
neti lib.3. item Pariſiis, & in civitate Biſuntina, ut atte-
ſtatur Ægyd. Bellam. conſ. 42. Dominus Hugo, in princ. verſ.
Item an attendatur, col.1. cum qua etiam tranſit Alex. conſ.
105. Viſo n.15. verſ. fortius tenet lib.4. ubi etiam refert
Jo. de Imol. dicentem ſe vidiſſe per alios conſultum apud
Ferrariam ſecundum opinionem Anton. de Butr. & quòd
de jure Canonico, ſaltem in terris Eccleſiæ, ſufficiant
duo teſtes idonei, tenet idem Bald. conſ. 404. Præmitten-
dum eſt num.3. dicens commune, lib.4. & Alex. d. conſ. 115.
Viſo n.15.
Cæterùm hanc lecturam pluribus refellunt hìc Joan. de 55
Imol. col.6. verſ. Sed adverte, & Abb. n.14. verſ. Et hanc
opinionem ego ſequor. Sed in eorum dictis admittunt eſſe
contra legem Divinam, ut non valeat teſtamentum factum
coram duobus teſtibus, cùm in ore duorum, &c. & huic
objecto conantur multipliciter reſpondere. Sed ego non 56
puto hoc legi Divinæ ullatenùs adverſari, quia Scripturam
non dicit præcisè, in ore duorum ſtet omne verbum, ſed
alternativè dicit, in ore duorum, vel trium; unde relin-
quit Eccleſiæ determinandum, in quibus caſibus ſufficiant
duo teſtes, & in quibus requirantur tres, arg. cap. In alter-
nativis, de reg. jur. lib.6. Eccleſia autem determinavit in
teſtamento ad pias cauſas ſufficere duos teſtes, ut in cap. ſeq.
ſed in teſtamento ad non pias cauſas propter periculum fal-
ſitatis, & fraudis determinavit duos non ſufficere, ſed tres
eſſe adhibendos, ut hìc. Rurſus lex Divina non aperuit
quales hujuſmodi teſtes eſse debeant: ſed hoc determina-
vit lex Canonica; quod benè potuit, ut cap. Et ſi quæſtio-
nes in fin. de ſimon. & in cap. Ex publico de converſione con-
jugator. & notantur in cap fin. de conſuetud. ſtatuitque, ut in
teſtamento ad non pias cauſas unus ex illis debeat eſſe Preſ-
byter Parochialis, & alii duo debent eſſe idonei; idque ſum-
ma cum ratione, quia data illorum præſentia, ceſſat ſuſpi- 57
cio falſitatis, arg. l. Non eſt veriſimile, ff quod met. cauſ.
cap. Nemo, de ſimon. cap. fin. de poſtul. c. Denique 14. q.5.
& advertunt Speculator in tit. de inſtrument. edition. §. Com-
pendioſe n.14. & Abb hìc eodem num. Quare ſecundùm eos 58
ſi adeſſent tres teſtes ſine Presbytero Parochiali, teſtamen-
tum non valeret; quod frequentiſſimè receptum eſt: li- 59
cèt fateantur, quòd ſi loco Parochi interſſent alii duo te-
ſtes, valeret teſtamentum: quia dictum duorùm teſtium
ſemper majorem habet fidem, quàm dictum unius quan-
tumcumque authorizabilis perſonæ, ut cap. A nobis, & cap.
Licèt ſupra de teſtibus, & dixi ſuprà num.3. Unde valere
teſtamentum ad non pias cauſas conditum coram quatuor
teſtibus ſine Presbytero Parochiali, conſuluit Dec. conſ. 285.
Viſo puncto n.6. verſ. Sed tamen prædictis non obſtantibus,
ubi plures citat, & n.8. teſtatur hanc eſſe magis commu-
nem opinionem, à qua in judicando non eſt recedendum,
prout etiam atteſtantur Bertrand. conſ. 41. nu 4. lib. 3. par. 2.
quam etiam ita tenere communiter omnes affirmat Alex.
conſ. 105. Viſo nu.15. lib.4. & Julius Clarus alios referens
in §. Teſtamentum q.57. verſ. pone. Ex quibus patet non
eſſe tenendum, quod ait Butr. de duobus teſtibus. Nec ob-
ſtat illius ponderatio, quòd hoc cap. dum facit mentionem
de Presbytero Parochiali, loquatur ſecundum conſuetu-
dinem, & accidentia facti. Quoniam ut reſpondent Imol.
& Abb. hoc eſt divinari, cùm in narrativa nulla fiat mentio
conſuetudinis, & text. non dicat coram Presbytero, &
duabus perſonis, ſed dicat coram Presbytero, & duabus
aliis perſonis, & ſic requirit duos teſtes ultra presbyterum
Parochialem; & cùm littera ſic clara, non poteſt ſine ca-
villatione in alium ſenſum detorqueri. Et ex hoc ſolvitur 60
etiam aliud objectum Ant. de Butr. quòd quando ceritudi-
naliter conſtat de voluntate teſtatoris per duos teſtes, pec-
catum ſit illam non exequi. Quandoquidem cùm lex con-
traria determinaverit duos teſtes non ſufficere in teſtamen-
to ad non pias cauſas abſque Presbytero Parochiali, ut hìc
patet, idque non adverſetur legi Divinæ; utique de volun-
tate teſtatoris nõ dicitur liquere per illos duos teſtes quam-
vis idoneos, nec venientes ab inteſtato habent conſcientiã
læſam, ſi eis non credant, cùm id faciant Canonis auctorita-
te, c. Qui peccat 23. q.4. Nam ut verbis Baldi utar in conſ.
284. Dominus Raynutius nu.5. in fin. lib.3. (Licèt veritatem
amemus, l. Cùm ita legatis C. de condict. & demonſtr. tamen
iſta veritas debet eſſe condita ſale ſacrarum Conſtitutio-
num, l. Si veritas C. de fidejuſſ. Nec eſt peccatum, nuda ve-
ritate, & inefficaci relicta, ſequi ſacratas Conſtitutiones,
quia veritas legum adminicula deſiderat, l.1. C. Ut ſe ab hæ- 61
red. abſtin. l. Bona fides ff. depoſ. aliàs leges eſſent fatuæ,
quod eſt ridiculum, & temerarium ſentire.) Hæc Bald. Et
hìc junge quæ dicam infrà num.102. & quod dixit Butr. de 62
denuntiatione Evangelica, pluribus refellit Corn. conſ. 137.
Placet mihi n.1. verſ. Poſſet autem inſtari, & per tot. vol.2.
Sexta demùm eſt lectura, quòd hoc cap. loquatur tan- 63
tummodò de teſtamentis quæ fiunt in mortis articulo, cui
videtur congruere littera, ibi, Teſtamenta, quæ fiunt in ulti-
ma

ma voluntate. Et hanc ſequitur Guidopapa *deciſ.*543. *n.*10. *verſ. Fallit etiam in teſtamento*, ubi ait duo eſſe neceſſaria ad hoc ut locum habeat hæc Decretalis. Primum ſcilicet, ut diſponens ſit ægrotans, hoc eſt in extrema voluntate conſtitutus. Secundum, ut teſtamentum fiat in præſentia proprii Curati, & duorum, vel trium teſtium Adducit ſimile de teſtamento militari, in quo pariter duo neceſſariò
64 requiruntur. Primò, ſcilicet militia. Secundò, ut miles ſit in conflictu belli, *ut l. Miles, C. de teſtam. milit.* Aliud
65 ſimile habetur *in l.*1. *C. de ſacroſ. Eccleſ.* ubi ſtatuitur, ut unuſquiſque decedens liberam habeat facultatem teſtandi ad pias cauſas: & verb. illud, *decedens*, exponitur, ideſt in actu decedendi exiſtens, ſeu quando eſt in mortis articulo conſtitutus, ibi per Bart. *n.*9. *verſ. Imperator reſpondet*, *& n.*37. *verſ. Super tempore*. Et pro hac lectura moderni ponderant hanc rationem, quòd in extremis conſtitui adhuc facilè poſſunt tot teſtes convocare; ideòque conſentaneum fuit eis indulgere, ut abſque legali ſolemnitate poſſent voluntatem ſuam aperire Presbytero Parochiali, qui ut plurimùm adeſſe ſolet ſuis Parochianis ad mortem decumbentibus. Ita Cenedo *ad decretal. collect.* 159. *n.*7. & modern. Collectores hìc *n.*8. Quinimò Guidopap. *d. deciſ.*543. *n.*14.
66 *verſ. Aliter. ipſo teſtante*, in tantùm putavit hoc cap. habere locum in exiſtente in infirmitate gravi, ex qua ſequitur mors in præſentia Curati, ut ſi teſtator reconvaleſceret, teſtamentum non valeret, ad exemplum *l.*1. *C. de ſacroſ. Eccleſ.* quæ, ut ſuperiùs tetigimus, locum habet in eo tantùm, qui eſt in mortis articulo conſtitutus, & inde immediatè decedit; ideò ibi dicitur decedens, quia ſi reconvaleſcat, & ita evadat mortem, teſtamentum ſuum tunc tem-
67 poris factum ſtatim irritatur ſicut, donatio cauſa mortis facta revocatur ſecuta reconvaleſcentia, *ut l. Non omnis, in princ. ff. ſi cert. petat.* ſecundum eum; vel potiùs ſi teſtator ab illo periculo evaſerit, teſtamentum non irritatur, ſed apparet ipſum retrò fuiſſe nullum, quia text. *in d. l.*1. *C. de Sacroſ. Eccleſ.* requirit, ut ſit decedens: at talis non fuit, qui mortem evaſit, *l. fin. ff. de milit. teſt.* & ita poſt multa concludit Bart. *in d. l.*1. *n.*14.
68 Sed certè hunc intellectum ad textum noſtrum nullus poſuit ex Claſſicis Canoniſtis, nec videtur verus; tum quia ratio illa ex divina lege deſumpta: In ore duorum, &c. militat etiam in teſtamento exiſtentium extra mortis articulum: tum quia lex civilis, ne quid falſitatis incurrat per duos fortè teſtes compoſitum teſtamentum, majorem numerum teſtium expoſtulat, ut per ampliores homines perfectiſſima veritas reveletur, quæ ſunt verba text. *in l. fin. C. de fideicomm.* Hæc autem ratio maximè viget in teſtamento, quod
69 fit in extrema voluntate. Nam ut inquit Corn. *in conſ.*18. *Principale dubium n.*11. *vol.*3. teſtatores quandoque ſunt ſemimortui, *l. Quoniam indignum, C. de teſt.* & ſaltem cogitatione mortis mens turbata alienatur, *ut l. Hac conſultiſſima*, §. *At cum humana fragilitas, C. qui teſtam. fac. poſſ.* ergo ſi eo tempore, quo laborant in extremis, & majus ſubeſt periculum falſitatis, ideòque ad illam præcavendam major ſolemnitas adhibenda eſſet, nihilominùs teſtari poſſunt coram Presbytero Parochiali, & duobus teſtibus: utique longè magis id eis licebit extra mortis articulum, quando mente, & corpore ſani poſſunt hujuſmodi fraudibus per ſe ipſos obviare. Facit quod ſcripſi *in c. Sicut nobis nu.*7. *& ſeqq. de Regular.* & hoc expreſsè tenent Bart. *in d. l.*1. *n.*74. *verſ. Præterea, C. de ſacroſ. Eccleſ.* dicens de jure Canonico eſſe decretum expreſsè, ut valeat teſtamentum abſque ſolemnitate juris civilis, ſive teſtator ſit in articulo mortis conſtitutus, ſive non.

Non obſtant illa verba, *In ultima voluntate*: nam, ut reſpondet Hoſtien. hìc *num.*1. non fuerunt appoſita ad coarctandum tempus teſtamenti, ſed quia in talibus ultima voluntas ſpectanda eſt, *cap. Ultima voluntas*, *&* §. *Sed alium* 13. *q.*2. *inſtit. quib. mod. teſtam. infirm.* §. *Poſteriore, c. Cùm Martæ*, §. *Ceterùm*, *verſ. Noviſſimum de celebr. Miſſar.*

70 Item non obſtat ſimile de teſtamento militis: quoniam, ut reſpondet Bald. *in d. l.*1. *n.*17. *in fin. & n.*18.... illud procedit neceſſitatis cauſa quando eſt in hoſtili loco, ubi plures teſtes non reperiuntur. Unde ſi miles teſtetur domi, ſecus eſt. Quamvis autem teſtator ſit in diſcrimine vitæ, non propterea ſubeſt neceſſitas teſtium, cùm plures haberi poſſint; & ſic ceſſat etiam conſideratio modernorum, de qua ſuprà, *n.*65.

Demùm non obſtat doctrina Bartol. allegata ſuprà, *n.*67. 71
qui eam refellit Bald. *in d. l.*1. *num.*17. *verſ. Item ridiculum eſt*, dicens ridiculum eſſe diſtinguere conſtitutum in articulo mortis ab eo, qui non eſt in mortis articulo. Contra Bart. tenet etiam ibi Salycet. *in* 10. *quæſt. num.*15. quia omni tempore dicimur decedere, *ut in auth. de non alien.* §. *Ut autem*, & teſtatores quovis tempore appellantur deficientes, *l. Teſtamentum*, *& l. fin. in princ. C. de Teſtam.* Et quovis tempore quis teſtamentum fecerit, tempore mortis feciſſe dicetur, ex quo moriens in ea voluntate perſeverat, ut probatur *in l. unum ex familia in princ. ff. de leg.*2. & notatur per Doctores *in l. poſt mortem*, *C. de fidejuſſorib.* Dicit etiam Raphael. Fulgoſ. *in d. l.*1. *de Sacroſ. Eccleſ.* nimis ſubtiliter Bartolum ponderaſſe illud verbum, *decedens*, cùm tamen leges frequenter illud uſurpent, nec tamen ſe referant ad conſtitutum in articulo mortis, ut patet *in l. Cum quis decedens in princ. ff. de adminiſtr. tutor. & in l. Si quis decedens*, *ff. de legat.*3. & ſequitur Iaſ. dicens communem, *in d. l.*1. *n.*31. *verſ. Nunc poſtremo videndum eſt.*

Septima lectura eſt, quam poſuit Bald. *in conſ.*284. *Dominus Raynutius num.*4. *verſ. Non obſtat lib.*3. videlicet, 72
quòd hoc c. &c. ſequens non loquantur in hæredis inſtitutione, ſed in legatis, & fideicommiſſis: verùm hunc intellectum reprobant communiter Canoniſtæ, qui uno ore cenſent ultimam voluntatem ſecundum formam harum Decretalium valere in vim teſtamenti, & probatur hìc apertiſſimè in illis verbis, *Teſtamenta, quæ Parochiani*, *& c. firma decernimus permanere*. Nam ſi teſtamentum eſt firmum, utique & hæredis inſtitutio, quæ eſt caput, & fundamentum totius teſtamenti, *ut* §. *Ante hæredis inſtitutionem, inſtit. de legat. & c. ſeq.* quamvis explicitè non loquatur de teſtamento, loquitur tamen de ſeptem teſtibus, qui nonniſi in teſtamento adhibentur, ut in juribus ſupracitatis, *n.*3. 73 74

Octavam demum lecturam poſuit Menoch. *de præſumpt. lib.*1. *q.*80. *num.*12. *verſ. Quartò nempe*, quod hìc dicitur 75
intelligendum eſſe in foro animæ. Sed iſte intellectus non habet ſaporem, quia hoc in fin. prohibet ſub interminatione anathematis, ne reſcidantur teſtamenta condita coram Presbytero Parochiali, & duobus teſtibus; hæc autem reciſſio non poteſt fieri niſi in foro judiciali. Item Decretales in hac compilatione inſertę ſervari debent in judiciis, ut ſuprà *in proœmio in fin.* §. *Volentes*, *& in c.*1. *ſuprà de Conſtitution.* 76

Abſolutis lecturis venio ad quæſtiones, &

Primò QUÆRO, an valeat teſtamentum cæci ad non 77
pias cauſas, factum coram Parocho, & duobus teſtibus ad præſcriptum hujus Decretalis.

Præmittendum eſt cæcum de jure civili teſtari non poſſe 78
niſi quadam adhibita ſolemnitate; debet enim vocare ſeptem teſtes, & notarium, & coram eis exprimere ſe velle 79
ſine ſcriptis teſtari. Quamvis enim teſtamentum cęci ſignetur à teſtibus, ut dicetur infrà, ideòque ſimilitudinem habeat cum teſtamento in ſcriptis? tamen eſt nuncupativum, quia teſtes ſciunt ea quæ in teſtamento ſunt, & ipſis teſtibus nuncupantur, ut notat Speculat. *in tit. inſtrumentorum editione*, §. 12. *incipien. Compendioſè*, *n.*43. Debet etiam exprimere nomina, & indicia, & dignitates hæredum, quos inſtituit, & legata, & fideicommiſſa deſignare, quæ omnia ſcribenda ſunt à notario coram teſtibus, vel ſi jam ſcripta erant, debent coram eis recitari: & cæcus profiteri debet, & ore proprio edicere illud eſſe ſuum ultimum teſtamentum, & diſpoſitum ex animi ſui ſententia. Ac demum in inferiori chartæ ſpatio debent tam quilibet teſtis, quàm notarius ſe ſubſcribere, & propriis ſigillis teſtamentum obſignare, & hæc omnia fieri debent uno eodemque loco, & tempore. Quòd ſi notarius haberi non poſſit, octavus teſtis erit adhibendus, ut per eum ſortiatur effectum, quod per notarium fieri debebat. Probantur hæc *in l. Hac conſultiſſima*, ubi Bald. *n.*1. *C. qui teſtam. facer. poſſ. &* §. *Penult. Inſtit. quib. non eſt permiſſum facere teſtam.* & concordat per 80
omnia Speculat. *in d.* §. *Compendioſè*, *n.*42. præterquàm in eo quod dicit de ſigillis teſtium apponendis in octo chordulis, hoc enim ſervatur tantummodò in teſtamento in ſcriptis, quia cùm ſit clauſum, & teſtes videre non debeant quæ in eo ſcripta ſunt, *ut l. Hac conſultiſſima*, *C. teſtam.* in ſpatio inferiori diſcooperto ſubſcriptiones faciunt, & ſigilla apponunt in chordulis appenſis, & complicatis ad eum modum,

dum, quem accuratè deſcribit idem Specul. *loc. cit. nu.*40.
At ſecus eſt in teſtamento cęci; quia cùm ſit nuncupativum
ut prædixi, nihil impedit, quominus ſubſcriptiones fiant
intus in interiori chartæ ſpatio, ibique ſigilla apponantur;
81 & ideò non eſt opus chordulis. Similiter ordo in prædictis
non eſt de ſubſtantia, ut contra Rich. Maluet. & Cyn. con-
cludit Bald. *in d. l. Hac conſultiſſima n.*12.... ſubdens hodie
ſecundùm conſuetudinem locorum hæredis inſtitutionem
ut plurimum poni poſt legata etiam in vita hæredis ſolven-
da ante legata ſolvenda poſt mortem hæredis, ſequitur Ja-
ſon. alios citans *in conſ. 26. Omiſſis, n.1. vol.*1.
82 Porrò teſtamentum factum à cęco de jure communi non
ſervatis ſolemnitatibus antedictis non valet, ut *in d. l. Hac
conſultiſſima*, & ibi notant Bart. & Bal. *in princ.* & Docto-
83 res communiter, *C. qui teſtam. facer. poſſ.* Ejuſmodi autem
ſolemnitates adhiberi debent à cæco etiam in codicillis, ut
eſt expreſſum *in d. l. Hac conſultiſſima*, *§. Quæ in eumdem
modum*, & notat Speculat. *de Inſtrumentorum editione d. §.
Compendioſè, n.43. verſ. Quia ſi cæcus codicillari voluerit*:
& hoc quoad ſcripturam, & teſtium rogationes; ſed quoad
numerum teſtium DD. non conveniunt. Nam gloſ. *ibi in
verb. Codicilis*, recitat duas opiniones. Prima eſt, quod in
codicillis cæci requirantur octo teſtes, ſicut in teſtamento;
& hanc ſequuntur ibi Jacob. Butrig. Bald. Fulgoſ. Roman.
& Alex. In hoc ſecundùm Angel. ille text. eſt ſingularis.
Secunda eſt, quod verba *d. §. quæ in eumdem modum*, non
referantur ad omnia ſuperiùs dicta, ſed ad alia, præter-
quam ad numerum teſtium, ideò in codicillis ſufficiant
quinque teſtes, ut *l. fin. §. In omni, C. de fideicomm.* & huic
ſecundæ opinioni, in qua reſidet gloſ. adhærent ibidem
Salicet. & Paul. de Caſtr. & ut dicit Jaſ. adhibitis quinque
teſtibus addi debet tabellio.
84 Sed quicquid ſit in codicillis, certè in donatione cauſa
mortis, quæ fit a cæco antedictæ ſolemnitates minimè re-
quiruntur; ſed ſufficit ſolemnitas *d. l. fin. C. de donat. cauſ.
mort.* ut voluit Bal. *in conſ.*248. *An cæcus*, quod eſt Aloyſii
de Peruſio, *& in conſ.*249. *Doctor meus*, quod eſt Marci An-
geli de Peruſio *lib.*5. & idem Bal. *in d. l. Hac conſultiſſima,
n.* 13. *verſ. Tamen non traho ad donationem cauſa mortis,
C. qui teſt. fac. poſſ.* & ibi Alex. in addit. ad Bart. *in verſ. Ob-
ſervatis, in fin. & l. 2. in extremis verbis, ff. de verb. oblig.*
Jaſ. *in conſ.26. omiſſis n.2. col.2. circa med. verſ. Sed de dona-
85 tione cauſa mortis, vol.*1. ubi ait, ſe non inveniſſe aliquem
de mundo, qui contradicat Bald. & eſt ratio ſecundùm
eos, quia donatio cauſa mortis non eſt mera ultima volun-
tas, & prout in eſſe deducitur, ęquiparatur contractui, ut
86 per DD. *in l.2. ff. de leg.* 1. Sed cæcus poteſt contrahere, &
donare inter vivos, ſicut quilibet alius, Alex. *conſ.*12. *Viſo
inſtrumento donationis, lib.*1. ergo & donare cauſa mortis.
Et quamvis Natta *in repetitione l. Hac conſultiſſima, §. Ex
imperfecto n.43. & ſeq. C. de teſt.* & Ruin. *in d. l. 2. ff. de leg.*
1. ſenſerint ſolemnitates præſcriptas in teſtamento cæci eſ-
ſe adhibendas etiam in donatione cauſa mortis; tamen non
videtur recedendum à prima opinione magis communi:
unde ut cæci ultima voluntas valeat, cautela traditur à Jo:
Dilect. *de art. teſtan. tit.1. caut.8 n.*5. ut donent cauſa mor-
tis, vel in teſtamento apponant clauſulam, ut valeat ſaltem
in vim donationis cauſa mortis; ſubdit tamen neceſſarium
eſſe, vel ut donatarius ſit præſens, vel ut notarius ſtipuletur
pro omnibus, quorum intereſt, de quo per Jul. Clarum
in §. donatio q.5. verſ. Sed pone.
87 His præhabitis deſcendo ad quæſtionem, & prima conſi-
ſideratione dicendum videtur, nec de jure Canonico va-
lere teſtamentum cęci ad non pias cauſas conditum abſque
ſolemnitate, *d. l. Hac conſultiſſima, C. qui teſtam. fac. poſſ.*
ex fundamentis infraſcriptis, &
88 Primò, quia lex generalis poſterior non tollit legem ſpe-
cialiter loquentem, Dyn. *conſ. 27. n.3. verſ. Item ex hoc re-
ſult.* Ban. *in l. Hujus, in fin. ff. ad Turpilian.* quin potius di-
ſtinguitur, & limitatur per legem antiquam, ne videatur il-
lam corrigere, Hoſt. *in ſum. de conſang & affin. §. Conſueve-
runt ſub §. Qualiter arbor. verſ. Nonò quæritur*, Abb. *in c.
Non debet n.8. verſ. Et hanc opinionem, eod. tit.* & ita tenere
omnes DD. dicit Caſtill. *conſ.*10. *In facto ſupponetur, n.5.
verſ. Ad teſtamentum*: ſed text. *in d. l. Hac conſultiſſima*,
ſpecialiter loquitur de teſtamento cæci, ut dicit Bald. *ibi
nu.2. verſ. Nam hæc lex eſt ſpecialis inter cæcos*: ergo non
tollitur per hanc Decretalem generaliter loquentem, ſed
potiùs hæc per illam diſtinguitur, & limitatur.

Quo argumento, ut refert Bald. *in d. l. Hac conſultiſſima*, 89
*d. n.*2 dicebat Marc. de Fano cæcum non inter liberos teſta-
ri poſſe abſque ſolemnitate d. legis, quia ſpecies derogat 90
generi, ut *l. Sanctio legum, ff. de pœn.* ergo debet ſervari
etiam inter liberos, & idem firmant *in d. l. Hac conſultiſſi-
ma*, Raphael Fulg. & Ludovicus Roman. & idem Raphael
conſ.90. incip. Super eo num. ſecundo. Et confirmatur, quia
text. *in d. l. Hac conſultiſſima, C. Qui teſtam. fac. poſſ.* habet 91
ſpecialem rationem ibi expreſſam in extremis verbis, vide-
licet, ne locum ullum relinquat inſidiis tot oculis ſpectata,
tot inſinuata ſenſibus, tot inſuper in tuto locata manibus:
ergo lex poſterior hujus cap. eſto generaliter correxerit le-
gem civilem de numero ſeptem teſtium, juſta ſecundam le-
cturam Hoſtienſ. de qua ſupra *nu.* 40. tamen non cenſetur
eam correxiſſe in caſu dicti teſtamenti cæci habentis pecu-
liarem rationem; ex traditis per Anchar. *conſ.22. Subtili-
ter, n.1. verſ. Secundò hoc idem.*
Secundò, idem ſuadetur, quia numquam lex generalis 92
corrigit legem ſpecialem, quando invicem compatiuntur,
Ang. *conſ.* 214. *Primò eſt videndum, num.2. verſ. Si autem
diverſæ ſunt*, Lap. *allegat.* 88. *num.*5. quod eſt conſilium
Collegii Peruſini: ſed hoc caſu lex civilis, & Canonica
invicem compatiuntur, quia lex civilis ſervari poteſt in
teſtamento cæci, & lex Canonica in teſtamento aliorum:
ergo illa per hanc non corrigitur, facit *cap. Cùm expediat,
de elect. lib.*6. Et conſequenter lex civilis, cùm non ſit con- 93
traria Canoni, ſervanda erit etiam in foro Eccleſiæ, ut
tenent *in cap.1. infra de novi oper. nuntiat.* Abb Antiqu.
*num.*2. Joan. Andr. *num.* 5. & communiter DD. Anchar.
*in capit. Canonum ſtatuta, in 1. quæſt. numer.*44. *ſupra de
conſtit.*
Tertiò, facultas teſtandi coram Parocho, & duobus te- 94
ſtibus generaliter unicuique conceſſa per jus Canonicum,
ut hìc, non comprehendit perſonas alioqui inhabiles, ut
probatur in *l. Prima*, juncta gl. *in verb. Habeat, C. de Sa-
croſ. Eccl.* nam tex. dicit; Unuſquiſque habeat liberam po-
teſtatem relinquendi Collegiis, aut locis piis: & tamen per
illam legem qui aliàs erant inhabiles non cenſentur habili-
tati, ut poſſint teſtari ad pias cauſas, ut tenet præcitata gl.
& eſt communis opinio, ut dicit Jaſ. *ibi, n.12. & ſeq. in lectu-
ra Papien.* Ideòq; pupillus, qui de jure communi teſtari non 95
poteſt, etiamſi pubertati proximus ſit, nec ad pias cauſas
teſtari poteſt, ut firmat Bart. *in d. l.1. n.18. C. de Sacroſ. Ec-
cleſ.* & ex communi ſententia Julius Clar. *in §. Teſtamen-
tum, q.5. verſ. Hinc refertur.* Sed cæcus de jure communi
eſt inhabilis ad teſtandum, niſi ſervata forma *d. leg. Hac* 96
conſultiſſima, C. qui teſt. fac. poſſ. ponderando verba, *Non
poteſt*, quę negant potentiam, ut in puncto advertit Raphael
Fulgoſ. *conſ.99. ſuper eo, nu.*2. ergo non cenſetur habilita-
tus per facultatem generaliter conceſſam in hoc c. teſtandi
coram Parocho, & duobus teſtibus.
Et confirmatur, quia non detrahitur ſolemnitati legali, 97
niſi quatenus invenitur expreſſum, ut *c. Ad audientiam,
infra de decim. c. Eccleſia veſtra, il 2. in fin. ſupr. de elect.
l. Sancimus, C. de teſt. l. unic. C. de inoff. dotib.* & ita in
propoſito arguit Speculator *in tit. de inſtrum. edit. §. Com-
pendioſè, num.*11.
Quartò, quatenùs hoc caſu lex civilis, & Canonica in- 98
vicem eſſent oppoſitę; tamen in his, quæ merè ſpiritualia
non ſunt, aut à ſpiritualibus non dependent, prout eſt te-
ſtamentum cæci ad non pias cauſas, ſtatutum juris civilis
contradicens juri Canonico obſervandum eſt in terris Im-
perii, jus Canonicum in terris Eccleſiæ, in quibus habet
temporalem juriſdictionem, ut notat Joan. And. *c.2. de reg.
jur. lib.6. in 1. gloſ.* & in ſpecie noſtra Angel. *conſ.*233. *Pun-
ctus eſt, n.5. verſ. Et attendendum eſt* nec Papa in his caſi- 99
bus poteſt tollere legem civilem, gloſ. *hic in verb. Improba-
mus*, ibi, Nec fortè poſſet tollere leges quantum ad eos,
qui non ſunt de ſua temporali juriſdictione, argum. *cap. Si
duobus, de appell. & c. Novit, de judic.* Anchar. *hic num.*8.
verſ. Præterea non videtur, & Imol. *num.*10. Menoch. *de
præſumpt. lib. 1. q.80. n.* 22.
Non obſtat, quod hoc cap. loquatur in materia peccati,
eò quod lethalis culpa ſit non exequi rationabilem volun-
tatem defuncti, de qua certitudinaliter conſtat. *c. Ultima
voluntas, 13. q 2. l.1. C. de Sacroſ. Eccleſ.* & conſtat ex
dictis ſupra in 5. lectura Antonii de Butr. *num.*54. & in ma-
teria peccati ſervari debeat jus Canonicum etiam in foro
civili, *c. Novit, de juic.*

100 Nam reſponderi poteſt negando aſſumptum, quia ut inquit Corn. *conſ.* 137. *Placet mihi*, *n.*1. *vol.*2. ſolemnitas numeri teſtium eſt à jure introducta propter ſuſpicionem falſitatum, & fraudum, quæ plerumque committebantur in ultimis voluntatibus, *l. final. C. de fideicomm.* & præcipuè
101 in teſtamento cæci, ut *l. Hac conſultiſſima*, *C. qui teſtam. facere poſſ.* & dictum eſt ſupra *numer.*91. Non ergo videtur habere conſcientiam læſam, qui non credit duobus, vel tribus teſtibus quantumcumque idoneis, & omni exceptione majoribus, quibus lex civilis ex rationabili cauſa non cre-
102 dit. Debet enim conſcientia regulari ex his, quæ à juribus ſunt diſpoſita, Bald *con.* 295. *Fama vicinis*, *n.* 2. *in fin.* & *conſ.* 298. *Hæc materia*, *nu.*7. *lib.*1. & conſtat ex dictis ſu-
103 pra *num.*60. & 61. Unde in ſimili cùm lex præſumat natum ex uxore eſſe filium mariti, filius ita credere debet, quamvis fortè mater fuerit ab alio cognita, & dicat illum eſſe natum ex adulterio, ut volunt DD. *in l. Filium diffinimus*, *ff. de his qui ſunt ſui*, *vel alien. jur.* & *in l. Si vicinis*, *Cod. de nupt.* & *in c. Traſmiſſæ*, *infra qui fil. ſint legitimi*, redar-
104 guentes de fatuitate quemdam Regem, qui dimiſit regnum, quia mater in articulo mortis dixerat eum non eſſe filium Regis ſui mariti; & conveniunt DD. quòd talis non tenebatur matri credere in foro conſcientiæ, quia non credit lex cui debebat ſe conformare. Eodem igitur modo cum in teſtamento ad non pias cauſas lex civilis non credat duobus, vel tribus teſtibus, qualiſcumque ſint dignitates: ita nec hæres ab inteſtato ſuccedens tenetur credere, & propterea non peccat, ſi eis non credit innixus legis authoritati, *cap.*
105 *Qui peccat*, 23. *qu.*4. & conſequenter cùm verſemur extra materiam peccati, ſervanda erit lex civilis in foro civili, quamvis contradicat Canoni, ſecundùm Jo. And. & Ang. *in loc. ſupracit. n.*98.

Quod ſi urgeas: Imo hæres ab inteſtato tenetur credere duobus, vel tribus teſtibus, quia lex Divina dicit, *In ore duorum*, *vel trium ſtet omne verbum*, Matthæi 18. in aliis concordantibus, de quibus infrà *n.* 113. & 118. & ita peccat, ſi eis non credit, tamquam Divinæ legis tranſgreſſor, *c. fin. de conſuet.*

106 Reſpondetur primò, legem civilem poſſe jus divinum & naturale diſtinguere, & adjuvare, illique addere, vel detrahere, ut eſt expreſſum in *l. jus civile*, juncta gloſſ. 1. *ff. de juſt.* & *jur.* & ideò lex civilis, quemadmodum & Canonica, diſtinguunt illud Evangelii, *In ore duorum*, &c. ut non procedat in multis caſibus, in quibus plures requiruntur, ut *cap.* 1. & 2. 2. *quæſt.*4. *l. Teſtium*, & *de teſtib. l. fin. Cod. de teſtam. l. Hac conſultiſſima*, *C. qui teſtam. fac. poſſ.* Ita ad literam Innoc. *in c. Quæ in Eccleſiarum*, *num.*4. *ſupra de conſtitutionib.* gl. *fin. in l.*1. *ff. de Conſtitut. Principum*, dicens legem humanam poſſe diſtinguere legem Dei, quæ eſt, ut in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum, ſicut diſtinguit teſtamentum ab aliis, ut *l. fin. C. de fideicommiſſ.* Bart. *in* 1. *Conſtit. ff. nu.* 6. *verſ. Item quæro quid*, *de reſcript.* Bald. in Auth. *Ad hæc num.*6. *Cod. de uſur.* & *in l.* 2 *ad fin. verſ. Sed quæritur*, *C. de precib. Imper. offeren.* Anchar. *hic in* 3. *notab. verſ. Poteſt tamen jus civile*, & Imol. *col.* 6. *circa fin. ver. Et iſtam partem videtur velle Felin.* alios cumulans *in d. c. Quæ in Eccleſiarum*, *num.*2. Quod præcipuè locum habet ſecundùm eum, *in* 2. *limitat. nu.*17. quando lex Principis interpretando jus divinum ſtatuit in his, in quibus habet juriſdictionem, id eſt in rebus propha-
107 nis, ut eſt teſtamentum ad non pias cauſas. Alioquin ſi lex humana non poſſet determinare in aliquo caſu majorem numerum, quam duorum, vel trium teſtium, eo quòd obſtaret lex Divina, ſequeretur, ut nec lex Canonica potuiſſet præſcribere majorem numerum, prout fecit *in c. Præſul.* 2. *q.*4. Unde Jo. And. *in c. Actus legitimi*, *nu.* 5. *verſ. In contrarium*, *de reg. jur. lib.*6. dicit Papam immutare authoritatem illam, *In ore duorum*, &c. addendo, & minuendo, *per d. c. Præſul.* & *c. In omni*, *de teſtib. c. Parvulos*, *de conſecr. diſt.*4.

108 Secundò, reſpondetur eamdem authoritatem, In ore duorum, &c. non eſſe referendam ad majorem numerum, ſed ad minorem, ita ut ſit ſenſus, In ore duorum ad minùs ſtet omne verbum. At non excludit majorem numerum, quia quædam ſunt cauſæ, quæ plures quam duos exigunt teſtes. Ita eſt expreſſum *in c. Licet univerſis*, *ſup. de teſtib.* ubi gloſ. *in verb. Duorum*, exponit, ideſt, non pauciorum, gl. *fin. in ſumma*, 2. *q.*4. ubi ait: Ideò dicit trium, quia quandoque ſecundùm Canones plures quam duo requiruntur, ſed numquam pauciores, & Imol. *hic n.*24. *col.*36. *poſt med. verſ. Et pro iſta parte*, Menoch. *de præſumpt. lib.*1. *q.*80. *n.* 23. *verſ. Quod verò ait.*

Neque obſtat, quòd ſupradicta expoſitio videatur contra tex. noſtrum, in quo habetur leges civiles requirentes numerum ſeptem, vel quinque teſtium repugnare legi divinæ, cùm ſcriptum ſit, *In ore duorum*, &c. Etenim, ut reſpondet Menoch. *ubi ſup.* quod hìc dicitur eſſe alienum a lege divina, ut non valeat teſtamentum conditum ſine numero quinque, vel ſeptem teſtium intelligi debet eſſe alienum, non quod ei omninò adverſetur; ſed eſſe remotum, hoc eſt, eſſe ultra jus divinum. 109

Ultimò, pro hac parte adducitur authoritas Card. hìc *n.* 7. qui in fortioribus terminis firmat non valere teſtamentum cæci factum ad pias cauſas, non ſervata forma *l. Hac conſultiſſima*, *C. qui teſtam. fac. poſſ.* & refert ſe ita conſuluiſſe, quia eſt forma ſpecialis, quæ non intelligitur ſublata per hanc diſpoſitionem generalem, ut *in reg. Generali*, *lib.* 6. & ſubdit ſpecialiter facere text. *in l. Teſtamentis*, juncta gl. *ult. C. de teſtam.* ſed & aliàs reſtringitur diſpoſitio generalis, ut evitetur correctio jurium, *c. Cum ſis*, *cum ſua gl. de uſu pall.* arg. *c. Eccleſia*, il 2. *de elect.* 110

Ego confirmo opinionem Cardinalis dupliciter. Primò, quia cæcus teſtari non poteſt inter liberos, non ſervata forma *d. l. Hac conſultiſſima*, ut tenent DD. ſupracitati *num.* 89. & 90. ergo nec ad pias cauſas teſtari poteſt ſine prædicta ſolemnitate. Tenet conſequentia, quia major eſt favor liberorum, quàm piæ cauſæ. Dicit enim Auguſt. *Quicumque vult exhæredato filio hæredem facere Eccleſiam*, *quærat alterum qui ſuſcipiat*, *non Auguſtinum*; *imo Deo propitio nullum inveniet*: refertur *in cap. ult.* 17. *quæſt. ult.* Deindè quia illa lex eſt ſpecialis in teſtamento cæci, & text. *in cap. Relatum*, *infra eodem*, eſt ſpecialis in teſtamento ad pias cauſas. Inter ſpecies verò illa derogat alteri, quæ eſt ſpecialior, ſicut individua derogant ſpeciei, ut notat Dyn. *in c. Generi*, *de reg. jur. lib.*6. Bald. *in d. l. Hac conſultiſſima*, *n.*2. Sed illa lex cum ſit reſtricta ad teſtamentum cæci, eſt ſpecialior, quàm text. *in d. c. Relatum*, quod loquitur de teſtamentis aliorum indefinitè: Ergo huic per illam derogatur. 111 112

Sed præmiſſis minimè refragantibus, exiſtimo contrariam opinionem eſſe de jure veriorem, id eſt valere teſtamentum cæci ad non pias cauſas conditum coram Parocho, & duobus teſtibus ad præſcriptum hujus Decretalis. 113
Quod efficaciter ſic probo: Leges civiles requirentes numerum ſeptem teſtium in teſtamentis ſunt contra jus divinum, ut diſertis verbis dicitur in hoc cap. Nam regula juris Divini habet *Deut.*17. & 9. *Matth.*18. *Jo.*8. *In ore duorum*, *vel trium teſtium ſtet omne verbum*. Ergo non ſunt ſervandæ, *ut c. Quæ contra*, 18. *diſt. c. Si eis qui* 11. *q.*3. *c. fin. de conſuet. c. fin. de præſcript.* Hoſt. *hic n.*4. *in verb. Conſuetudinem*. Nam ut inquit Bald. *in l. Habeat*, *C. de Sacroſ. Eccl.* & poſt eum Anch. *hic n.* 3. Imperator eſt Vicarius Dei: Sed Vicarius & Procurator non poteſt venire contra factum Domini, ut *l. Si hominem*, *ff. mandat.* Imò qui legibus Imperatoris, quæ contra Dei veritatem feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium, dicit text. *in c.*1. *9. diſt.* & *in c. Julianus*, & *in c. Si Dominus*, & *in c. Qui reſiſtit*, 11. *q.*3. & in propoſito notat Abb. *hic n.*8. *poſt med. verſ. Ego autem.* 114 115 116 117

Nec dicatur hoc jus divinum eſſe judiciale, & ideò evacuatum per adventum Chriſti, ut per D. Th. *in* 1. 2. *qu.*103. *art.*4 & *q.* 104. *art.*3. Imò enim eſt morale ſecundum Abb. *loc. cit.* Inſtruit namque, qualiter homines vivere debeant, ut *c.*1. 2. *q.*5. Nam præceptum eſt, ne quis auferat rem alienam, quod eſt præceptum morale, *cap. pœnale*, 14. *q.*5. Sed quia in dubium revocari poſſet, quando conſtet rem eſſe alienam, datur alia regula, videlicet: *In ore duorum*, *vel trium*, &c. Ego ultra Abbat. hoc aliter deduco. Nam hoc præceptum habetur in Evangelio, dicitur enim *Matth.*18. *Adhibe tecum unum*, *vel duos*, *ut in ore duorum*, *vel trium ſtet omne verbum*. Item Chriſtus *Joan.* 8. exhortabatur Judæos, ut deberent in eum credere, quia de hoc conſtabat per duos teſtes, & duorum hominum teſtimonium verum eſt, *c. In omni*, *de teſtib.* 118

In lege autem Evangelica nullum præceptum continetur, quod non ſit juris naturalis, præter præcepta de Sacramentis, & de Fide, ut docet S. Th. *in* 1. *q.*108. *art.* 1. & 2. Covarr. *in* 4. *Decret. c.*6. §.10. *n.*1. 119

Hoc

120 Hoc igitur præceptum, In ore duorum, abſque dubio eſt morale, ſeu juris naturalis; & ideò per legem humanam alterari non poteſt, cum ſit immutabile, c. fin. de conſuet. c. Non eſt peccatum, §. Tuis, ita & ibi gl. 1. 6. diſt. S. Thom.
121 in 4. ſent. diſt. 2. q. 1. art. 4. q. 1. ad 2. Quod adeò verum eſt, ut ſi Princeps etiam Papa leges conderet adverſus ea, quæ dicit Dominus, non diceretur condere, ſed potius convinceretur errare, c. Sunt quidam, 25. q. 1. & Conſtitutiones, ſive Eccleſiaſticæ, ſive laicales, ſi naturali juri probentur contrariæ, ſunt penitùs excludendæ, ut dicit textus in c. fin. 9. diſt.

122 Præterea leges civiles de numero teſtium in teſtamentis adhibendo ſunt contra SS. Patrum inſtituta, ut ſimiliter hìc dicitur in litera, & in ſumma, & in c. 1. 2. qu. 4. in c. Licet univerſis, ſup. de teſtib. & in c. prox. infr. eod. Hoſt. hìc n. 3. in verb. Inſtitutis. Igitur non ſunt ſervandæ, quia qui omnipotentem Deum metuit, contra Sanctorum Patrum inſtituta aliquid ullo modo agere non conſentit, c. Qui omnipotentem, 11. q. 3. Imò, ut inquit Zoſimus Papa in c. Contra, 25. qu. 1. contra ſtatuta Sanctorum Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem Sedis poteſt authoritas. Igitur quantò minus authoritas Imperialis; cap. Duo ſunt, & cap. Si Imperator, 96. diſt. c. Solitæ, de major. & obed.

123 Rurſus hujuſmodi leges in hoc c. dicuntur eſſe contra generalem Eccleſiæ conſuetudinem, quæ ita obligat ſicut præceptum, ut in c. In his, & in c. In Eccleſiarum, 9. diſt. & notat gl. in ſumm. de pœnit. diſt. 5. & in terminis noſtris Abb. hic n. 9. verſ. Item ſunt contra generalem Eccleſiæ conſuetudinem.

124 Accedit, quod impugnans teſtamentum ob defectum ſolemnitatis omiſſæ in numero ſeptem teſtium peccat mortaliter, ſecundùm Abb. hic n. 7. & irrefragabiliter probat hæc litera, dum hoc prohibet ſub pœna excommunicationis: nam excommunicatio ferri non poteſt niſi pro culpa mortali, ut c. Nemo, & c. Nullus, 11. q. 3. Deformitas autem, & malitia, in qua conſiſtit ratio formalis peccati, ſurgit
125 hoc caſu ex quatuor capitibus. Primò, quia talis impugnatio, ut oſtenſum eſt ſupra, eſt contra præceptum Divinæ
126 legis, cujus tranſgreſſio ſemper eſt mortalis. Nam peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam, ut definit Aug. lib. 22. contra Fauſtum, c. 24. in princ. & explicat S. Th. in 1. 2. q. 71. art. 6. & in 2. ſent. diſt. 11. art. 2. vel ſecundùm Ambroſ. relatum ab eodem D. Th. in 1. 2. q. 109. art. 4. in corpore, peccatum eſt prævaricatio legis Divinæ, & cœleſtium inobedientia præceptorum. Secun-
127 dò, quia talis impugnatio eſt contra jus naturale, quia præceptum illud, In ore duorum, morale eſt, ut oſtenſum eſt ſupra n. 118. & omnia præcepta moralia ſunt de lege naturali, S. Th. in 1. 2. q. 87. art. 5. in corp. & in 4. ſent. diſt. 2.
128 q. 1. art. 4. q. 1. ad 2. Quicquid autem contrariatur legi naturæ, peccatum eſt, ut idem docet in 2. 2. qu. 133. art. 1. in corp. & q. 142. art. 1.

129 Tertiò, quia eſt contra inſtituta Patrum, & prohibitionem Eccleſiæ, ut hìc patet, quæ pariter obligant ſub mortali, d. c. Qui omnipotentem, 11. q. 3. c. Quiſquis præceptis, 14. q. 1. Gemin. poſt Archid. in c. Deteſtanda in princ. verſ. An ſcienter faciens, de conceſſ. præb. lib. 6. & ſcripſi plenius in c. Si quis, n. 38. & 39. de Regul.

130 Quartò, quia talis impugnatio dicitur hìc eſſe contra generalem Eccleſiæ conſuetudinem, cujus tranſgreſſio pariter inducit culpam lethalem, non ſecus ac tranſgreſſio præ-
131 cepti, ut c. In his, 11. diſt. & c. Quæ contra, 8. diſt. Cùm igitur impugnatio teſtamenti ob defectum ſolemnitatis in numero teſtium ſit culpa lethalis, hinc neceſſariò ſequitur ut leges civiles irritantes teſtamenta cum pauciori numero, quàm ſeptem, vel octo teſtium, tamquam peccati nutritivæ, non ſint ſervandæ, ut c. fin. de præſcrip. ibi, Cùm generaliter ſit omni conſtitutioni derogandum, quæ abſque mortali peccato non poteſt obſervari, ubi Hoſt. n. 5. & Jo. Andr. n. 2. in fin. exponunt verba illa, Omni conſtitutioni, ideſt, ſive ſit imperialis, ſive alia quæcumque. Neque enim poteſt ſervus contra dominum, imò ſemper in talibus recognoſcendus eſt Imperator cœleſtis contempto terreno,
132 c. Julianus, & c. ſeqq. 11. q. 3. Item lex debet eſſe rationabilis, & juſta, c. Erit autem lex, 4. diſtinct. cùm ſit ſanctio ſancta, jubens honeſta, prohibens contraria, l. 2. ff. de legib. gl. in §. Conſtat, in ver. Lex eſt, inſtit. de jur. nat. gent.
133 & civil. Et cum hoc caſu agatur de obſervatione legis divinæ, ac de peccato vitando, ſequitur perneceſſe, ut hoc cap. ſervari debeat etiam in teſtamento cæci, non ſolùm in terris Eccleſiæ, ſed etiam in terris Imperii, & tam in foro Canonico, quam in foro civili. Ad hoc text. mirabilis in c. Quæ contra mores, 8. diſt. & in c. Si is qui, 11. q. 3. & in c. Novit., cum materia ſupra de judic. & conſtat ex dictis ſupra n. 45. & 49.

Et cofirmatur, quia dicta Apoſtoli prævalent dictis Im- 134
peratorum, l. 1. C. de ſecund. nupt. & ibi notat in gloſſ. fin.
& c. penult. infr. de ſecund. nupt. Sed ex dictis Apoſtoli ha- 135
bemus teſtamentum conditum coram duobus, vel tribus teſtibus impugnari non poſſe ex defectu ſolemnitatis. Ergo, &c. Minor patet ad Galatas 3. ubi ſic legitur: Fratres, ſecundum hominem dico, tamen hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit, aut ſuperordinat, & ibi gloſ. Magiſtri ſententiarum exponit; Confirmatum teſtamentum morte teſtatoris nemo ſpernit, ut dicat non valere, cùm benefactum eſſe apparet; aut ſuperordinat, aliquid de rebus iſtis diſponens; ſed eſt in authoritate Canonum. Quem locum explicans Bart. in l. 1. n 81. verſ. Sed ab Apoſt. C. de ſacroſ. Eccleſ. ſic ait (Confirmatum teſtamentum, ſcilicet quod duobus, vel tribus teſtibus confirmatum eſt. Item morte teſtatoris, nec dicit addita hæreditate, vel alia juris ſolemnitate. Item ex eo quod dicit, nemo ſpernit, apparet, quòd nec Imperator poteſt illud annullare. Item ex eo quod gloſ. dicit, quod eſt in authoritate Canonum, apparet, quòd illud debent obſervare ſive in terris Eccleſiæ, ſive Imperii Item ex eo quod dicit, nemo ſpernit, ut dicat non valere, cùm benefactum eſſet, apparet, quòd tollitur omnis exceptio juris civilis.) Hæc Bart.

Ac demum quotieſcumque ex conſtitutione, vel præce- 136
pto principis præſumitur veriſimiliter peccatum futurum; tunc tali conſtitutioni, vel præcepto non eſt parendum, ut notat Innoc. in c. Inquiſitioni, num. 3. verſ. Sed quid Papa, de ſentent. excomm. Ad hoc c. Literas, in fin. de reſtit. ſpol. & notat Bartol. in l. 1. nu. 90. verſ. Præterea, C. de ſacroſ. Eccleſ. dicens, in his, in quorum obſervatione emergunt peccata, jura Canonica legibus prævalere, ut l. Privilegia, C. eod. & ibi notat gloſ. in verſ. Ambitionis, Jo. Andr. in c.
2. de rejudic. lib. 6. Sed ex legibus irritantibus teſtamentum 137
abſque numero ſeptem, vel octo teſtium, veriſimiliter præſumi poteſt: peccatum futurum. Ergo hujuſmodi legibus non eſt parendum. Minor patet ex dictis in præcedenti fundamento à num. 14. Sed ulterius probatur, quia multoties poteſt contingere, ut teſtator morti proximus inſtituat extraneum hæredem coram quatuor, vel quinque teſtibus; vel cæcus coram ſeptem, eo quod ob temporis anguſtiam major numerus, vel notarius præſtò eſſe non poſſit. Et quia hæc ultima voluntas per quatuor; vel quinque teſtes ſecundùm leges civiles probari non poterit, venientes ab inteſtato occupabunt hujuſmodi hæreditatem contra voluntatem domini, & ſic cum peccato, c. Pœnale,
14. qu. 5. cap. Ultima voluntas, 13. qu. 2. Nec eos excuſabit 138
legum authoritas, quia quamvis ordinaverint numerum tot teſtium ad fraudes vitandas; tamen ſi in rei veritate ceſſet hæc fraus, venientes ab inteſtato nec ſunt tuti in foro animæ, nec in foro civili, ex traditis per Innoc. in cap. Quia plerique, num. 5. verſ. Imò plus videtur, de immunit. Eccleſ. ubi notabiliter vult, ut quamvis princeps ex juſta cauſa poſſit ſtatuere contra jus naturale, ideſt gentium, puta transferendo dominium de uno in alium: tamen ubi ceſſat illa cauſa, conſtitutio ſervanda non eſt, quia Conſtitutiones quæ veniunt contra ſalutem animæ, non ſunt
ſervandæ, nec authoritas juris civilis poteſt aliquem à 139
peccato excuſare, ut not. gl. 1. ad fin. in cap. Inter hæc 33. qu. 2. & ſequitur Butr. in cap. Quæ in Eccleſiarum, 23. verſ. Sed ſi cauſa ceſſat, de conſtit. & ibi etiam Imol. num. 20. in fin. verſ. Quid autem ſi ſtatutum, & Felin. 29. verſ. Secunda declaratio, Boer. dec. 38. n. 7. & alii plures apud Anton. Gabriel. commun. concluſ. lib. 3. in tit. de jure quæſit. non toll. concluſ. 4. num. 1. Quo argumento in propoſito utitur Abb. hìc num. 10. Ad hoc c. Cum contingat, de jurejurand. cap. Quamvis, de pactis, lib. 6. & cap. fin. de præſcript. & per hoc concludit Abb. Judices ſæculares poſſe compelli
ad obſervantiam hujus Decretalis, argum. cap. Licet de 140
jurejur. lib. 6.

Non obſtant modò argumenta contraria. Ad primum 141
enim, de quo ſuprà num. 88. reſpondetur hanc decretalem non corrigere jus civile, etiam in numero ſeptem teſtium,

 ſed

ſed declarare illius irrationabilitatem. Nam cum lex civilis eſſet nulla ipſo jure, ut plenè probatum eſt ſupra à *nu.* 113. opus non fuit, ut per jus Canonicum corrigeretur, ut hic per Butr. *num.* 3. *verſ. Ego credo*, & Abbas *num.* 11. & notat Butr. *in l. Habeat*, *num.* 75. *verſ. Et adverte*, *C. de ſacroſanct. Eccleſ.* ubi dicit, *hoc cap. cum ſeq.* non procedere ſtatuendo, ſed declarando. Nec relevat, quod dicit Imol. *hìc col.* 7. *in fin. verſ. Nec obſtat prædictis*, videlicet hanc decretalem procedere non ſolum declarando, ſed etiam ſtatuendo, ſeu interdicendo, quia prohibet, ne teſtamenta impugnentur ob defectum ſolemnitatis juris civilis in numero ſeptem teſtium: nam reſpondetur, præſuppoſita declaratione irrationabilitatis, ſtatutum, ſeu interdictum ſubſequens non eſſe correctorium, quia perinde eſt, ac ſi Pontifex dixiſſet, declaramus legem civilem eſſe irrationabilem, ac nullam, & ideò ſtatuimus eam non eſſe obſervandam; & ſic non corrigit: ad hoc *Cap. conſtitutionem* ibi, *Declarantes*, *decernimus*, *de ſent. excomm. lib.* 6. & *c.* 1. & ibi Gemin. *in* 1. *notab. de Cler. ægrot. eod. lib.* Hæc autem irrationabilitas æquè reperitur in teſtamento cœci atque aliorum, ut ex dictis conſtat; imò major eſt in teſtamento cæci, quia cum in eo non ſufficiant ſeptem teſtes ſed prætereà requiratur tabellio, aut in ejus defectum octavus teſtis, ut *l. Hæc conſultiſſima*, *C. qui teſtam. facer. poſſ.* hæc ſolemnitas magis diſtat à lege Divina, qua ſcriptum eſt, *In ore duorum*, *vel trium*, *&c.* ut hìc. Nec applicatur ſimile de teſtamento cæci inter liberos, de quo ſupra *n.* 89. quia hoc caſu non agitur de derogando ſpeciali diſpoſitioni legis civilis in teſtamento cæci, ſed de declarando illius irrationabilitatem, ut proximè dictum eſt.

Non obſtat confirmatio, de qua ſupra *nu.* 91. quia eamdem rationem falſitatis, & fraudis vitandæ habent leges requirentes numerum ſeptem teſtium, ut *leg. final. Cod. de fideicomm.* ibi, *Lex etenim*, *ne quid falſitatis incurrat per duos fortè teſtes compoſitum teſtamentum*, *majorem numerum teſtium expoſtulat*, *ut per ampliores homines perfectiſſima veritas reveletur*. Et tamen per hoc cap. declarantur irrationabiles, & contra legem Divinam, Sanctorum Patrum inſtituta, & generalem Eccleſiæ conſuetudinem: Ergo eodem modo declaratur irrationabilis lex requirens octo teſtes in teſtamento cæci. Prætereà ad hanc ſuſpicionem falſitatis egregiè reſpondet Hoſt. ſupracitato *in* 2. *lect. num.* 41. *& ſeq.*

Ac demum, ut eleganter inquit Bald. *in conſ.* 352. *In puncto juris*, *in princ. lib.* 4. ubi veritas, ibi ſolemnitas de jure Canonico, ut *in hoc cap. & in c. ſeq.* Nam jus Canonicum deſervit juri Divino, & non humano, & ambulat ſicut pedagogus Divinæ legis in juſtificationibus Divinis, & non apicibus humanis; ſicut dicitur de bona fide, quòd vadit poſt veritatem, & non poſt ſubtilitatem, *l. Si fidejuſſor*, §. *Quædam*, *ff. mandati*.

Ad ſecundum, de quo ſupra *n.* 92. patet reſponſio ex jam dictis, quia hoc caſu non verſamur in correctione legis ſpecialis præcedentis, ſed in declaratione irrationabilitatis illius; & ſic lex civilis, & Canonica ſe invicem non compatiuntur, ideòque ſervanda eſt lex Canonica, ut oſtenſum eſt ſupra *n.* 133.

Ad tertium, de quo ſupra *n.* 94. reſpondetur negando mi-
142 norem: nam cæcus non eſt inhabilis ad teſtandum niſi de jure civili non ſervata forma illius, *l. Hac conſultiſſima*, 4. *C. qui teſtam. fac. poſſ.* quæ tamen tamquam irrationibalis, & repugnans juri Divino, & naturali, & nullius eſt roboris, & ideò non potuit cæcum inhabilitare.

Ad confirmationem poſitam *n.* 97. ſimiliter reſpondetur legem Canonicam in hac materia non detrahere ſolemnitati juris civilis, ſed declarare illius irrationabilitatem, ut ſæpiùs repetitum eſt.

Ad quartum, de quo ſupra *n.* 98. reſpondetur legem civilem requirentem numerum ſeptem, vel octo teſtium ad validitatem teſtamenti, eſſe nutritivam peccati, ut oſtenſum eſt ſuprà *num.* 124. unde in concurſu ſervari debet lex Canonica ubique locorum, tam in foro civili, quàm in foro Eccleſiaſtico, ut ſimiliter probatum eſt ſupra *n.* 45. 49. 133. *& ſeq.*

Nec obſtat ponderatio Cornei: imò enim qui non credit duobus, vel tribus teſtibus idoneis, habet conſcientiam læſam, ut oſtenſum eſt ſupra *num.* 137. nec lex civilis eſt eum à peccato excuſare, ut ſimiliter monſtratum eſt [illegible] *nu.* [illegible]. *&* 139. & ad ſuſpicionem falſitatis adæquatè reſponſum eſt ſupra in ſecunda lectura *num.* 41. *& ſeqq.* ex dictis Hoſtien. Nec applicatur ſimile de Regulo, qui non credit matri. Quoniam eo caſu agebatur de teſtimonio unius tantum, cui etiam ſecundùm legem Divinam non eſt credendum: nam ut legitur *Deuter.* 17. *In ore duorum*, *vel trium teſtium peribit*, *qui interficietur*: *Nemo occidatur uno contra ſe dicente teſtimonium*, *& in cap. Licet univerſis*, *de teſtibus*, dicitur: Nulla eſt cauſa, quę unius teſtimonio, quamvis legitimo, terminetur; & nihilominùs Regulus ille ſummoperè laudatur à Canoniſtis, ut per Marian. Soccin. *in cap. Officii*, *num.* 9. *infra de pœniten. & remiſſ.*

Neque obſtat, quod lex civilis poſſit jus divinum, vel 143
naturale diſtinguere, & illi detrahere, quia hoc negatur, ut plenè probavi *in c. Quæ in Eccleſiarum*, *n.* 142. *ſupra de Conſtit.* & fuſius *in c. Cùm pridem*, *à numer.* 76. *& ſeqq. de pactis*. Prætereà hoc non eſſet diſtinguere, ſed corrigere, & deſtruere jus divinum, & naturale; quod non poteſt lex humana, Hoſt. *in ſumm. de reſcript.* §. *Quas vires habeat*, *verſ. Si ſit deſtructivum juris Divini*; nam lex Divina præcipit, ut ſtetur duobus, vel tribus teſtibus in quacumque materia: lex autem civilis mandat, ut non ſtetur in teſtamentis; quæ ſunt oppoſita, ut conſtat ex dictis *nu.* 114. *&* 116.

Nec refragatur, quod lex Canonica quandoque requirat 144
majorem numerum, ut *in c. Præſul.* 2. *q.* 4. ubi requiritur numerus ſeptuaginta duorum, vel quadraginta quatuor, vel viginti ſeptem teſtium ad damnandum Cardinalem E-
piſcopum, Presbyterum, vel Diaconum. Nam reſponde- 145
tur illum textum eſſe intelligendum, quando teſtes non ſunt omni exceptione majores: ſecus ſi ſint laudabilis vitę, ut declarat Gratian. *in §. fin. ead. cauſ. & qu.* & Abb. *hic*
num. 16. *verſ. Nec obſtat*, Hoſt. *in c. Licèt univerſis*, *nu.* 3. 146
ſupra de teſtibus, & ibi etiam Jo. Andr. *num.* 4. *verſ. in gloſ.* 3. facit Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 13. *cap.* 7. & cùm lex Divina non præſcribat qualitatem duorum, vel trium teſtium, benè potuit lex Canonica declarare, ut in condemnando Epiſcopo Cardinali duo, vel tres teſtes debeant eſſe omni exceptione majores, alioquin requirantur ſeptuaginta duo, ut ſic numerus ſuppleat defectum in re graviſſimi momenti; ad gl. *in l. Teſtium fides in verb. Numerus*, *ff. de teſtibus*, Prob. ad Jo. Monach. *in c.* 1. *nu.* 7. *verſ. Item idem operatur numerus*, *eod. tit. lib.* 6. Anton. Gabriel. *de teſtib. concluſ.* 6. Cæſar. de Graſſis *dec.* 175. *alias* 5. *nu.* 8. *& ſeq. de ſponſal.* vel dicas diſpoſitionem *d. c. Præſul.* procedere de juris rigore, qui non eſt ſervandus, ſecundùm Hoſt. & Jo. Andr. *loc. cit. ſupra num.* 145.

Nec obſtat, ſi replicetur, quod ex hoc c. minimè requi- 147
ratur, ut teſtes in teſtamento adhibendi ſint omni exceptione majores; ſed tantùm ut ſint idonei, ut in littera. Nam reſpondetur legem Canonicam in teſtamentis fuiſſe contentam, ut teſtes eſſent ſimpliciter idonei. At in condemnando Epiſcopo Cardinali ob rei gravitatem non fuit contenta, ut eſſent idonei ſimpliciter, ſed ampliùs requiſivit, ut eſſent majores omni exceptione, ut per Grat. *loc. cit.* Quare præſuppoſita teſtium habilitate, ſecundùm quòd Canones requirunt, ut nullus datur caſus, in quo de jure Canonico non ſufficiant duo, vel tres teſtes. Imò gl. 1. *in*
d. c. Præſul. dicit duos teſtes ſufficere etiam ad convincen- 148
dum Papam, & idem dicit Abb. *hic n.* 16. Surd. *conſ.* 12. *nu.* 32. *&* 33. licèt de illa gloſ. ſit mirandum, ut dicitur in notis ad *d. c. Præſul.*

Nec prædictis refragatur text. *in c. Licèt univerſis*, *ſu-* 149
pra de teſtib. in illis verbis: *Licet quædam ſint cauſæ*, *quæ plures quàm duos exigant teſtes*, quoniam tex. non dicit plures, quàm tres, ſed plures, quam duos, innuens per hoc non eſſe quidem contra legem Divinam, ut tres requirantur, quia Divina ſcriptura loquitur alternativè. In ore duorum, vel trium; & ideò ad Eccleſiam ſpectat determinare caſus, in quibus duo non ſufficiunt: ſicut fecit in teſtamentis, in quibus ultra duos teſtes voluit etiam Parochum eſſe adhibendum, ut hìc, & latiùs dictum eſt ſupra *nu.* 59. *& n.* 146. ſed benè eſt contra legem divinam, ut requirantur plures, quàm tres. Nec in hoc contradicit text. *in d. c. Licèt univerſis*. Imò ita eſt intelligendus, quia alioquin eſſet contrarius huic Decretali, quæ dicit eſſe contra legem Divinam, ut ſeptem, vel quinque teſtes adhibeantur. Et expedit jura juribus concordare, *c. Cum expediat*, *de elect. lib.* 6.

Nec

150 Nec dicas cum Menochio ſupracitato *n.*109. textum noſtrum non dicere id eſſe contra legem Divinam, ſed alienum à lege Divina, id eſt, remotum, ſeu præter Divinam legem. Quoniam hæc expoſitio repugnat literæ: nam ſi impugnatio teſtaméti ob defectum ſolemnitatis in numero teſtium eſſet tantùm præter, & non contra Divinam legem, malè hic fuiſſet damnata ſub pœna anathematis, quia
151 quod eſt præter legem Divinam, non eſt peccatum, cum peccatum ſit dictum, factum, concupitum contra legem Dei, ut dictum eſt ſupra *n.* 126. Rectiùs igitur Hoſt. hic *n.* 4. exponit verbum, *Alienum*, id eſt, contrarium, & ideò non ſervandum.

152 Non obſtat ultimum, quòd cæcus nec ad pias cauſas teſtari poſſit, non ſervata forma *l. Hac conſultiſſima, Cod. Qui teſtam. facer. poſſ.* ſecundùm Card. ſupracitato *nu.* 110. Quoniam oppoſitum tenet Alex. *ibid. num.* 14. Et quamvis Angel. *in lectura Peruſina ejuſdem legis nu.* 4. *ver. Idem*
153 *dicam*, putet *dict. leg. Hac conſultiſſima*, non procedere in teſtamento cæci condito ad pias cauſas, quando relinqueret piis & venerabilibus locis, in quibus ceſſat ſuſpicio falſitatis; ſecus ſi aliis privatis perſonis pauperibus, quæ propter egeſtatem multoties ſolent ad delicta inclinari: tamen Alexand. generaliter tenet dictam legem non habere locum in teſtamento cæci ad pias cauſas, qualeſcumque perſonæ inſtituantur, cùm in eis non attendatur prohibitio juris civilis, ſed ſervetur jus gentium, *cap. Relatum, infrà eod.* & cum eo tranſit ibi Jaſon. *num.* 4. *circa fin. verſ. Secundò limita.*

154 Ad confirmationem reſpondetur primò, negando antecedens, quia plures, & majoris auctoritatis cenſent cæcum teſtari poſſe inter liberos coram duobus teſtibus ad præſcriptum *leg. Hac conſultiſſima*, §. *Ex imperfecto, Cod. de teſtamen.* Et ita in ſpecie concludit Bald. *in l. Hac conſultiſſima, num.* 2. *Cod. Qui teſtam. facer. poſſ.* Nam cùm hæc lex ſpecialiter loquatur in cæco, & illa ſpecialiter in patre, principalior judicatur lex, quæ in patre loquitur ratione favoris; & ideò hæc derogat illi, quæ loquitur in cæco, arg. eorum, quæ notat Dyn. *in cap. Generi, de regul. jur. lib.* 6. Item inter liberos non cadit timor falſitatis, cùm ſuccedant ab inteſtato, & cum Bald. conſentiunt ibi Ang. *num.* 4. *verſ. Sed quid erit in patre?* Salycet. *num.* 9. Paulus de Caſt. *in §.* 1. *num.* 9. Alex *num.* 13. & Jaſ. dicens communem *num.* 4. Quinimò Romanus quamvis oppoſitum ſentiat, tamen fatetur opinionem Bald. eſſe æquiorem, & ſequendam, tum propter illius auctoritatem, tum quia non habet contradictionem, tum denique quia in dubio ſequenda eſt opinio, quæ magis favet teſtamentis, *l. Si pars, ff. de inoff. teſtam. c. fin. ſupra de re judic.*

155 Reſpondetur ſecundò, negando conſequentiam; nam etſi ſolemnitas *d. leg.* ſervanda eſſet in teſtamento inter liberos, non tamen inde ſequeretur, ut eſſet ſervanda in teſtamento ad pias cauſas, quia in hoc tractatur de favore animæ, & Religione Divina, quæ carior eſt filiis, ita dicit Bart. *in l.* 1. *num.* 74. *C. de ſacroſ. Eccleſ.* & favor animæ præponendus eſt favori liberorum, *l. Sancimus, Cod. eod.* & ſic magis favetur teſtamento condito ad pias cauſas, quàm teſtamento condito inter liberos, ut ex verbis Bart. deducit Alex. *in l. Pactum quod dotale in* 4. *col. Cod. de pactis*, quem ſequitur Jaſon. *ibidem num.* 18. Nec refragatur auctoritas Auguſtini ſupracitata *num.* 111. quia procedit
156 quantum ad legitimam filiis debitam. Nam ſi quis vellet privare filios legitima, illos exhæredando, & inſtituere Eccleſiam, faceret contra officium pietatis, & Eccleſia, quæ eſt pietatis mater, tale teſtamentum non admitteret, ut notat Bart. *in d. l.* 1. *num.* 55. 60. 61. & ibi declarat Jaſon. *num.* 18.

157 Ulteriùs quæro, ſtante ſtatuto Urbis *cap.* 42. tenoris infraſcripti, videlicet, inter cives, incolas, & diſtrictuales ubique ſerventur Urbis ſtatuta; niſi in loco diſtrictus in caſu contingenti aliter per particularia ſtatuta fuerit proviſum, & ubi ſtatuta non diſponunt, ſervetur jus civile (nec immeritò quando in hac urbe Romana jura civilia orta, acceptaque ſunt, & ad alios populos defluxerunt, & adhuc ſuſcepta benignè ſervantur) & ubi deficit jus civile, tunc ad ſacros Canones recurratur.

An teſtamenta condita in Urbe juxta diſpoſitionem hujus *c. Cùm eſſes*, ſuſtineantur, necne. Rota in cauſa Romana bonorum de Stocchis 27. Maji 1588. coram bon. me.
158 Hieronymo Pamphilio in propriis terminis ſtatuti Urbis, reſolvit teſtamentum non ſuſtineri: verba deciſionis hæc ſunt.

(Dixerunt Domini, quòd licèt teſtes, qui inducuntur ad probandam deſcendentiam, probent in dicto, quia omnes concludunt, Petrum Stocchum inſtituiſſe hæredem univerſalem Damianam ſuam matrem, & poſt ejus obitum Trojanum ſuum conſobrinum: nihilominùs hæc probatio 159
non relevat, quia agitur de probando teſtamento nuncupativo, in quo non ſufficiunt quinque teſtes, ſed ad illius probationem, & validitatem ſeptem requiruntur, *l. Si unus, l. Hac conſultiſſima, C. de teſtam.* §. *fin. inſtit. eod. titul. cum vulgar.* Clar. *in* §. *Teſtamentum, quæſt.* 56. Neque poſſe ſubſiſtere ex diſpoſitione *cap. Cùm eſſes, de teſtam.* quia, ut dicit Dec. *conſ.* 315. *nu.* 4. aliàs eſt *conſ.* 314. aliàs 316. *incip. Superioribus diebus, nu.* 7. *verſ. Non obſtat*, non habet locum in Urbe, ubi adeſt ſtatutum, quod ſervetur jus civile, 160
quo ſtatuto non eſt dubium Petrum ligari; quia attenditur locum conditi teſtamenti juxta doctrinam Bart. communiter approbatam *in l.* 1. *Cod. de Summa Trinit.* quam pluries ſequuta fuit Rota etiam in iſtis terminis in cauſa Bononien. de Solimeis.] Hactenus verba deciſionis.

Eandem opinionem tenuerunt Magdal. *de numero teſt. in teſtam. requiſit. cap.* 8. *num.* 24. 25. *&* 26. *part.* 2. Gratian. *diſcept. forenſ.* 223. *num.* 52. quos noviſſimè refert, & ſequitur Joan. Baptiſta Fenzonius *in adnotationibus ad d. cap.* 42. *num.* 8. quibus addo Alex. *conſ.* 177. *Viſo themate, num.* 2. *verſ. Quia reſponſio, lib.* 2. ubi idem conſuluit in terminis 161
ſtatuti Ravennæ à Sede Apoſtolica confirmati, quòd ſervari debeat jus civile, quando eſt contrarium juri Canonico. Imò voluit ibi Alex. hoc ſtatutum valere etiam ſine confir- 162
matione Apoſtolica, quia populi ſubjecti Eccleſiæ Romanæ etiam quoad temporalem juriſdictionem poſſunt ſtatuta condere contra jus Canonicum ſervanda quoad ipſos laicos, ut latè firmat Abbas *in c. Quod Clericis, num.* 45. *de foro compet.*

Ego verò exiſtimo hanc opinionem non eſſe veram, 163
quia etſi de validitate ſtatuti Urbis hæſitari non poſſit, ex his, quæ tradit Alex. *loc. cit.* ſaltem ſtante confirmatione Gregorii XIII. ex certa ſcientia, & cum cauſæ cognitione; ut in Bulla Confirmationis incip. *Urbem Romam*, edita 8. kalend. Julii 1580. tamen cùm ſtatutum *d. cap.* 42. non loquatur ſpecificè de teſtam. ſed generaliter de obſervantia 164
juris civilis, debet declarari, & limitari, ut locum non habeat in illis legibus, quæ ſunt contra jus Divinum, & fovent peccatum. Neque enim credendum eſt Summum 165
Pontificem ſtatuti authorem, qui jus Divinum uſque ad animam & ſanguinem ſervare debet, *cap. Sunt quidam*, 25. *q.* 1. *gloſ. in cap. A nobis, de decimis*, Abb. *hic num.* 8. *poſt med. verſ. Item Princeps*, & cujus officium eſt peccata extirpare, *cap. Novit, verſ. Nullus qui ſit ſanæ mentis*, & ibi Anchar. *nu.* 8. *ſupra de judic. gl.* 1. *in Extravag. Ad onus, Joannis XXII. de elect.* per generalia verba dicti ſtatuti voluiſſe ſimilium legum obſervantiam præcipere. Sed leges civiles requirentes numerum ſeptem teſtium ad validitatem teſtamenti ſunt contra jus Divinum, quo ſcriptum eſt, *In ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum*, ut hic eſt textus rotundus, qui cavillari non poteſt, & conſtat ex dictis in præcedenti quæſtione *à num.* 114. *uſque ad nu.* 121. *&* 127. item fovent peccatum, ut latè oſtenſum eſt *ſupra à num.* 124. *uſque ad num.* 141. Ergo ſtatutum Urbis in hujuſmodi legibus locum non habet.

Præterea dictum ſtatutum jubens inter cives Romanos 166
& diſtrictuales ſervari jus civile, non extenditur ad illas leges, quæ reperiuntur expreſsè correctæ, & abrogatæ per jus Canonicum, ut in terminis ſtatuti Urbis firmavit Rota in cauſa Peruſina Bonorum 20. Aprilis 1592. coram Penia impreſſa poſt conſil. Farinac. *lib.* 2. *deciſ.* 65. *nu.* 2. poſt Capram *conſil.* 70. *num.* 12. adducens bonam rationem, quia jus civile correctum non dicitur ampliùs jus civile, 167
gloſ. 1. *in l. final.* & ibi etiam Bart. *num.* 1. *ff. ad l. Cornel. de falſ.* Sed leges civiles irritantes teſtamenta cum pauciori numero, quàm ſeptem teſtium, tamquam irrationabiles, & peccati nutritivæ ſunt abrogatæ per hoc cap. ſecundùm intellectum communem, & veriorem, ut dixi *ſupra in ſecunda lectura, nu.* 40. *&* 41. & fuſiùs *à n.* 113. *uſque ad n.* 117. præſertim in terris Eccleſiæ, ſecundùm alium intellectum itidem communem, ut ſimiliter dixi *ſupra in tertia lectura, num.* 46. *& ſeqq.* Ergo ſtatutum Urbis ad illas leges non extenditur.

168 Unde videmus pœnas ſecundò nubentibus infrà annum
luctus à jure civili impoſitas, ut *l. 1. & 2. C. de ſecund. nupt.*
tamquam ſublatas per jus Canonicum, ut *in c. Super illa*,
169 *& c. ult. de ſecundis nupt.* minimè habere locum inter perſo-
nas ſubjectas ſtatuto Urbis, Rota *d. dec. 65. nu. 1.* Capra *d.*
conſ. 70. n. 10. Ant. Gabr. *commun. concl. in tit. de ſecundis*
170 *nupt. concl. 5. n. 1.* Similiter de jure civili ordinandi ad Sacer-
dotium debent aliquid offerre ordinanti, & notario, ut in
Auth. *de Sanctiſſ. Epiſc. §. Pro conſuetudine*; ſed de jure Ca-
nonico ſecus, quia eſt ſimoniacum, *c. Si Epiſcopum*, 1.
171 q. 2. & ibi notatur *c. 1. de ſimon.* Item de jure civili licet pecu-
niam accipere pro fure judicando, *l. Ob turpem cauſam*, *ff.*
de condit. ob turp. cauſ. l. Solet, *ff. de præſcript.* ſecus de ju-
re Canonico, quia peccatum eſt, gloſ. *in c. Qui cum fure*,
in fin. de furt. Item conſenſus parentum de jure civili requi-
ritur ad validitatem matrimonii, *l. Nec filiam*, *C. de nupt.*
l. Nuptiæ, ff. de ritu nupt. ſed ſecundùm Canones non requi-
ritur talis conſenſus, niſi de honeſtate, *c. 1. 22. q. 2.*

172 Item de jure Canonico non eſt permiſſum jurare per
creaturas, niſi ubi invenitur expreſſum, puta per Evange-
lium, per Altare, per Crucem, ut *c. Conſidera, cap. Cleri-
cum, c. Habemus, & c. Si aliqua*, 12. q. 1. *c. Perveniat*, 10. *qu.* 5.
ſed de jure civili permiſſum videtur, *l. 2. §. fin. & l. ſeq. &*
173 *l. Qui per ſalutem*, *ff. de jurejur.* Item pupillus de jure civili
non tenetur ſervare juramentum, *l. 1. §. 1. C. de juram. ca-
lumn.* auth. *Sacramenta Puberum, C. Si adverſus vendit.* ſed
de jure Canonico tenetur, ſi ſit doli capax, ac non ſervando
174 pejerat, *c. Parvuli*, 22. *q.* 5. Item ſecundùm leges licitum eſt
contrahentibus ſe invicem decipere, & circumvenire, *l. In
cauſæ, ff. de minorib.* ſecundùm Canones non, *c. Per tuas, de
donat.* & notat *in c. Ea enim, §. Hoc jus*, in gl. *ordin.* 10. *qu.* 1.

175 Item in præſcriptione de jure civili non requiritur bona
fides, *l. Sicut in re, & l. Omnes, C. de præſcript. 30. ann.* quod
tamen corrigitur per jus Canonicum, *c. Si diligenti, de præ-*
176 *ſcrip. & c. fin. cum ibi notat. eod. tit. lib. 6.* Item filius familias
ſecundùm leges voto non obligatur, *l. 2. §. voto, ff. de pollicit.*
177 ſecus ſecundùm Canones, *c. Honorantur*, 32. *qu.* 2. Demum
aliis omiſſis de jure civili licitum eſt patri occidere adulte-
rum in flagranti crimine cum filia deprehenſum, dummo-
dò & ipſam filiam occidat, *l. Patri, cum tribus legib. ſeqq. ff.
Ad l. Juliam de adult.* idemque in certis caſibus licitum eſt
marito, ut *l. Marito, ff. eod. & l. Gracchus, C. eod. tit.* ſed hoc
abominantur ſacri Canones, ut *c. Si non licet*, 23. *q.* 5. *& cap.
Inter hæc, cum trib. cap. ſeqq.* 33. *qu.* 2. Porrò in his, & pluri-
bus aliis caſibus, quos cumulat Bart. *in tract. de differ. inter
jus Canonicum, & civile*, leges ſeculares tamquam invol-
ventes peccatum ſunt abrogatæ, & damnatæ per jus Cano-
nicum, & conſequenter nemo ſani capitis dixerit illas fuiſ-
ſe innovatas ex verbis generalibus ſtatuti Urbis; unde idem
dicendum de legibus irritantibus teſtamenta ob defectum
numeri teſtium, cùm & hæ tamquam peccati nutritivæ
ſint abrogatæ per hoc cap. ut prædixi.

Nec obſtat, quòd ſtatuta populi Romani fuerint confir- 178
mata à Greg. XIII. in forma ſpeciali. Quoniam ut formali-
ter reſpondet Rota *in præall. dec. 65. n. 1. verſ. Et ex his quo-
que*, confirmatio non dedit robur ſtatutis loquentibus de
jure civili, aliàs per jus Canonicum correcto; atque ita
jus civile etiam in materia teſtamentorum ſervabitur in il-
lis caſibus dumtaxat, in quibus expreſsè per jus Canoni-
cum non apparet abrogatum, ut ibi per Rot. & latiùs in
prædicta deciſ. Et ratio eſt evidens, quia de natura confir-
mationis eſt non alterare ſtatum rei confirmatæ, ſed illum
convalidare, aut ei robur adjicere, remanentibus tamen
omnibus in eiſdem ſtatu, & terminis, *l. Aurelius*, *§. Teſta-
menta, ff. de liber. legat, cap. 1. & 2. de confirm. util. vel inu-
til.* Bald. *in l. 1. in fin. C. Si adverſ. rem. judic.* Rot. *dec.* 175.
n. 8. part. 5. rec. & aliàs paſſim.

Quòd ſi diceremus verba ſtatuti Urbis *d. c.* 2. debere in- 179
telligi, etiam de legibus civilibus requirentibus numerum
ſeptem teſtium in teſtamentis: de validitate dicti ſtatuti ju-
re optimo dubitari poſſet, quia ut diſertis verbis dicitur in
hoc cap. hujuſmodi leges ſunt contra jus Divinum, Sancto-
rum Patrum inſtituta, & generalem Eccleſiæ conſuetudi- 180
nem: unde ut in propoſito ipſarum legum dicit Abb. hic *n.*
8. Princeps, etiam Papa, ſi condit leges contra ea, quæ dicit
Dominus, non dicitur condere leges, ſed potius convinci-
tur errare, *c. Sunt quidam*, 25. *q.* 1. & contra ſtatuta Patrum
condere aliquid, vel mutare, nec primæ Sedis poteſt autho-
ritas, dicit text. *in c. Contra ſtatuta, ead. cauſ. & q.* Item con- 181
tra generalem Eccleſiæ conſuetudinem, & ſic contra ſtatu-
tum generalem Eccleſiæ Papa venire non poteſt, gl. *in cap.
Per principalem, in ver. Ad nos, in fin. 9. q. 3. & in c. Literas*,
in ver. Non poteſt, de reſtit. ſpol. & in propoſito Abb. hic *n.* 9. 182
Præterea, ut idem inquit *n.* 30. Papa licèt à Deo receperit
poteſtatem, & dignitatem Pontificatus, non tamen pote-
ſtatem peccandi, ut dicit text. *in c. 1. 40. diſt.* nam Vicarius
non habet majorem poteſtatem, & dignitatem Pontifica-
tus, quàm ipſe Deus. Sed Deus peccare non poteſt, ut *c. fin.
de pœnit. diſt.* 2. ergo nec Vicarius debet hoc poſſe. Ad hoc 183
text. optimus in *c. Scripſit*, 7. *q.* 1. ibi, *Et ideo per nos fieri nul-
latenùs poteſt, nec peccatum, &c.* Et ita hujuſmodi ſtatuta
non valere, eleganter docuit Bald. *conſ.* 285. *Si quis juris,
col. 2. in fin. verſ. Sed contra, lib.* 3. dicens, ſtatuta, & conſue-
tudines locales requirentes in teſtamento numerum ſe-
ptem teſtium eſſe ſublatas per *hoc c. Cùm eſſes*, quaſi indu-
cant peccatum, & rebellent juri divino, quia infringunt ve-
ritatem; magis tamen credo ſtatuti verba ad prædictas
abrogatas non extendi ex defectu intentionis Papæ.

DE TESTAMENTIS.

Idem Alexander III. Judicibus Velletren.

CAPUT XI.

Relatum eſt, quòd cùm ad veſtrum examen ſuper relictis Eccleſiæ, cauſa deducitur, vos niſi ſeptem vel quinque idonei teſtes intervenerint, inde poſtponitis judicare: & infrà. Mandamus, quatenùs cùm aliqua cauſa talis ad veſtrum fuerit examen deducta, eam non ſecundùm leges, ſed ſecundùm decretorum ſtatuta, tractetis, tribus aut duobus legitimis teſtibus requiſitis: quoniam ſcriptum eſt: In ore duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum.

SUMMARIUM.

1 *Ultima voluntas ad pias cauſas coram duobus teſtibus valet, n. 4. & 7.*
2 *Legata pia peti poſſunt coram judice ſæculari, qui tenetur cauſam decidere non ſecundùm leges, ſed ſecundùm Canones.*
3 *Differentiæ ſex inter hoc cap. & precedens cap.* Cùm eſſes, *& num. ſeqq. uſque ad nu.* 15.
4 Talis, *dictio eſt reſtrictiva ad ſimilia, & diſſimilium excluſiva.*
5 *Ad pias cauſas valent non modò legata, & fideicommiſſa, ſed etiam inſtitutio heredis, de qua conſtat per duos teſtes, & num. ſeq.*
6 *Teſtamentum eſt, in quo hæres inſtituitur.*
7 *Suppletiones ad Decretales non ſunt permiſſæ, & qui ſupplet, corrigit.*
8 *Teſtes duo in teſtamento ad pias cauſas non ſunt de*

ſo-

ſolemnitate ſubſtantiali, ſed probatoria, quæ poteſt adimpleri per æquipollens, & n. ſeq.
9 *Teſtamentum ad pias cauſas ſcriptum manu teſtatoris valet ſine ullo teſte.*
10 *Teſtamentum inter liberos ſcriptum, vel ſubſcriptum manu teſtatoris ſine aliquo teſte, valet quoad liberos, ſed non quoad extraneos, niſi ſaltem duo teſtes intervenerint.*
11 *Teſtamentum ad pias cauſas coram duobus teſtibus valet etiam in terris Imperii, & in foro civili.*
12 *Teſtes in teſtamento ad pias cauſas non requiritur, ut ſint rogati.*
Et poteſt adhiberi etiam mulier, & n.14.
13 *Regulæ Soccini falsò eidem tribuuntur.*
15 *Cæcus an poſſit teſtari ad pias cauſas non ſervata forma l. Hac conſultiſſima, C. Qui teſtam. fac. poſſ. remiſſivè.*

1 R*Elatum*. Valet ultima voluntas ad pias cauſas coram
duobus teſtibus. Hoc dicit Jo. And. Butr. Card. Anch.
Imol. Joan. de Anan. & eſt caſus ſingularis ſecundùm Abb.
Dividitur in tres partes. Prima ponit factum reprehenſibi-
le, quod ſecunda corrigi mandat, ibi, *Mandamus*. Ter-
tia mandatum probat, ibi, *Quoniam*.
2 Nota primo ibi, *Ad teſtium fuerit examen deducta*, jun-
cta ſuprafcriptione, legata pia peti poſſe coram judice ſę-
culari, ipſumque judicem teneri hujuſmodi cauſam decide-
re non ſecundùm leges, ſed ſecundùm Canones, ut in
litera, & hìc notant Butr. Imol. & Abb. *in 1. notab.*
3 Secundò nota ex textu ſex differentias inter hoc cap.
& præcedens *c. Cum eſſes*, ex quibus habebis intellęctum
text. & explicationem materiæ.
4 Differunt enim primò, quia hoc cap. loquitur de ultima
voluntate ad pias cauſas, ut patet ibi, *Super relictis Eccle-
ſiæ*, nec non ibi, *Cum aliqua cauſa talis*; nam dictio, *Ta-
lis*, eſt reſtrictiva ad ſimilia, & diſſimilium excluſiva, Bald.
in conſ. 284. in lib. Eſdræ n. 2. lib. 3. Et ita hìc tenent Jo. And.
& cæteri in ſummar. text. Feder. de Sen. *in conſ. 217. Fa-
ctum tale eſt: Quidam nomine, n. 2. verſ. Cùm ergo*, Ge-
min. *in conſ. 49. Super iſto puncto, n. 5.* Et hanc opinionem
ſequuntur omnes nemine excepto, ut inquit Pariſ. *conſ. 51.
Teſtamentum, n. 1. lib.* 3. Sed c. præcedens loquitur de ul-
tima voluntate ad non pias cauſas. Et quamvis Bernar. hìc
in gl. 1. & 2. & in c. præced. in gl. 3. item gloſ. Jo. Raymund.
Bart. & quidam alii ſenſerint, etiam cap. præcedens loqui
in relictis ad pias cauſas: tamen contraria opinio eſt ve-
rior, & magis communis, ut optimè deducit Gemin. *d.
conſ. 49. num. 5.* & ſcripſi pleniùs in eodem cap. *in 1. lectura
n. 38. & in 2. lect. num. 41.*
5 Secundò differunt, quia hoc c. ſecundùm aliquos loqui-
tur in legatis, & fideicommiſſis particularibus, ut innui-
tur ibi, ſuper relictis Eccleſiæ: præcedens verò loquitur in
teſtamentis, & conſequenter etiam in inſtitutione hære-
dis, quæ eſt caput, & fundamentum totius teſtamenti,
§. *Ante hæredis, inſtit. de legat.* & ſecundum Abb. Antiq.
6 hìc *n. 1.* teſtamentum eſt, in quo hæres inſtituitur. Sed hęc
differentia non eſt vera, quia etiam hæc Decretalis loqui-
tur de teſtamento, ponderando illa verba, *Septem idonei
teſtes*: nam numerus ſeptem teſtium non requiritur, niſi
in teſtamento, ut *l. fin. C. de fideic. cum concord.* Unde per
hoc c. valere non tantùm legata, ſed etiam inſtitutionem
hæredis ad pias cauſas, de qua conſtat per duos idoneos te-
ſtes, tenet Feder. de Sen. *d. conſ. 217. n. 2. verſ. Cùm ergo*,
dicens, in hanc ſententiam conſentire quaſi omnes opinio-
nes in his Decretalibus recitatas.
7 Tertiò differunt, quia ex præcedenti *c. Cùm eſſes*, in te-
ſtamento ad non pias cauſas ultra duos teſtes neceſſariò
etiam requiritur præſentia Presbyteri Parochialis, ut ibi di-
xi *n. 55.* reprobando lecturam Ant. de Butr. At verò per hoc
cap. in teſtamento ad pias cauſas ſufficiunt duo teſtes: ut in
litera ibi, *Duobus legitimis teſtibus*, & tenent omnes in
ſummario textus. Neque enim admittendus eſt ſingularis
intellectus Petri de Sampſone, qui in litera ibi, *Duobus*,
addebat, pręter Presbyterum, ut ſic non recedatur à regu-
la præcedentis *c. Cum eſſes*, prout eum refert ibi Jo. Andr.
n. 2. in fin. Etenim hujuſmodi additiones, & ſuppletiones
ad Decretales non ſunt permiſſæ, Clem. *Ne Romani*, ibi,
Vel addi, de elect. & qui ſupplet, corrigit, ut in Auht. *de
non alien. in princ.* Brixien. *in Repert. in verb. Suppletio.* Et
Proſp. Fagnan. in III. Lib. Decretal.

hanc opinionem ſequitur etiam Rota *dec. 734. n. 6. p. 1. di-
verſ.* dicens eam communem, poſt Alex. *in l. Si certis an-
nis, ſub n. 5. verſ. Et tale relictum, C. de pact. & conſ. 131.
n. 2. lib. 7.* & Clar. *in §. Teſtamentum, q. 6. verſ. Hinc in-
fertur*, & ſubdit ibi Rota *n. 7 & 13* hos duos teſtes non re- 8
quiri pro ſubſtantia teſtamenti, ſed ad probationem illius
allegat Corn. *conſ. 215. n. 4. lib. 2. & conſ. 307. Videtur prima
facie, n. 6. lib.* 3. Et ex hoc ſingulariter infertur, ut valeat 9
teſtamentum ad pias cauſas manu teſtatoris ſcriptum, et-
iam ſine ullo teſte: nam cùm teſtes, ut prædixi, non ſint de
ſolemnitate ſubſtantiali, ſed probatoria, hæc ſolemnitas po-
teſt adimpleri per æquipollens, ſecundùm ea, quæ notan-
tur *in cap. Tuæ*, & ibi dixi *nu. 22. infra de ſponſalib.* Ideò-
que qualitercumque appareat ultima voluntas ad pias cau-
ſas, ita ut ſit legitimè probata, non eſt curandum, an inter-
venerint teſtes, necne. Et ita in ſpecie firmant Imol. *in l.
Si iis qui, ff. de teſtamen.* Corn. *d. conſ. 307. num. 6 & per
tot.* Tiraquel. *in tract. de privil. priv.* 4. Idque ad exemplum 10
teſtamenti inter liberos, quod ſi ſit ſcriptum manu teſtato-
ris, vel aliena, ſed manu ipſius teſtatoris ſubſcriptum, va-
let ſine aliquo teſte quoad liberos, licèt non quoad extra-
neos, niſi ſaltem duo teſtes intervenerint, ut eſt textus in
§. *Nos igitur, auth. de teſt. imperfect.* & in Auth. *Quod ſine,
C. de teſtam.* & in Auth. *Si modo, & in l. ult. C. Famil. Er-
ciſcund.* & tenent Imol. Corn. & Tiraq. *loc. cit.* & reſolvit
Rota *d. dec. 734. num. 1. & per tot. p. 1. diverſ.* Quod num-
quam obliviſcaris, quia eſt notabilis limitatio ad hanc de-
cretalem requirentem numerum duorum teſtium in teſta-
mento ad pias cauſas.
Quartò differunt, quia hoc cap. cum loquatur de relictis 11
Eccleſiæ, in quibus poteſtas Papæ non reſtringitur ad limi-
tes alicujus territorii, *c. Cuncta per mundum, 9. q. 3.* abſque
dubio ſervari debet non tantùm in terris ſubjectis tempo-
rali juriſdictioni Eccleſiæ, ſed etiam in terris Imperii, &
tam in foro Eccleſiaſtico, quam in foro civili, ut egregiè
probat Bart. *in l. Habeat, n. 70. uſque in fin. Cod. de Sacroſ.
Eccleſ.* & hìc tenet Imol. *in 2. not.* dicens ita communiter
teneri, & Abb. *n. 2. & 3.* per ea, quæ notantur *in c. Eccle-
ſia S. Mariæ de Conſtit. & in c. Quod Clericis, de foro com-
pet.* & nullus diſcrepat. At vero an teſtamentum ad non
pias cauſas conditum coram Parocho, & duobus teſtibus
ad præſcriptum præcedentis *c. Cùm eſſes*, valeat in terris
Imperii, & in foro civili, magnoperè altercantur Legiſtæ
cum Canoniſtis, ut ibi dixi *in 2. & 3. lectura, & in qu. de
teſtam. cæci à n. 113. uſque ad n. 157.*
Quintò differunt, quia præcedens caput reſtringitur ad
teſtamenta, quæ fiunt in articulo mortis; quam tamen re-
ſtrictionem non habet tex. in præſenti. Sed hæc differentia
non eſt vera, quia etiam cap. præcedens locum habet in
quocumque teſtamento, licèt condito extra mortis arti-
culum, ut ibi dixi *in 6. Lectura, n. 63.*
Sexta, & ultima differentia eſt, quia in teſtamento ad 12
non pias cauſas condito, ad pręſcriptum pręcedentis *c. Cum
eſſes*, teſtes debent eſſe rogati, ſecundùm veriorem opinio-
nem, ut ibi dixi *n. 17.* At in teſtamento ad pias cauſas, de
quo loquitur hoc c. talis ſolemnitas non requiritur. Nam
etſi Doctores noſtri videantur ſentire hanc Decretalem
non providere in relictis ad pias cauſas, niſi reſpectu nume-
ri teſtium: ideòque Franciſcus de Aretio conſuluerit teſtes
eſſe rogandos, quia non debemus recedere à jure civili, niſi
quatenus contrarium reperitur cautum de jure Canonico:
tamen hoc reprobat Abb. *hic n. 3 verſ. Unde concludit.* Et
benè, quia licèt quęſtio hìc fuerit propoſita de numero te-
ſtium: nihilominus in concluſione, quæ magis eſt atten-
denda, Papa dat generalem doctrinam, ut hæc cauſa te-
ſtamenti ad pias cauſas non tractetur ſecundùm leges, ſed
ſecundùm Decretorum ſtatuta: & ſubdit Abbas, ita hodie
communiter ſervari. Nec obſtant illa verba: teſtibus requi-
ſitis, quia text. noſter ibi non intendit, ut teſtes in ultima
voluntate ad pias cauſas debeant eſſe requiſiti, ſeu rogati à
teſtatore; ſed verbum, *Requiſitis*, refertur ad judices, & eſt
ſenſus, ut judices, ad hoc ut poſſint judicare pro relictis ad
pias cauſas, debeant requirere, ut fiat probatio ipſorum
relictorum, ſaltem per duos teſtes, ut hìc declarat Jo. de
Imol. *n. 15.* & poſt eum Alex. *in conſ. 131. ſuper themate, n.
2. lib. 7.* ſubdens hanc opinionem eſſe approbatam & in
judicis, & in ſcholis, quam etiam communem eſſe atteſta-
tur Socc. *in regul.* 420. teſtes in teſtamento regulariter ro-
gati eſſe debent, *in 2. fallen.*, quem refert Boer. *deciſ.* 34.

n.5.(licet revera ille liber regularum falsò tribuatur Soc. ut ex ipſius ore ſe habuiſſe teſtatur Soc. Jun. ejus nep. *in conſ.* 24. *poſt n*.4. *lib*.3.) Alios plures refert Jul. Clar. *in* §. *Teſtamentum*, *q*.6. *verſ. Secundo infertur*. In talibus enim ceſſat ſuſpicio falſitatis, ut dixi *in c. Proximo*, *n*. 23. *ſupra eod.*

Et quod dictum eſt de teſtibus rogatis, idem intelligas de muliere, quæ in teſtamento ad non pias cauſas condito ad præc. c. non poteſt eſſe teſtis, & tamen poteſt in teſtamento ad pias cauſas, ut ibi dixi in 6. *not*. *n*. 34. 35. & 36.

An autem cæcus poſſit teſtari ad pias cauſas non forma ſervata, *l. Has conſultiſſima*, dixi in eodem *c. Cum eſſes*, *nu*.110. & 152.

DE TESTAMENTIS.

Gregorius IX. Nomon Epiſcopo.

CAPUT XVII.

TUa nobis fraternitas intimavit, quod nonnulli tam Religioſi, quàm Clerici ſæculares & laici, pecuniam & alia bona, quæ per manus eorum ex teſtamentis decedentium debent in uſus pios expendi, non dubitant aliis uſibus applicare. Cum igitur in omnibus piis voluntatibus ſit per locorum Epiſcopos providendum, ut ſecundùm defuncti voluntatem univerſa procedant, licèt etiam à teſtatoribus id contingeret interdici: Mandamus, quatenùs executores teſtamentorum hujuſmodi, ut bona ipſa fideliter & plenariè in uſus prædictos expendant, monitione præmiſſa compellas.

SUMMARIUM.

1 *EPiſcopus cogit executores ad exequendas pias voluntates defunctorum, etiamſi teſtator hoc interdixerit.*

Et dicitur pia voluntas ad hunc effectum etiam ad non pias cauſas, n. 5. verſ. Pias autem voluntates.

2 *Epiſcopus exequitur ultimam voluntatem, cum certus executor deputatus non eſt; vel ſi eſt, detrectat exequi.*

3 *Et quid ſi teſtator providerit ſibi de alio executore in caſum negligentiæ primi.*

4 *Epiſcopi ſunt executores piarum diſpoſitionum in caſibus à jure conceſſis.*

5 *Sed rationes exigere poſſunt ab adminiſtratoribus piorum locorum etiam privatorum, & in caſibus non conceſſis à jure.*

6 *Executores teſtamentorum falcidiam non detrahunt,*

7 *Falcidia non detrahitur de legatis ad pias cauſas.*

8 *Adminiſtrator Capellæ non poteſt fructus ſua induſtria & labore excreſcentes pro ſe retinere.*

9 *Executores compelli poſſunt ad exequendam piam teſtatoris voluntatem etiam per cenſuras.*

Executoris officium ſibi delatum in teſtamento non cogitur quis acceptare, ibid.

10 *Monitiones quot, & quales requirantur, ut executor poſſit cogi ad implendam teſtatoris voluntatem.*

11 *Monitio unica ſufficit in merè extrajudicialibus, ſecus in aliis.*

12 *Teſtator non poteſt prohibere, quin in caſum negligentiæ jus exequendi devolvatur ad Epiſcopum, & nu. ſeqq.*

13 *Sicut nec poteſt cavere, ut tutor non teneatur de dolo, licet malè adminiſtret.*

14 *Voluntas teſtatoris pro lege ſervanda eſt, ſi ſit licita; aliàs ſecus.*

15 *Ordinarius non poteſt ſe immiſcere adminiſtrationi, & viſitationi Capellarum contra tenorem fundatoris à Sede Apoſtolica approbatæ, niſi in caſu negligentiæ adminiſtratorum.*

16 *Epiſcopus in fundatione excluſus à viſitatione, & adminiſtratione hoſpitalis, poteſt tamen in his ſe immiſcere adminiſtratoribus negligentibus.*

17 *Teſtator non præſumitur voluiſſe, ut judicium ſuum reddatur eluſorium.*

18 *Executores teſtamentorum eſſe poſſunt Clerici, & Religioſi, etiam ad non pias cauſas.*

Fratres Minores non poſſunt eſſe executores teſtamentorum, ibidem.

19 *Religioſi etiam exempti cogi poſſunt ab Epiſcopo ad exequendam teſtatoris voluntatem, & n.49.*

20 *Regularis, cui teſtamento commiſſa eſt diſtributio annui redditus ſecundum mentem teſtatoris ei ſecretò communicatam, an ſit executor, vel legatarius ita ut Monaſterium poſſit dictum redditum ſibi vendicare, & n. ſeqq. uſque ad n.36.*

Et an cogi poſſit ſecretam teſtatoris mentem revelare, n.36. uſque ad n.50.

Et an ei revelanti fides ſit adhibenda, n.50.

Eique recuſanti an ſit interdicendum executoris officium nu.52.

Et quomodo tunc exequendum, n.58.

21 *Legatarius, an excutor quis ſit, ex quibus colligatur, & num. 30.*

22 *Verbum,* poſſit, *non importat neceſſitatem.*

23 *Monaſterium ſuccedit ex perſona Monachi incapacis, etiam Monacho invito, & n. ſeqq.*

25 *Executor cenſetur, qui habet facultatem diſponendi ad libitum juxta voluntatem ſibi à teſtatore ſecretò communicatam.*

26 *Executoris officium conſiſtit in perſona Monachi, nihilque Ordini acquiritur.*

27 *Executori atteſtanti de voluntate teſtatoris ſibi ſecreto commiſſa creditur.*

28 *Monachus legatarius cum certo onere ſecretò injuncto non acquirit Monaſterio.*

26 *Legatarius, cui imminet reſtitutio, habetur loco executoris.*

31 *Diſpoſitio ſecundùm voluntatem ſecretò à teſtatore executori participata an valeat.*

32 *Voluntas ſecreto commiſſa an ſit captatoria, & an hæres teneatur ſtare dicto executoris, & n. 35.*

33 *Captatoria voluntas an teneat quoad non pias cauſas.*

34 *Captatoria voluntas quæ ſit.*

36 *Executor an teneatur revelare voluntatem teſtatoris ſibi ſecreto communicatam.*

37 *Juramentum executoris de non revelando ſuperiori ſecretam teſtatoris voluntatem eſt temerarium.*

38 *Secretum aliud receptum ſimpliciter, aliud in Sacramento pœnitentiæ.*

39 *Sacramenti vinculum majus quovis hominis præcepto.*

40 *Revelare non licet, quod notum eſt per viam ſacramenti, etiamſi eſſet in præjudicium totius mundi.*

41 *Secretum, quod vulgo injungitur ſub confeſſione, non eſt ſub ſigillo confeſſionis.*

42 *Teſtis tenetur propalare, quod accepit ſub ſigillo confeſſionis extra Sacramentum pœnitentiæ.*

43 *Teſtis legitimè interrogatus tenetur revelare ſecretum non obſtante fide, ac juramento de non revelando, & nu. 48.*

Secreti fides non habet vim obligandi contra jus, ibidem.

44 *Jurans non revelare ſuperiori præcipienti eſt perjurus.*

45 *Et quando hoc procedat.*

46 *Ve-*

46 *Veritas celari poteſt hoſti, vel perſecutori, non judici.*
47 *Secretum quibus caſibus revelandum.*
49 *Executor ſecundùm mentem teſtatoris tenetur reddere rationem.*
50 *Executori revelanti ſecretam mentem teſtatoris an ſit credendum, & nu. ſeqq.*
52 *Monachus executor poteſt à ſuperiore privari facultate exequendi, ſi voluntatem teſtatoris revelare noluerit.*
53 *Religioſus à ſuperiore privatus officio executoris etiam ſine cauſa propter bonum obedientiæ non poteſt contradicere.*
54 *Epiſcopus poteſt ſibi vendicare executionem alteri à teſtatore commiſſam, ſi ſit ſuſpicio fraudis.*
55 *Et fraudis ſuſpicio ex quibus oriatur.*
Præſumptio aliqualis oritur tacitæ fidei in fraudem legis accommodatæ, ſi ex verbis teſtatoris non appareat, an ſit facienda reſtitutio, ibid.
56 *Executoris fidei ſtandum non eſt, quando non eſt perſona legalis.*
57 *Legatum ab uxore diſtribuendum non valet ſtante ſtatuto, ut maritus non poſſit relinquere aliquid uxori.*
58 *Executore renuente ſecretam mentem teſtatoris revelare quomodo ſit facienda executio.*
59 *Legatum diſtribuendum ſecundum ſecretam mentem teſtatoris, dicitur ad pias cauſas, & deficiente executore fit caducum.*
Contrarium, num. 60.
60 *Epilogus, & concluſio quæſtionum.*

1 T*Ua nobis*. Epiſcopus compellit fideicommiſſarios ad exequendas pias voluntates defunctorum, etiamſi teſtator hoc interdixerit. Hoc dicit. Sunt duæ partes, conſultatio, & reſponſio, Secunda, ibi, *Cùm igitur*.

2 Nota primò, pias defunctorum voluntates eſſe executioni demandandas per Epiſcopum Diœceſanum, ut hìc per gloſſ. 1. & Hoſt. *n. 6. in ver. Per locorum Epiſcopos*. Sed intellige hoc verum eſſe in duobus caſibus.

Primus eſt, cùm nulli ſunt deſignati fideicommiſſarii, ſeu executores in teſtamento; aliàs enim ad ipſos, non ad Epiſcopum executio pertinet, ut eſt textus in *l. Nulli poſt princ. Cod. de Epiſc. & Cleric.* ubi habetur: Siquidem teſtator deſignaverit, per quem deſiderat redemptionem fieri captivorum, is, qui ſpecialiter deſignatus eſt, legati, vel fideicommiſſi habeat exigendi licentiam, & pro ſua conſcientia votum adimpleat teſtatoris. Sin autem perſona non deſignata teſtator abſolutè tantummodò ſummam legati, vel fideicommiſſi taxaverit, vir Reverendiſſimus Epiſcopus illius Civitatis, ex qua teſtator oritur, habeat facultatem exigendi pium defuncti propoſitum ſine ulla cunctatione impleturus.

Secundus eſt, cùm executores deſignati poſt monitionem detrectant voluntatem defuncti adimplere, ut hìc, & *in c. Joannes infrà eod.* & ſuprà in *cap. Si hæredes*, & *in l. Si hæreditas, ff. de petit. hæred.* & tenent hìc Innoc. in *ver. Compellas*, Hoſt. *num. 7. in ver. Licèt etiam à teſtatoribus*, aſſerentes Epiſcopum exequi voluntatem teſtatoris, cùm certus executor aſſignatus non eſt, vel ſi deputatus eſt, detrectat
3 exequi. Quod ultimum notabiliter limitat Abb. *n. 6. verſ. Et in hoc putarem, niſi teſtator providerit ſibi de alio executore in caſu negligentiæ primi*: eo enim caſu non ſuccedit Epiſcopus in executione, arg. *d. l. Nulli, & l. Si quis ad declinandam*. Ad hoc facit doctrina Bart. in *l. Libero, . Lucius num. 2. ff. de ann. legat.* ubi docet leges omnes, quæ dicunt relicta ad certum uſum poſſe per ſuperiorem aliis uſibus applicari, ſi in uſum deſtinatum converti nequeant, non habere locum, quando teſtator providit eo caſu quid fieri debeat de legato. Et idem intelligo, ſi in caſum negligentiæ ſecundi executoris teſtator alium deſignaverit. Verùm omnibus exequi detrectantibus, tandem fiet devolutio ad Epiſcopum; neque hoc prohiberi poterit à teſtatore, ut hìc
4 eſt caſus: unde meritò Concil. Trident. in *cap 8. ſeſſ. 22. Epiſcopi*, inquit, *etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati in caſibus à jure conceſſis omnium piarum diſpoſitionum ſint executores*. Pondera illa verba, *In caſibus à jure conceſſis*, propter quæ S. Congregatio declaravit decretum illud eſſe accipiendum juxta juris communis diſpoſitionem, ut in *cap. Nos quidem ſuprà eod. & in d. l. Nulli, & leg. Si quis ad declinandam, Cod. de Epiſc. & Cleric.* licèt ſecus dixerit eſſe 5
quoad rationes adminiſtrationis exigendas, juxta terminos *c. 9. ejuſd. ſeſſ. 22.* Nam cùm ibi non fuerint repetita illa verba, S. Congregatio conſulta, an *d. cap. 9.* ſit intelligendum abſolutè etiam in piis locis laicorum privatorum ſine ulla diſtinctione generaliter etiam in caſibus à jure non conceſſis, reſpondit ita eſſe intelligendum. Itaque Epiſcopi non ſunt generaliter, & indiſtinctè executores piarum voluntatum, ſed ad juris communis præſcriptum, & ſic in ſubſidium, id eſt, cùm nulli ſunt executores à teſtatore deputati; vel ſi ſunt, tamen moniti voluntatem teſtatoris renuant adimplere, niſi in hunc quoque eventum teſtator providerit ſibi de alio executore, ut dictum eſt ſupra. Licèt indiſtinctè jus habeant moroſos executores compellendi. Unde benè Anton. de Butr. *hìc num. 5.* ex hoc textu notat, etiam data mora exequendi, non devolvi ad Epiſcopum poteſtatem immediatè exequendi, ſed compellendi, niſi à jure, vel ab homine alius terminus reperiatur eſſe ſtatutus. Pias autem voluntates quoad hunc effectum Hoſtienſ. *num. 6.* intelligit generaliter omnes etiam ad non pias cauſas, dummodò non ſint contra legem. Et hoc eſt quod innuit littera hujus textus, ibi, *Univerſa procedant*, & in verbis præcedentibus, ibi, *In omnibus piis voluntatibus*, quaſi dicat, omnes ſunt piæ, *cap. Ultima voluntas* 13. *q.* 2. & *l. 1. C. de ſacroſan. Eccleſ.* Et quamvis gloſſ. 1. hìc reſtrinxerit diſpoſitionem hujus decretalis ad relicta ad pias cauſas; tamen ejus opinio expreſsè reprobatur in *ca. Joannes infrà eodem*, ſecundum Hoſt. qui propterea *n. 7. in fin. Hæc*, inquit, *non ſolùm in relictis ad pias cauſas, ſicut quidam garriunt, ſed etiam quoad ſolutionem debitorum, & alia locum habent*, ut legitur, & notatur in *d. cap. Joannes, & in cap. Hæredes ſuprà eodem*, & ſequitur Joan. Andr. *hic num. 4. in ver. Piis voluntatibus, & in d. cap. Joannes in ult qu. 9* & hæc eſt communis opinio, ut ibi teſtatur Anton. de Butr. in 5. *qu. num. 17. verſ. Communiter tenetur*: primum tetigi in *cap. Nos quidem ſuprà eodem*.

Secundò nota, ibi, *Plenariè in uſus prædictos expendant*, 6
executores de relictis ad pias cauſas nihil poſſe propriis uſibus applicare. Unde nec falcidiam detrahere poſſunt; tum 7
quia quarta falcidia non detrahitur de legatis ad pias cauſas, *Auth. Similiter, C. ad leg. falcid.* tum quia cùm ſint merè executores, nullum lucrum pertingere debent, ut in *Auth. de Eccleſ. tit §. Si autem Legatum, & leg. Si quis ad declinandam, C. de Epiſcop. & Cleric.* & tenent hìc Hoſt. *n. 9. in ver. Ut bona ipſa*, Joann. Andr. *nu 3. verſ. Quærit Hoſt.* Butr. *n. 8.* Anchar. *n. 5* & cæteri. Hinc cùm Ferdinandus 8
Fonſeca relictus adminiſtrator cujuſdam Capellæ à teſtatore inſtitutæ cum ſalario ducatorum decem, poſtulaſſet declarari, an faciendo celebrari Miſſam ſingulis diebus pro anima teſtatoris ſatisfaceret ejus voluntati, quæ fuit, ut ab adminiſtratore tot nummi ſolverentur Capellano Miſſas celebranti, quot poſſent ſupplere redditus hæreditatis, adeò ut liceret eidem adminiſtratori fructus ſuperexcreſcentes dictæ hæreditatis ejus induſtria, & labore pro ſe retinere: S. Congregatio cenſuit nihil poſſe ſibi applicare, ſed debere eum eſſe contentum ſuo ſalario ſcutorum decem, & quidquid ſuperexcreverit, teneri convertere in celebrationem tot Miſſarum, quot redditus ſupplere potuerint.

Tertiò nota, executores compelli poſſe ad exequendam 9
piam teſtatoris voluntatem, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, ut hìc notat Ancharan. *nu. 6.* Quod tamen intellige poſt ſuſceptum executoris officium, ut in *cap. Joannes*, ibi, *Poſt mandatum ſuſceptum, infrà eodem*. Nam etſi executio ultimæ voluntatis ſit res favorabilis, & pia, ut *l. 1. Cod. de ſacroſan. Eccleſ.* & dictum eſt ſupra *num. 5.* tamen non cogitur quis acceptare executoris officium ſibi delatum in teſtamento, ut colligitur ex gloſſ. in *d. c. Joannes in ver. Mandatum*, notat ibi Joan. Andr. in *eod. ver.* & Abb. *n* 3. Rurſus hoc intellige præmiſſa monitione, ut hìc, quæ ſecundum aliquos debet eſſe trina, ut in *cap. Indignè* 12. *q. 2. & in cap. Sacro infrà de ſent. excomm.* & in hoc reſidet Butr. *nu. 9.* Sed in hoc caſus verius eſt binam ſufficere, quia ita expreſſum eſt in *Auth. de Eccleſ. tit. §. Si autem pro redemptione*, & hoc tenet Hoſt. *hìc num. 10. in ver. Monitione*, Jo. Andr. *num. 5. in eod. ver.* Cardin. *num. 8. in 2. oppoſit.* & Anchar. *nu. 7. in 9. not.* & inter monitiones interponi debet ſpatium arbitrarium, *leg. Nonnunquam, ff. de judic.* ſaltem trium dierum, *l. Inter accuſatorem, ff. de publ. jud. & l. 3. Cod. de error. Advoc. cap. Ad noſtram, infrà de regular. & cap. Conſtitutionem*,

nem, *eod. tit. in 6.* non enim ſufficeret, ſi ter diceret, ſolve, ſolve, ſolve, ſecundum Abb. Antiqu. quem referunt,
11 & ſequuntur Joann. Andr. & alii prærallegati. Non obſtat, quòd in extrajudicialibus ſufficiat unica monitio, ut notat gloſſ. in *c. Si Epiſcopus, in ver....* 18. *diſt.* & Innoc. in *c. Cum nobis*, *de elect.* quia ſecus eſt, ſi non ſit merè extrajudicialis, ut hìc per Butr. *n. 9.*
12 Quartò, nota ſingulariter ex illis verbis, *Licèt etiam à teſtatoribus hoc fuerit interdictum*, teſtatorem non poſſe prohibere in ſuo teſtamento, quominùs in caſum negligentiæ executorum vel hæredum jus exequendi devolvatur ad Epiſcopum diœceſanum, intellige ut dixi ſupra *num.* 3. Concordat textus, unde hæc decretalis ſumpta eſt, in *Auth. de Eccleſ. tit.* §. *Si quis autem pro redemptione*. Rationem aſſignat gloſſ. *hìc in ver. Interdici*, quia privata diſpoſitio teſtatoris non poteſt generalem conſtitutionem legis, vel canonis immutare, *ca. Requiſiſti ſupra eod. & l. Nemo poteſt. ff. de legat.* 1. Simile in *cap. Sic quidem* 10. *q.* 1. Unde & lex falcidia contra voluntatem teſtatoris inducitur, *l. Si ut allegat*, *Cod. ad l. falcid.* & arg. *l. Titia teſtamento*, *ff. eod.* In hoc igitur non poteſt per teſtatorem Epiſcopi officium impediri, ſecundum Hoſtien. *n.* 8. Butr. *n.* 6. & Ancharan. *n.* 4. quia nec voluntati ſuæ irrationabili ſtari debet, *l. Si pecuniæ*, *ff. ut in poſſeſſ. leg. l. 2. ff. ubi pupill. educ. deb. & l. Cerdonen. ff. de oper. libert. & d. c. Requiſiſti*. Unde ſi præciperet oſſa ſua projici in mare, talis voluntas non eſſet ſervanda, *l. Quidam*, *ff. de condit. & demonſtr.* nec valeret, ſi diceret, nolo tutorem teneri de dolo, licèt malè adminiſtret, *leg. Qui-*
13 *dam*, *ff. de adminiſtr. tutor.* & poſt Vincentium, & Goffredum tenet hìc Joan. Andr. *n. 9. in gloſſ. penult.* ibi, *Prohibere*, & Cardin. *num. 8. in prima oppoſitione*, *verſ. Item ſecundum Vincentium*.
14 Atque ita non obſtat, quòd voluntas teſtatoris omninò ſervanda ſit, *cap. Ultima voluntas* 13. *quæſt.* 2. & ultimum teſtamentum hominis immobile perſeveret, *ca. Cùm Marthæ*, §. *Cæterùm*, *infrà de celebr. Miſſar.* cùm nihil ſit, quod magis debeatur hominibus, quàm ut ſupremæ voluntatis liber ſit ſtylus, *l. 1. in fin. C. de Sacroſ. Eccleſ.* Unde dicit text. diſponat teſtator, & fiat lex, in *Auth. de nupt.* §. *Diſponat, collat.* 4. Etenim hæc, & conſimilia jura procedunt, ſi voluntas teſtatoris ſit rationabilis, & licita, aliàs ſecus, ut ex dictis patet, & notat gloſſ. hìc in *ver. Voluntatem*, quam communiter DD. ſequuntur. Hæc autem, de qua agitur, eſt illicita, ſecundum Abb. Antiq. cui conſentiunt Joan. Andr. *n. 4.* in *verb. Interdici*, Cardin. *n. 7.* in 1. *oppoſit.* & Abb. Siculus *n.* 5. dicens propter irrationabilitatem non valere interdictionem teſtatoris, ut Epiſcopus non ingerat ſe contra executores: nam quemadmodum ipſe teſtator malè agendo non poteſt ſe ſubtrahere à foro Epiſcopi, ita non poteſt ſubtrahere ſuos executores in officio malè agentes.
15 Hinc aliàs Catharina de Mendoza Hiſpalenſis in ſua ultima voluntate diſpoſuit ex bonis ſuis inſtitui quaſdam Capellanias perpetuas pro aliquibus Presbyteris, & reliquit quaſdam dotes pro aliquibus puellis nuptui tradendis, & certos adminiſtratores elegit, quibus curam omnimodam dictarum Capellaniarum, dotiumque commiſit, expreſsè prohibens, ne Ordinarius, aut Superior aliquis in dictis operibus piis ſe intromitteret, etiam ex cauſa viſitationis, aut alia quacumque. Et cùm dubitatum fuiſſet, an dictæ diſpoſitioni obſtaret Concilium Trident. *cap. 8. & 9. ſeſſ.* 22. S. Congregatio cenſuit, ſi hæ diſpoſitiones teſtatricis cum hujuſmodi conditionibus in fundatione appoſitis fuerunt approbatæ à Sede Apoſtolica, non eſſe ſublatas à decreto Conc. *ſeſſ.* 22. *c.* 8. & ideò Ordinarium loci nullo modo poſſe ſe immiſcere adminiſtrationi, viſitationi, correctionive dictarum Capellaniarum, niſi in caſu negligentiæ adminiſtratorum ab ipſa teſtatrice deputatorum, juxta diſpoſitionem *c. Tua nobis. de teſtam.*
16 Et rurſus cùm quæſitum eſſet, an Epiſcopus in fundatione excluſus à viſitatione hoſpitalis, quia in fundatione ſit cautum, ne ſe adminiſtrationi, viſitationi, aut correctioni immiſceat, poſſit ſe immiſcere in caſu negligentiæ adminiſtratorum: Sac. Congregatio cenſuit poſſe, juxta *cap. Tua nobis, de teſtam.* Ex quibus declarationibus habes notabilem limitationem ad decretum Concil. *d. cap.* 9. Nam etſi expreſsè præſervet legem fundationis, ibi, niſi ſecus fortè in inſtitutione, & ordinatione talis Eccleſiæ, ſeu fabricæ expreſsè cautum eſſet: tamen hæc præſervatio intelligitur, juxta textum hìc, ut locum non habeat adminiſtratoribus negligentibus.

Addit Hoſtien. hìc *n.* 8. præſumi hanc fuiſſe mentem teſtatoris, qui hoc executorum fidei commiſiſſe videtur. 17
Non enim eſt veriſimile ſupradictam clauſulam in enervationem, vel eluſionem voluntatis ſuæ, vel in præjudicium Epiſcopi appoſuiſſe; ſed magis fide utriuſque uti voluiſſe, arg. opt. in *l. 3. ff. de milit. teſtam. in l. Qui nominibus*, & *l. Lucius*, *ff. de adminiſtr. tutor.*

Quintò, nota, non tantùm Clericos ſæculares, & laicos, ſed etiam Religioſos profeſſos deputari poſſe executores teſtamentorum. 18
Quod verum eſt etiam quoad non pias cauſas, ut de Clericis ſæcularibus probatur in *cap. Joannes*, *infrà eodem*, ubi poſt Hoſtien. hoc tenet Joan. Andr. *nu.* 18. *verſ. Aliquibus videtur*, & approbat conſuetudo, quæ ſecundum eum poteſt tolerari, dum tamen propterea non retrahantur à ſervitio divinorum. Ad hoc *cap. Sed nec*, *ne Cler. vel Monach. & cap. Cùm eſſent*, *de ſimon.* & cum hac opinione tranſeunt communiter Doctores, ut teſtatur Abb. in *præd. Decret. Joannes n. 7. circa fin. verſ. Tertiò dixerunt alii*, & in fine ſubdit eam communiter hodiè obſervari. Et de Religioſis patet in *cap. 2. infrà hoc tit. lib. 6.* ſecundum Jo. Andr. in *d. cap. Joannes in fin. verſ. Satisfaciat pro hac parte*. Sed apertiùs hoc eſt expreſſum in *Clemen. Religioſis*, *eod. tit.* ibi, cujuslibet ultimæ voluntatis: intellige, petita licentia, & obtenta à ſuo Superiore, ut in *d. cap.* 2. & *in dict. Clem.* & excipe ab hac Regula FF. Minores S. Franciſci, quibus hoc officium eſt interdictum, ut in *Clemen. Exivi*, §. *Verum*, *de verbor. ſignific.* & notant hìc Hoſtien. & Joann. Andr. ambo in *princip. in verb. Religioſi*, Abb. in 1. *notab.* & alii communiter.

Ultimò nota, etiam Religioſos cogi poſſe ab Epiſcopo diœceſano ad exequendam teſtatoris voluntatem, ut hìc eſt caſus. 19
Neque hac in parte Religioſi poſſunt ſe tueri exemptionibus, ut eſt expreſſum in *Clem. Religioſis*, *de teſtam.* De hoc latiùs infra *n.* 49.

QUÆRO: Poſita teſtamenti particula infraſcripti tenoris, videlicet: Item mandat, quòd per N. Generalem Ordinis N. exigatur capitale cum fictis annuis redditus ſcutorum 500. & tam de fictis, quàm de capitali poſſit idem Generalis diſponere, ipſoſque redditus vendere, & alienare, & eorum pretium recipere, juxta mentem prædicti teſtatoris, de qua idem Generalis ab ipſo edoctus eſt: & mandat eoſdem redditus tolli à partita dicti teſtatoris, & deſcribi in perſona prædicti Generali. 20

Item poſito, quòd idem Generalis cœperit hujuſmodi fictus exigere, ac deindè munus Generalatus expleverit, an Monaſterium poſſit prædictos redditus ſibi vendicare. Secundò, an ſi ille contendat ſe nudum eſſe executorem, atq; obſtrictum tegere teſtatoris voluntatem, cogi poſſit ad ſecretum hujuſmodi propalandum. Tertiò, an ipſi poſteà revelanti fides adhibenda ſit. Quartò, ſi omninò revelare noluerit, neque Ordinario rationem reddere adminiſtrationis, an poſſint Superiores regulares illi executoris officio interdicere. Quintò, & ultimò, in quos uſus eo caſu eoſdem redditus erogari oporteat.

Quoad primam quæſtionem, inſpectis quidem verbis ſupradictæ diſpoſitionis, defendi poſſet Monaſterio licere ſibi vendicare prædictos redditus: nam d. Monachus videtur eſſe legatarius, non executor. 21
Tum quia diſpoſitio in ejus perſonam directa eſt, *l. Si quis Titio*, ubi Bart. *n.* 1. Bald. *n.* 2. Imol. *n.* 2. atque alii notant, *ff. de legat.* 2. Cæphal. *conſ.* 359. *num.* 16. *vol.* 3. Bero. *q.* 86. *num.* 3. Tum quia 22
teſtator juſſit poni redditus ad partitam ipſius, quod arguit tranſlationem dominii, *l. Cenſualis*, ubi Bald. in *princ. C. de donat.* & Soccin. *conſ. 89. numer.* 12. *vol.* 1. Tum denique, quia à teſtatore data eſt ſimpliciter facultas dicto Monacho de his bonis diſponendi, ibi, *Poſſit idem Generalis diſponere*, *ipſoſque redditus vendere*, & *alienare*, & *c.* quæ verba cùm nullam importent neceſſitatem, *cap. Cùm aliquibus*, ubi gloſſ. in *verb. Concedimus*, *de reſcript. in 6.* Bart. & alii in *leg. Decem cum petiero*, *ff. de verb. oblig.* fusè Dec. *conſ.* 83. *num. 4. & ſeqq.* ex hoc etiam capite non videtur idem Monachus purus miniſter, ſed legatarius, cùm inde poſſit ſibi aliquid commodi derivare, ſi aut non ſtatim, aut non integrè prædictos redditus ſibi diſpenſet, *leg. Sulpitius*, ubi gloſſ. & Ollofr. *ff. de donat. inter vir. & uxor.* Bart. Florian. & Alber. in *d. l. Si quis Titio*, *ff. de legat.* 2. Roman. *conſ.* 228. *num.* 2. Itaque priori parte diſpoſitioni inſpecta Monaſterium ſuccederet ex perſona Monachi incapacis, *leg. Deo* 23

nobis,

nobis, *C. de Epiſc. & Cler.* c. 1. 18. qu. 2 Innoc. *in c. In præſentia n.* 7. atque ibi Joann. Andr. *col.* 4. *verſ. Illud autem certum eſt*, Butr. *num.* 20. Anchar. *ſub nu.* 17. *verſ. Venio ad oppoſita*, Ægid. *n.* 24. Abb. *n.* 76. Felin. *n.* 57. *de probat.* latè Honded. *conſ.* 94. *n.* 15. Bald. Salyc. Alber. & alii in *d. l. Deo nobis*, Bart. Imol. Alex. & Jaſon. in *l.* 1. *ff. de vulg. &*
24 *pupill.* idque etiam Monacho invito; & contradicente, ſecundùm opinionem, quam dicunt æquiorem, Bart. veriorem, Alber. tutiorem, Salycet. procedentem ex canonica æquitate, Bald. communem Canoniſtarum, quibus ſtari debet, & ſimpliciter magis communem, Ripa *loc. cit.* & tuentur Archid. *in c. Statutum, in ver. Monaſterium* 18. q. 1. Guglielm. de Benedict. *in c. Raynutius, verſ. Si abſque liberis, il ſecondo n.* 8. *ſuprà eod.* Covarr. *in c.* 1. *n.* 21. *eod. tit.* & Honded. *d. conſ.* 94.

25 Cæterùm in caſu præſenti contrarium videtur reſpondendum, ideſt nullo modo poſſe Monaſterium hujuſmodi redditus ſibi vendicare; quia in fine diſpoſitionis adjecta eſt limitatio illa, juxta mentem, & voluntatem teſtatoris eidem Monacho communicatam, quæ reſtringit omnia præcedentia, & oſtendit dictum Monachum non eſſe legatarium, ſed executorem voluntatis teſtatoris, quam in ſecreto accepit, juxta terminos *l. Theopompus, ff. de dote præl.* ſuper quo extat plenum conſilium Fulgoſ. 75. incip. *Ex facto proponitur*; ubi ſub *n.* 2. *verſ. Præterea*, in fortioribus terminis reſpondit, poſſe dici nudam executricem quandam Antoniam, quam teſtatrix inſtituerat hæredem cum poteſtate alienandi, & donandi quomodocumque voluerit, etiam invitis ſubſtitutis pro implenda voluntate, quam in ſecreto dicta teſtatrix eidem commiſerat; & ibi conſuluit Fulgoſ ex dicta diſpoſitione nihil fuiſſe quæſitum patri dict. Antoniæ quoad uſumfructum; quia quamvis ipſa habuerit ampliſſimam facultatem diſponendi de bonis teſtatricis ea, tamen facultas eſt reſtricta ad facultatem ſibi communicatam, quæ limitatio operatur, ut ipſa nihil habeat commodi, & ſucceſſivè nihil poſſit quæri patri ex perſona ſua; & in ſimili caſu etiam conſuluit Roman. *conſ.* 228.

26 Undè intrat doctrina Baldi *conſ.* 232. *Præmittendum eſt n.* 1. *lib.* 1. ubi ait officium executoris reſidere in perſona ipſius Monachi executoris, nihilque acquiri Ordini, quia perſonale eſt, & conſiſtit in voluntate, & facto ejuſdem executoris. Quod etiam aſſerit Jacob. de Arena *in tract. de Commiſſar. n.* 41. & ſequitur Anchar. poſt alios *in c. Religioſus, n.* 13. *verſ. An executor de teſtam. in* 6. Quod citra dubitationem videtur procedere in caſu, de quo agi-
27 tur, quia ut proponitur dict. Generalis teſtatur non fuiſſe mentem diſponentis, ut aliquid quæratur ſibi, vel Monaſterio: creditur enim executori teſtificanti de voluntate teſtatoris ſibi ſecretò commiſſa, ut reſpondit Cuman. qui ait hanc videri communem ſententiam, *conſ.* 178. *n.* 4. Bar. & DD. *in d. l. Theopompus, ff. de dot. præleg.* Alex. *conſ.* 54. *ſub n.* 1. ubi aſſerit ita omnes tenere, *vol.* 2. Afflict. *deciſ.* 371. *n.* 4. quod tamen infra latiùs explicabitur.

28 Quamobrem quatenùs etiam dictus Monachus eſſet legatarius, nihil tamen quæri poſſet Monaſterio, quia habet certum onus ſibi ſecretò injunctum, quod non debet in aliud commutari, ut in terminis affirmat Pariſ. *conſ.* 26. *n.* 29. *p.* 4. Quo caſu Monaſterium excluditur tam ex capite inhabilitatis executoris, qui non poteſt, quàm contrariæ voluntatis teſtatoris, qui non vult aliquid Monaſterio erogari, ut perpendit Anchar. *conſ.* 84. *in princ.* Legatarius enim, cui imminet reſtitutio, habetur loco executoris, itaut nullum retineat commodum, ut inquit ad litteram Bald. *in l. Si quis Titio ſub num.* 2. *verſ. Alio modo actualiter, ff. de leg.* 2.

29 Poſtremò in his propriis terminis conſuluit latè Cuman. *conſ.* 108. *per tot.* ubi teſtator legavit quædam uxori, deditque illi poteſtatem alienandi, prout dixit, in ſecreto; cujus
30 quidem ſecreti noluit quemquam eſſe participem. Reſpondit Cuman. hujuſmodi uxorem eſſe miniſtram, non legatariam; ideòque legatum ipſa mortua non cedere lucro ſuorum hæredum, ſed teſtatoris; & ibi Cuman. *num.* 3. reſpondet motivo, cur illa uxor non cenſeatur legataria, cùm verba diſpoſitiva in ejus perſonam ſint collata; oſtendit enim id non procedere, quando teſtator elegit ſpecialem fidem alicujus, quemadmodum cenſetur elegiſſe per ſecretam commutationem ſuæ voluntatis, quia tunc is cenſetur executor, licèt verba diſpoſitiva in eum collata ſint; & hæc quoad primam partem.

Secunda pars quæſtionis quinque habet inſpectiones inferiùs examinandas. Prima eſt, an valeat diſpoſitio ſecundum formam ſuprascriptam. Secunda, ſuppoſita ejus validitate, an Monachus teneatur revelare ſecretam mentem teſtatoris. Tertia, an ſit credendum ipſi ſponte revelanti. Quarta, ſi omninò noluerit revelare, an ſit privandus executione. Ultima, quomodo tunc ſit exequendum.

Quoad primam, multorum eſt opinio non valere diſ- 31
poſitionem ſecundum ſecretam mentem teſtatoris executori participatam, quam videtur ſequi Bart. in *l. Theopompus n.* 4. atque Alexan. *in apoſtilla litt. G, ff. de dote præleg.* Imol. in *c. Cum tibi col.* 12. *nu.* 22. *ſupr. eod. & in l. Captatorias col.* 3. *ſub n.* 5. *verſ. Item attendo, & col.* 5. *ſub n.* 8. *propè fin. verſ. Sed juxta prædicta, ff. de hered. inſtit. & in l. Illa inſtitutio col.* 4. *ſub n.* 9. *verſ. Item quia quando teſtator*, Alex. *in d. l. Captatorias col. pen.* ſecundum quam conſu- 32
luit Bald. *conſ.* 482. incip. *Quia dictus vocatus, verſ. Illud autem lib.* 4. ubi ait hujuſmodi diſpoſitionem in ſecreto commiſſam eſſe captatoriam, nec teneri hæredem ſtare dicto executoris, niſi aliàs probet. Idem reſpondit Card. Zabar. *conſ.* 124. *per tot.* ubi probat hanc voluntatem non tenere quoad non pias cauſas: Eſt enim, inquit, talis vo- 33
luntas captatoria, tamquam, quæ collata fuit in ſecretum ultimæ voluntatis. Et paulò poſt aſſerit nihil obſtare, quòd teſtator mandaverit executori, ut diſponeret, prout in ſecreto ei ordinaverat: Nam ex quo, inquit de tali ordinatione non apparet, habetur pro non facta.

Quod etiam tradit Bart. *in conſ.* 168. incip. *Quidam habent bona ſub n.* 3. *verſ. De ſecundo*, ubi latè conſuluit in caſu, in quo teſtator mandavit cuidam Titio, ut reſtitueret illicitè quæſita, utque de illis ſtaret dicto ipſius; & reſpondit hujuſmodi diſpoſitionem eſſe ipſo jure nullam, & non eſſe ſtandum aſſertioni ejuſdem Titii. A Bart. non diſcrepat Alex. *conſ.* 54. *n.* 3. *lib.* 2. Afflict. *dec.* 371. *n.* 4. ubi pro- 34
bat captatoriam eſſe voluntatem, ſi teſtator dicat: Committo tibi voluntatem meam, quàm ſecretò tibi dixi; & Dec. *conſ.* 21. *n.* 20. *vol.* 2. Et quamvis hæc opinio non videatur abſolutè vera, ut ex infra dicendis patebit; cùm tamen illam ſequantur tot graviſſimi Auctores, inde colligitur hujuſmodi diſpoſitiones eſſe valdè ſuſpectas, ideòque oportere judices eſſe proniores ad illas, ubi fieri poſſit, reſcindendas, vel moderandas.

Poſita igitur hujus diſpoſitionis validitate, pro qua reſ- 35
pondit Anchar. *conſ.* 436. & plures alii, ut inferiùs dicetur dubitatur pro reſolutione ſecundi capitis, vel inſpectionis, an Monachus teneatur revelare ſecretam mentem teſtatoris. Qua in re Anchar. *d. conſ.* 436. *nu.* 4. & 5. *verſ. Ex prædicta*, aſſerit, licèt ſubdubitans, executorem 36
ſecundum ſecretam mentem teſtatoris non teneri reddere rationem, quia meræ ſuæ fidei mandavit teſtator; & idem de executore ſecundum conſcientiam ſuam, tradit Paulus de Caſtr. *conſ.* 187. *n.* 1. *in princ. lib.* 1. Verùm Bart. *conſ.* 195. *n.* 3. *verſ. Super tertio lib.* 1. reſpondit eum, cui aliquid in ſecretum commiſit teſtator, teneri interroganti reſpondere, an tacitam fidem accommodaverit de reſtituendo incapaci, ac rem totam exprimere idem Bart. in *l. Non intelligitur, §. Tacitè n.* 3. *ff. de jure fiſci*, & latiùs in *l. fin. n.* 10. *ff. de iis, quibus ut indig.* Jacob. Mandola *conſ.* 42. *n.* 2.

Quinimò tenetur reſpondere, etiamſi præſtitiſſet teſta- 37
tori juramentum de nunquam revelando, quia hujuſmodi juramentum eſt temerarium, & non ligat, ut in terminis conſuluit Cardin. Zabar. *conſ.* 35. cujus dictum refert, & latè comprobat Felin. *in c. Intimavit ſub n.* 4. *verſ. Quibus ante omnia adde elegans conſilium Zabarellæ de teſtibus*, & poſt Navarr. *in c. Inter verba* 11 *q.* 3. *p. ult. coroll.* 65. tradit Covarr. *in epit. de ſponſ. c.* 8. §. 5. *n.* 10. *p.* 2. præſertim concurrente fraudis ſuſpicione, atque aliis, de quibus inferiùs dicetur.

Quæ omnia omninò conſentiunt cum Theologorum 38
traditionibus diſtinguentium inter ſecretum receptum ſimpliciter, & receptum in Sacram. Pœnitentiæ. Nam S. Thom. 2. 2. q. 70. *art.* 1. *ad ſecundum*: De illis, inquit, quæ homini ſunt commiſſa in ſecreto per confeſſionem, nullo modo debet teſtimonium ferre, quia hujuſmodi non ſcit ut homo, ſed tamquam Dei miniſter, & majus eſt vinculum Sacramenti quolibet hominis præcepto. Atque ibi 39
Cajet. *in reſponſ. ad tertium in fine*, Navarr. *in c. Inter verba* 11. *q.* 3. *coroll.* Quod etiam aſſerit Sot. *de teg. ſecret. q.* 7. 40
mem-

membro 2. concluſ. 4. verſ. Attamen, adjicens non licere revelare, quod via Sacramenti notum eſt, quamquam ſit præjudicium totius mundi. Ac poſteà ſubdit: Docendi ſunt tamen litterarum ignari, quòd non cadunt ſub ſigillo
41 confeſſionis, quæ vulgò dicuntur in confeſſione. Sunt enim, qui ut arctiùs obligent ad ſecretum, ſignant ſe ſigno Crucis, & flectentes genua dicunt ſe committere ſecretum in confeſſione; cùm tamen ubi quis non confitetur omnia ſua peccata cum intentione accuſandi ſe, nullum ſit Sacramentum; atque adeò non intervenit ſigillum confeſſionis, ut illud ſecretum revelare ſit ſacrilegium. Quod etiam tradidit Cajet. ad S. Th. *loc. cit. verſ. In reſponſione ad tertium*, ubi dicit etiam hoc non magis obligare, quàm juramentum de tegendo ſecretum; & eſt doctrina Innoc. *in c. Omnis utriuſque n. 7. de pœnit. & remiſſ.* ubi ait: Illos autem non credimus ut Dei miniſtris confiteri, qui non ut pœniteant, ſed ut conſilium, vel auxilium ab aliquo recipiant, dicunt ſibi peccatum ſuum, licèt dicant: Hoc tibi dico in Confeſſione, vel in Pœnitentia, quia non eſt verum, quòd dicit in Pœnitentia, nec ut Dei miniſtro, cùm animæ conſilium non requirat; & tales benè ſunt cogendi ſuper præmiſſis ferre teſtimonium. Ita Innocen. quem ibi ſequuntur Hoſt. Jo. Andr. Abb. & alii communiter, prout de communi teſtatur Navarr. *in Manuali c. 18. n. 55.* Imò Sot. in 4. *diſt. 16. q. 3. art. 3. verſ. Eſt*
42 *tam latum*, ait, adeò differre ſecretum, quòd accipitur ſub hujuſmodi cæremoniis, ab eo, quod accipitur ſub ſacro ſigillo Confeſſionis, ut ille, qui ſic recipit, legitimè de illo interrogatus in judicio teneatur illud propalare, cùm nefas eſſet, ſi in Sacramentali Confeſſione audiviſſet.

43 In his verò, quæ ſecretò aliqui committuntur extra confeſſionem, tenetur quis revelare, ac teſtimonium ferre quoad ea, quę ſecundum ordinem juris ab eo per ſuperiorem exiguntur, ut docet S. Th. *ibid.* in corpore articuli. Unde Sot. *loc. cit. Non obſtat*, inquit, *fides, quam quis ſecretò commiſit, etiamſi jurejurando ſe adſtrinxerit, quominus teneatur ſecretum detegere, ſi modò in judicio vi, & ratione petatur; quia fides ſecreti non habet vim obligandi contra jus, nec præjudicium parit judici, quin poſſit compellere eum, quando neceſſum fuerit*, & inferiùs ait: *Quicumque fidem ſuam alteri diſtrinxerit, & jure ipſo interprete intelligat id facere ſecundum jus; atque adeò quando athoritate judicis revelat ſecretum, nihil infidelitatis admittit.*

44 Sed & S. Bonav. *in 4. ſent. diſt. 21. art. 2. q. 3.* quærit utrum recipiens aliquid in ſecreto teneatur revelare ſuperiori præcipienti; & in fine reſpondit teneri etiamſi præſtitiſſet juramento de non revelando, quia juramentum eſt nullum, & in præjudicium veritatis, & obedientiæ, ideòque addit agendam eſſe pœnitentiam de perjurio pro eo, quòd
45 contra juſtitiam juratum eſt. Cujus dictum Angel. in *ver. Teſtis, in fin. nu. 33.* intelligit procedere, quando ſuperior hoc requirit ex aliquo bono reſpectu, & ut pater provideat; atque ita conciliat S. Bonavent. cum doctrina S. Thom. Item Guido Fulgoſius, qui Clemens IV. inde creatus eſt, in conſultationibus ad inquiſitores *q. 8.* ſic ait: Sed nec juramento, vel voto in contrarium emiſſo: nam licèt veritatem celare poſſimus hoſti, vel perſecutori, ut 22.
46 *q. 2. c. Ne quis*, judici tamen veritatem inveſtiganti eam celare mortale peccatum eſt, ut 11. *q. 3. c. Quiſquis*. Ergo juramentum, vel votum in contrarium emiſſum non eſt ſervandum, 22. *q. 4. c. In malis*. Cujus verba refert, & ſequitur in Franciſc. Pegnia in *2. p. Direct. inquiſit. lib. 2. ſchol. 15. in fin.*

47 Item Alex. de Ales *in 4. ſent. diſt. 19. art. 2.* an Confeſſor, quod novit in confeſſione, & extra teneatur revelare in *reſponſ. verſ. At illud quod objicitur per ſimile*, ſic ait Quando promittit aliquis alicui, quòd celabit aliquod ſecretum, quod ſibi committit, hoc debet intelligi ſi non cogat eum obedientia ſuperioris ad revelationem, vel neceſſitas mentiendi, vel damnatio innocentis, vel alia hujuſmodi, quibus contraire non poteſt, nec debet; unde ſi quis promiſiſſet alicui, quòd teneret aliquod factum ſecretum, & poſt niſi vellet illud teſtificari, damnaretur aliquis innocens, vel neceſsè eſſet ipſum mentiri, vel eſſe inobedientem, vel aliquod grave ſcandalum oriretur: non exiſtimo, quòd in tali caſu debeat factum illud celare.
48 Quod ipſum docet ibi S. Th. *diſt. 21. art. 3.* & S. Bonav. *q. 3. verſ. Sed circa hoc occurit quæſtio*, ubi addit in hanc propoſitionem etiam juriſperitos magis conſentire; ideòque qui juravit teſtimonium non dicere, juramento non obſtante teſtificari compellitur, text. ad litteram *in c. Intimavit, de teſtib.* atque ibi docent gloſſ. *fin.* Innoc. Hoſt. Jo. Andr. Ant. de Butr. Anchar. Abb. Felin. atque alii omnes.

Quibus etiam accedit, quòd in caſu præſenti teſtator 49
non prohibuit revelationem ſuæ voluntatis, ſed ſimpliciter juſſit, ut bona diſtribuerentur ſecundum mentem ſuam. Quo caſu executores tenentur omninò reddere rationem, atque illam exprimere, licèt cum minori rigore exigenda ſit in his, quam in aliis, ut inquit Jo. Andr. poſt Jac. de Raven. *in addit. ad Specul. in tit. de inſtrum. edit. §. Nunc verò aliqua ſub nu. 20. lit. P*, *in addit.* incip. *Sacramento*. Neque in hoc ſuffragatur executori, quòd ſit regularis exemptus, & Prælatus. Quoniam Concil. Viennenſe *in Clem. Religioſis, de teſtam.* volens præſcindere materiam delinquendi, diſertis verbis ſtatuit, ut locorum Ordinarii rationem exigant à Religioſis etiam exemptis, & Prælationem habentibus, de teſtamentorum executionibus, quas geſſerunt, & puniant quos circa id deliquiſſe repererint.

Quòd ſi dictus Monachus ſponte revelaverit ſecretam 50
mentem teſtatoris, quæritur, an illi ſic revelanti fides adhibenda ſit; quę eſt tertia inſpectio ſuperiùs propoſita. Et quidem aut Monachus deponit non juratus, & nihil illi creditur, ut in propriis terminis eſt text. in *d. l. Theopompus, in ver. Juratus*, & ibi notat Bart. *ff. de dote præleg.* & ſequitur Bald. *conſ. 256. ſuper 1. puncto in princ. lib. 4.* Caſtr. *conſ. 177. in q. n. 2. verſ. Tertiò lib. 3.* Afflict. *dec. 371. n. 6.* Alex. *conſ. 54. ſub n. 5. verſ. Nec obſtat lib. 2.* Aut deponit juratus, & tunc creditur illi, dummodò deponat ſuper veriſimili, & mentem teſtatoris ſibi ſecretò participatam coaudjuvet aliquibus probabilibus conjecturis. Ita probat textus in materia *in l. Quoniam hæredi*, ibi, *Si quibuſdam argumentis apparebit, de quo dixit, ff. de reb. dub.* & tradunt Bart. *in d. l. Theopompus ſub n. 4.* ubi dicit dictum executoris, cui aliquid teſtator in ſecreto voluntatis commiſit, credendum non eſſe, niſi aliquibus legitimis pręſumptionibus hoc præſumeretur eſſe verum, Raph. Cuman. *conſ. 118. ſub n. 2. verſ. Circa ſecundum*, ubi ampliùs requirit, ut id, quod teſtator commiſit in ſecreto, debeat probari per duos teſtes, aliàs exiſtimat irritam eſſe hanc voluntatem; quia, inquit poterit dici, adeſt jus, ſed de- 51
ficit probatio, Covarr. qui alios congerit in *c. Cùm tibi, in fin. ſup. eod.* ubi ait, non eſſe ſtandum aſſertioni illius, cui teſtator commiſit voluntatis propriæ revelationem, niſi afferat eam fuiſſe teſtatoris voluntatem, quæ ex conjecturis apparentibus veroſimilis ſit.

Sin autem dictus Monachus omninò induci nequeat ad 52
revelandum: quæritur pro abſolutione quarti capitis, an ſit privandus executione: Et videtur reſpondendum affirmativè, quia Superior regularis, qui dedit licentiam Monacho, ut poſſit eſſe executor poteſt illum privare facultate exequendi etiam re non integra; & quamvis malè faciat, 53
ſi illum privet ſine cauſa; tamen propter bonum obedientię religioſus etiam eo caſu non poteſt contradicere. Ita expreſsè tradit gloſ. *in d. Clem. Religioſis, in ver. Obtenta, de teſtam.* quam ibi poſt Paul. ſequitur Card. Zabar. *nu. 11. in fin. verſ. Quintò quæro*, Imol *n. 8.* Abb. *n. 7.* Petr. de Raven. *in gloſſ. in ver. Obtenta*, Jo. Vaſq. *in 3. concl.* Vital. *ſub n. 37.* Anchar. *n. 31.* Tab. *in ver. Executor n. 15* Armil. *eod. ver. n. 15.*

Hoc autem licere cum cauſa, admittunt omnes *in d.* 54
Clem. Religioſis, Specul. *de inſtrum. edit. §. Nunc verò aliqua n. 53. verſ. Quid ſi executor, & verſ. Porrò*, ubi aſſerit licere Epiſcopo vendicare ſibi electionem, quam teſtator poſuit in arbitrio alterius, ſi ſit ſuſpicio fraudis etiam nulla præcedente accuſatione. Quod etiam tradiderunt Bald. *in l. Nulli ſub n. 5. verſ. Sed circa hoc, C. de Epiſc. & Cler.* Oldrad *conſ. 196. factum in fin. verſ. Tertia quæſtio*, Card. poſt alios in d. *Clem. Religioſus n. 23. &* Anchar. *ſub nu. 6. verſ. Venio ad aliquos*. Fraudis autem ſuſpicio in caſu pręſenti multipliciter conſideratur. Primò ex modo, & for- 55
ma diſpoſitionis teſtatoris: oritur enim aliqualis præſumptio fraudis ex legato facto ſecundum mentem ſecretam teſtatoris, ut docet gloſ. *in fin. in l. Lucius, §. in teſtamento, ff. de legat. 1.* ubi Bart. *in ſumm.* Si ex verbis, inquit, teſtatoris non apparet perſona, cui debet fieri reſtitutio, aliqualis pręſumptio aſſumitur tacitę fidei in fraudem legum aſſumptę. Quod repetunt ibi Bald. *n. 4. & 5.* Paul. de Caſtr. *n. 1.*

Ful-

Fulgoſ. *verſ. Ibi dicitur*, Alber. poſt Dyn. *n.* 2. & ſimpliciter id præſumi factum in fraudem, Menoch. *de præſumpt. lib* 4. *præſumpt.* 96. *n.* 11.

56 Secundò oritur ſuſpicio fraudis ex perſona dicti Monachi; tum quia ad præſens dicitur eſſe ſub judice; neque enim eſt ſtandum fidei executoris, quando non eſt perſona legalis, ut inquit Jacob. à Canib. *de execut. ult. volunt. in* 3.

57 *p. de fine Commiſſariorum n.* 7. *verſ. Quod eſt verum.* Tum quia eſt religioſus incapax proprietatis. Ad quod affertur ſingularis doctrina Jo. Andr. in *addit. ad Specul. tit. de inſtrum. edit.* §. *Nunc verò aliqua, in addit.* incip. *Ad iſtum finem, quæ eſt in ver. Legat. ſub nu.* 2. *littera V.* ubi determinat, ſtante ſtatuto, ut maritus non poſſit relinquere aliquid uxori, non valere legatum factum pro anima teſtatoris diſtribuendum ab uxore, ne fiat fraus ſtatuto. Cujus doctrinam ſequuntur Alber. de Roſat. in 2. *part. ſtat. q.* 112. incip. *Statuto cavetur quòd nullus poſſit, & qu. ſeqq.* Alex. *conſ.* 57. *Proſpectis col.* 3. *& ſeqq. n.* 7. *lib.* 2. *& in l. Cogi*, §. *Hi qui ſolidum in fine, ff. ad Trebell.* Jaſon. in *l. Captatorias n.* 6. *C. de teſtam. milit.* Ergo eodem modo cùm religioſus prohibeatur aliquid proprium habere, *c. Nolo, & c. Non dicatis* 12. *qu.* 1. *c. Cùm ad Monaſterium, de ſtatu Monach.* & Concilium Trident. *c.* 2. *ſeſſ.* 25. *de regular.* non valebit legatum ab ipſo diſtribuendum juxta mentem ſecretam teſtatoris, ne fiat fraus legi: vel certè ſi valebit, aderit tamen vehemens ſuſpicio fraudis, quæ juncta cum aliis ſupradictis eſt omninò ſufficiens cauſa interdicendi illum officio executoris.

58 Sequitur ergo ultimum caput, id eſt, ſequuta privatione quomodo ſit poſteà facienda executio. Qua in re difficillimum erit inire rationem, per quam punctualiter ſatisfiat voluntati teſtatoris, quia de illa non conſtat, & in pias cauſas non videtur facienda diſtributio: nam ut ait Raph.

59 Cuman. *conſ.* 118. *ſub num.* 3. diſpoſitio ſecundum ſecretam mentem teſtatoris non poteſt dici ad pias cauſas, quæ non fuit commiſſa voluntati alterius per verba denotantia arbitrium boni viri, juxta terminos *c. Cùm tibi ſuprà eodem*, ſecundum intellectum Innoc. qui communiter approbatur: ſed teſtator retulit ſe ad ſuam ſpecificam commiſſionem ſecretò factam, quæ cùm poſſit eſſe ad cauſas non Pias, nulla eſt ratio, cur eam ad cauſas pias præſumamus: & idem fuſiùs reſpondit in *conſ.* 108. *per tot.* ubi propterea conſuluit hujuſmodi legatum deficiente perſona executoris fieri caducum, & cedere lucro hæredum teſtatoris. Antiquus tamen videtur Epiſcopum poſſe hujuſmodi bona in pios uſus diſtribuere; quia, ut ait Federic. de Sen. *conſ.* 293 *ſub n.* 2. *verſ. Ex prædictis*, fraudatio voluntatis teſtatoris non eſt ſufficiens ratio, ob quam jus exequendi non debeat devolvi ad Epiſcopum, ſi Religioſus fuerit prohibitus exequi à Superiore, ut etiam ſentit Butr. hìc *n.* 7. *verſ. Ego vidi multoties:* licèt in fine nihil velit decidere, quia cauſa erat pendens.

Præterquamquòd negari poteſt hoc modo fraudari voluntatem teſtatoris: quinimò ex benigniori interpretatione mens teſtatoris ſecreta, niſi aliud conſtet, debet cenſeri in piam cauſam, ut in puncto contra Raph Cuman reſpondit Raph. Fulgoſ. *conſ.* 745. *n.* 2. *verſ. Præterea*; ubi *ſub num.* 4. *verſ. Et hanc ſententiam*, ait hanc partem eſſe amplectendam, cùm pietati, & tacendæ voluntati teſtatoris convenientior ſit, & animæ etiam ipſius fructuoſior, ſecundum quam etiam conſuluit Angel. *conſ.* 201. *n.* 3. *verſ. In fine*, & alios refert Clar. in §. *Teſtam. q.* 6. *verſ. Quinimò.* Et pro ea videtur caſus in *c. Cùm tibi ſuprà eodem*, ſecundum intellectum, quem dicit notabiliorem Abb. *ibi in princ.* 60

Quibus omnibus in compendium redactis videtur reſpondendum prædictum Monachum eſſe nudum executorem, & teneri revelare ſecretam mentem teſtatoris, & rationes reddere, eique eſſe adhibendam fidem, ſi juratus deponat, & concurrant probabiles conjecturæ; alioquin interdicendum eum eſſe officio executoris, & redditus eſſe erogandos in pios uſus arbitrio Epiſcopi; aliàs enim hoc eſſet exemplum pernicioſiſſimum, & cautela peſſima regularibus ad retinendum proprium contra votum paupertatis, & in fraudem Sacrorum Canonum, Tridentini Concilii, & Apoſtolicarum conſtitutionum. Hic caſus meo tempore contigit Mediolani, & in hanc ſententiam à Sac. Congregatione Concilii ſcriptæ fuerunt litteræ ad Cardin. Borromæum Archiepiſcopum. 61

DE TESTAMENTIS.

Idem Gregorius IX.

CAPUT XIX.

JOannes Clericus & P. laicus, executores ultimæ voluntatis O. Clerici ſanctæ Crucis, qui venerabilibus & piis locis, de bonis ſuis in ultima voluntate legavit, mandans inſuper ſatisfieri creditoribus per eoſdem: poſt mandatum ſuſceptum, per diœceſanum cogi debent, teſtatoris explere ultimam voluntatem.

SUMMARIUM.

1 *EXecutor teſtamentarius, qui ſuſcepit officium, illud exequi compellitur.*
2 *Clerici tamquam digniores ſunt præmittendi, ubi fit ſermo de Clericis, & laicis.*
3 *Ordinis præpoſteratio non vitiat.*
4 *Clericus, & laicus poſſunt ſimul deputari executores in teſtamento.*
5 *Alternativa in deputatione plurium executorum reſolvitur in conjunctivam.*
6 *Executio teſtamentorum pertinet ad Epiſcopum, etiam quoad temporalia.*
7 *Prælati inferiores habentes in loco juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, poſſunt compellere executores ad exequendam teſtatoris voluntatem.*
8 *Capitulum ſede vacante ſuccedit in juriſdictione compellendi executores teſtamentarios.*
9 *Executores teſtamentarii quibus nominibus appellentur.*
10 *Executores propriè qui ſint.*
11 *Clerici, & Religioſi deputari poſſunt executores in teſtamento etiam ad non pias cauſas.*
12 *Canonico Regulari, quem teſtator conſtituit executorem ad annuum redditum diſtribuendum cum facultate aliquid ſibi applicandi, an obſtet Concil. Trident. c.* 2. *ſeſſ.* 25. *de regular.*
13 *Regularis executor & legatarius ſuſtinet vices duarum perſonarum.*
14 *Canonicus Regularis an poſſit eſſe executor ultimæ voluntatis.*
15 *Executor ad diſtribuendum in pios uſus non poteſt ſibi aliquid applicare.*
16 *Regulari bona ſtabilia etiam in adminiſtrationem concedi non poſſunt.*
17 *Executor ad diſtribuendum dicitur adminiſtrator.*
18 *Legatum annuum factum regulari pro uſu ſuo de licentia Superioris percipiendum, an de jure communi ſit validum.*
19 *Et quid poſt Concilium Tridentinum.*
20 *Legatum factum regulari nec momento temporis poteſt eſſe apud eum, ſed illicò acquiritur Monaſterio.*
21 *Annuus redditus computatur inter bona ſtabilia.*

Joan-

1 JOannes. Executor teſtamentarius, qui ſuſcepit officium, illud exequi compellitur. Hoc dicit ſecundum omnes. Diviſionem non patitur, quia unicam habet verborum ſtructuram; ſed ad mentem primò ponitur quæſtio, deindè ſolutio. Secunda, ibi, *Poſt teſtatoris*. Et quinque facit ſecundum Jo. Andr. Dicit enim, qui erant executores, & cujus, & quid erat exequendum, & quando cogi debebant, & per quem; & hæc patent.

2 Nota primò ex ſtylo Curiæ Clericos præmitti, quoties fit ſermo ſimul de Clericis, & laicis, concordat *cap. Significavit, de reſcript. c. Qualiter, de elect. cap. Tua nobis, ſuprà eodem, c. Prætereà, de uſur. cap. Ad falſariorum, de crimine falſi, c. Propoſuit, de Cler. excomm. miniſtr. cap. Clerici, de exceſſ. Prælator. c. Ex parte, il primo, de privil & cap. Gravem, de ſent. excommun.* Ratio eſt, quia cœtus Clericorum eſt dignior, *c. Solitæ, de major. & obed. c. Duo ſunt 96. diſt. cap. Denique*, & ibi gloſſa *prima 4. diſt.* ordo enim importat quemdam dignitatis gradum, & poteſtatem ſupra populum, ut docet S. Thom. in 4. *diſt. 26. q. 1. art. 2. q. 1.* Sed vide pro, & contra in *c. Per tuas. de arbitr.* ubi primò dicitur, per unum Clericum, & duos laicos; & paulò poſt,
3 à duobus laicis, & uno Clerico. Unde inferri poteſt, ut in his præpoſteratio ordinis non vitiet, ad idem *c. 2. de judic. cap. Prohibemus, de cenſib. c. Cauſam, de reſcript.* ſecundum Jo. Andr hìc *n. 3.* & Cardin. *n. 1.*

4 Secundò, nota Clericum ſimul, & laicum poſſe deputari executores in teſtamento: hìc enim conjunctim, & copulativè fuerant deputati, ponderando copulam, *&*,
5 ſecundum Joan Andr. *n. 4.* Sed tamen idem dicendum, ſi disjunctivè, quia tunc disjunctiva reſolvitur in copulativam, ut eſt textus notabilis in *l. Cùm quidam, Cod. de verbor. ſignificat.*

6 Tertiò, nota in *ver. Creditoribus, & in ver. Diœceſanum*, quod ſequitur, non ſolùm in relictis ad pias cauſas, ſed etiam quoad temporalia pertinere executionem teſtamentorum ad Epiſcopos, ſecundum Hoſt. Cujus opinio communiter tenetur, ut hìc teſtatur Anton. de Butr. in 5. *q. n. 17.* Dixi in *c. Tua nobis, ſuprà eodem.*

7 Quartò, nota ibi, *Per Diœceſanum*, officium compellendi executores teſtamentarios non tantùm ſpectare ad Epiſcopum, ſed etiam ad inferiorem Prælatum habentem in loco juriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi, juxta textum in *c. Abbates, de privileg. in 6.* Talis enim in his, quę juriſdictionis ſunt, venit Dięceſani appellatione, ut notat gloſſa in *Clem. 1. §. Volumus, in ver. Diœceſanis, de foro competent.* quam ibi ſequuntur Cardin. in 4. *q. n. 2.* Imola *nu. 38.* Vitalin. *nu. 4.* & Abb. *nu. 15.* dixi latiſſimè in *c. Accedentibus, infrà de exceſſ. Prælator.* & in propoſito tenent hìc Jo. Andr. *nu. 9. in ver. Diœceſanum*, & Abb. *n. 2.* in 5. *notab.* qui
8 ampliùs putant in hac juriſdictione compellendi executores ſuccedere etiam Capitulum ſede vacante. De cujus verò loci Dięceſano hæc littera intelligatur, dic plenè, ut per Jo. Andr. *n. 21.* & Butr. *n. 12.* in 1. *q.*

9 Quintò, nota executores teſtamentarios non appellari executores ſimpliciter, ſed executores ultimæ voluntatis; & dicuntur executores, ideſt perfectores, & conſummatores ſecundùm Goffred. Hoſt. & Joann. Andr. Qui interdum appellantur etiam commiſſarii, interdum fideicommiſſarii, interdum diviſores, interdum diſtributores, interdum gradiatores, de quo vide in Specul. *de inſtrum. ædit. §. Nunc verò aliqua*, qui aliàs eſt *verſ. ſub §. Compendiosè, ad fin. col. 1.*
10 Sed propriè ſecundùm prædictos dicuntur executores, qui ſententias exequuntur, *l. fin. C. de execut. rei judic. & c. Paſtoralis, §. Quia verò ſup. de offic. deleg.* De variis executorum acceptationibus vide hìc per Jo Andr. *n. 5.*

11 Ultimò nota Clericos, tam ſæculares, quàm regulares poſſe deputari executores ultimarum voluntatum, ut de Clericis in genere eſt caſus hìc, & expreſsè de Clericis ſæcularibus, & religioſis, in *c. Tua nobis, ſuprà eod.* Quod eſt verum etiam ad non pias cauſas, ut hìc probatur ponderando litteram ibi, creditoribus, necnon ibi, ultimæ voluntatis, ſecundum Hoſt. *n. 2. in ver. Ultimæ voluntatis*, & Jo. Andr. *nu 18. verſ. Aliquibus videtur.* Quorum opinio communis eſt, & obtinuit ex conſuetudine, ut dixi in *d. c. Tua nobis in ult. notab.* Intellige, dummodò per hoc non retrahantur à divinis officiis. Et quoad regulares dummodò non ſint ex Ordine Minorum S. Franciſci, quibus hoc officium eſt interdictum, ut in *Clem. Exivi, §. Verum, de verb. ſignific.* & dummodò id fiat de licentia ſuorum Prælatorum petita, & obtenta, *c. Religioſus, de teſtam. lib. 6.* & *Clemen. Religioſis, eod. tit.* Quilibet enim Religioſus poteſt eſſe executor, ubi ſolùm committitur nudum miniſterium, plenè Rom. *conſ. 409. Quoad primum conſultationis articulum, n. 6. & ſeqq.*

QUÆRO, an Canonico Regulari, quem teſtator 12
conſtituit executorem ad annuum redditum diſtribuendum cum facultate ſibi applicandi portionem, quę ſibi videbitur, obſtet decretum Concilii Tridentini *cap. 2. ſeſſ. 25. de regular*

Canonicus regularis in dubio propoſito eſt executor, & 13
legatarius, ſuſtinetque vices duarum perſonarum, ſicut facit ille cui ſuus debitor mandat, ut ex bonis, quę ſunt apud eum, ſolvatur, Put *deciſ. 277. lib. 1.* Teſtator enim executorem ad annum redditum diſtribuendum conſtituit, & deinde illi permittit, ut ex eo poſſit ſibi applicare eam portionem, quæ ſibi videbitur, ut habetur apud gloſ. in *l. Si quis Titio, in verb. Uti miniſtrum, de legat. 2.* Bald. in *l. Quidam, §. Si ſcriptum, de legat. 1.* Ideòque hæ duæ diſpoſitiones ſunt ſeparatim conſiderandæ, & Canonicus ſuſtinens duas perſonas, ut duæ perſonæ conſiderari debet, ut not. in *c. A collatione, de appell. in 6.* & ex nullitate, aut validitate unius ex his diſpoſitionibus non infertur ad nullitatem, vel validitatem alterius, *c. Dilectus, il primo de præben.* ibi, *Nos facto ejuſdem legati illicito reprobato, quod eſt licitum approbantes.* Et ex regula, *Utile per inutile non vitiatur*, quam ad propoſitum noſtrum adducit Capra in *reg. fin. de ult. volunt. in 2. membr. nu. 11. in fine.* Utramque igitur ex his diſpoſitionibus ſeparatim conſiderando.

Quoad primam, in qua Canonicus eſt deputatus executor, videtur reſpondendum, Concilium non obſtare, quominùs is Canonicus hoc munus ſuſcipiat. Hodiè enim eſt 14
expeditum religioſos profeſſos poſſe hujuſmodi officium ſuſcipere accedente ſui Superioris ſpecifica licentia, ut in *c. fin. infr. eod. lib. 6. & in Clem. un. eod. tit.* & dictum eſt ſupra *in ult. notab.* & in Canonico regulari exemplificat Jacobus à Canibus *de execut. ult. volunt. part. 1. n. 3.* Licèt Speculator, qui ſcripſit ante jura Sexti, & Clementinarum, aliter ſentiat in *tit. de inſtrumen. edit. §. Nunc verò aliqua, nu. 70. verſ. Sæpè etiam quæritur utrum ſimplex Monachus, & num. 17. verſ. Quid de Canonicis regularibus.* Cujus opinio corrigitur in prædictis juribus, ut per Joann. Andr. ibi, *in Addit. littera F.*

Neque obſtat decretum *dict. cap. 2. ſeſſ. 25. de regular.* prohibens regularibus bona tamquam propria, aut etiam nomine Conventus poſſidere. Quia executor datus ad diſtribuenda bona in pios uſus, non poteſt ſibi, vel conventui aliquid regulariter applicare, & ſic tamquam propria, aut etiam nomine conventus non poſſidet, *leg. Si mandavero, §. Si tibi, ff. Mandati*, & in materia noſtra tradunt Archid. Jo Andr. *in c. fin. de teſtam. in 6. n. 3. verſ. Unde*, & ibi Anchar. *n. 13.* Franc. *n. 9.* Adden. ad Capell. Toloſ. *deciſ. 28.* Calderin. *de teſtam. conſ. 31. & 39.* niſi eſſet fortè in ſumma neceſſitate, Capra *dict. tit. in 6. membro, numer. 16. & ſeqq.* Et quamvis in ſecunda diſpoſitione in caſu noſtro caveatur, ut executor poſſit aliquid ſumere, tamen ſi Concilium obſtabit, illa ſecunda pars irritabitur; ſed inde non infertur, ut dictum eſt, ad nullitatem deputationis executoris, cui Concilium non obſtat.

Nec refragatur, quòd Concilium in d. c. prohibeat bona 16
ſtabilia concedi alicui regulari etiam in adminiſtrationem.
Nam reſpondetur executorem hujuſmodi non habere bo- 17
norum adminiſtrationem, ſed nudum miniſterium, ex quo nihil ſibi percipit emolumenti, vel commodi, ut ſupponimus in hac prima parte: nam ſi perciperet, jam non eſſet nudus miniſter, ſed legatarius, *l. Si quis Titio, ff. de leg. 2.* & docuit Bald. *conſ. 482. l. 4.* Feder. de Sen. *conſ. 56. Domine Franciſce, verſ. Secundò quæritur in princ.* Angel. *conſ. 129. bona dicti teſtatoris, verſ. Quia igitur.*

Quoad ſecundam partem, tametſi de jure communi lega- 18
tum factum regulari pro uſu ſuo percipiendum cum licentia ſuperioris, validum eſſe exiſtimaverint Calder. *conſ. 21. de teſtam.* Bart. in *Auth. Excipitur, C. de bon. quæ liber. & in l. Lucius, §. Tres hæredes, ff. ad Trebell.* Navarr. *conſil. 3. de ſtatu Monach. qu. 18. num. 49.* tamen textus in *cap. Monach. de ſtatu Monach.* in quo præcipuè fundantur eorum opinio, alium habet ſenſum; nam dum diſponit, ut Monachi poſſint habere peculium, ſi eis fuerit pro injuncta adminiſtratione permiſſum, non procedit niſi in Monachis officialibus, ut innuunt illa verba, pro injuncta adminiſtratione.

ne. Unde quoad reliquos Monachos, qui officiales non ſunt, ſalva manet prohibitio, de qua in principio illius textus, ut peculium eis habere non liceat etiam ex permiſſione Abbatis, ſecundum intellectum Innoc. Hoſtien. Jo. Andr. Anton. de Butr. & Auchar. ut ibi latiſſimè dixi.

19 Sed quidquid ſit de jure communi, certè inſpecta Trid. Concilii diſpoſitione in *d. c.* 2. videtur reſpondendum legatum non valere. Ita enim alias declaravit Sac. Congregatio, ut dixi in *d. c. Monachi*, reprobata Navarri opinione, qui in *conſ.* 14. *de ſtat. Monach. & in Commen.* 2. *de regul. nu.* 14. putavit *d. c.* 2. nulla in re immutaſſe diſpoſitionem juris communis, & de jure communi licitum eſſe regularibus habere peculium in ſuos honeſtos uſus de Superiorum licentia.

20 Itaque cùm legatum in effectu quoad regularem non valeat, etiamſi acceſſerit conſenſus Superioris; ſimul ac ipſe declarat, ſibi ex eo aliquid velle applicare pro uſibus ſuis, ut teſtator ei conceſſit, ex ejus perſona acquiritur Monaſterio, *c. Non dicatis* 12. *qu.* 1. *c. Abbates* 18. *q.* 2. *c. Quia ingredientibus* 19. *q. ult. c. Cùm ad Monaſterium, de ſtatu Monach.* & de Canonicis regularibus eſt textus de off. in *cap. Quanto, de offic. Ordin.* ut nec momento temporis maneat apud Canonicum acquirentem, Abb. in *d. c. Monachi n.* 8. *de ſtat. Monach.* fuſè Navarr. in *Commen. d. c. Non dicatis nu.* 34. *& ſeqq.* Quandoquidem ut ſcripſit Bald. *conſ.* 494. *lib.* 1. licèt jus delatum Monaſterio ſumat initium ab ipſo Monacho, tamen per modum ſcintillæ, & ſic ictu oculi in Monaſterium tranſit. Cujus dictum refert, & ſequitur Card. Mant.
de conject. ult. volunt. lib. 8. *tit.* 12. *n.* 20. Et propterea ſi ſupe- 21
rior ei in genere licentiam concederet, dictum annuum redditum ſibi pro uſu ſuo ſumendi, concederet ei bona Monaſterii ſtabilia, inter quæ redditus annuus computatur, ut habetur in *Clem. Exivi, §. Cumque annui redditus, de verbor. ſignific.* & ſic obſtaret Concilium.

Itaque ſic poſſet ad ſecundam partem dubii reſponderi, non licere Superiori hujuſmodi licentiam regulari concedere: ſi tamen pro re nota, & in ſingulis caſibus is legatarius aliqua re indigeat non repugnante ſtatui paupertatis, Prælatum poſſe indulgere, ut illi ex reddito annuo legato certa tantùm portio eidem uſui neceſſaria applicetur, puta ad mobilia comparanda, juxta decretum *d. c.* 2. *verſ. Mobilium vero uſum*; dummodò tamen exactio annui redditus fiat à communibus officialibus Monaſterii, ad præſcriptum *d. c.* 2. & decretorum Clemen VIII. *ſuper refor. regular.* & quod ſupererit, in communes Monaſterii uſus convertatur, ut in ſimilibus caſibus reſpondit S. Congreg.

DE SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO.

Innocentius III. Murnen. Epiſcopo.

C A P U T III.

CUm dilectus filius Abbas de Bruſia, pro cauſa, quam adverſus Epiſcopum Hedueñ. habebat, diutiùs expectaſſet, Abbas propoſuit antedictus, quòd Archipresbyter de Alerio ad participationem orationum Monaſterio de Bruſia obtulit ſe & ſua: & infrà. Sufficienter intelleximus eſſe probatum, quòd dictus Archipresbyter agens in extremis, velut ultimam exprimens voluntatem, aſſeruit ſe & ſua Monaſterio contuliſſe. Unde cùm requiſitus eſſet, ut conderet teſtamentum, reſpondit ſe non poſſe teſtari, quia ſe & ſua contulerat Monaſterio ſupradicto: & licèt unus teſtis ſolus dixerit ſe vidiſſe, quando ſe & ſua obtulit Monaſterio; quia tamen alii teſtes dixerunt ſe audiviſſe ipſum in Abbatis præſentia, quod prædictum eſt confitentem, non tamquam ſufficienter probantes, ſed tamquam vehementer adminiculantes aſſertionem Abbatis, plurimùm adjuvabant. Quia verò pars Epiſcopi aſſerebat ſe velle probare, quòd dictus Archipresbyter in extremis laborans, tamquam phreneticus alienatus erat mente, unde non valuit quod expreſſit: Nos cauſam illam tibi ſub hac forma duximus committendam: quòd niſi præfatus Epſcopus legitimè probaverit ſæpè dictum Archipresbyterum, ſuæ mentis compotem non fuiſſe, cùm ultimam voluntatem expreſſit, ſuper impetitione Monaſterii perpetuum ei ſilentium imponatur: & compellatur reſtituere Monaſterio quæcumque de bonis ipſius Archipresbyteri, vel etiam Monaſterii occupavit. Si verò legitimè probaverit, Archipresbyterum, quæ ſuper ultima voluntate præmiſſa ſunt, alienata mente dixiſſe: ad faciendam ei nomine Parochialis Eccleſiæ (cujus ipſe adminiſtrationem geſſerat dum vixiſſet) reſtitutionem bonorum, quæ ipſius Archipresbyteri fuerant, Monaſterium condemnetur, cùm idem Archipresbyter ab inteſtato deceſſerit: ipſique Monaſterio ſuper impetitione Epiſcopi ſilentium imponatur.

S U M M A R I U M.

1 *REctori inteſtato decedendi, ſi non babet conſanguineos, ſuccedit Eccleſia; ſecus ſi apparet eum fuiſſe Monachum, vel ſana mente teſtatum.*

2 *Teſtamentum ad pias cauſas conditum per verba enunciativa, & propter aliud prolata, valet etiam ad excluſionem alterius Eccleſiæ.*

3 *Oblatio probatur per unum teſtem de veritate, & confeſſionem etiam incidenter factam.*

4 *Novitius an poſſit in ipſomet ingreſſu donare ſeipſum, & omnia bona ſua Religioni, & nu. ſeqq. uſque in fin.*

Correctio jurium induci non debet per ſubauditos intellectus.

6 *Eccleſiaſtica poteſtas non ſolet ſe immiſcere in jurisdictione aliena.*

7 *Eccleſia in quibus caſibus habeat juriſdictionem.*

8 *Novitius eſt de juriſdictione Eccleſiaſtica.*

9 *Novitii qui ſint, & nu.* 11.

10 *Oblati, ſeu donati, qui propriè dicantur?*

12 *Converſi quid differant à Monachis.*

13 *Donati, ſeu oblati quid differant à Converſis.*

14 *Tridentinum Conciliū c.* 16. *ſeſſ.* 25. *de regul. expenditur.*

Obbiati non comprehenduntur in d. c. 16. *ſeſſ.* 25. *de regul. ibid. & n. ſeqq.*

15 *Dictio,* Quoque, *eſt continuativa ejuſdem materiæ.*

16 *Novitii tranſeuntes ad ſtatum oblatorum non prohibentur bona ſua Monaſterio offerre.*

17 *Novitius offerens perpetuò ſe & bona ſua Monaſterio. cenſetur renunciare Novitiatui.*

C*Um dilectus.* Rector Eccleſiæ dicitur inteſtatus, ſi nul- 1
lum fecit teſtamentum; vel fecit, ſed furioſus; & tali ſuccedit Eccleſia, ſi non habet conſanguineos: ſecus autem ſi apparet illum fuiſſe Monachum, vel ſana mente teſtatum.
Hoc dicit ſecundùm Joann. Andr. & communiter DD. 2
ſed attingendo duos notabiles, & ſingulares intellectus, ſummatur ſecundum quemlibet intellectum; & primò, ſic valet teſtamentum ad pias cauſas conditum per verba enunciativa etiam propter aliud prolata, quamquam ſucceſſio, ſeu teſtatio veniat ad excluſionem alterius Eccleſiæ; vel aliter ſecundum alium intellectum, per unum te-

3 teſtem de veritate, & per confeſſionem etiam incidenter factam probatur oblatio etiam quoad effectum conſequendi bona oblata, Abb. Siculus.

4 In textu, ibi, *Se & ſua Monaſterio contuliſſe.*

QUÆRO, an decretum Tridentini Concilii *cap. 16. ſeſſ. 25. de regular.* obſtet, quominùs Novitius poſſit in ipſomet ingreſſu donare ſeipſum, & omnia bona ſua religioni.

Propoſita quæſtio, omiſſis aliis, de quibus poſſet dubitari, hoc videtur petere, videlicet an Concilium Tridentinum *d. cap. 16.* corrigat jus antiquum in propoſito caſu, ſive deroget; circa quam quæſtionem præmittendum eſt.

5 Primò, cùm agatur de correctione jurium antiquorum, per quæ poterat fieri dicta donatio, ut probat text. hîc, *& in cap. In præſentia, de probat.* & Doctores multis in locis tradunt: illa non eſt inducenda, niſi prout in jure expreſſa reperitur, *cap. Conſtitutio*, & ibi gloſſ *fin. de elect. lib. 6. l. Præcipimus in fine, de appellat. l. Sancimus, Cod. de teſtam.* Neque enim per ſubauditos, aut tacitos intellectus inducitur correctio, ut dicit gloſſ. in *cap. Cupientes, § Quod ſi per viginti, in verb. Petere, de elect. lib. 6.* Sed potiùs jura juribus concordanda, *cap. Cùm expediat, de elect. lib. 6.* Gem. *conſ.* 88. Innoc. Papa *ad fin.*

6 Secundò, præmittendum eſt, Eccleſiaſticam poteſtatem non ſolere ſe immiſcere in aliena juriſdictione, *cap. Novit. de judic. cap. Licèt ex ſuſcepto, de foro competen.* alioquin eidem poſſet impunè non pareri, *leg. fin. de juriſdict. omn. judic.* & notat Innocent. in *cap. Inquiſitioni, propè fin. verſ. Item ſi præcipiat laico, de ſentent. excomm.* & Felin. in *cap. Accepimus num. 2. de fid. inſtrum.* nec poſſet aliquis inhabilitare non ſubditum, ut colligitur ex Jaſon. in *Authen. Ingreſſi n.* 10. *C. de Sacroſ. Eccleſ.*

7 Tertiò, præmittendum eſt, Eccleſiam regulariter non habere juriſdictionem in laicos, niſi in certis caſibus, de quibus in verſibus additis ad gloſſ. *penult. in dict. cap. Licèt*, tradunt etiam DD. in *ca. Cùm ſit generale*, per illum text. *de foro compet. & in cap. Per venerabilem*, & ibi plenè per Hoſt. & Jo. Andr. *qui fil. ſint legit.*

8 Quartò, præmittendum, in *dict. cap. 16. ſeſſ. 25. de regular.* nullam exprimi qualitatem ratione rei, contractus, vel delicti, ſuper qua poſſit juriſdictio Eccleſiaſtica fundari, niſi ſolam qualitatem perſonæ, quæ eſt ipſe Novitius, qui, ut notat Hoſtien. in *cap. Statuimus num. 4. circa fin. verſ. Nec obſtat, de regular.* fori privilegio gaudet, cùm ſit de juriſdictione Eccleſiaſtica. Et inde infero Concilium non inhabilitare omnes perſonas, quin poſſit, niſi ſervatis iis, de quibus in *dict. cap. 16.* renunciationem, vel obligationem facere; ſed ſolùm illas, quæ ſunt de ſua juriſdictione; imò nec has omnes, ſed ſolùm illas perſonas in *d. c.* expreſſas, ne correctio ultra expreſſa inducatur.

9 Quintò, præmittendum, inter cæteros ſtatus, ſeu gradus perſonarum regularium, de quibus loquitur *d. c.* ut colligitur ex verbis ipſis, ac etiam ex rubrica *de regul.* ſub qua hoc capitulum collocatum reperitur, hos duos reperiri, quorum unus eſt ſtatus Novitiorum, qui ideò in Monaſteriis recipiuntur, ut ad formam *cap. Ad Apoſtolicam, de regular.* probantes, & probati ſuo tempore ad profeſſionem regularem admittantur, vel ut elapſo anno ad
10 formam *d. c. 16.* è Monaſteriis ejiciantur. Alter ſtatus eſt donatorum, ſeu oblatorum, de quibus, ut inquit Abb. hîc *n. 2.* ſunt aliqui, qui ſeipſos, & ſua donant Eccleſiæ abſque eo, quòd fiant Monachi, & dicuntur oblati, & ut inquit Bero. in *cap. In præſentia n. 48. de prob.* ex quo transferunt ſe ad Religionem non per modum profeſſionis, ſed ſimplicis converſionis, non ſunt Monachi, ſed oblati, de quibus etiam plenè Soccin. in *tract. de oblat.* & plenè ſcripſi in *c. Ut privilegia, infrà de privileg.*

11 Sextò, præmittendum, etiam ſi attento communi uſu loquendi, Novitii propriè dicantur ii, de quibus in 5. ſuppoſ. in princ. actum fuit; aliquando tamen, licèt raro, & minùs propriè, accipiuntur etiam pro iis, qui in Religione non ſunt adhuc admodùm circa regulares obſervantias inſtructi, *Clem. 1. § Sacræ*, ubi gloſſ. in *ver. Novitii, de ſtat. Monach.* vel quibus, ex quo intrarunt in Monaſterium, annus adhuc lapſus non eſt, arg. *l. Interdum, §. Quoties, ff. de publican.* quod præmittendum fuit ad faciliorem explicationem quæſtionis, quæ in genere de Novitio proponitur, nulla facta diſtinctione, an intelligatur de Novitio, qui recipitur in Monaſterium, ut fiat mediante 12
profeſſione Monachus, cujus appellatione comprehenduntur etiam converſi, qui profeſſionem ſolemnem trium votorum & ipſi poſt probationem emittere ſolent, ſolùmque differunt à Monachis ratione Ordinum ſacrorum, ex Cardin. in *Clem. 1. in fin. de decim.* juncto etiam eo quod dicitur in *Clem. 1. in princ. de exceſſ. Prælat.* nam, ut inquit Bero. *d. c. In præſentia n. 58.* poſt Imol. in *c. Quia ingredientibus de teſt.* converſum facit non habitus geſtatio, ſed profeſſionis emiſſio: an verò intelligatur de illis, qui ſimpliciter nulla emiſſa profeſſione fiunt donati, ſeu oblati, vel etiam converſi illius ſpeciei, ac profeſſionem non emittunt, de quibus etiam loquitur Specul. in *tit. de regul.* quæ tria nomina in idem quoad rem coincidunt, & pro eodem recipi ſolent, quia ſecundùm diverſitatem Religionum in 13
aliquibus vocantur oblati, in aliquibus donati, & in aliquibus converſi ſine profeſſione.

Septimò, præmittendum, Concilium Tridentinum in 14
d. c. 16. loqui ſolummodò de novitiis primo & proprio modo, non autem ſecundo modo ſumptis, qui in Monaſterio, non ut ibidem profeſſionem regularem emittant, ſed ad alium recipiuntur ſtatum, puta ut ſint Donati, vel Oblati, ad quos ut dixi reducuntur Converſi non profeſſi. Et cùm ex hoc dependeat quæſtionis propoſitæ reſolutio, probandum omninò venit. Probatur autem, quia prædictis donatis, ſeu oblatis verba Concilii non congruunt, primò 15
ponderando dictionem, *Quoq;* poſitam in *d. c. 16.* quæ cùm ſit continuativa, denotat ſecundum Card. in *Clem 1. §. 1. q. 2. de regul.* Concilium loqui in hoc cap. continuativè, & conformiter de eadem materia, de qua egit in prædicto capite, quod incip. *In quacumque.* Sed Concilium in prædicto capite diſponit, quomodo, & quando Novitii admitti poſſint, vel non ad profeſſionem, & per quantum temporis ſtare debeant in probatione. Hujuſmodi autem verba profeſſionis, & probationis prædictis Donatis, & Oblatis nequaquam conveniunt, cùm nec ad profeſſionem admittantur, nec ullo jure ſit cautum, ut in probatione ſtent per aliquod tempus. Ergo nec ſequens Capitulum, quod continuat eamdem materiam, illos comprehendit, *c. Si pater ad fin. de teſtam. lib. 6. c. Majores, de bapt* gloſ. magna *in fin. in Clem. 1. de ſentent. excommun.* Pondero prætereà verbum illud, *Antea facta*, quod, ne ſenſus ſit imperfectus, non poteſt regi, niſi ab illa perſona, de qua ſupra habitus fuit ſermo. Et quia ſupra actum fuit ſolùm de illo Novitio, qui poſt annum, & non priùs debet admitti ad profeſſionem, ſequitur ut & verba *d. c. 16.* alium non poſſint habere ſenſum, quàm hunc, videlicet, nulla renunciatio, aut obligatio à dicto Novitio facta ante annum probationis exactum valeat. Quæ verba cùm nullo modo prædictis Oblatis convenire poſſint, utique nec diſpoſitio *c. Tua, de ſponſ. l. 4. §. Toties*, & ibi Bart. *ff. de damn. infect.* Gemin. *conſ. 65. n. 2.* Lex enim non imprimit effectum ſuum, niſi in illas perſonas, quibus verba legis congruunt, & adaptantur, ut idem Gemin. ait *in conſ. 88. ſub n. 4. verſ. Cùm ergo concurrant.* Idem colligitur ex pluribus aliis ſimilibus verbis, quæ in *d. c. 16.* ponuntur, quæ ſolis Novitiis primo modo propriè ſumptis convenire poſſunt: ergo de iis ſolùm Concilium loqui deprehenditur. Unde non eſt aliquo modo extendendum ad alias perſonas, ut minùs corrigat jus commune.

His præmiſſis, quæſtioni propoſitæ decidendæ ſub hac diſtinctione reſpondendum: nam aut quæritur de Novitiis ſecundo modo ſumptis, & quoad ipſos dicendum eſt jus antiquum nequaquam correctum fuiſſe; ideòque licere illius ut priùs donare, neque attendendum eſſe lapſum alicujus temporis probationis, quæ ante profeſſionem fieri ſolet, cum ipſi nec profeſſionem faciant, nec de jure ſtare teneantur in aliqua probatione. Aut quæritur de Novitiis primo modo ſumptis; & tunc iterùm diſtinguendum videtur. Nam aut quæritur quid juris quoad illos Novitios, qui in principio recepti ſunt in Monaſterium ea principali intentione, quæ in omnibus actibus attendenda eſt, *leg. Si quis nec cauſam, ff. ſi cert. petat.* Felin. in *ca. Non dubium num. 2. de ſent. excommun.* ut poſt debitam, & annalem probationem ad profeſſionem admittantur, vel è Monaſterio ejiciantur, & poſteà ante lapſum anni dicta intentione mutata, derelicto ſtatu, ſeu gradu profeſſorum priùs intento, volunt mediante dicta donatione, & oblatione ſui, & ſuorum ad ſtatum Oblatorum, ſeu Dona-

to-

torum recipi: & donatio videtur valere, nam in hoc caſu, ut in ſimilibus dicitur *in l. Singularia, ff. Si cert. pet.* perindè eſt, ac ſi ante completum probationis annum, ut poterant de jure, *cap. Conſulti de regul.* ad ſæculum eſſent reverſi, & poſteà religionem ad ſtatum Oblatorum ſeu Donatorum intraſſent; quæ actio cùm à prima ſit re ipſa ſeparata, & diſtincta, debet uti à prima ſeparata conſidrari, & judicari. Unde ſequitur, ut nec ſit comprehenſa in diſpoſitione d. c. 16. ut ſupra dictum eſt de illis Oblatis, qui uſque à principio Religionem in ſtatu Oblactorum non profitentium ſunt ingreſſi. Aut quæritur de illo Novitio qui a principio fuit receptu hac principali intentione, ut poſt debitam probationem ad profeſſionem regularem admitteretur, vel à monaſterio ejiceretur; & poſtea non recedendo à prædicta intentione, & actione, vult retento prædicto Novitiorum ſtatu ſeipſum, & bona ſua monaſtrio donare. Et ad hoc dicendum eſt primò, quæſtionem implicare repugnantiam, ut eadem perſona ſimul, ac ſemel eodem tempore velit retinere in Religióne ſtatum Novitiorum, qui retractabilis eſt, & ſtatum perpetuò Donatorum, qui de ſe eſt irrectratabilis. Quod tamen ſi fieret, probabilius eſſet, hoc ſui, & ſuorum donationem non valere; ex quo Concilium per verba negativa, quæ plus negant, & tollunt, quàm ponat, & affirmet affirmativa, *gloſſ. in cap. Cùm dilectus in verb. à ſuſpenſis, de conſuet.* generaliter decernit nullam donationem à Novitio extra modos ab eodem Concilio præſcriptos validam eſſe. Ergo ſi nulla donatio eſt valida, ſicut non valet donatio per ſe abſolutè facta, pariter nec valebit, etiamſi fiat ſimul cum ſui ipſius perſonæ oblatione ſeu donatione. Imò fortè nec ſui oblatio teneret, quia & ipſa etiam dicitur oblatio, quæ à Concilio prohibita eſt, eo quòd non potius hanc quàm illam, ſed omnes omninò irritet oblationes à novitio factas, ut in ſimili dicit gloſſ. *in cap. Statutum, §. Inſuper in verb. Nullum de reſcript. lib. 6.* Negativa enim univerſalis negat omnia poſſibilia, Rom. *conſ. 99. Præſens n. 2. verſ. Secundo quia*; & ſi in uno etiam minimo ſit falſa, in omnibus redditur falſa, quia nullam patitur reſtrictionem, *l. Si is qui ducenda, §. Utrum, ff. de reb. dub.* Cravett. *conſ. 809. Plura excutienda n. 4.* Imò omnia includit, quæ ſub latiſſima ſignificatione vocabuli continentur, Decian. *conſ. 12. n. 12. lib. 1.* Poſſet autem quæſtio procedere in eo qui durante probationis, ſeu Novitiatus anno, à dicto ſtatu novitiorum non recedendo, ſua irrevocabiliter, ſe autem revocabiliter offerret. Et in hoc caſu idem, & multò magis videtur concludendum, videlicet non valere hanc donationem per rationem prædictam, Præſertim quia per hujuſmodi irrevocabilem bonorum oblationem adimitur Novitio libertas ad ſæculum redeundi, quæ fuit ratio prohibitionis à Concilio conſiderata in d. c. 16. ibi, Ne hac occaſione diſcedere nequeat, quòd totam, vel majorem ſubſtantiæ ſuæ partem monaſterium poſſideat. An autem quando qui obtulit ſe, & ſua, revocata, ſeu annullata ſui oblatione, revocetur etiam donatio rerum, tractatur *in cap. Quod à te, de cler. conjug.* ſuper quo non eſt immorandum, quia nec quæſtio propoſita hoc exigit. Itaque omnibus in compendium redactis, donatio facta ab eo, qui ingreditur monaſterium in ſtatu Oblatorum, ſeu Donatorum, ſeu etiam converſorum, illorum inquam, qui non faciunt profeſſionem regularem, valida eſt, etiamſi primo die, vel primo menſe ſui ingreſſus donet ſe, & ſua monaſterio.

Donatio autem, quæ fit ab eo, qui ut Novitium ingreſſus 17 eſt monaſterium, & receptus ad ſtatum Novitiorum ad hoc ut completo probationis tempore ad Monachalem recipiatur profeſſionem, vel ad ſæculum revertatur; niſi priùs expreſsè, vel tacitè dicto ſtatui renuntiet, quod tamen facere videtur, dum poſteà donat ſe, & ſua irrevacabiliter monaſterio, non valet donatio, quia eſt facta à Novitio ante tempus à Concilio ſtatutum. Idem & multa magis, ſi donaret ſua irrevocabiliter, ſed ſe ipſum revocabiliter. At ſi is qui intravit, & fuit admiſſus ad ſtatum novitiorum, mutet propoſitum, & velit à dicto ſtatu recedere, & recipi ad ſtatum Oblatorum; ejus donatio ab ipſo quandocumque facta valebit, quia non eſt facta ab eo Novitio, de quo loquitur Concilium.

Ad propoſitum dubium ſatis eſſet reſpondere, hujuſmodi donatione, quæ fiunt ab iis, qui ut Novitii ingrediuntur animo profitendi legitimo tempore, comprehendi *cap. 16. ſeſſ. 25. de regul.* Oblatos verò, qui ſe, & bona ſua monaſterio dederunt, etiamſi perpetuo, & plenè oblati fuerint, *cap. 15. & 16.* non comprehendi: & ita S. Congregatio reſpondit.

DE SEPULTURIS.

Innocentius III. Januenſi Archiepiſcopo.

CAPUT III.

FRaternitatem tuam non credimus ignorare, mortuorum ſepulchra & cœmeteria, apud illas Eccleſias & Monaſteria ex antiquo eſſe depoſita, in quibus Religioſorum fratrum Conventus ſunt conſtituti, & orationes atque Miſſarum ſolemnia tam pro vivis, quàm pro defunctis, frequentiùs celebrantur. Unde ipſorum devotioni & extremæ voluntati, qui apud hujuſmodi Eccleſias ſepeliri deſiderant, minimè contradicendum eſt. Qui verò relictis antiquis Eccleſiis, & patrum aliorumque parentum ſuorum ſepulchris, contra conſuetudinem Patrum veteris teſtamenti, qui cum patribus ſuis ſepulti eſſe leguntur, ad nova & minùs religioſa loca ſe transferunt, irrationabiliter & contra antiquam conſuetudinem facere videntur. Unde ſi P. de Caſtello contra antiquam & rationabilem conſuetudinem, aliquid de corpore ſuo ſepeliendo mandavit hoc non præjudicat rationi ſed viribus debet carere. Quocirca mandamus, quatenus corpus ipſius Monachis ſancti Stephani reddi facias, & cum ſuis patribus ſepeliri.

S U M M A R I U M.

1 *SEpulturæ electio in loco minùs religioſo an, & quando valeat, & n. ſeq.*

2 *Sepultura relicto ſepulchro majorum ſuorum eligi non poteſt in Eccleſia, quæ de jure, vel ex privilegio cœmeterium non habet.*

3 *Eccleſiæ regulariter de jure communi non habent cœmeterium.*

4 *Eccleſiæ habentes populum, habent jus funerandi, dum modo cœmeterium fuerit eis ab Epiſcopo deputatum, num. 6.*

Proſp. Fagnan. in III. Lib. Decretal.

5 *Monaſteria Regularium de jure communi habent cœmeterium, etiamſi populum non habeant; & refellitur contraria opinio Abbatis.*

7 *Sepulturæ privilegium poteſt Epiſcopus concedere ex juſta cauſa, & de capituli conſenſu, dimiſſa tamen Parochiali Eccleſiæ canonica portione.*

8 *Sepultura cur potiùs ſit eligenda in locis magis religioſis.*

9 *Mortui an magis participent de ſuffragiis factis in Eccleſia, in qua ſepulti ſunt, quàm de factis alibi, & n. 16.*

10 *Sepultus apud Martyrem orationi Martyris commendatur.*

11 *Parentum appellatione aliquando veniunt attinentes, & non aſcendentes.*

12 *Sepulturam non eligentes, aut minùs rationbiliter, ſepeliendi ſunt in ſepulchro majorum ſuorum.*

13 *Miſſæ unius celebratione an omnibus ſatisfaciat Sacerdos, qui pro pluribus Miſſis plura ſtipendia accepit, & n. ſeqq. uſque in fin.*

14 *Miſſæ ſacrificium pro pluribus oblatum an tantum proſit ſingulis, quantum ſi pro quolibet ipſorum ſingulariter offeratur, latiſſimè diſcutitur uſque ad num.79.*

15 *Canoniſtæ, & Theologi referuntur pro prima opinione affirmativa, & n.18.*

Oratio ſpecialis an magis proſit, quàm generalis, ibidem & n. ſeqq. & n.56.

16 *Suffragium an majorem conferat honorem animæ illius, pro quo fit, & in quo ejuſmodi honor conſiſtat.*

17 *In Purgatorio exiſtentes non orant pro aliis.*

19 *Miſſam pro pluribus dictam non minus prodeſſe ſingulis, quam ſi dicatur pro uno, quibus argumentis probetur, & n. ſeqq. uſque ad n.25.*

20 *Miſſa una ex parte ſui eſt valoris infiniti, & ſufficiens ad ſatisfaciendum pro omni pœna, & num.47. & 74.*

21 *Infinitorum nullum virtutem habet finitam.*

22 *Lumen ſpirituale eſt magis communicabile, quàm lumen corporale, & n.76.*

13 *Miſſa æquè prodeſt iis, qui cogitantur in* Memento, *ſi circumſtantes ſint plures, ac ſi pauciores, & n.77. & 78.*

24 *Jejunandi cauſæ plures ſi concurrant eadem die, unico jejunio poteſt omnibus ſatisfieri, & n.79.*

25 *Miſſa uni debita poteſt pluribus applicari, ſi ſacerdos multiplcet tot gradus devotionis, quot ſunt ii pro quibus celebrat, ex Caietani ſententia.*

Contrarium, n.28. & ſeq. uſque ad n.36.

26 *Miſſæ applicatio perficitur ex intentione, & devotione ſacrificantis.*

Contrarium, n.28. & ſeq.

27 *In ſacrificio non perpendit Deus quantum, ſed ex quanto offeratur.*

Declaratur, n.33. & 35.

28 *Miſſæ ſacrificium efficaciam habet ex opere operato, nec ulla offerentis malitia inquinari poteſt.*

29 *Miſſæ ſacrificium ex opere operato tantumdem valet ei, cui applicatur, ſi fiat à bono, ac ſi à malo Sacerdote.*

30 *Miſſæ ſacrificio placatus Deus peccata dimittit ingentia.*

31 *Sacrificii, & Sacramenti effectus in pluribus Miſſis multiplicatur.*

32 *Miſſæ ſacrificium fit ſatisfactorium offerentibus, & iis, pro quibus offertur, ſecundùm quantitatem ſuæ devotionis.*

33 *Declaratur, & n. ſeq.*

34 *Miſſæ ſacrificium effectum non habet, niſi illis qui conjunguntur huic Sacramento per fidem, & charitatem.*

35 *Miſſa melioris Sacerdotis ex opere operantis eſt magis fructuoſa, & n.68.*

Intellectus c. Ipſi Sacerdotes 1. q. 1. *ibid.*

36 *Miſſa an magis proſit iis, qui ſunt magis digni, quam ei, cui applicatur, & n. ſeqq.*

37 *Orationes aliquas cur Eccleſia pro aliquibus inſtituerit, & n.56.*

38 *Suffragia ſi conſiderentur ex virtute charitatis, magis proſunt iis, qui majoris ſunt charitatis, quàm illis, pro quibus fiunt, & n.71.*

39 *Miſſa an tantumdem valeat ſingulis atque omnibus, ſive Sacerdos moveatur ab uno ad celebrandum, ſive à multis.*

40 *Miſſa pro pluribus dicta, licet non tantumdem valeat ſingulis, quantum ſi pro quolibet diceretur, quoad ſatisfactionem, tamen ſecus eſt quoad impetrationem.*

41 *Contrarium, & n. ſeq.*

42 *Miſſa extenſivè habet efficaciam finitam, tam reſpectu impetrationis, quàm ſatisfactionis.*

43 *Miſsæ ſacrificium tam reſpectu remiſſionis pœnarum quàm aliorum effectuum non operatur per modum effectionis, ut Sacramenta, ſed per modum impetrationis.*

44 *Canoniſtæ, & Theologi referuntur pro ultima opinione negativa.*

45 *Baſilienſis Concilii diſceptatione de valore Miſsæ, & deputatio Epiſcopi Brixien. ad allegandum.*

46 *S. Thomæ ſententia circa valorem Miſsæ expenditur, & n.52. & ſeqq.*

47 *Miſsam ſpecialem magis prodeſſe, quàm generalem, quibus rationibus oſtendatur, & num. ſeq. uſque ad n.67.*

Miſsæ valor licèt intenſivè, & quantum ad ſufficientiam ſit infinitus: tamen extenſivè, & quantum ad efficientiam finitus eſt ibidem, & n. ſeq. uſque ad n.67. & n.74.

48 *Sacrificium Crucis cruentum quamvis infinitæ ſit virtutis, tamen non producit niſi effectus finitos.*

49 *Finitum in plures diviſum minùs habetur à ſingulis, & n. ſeq.53. & 91.*

50 *Suffragia valent per modum ſolutionis debiti.*

51 *Juſtitia humana exemplatur à juſtitia divina.*

52 *S. Thomæ doctrina ab Eccleſia eſt approbata tamquam veridica, & Catholica.*

44 *Eccleſia eſt fideliſſima interpres inſtitutionis Chriſti.*

Miſsæ plures ad unam, & eamdem rem obtinendam rationabiliter ab Eccleſia ſunt inſtitutæ, ibid.

55 *Fruſtra fieri dicitur, cùm non perficitur id cujus gratia fit.*

56 *Miſsæ peculiares ab Eccleſia utiliter inſtitutæ.*

57 *Specialis declaratio validiùs operatur, quam quod in genere prædicatur.*

58 *A Purgatorii pœnis per plura ſuffragia quis citiùs liberatur.*

59 *In Miſsa ſacrificio triplex reperitur offerens, videlicet Chriſtus, Eccleſia, & miniſter.*

60 *Miſsæ privatæ cenſentur communes, quia celebrantur à publico Eccleſiæ miniſtro.*

61 *Miniſterii opus eſt magis principalis agentis.*

62 *Sacerdos in conſuetudine, quæ eſt eſſentialis oblatio, non Eccleſiæ, ſed Chriſti perſonam agit.*

63 *Miſsæ meritum ex Scoto in tres partes dividitur, & tertiam tantùm poteſt diſpenſare Sacerdos, & num.4.*

64 *Miſsa una liberari omnes animas è Purgatorio eſt hæreticum.*

65 *Sacerdos qui tot miſsas non celebrat, quot ſtipendia accepit, tenetur ad reſtitutionem, ex decretis Sacræ Congregationis Concil. de celebratione miſsarum.*

66 *Privilegia quibus indulgetur, ut unius miſsæ vel Anniverſarii celebretione ſatisfiat pluribus oneribus miſsarum in futurum ſuſcipiendis, ſunt abrogata.*

67 *Intellectus* c. Non mediocriter, de conſecrat. diſt.5. *& n. ſeq. uſque ad n.74.*

Miſsa pro pluribus celebrata æqualiter prodeſt ſingulis, niſi intuitu unius celebretur, ibid.

68 *Miſsa ex virtute meriti, & operis operantis tantò eſt fructuoſior, quantò pro pluribus celebratur, & num.71.*

69 *Miſsa non minùs prodeſt ipſi celebranti, ſi dicatur pro pluribus, quàm ſi pro uno.*

70 *Pſalmorum aliquot decantatio cum alacritate magis prodeſt, quam totius pſalterii modulatio cum anxietate cordis.*

71 *Charitas non minuitur, ſi affectus ejus dividatur in multos, imò magis agetur.*

72 *In purgatorio de uno bono facto non minùs lætantur multi, quàm unus.*

73 *Suffragia prout ſunt ſatisfactiones quædam per intentionem facientis translatæ in mortuos, magis valent ei, pro quo ſingulariter fiunt, quàm quæ pro eo communiter fiunt.*

74 *Sacrificii virtus non adæquatur valoris ejus, qui continetur in ſacrificio, ſed correſpondet alicui merito in Eccleſia.*

75 *Suf-*

75 *Suffragia ut ſunt ſatisfactiones non proſunt per modum actionis.*
76 *Suffragia quomodo dicantur prodeſſe per modum luminis.*
77 *Miſſæ valor triplex, & ex applicatione unius non fit diminutio alterius, & n.94.*
78 *Miſſæ fructus ex opere operato taxatus eſt unicuique ex circumſtantibus pro modo fidei, & devotionis cujuſque.*
79 *Obligatus ex pluribus cauſis ad idem numero, ſemel ſolvendo liberatur, ſecus ſi ad idem in ſpecie.*
80 *Sacerdos an pro unica Miſſa poſſit plura ſtidendia incongrua accipere, & n. ſeqq. uſque ad n.74.*
81 *Sacerdos, qui alicui promiſit gratis, & liberaliter Miſſam dicere, tenetur ſtare promiſſis, quamtumcumque nudum ſit pactum.*
82 *Miſſæ tot celebrandæ, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ ab offerente præſcriptæ fuerint, alioquin quot præſcriptæ fuerint ab Ordinario.*
83 *Miſſæ ſacrificium non eſt inſtitutum ad Sacerdotum inopiam ſublevandam.*
84 *Conſuetudine Regionis an excuſetur Sacerdos obligatus ad applicationem ſacrificii, qui ab aliis quoque eleemoſynam recipit pro Miſſis peculiaribus, & unam Miſſam celebrat pro omnibus, & n. ſeq. uſque ad n.89.*
85 *Voluntas eorum, qui dant eleemoſynam pro Miſſis, recipit interpretatione à conſuetudine, & num.* 88. *Declaratur procedere, ſi conſuetudo ſit rationabilis.*
87 *Conſuetudo Eccleſiæ, ut eadem die non dicatur, niſi una Miſſa pro mortuis, & unica Miſſa ſatisfiat pluribus Anniverſariis eadem die concurrentibus, an ſit obſervanda, necne.*
88 *Sacerdos obligatus ad plures Miſſas excuſatur celebrando unam pro omnibus propter impoſſibilitatem celebrandi pro quolibet ſpecialiter, aut propter conſenſum expreſſum, vel tacitum eorum, qui eleemoſynam conferunt.*
89 *Beneficiati, vel Capellani quibus diebus tenentur Miſſam celebrare rationem beneficii, vel ſalarii, an poſſint ab aliis eleemoſynam accipere, & unica Miſſa omnibus ſatisfacere, & n. ſeq.*
90 *Sacerdos, qui tenetur ad ſolam Miſſæ celebrationem cum commemoratione, vel Collecta, poſt ſacrificium quibus voluerit applicare.*
91 *Expectativa ſuper beneficio ſpectante ad collationem unius non poteſt impleri in beneficio, cujus collatio ad eum ſimul cum alio pertinet.*
92 *Parochus an poſſit eleemoſynam accipere pro Miſſa celebranda in iis diebus, in quibus tenetur ex præcepto celebrare pro ſuis Parochianis, & n. ſeq. uſq. in fin.*
93 *Parochi an præcepto Divino teneantur diebus Feſtis Miſſæ ſacrificium ſuis Parochianis applicare.*
Tridentini Concilii Decretum cap.1. ſeſſ.23. expenditur, ibid. & n. ſeq.
94 *Miſſæ ſacrificio ineſt triplex fructus.*
95 *Parochi ex Concilio Provinciali Mediolanenſi prohibentur aliud Miſſarum onus ſuſcipere in illis diebus, in quibus tenentur pro populo Miſſas celebrare.*
96 *Sacerdoti non licet accipere unam eleemoſynam pro Miſſa celebranda, & aliam pro applicatione fructus ſpecialis ipſius celebrantis.*
97 *Sacerdos accipiens unum ſtipendium pro fructu ſatisfactorio, & aliud pro impetratorio, non ſatisfacit unica Miſſa.*

1 F*Rraternitatem.* Proter varietatem opinionum tripliciter legitur. Quidam enim, ut Tancredus, Hugo, & Alanus, quibus hic adhæſit Bernardus in gloſſ. *in ver. Ad nova*, opinati ſunt ſepulturam eſſe neceſſariò eligendam in loco magis religioſo, arg. *cap. Relatum ſuprà eod. & cap. Ubicumque* 13.q.2. & eſt ſimile de tranſeunte ab una ad aliam Religionem, qui ad majorem, ſeu ſtrictiorem tranſire debet, *cap. Sanè, & c. Licèt, infrà de Regular.* Et hanc opinionem dicunt eſſe de jure veriorem, Hoſtien. hic *in fin.* & *Proſp. Fagnan. in III. Lib. Decretal.*

Cardin. *num.*4. Pro qua eſt textus apertus hìc non cavillando, aut ſupplendo litteram; & ſecundùm hanc lecturam hoc dicit: Si quis relicto ſepulchro majorum ſuorum ſibi eligat ſepulturam in loco minùs religioſo, non valet electio. Quidam verò, ut Laurentius, Vincentius, & Joannes, cenſuerunt liberum eſſe unicuique eligere ſibi ſepulturam etiam in loco minùs religioſo, arg. *cap. In noſtra, infrà eod.* & ad hunc textum, & alia jura, quæ contrarium videntur innuere, reſpondent eſſe intelligenda, cùm quis illectus, aut ex temeritate, vel ex contemptu ad locum minùs religioſum tranſivit, vel Canonicam portionem Parochiali Eccleſiæ non reliquit; & in hac opinione videtur fuiſse Gratianus *in* §. *Si aliud* 13. q.2. quam etiam approbat conſuetudo, ut teſtatur hìc Hoſt. *in fin.* & ſecundùm hanc lecturam hoc intendit: Ubi quis ſepulchro majorum relicto eligit ſepulchrum in loco minùs religioſo, inductus dolo, ſeu ex contemptu, ſeu non dimiſsa Eccleſiæ ſuæ Canonica portione expreſsè, vel tacitè, nulla eſt electio. Hæc ſecunda opinio eſt hodie canonizata *in cap.*2. §. *fin. infrà eod. lib.*6. ubi expreſsum eſt, in loco etiam minùs religioſo poſse eligi ſepulturam, antiqua dimiſsa; & ſic corrigitur hoc cap. juxta
primum intellectum. Alii denique, ut Abb. Siculus *num.*4. 2
in gloſſ. in verb. Ad nova, putant hunc textum ſalvari poſſe, ut non ſit correctus, ſi dicamus in loco minùs religioſo, id eſt in Eccleſia non habente cœmeterium, non li ere ſibi eligere ſepulturam, quia eſt contra inſtitutionem SS. Patrum, cùm corpora fidelium debeant requieſcere in cœmeteriis Eccleſiarum, *cap. Aurum* 12. q.2. & *cap.* 1. 13. q.1. & juxta hanc lecturam ſic poteſt ſummari: Non poteſt quis relicto majorum ſepulchro eligere ſibi ſepulturam in Eccleſia, quæ de jure, vel ex privilegio cœmeterium non habet. Dividitur in tres partes. Prima, ponit jus. Secunda narrat factum. Tertia concludit Secunda ibi, *Unde ſi*: tertia ibi, *Quocirca.*

Nota primò ibi, *Ex antiquo eſſe diſpoſita*, nullam Eccle- 3
ſiam habere cœmeterium niſi ex privilegio; & ita hanc regulam negativam conſtituit hìc Innoc. *n.*1.

Fallit primò in Eccleſiis habentibus populum, quæ pro- 4
cul dubio de jure communi habent jus ſepeliendi, quoniam jus funerandi eſt de jure Parochiali, quemadmodum & Sacramentorum adminiſtratio, ut probatur in Clem. *Dudum*, §. *Verum eodem tit.* & *in cap.*1. 13. *quæſt.* 1. & tenet Hoſt. *in d. cap.* 1. *ſuprà eodem*, Archid. & Jo. Andr. *in cap.*1. *eod. tit. lib.*6. & Abb. *in cap. Certificari n.*7. *infrà eod.* Intellige ſecundùm Joan. Andr. & Abb. dummodò hjuſmodi Eccleſiis ab Epiſcopo deputatum fuerit cœmeterium, de cujus latitudine dic, ut habetur *in cap. Sicut antiquitùs* 17. *quæſt.*4.

Fallit ſecundò in Eccleſiis omnibus, ubi ſunt reli- 5
gioſæ perſonæ in Conventu, in quibus Miſsæ, & Divina Officia celebrantur, ut clarè probat hæc littera ibi, *Mortuorum ſepultura, & cæmeteria apud illas Eccleſias, & monaſteria ex antiquo eſſe diſpoſita, in quibus Religioſorum Fratrum Conventus, &c.* ponderando illa verba, *Ex antiquo eſse diſpoſita*, quæ magis videntur referenda ad jus commune, & ad diſpoſitionem quæ ſit per viam legis, quàm per viam privilegii, ut in Auth. *de appell. circa princ. juncta gloſ. in verb. Antiquitati*; & ita ex hoc textu colligit Butr *in* 1. *notab.* qui tamen remittit ad notata in Rubr. infrà de Paroch. Verùm Abb. hìc *in* 1. *notab.* affirmat ſe numquam legiſse aliquam Conſtitutionem, in qua caveatur, ut monaſteria de jure habeant cœmeteria, niſi pro ſuis, *ut in cap.*1. 16. *q.*1. Et
de jure communi cœmeterium habent illæ duntaxat Ec- 6
cleſiæ, quæ habent populum, ut tenet gloſs. in d. Clem. *Dudum*, §. *Hujuſmodi in verb. Sepulturam*, Innoe Hoſt. Archid. & Joan. Andr. *in locis ſupra citatis*, & videtur probari *in cap.* 1. 13. *quæſt.* 1. Unde Abbas circumſcripto privilegio intelligit hunc textum in monaſteriis habentibus populum, aliàs ſecùs. Et huic opinioni valdè ſuffragatur d. Clem. *Dudum*, ubi Mendicantes obtinuerunt jus ſepulturæ ex privilegio Apoſtolicæ Sedis. Ergo illis anteà non competebat de jure communi: nam fruſtrà ex privilegio impetratur, quod de jure communi competit, *ut l.*1. *C. de theſaur. lib.*1. *l.* 1. §. *Quod beneficium, ff. Ad municipalem, gloſs.*1. *in cap.*1. *ſuprà de reſcript.* Intellectus tamen Abbatis nimis reſtringit hanc litteram, quæ generaliter loquitur de monaſteriis, & fundat ſe in Divinorum frequentia; & contra Abbatem allego textum

expreſſum *in c. Ubicumque* 13. *q.* 2. Concilium Triburien. ſtatuit, ut ſi fieri poſſit, primò quis ſepeliatur in Eccleſia Epiſcopali; deindè in Eccleſiis monaſteriorum, ubi religioſa degit congregatio; tertiò, in plebibus, ſeu Capellis, ubi decimæ perſolvuntur: ad idem textus apertus *in c. Agapitus* 16. *q.* 1. ubi Gregorius arguit Epiſcopum de Urbe veteri, quòd inhumaniter prohiberet Miſſas celebrari, & mortuos ſepeliri in monaſterio S. Gregorii; jubetque ut de cætero hoc permittat abſque ulla contradictione: & quamvis Hugo, Laurent. & Joannes dicant illum text. loqui de monaſterio habente populum; tamen, ut inquit ibi Archid. *circa medium*, iſti Patres erraverunt in facto, quia monaſterium S. Gregorii non habet populum. Ad Clem. *Dudum*, reſpondeo, privilegium Mendicantium non fuiſſe inutile, quia jus antiquum erat dubium propter varietatem opinionum, *ut c. Super ſpecula infrà, Ne clerici, vel monachi.*

7 Fallit tertiò in Eccleſiis, quæ jus habent ſepeliendi ex privilegio. Et quidem ſi de privilegio Papæ hoc intelligatur, planum eſt; ſed ſi de privilegio Epiſcopi, difficultatem ingerit text. in dict. Clem. *Dudum*, §. *hujuſmodi*, ubi videtur probari Apoſtolicam Sedem dumtaxat poſſe hoc privilegium impertiri, cùm Clemens V. illud ibi conceſſerit Prædicatoribus, & Minoribus, & poſteà prorogaverit ad Fratres S. Auguſtini, & Carmelitas, ut ibi notatur. Communiter tenetur opinio Jo. Andr. *in c. Certificari infrà eod.* ubi poſt multa concludit etiam Epiſcopum poſſe hoc privilegium concedere, *per c. Bonæ* 12. *q.* 2. *& c. Apoſtolicæ de donat. ad hoc c. Audientiam, il primo, infra de Eccl. ædif.* dummodò id faciat ex juſta cauſa, & de Capituli conſenſu, ex notatis *in c. Conſtitutis, de Religioſis domib.* & dimiſſa Parochiali Eccleſiæ Canonica portione, *ut in c.* 1 *ſup. eod. & in d. c. Certificari*, ubi Abb. *n.* 8. hanc concluſionem veriſſimam putat, & pluribus confirmat.

8 Secundò nota ibi, *Frequentiùs*, & ſigna rationem, cur ſepultura eligi debeat apud loca magis religioſa, videlicet quia in eis orationes, & Miſſarum ſolemnia tam pro vivis, quàm pro defunctis frequentiùs celebrantur, *ut hìc in gl.* 3. & per Hoſt. *in princ.* Quæ ratio videtur innuere, ut de-
9 functorum animæ magis participent de orationibus, & ſuffragiis, quæ fiunt in illa Eccleſia, in qua ſepulti ſunt, quàm de illis, quæ fiunt alibi: quod tamen negat Innoc. in verbo, *Frequentiùs*, dicens ſacrificium non magis prodeſſe ibi ſepultis, quàm aliis, *per cap. Non mediocriter, de conſecrat. diſt.* 5. Sed de intellectus hujus Capituli plenè dicam infrà *num....* Illud certum eſt, per accidens contingere, ut ſepulti in locis frequentioribus magis juventur ſuffragiis inibi factis; nimirum quia eorum proximi cum frequentiùs occaſione Divinorum confluant ad loca magis religioſa ſuorum, quorum ſepulchra aſpiciunt, ſæpius recordantur, & pro eis Domino preces fundunt, ut colligitur ex *cap. Cùm gravia* 13. *quæſt.* 2. ubi gloſſ. unic. *in fin.* ex prædicta ratione deducit, ut ibi potiùs ſepeliendi ſint homines, ubi
10 eſt major populorum concurſus, ut in Eccleſiis Cathedralibus, allegat *cap. Ubicumque eadem cauſ. & quæſt.* Hoſt. *num.* 2. dicit conſiderandam eſſe Eccleſiam ſanctioris Martyris, quia ſepultus apud Martyrem, orationi Martyris commendatur, *ut cap. Pro obeuntibus, & cap. Non æſtimemus* 13. *qu.* 2.

11 Tertiò nota ibi, *Patrum, aliorumque parentum ſuorum*, appellatione parentum aliquando venire attinentes, & non aſcendentes, ſecundùm Anton. de Butr. *n.* 4. & Jo. de Anan. *n.* 3. ponderando particulam, *&*, quæ ponitur inter diverſa, ut notatur *in rubr. ff. de jur. & fact. ignorant.* & per Anchar. *hìc in* 2. *notab.*

12 Ultimò nota ibi, *Cum ſuis Patribus ſepeliri*, decedentes abſque electione ſepulturæ, aut ea minùs rationabiliter electa, ſepeliendos eſſe in ſepulchro majorum ſuorum, Butr. *hìc in* 2. *notab.*

13 In gloſſa *in verb. Frequentiùs*. Quæro, an Sacerdos ſive ſæcularis, ſive regularis, qui plura ſtipendia pro pluribus Miſſis celebrandis accepit, unius tantùm Miſſæ celebratione omnibus ſatisfaciat. Quod coincidit cum dubio, an liceat pro unius Miſſæ celebratione plura ſtipendia accipere.

14 Hæc quæſtio pendet à ſolutione alterius quæſtionis, quam intrinſecè includit, & quam Silveſt. *in verb. Miſſa* 1. *n.* 9. dicit eſſe neceſſariam in practica operis, ſed difficilem in ſpeculatione veritatis, videlicet, an Miſſæ ſacrificium pro pluribus non minùs proſit ſingulis, quàm ſi pro quolibet ipſorum ſingulariter offerretur.

Antiquiores Canoniſtæ uſque ad tempora Archid. & Jo. 15
Andr. qui primi viderunt opera B. Thomæ, in ea fuerunt ſententia, ut ſacrificium æquè ſit proficuum, ſive pro uno ſingulariter offeratur, ſive pro multis, licèt per accidens aliquid ampliùs tribuatur ei, pro quo ſit ſpecialis oblatio. Et quidem gloſſ. 1. *in cap. Tempus* 13. *quæſt.* 2. *Tantum*, inquit, *proſunt orationes cuilibet, ſi fiant generaliter pro omnibus, ſicut ſi fierent ſpecialiter pro quolibet*. Item gloſſa *antepenultima in cap. Viſum de conſecrat. diſt.* 1. dicit, commemorationem fidelium defunctorum in Miſſa fieri pro omnibus ſimul, & prodeſſe cuilibet, ac ſi ſpecialiter pro eo fieret. Et
ſimiliter gloſſa noſtra hìc *in verb. Frequentiùs*, aſſerit tan- 16
tùm valere orationem ſpecialem, quantùm generalem, quia Spiritus S. ad menſuram non datur, *cap. Quæris, de conſecrat. diſt.* 4. licèt poſteà ſubdat; ſed præſumptio eſt, quod plus profit ſpecialis oratio, quàm generalis: & quidem honor ampliùs videtur deferri illis, pro quibus ſpecialiter fit oratio; atque ita gloſſ. magis declinat in partem, ut æquè proſit oratio ſpecialis, ac generalis, ſecundùm Abb. hìc *num.* 4. Sed & Innoc. *in verb. Frequentiùs*, docet primò ſacrificium in aliqua Eccleſia celebratum non magis prodeſſe ibi ſepultis, quàm aliis: & mox ſubjungit, fortè majorem honorem conſequi animam, ſicut de caniſtro pomorum oblato Abbati: nam majorem honorem conſequitur Abbas, ſed pariter omnes monachi gaudent, (quod ante eum dixerat Rod. Modicipaſſus Doctor antiquus, ut hìc refert Joan. Andr. in gloſſ. 3. *num.* 5.) & major eſt honor eſſe 17
Canonicum Cathedralis, quàm alterius Eccleſiæ, licèt omnes æqualiter abundent: quibus verbis Innoc. apertè ſentit æqualiter prodeſſe ſacrificium, ſi pro uno ſit oblatum, ac ſi pro pluribus: non tamen explicant gloſſa, & Innoc. in quo ejuſmodi honor conſiſtat; ſed illorum mentem aperit Abb. Antiq. *hìc circa fin.* dicens: *Si plures domi eſſent ſine lumine, & alter eorum faceret lumen offerri, tantum haberent omnes quantum ille; ſed tamen major honor ei debetur: ita in purgatorio omnes æqualiter communicant in bono, quod fit pro aliquo; tamen ſupplicant ei, pro quo fit ſpecialiter, quia ab ipſo recipiunt illud bonum*: Hæc ille. Cavendum eſt tamen ab illis verbis Abbatis Antiq. *Supplicant ei, pro quo fit*, quoniam exiſtentes in Purgatorio non orant pro aliis, ut docet S. Th. *in* 4. *ſentent. diſt.* 15. *q.* 5. *art.* 4. *q.* 2. *ad* 2. *& ad* 3. ſimiliter Hoſt. *num.* 1. *Sacramentum*, inquit, *omnibus fidelibus defunctis communiter prodeſt, & commendabilior eſt generalis oratio, quàm ſpecialis; tamen ſpecialis fit cauſa exempli, & ne hæredes, vel amici videantur mortuum oblivi- ſci; & prodeſt illis, pro quibus fit.* Nec diſſentit Hugo relatus ab Archidiac. *in cap. Non mediocriter poſt med. in gloſſ. Sed numquid, de conſecrat. diſt.* 5. qui tamen diſtinxit Pſalmos, & Miſſas ab aliis orationibus, & operibus piis; & quidem Pſalmos, & Miſſas, quæ generaliter dicuntur pro omnibus, licèt ſpecialiter pro aliquibus videantur dici, putavit non minùs eis valere, quàm ſi ſpecialiter pro quolibet ipſorum dicerentur; ſecùs in jejuniis, & eleemoſynis, & precibus, ſive orationibus, quæ alios non tangunt. Talia enim non proſunt mortuis aliis, ſed illis tantùm, pro quibus fiunt ſpecialiter. Demum Ludovicus Romanus *conſ.* 339. quod incipit: *Fictus Monachus*, aſſerit eſſe quidem magis pium, ut Sacerdos dicat Miſſam ſpecialem pro defuncto: hoc tamen non eſſe neceſſarium; quia ſufficit, ut fiat pro eo commemoratio, etiam in genere; nec minùs indulgentiæ à Deo accipitur, quàm ſi pro anima ipſius defuncti Miſſa ſpecialiter diceretur.

Ex Theologis verò pro hac ſententia citatur primò Car- 18
dinalis Cajetanus *in* 3. *part. quæſt.* 79. *art.* 5. ait enim: *Una Miſſa non perdit vim ſatisfactionis ſuæ pro primo offerente ex hoc, quòd pro ſecundo, tertio, quarto, &c. offeratur: unde arguendi, inſtruendique ſimul ſunt homines ignoranter petentes, vel pro ſua eleemoſyna totam ſibi Miſſam dari, aut ſuo defuncto; nihil enim minus ipſe habebit, ſi mille alii petant eamdem Miſſam pro ſeipſis, & aliis defunctis, quàm ſi pro ſeipſo celebrari dicatur. Imo ex hujuſmodi in devotione ſic petentis damnum videtur incurrere quòd minùs ſibi proderit.* Hæc Cajet. qui ferè idem docuit *in opuſc.* licèt diverſimodè illi ſententiam ſuam qualificaverit, ut patebit infrà *num.* 25. Eidem ſententiæ adhæſerunt Corduba *lib.* 1. *quæſt.* 3. *in* 5. *opinione*, Viguer. *lib. Inſtit. Sacerd. cap.* 16. qui tamen citatur etiam pro contraria,

traria, ut dicam infrà *nu.* 45. Petr. de Soto *lect.* 7. & alii, eamque fusè proſequitur, & probat Gabriel Vaſq. *in* 3. *par. tota diſputatione* 231. præſertim à c. 3. & ex Summiſtis Ang. *in verb. Miſſa*, §. 52. qui tamen loquitur ex ſuo *Credo*, quod non cantatur in Miſſa, ut feſtivè inquit Tabiena, *in verb. Reſtitutio*, §. *fin.*

19 Pro hac ſententia adducitur textus *in cap. Non mediocriter, de conſecrat. diſt.* 5. ubi Hieronymus videtur hanc quæſtionem diſertis verbis decidere; ait namque: *Dum igitur pro cunctis animabus*, (aliàs, pro centum,) *Pſalmus, vel Miſſa dicitur, nihil minus, quam ſi pro unoquolibet ipſorum diceretur, accipitur.*

20 Præcipuum verò fundamentum, cui hæc ſententia innititur, eſt, quia ſacrificium Altaris eſt infinitum, & infinitæ ſufficientiæ: Chriſtus enim qui offertur in illo ſacrificio, ſufficiens fuit, quando offerebatur in Cruce, ad ſatisfaciendum pro peccatis infinitis, ut inquit Scot. *quodl.* 20. *in princ.* & eſt ex mente S. Thom. *in* 3. *part. quæſt.* 79. *art.* 5. dum ait, *hanc oblationem ex ſui quantitate ſufficientem eſſe ad ſatisfaciendum pro omni pœna, quia ut ſic eſt valoris infiniti*; ut ſubdit ibi Cardin. Cajet. *in princ.* Etenim ut verbis ipſius Cajetani utar *tom.* 2. *opuſc. tract.* 3. *tom.* 2. *verſ. Sacrificium igitur, Miſſæ ſacrificium ſive opus operatum abſolutè eſt immolatio Jeſu Chriſti, & res oblata eſt Jeſus Chriſtus, & quantitas hujus ſacrificii eſt infinita, adeò ut ſit impetrativum, meritorium, & ſatisfactivum infinitè; unde effectus ejus eſt infinitus, ſicut Paſſionis Chriſti; eſt enim Deo acceptius, quàm ſint exoſi omnes peccatores.*

21 Hæc ille. Ex infinito autem ſecundùm quantitatem accipientibus ſemper aliquid accipere extra eſt, ut dicitur *in* 3. *Phyſic. cap.* 6. *text.* 63. Infiniti enim infinita vis, neque infinitorum quidquam virtutem habet finitam, *ut in* 1. *de Cœlo, capitul.* 7. *tex.* 71. & notat Joan. Monach. *in prœmio Sexti circa finem in verb. Infinitos, num.* 6. ſicut numeratio in quantitatibus diſcretis, & diviſio in continuis in infinitum procedunt, ut ibi per eum, quem totidem verbis ſequuntur ibi Joan. Andr. & Gemin. Ergo nihil minus accipiunt ſinguli ex eo, quòd ſacrificium pro pluribus vel omnibus offeratur. Vel certè ſi valor ſacrificii efficaciam habeat finitam, tamen tantus eſt, ut numquam exhauriatur ab illis pluribus, in quos dividitur; & conſequenter Sacerdos unica Miſſa ſatisfacit omnibus, à quibus plura ſtipendia accepit pro pluribus Miſſis celebrandis: integrè enim ſolvit quod debet, ac proinde extinguitur ejus obligatio, *ut l. Nulla, Cod. de ſolut. l. Solvendo, ff. de negot. geſt. & inſtit. quib. mod. tollit. obligat. in princip.* Deinde idem ſuadetur exemplo lectionis, quæ uni legitur; nihil enim ei deperit, ſi ſimul & aliis legatur, *cap. Cleros*, §. *Lectores* 21. *diſt.* Ergo eadem ratione nihil deperit ei, pro quo fit ſacrificium, ſi & alii adjiciantur; quo exemplo utitur Præpoſitus relatus à D. Th. ut dicam infrà *numer.* 36.

22 Huc etiam ſpectat exemplum candelæ, quo utuntur Canoniſtæ: nam lumen ſpirituale eſt magis communicabile, quàm lumen corporale, *cap.* 2. *de translat. Epiſcop. capit. Illud, & capit. Solitæ, de major. & obedient.* Sed lumen corporale, ſcilicet candelæ, non minùs prodeſt uni, pro quo ſpecialiter accenditur, quàm ſi pro pluribus ſimul commorantibus accendatur. Ergo & ſuffragium Miſſæ, cùm ſit quoddam ſpirituale lumen, non minùs valet ei, pro quo fit ſpecialiter, quàm valeret, ſi ſimul etiam pro omnibus fieret. Ad hoc text. optimus *in cap. Nec quemquam, verſ. Spiritus verò Sanctus, de conſecrat diſt.* 4. ubi Cyprianus: *Si dies*, inquit, *omnibus æqualiter naſcitur, & ſi ſol ſuper omnes pari, & æquali luce diffunditur: quantò magis Chriſtus ſol, & dies verus in Eccleſia ſua lumen vitæ æternæ pari æqualitate largitur?* Ad hæc, ſuffragia, inter quæ præcipuum eſt Euchariſtia, innituntur Divinæ virtuti, *cap. Tempus* 13. *q.* 2. *cap. Utrum de conſecrat. diſt.* 2. Sed apud Deum ſicut non differt juvare per multos, vel paucos: ita non differt vivere multos, vel paucos, *cap. Quæris de conſecr. diſt.* 4. Ergo quantum juvaretur unus ex uno ſacrificio, ſi pro uno tantùm fieret, tantùm juvabuntur ſinguli multorum, ſi idem ſacrificium pro mul-
23 tis fiat. Prætereà huic ſententiæ ſuffragatur communis Eccleſiæ uſus, etenim cùm Miſſa pro aliquo defuncto celebratur, nihilominus non ſolùm aliæ quoque orationes adjungi ſolent pro aliis defunctis, *c. De nominibus, de conſecrat. diſt.* 1. & patet ex orationibus in Miſſali Romano aſſignatis pro diverſis perſonis, ſtatibus, & Congregationibus: verùm etiam, ut ponderat Cajetanus ubi ſupra, in Canone Miſſæ generaliter pro Eccleſia, pro Principibus, & omnibus Orthodoxis, & ſpecialiter pro his, qui in *Memento* cogitantur, & omnibus circumſtantibus, offerri dicitur hoc ſacrificium, pro redemptione animarum ſuarum, & ſic in ſatisfactionem. Hoc autem non inſtituiſſet Eccleſia pia omnium mater, ſi defunctus, cui ſacrificium applicatur, exinde aliquod detrimentum acciperet. Ad hoc *c. Viſum*, §. *Defunctorum de conſecrat. diſt.* 1. Et confirmatur, quia cum numerus circumſtantium non ſit taxatus, ſi unus ex alterius conſortio minus acciperet de effectu hujus ſacrificii, unuſquiſque curare deberet, ut circumſtantes eſſent pauciores, & aliorum conſortium vitaret, quò de fructu ſacrificii uberiùs participaret, arg. *c. Cùm omnes, & c. Cùm M. ſupra de conſtitut. & c. fin. de conceſſ. Præben. lib.* 6. Unde contingeret, ut fideles in Oratoriis, & Capellis libentiùs Miſſam audirent, majoreſque, & frequentiores Eccleſias, ac Miſſarum ſolemnia vitarent, & mille aliæ abſurditates ſequerentur contra Religionem, & charitatem, piumque Eccleſiæ inſtitutum, & contra ea, quæ leg. & notan. in hac Decret. *& in cap. Ubicumque* 13. *qu.* 2. *& in cap. Cùm creatura de celebrat. Miſſar.* Poteſt etiam addu- 24
ci pro hac opinione conſideratio vulgaris: nam ſi in una die concurrant duæ, vel tres cauſæ jejunandi, veluti ſi occurrat eadem die jejunium quadrageſimale, quatuor Temporum, & Vigilia S. Matthiæ, unico jejunio poteſt omnibus ſatisfieri, ad hoc *c.* 2. *de obſervat.* Idemque patet in adſtricto ad officium recitandum ratione ſacri Ordinis, & beneficii: unica enim recitatione utrumque onus adimplet, *c. fin.* 92. *diſt.* Ergo eadem ratione idem dicendum in eo, qui ex pluribus cauſis, videlicet ſtipendio à pluribus accepto obligatur ad Miſſam celebrandam. Demum negari non poteſt, quin hæc opinio ſit probabilis, cùm habeat pro ſe authores graves, & rationes ſuaſibiles. Ergo Sacerdos, qui illam ſervat, non peccat, arg. Clem. un. *in fin. de ſumma Trinit. & fide Cathol.*

Secunda opinio media, & diſtinguens eſt Cajetani *to.* 2. 25
opuſ. tract. 3. *cap.* 2. ubi format quæſtionem initio propoſitam, videlicet utrum obligatus ad celebrandum pro aliquo & accipiens eleemoſynam ab altero, ut celebret pro eo, ſatisfaciat dicendo una tantùm Miſſam pro utroque. Et concludit ſatisfacere, non quidem ſimpliciter, & abſolutè, ut habet prima ſententia; ſed duobus concurrentibus. Alterum eſt, ut in illis ſingulis, qui eleemoſynam dederunt, æqualis reperiatur præparatio, ſeu devotio. Alterum, ut in Sacerdote offerente creſcat devotio ea proportione, qua augetur numerus illorum, pro quibus offertur ita ut ſi Sacerdos exempli gratia habeat unum gradum devotionis, unica Miſſa ſatisfaciat pro uno; ſi habeat duos gradus, ſetisfaciat pro duobus; ſi tres, pro tribus, & ſic de reliquis. *Unde*, inquit, *ſi ego offerens habeam devotionem tantam, ut ei reſpondeat in hoc ſacrificio ſatisfactio unius anni, & intendam celebrare pro ſatisfactione unius anni; ille relevabitur ſatisfactione unius anni. Si autem intendo ſatisfacere pro duobus æqualiter, quilibet relevabitur pro medio anno tantùm; ſi pro tribus, pro tertia parte anni, & ſic de ſingulis.* Atque ita in ſententia Cajetani licebit Sacerdoti idem ſacrificium uni debitum pluribus applicare, dummodò tot multiplicet animi præparationes, & gradus devotionis, quot ſunt ii, pro quibus celebrat; aliàs ſecùs.

Potiſſimum Cajetani fundamentum eſt, quia quamvis 26
hoc ſacrificium ſit ex ſui ipſius natura infinitæ ſufficientiæ, & indeterminatæ efficaciæ; tamen ſicut efficacia Paſſionis Chriſti determinatur ad hunc per hoc, vel illud Sacramentum: ita efficacia hujus ſacrificii per hanc, vel illam devotionem. Devotio autem pertinet ad applicationem: unde, ut ipſe ait, errant qui putant hoc ſacrificium ex ſolo opere operato habere certum meritum, vel certam ſatisfactio- 27
nem, quæ applicatur huic, vel illi. Quoniam applicatio ſacrificii perficitur ex duobus, videlicet ex intentione, & devotione; & reddit rationem, quia in ſacrificiis, & oblationibus quantitas devotionis magis penſatur, quàm quantitas rei oblatæ, ut patet de vetulæ oblatione, *Luc.* 21. & ex authoritate Gregorii in homil. *Ambulans Jeſus juxta mare Galileæ*, dicentis: *Non perpendit Deus quantum in ejus ſacrificio, ſed ex quantò proferatur.* Idipſum non obſcurè videtur ſenſiſſe Silveſt. *in verb. Miſſa* 1. *quæſt.* 10. ubi quærens, utrum Sacerdos promittens ſingillatim tribus unam Miſſam, liberetur dicendo unam pro omnibus, con-

concludit non liberari; ſed tamen addit eum excuſari poſſe
pluribus modis, & in ſpecie propter ſuppletionem Dei,
quando ſcilicet Sacerdos tantum affectum habet ad quem-
libet, quantum habere deberet ad unum ſolum, ſi pro illo
ſolo celebraret.

28 Sed hæc doctrina non eſt tenenda, quia nititur tribus aſ-
ſertionibus evidenter falſis. Primò enim aſſerit applicatio-
nem ſacrificii perfici, & integrari ex duobus, videlicet ex
intentione, & devotione. Quod ſi verum eſſet, ſacrifi-
cium peractum à Sacerdote nullum gradum devotionis ha-
bente, nihil prodeſſet ei, pro quo fit; hoc autem conſtat
eſſe erroneum, quia ſacrificium Altaris efficaciam habet ex
opere operato, id eſt ex conſecratione Corporis, & San-
guinis Chriſti, in quo conſiſtit eſſentialis oblatio, *c. Utrum
de conſecr. diſt.* 2. nec polluitur, aut inquinatur ex miniſtri
nequitia, *cap. ult.* 15. *q.* 8. *cap. Præter*, §. *Verum* 32. *diſt.* &
patet ex Trident. Synod. *ſeſſ.* 22. *de Sacrif. Miſſ. cap.* 2. ubi
dicitur: *Et hæc quidem illa munda oblatio eſt, quæ nulla in-
dignitate, vel malitia offerentium inquinari poteſt.* Et hoc
tamquam certiſſimum fidei dogma admittunt Theologi
omnes, lege D. Thomam *in* 3. *part. q.* 82. *art.* 6. Domini-
cum à Soto *lib.* 9. *de juſt. & jur. q.* 2. *art.* 2. Navarr. *in Manual.
c.* 25. *num.* 10. *verſ. Trigeſimoquinto*, Covarr. *in cap. Alma
Mater part.* 1. §. 5. *num.* 5. Petr. à Soto *de inſtit. Sacerdot.
lect.* 1. *cap.* 4. Suar. *tom. in* 2. *par. diſp.* 79. *ſect.* 11. Gabriel.
Vaſquez *in* 3. *par. diſp.* 229. *cap.* 2. Cardin. Bellarm. *lib.* 2. *de
Miſſa*, *cap.* 4. & Cardin. Tolet. *lib.* 2. *c.* 6. Satis eſt igitur
ut Sacerdos ſua intentione ſacrificium applicet, nec illius
effectus quoquomodo impeditur ex indevotione ſacrifi-
cantis. Quinimò, ut inquit Silveſter *in verb. Miſſa* 1. *nu.* 9.
[Si Sacerdos ſit malus, vel nullum habeat affectum ad eum
pro quo celebrat, puta quia eum odit, aut ignorat quis ſit
& nihilominùs vult pro eo celebrare, ut evitet ſcandalum,
autem peccatum: tamen ſacrificium illi proderit ſecundùm
omnes DD.) Hæc ille. Secundò aſſerit hæc doctrina effe-
29 ctum Miſſæ ex opere operato augeri, vel minui juxta gra-
dus devotionis celebrantis, quod ſimiliter conſtat eſſe fal-
ſum. Quoniam ejuſmodi operi ex inſtitutione Chriſti tan-
tus certus valor annexus eſt, ut neque ex bonitate, vel de-
votione miniſtri creſcat, neque ex illius malitia, vel inde-
votione minuatur; ſed æqualiter proſit omnibus, ſive fiat
per bonos, ſive per malos miniſtros, ut docet S. Th. com-
muniter receptus *in* 4. *diſt.* 45. *q.* 2. *art.* 1. *qu.* 3. & *in* 3 *part.
qu.* 82. *art.* 6. Unde egregiè Scot. *quodl.* 20. §. *de ſecundo*:
Sacerdos, inquit, *quantum ad virtutem ſacrificii eſt merè
inſtrumentum, quia organum inanimatum; licèt enim ſit or-
ganum vivum, quantum ad meritum perſonale in celebran-
do, quia ſic mereri eſt ejus, in quantum in ſe vivit vita gratiæ
tamen quantum ad illud bonum, quod debetur virtute ſacrifi-
cii, eſt organum præcisè ratione ordinis, & æquè provenit ef-
fectus iſte virtute ſacrificii, etiamſi miniſter in ſe non vivat
vita gratiæ.* Hactenùs verba Scoti. Et probatur expreſsè *in
cap. Intra Catholicam* 1. *q.* 1. quod duplicatur *in cap. Utrum
de conſecrat. diſt.* 2. ubi Auguſtinus ait, *Intra Chatolicam
Eccleſiam in myſterio Corporis, & Sanguinis Chriſti nihil
à bono majus, nihil à malo minus perficitur Sacerdote.* Ter-
tiò aſſerit, offerentem poſſe multiplicare tot gradus devo-
tionis, ut unica Miſſa æquivaleat pluribus Miſſis. Quod
30 ſimiliter ſtare non poteſt, etiamſi daremus fructum ſacrifi-
cii ex opere operato aliquo modo augeri poſſe ex devotio-
ne miniſtri, quia augmentum illud in una Miſſa nunquam
poteſt eſſe tantùm, ut adæquet fructum provenientem ex
pluribus Miſſis. Semper enim Deus magis reſpicit ad itera-
tam oblationem hoſtiæ immaculatæ unigeniti Filii ſui, ma-
giſque illa delectatur, quàm devotione Sacerdotis quan-
tumvis magna, & intenſa.

Nam, ut inquit Alex. I. Papa, & martyr; idemque habe-
tur in Decretali ad omnes Orthodoxos: *Crimina, atque
peccata his oblatis Domino ſacrificiis delentur; talibus enim
hoſtiis delectabitur, & placabitur Deus, peccataque dimittet
ingentia.* Hæc ibi. Idemque habetur in Conc. Trid. *ſeſſ.* 22.
de ſacrif. Miſſæ, *c.* 2. In pluribus autem Miſſis multiplica-
31 tur ſacrificii oblatio, & ideò multiplicabitur effectus hujus
ſacrificii, & Sacramenti, ut inquit S. Th. *in* 3. *p. q.* 79. *art.* 7.
ad tertium.

Nec prædictis refragatur authoritas ejuſdem S. Th. *in.* 3.
32 *part. diſp.* 79. *art.* 5. ubi ait: *In ſatisfactionem magis atten-
ditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis. Unde
vidua plus omnibus obtulit*, Luc. 21. *Quare hæc oblatio fit ſa-
tisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerenti-
bus, ſecundùm quantitatem ſuæ devotionis.* Quoniam reſ- 33
pondetur hoc verum eſſe, ſi conſideretur devotio, prout
eſt meritum perſonale ipſius celebrantis, vel eorum pro
quibus celebratur; & hoc modo oblatio prodeſt offerenti
ſecundùm quantitatem devotionis, quam ipſe habet. Item
prodeſt ei, pro quo offertur ſecundùm quantitatem devo-
tionis ſuæ. Ratio eſt, quia ſors gloriæ reddit menſuram ac-
cipientis: unuſquiſque autem ex ſuo actu diſponitur, non
ex alieno, *cap. Nunquam*, *cum mul. ſeqq.* 56. *diſt.* & *in
ſumma* 24. *qu.* 3. S. Thomas *in* 4. *diſt.* 45. *qu.* 1. *art.* 1. *qu.* 1.
Item adhoc ut Miſſa proſit virtute ſacrificii, & operis ope- 34
rati, requiritur, ut ex parte ejus, cui applicatur, non po-
natur ob ex Divinis beneficiis, *capit. Non æſtimamus* 13.
q. 2. Hoc enim ſacrificium cùm ſit memoriale Dominicæ
Paſſionis, effectum non habet niſi in illis, qui conjungun-
tur huic Sacramento per fidem, & charitatem, ut inquit S.
Th. *in* 3. *par. q.* 79. *art.* 7. *ad ſecundum.* Idque ad exemplum
Sacramentorum, ut in Concilio Trident. *ſeſſ.* 7. *de Sacram.
can.* 6. Unde ſicut poteſt quilibet impedire ex toto effe-
ctum ſacrificii, ponendo ſe extra charitatem per culpam
mortalem, ita poteſt ejuſdem effectus augere, vel minuere,
multiplicando, vel minuendo gradus devotionis, & chari-
tatis; & ita intelligitur quod ait S. Thomas, ſacrificium pro-
deſſe offerentibus, & iis, pro quibus offertur, ſecundùm
quantitatem devotionis ſuæ. At ſecus eſt, ſi conſideretur
devotio unius in ordine ad ulium, pro quo ſacrificium of-
fertur; quia tunc oblatio efficaciam habet ex opore opera-
to per ſolam intentionem offerentis, etiam ſine ulla ipſius
devotione, ut oſtenſum eſt ſuprà *num.* 28. Unde ſacrifi-
cium tuum prodeſt tibi, ò Sacerdos, ſecundùm quan-
titatem devotionis tuæ, & prodeſt mihi ſacrificium tuum
ſecundùm quantitatem devotionis meæ; ſed non pro-
deſt mihi tuum ſacrificium ſecundùm quantitatem tuæ
devotionis ex opere operato, licèt Miſſa tua proſit 35
mihi ſecundùm quantitatem tuæ devotionis ex opere
operantis, quia ſecundùm hoc fructuoſior eſt Miſſa me-
lioris Sacerdotis; effectus enim Miſſæ ex opere operan-
tis augetur, & minuitur juxta quantitatem meriti, &
dignitatis miniſtri: & ita intelligitur textus *in capit. Ipſi
Sacerdotes*, 1. *q.* 1. in illis verbis: *Qui quantò digniores fue-
rint, tantò faciliùs pro neceſſitatibus, pro quibus clamant,
exaudiuntur*; prout authoritatem illam declarat S. Thom.
in 3. *part. qu.* 82. *art.* 6. Colligitur ſupradicta diſtinctio ex
verbis claris ipſius D. Th. *in* 4. *ead. diſt.* 45. *q.* 2. *art.* 1. *qu.*
3. *in corpore.*

Tertia opinio, quæ præcedenti aliquantulùm accedit 36
eſt nonnullorum antiquorum, qui dixerunt ſuffragia pro
uno aliquo facta non magis prodeſſe ei, pro quo fiunt,
ſed eis, qui ſunt magis digni; & in hac ſententia, ut
refert S. Thomas *in* 4. *diſt.* 45. *qu.* 2. *art.* 4. *qu.* 1. *in corp.*
fuit Præpoſitus, qui ponebat exemplum de candela, quæ
accenditur pro aliquo divite: quæ non minùs aliis prodeſt,
qui cum eo ſunt, quam ipſi diviti, & fortè magis ſi
habeant oculos clariores. Et etiam de lectione, quæ non
magis prodeſt ei, pro quo legitur, quàm aliis, qui ſi-
mul cum eo audiunt; ſed fortè aliis magis, qui ſenſu ca- 37
paciores. Et ad objectum, quòd ſecundùm hoc Eccleſiæ
ordinatio eſſet vana, quæ ſpecialiter pro aliquibus ali-
quas orationes inſtituit, reſpondebat Eccleſiam hoc feciſ-
ſe ad excitandas devotiones fidelium, qui promptiores
ſunt ad facienda ſpecialia ſuffragia, quàm communia, &
ferventius etiam pro ſuis propinquis orant, quàm pro ex-
traneis.

Cæterùm hæc ſententia vera eſt, ſi penſetur valor ſuffra- 38
gii, ſecundùm quòd procedit ex virtute charitatis, quæ
unit membra Eccleſiæ; quia omnes, qui ſunt in charitate,
ſunt quaſi unum corpus; & ita bonum unius redundat in
omnes, *c. charitatem* 12. *q.* 2. *c. Loquitur Dominus* 24. *q.* 1.
& ſecundùm hoc quodcumque bonum factum ab aliquo
valet cuilibet in charitate exiſtenti; valet enim opus bo-
num per modum meriti, cujus radix eſt charitas; & ſic ſuf-
fragia pro uno facta omnibus valent, quantum ſcilicet om-
nes, qui ſciunt, gaudent ex charitate de bonis, quę ex chari-
tate fiunt. Et hoc reſpectu verum eſt ſuffragia plus valere il-
lis, pro quibus non fiunt, ſi ſint majoris charitatis: ſecùs au-
tem ſi conſideretur valor ſuffragii ſecundùm hoc quòd per
intentionẽ unius actus ejus transfertur in alterum per mo-
dum ſatisfactionis. Hoc enim modo ſuffragia nõ valẽt niſi
illis,

illis, pro quibus fiunt. Ita declarat B. Tom. *loc. cit. & in quodl. art.* 14. & Turrecr. *in c. Non mediocriter num.* 9. *de conſecr. diſt.* 5. ubi hanc doctrinam tuetur ab impugnatione Durandi, & ſequuntur hìc Canoniſtæ ferè omnes, ut dicam infrà *n.* 71.

39 Quarta opinio ſimiliter media eſt Silveſtri *in verſ. Miſſa* 1. *qu.* 9. *num.* 9. *verſ. Eſt igitur & tertia opinio*, qui ſic diſtinguendum putavit: (Aut Sacerdotes movetur à ſeipſo, vel ab aliquo uno tantùm ad celebrandum pro pluribus primò, & principaliter, veluti ſi unus det ei eleemoſynam petens Miſſam pro anima patris, matris, & uxoris. Et hoc primo caſu ſacrificium non tantùm prodeſt ſingulis, pro quibus offertur, quantùm ſi pro unoquoque ipſorum ſingulariter offerretur, quia affectus offerentis, cui proportionatus effectus ſacrificii, eſt unus tantùm, qui fertur totus in omnes primò, ſed non primò totus in ſingulos; ſed ut conveniunt in aliquo uno puta in numero, vel multitudine eorum, pro quibus ſacrificatur; & conſequenter effectus talis ſacrificii attribuitur totus omnibus, ſed non totus ſingulis; ſed dividitur, & conſequenter fit minor ad ſingulos. Si verò Sacerdos moveatur à pluribus ad celebrandum pro multis, ut quia unus petit Miſſam pro anima patris, alius pro anima matris, alius pro anima uxoris; unica Miſſa omnibus ſatisfacit, & tantumdem valet ſingulis, quantum omnibus; quia affectus, quibus reſpondet effectus ſacrificii, primò feruntur in ſingulos ſecundùm ſingulos moventes ad celebrandum; & conſequenter effectus ſacrificii attribuuntur primò ſingulis, & nullus eſt effectus primò reſpiciens multitudinem petentium; & ſic unius celebrationis ſunt multi effectus, & multæ ſatisfactiones: & hoc modo in uno ſenſu intelligi poteſt *d. cap. Non mediocriter.*) Ita Silveſt. ex cujus ſententia, ut vides, Sacerdos, qui à diverſis plura ſtipendia pro pluribus Miſſis celebrandis accepit, unica Miſſa ſatisfacit omnibus; quia quilibet nihil minus habet. Idemque ante ipſum perſpicuis verbis aſſeruit Ang. *in ver. Miſſa n.* 52. Et ad objectum, quòd hoc modo unica Miſſa liberari poſſent omnes animæ de purgatorio; Reſpondit Syl. hoc eſſe poſſibile, quia cùm virtus ſacrificii ſit infinita, quantacumque erit multitudo offerentium, ſcilicet eorum, qui dant ſtipendium, etiamſi arenam maris excederent, tanta erit multitudo effectuum ſacrificii, & conſequenter animarum liberatarum, ſi unico tali effectu poterant omnes liberari limitant tamen ſuam concluſionem, niſi repugnet aliqua promiſſio licita Sacerdotis, quæ ſi interveniat, ſervanda eſt.

Verùm hæc diſtinctio videtur chymerica; quia cùm voluntas ſit potentia libera, nihil prohibet, quin affectus Sacerdotis ferri poſſit totus in ſingulos etiam in eo caſu, in quo movetur ab uno ad celebrandum pro pluribus. Quinimò ut plurimum ſic contingit, quia in *Memento* cogitantur primò ſinguli, pro quibus ſacrificium offertur, nec diſtinguitur, an unus, vel plures ſint, qui eleemoſynam contulerunt; unde ſecundùm hanc diſtinctionem utroque caſu unica Miſſa ſatisfierit omnibus, quod ex diametro pugnat cum Doctrina D. Th. cui Silveſt. profitetur ſe velle adhærere. Præterea neque in eo caſu, in quo Sacerdos dirigit intentionem ſuam primò in ſingulos, poteſt unica Miſſa pluribus ſatisfacere, quia cum effectus ſacrificii extenſivè ſit finitus, & diviſus in plures, minuitur, & quidquid datur uni, adimitur alteri contra juſtitiam, ut fusè explicabitur infrà in argumentis pro ſexta opinione. Unde jure optimo hanc diſtinctionem Silveſtri reprobavit S. Congregatio Concilii in Decretis *de celebrat. Miſſar.* de quibus infrà *num.* 65. in illis verbis, plura ſtipendia ſive ab una, ſive à pluribus perſonis collata fuerint, aut conferentur in futurum.

40 Quinta opinio itidem media eſt Suarez *tom.* 3. *in part. diſp.* 79. *ſect.* 12. qui diſtinguit valorem ſacrificii quoad ſatisfactionem pœnæ, & quoad impetrationem. Primo modo putat ſacrificium non æquè eſſe ſatisfactorium, ſi pro pluribus offeratur, ac ſi pro uno tantùm; & in hoc convenit cum communi ſententia Thelogorum, & Canoniſtarum. Secundò autem modo ſentit æquè impetratorium eſſe ſacrificium, ſi pro pluribus, ac ſi pro uno ſingulariter offeratur. Cui diſtinctioni videtur etiam accedere Covarr. *in cap. Alma Mater part.* 1. § 5. *num.* 9. nam quoad valorem ſatisfactionis conſentit cum communi, & mox ſubdit: At ſi conſideremus valorem operis quoad impetrandum à Divina liberalitate, nulla eſt certitudo, quid Divina Majeſtas pluribus, vel uni tribuet.

Sed hæc diſtinctio implicitè reprobata eſt in iiſdem Decretis *de celebr. Miſſar. d.* §. *Deinde*, in illis verbis: (pro 41
pluribus Miſſis etiam ejuſdem qualitatis) quæ apertè innuunt, ut Sacerdos obſtrictus ad celebrandum plures Miſſas ſive illæ ſint de Requiem, & ſic ad ſatisfaciendum, ſive de Spiritu S. & ſic ad impetrandum, ſive alterius qualitatis, non poſſit unica Miſſa omnibus ſatisfacere; imò peccet contra juſtitiam, & ſit obnoxius reſtitutioni. Et quidem jure 42
optimo; nam cùm ſacrificium extenſivè habeat efficaciam finitam, etiam reſpectu impetrationis, ſitque uni debitum ſi diſtribuatur in plures, minus accipiunt ſinguli ad impetrandum, & ſic committitur injuſtitia, ut latè probabitur infrà à *n.* 51. Rurſus inſtitutio Eccleſiæ plurimum Miſſarum ad eamdem rem impetrandam, & alia fundamenta omnia quæ inferiùs adducentur pro ſexta opinione, à *n.* 54. *uſque ad n.* 65. æquè concludunt in impetratione, atque ſatisfactione. Præterquamquòd etſi admittamus cum Cajetano, & nonnullis aliis valorem ſacrificii eſſe triplicem, ſcilicet meriti, impetrationis, & ſatisfactionis; verè tamen ſub genere 43
impetrationis includitur & ſatisfactio, quia effectus ſacrificii ex opere operato, tam reſpectu remiſſionis pœnarum, quàm reſpectu aliorum effectuum non eſt per modum effectionis, ut in Sacramentis, ſed per modum impetrationis, *ut cap. Viſum, de conſecr. diſt.* 1. *c. Non æſtimemus, & cap. Pro obeuntibus* 13. *q.* 2. cum multis ſimilibus, & patet ex Concilio Trident. *ſeſſ.* 22. *de ſacrific. Miſſæ, c.* 2. & obſervant Petr. à Soto *lect.* 1. *de inſtit. Sacerd. & lect.* 7. *de Euchar.* Vaſq. *in* 3. *par. diſp.* 229. *c.* 2. Bellarmin. *de Miſſa c.* 4. & Tholet. *lib.* 2. *c.* 2.

Sexta igitur, & ultima opinio eſt, Sacrificium Altaris 44
magis prodeſſe illi, pro quo ſingulariter offertur, quam ſi pro pluribus offeratur; ac proindè Sacerdotem, qui plures eleemoſynas accepit pro pluribus Miſſis celebrandis, non poſſe unica Miſſa ſuæ obligationi ſatisfacere. Ita ex Canoniſtis Bernardus Hiſpanus relatus ab Archid. *in c. Non mediocriter ad fin. de conſecr. diſt.* 5. & idem Archid. ibidem, quia aſſerit hanc eſſe veram ſententiam ſecundùm Theologos, quam tenent hìc Joan. Calder. & Jo. Andr. *num.* 5. *in gloſſ.* 3. *verſ. Dicas*, Butr. *n.* 8. Anchar. *n.* 5. Cardin. *n.* 5. & 6. Abb. *n.* 4. Jo. de Anania *n.* 5. Henr. Boich *in fin. operis ſeu in c. ult. circa fin. de verb. ſignif.* Cardin. Turrecrem. *in d. c. Non mediocriter n.* 9. Abb. *conſ.* 99. *incip. Quidam condidit teſtamentum n.* 5. *verſ. Nunc tertium dubium, lib.* 2. Roc. de Cur- 45
te *in tract. de jurepatr. in verſ. Honorificum q* 57. Cæſar. Lambert. *eod. tract. lib.* 3. *in* 3. *q. principali art.* 3. Petr. Brixien. *in ſuo repertorio in verb. Miſſa*, ubi teſtatur hanc quæſtionem fuiſſe diſputatam in Concilio Baſileenſi, ſeque ex deputatione Concilii plenè allegaſſe, & adduxiſſe dicta Theologorum *in* 4. *diſt.* 45. Præpoſ. *in c. Sacroſancta n.* 2. 22. *diſt.* ubi teſtatur hanc eſſe communem Doctorum opinionem, Navarr. *in Man. c.* 25. *n.* 92. & *n.* 111. *verſ. Trigeſimo quinto, & conſ.* 8. *n.* 2. & *conſ.* 9. *n.* 2. *de celebr. Miſſar.* & latiùs *in Enchirid. de orat. cap.* 20. *n.* 77. & *in d. c. Non mediocriter de conſecr. diſt.* 5. Petr. Navar. *de reſt. lib.* 2. *c.* 2. *à n.* 262. & Covar. *in c. Alma Mater par.* 1. §. 5. *n.* 9. ubi aſſerit hanc ſententiam veriorem, & frequentiori calculo receptam eſſe, & pro illa citat Innoc. *in c. penult. Ne Prælat. vic. ſuas*, qui tamen nihil in propoſito.

Et ex Theologis, veteres Scholaſtici omnes, & in ſpecie S. Bonaventura *in* 4. *ſententiarum diſt.* 45. *art.* 2. *q.* 3. *ad ult.* Richar. de Mediavilla *ibid. q.* 3. Duran. *itidem q.* 3. *num.* 11. Petr. de Palud. *q.* 2. *art.* 1. *concl.* 1. & 2. Major. *q.* 2. Scot. *quodlibeto* 20 §. *De primo*, & §. *De ſecundo*, Gabriel. *lect.* 27. *in Canone littera I*, & *littera K*, Adrian. *quodlibet* 8. *art.* 3 *in ſolutione tertiæ rationis*, Jo. Medina *in tract. de orat. c. De valore orationis pro multis fusè*, Sot. *in* 4. *diſt.* 13. *q.* 2. *art.* 1. §. *illi autem*, & §. *Quocirca*, ubi etiam teſtatur in ſuo Ordine Decretum eſſe, ne quis pro una Miſſa à pluribus eleemoſynam accipiat, Gregor. de Valent. *in* 3. *par. diſp.* 6. *q.* 10. *punct.* 1. §. 25. Henriq *in ſumm. lib.* 9. *c.* 19. §. 5. Suar. *tom.* 3. *in* 2. *par. diſp.* 79. *ſect.* 12. & *diſp.* 86. *ſect.* 4. & *tom.* 4. *diſp.* 49. *ſect.* 6. Gabriel Vaſquez 3. *par. diſp.* 231. *c.* 5. Petr. Ledeſma *in ſumma part.* 1. *de Sacram. ubi de Euchar. c.* 17. *concl.* 23. Tolet. *lib.* 2. *inſtit. Sacerd. c.* 8. Coninch. *de Sacram. q.* 83. *art.* 1. *dub.* 10. §. *Et probatur*. Citari etiam poteſt pro hac parte Viguerius, tametſi nonnulli eum citent pro contraria. Nam *in lib. inſtruct. Sacer. c.* 16. *verſ. Decimoſexto* aſſir-

affirmat oppoſitam opinionem probatam non eſſe, quia, inquit, eſt diminutiva Divini cultus: nam quilibet petens implicitè vult hoc ſacrificium pluries fieri; & ſi ſciret Sacerdotêm ab alio accepiſſe pecuniam, & promiſiſſe pro illo celebrare, alium Sacerdotem adiret; & concludit eum, qui hoc faceret, non eſſe tutum in conſcientia, nec excuſari à reſtitutione. Ex Summiſtis verò idem tenent Piſan. *in verb. Suffragium*, §.7. & 8. Roſel. *in verb. Miſſa*, §.22. & Tabien. *in verb. Reſtitutio*, §.*fin.* ubi ait contrariam opinio-
46 nem communiter reprobari a Theologis & Canoniſtis. Hęc ſententia apertè eſt D. Th. prout eam illi expreſsè attribuunt Abb. Turrecr. & Covarr *loc. cit.* & Silveſt. *in verb. Miſſa* 1. *q.*9. & inferiùs explicabitur, *n.*52.

47 Sicut autem hæc ſententia receptiſſima eſt, & authoritate Eccleſiæ approbata, ut inferiùs patebit *n.*65. ita concuſſis nititur fundamentis, quorum illud eſt præcipuum, quòd valor ſacrificii ex opere operato, quamvis ſi conſideretur in actu primo, ut dicunt Scolaſtici, ideſt in ſeipſo intenſivè, ſeu quantum ad ſufficientiam, & indeterminatè ſit infinitus, eo quòd Chriſtus Dominus, qui eſt principalis offerens, & in hoc ſacrificio immolatur, ſit infinitæ virtutis, dignitatis, & meriti; ideòque in ſuis quantitate ſufficiens ſit ad ſatisfaciendum pro omni pœna, nec unquam ſit applicabilis ad tot, tantoſque effectus, quin ſemper ad plures, & majores infinitum in omni genere impetrabiles applicari poſſit, ad exemplum potentiæ Dei infinitæ, quæ plura ſemper poteſt in infinitum, *c. Nullus*, *verſ. ſed quoniam*, *de pœnit. diſt.*7. *cap. Principium*, §. *Charitas de pœnit. diſt.*2. Theol *in* 1. *ſent diſt.*43. tamen ſi conſideretur in actu ſecundo ſcilicet extenſivè, & determinativè, ſeu quantum ad efficientiam, & reſpectu effectus, eſt finitus, ſeu ut alii explicant, applicatur finitè, & limitatè ad finitos effectus; & hanc doctrinam ab omnibus receptam eſſe teſtatur Navarr. *in Manual. cap.*25. *num.* 110. *verſ. Trigeſimoquinto*. Quod adeò verum eſt, ut nec ſacrificio Crucis cruento concedatur efficacitas infinita; nam licèt fuerit infiniti valoris quoad ſufficientiam, finiti tamen fuit quoad efficientiam, quia non producit niſi effectus finitos, ut egregiè explicat D. Thom. *in* 3. *part. quæſt.* 79. *art.* 7. *ad ſecundum*, & ex aliis obſervat Suar. *tom* 3. *in* 2. *part. diſp.*
48 79. *ſect.*11. & Gabriel. Vaſquez *in* 3. *part. diſp.* 230. *cap.*3. Unde Cajet. *tom.* 2. *Opuſcul. tract.* 3. *in præalleg. cap.* 2. *verſ. Veruntamen: Sicut*, inquit, *infinitus effectus Chriſti Crucifixi eſt ſecundùm ſufficientiam, & ſecundùm naturam cauſæ univerſalis, indeterminatæ ſcilicet, & non determinatæ ad hunc aut illum; ita hoc ſacrificium eſt ex ſui ipſius natura infinitæ ſufficientiæ, & indeterminatæ efficaciæ. Verumtamen ſicut efficacia Paſſionis Chriſti quoad efficientem determinatur ad hunc per hoc, vel illud Sacramentum; ita efficacia hujus ſacrificii non quoad ſufficientiam, ſed quoad efficientiam per applicationem Sacerdotis determinatur ad*
49 *hunc, vel illum, per quo offertur*. Hæc ille. Itaque effectus ſacrificii, ad quem obtinendum Miſſa petitur, & promittitur, finitus eſt. Finitum autem in plures diviſum minus habetur à ſingulis, quàm ſi totum haberetur ab uno, *cap. Cùm M. in princ. ſuprà de conſtitut. cap. fin. veſ. Quantoque inter pauciores de conceſſ. Præbend. lib.*6. & in hac ſpecie notant hìc Jo. Andr. *num.*5. *in gloſ.*3. *verſ. Dicas*, Butr. *num.*8. Anchar. *num.*5. & reliqui interpretes, Turrecrem. *in d. cap. Non mediocriter n.*9. *in fin. de conſecr. diſt.*5. & Silveſt. *in verb. Miſſa* 1. *n.*9. *verſ. Sed iſta opinio*. Quidquid igitur datur ſecundo, adimitur primo, & neutri ſatisfit; & conſeqenter Sacerdos, qui unicam Miſſam dicit pro pluribus, à quibus plura ſtipendia accepit, peccat contra juſtitiam, nec liberationem conſequitur, quia minus ſolvit, *l. Si ſtipulatus*, §. *Qui decem debet*, *ff. de ſolut. l.* 2. §.1. & *l. In executione*, §. *Pro parte*, *ff. de verb. oblig.* nam, ut formaliter arguit Scotus *quodlibet* 20. *in princ. Qui tenetur ad majus bonũ, non ſatisfacit ſolvendo minus bonum, Sed duæ Miſſæ ſunt majus bonum, quàm una. Una etiam Miſſa eſt majus bonum ſibi, ſi dicatur pro illo, quàm ſi dicatur ſimul pro*
50 *illo, & alio. Ergo, &c.* Suffragia enim valent per modum ſolutionis debiti, *cap. Animæ* 13. *q.*2. S.Th. *in* 4. *diſt.*45.
51 *q.*2. *art.*4. *q.*2. *ad primum*, & juſtitia humana exemplatur à juſtitia Divina, *c. Tunc vera* 12. *q.*3. & in propoſito idem
52 docuit *d. art.*4. *q.* 1. *in ſolutione quæſt.* & Card. hìc *num.*7. Hanc autem doctrinam, & diſtinctionem duplicis valoris in Miſsa eſse ipſius S. Thom. exiſtimo tam eſse clarum, quàm quod clariſſimum. Sed quia à nonnullis, id controvertitur, abs re non erit illius verba hìc fideliter referre: Nam, ut inquit Silveſt. *in verb. Miſsa* 1. *q.*9. [fundamenta ab ipſo petenda ſunt, qui in hujuſmodi ſecretis ſemper aut ratione, aut revelatione fuit edoctus, anteqam ſcriberet; ejuſque doctrina fuit ſolemniter approbata per Extravag. Joan. XXII. & per Bullam Urbani V. directam Archiepiſcopo, & Cancellario, & Magiſtris, & univerſis in civitate Tholoſana, cujus extrema verba ſunt hæc: *Volumus inſuper, & tenore præſentium vobis injungimus, ut B. Thomæ doctrinam tamquam veridicam, & Chatolicam ſectemini, eamque ſtudeatis totis viribus applicare*.] Refert idem Silveſt. *in verb. Lex num* 9. *in* 3. *dicto principali*. Ipſe igitur Angelicus Doctor, licèt ejus verba in alium ſenſum ab aliquibus detorqueantur, *in* 3. *part. q.*79. *art.*5. ſic ait: *Quamvis ergo hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna*; *ecce valor infinitus quoad ſufficientiam: tamen fit ſatisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus ſecundùm quantitatem ſuæ devotionis, & non pro tota pœna*; *ecce volor finitus, & limitatus quoad efficientiam, & determinatos effectus*: fortè tamen hic locus vitari poſset propter ea, quæ dixi ſupra *num.*32. Sed idem apertiùs docuit *in* 4. *diſt.*45. *q.*2. *art. ult. qu. ult. ad ult. argumentum*, in hæc verba: *Quamvis Chriſti virtus, quæ continetur ſub Sacramento Euchariſtiæ, ſit infinita*; *ecce valor ſacrificii infinitus ſecundùm ſe, & indeterminatè: tamen determinatus eſt effectus, ad quem illud Sacramentum ordinatur; unde non oportet, quòd per unum Altaris ſacrificium tota pœna eorum qui ſunt in Purgatorio, expietur: unde etiam quandoque plures Miſsæ in ſatisfactionem unius peccati injunguntur*. Hæc ibi: Ecce infinita virtus ſacrificii applicata finitè, ac limitatè ad determinatos effectus. Rurſus *in eod. art.* 4.
*q.*2. proponit in terminis quæſtionem, utrum ſuffragia fa- 53
cta pro multis tantundem valeant ſingulis, ac ſi pro unoquoque ſingulariter fierent, & in verſ. *Sed contra*, ſic ait: *Suffragium habet finitam efficaciam. Ergo diſtributum in multos, minùs prodeſt ſingulis, quam prodeſſet, ſi fieret pro uno tantùm*. Et in corpore: *Si valor*, inquit, *ſuffragiorum conſideretur in quantum ſunt ſatisfactiones quædam per intentionem facientis translatæ in mortuos, tunc magis valet ſuffragium ei, quod pro eo ſingulariter fit, quàm pro eo, quod communiter fit, & multis aliis; ſic enim effectus ſuffragii dividitur ex Divina Juſtitia inter eos, pro quibus ſuffragia fiunt*. Hæc S. Thomas.

Quòd autem ſacrificii valor ex opere operato ſit fi- 54
nitus, & taxatus quantum ad efficientiam, deducitur etiam ex Scoto *in præalleg. Quodlibet.* 20. *in* §. *De tertio*, quia bonum quod debetur virtute ſacrificii, correſpondet ſecundùm plenam juſtitiam alicui merito in Eccleſia: hoc autem meritum eſt finitum, & certi gradus: ergo ſibi ſecundùm juſtitiam plenam correſpondet bonum certi gradus reddendum, ad hoc *cap. Tempus & cap. Non æſtimemus* 13. *q.*2. & *l. Et virtutum in princ. Cod. de ſtat. & imagin.*

Sed & Dominus in cœna noviſſima ordinavit, ut tam Apoſtoli, quos tunc novi teſtamenti Sacerdotes inſtituit, quàm alii Sacerdotes aſſiduè offerrent corpus, & ſanguinem ſuum, dum ait, *Hoc facite quotieſcumque, &c. ut* 1. *ad Corrinth.* 11. Ergo noluit, ut ex unico ſacrificio, & ſemel ab Apoſtolis peracto infiniti effectus producerentur, ſed ut cujuſque oblationis eſset fructus taxatus, & certi gradus, ad hoc, ut auguſtiſſimum hoc ſacrificium, ſine quo Religio non poteſt conſiſtere, frequentaretur in Eccleſia, tum ut memoria Dominicæ Paſſionis in finem uſque ſæculi permaneret, tum ut illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidiè committuntur, peccatorum applicaretur, prout hæc leguntur in Decreto Concilii Tridentini *ſeſſ.*22. *de Sacrif. Miſſæ c.*1. & *c.*2.

Hujus autem Divinæ ordinationis clariſſimum argumentum eſt quòd Eccleſia, quæ eſt fideliſſima interpres inſtitutionis Chriſti, cùm à Spiritu Sancto regatur, *cap. Qui contempta*, & *cap. Fruſtra* 8. *diſt. cap. Loquitur* 24. *quæſt.* 1. *cap. Quis neſciat* 11. *diſt.* quæ vel à tramite Apoſtolicis traditionis nunquam erraſſe probatur, *cap. A recta*, *ead. cauſ.* & *quæſt.* multas Miſſas ad eamdem rem obtinendam offerre conſuevit. Ergo Divinam inſtitutionem ita eſt interpretata, ut valor Miſſæ quantum ad efficientiam, & prout determinatur ad hunc, vel illum, non ſit infinitus; alioquin ſupervacaneum fuiſſet

ad

ad unum ſpecialem effectum unius rei impetrandæ plures Miſſas inſtituere, ſi unica ſufficeret ad impetranda omnia quæ petuntur. Dicitur enim fruſtrà fieri, cùm non perficitur id cujus gratia fit, ut habetur *in 2. Phyſicorum, cap. 2. text. 62.*

55 Quod etiam comprobatur ejuſdem Concilii Decreto, *cap. 4. ſeſſ. 25.* ubi datur facultas Epiſcopis in Synodo Diœceſana, & Generalibus Ordinum in Capitulis generalibus reducendi onera Miſſarum celebrandarum. Et quotidie etiam Sedes Apoſtolica conſuevit ejuſmodi onera Miſſarum cum certis conditionibus ad pauciorem numerum reducere. Quod certè ſuperfluum fuiſſet, ſi unius Miſſæ celebratione poſſet oneribus omnibus ſatisfieri. Conſuetudo autem Eccleſiæ prævalet authoritati cujuſcumque Doctoris, ut S. Thomas 2. 2. *quæſt. 10. art. 12. & quodlib. 2. art. 7.*

56 Similiter, ut formaliter ratiocinatur idem S. Thomas *in 4. diſt. 45. quæſt. 2. art. 4. q. 2. in ſolutione quæſtionis*, melius eſt plures juvare, quàm unum. Si ergo ſuffragium pro multis factum tantum valeret ſingulis, ac ſi pro uno tantùm fieret, Eccleſia non debuiſſet inſtituere, ut pro aliquo ſingulariter Miſſa diceretur, ſed ut ſemper diceretur pro omnibus fidelibus. Quod patet eſſe falſum. Ad hoc textus optimus *in cap. Sacroſancta, verſ. Et licet, 22. diſt.* ubi Anacletus Papa, *Licèt*, inquit, *pro omnibus aſſidua apud Deum omnium Sanctorum effundatur oratio, his tamen verbis Paulus beatiſſimus Apoſtolus Romanis proprio chirographo pollicetur dicens: Teſtis enim mihi eſt Deus, quòd ſine intermiſſione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis:* ex quo textu colligit ibi Gemin. *in 4. notab. num. 3.* magis prodeſſe orationem, quæ fit ſpecialiter pro uno, quàm generalem, quæ fit univerſaliter pro omnibus ab Eccleſia: quod fuſiùs proſequitur, ibi, Præpoſ. *num. 2.* (Ad quid enim (inquit) jura facerent tantam vim inter particulares Miſſas, maximè pro defunctis, & ordinarias feſtorum, vel feriales, in quibus etiam fit generalis commemoratio vivorum, & mortuorum, *ut in c. Cùm creatura, & cap. Quidam, de celebrat. Miſſar. in cap. Et hoc advertendum, & in cap. penult. de conſecrat. diſt. 5.* ſi non plus operaretur illi, pro quo fit peculiaris Miſſa, quàm commemoratio generalis?) Hæc Præpoſ. facit textus cum gloſſ. *in l. Item apud Labeonem, §. Hoc edictum, in ver. Neglecta, ff. de injur.*

57 Et confirmatur ex conſideratione Scoti *quodlibet. 20. §. De primo*: nam in amicitia humana dilectus per ſupplicationem meretur majus bonum uni, quàm ſi ſupplicaret pro multis: etenim pro uno exaudiretur, ut tantum bonum impetraret ei, qui ſi pro multis peteret, vel non pro omnibus exaudiretur, vel non tantum bonum impetraret, & illud eſt ſecundùm juſtam legem amicitiæ. Ergo ſimiliter apud Deum magis valet ad impetrandum oblatio, ſi fiat ſpecialiter pro uno, quàm ſi fiat generaliter pro multis; ad hoc *l. Si quis mihi bona, §. Sed utrum, ff. de acquiren. hæred.* Authen. *de nupt. §. Soluto*, ibi, *Unde donec, collat. 4. & l. Quæro, ff. de action. empt.* nam quod ſpecialiter declaratur, validiùs operatur, quàm quod in genere prædicatur, textus, & ibi Bald. *in princ. in l. 2. C. de ſervit. pignor. dato, & l. Quintus, la prima, §. Sed quod Quintus*, ibi, Multum enim intereſt generaliter, an ſpecialiter hæc legentur, *ff. de aur. & arg. leg.*

58 Præterea, ſi hic Sacerdos unica Miſſa ſatisfaceret multis, quorum ſinguli eleemoſynam contulerunt pro unius Miſſæ celebratione, eadem ratione hic Sacerdos unica Miſſa ſatisfaceret ei, à quo plura ſtipendia accepiſſet pro pluribus Miſſis celebrandis. Hoc autem conſtat eſſe falſum; damnaretur enim ab Eccleſia, ut quis unica Miſſa ſatisfaceret Miſſis B. Gregorii, quæ ſunt triginta; quippè is, pro quo fiunt plura ſuffragia, citiùs liberatur à pœnis purgatorii, ut docet Magiſter ſententiarum *in 4. diſt. 45.* & poſt eum S. Th. *quodl. 2. art. 14.*

59 Poſtremò obſervandum eſt, in ſacrificio Miſsæ triplicem reperiri offerentem, nempè Chriſtum, Eccleſiam, & Miniſtrum. De Chriſto hoc eſt expreſsum in Conc. Trident. *de ſacrif. Miſſæ ſeſſ. 22. cap. 2.* ubi ſic legitur, *Una, eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione di-*
60 *verſa.* De Eccleſia id colligitur ex D. Thom. *in 3. part. q. 79. art. 6. in corpore, & art. 7. ad 3.* & Scot. *d. quodl. 20. §. De primo*, & patet *ex ead. ſeſſ. 22. cap. 6.* ubi S. Synodus docet, *Miſſas privatas cenſeri communes, quia celebrantur à publico Eccleſiæ miniſtro*; opus enim miniſterii 61
eſt magis principalis agentis, *cap. Litteris, ſuprà de reſcript. cap. Mulieres, §. Illi verò, infrà de ſent. excomm.* S. Th. *in 4. diſt. 45. qu. 2. art. 1. qu. 3. in corpor.* De miniſtro ſimiliter hoc eſt notiſſimum: nam ut habetur *in cap. Perlectis, 25. diſt. Ad Sacerdotem pertinet Sacramentum Corporis, & ſanguinis Chriſti Domini in Altari conficere*, & patet ex Conc. Trident. *ſeſſ. 22. de obſerv. & evit. in celebrat. Miſſæ, cap. un.* ibi, *Vivifica illa hoſtia, qua Deo Patri conciliati ſumus, in Altari per Sacerdotes quotidie immolatur.* Qua de re S. Thom. & Theologi *in 3. part. q. 82. per totam*, 62
Et quidem in conſecratione quæ eſt eſſentialis oblatio, *cap. Utrum de conſecrat. diſt. 2.* non Eccleſiæ, ſed Chriſti perſonam agit. Ideòque ac ſi Chriſtus loqueretur, dicit: *Hoc eſt Corpus meum.* In reliquis verò orationibus loquitur in perſona, & nomine Eccleſiæ, *Offerimus tibi Domine, &c. Placeat tibi obſequium ſervitutis noſtræ.* His autem 63
tribus offerentibus in ſacrificio Miſsæ triplex effectus reſpondet ex opere operato; ideòque Scot. *circa fin. d. quodl.* relatus à Silveſt. *in ver. Miſſa primo, num. 9. verſ. Scotus etiam*, effectum ſacrificii appellans meritum virtualiter ſic ait: *Meritum Miſſæ in tres partes dividitur, quarum una Chriſto, alia Eccleſiæ attribuitur, tertia Sacerdoti, & hanc tertiam partem duntaxat poteſt diſpenſare Sacerdos, qui ſi eam attribuat alicui determinatæ perſonæ, non poteſt alteri attribuere; quia tale meritum eſt finitum, & limitatum; alioquin una Miſſa liberaret omnes de Purgatorio, quod eſt* 64
hæreticum; & ſic eſt finitum, & diviſum minuitur tandem uſque ad nihilum. Et ſi totum uni communicatur, alius nihil habet. Hæc ex illo, cujus doctrina tota eſt ſingularis, & meritò Eccleſiæ uſu recepta, ut teſtatur Navar. *in Manual. cap. 25. num. 92.* & latiùs *in Enchirid. de orat. cap. 20. num. 77. & cap. Non mediocriter, de conſecrat. diſt. 5* & Covarr. alios adducens *in d. cap. Alma Mater, part. 1. §. 5. num. 5.* Sanè hic abuſus, qui maximè avaritiam fovet, 65
fidem fallit, pietatem fidelium lædit, Sacerdotes illaqueat, & animas Defunctorum fraudat debitis ſuffragiis, videtur omninò abolendus in Decretis *de celebrat. Miſsar.* de quorum editione nunc agitur, *cap. Extirpandæ, de Præbend. cum concordant.* de quibus, ibi, per Hoſt. *num. 9.* Concil. Tridentinum *ſeſs. 22. de obſerv. & evitand. in celebr. Miſsar. cap. unico, verſ. Cùm igitur.*

Atque ita conſultis Theologis, & articulo pro rei gravitate maturè diſcuſſo Sac. Congreg. Cardinalium Concil. Trid. Interpretum hanc ſententiam poſteà ſequuta eſt in eiſdem Decretis *de celebrat. Miſsar.* juſſu Sanctiſſimi D. N. Urbani VIII. me Secretario editis, & à Sanctitate ſua approbatis, & confirmatis, *in §. Deinde*, quæ habentur in Bullar. *tom. 4. pag. 314.* ubi ſic legitur: *Deinde ubi pro pluribus Miſſis etiam ejuſdem qualitatis celebrandis plura ſtipendia quantumcumque incongrua, & exigua ſive ab una, ſive à pluribus perſonis collata fuerint, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Eccleſiis, Capitulis, Collegiis, Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac locis piis quibuſcumque tam ſæcularibus, quàm regularibus, Sac. Congregatio ſub obteſtatione Divini Judicii mandat, ac præcipit, ut abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint; ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant, quinimò graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur. Id verò ut deinceps obſervetur exa-* 66
ctiùs, Sac. Congregatio eadem authoritate revocat privilegia, & indulta omnia quibuſvis perſonis, Eccleſiis, & locis piis tam ſæcularibus, quàm regularibus cujuſcumque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti quamcumque ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, ut certarum Miſſarum, vel Anniverſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu orationibus plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat. Hæc ibi.

Non obſtant modò argumenta primæ opinionis oppoſitæ.

Ad primum enim, nempè ad textum in d. *cap. Non me-* 67
diocriter, de conſecrat. diſt. 4. dantur à gloſ. & Doctoribus plures ſolutiones. Prima ſolutio eſt Bernardi Hiſpani, qui dixit authoritatem illam veram, quando Miſsa æqualiter pro omnibus dicitur; ſecus ſi intuitu unius, quia tunc licèt pro omnibus dicatur, plus proficit ei, pro quo orans ſpecialiùs intendit: & hanc eſse veram ſententiam ſecun-

dum Theologos affirmat ibi Archid. *in fin.* & Bellam. *n.* 2. Sed certè hæc ſolutio quamvis in ſe vera ſit, ut ex dictis conſtat; tamen non congruit illis verbis, *Ac ſi pro unoquolibet ipſorum diceretur*, quæ verba oſtendunt Miſſam dictam intuitu unius non magis prodeſſe, quam ſi pro omnibus æqualiter diceretur. Secunda ſolutio eſt gloſſæ, ibi,
68 *in verb. Dum igitur*, & Abb. *d. conſ.* 99. *num.* 6. *verſ. Contraria*, *lib.* 2. qui intelligunt illum textum in Miſſa, quæ juxta litteram dicitur pro centum cum hilaritate mentis: hæc enim non minùs prodeſt ſingulis, quam ſi diceretur pro quolibet ipſorum cum anxietate. Hæc ſolutio vera eſt, ſi valor Miſſæ penſetur ex virtute meriti, & operis operantis: ſic enim augetur juxta quantitatem charitatis, & fervoris miniſtri, *cap. ipſi Sacerdotes*, 1. *qu.* 1. & dixi ſuprà *num.* 35. & quia orans pro multis majorem habet charitatem, hoc reſpectu Miſſa tantò eſt fructuoſior, quantò pro pluribus celebratur, ut dicam *infrà num.* 71. Sed ſi valor Miſſæ conſideretur ex virtute ſacrificii, & operis operati, hæc ſolutio coincidit cum ſecunda opinione Cajetan. & eſt apertè falſa, quia fructus ſacrificii reſpectu alterius, cui applicatur, non augetur, nec minuitur ex devotione, vel malitia Sacerdotis, ut fusè oſtenſum eſt ſuprà *num.* 28.
69 Tertia ſolutio eſt ejuſdem gloſſ. ut littera ſit referenda ad ipſum celebrantem, quia non minùs valet ei, ſi Miſſam celebret pro centum, quàm ſi pro uno, & ſecundo hunc intellectum illud verbum *Accipitur*, exponi debet, ideſt à Sacerdote celebrante: & hunc intellectum approbat Abb. *loc. cit.* & Silveſt. *in ver. Miſſa primo num.* 9. *verſ. Quod autem adducitur*, & valdè conſonat litteræ: nam ibi Hie-
70 ronymus poſteaquàm decantationem quinque Pſalmorum cum alacritate, & puritate prætulit totius Pſalterii modulationi cum triſtitia, & anxietate cordis, ſtatim ſubnectit, *Dum igitur pro centum animabus Pſalmus, vel Miſſa dicitur, nihil minus, quàm ſi pro unoquolibet ipſorum diceretur, accipitur.* Quamobrem cùm loquatur illativè, manifeſtè apparet eum de Sacerdote intellexiſſe, ita ut non minùs ſit ei meritorium celebrare pro multis, quàm pro ſingulis, imò magis ſi moveatur ex majori fervore charitatis, *cap. Charitas, de pœnit. diſt.* 2. Unde hanc ſolutionem poſuit & S. Bonavent. *in* 4. *diſt.* 45. *art.* 2. *qu.* 3. *ad ult.* dicens: *Hieronymus, ſicut patet ex adjunctis, loquitur quantum ad meritum facientis, non quantum ad utilitatem ejus, pro quo*
71 *ſit*, & Scot. *d. quodlib.* 20. §. *de primo in fin.* Ultima ſolutio colligitur ex doctrina D. Thom. *in* 4. *diſt.* 43 *q.* 1. *art.* 4. *q.* 2. *in corpore*, ait enim: *Si valor ſuffragiorum conſideretur ſecundum quòd valent ex virtute charitatis unientis membra Eccleſiæ, ſuffragia pro multis facta tantùm ſingulis proſunt, ac ſi pro uno tantùm fierent; quia charitas non minuitur, etſi effectus ejus dividatur in multos, imò magis augetur, ad hoc*
72 *cap.* 1. *verſ. Credendum, de pœnit. diſt.* 6. *Et ſimiliter etiam gaudium quantò pluribus eſt commune, ſit majus, ut dicit Auguſt.* 8. *Confeſſ. cap.* 3. *& ſic de uno bono facto non minus lætantur multi in Purgatorio, quàm unus:* & hoc primo modo intelligitur text. *in d. cap. Non mediocriter*, ſecundum Cardin. *hic num.* 6. *verſ. Per hoc reſpondetur*, Abb. *d. conſ.* 99. *num.* 6. *verſ. Vel tertiò*, & Tabien. *in verb. Reſtitutio*,
73 §. *fin. Si autem conſideretur valor ſuffragiorum in quantum ſunt ſatisfactiones quædam per intentionem facientis tranſlatæ in mortuos, tunc magis valet ſuffragium alicui, quod pro eo ſingulariter fit, quàm quod pro eo communiter fit, & multis aliis; ſic enim effectus ſuffragii dividitur ex Divina Juſtitia inter eos, pro quibus ſuffragia fiunt.* Hæc S. Thomas, qui idem docuit *quodl.* 2. *art.* 14. ut dixi ſuprà *num.* 38. Cujus verba, licèt illius mentionem non faciat, ferè ad litteram tranſtulit Joan. Andr. *hic num.* 5. *in gloſ.* 3. *verſ. Dicas*, & ſequuntur communiter DD. noſtri, ut inquit Abb. *ubi ſuprà*; quinimò tam Theologi, quàm Canoniſtæ, & Summiſtæ communiter, teſte Tabiena *loc. cit.*

74 Ad ſecundum patet reſponſio ex dictis ſuprà *num.* 47. *in* 1. *arg.* pro hac ſententia: nam etſi valor ſacrificii in ſeipſo, & quantum ad ſufficientiam infinitus ſit; eſt tamen finitus quantum ad efficientiam, ſeu applicatur finitè, & ideò diviſus in plures minùs prodeſt ſingulis. Prætereà, ut ait Scot. *d. quodl.* 20. *in fin. virtus ſacrificii non adæquatur valori ejus, qui continetur in ſacrificio: non etiam adæquatur merito Paſſionis Chriſti, ſed correſpondet alicui merito in Eccleſia, quod quidem meritum eſt finitum.*

75 Ad tertium reſpondetur ex D. Thom. *in* 4. *diſt.* 45. *qu.* 2. *art.* 4. *quæſt.* 2. *in reſponſione ad primum*, non procedere ſimilitudinem inter lectionem, & ſuffragia: quoniam ſuffragia ut ſunt ſatisfactiones quædam non proſunt per modum actionis, ſicut doctrina prodeſt, quæ ſicut etiam omnis alia actio effectum habet ſecundum diſpoſitionem recipientis; ſed valent per modum ſolutionis debiti: & ideò non eſt ſimile, ſequitur Turrecrem. *in d. cap. Nam mediocriter, num.* 9. *verſ. Ad ſecundum, de conſecrat. diſt.* 5.

Et eodem modo reſpondetur ad exemplum de candela: 76
nam, ut inquit S. Thom. *in prealleg. diſt.* 45. *qu.* 2. *art.* 4. *qu.* 1. *ad primum*, ſuffragia proſunt per modum luminis in quantum à mortuis acceptantur, & ex hoc quamdam conſolationem recipiunt, & tantò majorem, quantò majori charitate ſunt præditi. Sed in quantum ſuffragia ſunt quædam ſatisfactiones per intentionem facientis tranſlata in alterum, non ſunt ſimilia lumini, ſed magis ſolutioni alicujus debiti: non autem eſt neceſſe, ut ſi debitum pro uno ſolvitur, ex hoc aliorum debitum ſolvatur.

Ad quartum reſpondetur, orationem conſiderari & ex parte orantis, & ex parte ejus, qui oratur, & ex utroque effectus ejus dependet; & ideò quamvis Divinæ virtuti non ſit magis difficile abſolvere multos, quàm unum; tamen hujuſmodi oratio non eſt ita ſatisfactoria pro multis, ſicut pro uno. Ita S. Thomas *in* 4. *diſt. quæſt.* 2. *in reſp. ad tertium.*

Ad quintum reſpondetur ex Scoto *d. quodl.* 20. in Miſſa 77
requiri triplicem valorem, videlicet generaliſſimum, medium, & ſpecialiſſimum, ut latiùs dicam infrà *num.* 94. & omiſſo ultimo, qui ad rem præſentem non pertinet, generaliſſimus eſt, qui debetur generaliter toti Eccleſiæ, necnon iis, quorum ſit mentio in Canone. Medius eſt qui debetur ei, quem Sacerdos cogitat in *Memento*. Primus valor applicatur juxta intentionem Eccleſiæ independenter ab intentione Sacerdotis. Secundus applicatur à Sacerdote juxta intentionem ipſius. Non igitur mirum, ſi ex applicatione primi valoris, quam facit Eccleſia, nihil decreſcat de valore, quem applicat Sacerdos; quia cùm ſint ſeparati, ex diviſione unius in plures, non ſequitur diminutio alterius, arg. *l. fin. ff. de calumn. l. Eum actum, ff. de negot. geſt. & l. Papinianus exuli, ff. de minor.*

Ad confirmationem autem reſpondetur, ex oblatione, 78
quam facit Eccleſia pro circumſtantibus, & generaliter pro omnibus fidelibus, idcircò nihil decreſcere unicuique, quia, ut advertit Cajetan. *tom.* 2. *opuſc. tract.* 3. *cap.* 2. & ex illo Gabriel Vaſq. *in* 3. *part. diſput.* 231. *cap.* 3. ſive in Eccleſia ſint plures circumſtantes, ſive pauciores, unicuique taxatur fructus ex opere operato pro modo quantitatis fidei, & devotionis cujuſque: & ideò in Canone dicitur, *Et omnium circumſtantium, quorum tibi fides cognita, & nota devotio, &c.* Nihil mirum igitur, ſi hoc ſacrificium generaliter oblatum non minùs proſit ſingulis eorum, ſi offeratur pro pluribus, quàm ſi pro paucioribus: quod fuſiùs explicat Navar. *in Manual. cap.* 25. *num.* 110. *verſ. Arbitror autem.*

Ad ultimum motivum, quòd unico jejunio poſſit ſatiſ- 79
fieri pluribus cauſis jejunandi, reſpondet Abb. *in præcitat. conſ.* 99. *num.* 6. *verſ. Ad ſecundum lib.* 2. procedere, quando quælibet illarum cauſarum concernit certum diem: oportet enim, ut impleatur eadem die meliori modo, quo poteſt. Sed magis adæquatè ad hoc objectum reſpondet Scotus *dicto quodlib.* 20. *circa finem, verſ. De tertio*, diſtinguendo, an plures obligationes ſint ad idem numero, an verò ad idem in ſpecie; & quidem ut ipſe ait: *Si ſint ad idem numero, ut quando pluribus obligationibus obligor hac ſexta feria jejunare, puta ex præcepto Eccleſiæ, quia eſt ſexta feria quatuor temporum, & iterùm quia eſt vigilia Apoſtoli jejunanda, & iterùm ex regula mea; iſtis obligationibus, quia ſunt ad idem numero, ſatisfacio uno actu jejunandi; ſecùs autem eſt ad idem ſpecie: & ratio videtur, quia obligatio non eſt ad impoſſibile ſolvi. Quotcumque autẽ ſunt obligationes ad hoc, nulli poteſt ſatisfieri niſi ſolvendo hoc: non ergo tenetur ad aliud. Sed quando ſunt plures obligationes ad idem in ſpecie, poteſt ſatisfieri eis ſolvendo aliud, & aliud. Nunc autem in caſu propoſito eſt alia, & alia obligatio completa, & ad idem in ſpecie, ſcilicet ad dicendum Miſſam. Ergo ſimpliciter non ſatisfacit, niſi reddat diſtincta.* Hæc Scotus. Probantur hæc in *l. Quibus idem, ff. de verb. obligat.* in *l. Si non ſortem*, §. *Libertus, ff. de condit. indeb.* in *l. Si uſufructus mihi, ff. de uſufruct. &* in *l. Cum plures, ff. de evict.* & ex notatis per DD.

DD. in *l. Titium*, ubi in ſpecie Iaſ. *n. 8. ff. de verb. obligat.* Ad id verò, quòd generaliter ajunt de probabilitate opinionis oppoſitæ, reſpondeo, uti falſam, & omni probabilitate deſtitutam, authoritate Apoſtolica reprobatam fuiſſe in præallegatis Decretis *de celebrat. Miſſar.* & in declarationibus poſtea editis, ut inferius patebit: & quatenùs eſſet probabilis, tamen Sacerdotes in hac materia, in qua vertitur periculum animæ, tenentur ex præcepto tutiorem partem amplecti, ut probavi latiſſimè *in cap. Ne innitaris, ſuprà de Conſtitut.* Cùm præſertim, qui conferunt eleemoſynam pro celebratione Miſſæ, non petant opiniones, ſed id, quod certum eſt, videlicet integrum ſacrificium arg. *cap. Si quis autem, de pœnit. diſt. 7.*

80 Sed circa prædicta quadruplex occurrit difficultas. Prima, an ſi ſtipendium non ſit juſtum, eò quòd deficiat ab eo, quod ad ſuſtentationem celebrantis lege, vel conſuetudine taxatum eſt, liceat tunc Sacerdoti pro unius Miſſæ celebratione plura ſtipendia accipere uſque ad præfinitam taxam. Ratio dubitandi eſt, quia miniſtrantibus in Altari debentur ſtipendia ex juſtitia, *cap. Ex his, 12. q. 1. cap. Quicumque, cap. Charitatem, & cap. Eccleſiaſticis, 12. q. 2. cap. Cùm ſecundum, de Præb. Nam qui Altari ſervit, de Altari vivere debet,* 1. ad Corinth. 9. *Et dignus eſt operarius mercede ſua,* 1. ad. Timoth. 5. *Nec denario defraudari debent in vinea Domini operantes, c. fin. de Magiſtr.* Ergo, ſi Sacerdos neceſſariam ſuſtentationem non habeat, & merces non reſpondeat labori, contractus eſt injuſtus, ac proinde licebit ei jure ſuo uti, ſeque indemnem ſervare plura ſtipendia partiaria ad ſui ſuſtentationem accipiendo uſque ad quantitatem præfixam, & unica oblatione omnibus ſatisfacerre, ita Sot. *de juſt. & jur. lib. 9. qu. 3. art. 1.* Canus & alii quos ſequitur Suar. *tom. 3. in 3. p. diſp. 86. ſeſſ. 4.* & Azor. *inſtitut. moral. tom. 3. lib. 12. c. 6. §. Mihi verò.* Sed hanc opinionem refellit Navarr. *in Manual. c. 25. n. 92.* eamque expreſsè reprobavit S. Congr. Concilii tum in præallegato Decreto *de celebrat. Miſſar. §. Deinde,* in illis verbis, *Plura ſtipendia quantumcumque incongrua, & exigua*: tum in declaratione poſteà edita tenoris infraſcripti, videlicet, (An cùm Ordinarius præſcripſerit eleemoſynam congruam juxta qualitatem loci, perſonarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes ſtipendium minùs congruum teneantur Miſſas illis ab offerente præſcriptas celebrare; Sacra Congregatio cenſuit teneri.) Et
81 quidem jure optimo: nam in ſtipulationibus, & aliis contractibus, qualis dicitur celebrari inter dantem eleemoſynam, & Sacerdotem, nempè, do ut facias, ut notatur *in c. Significatum, de Præb.* ſemper primò id ſequimur, quod actum eſt à partibus, *l. Semper in ſtipulationibus*, & ibi Decius *in 1. notab. ff. de reg. jur. & l. Sed Celſus, §. Sed ſi fundus, ff. de contrahen. empt.* Contractus enim ex conventione legem accipiunt, ut in regul. Sixti *Contractus, & in l. Contractus, ff. eod.* Unde ſi Presbyter liberaliter, & gratis cuipiam promiſiſſet Miſſam dicere, utique teneretur ſtare promiſſis, quantumcumque nudum eſſet pactum, & non veſtitum cohærentia rei, vel contractus, *cap. 1. Cùm materia, ſuprà de pactis, cap. unic. eodem tit. lib. 6. Eleutherius,* 18. *qu.* 2. alioquin frangeret fidem, ſecundùm Tabien. *in ver. Reſtitutio, §. fin. verſ. Concludo igitur.* Ergo multò magis tenetur ſtare promiſſis cùm ſe obligavit ſtipendio accepto quantumvis incongruo, & exiguo; imputet enim ſibi qui accipit eleemoſynam ad victum inſufficientem, & tamen promittit ſacrificium offerre. Videtur enim ſic favori ſuo renuntiare, prout poteſt *l. Si quis in conſcribendo, C. de pactis,* ad exemplum ejus, qui acceptat beneficium tenue, qui non propterea excuſatur à reſidentia, & ſervitio, *c. Conquerente,* & ibi DD. *ſuprà de cler. non reſi.* gloſſ. *in c. Clericus victum, in ver. Vigiliis, 91. diſt.*

82 Nec refragantur illa verba decreti *de celebrat. Miſſar.* quibus Sacerdos adſtringitur tot ad Miſſas celebrandas, quot ad rationem attributæ eleemoſynę præſcriptæ fuerint. Quoniam ex Sacr. Congregationis ſententia intelligi debent de præſcriptione facta ab eo, qui eleemoſynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod ſi tribuens eleemoſynam numerum Miſſarum celebrandarum non præſcripſerit; tunc demum tot Miſſę celebrari debent, quot pręſcripſerit Ordinarius ſecundùm morem civitatis, vel provinciæ. Habentur ſupraſcriptæ declarationes in Bullar. *to. 4. pag.* 317. Prætereà ſi Sacerdos aliunde haberet, unde viveret, utique non liceret ei plura ſtipendia utcumque minima accipere pro unius Miſſæ celebratione, ut idem- 83
met Sot. fatetur *eod. art. 3.* Igitur nec ratione paupertatis id ei licebit. Tum quia paupertas ſacrificantis non tollit juſtitiam, nec debitum alteri, arg. *cap. Ex tenore de foro compet. & cap. Denique 14. qu. 5.* Tum quia Miſſæ ſacrificium non eſt inſtitutum ad pauperum inopiam ſublevandam, quin potiùs ſanxit Eccleſia, ut nullus pauper ordinaretur, ut *cap. Non liceat, cap. Epiſcopus, cap. Tuis, & cap. Cùm ſecundum, de Præb.* & qui ordinatus in paupertatem incideret, artificiolo, vel agricultura ſibi victum quæreret, *cap. Clericus victum, 91. diſt.* cùm non deceat eos, qui Divinis obſequiis adſcripti ſunt, cum Ordinis dedecore mendicare, Concilium Trident. *ſeſſ.* 1.2 *cap.* 21. Tum denique quia ſacri Canones in aſſignatione ſtipendii non conſiderant paupertatem, ſed mercedem laboris, cùm nemo militet propriis ſtipendiis, *cap. Cùm ex officii, de præſcript.* & probatur *in cap. Clerici,* 1. *qu.* 2. perpendendo illum textum, ut dixi *in cap. Si quis ſane, num. 7. ſuprà de peculio Clericor.* Ergo ſi Sacerdoti habenti unde vivat, non licet plura ſtipendia etiam incongrua accipere, utique nec licebit pauperi. Quibus demum accedit, quòd non ſolùm in ſacrificio Altaris, ſed & in multis aliis Sacerdos inſervit Eccleſiæ, & ut minimum Horas Canonicas recitat, *cap. 1. ſuprà de celebrat. Miſſar.* Igitur non tenetur ei victum præbere is tantùm, pro quo ſacrificium offert, & conſequenter ex eo quòd ſtipendium ab ipſo acceptum ſit minùs congruum, non ideò minùs tenebitur integrum ſacrificium illi applicare.

Secunda difficultas eſt, an ſi conſuetudine regionis re- 84
ceptum ſit, ut Sacerdos, qui tenetur alicui ad applicationem ſacrificii, nihilominùs ab aliis quoque eleemoſynam accipiat pro celebratione Miſſæ, & unicam Miſſam celebret pro omnibus ejuſmodi conſuetudine excuſetur, necnè, Et quidem Præpoſ. *in c. Sacroſancta, nu. 3. verſ. Ego tamen, 22. diſt.* format ſimilem quæſtionem, videlicet; Si conſuetudo ſit in patria, ut unus Sacerdos, licèt obligatus ad Miſſam ratione beneficii, vel ſalarii, tamen accipiat onus, vel eleemoſynas pro Miſſis peculiaribus eadem die, qua ad aliam Miſſam tenetur, dicendis, & dicat Miſſam ordinariam ad quam tenetur, & pro votiva, vel peculiari faciat collectam: an Sacerdos ſit tutus propter conſuetudinem: & reſolvit eſſe tutum, nec cenſeri fraudare teſtatorem, vel dantem eleemoſynam pro tali Miſſa peculiari, vel votiva. Movetur, quia intentio teſtatoris, 85
vel dantis debet in dubio intelligi ſecundùm conſuetudinem patriæ, ut notat Bart. *in l. Heredes mei, §. Cùm ita, ff. ad Trebellian. & in l. Jurisjurandi, §. Si liberi, ff. de oper. libert.* Imol. *in cap. Potuit, in fin. de locat.* ad hoc *l. Semper in ſtipulationibus, ff. de reg. jur.* ibi, *Si non apparet quod actum eſt, conſequens erit, ut id ſequamur, quod in regione in qua actum eſt, frequentatur,* & ibi Decius *num. 8.* dat concordantes. Ergo legando, vel dando eleemoſynam pro tali Miſſa peculiari. vel votiva, mens dantis, & recipientis recipit interpretationem paſſivam à conſuetudine prædicta, ut ſatis ſit in ordinaria Miſſa dicere collectam votivæ, vel peculiaris.

Sed his non obſtantibus contrarium videtur de jure verius; quia hujuſmodi conſuetudo eſt prava, & nutritiva peccati, ut patet ex dictis ſuprà *à num.* 51. & præſertim *n.* 65. & idemmet Præpoſ. loco citato fatetur ex hoc multos illaqueari in perditionem animarum ſuarum, unde non meretur nomen conſuetudinis, ſed potiùs abuſus, & corruptelæ, *cap. Schiſma, 24. q. 1. cap. Cùm venerabilis, c. Ex parte, & cap. fin. ſuprà de conſuetudine;* & ita in terminis noſtris reſolvit Scot. *cit. quolib. 20. §. De tertio art. verſ. Sed numquid in caſu aliquo;* ait enim ſimplices Sacerdotes teneri ad ſingulas Miſſas propter ſingulas obligationes; nec excuſaret eos conſuetudo de non celebrando plures Miſſas eodem die, quia tantum licet eis ad illa ſe obligare, de quibus fuerint certi, quòd poſſint complete ſolvere; & ceſſat omnis difficultas, quia in Decretis *de celebrat. Miſſar.* à S. D N. approbatis in §. *Deinde,* diſtrictè præcipitur Sacerdotibus, ut tot Miſſas celebrent, quot ſtipendia acceperunt pro illa celebratione, ita ut alioquin non conſequantur liberationem, quinimò graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur, ut dictum eſt ſuprà *numer. 65. & in fin. in §. Non obſtantibus,* quoad omnia, & ſingula in iiſdem Decretis contenta dero-

derogatur conſuetudinibus etiam immemorabilibus.

86 Non obſtat fundamentum Præpoſiti, quòd intentio eorum, qui conferunt eleemoſynam, recipiat interpretationem a conſuetudo: quia reſpondeo hoc verum eſſe, ubi conſuetudo eſt rationabilis, prout loquuntur Bart. & Imol. citati; quod non contingit hoc caſu. Ad quod adducit notabilem doctrinam Marian. Soccin. *in tract. de oblat. libello*, 18. *num.* 3. *verſ. Niſi diceretur*, ubi videtur velle, ut mens offerentium non debeat interpretari ſecundùm conſuetudinem, ſi talis conſuetudo ſit à jure improbata: & proptereà quamvis oblationes factæ imagini alicujus Sancti depictæ in muro quæri poſſint domino muri ex voluntate offerentium tacitè vel expreſsè declarata; tamen hæc tacita voluntas non eliciatur ex eo, quòd ex conſuetudine oblationes cedant laico muri domino: quia hæc conſuetudo reprobatur in *cap. Conſuetudinem*, 10. *quæſt.* 1. ac proinde ab illa non eſt ſumenda tacitæ voluntatis præſumptio, ſeu declaratio. Ita in propoſito cùm conſuetudo ſatisfaciendi unica Miſſa pluribus obligationibus ſit improbata in præcitatis Decretis, ab illa non eſt ſumenda interpretatio voluntatis offerentium eleemoſynas.

87 Declarat hanc concluſionem Scot. *loc. cit.* ut non procedat: *Si conſuetudo ſit, ut anniverſaria celebrentur in illis Eccleſiis, ubi corpora ſepeliuntur, & in quibus ipſi mortui dum vixerunt, perceperunt Eccleſiaſtica Sacramenta; nam ſi talis Eccleſia rationabilem conſuetudinem habeat, ut eodem die non dicatur niſi una Miſſa pro mortuis, ſi contingat eodem die plura anniverſaria concurrere, ſatisfit illis pluribus per unam Miſſam. Rector enim, vel miniſtri non obligantur ad impoſſibile, vel omninò ad inconveniens illi Eccleſiæ, in qua miniſtrant, cujuſmodi eſſet ibi eodem die plures Miſſas pro mortuis ſolemniter celebrare, & eorum obligatio debet intelligi ſecundùm rationabilem conſuetudinem*

88 *illius Eccleſiæ. Præterea quilibet poteſt cedere juri ſuo, conſentiendo, ut Miſſa non dicatur pro ſe ſolo, ſed pro ſe & aliis ſimul, & talis ceſſio licèt expreſsè non fiat in caſu propoſito, tamen rationabiliter intelligenda eſt fieri implicitè non ſolùm in animo ejus, qui ſe obligat, ſed etiam illius, cui fit obligatio, dummodo ille, cui fit obligatio, benè noverit conſuetudinem Eccleſiæ.* Hæc Scot. Sequitur Navarr. *in Manual. cap.* 25. *num.* 92. *in fin.* & in hoc caſu poſſet ſalvari opinio Præpoſ. in d. *cap. Sacroſ.* & ita etiam intelligi poſſunt Petr. de Pal. Antonin. & alii apud Silv. *in ver. Miſſa*, 1. q. 10. & Tab. *in ver. Reſtitutio*, §. *fin.* dicentes, Sacerdotem obligatum ad plures Miſſas, excuſari celebrando unam pro omnibus propter impoſſibilitatem celebrandi pro quolibet ſpecialiter, vel propter rationabilem conſuetudinem, maximè apud eum, qui ſcit, vel ſcire debet; quia dolus ſcienti non infertur. Cogita tamen, an huic declarationi refragetur decretum ſuperiùs relatum *nu.* 65. *de celebrat. Miſſar.* nam illius verba reſpiciunt non tantùm Sacerdotes, quibus eleemoſynæ conferuntur, ſed etiam Eccleſias, Collegia, Capitula, Monaſteria, & loca pia quæcumque: jubentque tot Miſſas celebrari, quot præſcriptæ fuerint ab offerentibus eleemoſynas, & in fine tolluntur conſuetudines etiam immemorabiles. Atque ita videntur ſublatæ etiam conſuetudines Eccleſiarum: & cùm juſtitia, ut ait Scot. ubi ſuprà requirat pro ſingulis obligationibus ſingulas Miſſas, æquè requiritur juſtitia in Eccleſia Collegiata, ſicut à ſimplici Sacerdote. Tertia

89 difficultas eſt, an beneficiati, vel Capellani, quibus diebus tenentur Miſſam celebrare ratione beneficii, vel ſalarii, poſſint ab aliis eleemoſynam accipere, & unica Miſſa omnibus ſatisfacere.

Ludovicus Romanus *conſ. ſuo* 339. *incip. Dictus Monachus*, reſolvit, Beneficiatum, ſeu Capellanum non teneri ſpecialiter celebrare Miſſam pro anima donantis Capellam, & ſuorum, nec generaliter pro mortuis; ſed ſufficere, ut in oratione, quæ offertur Deo in Miſſa, fiat commemoratio defunctorum in genere, quia ut ipſe inquit, non minus indulgentiæ accipit Patronus à Deo ex tali commemoratione generaliter facta, quàm ſi pro eo ſpecialiter fieret allegat textum, qui hoc expreſsè dicit in *c. Non mediocriter, de conſecr. diſt.* 5. & proptereà ſuperfluum eſt nomina eorum, pro quibus Miſſa celebratur, ſpecificè commemorare text. eſt *in c. Viſum, & in c. De nominibus de conſecr. diſt.* 1. Subjicit tamen Roman. ut ſi Sacerdos vellet facere ſpecialem commemorationem, poteſt, & pium eſt ſic facere, non ut Deus intelligat, cui nihil eſt ignotum, ſed ut ſupplicantium devotior reddatur affectus, ut ait gloſſ. in dict. *cap. De nominibus*, *in fin.*

Cæterùm opinio Ludovici admitti poteſt in eo tantùm 90
caſu, in quo Beneficiatus, vel Capellanus ratione beneficii, vel ſalarii tenetur ad ſolam celebrationem Miſſæ, cum commemoratione ſeu collecta pro anima fundatoris, vel alterius, non autem ad applicationem ſacrificii; idque omninò certum eſt, putà quia in inſtitutione beneficii, vel capellaniæ, ita expreſsè fuit cautum. Tunc enim cùm habeat Miſſam liberam, non prohibetur illius valorem quibus voluerit applicare, ut ſcripſi plenè in *c. Significatum*, *num* 38. *ſuprà de Præb. in quæſt.* an Sacerdos, qui tenetur ad ſolam Miſſæ celebrationem, non autem ad illius applicationem, poſſit pro applicatione eleemoſynam accipere. At ſecus dicendum eſt, cùm beneficiatus, vel Capellanus eſt obnoxius ad dicendam Miſſam pro anima ipſius fundatoris, vel dotantis Capellam, aut cujuslibet alterius, quia tunc tenetur illis ſacrificium applicare, ut dixi *in prædicta Decretali Significatum*, *num.* 44. ac proinde non poteſt ab aliis eleemoſynam accipere, & unica Miſſa omnibus ſatisfacere; ita in terminis Abb. *conſ.* 199. *Quidam condidit teſtamentum*, *num.* 5. *verſ. Nunc tertium dubium lib.* 2. ubi pleniſſimè conſuluit in facti contingentia, beneficiatos Eccleſiæ Cathedralis, quibus diebus tenentur Miſſam celebrare ratione beneficiorum ſuorum; non poſſe adimplere alia onera Miſſarum, quas teſtator pro anima ſua celebrari mandavit; & illud conſilium ſequuntur Roch. de Curt. *de jure patr. in ver. Honorificum*, q. 57. *num.* 90. *verſ. Limita*, Lamberteng. *in eod. tract. lib.* 3. *in* 3. *qu princ. art.* 3. *verſ. Sequitur prædicta*, & Navarr. *conſ.* 9. *incip. Ex Concilii*, *num.* 1. & 2. *de celebrat. Miſſar.* ubi redarguit Ludov. Roman. quòd malè conſuluerit, & eſt ex mente gloſ. 1. in *c. Significatum*, *ſuprà de Præb.* dum ait obligatum ad cele- 91
brandum ratione beneficii non poſſe alteri locare operas ſuas. Fundamentum hujus concluſionis eſt, quia cùm ſacrificium jam ſit uni debitum, non poteſt ſecundùm juſtitiam alteri applicari, cùm illa obligatio præceſſerit, arg. *l. Qui prior*, *ff. de judic.* & *l. Cùm ex pluribus*, *ff. de ſolut.* & optimè per Innoc. *in cap. Cum jamdudum*, *de præb.* vel certè quatenùs obligatio fieret pro utroque, non tamen abſolutè dicitur fieri pro ſecundo, quia ex Divina juſtitia dividitur inter eos, pro quibus offertur, & ſic diviſum minùs accipitur à ſingulis, quàm ſi pro uno tantum ſingulariter offerretur, ut latiſſimè oſtenſum eſt ſuprà *num.* 50. Ad hoc bonus textus in ſimili in *cap. Cùm illis*, *in fin. de Præb. lib.* 6. ubi ſi mandatur provideri de beneficio ſpectante ad collationem unius non poteſt impleri mandatum in beneficio, cujus collatio ad eum ſimul cum alio pertinet. Ad idem facit textus *in l. Si fuerit*, *ff. de rebus dub.* ubi dicitur legatum impediri factum uni ex cognatis, qui primus Capitolium aſcenderit, ſi ſimul duo aſcendiſſe dicantur, vel fuit factum illi, qui monumento fecerit, & plures dicantur feciſſe. Item facit quod plenè notat Bart. *in l. Hoc art. ff. de hæred. inſtitut.* Unde cùm Sacerdos ſit obligatus ad celebrandum pro aliquo ſeu pro anima unius tenetur celebrare pro illius anima, & intuitu illius dumtaxat, & non alterius: ad hoc textus optimus juncta gloſſ. *penult. in c. Cum Apoſtolica*, *de conceſſ. præbend.* & hanc ſententiam probavit Sac. Congregatio Concil. tum in præallegatis Decretis *de celebrat. Miſſar.* tum in declaratione poſteà edita tenoris infraſcripti videlicet: An Sacerdotes qui tenentur Miſſam celebrare ratione beneficii, ſeu Capellæ, legati, vel ſalarii, poſſint etiam manualem eleemoſynam pro Miſſis votivis, aut defunctorum recipere, & unico Miſſæ ſacrificio utrique oneri ſatisfacere? S. Congr. Cardinalium Concilii Trid. Interpretum authoritate ſibi à Sanctiſſimo D. N. attributa cenſuit Sacerdotes, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione beneficii, ſeu Capellæ, aut ſalarii, ſi eleemoſynas pro aliis etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa utrique obligationi ſatisfacere. Habetur in Bullar. *tom.* 4. *pag.* 317.

Quarta, & ultima difficultas eſt, an Parochus poſſit 92
eleemoſynam accipere pro Miſſa celebranda in iis diebus, in quibus tenetur ex præcepto celebrare pro ſuis Parochianis.

Hæc queſtio non videtur omninò pertinere ad interpretionem Decretorum *de celebrat. Miſſar.* quia in §. *Deindè*, ſolùm ſtatuitur, ut qui ſtipendia acceperunt pro Miſſis celebrandis, debeant tot Miſſas celebrare,

quot

quot ad rationem attributæ eleemoſynæ preſcriptę fuerint; atque ita hoc Decretum loquitur de Sacerdotibus accipientibus eleemoſynas manuales, non autem explicitè de obtinentibus beneficia Eccleſiaſtica.

93 Sed quæſtionis ſolutio videtur magis pendere ab intelligentia decreti Concil. Trid. *in cap.* 1. *ſeſſ.* 25. ubi definitur præcepto Divino mandatum eſſe omnibus curam animarum habentibus, oves ſuas agnoſcere, & pro his ſacrificium offerre: nam ſi Parochus teneatur applicare ovibus ſuis Miſſæ ſacrificium, certum erit eum non poſſe eleemoſynam manualem accipere pro ejuſdem ſacrificii applicatione, ex his, quæ latiſſimè ſuperiùs deducta ſunt à *n.* 44. Contextus Concil. tres habet intellectus: quidam enim exponunt verba illa, *Pro his ſacrificium offerre*; ideſt pro eorum commoditate, ad hoc, ut ipſi poſſint Miſſam audire, & ſatisfacere Eccleſiæ præcepto, de quo in *cap. in Dominicis*, 9. *q.* 2. *& in cap.* 2. *de Paroch.* Sed hic ſenſus non videtur admodùm congruere verbis Conc. nam verbum *Offerre*, & verba *Pro his*, magis ipſam ſacrificii applicationem, quàm populi commoditatem important, *cap. Tempus*, 13. *qu.* 2. Prætereà præceptum de Miſſam audiendam in Dominicis, & feſtis diebus eſt de jure Eccleſiaſtico, *cap. Miſſas*, ibi, *Speciali ordine præcipimus*, *de conſecr. diſt.* 1. quomodo ergo Parochus adſtringitur jure Divino ad ſacrificium offerendum, ut populus audire poſſit Miſſam, ſi po-
94 pulus ad id non tenetur niſi ex conſtitutione Eccleſiæ? Pro intelligentia ſecundi intellectus premittendum eſt, ſacrificio Miſſæ ineſſe triplicem valorem, ſeu fructum ſecundùm Scotum *quodl.* 20. *art.* 2. *&* 3. quem alii Theologi ſequuntur, & cujus doctrinam dicunt eſſe ſingularem, & uſu Eccleſiæ meritò receptam, Sot. *de juſt. & jur. lib.* 3. *q.* 2. *art* 2. Corduba *lib.* 1. *q.* 3. *not.* 4. & Navarr. *in Man. cap.* 25. *num.* 92. Primus fructus dicitur generaliſſimus, & hunc applicat Eccleſia per Sacerdotem ſummo Pontifici, & aliis, de quibus in Canone, & generaliter in qualibet Miſſæ celebratione. Secundus eſt ſpecialiſſimus, quo fruitur ipſemet Sacerdos, dum clebrat. Tertius appellatur medius, cujus diſpenſatio committitur Sacerdoti, & eum applicat illis, pro quibus offert ſacrificium. Hi autem fructus ita invicem ſe habent, ut ex applicatione unius non impediatur applicatio alterius. Ideòque Sacerdos etſi teneatur generaliter celebrare pro Pontifice, pro Imperatore pro Epiſcopo, &c. non tamen prohibetur idemmet ſacrificium offerre etiā pro his, qui eleemoſynam conferunt ſicut è converſo qui tenetur ad Miſſam ratione eleemoſynæ, non tamen prohibetur, imò debet ſacrificium offerre etiam pro Papa, atque aliis, prædictis, ſicut etiam tetigi ſuprà *num* 77. *& ſeq.* Itaque dum Concilium declarat Parochum teneri pro ovibus ſuis ſacrificium offerre, dicunt quidam hoc eſſe intelligendum quoad applicationem fructus generaliſſimi, ita ut teneatur pro illis celebrare eo modo, quo tenetur pro Pontifice, atque aliis generaliter. Id autem ut diximus, non impedit quominùs poſſit applicari ſacrificium etiam particulariter offerenti eleemoſynam. Sed neque hic intellectus videtur omninò congruere cum Decreto Concilii; nam dum Concilium declaravit teneri Parochum offerre ſacrificium pro ovibus ſuis, indicavit in Parocho adeſſe aliquam ſpecialem obligationem diverſam ab illa, quam habent ſinguli Sacerdotes applicandi fructum Miſſæ omnibus Chriſti fidelibus. Videtur ergo verus, & conſonus verbis, & intentioni Concil. tertius intellectus, quo Parochus obligatur ad offerendum ſacrificium pro ovibus ſuis, ideſt ad ſpecialem ipſius ſacrificii, & fructus medii applicationem, quemadmodum videntur ſentire Sot. *de juſt. & jur. q.* 3. Vaſq. *in* 3. *par. diſp.* 235. *art.* 6. *c.* 6. & alii recentiores.

Atque hinc ſequitur, ut quibus diebus Parochus tenetur ex præcepto celebrare, & ſacrificium ſuis ovibus applicare, non poſſit eleemoſynam accipere pro ejuſdem ſacrificii applicatione; quia nimirùm hìc fructus medius ſacrificii jam reperitur alteri debitus, ex his, quæ dicta ſunt ſuprà *num.* 91. Ita in puncto cenſet Suarez *tom.* 3. *in* 2. *part.*
95 *diſp.* 86. *ſect.* 3. §. *Et juxta hanc concluſionem*. Nec eſt omittendum, in Concil. quarto Provinciali Mediolanenſi à Sac. Congreg. recognito, atque à Sede Apoſtolica approbato, in tit. *De his, quæ pertinent ad ſanctiſſimum Miſſæ ſacrificium*, inter cætera prohiberi curatis, ne diebus Dominicis, & aliis, quibus tenentur celebrare pro populo, aliud ſuſcipiant Miſſarum celebrandarum onus.

Pro complemento materiæ libet ſubnectere declaratio- 96
nem Sac. Congregationis Concil. Trident. Sanctiſſimi D. N. Alexandri Papæ VII. juſſu editam, ſuper ſecundo Decreto ejuſdem Congregationis *de celebrat. Miſſar.* cujus tenor talis eſt.

[Cùm Authores nonnulli ſcriptis ſuis etiam typis aſſeruerint Sacerdoti pro alio Miſſam recepta eleemoſyna celebranti licitum eſſe aliam eleemoſynam quoque accipere ab altero, cui partem illam fructus, ſeu valoris ejuſdem ſacrificii ipſimet celebranti debitam (ſpecialem nuncupatam) applicet: ac proinde hunc caſum ſub Decreto Sac. Congreg. Concil. prohibente duplex pro unica Miſſa ſtipendium, ſeu eleemoſynam recipi, non eſſe comprehenſum.

Propterea Sac. Congregat. Eminentiſſimorum ac Reverendiſſimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium Conc. Trident. Interpretum, quæ authoritate ſibi per Apoſtolicam Sedem ſpecialiter attributa ſedulò curat, ne à Sacerdotibus circa celebrationem ſacroſancti Miſſæ ſacrificii, unde in nos uberrima Divinæ liberalitatis munera derivantur, avaritiæ labes ulla, aut ſuſpicio contrahatur, antedictam aſſertionem maturè examinavit, eamdemque prorſus reprobatam ſub die 25. Januarii 1659. cenſuit.

Nulli Sacerdoti licitum eſſe præfacta ratione, ſive pretextu, aliam eleemoſynam accipere præter illam, quam accepit ab eo, pro quo Miſſam offerre tenetur: ac proinde caſum hunc eſſe comprehenſum in decretis alias per eamdem S. Congregat. Concil. editis, quibus prohibetur, ne duplex ſtipendium pro unica Miſſa recipiatur.

Quam Sac. Congregat. ſententiam ad Sanctiſſimum D. N. Alexandrum Papam VII. relatam, Sanctitas ſua ſub die 29. ejuſdem menſis approbavit, & Decretum publicari, atque ad Epiſcopos, & Generales Regularium Ordinum tranſmitti juſſit, ut ipſi doctrinam hujuſmodi per ſuos Pœnitentiarios, & confeſſarios, ac Lectores reſpectivè inſinuari, doceri, atque in tractatibus moralibus per eoſdem imprimendos evulgari paſtorali vigilantia curent. Publicatum die 27. Octobris 1659.]

Huic non abſimilis eſt alia doctrina hoc tempore à non- 97
nullis Authoribus ſubtiliter adinventa, videlicet, cùm valor, ſeu fructus medius ſacrificii, de quo ſacrificans poteſt ad libitum diſponere, dividatur in ſactisfactorium, & impetratorium: ſi quis det Sacerdoti ſtipendium pro Miſſa cum applicatione fructus ſatisfactorii, & alius det eidem Sacerdoti aliud ſtipendium pro Miſſa cum applicatione fructus impetratorii: poteſt Sacerdos unica Miſſa ſatisfacere utrique obligationi applicando cuilibet fructum petitum. De hac doctrina egi cum Sanctiſſimo, qui viſus eſt eam improbare, juſſitque mihi, ut dubium diſcutiendum mitterem ad Sac. Congreg. Concil. à quo poſt paucos dies edita fuit declaratio ſequentibus verbis concepta.

A Reverendiſſimo D. Fagnano pro ſua egregia pietate, ac Divini cultus zelo dubium infraſcripto verborum tenore conceptum ad hanc Sac. Congreg. jubente Sanctiſſimo D. N. tranſmiſſum fuit.

An Sacerdos, qui unum ſtipendium accepit pro celebratione Miſſæ, v. g. pro defuncto, & ſic cum obligatione applicandi fructum ſatisfactorium; & aliud ſtipendium pro celebratione Miſsæ, v. g. pro infirmo, & ſic cum obligatione applicandi fructum impetratorium; poſſit unica Miſsa utrique obligationi ſatisfacere, applicando defuncto ſatisſactorium, & infirmo impetratorium: anve hoc caſu locum habeat Decretum ſecundum Sac. Congreg. Conc. *de celebrat. Miſſar.*

Die 13. Decembris 1659. Sac. Congregatio Eminentiſſimorum, ac Reverendiſſimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium Concil. Tridentin. Interpretum reſpondit quoad primam partem non poſse ſatisfacere; quo verò ad ſecundam habere locum.

DE PAROCHIIS, ET ALIENIS PAROCHIANIS.

Ex Concilio Africano.

CAPUT I.

SI Epiſcopus ex Donatiſtis ad Catholicam eſt unitatem converſus, æqualiter inter ſe dividant eas, quæ ſic inventæ fuerint, ubi ambæ partes fuerint, id eſt, ut alia loca ad illum, alia ad alium pertineant, ita ut ille dividat, qui amplius temporis in Epiſcopatu habet, & minor eligat. Quòd ſi fortè unus fuerit locus, ad eum pertineat quem plebs elegerit. Sed ſi antiqui Catholici ſuum voluerint, & illi ſuum qui ex Donatiſtis converſi ſunt, plurimorum voluntas paucioribus præferatur. Si autem partes æquales ſunt, majoris temporis Epiſcopo deputetur. Si autem ita plurima loca inveniuntur, in quibus ambæ partes fuerint, ut non poſſint æqualiter dividi, velut ſi impari numero fuerint, diſtributis locis, qui parem habent numerum, quicumque locus remanſerit, hoc in eo ſervetur, quod dictum eſt, cùm de uno loco ſuperiùs tractaretur.

SUMMARIUM.

1 *EPiſcopatus dividitur modo hìc expreſſo inter Epiſcopum ſubſtitutum Epiſcopo hæretico, & ipſum hæreticum reverſum, & ex diſpenſatione receptum.*
2 *Epiſcopi duo ex magna cauſa poſſunt conſtitui in uno Epiſcopatu.*
3 *Epiſcopus hæreticus ad fidem converſus recuperat primum locum diſpenſativè.*
4 *Reſtitutio ad bona publicata non trahitur ad ea, quæ medio tempore in alium legitimè translata fuerunt.*
5 *Diviſionem bonorum frater major facit, & minor eligit, ſecundùm opinionem Canoniſtarum, & numer. 13.*
Et major intelligitur non reſpectu ætatis, ſed reſpectu adminiſtrationis, n. 7.
6 *Frater minor non provocat ad diviſionem, ſed provocatur à fratre majore.*
8 *Fratres ſi debeant aliquam hæreditatem dividere, non major natu debet diviſionem facere, ſed ille qui diutiùs res paternas adminiſtravit.*
9 *Diviſio inter ſocios ſtudii fieri debet ab eo, qui diutiùs in ſtudio fuit.*
10 *Frater major ſecundùm Legiſtas non tenetur facere portiones, nec minor eligere; ſed diviſio facienda eſt judicis officio, vel ſortes mittendæ, & n. ſeq.*
11 *Frater poteſt fratrem ad diviſionem vocare judicio familiæ erciſcundæ, vel communi dividundo.*
12 *Judex quomodo ſe gerere debeat in diviſione facienda inter fratres.*
13 *Conſuetudo, ut frater major dividat, & minor eligat, teſte Auguſtino, traxit originem à diviſione Abrahæ, & Loth, & n. ſeqq.*
14 *Dictum Sancti fulcitum authoritate veteris, vel novi teſtamenti, prævalet dictis aliorum omnium.*

1 SI *Epiſcopus*. Ponit, qualiter dividatur Epiſcopatus inter Epiſcopum ſubſtitutum Epiſcopo hæretico, & ipſum hæreticum reverſum, & ex diſpenſatione receptum, Joan. Andr. de Butr. Cardin. Anchar. Abb. & Joan. de Anan. Habet quinque dicta ad idem tendentia, Quæ patent ex littera.

2 Nota primò ex textu caſum ſingularem, in quo duo Epiſcopi poſſunt eſſe unius Epiſcopatus, videlicet quando alter cum parte populi labitur in hæreſim, & alter canonicè eligitur; ſeu præficitur: nam primus cum plebe ad Eccleſiæ unitatem reverſus, & ex diſpenſatione receptus, conſtituitur Epiſcopus in eodem Epiſcopatu unà cum Epiſcopo ſubſtituto, ut hic notat Bernard. poſt caſum, & eſt ſimile in *cap. Non autem, 7. qu. 1.* ubi Auguſtinus acceſſit Valerio incolumi, ita ut uterque in ſolidum eſſet Epiſcopus, & munia Epiſcopalia exerceret, ut ibi in text. & in gloſ. *in verb. Ut non ſuccederet.* Hoc tamen ſecundùm Abb. hìc *num. 3.* fieri non debet ſine magna cauſa, ne in eadem diœceſi videantur duo capita quaſi monſtrum, ut *cap. Inter cætera, & cap. Quoniam, ſuprà de offic. Ordinar.* nam expreſsè hoc prohibetur in d. *cap. Quoniam*, & ita hìc factum fuit, tum pro multitudine ſequentium Epiſcopum ad Catholicam fidem reverſum, tum pro utilitate, ut notat gloſ. in figuratione caſus. Cæterum, ut formaliter inquit Jo. Andr. *num. 5.* non credo, quod tuis diebus practices hunc caſum. Si enim hodie Epiſcopus ad fidem reverſus ſic reſtitueretur, Eccleſia aliter provideret ſubſtituto, dando alium Epiſcopatum, vel deſignando certos redditus; & Jo. Andr. totidem verbis referunt Butr. *hic n. 7. in fin.* & Card. *n. 3. circa med. verſ. In quo dicit Jo. Anar.*

Secundò nota ibi, *Dividant eas*, Epiſcopum lapſum in hæreſim, ac poſteà ad Catholicam unitatem reverſum recuperare primum locum. Propterea enim iſte Epiſcopus recuperavit dimidiam partem Epiſcopatus dumtaxat, quia fuerat ei ſubſtitutus alius Epiſcopus. Ergo non dato ſubſtituto, totum recuperaſſet, ut *hic* per Butr. *num. 2.* Sed tu dicas, ex hac littera potiùs colligi oppoſitum: nam quod hìc dicitur, fuit diſpenſatio, & proviſio, ut idemmet Butr. fatetur, & fuit intellectus Tancredi, Bernardi, & Innoc. *hic in princ.* & gloſſ. Jo. *in c. Ipſa pietas in figuratione caſus, 23. qu. 4.* Vel certè ſecundùm alium intellectum Abb. Antiq. & Hoſt. qui placet Jo. Andr. *n. 5. hoc cap.* non ponit jus commune in eo, quòd Epiſcopus reverſus de hæreſi recipiatur ad Epiſcopatum, ſed in eo, quòd diſpenſativè recipiatur. Itaque utcumque res ſe habeat, ſemper Epiſcopus converſus indiget gratia & diſpenſatione, licèt hæc diſpenſatio ſecundùm poſteriorem intelllectum habeat fomentum à jure communi. 3

Tertiò nota ex hac decretali argum. optimum ſecundùm Abb. Sicul. *in 1. notab.* quod ſi quis, cujus bona fuerunt ob delictum publicata, reſtituitur, non recuperat bona legitimè in alium translata; ſicut ipſe Epiſcopus converſus non recuperavit primum locum, quia medio tempore fuerat ei ſubſtitutus alius Epiſcopus, & reſtitutio non poteſt retrotrahi cum præjudicio illius, cui bona fuerunt collata. Ad quod vide bonum text. *in cap. Quamvis, de reſcript. lib. 6.* & quod dixi *in cap. mandato, num. 6. 56. 57. de Sim.* 4

Ultimò nota ibi, *Et minor eligat*, in diviſionem facienda meliorem eſſe conditionem minoris, quia major facit portiones, & minor eligit ut in text. & not. Bernard. poſt caſum. Quod memoriæ commenda, pro diviſionibus quæ in dies fiunt inter fratres majores, & minores, ſecundùm Butr. *hic num. 6.* & Anchar. *num. 2.* ibi: Nota quòd antiquior dividit, junior eligit. Et eſt ſimile in fratre minore, qui non provocat ad diviſionem, ſed provocatur à fratre majore, ut *l. Inter omnes:* & ibi Bald. & Salyc. *C. de prædiis minor. & l. jubemus, C. de Sacroſ. Eccleſ.* Sed tu adverte, quia iſtud non probatur hìc: nam verba illa, *Ita ut ille dividat, qui amplius temporis in Epiſcopatu habet, & minor eligat:* intelligendum à DD. de majore non reſpectu ætatis, ſed reſpectu majoris temporis, quo fuit in Epiſcopatu, quia præſumitur meliùs ſcire facultates Eccleſiarum; ſemper enim in dubiis recurrendum eſt ad illos qui meliùs veritatem noverunt, *cap. Videtur, §. 1. & 2, infrà qui matr. accuſ. poſſ.* ſecùndum Hoſt. *hic num. 2, in ver. Amplius temporis*, Joan. Andr. *num. 2.* Card. *eod. num.* Anchar. *in 4. not.* & Abb. *num. 4.* qui ex hoc ſumunt optimum argum.

(Margin numbers: 5 at "Ultimò nota ibi"; 6 at "tre minore"; 7 at "Sed tu adverte".)

8 argum. ut ſi fratres debeant aliquam hæreditatem divide-
re, non major natu debeat diviſionem facere, ſed ille
qui diutiùs res paternas adminiſtravit: & inter ſocios ſtu-
9 diis is, qui diutiùs fuit in ſtudio. Et hanc opinionem te-
nent communiter Canoniſtæ, ut teſtatur Jaſ. alios citans
in l.1.num.39. verſ. Et iſtam opinionem, & infrà verſ. Et te-
10 nendo, ſi certum petatur. Sed Legiſtæ magis communiter
tenent contrarium, ut dicit Jaſ. d. num. 39. ideſt fratrem
majorem non teneri portiones facere, nec minorem eli-
gere; ſed vel diviſionem faciendam eſſe judicis officio, vel
ſortes mittendas. Et ita in ſpecie determinant. Bart. & An-
gel. in l.1. C. de his, qui ſe def. lib.10. Bart. & Bald. in l.1.
C. Quando, & à quibus quarta pars debeatur lib.10. & idem
Bald. in l. Si major, num.1. C. Commun. divid. dicens inter
fratres ſexu, vel ætate diſpares de jure non debere eſſe dif-
ferentiam prælationis dividendi, vel optandi, ſed in omni-
bus debere æqualitatem ſervari, ut ibi in text. & ſic debet
optio brevium, vel ſortis felicitate contingere, non prærogativa perſonæ, ut l.2. C. Quando, & à quibus quarta pars debeatur, lib.10. Angel. in l. Sancimus, §.1. circa med. verſ. Alias autem, C. de donat. ubi ait, Cùm ad diviſionem venitur, non deferri optionem minori ætate, aut majori, ſed oportere hoc committi judicio fortunæ, aut per licitationem rem dividi, ut l. Si ſuper, C. Comm. delegat. Jo. de Imol. in l. Suus quoque, in princip. ff. de hæred. inſtit. plenè Tiraquel. in tract. de primogen. qu.60. Covar. pract. quæſt. cap. 40. num.3. & dicit Jo. de Anan. in cap. Qualiter, & quando, il ſecondo, n.4. ante med. verſ. Et vidi hanc altercationem, infrà de accuſat. aliàs dum hic caſus eveniſſet de facto in civitate Bononiæ, omnes DD. Bononienſes, eo excepto,
11 conſuluiſſe pro iſta opinione: alios refert Jaſ. loc. cit. & ex
Canoniſtis hanc partem ſequitur Abb. hic num.4. nam ut
ipſe putat, frater non tenetur hanc diviſionem facere, ſi
nolit; nam poteſt fratres ad diviſionem vocare per judicium familiæ erciſcundæ, vel communi dividundo, & judex ex officio ſuo tenetur dividere ſecundùm quòd ſibi vi-
detur æquum, conſiderata rerum qualitate, ut habetur in- 12
ſtit. de offic. judic. quaſi per totum, & in l. ad Officium, C. Comm. divid. vel fortè ſecundum eum judex poſſet hoc onus dividendi injungere ei, qui habet majorem notitiam rerum, ſicut fecit hìc Concilium.

Sed pro opinione Canoniſtarum urget authoritas Augu- 13
ſtini relati à Bald. in d.l. Si major, num.1. qui lib.16. de Civitate Dei, cap.20. primò commemorat diviſionem Abrahæ, & Loth, cujus in hunc modum fit mentio Geneſ. cap.13. num.8. ac deinde ſic ait: *Hinc fortaſſe effecta eſt inter homines pacifica conſuetudo, ut quando terrenorum aliquid partiendum eſt, major dividat, minor eligat.* Hæc Auguſtinus. Unde cùm hanc dividendi conſuetudinem originaliter deduxerit ex diviſione Abrahæ, & Loth, & ſic ejus dictum fulciatur authoritate veteris teſtamenti, prævalet dictis aliorum omnium, ut eſt gloſſ. reputata ſin-
gularis in c. De libellis, in ver. Illorum, 20. diſt. quam 14
ad hoc ponderat Jaſ. in d.l. 1. num.39. verſ. In contrarium dicens, durum eſſe ad illam reſpondere; & ante eum Joan. de Anan. in d. cap. Qualiter, & quando, num.4. ubi etiam advertit Legiſtas non rectè reſpondere ad hanc Decretalem, dum dicunt eam loqui diſpenſativè, vel in ca-
ſu ſpeciali favore fidei. Quia ratio hujus text. æquè mili- 15
tat in aliis diviſionibus, ſicut in iſta, quæ fit inter Coepiſcopos. Subdit tamen, per Italiam extare ſtatuta diſponentia ſuper hujuſmodi diviſione facienda, vel ſaltem eſſe quaſi generalem conſuetudinem. Ita in caſu ſtatuti conſuluit Ludovicus Rom. d. conſ.471.

DE PAROCHIIS, ET ALIENIS PAROCHIANIS.

Hadrianus Papa.

CAPUT III.

NUllus Epiſcopus alterius Parochianum judicare præſumat: & infrà. Nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare poteſt.

S U M M A R I U M.

1 *EPiſcopus parochianum alterius nec ordinare, nec judicare poteſt.*

2 *Argumentum à poteſtate ordinis ad poteſtatem juriſdictionis, & è converſo, validum eſt.*

Declaratur, n.3. uſque ad n.17.

3 *Poteſtas juriſdictionis eſt præſcriptibilis, poteſtas ordinis ſecus.*

4 *Prælati inferiores habent poteſtatem juriſdictionis, ſed non ordinis.*

5 *Epiſcopus ante conſecrationem non poteſt exercere ea, quæ ſunt ordinis; ſed tantùm ea, quæ ſunt juriſdictionis.*

6 *Epiſcopus proximior poteſt perſonas nullius diœceſis ordinare, ſed non judicare.*

7 *Epiſcopus ordinans etiam ad primam tonſuram alterius diœceſanum ſine Ordinarii licentia, eſt ſuſpenſus per annum à collatione Ordinum, & n. ſeq.*

8 *Ordinatus ab alieno ſine licentia propriè eſt ſuſpenſus ipſo jure ab executione Ordinum, quamdiù proprio Ordinario videbitur.*

9 *Epiſcopus proprius quoad Ordines conferendos dicitur ratione originis, beneficii, vel domicilii.*

10 *Epiſcopus an, & quomodo poſſit loca nullius diœceſis viſitare, & illorum ſubditis ordines conferre, ac dimiſſorias concedere, & n. ſeqq. uſque in fin.*

11 *Epiſcopus, qui poteſt Eccleſias nullius diœceſis viſitare poteſt etiam illorum ſubditos ordinare, eiſque dimiſſorias concedere.*

12 *Nullius diœceſis loca origine, privilegio, præſcriptione*

13 *Urbes, & loca, quibus Primates præſidere debent, ante adventum Chriſti ſtatuta fuerunt.*

14 *Epiſcoporum, majorum Prælatorum inſtitutio.*

15 *Diœceſum diviſio.*

16 *Nullius diœceſis locorum origo.*

17 *Farfenſe, ac Sublacenſe monaſteria ſunt in provincia Romana.*

18 *Nullius diœceſis loca privilegio.*

19 *Caſſinenſis Eccleſiæ ſtatus.*

20 *Territorii diſmembratio cum omnimoda juriſdictione in Clerum, & populum excluſo Epiſcopo facit locum nullius diœceſis.*

Caſtri Durantis Abbatia nullius diœceſis, ibidem, & n. ſeq.

21 *Nullius diœceſis loca aut ſunt intra fines alicujus diœceſis, aut extra.*

Abbatia S. Joannis in Venere eſt intra fines Theatinæ diœceſis, ibid.

22 *Nullius diœceſis ſtatus præſcriptione.*

23 *Epiſcopus vicinior habet jus viſitandi loca nullius diœceſis, ſi ſint extra fines. Si verò intra, habet jus viſitandi Epiſcopus, intra cujus diœceſis fines exiſtunt, & num.26.*

24 *Bona præſumuntur diſmembrata à territorio, cui adiacent.*

25 *Proximitas à Cathedrali, non à diœceſi ſumenda eſt.*

27 *Epiſcopus manutenetur in quaſi poſſeſſione juriſdictionis in locis, quæ probaverit eſſe intra fines ſuæ diœceſis, donec ab inferiori Prælato probetur ſtatus nullius diœceſis per rem judicatam, vel exercitium utriuſque juriſdictionis, n.33.*

28 *Et quando hoc procedat.*

29 *Epiſcopus admittendus eſt ad plenariam viſitationem locorum nullius diœceſis. Et quid in ejus Vario, ibid.*

30 *Ec-*

30 *Eccleſia eadem à pluribus viſitari poteſt, & n. ſeq.*
32 *Epiſcopi viſitantes loca nullius diœceſis debent declarare ſe id facere ut delegatos Sedis Apoſtolicæ.*
33 *Regulares Eccleſiæ nullius diœceſis non poſſunt ab Epiſcopo viſitari, & n.37.*
34 *Idem in Eccleſiis regularibus exemptis.*
35 *Regulares Eccleſiæ commendatæ ſubſunt viſitationi Epiſcopi, ſi tantùm ſint exemptæ.*
36 *Secus ſi nullius diœceſis.*
38 *Eccleſiæ regulares nullius diœceſis etiam curatæ non poſſunt ab Epiſcopo viſitari.*
39 *Abbatia Caſtri Durantis, quæ regularis erat, non poterat viſitari ab Archiepiſcopo Urbinatenſi.*
40 *Epiſcopus non poteſt viſitare loca nullius diœceſis in tribus caſibus.*
41 *Eccleſia S. Hippolyti de Faventia eſt ſedes ordinaria Generalis Camaldulenſis.*
42 *Caſtrum Cetrarii, in quo Abbas Caſſinenſis exercet utramque juriſdictionem, non poteſt ab Epiſcopo viſitari.*
43 *S. Pii V. Decretum circa viſitationem Eccleſiarum curatarum in locis, ubi regulariter exercent utramque juriſdictionem.*
45 *Decreta generalia ante publicationem non ligant.*
46 *Sufficit tamen publicatio facta Romæ.*
47 *Declarationes S. Congregationis Concilii non publicantur, & cur.*
48 *Decretum S. Pii V. non extenditur ad loca nullius diœceſis.*
49 *Epiſcopus in viſitatione locorum nullius diœceſis cauſas ordinarias congnoſcendo nulliter procedit.*
Secus in viſitatione diœceſis. Sed tunc datur appellatio ad utrumque effectum.
50 *Judex delegatus nulliter procedit extra fines delegationis.*
51 *Prælatus inferior nullius diœceſis poteſt convocare quem maluerit Catholicum Antiſtitem pro Sacramento Chriſmatis.*
52 *Epiſcopus non poteſt ordinare Clericos nullius diœceſis niſi in ſua diœceſi.*
53 *Epiſcopus in diœceſi ſua ordinare poteſt etiam ſubditos illorum locorum, in quibus Capita Ordinum ſedem pricipalem habent, vel alii inferiores utramque juriſdictionem exercent.*

1 NUllus Epiſcopus Parochianum alterius nec ordinare, nec judicare poteſt. Hoc dicit. Breve eſt, & non dividitur.
2 Nota primò ſecundùm Anton. de Butr. *num.2.* ex poteſtate juriſdictionis licitum eſſe arguere ad poteſtatem Ordinis, & è converſo. Quod in hunc ſenſum eſt accipiendum, ut ad eum ſpectet facultas exercendi poteſtatem juriſdictionis, ad quem ſpectat facultas exercendi poteſtatem Ordinis. Et hoc intendit hæc littera in ratione illa: Nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare poteſt, ex *cap.2. qu.2. in fin.* ibi: Nam qui ordinare non poterit, qualiter judicabit? Nullatenùs proculdubio judicabit, aut judicare poterit. Aliàs autem non procedit generaliter argumentum à poteſtate Ordinis ad poteſtatem juriſdictionis,
3 vel è contra, quia in multis differunt. Unde poteſtas juriſdictionis eſt præſcriptibilis, *cap. Cùm contingat, de foro compet. cap. Auditis, de præſcript.* poteſtas verò Ordinis impræſcriptibilis eſt, *cap. Quanto*, ubi Innoc. & omnes notant *de conſuet.* Poteſtas juriſdictionis eſt ex injunctione hominis, & ideò auferri poteſt per Eccleſiam: poteſtas Ordinis per conſecrationem confertur, & ideò eſt indelebilis. S. Thom. *in 2. 2. qu. 39. art.3.* Poteſtas juriſdictionis poteſt reſtringi, & limitari ad certas perſonas tantùm poteſtas Ordinis ſecus, ut latiſſimè probavi in *cap.1. ſup. de ſupplen. neglig. Prælat.* ubi habes plures differentias inter
4 has poteſtates. Deinde hoc argumentum procedit tantùm in Epiſcopo, non autem in inferioribus Prælatis, qui habent poteſtatem judicandi, ſed non ordinandi, *cap. Perlectis, 25. diſt.* Concilium Tridentinum *de Sacram. Ordinis ſeſſ.23. cap.4. & Can.7.* ſecundùm gloſſ.2. *hic* Innoc. Anchar. *num.2.* & Abbat. *num.4 in 2. gloſſ.* Tu dic pleniùs argum. procedere ſuppoſita habilitate tam reſpectu Superioris ordinantis, quàm reſpectu ſubditorum ordinandorum.
5 Nam quoad ordinantem, non omnis Epiſcopus, qui poteſt judicare, poteſt ordinare, ut patet in Epiſcopo non conſecrato, qui exercere poteſt ea, quæ ſunt juriſdictionis, non autem ea, quæ ſunt ordinis, *cap. Tranſmiſſam, & cap. Quæſivit, de elect.* ſicut viceverſa non omnis Epiſco- 6
pus, qui poteſt ordinare, poteſt judicare, ut patet in Epiſcopo proximiore, qui ex Concilio Tridentino poteſt ordinare Clericos nullius diœceſis; & tamen non poteſt in eos juriſdictionem exercere, excepta viſitatione jure delegato, ut patebit in ſequenti quæſtione: idque videtur ſenſiſſe Hoſt. *hic num.* 1. dum dixit hanc regulam habere locum, dummodò ex parte ordinantis non ſit impedimentum: aliàs multi ſunt, qui non poſſunt ordinare, & tamen poſſunt judicare, ut patet in *cap. Cùm ab Eccleſiarum de offic. Ordinar. in tit. de offic. Archidiac. & Archipresb. & in d. cap. Tranſmiſſam, de elect.* & notat gloſſ. *fin. in cap. Nullus, 9. qu.2*, Reſpectu itidem ſubdictorum non procedit argumentum niſi ſuppoſita habilitate, & dummodò aliud Canonicum non obſtet, arg. *cap unici*, & ibi gloſſ. *penult. de ætate, & qualit. lib.6.* Multi enim ſunt, quos Epiſcopus judicare poteſt, & tamen ordinare non poteſt, ut mulieres, minores, illiteratos, criminoſos, irregulares, & alios hujuſmodi; quorum aliqui, ſi de facto ordinentur, nec characterem quidem recipiunt, ut mulier, præcisè coactus, & non baptizatus, de quibus S.Th. *in 4. diſt.24. & diſt.25. qu. 1. & 2. art. 2.* Silveſt. *in ver. Ordo, 4. num.1. & in verb. Baptiſmus, 6. num.3.* alii verò recipiunt ordinem, ſed non ordinis executionem, *cap.1. 71. diſt. cap. Sicut, 68. diſt.* cum multis ſimil. Demùm procedit propoſitum argumentum in Ordinariis, non autem in delegatis, qui poſſunt judicare, & tamen ordinare non poſſunt, argum. *cap. Super eo, de offic. deleg.* & declarant *hic* Hoſt. & Joan. Andr. *in ver. Judicare*, Butr. *n.4.* & Joan. de Anan. *n.2.*

Secundò nota Epiſcopum non poſſe Parochianum, 7
ideſt Diœceſanum alterius ordinare, intellige ſine licentia ſui Prælati. Ad hoc enim jure optimo diœceſes fuerunt diſtinctæ, & unicuique gregi proprii attributi Paſtores, qui ſuarum quiſque ovium curam habeant, ut Eccleſiaſticus Ordo non confundatur, *cap. Pervenit, 11. quæſt.1.* Concilium Tridentinum *cap. 9. ſeſſ. 14.* concordat *cap. 1. & per totam qu.2.* & idem Concilium *in cap. 8. ſeſſ. 23.* ubi ſtatuitur, ut unuſquiſque à proprio Epiſcopo ordinetur:
Quod ſi quis ab alio promoveri petat, nullatenùs id ei 8
permittitur, niſi ejus probitas, & mores Ordinarii ſui teſtimonio commendentur. Si ſecus fiat, ordinans à collatione Ordinum per annum, & ordinatus à ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur, ſit ſuſpenſus. Hæc ibi: & quoad pœnam ordinantis concordat *cap. 2. de tempor. ordinat. lib. 6.* etiam quoad primam tonſuram, ut in *cap. fin. eod. tit. & lib.* & quoad pœnam ordinati Concil Sardinenſe *cap. 8. & 19. ut in cap.* 1. juncta gloſſ. *fin. 71. diſt & cap. Salonitanæ, 63. diſt.* In quam quidem pœnam ſic ordinatum ipſo jure
incidere declaravit Sac. Congregatio Concilii. Proprius 9
autem Epiſcopus dicitur ratione originis, beneficii, vel domicilii, *cap. Cùm nullus, de tempor. ordinat. lib.6.* Quis autem dicatur proprius Epiſcopus eorum, qui nullius diœceſis eſſe dicuntur, in his, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis, & de hujuſmodi locorum viſitatione, dicam latiſſimè *in qu. ſequenti.*

QUÆRO igitur, an, & quando Epiſcopus poſſit lo- 10
ca nullius diœceſis viſitare, & illorum perſonis Ordines conferre, ac dimiſſorias ad Ordines ſuſcipiendos concedere.

Cùm jam pridem à Sac. Congregatione Concilii decla- 11
ratum fuerit Epiſcopum, qui poteſt Eccleſias nullius diœceſis viſitare, poſſe etiam illarum ſubditos ordinare, eiſque litteras dimiſſorias concedere pro Ordinibus ſuſcipiendis; huic declarationi difficultatem ingerunt duo Concilii Tridentini Decreta, quæ aliud ſuadere videntur, nempè *cap. 9. ſeſſ. 4.* quod tribuit facultatem viſitandi loca nullius diœceſis proximiori Epiſcopo, & *cap.10. ſeſſ. 23.* quo facultas ordinandi Clericos nullius diœceſis, eiſque dimiſſorias concedendi tribuitur Epiſcopis, intra quorum diœceſis fines ea loca ſita ſunt.

Pro ſolutione difficultatis præmittendum eſt, tribus mo- 12
dis contingere poſſe, ut aliquis locus ſit nullius diœceſis, videlicet origine, privilegio, ac præſcriptione. Origine, quia etſi urbes, & loca, quibus Primates præſidere debent, non à modernis, ſed etiam multis ante adventum Chriſti

ſunt

ſunt ſtatutæ temporibus, quarum Primates etiam gentiles
pro majoribus in negotiis appellabant, ut legitur in *cap.*1.
13 80. *diſt.* tamen ut illic ſubnectit Lucius, Papa, *In ipſis urbibus
poſt Chriſti adventum Apoſtolici, & ſucceſſores eorum Pa
triarchas, vel Primates poſuerunt, ad quos Epiſcoporum
negotia, (ſalva in omnibus Apoſtolica authoritate) & majo-
res cauſæ poſt Apoſtolic. Sedem ſunt referendæ.* Item Clem.
Papa *ad Prob. epiſt.*1. *In illis verò civitatibus*, inquit, *in qui-
bus olim apud Ethnicos primi Flamines earum, ac primi le-
gis Doctores erant, Epiſcoporum Primates poni, vel Patriar-
chas B. Petrus præcepit;* & paulò poſt, *In illis civitatibus,
in quibus dudum apud prædictos erant Archiflamines, quos
tamen minores tenebant, quàm memoratos Primates, Ar-
chiepiſcopos inſtituit præcepit*, & infrà: *In ſingulis verò reli-
quis civitatibus ſingulos, & non binos, aut ternos, aut plures
14 Epiſcopos conſtitui præcepit.* Quod refertur *in cap. In illis
80. diſt.* Magiſter ſent. *in* 4. *diſt.*24. *de quadripartito Ordine
Epiſcoporum, verſ. Horum autem diſcretio à Gentilibus in-
15 troducta videtur*, & idem de limitibus Provinciarum ha-
betur *in cap.*1. 99. *diſt.* & Dionyſius Papa non diœceſes
diviſit, ſed Eccleſias ſingulas ſingulis attribuit, ut habe-
tur *in cap.*1. 13. *quæſt.*1. atque illic notat gloſſ. in *ver. Divi-
ſimus.*

16 In hac autem diœceſum, & Provinciarum diviſione,
ſeu aſſignatione contigit, ut quædam loca remanſerint om-
ninò extra limites cujuſque diœceſis, ut ſuprà, Epiſcopi aſ-
ſignatæ, quæ utcumque contermina, ſeu adjacentia uni, aut
pluribus diœceſibus, tamen in nullius finibus apparebant
inculſa: & hæc ab initio fuerint Sedi Apoſtolicæ imme-
diatè ſubjecta, *c. Nulla ratione* 93. *diſt.* Abb. *in c. Novit n.*
15. *& ſeqq. de jud.* donec conſtructis ibi Eccleſiis, ſeu Mona-
ſteriis, Pontifices Presbyteros, ſeu Abbates deputarunt, qui
illis præeſſent, & juriſdictionem loco Epiſcoporum in Cle-
rum, & populum exercerent, ut *c.*1. *de verb. ſignif. lib.*6. & de
his loquitur decretum Concil. Carthag. II. *c.*5. relatum in *c.
Felix* 16. *q.*1. dum ſtatuit, ut diœceſes quæ nunquam Epiſco-
pos habuerunt, non habeant: & illa diœceſis, quæ aliquan-
do habuit, habeat proprium: licèt fortè illud decretum ſit in-
telligendum de diœceſibus unitis, prout videtur induci à
Gratiano, ut poſt alios notat ibi Bellam. & de his locis etiam
reperio meminiſſe Joan. Andr. *in addit. ad Specul. tit. de pri-
vil. verſ. Et ſciendum*, ubi de Abbate Sublacenſi, Farfenſi, ac
nonnullis aliis poſt Hoſt. in *cap. Cùm contingat num.*1. *verſ.
Sunt tamen aliqui Abbates, de foro compet.* ubi de Abb. Caſ-
ſinenſi; quamvis regulariter, ut poſt Laudun. inquit Cardin.
*Clem.*2. §. *Simili num.*4. *qu.*4 *de privil.* omnia loca origina-
liter, & ex natura ſint de diœceſi quantum ad ea, quæ ſunt
exercitii gladii, ſeu juriſdictionis Eccleſiæ ſeu temporalis,
licèt accidentaliter per exemptionem, ſeu privilegia quoad
quid non ſimpliciter ſubtracta ſint: & hæc quidem loca,
quæ origine omninò ſunt extra fines, ut ibi ſcribit Jo. Andr.
nullo modo poſſunt dici exempta, quia exemptio ſupponit
ſobjectionem, quæ non eſt in iſtis, quæ nunquam fuerunt
ſubjecta; licèt ſubdat hunc ſtatum ſine privilegiis parùm
prodeſſe, quibus verbis apertè innuit ſe loqui de locis, quæ
origine ſunt extra fines, cùm ſupponat ea nunquam fuiſſe
ſubjecta, quod eſt ſecundum terminos d. Conc. Carthag. &
eorum ſtatum eſſe poſſe etiam ſine privilegiis, quod non
poteſt contingere in locis, quę originaliter remanſerunt ex-
17 tra fines cujuſque diœceſis. Imò paulò poſt Jo. Andr. ſentit
fieri poſſe, ùt eadem loca ſint etiam extra fines Provinciæ,
dum ait: Fateor etiam quòd poſſet tale Monaſterium ſic eſ-
ſe extra territorium Archiepiſcoporum, ſicut Epiſcopo-
rum, quando eadem ſint confinia Archiepiſcopatuum, &
Epiſcopatuum vicinorum, & locus ille utriuſque eſt inter-
medius; quamvis adjiciat Monaſterium Sublacenſe, & Far-
fenſe eſſe in Provincia Romana.

18 Privilegio verò fieri poteſt locus nullius diçceſis duobus
modis. Primò ſcilicet per ſuppreſſionem Epiſcopatus,
ut contingit in Eccleſia Caſſinenſi, quæ cùm olim nullius
diœceſis exiſteret, ut per Hoſt. *loc. cit.* tamen poſteà effecta
eſt Epiſcopalis, ut refert Joan. Andr. in *d. c. Cùm contingat*
19 *n.*2. *verſ. Caſſin. hodiè, de foro comp.* & poſteà rurſus redacta
eſt ad ſtatum nullius diœceſis: nam prætenſionem Abba-
tis aſſerentis eamdem Eccleſiam adhuc eſſe Epiſcopalem,
vel in propria diœceſi, Sac. Congreg. Concil. non admiſit,
20 Deindè per territorii diſmembrationem, quando ſcilicet
Sedes Apoſtolica ſeparat certum territorium ab aliqua
diœceſi, atque in eo conſtituit inferiorem Prælatum
cum juriſdictione quaſi Epiſcopali in Clerum, & populum
excluſo Epiſcopo; per hoc enim inferior conſtituitur in ſta-
tu nullius diœceſis, ut animadvertit Sac. Congreg. in caſu
juriſdictionis inter Archiepiſcopum Urbini, & Commen-
datarium Abbatiæ Caſtri Durantis, per doctrinam gloſ. in
*Clem.*1. *in ver. Diœceſanis, in fin. de vita & honeſtat. Cleric.*
Et quidem ſi hujuſmodi territorii diſmembratio fiat ab ali- 21
qua parte extrema diœceſis, territoriũ ſic diſmẽbratũ rema-
net ſimiliter extra fines, ut contigit in dicta Abbatia Caſtri
Durantis, quæ à Bonif. IX. diſmembrata fuit ab extrema par-
te diœceſis Urbin. & remanſit inter eam, & diœceſim Fere-
tranam in ſtatu nullius diœceſis, ut in eadem cauſa S. Con-
greg. declaravit. Sin autem diſmembratio fiat ab interiori
diœceſis parte, tunc locus ſic diſmembratus remanet inter
illius diœceſis fines, à qua ex privilegio Apoſtolico eſt diſ-
membratus, ut de Abbatia S. Joan. in Venere decidit Rota
in cauſa Theatina juriſdictionis, *deciſ.*405. *part.*1. *recent.*

Pręceptione ſimiliter acquiri poteſt ſtatus nullius diçce- 22
ſis, ſi inferior Prælatus in certa diœceſis parte tamquam in
proprio territorio ſupra hominum memoriam exerceat
omnimodam juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in Clerum,
& populum privativè ad Epiſcopum, *cap. Auditis, de præ-
ſcript.* Archid. in *c. Cùm Epiſcopus, col.*1. *in ver. Per alium*,
& ibi etiam Jo. Andr. *de offic. Ordin. lib.*6. Balb. *de præſcrip.
part.*4. *qu.*11. *col.*1. *in fin. n.*7. *verſ. Quod procedit.* Et quam-
vis Hoſtienſ. in *d. c. Cùm contingat, n.*1. *de foro comp.* teneat
de jure communi Pręlatum inferiorem non poſſe diù habe-
re territorium, nec conſuetudinem hoc poſſe operari, ut in
eadem civitate, vel diœceſi ſint in ſolidum duo capita quaſi
monſtrum, licèt aliqui Abbates hoc habeant ex privilegio
Papæ, qui ſolus poteſt hoc concedere: & Butr. *ibid.* dicat
non eſſe poſſibile, ut inferior ſibi quærat territorium, ut ſe-
paratum ab Epiſcopo, ita ut faciat caput in eadem civitate,
ſeu diœceſi; ſed ſi velit quærere quaſi ſub Epiſcopo, ut Epi-
ſcopus habeat univerſalem juriſdictionem, ſaltem habitu,
& inferior habeat quaſi ſub eo, licèt exercitio excludatur
Epiſcopus, hoc eſſe poſſibile, ſicut contingit in exemptis:
& hæc opinio placeat, ibi. Abb. *n.*18. tamen primam opinio-
nẽ Archid. tenet Collect. in *eod. c. Cùm contingat, n.*1. *verſ.
Sed quid ſi Ordinarius*, eamque veriorem eſſe oſtendit, ibi
Petr. de Anchar. *n.*9. *verſ. Ego dico*, nec ratio prædicta mon-
ſtruoſitatis, & impoſſibilitatis videtur hoc caſu habere lo-
cum, quia cùm totum jus Epiſcopale, excluſo Epiſcopo, in
aliqua parte diçceſis ſit preſcriptibile, ut eſt tex. in *d. c. Audi-
tis, de præſcript.* ubi Abbas ſibi contrarius dicit hoc ſingula-
re dictum alibi non ita benè probari, & reprehendit opinio-
nem Hoſt. in *d. c. Cùm contingat, de foro compet.* utique per
hujuſmodi juriſdictionis exercitium Prælatus inferior ſibi
quærit proprium territorium, ſecundum gloſſ. in *Clem.*1. §.
Volumus in ver. Diœceſanis, de foro compet. quam ibi ſequun-
tur Cardin. in 4. *qu. n.*2. Imol. *n.*38. Vitalin. *n.*4. & Abb. *n.*
15. Gemin. poſt Joann. de S. Gregorio in *cap.*3. *col.*8. *verſ.
Quæro an inferiores Prælati habeant territorium, de conſti-
tut. lib.*6. & ſic inferior per hoc conſtituitur in ſtatu nullius
diœceſis, ita ut nec in diœceſi, nec de diœceſi Epiſcopi eſſe
dicatur, ut dixit Rot. *deciſ.*207. *num.*2. *part.*2. *diverſ.* Un-
dè cùm ſit omninò extra diœceſim Epiſcopi, ceſſat abſur-
dum, quòd in eadem civitate, vel diœceſi ſint duo Capita
quaſi monſtrum: etenim ſolus inferior eſt caput in ſuo
territorio, cujus reſpectu diœceſanus appellatur, ſecundum
gloſſ. & DD. proximè citatos, & Abbas in *cap. Sicut unire,
de exceſſ. Prælator. & in Clemen. diœceſanis, de vita & ho-
neſtate Clericor.* ubi concilians gloſ. *ibi, & in d. Clemen.*1.
quæ oppoſitæ videbantur, oſtendit appellatione diœceſa-
norum etiam in materia nova, & præjudiciali venire infe-
riores Prælatos habentes Epiſcopalem juriſdictionem ex-
cluſis Epiſcopis. Quamobrem retenta opinione Archid. &
Joann. Andr. territorium ſic præſcriptum remanet extra,
vel intra fines, prout in externa, vel interna parte diœceſis
jura Epiſcopalia inferior Prælatus exercuit, juxta diſtin-
ctionem, quam ſuperiùs propoſui in diſmembratione, quæ
fit privilegio Apoſtolico, *n.*21.

Quibus præmiſſis, pro reſponſione ad dubium ſic diſtin-
gue. Aut locus nullius diœceſis eſt omninò extra cujuſque 23
diœceſis fines, ſive origine, ſive privilegio, ſive pręſcriptio-
ne. Aut eſt intra limites alicujus diœceſis. Primo caſu fa-
cultas ordinandi Clericos, viſitandi, ac dimiſſorias conce-
dendi ſpectat ad viciniorem Epiſcopum, & in his terminis
procedit decretum *d. c.*9. *ſeſſ.*24.

24 Ratio eſt, quia eadem loca præſumuntur fuiſſe de juriſdictione illius civitatis, cujus territorio magis adjacent, arg. §. *Inſulæ, inſtit. de rer. diviſ. & c. Cùm olim, in ver. Adjacentibus*, ubi id notat Bald. *n.1. ſupra de præſcript.* Cravet. *conſ. 449. n.5.* Et quamvis hæc ratio ceſſet in iis locis, quæ origine nunquam fuerunt in diœceſi alicujus Epiſcopi; tamen in dubio omnia præſumuntur diſmembrata à diœceſi propinquiori, ſicut mare attribuitur vicino territorio, gloſ. in *c. Ubi periculum, §. Porrò, in ver. Territorio, de elect. lib. 6.* Anchar. *in c. 2. ſub n. 10. verſ. Et addo, de conſtitut. eod. lib.* quod dicit notari pro delicto ibi commiſſo: & tamen etiam ſi probaretur originalis exiſtentia extra fines, tamen S. Synodus etiam eo caſu cenſeri debet voluiſſe attribuere proximiori Epiſcopo prędictam facultatem Nam cùm inferior Prælatus indiſtinctè jus non habeat conferendi Ordines ſacros, Conc. Trid. *ſeſſ. 23. de Sacram. Ordin. Can. 7.* & quoad minores, & dimiſſorias reſpectu ſubditorum ſæcularium illis ademptum fuerit decreto *dict. cap. 10. ſeſſ. 23. de reform.* operæ pretium fuit deputare aliquem Epiſcopum, qui prædicta exerceret, & loca ipſa, eorumque perſonas viſitaret: nullus autem aptiùs deputari potuit, quàm pro-
25 ximior Epiſcopus. Proximitas autem non eſt ſumenda à diœceſi, ſed ab Eccleſia Cathedrali, ut clarè patet ex *d.c. 9. ſeſſ. 24.* ibi, Ab Epiſcopo, cujus Cathedralis Eccleſia eſt proximior, & aliàs cenſuit Sacra Congregatio.

26 Secundo autem caſu, ideſt cùm locus nullius eſt intra fines alicujus diœceſis, facultas viſitandi, ordinandi, & concedendi dimiſſorias non ſpectat ad viciniorem Epiſcopum, ſed ad eum, intra cujus diœceſis fines idem locus conſiſtit, & in his terminis habet locum *c. 10. ſeſſ. 23.* ut patet ex illis verbis, *Intra fines alicujus diœceſis conſiſtentibus*, & inferiùs, ibi, *Ab Epiſcopis, intra quorum diœceſis fines conſiſtant.* Facit optimè quod notat Anchar. *in c. Quoniam n.4. infra de decim.* ubi ait paſcua, paludes, & montana intra fines territorii alicujus civitatis exiſtentia cenſeri illius civitatis; quia in fundis intra territorium habet fundatam intentionem ſuam de jure communi, allegat *c. Dudum, de decim.* & quod notat Innoc. in *cap. Nimis de jurejur.* Quamobrem fuit rationi conſonum, ut à Concilio reſtitueretur diœceſano facultas, quæ illi per diſmembrationem territorii adempta fuerat, arg. *cap. Ab exordio*, & quod ibi
27 notat gloſſ. in *ver. ad A. 35. diſt.* Quinimò probata exiſtentia intra limites, conſuevit dari mandatum de manutenendo Epiſcopo in quaſi poſſeſſione omnimodæ juriſdictionis Epiſcopalis, ob juris communis aſſiſtentiam, *c. Cùm Epiſcopus, de offic. Ordin. lib. 6.* Rota *deciſ. 382. par. 2. recent.* quandiu Prælatus inferior non probaverit ſe eſſe in ſtatu nullius diœceſis, vel utramque juriſdictionem in Parochos, & Parochianos exercere, juxta terminos *c. 11. ſeſſ. 25. de regular.* per tres ſententias conformes, vel unicam, quæ in rem judicatam tranſierit, ut reſpondit S. Congregat. Concil. à bon. mem. Ulpio Archiepiſcopo Theatino conſulta contra Commendatarium prædictæ Abbatiæ S. Joannis in Venere.

28 Quo loco prętermittendum non eſt deciſionem S. Congregationis, qua fuit conceſſa manutentio Archiepiſcopo ſtatim poſt probatam exiſtentiam, utcumque generalem, & indiſtinctam; tamen editam fuiſſe eo caſu, in quo Commendatarius nullum privilegium exhibuit, quod ſaltem præberet juſtam cauſam præſcribendi, ſed ſola nitebatur præſcriptione, ut liquet ex ſcripturis utrinque exhibitis; ſed aliter decidendum fuiſſet ſi titulum coloratum Commendatarius exhibuiſſet, ac de profeſſione fidem feciſſet, ut apertè ſtatuitur in *c. Cùm perſonæ, de privileg. lib. 6.* atque illic omnes notant.

Porrò facultas, quam habent Epiſcopi viſitandi loca nullius diœceſis, juxta propoſitam diſtinctionem extenditur, ut habeat locum non ſolùm in his, quæ curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem concernunt, ſi Eccleſiæ ſint curatæ, ſecundùm *d. c. 11. ſeſſ. 25. de regular.* ſed etiam in aliis extra dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem.

29 Cenſuit enim S. Congregatio in cauſa Caſſinen. S. Juſtinæ de Padua Epiſcopum loca nullius diœceſis viſitantem ad plenariam viſitationem eſſe admittendum, idque poſſe etiam per Vicarium Generalem, ſed opus eſſe ſpeciali in ſcriptis facultate, de eaque fidem faciendam eſſe.

30 Rurſus extenditur, ut Epiſcopi poſſint viſitare etiam illas Eccleſias nullius diœceſis, quæ ſubſunt aliorum Prælatorum viſitationibus: neque enim improbatur, quinimò admittitur a Concilio, ut una Eccleſia à pluribus viſitetur, ut patet in *c. 3. ſeſſ. 24.* Quinimò Eccleſiam ſæcularem dependentem a Monaſterio Pompoſianæ, quæ ſita eſt in territorio Abbatiæ Caſtri Durantis, S. Congreg. cen- 31
ſuit poſſe viſitari per Abbatem d. Monaſterii, à quo dependet, per Commendatarium Abbatiæ Caſtri durantis tamquam Ordinarium, & per Archiepiſcopum Urbinatenſem tamquam viciniorem; licèt æquum putaverit, ut Archiepiſcopus abſtineret à viſitatione, ne illa Eccleſia tot viſitationibus gravaretur.

Recipit tamen facultas, quam habent Epiſcopi viſitandi loca nullius diœceſis, declarationes infraſcriptas.

Primò enim poſſunt hujuſmodi loca viſitare tamquam 32
Sedis Apoſtolicæ delegati dumtaxat, juxta *c. 9. ſeſſ. 24.* Idque expreſsè ab eis declarandum, ut cenſuit Sac. Congregatio in eadem cauſa Caſſinenſi.

Secundò, poſſunt quidem viſitare caſtra, & loca nul- 33
lius diœceſis, atque illorum Eccleſias ſæculares, ſed non Eccleſias regulares, ſive in eis vigeat regularis obſervantia, ſive non, quia decretum Concilii ſub Paulo III. quod
tribuit facultatem Ordinariis viſitandi Eccleſias quomo- 34
dolibet exemptas in *cap. 8. ſeſſ. 7.* S. Congregatio cenſuit vendicare ſibi locum in Eccleſiis ſæcularibus dumtaxat, non autem regularibus, & regulares cenſeri etiam Monaſterio unitas, vel ab eo dependentes, ſi eis à regularibus deſerviatur. Et quamvis decretum *cap. 8. ſeſſ. 21.* poſtea 35
editum ſub Pio IV. concedat Epiſcopis tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis jus viſitandi Monaſteria commendata, in quibus non viget regularis obſervantia, ſi Ordinum ſuorum capitibus non ſubſunt, juxta *cap. 20. ſeſſ. 25. de regular.* tamen decretum *dict. cap. 8.* ſicut & præcedens habet locum in Monaſteriis exemptis dumtaxat, ut patet ex illis verbis, *Qualitercumque commendata etiam exempta*.
Unde non habet locum in Monaſteriis, ac beneficiis nul- 36
lius diœceſis, quæ exempta dici non poſſunt, Rota *deciſ. 207. n.2. part. 2. diverſ.* & Joan. Andr. *ſupra cit. in addit. ad Specul. tit. de privileg. verſ. Et ſciendum*. Ideòque Concilium in *c. 9 ſeſſ. 24.* quæ ſtatuta fuerunt ſub Paulo III. & Pio IV. de viſitatione Eccleſiarum exemptarum, nempè in *d. c. 8. ſeſſ. 7. & c. 8. ſeſſ. 21.* extendendo ad Eccleſias nullius diœ-
ceſis, reſtringit ſe ad Eccleſias ſæculares tantùm, ut patet in 37
illis verbis: Eadem in illis Eccleſiis ſæcularibus obſerventur, quæ in nullius diœceſi eſſe dicuntur. Itaut propterea quoad Eccleſias regulares in his locis nulla Epiſcopis per Concilium ſit attributa facultas, niſi in *cap. 18. verſ. Et quia ad Collegii fabricam ſeſſ. 23.* Quæ declaratio habet lo-
cum, etiamſi Eccleſiæ regulares eſſent curatæ. Nam Epi- 38
ſcopo nihilominùs non liceret eas viſitare etiam in concernentibus curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem. Ratio eſt, quia *cap. 11. ſeſſ. 25. de regular.* dat facultatem viſitandi Monaſteria curata Epiſcopo, in cujus diœceſi ſita ſunt, & quidem ordinaria authoritate non delegata, & in his tantùm, quæ curam, & adminiſtrationem prædictam concernunt. Unde non extenditur ad Eccleſias nullius, quæ non ſunt in diœceſi, nec de diœceſi, ut dixit Rota *dict. dec. 207. n. 2. part. 2. diverſ.* & quæ viſitari poſſunt plenaria viſitatione, & authoritate ſolùm delegata, ut dictum eſt. Et eodem modo reſpondetur ad *c. 8. ſeſſ. 21.* quod tribuit Epiſcopo facultatem viſitandi Monaſteria, ac beneficia commendata, præſertim ſi illis, vel eorum annexis cura animarum immineat, quia hoc decretum procedit in exemptis, non iis, quæ nullius diœceſis eſſe dicuntur, ut paulò ſuperiùs probatum eſt. Ac pro-
pterea olim reſpondit S. Congreg. Archiepiſcopum Urbi- 39
naten. ſi ſit proximior, poſſe quidem viſitare Eccleſias ſæculares, & perſonas, ſed Abbatiam ipſam Caſtri Durantis, quæ regularis eſt, licèt illi curam animarum incumbat, non poſſe Archiepiſcopum viſitare, utcumque perſonis ſæcularibus commendari conſueverit.

Declaratur tertiò, ut non procedat in tribus caſibus ex- 40
ceptis in *d. c. 11. ſeſſ. 25. de regular.* videlicet Abbatis Cluniacenſis cum ſuis limitibus: locorum, in quibus Abbates Generales, ſeu Capita Ordinum ſedem principalem habent: & locorum, in quibus iidem juriſdictionem Epiſcopalem, & temporalem in Parochos, & Parochianos exercent: nam etſi decretum in exceptione videatur intelligendum de locis, quæ ſunt in diœceſi, ut exceptio ſit de regula;
tamē ex majoritate rationis, multò magis procedit in locis, 41
quæ

quæ in nullius diœceſi eſſe dicuntur: nam ſi Epiſcopus prohibetur viſitare, v. gr. Eccleſiam, ubi Generalis habet ſedem ordinariam principalem, licèt in ſua diœceſi ſita ſit, ut de Eccleſia S. Hippolyti de Faventia, quæ eſt ſedes ordinaria, & principalis Generalis Camaldulenſis, S. Congregatio declaravit: longè minùs poterit ea viſitare, ſi extra ſuam diœceſim ſita ſint. Rurſus, etſi tertius caſus exceptus, ut ſit de regula, videatur procedere in Monaſteriis, ſed domibus regularibus, non autem in caſtris à Monaſterio ſeparatis: hanc tamen interpretationem ſæpiùs Sac. Congr. rejecit, ac præſertim in cauſa viſitationis oppidi
42 Cetrarii nullius diœceſis, quod cenſuit viſitari non poſſe ab Epiſcopo S. Mariæ, cujus Cathedralis Eccleſia proximior eſt, cùm in eo Abbas Caſſinenſis utramque juriſdictionem exerceat. Cæterum Epiſcopus eſt conſervandus in quaſi poſſeſſione omnimodæ juriſdictionis in iiſdem locis, ſi in ſua diœceſi, aut ſaltem intra ſuæ diœceſis fines ſita ſint, donec Abbas probaverit per rem judicatam ſe in illis exercere utramque juriſdictionem, ut ſimiliter reſpondit Sac. Congregatio conſulta ab eodem Archiepiſcopo Theatino; adjiciens etiam verbum illud Concilii, *Exercent*, eſſe intelligendum de juriſdictione, quæ exercetur actu; non autem de illa, quam aliquando exercuerit inferior Prælatus, ſed nunc non exercet. Nec omittendum eſt, quod ſubnectitur in fine *d. cap.* 11. videlicet ſalvum manere illorum Epiſcoporum jus, qui majorem in prædicta loca, vel perſonas authoritatem exercent.

43 Verùm hoc loco abs re non erit recenſere decretum olim editum à S. Pio V. tenoris infraſcripti, videlicet, die 4. Decembris 1570. Sanctiſſimus D. N. Pius V. dixit, quidquid Concilium videatur diſpoſuiſſe in *c.* 11. *ſeſſ.* 25. *de regul.* excipiendo eas Eccleſias, in quibus Regulares habent Epiſcopalem, & temporalem juriſdictionem, velle, ut in omnibus Eccleſiis Parochialibus, in quibus cura animarum etiam laicorum exercetur, habeant Ordinarii facultatem eas Eccleſias, & perſonas in eiſdem curam exercentes viſitandi, & corrigendi, in iis dumtaxat, quæ ad dictam curam & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, & ab hoc decreto nullus cenſeatur exceptus. Sed quoad hoc decretum, quod reperitur inſertum in libris S. Congregationis, ſemper hæſitavi, an fuerit publicatum, necne, quia in caſibus contingentibus numquam vidi illud obſervatum fuiſſe. Quinimò Sac. Congregatio nulla facta mentione hujus decreti, aut illius ratione habita, quoties accidit caſus, declaravit Epiſcopis nullum jus competere viſitandi loca, in quibus Abbates exercent utramque juriſdi-
44 ctionem. Abſolutum autem videtur decreta hujuſmodi ante illorum publicationem non ligare, *cap. In iſtis*, §. *Leges*, ubi gloſſ. & Doctores notant 4. *diſt.* S. Thomas in 1. 2. *qu.* 90. *art.* 4. ubi docet de eſſentia legis eſſe publicationem, quem refert, & ſequitur Navarr. *conſ.* 1. *verſ. Quintò dico, de conſtitut.* Abb. *conſ.* 35. *lib.* 1. Dec. *in c.* 1. *n.* 30.
45 *de poſtulat. Prælat.* & tradunt communiter Canoniſtæ in proœmio Clem. licèt ſufficeret publicatio facta Romæ, Card. poſt gloſſ. in *d. proœm. Clemen.* §. *Univerſitati*, *n.* 4. Gomeſ. *in proœmio regul Cancell. q.* 2. *num.* 13. *& ſeq.* ob-
46 ſervandum eſt enim hìc agi de nova lege contra Concilium edita, non autem de aliqua Concilii declaratione, quæ ineſt Concilio, & ad illius tempus retrotrahitur, ac propterea publicari non conſuevit, ſicut mos eſt S. Congreg. Concilii in ſuis declarationibus, ut fuſè adnotavi in *cap. fin. de conſtitut.* Prætereà dubitari poteſt, an hoc decretum ſublatum fuerit per poſteriores Conſtitutiones præſertim Gregorii XII. *In tanta*, editam 23. Martii 1573. quæ litteræ, & conſtitutiones in ea expreſſæ ejuſdem S. Pii V. quæ decretis Tridentini Concilii adverſantur, reducuntur ad terminos ejuſdem Concilii. Sed quatenùs eſſet obſer-
47 vandum, non eſſet tamen extendendum ad loca nullius diœceſis, qualia eſſe ſolent loca, in quibus Abbates habent Epiſcopalem, & temporalem juriſdictionem, in *Clem. Et populum*, excluſis Epiſcopis; tum quia *d. c.* 11. *ſeſſ.* 25. *de regul.* ad cujus derogationem emanavit decretum S. Pii V. ſubjicit perſonas curam animarum in Monaſteriis, ſeu domibus regularibus exercentes, juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi, in cujus diœceſi ſita ſunt; & ab hac regula excipit loca, in quibus Abbates utramque juriſdictionem exerceant. Unde ut exceptio ſit de regula, ad gloſſ. *in rub. de reg. jur. lib.* 6. non poteſt verificari niſi in locis, quæ ſita ſunt in diœceſi Epiſcopi; atque ita nullo modo videtur poſſe extendi ad ea, quæ in nullius diœceſi eſſe dicuntur. Tum quia decretum S. Pii V. vult, ut Ordinarii habeant facultatem viſitandi Eccleſias, & perſonas curam animarum in dictis locis exercentes. At Epiſcopus quoad loca nullius diœceſis modo poteſt dici ordinarius, nec illi à Concilio in *d. c.* 9. *ſeſſ.* 24. tribuitur poteſtas viſitandi authoritate ordinaria, ſicut tribuitur in *d. c.* 11. ſed tantùm delegata. Poſtremò in viſitatione locorum nullius diœceſis oportet Epiſcopum continere ſe infrà limites viſitationis. Nam ſi progrederetur ad ea, quæ cauſæ cognitionem atque indaginem judicialem requirunt, atque ita inſtructo proceſſu cauſas ordinarias cognoſceret, nulliter procederet. Nec obſtat, quòd Epiſcopus in viſitatione
diœceſis ſuæ quamvis cauſas ordinarias cognoſcere non 48
debeat, ſed viſitationem celeriter abſolvere, tamen ſi cognoſcat, ac decidat, proceſſus ac ſententia ſuſtineatur, & ſolùm detur appellatio ad utrumque effectum ſuſpenſivum, & devolutivum, ut aliàs fuit reſolutum. Quandoquidem hoc procedit in viſitatione diœceſis: Epiſcopus enim
etiam extra viſitationem in qualibet ſuæ diœceſis parte or- 49
dinariam habet juriſdictionem, *c. Cùm Epiſcopum, de offic. ordin. lib.* 6. *cum concordan.* Unde non mirum, ſi actus ab Epiſcopo geſtus, cùm non poſſit ſuſtineri tamquam factus à viſitatore, ſuſtineatur eo modo, quo poteſt valere, & ſicuti factus à judice ordinario, ut reſpondit Roman. *conſ.* 343. *n.* 9. At quoad loca nullius diœceſis Epiſcopus aliam non habet juriſdictionem quàm viſitandi authoritate delegata. Unde ſi procedat ad cauſarum cognitionem ordinaria authoritate, nihil agit; cùm extra viſitationem nulla ei per Concilium ſit attributa poteſtas, ut declarat Feder. de
Senis *conſ.* 130. *in fin. verſ. Proceſſus igitur factus*: quippè 50
manifeſti juris eſt delegatum nulliter procedere, quotieſcumque fines delegationis egreditur, *c. Cùm olim*, *il primo*, *c. Cauſa matrimonii*, *& c. P. & G. de offic. deleg.*

Quemadmodum autem jus viſitandi, quod habent Epi- 51
ſcopi in prædictis locis, non extenditur ad alias juriſdictionis ſpecies ita nec facultas, quam habent eorumdem
locorum ſubditos ordinandi, extenditur ad alia, quæ ordi- 52
nis ſunt Epiſcopalis; ac propterea S. Congregatio declaravit pro Sacramento Chriſmatis adminiſtrando licere inferiori Prælato convocare quem maluerit Catholicum Antiſtitem. Quinimò etſi Epiſcopi facultatem habeant ordinandi Clericos nullius diœceſis, ex *d. c.* 10 *ſeſſ.* 23. tamen ipſos ordinare non poſſunt in iiſdem locis nullius diœceſis, ſed in ſua diœceſi dumtaxat, ut ſimiliter declaravit S. Congregatio, niſi de ordinarii loci expreſſa licentia, ad præſcriptum
c. 5. *ſeſſ.* 6. Verùm facultas, quam habent illos in ſua diœceſi 53
ordinandi, eiſque dimiſſorias concedendi, vendicat ſibi locum etiam quoad Clericos illorum locorum, in quibus Capita Ordinum ſedem ordinariam principalem habent, aut in quibus inferiores Prælati exercent Epiſcopalem, & temporalem juriſdictionem in Parochos, & Parochianos. Quandoquidem exceptio, quæ habetur in *d. cap.* 11. *in verſ. Excepto ſeſſ.* 25. *de regular.* fit tantùm à juriſdictione, viſitatione, & correctione Epiſcopi. Unde extendi non poteſt ad ea, quæ ſub regula non comprehenduntur, *c. Aqua, de conſecr. Eccleſ. vel Altar.* ac proinde ſalva manet authoritas conferendi Ordines, & concedendi dimiſſorias perſonis nullius diœceſis Epiſcopo attributa in *d. c.* 10. *ſeſſ.* 23. eique non adempta in *d. verſ. Epiſcopo*, ut pariter Sac. Congregatio reſpondit.

DE PAROCHIIS, ET ALIENIS PAROCHIANIS.

Celeſtinus III.

CAPUT V.

SIgnificavit nobis Anconen. Epiſcopus, quòd cùm poſt recuperationem Anconen. civitatis, ad habitandum in ea, ſe quamplurimi contuliſſent, qui ante generalem occupationem Terræ Sanctæ, in aliis civitatibus regni Jeroſolymitani elegerant manſionem: & infrà. Fraternitati tuæ mandamus, quatenùs prædictorum locorum Prælatos, ut ſibi nullam in prædictos Aconen. habitatores juriſdictionem uſurpet, nec ab eis temporalia exigant, quibus ſpiritualia non miniſtrant, diſtinctione, qua convenit, compellatis: ita quòd ſi de agris in eorum Parochia conſtitutis, fructus percipiunt, & in ultramarinis partibus ratione prædiorum decimæ perſolvuntur, deinceps eis ipſas cum integritate perſolvant: dicto verò Aconen. tamquam diœceſano ſuo cogantur de cæteris reſpondere.

S U M M A R I U M.

1 *PArochianus ſi domicilium transfert, primus Prælatus in Parochialia jura non vendicat.*

2 *Laicus poteſt de uno in alium Epiſcopatum transferre domicilium, etiam non habita prioris Epiſcopi licentia, & nn. ſeqq.*

3 *Domicilii conſtitutio ſicuti eſt voluntaria, ita & illius extinctio, vel mutatio.*

4 *Clericus non poteſt ex una ad aliam Eccleſiam, vel civitatem tranſire ſine litteris Epiſcopi proprii.*

5 *Laicus poteſt libere domicilium transferre tam quoad temporalia, quam quoad ſpiritualia.*

6 *Non tamen poteſt ex contemptu proprium Parochum dimittere ſine translatione domicilii.*

7 *Parochianus aliò ſe transferrens non ex toto, priuſquam recipiatur ad Eccleſiaſtica Sacramenta probari debet, & pauliſper expectari.*

8 *Domicilii translatione quis ſubtrahitur juriſdictioni prioris Epiſcopi.*

9 *Juriſdictio Epiſcopi expirat eo ipſo quòd incola inde diſcedit.*

10 *Et transfunditur in Epiſcopum loci, quo translatum eſt domicilium.*

11 *Domicilium transferens ex loco originis non eximitur juriſdictione naturalis domini, nec quoad ſpiritualia, nec quoad temporalia.*

12 *Ordinari quis poteſt ab Epiſoopo originis, licèt alibi domicilium habeat.*

13 *Civilitatem ratione originis non poteſt quis ſola voluntate à ſe abdicare.*

14 *Incola eſt adſtrictus muneribus tum loci domicilii, tum loci originis.*

15 *Decimæ perſonales ſolvi debent Eccleſiæ, ubi quis habet domicilium; prædiales verò, ubi prædia ſita ſunt.*

16 *Niſi ex conſuetudine alteri Eccleſiæ debeantur.*

17 *Conſuetudine induci non poteſt, ut decimæ nulli Eccleſiæ ſint ſolvendæ.*

18 *Domicilium ad effectum recipiendi Eccleſiaſtica Sacramenta ibi quis dicitur habere, ubi habitat, & num. 27. 31. & n. ſeqq.*

19 *Matrimonium contractum coram Parocho loci, ubi mulier juſſu Principis ad quatuor menſes relegata fuerat, poſt quartum habitationis menſem an valeat, & n. ſeqq. uſque ad n. 40.*

20 *Habitatio qualis requiratur ad hoc, ut quis dici poſſit alicuius Eccleſiæ Parochianus, latè diſcutitur uſque ad n. 40.*

21 *Parochianus ut quis efficiatur, requiritur animus perpetuò habitandi.*
Contrarium, n. 27. & 34.

22 *Parochianus non efficitur, qui propter bellum, vel peſtem fugit ad civitatem, ubi manet cum familia.*
Contrarium, n. 29. & 32.
Declaratur, n. 34.

23 *Habitatio ſaltem annalis requiritur ad jus Parochiæ acquirendum.*
Contrarium, num. 27.

24 *Scholares, & incolæ, ac mercenarii debent confiteri Sacerdoti Parochiæ, quam incolunt, & n. 31.*

25 *Matrimonium ruri contractum an ſit nullum, ſi contrahentes ruri eſſe non ſolebant per majorem anni partem, & n. 36. & ſeqq.*

26 *Habitatio longior an requiratur ad recipienda Sacramenta voluntaria, quàm ad neceſſaria, n. 23. & 33.*

27 *Parochianus Eccleſiæ quis efficitur ex ſola habitatione de præſenti, dummodò non ſit ibi ad ruralia exercenda, vel ex alia brevi cauſa, & n. 31.*

28 *Parochianus plurium Eccleſiarum quis eodem anno effici poteſt.*

29 *Fugiens propter bellum, vel peſtem de una in aliam Parochiam animo redeundi ad primam, bello ceſſante, cenſetur Parochianus ſecundæ, & n. 32.*
Declaratur, n. 34.

30 *Intellectus hujus Capituli.*

31 *Sacerdos proprius dicitur is, in cujus Parochia quis habitat de præſenti, & nn. ſeqq. uſque ad n. 40.*

32 *Peregrinus in caſu neceſſitatis poteſt recipere Sacramenta in Parochia, ad quam divertit.*

33 *Parochus proprius is eſt ad matrimonium contrahendum, qui ad confeſſiones audiendas.*

34 *Bellum veriſimiliter non duraturum, non eſt juſta cauſa percipiendi Sacramenta in aliena Parochia.*

35 *Relegatus in eo loco, in quem relegatus eſt, interim neceſſarium domicilium habet.*

36 *Parochus proprius quoad matrimonium contrahendum is dicitur, in cujus Parochia contrahentes habitant tempore contractus, & nn. ſeqq. uſque ad n. 40.*

37 *Matrimonium ſcholaris, qui Patavii quinque, vel ſex menſes moratus, timens impedimentum à parentibus, ibi duxit mulierem plebejam coram Parocho loci, & teſtibus, validum declaratur.*

38 *Idem de matrimonio alterius, qui ob eamdem cauſam ſe in Angliam contulit, ibique aliquantiſper moratus, contraxit cum meretrice.*

39 *Idem reſponſum de matrimonio Trajectenſium, qui Aquiſgranam ſe contulerunt, ſi ibi ſpatio ſaltem unius menſis morati fuerint.*

40 *Domicilium an transferatur eo ipſo, quòd quis aliò ſe confert ad habitandum, an verò ad hoc ſit aliquod tempus à jure præfinitum, & nn. ſeqq. uſque in finem.*

41 *Domicilium de jure civili non conſtituitur, niſi per habitationem decem annorum.*
Contrarium, num. 44.
Declaratur, num. 52.

42 *Habitator ſimplex non cenſetur in loco domicilium conſtituere, niſi per deccennium habitaverit.*
Declaratur, num. 57.

43 *Incola non cenſetur, niſi qui in loco moratus fuit per decennium.*
Contrarium, num. 44.

44 *Domicilium non conſtituitur ſine animo perpetuò habitandi.*

45 *Impubes, qui diu penes nutricem, vel tutorem ſtetit, non dicitur ibi domicilium contraxiſſe.*

46 *Do-*

46 *Domicilium conſtituitur animo, & facto ſimul, nec ſufficit unum ſine altero.*
47 *Animus verò ex conjecturis deprehenditur.*
48 *Et quæ ſint ejuſmodi conjecturæ, & nu. ſeqq.*
49 *Domicilium conſtitui poteſt etiam minori ſpatio, quàm decem annorum, ſi alia concurrant indicia.*
50 *Domicilium ſufficienter demonſtratur per habitationem decennalem.*
51 *Abſens per decennium præſumitur habuiſſe animum non revertendi.*
52 *Intellectus l. 2. C. de Incol. lib.* 10.
Scholares non contrahunt domicilium, ubi ſtudiorum cauſa morantur, niſi tranſacto decennio, & cur.
53 *Idem in mercatore, & lectore publico.*
54 *Domicilium cenſetur quis immediatè conſtituere in loco, ad quem ſe tranſtulit cum familia, & fortunis, ſi ibi poſſeſſiones emerit, aut animum ſuum declaraverit, & num.* 56.
55 *Alioquin tempus erit arbitrarium.*
57 *Domicilium ceſſantibus aliis conjecturis non conſtituitur per ſimplicem habitationem, niſi ſit decennalis.*

1 S*Ignificavit*. Si Parochianus domicilium transfert, pri-
mus Prælatus in eo Parochialia jura non vendicat. De-
cimæ tamen prædiorum ſuæ Parochiæ ſibi debentur. Hoc
dicit. Communis diviſio, ſecunda, ibi, *Fraternitati*.
2 Nota primò eſſe in poteſtate laici de uno in alium Epi-
ſcopatum transferre domicilium, etiam non habita prioris
Epiſcopi licentia, ut hìc patet, & tenent Hoſtien. *n*. 4. An-
ton. de Butr. in 1. *notab. & n.* 3. *in* 1. *oppoſit.* Cardin. & Anch.
3 ambo *n*. 2. & Abb. in 1. *notab.* Ratio eſt, quia ſicut volunta-
ria eſt domicilii conſtitutio, ita & illius extinctio, vel mu-
tatio, ut in *reg. Nihil tam naturale, ff. de regul. jur.* prout
enim unumquodque producitur, ſic reſolvitur, *c.* 1. *eod. tit.*
& l. 1. *C. quan. lic. ab empt. diſced.* Decens tamen eſt ſecun-
dùm Hoſtien. ut certificetur, & requiratur ſuper hoc pri-
mus judex, argum. *c. Cùm Apoſtolica, infrà de ſponſal. cap.*
Cùm inhibitio, de Clandeſt. deſponſ. c. Fraternitati, ſuprà de
Cleric. non reſiden. & cap. Significaſti, de foro compet. cum
aliis per eum allegatis.
4 Et hinc colligitur differentia inter Clericum, & Lai-
cum: nam Clericus non poteſt ad aliam Eccleſiam, vel
Diœceſim tranſire, neque ab alieno eſt recipiendus ſine
litteris dimiſſoriis, ſeu formatis Epiſcopi proprii, *cap.* 1.
& per totum 71. *diſt. capit. Clericum, & capit. Placuit* 21.
quæſt. 2. *cap.* 1. *&* 2. *de Cleric. peregrin.* Quòd ſi locum in-
conſulto Epiſcopo deſeruerit, ei ſacrorum exercitium
interdicitur, ut in decreto Concilii Tridentini *cap.* 16.
ſeſſ. 23.
5 At verò laicus poteſt liberè ſe transferre non tan-
tùm quoad temporalia, ut *leg. Domicilium, & leg. Inco-*
6 *la, la ſeconda, ff. Ad municipal.* ſed etiam quoad ſpiritua-
lia, ut hìc eſt caſus, niſi ex contemptu proprium Sa-
cerdotem dimittat abſque domicilii translatione. In
quo caſu loquuntur textus in *cap. Ut dominicis, ſu-*
prà eodem.
7 Et quidem ſi ex toto domicilium tranſtulerit, ſecundum
Hoſtien. *n*. 4. indiſtinctè poteſt recipi, ut hìc, aliàs ſi-
ne litteris proprii Epiſcopi quantum ad Sacramenta Ec-
cleſiaſtica non eſt recipiendus. Addit etiam Hoſtien. in
hac translatione cautelam eſſe adhibendam, ne quis
in fraudem ſe transferat, ut ibi deſponſet aliquam, & dicat
ſe reliquiſſe primum domicilium, & omninò translatum,
ut hoc valeat obtinere. Unde putat talem, priuſquam
omninò recipiatur, probandum eſſe, & aliquantulum ex-
pectandum. Quibus verbis Hoſtienſis videtur in ea fuiſſe
ſententia, ut neceſſaria ſit translatio domicilii, nec ſuffi-
ciat ſimplex habitatio ad hoc, ut quis ſine licentia Epiſco-
pi proprii recipi poſſit ad Eccleſiaſtica Sacramenta, & in
ſpecie ad Sacramentum matrimonii. Sed contraria opinio
eſt verior, & magis communiter tenetur, ut dicam
infrà *num.* 27.
8 Secundò, nota ex hac decretali duos præcipuos effectus
translationis domicilii. Primus eſt, quia per hujuſmodi
translationem quis ſubtrahitur juriſdictioni prioris Epiſ-
copi, *cap. Propoſuiſti ſuprà de foro compet. c. Eccleſias, §.*
Quia ergo 13. *qu.* 1. gloſſ. 1. hìc, & Abb. Antiq. in *princip.*
9 Atque ita juriſdictio, quam quis habet in incolas, & ad-
venas ratione domicilii, expirat eo ipſo quòd incola inde
diſcedit; adeòut in talem recedentem non poſſit poſteà ju-
riſdictionem exercere, ut hìc per Anchar. Abb. & Joan. de
Anan. omnes in 2. *notab.*
Secundus effectus eſt, quia juriſdictio Epiſcopalis tranſ- 10
funditur in Epiſcopum loci, ubi conſtitutum eſt domici-
lium, itaut ſicut dominus temporalis acquirit juriſdictio-
nem in incolam, ut in *dict. l. Incola, ff. Ad municipal. &*
in leg. Si patria, Cod. de Incol. lib. 10. ita & dominus ſpi-
ritualis, ut hic, *& in cap. Cùm nullus, de tempor. Ordin.*
lib. 6. ſecundum Hoſtien. *num.* 1. *in ver. Juriſdictionem*,
& Abb. *num.* 4.
Adverte tamen, quia primus effectus abdicationis juriſ- 11
dictionis à primo Epiſcopo vendicat ſibi locum, ſi is, qui
domicilium tranſtulit, non erat ibi aliàs oriundus, ut in
caſu hujus decretalis. Nam iſti non erant oriundi ex Re-
gno Hieroſolymitano, ſed elegerant ibi manſionem.
Unde cum non eſſent ſubjecti illis Prælatis, niſi ratione
domicilii; ipſo translato, in nihilo remanſerunt ſubjecti,
cùm prorſus ceſſaverit cauſa ſubjectionis, ut in *d. l. Incola*,
& benè advertit Abb. hic *n*. 6. At ſecus eſt in ſubjecto ratio-
ne originis; quia etſi aliò domicilium transferat, non ta-
men propterea eximitur à juriſdictione naturalis domini,
nec quoad ſpiritualia, nec quoad temporalia. De ſpirituali- 12
bus eſt textus in *d. c. Cùm nullus*, ubi patet Epiſcopum poſſe
Ordines conferre oriundo ex ſua Diœceſi, licèt alibi domi-
cilium habeat. Quod ſi ordinare poteſt; ergo & judicare,
c. Nullus, & ibi gloſſ. *fin. ſuprà eod.* Similiter hic poterit
nihilominus conveniri in loco originis, ut notat Bart. in *l.*
Aſſumptio, ff. ad municip. De quo dic, ut plenè notatur per
Doctores, maximè per Butr. & Abb. & latiùs per Marian.
Socin. in *c. fin. ſuprà de foro compet.* Nam civilitatem ratio- 13
ne originis non poteſt quis ſola voluntate à ſe abdicare,
cùm naturalia ſint immutabilia, ut legitur in *d. l. Aſſumptio*
& in l. Origine, C. de municip. & originar. lib. 10. Itidem re- 14
manet hic ſubjectus quoad onera perſonalia. Ideòque ſi ex-
trahatur ad aliquod munus in loco originis, tenebitur illud
ſubire, licèt habeat alibi domicilium; quoniam incola eſt
adſtrictus muneribus, & oneribus tum loci domicilii, tum
loci originis, ut in *d. l. Incola*, & notat Bart. in *d. l. Aſ-*
ſumptio, & Abb. hic *n*. 6.
Tertiò, nota decimas perſonales eſſe perſolvendas Ec- 15
cleſiæ loci, ubi quis habet domicilium & recipit ſpiritualia,
ut hìc in fine, *& in c. Quæſti* 16. *q.* 1. Prædiales verò deberi il-
li Parochię, ubi ſita ſunt predia, ut hìc in *verſ. Et ultrama-*
rinis, & in c. Quoniam infra de decim. & hìc tenet gloſſ. in
ver. Prædiorum, Hoſtien. *n.* 7 & 8. Butr. *n.* 2. *in* 2. *notab.* Car-
din. *nu.* 3 *in.* 3 *qu.* & Abb. *in ult. notab.* Niſi obſtet contraria 16
conſuetudo, id eſt, niſi ex conſuetudine decimę alteri Ec-
cleſiæ debeantur. Ita enim intelligunt Doctores hanc de-
cretalem, ut per Hoſtien. *nu.* 7. *in verb. In ultramarinis.* In
hoc enim ſtatur conſuetudini ut in *c. fin. ſuprà de pact. & in*
c. Ad Apoſtolicæ, infra tit. proximò, Seraphin. *dec.* 908. *nu.* 5.
At verò, ut decimæ alicui Eccleſiæ non ſint ſolvendæ, nul- 17
la conſuetudine induci poteſt, ut hìc determinat Innocen.
n. 1. *in verb. Perſolvuntur*, cui ſubſcribunt Hoſtien. *nu.* 7. *in*
ver. Ratione prædictorum, & in verb. Perſolvuntur. Petrus de
Sampſone, & Abb. Antiq. *n.* 2. *in verb. Ratione.* Joann. Andr.
n. 5 *in verb. Perſolvuntur*, DD. *in c. Aliquibus, infrà tit. pro-*
ximo, & eſt communis opinio, ut hìc teſtatur Abb. in *ult.*
notab. num. 5.
Ultimò nota ex illis verbis, *Ad habitandum in caſe* 18
quamplurimi contuliſſent, ab hoc, ut quis efficiatur Paro-
chianus, & recipiatur ad Eccleſiaſtica Sacramenta, non re-
quiri formalem translationem domicilii, ſed ſufficere ſim-
plicem habitationem de prę ſenti. Nam ad hunc effectum
ibi quis dicitur habere domicilium, ubi habitat, ut dicit
gloſſ. 1. hic per textum in *l. Municeps, §. Miles, ff. ad mu-*
nicipal. ubi dicitur, Miles ibi domicilium habere videtur,
ubi meret (id eſt ubi militat) etiamſi nihil in patria poſſi-
deat: aliàs legitur, ubi inhæret, ſecundùm Hoſtien. &
Joann. Andr. in *prima gloſſa*. vel ubi moratur, ibi eſt ad-
notatum in margine. & omnes iſtæ lecturæ innuunt ſuf-
ficere habitationem. Et ita per hanc decretalem firmat
Federic. de Sen. *conſil.* 254. ut latiùs dicam infrà *num.* 27.
& 28. Et ſecundùm hanc opinionem hodie cum ex
Decreto Concilii Tridentini *capitul.* 1. *ſeſſ.* 24. *de refor-*
mat. matrim. non aliter contrahi poſſit matrimonium,
quàm præſente Parocho, &c. validum eſſet matrimonium

contractum coram Parocho habitationis. De quo tamen articulo dic plenius, ut in quæſtione ſeq.

19 Poſito quòd mulier ex civitate, in qua habitabat, ad ſcandala ſubmovenda ad oppidum ſuæ diœceſis juſſu Principis ſæcularis translata fuerit ſub præcepto illinc non diſcedendi, quamdiu ſecus ordinatum non eſſet: Item poſito quòd poſt quartum habitationis menſem coram Parocho d. oppidi cum viro incola ejuſdem civitatis matrimonium contraxerit: Item poſito decreto Concilii Tridentini *c.* 1. *ſeſſ.* 24. *de reform. matrim.* Quæſitum eſt, an ejuſmodi matrimonium ſit validum, necne?

20 Maxima eſt diſſenſio inter DD. qualis habitatio requiratur ad hoc, ut quis dici poſſit alicujus Eccleſiæ Parochia-

21 nus. Quidam enim putant requiri translationem domicilii, nec ſatis eſſe qualemcumque habitationem, niſi adſit animus perpetuò habitandi, ſine quo domicilium non acquiritur, *l. Ejus qui*, *§. penult. ff. ad municipal.* cum aliis, quæ adducentur in queſt. ſeqq. n. 44. Cujus ſententiæ fuit gloſ. in *c. Is qui*, in figuratione caſus, *de ſepult. in* 6. ubi ait, ex ſola mora facta in loco non cenſeri aliquem Parochianum illius loci, cùm oporteat, ut animus ſit perpetuæ moræ, & Joan. Andr. *ibi in princip. verſ. Et faciunt hæc ad qu.* ubi propterea infert eum, qui propter bellum, aut peſtem fugit ad civitatem, ubi manet cum familia, non fieri illius Parochianum, quia non mutavit domicilium, cùm non habuerit animum ibi perpetuò manendi, nec durante metu dici poteſt habuiſſe animum mutandi domicilium; & ſequuntur ibi Gemin. & Franc. idque pluribus comprobat Abb. in *capit. In noſtra num.* 10. *de ſepult.* ubi alios adducit.

22 Quorum opinio ſi vera eſſet, nullum eſſet matrimonium ab hac muliere contractum, quia non habuit animum perpetuò habitandi in dicto oppido, ſed ibi fuit juſſu Principis moratura uſque ad ipſius Principis beneplacitum; ideòque Sacerdos, qui matrimonio interfuit, illius Parochus non fuiſſet, ut requiritur decreto *d. cap.* 1. *ſeſſ.* 24. *de reform. matrim.*

23 Quidam verò putant ad jus Parochiæ acquirendum ſufficere habitationem, dummodò tamen illa ſit annalis, aut

24 pro majori anni parte. Cui opinioni videtur adhærere Innoc. in *c. Omnis utriuſque num.* 6. *de pœnit. & remiſſ.* ubi ait ſcholares, & incolas annales, & mercenarios debere confiteri Sacerdoti Parochię, quam incolunt per annum, & ab eo poſſe abſolvi per text. in *cap. qu.* 16. in illis verbis, Et ubi per totum anni circulum Miſſas audiunt. Et quamvis poſteà referat opinionem illorum, qui dicunt idem eſſe, ſi ad minus tempus incolant, vel domos, vel dominos, tamen cùm hoc ſecundo loco utatur illis verbis, *Alii dicunt*, non ſecunda, ſed prima cenſetur ejus opinio, ut declarat Jaſon. in *l. Si idem cum eodem*, *§. fin. nu.* 3. *ff. de juriſdict. omn. judic.* & Dec. in *cap.* 1. *ad fin. de conſtit.* cùm præſertim poſt ſecundam opinionem Innoc. adjiciat: In omnibus tamen præmiſſis tutiùs eſt, ut viatores, & alii ſemper à proprio Sacerdote ſpecialem licentiam habeant; & Innocentii verba tranſcribunt *ibid.* Butr. Anchar. & alii.

Quę ſecunda opinio, ſicut & prior innititur præcipuè d. decretali, *Is qui, de ſepult. in* 6. ibi, *Is qui ad villam ſe transfert recreationis cauſa, velut ruralia exerceat, ſi non electa ſepultura decedat, non in Eccleſia dictæ villæ, ſed in ſua Parochiali ſepeliri debet.* Qui tamen textus non dicit ad jus Parochiæ acquirendum requiri domicilium, vel habitationem annalem, ſed tantùm definit non eſſe ſatis, ut quis ſe aliò transferat ob aliquam brevem cauſam.

25 Et ſecundùm hanc ſententiam eodem modo hæc mulier nullo modo contraxiſſet, quia ante matrimonium in dicto oppido non habitaverat, niſi per quatuor menſes, & Rota *in noviſſ. deciſ.* 656. *vol.* 1. reſolvit in ſuo caſu matrimonium contractum coram Parocho rurali fuiſſe nullum, quia probatum non fuit contrahentes ſolere eſſe ruri in majori anni parte, nec pro dimidia, ſed tantùm per tres, aut quatuor menſes.

26 Alii autem diſtinguentes, cenſent habitationem ſaltem pro majori anni parte efficere aliquem Parochianum ejus Eccleſiæ, ubi habitat, quoad Sacramenta neceſſaria dumtaxat, veluti confeſſionis, & communionis, ſemel in anno. Secus verò quoad Sacramenta voluntaria, veluti ordinis, & matrimonii. Atque ita diſtinguit Abb. in *cap. Nullus num.* 4. *ſupra eodem*, Silveſt. *in verb. Domicilium n.* 2. Tabien. *eod. verb. ad fin.* & eſt ex mente Hoſtienſ. in *Summa hoc tit.* *§.* 7. *in fin.* & ſecundùm hanc ſententiam ſimiliter nullum eſſet matrimonium, de quo agitur.

At verò alii tenent ex ſola habitatione quem effici Parochianum alicujus Eccleſiæ, dummodò non ſit ibi recreationis gratia, vel ad ruralia exercenda, aut ex alia brevi cauſa ſtatim reverſurus ad primam Parochiam, juxta *d. c. Is qui*, *de ſepult. in* 6. 27

Atque hec ſententia fuit originaliter Federic. de Sen. in *conſ.* 254. incip. *Quæſtio ſubſequens*, ubi reſpondit ad jus Parochiale eſſe attendendam præſentem habitationem, non domicilium; ideòque in eodem anno quem effici poſſe Parochianum plurium Eccleſiarum, cùm non requiratur, ut habeat animum perpetuò habitandi. Unde couludit eum, qui propter bellum, vel peſtem fuit de Parochia in Parochiam, & eò ſe tranſtulit animo redeundi ad primam bello ceſſante, cenſeri Parochianum ſecundę: & dicit eſſe de hoc caſum in hac decretali. Quod veriſſimum puto, quia cùm habitatores illi, qui priùs elegerant manſionem in Regno Hieroſolymitano propter occupationem Terræ Sanctæ, ſe tranſtulerint ad habitandum in Civitate Aconen. utique ceſſante prædicta occupatione, & ſic cauſa translationis, veriſimiliter rediiſſent ad primam manſionem. Unde non habebant animum perpetuò habitandi in Aconenſi Civitate, ſed durante impedimento dumtaxat. Et tamen textus decidit eos poſſe ſpiritualia recipere ab Epiſcopo Acconenſi, & ibi teneri decimas perſonales perſolvere. Atque ita Federici ſententiam commendat, & ſequitur Abb. in *cap. Extirpandæ*, *§. Qui verò nu.* 11. *de præb.* & latè defendit Anchar. in *cap. De uxore nu.* 7. *de ſepult.* & Abb. ſibi contrarius in *c. Omnis utriuſque num.* 23. *de pœnit. & remiſſ.* relatis aliorum ſententiis: (Illa opininio, inquit, mihi plus placet, & eſt magis communis, quòd ille dicatur proprius Sacerdos, in cujus Parochia quis habitat de præſenti, nec poſſunt commodè adire proprium Sacerdotem. 28 29 30 31

Ad hæc cùm de jure communi ex *Clem* 2. *de privileg.* Religioſi, qui Clericis, aut laicis Sacramenta Unctionis Extremæ, vel Euchariſtiæ miniſtrare, & matrimonia ſolemnizare audent, non habita ſuper his Parochialis Presbyteri licentia ſpeciali, excommunicationis ſententiam incurrant, gloſſ. in *ver. Presbyteri Parochialis.* (Per hoc, inquit, quod ſcholares, & mercenarios, & his ſimiles, intellige Presbyterum, in cujus Parochia habitant) gloſſ. ergo etiam ad effectum matrimonii cenſet illum eſſe proprium Parochum, in cujus Parochia quis habet habitationem. Quam gloſſam dicit eſſe notandam, Cardin. *nu.* 8. ſubdens: (Dic quòd ſtatim cùm quis vadit ad habitandum in certa Parochia, intelligitur ibi fieri Parochianus, niſi acceſſerit cauſa recreationis, aut ob aliam cauſam temporalem, ſtatim reverſurus ad propriam Parochiam,) & ſequitur Vital. *numer.* 29. ubi ait; (Proprius Curatus omnium ſuorum Parochianorum dicitur, etiamſi ad tempus habitent in Parochia illa, ut ſunt ſcholares, familiares, mercenarii, & hujuſmodi ſimiles perſonæ: pro tunc enim non ſunt actu Parochiani alterius Parochiæ.)

Quæ opinio ſicut eſt magis communis, ita eſt verior, ut patet ex alleg. per Anchar. in *dict. cap. De uxore num.* 7. *de ſepult.* & ſummam habet æquitatem in caſu præſenti; nam cùm hæc mulier juſſu Principis relegata fuerit in dicto oppido, nec poſſit abſque præcepti violatione, & incurſu pœnæ ad primam Parochiam redire; iniquum eſſet, ut non poſſet accipere Eccleſiaſtica Sacramenta à Parocho loci, in quo habitat. Ideòque etiam auctores contrariæ 32 ſententiæ cenſent propter periculum, aut neceſſitatem poſſe aliquem recipere Sacramenta in loco habitationis, ut tradit Abb. in *d. c. In noſtra num.* 11. *de ſepult.* his verbis: (Ego dicerem quòd ſola habitatio non facit quem eſſe Parochianum iſtius Eccleſiæ. Unde ex quo habet animum redeundi ad domum ſuam, illa Eccleſia domicilii eſt propriè Parochialis iſtius, ſed propter neceſſitatem poterit iſte in loco habitationis, vel ubi eſt peregrinus recipere Sacramenta, ita quòd hæc Eccleſia habitationis non ſit propriè Parochialis iſtius, ſed in defectum propter neceſſitatem ſuccedit loco Parochi quoad adminiſtrationem Sacramentorum.) & infra. (Ex quo infero, quòd ſi de loco habitationis non poteſt commodè ire ad Eccleſiam domicilii pro Sacramentis, debet hìc capere, & non in Eccleſia domicilii) & ſequitur

Na-

Navar. in *cap: Placuit*, *de pœnit. diſt. 6. nu.92. & 101.* Ob
quam neceſſitatem ſicut qui belli, aut peſtis cauſa aliò com-
migrant, poſſunt Sacramenta percipere à Parocho habita-
tionis ſecundùm communem Canoniſtarum ſententiam in
cap. Omnis utriuſque, *de pœnit. & remiſſ.* ita eſt æquum, ut
poſſit recipere hæc mulier, quæ vi, atque imperio Principis
extra locum domicilii commoratur: non minùs enim im-
peditur ad primam Parochiam redire, quàm ſi peſtis, aut
belli cauſa inde aufugiſſet.

33 Neque enim conſtituenda eſt differentia inter Sacramen-
tum Pœnitentiæ, & Matrimonii, cùm ſæpè non minor ſit
neceſſitas nubendi quàm confitendi, ut contigit in his, qui
continere non poſſunt: nam melius eſt iis nubere, quàm
uri, ut 1. ad *Corinth.7.* Ideòque communiter is dicitur eſſe
proprius Parochus ad conjungendos aliquos in matrimo-
nium, qui in *cap. Omnis utriuſque*, appellatur proprius Sa-
cerdos ad confeſſiones audiendas, ut conſtat ex d. *Clemn.*
Religioſi, in verb. Parochialis Presbyteri, & ibi notatur *de*
privil.

34 Non obſtat, quòd hæc mulier non habuerit animum in
d. oppido perpetuò morandi. Quoniam ſatis eſt ut habue-
rit animum morandi, quamdiu neceſſitas, juſſus Princi-
pis durarent: nam & hi, quis peſtis, aut belli cauſa aliò di-
vertunt, non habent animum illuc manendi, niſi quoad du-
raverit neceſſitas: & tamen contrahunt jus Parochiæ ad ef-
fectum recipiendi Eccleſiaſtica Sacramenta. Ad hoc enim
ut dictum eſt, jura non conſiderant domicilium, ſed ſimpli-
cem habitationem, & ſatis eſt, ut cauſa ſubmovendi ſcanda-
la, ob quam Princeps juſſit mulierem aliò transferri, non
fuerit talis, ut potuerit probabiliter incontinenti ceſſare.
Pro quo eſt doctrina Anchar. in *d. c. Is qui, de ſepultur.* ubi ſe-
quitur opinionem Feder. de Sen. quando bellum eſſet veri-
ſimiliter duraturum. Secus ſi per tranſitum alicujus exerci-
tus tranſeuntis hoſtiliter per comitatum quis contuliſſet ſe
ad civitatem: tunc enim, inquit, eſt verior opinio Jo. Andr.
nam primo caſu venit animo commorandi; ſecundo non.
In ſolo autem Ordinis Sacramento ſpeciale eſt, ut verum
domicilium requiratur, ut patet in *cap. Cùm nullus, de tem-*
por. Ordin. in 6. ponderando illa verba: Superior intelligitur
hoc caſu; & rationem ſpecialitatis adducit Hoſt. in *Summa*
hoc tit. §.7. in fin.

35 Sed etſi ad hoc domicilium requireretur, fortè tamen
non deeſſet hoc caſu, per textum ſingularem in *l. Filii, ff. Ad*
municipal. in illis verbis, *Relatus in eo loco, in quem relega-*
tus eſt, interim neceſſarium domicilium habet, & concordat
text. in *l. Ejus qui, §. fin. eod. tit.*

36 Ultimò, quidquid ſit de his, ſententiam Federic. de Sen.
ſæpiùs ſequuta eſt S. Congreg. Concil. in caſibus contigen-
tibus.

Et in ſpecie cùm olim juvenis nobilis, & meretrix Se-
nenſis cuperent invicem matrimonio copulari, & dubita-
rent, ne ſi matrimonium in Civitate Senarum contraherent
adhibendo Concilii Tridentini ſolemnitas, juvenis pa-
rentes impedimento eſſent, Romam acceſſerunt, ibique
aliquantiſper commorati, coram Parocho, & teſtibus S.
Anaſtaſiæ, in cujus Parochia tunc habitabant, matrimo-
nium per verba de præſenti contraxerunt. Et cùm de ejus
validitate dubitaretur, S. Congreg. cenſuit matrimonium
eſſe validum, ea ratione, quia is eſt proprius Parochus, in
cujus Parochia habitabant contrahentes tempore contra-
ctus. gloſſ. in *Clem. 1. de privileg. verb. Parochialis*, Abb. *in c.*
Omnis utriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ. ubi de communi
teſtatur: & aliàs generaliter conſulta, an proprius Parochus
quis dicatur, in cujus Parochia contrahentes habitant tem-
pore quo matrimonium contrahitur: reſpondit ita dici.

37 Atque ad exemplum deciſionis editæ in dicta cauſa Se-
nenſi aliàs cenſuit valere matrimonium Scholaris, qui Pa-
tavii quinque, vel ſex menſes moratus, timens impedimen-
tum à parentibus, ibi duxit mulierem plebejam coram Pa-
38 rocho loci, teſtibus. Idemque reſpondit de matrimonio
alterius, qui ob eamdem cauſam ſe in Angliam concludit, &
ibi aliquantiſper moratus, coram Parocho habitationis
39 cum meretrice contraxit matrimonium. Quinimò cùm
vir, & mulier Trajectenſes timentes impedimentum à pa-
rentibus, ad vicinam urbem Aquiſgranenſem ſe contuliſ-
ſent, & ibi aliquandiù morati matrimonium contraxiſſent:
S. Congreg. conſulta ſuper validitate cenſuit exprimendum
tempus, quo contrahentes Aquiſgranæ manſerunt. Quod
ſi fuerit ſaltem unius menſis, dandam eſſe deciſionem pro
validitate, alias de novo referendum in Congregatione.

Ex quibus non videtur dubitandum, quominus validum
ſit præſens matrimonium contractum coram Parocho ha-
bitationis poſt quartum habitationis menſem. Et in hanc
ſententiam Sac. Congreg. reſpondit.

Ulteriùs QUÆRO, an incolæ Regni Hieroſolymita- 40
ni, de quibus hìc, eo ipſo quòd poſt occupationem Terræ
Sanctæ ſe contulerunt ad habitandum in Civitate Aconen-
ſi, cenſeatur in ea domicilium contraxiſſe; adeòut tam
Epiſcopus, quàm Dominus temporalis poſſint immediatè
juriſdictionem in eos vendicare. An verò ad transferen-
dum domicilium tempus aliquod à jure ſit præfinitum.

De jure civili ad conſtituendum domicilium videtur re- 41
quiri tempus decem annorum, per text. in *l. 2. Cod. de incol.*
lib. 10. ibi dicitur: Nec ipſi, qui ſtudiorum cauſa in aliquo
loco morantur, domicilium ibi habere credunt, niſi de-
cem annis tranſactis eo loco ſedes ſibi conſtituerint. Et ita
videtur tenere gloſſ. ibi in *ver. Conſtituerint*, ubi quærit,
quid de alio, qui ſtat per decem annos non ſtudii cauſa: &
reſpondet eodem modo preſumi domicilium animo conſti-
tutum; ſecus ſi minori tempore: & Bart. in *conſ. 111. Fa-*
ctum tale in fine lib. 2. dicit ſimplicem habitatorem non 42
cenſeri in loco domicilium conſtituere, niſi per decennium
habitaverit. Et apertiùs hoc tenet Hoſtien. hìc *n. 5.* dicens
non cenſeri, incolam, niſi qui in loco moratus fuit per de-
cennium, per illum textum, argum. *cap. Apoſtolicæ circa*
princp. infrà eod. licèt ſubdat illam legem de facto non ſer- 43
vari, & ſequitur totidem verbis Jo. Andr. *nu. 3. verſ. Nam*
nec ſecundum leges.

Sed omninò dicendum eſt, nec ſecundum leges, nec ſe- 44
cundum Canones ullum tempus eſſe abſolutè neceſſarium
ad domicilium contrahendum. Ad hoc enim præcisè ne-
ceſſarius eſt animus perpetuò habitandi, ſine quo domici-
lium conſtituitur, *l. Non utique, & leg. Domicilium, & leg.*
Ejus qui, la ſeconda, §. penult. ff. ad muncipal. l. 2. & leg. Cives
Cod de incol. lib. 10. & notatur in *l. 1. Cod. de muner. & hono.*
eod. lib. Hoſt. *in Summ. de Paroch. §. penult. ante fin.* Jo. Andr.
in *cap. Is qui, in princ. verſ. Et faciunt hæc ad quæſt. de ſe-*
pult. lib. 6. cum aliis allegatis in præced. quæſt. *n. 21.* & Abb.
hìc nu. 8. verſ. Nam ad conſtitutionem domicilii; qui tamen
dum allegat *l. Si quis inſtructus, ff. ad municip.* debuit allega-
re *l. Ejus qui, la ſeconda, §. Celſus*, aliàs *§. Si quis inſtructus.* Et 45
propterea impubes, qui diu penes nutricem, vel tutorem
ſtetit, non dicitur eò domicilium tranſtuliſſe, cùm in ea
ætate careat animo, & intellectu ad domicilii mutationem
requiſito, ut conſuluit Feder. de Sen *conſ. 253. Quidam puer,*
per tot. & conſentit Bald. *conſ. 334. Factum tale eſt, magiſter,*
cira med. verſ. Et ex hoc apparet lib. 4. Sed quia de animo, 46
cùm ſit quid intellectuale, per ſe conſtare non poteſt; pro-
pterea dicit lex ad acquiſitionem domicilii nudam volun-
tatem non ſufficere, ſed requiri etiam factum quaſi animi
indicem, ut *d. l. Domicilium, ff. ad municip.* & nota Feder. de
Sen. *d. conſ. 253. num. 2.* & Bald. *conſ.* 311. *Quæſtio ſupra qua*
n. 3. quod eſt Petri de Abbatis Piſanis *cum duobus ſeqq. lib.* 4.
Animus enim ex facto, & conjecturis deprehenditur, *c. 42.* 47
de renunc. lib. 6. l. Dolum, C. de dolo, Abb. *hìc n. 8.* Quapro- 48
pter ut dicunt Hoſt. & Jo. And. ſi in loco relicto quis omnia
vendidit, ſecum quidquid habere potuit, aſportavit, & in
alio loco domum, & poſſeſſiones emit, ſatis probabiliter
cenſetur primum reliquiſſe, & ſecundum domicilium ele-
giſſe, & probatur in *l. Cives, Cod. de incol. lib.* 10. ubi dici-
tur: In eodem loco ſingulos habere domicilium non ambi-
gitur, ubi quis larem, rerumque, ac fortunarum ſuarum ſum-
mam conſtituit, unde rurſus non ſit diſceſſurus, ſi nihil
avocet. Itaque, ut Bald. inquit *d. conſ. 334. circa med.* lares
aſſidua converſatio, & major pars bonorum domicilium
demonſtrant, *l. 2. C. ubi Senat. vel Clariſſ. & d. l. Cives.* Un- 49
de etiam minori ſpatio decem annorum quem ſibi conſti-
tuere domicilium, quando concurrunt alia indicia, puta
ſi tranſtulerit familiam, ſupellectilem, & majorem partem
fortunarum ſuarum, firmat idem Bald. *conſ. 393. in princ. lib.*
1. Angel. *conſ. 27. Quidam victor n. 2. verſ. Sola enim* Idque
multò magis, ſi clarè appareat quem elegiſſe domicilium, ut
quia hoc expreſſit, vel quia eſt effectus civis loci, vel per
alium modum, ut per Bald. *loc. prox. cit.* porrò inter alias 50
conjecturas translationis præcipua eſt habitatio decenna-
lis. Nam eo ipſo quòd quis per decennium in loco habita-
vit, præſumitur in dubio habuiſſe animum ibi domicilium
conſtituendi, Bart. *in l. Cornelia, §. Si demum, ff. de injur.*

Bald. *d. conſ.* 311. *in princ.* & latiùs *in* 3. *conſ.* ibi, *Inſerto n.* 5. *verſ. Sed modò videamus*, Abb. *conſ.* 100. *in princip. lib.*
51 2. Nam abſens per decennium præſumitur habuiſſe animum non revertendi, ut plenè per Alex. *conſ.* 91. *Repetitus num.* 8. *lib.* 7.

52 Non obſtat text. in *d. l.* 2. *C. de incol. lib.* 10. quia ſecundum Abbatem hìc *n.* 8. illa lex loquitur in ſcholaribus. Et ſic loquitur in eo caſu; in quo ex conjectura apertiſſima liquet quem non habere animum conſtituendi domicilium. Scholares enim non veniunt ad locum animo ibi perpetuò permanendi, ſeu ſtudendi. Et propterea ad eliciendam præſumptionem animi domicilium conſtituendi, lex præfinivit illud ſpatium decem annorum. Nam ad hoc majus, vel minus tempus requiritur, ſecundùm quòd conjecturæ urgent. Et ſcholaris ſtudio abſoluto præſumitur habuiſſe animum recedendi, ut per Alex. *conſ.* 216. *num.* 14. & 15. *lib.* 16. ubi idem dicit in mercatore.

53 Idemque in lectore publico conducto cum ſalario, qui non præſumitur habuiſſe animum conſtituendi domicilium, plenè conſuluit Abbas *d. conſ.* 100. *Videtur primò per totum lib.* 2. In his igitur deccennium requiritur ad eliciendam contrariam animi præſumptionem, ut in *d. l.* 2. At hæc ratio ceſſat in eo, qui ex toto primum domicilium dereliquit, & cum omnibus rebus ſuis aliò ſe tranſtulit. Et propterea textus in *d. l.* 2. poſteaquam dixit ante decennium tranſactum ſcholares non cenſeri in loco domicilium habere, immediatè ſubnectit: Sed ſi aliis rationibus domicilium in Civitate Laodicæorum habere probatus fueris, &c.

Itaque qui ad alium locum cum familia & fortunis ſuis 54
ſe tranſtulit, aut ibi emit poſſeſſiones, & præſumitur immediatè habuiſſe animum illic domicilium conſtituendi; aut
non emit poſſeſſiones, ſed ſtat ſic in ſuſpenſo, & tunc dicam 55
tempus arbitrarium, prout concludunt Hoſt. Jo. Andr. &
Abb. *ubi ſupra*. Unde ſi talis declararet animum ſuum, id eſt, 56
ſe velle ibi domicilium habere, illicò ſine expectatione alterius temporis dicendus eſſet ibi domicilium contraxiſſe, per tex. in *l. Eius qui, la ſeconda, §. Celſus, ff. ad municip.*
ſecundum Abb. *in fin.* Ceſſantibus autem omnibus aliis in- 57
diciis, & præſumptionibus, ſimplex habitatio fortè non ſufficeret ad domicilii translationem, niſi tranſlato decennio. Et in hoc caſu ſalvari poteſt gloſſ. & Bar. *ſup. cit. n.* 42.

DE DECIMIS, PRIMITIIS, ET OBLATIONIBUS.

Alexander III. Brixien. Epiſcopo.

CAPUT XIII.

QUoniam à nobis ſollicitudo tua requirit, quid de decimis novalium tuæ diœceſis tibi ſit ſtatuendum: Reſpondemus, ut ſi terræ, quæ arrabiles ſunt, infra certam alicujus Eccleſiæ Parochiam fuerint, decimas earum (tua parte retenta) eidem Eccleſiæ facias aſſignari: alioquin ipſas ſecundum diſcretionem à Deo tibi datam, alii Eccleſiæ deputare, vel ad opus tuum poteris retinere.

SUMMARIUM.

1 *Decimæ novalium debentur Eccleſiæ, in cujus Parochia ſurgunt: ſi verò non ſunt in certa Parochia, Diœceſano debentur.*
2 *Decimæ prædiales debentur Eccleſiæ, in cujus Parochia ſita ſunt prædia; perſonales verò, ubi ſpiritualia recipiuntur.*
3 *Proventus ſpirituales noviter emergentes infrà limites Parochiæ non debentur Epiſcopo, ſed Parocho.*
4 *Oblationes, quæ fiunt imagini alicujus Sancti depictæ in pariete extra Parochialem Eccleſiam, cui debeantur.*
5 *Redditus ſpirituales debent dividi in quatuor partes, ſi ſpectent ad Eccleſias Matrices: ſecus ſi ad Capellas.*
6 *Ad decimas præſtandas Epiſcopus etiam non requiſitus poteſt ex officio compellere poſſeſſores terrarum.*
7 *Decimarum quartam Epiſcopus exigere poteſt immediatè à Parochianis, & n.* 27.
Contrarium, n. 14. *&* 17.
Diſtinguitur à n. 20. *uſque in fin.*
8 *In decimarum perceptione Epiſcopus, & Parochus ſunt quaſi portionarii, & n.* 16. *&* 29.
9 *Decimæ prædiales totius Epiſcopatus integrè ad Epiſcopum pertinent, ſi prædia decimatoria non ſint infrà limites alicujus Parochiæ, aut incertum ſit de cujus Parochia exiſtant, & nn. ſeqq.*
10 *Dictio*, Alioquin, *venit adverſativè ad præcedentia, & includit ex propria ſignificatione contrarium intellectum.*
11 *Decimæ prædiorum exiſtentium in altera ex duobus Parochiis ſunt dividendæ inter utramque Eccleſiam, ſi non apparet infrà cujus limites prædia ſunt ſita.*
12 *Inſula ſi in mari appareat, decimæ novalium cui Eccleſiæ debeantur.*
13 *Epiſcopus an pro ſua quarta decimarum agere poſſit immediatè contra Parochianos, an verò illam petere debeat à Parochis, & nn. ſeqq. uſque in fin.*
Quid ſi Parochi jam exegerint à Parochianis integras decimas, n. 12.
Et quid ſi nondum exegerint, ſed tamen non negligunt illas petere, n. 22.
Et quid ſi ſint negligentes, an tunc Epiſcopus agere poſſit nomine Eccleſiæ contra Parochianos pro integris decimis, n. 23. *& ſeqq.*
Et an jure proprio poſſit agere actione directa pro ſua quarta Canonica, n. 26.
Anve poſſit agere officio judicis nobili, n. 33.
15 *Intellectus cap. Conquerente, de offic. Ordinar. & nu.* 17. 21. *&* 32.
16 *Epiſcopus in prædiis decimatoriis habet jus reale, & coæquale cum Parochis, & n.* 29.
Quæ realitas, & coæqualitas tolli non poteſt per negligentiam, vel malitiam Parochorum non comparentium, n. 30.
18 *Doctorum opinio non habens contradicentiam, dicitur caſus legis.*
21 *Parochiani per ſolutionem decimarum factam Parocho conſequuntur liberationem, nec ſuper quarta poſſunt ab Epiſcopo moleſtari.*
24 *Decimæ qua ratione dicantur eſſe in poteſtate Epiſcopi.*
25 *Parochia duplex.*
28 *Actio oritur, quotieſcumq; lex mandat aliquid ſervari.*
31 *Actio ſimultanea Epiſcopi, & Parochi ſuper decimis admittitur.*
33 *Decimarum quarta debetur Epiſcopo propter conjunctionem, & curam univerſalem, quam habet in Eccleſiis ſibi ſubjectis.*
34 *Officium judicis nobile ſemper datur, ubi deficit actio ad conſequendum quod ſibi debetur, vel ad cogendum obligatos, qui actione directa non poſſunt adſtringi.*
Fundatur in æquitate, ibid. & n. 37.
35 *Conceditur ad inſtar actionis.*
36 *Et latè ſumpto vocabulo venit actionis appellatione.*

Quo-

1 QUoniam. Decimæ novalium debentur Eccleſiæ, in cujus Parochia ſurgunt: ſi verò non ſunt in certa Parochia, Diœceſano debentur. Hoc dicit. Communis diviſio, Conſultatio, & Reſponſio. Secunda, ibi, *Reſpondemus*, in qua diſtinguit, & ſecundum membrum perſequitur, ibi, *Alioquin*.

2 Nota 1. ibi, *Infra certam alicujus Eccleſiæ Parochiam*, decimas prædiales, ſeu reales deberi Eccleſiæ, in cujus Parochia ſita ſunt prædia: nam decimæ, & tributa debentur ratione prædiorum, & non perſonarum, *c. Si quis laicus, & c. Decimæ*, 16. *q.* 1. *l. Imperatores, ff. de public. & vectigal. & l. Forma cenſuali, § Si verò quis, ff. de cenſib.* licèt ſecus ſit in decimis perſonalibus, quæ debentur Eccleſiæ, ubi ſpiritualia recipiuntur, *c. Quæſti*, 16. *qu.* 1. Et ita hìc notant gl. ult. Hoſt. *n.* 2. Jo. Andr. *in fin.* Card. *n.* 2. & eſt communis opinio, ut teſtatur Butr. *itidem in fin.*

3 Secundò nota, ibi, *Decimas earum*, proventus ſpirituales noviter emergentes infra limites Parochiæ non pertinere ad Epiſcopum, ſed ad Parochialem Eccleſiam, ut hìc eſt caſus.
4 Unde infert Abb. *n.* 1. ut oblationes, quæ fiunt imagini alicujus Sancti depictæ in pariete extra Parochialem Eccleſiam, ſed in limitibus Parochiæ, debeantur ipſi Eccleſiæ, non autem Epiſcopo. Cæterùm an hæc illatio ſit vera, & in quibus caſibus vendicet ſibi locum plenè examino *in c. Paſtoralis, in qu. ſupra de his, quæ fiunt à Prælat.*

5 Tertiò nota ibi, *Eidem Eccleſiæ*, decimas novalium, quæ ſurgunt in Parochia, acquiri pleno jure Eccleſiæ Parochiali: jura enim quæ diſponunt, ut de redditibus Eccleſiarum fieri debeant quatuor partes, videlicet, *cap. Quatuor, cum c. præceden. & ſeq.* 12. *q.* 2. loquuntur de Matricibus. At in Capellis, ſeu Parochialibus, ſalva portione Epiſcopi omnes ſunt Rectoris, ut hìc, *& in c. Cùm contingat, infra eod. & cap. Plerique, ſupra de pact. & in d. c. Paſtoralis*, & declarant hìc Hoſt. *circa fin. verſ. Non etiam*, & Joan. Andr. *n.* 1. *in verb. Facias*, Butr. *n.* 4. Card. *n.* 1. *in* 1. *oppoſit.* & Anchar. *n.* 3.

6 Quartò nota ibi, *Facias aſſignari*, ad officium Epiſcopi pertinere Parochianos compellere ad ſolutionem decimarum, & ita verum eſt, quod ait Card. poſt Laud. & alios in Clem. *Diſpendioſam*, *n.* 28. *de judic.* nempè judicem etiam non requiſitum poſſe ex officio cogere poſſeſſores terrarum ad præſtandas decimas, ſi ei conſtet hujuſmodi terras eſſe infra limites Parochiæ. Quod dictum ſequitur Rota *dec.* 357. *n.* 6 *par.* 5. *rec.*

7 Quintò nota ibi, *Tua parte retenta*, Epiſcopum poſſe ſuam quartam decimarum exigere immediatè à Parochianis, quod ſatis probatur hìc: non enim poſſet ſuam partem ſibi retinere, niſi illam priùs percepiſſet. Percipere autem non potuiſſet ab Eccleſia, quia decimæ nondum fuerant eidem Eccleſiæ aſſignatæ, ut patet ex littera ibi, *Facias aſſignari*. Supereſt igitur ex neceſſitate, ut quotam ſuam à Parochianis exegerit. Quod eſt contra opinionem Rotæ, exiſtimantis Epiſcopum agere non poſſe pro ſua quarta Canonica directè adverſus laicos, ſed tantummodò contra Eccleſias, ſeu illarum Rectores, ut fuſiùs dicam *infrà num.* 27.

8 Sextò nota, Diœceſanum, & Parochum eſſe quaſi portionarios in perceptione decimarum, prout eos appellant Hoſt. *n.* 2. & Jo. Andr. *n.* 3. Uterque enim fundat intentionem ſuam de jure communi in illarum perceptione; Epiſcopus quidem in ſua portione Canonica, ut patet ex littera ibi, *Sua parte retenta*; Parochus verò in reliquis decimis, ut patet ibi, *Decimas earum*; & eſt receptiſſima Canoniſtarum ſententia, ut ſcripſi *in cap. Cùm contingat, num.* 21. *&* 23. *infrà eod.*

9 Ultimò nota ibi, *Alioquin*, decimas prædiales totius Epiſcopatus integrè ad Epiſcopum pertinere, ſi prędia decimatoria non ſint infra limites alicujus Parochiæ, aut incertum ſit, de cujus Parochia exiſtant, ut hìc probatur evidenter,
10 ponderando dictionem, *Alioquin*, quæ cùm veniat adverſativè ad præcedentia, includit ex proprio ſignificatu contrarium intellectum, ſecundum Abb. *n.* 4. *verſ. Sed quæro*: & non tantùm orationem conditionalem facit, ſed in ſeipſa orationem continet, & inducit conditionem contrariam, ut notat Bart. *in l.* 1. *n.* 11. *ff. de condit. & demonſtr.* unde cùm textus priùs dixerit, ſi terræ arrabiles ſint infrà certam alicujus Eccleſiæ Parochiam, decimæ debentur eidem Eccleſiæ dum poſteà ſubjungit, alioquin debentur Epiſcopo; perinde eſt, ac ſi dixiſſet, ſi terræ hujuſmodi non ſint alicujus Parochiæ, ſecundùm Innoc. Petr. de Sampſon. Abb. Antiq. & Ægid. vel incertum ſit, de cujus ſint Parochiâ, eo quòd limites non ſint certi, ſecundùm Hoſt. *num.* 2. Joan. Andr. *eod. n.* Card. *n.* 1. & Abb. *d. n.* 4. *verſ. Sed quæro*.

Addit Jo. Andr. quòd ſi conſtet terras exiſtere in altera 11
ex duabus Parochiis, ſed ignoretur intra cujus limites, eo quòd limites appareant tantummodò in locis propinquis, non autem in loco ubi ſita ſunt prædia, hoc caſu fieri debet diviſio decimarum inter utramque Eccleſiam, allegat, *cap. Cùm quis*, §. 1. *de ſepultur. lib.* 6. & cum eo tranſeunt Card. *num.* 5. Anchar. *num.* 4. & Abb. *num.* 5. quod nota ad limitationem hujus textus. Si verò inſula in mari appareat, & ibi ſurgant novalia, ſecundùm gloſſ. 1. conſiderabitur 12
cui Provinciæ inſula adhæreat, ut illius Provinciæ ſit, & ibi præſtentur decimæ, ut *l. Inſulæ, ff. de jud.* & cum gloſ. tranſeunt Butr. *num.* 8. & Card. *num.* 4. Sed pleniùs ſecundùm Hoſt. *in princ.* conſiderabitur Provincia, diœceſis, parochia, & ripæ, cui proximiùs inſula accedit, ut *l. Inter eos, l. Ergo, l. Inſula, ff. de acquir. rer. dom.* ut illius Provinciæ, diœceſis, & parochiæ inſula eſſe intelligatur, *d. l. Inſulæ, & l. Notionem*, §. *Continentes, ff. de verb. ſignif.* Ideſt ſi inſula emergat infra duas Provincias, decimæ dabuntur Parochiali viciniori illius Provinciæ, cui proximiùs inſula accedit. Si verò emergat infra duas diœceſes, præſtabuntur decimæ Parochiali viciniori illius diœceſis, cui ſimiliter proximiùs adhæret inſula, etiam ſi Parochialis ex alia parte inſulæ eſſet proximior, quia abſurdum eſſet, ut decimę novalium illius diœceſis, cujus eſt inſula, ſolverentur Parochiali alterius diœceſis. Quòd ſi inſula appareat infra limites unius diœceſis, erunt perſolvendæ Parochiali, cui inſula proximior eſt; & hanc puto fuiſſe mentem Hoſt. notabilem, & veram. Dubium tamen remanet, an in ſupraſcriptis caſibus ſpectanda ſit propinquitas diœceſis, vel Parochiæ; an verò Eccleſiæ Cathedralis, vel Parochialis. Gloſſ. cum Card. non meminit niſi Provinciæ, Hoſt. conſiderat Provinciam, Diœceſim, Parochiam, & ripas nulla facta mentione Eccleſiæ, Butr. meminit Eccleſiæ tantùm. Vide tu quod ſcripſi in *c. Nullus*, *n.* 23. 24. *&* 25. *ſupra de Paroch.*

QUÆRO, an Epiſcopus pro ſua quarta decimarum age- 13
re poſſit immediatè contra Parochianos, an verò illam petere debeat à Rectoribus Parochialium Eccleſiarum.

Hæc eſt quæſtio quotidiana, & difficilis, in qua Rota ip- 14
ſa variavit. Nam in cauſa Novarien. decimarum 15. Aprilis 1611. coram Gregor. XV. *dec.* 519. *n.* 1. *&* 2. reſolvit Epiſcopo Novarien. non deberi quartam decimarum ab hominibus cujuſdam pagi; quia etſi de jure communi habeat intentionem fundatam ſuper dicta quarta, tamen hoc intelligitur contra Eccleſias percipientes decimas, ut ſcilicet ab eis quartam partem decimarum exactarum poſſit exigere, & non immediatè à Parochianis, allegat Abb. Antiq. *in c. Conquerente, n.* 5. *verſ. In gloſſ. Sed videtur, de offic. Ordin.* ubi ait illam decretalem non decidere, ut Epiſcopus habeat jus percipiendi decimas, ſed ut decimis ab Eccleſia perceptis Epiſcopo detur quarta: & cum eo conſentiunt ibi Bellam. *circa fin.* & Abb. Sicul. *n.* 2. *propè fin. verſ. Duodecimò, habet quartam*, ad quod Rota inducit *d. c. Conquerente*,
ubi Pontifex poſtquam mentionem fecit de quarta decima- 15
tionum, & aliis juribus, quæ ab Eccleſiis debentur Epiſcopo, immediatè ſubjungit: Tu autem his juribus in præfatis Eccleſiis contentus exiſtens non ampliùs ab eis exigas: quæ verba clarè inſinuant Epiſcopum debere ſuam quartam exigere ab Eccleſiis, non autem à perſonis laicis, quæ de jure illas tenentur ſolvere Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, ut *in c. Cùm contingat, infra eod.* & in Clemen. *unic. eod tit.* Eamdem concluſionem firmavit apud Card. Seraph *dec.* 1449. *n.* 5 *&* 6.

Sed die 7. Maji 1627. in eadem cauſa Novarien. coram 16
Pirovano contrariam ſententiam probavit, videlicet Epiſcopum habere intentionem fundatam pro ſua quarta decimarum etiam contra Parochianos, & habere in prædiis decimatoriis jus reale, & coæquale cum Rectoribus Parochialium, & eſſe quaſi inter ſe portionarios, prout etiam firmatum fuit in deciſionibus, quæ referuntur *deciſ.* 442. 485. *&* 520. *par.* 1. *recent.* Verùm poſteà 17. Decemb 1627.
cauſa iterùm propoſita receſſit à deciſis, cenſuitque Epi- 17
ſcopum non habere fundatam intentionem in quarta decimarum contra laicos, *ut dec.* 122. *nu.* 7. *p.* 5. *rec.* Moti fuerunt Domini primò per text. *in d. c. Conquerente*, ubi actio

pro quarta decimarum non dirigitur contra laicum, ſed contra Eccleſiam, inducendo illum prout ponderatus fuit in dec. Gregorii, *ſupra n.* 15. Deinde moti fuerunt per *cap. De quarta, de præſcript.* ubi admittitur, ut Parochus poſſit præſcribere quartam decimationum, quæ ſi à laicis per Epiſcopum exigenda eſſet, utique Rectori non daretur præſcriptio ob defectum poſſeſſionis, ſine qua præſcriptio non procedit, gloſſ. *in l. Malè agitur*, & ibi Bald. *n.6.C.de*
28 *præſcript. cum aliis in dec. allegatis*. Ac demum, quia opinio Abbatis Antiqui, & aliorum de quibus in deciſ. Greg. XV. cùm non habeat contradicentem, dicitur caſus legis, ita ut ab ea non ſit recedendum, Jaſ. *in l. pen. num.*21. *C. de pact.* Becc. *conſ.*23.*n.*6. Surd. *dec.*329.*n.*36. Eamdem ſententiam probavit Paul. de Caſtro *in conſ.* 38. *incip. Dico tibi*,
29 *lib.*1. ubi ex facto reſpondit Epiſcopum ſuper quarta decimarum non habere jus immediatum contra laicos, ſed tantummodo contra Eccleſiam, *alleg.*10.*q.*3. *per tot.* & ideò perempto jure Eccleſiæ per illius deſtructionem, fuiſſe etiam extinctum jus, quod adverſus eam Epiſcopo competebat ſuper dicta quarta, ut ibi fuſiùs per eum.

30 Quid dicendum? Pro clariori quæſtionis ſolutione mihi videntur diſtinguendi caſus infraſcripti.

31 Primus caſus eſt, cùm Rector Parochialis jam exegit à laicis debitoribus integras decimas, & tunc cùm laici per hujuſmodi ſolutionem jam conſequuti ſint liberationem, extra dubium eſt Epiſcopum non poſſe ab eis ſuam quotam petere vel exigere, ne contra bonam fidem bis idem ſolvere compellantur, *cap. Bona fides*, *de reg. jur. lib.* 6. *& l. Bona fides*, *ff. eod.* ſed debere tantummodò actionem dirigere, & experiri contra Eccleſiam, ſeu illius Rectorem, ad præſcriptum *d. cap. Conquerente, de offic. Ordin.* in quo caſu propriè loquitur ille textus, & Abb. Antiq. cum aliis in deciſ. Gregorii allegatis. Quam concluſionem ut indubitatam firmavit eademmet Rota *dec.*375.*nu.*4. *&* 7. *par.*5. *recent.* & in hoc caſu etiam intelligi poteſt textus *in cap. De quarta, de præſcript. in eadem dec. inductus*. Nam Rector Eccleſiæ quando jam exegit à laicis integras decimas, utique poſſidet etiam quartam Epiſcopo debitam: meritò poteſt illam præſcribere, & in hoc primo caſu nulla eſt diſcrepantia.

32 Secundus caſus eſt, cùm Rector Eccleſiæ nondum exegit decimas, ſed tamen non eſt negligens in illis exigendis, & tunc arbitror tenendam eſſe opinionem Rotæ, videlicet Epiſcopo nullum jus competere contra laicos pro ſuas quarta decimationum, ſed tantummodo contra Eccleſiam, poſteaquam illius Rector integras decimas ab eis fuerit conſequutus, per rationes ut ſupra in deciſionibus adductas *num.* 14. *&* 17.

33 Tertius caſus eſt, cùm Parochus aut negligit, aut non vult, aut non poteſt contra laicos agere, & tunc puto ſubdiſtinguendum: Aut Epiſcopus intendit agere contra eos pro integris decimis nomine Eccleſiæ Parochialis, aut nomine proprio pro ſua quarta Canonica. In primo membro
34 ſequor opinionem Hoſt. *in c. Cum contingat*, *n.* 1. *ad fin. infra eod.* cujus hæc ſunt verba: Quinimò & Epiſcopus fundat intentionem ſuam de jure communi in totum quoad petitionem nomine Parochialis Eccleſiæ ſuæ diœceſis faciendam, *c. fin. de ſucceſſ. ab inteſt.* Unde & dicitur; quòd decimæ in poteſtate Epiſcopi ſunt, ſcilicet quantum ad petitionem, tuitionem, & ordinationem, *c. in ſacris*, 16.*q.*1. *& c. Omnes decimæ*, *& cap. Nullus*, *quæſt.* 7. quia omnia generaliter habet regere, *cap.* 1. 2. *per tot.* 10. *quæſt. cap. Præcipimus*, *& cap. Eccleſiaſticarum*, 12. *quæſt.* 1. *c. De Xe-*
35 *nodochiis*, *infra de relig. dom.* Sed & duplex eſt Parochia, particularis ſcilicet, ſive ſingularis, ſicut eſt quælibet Capella Parochialis. Item Collectiva, ſcilicet tota diœceſis, quæ & dicitur Parochia Epiſcopi, *cap. Ad Apoſtolicæ*, *ſupra eod.* Dum ergo hæc Decretalis dicit, perceptionem decimarum de jure communi ad Parochiales Eccleſias pertinere Epiſcopum non excludit, imò includit, *cap. Scire*, 7. *q.* 1. Ita Hoſtien. quem hìc ſequitur Joan. Andr. *num.* 1. *in verb. Parochiales*. Subdit tamen Hoſt. ſalva portione ſua nihil debere Epiſcopum imburſare, ſed in utilitatem Eccleſiæ totum convertere, ſecundùm ea, quæ leguntur, & notantur *in c. Cùm vos*, *ſupra de off. Ordin.* Hanc doctrinam Hoſt. ego intelligo veram in hoc tertio caſu, Parocho ſcilicet negligente, vel nolente, aut non valente agere, prout eam intellexit, & probavit Rota *in præalleg. dec.*64.*nu.*6. *par.*5. *rec.* ubi firmavit Epiſcopum poſſe agere contra laicos pro omnibus decimis, non quidem jure proprio, ſed nomine Eccleſiæ Parochialis cui tenetur illas conſervare, & hoc ſi Parochus non ſit in cauſa, aut negligat exigere decimas. Quod etiam prius admiſit Rota in Carinen. decimarum, 13. Martii 1587. coram Orano. Neque hanc concluſionem retractavit in poſterioribus deciſionibus ſupracitatis *n.* 17. quia in eis Epiſcopus non agebat nomine Eccleſiæ, ſed jure proprio.

In ſecundo autem membro, id eſt, cùm Epiſcopus inten- 26
dit agere proprio nomine contra Parochianos pro ſua quarta Canonica, duo ſunt inſpicienda. Primum eſt, an poſ- 27
ſit agere actione directa. Secundùm, quatenus non poſſit, an ſaltem ei competat officium judicis nobile. Circa primam inſpectionem, ut vides, Rota fuit varia; aliquando enim cenſuit Epiſcopum poſſe agere directè, & immediatè contra Parochianos: aliquando reſolvit contrarium, & in hoc tamdem perſtitit, ut patet ex deciſionibus ſupracitatis, *à n.*14. Prima tamen opinio in puncto juris videtur verior, pro qua pondero iſtum text. judicio meo ſatis clarum, ut etiam tetigi *ſupra in* 5. *not.* nam hic Pontifex reſcribit Epiſcopo in hæc verba; *Si terræ arabiles infra certam alicujus Eccleſiæ Parochiam fuerint, decimas earum tua parte retenta eidem Eccleſiæ facias aſſignari*, quę verba apertè oſtēdunt Epiſcopum poſſe ſuam partem exigere immediatè ab ipſiſmet Parochianis; etenim ante aſſignationem decimarum textus dat ei facultatem ſibi retinendi ſuam portionem: & ſic non potuit illam exigere ab Eccleſia, cui non- 28
dum facta erat decimarum aſſignatio, unde neceſſe eſt ut à Parochianis potuerit eam exigere, & ſic exactam ſibi retinere: & hoc per viam actionis, quia ubicumquè lex mandat aliquid, inde oritur actio, ut *l. Statuas*, *ff. de acquir. rer. domin.* & declarant *in c.* 1. *ſupra de pact.* Butr. *num.* 1. & Abb. *num.* 5. & proptereà cùm *d. c.* 1. jubeat pacta ſervari, quamvis de actione nihil determinet; tamen propter illa verba ex pacto nudo de jure Canonico oriri actionem inferunt ibi gloſſ. Hoſt. Jo. Andr. Collectar. & communiter Canoniſtæ, ut ibi dixi in 4. *not.* Ergo eodem modo cùm textus hìc mandet Epiſcopo, ut faciat aſſignari Eccleſiæ decimas, priùs tamen ſibi retenta portione ſua: hinc ſatis deducitur eum poſſe ſuam quotam petere immediatè à Parochianis etiam per viam actionis; quod nota, quia Doctores, & Rota hunc textum ad hoc non ponderant. Neque obſtat, quòd Parochus fundet intentionem de jure communi ſu- 29
per decimis prædialibus Parochiæ ſuæ, ut eſt textus *in cap. Cùm contingat*, & ibi gloſſ. 2. Hoſt. & Joan. Andr. & Doctores notant, *& in c. Cùm in tua*, *infra eodem*; nam reſpondetur Epiſcopum quoque de jure communi fundare intentionem ſuper quarta decimarum ut hìc, *& in c. Dudum*, ibi, Intentione tua de jure fundata petiſti, *infra eod.* & eſt communis ſententia Canoniſtarum ferè omnium, quam paſſim ſervat Rota, ut ſcripſi plenè in d. decretali, *Cùm contingat n.* 23. & ſic Epiſcopus habet jus reale, & coæquale cum Parocho, & ſunt quaſi portionarii, ut dicunt hìc Hoſt. *n.* 2. & Joan. Andr. *num.* 3. & tetigi *ſupra in* 6. *notab.* Hæc autem realitas, & coæqualitas tolli non poteſt per ne- 30
gligentiam, aut malitiam Rectorum non comparentium, cùm habeat fundamentum in proprio jure immediato, non autem mediato, ex Perſona Parochi, ut per Rotam *in præcitata dec.* 64. *num.*8. *&* 9. *par.* 5. *recent.* & conſequenter poterit Epiſcopus ſuam quartam Canonicam directè pete- 31
re à Parochianis, ſicut poteſt Parochus reliquas decimas, ut per Hoſt. *in d. cap. Cùm contingat*, *num.* 1. *verſ. Unde*, & Joan. Andr. *n.*4. Neque enim una diſpoſitio aliam deſtruit, ſed invicem compatiuntur; & hanc ſimultaneam actionem admiſit Rota *d. dec.* 64. *n.* 10. & in Cervien. decim. 22. Aprilis 1602. coram Penia.

Rurſus non obſtat authoritas Abb. Antiqui *in cap. Con-* 32
querente, *nu.* 5. *de Offic. ordin.* dicentis illud cap. non decidere, ut Epiſcopus habeat jus percipiendi decimas, ſed ut de decimis ab Eccleſia perceptis Epiſcopo detur quarta. Quoniam reſpondeo hanc doctrinam obtinere in duobus caſibus. Primus eſt, cùm Rector Eccleſiæ jam exegit integras decimas; tunc enim Epiſcopo non competit jus petendi ſuam quotam à laicis, qui liberationem ſunt conſequuti, ſed ab ipſa Eccleſia dumtaxat, ut dixi ſupra *in* 1. *caſu*, *n.*21. Secundus eſt, cùm Rector non eſt negligens in decimis exigendis: nam & hoc caſu admitti poteſt Epiſcopum non habere actionem contra laicos, ſed tantummodò contra Eccleſiam pro ſua quarta Canonica, poſteaquam decimæ ab

ipſa

ipſa Eccleſia perceptæ fuerint, ut ſimiliter dixi ſupra in ſe-
cundo caſu *n.* 22. At ſecus eſt ubi Parochus negligit, aut
renuit decimas petere; quia tunc Epiſcopus poteſt jus
ſuum proſequi, & actionem dirigere etiam contra laicos.
Quod admittitur à Rota *in d. dec* 64. *n.* 11. & in Paſſavien.
decimarum 18. Martii 1591. coram Gipſio, & hoc puto
verius. In practica tamen, & maximè in Curia fortè præva-
leret contraria opinio, in qua tandem reſedit Rota in po-
ſterioribus deciſionibus.

33 Circa ſecundam inſpectionem, videlicet, an Parocho
negligente, aut renuente decimas exigere, poſſit Epiſcopus
pro ſua quarta Canonica agere contra laicos ſaltem officio
judicis nobili, videtur affirmativè reſolvendum: nam cùm
extra controverſiam ſit quartam decimationum Epiſcopo
eſſe de jure debitam, ut ſæpiùs repetitum eſt; idque propter
conjunctionem, & curam univerſalem, quam habet in Ec-
cleſiis ſibi ſubjectis, ut poſt Hoſt. & alios notat Butr. *in d.
c. Cùm contingat, n.* 9. *verſ. Item quia decimis infr. eod.* &
Innoc. *in c. Requiſiſti. n.* 3. *ſupra de teſtam.* quatenùs eam
conſequi non poſſit actione directa; non tamen debet eſſe
34 deſtitutus aliis remediis. Unde ſubveniendum eſt illi offi-
cio Judicis nobili, quod ſemper datur ex æquitate, ubi de-
ficit actio ad conſequendum, quod ſibi debetur, vel ad
compellendum aliquem ad implendum id ad quod actione
non poteſt adſtringi, ut *c.* 2. *ſuprà de offic. jud. l. Quintus*, &
ibi Bart. *n.* 1. *ff. de ann. legat.* Bald. *in l. Cùm mulier n.* 32. *ff.
ſol. matr.* Oſaſch. *dec.* 40. *n.* 7. Rota coram Greg. XV *dec.*
503. *n.* 4. & ſolet concedi ad inſtar actionis, ut notat Bart. 35
in l. 1. *n.* 10. *ff. de juriſd. omn. jud.* quem ſequitur *in d. c.* Jo.
de Imol. *n.* 4. Abb. *n.* 2. & Fel. *n.* 4. ubi aſſerunt Judicis offi- 36
cium, quamvis idem non ſit, quod actio, tamen in latio-
ri ſignificatione poſſe actionem appellari, per text. *in l.
Actionis verbum, in verb. Inſtar. ff. de act. & oblig. in leg.
Quod ſi minor*, §. *fin. ff. de minor. & in d. c.* 2. Quamobrem
cùm Parochiæ incolæ, &c. cogi poſſint à Rectoribus Ec-
cleſiarum ad ſolvendas decimas, Rectoreſque teneantur
de exactis quartam præſtare Epiſcopo, debet utique
intrare Judicis officium nobile ad compellendum obli-
gatos ad præſtationem decimarum, ut Epiſcopus quotam
ſuam conſequi poſſit Rectoribus agere negligentibus, vel
non valentibus, vel nolentibus, eo quòd non ſit in cauſa,
ne per illorum malitiam, vel deſidiam jus ſuum amittat.

Quod ſanè æquitatem reſpicit, in qua fundatur Judicis of- 37
ficium nobile, *l. Si me, & Titium, ff. ſi cert. pet.* & tradunt
Soc. Jun. *conſ.* 52. *n.* 3. *lib.* 2. Natta *conſ.* 534. *n.* 6. Rol. *conſ.* 1. *n.*
55. *vol.* 1. ne alioquin decimarum debitores locupletentur
cum jactura Epiſcopi ob carentiam directæ actionis, ut per
Imol. *in c. Licèt cauſam, n.* 23. *ſupr. de prob.* Fel. *in c. Ex par-
te, il* 2. *n.* 18. *de off. deleg.* Barbat. *conſ.* 36. *in fin. lib.* 1. Facit
quod dixi ſupra *in* 4. *not.* & ita in propriis terminis reſolvit
Rot. in ead. cauſa Novar. decimar. 5. Decemb. 1629. & ite-
rùm 11. Maji 1630. ut *in dec.* 327. *n.* 1. *& dec.* 357. *n.* 5. *p.* 5. *rec.*

DE DECIMIS.

Innocentius III.

CAPUT XXIX.

CUm contingat interdum in tua Diœceſi: & infrà. Cùm in quibuſdam Parochiis, ad quaſdam Eccleſias, vel perſonas Eccleſiaſticas, ab antiquo pertineat perceptio decimarum, & de novo fiant novalia in eiſdem, quæris à nobis, ad quem hujuſmodi novalium decima incipiat pertinere? Unde inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quòd cùm perceptio decimarum ad Parochiales Eccleſias de jure communi pertineat, decimæ novalium quæ fiunt in Parochiis earumdem, ad ipſas proculdubio pertinere noſcuntur: niſi ab his qui alias percipiunt decimas, rationabilis cauſa oſtendatur, per quam appareat novalium ad eos decimas pertinere.

SUMMARIUM.

1 *DEcimas qui præſcribit in aliena Parochia, ſi ibi inſurgunt novalia, ipſorom decimas non habebit.*

2 *Decimas præſcribere poteſt una Eccleſia in Parochia alterius Eccleſiæ.*

3 *Requiritur tamen quadragenaria cum titulo, vel immemorabilis.*

4 *Decimas an poſſit Clericus præſcribere non intuitu Eccleſiæ.*

5 *Decimarum perceptio in aliena parochia non extenditur novalia, ſi competat ex præſcriptione, vel conſuetudine: ſecus ſi ex privilegio, & quæ ſit ratio differentiæ, & num. ſeqq. uſque ad numer.* 11.

6 *Decimas petens ex præſcriptione, de ſingulis prædiis probare debet.*

7 *Præſcriptio eſt odioſa, & reſtringenda.*

8 *Privilegium ſuper decimis an ſit latè, vel ſtrictè interpretandum.*

9 *Decimarum conceſſio includit etiam futuras.*

10 *Conſuetudo quamvis ſit favorabilis, tamen non extenditur in materia multum præjudiciali.*

11 *Decimandi jus, an, & quando extendatur de ſpecie ad ſpeciem, & numer. ſeqq. uſque ad numer.* 16.

12 *Intellectus c. Cùm in tua, infrà eod.*

13 *Quaſi poſſeſſio decimandi fructus unius fundi, ex quo ſolum frumentum colligebatur, extenditur etiam ad milium.*

14 *Decimas percipiens ex paſcuis, piſcariis, aut nemoribus obtinere debet etiam de novalibus, quæ ibi inſurgunt.*

15 *Idem ſi percipiat decimas ex agro pro parte culto, qui poſteà pro alia parte factus eſt novalis.*

Præſcriptio partis indiviſibilis ad totum extenditur, ibidem.

16 *In decimis percipiendis quis fundet intentionem de jure, communi, & num. ſeqq. uſq. in fin.*

17 *Quid ſi Epiſcopus concurrat cum Eccleſia Baptiſmali, vel Parochiali, & numer. ſeqq. uſque ad num.* 31.

Et quid ſi Baptiſmalis cum Parochiali concurrat, nu. 31. *& ſeqq. uſque in fin.*

18 *Conſuetudo plurium valet in transferendo ius decimarum de una ad aliam Eccleſiam, & numero* 36.

19 *Super decimis tranſactio, ſeu compoſitio fieri poteſt inter Eccleſiaſticas perſonas ſine beneplacito Apoſtolico, & afficit etiam ſucceſſores.*

20 *Decimæ perſonales pertinent ad Eccleſiam ubi quis audit Divina, & percipit Sacramenta, & numer.* 32. *&* 56.

21 *Parochialis Eccleſia de jure communi fundat intentionem ſuper decimis prædialibus ex fructibus, qui colliguntur infra limites Parochiæ ſuæ.*

22 *Sive Parochialis ſit etiam Baptiſmalis, ſive non.*

23 *Epiſcopus fundatam habet intentionem de jure communi ſuper quarta decimarum ſui Epiſcopatus.*

24 *Sive concurrat cum Eccleſia Baptiſmali, ſive cum Parochiali.*

25 *Epiſcopus an fundet intentionem quoad petitionem decimarum in totum faciendam nomine parochialium Eccleſiarum, anve pro ſua quarta decima-*

rum

rum agere poſſit immediatè contra Parochianos, remiſſivè, & nu. ſeqq.

27 *Cathedralis Eccleſia, ſi habet limitatam Parochiam fundat intentionem in perceptione decimarum in totum infra ſuos limites.*

28 *Id m ſi decimæ non ſint in Parochia alicuis Eccleſiæ.*

29 *Idemque ſi Parochiæ non ſint diſtinctæ aut in diæceſi non ſit alia Parochia, quàm Cathedralis, & num. ſeqq.*

31 *Decimæ in Parochia noviter erecta de jure communi an ſpectent ad Eccleſiam matricem, an verò ad novam Parochialem, & n. ſeqq. uſq. ad n. 43.*

Et quid poſt Conc. Trid. n. 43. uſq. ad n. 52.

Et quid in decimis perſonalibus, n. 52.

33 *Decimæ de jure communi non ſunt Plebibus ſubtrahendæ ut dentur Capellis, & n. 42.*

34 *Baptiſmalis Eccleſia eſt Parochialis totius Plebanatus ratione adminiſtrationis Baptiſmi.*

35 *Et dicitur etiam Matrix, & cur.*

37 *Parochiali noviter erectæ an poſsit Epiſcopus aſsignare campos, vel alia bona ad Eccleſiam Matricem pertinentia.*

38 *Epiſcopus ordinator non eſt ſolum ſpiritualium, ſed etiam temporalium ad Eccleſiam pertinentium.*

40 *Eccleſia eo ipſo, quod habet limitatam Parochiam, de jure communi debentur illi redditus ſpirituales provenientes ex prædiis intra Parochiam incluſis.*

41 *Oblationum, & obventionum appellatione veniunt etiam decimæ.*

43 *Concilium Trid. de portione aſsignanda Sacerdotibus, qui Parochialibus noviter erectis erunt præficiendi, expenditur, & n. ſeqq. uſq. ad n. 52.*

44 *Decimæ, vel alia corpora reddituum Matricis Eccleſiæ ab Epiſcopo aſsignari poſſunt Rectori Parochialis noviter erectæ, & n. ſeq.*

45 *Fructuum appellatione veniunt decimæ, & quicquid ex fundo naſcitur, & renaſcitur, & n. ſeq.*

47 *Dos Eccleſiæ non poteſt conſtitui ad tempus.*

48 *Fructuum aſsignatio facta Eccleſiæ in perpetuum dat utile dominium.*

49 Aſſignetur, *eſt verbum facti requirens hominis miniſterium.*

50 *Factum hominis, an, & qualiter concurrat cum miniſterio juris, & n. ſeq.*

51 *Arbitriũ non intrat in his, quæ ſunt determinata à jure.*

52 *Decimæ perſonales tranſeunt in Parochialem noviter erectam etiam ante ulllam Epiſcopi aſſignationem, & n. ſeqq.*

53 *Decimæ perſonales non debentur primæ Parochiali, ſi quis mutaverit domicilium, ſed ſecundæ.*

54 *Parochianus quis dicitur illius Parochiæ, in qua inhabitat.*

55 *Decimæ perſonales cui Eccleſiæ debeantur, ſi quis perceperit Sacramentum Baptiſmi in Eccleſia Matrice, & reliqua Sacramenta in Parochiali.*

56 *Decimæ perſonales ſunt dividendæ inter plures Eccleſias pro rata temporis. quo Parochiani in eis audiunt divina, & recipiunt Sacramenta.*

57 *Matrici Eccleſiæ non poteſt Epiſcopus in vim Concilii Trid. aliquam portionem detrahere, eamque aſſignare Parochiali, in qua poſuit baptiſma.*

58 *Baptiſmalis Eccleſia non eſt Parochialis.*

59 *Baptiſmali fons an eſſe debeat in omnibus Parochialibus.*

1 C*Um contingat*. Qui præſcribit decimas in aliena Parochia, ſi ibi inſurgunt novalia, ipſorum decimas nòn habebit. Hoc dicit, & eſt text. valdè utilis in materia. Dividitur in duas partes. In prima ponitur quæſtio; in ſecunda queſtionis ſolutio, ibi: *Unde inquiſitioni*.

2 Nota primò ibi, *Ad quaſdam Eccleſias*, unam Eccleſiam poſſe præſcribere decimas in Parochia alterius Eccleſiæ, concordat *c. de quarta, c. Veniens, & c. Ad aures, ſuprà de præſcript. & c. 2. De decimis, lib. 6.* & tenet Specul. *in tit. de præſcr. n. 9. verſ. Item licet laicus*, Balb. *in tract. de præſcrip. in 1. p. 5. par. princip. q. 7. n. 13. verſ. Secunda quæſtio* Rota *dec. 14. Fuit dubitatum, num. 2 verſ. Sed conſtat, de judic. in noviſ.* Hæc enim præſcriptio juri Divino non adverſatur, quia nihil refert, an potiùs hæc, vel illa Eccleſia decimas habeat, *c. Cùm Apoſtolica, ſupra de his quæ fiunt à Præl.* ſecundùm Abb. *hic in 2. not.* Requiritur ta- 3
men, vel quadragenaria cum titulo, vel ſpatium tanti temporis, ut de contrario non extet memoria Text. eſt *in c. 1. de præſcrip. lib. 6.* ubi gloſſ. & DD. not. & ex facto reſpondit Card. *conſ. 88.* incip. *Capitulum Civitaten. n. 1. & ſeqq.* plenè Balb. *loc. cit.* & Covarr. *lib. 1. var. reſ. c. 17. n. 7.* & reſolvit Rota coram Card. Seraph. *dec. 802. n. 1. & dec. 1404. n. 3.* & coram Card. Ubaldo *dec. 203. p. 5. rec.*

Secundò nota, Clericum poſſe decimas preſcribere etiam 4
non intuitu Eccleſiæ, ut probat hec litera ibi, *Ad quaſdam Eccleſias, vel Eccleſiaſticas perſonas*, tum ponderando particulam disjunctivam, *Vel*, tum quia ſi hic ageretur de præſcriptione nomine Eccleſiæ, ſupervacua eſſet adjectio illa, *Vel Eccleſiaſticas perſon.* Quamvis ergo laici decimas præſcribere non poſſint, quia nequeunt illas poſſidere, ut *cap. Cauſam, de præſc. c. Sacroſancta, & c. Maſſana de elect.* Clerici tamen poſſunt, ut per Card. *d. conſ. 88. n. 3.* & Covar. *loc. cit.* licèt Abb. *hoc in 2. not.* videatur intelligere hoc c. de Clerico, qui preſcripſit intuitu Eccleſie, & pro eo facit optimè, quod ſcripſi *in c. Cùm contingat, n. 16. & 17. ſup. de for. comp.*

Tertiò nota ibi, *Rationabilis cauſa oſtendatur*, juncta ex- 5
poſitione ultime gloſ. in materia extenſionis differentiam eſſe inter preſcriptionem, & privilegium: nam ſi aliqua Eccleſia acquiſierit perceptionem decimarum in aliena Parochia ex preſcriptione, hec perceptio non extenditur ad novalia, ut hic eſt caſus ſecundum Jo. Andr. Butr. Card. &
omnes. Quo fit, ut ſi Eccleſia petat decimas, quas preſcripſit 6
in aliena Parochia, probare hoc debeat de ſingulis prædiis, ut per Innoc. *in fin.* & Jo. And. *n. 5.* alioquin ſi de aliquo non probaverit, de predio illo non adjudicabitur ſibi decima, arg. hujus c. & *c. Ex litteris, ſupr. de prob. & c. Auditis, & c. Cùm olim, §. fin. de præſcr.* licèt ſecus ſit, cùm Parochus petit ſe manuteneri in quaſi poſſeſſione percipiendi decimas ex aliquo predio infra limites Parochie ſue: tunc enim non ſufficit probatio generalis quaſi poſſeſſionis decimandi, quia attenditur magis cauſa poſſeſſionis, quàm exercitium, Seraph. poſt alios *dec. 1047. n. 1. & 2. & dec. 1295. n. 6.* At verò privilegium de percipiendis decimis includit etiam novalia, ut *c. Tua, & c. ex parte, il 1. ſupra eod.* Rationem diffe-
rentiæ aſſignat Innoc. *hic in princ.* & Hoſt. *n. 4.* quia preſcri- 7
ptio eſt odioſa, & reſtringenda, *l. fin. C. de annal. except. c. Vigilanti, §. 1. ſupra de præſcr.* Privilegium verò favorabile, &
ampliandum, ut notatur *in d. c. Tua, & d. c. Ex parte*. Sed 8
hec ratio non videtur procedere, quia & privilegium in præjudicium tertii, & juris communis debet ſtrictè interpretari, *c. Relatum, ſupra de præb. c. Archidiaconum Florentinum, 85. diſt.* gl. ult. & DD. *in c. Olim infrà de verb. ſignif.* Oldrad. *conſ. 268. Quæſtio eſt, n. 1. verſ. Sed in contrarium.* Privilegium autem ſuper decimis abſque dubio tollit jus tertii, id eſt, Parochialis Eccleſiæ, & vulnerat jus commune ut hìc patet apertè in verſ. *Cum decimarum perceptio.* Neque obſtat *d. c. Ex parte, ſup. eod.* quoniam hìc obſervat Abb. Antiq. *circa fin. verſ. Ad illam*, ibi *Fuit privilegium, per quod ille Abb. juri communi fuit reſtitutus contra conſuetudinem.* Unde illum tamquam beneficium largè debuit interpretari, etiam in præjudicium juris alterius, quàm concedentis. Sed hoc caſu privilegium & tertio, & juri com-
muni præjudicat, ut prædixi. Dic igitur privilegium ſuper 9
decimis ideò comprehendere etiam novalia, quia verbum, *Decimarum*, generaliter prolatum ex proprietate vocabuli includit decimas tam præſentis temporis, quàm futuri, arg. *l. Si ſervitus, ff. de ſervit. urb. prædior. l. fin. C. quæ res pignor. oblig. poſſit, c. Si Romanorum, 19. diſt.* & tenet hìc gloſ. pen. Et in privilegiis etiam contra tertium fit lata interpretatio quatenùs requirit verborum proprietas: quia hæc non eſt extenſio, ſed comprehenſio, ut benè declarat Dec. *conſil. 113. Viſo tenore, n. 6.* & dixi in prædicta decretali *Olim, n. 23. de verb. ſignif.* Unde ſi quis concedat alicui omnem decimationem, quam habet in certo loco, intelligitur ei concedere etiam futuram decimationem novalium, quæ ibi emergunt de novo, ut poſt Hugon. notat Archid. *in c. Cognovimus, n. 3. 12. q. 2.* & Collect. *hìc n. 3.* At præſcriptio decimarum innititur poſſeſſioni, ſine qua præſcriptio non procedit, *cap. Sine poſſeſſione, de regul. jur. lib. 6.* & quia præſcribens non poſſedit decimas prædiorum, quæ facta ſunt novalia; idcircò ad illas non fit extenſio, *capit. Commiſſum, ſupra eod. & infrà c. Proxim. & cap. Cum olim, in fin. de præſcript.* quia tantum præſcriptum quantum poſ-

poſſeſſum, *l. Quod meo*, §. *fin. ff. de acqu. poſſ.* & *l.* 1 §. *Si quis hoc interdicto*, *ff. de itin. actuq. privato*. Hæc in effectu eſt mens gl. noſtræ in verſ. *Novalium*, & conſentiunt Abb. Antiq. *circa med. verſ. Item in hac Decretali*, & Card. *in* 4. *not.* & *in* 2. *oppoſ.* & Rebuff. *in tract. de decim. n.* 9. Achill. *dec.* 3. *circa fin. de decim.* & Seraph. *dec.* 802. *nu.* 6. &
10 *dec.* 1404. *n.* 2. Quod benè nota. Et quod dictum eſt præſcriptione, idem intellige de conſuetudine ſecundùm Hoſtien. quia licèt aliàs conſuetudo ſit favorabilis, & extendenda, ut *l.* & *not. in l.* 1. *C. Quæ ſit longa conſuetudo*, & *in l. De quibus*, *ff. de legib.* hoc tamen eſt verum in materia non multùm præjudiciali; aliàs ſecus, ut hic ſecundùm Collect. *n.* 1. & 2.

11 Cæterùm in hac materia extenſionis juris decimandi, quæ eſt valdè difficilis, Antonius de Butr. *hic num.* 4. *verſ. Pro ſolutione*, ponit notabilem theoricam pro concilatione trium jurium, quæ videntur invicem adverſari, videlicet hujus c. & *c. Ex parte*, *ſupra eod.* & *infra*, *c. Cùm in tua*. Nam quandoque agitur, an ſtricta diſpoſitio relata ad jus decimarum extendi debeat ad ſpeciem ſub eodem ge-
12 nere, & ad rem, & ad materiam eamdem; & tunc fit extenſio, maximè quando ſpecies, ad quam fit extenſio, eſt inferioris gradus. Et hic eſt caſus *in d. c. Cùm in tua*, & ibi notant Butr. *n.* 2. & Abb. *n.* 3. Seraph. *dec.* 1223. *n.* 2. nam ibi eſt eadem materia, quia idem fundus; & idem genus, quia minutæ, & groſſæ ſunt de genere decimarum, & minutæ ſunt inferioris gradus; unde non mirum, ſi fiat extenſio. Cauſa extenſionis eſt, quia hìc datur contiguum, ſeu potiùs identitas generis, & ſubjecti, quo caſu admittitur extenſio etiam in poſſeſſione, & conſequenter in præſcriptione. Ad hoc textus optimus *in l.* 3. *in princ. ff. de acqu. poſſ.* ubi eſt expreſſum, ad poſſeſſionem fundi acquirendam non requiri, ut aliquis omnes glebas circumambulet, ſed ſufficere
13 quamlibet partem ejus fundi introire. Qua ratione exiſtens in quaſi poſſeſſione decimandi fructus unius fundi, ex quo ſolum frumentum antea colligebatur, dicitur etiam eſſe in quaſi poſſeſſione decimandi milium, quod poſteà loco frumenti fuit ſatum, ut firmant Hoſt. Jo. Andr. Butr. & Card. *in c. Cùm in tua inf. eod.* Covar. dicens hanc eſſe communem opinionem, *pract. qu. c.* 37. *n.* 5. & alii, quos refert &
14 ſequitur Rota *dec.* 17. *num.* 10. *p.* 2. *diverſ.* Et ex hoc primo membro diſtinctionis notabiliter infero, ut ſi quis probet ſe præſcripſiſſe decimas hoc modo, videlicet quia aliquid percepit de paſcuis, piſcariis vallium, vel arundineto, aut nemore, ſi ea loca ad culturam redigantur, ita ut ibi inſurgant novalia, obtinere debeat etiam de novalibus, per ſupradictam theoricam Ant. de Butr. quia idem ſubjectum, ſeu fundus, & idem genus decimarum; & ita in terminis decidit hìc Jo. Andr. *n.* 5. Pariſ. *conſ.* 73. *Licet jus commune*, *col.*
15 2. *n.* 17. *vol.* 4. Ruin. *conſ.* 163. *Jeſu Chriſti*, & *c. Sicut aliàs*, *n.* 15. *vol.* 5. & Rebuff. *in præall. tract. de decim. q.* 14. *nu.* 22. Hinc etiam infero, ut ſi Clericus nomine Eccleſiæ ſuæ præſcripſerit decimas ex agro pro parte culto, ſi ager pro alia parte fiat novalis, etiam de novalibus habebit decimas; quia præſcriptio partis indiviſibilis ad totum extenditur ratione individui, arg. *c. Cognovimus*, 12. *q.* 2. & *c. Cum in tua*, *inf. eod.* & ſic agitur de eodem fundo, & de decima ejuſdem generis: & ita ex facto reſpondit Abb. *conſ.* 71. *Caſus talis*, *Quidam Clericus*, *lib.* 2. & ſequitur Rebuff. *d. q.* 14. *n.* 20. Quandoque verò agitur, an diſpoſitio ſtricta fundata ſuper decimis extendi debeat ad ſpeciem diverſam fructuum, & diverſam materiam, ſive ſubjectum; & tunc non fit extenſio, ut eſt caſus hìc, & *in c. Tua ſupra eod.* nam præſcriptio de decimis unitur in Parochia, & non extenditur ad novalia; quia novalia differunt ab aliis, & ſic eſt diverſa ſpecies in ſe. Item fundus, ex quo percipiuntur novalia, diverſus eſt ab aliis fundis, ex quibus percipiuntur decimæ antiquæ, & proptereà non fit extenſio: & ex hoc habes clarum intellectum hujus cap. Nam in Parochia, in qua decimæ hìc fuerunt præſcriptæ, ſita erant prædia, ex quibus præſcribens nihil perceperat, quia nondum erant culta; ſed poſtmodum redacta ad cultum facta fuerunt novalia. Deciditur hìc, ut decimæ de illis novalibus non debeantur præſcribenti; & hoc ideò, quia cùm fundus & ſubjectum ſit diverſum, in hac materia ſtricta non eſt locus extenſioni. Fallit hoc, ſi ratio diſpoſitionis, & proprietas verborum aliud ſuadeant, ut *in c. Ex parte*, *il* 1. *ſup. eod.* Sequitur hanc theoricam licèt minùs perfectè illam referat Jo. de Anan. *n.* 7.

16 In gloſſ. ſecunda examinanda eſt utilis, & quotidiana materia, videlicet, an perceptio decimarum ſpectet ad Epiſcopum, an verò ad Eccleſiam baptiſmalem, vel potiùs ad Parochialem. Articulus eſt difficilis, quia quedam jura tribuunt decimas Baptiſmali, ſeu Plebi, ut *c. De decimis*, ibi, *Plebibus tantùm, ubi ſacroſancta baptiſmata dantur*, & *cap. Statuimus*, 16. *q.* 1. quædam Parochiali, ut hìc patet; quædam verò Cathedrali, vel in totum, ut, *in c. Dudum*, *inf. eod.* & *ſupra in c. Quoniam*, *in fin.* vel ſaltem in aliqua parte ipſarum, ut *in c. Conquerente*, *ſupra de offic. Ord.* & *in d. cap. Quoniam*. Gloſſa conciliat hæc, jura ſed minùs benè, ſecundùm Hoſt. *n.* 3. & communiter ſcribentes. Unde pro ſolutione duo ſunt inveſtiganda. Primum, quid juris ſit, quando Epiſcopus in perceptione decimarum concurrit cum Parochiali, vel Baptiſmali. Secundum, quid juris ſit quando Baptiſmalis ipſa concurrit cum Parochiali.

Primò igitur QUÆRO, quando Epiſcopus concurrit 17
cum Eccleſia Parochiali, vel Baptiſmali, quis fundet intentionem ſuper decimis percipiendis.

Ut veritas clariùs appareat, excludendi ſunt primò ca- 18
ſus non dubii. Et quidem primus caſus indubitabilis eſt, ubi apparet de conſuetudine; illa enim ſervari debet, quia in traſferendo jus decimæ de una in aliam Eccleſiam, plurimùm valet conſuetudo, ut *c. In aliquibus*, *c. Dudum*, *cap. Cùm in tua*, *inf. eod.* & *ſupra*, *c. Ad Apoſtolicæ*, & *c. Cùm ſint*, ubi Abb. *nu.* 6. & communiter DD. Butr. hìc *num.* 8. Achil. *dec.* 3. *de decim.* Puteus *dec.* 154. *n.* 6. & *ſeqq. lib.* 1. Seraph. *dec.* 802. *n.* 3. Rota *dec.* 333. *n.* 4. *p.* 5. *rec.* Secundus ca- 19
ſus non dubius eſt, ubi conſtat de compoſitione, ſeu tranſactione; nam in talibus compoſitio fieri non poteſt, ut *c. Ex multiplici ſupra eod.* & notat Butr. *d. n.* 8. plenè Domini de Rota *dec.* 218. *n.* 3. & 4. *p.* 7. *rec.* ubi decidunt ſuper decimis licere inter perſonas Eccleſiaſticas paciſci pro bono pacis, etiam ſine beneplacito Apoſtolico, per text. *in c.* 1. & *c. fin. de pact. lib.* 6. ubi DD. communiter, *in d. c. Ex multiplici*, & *in c.* 2. *de tranſact.* eſt enim ſpeciale, ut pacta & conventiones initæ cum Rectoribus Parochialium Eccleſiarum ſuper rebus ad Parochialitatem pertinentibus, ſubſiſtant, & afficiant ſucceſſores, licèt neque à ſuperioribus, neque à Sede Apoſtolica ſint roboratæ, ut notant Ancharan. *in d. cap. fin. num.* 1. & *in* 3. *not.* & ibi etiam Fraciſc. præſertim *numer.* 2. quos ſequitur Rota *ubi ſupra*. Tertius caſus in dubius eſt, ubi de aliquo privilegio apparet: nam & illud ſervandum eſt, ut *c. Ex tranſmiſſa*, & *cap. A nobis*, *ſupra eod.* Quartus caſus itidem indubius, ubi conſtat de ſpeciali præſcriptione, ut *c. Cùm in tua*, *infr. eod. c. De quarta*, *de præſcr.* & conſtat ex dictis ſupra in 1. *not.* & pro his caſibus facit litera hujus cap. in illis verbis: Rationabilis cauſa oſtendatur, quæ à gloſſ. Innoc. & DD. exponuntur, ſcilicet privilegium, tranſactio, vel ſpecialis præſcriptio in ſingulis agris.

Sed ceſſante omni jure ſpeciali, & reducendo materiam 20
ad jus commune, refert, an agatur de decimis perſonalibus, an verò de prædialibus. Perſonales decimas clarum eſt pertinere ad Eccleſiam illam, ubi quis audit divina, & percipit Eccleſiaſtica Sacramenta, ſive illa ſit Cathedralis, ſive Plebs, ſive Parochialis, ut *c. Quæſti*, juncta gloſ. *ult.* 16. *q.* 1. *c. Ad Apoſtolicæ*, *ſup. eod.* & *c. fin. infra de Paroch.* & in hoc conveniunt omnes, ut hìc teſtatur Abb. *n.* 6. *ver. Nam aut quæritur*.

In decimis verò prædialibus, ad quas reducitur nota dif- 21
ficultas, gloſſa 2. facit duas concluſiones. Prima concluſio eſt, Eccleſia Parochialis de jure communi fundat intentionem in perceptione dacimarum prædialium ex fructibus, qui colliguntur infra limites Parochiæ ſuæ. Hæc concluſio habetur expreſsè in hac decretali in illis verbis, *Cùm perceptio decimarum ad Parochiales Eccleſias de jure communi pertineat*, & *in c. Cùm in tua*, *inf. eod.* ibi, *Alioquin Parochialibus exolvantur*, *ad quas de jure communi ſpectat perceptio decimarum*. Et ita hic firmant gloſ. præalleg. Hoſt. *n.* 1. Butr. *in* 1. *not.* Card. *in* 3. Anchar. *in* 2. & cæteri omnes, Imol. *in c. fin. poſt princ. ut lit. pend.* & alii apud Rebuff. *in tract. de decim. q.* 7. *nu.* 5. eamque paſſim ſervat Rota, ut in pluribus deciſionibus relatis à Card. Seraphin. *dec.* 802. *nu.* 1. in quibus Rota firmavit Parochialem Eccleſiam fundare intentionem ſuper decimis etiam contra Epiſcopum.

Et procedit hæc concluſio, etiamſi Eccleſia ſit Baptiſma- 22
lis; nam & ipſa in ſua Parochia eſt Parochialis, & ideò fundat intentionem de jure communi ſuper decimis prædio-

diorum infra ſuos limites exiſtentium, juxta textum hic, & habetur expreſsè *in c. De decimis, & in cap. Statuimus, 16. quæſt. 1.* ubi enim Baptiſmalis, vel Parochialis ſeorſim conſiderantur, utraque fundata eſt in perceptione decimarum prædialium infra ſuos limites, & hoc planum. Quòd ſi baptiſmalis habeat ſub ſe Capellam, ſeu Parochialem? & inter baptiſmalem, & Parochialem ſit controverſia ſuper decimis prædiorum exiſtentium in limitibus Parochialis: tunc ſuccedit difficultas inferiùs examinanda in 2. *quæſt. principali.*

23 Secunda concluſio gloſſæ eſt: Ex decimis prædialibus non debet Epiſcopus habere aliquam portionem, allegat *c. Quoniam, ſupra eod. & infra cap. Dudum.* Hæc concluſio à Doctoribus communiter reprobatur. Unde dic Epiſcopum de jure communi nec prorſus excludi à perceptione decimarum prædialium, ut malè putavit gloſſa noſtra; nec fundare intentionem ſuper omnibus decimis, ſed tantummodò ſuper quarta decimarum totius Epiſcopatus: textus eſt clarus *in cap. Conquerente, ſupra de offic. Ordinar.* ubi inter jura Epiſcopalia recenſetur in ſpecie quarta decimationum, *& in cap. Quoniam,* ibi *Decimas earum ſua parte retenta, ſupra eod.* Ad idem, *c. De quarta, de præſcript. cap. Officii, & cap. Requiſiti, §. Secus, & cap. fin. de teſtam. & c. De his, de ſepult.* & ſecundùm hoc intelligi poteſt textus *in cap. Dudum, infra eod.* ubi Epiſcopus fundat intentionem ſupra decimis, id eſt, in quarta Canonica, ſecundùm Hoſtienſ. & DD. communiter, & ſic utrumque verum eſt, & quod, ibi, & quod hìc dicitur: nam Epiſcopus fundat intentionem in ſua Canonica, ut ibi, & Parochus ſuper reliquis decimis, ut hìc, *& in d. cap. Quoniam, ſupra eod.* Quare huic ſententiæ adæſerunt in ſumma in hujus tituli Goffred. §. 2. & Hoſtienſ. §. *Cui danda, & in d. c. Conquerente, de offic. Ordinar.* idem Hoſtienſ. *num. 11.* Jo. Andr. *ad fin.* Butr. *nu. 44.* Cardin. *in 11. notab. & in 4. oppoſ.* Anchar. *in 5. oppoſ. n. 8. & ſub n. 27.* Abb. *n. 2. propè fin. & n. 6. circa medium,* Archid. *in c. De his, n. 1. 10. quæſt. 1.* Bald. Butr. Card. Imol. Anchar. & Abb. *in d. c. De quarta, ſupra de præſcript. omnes in 1. notab.* & hìc firmant Hoſtienſ. *n. 1.* Joan. Andr. *n. 44 verſ. Dicit hìc,* Hoſt Butr. *n. 8.* & Abb. *n. 7. ad fin.* Quibus authoritatibus Rota *deciſ. 31. num. 5. part. 2. diverſor.* firmavit hanc opinionem eſſe communem omnium fere DD. eamdem ſequuta eſt *dec. 402. n. 1, part. 2. & deciſ. 64. num. 1. part. 5. rec.* Quinimò ita fuiſſe ſolemniter pronunciatum pro Epiſcopo Siſtaricen. qui ſuam Canonicam portionem petebat ab Hoſpitalariis S. Joannis Jeroſolymitani, quæſtione plenè diſputata, & examinata coram Innoc. IV. teſtatur hìc Hoſt. *num. 1. verſ. Sed Goffredus:* & quamvis nonnulli putaverint quartam decimarum deberi Epiſcopo ex conſuetudine, non autem de jure communi, ut gloſ. *in d. c. Conquerente, in ver. Decimationum,* & Innoc. *ibi n. 4.* hæc tamen opinio eſt contra jura ſupra citata, ideòque à Doctoribus communiter reprobatur, teſte Seraphin. *dec. 1449. n. 4.*

24 Procedit autem hæc concluſio etiamſi Epiſcopus concurrat cum Eccleſia baptiſmali; quia cùm baptiſmalis fundata ſit ſuper decimis prædiorum exiſtentium in ſua Parochia, utique de decimis ab ea perceptis Epiſcopus debet habere ſuam quartam. Et hoc dicunt tenendum Hoſt. *loc. cit.* & Joan. Andr. *num. 4.* Quòd ſi agatur de decimis prædiorum exiſtentium in limitibus Parochialis fundatæ in Parochia baptiſmali; tunc quamvis valdè ſit controverſum, an Eccleſia matrix, vel Parochialis fundet intentionem ſuper decimis novæ Parochiæ, quod latè examinabitur infrà in 2. quæſt. tamen ad quamcumque Eccleſiam pertineant decimæ ſemper verum eſt de illis Epiſcopum percipere debere ſuam Canonicam portionem, & hoc ſimiliter planum.

25 Limita primò concluſionem ut ſuprà firmatam, quâ dictum eſt Epiſcopum non fundare intentionem ſuper omnibus decimis, ſed tantummodò ſuper quarta decimarum, ut non procedat quoad illam perceptionem faciendam nomine Parochialium Eccleſiarum: nam quoad hoc fundat intentionem de jure communi ſuper decimis in totum, ut hìc tenet Hoſt. *num 1. ad fin. verſ. Quinimò,* per text. *in cap. fin. ſupra de ſucceſſ. ab inteſt.*

26 Sed an hoc ſit verum, & quomodo ſit intelligendum, ſcripſi plenè *in cap. Quoniam, n. 23. ſup. eod.* ubi etiam latè examinavi, an, & quibus caſibus Epiſcopus poſſit petere ſuam quartam Canonicam immediatè à Parochianis; & an per viam actionis, an verò per judicis officium nobile, *à num. 13. uſque in fin.* ubi videas, quia articulus eſt ſatis implexus, & à Doctoribus controverſus.

27 Limita ſecundò ſuprad. concluſionem, ut locum non habeat, quando Cathedralis Eccleſia eſt etiam Parochialis, & habet certam, & limitatam Parochiam; tunc enim Epiſcopus fundatam habet intentionem de jure communi ſuper perceptione decimarum in totum infrà limites Parochiæ ſuæ, & vincit omnes Eccleſias, ſive ſint baptiſmales, ſive parochiales, & in hoc caſu poteſt intelligi textus in *d. cap. Dudum, infra eod.* & de his decimis Epiſcopus tenetur facere quatuor partes, ut *c. Vobis, c. Vulterana, & c. Quatuor 12. q. 2.* & ita tenet gloſ. *hic poſt medium,* ibi, *Et illa dudum,* Butr. *n. 8. verſ. Ceſſantibus autem,* & Abb. *nu. 7.* idem tenet gloſ. *ult. in c. Quæſti, 16. q. 1.*

28 Limita tertiò eamdem concluſionem, ut non procedat quando decimæ non ſunt in Parochia alicujus Eccleſiæ, veluti ſi prædia ſint multùm diſtantia, & non incluſa in limitibus alicujus Parochiæ, & ſic ad nullum Parochum ſpectant: nam & tunc Epiſcopus abſque dubio fundat intentionem ſuper perceptione decimarum in totum; quia cenſentur eſſe ſub illius Parochia, & hic propriè eſt caſus, *c. Quoniam, ſupra eodem,* ſecundùm intellectum, quem ponit hìc gloſ. 2. *poſt med.* ibi, *Vel illa decimæ,* quem quidem intellectum approbant communiter DD. *in d. c. Quoniam,* & hìc Ant. de Butr. *d. nu. 8. verſ. Si autem non ſunt prædia,* & Abb. *d. n. 7. verſ. Aut hæc decima.*

29 Limita quartò eamdem concluſionem, ubi Parochiæ non eſſent diſtinctæ, ut in decreto Concilii Trid. *c. 13. verſ. In iis quoque civitatibus, ſeſſ. 24.* eam & eo caſu Epiſcopus percipere deberet omnes decimas prædiales, quemadmodum olim percipiebat ante diſtinctionem Parochiarum; non tamen deberet illas ſibi retinere, ſed inter Clericos pro cujuſque meritis diſpenſare, ut eſt text. notabilis *in c. 1. 16. q. 7.* & tenet Abb. *d. num. 7. verſ. Idem intelligo,* & Puteus *dec. 371. num. 6. lib. 1.*

30 Limita quintò ſupradictam concluſionem, ut locum non habeat, ſi in tota diœceſi non reperiretur alia Parochia, niſi Cathedralis; quia tunc abſque dubio Epiſcopus fundaret intentionem in totum ſuper perceptione decimarum totius diœceſis, ut patet *in d. c. 1. §. Has verò decimas,* & notat Butrius *eod. n. 8. verſ. Idem & fortiùs,* & Abb. *num. 7.* & ſæpiùs firmavit Rota, ut refertur *in dec. 22. nu. 1. par. 7. recent.*

31 Secundò QUÆRO, poſito Trid. Concilii decreto *c. 4. ſeſſ. 21.* quis fundet intentionem ſuper decimis in Parochia noviter erecta intra fines alterius Parochiæ juxta formam *c. Ad audientiam, il 1. infra de Eccl. ædif.* an ſcilicet Plebs, ſeu Eccleſia Matrix; an verò Capella, ſeu Parochialis noviter ædificata infra Plebanatum.

32 Hæc quæſtio quotidiana, & valdè difficilis, in qua variæ fuerunt antiquorum opiniones ſuper interpretatione illius decretalis, *Ad audientiam.*

Prima opnio fuit gloſſæ Bernardi ibidem in verſ. *Obventiones,* ubi putavit decimas non deberi Eccleſiæ noviter conſtructæ, ſed Eccleſiæ Matrici, quæ fundat intentionem de jure communi ſuper decimis percipiendis, ut *c. Cùm in tua, infra eod.* & ad illud *c. Ad audientiam,* quod præcipit aſſignari obventiones Sacerdoti in nova Eccleſia inſtituendo, dat duos intellectus. Primus eſt, quòd Papa ibi ſub nomine obventionum non intellexit de decimis prædialibus; ſed de aliis obventionibus, videlicet de oblationibus, de decimis perſonalibus, quæ dantur diebus, quibus Parochiani accedunt ad Eccleſiam, de mortuariis, & conſimilibus: nam ſi de illis intellexiſſet, utique expreſſiſſet, ſicut expreſſit de obventionibus, argum. *c. Ad audientiam, ſupra eod.* Secundus intellectus eſt, quòd quatenus verbum, *Obventiones,* includat etiam decimas prædiales, tamen Papa illud fecit ibi de plenitudine poteſtatis propter periculum animarum, & quia Rectori antiquo remanebant ſufficientes redditus ad ſuſtentationem. Sed Epiſcopus abſque mandato Papæ non poſſet decimas novo Parocho aſſignare, niſi de conſenſu Rectoris Eccleſiæ antiquæ: quia non poteſt jura unius Eccleſiæ dare alteri, *c. 1. ſupra de reb. Eccl. non alien. & arg. c. Conſtitutum, §. Sicut duo, 16. q. 1.* Eamdem opinionem tenet, & pluribus confirmat Hugo *in c. Eccleſiæ, 16. q. 1.* ut ibi notatur in gloſ. un. & Innoc. *in cap. Ad Apoſtolicæ, ſupra eod.* & Raym. *in ſumm. tit. de decim. p. 3 verſ. Item aliquis.*

33 Secunda opinio fuit Jo. Andr. in addit ad Speculat. *in tit. de Decim. lit. D. in ver. Unica,* ubi plenè examinat hanc

quæ

quæſtionem, & poſt multa in effectu ſic diſtinguit: Aut
Eccleſia baptiſmalis erecta fuit poſt Parochialem, ita ut Pa-
rochialem comprehendat ut Capellam, & tunc clarum
eſt Parochiali Eccleſiæ deberi ſuas antiquas decimas reales
ad eum modum, quo primitùs ei competebant; quia con-
ſtructio novæ Eccleſiæ baptiſmalis intelligi debet ſine præ-
judicio Parochialis: allegat jura, quæ hoc probant in ſui
ratione, videlicet, *c. Si quis laicus*, *c. Quicumque*, *c. De
decimis*, *& c. Statuimus*, 16. *q.* 1. & in hoc primo membro
conſentiunt Butr. Card. & Abb. Aut viceverſa Parochialis
Eccleſia erecta fuit poſt baptiſmalem, ſeu plebem, & infrà
limites plebanatus; & tunc Jo. Andr. concludit decimas
deberi Matrici Eccleſiæ, ſeu plebi: & hoc intelligit de de-
cimis prædialibus; nam perſonales debentur Capellæ: alle-
gat jura, quæ dicunt expreſsè decimas non eſſe ſubtrahen-
das antiquis Eccleſiis, & plebibus, ut dentur Capellis in il-
larum Parochia ædificatis, videlicet, *c. Eccleſiæ*, *d. c. Qui-
cumque*, *c. De decimis*, *& c. Statuimus*, 16. *q.* 1. *& c. Deci-
mas*, 13. *q.* 1. aliàs eſt *verſ. ſub ſecundo*, §. *Et videtur caſus*,
in c. Ex tranſmiſſa, cum ſua gl. in ver. *Decimas*, *ſupra de
præſcr.* Et pro hac opinione, quam, ut ipſe ait, approbat
conſuetudo, facit vitatio enormis præjudicii, quod pate-
retur Eccleſiæ baptiſmalis, ſi præter decimas perſonales, &
oblationes, quas perdidit ob erectionem novæ Parochiæ,
34 amitteret etiam prædiales contra Canones ſupra inductos:
cùm præſertim baptiſmalis adhuc ſit Parochialis totius Ple-
banatus ratione adminiſtrationis Baptiſmi, quod eſt funda-
mentum omnium Sacramentorum, *c. fin. de Presbyt. non
35 baptiz.* Quo reſpectu etiam nuncupatur Matrix, quia ſicut
mater generat, ita hæc baptizando regenerat, ut notatur
in Clem. 1. *circa med. in gl. in ver. Matricem*, *de ſent. ex-
com.* Atque ita in hoc ſecundo membro, Jo. Andr. concor-
36 dat cum prima opinione Hugon. & Bernar. Sed poſtea li-
mitat ſuam concluſionem dupliciter: primò ſcilicet, ſi con-
ſuetudo habeat, ut decimæ debeantur Parochiali noviter
erectæ: ſecundò, ſi Epiſcopus in limine erectionis, cùm
aliter animabus provideri non poſſet, illas Parochiali Ec-
cleſiæ aſſignaverit de ſui Capituli conſenſu: & in hoc di-
ſcrepat à prima opinione Bernardi, qui putavit Epiſcopum
hoc non poſſe abſque ſpeciali commiſſione Papæ, niſi de
conſenſu Rectoris majoris Eccleſiæ.

37 Tertia opinio fuit Innoc. *in d. c. Ad audientiam*, *il* 1. *de
Eccl. ædif. in gl. in ver. Proventus*, qui tenuit novæ Eccleſiæ
non deberi niſi proventus ſpirituales, quos Eccleſia Ma-
trix habebat in ea villa, ubi nova Parochia fuit conſtituta:
Non enim credimus, inquit, quòd ei dare deberet cam-
pos, vel alia bona, quæ haberet in ipſa villa, & cum eo
tranſit ibi Abb. Antiq. *n.* 1. *in eod. verb.* Non tamen aperit
Innoc. an ſub nomine proventuum ſpiritualium intellexe-
38 rit de dicimis, necne. Et nihilominus illius opinionem re-
fellit ibid. Hoſt. *n.* 2. *in ver. Obventiones*, quia Epiſcopus
Ordinator eſt non ſolùm ſpiritualium, ſed etiam tempora-
lium ad Eccleſiam pertinentium, *c.* 1. 2. *&* 3. *per tot.* 10. *q.* 1.
Unde ſi videat periculum animarum, debet præponere ſpi-
ritualia temporalibus, arg. *c. Præcipimus*, 12. *q.* 1. cum aliis
per eum allegatis, & cum Hoſt. conſentiunt illic Jo. Andr.
n. 2. *in ver. Proventus*, Butr. *n.* 8. Card. *n.* 5. *in* 1. *q.* & Abb.
num. 7.

39 Quarta opinio fuit Goffredi *in ſum. hoc tit.* §. 2. aſſeren-
tis decimas prædiales deberi Parochiali, intra cujus fines
prædia ſita ſunt: perſonales verò dividendas eſſe inter ba-
ptiſmalem, & illam, in qua Parochiani audiunt Divina,
pro qua facit, quod ſcripſit Jo. Andr. *in c. De his*, *ſuper gl.*
2. *de Sepult.* & quod dicam infra *n.* 35.

Quinta opinio, quæ aliquantulum accedit ad præceden-
tem, fuit Hoſt. *in ſum. eod. tit.* §. *Cui danda*, *in princ. qui
cenſ.* perſonales dandas eſſe parochiali, ſeu baptiſmali, id
eſt ubi audiuntur Divina, & percipiuntur Sacramenta, *per
c. Quia*, 16. *q.* 1. prædiales verò Parochiæ prædiorum, ut
c. Quoniam, *ſupra eod. & c. fin. de Parochiis*, niſi aliud ha-
beat conſuetudo, *c. Cùm ſint*, *ſupra eod.*

40 Sexta demum opinio fuit Jo. Cald. filii adoptivi Jo. And.
qui reprobata hìc patris opinione, arbitratus eſt decimas
prædiorum novæ Parochiæ deberi Eccleſiæ Parochiali no-
viter conſtructæ, etiamſi eas Epiſcopus illi non aſſignave-
rit; quia de jure communi eo ipſo, quòd Eccleſia habet limi-
tatam Parochiam, debentur illi redditus ſpirituales prove-
nientes ex prædiis intra Parochiam incluſis, ut *in cap. Pa-
ſtoralis*, *ſupra de his quæ fiunt à Prælat.* Et hanc rationem di-
cit eſſe inconvincibilem Abb. *in d. c. Ad audientiam*, *n.* 14.
verſ. Et poteſt allegari, *infrà de Eccleſ. ædifican.* Cui opinio- 41
ni valdè etiam ſuffragatur littera illius Decretalis, *Ad au-
dientiam*, *in ver. Obventiones*: nam decimæ veniunt appel-
latione oblationum, ut *c. Cùm inter*, *de verb. ſignific.* Er-
gò fortiùs veniunt appellatione obventionum, quod eſt
verbum magis generale. Sed obventiones debentur Sacer-
doti novæ Parochiali præficiendo, ut eſt text. *in d. c. Ad
audientiam*, ibi, Obventiones Eccleſiaſticas percepturum.
Ergo illi debentur & decimæ. Eamdem opinionem tenuit
gl. *in ſumma* 13. *quæſt.* 1. & ibi etiam Archid. dicens de hoc
eſſe caſum *in c. Ad decimas*, *de reſtitut. ſpoliat.* Paul. Zen-
zelin. & Laudun. in Clem. 1. *de decim.* Collect. *in c. Quo-
niam*, *n.* 1. *ſuprà eod.* Anch. inter conſ. Calderini *in tit. de
decim. conſ.* 2. Et pro hac parte poſt prolixam diſputationem
concludunt hìc Butr. *col. ult. verſ. Mihi videtur ſic conclu-
dendum*, & Card. *in* 2. *quæſt.* niſi tamen Eccleſia eſſet Pa-
rochialis certorum Parochianorum ſine limitibus; quia
tunc planum putat decimas prædiales deberi Eccleſiæ ma-
trici, quia ad hoc Parochia remanet matrix, ſecundùm eum:
quam limitationem ante eum poſuit & Collectarius *loc.
cit.* ſequitur Abb. *hìc n.* 8. *col. ult. poſt medium*, dicens, hanc,
opinionem tenere communiter moderniores. Pro qua
etiam ipſe in facti contingentia conſuluit, ut idemmet
teſtatur *in d. c. Ad audientiam*, *n.* 14. *de Eccleſ. ædific.* ha-
betur illius *conſ. lib.* 1. *conſ.* 58. *incip. in quæſtione quæ ver-
titur*, *per totum*. Et ad jura per Jo. Andr. inducta, quæ di-
cunt novas Capellas non eſſe conſtruendas in præjudicium
baptiſmalis, nec decimas eſſe ſubtrahendas plebibus, ut den-
tur Capellis, reſpondent Butr. & Abb. non habere locum,
quando ad erectionem, & ſubtractionem hujuſmodi pro-
ceditur ex juſta & neceſſaria cauſa, vel illa jura ſecundùm
Calder. loquuntur de Capellis non habentibus aliam Paro-
chiam ſub ſe, quod etiam dixit Butr. *in c. Ex tranſmiſſa*, *n.*
7. *ſupra de præſcript.* Demum hanc ſententiam multoties
probarunt Domini de Rota, videlicet *in Comen. decima-
rum* 28. *Junii* 1602. *&* 27. *Novembris* 1606. coram Card.
Sacrato, item *in Conchen. decimar. de Cortecon.* 11. *Maji*
1615. coram Pirovano, *& in Mediolanen. decimarum S.
Juliani* 16. *Januarii* 1613. coram Cardin. Pamphil. ac de-
mum *in Mediolan. decimarum de Carlatio* 18. *Martii*
1616. coram Mart. Andr.

Ex his vides quanta ſit in hoc articulo ſententiarum va- 42
rietas: unde vix aliquid certi firmari poſſet, ſi quæſtio diri-
menda eſſet ex jure communi. Verùm hodie totam hanc 43
controverſiam non obſcurè diſſolvit jus noviſſimum Con-
cil. Trid. *in c.* 4. *ſeſſ.* 21. *Statuit*, enim, *ut in omnibus Eccle-
ſiis Parochialibus, vel baptiſmalibus poſſint Epiſcopi ex cau-
ſis ibi expreſſis novas Parochias erigere etiam invitis Recto-
ribus*: & mox ſubdit: *Illis autem Sacerdotibus, qui de no-
vo erunt Eccleſiis noviter erectis præficiendi, competens aſſi-
gnetur portio arbitrio Epiſcopi ex fructibus ad Eccleſiam
matricem quomodocumque pertinentibus*. Hæc ibi. Expen-
denda ſunt ſingula verba cum myſterio appoſita ad ſum-
movendas antiquas DD. altercationes. Primò enim in illis
verbis, *Poſſit Epiſcopi etiam invitis Rectoribus*, correxit
primam opinionem Bernardi, & Hugonis, qui putabant
Epiſcopum ſine ſpeciali commiſſione Papæ non poſſe no-
vas Parochias erigere, & Sacerdotibus ibi inſtituendis
obventiones aſſignare abſque conſenſu Rectoris Eccleſiæ
antiquæ; ut dictum eſt ſupra *nu.* 42. Jam enim ex Conci-
lio Epiſcopus poteſtatem habet ut ſupra erigendi, & aſ-
ſignandi etiam invitis Rectoribus. Deinde in verbis, *Ex
fructibus ad Eccleſiam matricem quomodocumque pertinen-
tibus*, correxit opinionem Hugonis, & Bernar. dum di- 44
xerunt Epiſcopum non poſſe auferri decimas Eccleſiæ ma-
trici, & illas dare Eccleſiæ noviter erectæ; nam ex Con-
cilio poteſt Epiſcopus novæ Eccleſiæ aſſignare fructus ad
Eccleſiam matricem pertinentes; & ſic etiam decimas, quæ 45
veniunt fructuum appellatione, *c. Nuncios*, *& cap. Ex
parte*, *il ſecondo ſupra eod. cum ſimil.* præſertim cùm Con-
cil. adjecerit adverbium illud univerſale, *Quomodocumque*,
quod eſt valdè prægnans, & extendit diſpoſitionem etiam
ad ea, quæ aliàs non fuiſſent incluſa, *c. Solitæ*, & ibi Abb.
*in ult. not. de major. & obed. gloſ. fin. in addit. marg. in l. Cùm
pœna*, *ff. de arbitr.* dixi *in c. Cùm veniſſet*, *num.* 70 *ſupra
de judic.* Quam interpretationem jam pridem probavit S.
Congr. ejuſdem Concil. Interpres, dum declaravit licere
Epiſcopo aſſignare Sacerdotibus, qui erunt præfecti novis
Pa-

Parochiis ſecundùm *d. c.* 4. conſtitutis competentem portionem arbitrio ſuo ex omnibus fructibus ad matricem pertinentibus, non diſtinguendo magis decimas, quàm alia corpora redditium ejus. Rurſus in eiſdem verbis, *Ex fructibus, &c.* Conc. ſuſtulit tertiam opinionem Innoc. de qua ſupra *n.* 37. quatenùs putavit novo Parocho dari non poſſe niſi proventus ſpirituales, & probavit opinionem Hoſtien. qui ſenſit dari poſſe etiam temporales urgente neceſſitate. Indubitatum eſt namque redditus, & proventus temporales venire appellatione fructuum, *l. Frugem*, *ff. de verbor.*
46 *ſignif. cum ſimilib.* Sed è converſo videtur magis adhæſiſſe ſententiæ Innoc. in eo, quod dixit, novo Parocho non poſſe dari campos: idem enim videtur & Concilium intellexiſſe, dum juſſit portionem aſſignari ex fructibus, quorum appellatione non venit proprietas ſeu fundus, ſed quod ex fundo naſcitur, & renaſcitur, ut *in d. l. Frugem*, notat gl.
47 ult. & Abb. *in c. Salubriter, infrà de uſur.* Quod tamen videtur intelligendum reſpectu proprietatis, non autem reſpectu utilis dominii; quia cùm Epiſcopus ex Concilio poſſit aſſignare novo Parocho fructus alicujus fundi matricis Eccleſiæ, & hæc aſſignatio debeat eſſe perpetua, quia dos Eccleſiæ non poteſt conſtitui ad tempus, ut *c. Nemo, de conſecr. diſt.* 1. & in Auth. *Ut nullus fabricet Oratorii do-*
48 *mum*, §. *Ut qui Eccleſias*; hinc neceſſariò ſequitur ut facultatem habeat aſſignandi etiam fundum ipſum quoad dominium utile: hoc enim importat aſſignatio perpetua fructuum, vel uſuſfructus, ut eſt textus *in l.* 1. §. *Qui in perpetuum*, & ibi notatur, *ff. Si ager vectigal vel emphyteuticar. petat.* & tradit Paul. de Caſtr. *conſ.* 376. *Licèt judex*, *col.* 2. *ante med. verſ. Ultimò probatur, lib.* 1. Et ita arbitror conciliari poſſe diſſidentes opiniones Innocentii, & Hoſtienſ. ut ſcilicet opinio Innocentii procedat reſpectu proprietatis, & dominii directi; opinio verò Hoſtienſis reſpectu utilis dominii. Ad hæc Concilium in illis verbis, *Competens arbitrio Epiſcopi*, apertè ſuſtulit ſextam opinionem Calderin. & aliorum, qui putant Parochiali noviter erectæ deberi proventus, & decimas omnes ad matricem pertinentes, ut dictum eſt ſupra *n.* 40. nam Concilium noluit deberi omnes, ſed competentem portionem ſecundùm arbitrium Epiſcopi. Simile *in cap. Expoſuiſti, in fin. & in cap. Extirpandæ*, §. *Qui verò ſupra de præb. & in cap. Paſtoralis*, *de his quæ fiunt à Præl.* Ultimò in eadem clauſula, *Competens aſſignetur portio arbitrio Epiſcopi*, S. Synodus apertè approbavit ſecundam opinionem Joan. Andr. de qua ſuprà *num.* 33. ſentientis ceſſante Epiſcopi aſſignatione, decimas remanere Eccleſiæ baptiſmali, ſeu plebi, & improbavit ultimam opinionem Joan. Calder. & ſequacium, qui exiſtimarunt decimas prædiales tranſire ipſo jure ad Eccleſiam noviter conſtructam. Etenim unumquodque verbum prædictæ clauſulæ excludit tranſitum ipſo jure: & primò huc ſpectat verbum illud, *Aſſignetur*, quod eſt verbum facti, & requirit hominis miniſterium, ut *in d. cap. Expoſuiſti*, & §. *Qui verò*, *l. Si quid*, §. *fin. ff. de legat.* 3. & *l.* 1. §. *fin. ff. naut. caupon. ſtabular.* & tradunt Alciat. Paregon. *lib.* 1. *cap.* 88. Paril. *conſ.* 53. *nu.* 6. *volum.* 3. & Dec. *conſ.* 640. *n.* 6. Si enim portio eſt aſſignanda ab Epiſcopo: ergo non tranſit ipſo jure. Idemque colligitur ex illis verbis *Competens portio*: nam Conc. noluit, ut nova Eccleſia fundaret intentionem ſuper omnibus decimis prædiorum intra ſuos limites exiſtentium, juxta text. *in cap. Paſtoralis*, *ſupra de his, quæ fiunt à Prælat.* Sed ut illi congrua tantùm portio
49 aſſignaretur ab Epiſcopo, quippe ante ejus declarationem ignoratur, quæ portio ſit competens; & conſequenter non poteſt ipſo jure in Eccleſiam tranſire, cùm præſertim portionis appellatione veniat pars, & non totum, *l. nomen filiorum*, §. *Portionis*, *ff. de verb. ſignific.* & ibi notat Rebuff.

50 Et confirmatur ex verbis, *Arbitrio Epiſcopi*, quia repugnat, ut decimæ omnes tranſeant in Eccleſiam ipſo jure abſque facto hominis, & competens portio dumtaxat aſſignetur ab Epiſcopo pro ejus arbitrio. In his enim quæ ſunt
51 determinata à jure, arbitrium non intrat, ut *l.* 1. §. *Ait Prætor*, *ff. de jur. deliber. l. Mora*, *ff. de probat. c. fin. ſupra de tranſact.* text. optimus *in c. De cauſis*, §. *Illis*, *de offic. deleg.* cum concordant. de quibus ibi per Hoſt. *n.* 9. *verſ. In iſtis enim.* Atque ita non obſtat, quòd etſi aliquid inductum ſit ipſo jure, non tamen excludatur factum Superioris, *c. Cùm ad noſtram*, & ibi gloſ. *in ver. Irritare*, *ſupra de elect. c. Cùm ſecundum*, *de hæret. lib.* 6. & tradit Tiraquell. *in l. Si unquam in verb. Revertatur*, *n.* 446. *C. de revoc. donat.* Quoniam reſpondetur hoc verum eſſe in facto hominis, quod eſt in executione juris præexiſtentis, & ita loquitur Tiraquell. ait enim; (Licèt in his, quæ ipſo jure conceſſa ſunt, non ſit neceſſe adire judicem; poteſt tamen officium judicis, ſi de facto expedit, implorari.) At Concilium non præcipit Epiſcopo, ut in aſſignatione purgationis exequatur jus præcedens; ſed ut arbitretur, quanta, & qualis eſſe debeat portio; & tunc demum illam aſſignet novo Parocho. Nam verba illa, *Competens portio*, referuntur ad quantitatem; ſequentia verò, *Ex fructibus ad matricem quomodolibet pertinentibus*, referuntur ad qualitatem portionis per Epiſcopum aſſignandæ. Ergo nihil eſt quod poſſit executioni demandari, antequã appareat ex declaratione Epiſcopi, quanta, & qualis ſit hujuſmodi portio: nam quod pendet non eſt pro eo quaſi ſit, dicit text. *in l. Is damnum*, §. *Quod pendet*, *ff. de reg. jur.* & notatur *in c.* 2. *infra de appell.* & cùm ſit in arbitrio Epiſcopi aſſignare portionem novo Parocho, ſive ex decimis, ſive ex aliis fructibus ad matricem pertinentibus, & quamdiu hoc arbitratus non fuerit, decimæ non debentur; quia poteſt contingere, ut non aſſignet decimas, ſed alios redditus, & ratione incertitudinis, & ambiguitatis nihil debetur, ut *l. Duo ſunt Titii*, *ff. de teſtam. & l. Si ita fuerit*, *ff. de reb. dub.* facit text. *in l. Ita ſtipulatus*, *ff. de ver. oblig. & in l. Cum poteſt*, §. *Genere*, *Cum ibi not. ff. de jur. dot.*

Non obſtant deciſiones Rotæ ſupra in contrarium allegatæ, quoniam loquuntur in terminis juris communis: ſequuntur enim opinionem Calderini uti magis communem, ſed non advertunt ad Decretum Conc. Item non obſtat quòd Concil. innovaverit *c. Ad audientiam*, *il* 1. *infra de Eccl. ædific.* non autem illi derogaverit. Nam reſpondetur Concilium non derogaſſe prædictæ Decretali, ſed Doctorum opinionibus. Præterea obſervandum eſt Concilium innovare *d. c. Ad audientiam*, in ea tantùm parte, in qua diſponit de erectione novæ Parochiæ, non autem ubi agit de fructibus novo rectori aſſignandis: quinimò ubi de fructibus agit, adverſativè loquitur; ut in verſ. *Illis autem Sacerdotibus*, ponderando dictionem, *autem*, de cujus natura eſt adverſari præcedentibus, ut notat Bart. *in l. Mariti*, §. *Cum autem*, *n.* 1. *ff. de adult. & in l. Hoc amplius*, §. *De his autem*, *n.* 1. *ff. de damn. infect.*

Poſtremò eademmet Rota in prædicta cauſa Mediolan. decimarum de Carlatio propter verba Concilii de ſua concluſione hæſitavit; ideòque rejecit cauſam ad S. Congregationem Cardinalium ejuſdem Concilii interpretum, quæ anno 1617. me Secretario, partibus auditis, atque articulo accuratè diſcuſſo, cenſuit decimas ad Eccleſiam matricem pertinentes non tranſire ipſo jure in Parochialem Eccleſiam noviter erectam, ſed remanere apud Eccleſiam matricem, niſi eas Epiſcopus novo Parocho ad præſcriptum Concilii aſſignaverit.

Nunc declara notabiliter concluſionem ut ſuprà firmatam, ut vendicet ſibi locum in decimis prædialibus tantùm; 52
in quibus terminis articulus fuit examinatus, & reſolutus à Sac. Congregatione; non autem in decimis perſonalibus, quæ tranſeunt ipſo jure in Parochialem noviter erectam etiam ante ullam Epiſcopi aſſignationem, ut notat gloſs. *in d. c. Ad audientiam, in ver. Obventiones*, quæ in hoc communiter approbatur, & Jo. Andr. *in addit. ad Speculat. in tit. de decim. lit. D. in ver. Unica.* Ratio eſt evidens; quia decimæ perſonales, ſeu ſacramentales debentur illi Eccleſiæ, ubi quis audit Divina Officia, & percipit Eccleſiaſtica Sacramenta, ut oſtenſum eſt ſuprà *n.* 20. Ergo cùm populus poſt erectionem novæ Parochialis ad eam confluat pro Divinis audiendis, & Sacramentis recipiendis; non autem ad Eccleſiam matricem: conſequens eſt, ut decimæ perſonales non eidem matrici, ſed novæ Parochiali ſint perſolvendæ.
Præterea perſonales non debentur primæ Parochiali, ſi quis mutaverit domicilium, ſed ſecundæ ſi ibi audiat Divina, & 53
recipiat Sacramenta, ut eſt textus *in c. Ad Apoſtolicæ*, *ſupra eod.* & ibi notant Butr. & alii; Rota *dec.* 124. *n.* 7. *p.* 5. *rec.* Cenſetur enim quis Parochianus illius Parochiæ in qua inhabitat, ut de Scholaſticis, & Mercenariis notat gloſs. in 54
Clem. 1. *in ver. Parochialis*, *de privil.* Si igitur Parochiani recedentes à Parochia antiqua, etiam ex cauſa voluntaria, & ad tempus, non tenentur ampliùs illi ſolvere decimas perſonales, quia dantur pro illis tantùm diebus, quibus Parochiani accedunt ad Eccleſiam, ut ait gloſs. *in d. cap. Ad audientiam*, *il* 1. *in ver. Obventiones*, *de Eccleſiis*

ſtis ædifican. u:ique longè minùs ad id tenentur, cùm recedunt ex cauſa neceſſaria, & perpetua diſmembrationis Parochiæ: jam enim Parochiani Eccleſiæ noviter erectæ in nova Parochia habitationem, & domicilium habent, ibique tenentur Divina audire, & Sacramenta percipere, & conſequenter ſoluti ſunt ab obligatione ſolvendi decimas perſonales matrici Eccleſiæ, etiam ſine facto, & miniſterio Epiſcopi, Rota *in d. deciſ.* 124. *num.* 4. *part.* 5. *recent.* Et eſt ſimile in futuris oblationibus, quæ debentur novæ Parochiali, etiamſi illas Epiſcopus non aſſignaverit, ut ex ſententia Sac. Congregationis tetigi in d. *c.* 51. *Ad audientiam*, *n.* 39. & hoc planum.

55 Sed remanet dubium, quid juris, ſi aliquis perceperit Sacramentum Baptiſmi in Eccleſia matrice, & reliqua Sacramenta in Parochiali, cuinam Eccleſiæ decimæ perſonales debeantur, Butr. *hic num.* 8. *col.* 4. *in princ. verſ. Quantum autem ad decimas*, Cardin. *num.* 8. *verſ. Perſonales autem*, & Abb. *hic num.* 6. *verſ. Remanet tamen unum dubium*, putant decimas perſonales partim deberi Eccleſiæ Baptiſmali ratione Baptiſmi, qui eſt janua omnium Sacramentorum, *cap. fin. de Presbyt. non baptiz.* partim Parochiali propter reliqua Sacramenta, & allegant notata per Joan. Andr. *loco ſuprà citato*, *num.* 33. Inducunt etiam quod notat Innoc. in *cap. De Sepultur.* & textum cum ibi notatis in *cap.* 2. *eodem tit. lib.* 6. & quod notatur in *cap. Novum genus*, *ſuprà eod.* fatentur tamen in hoc ſtandum conſuetudini. Verùm perſonales deberi illi Eccleſiæ in qua audiuntur Divina, non autem Baptiſmali, ſi ibi Divina non audiantur, tenet gloſſ. in *cap. Statuimus*, *in ver. Baptiſmalem*, 16. *quæſt.* 1. gloſſ. *ult. in cap. fin. de Parochiis*, Joan. Andr. & Anchar. in d. *cap. Ad Apoſtolicæ*, *ſuprà eod.* Rebuff. *de decimis*, *d. quæſt.* 6. *num.* 21.

56 Et huic opinioni ſuffragatur, quòd perſonales debentur illi Eccleſiæ, ubi Parochiani audiunt Divina Officia, & percipiunt Sacramenta per totum anni circulum, ut *cap. Queſti* 16. *qu.* 1. ſeu frequentiùs, ut per Rebuff. *d. q.* 6. *n.* 2. ubi refert ſe ita inveniſſe in quadam Decretali Alex. III. incipien. *Nota quæ ad honeſtatem*, *in integra*, ita ut ſi aliquoties in una Eccleſia, & poſteà in alia Divina audierint, vel in hieme in una Parochia, & in æſtate in altera: tunc perſonalis æqualiter ſit dividenda authoritate Superioris, ſi æquale fuerit tempus; alioquin proportionabiliter pro rata temporis, ut poſt Innoc. notat Butr. in *c.* 2. *in fin. ſuprà eod.* & Rebuff. *loco citato*. Sed Parochiani Eccleſiæ noviter erectæ nec audiunt Divina, nec per anni circulum percipiunt Sacramenta in Eccleſia Baptiſmali, ſed ſemel tantùm in vita Sacramentum Baptiſmi. Ergo non tenentur eidem matrici ad perſonales. Prima tamen opinio videtur ſatis rationi conſona, & fuit originaliter Goffredi *in ſumma hoc tit.* §. 2. ut dixi ſuprà *num.* 39. Pro qua facit optimè textus in *d. c. Queſti* 16. *qu.* 1. ponderando illa verba, ib., *Dent decimas ſuas, ubi infantes eorum baptizantur, & ubi per totum anni circulum Miſſas audiunt*, quæ ſatis clarè innuunt decimas perſonales utrobique ſolvendas, ideſt tam in Eccleſia, ubi quis baptizatur, quàm in illa, ubi per anni circulum audit Divina Officia, & percipit reliqua Sacramenta: & hoc placet, ceſſante tamen Epiſcopi aſſignatione, vel conſuetudine, ut per Card. & Abb. *locis citatis*, & per Rebuff. *in d. q.* 6. *num.* 21.

Porrò cùm Archiepiſcopus Urbini aſſignaſſet quamdam portionem decimarum ad matricem pertinentem, quam vocant *Quarteſium*, alteri Parochiali, eò quòd Baptiſma, quod in matrici tantùm miniſtrabatur, poſuiſſet etiam in d. Parochiali: Sac. Congregatio Concilii cenſuit *c.* 4. *ſeſſ.* 21. ad hunc caſum non pertinere. Item per disjunctivam, *vel*, poſitam in *d. cap.* 4. ibi, Parochialibus, vel baptiſmalibus, cenſuit Eccleſiam baptiſmalem, non eſſe Parochialem, nec habere curam animarum, quod notant Doctores in Clem. *unica*, *de Baptiſm.* quia actus Baptiſmi poteſt exerceri per laicum; & ſic non eſt de cura penitentiali, vel judiciali, cujus laicus ſicut & mulier eſt incapax. Et hoc intellige, ſi baptiſmalis non habeat niſi adminiſtrationem Baptiſmatis; ſecus ſi habeat adminiſtrationem omnium Sacramentorum; quia tunc eſt Parochialis reſpectu ſuæ Parochiæ, ut hìc declarat Butr. *num.* 8. *ante medium*, *verſ. Si prædia ſint*. Demum cenſuit Sac. Congregatio in omnibus Eccleſiis Parochialibus debere eſſe fontem baptiſmalem, niſi eſſent in aliquibus ſpecialiter Eccleſiis deputati fontes baptiſmales, qui matrices, vel baptiſmales Eccleſiæ vocantur, ita ut fiat diſtinctio matricum Eccleſiarum ab aliis curatis. 57 58 59

CUm in tua. Decima omnium fructuum prædii debetur illi, qui ſibi præſcripſit illud prædium decimale; alterius verò prædii, quod non præſcripſit, decimam non habebit. Hoc dicit ſecundùm Joan. Andr. Butr & Ancharan. vel ſecundùm Cardin. Abb. & Joan. de Anan. decima omnium fructuum prædii debetur ei, qui præſcripſit, ibi, *Decimas*; ſed ad aliud prædium præſcriptio non extenditur. Communis diviſio: conſultatio, & reſponſio; ſecunda ibi, *Reſpondemus*, & eſt pars *cap. Cùm in tua*, *ſup. de teſtam. & cap. Cum in tua*, *infrà de ſponſ. & qui matr. accuſ. poſſ.*

Pro intelligentia hujus textus vide quod ſcripſi in *cap. Proximo*, *n.* 11. *ſup. eod.*

DE DECIMIS.

Innocentius III. in Concilio Generali.

CAPUT XXXII.

IN aliquibus regionibus quædam permiſtæ ſunt gentes, quæ ſecundum ſuos ritus decimas dè more non ſolvunt, quamvis cenſeantur nomine Chriſtiano: his nonnulli domini prædiorum ea tribuunt excolenda, ut decimis defraudantes Eccleſias, majores inde redditus aſſequantur. Volentes igitur ſuper his Eccleſiarum indemnitatibus providere, ſtatuimus, ut ipſi domini talibus perſonis, & taliter ſua prædia excolenda committant, quòd abſque contradictione, Eccleſiis decimas cum integritate perſolvant, & ad id ſi de neceſſe fuerit, per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur.

Illæ quippe decimæ neceſſariò ſolvendæ ſunt, quæ debentur ex lege Divina, vel loci conſuetudine approbata.

S U M M A R I U M.

1 *PRædiorum domini cogi poſſunt, ut prædia colenda dent talibus, à quibus ſine contradictione Eccleſia poſſit decimas conſequi.*

2 *Decimas integrè non ſolventes excommunicari debent, & ſic mortaliter peccant.*

3 *Decimæ ſaltem prædiales etiam hodie ſunt ſolvendæ de jure Divino, & n. ſeqq. uſque ad n.* 10. *& n.* 16.
Quid in decimis perſonalibus, n. 5. *&* 15.

4 *Decimarum præceptum in lege veteri partim fuit morale, partim judiciale, partim cæremoniale, n.* 6. *&* 8.
Reſpectu quotæ hodie eſt de jure Eccleſiaſtico, n. 9.

7 *Detinere idem eſt quod rapere, & idem eſt auferre quod non dare.*

9 *Præcepta judicialia legis veteris, etſi non obligent tempore gratiæ; tamen ſervari poſſunt, ac etiam debent ſi ab Eccleſia ſtatuantur.*
10 *Conſuetudo eximens à ſolutione decimarum an ſit attendenda, & nu. ſeq.*
11 *Quid in Clericis, & Religioſis.*
12 *Et quid in Laicis.*
13 *Conſuetudo induci non poteſt, ut laici ex toto ſint exempti à ſolutione decimarum prædialium, ſed ad hoc requiritur vel privilegium, vel immemorabilis cum fama privilegii.*
14 *Et quid poſt Bullam Urbani VIII.*

1 IN *aliquibus*. Domini prædiorum cogi poſſunt, ut prædia colenda dent talibus, à quibus ſine contradictione Eccleſia poſſit decimas conſequi: hoc dicit uſque ad §. *Ille*, qui ob ſui brevitatem non ſummatur. Prima pars ponit exceſſum, quem ſecunda corrigi mandat, ibi, *Volentes*.

2 Nota primò ibi, *Per cenſuram Eccleſiaſticam*, non ſolventes decimas cum integritate, ad id compellendos eſſe per excommunicationem. Concordat Concilium Rothomagenſe relatum in *cap. Omnes*, 16 *qu.* 7 ibi, *Anathematis vinculo feriantur uſque ad ſatisfactionem, & emendationem congruam*. Et Concilium Tridentinum *cap.* 12. *ſeſſ.* 25. ibi, *Integrè perſolvant, qui verò eos ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur*. Et hinc collige contravenientes mortaliter peccare, cùm excommunicatio non feratur niſi pro culpa lethali, *cap. Nemo Epiſcoporum*, 11. *q.* 3. & ita hìc tenet gloſſ. *ultima*, & Abb. *n.* 4.

3 Secundò nota ex §. *Ille*, ibi, *Ex lege Divina*, textum expreſſum, quòd decimæ ſaltem prędiales hodie neceſſariò ſunt
4 ſolvendæ de jure Divino: & hinc collige apertiſſimè præceptum legis veteris circa decimarum ſolutionem non expiraſſe per legem Evangelicam, ſed adhuc neceſſariò ſervandum eſſe, & conſequenter ad præcepta merè judicialia, ſeu cæremonialia non pertinere, quæ fuerunt evacuata per adventum Chriſti, ſecundùm ea, quæ docet S. Th. *in* 1. 2. *q.* 103. *art.* 4. *& q.* 104. *art.* 3. & ita docet gloſ. *ult.*
5 *hic*, & Innoc. in *cap. Significavit*, *nu.* 2. *ſuprà de paroch.* ubi relatis authoritatibus veteris, & novi Teſtamenti, fuſè probat omnes decimas tam perſonales, quàm reales hodie eſſe integrè perſolvendas de jure Divino, & debere confundi iſtos novos Magiſtros, & prædicatores contrarium aſſerentes, Imol. *num.* 3. *ad fin. Mirum eſt*, inquit, *de quibuſdam, qui quaſi inſani, & hæretici dicunt, quod perſonales decimæ non ſunt dandæ*, cùm habeatur contra *n.* 10 *circa finem, & Deuteron.* 12. *circa princ.* & major ratio ſit, quòd quis det tributum de eo, quod producit manus ſua tamquam dignius, quàm quod de eo, quod producit humus. Item Abbas *ſuprà in Rubrica num.* 2. *verſ Et adverte*: oſtendit omnes DD. Eccleſiæ in hanc ſententiam convenire, ut etiam hodie decimæ debeantur, ſcilicet
6 de jure Divino, & opinioni Canoniſtarum apertè ſuffragatur Concilium Tridentinum in d. *cap.* 12. *ſeſſ.* 25. in illis verbis: *Cùm decimarum ſolutio debita ſit Deo, & qui eas dari noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt.* Quæ verba deſumpta ſunt ex *cap. Decimæ*, 16. *q.* 1. & non obſcurè innuunt hoc præceptum eſſe morale, & contineri
7 ſub præcepto illo Decalogi, *Non furtum facies*. Nam ut ait gloſſa in d. *cap. Decimæ*, *in ver invaſit*) idem eſt detinere quod rapere, ut ibi, & in *cap Sæpe*, *de reſtitut. ſpoliat.* & idem eſt auferre quod non dare, *cap. Sicut*, 47. *diſt. & cap. Indignè* 12. *qu.* 2 Præcepta antem moralia legis veteris cùm ſint juris naturalis, immutabilia ſunt, & ſervari debent ab omnibus etiam poſt legem Evangelicam, §. *His itaque*, & ibi gloſſ. 1. 6. *diſt.* S. Thom. *in* 4. *ſentent. diſt.* 2 *qu.* 1. *art.* 4. *quæſt.* 1. *ad ſecundum*, *& in* 1. 2. *quæſt.* 98.
8 *art.* 5. & ita expreſsè docuit Archid. *in cap. Decimæ*, *num.* 3. 16. *quæſt.* 1. ex eodem D Thom. *in* 2. 2. *quæſt.* 87. *art.* 1. *in corpor.* dicens, *Præceptum de ſolutione decimarum in veteri lege partim fuiſſe morale inditum naturali ratione, partim autem judiciale ex Divina inſtitutione robur habens; quod enim eis, qui Divino cultui miniſtrabant ad ſalutem populi totius, populus neceſſaria victui miniſtraret, ratio naturalis dictat, ſicut & his, qui communi utilitati invigilant, ſcilicet Principibus, & militibus, & aliis hujuſmodi ſtipendia victus debentur à populo; unde & Apoſtolus hoc probat* 1. *ad Corinth.* 9. *per humanas conſuetudines dicens: Quis militat ſuis ſtipendiis umquam: aut quis plantat vineam, & de fructibus ejus non edit? Sed determinatio certæ partis exhibendæ miniſtris Divini cultus non eſt de jure naturali, ſed eſt introducta inſtitutione Divina ſecundum conditionem illius populi, cui lex dabatur; & ſic quantum ad determinationem decimæ partis hoc præceptum erat judiciale, licèt ſignificaret aliquid in futurum, & hoc reſpectu conveniret cum cæremonialibus præceptis; judicialia verò etſi non obligent tempore gra- 9
tiæ, tamen poſſunt obſervari abſq; peccato, & ad eorum obſervantiam aliqui obligantur, ſi ſtatuantur authoritate eorum, quorum eſt condere legem; unde determinatio decimæ partis ſolvendæ eſt authoritate Eccleſiæ tempore novæ legis inſtituta ſecundum quandam humanitatem, ut ſcilicet non minus populus novæ legis miniſtris novi teſtamenti exhibeat, quam populus veteris teſtamẽti exhibebat. Sic ergo patet ad ſolutionem decimarum homines teneri partim quidem ex jure naturali, partim ex inſtitutione Eccleſiæ; quæ tamen penſatis opportunitatibus temporum & perſonarum, poſſet aliam partem determinare ſolvendam.* Hæc ex illo. Et prædictis adde Covarr. *var. reſolut. lib.* 1. *c.* 17. *n.* 3. ubi latiſſimè diſſerit, an, & quomodo decimæ tam reales, quàm perſonales debeantur jure naturali, Divino, vel humano. Et ſimiliter concludit deberi jure naturali quantum ad ſuſtentationem miniſtrorum, ſed jure Eccleſiaſtico poſitivo quantum ad determinationem quotæ; & hoc communiter tenetur.

Gloſſa ultima quærit, an conſuetudo non ſolvendi deci- 10
mas, ſit attendenda; & diſtinguit inter laicos, & clericos; & quantum ad laicos tenet, conſuetudinem non valere etiam reſpectu quotæ, niſi ſit approbata per Papam: & in hoc conſentit Innoc. & alii quos refert, & ſequitur Turrecr. in *cap. Revertimini*, *nu.* 14. 16. *q.* 1. Sed quoad clericos, & Eccleſiam gloſſa tenet preſcriptionem procedere non ſolùm reſpectu partis, ſed etiam totius decimæ. DD. in hoc multùm ſe involvunt, & aliorum opiniones recenſet Abb. *nu.* 7. & de qua conſuetudine loquatur hæc Decretalis, & de illius intellectu vide Archid. in *cap. Quicumque*, *num.* 6. *verſ. Et dicas aliis ommiſſis*, 16. *q.* 7.

Breviter dicendum conſuetudinem hanc non ſolùm re- 11
ſpectu quotæ, ſed etiam reſpectu totius decimæ quantum ad Clericos, & Religioſos eſſe attendendam, ut probat textus à contrario in *cap. Nuper*, ibi, *Quibus antea ſolvebantur*, *infrà eod.* dummodò tamen ſit legitimè præſcripta, hoc eſt dummodò ſit immemorabilis, vel quadragenaria cum titulo, juxta textum in *cap.* 1. *de præſcript. lib.* 6. ut pleniùs ſcripſi in prædicta Decretali, *cap. Nuper*, *in ultima quæſtione*, poſt Abb. ibi, *n.* 5.

Quo verò ad laicos dicendum valere conſuetudinem 12
reſpectu quotæ, licèt non fuerit in ſpecie per Sedem Apoſtolicam approbata, ut contra hanc gloſſam, & Innocentium tenet hìc Vincentius, & Abb. *num* 8. & alli complures, quos refert, & ſequitur Covarr. *lib.* 1. *var. reſolut. cap.* 17. *num.* 8. *verſ. Quidam verò cenſent*, dicens hoc obtinere non tantùm in decimis perſonalibus, ſed etiam in prædialibus, poſt Franciſcum Bald. *in tract. de præſcript. in* 5. *part. principali*, *q.* 7. quam ſententiam multoties etiam probavit Rota.

Sed reſpectu totius decimæ concludendum eſt nulla con- 13
ſuetudine, vel præſcriptione induci poſſe, ut laici ex toto ſint exempti à ſolutione decimarum prædialium: & in hoc conveniunt gloſſa *ultima hic*, & communiter omnes, Roch. de Curte *in tract. de conſuet. num.* 94 Covar. *d. cap.* 17. *num* 8. Quod vendicat ſibi locum, etiamſi conſuetudo, vel præſcriptio ſit tanti temporis, cujus contrarii memoria non exiſtat, quia ubi agitur de exemptione à toto, ſola immemorabilis non ſuffragatur ad præſumendum privilegium fuiſſe obtentum, ſed requiritur exhibitio ipſiuſmet privilegii Apoſtolici, vel probatio famæ privilegii juncta cum immemorabili, ut decidit Rota *decis.* 474. *n.* 3. *part.* 1. *recentior.* dicens hanc eſſe magis communem opinionem, de qua per Innoc. & Abb in *cap. Cum Apoſtolica*, *de his quæ fiunt à Prælat.* & alios ibi allegatos; eamque uti communem ſequutam fuiſſe Rotam in pluribus cauſis, & præſertim *in Toletana decimarum inter impreſſas deciſ.* 215. *part.* 2. *diverſ.* & in aliis concordant: Et quamvis doctrinæ & deciſiones ibi adductæ non loquantur in præſcriptione juris decimandi, in quo longè major viget ratio prohibitionis, tum propter Concilium Lateranen. in *cap. Cum & plantare*, *de privileg.* tum propter laicorum incapacitatem, ut dixi in d. *c. Cum Apoſtolica*: nihilomiùs

Rota

Rota idem cenſuit in terminis emptionis, licèt in hoc caſu non adſit tanta juris reſiſtentia, quanta ad hoc ut laici fiant capaces juris decimarum, ut in *præalleg. deciſ. 474. & in Pampilonen. decimarum 26. Octobris* 1589. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, & pleniùs *in Mediolanen. reſciſſionis permutationis 21. Maji* 1597. coram eodem.

14 Hodie tamen fama privilegii Apoſtolici non videtur ampliùs ſuffragari ad eximendos laicos à ſolutione decimarum prædialium, aut eos habilitandos ad illas percipiendas, propter Conſtitutionem Urbani VIII. editam die 5. Junii 1641. quæ incipit, *Romanus Pontifex*, ut plenè notavi in *c.*1. *n.*53. 55. & 57. *ſuprà de conſuetudine*.

15 Quo verò ad decimas perſonales, an conſuetudo vim habeat eximendi laicos in totum ab illorum ſolutione, DD. non conveniunt: nam gloſſ. *final. hic*, & Innoc. indiſtinctè tenent nullam conſuetudinem, niſi à Romano Pontifice ſit approbata, eximere poſſe laicos à ſolutione decimarum nec perſonalium, nec prædialium, nec ab earum aliqua parte. Exiſtimant enim etiam perſonales deberi jure Divino, & ideò eſſe impræſcriptibiles, ut tetigi ſuprà *num.* 5. & hanc opinionem fatetur eſſe communem Rocch. de Curte in d. *tract. de conſuet. num.* 94. licèt cum Covar. citet pro contraria ſententia, ait enim: Communis videtur concluſio, quòd non valeat conſuetudo, maximè in decimis prædialibus: nam illa dictio, *Maximè*, implicat idem eſſe in perſonalibus.

Cæterùm à juris utriuſque interpretibus frequentiùs in eam itum eſt ſententiam, ut conſuetudo eximere poſſit laicos à ſolutione decimarum perſonalium, eò quòd non debeantur jure naturali, ſed tantùm jure humano, quod tolli poteſt per conſuetudinem. Ita poſt Raymundum firmat Turrecrem. in d. *cap. Revertimini, num.* 13. 16. *quæſt.* 1. Hoſt *in Summa in titulo de decim.* §. *Et utrum quæſt.* 7 Henric. Boich. *in cap. Pervenit, col.* 5. *num.* 20. *ſuprà eodem*, Felin. *in cap. Cauſam quæ col.* 1. *da præſcript.* Idque communius receptum eſſe atteſtantur Cardin. *in cap.* 1. *num*..... *ſuprà eodem*, & Covarr. alios referens *lib.* 1. *var. reſolut. d. cap.* 17. *num.* 8. & verba illa textus noſtri, Illæ quippè decimæ ſunt ſolvendæ, quæ debentur ex lege Divina, vel loci conſuetudine approbata: exponunt, ſcilicet prædiales, ut per Turrecrem. *ubi ſuprà*. 16

DE DECIMIS.

Idem Innocentius III. in eodem Concilio Generali.

CAPUT XXXIV.

Nuper Abbates Ciſtercienſis Ordinis, in generali Concilio congregati, ad commonitionem noſtram providè ſtatuerunt, ne de cætero fratres ipſius Ordinis emant poſſeſſiones, de quibus decimæ debeantur Eccleſiis: niſi fortè pro Monaſteriis noviter fundandis. Et ſi tales poſſeſſiones ei fuerint pia fidelium devotione collatæ, aut emptæ pro Monaſteriis de novo fundandis, committantur aliis excolendæ, à quibus, Eccleſiis decimæ perſolvantur. Ne occaſione privilegiorum ſuorum Eccleſiæ ulteriùs prægraventur, decernimus, ut de alienis terris & amodò acquirendis, etiam ſi eas propriis manibus aut ſumptibus excolant, decimas perſolvant Eccleſiis, quibus ratione prædiorum anteà ſolvebantur: niſi cum ipſis Eccleſiis aliter duxerint componendum. Et hoc ipſum ad alios Regulares, qui gaudent ſimilibus privilegiis, extendi volumus, & mandamus: ut Eccleſiarum Prælati promptiores, & efficaciores exiſtant ad exhibendum eis de ſuis malefactoribus juſtitiæ complementum, eorumque privilegia diligentiùs & perfectiùs ſtudeant obſervare.

SUMMARIUM.

1 *Ciſtercienſes, Templarii, & Hoſpitalarii de fructibus poſſeſſionum, quas acquiſiverunt poſt generale Concilium, tenentur decimas ſolvere, ſi priùs ex illis decimæ ſolvebantur.*

2 *Ciſtercienſes emere non poſſunt prædia decimalia, niſi pro monaſteriis fundandis, & acquiſita ex largitione fidelium, vel empta pro monaſteriis fundandis, debent tradere aliis excolenda.*

3 *In decimis prædialibus, quæ debentur Eccleſiis non Parochialibus ex privilegio, vel præſcriptione, aut alio jure ſpeciali, an habeat locum hoc Capitulum, & num. ſeqq. uſque ad n.* 10.

Quid ſi decimæ debeantur Eccleſiæ Cathedrali, numer. 8.

Et quid ſi debeantur inferioribus Eccleſiis ex conſuetudine, vel privilegio, aut præſcriptione, num. 9.

4 *Ratio in lege expreſſa ejus eſt potentiæ, ut determinet omnes caſus ſub ratione comprehenſos, etiam ad correctionem juris communis.*

5 *Decimæ communes, non autem ex pacto, pollicitatione, vel voto, comprehenduntur in Clem.* Diſpendioſam, de judic.

6 *Præjudicium majus eſt amittere quod competit de jure communi, quàm quod competit de jure ſpeciali.*

7 *Privilegium non cenſetur Princeps voluiſſe concedere contra alium qui eſt dignus eodem favore.*

8 *In decimis debitis Cathedrali Eccleſiæ Epiſcopus fundat intentionem de jure communi.*

10 *Decimæ etiam de fructibus prædiorum dotalium Eccleſiæ, vel monaſterii ſolvi debent illis Eccleſiis, quibus anteà ſolvebatur.*

11 *Item ſolvi debent de fructibus fundi, vel manſi monaſterii ante illius conſtructionem, ſive excolatur propriis manibus, ſive aliis excolendus tradatur.*

12 *Secus poſtquam monaſterium fuerit ibi ædificatum.*

13 *Privilegium eſt revocandum, quando incipit tendere in grave præjudicium aliorum.*

14 *Decimæ prædiales à Regularibus privilegiatis ſolvendæ ſunt de fructibus illarum poſſeſſionum, quas acquiſiverunt poſt datam Concilii generalis.*

Secùs de acquiſitis ante, nu. 16.

15 *Dictio,* amodò, *quid importet.*

17 *Lateranenſe Concilium ſub Innoc. III. quo tempore fuerit celebratum.*

18 *Decimas de poſſeſſionibus acquiſitis poſt generale Concilium regulares privilegiati ita demùm tenentur ſolvere, ſi de illis anteà decimæ ſolvebantur.*

19 *Aliàs ſecùs, & nu. ſeqq.*

Et quid ſi decimæ anteà ſolvebantur ratione ſolius adminiſtrationis Sacramentorum, n. 23. *verſ. Quod autem dilectum eſt.*

20 *Conſuetudo immemorabilis non poteſt in totum eximere quemquam laicorum a ſolutione decimarum prædialium.*

21 *Et quo caſu poſſit eximere Religioſos ab hujuſmodi ſolutione.*

22 *Privilegium, quod habent Religioſi non ſolvendi decimas de novalibus, quæ propriis manibus, vel ſumptibus excolunt, per hoc cap. non fuit ſublatum.*

23 *Novale quid ſit.*

24 *Compoſitio ſuper decimis facta per Parochum ſine bene-*

placito Apoſtolico an tranſeat in ſucceſſorem.

25 *Exemptio à decimis prædialibus poſt generale Concilium obtenta an valeat, & num. ſeq. uſque ad numer. 32.*

Quid ſi in privilegio fuerit expreſſè derogatum huic ca. Nuper, *ibid.*

Et quid ſi derogatum non fuerit, nu.27.

26 *Conſtitutio edita à Papa in Concilio non impedit, quin ſucceſſor poſſit contra eam privilegium, vel diſpenſationem concedere.*

27 *Derogatio c.* Nuper, *in privilegio exemptionis à decimis prædialibus non requiritur quoad illa prædia, de quibus decimæ priùs non ſolvebantur.*

28 *Sed quoad illa, de quibus antea ſolvebantur, neceſſaria eſt derogatio; aliàs privilegium eſt nullum ex defectu intentionis in concedente.*

29 *Derogatio primæ partis hujus cap.* Nuper, *non cenſetur conceſſa, niſi in ſpecie fuerit expreſſa.*

30 *Conſtitutio cap.*Nuper, *ad effectum, ut requiratur derogatio, eſt Conciliaris.*

31 *Derogatum cenſetur cap.* Nuper, *ſi in litteris exemptionis à decimis prædialibus derogetur alicui Concilio generali, & poſteà addatur clauſula,* & aliis Conciliis.

32 *Idem ſi dicatur, non obſtante aliquâ Conſtitutione in generali Concilio edita.*

33 *Communicatio privilegiorum quantumvis ampla exemptionem à decimis prædialibus non includit.*

34 *Exemptio à decimis prædialibus non conceditur niſi magna cum difficultate, & cauſæ cognitione.*

35 *Exemptio à decimis intelligitur de extraordinariis, non autem de ordinariis.*

36 *Decimæ poſſunt præſcribi à Religioſis, aut Clericis ſæcularibus, tam activè, quàm paſſivè.*

37 *Requiritur tamen immemorabilis, vel quadragenaria cum titulo.*

1 NUper. Ciſtercienſes, Templarii, & Hoſpitalarii de fructibus poſſeſſionum, quas acquiſiverunt poſt generale Concilium, tenentur decimas ſolvere, ſi priùs ex illis decimæ ſolvebantur. Hoc dicit ſecundùm Ioan. Andr. cum quo concordant Butr. Cardin. Anchar. Abb. & Jo. de Anan. Dividitur in duas partes. Prima ponit ſtatutum Ciſtercienſium, ſecunda confirmationem, & proviſionem Papalem, ibi, *Ne occaſione.*

2 Ad intelligentiam textus præmitte, Ciſtercienſes, Templarios, & Hoſpitalarios ante Concilium Innocentii fuiſſe privilegiatos in hoc, ut non tenerentur decimas ſolvere de fructibus poſſeſſionum quas propriis manibus, vel ſumptibus excolebant, ut in *cap. Ex parte, il primo ſuprà eod.* Sed quia hujuſmodi privilegium redundabat in Eccleſiarum præjudicium, ob ingentes illorum acquiſitiones, Abbates Ciſtercienſes ab Innoc. qui tunc univerſali Concilio præſidebat, commoniti, in generali Capitulo congregati conſtitutionem ediderunt, ut deinceps Monachi ejuſdem ordinis non emerent poſſeſſiones decimarum ſolutioni obnoxias, niſi pro monaſteriis de novo fundandis; poſſeſſiones verò, quas non titulo emptionis, ſed ex largitione fidelium acquirerent, aut pro monaſteriis fundandis, ſeu dotandis emerent, non colerent per ſeipſos, ſed aliis traderent excolendas, à quibus decimæ ſolverentur; hoc enim modo Eccleſiarum indemnitati conſultum erat, & ipſi eorum privilegium non violabant: & hæc eſt prima Conſtitutionis pars. Sed nihilominùs Papa volens pinguiùs providere, ne occaſione privilegiorum hujuſmodi gravarentur Eccleſiæ, decrevit, ut tam ipſi Ciſtercienſes, quàm alii Religioſi quomodolibet privilegiati, ſcilicet Templarii, Hoſpitalarii, & conſimiles de cætero teneantur ſolvere decimas de fructibus poſſeſſionum, quas poſt hoc Concilium quocumque titulo acquirerent, etiamſi illas excolant propriis manibus, vel ſumptibus, ſi de illis ante ratione prædiorum decimæ ſolvebantur; præſervat tamen amicabiles compoſitiones, quas Religioſi cum Eccleſiis duxerint ineundas.

3 Nota primò ibi, *Eccleſiis*, hanc Conſtitutionem habere locum non tantùm in decimis de jure debitis Eccleſiis Parochialibus, ſed etiam in illis, quæ aliis Eccleſiis debentur, cùm textus indiſtinctè loquatur de Eccleſiis, & ejus ratio generalis ſit, ibi, *Ne Eccleſiæ ulterius prægraventur.*
Quæ ratio in textu expreſſa ejus eſt potentiæ, ut determi- 4
net omnes caſus ſub ratione comprehenſos, etiam ad correctionem juris communis, gloſſ. in *cap. 1. in ver. Italiæ, de tempor. ordin. lib.7.* Bald. in Authen. *quas actiones, nu. 4.* ubi etiam Jaſ. *num. 22. C. de ſacroſ. Eccleſ.* & ita perpetuò intellexit hoc *cap* Rota, *ut in Valentina Decimarum 14. Maji* 1604. coram Cardin. Lancellotto Jun. impreſſa apud Hieron. Campan. *in diverſ. Jur. Can. rubr. 12. cap. 13 num. 154. verſ. Poſtremæ*, & coram Coccin. *deciſ. 192. lib. 2.* ubi allegantur aliæ deciſiones concordantes.

Sed certè de jure videtur poſſe attentari contrarium, 5
quia cùm hæc Conſtitutio loquatur de Decimis, quæ debentur Eccleſiis, videtur intelligenda de Decimis, quæ debentur de jure communi, non autem de jure ſpeciali privilegii, vel præſcriptionis, ex gloſſ. in Clem. *Diſpendioſam, in ver. Decimis, de Judic.* recepta ibi à Vital. *num.* 38. & communiter ſcribentibus, quæ dicit Conſtitutionem illam, quæ loquitur de Decimis, eſſe intelligendam de decimis communibus, non autem de illis, quæ debentur ex pacto, pollicitatione, vel voto. Sed de jure communi ſolæ Parochiales fundant intentionem ſuper decimis prædialibus, *cap. Cum contingat*, & ibi omnes, *& cap. Cum in tua, ſuprà eod.* Rota apud Card Seraph. *deciſ.* 802. & aliàs paſſim. Ergo hæc Conſtitutio licèt de Eccleſiis indiſtinctè loquatur, tamen de Parochialibus eſt intelligenda, prout eam intelligit Hoſt. qui non loquitur exemplificativè, ſed exponendo litteram, ut patet ex illius lectura
hìc in verb. *Committantur*, *& in verb. Perſolvantur* Item 6
jura in hoc conſiderant præjudicium Parochialium Eccleſiarum, ut in *cap. Dilecti, ad fin. ſuprà eod. & in cap. Quid per novalem*, ibi, *Abſque gravi detrimento Parochialis Eccleſiæ*, & paulò infrà, ibi, *De quo Parochialis Eccleſia magnos percipit decimarum ratione proventus, infrà de verb. ſignif.* Nam & major ratio gravaminis viget in Parochialibus, quibus debentur decimæ de jure communi, quàm in aliis Eccleſiis, quibus debentur de jure ſpeciali, puta ex privilegio, vel præſcriptione Unde faciliùs tollitur quod competit de jure ſpeciali, quàm quod de jure communi, *l. Ejus militis, §. Militia, ff. de militar. teſtam.* & ibi gloſ. *in verb. Quocumque*, & Bart. *in princ.* & notant in *cap. Eccleſia S. Mariæ, de Conſtitut.* Butr. *num.* 20 Imol. *num.* 11.
Felin. *n.* 81. Dec. *n.* 2. Præterea credendum non eſt Conci- 7
lium voluiſſe adimere privilegium Ciſtercienſibus, & aliis Religioſis ſuper exemptione à decimis prædialibus, ad hoc ut redintegraret aliorum privilegia ſuper decimis percipiendis: nam inter æqualiter privilegiatos locum non habent communes regulæ, *l. Sed etſi militis, §. Æqualitas, ff. de excuſat. tutor.* Anchar. *conſ. 37. num. 2.* ubi ait non eſſe veriſimile, ut Princeps voluerit privilegium habere locum contra alterum, qui eſt dignus eodem favore, & ſequitur Rota *deciſ. 251. num. 4. part. 3. recent.* & eo magis, quia privilegium, quod habent Ciſtercienſes, Templarii, & Hoſpitalarii, eſt clauſum in corpore juris, ut in d. *c. Ex parte, il primo, ſuprà eod.* & ſic facit jus commune inter nominatos, ut dixi in *cap. His quæ, num 35 ſuprà de major. & obed.* Ergo longè minùs Concilium cenſetur voluiſſe illud abrogare ad reintegranda privilegia aliarum Eccleſiarum in corpore juris non inſerta, arg. *d. §. Militia*. Interpretatio enim fit pro jure communi, quando concurrit cum privilegio, ut per Feder de Sen. *conſ. 256. circa medium, verſ. Item quando jus commune.* Cogitandum tamen propter Rotæ authoritatem, & pro concordia fortè ſic poſſet diſtin-
gui: Aut decimæ debentur Cathedrali Eccleſiæ ex dona- 8
tione, vel alio modo; & tunc planum eſt intrare hanc Conſtitutionem. Tum quia Epiſcopus in his fundatam habet intentionem de jure communi, ut tenet Rebuff. *in tract. de decim. qu. 7. num.* 13. Tum quia hoc caſu viget ratio in textu conſiderata, nempè ut Prælati promptiores exiſtant ad exhibendum Religioſis juſtitiæ complementum, eorumque privilegia ſtudeant obſervare; & in his terminis
emanavit prædicta deciſio Valentina Decimarum. Aut 9
agitur de Eccleſiis inferioribus: & tunc ſubdiſtinguendum: nam aut decimæ illis debentur ex conſuetudine, & ſuſtineri poteſt habere locum hoc Capitulum, quia conſuetudo favorabilis eſt, & pro lege tenenda, *cap. In his, 11. diſt.* gloſ. *ult. in c. In aliquibus, ſuprà eod.* Ideòque tametſi in preſcriptione juris decimandi requiratur tempus immemorabile, vel quadragenaria cum titulo, ut *c. 1. de præſcript. lib. 6.* tamen Rota *in cauſa Corduben. redecimarum*, quæ

eſt in

eſt in *recent. deciſ.* 203. *part.* 5. admiſit ſecus eſſe in conſuetudine, quia cùm introducta ſit ex ſolutione ſpontè, & ex mera liberalitate facta per civitatem, & populum; & ſic habeat initium voluntarium, & non coactum; propterea ſervanda eſt etiamſi probaretur ſpatio decem annorum dumtaxat, juxta notata in *capit. Ad Apoſtolicam*, *de Simon.* Caſſador. *deciſ. un. per tot.* & præſertim *n.* 5. *de conſuet.* ut in terminis noſtris hoc voluit Hoſtien. *hic in verb. Solvebantur*, dum ait præſervatas eſſe decimas Eccleſiarum, quibus debebantur de jure, ſive de conſuetudine, & eum ſequuta eſt Rota *in dicta Valentina decimarum*, & coram Coccino *deciſ.* 192. *lib.* 2. Aut decimæ debentur Eccleſiis non Parochialibus ex privilegio, vel præſcriptione: & tunc procedant ſuperiùs dicta. Adhuc tamen cogita, & vide Rotam *dec.* 193. *p.* 7. *rec.*

10 Secundò nota ibi, *Pro monaſteriis de novo fundandis*, etiam de fructibus poſſeſſionum, quæ acquiruntur pro fundatione monaſterii, decimas eſſe perſolvendas, ut in littera. Cæterùm adverte, quia hoc dupliciter poteſt intelligi; primò ſcilicet exponendo verba illa, *Pro monaſteriis fundandis*; ideſt pro monaſteriis dotandis, veluti cum datur fundus, ut ſit loco dotis monaſterio erigendo; & hoc primo caſu de fructibus talis fundi dabitur decima tam ante, quàm poſt conſtructionem monaſterii; & ſic etiam de prædiis dotalibus Eccleſiæ debet ſolvi decima illis Eccleſiis, quibus anteà ſolvebatur, ſive talia prædia pia devotione fidelium ſint oblata, ſive empta pro monaſteriis fundandis, ut *hic* per Abb. *in* 1. *notab.* ubi ait de hoc eſſe textum hìc, quem neſcit alibi æquè bonum, & qui non conſuevit ad hoc allegari, licèt contrarium tenuerit gloſſ. 1. in *cap. Novum genus*, *ſuprà eod.* Secundò poteſt intelli-
11 gi textus exponendo verbum, *fundandis*, ſtrictè, cùm ſcilicet confertur, vel emitur fundus, ſeu manſus pro monaſterio inibi ædificando: & tunc antequam monaſterium ibi ſit conſtructum, de fructibus illius fundi dabitur decima, ſive excolatur propriis manibus, ſive aliis excolendus
12 tradatur, ut patet in textu. Poſtquam verò monaſterium fuerit ibi conſtructum, de illo manſo non ſolvetur decima. Fruſtrà enim quæritur de decima, cum nihil inde recolligatur, *cap.* 1. *infrà de cenſib.* Et hęc fuit mens gloſſæ *in ver. Committantur*, quam ſic declarat, & ab impugnatione Hoſtienſ. tuetur Joan. Andr. *n.* 8. cum quo tranſeunt Butr. *n.* 9. Cardin. *n.* 3. Abb. *n.* 4. & reliqui omnes: & adde quod ſcripſi in *c. Non minus*, *num.* 8. *infrà de immunit. Eccleſ.* ubi allegando Rotam *deciſ.* 339. *nu.* 40. *p.* 6. *recent.* dixi bona Eccleſiarum quoad fundationem, vel manſum eſſe immunia ab oneribus nedum publicis, ſed etiam privatis, & anteà impoſitis.

13 Tertiò nota ibi, *Eccleſiæ ulteriùs prægraventur*, privilegium eſſe revocandum, quando incipit tendere in grave præjudicium aliorum, Butr. *hic in* 2. *not.* ad hoc capitulum *Suggeſtum*, *ſupra eodem*.

14 Quartò nota ibi, *Et amodò acquirendis*, Decimas prædiales à Regularibus privilegiatis eſſe ſolvendas de fructibus illarum poſſeſſionum dumtaxat, quas acquiſiverunt poſt datam hujus Concilii, & privilegia omnium Religioſorum priùs conceſſa, quoad bona hujuſmodi eſſe
15 revocata, Abbas *hic in* 3. *notab.* & ita hìc eſt caſus ſecundùm Joan. Andr. & omnes in ſummario textus, nam dictio *amodò*, idem importat, quod *ab hac die in anteà*, ut inquit Hoſt. *numer.* 1. *in ver. Et amodò*, & Joan. Andr. *n.* 2.
16 *in eodem verb.* Ergo à contrario ſenſu quoad poſſeſſiones ante Generale Concilium acquiſitas hæc Conſtitutio nil novi juris induxit. Unde in illis ſervabitur privilegium Adriani, de quo in *cap. Ex parte*, *il primo*, *ſuprà eod.* videlicet ut Ciſtercienſes, Templarii. & Hoſpitalarii de fructibus prædiorum, quæ propriis manibus, vel ſumptibus excolunt, decimas ſolvere non teneantur, argumento *c. Ad audientiam ſuprà eod.*

17 De acquiſitione autem poſt Concilium conſtabit ex data inſtrumenti acquiſitionis, & ex data ipſius Concilii, quod fuit celebratum Romæ in Baſilica Lateranen. anno Domini 1215. anno 17. Pontificatus Innocentii, ſecundùm Joan. Andr. *hic n.* 2. *in ver. Et amodò*, cum quo concordant Butr. *num.* 3. & Abb. *eod. num. verſ. Papa verò*, & patet ex Epiſtola Encyclica ipſius Innocentii, de Synodo celebranda ad omnes Epiſcopos, Prælatos, & Principes Eccleſiæ, quæ incipit, *Vineam Domini Sabaoth*, & habetur initio Actorum Concilii Lateranenſis IV. *to.* 3. *Conciliorum parte* *ſecunda*, *pag.* 674. & in Bullar. *tom.* 1. *pag.* 41. ex qua Epiſtola liquet Concilium hoc fuiſſe indictum anno Dominicę Incarnationis 1213. ad duos annos cum dimidio; & ideò initium ſumpſit poſt diem 25. Septembris anni 1215. qui erat Pontificatus Innocentii decimusſeptimus. Durabat tamen anno Pontificatus 18. cùm eo anno 14. Decembris in Concilio edita fuerit Conſtitutio *c. Ad liberandam*, *de Judæis* ut in Bullar. *d. tom.* 1. *pag.* 42. & hoc modo intelligendi ſunt Abbas Urſpergenſis, & alii, qui dicunt Innocentium celebraſſe hoc Concilium anno 18. ſui Pontificatus, ut ſcripſi in *c.* 1. *n.* 9. *ſuprà de Summ. Trinit. & fide Cathol*, ubi plenè de hoc Concilio.

Quintò nota ibi, *Quibus ratione prædiorum anteà ſol-* 18
vebantur, Regulares privilegiatos de fructibus poſſeſſionum, quas acquiſiverunt poſt datam hujus Concilii, ita demùm teneri decimas ſolvere, ſi de illis anteà ſolvebantur, & ita hìc eſt caſus ſecundùm Joan. Andr. Butr. Abb. & omnes, ut dixi in ſummario textus; & ſic duo copulativè requiruntur ad hoc ut privilegiati ſint obnoxii ſolutioni decimarum prædialium. Alterum eſt, ut prædia fuerint acquiſita poſt Concilium, ut dictum eſt in præcedenti notabili. Alterum, ut ante acquiſitionem de illorum fructibus decima ſolveretur, ut in littera. Ergo à contrariò ſenſu de illis prædiis etiam poſt Concilium acquiſitis, de quibus 19
ante acquiſitionem nulli Eccleſiæ decimæ ſolvebantur, non dabitur decima; & hoc innuit Hoſt. *hic n.* 1. *in ver. Solvebantur*, dum arguit dicens: Ergo à contrario ſi nulli ſolvebantur, nulli ſolventur; ergo conſuetudo excuſat à ſolutione decimarum.

Nec obſtat, quòd conſuetudo non poſſit eximere quem- 20
quam laicorum in totum ab obligatione decimarum prædialium, ut firmat gloſſ. *ult.* Hoſt. & alii in *cap. In aliquibus*, *ſuprà eod.* Turrecr. *in cap. Revertimini*, *art.* 7. *num.* 11. 16. *q.* 1. & eſt communis opinio, ut teſtatur Covarr. alios citans *var. reſolut. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 8. quam ſequuta eſt Rota *deciſ.* 474. *num.* 3. *par.* 1. *recent.* ubi reſolvit exemptionem laicorum à ſolutione decimarum per ſolam immemorabilem non induci ſine Apoſtolico privilegio, vel privilegii fama. Nam reſpondetur hoc non procedere 21
quoad Religioſos privilegiatos. Ratio eſt, quia cùm de validitate privilegii Apoſtolici ſuper hoc hæſitari non poſſit, ut *cap. Suggeſtum*, *cap. Ex multiplici*, *cap. A nobis*, & *cap. Ex parte ſuprà eod.* & *infrà cap. ult. cap. Accedentibus*, *cap. Si de terra*, & *cap. Dudum*, *de privil.* & probat Covarr. d. *cap.* 17. *n.* 9. cùmque hæc Conſtitutio non revocet eorum privilegium generaliter, & indiſtinctè, ſed tantùm quoad illa prædia, de quibus decimæ ante ſolvebantur; hinc ſequitur, ut quoad illa prædia, de quibus decimæ non ſolvebantur, privilegium remanſerit in ſuo robore; & ſic exemptio ab obligatione decimarum non oritur ex vi conſuetudinis, ſed ex vi privilegii Apoſtolici, quod Papa noluit eſſe abrogatum, quando decima de illis bonis anteà non ſolvebatur, & ſic quando cum ipſo privilegio concurrit etiam conſuetudo; & ſecundùm hoc ſi ex aliquo prædio laicus nunquam ſolviſſet decimam, quamvis hæc conſuetudo, vel pręſcriptio illi non ſuffragaretur, ut prędixi, ſi tamen prædium illud poſteà tranſiret ad Ciſtercienſes, vel alios privilegiatos, decima de illius fructibus non eſſet ſolvenda, quia in illo verificari non poſſet, quod hìc diſponitur, nempè ut decima ſolvatur Eccleſiis, quibus anteà ſolvebatur, cùm hoc caſu nulli Eccleſiæ priùs ſolveretur. Stabit ergo privilegium, quod immutatum non invenitur, *l. Sancimus*, *C. de teſtam. l. Præcipimus*, *in fin. C. de appel.* gloſſ. *in c. Conſtitutionem*, *in verb. Prorogamus*, *ſuprà eod.* & imputet ſibi Rector Eccleſiæ, qui tamdiù diſtulit decimam exigere à laico non privilegiato: non enim eſſet conveniens, ut illam inciperet exigere, poſtquam prædium pervenit ad privilegiatum: facit text. in *cap. Cum Apoſtolica*, *ſuprà de his quæ fiunt à Præl.* & ita intelligo hanc Decretalem. Et ex hoc infero, ut privilegium, quod habent Religioſi non ſolvendi decimas de novalibus quæ propriis 22
manibus, vel ſumptibus excolunt, ut in *c. Ex parte*, *il primo*, *ſuprà eod.* minimè ſublatum fuerit per hoc capit. & ita tenet Abb. *hic n.* 3. *in fin. verſ. Item credo.* Ratio eſt evidens, 23
quia cùm novale ſit ager de novo ad cultum redactus, de quo non extat memoria, quòd aliquando cultus fuiſſet, ut diffinitur in *c. Quid per novale*, *infrà de verb. ſignif.* & ſic decima de illius fructibus anteà non ſolveretur; non poſſunt in ea verificari verba illa hujus textus, quibus decimæ

antea ſolvebantur, & conſequenter privilegium illud remanet in ſuo robore; utpotè non ſublatum per hanc Conſtitutionem, arg. c. *Ad audientiam*, *ſuprà eod.*

Quod autem ſuperius dictum eſt Religioſos privilegiatos teneri decimas ſolvere de illis prædiis, de quibus antea ſolvebantur, limita, niſi decimæ debeantur ſolummodò ratione adminiſtrationis Sacramentorum, ut in ſubjecta declaratione S. Congreg. Concilii, videlicet Canonici Cathedralis Eccleſiæ Ferrariæ conqueſti ſunt apud Sac. Congregationem, quòd Regulares Ordines Mendicantium recuſabant ſolvere decimas eorum prædiorum, quæ antequam ad eos pervenirent ſolita erant ſolvere; imò dictæ decimæ dividebantur inter ipſos Canonicos loco diſtributionum quotidianarum. Unde cùm Regulares vigore ſuorum privilegiorum non ſolverent, redditæ erant ita tenues dictæ diſtributiones, ut probabiliter poſthac metuerent, ne negligerentur, ac proinde ſervitium Eccleſiæ minueretur: Sac. Congregatio reſpondit ex ſententia Sanctiſſimi, quòd ſi dictæ quartæ, ſeu decimæ ſunt impoſitæ rei, quia à principio conceſſæ à Clericis, vel ſolutæ cum hac conditione, & onere, quòd ſolvantur ipſis Clericis tales decimæ: tunc ad quoſcumque vadant etiam Mendicantes, tenebuntur omnes eas ſolvere: ſi verò iſtæ decimæ debentur pro adminiſtranda cura animarum: tunc quia Clerici non adminiſtrant iſtis Mendicantibus aliqua Sacramenta, non vult eos Mendicantes ad eas teneri, quia ceſſat cauſa, propter quam impoſitæ ſunt, nempè cura animarum. Nec obſtat, quod pro diſtributionibus quotidianis ſolvatur decima, quia iſtud eveniſſe potuit, quia Parochiales eſſent unitæ Cathedrali, quibus aliàs iſta decima pro cura ſolvebatur; ſed iſta cura ceſſat in Mendicantibus.

24 Ultimò nota ibi, *Niſi cum ipſis Eccleſiis aliter duxerint componendum*, Presbyterum Parochialem poſſe inire amicabilem compoſitionem ſuper decimis, ut hic, & in c. *Ex multiplici*, *ſuprà eod.* & hic notant gloſ. *in ver Componendum*, Hoſt. *n.* 1. *in eod. ver.* & communiter DD facit *cap.* 1. *& cap. fin. de pact. lib.* 6. Hæc tamen compoſitio perſonalis eſt, niſi per Sedem Apoſtolicam fuerit confirmata, *c. Veniens*, *ſuprà de tranſact.* & tenet præcit. gloſ. & Butr. *hic n.* 10. & hoc videtur ſenſiſſe Hoſt. *ubi ſuprà*, dum dixit valere compoſitionem amicabilem, ſed non tranſactionem per *c.* 2. *c. Super eo*, *& d. c. Veniens*, *de tranſact.*

Sed Domini de Rota tenuerunt *d.* 218. *n.* 13. *p.* 7 *rec.* inter perſonas Eccleſiaſticas pro bono pacis licere paciſci ſuper jure decimandi etiam ſine beneplacito Apoſtolico, ad text. in dict. *cap.* 1. *& cap. fin. de pact. lib.* 6. & ibi DD. communiter. Et hujuſmodi concordias afficere etiam ſucceſſores. Quod ſatis placet, quia cùm talis compoſitio firmetur hic juris authoritate, hujuſmodi authoritas operatur, ut ex perſonali fiat realis, ut benè per Anchar. in d. *cap.* 1. *in* 3. *q.* & ibi etiam per Franc. *n.* 2. Præterea hic textus præſervat compoſitionem cum ipſis Eccleſiis: ergo intelligi debet de compoſitionibus realibus, quia Eccleſia ſemper eadem, ut per Anchar. *ubi ſuprà*.

25 QUÆRO, an valeat privilegium exemptionis à ſolutione decimarum prædialium poſt hanc conſtitutionem à Sede Apoſtolica impetratum.

26 Pro ſolutione quæſtionis diſtingue: Aut in privilegio reperitur expreſsè derogatum huic *c. Nuper*, & privilegium abſque dubio eſt validum, & obſervandum, quia Conſtitut. etiam edita à Papa in Concil. univerſali nullum generat præjudicium ſucceſſori, quominus contra eam poſſit diſpenſationem, vel privilegium impertiri, ut eſt textus ad litteram *in cap. Innotuit*, *§. Quamvis autem*, *ſuprà de elect* & in terminis hujus Conſtitutionis tenet Hoſt. *hic num.* 1. *in verb. Niſi cum ipſis*, ibi, (niſi antiquum renovetur per ſpeciale privilegium de novo impetratum, ſicut iidem faciunt tota die) ſequitur Jo. Andr. *n.* 3 *in ver. Niſi cum ipſis*, dicens ſe vidiſſe privilegium Ciſtercienſium datum ſuper poſſeſſionibus acquiſitis poſt Concilium, & propriùs ad noſtra tempora Gregorius XIII. conceſſit Religioſis Societatis JESU privilegium exemptionis à ſolutione decimarum prædialium cum ſpecifica derogatione hujus *cap Nuper*, ut in ejus Conſtitutione 51. incip. *Paſtoralis officii*, in Bullar. *to.* 2. *pag.* 421. de quo privilegio actum fuit in Rota *dec.* 193. *n.* 5 *p.* 7. *recent.* & ſæpè alias. Et hic junge quæ de validitate ſimilium privilegiorum tetigi ſuprà *n.* 21.

Aut in privilegio Apoſtolico non reperitur derogatum huic Conſtitutioni: tunc puto diſtinguendum: Nam aut agitur de prædiis, de quibus decima priùs non ſolvebatur: & exiſtimo privilegium quoad illa eſſe obſervandum. Ratio eſt, quia, ut dixi ſuprà in 5. *not.* iſte textus non revocat, quin potiùs præſervat privilegia quoad illa prædia, de quibus decimæ ante acquiſitionem non ſolvebantur. Unde cùm hæc Conſtitutio quoad prædia hujuſmodi non obviet privilegio, non fuit opus hac in parte illi derogare, cùm derogatio non fiat niſi ad contraria, *cap.* 1. *de Conſtit. lib.* 6. *c. Ex parte*, *de Capell. Monach.* Clem. *Dudum*, §. *Nos etenim*, ibi, In quantum ſunt præmiſſis, vel alicui præmiſſorum contraria, *de ſepult.* 27

Aut agitur de prædiis, de quibus, antequam tranſirent ad privilegiatos, decimæ ſolvebantur Eccleſiis, & tunc neceſſaria eſt derogatio hujus *cap. Nuper*, quia cùm ſit Conciliare, cenſetur habere clauſulam derogatoriam ad ſequentes diſpoſitiones, & datur defectus intentionis in concedente, textus eſt in *cap. Ex parte infrà de Capell. Monach.* Archid. *in cap.* 1. *num.* 2. *de Conſtit. lib.* 6. Oldrad. *conſ.* 316. *Quod articuli*, Felin. *in cap. Nonnulli*, & ibi dixi *à num.* 21. *ſuprà de reſcript.* & in terminis hujus *cap. Nuper*, articulo diligente examinato decidit Rota *deciſ.* 122. *part.* 1. *diverſ. & in recent. dec.* 431. *n.* 2. *p.* 1. *& dec.* 42. *n.* 9. *p.* 7. & coram Coccino *dec.* 192. *lib.* 2. Quinimo ampliùs reſolvit ſimplicem derogationem *cap. Nuper*, non ſuffragari ad effectum emendi prædia decimalia, ſed oportere, ut primæ illius parti fuerit expreſsè derogatum, cùm derogatio hujuſmodi concedi non conſueverit niſi cum magna maturitate, & cauſæ cognitione, ut *in cauſa Orolien. Decimarum* 21. *Maji* 1586. coram Orano, impreſſa apud Hieronymum Campan. *in diverſor. juris Canon. rubr.* 12. *cap.* 13. *n.* 154. *& in recent. dec.* 229. *num.* 2. *part.* 2. 28 29

Non obſtat, quòd hoc Capitulum ſit redactum in corpore juris, & Papa cenſeatur de ipſo habere plenam notitiam, d. *cap.* 1. *de Conſtit. lib.* 6. Quia nihilominùs neceſſaria eſt derogatio, ut in d. *cap. Ex parte*; ſemper enim dici poteſt adeſſe defectus intentionis in concedente propter clauſulam derogatoriam, quicquid dixerit Innoc. *in cap. pen. de Capell. Monach.* ut benè per Rotam *d. dec.* 122. *nu.* 2. ubi etiam tolluntur alia objecta.

Rurſus non obſtat, quod hæc Conſtitutio non fuerit edita immediatè à Concil. ſed ab Innocentio III. in Concilio Lateran. ut patet ex illius ſupraſcriptione. Quia nihilominùs dicitur Conciliaris ad effectum, ut ſit neceſſaria derogatio ut optimis fundamentis reſolvit Rota *dec.* 123. *p.* 1. *diverſor.* & probavi latiſſimè in d. *c. Ex parte n.* 1. *uſque ad n.* 27. 30

Adverte tamen, quia ad validitatem hujus privilegii videtur ſufficere, ſi in litteris derogetur alicui Concil. Generali, & poſteà ſubdatur clauſula, *Et aliis Conciliis*, *&c.* ex hoc enim cenſetur etiam derogatum d. Concil. Lateranen. ut in terminis reſolvit Rota *in cauſa Conchen. exemptionis decimarum* 17. *Martii* 1589. coram Orano, & aliàs ſæpiſſimè, ut dicitur *in dec.* 316. *n.* 11. *p.* 5. *recent.* Quin etiam ſatis eſſet derogatio per clauſulam, *Non obſtante aliqua Conſtitutione generali Concilio edita*, ut per Dec. *conſ.* 341. *n.* 10. Probo ad Monach. *in c. Cum in tua*; *n.* 23. *verſ. Et quod neceſſaria ſit*, *de Conſtit. lib.* 6. quos in puncto ſequitur Garz. *de benef. p.* 4. *c.* 5. *n.* 40. 31 32

Ulterius QUÆRO, an in generali privilegiorum communicatione comprehendatur exemptio à ſolutione decimarum prædialium. Breviter reſpondeo non comprehendi; quia communicationes, ſeu adæquationes privilegiorum, quamvis amplæ, & prægnantes, non extenduntur ad ea, quæ non ſolent concedi, vel ſaltem magna cum difficultate conceduntur, ut notant Doctores in *l.* 1. ubi in ſpecie Jaſ. *num.* 21. *&* 22. *ff. de legat.* 1. *& eſt celebre conſ.* 19. Anton. de Butr. quod ſæpiùs & Sac. Congregatio, & Rota ſequuta eſt. Sed exemptio à ſolutione decimarum prædialium non ſolet niſi cum magna difficultate, & cauſæ cognitione concedi, Jo. Andr. *in cap. Dudum*, *num.* 5. *verſ. Ratio diverſitatis*, *de privileg.* ergo non venit in generali privilegiorum communicatione etiam cum clauſulis prægnantibus omnimodæ adæquationis; & ita in terminis reſolvit Rota *in Valentina Decimarum* 28. *Novembris* 1603. coram Cardinali Lancelloto juniore impreſſa apud Campan. *ubi ſuprà*, *& in recent. deciſ.* 214. *nu.* 5. *part.* 2. 33 34

part. 2. ubi allegantur aliæ deciſiones concordantes.

35 Quod procedit etiamſi in litteris communicationis facta fuerit mentio de decimis, quia hoc intelligitur de decimis extraordinariis, non autem de ordinariis, ſeu prædialibus, ut notat Baldus per illum textum in *l. Fiſtulas*, §. *Frumenta*, *in fin. ff. de contrah. empt.* Cujus dictum referunt, & ſequuntur Puteus *deciſ.*65. *lib.*3. Cremen. *ſingular.* 108. Felin. *in cap. Sedes*. *num.*3. *in fin. verſ. Et iſta faciunt ad quæſtionem de reſcript.*

36 Ultimò QUÆRO, an Religioſi, vel Clerici ſeculares poſſint decimas præſcribere.

Gloſſa tertia, & DD. hìc multùm in hoc ſe involvunt. Sed breviter conclude ſecundùm Abb. *num.*5. tam Religioſos, quàm Clericos poſſe præſcribere decimas tam activè, ideſt jus ſolvendi decimas, prout loquitur hoc Capitulum, quàm paſſivè, ideſt jus percipiendi decimas ab aliis, ut *cap. Cum in tua*, *& c. Dudum*, *ſuprà eod.* utroque tamen 37
caſu debent habere immemorabilem, vel quadragenariam cum titulo; quia cùm jus commune eis reſiſtat tam quoad jus percipiendi decimas, eò quòd non habeant Parochiam, quàm quoad jus decimas non ſolvendi Parochiali Eccleſiæ, cui debentur de jure communi, *d. cap. Cum in tua*, *in fin.* non poſſunt abſque titulo præſcribere, ut eſt textus rutundus in *c.*1. & ibi omnes *de præſcript. lib.*6. quem in hac ſpecie dicit inſignem Covarr & aliis relatis de communi teſtatur *lib.* 1. *variar. reſolut. cap.*17. *num.*7. & adde quod ſcripſi poſt gloſſ. *ult. in cap. In aliquibus*, *ſuprà eod. à num.*10. *uſque in fin.*

DE REGULARIBUS, ET TRANSEUNTIBUS ad Religionem.

Ex Concilio Moguntino.

C A P U T I.

NUllus tondeatur, niſi in legitima ætate, & ſpontanea voluntate.

S U M M A R I U M.

1 *TOnſura arguit profeſſionem, ſi per eam profeſſi à novitiis diſtinguantur.*
2 *Actus quilibet à conſenſu regulatus exigit habilitatem agentis intrinſece, & libertatem, ut vim non patiatur ab extrinſeco.*
3 *Infans an poſſit religionem ingredi, & habitum ſuſcipere.*
4 *Ætas legitima quæ dicatur ad profeſſionem expreſſam tam de jure communi, quàm ex Concilio Tridentino, & num. ſeqq.*
*Et quid in profeſſione tacita, quæ inducitur ex geſtatione annali habitus indiſtincti, vel indiſtinctiſſimi, num.*7.
Et quid in profeſſione tacita, quæ inducitur ex ſuſceptione habitus profeſſorum, vel aliis modis, n. 10.
5 *Ætas pubertatis quæſit.*
6 *Malitia in matrimonio ſpirituali non ſupplet ætatem, ſecus in matrimonio carnali.*
7 *Profeſſio tacita ex geſtatione annali habitus indiſtincti, vel indiſtinctiſſimi, non inducitur niſi elapſo anno poſt ætatem præfixam ad emittendam profeſſionem expreſſam, & num. ſeqq.*
8 *Beneficium ingredientis religionem ante pubertatem quando alteri conferri poſſit.*
9 *Profeſſio tacita quandoq; non inducitur niſi poſt annum ætatis decimum nonum, vel vigeſimum primum.*
10 *Profeſſio quæ inducitur ex ſuſceptione habitus profeſſorum, &c. de jure communi requirit ætatem pubertatis, & ex Concilio Tridet. annum decimum ſextum completum, & nu. ſeq.*
11 *Profeſſio tacita non eſt excluſa à decretis Concilli ſervato tempore, quod Concilium requirit.*
12 *Ætas legitima, ſeu perfecta dicitur vigintiquinque annorum, niſi ſubjecta materia aliud ſuadeat.*
13 *Profeſſio in monaſteriis, ubi eſt dura Congregatio, emitti non poteſt ante plenam pubertatem.*
14 *Profeſſio ex ſtatuto ſpeciali in aliquibus religionibus, ut Capuccinorum, fieri non poteſt ante annum decimum octavum expletum.*
15 *Statuta Ordinum, quæ requirunt ætatem majorem ſexdecim annorum ad profitendum, Concilio Tridentino non adverſantur.*
16 *Converſi recipi non poſſunt ad habitum Regularem ante annum vigeſimum inchoatum.*
17 *Ætatem profitentis majorem, vel minorem is probare debet, qui ſe fundat in ea.*
Utriuſque tamen probationes recipi poſſunt, n. 19.
18 *Major, vel minor quis non præſumitur, cùm ætas currat de momento in momentum.*
20 *Profeſſio ad ſui validitatem requirit ſpontaneam voluntatem.*
*Et quæ dicatur voluntas ſpontanea, ibidem, & n.*22.
21 *Profiteri poteſt validè etiam ſeductus, & circumventus.*
22 *Profeſſio emiſſa per metum eſt ipſo jure nulla, nec eſt opus ut reſcindatur actione quod metus cauſa.*
23 *Actus requirens ſpontaneum conſenſum non valet, ſi metus intercesſerit.*
24 *Voluntas coacta voluntas eſt, ſed non ſpontanea, ſeu libera.*
25 *Militem voluntarium ſibi eligit Chriſtus, coactum verò ſibi auctionatur diabolus.*
26 *Metum qui allegat probare debet; ſed tamen uterque probare poterit.*
27 *Regularis prædcedens ſe per vim, & metum, aut aliàs nulliter profeſſum fuiſſe, cauſas nullitatis infrà quinquennium deducere debet coram ſuperiore ſuo, & ordinario; aliàs non eſt audiendus.*
28 *Regulares Prælati volentes aliquem à religione expellere tamquam nulliter profeſſum, an teneantur ſervare formam à Concilio Tridentino præſcriptam in* cap. 19. ſeſſ.25. de regular. *& nu. ſeqq. uſque in finem.*
29 *Regulares Prælati de jure communi poterant dimittere nulliter profeſſos etiam non adhibito Ordinario, & num.*40.
30 *Statutum, quod poteſt unum, vel duo operari contra jus commune, interpretari debet, ut unum tantùm operetur.*
31 *Ordinarius cur ex Concilio Tridentino ſit adhibendus in judicio nullitatis profeſſionis.*
32 *Judici ſuſpecto de jure civili Epiſcopus datur adjunctus.*
33 *Regulares Prælati ex Concilio Meldenſi prohibentur expellere Monachos profeſſos non adhibito Ordinario.*
34 *Teſtis magis repellitur cùm ſe offert ultrò, quàm cùm requiritur.*
35 *Profeſſio tacita obſtat tam ſubdito diſceſſum petenti, quam ſuperiori expellere volenti.*
36 *Contractus claudicare non debent.*
37 *In contractibus ultrò citròque obligatoriis diſpoſitum in uno ex correlativis cenſetur diſpoſitum in alio.*
38 *Lex nova diſponens in uno ex correlativis cenſetur diſponere in alio etiam ad correctionem juris communis, ubi eadem eſt ratio.*
39 *Extenſio etiam ex identitate rationis non fit in exorbitantibus à jure communi, niſi ſint correlativa.*
40 *Monaſteria de jure veteri ſubjecta erãt Epiſcopo diœce-*

ſano, & ad eum ſpectabat cura, & ſolicitudo etiam Monachorum.

41 *Lex correctoria dicitur favorabilis, & latè interpretanda, quando per eam fit reditus ad jus antiquum.*

42 *Regulares tam ſubditi, quàm Prælati allegantes nullitatem profeſſionis ob non ſervatam formam decretorum Clementis VIII. tenentur cauſas infrà quinquennium deducere in Congregatione Concilii.*

43 *Reſtitutio adverſus lapſum quinquennii an ſit concedenda Superioribus Regularibus, ſicut ſubditis profeſſionis nullitatem allegantibus.*

44 *Judicium non debet claudicare.*

45 *Regulares Prælati, qui admittunt Novitios ad profeſſionem ante annum probationis elapſum, aut in Conventibus non deſignatis, quas pœnas incurrant.*

46 *Legis auxilium fruſtrà invocant qui in legem committunt.*

47 *Ignorantia non excuſat in his, quæ quis tenetur ex officio inquirere.*

N*Ullus*. Non ſummatur, nec dividitur, quia breve eſt. Sed per alia verba poſſet ſic ſummari; Non poteſt quis ad profeſſionem admitti, niſi ætate idoneus, & voluntarius.

1 Nota primò, actum tonſuræ aliquando eſſe ſignum arguens profeſſionem; quod eſt verum, ſi profeſſi per coronationem diſtinguantur à non profeſſis; aliàs ſecus, arg. *cap. Statuimus infrà eodem, & cap. 1. eod. tit. lib. 6.* & ſic habes unum modum inducendi tacitam profeſſionem, videlicet cum novitius expleto anno probationis recipit coronam à ſolis profeſſis geſtari ſolitam, ut *hic* per Butr. *nu.* 5. ad hoc *cap. Quod interrogaſti*, 27. *diſt. cap. Quem progenitores*, 20. *quæſt.* 1 *& cap. Vidua infr. eodem cum ſuis concord.* Confert, quod notat Bart. de eo, qui aliquot actus fecit, qui fieri non poſſunt citra nomen, & jus hæredis; quia ex illis inducitur hæreditatis aditio, ut per eum in *l. Gerit numer.* 9. *ff. de acquirenda hæreditat.* & eſt textus *in l. Pro hærede*, §. *Papinianus, verſ. Itaque tunc, ff. eod.*

2 Secundò nota ſecundum Anton. de Butr. *num.* 3. quòd in quolibet actu à conſenſu regulato duo principia exiguntur, videlicet habilitas perſonæ agentis, & hoc intrinſecè: & libertas in voluntate operantis, ut ab aliquo extrinſeco non neceſſitetur.

Ultimò nota duo ſubſtantialia requiſita, quæ hìc ponit Concilium Moguntinum, ad hoc ut quis fieri poſſit monachus profeſſus.

3 Primum requiſitum eſt ætas legitima. Sed quia in monachatu duo extrema conſiderari poſſunt, ideſt receptio ad habitum, & receptio ad profeſſionem; Tu dic quoad primum extremum nullam ætatem eſſe à Sac. Canonibus præfinitam: quinimò etiam infantem poſſe religionem ingredi & habitum ſuſcipere, ut eſt textus in *cap. Nullus*, & ibi notat gloſ. *in ver. Intraret, de tempor. ordinat. lib.* 6. & Abb. *hic num.* 2. *in fin.* & quamvis gloſ. ibi ſubdat hoc verum eſſe ſaltem per oblationem parentum, vel tutorum, ut *cap. Illud*, 20. *q.* 1. tamen Innoc. *hic in fin* & Hoſt. *n.* 2. dicunt ſimpliciter hoc procedere etiam in non oblato, ſi infrà legitimum tempus non reclamaverit, ut in *cap. Proximo*, *& ibi dixi infrà eod.* Similiter ex Concilio Tridentin. in viris nulla ætas præfixa eſt ad habitum ſuſcipiendum, ut jam pridem Sac. Congregatio declaravit. In mulieribus autem nonnihil difficultatis ingerit decretum *c.* 17. *ſeſſ.* 25. *de regular.* quod aliquibus videtur præſcripſiſſe ætatem duodecim annorum. Sed nihilominùs tenendum eſt idem in mulieribus quod in viris. Et de intellectu illius decreti vide quæ ſcripſi latiſſimè in *cap. Cùm virum, infr. eodem*, ubi plenè invenies, an puellæ duodecim annis minores ſive de jure communi, ſive ex Concilio Tridentino, ſive ex ſtylo curiæ in monaſteriis recipi poſſint ad habitum regularem.

4 Quo verò ad ſecundum extremum, videlicet receptionem ad profeſſionem, Concilium Moguntinum, ut hic vides, generaliter prohibet, ne quis tondeatur niſi in legitima ætate, ad hoc ſcilicet, ut ſit Monachus & profeſſus, ut explicant gloſ. 1. Innoc. Hoſt. & Joan. Andr. omnes *in principio*; ſed non aperit, quæ ſit hujuſmodi ætas. Tu autem diſtingue an agatur de profeſſione expreſſa, an verò de tacita.

Ad profeſſionem expreſſam de jure communi requiritur ætas pubertatis, ideſt annorum quatuordecim in maſculo, & duodecim in fœmina, ut *cap.* 1. 20. *quæſt.* 1. *cap. Significatum, cap. cum virum, & cap. Cum ſimus, infr. eod.* gloſ. *fin. in cap. Quia in inſulis, infr. eod.* & in Clem. *eos in ver. Ætate, eod. tit. & hic* not. Hoſtienſ. *num.* 3. Jo. Andr. *in fin.* Butr. *num.* 9. & reliqui omnes. Nec ſufficit ultimam diem attigiſſe, ſed annus debet eſſe conſummatus in totum, ut *cap. Ad noſtram*, & ibi gloſ. *in ver. Ante conſummationem, inf. eod.* & gloſ. præalleg. in d. Clem. *Eos*, & ſcripſi latiùs in prædicta decretali, *Ad noſtram*. Neque in hoc malitia ſupplet ætatem, ut notat præcitata gloſ. in Clem. *Eos, in ver. Ætatem*, quæ ibi à Doctoribus communiter recipitur & ſic matrimonium ſpirituale, vel quaſi, quod contrahitur inter profitentem, & monaſterium, ſecundùm Archid. in *cap. Vidua, num.* 2. 20. *q.* 1. in hoc differt à matrimonio carnali, ut *cap. De illis*, *il* 2. & ibi dixi, & in *cap. fin. infr. de ſponſ. impuber.* cum ſuis concordat. ſed ex Concilio Tridentino ad profeſſionem expreſſam requiritur annus decimus ſextus completus ſublata differentia ſexus, ut patet in *cap.* 15. *ſeſſ.* 25. *de regul.* Quo verò ad tacitam profeſſionem ſubdiſtinguendi ſunt duo caſus. Primus eſt in profeſſione tacita, quæ inducitur ex geſtatione annali habitus indiſtincti, ideſt à novitiis, & profeſſis geſtari ſoliti, vel indiſtinctiſſimi, quo ſcilicet præter novitios, & profeſſos promiſcuè utuntur etiam alii communem vitam cum eis ducentes, juxta text. in *cap.* 1. *infrà eod. lib.* 6. & hoc caſu de jure communi, ſi minor annis quatuordecim habitum indiſtinctum ſuſcipiat, non intelligitur tacitè profiteri, niſi illum deferat per totum ſequentem annum, ut eſt textus formalis in d. *cap.* 1. *in princ. verſ. Quod ſi per totum*. Atque ita ad inducendam profeſſionem tacitam hoc caſu requiritur de jure annus integer, qui ſubſequitur ætatem præfixam ad emittendam profeſſionem expreſſam, & ſic annus decimus quintus completus. Unde ipſe annus decimus quintus eſt illi annus probationis, ut not. in *cap. Beneficium, infrà eod. lib.* 6 gloſ. 2. Archid. *in princ. verſ. Unde ſi minor*, Jo. Andr. Gemin. & Franc. omnes *in gloſ.* 2. inferentes ex hoc ut beneficium illius alteri conferri non poſſit niſi poſt annum decimum quintum. Quare eodem modo ex Concilio Tridentino, ſi minor ſexdecim annis habitum indiſtinctum ſuſcipiat, non intelligitur tacitè profiteri, niſi illum geſtet per totum ſequentem annum; & ita ad inducendam profeſſionem tacitam ex hujuſmodi geſtatione requiritur integer annus decimus ſeptimus, qui ſubſequitur ætatem ſexdecim annorum a Concilio præfixam ad profitendum: & eſt ratio, nam quemadmodum ex juris diſpoſitione ſuſcipiens habitum hujuſmodi ante quatuordecim annos, quamvis præſumatur habilis ad profitendum expreſsè poſt annum decimum quartum, eo quòd eorum, quæ tunc agit, plenum habet intellectum, ut patet à contrario in d. *cap* 1. *in fin.* tamen non intelligitur profeſſus tacitè, niſi poſt ſequentem annum decimum quintum, ut oſtenſum eſt ſupra: ita poſt Concilium Tridentinum eumdem habitum ſuſcipiens ante ſexdecim annos licèt ſit habilis ad profeſſionem expreſſam poſt annum decimum ſextum, nihilominùs non cenſetur profeſſus tacitè niſi poſt annum decimum ſeptimum immediatè ſequentem. Quidquid contra ſcripſerint Navar. *conſ.* 20. *num.* 1. *de regular.* & Sanchez *in Decal. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 39. Quælibet enim diſpoſitio ſimpliciter concepta veſtitur à jure communi, & ad illius intellectum eſt redigenda, *l.* 2. *C. de noxal. cap. Cauſam quæ, ſupra de reſcript. cap. Quemadmodum de jejur.* & tradit Petr. de Anch. *conſ.* 6. *Viſo themate, num.* 8. *& conſ.* 241. *Præmittendum eſt, in princ.* Atque ita non obſtat motivum Sanchez, quò jurium correctio ſit vitanda, quoniam hic non agitur de ulla correctione, cùm jus commune jam reperiatur correctum à Concilio tam quoad ætatem quatuordecim annorum præfixam in genere ad profeſſionem emittendam, quàm quoad ætatem annorum quindecim in ſpecie requiſitam ad inducendam profeſſionem tacitam per delationem habitus. Jam enim ex Concilio ad quamcumque profeſſionem requiritur ut minimum ætas annorum ſexdecim. Ergo cùm jus commune jam ſit correctum, ex concluſione ſuperiùs firmata, ulteriùs non corrigitur, quin potiùs Concilium ad illius limites adaptatur, dum inſtar juris communis conſtituit differentiam unius anni inter profeſſionem expreſſam, & tacitam, quæ inducitur ex geſtatione habitus indiſtincti,

ſti, vel indiſtinctiſſimi, & nihilominus hæc eſt interpretatio paſſiva, quæ admittitur in omni materia etiam correctoria juris communis, ut notat Jaſ. *in l. Omnes populi in ſecunda lectura*, *numer.* 60. *& ſeqq. ff. de juſt. & jure*, & eſt communis opinio, ut teſtantur Claud. Seyſel. *in l. Inter cætera numer.* 17. *ff. de liber. & poſthum.* Curt. Jun. *conſ.* 7. *n.* 8. & Apoſtil. *ad Rom. conſ.* 399. *num.* 13. *ver. Non aſſumat.*

Similiter ſi recipiens habitum indiſtinctum ſit major annis quatuordecim, de jure communi cenſetur tacitam profeſſionem emittere, niſi illum deferat per annum integrum; & ſic ad inducendam profeſſionem tacitam ex delatione annali habitus indiſtincti, vel indiſtinctiſſimi etiam in majori requiritur ut minimum annus decimus quintus completus, ut eſt caſus in eodem *cap.* 1. *verſ. Qui verò*, & in Clem. *Eos*, *eodem tit.* & ipſe annus decimus quintus etiam majori eſt annus probationis, ut poſt Joan. Andr. notat. Franc. *in d. cap. Beneficium*, *num.* 1. *col.* 1. *poſt medium*, *verſ. in gloſ.* 2. Ergo ſimiliter ex Concilio Tridentino ſi recipiens hujuſmodi habitum ſit major annorum ſexdecim, non intelligitur profiteri tacitè, niſi illum geſtet par annum. Atque ita ad tacitam profeſſionem inducendam per delationem habitus hujuſmodi ex Concilio etiam in majore requiritur ſaltem annus decimus ſeptimus itidem completus.

Et hanc ſententiam ſæpiùs probavit S. Congregatio ejuſdem Concilii Interpres: nam cùm aliquando dubitatum eſſet, an tacita profeſſio, quæ non eſt excluſa decreto Concilii, inciperet completo decimoſexto anno, & an ſtatim poſt dictum tempus emiſſa cenſeretur: Sac. Congreg. reſpondit tacitam profeſſionem incipere à prima hora poſt perfectum annum decimum ſextum, & finire anno decimoſeptimo. Et alias cenſuit Concil. *cap.* 15. *ſeſſ.* 25. *de reg.* non ſuſtuliſſe tacitam profeſſionem, quæ inducitur per annum, & diem computandam à die poſt decimumſextum annum perfectum ejus qui monaſterium ingreſſus eſt. Quæ duæ deciſiones quamvis videantur diſcrepare, tamen conciliantur, ut dixi *in cap. Ad noſtram*, *num.* 30. *infrà eodem*: quod numquam obliviſcaris, quia Doctores, ad hæc non advertunt, ſed ſimpliciter tradunt ad profeſſionem tacitam requiri eamdem ætatem, quæ requiritur ad expreſſam.

9 Et ex hoc notabiliter infero, ut in illis caſibus in quibus ad emittendam profeſſionem expreſſam requiritur major ætas, puta decem & octo, vel viginti annorum ſecundum ea, quæ inferius dicentur *numer.* 13. *& ſeq.* tunc profeſſio tacita per delationem annalem habitus indiſtincti, vel indiſtinctiſſimi nullatenùs inducatur, niſi tranſacto anno poſt ætatem præfixam ad profeſſionem expreſſam, & ſic tranſacto anno decimonono, vel vigeſimo primo, qui eo caſu intelligitur eſſe annus probationis, ut ex dictis conſtat.

10 Secundus caſus eſt in profeſſione tacita, quæ inducitur per ſuſceptionem habitus profeſſorum, juxta text. *in capit. Super eo*, *infra eod. in capit. Conſtitutionem*, *verſ. In aliis verò eod. tit. lib.* 6. cum ſimil. aut per actus, qui à profeſſis ſecundum ſe fieri ſolent, *ut in cap. Vidua infra eod.* aut ex eo, quod quis voluerit abſolutè vitam mutare, *ut in cap. Conſulti*, *& cap. Statuimus*, *infr. eod. & c. Beneficium*, *eod. tit. lib.* 6. & in his caſibus, & ſi qui ſunt ſimiles, profeſſio tacita de jure communi non inducitur ante annum decimumquartum expletum im maſculo, & duodecimum itidem expletum in fœmina, ut eſt textus *in c. Significatum*, *infr. eodem*, *& in d. cap.* 1. & ex Concilio Tridentino non inducitur ante exactum annum decimumſextum, cum decretum *dict. cap.* 15. *ſeſſ.* 25. *de regul.* ex Sacræ Congregationis ſententia diſtulerit profeſſionem tam expreſſam, quàm tacitam ante ætatem ſexdecim annorum, vel ante annum probationis elapſum. Ideòque

11 cùm eſſet quæſitum, an tacita profeſſio ſit excluſa à decretis Concilii concurrentibus iis, quæ de jure communi ad eam inducendam requiruntur: Sac. Congregatio cenſuit non eſſe excluſam, ſervato tamen tempore, quod Concilium requirit.

12 Hæc igitur eſt ætas legitima ad profitendum, de qua loquitur hoc capitulum; & hinc deducit Anton. de Butr. & DD. ut quamvis ætas legitima, ſeu perfecta dicatur quæ vigeſimoquinto anno completur, *ut l. Ex duobus*, juncta gl. *in verb. Legitima*, *ff. de negot. geſt. & in l. fin. C. de iis qui ven. ætat. impetr.* ubi eſt caſus: tamen hoc limitetur, niſi ſubjecta materia aliud ſuadeat; de quo plenè per Bald. *in l. Cùm te*, *C. de probat.* Idem in ætate matura probat text. *in cap. Cum in cunctis*, *in princ. juncto* §. *Inferiora*, *ſuprà de elect.* & notat Archid. *in capit. Convenior* 23. *quæſt.* 8. quod nota pro ſtatutis, & depoſitionibus teſtium.

Fallit primò concluſio ſuperiùs firmata in monaſteriis, 13
ubi eſt dura congregatio, vel religio, puta in inſulis; quia tunc propter aſperitatem requiritur in profitente plena pubertas, id eſt decem & octo annorum, ut eſt textus *in cap. Quia in inſulis*, cum ibi notat. *inf. eod.* & hìc notat Hoſt. *num.* 3.

Fallit ſecundò, in illis religionibus, in quibus ex conſti- 14
tutionibus Ordinis major ætas exigitur; nam, ut inquit Hoſt. hìc *num.* 3. in aliquibus religionibus requiritur ætas decem, & octo annorum ex ſtatuto ſpeciali, licèt illud non ſemper ſervent; & ita eſt in Religione Fratrum Capucinorum S. Franciſci, in qua ex ſtatutis Ordinis novitii non recipiuntur ad habitum ante decimum ſeptimum annum completum pro clericis, & ante decimumnonum pro laicis; & per conſequés ad profeſſionem non admittuntur pro clericis, niſi tranſacto anno decimo octavo, nec pro laicis, niſi tranſacto vigeſimo, ut refertur *in Compend. Privileg. Mendicantium in verb. Novitius in annot. Capuc. verſ. Sexta*, *quòd non recipiantur.* Et in religione Minorum Conventualium S. Franciſci novitii clerici prohibentur ad profeſſionem admitti ante annum decimumnonum completum, & laici ante vigeſimumquintum, ex Conſtit. S. Pii V. quæ incipit, *Illa nos*, *in Bullar. tom.* 2. *pag.* 262. Porrò 15
cum fuerit quæſitum, an decretum Concilii Trident. *cap.* 15. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* quo ſtatuitur profeſſionem ante decimumſextum annum emitti non debere, comprehendat etiam illas Religiones, quæ ex ſuis inſtitutionibus, & ſtatutis à tempore immemorabili obſervatis, vigeſimum aut vigeſimumſecundum ætatis annum requirunt: Sacr. Congregatio reſpondit profeſſionem ante decimumſextum annum emitti non debere, ut diſponitur d. cap. 15. quod ſi religionis inſtituta plus temporis requirant, Concilium non repugnat, quippè quod non diſponit, ut profeſſio fiat anno decimoſexto, ſed ut non poſſit fieri ante, ſed poſt.

Fallit tertiò, eadem concluſio in converſis, qui prohi- 16
bentur recipi ad habitum regularem ante vigeſimum ætatis ſuæ annum ex decretis generalibus Clementis VIII. ad novitiorum receptionem, profeſſionem, & inſtitutionem ſpectantibus, *in tit. Inſtitutiones ſuper receptione*, *& educatione novitiorum in* §. *Quiſque accipiendus in Bullar. to.* 3. *pag.* 132. & conſequenter ad profeſſionem admitti nequeunt ante annum vigeſimum primum, cùm ſtare debeant per annum integrum in probatione, ad præſcriptum Conc. Trid. *in d. c.* 15. *ſeſſ.* 25. *de Regul.* & ſufficit annum attigiſſe, ex his, quæ notat gloſ. in Clem. Generali *in verb. In decimooctvo de ætat. & qualit.* & ita hæc verba, *ante annum*, intellexit S. Congreg. Concilii de anno inchoato in terminis *c.* 12. *ſeſſ.* 23. ut dixi *in c. Cùm in cunctis in* 11. *quæſt. nu.* 131. *ſupra de elect.*

Cùm autem de ætate controvertitur inter profeſſum, & 17
Monaſterium, ſi quæratur quis probare debeat, an ſcilicet Monaſterium allegans ætatem legitimam, an verò profeſſus, qui hoc negat: ex mente Joan. Andr. *num.* 1. is probabit ætatem majorem, vel minorem, qui fundat ſe ſuper ea, dum ait: ſi conſtet de profeſſione, & dubitetur de ætate, probabit actor, *ut cap. Presbyteri*, & ibi gloſſ. notab. Archid. 78. *diſt. cap. Ad noſtram inf. eodem*, & eum ſequuntur Butr. *numer.* 13. Cardinal. *num.* 2. & alii communiter. Ratio eſt ſecundum Abbatem *num.* 5. quia quis non præſumitur major, vel minor, cùm ætas in eodem ſtatu 18
numquam permaneat, ſed currat de momento in momentum, de quo plenius *in c. In præſentia*, *de probat.* per Bart. & Doctores *in l. de ætate*, *ff. minor.* & Speculator *in tit. de probat.* §. 1. Et ideò ſi ingreſſus exire velit allegando ſe minorem, debet hoc probare. Hodie hoc eſt expeditum decreto Conc. Trident. *cap.* 19. *ſeſſ.* 25. *de regular.* ubi alle- 19
gans ſe ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, probare debet ſervata forma ibi præſcripta, ut latiùs dicam infrà *nu.* 27. Fatetur tamen Jo. Andr. & reliqui poſt eum, utriuſque probationes recipi poſſe, arg. *cap. Super hoc*, *ſuprà de renuntiat.*

Secun-

20 Secundum requiſitum ſubſtantiale profeſſionis, quod hic ponit Concilium Moguntinum, eſt ſpontanea voluntas:

21 Non tamen intelligas ſpontaneam, id eſt ultroneam; quia ad validitatem profeſſionis non exigitur, ut quis ultrò ſe offerat; nam validè profiteri poteſt etiam rogatus, & illectus, quinimò etiam ſeductus, & circumventus, ut eſt textus *in cap. Conſtituit* 20. q.3. *in cap. Cum dilectus*, ibi, *nec obſtante dolo, quo ſe proponebant fuiſſe ſeductos: ſupra de iis quæ vi metuſve cauſ. & in cap. Ad noſtram*, ibi, *quoſdam pueros ſeduxerunt infrà eodem*, nec minori ad profeſſionem ſeducto datur reſtitutio in integrum, ut voluit gl. *notab. in dict. c. Cum dilectus in verb. Ad fatuitatem*; ubi ait: *In ſpiritualibus non habere locum in integrum reſtitutionem, quia non videntur decepti, qui meliorem vitam elegerunt*. Et Abbas ibi ait illum eſſe dolum bonum, de quo dic latiùs, ut ſcripſi *in capit. Significatum numer.*36. *& in*
22 *cap. Sicut nobis num.*8. *& ſeqq. infrà eodem*. Sed intellige voluntatem ſpontaneam, id eſt liberam, & non coactam. Unde infertur, ut profeſſio emiſſa per metum ſit ipſo jure nulla, *cap. Præſens clericus* 20. *quæſt.* 3. nec ſit opus ut reſcindatur actione quod metus cauſa; quoniam ubicum-
23 que requiritur in actu ſpontaneus, ſeu liber conſenſus, non valet actus, ſi metus interceſſerit; ad quod eſt gloſſ. notab. *in cap. Notificaſti in verb. Licentiam* 33. *quæſt.*5. Caſus autem requirentes liberum conſenſum enumerat gloſ. magna *in cap. Inter cætera* 22. *quæſt.* 4. Facit *cap. Cùm locum*, &
24 quod ibi notatur de ſponſal. & eſt ratio, quia licèt voluntas coacta voluntas ſit, *ut c. Merito* 15. *quæſt.*1. *& l. Si mulier, ff. quod met cauſ.* non tamen eſt voluntas ſpontanea, ſeu libera, prout requiritur ad profeſſionem, ut hìc, *& in cap. Perlatum, ſuprà quod met. cauſ.* nam votum res eſt conſilii, & non præcepti, & liberum eſt arbitrium in vo-
25 vendo, aliàs non eſt votum, *cap. Integritas* 32. *qu.* 1. *& cap. Licèt, infra de voto*; & voluntarium militem ſibi eligit Chriſtus, coactum verò ſibi auctionatur diabolus, *cap. Non eſt* 15. *quæſt.* 1. de quo habes bonam gloſſ. *in cap. Abbas, ſuprà quod met. cauſ.* & ita hìc firmant gloſſ. ultima, Butr. *num.*2 *&* 10. Anchar. *nu.*2. Abb. *n.* 1. & Jo. de Anan. *num.*5.

26 Quod ſi quæras cui incumbat onus probandi metum, vim: ſolvit hìc Jo. Andr. *n.*1. *in verb. Spontanea*, dicens, id onus incumbere illi, qui metum, vel vim allegat, uterque tamen probare poterit, *ut c. Super hoc, de renuntiat.* de quo habes plenam gloſſ. *in c.*1. *in verb. Non timore mortis, ſupra quod met. cauſ.*

27 Hodie quicumque regularis prætendit ſe per vim, & metum, aut ante ætatem debitam, vel aliàs nulliter profeſſum fuiſſe, hoc probare debet, cauſaſque nullitatis intra quinquennium à die profeſſionis deducere coram Superiore ſuo, & ordinario, alias non eſt audiendus, ut ſtatuitur à Concilio Tridentino in præallegato decreto *cap.*19. *ſeſſ.*25. *de Regular.*

28 Sed ex facto quæſitum eſt; an decretum Concilii Tridentini *in d. c.*19. *ſeſſ.*25. *Regular.* qua parte ſtatuit, ut cauſę nullitatis profeſſionis coram Superiore Regulari, & Ordinario deducantur, locum ſibi vendicet, cum non ipſe profeſſus nullitatem ſuæ profeſſionis allegat, cauſaſque deducit; ſed Superior ipſe ex ſe vult illum ejicere tamquam nulliter profeſſum.

Verba hujus decreti nuſquam explicitè prohibent Superioribus regularibus, quominus ejiciant eos, quos repererint fuiſſe nulliter profeſſos, ſed in ſubditos tantùm diriguntur; jubentque illos non audiri, niſi cauſas, quas prætenderint, deduxerint coram ſuperiore ſuo, & Ordinario, ut patet initio, ibi, *Quicumque regularis prætendat ſe per vim, & metum ingreſſum eſſe religionem*, & infrà ibi, *Velitque habitum dimittere quacumque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine Superiorum licentia*; & infrà, *Non audiantur niſi infrà quinquennium tantum; & tunc non aliter niſi cauſas, quas prætenderint, deduxerint coram Superiore ſuo, & Ordinario.* Quæ omnia nullo modo convenire poſſunt Superioribus regularibus, qui volunt invalidè profeſſos expellere. At prætereà Concilium ſtatuit, ut qui priuſquam cauſas intrà quinquennium deduxerit coram Ordinario, & Superiore regulari, habitum ſpontè dimiſerit, nullatenus ad allegandam quamcumque cauſam admittatur: ſed ad monaſterium redire cogatur, & tamquam apoſtata puniatur: interim verò nullo privilegio ſuę Religionis juvetur. Quæ Concilii verba ſimiliter nullatenus referri poſſunt ad religionem: ergò nec Concilii diſpoſitio, *l. Quod conſtitutum, ff. de militar. teſtam. l.*4. *§. Toties*, & ibi Bart. *ff. de damn. infect.* quia lex non imprimit effectum ſuum niſi in illas perſonas, quibus verba legis congruunt, & adaptantur, *c. Si pater ad fin. de teſtam. in* 6. *c. Majores, de Baptiſm.* Gemin. *conſ.*88. *incipien. Innocentius ſub nu.*4. *verſ. Cum ergo concurrant*, Nevizanus plura cumulans *conſ.* 92. *à num.* 1. *uſque ad n.*12. Atque ita reſolutio hujus caſus tamquam omiſſi attentis verbis Concilii videtur petenda à jure communi, *l. fin. C. de pact. convent. l. Commodiſſimè, ff. de liber. & poſthum.* Doctores *in l. Gallus*, §. *Et quid ſi tantum*, *ff. eod.* De jure communi autem licet Prælatis regularibus dimittere invalidè profeſ- 29
ſos etiam non adhibito Ordinario, *c. Sicut, & c. Illud* 20. *q.* 1. *c. Perlatum, ſup. de iis, quæ vi met. cauſ. c. Accedens, infrà de converſ. conjugat. & c. Non ſolum de regular. lib.*6. Nec mirum, quia cum liberè, & ſine conſenſu Ordinarii poſſint novitios admittere, & corpori Ordinis aggregare, ut *c. Porrectum, & cap. Ad apoſtolicam, infrà eod.* conſequés eſt ut eadem libertate poſſint nulliter profeſſos dimittere, & ab ordine diſgregare, ut ſic regulares per quas cauſas naſcuntur, per eaſdem reſolvantur, *cap.* 1. *infrà de reg. jur.* & eodem genere diſſolvantur à vinculo religionis, quo colligati ſunt, *l. Nihil tam naturale, ff. de eodem*. Item cùm paria ſint profeſſionem nullatenus emiſiſſe, aut emiſiſſe quidem, ſed nulliter, ut in decreto Concilii Tridentini *capit.* 15. *verſ. Profeſſio autem ſeſſ.* 25. *de Regular.* liberum eſſe debet Superioribus abſque interventu diœceſani ejicere nulliter profeſſos, ſicut eis liberum eſt ejicere illos, qui nondum profeſſionem emiſerunt *ut cap. Poſtulaſti, & cap. Statuimus infrà eod. cap. Non ſolum, & cap. Conſtitutionem eodem tit. lib.*6. *cap. Cùm cauſam in fin. ſuprà de elect.* Concil. Trident. *cap.*16. *verſ. Finito, ſeſſ.*25. *de Regular.* Hæc autem libertas procedendi in cauſa nullitatis profeſſionis 30
non adhibito Ordinario, cùm fuerit ſublata à Conc. quoad ſubditos, in dubio non tenet cenſeri ſublata quoad Superiores; quia hac interpretatione minus corrigitur jus commune, *c. Cum dilectus, de conſuetud. capit. Cauſam quæ de reſcript. l. Præcipimus, in fin. C. de appell. & l. Sancimus, C. de teſtam.* nam ſecundùm Anton. de Butr. *in cap. Cùm dilectus in ſecunda lectura nu.*14. quando ſtatutum contra jus commune poteſt unum, vel duo operari, interpretari debet, ut unum ſolùm operetur, ut minùs derogetur juri communi, quàm theoricam ſequitur Roland. à Valle *conſ.* 74. *num.*19. *vol.*3. poſt Gozadin. *conſ.* 19. *num.* 5. & Grat. *conſ.*43. *col* 1. *& conſ.*46. *num.*7. *vol.*1. Pariſ. *conſ.*110 *nu.*6. *lib.*3. Socin. Jun. *conſ.*3. *in princ. lib.*1. & pro hac opinione allegatur Navar. *conſ.* 87. *incipien. An qui de genere Judæorum num.*4. *de regular.* ubi ait Prelatum regularem in illo caſu ex officio ſuo ſine alio accuſatore poſſe, ac debere expellere nulliter profeſſum a monaſterio præmiſſa legitima cauſæ cognitione per viam inquiſitionis, nec ullam mentionem facit de adhibendo Ordinario.

Cæterum his non obſtantibus veriùs videtur eſſe adhi- 31
bendum Ordinarium in judicio nullitatis profeſſionis, etiam cùm ipſe Superior regularis ex officio ad ejectionem procedit; nam ratio propter quam Concilium juſſit Ordinarium in hoc judicio adhiberi, ea potiſſimùm fuit, quia cum regulares agant de cauſa ſuæ religionis, eos non habuit pro judicibus uſquequaque integris, arg *c. Ne quis in ſua cauſa judicet in rubro, & nigro:* dicitur enim cauſa propria, ex quo commodum, vel incommodum ad eos pertinet, *cap. Biduum §. Et palam* 2. *q.* 6. qui eſt deſumptus ex *l.*1. §. *Dies, autem, verſ. Et palam, ff. Quam appellan. ſit.* Quam ob cauſam nec Epiſcopus dicitur Judex competens in cauſa ſuæ menſæ, ut poſt Collectar. Butr. & alios notat Decius *in c. Cùm veniſſent num.* 55. *de Judic.* Quotieſcumque enim declaratio invaliditatis profeſſionis cederet in damnum monaſterii, puta quia eſſent reſtituenda bona à ſubdito in monaſterium delata, Superiores non eſſent faciles ad ſententiam nullitatis proferendam; è contra vero procliviores eſſent ad judicium invaliditatis, ſi profeſſus eſſet rixoſus, pervicax, aut aliàs inutilis religioni, cùm has ob cauſas regulares conſueverint multoties expellere etiam legitimè profeſſos prætextu incorrigibilitatis, cum tamen revera incorrigibiles non ſint, ut dixi *in cap. fin. infr. eod.*
Quamobrem Concilium voluit adhiberi Ordinarium in 32
conjudicem exemplo legis civilis, quæ dat adjunctum Epiſcopum, ubi Judex ordinarius ex aliqua cauſa eſt ſuſpectus,

ctus, ut in Auth. *Si verò contingerit*, *C. de Judic. gloſſ.* 1. *in cap. Revelatum* 11. q. 1. Oldr. *conſ.* 147. *Thema tale eſt*, Capyc. *dec.* 137. *totam* Ideòque *in cap.* 6. *ſeſſ.* 25. ob aliqualem ſuſpicionem Epiſcopi contra Capitula exempta ſimiliter ſtatuit illorum cauſas non debere ab Epiſcopo cognoſci, & terminari, niſi de conſilio, & aſſenſu duorum de Capitulo: & hanc ipſam ob cauſam *in cap.* 6. *ſeſſ.* 25. *de regular.* eodem modo nullas decrevit novitiorum renuntiationes, niſi factæ fuerint cum licentia Epiſcopi, ſive ejus
33 Vicarii. Et Concilium Meldenſe habitum anno Domini 845. ſub Sergio Papa II. & Carolo Juniore Francorum Rege *cap.* 59. *tom.* 3. *Concilior. part.* 2. *ſeſſ.* 2. *pag.* 352. *colum.* 2. ob eamdem rationem prohibuit, ne regulares ejicerentur à ſuis ſuperioribus niſi adhibito Ordinario, his verbis: *Ut Monachus de Monaſterio ſine conſultu, vel præſentia Epiſcopi, aut Vicarii ejus ad hoc regulariter deductus non ejiciatur, cujus diſpoſitione, & authoritate de cætero vita, & converſatio ejecti, ne perditus perpetuò fiat, ſi aliquo modo ſalvari poteſt, ordinari debet atque decerni.* Hactenùs Concilium Meldenſe. Hæc autem ratio ſuſpicionis æquè, imò magis viget, cùm non ipſe profeſſus inſtat pro declaratione invaliditatis profeſſionis, ſed ſuperior ex ſe vult illum ejicere tamquam nulliter profeſſum: nam regulares Prælati neminem ſolent dimittere ex hoc capite, niſi ob aliquem peculiarem affectum, aut erga religionem, aut contra perſonam ipſius profeſſi, vel ejus reprehenſibilem vitam, ac mores: alias enim facilè poſſent illum inducere ad ratificandam profeſſionem priùs factam, ad præſcriptum *cap. Significatum in fin. infr. eod.* & *cap.* 1. *in princ. eodem tit. lib.* 6. aut ſaltem permittere, ut in religione perſeveraret, ac tacitè profiteretur, *ut in d. c.* 1. & *cl. Eos*, *de regular. cum ſimil.* Atque ita eo caſu magis viget ratio ſuſpicionis, quàm cùm procedunt ad inſtantiam ali-
34 cujus. Quam ob cauſam teſtis magis repellitur cum ſe offert ultrò, quàm cùm requiritur, *l. Poſt legatum*, §. *His verò*, & ibi gloſſ. *in verb. Adjuvaverunt*, *ff. de his quæ ut indig.* Boſſ. *tit. de oppoſ. contra teſt. num.* 21. *verſ. Et minus dubium juncto num.* 29. Menoch. *de arbitr. Jud. qu. caſu* 474. *n.* 57. *lib.* 2. Ergo Concilium eo caſu multò magis cenſeri debet voluiſſe, ut Epiſcopus adhibeatur tamquam adjunctus, cùm major urgeat in regularibus ſuſpicio diffidentiæ, & gravaminis ob cauſam motivam expulſionis.

Præterea videtur etiam decretum *d. cap.* 19. prohibuiſſe Prælatis regularibus, ne quemquam poſſint ejicere tanquam nulliter profeſſum, niſi infrà quinquennium, licèt de illis nullam facit mentionem, quia cùm lapſo hoc termino regularis habeatur ut tacitè profeſſus, ſaltem in foro exteriori, Navar. *in cap. Statuimus n.* 71. & 72. *de regular.* & *conſ.* 87. *eodem tit.* non quòd Concilium novam profeſſionem inducat, ſed quòd antea emiſſa reputetur valida, cum ejus nullitas probari non poſſit, ut ſcripſi latè *in cap.*
35 *Prox. inf. eod.* præſumpta hæc profeſſio obſtat tam ſubdito diſceſſum petenti, quàm Prælato expellere volenti, *cap.* 1. *de regular. in* 6. *Et cap. Significatum*, & *cap. Ex parte infrà eodem.* Dum autem Concilium in ea parte, in qua prohibet profeſſum audiri elapſo quinquennio, cenſetur etiam prohibere Superiori ne illum ejiciat: ſimiliter dum prohibet nulliter profeſſum audiri niſi cauſa cognita à Superiore, & Ordinario intelligi debet tacitè prohibere ne Superior poſſit illum ejicere, niſi eodem modo cauſa cognita coram Superiore, & Epiſcopo. Utrumque enim ſtatuitur *in d. cap.* 19. ſub unica verborum ſtructura, & determinatione, atque ita eſt locus regulæ *l. Jam hoc jure*, *ff. de vulg.* & *l. Eum qui ædes*, *ff. de uſucap.* Ad hæc, profeſſio eſt
36 quidam contractus ultrò citròque obligatorius inter ſubditum, & monaſterium, qui non debet claudicare, *cap. Porrectum*, & ibi dixi *num.* 19. & *cap. Ad Apoſtolicam inf. eod.* & tradit Navar. *conſ.* 26. *n.* 1. & *conſ.* 87. *eod. n. de reg.* Facit text. *in l.* 1. *ff. de reſcindend. vendit.* & *in l. fin. ff. de acceptilation.* cum aliis adductis per Alexand. *conſ.* 40. *circa primum*, *num.* 1 *lib.* 5. Unde ratione æqualitatis, quæ in contractu ſervari debet, ſicut Concilium diſpoſuit ne regularis poſſit à religione diſcedere, niſi ex judicio ſui Prælati, & Epiſcopi ita etiam conſentaneum eſt, ut viceverſa cenſeatur diſpoſuiſſe ne religio poſſit illum expellere, niſi cauſa expulſionis probata ab Ordinario, & Superiore regulari.
37 Quod eſt non ſolum ob æqualitatem ſervandam in hoc contractu, verùm etiam ex natura correlativorum; quia in omni contractu ultrò citròque obligatorio diſpoſitum in uno ex correlativis cenſetur etiam diſpoſitum in alio, *ut l. cum emptor, ff. de reſcin. vendit.* & *d. l. fin. de acceptilat.* & *l.* 1. *C. de Cupreſſ. lib.* 11. & tradit Socin. *conſ.* 72. *Difficultatem faciebat nu.* 1. *lib.* 3. Idque procedit etiam in materia correctoria juris communis, ut eſt caſus *in l fin.* ubi notant Bart. Ang. Jaſ. & DD. *C. de indic. viduit. tollen.* Petr. de Anchar. *in repetit. c. Canonum ſtatuta in* 6. *q. princ. de Conſtit.* & Socin. *loc. cit.*

Atque ita non obſtat, quòd hic caſus verbis Concilii non 38
comprehendatur, quia ſatis eſt ut comprehendatur ratione. Nam lex nova quæ diſponit in uno ex correlativis, cenſetur etiam diſponere in alio etiam ad correctionem juris communis, ubi eadem eſt ratio, *d. l. fin. C. de indic. viduit. toll.* & *l. Curatorem*, cum ibi notat per gloſſ. & DD. *c. De interdict. matrim. l. fin.* & ibi Salycet. *C. de reſcind. vend.* & tradit Jaſ. *in l. Tranſigere num.* 2. *C. de tranſact.* Unde 39
regula illa, quæ habet, in corectoriis, & exorbitantibus à jure communi non fieri extenſionem de caſu ad caſum etiam ex identitate rationis, *cap.* 1. *cum gloſſ. de regul. jur. in* 6. *gloſſ. in cap. Conſtitutionem in verb. Prorogamus de regul. eodem lib.* limitatur ut non procedat in correlativis, ut optimè declarat Bart. *in d. l. fin. n.* 1. & 2 *C. de indict. viduit. toll.* Affirmare etiam poſſumus hoc caſu non agi de corre- 40
ctione juris communis; quoniam de jure veteri monaſteria ſubjecta erant Epiſcopo Diœceſano, *cap. Monaſteria* 18. *q.* 2. & ad eum ſpectabat cura, & ſolicitudo etiam monachorum, *cap. Si quis Abbas*, & *cap. Abbates ead. cauſ.* & *q. c. Qui vere in fin* 16. *q.* 1. Unde ipſe poterat nulliter profeſſos à religione ejicere, ſicut poterat illos ad religionem admittere, *cap. Si vir* 27. *quæſt.* 2. *cap. Nulla*, & *cap. Uxor* 23. *diſt. c. De viduis* 27. *q.* 1. & *c. Dudum*, *de converſ. conjug.* & tenent *in cap. fin infr. eod. lib.* 6. Gemin. *poſt medium*, *verſ. Imò etiam ceſſante*, & Franc. *num.* 1. *in gloſ.* 2. 41
Ergo Tridentinum Concilium dum jubet adhiberi Epiſcopum in judicio nullitatis profeſſionis, licèt corrigat jus commune tamen eſt favorabile, & latè interpretandum, cùm per illud fiat reditus ad jus antiquum, ut notat gloſſ. *in cap. Statum in verb. Numerandum de præb. lib.* 6. Jaſ. in Auth. *Quas actiones num.* 20. *C. de Sacroſanct. Eccleſ.* Roman. *conſ.* 318. *Quæritur etiam n.* 5. plenè Curtius Jun. *conſ.* 9. *circa præmiſſam num.* 4. Gramm. *deciſ.* 92. *num.* 15. Demum in q. propoſita ſic cenſuit S. Congreg. Concilii, cu- 42
jus ſententia hodie videtur non obſcurè approbata in decreto S. D. N. Urbani VIII. ſuper forma deducendi nullitatem profeſſionis ex eo, quòd regulares recepti, & profeſſi fuerint in Conventibus non deſignatis ad recipiendos novitios contra formam Decretorum Clementis VIII. In eo enim decreto diſertis verbis præcipitur, ut cauſæ nullitatis hujuſmodi intra quinquennium deducantur coram eadem S. Congregatione, non modò cùm recepti, & profeſſi contra formam prædictorum decretorum è religione exire, verùm etiam cùm Superiores extra eam reſpectivè illos ejicere voluerint, ut patet ex ipſius decreti tenori, quem retuli *in cap. Perlatum in fin. ſupr. de iis quæ vi met. cauſ.*

Ex prædictis videtur inferri poſſe, ut quemadmodum 43
ſubdito alleganti nullitatem ſuæ profeſſionis dato fumo nullitatis conſuevit ex juſta cauſa concedi à Sed. Apoſt. reſtitutio adverſus lapſum quinquennii, ita etiam eadem reſtitutio ſit concedenda religioni, ſi ipſa velit cauſas nullitatis deducere, cùm hujuſmodi actus ſint reciproci, & utrinque æqualitas ſervanda ſit, nec judicium debet claudicare, *ut c. Cùm inter ſuprà de except.* cum concordant. de 44
quibus ibi per gloſſ. *in verb. Claudicare*, plenè Bald. *conſ.* 486. *Statutum num.* 1. *verſ. In contrarium videtur lib.* 2. licèt non meminerim hunc caſum ex parte religionis unquam contigiſſe, fortè quia in pleriſque caſibus nullitatis 45
profeſſionis Superiores regulares, qui recipiunt, non vacant culpa, & gravi etiam pœna ſunt puniendi, ut de his, qui admittunt ad profeſſionem novitios ante annum probationis expletum, eſt text. *in cap. Ad Apoſtolicam, infrà eodem*, ibi, Animadverſione ſunt debita corrigendi, & *cap. Non ſolum eod. tit. in* 6. ubi Superioribus Mendicantibus hoc prohibetur ſub pœna excommunicationis. Et decreta Clementis VIII. imponunt pœnam privationis officiorum vociſque activæ, & paſſivæ, & inhabilitatis ad alia obtinenda Superioribus, qui aliquem ad habitum, vel pro-

profeſſionem recipiunt in locis ad recipiendos novitios
46 non deſignatis. Et cùm hæc reſtitutio in integrum ſit mera gratia, Bald. *conſ.* 335. *in princ. lib.* 3. *aliàs* 388. ejuſmodi gratia digni non videntur, qui in legem committunt, *cap. Quia fruſtrà de uſur.* Innocent. & DD. *in cap. Intelleximus de Adulter.* Ancharan. *conſ.* 37. *n.* 4. *& ſeqq.* nam delinquens non debet eſſe melioris conditionis, quàm non delinquens, *c. Contingit de dolo, & contum.* Feder. de Sen. *conſ.* 216. *in fin.* Imò id obviat juri publico, quia quis invitatur ad delinquendum, ex delicto præmium conſequatur, ut ait Signorol. *conſ.* 110. *n.* 8. Unde privilegium à lege inductum delinquentibus non competit, ut in Auth. *quibus modis natural. efficiantur ſui*, §. *pen. verſ. Nam ſi hoc*, ubi gloſſ. *in verb. Legem*. Ideòque Superiores petentes reſtitutionem in integrum non videntur audiendi: qui ſic allegarent turpitudinem ſuam, contra *c. Cùm dilectus de fin. inſtr.* ut de Mendicantibus non ſervantibus inſtitutum ſui Ordinis, in ſimili caſu reſpondit Anchar. *conſ.* 109. *per tot.* Ignorantia verò non excuſat in his, quæ quis 47
tenetur ex officio inquirere, *c. Ad falſariorum de crimin. falſ.* Gemin. *in c. In memoriam col.* 2. 19. *diſt.* Ant. Gabr. *concl.* 6. *n.* 40. *de reg. jur.*

Cæterum quia negari non poteſt, quin dari poſſit caſus, in quo ignorantia ex parte Superiorum regularium ſit juſta, & invincibilis, ut apud Navarr. *conſ.* 1. *in princ. de conſtit.* & de hoc ad præſens non quæritur, idcirco nihil videtur generaliter decernendum; ſed ubi caſus acciderit, maturè deliberandum.

DE REGULARIBUS.

Ex eodem Concilio Moguntin.

CAPUT II.

Siquis ante annos legitimos tonſuratus eſt ſine conſenſu parentum ſuorum: ſi parentes ipſius infra annum non reclamaverint ad Principem, aut ad proprium Epiſcopum, vel ad miſſum dominicum, in Clericatu permaneat. Si verò poſt legitimos annos, per vim Clericus factus eſt, & nec ipſe, nec parentes ejus infrà annum ad memoratas perſonas reclamaverint, in Clericatu permaneat, ſicut is de quo ſuperiùs dictum eſt.

SUMMARIUM.

1 *Impubes monaſterium ingreſſus poſt annum à parentibus revocari non poteſt.*
2 *Parentes revocare non poſſunt filium impuberem è monaſterio, ſi illius ingreſſui tacitè, vel expreſſe conſenſerint.*
3 *Si verò non conſenſerint, revocare poſſunt infra annum dumtaxat.*
4 *Mater an poſſit offerre filium impuberem Religioni ſine conſenſu patris, & è contra.*
5 *Jus naturale in ſpiritualibus præfertur poſitivo, vel civili.*
6 *Pater non poteſt offerre filium impuberem Religioni, ſi mater contradicat, nec è converſo.*
7 *Tutor offerre poteſt pupillum Religioni ſicut parentes.*
8 *Et ex pluribus tutoribus ſufficit oblatio unius, alio non contradicente.*
9 *Filius tradi poteſt Religioni à parentibus, etiam invitis tutoribus.*
10 *Pater offerre poteſt filium Religioni, etiam invito avo, qui habet utrumque in poteſtate.*
11 *Impubes Religioni oblatus infra annos pubertatis exire non poteſt.*
12 *Religionem ingreſſus propria authoritate infra annos pubertatis poteſt quandocumque exire.*
13 *Filius invitus an poſſit à parentibus offerri Religioni, anve ſic oblatus exire poſſit etiam ante annos pubertatis.*
14 *Oblatio parentum de impubere an ſe habeat ad profeſſionem, ſicut ſponſalia ad matrimonium.*
15 *Filii non obligantur ex ſponſalibus contractis per parentes, niſi conſentiant tacitè, vel expreſsè.*
16 *Oblatus Religioni poteſt quandocumque exire poſt pubertatem, niſi expreſsè, vel tacitè profeſſionem emiſerit.*
17 *Puella duodecim annis minor à parentibus monaſterio tradita, an habitum Regularem ſuſcipere poſſit non obſtante Concilio Tridentino* in c. 17. ſeſſ. 25. de Regular.
18 *Religionem ingreſſus in legitima ætate per vim, & metum, ſi infrà annum potuit reclamare, & non reclamavit, eo elapſo exire, vel à parentibus revocari non poteſt.*
19 *Et quid poſt Concilium Tridentinum* in c. 19. ſeſſ. 25. de Regular.
20 *Profeſſi contra formam Decretorum Clementis VIII. in conventibus ad recipiendos Novitios non deſignatis, aut aliàs nulliter ex perpetuo impedimento, an teneantur in foro conſcientiæ elapſo quinquennio à die profeſſionis in Religione perſeverare, & n. ſeqq. uſque in fin.*
21 *Obligatio ad perſeverandum in Religione unde oriatur, & n.* 68. *&* 72.
23 *Profeſſi invalidè an teneantur in utroque foro ad obſervantiam Regulæ, & n.* 73.
24 *Fictiones, ſeu præſumptiones non habent locum in foro animæ.*
Declaratur, n. 69. *& ſeqq.*
25 *Forum conſcientiæ non erroneæ ſemper nititur veritati, & n. ſeqq.*
26 *Spiritualia non regulantur jure fori, ſed jure poli.*
28 *Hæres non conficiens inventarium an teneatur in foro conſcientiæ, ultra vires hæreditarias, & n.* 71.
29 *Exceptio non numeratæ pecuniæ poſt biennium an habeat locum in foro conſcientiæ.*
30 *Contrahentibus in foro animæ non licet ſe decipere.*
31 *Eccleſia non poteſt quemquam invitum religioni alligare, & n.* 72.
Declaratur, n. 73.
32 *Conſenſus in matrimonio tam carnali, quàm ſpirituali eſt de jure naturali, & divino.*
33 *Religio an teneatur nulliter profeſſo ad alimenta, & num.* 74.
34 *Profeſſus nulliter poteſt in foro conſcientiæ etiam ſine licentia ad ſæculum redire, & uxorem ducere, ſecundùm opinionem Navarri.*
Contrarium, n. 79.
35 *Profeſſus invalidè an teneatur in Religione perſeverare, ut vitetur ſcandalum, & n.* 67.
36 *Profeſſus ob mortis timorem an poſſit tuta conſcientia ad ſæculum redire, & n.* 81.
37 *Lex humana juſta obligat etiam in foro conſcientiæ.*
38 *Legis canonicæ præcepta, aut prohibitiones obligant in foro conſcientiæ etiam reatu mortalis peccati.*
39 *Apoſtolicæ Sedis decreta tranſgrediens quas pœnas incurrat.*
40 *Concilia generalia ſervanda ſunt quaſi quatuor Evangelia.*
Epiſcopi qui non utuntur juriſdictione ſibi attributa in exemptos in caſibus, in quibus Concil. Trident. utitur verbis præceptivis, ſeu obligativis, peccant mortali-

taliter, ibid. verſ. In ſpecie vero.

41 *Quinquennium ad deducendas cauſas nullitatis profeſſionis quas ob cauſas à Conc. Trid. præfixum fuerit, & n.51. & ſeq.*

42 *Legis tranſgreſſio etiam ſecluſo contemptu indiſtinctè obligat ſub mortali, quando impeditur finis legis.*

43 *Profeſſus invalidè poteſt etiam in foro conſcientiæ obligari ab Eccleſia ad Religionem in genere.*

44 *Obligatio naturalis oritur ex concractu etiam nullo ex defectu ſolemnitatis.*

Obligatio naturalis quos effectus producat, ibid.

Creditor an poſſit furari rem debitoris ſui ſibi naturaliter obligati, ibid. verſ. Quinimo licet ei.

45 *Profeſſio nulla ex alia cauſa, quàm ex defectu conſenſus parit naturalem obligationem.*

Electus nulliter ob non ſervatam formam Concilii generalis habet canonicam electionem de jure naturali propter conſenſum, & ſine peccato beneficium retinet ſecundùm opinionem Innocentii, ibid. verſ. Ad quod facit doctrina Innocentii.

46 *Profeſſus nulliter obligatur ex ſimplici voto.*

Votum ſimplex non minùs obligat apud Deum, quàm ſolemnis profeſſio, ibid. verſ. Ergo cum profeſſi.

Vovens ingredi religionem ſi fiat Epiſcopus tenetur Eccleſiam reſignare, & ad Religionem tranſire, ibid. verſ. Facit textus.

47 *Profeſſio per ſimulationem emiſſa obligat ad perſeverandum in Religione, & ad regulam obſervandam.*

48 *Quinquennii terminus ad reclamandum inductus eſt à Concilio Trid. ad inſtar præſcriptionis.*

49 *Præſcriptio quinquennalis in quibus caſibus habeat locum.*

50 *Præſcribens rem alienam, etiamſi poſt completam præſcriptionem ſuperveniat mala fides, eſt tutus in foro conſcientiæ, & n. ſeq.*

51 *Pœna judicialis ſolvi debet etiam in foro conſcientiæ.*

53 *Preſcriptio inducta eſt in pœnam negligentium, & ad bonum publicum.*

54 *Regulares qui nullitatem profeſſionis infra quinquennium deducere potuerunt, habent remedium reſtitutionis in integrum.*

55 *Statutum laicorum denegans audientiam propter bonum publicum ligat etiam in foro conſcientiæ.*

56 *Apoſtata à Religione dicitur, qui ad ſæculum redit non ſervata forma à Concilio Tridentino præſcripta.*

57 *Apoſtata eſt excommunicatus, & peccat mortaliter.*

58 *Lex etiam pœnalis obligat in foro conſcientiæ.*

59 *Forus conſcientiæ regulariter ſequitur forum judicialem.*

60 *Lex injuſta non obligat quoad Deum.*

61 *Forus conſcientiæ diſtinguitur a foro judiciali, quando lex præcipit, ut diſtinguatur, & n.77.*

62 *Lex juſta ex quibus cauſis conſtituatur.*

63 *Verba impetrativa neceſſitatem important.*

64 *Præcepta negativa magis præcisè obligant, quàm affirmativa.*

65 *Negativa indefinita æquipollet univerſali ex proprietate ſermonis.*

66 *Verba*, quacumque de cauſa, *quid importent.*

67 *Lex etiam injuſta obligat in foro conſcientiæ ratione ſcandali.*

69 *Præſumptiones, vel fictiones habent locum etiam in foro animæ, quando ex legis obſervantia non reſultat iniquitas, vel peccatum, & n. ſeq.*

73 *Regulam ſervare tenetur etiam nulliter profeſſus elapſo quinquennio à die profeſſionis.*

75 *Lex Sancimus de jure Protomiſeos habet locum etiam in foro conſcientiæ.*

76 *Novitius volens diſcedere à monaſterio non poteſt inquietari pro expenſis.*

78 *Matrimonio exiſtente invalido ob occultum impedimentum, mulier non tenetur obedire Eccleſiæ præcipienti ſub pœna excommunicationis, ut adhæreat viro.*

80 *Scandalum Phariſæorum, & puſillorum quando dicatur.*

81 *Metus mortis ita demum inficit profeſſionem, ſi in ordine ad illam incuſſus fuerit.*

72 *Profeſſio emiſſa ob timorem ultimi ſupplicii præ conſcientia ſcelerum eſt valida.*

SI quis. Impubes monaſterium ingreſſus poſt annum à 1
parentibus revocari non poteſt, hoc primo. Pubes per
vim ingreſſus poſt annum exire, vel à parentibus revocari
non poteſt, hoc dicit ſecundò. Communis diviſio. Secunda ibi, *Si verò.*

Nota circa primam partem textus dicta Innocentii qui 2
egregiè materiam tractat, & ejus dicta DD. communiter
recipiunt, ut Abb. hìc teſtatur *n.6.* & ex ejus dictis collige
concluſiones infraſcriptas. Prima concluſio eſt, ſi parentes
tacitè, vel expreſsè conſentiunt ingreſſui filii in monaſterium ante legitimos annos, ideſt ante decimumquartum
in maſculo, & duodecimum in fœmina, *c. Illud 20. q.1. & cap. Si in qualibet q.2.* ſecundum Hoſtienſ. hìc *in princ.* ulterius eum revocare non poterunt, ut hic, & in dicto *c. Si in qualibet*, cum concord. de quibus hìc per Innoc. *in princ. in verb. Conſenſus*, & Hoſt. *n.2. in verb. Parentum.*
Si verò non conſenſerint, poſſunt mediante recurſum ad 3
perſonas hìc deſignatas revocare infra annum dumtaxat,
ut hìc; ſupple, & diem, ut in *c. Puella 20. q.2. gl. hìc in verb. Infra annum*, Hoſt & Jo. And. *in eod. verb.* non autem ultrà, quia per diſſimulationem tanti temporis, cenſentur conſenſiſſe, ut patet *in d. c. Puella*, & annus computatur à die ſcientiæ parentum ſecundum gl. ibi *in ver. At ſi annum*, Goffred. *in ſumma eod. tit. §. Sed quæritur à quo tempore*, Hoſtienſ. *in ſumma eod. tit. §. fin.* & Henricum, *hic poſt princ. verſ. Et annus iſte*, qui etiam addunt majus tempus fore indulgendum, ſi monaſterium adeò diſtaret, ut infra id tempus ad illud pervenire non poſſent.

Secunda eſt, ſi quis habeat patrem & matrem, ſufficit al- 4
terius oblatio, de quo videtur text. *in c. Adjiciſtis, & c. Quicumque 20. q.1.* Et quamvis gl. & Archid. *in d. c. Puella*, dicant matrem non poſſe offerre filium monaſterio, cum
non habeat eum in poteſtate, *inſtit. de adopt. §. Fœminæ*;
tamen ut dixi, opinio Innocentii communiter recipitur, & 5
videtur tenenda favore religionis, ſecundùm Abb. *n.6. in
fin.* Nec obſtat ponderatio patriæ poteſtatis, quia ut ſingu- 6
lariter dicit Innocentius, in ſpiritualibus jus naturale præfertur poſitivo, vel civili. Sed ſi pater, aut mater contradicat, melior conditio eſt prohibentis, *ut l. Sabinus, ff. comm. divid.* ſecundùm Innoc.

Tertia eſt, tutor habet poteſtatem offerendi pupillum 7
Religioni, ſicut parentes, *c. Puella 20. qu. 2.* Et quamvis Feder. de Sen. *conſ.284. Quidam n. 1. verſ. Item etſi tutor*, obiter teneat contrarium, eò quod reperiatur jure cautum, ut poſſit revocare, non autem ut poſſit offerre; dictum tamen Innocentii magis placet Abb. hìc *n.8.* per text. *in d. c. Puella 20. q. 1.* ubi taciturnitas tutorum habetur pro expreſſa oblatione. Eamdem opinionem ſequutus eſt idem Innoc. *in c. Cum virum in princ.* & ibi etiam Hoſtienſ. *n. 4. in ver. A parentibus*, Jo. Andr. *in
eod. ver. n. 1. inf. eod.* Quod ſi quis habeat plures tu- 8
tores, ſufficit alterius oblatio, dummodò alius non contradicat, ſecundùm Innocent. *in princ. in verb. Conſenſu, verſ. Et eadem ratione*, Hoſt. *n.2.* & alios communiter.

Quarta eſt, ſi pupillus habeat parentes, & tutores, of- 9
ferri poteſt à parentibus etiam invitis tutoribus, ſecundùm Innoc. cum quo cæteri tranſeunt.

Quinta, ſi avus habeat filium, & neptem in poteſtate, 10
pater nihilominùs offerre potuerit etiam invito avo per rationem poſitam ſupra in ſecunda concluſione, quod etiam tenet Feder. *d. conſ.274.*

Sexta, ingrediens, vel oblatus infra annos puberta- 11
tis exire non poteſt, arg. *cap. De illis infra de deſponſ. impuber.*

Septima, religionem ingreſſus propria authoritate po- 12
teſt infra annos pubertatis quandocumque exire, *c. Significatum inf. eod.*

Octava, & ultima concluſio eſt: Parentes non poſſunt 13
offerre Religioni filium impuberem invitum, & ſic oblatus etiam ante annos pubertatis exire poteſt, arg. à contrario ſenſu, *c. Puella 20. q.1. & c. Puella q.2.* Et hoc ſentit Innoc. ſecundùm Abb. *n.9.* qui dicit ſibi magis placere dictum Inno-

Innocentii. Tum quia voluntarium militem diligit Deus
14 *cap. Nec eſt* 15. *qu.* 1. Tum quia oblatio parentum de impubere ſe habet ad profeſſionem, ſicut ſponſalia ad matrimonium, *arg.* 20. *q.* 1. *in primis quatuor c.* Sed ex ſponſalibus
15 contractis per parentes filii non obligantur, niſi tacitè, vel expreſsè conſenſerint, *ut in cap.* 1. *§. fin. de ſponſ. impuber. lib.* 6. Ergo idem dicendum in hujuſmodi oblatione. Contrarium concludo *in c. Cùm in virum ann. inf. eod.* ubi oſtendo hanc non fuiſſe opinionem Innocentii, & reſpondeo
16 motiva Abbatis. Poſt pubertatem verò ſi ab initio conſenſerit, ſive non, poterit ſic oblatus quandocumque exire niſi tacitè, vel expreſsè profeſſionem emiſerit, de quo dic, *ut in cap.* 1. *de Regular. lib.* 6. Et poſt Conc. Trid. intellige,
17 ut dixi *in cap. Ex parte nu.* 5. *inf. eod.* An autem puella 12. annis minor à parentibus monaſterio oblata habitum regularem ſuſcipere poſſit non obſtante ipſius Concilii decreto *in cap.* 17. *ſeſſ.* 25. *de regular.* dicam plenè *in c. Cùm virum inf. eod.*

18 Secundò nota *in §. Si verò*, eum qui in legitima ætate per vim ingreſſus eſt monaſterium, ſi infrà annum potuit reclamare, & non reclamavit, eo elapſo exire, vel à parentibus revocari non poſſe, ſed teneri in Religione perſeverare, prout hìc notant *gloſ. fin.* Innoc. *n.* 3. *in verb. Per vim.* Hoſt. & Jo. Andr. *in eodem verb.* Butr. *n.* 8. Abb. *n.* 4. & alii communiter.

19 Hodie decreto Concil. Trident. *in cap.* 19. *ſeſſ.* 25. *de Regul.* ſtatutum eſt, ut quicumque Regularis prætendit ſe per vim, & metum ingreſſum eſſe Religionem, aut etiam dicit ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, velitque habitum dimittere quacumque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia Superioris, non audiatur niſi intra quinquennium tantùm à die profeſſionis, & tunc aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo, & Ordinario.

Circa hoc decretum duplex oritur difficultas. Altera eſt, an per illud fuerit ſublata diſpoſitio hujus tex. *in §. Si verò*. Et quoad hoc breviter dicendum eſt non fuiſſe ſublatam, quia ſpatium unius anni ad reclamandum, quod hic tribuitur illi, qui per vim, & metum ingreſſus eſt Religionem, fundatur in præſumptione taciti conſenſus, quia per moram tanti temporis cum potuerit reclamare, & non reclamaverit, cenſetur ingreſſum ſuum ratificaſſe, & profeſſionem tacitè emiſiſſe, ut hìc not. prædicta gl. *fin.* Innoc. *n.* 2. *verſ. Pro hac autem opinione*, ubi ait eum, qui per vim ingreſſus eſt monaſterium, lapſu anni præſumi tacitè profeſſum, ut hoc cap. dicit. Idem intendit Butr. *nu.* 8. dum dicit per cohabitationem annalem purgari vitium reſpectu metus tempore ingreſſus, & ſequuntur alii præallegati. At decretum Concilii in d. c. 19. non fundatur in præſumpta retehabitione ingreſſus, nec tacitam profeſſionem inducit; ſed tantùm denegat audientiam ei, qui elapſo quinquennio prætendit deducere cauſas nullitatis ſuæ profeſſionis, ut latiùs dixi *in cap.* 1. *nu..... ſuprà quod met. cauſ.* Unde poteſt contingere, ut major ingreſſus religionem per vim, & metum, elapſo anno cenſeatur Monachatum ratificaſſe, & tamquam tacitè profeſſus non poſſit ampliùs ad ſæculum redire, ut hìc deciditur, & notat gl. & DD. citati: & tamen ſi quinquennium non ſit elapſum Concilium non obſtet, quominus audiri poſſit, ſi prætendat ſe profeſſum non eſſe. Et è converſo accidere poteſt, ut ingreſſus per vim, & metum, etiam elapſo anno non ſit profeſſus, puta ſi reclamare non potuit, eò quòd metus ſemper duraverit, *c. Ad id quod inf. de ſponſ. cap. Conſtat.* 1. *q.* 1. *cap. De illis, il ſecondo de deſponſ. impub. gl. fin. hìc*, & alii præallegati; & nihilominùs ex Concilio audiri non poſſit ad allegandas cauſas invaliditatis ſuæ profeſſionis, ſi quinquennium ſit tranſactum, etiamſi metus nunquam ceſsaverit, juxta declarationem Gregorii XIII. quam poſui in *d. c.* 1. *num.* 40. *ſupra quod met. cauſ.* Atque ita diſpoſitio Concilii, & hujus decretalis invicem compatiuntur, unde quod nom mutatur, &c. *l. Sancimus, C. de teſtam. l. præcipimus in fin. C. de Appellat. c. Cùm expediat de Elect. lib.* 6.

Altera, & major difficultas, eſt an decretum Concilii vendicet ſibi locum tantummodò impedimentis temporalibus, ut metus, defectus ætatis, & conſimilibus. Quidam enim putant non habere locum in impedimentis perpetuis, ut ſi quis profeſsus fuerit in aliquo Conventu non deſignato ad recipiendos Novitios contra formam decretorum Clementis VIII. Sed horum opinionem falſam eſse oſtendi *in d. c.* 1. *à num* 20. *uſque in finem ſuprà, Quod met. cauſ.* Verùm quia non deſunt, qui doceant nulliter profeſſos ex impedimento perpetuo poſse ſaltem in foro animæ redire ad ſæculum, & uxorem ducere non obſtante lapſu quinquennii per Concilium præfixo; operæ pretium duxi de veritate hujus doctrinæ diligenter inquirere.

Revoco igitur in dubium, an profeſſi contra formam 20
decretorum Clem. VIII. in conventientibus ad recipiendos Novitios non deſignatis, aut alias nulliter ex perpetuo impedimento, teneantur in foro conſcientiæ elapſo quinquennio à die profeſſionis in Religione perſeverare.

Jam cenſuit S. Congregatio hujuſmodi profeſsos elapſo quinquennio præfinito *in d. cap.* 19. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* nullatenùs eſse audiendos ad allegandas cauſas nullitatis profeſſionis, ſed debere in Religione perſeverare. Quod cùm certum ſit quoad Eccleſiam, & in foro externo, quæritur nunc: An idem ſit dicendum quoad Deum, & in foro conſcientiæ.

Opinio negativa videtur ſuaderi poſse rationibus, & authoritatibus infraſcriptis.

Et primò, in tantùm quis tenetur in foro conſcientiæ in 21
Religione perſeverare, in quantùm eſt tacitè, vel expreſsè eidem Religioni alligatus, *c. Quem progenitores* 20. *q.* 1. *c. Cùm virum, c. Sicut nobis in fin. & c. Statuimus inf. eod. c.* 1. *in princ. eod. tit. in* 6. *& c. Religioſo, §. Quamvis de ſent. excomm. eod. lib. cum ſimil.* Sed profeſſi in Conventibus ut ſuprà non deſignatis etiam elapſo quinquennio nec expreſsè, nec tacitè ſunt alligati Religioni, cùm ex ſententia S. Congr. decreta Clementis tam expreſsam, quam tacitam profeſſionem excludant, & Trid. Concil. in d. c. 19. poſt quinquennium non faciat eos tacitè profeſsos, ſed tantùm deneget audientiam. Ergo elapſo quinquennio in foro conſcientiæ non tenentur in Religione perſeverare.

Secundò, qui non adſtringitur ad obſervantias regulares non tenetur in Religione permanere. Sed profeſſi contra formam decretorum Clementis in conſcientia non aſtringuntur ad obſervantias regulares. Ergo non tenentur in foro conſcientiæ in Religione permanere.

Major patet, tum quia obligatio perſeverandi in religio- 22
ne, & vivendi ſecundùm regulam provenit ex eadem radice, & cauſa validitatis profeſſionis, *c. Si in qualibet*, ibi *Mox ad religionis cultum, habitumque revocentur, & ſub ſtrenua diſtrictione hujuſmodi obſervantiæ inſervire cogantur*, 20. *q.* 2. *c. Conſtituit*, ibi, *In eo, quod cœperunt perſeverare cogantur*, 20. *q.* 3. *c. Ex parte*, ibi, *Ut regulam ſervent, Eccleſiaſtica diſtrictione compellas, c. Cùm Virum verſ. Revertendi, &c. & c. Conſulti in fin. infrà eod.* Unde cùm in nulliter profeſſis ceſset cauſa, & fundamentum obligationis, ipſa quoque obligatio ceſsare debet, *c. Cùm Paulus* 1. *q.* 1. Anchar. *conſ.* 47. *Pro clariori num.* 4. Tum quia abſurdum eſset, & in magnam cederet regularis diſciplinæ perturbationem, ut qui in foro externo habentur pro religioſis, & unà cum cæteris Regularibus convivunt, communia inſtituta ſervare non tenerentur. Quid enim, ſi ſic profeſſi choro, & menſæ communi non convenirent, ſi è monaſterio non petita licentia abſcederent, ſi ſilentium frangerent, ſi Prælatorum obedientiam detrectarent, aut in cibis, in veſtibus, & aliis hujuſmodi regularia inſtituta contemnerent? contra canonicas traditiones, quibus præcipitur, ut qui ſimilem cum aliis vitam ſuſcipiunt, ſimilem ſentiant in legibus diſciplinam, ut legitur *in capit. Recolentes de ſtatu Monach.* Qua de re plura apud D. Thom. *opuſc.* 19. *art.* 3.

Minor probatur, quia invalidè profeſſi idcirco elapſo 23
quinquennio cogi poſsunt in foro externo ad obſervantias regulares, quia ab Eccleſia reputantur ut legitimè profeſſi, cùm eo termino elapſo, illis à Concilio præcluſa ſit via probandi nullitatem ſuæ profeſſionis, ad exemplum eorum, qui poſteaquam per annum in monaſterio habitum indiſtinctum detulerunt, præſumuntur veraciter eſse profeſſi, cùm contrarium probare non poſſint, obſtante præſumptione juris, & de jure, ſecundum gl. *in c. Ex parte in verb. Annum inf. eod.* quam DD. communiter ſequuntur illic, *in cap.* 1. *eod. tit. in* 6. & in Clem. 2. *eod.*

At hujuſmodi præſumptiones, ſeu fictiones non habent 24
locum quoad Deum, & in foro animæ, *cap. Humanæ* 22.
q. 5. Anchar. *conſ.* 411. *n.* 5. Ratio eſt, quia lex, ſeu forus 25
con-

conſcientiæ non erroneæ ſemper nititur veritate, & rei exiſtentia, ut ait Feder. de Sen. *conſ.* 21. *Numquid heres num.*2. ubi affert illud Apoſt.2. *ad Corinth.* 1. *Gloria noſtra teſtimonium conſcientiæ noſtræ, c. unic. de Sac. unct.* Quamvis enim lex humana diſponat, & judicet ex his, quæ apparent, *cap. Erubeſcant* 32. *diſt.* non autem de occultis, *cap. Literas de reſtit. ſpoliat. & cap. Inquiſitioni de ſent. excom.* ideòque judex ſecundum probata non ſecundum conſcientiam debeat judicare, *cap. Judicet* 3. *q.* 7. *cum ſimil.* aliud tamen eſt in foro conſcientiæ, in quo de præſumptione,
26 vel fictione non curatur, ſed de veritate, ut plenè per eundem Feder. de Sen. *loc. cit.* Nec eſt novum ut ſecundum forum judicialem fiat unum, & aliud ſecundum conſcientiam, cùm iſta ſpiritualia non regulentur jure fori, ſed jure poli, *cap. ult. in fin.* ibi: Aliud jure fori, aliud jure poli, 17. *q* 4. & tradit poſt Feder. de Sen. Anchar. *d. conſ.* 411. *num.*4. *verſ. Iſta enim ſpiritualia*, qui etiam allegat Bart. *in l. Habeat, C. de Sacroſ. Eccleſ.* Ad id Lap. *allegat.* 72. *Martinus per totum*; ubi pluribus probat forum conſcien-
27 tiæ, & animæ non admittere apices juris, nec formulam verborum, ſed ipſam rei veritatem: & Angel de Peruſio *conſ.*59. *Quidam in princip.* ubi ait in foro conſcientiæ non colorem quæſitum, neque apparentiam, ſed ſolam veritatem ſpectari.

28 Hinc fit, ut quamvis hæres non conficiens inventarium teneatur ultra vires hereditarias, eò quòd ſibi contemnenti legis diſpoſitionem, non credatur in foro judiciali, ſi dicat hæreditatem non ſufficere ad omnia debita perſolvenda, *l. Sancimus, C. de jur. delib.* tamen ſi verè hereditas non ſufficiat, in foro conſcientiæ, in quo de præſumptione, vel fictione non curatur, ſed veritate, hæres non teneatur, ut per Anchar. *loc. cit.*

29 Et ſimiliter quamvis ſecundùm leges non poſſit opponi exceptio numeratæ pecuniæ poſt biennium, tamen creditor, qui re vera pecuniam non numeravit, non poteſt poſt biennium illam repetere in foro conſcientiæ, & converſo. Innocen. *in cap. Quia plerique numer.* 2. *de immun. Eccleſ.* Idemque dicendum de eo, qui cùm non eſſet debitor, fuit tamen injuſtè condemnatus, & in eo qui cum verè debitor eſſet, fuit in judicio abſolutus, ut per Innoc. &
30 Feder de Sen *ubi ſup.* Rurſus etſi in foro fori liceat contrahentibus ſe decipere uſque ad dimidiam juſtitiam pretii, *c. Cùm dilecti, ubi not. de empt. & vendit.* tamen ſecundùm Feder. de Sen non licet juri poli: cum fraus, dolus, & deceptio ſint nomina reatus. Et quamplurima alia exempla congerunt Innocen. Hoſtien. & DD. *in dict. c. Quia plerique de immun. Eccleſ.* & Dyn. *in c. Locupletari de reg. jur. in* 6.

Eodem igitur modo qui profeſſus eſt in conventu non deſignato ad recipiendos Novitios, aut alias nulliter, quamvis elapſo quinquennio ab Eccleſia, & in foro externo habeatur pro religioſo, cum in eo foro nullitas probari non poſſit, ideòque ſit cogendus regulam ſervare; tamen cum in rei veritate ex ſententia Sac. Congreg. non ſit profeſſus, nec religioni alligatus, non tenebitur in foro conſcientiæ, in quo ſimplex, & nuda veritas inſpicitur, ad obſervantias regulares. Atque ita in terminis noſtris tradit Cardinal. Alex. *in c. Quod interrogaſti ſub n.*9. 27. *diſt.* ubi ait: In profeſſione potius debemus attendere veritatem, quàm ipſum factum, patet *quod met. cauſ. cap.* 1 ſubdens id eſſe abſolutè verum in foro pœnitentiæ, quia ille forus ſequitur veritatem tantùm, allegat *cap. Tuæ*, & quod ibi not. *de ſponſ.* Et invalidè profeſſos elapſo quinquennio non teneri ſecluſo ſcandalo ad obſervantiam regulæ, ſimpliciter tradit Thom. Sanch. *de matrim. lib.* 7. *de impedim. diſp.* 37. *num.*37.

31 Tertiò, quamvis Eccleſia poſſit inducere præſumptionem validitatis profeſſionis, itaut profeſſus in foro judiciali contra hujuſmodi præſumptionem non ſit audiendus juxta *cap.* 1. *de regul in* 6. Clem 2 *eod. tit.* tamen in rei veritate, & in foro poli non poteſt quemquam invitum alligare ad religionem, aut ad obſervantias regulares: non enim,
32 ut ait Navarrus *conſ* 39. *nu.* 2. *de Regul.* Summus Pontifex juſtè poteſt tam grandia præcipere, arg. *cap. Integritas* 32. *q.*1. *& c. Geſta* 74. *diſt.* juncta gloſ. *in ver. Creſcere*, & cum conſenſus in matrimonio tam carnali, quàm ſpirituali exigatur de jure naturali divino, ab Eccleſia ſuppleri non poteſt, *cap. Præſens* 20. *q.*3. *cap Licèt infr. eod.* Abbas *in cap. Per venerabilem n.*21. *qui fil. ſint legit.* Silveſt. *in ver. Relig.* 3. *num.* 12. idem Navarr. *conſ.* 14. *num.*2. *Quod met. cauſ.* & tradunt paſſim Theologi. Unde D. Bernard. *tom.*2. *in tract. de præcepto, & diſpenſatione: Vota mea*, inquit, *nullus augeat ſine voluntate mea*. Ergo quamvis Concilium per præfixionem quinquennii potuerit quibuſvis profeſſis denegare audientiam, atque inducere præſumptionem validitatis præcedentis profeſſionis, interdicendo, ne contraria probatio admittatur; tamen in foro animæ non videtur potuiſſe invalidè profeſſos obligare ad regulares obſervantias, & perpetuam perſeverantiam in Religione.

Quartò, nulliter profeſſo Religio non tenetur ad alimen- 33
ta, arg. *c. Cum ex offic. de præſcript. & c. Satis perverſum* 55. *diſt.* Gemin. Anchar. & alii *in c. unico de voto in* 6. Imò nec poteſt nulliter profeſſus tuta conſcientia hujuſmodi alimenta à Religione recipere, cùm in rei veritate non ſit ibi ut Regularis, nec ut famulus, nec ut Novitius, & aliàs locupletaretur cum Monaſterii jactura, quod eſt contra jus naturale, *l. Nam hoc natur., ff. de condict. & indeb. & l. Jur. naturæ, ff. de reg jur.* Dyn. *in c. Locupletari*, qui ad hoc plura exempla cumulat *de reg. jur. in* 6. Atque ita nulliter profeſſum non poſſe abſque peccato recipere alimenta à Religione, & teneri cum potuerit illa reſtituere, niſi adæquentur obſequiis, quæ præſtat Religioni, ſimpliciter tenet Navarr. *conſ.*26. *n* 13. *de reg. & comment.* 4. *de reg. n.* 74. §. *Advertendum* 4. quem refert & ſequitur Sanch. *de matrim. lib.*7 *de imp. diſp.*37. *n.*42. Quinimò ob hanc rationem Religio non poſſet tuta conſcientia præbere alimenta nulliter profeſſo, quia ſic induceret eum ad recipiendum indebitum & ad peccatum, ut probatur ex doctrina Innoc. *in d. c Quia plerique n.*2. *de immun. Eccl.* ubi determinat injuſtè condemnatum ad aliquid ſolvendum, quamvis parere debeat, ſi ſententia poſtea executioni demandetur, tamen non poſſe ſponte ſolvere; quia, inquit, numquam debet aliquid facere, quod fratri ſuo ſit cauſa peccati; frater autem ſemper peccat recipiendo injuſtè judicatum, allegat *cap. Negligere* 2. *q* 7. Ergo non tenetur in monaſterio perſeverare, quia abſurdum eſſet ut qui ab aliis pro religioſo habetur, & cùm reliquis religioſis convivit, ſuis pecuniis ſibi alimenta ſuppeditaret, & proprio victu uteretur; vix enim id eſſe poſſet ſine ſcandalo, *c. Nolo* 12. *q.* 1.

Quintò, pro hac opinione adducitur textus *in c. Litteras de reſtit. ſpoliat. & in cap. Inquiſitioni de ſent. excomm.* ubi mulier ſciens matrimonium eſſe nullum ob impedimentum occultum, non tenetur in foro conſcientiæ viro adhærere, quamvis Eccleſia hoc ei præcipiat ſub pœna excommunicationis. Ergo ſimiliter ſciens ſuam profeſſionem eſſe nullam, non tenetur religioni adhærere, quamvis Eccleſia in foro externo hoc præcipiat, arguendo de matrimonio carnali ad ſpirituale, juxta *c. Inter corporalia de transl. Prælat.*

Ultimò adducitur Navarr. *conſ.*87. *An qui genere de reg.* 34
ubi tenet nulliter profeſſum, eo quòd eſſet de genere Judæorum, quoad forum conſcientiæ cum licentia, & ſine licentia Prælati exire poſſe è monaſterio, licèt caſtigaretur in foro exteriori, ſi abſque licentia exiret. Imò *conſ.* 89. *Cùm de jure nu.*6. *eodem tit.* cenſet invalidè profeſſum poſſe ad ſæculum redire, & uxorem ducere, & eſſe tutum in conſcientia; ſubdens nec ſcandalum eſſe timendum, quia eſſet Phariſæorum, non Puſillorum. Allegat illud Bedæ relatum *in c. Qui ſcandalizaverit inf. de reg. jur. Utilius eſt ſcandalum naſci, quàm quod veritas relinquatur*. Et D. Th. 35
1. 2. *q.*43. *art.*2. *pen. & ult.* ut docet neminem teneri ad relinquenda bona ſpiritualia, neque temporalia propter ſcandalum proximi Et hoc ipſum fuſius conſuluit idem Navar. in eo qui profeſſionem per metum reverentialem emiſit, *in conſ.*9. *N. Nobilis, quòd met. cauſ. & conſ.*46. *Herus, & famulus num.*6. *de regul.* ubi reſpondet in foro conſcientiæ non eſſe apoſtatam eum, qui cùm eſſet nulliter profeſſus, eo quòd fictè profeſſionem emiſiſſet, ad ſæculum rediit.

Et hac ratione cùm nuper quidam famulus, quem herus 36
primò per ſe ipſum, deindè per alios occidere ſæpiùs tentaverat, mortem ſibi timens ab eo aufugiſſet, & in monaſterium ſe recepiſſet, ibique habitu regulari indutus expleto probationis anno profeſſionem emiſiſſet; ac deindè hero vita functo infra quinquennium reclamaſſet, & cauſam nullitatis profeſſionis ob metum prædictum in urbe introduxiſſet: hac, inquam, ratione nonnulli Pœnitentiarii, ut mihi

mihi nunciatum eſt, conſuluerint licere eidem famulo in foro conſcientiæ exire è monaſterio, & ad ſæculum redire, etiam non expectata ſententia declaratoria nullitatis profeſſionis, cùm quoad Deum ob defectum conſenſus non ſit validè profeſſus.

37 Sed his non obſtantibus in contrarium eſt veritas, pro qua adducitur primò receptiſſimum illud principium tam apud Theologos, quam apud Canoniſtas, videlicet legem humanam juſtam obligare etiam in foro conſcientiæ, quod conſtat ex cap. Quo jure 8. diſt. c. ult. 16. q. 3. c. Si Imperator. 96. diſt. & c. Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit 11. q. 3. Et docet D. Th. in 2. 2. q. 96. art. 4. ubi ait leges humanas, ſi juſtæ ſint, habere vim obligandi in foro conſcientiæ a lege æterna, a qua derivantur, ſecundum illud Proverbiorum 8. Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt. D. Th. referunt, & ſequuntur Silveſt. in verb. Lex n. 9. Flor. in l. Ex parte heris, §. Suæ libertatis, ff. famil. erciſc. & Afflict. in rubr. de jure protomiſeos, n. 7. & pluribus comprobat Feder. de Sen. d. conſ. 21. n. 3. verſ. Præterea jura humana ſunt à Deo.

38 Quod certiſſimum eſt, & circa controverſiam quoad decreta Apoſtolicæ Sedis, cujus præcepta vel prohibitiones obligare in foro conſcientiæ omnes conſentiunt, idque etiam ſub reatu mortalis peccati, ut ſatis clarè probant text. in cap. De his in fin. 50. diſt. ponderando illa verba, Damnabiliter in profundum demergi, in cap. Quia, ibi, Non
39 ſine perpetuæ damnationis interitu, 64. diſt. in cap. Nulli fas eſt, vel velle, vel poſſe tranſgredi Apoſtolicæ Sedis præcepta. Et infrà: Sit ergo ruinæ ſuæ dolore proſtratus quiſquis Apoſtolicis voluerit contraire decretis, &c. ubi hoc tenet Hugo 19. diſt. in c. Si quis omnem traditionem Eccleſiaſticam ſcriptam violat, anathema ſit 1 q. 7. (anathema enim non fertur niſi pro mortali peccato, cap. Nemo Epiſcoporum 11. q. 3) & aliis omiſſis in c. Violatores 25. q. 1. ubi Damaſus Papa: [Violatores Canonum voluntarii graviter à SS. Patribus judicantur, & a Sancto Spiritu, inſtinctu cujus, ac dono dictati, ſunt damnantur; quoniam blaſphemare Spiritum Sanctum non incongruè videntur, qui contra eoſdem Sacros Canones non neceſſitate compulſi, ſed libenter aliquid aut protervè agunt, aut loqui præſumunt, aut facere volentibus ſponte conſentiunt; talis enim præſumptio manifeſtè unum genus eſt blaſphemantium Spiritum Sanctum, quia contra eum agit, cujus nutu, & gratia ſancti Canones editi ſunt.] Atque ita determinat Archid. in d. c. Deteſtanda n. 3. & 4. de conceſſ. præb. lib. 6. quem refert, & ſequitur ibi Gemin. in princip. verſ. An ſcienter faciens contra præceptum vel prohibitionem Canonis peccet mortaliter, Felin. in c. 1. num. 11. de Conſtit. gl. & DD. in c. Nam concupiſcentiam de Conſt. & in rub. de obſervat. jejun.

Et de generalibus Conciliis eſt text. in c. Sicut 15. diſt. ubi Gregorius ait: [Sicut Sancti Evangelii quatuor libros
40 ſic quatuor Concil. ſuſcipere, & venerari me fateor,] idemque habetur in c. præced. ibi; [Quaſi quatuor Evangelia, vel totidem Paradiſi flumina.] Et quamvis hi Canones loquantur de quatuor Synodis generalibus, Nicæna, Conſtantinopolitana, Epheſina, & Chalcedonenſi: mox tamen Gregorius ſubjicit rationem generalem ad omnia Concilia œcumenica, nempè, quia univerſali ſunt conſenſu conſtituta. Et propterea indefinitè Concilia generalia eſſe obſervanda ſicut Evangelium, dixerunt Jo. And. in d. c Cùm laicis, propè fin. de reb. Eccl. non alien. Bald. in tit. de pace conſt. col. 4. §. Imperialis Clementiæ in verb. Mox Romanorum n. 22. in fin. & Jaſ. in l. De quibus nu 54. verſ. Addo quod eodem modo, C. de leg. de quo dic ut per Præpoſ. in d. c. Sicut in princ.

In ſpecie verò Tridentinam Synodum habere hanc vim obligandi etiam ſub culpa mortali, jampridem cenſuit S. Congreg. Nam conſulta, an Epiſcopus incurrat aliquam pœnam non utendo in exemptos juriſdictione, aut in loca exempta, quam ei Concilium concedit, c. 7. & 8. ſeſſ. 7. c. 6 ſeſſ. 25. c. 8 ſeſſ. 21. c. 20. ſeſſ. 24. c. 14. ſeſſ. 25. cum aliis ſimilibus: Reſpondit nullam pœnam incurrere, ſed in illis caſibus, in quibus decreta Concilii utuntur verbis præceptivis, ſeu obligativis, incurrere peccatum mortale.

Igitur ambigendum non eſt, quin ejuſdem Conc. decretum c. 19. ſeſſ. 25. de Regul. dum prohibet, ne quis prætendens ſuam profeſſionem eſſe nullam, aliter habitum regularem dimittat, quàm ſervata forma ibi præſcripta, & intra quinquennium à die profeſſionis, obliget etiam in foro conſcientiæ.

Secundò, cùm inter Superiores Regulares, & ſubditos 41
occaſione nullitatis profeſſionis perpetua diſſidia vigerent & ſubditi exiſtimantes ſe nulliter eſſe profeſſos, juſſa Prælatorum contemnerent, ac regularem diſciplinam non ſervarent: S. Synodus videtur eo ſpectaſſe, ut modum tandem adhiberet ac terminum præfiniret hujuſmodi litigiis; ideòque ſtatuit, ut ex cauſa nullitatis profeſſionis nemini fas eſſet habitum diſcedere, niſi infra quinquennium, & cauſis deductis coram ſuperiore, & ordinario, ad pacem, & obedientiam in Religionibus conſervandam. Quæ quidem ratio, cum alia ſufficiens reddi non poſſit, haberi debet pro expreſſa, l. Quamvis in verb. Intelligi poteſt, C. de fideicomm. §. Nominatim, Inſtit. de Exhered. liber. Paul. de Caſtr. conſ. 40. n. 14. lib. 2 Alex. conſ. 48. n. 4. lib. 1.

At hunc finem impediunt ac prorſus deſtruunt nulliter profeſſi, qui propria authoritate, & non ſervata forma à Concilio præſcripta habitum dimittunt etiam elapſo quinquennio. Ad quid enim profuiſſet lex Concilii in præfixione hujus termini, ſi unicuique ex cauſa nullitatis ſuæ profeſſioni, liceret tuta conſcientia quandocumque, ac nulla forma ſervata redire ad ſæculum? Ergo ſic exeuntes peccant mortaliter ex doctrina D. Th. in 2. 2. q. 147. art. 3. ad 2. ubi
docet tranſgreſſionem legis etiam ſecluſo contemptu indi- 42
ſtinctè & generaliter obligare ſub mortali, quando impeditur finis legis.

Tertiò, S. Canones potuerunt nulliter profeſſum obliga- 43
re etiam in foro conſcientiæ ad ingrediendam aliquam ex Religionibus approbatis, atque in ea perpetuò perſeverandum, quæ dicitur obligatio ad religionem in genere, cap. Non ſolum, & ibi gloſſ. in verb. Veſtro ordini, & c. Conſtitutione de reg. in 6. gloſſ. & DD in cap. un. de voto eod. lib.

Ergo potuerunt etiam in foro conſcientiæ obligare nulliter profeſſum ad perſeverandum in aliqua Religione in ſpecie, de quo videtur textus, ubi hæc duo æquiparantur, in c. Significatum, ibi; Ad eamdem, vel ad aliam religionem tranſire compellas, infra eodem: utraque enim obligatio fundatur in profitentis conſenſu, qui quantum in ſe eſt, à ſui principio fuit validus, licèt ob extrinſecum impedimentum non habuerit effectum validitatis profeſſionis, ut formaliter dixit Abb. in c. Conſuluit n. 3. de converſ. conjug. & conſequenter etiam decretum Concilii in d. c. 19 ſeſſ. 25. de Regul. potuit obligare etiam in foro poli invalidè profeſſos ad perſeverandum in Religione elapſo quinquennio; imò difficiliùs videtur induci obligatio ad ingrediendum aliam religionem in genere, quàm ad perſeverandum in ea, quam quis in ſpecie profeſſus eſt, quia facilius datur retentio, quàm actio, l. Per retentionem, C. de uſuris, l. 2. ubi Bald. in 3. not. de fideicomm. & facilius datur retentio, quàm nova apprehenſio, ut per Alex. conſ. 83. Viſa nu. 3. & ſeqq. verſ. Nec dicatur lib. 2. & turpiùs ejicitur, &c. c. Quemadmodum de jurejur.

Quartò, ex contractu etiam nullo ex defectu ſolemnita- 44
tis, dummodò adſit conſenſus, oritur, naturalis obligatio, Abb. in c. Quia plerique n. 31. de immun. Eccl. Bart. in tract. minoric. lib. 1. diſt. 1. c. 3. n. 8. verſ. Nam voluntas, gl. Bart. & DD. in l. ff. de cond. indeb. Quæ quidem naturalis obligatio quamvis actionem non pariat, tamen producit duos peculiares effectus. Primus eſt, quia retentionem confert, ſi res perveniat ad eum, cui naturaliter debetur, & non admittitur repetitio, Bart in l. Nemo poteſt col. pen. ff. de legat. 1. Bald. in repet. l. 1. col. 15. C. de Sacroſ. Eccl. Jaſ. in l. Cum quis n. 13. verſ. Additio, C. de jur. & fact. ignoran. Secundus effectus eſt, quia naturaliter obligatus, quamvis compelli non poſſit propter actionis defectum, tamen tenetur in foro conſcientiæ promiſſa adimplere, & peccat niſi adimpleat, Abb. in d. c. Quia plerique n. 11. plenè Bart. in d. tract. minoric. loc. cit. Et ad hoc adiri poteſt judex Eccleſiaſticus per Evangelicam denuntiationem, Jaſ. in d. l. Cum quis n. 14. C. de jur. & fact. ignor. Quinimò licet ei cui quæſita eſt naturalis obligatio furari rem debitoris ſui, ut ſibi ſatisfiat, ſi aliter conſequi non poſſit, quod ſibi debetur, Jaſ. ubi ſupra d. n. 14. Franc. Bald. de præſcript. in 2. p. qu. cum declarationibus tamen, de quibus per Navarr. in Man. c. 17. n. 112. verſ. Vigeſimoſecundo.

Ergo cùm profeſſio Regularis inter religionem, & ſubdi- 45
tum ſit contractus ultrò citròque obligatorius, ut per DD. in c. Porrectum inf. eod. quamvis emiſſa in conventu nõ deſigna-

ſigna-

ſignatio ad recipiendos Novitios ex præſcripto decretorum Clem. VIII. ſit nulla : tamen hæc nullitas cùm non proveniat ex defectu voluntatis profitentis, vel religionis, ſed ex defectu ſolemnitatis tantùm non videtur impedire, quin exinde oriatur naturalis obligatio producens duos effectus ſupra proximè expreſſos, ita ut profeſſus ex vi naturalis obligationis teneatur in foro conſcientiæ adimplere, quod promiſit, & religio habeat retentionem profeſſi ſibi naturaliter obligati. Ad quod facit doctrina Innoc. *in c. Quod ſicut n.8. verſ. Si autem nulla ſit electio, de elect.* ubi ait : [Si nulla ſit electio ob non ſervatam formam Concilii Generalis, de qua *in cap. Quia propter de elect.* vel alium conſimile ; conſenſus tamen legitimus eligentium, & electi intervenit, qui ſolus de jure naturali ad electionem, & alios contractus ſufficit, *c. Inter corporalia de transl.* Sic electus ordines confert, & ſine peccato beneficium retinet: nec illi obſtat, quod non habeat fundamentum, & ideò non poſſit ſuperædificare in Ordinibus, & aliis, *c. Principatus* 1. *q.* 1. quia imò fundamentum habet ſcilicet Canonicam electionem de jure, naturali, maximè ubi non oritur ſcandalum, nec læditur honeſtatis publicæ juſtitia, nec generalis ſtatus Eccleſiæ ; & poſt conſecrationem de forma non ſervata nihil poteſt objicere Eccleſia, cùm in ejus conſenſu perſeveraverit. Nec mirandum, quòd id, quod nullum eſt, tractu temporis ſit ratum, quia hæc non eſt nulla de jure naturali .] Hæc Innoc. quem referunt & ſequuntur Abb. *in d. c. Quia plerique n.*31. *de immun. Eccl.* & Gemin. *conſ.*88. Innocentius Papa VII. *n.*4. Idem tenet Compoſtell. *in d. c Quod ſicut, n.*17. *verſ. Si autem electio*, & Archid. *in c. Nullus n.*2. 63. *diſt.* De qua tamen opinione Innoc. vide per eumdem Arch. *in c. Si cui ſub n.*1. *in ver. Firmitatis de elect. lib.*6. Eodem igitur modo quamvis profeſſio ab initio fuerit nulla ab non ſervatam formam decretorum Clementis ; tamen cùm interceſſerit naturalis conſenſus, & in eo tam profeſſus, quàm religio per integrum quinquennium perſtiterint abſque reclamatione, poſtea de hac nullitate ampliùs objici non poteſt; & ſuper hoc naturali conſenſu benè potuit Concil. fundare determinationem *d. c.*19. *ſeſſ.*25. *de regul.* prohibentis, ne quinquennio elapſo profeſſus ex cauſa nullitatis profeſſionis habitum dimittat, neve religio illum expellat, quemadmodum S. Canones potuerunt fundare impedimentum publicæ honeſtatis ſuper conſenſu naturali ; in matrimonio ex alia cauſa nullo, quàm ex defectu conſenſus, quia ſcilicet ſtante voluntate, ſeu conſenſu naturali, actus licet nullus de jure poſitivo, tamen eſt aliquis ſecundùm naturam, ut poſt gloſſ. notant Gemin. & Franc. *in c.*1. *not.*3. *de ſponſal. in* 6. & Abb. *in c. Ad audientiam n.*2. *extra eod.*

46 Quintò decretum Clement. VIII. quamvis decernat nullas eſſe ad quemcumque effectum receptiones ad habitum, & profeſſiones emiſſas in Monaſteriis non deſignatis ad recipiendos Novitios: tamen per ea verba non ſuſtulit obligationem, quæ ex voto proficiſcitur, ut clarè probatur *in c. Quidam, de converſ. conjug.* ubi profeſſio nulla, quam fecit vir invita uxore, ea mortua impedit matrimonium contrahendum, quemadmodum decretum Conc. *c.*15 *ſeſſ.*25. *de regul.* quamvis utatur verbis multò magis urgentibus, decernendo irritas profeſſiones ante an. 16. & non expleto anno probationis, emiſſas; addendo, ut nullam inducant obligationem ad alicujus regulæ, vel religionis, vel ordinis obſervationem, aut ad alios quoſcumque effectus: nihilominùs S. Congr. à Card. Bellarmino conſulta declaravit Conc. nihil diſpoſuiſſe de voto. Hinc Sixtus V. in Conſtitutione contra illegitimos, & ære alieno gravatos, quia voluit tollere etiam obligationem ex voto provenientem, id diſertis verbis expreſſit, quod non fecit Clem. VIII in prædictis decretis. Ergo cùm profeſſi contra formam decretorum Clementis teneantur obligatione naturali, quæ ex ſimplici voto proficiſcitur: S.Th. 2. 2. *q.*88. *art.*3. *ad* 2. *& art.*8. *&* 10. conſequens etiam eſt, ut teneantur in foro conſcientiæ ad obſervantias regulares, quibus voto ſaltem ſimplici ſe aſtrinxerunt, *c. Porrectum*, ubi gloſ. not. *in ver. Profeſſio, infra eod.* Nam ut legitur *in c. Rurſus qui Cler. vel voven.* ſimplex votum apud Deum non minùs obligat, quàm ſolemne, ubi gloſ. *in ver.* Apud Deum, dicit utrumque in perpetuum obligare, & utriuſque violationem eſſe mortale peccatum, ac proinde jure potuerunt à Concilio etiam in foro animæ obligari ad perſeveratiam in religione ; facit text. *in cap. Per tuas, de voto*, ubi ei, qui voverat religionem ingredi, & deinde effectus fuerat Epiſcopus, Innocentius III. reſcribit, ut ſi ſuam deſideret ſanare conſcientiam, reſignet Eccleſiæ, & reddat Altiſſimo vota ſua.

Et confirmatur, quia eos, qui per annum abſque reclamatione detulerunt habitum à novitiis, & profeſſis geſtari ſolitum, jus commune potuit perpetuò alligare religioni, etiam in foro animæ, efficiendo eos tacitè profeſſos, text. eſt in Clem. *Eos, de regul.* idque etiamſi præceſſerit expreſſa profeſſio nulla, *c.*1. *in princ. eod. tit. in* 6. Ergo multò magis Concilium potuit obligare, etiam in foro animæ, ad perſeverandum in religione illos, qui per quinquennium detulerunt habitum profeſſorum abſque reclamatione : negari enim non poteſt, quin gravius ſit incorporare aliquem religioni per viam tacitæ profeſſionis, inducendo contractum ultrò citròque obligatorium, juxt. *d. c. Porrectum, & c. Ad Apoſtolicam infr. eod.* quam eum ſimpliciter obligare ad perſeverandum in Monaſterio, denegando illi audientiam, aut præſcriptionem inducendo, ut dicemus infrà in ſeptimo fundamento: quippè tacita profeſſio induci non poteſt ab Eccleſia ſine profitentis conſenſu. At ex cauſa ad perſeverandum in Monaſterio poteſt quis compelli etiam invitus, ut patet in eo, qui in Monaſterium detruditur ad agendum pœnitentiam, *c. De lapſis, & c. Epiſcopo* 16. *quæſt.*6. & in viro qui fictè profitetur in Monaſterio Monialium, ut poſt Hug. notant Archid. & Præpoſ. *in c. Quod interrogaſti* 27. *diſt.* & patebit ex dicendis infra in ſequenti fundamento.

Sextò adducitur text. *in c. Quod interrogaſti* 27. *diſt.* ubi fœminæ, quæ poſt obitum mariti ſuſcepto velamine finxit ſe Sanctimonialem eſſe, & poſteà ad nuptias rediit, Nicolaus Papa injungit, ut revertatur ad id, quod ſpopondit, & in ſacro Miniſterio permaneat, quod inchoavit. Concordat text. in *c.*2. 27. *q.*1. ubi Greg. idem reſcribit de virginibus, quæ ſimuluaverũt ſemper in propoſito permanere. Profeſſio enim dictarum mulierum nulla fuit in foro conſcientiæ, cùm fictio ſit contraria veritati, ut *in d. c. Quod interrog.* advertit Præp *n* 9. & Abb. *in ſua qu.*2. *incipien. Stante ſtatuto in* 12. *col. n.*14. *ver. In contrarium.* Et propterea cùm ſuperioribus annis quidam emiſiſſet profeſſionem in quodã Monaſterio, non animo ſe obligandi religioni, ſed eo tantùm fine, ut habitu regulari indutus faciliùs poſſet ſuum inimicum interficere: S. Congreg. declaravit eumdem teneri in Monaſterio perpetuò perſeverare, ac regulariter vivere. Ergo ſi Eccleſia potuit obligare prædictos ad perſeverandũ in Religione, & regulam obſervandam, non obſtante quod allegarent nullitatem profeſſionis ex defectu conſenſus ; multò magis Concilium poteſt elapſo quinquennio ad id obligare profeſſos in Conventibus nõ deſignatis, qui defectum conſenſus non allegant. Facit text. *in c. Vidua inf. eod* quod eſt deſumptum ex *c. Viduas autem* 27. *q.*1. ubi (Vidua quæ velum converſionis licèt non ſacrum ſibi impoſuit, &c. velit nolit, ſanctimoniæ habitum ulteriùs debet habere, licèt ſacramento firmare velit, eo tenore velamen ſi impoſuiſſe, ut deponere poſſet.)

Septimò in præfixione quinquennii videtur à Concilio 48
inducta quædam præſcriptio, quia nulliter profeſſus contra religionem præſcribit alimenta, id eſt victum, veſtitum, & habitationem quoad vixerit, adeò ut expleto quinquennio ex capite nullitatis profeſſionis ampliùs ejici non poſſit à Monaſterio, ſed ſemper ibi ut filius, & ſubditus haberi, & tractari debeat, fruaturque omnibus privilegiis, exemptionibus, & prærogativis aliorum religioſorum ſui ordinis. Et è converſo Religio contra eum præſcribit ſuperioritatem & omnimodam juriſdictionem, ita ut ille non poſſit poſteà à Religione exire, ſed perpetuò teneatur ibi convivere, & tamquam ſubditus obſequi, & famulari ; nam cum profeſſis per vim, & metum, de quibus in primo loco Concilium loquitur in *d. cap.*19. *ſeſſ.*25 *de reg.* de jure communi nullum eſſet præfixum tempus ad reclamandum, ſed eſſet arbitrarium judici, ſecundùm Hoſtienſem *in c.* 1. ubi etiam Abb. *n.*13. *quod met. cauſ.* Concilium videtur arbitratum quinquennium, ut olim perpendit S. Cong ad eum planè modum, quo quinquennio præſcribitur querela inofficioſi teſtamenti, *l. Si quis filium in fine, C. de inoff. teſtam.* & querela inofficioſæ donationis, Paul. de Caſtr. *in rubr. C. de* 49
inoff. don. item petitio ſupplementi legitimæ quæ poſt quinquennium fieri non poteſt ſecundùm opinionem Bart. *in d. l. Si quis filium* ; item ſeparatio bonorum, *l.*1. *ff. de ſeparat. bonor. l. Et juriſdict.* ubi Cyn. Bald. & Salyc. *C. de bon. author. judic. poſſid.* ſtatus quæſtio, quæ ex perſona patris poſt quinquennium ab ejus obitu contra filium moveri non poteſt, *l.*1. *& l. Si pater, C. de ſtat. defunct.* item pœna peculatus, quæ itidem quinquennio præſcribitur, *l. peculatus, ad l. Juliam*

liam peculatus; idemque in omni delicto, quod non accuſatum, neque denuntiatum intra quinquennium præſcribitur, Boer. *dec.64. n.*18. ſicut & facultas inquirendi contra mortuum, ut in crimine læſæ Majeſtatis, Clar. *in* §. *Læſa Majeſtatis*, *n.16. in fin.*

50 At præſcriptiones legales vendicant ſibi locum etiam in foro conſcientiæ, ita ut qui rem alienam præſcripſit, etiamſi poſteà ſuperveniat mala fides: tamen ſit tutus quoad Deum, nec teneatur illam reſtituere, ut pluribus probat gloſſ. *in c. vigilanti*, *in ver. Noverit*, *de præſcr.* & tenent Jo. Vinc. Tanc. Goffred. Hoſtien. Joan. Andr. Imol. Panor. Felin. & alii communiter, Innocent. *in cap. Quia plerique*, *n.3. verſ. Quidam tamen de immun. Eccleſ. & in cap. fin. de præſcript.* Jo. Aandr. *in regula Poſſeſſ. in 6. colum. verſ. Verum dubitatur de reg. jur. in 6.* & Bald. *in l. Cùm quis*, *C. de jur. & facti ignoran. in 6. col. verſ. Quæritur an lex poſitiva*, & fuit ſententia Scoti *in 4. diſt.*15. ubi ait: Si quis præſcribat bona fide poſſidendo, non tenetur ad reſtitutionem, etiamſi ſciat alienum fuiſſe poſt præſcriptionem, quia lex poteſt aliquem pro peccato, & negligentia punire in re ſua, & illam alteri dare, & concedere. Ergo eodem modo debet habere locum in foro conſcientiæ præſcriptio quinquennalis, quæ à Concilio inducta eſt, tum in pœnam regularium
51 negligentium jura ſua intra præſcriptum tempus deducere, tum ob annum publicum Religionum ad exemplum aliarum præſcriptionum, *ut in d. c. Vigilanti*, ibi: Propter vitandam miſerorum ſegnitiem, & longi temporis errorem, ac confuſionem. Ad quod libet referre verba Silveſt. *in ver. Præſcriptio*, *num.*1. qui poſteaquam firmavit eum, qui præſcripſit, non teneri ad reſtitutionem, quamvis poſteà incipiat habere malam fidem, & conſcientiam rei alienæ, ſub *n.*13. ſubdit: (Et idem diceret omnis bonus Theo-
52 logus, quia ſecundum S. Thomam tenetur quis ſolvere pœnam judicialem, id eſt ad quam condemnatur à judice, ut 2.2. *qu.*62. & conſequenter ille cui applicatur, eam in conſcientia poteſt retinere; & conſequenter licitum eſt tenere eam, quam infligit legiſlator, cujuſmodi eſt præſcri-
53 ptio, quæ inducta eſt principaliter in pœnam negligentium, & quietem civitatis. Et paulò poſt reprobata opinione Rainerii, & Butrii: In contrarium, inquit, clamant penè omnes alii dicentes indiſtinctè, quòd non tenetur reſtituere in conſcientia, ſi concurrunt omnia de jure requiſita ad præſcriptionem; & ita indubitanter tenendum
54 eſt, niſi quando reſtitutio petitur in integrum, & admittitur, quia ita ſtatuerunt leges, & Canones tum in pœnam, tum etiam propter bonum commune, cui hoc expedit ad lites dirimendas.) Hactenùs verba Silv. quæ ſatis confirmant etiam quinquennalem Concilii præſcriptionem ſervari debere in foro conſcientiæ, quamdiù Regulares adverſus eam non obtinuerint ex juſta cauſa reſtitutionem in integrum à Sede Apoſtolica.

55 Octavò adducitur doctrina Baldi *in cap. Si quis per triginta*, *Si de feud. controver. fuer.* relati à Silveſt. *in d. ver. Præſcriptio primo*, *ſub num.*14. ubi determinat ſtatutum laicorum denegans audientiam in foro ſæculari propter bonum publicum valere in conſcientia, puta ſi caveatur, ut non ſolvens gabellam juſtam non audiatur, vel inſtrumentum non regiſtratum in libro Communis præſumatur falſum. Ergo multò magis ſervandum eſt in foro conſcientiæ decretum Trident. Concilii denegans Regularibus audientiam elapſo quinquennio propter bonum publicum Religionum.

56 Concilium *in d. cap.19. ſeſſ.25. de Regul.* jubet, ut Regulares dimittentes habitum ex cauſa nullitatis profeſſionis non ſervata forma ibi præſcripta tamquam Apoſtatæ puniantur.
57 Et in ſpecie Sanctiſſimus D.N. ex ſententia Sac. Congregationis Concilii nuper decrevit, & declaravit tamquam Apoſtatas eſſe puniendos, & pro talibus habendos eſſe profeſſos contra formam decretorum Clementis VIII in Conventibus non deſignatis ad recipiendos Novitios, ſi juribus ſuis minimè deductis coram ipſa Congregatione, & ſine illius expreſſa licentia è Religione exire auſi fuerint, ut dixi. Pœna autem Apoſtatæ à Religione, ſi habitum dimiſerit, eſt excommunicatio, *c. Ut periculoſa*, *extr. ne Cler. vel Mon.* Silveſt *in ver. Apoſtaſia n.*11. *in fin.* Ergo nulliter profeſſi dimittentes habitum contra Concilii prohibitionem peccant mortaliter, cùm excommunicatio ferri non poſſit niſi pro mortali peccato, ut eſt text. ad literam *in cap. Nemo Epiſcoporum* 11. *q.*3. & tradit Navar. *in Manual. c.*27. *n.*213. Unde etiam ceſſat objectio, quæ fieri poſſet, quòd pœnæ adjectio indicat legiſlatorem voluiſſe obligare tantùm ad pœnam illam, non autem ad culpam; objectio enim non procedit, quando pœna adjecta eſt ſpiritualis, & reſpiciens animam, ut eſt pœna apoſtaſiæ, & excommunicationis, quæ neceſſariò culpam lethalem ſupponit: præterquàm quòd etiam generaliter tenendum eſt pœnæ adjectionem potiùs augere, quàm minuere virtutem legis obligatoriam, ut not. Gemin *in c.2. in gloſſ.3. de vit. & honeſt. Cler. in 6.* qui loquitur in ſtatuto pœnali, & dicit obli- 58
gare etiam ſub reatu mortalis peccati, per gl. ibi: & idem Gemin. per illum text. *in c. Perpetuò in 2. not. de elect. in 6.* & ita indiſtinctè omnem legem pœnalem ad culpam obligare, eſt concluſio S. Thomæ *in 2.2. qu.*108. *art.*4. ubi eam luculenter dilucidat, &, ut inquit Sotus *de juſt. & jur. lib.* 1. *q.6. art.*5. eſt lumine naturali notiſſima, licèt vulgus neſcio quo colore putet legem, quæ obligat ad pœnam, non obligare ad culpam; & ibi hunc errorem multis rationibus confutat.

Decimò, forus conſcientiæ regulariter ſequitur forum 59
judiciale, quod pro regula conſtituit, pluribus argumentis, ac juribus confirmat Feder. de Sen. *d. conſ.*21. *nu.*3. ſubdens poſteà: Si aliud diceres, ſequerentur multæ abſurditates: alioquin tu non diſſolvis, & extricas nodoſitates juriſdictionis, & perplexitates inter forum humanum, & conſcientiæ. Limitatur autem hæc regula, non procedat in duobus caſibus.

Primus eſt, cùm lex injuſta eſt; tunc enim non obligat 60
quoad Deum, & in foro animæ, ut diſtinguit, & declarat D. Thom. *in 1.2. quæſt.96. art.*4. & eodem modo limitat Innoc. *in d. cap. Quia plerique de immun. Eccleſ. n.*1. ubi, quicquid dictet lex humana, dicit teneri quem ad reſtitutionem, ubicumque ſit furtum, rapina, oppreſſio, dolus vel calumnia. Et infrà *num.*5. *verſ. Sed de hoc forte*, ubi ait: *Si ſine cauſa Imperator, vel alius Princeps faceret aliquam Conſtitutionem contra jus naturale, puta quod dominia de uno in alium transferrentur ſine juſta cauſa, conſtitutio illa in foro animæ non eſſet ſervanda.* Et clarius infrà *n.6.* ubi generaliter docet Conſtitutiones, quæ ſunt contra ſalutem animæ, ut de uſuris, & de juramentis non ſervandis, ſervari non debere, *cap. Cùm contingat*, *de jureiur.* Et idem vult Feder. de Sen. *d. conſ.*21. dum poſt longam diſputationem, *num.*4. concludit, quicquid vult lex humana condita ab eo, qui poteſtatem habet legem condendi, manifeſtam non continens iniquitatem, obligare etiam in foro conſcientiæ.

Secundus caſus eſt, in quo dicta regula non procedit ſe- 61
cundùm Feder. de Sen. *d. conſ.*21. *n.*4. *verſ. Ad contrarium*, quando expreſsè lex humana, vel alia pura Canonica, vel Divina diceret; Hoc facies tu judex in foro humano, & hoc facies in foro conſcientiæ, allegat *c. Inquiſitioni*, *de ſent. excom. & c. Literas de reſtit. ſpol. cum ſimil.* Et utramque limitationem complectitur Silv. *in ver. Lex n.9. verſ. Et probatur regula*; dum ex mente Panormitani, & DD. dicit legem poſitivam peccati non nutritivam, eſſe ſervandam etiam in foro conſcientiæ, ex quo nulla alia lex diſtinguit eo caſu inter forum judiciale, & pœnitentiale, nec ſubeſt cauſa diſtinguendi.

At neutra ex his limitationibus applicari poteſt caſui no- 62
ſtro. Non prima, quia decretum dicti *c.19. ſeſſ.25. de Regul.* quod pertinet ad poteſtatem, & finem, editum fuit à generali Concilio ob bonum publicum religionum, ne hujuſmodi diſſidiis, ac litibus perpetuò implicarentur in magnam religioſæ pacis perturbationem; & reſpectu formæ editum fuit, ſervata utrinque æqualitate, cùm decretum illud procedat tam in ſubditis nullitatem profeſſionis allegantibus, quàm in ſuperioribus expellere volentibus ex cauſa nullitatis profeſſionis, ut jam declaravit S. Congreg. Ex his autem tribus legem juſtam conſtitui declarat D. Th. *in 1.2. d. q.96. art.*4.

Secunda itidem limitatio huic caſui non applicatur, quia tantùm abeſt, ut Concil. *in d. c.19. ſeſſ.25. de Regul.* diſtinguat inter forum judiciale, & forum conſcientiæ, ut potiùs expreſsè decernat idem ſervari debere etiam in foro animæ, dum ſtatuit, ut Regulares ex cauſa nullitatis profeſſionis habitum ſponte deſerentes non ſervata forma ibi præſcripta, tamquam Apoſtatæ puniantur, ut dictum eſt *in 9. fudamento*; & eò magis, quia Concilium procedit 63
per verba imperativa, quæ de ſui natura præceptum impor-

portant; nam quod imperatur neceſſe eſt fieri, *cap. fin.* §. *Quod præcipitur*, 14. *quæſt.*1. *& cap. Integritas*, 34. *quæſt.*1. Dec. *in cap. Nam concupiſcentiam num.*26. *de Conſtit.* Imò Concilium procedit etiam per verba præceptiva, ut patet *in cap.*22. *ſeſſ.*25. *de regular.* ubi decreta omnia, & ſingula ejuſdem ſeſſionis Sancta Synodus præcipit obſervari,
64 &c. Item procedit prohibendo, per verba negativa, *Non audiatur*; præcepta autem negativa efficaciùs obligant, & magis præcisè aſtringunt, quàm affirmativa, Archidiac. *in cap. Si peccaverit*, 2. *quæſt.*1. quem refert, & ſequitur Abb. *in cap. Novit, verſ. Secundò quæritur de jud.* & Dec. *in d. cap. Nam concupiſcentiam num.*8. *de Conſtit.* Unde ſecundum D. Thomam 2. 2. *quæſt.*140. *art.*2. præcepta negativa obligant ſemper, & ad ſemper. Item magis negativa negat, quàm affirmativa affirmet, ut dicit gloſſ. *in cap. Dilectus, de conſuetud.* Ideòque licèt diſpoſitio affirmativa in primo actu verificetur, *l. Boves*, §. *Hoc ſermone*, *ff. de verb. ſignific.* ſecus tamen eſt in prohibitiva, quæ in infinitum intelligitur, ſecundum gloſſ. *in l. Hoc genus*, *ff. de*
65 *condit. & demonſtrat.* Et ſimiliter indefinita negativa æquipollet univerſali ex proprietate ſermonis; licèt ſecus ſit in affirmativa, Fulgoſ. *in l. Juriſgentium*, §. *Sed ſi fraudandi*, gloſſ. ibi, *ff. de Pact.* Præſertim verò, quia Concilium non ſolùm utitur verbis negativis, ſed etiam univerſalibus, & geminatis, ut ibi, *Quicumque Regularis*; & ibi, *Qua-*
66 *cumque de cauſa*; unde magis enixa voluntas obligandi, ex his, quæ plenè ſcripſit Corn. *in conſ.*187. *In conſultatione num.*12. *lib.*4. & de his verbis, *Quacumque de cauſa*, Roman. *conſ.*31. *Viſis his n.*2. & Lucas de Penia, qui hoc verbum, *Quicumque*, effrœnatum vocat, *in l. fin. in princ. C. de exact. trib. lib.*10.

67 Poſtremò etiamſi decretum Concilii eſſet injuſtum, quod impium eſt aſſerere; tamen per accidens propter ſcandalum obligaret etiam in foro conſcientiæ, *cap.*2. *de nov. oper. nunc.* Vix enim ac ne vix quidem fieri poteſt ſine aliorum ſcandalo, ut Regularis, qui per quinquennium à die profeſſionis tacuit, eo termino elapſo ſponte exuat ſe habitu religionis, & ad ſæculum revertatur hoc ſolo prætextu, quòd in foro animæ, quicquid Concilium præcipiat, non teneatur in Religione perſeverare; certum eſt enim legem etiam injuſtam obligare in foro conſcientiæ ratione ſcandali, S.Thom. *in* 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 4. ubi poſtquam docuit leges injuſtas non obligare quoad Deum; ſubdit deinde, niſi fortè propter vitandum ſcandalum, vel turbationem, propter quod homo juri ſuo debet cedere, ſecundum illud Matth.1. *Qui angariaverit te mille paſſus, vade cum eo alia duo, & qui abſtulerit tibi tunicam, da ei & pallium.* Neque enim hoc ſcandalum Phariſæorum dicendum eſt, ut inferiùs patebit in reſponſione ad ultimum argumentum.

Ex quibus omnibus ad quæſtionem videtur abſolutè reſpondendum, profeſsos contra formam decretorum Clem. VIII. in conventibus ad recipiendos Novitios non deſignatis, elapſo quinquennio obligatos eſse etiam in foro conſcientiæ in Religione perſeverare, ac regulariter vivere, niſi à Sede Apoſtolica ex juſta cauſa impetraverint reſtitutionem adverſus lapſum quinquennii, ac deinde ſententiam declaratoriam nullitatis profeſſionis à ſuo Superiore Regulari, & Ordinario obtinuerint, quæ in judicatum tranſierit. Hodie verò declaratoria non ab aliis obtinenda eſset, quàm à S.Congreg. Concilii, propter decretum à S. D.N. nuper editum.

68 Nec obſtant adducta in contrarium; nam ad primum reſpondetur regulariter quidem ita demum teneri quem in Monaſterio perſeverare, ſi ſit religioni tacitè, vel expreſsè alligatus; ſed tamen hoc non eſse perpetuum; limitatur enim, ut non procedat, quando lex eſt juſta cauſa contrarium ſtatuit, ut in caſu noſtro facit Concilium. Exemplum habetur *in d.c. Quod interrogaſti* 27. *diſt.* & *in c. Vidua infr. eod.* ubi mulieres illæ non habuerunt conſenſum ſe obligandi religioni; & tamen Eccleſia illas obligavit ad perſeverandum in eo, quod incœperunt, ut dictum eſt *in* 6. *fundamento ſub num.*26.

69 Ad ſecundum reſpondetur diſtinguendo minorem: nam aut ex obſervantia Conſtitutionis in foro conſcientiæ reſultat aliqua iniquitas, vel peccatum: & tunc præſumptiones, vel juris fictiones non habent locum quoad Deum. Et ita procedunt doctrinæ in contrarium allegatæ, ut patet in exemplis de exceptione non numeratæ pecuniæ, de debitore injuſtè condemnato, & aliis in contrarium adductis. Aut ex obſervantia Conſtitutionis in foro animæ 70
nullum reſultat peccatum, vel iniquitas; & tunc juris fictiones, ac præſumptiones habent locum etiam in foro conſcientiæ. Ita Feder. de Sen. *d. conſ.*21. *ſub num.*4. *verſ. Et ſi diceretur*, Silveſt. *ver. Lex num* 9. *verſ. Et probatur regula.* Et probatur in profeſſione emiſſa per ſimulationem juxta text. *in cap. Quod interrogaſti* 27 *diſt.* in præſcriptione rei alienæ, ut dictum eſt ſuprà *num.*27. & *num.* 30. in juramento per ſimulationem præſtito, ut per Abb. in ſua *quæſt.*2. *ſtante ſtatuto in* 12. *col. num.* 14. in præſumptione falſitatis inſtrumenti non regiſtrati, ut per Bald. *in cap. Si quis per triginta, ſi de feud. contr. fuer.* & in aliis exemplis relatis à Silveſt. *in ver. Præſcriptio* 1. *ſub num.*13. *ver. Unde ſecundum.* Et contra opinionem Anchar. hæredem qui inventa- 71
rium non confecit teneri ultra vires hæreditarias etiam in foro animæ, & quoad Deum, ſolidiſſimis fundamentis latè reſpondit Feder. de Sen. in ſæpiùs allegato *conſ.*21. *per tot.* & in aliis exemplis relatis à Silveſt. *in ver. Præſcriptio* 1. *ſub num.*13. *verſ. Unde ſecundum Bald.* Ex eo autem quòd decretum Concilii Tridentini *in d. cap.*19. *ſeſſ.*25. *de Regular.* ſervetur etiam in foro conſcientiæ manifeſtum eſt nullam iniquitatem, aut peccatum reſultare.

Ad tertium reſpondetur Concilium in præfixione quin- 72
quennii non inducere tacitam profeſſionem. Unde ad rem non pertinet, quòd Eccleſia non poſſit aliquem invitum alligare religioni, & defectum conſenſus ſupplere; hoc enim nec nos inficiamur; ſed non ſequitur; Profeſſi in conventibus non deſignatis non ſunt quoad Deum alligati Religioni ex vi profeſſionis. Ergo non tenentur perſeverare in Religione, quia hæc obligatio aliundè ſurgit, quàm ex profeſſionis validitate, ut dictum in tertio, quarto, & quinto fundamento à *n.*23.

Præterea, quod dicitur non poſſe quemquam abſque 73
ſuo conſenſu obligari ad Religionem, procedit in eo, qui aut numquam conſenſit, aut conſenſit nulliter, & poſteà re adhuc integra expreſsè contradixit. Et in hunc ſenſum accipiendæ ſunt authoritates in contrarium adductæ. At ſecus eſt in eo, qui conſenſit ab initio, licèt nulliter, & poſtea re integra non reclamavit; is enim cùm antea profeſſionem emiſerit animo vitam mutandi, præſumitur ſemper eumdem animum retinuiſſe. Unde ejus votum jure poteſt ab Eccleſia ſolemnizari ex tacito illo, & præſumpto conſenſu. Sic docet expreſsè Innoc. *in cap. Conſuluit de converſ. conjug.* ubi determinat profeſſionem nullam ſolemnizari ab Eccleſia in primo momento temporis, quo ſic profeſſus poſt ſublatum impedimentum in Religione perſeveravit. Et quamvis hoc habeat aliquam difficultatem, quando ſic profeſſus ignorat impedimentum ſublatum fuiſſe: tamen in eo, qui hoc ſcit, & non contradicit, opinio Innocentii non habet contradictorem, eamque ſequuntur ibi Joan. Andr. Anchar. Abb. & cæteri omnes, *& in cap. Quidam eod tit.* Ergo ſimiliter qui nulliter profeſſus eſt ob perpetuum impedimentum, cùm à principio habuerit animum relinquendi ſæculum, & infra quinquennium id ſciens numquam reclamaverit, præſumitur ſemper in eodem propoſito perduraſſe. Unde ſublata facultate deducendi idem impedimentum per lapſum quinquennii, in vim ejuſdem conſenſus jure potuit à Concilio obligari ad perpetuam perſeverantiam in Religione.

Ad quartum reſpondetur, elapſo quinquennio Religio- 74
nem teneri præbere alimenta etiam nulliter profeſſis, quia cùm Concilium jubeat, ut Regulares eo termino elapſo non audiantur, in neceſſariam conſequentiam vult, ut eis ſubminiſtrentur alimenta à Religione: nec contrarium cenſent Gemin. & alii ibi allegati, ſed tantùm conſtituunt regulam affirmativam, ideſt Religionem teneri profeſſo ad alimenta. Unde nulliter profeſſi in recipiendis alimentis non di- 75
cuntur locupletari cum alterius jactura, cùm illa recipiant lege permittente. Et ita ad dicta jura reſpondet Afflict. *in rubr. de jure Protomiſeos num.*7. ubi per hanc rationem inter alias cenſet, *l. Sancimus, eod. tit.* habere locum etiam in foro conſcientiæ; poteſt enim lex ex cauſa auferre rem meam, & dare alteri, & ille poteſt licitè retinere, *l. Benè à Zenone C. de quadr. præſcript.* & tradit Feder. de Sen. *d. conſ.*21. *n.*3. *in fin.* Nec peccat quis legis authoritate, *cap. Qui peccat* 23. *q.*4.
Ideòque etiam Novitium volentem diſcedere à Religio- 76
ne non poſſe inquietari à Monaſterio pro expenſis ibi per eum factis, tradit Gemin. *in c.*1. *de regul. in* 6. ponderando

verbum, *Liberè*, ibi poſitum, & Phillp. Prob. *ad Monachum n.4.* poſt Alex. quem citat *in conſ. 96. Conſideratis his in 1. col. vol. 5.*

Præterea invalidè profeſſus quinquennii ſpatio legitimè præſcripſit alimenta contra Religionem: Ergo poteſt illa tuta conſcientia recipere, ac retinere. Ideòque nec obſtat Navar. in contrarium adductus, quia loquitur infra quinquennium, & ita ante complectam præſcriptionem, licèt ejus doctrinam poſteà Sanch. ampliaverit, & malè, etiam ultra tempus quinquennii.

77 Ad quintum dicendum eſt, idcircò *in c. Literas de reſtit. ſpoliat. & in c. Inquiſitioni de ſent. excomm.* diſtingui inter forum judicialem, & forum conſcientiæ, quia Canon expreſsè id præcipit, quod non facit Concilium in caſu noſtro. Ita ad illa jura in individuo reſpondet Feder. de Sen. *d. conſ. 21. n.4. verſ. ad contrarium;* ut dixi ſupra *ſub num. 39. in fine noni fundam.* Deinde reſpondetur, ideò in dictis juribus fieri prædictam diſtinctionem, quia præceptum Eccleſiæ non poterat ſervari in foro conſcientiæ abſque
78 reatu mortalis peccati; cùm enim matrimonium ex impedimento occulto dirimente eſſet invalidum, copula non poterat eſſe niſi fornicaria. Unde mulier non poterat obtemperare judici præcipienti ſub pœna excommunicationis, ut adhæreret viro ſuo. Et in hoc ſe fundat Pontifex *in dict. c. Literas*, dum ait; *Porro cùm mulier, quæ conſanguinitatis habet notitiam, preſertim in gradibus quos lex divina prohibuit, non poſſit hujuſmodi viro ſine mortali peccato carnaliter commiſceri, &c. non debet in hoc judici obedire, ſed potiùs excommunicationem humiliter ſuſtinere, & in d. c. Inquiſitioni*, ibi: *Debet potiùs excommunicationis ſententiam humiliter ſuſtinere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortale.* Quod quidem peccatum manifeſtum eſt non adeſſe in caſu de quo agitur. Quare non poteſt inferri à matrimonio carnali ad ſpirituale propter rationis diverſitatem; quia in illo Eccleſia non poteſt diſpenſare, ut mulier commiſceatur viro, cum quo matrimonium non conſiſtit, cùm hoc ſit intrinſecè malum, & contra præceptum Decalogi, *Non fornicaberis.* At benè potuit ſtatuere, ut profeſſi poſt quinquennium quacumque de cauſa habitum non dimittant, cùm hoc nullum ſit malum, imò valdè bonum, ut vota ſua Domino reddant, 17. *q.1. & 27. q.1.* & pax in Religionibus conſervetur, ut patet ex dictis ſupra in ſecundo fundamento *n.21. & in 5. fundamento n.25.*

Ad ultimum reſpondetur, Navarri opinionem nec ratione ulla, nec authoritate fulciri: neque enim eſt bona illatio: Aliquis eſt validè profeſſus quoad Deum, qui omnia novit: Ergo poteſt redire ad ſæculum in foro conſcien-
79 tiæ propria authoritate. Et mirum eſt virum alioquin doctum, & pium tam facilè aperuiſſe Regularibus viam exeundi è Religione abſque licentia ſub prætextu, quòd in conſcientia non ſint profeſſi. Nam Concilium *in d. c. 19. ſeſſ. 25. de regular.* expreſsè loquitur de invalidè profeſſis, ſeu prætendentibus ſe tales eſſe; imò de his ſolis, quia quoad validè profeſſos non erat opus ullam formam præſcribere, aut quinquennium præfinire ad deducendas cauſas nullitatis profeſſionis; & nihilominùs prætendentes ſe eſſe invalidè profeſſos obligat ad ſervandam formam ibi præſcriptam. Et cùm lex illa ſit Apoſtolica, & juſtiſſima, abſurdum eſt aſſerere eam obligare in foro judiciali tantùm, non autem quoad Deum, & in foro animæ, ex his quæ latè ſuperiùs deducta ſunt à *n.17.*

80 Et multò minùs defendi poteſt, quod ſubjicit Navar. non eſſe habendum rationem ſcandali, cùm ſit Phariſæorum, non puſillorum. Verè enim proximus, qui videt regularem rediiſſe ad ſæculum abſque licentia, cum ratione ſcandalizatur, nec poteſt removeri ſcandalum, ſi Regularis dicat: Ego non ſum profeſſus quoad Deum; nam proximus juſtè replicabit; Cur propria authoritate exiiſti, & formam legis non ſervaſti; Unde ſcandalum erit puſillorum, à quo cavendum eſt *Matth.* 18. non Phariſæorum, à quo dicitur non eſſe cavendum *Matth* 15. Ideòque nec applicatur doctrina D. Thom. quod non debeat quis relinquere bona ſua propter ſcandalum; eo enim caſu non habetur ratio ſcandali, quia juſtè quis recuperat bona ſua. Et de hac juſtitia poteſt proximus aliqua probabili ratione admoneri. Quod fieri non poteſt in caſu, de quo agitur, in quo regularis de facto exiens inordinatè agit, & contra præceptum legis. Quare contra opinionem Navar. propter ſcandalum non poſſe fictè profeſſum à Religione diſcedere abſque peccato docent Cajet. 2. 2. *quæſt. 88. art. 1. paulò ante fin.* & Sotus *lib. 7. de juſtit. & jur. qu. 1. art. 2. col. 7. verſ. An verò.*

Porrò Navarri authoritas nonnullis, qui poſt eum ſcripſerunt, & majoris erroris cauſam præbuit. Nam Sanch. *de matrim. lib. 7. de impedim. diſp. 37. n.9.* non ſolum ait Concilium *in d. c. 19.* inniti præſumptioni tacitæ ratificationis per quinquennium inductæ, & ideò qui verè non ratificavit, non teneri in foro conſcientiæ in religione perſeverare, nec ad id obligari potuiſſe à Concilio; verum etiam affirmat credentem ſe eſse nulliter profeſsum, etiam elapſo quinquennio poſse dimiſso habitu tuta coſcientia fugere à Religione, allegat Henriq. *lib. 11. de matr. c. 6. in comment. fin, c. 8. num. 9. in comment. litt. S.* & Eman. Sa *in ver. Religio, n.71.*

Ampliùs *n.10. & 23.* aſserit, ad hoc, ut nulliter profeſsus cenſeatur ratificare ſuam profeſſionem, neceſsariò expectandum eſse lapſum quinquennii, nec ad id ſufficere actus profeſsorum, etiam ſciat profeſſionem expreſsam fuiſse nullam, exiſtimans profeſſionem tacitam non induci per actus profeſsorum, quando præceſſit profeſſio expreſsa irrita, contra text. apertum in *c.1.* ibi: Vel ſi quam priùs fecerat, ratam habuiſse videtur: atque ibi omnes not. *de regul. in 6.* Quam tacitam profeſſionem Trid. Conc. non ſuſtulit, ut ſepiùs S. Congreg. declaravit.

Idem *n.11.* conſtanter affirmat, nulliter profeſsum etiam elapſo quinquennio, licèt ſciverit ſuam profeſſionem fuiſse nullam: tamen ſi eam non ratificavit, poſse ceſsante ſcandalo etiam omiſsa reclamatione, & non deductis coram Ordinario fugam arripere, & uxorem ducere, & non teneri redire ad Monaſterium, nec eſse apoſtatam, nulla habita ratione ſaltem voti continentiæ, quod ineſt profeſſioni etiam nullæ, juxta text. *in c. Quidam*, ubi ſic docent Innocent. & cæteri Canoniſtæ, *de converſ. conjugat.*

Quinimò *n. 13.* tradit Prælatum Regularem poſse etiam elapſo quinquennio nulliter profeſsum occultè dimittere, ſi conſtet ſibi de veritate non ratificatæ profeſſionis, dicens non obſtare Concilium, quia ſolùm præcipit Superiori, ne audiat in foro externo; quæ tamen verba, in foro externo, nec uſquam in eo decreto reperiuntur, nec tacitè ſubintelliguntur, ut ſuperiùs oſtendimus.

Et quamvis *n.14.* dicat elapſo quinquennio non eſse credendum dicenti ſe fictè profeſsum, ſubdit tamen, ſi morali certitudine ſuperior conjicere poſset illum veritatem aſſerere dicendo ſe fictè profeſsum, vel non ratificaſse profeſſionem, poſſe eumdem ſuperiorem illi credere, & dicto remedio uti, ejiciendo illum clam. Et *num. 32. in 4. q.* contra declarationem Sanctiſſimi D. N. Urbani, & Sac. Congregationis ait *d. c. 19.* non comprehendere habentes perpetuum impedimentum. Imò *n.34.* nec habentes impedimentum temporale, & illud duraverit toto quinquennio. Quod eſt contra expreſsam declarationem Greg. XIII. Et *n.9.* generaliter affirmat *d. c. 19. ſeſſ. 25. de regular.* non obligare in foro conſcientiæ, quia, inquit, in eo decreto nullum verbum reperitur, quod forum conſcientiæ reſpiciat. Quaſi ſacri Canones, & Generalium Conciliorum decreta ad obligandum in foro conſcientiæ neceſse habeant illius fori expreſsam mentionem facere. Quid plura? Idem Sanch. in *eadem diſput. 37. num. 38.* affirmat nulliter profeſſum, qui elapſo quinquennio non fugit à Religione peccare mortaliter ingerendo ſe actibus profeſſorum, & recipiendo alimenta à Monaſterio, & teneri illa reſtituere cùm poterit. Et *num. 41.* ſic profeſsum dicit non ſolùm poſſe, ſed etiam teneri, oblata commoda fugiendi occaſione, in partes remotas ſecedere, & in eam occaſionem ſumma ope niti. Et conſentit Leſſ. *de juſtit. & jur. lib. 2. c. 41. dubit. 7. n.65 verſ. Notandum quartò*, quos poſteà ſecutus eſt Stephanus Gratianus *diſcept. forenſ. tom. 3. cap. 413. n.12. verſ. Quo vero ad forum.* Quæ omnia cum pluribus aliis, quæ habentur in eadem diſputatione 37. non ſolùm frangunt nervum regularis diſciplinæ, ſed funditùs etiam deſtruunt diſpoſitionem Concilii *in d. c. 19.* & directè adverſantur ſenſui, quem Sedes Apoſtolica hactenùs ſemper admiſit in illius decreti interpretatione. Præterquam quòd hæc doctrina maximam ingerit confuſionem, & perplexitatem timoratis conſcientiis, ut animadvertit Feder. de Sen. *d. conſ. 21. num. 3.* cujus ſingularia verba hæc ſunt.

ſunt. (Præterea quantum poſſumus opiniones vitare debemus, quæ perplexitatem, & intricationem inducunt, *c. Literas de reſtit. ſpol.* per legem enim nulli eſt laqueus injiciendus, *c. De Viduis, il* 2. 27. *q.* 1. Sed ſi teneamus primam partem, id eſt legem non obligare in foro animæ, erimus perplexi, & intricati, inter legem humanam, & forum conſcientiæ. Nam lex humana dicit: Contempſiſti legem: Ergo ejus beneficio non perfruere. At in cōtrarium dicit conſcientia: Quamvis miniſter legis, id eſt judex tibi præcipiat, ut facias ſecundùm legem: tamen tu in foro animæ, & divino non teneris: unde defende te quantum meliùs potes in foro judiciali, quia habeo te excuſatum in foro divino. Ideò ad evitandam hanc perplexitatem, melius eſt dicere, quod conſcientia ſe conformet juri poſitivo, condito à Miniſtro Dei, & confirmato per Rom. Eccleſiam, cùm pro utilitate Reipublicæ ad vitandas fraudes proceſſerit illa lex) Hæc Feder. de Sen. qui tamen loquitur in terminis legis merè humanæ, & civilis, ideſt *l. Sancimus, C. de jur. deliber.* Ergo multò fortiùs idem dicendum in terminis legis Apoſtolicæ, & Conciliaris, de qua nunc agimus.

81 Conſilium verò, quod prædicto famulo dederunt Pœnitentiarii, ſimiliter nullo modo ſuſtineri poteſt. Primò enim falſum eſt profeſſionem illam fuiſſe nullam in foro conſcientiæ. Quandoquidem metus etiam cadens in conſtantem virum, ſive proveniat ab intrinſeco, & cauſis naturalibus, ſive ab extrinſeco, & cauſis liberis, nunquam irritat poſſeſſionem, niſi fuerit incuſſus ad illam extorquendam, juxta terminos *c.* 1. *quod met. cauſ.* ut probatur *in cap. Sicut il* 2. *inf. eod.* ubi valida æſtimatur profeſſio emiſſa ab ægroto ob timorem mortis imminentis. *Et n.* 11. ubi validum cenſetur votum, quod emiſit Populus Iſrael victus à Chananæo.

Ratio eſt tum quia eo caſu vovens non impellitur ad profeſſionem, cum nullus profeſſionem exigat; ſed voluntariè eligit ex ſe ipſo tamquam medium ad evadendum periculum animæ vel corporis, ex his quæ tradit Bellam. *conſ.* 9. *Factum eſt tale col.* 4. *in fin. n.* 13. *verſ. Tertio oppones.* Tum quia involuntarium, quod in ea profeſſione invenitur, non eſt intentum ab incutiente metum, ſed tantùm habet occaſionem ex ipſius nequitia. Atque ita in matrimonio carnali cenſent *in c. Cum locum, de ſponſ.* Innoc. *n.* 2. Hoſt. *paulò poſt princ.* Jo. Andr. *n.* 2. Henr. Boich. *n.* 3. Butr. *n.* 11. Card. *n.* 3. Abb. *n.* 9. & Proſp. *n.* 12. ubi concludunt matrimonium contractum per metum etiam incuſſum ab homine, ut carceris, ita demum eſſe nullum, ſi metus ad extorquendum matrimonium illatus fuerit, ſecus ſi ex alia cauſa. Ideòque videmus validum eſſe matrimonium contractum cum concubina ob metum inſtantis mortis ex morbo, vel naufragio, aut fera beſtia, quia is metus non infertur à cauſa extrinſeca libera ad extorquendum matrimonium, Sot. *in* 4. *diſt.* 29. *q.* 1. *art.* 3. *ver. Hinc primo colligitur*, & Covar. *in* 4. *decret.* 2. *p. c.* 3. §. 4. *n.* 16. Et ſimiliter tenere matrimonium, quod contrahit damnatus ad mortem cum meretrice, ut evadat ſupplicium, juxta morem aut ſtatutum nonnullarum regionum, Sot. *loc. citat. verſ. Exurgunt hìc tamen*, & Covar. *n.* 17. ubi recenſet alia etiam exempla, quæ in terminis profeſſionis ponuntur ab Hoſt. & Jo. Andr. *in c. Sicut vobis infra eod.* ut ſcripſi pleniùs in *c. Sicut tenor infr. hoc tit.* dummodò tamen metus nòn ſit tantus, ut excludat uſum rationis deliberantis, & promittentis, ut in voto notatur *in d. cap. Sicut il* 1. *&* 2. *infr. eod. & in c. Gonzaldus* 17. *q.* 2. & declarat Silveſtr. *in ver. Votum* 2. *num.* 13. Unde ſi quis, ut evadat ultimum ſupplicium ob 82
conſcientiam ſcelerum commiſſorum, aut mortem ſibi timens ab inimicis, Religionem profiteatur, niſi aliud obſtiterit, eſt validè profeſſus, licèt aliàs profeſſurus non fuiſſet, ut olim articulo diligenter diſcuſſo declaravit S. Congreg. Concilii.

DE REGULARIBUS.

Ex Concilio Toletano.

CAPUT III.

UT Clerici, qui ſe fingunt habitu & nomine Monachos, & non ſunt, corrigantur; ut veri Monachi ſint, vel veri Clerici.

SUMMARIUM.

1 *Fingentes ſe Monachos, aut intrare, aut exire compelluntur.*
2 *Duplicitas à Deo, & à jure reprobatur.*
3 *Clericus ſæcularis utens habitu, & nomine Monachali cogitur, ut fiat Monachus, vel ab hoc deſiſtat.*
4 *Votum non ſolemnizatur per ſuſceptionem habitus Monachalis extra Monaſterium etiam de manu habentis poteſtatem incorporandi Religioni.*
5 *Inducitur tamen votum ſimplex, quod impedit matrimonium contrahendum, licèt non dirimat contractum.*

1 UT *Clerici*. Legitur variis modis, ut hìc per Jo. Andr. *in princ.* Anton. de Butr. ſummat dupliciter. Primò ſic: Fingentes ſe Monachos, aut intrare, aut exire com-
2 pelluntur. Secundò ſic; Duplicitas à Deo, & à jure reprobatur. Sed juxta intellectum Card. & Abbatis, qui meliùs congruit literæ, hoc intendit: Clericus ſæcularis utens habitu, & nomine Monachali, cogitur, ut fiat Mo- 3
nachus, vel ab hoc deſiſtat. Non dividitur.

Nota ex textu, per ſuſceptionem habitus monachalis ex- 4
tra Monaſterium votum non ſolemnizari: aliàs enim iſti Clerici præciſè cogendi eſſent ad monachatum. Et ſic limita textum *in c. Statuimus infra eod. & in c.* 1. *in* 1. *reſponſo eod. tit. lib.* 6. ubi patet votum ſolemnizari, & tacitam profeſſionem induci per aſſumptionem habitus profeſſorum in legitima ætate: hoc enim limitatur, ut locum habeat, dummodò habitus hujuſmodi ſuſcipiatur intra clauſtra Monaſterii, ſecus ſi extra etiam de manu habentis poteſtatem incorporandi Religioni. Concordat textus *in c. Conſuluit infra, Qui Clerici, vel novit.* ſecundum intellectum, quem ſequitur Butr. ibi *n.* 4. Alexan. de Nevo *in* 3. *notab. & n.* 10. & communiter Doctores contra lecturam Abbatis Siculi, ut ibi dixi *n.* 2. *& ſeqq. & in* 1. *notab.* Cæterùm etſi habitus profeſſorum extra Monaſterium ſuſceptus non ſolemnizet votum; tamen inducit obligationem voti ſimplicis, quæ 5
impedit matrimonium contrahendum, licèt non dirimat contractum, ut eſt caſus *in d. c. Conſuluit*, juxta communem intellectum, ut ibi dixi *in* 2. *notab.*

D E R E G U L A R I B U S.

Ex Concilio Arelatan.

C A P U T IV.

VIdua ſi ſpontè velum converſionis, quamvis non ſacrum, ſibi impoſuerit, & in Eccleſia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit nolit, ſanctimoniæ habitum ulteriùs debet habere, licèt Sacramento firmare velit, eo tenore velamen ſibi impoſuiſſe, ut deponere poſſet.

S U M M A R I U M.

1 *NOvitia, quæ ſponté ſe ingerit actibus profeſſarum per hoc cenſetur tacitè profiteri.*
Declaratur à n.27. uſq. in fin.
2 *Continentia præterita non eſt de ſubſtantia monachatus, ſed futura tantùm.*
3 *Velum Religionis quotuplex ſit.*
4 *Velum probationis eſt album, alia autem vela ſunt nigra.*
5 *Vidua poteſt velum profeſſionis accipere à Presbytero, vel ab Epiſcopo; aut ſibimet imponere.*
6 *Velum conſecrationis datur ab Epiſcopo ſolis viriginibus in vigeſimo quinto anno.*
7 *Intellectus hujus c. & n.32. 37. & ſeqq.*
8 *Moniales an poſſint portare crines.*
9 *Animus probatus per extrinſeca non admittit contrariam probationem per juramentum.*
10 *Profeſſio tacita inducitur præſumptione juris, & de juris per aſſumptionem habitus profeſſionis, & exercitium actus profeſſorum.*
11 *Probatio directa non admittitur contra præſumptionem juris, de jure: admittitur tamen indirecta.*
12 *Conſcientiæ ſuæ quis relinquitur, ubi de animo non apparet per actus exteriores.*
13 *Profeſſio quid ſit, & quotuplex.*
14 *Mutus, & ſurdus à natura nutibus, & ſignis expreſsè profiteri poteſt matrimonium contrahere.*
15 *Profeſſio tacita quot modis inducatur.*
16 *Profeſſio tacita an inducatur ex eo, quòd qui voluerit abſolutè vitam mutare.*
17 *Profeſſus tacitè an cenſeatur immiſcens ſe actibus profeſſorum, & n. ſeqq. uſque ad n.27.*
18 *Habitus profeſſionis aſſumptio, & exercitium actu profeſſorum idem operantur.*
19 *Hæreditatem cenſetur adire gerens actus, qui fieri non poſſunt circa nomen, & ius hæredis.*
20 *Novitius, qui ſe ſcienter immiſcet actibus de iure, conſuetudine, vel ſtatuto ad ſolos profeſſos ſpectantibus, eſt profeſſus, ſi ſponte id faciat, ætatis ſit aptæ, & triduo perſeveret, & n.38.*
21 *Eligere ſpectat ad profeſſos tacitè, vel expreſsé.*
Profeſſio tacita inducitur ex eo, quòd novitius interſit electionibus una cum Capitularibus, ibid.
Item ex ſuſceptione muneris Abbatis, vel Abbatiſſæ, num.24.
Item ex ſuſceptione tonſuræ monachalis, n.25.
Item ex receptione Sacrorum Ordinum ad titulum religionis, n.26.
22 *Novitius quamvis intereſſendo electionibus efficiatur tacitè profeſſus, tamen vox ejus non valet, & cur.*
23 *Electio facta à non exiſtente in quaſi poſſeſſione juris eligendi, quamvis ſit nulla, tamen conſtituit eum in quaſi poſſeſſione.*
27 *Profeſſio tacita ut inducatur per exercitium actus profeſſorum, quæ conditiones requirantur, & n. ſeqq. uſque in fin.*
28 *Metus, & violentia ſicut excuſant à profeſſione expreſſa, ſic fortiùs à tacita, niſi ſequatur ratificatio.*
29 *Ignorans actum ad profeſſos tantùm pertinere, per illius exercitium non præſumitur tacitè profiteri.*
30 *Profeſſio tacita an requirat animũ poſitivum profitendi.*
31 *Profeſſio tacita non inducitur niſi ſcientibus, & conſentientibus iis, quorum eſt religioni incorporare.*
32 *Tridui perſeverantia poſt profeſſionem, in quibus caſibus requiratur, & n. ſeqq. uſq. ad n.39.*
33 *Geminatio actus multum operatur.*
34 *Tridui perſerverantia an requiratur in eo, qui infra annum probationis profitetur expreſsè.*
35 *Et quid in eo, qui in infirmitate ſuſcipit habitum profeſſorum.*
36 *Et quid in eo, qui poſt votum de ingrediendo religionem habitum profeſſionis aſſumit.*
38 *Et quid poſt Conc. Trid.*
39 *Profeſſio tacita an, & quando ſit excluſa decretis Conc. Trid.*

VIdua. Novitia, quæ ſpontè ſe ingerit actibus profeſſarum, per hoc cenſetur tacitè profiteri. Hoc dicit. Dividitur in duas partes. In prima ſolvit dubium. In ſecunda ſolutionem ampliat, ibi, *Licèt*. 1

2 Nota primò ex principio tex. virginitatem, ſeu continentiam præteritam non eſſe de ſubſtantia monachatus, ſed futuram tantùm, ſecundùm Ant. de Butr. *n.*1, & Jo. de Anan. *n.*2. *Ad hoc c. Vidua 20. qu.*1. *c. Viduas, & c. De Viduis 27. q.*1. *c. Virgines 27. diſt. & c. Cùm ad Monaſterium, verſ. Nec æſtimet Abbas, infra de ſtat. Monach.*

3 Secundò nota ibi, *Velum converſionis, quamvis non ſacrum*: multiplex eſſe velum religionis. Primum enim eſt velum ex converſionis, id eſt probationis, quod aſſumunt fœminæ, cùm de ſæculari vita ad religionem tranſeunt, & cùm per annum portaverint, amplius exire non poſſunt ut *in c. Statuimus inf. eod.* & de hoc loquitur *c. Conſuluit, inf. qui cler. vel vov.* ibi, De manu Presbyteri velamen aſsumpſit, ſcilicet probationis, ut ibid. explicat gl.2. & Innoc. *in princ.* Et hoc communiter eſt album, cum tamen alia vela ſint nigra, ut inquit Turrecr. *in c. Devotis, in* 9. *q. n.*11. 20. *q.*1. Secundum eſt velum profeſſionis, quod datur fœminis in profeſſione, cùm continentiam profitentur, & quandoque imponitur puellæ, dummodò de jure communi ſit 12. annorum, *c. Puella* 20. *q.*2. & ex Conc. Trid. annorum 16. ut *in cap.* 15. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* Quandoque imponitur viduæ, ſeu corruptæ, ut *c. Perlatum ſupra quod met. cauſ.* 4

5 hoc velum viduæ poſſunt non tantùm de altari recipere à Sacerdote, *d. c. Conſuluit, & d. c. Vidua*, vel ab Epiſcopo, ut *d. c. Perlatum*, ſed etiam ſibi ipſis imponere ut hic patet, & notatur gloſſ.2. Innoc. *num.*4. *ver. Sacrum*, Butr. *num.*9. Cardin. *in* 1. *oppoſ. & alii communiter*. Nec obſtat tex. *in cap. fin. de inſtitut.* quoniam loquitur de actu ſapiente authoritatem, quem quis non exercet in ſeipſum, ſecundùm Card. *ubi ſupra, & in cap. Cùm in jure de elect.* Vel dic meliùs ex mente Abbatis hìc *num.*5. *verſ. Et in quantum*, ex ſola vel impoſitione, quam ſibi facit vidua, non induci tacitam profeſſionem, ſed ex conſenſu ab eis præſtito, qui poſſunt religioni incorporare: nam cum profeſſio ſit contractus reciprocus, conſenſus ſolius profitentis non ſufficit, ut *c. Porrectum*, & ibi plenè adnotavi *n.*18. *& ſeqq. & c. Ad Apoſtolicam, infra eod.* & inferiùs patebit *n.*31. Tertium eſt velum conſecrationis, quod ſolis virginibus datur ab Epiſcopo, & in 25. anno, ut *c. Placuit, 77. diſt.* & de hoc intelliguntur verba, quæ habentur *in d. cap. Devotis 20. q.*1. videlicet viduas velare Pontificum nullus attentet; ut ibi per Archid. *n.*3. Quæ autem ſit ratio diverſitatis, cur Sacerdos, qui habuit uxorem, poſſit in Epiſcopum promoveri, & conſecrari, ut *c. Fraternitatis 34. diſt.* & tamen vidua Monaſterium ingreſſa non conſecretur, 6

ut

ut *in d.c.Placuit*, *& c. Devotis*, optimè declarat gloſſ. in
c. Acutius, *in ver. Conſecrari*, *26. diſt.* & in materia vide
bonam gloſſ. *in c.Viduas quæ in verb. ab Altari*, *27. qu.* 1.
Quartum eſt velum ordinationis, quod olim imponeba-
tur Diaconiſſis in quadrageſimo anno, ut poſſent Evan-
gelium legere in Nocturnis: unde dabatur eis ab Epiſcopo
Breviarium ad tangendum ubi ſunt homiliæ de Evangeliis
in Matutinis: & de hoc velo habetur in *c. Sanctimonia-
les*, 20. *qu.* 1. *& c. Diaconiſſam*, 27. *q.* 1. de quo vide quod
hìc notat Collectarius *nu.* 3. Quintum denique eſt velum
Prælationis, quod antiquitùs dabatur Abbatiſſæ in ſexage-
ſimo anno, ut *in c.Juvenculas*, 20. *q.* 1. ſed per jura Sexti
ubi annum vigeſimum compleviſſet, *c. Indemnitatibus*, *in
princ. de elect. lib.* 6. Hodie verò non datur minori annis
quadraginta, ut in decreto Concilii Tridentini *c. 7. ſeſſ.* 25.
de regular. niſi in caſibus ibi expreſſis, de quo dic ut ſcripſi
plenè *in c. Cùm in cunctis*, *in 9. q. princip. à num.* 113. *uſque
ad num.* 124. *ſupra de elect.* Et de his quinque velis notant
hìc Hoſt *n.* 1. & Henric. Boich. *in princ.* & fuſiùs Turrecr.
in d.c. Devotis, *in 9. q. num.* 11. licèt tamen recenſeat gloſ.
Joannis *in c. Illud autem*, §. *Velamen.*, 20. *q.* 1. dicens per
hanc diſtinctionem multa ſedari contraria. Sed quintum,
id eſt velum converſionis, ſeu probationis, addit etiam
Archid. *in d.* §. *Velamen*, *n.* 2. & poſt eum Bellam. *in princ.*
7 & de hoc velo loquitur hæc decretalis, ſecundùm unum
intellectum. Alii tamen, & præſertim Abb. *num.* 5. pro
eodem accipiunt velum converſionis, & profeſſionis. Sed
contra, quia ſi hæc vidua velum profeſſionis ſuſcepiſſet,
ex hoc ſolo fuiſſet tacitè profeſſa, nec fuiſſet opus, ut inter
velatas reponeretur; cùm velum profeſſionis votum reli-
gionis habeat annexum, ut *c.Statuimus*, & ibi notat gloſ. 1.
Abb. Antiq. *in ver. Novitios*, Hoſt. *n.* 1. *in ver. Religio*, *& n.* 2.
Butr. *nu. 6. infra eod.* & tamen textus ponderat copulativè
tam impoſitionem veli, quàm oblationem, ita ut alterum
non ſufficiat, ſecundùm Innoc. & DD. Solve ut dicam *in-
8 fra n* 32. *&* 37. Numquid autem Moniales poſſent portare
crines, vide per Archid. *in c. Quicumque*, 30. *diſt*, & per
Collectar. *hic num.* 4.
9 Ultimò nota ibi, *Licèt Sacramento*, non ſtari juramento
alicujus in dependentibus ab animo, & conſcientia ipſius,
quando ex actibus externis inſurgit contraria præſumptio;
animus enim probatus per extrinſeca non admittit proba-
tionem in contrarium per ſolum juramentum, ut hìc per
Anchar. *num.* 4 Abb. *num.* 5. & Joan. de Anan. *eodem num.*
10 Pręſertim ſi pręſumptio, quę oritur ex actibus exterioribus
ſit juris, & de jure, prout eſt præſumptio tacitæ profeſſio-
nis in caſu hujus viduę per ſuſceptionem veli profeſſionis,
& per exercitium actus profeſſarum, ſecundum Anton. de
11 Butr. *nu.* 4 contra quam præſumptionem probatio directa
non admittitur, ut hìc, *& in c. Quod interrogaſti*, 27. *diſt.
& in c. Quem progenitores*, 20. *qu.* 1. Ad quod vide bonam
gloſſam *in c. Ex parte in ver. per annum*, *infra eod.* Admit-
titur tamen probatiò indirecta, ut declarat idem Butr. *hic
n.* 5. *&* 13. *in fin.* & ſcripſi pleniùs *in c. Significatum num.* 17.
12 *&* 40. *inf. eod.* Ubi verò per actus externos de animo non
apparet, tunc benè ſtatur juramento, & ſuæ conſcientiæ
quis relinquitur, ut *c. Si verò il 2. infr. de ſent. excomm. & no-
tatur in c. Significaſti*, *il* 1. *in gloſ. in ver. Si ita eſt de homic.
& in c. Præſentium ſupra de teſt.* & tenent Butr. Anchar. &
alii proximè citati.
13 Ex prædictis notabilibus venio ad materiam, ad cujus
evidentiam præmittendum eſt primò profeſſionem, quæ
ſecundùm Archid. *in c. 1. in princ. inf eod. lib.* 6. & Lapum
allegat. 129. *num.* 10. nihil aliud eſt quàm certæ Religionis
ſolemnis promiſſio, eſſe in duplici differentia, ut notat
Hoſt. *in c. Inſinuante nu. 2. inſ. Qui Cler. vel vov.* Alia enim
eſt profeſſio vera, ſeu expreſſa: Alia eſt præſumpta, ſeu taci-
ta, ut *cap. Non ſolùm*, ibi, *Profeſſus tacitè vel expreſsè*, *infr.
eod. lib. 6. & cap unico*, ibi. *Profeſſionem expreſſam*, *vel taci-
tam*, *de voto eod lib. cum ſimilib.* Profeſſio expreſſa eſt, quæ
emittitur verbo, ut *in c. Dudum infr. de converſ. conjugat.*
14 vel ſcripto, ut *in c. Vidua* 20. *q.* 1. aut etiam nutu, quia nullibi
reperitur jure cautum, ut verba ſint neceſſaria. Unde
etiam mutus, & ſurdus à natura nutibus, & ſignis expreſsè
profiteri poteſt, ut reſpondit Marian. Socin. ſen *in conſ.* 62.
incip. In præſenti conſultatione num. 13. *&* 14. *vol.* 1. nam &
poteſt matrimonium carnale contrahere, ut eſt text. *in cap.
Cùm apud infr. de ſponſal.* ſecundum intellectum Jo. Andr.
& Anton. de Butr. & de variis formulis profeſſionis expreſ-
ſè vide plenè per Lap. *alleg. 129. per totam*, Sil. *in ver. Religio
3. in 1. qu.* Innoc. Hoſtien. & DD. *in cap. Porrectum infra
eod.* Profeſſio tacita, ut ſonat ipſum nomen, eſt quæ fit ſine
voce, & ſcriptura, ut per Silveſt. *ubi ſuprà num.* 19.
Præmittendum eſt ſecundò profeſſionem tacitam in 15
univerſum tribus modis induci poſſe, ad quos peculiares
alii modi ferè omnes reduci poſſunt, qui ſparſim recenſen-
tur à Doctoribus.
Primus modus eſt per aſſumptionem, vel geſtationem
habitus religionis: & in hoc diſtingue multiplicem habi-
tum, prout diſtinguit gloſſa magiſtra in Clem. *Eos in ver.
Deinceps de Regular* Henric. Boich. *in cap. Statuimus col.* 1.
in fin. verſ. Tu verò diſtingue infr. eod. & Abb. in d. Clem.
Eos ubi à nu. 2. materiam explicat breviter, & dilucidè per
quinque concluſiones, quas tu ſupplebis ex jure noviſſimo
Concilii Tridentini, ut ſcripſi plenè in prædicta Decreta-
li *Statuimus*, *& in c. Quia ingredientibus ſup. de teſtam.* ubi
videas, quia non eſt materia hujus Capituli.
Secundus modus inducendi tacitam profeſſionem eſt 16
cùm quis abſolutè voluit vitam mutare, & habitum proba-
tionis aſſumpſit, *ut cap. Conſulti*, *& d. cap. Statuimus infrà
eod. & cap. Beneficium eod. tit. lib.* 6. in quo conveniunt Ca-
noniſtæ ferè omnes; ſed quia hic modus magnoperè con-
trovertitur à Theologis, & præſertim à Silveſtro *in ver.
Religio* 5. *qu.* 8. de illius veritate agemus ex profeſſo *in d.
cap. Conſulti à n.* 13. *uſque in fin.* Tertius denique modus in-
ducendi profeſſionem tacitam eſt per exercitium actuum
profeſſorum, & de hoc agemus hìc.
QUÆRO igitur, an immiſcens ſe actibus, qui à ſo- 17
lis profeſſis fieri conſueverunt, ex hoc cenſeatur tacitè pro-
fiteri: intellige concurrentibus iis, quæ alias deſiderantur
ad tacitam profeſſionem inducendam, ut dicam infrà *à n.
27. uſque in fin.*
Doctores non conveniunt: nam Innoc. *hìc num.* 1. ſen-
tit ex hujuſmodi actibus, quinimò & ex ipſa ſuſceptione
habitus profeſſorum, non induci profeſſionem tacitam, ni-
ſi aliquæ pręſumptiones hoc juvent, puta quia cum ſolem-
nitate accepit, id eſt vocatis parentibus, vel de altari, vel in
Eccleſia; vel ſi accepit ab Epiſcopo, vel Abbate, aut etiam
ſimplici Monacho, vel Sacerdote, cum ea tamen ſolemni-
tate, qua conſueverit aliis dari. Et ita intelligit *c. Ad noſtra*,
& c. ſeq. inf eod. c. Quod interrogaſti 27. *diſt. & cap. Viduas*
27. *qu.* 1. & cum eo tranſit hìc Butr. *n.* 6. & idem notat Ar-
chid. *in d. cap. Quod interrogaſti*, *in gloſ. Hæc fœmina*, *& in
cap. Conſtitutionem*, *in gloſ. Ergo non licebit infr. eod. lib.* 6.
Quod adeò verùm eſt ſecundùm Innoc. *nu.* 2. ut ſi ab ini-
tio hujuſmodi ſolemnitates non interceſſerint, licèt ex
poſt facto ſequantur præſumptiones, per quas convincitur
velle ſęculo renuntiare, puta quia facit ea, quæ à ſolis pro-
feſſis fieri ſolent; adhuc tamen non intelligitur tacitè vo-
vere. Verùm Hoſt. *hic n.* 6. tenet indiſtinctè ex actibus, qui
à ſolis profeſſis fieri conſueverunt, induci profeſſionem ta-
citam, nec vim faciendam eſſe, utrùm quis ab initio, vel ex
poſt facto, ſed tantùm an efficaciter obligetur, ut patet ex
his, quę notat idem Hoſt. *in c.* 2. §. *Si verò ſuprà eod.* cujus
opinionem putat veriorem Henr. Boich. *circa finem hujus
c.* dummodò in hujuſmodi actibus triduo perſeveret: alio-
quin putat veram eſſe opinionem Innocentii. Sed diſſiden-
tes opiniones conciliat Jo. Andr. *n.* 3. dicens, (Quicquid
dicant, hoc credo, quòd ſi non novitius immiſceat ſe acti-
bus profeſſorum, per hoc non dicatur profeſſus, & ſic in-
tellecta ſit vera opinio Innocentii. In novitio verò ſecus ſe-
cundùm opinionem contrariam. Et pro novitio intelligit
exiſtentem in probatione, ſecundùm Anton. de Butr. *nu.* 8.
ver. Et credo,) Mihi placet hęc diſtinctio Joan. Andr. quam
etiam ſequuntur Henric. Boich. *in fin.* Butr. *n.* 8. Card. *nu.* 5.
in quinta oppoſitione, Abb. *n.* 7. & plerique alii. Moveor quo- 18
ad primum membrum, quia non minoris eſt virtutis ad ta-
citam profeſſionem inducendam habitus profeſſorum, qui
votum religionis habet annexum, quàm ſit actus profiten-
tium, *c. Super eo*, *& cap. Statuimus infra eod. & cap. Bene-
ficium eod. tit. lib.* 6. & dictum eſt ſuprà *num.* 7. & hic notat
Butr. *n.* 11. *verſ. Et ſic conveniunt.* Sed habitus profeſſorum
à non novitio, ſeu extra Monaſterium aſſumptus non facit
Monachum, nec tacitam profeſſionem inducit, *cap. Ut Cle-
rici ſuprà eod.* & tenet Hoſtien. *in d.c. Statuimus n. 2. in ver.
Conſuevit*, Archid. *in d. cap. Beneficium nu.* 1. dixi *in c. In-
ſinuante n. 30. infrà qui Clerici vel vov.* Ergo nec actus pro-
fitentium inducunt profeſſionem tacitam, ſeu ſolemnizant

votum ſi fiant à non novitio, ſeu extra Monaſterium. Et eſt ratio, quia non cenſentur fieri animo profitendi: nam ſi profiteri voluiſſet, illos intra Monaſterium geſſiſſet, ut conſiderat Abb. *hic n.7. & in c. Porrectum, num.8. infrà eod.* Quo verò ad ſecundum membrum, id eſt, ſi ſit novitius, & in probatione, qui ſe actibus profeſſorum immiſcet, abſque dubio cenſetur tacitè profiteri, ut eſt textus hìc ſecundùm cummunem intellectum cum concordantibus, de quibus in gloſ. *in ver. Oblationem*. Ratio eſt, quia ex quo intravit Monaſterium animo, ut fieret Monachus, & ſpontè facit actus, quos ſcit ad profeſſos tantùm pertinere, ſatis clarè hinc apparet eum velle abſolutè vitam mutare, & profiteri,
19 juxta tex. *in d. c. Statuimus, infra eod.* Nam qui vult conſequens, videtur etiam velle antecedens, ſine quo ad illud conſequens pervenire non poteſt. Fingitur enim ſemper primò fieri, quod primò faciendum eſt, ut notatur *in l. Illud, ff. de acquir. hæred.* & in propoſito tradit Anch. *in cap. Quia ingredientibus, n.1. ſupra de teſtam.* & eſt ſimile in eo, qui aliquot actus gerit, qui fieri non poſſunt citra nomen, & jus hæredis, nam ex his cenſetur hæreditatem adire, ut *l. Pro hærede, §. Papinianus, in fin. ff. de acquir. hæred.* & notat Bart. *in l. Gerit, n.9. ff. eod.*

30 Hæc igitur ſit concluſio, quam diſertis verbis hìc ponit Jo. Andr. *n. 7.* Si novitius ſe ſcienter immiſcet actibus profeſſorum, quicumque ſint illi actus, ſive offerendi panem, ut hìc, ſive conſtituendi Syndicos, iniendi contractus, faciendi electiones, vel receptiones Monachorum, Abbatum, vel alios ad profeſſos ſolos ſpectantes de jure, conſuetudine, vel ſtatuto, per hoc intelligitur profeſſus, ſi ætatis eſt aptæ, & ſpontè id facit, & triduo perſeverat, ut *c. Conſtitutionem, in fin. eod. lib.6.* ita Jo. Andr. quem totidem verbis ſequuntur hìc Henric. Boich. *in fin.* Butr. *nu. 11.* Card. *in 5. oppoſ. n.5. & 6.* Anchar. *num.5. verſ. Sed Jo. Andr. tenet cum Hoſt.* Abb. & Jo. de Anan. ambo *n.6.* Silv. *in ver. Religio, 3. qu. 19. verſ. Primo ergo,* Aug. *in ver. Novitius, nu.12.* & plerique alii. Quod tamen dicunt de perſeverantia tridui, intelligi debet inſpecta juris communis diſpoſitione, quando annus probationis non erat de ſubſtantia Monachatus, ut *c. Ad Apoſtolicam infra eod.* Sed poſt Conc. Triden. hoc triduum ampliùs non exigitur, ut ſcripſi *in c. Ad noſtram, num. 5. & 6. infra eod.*

21 Sed objicies; eligere ſpectat ad profeſſos tacitè, vel expreſsè, ut *c. Ex eo, in fin. & c. Indemnitatibus, in princ. de elect. lib. 6.* Sed novitius immiſcendo ſe huic actui electionis unà cum Capitularibus ſecundùm concluſionem ſuperiùs firmatam efficitur tacitè profeſſus. Ergo nullus caſus dabitur, in quo novitius ſit ab electione repellendus; & conſequenter inutiles erunt prędictæ decretales, in quibus ſtatuitur ut ii, qui non ſunt tacitè, vel expreſsè profeſſi, non debeant cum profeſſis electionibus intereſſe. Solutio ſecundùm Jo. Andr. *hic nu.7. poſt med. Profeſſi non tenebuntur novitios admittere, vel vocare ad electionem, & ſic illa jura non ſunt ſuperflua. Vel aliter quamvis facta electione, & actu illo jam abſolutio, & perfecto novitius hoc ſciens intel-*
22 *ligatur tacitè profeſſus; tamen vox ejus non valet; quia profeſſio inducitur ex actu perfecto, & ſic poſt electionem finitam, & non priùs intelligitur profeſſus.* Allegat. *c. Perpetuò, de elect. lib. 6.* Dic clariùs, ad hoc ut quis vocem habeat in electionibus regularium, prærequiritur, ut in ipſo actu electionis ſit tacitè, vel expreſsè profeſſus, ut probant jura præallegata; quando autem novitius eligit unà cum profeſſis, actus electionis ſecundùm ordinem intellectus pręcedit profeſſionem, quæ ex illo actu reſultat. Unde non mirum, ſi electio non valet, cùm novitius in actu electionis non ſit profeſſus; & hoc modo prædicta Capitula non ſunt inania, & hoc intendit Jo. Andr. cui conſentiunt Butr. *n.11. verſ. Nec obſtat,* Card. *in 4. oppoſ.* Anchar. *n. 5. ver. Sed incidenter,* & Jo. de Anan. *n. 27.* Et eſt ſimile in electione, quæ non valet, ſi fiat ab eo, qui non eſt in quaſi poſſeſſio-
23 ne juris eligendi; & tamen ſi non exiſtens in quaſi poſſeſſione admittatur ad eligendum, per hujuſmodi electionem efficitur quaſi poſſeſſor, ut notat Innoc. *in c. Conſultationibus, de jurepatr.* Butr. *hic n. 11.* & Jo. de Anan. *n. 7. verſ. Et ſimile adducit.* Accipe aliud ſimile. Electio in abbatem de non profeſſo eſt irrita ipſo jure, *c. Nullus, de elect. lib. 6.* & tamen ſi non profeſſus conſentiat ſe de facto eligi, per hoc efficitur tacitè profeſſus, ut ſtatim dicam.

24 Ex concluſione ut ſupra firmata infertur primò, ut ſuſcipiens munus Abbatis, vel Abbatiſſę, ex hoc cenſeatur tacitè profiteri; quia cum hujuſmodi munus non conveniat niſi profeſſis, *c. Cùm cauſam de elect. & d. c. Nullus,* cum ſuis concordantibus, qui vult conſequens, id eſt Prælationem, cenſetur velle ſuum neceſſarium antecedens, id eſt profeſſionem, text. eſt notabilis *in d. c. Quia ingredientibus, de teſtam.* & ibi dixi *à n. 23 uſque ad n. 28.* poſt Jo. Andr. *nu.3.* Card. *n.7. in fin.* Anch. *n. 1.* & Abb. *n. 4.*

Infertur ſecundò, ut novitius, qui ſpontè ſuſcipit tonſu- 25
ram Monachalem, per hoc ſimiliter efficiatur tacitè profeſſus, ubi corona à ſolis profeſſis geſtari ſolet, ſic probat text. *in c. 1.* & ibi notat Butr. *nu. 5. ſup eod.* Francus poſt Gemin. *in cap. Non ſolùm, in 2. col. in gl. in ver. Inditiis in §. Signo inf. eod. lib. 6.* ubi propterea dicit, periculoſum eſſe novitiis facere ſibi magnam tonſuram.

Infertur tertiò, ut idem ſit dicendum in novitio, qui or- 26
dines ſacros recipit ad titulum religionis: nam & ex hoc intelligitur tacitam profeſſionem emittere, *c. Cùm in præterito, 84. diſt.* & tenet Hoſt. *in c. Inſinuante, 2. verſ. Sexto per ſacri Ordinis ſuſceptionem,* quem ibi ſequuntur Jo. And. *n.5.* Butr. *n.10.* ambo *in eod. verb.* Præpoſ. *num. 4. in 6.* modo emittendi profeſſionem tacitam, & alii communiter, *infra qui Cler. vel voven.* Cald. *conſ. 11. de regul.* Barbat. quidquid contra leviter tetigerit Navar. *conſ. 20. incip. De eo qui manſit num. 2. verſ. Tum quia licèt ſola Ordinis ſuſceptio de regular.*

Declara nunc propoſitam concluſionem, qua dictum eſt 27
per exercitium actus profeſſorum induci tacitam profeſſionem, ut vendicet ſibi locum, dummodò concurrant conditiones infraſcriptæ.

Prima conditio eſt, ut qui ſe hujuſmodi actibus immiſcet, ſit novitius, id eſt exiſtens in probatione, ſecundùm diſtinctionem Jo. Andr. de qua ſupra *n. 17. ver. Sed diſſidentes opiniones,* & hìc notat Abb. *n. 7.*

Secunda conditio eſt, ut his actibus ſe ingerat ſpontè, 28
ut probat hæc Decretalis ibi, Si ſpontè velum converſionis ſibi impoſuerit: alioquin ſi in exercitio illius actus illata fuiſſet violentia, ſicut illa excuſaret à profeſſione expreſſa, *c. 1. ſupra quod met. cauſ.* ſic & fortiùs à tacita, *c. Conſtitutionem, in fin. hoc tit. lib. 6.* niſi ſequeretur ratificatio, ut *ſupra c. 2.* ita formaliter arguit hìc Jo. Andr. *n. 4. ibi verb. Obtulerit,* & in hoc conſentiunt Innoc. & Hoſt. ambo *in princ.* & reliqui omnes.

Tertia conditio eſt, ut ſciat ex conſtitutione, vel conſue- 29
tudine ejuſdem Monaſterii eſſe hujuſmodi actibus votum annexum id eſt eos, qui ſe his actibus immiſcent, haberi pro profeſſis, ſeu actum illum pertinere ad profeſſos tantùm; nam data ignorantia, ceſſat pręſumptio tacitę profeſſionis, ita Innoc. *hic nu.2.* Hoſt. *n.6. verſ. Eſt etiam neceſſe,* Jo. Andr. *n. 2. in fin.* Abb. *d. n.7. verſ. 2 requiritur,* & Navarr. *conſ. 9. N. nobilis, n. 10. de iis quæ vi met. cauſ.*

Quarta conditio eſt, ut habeat animum profitendi, & 30
hanc conditionem exigunt Nav. *comm. 4. n. 75.* & Sanch. *in Decal. tom.2. lib.5. c.3. n. 27.* qui ampliùs putant non ſufficere, ut qui ſe ingerit actibus profeſſorum, habeat ſe negativè; ſed aſſerunt requiri, ut habeat animum poſitivum profitendi, eo quòd ii actus eatenùs profeſſionem inducunt, quatenùs internum profitendi animum deſignant. In habente autem ſe negativè nullus eſt interiùs profitendi conſenſus. Sed certè in foro Eccleſię admodùm frivola eſſet hęc allegatio defectus conſenſus, quia ubi quis habitum converſionis aſſumpſit, & ſe actibus profeſſorum immiſcuit, cenſetur habuiſſe animum profitendi præſumptione juris, & de jure ita ut non ſit audiendus, etiamſi contrarium probare velit ſuo juramento, ut eſt text. apertus hìc in illis verbis, *Licèt Sacramento firmare velit eo tenore, id eſt intentione,* ſecundum Innoc. & Hoſt. *ſibi velamen impoſuiſſe, ut deponere poſſet,* & fuſiùs oſtenſum eſt ſupra in *ult. not.* Unde hanc conditionem nullus requiſivit ex Antiq. & Claſſicis Canoniſtis.

Quinta conditio eſt, ut ſit ætatis legitimæ ad profitendum, id eſt, ut pubertatem exceſſerit de jure communi, & ex Conc. Trid. ſit major annorum ſexdecim, ut ſcripſi plenè in *c. 1. n. 4. & 10. ſupra eod.* Et hanc conditionem in ſpecie exigunt Jo. Andr. & reliqui poſt eum in concluſione ſuperiùs firmata *n. 20.* in illis verbis, *Ætatis ſit aptæ.* Et quod dictum eſt de ætate, intelligas de omnibus aliis conditionibus ad profeſſionem expreſſam requiſitis. Si enim illarum defectus vitiat profeſſionem expreſſam, multò magis tacitam, quæ conjecturalis eſt, & præſumptionibus nititur, *c. 1.* ubi,

Pro-

Profeſſionem feciſſe videtur, necnon, ibi, *Præſumitur ve-
raciter eſſe profeſſus*, *infrà eod. lib.6.* & patet ex argumen-
to Jo. Andr. de quo ſuprà *nu.* 28. & ponderat Navarr. *conſ.
26. n. 15. hoc tit.*
31 Sexta conditio eſt, ut hujuſmodi actus faciat ſcientibus,
& conſentientibus iis, quorum eſt religioni incorporare:
nam quemadmodum profeſſio expreſſa fieri non poteſt ni-
ſi in manibus poteſtatem habentis eam recipiendi, & cor-
pori Ordinis aggregandi, *c. Porrectum*, & ibi dixi *in ult.
notab. & c. Ad Apoſtolicam*, *infrà eod.* ita nec tacita: &
propterea hanc conditionem requirunt, Abb. *hic num.* 5.
Card. *in d. c. Porrectum, in fin.* Roſella *in ver. Novitios, n.*
18. Angel. *in eod. ver. n.* 13. Navarr. *Comm.*4. *de reg. n.* 73.
& 74. & ut verbis utar Silv. *in verb. Religio* 3.q.19. hæc eſt
opinio communis, & vera, licèt Geminianus chimæri-
zet in *in c. Conſtitutionem*, *de reg. lib.6.*

Septima conditio eſt, ut triduo perſeveret: anteà enim
pœnitere poteſt, cùm non ſit religioni irrevocabiliter al-
ligatus, arg. *c. Ad noſtram*, *infrà eod. & cap. Conſtitutio-
nem*, *in fin. eod. tit. lib.6.* & ita hoc triduum exigit Jo. And.
& alii poſt eum in concluſione ſuperiùs firmata *nu.* 20. &
32 præſertim Abb. hic *n.* 3. *verſ. Quarto*. Neque obſtat, quòd
in cap. nulla fiat mentio tridui. Quoniam ut conſiderat
Butr. *n.*11. hìc concurrebant duo, videlicet aſſumptio ha-
bitus profeſſionis, & oblatio inter velatas, quæ ex con-
ſuetudine Monaſterii erat actus à ſolis profeſſis fieri ſoli-
tus. Unde non mirum, ſi profeſſio ſtatim inducebatur ſi-
ne alia perſeverantia tridui: hujuſmodi enim perſeveran-
tia requiritur de jure communi in duobus caſibus dumta-
xat. Primus eſt cum novitios ſine probatione recipit habi-
tum profeſſorum, prout loquitur text. *in d. c. Ad noſtram*,
ibi, *Habitum ipſum ſine probatione ſuſceperit*, *& infra tri-
duum depoſuerit*, & *d. c. Ponſtitutionem in fin.* Secundus eſt
cùm novitios ſimiliter infra probationis annum non rece-
pto profeſſionis habitu facit actum à ſolis profeſſis fieri ſo-
litum juxta concluſionem Jo. And. & communem, de qua
33 ſuprà *num.* 20. At verò ubi Novitios non ſolùm recipit ha-
bitum, qui dari profitentibus conſuevit, ſed etiam ingerit
ſe actibus profeſſorum, tunc illicò fit profeſſus irrevocabi-
liter, nec datur ei triduum ad pœnitendum: quod nota
pro intellectu hujus decretalis, qui placet etiam Abbati
n. 7. & mihi. Tum quia congruit litteræ: tum quia actus
profitentium in eo, qui recipit habitum profeſſionis non
debet minus operari, quàm perſeverantia tridui, tum de-
nique, quia duo vincula magis ſtringunt, quàm unum,
l. fin. C. de adopt. & c. 1. de tregua, & pace. Et geminatus
conſenſus oſtendit magis enixam deliberationem profiteri
volentis, ex regula, *l. Baliſta*, *ff. ad Trebell.* quam pluri-
bus exemplis exornat Felin. *in c. Si cautio n.* 39. *ſupra de
fid. inſtr.* Jaſon. *in §. Perſonam, n.* 8. *inſtit. de act.* & Marſil.
in l. 1. §. Quaeſtioni col.2. ff. de qu. & ſingular. 378. incipien.
Geminat actus.
34 Hinc videmus propter majorem deliberationem in tri-
bus caſibus non requiri perſeverantiam tridui. Primus eſt
in eo, qui infra annum probationis profitetur expreſsè;
nam jura, quæ mentionem hujus tridui faciunt, loquuntur
tantummodò in profeſſione tacita, & præſumpta, &
quamvis Innoc. contrarium ſenſerit *in c. Ad noſtram n.* 2.
& 3. *infrà eod* tamen jure optimo refellunt Doctores, &
35 præſertim Abbas *ibidem n.* 4. Secundus eſt in eo, quin æ-
gritudine poſitus ſine probatione ſuſcipit habitum profeſ-
ſorum, præſumitur enim magis deliberatè feciſſe; ideòque
ſtatim obligatur, ut *c. Sicut nobis infrà eodem*, & tenent
36 *in d. cap. Ad noſtram*, Jo. Andr. *n.* 2. & Butr. *in fin.* Ter-
tius eſt in eo, qui priùs voverat ingredi religionem, & po-
ſteà ingreſſus incontinenti habitum profeſſorum aſſum-
pſit: nam propter geminatum conſenſum, & hic preſumi-
tur deliberatus, ad hoc *c. Meminimus, infr. qui Clerici, vel
vov. & c. ex parte, il primo de converſ. conjug.* & ideò ſtatim
fit profeſſus irrevocabiliter, ſecundum Jo. Andr. & Butr.
loc. cit. Et quamvis hos duos caſus poſteriores in dubium
revocent Abb. *in d. c. Ad noſtram n.* 5. & Roſella *in verb.
Novitius n.* 15. & apertè reprobent Francus *in cap. Conſti-
tutionem in fin. infrà eod. lib.* 6. Angel. Silv. & alii, quos
refert, & ſequitur Sanchez *in Decalog. tom.2. lib.* 5. *cap.*3.
n. 26. tum quia in infirmitate minor eſt deliberatio, *l. Hac
conſultiſſima*, *§. penult. C. de teſtam.* ubi dicitur, humana
fragilitas mortis præcipuè cogitatione perturbata minùs
memoria poteſt res plures conſequi, tum quia jura præal-
legata *in d. c. Ad noſtram*, *& c. Conſtitutionem*, exigunt
diſtinctè perſeverantiam tridui: tamen magis placet opi-
nio Jo. Andr. quia negari non poteſt, quin ægritudine la-
borantes fixiùs, & profundiùs mentem figant in his, quæ
pertinent ad ſalutem animæ, arg. *d. c. Sicut nobis*, *& c. Por-
rectum infrà eod.* Quinimò, ut inquit Silv. *in ver. Scrupu-
lus in* 3. *q.* 3. *num.* 3. *verſ. Quarto objicit*, poſitus in mortis
articulo multa facit, & cogitat, quæ ſi fieri expediret in to-
ta vita, cogerent infatuari, & deſperare. Nec obſtat, quòd
jura requirentia perſeverantiam tridui indiſtinctè loquan-
tur; quoniam diſtingui debent per alia jura ſpecialia, quæ
illam non requirunt in eo, qui in infirmitate ſuſcepit ha-
bitum profeſſorum, *ut in d. c. Sicut nobis*, *infrà eod.* Item
per illa jura, quæ triduum non requirunt, quando ex acti-
bus, & conſenſibus geminatis reſultat enixa voluntas
profitendi, ut hìc, & in præalleg. *c. Meminimus & c. Ex* 37
parte. Quamobrem concludendo, quamvis novitios, qui
hodiè recipit habitum profeſſionis, infrà triduum pœnite-
re poſſit; tamen ſi cras faciat actum à ſolis profeſſis fieri ſo-
litum, incontinenti fit profeſſus irrevocabiliter, itaut nec
infra triduum ſit locus pœnitentiæ: nam qui duplicat, ma-
gis firmat *l. unica ad fin. C. de plus pet.* & eſt optimum ar-
gumentum *in l. Si mulier*, *§. Sin autem*, *C. ad Vellejan.* &
in caſu huic valde affinit notat Hoſt. *in c. Conſulti n.* 8. *in-
frà eod.* Et ſecundum hanc lecturam textus intelligi debet
de velo profeſſionis, non autem de velo probationis. Cui
quidem lecturæ ſubſcribunt etiam complures ex Summi-
ſtis, nempè Roſella *in verb. Novitius n.*16. Angel. *in eod.
ver. n.*12. & ibi Tabien. *q.* 5. *n.*6. & Armilla *n.* 7. & Silv. *in
verb. Religio* 3.q.19. *verſ. Primò ergo*.

Verùm hodiè eſt ferè inutilis hæc diſcrepatio, quia cùm 38
de jure communi tridui perſeverantia non requiratur, niſi
quando novitius ſuſcipit habitum profeſſionis, vel facit
actus profeſſorum infra annum probationis, ut declarat
gloſſ. *ult. in d. c. Conſtitutionem*, *infra eod. lib.6.* & jure no-
viſſimo Concilii Tridentini nulla profeſſio ſive expreſſa,
ſive tacita ſit valida ante annum probationis elapſum, ut
mox patebit in ultima conditione: hoc triduum jam receſ-
ſit ab aula; quia loco tridui jam novitius habet unius anni
ſpatium ad deliberandum, ut pleniùs notavi *in c. Ad no-
ſtram n.* 4. *& ſeqq. infrà eod.*

Et ex hoc puto notabiliter inferri poſſe, ut ſi daretur ca-
ſus, in quo profiteri quis poſſet infra annum probationis,
puta ex diſpenſatione Apoſtolica, vel in mulieribus, quę
pœnitentes, ſeu convertitæ appellantur, in quibus jus
commune, & illarum Conſtitutiones ſervari debent, ut
in decreto Concilii Tridentini *cap.* 18. *verſ. Ab his tamen
excipiuntur ſeſſ.* 25. *de regul.* & cenſuit S. Congregatio:
tunc ſi quis poſt ingreſſum in Monaſterium confeſtim aſ-
ſumeret habitum, qui dari profitentibus conſuevit, aut
immiſceret ſe actibus profeſſorum, non obligaretur effica-
citer, niſi data perſeverantia tridui: nam quælibet diſpoſi-
tio ſimpliciter concepta veſtitur à jure communi, & ad il-
lius intellectum eſt reſtringenda, ut *l.2. C. de noxal. c. Que-
madmodum*, *de jurejurand. cum concordant.* de quibus per
Anchar. *conſ.* 6. *n.* 8. *& conſ.* 241. *in princ.* notat Bart. *in l.*1.
§. 1. per illum text. de muner. & honor latè Jaſ. *in l. Omnes
populi in* 2. *lect. n.* 60. *ff. de juſt. & jur.* Quod magnam ſapit
æquitatem, ne quis perpetuo Religionis jugo mancipetur
indè liberatè, & præcipitanter ex ſolo conſenſu tacito, &
præſumpto, arg. *c. Ad noſtram*, ibi, *Statim pœnituit quod
habitum induiſſet*, *& c. Ad Apoſtolicam*, *infrà eod. cum
ſuis concordant.* & ſervandum eſſet in practica, niſi ſecus
in litteris Apoſtolicis, aut Conſtitutionibus Monaſterii
expreſsè cautum eſſet quod diligenter nota.

Ultima conditio eſt, ut novitius, qui ſe ingerit actibus 39
profeſſorum, per annum integrum poſt ſuſceptum habi-
tum in probatione ſteterit, alioquin non intelligitur tacitè
profeſſus, cùm ex decreto Concil. Trid. *c.* 15. *ſeſſ.* 25. *de
regular.* irrita ſit profeſſio antea facta; & conſequenter nec
tacita induci poſſit, ut ſæpiùs cenſuit S. Congr. ejuſdem
Concilii interpres. Unde hæc decretalis, & jura omnia,
quæ tacitam profeſsionem inducunt infra tempus proba-
tionis, jam ſunt penitus abrogata per *d. c.* 15. ut latiùs di-
xi *in c. Porrectum n.* 15. *infr. eod.*

Non obſtat ſi dicatur: Novitius, qui in legitima conſti-
tutus ætate habitum religionis portaverit, de jure commu-
ni eo ipſo efficitur profeſſus, ut *c.* 1. *infr. eod. lib.* 6. *& Clem.
Eos*, *eod. tit.* At ex Concil. Trident. *in cap.*16. *verſ. Fini-*

to

to ejuſdem ſeſſ. præcipitur Superioribus, ut finito probationis tempore novitios habiles ad profitendum admittant, aut è Monaſterio ejiciant. Ergo novitii per delationem habitus annualem non fiunt amplius tacitè profeſſis; aliàs ejici non poſſent: nam etſi eſſent ejecti, forent ad religionem revocandi, & reducendi, ut *in c. fin infr. eod.* & conſequenter profeſſio tacita videtur ſublata à Concilio.

Id inquam non obſtat, quia in quinque caſibus poteſt contingere, ut ex geſtatione habitus annalis non inducatur porfeſſio tacita, quos fusè explicavimus *in c. Quia ingredientibus à n. 44. uſq. in fin. ſup. de teſtam.* quorum unus admodum frequens eſt, cùm novitius geſtat habitum in colore, & ſciſſura diſtinctum ab habitu profeſſorum, ut ibi dixi in ultimo caſu. Unde in hoc, & in aliis caſibus ibi enumeratis adimpleri poterit à Prælatis regularibus mandatum Concilii de novitiis ad profeſſionem admittendis, aut expellendis è Monaſterio; & ſic profeſſio tacita, dummodò annus probationis præcedat, hodiè eſt in ſuo robore, & frequenter contingit ut re ipſa experti ſumus in Congreg. tum Concil. Trid. tum Epiſcoporum, & Regularium, quarum à ſecretis fuimus annus ſupra viginti, licèt Sanch. *in Decalog. tom. 2. lib. 5. c. 3. n. 13.* cautè ſcriptum reliquerit: Rariſſimè poſt Tridentinum contingere ſic validè profiteri.

DE REGULARIBUS.

Alexander III. Archiepiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis per Galliam conſtitutis.

CAPUT VII.

Non eſt vobis dubium: & infrà. Univerſitati veſtræ mandamus, quatenus Monachos, vel converſos Ciſtercienſis Ordinis, poſt profeſſionem; ſine licentia Abbatum ſuorum, per Epiſcopatus veſtros recipi nullatenus permittatis. Et ſi qui ex eis ſine licentia Abbatum ſuorum, de Monaſterio exire præſumpſerint, & commoniti celeriter non redierint, eos regredi compellatis.

SUMMARIUM.

1 *Ciſtercienſes ſi abſque licentia Abbatis alium ordinem profitetur, regredi compellitur.*
2 *Prælati Provinciæ, ſeu regni univerſitatem conſtituunt.*
3 *Natio quælibet in Concilio generali conſtituit univerſitatem, & valent geſta à majori parte nationis.*
4 *Et rationes omnes conſtituunt univerſitatem univerſalem totius Eccleſiæ.*
5 *Univerſitas quandoque reſolvitur in ſingulares perſonas.*
6 *Converſi non veniunt Monachorum appellatione.*
7 *Profitentur tamen eamdem regulam, & eorum educatio non prætermittenda.*
8 *Converſi novitii dormitorium habere debent ſeparatum à novitiatu Clericorum, ſed tamen ſubſunt novitiorum magiſtro, & ſuperioribus Monaſteriorum.*
9 *Ad profeſſionem non admittuntur ante expletum vigeſimumprimum ætatis annum.*
10 *Converſi ad Clericorum ſtatum etiam durante annum probationis tranſire non poſſunt.*
11 *Converſi, & oblati magis adſtricti ſunt Monaſt. quàm Monachi, & ideò tranſire non poſſunt ad arctiorem Religionem licentia petita, niſi etiam ſit obtenta.*
12 *Contrarium quoad Converſos profeſſos, & n. ſeqq. Et quoad Converſos non profeſſos, ſeu oblatos, n. 16. uſque ad n. 21.*
13 *De Converſis judicatur, ut de Monachis.*
14 *Spiritus ubi vult ſpirat, nec eſt in hominis poteſtate prohibere ſpiritum.*
15 *In voto, & juramento ſemper intelligitur excepta ſuperioris auctoritas.*
16 *Monachi cenſentur eſſe in poteſtate Monaſterii, & Abbatis, & non habent velle, nec nolle.*
17 *Oblati ſunt ſui juris, proprium habent, & matrimonium contrahunt.*
18 *Oblati cenſentur Eccleſiæ, vel Monaſterio ſe obtuliſſe ſub tacita conditione, niſi ad arctiorem regulam tranſire voluerint.*
19 *Juramento obligatus ad aliquid ſcribendum, non prohibetur ingredi religionem.*
20 *Oblatus qui ſe, & ſua bona obtulit Eccleſiæ ſæculari, poteſt bona illa ſecum ad aliam Eccleſiam, vel Monaſterium transferre.*
21 *Ciſtercienſes ut tranſire poſſint ad ſtrictiorem ordinem non ſufficit licentia Abbatis petita, niſi etiam ſit obtenta, n. 25. & 30.*
22 *Ciſtercienſium ordo eſt ſtrictior cæteris ordinibus, n. 24. Contrarium, nu. 25.*
23 *Locum qui mutat, de minori ad majorem mutare debet.*
26 *Monachus, vel Converſus tranſiens ad aliam Religionem ſine licentia Abbatis, per cenſuram Eccleſiaſticam regredi compellitur.*
27 Celeriter, *adverbium quid importet?*
28 *Ciſtercienſis tranſiens ad Carthuſiam non petita ſui Abbatis licentia, an ſit ante omnia reſtituendus primo Monaſterio, & n. ſeqq. uſque in fin. maximè à num. 35.*
29 *Tranſitus ad arctiorem Religionem ut ſit licitus, quæ requirantur.*
31 *Religio una ut ſit ſtrictior altera, non attenditur tempus inſtitutionis regulæ, ſed actualis obſervantia tempore tranſitus.*
32 *Carthuſiana religio eſt aliis religionibus ſtrictior.*
33 *Monachus translatus pendente lite ſuper temerario tranſitu debet remanere in Monaſterio, in quo reperitur.*
34 *Termini habiles præſupponuntur, cùm de una re diſputatur.*
36 *Monachus quas ob cauſas de ſecunda religione, ad quam tranſivit non petita, licentia cogatur ad primam regredi.*

Non eſt vobis. Si Ciſtercienſis ſine licentia Abbatis 1
alium ordinem profitetur, regredi compellitur. Hoc dicit Jo. Andr. Butr. Card. Anchar. & Jo. de Anan. dividitur in tres partes. Nam primò ponit deciſum exordium, ſecundò mandatum, ibi, *Et ſi qui*, Jo. Andr.

Nota primò, ibi, *Univerſitati veſtræ*, juncta ſupraſcri- 2
ptione, Prælatos Provinciæ, ſeu Regni univerſitatem conſtituere, prout ex hac littera deducunt Butr. & Abb. *in 1.*
notab. qui ex hoc infert ad nationes, quę congregantur in 3
Concilio Generali, ut quælibet natio dicatur conſtituere univerſitatem, itaut ad inſtar univerſitatis valeat quicquid major pars nationis facit: omnes tamen nationes ſimul junctæ conſtituunt univerſitatem univerſalem totius Eccleſiæ, ut in ſimili notat Bart. *in l. fin. ff de colleg. illicit.*
Hinc videmus Prælatos unius Provinciæ ſimul congrega- 4
ri, & conſtituere Provinciale Concilium, ut *in c. Sicut o-*
lim infrà de accuſat. In caſu tamen hujus decretalis univer- 5
ſitas reſolvitur in ſingularitates, quia quilibet Epiſcopus tenetur exequi mandatum Papæ in ſua diœceſi, ut innuit littera, ibi, *Per Epiſcopatus veſtros*, ad hoc quod notat gloſſ. 1. *in c. Omnes leges prima diſt.*

Se-

6 **Secundò, nota, ibi,** *Monachos, & Converſos*, Mona-
chorum appellationem non comprehendi Converſos, Butr.
& Abb. hìc 2. *notab.* & præcipuas differentias habes ex
decretis Clem. VIII. ſuper receptione, & educatione no-
vitiorum, §. 33. *& ſeqq.* in Bullar. *tom.* 3. *pag.* 132. innova-
tis ab Urbano VIII. *tom* 4. *pag.* 278. ubi ſic legitur: (Cùm
autem licèt Clericorum benè inſtituendorum cura debeat
eſſe præcipua, Converſorum tamen religioſa inſtructio
non ſit prætermittenda, quin potiùs æquanimiter ample-
7 xanda; quandoquidem ſatis exploratum eſt, iſtorum
etiam, cùm regulam profiteantur eamdem, perfectam edu-
cationem tum religioni decorem, & ornamentum, tum
aliis Chriſti fidelibus ædificationem, exemplum, atque
8 utilitatem afferre; Converſis ipſis a Clericorum novitia-
tu ſeparatus ad dormiendum locus (quantum commo-
dè fieri poterit) aſſignari præcipitur. Illi tamen hac ſepa-
ratione non obſtante, Magiſtro novitiorum, ſeu Superio-
ribus monaſteriorum, & conventuum juxta cujuſque or-
dinis ſtatuta, & conſtitutiones ſubditi eſſe, & obedientiam
præſtare debebunt, à quo non tantùm circa corporalia
obſequia probandi, & exercendi, verùm etiam pro eo-
rum capacitate, & commoditate de ſpiritualibus, præ-
ſertim de modo mentaliter orandi; diligenter inſtruendi
erunt; quod ut commodiùs fiat, ad Capitula, & ſpi-
rituales conciones, quæ per magiſtros novitiis fieri ſolent,
accerſiri debeant, & in Eccleſiis ſtatutis horis conveniant,
9 niſi tunc in ſuis officiis occupati fuerint. Tempore verò
probationis elapſo, ii tantùm qui non ſolùm Religioſæ
perfectionis capaces, ſed ad laborem corporalem apti no-
vo, ac diligenti examine reperti fuerint (dummodò ætatis
ſuæ annum quoad Clericos decimumſextum, quo verò ad
Converſos vigeſimumprimum exceſſerint) ad profeſſio-
10 nem admittantur. Sed qui ad converſorum habitum re-
cepti fuerint, ad Clericorum ſtatum tranſire etiam duran-
te tempore probationis non poſſint.) De multiplici autem
acceptione Converſorum vide plenè per Calder. *conſ.* 6.
Laicus præmiſit n. 1. *verſ. Præmitto quòd Converſus ſumitur
multipliciter.*

11 Tertiò nota in iiſdem verbis, (Indiſcretum tranſitum
de una Religione ad aliam eſſe prohibitum, non tantùm
Monachis ſed etiam Converſis; adeò enim ſunt adſtricti
Monaſterio, ubi profeſſionem fecerunt, ut ſine licentia
Abbatis ejuſdem Monaſterii non poſſint ad Monaſteria al-
terius ordinis convolare,) ut in textu. Quinimò iſti con-
verſi ſunt magis Monaſterio addicti, quam Monachi,
adeò propterea, quamvis Monachus zelo melioris frugi
tranſire poſſit ad ſtrictiorem Religionem licentia ſui Ab-
batis petita, licèt non obtenta, *ut in cap. Licèt infrà eod.*
Converſus tamen etiam ad arctiorem tranſire non poſſit,
niſi obtenta licentia, quia tales efficiuntur quaſi ſervi Mo-
naſterii, & liberti non poſſunt recedere de Eccleſia ſua,
cap. Libertis 12. *qu.* 2. & ita tenet gloſſ. valdè notabilis *in c.
Ut lex continentiæ, in verb. Profeſſi, verſ. Sed numquid tales*,
27. *q.* 1. & quamvis illa gloſſ. verè loquatur de converſis
Eccleſiæ ſæcularis, tamen etiam de converſis Eccleſiæ re-
gularis & ſic de profeſſis eam intelligunt, & ſequuntur
Abb. *hìc num.* 3. Addentes ad eumdem Abbatem *in c. Licèt,
in verb. Et adde, infra eod.* Barbatia *in cap. In præſentia num.*
18. *de probationib.* Angel. Armilla, & Tabiena omnes *in ver.
Monachus num.* & idem Tabiena *in verb. Religio quæſt.* 27.
num. 28. Sed idem Abb. *in cap. Quod à te num.* 50. *de Cleric.
conjugat.* dicit hoc eſſe valdè ſingulare, ſi eſt verum; & ſic
dubitat de illius veritate.

12 Ego verò abſolutè exiſtimo contrariam opinionem eſſe
veriorem, nedum in converſis regularibus, ſed etiam
in converſis, ſeu oblatis Eccleſiæ ſæcularis, & puto utriſ-
que licitum eſſe ad ſtrictiorem vitam tranſire licentia ſupe-
rioris petita, licèt non obtenta.

13 Et quoad converſos regulares moveor, quia de ipſis
judicatur, ut de Monachis, *d. c. Ut lex continentiæ*. Ergo ſi-
cut Monachis id conceſſum eſt, *ut in d. c. Licèt infrà eod.*
ita & converſis profeſſis: quo argumento in puncto utitur
Bero. *in c. In præſentia num.* 55. *verſ. Rurſus, de probationib.*
14 Deindè moveor, quia ratio expreſſa *in d. c. Licèt*, ob quam
permittitur hic tranſitus, videlicet, quia ubi ſpiritus Dei,
ibi libertas, & qui ſpiritu Dei aguntur, non ſub ſunt lege,
&c. æquè viget in converſis profeſſis, atque in Monachis,
quia *Spiritus ubi vult, ſpirat*, Joannis 3. *num.* 3. *c. Niſi cùm
pridem, §. Verùm ſupra de renunc. Nec eſt in hominis poteſta-
te prohibere ſpiritum*, ut dicitur Eccleſiaſtici *cap.* 8 *num.* 8.
Quod ponderat in puncto Felin. *in d. cap. In præſentia n.* 4.
ad fin. ubi reprobans præallegatam gloſſam, approbat con-
trariam opinionem Hugonis, & Laurentii, dicens eos me-
liùs ſenſiſſe, quia reſponderi non poteſt ad rationem
d. cap. Licèt qui ſpiritu Dei, &c. quæ indiſtinctè procedit, &
idem tenet ibi Bero. *num.* 55. dicens de Monachis, & con-
verſis ſcilicet profeſſis non eſſe dubium, Marc. Mantua
ibid. n. 8. & quidam alii recentiores, quos refert, & ſequi-
tur noviſſimè Thom Sanchez *ſuper Decalogo tomo* 2. *lib* 6.
cap. 7. *num.* 9. Et confirmatur, quia in voto, & in juramento 15
ſemper intelligitur excepta authoritas ſuperioris, *c. Venien-
tes, cap. Eam te, & cap. Ad noſtram, il terzo de jurejur. cap.
Conſtitutus, de reſcript cum ſimilib.* Ergo ſi converſus pro-
feſſus authoritate ſui Abbatis tranſire poteſt ad ſtrictiorem
regulam, ut hìc, nec propterea dicitur venire contra vo-
tum ſuæ profeſſionis, ut in præcitatis juribus; utique multò
magis tranſire poterit authoritate Spiritus Sancti eum in-
ſpirantis, cui tamquam Superiori obediendum eſt, ut inquit
Hoſtien. *in d. cap. Licèt num.* 11. *& num.* 15. *in verb. Indulgere,
infrà eod.*

Quo verò ad converſos non profeſſos, ſeu oblatos, qui 16
ſe, & ſua Eccleſiæ ſæculari, vel Monaſterio plenè obtule-
runt habitu non mutato, aut etiam aliqualiter mutato, ut
in cap. Ut privilegia, & ibi plenè notavi *à n.* 1. *uſque in fin.
infrà de privil.* moveor, quia ſi licet Monachis, & conver-
ſis profeſſis ſe transferre ad religionem arctiorem, qui cen-
ſentur eſſe in poteſtate Monaſterii, & Abbatis propter il-
la ſubſtantialia regulæ, de quibus *in cap. Cùm ad Monaſte-
rium, infrà de ſtatu Monach.* & quorum velle, & nolle
dependet à voluntate Abbatis, *ut cap. Non dicatis* 12. *qu.* 1.
& cap. Si Religioſus, de elect lib. 6. quantò magis idem
licebit converſis, & oblatis, qui ſui juris ſunt, & proprium
habent, & matrimonium contrahere poſſunt, ut notat 17
gloſs *in d. cap. Ut lex continentiæ, in verb. Profeſſi* 27. *quæſt.* 1.
ſcripſi pleniùs *in d. cap. Ut privilegia*: quo argumento ſimi-
liter utitur Bero. *in d. cap. In præſentia, num.* 55 *de probat.*
Item moveor, quia oblati cenſentur ſe obtuliſſe ſub tacita 18
conditione reſolutiva, niſi ad Religionem tranſire vo-
luerint, & probant Petr de Palud. *in* 4. *diſt.* 38. *qu.* 3. *art.* 2.
num. 15. *in fin.* & S. Antonin. *in* 2 *part. tit.* 1. *cap.* 2. § *in fin.*
quos refert, & ſequitur Sanchez *ſuper Decalogo tom.* 1. *lib* 4.
cap. 19. *num.* 3 *&* 34. facit gloſs. *in c. Præterea, in ver. Fun-
ctionibus* 51. *diſt.* ubi quærit, an obligatus juramento ad ali-
quid ſcribendum poſſit converti in Monaſterium. Dicit 19
Hugo quòd ſic, nec fit injuria illi, cui ſervire tenetur, quia
intuitu Spiritus Sancti fit ſic, 14. *qu.* 5. *c. Dixit cum ſimilib.*
in gloſſ. allegatis. Idem tenent Innocen. *in rubr. de obligat.
ad ratiocin. num.* 1. Hoſtien. *in ſumma eod. tit* §. *penult. num.* 5.
& in cap. Unico, eod. tit. ad fin. ubi etiam Joan. Andr. *num.* 15.
Butr. *eod num.* Cardin. *ad fin.* Anchar. *num.* 2. & Abb. *num.* 8.
Speculator *in tit. de ſtatu Monach.* §. *Qualiter concipiet q.* 28.
num. 34. Demùm moveor, quia ſi ſe, & ſua bona obtulit Ec- 20
cleſiæ ſæculari, res illas, quas obtulit ſecum ad aliam Eccle-
ſiam, ſeu Monaſterium transferre poteſt, ut eſt text. *in c. Ex
tranſmiſſa*, ubi hoc tenent Butr. Imol. & Abb. *ſupra de re-
nunc.* Cardin. Imol. Abbas, & DD *in cap. Quod à te, de
Cleric. conjugat.* quos refert, & ſequitur Covarr. *in cap.* 1.
num. 19. *de teſtam.*

Nec obſtat præcitata gloſſ. *in cap. Ut lex continentiæ*, quia
loquitur ex aliorum ſententia: nam quærens, numquid
converſus Eccleſiæ ſæcularis poſſit tranſire ad ſtrictiorem
vitam ſimpliciter dicit, quoſdam tenere quòd non; & tà-
men eidem gloſſæ oppono Archidiaconum, qui *circa fin. in
gloſſ. in verb Vitam*, dicit quoſdam tenere quòd ſic: & in-
ter hos numerat Hugonem, & Laurentium, & idipſum
refert ibi in Bellamer. *in eadem gloſſ.* & pro eadem opinione
ſunt Fellin. Bero & Mant. *locis citatis num.* 14. & à fortiori
Butr. Imol. & alii proximè allegati. Nec obſtat text. citatus
in gloſſ. *cap. Libertis*, 12. *q.* 2. quia loquitur in alio caſu, hoc
eſt de liberto ipſius Eccleſiæ, in quo habet juſpatronatus;
& ideò ex diverſis non fit illatio, ut obſervat Bero. *loco
citato.*

Quartò nota ibi, *Ciſtercienſis Ordinis*, Monachis Ci- 21
ſtercienſibus non dari tranſitum ad alias Religiones, ſine
licentia Abbatum ſuorum; & ſic non ſufficit licentia peti-
ta, niſi etiam ſit obtenta, ſecundùm Hoſtien. hìc *in princ.*
Unde videtur obſtare decretalis, *Licèt infrà eodem*, ubi
permittitur tranſitus ad arctiorem religionem, licentia

pe-

22 petita, licèt non obtenta. Timore hujus contrarii gloſſ. 1. dat duas ſolutiones: prima eſt, quòd Ciſtercienſes propterea tranſire non poſſint ad ullam aliam Religionem, quia Ordo Ciſtercienſium eſt ſtrictior cæteris Ordinibus, & qui
23 locum mutat, de minori ad majorem mutare debet, *c. Legimus in fin. 93 diſt. cap. Licèt, & cap. Primò ſupra de translation.* Et cùm hic dicitur Ciſtercienſes tranſire non poſſe ſine licentia Abbatum ſuorum, gloſ. ſupplet, maximè quia nec Abbas poſſet diſpenſare, ut ad minorem tranſire: & ita ſenſus gloſſ. eſt Ciſtercienſes etiam cum licentia Abbatum ſuorum tranſire non poſſe ad alias religiones, ſed maximè ſine licentia, quia in Eccleſia non eſt dare alium Ordinem majoris, vel æqualis religionis; & ideò ſi daretur eis tranſitus, pernecesſè daretur ad minorem, ad quod
24 non ſufficit licentia Abbatis. Similiter Abb. Antiquus hic *n.* 1. ſic ait, *Dicunt quidam, quod Ciſtercienſium Ordo inter omnes alios ſtrictior judicatur, & ideò cum poſt profeſſionem nullus debeat, niſi ad ſtrictiorem regulam tranſire, ut notatur infra eod. c. Super eo. Unde prohibet hic Prælatis, ut poſt profeſſionem factam Monachos, vel converſos eorum non admittant: Nota igitur, quod facta profeſſione non eſt licitum, niſi ad ſtritiorem regulam tranſire, & hic eſt caſus.* Hæc ille. Sed & Hoſt. *hic in princ.* poſt quam dixit hoc caſu requiri licentiam Abbatis petitam, & obtentam, immediatè aſſignat rationem, dicens quia ſecundùm omnes non invenitur ordo majoris religionis; & idem priùs dixerunt Odd. Goffred. relati à Joann. Andr. *num.* 3.

Secunda ſolutio gloſſæ eſt, quòd hìc agatur de tranſitu ad æqualem religionem, ad quam Ciſtercienſis poteſt tranſire de licentia Abbatis juſta de cauſa.

25 Tu verò dicas ſecundùm Hoſtien. *num.* 2. hìc prohiberi tranſitum Ciſtercienſibus ſine licentia Abbatis, non quia ille ordo ſit ſtrictior: imò enim reperiuntur ordine majoris religionis, ut Carthuſienſes, & alii, quos ut ipſe ait, non expedit nominare, ſed quia Ciſtercienſibus obſtat privilegium eorum Ordini à Sede Apoſtolica conceſſum, ut notant idem Hoſt. *in d. cap. Licèt in princ. in ver. Tranſire*, & ibi etiam Joann. Andr. *num.* 2 *in eodem verbo*. Aliàs autem ceſſante privilegio ſufficeret licentiam petere, ut in prædicta decretali, *Licèt*, ſecundum Hoſtien. Et hunc puto eſſe verum, & germanum intellectum hujus textus. Præſertim verò, quia tempore Alexandri III. authoris hujus decretalis Ciſtercienſium Ordo uſque adeò à primævis inſtitutis defecerat, ut idem Alex. *in cap. Recolentes infrà de ſtatu Monach.* ſcribens Abbatibus, & conventibus Ciſtercienſis Ordinis dicat; *Dolentes dicimus, quod etſi non ab omnibus, neque in omnibus, à pleriſque tamen, & in pluribus ab illa ſancta inſtitutione dicitur declinatum in tantùm, &c.* Unde vix eſſe poteſt, ut Alex. in hoc cap. interdixerit Ciſtercienſibus tranſitum ad alias religiones, eo quòd tunc non reperiretur Ordo ſtrictior. Quoniam ad hoc, ut una religio dicatur ſtrictior altera, non attenditur, an habeat arctiorem regulam, ſed an tempore tranſitus ibi arctior vita dicatur, ut eſt text. *in c. Sanè*, & ibi Innoc. *in princ.* & cæteri notant *infrà eod.* S. Thom. *in* 2. 2. *q.* 189. *art.* 8. *in corpor.* & ſcripſi pleniùs *in d. c. Licèt num.* 20. & 21. *infrà eodem.*

An autem Abbas poſſit diſpenſare, ut Monachus tranſire poſſit ad æqualem, vel minorem religionem, examinavi *in c. Dilecti ſuprà de renunc.* ubi plenè videas.

26 Ultimò nota ibi, *Eos regredi compellatis*, Monachum, vel converſum, qui ad aliam religionem tranſivit ſine licentia ſui Prælati in eo caſu, in quo hujuſmodi licentia requiritur, cogendum eſſe celeriter redire ad primam re-
27 ligionem, ſcilicet per cenſuram Eccleſiaſticam, ſecundùm Hoſt. hìc *in fin* & Joann. Andr. *num.* 1. *in fin. in verb. Compellatis*; & dic celeriter, id eſt arbitrio judicis, ex quo celeritas iſta à jure non determinatur, *cap. De cauſis ſupra de offic. deleg. l.* 1. *in fin. ff. de jure deliber.* ſecundùm gloſſ. fin. hìc; (Arbitrium verum ita regulandum erit, ut nec præcipitii feſtinatione procedatur, nec moratoria cunctatione,) *l. Tutor qui repertorium, §. Si Tutor, ff. de adminiſtrat. tutor.* Hoſt. *hic n.* 3. & de hoc adverbio, *Celeriter*, adde quod notatur in *c. Potuit ſuprà de locat.* & per Felin. *in c.* 2. *n.* 6. *ſuprà de ſent. & re judicat.*

28 QUÆRO, an Monachus Ciſtercienſis tranſiens ad religionem Carthuſiæ non petita ſui Abbatis licentia, ſit ante omnia reſtituendus primo Monaſterio.

De jure communi tria requiruntur, ut licitè quis tranſeat de una ad aliam religionem. Primò, ut ſecunda religio ſit ſtrictior quoad actualem obſervantiam; neque enim ſufficit, ut habeat arctiorem regulam, niſi actu ducatur in ea vita ſtrictior. Secundò, ut tranſeat non ex temeritate, vel levitate, ſed zelo ſanctioris vitæ. Tertiò, ut petat licentiam tranſeundi à ſuo Prælato, ex *cap. Licèt*, cum ibi notat. per DD. *infra eodem*, gloſſ. *in cap. Joannes, in verb. Monaſterium, ſuprà eod. tit.* Abb. *col.* 95. *In præſenti per totum lib.* 1. ubi ait hanc eſſe veram, & indubitatam concluſionem omnium Doctorum; & quamvis multò plura videantur ad hoc deſiderari, ut dixi in prædicta decretali, *Licèt à n.* 19. *uſq. ad n.* 52. tamen illa ferè omnia, aut in his tribus implicitè continentur, aut ad horum explicationem aliquo modo conferunt. 29

His tribus concurrentibus non obſtat privilegium utrique religioni conceſſum, ne poſtquam aliquis profeſſus fuerit apud eos, ad alium locum poſſit ipſis invitis arctioris etiam religionis tranſire. Quoniam hunc habet ſenſum, ut ex temeritate, ſeu levitate, aut in jacturam, & injuriam ſui Ordinis ad alium tranſvolare non liceat, ut expreſsè legitur *in princ. d. c. Licèt.* 30

Pro deciſione præſentis controverſiæ. Primò videndum eſſet, utra religio ſit arctioris obſervantiæ, inſpecto ſtatu præſenti, ut per Innoc. *in c. Sanè, in princ. in verb. Nunc, de regular.* Lap. *alleg.* 62. *n.* 6. *verſ. Ad ſecundum, & allegat.* 131. *n.* 1. *verſ. Item quia*, Cardin. *conſ.* 28. *verſ. Quidam frater, in princ.* & dictum eſt ſuprà *n.* 25. & 29. In qua comparatione teſtimonia Doctorum communiter aſſerentium in hoc cap. & alibi Ordinem Carthuſiæ reputari aliis ſtrictiorem ſecundùm ea, quæ dixi ſuprà *n.* 25. non leve præjudicium afferrent; ſed omiſſa hac diſcuſſione. 31 32

Secundò, videndum eſſet, an ex hoc quòd probabiliter dubitetur de zelo translati, primæ religioni reſtituendus ſit, ut ab ejus Prælato judicetur: & videtur tenendum communiter cum DD. *in d. cap. Licèt*, translatum lite pendente ſuper temeratio tranſitu debere permanere in Monaſterio, ad quos translatus reperitur, & primum Prælatum non eſſe judicem competentem, ſed eum ad quem appellaretur, ſi ille Religioſus gravaretur, Abb. *in d. c. Licèt n.* 5. & eſt de mente Hoſtien. Joan. Andr. & aliorum: quod videtur intelligendum, quando petita fuit licentia à primo Prælato, licèt non obtenta, juxta terminos *d. cap. Licèt*, ut ibi dixi *n.* 60. Cùm enim de una re dubitatur, in aliis præſupponuntur termini habiles, *l. Qui teſtamentum, in princ. ff. de teſtam.* 33 34

Tertiò, videndum, an is, qui non petita licentia tranſivit, ſit ante omnia primo Monaſterio reſtituendus. In quo DD. non conveniunt, quia text. *in cap. Sanè, infrà eod.* in illis verbis, *Remanere permittas*, alii interpretantur ex diſpenſatione, cùm gloſ. *in cap. Mandamus, in verb. Monachus* 19 *q.* 3. alii ex diſpoſitione juris communis, ut per Innocen. *in c. Intelleximus n.* 2. *de ætat. & qualit. & in d. cap. Sanè, in verb. Manere.* Sed placet opinio Abbatis *in d. c. Licèt n.* 10. *infrà eodem, & d. conſ.* 95. *n.* 2. qui ponderat rationem litteræ, ut petenda ſit licentia à tranſeunte, ne bonum obedientiæ contemnere videatur: unde præſumitur contra eum, qui bonum obedientiæ contempſit; ideò reſtituendus erit, maximè deficiente uno ex tribus requiſitis ad licitum tranſitum, ut ſuprà *n.* 29. præmiſſum fuit ex *eod. cap. Licèt*, de quo etiam videtur text. *in cap. Joannes*, cum ibi notat. per gloſſ. & DD. *ſup. eod.* & tenet gloſſ. *in cap. Cùm ſingula, in verb. Canonicæ, de præbend. lib.* 6. ad idem text. cum gloſſ. *in cap. Mandamus* 19. *q.* 4. Et quamvis gloſſ. *in d. cap. Licèt, in verb. Poſtulaverit, infrà eodem*, videatur tenere opinionem, quòd ſi non levitatis cauſa tranſierit ad ſtrictiorem religionem non petita licentia, non teneatur redire ad primam, & idem ibi Goffred. tamen Joan. Andr. ibi Butr. & communiter omnes Doctores, ut teſtatur Abbas *in d. conſ.* 95. *col.* 2. *verſ. Licet etiam*, cenſent tranſeuntem non petita licentia, etiamſi non ex animi levitate, teneri redire ad primam religionem, cùm non valuerit aliquo modo tranſitus. Idem tenet ultima gloſſ. *in c. Intelleximus, de ætat. & qualit.* & ibi Innoc. Item gloſſ. & Archidiac. *in d. cap. Mandamus* 19. *qu.* 3. Ubi autem requiritur licentia à principio, non ſufficit illam petere ex poſt facto, *ut in d. c. Licèt*, notat Abb. *n.* 11. Atque ita videtur dicendum; tum quia non diſceditur à regulis juris; tum quia conſulitur æſtimationi primi Monaſterii, quod habet opinionem magnæ obſer- 35 36

van-

vantiæ, & magis ex hoc conſovetur concordia citra æmulationem inter utramque religionem; tum quia poſſet res cedere in malum exemplum, & in contemptum obedientiæ, aliis pariter non petita licentia tranſire ad alium Ordinem volentibus prætextu arctioris religionis. Nec tanti facienda eſt ratio circuitus evitandi contemplatione unius perſonæ privatæ, ut non prævalere debeat Canonum obſervantia, & publici boni ratio. Quinimò hunc circuitum non eſſe inutilem pluribus probat Joan. Andr. *in d. cap. Licèt num.21. verſ. Et ſi dicas*; tum propter bonum obedientiæ, quia ſatisfacit juri requirenti, ut petatur licentia, allegat *cap. Ad petitionem, de accuſat. cap. Quia regulares, de ſuppl. negligent. Præl.* Sicut inordinata electione repulſa, admittitur alia de eodem, *cap. Super eo, & c. Innotuit, in fin. de elect. & cap. Examinata, de judic.* Tum quia Monachus reverſus mutato propoſito poſſet in primo Monaſterio remanere, adducit ad hoc text. *in cap. Tua, de ſponſal.* & quod ibi notatur ſuper gloſſ. 1. & eum refert, & ſequitur Abb. *in d. conſ. 95 ſub num.2. col.2. verſ. Etſi dicatur*. Et hìc junge, quæ in hac ipſa quæſtione ſcripſi in prædicta decretali, *Licèt à n. 52. uſque ad n.60. infra eod.*

Adverte tamen, quia Eugenius IV. in conſtitutione 16. incip. *Regularem vitam, edita 16. Kalend. Martii* 1439. in Bullar. *tom.1. pag.284.* decrevit, ut nullus Ordinis Ciſtercienſis profeſſus ad alium quemcumque præterquam Carthuſienſium Ordinem, etiam prætextu litterarum majoris Pœnitentiarii, abſque Abbatis Monaſterii Ciſtercienſis licentia ſpeciali cauſam rationabilem, & urgentem, quare licentia hujuſmodi concedi debeat, Romano Pontifici expreſsè, & ſpecificè allegantis, præſumat quomodolibet ſe transferre, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda.

DE REGULARIBUS.

Idem Alexander III. Magiſtro F. Civitaten. Canonico.

CAPUT VIII.

AD noſtram noveris audientiam perveniſſe, quòd Eremitæ de Montèfollus quoſdam pueros ſeduxerunt in tantum, quòd quidam ſuaſionibus eorum aſſenſum præbentes, ſtatim Religionis habitum in ipſorum Monaſteriis ſuſceperunt: quorum unus T. nomine, ſtatim pœnituit, quòd habitum induiſſet: & infra. Quocirca mandamus quatenùs ſi conſtiterit, quòd præfatus T. ante conſummationem decimiquarti anni, ſuſceptum habitum depoſuerit, aut ſi poſt decimumquartum annum, habitum ipſum ſine probatione ſuſceperit, & infrà triduum depoſuerit: eum ab impetitione prædictorum Eremitarum denunties abſolutum: & eam, quam poſtquam exivit, juravit accipere in uxorem, liberè poſſe traducere, ſi alia cauſa rationabilis non obſtat.

SUMMARIUM.

1 *PRrofeſſus non dicitur de jure communi, qui ſine probatione habitum profeſſorum ſuſcepit, niſi triduo perſeveret.*
Sed profeſſus dicitur, qui præcedente probatione habitum profeſſorum aſſumpſit, etiam non data perſeverantia tridui, n.3.

2 *Tridui perſeverantia ad profeſſionem tacitam non requiritur, quando ingreſſus præter ſuſceptionem habitus profeſſorum ſe immiſcuit etiam actibus, qui à ſolis profeſſis fieri conſueverunt.*

4 *Profeſſio poſt Concilium Tridentinum facta ante annum decimumſextum ætatis completum, aut ante exactum probationis annum, non valet.*

5 *Profeſſio tacita ante annum decimumſextum, aut non tranſacto probationis anno, ſublata eſt à Conc. Tridentino.*

6 *Profeſſio tacita poſt Concilium Trident. non inducitur per ſuſceptionem habitus profeſſorum non præcedente probatione, etiam data perſeverantia tridui, & in hoc corrigitur hæc decretalis, ibid. & n.6.*

7 *Profeſſus tacitè cenſetur, qui in legitima ætate in Monaſterio ultra annum geſtat habitum indiſtinctum, etiamſi poſteà triduo non perſeveret.*

8 *Profeſſionem tacitam poſt annum decimumſextum ætatis, & expletum annum probationis, Concilium Tridentinum non ſuſtulit.*

9 *Dies cœpta in materia profeſſionis non habetur pro completa, ſed tempus currit de momento ad momentum, n.21.22. & 23.*

10 *Profeſſio emiſſa peracto anno probationis eadem die ſuſcepti habitus, ſed ante horas circiter quinque, aut emiſſa per aliquot horas ante annum decimumſextum expletum, an valeat, & n.ſeqq. uſque in fin.*

11 *Dies cœpta in favorabilibus habetur pro completa.*

12 *Minor læſus in profeſſione non reſtituitur.*

13 *Perfectum moraliter dicitur, quod parum diſtat à perfectione.*

14 *Annus probationis debet eſſe completus.*
Annus naturalis in quo differat à civili, ibid.

15 *Horarum momenta non videntur digna animadverſione legiſlatorum.*

16 *Annus ex conſuetudine civiliter accipitur.*

17 *Minor non dicitur, qui diem ſupremam agit anni vigeſimi.*

18 *Annus naturalis conficitur diebus 365. & horis ferè ſex, ex quibus annus biſſextilis.*

19 *Completum dicitur, licèt ſuperſit aliqua pars illius.*

20 *Annus ubi incipit, ibi deſinit, & reſolvitur.*

21 *Annus unde dictus.*

22 *Levis omiſſio non vitiat, niſi ſit de forma.*

23 *Decretum irritans importat formam.*

24 *Profeſſio emiſſa eadem die, & hora ſuſcepti habitus, quo anno Gregorius XIII. decem dies ſuſtulit à menſe Octobris, eſt invalida.*

25 *Annus biſſextilis non dicitur maius ſpatiũ, quàm anni.*

26 *Dies additus biſſexto neceſſarius eſt, ut annus probationis ſit completus.*

27 *Novitius qui à Monaſterio exit, ut aliam religionem ingrederetur, & in ea duas horas permanſit, rediens tenetur incipere n vum probationis annum.*

28 *Novitius profeſſioni proximus acriùs tentatur.*

29 *Minores 25. annis dicuntur, quouſque ad horam nativitatis pervenerint.*
Ad Matrimonium ſufficit attigiſſe ultimum diem anni decimiquarti, ſecus in matrimonio ſpirituali, & cur ibid.

30 *Annus tacitæ profeſſionis quando incipiat, & finiatur.*

31 *Dies cœpta habetur pro completa, prout ſuadet favor, vel odium, ut duret, vel finiatur.*

32 *Annus probationis cur inſtitutus.*

33 *Favor eſt tam profeſſi, quàm religionis, ut annus probationis duret uſque ad ultimum momentum.*

34 *Profeſſio facta ante annum probationis nullam parit obligationem etiam ad religionem in genere.*

35 *Tempus an currat de momento ad momentum, ſpectanda eſt forma verborum.*

AD

AD *noſtram*. Minor quatuordecim annis per profeſſionem religioni non obligatur: idem in majori, qui ſine probatione ſuſcepit habitum profeſſorum, quem dimiſit infra triduum. Hoc dicit. Prima pars factum narrat. Secunda dat judicem, ibi, *Quia verò*.

1 Nota primò, ita demum profeſſionem probari per ſuſceptionem habitus profeſſorum poſt annum decimumquartum expletum, ſi præceſſerit annus probationis, alias non, niſi detur perſeverantia tridui. Major igitur quatuordecim annis, qui ſine probatione habitum profeſſorum ſuſcepit, ex hoc ipſo non dicitur profeſſus, niſi triduo perſeveret; quia hoc ipſo quòd infra triduum pœnituit, præſumitur ſine deliberatione intraſſe, ut dicit hic Abb. Antiq. *n.1.*

2 Dixi, *Ex hoc ipſo*; quia ſi præter aſſumptionem habitus hujuſmodi ingreſſus ſe immiſcuiſſet aliis actibus, qui à ſolis profeſſis fieri conſueverunt, non requireretur perſeverantia tridui. Et ita procedit text. *in cap. Vidua ſup. eod.* ut ibi plenè notavi *à n.32. uſque ad n.39.*

3 Qui verò præcedente probatione ſuſcepit habitum profeſſorum, ideſt in colore, ſciſſura, vel forma patenter diſtinctum ab habitu Novitiorum, juxta text. *in Clem. Eos de regular.* hoc ipſo eſt profeſſus, & religioni alligatus, etiam non data perſeverantia tridui, ut hic.

4 Sed hodie hæc locum non habent, quia decreto Concil. Trident. *in cap.15. ſeſſ.25. de regular.* profeſſio facta ante annum decimumſextum completum, & ante exactum annum probationis non valet, nullamque inducit obligationem ad alicujus regulæ, vel ordinis obſervationem, vel ad

5 alios quoſcumque effectus. Aut igitur annus probationis non præceſſit, & per aſſumptionem habitus profeſſorum etiam poſt annum decimumſextum ætatis non inducitur tacita profeſſio etiam data perſeverantia tridui, quia Concilium *in d. c.15.* ſicut ſuſtulit profeſſionem expreſſam ante annum probationis, ita & tacitam, ut ſæpiùs cenſuit S. Con-

6 greg. Et in hoc corrigitur diſpoſitio hujus decretalis, ſecundùm quam cenſetur profeſſus, qui per ſuſceptionem habitus profeſſorum in legitima ætate triduo perſeverat, etiam non præcedente probatione. Aut annus probationis præceſſit, & tunc per ſuſceptionem habitus profeſſorum poſt ætatem legitimam inducitur profeſſio tacita eo ipſo, etiam non data perſeverantia tridui, ut clarè hic deciditur, *& in c.1. inf. eod.*

7 *lib.6.* ibi, *Vel habitum religionis ſuſcipiat, qui dari profitentibus conſuevit.* Imò hoc caſu non ſolùm per aſſumptionem habitus profeſſorum, ſed etiam ex continuatione per annum habitus indiſtincti, ideſt tam à novitiis, quàm à profeſſis geſtari ſoliti, inducitur tacita profeſſio ſine ulla tridui perſeverantia, ut procedit *in d. Clem. Eos, de regular.* ponderando verbum, *Hoc ipſo*, ideſt confeſtim, & in ipſo temporis momento poſt annum exactum à die ſuſceptionis habitus indi-

8 ſtincti. Quam quidem tacitam profeſſionem poſt annum decimumſextum, & poſt peractum annum probationis Concilium ſuſtulit, ut ſimiliter pluries declaravit S. Congr.

9 Secundò nota ibi, *Conſummationem*, in materia profeſſionis diem cœptam non haberi pro completa, ſed tempus currere de momento ad momentum, ut hic, *& in cap. Illud 21. qu.1. & in c. Significatum, infra eod.* & tenet hic gloſſa ſecunda, Innoc. *n.1.* Hoſt. *n.4.* Joan. Andr. *n.6. in gloſſ.2.* Butr. *num.8.* Card. *n.2. in 2. oppoſit.* Anchar. *n.1.* & Abb. *n.5.* & latiùs dicam infrà *n.21.22. & 23.* Unde infertur, ut vitietur profeſſio, ſi fiat per aliquot horas ante exactum annum decimumſextum ætatis, vel ante annum probationis completum, ſtante decreto Conc. Trid. *in c.15. ſeſſ.25. de regular.* Hunc articulum plenè examino in quæſtione ſequenti.

10 QUÆRO, utrùm profeſſio emiſſa peracto anno probationis eadem die ſuſcepti habitus, ſed ante horas circiter quinque, ſit valida, necne. Et id ipſum quæritur de profeſſione emiſſa per aliquot horas ante expletum annum decimumſextum, ſtante decreto Concil. Trid. *in d. c.15. ſeſſ. 25. de regular.*

Pro validitate profeſſionis infraſcripta præcipuè adduci poſſunt.

11 Primò, in his quæ reſpiciunt favorem alicujus, dies cœpta habetur pro completa, *l. Quæ ætate, ff. de teſtam. l.1. ff. de manumiſſ.* Gloſſa, Bart. & alii *in l.3. §. Minorem, ff. de minor.* Canoniſtæ *in cap. Si annum, de jud. in 6.* gloſſ. *in cap. Cum in cunctis, in ver. Exegerit, de elect.* quæ communiter approbatur, ut teſtatur ibi Abb. *num.6.* Quintil. Mandoſ. poſt alios quamplures quos citat *in 19. Regula Cancellar. quæſt.18. num.8.* Rota *deciſ.75. numer.41. & ſeqq. part. 2. diverſ.*

Quòd verò in hac ſpecie verſemur in his, quæ favorem 12
reſpiciunt, patet tum ex parte profitentis, tum religionis. Ex parte profitentis, quia per profeſſionem in viam perfectionis dirigitur, & ſervit ei, cui ſervire regnare eſt, ut inquit Gemin. *in c.1. n.7. de regular. in 6.* poſt Jo. Andr. *in c. Cum virum*, ubi etiam Abb. *n.6. infr. eod.* Ideòque minor profeſſus non reſtituitur tamquam læſus, Specul. *in tit. de reſtit. in integr. in 2. part. §. Qualiter ver. Sed numquid minor*, Archid. *in d. c.1. de regular. in 6.* & DD. *in d. c. Cum virum*. Quinimò ex profeſſione regulari non inferri damnum, ſed maximam utilitatem, docet D. Thom. *quodlib.3. art.3.*

Ex parte verò religionis verſatur favor, quia ſua intereſt ſibi conſervari ſubditos; ac filios, quos pavit, ac fovit; & ſumma eſt ratio, quæ pro religione facit, *l. Sunt perſonæ, ff. de relig. & ſumpt. funer.* Silveſt. poſt alios in *ver. Religio ſub n.3.* ubi loquitur in puncto computationis temporis quo ad annum probationis.

Secundò, præcepta humana moraliter acipienda ſunt; 13
moraliter autem perfectum dicitur, quod parum diſtat à perfectione, Ariſt. 2. *Phyſic.* D. Thom. in 4. *diſt.27. q.2. art. 2. ad 3.* Silveſt. & Tabien. *in ver. Sponſalia*, Joan. Andr. in *cap. Litera, de ſponſ. impub.*

Tertiò, tempus probationis à Sacris Canonibus indultum eſt, ut Novitius aſperitates Monaſterii, & Monaſterium mores Novitii valeat experiri, *cap. Ad Apoſtolicam infrà eod.* Mores autem, & aſperitatem non probatam integro anni ſpatio utique monaſterium, & Novitii nullo modo probare poterunt minutiſſimo illo quinq; horarum intervallo; vel certè ſi probabunt, veriſimiliter nihil eo momento poterit accidere, quod illos abducat à profeſſione recipienda, vel emittenda.

Quartò decretum Concil. *ſeſſ.25. cap.15. de regul.* nihil 14
aliud exigit, quàm annum probationis completum. Annus verò in naturalem, & civilem diſtinguitur. Naturalis eſt, qui diebus, & horis conficitur, & de momento in momentum computatur. Civilis, quem etiam vulgarem, ſeu artificialem appellant, abſolvitur 365. diebus, ita ut qui ad initium extremæ diei pervenerit, annum compleviſſe dicatur, ita probat textus *in l. Anniculus, la 2 ff. de verbor. ſignif.* in hæc verba: *Anniculus non ſtatim ut natus eſt, liber eſt, de trecenteſimo ſexageſimo quinto die dicitur, incipiente plané, non exacto die, quia annum civiliter, non ad momenta temporis numeramus.* Et ita hanc diſtinctionem anni civilis, & naturalis tradunt ibi DD. Brachæus *in l. Anniculus, la 1 eod. tit.* Jacob. Butrigar. *inſtit. de action. in princ.* Bart. *in l. Libellorum n.15. ff. de accuſat.* Archid. Jo. Andr. & Canoniſtæ *in cap. Si propter de reſcr. in 6.* Textus autem Concilii dum loquitur 15
de anno probationis completo, non videtur intelligendus de anno naturali, ſed de civili. Tam parva enim horarum aliquot momenta non ſatis digna videri poſſunt animandverſione legiſlatorum, ut inquit Connan. *lib.3. commen. juris civilis, cap.12. col.2.* & paulò antè: *Communi*, inquit, *loquendi conſuetudine inductum eſt, ut dies non dividantur momentis, ſed toti, & integri numerentur.* Et hoc ipſum eſſe de 16
conſuetudine, ut annus civiliter accipiatur, docet gloſſa in *d. l. Anniculus in ver. Civiliter*, & ibi DD. *ff. de verb. ſignific.* ubi Rebuff. *in verſ. Sequitur: Dum*, inquit, *in jure fit mentio de anno, computatur ad 365. dies non per momemta temporum in horas, vel ſemihoras.* Hanc eſſe communem conſuetudinem loquendi, à qua non eſt recedendum, teſtatur Brachæus in *d. l. Anniculus.* Sed Bald. *in cap. Cùm in cunctis, n.3. de elect.* ſic ait: Quæro quot diebus impletur annus? Reſpondeo 365. diebus: de cunctis horarum lex non curat. Rurſum non poteſt dici ſtetiſſe minori tempore 17
quàm per annum in probatione, ut Concilium exigit, qui ſupremam diem attigit; ſicuti minor non eſt qui diem ſupremam agit anni vigeſimi, ut inquit ad litteram text. in *l.1. ff. de manumiſſ.*

Quintò, Concilium non intellexiſſe de anno naturali, ex 18
hoc etiam deprehendi poteſt, quia annus propriè conficitur ex diebus 365. & horis ferè ſex. Quæ quidem ſex horæ quatuor annorum ſpatio integram diem conſtituunt; unde fit annus biſſextilis, ſic declarat gloſ. in *c. Quadrageſima, in ver. Dies de conſecr. diſt.5. & in Clem.1. §. Licet igitur, in ver. Certum diem, de reliq. & vener. Sanct.* gloſſ. & DD. *in d. l. 3. §. Minore, ff. de minor. & in l. Biſſextus, ff. de verb. ſignific.* Archid. *in c. Si propter, n.3. de reſcr. in 6.* Anton. de Butr. *in c. Quærenti in fine de off. deleg.* Quintil. Mandoſ. ex ſententia Ma-

Mathematicorum *in reg.10.Cancell.q.4.n.8.* Unde Cicero *de natura Deorum*, Circuitus, inquit, ſolis orbium V. & LX. & CCC. quarta ferè diei parte addita converſionem conficiunt annuam. Si ergo Concilium fuiſſe loquutum de anno naturali, planè à die ſuſcepti habitus uſque ad profeſſionem emiſſam deberent intercedere dies 365. & ferè ſex horæ, & ſic novitius, qui exempli gratia Kalendis Junii horæ x. habitum ſuſcepiſſet, deberet profiteri ſequentibus Kalendis Junii hora 16. alioquin profeſſio anteà facta nullius eſſet momenti. Quod certè ſi verum eſſet, quampluri-mæ profeſſiones ſubverterentur, cùm in multis religionibus fieri ſoleat poſt annum eadem hora ſuſcepti habitus, vel paulò poſt. Loquitur ergo Concilium de anno Civili, cujus ſatis eſt ſupremam diem attigiſſe, ut abſolutus cenſeatur, ex ſupradictis.

Et confirmatur, nam cùm aliàs dubitatum eſſet in S.Congreg. Concilii, an qui ad Diaconatum promotus fuerat anno 1566. in quatuor temporibus Quadrageſimæ, poſſet anno 1567. ſequenti ad Presbyteratum promoveri, licèt lapſus non eſſet integer annus, quia Paſcha anni 1567. celeriùs, adveniebat, quàm præcedens: S.Congregatio cenſuit poſſe, quia judicio Eccleſiæ iſte videtur annus integer. Quam Congregationis ſententiam Clemens VIII. ad ſe relatam approbavit.

Ultimò, hanc ſententiam omiſſis recentioribus ante Concilium ſequutus eſt Rebuffus *in l.Anniculus, la 2.verſ. Decimò profeſſio tacita, ff.de verb. ſignif.* dum exemplificat dictam *l.Anniculus*, in anno probationis.

Hanc quoq; opinionem, ſi rectè perpendatur, tenet gloſ. *in Clem 2.in ver.Per annum, de regular.* dum dicit ſatis eſſe ut Noritius detulerit habitum per integrum annum, licèt non exceſſerit: gloſſa enim ibi per integrum annum intellexit annum, cujus ultima dies illuxerit, licèt non exceſſerit, quia quando ultimus dies eſt conſumptus, jam exceſſit annus. Cùm ergo gloſſ. conſtituat ibi differentiam inter annũ integrum, & annum qui exceſſit, oportet dicere, primo caſu illam fuiſſe loquutam de anno, qui ſupremam diem attigit,
19 ſecundò verò de anno, cujus ultimus dies abſolutus eſt. Aliud enim eſt complere, aliud excedere, quia etiam id dicitur eſſe completum, licèt ſuperſit aliqua pars illius, ut inquit Phænutius *in tract.de momen. temporis c.30. num.2.* & notat gloſſ. *in l.Qua ætate, in ver. Compleſſe*, quam ibi ſequuntur Bald. Alber. Fulgoſ. & reliqui interpretes, *ff.de teſtam.*

Cæterùm pro contraria ſententia nullitatis profeſſionis videntur magis urgere rationes infraſcriptæ.

Primò enim decretum Concilii *c.15.ſeſſ.25.de regular.* ad profeſſionis validitatem neceſſariò requirit, ut Novitius non minori tempore, quàm per annum in probatione ſteterit. Quod etiam ante Concilium ſtatuerat jus commune in Religionibus Mendicantium, *c.Non ſolum, & c.Conſtitutionem, de regular.in 6.* gloſſ. *in Clem. Eos, in ver. Per annum*, & ibi Card. *n.7.verſ.Octavò quæro, eod.tit.* notatur *in cap. Ad Apoſtolicam, infrà eod.* Navarr. *conſ.31. n.1. de regular.*

20 Novitius verò, qui ante horas quinque profeſſus eſt, minori ſanè tempore, quàm per annum, ſtetit in probatione. Quoniam annus ubi incipit, ibi deſinit, & reſolvitur, ut inquit Bald. *conſ.458.n.4. in fin. vol.1.* gloſſ. & DD. *in l.Ita vulneratas, §.Æſtimatio, ff.ad leg. Aquil.* & qua hora incipit, fi-
21 nitur, Bart. *in l.Libellorum, ff.de accuſat.* Unde Varro *l.5.de lingua latin.* annum ab annulo dictum putat, quòd in ſeipſum redeat, & Archid. *in cap.Si propter n.3.verſ. Annus dicitur, de reſcript.in 6.* exiſtimat annum dici ab ana, quod eſt circum, & nonas, quaſi circumiens, per text. *in c.Quadrageſima, de conſecr. diſt.5* Ergo cùm Novitius aliquot horis deficientibus minori tempore, quàm per annum, ſteterit in probatione, non videtur valida illius profeſſio.

Et eò magis, quia jus commune, à quo Concilium recipit interpretationem paſſivam, non ſolùm exigit, ut Novitius non ſtet in probatione minori tempore, quàm per annum; ſed etiam requirit, ut annus ſit elapſus, ut eſt text. *in d.c. Non ſolùm, de regular.in 6.* ibi, *Diſtrictius inhibemus, ne ante annum probationis elapſum quemquam ad profeſſionem veſtri ordinis recipere præſumatis.* Certum eſt autem annum non poſſe dici elapſum, niſi ultimum momentum ſupremæ diei exceſſerit, ut ſcribit Phænutius in contrarium allegatus in *tract. de momen. tempor. c.30. n.2.*

22 Secundò, levis omiſſio, quamvis regulariter non vitiet actum, *l.1.fin.* ubi Bart. notat, *ff. de ventr.inſpic.* aliud tamen eſt, quando id, quod omittitur, eſt de forma, *c. Cùm dilecta*, & ibi Felin. poſt alios *n.56.de reſcript.* Dec. *in c.de appellationibus n.17. de appell.* Annus autem completus, cùm in Concilio adjiciatur decretum irritans, eſt de forma, ut per Bald. 23
in l.2. ff.de liber. & poſth. Felin. *in d.cap.Cùm dilecta num.29.* Navarr *de regular.conſ.82. n.3.* Ergo ex omiſſione horarum quantumcumque levi, irrita videtur profeſſio.

Tertiò, cùm anno 1582. Gregor. XIII. à menſe Octobris 24
decem dies ſuſtuliſſet; Rota in cauſa Hiſpalen. profeſſionis reſolvit invalidam eſſe profeſſionem emiſſam eadem die, & hora ſuſcepti habitus ab anno probationis, licèt S.Congreg. ſuper hoc alia noluerit reſpondere. Quæ etiam die 6. Novembris 1592. cenſuit habendam eſſe rationem, tam in promovendis ad Ordines, quam in admittendis ad profeſſionem, illorum decem dierum ſubtractorum in Kalendario Gregor. XIII. itaut addendi ſint illi decem dies detracti. Ex quo ſequitur, ut ab anno 1566. uſq; ad 1598. & ſic per ſpatium 32. annorum profeſſiones omnes emiſsæ ab his, qui putabant ſe complevisſe decimumſextum annum, ſint omninò nullæ, deficientibus nimirum decem illis diebus: Concilium enim exigit decimumſextum annum completum, *d.c. 15. & c.16. verſ Finito tempore ſeſſ 25. de regular.* Et tamen 25
quemadmodum videmus annum biſſextilem ex additione diei à Superiore facta non dici majus ſpatium, quàm anni, ut *l.Cùm biſſextus, ff.de verb.ſignific.* etiam ad effectum, de quo agitur, Leſſius *de juſt. & jure lib.2.cap.41.verſ.Hinc ſequitur*, 26
ubi dicit diem additum biſsexto eſse neceſsarium ad hoc, ut annus probationis dicatur completus: ita è converſo ex detractione quorundam dierum Pontificis juſsu non videbatur illud ſpatium poſse dici brevius, quàm unius anni. Et tamen profeſſiones fuerunt declaratæ irritæ. Ergo multò magis hoc videtur dicendum in caſu præſenti.

Quartò, Sac. Congreg. conſulta à Procuratore Generali 27
Ordinis Minimorum annis ſuperioribus, an Novitius qui à monaſterio, ut aliam religionem ingrederetur, abierat, ac duas tantùm horas in alio Conventu moram traxerat, ac ſtatim deindè facti pœnitens reverſus fuerat, teneretur incipere novum annum probationis: reſpondit teneri ab eo die, quo rediit. Ergo quemadmodum defectus duarum horarum in medio anni reddit irritam profeſſionem ex ſententia Sac.Congreg. ita etiam videtur eam irritare defectus horarum quinque in fine: æquè enim ad profeſſionis validitatem exigitur, ut annus ſit completus, atque ut ſit continuus, Lap. *alleg.46.n.6.*

Quintò, illis quinque horis moraliter poteſt contingere, 28
ut Novitius eos ſentiat ſtimulos, quos nunquam anteà expertus ſit. Communis enim inimicus eo potiſſimùm tempore, quo Novitius eſt profeſſioni proximus, vires acuit, omneſque nervos intendit, ut illum à profeſſione deterreat, argum *cap.Nulli 3.qu.1.* & ibi Turrecr. & docet D. Bonav. in opere quod inſcribitur, *Speculum diſciplinæ ad Novitios, part.1 cap.2.* Quin etiam Superiores eò ſtrictiorem denunciant religionis regulam, quò novitii ſunt ad profeſſionem proximiores, ut certiores fiant, an vero zelo, an potiùs humano aliquo affectu ſtatum religionis delegerint, ut uſus quotidianus docet.

Sextò in his, in quibus annus expletus exigitur, defectus 29
horæ ſæpiſſimè facit, ut annus non cenſeatur integer. Sic minores 25. annis licèt ultimum diem aſsecuti, dicuntur tamen minores, quouſque ad horam nativitatis pervenerint, hìc eſt text. ad litteram *in l.3.§.Minores ff.de minor.* Sic in omnibus temporalibus actionibus, niſi totus noviſſimus dies compleatur, non finit obligationem. *Sunt verba tex. in l.In omnibus, ff.de act. & obligat.* & plurimos caſus ſimiles cumulat Phænutius *in tract. de momen. c.30. n.1.* & Tiraqu. *de utroque retract. §.1.gloſſ.2.*

Nec refragatur, quòd in matrimonio ſatis ſit cœptam eſſe ultimam diem ætatis. Siquidem in his terminis non procedit argumentum à matrimonio carnali ad ſpirituale, quia non tantùm quis obligatur in illo, ſicut in ingreſſu religionis. Ita in puncto declarat Imola *in Clem.2. num.5. poſt gloſſ.ibi in ver.Ætatem, de regular.* & Abb. *in cap. Poſtulaſti num.3. infrà eod.*

Septimò, ſecundum hanc ſententiam in terminis tacitæ 30
profeſſionis videtur etiam aliàs reſpondiſſe S. Congr. Concilii pôderando duas declarationes infraſcriptas. Nam cùm olim dubitatum eſſet, an tacita profeſſio, quæ non eſt excluſa decreto Concilii, inciperet completo decimoſexto anno, & an ſtatim poſt dictum tempus emiſſa cenſeretur: S. Congregatio cenſuit tacitam profeſſionem incipere à prima hora

ra

ra poſt perfectum annum 16. & finire anno 17. Aliàs verò cenſuit Concilium *cap.* 15. *ſeſſ.* 25. *de regular.* non ſuſtuliſſe tacitam profeſſionem, quæ inducitur per annum, & diem computandam à die poſt decimumſextum annum perfectum ejus, qui monaſterium ingreſſus eſt. Quamvis enim hæ duæ deciſiones invicem diſcrepare videantur, tamen non eſt ita: nam dum in prima deciſione dicitur annus tacitæ profeſſionis incipere à prima hora poſt perfectum annum decimumſextum, ſatis innuitur tempus currere de momento ad momentum. Et quamvis adjiciatur profeſſionem finire anno 17. tamen hoc ita intelligi debet, ut hic annus ſit omninò abſolutus, cùm ſumatur initium ab hora, & momento temporis; neque enim requiritur, ut annus decimus ſeptimus fuerit tranſactus, cùm agatur de profeſſione tacita, quæ à jure inducitur in inſtanti, & ultimo momento ejuſdem anni decimiſeptimi, ut inferiùs explicabitur. In ſecunda verò, quia terminus à quo non ſumitur ab hora, ſed à die poſt 16. annum, & dies termini non computatur in termino; ideò S. Congreg. dixit tacitam profeſſionem induci poſt annum, & diem, juxta text. *in c. Puella*, ibi, At ſi per annum, & diem, 20. q. 2. ut ſic non ſufficiat ſupremam diem attigiſſe, ſed oporteat illam eſſe omninò abſolutam, & conſummatam. Atque ita ex ſententia S. Congregationis dies cœpta in hac materia non habetur pro completa.

31 Octavò, tametſi illa quæſtio, an tempus computetur de momento ad momentum, & an ultima dies anni cœpta habeatur pro completa, variè ſit à DD. agitata, & ob textuum, ac rationum diverſitatem valdè ambigua ſit, multiſque limitationibus, atque ampliationibus implicata, ut videre eſt apud Tiraqu. *de retract. lignag.* §. 1. *gloſſ.* 11. *num.* 17. *cum ſeqq.* & apud Juriſtas *in l.* 1. *ff. de manumiſſ. in l. Si cui, ff. de legat.* 1. & Canoniſtas *in cap. Cùm in cunctis, de elect.* tamen frequentiùs recepta eſt opinio gloſſæ *in l.* 3. §. *Minorem, ff. de minor.* ut diſtinguendum ſit, an in materia, de qua agitur, verſetur favor, vel odium, ut dies cœpta pro impleta, vel non adimpleta habeatur, prout favor ſuadet haberi, vel non haberi. Hanc gloſſæ opinionem ſequuntur ibi Bart. & Alberic. qui teſtatur in hac quæſtione ſemper ad eam gloſſam recurri ſolere, explicatque clariſſimè diem cœptam non haberi pro completa, ubi eſt favor, ut tempus duret, & haberi, ubi eſt favor, ut tempus finiatur. Idem tradit gloſſ in *d. c. Cùm in cunctis, in verb. Exegerit, de elect.* cum qua tranſeunt ibi DD. & Abb. *n.* 6. teſtatur communiter eam gloſſam approbari, & de communi etiam teſtatur Tiraqu. *dict. gloſ.* 11. *n.* 44.

32 Suppoſita igitur hac ſententia, quæ receptiſſima eſt, illud in caſu noſtro inſpicere oportet, an ſit favor, ut tempus protrahatur uſque ad ultimum momentum, vel ut quantocyùs finiatur. Et quidem favorabile eſſe ut duret toto noviſſimo die annus probationis, ſatis clarum eſſe videtur. Nam hic annus inſtitutus eſt favore utriuſque, id eſt tam religionis, quàm Novitii, ut illa probet mores novitii, hic verò auſteritatem religionis, *cap. Ad Apoſtolicam, infrà eodem*. At verò favor eſt novitii, ut hæc deliberandi libertas

33 ſeque jugo religionis ſubmittendi, ac alligandi duret uſque ad ultimum temporis momentum. Favor etiam eſt religionis, cujus intereſt prorſus voluntarios habere milites, *cap. Non eſt* 15. *qu.* 1. *cap. Præſens* 20. *qu.* 3. quique integro anno de religione conſultò deliberantes firmo propoſito illi tandem ſe devoveant. Ad hoc *cap. Monaſterius* 19. *q.* 3. & quod notat Hoſtien. in *dict. cap. Ad Apoſtolicam n.* 4. *infrà eod.* ut enim habetur *in c. Non ſolum, eod. tit. in* 6. decet, & expedit, ut in hoc conſcientiæ puritati non deſit judicium rationis, ne unde ſpiritualis profectus quæritur, ſalutis diſpendium ſubſequatur. Et ex conſequenti cùm favor in eo verſetur, ut latius ſit tempus, nec ullum momentum præripiatur novitio; ultima dies cœpta non debet haberi pro completa.

Neque huic fundamento obſtat, quòd ſumma ſit ratio, quæ pro religione facit, *l. Sunt perſonæ, ff. de relig. & ſumpt. funer.* adeòut favor eſſe videatur, quem citò religioni alligari. Quia primò reſpondetur, tametſi aliquem eſſe religioſum ſummus ſit favor, tamen antequam talis efficiatur ſummum eſſe favorem cum integra plenitudine temporis de religione deliberare.

Quinimò gloſſa ſingulari *hìc in verb. Conſummationem*, In regulæ, inquit, obſervatione gravitas eſt, & labor, & ſic odium; & ideò annus completus exigitur, argum. *ſuprà cap. Quia in inſulis*. Quam gloſſam ſequuntur ibi Innoc. & Anton. de Butr. Difficilis enim eſt vitæ mutatio, & cùm animæ ſit labore, ut dicit text. in hoc caſu *in Auth. de Monach. c.* 2. §. *Sancimus ergo collat.* 1. & Joan. Andr. *hìc n.* 2. *verſ. Et hæc ratio probatur*. Et hæc dura ſunt ad portandum homini neophyto, & non aſſueto, ut Hoſt. inquit in 5. & ſequuntur alii, quos retuli ſuprà *in* 2. *notab.* Ad quod confert etiam doctrina Specul. *in* 4 *lib. tit. de ſtatu Monac. q.* 63. ubi ait: [Quando dubitatur, qua de cauſa quis intraverit religionem, ante annum præſumitur pro novitio, poſt annum pro religione.] Ob quam rationem Trindentinum Concilium annum probationis, qui de partium conſenſu remitti poterat, juxta *cap. Ad Apoſtolicam, infrà eodem*, vetuit poſſe remitti, noluitq; profeſſionem anteà factam parere obligationem etiam ad religionem in genere, ut habetur in *cap.* 15. *ſeſſ.* 25. *de regular.* id ſcilicet intendens, ut religionis profeſſionem magna præcedere deliberatio. Hanc autem legem pœnalem nullitatis profeſſionis fuiſſe à Concilio latam in favorem profitentium nec habendam eſſe rationem præjudicii monaſterii, tradit clarè Navarr. poſt Dec. quem citat *in conſ.* 31. *n.* 4. *de regular.*

Reſpondetur ſecundò, quamvis annus probationis ſit 34
inſtitutus favore utriuſque ſcilicet tam profitentis, quàm religionis recipientis; tam revera principaliter indultum eſſe in favorem ingredientis, ut poſt Archidiac. tradunt *in c. Non ſolùm, de regular. in* 6. Gemin. *n.* 4. Anchar. *in* 6. *notab.* & Franc. in 3. & deducitur ex textu *d. c. Non ſolùm*, dum ait annum probationis in ſubſidium humanæ fragilitatis eſſe regulariter inſtitutum. Ideòque potiùs ſpectandus eſt favor novitii, quàm religionis, ut concludit Hoſt. *in d. c. Ad Apoſtolicam n.* 5. *verſ. Et eſt ratio diverſitatis*, quem ibi ſequuntur Joan. Andr. Cardin & alii communiter.

Tertiò reſpondetur, etſi daremus in hac materia verſari 35
ex parte favorem, & ex parte odium; tamen quod ſervari debet, cùm in re ſolus favor verſatur, eſt etiam ſervandum cùm partim verſatur odium, & partim favor, & ſic caſus eſt mixtus. Ita ſentit gloſſ. recepta *in d. c. Cùm in cunctis, in verb. Exegerit in fin.* ubi ait, cùm in materia verſatur utrumque, ideſt tam odium, quàm favor tempus de momento ad momentum computari; & idem cenſuit Rota *deciſ.* 75. *n.* 41. *part.* 2. *diverſ.*

Sed quatenus ab hac opinione communi, quæ diſtinguit inter favorem, & odium, diſcederemus, & ſequeremur aliam, quæ habet inſpiciendam eſſe formam verborum, quæ multos habet ſectatores, videlicet Abb. Rebuff. Caſſan. & alios relatos *in d. deciſ.* 75. *n.* 33. tamen etiam ſecundum hanc opinionem videtur veriùs diem cœptam hoc caſu non haberi pro completa. Obſervandum eſt enim decretum Concilii *in d. c.* 11. per ea verba, Nec qui minori tempore, quàm per annum à ſuſceptione habitus in probatione ſteterit, connotare tempus probationis non à die, ſed ab actu ſuſceptionis habitus. Unde intrat communis concluſio, ut quotieſcumque terminus ſtatuitur ab aliquo actu, non à die actus, tempus curat de memento ad momentum, ac proindè quilibet vel minutiſſimus defectus infringat actum, gloſſ. Jo. Andr. Card. Anchar. Abb. & alii plures relati à Tiraq. *de utroque ratioc.* §. 1. *gloſ.* 11. *n.* 23. Unde Angel. de Peruſ. *conſ.* 404. *ſub n.* 4. *verſ. finem*, (Et generaliter, inquit addo hanc doctrinam, quòd ubi decurſu temporis inchoando, & terminando, quæritur tempus incipiat à momento actus explicati, & finitur, cùm pro revolutione temporis dies noviſſimus ad idem punctum pervenerit.) Et in terminis conſimilia verba, Poſt ſuſceptum habitum infra annum, & alia hujuſmodi operari, ut tempus currat de momento ad momentum, tradit apertè Jo. Andr. *in c. Cupient. col.* 1. *poſt princ. in verb. Poſt conſenſum, de elect. lib.* 6. & ſequitur Tiraqu. *loco cit. n.* 49.

Ad extremum huic ſententiæ ante Concilium videtur adhærere Philpp. Franc. *in c.* 1. *ſub n.* 2. ibi, *Requiritur ergo quod ſit annus conſummatus in totum, de reg. in* 6. & tandem approbat Vitalin. *in Clem.* 2. *n.* 27. *de regular.* ubi loquitur in religionibus Mendicantium, in quibus de jure communi requiritur annus probationis completus, ut ſupra diximus; & ſentit non ſufficere ad validitatem profeſſionis, ut annus probationis ſit in fine, ſed oportere, ut ſit completus, adeòut ſequentem annum attigerit.

Neque verò gloſſa in ultima oppoſitione allegata hujuſmodi opinioni adverſatur, quia quamvis dicat annum probationis debere eſſe integrum, ſed non requiri, ut exceſſerit; tamen loquitur in profeſſione tacita, quæ cùm per lap-

ſum

ſum integri anni inducatur ipſo jure, & ſic in inſtanti, ſatis eſt, ut annus ſit completus; quia in illo ultimo temporis tacita profeſſio cenſetur inducta abſque eò quòd annus ſit elapſus. At ſecus eſt in profeſſione expreſſa, quia cum requirat factum hominis, non poteſt fieri in illo inſtanti, & momento temporis, quo annus eſt abſolutus. Ideòque neceſſariò requiritur, ut annus ſit elapſus, quia ſi antea fieret, annus non eſſet integer, & completus, ut patebit cuilibet rem accuratè conſideranti.

Et poſt Concilium eamdem ſententiam ſimpliciter ſequuntur Sanch. *de matrim. lib. 2. diſp. 24. numer. 22.* Leſſ. *lib. 2. de juſt. & jure c. 41. num. 7. verſ. Quarto annum probationis*, & Ludovic. Miran. qui aſſerit hanc concluſionem eſſe veram, & communiter probari à Doctoribus antiquis, & junioribus, *in Manual. Prælat. c. 22. art. 3. concl. 2.* licèt contrarium levibus argumentis tradiderit Rodriq. *de regul. tom. 3. q. 17. art. 4.*

Nec obſtant quæ ſuperiùs in contrarium adducta ſunt.

Ad primum enim ſatis patet reſponſo ex ultimo argumento pro opinione negativa, *verſ. Secundo probatur.*

Ad ſecundum de præcepto mortali patet ſimiliter reſponſio ex 2. 5. 6. & ultimo fundamento hujus ſententiæ.

Tertium eliditur ex quinto argumento contrariò.

Quartum itidem ſublatum eſt ex dictis in ultimo fundamento.

Ad quintum conceditur, ad validitatem profeſſionis requiri annum expletum 365. dierum atque horarum ferè ſex; ſed negatur id eſſe abſurdum.

Atque ex his omnibus videtur poſſe reſponderi profeſſionem, ut proponitur, emiſſam non eſſe validam.

Hæc controverſia bis contingit in Sac. Congregatione Concilii, & utroque caſu Sac. Congregatio habuit profeſſionem pro invalida; ſed ad vitandos in religione motus à deciſione abſtinuit, nonnullis adhibitis temperamentis.

DE REGULARIBUS.

Idem Alexander III. Ambianen. Epiſcopo.

CAPUT X.

SAnè de Canonico, qui in Eccleſia Aromaten. profeſſionem fecerat, & fugerat ab eadem, in Monachum à quodam Abbate recepto: id tuæ fraternitati ſignificamus, quod ſi locus ubi nunc permanet, majoris Religionis quam Eccleſia Aromaten. exiſtat, ipſum in eodem loco cum pura conſcientia remanere permittas: alioquin eum ad priorem Eccleſiam redire compellas.

SUMMARIUM.

1 *CAnonicus regularis, ſi fiat Monachus Religionis arctioris, manet Monachus; ſed ſi laxioris, redire compellitur.*

2 *Religio ſtrictior non dicitur quæ à principio ſuæ fundationis habet ſtrictiorem regulam; ſed in qua modo arctior vita ducitur.*

3 *Regula Canonicorum Regularium eſt laxior, quàm regula Monachorum.*

4 *Sed per conſtitutiones poteſt eſſe ſtrictior.*

5 *Fratres Prædicatores, etſi profiteantur Regulam S. Auguſtini, quæ laxior eſt, tamen per Conſtitutiones arctiorem vitam ducunt, quàm Monachi.*

6 *Et tranſeundo ad Monachos apoſtaſiam non effugiunt.*

7 *Religio ut dicatur actior, non tantùm regula, ſed etiam Conſtitutiones debent attendi.*

8 *Conſtitutiones Ordinis tolli poſſunt per contrarias conſtitutiones, ſed regula per conſtitutiones tolli non poteſt.*

9 *A Religione majori, in qua remiſſiùs vivitur, fieri poteſt tranſitus ad minorem meliùs obſervatam.*

10 *Quod locum habet, ſi totus Ordo ſit collapſus, nec ſit ſpes reformationis, aliàs ſecus.*

11 *Regularis qui zelo ſanctioris vitæ tranſivit ad arctiorem Religionem non petita Superioris licentia, permittitur diſpenſativè in ea remanere, licet de rigore cogendus ſit redire ad primam.*

12 *Religio an ſit una tantùm, vel plures, & in quo differant, & n. ſeqq. uſque ad n. 24.*

13 *Religio omnis hoc habet commune, ut quis ſe totaliter præbeat ad ſerviendum Deo ſecundùm tria eſſentialia vota, & n. 31. & ſeq.*

14 *Religionis ſtatus eſt quoddam exercitium, quo quis exercetur ad perfectionem charitatis, & numer. 26. & 56.*

15 *Religiones diverſificantur ſecundùm diverſitatem operum, ad quæ ordinantur.*

16 *Item ſecundùm diverſos actus exercitiorum.*

17 *Religiones etſi conveniant in tribus ſubſtantialibus, tamen diverſificantur ſecundùm diverſos fines ad illa tria ſubſtantialia ordinatos, n. 48.*

18 *Et quatenus aliquæ ſint ordinatæ ad eoſdem fines, tamen dicuntur diverſæ propter diverſas inſtitutiones, habitus, & denominationes, & n. 20.*

19 *Clericorum genus habet ſub ſe duas ſpecies, id eſt Clericos ſæculares, & Religioſos, & appellatione unius iſtorum non venit alterum.*

21 *Religio ſecundùm Theologos eſt una tantùm, ſed unum genus, licèt plures ſint ſpecies.*

22 *Religiones omnes conveniunt in ſummo fine, qui eſt charitas, & in tribus ſubſtantialis Regulæ, & numer. 48. & 56.*

Et ideò non differunt niſi per accidens, d. numer. 22.

23 *Sed contra, & n. 48.*

24 *Religio quæ dicatur arctior, ſeu diſtrictior, vel major, & n. ſeqq. uſque ad n. 66.*

25 *Religio principaliter ordinata eſt ad opera vitæ contemplativè, quæ in oratione, & ſtudio conſiſtunt, & num. 38.*

26 *Religiones quædam ordinatæ ſunt ad opera vitæ activæ, & aliquæ ad mixta.*

27 *Et activorum actuum quidam conſiſtunt in prædicatione, & doctrina, & conſiliis animarum, ut in Prædicatoribus, Minoribus, &c.*

28 *Quidam in militia, ut in Templariis, & Hoſpitalariis.*

29 *Quidam ad Hoſpitalitatis, & infirmorum obſequia, ut in Ordine Cruciferorum, & Sancti Antonii Viennen.*

30 *Religionum aliquæ ſunt ordinatæ ad ſolitudinem, aliquæ ad ſocietatem; quædam habent propria in communi, & quædam non.*

31 *Religio major, ſeu perfectior an dicatur quæ habet opera contemplativa.*

32 *An verò quæ habet opera activa.*
33 *Militares Ordines ordinati ſunt ad effuſionem ſanguinis activam, non autem paſſivam, licèt per accidens etiam paſſiva evenire poſſit.*
34 *Quo caſu propter martyrium cæteris Religionibus eſſent præferendi.*
35 *Religionem majoritas ſecundùm Theologos attenditur principaliter ex parte finis, ſecundariò ex parte exercitii.*
36 *Et quidem ſi finis Religionum ſit idem.*
37 *Diſcretio in Religionibus præfertur jejuniis, vigiliis, & hujuſmodi obſervantiis, & n. 46.*
38 *Contemplationis opus duplex, oratio, & electio.*
39 *Vitæ activæ opus duplex, unum derivatur ex contemplationis plenitudine, ut prædicatio, & doctrina.*
40 *Et hoc præfertur ſimplici contemplationi.*
Aliud totaliter conſiſtit in exteriori occupatione, ut eleemoſynas dare, & hoſpites recipere, &c. quæ ſunt minora operibus contemplativis, n. 42.
41 *Religiones, quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum, tenent ſummum gradum; ſecundum verò quæ ordinantur ad contemplationem, & numer. 50.*
43 *Militia opus dicitur nobilius aliis operibus activis, & cur.*
44 *In Religionibus ordinatis ad ſubventionem privatam proximi primum eſt infirmos recipere, ſecundum captivos redimere, tertium hoſpites recipere, quartum ad ſuum victum manibus operari.*
45 *Ad continentiam convenientiùs ordinatur maceratio corporis per abſtinentiam cibi, quàm per ſubtractionem veſtium.*
46 *Religiones arctiores non ſunt quia arctiores habent obſervantias, ſed quia obſervantiæ majori diſcretione ordinatæ ſunt ad ſuum finem, & num. 51. & 55.*
47 *Vigiliæ, nuditas, & hujuſmodi, non perfectio, ſed perfectionis inſtrumenta ſunt.*
48 *Religiones omnes conveniunt in communi exercitio circa tria ſubſtantialia, ſed in obſervantiis variant.*
49 *Religionum præeminentia triplex.*
50 *In tranſitu de una ad aliam Religionem ſecundùm Theologos non attenditur quæ ſit aſperior, ſeu durior, ſed quæ ſit perfectior, ſeu fructuoſior.*
Sed contra ſecundùm Canoniſtas, n. 55. & ſeqq.
52 *Religio Prædicatorum, cùm ad prædicandum ſit principaliter inſtituta, aliis eſt perfectior, & ex omni alia licet ad eam tranſire.*
53 *Etiam ex Carthuſienſi.*
54 *Sed è converſo ex ordine Prædicatorum ad alios tranſire non licet, niſi in illo foret remiſſa religio, contrarium, n. 57. & 58.*
55 *Canoniſtæ rejectio Theologorum ſubtilitatibus in tranſitu de una ad aliam Religionem attendunt ſolùm quis ſit arctior, diſtrictior, durior, vel fortior modus vivendi.*
Et hanc opinionem obſervat Curia, n. 58.
58 *Carthuſianus tranſiens ad Prædicatores punitur tanquam apoſtata.*
59 *Sed ad Carthuſiam datur tranſitus ex quacumque Religione.*
60 *Etiam Minimorum, & Minorum de Obſervantia, vel Capuccinorum.*
Et quid de Eremo Camaldulenſi, n. 62.
61 *Carthuſienſium ſtrictior clauſura cum abſtinentia à carnibus in quocumque caſu præponderat aliis Religionum aſperitatibus.*
62 *Ad Eremitas Camaldulenſes ex Indulto Eug. IV. tranſire licet ex quocumque Ordine, etiam Carthuſienſium licentia petita licèt non obtenta.*
63 *Et an hodie ſit locus hujuſmodi indulto, & n. ſeq.*
64 *Eremitarum Camaldulenſium, & Montis Coronæ unionem factam ab Urbano VIII. confirmavit Sanctiſſimus D.N. Innocentius X.*
65 *Ad Militares Ordines Curia non dat tranſitum à Religionibus Mendicantium, vel non Mendicantium, etiam laxioribus.*
66 *Regularis profeſſus in laxiori Religione an teneatur adimplere votum ſimplex quod priùs emiſerat de intrando Religionem arctiorem, & n. ſeq.*
67 *Votum ſecundum ſolemne derogat primo ſimplici, pro quo tamen venit pœnitentia imponenda.*
68 *Epiſcopus, qui priùs voverat ingredi Religionem, tenetur cedere Epiſcopatui, & votum implere.*

SAnè. Si Canonicus Regularis efficiatur Monachus, aut religionis arctioris, & tunc manet Monachus: aut laxioris, & tunc redire compellitur. Hoc dicit Jo. Andr. Butr. Card. Anchar. & Joan. de Anan. Vel ad idem ſecundum Abbatem, Canonicus Regularis poteſt effici Monachus, ſi religio ad quam tranſit eſt ſtrictior ſua: aliàs ſecus, Sed juxta intellectum, qui verior eſt ut dicam infra *in 2. not.* Decretalis hoc intendit: Canonicus Regularis qui zelo ſanctioris vitæ tranſivit ad monaſterium Monachorum, non petita ſui Superioris licentia, permittitur diſpenſativè in eo remanere, ſi de præſenti arctior ibi vita ducatur; aliàs redire compellitur. Primò narrat factum quod, ſecundò diſtinguendo diffinit, ibi, *id tuæ*; & ſecundum membrum, ibi, *Alioquin* 1

Nota primò, ibi, *Si locus ubi nunc permanet majoris Religionis exiſtat*, ad validitatem tranſitus de una ad aliam religionem non eſſe attendendum, an monaſterium, ubi primò quis profeſſionem fecit, à principio ſuę fundationis fuerit ſtrictioris regulæ, quàm monaſterium, ad quod fit tranſitus; ſed an ſecundùm monaſterium modò ſit arctioris, prout ex hac littera deducunt Innoc. *in princ. in verb. Nunc*, Hoſtien. *num. 1. in eodem verb.* Joan And. *eodem numer. in verb. Ubi hunc*, qui ponderat dictionem, *Nunc*, ac ſi textus dicat: Non inſpiciendum privilegium fundationis regulæ utriuſque loci, ſed ſatis eſt, ut nunc ſit ſtrictioris illud ad quod tranſivit, licèt fortè tempore fundationis fuerit laxioris; & ſequuntur Butr. *numer.* 4. Cardin. *in 1. notab.* Anchar. *numer. 2.* Joan. de Anan. *in 1. notab.* & Abb. *numer.* 4. qui affirmat multos in hoc decipi advertentes ſolùm ad regulam utriuſque monaſterii antiquitus inſtitutam, & non ad modum vivendi de præſenti exiſtentem. Ego ad hoc aliter induco hanc decretalem: nam iſte erat Canonicus Regularis, & tranſivit ad Monachatum, & tamen mandatur inquiri an monaſterium, ad quod tranſivit, ſit majoris religionis, vel minoris: hæc autem inquiſitio fieri non poterat reſpectu regulæ, & primævi inſtituti, quia Canonici Regulares regulæ inſerviunt laxiori, ut dicit textus *in cap. Quod Dei timorem infra de ſtat. Monachor.* Ergo neceſſe eſt, ut inquiſitio facienda eſſet reſpectu præſentis obſervantiæ, & conſequenter inſpiciendum eſt, an tempore tranſitus in utroque monaſterio ſtrictior, vel laxior vita ducatur, ad hoc *c. Licèt*, ibi, Vitam duceret arctiorem, & ibi dixi, *n.* 20. *& 21.* poſt Abbatem *in 9. notab. infra eod.* Verumtamen, ut dicit Gul. Naſo, quamvis Regula Canonicorum Regularium ſit laxior, nihilominùs poſſibile eſt, ut per Conſtitutiones ſit ſtrictior, ſicut videre eſt ſecundum eum in Fratribus Prædicatoribus, qui etſi profiteantur Regulam S. Auguſtini laxiorem, quam ſit Regula S. Benedicti: tamen regula eſt quid minimum reſpectu aliarum aſperitatum, quas inducunt Conſtitutiones Ordinis, quæ uſque adeò arctant Prędicatorum vitam, ut aſperior dicatur, quàm vita Monachorum. Si ergo tranſierint ad Monachos, apoſtaſiam non effugiunt, & cogendi ſunt redire ad primum Ordinem, ut hic & concordant Goffred. & Jo. And. *n. 2.* Atque ita non tantùm Regula, ſed etiam Conſtitutiones in hoc ſunt attendendæ ſecundùm eos, & conſentiunt Card. *in 2. quæſt.* Anchar. *n. 4.* & Abb. *n. 5.* & idem Cardin. *in cap. Ad noſtram n. 2. & 3. ſupra de appell.* ubi etiam Abb. *n. 6.* & Præpoſit. *n.* 8. Anchar. in Clem. 1 *n. 4. in 3. not.* & ibi Imol. *num. 9. de Regular.* Lap. *alleg. 61. Quidam Franciſcus aliàs 62. num. 5.* Philipp. Prob. *in addit. ad Monach. in cap. 1. num. 20. infra eodem lib. 6.* Silveſt. *in verb. Religio 4. qu. 6.* Nec refert, quod Conſtitutiones tolli poſſint per contrarias Conſtitutiones, ut in *reg. 1. de reg. jur.* Regula autem per Conſtitutiones non poſſit tolli, *ut in c. Sicut infra eodem*, nam, ut reſpondet Joan. Andr. *d. nu. 3. verſ. Ad id autem*, ſatis eſt, ut poſſint non tolli: *ad hoc l. Sufficit, ff. de cond. indeb.* & Clem. *Quia de ſupplen. neglig. Prælat. cum ſimilib.* ut per eum; vel ſecundùm Abbat. hic *n.* 5. *verſ. Dic autem etiam clariùs*, licèt Conſtitutiones tolli poſſint, tamen

Margin numbers beside the commentary, in order: 2 (at "Nota primò"), 3 (at "tranſivit ad Monachatum"), 4 (at "Verumtamen"), 5 (at "in Fratribus Prædicatoribus"), 6 (at "Si ergo tranſierint"), 7 (at "Ordinem, ut hic"), 8 (at "Nec refert").

- tamen ſatis eſt, ut de præſenti in primo monaſterio ſtri-
ctiùs vivatur. Itaque ſive laxior vita oritur ex tranſgreſ-
9 ſione Regulæ, ſive ex inobſervantia Conſtitutionum, à
Religione, in qua remiſſiùs vivitur, poteſt quis licitè tranſi-
re ad minorem Religionem meliùs obſervatam, ſecundùm
D. Thom. in 2. 2. *quæſt.* 189. *art.* 8. *in corpor.* Joan. Andr.
hìc *num.*3. & Cardin. *in conſ.* 28. *Pro elucidatione*, ubi eſt
caſus.
10 Verùm hoc notabiliter limitat Jo. Andr. *d.n.*3. ut locum
habeat, ſi totus Ordo ſit collapſus, nec ſubſit ſpes reforma-
tionis, ſicut eo tempore contigit in Templariis: aliàs ſe-
cus. Unde ſi monaſterium verbi gratia Sancti Benedicti ſi-
ne ſpe reformationis ſit collapſum; nihilominus, ſi plura
monaſteria ejuſdem Ordinis, ſaltem in patria vel provin-
cia reperiantur non collapſa: tunc minimè licebit ad mino-
rem Religionem tranſire. Facit *cap. Abbate in fin. de verb.*
ſignif. Et cum hac limitatione Jo. And. tranſeunt hic Card.
in 3. *q.* Anchar. *n.*4. & Abb. *n.*7. Silveſt. *in verb. Religio* 4.
in 2. *&* 6. *quæſt.*
11 Secundo, nota ibi, *In eodem loco cum plura conſcientia*
remanere permittas, Regularem, qui bono zelo tranſivit
ad arctiorem Religionem, non eſſe cogendum ad primum
Ordinem redire, licèt à Prælato ſuo tranſeundi licentiam
non petierit; quod ſatis expreſsè probatur hìc; nam iſte
Canonicus Regularis fugerat à ſuo monaſterio, ut dicitur
in littera, & ſic licentiam non poſtulaverat, ut arguit Hoſt.
hìc *in princ. in verb. Fugerat.* Non enim placet intellectus
Magiſtri Petri de Sampſone dicentis Papam hìc loqui jux-
ta vulgare Lombardorum, qui verb. *Fugere*, uſurpant pro
Ire, ut hìc refert Abb. Antiq. *num.*1. & tamen quia cum
puritate conſcientiæ tranſivit, non compellitur redire ad
primum monaſterium, niſi in caſu, in quo ſecundum ſit
minoris Religionis; & ita per hanc litteram ſentit gl. Ber-
nard. hìc, *& in cap. Licet in verb. Licentiam poſtulaverit*,
infra eodem. Sed tu dicas Religioſum poſſe revocari ad
ſuum monaſterium, ut tenet gl. Joannis *in c. Mandamus in*
verb. Monachus 19. *q.* 3. & latè probavi *in d. c. Licet in* 2.
*quæſt. à n.*52. *uſque ad n.*60. Nec obſtat hoc cap. quia in hac
parte continet gratiam, & diſpenſationem, ut innuit verb.
Permittas, ſecundum præcitatam gl. & Hoſt. *hic in princ.*
verſ. Vel quod hic dicit, *& num.* 1. *verſ. Vel cum pura con-*
ſcientia, & Abb. *nu.*2. *verſ. Tamen gl.* & ex hoc intellectu
collige in practica, quod etſi de rigore juris tranſiens de
una ad aliam Religionem zelo ſanctioris vitę cogendus ſit
regredi ad primam, ſi à Prælato ſuo tranſeundi licentiam
non petierit: tamen non eſt inconveniens, ut ex æquitate
Sedes Apoſtolica cum eo miſericorditer diſpenſet, ut poſ-
ſit remanere in ſecunda, ſi de præſenti in ea ſtrictior vita
ducatur, prout Papa hic fecit.
12 QUÆRO, an Religio ſit una tantùm, vel plures ſint
Religiones, & in quo differant.
Reſpondeo cum Joan. Andr. hìc. *nu.*4. cum jus noſtrum
de Religionibus loquens dicat alteram majorem, vel ar-
ctiorem, aut diſtrictioris vitæ, & alteram minorem, vel
laxiorem, ut hìc, *& in cap. Licèt*, *& cap. Conſulti infra*
eodem, *& in cap. Virgines* 29. *q.*4. *in c. Quod Dei timorem*
infra de ſtatu Monachor. & in cap. Qui votum infra eodem
13 *lib.*6. hinc patet Religiones eſſe plures, & non unam tan-
tùm, ut in Clem. 1. *de elect. & in cap. unic. de Relig. Domib.*
*lib.*6. Nec obſtat ſi dicas non eſſe ibi differentias per ſpe-
cies, ſed per accidens, cùm omnis Religio hoc habeat com-
mune, ut quis ſe totaliter præbeat ad ſerviendum Deo ſe-
cundum tria principalia, & eſſentialia vota, de quibus *in c.*
Cùm ad monaſterium in fin. de ſtatu Monach. Quo fit, ut
non poſſit eſſe diverſitas ſecundùm hoc, ut in una Religio-
ne quis aliquid ſui retineat, & in alia aliud, ſicut in ſtatu
Epiſcopali non eſt diverſitas in ſpecie, ſed eſt unus ubi-
14 cumque fuerit, *cap. Legimus* 93. *diſt.* Id inquam non ob-
ſtat, quoniam ut reſp. Jo. Andr. *dict. num.* 4. *verſ. Fateri*.
[Status Religionis ex illis tribus eſſentialibus eſt perfectius
quoddam excercitium, quo quis exercetur ad perfectioné
charitatis. Sunt autem diverſa charitatis opera, quibus ho-
mo vacare poteſt. Sunt etiam diverſi modi exercitiorum;
15 & ideò religiones diverſificantur dupliciter. Primò enim
diverſificantur ſecundum diverſitatem operum ad quæ or-
dinantur, ut quia una eſt ordinata ad preregrinos hoſpitan-
dos, alia ad captivos viſitandos, vel redimendos, una ad
16 actus contemplativos, alia ad activos, alia ad mixtos. Se-
cundo, diverſificantur ſecundum diverſos actus exercitio-
rum, ut quia in una caſtigatur corpus per abſtinentiam, in
alia per nuditatem, in alia per operationem manuum, ma-
jor tamen eſt prima diverſitas, quam ſecunda, cum finis 17
in unaquaque re ſit potiſſimum. Quamvis ergo tria illa eſ-
ſentialia unicuique religioni ſint communia: tamen benè
compatiuntur religiones fore diverſas propter diverſas diſ-
poſitiones, & diverſos fines ad illa tria eſſentialia ordina-
tos. Quinimò, eſto aliquę Religiones ſint ordinatę ad eoſ- 18
dem fines, nihilominus cum diverſæ ſint inſtitutiones, di-
verſi habitus, diverſæ denominationes, dicuntur eſſe di-
verſæ, & ſic loquitur dict. Clem. 1. *de elect. & dict. c. unico*
de religioſ. domib. lib. 6.] Hæc Joan. Andr. quæ ferè ad ca-
lamum tranſtulit ex D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 188. *art.* 1. Qui- 19
bus adde Gemin. *conſ.* 41. *Pro clariori deciſione numer.* 1.
ubi magiſtraliter dicit in Eccleſia militanti eſſe unum ge-
nus hominum generaliſſimum, quod principaliter divi-
ditur in duo genera ſubalterna, clericorum, videlicet,
& laicorum, *cap. Duo ſunt genera* 12. *quæſt.* 1. Genus
autem ſubalternum clericorum habet ſub ſe diverſas ſpe-
cies, quæ principaliter dividuntur in duas, videlicet in
clericos ſæculares, & religioſos: & appellatione unius iſto-
rum propriè ſumpto vocabulo non comprehenditur al-
terum, ut eſt text. *in cap Ex multa, verſ. Sicut ergo infra*
de voto, & notat gloſ. in Clem. *Cupientes in verb. Religio-*
ſi, de præbend. Idem ſpecies religioſorum dividitur in alias 20
ſpecies, quæ diſcernuntur ex diverſitate profeſſionis, & ha-
bitus, ut patet *in cap. Ut lex continentiæ* 27. *quæſt.* 1. & in
Clem. 1. *de elect.* & in Clem. 1. *Eos de Regular. cum ſimilib.*
Quod latiùs proſequere, ut per eum. Dicit etiam Lapus
*allegat.*130. *Pro dubii num.*4. ſecundum opinionem Theo-
logorum unam tantùm eſſe Religionem, quia in omnibus 21
religionibus inſunt illa tria ſubſtantialia, ſcilicet obedien-
tia, continentia, & carentia proprii; & ſine illis tribus
non eſt religio, ut notatur *in cap.* 2. *de Eccleſ. ædifican.*
ergo una tantùm eſt religio, ſeu unum genus, licèt plu-
res ſint ſpecies. Similiter Anchar. *conſ.* 321. *Præmitten-* 22
da ſunt num. 1 [licèt, inquit, Religiones diverſificentur
ſecundum diverſitatem operum, & exercitiorum; tamen
omnes in fine conveniunt, ſcilicet in dilectione Dei, &
proximi; ergo in ſummo fine, qui eſt charitas, omnes re-
ligiones conveniunt, ut in extravag. *Ad conditorem, verſ.*
Cùm enim. Conveniunt etiam omnes religiones in tribus
ſubſtantialibus regulæ, de quibus *in c. Cùm ad monaſterium*
de ſtat. Monach. Ex quibus poteſt dici, quòd prædictæ di-
verſitates faciunt potiùs religiones differre in qualitate ac-
cidentali, quàm in ſubſtantia, ſive eſſentia, arg. *l. Ordo, ff.*
de publ. judic. Fateri tamen oportet, quòd dicta diverſitas
accidentium, ſive qualitatum inducat diverſitatem religio-
num, ut notatur in Clem. 1. *de elect.*] Hactenus verba
Ancharani. Sed tu dicas cum Joan. Andr. religionum diſ- 23
ferentias eſſe per ſpecies, & non per accidens, ut dictum
eſt ſuprà *n.*13. Nec obſtat, quod ea, quæ in eſſentialibus
conveniunt, ſicut religiones omnes conveniunt in tribus
ſubſtantialibus, ſine quibus non eſt aliqua religio, non diſ-
ferant niſi per accidens. Quoniam ut reſpondet S. Thom.
2. 2. *q.* 188. *art.* 1. *ad* 2. tria eſſentialia vota pertinent ad exer-
citium religionis, ſicut quædam principalia, ad quæ omnia
reducuntur. Ad obſervandum autem unumquodque eo-
rum diverſimodè aliquis ſe diſponere poteſt, puta ad vo-
tum continentiæ ſervandum ſe diſponit aliquis per loci ſo-
litudinem, per abſtinentiam, & per mutuam ſocietatem,
& per multa alia hujuſmodi; & ſecundum hoc patet quòd
communitas eſſentialium votorum compatitur diverſita-
tem religionis, tum propter diverſas diſpoſitiones, tum
etiam propter diverſos fines.
Secundò QUÆRO, quæ religio dicatur arctior, ſeu 24
diſtrictior, vel major.
Pro ſolutione quæſtionis præmittendum eſt religionem 25
principaliter ordinatam eſſe ad opera vitæ contemplativę,
quæ in oratione, & ſtudio conſiſtunt, ad quod propriè vi-
detur ordinatus ordo Ciſtercienſium, & Carthuſienſium,
licèt aliquis ex his ſecundariò opus manuum, vel hoſpitali-
tatem habeat annexam. Sed multæ religiones ſunt etiam 26
ordinatæ ad opera vitæ activæ, & aliquę ad mixta, ut di-
ctum eſt in præcedenti quæſtione. Iſtorum autem activo- 27
rum actuum quidam conſiſtunt in prædicatione, & doctri-
na, & animarum conſiliis, de quibus quomodo, & quando
religioſis competere poſſint, planè habetur 16. *quæſt.* 1.
per totam. Exemplum in Prædicatoribus, Minoribus, Ere-

mitis Sancti Auguſtini, Carmelitis, & ſimilibus. Qui-
28 dam in militia, ut olim Templarii, & nunc Hoſpitalarii, ſeu Calatrenſes; Sancti Jacobi de Spatha, Sanctæ Mariæ Theutonicorum, & his ſimiles. De qua quidem militia quomodo, & quando bonum publicum, & animarum ſalutem reſpiciat, ſatis habetur *in cap. Noli 23. q. 1. & c. Fortitudo, & per tot. q. 3.* & per Joan. Andr. hìc *num. 7.*
29 *verſ. De corporali*. Aliqui ad hoſpitalitatis, & infirmorum obſequia, ut Ordo Cruciferorum Sancti Antonii Viennen.
30 Sancti Spiritus in Saxia, Beati Joannis Dei, & Clericorum miniſtrantium infirmis. Rurſus aliquæ Religiones ſunt ordinatæ ad ſolitudinem, aliquæ ad ſocietatem; quædam habent propria in communi, quædam non, ut olim Mendicantes omnes, & hodie Minores Sancti Franciſci, ut in decreto Concilii Tridentini *ſeſſ. 25. de regul. cap 3.*

31 Quibus ita conſtitutis, in propoſita quæſtione primo intuitu dicendum videtur illam dici majorem Religionem, quæ habet opera contemplativa; unde *Lucæ* 10. Maria, per quam hæc vita deſignatur, optimam partem elegiſſe dicitur, *c. Niſi cum pridem ad fin. ſupr. de renuntiat.* Præterea Auguſtinus conſuluit certius eſſe tenendum, *ut cap. Si quis in fine de pœnit. diſt. ultim.* Sed vita contemplativa proculdubio certior, ac tutior eſt, *ut in d. cap. Niſi*, Ad hoc *cap. primum in fin. de pœnit. diſtinct.* 5. Ergo præeligenda, & appetenda.

32 Sed contra, major Religio videtur illa, quæ habet opera activa, per text. *in cap. Licèt, infra eodem*, ibi, Quoniam ſicut majus bonum minori bono præponitur, ita communis utilitas ſpeciali utilitati præfertur; & in hoc caſu rectè præponitur doctrina ſilentio, ſolicitudo contemplationi, & labor quieti, &c. Sed illa Religio eſt major, & potior, quæ ad majus bonum eſt ordinata: Ergo religio, quę ordinatur ad vitam activam: eſt potior illa, quæ ordinatur ad vitam contemplativam. Præterea omnis Religio, ut predixi, ordinatur ad charitatem: at majorem charitatem quis habere non poteſt, quàm ut vitam ſuam ponat pro amicis ſuis, *Jo.* 15. *dict. cap. Niſi cum pridem, verſ. Quippe*
33 *de renuntiat.* Ergo Ordines ad id ordinati, quales ſunt Ordines militares, qui etiam ſunt activi, cenſeri debent majores.

34 Dici tamen poteſt ejuſmodi Ordines militares eſſe ordinatos ad effuſionem ſanguinis activam, non autem paſſivam, licèt etiam paſſiva per accidens evenire poſſit: facit *cap. Is qui de homicid. lib. 6.* ſecundùm Jo Andr. hìc *nu. 8. verſ. Dici tamen poteſt*, qui propterea fatetur aliquo caſu hos milites martyrium ſubire poſſe; & tunc ambigendum non eſſet, quin aliis Religioſis eſſent præferendi ſecundum eum. Unde ſuper illud ad Hebr. 12. *Nondum uſque ad ſanguinem reſtitiſtis*, dicit gl. Perfectior in hac vita dilectio nulla eſt ea, ad quam Sancti Martyres pervenerunt, qui contra peccatum uſque ad ſanguinem certarunt: certare enim uſque ad ſanguinem poteſt interdum competere Religionibus, quæ ad militiam ordinantur, quod expreſsè docuit S. Thom. in 2. 2. *q.* 188. *art. 6. ad 2.* juncto argum. contrario.

35 His in utramque partem adductis, pro ſolutione quęſtionis, cùm Religiones primò diverſificentur ex parte finis, ſecundò ex parte exercitii, dicunt Theologi majoritatem, ſeu excellentiam unius Religionis ſuper aliam principaliter attendi ſecundum Religionis finem, ſecundariò autem ſecundum exercitium: nam comparatio ſecundum finem eſt abſoluta, quia finem quærimus propter ſe; ſed ſecunda eſt reſpectiva, quia exercitium non quæritur propter ſe, ſed propter finem: ex quo ſequitur, ut illa Religio ſit major, quæ ordinata eſt ad finem abſolutè potiorem, vel quia illud eſt majus bonum, vel quia ordinatur ad plura bona. Ubi
36 verò utriuſque Religionis finis ſit idem, attenditur ſecundariò præeminentia, non ſecundum quantitatem exercitii,
37 ſed ſecundùm proportionem ejus ad finem intentum. Unde in Collationibus Patrum *col. 2. cap. 3. ante med.* introducitur ſententia Beati Antonii, qui prætulit diſcretionem,
38 per quam quis omnia moderatur, jejuniis, vigiliis, & hujuſmodi obſervantiis. Cùm igitur opus contemplationis ſit duplex, ſcilicet oratio, & lectio: ſi una Religio eſſet ordinata ad orationem tantùm, & alia ad lectionem; utique
39 prima eſſet major, quia opus orationis nobilius. Cæterum advertendum eſt opus vitæ activæ eſſe duplex. Unum eſt quod derivatur ex contemplationis plenitudine, ut prædicatio, & doctrina. Unde & Gregorius dicit *in 5. homil. ſuper Ezech. poſt. med.* quod de perfectis viris poſt contemplationem ſuam redeuntibus dicit Pſalm. 144. *Memoriam ſuavitatis tuæ eructabunt*. Et hoc opus meritò præfertur ſimplici contemplationi, & ſic loquitur *cap. Licet inf. eod.* 40
Sicut enim majus eſt illuminare, quàm lucere tantum; ita majus eſt contemplata aliis tradere, quam ſolùm contemplari. Sic ergo ſummum gradum in Religionibus tenent quę ordinantur ad docendum, & prædicandum, quæ & 41
propinquiſſimæ ſunt perfectioni Epiſcoporum.

Secundum autem gradum tenent illæ, quæ ordinantur 42
ad contemplationem. Aliud verò eſt opus vitę activæ, quod totaliter conſiſtit in exteriori occupatione, ſicut eleemoſynas dare, hoſpites recipere, & ſimilia, quæ ſunt minora operibus contemplativis, niſi forte in caſu neceſſitatis, *c. Non ſatis; & c. Paſce fame morientem 86. diſt.* & quia acti- 43
vum opus militię ordinatum eſt ad publicam utilitatem, videtur eſſe nobilius. Nam, ut dicitur, primò & hìc, melius eſt bonum gentis quàm unius hominis. Facit *c. Bonæ, il primo ſupr. de poſtulat. Prælat.* Et propterea dicunt aliqui, quos tacito nomine hic refert Joan. Andr. *nu. 8. circa med. verſ. Per quod*, opus militiæ in Religione ordinatum non ad mundanum commodum, ſed ad defenſionem divini cultus, & publicæ ſalutis, ſubſidium Terræ ſanctę, & perſonarum miſerabilium, & patriæ, inter opera activa eſſe nobilius, & propter id Religionem ad id ordinatam eſſe nobiliorem aliis ordinatis ad alia purè activa; unde de Juda legitur 1. Machabæor. 3. *Præliabatur prælium Iſrael cum lætitia, & dilatavit gloriam populo ſuo*, & ſic pugnavit pro Republica; item & pro divino cultu. Unde ibi ſequitur eum dixiſſe: *Nos pugnabimus pro animabus noſtris, & pro legibus noſtris*; inter activa verò, quæ reſpiciunt ſubventionem 44
privatorum proximorum, videtur eſſe nobilius, & in primo gradu infirmos recipere, in ſecundo autem captivos redimere, in tertio hoſpites recipere, in quarto, ad ſuum victum manibus operari. Per quæ patet Religiones ad hos actus inſtitutas habere ſecundum qualitatem activam ſuas præeminentias. Quod ſi una ad plura ejuſmodi opera ſit inſtituta, alia ad pauciora, prima erit præſtantior. Et idem 45
ſi habeat ſtatuta, quæ magis congruant ad finem propoſitum. Unde convenientius ordinatur ad continentiam maceratio carnis per abſtinentiam cibi, & potûs, quę pertinent ad famem, & ſitim quàm per veſtium ſubtractionem, quę pertinet ad frigus, & nuditatem. Illa enim, quæ ſine diſcretione fierent, facilè adnexum haberent deficiendi pe- 46
riculum; unde, ut ait B. Antonius, non ſunt Religiones potiores, quia arctiores habeant obſervantias, ſed quia obſervantiæ ſunt majori diſcretione ordinatæ ad ſuum finem; & Abbas Moyſes in collationibus Patrum *in col. 1. c. 7. poſt med. Jejunia* (inquit) *vigiliæ, meditatio ſcripturarum, nu-* 47
ditas, ac privatio omnium facultatum, non perfectio, ſed perfectionis inſtrumenta ſunt, & iſta inſtrumentalia deſerviunt tribus eſſentialibus Religionis. Ad paupertatem labor manuum & mendicitas, quæ victum procurant. Ad continentiam maceratio carnis, ut jejunia, vigiliæ, & hujuſmodi. Ad obedientiam oratio, lectio, viſitatio infirmorum, & ſimilia. 48
Per hoc removentur obſtacula impedientia ſuum Religionis finem, ut ſcilicet totaliter tendatur in Deum, & charitatis perfectionem. In communi ergo exercitio circa illa tria ſubſtantialia omnes Religiones conveniunt, ſed in obſervantiis variant, de quibus una Religio quandoque plus habet, quàm alia. Ex prædictis collige triplicem religionis præeminen- 49
tiam. Prima principaliter, & ſecundariò attenditur. Secunda principaliter, tantùm. Tertia ſecundariò tantùm, ut hìc latè pro Jo. Andr. *n. 8.* qui hæc ferè omnia hauſit ex doctrina D. Th. in 2. 2. *q.* 188. *art. 6. per tot.*

Ex his ergo concludunt Theologi in tranſitu de una ad 50
aliam Religionem non eſſe attendendum, an ſit aſperior, ſeu durior, ſed ſolùm an ſit perfectior, & fructuoſior: ad hoc *c. Licet infr. eod.* ibi, *Ad frugem melioris vitæ valeat tranſmigrare*. Et infra, ibi, *Liberè poteſt ſanctioris vitæ propoſitum adimplere*. Et hanc contendunt eſſe majorem Religionem, da qua loquitur hęc Decretalis. Et hujus ſententię, licèt non 51
ita clarè, videtur eſſe D. Thom. in 2. 2. *q.* 189. *art. 8. in corp.* ubi ait, *Pone aliquem laudabiliter de una Religione tranſire ad aliam zelo perfectionis, in qua non attenditur excellentia ſecundum ſolam arctitudinem, ſed principaliter ſecundum id, ad quod Religio ordinatur: ſecundario verò ſecundum diſcretionē obſervātiarum debito fini proportionatarum. Et in quæſt.*

quæſt. præcedenti art. 6. in corp. & in reſponſione ad tertium
ſimiliter ait, arctitudinem obſervantiarum non eſſe id,
quod præcipuè in Religione commendatur; & ideò non
eſſe potiorem Religionem ex hoc, quod habeat arctiores
obſervantias, ſed ex hoc, quòd ex majori diſcretioni ſunt
ejus obſervantiæ ordinatæ ad finem Religionis: Et hanc
doctrinam ſequuti ſunt Turrecrem. *in cap. 1. num. 1. verſ.
Primo zelo perfectionis* 19. *quæſt.* 3. S. Antonin. *in* 3. *part.
tit.* 16. *cap.* 4. *in princip. verſ. Poteſt tamen*, Silveſt. *in
verb. Religio* 4. *in fine*, ibi: Sed tamen adverte, quia no-
mine Religionis arctioris venit Religio ſanctior, & Reli-
gio fructuoſior, Navarr. *in comm.* 4. *de Regul. num.* 2. *&*
3. Quinimò Petr. de Palud. *in* 4. *ſent. diſtinct.* 38. *q.* 3. *art.*
1. *num.* 11. [Quia (inquit) corporalis exercitatio ad mo-
dicum utilis eſt, nullum autem ſacrificium eſt Deo magis
acceptum ſicut zelus animarum, quia ad prędicandum fuit
Chriſti Religio eſſentialiter, & principaliter, & nominali-
52 ter inſtituta; idcircò religio Prædicatorum, quia ad hoc
principaliter inſtituta eſt, aliis eſt perfectior, & ex omni
alia ad eam licet tranſire, etiamſi in paupertate, & au-
ſteritate alia excellat, quia hæc eſt perfectio, & reli-
gio Chriſti, etiamſi loculos habeat, quos alia non habeat
religio, quæ prædicationem eſſentialiter non habet anne-
xam; ſed accidentaliter poſt inſtitutionem per auctorita-
tem ſibi commiſſam per accidens ad hanc perfectionem at-
tingit.] Hæc Petr. quem refert, & ſequitur D. Antonin.
53 *d. cap.* 4. §. 4. *in princip.* & cum his concordat Silveſt. *in
ver. Religio* 4. *q.* 6. & Joan. ibidem relatus à D. Anton. Nam,
ut ipſe ait, cùm unicuique ob frugem melioris vitæ ad al-
tiorem ſtatum liceat tranſire, *ut cap. Duæ ſunt* 19. *quæſt.* 2.
& c. Licèt infrà eodem; non ſolùm Carthuſienſes, ſed cu-
juſcumque ordinis fratres ad ordinem Prędicatorum poſ-
ſunt tranſire regulariter ad unguem viventem. Et illum eſſe
aliis perfectiorem probat eadem ratione, qua Petr. de Pal.
Quinimò, ut refert S. Antonin. *loc. cit.* Monaldus nomi-
ne magnus Canoniſta, & Theologus atteſtatur ſe vidiſſe
Pariſiis determinationem factam per doctores univerſita-
tis ejuſdem, quòd frater Carthuſiæ poteſt tranſire ad ordi-
nem Prędicatorum regulariter viventem de jure commu-
54 ni. E converſo autem, ut inquit S. Antonin. *d.* §. 4. *verſ.
E converſo*, Fratres Prædicatores ad aliorum ordinum ob-
ſervantiam non poſſunt deſcendere, niſi in ordine Prædi-
catorum foret remiſſa religio: tunc enim liceret tranſire
ad alium ordinem arctiùs viventem cum propoſito, &
facto arctè vivendi, & non laxè; & ita ſecundum Theolo-
gos non attenditur, quæ religio ſit aſperior, ſed quæ ſit
perfectior.
55 [Sed nos Canoniſtæ (ut inquit Joan. Andr. hìc *num.* 8.
circa fin.) non ponderatis his ſubtilitatibus, tantùm ſole-
mus advertere, ubi ſit arctior, diſtrictior, durior, vel for-
tior modus vivendi; unde Decretalis *Licet inf. eod. in fin.*
dicit, ut apud eos vitam duceret arctiorem, & paulò poſt
princ. dicit, arctioris vitæ prætextu. Ad idem *cap. Quia
56 in inſulis*, ibi, *Dura eſt Congregatio, infrà de ſtat. Mona-
chor.* Atque ita cùm omnes religiones ſint ordinatę ad ſum-
mum finem, qui eſt charitas, per quam quis conjungitur
Deo, ut in Extravag. Joan. XXII. *Ad conditorem, verſ.
Cùm enim*, & ſic finis ſit idem: ſolum arctiorem vivendi
57 modum ponderamus; ideòque ſi in una Religione ſit ſola
contemplatio cum arctiſſimo vivendi modo, poſſibili ta-
men, & ſine deficiendi periculo, non admitteremus tran-
ſitum ad religionem, in qua eſſet contemplatio, & actio
etiam per prædicationis officium cùm laxo, vel minus ar-
cto modo vivendi, quod tamen Theologi admitterent ſe-
cundùm prædicta.] Hactenus verba Joan. Andr. cum quo
concordant hìc Henric. Boic. *num.* 16. Anton. de Butr.
nu. 6. modernos Theologos qui volunt omnia ſcire, &
nihil ſciunt, Cardin. *num.* 19. *verſ. Tamen ſecundum Ca-
noniſtas*, Anch. *num.* 5. *verſ. Dicit Jo. Andr. quod Cano-
niſtæ*, Abb. *num.* 8. & Jo. de Anan. *num.* 3. *verſ. Canoniſtæ
58 dicunt*, Summa Roſella *in verb. Religio* 4. *num.* 8. *in fin.* &
Angel. *in verb. Religioſus num.* 34. Adde quòd opinionem
Canoniſtarum ſervat curia; non enim permittit tranſitum
à religione, in qua ſtrictiùs, & duriùs vivitur, ad religio-
nē, in qua vivitur laxiùs, utcumque annexum habeat prę-
dicationis officium; unde ſi Carthuſianus tranſmigraret
ad Prędicatores prætextu zeli perfectioris, vitę, puniretur
59 tamquam apoſtata: è converſo autem ex quacumque reli-
gione datur tranſitus ad Carthuſiam, ut in extr. 1. *de reg.* ubi

Martinus IV. ſtatuit, ut nullus religioſus ordinum Mendi-
cantium quorumcumque, quavis auctoritate ad religio-
nem non Mendicantium audeat convolare, ordine Car-
thuſienſium dumtaxat excepto, ſub pœna excommunica-
tionis latæ ſententiæ Papæ reſervata: & ex hoc confundi- 60
tur opinio Paſſerel. *in privil. Minim. c.* 39. contendentis
ex quacumque religione dari tranſitum ad religionem Mi-
nimorum; ſed ex illa ad nullam aliam, eo quòd ſit om-
nium arctiſſima ob votum quadrageſimalis vitæ, ut dicit
Julius II. in ipſorum privil. Item dubia redditur opinio D.
Bonav. *in expoſit. reg. Minor. cap.* 2. *quæſt.* 12. *&* 13. *tom.* 1.
Cordubæ *in eadem reg. cap.* 2. *quæſt.* 17. *punct.* 1. qui idem
affirmant de religione Minorum; ſed oppoſitum ſervatur in
practica, nam & Cappuccini paſſim tranſeunt ad Carthu-
ſianos petita licèt non obtenta ſuorum Superiorum licen-
tia. Item, ut vides, obſtat exceptio, de qua in prædicta ex-
travag. Martini IV. Quæ quidem exceptio apponi ſolet
in omnibus privilegiis, & indultis Apoſtolicis interdi-
centibus tranſitum ad alias religiones, & meritò, quia 61
licèt Carthuſienſium religio non ſit cæteris perfectior
ex parte finis, quippe quæ non eſt inſtituta ad officium
docendi, vel prædicandi, ſed ad ſolam contemplationem
ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſupra *num.* 41. *&* 52. tamen
arctiſſima clauſura, ac velut perpetuus carcer, cui ſunt
addicti Carthuſienſes, cùm abſtinentia à carnibus in quo-
cumque caſu, præponderat omnibus aliis religionum aſ-
peritatibus, ut dixi *in cap. Ad Apoſtolicam num.* 38. *infrà
eodem in c. Non eſt vobis num.* 25. *& num.* 28. *ſup. eod.* ubi
de tranſitu Ciſtercienſium ad Carthuſianos: & quia in ſtri- 62
ctiori clauſura perpetuò vivunt etiam Eremitæ Camaldu-
lenſes, de quibus mira hìc tradunt Joan. Andr. *num.* 11. &
Butr. *num.* 8. idcircò Eugen. IV. in Conſtitutione, quæ in-
cipit, *Illa quæ*, edita 8. Kalen. Novembris 1475. in Bul-
lar. *tom.* 1. *pag.* 174. indulſit Priori, & Fratribus eremi Ca-
maldulenſis, ut omnes, & ſingulos cujuſcumque Ordinis
exiſtant, & de quibuſcumque Congregationibus, domi-
bus, ſeu monaſteriis, ſive mendicantium, ſive non men-
dicantium, etiam Carthuſienſis ordinis venerint, Superio-
rum ipſorum licentia petita, licèt non obtenta, in prædi-
cta eremo recipere, & retinere poſſint. Cæterùm cùm no- 63
ſtris temporibus memorata eremus à rigore primęvi inſti-
tuti plurimùm declinaverit, & in tranſitu de una ad aliam
religionem non attendatur primęva inſtitutio, & fundatio
regulæ, ſed pręſens obſervantia, ſecundum ea, quę dixi ſu-
pra *in* 1. *not.* fortè non liceret vigore præſentis Indulti ex
ordine Carthuſienſi ad dictum eremum tranſvolare: ſed
quia non ita pridem à ſanctæ mem. Urbano VIII. facta eſt
unio Eremitarum montis Coronæ cum Eremitis Camal- 64
dulenſibus ſub quibuſdam Capitulis, de quibus in Brevi ex-
pedito ſub die 8. Oct. 1634. quę paulò poſt fuerunt decla-
rata in alio Brevi 13. Aprilis 1635. & quia hujuſmodi unio-
nem noviſſimè approbavit Sanctiſſimus Dominus noſter
Innocentius X. videtur ſubeſſe ſpes proxima reformationis
tam celebris Sanctuarii, ubi S. Pater Romualdus illius fun-
dator primùm in occidente vitam eremiticam introduxit,
ut in primis litteris Urbani VIII. ac proindè videtur eſſe lo-
cus limitationi Jo. Andr. de qua ſupra *n.* 10.
Rurſus in curia ſępiùs vidi denegatum tranſitum ex reli- 65
gionibus etiam laxioribus tam Mendicantium, quàm non
Mendicantium ad ordines militares, quem tamen conce-
derent Theologi ſecundùm, ea, quæ dicta ſunt ſuprà *n.* 43.
Adhæreas igitur Canoniſtis.
Sed hic QUÆRO, an profeſſus in laxiori religione te- 66
neatur adimplere votum ſimplex, quod priùs emiſerat de
intrando religionem arctiorem.
Reſpondeo breviter non teneri, quia votum ſolemne, 67
quo quis obligatur minori religioni, eſt fortius, quàm vo-
tum ſimplex, quo religioni majori aſtringitur. Poſt votum
enim ſimplex, ſi contraheret quis matrimonium, non di-
rimeretur, ſicut poſt votum ſolemne; & ideò ille qui jam
profeſſus eſt in minori religione, non tenetur implere vo-
tum ſimplex, quod emiſit de intrando religionem majo-
rem. Ita per hanc rationem docet S. Th. in 2.2 *q.* 189. *art.* 8.
ad 3. quem refert, & ſequitur Turrecr. *in c.* 1. *in* 4. *q. n.* 4. 19.
q. 3. Poteſt igitur talis remanere in laxiori, quia per ſecun-
dum votum ſolemne derogatum eſt primo ſimplici, quod
fecerat: tamen pro voto primo non completo erit pœniten-
tia imponenda, *ut c. Qui poſt votum, de Regul. lib.* 6. ſecun-
dum Turrecr. *ubi ſupra*. Diverſum eſt in eo, qui vovit re-

ligionem ingredi, & voto non completo factus eſt Epiſcopus; per hoc enim non eſt ſolutus voto, imò ſi ſuam velit ſanare conſcientiam, debet cedere, & votum implere, ut eſt text. *in cap. Per tuas, infra de Voto, S.* Thom. *d. qu.* 189. *art.* 3. *ad primum*: & ſic nota differentiam inter matrimonium carnale, & matrimonium ſpirituale, quod contrahitur inter Epiſcopum, & Eccleſiam, *ut in c. ult. & per tot. ſupra de translat. Epiſcopi*; nam primum derogat voto ſimplici de intrando religionem, ſecundum autem non.

DE REGULARIBUS.

Idem Alexander III. Belvacen. Epiſcopo.

CAPUT XI.

SIgnificatum eſt nobis: & infrà. Mandamus, quatenus ſi inveneris, quòd G. non fuiſſet à parentibus oblatus; & infra decimum quartum annum facti voti pœnitens, à religione receſſerit: ab illo voto profeſſionis, quod fecit, denunties abſolutum. Si autem à parentibus fuerit oblatus, ſeu decimum quartum annum compleverit, cùm religionem intravit, ſeu poſt decimum quartum annum profeſſionem à ſe priùs factam, ratam habuerit: eum ad eamdem, vel ad aliam religionem tranſire compellas.

SUMMARIUM.

1 *PRofeſſus tacitè an cenſeatur, qui ante annum decimum ſextum ignorans defectum ætatis expreſſam profeſſionem emiſit, & poſteà credens ſuam profeſſionem validam in monaſterio per plures annos in habitu regulari abſque reclamatione perſeveravit, & nu. ſeq. uſque in fin.*

2 *Ignorantiæ præſumptio non prodeſt, niſi allegetur.*

3 *Profeſſio tacita inducitur per delationem annalem habitus indiſtincti, licèt præceſſerit expreſſæ irrita, abſque eo quòd probetur ſcientia nullitatis profeſſionis expreſſæ.*

4 *Ignorantia nullitatis profeſſionis expreſſæ an tacitam profeſſionem excludat.*

5 *Profeſſio tacita neceſſariò requirit conſenſum profitentis, & num. 19.*

6 *Actus cenſetur factus in executionem obligationis præcedentis.*

7 *Errantis, & ignorantis nullus eſt conſenſus, & num. 21. & 41.*

8 *Profeſſio expreſsè emiſſa ab eo, qui falsò opinabatur ſe jam eſſe profeſſum, an valeat, & numero 42.*

9 *Votum denuò factum propter dubium validitatis prioris voti an obliget, & n. 13. & 42.*

Matrimonii confirmatio à principio invalidi an requirat certam notitiam amotionis obſtaculi, ibidem, & num. 46.

10 *Matrimonium contractum cum ancilla ignoranter, ea viro ignorante manumiſſa, non convaleſcit per copulam ſubſequentem, & n. 26.*

11 *Actus continuatus cenſetur unus per relationem ad principium ſui temporis.*

12 *Ratihabitio actus invalidi an requirat ſcientiam nullitatis cum qualitatibus, & voluntatem eam ſanandi, & num. 41.*

13 *Approbare, & credere eſſe validum, in quo differant.*

Vovens ante pubertatem, ſi poſt pubertatem votum ratificet credens eſſe validum, an obligetur coram Deo, ibid. n. 42.

14 *Ordinatus per metum, ſi ordinem exerceat ignorans nullitatem, an cenſeatur ratificare.*

15 *Donatum monaſterio ob cauſam erroneam validitatis profeſſionis poteſt repeti.*

16 *Falſa cauſa non obligat profitentem, & n. 29. & ſeq. & num. 41.*

17 *Præſumptio tacitæ profeſſionis per delationem habitus annalem an admittat probationem in contrarium, & num. 40.*

18 *Ignoranti non currit tempus.*

19 *Profeſſio tacita non requirit conſenſum expreſſum, ſed ſufficit tacitus, & præſumptus.*

20 *Præſumptio taciti conſenſus ex delatione habitus habet locum etiam cum præceſſit expreſſa profeſſio irrita.*

21 *Ignorantia, & error an, & quando excludant voluntarium, & n. ſeqq. & n. 41.*

22 *Ignorantia antecedens, & concomitans quæ ſit.*

23 *Voluntas non fertur niſi in præcognitum.*

24 *Matrimonium contractum per errorem, an & quando ſit nullum, & n. 27.*

25 *Ignorantia an ſit antecedens, vel concomitans, quibus regulis cognoſcatur.*

26 *Matrimonium nulliter contractum, ſi conjuges validum credentes ſe commiſceant, an, & quando convaleſcat, & num. 28.*

29 *Actus factus ex cauſa erronea, an, & quando ſit nullus, & num. 38.*

30 *Falſa cauſa obligat religioni, ubi conſtat de intentione profitentis.*

31 *Profeſſus nulliter an præſumatur perſeveraturus fuiſſe in religione, ſi nullitatem ſciviſſet.*

32 *Mens, & voluntas declaratur etiam ex actu nulliter geſto.*

Voluntatis mutatio in Monacho non præſumitur, niſi probetur, ibid.

33 *In voluntatis perſeverantia dignoſcenda magis ſpectatur initium, quàm factum poſtea ſubſecutum.*

34 *Voluntas mutari non poteſt re non integra, & in præjuditium alterius.*

35 *Errans an præſumatur facturus fuiſſe, ſi ſciviſſet, quando ex actu oritur obligatio, & n. 38.*

36 *Reſtitutio in integrum minori ſeducto ad profeſſionem non datur.*

37 *Solutum indebitè repeti non poteſt, quando à pietate cauſatur error.*

39 *Annus probationis inſtitutus eſt, ut religio probet mores novitii, & novitius auſteritatem religionis.*

Præſumptio tacitæ profeſſionis inductæ ex delatione habitus ultra annum eſt juris, & de jure, nec admittit probationem in contrarium, ibidem.

43 *Minor quatuordecim annis de jure communi non obligatur religioni, niſi factus major ratum habuerit.*

44 *Profeſſio facta ante annum probationis etiam de jure communi in ordinibus Mendicantium nulla erat.*

45 *Profeſſus allegans ſe non habuiſſe animum profitendi non auditur.*

46 *Profeſſio emiſſa uxore contradicente, ea mortua validatur, ſi vir per momentum temporis ſteterit in monaſterio, licèt illius mortem ignoraverit.*

47 *Profeſſio nulla convalidatur per ſolam ratificationem profitentis abſque nova acceptatione religionis.*

48 *Mo-*

48 *Monachorum creatio ſpectat ab Abbatem, & Capitulum.*

49 *Superiores regulares allegantes ignorantiam ætatis novitii non ſunt audiendi.*

SIgnificatum. Minor quatuordecim annis profitendo non obligatur religioni, niſi factus major ratum habuerit. Hoc dicit. Sunt duæ partes. Prima ponit conſultationem. Secunda reſponſionem, ibi, *Mandamus*, & hæc diſtinguit, & ſecundùm membrum proſequitur, ibi, *Si autem*.

Nota primò, de jure communi ad validitatem profeſſionis regularis exigi annum ætatis decimum quartum completum. Et in hoc malitia non ſupplet ætatem, ut perperam putavit Hugo ad exemplum matrimonii carnalis, *ut in c. De illis il ſecondo, de deſponſ. impuber.* Cujus opinio reprobatur in hac Decretali, *& in cap. ad noſtram, ſupra eodem*, ubi exigitur annus decimusquartus completus, ſeu conſummatus, ut poſt Philipp. dicunt hìc Joan. Andr. *in princ. in verb. compleverit*, & Abb. *num.* 4. & notatur *in c. Poſtulaſti in gloſſ.* 1. *infra eodem*. Ratio diverſitatis eſt, quia de majori præjudicio, ſeu obligatione agitur in profeſſione, quam in matrimonio, ſecundum Abbatem. Et proptereà ubi eſt dura Congregatio Monachorum, videmus requiri plenam pubertatem, id eſt annum decimum octavum, *ut in cap. Quia in ſulis ſupra eod.* Hodie ex decreto Concilii Tridentini *in cap.* 15. *ſeſſ.* 25 *de Regular.* in quacumque religione tam virorum, quam mulierum profeſſio fieri non poteſt ante decimumſextum annum expletum, & profeſſio antea facta nulla eſt. Unde quæ deciduntur in hac Decretali de minori, vel majori quatuordecim annis, hodie locum non habent niſi in minori, vel majori annis ſexdecim.

Secundo nota, profeſſionem factam ante ætatem legitimam validari, ſi major factus eam ratificaverit, & ſic tractu temporis convaleſcit, quod de jure ab initio non valuit, contra regulam, *Non firmatur de regul. jur. in* 6. *& leg. Quæ ab initio, ff. eod.* Sed dicendum hoc caſu profeſſionem ab initio nullam non firmari ex ſolo curſu temporis, ſed ex novo conſenſu poſt ſublatum impedimentum, ſeu ut Butr. inquit numer. 9. ex nova cauſa confirmante. Atque ita valet profeſſio non ex tunc, ſed ex nunc, ut verbis gloſſæ utar *hic in verb. Ratam habuerit*. Simile *in leg. Obſervare in fin. ff. de offic. Proconſ.* Sufficit autem tacita ratificatio, quæ elicitur ex perſeverantia ultra annum in monaſterio cum delatione habitus regularis poſt ætatem legitimam, argum. *cap. Litteras, & cap. Acceſſit de ſponſ. impuber.* & eſt caſus formalis *in capit.* 1. *hoc tit. lib.* 6. & tenet hìc gl. præalleg. Innoc. qui verbum, *Ratam*, exponit, expreſsè, vel tacitè ultra tempus morando, Abb. Antiq. *circa med.* Hoſt. *n.* 1. *in verb. Ratam*, Butr. *n.* 7. Abb. *n.* 6. & latiùs dicam infra *n.* 19. *& ſeq.*

1 QUÆRO, an is qui ante annum decimumſextum ignorans defectum ætatis expreſſam profeſſionem emiſit, & poſtea credens ſuam profeſſionem validam in monaſterio per plures annos in habitu regulari abſque reclamatione perſeveravit, cenſeatur tacitè profeſſus, nec ne.

Status quæſtionis eſt ſuper ignorantia non juris, ſed facti, videlicet cum ignoratur factum ipſum, hoc eſt defectus ætatis, ex quo nullitas profeſſionis oritur. Pro faciliori autem dubii ſolutione duo caſus ſunt diſtinguendi.

Primus eſt, cùm nec profeſſus, nec Superior regularis deducit ignorantiam nullitatis profeſſionis expreſſæ; quæritur enim, an nihilominus, ut ſit locus ſit tacitæ profeſſioni, de ſcientia nullitatis ex parte utriuſque conſtare debeat.

2 Et hic primus caſus parum habet difficultatis, nam etſi regulariter præſumatur ignorantia, ubi ſcientia non probatur, *ut in c. Præſumitur de regul. jur. in* 6. *& in l. Verius ff. de probat.* tamen hæc præſumptio allegari debet, ut eſt textus *in l. Si adulterium*, §. *Idem Pollioni, ff. de adulter.* & tradunt Bald. & alii relati à Menoch *de præſumpt. lib.* 1. *præſumpt.* 48. *n.* 3. *&* 4. Unde quamvis ignorantia nullitatis profeſſionis expreſſæ tacitam profeſſionem excluderet, qua de re inferiùs agetur: tamen abſolutum eſt hanc ignorantiam non preſumi, aut non prodeſſe, niſi allegaretur. Atque hæc opinio clarè probatur *in cap.* 1. *de regular. in* 6. ubi
3 patet per delationem annalem habitus indiſtincti induci tacitam profeſſionem, licèt præceſſerit expreſſa profeſſio irrita: nec ulla ibi ſit mentio de ſcientia hujus nullitatis, & idipſum conſtat ex hac Decretali: & alioquin oporteret in dubium revocare quamplurimas declarationes S. Congregationis Concilii, quæ in hanc uſque diem ſemper reſpondit, eos qui ante ætatem profeſſi ſunt, ſi poſt legitimam ætatem in religione per annum perſeveraverint, cenſeri tacitè profeſſos, atque alligatos religioni: nec unquam requiſivit, an ſcirent nullitatem profeſſionis expreſſæ.

Secundus caſus eſt, an cùm ignorantia ex parte profeſ- 4
ſi, vel religionis deducitur, per eam excludatur tacita profeſſio, nec ne. Et in hac quæſtione, quæ admodum gravis, & difficilis eſt, ſi ſolum authoritati Doctorum eſſet deferendum, abſolutum eſſet poſita hujuſmodi ignorantia numquam poſſe induci tacitam profeſſionem. Ita enim primus fortè omnium ſenſit Navarr. *conſ.* 23. Petrutius *num.* 2. *conſ.* 29. *Cum de jure numer.* 6. *de Regular. & conſ.* 9. *N. nobilis, Quod met. cauſ.* atque alibi: quibus in locis quæſtionem paucis abſolvit, & ubique citat Cardin. Cajet. 2. 2. *q.* 189. *art.* 5. de cujus tamen doctrina inferiùs dicemus, & idem Navarr. *in manual. cap.* 12. *num.* 71. cujus ſententiam poſtea ſequuti ſunt Moderni omnes quotquot de hac materia ſcripſerunt, & multos refert Sanchez *de matrim. lib.* 7. *diſp.* 37. *num.* 59. Imo idem ſæpiùs probavit Rota, & præſertim *in cauſa Cremonen. penſionis* 5. *Martii* 1582. coram de Rubeis: cùm tamen pro contraria nullus allegetur. Sed quia juriſconſultum non decet moveri ſimpliciter Doctorum authoritatibus, ſed legibus, & rationum momentis, *ut cap. Ego ſolis* 9. *diſt.* & Sac. Congregatio Concilii hactenus ſemper exiſtimavit Navarri opinionem eſſe valdè dubiam: ideò videtur abs re non eſſe, ut rationes utriuſque ſententiæ diligentiùs expendantur.

Opinio igitur Navari nititur hoc præcipuo fundamen- 5
to: nam conſtat apud omnes ad profeſſionem tacitè inducendam neceſſariò requiri conſenſum profitentis, ut *hic, & in cap. Sicut tenor, & c. Conſulti infrà eod. cum ſimil.* Is autem, qui poſt profeſſionem expreſſam nullam per annum defert in Religione habitum regularem, duobus tantum modis poteſt intelligi conſentire tacitæ profeſſioni, id eſt, aut quia intendit iterum profiteri, aut quia intendit priorem profeſſionem ratam habere, ut patet in cap. 1. ibi, *Profeſſionem per hoc feciſſe, vel ſi quam priùs fecerat ratam habuiſſe videtur, inf. eod. lib.* 6. At neutro modo videtur conſentire is qui ignorat nullitatem profeſſionis expreſſæ.

Et quidem non primo modo; nam cùm opinetur ſuam 6
profeſſionem expreſſam fuiſſe validam, ſequitur jam eſſe religioni alligatum, unde non intendit iterum profiteri, ſed in religione perſeverat tamquam profeſſus, non tamquam profeſſurus, cenſeturque habitum deferre in executionem obligationis præcedentis, arg. *l.* 4. §. *Si ab ignoto, ff. de manumiſſ.* cum ſimilibus, ut plenè per Alexan. *conſ.* 90. *num.* 9. *lib.* 3. & Menoch. *lib.* 3. *præſumpt.* 49. *num.* 4. & ex cauſa neceſſaria potiùs, quàm voluntaria, *ut l. fin.* cum ibi notat per Bart. *ff. de alim. pupillo præſtand.* & per Abbat. *conſ.* 116. *in fin. lib.* 2. Atque ita pergit in primo conſenſu nullo, & opinione erronea, quæ ad ta- 7
citam profeſſionem non ſufficit; cum errantis, & ignorantis nullus ſit conſenſus, *l. Non idcircò. C. de jur. & fact. ignoran.* nihilque ſit tam contrarium conſenſui, quàm error, *l. Si per errorem, ff. de juriſdict. omn. judic.* cum 8
concordan. Quinimò ob hanc rationem nova profeſſio etiam expreſſis verbis facta ab eo, qui ignorat nullitatem profeſſionis præcedentis, eſt nulla, quia cenſetur fieri ſub credulitate illius profeſſionis: atque ita ex falſa cauſa, per quam contractus vitiatur, *l. Si divortio, ff. de verbor. obligat.* & tenet relati à Sanch. *de matrim. lib.* 2. *diſp.* 34. *num.* 2. Et ideò ſi quis dubio motus, an votum à ſe emiſſum fuerit validum, ob id denuò voveat, non tenebitur ad votum, ubi ſciverit votum præcedens fuiſſe nullum, eò quòd non cenſeatur habuiſſe abſolutum vovendi animum, ſed ex ſuppoſitione falſa validitatis prioris vo- 9
ti; ut poſt Cordub. Manuel. & Vegam ſimiliter tradit Sanchez *diſp.* 16. *nu.* 7. & in matrimonio carnali idem ſcripſit Anch. *in conſ.* 230. *ſub num.* 3. ubi ait, ad confirmationem matrimonii à principio invalidi inducẽdam propter ſolum temporis curſum requiri certã notitiam amotionis obſtaculi præcedentis: aliàs (inquit) continuatio, & etiam copula refertur ad principium, & conſenſum erroneum, &

ſimiliter *gloſſ. in cap. fin. in verb. Nec facto de conjug. ſerv.*
10 *Pone*, inquit, *quod aliquis contraxit cum ancilla ignoranter, & dominus poſteà illam manumittit ignorante, numquid eſt matrimonium? dic quod non, quia adhuc commiſcetur ei ex priori conſenſu, qui nullus fuit.* Idem tradit gl. *in c. 1. de eo qui dux. in matrim. in verb. Inſcia*, & ibi Innoc. *in fin. Nam ex conſuquentia*, inquit, *prioris conſenſus videtur ignorans cognoſcere*; & ſequuntur ibid. Hoſt. Joan. Andr. Burr. Cardin. & alii communiter.

11 Et confirmatur ex doctrina Anchar. *d. conſ.* 230. *ſub nu.* 3. ubi ſic ait: *Actus qui habet tractum ſucceſſivum, & continuatum, cenſetur unus per relationem ad principium ſui temporis, l. Eum qui, §. In popularibus, ff. de jurejur. ideoque conſenſus mulieris, quæ credidit matrimonium fuiſſe validum, habuit ſemper relationem ad principium contractus, & continuatio, & credulitas deſcendit ex erroneo principio, & fundamento nullo; ergo eſt nulla poſtquam trahit principium ab errore.* Hactenus Ancharanus. Et hinc eſt, ut in Bulla Cruciatæ, qua conceditur Commiſſario poteſtas diſpenſandi cum iis, qui in gradu prohibito ignoranter contraxerunt, conſueverit apponi clauſula inſtaſcripta, nempè, *Altero impedimentum ignorante, prius de nullitate prioris conſenſus certificatio.* Quod indicat ſcientiam nullitatis eſſe neceſſarium ad hoc, ut matrimonium novo conſenſu perficiatur. Ex quibus conſtat etiam in matrimonio ſpirituali eum, qui credit ſe eſſe alligatum religioni, cum non ſit, conſentire primo modo, id eſt non habere voluntatem
12 iterum profitendi. Sed nec poteſt cenſeri conſentire ſecundo modo, id eſt ex eo quod intendat priorem profeſſionem irritam ratificare. Tum quia quod nullum eſt, ratum haberi non poteſt, *cap. Auditis*, ubi notatur, *de elect.* Oldrad. *conſ.* 320. *Ad idem videtur num.* 2. Tum quia non poteſt haberi ratum quod ignoratur, *l. Mater, ff. de inoff. teſtam.* ſubſtantia enim ratihabitionis eſt ſcientia, ſecundum Bald. *conſ.* 176. *Præmittendum verſ. Item quia non apparet lib.* 2. Ideòque ignorans actum, quem ratificat, nihil agit, *l. Qui enim in princip. ff. rem rat. haber.* Cardin. *conſ.* 44. *Quod ratificatio num.* 4. *& ſeq.* & requiritur ſcientia juris, & facti, Bald. *conſ.* 322. *Vidua verſ. Præterea lib.* 2. Quinimò ad validitatem ratihabitionis requiritur non ſolùm notitia actus, qui ratificatur, ſed etiam illius qualitatum, ſecundùm Paul. de Caſtro *conſ.* 465. *Viſo compromiſſo, col. penult. lib.* 1. Cravett. *conſ.* 197. *Quamquam, col. fin. propè fin.* Quamobrem etſi qui perſeverat in religione, ſciat ſe profeſſionem expreſſam emiſiſſe, quia tamen neſcit illam fuiſſe irritam, ratihabitio nihil operatur. Præſertim quia hoc caſu non agitur de ſcientia ſimplicis qualitatis profeſſionis expreſsæ, ſed de ſubſtantia, & validitate illius. Ad ratihabitionem autem contractus irriti requiritur ſcientia nullitatis, & voluntas eam ſanandi, alioquin ratihabitio nulla eſt, ut tradit Gemin. *conſ.* 128. *Factum tale eſt n.* 7. *verſ. Ad ultimum* & Alex. *conſ.* 135. *in princ. verſ. Nec obſtat lib.* 7.

13 Ideòque Cajetan. in 2. 2. *qu.* 89. *art.* 5. *Scito*, inquit, *quod aliud eſt approbare, ſeu ratificare, & aliud eſt credere eſſe validum, & propterea habere intentionem adimplendi: nam approbare, & ratificare ad actum ſpectat voluntatis, quia quis vult nunc quod olim voluit. Credere autem eſſe validum ſpectat ad intellectum. Intendere autem exequi, quia præſupponitur validum, licèt ſpectet ad voluntatem, nihil tamen facit ad ipſum votum, ſed ſolum ad executionem voti, quam reſpicit; & ideò ſi aliquis ante pubertatem ſimplici voto voverit, & poſteà in legitima ætate conſiderans ſuum votum credens illud eſſe abſoluté validum, intendit millies illud adimplere, non propterea coram Deo ratificavit, aut approbavit.* Hæc Cajetan. Et idem ante ipſum cenſuit Silveſt. *in verb. Matrimonium* 4 *num.* 10. *propè fin.* his verbis: *Si quis ante annum pubertatis faciat votum religionis, nò obligatur ad tale votum major factus, niſi illud ratificaverit. Quod ſi faceret credens ſe obligatum, aliàs non ratificaturus,*
14 *non tenetur ad illud.* Quod etiam probatur exemplo ſacri Ordinis: nam ſi quis per metum ordinatus fuerit, ſi poſteà illum Ordinem exerceat ignorans ſe ad illius obſervantiam adſtrictum non eſſe, non cenſetur ratificare, ut per Na-
15 varr. *conſ.* 4. *incip. Quidam numer* 8. *&* 9 *de iis, quæ vi met. cauſ.* & ob id ſi quis ob cauſam profeſſionis emiſſæ aliquid donaverit Eccleſiæ, vel monaſterio, quia credidit profeſſionem valere, & non valuit, repetit donatum, ut per Calderin. *conſ.* 412. *aliàs* 2. *de Regular.* & jam cenſuit S. Congregatio Concilii. Quocirca ſi donatio bonorum facta monaſterio ſub credulitate validitatis profeſſionis eſt nulla, multò magis nulla erit donatio, & obligatio ſui ipſius. Quo argumento utitur in puncto gloſſ. *in d. c. Duo ſunt in ver. Si affectus, verſ. Item cum clericus* 19. *q.* 2. Fal- 16
ſa enim cauſa non obligat profitentem, ſecundùm Gemin. *conſ.* 52. *n.* 3. *verſ. Ad idem.*

Neque his videtur obſtare, quòd contra præſumptionem, 17
quæ ſurgit ex delatione habitus indiſtincti per annum, non admittatur probatio in contrarium, cùm ſit juris, & de jure, ex notatis *in c.* 1. *de Regular. in* 6.

Reſpondetur enim admitti tamen probationem indirectam: nam cùm ad eam præſumptionem inducendam ſemper certæ qualitates deſiderentur, probari poterit aliquam ex dictis qualitatibus deficere in caſu, de quo agitur, ut declarat Menoch. *lib.* 1. *præſumpt.* 65. & ſcripſi *in cap. Vidua, in ult. notab. ſuprà eodem.* Quinimò dictæ qualitates ante omnia debent legitimè probari, ſi aliàs ad profeſſionem inducendam deſiderentur, ut per eumdem Menoch. *lib.* 1. *præſumpt.* 55. Unde ſi tacitam profeſſionem inter cetera deſideratur ſcientia nullitatis profeſſionis expreſsæ, ſine qua ſcientia non poteſt quis conſentire; ideòque nec tacitè profiteri: utique de ſcientia hujuſmodi conſtare debet. Deſideratur etiam ad tacitam profeſſionem inducendam perſeverantia in religione per tempus unius anni, *ut in d. cap.* 1. *de Regul. in* 6. Quod quidem requiſitum temporis 18
omninò deficit, ubi non eſt ſcientia dictæ nullitatis, quia tempus hujuſmodi non currit ignoranti, per Innoc. *ut in c. Ne pro defectu num.* 2. *ſuprà de elect.* Calder. *conſ.* 366. *Mandavit aliàs* 37. *de teſtam. in fin* & Bald. *conſ.* 92. *Quidam in princip. lib.* 1. Atque ita etſi præſumptio tacitæ profeſſionis ſit juris, & de jure, nihil tamen videtur obſtare quominùs dictarum qualitatum defectus allegari, & probari poſſit.

Cæterum pro contraria opinione multa videntur ma- 19
gis urgere; unde pro veritate obſervandum eſt primò ad profeſſionem tacitam non requiri conſenſum expreſſum, ſed ſufficere tacitum, & præſumptum, qui elicitur vel ex ſuſceptione habitus profeſſorum, vel ex annali delatione habitus indiſtincti, vel ex actibus, qui ſolùm à profeſſis fieri conſueverunt, juxt. text. *in cap. Vidua, in cap. Super eo, ſupra eod. & in d. cap.* 1. *eod. tit. in* 6. cum concordan.

Obſervandum eſt ſecundò hanc præſumptionem taciti 20
conſenſus, quæ ſurgit ex delatione annali habitus indiſtincti, habere locum non ſolùm quando non fuit facta expreſſa profeſſio, ſed etiam quando fuit facta profeſſio irrita ob defectum ætatis. Sic enim apertè conſtat ex verbis *d. cap.* 1. ibi, *Vel ſi quam ſi prius fecerat ratam habuiſſe videtur*, & infrà *eodem lib.* 6. *& in hoc cap.* ibi, *Seu poſt decimum quartum annum profeſſionem à ſe prius factam ratam habuerit*, ubi gl. inquit hoc eſſe intelligendum, etiamſi tacitè conſentiat: ita ut in hac parte videantur erraſſe Navarr. & Sanchez, qui oppoſitum tradiderunt, ille *conſ.* 28. *numer.* 6. *de Regul.* hic verò *de matrim. lib.* 7. *de impedim. diſp.* 37. *num.* 10 Neque enim conſtituenda eſt differentia inter tacitam profeſſionem, & tacitam ratihabitionem profeſſionis invalidæ. Siquidem hæc ratihabitio in ſubſtantia nihil aliud eſt, quàm nova profeſſio tacita, quæ, cùm deficiat extremum à quo, incipit valere ut ex nunc, non ut ex tunc, ut inquit gloſſ. communiter approbata hìc *in eod. verb. Ratam habuerit*, & declarat Jo. de Anan. *in cap. Conſuluit num.* 2. *de converſ. conjugat.* poſt Bart. quem citat in repet. *l. Si quis pro emptore de uſucap.*

Obſervandum eſt denique diligenter ex D. Thom. 1. 21
2. *quæſt* 6. *art.* 8. ignorantiam, atque errorem in tantum impedire conſenſum, & cauſare involuntarium, in quantum privat ea cognitione, quæ prærequiritur ad voluntarium; ad volendum autem prærequiritur cognitio rei, quæ volenda eſt. Unde non omnis ignorantia, aut error impedit conſenſum, ſed tantùm ignorantia, aut error illius rei, quæ agitur, ut docet illic D. Th. & explicat Bart. *in l. Si per errorem, ff. de juriſd. omn. judic.*

Hæc autem ignorantia, aut error, (& in hoc videtur con- 22
ſiſtere tota vis præſentis diſputationis;) duplex eſt; nam aut eſt ignorantia ejus rei, quam homo nollet, ſi ſciret, aut eſt ignorantia ejus rei, quam nihilominùs vellet etiamſi ſciret.

ſciret. Ignorantia, & error primæ ſpeciei, quæ à D. Thoma, & Theologis appellatur antecedens, cauſat ſimpliciter, & abſolutè involuntarium, ut ſi quis credens uxorem ducere Sejam, ducat Mæviam; & hic error, ſi ſit cum dolo, à Juriſperitis dicitur dolus dans cauſam contractui, eo quòd ſi is dolus abfuiſſet, contractus initus non fuiſſet, ut *l. Eleganter, ff. de dolo*. Ignorantia verò, & error ſecundæ ſpeciei, id eſt illius rei, quam quis vellet, etiamſi ſciret, quæ à Theologis appellatur ignorantia concomitans, non facit ſimpliciter involuntarium, quia non cauſat aliquid contra voluntatem. Sed quia aliquando facit non voluntarium negativè, atque ita excludit conſenſum, ideò
23 diſtinguendum eſt: nam aut ignorantia concomitans verſatur directè circa rem, de qua agitur, & tunc quamvis non faciat abſolutè involuntarium, tamen nec facit voluntarium poſitivè, quia non poteſt eſſe actu volitum quod eſt ignoratum, cùm voluntas non feratur niſi in prægnitum, ſecundum Ariſtot. 3. *de Anima*, *Commen*. 39. ſed tantùm cauſat non voluntarium negativè, id eſt efficit, ut non ſit actus, & conſenſus voluntarius poſitivè. Exemplum patet in eo, qui volens contrahere matrimonium cum Seja, contrahit quidem cum ea, ſed credit eam eſſe
24 Mæviam. Hic enim error eſt concomitans, quia ſi vir ſciviſſet eam eſſe Sejam, cum ea libentiùs contraxiſſet. Sed tamen quia error eſt directè illius rei, de qua agitur, quamvis non faciat involuntarium poſitivè, tollit nihilominùs conſenſum, qui non poteſt eſſe in re non præcognita; ideòque matrimonium eſt nullum, ut patet ex relatis à Sanchez *lib.* 7. *diſput.* 18. *num.* 6. Aut verò ignorantia hæc concomitans verſatur non directè circa rem, quæ agitur, ſed circa cauſam illius, aut circa aliquam ejus qualitatem, vel circumſtantiam: & tunc cum ſit ignorantia ejus cauſæ, vel qualitatis, quam quis vellet, etiamſi ſciret, nunquam cauſat non voluntarium, nec excludit conſenſum ab actu principaliter geſto. Exemplum. Si quis ducat uxorem liberam credens eſſe ſervam, hic quidem conſentit abſolutè in matrimonium, ſed ignorat qualitatem libertatis: quam tamen ſi ſciviſſet, utique libentiùs matrimonium contraxiſſet. Quare ignorantia dictæ qualitatis cùm ſit concomitans, id eſt ejus rei, quam quis vellet etiam ſciens, & non verſetur directè circa matrimonium, ſed circa illius qualitatem, nullo modo excludit conſenſum ab actu principaliter geſto, ideòque matrimonium eſt validum, ut tenent omnes in *cap.* 2. *& fin. de conjug. ſervor.* & inferiùs dicetur.
25 Verùm cùm cognitio, an ignorantia ſit antecedens, vel concomitans, id eſt, an ſi quis ſciviſſet, nihilominùs facturus fuiſſet, nec ne, valdè obſcura eſſet, veluti pendens ex animo, & voluntate hominum; idcircò juris interpretes quaſdam regulas tradiderunt, ex quibus hoc facilè judicari poſſit abſque alia probatione. Quarum quidem regularum illa eſt præcipua, ut quotieſcumque aliquis ex actu ignoranter geſto damnum, aut ignominiam conſequeretur, vel ſuam conditionem deteriorem efficeret, tunc non cenſeatur facturus fuiſſe, ſi ſciviſſet quod ignoravit, ut conſtat ex his, quæ tradit Mantic. *de tacit. & ambig. convent.*
26 *lib.* 3. *tit.* 12. *num.* 37. *& ſeq.* Exemplum patet in eo, qui ignoranter duxit uxorem ſervam, quam putabat liberam, Hic enim ſi ſciviſſet eam ſervam utique matrimonium non contraxiſſet, quia non æquè utile, aut honeſtum eſt ducere uxorem ancillam, vel libertinam, atque ingenuam, ut probat D. Thom. *in* 4. *diſt.* 38. *q. unica art.* 1. Unde fit, ut ſublato impedimento ſervitutis per manumiſſionem domini, quamvis vir uxorem cognoſcat affectu uxorio; tamen matrimonium non convaleſcat, quia vir adhuc commiſcetur ei ex primo conſenſu nullo, & erroneo, ut tradit gloſ. in *cap. Si quis ingenuas*, 29. *qu.* 2. & ſuperùs dictum eſt. Eo igitur caſu matrimonium eſt nullum, non ſimpliciter ob ignorantiam, ſed ob ignorantiam qualitatis, quam ſi vir ſciviſſet, non contraxiſſet; & ſic ob ignorantiam antecedentem, quæ cauſat ſimpliciter involuntarium.
27 At verò per contrarium, ſi ex actu ignoranter geſto quis commodum, vel honorem conſequeretur, aut ſuam conditionem efficeret meliorem; tunc præſumitur facturus fuiſſe, etiamſi ſciviſſet quod ignoravit; ut clarè patet in homine libero, qui contrahit matrimonium cum libera credens eam eſſe ſervam; hic enim erat in conditione uxoris. Sed quia ex eo quòd ipſa ſit libera, non autem ancilla, conditio errantis non ſit deterior, imò melior; ideò hæc ignorantia quamvis verſetur circa qualitatem ſubſtantialem, id eſt circa conditionem ſervitutis, tamen non excludit conſenſum, cùm ſit concomitans, nec vitiat matrimonium, ut tradunt in ſumma *de conjug.* Goffred. *n.* 6. *&* 7. Hoſtien. *n* 9. & ſequuntur Canoniſtæ communiter in *cap.* 2. *& fin.* & ibi dixi *eodem tit. in* 1. *notab.*

Porrò ignorantia nullitatis profeſſionis expreſſæ non eſt directè ignorantia illius rei, quæ agitur, id eſt tacitæ profeſſionis, ſed eſt potius ignorantia cauſæ, ſeu actus præcedentis. Neque enim profeſſus ignorat ſe deferre habitum indiſtinctum, & perſeverare in religione per ſpatium unius anni; ex quibus actibus S. Canones eliciunt conſenſum præſumptum ad tacitam profeſſionem inducendam; ſed tantùm ignorat validitatem alterius profeſſionis, quæ multò ante præceſſit, credens eam fuiſſe validam, cùm tamen irrita fuerit. Quod patet manifeſtè, quia etiam poſita ignorantia nullitatis profeſſionis expreſſæ, eſt tamen poſſibilis conſenſus profeſſionis tacitæ: nihil enim prohibet quin aliquis præſcindendo ab omni conſideratione præcedentis obligationis, poſſit, ſi velit, ſe iterùm Deo obligare per novum conſenſum poſitivum, quamvis credat ſe jam eſſe obligatum. Ergo hæc ignorantia non verſatur circa novam profeſſionem, quia aliàs quoad eam conſenſus 28
non eſſet poſſibilis, cùm non præcognitum non poſſit eſſe volitum. Quod clariùs adhuc patet exemplo matrimonii: nam ubi duo contrahunt matrimonium nulliter, ſi ceſſante impedimento iterùm conſentiant affectu uxorio, utique matrimonium convaleſcit, quamvis conjuges credant illud ab initio fuiſſe validum, dummodò tamen ſi nullitatem ſciviſſent, æquè libenter contraxiſſent, ut cenſent Roſel. *in ver. Matrimonium*, *n.* 5. Silveſt. *in verb. Matrimonium*, 4. *qu.* 10. Navarr. *in ſumm. Hiſp. in. cap.* 22. *num.* 76. & alii recentiores. Et ſimiliter, ſi vir fictè uxorem ducat, & poſteà affectu maritali eam cognoſcat, matrimonium fit validum, etiamſi uxor ignoret matrimonium ab initio fuiſſe irritum, & perſeveret in primo conſenſu erroneo, ut poſt alios tradit Sanch. *lib.* 2. *diſputat* 32. *per totam.* Idem 29
probatur ex theorica Romani *conſ.* 517. *num.* 13. *verſ. Secus verò*, & Alex *conſ.* 22 *num.* 3. *&* 4. *lib.* 5. ubi cenſent actum factum ex cauſa erronea, puta ab eo, qui falsò putabat ſe teneri, ita demùm eſſe nullum, ſi ille caſu quo ſciviſſet ſe non teneri, actum non feciſſet; aliàs verò ſi fuiſſet facturus, etiamſi ſciviſſet ſe non teneri, valere actum, quia non præſumitur ille motus ex illa cauſa erronea. Patet ergo errorem ejus, qui tacitè profitetur ob hanc cauſam, quia credit ſe jam eſſe alligatum religioni, non eſſe errorem in tacita profeſſione, ſed potiùs in cauſa illius. Et idem eſt quod alii Doctores dicunt, actum geſtum ex falſa cauſa ita demùm eſſe nullum, ſi illa cauſa ſit finalis, id eſt ſine qua actus geſtus non fuiſſet, ut tradit poſt alios Mantica *de tacit. lib.* 3. *tit.* 12. *num.* 22. *& ſeq. & nu.* 34 *uſque in fin.* Aliàs enim error in cauſa ſe obligandi, puta quia quis credit ſe jam eſſe obligatum, & non eſt, non excludit conſenſum, ut per eumdem Manticam *lib.* 19. *tit.* 3. *num.* 12. Et hinc fit, ut ſi ego credam Titium emiſſe librum nomine meo, quem tamen ipſe non emerat, aut nulliter emerat, & ratam habeam hujuſmodi emptionem; ſi poſteà Titius nomine meo validè emat librum, valet ſecunda emptio, non obſtante ignorantia nullitatis præcedentis; idque ex conjectura voluntatis, quia qui ratam habuit emptionem credens eam ſuo nomine facta, eodem modo ratam habuiſſet, ſi ſciviſſet eam nulliter factam fuiſſe, ut poſt alios tradit Alex. qui plura exempla his ſimilia congerit *in conſ.* 146. *n.* 10. *&* 11 *lib.* 5. Ideòque Gemin. *conſ.* 119. *n.* 10. reſpondit etiam ex falſa cauſa aliquem obligari religioni, ubi conſtat de intentione profitentis; & eſt de hoc textus ad litteram in *cap. Ex parte, de converſ. conjug.* Ex quibus omnibus 30
in compendium redactis videtur concludenter probatum profeſſionem factam ex falſa cauſa, id eſt quia quis putabat ſe jam eſſe adſtrictum religioni, non eſſe nullam, cum non ſit ignorantia rei, quæ agitur, ſed ignorantia in cauſa ſe obligandi, dummodò tamen hæc ignorantia ſit concomitans, id eſt ſi profeſſus ſciviſſet nullitatem ſuæ profeſſionis, adhuc tamen in religione perſeveraſſet.

His igitur præcognitis, ſolutio quæſtionis videtur pendere ex inſpectione, an profeſſus etiam cognita profeſſionis nullitate, veriſimiliter tamen perſeveraſſet, nec ne, in 31
religione. Nam ſi conſtiterit eum preſeveraturum fuiſſe, conſtabit etiam illius errorem, & ignorantiam fuiſſe concomi-

comitantem, ideòque tamquam ignorantiam non ejus rei, quæ agitur, ideſt tacitæ profeſſionis, ſed cauſæ illius, ſeu alterius actus præcedentis, minimè potuiſſet excludere voluntarium à tacita profeſſione.

32 Pluribus autem probari poteſt eum veriſimiliter perſeveraturum fuiſſe. Et primò, qui fecit profeſſionem expreſſam, licèt nulliter ob ætatis impedimentum, jam expreſsè declaravit ſe velle efficaciter alligari religioni: mens enim, & voluntas declaratur etiam ex actu nulliter geſto, *l. fin.* & ibi Bart. *ff. de reb. cor.* Hujus autem voluntatis mutatio non præſumitur, niſi probetur, *l. Eum qui*, *ff. de probat.* etiamſi voluntas ab initio fuerit nulla; quia nihilominùs præſumitur durare, Feder. de Sen. *conſ.* 194. *In dubiis matrimonialibus*, *in princ.* Calderin. *conſ.* 461. *aliàs* 4. *de ſponſal. in fine*, ubi quòd matrimonium impuberum convalidatur, ſi contrahentes pervenirent ad ætatem legitimam, licèt ex matrimonio ſervitus conjugalis inducatur, quia voluntas durare præſumitur, Alex. *conſ.* 146. *In cauſa*, *num.* 16. *lib.* 5. ubi quòd voluntas contrahentis matrimonium, licet nulliter, non præſumitur mutata niſi à die, quo apparet mutata; & ideò ratificatio abſentis ante mutationem convalidat matrimonium, ut in terminis profeſſionis notat gloſ. in *cap.* 1. *in ver. Non timore*, *ſuprà quod met. cau.* Quod procedit etiamſi longum tempus elapſum fuerit, *l. Sancimus*, ubi Jaſ. *in* 3. *notab. C. de teſtam.* & tradit poſt alios Menoch. *lib.* 6. *præſumpt.* 37. *num.* 28. Siquidem nihil eſt, quod perſuadeat, ſemel profeſſum à propoſito religionis voluiſſe recedere: neque enim, ut ſupponitur in dubio, unquam reclamavit, imò plures actus geſſit indicantes continuationem ejuſdem voluntatis, quales ſunt delatio habitus indiſtincti, actus profeſſorum, & plurium annorum perſeverantia. Quid ergo cogit nos pronuntiare, ſi is ſciviſſet nullitatem profeſſionis, non perſeveraſſet? Quippe is qui ante annum quantùm in ſe fuit validè profiteri voluit, quamvis non eſſet priùs religioni alligatus; cur elapſo anno validè non profiteretur, cùm medio tempore nihil geſſerit in contrarium, imò plura fecerit, quæ oſtendunt propoſiti perſeverantiam? Dicenti ergo voluntatem mutatam onus probandi incumbit, juxta text. in d. *l. Eum qui*, atque ita in ſpecie de Monacho tradit Menoch. *d. præſumpt.* 37. *n.* 6. & Dec. *in c. in præſentia*, *n.* 284. *de probat.*

Sed objicies primò. Profeſſus cùm primùm ſcivit ſe non eſſe obligatum religioni, reclamavit Ergo preſumitur idem facturus fuiſſe, ſi anteà hoc ſciviſſet, cùm ex facto ſubſequuto animus præcedens declaretur, *cap. Conſtat*, & ibi gloſ. *in ver. Si ſtatim*, 1. *quæſt.* 1. *cap. Pervenit*, & ibi gloſſ. 1. 18. *diſt gloſ.* 1. *in cap. Quod autem*, 22. *q.* 2.

33 At reſpondetur hoc caſu magis attendendum eſſe initium voluntatis, & terminum à quo, quàm finem, & terminum ad quem. Tum quia præſumitur quis perrexiſſe in eadem voluntate uſque ad diem mutationis, ut dictum eſt ſuprà proximè. Tum quia ex delatione habitus annali jus elicit conſenſum neceſſarium ad tacitam profeſſionem præſumptione juris, & de jure, ut inferiùs dicetur. Reclamatio autem ſubſequens habet juris reſiſtentiam, unde conſenſus præſtitus ab initio magis influit in perſeverantiam voluntatis, quàm influat reclamatio ſubſequens in mutationem ejuſdem voluntatis. Præſertim quia continuatio ſequitur immediatè poſt conſenſum ab initio præſtitum, reclamatio autem multò pòſt. Quo caſu magis urget præſumptio perſeverantiæ, ut declarat Menoch. *d. præſumpt.* 37. *num.* 9. Deinde reſpondetur reclamationem poſt perſeverantiam annalem in religione non eſſe attendendam, quia res non eſt ampliùs integra; eo enim ipſo quòd completus eſt annus poſt profeſſionem expreſſam nullam, Canones inducunt profeſſionem tacitam, *cap.* 1. *in princ. de reg. lib.* 6. unde reclamatio ſubſequens tempore inhabili non
34 influit in voluntatem antecedentem, ut patet ex notatis per gloſſ. & DD. in *cap. Publicato*, *de elect.* Cùm enim actus tacitæ profeſſionis inter profeſſum, & Religionem ſit ultrò citròque obligatorius, ut notatur in *cap. Porrectum*, *infrà eod.* mutatio voluntatis profeſſi re non ampliùs integra nihil prodeſt, quia nemini licet mutare voluntatem in detrimentum alterius, *l. Sicut*, *C. de act. & obligat.* & declarat *loc. cit.* Menoch. *n.* 31.

Objicies ſecundò. Quotieſcumque error talis eſt, ut ſi ve-
35 rum eſſet quod redditur per errorem, orta eſſet obligatio ad aliquid agendum; tunc qui fecit, præſumitur non facturus, ſi ſciviſſet, text. eſt in *l. Si cum te*, *ff. de pact.* ubi falsò exiſtimans ſe debere legatum Titio, & ideò mandans debitori ſuo ut ei ſolvat, ſibi non præjudicat.

Sed hoc objectum tollitur, quia non procedit in obliga- 36
tione, quæ fit per ſolemnem profeſſionem. Unde minor quamvis dolo ſeductus reſtituatur, tamen ſi per dolum, & circumventionem inducatur ad profitendum, non reſtituitur, ſecundum gloſ. in *cap. Cùm dilectus*, *in ver. Ad ſanctitatem*, *ſuprà*, *Quod met. cau. In ſpiritualibus*, inquit, *non habet locum in integrum reſtitutio, quia non videntur decepti qui meliorem vitam elegerunt*, & Abb. ibi ait illum eſſe dolum bonum, & jura non ſubvenire niſi contra dolum malum, & in *cap. Cum virum*, *num.* 6. *infrà eod.* ubi ait: (Reſpectu profeſſionis non poteſt dici minor deceptus, vel læſus, cum ſerviat ei cui ſervire regnare eſt. Unde fit, ut quamvis dolus dans cauſam contractui faciat involuntarium, ita ut contractus ſit nullus; ſecus tamen ſit in profeſſione, ut eſt textus expreſſus in *cap. Conſtituit.*, 20. *qu.*
3.) & tradunt gloſ. & Abb. *locis citatis*. Et eodem modo 37
quamvis credens ſe teneri, ſi ſolvat, poſſit ſolutum repetere condictione indebiti, *l.* 1. *& per tot. ff. de condict. indeb.* hoc tamen non procedit, ſi error cauſetur à pietate, ut eſt textus ſingularis in *l. Cum his*, *§. penult. ff. eod.* ubi Julianus ait: Si in ea opinione ſit mulier, ut credat ſe pro dote obligatam, quidquid dotis nomine dederit, non repetit; ſublata enim falſa opinione, relinquitur pietatis cauſa, ex qua ſolutum repeti non poterit, atque ibi Bart. & alii notant ceſſare repetitionem indebiti ſoluti, quando à pietate cauſatur error.

Deinde tollitur idem objectum, quia non habet locum 38
quando præceſſit actus declaratorius voluntatis, quòd quis voluerit ſe obligare, ut hoc caſu, in quo profeſsus jam declaravit per profeſſionem expreſsam velle obligare ſe religioni. Tunc enim quamvis ex novo actu, ideſt ex perſeverantia annali inducatur obligatio; tamen quia obligatio illa non eſt præter ejus intentionem, non facit, quominus ipſe præſumatur voluiſse tacitè profiteri, ut declarat Alex. *conſ.* 146. *num.* 13. *lib.* 5. Idque patet exemplo matrimonii carnalis, in quo ignorantia nullitatis matrimonii præcedentis non impedit, quin conjuges obligentur per novum conſenſum, quotieſcumque ſi nullitatem ſcivisſent, nihilominùs contraxisſent, ut ſuperiùs dictum eſt.

Objicies tertiò. Quamvis profeſsus veriſimiliter in re- 39
ligione perſeveraſset, etiamſi ſcivisſet nullitatem ſuæ profeſſionis, & ſic illius ignorantia cenſeatur concomitans, & non excluſiva conſenſus: tamen id procedit ex veriſimilitudinibus, ac præſumptionibus. Idcircò enim Doctores quaſdam conſtituerunt regulas, quibus hujuſmodi veriſimilis conſenſus deprehendi poſſit, ut ſuperiùs diximus. Unde nihil prohibet, quin hæc præſumptio tolli poſſit contrariis conjecturis, & argumentis, idque tam ex parte religionis, quàm profeſſi: Ponamus enim novitium durante anno probationis, quando adhuc expelli poterat, probè ſe geſſiſse, ſed poſt emiſsam profeſſionem expreſsam, quam credit validam, ſublato expulſionis metu, illicò apparuiſse diſcolum, inobedientem, & religioſæ pacis turbatorem; atque ita veluti incorrigibilem perſeveraſse integro anno, unde jura eliciunt præſumptionem conſenſus ad tacitam profeſſionem inducendam. Certè ſi religio ſcivisſet illius profeſſionem expreſsam fuiſse nullam, veriſimiliter non perrexiſset eum in religione retinere, ſed potiùs è monaſterio ejeciſset cognitis illius moribus, ad quos probandos tempus probationis à SS. Patribus indultum eſt, juxta *cap. Ad Apoſtolicam*, *infrà eod.* E converſo ponamus Superiorem regularem infrà annum probationis, quando novitius ad ſæculum adhuc redire poterat, cum eo blandè, ac benignè egiſse; ſed poſtquam credidit religioni alligatum per expreſsam profeſſionem, rigidè, atque indirectè tractaſse, eumque omnibus regulæ auſteritatibus exercuiſse adeò, ut ſic profeſsus pluribus ſignis, & argumentis oſtenderit ſe pœnituiſse antecedentis profeſſionis, cùm in ſubſidium fragilitatis humanæ ſpatium probationis fuerit regulariter inſtitutum; ut & novitius regulæ auſteritatem experiatur, *cap. Non ſolùm*, *de regular. in* 6. & *d. cap. Ad Apoſtolica*, (quod ſuperioribus anni contigit in quibuſdam religioſis, qui novitium valdè divitem exquiſitis illecebris, ac blandimentis ſaccaro, ac melle nutriebant: ſed poſt emiſsam profeſſionem tam ſeverè tractaverunt, ut eum prioris propoſiti pœnituerit, licèt ſerò ac re non integra) certè ex hoc liquidò apparebit ſic profeſſum

feſsum

feſſum, ſi nullitatem ſuæ profeſſionis ſciviſſet, in religione non fuiſſe perſeveraturum, & ſic illius errorem antecedentem fuiſſe, & non concomitatem.

Verùm hæc objectio tollitur, quia poſtquam nulliter profeſſus in legitima ætate conſtitutus per annum abſque reclamatione perſeveravit in religione, ut ſupponitur in dubio, poſteà nec ipſe, nec ſuperior religionis admitti poſſunt ad probandum defectum conſenſus in tacita profeſſio-
40 ne ad præſcriptum ſacrorum Canonum inducta. Ratio eſt, quia præſumptio taciti conſenſus, quæ elicitur ex perſeverantia annali cum delatione habitus indiſtincti in religione poſt legitimam ætatem, eſt juris, & de jure, ita ut non admittat probationem in contrarium; quod conſtat ex verbis d. *cap. 1. de Regular. in 6.* ibi, *Qui verò poſt decimum quartum annum habitum religionis aſſumpſerit, ſi per annum illum geſtaverit, ex tunc Religionem aſſumptam præſumitur veraciter eſſe profeſſus*, & tradit gloſ. in *cap. Ex parte in ver. Per annum, infr. eod. Qui ergo*, inquit, *poſt annum remanet in habitu monachali, & non reclamat, intelligitur tunc ipſo facto tacitè vovere; unde poſtea exire non poteſt, imò compellitur expreſsè profiteri, & hæc eſt præſumptio juris, & de jure, ita quod non admittatur probatio in contrarium, ex quo nulla preceſſit proteſtatio.* Hec gloſ. atque idem tradunt in d. c. 1. Joan. Monach. *in ver. Præſumitur*, Prob. *in addit.* Gemin. & Anchar. & ſequuntur alii communiter in d. *cap. Ex parte*. Præſertim verò quia quando ſuperior, vel profeſſus petunt ſe admitti ad probandum ſe non præſtitiſſe conſenſum tacitæ profeſſioni propter ignorantiam nullitatis profeſſionis expreſsæ, hæc probatio propriè dicitur directa, quia Canones ex delatione habitus annali eliciunt conſenſum, & ipſi intendunt probare hunc conſenſum non interceſſiſſe, atque ita non agitur de probatione defectus alicujus qualitatis ad tacitam profeſſionem requiſitæ, quæ dicitur probatio indirecta; ſed ipſius conſenſus, quæ profeſſio tacita à jure ſubſtantialiter inducitur. Hanc autem directam probationem, niſi præceſſerit proteſtatio, manifeſtum eſt numquam admitti contra præſumptionem juris, & de jure, ut declarat Menoch. in contrarium allegatus *lib. 1. præſumpt. 65. colligitur*, ex gloſ. & aliis ſuprà citatis. Et eò magis, quia text. in Clem. *Eos, de Regul.* non utitur verbis præſumptionem importantibus & legem novam inducentibus: (Eos, inquit, qui deinceps in diſcretionis conſtituti ætate, novitiorum habitum in aliqua religione per annum portaverint, hoc ipſo religionem illam decernimus eſſe profeſſos,) ponderando verba *deinceps, hoc ipſo, & decernimus*, & hoc eſſe ſtatutum Papæ, quod pro veritate habetur, dicit Vitalin. *ibi num. 39.*

Nec videntur obſtare adducta in contrarium, quoniam innituntur huic fundamento, quòd credens ſe eſſe legitimè profeſſum, errat; ideòque non habet conſenſum, qui
41 neceſſariò ad tacitam profeſſionem requiritur. Ad quod patet reſponſio ex ſupradictis, procedit enim aut in errore, ſeu ignorantia antecedenti, ideſt ejus rei, quam quis non feciſſet, ſi ſciviſſet: aut in errore, ſeu ignorantia concomitante, quæ verſatur principaliter circa rem, de qua agitur, ut ſuperiùs explicavimus ex mente D. Th. & aliorum; & ad has duas ſpecies erroris, & ignorantię ſpectant regulæ illæ, quòd errantis non ſit conſenſus, nihilque magis ſit contrarium conſenſui, quàm error, quòd dolus dans cauſam contractui vitiet contractum, quòd falſa cauſa non obliget profitentem, quòd ratum haberi non
42 poſſit quod ignoratur, & aliæ id genus. Unde etiam patet opiniones recentiorum, quòd conſentiens, aut vovens ſub credulitate valoris prioris matrimonii, aut voti non obligetur ex ſecundo, non poſſe defendi niſi in caſu, in quo ignorantia eſſet antecedens, ideſt, ſi vovens ſciviſſet ſe nulliter voviſſe, iterùm non voviſſet; & idem dicendum in matrimonio.

Doctrina verò Cardinalis Cajet. 2. 2. *qu. 89. art. 5.* in qua Navar. præcipuè ſe fundat, ſi diligenter expendatur, non videtur obſtare huic concluſioni: nam qui votum nulliter emiſit, ſi millies intendit illud adimplere credens eſſe validum, non propterea, ut ait Cajet. cenſetur coram Deo ratificare; quod eſt veriſſimum, quia nullibi cavetur, ut executio voti præcedentis novum votum inducat, cùm aliud ſit vovere, aliud votum adimplere, ſecundum Cajet. *ibid.* At ſecus eſt in profeſſione, quia jura decernunt, ut qui fecit profeſſionem nullam, ſi poſteà deferat habitum indiſtinctum per annum, præſumatur veraciter eſſe profeſſus, ut in d. *capit. 1. de Regul. in 6.* Non licet igitur arguere; Qui exequitur votum credens eſſe validum, non cenſetur denuò vovere: ergo & qui defert habitum regularem per annum credens ſuam profeſſionem eſſe validam, non cenſetur denuò profiteri; quia in hoc ſecundo caſu ſacri Canones novam profeſſionem inducunt, cùm tamen, non inducant novum votum per executionem voti præcedentis. Imò ratio Cajet. concludit etiam in eo, qui ſcit, & conſiderat votum ſuum fuiſſe nullum; adhuc enim non cenſetur denuò vovere ex eo quòd votum ſervet, cùm adimplere votum non ſit vovere: & tamen diverſum eſt in profeſſione; nemo enim negat, quin profeſſus nulliter, ſi ſciens nullitatem ſuę profeſſionis perſeveret per annum in religione, efficiatur tacitè profeſſus; de hoc enim eſt caſus apertus in d. *cap. 1.* Ac prætereà Cajetanus loquitur in foro conſcientiæ, ut patet in illis verbis: Non propterea coram Deo ratificavit; & ita etiam ſeipſum explicat Navar. in *cap. Statuimus, n. 72. verſ. Quod eſt verum, & num 65. verſ. Quoniam autem, & in d. conſ. 23. num. 2. & conſ. 89. verſ. Hoc certum eſſe videtur* quoad forum conſcientiæ, & coram Deo, qui omnia novit, & nihil ignorat. Licèt rationes ſupra adductæ pro hac parte concludant tam quoad Deum, & in foro animæ, quàm quoad Eccleſiam, & in foro judiciali. Silveſter autem eſt potiùs pro hac ſententia, dum ait: Is qui credit ſe eſſe obligatum ad votum, ſi illud ratificet aliàs non ratificaturus, non tenetur ad illud: verba enim illa, aliàs non ratificaturus, à contrario innuunt, ut ſi aliàs ratificaturus eſſet, obligaretur ex ratificatione.

Atque ex his omnibus ſatis liquet poſteriorem hanc ſententiam, etſi authoritatibus ferè deſtitutam, ſolidioribus tamen rationibus, ac juribus eſſe munitam, atque armatam; ſed quatenùs eſſet ſolùm dubia, videtur tamen valdè è re eſſe, ut eam amplectatur Sac. Congreg. ad pacem, & quietem in religionibus conſervandam, quemadmodùm hactenùs viſa eſt eam tacitè amplexa fuiſſe, cùm ad hæc uſque tempora hanc ignorantiæ exemptionem numquam admiſerit in caſibus contingentibus, ob quam quidem rationem credendum eſt ſacros Canones noluiſſe hanc exceptionem ignorantię contra tacitam profeſſionem admitti poſſe. Quod colligitur ex duplici conſideratione. Prima eſt quòd etſi paſſim apud Canones reperiatur tacitam profeſſionem induci per lapſum unius anni, cum habitus indiſtincti delatione, etiamſi præceſſerit expreſſa profeſſio irrita; nullibi tamen habetur mentio ſcientiæ nullitatis dictę profeſſionis & tamen non eſt veriſimile, ut hoc requiſitum, ſi neceſſarium fuiſſet, prætermiſſum fuiſſet à ſacris Canonibus, aut ignorantia numquam fuerit allegata. Et mirum eſt etiam quòd de ſcientia hujuſmodi nullus ex Doctoribus, quos vidimus, quidquid tetigerit ante tempora Navarri. Quod ferè nos cogit credere hanc exceptionem ignorantiæ nullatenùs eſſe Sacris Canonibus conſentaneam. Neque dicatur ideò nec Canones, nec Doctores hanc quæſtionem olim tetigiſſe, quia ante decretum Concilii Tridentini in *cap. 15. ſeſſ. 25. de Regular.* profeſſio emiſ-
ſa ante ætatem legitimam vel annum probationis exple- 43
tum non erat nulla: imò enim de jure communi nulla erat profeſſio facta ante decimumquartum annum, ut eſt textus expreſſus hic, & ſuprà in *cap. Ad noſtrum*, & ibi Abb. *in 1. & 4. not. & in c. Cum ſimus, infrà eod. in c. 1. eod tit. in*
6. & in can. 1. & can. Illud autem, 20. qu. 1. & ſimiliter pro- 44
feſſio facta ante annum probationis in omnibus religionibus Mendicantium, etiam ante Concilium, nulla erat, ut conſtat ex *cap. Non ſolum, & cap. Conſtitutionem, de Regul. in 6.* Itaque hæc objectio non tollit vires primæ conſiderationis ſuperiùs factæ, nempè quòd Canones, aut Doctores feciſſent utique mentionem de hujuſmodi ſcientia, ſi illa fuiſſet neceſſaria.

Secunda conſideratio eſt, quia ſacri Canones contra 45
præſumptionem tacitæ profeſſionis noluerunt admitti poſſe probationem, quòd profeſſus non habuerit animum, & conſenſum profitendi, ut probatur in *cap. Quod interrogaſti, 27. diſt.* ubi mulier quæ velum regulare ſuſcepit, & finxit ſe ſub eodem velamine ſanctimonialem eſſe, prohibetur nubere, & cogitur in monaſterio perſeverare; & in *cap. Vidua de Regular.* ubi mulier quæ ſacrum velamen aſſumpſit, ſi velit probare ſe illud non aſſumpſiſſe animo profitendi, non auditur. Quod etiam ducto argumento

à ma-

à matrimonio carnali ad ſpirituale, efficaciter probat tex. in *c. Ad id quod, de ſponſal.* his verbis: *Quamvis undecim annos habens ab initio invita fuiſſet ei tradita, & renitens; tamen quia poſtmodùm per annum, & dimidium ſibi cohabitans conſenſiſſe videtur, ad ipſum eſt cogenda redire, nec de cætero recipiendi ſunt teſtes, ſi quos memorata mulier ad probandum quod non conſenſerit nominaverit producendos, cum mora tanti temporis ejuſmodi probationem excludat.* Si ergo contra hanc præſumptionem Canones noluerunt admitti poſſe probationem defectus conſenſus; credendum eſt, ut ſimiliter noluerint admitti poſſe probationem ignorantiæ. Nam propter quod eſt unumquodque, & illud magis, Auth. *Multò magis, C. de Sacroſ. Eccleſ.* Probatio autem ignorantiæ, ſi admitteretur, utique admitteretur propter defectum conſenſus, quem præſupponit. In tantum enim poteſt impedire ignorantia profeſſionem, in quantum excludit voluntarium. Sed probatio ipſius defectus conſenſus non admittitur contra præſumptionem tacitæ profeſſionis, ut probatum eſt: ergò longè minùs probatio ignorantiæ, Facit text. in *l. Quæ ſub conditione, §. Si quis, ff. de condit. inſtit. & in §. Eſt tamen caſus, inſtitut. de hæred. inſtit. & c. Cum quid una via de regul. jur. in 6.*

46 Ad extremum hanc ſententiam in fortioribus terminis videtur ſequi Innocentius in *c. Conſuluit, de converſ. conjugat.* ubi ait votum, quod vir uxore ſua vivente, & contradicente ingrediendi monaſterium emiſit, & non valuit, poſteà fuiſſe ſolemnizatum ex perſeverantia in monaſterio poſt mortem uxoris; nec requiri ad hoc ut ſciverit mortem uxoris, & poſteà in monaſterio remanſerit; ſed ſufficere, ut mortua ſit: & rationem dicit eſſe, quia ſeparando ſe ab uxore, ſive invita, juxta *c. Quidam, de converſ. conjugat.* ſive voluntaria, ut in *c. Ex parte, eod. tit.* ſemper præſumitur velle mutare ſeculum. Et ex quo tale propoſitum habet, per habitus ſuſceptionem eſſet ſolemnizatum votum, niſi uxor impediret, *c. Conſulti, infrà eod.* Ergo ſublato impedimento uxoris, ſtatim primo momento poſt mortem ejus votum ſolemnizatur. Reddit etiam rationem, quia ad hoc ut votum valeat, non requiritur ſcientia, vel opinio, ſed rei veritas, *c. Placet, de converſ. conjugat.* Et quamvis in fine Innoc. ſubdat aliis videri, & fortè meliùs quòd non ſolemnizetur votum illius, qui ignorans mortem uxoris perſeveravit in monaſterio, ut de matrimonio carnali idem ſcripſi in *c. 1. de eo qui dux. in matr.* tamen primam opinionem ſimpliciter tenet in d. *c. Quidam, de converſ. conjug. nu. 2.* in qua etiam reſidet ibi Joan. de Anania *in fin.* eamque expreſsè approbat Abb. in d. *c. Conſuluit num. 3.* dicens profeſſionem à viro nulliter emiſſam uxore contradicente, vel diſſimulante, aut ignorante, in continenti poſt mortem uxoris fuiſſe validatam, etiamſi vir illius mortem ignoraverit, quia intrans religionem ſemper videtur intraſſe animo ſerviendi Deo, & mutandi vitam. Unde incontinenti quando fuit ſublatum obſtaculum, poſt mortem uxoris remanet profeſſio ſua valida, quia contrahens cum ſecunda habet ſemper animum depravatum, & non intendit matrimonialiter conſentire, ſed potiùs ſecundam decipere. Unde iſte conſenſus eſt illegitimus, nec propriè dicitur conſenſus, ſed diſſenſus. Aliud eſt in ingrediente religionem, quia ſemper habet animum mutandi vitam, ut ibi per eum. Si igitur profeſſio illa ſublato impedimento, etiam viro ignorante, convalidatur incontinenti ex momentanea perſeverantia in monaſterio; multò magis cenſeri debet convalidari profeſſio in caſu noſtro, in quo poſt ſublatum impedimentum ætatis ſupponimus profeſſum perſeveraſſe in religione per plures annos cum delatione habitus indiſtincti.

Noviſſimè hanc ſententiam ſequuti ſunt Domini de Rota *in cauſa Meten. Profeſſionis 2. Junii 1636.* coram Carillo in hæc verba: (Nec etiam obſtat, quòd ad ratificandam profeſſionem tacitam deſumptam ex pluribus actibus factis per Pepinam in dicto monaſterio, requiratur, ut ipſa ſciverit nullitatem profeſſionis præcedentis: aliter verò ex permanentia in monaſterio non cenſeatur inducta ratificatio profeſſionis, Cajet. *in 2. 2. q. 189. art. 5.* Navarr. *conſ. 28. n. 7. & conſ. 89. n. 3. de regular. in & Manuali c. 12. nu. 71.* & in puncto de Moniali in civitate Meten. quòd non cenſeatur ratificaſſe profeſſionem ſine ſcientia dictæ nullitatis, Rota *dec. 179. num. 7. & dec. 307. nu. 5. p. 4. rec.* quia prædictam doctrinam uti non tutam Sac. Congregatio Concilii non amplectitur; ſed potiùs contrarium plures declaravit, veluti die 13. Januarii 1583. & die 28. Auguſti 1621. in alia Romana inhærendo declarationibus aliàs factis cenſuit Joannem Petrum eſſe tacitè profeſſum, & religioni adſtrictum, etiamſi non probetur ipſum habuiſſe ſcientiam individuam nullitatis profeſſionis expreſſæ ab eo priùs emiſſæ. Quas declarationes Sac. Congreg. Concilii S. D. N. Urbanus VIII. obſervari mandavit primo Februarii 1631. in una Romana nullitatis profeſſionis.) Hæc ibi, & mox ſubjiciuntur aliqua ex fundamentis ſuperiùs relatis.

Hactenùs promiſcuè egimus de ignorantia nullitatis 47 profeſſionis tam quoad religionem, quàm quoad profeſſum. Rationes enim, & fundamenta omnia, quibus probatum eſt per hujuſmodi ignorantiam non impediri profeſſionem tacitam, æquè vigent, ſive ignorantia deducatur ex parte profeſſi, ſive ex parte religionis. Verumtamen cùm ignorantia ex parte religionis deducitur, longè minor eſt difficultas; quia profeſſio nulla ob impedimentum ætatis, ſeu aliam ob cauſam, ceſſante impedimento convalidatur ob ſolam ratificationem profeſſi, nec requiritur nova acceptatio religionis, ut conſtat ex *c. Cùm virum, infrà eod.* ibi, *Præſertim, ſi ratihabitione ſequuta, etſi eam quandoque contradixiſſe conſtiterit, ex c. 1. eod. tit. lib. 6.* ibi, *Seu profeſſionem à ſepius factam ratam expreſsè habeat, ex c. 1. ſuprà quod met. cau.* in illis verbis, *Si legitimè probatum fuerit prædictam mulierem, &c. quod fecit, poſtmodum ratum habuiſſe, ipſam ad religionem redire compellatis.* Quibus juribus conſtat ſolam ratihabitionem profeſſi deſiderari ad hoc, ut profeſſio nulliter facta efficiatur valida, atque ita cenſet Navarr. *conſ. 35. nu. 3. & conſ. 46. nu. 2. de Regul. in prima edit. & in 2. conſ. 27. n. 2. & conſ. 28. n. 3.* Unde parum refert, an ignorantia nullitatis Profeſſionis expreſſæ impediat ratificationem religionis, nec ne, cùm ea ratificatio ex parte religionis non requiratur, & quatenùs requireretur, tamen Summi Pontifices tamquam ſuprema Ordinum Regularium capita, *c. Exiit, §. Ad hæc cum fratres, de verb. ſignif. lib. 6.* voluerunt eam ſupplere, admittendo profeſſionem illam per ſolam ratihabitionem profeſſi, ut religionum paci, & tranquillitati conſulerent. Præterea, ſi requireretur ſcientia di- 48 ctæ nullitatis, utique requireretur non ſolùm in Superiore monaſterii, ſed etiam in illis de Capitulo, ad quos pertinet novitios ad profeſſionem admittere. Creatio enim Monachorum de jure ſimul ſpectat ad Abbatem, & Capitulum, & requiritur ſaltem conſenſus majoris partis Capituli, ut notatur *in cap. final. de Regul. lib. 6,* atque ita ſi unus tantùm ignoraſſet nullitatem profeſſionis expreſſæ, & ex ejus voto major pars Capituli integraretur, hoc ſatis eſſet ad excludendam tacitam profeſſionem: deficeret enim conſenſus, & votum unius neceſſarium ad profeſſionem recipiendam. Quod eſſet maximè abſurdum, quia hoc modo eſſet inventa via prorſus tollendi tacitam profeſſionem, ubi præceſſit expreſsè nulla. Denique ex abundãti, etſi ignorantia etiam unius ex Capitularibus tacitam profeſſionem 49 impediret; tamen Superiores regulares hujuſmodi ignorantiam allegare volentes nullatenùs videntur audiendi: nam cùm ex Decreto Concil. Trident. *cap. 15. ſeſſ. 25. de Regul.* prohibente quemquam ad profeſſionem admittere ante decimumſextum ætatis annum expletum, & ex inſtitutis ſuorum Ordinum, & Conſtitutionibus Apoſtolicis præſertim Clementis VIII. teneantur ſub gravibus pœnis diligenter inquirere, ac noſſe ætatem cujuſque Novitii: utique audiendi non ſunt allegantes ignorantiam ejus rei, quam omninò tenentur ex officio inquirere, *c. Ad falſariorum, de crim. falſ.* Gemin. in *cap. In memoriam, col. 2. 19. diſt.* Jaſ. *in l. Si res obligata, poſt nu. 40. verſ. Secundo notabiliter limita, num. 41. deleg. 1.* ubi ait, Cùm quis tenetur ratione officii, indagare factum alienum, tunc præſumitur illud ſcire, nec toleratur ignorantia, alios refert Menoch. *lib. 6. præſumpt. 23. num. 66.*

DE-

DE REGULARIBUS.

Clemens III.

CAPUT XII.

Cum virum: & infrà. Utrùm ea, quæ infra diſcretionis annos, à parentibus Monaſterio tradita, habitum religionis induens, benedictionem accepit, & exiens poſtmodùm ſe cuidam militi copulavit, ad Monaſterium redire cogatur: conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quòd cùm juxta Concilii Toletani cenſuram, Monachum aut paterna devotio, aut propria profeſſio faciat: quicquid horum fuerit allegatum, tenebit, revertendi ad ſæculum aditu penitùs interdicto. Non enim videtur illa Monaſticæ profeſſionis à ſe poſſe jugum excutere, cùm eam non conſtet evidenter contradixiſſe, cùm benedictionem accepit, quam non niſi in ætate diſcretionis recipiunt, quæ velantur: præſertim, ſi ratihabitione ſecuta (& ſi eam quandoque contradixiſſe conſtiterit) quod ante geſtum fuerat, roboratur. Nec obloquitur, quod de prædeceſſoris noſtri Leonis Papæ conſtitutione per contrarium ſenſum ſumitur: ut puellæ, quæ coactæ parentum imperio, virginitatis habitum ſuſceperunt, ipſum poſſint ſine prævaricatione deſerere: cùm de ea rectè poſſit intelligi, quæ in ætate nubili noſcitur conſtituta; tunc enim quia liberum habet arbitrium in electione propoſiti, ſequi parentum non cogitur voluntatem.

SUMMARIUM.

1 *Filia minor duodecim annis monaſterio tradita, ſi major facta ſponte veletur, ad ſæculum redire non poteſt.*
2 *Monachum facit aut paterna devotio, aut propria profeſſio.*
Declaratur, nu. ſeq.
3 *Religioni an filius impubes alligetur ex oblatione parentum, & num. 42.*
4 *Profeſſus tacitè cenſetur, per vim oblatus religioni à parentibus, ſi poſt pubertatem habitum profeſſorum ſuſceperit,*
5 *Et hæc eſt præſumptio juris, & de jure.*
Et quid poſt Conc. Trident. n. 8.
6 *Voluntatis declaratio, & juris effectus reſultat ex actibus certæ obligationi attributis.*
7 *Intellectus cap. 2.* ſuprà eod.
8 *Profeſſio tacita per ſuſceptionem habitus profeſſorum hodie non inducitur niſi poſt annum ætatis decimum ſextum, & expleto anno probationis.*
9 *Puella minor duodecim annis à parentibus monaſterio oblata an habitum regularem ſuſcipere poſſit non obſtante Concilio Trident. & n. ſeq. uſque ad n. 23.*
10 *Concilii Tridentini decretum in* cap. 17. ſeſs. 25. de Regular. *expenditur, & n. ſeqq.*
11 *Voluntatis exploratio, ſi puella ſit major duodecim annis ex Concilio Tridentino facienda eſt tam ante habitus ſuſceptionem, quàm ante profeſſionem. Sin autem minor, ante profeſſionem tantùm, & cur.*
12 *Michaelis Medinæ teſtimonium, qui Concilio Tridentino interfuit, circa decretum* cap. 17. ſeſs. 25. de Regular.
13 *Voluntas impuberum, qui religionis habitum ſuſceperunt de jure communi explorari non debet niſi poſt pubertatem,*
14 *Argumentum ab identitate rationis non procedit in materia correctoria.*
15 *Epiſcopus, ſi velit, poteſt bis explorare voluntatem puellæ, quæ ante duodecimum annum habitum regularem ſuſcepit,*
16 *Filii poſt pubertatem non poſſunt inviti à parentibus religioni offerri.*
17 *Et quid ante pubertatem.*
18 *Parentes qui cogant puellas invitas ad ingrediendum monaſterium ante duodecimum annum, an ſint excommunicati.*
Concilium Tridentinum in cap. 18. ſeſs. 25. de Regular. *expenditur. ibidem.*
19 *Pœna detruſionis in monaſterium Monialium an poſſit infligi mulieribus ſæcularibus, & n. ſeqq.*
20 *Monaſterium Monialium ingredi non licet authoritate Epiſcopi, niſi ex cauſa neceſſitatis ipſius monaſterii.*
21 *Epiſcopus permittere non poteſt, ut mulieres ex cauſa litium matrimonialium, adulteriorum, vel alia ſimili, ingrediantur monaſteria Monialium.*
22 *Detruſi in monaſterium ad agendam pœnitentiam non coguntur habitum regularem ſuſcipere.*
23 *Licentiæ admittendi ad habitum regularem puellas duodecim annis minores peti conſueverunt à Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium.*
24 *Parentes, vel tutores an poſſint religioni offerre impuberem invitum, & num. ſeq. uſq. ad n. 45.*
25 *Filius impubes poteſt tradi monaſterio à parentibus.*
26 *Tutores ſicut poſſunt pupillum è monaſterio revocare, ita & religioni offerre.*
Declaratur, num. 40.
28 *Oblatio parentum de impubere ſe habet ad profeſſionem ſicut ſponſalia ad matrimonium.*
Contrarium, num. 41.
29 *Opiniones plures ſimpliciter referens cenſetur ultimam approbare.*
30 *Fallit, ſi quis primò ponit ſuam opinionem, & poſteà ſubdat,* Alii dicunt.
31 *Doctor reſpondens per verbum,* Videtur, *intelligitur de jure reſpondere, quod facit pro dictis Innocentii.*
32 *Puellæ in electione propoſiti non coguntur ſequi parentum imperium, ſi ſint in ætate nubili; aliàs ſecus.*
33 *Dictio,* tunc, *denotat extremitatem temporis, & idem importat quod,* eo caſu.
34 *Parentes, vel tutores poſſunt è monaſterio revocare impuberem licèt invitum.*
35 *Ligandi, & ſolvendi Dominus par jus eſſe voluit.*
36 *Votum filii impuberis poſſunt parentes irritum facere, ſed non poſſunt eum cogere ad vovendum.*
37 *Votum neceſſariò exigit deliberationem, propoſitum, & promiſſionem.*
38 *Infans ex voto non obligatur.*
39 *Votum obligat puerum doli capacem, quamdiu parentes non contradicunt.*
40 *Religionem coactè ingreſſi in adulta ætate dicuntur potiùs peccata committere, quàm plangere.*
41 *Sponſalia quid ſint, & quid differant ab oblatione, quæ fit à parentibus religioni de filio impubere.*
42 *Impuberes ex ſponſalibus obligantur infrà annos pubertatis.*
43 *Sponſalia ab infante contracta ſunt nulla ex defectu conſenſus, nec pariunt impedimentum publicæ honeſtatis.*
44 *Infans tradi poteſt religioni à parentibus.*
45 *Pueros an expediat religioni tradere.*
46 *Pueri à teneris annis ad pietatem, & religionem informandi.*
Romani, & nobiles dabant B. Benedicto filios nutriendos, ibidem.
47 *Clericis Regularibus Theatinis, & Miniſtrantibus Infirmis*

firmis interdictum, ne quemquam ad habitum regularem recipiant ante pubertatem.

Bulla S. Pii V. de novitiis non recipiendis niſi poſt decimum octavum annum, an, & quomodo ſit temperanda, ibid. verſ. Generali tamen decreto.

48 *Pueros quibus religionibus expediat tradere ex ſententia Cajetani.*

49 *Clementis VIII. decreta de novitiis non recipiendis, niſi in conventibus deſignatis, expenduntur.*

50 *Fratres Minores Ciſmontanæ familiæ qualiter fuerint reintegrati ad recipiendos novitios.*

51 *Regis Chriſtianiſſimi inſtantia de novitiis non recipiendis, niſi in religionibus primævum inſtitutum ſervantibus.*

52 *Religiones plures in Concilio Lugdunenſi extinctæ.*

1 CUm Virum. Si filia minor duodecim annis à parentibus monaſterio tradita major facta, ſponte veletur, ad ſæculum redire non poteſt. Hoc dicit ſecundum Joan. Andr. & omnes. Dividitur in tres partes. In prima ponitur conſultatio. In ſecunda reſponſio, ibi: *Conſultationi tuæ*. In tertia tacitæ objectionis ſolutio, ibi: *Nec obloquitur*.

2 Nota primò dictum Concilii Toletani relatum hìc, & in *cap. Monachum*, 20. *qu.* 1. videlicet, Monachum facit, aut paterna devotio, aut propria profeſſio. Et pondera Concilium loqui alternativè. Unde videtur inferri, ut ſola traditio parentum faciat Monachum filium impuberem; quod tamen eſt falſum, quia nullus tonderi poteſt, ut fiat Monachus, niſi in legitima ætate, & ſpontanea voluntate, *cap.* 1. & ibi gl. 1. *ſuprà eod. cap. Si in qualibet*, 20. *q.* 2.

3 Nec filius cogitur in hoc ſequi imperium patris, ut *hic in fine*, & *in cap. Puellæ*, 20. *q.* 1. & *in cap. Cum ſimus*, *infra eod* quia res eſt voti, non præcepti, *cap. Integritas*, 32. *q* 1. & *d. c. Puellæ*. Timore hujus contrarii gloſ. hìc in ver. Paterna devotio, exponit particulam, *aut*, pro, &, ut in *l. penult. C. de verbor. ſignif.* Sed hæc expoſitio non congruit litteræ ibi, *Quidquid horum fuerit allegatum tenebit*. Quæ verba oſtendunt alterutrum ſufficere, ut quis alligetur religioni: non enim legendum eſt, allegatum, ſed alligatum, prout habet vera, & communis littera, ſecundum Jo. Andr. *num.* 1. *in ver. Alligatum*. Unde Hoſtien. *hic num.* 5. *in ver. Aut*, dicit litteram poſſe intelligi disjunctivè. Nam paterna oblatio, ſive devotio facit Monachum filium, quem obtulit in pupillari ætate, duobus modis. Primò quia durante pupillari ætate exire non debet. Secundò quia ſi poſteà non contradicat, conſentire videtur, nec poteſt de cetero reclamare, ut innuitur in hoc *cap.* & *in cap. Cum ſimus*, *infrà eod. cap. Illud*, 20. *qu.* 1. & *cap. Præſens*, *q* 3. de quo per eum *in Summa hoc tit.* §. *Utrum exire*, *verſ Dicas breviter*, & conſentit Butr. *hic in* 1. *notab. num.* 2. dum dicit aliquem religioni alligari, tam ex traditione parentum, quàm ex propria voluntate ingreſſum; hac tamen differentia, quòd traditio parentum ita demum obligat, ſi traditus ſit in minori ætate conſtitutus; & tunc non perpetuò, & irrevocabiliter, ſed uſque ad tempus legitimæ ætatis: & poſt tempus ita demum, ſi ratificet; traditio autem propria infra pubertatem nullatenùs obligat, poſt pubertatem verò indifferenter obligat, & irrevocabiliter. Sed certè in neutro ex his duobus caſibus paterna devotio facit propriè Monachum: nam primo caſu filius non efficitur Monachus, cùm non habeat ætatem legitimam, & egredi non poteſt, non quia ſit religioni alligatus, ſed propter defectum diſcretionis, & judicii, ut in *cap.* 2. *ſuprà eod.* Secundo autem caſu intervenit ratihabitio, & ſic tacita profeſſio filii. Unde meritò hanc ſolutionem Hoſt. refellunt *hic* Card. *num.* 3. *verſ. Oppono*, & Abb. *in gloſſ. num* 6. *in ver. Paterna devotio*. Expone ergo litteram: Monachum facit aut paterna devotio, quam filius factus pubes ratam habet ex devotione, quam gerit erga patrem, & ſic occaſionaliter: aut propria profeſſio, ſecundum gl. præalleg. *in ver. Paterna devotio in princ.* Innoc. *in ver. Alligatum*, Hoſt. *num.* 5. *in ver. Quidquid horum*. Nec refert, quòd ratihabitio filii in effectu nihil aliud ſit, quàm profeſſio; quoniam non eſt novum in jure, ut ratihabitio, & profeſſio ponantur disjunctivè, ut patet in *cap.* 1. *hoc tit. lib.* 6. ibi: Niſi profeſſionem faciat, ſeu profeſſionem à ſe priùs factam, ratam expreſsè habeat; nec non ibi: *Profeſſionem per hoc feciſſe, vel ſi quam prius fecerat, ratam habuiſſe videtur*, *cum ſimil.*

Secundò nota, impuberem etiam per vim oblatum religioni à parentibus, ſi poſt pubertatem habitum profeſſorum ſuſceperit, eo ipſo cenſeri tacitè profeſſum. Et de hoc eſt caſus hìc ſecundum Abb. *in princ.* nam puella ante annos pubertatis fuit tradita monaſterio invita, ut patet ex littera ibi, *Et ſi eam quandoque contradixiſſe conſtiterit*; & tamen quia major facta velum ſuſcepit, quod dari profitentibus conſuevit, ut patet ibi, *Cum benedictionem accepit, quam nonniſi in ætate diſcretionis recipiunt quæ velantur*; ex hoc cenſetur tacitam profeſſionem emittere. Et quidem præſumptione juris, & de jure, quæ ſumitur ex actu geſto, contra quam non admittitur probatio, niſi per contrariam proteſtationem præcedentem, ut ſentit *hic* Butr. *num.* 4. 4 5

Ratio eſt, quia ex actibus certæ obligationi attributis reſultat juris effectus, & declaratio voluntatis, quæ qualitercumque declaretur, verbis, an ſignis, nihil refert, ut *l. certum*, *ff. Si cert pet.* ſecundum Petr de Anchar. *hic nu.* 2. *in* 2. *notab.* & Joan. de Anan. *num.* 3. Ad hoc *cap. Ex parte*, cum ibi not. per gloſ. *in ver. Per annum*, & *cap. Statuimus*, *infrà eod. cap* 1. *de Reg. l.* 6. & Clem. *Eos*, *eod. tit.* Et ita non obſtat text. in *cap.* 2. *ſuprà eod.* & *in cap. Puella*, 20. *q.* 2. ubi impubes monaſterio oblatus non cenſetur tacitè profeſſus, niſi per annum, & diem in monaſterio permanſerit, ſicut nec pubes per vim ingreſſus, qui infrà annum non reclamavit: nam illa jura procedunt, quando ingreſſus nullum fecit actum poſitivum à profitentibus fieri ſolitum: tunc enim non cenſetur profeſſus tacitè, niſi per annum diſſimulando conſenſerit, ut dicitur in *d. cap. Puella*, & notant DD. in d. *cap.* 2. *poſt gloſ. fin. ibi*. In hac verò decretali puella major facta velum converſionis, ſeu profeſſionis accepit. Unde cùm interceſſerit actus poſitivus voluntatis declaratorius, non exigitur annale intervallum, ſed ex ipſo actu ſuſceptionis veli intelligitur tacitè profeſſa, ut hìc, & in *cap. Vidua*, *ſuprà eod.* & infrà in *cap. Statuimus*. Et ita hæc jura in effectu conciliat Innoc. in d. *cap.* 2. *num.* 2. *verſ. Nec obſtat*, ubi dicit non obſtare hoc capitulum, ubi innuitur, ut ſi veniens ad ætatem legitimam non contradicat, ratum habere videatur, quia hìc non fuit ſolus tranſcurſus temporis, ſed benedictio Monachalis recepta fuit in majori ætate, & ſequuntur totidem ferè verbis Hoſtien. *num.* 7. Joan. Andr. *num.* 2. *verſ. Nec obſtat*, Card. *num.* 11. *verſ Oppono*, & alii communiter. Hodie tamen intellige hoc procedere, dummodò ſuſcipiens habitum profeſſorum ſteterit per annum integrum in probatione, & expleverit annum ætatis decimum ſextum: aliàs enim ex hoc non cenſeretur tacitè profeſſus, quia Concilium Tridentinum in *cap.* 15. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* ſicut irritam facit profeſſionem expreſſam ante annum decimum ſextum completum, & non peracto anno probationis, ita & tacitam, quæ inducitur per ſuſceptionem habitus profeſſorum, vel per actus, qui à ſolis profeſſis fieri conſueverunt, ut ſæpiùs declaravit S. Congreg. ejuſdem Concilii Interpres. 6 7 8

QUÆRO, an puella duodecim annis minor à parentibus monaſterio oblata hodie habitum regularem ſuſcipere poſſit, non obſtante decreto Tridentini Concilii in *cap.* 17. *ſeſſ.* 25. *de Regular.*

Videtur reſpondendum poſſe puellam à parentibus, ut ſuo tempore Monialis fiat, oblatam indui habitu regulari, etſi adhuc duodecim annis minor exiſtat; id enim minori duodecim annis de conſenſu parentum tacito, vel expreſſo à Sacris Canonibus permiſſum eſt, ut habetur expreſsè in hac Decretali, *cap. Addidiſtis*, *cap. Quicumque*, *cap. Illud autem*, 20. *q.* 1. *cap.* 1. & *cap. fin.* 20. *q.* 2. & *cap.* 2. ubi plenè dixi ſuprà eodem. Huic autem ſacrorum Canonum diſpoſitioni non adverſatur Tridentinum Concilium d. *cap.* 17. *ſeſſ.* 25. *de regular.* nam cùm correctio jurium ſit quantum fieri poteſt vitanda, *cap. Cum expediat*, *de elect. in* 6. *l. Præcipimus*, *in fine*, *C. de appel. cum ſimil.* & puellæ duodecim annis minores ſecundum Canones ſint habiles ad ſuſcipiendum habitum regularem? non eſt credendum per Concilium tot jura correcta, & ſubverſa fuiſſe, *cap. Eccleſia*, *veſtra il ſecondo*, *eod. tit.* cùm ex verbis Concilii ea correctio neceſſariò non inferatur. Obſervandum eſt enim ex eo decreto, ſi accuratè expendatur, in hoc ſolùm conſtitui differentiam inter puellam duodecim annis majorem ac minorem, quòd ſi major ſit, ejus voluntas ſemel atque iterùm explorari debeat, nempè ante habitus ſuſceptionem, & ante profeſſionem: ſin autem minor, non niſi ſemel, hoc eſt ante profeſſionem ipſam; verba enim textus 9 10 11

textus ſic habent: *Si puella, quæ habitum regularem ſuſcipere voluerit, major duodecim annis ſit, non ante eum ſuſcipiat, nec poſteà illa, vel alia profeſſionem emittat, quàm Epiſcopus exploraverit virginis voluntatem.* Unde ponderanda eſt illa dictio, *alia*, quæ referri non poteſt niſi ad puellam duodecim annis minorem, ita ut propterea ſenſus Concilii ſit; Si puella major ſit annorum duodecim, non ante habitum ſuſcipiat, nec poſteà ipſa, id eſt major, vel alia, id eſt minor, profeſſionem emittat, quàm Epiſcopus
12 ejus voluntatem exploraverit. Atque ita in majore voluntas bis jubetur explorari, in minore ſemel tantùm.

Diverſitatis ratio ea eſt, quia in minori ſupervacanea eſſet hujuſmodi exploratio; tum quia integrum judicium ad deliberandum non habet, *cap. Illud*, 20. *quæſt.* 1. & argum. à contrario ſenſu in hac decretali in fine; tum quia vel invita monaſterio à parentibus tradi poteſt, ut patebit infrà à *nu.* 17. Non ergo Concilium prohibet, & quin puella natu minor habitum regularem ſuſcipere queat, imò expreſsè admittit per illam dictionem, *alia*; ſed tantùm prohibet quin ipſa poſteà profiteatur, priuſquam Epiſcopus illius voluntatem ſcrutatus fuerit.

Atque ita (quidquid contra ſenſerint Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 18. *nu.* 5. *&* 56. & Rodrig. *de regul. tom.* 3. *qu.* 12. *art.* 2.) clarè ac dilucidè explicat Michael Medina *de ſacrorum hominum continentia lib.* 4. *controverſ.* 9. *cap.* 4. ubi affirmat (nihil alienius à Tridentini Concilii mente excogitari poſſe, quàm ut puellam duodecim annis minorem prohibuerit habitum regularem ſuſcipere; teſtaturque ſe interfuiſſe illi decreto, atque attentiſſimis auribus ſuffragia omnium Epiſcoporum accepiſſe & nihil tractatum fuiſſe, niſi de ſola puellarum majorum duodecim annis ad religionem admiſſione; & duo tantùm ſtatuta fuiſſe. Primum, ut ſi puella ingrediens ſit major duodecim annis, quantæcumque ætatis ſit, duplex Epiſcopi examen ſubeat, alterum ante habitus ſuſceptionem, alterum poſteà ante profeſſionem, quia ſæpè puellæ invitæ habitum ſuſcipiunt; & quamvis voluntariè illum aſſumant, non raro invitæ profitentur timore parentum, vel cognatorum, vel verecundia habitum dimittendi. Secundum verò quod in eo ſtatuitur, ut puella minor duodecim annis ingrediens unicum examen ſubeat, nempè profeſſionis tempore, quoniam ante ætatem duodennem vanum exiſtimavit Concilium hoc examen præmitti, ob tenerem rationis uſum puel-
13 læ.) Hæc Medina. Simile habetur in decreto Marcelli relato in *cap. Illud*, 20. *q.* 1. ad quod fortè reſpexerunt Patres Concilii: nam in eo decreto ſancitur, ut filii, ſi in minori ætate monaſterio oblati fuerint, vel habitum regularem ſuſceperint, decimo quinto anno à Prælatis moniti inquirantur, utrum in ipſo habitu permanere cupiant, an non. Ecce igitur quòd etiam de jure communi exploratio voluntatis in minoribus fieri debet tantummodò cùm ad annos pubertatis pervenerint, & non anteà.

Et ex his conſtat nihil obſtare, quod dicunt aliqui, impoſſibile eſſe, ut poſt Concilium minori duodecim annis detur habitus, cum ex d. *cap.* 17 antequam detur, debeat Ordinarius ſcrutari puellæ voluntatem, an coacta, an ſeducta, an ſciat quid agat; & hæc cauſæ cognitio in minore congruè adhiberi non poſſit; ideòque neceſſariò ſequatur argumento ab impoſſibili, ut Concilium voluerit, ne ea ætate habitum regularem accipere poſſent.

Reſpondetur namque hoc argumentum petere principium, negatur enim Concilium requirere hanc cauſæ cognitionem, quando traditur habitus minori duodecim annis, cùm eam tantùm requirat, quando datur habitus ei, quæ eſt major annorum duodecim, ut oſtenſum eſt ſuprà.

Non item obſtat, ſi dicas rationem à Concilio expreſſam in d *c.* 17. quæ eſt, ut libertati profeſſionis Monialium conſulatur, militare nedum in majoribus, ſed etiam, & multò fortiùs in minoribus, quæ eo magis minis, & metui obnoxiæ ſunt, quo per ætatem ſunt timidiores.

14 Primò enim reſpondetur in materia correctoria non procedere argumentum à majoritate rationis, gl. 1. in Authen. *Quas actiones, C. de ſacroſ. Eccleſ.* quæ communiter approbatur teſte Decio in *l. Non debet cui*, *n.* 4. *ff. de regul. jur.*

15 Secundò, reſpondetur expreſſionem dictæ rationis pro hac opinione facere, dum Concilium cautè ſe reſtrinxit ad libertatem emittendæ profeſſionis, non autem ad libertatem aſſumptionis habitus. Quæ ratio ſicut militat etiam in minore duodecim annorum, ita & diſpoſitio Concilii. Præterquam quòd antequam ipſa ad profeſſionem admittatur, poterit Epiſcopus, ſi ita è re eſſe exiſtimaverit, bis voluntatem explorare, ut Concilium præſcribit in majore, nempè poſt annum duodecimum, & immediatè ante profeſſionem.

Tertiò, reſpondetur negando in minore militare eam- 16
dem rationem, quæ militat in majore. Imò enim ſecundùm Canones major non poteſt invita tradi monaſterio, §. *Cum ergo*, *cap. Sicut*, *& cap. ſequen.* 20. *q.* 1. *cap.* 1. *ſuprà Quod met. cauſ. & cap.* 2. §. *Si verò*, *ſuprà eod.* At verò mi- 17
nor à parentibus offerri poteſt etiam invita, ut plenè dicam *in quæſt. ſequen. à nu.* 24. *uſque ad num.* 48. Et ob id meritò Concilium in majore requiſivit, ut dicta inquiſitio adhiberetur, ne invita contra Canones traderetur monaſterio. At eamdem inquiſitionem omiſit in minore, quam fortè intellexit poſſe etiam invitam monaſterio tradi; & hoc non injuria, quia ut colligitur à contrario ſenſu ex hac decretali, puellæ uſque ad dictam ætatem non ſuam, ſed patris ſequi voluntatem coguntur.

Qui quidem intellectus ſatis etiam confirmatur ex *cap.* 18
18. immediatè ſequenti, ubi anathemati ſubjiciuntur, qui quandocumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam præterquàm in caſibus in jure expreſſis ad ingrediendum monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum cujuſcumque religionis, vel ad profeſſionem emittendam. Inquiro enim quorſum illa verba, præterquàm in caſibus in jure expreſſis? Et quidem 19
in detruſis in monaſterium ad agendam pœnitentiam, verificari non poſſunt, quia nullibi, quod meminerim, reperitur jure cautum, nec ſervatur in practica, ut mulieres ſæculares detrudantur propter crimen in monaſteria monialium ad agendam pœnitentiam; nam *cap. Impudicas*, 27. *qu.* 1. loquitur de mulieribus ja[m] profeſſis, quæ propter prævaricationem detruduntur in ergaſtula, & alia jura loquuntur de viris, qui detruduntur in monaſteria Monachorum, ut in *cap. Si ille*, 50. *diſt. cap. Placuit*, 21. *qu.* 2. *cap. De lapſis*, 16. *q.* 6. *& cap. Sicut*, 20. *qu.* 1. *cum concordan.* de quibus ibi per gloſ. *in ver. Offerſionis*, & notat gloſſ. *in ſumma ead. cau. & quæſt.* Præterea Epiſcopus, vel Supe- 20
rior facultatem non habet ponendi perſonas ſæculares in monaſteriis Monialium, niſi in caſibus neceſſariis, ut in decreto Concilii Trident. *cap.* 5. *verſ. Dare autem*, *ſeſſ.* 25. *de regular.* Et caſus neceſſarii intelliguntur reſpectu monaſterii, non autem reſpectu ingredientium, ut ſæpiùs declaravit Sac. Congregatio ejuſdem Concilii Interpres. Et 21
idcircò in *cauſa Salamantina die* 19. *Februarii* 1604. reſpondit non licere ullo modo Epiſcopis, vel permittere, vel licentiam concedere mulieribus, ut ex cauſis litium matrimonialium, adulteriorum, ac diſſenſionum inter viros, & uxores, & his ſimilibus ingrediantur monaſteria monialium; imò ingredientes incidere in excommunicationem decreto Concilii, atque ſummorum Pontificum Conſtitutionibus impoſitam. Ergo pariter ſaltem poſt Conſtitutionem Bonifacii VIII. de qua in *cap. Periculoſo*, *de ſtatu regular. lib.* 6. innovatam à Concilio in d. *c.* 5 nec licebit Epiſcopis detrudere in Monaſterium monialium mulieres criminoſas, cùm in hoc nulla verſetur utilitas, vel neceſſitas monaſterii; & conſequenter exceptio Concilii non poteſt ſortiri effectum in hujuſmodi pœna detruſionis, quia hic non eſt caſus Epiſcopus conceſſus. Sed eſto mulieres detru- 22
di poſſent in monaſterium, nihilominus exceptio Concilii verificari non poteſt in his mulieribus, quæ coguntur habitum Religionis ſuſcipere, quia qui detruduntur, ſive viri, ſive fœminæ, non coguntur aſſumere habitum regularem, neque id jure cavetur; ſed tantùm ſunt ibi ut pœnitentes, ut in d. *c. Si ille*, *& cap. De lapſis*, *& in cap. Tua*, *infrà de pœnis*; & cederet in ignominiam ordinis, ut ſæculares tam graviter delinquentes habitum monachalem induerent. Quamobrem ut verificetur exceptio Concilii, neceſſe eſt aſſignare aliquem caſum in jure expreſſum, in quo puella cogi poſſit habitum Religionis ſuſcipere. Et certè non ſuccurrit alius caſus, quàm in puellis nondum conſtitutis in ætate nubili, quæ invitæ à parentibus monaſterio offeruntur, ſecundum prædicta. Et fortè ad hunc caſum reſpexerunt Patres Concilii. Niſi dixeris exceptionem illam poſſe habere locum in mulieribus, quæ votum religionis emiſerunt; poſſunt enim cogi ad voti obſervantiam, *cap.* 1. *& per tot.* 27. *q.* 1. *cap. Licet*, *infrà de voto.* Sed tamen adhuc reſtat difficultas, quia cum Concilium loquatur per verba

plura-

pluralis numeri, In caſibus in jure expreſſis, oportet ſal-
tem aſſignare duos caſus, in quibus puellæ poſſunt cogi ad
ſuſceptionem habitus, *l. Ubi numerus, ff. de teſtib.* & ſic ca-
ſus oblationis adhuc remanet in prædicta exceptione inclu-
ſus. Et ſtante hoc intellectu ineptum eſſet, ut in decreto d.
c. 18. ſeſſ. 25. de regular. Concilium preſervaſſet Sacrorum
Canonum diſpoſitionem circa puellas natu minores, quæ
à parentibus monaſterio traduntur invitæ, ſi in præceden-
ti decreto eamdem diſpoſitionem ſuſtuliſſet; vel certè ſe in-
continenti correxiſſet, quod non eſt dicendum, *l. Non ad*
ea, & ibi gloſſ. *in ver. Præſens, ff. de condit. & demonſtr.*
Porrò quia puellæ minores non debent indiſtinctè ad habi-
tum regularem admitti, ſed a parentibus, vel tutoribus
oblatæ, & nonnunquam ſubeſſe poteſt ſeductionis pericu-
lum à monialibus, & aliæ rationes vigere poſſunt, cur non
expediat illas admittere; hinc factum eſt, ut Sacra Congre-
gatio Concilii aliquando, & præſertim in cauſa Lucana
dixerit non eſſe diſpenſandum, ut puella, quæ duodeci-
23 mum annum nondum exceſſerat, ad habitum admittere-
tur. Et hinc etiam inolevit praxis, ut licentiæ admitten-
di ad habitum ejuſmodi puellas natu minores petantur à S.
Congregatione Epiſcoporum, & Regularium, quæ nonni-
ſi rarò, ac matura deliberatione illas concedere conſuevit.
24 Ulteriùs QUÆRO, an impubes invitus poſſit a paren-
tibus, vel tutoribus religioni offerri.
25 Conveniunt omnes filium ante annos pubertatis tradi
poſſe monaſterio à parentibus. De hoc enim eſt textus cla-
rus *hic, & in cap. Cum ſimus, infrà eod. cum concord. de qui-*
bus ſuprà n. 9. Idemque in tutoribus firmat Innoc. *hìc, & in*
c. 2. ſuprà eod. quem utrobique DD. communiter ſequuntur.
26 Et probatur efficaciter in *c. Puella* 20. *q.* 2. ubi patet tutores
poſſe revocare ingreſſum puellæ impuberis, niſi annum,
& diem diſſimulando conſenſerint.
Ergo ſi poſſunt conſentire oblationi tacendo, & diſſi-
mulando, & ſic tacitè, magis conſentire poſſunt expreſ-
sè. Quod parum habet difficultatis, ſi filius, vel pupillus
conſentiat.
Sed dubium eſt quid juris ſit ſi contradicat, Jo. Andr.
num. 2. ſimpliciter refert opinionem dicentium invitum
non poſſe tradi monaſterio; nec eam approbat, aut repro-
bat. Sed gl. *in ſumma,* 20. *qu.* 1. diſtinguit ſic: Si impubes
intrat, aut ab alio ponitur in monaſterio, aut per ſe intrat:
ſi ab alio ponitur, & ipſe non conſentit, tenet ingreſſus;
& licèt conſenſus ille qui fit ante annos diſcretionis non te-
neat, inde tamen exire non poteſt priuſquam veniat ad le-
gitimam ætatem. Et ita ſentit gloſſ. impuberem invitum
non poſſe monaſterio tradi. Eandem diſtinctionem ponit
Petr. de Anchar. in d. *cap. 2. num.* 8. Et hoc tenent ibi Card.
in 6. q. Joan. de Anan. *n.* 7. & pleniùs Abb. *n. 9.*
27 Fundatur hæc opinio a contrario ſenſu in *cap. Puella,* 20.
q. 1. & in cap. Puella, qu. 2. Sed illa jura parum, aut nihil
faciunt. Deinde pro hac ſententia facit ſecundum Abb.
quia voluntarium militem diligit Deus, *cap. Non eſt,* 15.
qu. 1. Item oblatio parentum de impubere ſe habet ad pro-
feſſionem, ſicut ſponſalia ad matrimonium, *arg. 20. qu* 1.
28 *in primis quatuor Capitulis.* Sed ex ſponſalibus contractis
per parentes filii non obligantur niſi tacitè vel expreſsè
conſenſerint, puta quia fuerunt præſentes, & non con-
tradixerunt, *cap. 1. §. fin. de deſponſ. impub. lib.* 6. Ergo idem
dicendum in hujuſmodi oblatione. Et in hoc reſidet Abb.
dicens ita ſentire Innocentium, & ejus dictum ſibi magis
placere.
29 Sed tu adverte, quia Innocentius in *d. cap. 2. ſuprà eod.*
videtur tenere contrarium: nam *num. 2. verſ. Si autem coa-*
cti, primò recitat opinionem quorundam, qui dixerunt
filios coactè miſſos in monaſterio poſſe quandocumque
exire, etiam ante tempus pubertatis, & citat jura ſuperiùs
relata, & mox ſubdit; Contrarium tamen videtur, & al-
legat jura pro hac parte, nec aliud ſubjungit: unde cenſe-
tur reſidere cum hac ſecunda opinione, cùm eam ponat ul-
timo loco, ſecundùm theoricam gloſſ. notab. in *l. Qui filium,*
§. Sabinus, ff. Ad Trebell. Hoſt. qui loquitur de opinioni-
bus Innocentii in *cap. 1. infrà de pœnis,* Bart. per illum
textum in *l. Bona fides, ff. de depoſ.* Bald. *in l. Si idem, ff. ſin.*
ubi ſimiliter infert ad dicta Innocentii, *ff. de juriſd. omn.*
30 *jud.* Et eò magis quia Innocentius in prima opinione lo-
quitur per illa verba, *Quidam dicunt,* quo caſu etiamſi il-
lam opinionem retuliſſet ultimo loco; tamen non cenſere-
tur eam approbaſse, ut declarat Dec. poſt alios in *cap.* 1,
num. 97. ſuprà de conſtit. ubi limitat gloſs. *in d. §. Sabinus;*
ut non procedat quando primò ponit ſuam opinionem, &
poſtea ſubdit, *Alii dicunt,* quia tunc prima opinio cen-
ſetur gloſsæ, non autem ſecunda; & eodem modo limitat
Jaſon. in d. *l. Si idem, §. fin. num.* 3. Nec refert, quòd ſe- 31
cundo loco Innocentius loquatur per verbum *Videtur,* quia
Doctor reſpondens per verbum *Videtur,* intelligitur de ju-
re reſpondere, ut in *cap.* 1. & ibi DD. *de judic.* & notat
Marian Socin. in *cap. De cætero, num.* 2. & ibi dixi *num.* 3.
infrà de homicid. Quod maximè procedit in dictis Inno-
centii, qui ferè ſemper loquitur per verbum, *Videtur,* vel
credimus, aut *fortè.* Et fuit philoſophicum temperamen-
tum, ut inquit Hoſt. *in cap. Niſi cum pridem, num. 5 ſu-*
prà de renunc. Quamobrem Innocentius eſt apertè pro hac
parte. Sed & Hoſt. *in eod. cap. 2. num.* 5. dicit primo loco:
Alii dicunt, quòd ſi coacti offerantur, ante pubertatem
egredi poſſunt, deinde ſubdit: Alii contra, & ſic cum
ſimpliciter referat duas opiniones, cenſetur ultimam ap-
probare ſecundum theoricam gloſ. prællegatæ. Et hoc ex-
preſſiùs firmat ibi Henric. Boich. dum concludit ingreſſum
per vim, ſeu coactum non debere exire durante pupillari
ætate, ſi compulſio fiat à parentibus, vel in eorum defe-
ctum à tutoribus.
Et quidem hæc ſecunda opinio, nec jure, nec ratione 32
deſtituitur: nam quod pertinet ad jus, pro ea valdè ſtrin-
git hæc decretalis, ubi Conſtitut. Leonis Papæ, ut puel-
læ, quæ coactè parentum imperio virginitatis habitum ſu-
ſceperunt, ipſum poſſint ſine prævaricatione deſerere, de-
claratur intelligi de illa, quæ eſt conſtituta in ætate nubili;
& redditur ratio, quia tunc cùm liberum habeat arbitrium
in electione propoſiti, ſequi parentum non cogitur vo-
luntatem: ergo à contrario, ſi ſit conſtituta in minori æta-
te, cogitur ſequi voluntatem parentum, cùm in electione
propoſiti liberum arbitrium non habeat: alioquin declara-
tio hujuſmodi, & ratio aſſignata eſset inepta, ſi nulla
puella ſive major, ſive minor cogenda eſſet ſequi volunta-
tem parentum. Et confirmatur ponderando dictionem il- 33
lam, *tunc,* quæ denotat extremitatem temporis, *l. 4. in*
fin. & ibi gloſſ. *ult ff. de condit. & demonſtrat.* Bart. *in l. In*
ſubſtitutione, num. 1. ff. de vulg. & pupill. & propriè idem
importat quod, eo caſu, gloſ. in *l. Gallus in princ. in verb.*
Tunc, ff. de liber. & poſth. & operatur, ut diſpoſitio non
habeat locum in alio caſu, Roland. a Valle *conſ. 70. num.* 15.
& pleniùs *conſ. 56. nu. 20. lib.* 3. Unde ſequitur, ut in eo
tantùm caſu puella non teneatur ſequi imperium paren-
tum, in quo pervenit ad ætatem nubilem, ſecus ſi non
pervenerit. Unde Abb. *hic in ultimo notab. num.* 5. videtur
recedere a contraria opinione, quam tenuit in *cap. 2. ſupra*
eod. dum fatetur hoc capitulum multùm facere contra ea,
quæ ibi dixit. Ad idem faciunt jura in *cap. Monachum,*
cap. Quicumque, & cap. Illud, 20. *qu.* 1 *& in cap. Si in qua-*
libet, qu. 2. Facit etiam *cap. Præſens,* 20. *qu* 3. ubi patet
filium impuberem contra ejus voluntatem cucullam in-
duit; licet ibi narretur factum.
Quod verò ſpectat ad rationem, multum habet ponde- 34
ris, quòd parentes, vel tutores poſſunt revocare è mona-
ſterio impuberem, etiam contradicentem, & ſic abſolve-
re illum à perſeverantia in monaſterio uſque ad annos
pubertatis, ut eſt caſus in d. *c. Puella,* 20. *q.* 2 Ergo poſſunt 35
eum ſimiliter obligare, licèt invitum, ad ingrediendum
monaſterium, quia Dominus par jus eſſe voluit ligandi, &
ſolvendi, *cap Verbum, de pœnit. diſt.* 1. Ad idem *l. Qui conde-*
mnare, ff. de re judic. & l. Nemo qui condemnare, ff. de regul.
jur. & c. 1. eod. tit. in hac compilatione, *l. Poſſideri, & l.*
Quemadmodum, ff. de acquir poſſeſſ.
Et quemadmodùm non attenditur contradictio impube-
ris in egreſſu, ita nec debet attendi in ingreſſu. In utroque
enim caſu viget ratio hujus Decretalis, quòd impubes in
electione propoſiti liberum non habet arbitrium; & ideò
cogitur ſequi imperium parentum. Et propria opinio illo-
rum qui dixerunt tutores poſſe quidem revocare ingreſſum
pupilli, quia id cautum eſt in d. *cap. Puella,* ſed non poſſe
illum tradere religioni, cùm hoc non reperiatur jure cau-
tum; communiter reprobatur à Doctoribus, cùm revo-
catio, & oblatio à pari procedant, ut dixi ſuprà *num. 26.*
& in d. cap. 2. n. 7. ſupra eod.
Quòd ſi inſtes: Parentes poſſunt, ſi velint, irritum face- 36
re votum filii impuberis, prout de muliere eſt expreſſum
num. 30. ut in cap. Mulier, 32. quæſt. 2. & docet S. Thom.

in

in 2.2.*q*.189.*art*.5. Et tamen nequeunt impuberem cogere ad vovendum, *cap. Integritas* 32. *q*.1. Ergo eodem modo, quamvis poſſint extrahere à Monaſterio filium impuberem, non tamen poterunt illum cogere ad ingrediendum; ſufficit enim dare inſtantiam ad tollendam æquiparationem, & conſequentiam, ut poſt Ariſtotel.8.*Topicor.* no-
37 tat gloſſ.2.in *cap. Sicut urgeri* 1.*q*.1. Reſpondebimus, cùm votum ſit promiſſio facta Deo, & promiſſio procedat ex propoſito faciendi, propoſitum autem aliquam deliberationem præexigat; inde fit, ut ad votum tria ex neceſſitate requirantur, videlicet deliberatio, propoſitum voluntatis, & promiſſio, in qua perficitur ratio voti, ut declarat S. Th.in 2.2.*q* 88. *art*.1. Non igitur mirum, ſi parentes cogere non poſſint filios ad vovendum, cùm de ratione intrinſeca voti ſit ſpontanea voluntas, & liber conſenſus voventis, ut hìc, *& in cap*.1.ibi, *Spontè, non coactè*, & ibi gloſſ.27.*q*.1.
38 *cap*.1.*ſuprà quod met.cau.cum ſimil.* Et proptereà infans ex voto non obligatur, ut per Div. Thom.in 2.2.*d.q*.88.*art*.9. Sed oblatio non requirit conſenſum oblati, cùm poſſit fieri
39 etiam de infante, ut patebit infrà *num*.34. Prætereà votum ſimplex emiſſum etiam in puerili ætate efficaciter obligat puerum doli capacem, quamdiu parentes non contradicunt, ut eſt text. in *d. cap. Mulier* 32. *q*.2. *& in c*.2. & ibi gloſſ.*penult. infrà de voto*, S. Thom. 2.2.*q*.189.*art*.5. Quia ſicut doli capax poteſt ſe obligare Diabolo per peccatum, ut in *cap. Pueris, infrà de delict. pueror.* ita & Deo per votum, ut dicit Hugo in *Summ.* 20. *q*.1. & ibi notat gloſſ. & Collectar. in *c*.2. *n*.1. *ſuprà eod.* At verò oblatio impuberem non obligat, ut ſimiliter patebit infrà *n*.42. Unde in oblatione procedit æquiparatio à revocatione ad ingreſſum, cùm ſit par ratio; licèt non procedat in voto ob rationis diverſitatem.

Non obſtat text.in *dict. cap. Puellæ* 20. *q*.1. quia procedit in adultis, prout authoritatem illam Leonis declarat text.
40 hìc, & notat gloſſ *fin. in c. Adidiſtis, ead.cauſ. & qu.* Et ita etiam intelligunt jura, quæ dicunt, Voluntarium militem diligit Deus, *cap. Non eſt* 15. *qu*.1. quia ſatis inutile eſt, ut coacta ſervitia Domino præſtentur, *cap. Illud* 20. *quæſt*.1. quia quod non petunt, non obſervant: Ideòque tales conſiderandi ſunt potiùs peccata committere, quam plangere, ut dicitur in *c. Præcedenti*, & alia id genus: habent enim locum in adultis dumtaxat, non autem in conſtitutis intra annos diſcretionis, ut declarat Gratian. in §. *Cùm ergo*, poſt *d.c. Puellæ*.

41 Item non obſtat motivum Abbatis ex ſponſalibus ut ſupra deductum, quoniam ſponſalia ſunt futurarum nuptiarum præmiſſa, *c. Noſtrates* 30. *q*.5. gloſſ. 1. in *c.fin. ſuprà de translat. Epiſcop.* vel promiſſio de matrimonio contrahendo, ſecundum Innoc. in *c. Ex parte, in verb. Habituram, inf. de ſponſal.* & Bald. in *leg*.1. *in lectura antiqua in princip. ff. eod.* At oblatio non eſt promiſſio futuræ profeſſionis. Ergo non ſe habet oblatio ad profeſſionem, ſicut ſponſalia ad matrimonium, ut Abbas dicit.

42 Prætereà impuberes ex ſponſalibus obligantur infra annos pubertatis, *c Litteras, c. Acceſſit, & c. De illis, il*.1. *inf. de ſponſ.impub.cum concor.* cùm ſit contractus ultrò citroq; obligatorius, *c.Unico*. Idem quoque, ibi, *Per dictum tamen contractum*, *eod. tit. lib.6.* Et id circò in *d.l*.1. *ff. de ſponſal.* diffiniuntur eſſe mentio, & repromiſſio (ideſt reciproca promiſſio) futurarum nuptiarum. Sed ex oblatione parentum filius impubes, licèt conſentiat, nullam contrahit obligationem, nec religioni alligatur etiam infra annos pubertatis; ſed tantùm prohibetur exire ob defectum diſcretionis & judicii, ut in *c*.2. *ſuprà eod.* & notant hìc Cardin. *n*.3 *verſ. Oppono*, & ipſemet Abb. *n*.6. in gloſſ. in *ver. Paterna devotio.* Et conſenſus oblati ante annos diſcretionis non tenet, ut dicit gloſſ. in *Summ.* 20. *q*.1.

43 Demùm ſponſalia ob eamdem rationem reciprocæ promiſſionis, & pacti, ad ſui ſubſtantiam neceſſariò exigunt conſenſum contrahentium, licèt impuberum, *cap. Ex parte ſuprà de reſtit. ſpoliat. d.c un. §.fin. & l. Si puellæ, ff. de ſponſal.* Federic. de Sen *conſ*.194. *In dubiis matrimonialibus, in princ.* Ideòque contracta ab infantibus nulla ſunt ex defectu conſenſus, adeò ut nec pariant impedimentum publicæ honeſtatis, ut textus in *dict. cap. un. in princ. de ſponſal. impub. lib.6. in cap. Unico, in princ.* juncta gloſſ. in *verb. Conſenſus, de ſponſal. eod. lib. & in dict. c. Litteras.* Plenè Gemin. *conſ*.24. *Quia diffusè num*.14 *uſque in finem*, niſi puella ſit propè ſeptennium, & appareat in ipſa tantus animi
affectus, ut intellectus ſuppleat ætatem, ut notabiliter ſcripſit Bald. *conſ*.41. *Matrimonia debent eſse libera lib*.4. Sed 44
oblatio non requirit neceſſariò conſenſum oblati; & ideò infans, quamvis careat conſeſu, & uſu rationis, *dict. cap. Litteras, & Clem*.1. *Furioſus*, cum gloſſ. in *verb. Infans, de homicid.* tamen benè poteſt tradi religioni à parentibus, *c. Addidiſtis* 20. *q*.1. *& cap. fin.* & ibi gloſſ. in *ver. Intraret, de tempor. ordin. lib.6.* Nam textus dicit: (Nullus Epiſcopus infanti, niſi fortè religionem intraret, clericalem præſumat conferre tonſuram.) Et gloſſa dicit: Ergo minor ſeptem annis poteſt religionem intrare; quod verum eſt ſaltem per oblationem parentum, vel tutorum, & illam gloſſ. ſequitur ibi Jo. Andr. *circa fin. in gloſ*.3. Gemin. in *ead. gloſ.* & Anchar. *n*.1. *in*.1. *notab.* Ex quibus arbitror non procedere illationem Abbatis; Parentes non poſſunt contrahere ſponſalia pro filiis impuberibus, niſi conſentiant; Ergo non poſſunt eos non conſentientes religioni offerre. Facit quod notat Innoc. in *c*.2. *n*.2. *verſ. Et non obſtat ſup. eod* ubi dicit, faciliùs per alias leviores præſumptiones præſumi quem fieri Monachum, quàm conjugem. Et hæc poſterior opinio de jure verior videtur, cui etiam valdè ſuffragatur decretum Concilii Tridentini in *c*.18. *ſeſſ*.25. *de regular.* ponderatum ut ſupra *n*.18. *& ſeqq.* licèt DD. videantur contrariæ ſententiæ frequentiori calculo adhærere.

Succeſſivè QUÆRO, an expediat pueros religioni tra- 45
dere? Doctores non conveniunt, Div. Thom. in 2.2. *qu*. 189. *art*.5. *& quodlib*.3. *art*.11. quem ſequuntur Expoſitores, & Turrecrem. in *Summ*.20. *q*.1. *n*.1. concludit expediens eſſe, & fructuoſum, pueros infra annos pubertatis in religio-
ne recipi. Primò, quia illud quod à pueritia apprehendimus 46
perfectiùs, & firmiùs tenemus, ſecundum illud Proverb.22. *Adoleſcens juxta viam ſuam etiam cùm ſenuerit non recedet ab ea*. Et communiter dicitur: *Quod nova teſta capit, inveterata ſapit.* Ad hoc *c. Ex ſtudiis, & c. Cùm juventute*. & ibi gloſſ. *in ver. Frequentius, de præſumpt.* Unde dicitur Threnor.3. *Bonum eſt viro, cùm portaverit jugum ab adoleſcentia ſua*. Secundò, quia *Matth.* 19. dicitur: *Sinite parvulos venire ad me.* Tertiò, Apoſtolorum exemplo, qui inſtituerunt, ut pueri, & infantes ad Chriſtianam Religionem reciperentur, ut in ea nutriti, firmiùs & perfectiùs eidem inhærerent, ut teſtatur Dionyſ. *c.ult. Eccleſiaſt. Hierarch.* Quartò, exemplo B. Benedicti, cui, ut Gregor. inquit, 2. *Dialogor. in fin.* Romani, & nobiles dabant ſuos filios nutriendos omnipotenti Domino. Cui addi poteſt exemplum Samuelis, quem Anna puerum natum, & ablactatum Deo cum pietate obtulit, qui & in miniſterio Templi, quo à matre fuerat deputatus, permanſit, & ubi conſtitutus eſt, deſervivit, ut refertur in *c. Quicumque* 20. *q*.1. Ad idem ſunt exempla Jo. Baptiſtæ, *Luc*.1. S. Antonii, S. Hilarionis, S. Pauli primi Eremitæ, S. Mauri, & S. Placidi, Venerabilis Bedæ, & ipſiuſmet D. Th. quintum annum agentis, ut in Breviario Romano.

Et pro hac ſententia ſtat authoritas Baſilii in quæſtionibus diffusè explicatis, *q*.15. ubi diſputat, qua ætate quis recipiendus ſit in Monaſterium, & determinat, recipiendos eſſe pueros in prima ætate, quos multis adhibitis circumſtantiis præſcribit educandos; ductus ea præcipua ratione, quia dum adhuc anima tenera eſt, & facilè formari poteſt, nec prava conſuetudine eſt corrupta, ſtatim, & ab initio ad bonorum exercitationem induci oportet; conſuetudo enim dicitur altera natura, &c. Ad hoc Concil. Trident. in *cap*.18. *in princip ſeſſ*.23. ubi adoleſcentium ætas, niſi rectè inſtituatur, dicitur prona ad mundi voluptates ſequendas, ita ut niſi à teneris annis ad pietatem, & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines poſſideat, numquam perfectè, ac ſine maximo, ac ſingulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in diſciplina Eccleſiaſtica perſeveret. Sed & Hieroym. in *epiſt. ad Euſtochium*, refert ſuo tempore in cœnobiis fuiſſe omnes ætates, pueros, viros, & ſenes. Et Ambroſ.3. *de Virginib.* concludit: Non ergo ætas recipitur florentior, ſed animus examinatur; nec mireris in adoleſcentibus profeſſionem, cùm legeris in parvulis paſſionem. Et ex recentioribus Theologis Leonardus Leſſius in *opuſc. de ſtat. vitæ deligen. q*.2. *n*.16. teſtatur in multis ordinibus etiam pueros recipi, idque jam à mille, & ampliùs annis ſervatum eſſe, *& n*.20. firmat non ſolùm eſſe expediens, & ſalutare, ut ſtatim poſt, ſed etiam ut ante pubertatem religioni tradantur.

Cæterùm negant expedire, S. Antonin. 3. *part. tit*.16. *c*.2. §.4. quia, inquit, corpora, & merita noſtra defecerunt, *cap.*

Fraternitatis 34. *diſt.* & ſic ſervant Religiones ferè omnes: coguntur enim multas invenire medicinas multorum experientia malorum, *cap. Ut conſtitueretur* 50. *diſt.* & conſentit *Silv.* in *verb. Religio* 2. *q.* 2 & ex Modern. Rodric. *q. regular. tom.* 3. *qu.* 12. *art.* 1. ubi teſtatur hanc opinionem approbatis, & expertis in Religione viris magis receptam eſſe, & citat Navarr. *Commen.* 3. *de regular. in cap. Nulli n.* 38. 18. *q.* 2. Ego in hac materia nihil audeo pronunciare, ſed expertis in Religione viris hoc dijudicandum relinquo: nam etſi per ſe loquendo rationes propoſitæ admodùm urgeant; contra tamen multum habet ponderis, quòd Divus Antonin & Silveſt. ambo ex Ordine Prædicatorum, & doctrinæ D. Thomæ alioquin tenaciſſimi, in hoc articulo inſpecta poſteriorum temporum conditione, aliter ſenſerunt. Et Silveſt. dicit experientiam docuiſſe hoc non expedire, teſtaturque abſolutè, ita ſervare omnes Religiones, & allegat Archidiac. Sed & illud eſt notatu dignum

47 quòd ad petitionem Generalis Clericorum Regularium Theatinorum die 16. Julii 1632. Sac. Congregatio Epiſcoporum, & Regularium negotiis, & conſultationibus præpoſita interdixit, ne deinceps in eorum Religione quiſquam ad habitum regularem reciperetur ante annum decimumquintum inchoatum; ipſiſque nuper poſtulantibus, ut hujuſmodi prohibitio relaxaretur, Sac. Congreg. abnuit die 5. Julii 1641. Et ſimilem prohibitionem fecit Religioni Miniſtrantium infirmis, cum quibus etiam meo tempore noluit diſpenſare, ut puerum quemdam bonæ indolis ante annum decimumquintum reciperent. Et in facultatibus veſtiendi novitios, quæ à S Congreg. Regularibus conceduntur, non obſtante prohibitione iiſdem facta occaſione peſtis, ſemper conſuevit apponi clauſula, *Dummodò recipiendi ſaltem attingant annum ætatis decimumquintum*. Præterea ubique hodiè inſtituta ſunt Seminaria, & Collegia pro pueris educandis, quorum pleraque a Religioſis reguntur. Unde non ſubeſt ampliùs illa neceſſitas, quæ olim vigebat nutriendi pueros in Cœnobiis, & Monaſteriis. Generali tamen decreto non videtur hoc prohibendum triplici conſideratione. Prima conſideratio eſt, quòd cùm S. Pius V. conſtituiſſet novitios in Religionem non eſſe recipiendos, niſi poſt decimumoctavum annum, aliqui Procuratores Ordinum conqueſti ſunt apud Sanctitatem Suam, quòd id tenderet in grave Religionis præjudicium. Sanctiſſimus rem ad Congreg. Conc. rejecit Congregatio cenſuit omninò temperandam S. Pii V. Conſtitutionem, dum præfinit ætatem octodecim annorum, rationibus adductis ſchedulis Procuratorum Ordinum. Quibus autem modis temperanda eſſet, valdè diſſenſum. Alii, & major pars cenſuerunt permittendos ea ætate, qua ſolebant recipi ante dictam Conſtitutionem ex inſtitutis ipſorum Ordinum; quia à teneris magis aſſueſcunt bonis moribus, & litteris, & S. Th. 2. 2. non improbat accipi pueros, ex regula S. Benedicti. Aliqui verò exiſtimarunt ætatem præfiniendam quindecim annorum, quæ videtur magis conformis Concilio: audiendos tamen Procuratores regularium. Secunda conſideratio eſt; quia Clemens VIII. *in Decretis generalibus de regular. reformat.* à S. D. N. innovatis, hac in re nihil novi ſtatuit; quin potiùs decrevit, ut quiſque recipiendus in aliquo Ordine regulari, etiam Mendicantium in ea ſit ætate conſtitutus, quam ejus Ordinis, in quo recipietur, regularia inſtituta, & ordinationes requirunt. Tertia conſideratio eſt, ne hinc præbeatur anſa hæreticis magis detrahendi Religionibus: nam Lutherani *in confeſſione Auguſtana art.* 27. reprehendunt Eccleſiam ex eo, quòd permittantur pueri fieri Religioſi, & alii heretici plurima convicia proferentes in Seminaria, & Collegia, in quibus educantur pueri, paſſim à Catholicis ſcriptoribus confutantur. Longè autem minùs eſſet innovandum quoad Religionem Clericorum Societatis Jeſu. Quoniam Sancta Tridentina Synodus in *c.* 16. *verſ. Per hæc tamen, ſeſſ.* 25. *de regular.* quoad eos nihil duxit innovandum, aut prohibendum;

48 imò ipſorum pium inſtitutum expreſsè præſervavit. Ad extremum in hac materia obſervanda ſunt ſeria verba Cajetani in 2. 2. *d. q.* 189. *art.* 5. Ait enim, *In illis locis expedit pueros in Religione dari, in quibus optandum eſt, ut ſimiles fiant illis, quorum conſortio dantur: ubi autem perſonæ, quarum conſortio dantur, reprobæ, aut deviæ à regularibus ſunt inſtitutis, magna dementia eſt dare illis pueros, aut puellas nutriendas. Et hic error hodiè in multis viget locis, dum dantur pueri, & puellæ Monaſteriis Religioſorum, ſeu Religioſarum vitæ communis, qui vulgò Conventuales, ſeu Clauſtrales appellantur. Quo fit, ut reformandi nunquam reformari poſſint, dum tranſgreſſores vitæ regularis continuè nutriuntur, ac augentur. Unde ſanciri deberet, ut nullus puer, nulla puella poſſit Religioni tradi, niſi ubi verè vivitur regulariter. Sic enim aut extinguerentur irregulariter viventes, aut reformarentur, vexatione dante eis intellectum.* Hæc Cajetanus. Cujus conſilio valdè affine eſt, quod fecit Clemens VIII. in decretis ad regularium reformationem editis. In 49
ſingulis enim Religionibus, aliquibus tantùm exceptis, deſignavit aliquot Conventus Regularis Obſervantiæ. Et initio tamquam baſem, & fundamentum reformationis præmiſit duo decreta, quibus ſeriò interdixit, ne quis deinceps ad habitum, vel profeſſionem reciperetur, niſi in Conventibus, ut præfertur, deſignatis, vel in poſterum deſignandis per litteras in forma brevis, ſub pena nullitatis receptionis, & profeſſionis inde ſequutæ, voluitque ut ſic recepti in eiſdem Conventibus annum probationis peragerent, & poſt profeſſionem per aliquot annos detinerentur in profeſſoriis. Verùm ex his decretis non prorſùs prodiit fructus, qui ſperabatur; nam etſi novitii primò in Conventibus ſic deſignatis, ac deindè in profeſſoriis in regulari diſciplina probè inſtituantur; tamen poſteà inde exeuntes, & ad alia Monaſteria laxioris obſervantiæ demigrantes, in communes aliorum Religioſorum abuſus, & relaxationes recidunt; atque ita Religio nunquam penitùs reformatur: adeò ut propterea idem Clemens, quamvis in id opus perficiendum zelo ſanctæ reformationis diu multùmque inſudaverit; tamen poſtremò liberè faſſus fuerit ſe in eo negotio animum deſpondiſſe, prout ex ore illius ſe audiviſſe nobis non ſemel retulit bonæ mem. Cardinalis Gypſius.

Porrò in Ordine FF. Minorum de Obſervantia S. Franciſci paulò poſt initium Pontificatus S. D. N. Urbani VIII. 50
ordinatum fuit, ut de cætero non admitterentur novitii in Provinciis Ciſmontanæ familiæ, & Fratribus ad certum numerum decedentibus illorum Conventus traderentur Fratribus Reformatis, ſeu ſtrictioris Obſervantiæ ejuſdem Ordinis, à quibus tantùm reciperentur Novitii, & in hujuſmodi prohibitione multos annos perduratum eſt; & utinam paulò diutiùs perſeveratum fuiſſet: nam ubi numerus fratrum reformationis multùm excreviſſet, pauci in familia ſuperſtites depoſita jam ſpe veſtiendi Novitios, & majores dignitates aſſequendi, facilè ad reformationem tranſiiſſent: atque ita nulla eſſet in Religione diviſio, vel ſciſſura, ſed tota ad primum inſtitutum, & regulæ puritatem redacta fuiſſet. Verùm fratribus reformationem pollicentibus, tandem oportuit illis ad veſtiendos novitios aditum aperire. Docuerunt enim Ordinariorum atteſtationibus ſe adimpleviſſe conditiones ſibi præſcriptas, & legatis annuis in Curiis Epiſcopalibus ſolemniter renunciaſſe. Et ſic tributa fuit illis licentia veſtiendi uſque ad certum numerum in ſingulis Provinciis præfinitum, nobis tamen quantum per modeſtiam licuit ſemper reluctantibus; prout hæc omnia pleniùs continentur in decretis deſuper editis, ut videre eſt in Bullario *tom.* 4. *pag.* 333. & notavi in *c. Nimis prava n.* 55. *& ſeqq. infrà de exceſſ. Prælat.* Memini etiam 51
Regem Chriſtianiſſimum ſuperioribus annis ſupplicaſſe S. D. N. ut in Regno Galliæ de cætero non veſtirentur Novitii, niſi in Religionibus, in quibus verè ſervatur regularis diſciplina, juxta primævum inſtitutum; quod tamen etſi ſanctiſſimum foret; nihilominus magnopere hæſitatum eſt, ne prohibitio tam generalis motus magnos excitaret, itaut diu poſteà ſuſtineri non poſſet; cùm tamen ſatius ſit legem non condere, quàm conditam protinùs abrogare. Multò ſecuriùs, & fructuoſiùs hæc præſtari poſſent in generali Concilio, quemadmodum factum legimus in Concilio Lugdunenſi ſub Greg. X. ut patet in *c. un. de relig. domib. lib.* 6.

DE REGULARIBUS.

Idem Clemens III.

CAPUT XIII.

PORrectum nobis ex parte tua petitorium continebat, quòd J. Canonicus Acherontinus infirmitate gravatus, votum ut fieret Monachus, ſe aſſerit emiſiſſe: unde metuens, ne voto decederet non completo, junctis manibus tibi ſe reddidit in Monachum, & in Fratrem: & infrà. Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus: quòd cùm Monachum non faciat habitus, ſed profeſſio regularis; ex quo à convertendo votum emittitur, & recipitur ab Abbate, talis ut fiat Monachus, & reddat Domino quæ promiſit, erit utique compellendus.

SUMMARIUM.

1 *PRofeſſio facta ſine ſuſceptione habitus Religionis valida eſt, n.17.*
2 *Votum profitendi, & profeſſio in quibus differant, num. ſeqq. uſque ad n. 9.*
3 *Votum profitendi habet conditionem ſubintellectam, ſi recipiatur ab Abbate.*
4 *Votum profitendi non eſt ſolemne, nec dirimit matrimonium poſt contractum.*
5 *Vovens ingredi Religionem etiam in genere, cogi poteſt, & debet intrare aliquam de approbatis.*
Vovens Religionem ingredi, & in ea perſeverare, ſi exeat infra probationis annum, non eſt liber à voto ex Concilio Trid. cap. 15. ſeſſ. 25. de regul. ibid. verſ. Neque verò.
6 *Profeſſio eſt votum de præſenti, quod diem aut conditionem non recipit.*
7 *Et eſt ſolemne, quod impedit matrimonium contrahendum, & dirimit poſteà contractum.*
8 *Profeſſus in manibus ejus, qui non habet poteſtatem recipiendi, non eſt Monachus ante ratificationem Abbatis.*
9 *Profeſſionem non impedit infirmitas corporis, ſed animi*
10 *Profeſſio quamvis in ſcriptis fieri debeat, tamen ad ſui validitatem non exigit ſcripturam.*
11 *Habitus non facit Monachum, ſed profeſſio regularis.*
12 *Et quid in habitu profeſſionis, & n. ſeqq.*
13 *Habitum portans diu extra Monaſterium, non cenſetur tacitè profiteri.*
14 *Habitum profeſſorum ſuſcipiens in ingreſſu Religionis, an infra triduum ſit profeſſus.*
Et quid poſt Concil. Trid. n. 16.
15 *Profeſſio tacita per ſuſceptionem habitus profeſſorum infra annum probationis hodiè non inducitur etiam in Ordinibus non Mendicantium.*
17 *Ingreſſus Monaſterii, & habitus Religionis de jure communi non ſunt de ſubſtantialibus Monachatus, ſecus ex Concilio Trident.*
18 *Profeſſus non obligatur etiam ex ſimplici voto, nec valet profeſſio, niſi recipiatur ab habente poteſtatem incorporandi religioni.*
19 *Profeſſio eſt contractus ultrò citròque obligatorius inter profitentem, & Monaſterium.*
20 *Et inter eos eſt quaſi matrimonium ſpirituale.*
21 *Baptizare ſeipſum nemo poteſt, aut ſibi ipſi beneficium conferre.*
22 *Profeſſionem regularem quis poſſit recipere, & nu. ſeqq. uſque ad n. 30.*
23 *Quid in Abbate, vel Abbatiſſa, ibid. num. 28. & ſeqq.*
Et quid in Epiſcopo, n. ſeqq. uſque ad n. 31.
24 *Et quid in Archidiacono, Plebano, & aliis inferioribus Prælatis.*
25 *Votum non determinatum ad certam religionem à Sede Apoſtolica approbatam, non poteſt dici ſolemne.*
26 *Novitiatus fieri debet intra Monaſterii clauſtra.*
27 *Epiſcopus regularis poteſt Monachos ſibi ſubditos ad profeſſionem admittere. Idem in Epiſcopo Eccleſiæ regularis, cui Monaſteria ita ſunt ſubjecta, ut ad eum ſpectet receptio Monachorum, vel Monialium.*
28 *Epiſcopus negligente Abbatiſſa, an poſſit Moniales creare, ſi Monaſterium abundet, & Monialium defectum patiatur, & n. ſeqq.*
29 *Ad Epiſcopum non ſpectat ſupplere negligentiam Monialium exemptarum, ſed ad earum Superiores, vel ad Sedem Apoſtolicam.*
30 *Monialium receptio etiam in Monaſteriis non exemptis, non pertinet ad Epiſcopum, ſed ad Abbatiſſam, & majorem partem Conventus.*
Nec poteſt Epiſcopus eis præcipere, ut certam perſonam recipiant, ibid. & n. ſeqq.
31 *Abbatiſſa an poſſit Novitias recipere ſine ſuorum Prælatorum licentia.*
32 *Profeſſionis receptio à ſuperioritate dependet.*
33 *Novitii ex decretis Clementis VIII. olim recipi non poterant ſine approbatione Epiſcopi Diœceſani. Hodiè ſecus.*
34 *In profeſſione recipienda inprimis recurrendum eſt ad conſuetudines, privilegia, vel ſtatuta cujuſque Ordinis.*
35 *Prælati immediatè Conventuum ex communi obſervantia Religionum, teſte Navarro, poſſunt Novitios recipere.*
36 *Novitios quis poſſit recipere in Ordine Fratrum Minorum S. Franciſci.*
37 *Et quis in Ordine Prædicatorum, Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum.*
38 *Novitii à quibus, & qua forma ſint recipiendi, ex Bulla, & declarationibus Sixti V.*
39 *Societatis Jeſu Religioſi diſpenſati ſunt à Gregor. XIV. in recipiendis Novitiis non ſervata forma Conſtitutionis Sixti V.*
40 *Profeſſionem an cenſeatur emittere qui junctis manibus tradidit ſe Abbati in Monachum, & in Fratrem, & n. ſeqq. uſque ad n. 51.*
41 *Verbum* Tradere, *quid importet.*
42 *Promittere obedientiam Monachalem idem eſt, ac profiteri.*
43 *Votum ſimplex pendet ex voluntate ſolius voventis, votum ſolemne ſecus.*
44 *Profeſſio inducitur, quando procedit votum profitendi, & poſteà ſubſequitur aliquod ſignum denotans profeſſionem.*
45 *Profeſſio facta non ſervata forma præſcripta in regula, vel Conſtitutionibus Ordinis, an valeat, & n. ſeqq.*
46 *Regula Monachorum ponens certam formam circa profeſſionis actum non videtur ponere formam ſubſtantificam.*
47 *Niſi habeat decretum irritans, vel ſtatuat, ut profeſſio aliter fieri non poſſit, n. 49.*
48 *Papa poteſt infringere profeſſionem, ita ut obligationem non inducat.*
50 *Verbum,* Poteſt, *negativè prolatum neceſſitatem importat.*
51 *Vovens ingredi religionem an teneatur, & cogi poſſit ibi perpetuò remanere, & n. ſeqq. uſque in finem.*
52 *Quid in foro externo.*

Et quid ſi à Monaſterio exivit non ſpontè, ſed coactus, n.58. & num. ſeqq.

Et quid ſi exivit ſpontè, & ſtatim poſt ingreſſum, nu.62. & 69.

Et quid ſi non ſtatim exivit, ſed aliquandiu in Monaſterio perſeveravit, n.63.

Et quid in foro conſcientiæ, n.67.

53 *Vovens perpetuò ſe religiosè victurum, & certam religionem ſervaturum, ad ſæculum redire non poſt, niſi ex cauſa contrarium proteſtetur.*

54 *Vovere religionem ingredi, & ſe fieri Monachum, an differant.*

55 *Conditio habetur pro non adimpleta, quando implementum non durat facto illius, qui tenetur adimplere, & num.65.*

56 *Solvere non dicitur qui ſolvit, & incontinenti recuperat.*

57 *Relictum ſub conditione, ſi Monaſterium intraverit, an debeatur ei, qui intravit, & poſteà exivit.*

58 *Obligatio debetur pro adimpleta, quando implementum non durat ſine facto illius, qui adimplere tenetur.*

59 *Voti, & juramenti obligatio non extenditur ad impoſſibile.*

60 *Relegatus in civitate, ſi dominus juſſerit eum recedere, non tenetur pœna etiam conventionali, & jurata.*

61 *Vovens ingredi certam religionem non intendens ad alias ſe obligare, ſi ibi non recipiatur, non tenetur intrare aliam.*

62 *Factum aliquid non cenſetur, ſi factum non duret.*
Veniſſe non dicitur, qui non ſtetit, ibid.
Declaratur, n.65.

63 *Vovens ingredi religionem, cenſetur ingreſſum voviſſe ſecundum formam juris communis, quæ eſt, ut ingredienti detur annus probationis, n.68. & 70.*

64 *Diſpoſitio omnis ſimpliciter concepta, veſtitur à jure communi, & ad illius intellectum eſt redigenda.*

66 *Religionem intrare animo probandi melius eſt, quàm nullatenus intrare.*

67 *Voti obligatio in tantum fertur, in quantum ſe extendit voluntas, & intentio voventis.*

69 *Religionem ingrediens animo exeundi, ſed cum voluntate, ut Deus immutet propoſitum ſuum, ſatisfacit voto.*

70 *Religionem ingreſſus ex voto, an exire poſſit ſine ulla cauſa ex ſola ratione libertatis, & num. ſeqq.*

71 *Novitius ex voto religionem ingreſſus, infra annum ſi ſine ulla cauſa recedat, peccat mortaliter; ſed ſpontè ingreſſus peccat venialiter.*
Contrarium, n.72.

1 P*Orrectum*. Valet profeſſio facta ſine ſuſceptione habitus religionis. Hoc dicit ſecundum Abb Siculum, & eſt ex mente Abbatis Antiqui. Sed ſecundum Joann. Andr. Butr. Cardin. & Anchar. hoc intendit, videlicet, Profeſſio facit Monachum, non habitus tantùm; & eodem modo ſummat Joan. de Anania, prætermiſſa tamen dictione taxativa, *Tantum*, quam etiam omittit gloſſ.1. & magis conſonat litteræ. Communis diviſio. Conſultatio, & reſponſio. Secunda, ibi, *Inquiſitioni*.

2 Nota primò ex decretali differentiam inter votum
profitendi, & profeſſionem. Nam votum profitendi eſt
3 de futuro, veluti cùm quis vovet ſe religionem ingreſſurum, aut profeſſionem emiſſurum, & habet conditionem ſubintellectam, ſi Abbas voluerit ſic voventem recipere, ſe-
4 cundùm Innoc. hìc *in fin.* & Butr. *n.*12. nec eſt ſolemne, ſed ſimplex; & ideò quamvis impediat matrimonium contrahendum, tamen non dirimit poſteà contractum, *c. Conſuluit, inf. qui Cler. vel voven. c. Unico, §. Reliqua verò, de vot. lib.*6. & in hoc omnes conveniunt, ut teſtatur hìc Hoſt. *n.*1.
5 nec per illud vovens efficitur religioſus, aut de foro Eccleſiæ, licèt compelli poſſit, & debeat, ut religionem intret, *c. Ex parte, il ſecondo infrà de converſ. conjugat. & c. Per tuas de voto*, gloſſ. *ult. hìc verſ. Vel intellige*, & Abbas *nu.*4. Archid. *in cap. Scimus nu.*5. 12. *quæſt.*1. & docet S. Thom. in 2.2. *qu. ult. art.*3. Quinimò etiamſi in genere voverit hoc, ſcilicet aliquam religionem intrare, & non dixerit quam; Eccleſia nihilominus poteſt ipſum diſtringere, ut intret in unam de approbatis, poſtquam de voto in judicio ſibi fuerit facta fides, ſecundum Hoſtien. in *c. Ex parte n.*5. *de cenſ.* Archid. in *d. c. Scimus n.*5. & Gemin. *n.*2. Neque verò ſic vovens poſſet tueri decreto Concilii Trident. in *c.*15. *ſeſſ.* 25. *de regular.* quoniam S. Congregatio conſulta, an qui vovit ingredi religionem, & in ea perſeverare, ſi ingreſſus infra annum probationis recedat, & revertatur ad ſæculum, ſit liber à voto ex mente Concilii *c.*15. *ſeſſ.* 25. *de Regular.*
Reſpondit decretum Concilii *d. cap.*15. nihil diſpoſuiſſe 6
de voto. Profeſſio autem eſt votum de præſenti, quod diem, 7
aut conditionem non recipit, nec tacitè, nec expreſsè, & eſt ſolemne; ideòque impedit contrahendum, & dirimit poſt contractum, *cap. De viduis, il primo, cap. Hæ, vero, & c. Quæ Chriſto*, 27. *qu.*1. *cap. Inſinuante qui Cler. vel voven. & dict. cap. unic. in primo reſponſo, de voto lib.*6. Itaque aliud eſt profiteri velle, quod fit in primo caſu, & aliud re ipſa profiteri, quod fit in 2. arg. *l.*2. *ff. Depoſiti, & l. In vendentis, Cod. de contrah. empt.* Quas differentias conſtituunt hìc Innocen. *num.*1. *&* 3. *verſ. Sed certè ſi Hugo, & nu.*5. *&* 6. *verſ. Reſpondeo, & verſ. Sed non videtur bona*, Hoſtien. *n.*1. Joann. Andr. *n.*4. Butr. *n.*2. Ancharan. in 1. *notab. &* Jo. de Anan. *n.*2.

Hinc infertur, ut ſi quis profiteatur in manibus ejus, qui 8
recipit nomine Abbatis, & recipiens non habeat poteſtatem incorporandi, vel profeſſionem recipiendi, non fit Monachus priuſquam Abbas ratificet, quia hujuſmodi votum eſt de futuro, nec dirimit matrimonium poſt contractum; poſt ratificationem verò eſt de præſenti, & tunc dirimit, ſecundum Innoc. & Hoſt. quos ſequitur Jo. Andr. *n.*4. *verſ. Quid ſi profiteor*. Eodem modo diſtinguitur in matrimonio carnali contracto alterius nomine, de quo Hoſt. *n.*13. *in fin.* remittit ad ſumm. *de ſponſal. §. Qualiter contrahuntur*, ad hoc *c. Si tibi abſenti, de præben. lib.*6.

Secundò, nota ibi, *Infirmitate gravatus*, necnon ibi, *De-* 9
cederet, Profeſſionem regularem emitti poſſe etiam in articulo mortis, dummodò vovens integrum habeat judicium, ut hìc, & apertiùs in *cap. Sicut teneor*, juncta gloſſ. in *verb. Extra mentem, & in cap. Sicut nobis, infrà eodem.* Atque ita ſecundum Abbatem hìc in 1. *notab.* infirmitas corporis profeſſionem non impedit, ſed infirmitas animi ſecus. Ratio differentiæ eſt, quia validitas profeſſionis dependet ab animo, cùm voluntarium ſit de intrinſeca ratione voti, *cap.*1. *ſuprà eodem, cap. Super eo infrà de voto*, & docet S. Thom. in 2.2. *q. ult. art.*4. Unde furioſus, & mentecaptus validè profiteri non poſſunt, ut *d. c. Sicut teneor, & cap. Gonſaldus* 7. *quæſt.*2. An autem Superiores regulares, qui ſeduxerunt Monachum, vel Monialem ad profitendum in mortis articulo, teneantur res illius hæredibus reſtituere, ſcripſi plenè in *dict. cap. Sicut nobis à num....... uſque in finem*.

Tertiò, nota unam practicam profitendi ſecundum Ant. de Butr. *nu.*4. videlicet; cùm quis junctis manibus tradit ſe Abbati Monachum, & in Fratrem. Sed de hoc latiùs dicam infra cum gloſſ.2. *not. ult. in* 1. *q. n.*40

Quartò, nota ad validitatem profeſſionis regularis non 19
exigi ſcripturam: ſatis eſt enim, ut aliundè conſtet de animo profiteri volentis, ut hìc per Abbatem in 2. *not.* Nec refragatur text. in *cap. Vidua* 20. *q.*1. ubi cavetur, ut vidua ſcriptis profeſſionem faciat à ſe aut ſigno, aut ſubſcriptione notatam. Etenim, ut exponit gloſſ. ibi, in *ver. Scriptis*, hoc non ideò dicitur quòd neceſſaria ſit ſcriptura, ſed ut ſcriptura propria obviet ei, qui contravenit, ut *c. Saluberrimum* 1. *q.*7. & idem notat ibi Hugo, dicens, dummodò conſtet de facto per teſtes, vel aliàs legitimè, hujuſmodi ſolemnitatem ad cautelam adhiberi, ne poſtea quod factum eſt in dubium revocetur, ut refert ibi Turrecrem. *n.*3.

Quintò, nota litteram, quæ quotidiè allegatur, videlicet, 11
Habitus non facit Monachum, ſed profeſſio regularis, concordat *c. Conſuluit, infrà qui Cler. vel voven. c. Ex parte, inf. eod. & ſuprà eod. c. Ut Clerici.*

Hoc tamen limitant Doctores, ut vendicet ſibi locum 12
in habitu probationis dumtaxat, de quo loquitur hoc *c. & d. cap. Ex parte.* Secus autem eſt in habitu profeſſorum: quia talis in ingreſſu religionis receptus, utiq; Monachum facit. Ita Abbas Antiquus *hìc in fine*, Hoſt. in *cap. Statuimus nu.*2. *in ver. Conſuevit, infrà eod.* & Archid. in *cap. Beneficium num.*1. *eod. tit. lib.*6. Hujuſmodi enim habitus votum profeſſionis habet annexum: unde cùm primùm quis illum recipit in religione, Monachus eſt, & ejus votum eſt ſolemnizatum, ut notant in *d. cap. Statuimus*, gloſſ.1. Abb. An-

Antiq. *in ver. Novitios*, Hoſt. *num.*1. *in ver. Religionis*, & Butr. *num.*6.

Sed hæc limitatio non videtur vera; quia nullo caſu habitus ſine profeſſione Monachum facit, nec eſt habitus profeſſorum, qui facit Monachum, ſed tacita profeſſio, quæ ex illius ſuſceptione reſultat, textus eſt ad hoc notabilis *in c. Conſtitutionem*, ibi, *Tacitè verò facta infra annum probationis per ſuſceptionem habitus, qui profitentibus tantùm datur, inf. eodem lib.*6. Præterea ſi ex ſola receptione habitus profeſſorum abſque profeſſione votum eſſet ſolemnizatum, duobus modis ſolemnizandi votum taxativè expreſſis in *c. unico, de voto lib.*6. addendus eſſet tertius modus, videlicet, per ſuſceptionem habitus profeſſorum, quod eſſet abſurdum; quia quod non eſt Sanctorum Patrum decreto ſancitum, ſuperſtitioſis non eſt adinventionibus præſumendum. *c. Conſuluiſti* 2. *qu.*5. *& c. Inter corporalia, de tranſlat. Epiſcop.* & ita obſcurè ſenſit gloſſ. 1. hìc, nam primò arguit, quòd imò habitus faciat Monachum, & allegat jura, quæ loquuntur de habitu profeſſionis, deindè ſolvit dicens; Illud verum, quòd habitus ſine profeſſione non facit Monachum; ſola enim profeſſio vera, vel præſumpta Monachum facit, & ſolemnizat votum; & paulò infrà dicit capitula contraria eſſe intelligenda de præſumpta profeſſione. Ex mente igitur gloſſ. habitus profeſſorum non facit Monachum, ſed ſola profeſſio vera, vel præſumpta, quæ ex illius ſuſceptione reſultat; & ita illius mentem declarat Abb. hìc *n.*8. nam, ut ipſe ait, hæc gloſ. *ult.* in effectu habet, quòd habitus dumtaxat non facit Monachum, ſed tacita profeſſio, quæ reſultat quandoque ex habitus ſuſceptione, ſeu dilatione, Monachum facit; & ita debent intelligi jura, quæ fundantur ſuper habitus ſu-
13 ſceptione, ſeu delatione. Unde ſecundum eum, ſi quis portet multo tempore habitum religionis extra Monaſterium, non cenſetur profeſſus, ut in *cap. Ut Clerici, ſup. eod.* & notat gloſſ. in *Clem. Eos, in ver. In aliqua, eod. tit.* & hoc ideò eſt, quia tunc ceſſat præſumptio tacitæ profeſſionis; nam ſi vellet profiteri, intraſſet Monaſterium. Fortè tamen intentio Abbatis Antiqui, Hoſtienſis, & Archid. fuit conſtituere hanc differentiam inter habitum novitiorum, & profeſſorum, quòd ex ſola ſuceptione habitus novitiorum præſumptio tacitæ profeſſionis non inducitur, ſed oportet, ut novitius illum deferat per annum, ut *c.*1. *infrà eod. lib.*6. *& d. Clement. Eos*, vel aliundè appareat eum voluiſſe vitam mutare, ut *c. Conſulti, inf. eod.* & ſic ſolus habitus novitiorum non facit Monachum: At verò ex ſola ſuſceptione habitus profeſſorum in ipſo religionis ingreſſu oritur in continenti præſumptio profeſſionis tacitæ; quia in ipſo temporis momento, in quo novitius talem habitum recipit, efficitur tacitè profeſſus, ut in *d. c. Conſtitutionem, infrà eod. lib.*6. & in
14 hoc ſenſu habitus profeſſionis Monachum facit. Addit tamen Collectarius in *cap. Statuimus, in princ. infrà eod.* poſt gloſſ. *ult. in d. c. Conſtitutionem*, ex ſuſceptione habitus profeſſorum infra annum probationis non induci tacitam profeſſionem, niſi data perſeverantia tridui, ut ſtatuitur in prædicta decretali *Conſtitutionem, in fin & in cap. Ad noſtram ſup. eod.* Sed tu dic tacitam profeſſionem illicò induci, ſed revocabiliter, cùm infrà triduum ſit locus pœnitentiæ, ut notabiliter declarat gloſſ. magna in *cap. Beneficium poſt medium, verſ. In contrarium, infrà eodem lib.*6. Ideòque Joan. Andr. *in c. Vidua n.*7 *in fin. ſup. eod.* prudenter appellat tridui perſeverantiam, ideſt non pœnitentiam.

15 Verùm hodiè hæc diſtinctio inter habitum novitiorum, & profeſſorum, apertè ſublata eſt jure noviſſimo Concilii Tridentini in *cap.*15. *ſeſſ.*25. *de regular.* quo irrita declaratur profeſſio facta non expleto anno probationis. Et conſequenter ſublata eſt etiam profeſſio tacita, quæ olìm inducebatur ex ſuſceptione habitus profeſſorum infrà tempus probationis, ut Sac. Cong. declaravit. Quapropter hodiè nec habitus probationis, nec profeſſionis infra tempus probationis ſuſceptus Monachum facit; ideòque in Ordinibus Mendicantium, in quibus etiam ante Concilium profeſſio intra annum probationis fieri non poterat, ut in *cap. Non ſolùm, & c. ſeqq. infrà eod. lib.*6. non inducebatur profeſſio ex receptione habitus profeſſorum infrà tempus probationis, ut hic firmant Hoſtien. *n.*3. Joan. Andr. *n.*5. ibi, *Salvo quod habes in cap. Conſtitutionem*, & Collectar. *eod. num. & verſ.* aliàs enim fuiſſet in facultate cujuslibet eludere juris diſpoſitionem, aſſumendo in ingreſſu habitum profeſſionis, & lex eſſet ludibrio poſita, ſecundum Hoſt. ad hoc. *cap. Commiſſa*, §. *Porrò, de elect. lib.*6. Quare hodiè idem dicendum in omnibus Ordinibus etiam nō Mendicantibus, cùm etiam ad eos Concilium prorogaverit diſpoſitionem *d. c. Conſtitutionem*, ut patet in *d. c.*15. *juncto c.*22. *ejuſdem ſeſſ.*25. *de regular.* Unde etiam fit, ut hodiè non requiratur amplius 16
perſeverantia tridui, quæ olim requirebatur ad hoc, ut ſuſcipientes habitum profeſſorum infrà annum probationis expletum eſſent religioni alligati, ut ſcripſi pleniùs in *d. c. Ad noſtram nu.*5. *&* 6. *ſuprà eodem.* Cæterùm finito tempore novitiatus dari poſſunt caſus, in quibus novitius per delationem annalem habitus probationis non fiat tacitè profeſſus, & tamen fiat per ſuſceptionem habitus profeſſionis; & ſecundum hoc etiam hodiè poteſt contingere, ut habitus profeſſionis Monachum faciat, non autem habitus probationis, de quo dic ut plenè notavi in *cap. Quia ingredientibus à n.*38. *uſque in fin. ſuprà de teſtam.*

Sextò nota, nec habitum, nec ingreſſum Monaſterii 17
eſſe de ſubſtantialibus monachatus, ſed de accidentalibus, ideòque profeſſum compelli poſſe, ut monaſticè vivat, licèt numquam intraverit Monaſterium, nec habitum ſumſperit, ut hìc notat Abbas *in ult. not. num.*7. Sed hodiè hoc corrigitur jure noviſſimo Concilii Tridentini *in c.*15. *ſeſſ.*25. *de regul.* ut inferiùs attingam *n.*26. & de habitu ſcripſi latiùs *in d. cap. Quia ingredientibus num.*7. *ſupra de teſtam.* & de ingreſſu *in c. Inſinuante in prima quæſtione, infra, Qui Cler. vel voven.*

Ultimò nota, ibi, *Et recipitur ab Abbate*, Profeſſionem 18
non valere, niſi recipiatur ab eo, qui poteſtatem habet incorporandi religioni, prout hìc notant Innocen. *n.*4. Hoſtien. *nu.*13. *in ver. Et recipitur*, Joann. Andr. *nu.* 4. *in eod. ver.* Qui omnes aſſerunt eum, qui profitetur, non obligari etiam ex ſimplici voto, nec poſſe ab aliquo profeſſionem fieri, niſi ſit alius, qui illam recipiat, & qui illi poſſit dare regulam, & ipſum corpori Ordinis aggregare, & ſequuntur hìc Butr. *nu.*6. *verſ. Nota duo principalia*, Cardin. *in* 2. *not. & in* 3. *qu. n.*5. Anchar. *un.*2. *in* 3. *not.* Abb. *num.*9. & Joan. de Anan. *n.*4. & eſt ex mente gloſſ. 1. *in verſ. Dicas ergo*, de quo in Specul. *de ſtat. Monachor. verſ.*19. concordat *cap. Ad Apoſtolicam, infra eodem*, ibi, *Abbate per ſe, vel per alium profeſſionem recipiente Monaſticam*; nec non ibi, *Prohibendum eſt Abbatibus, ne paſſim ante tempus probationis quoslibet ad profeſſionem recipiant, & cap. Non ſolum, inf. eod. lib.*6. ubi habetur ſimilis prohitio; & Concilium Trident. *c.*15. ibi, Ad profeſſionem admittatur, *& cap. ſeq.* ibi, *Superiores novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, ſeſſ.*25. *de regul.*

Ratio hujus concluſionis eſt, ſecundum Abb. *num.* 10. 19
quia ex profeſſione oritur reciproca obligatio, quæ induci non poteſt ſine conſenſu utriuſque, ſic contingit in aliis contractibus, qui non poſſunt conſiſtere ex conſenſu unius tantùm, ut *l. In omnibus, ff. de act. & obligat. & l. Sicut, Cod. eod.* Quandoquidem Monachus obligatur an obedientiam Superiori exibendam, ut *cap. Cùm ad Monaſterium infr. de ſtat. Monachor. & cap. Si religioſus, de elect. lib.*6. & viceverſa religio obligatur Monacho ad alimenta, ut *cap. fin. infrà eod.* Unde Navar. *conſ.* 26. incipien. *Orta ſunt n.*1. *hoc tit.* ait profeſſionem eſſe contractum quemdam reciprocum ultrò citròque obligatorium, quo profitens ſe obligat Monaſterio, vel Ordini ad ſerviendum ei ſecundùm regulam ejus: & è contra Monaſterium ad alendum, & tractandum eum ſecundum eamdem regulam; & ita eſſe neceſſarium conſenſum utriuſque partis tam Prælati, & Monaſterii recipientium, quàm ipſius profitentis; quod ante ipſum docuit Silveſt *ver. Religio*, 5. *q.*8. *verſ. Et tertiò patet ratione.* Sed & Archid. *in cap. Vidua, n.*2. *in ver. Nam illa*, 20. *q.*1.
ait, inter profitentem, & Monaſterium eſſe quaſi matri- 20
monium ſpirituale, & ex mente Hoſtien. hìc *d. n.*13. dum ad
hoc inducit *cap. Cùm inter Canonicos, ſupra de elect.* Ergo 21
neceſſe eſt, ut ſit alius, qui hanc obligationem recipiat: nam ſicut inter baptizantem, & baptizatum, inſtituentem, & inſtitutum debet eſſe perſonarum diſtinctio, quia nemo poteſt ſeipſum baptizare, aut ſibi ipſi beneficium conferre, ut *cap. Debitum de baptiſm. & cap. fin. de inſtitut.* ita diſtinctio eſſe debet inter profitentem, & profeſſionem recipientem: nam cùm nemo poſſit ſeipſum religioni incorporare, oportet, ut ab alio ad id poteſtatem habente corpori Ordinis aggregetur, ut hìc, *& in dict. c. Ad Apoſtolicam, infr. eod.* per profeſſionem namque quis efficitur de Collegio Monachorum, & unà omnes unum corpus conſtituunt ſecundum Innoc.

22 Sed hic incidit quæſtio, quis ſit ille Superior, qui poteſt profeſſionem recipere, & Ordini incorporare?

De Abbate non eſt dubium ſecundùm omnes; dum tamen hoc faciat non ipſe ſolus, ſed unà cum Conventu, & Fratribus, ut hic notat gloſſ. 1. & ſcripſi plenè in *c. Ad Apoſtolicam in 2. not. infra eod.* Idem dicendum de Abbatiſſa, ut tenet Archid. *in c. Conſtitutionem, infrà eod. lib. 6.* dicens profeſſionem fieri poſſe in manibus Abbatiſſæ, vel ſupra altare, allegat *c. Conſuluit*, ubi idem tenet Hoſtien. *infrà qui Cler. vel vov.* & ſequitur Gemin. *in d. c. Conſtitutionem*, §. 1. *col. 2. verſ. Quæro, an profeſſio debeat fieri in manibus illius*; dummodò tamen & ipſa profeſſionem recipiat cum conſenſu majoris partis Conventus, ut dicam infrà *num. 28. & ſeqq.* De commendatario aliquid tetigi *in cap. Ad Apoſtolicam n. 27. infrà eod. & in cap. Inſinuante, n.... infrà qui Cler. vel vov.*

23 Sed dubitatur, quid in Epiſcopo? Innoc. *hic num. 5. verſ. Videtur etiam*, tenet poſſe Epiſcopum per ſe, vel miſſos ſuos, vel aliàs, ejus tamen nomine, recipere profeſſionem talium, etiamſi aliquod monaſterium non ingrediantur, vel certam religionem non profiteantur: ſufficit enim, ut mutent habitum, quem portent in domo propria. Tales namque religioſi cenſentur, & ſub obedientia Epiſcopi vivent, *c. Quod Deo 33. q. 5. c. De Viduis 27. q. 1. d. c. Inſinuante, qui Clerici, vel vov. & c. Dudum, de converſ. conjugat.*

24 Inferioribus autem Prælatis, veluti Archidiaconis, Plebanis, & conſimilibus, dicit hanc authoritatem non competere, niſi & Epiſcopus hoc ratificet, cùm hoc ipſi ſoli ſpecialiter conceſſum, argum. *c. Si vir 27. q. 2. c. Nulla, & c. Uxor 23. diſt.* Et cùm his dictis Innocen. tranſeunt hic Hoſtien. *n. 14.* Joan. Andr. *num. 4. verſ. Sed numquid Epiſcopi, & verſ. Quid de Archidiacono*, Anchar. *n. 7.* & communiter Doctores, ut Abb. teſtatur *n. 12.*

25 Sed tu adverte: nam aut in manibus Epiſcopi emittitur profeſſio non determinata ad certam religionem, vel Monaſterium; & votum hujuſmodi non poteſt dici ſolemne, ſed ſimplex, quod non dirimit matrimonium poſt contractum, licèt impediat contrahendum; ad hoc enim ut votum ita ſolemnizetur, neceſsè eſt, ut fiat profeſſio expreſſa, vel tacita in aliqua de religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis, ut definitur *in c. un. de voto lib. 6.* Ad idem *c. ult. infrà de religioſ. dom. & c. 1. eod. tit. lib. 6.* Aut profeſſio determinatur ad certam regulam, vel religionem approbatam; & tunc non poteſt Epiſcopus quemquam illi religioni, vel ordini incorporare invito Abbate, & conventu, ad quos hoc jus noſcitur pertinere, ut hic, & in prædicta decretali, *Ad Apoſtolicam*, & utrobique notant gloſs. & Doctor. Undè meritò Innoc. opinionem refellunt hic Butr. *num. 9. in fin. verſ. Attende ne Innoc. faciat te errare*, Cardin. *in 7. q. n. 7. verſ. Dic etiam cum Epiſcopus*, & Abbas *n. 12. verſ. Sed D. Antoninus*. Multò autem difficiliùs ad praxim deduci poſset opinio Innocentii poſt Concilium Trident. nam ex decreto *c. 15. ſeſſ. 25. de regular.* invalida eſt profeſſio illius, qui non ſtetit per annum in probatione poſt ſuſceptum habitum.

26 At non poteſt dici in probatione ſtetiſſe, qui nunquam ingreſsus eſt monaſterium, ſed tantùmmodò habitum geſtavit in domo propria, quantumcumque vixerit ſub obedientia Epiſcopi; quoniam nec ipſe auſteritates religionis probavit, nec religio mores illius, qui eſt finis propter quem tempus probationis fuit à SS. Patribus inſti-

27 tutum, ut legitur in *d. c. Ad Apoſtolicam*. Qua de re ſcripſi pleniùs in *d. c. Inſinuante in 1. q. n. 26. & 31.* Fateor tamen in tribus caſibus, poſteaquam annus probationis præceſſit intra clauſtra, poſse fieri profeſſionem regularem in manibus Epiſcopi, adeòut impediat matrimonium contrahendum, & dirimat poſt contractum, ad præſcriptum *d. c. un. de voto lib. 6.* Primus eſt in Epiſcopo Eccleſiæ regularis, veluti Eccleſiæ Pampilonen. & Vintonien. talis namque cum ſimul ſit Epiſcopus, & Abbas, utique poteſt monachos ſibi ſubjectos ad profeſſionem admittere, ut determinant Compoſtellanus in *c. Cùm cauſam n. 1. ſup. de elect.* quem ſequuntur communiter Doctores, ut ibi dixi *n. 18. & ſeqq.*

28 Secundus caſus eſt in monaſteriis, quæ abundant redditibus, & patiuntur defectum monialium: nam poteſt Epiſcopus monere Abbatiſsam, & conventum, ut de novo debeant aliquas creare: quòd ſi infra terminum eis præfixum non parerent, poſset Epiſcopus illarum negligentiam ſupplere, ibique moniales conſtituere, arg. eorum, quę notantur in *c. Ex parte ſuprà de conceſſ. præben.* & tenet Gemin. *c. fin. poſt medium, verſ. Sed ſi abundaret*, & Philipp. Franc. poſt eum *n. 2. verſ. Quando tamen monaſterium, inf. eod. lib. 6.*

Quod ego intelligo verum in monaſteriis non exemptis, 29 aliàs enim non pertineret ad Epiſcopum ſupplere hujuſmodi negligentiam, ſed ad illarum Superiores, vel ad Sedem Apoſtolicam, text. eſt in *c. Sicut*, ibi, *Niſi à juriſdictione tua exemptæ ſint, de ſupplen. negl. Prælat. & in c. Cum ſingula*, §. *Prohibemus in fin.* ibi, *Per diœceſanos ſi exempta non fuerint, alioquin per Sedem Apoſtol. ordinentur*, & illic notant Gemin. & Franc. ambo in *ult. not. de præbend. lib. 6.* niſi ſpecialiter cautum ſit, ut diœceſanus authoritate delegata ſuppleat negligentiam exemptorum, ut fit in caſu *Clem. un. de ſupplen. negligen. Prælator.* At verò ceſsante negligentia, etiam in monaſteriis non exemptis, monialium receptio 30 de jure non ſpectat ad Epiſcopum, ſed ad Abbatiſsam, & conventum, ut *c. Si ad ſolum*, & ibi notant Jo. Monachus, & Archid. *de regular. lib. 6.* & tenet Lapus *allegat. 33.* incip. *Prima concluſio*, ubi propterea ſubdit, quòd ſi Epiſcopus mandet Abbatiſsæ, & conventui, ut unam recipiant in monaſterio non mendicantium, & Abbatiſsa concordat cum quinque, & duodecim diſsentiunt, non debebit illa recipi, ex quo de jure Sanctimonialium receptio ſpectat ad Abbatiſsam, & majorem partem conventus, itaut ſi Abbatiſsa vellet recipere, non poſset, & ſi à tali receptione appelletur, appellatio eſt legitima, ut *c. 1. ſup. de iis, quæ fiunt à major. part. Capitul.* nec poteſt Epiſcopus præcipere, ut certam perſonam recipiant, cùm electio debeat eſse libera, *c. Cùm terra ſuprà de elect.* ita Lapus, quem totidem verbis referunt *in c. fin. infrà eodem lib. 6.* Gemin. *circa medium. verſ. Idem tenet Lupus*, & Franc. *n. 1. in gloſſ. 2.* licèt ipſi tribuant Epiſcopo majorem authoritatem in hujuſmodi monaſteriis non exemptis: nam ſecundum eos, etiam ceſsante omni negligentia, poſset Epiſcopus creare Moniales, ut hic, *& in c. Dudum, de converſ. conjugat. & c. De viduis 27. qu. 1.* & mandare Abbatiſsæ, ut illam ſic receptam à ſe recipiat in monaſterio, arg. *cap. Placuit 17. q. 1.* & tenetur tunc Abbatiſsa recipere, etiamſi non habeat defectum Monialium, ceſsante tamen legitima exceptione: ergo multò fortiùs tenetur recipere ingredientem de mandato Epiſcopi; ad eum namque ſpectat cura, & ſollicitudo etiam Monachorum, ut in *c. Qui verè, in fin. 16. q. 1. c. Si quis Abbas, & c. Abbates 18. q. 2.* & ſubdunt ita tenere Gaſparum de Calder. *conſ. 28. de regul.* ſed ibi nihil dicit ad propoſitum, ſed *in conſ. 16.* quod incipit, *Receptione Monachorum, eod. tit.* Verè tamen Calder. loquitur in defectû Prælati regularis, & tandem reſtringit ſe ad caſum negligentiæ. Unde magis placet prima opinio Lapi, quam etiam ſequitur Navarr. *conſ. 9. n. 12. de conſtit.* Quod autem ait frater Ludovicus Mirand. *in Manual.* 31 *Prælat. tom. 2. q. 28. art. ..* Abbatiſsas non poſse novitias recipere ſine ſuorum Prelatorum licentia non probatur jure, & in Monaſteriis ſubjectis Ordini Fratrum Minorum S. Franciſci id ſpecialiter eſt cautum à Nicolao V. ut refertur *in Compend. Privileg. in verb. Abbatiſſa*, §. 8.

Tertius caſus eſt monaſteriis virorum, vel mulierum, 32 quæ ita ſunt Epiſcopo ſubjecta, ut ad eum ſpectet receptio Monachorum, vel Monialium, puta ex conſuetudine præſcripta, vel privilegio, arg. *d. c. fin. infrà eod. lib. 6.* & quod notatur *in c. Ex parte, de converſ. conjugat.* & in ſpecie tenet Cardinal. *hic d. n. 7. verſ. Ad quam poteſt Epiſcopus recipere*, & in hoc caſu loquitur text. *in d. c. Si vir 27. q. 2.* cum aliis ſupracitatis: nam de jure veteri monaſteria erant Epiſcopo ſubjecta, ut *c. Monaſteria 18. q. 2. cum ſuis concordan.* At verò in monaſteriis, & religionibus exemptis, quales ſunt hodiè religiones ferè omnes, ut plenè notavi *in c. Tuarum, infrà de privileg.* tenendum eſt abſolutè Epiſcopum non habere facultatem admittendi quemquam ad profeſſionem, ut per Cardin. *ubi ſuprà*, & Navarr. *conſ. 40.* incipien. *Matthæus profeſſus hoc tit.* receptio enim ad profeſſionem eſt actus dependens à poteſtate ſuperioritatis, ut ſenſit Innoc. hic, & apertiùs Gemin. *in c. Conſtitutionem*, § *1. col. 2. verſ. Quæro an profeſſio debeat fieri*, & Navarr. *d. conſ. 40. n. 2. ad fin.* & clarè probatur in decreto Concilii Tridentini *cap. 16. verſ. Finito*, ibi, Superiores novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, *ſeſſ. 25. de regular.* Quod 33 adeò verum eſt, ut cùm in decretis Clementis VIII. ſuper forma recipiendi novitios ad habitum, & profeſſionem promulgatis ſub die 19. Maji 1602. inter cætera conſtitutum eſſet, ne in Conventibus deſignatis Novitii ad habitum, vel profeſſionem ullatenus recipi poſsent, niſi prævia approbatione

tione Congregationis reformationis, vel Epiſcopi diœce-
ſani, ut Bull. *tom.*3. *pag.*130. Religionibus de hoc gravi-
ter conquerentibus, hoc caput ſublatum fuit. Unde in
decretis de Apoſtatis, & ejectis, in quibus decreta Clem.
fuerunt innovata, atque inſerta, de approbatione Epiſco-
pi nulla fit mentio, ut ſcripſi pleniùs *in c.fin.inf.eod.* Hæc de
34 Epiſcopo. Sed generaliter ad dignoſcendum quis poſſit ad
habitum, & profeſſionem recipere, in primis recurrendum
eſt ad conſuetudines, privilegia, & ſtatuta cujuſque Ordi-
nis, ut *cap.fin.inf. à eod.lib.6.* ubi id notat gloſſ. *in verb. Per-
tineat*, Archid. Joan. Andr. Anchar. Gemin. & Franc. & Abb.
35 *in cap. Ad Apoſtolicam, infrà eod.* & noviſſimè Novarr. in
præalleg. conſ.9. n.12. de conſtit. ubi ampliùs teſtatur com-
munem obſervantiam omnium religionum, quas ipſe
ſua ætate tractavit, hoc habere, ut Novitiorum, & Mona-
chorum receptio fiat a Prælatis immediatis locorum, ſive
36 Conventuum particularium, cum majori parte Capituli.
Sed revera in multis religionibus aliter obſervatur, & in
ſpecie in Origine Fratrum Minorum S. Franciſci ex regula
cap.2. cautum eſt, ut infrà, videlicet: Si qui voluerint hanc
vitam accipere, & venerint ad fratres noſtros, mitant eos
ad Miniſtros Provinciales, quibus ſolummodò, & non aliis
recipiendi fratres licentia concedatur. Et dictio illa taxati-
va, *Solummodò*, non excludit Miniſtrum Generalem, ut de-
claravit Greg. IX. in explicatione regulæ. Quinimò ſenſus
illorum verborum eſt, ut licentia recipiendi novitios à Mi-
niſtris Generalibus concedatur ſolummodò Miniſtris Pro-
vincialibus, & non aliis, ſecundum Hugonem, & alios ex-
poſitores, & præſertim Cordubam ſuper *c.2.q.7* Idq; colligi-
tur ex *c. Exiit qui ſeminat*, §. *Sed quoniam, de verbor. ſignific.
lib.6.* ibi, (Concedimus, & præſenti ſtatuto firmamus, li-
cere non ſolùm Generali, ſed etiam Provincialibus Mini-
ſtris perſonas fugientes à ſęculo in fratres recipere, quæ Mi-
niſtrorum Provincialium licentia per ipſum Generalem, ſi-
37 cut expedire viderit poſſit, arctari.) Similiter in Ordine
Prædicatorum ex Conſtitutionibus *diſt.1.c.13.§.3.* ſic legi-
tur: (Nullus recipiatur in fratrem Clericum ad probatio-
nem, vel profeſſionem, niſi à Priori Provinciali, vel ab eo,
cui ſuper hoc dederit licentiam ſpecialem, vel à Priori
Conventuali cum aſſenſu totius, vel majoris partis Capitu-
li: Converſum autem non recipiat Prior Provincialis, nec
aliquis de ejus licentia, niſi de conſenſu Prioris, & duarum
partium fratrum, qui ſunt de Conventu, pro quo fuerit in-
duendus: Nec conventus aliquis recipiat Converſum ſine
licentia Prioris Provincialis.) In Ordine itidem Eremi-
tarum S. Auguſtini *ex conſtit.2.part.cap.1.* ita cautum eſt, vi-
delicet: (Recipiantur autem (ſcilicet Novitii) de licentia
Prioris Provincialis, & de conſenſu primò Patrum Conci-
lii, deindè majoris partis Capituli.) Sed & in Ordine
Carmelitarum ex Conſtitutionibus Novitiorum receptio
ad Priorem Generalem, vel Provincialem dicitur pertine-
re, juxta formam traditam *part.1.c.13.§ 5.*
38 Inſuper Navarri atteſtatio videtur confundi ex Conſti-
tutione Sixti V. *Cùm de omnibus* in Bullar *tom.2. pag.*601.
qua ſtatutum eſt, ut majores 16. annis non aliter in aliqua
religione recipi poſſint, niſi de eorum qualitatibus ibi præ-
ſcriptis in Generali, vel Provinciali Capitulo plena fide fa-
cta, tam Superioris Generalis, ſeu Provincialis, quàm diffi-
nitorum conſenſu approbati, & ad habitum regularem ad-
miſſi fuerint. Et in declarationibus ejuſdem conſtitutionis
ab eodem Pontifice poſteà editis *i* §.12 *eod. tomo 2. pag.*603.
Profeſſiones non habita inquiſitione, & ſervata forma ſu-
periùs præſcripta, nullæ atque irritæ declarantur. Et quam-
vis quoad caput nullitatis profeſſionis ante dictam conſti-
tutionem ad terminos juris reduxerit Clem. VIII. in conſti-
tutione, quæ incipit, *In ſuprema*, in Bullar. *tomo 3. pag.629.*
tamen in reliquis illam non revocavit, imò ſalvas eſſe vo-
luit pęnas contra Superiores, qui in regularibus ad habitum
& profeſſionem admittendis illius conſtitutionis formam
non ſeraverint, licèt conſtitutionem ſuam pauliſper mode
ratus fuerit ipſemet Sixtus in prędictis declarationibus §.7.
ubi quibuſdam Religioſis indulſit, ut cum quadam cautela
ibi expreſſa poſſint novitios recipere etiam extra Capitu-
39 lum. Religioſos autem Societatis Jeſu ab obſervatione præ-
dictæ conſtitutionis Sixti V. in recipiendis novitiis nomi-
natim exemit Gregor. XIV. in conſtitutione, quæ incipit,
Exponi nobis nuper fecit, in Bullar. *tomo 2. pag.*704.
40 In ultima gloſſa QUÆRO, an is, qui junctis mani-
bus tradidit, ſeu reddidit ſe Abbati in Monachum, & in
Fratrem, ex hoc cenſeatur profeſſionem emittere.

Gloſſa ponit duos intellectus ad hanc decretalem. Pri-
mus eſt, quòd hic Canonicus, qui ſe tradidit Abbati in Mo-
nachum, & in Fratrem, cenſeatur profeſſus ſaltem tacitè,
licèt formam non expreſſerit, quæ habetur in *c. Vidua* 20.
*q.*1. Neque huic lecturæ obſiſtit littera ſequens, quæ dicit,
Talis ut fiat Monachus, & reddat Domino, quæ promiſe-
rat, erit utique compellendus: quæ videtur innuere, ut
nondum eſſet profeſſus, quoniam exponitur, ideſt, ſtet, &
vivat ut Monachus; & in hac lectura tandem reſidet gloſſ.
& Innoc. *in fin.* dum exponit verbum, *Fiat*, ideſt perſeveret
in eo, quod jam eſt, Jo. Andr. *n.6.* ubi etiam allegat Tancre-
dum, Butr. *n.4.* Anchar. *circa finem in ver. Fiat*, & Abb. *n.13.
& n.24. in fine*, Lapus ſolemniter *allegat.*129. incip. *Factum
ſuper quo n.*10. Secundus intellectus eſt, quòd iſte Canoni-
cus fecit ſolummodò votum ſimplex, ut fieret Monachus
tradendo ſe in manus Abbatis, ut in *c. Per tuas, inf. de voto*,
ubi habetur conſimile votum ingrediendi religionem, &
promiſſio de illo adimplendo facta in manibus Prælati; &
huic intellectui ſuffragantur illa verba textus, Ex quo à con-
vertendo votum emittitur, ut ſcilicet fiat Monachus. Unde
qui ſic promiſit, & vovit religionem ingredi, compellendus
eſt, ut fiat Monachus, & reddat Domino vota ſua; & ſic pla-
nè ſonat littera, & cum hac lectura videtur tranſire Hoſt. *in
fin.* cùm illam recenſeat ſecundo loco, & non reprobet.

Tu teneas primum intellectum, pro quo adduco textum
ad hoc non ponderatum à Doctoribus *in c. Gonſaldus 17.q.
2.* ubi deciditur, Gonſaldum Presbyterum tamquam non
profeſſum recipere debere beneficium, quod reſignavit, quia
etſi quondam in infirmitate fervore paſſionis profeſſus Mo-
nachum ſe fieri promiſerit; non tamen monaſterio, aut Ab-
bati tradidit, ut in textu; quaſi dicat, ſi ſe tradidiſſet, be-
neficium reſignatum recuperare non poſſet, tamquam legi-
timè profeſſus, ut *c. Beneficium, infrà eod. lib.6.* Probat ergo
ille text. votum ingrediendi religionem ſolemnizari, ſi po-
ſteà vovens tradat ſe monaſterio, vel Abbati. Deindè hoc ip-
ſum probo, quia ſi Canonicus, de quo loquitur hoc capitu-
lum, emiſiſſet votum ſimplex juxta ſecundum intellectum
non tradidiſſet ſe in monachum in manibus Abbatis, ſed
potiùs de ſe tradendo voviſſet, ut conſiderat hìc Cardinalis
in 3. oppoſ. Prætereà pondera illuc verbum, *Reddere*, id eſt
tradere, ut exponunt gloſſ. ut Doctores. Tradere autem ſe 41
Abbati, ſeu manibus Abbatis idem importat, ac poteſta-
ti Abbatis ſe ſubmittere, *c. Omnis 11.q 3. & c. Addidiſtis 20.
q.1.* Facit text. *l. Traditionibus, C. de pactis, & in l. Traditio,
ff. de acquir. rerum domin. cum concord.* de quibus per Dyn.
c. Nemo poteſt, de regul. jur. lib.6. At quis non ſubjicit ſe po-
teſtati Abbatis, niſi per ſolemnem profeſſionem, *cap. Si Re-
ligioſus, de elect. lib.6.* Ergo idem eſt tradere ſe Abbati, ac ſo-
lemniter profiteri, quod tenet Lapus *d. allegat. 129. n.*10.
præſertim ubi quis tradit ſe non ſimpliciter, ſed in mona-
chum, & in fratrem, ut in textu: hoc enim nihil eſt aliud 42
quàm ſubjicere ſe Abbati tanquam monachum, eique pro-
mittere obedientiam monachalem, quod perindè eſt, ac
profeſſionem emittere, ut *c. Conſuluit, infrà qui Cler. vel vo-
ven.* Innoc. *hìc princ.* Hoſt. *n.2. in fin. in verb. Tibi ſe tradi-
dit*, & Joan. Andr. *eod. num. & verb.* Ad hæc ſimplici voto
non adaptatur illa ratio, quæ ponitur in textu, videlicet
quòd habitus non facit monachum, ſed profeſſio regularis.
Et ſimiliter alia ratio, quæ ſubſequitur, videlicet ex quo à 43
convertendo votum emittitur, & recipitur ab Abbate, iti-
dem convenit profeſſioni tantùm, quæ cùm pendeat non
ſolùm ex voluntate profitentis, ſed etiam alterius, ad ſui va-
liditatem exigit, ut recipiatur ab eo, qui poteſtatem habeat
religioni incorporandi, ut abundè oſtenſum eſt ſuprà *in ult.
not.* non autem convenit ſimplici voto, quod pendet ex vo-
luntate ſolius voventis, nec indiget alterius receptione, ut
*c. Quod Deo 32.q 5. & c. Ex parte tua, inſ. de converſ. conju-
gat.* ſecundum Innoc. hìc *n.4.* Quibus accedit, quòd iſte
Canonicus priùs emiſerat votum ſimplex, ut fieret mona-
chus; ac deindè gravi morbo correptus; ut ſuam ſanaret con
ſcientiam, voluit reddere Domino quod promiſerat, ne vo-
to non completo ex hac vita migraret, ut dicitur in littera.
At certè votum ſuũ non compleviſſet, ſi tradendo ſe in mo-
nachum profeſſionem non emiſiſſet, ſed potiùs voto ſim-
plici aliud ſimile votum adjeciſſet, quod planè ineptum fuiſ-
ſet, & nugatorium. Ac demum ſi hìc ageretur de ſimplici
voto duntaxat, non autem de profeſſione regulari, hoc cap.
incongruè fuiſſet poſitum ſub hac rubrica de regularibus,

& potiùs collocandum fuiſſet ſub illa de voto, & voti re-
demptione, prout factum eſt de prædicta decretali, *Per
tuas*. Et miror, quòd Docto es ad has conſiderationes non
advertant. Hæc igitur ſit concluſio, quòd tradens ſe in
Monachum, & in Fratrem in manibus ejus, qui poteſt re-
ligioni incorporare, dummodò priùs annum probationis
peregerit ad præſcriptum Concil. Triden. *c.15. ſeſſ.25. de re-
gul.* eo ipſo Monachus efficitur, & cogi debet in religione
44 perſeverare; maximè ſi priùs voverit, ut fieret Monachus,
juxta tex. *hìc, & in d. c. Gonſaldus* 17. *q.*2. & hìc notant Butr.
& Joan. de Anan. ambo *in* 1. *not.* dum ex hoc tex. colligunt
profeſſionem induci, quando præcedit votum profitendi, &
poſtea ſubſequitur aliquod ſignum denotans profeſſionem.
45 Procedit autem hæc concluſio, quamvis regula, aut con-
ſtitutiones Ordinis certam profitendi formam præſcribant:
nam nihilominus tradens ſe Superiori in Monachum, &
in Fratrem, cenſetur tacitè profiteri etiam ea forma non
ſervata, ut innuit hìc gloſſa *fin. in princip.* ibi, *Licèt fortè non
expreſſerit formam profeſſionis*, & Abb. *nu.*13. & Silveſt. in
46 *ver. Religio*, 3. *in* 1. *&* 18. *qu. in fin.* Ratio eſt ſecundum Abb.
quia regula monachorum ponens certam formam circa
profeſſionis actum, non videtur ponere formam ſubſtantifi-
cam; eò quòd cum obligatio dirigatur in Deum, defectus
formæ non debet vitiare actum, ſicut videmus in excom-
municatione, ut notatur *in c. Sacro, infrà de ſent. excommun.*
47 Quod tamen limitabis, niſi regula, vel conſtitutiones Or-
dinis à Sede Apoſtolica ex certa ſcientia confirmatę proce-
derent ulteriùs, decernendo irritam profeſſionem aliter fa-
ctam; quia tunc profeſſio emiſſa non ſervata forma præſcri-
pta non valeret, argum. *cap. Si ſoli, verſ. Niſi nos in gratia, de
48 conceſſ. præbend. lib.6. cum ſuis concord.* Poteſt enim Papa in-
fringere profeſſionem, ita ut obligationem non inducat, ut
*c.*1. *de religioſ. domib. lib.6. & cap. Non ſolum*, & ibi Gemin.
in 15 *not. de regular. eod. lib.* Ad hoc Concilium Tridenti-
num *c.*15. *verſ. Profeſſio autem antea facta ſit nulla, nullam-
49 que inducat obligationem, & c. ſeſſ.*25. *de regul.* Et idem eſſet
ſi regula præſcriberet formam profeſſionis per hæc verba,
videlicet, (Profeſſio aliter fieri non poſſit:) tunc enim pro-
feſſio aliter facta irrita eſſet; quia per hoc cenſetur data
forma ſubſtantialis, cui à partibus renunciari non poteſt, ut
notat Bart. in *l. fin. n.*4. *C. de vend. reb. civit. lib.*11. & Felin. in
*d. c. Cùm dilecta n.*6. *de reſcirpt.* ubi enumerans decem ſigna
formę, Septimum ſignum, inquit, ubi in diſpoſitione dicitur,
aliter fieri non poſſit, ibi eſt data forma, & ei non poteſt
renunciari; item hæc verba, *Aliter fieri non poſſit*, indu-
cunt decretum irritans, ut ait Pariſius *conſ.*19. *nu.*20. *lib.*2.
50 Item verbum, *Poteſt*, negativè prolatum neceſſitatem im-
portat, ſecundum Bart. *in l. De his nu.*4. *ff. de tranſact.* &
vide in materia quod ſcripſi *in cap. Cauſam num.*21. *&* 24.
ſuprà de elect.
51 Ulteriùs QUÆRO, an is qui vovit ingredi religio-
nem, teneatur, & cogi poſſit in ea perpetuò remanere
52 Quæſtio duas habet inſpectiones. Altera eſt, an ſic vo-
vens in foro Eccleſiæ cogi poſſit in religione perſeverare.
Altera, an ad id teneatur in foro conſcientiæ.
53 Circa primam inſpectionem Hoſt. hìc *n.*1. ait in hac ma-
teria vim fieri poſſe in verbis: nam ſi dixerit, voveo me
perpetuò religiosè victurum, & talem religionem ſervatu-
rum, tunc non poteſt redire ad ſęculum, *c. Conſulti, & c. Sta-
tuimus, infrà eod.* quaſi ſaltem tacitè profeſſus intelligatur,
arg. *c. Diaconi* 28. *diſt.* Niſi ex cauſa contrarium proteſtetur,
ut *cap.*1. *ſuprà quod metus cauſa*. Sin autem dixerit, voveo
me intraturum religionem, tenetur ingredi; poteſt tamen
intra annum exire, niſi appareat eum voluiſſe vitam muta-
re: nam quo ad Eccleſiam requiruntur de hoc indicia, ut in
*c. Non ſolum, infrà eod. lib.*6. Ita Hoſt. quem totidem verbis
ſequuntur Jo. Andr. *n.*6. Card. in 3. *oppoſit.* Anchar. *ſub n.*10.
in ver. Fiat, & alii communiter.
54 Verùm gloſſ. *ultima in verſ. Talis ergo*, vult in effectu, ut
qui promiſit, aut vovit ſe intraturum aliquam religionem
compelli poſſit, & debeat, ut fiat Monachus; quod perindè
eſt, ac ſi dixiſſet, compelli poteſt, & debet, ut profeſſionem
emittat monachalem, & conſequenter perpetuò remaneat
in religione: nam ſi gloſſa ſentiret ſic voventem cogi poſſe
tantummodò ad intrandum, non autem ad perſeverandum,
non dixiſſet eum poſſe compelli; ut fiat Monachus; quia per
ſolum ingreſſum ſine profeſſione quis Monachus, ſeu Reli-
gioſus non efficitur cum effectu, ut dicit tex. in *c. Religioſus*,
§. *Quamvis autem, de ſent. excomm. lib.*6. licèt Cajetanus ali-
ter ſentiat in 2. 2. *qu. ult. art.*4. *verſ. Ad primum dubium*, ubi
ſubtiliter probat votum de ingreſſu religionis, & votum de
fieri religioſum æquivalere, & utroque caſu voventem te-
neri tantummodò ingredi, ut novitium; non autem perpe-
tuò perſeverare.
Et pro opinione gloſſę valdè urget, quòd quando ponitur 55
in conditione factum, quod juris ſortitur effectum, puta ſi
matrimonium contraxerit, vel ſi Monaſterium intraverit,
vel aliud ſimile, tunc ſi implementum conditionis non du-
rat facto illius, qui tenetur adimplere, conditio habetur pro
non adimpleta, textus eſt in *l. Inter Caſtellianum, ff. de arbi-
tris*, ubi condemnatus rem tradere non implet præceptum
rem tradendo, niſi res tradita duret; unde ſi res ad eum re- 56
vertitur, reſtituere tenetur, ut *l. Qui ſic ſolvit, ff. de ſolut.* ubi
non dicitur ſolvere qui ſolvit, & in continenti recuperat.
Unde Angel. *conſ.*179. incip. *Conradus Alberti n.*4. format 57
quæſtionem, an is, qui intravit monaſterium, & poſteà exi-
vit, conſequi debeat relictum ſub conditione, ſi monaſteriū
intraverit, & per jura prædicta reſolvit talem eſſe privandū
relictis, ſi facto ſuo exivit; quia non dicitur cōditionem im-
plevisse: ſecus ſi ſine facto, & culpa ſua, ut *l. Si quis hæredem,
C. de inſtit. & ſubſtit.* licèt Bart. ibi ſuper hoc dubitaverit, &
ſolùm quæſiverit, & quæſtionem indiſcuſſam dimiſerit.
Quid dicendum? Pro ſolutione plures caſus videntur 58
diſtinguendi. Primus eſt in eo, qui a monaſterio exivit non
ſponte, ſed coactus, puta quia a Superioribus regularibus
ante profeſſionem ejectus fuit, ut in Concil. Trid. *c.*16. *verſ.
Finito, ſeſſ.*25. *de regular.* & hoc caſu votum intelligitur
adimpletum, nec poteſt Eccleſia talem compellere, ut ite-
rùm ad religionem revertatur. Ratio eſt, quia quando im-
plementum obligationis non durat ſine facto, & miniſterio
ejus, quia adimplere tenetur, obligatio habetur pro adimple-
ta, & eo caſu ſufficit implementum per momentum tem-
poris extitiſſe, licèt non duret, ut eſt textus apertus in *d. l. Si
quis hæredem, C. de inſtit. & ſubſtit.* ideòque legatum factum
alicui, ſi liberos ſuſceperit, ſtatim debentur natis filiis, licèt
poſteà moriantur, ut *l. Cùm uxori, Cod. quando dies legati
ced.* quam legem ſic ſummat Bald. videlicet, ſufficit, ut
conditio in momento temporis ſit impleta. Et facit *l. Hæ-
reditatibus, in princip. ff. ad Trebellian. & l. Quid ergo, in
fin. princip.* ibi, *Ad initium nuptiarum ſe retulit, ff. de his
qui not. infam.* & hoc tenet Angel. *loc. cit.* Et hic primus ca-
ſus parum habet difficultatis; quia obligatio voti, ſicut & 59
juramenti, non extenditur ad impoſſibile, *c. Significante, de
pignor. c.*1. & ibi gloſſ. *in ver. Impoſſibilia, de jurejur. lib.*6. *l.
Impoſſibilia, & l. Inter ſtipulantem*, §. *Sacram, ff. de verb.
oblig. & l. Impoſibilium, ff. de regul. jur.* Hinc relegatus in ali-
qua civitate ſub pęna conventionali etiam jurata, ſi domi- 60
nus civitatis juſſerit eum recedere, pœnam non incurrit, ex
quo per eum non ſtat, cum non poſſit Superiori reſiſtere, ut
reſpondit Angel. *conſ.*378. *Dominus Raymundus*, *& conſ.*
379. Et propriùs ad rem noſtram, qui vovit ingredi certam
religionem non intendes ad aliam ſe obligare, ſi ibi non re- 61
cipiatur, non tenetur intrare aliam, & ſolutus eſt voto, ut
docet S. Thom. in 2.2. *q. ult. art.*3. *ad* 2. quem refert, & ſequi-
tur Silveſter in *ver. Religio* 2. *nu.*16. poſt Richar. quem ci-
tat, & Archid. in *cap. Scimus nu.*2. 12. *q.*1. Quando enim
quis vovet intrare certam religionem, ſubintelligitur con-
ditio, ſi poſſum, vel ſi volunt me recipere; qua conditione
non exiſtente, non exiſtit votum, ut poſt Hug. Card. inquit
Archid. *ubi ſuprà*.
Secundus caſus eſt in eo, qui non coactus, ſed ſpontè
exivit è Monaſterio, & tunc ſubdiſtinguendum; nam aut 62
exivit ſtatim poſtquam ingreſſus fuit, aut non ſtatim exi-
vit, ſed aliquandiu in religione perſeveravit. In primo
caſu votum non adimplevit; ideòque ab Eccleſia cogi po-
teſt, ut iterùm ingrediatur; quoniam non dicitur intraſſe,
qui ſtatim exivit, text. eſt in *cap. ad noſtram*, ibi, *Statim
pœnituit, quòd habitum induiſſet, ſup. eod.* Et hoc caſu habent
locum jura, quæ dicunt, non cenſeri aliquid factum eſſe, ſi
factum non duret, ut *cap. Conſtat* 1. *qu.*1. *cap. Vides* 23. *qu.*6.
l. Si filius, ff. Quod cum eo, qui alien. poſſeſſ. & l. Si pro parte,
§. *Verſum, ff. de in rem verſo*. Unde brevi reverſa uxor, nec
divertiſſe videtur, dicit text. *in l.*3. *in fin. ff. de divort.* nec di-
citur veniſſe qui non ſtetit, *cap. Si quis autem* 18. *diſt. in. cap.
Certum eſt* 11. *qu.*3. *& c. Miſſas, de conſecr. diſt.*1. *c. Si poſt-
quam*, & ibi gloſſ. in *ver. Monte*, *& cap. Cupientes*, §. *Si per
viginti*, ubi gloſſ. in *ver. Compareant, de elect. in* 6. facit text.
in *l. Plerique, ff. de ritu nupt. & in l. Vir mulieri, ff. de donat.*
inter

inter virum, & uxorem; alioquin ſi vovens ingredi religio-
nem non teneretur intrare niſi per momentum temporis,
& poſſet illicò recedere, votum eſſet fruſtraneum, ridi-
culum, & irriſorium, quod non eſt dicendum, Clem. *Cùm
illuſio, de renunt.* & ita tenet S. Th. *d. q. ult. art. 4. ad* 3. ubi
ait: (Eum, qui intrat, ut ſtatim exeat, non videri ſatisfa-
cere voto ſuo, quia ipſe in vovendo hoc non intendit; &
ideò tenetur ſaltem velle experiri, an ſibi expediat in reli-
gione remanere:) & eum ſequitur Archid. *in c. Scimus n.*
3. 12. *q.* 1. & ibi Bellam. *num.* 26. & Silveſt. *in ver. Religio* 2.
num. 19.
63 In ſecundo autem caſu, id eſt cùm non exivit ſtatim, ſed
aliquandiù permanſit in religione, mihi magis placet opi-
nio Hoſtien. & ſequacium, ut ſcilicet licuerit ei redire ad
ſæculum, nec ulteriùs cogi poſſit ad Monaſterium rever-
ti: moveor, quia vovens ingredi religionem cenſetur in-
greſſum voviſſe, ſecundum formam juris communis, quæ
eſt, ut ingredienti detur annus probationis, ut *c. Gonſal-
dus* 17. *quæſt.* 2. *& cap. Ad Apoſtolicam, infra eodem*, cum
ſuis concordantibus, & ita expreſsè docet S. Thomas in 2.
2. *quæſt. ultim. art.* 4. *in corpore ad finem*, & fuſiùs patebit
64 infrà in ſecunda inſpectione. Omnis enim diſpoſitio ſim-
pliciter concepta veſtitur à jure communi, & ad illius in-
tellectum eſt redigenda, *l.* 2. *C. de nox. l. Quæro, §. Inter
locatorem, ff. Locati, cap. Cauſam quæ, de reſcript. &
cap. Quemadmodum, de jurejur.* Anchar *conſ.* 6. *Viſo the-*
65 *mate, num.* 8. *& conſ.* 421. *Præmittendum eſt, in princ.* Ne-
que obſtat, quòd obligatio non dicatur adimpleta, quan-
do ejus implementum non durat facto illius, qui tenetur
adimplere, ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſupra *num.* 45.
Nam reſpondetur hoc caſu implementum obligationis il-
lius, qui vovit ingredi religionem, non eſſe perpetuam
perſeverantiam in religione; quia ad illam ſe non adſtrin-
xit ſaltem judicio Eccleſiæ; ſed eſſe ipſum ingreſſum in Mo-
naſterium ad probandas illius auſteritates, cui quidem obli-
gationi integrè ſatisfecit ingrediendo, ibique tamdiu mo-
rando, ut illius aſperitates potuerit experiri, juxta text. *in
c. Ad Apoſtolicam, & c. Non ſolùm, infra eod. lib.* 6. Un-
de ad ulteriorem perſeverantiam non eſt ullatenùs compel-
lendus. Et ita in effectu reſpondet Cajetanus *in* 2. 2. *quæſt.
ult. art.* 8. *in reſponſ. ad* 2. *dub.* ait enim: *Verum eſt non ve-
niſſe eum, qui non ſtetit ad id, pro quo venit; & ideo ingre-
diens religionem, cùm veniat ad religionis probationem, non
diceretur veniſſe, ſi ingreſſus abſque probatione retrocederet.
Sed ſi probationi operam dat, dicitur veniſſe ad religionem
probandam, quia ſtat in religionis probatione: quocirca ſicut
ſponte ingrediens religionem, & in probatione illius ſe exer-
cens, & poſtmodum exiens, dicitur veniſſe, & ſtetiſſe,
quia venit ad religionem probandam, & in probatione ſtetit:
ita ex voto ingrediens religionem, & probando illam, tam-
dem exiens, dicitur veniſſe, & ſtetiſſe, eadem ratione.* Hæc
66 Cajetanus. Nec propterea talis dicitur inutiliter noviſſe,
quia, ut inquit D. Th. *d. art.* 4. *in reſponſ. ad ſecundum*,
melius eſt intrare religionem animo probandi, quàm peni-
tùs non intrare: quia per hoc diſponitur ad perpetuò rema-
nendum.
67 Circa ſecundam inſpectionem, videlicet an vovens in-
trare religionem teneatur ibi eſſe perpetuò in foro con-
ſcientiæ, & quo ad Deum, Hoſt. hic *nu.* 2. *in fin.* quæſtio-
nem paucis abſolvit, dicens: Sed quantum ad animæ ſalu-
tem, videat vovens quid intendebat, & relinquatur con-
ſcientiæ ſuæ, *c. Mulieri, de jurejur.* & ſequuntur illi ſu-
pra citati *n.* 43. Sed uberiùs rem tamen explicat D. Thomas
in 2. 2. *in præal. eâ q. ult. art.* 4. *in corpore*, ait enim (Obli-
gatio voti ex voluntate procedit; nam vovere voluntatis
eſt, ut Auguſtinus dicit, *ad hoc c. Magnæ infra de voto*:
in tantum ergo fertur obligatio voti, in quantum ſe exten-
dit intentio voventis. Si ergo vovens intendit ſe obligare
non ſolùm ad ingreſſum religionis, ſed etiam ad perpetuò
remanendum; tenetur perpetuò remanere. Si autem in-
tendit ſe obligare ad ingreſſum religionis cauſa experiendi
cum libertate remanendi, vel non remanendi: manife-
68 ſtum eſt, quòd remanere non tenetur. Si verò in voven-
do ſimpliciter de ingreſſu religionis cogitavit abſque hoc
quòd cogitaret de libertate exitus, vel de perpetuitate re-
manendi, videtur obligari ad ingreſſum religionis ſecun-
dùm formam juris communis, quę eſt, ut ingredientibus de-
tur annus probationis: unde non tenetur perpetuò in reli-
gione permanere:) ita D. Thom. cujus diſtinctionem pro-
barunt ibi Cajet. & reliqui Expoſitores, Archid. *in d. c. Sci-
mus n.* 3. 12. *q.* 1. & Silv. *in verb. Religio* 2. *nu.* 19. Addit Ri- 69
char. relatus ibi à Silveſtro, quòd ſi vovens intrat quidem
animo exeundi, ſed tamen cum voluntate dandi operam,
ut Deus immutet propoſitum ſuum; ſatisfacit voto, aliàs
ſecùs.
Cæterùm adverte ne decipiaris: nam quod ſuperiùs di- 70
ximus ex D. Thoma voventem ingredi religionem, in du-
bio cenſeri ingreſſum voviſſe juxta formam juris commu-
nis, quæ eſt ut ingredienti detur annus probationis, non vi-
detur ita intelligendum, ut ſic vovens poſt probationem
poſſit pro libito voluntatis à religione exire, etiam ſine ul-
la cauſa; quando quidem inter ingredientem ſponte, & in-
gredientem ex voto debet eſſe differentia; & quidem ſpon- 71
tè ingrediens poteſt ſaltem quo ad Eccleſiam ex ſola ratio-
ne libertatis exire, ut probat text. *in c. Statuimus*, ibi, Ad
priorem ſtatum redire poſſe liberè infra annum, *& in cap.
Cùm ſimus*, ibi, *Quia tunc liberum ſibi erit eum dimittere,
infr. eod.* At verò ingrediens ex voto tenetur Religionem
probare, ac ſi invenerit illius conditiones ſibi gratas, ex
vi voti obligatur ad perſeverantiam, nec poteſt ex ſola ra-
tione libertatis ad ſæculum remanere. Nam ſicut finis in-
greſſus eſt probatio, ita probationis finis eſt gratarum,
vel ingratarum conditionum inventio. Inventionis autem
finis quo ad conditiones gratas eſt acceptatio, quo ad in-
gratas refutatio. Recta namque ratio non patitur, ut ali-
quid probandum detur, & repertis omnibus probatæ rei
conditionibus gratis refutetur. Et confirmatur, quia tempus
probationis indultum eſt tam in favorem novitii, quàm re-
ligionis, ut *c. Apoſtolicam, infr. eod.* At religio, ſi novitium
jam probatum, & habilem repertum pro ſola libertate ex-
pelleret, utique ageret contra bonam fidem, ad hoc Conc.
Trid. *c.* 16. ibi, *Finito tempore novitiatus Superiores novi-
tios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant,
ſeſſ.* 25. *de Regular.* Ergo pari ratione novitius eſt malæ fidei
reus coram Deo, ſi à religione jam probata ex ſola liberta-
te retrocedat. Uterque igitur, id eſt tam ſpontè ingreſſus,
quam ex voto, peccat recedendo à religione ſine ulla cau-
ſa. Sed ingreſſus ſpontè peccat venialiter tantùm, arg. *cap.
Conſuluit infr. eod.* ingreſſus autem ex voto peccat mortali-
ter; quia intelligitur ſe obligaſſe ad probandum bona fi-
de, quod non ſervat, licèt in foro Eccleſiaſtico nihil ei ob-
jici poſſit. Ita Card. Cajet. *in* 2. 2. *d. q. ult. art.* 4. *in reſpon.
ad* 3. *dub.* ubi hæc fuſiùs probat, & reſpondet objectis. Quę 72
doctrina eſt valdè notabilis, ſi vera eſt; non tamen tranſit
abſque difficultate, ſaltem in ea parte, in qua habet ſpon-
tè ingredientem exeundo ſine ulla cauſa venialiter pecca-
re, quoniam cùm lex impertiatur authoritatem liberè exe-
undi infra annum probationis, ut *in d. c. Statuimus, & c.
Cùm ſimus, cum ſuis concord.* Ergo novitius, qui pro ſola ra-
tione libertatis recedit à Monaſterio, non peccat, cùm hoc
faciat legis authoritate, *c. Qui peccat* 23. *q.* 4. Item propoſi-
tum ingrediendi religionem non obligat etiam ad veniale,
ut poſt D. Th. *in* 2. 2. *q.* 88. *art.* 1. probat Archid. *in c. Quibo-
nam n* 317. *q.* 1. & Nav. *in manual. c.* 12. *num* 26 *& in repet.
c. Pennata n.* 1. *de pœnit. diſt.* 2. *commen. tom.* 3. *pag.* 171. Er-
go ab hujuſmodi propoſito recedere nullum eſt peccatum:
& hujus ſententiæ videtur eſſe apertè D. Th. *d. q. ult. art.* 4.
in reſponſ. ad 1. dum ait: *Non intelligitur aliquis retroire,
vel aſpicere, niſi quando prætermittit id, ad quod ſe obliga-
vit; alioquin quicumque per aliquod tempus facit aliquod bo-
num opus, ſi non ſemper id faciat, eſſet ineptus Regno Dei,
quod patet eſſe falſum.* Et in reſponſione ad ſecundum dicit,
*Eum qui religionem intravit, ſcandalum non generare, ſi ex-
eat, præſertim ex aliqua rationabili cauſa.* Pondera dictio-
nem illam, *Præſertim*, quę propriè idem importat, quod ma-
ximè; & quamvis exprimat caſum minùs dubitabilem, ta-
men implicat idem eſſe in caſu contrario, videlicet ſi ſine
ulla rationabili cauſa exeat, ut *c. Diverſis fallaciis, de Cler.
conjug. c. Ex litteris il* 2. & ibi notat gl. *in ver. Præſertim de
homic.* Gemin. *conſ.* 16. *n.* 4. *in fin. ver. Non obſtat*, & Card.
conſ. 548. *aliàs* 3. *de verb. ſignif.* Libet tamen hìc referre ver-
ba Silv. contrarium inſinuantis *in verb. Religio* 5. *q.* 8. *nu.* 8.
ad fin. quæ ſic ſe habent: (Qui ergo ſolùm propoſuit per-
ſeverare non vovendo, nec ſe offerendo profeſſioni, po-
teſt intra annum ad ſæculum redire de jure, & contrahere
matrimonium, etiam ſine peccato quo ad Eccleſiam, &
etiam quo ad Deum, ſi redeat ex juſta cauſa, puta infir-
mitate, vel debilitate: ſi autem ex cauſa injuſta, puta tæ-
dio

dio ſanctę vitę, vel hujuſmodi, eſt peccatum ingratitudinis.) Hæc ille. Et pro opinione Silv. & Cajet. allego opt text. *in c. Qui bona* 17.q.1. ubi Greg. ait: *Qui bona agunt, ſi meliora agere deliberant, & poſt deliberata non faciunt, licèt in bonis prioribus perſeverent, in conſpectu tamen Dei ceciderunt ex deliberatione*, & ibi gl. 1. exemplificat in eo, qui priùs propoſuit matrimonium contrahere, & deinde continentiam ſervare, & allegat Hug. dicentem hunc mortaliter peccare ſi firmiter propoſuit; ſed mox ſubdit, ſecundum alios peccare tantùm venialiter. Et per illum text. Hoſt. *in c. Conſulti n.9. inf. eod.* dicit peccare eum, qui propoſuit ſe fieri Monachum ſi propoſitum nō adimpleat, licèt votum non fecerit.

DE REGULARIBUS.

Cœleſtinus III.

CAPUT XIV.

CUm ſimus: & infrà. Sanè noſtris auribus eſt relatum, quòd cùm B. miles ſe cum filio ſuo diſcretionis annos nullatenùs attingente, ad quoddam Monaſterium cum bonis ſuis etiam contuliſſet, dictum filium ſuum fecit habitum ſuſcipere Monachalem: & infrà. Diſcretioni tuæ taliter reſpondemus, quòd ſi dictus puer ad annos diſcretionis pervenerit, & habitum retinere noluerit Monachalem: ſi ad hoc induci nequiverit, non eſt ullatenùs compellendus; quia tunc liberum ſibi erit eum dimittere, & bona paterna, quæ ipſi ex ſucceſſione proveniunt, poſtulare.

SUMMARIUM.

1 *PAter ſi cum bonis ſuis, & filio impubere ſe obtulerit Monaſterio, filius factus major exire poteſt, & legitimam à Monaſterio petere.*

2 *Profeſſionis vim obtinent hæc verba*, Confero me, & mea Monaſterio.

3 *Filius impubes à Papa oblatus Monaſterio cogitur ibi remanere uſque ad pubertatem, ſed factus pubes liberè exire poteſt.*

4 *Monaſterium quamvis habeatur loco filii, non tamen excludit filium legitimum, & naturalem à ſucceſſione paterna quantum ad legitimam, & n. ſeqq.*

5 *Filiatio vera prævalet fictæ.*

6 *Legitima an debeatur filio ſtatim atque pater in Religione capaci bonorum in communi profeſſionem emittit; an verò expectanda ſit ejus mors naturalis, & n. ſeq. uſque ad num. 13.*

7 *Suceſſio propriè adaptatur ad defunctum.*

8 Quondam, *dictio ſolet communiter apponi, quando fit mentio de mortuo.*

9 Succeſſionis, *verbum adaptatur etiam ad Monachum viventem, cum juris fictione dicatur mortuus.*

10 *Auth. Si qua Mulier, C. de Sacroſ. Eccl. non eſt canonizata in c. Si qua mulier, 16. q.3. & cur.*

11 *Legitima non debetur filio niſi poſt mortem patris naturalem, vel civilem.*

12 *Jus patriæ poteſtatis ſolvitur per mortem civilem ſicut per naturalem.*

13 *Puellæ Monaſterium ingredi volenti an ſit indulgendum ut fideicommiſſum non purificetur per illius profeſſionem, ſed prorogetur uſque ad diem mortis naturalis, & n. ſeqq. uſque in fin.*

14 *Legatum dotis majoris, ſi puella nupſerit, minoris, ſi Religionem profiteatur, qua parte debeatur profitenti, num. 16.*

15 *Principis authoritas exuberans eſt in gratiis dilatoriis, reſtrictior verò in peremptoriis.*

17 *Præjudicium quod ex prorogatione fit vocatis ex fideicommiſſo conditionali, non eſt conſiderabile.*

18 *Subſtitutis quale præjudicium generetur ex prorogatione fideicommiſſi, & quo remedio ſit eis conſulendum.*

1 CUm ſimus. Si pater ſe cum bonis ſuis, & filio impubere obtulit Monaſterio, filius factus major exire poteſt Religionem, & legitimam à Monaſterio petere. Hoc dicit Abbas. Communis diviſio. Secunda, ibi, *Diſcretioni.*

2 Nota primò ibi, *Contuliſſet*, hæc verba, *Confero me, & mea monaſterio*, vim profeſſionis obtinere, ut hìc, & *in c. Proximo, ſupra eod.* & notat hìc Innoc. *in princ.* Hoſt. *poſt princ. in ver. Contuliſſet*, Jo: Andr. *n.1. in eod. verb.* & Butr. *n.* 3. Quod tamen intellige, ut dixi *in c. In præſentia in* 1. *not. ſupra de probat.*

Secundò nota, quod etſi paterna devotio, ſeu oblatio 3 filium impuberem faciat Monachum, ut in Conc. Toletan. IV. c.48. relato *in c. Monachum* 20.q.1. & *in c. Cùm virum ſupra eod.* hoc tamen intelligitur quo ad hoc, ùt filius cogatur in Monaſterio perſeverare uſque ad pubertatem, ut hìc per Abbatem *in* 1. *not.* Sed adveniente pubertate liberum erit ei in Monaſterio remanere, vel ad ſæculum redire, ut hìc eſt expreſſum, in illis verbis: *Si dictus puer ad annos diſcretionis pervenerit, & habitum retinere noluerit Monachalem, ſi ad hoc induci nequiverit, non eſt ullatenùs compellendus; quia tunc liberum ſibi erit eum dimittere.* Concordat *c. Illud* 20 q.1. & 2. *c. Si in qualibet*, & hìc notat Hoſt. *n.* 1. Jo. Andr. Card Anchar. & omnes in ſumm. tex. de quo tamen dic, ut plenè ſcripſi *in d. c. Cùm virum, ſupra eod.*

Ultimò nota ibi, *Bona paterna, quæ ipſi ex ſucceſſione proveniunt*, ex eo, quòd pater ingrediatur Monaſterium, & 4 ibi profeſſionem emittat, filium non privari ſucceſſione paterna, quia licèt Monaſterium habeatur loco filii, ut *in cap. In præſentia*, & ibi dixi *in* 5. *not. de probat.* non tamen excludit filium legitimum, & naturalem à ſucceſſione, quia vera filiatio prævalet fictæ, ut hìc per Butr. *nu.* 4. Intellige quantum ad legitimam, qua filius privari non poteſt, cùm, 5 ſit jure naturæ debita; ſed reliqua bona Monaſterio remanebunt, quæ illi competunt ex ingreſſu, ut in Auth. *Si qua mulier, C. de Sacroſ. Eccl.* quam Abb. dicit eſſe canonizatam *in c. Si qua mulier* 19. q.3. & in Auth. *Ingreſſi, C. Eadem*, & hìc notant gl. penult. Innoc. *in fin.* Hoſt. *n.*3. Butr. *n.* 5. & reliqui omnes.

Sed non modica eſt difficultas, an legitima debeatur filio 6 ſtatim atque pater in Religione capaci bonorum in communi profeſſionem emittit, an verò expectanda ſit mors naturalis ipſius patris?

Legiſtæ communiter videntur ſentire expectandam eſſe mortem naturalem, ita gloſs. in d. Auth. *Si qua mulier, in ver. Moriatur, C. de ſacroſ. Eccleſ.* cum qua concordant ibi Jacob. Butrigar. *q.*8. Cynus *num.* 5. Bart. *nu.* 22. Salicet. *num. penult. q.*21. Albert. *num.* 7. & 8. & Jaſ. *à n.* 51. & ex Canoniſtis *in d. c. In præſentia de probat.* Butr. *n.* 29. Felin. *num.*66 Pariſ. *n.* 166. Decius *num.* 262. & Bero *nu.* 36. Guilielm. de Benedict *in repetit. c. Raynutius, in ver. Mortuo itaque teſtatore il primo n.*299. *de teſtam.* & nonnulli ex modernis, quorum opinio de jure civili fortè eſt verior per text. in d. Auth. *Si qua mulier*, ponderando illum, ut hìc per Abb. *n.* 5. *verſ. Sed tu adverte.* Nec obſtat iſte tex. quia, ut reſpondent aliqui ex præcitatis Authoribus, hic pater poſt profeſſionem erat naturaliter mortuus; unde nil mirum, ſi legitima erat filio debita, ut *l.1. §. Si impuberi, ff. de collat. bonor.* Id quod colligunt ex hac litera, ibi, *Quæ ipſi ex* 7 *ſuc-*

ſucceſſione proveniunt: nam verſ. *ſucceſſio*, propriè adaptatur ad defunctum, cùm viventis nulla ſit ſucceſſio, ſeu hæreditas, *l. Qui ſuperſtitis, ff. de acq. hæred.* ſecundum Abb. *hìc n.6. verſ. In contrarium*. Quinimò Felin. *in d.c. In præſentia n.56. de probat.* atteſtatur ſe vidiſſe integram, & ex illa apparere patrem fuiſſe mortuum.

Sed his non obſtantibus Canoniſtæ communiter tenent legitimam filio deberi illicò poſt profeſſionem patris per iſtum text. qui cavillari non poteſt: nam qui dicunt patrem hìc fuiſſe mortuum, utique divinat, cùm ex littera hoc nullatenùs deprehendatur, & correct. *ſing.162. n.3.* affirmat ſe integram hanc Decretalem vidiſſe, legiſſe, ac religiſſe,
8 & nihil in ea inveniſſe, ex quo appareat patrem fuiſſe mortuum. Quin potiùs colligitur oppoſitum; tum quia in principio recitatur nomen patris, ibi, *Cùm B. Miles ſe cum filio ſuo, &c.* non dicitur, *quondam*; & tamen hæc dictio ſolet communiter apponi, quando fit mentio de mortuo, ut advertit Abb. *hìc n.6. ver. Sed pro primo intellectu*, & conſtat *ex c. Cùm contra*, ibi, *Quondam pater tuus, ſupra de pign. & c. Ex parte B. quondam Angliæ Reginæ de for. comp. cum ſimil.* ut ibi per Felin. *n.2.* & Alex. *conſ.14. Viſis, & conſideratis n.15. lib. 6.* Tum quia integra ab Ant. Aug. *collect.2. Decret. lib.3. tit.18. c.5.* refertur in hæc verba, (Sanè nuper auribus noſtris eſt relatum, quòd cum C. miles lepræ morbo, Domino permittente, reſperſus ſe cum filio ſuo diſcretionis annos nullatenùs agente ad quoddam Monaſterium cum bonis etiam ſuis, quæ à Monaſterio ipſo tenuerat, contuliſſet, dictum filium habitum fecit ſuſcipere Monachalem; cùmque ipſi puero diſciplina monaſtica propter aſperitatem Regulæ diſpliceret, infra decem hebdomadarum ſpatium à Monaſterio, & habitu taliter ſucepto reſiliens, bona patris ab Abbatia illa cœpit cum inſtantia poſtulare.) Hæc ibi. Pondera ab ingreſſu patris uſque ad petitionem legitimæ non interceſſiſſe niſi decem hebdomadas, & cùm pater non laboraret febri, ſed tantùm eſſet lepra reſperſus, ſatis credibile eſt eum adhuc fuiſſe ſuperſtitem, quando filius legitimam poſtulavit, arg. *c. De rectoribus, de Cler. ægrot. & c.1. & 2. de conjugio lepros.* aut certè ſi pater obiiſſet, text. de illius obitu mentionem
9 feciſſet, ut moris eſt. Nec refragantur illa verba: *Quæ ipſi ex ſucceſſione proveniunt*, quia benè adaptantur ad Monachum naturaliter viventem, cùm juris fictione dicatur mortuus, *l. Deo nobis, C. de Epiſc. & Cler.* Quare hanc partem tuentur hìc gl. penult. Innoc. *in fi.* Hoſt. *n.3.* Butr. *n.5.* Card. *n.1.* Anch. *in fin.* & Jo. de Anan. *n.3. & in d. cap. In præſentia de probat.* Abb. Sicul. *n. 59.* Barbat. *num. 124.* & Mant. *n 72.* Silv. *in verb. Hæreditas 1. q 7. n.10. in 6 dicto, & in ver. Religio 6. q. 1. in 2. dicto*, Navarr. *comment.2. de Regul. n.48 & 54* Covar. *in c.1. n.7. de teſtam.* & ſic tranſeunt communiter DD. noſtri, ut inquit Abb. hìc *n.4* Et quamvis ipſe *n.6. circa fin.* dicat contrarium verius videri de ſubtilitate juris; tamen fatetur ſatis æquum eſſe hanc tenere in favorem filii, ne cogatur poſtulare alimenta à Monaſterio. Similiter Bald. in d. Auth. *Si qua mulier n.38.* (Nota inquit, quòd filii in Auth. noſtra quo ad petendam legitimam expectant mortem naturalem patris. Et illud eſt verum de jure civili, ſed de æquitate Canonica videtur ſecus; unde potuerunt intentare conditionem ex Canone pro iſta legitima ſtatim facta profeſſione per patrem, ut ex-
10 tra *de Regul. c. Cùm ſimus*, qui text. non eſt alibi.) Hæc Bald. quem ſequitur Card. hìc *n.2.* Adde quòd verum non eſt prędictam Auth. *Si qua mulier*, in qua fundatur opinio Legiſtarum, fuiſſe canonizatam *in d.c. Si qua mulier 19. q.3.* quoniam non eſt à Papa inſerta Canoni, ſed tantùm redacta à Grat. in volumen Decreti, & per hoc canonizata non in-
11 telligitur: ut dixi *in c. Canonum ſtatuta n.39. ſupra de Conſtit.* Et hoc teneas, quia etſi legitima non debeatur filio niſi poſt mortem patris, *l. fin. ff. de liber. agnoſc. & d. l.1. §. Si impub. ri, ff. de collat. bonor.* tamen pater dicitur mortuus etiam per Monachatum, ut *c Placuit 17. q. 1. & d. l Deo*
12 *nobis, C. de Epiſc. & Cler. Facit l. fin. C. de ſent. paſſ.* Unde in ſimili ſicut per mortem naturalem ſolvitur patria poteſtas, ita & per mortem civilem, quæ per ingreſſum contingit, ut hìc per Anch. *n.2.* Et fideicommiſſum conditionale ſimiliter purificatur per ingreſſum religionis, ſicut per mortem naturalem, ut plenè notatur *in c. In præſentia de probat.* & vide bonam gl. *in d. c. Placuit, in ver. Mortuus 16. q 1.*
13 Sed hic quæritur, utrum annuendum ſit ſupplicationi puellæ Monaſterium ingredi volentis, ut fideicommiſſum non purificetur per illius profeſſionem, ſed prorogetur uſque ad diem mortis naturalis.

Gratia in ſupplicatione petita videtur juſta, & concedenda, cùm hactenùs nemini ſit jus quæſitum in bonis de quibus agitur, & nedum non fiat præjudicium conſiderabile vocatis per fideicommiſſum, ſed potiùs fiat melior eorum conditio, ut ex deducendis mox apparebit.

In præſentia verò non eſt opus aggredi diſputationem il- 14
lam arduam, & in primis difficilem, an filia, cui legata fuit dos major, & opulentior, ſi nupſerit, minor verò, ſi Monaſterium ingreſſa fuerit, poſſit profitendo majorem dotem ſibi propter carnales nuptias relictam conſequi, non obſtante contraria patris diſpoſitione. Quandoquidem petitur tantùm dilatio purificationis fideicommiſſi, non autem derogatio, & annullatio illius, inter quos caſus magna eſt differentia, cùm Principis authoritas maxima, & exuberans ſit in gratiis dilatoriis, reſtrictior verò, & anguſtior
in peremptoriis, & deciſoriis, ad id text. *in l. Quoties, C. de* 15
precib. Imper. offeren. & notant *in c. Quæ in Eccleſiarum de conſtit.* Innoc. *n.3. poſt med. verſ. Si verò non auferatur jus*, Compoſt. *n.6. eod. verſ.* Hoſt. *n.4. ver. Ubi verò reſcriptum*, Jo. Andr. *n.22.* Abb. *n. 12.* & Felin. *n.47.*

Prætereà quæſtio illa adeò à multis ventilata fuit, ut dif- 16
ficile ſit diſcernere, quænam ſit magis communis opinio, quamvis affirmativam eſse magis receptam cenſuerit Rol. à Valle *conſ.35. lib.3.* qui alios citat; contrariam verò amplexus videatur ut veriorem Covar. *var. lib.1. c.19. num.9.* Quòd ſi rationes ſint expendendæ, magis quidem vigere videntur pro parte negativa, quibus ſatisfacere non videtur Rolan. licèt multùm inſudaverit in reſponſionibus per eum allatis. Sed & huic ſuæ ſententiæ videtur conſuetudo repugnare, ad quam plerique DD. recurrunt, quæ tamen probanda eſset; ideòq; ad evitandas tot difficultates, hęc diſcuſſio conſultò omittitur, præſertim cùm Rota videatur aliquando ſequuta opinionem affirmativam, ut per Mohed. *dec.235. aliàs 3. de teſt.* Et nihilominùs opinor gratiam petitam adhuc videri concedendam ex infraſcriptis.

Et primò, quia cùm jam per ſubſtitutionem factam fratri ſine liberis decedenti fuerit quæſita primorata hæreditas huic puellæ, & hodie magis de ejus amiſſione, quam acquiſitione quæratur, & ſit indubitatum, ſi ei denegetur retentio, eam retractum iri à pio illo affectu ingrediendi religionem: certè ſuccurendum eſt ei, & adjuvanda ejus pia intentio, ne retrahatur ab ea vita, quæ longè præſtantior eſt carnali matrimonio. Tanti enim fecerunt DD. prædictam quæſtionem tractantes hanc rationem, ut hac potiſſimùm moti fuerint illi, qui affirmativam partem defendunt: cui ſatisfacere volentes, qui contrariam aſserunt, reſpondent non eſse veriſimile, ut qui divino afflatus ſpiritu vult in aliqua religione profiteri, retinere velit bona temporalia, & eorum contemplatione à tam laudabili propoſito pati ſeſe avocari, cùm bonorum temporalium poſseſſio interdicatur his, qui profitentur. Verùm hæc reſponſio non ſatisfacit in ſpecie, de qua agitur, in qua extra controverſiam eſt puellam hanc nolle profiteri, niſi impetrata à Sanctiſſimo D. N. venia retinendæ portiones ad ſe ſpectantis, & in eo Monaſterio profeſſionem eſt emiſsura, in quo licet bona temporalia retinere.

Secundò videtur hæc gratia concedenda, cùm non contineat fideicommiſſi totalem derogationem, ſed protelationem tantùm, ſcilicet ut demùm cùm diem ſuum extremum clauſerit, bona revertantur ad ſubſtitutos; non autem à die emiſsæ profeſſionis. Nam ut dictum eſt in hujuſmodi dilationibus concedendis exuberans eſt Principis authoritas, non ſolùm contra teſtatorum diſpoſitiones, ſed etiam contra expreſsas contrahentium conventiones, ut fuit reſolutum à Rota in cauſa Tiburtina Caſtri Vivarii, In qua fuerant à Papa contra expreſsum pactum contrahentium conceſsæ plures dilationes ad relevandum caſtrum venditum cum pacto de retrovendendo intra certum tempus, & tamen jam fuerat jus quæſitum parti ob lapſum temporis præſtituti ad retrahendum; in ſpecie verò noſtra nullum adhuc jus competit fideicommiſsariis.

Atque hinc inſurgit tertia, & ultima ratio; nam cùm jus 17
hoc ſit conditionale ſub incerto eventu mortis ſine liberis; & ideò ſit valdè debile, & in ſpe tantùm conſiſtens, ut fuit reſolutum in cauſa Bononien. de Bologninis 10. Decembr. 1568. nullum ſit præjudicium conſiderabile ſubſtitutis ex dilatio-

dilatione hujuſmodi, cùm ea non conceſſa, hæc puella non ſit profeſſura; & ita nihil certi juris quæſitum fideicommiſſariis reſpectu acquiſitionis hujus portionis. Et hac ratione tunc in dicta cauſa cenſuit Rota non fuiſse neceſſarium in legitimatione cujuſdam maſculi facere mentionem fœminarum ad ſucceſſionem poſt maſculos vocatarum. Unum
18 tamen eſt animadvertendum, ex hac dilatione poſse reſultare præjudicium vocatorum, ſi ante obitum puellæ aliqua ſororum decederet cum filiis, ſuperſtitibus aliis ſororibus, propter impedimentum tranſmiſſionis. Sed huic incommodo obviam iri poteſt, ſi in ſupplicatione addatur, ut in eventu, quo Monaſterium jure communi non veniat præferendum purificato fideicommiſſi quantum ad effectum tranſmiſſionis cenſeatur facta à die emiſsæ profeſſionis.

DE REGULARIBUS.

Innocentius III. Piſano Archiepiſcopo.

CAPUT XVI.

AD Apoſtolicam ſedem: & infrà. Cùm Monachum fieri ante unius anni probationem regularis inſtitutio interdicat: & infrà. Quæſtionibus tuis taliter reſpondemus, quòd licèt tempus probationis à SS. PP. ſit indultum, non ſolùm in favorem converſi, ſed etiam Monaſterii: ut & ille aſperitates iſtius, iſtud & mores illius valet experiri: (quod utrumque diligenter eſt obſervandum, præſertim cùm ab utroque de reliquo facta certa notitia non habetur) ſi tamen ante tempus probationis regulariter præfinitum, is qui converti deſiderat, habitum recipit, & profeſſionem emittit, Abbate per ſe vel per alium profeſſionem recipiente Monaſticam, & Monachalem habitum concedente: uterque renuntiare videtur ei, quod pro ſe noſcitur introductum: Ideòque obligatur per profeſſionem emiſſam pariter & acceptam, ad obſervantiam regularem, & verè Monachus eſt cenſendus: quia multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem. Prohibendum eſt autem Abbatibus, ne paſſim ante tempus probationis, quoslibet ad profeſſionem recipiant: & ſi contra formam præſcriptam quoslibet indiſcretè receperint, animadverſione ſunt debita corrigendi: cùm in ſubſidium fragilitatis humanæ, ſpatium probationis ſit regulariter inſtitutum.

S U M M A R I U M.

1 *PRrofeſſio nec fieri, nec recipi debet infra tempus probationis; ſed facta, & recepta tenet.*
Et quid poſt jura Sexti, & Concilii Tridentini num. 23.
2 *Novitiatus, ſeu probationis tempus quandiù duret ex veterum Canonum diſpoſitione, variæ referuntur ſententiæ, & n. ſeqq. uſq. ad n. 13.*
3 *Magiſtri, qui jura, cum ſalvari poſſunt, ſine cauſa corrigunt, terminorum ſunt traſgreſſores.*
4 *Probationis tempus ex generali conſuetudine omnium ferè ordinum ultra annum non extenditur.*
5 *Conſuetùdo poteſt legem interpretari, & tollere.*
6 *Novitii ex regula S. Benedicti probantur per duodecim menſes.*
7 *Novitii poſt Conc. Trid. expleto anno probationis aut ad profeſſionem ſunt adimittendi, aut è Monaſterio ejiciendi.*
8 *Probationis tempus à Superioribus regularibus ultra annum prorogari non poteſt.*
9 *Declaratur n. 11. verſ. Fateor tamen. Prorogatur a Sede Apoſtolica novitiæ morbo correptæ, etiam ultra ſex menſes à finito anno, donec duret ſpes recuperandæ valetudinis.*
Item novitiæ, quæ verebatur, ne emiſſa profeſſione bona ſua apud mercatores exiſtentia recuperare non poſſet, num. 11.
10 *Trid. Conc. c. 16. verſ. Finito ſeſſ. 25. de Regul. comprehendit etiam Moniales.*
11 *Novitius adverſus tacitam profeſſionem poteſt ſibi cavère per proteſtationem præcedentem.*
12 *Novitii non ſunt ad habitum recipiendi niſi facta diligenti perquiſitione de illorum natalibus, moribus, & vita anteacta.*
13 *Novitius ob defectum ætatis, vel aliàs ad profitendum inhabilis, elapſo anno ejici non debet à Monaſterio, ſed expectari poteſt, quouſque ſit habilis ad profitendum, & num. ſeqq.*
14 *Ætas nulla in maſculis eſt præfinita à Conc. Trid. ad ſuſcipiendum habitum novitiatus.*
Et quid in mulieribus remiſſivè, ibid.
15 *Novitii in religione Societatis Jeſu probantur biennio.*
16 *Abbas ſolus non poteſt quemquam recipere ad habitum, & profeſſionem, ſed cum majori parte Conventus.*
17 *Novitii qui habitum religionis Sancti Baſilii de manu Commendatarii non expreſsè profeſſi ſuſceperunt, & per aliquot annos geſtarunt, cenſentur tacitè profeſſi.*
Epiſcopus Eccleſiæ regularis poteſt Monachos ad profeſſionem recipere, ibid. verſ. Rurſus.
18 *Abbas poteſt Monachi receptionem demandare alteri etiam laico.*
19 *Profeſſio ſatis eſt, ut recipiatur Superiore mandante, vel poſtea ratificante.*
20 *Multa fieri prohibentur, quæ facta tenent.*
21 *Renuntiari non poteſt beneficio in favorem duorum indulto, niſi de conſenſu utriuſque.*
22 *Renuntiari poteſt iuri etiam in favorem plurium introducto, quatenùs tangit perſonam renuntiantis.*
23 *Anno probationis hodie nec tacitè, nec expreſsè poteſt renuntiari, & in hoc corrigitur hoc capitulum, & num. ſeqq.*
24 *Decretum irritans inducit formam.*
25 *Formæ an poſſit renunciari, quatenùs concernit privatam utilitatem ipſius renunciantis.*
26 *Annus probationis reſtringi non poteſt à Superioribus regularibus, etiamſi per ingreſſum fiat alteri grave præjudicium.*
27 *Diſpenſatur cum muliere, cujus vir ſacros ordines ſuſcepit, ut ſtatim profiteri poſſit, cùm in habitu laicali quindecim menſes in Monaſterio ſteterit.*
28 *Vir, cujus uxor duodecim annis major Monaſterium ingreſſa habitum regularem ſuſcepit, expectare debet donec annus probationis labatur, & profeſſio ſit emiſſa.*
29 *Convertitæ ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ alicui religioni addictæ ſolemniter pœnitent.*
30 *Et poſſunt profeſſionem emittere juxta diſpoſitionem juris communis, earumque conſtitutiones.*
31 *Tenentur tamen ad clauſuram formalem, & emiſſionem trium votorum, nec in earum Monaſteriis reponi poſſunt Moniales aliorum Monaſteriorum correctionis cauſa.*

32 *No-*

32 *Novitiæ Ordinis S. Dominici in articulo mortis profiteri poſſunt ante annum probationis ad effectum lucrandi indulgentiam, & gratias ſpirituales, ex indulto S. Pii V.*

33 *Et quid poſt Bullam Greg. XIII. In tanta.*

34 *Regulares de licentia Sedis Apoſtolicæ ad laxiorem religionem ejuſdem ordinis tranſeuntes, an per alium annum in probatione ſtare, atque iterùm profiteri teneantur, & n. ſeq. uſque in fin.*

35 *Regularis duobus modis transferri poteſt ab uno ad aliud Monaſterium.*

36 *Monachus translatus ad Prælationem alterius Monaſterii, an teneatur iterùm profiteri.*

37 *Fratres minores tranſeuntes ad Ordinem Canonicorum Regularium anno probationis renuntiare non poſſunt, & n. 64.*

38 *Carthuſia eſt ſtrictiſſima omnium Religionum.*

39 *Carthuſiani petita, & non obtenta à ſuis Superioribus licentia recipi poſſunt ab Eremitis Camaldulenſibus.*

40 *Minimorum, & Capuccinorum religiones aliquibus reſpectibus ſunt ſtrictiores Carthuſiana.*

41 *Annus probationis ad quid inſtitutus, & num. 58. & ſeq.*

42 *Profeſſus in una religione cenſetur profeſſus in omnibus quoad ſubſtantialia regulæ.*

43 *Novitius, qui poſt annum probationis exiit è Monaſterio, inde ad triennium reverſus poteſt ſtatim profiteri, niſi religionis aut perſonæ conditio ſit immutata, & num. 63.*

44 *Approbatus ad aliquod officium non poteſt in ſimili officio reprobari requirente eamdem perſonæ idoneitatem.*

45 *Tranſiens ab uno ad aliud Monaſterium non eget nova probatione.*

46 *Novitiatus non exigitur, ubi profeſſio non eſt neceſſaria, & n. 67.*

47 *Regulares translati de ſtrictiori ad laxiorem ejuſdem Ordinis ex conſuetudine illicò admittuntur ad officia, & dignitates ſecundæ religionis, & n. 65.*

48 *Religioſorum ſpecies diſcernuntur ex diverſitate profeſſionis, & habitus.*

49 *Religio ſtrictior non dicitur conſiderata primæva regula, ſed habito reſpectu ad præſentem obſervantiam, & conſtitutiones ultra regulam factas, & n. ſeqq.*

50 *Tranſitus à Fratribus Capucinis ad Minores de Obſervantia non datur.*

51 *Nec à Calceatis ad Diſcalceatos ejuſdem Ordinis.*

52 *Profeſſio emiſſa ante annum probationis expletum ex Concil. Trid. eſt nulla, nullamque inducit obligationem.*

53 *Verba univerſalia, & geminata, quam habent vim.*

54 *Regularium translatio Canonicè fieri debet.*

55 *Tranſiens ad laxiorem religionem ejuſdem Ordinis poteſt quandocumque ad primam redire, niſi ſecunda fuerit tacitè, vel expreſsè profeſſus, & num. ſeq.*

56 *Translatus ab uno ad aliud Monaſterium ejuſdem religionis poteſt per Abbatem ad libitum revocari ad primum.*

57 *Religioſis non licet temerè converſare ab uno ad aliud Monaſterium.*

59 *Regulares Prælati quanta cum cautela debeant novitios ad profeſſionem recipere.*

60 *Regulares quàm pernicioſè à religione deficiant.*

61 *Regulares quo prætextu ſe excuſent à proprietate.*

62 *Tranſitus ad laxiorem religionem cauſa præcipua eſt infirmitas, ac debilitas complexionis.*

64 *Translatus ad laxiorem religionem poſt Concil. Trid. anno probationis renuntiare non poteſt.*

66 *Fratres Minores ad Conventuales ejuſdem Ordinis tranſeuntes ſunt incapaces ſucceſſionis ex Bulla Alexandri VI.*

1 AD *Apoſtolicam*. Profeſſio fieri, & recipi poteſt ante probationis annum. Hoc dicit, ſecundùm Jo. Andr. Butr. & Anchar. Sed comprehendendo utrumque reſponſum, hoc intendit, ſecundùm Card. Abb. & Jo. de Anan. Profeſſio nec fieri, nec recipi debet infrà tempus probationis; ſed facta, & recepta tenet. Dividitur in duas partes. In prima ponitur duplex conſultatio deciſa. In ſecunda reſponſio, ibi, *Quæſtionibus*. Et hæc ſubdividitur: nam primò reſpondet ad primam: ſecundò ad ſecundam, ibi, *Prohibendum*, & eſt pars *c. Ad Apoſtolicam, inf. de converſ. conjugat.*

2 Nota primò ibi, *Unius anni*, Regulari inſtitutione interdictum eſſe Monachum fieri ante unius anni probationem, ut hìc, *& cap. Gonſaldus*, ibi (Canonica inſtitutio interdicit Monachum ante unius anni probationem effici,) 17. *q.* 2. & pondera illud verbum, *Regulariter*, hìc poſitum paulò infra, quod indicat hoc non eſſe perpetuum: nam quandoque ſtatuitur biennium, ut *in cap. Si quis incognitus, eadem cauſ. & quæſt.* quandoque verò triennium, ut *in cap. Monaſteriis*, 19. *q.* 3. Unde factum eſt, ut in hac Canonum varietate circa probationis tempus quatuor emerſerint opiniones.

Prima opinio eſt eorum, qui dixerunt idcircò diverſa tempora fuiſſe ſtatuta, ut oſtendatur tempus probationis eſſe arbitrarium, arg. *c. De cauſis, ſupra de offic. de leg.* ac proinde arctari, & prorogari poſſe, quinimò & prorſus tolli: nam ſtatim quis poteſt recipi, & renuntiare beneficio hujus probationis, ut hìc patet; *& in c. Statuimus, inf. eod.* & hanc opinionem recenſet primo loco gl. Jo. *in d. c. Gonſaldus, in verb. Unius anni*, & eam ſequitur gl. 1. hìc, & Abb. *in ult. not. n. 8. verſ. Mihi autem.*

Secunda opinio eſt gl. prælleg. *in d. c. Gonſaldus*, quæ diſtinguit, an is, qui converti deſiderat, ſit Clericus notus; & tunc probetur per annum, juxt. text. *in d. c. Gonſaldus*: an verò ſit Clericus ignotus, ſive laicus notus; & probetur biennio, ut *in d. c. Monaſteriis*: vel demum ſit laicus ignotus; & probandus ſit per triennium, ut *in d. c. Si quis incognitus.* Si tamen Clericus notus per annum ſtatim converti voluerit, adimittatur, ut in hoc cap.

Tertia opinio fuit Hug. hìc relati ab Hoſt. *n.* 1. & à Joan. Andr. *n. 6.* qui ſic diſtinxit, videlicet, ſi vita, & conditio ejus qui vult converti, ſit nota, probabitur per annum, & ſic loquitur *d. c. Gonſaldus*. Si conditio ſit nota, ſed vita ignota; probabitur biennio, & ſic loquitur *d. c. Monaſteriis*. Si verò utrumque ignotum ſit, id eſt tam conditio, quàm vita, tunc triennium erit expectandum, & ſic loquitur *d. c. Si quis incognitus, c. Legem* 53. *& c. Multos* 54. *diſt.*

Quarta denique opinio eſt aliorum, quos tacito nomine hìc recenſet Hoſt. *eod. n.* . qui exiſtimarunt veterum Canonum diverſitatem fuiſſe correctam per jura poſteriora, quæ reſtringunt ſe ad annum, ut hìc, *& in c. Statuimus*, *infr. eod.* cum ſuis concord.

3 Verùm hęc ultima opinio non placet Hoſt. quia cùm eadem diverſitas non reperiatur expreſsè revocata, & ſit rationabilis, remanet in ſuis terminis, ut in Auth. *de non alien. reb. Eccl. §. fin. col.* 2. Quod enim non mutatur, quare ſtare prohibetur? *l. Sancimus, C. de teſtam. & l. Præcipimus, in fin. C. de appell.* & Magiſtri, qui jura, cum ſalvari poſſunt, ſine cauſa corrigunt, terminorum ſunt tranſgreſſores, contra id, quod legitur *in c. 1. in fin. de ſepult.* Nec ſecundùm eum obſtant jura moderna, quia etſi indiſtinctè loquantur; tamen poſsunt, & debent diſtingui per jura antiqua ſic diſtinguentia, ut *l. Non eſt novum, & l. ſeq. ff. de legib.*

4 In hac opinionum diſsonantia tu dic, ex generali conſuetudine omnium ferè ordinum regularium receptum eſse, ut probationis tempus ultra annum non extendatur; & idemmet Hoſt. hìc *n.* 2. & Jo Andr. *n. 6. ad fin.* fatentur de conſuetudine omnes ſequi contrariam opinionem; ac proinde in judiciis nō eſse ab ea recedendum, arg. *l. Minimè, ff. de leg.*

5 Hæc igitur conſuetudo, quidquid diſtinxerint jura antiqua, indiſtinctè ſervanda eſt; quia conſuetudo poſt legem interpretari, & tollere, §. *Leges*, 4 *diſt. c. Certificari de ſepult.* Butr. hìc *n.* 5. Præſertim verò, quia conciliationes, & diſtinctiones DD. circa probationis tempus non carent difficultate; nam text. noſter, qui præſcribit terminum unius anni, tantùm abeſt, ut ſe reſtringat ad Clericos notos, ut potiùs expreſsè loquatur etiam de ignotis, ut patet ex illis verbis, *De reliquo certa notitia non habetur*, & text. *in d. c. Gonſaldus* 17. *q.* 2. in præfinitione temporis annalis refert ſe ad regulam B. Benedicti, quæ abſque ulla diſtinctione Clericorum, vel laicorum jubet probari novitios per duodecim menſes, quibus elapſis, ſuſcipiantur in Congregatione, nec liceat eis ex illa die egredi de Monaſterio, ut Rubrica de diſciplina ſuſcipiendorum Fratrum *cap.* 58. Quibus hodie

7 die accedit jus noviſſimum Conc. Trid. quod in *c.15. ſeſſ.*
25. de regul. non per verba indefinita, ſed univarſalia præ-
fixit probationis terminum unius anni in quacumque reli-
gione, *& in c.16.* immediatè ſequenti præcipit, ut finito
tempore Novitiatus, Superiores quos habiles invenerint
ad profitendum admittant, aut è Monaſterio eos ejiciant.
8 Ex quibus verbis apparet tempus probationis à Superiori-
bus regularibus ultra annum prorogari non poſſe, cùm in-
feriores à Papa diſpenſare nequeant contra generale Con-
cilium, Extravag. *Sancta Romana*, §. *Quidam autem*, &
ibi gloſſ. *in ver. Concilii, de relig. dom.* & probavi latiſſimè
9 *in c. Nimis*, *à num.2. ſupra de fil. Presbyt.* Unde mos fuit
legitima ſubſiſtente caſu hujuſmodi prorogationes obtine-
ri à Sede Apoſtolica, & in ſpecie cùm virgo Monaſterium
ingreſſa, adverſa valetudine correpta, dubitaret ne poſt
annum probationis, cujus finis inſtabat, profeſſione non
emiſſa è Monaſterio ejiceretur, juxta *c.16. ſeſſ. 25. de regu-
lar. verſ. Finito tempore*, profeſſionem autẽ emmittere non
poſſet nolentibus Monialibus, quæ verebantur, ne ob mor-
bum inutilis eſſet Monaſterio: adiit pro remedio S. Congr.
Concilii; quæ cenſuit agendum cum Sanctiſſimo, ut con-
10 cedatur prorogatio ultra menſes ſex à finito anno, donec
duret ſpes recuperandæ ſanitatis: Sanctiſſimus annuit, ut
concedatur iſta prorogratio. Et amplius putavit *c.16. ſeſſ.
25. de regul. verſ. Finito*, non comprehendere Moniales,
ſed tantùm viros, qua tamen in re dixit ampliùs à S. Con-
gregatione deliberandum. Sacra Congregatio deliberavit
d. c.16. etiam Moniales comprehendere: quia *c.15.* præ-
cedens loquitur tamen de Monialibus, quàm de viris, &
11 ſubeſt eadem ratio. Rurſus cum Olympia Spinula Mona-
ſterium ingreſſa dubitaret, ne emiſſa profeſſione bona ſua
apud mercatores exiſtentia recuperare non poſſet, & tem-
pus profeſſionis emittendæ inſtaret, petiit à S. Congregat.
ut ſibi liceret manere in Monaſterio ultra tempus novitia-
tus, nec tamen propterea intelligeretur tacitè profiteri:
S. Congregatio cenſuit quoad tacitam profeſſionem poſſe
Olympiam ſibi cavere per proteſtationem; ut poſſit autem
ultra tempus novitiatus manere in Monaſterio, & non
profiteri, opus eſt, ut Sanctiſſimus det dilationem. San-
ctitas ſua indulſit ſex menſes ultra annum novitiatus, ut
manere poſſet in Monaſterio abſque profeſſione. Fateor
tamen non videri prohibitum Superioribus, quin poſſint
profeſſionem prorogare ex aliqua juſta cauſa ad breve tem-
pus, & ita intelligi poteſt alia declaratio, qua dictum eſt
tempus probationis eſſe arbitrarium, & ultra annum pro-
rogari poſſe; alioquin nimis durum eſſet, ut novitius revo-
luto anno probationis confeſtim, & nulla interjecta mora
expellendus eſſet à Monaſterio, ſi protinùs ob legitimum
aliquod impedimentum profiteri non poſſet, aut pro quali-
bet brevi dilatione impetranda recurrendum eſſet ad Se-
dem Apoſtolicam, præſertim ex longinquis partibus, arg.
cap. un. §. fin. Ne ſed. vacan. lib. 6. l. Si longus, *§. fin. ff.
de jud.* Ad quod vide, quæ ſcripſi *in d. c. Nimis à n. 25. uſque
ad n.30. ſupra de fil. Presbyt.* Verba igitur *d. c.16. verſ. Fini-
to tempore*, videntur cum aliqua moderata latitudine, &
civiliter accipienda, ex not. per gl. *in l. Anniculus, in ver. Ci-
viliter, ff. de verbor. ſignif.* Et ex his ſublata remanet prima
opinio Jo. gloſſatoris, & Abb. quòd tempus probationis
12 abſolutè ſit arbitrarium. Ceſſant itidem ſecunda, & tertia
opinio diſtinguentium inter Clericos, & laicos notos, &
ignotos, quia noviſſimè ex Conſtit. Sixti V. *Cùm de omni-
bus in Bull. tom.2. pag.601.* & ex decretis Clem. VIII. *ſuper
receptione, & educatione novitiorum*, ſtatutum eſt, ut quod
attinet ad novitiorum recipiendorum formam, diligens
perquiſitio habeatur de uniuſcujuſque natalibus, & vita an-
teacta. Atque ita hodie diſtinguendum non eſt inter notos,
& ignotos; vel quorum conditio, aut vita eſt nota, vel
ignota: quia nullus, cujus conditio, aut vita ignoratur,
recipi poteſt nedum ad profeſſionem, ſed nec ad habitum
novitiatus. Tene igitur tempus probationis regulariter ul-
tra annum non extendi.
13 Fallit primò hæc regula in novitio ad profitendum in-
habili ob defectum ætatis; nempè quia non exceſſit annum
decimum ſextum à Concilio Tridentino præfixum *in c.15.
ſeſſ. 25. de regul.* Lex enim quantumcumque generalis ſem-
per reſtringitur ad perſonas habiles, *c. Unico, de ætat. &
qual. lib. 6. & c. 1. de fil. Presbyt. eod. lib.* notat Decius *in
c. Cùm omnes in 2. lect. n.2. ſupra de Conſtit.* & Jaſon. *in l.2.
§. Prætor nu. 3. ff. qui ſatiſdar. cogant.* Unde cùm novitius
quidam eſſet proximus profeſſioni, necdum ageret deci-
mum tertium annum, dubitavit ſuperior, an poſſet permit-
tere, ut in novitiatu maneret uſque ad tempus profeſſionis,
vel potiùs eum ejicere deberet: Sacra Congregatio cenſuit
ſic poſſe; quia Conc. *d. c.16. verſ. Finito*, loquitur de ha-
bilibus ad emittendam profeſſionem; ſed hic non eſt habi-
lis, cùm ætatem non habeat. Præterea S. Congr. inclina- 14
vit in hanc ſententiam, ut in maſculis non ſit præfinitum
tempus à Concilio ad ſuſcipiendum habitum: quid autem
in mulieribus, dixi *in c. Cùm virum ſup. eod.* Idem reſpon-
ſum in quibuſdam inhabilibus, qui non adhuc ſciebant le-
gere, nec officium ordinare, prout Religionis inſtituta po-
ſcebant.
Deinde fallit eadem regula in religione Societatis Jeſu, in 15
qua novitii probantur biennio: hoc enim inſtitutum ne-
quaquam ſuſtulit; imò expreſsè præſervavit Tridentina Sy-
nodus *in d. c.16. ſeſſ.25. de regul.* nam poſteàquam juſſit no-
vitios expleto anno probationis ad profeſſionem admitti,
aut è Monaſterio expelli, immediatè ſubjunxit: Per hæc
tamen S. Synodus non intendit aliquid innovare, aut pro-
hibere, quin religio Clericorum Societatis Jeſu, juxta pium
eorum inſtitutum à S. Sede Apoſtolica approbatum, Do-
mino, & ejus Eccleſiæ inſervire poſſit.
Secundò, nota ad Abbatem pertinere Monachum reci- 16
pere ad habitum, & profeſſionem, ut patet ex litera ibi,
*Abbate profeſſionem recipiente Monaſticam, & Monacha-
lem habitum concedente*, concordat text. *in c. Porrectum*,
ſupra eod. ibi, *Ex quo à convertendo votum emittitur, &
recipitur ab Abbate.* Non tamen intelligas hoc jus ſpectare
ad Abbatem ſolùm, ſed ad Abbatem, & conventum ſimul,
circumſcripta conſuetudine, vel privilegio, *c. fin.* & ibi
notat gloſſ. *in ver. Pertineat*, poſt Jo. Monach. & Archid.
inf. eod. lib.6. gloſſ. fin. & DD. *in d. c. Porrectum*, Lapus *al-
leg.31. incipien. Prima concluſio num.1.* & ad hoc requiritur
major pars conventus, *cap.1. cum ibi notat. infr. de hi quæ
fiunt à major. part. Cap.* Lapus *ubi ſupra nu.3* Navarr. *in c.3.
nu.5. de Regul. & conſ.9. num.12. de Conſtit.* & Menochius
de præſumpt. lib.6. præſumpt.83. nu.9. & ſeqq. Sed Jo. Andr.
hic n.2. in ver. Uterque poſuit unam apoſtillam, dicens Ab-
batem debere hoc facere conſultis fratribus, & cum hoc
apoſtilla tranſeunt hic communiter DD. ut teſtatur Abbas
n.11. verſ. Sed ultra gloſſ. quæro, & hanc opinionem, quòd
ſcilicet Monachorum creatio ſpectet ad Abbatem de Capi-
tuli conſilio, pluribus hìc tuetur Abbas *d. n.11. uſque in finem
cap.* ubi amplius ſentit Abbatem non teneri ſequi conſilium
fratrum, ſed ſufficere, ut requirat, & exſpectet reſpon-
ſum, ut *c. Cùm in veteri, ſupr. de elect.* Mihi magis placet
prima opinio: tum quia pro illa eſt textus apertus *in c. ult.
16. qu.7.* ubi poſt Hugonem hoc tenet Archid. & Bellam.
ambo *n.2.* & Turrecrem. *n.1.* tum quia ita eſt in Collegiata
ſæculari, in qua Canonicorum creatio eſt ſimultanea inter
Prælatum, & Capitulum, ſecundum veriorem, & cre-
briorem ſententiam, quam ſervat Curia, ut latiſſimè
oſtendi *in c. Cùm Eccleſia Vulterana, à n.2. ſupra de elect.*
Ergo idem dicendum in Collegiata regulari, cùm nulla af-
ferri poſſit ſufficiens ratio diverſitatis, *c. Cùm inter corpo-
ralia, ſupra de translat. Epiſc.* Nec refragatur apoſtilla Jo.
Andr. tum quia loquitur per verbum, *Fortè*: tum quia ipſe
non agit de ſimplici receptione ad profeſſionem; ſed de re-
ceptione ante annum probationis expletum, quæ fieri non
debet niſi conſultis fratribus, ut per eum. Verumtamen
in hac materia in primis recurrendum eſt ad conſuetudi-
nem, vel privilegium cujuſque Ordinis, ut poſt Speculat.
adnotarunt Archid. Bellamer. & Turrecr. *ubi ſup.* & ſcripſi
pleniùs *in c. Porrectum nu.34. ſup. eod.* Quod autem hìc di- 17
citur de Abbate, ipſo deficiente, videtur obtinere etiam
in Commendatario ex ſententia Sac. Congregationis Con-
cilii. Nam cùm in Religione S. Baſilii approbata in ſui ini-
tio fuerit expreſſa profeſſio trium votorum à tempore cu-
jus initii memoriam non exiſtit, & regulari obſervantia in
ea collabente ejus Monaſteria commendata fuerint, ac de-
ſierit emitti conſueta profeſſio, quia nec erat caput aliquod
religionis: dubitatum fuit, an illi, qui hujuſmodi religio-
nis habitum de manu Commendatarii, vel Prioris non ex-
preſsè profeſſi ſuſceptum per aliquot annos geſtarunt, ta-
citè profeſſi intelligantur regulam S. Baſilii: S. Congregatio
cenſuit intelligi tacitè profeſſos. Rurſus quod hìc dicitur
de Abbate, procedit etiam in Epiſcopo Eccleſiæ re-
gularis; quia eſt Epiſcopus, & Abbas; ideòque ad eum
ſpe-

ſpectat Monachos ad profeſſionem admittere, ut notat Compoſt. *in c. Cùm cauſam n.* 1. *ſup. eod.*

18 Tertiò nota ibi, *Per ſe, vel per alium*, Monachi receptionem à Superiore regulari poſſe alteri demandari, prout hìc notat Hoſt. *n.* 7. & Butr. *nu.* 3. idem Hoſt. in *d. cap. Porrectum n.* 13. *in ver. Et recipitur ſup. eod.* ubi ampliùs
19 cenſet poſt Innoc. *n.* 4. munus demandari poſſe non tantùm Monacho, & Clerico, ſed etiam laico, & ſatis eſſe, ut profeſſio recipiatur ipſo Superiore mandante, vel poſteà ratificante, ut *c. Gonſaldus* 17. *qu.* 2. *& c. Inſinuante, qui Cleric. vel vovent.* cum concordantibus, de quibus ibi per eum.

20 Quartò nota regulam, quòd multa fieri prohibentur, quæ facta tenent; ad quod quotidiè allegatur hæc decretalis, ad idem §. *fin.* 15. *q.* 1. *& c. Quemadmodum*, §. *Quod ſi poſt hujuſmodi ſupra de jurejur.* Sed contraria regula habetur *in c. Imperiale* 25. *q.* 2. *& in l. Non dubium, C. de legib.* ubi patet, geſta contra legis prohibitionem non valere, quamvis lex non procedat ulteriùs ad irritationem actus. Pro conciliatione dic, ut plenè ſcripſi *in cap. Cùm acceſſiſſent, de Conſtit.* poſt Jo. Andr. *hìc num.* 3. *in verb. Obtinent*, & Abb. *num.* 11.

21 Quintò nota, beneficio in favorem duorum indulto non poſſe per alterum renuntiari altero invito: nam quod favore alicujus introductum eſt, in ejus odium retorqueri non debet, *l. Quod favore, C. de leg. & c. Quod ob gratiam de reg. jur. lib.* 6. & in re communi potior eſt conditio prohibentis, *l. Sabinus, ff. com. divid. & l. Per fundum, ff. de ſerv. ruſt. præd.* Sed de communi conſenſu uterque poteſt renuntiare juri ſuo; quia regula eſt, quòd quilibet renuntiare poteſt his, quæ pro ſe introducta ſunt, *c. Statuimus inf. eod. C. Gratum, ſup. de offic. deleg. c. Cum nobis olim, de elect. l. Si judex, ff. de minor.* ita gl. *hic in verb. Monaſterii*, Hoſt. *n.* 4. *in fin. verſ. Sed & ex hoc, & n.* 8. Butr. *n.* 3. & Abb. *n.* 10.

22 Quinimò ſecundùm Goffred. quilibet renuntiare poteſt juri, quod introductum eſt in favorem omnium illorum, de quorum numero eſt, in quantum illud jus tangit perſonam renuntiantis, niſi in jure contrarium exprimatur: & ſic poteſt intelligi text. *in d. l. Si quis in conſcribendo, C. de pact.* & cum eo tranſit hìc Hoſt. *n.* 8. apud quem *n.* 9. reperies etiam decem, & octo fallentias ad regulam prædictæ *l. Si quis in conſcribendo.*

23 Ultimò nota in verſ. *Si tamen*, anno probationis ſecundùm hæc tempora poſſe renuntiari de communi conſenſu nedum expreſsè, ſed & tacitè, videlicet per ſuſceptionem habitus regularis, & profeſſionem emiſſam, & receptam ante tempus probationis expletum, ut hìc eſt caſus, *& in c. Statuimus inf. eod.* Sed hoc corrigitur hodie quoad Fratres Prædicatores, & Minores *in c. Non ſolum, inf. eod. lib.* 6. & quo ad reliquos Mendicantes *in c. ſeq.* & generaliter quo ad omnes religiones à Conc. Trid. *in c.* 15. *ſeſſ.* 25. *de regul.*
24 nam in prædictis juribus, & præcipuè *in d. c.* 15. apponitur decretum irritans profeſſiones anteà factas. Decretum autem irritans inducit formam, cui renuntiari non poteſt, ut notat Bald. *in l.* 1. *n.* 2. *verſ. In contrarium, ff. de liber. & poſth.* & Albert. Brun. *in tract. de forma fol.* 3. *col.* 1. ubi enim eſt data forma, conſenſus partium nihil operatur, gloſ. in *cap. Statutum in princip. in verb. Committatur, de reſcript. libr.* 6. & ita anno probationis renuntiari non poſſe ſæpiùs declaravit S. Congregatio Cardinalium Conc. Trid. interpretum, & latè conſuluit Navarr. *conſ.* 62. incip. *An Franciſcanus, hoc titulo, ubi n.* 5. dicit ita tenendum in conſulendo, & judicando.

25 Hinc redditur valdè dubitabile, quod notat Dec. *in cap. Cum aſſeſſiſſent n.* 22. *ſupra de conſtitut.* ubi pluribus firmat etiam formæ renuntiari poſſe, quando privatam reſpicit utilitatem: quandoquidem tempus probationis inductum eſt tam in favorem novitii, quàm religionis, & propterea ſecundùm hæc tempora illi poterat renuntiari, quia quilibet poteſt renunciare ei, quod pro ſe noſcitur introductum, ut expreſsè hìc dicitur, & *in d. c. Statuimus*; & tamen poſteàquam per decretum irritans profeſſionem tempus probationis eſt factum de forma, illi amplius à novitio, & Monaſterio ex S. Congr. ſententia renuntiari non poteſt: ergo formę non poteſt renuntiari, etiam quatenùs concernit privatam utilitatem ipſius renuntiantis: circa quod tamen vide quod ſcripſi *in d. c. Cùm aſſeſſiſſent, à n.* 22.

26 Hic etiam fit, ut hodie locum non habeat, quòd hìc volunt Hoſt. *n.* 2. *in ver. Interdicat*, & Jo. Andr. *n.* 1. *in eod. verb.* videlicet tempus probationis reſtringi poſſe, ubi per ingreſſum religionis fieret alteri grave præjudicium, ut in *c. Ex publico*, §. 1. & ibi notat idem Hoſt. *in ver. Infra annorum menſium, inf. de converſ. conjug. & in c. Conſulti*, §. 1. ubi etiam Hoſt. *in ver. Propoſuit inf. eod.* Etenim etſi hæc ſit juſta cauſa petendi diſpenſationem à Sede Apoſtolica, tamen ab Ordinariis inferioribus, & Superioribus Religionum poſt Conc. Trid. ampliùs arctari non poteſt.

Ideòque cum Sac. Pœnitentiaria reſpondiſſet Cynthiæ 27
Mutinæ, cujus vir Ordines ſacros ſuſceperat, licere poſt conſummatum matrimonium ingredi religionem, & in ea profiteri, eademque Cynthia agens annos triginta, & octo id quam primùm efficere cuperet; petiit ſecum diſpenſari, ut non obſtante *c.* 15. *ſeſſ.* 25. *de regul.* ſtatim, vel intra annum quandocumque ad profeſſionem admitteretur, cùm in Monaſterio 15. Menſes morata, regulæ aſperitatem experta ſit, & ipſa à Monialibus noſcatur; S. Congr. cenſuit hanc materiam juris poſitivi eſſe, *c. Ad Apoſtolicam, de regul.* ubi intra annum probationis profeſſio fieri non debet, ſed facta tenet; ideò poſſe diſpenſari, & cauſam juſtam hoc caſu ſubeſſe: Sanctiſſimus diſpenſavit.

Amplius, ſuborto dubio, an ſi mulier, quæ duodecim 28
annis major ingreſſa eſt Monaſterium, habitumque ſuſcepit, deinde expleto probationis anno profeſſionem emittere velit; intereà vir expectare debeat, donec annus probationis labatur, & profeſſio ſit emiſſa: S. Congr. cenſuit ita debere.

Fallit primò concluſio ſuperiùs firmata *n.* 23. in mulie- 29
ribus, quæ Pœnitentes, ſeu Convertitæ appellantur, & ſunt perſonæ Eccleſiaſticę alicui religioni addictę, & ſolemniter pœnitent, ut per Cald. *conſ.* 21. *alias* 7. *de judic.* & Jul. Clar. *in* §. *fin. q.* 35. *n.* 20. ſicuti Romæ eſt Monaſterium S. Mariæ Magdalenæ Ordinis S. Auguſtini. In his enim 30
quo ad tempus probationis, & profeſſionem emittendam ſervari debet jus commune, & illarum Conſtitutiones: nam Conc. Trid. *in c.* 18. *ſeſſ.* 25. *de regul. in verſ. Ab his tamen excipiuntur mulieres*; referendum videtur non tantùm ad ea, quæ deſuper continentur *in eod. c.* 18. ſed etiam ad reliqua, quæ in aliis Capitulis præcedentibus ejuſdem ſeſſ. ſancita fuere; & conſequenter etiam ad diſpoſita *in c.* 15. Unde S. Congr. conſulta, an mulieres, quæ Pœnitentes, ſeu Convertitæ appellantur, de quibus fit mentio *in c.* 18. *ſeſſ.* 25. *de regul. verſ. Ab his*, poſſint profeſſionem emittere juxta diſpoſitionem juris communis, earumque conſtitutiones: Reſpondit poſſe: Teneri tamen hodie ad clauſu- 31
ram formalem, & ad emiſſionem trium votorum ex Decreto S. Pii V. & Greg. XIII. nec in earum Monaſteriis poſſunt reponi ampliùs Moniales aliorum Monaſteriorum, quæ ſub clauſura degunt, correctionis cauſa: nec ampliùs egredi ipſæ Convertitæ poſſunt. De his tamen vide, quod dixi *in cap. Statuimus n.* 60. *inf. eod.*

Fallit ſecundò ſupradicta concluſio in Monialibus novi- 32
tiis Ordinis S. Dominici, quæ in articulo mortis conſtitutæ, dummodò ſint legitimæ ætatis, ex indulto S Pii V. emittere poſſunt profeſſionem ante annum probationis expletum; ita tamen, ut ſic decedentes conſequi poſſint indulgentiam, & alias gratias, quas Moniales verè profeſſæ decedentes conſequuntur, ut in ejus literis incip. *Summi Sacerdotii cura in Bull. tom.* 2. *pag.* 315. Verùm hujuſmodi indultum quatenùs adverſatur Decreto Concil. Trid. *in*
c. 15. *ſeſſ.* 25. *de regul.* videtur redactum ad illius terminos 33
à Greg. XIII. in Conſtitutione, quæ incipit, *In tanta, eod. tom.* 2. *pag.* 370. Ac proinde, ſi Monialis ſic profeſſa ex tali infirmitate decederet, Monaſterium non ſuccederet in bonis illius, arg. *c. Conſtituit*, 20. *q.* 3. & ſcripſi *in c. Sicut nobis ſupr. eod.* Quod ſi ex morbo convaleſceret, non cenſeretur religioni alligata, niſi tranſacto probationis anno iterùm profiteretur; licèt quoad indulgentiam, & gratias ſpirituales fortè ſuſtineri poſſit indultum S. Pii V. non fuiſſe à Gregorio revocatum, prout tenuerunt multi ex recentioribus, quos tamen cumulant hìc moderni Collectores *num.* 4.

QUÆRO, an Regulares de licentia Sedis Apoſtolicæ 34
à ſtrictiori religione ad latiorem ejuſdem Ordinis tranſeuntes, per alium annum in probatione eſſe, atque iterùm profiteri teneantur,

Regularis duobus modis transferri poteſt ad aliam reli- 35
gionem. Primò, ut illic præſit tamquam Abbas, vel Superior. Secundò, ut ſubſit tamquam privatus Monachus.

Si

Si transferatur, ut præſit, Federic. de Sen. *conſ.* 4. incip.
36 *Quidam Monachus*, reſpondit Monachum unius Monaſterii ad prælationem alterius Monaſterii promotum non teneri iterum profiteri: nam (Per profeſſionem, inquit *num.* 3. quam fecit in primo Monaſterio, ipſo jure intelligitur ſe conformare moribus ſecundi Monaſterii quoad ſubſtantialia regulæ: quantùm verò ad omnia, quæ ſunt extra ſubſtantiam hujus regulæ, conformabit ſe illa de facto obſervando; nec eſt neceſſe, ut verbo obligetur, vel aſtringatur, cùm ipſo facto ſe aſtrinxerit ſuſcipiendo prælaturam ipſius Monaſterii: nam cùm ipſe ſit unum corpus cum ſuis Monachis, cujus corporis ipſe eſt caput; ſatis ipſo facto intelligitur tacitè promiſiſſe ſe obſervaturum, quæ obſervari debent in ipſo Monaſterio per Abbatem.) Hæc Feder. de Sen. cujus verba tranſtulit Petr. de Peruſ. *in ſuo tract. de mut. ſtat. perſon. n.* 7. *&* 18. Illum tamen pluribus reprobat Navar. *de regul. conſ.* 60. incip. *Ad Monachus*. Verùm in hoc primo caſu, quicquid ſit de illius veritate, non videtur immorandum, quia propriè ad præſentem quæſtionem non ſpectat.

Si autem regularis ab una ad aliam religionem transferatur, ut ſubſit, non ut præſit, ut in hoc caſu; tunc ſi Religio ſit alterius Ord. clarum eſt regularem teneri per alium annum in probatione eſſe, atque iterùm profiteri, etiamſi religio, ad quam transfertur, ſit laxioris regulæ: ut ex
37 facto reſpondit Navar. *in præalleg. conſ.* 62. *de regul.* ubi prolixè oſtendit Franciſcanum, ſi transferatur ad Ordinem Canonicorum Regularium, qui regulæ inſerviunt laxiori, ut *in c. Quòd Dei timorem, inf. de ſtat. Monach.* non poſſe renuntiare anno probationis conceſſo per Conc. Trid. *in c.* 15. *ſeſſ.* 25. *de regul.* Et pro hac concluſione obſervandum eſt multoties contingere, ut una religio licèt genaraliter ſit largior, quàm alia, tamen cenſeatur arctior reſpectu alicujus peculiaris inſtituti. Sicut Carthuſia eſt omnium
38 religionum ſtrictiſſima, ut in Extravag. Martini IV. quæ eſt prima de Regul. (licèt ex conſtit. Eugenii IV. incip. *Illa quæ*, 8. *Kalendas Decembris* 1375. *in Bull. tom.* 1. *pag.* 274.
39 Carthuſiani petita, & non obtenta à ſuis Superioribus licentia recipi poſſint ab Eremitis Camaldulenſibus) & in ſpecie eſt arctior, quam Minimorum S. Franciſci de Pau-
40 la, ut pluribus probat idem Navarr. *de regul. conſ.* 10. *aliàs* 50. incip. *Carthuſianorum religio*; & tamen hæc poſterior eſt arctior reſpectu perpetuæ abſtinentiæ ab ovis, & lacticiniis, ut ibidem Navar. advertit. Quemadmodum religio Fratrum Minorum S. Franciſci, præſertim Cappuccinorum, negari non poteſt, quin ſit ſtrictior Carthuſiana reſpectu aſperitatis habitus, arctiſſimæ paupertatis etiam in communi, & multitudinis præceptorum, ad quæ FF. Minores ex vi regulæ tenentur ſub reatu mortalis peccati, ut habetur *in c. Exiit qui ſeminat, de verb. ſignif. in* 6. adeò ut propterea habeant ſe hujuſmodi religiones tamquam excedentia, & exceſſa; licèt in Carthuſiana ille veluti perpetuus carcer, & ſtrictior clauſura, cujus & Concil. Trid. meminit *in c.* 13. *in fin. ſeſſ.* 25. *de regul.* præponderet omnibus aliis aſperitatibus, ut per Navar. *loc. cit.* Unde æquum eſt, ut regularis probet hæc genera aſperitatum, priuſquam religioni per profeſſionem perpetuò alligetur. hic *& in c. Non ſolùm, infr. eod. lib.* 6. vix enim ferendum eſſet, ut Carthuſianus tranſiens ad Capuccinos in primo momento temporis eſſet eorum religioni irrevocabiliter incorporatus; atque hanc ſententiam probavit Navarr. *de regul. conſ.* 60. incip. *An Monachus*, quem aliis recentiores poſteà ſecuti ſunt.

41 Quòd ſi religio ſit ejuſdem Ordinis, ut ſi fiat tranſitus Diſcalceatis ad Calceatos, vel à Reformatis ad eorum Conventuales, in quibus terminis procedit præſens quæſtio; res eſt magis dubia: nam cùm tempus probationis à SS. Patribus ſit indultum non ſolùm in favorem converſi, ſed etiam Monaſterii, ut ille aſperitates iſtius, & iſtud mores illius valeat experiri, ut hic in litera: hoc caſu nec reſpectu novitii, nec reſpectu Monaſterii prima facie videtur neceſſarius an-
42 nus probationis. Non reſpectu novitii: nam ſi auſteritatem conſideremus reſpectu ſubſtantialium religionis, ſatis eſt, ut regularis ſemel profeſſionem emiſerit in aliqua religione: nam qui unam religionem profitetur, omnes cenſetur profiteri quo ad ſubſtantialia, ut tradunt Feder. de Sen. *d. conſ.* 5. *ſub n.* 1. *verſ. Prætereà ſufficit.* Lap. *alleg.* 130. *pro dub. n.* 4. *ver. Item ſecundùm opinionem Theolog.* poſt Jo. Andr. quem citat in *c. Sanè in gl. magna poſt princ. ſupr. eod.* Cald. *conſ.* 391. *in princ. verſ. At profeſſio illius, aliàs* 6. *de Reg.* Gemin. *conſ.* 41. *in princ. verſ. Quidam verò*, plenè Anchar. 321. *Præmittenda ſunt* & Petr. de Peruſ. *d. tract. de mut. ſtat. perſon. n.* 8. Si verò auſteritatem conſideremus reſpectu regulæ, utiq; ſi religio eſt ejuſdem Ordinis, & inſtituti, ſatis videtur eſſe, ut regularis expertus jam ſit omnes illius auſteritates in ſtrictiori obſervantia, abſq; eo quòd illas iterùm probet in laxiori. Nam eum, qui certus eſt, certiorari ampliùs non oportet, *c. Eum qui de Reg. jur. in* 6. Et pro- 43
pter hanc rationem cùm olim dubitatum eſſet in S. Congr. Concil. an is, qui habitu regulari ſuſcepto, annum integrum manſit in religione, eoque elapſo gravi morbo correptus, & proptereà profeſſione nequaquam emiſſa, permiſſu Superiorum ad ſæculum rediit, poſſet inde ad triennium morbo liberatus, & ad Monaſterium reverſus, protinùs emittere profeſſionem, vel potiùs per alium annum ſtare in probatione teneretur: Sac. Congregatio cenſuit poſſe ſtatim emittere profeſſionem non expectato alio probationis anno, niſi religionis, aut perſonæ conditio ſit immutata; idque Superiorem Religionis animadvertere diligenter debere; quæ fuit opinio Bartholomæi Brixienſis *in quæſtione ſua Venereali* 68. quem refert, & ſequitur gloſſ. *in d. c. Eum qui*. Sed nec reſpectu religionis annus probationis videtur neceſſarius; quia cùm religio jam experta ſit indolem, ac mores novitii in arctiori, ac duriori diſciplina; quem ibi ſemel approbavit, ampliùs reprobare non debet: nam approbatus ad aliquod officium, non poteſt in ſimili officio repro- 44
bari requirente eadem perſonæ idoneitatem, Innoc. *in c. Cùm venerabilis, in penult. col. in gloſ. in ver. Inſtrumentum, verſ. Item ſi admitto, de except.* Abb. *in c. Præſentium de teſt.* Felin. *in d. c. Cùm venerabilis, in ultim. col.* Dyn. *in reg. quod omnes de reg. jur. in* 6. & Bald. *in Margarita in ver. Approbatus.* Præſertim quia Diſcalceatorum, & Calceatorum S. Auguſtini, item Obſervantium, & Reformatorum ſtrictioris Obſervantiæ S. Franciſci, & aliorum hujuſmodi videtur una & eadem religio; idem enim eſt inſtitutor, & eadem regula, unus Generalis utriuſq; Ergo quemadmodum non requiritur nova probatio, cùm regularis tranſit ex uno ad aliud Monaſterium, *c. Nullus*, ubi notatur *de elect. in* 45
6. ita nec cùm tranſit ex una Religione ad aliam ejuſdem ordinis, & inſtituti. Et hac ratione non videtur obſtare decretum *c.* 15 *ſeſſ.* 25. *de Regul.* Quia ex Conc. ita demum re- 46
quiritur annus probationis, ſi profeſſio ſit neceſſaria. Sed hic negatur hujuſmodi neceſſitas cùm jam præceſſerit profeſſio in eadem religione; idòque nec probationis annus requiri videtur, quod eſt præambulum ad profeſſionem emittendam, *c. Conſulti infr. eod. cum concord.* & ſicuti Concil. non requirit novam probationem in eo, qui tranſit ad aliud Monaſterium ejuſdem religionis, ita nec in regulari, qui tranſit ad laxiorem ejuſdem ordinis. Nec videtur etiam rationi conſentaneum, ut qui ſtetit tamquam veteranus inter profeſſos ſtrictioris religionis, modò agat in laxiori inter Novitios *arg. c.* 1. *ſup. de majorit. & obed.* Unde hanc opinionem videtur ſequi Leſſ. *de juſt. & jur. lib.* 2. *c.* 41. *n.* 101. ubi poſtquam tradidit, tranſeuntem ad aliam religionem debere in ſecunda religione annum probationis explere, ſubdit deinde hoc eſſe intelligendum, ſi tranſitus fiat ad ordinem diſtinctum, vel ad ejuſdem ordinis Monaſterium, ſtrictioris tamen diſciplinæ. Idemque indiſtinctè de tranſeuntibus ex una ad aliam religionem, cenſent Coninch. *in ſum. qu.* 3. & Henric. *lib.* 3. *de excom. c.* 4. *n.* 2. *in commen. lit. O.*

Quibus accedit etiam communis obſervantia: nam tran- 47
ſlati de licentia Sedis Apoſtolicæ ad laxiorem ejuſdem Ordinis, illicò admittuntur ad officia, & dignitates ſecundæ Religionis, nec ullam profeſſionem emittere, aut annum probationis prætermittere conſueverunt, ut teſtantur Procuratores omnes Ordinum Mendicantium.

Verùm his non obſtantibus videtur reſpondendum, Re- 48
gulares ut ſupra tranſeuntes ad laxiorem Religionem etiam ejuſdem Ordinis teneri per alium annum ſtare in probatione, atq; iterùm profiteri, adeò ut liberum ſit eis ad primam Religionem redire, niſi peracto probationis anno fuerint ſecundæ alligati per expreſſam, vel tacitam profeſſionem: Quod ut evidentiùs appareat, obſervandum eſt Religiones ad effectum, de quo agitur, tunc cenſeri diverſæ ſpeciei, quando utrobique diverſa vivendi ratio obſervatur, ut probatur in Clem. 1. *de elect.* & in Clem. *Eos de regul. per jura.* Gemin. *conſ.* 41. *Pro clariori, in princ.* ait ſpecies Religioſorum diſcerni ex diverſitate profeſſionis, & habitus, intelligendo verbum illud, *Profeſſionis*, non pro ſubſtantialibus

Re-

Regulæ, quia in illis Religiones omnes conveniunt, ut no-
tatur in *c.2.de Eccleſ.ædific.* & dictum eſt ſuprà *n.42.* ſed pro
diverſitate regularis diſciplinæ, ut idemmet declarat paulò
inferùs, quam actionem diverſitatem conſiderat etiam
Anchar. *conſ. 32. in princ.* Idque procedit ſive idem ſit in-
ſtitutor, & eadem regula, ſive non: nam cujus vitam ge-
rimus, ejus regulæ fore cenſemur, ut dicebat Abbas Anti-
quus relatus a Joan. Andr. in *c. Recolentes, circa princ. de ſtat.*
49 *Monach.* Ideòque diverſa, ſeu ſtrictior religio ad effectum
tranſitus non dicitur, conſiderata primæva regula, ſed habi-
to reſpectu ad præſentem obſervantiam, & conſtitutiones
factas ultra regulam, Lap. *alleg. 130. num. 1. verſ. Item quia*,
Cardin. Zabar. *conſ. 28 Quidam frater, in princ.* & fuit opi-
50 nio Innoc. communiter approbata ſuprà eod. in *c. Sanè.* Pa-
tet exemplo fratrum Capuccinorum, & Minorum de Ob-
ſervantia Sancti Franciſci, quorum unus eſt inſtitutor, &
eadem regula, de qua in *cap. Exiit qui ſeminat, de verb. ſi-
gnif. in 6. in Clem. Exivi de Paradiſo*, & in extravag. Joan.
XXII. *Quorundam*, & extrav. *Ad Conditorem eodem titulo*,
& tamen nulli dubium eſt has Religiones quo ad hoc cenſe-
ri diverſas, adeò ut à Capuccinis minimè liceat ad Obſer-
vantes tranſire, juxta *cap. Licet infr. eod.* & Concilium
Tridentinum *c. 19. in fin. ſeſſ. 25. de regul.*
51 Quinimò hoc procedit, etiamſi utriuſque ſit unus, &
idem Generalis; nam adhuc tamen ad effectum tranſitus
cenſentur diverſæ, ſi una ſit ſtrictior altera, ut patet in Reli-
gionibus Calceatorum, & Diſcalceatorum S. Auguſtini;
certum eſt enim à Calceatis non dari tranſitum ad Diſcal-
ceatos. Ergo inter has eſt ſpecifica differentia: aliàs enim, ſi
prorſus eſſet una, & eadem Religio, daretur tranſitus indi-
ſtinctè de una ad aliam, ſicut datur de uno ad aliud mona-
ſterium, d. c. *Nullus*, atque ibi notatur, *de election. in 6.* Di-
cendum eſt igitur religiones haberi ut diverſas, quotie-
ſcumq; regularis diſciplina, & ratio vivendi in eis diverſi-
modè obſervatur; licèt ſint ſub eodem capite, & regula.
52 Quibus ita conſtitutis probatur concluſio ſuperiùs pro-
poſita ex decreto Concil. Trid. in *c. 15. ſeſſ. 25. de regul.* ubi
ſtatuitur, ut in quacumque religione ad profeſſionem non
admittatur qui minori tempore, quàm per annum, in proba-
tione ſteterit, & profeſſio antea facta ſit nulla, nullamque
inducat obligationem ad alicujus regulæ, vel religionis,
vel ordinis obſervationem, aut ad alios quoſcumque effe-
ctus. Ponderanda enim eſt dictio illa, *Quacumque*, quæ
cùm ſit univerſalis, *l. Ex quacumque, ff. Si quis in jus voc.
l. Quicumque, C. de ſer. fugit. l. Hoc articulo*, ubi plenè
53 notatur, *ff. de hæred. inſtitut. cum ſimil.* meritò includit
etiam ea quæ aliàs non comprehenderentur, *cap. Solitæ.
verſ. Quodcumque ligaveris, de major. & obed. cap. 2. de ob-
ſerv. jejun. c. ſi Romanorum, 19 diſt. l. Tres fratres, ff. de pa-
ctis*, & tradit Roman. *in conſ. 31. Viſis his, n. 2.* eamque di-
ctionem propterea effrænatam vocat Lucas de Pen. in *l. fin.
in princ. C. de exact. trib. lib. 10.* Quod eò magis procedit
hoc caſu ponderata prægnantia, ac geminatione verbo-
rum, quibus Concil. utitur tam in d. *c. 15.* quàm in *cap. 22.
ejuſd. ſeſſ.* Hæc enim geminatio dictionum univerſalium
ejus eſt virtutis, ut omnia includat, quæ dici, vel exco-
gitari poſſunt, abſque aliqua limitatione, diſtinctione, &
reſtrictione, Jaſ. in *l. 1. col. penult. verſ. Limita prædicta
omnia, ff. de legibus*, quod fusè pluribus relatis comprobat
Cravett. *conſ. 294. Verba tranſactioni, num. 1. & ſeqq.* adji-
ciens eadem verba comprehendere etiam caſus impro-
prios, & in quacumque materia, etiam pęnali, per do-
ctrinam gloſſ. in *l. 2. ver. Aliàs, C. de quadr. præſcriptio-
ne*, & Salicet. *in l 2. C. de nox.* Itaque dum Concil. decernit
neceſſariò eſſe præmittendum annum probationis ad pro-
feſſionem emittendam in quacumque religione, & adjectis
aliis verbis univerſalibus, ac repetitis, perinde eſt ac ſi
ſanſiſſet id eſſe obſervandum in quacumque religione, ſive
illa ſit laxior, ſive ſtrictior, & ſive alterius, ſive ejuſdem
ordinis, in quocumque caſu, tam ingredientium, quàm
tranſeuntium. Quam verborum geminationem ad hunc
effectum ponderat, licèt admodùm ſuccinctè, Navarr. *d.
conſ. 62. n. 9. de regul.*
54 Præterea ut Religioſus unius religionis fiat Religioſus
alterius, requritur, ut canonicè transferatur, *c. Cum ſingula,
§. fin. de præben. in 6.* ſed canonicè non transfertur abſque
nova profeſſione, ut ex not. in d. *c. Cùm ſingula* reſpondit
Navarr. *conſ. 61. incip. Quidam Abbas in 2. de regular.* Ergo
religioſus unius religionis fieri non poteſt religioſus alte-
rius abſque nova profeſſione, & per conſequens abſque no-
vo anno probationis, qui ad profeſſionis validitatem exi-
gitur tam de jure communi in Ordinibus Mendicantium,
cap. Non ſolum, & cap. Conſtitutionem de reg. in 6. quàm ge-
neraliter in omnibus ex decreto Concilii in d. *c. 15.*
Et confirmatur, quia ſi ſic tranſiens non teneretur in ſe- 55
cunda religione profiteri, ſequeretur, ut pro libito ſuæ vo-
luntatis poſſet quandocumque ad primam reverti; liber eſt
enim receſſus à religione, quamdiu quis non eſt illi tacitè,
vel expreſsè per profeſſionem alligatus, ut *hic & c. 2. ſuprà
eod. cap. Conſult. cap. Poſtulaſti, & c. Statuimus infra eod.
c. 1. in princ. hoc tit. lib. 6. & cap. unico de voto, eod. lib. cum
ſimil.* Ideòque videmus translatum ab uno ad aliud mona- 56
ſterium ejuſdem ordinis poſſe per Abbatem quandocum-
que revocari ad primum, *cap. Volentes, §. In eos, verſ. Et
ſi liberè poſſint ad eadem monaſteria revocare, de privil. in
6.* Sed conſequens eſt abſurdum; quia poſt canonicam tran-
slationem non licet amplius ad primam religionem rever-
ti, niſi ſervatis iis quæ de jure ad novam translationem re-
quiruntur, juxta *cap. Licèt, infrà eod. & ſuprà, cap. Sanè*,
gl. *in cap. Non eſt vobis, in verb. Permittatis, ſuprà eod.*
alioquin fas eſſet regularibus temerè converſare ab una ad 57
aliam religionem, quod tamen nec licet ab uno ad aliud
monaſterium, ut in *cap. Joannes, ſuprà eod.* ſequitur ergo
ut ſic tranſiens teneatur iterùm profiteri, & conſequenter
novum annum agere, cùm ex decreto *d. cap. 15.* in nulla
religione admittatur ad profeſſionem, qui minori tempo-
pore, quàm per annum, in probatione ſteterit.
Ad hæc annus probationis datur tam novitio, quàm re- 58
ligioni, ut alter alterius qualitates experiatur, priuſquam
invicem indiſſolubiliter obligentur, ut *hic, & in cap. Non
ſolum, & cap. Conſtitutionem, infrà eod. lib. 6.* Dignum eſt
enim, ut qui ſimilem cum aliis vitam ſuſcipiunt, ſimilem
ſentiant in legibus diſciplinam, ut in *cap. Recolentes, infra
de ſtat. Monach.* Poteſt autem facilè accidere, ut regularis
aſſuetus in ſtrictiori obſervantia difficulter poſſit ſe con-
formare moribus fratrum laxioris religionis; ideòque per-
petuis conſcientiæ ſtimulis agitatus, cum eis nulla fruatur
animi tranquillitate, ſed vivat anxius, & inquietus. Un-
de priuſquam obligetur ſecundæ religioni, & præcludatur
illi regreſſus ad primam, æquum eſt, ut ſpatium habeat, ac
tempus deliberandi, quod in ſubſidium fragilitatis humanę
fuit à SS. PP. inſtitutum, ut in hoc *c. & in d. c. Non ſolum.* Et
viceverſa poteſt probabiliter contingere, ut regulares ægrè
ferant mores, & acrimoniam profeſſi in ſtrictiori regula;
& proinde inter translatum, & cæteros regulares perpetua
ſit morum diſcrepantia, ac diſſentio animarum. Nam co- 59
hærere, & conjungi non poſſunt, quibus & ſtudia, & vota
diverſa ſunt, ut legitur in *cap. In nona, 16. qu. 7.* Quod
conſiderant Feder. de Sen. & Petr. de Peruſ. *locis initio ci-
tatis ſuprà, num. 35. & 36.* Plerumque enim Monaſte-
rium, quod ſemper tranquillum fuerat, litigioſo recepto
aliquo, & ſeminante diſcordias, non quieſcit, ut formali-
ter dicebat *hic* Hoſt. *n. 4.* Quapropter grave eſt inexpertos
monaſteriis applicari, *cap. Monaſteriis, 19. qu. 1.* Unde
Hoſt. *eod. num. 4.* conſuluit, ut in receptione, & potiſſimum
in profeſſione accipienda, caveat ſibi Abbas: nam mus in
pera, ſerpens in gremio, ignis in ſinu, malam conſueve-
runt retributionem exhibere hoſpitibus, *cap. Etſi Judæos.
infra de Judæis.* Probetur ergo diligenter, priuſquam mo-
naſterio alligetur, *arg. cap. 1. §. penult. ſupra de Cler. Pe-
regrin.* ne contingat poſteà pœnitere, ſed ſerò, *arg. cap. 1.
de ſerv. non ordinan. cum ſuis concord.* Ampliùs, cùm am-
bulare debeant homines de virtute in virtutem, *cap. 1. de
tranſact. cap. Legimus, 93. diſt. l. Ut gradatim, de muner. &
honor.* & nemo mittens manum, &c. *cap. Magnæ, de voto.*
Quinimò in viam Dei non progredi ſit retrogredi, ſecun- 60
dùm B. Bern. relatum à Jo. Andr. & Petr. de Anchar. in d.
cap. Recolentes, in princ. de ſtat. Monach. Hinc docuit expe-
rientia regulares migrantes ad laxiorem vitam plerumque
fieri cæteris deteriores. Quapropter Auguſtinus ſcribens
ad Clerum, & populum Hipponenſem, *Epiſt. 137.* ait, *Quo-
modo difficilè ſum expertus meliores, quam qui in monaſte-
riis profecerunt; ita non ſum expertus pejores, quàm qui in mo-
naſteriis ceciderunt*, aliàs legitur, *defecerunt*, quod refertur
in *c. Quantumlibet diſt. 47.* Probet ergo illos religio, & quos
habiles invenerit, expleto anno probationis ad profeſſio-
nem admittat, aut è monaſterio ejiciat, ad Concil. Tri-
dent. præſcriptum *c. 16. verſ. Finito, ſeſſ. 25. de regul.*

61 Conſiderandum eſt etiam, in religionibus ſtrictioris obſervantiæ, etſi votum paupertatis in particulari arctiſſimè obſervetur, nihil tamen deeſſe religioſis ex iis, quæ neceſſaria ſunt, juxta præceptum ejuſdem Concilii *in cap.* 2. *ſeſſ.* 25. *de Regul.* præſertim quoad ægrotos, debiles, aut ſenio confectos, in quos præcipua exercentur opera charitatis: quæ fortè non ita ſe habent in religionibus laxioribus, in quibus religioſi coguntur ipſimet ſibi neceſſaria comparare, &, ut ſæpè audivimus, non alio prætextu, ac paliamento conantur ſe, licèt perperam, à retentione peculii excuſare, niſi quòd religio neceſſaria eis ad vitam non ſubminiſtret, præſertim in infirmitatibus, quod eſt maximè conſiderabile, cùm præcipua cauſa legitima tranſeundi ad laxiorem ſit infirmitas, & debilitas complexionis, ut notant Gemin. & Franc. in d. *cap. Cum ſingula*, §. *Prohibemus*, *propè finem de præbend. in* 6. Quæ ratio valdè urget etiam ex parte Superiorum regularium, à quibus ſic tranſiens per annum probari debet, ne propter infirmam valetudinem, aut virium imbecillitatem perpetuò ſit inutilis, & oneroſus monaſterio. Unde juſtum eſt, ſive novitium, ſive religionem ſpectemus, ut alterum probet, priuſquam obligetur ex quaſi contractu, qui dicitur fieri inter profeſſum, & monaſterium, ut hìc notant Doctores, & in
63 *cap. Porrectum*, *ſupra eod.* Et propterea dum S. Congregatio declaravit eum, qui morbi cauſa Superiorum permiſſu exiit è Monaſterio, poſt expletum probationis annum, poſſe inde ad triennium receptum ſtatim profiteri abſque nova probatione, prudenter adjecit verba illa, niſi religionis, aut perſonæ conditio ſit immutata, quæ ſatis confirmant opus eſſe novo anno probationis, quotieſcumque regularis diſciplina diverſa eſt ab illa, quam quis ab initio profeſſus fuit.

Hanc ſententiam generaliter in eo, qui tranſit ad laxiorem Religionem, ſequutus eſt Navarr. *d. conſ.* 62. *de Reg.* & clariùs *conſ.* 67. *incipien. N. olim Ordinis*, ubi movetur tum decreto Concilii Trident. quod generaliter loquitur; tum quia, inquit, annus probationis non ſolùm datur in favorem profeſſuri, ut experiatur id quod profeſſurus eſt: ſed etiam in favorem eorum, qui profeſſionem ſuſcipere debent, ut experiantur mores ſuſcepti, an conveniant ſuæ Congregationi; & ita licèt qui expertus eſt ſtrictiorem regulam, ſatis videri poſſet expertus laxiorem, & ſic ex parte illius ceſſare videatur neceſſitas eum probandi; non tamen ad hoc tollitur monaſterio neceſſitas probandi mores illius, qui longè meliùs cognoſcuntur tractu annali, quàm menſtruo, vel ſemeſtri, vel alio minori: & *conſ.* 61. *Quidam Abbas*, *n.* 4. *de reg* dixit non eſſe abſurdum, ut antiquus, & veteranus in una religione ſit poſteà novitius in alia.

Quod videtur etiam ex antiquis tacitè ſenſiſſe Hoſt. in *c. Licet col.* 3. *ſub num.* 16. *verſ. Sed quid ſi monaſterium infra eod.* ubi ait: Si dubitatur, an regularis ſit legitimè tranſlatus nec ne, ita demum ſecundum monaſterium compellitur illum defendere, ſi à tempore tranſitus ſit elapſus annus; aliàs eſt reſtituendus priori monaſterio. Atque ita indiſtinctè ſenſit Hoſt. tranſeuntem ad aliud monaſterium ita demum eſſe illi incorporatum, ſi ſteterit per annum, ac propterea tacitè profeſſionem emiſerit, juxta *cap.* 1. *de regul. lib.* 6. & Clem. *Eos*, *eodem tit.*

Nec diſſentit Feder. de Sen. *conſ.* 5. nam ipſe non putavit requiri novum annum probationis in eo, qui transfertur, ut præſit; quia per aſſumptionem prælationis in ſecundo monaſterio videtur tacitam profeſſionem emiſiſſe, ac renunciaſſe anno probationis, quod fieri poterat de jure communi in ordinibus non Mendicantium, ut hìc patet, & in *cap. Statuimus*, *infr. eod.* juncto *cap. Non ſolum*, & *cap. Conſtitutionem*, *eod. tit. lib.* 6. ſed aliud cenſuit in eo, qui tamquam Monachus transfertur, ut ſubſit.

Ac demum hanc ſententiam videtur olim probaſſe S. Congr. Conc. nam cùm dubitatum eſſet, an profeſſus in una religione, & ad aliam translatus etiam laxiorem auctoritate Sedis Apoſtolicę poſſet renuntiare anno probationis: Reſpondit non poſſe, nec illam renunciationem per Superiorē conceſſam intra annum recipi debere, ſed teneri cum iterùm profiteri, juxta formam traditam *c.* 15. *ſeſſ.* 25. *de Regul.* 64

Unde ſequitur, ut nec obſtet contraria obſervantia: quia cùm hic caſus ſit comprehenſus d. *cap.* 15. non valet contraria conſuetudo etiam immemorabilis, utpotè ſublata *cap. ult. ejuſdem ſeſſionis.* 65

Expedit autem, ut in dubio ita declaretur ad compeſcendam facilitatem, & frequentiam tranſitus a ſtrictiori ad largiorem religionem ejuſdem Ordinis. Quam ob cauſam olim Alex. VI. ſtatuit, ut Fratres Minores de Obſervantia tranſeuntes ad Conventuales ejuſdem Ordinis eſſent incapaces ſucceſſionis, ut refert Rodoan. *de reb. Eccleſ. non alien. q.* 8. *nu.* 38. & Rodrig *de reg. tom.* 2. *qu.* 12. *verſ. Advertendum tamen*, facit text. *in Clem.* 1. *d. reg.* & *in cap.* 1. *eod. tit. in extravag. commun.* 66

Cùm eo tempore actum eſſet de ſupraſcripto dubio in Sac. Congregatione Concilii, reſponſum eſt tranſeuntem de licentia Sedis Apoſtolicę ad laxiorem religionem, etiam ejuſdem Ordinis, teneri in ſecunda religione novum annum probationis peragere. Sed quo ad novam profeſſionem, ſubdubitante Cardinali Juſtiniano, articulus non fuit deciſus; tametſi ex anno probationis, qui eſt præambulus ad profeſſionem, & fruſtratorius eſſet profeſſione non ſequuta, ſatis inferri poſſit ad obligationem iterùm profitendi. 67

DE REGULARIBUS.

Idem Innocentius III. Aconen. Epiſcopo.

CAPUT XVII.

SIcut nobis fuit propoſitum, quidam clericus cùm ægretudine nimia laboraret, quaſi de morte ſecurus, & de recuperanda ſanitate deſperans, habitum Canonicorum regularium petiit, & accepit: ſed nec ad Eccleſiam tranſivit, nec bonis ſuis uti ceſſavit, videntibus & ſcientibus Epiſcopo & Canonicis Eccleſiæ Nazaren. à quibus habitum ſuſceperat regularem: & infrà. Fraternitati tuæ taliter reſpondemus, quòd ſi regularem habitum ſe poſtulante ſuſcepit, & ad obſervationem religionis Canonicæ, ſua ſe profeſſione ligavit, ad reſumendum habitum Eccleſiaſtica eſt diſtrictione cogendus; cùm quòd tanto tempore extra canonicam manſit, non in excuſationem ejus, ſed in majoris tranſgreſſionis augmentum, meritò valeat allegari.

SUMMARIUM.

1 *Profeſſionem qui fecit, & habitum ſuſcepit, licèt nunquam ſteterit in clauſtro, ad obſervantiam regularem compellitur.*
2 *Votum an ſolemnizetur ex ſuſceptione habitus profeſſorum extra monaſterium.*
3 *Profiteri quis poteſt etiam in lecto, & in domo propria.*
4 *Tolerantia, & patientia Superioris delictum ſubditi non excuſat.*
5 *Abbas diſpēſare nō poteſt, ut Monachus vivat diſſolutè.*
6 *Præſcribere non poteſt Monachus contra obedientiam Monachalem, quantumcumque temporis degat extra monaſterium.*
7 *Profeſſio emiſſa à Novitia in mortis articulo per circumventionem Abbatiſſæ, & an valeat, & an dos ſit monaſterio acquiſita, & n. ſeqq. uſque in finem.*
8 *Profeſſio emiſſa per dolum, & circumventionem Abbatis, an obliget profitentem, an e illius bona ſint hæredibus reſtituenda, & n. ſeqq. uſque ad n.* 22.

9 Do-

9 *Dolus in ſpiritualibus non vitiat contractum.*
10 *Dolus bonus dicitur, quo quis ad meliorem vitam inducitur.*
Declaratur, num. 13.
11 *Dolus malus quid ſit.*
12 *Profeſſio puellæ non eſt irrita ex eo quòd Epiſcopus illius voluntatem non exploraverit.*
13 *Dolo allici quis non debet ad religionem ingrediendam.*
14 *Bona ſeducti ad Religionem cur monaſterio non acquirantur, & nu. ſeqq.*
15 *Dolus ſuus nemini debet eſſe lucroſus.*
16 *Contractus bonæ fidei dolo initus eſt ipſo jure nullus.*
17 *Dolus dans cauſam contractui ita demum nocet, ſi ſit dolus ipſius contrahentis, ſecus ſi alterius.*
18 *Dolus an debeat eſſe Abbatis, & monaſterii, ad hoc ut bona ſeducti ad Religionem ſint hæredibus reſtituenda.*
19 *Prælatus tutori, & curatori æquiparatur.*
20 *Dolus tutoris, vel curatoris dans cauſam contractui nocet pupillo.*
21 *Prælatus ſolus in quærendis poteſt Eccleſiæ præjudicare.*
22 *Profeſſio emiſſa in articulo mortis obligat profitentem, ſi ſit mentis compos, aliàs ſecus.*
23 *Matrimonium poteſt contrahi etiam in mortis articulo.*
24 *Metus mortis an & quando vitiet profeſſionem.*
25 *Quid ſi ſit metus mortis naturalis.*
26 *Et quid ſi mortis accidentalis caſualis.*
27 *Et quid ſi mortis accidentalis violentæ.*
Et quid ſi metus non fuerit ordinatus ad profeſſionem extorquendam, n. 29.
28 *Metus mortis cur inficiat profeſſionem, ſi ſit incuſſus ab homine, non autem, ſi divinitùs ſit illatus.*
30 *Profeſſio in mortis articulo an cenſeatur emiſſa in fraudem ſubſtituti, ſeu venientium ab inteſtato, & nu. ſeq. uſque in finem.*
31 *Profiteri non videtur ſuſcipiens habitum religionis in morte, nec ejus bona monaſterio deferuntur.*
32 *Renunciatio facta in articulo mortis præſumitur in fraudem expectantis.*
33 *Profeſſio emiſſa à Monialibus S. Dominici in articulo mortis conſtitutis ante annum probationis elapſum ex indulto S. Pii V. prodeſt quoad ſpiritualia tantùm, non autem quoad temporalia.*
34 *Morti proximus non præſumitur immemor ſalutis æternæ.*
35 *Dolus non præſumitur in his, quæ habent juris aſſiſtentiam.*

1 S*Icut nobis*. Qui profeſſionem fecit, & habitum rece-
pit, licèt numquam ſteterit in clauſtro, ſed in ſæculo
propriis bonis fuerit uſus, ad obſervantiam regularem com-
pellitur. Hoc dicit. Communis diviſio. Secunda ibi, *Fra-
ternitati*; in qua primò ſolvit caſum; ſecundò ſolvit ob-
ſtaculum, ibi, *Cùm quod*.

Nota primò ibi, *De recuperanda ſanitate deſperans*,
eum, qui tam gravi morbo affligitur, ut de præſenti vita
deſperet, nihilominùs obligari ex profeſſione; de quo ta-
men latiùs dicam infra *n.* 22. *& ſeqq.*

2 Secundò nota ibi, *Habitum Canonicorum Regularium*,
votum ſolemnizari per ſuſceptionem habitus profeſſorum,
etiam extra monaſterium, prout *hìc* notant Butr. *in* 1. *no-
tab.* & Anchar *num.* 2. Oppoſitum tenui poſt Hoſt. Colle-
ctarium, & alios in *cap. Inſinuante*, *num.* 30. *infrà*, *Qui
cler. vel. voven.* Et ad hunc textum reſpondeo iſtum cleri-
cum non tantùm ſuſcepiſſe habitum profeſſorum, ſed
etiam feciſſe profeſſionem expreſſam, ſecundùm Hoſt. *hic
n.* 2. *in ver. habitum*. Joan. Andr. & alios in ſumma hujus
textus, quod apertè probat littera, ibi, *Regularem habitum
ſe poſtulante ſuſcepit, & ad obſervationem religionis cano-
nicè ſua ſe profeſſione ligavit*; alioquin ex ſola ſuſceptione,
vel delatione habitus extra clauſtrum profeſſio tacita non
inducitur, *c. Ut clerici*, *ſuprà eod.* & ex ſententia Sacr.
Congreg. Concilii ſcripſi pleniùs in prædicta Decretali *In-
ſinuante*, & eſt ex mente gloſ. *penult. hic*.

3 Tertiò, nota ibi, *Sed nec ad Eccleſiam tranſivit*, in-
greſſum in monaſterium non eſſe de ſubſtantialibus mona-
chatus: ideòque poſſe quem validè profiteri etiam in le-
cto, & in domo propria, ut hìc eſt caſus ſecundùm Joan.
Andr. & omnes, & notat Abbas *in* 2. *notab.* Sed an hoc ſit
verum, præſertim poſt Concil. Trid. & decreta Clem. VIII.
ſcripſi latiſſimè in d. *c. Inſinuante*, *à n* 24. *uſque in fin.*

Quartò, nota ibi, *Videntibus, & ſcientibus*, delictum 4
ſubditi non excuſari ex patientia, & tolerantia Superioris.
Facit textus in *cap. Cùm jamdudum*, *verſ. Cùm multa per
patientiam tolerentur*, *ſupra de præbend.* Quandoque ta-
men tolerantia hujuſmodi inducit diſpenſationem in caſi-
bus, in quibus Abbas poteſt diſpenſare, ut in eſu carnium.
Sed ut Monachus diſſolutè vivat, Abb. diſpenſare non po- 5
teſt, ut *cap. Cùm ad monaſterium*, *in fin. de ſtat. Monach.*
ſecundùm Anchar. *hic nu.* 4.

Ultimò, nota ex illis verbis, *Quod tanto tempore ex- 6
tra Canoniam manſit*, &c. Monachum quantumcumque
temporis moram traxerit extra monaſterium, nunquam
præſcribere contra obedientiam Superioris, nec ſe in li-
bertatem vindicare; quia illam poſſidet mala fide, & in
talibus diuturnitas temporis culpam non minuit, ſed au-
get, ut hìc, & in *cap. Quia ingredientibus*, *ſupra de te-
ſtam. in c. Quod Deo pari*, 33. *qu.* 5. *& in cap. fin. de conſue-
tud.* cum aliis hìc allegatis in gloſſ. *ult.* Unde dicit lex: Ri- 7
diculum eſt meliorem fieri conditionem furis propter con-
tinuationem furti, ut *l. Inficiendo*. §. *Infans*, *ff. de furt.*
& ſervus fugitivus ſui furtum facit, & ideò nec habet lo-
cum uſucapio, nec longi temporis præſcriptio, dicit text.
l. 1. *C. de ſervit. fugit.*

QUÆRO, an valeat profeſſio emiſſa à novitia in arti-
culo mortis per circumventionem Abbatiſſæ, & an dos
fuerit monaſterio acquiſita.

Quædam puella graviſſimo morbo contagioſo, nempè
ethico cum ſputo ſanguinis purulento diu laborans, medi-
corum judicio deſperata, ſuaſionibus Abbatiſ. ac Monia-
lium monaſterii, ubi annum probationis peregerat, in-
ducta profeſſionem emiſit, poſtquam infrà dies quindecim
ex hac vita migravit. Et quia Decreto Concilii Trident.
cap. 16. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* ſtatuitur, ut finito tempore novi-
tiatus Superiores novitios, quos habiles invenerint, ad
profitendum admittant, aut è monaſterio ejiciant: atque
alio decreto *cap.* 17. *ejuſdem ſeſſ.* cavetur, ut puella, quæ
habitum regularem ſuſcepit, profeſſionem non emittat,
niſi exploraverit Epiſcopus, an ſeducta ſit, an ſciat quid
agat, & ſi voluntas ejus pia ac libera cognita fuerit, ha-
bueritque conditiones requiſitas juxta monaſterii illius, &
Ordinis regulam, liberè ei profiteri liceat: Dubitatum
fuit, an hujuſmodi profeſſio emiſſa ab inhabili ad religio-
nem, & ad mortem tendente, atque alieno adjutorio in-
digente, ut ſe in illo actu ſuſtentare poſſet, valida eſſet,
necne? & quatenùs eſſet valida, an cum Abbatiſſa doloſè,
ut ſupponitur, timens, ne dicta puella decederet non pro-
feſſa, ad finem, ut lucrum dotis monaſterio cederet, patre
illius reclamante, qui dotem aſſignaverat, illam clam ad
profeſſionem induxit; dos hujuſmodi propter dolum ad
patrem ſuperſtitem reverti debeat: an verò quæſita fuerit
monaſterio. S. Congreg. Concilii *die* 26. *Novembris* 1616.
& ſi viſa fuerit ſentire validam eſſe profeſſionem, ut propo-
nitur, emiſſam; nihilominùs tam in judicio validitatis
profeſſionis, quàm reſtitutionis bonorum, ſatius putavit
audire eos, quorum intereſt: itaque poſteà petita eſt reſo-
lutio inſtante Procuratore monaſterii, atque audito etiam
Procuratore venientium ab inteſtato.

Propoſita quæſtio duas implicat inſpectiones, & utram- 8
que bimembrem. Prima inſpectio eſt, an eidem validitati
profeſſionis, aut dotis acquiſitioni, officiat dolus, & cir-
cumventio Abbatiſſæ. Secunda eſt, an eidem validitati,
aut acquiſitioni obſiſtat, quòd profeſſio emiſſa fuerit in
mortis articulo.

Circa primam inſpectionem ſolutio difficultatis quoad
utrumque membrum habetur ex canone *Conſtituit*, 20.
q. 3. qui duplicatur in *cap. penul.* 16. *qu.* 7. ubi apertè ſtatui-
tur, ut qui per dolum, & circumventionem Abbatis pro-
feſſionem emiſit, cogatur in religione perſeverare, ſed ip-
ſius bona hæredibus reddantur, & ita per illum text. firmat
Innoc. in *cap. Dudum*, *num.* 4. *in ver. Allexerunt*, *infrà de
converſ. conjugat.* ait enim: Quamvis non debeat quis
dolo allici ad religionem ingrediendam, hoc tamen non
irritat votum; ſed quoad bona temporalia benè obeſt do-
lus, & ideò monaſterium illa non lucratur, ſed hæredi-
bus deferuntur. Idem firmat Speculator. *in tit. de ſtatu
Monachorum*, §. *fin. num.* 71. *verſ. Excipitur tamen*,
Bald. *in Auth. Si qua mulier*, *in fin. verſ. Ultimò quæro*,

C. de Sacroſ. Eccleſ. ubi refert, & approbat dicta Speculatoris, Abb. in d. *cap. Cum dilectus*, *num.* 12. *ſuprà, quod met. cauſ.* ubi aſſerit probari in d. *cap. Conſtituit.* Quòd ſi dolo quis fuerit inductus ad intrandum religionem, tenet ingreſſus; ſed ſi religioſi, qui dolo illum induxerunt, fecerunt hoc propter bona temporalia illius, non debent illa bona habere; & ſubdit illum caſum eſſe ſingularem, quem etiam dicit valdè notabilem Decius in *cap. In præſentia*, *num.* 31. *de probat.* Idem tenent gloſ. Archid. & Doctores in d. *cap. Conſtituit*, & ſequitur Navar. *in Comm.* 2. *Regular. num.* 31. *& alii recent.*

9 Ratio hujus deciſionis quoad primum membrum validitatis profeſſionis ea eſſe dignoſcitur ſecundùm Archid. *ibi num.* 2. & Turrecrem. *in ver. Manere cogantur*, quia qualitercumque quis fiat voluntarius, tenet converſio; unde congruè dicitur in text. *Perſeverare cogantur*; quia licèt allecti, tamen voluntarii intraverunt. Et quamvis dolus cauſam contractui dederit, & Eccleſia non debeat fraudem facere in ſuis contractibus, *cap. Per tuas*, *de donat.* Imò bonæ fidei contractus dolo initus ſit ipſo jure nullus, *cap.* 1. 15. *quæſt.* 6. *l. Et eleganter*, *ff. de dolo*; tamen ſecus eſt in ſpiritualibus, *cap. Dudum*, & ibi gloſ. *in ver. Spes*, *infr. de converſ. conjugat. cap. Cum dilectus*, & ibi gloſ. *fin.* & Doctores, *ſuprà quod met. cauſ.* nam ſecundùm Archid. *loc. cit. circa finem*, idcircò ſpiritualis contractus etiam dolo initus valet, quia hìc dolus ſuum effectum non habet; effectus enim, & finis doli eſt decipere, ut *l.* 1. §. *Dolum*, *ff. de dolo*, iſte autem non decipitur, quia vice Dei hominem ſuprà caput ſuum imponit, *cap. Statuimus*, 19. *qu.* 3. Item non poteſt dici deceptus qui ſe Chriſto conjunxit, ut ait gloſ. in d *cap. Conſtituit*, *in ver. Cogantur*: dolus enim,
10 quo quis inducitur ad meliorem vitam, dicitur dolus bonus; & ideò valet profeſſio, quia jura non ſubveniunt niſi adverſus dolum malum, ut dicit Abbas in d. *cap. Cum dilectus*, *num.* 12. & Bero. *in cap. In præſentia*, *num.* 107. *verſ. Ratio diverſitatis*, *de probat.* & ante eos gloſ. præalleg. *in d. cap Dudum*, & eſt textus in *cap. Veniens*, *de con-*
11 *verſ. conjugat.* Dolus autem malus eſt calliditas, fallacia, ſeu machinatio ad circumveniendum, fallendum, & decipiendum alterum adhibita, ut diffinitur in d. *l.* 1. §. *Dolum*, *ff. de dolo*. Quo fit, ut minor per dolum, & circumventionem illectus, & ſeductus ad religionem ingrediendam non reſtituatur in integrum, ut tenet gloſ. *fin. in d. c. Cum dilectus*, *ſuprà quod met. cauſ.* (Quia, inquit non videtur deceptus qui meliorem vitam elegit, vel cujus conditio melior facta eſt,) ut ait Turrecrem. *in d. cap. Conſtituit*, *circa finem*, & ſequitur Abbas *in cap. Cùm virum*, *num.* 6. *ſuprà eodem*, & fuit dictum gloſ. in d. *cap. Dudum*, *in verb. Spes*.

12 Nec prædictis obſtat, quòd Concilium Tridentinum in *cap.* 17. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* jubeat explorari voluntatem puellæ, an ſit ſeducta; ſiquidem hoc tantùm innuit, ut non liceat puellas ſeducere ad religionem ingrediendam: ſed hinc non ſequitur, ut ſi fuerint ſeductæ, non obligentur ex profeſſione, cùm præſertim omiſſio explorationis voluntatis profeſſionem non vitiet, ut Sac. Congregatio
13 declaravit. Unde quod ſuperiùs diximus, dolum, quo quis inducitur ad religionem, eſſe bonum dolum, notabiliter limitata, ut procedat tantummodò reſpectu ipſius ingredientis, cujus conditio melior effecta eſt, non autem reſpectu inducentis; quia fas non eſt deceptoriè quemquam ſeducere, vel allicere ad religionem; ſi tamen fiat, hoc non irritat votum, ut declarat Innoc. præallegat. in *cap. Dudum*, *nu.* 4. *in ver. Allexerunt*, *de converſ. conjugat.*

14 Cur autem bona puellæ, ut præfertur, ſeductæ, vel illectæ non acquirantur monaſterio, quod eſt ſecundùm membrum primæ inſpectionis, ſimiliter multiplex eſt ratio. Prima deducitur ex d. *cap. Conſtituit*, 20. *qu.* 3. videlicet ne turpis lucri ſectatores, qui non in fructum animarum, ſed in avaritiam, & turpe lucrum inhiantes quempiam circumveniendo totonderunt, ideſt ad profitendum induxerunt, ex ſua circumventione, & dolo commodum con-
15 ſequantur. Unde ex eo textu congrè Turrecrem. in extremis verbis ſumit argumentum, quòd nulli ſuus dolus debeat eſſe lucroſus. Altera ratio eſt ſecundùm Bero. in d. *cap. In præſentia*, *num.* 105. *de probat.* quia oblatio bonorum, quæ ex profeſſione conſequitur, ſapit naturam contractus bonæ fidei, & non ſtricti juris, cùm de jure canonico omnes contractus ſint bonæ fidei, ut tradit Bald. in *c.* 1. *ſuprà de plus pet.* Contractus autem bonæ fidei vitiantur ipſo jure propter dolum dantem cauſam contractui, ut 16
d. *cap.* 1. 15 *q.* 6. *& d. l. Eleganter*, & ibi Bart. & Doctores, *ff. de dolo*. Plenè Archid. in d. *cap. Conſtituit*, *num.* 1. *&* 3. & ibi etiam Bellam. *in princ.*

Tertiam denique rationem differentiæ, cur valeat profeſ- 17
ſio illecti ad religionem, non autem bonorum oblatio ex profeſſione conſurgens, ſubtiliter aſſignat idem Bero. in præallegat. *cap. In præſentia*, *num.* 107. *verſ. Sed tu noviter conſidera*; nam ſecundum eum dolus ſive det cauſam, ſive incidat, ita demum vitiat, ſi ſit dolus ipſius contrahentis, ſecus, ſi ſit dolus tertii, quia talis dolus etiamſi det cauſam, non nocet, ut eſt text. in d. *l. Et eleganter*, §. 1. & ibi notat Bart. Quando autem ſit oblatio de perſona, & rebus, duplex ſit contractus, alter cum monaſterio, & conventu reſpectu bonorum: & hunc contractum vitiat dolus monaſterii, tamquam dolus contrahentis, ut in d. *c. Conſtituit*, 20. *q.* 3. & per Bart. *in d. l. Et eleganter*. Alter contractus ſit de perſona cum Chriſto, & non cum homine, quia ratione voti quis obligatur Deo, ut *c. Magnæ*, *infrà de voto*, *cap. Cùm ad monaſterium*, *de ſtat. Monach.* gloſ. *ult. in d. c. Cum dilectus*, *cum ſimil.* Unde non mirum, ſi talis contractus obligationis perſonalis ex dolo Abbatis, vel monaſterii non vitiatur, nec eſt ipſo jure nullus, quia ſi vitiaretur, diceretur vitiari ex dolo tertii, hoc eſt Abbatis, vel monaſterii, quod non eſt dicendum.

Non obſtat ſi dicatur: Ad hoc ut bona auferantur mo- 18
naſterio, requiritur, ut dolus præceſſerit ſimul à Prælato, & majori parte conventus, eo quòd cùm receptio Monachorum ſpectet ad Abbatem, & conventum ſimul, *cap. fin* & ibi gloſ. & Doctores *infr. eod. lib.* 6. dixi *in cap. Porrectum*, *& cap. Ad Apoſtolicam*, *ſuprà eodem*, factum illorum benè poteſt nocere monaſterio, gloſ. *in rub. C. Quæ ſit longa conſuetudo*, *& ſuprà de his quæ fiunt à major. part. cap. per totum*, *& cap. Cum omnes*, *de conſtitut.* At verò dolus ſolius Abbatiſſæ, vel plurium Monialium non conſtituentium majorem partem conventus non videtur obeſſe monaſterio in hac bonorum acquiſitione; quia delictum, &c. *cap. Delictum*, *de regul. jur. lib.* 6. & hanc deciſionem ponit Abbas in *cap. Dudum*, *in gloſ. in verb. Aliquando*, *infrà de converſ. conjugat.* Bero. *conſ.* 28. *num.* 11. *vol.* 1. Lell. Zecchius *de Republ. Eccleſ. in tit. de regular. num.* 14. *limit.* 1. & Tapia in Authen. *Ingreſſi in ver. Sua*, *cap.* 11. *nu.* 20. *C. de Sacroſ. Eccleſ.*

Etenim reſpondetur objectam deciſionem poſſe tantùm admitti, ſi dolus adhibeatur à perſona alicujus privati religioſi, vel à minori parte conventus, & in hoc caſu loquitur Abb. in dict. *cap. Dudum*, ubi primò ponit regulam, quòd monaſterium privetur bonis, quando induxit aliquem doloſè ad ingrediendum non propter Deum, ſed propter bona temporalia ingreſſi; & mox limitat, quando totum monaſterium fuit in culpa, ſecus, ſi particularis perſona; quia delictum ſingulare non debet monaſterio obeſſe, ut in *cap. Venerabilis*, *de except. & cap. Si Epiſcopum*, 16. *qu.* 6. Hoc inquam caſu admitti poteſt ſupradicta deciſio, prout eam admittit Bero. in d. *cap. In præſentia*, *num.* 108. ubi illam tuetur ab impugnationibus Decii ſentientis oblationem bonorum vitiari etiam propter dolum unius Monachi. At verò ſecus dicendum eſt, ſi dolus fuerit adhibitus ab ipſo Abbate, vel Abbatiſſa; tum quia textus in d. *cap. Conſtituit*, conſiderat dolum, & circumventionem ſolius Epiſcopi, vel Abbatis, non autem monaſterii: tum quia Abbas, & Prælatus tutori, vel curatori æquiparatur, 19
in *c. Quia Epiſcopus*, & ibi gloſ. *Magiſtralis*, *poſt medium*, *verſ. Alii comparant*, 5. *q.* 3. Unde ſicut dolus tutoris, vel 20
curatoris dans cauſam contractui nocet pupillo, ita & dolus Abbatis, vel Abbatiſſæ, ex his quæ ſcripſit Bart in d. *l. Et eleganter*, *in fin.* 2. *col. ff. de dolo*. Tum denique quia hoc caſu non verſamur in bonis acquiſitis, ſed in acquirendis per profeſſionem puellæ, ut præfertur, ſeductæ. In quæ- 21
rendis autem ſolus Prælatus poteſt monaſterio præjudicare gloſ. not. in *cap. Illud*, §. *Si ergo*, *in ver. Meliorem*, 16. *qu.* 6. Innoc. *in cap. Fraternitatis*; *de donat.* Abb. *in cap. Verum*, *num.* 31. *verſ. Nam in acquirendis*, *ſolus Prælatus poteſt nocere Eccleſiæ*, *infrà de conditione appoſit.* latiſſimè Jaſon. in *l. Hoc legatum*, *ff. de legat.* 3 Rota *diverſ. part.* 3. *lib.* 2. *deciſ.* 109. *n.* 4. Unde hanc partem tuentur in d. *c. In præſentia*, *de probat.* Felin. *n.* 9. Decius *n.* 33. Bero. *n.* 110. & Ferret. complures alios allegans *n.* 22. *&* 23. & Navar. *comm.* 2. *n.* 31.
de re-

de regul. quos noviſſimè ſequitur Thom. Sanchez *in ſumm. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 34. *num.* 6. & nihilominùs in caſu hujus puellæ interceſſit dolus, & circumventio non tantùm Abbatiſſæ, ſed etiam monialium, ut in themate, unde ceſſat omnis difficultas.

22 Circa ſecundam inſpectionem manifeſtum eſt profeſſionem regularem fieri poſſe etiam in articulo mortis, & profitentem obligare, ut eſt textus clarus hìc in illis verbis, *Cùm ægritudine nimia laboraret, quaſi de morte ſecurus, & de recuperanda ſanitate deſperans*; concordat textus in *cap. Sicut tenor*, ibi, *de præſenti vita deſperet*, & in *cap. Porrectum*, ibi, *infirmitate gravatus*, nec non ibi, *metuens ne voto decederet non completo*, *ſuprà eod. & in cap. Ex parte*, *il primo*, *infra de converſ. conjugat.* & in ſpecie hìc notant Anchar. & Abb. ambo *num.* 1. Speculat. *in tit. de ſtat. Monach.* §. 1. *ſub num.* 71. *verſ. Cæterùm*, Bald. in d. Authen. *Si qua mulier*, *verſ. Septimo quæro*, *C. de Sacroſ. Eccleſ.* Doctores in d. *cap. In præſentia*, *de probat.* & præſertim Bero. *num.* 197. ubi firmat eum qui fervore infirmitatis, & doloris impatientia, metu mortis ingreditur, & profeſſionem facit in aliquo monaſterio, teneri in religione perſeverare, nec eſſe locum pœnitentiæ; quod tamen intellige, dummodò ſit mentis compos; aliàs enim non obligaretur, veluti, ſi tanta eſſet morbi vis, ut in phrenitidem incidiſſet, in quo caſu loquitur textus in d. *cap. In præſentia*. Ad idem d. *cap. Sicut tenor*, *cap. Gonſaldus*, & ibi notat 17. *qu.* 2. *cap. Neque furioſus*, 32. *qu.* 7 & *cap. fin. de ſucceſſ. ab inteſt. l. Sanum mente*, *C. de tranſact.* & hìc notat gloſ. *in ver. De morte ſecurus*, Hoſtien. *in princ.*

23 Bero. *ubi ſuprà*, *num.* 199. & alii communiter. Et eſt ſimile in matrimonio carnali; nam etſi mortiferè quis ægrotet, tamen niſi ſit extra mentem poſitus, validè contrahit, ut notat Joan. Andr. in regula, *Sine culpa*, *de regul. jur. lib.* 6. *in Mercur.* & Abb. *hìc in* 1. *not.* Cyn. *in l. Nuper*, *C. de natural. liber.* Alex. *in l. Si quis poſthumos*, *ff. de liber. & poſthum.* & alibi paſſim Doctores.

Quinimò S. Pius V. indulſit Monialibus novitiis Ordinis S. Dominici, ut in articulo mortis conſtitutæ poſſint profeſſionem emittere, dummodò aliàs ſint legitimæ ætatis, etiam anno probationis nondum completo, ut in ejus litteris incipien. *Summi Sacerdotii in Bullar. tom.* 2. *pag.* 315. tametſi litteræ hujuſmodi aliquibus videantur redactæ ad terminos juris, & Concilii Tridentini, à Greg. XIII. in conſtitutione quæ incipit, *In tanta*, *eod. tom.* 2. *pag.* 370. de quo tamen dic ut ſcripſi in *cap. Ad Apoſtolicam*, *in ult. not. verſ. Fallit ſecundo ſuprà eodem*.

24 Neque huic concluſioni adverſatur, quòd metus mortis, veluti cadens in conſtantem virum, inficiat profeſſionem, ut *cap. Perlatum*, & *cap. Cùm dilectus ſuprà de iis, quæ vi, metuſve cauſa*, Archid. *in d. cap. Conſtituit*, *num.* 3. *verſ. Cùm ergo facilius* 20. *quæſt.* 3. ubi exactè inquirit rationem differentiæ, cur in ſpiritualibus contractus metu initus ſit ipſo jure nullus, dolo autem initus teneat; cùm tamen in aliis contractibus bonæ fidei magis officiat dolus, quàm metus.

Quoniam, ut reſpondet gloſ. 1. *hìc*, idcircò timor mortis impedit Monachatum in d. *cap. Perlatum*, quia monachatur ibi, ut evadat mortem corporis; hìc verò non monachatur, ut evadat mortem corporis, ſed potiùs mortem animæ. Fortè gloſ. habuit bonum intellectum, licèt mentem ſuam non ſatis aperiat. Sed tu dic pleniùs ſecundùm Hoſt. *num.* 1. Quandoque imminet timor mortis naturalis,

25 quandoque timor mortis accidentalis. Si immineat timor mortis naturalis, ſeu, ut Thologi dicunt, ab intrinſeco, ut in graviter ægroto, votum non impeditur, ut hìc, & in d. *cap. Ex parte*, *il primo*, *de converſ. conjugat.* & d.

26 *cap. Porrectum*, *ſupra eod.* Si verò immineat timor mortis accidentalis, tunc ſubdiſtinguendum, an illa ſit cauſalis, vel violenta; & quidem, ſi timeat mortem accidentalem caſualem, idem dicendum quod in primo caſu, ut ſcilicet votum non impediatur, puta navigat, & periclitatur navis, vel timet incendium, ruinam, vel peſtem, aut cladem, quæ forſan Deus immittit, ut homines convertantur, ut *cap. Revertimini*, 16. *q.* 1. *cap. Sanctum eſt*, *de conſecrat. diſt.* 4. & in Auth. *Ut non luxurientur contra naturam*, 1. *reſponſ.* &

27 §. 1. *collat.* 6. Sin autem timeat mortem accidentalem violentam, tunc irrita eſt profeſſio, ut d. *cap. Perlatum*, *cum*

28 *ſimil.* Ratio diverſitatis eſt, quia in hoc ultimo caſu, ideſt cùm timetur mors accidentalis violenta, metus incutitur ab homine, non à Deo, & contra violentiam hominis jura ſubveniunt, *ut l.* 1. & *toto titulo*, *ff. quod met. cauſ.* In primis verò duobus caſibus, nempè cùm ingruit timor mortis naturalis, vel accidentalis cauſalis, immittitur timor à Deo forſan ad animæ converſionem, ut proximè dictum eſt, contra quod non competit reſtitutio, ut notat Joan. Andr. in *cap. Cùm virum*, *ſuprà eod.* nec eſſet ſuperior, qui illam dare poſſet, *cap. Inferior*, 21. *diſt.* & *cap. Cùm inferior*, *ſupra de major. & obedient.* nam & Deus quandoque per flagella corripit peccatores, *cap. Nabuchodonoſor*, 23. *q.* 4. Et hoc videtur ſentire gloſ. noſtra, dum ait: (Timor mortis hìc monachatum non impedit, quia non monachatur, ut evadat mortem corporis, ſed mortem animæ) ideſt quia timor non ab homine, ſed divinitùs incutitur ad animæ ſalutem. Ita diſtinguit Hoſt. cui Joan. Andr. Henric. Boich. & cæteri conſentiunt. Et hoc ipſum in effectu voluit idem Hoſt. *in ſumma hoc tit.* §. *Et qualiter*, *circa princ.*

Tu verò in ultimo caſu, ideſt cùm imminet timor mortis accidentalis violentæ, ſeu ab extrinſeco, ſubdiſtingue 29 an timor hujuſmodi ſit ordinatus ad profeſſionem extorquendam, an non; ut in primo caſu irritet profeſſionem, juxta textùm in præallegat. *cap. Perlatum*, non autem in ſecundo. Unde ſi quis religionem ingrederetur, ut evaderet mortem ſibi imminentem ab inimicis, vel miniſtris juſtitiæ propter conſcientiam ſcelerum, valeret ingreſſus, ut ſcripſi plenè in *cap. Si quis*, *à num.* 81. *ſuprà eod.* & innuit *hìc* Butr. licèt valdè ſuccinctè, *nu.* 8. dum ait timorem mortis tunc demum impedire votum, quando in illius finem ordinatur; aliàs ſecus. Itaque in caſu hujus puellæ cùm timor fuerit mortis naturalis, ſeu ab intrinſeco propter morbum incurabilem, concludendum eſt profeſſionem ex hoc capite non fuiſſe irritam; & hoc planum.

Sed non levis eſt difficultas in poſteriori membro ſecundæ inſpectionis, videlicet an ad effectum, ut dos puellæ ſit 30 hæredibus reſtituenda, dolus, & fraus ſufficienter probetur ex hoc quòd profeſſio emiſſa fuerit in articulo mortis, quando illius ſalus jam deſperata erat. Bald. in d. *cap. In præſentia*, *num.* 31. *de probat.* affirmat Doctores tenere profeſſionem in articulo mortis emiſſam non nocere ſubſtituto, quia videtur in fraudem, & idem Bald. in Authen. *Niſi rogati*, *col. fin. num.* 24. *C. Ad Trebell.* ubi quærit: Quid ſi rogatus reſtituere hæreditatem in ultimo vitæ ſpiritu ſe Monachum faciat, & profiteatur, an id obſit fideicommiſſario. Et reſolvit non obeſſe: quia videtur in fraudem feciſſe, allegat *l. Filia mea*, *ff. ſoluto matrimonio*, & *l. Omnes*, §. *Lucius*, *ff. quæ in fraud. credit.* facit quod ipſe 31 Bald. notat in Auth. *Si qua mulier*, *col. penul. verſ. Septimo quæro*, *C. de ſacroſanct. Eccleſ.* ubi dicit, ſuſcipientem in morte habitum religionis non cenſeri profeſſionem emittere, nec illius bona in monaſterium transferri, allegat Speculatorem idem dicentem *in titul*, *de ſtatu Monachor.* §. 1. *circa finem*. Eamdem opinionem amplectitur *hìc* Petr. de Anchar. *num.* 1. ubi poſteaquam dixit poſſe quem validè profiteri, etiamſi de vita deſperet, ſtatim ſubdit: (Hoc limitarem verum eſſe, niſi fortè alteri fieret præjudicium per ingreſſum talem, puta fideicommiſſario univerſali, cui debet fieri reſtitutio, quia iſte ſine liberis decedebat: nam ingrediendo, & profitendo in mortis articulo, licèt videatur liberos habuiſſe, per d. *cap. In præſentia*, non videtur hujuſmodi profeſſio fideicommiſſario nocere.) Et ſequitur Joan. de Anan. *in* 1. *notab.* Et pro hac parte facit optimè textus, quem Bald. allegat in d. *l. Filia mea*, *ff. ſolut. matrim.* ubi repudium miſſum à marito uxori ſuæ ægrotanti tamquam fraudulentum non præjudicat patri, qui ſtipulatus fuerat dotem ſibi reddi ſoluto matrimonio per mortem. Ad idem facit textus in *cap.* 2. *de renunc. lib.* 6. quod prodiit ex utero d. *l. Filia mea*, ubi expreſſum eſt re- 32 nunciationem beneficii factam in mortis articulo præſumi in fraudem expectantis. Demum facit pro hac parte 33 quòd S. Pius V. dum in ſua conſtitutione indulſit Monialibus Novitiis Ordinis S. Dominici, ut in articulo mortis conſtitutæ profiteri poſſent etiam ante annum probationem expletum, ut dictum eſt ſuprà *num.* 23. *verſ. Quinimò*; cum myſterio adjecit clauſulam illam: Ita tamen ut ſic decedentes conſequi poſſint indulgentiam, & alias gratias, quas moniales verè profeſſæ decedentes conſequuntur. Hinc apertè inſinuat indultum hoc ſuffragari tantummodò quo ad ſpiritualia, & concernentia ſalutem animæ profitentis, non autem quoad bona temporalia in præjudicium fidei-

fideicommiſſarii, aut venientium ab inteſtato, quod tenuerunt nonnulli ex recentioribus relati à modernis, Collectar jus in *c. Ad Apoſtolicam*, *n.*4. *ſuprà eodem*.

34 Cæterùm opinionem Baldi, & ſequacium impugnat in d. *cap. In præſentia*, Decius *num.*209. *verſ. Sed tamen iſta*, & fuſiùs Bero *num.* 204. tum quia non eſt veriſimile, ut quis velit in vita ſua privari, & ſpoliari omnibus bonis, & jugo religionis ſe ſubjicere ad finem, ut poſt mortem ſuam excludatur fideicommiſſarius; quin potiùs hinc elicitur

35 fortior præſumptio quòd motus fuerit bono zelo: tum quia in extremo vitæ conſtitutus non præſumitur immemor ſalutis æternæ, arg. *l. Merito*, *ff. pro ſocio*: tum denique quia in dubio in his, quæ habent juris aſſiſtentiam, & ſunt ex genere bonorum, ſicuti eſt profeſſio regularis, dolus non eſt præſumendus, arg. eorum, quæ tradit Bart. in *l. Non ſolum*, §. *& probari*, *ff. de nov. oper. nunc.* juncto hoc cap. & *cap. Porrectum*, *ſuprà eod.* Quinimò ut dolus, & fraus præſumatur, præcedere debent perſpicua indicia, ut *l. Dolum*, *C. de dolo*.

Prima opinio in propoſita facti ſpecie verior videtur; quoniam puella hæc non tantùm fecit profeſſionem laborans in extremis, ſed etiam ſeducta perſuaſionibus Abbatiſſæ, & Monialium, ut conſtat ex dictis ſuprà in prima inſpectione. Verùm cùm hic articulus præſumptæ fraudis ſit admodùm controverſus, & pendeat ex conjecturis, & circumſtantiis, quæ in facto conſiſtunt, & poſſunt aliter atque aliter ſe habere: tutius eſſet illum rejicere ad judicem Ordinarium, ut mos eſt Sac. Congregationis, & poſſet ſimpliciter reſponderi profeſſionem emiſſam in mortis articulo, & ad perſuaſionem Abbatiſſæ, & Monialium, niſi aliud obſtiterit, eſſe validam; ſed dotem ita demum eſſe proximioribus reſtituendam, ſi de fraude legitimè conſtiterit, quod judex cauſæ diligenter diſpicere debebit. Et ita reſponſum.

DE REGULARIBUS.

Idem Innocentius III. Priori, & Conventui Dimolenſi.

CAPUT XVIII.

Licèt quibuſdam Monachis, & Canonicis, necnon & Hoſpitalariis, & Templariis à ſede Apoſtolica ſit indultum, ne poſtquam aliquis profeſſus fuerit apud eos, ad alium locum poſſit ipſis invitis, arctioris etiam religionis obtentu, tranſire, ut unuſquiſque ſecundum Apoſtolum in ea vocatione permaneat, in qua dignoſcitur eſſe vocatus: quia tamen ubi Spiritus Dei eſt, ibi libertas; & qui Dei Spiritu aguntur, non ſunt ſub lege, quia lex non eſt poſita juſto; ea ratione videtur hoc illis fuiſſe conceſſum, ne quis ex temeritate, vel levitate, in jacturam vel injuriam ſui ordinis, ſub prætextu majoris religionis, ad alium ordinem tranſvolaret, ſicut frequenter à multis conſtat eſſe præſumptum: non quidem, ut ei tranſeundi licentia denegetur, qui eam cum humilitate ac puritate duxerit poſtulandam, ut non fictè, ſed verè, ad frugem melioris vitæ valeat traſmigrare. Talis ergo poſtquam à Prælato ſuo tranſeundi licentiam poſtulaverit, ex lege privata (quæ publicæ legi præjudicat) abſolutus, liberè poteſt ſanctioris vitæ propoſitum adimplere, non obſtante proterva indiſcreti contradictione Prælati: quia privilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate: cùm etiam Romanus Pontifex, qui ſupremam in Eccleſia obtinet poteſtatem, Archiepiſcopis & Epiſcopis cedendi licentiam ex juſta cauſa petentibus, ſine difficultate concedat. Quocirca noverint univerſi, quibus hujuſmodi privilegium eſt conceſſum, ſe ad concedendam licentiam tranſeundi taliter poſtulantibus de jure teneri: quia ſicut ſubditus à Prælato cum humilitate & puritate debet tranſeundi licentiam poſtulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur: ſic profectò Prælatus ſubdito, ſine difficultate & pravitate qualibet, debet tranſeundi licentiam indulgere, ne videatur propoſitum impedire divinitùs inſpiratum. Si verò probabiliter dubitetur, utrum quis velit ad ordinem arctiorem, aut laxiorem ex charitate, an ex temeritate tranſire, ſuperioris eſt judicium requirendum: ne fortè angelus ſatanæ in lucis Angelum ſe transformet. Illa ſemper regula inviolabiliter obſervata, ut nullus abſque licentia Romani Pontificis præſumat occaſione quacumque deſerere præſulatum: quoniam ſicut majus bonum minori bono præponitur: ita communis utilitas ſpeciali utilitati præfertur. Et in hoc caſu rectè præponitur doctrina ſilentio, ſolicitudo contemplationi, & labor quieti. Ad quod utique deſignandum unigenitus Dei Filius Jeſus Chriſtus, non de Rachele ſecundùm carnem natus eſt, ſed de Lia: nec legitur eum in domum ſuam Maria recepiſſe, ſed Martha. Unde quando poteſt Epiſcopus præeſſe pariter & prodeſſe, non debet cedendi licentiam poſtulare, aut etiam obtinere. Cùm ergo R. monachus veſter, ad fratres Ciſtercienſis ordinis tranſmigraverit, non ut ordini veſtro aliquatenus derogaret, ſed ut apud eos vitam duceret arctiorem: mandamus, quatenùs ſuper eo quod de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta feciſſe dignoſcitur, eum nullatenùs moleſtetis; quia charitas eſt fons proprius, cui non communicat alienus.

SUMMARIUM.

1 *Regularis zelo ſanctioris vitæ ad arctiorem ordinē tranſire poteſt licentia petita, licèt non obtenta, etiāſi prima religio ſuper hoc ſit privilegiata, & n.* 11. *Declara*, *nu.* 22. *&* 23.

2 *Privilegium aliquibus religionibus conceſſum de non tranſeundo ad arctiorem, intelligitur de tranſitu indiſcreto, & n.* 22. *&* 23.

3 *Juramentum ubi prohibetur, temerarium tantùm cenſetur prohibitum.*

4 *Lex privata, ideſt inſpiratio divina, præjudicat legi publicæ, ideſt communi.*

5 *Privilegium debet potiùs interpretari, ut nihil operetur, quàm ut juri divino præjudicet.*

6 *Religioſi manere debent in ea vocatione qua vocati ſunt.*

7 *Nec tranſire debent ad aliam religionem ſine magna neceſſitatis, vel utilitatis cauſa.*

8 *Hominē ſimul univerſis fulciri virtutibus, impoſſibile eſt.*

9 *Planta non coaleſcit, quæ ſæpè transfertur.*

10 *Manere quis debet in ſua vocatione, niſi inſtinctu Spiritus Sancti ad perfectionem vitam inducatur.*

11 *Regularis petita, licèt non obtenta licentia, tranſit ad ſtrictiorem religionem authoritate propria, vel potiùs Spiritus Sancti, & ſic jure divino naturali, & num. ſeqq. & n.* 39.

12 *Vo-*

12 *Votum proprium jure divino naturali licitum eſt in melius commutare.*

14 *Concilium qui tenetur requirire, tamen ſequi non adſtringitur.*

15 *Prælatus regularis ſine juſta cauſa denegans licentiam ſubdito tranſeundi ad arctiorem religionem, mortaliter peccat.*

16 *Epiſcopus non poteſt Eccleſiam deſerere, ut tranſeat ad religionem ſine licentia Papæ; nec debet hujuſmodi licentiam petere, aut obtinere, quamdiu ſuis ſubditis prodeſſe poteſt.*

17 *Vita activa eſt fructuoſior, quàm contemplativa.*

18 *Religioſus poteſt epiſcopari, ſed Epiſcopus non poteſt monachari.*

19 *Regularis ut tranſire poſſit ad arctiorem religionem, licentia petita, licèt non obtenta, requiritur.*

Primò, ut ſecunda religio ſit ſtrictior quo ad actualem obſervantiam, n. 20.

Secundò, ut prima religio non ſit ſuper hoc ſpecialiter privilegiata, n. 22.

Tertiò, ut tranſitus non redundet in jacturam, vel infamiam primæ religionis, n. 24. & ſeqq. uſque ad n. 30. & num. 45.

Quartò, ut tranſiens non moveatur ex temeritate, vel levitate, ſed zelo ſanctioris vitæ, n. 32.

Et quomodo de hujuſmodi zelo conſtare debeat, numero 31.

Et quid ſi de hoc probabiliter dubitetur, n. 31.

Et quando dicatur probabiliter dubitari, numer. 33. & 35.

Quintò, ut licentiam petat à ſuo Prælato immediatè, num. 36.

Et an debeat eam petere etiam à conventu, num. 37. & ſeqq.

Sextò, ut ſit tacitè, vel expreſsè profeſſus, n. 40.

Septimò, ut ſit ſubditus, non autem Prælatus, n. 41.

Octavò, ut licentiam petat ante tranſitum, n. 44.

Nonò, ut eam petat cum humilitate, & puritate, numer. 45.

Decimò, ut cauſam ſui tranſitus aſſignet Prælato ſuo, num. 46.

Undecimò, ut debito tempore expectet reſponſum, numer. 47.

Et quid ſi Prælatus non reſpondeat, aut non probabiliter, num. 48.

Duodecimo, ut conſtet Prælato ſecundam religionem paratam eſſe illum recipere, ad quam recta ſe transferat, num. 49.

Decimotertiò, ut veniat cum litteris dimiſſoriis Prælati ſui. n. 50.

Quòd ſi venerit ſine dictis litteris, quid facere debeat Prælatus ſecundæ religionis, n. 51.

20 *Religio una ut ſit arctior altera, non attenditur, an habeat ſtrictiorem regulam, ſed an modò in ea arctior vita ducatur.*

21 *Regularis poteſt tranſire à religione, in qua remiſſius vivitur, ad minorem religionem melius obſervatam. Sed cùm dubitatur, an ſecunda religio ſit arctior, Superioris judicium eſt requirendum.*

22 *Privilegio Ciſtercienſium & Societatis Jeſu, ne illorum profeſſi tranſire poſſint ad arctiorem religionem ſine licentia Superioris obtenta, non gaudent aliæ religiones per communicationem.*

23 *Sed ſi Superior licentiam pertinaciter denegaret, recurrendum eſſet ad proximum Superiorem.*

25 *Regularis, qui ad arctiorem tranſivit, revocari poteſt, ſi prior Eccleſia enormiter lædatur.*

Et hoc per viam juris communis, ſi teneret tranſitus, vel per viam reſtitutionis, ſi non teneret, ibidem.

26 *Alienatio perſonarum major, & gravior cenſetur, quàm rerum, & n. 39.*

27 *Opera juſtitiæ præponenda ſunt operibus charitatis.*

28 *Clericus ſæcularis tranſire poteſt ad religionem non petita Epiſcopi licentia, imo & ipſo contradicente.*

29 *Epiſcopus tamen poſſet eum repetere, ſi Eccleſia gravem pateretur jacturam, licèt tranſiviſſet de ejus licentia.*

31 *Regularis petita licentia præſumitur bono zelo ad arctiorem religionem tranſire.*

Proſp. Fagnan. in III. Lib. Decretal.

32 *Quòd ſi de hoc dubitetur, recurrendum eſt ad Superiorem, ad quem ſubditus appellaret, ſi gravaretur, & requiritur ejus licentia petita, & obtenta.*

33 *Rugularis quibus conjecturis deprehendatur tranſiiſſe ad arctiorem Ordinem ex cauſa temeritatis, ſeu levitatis.*

34 *Canonicus Regularis, qui non poteſt vivere ſine carnibus, dicitur tranſire ad Monachos ex temeritate.*

36 *Prælati ſui appellatione venit Prælatus immediatus monaſterii, non autem Generalis, vel Provincialis, niſi aliud habeat conſuetudo, vel ſtatuta Ordinis.*

38 *Intellectus cap.* Statuimus, 19. q. 3.

39 *Regularis tranſiens ad ſtrictiorem ordinem non alienatur, ſed in melius commutatur auctoritate Superioris*

40 *Novitius poteſt ad aliam religionem tranſire abſque Superioris licentia.*

41 *Prælatus an poſſit ad ſtrictiorem religionem tranſire petita, licèt non obtenta Superioris licentia.*

42 *Quid ſi habeat alium Superiorem citra Papam.*

43 *Et quid ſi ſit Papæ immediatè ſubjectus.*

44 *Licentia ubi in aliquo caſu exigitur, non ſufficit eam petere ex poſt facto.*

47 *Licentiam, vel conſilium quid debet petere, tenetur debito tempore reſponſum expectare.*

48 *Regularis an poſſit tranſire ad arctiorem, ſi petita licentia Prælatus nil reſpondeat, aut non probabiliter, vel ſine cauſa licentiam deneget.*

49 *Regularis diſcedens è monaſterio, ut tranſeat ad arctiorem religionem, antequam conſtet eam paratam eſſe illum recipere, fugitivus eſt, & apoſtata.*

52 *Tranſitus ad arctiorem ordinem non petita licentia an ſit irritus, ita ut regularis ad primum ordinem revocari poſſit, & n. ſeqq. uſque ad n. 60.*

53 *Quid ſi tranſierit ex temeritate ſeu levitate.*

54 *Et quid ſi zelo melioris frugis.*

55 *Licentia tranſeundi ad ſtrictiorem ordinem peti debet à Monacho ex honeſtate, non autem ex neceſſitate.*

Contrarium, num. 56.

57 *Regularis tranſiens ad arctiorem non petita licentia præſumitur motus ex animi levitate.*

58 *Circuitus non eſt inutilis, quando per eum ſatisfit canoni.*

60 *Monachus morari debet apud monaſterium, ad quod tranſivit, lite pendente ſuper ejus tranſitu.*

61 *Monialibus, an liceat de uno monaſterio tranſire ad aliud ſtrictioris obſervantiæ, petita, licèt non obtenta Superioris licentia.*

62 *Religio tota, ſeu domus religioſa an poſſit ſe ad ſtrictiorem religionem transferre.*

L*Icèt*. Profeſſus religionis privilegiatæ, quòd de illa ad aliam etiam arctiorem tranſire non poſſit, petita Prælati ſui licentia, quamvis non obtenta, poterit zelo ſanctioris vitæ arctiorem regulam profiteri. Hoc dicit Joan. Andr. Butr. Cardin. Anchar, & Joan. de Anan. Vel aliter ſecundùm Abb. Poteſt religioſus zelo ſanctioris vitæ ad religionem tranſire ſtrictiorem petita priùs licentia Prælati ſui, licèt non obtenta, etiamſi primum monaſterium ſit privilegiatum, quòd de illo ad aliud etiam arctius tranſire non poſſit. Dividitur in duas partes principales. Prima ponit exordium, ex quo ſecunda factum definit, ibi, *Cùm ergo*; & prima pars facit quinque; nam primò ponit formam privilegii; ſecundò ipſius interpretationem, & interpretationis cauſam, ibi, *Quia tamen;* tertiò illam fortificat ibi, *Cùm etiam;* quartò illam reaſſumendo ſpecificat ibi, *Quocirca*; quintò, ſpecificationem determinat, ibi, *Illa*, Joan. Andr. 1

Nota ex prima parte textus, indultum aliquibus religionibus conceſſum, quòd profeſſi apud eas tranſire non poſſint ad religionem arctiorem, ita eſſe temperandum, ut intelligatur, ſi tranſitus fiat ex temeritate, vel levitate; ſecus verò ſi zelo perfectioris vitæ, gloſſ. *hic in ver. Ex temeritate*, Butr. & Card. *in* 1. *notab.* Unde Innoc. *in princ. in ver. Tranſire*, ſupplet, ideſt temerariè, ſed ſi velit diſcretè tranſire, non obſtante privilegio tranſire poterit, & concordant Hoſt. *in princ. in ver. Poſſit*, & Joan. Andr. *n.* 2. *in ver. Tranſire*, ubi quòd privilegium non impedit diſcretum tranſitum. 2

Similis interpretatio fit in juramento, quod ubi prohibetur, 3

betur, temerarium tantùm intelligitur prohibitum, *c. Ita ergo*, 22. *q.* 1. gloſ. *ubi ſuprà*, & Hoſt. *n.* 5.

4 Rationes cur hoc privilegium ita ſit interpretandum, habes in littera, nempè quia *ubi ſpiritus Dei eſt, ibi libertas*, & *qui ſpiritu Dei aguntur, non ſunt ſub lege;* quia lex non eſt poſita juſto; & lex privata, ideſt inſpiratio divina, & lex conſcientiæ præjudicat legi publicæ, ideſt communi.

5 Et ex hoc, & ex textu deducitur, ut quando privilegium juri divino, ſeu inſpirationis divinæ poteſt in aliquo præjudicare, ſit ſtrictiſſimè intelligendum, ita ut nec debeamus illud interpretari, ut aliquid operetur, ſi non poteſt illud operari ſine derogatione juris divini, ſeu libertatis ſpiritus; quod eſt valdè notandum ſecundùm Abb. *hic in primo notabili.*

6 Secundò nota ibi, *Vocatus*, unumquemque religioſum debere in ea vocatione permanere, in qua vocatus eſſe dignoſcitur, ſecundùm Apoſtol. 1. *ad Corinth.* 7. & dic vocatione, ideſt profeſſione, ut *hic* per Joan. Andr. *num.* 2. *in verb. Vocatus.*

7 Quapropter ſecundùm D. Thomam *in* 2. 2. *qu.* 189. *art.* 8. *in corp.* & Joan. Andr. *ubi ſuprà*, non eſt laudabile de una religione ad aliam tranſire ſine magna neceſſitatis, vel utilitatis cauſa, tum per hanc authoritatem; tum quia ex hoc plerumque ſcandalizantur illi, qui relinquuntur; tum quia veriſimilius eſt quem proficere in religione, cui aſſuevit, quàm in illa, cui non aſſuevit, cæteris paribus. Un-

8 de in collationibus Patrum *col.* 14. *cap.* 5. *in princ.* legitur Abbatem Neſtorium dixiſſe: *Unicuique utile eſt, ut ſecundùm propoſitum, quod elegit, ſummo ſtudio, ac diligentia ad operis cœpti perfectionem pervenire feſtinet, & nequaquam à ſua, quam ſemel elegit, profeſſionem diſcedat*; & rationem ſubjicit: *Impoſſibile enim eſt unum, eumdemque hominem ſimul univerſis fulciri virtutibus, quas qui voluerit pariter attentare, in id incidere eum neceſſe eſt, ut dum omnem ſectatur, nullam integrè conſequatur.* Huc etiam ſpectat illud Marci Varronis: *Nunquam perveniet, qui quot vi-*

9 *det calles ſectatur*, & illud Senecæ *Epiſt.* 2. *Primum argumentum compoſitæ mentis exiſtimo, poſſe conſiſtere, & ſecum morari*, & infrà: *Nuſquam eſt qui ubique eſt*; *& in peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hoſpitia ha-*

10 *beant, nullas amicitias.* Item *non coaleſcit planta, quæ ſæpè transfertur.* Veruntamen prædicta authoritas, *Unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat*, intelligi debet, niſi inſtinctu Spiritus Sancti ad ſanctiorem vitam inducatur, ut *hic* per Abb. *in* 2. *notab.* magnoperè tamen cavendum, ne fortè Angelus Sathanæ in lucis Angelum ſe transformet, ut hìc dicitur in littera.

11 Tertiò nota, ibi, *Licentiam poſtulaverit*, ab hoc ut regularis tranſire poſſit ad arctiorem regulam, ſufficere licentiam Superioris petitam, licèt non obtentam, ut hìc eſt caſus ſecundùm omnes in ſummario textus. Ad idem *c. Mandamus*, juncta gloſ. *in verb. Monachus*, & *cap. Statuimus*, 19. *qu.* 3. *cap. Non eſt vobis*, *c. Sanè*, & *cap. Significatum*, *ſuprà eodem*, & hìc notat gloſſ. *in ver. Licentiam poſtulaverit*, Hoſtien. *n.* 9. Joan. Andr. *num.* 5. & reliqui omnes, gloſſa in *cap. Joannes*, *in verb. Monaſterium*, *ſuprà eodem*, item gloſ. *in cap. Cum ſingula*, *in verb. Canonicè*, *de præbend. lib.* 6. Et hanc eſſe veram, & indubitatam concluſionem omnium planè Doctorum firmat Abbas *in conſ.* 95. *In præſenti*, *ante num.* 1. *verſ. tamen vera*, *lib.* 1. Et tunc religioſus ad arctiorem tranſire poterit propria auctoritate, Innoc. *hic num.* 1. *in ver. Adimplere*, Hoſtien. *num.* 14. & Joan. Andr. *nu.* 4. *in eodem verb.* vel potiùs auctoritate Spiritus Sancti, ut idem Hoſtien. ait *n.* 15. *in verb. Indulgere:* & ita hoc videtur licere jure divino na-

12 turali, quo licitum eſt votum proprium commutare in melius, ut per Cajetan. *in* 2. 2. *qu.* 88. *art.* 12. *paulò poſt princ. verſ. Ad hujus evidentiam ſciendum.* Ad hoc *c. Pervenit* 2. *il ſecundo*, *ſuprà de jurejur.* & tenet noviſſimè Th. Sanch. *ſuper Decalog. tom.* 2. *lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 3. & ſatis clarè deducitur ex littera hujus cap.

13 Et hinc ſolvitur objectum, quòd ſæpè propter bonum obedientiæ omittatur quod aliàs eſſet bonum, *cap. Quod culpatur*; 23. *q.* 1. Nam ut formaliter reſpondit Hoſtien. *hic n.* 11. talis auctoritate hujus cap. eſt abſolutus: quinimò à Spiritu Sancto intelligitur abſolutus à licentia impetranda, qui ei ſpirat, ut tranſeat: ergo ei tamquam ſuperiori obediendum eſt, *cap. Qui reſiſtit*, 11. *q.* 3. unde & excuſatur qui ad majus Tribunal vocatus eſt, *l. Contra pupillum*, *in fin. ff. de rei vendicat.* & patet *in c. Gaudemus*, §. *Quia verò*, *verſ. Nec ulli unquam licuit*, *& verſ. Verumtamen*, *infrà de divort.* Et eſt ſimile in conſilio quod quis tenetur requirere, & tamen ſequi non adſtringitur, ut *cap. Cùm olim*, *ſuprà de arbitr.* Item ſimile *in cap. Potuit*, *de locato*, *& l. ult. C. de jure emphyt.* Quomodo autem hujuſmodi licentia ſit poſtulanda, & quæ deſiderentur ad hoc ut tranſitus ad arctiorem religionem ſit licitus, plenè examinatur infrà in prima quæſtione. 14

Quartò nota ibi, *De jure teneri*, Prælatum regularem teneri ſine difficultate indulgere ſubdito licentiam migrandi ad ſtrictiorem ordinem, ſi cum humilitate, & puritate fuerit poſtulata, ne videatur propoſitum impedire divinitùs inſpiratum, ut in littera; & ex hac ratione deducitur, ut Prælati hujuſmodi licentiam protervè, & ſine juſta cauſa denegantes mortaliter peccent, ad hoc quod ſcripſi in *c. Si quis*, *n.* 38. 39. *&* 40. *ſuprà eod.* & tenent relati à modernis Collectoribus *hic n.* 16. 15

Quintò nota, ibi, *Deſerere Præſulatum*, Epiſcopum non poſſe Eccleſiam ſuam derelinquere, ut tranſeat ad religionem, ſine licentia Romani Pontificis; nec debere hujuſmodi licentiam poſtulare, aut etiam obtinere, quamdiu ſuis ſubditis prodeſſe poteſt, Abbas *hic n.* 6. Rationem habes in textu, quia vita activa eſt fructuoſior, quàm contemplativa, & majus bonum minori bono præponitur. Unde in hoc caſu rectè præponitur doctrina ſilentio, ſollicitudo contemplationi, & labor quieti religioſorum. Quo fit ut religioſus poſſit epiſcopari, *cap. Quod Dei timorem*, *inf. de ſtat. Monach. & cap. unic.* 18. *qu.* 1. ſed Epiſcopus non poſſit monachari, ut hic: nam plus eſt illuminare, quàm lucere. Hanc materiam latiùs proſequor in *cap. Niſi cum pridem*, *à n.* 5. *uſque ad nu.* 11. *ſuprà de renunciat.* ibi plenè videas. 16 17 18

QUÆRO generaliter, quæ requirantur ad hoc ut religioſus ex una religione ad aliam ſtrictiorem tranſire poſſit licentia petita, licèt non obtenta. 19

Abbas *hic in* 4. *notab.* ponit tria tantùm requiſita ad hoc ut religioſus licitè tranſire poſſit ad aliam religionem. Sed multò plura deſiderari, ſatis claré ex infrà dicendis patebit.

Primò ergo requiritur, ut ſecunda religio ſit ſtrictior quoad actualem obſervantiam: non enim attenditur tempus inſtitutionis regulæ, ſeu primævi inſtituti; ſed neceſſe eſt, ut tempore tranſitus ibi rectior vita ducatur. Et hoc innuit littera hujus text. ibi, *Vitam duceret arctiorem*, ut accuratè obſervat Abb. *in* 9. *notab.* ſubdens in hoc multos decipi exiſtimantes ſufficere, ut ſecunda religio habeat ſtrictiorem regulam; & probatur *in c. Sanè*, *ſuprà eod.* ibi: *Si locus, in quo nunc permanet, majoris religionis, quàm Eccleſia Aromaten. exiſtat*, ubi Innoc. *in princ.* ponderando illud verbum, *Nunc*, [Licèt (inquit) monaſterium, ubi fecit profeſſionem, inſtitutum fuerit in diſtrictiori regula, & monaſterium ad quod tranſivit, in laxiori; tamen hoc non eſt attendendum, ſed quòd monaſterium modò ſit arctius.] Et concordant ibi Hoſtien. *in princ. in verb. Nunc*, & Joan. Andr. *num.* 2. *&* 3. qui ex hoc infert ſecundum Theologos, de arctiori religione, in qua remiſſiùs vivitur, poſſe quem tranſire ad minorem religionem meliùs obſervatam. Quod expreſsè docuit S. Thom. *in* 2. 2. *qu.* 189. *art.* 8. *in corp.* ubi refert in collationibus Patrum Abbatem Joannem *in collat.* 19. *cap.* 2. 5. *&* 6. de ſeipſo dicere, quòd à vita ſolitaria, in qua profeſſus fuerat, tranſiit ad minorem, ſcilicet eorum, qui vivunt in ſocietate, propter hoc, quòd vita eremitica cœperat declinare, & laxiùs obſervari. Et ex facto reſpondit Card. *in conſ.* 28. *Pro elucidatione per totum*, *maximè n.* 2. dicens de hoc eſſe caſum *in d. c. Sanè*, & Abbas *d. conſ.* 95. *num.* 1. *lib.* 1. Lap. *alleg.* 62. *num.* 6. *verſ. Ad ſecundum*, *& allegat.* 131. *num.* 1. *verſ. Item quia*, licèt hoc caſu, ideſt cùm dubitatur, an ſecunda religio ſit arctior, videatur judicium ſuperioris neceſſarium, ſecundùm Joan. Andr. *hic num.* 3. Henric. Boich. *num.* 11. & Abb. *num.* 3. Hoſtien. *in ſumm. tit. de vot. num.* 7. & Silveſter *in verb. Religio* 4. *qu.* 1. *in* 1. *notab. & quæſt.* 2. Quæ autem religio dicatur major, an ſcilicet quæ arctior, & durior eſt; an verò quæ perfectior, & fructuoſior; dixi poſt Joan. Andr. *in c. Sanè à n.* 24. *uſque ad num.* 66. *ſuprà eod.* ubi plenè videas. 20 21

Secundò requiritur, ut prima religio non habeat privilegium ſpecificum, quòd non ſufficiat licentia, petita niſi 22

etiam

etiam ſit obtenta, ſicut habet Ciſtercienſes, ſecundum Hoſt. hic *in princ. in verb. Tranſire*, & Joan. Andr. *nu.* 2. *in eodem verb.* Simile privilegium habet Societas Jeſu à Pio IV. & V. videlicet ne ab illa fieri poſſit tranſitus ad quamcumque religionem, præterquàm ad Carthuſiam, abſque licentia ſuperiorum obtenta, ut refert Sanchez *ſuper Decalog. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 7. *n.* 28. *poſt med. verſ. Tamen quia Pius IV.* ſubdens eo privilegio gaudere omnes Mendicantes per communicationem. Quod non credo verum; quia hujuſmodi communicationes non extenduntur ad ea, quæ ſunt difficilis conceſſionis, juxta theoricam Antonii de Butr. *in conſ.* 19. quod fuit ſæpiùs approbatum in Sacra Congregat. Concilii, & in Rot. Cæterùm
23 adverte, quia ſi hujuſmodi licentia pertinaciter denegaretur, recurrendum eſſet ad proximum ſuperiorem, arg. *cap. Nullus de jurepatr.* ut notat Hoſtien. hic *num.* 7. *in verb. Ut ei tranſeundi*: alioquin ſecundum eum, eſſet privilegium dare contra inſparationem divinam, ſi ad litteram ſervaretur.

24 Tertiò requiritur, ut tranſitus ad arctiorem non redundet in jacturam, vel infamiam primæ religionis, ut probat hæc littera, ibi, In jacturam, vel injuriam ſui ordinis.
25 Igitur ſi quis tranſire velit ad aliam religionem, etiamſi conſtet eam arctiorem eſſe, tamen tranſire non poterit, ſi ex ſuo tranſitu gravem jacturam, vel infamiam prior religio ſuſtineret, arg. *cap. Si quis verò* 11. *quæſt.* 3. ſecundum Innoc. hic *num.* 1. Hoſtien. *num.* 5. *in verb. In jacturam*. Ratio eſt, quia quis non debet eſſe lapis offenſionis, vel cauſa ſcandali, *cap.* 2. *ſupra de præſcript. cap. Niſi cum pridem*, §. *Pro gravi quoque ſcandalo de renuntiat.* Sed & communis utilitas, quæ verſatur in hoc, ut ad arctiorem religionem non tranſeat, eſt meritò præferenda, ut patet in hoc cap. in *verſ. Illa ſemper regula*. Quinimò ſic tranſiens revocari poſſet, ſi inde prior Eccleſia enormiter læderetur; & hoc per viam juris communis, ſi non teneret tranſitus, vel per viam reſtitutionis in integrum, ſi tene-
26 ret, ſecundum Hoſtien. Quia ſicut ex gravi læſione rerum temporalium reſtituitur Eccleſia, *cap. Ad noſtram*, §. *fin. ſupra de reb. Eccleſ. non alien. cap.* 1. *de reſtit. in integr.* ita, & multò magis reſtiuenda eſſet in læſione perſonæ, quia major, & gravior cenſetur alienatio perſonarum, quàm rerum, arg. *cap. Præcipimus* 2. *q.* 1. ſecundum Hoſtien. hic *num.* 12. cum quo concordant Joan. Andr. *n.* 22. Henric. Boich. *num.* 7. Butr. *num.* 15. Anchar. *num.* 11. *in* 2. *oppoſit.* Cardin. *n.* 13. *in* 4. *quæſt.* & Abb. *num.* 12. Vital. in Clem. 1. *num.* 18. *de reg.* S. Antonin. *in* 3. *part. tit.* 1. *c.* 4. *in fin. princ.* Silveſt. *in verb. Religio* 4. *q.* 1. *in fin.* Adde quòd
27 tranſitus ad arctiorem religionem zelo ſanctioris vitæ eſt actus charitatis, ut patet in text. ibi, Ex lege privata; nam ut exponit gloſſ. lex privata eſt amor Dei, ſeu charitas, de qua dicitur: Habe charitatem, & fac quicquid vis, *cap. Radicata de pœnit. diſt.* 2. Primam autem religionem non lædere eſt actus juſtitiæ, *l. Juſtitia, ff. de juſt. & jur.* At opera juſtitiæ præponenda ſunt operibus charitatis, *cap. Fortè*,
28 *& cap. Denique* 14. *q.* 5. Confirmantur hæc exemplo Clerici ſæcularis, qui quamvis poſſit tranſire ad Religionem non petita Epiſcopi licenta, quinimo, & ipſo contradicente, *ut cap. Duæ* 19. *qu.* 2. tamen poſſet Epiſcopus eum repetere, ſi ex ejus tranſitu Eccleſia gravem pateretur jacturam,
29 ſecundùm Innoc. hìc *nu.* 3. & Abb. *n.* 14. Nec mirum, quia cùm propter ſalutem animarum poſſit à religione avocari, etiamſi cum licentia tranſierit, ut patet in eo, quod legitur, & notat *in cap. Quod Dei timorem infra de ſtat. Monach.* multò fortiùs ex eadem cauſa hoc fieri poterit, quando tranſivit licentia Prælati non petita, vel etiam denegata, arg. *cap. Admonet*, cum ibi notat. *de renuntiat.* ut benè hìc per Hoſt. *n.* 7.

30 Quartò requiritur, ut tranſiens ad arctiorem religionem non moveatur ex temeritate, ſeu levitate, ſed ex charitate, ſeu zelo ſanctioris vitæ, ut hìc eſt caſus, & eſt vera, & indubitata omnium concluſio, ut inquit Abb. *dict. conſ.* 95. *ante num.* 1. *lib.* 1. & hìc junge quæ dixi ſupra *in* 1. *notab.* Quòd ſi objicias: Quomodo conſtabit de intentione Monachi? Cùm enim profundum ſit cor hominis, qui ſcrutabitur illud? Sanè nemo alius poteſt ſcire, quo corde, qua conſcientia, qua fide moveatur, niſi is, qui movetur, & Chriſtus, qui charitas eſt, & cui voluerit Chriſtus revelare, & nullus alius. Reſpond. Hoſt. hìc *num.* 24. *verſ. Nemo enim alius*, ſtandum eſſe illius juramento, de cujus intentione quæritur, ut notatur *in cap. Significaſti*, §. *fin. infra de homicid.* & nihilominus etiam ſine juramento in caſu iſto propter exteriora, quę bona apparent, pręſumendum eſſe intentionem eſſe bonam. Et ideò textus in fine præcipit Priori, & Conventui primæ religionis, ne Monachum ipſum ſuper eo, quod de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta feciſſe dignoſcitur, ullatenus moleſtent, quia charitas eſt fons vivus, cui non communicat alienus, ſcilicet à charitate, ut in gloſſ. ult. Atque ita tran- 31
ſitum ad arctiorem religionem ex facto ipſo quod habet ſpeciem boni, præſumi ex bono zelo niſi probetur contrarium, firmant hìc gloſſ. penult. Hoſt. ubi ſupra, Jo. Andr. *n.* 18. & Abb. *n.* 8. licèt aliud videatur ſenſiſſe Anch. *nu.* 7. *in* 9. *notab.*

Cæterùm ſi probabiliter dubitetur, utrum quis velit ad 32
ordinem arctiorem ex charitate, an ex temeritate tranſire, Superioris eſt judicium requirendum, ut in text. aliàs legitur, judicio relinquendum, ut refert Hoſtien. *n.* 16. *in eodem verb.* Et eſt ſimile *in cap. Pervenit* 11. *qu.* 1. *in c. Nullus, infra de jurepatr. & in* §. *Si à clero in Authen. de Sanctiſſ. Epiſc. coll.* 9. & ſic non ſufficit licentia dict. Superioris petita, ſed requiritur etiam obtenta. Quod expreſsè adnotavit Cardin. Cajetan. *in* 2. 2. *q.* 89. *art.* 8. *poſt princip.* & Sanchez *ſupra Decalog. tom.* 2. *lib.* 6. *c.* 7. *n.* 16. Superior autem in hoc caſu eſt ille, ad quem ſubditos appellaret, ſi gravaretur, *c. Ut debitus, & c. Cùm ſpeciali, ſupra de appellat.* cum aliis proximè citatis, & non ille, cum quo eſt quæſtio *C. ne quis in ſua cauſa jus dicat in rubro, & in nigro*, ſecundum Hoſtien. hìc *num.* 16. *in verb. Superioris*.

Quòd ſi queras quando dicatur de hoc probabiliter dubi- 33
tari, ita ut ad Superiorem ſit recurrendum, dic ſecundùm Abbat. Antiq. hìc *num.* 2. ſi Monachus dixit in Capitulo cùm eſſet benè verberatus, Ego non ero de cætero in hoc monaſterio, utique non erit audiendus, quia non tranſit ex charitate. Sed ſi negat ſe hoc dixiſſe, res erit dubia, & ideò adeundus erit Superior. Vel ſecundùm Hoſtien. *nu.* 15. *in verb. Probabiliter*, Joan. Andr. *n.* 6. *in eodem verb.* & Cardin *nu.* 13. *in* 15. *quæſt.* verba habuit cum Prælato, vel cum aliquo ex ſociis, & dixit ſe deinceps in religione illa non ampliùs remanſurum illis viventibus; & ſic non ſolùm dubitatur, ſed conſtat eum ex motu iræ hoc feciſſe: vel quia eſt ſicut Arca Domini, non poteſt quieſcere, ſed ſemper conſuevit diverſas religiones mutare. Aliud exem- 34
plum ponit Innocent. *num.* 3. *in verb. Tranſire*, Hoſtien. *num.* 16. *in verb. Ex temeritate*, Joan. Andr. *num.* 6. *verſ. Innoc.* & Card. *dicta q.* 5. videlicet quia eſt talis complexionis, ut non poſſit vivere ſine carnibus, & tamen de Canonico regulari vult tranſire ad Monachos. Ad hoc *c.* 35
Non cogantur 41. *diſt.* Sed ſi Prælatus probabilem cauſam ſuæ contradictionis aſſignet, & tamen Monachus in ſuo propoſito tranſmigrandi perſeveret, ſimiliter res dubia cenſebitur, & Superior erit requirendus, ſecundum Innoc. *num.* 2. *in fin. verſ. Si autem probabiliter*, Hoſt. *nu.* 15. *in fin. verſ. Sin autem*, & Jo. Andr. *num.* 7. *verſ. Si aliàs probabiliter*.

Quintò requiritur, ut religioſus, qui vult ad arctiorem 36
ordinem tranſire petat licentiam à Pręlato ſuo, ut hìc patet in verſ. *Talis ergo, & verſ. Quocirca*, ſcilicet immediato. Nam Prælati ſui appellatione non venit Generalis, vel Provincialis, ſed Prælatus immediatus ipſius monaſterii, ut probat Feder. de Sen. *conſ.* 145. *Joan. Epiſcopus n.* 6. *poſt med. verſ. Nam appellatione Prælati*, Calder. *conſ.* 3. *Quis dicatur Superior profeſſi, per tot. de Regular.* Item in Prælato immediato verificatur ratio illa text. *Ne bonum obedientiæ contemni videatur, ut cap. Si religioſus de elect. lib.* 6. Et hoc videtur ſenſiſſe Silveſt. *in verb. Religio* 4. *quæſt.* 3. & voluit expreſsè Lap. *alleg.* 61. *Quidam Francus, aliàs* 62. *num.* 2. *verſ. Aliàs autem hoc ceſſante*, ubi dicit de jure licentiam volentis tranſire ad aliam religionem ſpectare ad ſuperiorem immediatum. Allegat in ſimili Jo. And. *in cap.* 2. *num.* 1. *in verb. Superiore, de teſtam. lib.* 6. & Paulum de Elezariis in Clem. ult. *de elect.* qui dicit ſolum Abbatem poſſe dare hanc licentiam Monacho, & non alium Superiorem, niſi hoc habeat inſtitutio regulæ illius ordinis, vel conſuetudo ipſius loci. Quod ipſum voluit idem Lapus *allegat.* 130. *Pro dubiis, aliàs* 131. *num.* 1. *verſ. Item licentia, & num.* 5. *verſ. Item etiam ponitur*, ubi ſimiliter ait, Prælatum immediatum Conventus eſſe Superiorem ſuum,

ſuum, & ab eo ſufficere licentiam petere, niſi aliud habeat conſuetudo, vel ſtatuta ordinis. Et in Abbate exemplificat hic Innocen *num.* 2. & 4. Hoſtien. *num.* 15. *circa finem, in verſ. Utrum quis velit*, Abb. Antiq. *num.* 2. Jo.
37 Andr. *num.* 7. & alii communiter. Nec requiritur de neceſſitate, ut licentia petatur à conventu, ſed ſatis eſt eam petere à Prælato, ut pluribus firmat Archidiac. *in c. Statuimus, num.* 2. 19. *q.* 3. & poſt eum Bellam. *ibidem num.* 3. Joan. Monach. *in c. Cùm ſingula, num.* 4. *de præbend. lib.* 6. & ibi etiam Philipp. Franc. *in §. Prohibemus, nu.* 3. Ant. de Butr. *in cap. Non eſt vobis, numer. ult. ſupra eod.* & ibi etiam Abb. *nu.* 6. & idem Abb. *in cap. Ea noſcitur, num.* 4. *de his, quæ fiunt à Prælatis*; licèt tutius eſſet etiam à conventu hanc licentiam poſtulare, ſecundùm Innoc. *in c. fin. num.* 1. *de renuntiat.* cum quo tranſeunt ibi Hoſt. *num.* 3. Jo. Andr. *n.* 7. Ant. de Butr. *n.* 13. Pro hac opinione inducitur littera hujus textus, qui in corpore ſimpliciter loquitur de Prælato, nec ullam facit mentionem de conventu, licèt in ſupraſcriptione dicatur Priori, & conventui Dimolienſi. Ad idem fortior text. *in c. Si religioſus de elect. lib.* 6. inducendo eum, ut per Archid. *in d. c. Statuimus, n.* 2. 19. *q.* 3.
38 Nec refragatur text. in eod. *c. Statuimus*, in illis verbis: Diſtrictioris religionis obtentu audeat ſine Patris, & totius Congregationis permiſſione recedere. Quoniam in tribus vetuſtis Codicibus legitur, Patris totius Congreg. & apud Ivonem legitur, Abbatis totius Congregat. & ſecundum Archid. ubi ſupra verior eſt littera, quæ eſt ſine illa copula, *&*, ut clarè colligitur ex *c. Quorumdam*, §. *Volentes, in fin. de elect. lib.* 6.

Similiter non refragantur ſequentia verba *d. c. Statuimus, ſine communi litterarum cautione*, quæ videntur innuere, ut Prior, & Canonici debeant dare conſenſum, ſecundum Hugon. & Turrecrem. *num.* 2. *in fin.* Nam reſponderi poteſt ea verba non eſſe referenda ad conſenſum Fratrum, ſed ad cautionem Prælatorum utriuſque monaſterii, ac religioſi tranſeuntis: nam per litteras dimiſſorias cautum, & conſultum eſt tam primo Abbati, cujus obedientia non contemnitur, quàm ſecundo, qui per illas fit certior de bono zelo ejus, qui tranſit, & vitat periculum reſtitutionis; item ipſi religioſo, qui de cætero moleſtari non poterit, ſecundum ea, quæ dicam infra in ſecunda quæſtione *n.* 52.
39 Demum non refragatur argumentum à ſimili, quo utitur in propoſito Turrecrem. *in d. c. Statuimus num.* 2. videlicet, quòd ſi alienatio rerum Eccleſiaſticarum fieri non debet ſine conſenſu Clericorum, utique longè minùs alienatio perſonarum, ut latiùs dictum eſt ſuprà *nu.* 26. Nam reſpondetur hanc non eſſe alienationem perſonæ, quia religioſus arctatur tantùm ad petendam licentiam tranſeundi propter bonum obedientiæ, eaque petita, licèt non obtenta, dummodò moveatur zelo melioris frugis tranſire poteſt propria auctoritate, ſeu potiùs Spiritus Sancti ſic inſpirantis, ut ex Innoc. & Hoſt. dictum eſt ſupr. *n.* 11. vel ſecundum Archid. *in d. c. Statuimus nu.* 2. *in fin.* 19. *qu.* 3. talis non alienatur, ſed in melius commutatur auctoritate ſuperioris, arg. *cap. Scripturæ de voto, & c. Pervenit, il ſecondo de jurejur.* Quis autem ſit Superior, ad quem ſpectet dare licentiam Monacho tranſeundi ad parem, vel laxiorem religionem, diſtingue ut dixi in *c. Dilecti ſupra de renuntiat. à n.* 8. *uſque ad n.* 36. & quæ ſint cauſæ diſpenſandi, *à n.* 36. *uſque in fin.*
40 Sextò requiritur, ut petens licentiam ſit expreſsè, vel tacitè profeſſus, aliàs enim ſi eſſet infra annum probationis, tranſire poſſet non modò ad quamcumque religionem, ſed etiam ad ſæculum remeare abſque ulla Superioris licentia petita, vel obtenta, text. eſt *in c. Statuimus infr. eod.* ponderando verb. *Liberè*, id eſt Superioris licentia minimè requiſita, ut ibi dixi *n.* 3. poſt Abb. *num.* 2.
41 Septimò requiritur, ut qui vult tranſire, licentia petita, licèt non obtenta, ſit ſubditus: nam ſi eſſet Prælatus exemptus, non poſſet prælationem dimittere, nec ad ſtrictiorem religionem tranſire, niſi obtenta licentia à Papa. Et hoc propter vinculum Prælaturæ, ſecundum Hoſt. *in c. Illud in princ. infr. de cleric. excomm. miniſtr.* & Archid. *in c. Si Abbat. ad fin. de elect. lib.* 6. ubi referunt ſic per Papam Clementem IV. fuiſſe determinatum.
42 Sed tu vide hanc quæſtionem plenè examinatam per Jo. Andr. *in cap. Cùm non ſtat. num.* 11. & 12. *de regul. jur. lib.* 6. *in Mercurialib.* ubi concludit ſub diſtinctione: nam aut inferior Prælatus habet alium Superiorem citra Papam; & ſufficit, ut petat licentiam, licèt eam non obtineat, quia littera hujus text. *in verſ. illa ſemper regula*, ponit ſpeciale in Epiſcopo, ut Prælaturam dimittere nequeat ſine licentia Papæ; ergo ſecus in Prælatis inferioribus, arg. *cap. Nonne de præſumption. ad hoc cap. Congregatio* 16. *qu. ult.* Aut eſt immediatè ſubjectus Papæ, & tranſire non poteſt, 43
Papa licentiam denegante; ſed eo non reſpondente, valet tranſitus in ſui præjudicium; Papa tamen poteſt eum revocare. Rationes vide ibi per Jo. Andr. cum quo concordant hìc Henrich. Boich. *nu.* 4. Anchar. *n.* 8. *in* 11. *notab.* & Abb. *num.* 13. Roſell. *in verb. Religio* 4. *num.* 8. Ang. *in verb. Religioſus num.* 35. Silveſt. *in verb. Religio* 4. *quæſt.* 3.

Octavò, requiritur, ut hujuſmodi licentia petatur, ante- 44
quam fiat tranſitus ad ſecundam religionem, aliàs enim non ſatisfieret diſpoſitioni hujus Decretalis, quia ubi in aliquo caſu exigitur licentia, non ſufficit eam petere ex poſt facto, ſed à principio eſt poſtulanda, ut hìc per Abb. *n.* 11. Roſella *in verb. Religio* 4. *n.* 4. & Angel. *in verb. Relig. num.* 35.

Nonò requiritur, ut licentia tranſeundi petatur cum 45
humilitate, & puritate, ut hìc patet in *verſ. Quocirca*, & per humilitatem excluditur temeritas, & præſumptio, & per puritatem excluditur levitas, & jactura, atque injuria ordinis, ſecundum Hoſt. *num.* 7. *in verb. Humilitate, & in verb. Puritate*, & Jo. Andr. *num.* 3. *in iiſdem verbis.*

Decimò requiritur, ut religioſus cauſam ſui tranſitus 46
aſſignet Prælato ſuo; & hoc innuit hæc littera ibi: Et non fictè, ſed verè ad frugem melioris vitæ valeat tranſmigrare, ſecundum Innoc. *n.* 1. *in verb. Poſtulandam*, Hoſt. *num.* 8. *in eodem verb.* & Jo. Andr. *n.* 3. *in fin.* & *n.* 6. Cardin. *n.* 3. *in* 6. *q.* Quòd ſi cauſam non aſſignet, ſed ſimpliciter tranſeundi licentiam poſtulet, tunc Prælatus, cui ejus cura commiſſa eſt, debet ab eo cauſam quærere, cur tranſire velit, ut dicunt iidem Innoc. *num.* 2. Hoſt. *nu.* 15. *in verb. Utrum quis velit*, & Jo. Andr. *num.* 6. *in eod. verb.* & Cardin. *in* 7. *quæſt.*

Undecimò, requiritur, ut religioſus petita licentia, & 47
cauſa, ut præfertur, aſſignata, non ſtatim diſcedat, ſed expectet debito tempore reſponſum à Superiore. Quiſquis enim debet conſilium, vel licentiam petere, tenetur debito tempore reſponſum expectare, *c. Cùm in veteri, ad fin. de elect.* & hìc notant Jo. Andr. *num* 21. Butr. *n.* 12. Card. *n.* 2. *in* 3. *oppoſit.* Anchar. *n.* 5. *in* 7. *notab.* & *num.* 10. *in* 1. *oppoſit.* & Abb. *num.* 8. *in gloſſ. in verb. Licentia*, Silveſter *in verb. Religio* 4 *qu.* 1. *in* 2. *notab.* Debito autem tempo- 48
re tranſacto, ſi Superior cauſam ſic aſſignatam acceptet, tunc religioſus liberè tranſire poterit. Et idem dicendum, ſi Superior cauſam audire nolit, vel audit, ſed non exaudit, vel non reſpondet, aut reſpondet, ſed non probabiliter, imò notoriè, falsè, vel malè, vel injuſtè, vel etiam ſine aliqua cauſa licentiam denegat, arg. *l. Nulla differentia, ff. de author. tutor.* Nam in iſtis omnibus caſibus poterit liberè tranſire, ſecundum Innoc. *n.* 2. Hoſtien. *n.* 15. *in verb. Votum quis velit*, & Jo. Andr. *nu.* 6. *in eodem verb.* & *n.* 7. Sin autem Prælatus probabiliter reſpondeat, & Monachus in ſuo propoſito perſeveret, tunc eſt Superior requirendus, ſecundum eos: & conſtat ex dictis ſupra in 4. requiſito, *nu.* 35. Quòd ſi Superior licentiam denegaverit, nulla cauſa aſſignata, debebit ſubditus cauſam denegationis requirere, & ſi Superior negaret rationem reddere, ipſi imputandum eſſet, ſecundum Innoc. *n.* 4. & latiùs dicam infra *num.* 56.

Duodecimò, requiritur, ut eidem Prælato conſtet ſe- 49
cundam religionem paratam eſſe illum recipere, qui licentiam petit, iſque recta ſe transferat ad ſecundam religionem, ne detur ipſi occaſio vagandi ſeu apoſtatandi, Innoc. *in cap. fin. num.* 2. *ſupra de renuntiat.* ubi dicit Abbatem non debet licentiam dare Monacho ſuo intrandi religionem arctiorem, niſi primò eam inveniat, & ſecundus Abbas paratus ſit eum recipere; & ſi aliter recedit, fugitivus eſt, & apoſtata, cùm non ſit in alicujus obedientia, & ſequuntur ibi Hoſtien. *nu.* 3. Jo. Andr. *num.* 7. Butr. *num.* 9. Cardin. *nu.* 2. *q.* 3. & Abb. *nu.* 3. Jo. de Monach. *in c. Cùm ſingula nu.* 5. *de præbend. lib.* 6. ubi etiam Anchar. *nu.* 2. &

hodie

hodie eſt expreſſum in decretis Sac. Congregationis Concilii de Regularibus apoſtatis, & ejectis, *in* §. *Bullar. tom.* 4. *pag.* 266.

50 Decimotertiò, requiruntur litteræ dimiſſoriæ Abbatis primi monaſterii, ſine quibus ſecundus Abbas non debet
51 Monachum recipere, *ut cap. Si animus* 19. *quæſt.* 3. Quod ſi abſque litteris hujuſmodi veniat, debet Priorem Abbatem conſulere, qui ſi fateatur eum licentiaſſe, aut licentiam denegaſſe, nullam, vel manifeſtè injuſtam cauſam aſſignans, tunc ſecundus Abbas eum ſecurè recipiat. Idem ſi aſſignet cauſam juſtam, quam tamen conſtet notoriè falſam eſſe. Si verò juſtam proponat, & dubiam, tametſi Monachus incontinenti coram ſecundo Abbate paratus ſit probare ipſam eſſe falſam: tamen non ſpectat ad ſecundam Abbatem hujuſmodi probationem recipere, imò tenetur Monachum ad Priorem Abbatem remittere, vel ad Superiorem ipſius primi Abbatis; vel ipſemet Monachus illum adeat, & coram eo querimoniam exponat de licentia denegata: & ita hìc formaliter notant Innoc. *num.* 5. Hoſt. *n.* 17. Jo. Andr. *n.* 13. Cardin. *q.* 17. 18. *&* 19. & Anch. *num* 13.

His ergo requiſitis concurrentibus religioſis tutò tranſire poterit ad arctiorem petita, licèt non obtenta licentia; non tamen cenſebitur plenè translatus ita ut ad primam redire non valeat, niſi poſtquam in ſecunda religione peracto probationis anno expreſsè, vel tacitè profeſſionem emiſerit, ut fusè probavi *in c. Ad Apoſtolicam à n.* 34. *uſque in fin. ſupra eod.*

52 Succeſſivè quæro, ſi regularis tranſierit ad arctiorem ordinem non petita Superioris licentia, an tranſitus ſit irritus, ita ut regularis ad primum ordinem revocari poſſit.

53 Si tranſierit ex temeritate, ſeu levitate, non autem deſiderio perfectioris, ſeu zelo ſanctioris vitæ: planum eſt tranſitum ad ſecundam religionem, & profeſſionem in ea emiſſam non valere, ut per Abb. *conſ.* 95. *numer.* 2. *lib.* 1. Roſell. *in verb. Religio* 4. *num.* 6. ubi expreſsè dicunt non valere hunc tranſitum, & loquuntur de profeſso in ſecunda religione, qui propterea propria authoritate tenetur redire ad primam; & reddunt rationem, quia etſi variatum ſit ſententiis in articulo an tranſiens bono zelo non petita licentia revocari poſſit; conveniunt tamen omnes eum revocandum fore, quando tranſivit ex cauſa temeritatis, vel levitatis, & in hoc caſu intelligi debet textus *in cap. Mandamus* 19. *q.* 3. ſecundum Raymundum *in ſumma de tranſlation. clericor. propè fin* relatum ibi ab Archid. *in fin.* & fuit ſententia Innocent. hìc *nu.* 4. *verſ. Hac tamen*; ait enim, [Si Monachus malitioſè tranſeat, & ſine juſta cauſa, licèt ordinem ſervaverit debitum in petitione licentiæ, quæ ſibi denegata fuit, tamen Abbas Monachum ſuum requirere poterit, etiamſi non appellaverit, arg. *c. Fraternit item ſupra de ſepult. & cap. Intelleximus, de ætat. & qualit.* ubi Monachus tranſiens poteſt redire ad primum monaſterium; ergo multò fortius poteſt revocari per Abbatem; & ita punietur Monachus, qui ſine cauſa tranſivit, cùm graviter deliquerit.] Hæc Innocent. cum quo concordat Hoſtienſ. *num.* 16. *in verb. Judicio relinquendum.*

Verùm ſi tranſierit zelo melioris frugis licentia non
54 petita, tunc ſunt opiniones: gloſſ. hìc *in verb. Licentiam poſtulaverit*, magis propendit in eam ſententiam, ut non ſit revocandus, per id, quod habetur in hoc *cap. in fin.* ibi: [Mandamus quod ſuper eo, quod de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta feciſſe dignoſcitur, eum nullatenus moleſteris.] Verùm hæc littera nihil facit, quia Monachus tranſivit licentia petita, licèt non
55 obtenta. Ejuſdem ſententiæ ſunt Petrus de Sampſone, & Abb. Antiq. *num.* 2. *in verb. Puritate*, dum dicunt hujuſmodi licentiam migrandi ad ſtrictiorem ordinem à Monacho petendam eſſe ex honeſtate, non autem ex neceſſitate, quia cum ſit à lege publica abſolutus, liberè poterit tranſire. Hi enim procul dubio ſentiunt Monachum revocari non poſſe ex eo, quod licentiam non poſtulaverit. Quinimò ſubdit Petrus per authoritates in textu inductas de Spiritu Dei hoc ſervari, ut ad ſtrictiorem tranſiens non petat licentiam, ut refert Joan. Andr. *num.* 5. *in verb. Puritate* & pro hac opinione videtur text. *in cap. Sanè ſupra eod.* ubi de Canonico Regulari, qui tranſierat ad monaſterium Monachorum ſtrictioris ordinis, text. dicit: Ipſum in eodem loco cum pura conſcientia remanere permittas.

In oppoſitum videtur textus *in d. c. Mandamus* 19. *q.* 3. ubi interdicitur, ne Canonicus Regularis tranſeat ad Monachos, & ſic ad ſtrictiorem religionem, *ut c. Quod Dei timorem de ſtatu Monach.* & contrarium attentans jubetur ad primum ordinem redire, ac punitur in eo, ut deinceps memorialem cucullam deferat, & ultimus in choro maneat: & expone memorialem, id eſt in memoriam ſuæ tranſgreſſionis, & verecundiam ſui delicti, & metum aliorum, ſecundum Hugon. Archidiac. & Turrecrem. Et gl. *ibi in verb. Monachos*, intelligit illum text. in Canonico, qui tranſivit non ex cauſa levitatis, ſed licentia non petita, & ideò cogitur redire, & ſubdit non obſtare textum *in d. cap. Sanè ſuprà eod.* quia ibi dicit, permittas, & ſic eſt diſpenſatio, vel ibi fuit petita licentia, ſecundum Hoſtien. hìc *n.* 9. *verſ. Tu dicas contrarium* & in hac opinione reſidet gloſſ. præallegata. & Archidiac. *in d. c. Mandamus*, quam etiam tenet gloſſ. ult. & Innoc. *in c. Intelleximus, ſupr. de ætat. & qualitat.* & idem Innoc. hìc *nu.* 4. qui ponit tres caſus, in 56
quibus Monachus poteſt ad primum ordinem revocari. Primus eſt, quando ſine licentia petita tranſivit. Secundus, quando tranſivit licentia petita, ſed denegata ex juſta cauſa. Tertiùs, quando tranſivit licentia petita & denegata, cum ſufficiat ſuperiori licentiam denegare, & ad ſubditum pertineat cauſam denegationis requirere; & tunc ſi Superior denegaret reddere rationem, ipſi imputandum eſſet, arg. *§. Ecce* 30. *diſtinct.* & in his caſibus ſecundum Innoc. competit Abbati rei vendicatio, vel conditio ex canone, vel officium judicis. Idem firmat Hoſtien hìc *n.* 9. *verſ. Tu dicas contrarium*, & movetur tum per dictum *c. Mandamus*, tum per tex. noſtrum à contrario ſenſu, ibi, licentiam poſtulaverit, necnon ibi, quia ſicut ſubditus. Idemque putat verius Joan. Andr. *num.* 21. *verſ. Quod puto verius per verſ. Quocirca*, & ſubdit ſe ita vidiſſe pronuntiari, ſequitur Roman. *conſ.* 341. *circa primum num.* 3. *verſ. Tertio verò*, dicens poſſe hoc caſu Abbatem nobile judicis officium implorare, & revocare Monachum ſuum, qui juſta cauſa motus tranſivit ad arctiorem religionem non petita licentia; ſubdens hoc tenere communiter ferè omnes Doctores in hoc cap. Sed & Abb. hìc *num.* 10. dicit hoc tenere communiter moderniores, *& in d. conſ* 95. *num.* 2. *verſ. Licet etiam gloſſ.* ubi reprobans gloſs. & Goffredum hìc dicit Jo. Andr. & communiter omnes Doctores, & latè Butrium tenere, quod indiſtinctè quomodocumque religioſus tranſeat ad ſtrictiorem religionem non petita licentia etiam non ex animi levitate, teneatur redire ad primam, cum non valuerit aliquò modo tranſitus. Ex quibus patet ab hac opinione recedendum non eſſe, tum quia eam ſequuntur Doctores ferè omnes, tum quia ſervatur in practica, & eſt 57
etiam de jure verior; nam recedens à ſua religione non petita licentia Superioris contemnit bonum obedientiæ, & ideò non præſumitur motus afflatu Spiritus Sancti, ſed potiùs ex animi levitate, ſecundùm Hoſtien. hìc *num.* 15. *in verb. Bonum obedientiæ*, Henrich. Boich. *num.* 8. & Abb. *n.* 10. Lapus *alleg.* 11. 130. *alia* 135. *num.* 2. Meritò eſt revocandus. Nec obſtat, ſi dicatur: Ad quod valet ille rigor, cùm 58
reſtitutus ad primam, ſtatim poſſit licentiam petere, & redire ad ſecundam: Nam ut reſpondet Jo. Andr. hìc *num.* 21. *verſ. Et ſi dicas*, ſatis eſt, quod ſatisfiat juri requirenti, ut licentiam petat, & allegat ſimile *in cap. Ad petitionem, de accuſation.* & in Clemen. *Quia regulares de ſupplen neglig. Prælat.* Item inducit ſimile; nam videmus inordinata electione, vel petitione repulſa, admitti aliam ordinatam de eodem, & ſuper eodem, *ut cap. Super eo, & cap. Innotuit in fin. de elect. cap. final. de renunc & c. Examinata de judic.* Faciunt notata *in c. Cum quia de regul. jur. lib.* 6. Præterea poſſet reverſus ad primam ibi manere mutato propoſito, *c. Ex parte de temp. ordinat & c. Intelleximus de ætat. & qualitat.* Facit ſecundum eum quod ipſe notat *in c. Tua ſuper gloſſ. prima de* [illegible] *lib.* Et cum prædictis junge quæ in hac ipſa quæſtione dixi *in c. Non eſt vobis à nu.* 29. *uſque in fin. ſupra eod.*

Ad motivum Petri, & Abbatis Antiqui, quod licentia peti debeat de honeſtate tantum, & quod non ſit in 59
uſu eam petere. Reſpondet Joan. Andr. hìc *nu.* 5. hoc eſſe falſum, & ſe vidiſſe contrarium ſervari, & ver. Debet, hic poſitum ex propria ſignificatione neceſſitatem importat, ut notat gl. *in l. ſæpè in verb. Neceſſitatem, ff. de off. Præſid.*

Felin.

Felin. in c. Non concupiſcentiam nu.6. & ibi etiam Alex. de Nævo n. 25. de Conſtitut.

60 Sed apud quem morabitur Monachus hac lite pendente, qui dicit ſe tranſiſſe ad ordinem arctiorem, & licentiam injuſtè denegatam, Abbate in contrarium aſſerente? Reſpondet Hoſt. hìc n.16. circa med. verſ. Sed apud quem, quod etſi Innocentius videatur hìc notaſſe contrarium: tamen Monachus morari debet apud Monaſterium, ad quod tranſivit: tum quia reus eſt, tum quia ipſum monaſterium quaſi poſſeſſionem ipſius habet, arg. l. fin. C. de rei vindic. l. Lite ordinata, C. de liberal. cauſ. & l. Ordinat. lite, ff. eod. & ejus quod legitur & notatur in c. Ex litteris ſup. de prob. Et cū opinione Hoſt. concordāt Abb. hìc n.5. & communiter Doctores.

61 Ultimò QUÆRO pro complemento materię, an diſpoſitio hujus Decretalis vendicet ſibi locum in monialibus, adeò ut liceat eis de uno monaſterio tranſire ad aliud ſtrictioris obſervantię, licentia ſuperioris petita, licèt non obtenta. Jure communi inſpecto abſolutum eſt id licere, ut c. Virginis 20. q 4. ubi ſic legitur: Virgines ſacræ ſi pro lucro animæ ſuæ propter diſtrictiorem vitam ad aliud monaſterium pergere diſpoſuerint, ibique commanere decreverint, Synodus concedit. Refertur à D. Th. in 2. 2. q. 189. art. 8. verſ. Sed contra eſt, & ad hoc ſufficere licentiam petitam ſentit ibi gl. 1. dum allegat hoc capitulum, Archid. Bellam. & Turec. licèt Hug. aliter intelligat illud c. Virgines, ut ibi per Turrecr. in princip. Nec hujuſmodi facultas ſublata fuit ex perpetua clauſura, quam Monialibus indixit Bonifac. VIII. in c. Periculoſo de ſtat. regul. lib. 6. & conſequenter nec à Concilio Tridentino Conſtitutionem Bonifac. innovante in cap. 5. ſeſſ. 25. de Regular. ut illic notat gloſſ. in verb. Perpetua, dicens illam Decretalem non tollere, quin Moniales poſſint, ſi velint ad ſtrictiorem religionem humilitatis, & puritatis cauſa tranſire petita, ut hìc: item quin una Monialis ad regimen alteriùs monaſterii poſſit aſſumi, cap. Nullus de elect. lib. 6. ſemper enim erunt in clauſura, Et cum gl. concordant ibi Archid. n. 1. in verb. Perpetua, & Gem. n. 11. Abb. in c. fin. n. 7. de ſtat. monach. Silveſt. in verb. Religio 4. q. 16. diſt. 2.

Verùm hodie quicquid contra ſcripſerit Th. Sanchez & alii ab eo citati ſuper Decalogo tom. 2. lib. 6. cap. 7. n. 5. & 6. tenendum eſt hanc facultatem fuiſſe Monialibus ademptam ex motu proprio Pii V. incipien. Decori, ſuper clauſura Monialium, ut ſcripſi in c. Recolentes n. 48. & 49. infrà de ſtat. Monach. ubi etiam latiſſimè examinavi, an tota religio, vel domus religioſa poſſit ſe ad arctiorem religionem transferre, à n. 10. uſque ad n. 54. 62

DE REGULARIBUS.

Idem Innocentius III. Abbati de Affligen. & Magiſtro R. & G. Canonicos Trajecten.

CAPUT XX.

Conſulti ſumus frequenter à multis, utrum is, qui Monaſterium ingreſſus eſt, habitum ſumendo novitii, ſi ante profeſſionem emiſſam infra tempus probationis exire voluerit, licitè poſſit abſque apoſtaſiæ nota vel noxa, præſertim cum debita morum correctione, ad ſæculum remeare. Licèt autem ſuper hoc ſenſerint diverſi diverſa, nos tamen credimus diſtinguendum, utrùm is, qui convertitur, propoſuerit abſolutè vitam mutare, ut ſub habitu regulari omnipotenti Deo de cętero famuletur: an conditionaliter experiri obſervantiam regularem, ut ita demum ſi (infra annum) ſibi placuerit, profiteatur ordinis diſciplinam; aut ſi fortè non placuerit, moribus emendatus ad ſtatum priſtinum revertatur. In primo caſu debet, ut regulariter vivat, ad laxiorem ſaltem regulam pertranſire. In ſecundo poteſt ſæculum, non tamen ut vivat ſæculariter, remeare. Ut ergo quæ ſit ejus intentio pleniùs agnoſcatur, propoſitum ſuum in principio proteſtetur.

SUMMARIUM.

1 Qui ad monaſterium convertitur habitum ſumendo novitii, poteſt infra annum ad ſæculum redire, niſi appareat eum voluiſſe vitam mutare omninò.

2 Habitus religionis triplex.

3 Apoſtata à religione eſt infamis.

4 Verbum, credo, *à legislatore prolatum non importat opinionem, ſed veritatem.*

5 Imperfecta duo quandoque faciunt unum perfectum.

6 Obligatio ad religionem in genere quibus modis inducatur, & n.44. & 50.

7 Obligatus ad religionem in genere per ſuſceptionem habitus novitiorum cum propoſito mutandi vitam poteſt ad laxiorem ordinem pertranſire, & num.29.

8 Novitius ad ſæculum rediens non debet vivere ſæcularriter, id eſt diſſolutè.

9 Poteſt tamen veſtes ſæculares deferre, & uxorem ducere.

10 Si tamen veſtes, cum quibus intravit, eſſent nimis laſcivæ, boneſtum eſſet, ut illas deponeret.

11 Proteſtatio declarat animum proteſtantis in facto multipliciter intelligibili.

12 Proteſtatio non proficit, niſi ſit contemporanea actus geſti.

13 Propoſitum abſolutè vitam mutandi cum ſuſceptione habitus probationis, an tacitam profeſſionem inducat, impediens matrimonium contrabendum, & dirimens poſt contractum, & num. ſeqq. uſque ad num.44.

14 Referuntur authoritates, & fundamenta pro prima opinione.

15 Intellectus c. Litteraturam, de voto, *& n.20.*

16 Votum neceſſariò requirit deliberationem, propoſitum, & promiſſionem, & n. ſeq.

*Quæ tamen ſufficiunt implicita, & præſumpta, numer.*18.

17 Votum quid ſit.

18 Propoſitum mutandi vitam quale eſſe debeat, ut obligationem inducat.

19 Referuntur Authores, & fundamenta pro ſecunda opinione.

20 Propoſitum mutandi vitam cum ſuſceptione habitus novitiatus eſſe votùm ſimplex quibus argumentis probetur.

21 Propoſitum in jure multoties accipitur pro voto ſolemni.

22 Propoſitum mutandi vitam pro ſuſceptione habitus probationis quibus fundamentis oſtendatur non eſſe votum ſolemne.

Intellectus c. Statuimus, de regul. & c. Non ſolùm eod. tit. lib. 6. *ibid. & n.32. 33. & 52.*

23 Habitum probationis aſſumens in dubio non præſumitur velle profiteri, ſed tantum probare auſteritatem religionis.

24 Votum quando dicatur ſolemne ad effectum dirimendi matrimonium poſt contractum.

25 Referūtur Authores pro tertia opinione Canoniſtarum.

26 *Pro-*

26 *Profeſſio tacita obligans ad religionem in genere dirimit matrimonium tam prius contractum, & non conſummatum, quàm poſt contractum, & conſummatum & n. ſeq.*

27 *Proponere abſolutè vitam mutare quid ſit.*

28 *Bona profeſſi in genere generaliſſimo, ſunt religioni in genere arbitrio Epiſcopi diſtribuenda.*

29 *Propoſitum mutandi vitam abſolutè cum ſuſceptione habitus probationis eſſe votum ſolemne quibus fundamentis probetur.*

Intellectus hujus c. ibidem, & n. ſeqq.

30 *Eccleſia non poteſt juſtè obligare quemquam invitum ad religionem in genere.*

31 *Dictio*, ſaltem, *eſt ſubſidiaria.*

34 *Intellectus* c. Beneficium de regul. lib.6.

Beneficium Novitii vacat per propoſitum mutandi vitam abſolutè, ibid.

35 *Itellectus* c. Gonſaldus 17. q.2.

Beneficium non vacat per votum Religionis, niſi illud ſit ſolemne, ibid.

36 *Obligatio ad religionem in genere per ſuſceptionem habitus profeſſorum non oritur ex voto ſimplici, ſed ex tacita profeſſione.*

37 *Habitus profeſſorum extra monaſterium aſſumptus tacitam profeſſionem non inducit.*

38 *Fallit, ſi præceſſerit votum continentiæ.*

39 *Votum ſimplex alicujus ex ſubſtantialibus Monachatus ſolemnizatur per ſuſceptionem habitus probationis.*

40 *Propoſitum mutandi vitam abſolutè non præſumitur, niſi competentibus indiciis oſtendatur, & quæ ſint hujuſmodi indicia.*

41 *Teſtamentum an inducat ſufficientem probationem propoſiti mutandi vitam.*

42 *Propoſitum mutandi vitam an poſt Concilium Tridentinum ſolemnizetur per ſuſceptionem habitus probationis, & n. ſeqq. & n.55.*

Novitius ex voto religionem ingreſſus profiteri non poteſt ante annum decimumſextum completum, nec infra annum probationis, ibid.

43 *Novitius, qui per annum geſtavit habitum probationis, & poſteà propoſuit abſolutè vitam mutare, an cenſeatur tacitè profeſſus.*

44 *Profeſſi in religione à Sede Apoſtolica non approbata, quam putabant approbatam, an ſint obligati ad religionem in genere, & n. ſeq. uſque in fin.*

45 *Obligatio ad religionem in genere an dirimat matrimonium poſt contractum, & n. ſeq.*

46 *Veritas in ſpiritualibus præfertur opinioni.*

47 *Impedimentum oritur etiam ex actu nullo.*

48 *Profeſſus in religione, quam credebat approbatam, peccat matrimonium contrahendo, & n.51.*

49 *Profeſſio emiſſa in manibus Truffatorum an aliquam, & qualem inducat obligationem.*

50 *Profeſſio emiſſa infra annum probationis in Ordinibus Mendicantium an pariat obligationem ad religionem in genere dirimentem matrimonium poſt contractum.*

Et quid ſi profitens intendebat ſe obligare illi religioni in ſpecie, ibid. & n. ſeqq.

Et quid poſt Concilium Tridentiuum, numer. 57. & n. ſeqq.

51 *Profeſſio irrita ex defectu recipientis an obliget religioni in genere, & n.55.*

53 *In materia voti ſi non valet quod ago, ut ago, valet ut valere poteſt, & n.56.*

54 *Fingens ſe fœminam, & profeſſionem faciens in monaſterio Monialium, obligatur ad religionem in genere.*

55 *Obligatio ad religionem in genere non requirit conſenſum recipientis.*

56 *Obligatio ad religionem in genere, quæ de jure oritur ex profeſſione emiſſa in religione non approbata, an ſublata fuerit à Concilio Tridentino, & n. ſeq.*

58 *Novitiatus fieri debet in religione approbata, aliàs profeſſio eſt nulla, nullamque inducit obligationem.*

59 *Diſpoſitio intelligitur de actu valido.*

C*onſulti*. Qui ad monaſterium convertitur habitum 1
ſumendo novitii, poteſt infra tempus probationis ad ſæculum redire, niſi appareat eum voluiſſe vitam mutare omnino. Hoc dicit. Communis diviſio. Conſultatio, & reſponſio. Secunda ibi, *Licet autem*, in qua diſtinguit duo membra. Primum ſolvit, ibi, *In primo*. Secundum, ibi, *In ſecundo*. Tertiò conſulit, ibi, *Ut autem*.

Nota primò ibi, *Habitum ſumendo novitii*, quandoque 2
novitiorum habitum eſſe diſtinctum ad habitu profeſſiorum, ut hìc, quandoque eſt indiſtinctus, id eſt à novitiis, & profeſſis geſtari ſolitus, quandoque indiſtinctiſſimus, quo ſcilicet preter novitios, & profeſſos, promiſcuè utuntur etiam alii communem vitam cum eis ducentes, *ut in cap.1. de regular. lib.6.* & de his vide gloſ. *Magiſtralem in Clem. Eos, eodem tit.* & Henrich. Boich. *in capit. Statuimus infra eodem*.

Secundò nota ibi, *Apoſtaſia nota*, Apoſtatam à religio- 3
ne eſſe infamem, prout hìc notant Butr. *in 1. not.* & Jo. de Anan. *n.3.* Nota enim exponitur, id eſt infamia, *ut l.2. in princ.* ibi, Hac nota laborare, *ff. de his, qui notantur infamia*, & de triplici ſpecie apoſtaſiæ, vide gloſ. *1. in c. 1. infr. apoſtat.* Hoſt. & Jo. Andr. *hic in princ.*

Tertiò nota ibi, *Credimus*, hoc verbum à legislatore 4
prolatum non opinionem, id eſt aſſenſum unius partis cùm formidine alteriùs, ſed veritatem importare, concordat textui *in cap.2. in fin. de poſtulan. in l. Et ſi quis §. Si cui funeris verſ. Credo tamen ff. de religioſ. & ſumpt. funer.* Idem de verb. *videtur*, quod probatum à lege eſt expreſſivum veritatis, *c. De cætero*, & ibi dixi *n.2.* poſt Jo. Andr. de Butr. Card. & alios *infra de homicid.*

Quartò nota, ex duobus imperfectis quandoque fieri 5
unum perfectum: nam ſolum propoſitum abſolutè vitam mutandi non facit Monachum, *ut c. Litteraturam infra de voto, & c. Ex tranſmiſſa*, cum ibi notatis, *ſupra de renunc.* Similiter nec ſolus habitus novitiorum Monachum facit, *c. Ex parte, c. Statuimus inf. eod. & c.1. eod. tit. lib.6.* Abbas Antiq. *hic num.3.* Hoſtien. *in cap. Porrectum num.5. ſupra eod.* & eſt planum Et tamen ſi hæc duo ſimul jungantur, in unam ſpeciem perfectam coaleſcunt, & tacitam profeſſionem inducunt, ut hìc eſt caſus ſecundum lecturam Innocentii communiter approbatam; de cujus tamen veritate latiſſimè dicam infra *in 1. quæſtione à nu.13. uſque ad n.40.* Et poteſt appellari hæc profeſſio irregularis, quæ ſcilicet extra Ordinem ex duobus imperfectis reſultat, prout in ſimili Anchar. poſt Hoſt. *in c. Inſinuante n.3. infr. qui Cler. vel vov.* ſic appellat profeſſionem tacitam, quæ inducitur ſimul ex voto caſtitatis, & ex habitu profeſſorum extra monaſterium ſuſcepto; quæ tamen ſeorſim non inducunt profeſſionem, ut ibi dixi *num. 16.* Similis regula habetur *in cap. Nihil 7. qu. 1. & in l. 2. §. fin.* juncta gloſſ. *in verb. Excuſantur, ff. de excuſat. tutor. num. 48. ff. de jurejur.* ubi docet ex duabus probationibus ſemiplenis fieri unam plenam probationem: contraria tamen regula, videlicet duo imperfecta non facere unum perfectum, elicitur ex *c. Quorundam*, & ibi gloſſ. 1. 23 *diſt. ex l. Spadonem, §. Qui jura multa ff. de excuſat. tutor. & l.1, §. fin. C. Qui in tutelar. ſe excuſant.*

Quintò nota ibi, *Ad laxiorem ſaltem regulam pertranſi-* 6
re, unum modum inducendi obligationem ad religionem in genere, videlicet cum quis proponit abſolutè vitam mutare, & ſuſcipit habitum probationis; ſed de hoc latius infra *n.13.* Alius eſt modus, cùm quis profitetur expreſsè infra annum probationis in Ordinibus Mendicantium, *ut in c. Non ſolum*, & ibi notat gl. *in ver. Veſtro Ordini de regularibus lib.6.* Alius item modus eſt, cum quis tacitè profitetur per ſuſceptionem habitus profeſſorum infra probationis tempus in Ordinibus tam Mendicantium, quàm non Mendicantium: nam indiſtinctè intelligitur text. *in c. Conſtitutionem verſ. Tacita vero facta eod. tit. & lib.* ut ibi declarat gloſſ. communiter approbata in verb. *Obligat.* Alios denique modos habes infra *n.44. & 50.* Hodie tamen hanc obligationem ad religionem in genere ſuſtulit Trid. Synodus *in c.15. ſeſſ.25. de regul.* in illis verbis. *Nullamque inducat obligationem, & c. Niſi in caſibus*, ut plenius dicam infra *n.42. & n. ſeq.*

Sextò nota ex iiſdem verbis *Ad laxiorem ſaltem regulã*, obligatum ad religionem in genere, per ſuſceptionem habitus novitiorum cum propoſito abſolutè vitam mutandi non teneri tranſire ad equalem, ſed poſſe eligere minorem,

ſeu

7 ſeu laxiorem, etiam nulla ſubſiſtente cauſa, ſecundùm Anton. de Butr. *num.* 2. concordat *cap. Super eo, ſupra eod.*

8 Septimò nota ibi, *Non ut ſæculariter vivat*, Novitium ad ſæculum redeuntem non debere ſæculariter vivere, ideſt diſſolutè, *ut cap. Dictum* 81. *diſt.* & explicat gloſſ. hic *in verb. Sæculariter*, ſcilicet portando arma, vel luxurioſè vivendo, arg. *cap. Eos* 20. *q.* 3. ſecundum Innoc. *num.* 3. & Hoſtienſ. *num.* 13. Poterit tamen uxorem du-
9 cere, & veſtes ſæculares deferre, cùm præcipiat regula Sancti Benedicti, ut in eadem veſte, in qua intraverunt,
10 revertantur, *ut in d. cap. Super eo in fin.* Si tamen veſtes, cum quibus intravit, eſſent nimiùm laſcivæ, honeſtum eſſet, ut illis deponeret, & honeſtiores aſſumeret, idque in memoriam priſtinæ religionis, arg. *l. Servos, C. de quæſt.* prout hæc annotarunt hic Joan. Andr. *num.* 7. Butr. *num.* 9. & 10. Cardin. *num.* 8. Anchar. *num.* 4. & Joan. de Anania *eod. num.* Subdit tamen Abbas *n.* 5. hoc verum eſſe de honeſtate, non ex debito; quia in nullo obligatur iſte ultra alios ſeculares; ſed exhortativè fuit dictum, ut non vivat ſæculariter.

11 Ultimò nota ex fine textus effectum proteſtationis, nam declarat intentionem proteſtantis in facto prægnanti, & multipliciter intelligibili, ſecundùm Anton. de Butr. *num.* 3. & Anch. *num.* 5. facit text. *in l. Neſennius, ff. de*
12 *negot. geſt.* Item pondera illa verba, *In principio proteſtetur*, quæ probant proteſtationem non prodeſſe, niſi ſit contemporanea actus geſti quare actus dubius non recipit declarationem à proteſtatione poſteà ſubſequuta, ut hic per Butr. *eod. n.* 3.

13 QUÆRO pro explicatione materiæ, an propoſitum abſolutè vitam mutandi cum ſuceptione habitus probationis tacitam profeſſionem inducat, adeò ut non ſolùm impediat matrimonium contrahendum, ſed etiam dirimat poſt contractum.

Hic eſt unus ex articulis, in quo Theologi diſcrepant à Canoniſtis: Sed nec Theologi conveniunt inter ſe. Unde in univerſum ſcribentes in tres ſcinduntur opiniones.

14 Prima opinio eſt illorum, qui arbitrantur hujuſmodi propoſitum nullam prorſus obligationem inducere, ac proinde non eſſe impedimento, quin liberè novitiùs poſſit ad ſeculum redire, ac matrimonium contrahere, & non tantum reddere, ſed etiam exigere debitum conjugale. Inter quos numerantur Cajetanus in 2. 2. *q.* 88. *art.* 1. *dubio penult.* & *in opuſculis tom.* 1. *tract.* 31. *in* 7. *reſponſ.* Sot. *lib.* 7. *de juſtit. & jur. qu.* 1. *art.* 2. *verſ. His tamen non obſtant*, Covarr. *de pactis* 1. *part.* §. 3. *numer.* 12. *circa medium*. Et ex Summiſtis Angel. *in ver. Votum* 1. *n.* 7. Silveſt *in ver. Religio* 5. *q.* 8. *verſ. Quarta*, ibi, Sed nec alia opinio, & *in ver. Votum.* 1. *q.* 1. Navarr. *in manual. c.* 12. *n.* 26. & alii complures, quos noviſſimè refert & ſequitur Sanch. *de matrim. lib.* 9. *diſp.* 33. *n.* 19. Allegantur etiam pro hac opinione duo celebres Canoniſtæ. Unus eſt Archid. *in c. Qui bona n.* 2. 17. *q.* 1. Alter eſt Abbas *in c. Litteraturam in* 2. *notat. infr. de voto*. Verùm Archidiac. ſimpliciter format quæſtionem: Pone quod quis proponit ſæculum mutare, & religionem intrare, & cum tali propoſito habitum recipit, numquid taliter ingrediens obligatur? Et primò dicit Hoſtien. tenere quod ſic, & quod tale propoſitum æquipollet voto ſolemni. Deindè recitat ſententiam D. Thom. aſſerentis ad votum tria requiri, videlicet deliberationem, propoſitum, & promiſſionem: nec aliud ſubjungit. Abbas verò dicit communiter ſentire Doctores noſtros ex propoſito deliberato, & confirmato quem obligari ad executionem boni concepti, & deliberati; & mox recenſet doctrinam D. Thomæ, de qua ſupra; & ſubdit illam deſtruere multas theoricas Canoniſtarum: verumtamen in fine concludit hoc propoſitum eſſe votum ſimplex religionis, ut inferiùs patebit *n.* 19. *verſ. Et ſequitur Abbas*.

15 Pro hac opinione adducitur primò text. *in d. c. Litteraturam infr. de voto*, ubi patet proponentem in animo religionis ingreſſum ad illum non teneri.

16 Sed certè ille textus nihil facit, quin potiùs in contrarium retorquetur; quia dicit ex propoſito mente concepto non eſſe inductam obligationem, ſi plus non eſt in voto proceſſum. Ergo à contrario eſſet inducta, ſi ulterius proceſſum eſſet, puta ad habitus ſuſceptionem, ut hic. Unde meritò Hoſtien. ibi inducit illud c. pro opinione Canoniſtarum, ut etiam refert Archid. *in d. cap. Qui bona numer.* 12. 17. *quæſt.* 1. Præterea ille tex. non loquitur de deliberatione, & propoſito firmato, de quo nunc agimus; ſed de propoſito, prout eſt nuda conceptio boni explicandi, ut dicam infra *n.* 20.

Deindè pro hac parte adducitur ratio admodum ſtringens: nam proponens abſolutè vitam mutare & habitum probationis recipiens, neque obligatur ex voto, neque ex præcepto Eccleſiæ. Non ex voto, quia ut egregiè docet S. Th. in 2. 2. *q.* 88. *art.* 1. ad votum tria neceſſariò requiruntur; Primò quidem deliberatio; Secundò propoſitum voluntatis; Tertiò promiſſio, in qua perficitur ratio voti. Superadduntur autem quandoque alia duo ad quandam voti confirmationem, ſcilicet, pronuntiatio oris, ſecundùm illud Pſalmi 65. *Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea, &c.* & teſtimonium aliorum. Unde ut Magiſter 17
diffinit *in* 4. *ſentent. diſtinct.* 38. votum eſt teſtificatio quædam promiſſionis ſpontaneæ, quæ Deo, & de his quæ ſunt Dei, fieri debet. Solum ergo propoſitum non eſt votum. Ita D. Thom. quem tota ſchola Theologorum ſequitur, Silveſtro teſte *in ver. Votum* 1. *q.* 2. & *Religio* 5. *q.* 8. *verſ. Sed nec opinio*. Quod etiam ubique innuit Scriptura, & in ſpecie Deuteronom. 23. *Cum votum voveris Domino Deo, &c. facies ſicut promiſiſti*, & Eccleſiaſt. 5. *Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere; diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta promiſſio.* Ergo ut infert S. Th. vovere eſt promittere, & votum eſt promiſſio. De jure etiam Canonico hoc probatur *in d. cap. Litteraturam de voto*, & de jure civili *in l.* 2. *ff. de pollicit.* ubi patet votum cauſari ex quadam pollicitatione, ideſt unius promiſſione, *ut l. Pactum, ff. eod.* Quare, ut inquit Abbas *in d. c. Litteraturam*, ſi de ratione voti eſt promiſſio, ſecundum D. Thom. & Archid. doctrina Canoniſtarum circa iſtam quæſtionem evertitur. Sed & Silveſt. *in verb. Religio* 5. *d. q.* 8. *verſ. Quarta*, mordet Canoniſtas quòd malè intelligentes jura, quæ loquuntur de propoſito mutandi vitam abſolutè, putant promiſſionem non eſſe de ratione voti, ſed ſufficere ſolum propoſitum coram Deo. Itaque ſuſcipiens probationis habitum cum tali propoſito non obligatur ex voto. Sed neque obligatur ex præcepto Eccleſię, tum quia ſecundum Silveſt. de hoc pręcepto nullibi conſtat; tum quia Eccleſia non poteſt quemquam non conſentientem obligare ad continentiam, *c. Integritas* 32. *qu.* 1. & latiùs dicam infra *n.* 28.

Ut ſatisfiat huic objectioni, in qua ferè conſiſtit vis tota 18
pręſentis diſputationis, obſervandum eſt Canoniſtas nullibi aſſerere promiſſionem non eſſe de ratione voti, ſed ſupponunt ſufficere implicitam, & præſumptam, quod & Theologi admittunt, præſertim Cajetanus præallegatus in 2. 2. *q.* 88. *art.* 1. *dub. pen.* dicens tale eſſe propoſitum de quo Canones loquuntur. Quare Hoſt hic *num.* 9. *in verb. Propoſuerit*, declarans quale debeat eſſe propoſitum mutandi vitam ad hoc ut obligationem inducat, ſic ait: [Non intelligas hoc quòd ex ſolo propoſito obligetur, ſed ex propoſito deliberato, & continuato, & voto emiſſo, maximè ſuſcepto habitu. *c. Sicut nobis c. Porrectum ſup. eod.* Non igitur Doctores noſtri intelligunt poſſe dari votum ſine promiſſione; ſed ſub nomine propoſiti intelligunt, & implicitè complectuntur illa tria, quorum explicitè meminit S. Th. videlicet deliberationem, propoſitum, & promiſſionem, prout illorum mentem declarat Tabiena *in ver. Votum primò, verſ. Notandum tertiò*: ait enim: Non ita varioſè diſtinxerunt Canoniſtæ, ſed in verb. *Propoſitum*, intelligebant omnia illa tria, & quando dicunt quòd non requiritur promiſſio, intelligunt de exteriori.] Hæc ibi, quod eſt ad mentem Canonum, qui ad obligationem inducendam non ſunt contenti nudo, ac ſimplici propoſito, ſed requirunt propoſitum abſolutum, quod includit deliberationem præcedentem, & promiſſionem ſubſequentem, ſaltem interiorem, & implicitam. Unde hoc propoſitum habere rationem voti ſaltem ſimplicis admittunt multi ex Theologis proximè citandi.

Secunda opinio eſt exiſtimantium hoc propoſitum mu- 19
tandi vitam abſolutè cum aſſumptione habitus novitiatus non eſſe votum ſolemne religionis, ſed votum ſimplex impediens quidem matrimonium contrahendum, ſed non dirimens poſt contractum, juxta text. *in cap. Conſuluit infr. Qui cler. vel nov.* & *in cap. unic.* §. *Reliqua verò de voto lib.* 6. Cujus ſententiæ ſunt Petr. de Palud. *in* 4. *ſentent. diſt.* 38. *q.* 1. *art.* 1. *concl.* 3. *n.* 11. ubi tenet eum qui ſuſcipit habi-

habitum alicujus religionis non animo probandi, ſed cum firmo propoſito permanendi, non poſſe ad ſæculum redire; quia hoc æquipollet voto ſimplici ex vi ſtatuti Eccleſiaſtici, de quo *in c. Statuimus de regular.* & ſequitur S. Antoninus *in 3. part. tit. 16. cap. 2. §. 4. verſ. Quartus, & verſ. Sed quantum ad Deum*, ubi ait: [talem obligari ad religionem in genere quantum ad Deum, & in foro conſcientiæ, ſi firmum propoſitum habuit permanendi. Sed durum videri, ut obligetur voto ſolemni, quia hinc magnus laqueus injiceretur animabus, quod Eccleſia non facit, *cap. De viduis 27. quæſt. 1.* Ideòque ſibi magis placere opinionem, quod obligetur ex vi voti ſimplicis, quod utique impedit, ſed non dirimit matrimonium contractum. Licèt communiter Canoniſtæ videantur dicere, quòd illud habeat vim voti ſolemnis; quod ſi eſſet, matrimonium poſt contractum, & conſummatum dirimeret. Verùm quia hoc eſſet ex ſtatuto Eccleſiæ, ſicut & de voto continentiæ in Ordinibus ſacris: ideò Papa poſſet cum talibus diſpenſare in contrahendo. Hæc ille, quod ſuſius proſequitur *in 2. part. tit. 11. cap. 2. verſ. Nota ergo ſecundò*. Et ex Canoniſtis hoc tenet hìc Cardinalis *nu. 4. in fin. verſ. In prædicta*, ubi firmat obligatum ad religionem in genere ex propoſito vitam mutandi abſolutè cum ſuſceptione habitus validè matrimonium contrahere, cùm non ſit religioſus, & cogendum eſſe in religione perſeverare non propter profeſſionem, ſeu propter votum ſimplex; & dicit ſe ita in facto conſuluiſſe, & ſequitur Abbas *numer. 3.* ubi poſt multa concludit, tales non eſſe veros religioſos, ſed peccare mortaliter ſtando in ſæculo, & non intrando religionem, ex quo propoſitum habuerunt mutandi perpetuò vitam, eo quòd ex tali propoſito videntur Deo voluiſſe ſervire; unde veniunt contra votum ſtando in ſæculo, non tamen obligantur ad intrandum eamdem religionem, ſed poſſunt intrare laxiorem. Idem firmat Silv. *in verb. Religio 5. quæſt. 8. in fin.* ubi ait: [Dico ergo quòd propoſitum mutandi vitam abſolutè eſt votum ſimplex religionis, vel eſt oblatio profeſſionis, qua in ipſo religionis ingreſſu multi petebant profiteri, licèt non admitterentur ſubitò, ſicut olim poterant in omnibus religionibus, & nunc poſſunt in non Mendicantibus: unde iſti remanebant obligati religioni in genere, & non erant profeſſi: & in ver. *Religio 3. quæſt. 19. verſ. Quarto inducitur*, dicit falſam eſſe opinionem illorum, qui dicunt tacitam profeſſionem induci per aſſumptionem habitus novitiorum cum propoſito vitam mutandi abſolutè. Et veram opinionem eſſe quòd hoc propoſitum ſit votum expreſſum perſeverandi in religione, vel etiam votum interpretatum, ut cum quis ſe offert profeſſioni, nec tamen ſit profeſſus, quia alius non ſubitò acceptat.] Hactenus ille. Unde patet Abbatem, & Silveſt. perperam allegari à Modernis pro prima opinione. Et cum his ſentit Tabiena dicens opinionem Cardinalis eſſe valdè probabilem, *in verb. Votum primò, verſ. Notandum tertiò*.

Hæc ſententia duas implicat aſſertiones. Altera eſt affirmativa, videlicet hoc propoſitum cum ſuſceptione habitus eſſe votum ſimplex religionis; & in hoc diſcrepat à prima opinione. Altera eſt negativa, id eſt non eſſe votum ſolemne: & in hoc diſcrepat à tertia Canoniſtarum.

20 Prima aſſertio, videlicet eſſe votum ſimplex, probatur primò *ex cap. Qui bona 17 quæſt. 1.* ubi Gregorius: [Qui bona, inquit, agunt, ſi meliora agere deliberant, & deliberata non faciunt, licèt in bonis prioribus perſeverent, in conſpectu tamen Dei ceciderunt ex deliberatione:] qui text. non intelligitur de propoſito, prout eſt nuda conceptio boni explicandi, quę non obligat ad bonum cōceptum exequendum, ut eſt caſus *in d. c. Litteraturam*, ſecundum Abb. *ibi in ſumma*; ſed de deliberatione, & propoſito firmato, quale eſt propoſitum de quo nunc agitur, ut ibi declarant Hugo, & Archidiac.

Deinde probatur eadem aſſertio *in cap. Propoſitum 20. q. 3.* ubi Leo Papa: *Propoſitum*, inquit, *Monachi proprio arbitrio, & voluntate ſuſceptum deſerri non poteſt abſque peccato; quod enim vovit Deo, debet & reddere*. Ergo propoſitum eſt votum, & concordant tex. *in cap. ſeq.* ibi, *Ad propoſitum invitus reverti cogatur & in cap. Nuptiarum 27. q. 1.* ubi pluribus in locis propoſitum, & votum pro eodem accipiuntur.

Cæterùm ad *d. c. Qui bona*, & alia jura, quæ accipiunt propoſitum pro voto ſimplici, reſpondetur procedere, ſi ulterius non ſit in voto proceſſum, ſecus ſi proceſſum fuerit ad habitus ſuſceptionem, quia tunc propoſitum ſolemnizatur, ut patebit ex authoritatibus, & rationibus infra adducendis pro tertia opinione: text. verò *in d. cap. Propoſitum & cap. ſeq.* probant oppoſitum, 21
quia loquuntur de propoſito prout eſt votum ſolemne religionis dirimens matrimonium poſt contractum, ſicut etiam accipitur *in cap. Viduas à propoſito diſcedentes, in cap. Virginibus, & in cap. Viduas quæ 27. quæſt. 1.* & paſſim alibi.

Denique probatur eadem aſſertio, quia ſuſcipiens habitum novitiatus cum propoſito vitam mutandi abſolutè, non poteſt redire ad ſæculum, ſed tenetur ſaltem ad laxiorem regulam pertranſire, ut hìc eſt caſus, *& in c. Statuimus infra eod.* Hæc autem obligatio oriri non poteſt ex præcepto Eccleſiæ, ut patebit infra *num. 30.* Ergo neceſſe eſt, ut oriatur ex voto; hoc autem votum non eſt ſolemne, ut mox probabitur; reliquum eſt igitur, ut ſit votum ſimplex impediens, ſed non dirimens, *ut in c. unico, verſ. Reliqua vero de voto lib. 6.*

Secunda autem aſſertio, id eſt hoc propoſitum cum 22
ſuſceptione habitus probationis non eſſe votum ſolemne religionis, probatur primò *in d. cap. Statuimus infra eod. & in cap. Non ſolum eodem titul. lib. 6.* ubi profeſſio tacita, & expreſſa, & propoſitum abſolutè vitam mutandi, tamquam diverſa accipiuntur, ut patet ex illis verbis, *Niſi profeſſus ſit tacitè, vel expreſsè, aut evidenter conſtet illum vitam voluiſſe mutare*: ponderando dictionem alternativam, *aut*, quæ ponitur inter diverſa, *l. Hæc verba, ille aut ille, ff. de verbor. ſignif. cum ſimilib.* Ergo hujuſmodi propoſitum nec eſt profeſſio tacita, nec expreſſa, ſed quid tertium: quo arg in effectu utitur Abb. hìc *nu. 3. verſ. Hinc nota textum*, & Silveſt. *in verb. Religio 3. q. 19. verſ. Quartò inducitur*.

Reſponderi tamen poteſt *in d. cap. Statuimus*, agi de profeſſione expreſſa, & de duabus ſpeciebus profeſſionis tacitæ; una ſcilicet, quæ inducitur per ſuſceptionem habitus profeſſorum; alia verò, quæ inducitur ex propoſito mutandi vitam abſolutè. Unde non ſequitur, ut hoc propoſitum non ſit profeſſio. In prædicta verò Decretali *Non ſolum*, agitur de profeſſione expreſſa, item de profeſſione tacita in genere; & de una ſpecie profeſſionis tacitæ, quæ ſcilicet inducitur ex hujuſmodi propoſito mutandi vitam. Propterea autem hæc ſpecies contradiſtinguitur à tacita profeſſione in genere, quia illa regulariter obligat præciſè illi religioni, cujus habitus eſt ſuſceptus; cap. 1. ibi, Religionem aſſumptam præſumitur veraciter eſſe profeſſus, *infra eodem lib. 6* & Clem. *Eos*, ibi, Religionem illam decernimus eſſe profeſſos, & ibi gloſſ. *in verb. Illam eod. titul.* Hæc verò non obligat niſi religioni in genere, ut hìc patet. Non ergo ſequitur, ut hoc propoſitum non ſit profeſſio tacita; ſed tantum ſequitur, ut non ſit ex illis ſpeciebus tacitæ profeſſionis, quæ obligant religioni in ſpecie.

Probatur ſecundò *in cap. Ex tranſmiſſa ſupra de renunc.* ubi, ut inquit Silveſter *in verbo Religio 5. q. 8. verſ. Quarta*, clarè patet, quod votum intrandi religionem, & propoſitum perſeverandi ſimul non faciunt religionem per habitus ſuſceptionem, nec aliquam inducunt profeſſionem.

Verum Silveſter videtur falli in intellectu illius Decretalis: nam, ut obſervant hìc Innoc. *n. 3.* Hoſt. *num. 9. verſ. In prædicta*, Jo. Andr. *n. 5. in fin. verſ. Et in Decretali*, & Butr. *n. 7.* ibi, nullum propoſitum certum habuit, ſed tantùm probationis habitum petiit nullo voto præcedente, ut ibi etiam notatur.

Probatur tertiò, quia profeſſio Regularis ſine animo, & 23
voluntate profitendi non inducitur, *c. Præſens clericus 20. q. 3 & capit. 1. ſupr. eod.* cum multis ſimilibus. At proponens abſolutè vitam mutare, & ſuſcipiens habitum probationis, utique non intendit profiteri, ſed magis experiri religionis auſteritatem: nam ſi vellet profiteri, aſſumeret habitum profeſſionis, non probationis, *c. Super eo*, cum ibi notatis ſupra eod. & notat hìc gl. ultima, *verſ. Sed contra*, ubi reprobata opinione Joannis, [Ex quo, inquit, aſſumit habitum novitii, nec facit profeſſionem, nec renunciat ſeculo expreſsè, non intendit ſe obligare ſimpliciter, ſed potiùs conditionaliter experiri obſervantiam regularem.] At reſpon-

reſpondetur hoc argumentum, & gloſsæ authoritatem procedere, cùm quis ingreditur ſimpliciter religionem, nec apparet quòd propoſuerit vitam mutare abſolutè: talis enim ſuſcipiendo habitum novitiatus non præſumitur velle profiteri, ut dicit gloſsa noſtra, & gloſsa penult. *in cap. Statuimus infra eod.* propoſitum enim mutandi vitam non præſumitur, niſi clara probatione, & competentibus indiciis oſtendatur, ut dicitur *in d. cap. Non ſolum infra eod. lib.6.* Præſens autem quæſtio proponitur de illo, quem evidenter conſtat vitam mutare voluiſse, qui recipiendo poſteà habitum præſumitur velle votum ſuum ſolemnizare, ut probabitur in argumentis pro tertia opinione.

24 Probatur quartò ſecundum Cardinalem, quia votum non ſolemnizatur ad effectum dirimendi matrimonium poſt contractum, niſi per ſuſceptionem ſacri Ordinis, vel per profeſſionem expreſsam, vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis, ut diffinitur *in cap. un. de voto l.6.* Hic autem nec Ordinem ſacrum ſuſcipit, ut ſupponimus; nec profitetur expreſsè, vel tacitè in aliqua religione, ſed tantum obligatur religioni in genere, ut hìc patet. Ergo illius votum non eſt ſolemne, ita ut dirimat poſt contractum.

At reſpondetur negando minorem: nam qui propoſuit abſolutè vitam mutare, ſuſcipiendo poſteà habitum certæ religionis, quantum in ſe eſt tacitè profitetur in illa: quod autem eidem religioni non obligetur in ſpecie, non provenit ex ſe, ſed ex canone, qui indulget ſic profitenti, ut poſſit ad laxiorem ſaltem regulam pertranſire, ut hìc ſtatuitur. Adde quòd illa verba *d. cap. un.* alicui de religionibus approbatis, verificantur etiam in illo, qui obligatur religioni in genere, ut clarè probatur *in cap. Conſtitutionem de regul. lib.6.* in illis verbis: *Tacitè verò facta generaliter religioni alicui recipientem obligat*, ponderando quod text. utitur illa dictione, *alicui*, quia etiam utitur prædicta Decretalis unica. Et eſt ratio, quia quoad ſubſtantialia regulę, de quibus *in c. Cùm ad monaſterium inf. de ſtat. Monach.* paria ſunt profiteri hanc, vel illam religionem, vel religiones omnes in genere, cùm in ſubſtantialibus non differant, ſed una ſit religio, ut tradunt Feder. de Sen. *conſ. 5. Quidam Monachus ſub n.2. verſ. Præterea ſufficit*, Cald. *conſ. 391. aliàs 6. de Regul. in princ. verſ. Aut profeſſio illius* Lap. *alleg. 130. incipien. Pro dubiis n.4.* plenè Anchar. *conſ.321. Præmittenda ſunt.*

Probatur ultimò, quia profeſſio nec expreſsè, nec tacitè fieri poteſt, niſi recipiatur ab eo, cujus eſt religioni incorporare, cùm ſit contractus reciprocus, qui non poteſt conſiſtere ex parte unius tantum, *l. In omnibus, la ſeconda, ff. de act. & obligat.* & probatur *in cap. Porrectum*, & ibi dixi *in ult notab. & in cap. Ad Apoſtolicam infra eodem*, & docet S. Thomas *in 4. diſt. 38. quæſt. 1. art. 2. qu. 3.* ubi ait, *Non eſſe votum ſolemne ad dirimendum, niſi quando aliquis ſe dat principaliter Deo, divinis ſe ſervitiis mancipando, quod quidem fit per Ordinis ſacri ſuſceptionem, vel per profeſſionem certæ regulæ debito modo factæ, ſcilicet in manu ejus, qui debet recipere, & aliis circumſtantiis ſervatis, quæ per jura determinantur; aliàs enim non eſſet votum ſolemne quantumcumque quis profiteretur, quia in tali profeſſione non fieret ſub poteſtate eorum, qui religioni præſunt.* Hæc S. Th. quem in propoſito refert, & ſequitur Tabiena *in verb. Votum, primò, in 3. notab. verſ. Idem tenet S Thom.* Is verò, qui ſuſcipit habitum probationis cum propoſito abſolutè vitam mutandi, nulli certo Ordini à Superioribus aggregatur, ſed ſolùm remanet obligatus religioni in genere, ut hìc patet. Ergo deficiente religionis conſenſu, illius votum non eſt ſolemne; quo præcipuo fundamento Abbas hìc *num.3.* tenet contra communem ſententiam Canoniſtarum

Cæterùm facilis eſt reſponſio: nam major propoſitio, qua dictum eſt profeſſionem non valere ſine conſenſu recipientis, declaratur, ut procedat in profeſſione, quæ fit alicui religioni in ſpecie non autem in illa, quæ fit religioni in genere, in qua recipientis conſenſus nec eſt neceſſarius, nec poſſibilis, ut ſecundum communem opinionem, & veram patebit in quæſtione ſequenti *n.55.*

25 Tertia igitur opinio eſt Canoniſtarum, qui ferè omnium conſenſu cenſent hoc propoſitum mutandi vitam abſolutè, ſolemnizari per aſſumptionem habitus novitiatus, adeò ut inducat profeſſionem tacitam, non quidem obligantem alicui certo Ordini, ſed religioni in genere, & non tantùm impediat matrimonium contrahendum, ſed etiam dirimat poſt contractum, ita Goffred. *in ſumma de Regul. num. 2.* Henrich. Boich. *in cap. Statuimus nu. 9. infr. eod.* & hìc docet Innoc. *in princ. in verb. Propoſuerit*, ait enim:
[Si de propoſito mutandi vitam legitimè conſtiterit, vide- 26
licet vel per confeſſionem, quam nunc facit, vel per proteſtationem, quam fecit in ingreſſu, hìc habitus ſolemniter ſuſceptus dirimit matrimonium jam contractum, ſubaudi non conſummatum, ut mox patebit. hæc enim proteſtatio, ſive intentio cum ſuſceptione habitus probationis habetur pro tacita profeſſione, & eſt hic argumentum, quòd habitus probationis ſolemnizat propoſitum.] Hactenus ille, & conſenſit Abb. Antiq. *num.4.* [Quid enim, inquit, ſi quis velit abſolutè vitam mutare, & intravit religionem, poſteà exivit, & contraxit, nunquid tenet matrimonium? Dicit Goffred. quòd non, quia licèt habitus non obligaverit ad certum locum, tamen obligavit eum in genere] Idem
planiùs firmat Hoſtien. *nu. 3.* qui primò exponit verbum, 27
abſolutè, ideſt non intendens retrocedere, ſed omninò mundum fugere, & in religione perſeverare, & mox ſubdit: [Ex quo cum tali propoſito intrat, & habitum ſuſcipit, omninò religioni obligatur; & conſtito de hoc propoſito, habitus ſolemniter ſuſceptus dirimit matrimonium jam contractum, & non conſummatum,] *cap. Ex publico. & cap. Ex parte, il ſecondo, infra de converſ. conjugat.* multò fortiùs poſt contractum, *cap. Meminimus infra, qui cleric. vel vovent.* quia talis intentio cum ſuſceptione habitus pro tacita profeſſione habetur, *cap. Statuimus inf. eod. & arg. cap. 3. §. 1. de voto*, ubi de hoc, *& infra num. 12.* quærit, quid ſi novitius qui voluit abſolutè vitam mutare, poſteà matrimonium contraxerit, an valeat: & reſolvit non valere: Quia, inquit, etſi habitus non ſolemnizet votum quoad regulam aſſumptam, ſolemnizat tamen quantum ad Monachatum, ſive religionem in genere, in quam conſenſit cùm habitum aſſumpſit, intendens abſolutè vitam mutare. Idipſum tenet Joan. Andr. *n.7. in gloſſ.* [Nunquid, dicens, qui voluit abſolutè mutare ſæculum, ſi contrahat, non tenet matrimonium, quia religioſus eſt, licèt non præcisè illius religionis? Unde dicebant Vincent. Innoc. & Hoſt. quòd ſi ille qui ingreditur habebat ſponſam nõ cognitam, illa ſtatim poterat cum alio contrahere; & hoc ſatis probatur *in cap Beneficium infra eod. lib. 6.*] Hęc Jo. Andr. & ſequuntur Collectar. *in princ.* Butr. *num 6.* Anch. *num 7.* Jo de Anania *num. 6.* Quinimò cùm hac opinione tranſire omnes ferè ſcribentes præter Cardinalem teſtatur Abb. *num. 3. verſ. Et cum hac opinione* De communi etiam Canoniſtarum teſtatur S Antoninus *in 3. part. tit. 16. c 2.*
§. 4. verſ. Communiter tamen, & paſſim Moderni. Eidem 28
ſententiæ adſcribendi ſunt Authores, qui tenent bona profeſſorum in genere generaliſſimo eſſe religionis in genere, & arbitrio Epiſcopi fore diſtribuenda: quod cenſuit Gaſpar. de Caldar. *conſ. 23. incipien. Quidam fecit profeſſionem hoc tit.* quem referunt, & ſequuntur *in c. In præſentia de probat.* Butr. & Abb. *ambo n.64.* & ſcripſi pleniùs *in c. Quia ingredientibus n. 19. & ſeq. ſupra de teſtam.* Hi enim abſque dubio ſentiunt illorum votum eſſe ſolemne: nam per votum ſimplex bona non acquiruntur religioni, ſed per profeſſionem dumtaxat, *ut c. Quia ingredientibus, cap. Perlatum, & c. Si qua mulier 19. q.3. cum ſimil.*

Pro hac tertia opinione allegatur primò textus apertus 29
hìc, ubi Pontifex conſultus, an novitius infra annum poſſit redire ad ſęculum; diſtinguit, an propoſuerit abſolutè vitam mutare, an conditionaliter experiri obſervantiam regula-
rem Et in primo caſu determinat eum debere ad laxio- 30
rem ſaltem religionem pertranſire, ut regulariter vivat. Inquiro unde oriatur hæc obligatio migrandi ad laxiorem, ibique regulariter vivendi. Et certè non ex nudo Eccleſiæ præcepto, quia non poteſt juſtè præcipere tam aſpera, nec quemquam perpetuò invitum religioni mancipare, cum continentia res ſit magis voti quàm præcepti, quæ ſuaderi poteſt, non imperari, dicit text. *in cap. Integritas 32. q. 1. c. De his 28. diſt.* & ibi Turrecrem. *n.7.* Navarr. *conſ. 39. num.2. de Regular.* conſenſus enim eſt de ratione intrinſeca Monachatus, *cap. Præſens Clericus 20. q.3. & cap. 1. ſupra eod. cum concor.* quas ibi dedi *num.20. & 24.* Rurſus hæc obligatio non oritur ex voto ſimplici, quia vovens profiteri in certa religione tenetur ibi, & non alibi eſſe profeſſus, ut eſt textus *in c. Per tuas,*

infra

infrà de voto: quòd ſi ibi non recipiatur, ſolutus eſt voto, nec tenetur, aut cogi poteſt intrare laxiorem, ut docet S. Th. *in 2. 2. q. ult. art.3. ad 2.* quem refert, & ſequitur Archid. *in c. Scimus, n.2. 12. q.1.* & Silv. *in verſ. Religio, 2. n.16.* & ſcripſi plenè *in c. Porrectum, n.51. & ſeqq. ſup. eod.* Reſtat igitur, ut obligatio hujuſmodi proveniat ex voto ſolemni, quod ex indulgentia Eccleſiæ in hoc ſpeciali caſu non obligat illi religioni in ſpecie, in qua ſuſcipitur habitus cum propoſito vitam mutãdi, ſed religioni in genere, ut hìc patet. Et
31 hoc innuit dictio illa, *Saltem*, quæ habetur in textu, quaſi dicat, qui propoſuit abſolutè vitã mutare, & habitum certæ religionis ſuſcepit, de rigore juris tenetur ibi perpetuò remanere, & regulariter vivere; ſed nihilominùs ex benignitate permittitur ei, ut ſaltem poſſit ad laxiorem regulã pertranſire. Et eſt ſimile *in c. Super eo, ſup. eod. & in c. Conſtitutionem, eod. tit. lib.6.* Conferunt, quæ de prædicta dictione, *Saltem*, ſcripſit Bal. dicens illam eſſe ſubſidiariam, *in conſ.69. Factum tale eſt, Quidam n.2. verſ. Nam dictio ſaltem, lib.2.* & Gemin. *conſ.37. Dubitatur, n.5. verſ. Secundò probatur ſic.*

Non obſtat, quòd hoc cap. fuerit correctum per *c. Statuimus, inf. eod.* ut dicit gl. *hic in ver. Diſtinguendum*, quoniam dictum gl. communiter reprehenditur à DD. nam in prædicta decretali, *Statuimus*, idem per omnia deciditur, quod in hoc cap. ut ut in ſpecie advertunt Butr. *n.8.* & Abb. *num.4. verſ. in gloſſa 3.* & mox patebit.

32 Secundò igitur pro hac opinione adducitur tex. itidem clarus *in d. c. Statuimus, inf. eod. ubi deciditur*, Novitios poſſe infra annum probationis redire ad ſæculum, niſi in tribus caſibus. Primus eſt poſt ſuſceptum Religionis habitum, qui dari profitentibus conſuevit. Secundus eſt poſt profeſſionem emiſſam, ſcilic. verbis ſolemnibus, & in ſcriptis factam, & ibi explicat Hoſt. *n.3. in fin. in verb. Profeſſionem*. Tertius eſt poſt ſuſceptum habitum probationis cum propoſito vitam mutandi abſolutè. Sed in primis duobus caſibus votum eſt ſolemne, ut de profeſſione expreſſa eſt planum, & de ſuſceptione habitus profeſſionis patet *in c. Conſtitutionem, ver. Tacitè verò emiſſa, inf. eod. lib.6.* Ergo & in tertio, arguendo à connexis, & æquiparatis, *ad c. Tranſlato, ſup. de conſtit. & c. Inter coporalia, de tranſlat. Epiſc.*

33 Tertiò, pro hac parte adducitur tex. *in c. Non ſolùm, infra eod. lib.6.* ubi ſimiliter æquiparantur hæc tria, videlicet profeſſio tacita, profeſſio expreſſa, & propoſitum abſolutè vitam mutandi; & ponuntur omnia ſub unica determinatione, & verborum ſtructura, ibi, *Niſi major. tamen 14. annis exiſtens profeſſus ſit tacitè, vel expreſsè, aut evidenter conſtet illum voluiſſe vitam mutare.* Una autem determinatio reſpiciens plura determinabilia debet omnia æqualiter determinare, *l. fin. C. de ſent. l. Jam hoc jure, §. Sed ſi aliter*, & ibi Bart. *n.1. ff. de vulg. & pupill.* facit *c. Majores, ſupra de baptiſm.* ibi, *Ne ad alios prima, & ad alios ſecunda clauſula referatur.* Nec ſatisfacit reſponſio Abb. *hic n.3. verſ. Non obſtat*, quòd *in d. c. Non ſolùm*, æquiparatio fiat tantùm quoad hoc, ut neuter poſſit redire ad ſæculum; imò enim æquiparatio fit non ſolùm reſpectu effectus, ſcilicet obligationis remanendi in religione; ſed etiam reſpectu cauſæ, quia nimirum hoc propoſitum cum ſuſceptione habitus eſt votum ſolemne, & obligat ad remanendum in religione, ſicut profeſſio tacita, vel expreſſa, ut clariùs patebit ex tribus fundamentis immediatè ſequentibus.

34 Quartò, allegatur pro hac opinione tex. irrefragabilis in *c. Beneficium de regul. lib.6.* ubi beneficium exiſtentis infra annum probationis, in tribus caſibus poteſt, & debet alteri conferri. Unus eſt, ſi conſtet, quòd vitam voluerit abſolutè mutare. Alius eſt, ſi profeſſionem expreſſam fecerit. Tertius eſt, ſi ſcienter habitum receperit profeſſorum: qui tex. dupliciter inducitur, & primò ſic; prædicti tres caſus æquiparantur quoad inducendam vacationem beneficii, imò primo loco recenſetur propoſitum abſolutè vitam mutandi, & profeſſio expreſſa ponitur media inter propoſitum mutandi vitam, & receptionem habitus profeſſorum: ſed in duobus ultimis caſibus votum eſt ſolemne, ut probatum eſt ſupra in ſecundo fundamento pro hac ſententia, *n.32.* ergo & in primo caſu, alioquin ſi hoc propoſitum eſſet votum ſimplex, incongruè tex. poſuiſſet illud primo loco, ante profeſſionem expreſſam, & profeſſionem tacitam, quæ inducitur per ſuſceptionem habitus profeſſionis, arg. *c.1. ſup.*
35 *de major. & obedient. cùm ſimil.* Deindè inducitur ſic; Beneficium non vacat per votum ſimplex religionis, ſed per votum ſolemne duntaxat, tex. eſt ſecundùm unum intellectum *in c. Gonſaldus 17. q.2.* ubi Gonſaldus Presbyter ægrotus Monachum ſe fieri promiſit, & ſic fecit votum ſimplex religionis; non tamen Monaſterio, aut Abbati ſe tradidit, & ſic profeſſionem non emiſit, ſed beneficium renunciavit; poſteà convaluit, & Eccleſiam ſuam repetiit: & textus decidit eum debere beneficium ſic dimiſſum recuperare: ergo beneficium novitii etiam dimiſſum non vacat per votum ſimplex religionis, concord. text. ſecundùm unam lecturam *in c. Ex tranſmiſſa*, cùm ibi not. *ſupra de renutiat.* Sed per propoſitum mutandi vitam abſolutè vacat beneficium novitii, ut patet *in d. c. Beneficium*, ſi enim non vacaret, non poſſet alteri conferri, ut *d. cap. Ex tranmiſſa*. Ergo hujuſmodi propoſitum non eſt votum ſimplex religionis, ſed votum ſolemne. Quibus ponderantionibus evertitur reſpoſio Silveſt. aſſerentis ex propoſito mutandi vitam oriri obligationem quamdam ad religionem in genere, per quam inducitur vacatio beneficii. Quoniam hæc vacatio non induceretur, ſi propoſitum illud cum ſuſceptione habitus non eſſet profeſſio. Obligatio enim ad Religionem in genere ſi proveniret ex ſimplici voto, non eſſet majoris efficaciæ ad inducendam vacationem beneficii, quàm ſit obligatio ad Religionem in ſpecie, que oritur ex voto ſimplici profitendi certam religionem, quæ beneficii vacationem non inducit, ut proximè probatum eſt.

Quintò, hæc ſententia probatur à ſimili; nam obligatio 36
ad religionem in genere, quæ de jure oritur ex ſuſceptione habitus profeſſorum infra annum probationis in religionibus tam Mendicatium, quàm non Mendicantium, non provenit ex voto ſimplici, ſed ex tacita profeſſione, ut eſt text. rotundus *in c. Conſtitutionem, inf. eod. lib.6.* in illis verbis: Tacitè verò facta infra probationis annum per ſuſceptionem habitus, qui profitentibus tantùm datur, non illi ſpecialiter, cujus habitus eſt ſuſceptus, ſed generaliter religioni alicui recipientem obligat. Ergo ſimiliter & obligatio ad religionem in genere, quæ oritur ex propoſito mutandi vitam abſolutè cum ſuſceptione habitus Novitiatus certæ religionis juxta text. hìc, non provenit ex ſimplici voto, ſed ex tacita profeſſione. Quod ſi contradicas, aut aſſigna ſi potes inter hos duos caſus ſufficientem rationem diverſitatis, aut in ſententiam noſtram deſcende, argum. *c.2. de tranſl. Epiſc. & c. Tua de conſang. & affin.*

Sextò adducitur pro hac parte alia ſimilitudo. Habitus 37
profeſſorum extra Monſterium aſſumptus tacitam profeſſionem non inducit, *cap. Ut Clerici, ſupra eod.* gloſſ. in Clem. *Eos, in ver. In aliqua, de regul. in c. Porrectum, n.8. ſupra*
eodem, & tamen ſi præcedat votum ſimplex continentiæ 38
votum ſolemnizatur per aſſumptionem prædicti habitus, etiam extra Monaſterium, textus eſt *in c. Ex parte, il 1. infra de converſ. conjug. & in c. Inſinuante*, & ibi dixi *n.15. & num.17. infra qui Cler. vel vov.* Innoc. Abb. Antiq. & alii *num. ſeq. allegandi*. Ergo pari ratione quamvis habitus probationis in Monaſterio receptus non inducat profeſſionem tacitam, *c. Ad Apoſtolicam, ſupra eod. cum ſuis concord.* tamen ſecus dicendum eſt, ſi præcedat votum ſimplex religionis, ſeu propoſitum abſolutè vitam mutandi, ut hìc: nam duo imperfecta in hac materia faciunt unum perfectum, ut dixi ſupra *in 4. not.* & pleniùs *in cap. Vidua, à n.33. ſupra eod.*

Ultimò probatur hæc ſententia ſecundùm Innoc. Hoſt. & 39
Abb. Antiq. hìc, quibus cæteri conſentiunt: nam ſi quis emittat votum ſimplex continentiæ, vel abdicationis proprietatis, vel obedientiæ, & ſic unum ex ſubſtantialibus Monachatus, ut *cap. Cùm ad Monaſterium, infra de ſtat. Monachor.* & poſtmodum voto tali emiſſo ſuſcipiat habitum probationis, hoc caſu votum in ſuſceptione habitus ſolemnizatur, ut probatur ſecundum eos *in cap. Meminimus, & in cap. infra qui Cler. vel vovent.* & arg. *cap. Ex parte, il primo de converſ. conjug.* Ergo multò fortiùs per ſuſceptionem talis habitus ſolemnizatur propoſitum abſolutè vitam mutandi, in quo tria ſubſtantialia regulæ includuntur. Unde ſecundùm Innoc. & alios multò magis in ſuſceptione habitus ſolemnizatur votum, quo quis renuntiat ſæculo. Eſt & ratio quare prædictis modis ſolemnizetur votum, nempè quia ex quo prædicta quis vovit, cogendus eſt ea ſervare, etiamſi habitum non ſuſcipiat. Igitur tutum eſt ut dicamus, quòd ſi per ſe facit illud, quod ſine habitu ſervare tenetur, ſuſcipiendo poſteà habitum, præſumptione juris, & de jure præſumatur hoc velle adeò roborare, ut de cætero non permittatur deſerere habitum, ſic

ſuſceptum: nam qui duplicat, firmat, *l. unica ad fin Cod. de plus petit. & eſt opt. arg. in l. Si mulier la 2. §. Sin autem, C. ad Vellejan.* quam rationem diſertis verbis aſſignant hìc Innoc. *n.2.* Hoſt. *n.7. verſ. Ratio autem*, Jo. Andr. *n.5. verſ. Eſt autem ratio*, Card. *in 4. qu. n.4.* Butr. & Anch. ambo *num.7.*

Ex his arbitror hanc tertiam opinionem fulciri optimis fundamentis, & ad jura prællegata non adæquatè à Theologis reſponderi, & immeritò carpi Canoniſtas noſtros, quaſi vim voti non intelligant.

40 Nunc cùm *in c. Non ſolùm*, *inf. eod. lib.6.* dicatur non præſumi quem voluiſſe vitam mutare, niſi clara probatione; & competentibus indiciis oſtendatur: reliquum eſt, ut videamus, quæ ſint hujuſmodi indicia. Et quidem à DD. enumerantur infraſcripta. Duo ponit gl. *in c. Statuimus*, *in ver. Niſi evidenter appareat inf. eod.* Primum ſi in ſua receptione renuntiavit ſæculo expræſsè. Secundum ſi receperit veſtes, quæ profitentibus tantùm dantur. Tertium ponitur hìc ab Innoc. *in princ. in ver. Propoſuerit*, & Hoſt. *n.3.* videlicet per confeſſionem ſuam, quam modò facit. Quod tamen limitat Hoſt. niſi talis confeſſio eſſet matrimonio carnali præjudicialis, ut *c. Super eo, infrà de eo qui cogn. conſang. uxoris ſuæ*, de quo dic, ut legitur, & notatur *in c. penult. inf. de rapt.* Quartum itidem ponitur ab Innoc. & Hoſt. *ubi ſup* id eſt ſi in ingreſſu proteſtatus fuit coram teſtibus, quòd intendebat vitam mutare. Quintum, & ſextum ponitur *in d. c. Non ſolùm, in gl. in ver. Indiciis*, nimirum ſi beneficium renuntiavit, vel de bonis propriis verbo, & re diſpoſuit; & in idem recidit, quod Hoſt. *n. 11.* & alii dicunt, ſi omnia bona ſua diviſit. Septimum eſt,
41 quod ponit ibi Hoſt. ſi teſtamentum fecit. Sed hoc non placet, quia cùm teſtamentum ſit revocabile, hinc non elicitur evidens probatio, quòd voluerit in religione perpetuò deſervire, ut requirit text. *in d. c. Statuimus*. Ob quam rationem S. Congr. Cardinalium Conc. Trid. Intepretum declaravit ejuſdem Concilii decretum, *c.16. ſeſſ.25. de regul.* quo invalidantur renuntiationes non factæ infrà duos menſes ante profeſſionem, & de licentia Ordinarii, non comprehendere teſtamenta, & alias ultimas voluntates: quia nimirum ex illis non adimitur novitio libertas redeundi ad ſæculum infra annum probationis. Unde non ſine myſterio gl. præall. *in c. Non ſolùm*, dicit, verbo, & re, quaſi ſentiens non ſufficere, ut de rebus propriis diſponat verbotenùs, & per viam ultimæ voluntatis. Octavum eſt, ſi renuntiavit anno probationis, ſeu beneficio Decretalis *Ad Apoſtolicam ſup. eod.* ſecundùm Hoſt. Quod & Cajetan. admittit *loc. cit.* videlicet *in 2.2. q.88. art.1. dub. penult.* ubi dicit hoc cap. recipere declarationem à *c. Statuimus infrà eod.* & intelligi de propoſito mutandi vitã habente implicitam promiſſionem, quale eſt propoſitum illius, qui renuntiat anno probationis; facit enim quantum in ſe eſt, quod facturus eſſet probationis tempore completo. Nonum, ſi renuntiavit propriis, aut caſtitatem, vel obedientiam promiſit, ſecundùm Innoc. & alios ſuperiùs relatos in ultimo fundamento pro ſententia Canoniſtarum, *n.39.* Decimum eſt, ſi in ingreſſu bona ſua Monaſterio donavit abſque proteſtatione; ſecùs ſi proteſtatus fuit, quod conditionaliter intrabat, ut regulam probaret, quia præſumitur mortis cauſa donaſſe, niſi aliud in donatione expreſſerit, ita Hoſt. *in cap. Statuimus n.4. verſ. Quid de his, quæ legaverat, inf. eod.* quem ibi ſequuntur Jo. Andr. *n.2. eod. verſ.* Cardin. *in 2. not. in 4. q.* Abb. *n.2. verſ. Sed quærit hìc Hoſt.* & alii communiter S. Anton. *in 3. p. tit.16. c.2. §.4. verſ. Quærit enim.* His igitur indiciis, & ſignis, vel ſi quid aliud ſimile faciat, vel dicat, per quod enixa ejus voluntas appareat conſtare, dicitur evidenter eum voluiſſe abſolutè vitam mutare. Unde ſi poſteà qualemcumque habitum religionis ſuſcipiat, jura præſumunt eum velle votum ſuum implere, & ſolemnizare, tacitè profitendo; & hæc eſt præſumptio juris, & de jure, ut dicunt DD. contra quam non eſſet audiendus, qui ſuo juramento firmare vellet ſe in ſuſceptione habitus non habuiſſe animum profitendi, ut *c. Vidua in fin.* & ibi dixi in *ult. not. n.9. ſup. eod.* Et hoc in foro Eccleſiæ, ſed in foro animæ, & quoad Deum in tantum fertur obligatio voti, in quantum ſe extendit voluntas, & intentio voventis, ut per D. Th. *in 2.2. q. ult. art.4.*

42 Sed dices: Hodie inanis videtur prolixa hæc diſceptatio, cùm ex Conc. Trident. nulla ſit profeſſio facta ante annum probationis elapſum, nullamque inducat obligationem etiam ad religionem in genere, ut colligitur ex verbis *c.15. verſ. Profeſſio autem antea facta, ſeſſ. 25. de Regular.* & ex ſententia S. Congr. dixi *in c. Quia ingredientibus, n.22. ſup. de teſtam.* Idque etiamſi præceſſerit votum: nam cùm dubitatum fuerit, an is, qui ex voto religionem ingreditur, poſſit in ea validè etiam ante annum probationis profeſſionem emittere ſalvo Decreto Trid. Conc. *c.15. ſeſſ.25. de regul.* S. Congr. reſpondit non poſſe. Fruſtra ergo quæritur, an qui propoſuit abſolutè vitam mutare, ſuſcipiendo poſt habitum probationis, cenſeatur tacitam profeſſionem emittere obligantem eum ad religionem in genere, cùm hæc tacita profeſſio infra probationis annum, & obligatio inde reſultans fuerit prorſus à Conc. ſublata, ut pleniùs dixi in prædicta Decretali, *Quia ingredientibus, eod. n.22.* & dicam infrà *n.57.* At reſpondetur hunc caſum adhuc poſſe contingere non obſtante Trid. Conc. Decreto. Ecce, Novitius expleto anno probationis dimiſſo habitu reddit ad ſæculum; poſteà propoſuit abſolutè vitam mutare ſecundùm aliquem ex modis enumeratis ſupra *n.40.* Profectò ſi cùm tali propoſito ad religionem reverſus iterum ſuſcipiat habitum probationis, illicò cenſebitur profeſſus tacitè, & obligatus religioni in genere; neque enim hoc caſu illi obſtabit decretum Conc. nec tenebitur per alium annum in probatione ſtare: ſed ſtatim profiteri poterit expreſsè, vel tacitè niſi religionis, aut perſonæ conditio ſit immutata, ſecundùm opinionem Bart. Brix. *in ſua q. Venereali, 68.* quam ſequitur gl. *in c. Eum, qui de regul. jur. lib.6.* & ſæpius probavit S. Congregatio Concilii. Rurſus poſſet accidere hic caſus in eo, qui habilitatus eſſet à Papa ad emittendam profeſſionem ſine ulla probatione. Quare præſens diſputatio non eſt inutilis.

Poſſet etiam attentari hunc caſum contingere poſſe in 43
novitio, qui per annum geſtavit habitum novitiorum diſtinctum ab habitu profeſſorum: nam ſi poſteà proponat abſolutè vitam mutare, & pergat in delatione habitus hujuſmodi, videri poteſt votum ſuum ſolemnizare, arg. *l. Si mulier la 2. §. Sin autem, C. ad Vellejan.* cùm concurrant duo requiſita ad hoc neceſſaria, videlicet propoſitum, & habitus. Contrarium tamen credo verius; quia adhoc ut votum ſolemnizetur, jura, & DD. requirunt, ut præcedat propoſitum, & poſteà recipiatur habitus. Ex hac enim juris interpretatione cenſetur quis propoſitum ſuum velle roborare, ac perficere, adeò ut ſibi non liceat ampliùs ad ſæculum reverti, ut ſæpiùs repetitum eſt. Quæ ratio ceſſat in eo, qui primo ſuſcepit habitum novitiatus, & poſt annum propoſuit vitam mutare: nam cùm hoc propoſitum ſit votum ſimplex ſolemnizari non poteſt niſi ſequatur novus actus, qui præcedenti voto adjiciat robur, & firmitatem, qualis eſt nova ſuſceptio habitus, ut hic patet, non autem continuatio habitus jam ſuſcepti. Quod ergo non eſt Patrum Decreto ſancitum, &c. *c. Conſuluiſti 2. q.5. cap. Inter corporalia de tranſlat. Epiſc.*

Secundò QUÆRO, an profeſſi in religione à Sede Apo- 44
ſtolica non approbata, quam putabant approbatam, ſint obligati ad religionem in genere.

Hæc quæſtio eſt admodum dubia, & implexa ob varias Canoniſtarum opiniones: nam gl. *in c. unic. in verb. Approbatis, de voto lib.6.* ubi definitur votum ſolemnizari per profeſſionem factam alicui de religionibus approbatis: Ergo, inquit, ſi profitetur religionem non approbatam, ſi poſteà contrahit, tenet matrimonium; quod verùm puto
etiamſi quando profitebatur, credebat illam approbatam. Ita 45
gloſ. quæ videtur ſentire ex profeſſione emiſſa in religione non approbata non oriri obligationem ad religionem in genere, ſi ſequamur opinionem Franchi *in c. Conſtitutionem, n.4. verſ. Secundò adverte, inf. eod. lib.6.* exiſtimantis per obligationem ad religionem in genere dirimi matrimonium poſteà contractum, quæ fuit opinio Innoc. & Cano-
niſtarum ferè omnium, ut dixi ſupra *n.25.* Gloſſ. ſequun- 46
tur illic Archid. *propè fin. in ver. Approbatis*, Jo. Andr. Anchar. Gemin. & Franch. qui omnes reddunt rationem, quia in his ſpiritualibus veritas prefertur opinioni, *§. His ita 35. q.9.* ubi gloſ. fin.

Cæterùm Jo. And. *ibid. n.3.* allegat in contrarium jura, 47
quæ probant impedimentum oriri etiam ex actu nullo, *cap.
unic. de bigam. & c. Auditis, de elect.* maximè propter in- 48
tentionem recipientis, *c. Quidam de converſ. conjugat.* & propter communem opinionem, *§. Tria, 3. q.7.* ac deinde ſubdit: Propter hæc duo ultima dico iſtum, qui obliga-

ri

ri intendebat, contrahendo peccare; nec hoc tractat gl. ſed dicit, quòd contractum tenet, quod etiam ſentit Damaſcen. à Jo. Andr. alleg. Et hanc opinionem Jo. Andr. quòd profeſſus in religione, quam credebat approbatam, contrahendo matrimonium peccet, ſed contractum teneat ſequuntur in *eod.c.unic.* Petr. de Anch.& Gemin. itaque ſecundùm horum opinionem patet ex profeſſione hujuſmodi ortam eſſe aliquam obligationem, hæc autem obligatio alia eſſe non poteſt, quàm vel ad religionem in genere, quæ ſecundùm poſteriorem ſententiam non dirimit matrimonium poſteà contractum, licèt impediat contrahendum: vel certè obligatio, quæ proficiſcitur ex ſimplici voto ſecundùm Prep. *in c. Rurſus, in fin. Qui Cler. vel vov.* ut inferiùs diceretur. Et quamvis, ut ſubdit ibi Prep. *n.*20. gl. *in d.c.un.* ſentiat d. profeſſioné nec valere ut votum ſimplex; ideòque taliter profeſſum poſſe contrahere, & ibi hoc placeat Archid. & Jo. Andr. verè tamen gl. dicit tenere matrimonium poſteà contractum; ſed non dicit licere contrahere; & ſecundùm Archid. & Jo. And. ſic profeſſus contrahendo peccat, & ipſemet Præpoſ. idem fatetur paulò inferiùs dicens eſſe peccatum mortale.

49 In ſimili quæſtione de eo, qui profitetur aliquam ex regulis approbatis, puta S. Guil. in manibus, ut ajunt, Truffatorū, ſeu Barratorum, Spec. *in tit. de ſtat. Monach. n.*45. ſic ait pone, quidā fingentes ſe eſſe de ordine S. Guil. ſeduxerunt quēdam juvenem credentem illo eſſe de ordine illo, & recepit habitum illius ordinis, & promiſit ſe illam regulam perpetuò ſervaturum, poſteà novit illos Truffatores eſſe, an iſte ſit ad obſervantiam illius religionis compellendus? Jo. de Deo in ſuis quæſtionibus dicit, quòd ſi ille voluit abſolutè vitam mutare, & in Ordine S. Guil. vivere, ſive ibi, ſive alibi, ubicūque talis ordo vigeret, ſanè cogendus eſt, *c. Dilectiſſimis*, 12. q.1. Si verò intendebat ſe Deo obligare in illo loco tantùm, & cum illis, non tenetur alibi, ut *c. Ex injuncto, de nov. operis*

50 *nuntiat.* Eamdem diſtinctionem de eo, qui emiſit profeſſionem infra annum probationis in Ordinibus Medicantium qui *ex c. Non ſolùm inf. eod. lib.*6. erant obligati ad religionē in genere, ſequitur Lap. Abb. *in c. Conſtitutionem, eod. tit. & lib. n.*7. his verbis: [Poteſt dici, quòd ſi tempore emiſſi voti, vel factæ profeſſionis expreſſit vovens, vel profitens de certis loco, & ordine, ſtabitur expreſſioni, ſi probetur, ita quòd ſi ibi eſſe non poterit, non erit nec in ſpecie, nec in genere Ordini obligatus, & contrahere matrimonium poterit, & contractum tenebit: ſi autē aliud non expreſſit, vel ſi expreſſit, non probatur, ſtabitur dicto ſuo in foro animæ, non autē in foro contentioſo, niſi fortè hęc juraret delato juramento, & aliter probari non poſſit; unde tunc nec contrahere poterit, & ſi contraxerit, non tenebit.] Lap. ſequitur ſimpliciter ibi Anch. & dicit mente tenendum, *ſub n.*1 *ver. Quarto nota.*

51 Verùm hanc diſtinctionem quoad primum membrum, videlicet, quòd ſi profeſſus intendebat ſe generaliter obligare remaneat obligatus religioni in genere, ita ut matrimonium contrahere non poſſit, reprobat Jo. de Imol. quia cùm non adſit recipiens, qui habeat mandatum incorporandi, non poteſt quis eſſe profeſſus, & ſequitur Præp. *in d. c. Rurſus n.*21. qui tamen dicit iſtum aſtringi voto ſimplici, & poſſe compelli ad ingrediendum, nec poſſe contrahere matrimonium ſine mortali peccato.

52 Quo verò ad ſecundum membrum, quòd profeſſus in certo loco, & ordine, ſi ibi eſſe non poſſit, non remaneat obligatus religioni in genere, latè eamdem diſtinctionem reprobat Franc. *in d. c. Conſtitutionem, n.*4. ubi pluribus oſtendit nō eſſe faciendam differentiam, an quando quis profitetur expreſsè, intendat ſe obligare illi religioni in ſpecie, vel in genere; ſed indiſtinctè remanere eum obligatum religioni in genere, ſi illi in ſpecie non potuerit obligari, & inducit text. *in d. c. Non ſolum*, ubi quis emiſit profeſſionem infra annum in Ordine Prædicatorum, vel minorum, & ſic intendebat ſe obligare illi Ordini in ſpecie, ponderando verba illa, *Ad profeſſionem veſtri Ordinis*; & tamen quia profeſſio illa nulla fuit, remanet obligatus religioni in genere, ſecundùm gl. & Archid. ibi; & ita dicit de hoc eſſe caſum ibi Præp. *in d. c. Rurſus ſub n.*10. *Qui Cler. vel. vov.*) Si autem inquit, non valet profeſſio reſpectu illius religionis certæ, quam intendebat profiteri; tamen profeſſio in genere ſuſtinetur, quia remanet obligatus ad intrandam unam ex religionibus approbatis, puta in eo, qui ordinē Minorum ingreditur, & infra annum probationis profitetur illam regulam cum ſolemni profeſſione; profeſſio illa non valebit quoad hoc ut iſte ſit obligatus Ordini minorum; ſed benè valebit quoad hoc ut cogatur aliam religionem ex approbatis ingredi, *c. Non ſolum, eod. tit. lib.*6. ubi eſt caſus.) Hæc ille.

Ratio eſt, quia in materia voti locus eſt illi regulæ, ſi non valet, quod ago, ut ago, valet ſaltem, ut valere poteſt, ut probat text. *in c. Quidam de converſ. conjug.* ubi maritus, qui invita uxore fecit profeſſionem, & ei poſtea fuit reſtitutus, non cogitur ea mortua redire ad Monaſterium, quia hac in parte votum non tenuit, cùm non eſſet in ejus poteſtate debitum non reddere ſed tamen non debet matrimonium cōtrahere, quia per dictum votum promiſit etiam debitum non exigere, quod erat in ejus poteſtate, & quoad hoc votum tenuit, atque ita ex illo tex. hanc regulam deducit Abb. *n.*3. *ver. Item nota.* Ergo ſimili modo, qui profitetur in religione approbata, licèt quoad illam religionem votum non teneat, quia non eſt in ejus poteſtate; tenet tamen quoad obligationem ad religionem in genere, quod ab ejus poteſtate dependet. 53

Qua etiam ratione, qui fingit ſe fœminam, & profitetur in Monaſterio Monialium, obſtrictus remanet religioni in genere, *c. Quòd interrogaſti*, 27. *diſt.* per quem text. ita concludit Bart. Brix. *in ſua q. Dominic.* 81. incip. *Juvenis*, quem ſequitur Abb. *in c. Tuarum n.*7. *de privil.* 54

Et tenendo hanc opinionem, quæ de jure verior videtur, non obſtat dictum Jo. de Imol. de quo ſupra *n.*51. quòd non poſſit quis obligari religioni in genere ob defectum recipientis: nam reſpondetur, quicquid contra ſenſerint Abb. & Silv. ſupra cit. *n.*19. id non eſſe neceſſarium in religione in genere, ut docet Innoc. *in c. Porrectum, n.*6. *verſ. Idem ſup. eod.* & Franc. poſt Lap. & Gemin. *in d. c. Conſtitutionem*. Et eſt communis opinio, teſte Præp. *in d. c. Rurſus, n.*10 *ver. Iſtud votum iſtis duobus proximis modis*. Ratio eſt, quam reddit Gemin. *in d. c. Non ſolum in fin.* quia cùm inducitur obligatio ad religionem in ſpecie, Monaſterium obligatur profitenti ad alimenta, & ideò oportet talem obligationem contrahi per habentem poteſtatem; ſecùs autem in obligatione ad religionem in genere, quæ cum nullam contineat obligationem reſpectu certi Monaſterii, ſatis eſt, ut illa ſic inducta recipiatur per habentem poteſtatem, quando profeſſus ingreditur religionem in ſpecie. Et ſimilia exempla, quòd profeſſio emiſſa ſine authoritate recipientis, obliget ad religionem in genere, habentur ex Specul. *de ſtat. Monach. n.*24. *q.*19. *verſ. Sed prius*, Præp. *in d. c. Rurſus num.*20. *ver. Aut Monachus nullum habet*, & Abb. *in dict. cap. Porrectum num.*10. *ver. Fatetur tamen*. Alioquin ſequeretur, ut ad inducendam hujuſmodi obligationem ad religionem in genere neceſſarius eſſet conſenſus religionum totius orbis, quod non tam eſſet abſurdum, quàm impoſſibile. 55

Rurſus non obſtat, quòd actus agentiū non debeant operari ultra eorum intentionem: ſiquidem non eſt præter intētionem profitentis, ut voluerit vitā mutare, ac Deo per profeſſionem obligari; & quia hoc perficere non poteſt in ea religione, quæ à Sede Apoſt. non eſt approbata, conſentaneū eſt, ut in aliqua alia id perficiat, & reddat Domino vota ſua: cùm in hac materia ſpirituali, ſi non valet, quod ago, ut ago, valeat, ut valere poteſt, ut dictū eſt *ſup. n.*53. Alioquin ſi diceremus conſenſum præſtitū in aliqua religione nō eſſe attendendō ad alias religiones, de quibus profeſſus non cogitavit, ſequeretur, ut numquam daretur caſus, quo quis obligaretur ad religionē in genere; nā qui profitetur v.g. in religione S. Franc. utiq; non intendit ſe obligare religioni S. Domin. & tamē jura eliciunt obligationem ad religionē in genere, ubi profeſſio ex aliquo capite eſt nulla, & obligant profeſſum ad ingrediendū aliquā ex religionibus approbatis: quod clarè etiam patet exemplo viri, qui ſimulans ſe fœminam, profeſſus eſt in Monaſterium Monialium; is enim propter votū ſolemne cogitur ingredi aliam religionem, de qua tamen non cogitavit, ut per Butr. Abb. & Gemin. ſuperiùs relatos. 56

Supereſt, ut videamus, an obligatio hujuſmodi ſublata fuerit à Conc. Trid. 57

Ratio dibitandi oritur ex Decr. *c.*15. *ſeſſ.*25. *de Regul.* ibi, (Nullamq; inducat obligationem ad alicujus Regulæ, vel religionis, vel ordinis obſervationē, aut ad alios quoſcumq; effectus:) quibus verbis ſublatam eſſe obligationem in genere, & correcta eſſe jura antiqua *in c. Non ſolum, & c. Conſtitutionem, de Regul. lib.*6. jam pridem cenſuit S. Congr. ejuſdem Conc. interpres, ſicut & ſuperiùs dictum eſt *n.*42.

Pro parte negativa facit, quia decretum Conc. & declaratio deſuper emanata videntur habere locum dumtaxat in illis duobus caſibus, in quibus loquuntur, videlicet cum profeſſio eſt nulla ob defectum ętatis, vel ob defectum anni proba-

bationis: cùm enim Conc. corrigat jus commune in præallegatis juribus, non videtur extendendum ad profeſſionem irritam ex alio capite, videlicet ex eo, quòd emiſſa fuerit in religione non approbata: expedit namque jura juribus concordare, *c. Cùm expediat, de elect. lib. 6.* & quod non mutatur, ſtare non prohibetur, *l. Sancimus, C. de teſtam. & l. Præcipimus, in fin. C. de approb.* Igitur regulæ, & antiquo juri ſtabimus, niſi in quantùm reperimus receſſum, ut in hac materia anni probationis dixit gloſ. *in d. c. Conſtitutionem, in ver. Prorogamus, inf. eod. lib. 6.* Ob quam rationem ſimiliter reſolutum fuit decretum *d. c. 15.* nihil diſpoſuiſſe de voto, cùm illic de voto nulla fiat mentio. Et quamvis jura præallegata *in c. Non ſolùm, & c. Conſtitutionem*, ſint correcta à Conc. in caſu profeſſionis emiſſæ infra annum; non tamen ſunt correcta in ſui generalitate, quum ex profeſſione nulliter facta in certo Ordine orta ſit obligatio ad religionem in genere. Neque enim illa jura fundantur in illa ſpecie nullitatis, ſed in nullitate ſimpliciter, & abſolutè; ideòque DD. quoad obligationem in genere interpretantur illos Canones habere locum, ſive profeſſio nulla ſit ex defectu novitiatus, ſive ex quovis alio capite, præterquam ob defectum conſenſus, ut patet ex Specul. & aliis ſupra citatis *n. 49.* Unde ſi fiat in religione non approbata, videtur ex ea oriri obligatio ad religionem in genere, quemadmodum ante Conc. oriebatur, in terminis *d. c. Non ſolùm, & d. c Conſtitutionem.*

In contrarium facit, quia dum Conc. *in d. c. 15.* ad validi- 58
tatem profeſſionis requirit, ut novitius poſt ſuſceptum habitum ſtet per annum in probatione, hoc videtur intelligendum de ſuſceptione habitus, & de anno probationis in religione per Sedem Apoſtolicam approbata, cùm diſpoſitio Conc. intelligi debeat de actu valido, ut in his ferè terminis declarat Lap. *alleg. 46.* incip. *Factum ita ſe habet, n. 5. verſ. In contrarium*, ubi reſolvit, quod dicitur *in d. c. Non ſolùm*, ut 59
profeſſio infra annum emiſſa in Ordine Mendicantium obliget religioni in genere, debere intelligi de profeſſione aliàs legitimè facta; ſuſceptio autem habitus probationis in Ordine per Sedem Apoſtolicam non approbato eſt ipſo jure nulla, *ut c. unic. de relig. dom. lib. 6.* Unde hoc caſu novitius non poteſt dici ſtetiſſe per annum in probatione poſt ſuſceptum habitum, prout requirit Conc. ad hoc ut profeſſio ſit valida; ideòque cùm profeſſio hujuſmodi ſit irrita, etiam ex defectu receptionis ad habitum, & probationis, ſcilicet validæ conſequens eſt, ut ex Conc. Trid. nullam pariat obligationem etiam ad religionem in genere. Quod ſatis placet.

DE REGULARIBUS.

Honorius III. Veneten. Epiſcopo.

CAPUT XXII.

EX parte tua fuit propoſitum, quòd nonnulli ſunt, qui licèt pluribus annis geſtaverint habitum Monachalem, profeſſionem tamen Monaſticam non fecerunt: unde cùm ſuper eo quòd habent proprium, & aliàs irregulariter vivunt, à te, vel ab aliis arguuntur, non erubeſcunt dicere, ſe ad carentiam proprii, & continentiam, ac alias regulares obſervantias non teneri: cùm habitus non faciat Monachum, ſed profeſſio regularis: & infra. Ideòque fraternitati tuæ mandamus, quatenùs quoslibet tibi lege diœceſana ſubjectos, qui prædicto modo terram duabus viis ingredi non verentur, ut poſtquam per annum geſtaverint habitum Monachalem, regulam ſecundùm formam ordinis profiteantur, & ſervent, Eccleſiaſtica cenſura compellas.

SUMMARIUM.

1 *PRofeſſus tacitè cenſetur præſumptione juris, & de jure qui ultra annum portat habitum Monachalem in Monaſterio, ubi ſunt habitus indiſtincti, & n. 5.*
2 *Habitum novitiorum diſtinctum ab habitu profeſſorum quantocumque tempore quis geſtet, numquam cenſetur tacitè profeſſus.*
3 *Habitus regularis quotuplex.*
4 *Profeſſus tacitè an cenſeatur, qui ante annum 14. profeſſionem expreſſam emiſit in religione Hieroſolymitana, & poſteà in ea ſtetit per plures annos ignorans de jure profeſſionem fuiſſe nullam, & num. ſeq. uſque in fin.*
5 *Profeſſio emiſſa ante 16. annum cenſetur tacitè ratificata ex perſeverantia annali cum habitus delatione poſt ætatem legitimam.*
6 *Non obſtante ignorantia nullitatis profeſſionis, ſive ignorantia ſit facti, ſive juris.*
7 *Ignorantia facti, & juris in quibus differant.*
8 *Ignorantia juris nullitatis profeſſionis expreſſæ an proſit militibus mulieribus, & minoribus, quominùs cenſeantur tacitè profeſſi ex perſeverantia annali in religione.*
9 *Militem arma magis, quàm leges ſcire decet.*
10 *Ignorantia juris prodeſt militibus minoribus, ruſticis, ac mulieribus, quando agitur de excuſando eos à pœna, vel de damno vitando, aliàs ſecus.*
11 *Minor, ſeu mulier ad religionem ſeducti non reſtituuntur, quia non dicuntur læſi.*
12 *Ignorantiæ juris exceptio ad excludendum conſenſum in matrimonio, profeſſione, & ſacris Ordinibus, non admittitur.*
13 *Veritas in ſpiritualibus præfertur opinioni.*
14 *Ignorantia facti, ex quo oritur nullitas profeſſionis expreſſæ, non impedit, quominùs inducatur tacita profeſſio ex perſeverantia annali cum delatione habitus indiſtincti.*
15 *Reclamatio qualis requiratur ad impediendam tacitam profeſſionem.*
16 *Profeſſus nulliter, quo tempore debeat reclamare ad hoc, ut non cenſeatur tacitè profiteri.*
17 *Proteſtatio formalis requiritur ad impediendam tacitam profeſſionem, quæ oritur ex delatione annali habitus indiſtincti.*
18 *Proteſtatio non valet in his, quæ pendent conſecutivè à diſpoſitione juris.*
19 *Propoſitum relinquendi religionem ex quibus verbis eliciatur.*
Profeſſionem tacitam non impediunt verba ex paſſione animi prolata, ibid.
20 *Proteſtationis actus eliditur per ſubſequentes actus contrarios.*
21 *Proteſtatio præcedens ita demum impedit validitatem matrimonii ſubſequentis, ſi fiat immediatè ante matrimonium; ſecus ſi ex intervallo.*
22 *Et quid in profeſſione.*
23 *Proteſtatio an impediat validitatem matrimonii tam carnalis, quàm ſpiritualis, ſi pars proteſtationi non conſentiat, & n. ſeq. uſq. in fin.*
Proteſtatio in his, quæ pendent à poteſtate proteſtantis, valet, & actum vitiat, ibid.
24 *Secus in iis, quæ pendent à conſenſu duorum, quia proteſtatio non valet abſque conſenſu alterius partis.*
25 *Proteſtatio in matrimonio tā carnali, quàm ſpirituali, an requirat conſenſum expreſſum alterius partis, & n. ſeq.*
26 *Profeſſio eſt contractus ultrò citròque obligatorius.*

Ex

1 E*Xparte* . Qui ultra annum portat habitum Monachalem in Monaſterio ubi ſunt habitus indiſtincti , tacitè dicitur eſſe profeſſus , & compellitur expreſsè profiteri ; hoc dicit . Communis diviſio . Secunda ibi , *Ideoque* .

Nota ex hac Decretali , per delationem ultra annum in Monaſterio habitus indiſtincti , ideſt tam à Novitiis, quàm à Profeſſis promiſcuè geſtari ſoliti induci tacitam profeſſionem , & quidem præſumptione juris , & de jure , quæ non admittit probationem in contrarium , niſi ante expletum annum probationis præceſſerit proteſtatio , gl *hic in ver. Per annum* , Hoſt. *n.* 9. Jo. Andr. *n.* 3. Card. *n.* 4. Butr. *n.* 7. & alii communiter , & probatur in Clem. *Eos , de reg. & in c.* 1. ubi hoc tenent Jo. Monach. *in ver. Præſumitur* , Prob. *in addit.* Gemin. & Anchar. *infr. eod. lib. 6.*

2 Dixi , per delationem habitus indiſtincti , quia ſi habitus novitiorum eſſet diſtinctus ab habitu profeſſorum, quantocumque tempore habitum novitiorum quis geſtaret , numquam cenſeretur tacitè profeſſus , nec cogeretur illam regulam expreſsè profiteri, ut docent hìc Innoc. *in princ.* Jo. And. *n.* 3. Card. *n.* 3. *in 2. oppoſ.* & Abb. Antiq. *in c. Conſulti* , 5. *eod.* ubi dicit ſe vidiſſe litteram abſolutoriam datam ſuper hoc cuidam Monacho, qui ferè per 20. annos ſteterat in habitu probationis , cujus dictum referunt hìc Jo. Andr. *ad fin.* Card. *n.* 4. & Abb. Sicul. *n.* 3. & gl. 2. *in fin.* in d. Clem. *Eos , eod. tit.* Hoc caſu nec oritur obligatio ad religionem
3 in genere ſecundùm Innoc. & Jo. Andr. De triplici autem habitu regularium , videlicet diſtincto , indiſtincto , & indiſtinctiſſimo , & quando ex ejus geſtatione ultra annum quis dicatur tacitè profeſſus , vide hìc per Abb. *eod. n.* 3. ubi diſtinctè omnes caſus complectitur , in d. Clem. *Eos de reg.* ubi materiam explicat per concluſiones .

4 QUÆRO , poſt Conc. Trid. promulgationem Decius habitum per Equites S. Jo. Hieroſolymitani , qui apud eoſdem indiſtinctus exiſtit , ſuſcepit , & antequam ad ætatis ſuæ annum 14. perveniſſet , expreſſam profeſſionem per eoſdem emitti ſolitam emiſit . Et quamvis ſatis citò illum pęnituiſſet emiſſę profeſſionis ; tamen putans tamquam juris ignarus ſe obligatum , in eadem per multos annos perſeveravit habitum prædictum continuè geſtando , & actibus profeſſorum ſe immiſcendo . Certum tamen eſt , dum annum ſuæ ætatis 16. ageret , ſæpè aliis religioſis dixiſſe hæc , vel ſimilia verba : *Se io non haveſſi fatto profeſſione in queſta religione , mai non la farei per vita mia* . Tandem menſibus præteritis intelligens à quodam juriſperito ſuam profeſſionem non valere , cœpit intentare declaratoriam nullitatis ejuſdem . Suppoſitis igitur prædictis , ac profeſſionem emiſſam etiam in dicto Ordine S. Jo. Hieroſolymitani ante decimumſextum ætatis annum completum eſſe nullam ad quemcumque effectum ex Trid. Conc. decreto *in c.* 15. *ſeſſ.* 25. *de Reg.* an Decius ſit cenſendus tacitè profeſſus necne .

Citra controverſiam eſt profeſſionem expreſſam hoc caſu fuiſſe irritam tam ex diſpoſitione juris communi , quia emiſſa ante annum decimumquartum conſummatum , *c. Ad noſtram* , ubi gl. *in ver. Conſummationem , & c. Significatum , ſupra eod.* quàm ex Concilio Tridentino , quia ante annum 16. expletum , ut *in d. cap.* 15. *ſeſſ.* 25. *de regul.*

5 Certum eſt ſimiliter profeſſionem expreſsè emiſſam ante legitimam ætatem cenſeri tacitè ratificatam , ſi profeſſus de jure communi poſt annum 14. & ex Concilio poſt annum 16. per annum integrum detulerit habitum indiſtinctum text. eſt ad litteram *in c.* 1. *in princ. de reg. lib.* 6. quam tacitam profeſſionem ex ſententia S. Congregation. Concil. non ſuſtulit Et hæc eſt præſumptio juris , & de jure , quæ non admittit probationem in contrarium , ut notat ibi Jo. Monach. *n.* 3. quem in hoc communiter DD. ſequuntur , & gloſ. *hìc in ver. Per annum* , quæ ſimiliter a DD. approbatur , ut dixi ſupra *n.* 1.

6 Quæ cùm ita ſint , in hac facti ſpecie de duobus dubitari poteſt . Primum eſt , an diſpoſitio dicti *c.* 1. vendicet ſibi locum hoc caſu , in quo Decius , ut proponitur ignoravit ſuam profeſſionem expreſſam de jure fuiſſe nullam . Secundum eſt , an itidem ille text. habeat locum non obſtantibus verbis à Decio prolatis, prout in themate. Quoad primum *in c. Significatum ſupra eod.* plenè examinavi articulum , an qui ignorat ſe emiſiſſe profeſſionem expreſſam ante ætatem legitimam , & credens ſuam profeſſionem eſſe validam , poſtea perſeverat per annum integrum in Religione deferendo habitum indiſtinctum , cenſeatur tacitè profeſſus necne : & pluribus oſtendi , etiam ex ſententia Sacr. Congr. Conc. cenſeri tacitè profeſſum . . Ergo longe magis idem videtur reſpondendum in caſu præſenti. Quandoquidem jura , & fundamenta omnia , quibus conſtat tacitam profeſſionem induci , non obſtante ignorantia facti , unde oritur nullitas profeſſionis expreſſę, fortiùs concludunt
in ignorantia juris : nam inter has duas ignorantię ſpecies 7
regulæ conſtituuntur oppoſitæ , hoc eſt ignorantia facti præſumitur , niſi probetur ſcientia, *l. Verius , ff. de probat. l. Si fidejuſſores* , & ibi Bart. *ff. ad Vellejan. l. fin. ff. Pro ſuo , c. Propoſuiſti*, 82. *diſt. in fin. c. Si verò , il* 2. *de ſentent. excomm. & c. Præſumitur ignorantia de reg. jur. lib.* 6. quem text. loqui de hac ſpecie ignorantiæ communiter ibi affirmant DD. Rurſus facti ignorantia excuſat *c. Ignorantia facti de reg. jur. in* 6. *l. Etſi conſenſu*, §. 1. *ff. de contrahend. empt. l.* 1. *ac ferè per totum , ff. de jur. & fact. ignorant.* Sæpè enim & peritiſſimos fallit, *l.* 2. *ff. eod.* Specul. *in tit. de Advocato , §. Nunc tractemus , nu.* 2. At per contrarium juris ignorantia non præſumitur , niſi probetur , Bart. *in l. Non fatetur , col. ult. ff. de confeſſ.* latè Anton. Gabriel *lib.* 6. *tit. de reg. jur. concl.* 7. ignorantia non præſumitur . Item juris ignorantia non excuſat , 1. *qu.* 1. §. *ult. ante fin. c. Presbyterum* , 28. *diſt. cap. Ignorantia de reg. jur. in* 6. *d. l.* 1. *& l. Juris ignorantiam , cum ſeqq. ff. eodem.* Ignorante enim jus nemini licet , *l. Leges , C. de legib.* Specul. *in tit. de except. replic.* §. 2. *verſ. Sed quid ſi velit* ; ideòque ignorantia dicitur cauſa injuſta *in l. Liberorum , ff. de iis qui notant. infam.* Quamobrem ſi ignorantia facti , ex quo oritur nullitas profeſſionis expreſſæ , non prodeſt ad excluſionem tacitæ profeſſionis , ut latiſſimè probatum eſt *in d. c. Significatum ſupra eodem* . Ergo multò minùs prodeſſe debet ignorantia juris . Et idcircò Authores , qui cenſent ignorantem factum , ex quo reſultat invaliditas profeſſionis expreſſæ numquam cenſeri tacitè profeſſum , quia perſeverat in religione tamquam profeſſus , non tamquam profeſſurus , & ex præcedenti conſenſu erroneo , inter quos Navar. in pluribus ejus conſiliis *in titul. de regul.* relatus *in d. c. Significatum* ; tamen contrarium ſcripſerunt in eo , qui allegat juris ignorantiam , ut per eumdem Navarr. *conſ.* 20. *nu.* 2. *& conſ.* 46. *num.* 3. & Sanch. *de matr. lib.* 7. *de imped. diſp.* 37. *qu.* 3. *num.* 25. Atque ita Authores , qui in contrarium adduci poſſunt, quia loquuntur, cum expreſsè profeſſus perſeverat in religione , ignorans ſe profeſſionem feciſſe ante ætatem legitimam, & ſic in terminis ignorantiæ facti, non ſunt extendendi ad caſum, quando quis ſcit quidem ſe emiſiſſe profeſsionem ante ætatem , ſed tamen ignorat jus diſponere eo caſu profeſsionem eſſe nullam , quæ eſt juris
ignorantia . Nam ut dicitur *in l.* 2. *ff. de jur. & fact. ignor.* 8
in omni parte error in jure non eodem loco , quo facti ignorantia , haberi debebit . Sed objices , hoc caſu non eſſe conſtituendam differentiam inter juris , & facti ignorantiam quia verſamur in equite armatę militię, in quo admitti poteſt ignorantia juris , *l. Regula , ff. de jur. & fact. ignor.*
Nam militem arma magis , quàm leges ſcire decet, *l.* 1. *poſt* 9
princ. C. de jur. deliber. Ideòque Sanch. *de matrim. lib.* 7. *de imped. diſput.* 37. *qu.* 3. *nu.* 25. quamvis dixerit tacitam profeſſionem non impediri, ex eo , quòd quis ignoret ſuam profeſſionem expreſſam de jure fuiſſe nullam : tamen poſteà limitat hoc non procedere in militibus , minoribus , ruſticis , & mulieribus , in quibus ignorantia juris dicitur probabilis , & æquiparatur ignorantiæ facti . Præſertim verò , quia hoc caſu miles videtur agere de damno vitando , ne perpetuò alligetur Monachali ſervituti , quæ ut habetur *in c. Præſens* , 7. *quæſt.* 1. niſi deligatur , non bonos ſucceſſus habet ; & ut dicitur *in c.* 1. 54. *diſt.* corporali ſervitute diſtrictior eſt . Unde quamvis non agatur de delicto , ſed de contractu , qualis eſt profeſſio , *cap. Porrectum , & cap. Ad Apoſtolicam , ſup. eod.* admitti debet juris ignorantia , *cap. Turbatur , §. Notandum* 1. *qu.* 4. Et eò magis , quia Decio nulla culpa imputari poteſt , quòd ſuper validitate ſuæ profeſſionis peritos non conſuluerit ; cùm tradendo ſe in manibus Superiorum dictæ religionis ſupponere poſſet omnia neceſſaria obſervata fuiſſe , arg. *c. Quod culpatur* 23. *q.* 1. & patet ex traditis per Ant. de Butr. *conſ.* 18. *in qu. fin.*
verſ. Aut enim erravit . 10

At reſpondetur jura quę dicunt militibus , minoribus , & aliis hujuſmodi prodeſſe juris ignorantiam juxta *l.* 1. *C. de jur. & fact. ignor.* cum aliis ſupra alleg. admittere duas declarationes . Una eſt , ut procedant ſolùm , quando agitur

de excuſando illos à pœna, *l. Quis adulterium cum inceſtu*, §. 1. *ff. de Adult. & l. Qui ſupra, C. de inceſt. nupt.* gl. *in cap. Etſi neceſſe, de donat. inter vir. & uxor.* Roman. *conſ.* 506. *in princ. n.* 2. Altera eſt, ut procedant, quando agitur de damno vitando, aliàs ſecus, Feder. de Sen. *conſ.* 102. *n.* 3. *verſ. Cùm quæritur*, Bald. *conſ.* 163. *n.* 4. *lib.* 1. At neutra ex his declarationibus applicatur caſui noſtro, in quo non agitur de excuſando militem à pœna, nec ipſe tractat de damno vitando, cùm ex profeſſione nullum ei damnum inferatur, imò maximum bonum, ut inquit Petr. Ledeſma *de matrim. q.* 53. *art.* 1. *in reſponſione ad ſecundum*. Et quamvis ſervitus monachalis dicatur diſtrictior corporali ſervitute tamen Religioſus ſervit ei, cui ſervire regnare eſt, ut Gem. *ait in c.* 1. *n.* 7. *verſ. Quæro an ingrediens, de regul. lib.* 6 poſt Jo. Andr. quem *citat in c. Cùm virum*, ubi etiam Abb. *num.*
11 6. *ſupra eod.* ita ut propterea minor, ſeu mulier ad religionem ſeducti non reſtituantur, quia non dicuntur læſi, text. *in c. Conſtituit*, 20. *qu.* 3. atque illic not. gloſſ. & DD. *& in c. Cùm dilecta, quod met. cauſ.* Specul. *in tit. de reſtit. in integr. in 2. p. §. Qualiter, n.* 6. *verſ. Sed numquid minor*, Archid. & Gemin. *in d. cap.* 1. *de regul. in* 6. Jo. Andr. Abb. & DD. *in d. c. Cùm virum.* Reſpondetur ſecundò contra profeſſionem tacitam, quæ inducitur ex delatione annali habitus communis, non ſolùm non admitti probationem per juris ignorantiam, quæ regulariter non admittitur, ut *d. l.* 1. *Cùm concord.* ſed nec per alias ſpecies probationum, quæ regulariter ſunt permiſſæ, cùm hæc præſumptio, ut ſuperius dictum eſt *n.* 1. ſit juris, & de jure, quæ nullam admittit probationem in contrarium. Et reverà maximè ab-
12 ſurdum eſſet, ſi in hac materia tam gravi matrimonii ſpiritualis admitteretur ab Eccleſia exceptio ignorantiæ juris; nam hoc prætextu liceret etiam contrahenti matrimonium, aut ſacros Ordines ſuſcipienti allegare defectum conſenſus ob juris ignorantiam, quod tamen abhorrent ſacri Canones, *c. Presbyterum*, 28 *diſt. c. Ad id quod, & c. Is qui fidem*, & utrobique notant Canoniſtæ *de Sponſal.* Abbas *in*
13 *ſua qu.* 2. incipien. *Stante ſtatuto, in* 12. *col. n.* 14. Quoniam in his ſpiritualibus veritas præfertur opinioni, gloſſ. *in c. unic. in verb. Approbatis*, & ibi Archid. Jo. Andr. Anchar. Gemin.
14 & Franch. *de voto lib.* 6. Reſpondetur denique objectionem prædictam hoc ſolùm intendere, ut in milite idem operetur ignorantia juris, quod in aliis non privilegiatis operatur ignorantia facti: ſed facti ignorantia in aliis non excludit tacitam profeſſionem, tum quia profeſſus ante ætatem legitimam, licèt ignoranter, ſemper præſumitur habuiſſe animum vitam mutandi, ut præter alios quos retuli in *c. Significatum ſupra eodem*, docet Archid. *in c. Quid interrogaſti, num.* 4. 27. *diſt.* & in hac perſeverantia & duratione conſenſus poſt ætatem legitimam S. Canones fundant præſumptionem tacitæ ratihabitionis profeſſionis expreſſæ; ut ex Abbate *in c. Conſuluit, de converſ. coniug.* & aliis dixi plenè *in d. c. Significatum, ſupra eodem.* Tum quia ignorantia nullitatis profeſſionis expreſsæ cùm ſit ignorantia ejus rei, quam ſi profeſſus ſciviſſet, nihilominus in religione perſeveraſſet, atque ita profeſſionem à ſe prius factam ratam habuiſſet, juxta terminos *d. cap.* 1. *de Regul. in* 6. nullo modo efficit perſeverantiam illam, ac tacitam ratihabitionem involuntariam, ut multis rationibus, authoritatibus, & exemplis illic probavimus, quæ hîc tranſcribere non eſt opus. Ergo quatenus etiam hoc caſu error juris, & facti pari paſſu ambularent: tamen prodeſſe non debet Decio ignorantia juris, ſicut cæteris non prodeſt ignorantia facti.

15 Quoad ſecundum dubium, qui tuentur partes Decii, objiciunt diſpoſitionem *d. c.* 1. non habere locum hoc caſu, in quo Decius ſæpè prorumpit in verba initio propoſita ex doctrina Jo. Monach. *ibid. poſt nu.* 3. *in ver. Per hoc*, ubi ait præſumptionem illam, quòd deferens habitum per annum cenſeatur tacitè profeſſus, tunc procedere, quando prædictos actus fecit, abſque eo quòd antequam laberetur annus immediatè ſequutus annum præfixum ad profitendum, aliquam fecerit reclamationem. In caſu autem præſenti nedum annus immediatè ſequens ætatem legitimam ad profitendum, qui poſt Concilium eſt annus 17. ſed nec ipſemet annus 16. lapſus fuit abſque aliqua reclamatione, cum Decius ſæpè dixerit: *Se io non haveſſi fatto la profeſſione in queſta religione, per vita mia mai non la farei*, ut in facto ſupponitur: dicunt enim verba hujuſmodi habere vim ſufficientis reclamationis ſecundùm Joan. Monach. *ubi ſupra*, cùm ex illis ſatis remanſerit declaratus animus proferentis, Alex. *conſ.* 99. *n.* 10. *lib.* 3. facit text. *in l. fin. C. ſi major factus*, ibi, Poſt annum 15. nihil conqueſtus ſit. Præſertim quia impoſſibile erat Decio, qui putabat ſe validè profeſſum, proteſtari, quòd per actus ſubſequentes non intendebat ſe obligare religioni. Nec tollit obicem, quòd doctrina Jo. Monach. procedat in eo, qui aliquam fecit reclamationem ante lapſum annum ætatis ſuæ 15. de quo loquitur *d. c.* 2. *de regul. lib.* 6. non autem in Decio, qui illam fecit poſt annum 15. Quia reſpondetur *in d. c.* 1. non conſiderari 16
annum 15. formaliter, & per ſe pro dicta illa ætate, ſed reſpectivè tamquam primum annum, qui ſuccedit poſt annum 14. præfig entem in maſculo ætatem habilem ad profitendum. Unde idem Jo. Monach. *ibid.* Gemin. *n.* 7. notant quod dicitur ibi de anno 15. reſpectu maſculi, verificari in 13. reſpectu fœminæ. Quare quod habetur ibi de anno 15. ſimiliter hoc caſu videtur verificari in anno 17. quia quemadmodum annus 15. de jure communi immediatè ſubſequitur annum præfixum ad profitendum, id eſt 14. ut *in cap. Ad noſtram, & c. Significatum, ſupra eod.* ita poſt Concilium annus 17. immediatè ſubſequitur annum præfinitum ad profeſſionem, id eſt 16. ut *in d. c.* 15. *ſeſſ.* 25. *de regul.* Conc. Trident. idque ſatis indicat *litt. D. cap.* 1. dum conſiderat taciturnitatem totius primi anni immediatè ſequentis poſt ætatem præfixam ad profitendum, & declarat Navarr. *conſ.* 75. *per tot. de regul.*

Sed prædictis non obſtantibus videtur reſpondendum 17
verba à Decio prolata non obſtare, quominus inducta fuerit tacita profeſſio ad præſcriptum *d. c.* 1. *de Regul. in* 6. nam etſi Jo. Monach. dicat ex delatione habitus annali non induci tacitam profeſſionem, quando ſic indutus aliquam fecit reclamationem; tamen cùm non aperiat, qualis debeat eſſe dicta reclamatio, videtur intelligendus de ſolemni reclamatione, de qua DD. communiter loquuntur, hoc eſt de formali proteſtatione. Ita enim cenſet gloſ. *in c. Quod interrogaſti, in ver. Finxit*, 27. *diſt.* & gloſ. *hîc in ver. Per annum*, quam ſequuntur Ioan. Andr. & alii communiter. Item gloſ. in Clem. *Eos, hoc tit.* & Hoſtienſ. *ſupra in c.* 2. *& c. Ad Apoſtolicam*, Franch. alios referens *in d. c.* 1. *poſt. n.* 3. *in gloſſ. Videtur*, Prob. *ibidem num.* 7. Ripa *in c. Cùm M. num.* 94. *de Conſtit.* & ſatis probatur *in c. Cùm virum*, ibi; Cùm eam non conſtet evidenter contradixiſſe, *& in c. Conſulti*, ibi: Propoſitum ſuum in principio proteſtetur, *ſupra eodem.*
Quod adeò verum eſt, ut non deſint graves Authores qui 18
ſentiant nec ſolemnem quidem proteſtationem tamquam contrariam facto ſufficere ad impediendam tacitam profeſſionem à jure inductam; cujus ſententiæ ſunt Laud. & alii relati à Gemin. *in d. c.* 1. Nam proteſtatio non valet in his, quæ pendent conſecutivè à diſpoſitione juris, ut poſt Abb. pluribus probat. Dec. *in d. c. Cum M. n.* 67. *de Conſt.* & vide quod ſcripſi poſt Innoc. *in c.* 1. *n.* 14. *ſup. Quod met. cauſ.* Præſertim verò quia verba Decii ſuperius relata nedum formalem proteſtationem non important, ſed ne ſimplicem quidem reclamationem. Conſiderandum eſt enim in religionibus ſæpè contingere, ut religioſi maximè indiſcretis pœnitentiis, aut præceptis laceſſiti, aut tædio ſtrictioris vitæ affecti, aut ob aliam ejuſmodi cauſam in ſimilia verba prorumpant; quæ potiùs indicant quamdam velleitatem, ſeu momentaneam animi indignationem, ſeu diſplicentiam, quàm firmum propoſitum relinquendi religionem, & ad ſæculum redeundi, arg. *c. Vulgaris*, §. *Cogitatio de pœn. diſt.* 1. *c. Si quis irratus*, 2. *q* 3. cum aliis adductis per Jaſ. *in l. Si Filiam tuam n.* 5. *C. de inoff. teſtam.* Nam ut inquit Cardin. Cajetan. *rom.* 1. *opuſcul. tract.* 4. *q.* 1. velleitas non eſt idem actus cum voluntate deliberata, & ſimiliter diſplicentia proportionalis velleitati non eſt idem actus cum diſplicentia proportionali voluntati deliberatæ. Quibus accedit, quòd etiam ab expreſſa proteſtatione, ac formali animi declaratione intelligitur receſſum per poſteriorem perſeverantiam in Religione, & actus ſubſequentes, quibus ratihabitio inducitur, ut eſt text. *in c. Cùm virum, ſupra eod.* ibi: Præſertim ſi ratihabitione ſecuta (etſi eam quandoque contradixiſſe conſtiterit) quod ante geſtum fuerat roboratur: intelligendo textum etiam de tacita ratihabitione juxta gl. *in c. Significatum, in ver. Ratam, ſupra eod.* & in matrimonio carnali probat text. clarius *in c. Ad id quod, de ſponſal.*

Et generaliter proteſtationem ita demum prodeſſe, ſi fiat 21
immediatè ante actum contrarium, ſecùs ſi ex intervallo in matrimonio carnali, poſt Vincent. concludit Præpoſ. *in*

*in c. Quòd interrogaſti n.*11. *& ſeq.* 27. *diſt.* licèt ſecundùm
22 Vincent. quem hic recitat Jo. Andr. *n.*3. ſi quis intra annum
probationis proteſtetur ſe nolle in Religione remanere,
quamvis aliquo tempore poſt annum remaneat, adhuc po-
teſt exire, *c. Paſtoralis, de off. ordin.* & ſi voluerit remanere,
adhuc habebit annum, niſi cedat in hoc juri ſuo. De quo Jo:
Andr. remittit ad Speculat. *de ſtat. Monach. in ult. qu.*
23 Ac demum quamvis proteſtatio facta ſuper dependenti-
bus à poteſtate proteſtantis valeat, & actum vitiet, *l. Per
ſervum*, §. 1. *ff. de uſu, & hab.* Bart. *l. Quod aliena*, §. *Celſus
de acqu. hæred.* tamen ſecus eſt in iis, quæ pendent à conſenſu
duorum, quia proteſtatio non valet abſque conſenſu alte-
24 rius partis, *c. Cumana, & in c. Geneſi, de elect. l. fin.* §. *Item ſi
prædixerit, ff. nau. cauſ. ſtat.* Bart. per illum text. *in l. Pro hære-
de*, §. *Papinianus n.*6. *verſ. ult. ff. de acqu. hæred. & in l. Non ſo-
lum*, §. *Morte, col.*5. *de nov. oper. nunc.* ubi rationem adducit,
quia ſicut propoſitum in mente retentum nihil operatur,
l. Si repetendi, C. de cond. ob cau. ita hæc proteſtatio facta eo
ignorante, cum quo poſteà contrahitur, nihil debet operari
in illius præjudicium. Quam rationem reddit etiam Archid.
*in c. Tua nos n.*8. *de ſponſ.* & ſequitur Dec. *in d. cap. Cùm M.
n.*64. *de Conſt.* & propterea gloſſ. *in d. c. Tua nos, in ver. Mu-
lier*, quærit, ſi aliquis proteſtetur coram pluribus, quòd om-
nia quæ dicet, vel faciet, non faciet animo contrahendi ma-
trimonium, & poſteà publicè dicat, conſentio in te, an ſit
matrimonium, nec ne: & reſolvit eſſe matrimonium, &
benè, ſecundùm Jo. Andr. nam ex contrario daretur mate-
ria omnibus matrimonium contrahentibus ſic proteſtandi,
ut poſteà diverterent à conjugibus, ſi diſplicerent. Quod
etiam docuit Innoc. *in c. Veniens, il* 2. *de ſponſ.* & ſequuntur
in d. c. Tua nos, Butr. *n.*16. Anchar. *n.*8. Abb. *n.*9. Alex. de
Nevo *n.*15. Præpoſ. *n.*2. *in fin.* Felin. *in d. c. Cum M. de Con-
ſtit. n.*78. ubi etiam Ripa *n.*86. Covarr. *in* 3. *Decret.* 2. *p. n.*3.
Quam opinionem abſolutè veram dicit Hoſt. *in d. cap. Tua
nos*, quando proteſtatio fit ſine juſto metu, vel alia cauſa, quæ
proteſtationem corroboret. Sed ſi ſequatur copula, affirmat
indiſtinctè intelligi receſſum à proteſtatione etiam facta ex
juſta cauſa, & ſequitur ibi Ancharan. *n.*8. ſubdens non ob-
ſtare text. *in l. Qui in aliena*, §. *Celſus, ff. de acqu. hæred.* ubi
proteſtatio præcedens actui ſequenti contraria facit præci-
sè, ut ſubſequens actus non valeat; quia ille text. procedit
in aditione hæreditatis, quæ pendet ex poteſtate proteſtan-
tis dumtaxat: at ſecus eſſe, ſi proteſtatio pendeat ex volun-
tate duorum, quia non valet, niſi innoteſcat parti, ut ibi per
25 eum. Imò non ſufficit, ut pars ſciat, & non contradicat;
ſed requiritur, ut expreſsè conſentiat proteſtationi, idque
tam in matrimonio, ne Sacramentum tam ſanctum illuſio-
ne, & levitate contrahentium tractetur, ut ait Covarr. *loc.
cit.* ſed etiam in aliis actibus ſecundum Bart. Alex. & alios
communiter ibi relatos à Covarr.
26 At profeſſio non pendet ex voluntate ſolius profitentis,
ſed etiam religionis recipientis, cùm ſit contractus ultrò,
citròque obligatorius, *c. Porrectum, & c. Ad Apoſtolicam*, &
utrobique notant DD. *ſupra eod.* Gemin. & Franch. *in c. unic.
de voto lib.* 6. Et ita in terminis tacitæ profeſſionis tradit
Butr. *in c.* 1. *n.*16. *in* 4. *not. ſup. quod met. cauſ.* ubi ait: Prote-
ſtatio contra ſuſceptionem veli de animo non profitendi
non juvat proteſtantem non ſubſiſtente juſto metu, & ſic
proteſtatio totalem detrahens ſenſum facti in actibus non
pendentibus à facto tantùm proteſtantis non juvat prote-
ſtantem, ubi proteſtationi non conſentit is, cum quo vincu-
lum principaliter initur. Ergo verba Decii, quatenus etiam
importarent formulam proteſtationem, tamen cùm non
modò fuerint prolata non conſentientibus Superioribus re-
ligionis, ſed nec ipſis præſentibus, & non contradicentibus,
imò ſeorſum ab iis: nihil debent operari, & per ſubſequentes
actus cōtrarios intelligitur ab illis receſſum per ſupradicta:
facit text. *in c. Solicitudinem, de appell. & in l. Cùm in plures*,
§. *Locator*, & ibi Bart. *ff. Locati*, ſecundùm Anchar. & alios
citatos *in d. c. Tua nos.* Sed contra hoc valdè urget, quod de-
terminat Hoſt. *in c. Ad Apoſtolicam, n.*5. *ſup. eod.* ubi quærit
quid ſi ex parte Monaſterii tantùm fiat renūtiatio, puta quia
Novitius proteſtatur, quòd nō intendit ſe obligare religioni
per lapſum temporis, ſed Abbas, ac Monachi huic proteſta-
tioni non conſentiunt, quin potiùs renuntiant huic juri, &
ſimilibus; numquid valeat talis proteſtatio? Et arguit primò
quòd non valeat; abſurdum enim eſſe, ut ingrediens poſſet
renuntiare huic beneficio, & recipiens non poſſet renuntia-
re, quia nec licet actori, quod non licet reo, vel è contra, ut
notatur *in c.* 2. §. *Nos verò in princ. de mut. pet.* nec debet ar-
bitrium claudicare, *c. fin. de arbitr.* Sed contrarium dicit eſſe
verum, quia ſicut ex cauſa tēpus probationis arctari poteſt,
ita & prorogari; ut notatur *in c. Statuimus, inf. eod.* ſaltē uſq;
ad triennium, *c. Si quis incognitus*, 17. *q.* 2. Et aſſignat rationē
diverſitatis inter Novitium, & Monaſterium, quia potiùs
in tali caſu pendet obligatio ex parte ingredientis, quàm re-
cipientium, cùm & ipſe ingrediens per ſe ad religionem ſer-
vandam in genere poſſit ſe obligare etiam manens in pro-
pria domo, ut not. *in d. c. Porrectum, ſup. eod.* Et quia gravius
periculum imminet ingredienti, quàm recipienti, ut patet in
eo quod not. ſupra *in c. Ad noſtram*, §. *Quocirca, in princ. in
ver. Solutio.* Et ideò ei magis eſt providendū, *c. Quieſcamus*,
43. *diſt. l.* 1. §. 3. *ff. de Carbon. edict.* ibi, Nam, vel magis conſu-
lendum eſt his; quibus majus periculum intenditur. Et ita te-
ſtatur ſe vidiſse obſervari in Fratre Raymūdo de Medullione
Ordinis Prædicatorum, & in Petro Bermundi de Anduſia,
qui & de dicto ordine poſt multos annos exivit, & deinde
etiam uxorem duxit. Concludit ergo Hoſt. proteſtationem
novitii, quòd per lapſum anni non intendat ſe obligare reli-
gioni, valere, etiamſi Abbas, & Conventus proteſtationi ex-
preſsè contradicant. Et cum eo tranſeunt ibi Jo. Andr. &
Anchar. uterque *n.*6. & Card. *n.*8. licèt Codex Hoſtienſis ſit
mendoſus, & mendoſè etiam à prædictis referatur; legitur
enim, Numquid valeat talis renuntiatio? Et ſecundùm hoc
littera non habet ſenſum, & ſibi contradicit. Unde legen-
dum videtur ut dixi ſupra, Numquid valeat talis proteſtatio?

Porrò quicquid ſit in matrimonio carnali, & in aliis actibus, opinio Hoſtienſis in profeſſione fortè prævaleret in practica propter illius authoritatem, & rationes: arbitror tamen requiri formalem proteſtationem, ac præterea ut proteſtatio ſaltem innoteſcat religioni per ſupradicta, quorum utrumque deficit in caſu præſenti.

DE REGULARIBUS.

Gregorius IX.

CAPUT XXIII.

STatuimus novitios in probatione poſitos, ante ſuſceptum religionis habitum, qui dari profitentibus conſuevit, vel ante profeſſionem emiſſam, ad priorem ſtatum redire poſſe liberè infra annum: niſi evidenter appareat, quòd tales abſolutè voluerint vitam mutare, & in religione perpetuò Domino deſervire: cùm quilibet renuntiare valeat ei, quod pro ſe noſcitur introductum. Nihilominùs ſtatuentes, ad omnem ambiguitatem penitùs amovendam, quod cùm in quibuſdam locis religioſis, novitiorum habitus non diſtinguatur ab habitu profeſſorum, profeſſionis tempore benedicantur veſtes, quæ profitentibus conceduntur, ut novitiorum habitus à profeſſorum habitu diſcernatur.

S U M M A R I U M.

1 *Novitius infra annum probationis liberè reddit ad ſæculum, niſi profeſſionem fecerit, vel appareat eum vitam voluiſſe mutare.*
Et quid poſt Conc. Trid. n.21. & 26.

2 *Veſtes profeſſionis tempore debent benedici, ut à novitiorum habitu diſtinguantur.*

3 *Dictio* Liberè, *quid importet.*

4 *Novitius recedens à Monaſterio abſque licentia Abbatis non poteſt dici fugitivus.*

5 *Novitius quibus caſibus prohibeatur de jure communi à Monaſterio exire.*

9 *Novitii qui dicantur.*

7 *Habitus religionis quotuplex ſit.*

8 *Habitus profeſſorum habet votum profeſſionis annexum, quod impedit matrimonium contrahendum, & dirimit poſt contractum.*

9 *Habitus probationis, vel profeſſionis extra Monaſterium ſumptus non facit Monachum.*

10 *Habitus novitiorum aut patenter, aut latenter diſtinguitur ab habitu profeſſorum, & numer. 12. verſ. Quod autem.*

11 *Benedictio habitus probationis facit, ut ſit cenſendus habitus profeſſionis.*

12 *Habitum recipiens benedictum, vel aliàs latenter diſtinctum ab habitu novitiorum, ſciens qualitatem illam cenſetur tacitè profiteri.*
Declaratur, n.14.

13 *Adultus, qui per annum defert habitum latenter diſtinctum ab habitu profeſſorum, cenſetur tacitè profeſſus.*

15 *Beneficium ingredientis religionem an ſit alteri conferendum infra annum probationis, & n. ſeqq. uſque ad n. 22.*

36 *Quid de jure communi.*
Et quid ex Conc. Trid. n.28.

37 *Renuntiatio tacita inducitur, ſi quis conſentiat, ut ſuum beneficium alteri conferatur.*

18 *Beneficium ingredientis religionem etiam eo conſentiente, aut reſignante alicui conferri non poteſt, niſi intra duos menſes ante profeſſionem, nec reſignatio effectum ſortitur niſi profeſſione ſequuta, & n.22.*

19 *Reſignatio beneficii facta à novitio in undecimo menſe à ſuſceptione habitus valida eſt, etiamſi profeſſio ultra annum differatur.*

20 *Beneficium ingredientis religionem non vacat ante profeſſionem, & ideò alteri conferri non poteſt, & num. ſeqq.*

21 *Profeſſio tacita, quæ de jure communi inducebatur ex ſuſceptione habitus profeſſorum, vel aliàs infra annum probationis, ſublata eſt à Conc. Trident. & numer.26.*

22 *Novitius ad ſæculum rediens an recuperet bona, quæ Monaſterio, vel alii donavit, & n. ſeqq. uſque in finem.*

23 *Quid ſi fuerit proteſtatus, quod Monaſterium intrabat animo probandi regulam.*
Et quid ſi nullam fecerit proteſtationem, n.25.
Et quid ſi donaverit expreſſa cauſa propter profeſſionem, num.31.
Et quid ſi nullam cauſam expreſſerit, n.32.
Et quid poſt Conc. Trid. n.34. & ſeqq.

24 *Profeſſio regularis eſt quædam mors quoad mundum.*

25 *Monaſterium ingrediens ſine proteſtatione, & diſponens de bonis ſuis, cenſetur abſolutè voluiſſe vitam mutare, & exire non poteſt.*

26 *Secus poſt Conc. Trid.*

27 *Profeſſus ante annum probationis elapſum, & ad ſæculum rediens recuperat bona donata, quaſi cauſa non ſequuta.*
Declaratur, n.31. & 34.

28 *Profeſſionem nullatenus emiſiſſe, aut nulliter, paria ſunt.*

29 *Donans bona ſua in ingreſſu Monaſterii illa recuperat, ſi exeat ante profeſſionem.*

30 *Oblationi bonorum ineſt tacita conditio, ſi ingredies in religione perſeveret.*

31 *Donans ex cauſa ingreſſus in Monaſterium, ſi non intret, recuperat bona donata non obſtante juramento.*

32 *Donatio facta Monaſterio in ipſa die ingreſſus, licet non ſit nulla ipſo jure, tamen revocari debet, ſi profeſſio non teneat.*

33 *Donatio facta Monaſterio ſimpliciter, & abſque ulla cauſa, revocari non poteſt.*

34 *Donatio, ſeu renuntiatio bonorum facta à novitio etiam cum juramento, poſt Conc. Trid. non valet, niſi fiat cum licentia Epiſcopi, vel ejus Vicarii, & intra duos menſes ante profeſſionem.*

35 *Nec aliàs effectum ſortitur niſi profeſſione ſequuta, & in hoc ſublatæ ſunt veteres DD. diſtinctione.*

36 *Bona Monaſterio donata retineri non poſſunt novitio exeunte, aut decedente ante profeſſionem.*

37 *Dos ante Trid. Conc. Monaſterio ſoluta poſt Conc. reſtitui debent, ſi puella ante profeſſionem deceſſerit, deductis tamen impenſis alimentorum.*

38 *Dos novitiæ decedentis ante profeſſionem debet hæredibus reſtitui unà cum fructibus, deducto tamen illius victu, & veſtitu.*
Non obſtante pacto, ut ſi puella poſt annum deceſſerit, facta, vel non facta profeſsione, dos Monaſterio acquiratur, ibid. ver. Quinimò.

29 *Jeſuitæ non comprehenduntur in decreto Conc. Trid. de renutiationibus novitiorum.*

40 *Donationes, ſeu renuntiationes factæ ante ſuſceptum habitum probationis an comprehendantur in decreto Conc. Trid. c.16. ſeſſ.25. de Regul. & num. ſeqq. uſq. ad n.47.*

41 *Lex etiam exorbitans, & pœnalis extenditur ad caſus ſimiles, quando aliàs redderetur eluſoria.*

42 *Novitius non dicitur niſi poſt ſuſceptum habitum probationis.*

43 *Legis diſpoſitio non adaptatur ad caſum, ad quem verba legis non adaptantur.*

44 *Extenſio non fit in his, quæ exorbitant à jure communi etiam ex identitate rationis.*

45 *Novitii quamvis cum effectu non ſint religioſi, ſunt tamen perſonæ Eccleſiaſticæ, & gaudent privilegio fori, & Canonis.*
Et in eorum renuntiationibus non eſt neceſsè adhiberi ſolemnitatem à ſtatuto laicorum requiſitam, ibid. verſ. Hinc S. Congregatio.

46 *Votum ingrediendi religionem non efficit voventem de foro Eccleſiæ.*

47 *Monaſterio an liceat durante anno probationis apprehendere poſſeſſionem bonorum ſibi novitio donatorum infra duos menſes ante poſſeſſionem, & cum licentia Epiſcopi & n. ſeqq. uſq. in fin.*

48 *Dominium rei donatæ tranſit in Eccleſiam, vel Monaſterium etiam ſine actuali traditione.*

49 *Monaſterio nihil tribuendum eſt, vel accipiendum ante profeſsionem ex bonis novitii, vel parentum, aut conſanguineorum, ſub pœna anathematis, & n.55.*

50 *Novitio ante profeſsionem abeunti omnia ſunt reſtituenda, quæ ſua erant.*

51 *Monialibus prohibitum eſt dotes accipere ante profeſsionem, etiam ſub nomine depoſiti, ſeu præſtita cautione de illis reſtituendis, profeſsione non ſequuta.*
Etiamſi detur cautio bancaria, n.54.

52 *Non tamen prohibitum eſt, quin dotes realiter deponantur penes tertium, qui eas dare debeat Monaſterio poſt profeſsionem.*

53 *Sed improbatur cautela, ut depoſitarius totum, quod in depoſitum recipit, ipſum mandatario ante profeſſionem conſignet.*

54 *Indulgetur tamen Monialibus Monaſterii Mediolanen, ut pro ſolutione æris alieni ante profeſſionem accipiant dotes, præſtita per Archiepiſcopum fidejuſſione de illis reſtituendis, ſi receſſerint ante profeſſionem.*

56 *Novitius non poteſt in ingreſſu aliquid donare Monaſterio, etiamſi ſit ſui juris, & non habeat parentes.*

57 *Novitia non prohibetur dare pecuniam Monaſterio in rationem cenſus ſuper Monaſterii bonis per Moniales convertendam in dotem illius poſt profeſſionem emiſſam.*
Pacta ſuper conviviis exibendis, dum puella habitum ſuſcipit, vel profitetur, an ſit toleranda, ibid verſ. Inſuper.

58 Ex-

58 *Excommunicatio in dantes, & accipientes aliquid ex*
bonis novitii ante profeſſionem non incurritur ipſo ju-
re, nec eſt Sedi Apoſtolicæ reſervata.
59 *Moniales quæ dotes acceperunt à Virginibus nondum*
profeſſis, abſolvuntur per Papam à peccato, ne ex-
communicari poſſint ab Ordinario.
60 *Convertitis, ſeu Monaſterio Domus Piæ, an liceat exi-*
gere dotes in ſuſceptione habitus, non obſtante Con-
cilio Tridentino in cap.16. verſ. Sed neque, ſeſſ.25.
de regular.

1 STatuimus. Infra probationis annum liberè quis reddit
ad ſæculum, niſi profeſſionem fecerit tacitam, vel ex-
preſſam, vel appareat eum voluiſſe vitam mutare. Hoc di-
2 cit primò. Secundò, præcipit veſtes profeſſionis tempore
benedici, ut à Novitiorum habitu diſtinguantur. Secun-
da, ibi, *Nihilominus*. Et prima pars tria facit, Primò, po-
nit dictum. Secundò, excipit, ibi, *Niſi*. Tertiò, exce-
ptionis rationem ſubjicit, ibi, *Cum quilibet*. Vel ſecundum
Hoſtien. *in princ.* Joann. Andr. *n.*4. & Cardin. in 4. *notab.*
3 à contrario ſenſu primò ponit regulam: deindè excipi
quatuor caſus. Regula eſt ingrediens Religionem exire
poteſt liberè, & dic, liberè, ideſt Superioris licentia nul-
latenus requiſita: nam de ſignificatu hujus dictionis eſt, ut
non requiratur alicujus licentia, ut notatur in *cap. Licèt*
Epiſcopus, de præbend. lib.6. & in cap. De multa, eodem tit.
text. in *cap. fin. §. fin. de conſuetud. lib.6. & in cap. Cùm plu-*
4 *res*, & ibi gloſs. in *ver. Liberè, de offic. deleg. eod. lib.* Unde
fit, ut novitius non poſſit dici fugitivus, ſi receſſerit à Mona-
ſterio abſque licentia Abbatis, ut hìc per Abbatem in 1. *no-*
*tab. n.*1.
5 Primus caſus exceptus eſt ſi habitum profeſſorum ſuſce-
pit. Secundus, ſi profeſſionem expreſſam fecit. Tertius,
ſi per annum in religione perſeveravit. Quartus, ſi om-
ninò vitam mutare voluit. Quos quatuor caſus enumerat
etiam idem Hoſtienſ. in *cap. Super eo num.5. ſup. eod.* & duos
alios addit. Primus eſt, ſi ingrediens juravit numquam
exire, ut *cap. penult. ſup. quod met. cauſ. c. Si verò, & cap. Cùm*
contingat. de jurejur. Secundus, ſi eo pacto fuit manumiſſus
ut non exiret, *cap. Eo libentius, ſupra de ſerv. non ordinat. &*
c.2. infrà de condit. appoſ. Sed hodie ſupraſcriptos caſus tem-
pera, ut dicam infrà in 1 *not.* & fuſiùs in 1. *q. n.*20. excepto ta-
men tertio, ſcilicet de eo, qui per annum in religione mo-
ram traxit, in quo tamen ſervandam erit quod præſcribitur
in *c.1. infrà eod. lib.6. & in Clem Eos, eodem tit.*
6 Nota primò illud verbum, *Novitios*: nam tales dicun-
tur de novo recepti, & veſtimentis probationi induti nul-
lo voto emiſſo, ſecundùm Innoc. Abb. Antiq. Hoſtienſ. &
Joan. Andr. omnes *in princ.* & Joann. de Anan. in 1. *not.* Alibi
verò Novitii dicuntur Shcolaſtici non inſtructi, qui ſub di-
ſciplina degunt, dato etiam quòd ſint profeſſi, ut inquit
gloſſ. in *Clem. Ne in agro, §. Sanè, in ver. Novitios, de ſtat.*
Monachor. Et de ſignificatione hujus verbi vide Bart. in *l. fin.*
§. Quoties n.1. & 2. ff. de publican.
7 Secundò nota duplicem habitum Religionis, videlicet
novitiorum, & profeſſorum. De multiplici autem habitu
vide text. in *cap.1. infra eod. lib.6. & in Clem. fin. eod. tit.* & ibi
plenè per Abbatem, & pleniùs hìc per Henric. Boich. *col.1.*
verſ. Tu verò diſtingue.
8 Tertiò nota ibi, *Qui dari profitentibus*, habitum pro-
feſſorum habere votum profeſſionis annexum, adeout eo
ipſo, quod quis in religione hujuſmodi habitum ſuſcipit
Monachus efficiatur, & ejus votum intelligatur ſolemni-
zatum, nec amplius ſit ei facultas ad ſæculum redeundi, &
de tali habitu loquitur hæc decretalis, de quo etiam poteſt
intelligi *cap. Vidua ſuprà eod. cap. Quod interrogaſti 27. diſt.*
cap. Vidua 27. q.1. & cap. Quem progenitores 20. qu.1. & hu-
juſmodi habitus impedit matrimonium contrahendum, &
dirimit poſt contractum, *cap.1. 27. q.1.* & hìc notat gloſs.1.
Abb. Atiq. in *ver. Novitios*, Hoſtienſ. *num.1. in ver. Religio-*
nis, & Butr. *n.6.* Archid. in *cap. Beneficium num.1. infrà eo-*
9 *dem lib.6.* Unde illud tritum, quòd habitus non facit Mo-
nachum, verum eſt iu habitu probationis, vel in habitu
profeſſionis extra Monaſterium ſumpto; ſed receptus in
ingreſſu religionis utique Monachum facit, ut hìc proba-
tur, & notabiliter declarat Hoſt. *num.2. in ver. Conſuevit*,
& Archid. *ubi ſuprà*. Sed an hæc limitatio vera ſit, præſer-
tim poſt Concilium Tridentinum, plenè examinavit in *cap.*
Porrectum in 5. notab. ſup. eod.

Quartò nota diſtinctionem habitus profeſſorum ab ha- 10
bitu novitiorum duplicem eſſe. Quædam enim eſt patens,
ideſt colore, ſciſſura, vel forma, ut *Clem. Eos, de Regu-*
lar. Quædam eſt latens, quæ ſcilicet fit per benedictionem, 11
& de hac loquitur hæc decretalis in fine: nam talis bene-
dictio efficit, ut ſit cenſendus habitus profeſſorum, ſecun-
dum Innoc. *in fin.* & Abb. Antiq. *itidem in fin.* Hoſtien. *n.8.*
Joann. Andr. *n.5.* & Collectar. *eod. num.* Unde ſuſcipiens 12
hujuſmodi habitum benedictum ſciens qualitatem illam
videtur tacitè profiteri, cùm ſuſcipiat habitum profeſſo-
rum, ut inquit Butr. *num.5.* Quod autem hìc dicitur de
benedictione, intelligas per modum exempli: nam alia
quoque ſunt ſigna diſtinctionis latentis, videlicet ſi habi-
tus profeſſorum detur in Capitulo, habitus verò novitio-
rum in Choro, vel è contra: aut ſi habitus novitiorum de-
tur ab una perſona, profeſſorum ab alia; aut ſi unus detur
certis diebus, alius aliis: aut ſi cum certa ſolemnitate detur
unus, & non alius, ut hìc declarat Henric. Boich. *col.2.*
verſ. In ſecundo verò caſu, & ante eum gloſſ. *in d. Clem. Eos*
in ver. Deinceps, verſ. Hodiè verò, quæ dicit (habitum di-
ſtingui latenter per benedictionem veſtium, perſonam dan-
tem, locum, vel formam dationis; ex duabus enim capis,
quarum altera benedicta, vel data per Provincialem, vel in
Capitulo, altera non, primam à ſecunda diſcernere neſcis.)
Hæc gloſſ. Quapropter quiſquis ſcienter recipit habitum
aliquo ex prædictis modis latentur diſtinctum ab habitu no-
vitiorum, eo ipſo intelligitur tacitè profiteri. Obſerva ta- 13
men accuratè, quia in caſu ſpecialii per dictam *Clem. Eos*
de Regular. ſublata eſt differentia habitus latenter diſtincti,
videlicet quoad inducendam profeſſionem tacitam in adul-
to per delationem habitus ultra annum: nam ante prædi-
ctam Clem. deferens per annum habitum novitiorum di-
ſtinctum ab habitu profeſſorum, qualiſcumque foret diſtin-
ctio, non intelligebatur tacitè profiteri, etiamſi multos an-
nos in religione perſeveraret, ut notat Abb Antiq. in *cap.*
Conſulti ſup. eod. & poſt eum gloſ in *d. Clem. Eos, in ver. De-*
inceps in fin. ſed ad hoc in adulto requirebatur, ut habitus
eſſet indiſtinctus, vel indiſtinctiſſimus, ut hìc, *& cap. Ex*
parte ſup. eod. & apertiùs in *cap.1. verſ. Qui verò, eodem tit.*
lib.6. Sed hoc hodiè corrigitur in adulto, ſi diſtinctio ſit la-
tens; nam major annis quatuordecim, ſi per annum defe-
rat habitum novitiorum latenter diſtinctum ab habitu, qui
profitentibus datur, eo ipſo intelligitur tacitè profeſſus,
non ſecus, ac ſi deferret habitum indiſtinctum, vel indiſtin-
ctiſſimum; quia per d. Clem. major, qui per annum defert
habitum novitiorum, non intelligitur eſſe profeſſus, ſi habi-
tus hujuſmodi in colore, ſciſſura, vel forma ſit diſtinctus ab
habitu profeſſorum. Ergo à contrario ſi non ita ſit diſtin-
ctus, ſed latenter dumtaxat, intelligitur tacitè profiteri,
& diſtinctio latens quoad hunc ſpecialem effectum nihil
operatur, ſed perindè eſt hac ſi habitus eſſet prorſus indiſtin-
ctus, vel indiſtinctiſſimus; & ita declarat ibi gloſ. præal-
legat in *ver. Deinceps*, quæ à Doctoribus communiter ap-
probatur. Sed extra hunc caſum remanent jura antiqua,
ut ſufficiat qualiſcumque diſtinctio. Ideòque major reci- 14
piens habitum profeſsorum latenter diſtinctum ab habitu
novitiorum, hodiè ſicut olim cenſetur tacitè profiteri, ut
ibi per gloſsam, & habent locum quæ ſuperiùs dicta ſunt
num.11. & 12. dummodò tamen exceſserit annum deci-
mumſextum ætatis, & non minori tempore quam per an-
num in probatione ſteterit; aliàs ſecus nam expreſsa pro-
feſſio antea facta eſt nulla, ut in decreto Concilii Triden-
tini *cap.15. ſeſſ.25. de regular.* & conſequenter ſublata eſt
etiam profeſſio tacita, quæ olim inducebatur in majore
annis quatuordecim per ſuſceptionem habitus profeſſorum
infra annum probationis, ut declaravit Sacra Congregatio
ejuſdem Concilii Interpres.
In gloſſa prima QUÆRO, ſi Clericus beneficiatus re- 15
ligionem ingrediatur, numquid Epiſcopus teneatur expe-
ctare, quouſque annus probationis labatur, priuſquam ejus
beneficium conferat.
Gloſſa ponit tres opiniones, & ſolvit, concludens æquius 16
eſſe, ut teneatur expectare. Idem firmat Vincentius, &
poſt eum Hoſtienſ. in *cap. Conſulti, ſup. eod. num.10.* & idem
Hoſtien. *hìc num.1. verſ. Quod ſi Clericus*, Butr. *n.7.* & Car-
din. *num.4. in 2. quæſt.* Innoc. in *cap. Poſtulaſti, ſup. eod.* &
plerique alii.
Tu teneas hanc ultimam opinionem gloſſæ, quæ non
ſolùm eſt æquior, ut gloſſa dicit, ſed etiam verior, & ho-
diè

diè approbata per determinationem Papæ in *c. Beneficium*,
infr. eod. lib.6. deciditur beneficium ingredientis religionem
17 non eſſe alicui conferendum infra annum probationis, niſi
in quatuor caſibus. Primus eſt, ſi ejus ad id accedat aſſen-
ſus; tunc enim beneficio renunciat, & ideò licitè alteri
confertur, *cap. Ex transmiſſa de renuntiat.* & notat gloſſ. in
d. cap. Beneficium in ver. Aſſenſus, Petr. de Anchar. in *2. no-*
tab. & Franc. *num.4. in gloſ. in verb. Aſſenſus*, Secundus, ſi
conſtet eum abſolutè vitam mutare voluiſſe. Tertius, ſi
profeſſionem expreſſam fecerit. Quartus, ſi ſcienter habi-
tum receperit profeſsorum. Interim tamen debebit, per
ſubſtitutum beneficio deſerviri, aſſignata ei congrua por-
tione ex proventibus beneficii.) Hæc ibi.
18 Sed hodiè hi quatuor caſus modificati, & correcti ſunt
jure noviſſimo Concilii Tridentini in *cap.15. & 16. ſeſſ.25.*
de regular. Nam quoad primum caſum, quicquid ſcripſerit
Nicolaus Garzia in *tract. de benefic. part.11. cap.9. n. 12. &*
13. & moderni Collectores hic, durante anno probationis
beneficium ingredientis religionem alteri conferri non po-
teſt, etiamſi illius adhoc expreſsus accedat aſsenſus, vel re-
nunciatio, niſi infrà duos menſes proximos ante profeſſio-
nem; nec renunciatio effectum ſortitur niſi profeſſione ſe-
quuta; quia forma à Concilio præſcripta in *d. cap. 16.* in re-
nunciationibus faciendis ſevari etiam debet in renuncia-
tione beneficii, ut S. Congregatio declaravit. Nam con-
ſulta, an *d. cap.16.* loquens de renunciationibus compre-
19 hendat etiam reſignationem beneficii: Reſpondit compre-
hendere. Et aliàs propoſito dubio, an ſi reſignatio alicu-
jus beneficii fiat incœpto undecimo novitiatus menſe, poſt-
quam novitius fuit in Monaſterio decem continuis menſi-
bus, valida intelligatur, etiamſi profeſſio differatur per ali-
quod tempus ultra annum, ita ut inter reſignationem, &
profeſſionem pluſquam duo menſes intercedant: Congre-
gat. parva inclinavit duos menſes intelligi non ante annum,
ſed ante profeſſionem. Tamen quia ex caſus exemplaris, fuit
rejectus ad Cógregationem Generalem. Conſultus Doctor
Navarrus reſpondit reſignationem eſse validam, & ſufficere
ut renunciatio fiat intra duos menſes proximos tempori
conſtituto ad emittendam profeſſionem à Concilio; illud
enim tempus reſpexiſse videtur. Habita Congregatione
Generali, ex ſeptem Cardinalibus tres ſenſerunt cum Na-
varro, alii verò quatuor ſenſerunt contra Navarrum, vi-
delicet, reſignationem non valere; tamen referendum ad
Sanctiſſimum: Sanctitas ſua audita Congregationis ſen-
tentia primò dixit ſe credere, *d.cap.16.* non procedere in re-
ſignatione beneficii, & licèt aliàs Congregatio ita cenſue-
rit, tamen cogitandum ſuper hoc. Item procedere tantùm
in Monialibus, licèt verba generalia ſint, & Congregatio
generaliter intellexerit. Item etiamſi in beneficiis procede-
ret, tamen reſignationem eſse validam, licèt facta per plu-
res menſes ante profeſſionem prorogatam, & in omnem
caſum poſse novam proviſionem reſignationis peti, cùm
de ejus validitate dubitetur. Licèt Sanctitas ſua declarave-
rit verba Concilii, intra duos menſes proximos ante pro-
feſſionem, intelligi etiamſi profeſſio ultra plures menſes
anni probationis ſit facta; & ſic reſignationem, de qua in
iſto caſu, voluiſse. Sacra Congregatio auditis his, primò
dixit, licèt Sanctiſſimus protulerit illa verba, quòd *cap.16.*
habeat locum tantummodò in Monialibus, tamen non ſe
firmaſse in hoc; & ideò de eo nullam habendam rationem:
ſed cap. 16. intelligendum etiam in viris, prout Congrega-
tio hactenus intellegit in pluribus caſibus. Secundò dixit,
quamvis Sanctitas Sua dixerit ſe non putare *d. cap.16.* pro-
cedere in reſignatione beneficii, attamen quia Congregatio
aliàs contrarium tenuit, & ita in caſus Spoletan. ſupplicatio
fuit expedita à S. Pio V. ideò ſi caſus contingat impoſterum
de reſignatione beneficiorum, loquendum iterùm cum Sã-
ctitate Sua, & dicendum quid aliàs Congregatio cenſuerit,
& quid S. Pius V. fecerit, ut meliùs Sanctitas Sua poſſit po-
ſteà deliberare. Hæc quoad primum caſum exceptum in
20 *d.cap. Beneficium, inf. eod. lib.6.* Quo verò ad reliquos tres,
cùm hodiè ex decreto *d. c. 15. ſeſſ. 25. de regular.* profeſſio
fieri non poſſit infrà annum probationis, ſive ingrediens
religionem profeſſionem expreſſam fecerit, ſive abſolutè
voluerit vitam mutare, ſive habitum ſuſceperit profeſſo-
rum, ante annum probationis elapſum, ejus beneficium
alicui conferri non poteſt, cùm eo decreto ex ſententia
21 Sac. Congregationis ſublata ſit etiam profeſſio tacita, quæ
de jure communi ex ſuſceptione habitus profeſſorum, vel
aliàs inducebatur infra tempus probationis, ut hìc, & in
cap. Super eo, ubi Innocen. & omnes notant *ſupra eod. &*
in cap.1. in 1. reſp. inf. eod. lib.6. Unde cùm nulla ſit pro-
feſſio beneficium non vacat, & conſequenter conferri non
poteſt, *cap.1. de conceſſ. præben.* & notat Anchar. in *d.c. Bene-*
ficium, n.1. & Franc. in *3. not.*

Secundò QUÆRO, an ſicut novitius ad ſæculum re- 22
diens recuperat beneficium, id eſt de facto, cum illud ante
profeſſionem non perdiderit, ut per Cardinal. in *2. not.* ita
etiam recuperet alia bona, quæ Monaſterio, vel aliis do-
navit.

In hac quæſtione Hoſt. hìc *n.4. verſ. Quid de his quæ lega-* 23
verat, utitur hac diſtinctione, videlicet, aut talis proteſtatus
eſt, quòd conditionaliter intrabat intendens regulam proba-
re, & omnia recuperat: quia intelligitur mortis cauſa do-
naſſe, unde cauſa non ſequuta eſt locus recuperationi, niſi
aliud in donatione expreſſerit, arg. *l. Mortis cauſ. ff. de donat.*
cauſ. mort. Profeſſio enim eſt quædam mors quoad mun- 24
dum, ut in *Auth. de Monach. in princ. & l. Deo nobis, Cod. de*
Epiſc. & Cler. & notat Bald. *conſ.250.* incip. *Quia dicta obla-*
tio circa finem, verſ. Conſtat autem lib.5.

Aut nullam fecit proteſtationem, & nihil recuperat; 25
quia cenſetur abſolutè voluiſſe vitam mutare, ex quo de
bonis ſuis ante ingreſſum diſpoſuit, & exire non poteſt, ut
Auth. Ingreſſi, C. de Sacr. ſanct. Eccleſ. & notat idem Hoſt.
in c. Conſulti, §.1. in ver. Mutare, ſupra eod. & cum eo tran-
ſeunt hic Jo. Andr. *n.2 verſ. Quid de his, quæ legaverat*, Card.
in 2. notab. & in 4.q. Abb. *n.3. verſ. Sed quæris hic Hoſt.* & alii
communiter.

Verùm hodiè ego non puto hoc ſecundum membrum 26
ampliùs procedere: nam Doctores fundant ſe in eo, quod
qui ingreditur abſque proteſtatione, & de bonis ſuis diſpo-
nit, cùm videatur velle abſolutè vitam mutare, ex hoc cen-
ſetur tacitam profeſſionem emittere, ut hìc, *& in c. Con-*
ſulti, ſupra eod. & in c. Beneficium, hoc tit. lib.6. Unde non
mirum, ſi bona non recuperat; quia per profeſſionem jam
fuerunt Monaſterio irrevocabiliter acquiſita, *cap. Quia in-*
gredientibus, 16. quæſt.3. & d. Auth. Ingreſſi, cum ſuis concor-
dantibus, Petr. de Peruſ. inter conſilia Felin. *conſ.49. Viſo*
puncto prædicto col.2. Sed hodiè etiamſi ingrediens voluerit
abſolutè vitam mutare, quinimò etiamſi profeſſionem ex-
preſſam fecerit; non tamen propterea eſt profeſſus validè,
nec religioni alligatus ante annum probationis elapſum 5.
Obſtat enim jus noviſſimum Concilii Tridentini *in d. c.15.*
ſeſſ.25. de regul. ut fuſiùs dictum eſt ſupra *n.21.* Quamobrem 27
cùm nulla ſit profeſſio, & novitius quandocumque exire
poſſit infrà tempus probationis, conſequens eſt, ut recupe-
ret bona donata quaſi cauſa non ſequuta, ut in primo mem-
bro diſtinctionis, Hoſt. *l. Cum veterum, C. de donat. ante nupt.*
& l. Si à ſponſo, C. eod. & in hac ſpecie tradiderunt Bald. *dict.*
conſ.240. lib.5. Calder. *conſ.41. Donat. ingrediens aliàs 27. de*
regul.

Paria enim ſunt profeſſionem nullatenùs emiſiſſe, aut 28
emiſiſſe, ſed nulliter, id eſt infrà annum probationis, ut
patet *in d. cap.15. verſ. Profeſſio autem.* Sed ingrediens reli- 29
gionem, & donans vel offerens bona ſua in ingreſſu, utique
illa recuperat, ſi è Monaſterio exeat ante emiſſam profeſſio-
nem: quia oblatio hujuſmodi ſequitur perſonam, licèt jura-
mentum interceſſerit: ita Feder. de Sen. *conſ.237. Factum*
tale eſt. Quidam nomine Thomæus n.2. verſ. Nunc quæritur;
Item tali oblationi ineſt tacita conditio, ſi ingrediens reli- 30
gionem perſeveret, *c. Quod à te, §. Sanè*, & ibi notatur in gl.
final. verſ. Propter hoc dicunt Quidam, infrà de Cler. conjug.
Petr. de Peruſ. *d. conſ.47. n.8.* Ergo idem dicendum, ſi profeſ-
ſionem fecerit, ſed nulliter, argum. *cap. Inter corporalia de*
translat. Epiſcopi.

Cæterùm prædicta intellige, ſi donatio facta fuerit Mo- 31
naſterio expreſſa cauſa propter profeſſionem, & tunc enim
ſi profeſſio non tenuit, competit repetitio quia datum ob
cauſam, & cauſa non fuit ſequuta, ut *l. Non omnis, ff. Si*
certum petat. & l. Si pecuniam, ff. de condict. ob cauſ. & ita
relatis aliorum opinionibus, firmat Cald. *d. conſ.27. verſ. Ex*
opinionibus ſupradictis concludo: & idem eſt ſi donet ex cauſa
ingreſsus; nam ſi non intret, recuperat bona donata. Curt.
Jun. *conſ.442. Habita diligenti num.13.* etiamſi donatio ſit
vallata juramento, Socin. *conſ.183. Eleganter num.3. & 4.*
lib. 2. Dec. *conſ. 86. Pro tenuit col.4.* Quòd ſi in donatione
non fuerit expreſſa cauſa, tunc refert; nam ſi aliundè appa- 32
reat donationem factam fuiſſe intuitu, ſeu contemplatio-
ne

ne ingreſſus, puta quia facta fuerit in ipſo ingreſſu, vel eadem die, hoc caſu quamvis donatio non ſit nulla ipſo jure, ſicut eſt quando cauſa eſt expreſſa, tamen competit jus revocandi, ſecundùm opinionem Bartholom. Brixien. & ſequacium, propter conditionem ſubintellectam, juxta notata per Joan. Andr. *in addit. ad Speculat. in tit. de donat.* & declarat Calder. *dicto conſ. 27. ad fin.* dicens talem donationem, quamvis teneat mero jure, tamen eſſe revocandam per judicem, non obſtante juramento, maximè ſi idcircò non teneat profeſſio, quia Superiores non poterant intra annum recipere ad profeſſionem, contra *cap. Non ſolùm, de regular. lib. 6.*
33 Sin autem non appareat, an donatio fuerit facta contemplatione ingreſſus, necne, ſed facta fuerit ſimpliciter, & abſque ulla cauſa: tunc revocari non poteſt, *cap. Non enim 32. q. 1. l. 2. & 3. & l. Generaliter, Cod. de revoc. donat. l. Perfecta, C. de donat. quæ ſub mod. gloſſ. ult. in d. ca. Quod à te, de Cler. conjugat.* nam res ſemel Eccleſiæ, vel Monaſterio donatæ, ſunt Sanctum Sanctorum Domino, & in profanos uſus ampliùs non ſunt transferendæ, *c. Nulli liceat 12. q. 1. cap. Quæſti 14. q. 4.* Innoc. *in c. Verùm n. 2. verſ. Sed nos contrarium credimus, de foro compet.* De hoc tamen articulo vide latiſſimè cumulata per Tiraq. *in tract. de retractu conventionali, rubr. ad fin. tit. n. 10. & ſeqq. maximè nu. 15.*

34 Verùm hodiè in his ſervari debet diſpoſitio Concilii Tridentini *in c. 16. ſeſſ. 25. de regul.* quo ſtatutum eſt, ut nulla renunciatio, aut obligatio anteà facta etiam cum juramento, vel in favorem cujuſcumque cauſæ piæ valida ſit, niſi cùm licentia Epiſcopi, ſive ejus Vicarii fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem, ac non aliàs intelligatur
35 effectum ſuum ſortiri, niſi ſequuta profeſſione. Quo decreto ſublata eſt prædicta diſtinctio Calderini inter donationem factam expreſſa cauſa propter profeſſionem, & factam ſine cauſæ expreſſione. Item ſublata eſt alia diſtinctio Doctorum, præſertim Abbatis *in cap. Verùm, infrà de condit. appoſ.* videlicet an donatio facta fuerit ſub conditione, an ſub modo. Item ſublatæ ſunt aliorum opiniones, maximè Bart. & Bald. *in d. Auth. Ingreſſi*, diſtinguentium inter ſcientes profeſſionem non tenere, & ignorantes, ut in primo caſu non competat repetitio, *l. Campanus, ff. de oper. liber. & l. Cujus per errorem, ff. de reg. jur.* in ſecundo autem competat, arg. *l. Si pater, & leg. Nec apud, C. de hæred. inſtituend.* nam hodiè indiſtinctè donatio non ſortitur effe-
36 ctum non ſequuta profeſſione. Hinc cùm duo novitii religionem ingreſſi bona ſua Monaſterio ſervata forma Concilii donaverint, poſteàque uterque deceſſerit, ſed alter revocata, alter verò non revocata donatione: Fuit dubitatum, an Monaſterium poſſit retinere bona ſaltem illius, qui donationem non revocavit: Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum cenſuit neutrius bona poſſe retineri per Monaſterium, cùm non ſequuta profeſſione, nulla fuerit renuntiatio.

37 Præterea cum puella ante Concilium Monaſterium ingreſſa poſt dotem traditam non emiſſa profeſſione deceſſiſſet, & poſt Concilium dos repeteretur: dubitatum fuit, an jure repeti poſſet. In Congregatione fuit paulisper dubitatum; quia Concilium *cap. 16. ſeſſ. 25. de regular.* videtur loqui quoad futura tantùm, nec de morientibus mentionem facit, ſed ſimpliciter de abeuntibus: tamen quia verba illa Concilii de abeuntibus indiſtinctè prolata, videntur etiam ad præterita referri, & eſto quòd non referrentur, dos videtur reſtituenda ex quo non eſt ſequutum matrimonium ſpirituale nulla facta profeſſione: ideò Sacra Congregatio cenſuit, ſeu jus commune ſpectemus, ſeu Concilium, non facta profeſſione, dotem eſſe reſtituendam, reſtitutis tamen Monaſterio impenſis, quas in alimenta fecit.

38 Ampliùs cùm dubitatum fuerit, an ſi mulier ingreſſa Monaſterium intra tempus probationis decedat, dos ſoluta ejus hæredibus unà cum fructibus, ſi quos Monaſterium percepiſſet, reſtitui debeat; Sac. Congregatio cenſuit ita debere, deducto tamen victu, & veſtitu Novitiæ.

Ad hæc; puella Monaſterium ingreſſa eſt cum pacto, ut ſi infra annum moreretur, dos reſtitueretur dotantibus; ſi verò poſt annum facta, vel non facta profeſſione, acquireretur Monaſterio; ſtetit ibi per annum, & menſes tres cum velo albo, in quo incedunt novitię, cùm tamen profeſſę incedant cum nigro, nulla facta expreſſa profeſſione; poſteà deceſſit: S. Congregatio cenſuit ſecundùm ea, quę proponuntur, dotem eſſe reſtituendam hæredibus defunctæ.

Ab hoc tamen Tridentini Concilii decreto formam præſcribente in renunciationibus faciendis excipiuntur primò Clerici Societatis Jeſu: nam olim propoſito dubio, an Jeſuitæ comprehendantur in prima parte *cap. 16. ſeſſ. 25. de regular.* ubi agitur de renunciationibus; aliàs S. Congregationi in caſu particulari conſultæ viſum fuit comprehendi, & ſolùm excipi in ſecunda parte, ubi agitur de novitiatu; tum quia exceptio referenda videbatur ad proximam; tum quia ratio exceptionis non ita videbatur militare in prima parte: ſed poſteà accuratiùs rem totam perpendendo cenſuit Jeſuitas etiam in prima parte *d. c. 16.* excipi; tamen quia S. Pius V. dixerat ampliùs deliberandum, S. Congr. iterùm fuit alloquuta Sanctitatem ſuam, quæ demùm contenta fuit concedere declarationem, tamquam conformem menti, & verbis Concilii *d. c. 16.* Quamobrem ab eo tempore reſponſum eſt Clericos Societatis Jeſu decreto *c. 16. ſeſſ. 25. de regul.* non ſolùm exceptos eſſe quoad emittendam profeſſionem, ſed etiam quoad obligationes, & renunciationes; adeòut etiam ab eorum novitiis quandocumque, & ſine cujuſque licentia factæ, nullitati d. decreti minimè ſubjaceant. Deindè ab hoc decreto videntur excipiendæ mulieres pœnitentes, ſeu convertitæ, ex his, quæ dicentur infrà *n. 60.* 39

Sed non levis eſt difficultas, an decretum Concilii in *d. c. 16.* vendicet ſibi locum in donationibus, ſeu renunciationibus factis ante ingreſſum in Monaſterium, ſeu ante ſuſceptum habitum probationis. Et quidem Navarrus *conſ. 81.* incip. *Nobilis*, hoc titulo conſuluit in caſu puellæ tredecim annorum, quæ Monaſterium ingreſſura donavit patruo bonam partem bonorum ſuorum, antequam fieret novitia, quia decreverat Monaſterium intrare, & *conſ. 82.* immediatè ſequenti, quod incipit, *An donatio*, idem conſuluit in caſu donationis, ſeu renunciationis bonorum factæ occaſione futuri ingreſſus in religionem ab eo, qui nondum religionem intraverat, nec habitum ſuſceperat, cum pacto, ut ſi donator ante profeſſionem è Monaſterio exiret, prædicta donatio eſſet nullius momenti. Et utroque caſu reſpondit donationem eſſe nullam ob non ſervatam formam à Concilio præſcriptam *in d. c. 16.* motus eo præcipuo fundamento, quòd lex etiam exorbitans, & pænalis extenditur ad caſum ſimilem, ad quem ſi non extenderetur, eſſet fruſtratoria, ut *cap. Si civitas, de ſentent. excommun. lib. 6. c. 2.* & ibi gloſſ. *in ver. Aliter facta, de uſur. eod. lib. cum aliis per eum allegatis.* At ſi Concilium non extenderetur ad hunc caſum, facilè fruſtraretur ſecundum eum Præſertim verò, quia parentes, vel cognati ad bona pueri, vel puellæ adſpirantes, faciliùs id conſequi poſſunt ante ingreſſum, ſuadendo illis, ut donent bona ſua, cùm ſint juniores, & minùs ſapiant, magiſque ſubjiciantur imperio parentum, vel tutorum, & plus habeant timoris reverentialis: ad hoc *c. Illud puellæ 20. qu. 1. & c. Cùm virum, ſuprà eodem.* 40 41

Sed his minimè obſtantibus abſolutè tenendum eſt Concilium non vendicare ſibi locū in donationibus, quæ fiunt ante ingreſſum Monaſterii, ſeu ſuſceptum habitum probationis: nam decretum *d. c. 16.* loquitur de novitiis, ut patet ex integra ſerie illius contextus; tales autem dici non poſſunt, antequam re ipſa habitum probationis ſuſceperint, ut colligitur ex verbis *c. 15.* immediatè præcedentis, ibi, *Poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit*, & fuſiùs deduxi *in cap. Quia ingredientibus num. 7. ſuprà de teſtam.* Idque ipſemet Navarr. fatetur *in præcitato conſ. 81. in princip.* 42

Unde cùm renunciationibus factis ante ſuſceptum habitum verba Concilii non adaptentur, conſequens eſt, ut nec adaptetur diſpoſitio *l. 4. §. Toties*, & ibi Bart. *ff. de damn. infect. l. Gallus, §. Et benè verba ſe habent, ff. de liber. & poſth.* Alex. *conſ. 199. Perſpectis nu. 1. in fin. verſ. Item quia diſpoſitio lib. 6.* 43

Neque obſtat, quòd in utroque caſu vigeat eadem ratio: nam reſpondetur primò, cùm Concilium præſcribat novam formam, & imponat pænam nullitatis actus, tamquam exorbitans à jure communi, & pænale, extendi non debere ad alios caſus etiam ex identitate, vel majoritate rationis, *c. Quæ à jure*, & ibi gloſ. *notabilis, de reg. jur. lib. 6. gloſſ. in cap. Conſtitutionem, in verb. Prorogamus, d. regular. eod. lib.* Feder. de Sen. *conſ. 25. Caſus talis eſt*, cui conſilio ſe ſubſcribit Joan. Andr. Bart. *conſ. 2. Domino Joanni n. 2. verſ. Nunc ſic arguo lib. 1.* Joan. de Anania *conſ. 27. Viſo caſu n. 7. & ſeqq.* 44

& ſeq. verſ. Non obſtat, & Angel. conſ. 302. *Viſis in princ. p.*
45 Deindè reſpondetur non deeſſe ſufficientem rationem diverſitatis, cur Concilium voluerit comprehendere tantummodo renunciationes factas à novitiis, non autem ab aliis, qui nondum habitum ſuſceperunt; ſiquidem novitii, quamvis religioſi cenſeri cum effectu non poſſint, ut dicitur *in cap. Religioſo, §. Quamvis autem, de ſentent. excomm. lib. 6.* ſunt tamen perſonæ Eccleſiaſticæ, ut ibi notat gloſſ. *in ver. Non poſſit*, & negari non poteſt, quin ſint Religioſi quoad juriſdictionem, & tuitionem Eccleſiæ, nec diceremus tales eſſe conveniendos coram Judice ſæculari, ſed Eccleſiaſtico tantùm, ut formaliter inquit Hoſt. *hic nu.* 4. *verſ. Nec obſtat*; & dum ille text. aſſerit eos non eſſe religioſos cum effectu, admittit eos eſſe religioſos; ſed revocabiliter, ut declarat gloſſ. *in c. Beneficium, in verb. Conferendum poſt medium, verſ. In contrarium. infrà eodem lib. 6.* & Hoſt. *ubi ſupra*. Unde & Canonis privilegio gaudent, ut eſt caſus *in d. §. Quamvis*.

Hinc S. Congregatio declaravit in renuntiationibus, quę à puellis poſt regularem habitum animo profitendi aſſumptum intra probationis annum in favorem conſanguineorum fiunt, opus non eſſe adhiberi ſolemnitatem à laicorum ſtatuto requiſitam. Quippè forum ſortiri, & ſtatutis ligari à pari procedunt, Innoc. *in rubr. de conſuetud.* & poſt eum Butr. *ibidem num. 7. verſ. Unam regulam habetis*, De-
46 cius *in cap. Quæ in Eccleſiarum num. 15. de conſtit.* At verò qui nondum habitum ſuſceperunt, non ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, nec propoſitum ingrediendi, aut profeſſionem emittendi facit eos de foro Eccleſiæ, arg. *l. Fugitivus, ff. de verbor. ſignific.* alioquin eſſet in facultate cujuſcumque ſe eximere à judicio ſæculari, aſſerendo ſe habere animum aſſumendi Monachatum, & fruſtrà juriſdictiones eſſent diſtinctæ, ut *cap. Cùm ad verum, & cap. Si Imperator 96. diſt. & cap. Solitæ, ſuprà de majorit. & obed.* Quinimò hoc vendicat ſibi locum, etiamſi tales emiſerint votum ingrediendi religionem, ut notat Innoc. *in cap. Porrectum nu. 3. verſ. Nec ſunt iſtæ perſonæ de foro Eccleſiæ, ſup. eod.* Unde non mirum, ſi Concilium noluit legem dicere illorum renunciationibus, ſed novitiorum dumtaxat, alioquin præbuiſſet anſam principibus, & magiſtratibus ſæcularibus conquerendi, quòd poſuiſſet falcem in meſſem alienam, contra *d. cap. Cùm ad verum*, & notata per Innocen. *in c. Per venerabilem nu. 3. infr. qui filii ſint legitimi*, quodque Epiſcopis poteſtatem dediſſet interponendi licentiam, & authoritatem in contractibus merè profanis perſonarum ſæcularium, quæ in his juriſdictioni Eccleſiaſticæ non ſunt ſubjectæ, *c. Si Clericus laicum, ſuprà de foro competen.* & docet idem Innoc. *in cap. Inquiſitioni, verſ. Item ſi præcipiat laico nu. 4. infrà de ſent. excommun.* Rurſus non obſtat, quòd lex etiam exorbitans, & pœnalis extendatur ad caſus ſimiles, & habentes eamdem rationem, quoties niſi fieret extenſio redderetur eluſoria, juxta theoricam Navarri: nam reſpondetur negando hanc ſimilitudinem, & identitatem rationis inter novitios, & alios, qui nondum ſuſceperunt habitum: imò valdè differunt, ut ſuprà proximè oſtenſum eſt. Et cùm in decreto Concilii, ſive ſpectemus verba, ſive mentem, non includantur niſi novitii, utique qui nondum eſt novitius, renunciando, ſeu donando ſervata forma juris communis, Concilium non fruſtrat, cùm faciat actum ſibi à jure permiſſum, arg. *c. Qui peccat 23. q. 4. l. Quod Reip. leg. injuriam, & l. Injuriarum actio, §. Is qui inter, ff. de injuriis*, nec renunciationes puerorum, vel puellarum factæ ante habitus receptionem propterea remanent ſine ſua proviſione; quandoquidem hic caſus tamquam omiſſus à Concilio remanet in diſpoſitione juris communis, *l. Commodiſſimè, ff. de liber. & poſthum.* à quo ſatis cautum eſt, ut donationes hujuſmodi cauſa non ſequuta non ſortiantur effectum, ut abundè oſtenſum eſt ſuprà *n. 29 & ſeq.*

47 Tandem hanc ſententiam contra Navar. ſæpiùs probavit Sac. Congreg. Concilii. Aliquando enim *cenſuit d. c. 16. ſeſſ. 25. de regular.* ſibi locum non vendicare in donationibus factis ante ſuſceptum habitum probationis; ſicuti etiam reperitur adnotatum in calce prędictorum *conſ.* Navar. 81. & 82. & aliàs conſulta, an *illud cap.* comprehendat renunciationes factas ante ingreſſum, illius tamen contemplatione, reſpondit non comprehendere renunciationes factas ante ingreſſum, hoc eſt ante habitus ſuſceptionem. Quinimò preſuppoſitis duabus Congregationis declarationibus ſuper *d. c. 16.* altera quòd ibi minimè infringantur renunciationes factę ante ingreſſum religionis: altera quòd ex eo decreto renunciationes factę in ipſo ingreſſu non valeant: Quæſitum eſt, an cùm Clarix Buccapadulia renunciaverit bonis tam paternis, quàm maternis eadem die, qua ingreſſa fuit Monaſterium, prędicta ejus renunciatio ſufficiat, an nova requiratur ante profeſſionem, juxta formam à Concilio præſcriptam. Die 22. Junii 1613. Sac. Congregatio cenſuit decretum *d. c. 16.* non vendicare ſibi locum in renunciationibus factis ante actum, ſeu momentum ſuſceptionis habitus; ac propterea ex eo decreto ſupraſcriptam renunciationem non eſſe nullam.

Sed hic incidit quæſtio, cùm valida ſit donatio facta à novitio in favorem Monaſterii cum licentia Epiſcopi, vel ejus Vicarii infrà duos menſes proximos ante profeſſionem; numquid Monaſterio ſtatim liceat apprehendere actualem poſſeſſionē bonorũ ſibi, ut prefertur, donatorum.

Breviter reſpondeo non licere, nam etſi dominium re- 48
rum donatarum tranſeat in Eccleſiam, vel Monaſterium etiam ſine traditione poſſeſſionis, *l. Ut inter divinum, C. de Sacroſan. Eccleſ.* & notat Calder. *conſ. 27. poſt med. verſ. Si vero cauſa, de regul.* tamen decreto. Concil. Tridentini in 49
præcitato c. 16. ſeſſ. 25. de reg. in verſ. Sed neque, diſertis verbis interdicitur, ne ante profeſſionem excepto victu, & veſtitu Novitii, vel Novitię illius temporis, quo in probatione eſt, quocumque prętextu à parentibus, vel propinquis, aut Curatoribus ejus Monaſterio aliquid ex bonis ejuſdem tribuatur, ne hac occaſione diſcedere nequeat, quòd totam, vel majorem partem ſubſtantię ſuę Monaſterium poſſideat, nec facilè, ſi diſceſſerit, in recuperare poſſit; imò 50
præcipitur ſub anathematis pœna dantibus & recipientibus, ne hoc ullo modo fiat, & ut abeuntibus ante profeſſionem omnia reſtituantur, quæ ſua erant.

Quo decreto cùm prohibitum ſit Monialibus accipere 51
dotes puellarum ante earum profeſſionem, idemque ex deciſione S. Congregationis procedat, etiam ſi accipiant ſub nomine depoſiti, ſeu præſtita cautione de illis reſtituendis, profeſſione non ſequuta: Quæſitum eſt, an etiam prohibitum intelligatur, ne hujuſmodi dotes realiter deponantur 52
penès tertium, qui eas Monaſterio debeat dare poſt profeſſionem emiſſam: S. Congregatio cenſuit non intelligi prohibitum, & ita ſatis cautum eſſe Monaſterio.

Hinc orta dubitatione, an cautela adinventa à Monia- 53
libus Civitatis Alexandrinæ, ut quando aliqua puella Monaſterium ingreditur, depoſitum dotis priùs fiat, & deinde omne id, quod in depoſitum recipitur, totum depoſitarius ipſi Monaſterio ante profeſſionem conſignet, ſit contra diſpoſitionem Conc. Trid. *c. 19. ſeſſ. 25. de reg. verſ. Neque ante profeſſionem*: S. Congregatio cenſuit decretum Concilii *d. c. 16.* non prohibuiſſe quidem hujuſmodi depoſitum; ſed quòd pecuniæ ſic depoſitæ dentur Monaſterio directè, vel indirectè, & in ſpecie modo hìc deſcripto, videri omninò prohibuiſſe. Et licèt alias Sac. Congregatio in caſu Neapolitano viſa fuiſſet ſentire poſſe dari, præſtita idonea cautione bancaria: tamen nunc cenſuit non ſcribendum ampliùs in futurum ſecundùm illam ſententiam, ſed ſecundùm iſtam poſteriorem, ut nullo modo detur Monaſterio, nec cum depoſito, nec ſine.

Quinimò cùm Moniales quædam Mediolanen. paupe- 54
res ære alieno contracto, quotidiè ad ſolutionem etiam per cenſuras urgerentur, ſupplicarunt Sanctiſſimo, ut eis liceret accipere tres dotes ab ingredientibus mulieribus, etiam ante profeſſionem, ut æs alienum diſſolvere poſſent: S. Congr. cenſuit obſtare Concilium, etſi detur cautio bancaria, ideòque agendum cum Sanctiſſimo: Sanctitas ſua juſſit ſcribi litteras Card. S. Praxedis, quòd ſi verum eſt iſtud debitum contractum eſſe pro neceſſitate alimentorum, & quòd non poſſint aliunde ſatisfacere, & ob id moleſtentur cenſuris: permittat eas accipere dotes ante profeſſionem, præſtita per eum idonea fidejuſſione de reſtituendo, ſi receſſerint ante profeſſionem.

Quamquam autem Concilii verba videantur reſtricta 55
ad bona ipſius Novitii; tamen propoſito dubio, an quod diſponitur *c. 16. ſeſſ. 25. de regular.* ne de bonis puellæ aliquid Monaſterio ante profeſſionem tribuatur ſub pæna anathematis, habeat locum etiamſi aliquid tribuatur non ex puellæ propriis bonis, ſed parentum, vel conſanguineorum. Sac. Congr. cenſuit habere locum.

Et iterùm ſuborto dubio, an ſi Novitius ſit ſui juris, 56
& non habeat parentes, poſſit in ingreſſu religionis, præ-

ter

ter victum aliquid donare religioni amore Dei: Cenſuit, non poſſe, ex verbis expreſſis *d. cap.*16.

57 Sed cùm Livia Monaſterium Monialium ingreſsa in anno probationis dare vellet ſcuta centum Monaſterio in rationem cenſus ſuper Monaſterii bonis nomine ipſius Liviæ per Moniales poſtea convertenda in dotem illius, poſtquam emiſiſset profeſſionem, & dubitaſset, an hic caſus eſset comprehenſus decreto *d. c.*16. *verſ. Sed neque ante profeſſionem*: Reſponſum eſt, non eſse comprehenſum, aut prohibitum *d. decreto c.*16.

Inſuper quærentibus, an pacta, ſeu conventiones, quibus Moniales aliquam pecuniæ ſummam petunt à parentibus novitiæ convivii cauſa, dum Novitia habitum ſuſcipit, vel profitetur, ſint ſublata *cap.*16. *verſ. Sed neque, ſeſſ.* 25. *de regular.* Sac. Congregatio cenſuit decretum *cap.*16. ad hunc caſum non pertinere; ſed id prohiberi conſtitutione Urbani IV. quæ incip. *Sanè*. Cæterùm quia ex conſuetudine Mediolanenſi recepta, & à bon. mem. Cardinali S. Praxedis tolerata paſſim hujuſmodi convivia exhibentur, conſultius putavit nihil reſponderi. Conſtitutio Urbani ha-

58 betur in Extravag. *Sanè, de ſimon.* Cæterùm ſententiam excommunicationis, de qua *in d. c.*16. *ſeſſ.*25. *de regul.* Sac. Congregatio declaravit non incurri ipſo facto, nec eſse re-

59 ſervatam Papæ. Quamobrem cùm quædam Moniales dotes accepiſsent à virginibus nondum profeſſis, & Epiſcopus conſuluiſset, quid ſibi eſset agendum: S. Congreg. cenſuit eas non incidiſse in excommunicationem ipſo jure; quando enim à jure præcipitur aliquid ſub pœna excommunicationis, contrafaciens non incidit ipſo jure in excommunicationem, Sum. Ang. *in ver. Excommunicatio* 1. *n.*8. tamen quia poſsent excommunicari, poterit eas Ordinarius abſolvere, quia non reſervatur Sedi Apoſtolicæ. Agendum tamen cum Sanctiſſimo. Sanctitas abſolvit à peccato, ne poſſent excommunicari, & dixit ſcribendum Epiſcopo, ut prohibeat iſtos abuſus.

Quid de mulieribus convertitis? Cùm Congregatio Domus Piæ vellet recipere aliquas mulieres in Monaſterio, dubitatum fuit, an poſset exigere dotes in ſuſceptione habitus non obſtante prohibitione *cap.*16. *ſeſſ.*25. *de regular. verſ. Sed neque ante profeſſionem*, quæ non videtur extendi ad d. Domum, cùm ea potiùs ſit comprehenſa ſub exceptione *c.*18. *ejuſdem ſeſſ. in fine*, dum excipit Pœnitentes, & Convertitas: S. Congregatio viſa eſt inclinare in hanc ſententiam, ut limitatio *c.*18. non extendatur ad diſpoſita *in cap.*16. *tamen* propter verba generalia *d. c.*18. referendum ad Generalem. In Congregatione Generali eſt dubitatum, ne non generalia verba *d. cap.*18. comprehendant etiam *c.*16. Ideò dictum pro tutiori via ſupplicandum Sanctiſſimo, ut diſpenſet, & dicendum, an velit tollere annum probationis: Sanctitas ſua viſa inclinare in illam ſententiam, ut iſta Domus Pia non comprehendatur verbis *cap.*18. præſertim cùm habeat annum probationis; ideò compredendi ſub diſpoſitione *c.* 16. tamen gratiam facit pro iſtis, ut ante profeſſionem accipere poſſint, non obſtante *d. c.*16. nec vult auferre annum probationis, cùm illum habeant in fundatione: de hac materia vide quod ſcripſi *in c. ad Apoſtolicam n.*30. *ſup. eod.* 60

DE REGULARIBUS.

Idem Gregorius IX.

CAPUT XXIV.

NE Religioſi vagandi occaſionem habentes, ſalutis propriæ detrimentum incurrant, & ſanguis eorum de Prælatorum manibus requiratur: ſtatuimus, ut præſidentes capitulis celebrandis, ſecundum ſtatutum Concilii generalis, ſeu Patres Abbates, ſeu Priores, fugitivos ſuos & ejectos de ordine ſuo, requirant ſolicitè annuatim. Qui, ſi in Monaſteriis ſuis recipi poſſunt, ſecundum ordinem regularem, Abbates ſeu Priores eorum, monitione prævia, per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur ad receptionem ipſorum, ſalva ordinis diſciplina. Quòd ſi hoc regularis ordo non patitur, authoritate noſtra provideant, ut apud eadem Monaſteria in locis competentibus, ſi abſque gravi ſcandalo fieri poterit, alioquin in aliis Religioſis domibus ejuſdem ordinis, ad agendam ibi pœnitentiam, talibus vitæ neceſſaria miniſtrentur. Si verò hujuſmodi fugitivos, vel ejectos inobedientes invenerint; eos excommunicent; & tamdiù faciant ab Eccleſiarum Prælatis excommunicatos publicè nuntiari, donec ad mandatum ipſorum humiliter revertantur.

SUMMARIUM.

1 *Religioſi fugitivi, & ejecti, annuatim ſunt requirendi, & cogendi, ut ad Monaſterium redeant.*
2 *Prælati regulares non revocantes ad ordinem quotannis ſuos ejectos, & fugitivos, mortaliter peccant.*
3 *Diſſimulatio peccatorum in Prælato, eſt mortale.*
4 *Opinio quorumdam recentiorum, qui dixerunt hoc capitulum fuiſſe conſuetudine abrogatum, refellitur.*
5 *Curam animarum habentes tenentur jure divino oves ſuas agnoſcere, & illarum cuſtodiæ incumbere, & n. ſeq.*
6 *Religioſi ab ordine ejecti etiam juſtè, remanent ſubditi Prælatorum regularium, & votis ligati.*
7 *Conſuetudo ſecundum quam Prælati regulares non revocant ad Monaſterium ſuos ejectos, & fugitivos, eſt nutritiva peccati*
8 *Abbas debet colligere Monachum ſuum, ne damnabiliter evagetur, & pereat.*
9 *Religioſi ejecti quamdiu ad cor non redeunt, ſunt in malo ſtatu, & tenentur ſuam reductionem procurare, licèt non requirantur.*
10 *Papa non diſpenſat cum Religioſis juſtè ejectis ab ordine, ut Miſſam celebrent in ſæculo.*
11 *Papa non facit de Monacho non Monachum, niſi ex graviſſima cauſa.*
12 *Conſuetudo nutritiva peccati eſt corruptela.*
13 *Religioſus fugitivus quis dicatur, & quis ejectus, & n. ſeq.*
14 *Apoſtata dicitur religioſus eo ipſo, quod recedit à Monaſterio, & non eſt ſub obedientia Prælati.*
15 *Præſidentes Capitulis poſſunt excommunicari, & facere excommunicatos denunciari ab Eccleſiarum Prælatis.*
16 *Prælati irregulares etiam immediatè, ut Abbates, & Priores locales, tenentur quotannis reducere ad Monaſterium ſuos fugitivos, & ejectos.*
17 *Religioſi etiam juſtè, & definitivè ejecti ſunt annuatim requirendi, & cogendi ad Monaſterium redire, & late refellitur contraria opinio uſque ad n.*36.
18 *Prælati qui Religioſos ab ordine injuſtè ejiciunt, ſunt ſpoliatores, & in mora reſtituendi, ſicut fur, & n. ſeqq.*
19 *Spoliatus injuſtè, ſeu juris ordine non ſervato, illicò eſt reſtituendus.*
20 *Religioſis indebitè ejectis impiè à Prælatis regularibus denegantur alimenta.*
21 *Religioſi ejecti, & fugitivi quomodo ſint ad ordinem recipiendi, ſi regula contradicat.*

22 Di-

22 *Diſciplina Monachi delinquentis, in quibus gradibus conſiſtat ſecundum regulam S. Benedicti.*
23 *Monachus expulſus ſecundum regulam S. Benedicti ultra tertiam vicem, non recipitur tamquam incorrigibilis.*
24 *Verba*, ſalva ordinis diſciplina, *quid importent.*
25 *Damnum non debet quis inde ſuſtinere, unde meruit gratiam reportare.*
26 *Scandalum in recipiendis Religioſis ejectis, qualiter conſideretur.*
27 *Juſtitia propter ſcandalum non eſt deſerenda.*
28 *Religioſi fugitivi, & ejecti, ubi ex regula recipi non debent, in quo loco ſint ponendi.*
29 *Regularibus indebitè ejectis, & ſpoliatis nullum crimen objici poteſt, ſed ante omnia ſunt reſtituendi.*
30 *Ergaſtulorum pœna regularibus quando imponatur.*
31 *Referuntur authores qui dixerunt hoc cap. eſſe intelligendum de ejectis injuſtè.*
32 *Eorum opinio reprobatur in decretis de Apoſtatis, & ejectis.*
33 *Regularibus perpetuò ejectis ab ordine res judicata non ſuffragatur.*
34 *Inferiores à Papa non poſſunt facere de Monacho non Monachum.*
35 *Depoſitione ſolvitur ſpirituale conjugium inter Prælatum, & Eccleſiam.*
36 *Regulares etiam incorrigibiles ex decreto Congregationis Concilii edito ſub Pio IV. prohibentur ejici è Monaſterio. Diſcutitur, an expediat hujuſmodi decretum confirmare, ibid. & n. ſeqq. uſque in fin.*
37 *Regularium incorrigibilium ejectio de jure eorum permiſſa eſt à ſocietate, & conſortio, non autem ab ordine, & n. ſeqq.*
38 *Regularis proprietarius an poſſit ejici à Monaſterio.*
39 *Regularium incorrigibilium ejectio, quibus rationibus probetur eſſe neceſſaria, & n.44.*
40 *Regula S. Auguſtini de ejectione incorrigibilium qualiter ſit intelligenda, & n.64.*
41 *Regulares incorrigibiles cur malint à Monaſterio ejici, quàm apoſtatare, & n.48.*
42 *Regularium expulſio, quæ damna Eccleſiæ, & Religionibus afferat, & n.49.*
43 *Regula S. Benedicti, & S. Baſilii de Monachis incorrigibilibus ab ordine ejiciendis, & n.46.*
44 *Regulares incorrigibiles diuturno carcere intra clauſtra punire, quàm grave ſit religionibus.*
45 *Expulſionis cauſa graviſſima, eſt, & quibus committenda.*
46 *De expulſione regularium ab ordine quid ſenſerint S. Thom. & S. Bonaventura.*
52 *Regulares incorrigibiles an expediat intra clauſtra coercere, an verò è Monaſterio expellere.*
53 *Congregationis Epiſcoporum, & regularium, & Congregationis Concilii decreta de regularibus ab ordine non ejiciendis.*
54 *Oſtraciſmus laudatur à Xenophonte.*
55 *Ergaſtulorum remedium ad coercendos Monachos incorrigibiles periculoſum.*
56 *Expulſio an præbeat regularibus anſam faciendi ſe inobedientes, ut ad ſæculum revertantur.*
57 *Decreta Clementis VIII. ad regularium reformationem an ſint innovanda.*
58 *Novitii an de cætero ſint examinandi ab ordinariis locorum ad præſcriptum decreti Clementis VIII.*
59 *Incorrigibilis quando quis cenſeatur ad hoc, ut expelli poſſit à religione.*
60 *Generali an & quibus adhibitis ſit tribuenda facultas ejiciendi incorrigibiles.*
61 *Conjudices in cauſa expulſionis, à quo ſint deputandi.*
62 *Regularibus ejectis, an & qualis ratio præſcribenda ſit devivendi in ſæculo, & n.66.*
63 *Regulares incorrigibiles an & quamdiù in carcere ſint tinendi, priuſquam ejiciantur ab ordine.*
64 *Litteræ teſtimoniales ejectis non concedendæ à ſuperioribus regularibus.*
65 *Ejecti ſunt perpetuò ſuſpenſi ab executione ordinum.*
66 *Diſpenſatio cum Religioſis ejectis, an ſit locorum ordinariis prohibenda.*
67 *Regulares delinquentes, an ſint puniendi pœna triremium ad tempus.*
68 *Carcer privatus inſtituendus à religionibus in qualibet ſaltèm Provincia.*
69 *Regulares juſtè per ſententiam diffinitivam ejecti, an ſint per ſuperiores quotannis requirendi, ut redeant ad religionem.*
70 *Tranſitus ad arctiorem religionem qualiter ſit permittendus.*
71 *Apoſtatis infrà certum tempus ad religionem redeuntibus, an ſit concedenda impunitas.*

NE *Religioſi*. Religioſi fugitivi, & ejecti annuatim ſunt 1
requirendi, & cogendi, ut ad Monaſterium revertantur. Hoc dicit. Sunt duæ partes. In prima ponitur conſtitutionis cauſa. In ſecunda conſtitutio, ibi, *Statuimus*; ubi duo facit. Primò, providet circa fugitivos, & ejectos obedire paratos. Secundò, circa inobedientes, ibi, *Si verò.*
Nota primò, & ſigna textum notabilem contra Prælatos 2
regulares, qui quotannis non revocant ad religionem ſuos ejectos, & fugitivos; peccant enim mortaliter, ut ſatis clarè probat littera, ibi, *Ne ſanguis eorum de Prælatorum manibus requiratur*. His enim verbis uti non conſueverunt ſacri Canones, niſi materia, quæ in ſuo genere obligat ad culpam lethalem, *ut in c. Irrefragabili, ſuprà de offic. ord.* ubi gloſſ. *in verb. Sanguis eorum*, dicit, Durum verbum eſt iſtud pro Prælatis negligentibus ſubditos ſuos corrigere. Et idem dicit hìc 3
Butr. *in 2. notab.* Diſſimulatio enim peccatorum in Prælato eſt mortale, *c. Novit*, & ibi notat Butr. *n.27. verſ. Nota diſſimulationem peccatorum*, & Anchar. *n.12. ſuprà de judic.* Iiſdem verbis utitur Concilium Tridentinum *in c.1. ſeſſ.6.* circa reſidentiam Paſtorum, quæ obligat ſub reatu mortalis peccati, *ut in c.1. ſeſſ.23.* Atque hinc patet, quàm malè non- 4
nulli ex recentioribus dixerint totum hoc capitulum cùm ſit juris humani conſuetudine abrogatum fuiſſe, cùm religionem Præfecti religioſos ejectos annuatim nullatenus perquirant, nec reducant. Et propterea non teneri Prælatos, quærere, nec revocare ejectos, nec fugitivos, ſed ſervanda eſſe quoad hoc ſtatuta religionum. Quibus adhæſit Th. Sanc. *in Decal. tom.2. lib.6. c.9. n.18.* poſt Azor. quem citat *tom.1. inſtit. moral. lib.12. c.17. q.5.* Imò enim hæc obligatio in Præ- 5
latis ſurgit ex jure divino, quo tenentur omnes, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, & earum cuſtodiæ incumbere, ut Ezechiel.3. Actor.20 *c. Ephſus 43. diſt. c.1. 13 q.1.* Concilii Tridentini *loc. cit.* Neque enim ejecti ab 6
Ordine etiam juſtè, & definitivè deſinunt eſſe ſubditi Prælatorum regularium Imò manent ejuſdem veri Ordinis Religioſi, & votis ligati, ſicut viceverſa Superiores regulares remanent illorum Prælati, & Paſtores, ut patet ex tota ſerie hujus decretalis; præſertim ponderando illam rationem, *Ne ſanguis eorum, &c.* & illud verbum, *Religioſi*; item verbum, *Prælatorum*; item illa verba, *in Monaſteriis ſuis*, necnon illa, *Abbates, ſeu Priores eorum*, & tradunt Navarr. *comment.2. de regular. n.34. 35. & 36. & comment.3. n.40. & in reg. S. Franc. c.2. qu.21. ſect.3.* Molin *diſp.140. verſ. Quando verò, & verſ. Quod votum*, Vaſq. *in 1.2. qu.96. art.4. diſput. 165. n.87.* & Suarez *tom.5. diſp.21. ſect.3.* Nihil tamen magis exagerant ſacræ litteræ, canones, & concilia, quàm ut Prælati ſubditos ſuos corrigant, & more mercenariorum non deſerant; itaut propterea Superioribus regularibus negligentibus ſuos ſubditos ejectos ad Monaſterium reducere optimè congruant in ſpecie verba Concilii Tridentini *in c.1. in fin. ſeſſ.24.* videlicet: (Illorum ſanguinem, qui ex malo negligentium, & ſui officii immemorum Paſtorum peribunt, Dominus Noſter Jeſus Chriſtus de manibus eorum eſt requiſiturus) Et de Prælatis regularibus eſt text. hìc, *& in c. Cùm ad Monaſterium, §. penult. infrà de ſtat. Monach.* Unde benè Hoſt. *hìc in princ.* adnotavit Abbatem teneri de ſanguine Monachi vagandi, ſicut & alii Prælati ſubditorum correctionem negligentes, *ut in c.1. de offic. Archid. c. cũ concordan.* Quamobrem conſuetudo ſecundum quam Præla- 7
ti negligunt revocare ad Monaſterium ſuos ſubditos fugitivos & ejectos, eſt nutritiva peccati, tam ex parte ipſorum Prælatorum, ut oſtenſum eſt ſupra, quàm ex parte ſubdito-
rum, ut patet ex littera textus, ibi: (Vagandi occaſionem ha- 8
bentes, ſalutis propriæ detrimentum incurrant.) Per quam litteram, dicit goſſ. *in c. un. in verb. Languidis, infrà de infantib. expoſ.* Abbatem debere recolligere Monachum ſuum, ne
damnabiliter evagetur, & pereat. Ejecti enim utpotè incor- 9

rigi-

rigibiles, quamdiù ſtat per eos, quin ſe corrigant,& redeant
ad cor, ſunt in malo ſtatu; & ideò tenentur ſe habiles redde-
re, & procurare ſuam reductionem ad Monaſterium,etiam-
ſi ab eorum Prælatis non requirantur. Ita Sot.*de juſt.& jur.*
lib.7.q.2.art.5. in ſol. ad 3.in fin. Card.*in reg.S.Franc.cap.2.*
*q.21.punct.*3. & latè deducit Sanch.*in Decal.tom.2.lib.6.c.9.*
n.25.27.& 30.

10 Ac propterea ſæpiùs diximus in congregationibus tum
Concilii,tum Epiſcoporum,& Regularium, Eccleſiam non
poſſe diſpenſare cum Religioſis juſtè ejectis ab Ordine, ut
Miſſam celebrent in ſæculo, quia repugnat jus divinum, ut
ſic impœnitentes accedant ad Sacram Euchariſtiam, ut 1.
ad Corinth.2. *cap.Timorem, & cap.Sicut Judas, de conſecr.*
*diſt.*2. & definitum eſt à Concil. Trid. *in Decr. ad Sacram.*
11 *Euchar.c.7.& can.ult.* Et quamvis Papa ſecundum plenitu-
dinem ſuæ poteſtatis poſſit de Monacho efficere non Mo-
nachum,ſecundum Vincent.& Joann.tamen ad hoc non eſt
cauſa ſufficiens ipſa expulſio ab Ordine propter crimina
perpetrata, ſed requiritur cauſa publica, & graviſſima, ſe-
cundum Innoc.*in c.Cùm ad Monaſterium,infrà de ſtat.Mo-*
nach.n.4.verſ.Quid enim ſi tota Chriſtianitas, vel etiam ali-
qua pars ejus eſſet in periculo; cum quo tranſeunt ibi Hoſt.
*n.*32. Joann.Andr.*n.*29.Abb.*n.*21. & reliqui omnes. Unde
nobis ſuggerentibus, in decretis de regular. apoſt.& eject.
appoſitum fuit illud caput, ut ejecti extra Religionem de-
12 gentes ſint perpetuò ſuſpenſi ab exercitio Ordinum. Præ-
dicta igitur conſuetudo, ſecundum quam Religioſi expulſi
non reducuntur, ut nutritiva peccati; non conſuetudo, ſed
potiùs corruptela dicenda eſt, *c.fin.ſup.de conſuet.c.Flagitia*
32.q.7. cum multis ſimil. Nec dicatur licere morbidas oves
non tantùm deſerere, ſed etiam ab ovili expellere, ne ſa-
nas inficiant: Quoniam ſolutio patebit ex his, quæ dice-
mus infrà *n.*37.

13 Secundò,nota differentiam inter Religioſos fugitivos, &
ejectos. Dicitur autem fugitivus, qui extra Monaſterium
moratur, ut ſe celet Abbati, etiamſi poſteà pœnitentia du-
ctus redeat ad Monaſterium, *ut leg Quod ſit fugitivus, ff.de*
*ædil.edict.*ut notat hìc Jo.Andr.*n.2. in ver.Fugitivos*,Butr.*n.*
14 5.Card & Abb.*ambo n.*2. Eo enim ipſo, quòd Religioſus re-
cedit à Monaſterio, & non eſt ſub obedientia Prælati, dici-
tur Apoſtata,ut notat Innoc.*in c.fin.de renunc.* & Abb.*d.n.*2.
Ejectus verò dicitur, qui à ſuo Superiore coactus eſt exire,
ut per Jo. Andr. & alios præalleg.

15 Tertiò, nota ibi, *Excommunicent*, Præſidentes Capitu-
lis celebrandis, de quibus *in c. In ſingulis, infrà de ſtat.Mo-*
nachor. habere poteſtatem excommunicandi Abbates, &
alios inferiores totius Ordinis, & faciendi excommunica-
tos denunciari ab Eccleſiarum Prælatis, prout hìc notat
Hoſt. *n.20. circa fin.in ver. Excommunicent*, Joan.Andr. *in*
*eod.ver.n.*5. Cardin.*n.*4.& Abb.*in 2.not.* Non tamen per hoc
adimitur poteſtas Ordinariis, *c.Quantò, de offic.ord.& d c.*
In ſingulis, §.Porrò, ſecundum Joan. Andr. & Anchar.*n.67.*
in 6. notab.

16 Quartò, nota hanc obligationem revocandi ejectos, &
fugitivos, & inobedientes excommunicandi, & denuncia-
ri faciendi, incumbere non tantùm his, qui capitulis præſi-
dent, & Abbatibus generalibus, ſeu capitibus ordinum,
ſed etiam Abbatibus, & Prioribus localibus, ſeu immedia-
tis Monaſteriorum Prælatis, juxta text.*in c.fin §.fin.de ſtat.*
Monachor. quod patet ex hac littera ibi,ſeu Patres Abbates,
ſeu Priores Et notat hìc Hoſtien. *in princ.in eod,ver.Patres*
*Abbates,*Cardin.*n.9.in 6.q.* Abb.*in 3.& ult.not.*Archid *in c.*
Abbates n.4.18.q.2.& ibi etiam Bellam.*n.*2.& Silveſt.*in ver.*
*Apoſtaſia q.6. n.*10.

17 Ultimò, nota ſingulariter Religioſos etiam juſtè, & per
ſententiam definitivam ejectos ab Ordine eſſe annuatim à
Prælatis regularibus requirendos ad Monaſterium redire:
quod multipliciter judicio meo deduci poteſt ex hac decre-
tali.

18 Et primò, ſi hìc ageretur de Religioſis ejectis injuſtè, aut
juris ordine non ſervato, ut multi putarunt, non præcipere-
tur Prælatis ut illos requirerent annuatim, ſed potiùs, ut
ſtatim ad Religionem reducerent, quia Prælati ſic ejicien-
tes ſunt ſpoliatores; injuſtè autem ſpoliatus, aut juris ordi-
19 ne non ſervato, non annuatim, ſed illicò eſt reſtituendus,
c.Conquerente, de reſtit.ſpoliat.cap.Venerabili.de offic.deleg.
gloſſ. 1.*in ſumm.3.q.1.* & quamdiu Prælati ſpolium non pur-
gant, & indebitè expulſos non redintegrant, ſunt ſemper in
mora reſtituendi ſicut fur, *l.Si pro fure, §.penult.ff. de condit.*
*fur.*gloſ.1.*in reg.Mora,de reg.jur.in 6.*& ſic ſemper peccant,
arg.*c.Si res aliena 14.q.6.* gloſſ.*in c.Niſi cùm pridem, §.Pro-*
*pter conſcientiam,in ver.Sed dumtaxat,ſuprà de renunc.*im-
piè enim religioſis indebitè expulſis denegant alimenta, ut 20
inquit gloſſ.*in c.un.in ver.Languidis, infrà de infant.expoſ.*
& poſt Archid. Silveſt. *in ver.Apoſtaſia in 6.qu.*

Secundò, hìc ſtatuitur, ut ſi ejecti in Monaſteriis ſuis re- 21
cipi poſſint ſecundum ordinem regularem, Abbates, ſeu
Priores eorum compellantur eos recipere. Quòd ſi hoc re-
gularis ordo non patitur, apud eadem Monaſteria ponan-
tur in locis competentibus, vel in aliis religioſis domibus.
Quæro,quid importent illa verba, *Secundum ordinem regu-*
larem,& illa,*Quòd ſi hoc regularis ordo non patitur?*Abb.An-
tiq.*n.2.in ver. Secundum ordinem*, dicit, quia ſi Ordo habe-
ret ex ſua Conſtitutione,ut quicumque ter exiverit,ampliùs
non admittatur, ut eſt in Ordine S.Benedicti, amplius non
admitteretur; & hoc idem innuit in ſimilibus: quod fu- 22
ſiùs explicat Hoſt.*n.5. in ver.Diſciplina*, dicens, ſecundum
regulam S. Benedicti diſciplinam Monachi delinquentis
conſiſtere in ſeptem gradibus. Primus eſt ſecreta admoni-
tio. Secundus eſt publica correctio. Tertius eſt ſimplex, ſeu
minor excommunicatio. Quartus, jejunii afflictio. Quin-
tus, ſi dignus ſit, flagellorum vapulatio. Sextus, ad Deum
pro ipſo oratio. Septimus, de Monaſterio expulſio. Et eli-
ciuntur hi gradus ex duobus capitulis regulæ, ſcilicet ex 23.
de excommunicatione culparum, & ex 28. *de his qui ſæpiùs*
correcti emendare noluerint. Si verò ſic expulſus veniat ad 24
portam pœnitens, iterùm recipiendus eſt, & reconcilian-
dus uſque ad tertiam vicem tantùm: nam ſecundum eam-
dem regulam ter recipitur, & nòn ultra,*ut in regula 29.cap.*
Si debeant iterùm recipi fratres exeuntes de Monaſterio;
præſumitur enim poſteà incorrigibilis. Unde ſicut Clericus
ſæcularis, quando incorrigibilis eſt, omni privilegio denu-
datur,& poteſtati traditur ſæculari,*c.Cùm non ab homine,de*
judic. ſic & Monachus,ex quo ter reconciliatus non corri-
gitur, eſt de Monaſterio perpetuò ejiciendus. Dum ergo hìc
dicitur, ut ejecti ponantur in locis competentibus, vel in
aliis religioſis domibus, ſi regularis Ordo non patitur, ut
recipiantur apud eadem Monaſteria, Hoſtien. *n.*8. exem-
plificat, puta quia ter exivit, & ter reconciliatus fuit, ut in
regula ſupradicta. Prima enim vice recipitur ultimus in
Choro, ſic ſecundò, ſic tertiò; ultrà verò ſciat ſibi poſteà
omnem reverſionis aditum denegari, ut ibidem dicitur, &
notatur *in c.Cùm in Eccleſiis,§.1.in verb.Præcipientes,ſuprà*
de major.& obed. & ſequuntur hìc Joan.Andr. *n.*4. Butr. *n.*9.
Cardin.*n.1.in 3.notab.* Anchar.*n.5,& 8.* Henrich.Boich.*in.*
*fin.*idem tenet Archid.*in c.Abbates n.6.18.q.2.*poſt eum Bel-
lam.*ibid.n.*4.& Silveſt.*in ver. Apoſtaſia,in 7.quæſt.* Et conſe-
quenter loquitur hæc decretalis de religioſis ejectis, non
tantùm juſtè, ſed etiam perpetuò, & definitivè. Hos enim
tantummodò regularis Ordo non patitur recipi ad eadem
Monaſteria. Et propterea cùm myſterio dixit text. *Au-*
thoritate noſtra provideat Abbates, ſeu Priores, ut ſic ejecti
ponantur in locis competentibus, &c. Prælati enim regulares
contra præſcriptum regulæ nullatenus poterant authoritate
propria eos admittere poſt trinam reconciliationem; &
ideò jubentur hoc facere authoritate Apoſtolica: indebitè
autem expulſos nullus ordo regularis vetat recipi; quini-
mò Superiores, qui indebitè religioſos habitu, & loco ſpo-
liarunt, tenentur ex juſtitia illos redintegrare, ut dictum eſt
ſuprà in prima conſideratione *n.*18. Expulſio autem juſtè,
ſed non perpetuò, regula ipſa S.Benedicti jubet recipi uſque
ad tertiam vicem, nec in talibus recipiendis eſt opus autho-
ritate Apoſtolica. Supereſt igitur, ut text. loquatur tan-
tummodò de expulſis juſtè, & definitivè. Quæ conſidera-
tio ni fallor valdè urget.

Tertiò, Abbates, ſeu Priores tenentur recipere ejectos 24
ſalva ordinis diſciplina, id eſt impoſita illis pœnitentia, ſe-
cundum quòd regula illius ordinis requirit, & præcipit, ut
exponit gloſſ. *in ver.Ordinis diſciplina.* At nulla regula 25
præcipit, ut imponatur pœnitentia indebitè ejectis; imò ta-
les ſunt gratiosè excipiendi, & benè tractandi in compen-
ſationem damni, & injuriæ eis illatæ: non enim damnum
debet quis inde ſuſtinere, unde meruit gratiam reportare,
cap.Pervenit, de ſucceſſ. c.Sanè, de renunc. gloſ.2.*in cap.*
Veniens, eod. tit.

Quartò, hìc præcipitur, ut ejecti qui ſecundùm ordinem 26
regularem recipi non poſſunt in ſuis Monaſteriis,ponantur
in locis competentibus apud eadem monaſteria abſq; gravi
ſcan-

ſcandalo fieri poſſit. Hoc autem ſcandalum Hoſt. intelligit *num.9.* fortè quia ejectus tot, & tanta commiſit, ut fratres dicant communiter ſe de monaſterio exituros, ſi ille revertatur; ſubdens quandoque ſe ita vidiſſe de facto. Cujus dictum referunt & ſequuntur, Jo. Andr. *num.4. in ver. Gravi ſcandalo*, Butr. *n.10.* Anchar. *n.6.* & alii communiter. Et ſic Doctores intelligunt hanc litteram in ejectis juſtè, & culpa eorum ita exigente, ut dicit Abb. *n.2.* Aliàs enim quare ſcandalum eſſe poſſet, ut indebitè ejectus reduceretur ad ſuum monaſterium? Quin potiùs ſcandalum eſſet, ſi non reduce-
27 retur. Præthereà injuſtè ejecto & ſpoliato ſalva juſtitia denegari non poteſt reſtitutio, & reductio ad ſuum monaſterium, ut prædiximus *n.*18. licèt alii ex tali reductione ſcandalizarentur, quia utilius eſt ſcandalum naſci, quàm ut veritas relinquatur, *c. Qui ſcandalizaverit, inf. de reg. jur.* Veritas namque juſtitiæ propter ſcandalum numquam deſerenda eſt, *ut in c. Niſi cum pridem, de renuntiat.* not. gloſ. *in verb. Diſtinguendum*, Innoc. *in eodem ver. n.6.* Jo. Andr. *n.*19. Butr. *n.* 22. & Anchar. *n.7.* Hoc enim eſt ſcandalum Phariſæorum à quo non eſt cavendum, ut *Matth.* 15. S. Thom. *in* 2.2. *qu.*43. *art.*2. *penult. & ult.* Navarr. *conſ.9. n.*11. *de his quæ vi.* Quod ergo hìc dicitur de ſcandalo, verificari non poteſt niſi in religioſis expulſis juſtitia exigente.

28 Quintò, & ultimò aliis omiſſis ſtatuitur hìc, ut religioſis ejectis vitæ neceſſaria miniſtrentur in locis competentibus ejuſdem, vel alterius ordinis ad agendam ibi pœnitentiam. Innocen. explicat verba illa, in locis competentibus, id eſt non cum aliis Monachis, ſed fortè ad ſerviendum, vel alio modo; Hoſt. verò *n.9.* exponit, competentibus, puta aliquibus ergaſtulis, ſeu camerulis, fortibus tamen, ne inde exire valeant. Simile *in cap. Tuæ, infr. de pœnit. cap. Viduas, il primo, cap. Impudicas, & c. Pervenit,* 27. *q.*1. Et cum Hoſt. tranſeunt Jo. Andr. *n.4.* Butr. *n.*10. Card. *n.*2. *q.*8. Anchar. *n.6.* Henric. Boich. *n.7.* & Abb. *num.*1. *in fin.* Idem dixit Archid. *in d. c. Abbates, num.*3. & ibi etiam Bellam. *n.*1. *in fin.* D. Antonin. *in* 3. *part. tit.*16. *cap.* 5. §.2. Silveſt. *in verb. Apoſtaſia, q.7. num.*10. Manifeſtum eſt autem hanc pœnam recluſionis in ergaſtulis, & arctis locis convenire tantummodò religioſis ex juſta cauſa ejectis, non autem ejectis indebitè, aut nulliter. Quod non obſcurè ſentit Abb. *hic num.*2. dum dicit ejectum eſſe, qui à ſuo Superiore fuit expulſus à monaſterio culpa ſua fortè exigente. Sed apertiùs hoc tenet Hoſtien. & alii præalleg. *n.22.* dum intelligunt litteram de his
29 qui ultra tertiam vicem non ſunt recipiendi. Nec obſtat, ſi dicatur: quamvis ejecti non tam graviter deliquerint, ut meruerint expelli ab ordine, fortè tamen alia crimina commiſerunt, propter quæ veniant recludendi in ergaſtulis. Quoniam reſpondetur religioſis indebitè ejectis, & ſic ſpoliatis nullum crimen objici poſſe à ſpoliatore, vel generaliter à quovis alio, cùm ante omnia ſint reſtituendi, ſicut quilibet ſpoliatus, *cap. Epiſcopus*, & ibi gloſſ. *penult.* 3. *q.*1. *cap. Venerabilis, de offic. deleg. cap. Frequens, de reſtitut. ſpoliat. lib.6.* cum multis ſimilibus. Sive igitur injuſtè ejecti ſint aliàs criminoſi, ſive non, numquam in eis verificari poteſt hæc littera, ut recipiantur in ergaſtulis ad agendam pœnitentiam, cùm priùs debeat præcedere reſtitutio, & purgatio ſpolii.

30 Præterquamquòd hæc pœna recluſionis in ergaſtulis propriè imponitur Religioſis à ſacris Canonibus, quando merentur ejici à monaſterio, ſeu ab aliorum Religioſorum conſortio, *ut in d. c. Viduas, il primo, & cap. Impudicas,* 27. *q.* 1.

31 Ad quas conſiderationes Navarr. non advertens *in Comment.*2. *de regular. n.*36. incautè ſcripſit hoc capitulum eſſe intelligendum de ejectis injuſtè, vel inordinatè, aut per colluſionem, vel ſaltem non definitivè per ſententias ritè, & rectè ſine colluſione latas, *& conſ.*78. *de regular.* ubi ſimiliter reſpondit hanc decretalem loqui de fugitivis, & ejectis injuſtè, vel inordinatè per ſententias interloquutorias, vel ſine cauſæ cognitione latas, vel etiam de juſtè, & ordinatè ejectis, ſed volentibus ad monaſteria redire. Ejectos verò juſtè, & per ſententiam definitivam, mordicùs tenet non poſſe compelli ad illud redire per Superiores illius Ordinis; ejuſque authoritatem ſequuti idem poſteà tradiderunt, Sayr. *in Clavi Regia tom.*2. *lib.6. cap.9. n.*26. Eman. Rodrig. *quæſt. Regular. tom.*1. *q.*30. *n.*71. Azor. *inſtit. moral. part.*1. *lib.* 12. *c.*16. *qu.*2. *in fin.* Leſs. *de juſt. & jur. lib.*2. *c.*41. *n.* 110. *verſ.*
32 *Reſpondet*, & alii recentiores. Verùm Navarri opinio, ut ex dictis patet, apertè pugnat cum tota hac decretali. Undè meritò eam reprobavit Sacra Congregatio Concilii ſequuta ſententiam Archid. *in c. Pervenit,* 27. *q.*1. ut dicam infrà *n.*37. *& ſeqq.* Et patet ex decretis *de regul. Apoſtatis, & ejectis in §. Ac poſtremò*, ubi innovatur hæc conſtitutio, & declaratur habere locum, & ſervari debere in iis quoque regularibus, qui juſtè, diffinitivèque, ac juris ordine ſervato expulſi fuerint, dummodò tamen in expulſis hujuſmodi ſubſit ſpes evidens emendationis, ex litteris ſaltem teſtimonialibus Ordinarii.

Non obſtat res judicata, in qua præcipuè Navarrus ſe 33
fundat, quia Prælati regulares judicant tantummodò ſuper expulſione, non autem ſuper liberatione à nexu Monaſticæ profeſſionis, nec ab obligatione ſe corrigendi, & ad Monaſterium redeundi. Nec in reductione ejecti imponunt ei novam pœnam pro delictis commiſſis, ſed tantummodò cogunt eum implere obligationem ſuæ profeſſionis, quod juſtiſſimum eſt, cum ab ea per ſententiam expulſionis non fuerit abſolutus, nec potuerit obſolvi. Quoniam hæc pote- 34
ſtas faciendi de Monacho non Monachum nullatenùs competit inferioribus à Papa, *c. Cum ad Monaſterium, verſ. Nec æſtimet*, Abb. cum ibi not. per gl. *in verbo Abdicatio*, per Innocen. & omnes, *infrà de ſtat. Monach.*

Præthereà quatenus obſtaret res judicata; tamen cùm Papa hic mandet, ut expulſi reducantur, & inobedientes excommunicentur, etiamſi regularis ordo repugnet, & ſic deroget regulę, ſecundùm Hoſtien. & alios ſupracit. *n.*21. 22. & 23. conſequens eſt, ut ſublata regula tamquam principali, cenſeatur etiam ſublatus effectùs ſententiarum, quæ in vim regulæ ſunt prolatæ; ex his quæ notat Vitalin. *in Clemen. Dudum* §. *Nos etenim n.*10. *verſ. Contr. nunc. puto, de ſepult.* ubi pluribus concludit in revocatione pactorum, de quibus in d. Clem. includit etiam ſententias latas ſuper iiſdem pactis. Et pro hac parte Jo. Andr. dicit pronunciaſſe Joann. XXII. ut refert ibi Cardin. *n.*1. *in ſeptima quæſtione.* Et eo magis quia hoc caſu non agitur de duplici vinculo, ſicut agitur, quando pactum eſt confirmatum, in quibus terminis procedit contraria opinio gloſſ. *in d. Clem. Dudum in verb. Pacta*, & Jon. Monach. *ibid.* Sed agitur de ipſa executione regulæ, quæ perpetuò excludit ab ordine expulſos poſt trinam reconciliationem. Unde ſublata in hoc diſpoſitione regulæ, proculdubio cenſetur ſublata ipſius regulæ exequutio. Demum ceſſat difficultas, quia hæc Decretalis mandat reduci ad Monaſterium etiam ejectos perpetuò, & per ſententiam diffinitivam, ut abundè oſtenſum eſt ſupra; ergo apertè ſuſtulit rem judicatam, quatenus obſtaret.

Item non obſtat, quod ſervus ejectus à domino, aut pro derelicto habitus, deſinat eſſe ſub domini poteſtate, ut *l.*2. *ff. de his, qui ſine manumiſſion. ad libert. pervener.* quoniam ſervus poteſt à domino liberè manumitti, *toto tit. de Manumiſſion.* & pluribus titulis ſequentibus, & pro derelicto haberi, ut *l. Quòd ſervus, ff. de ſtipulat. ſervor.* At profeſſus non poteſt à Superioribus regularibus abſolvi à jugo Monaſticæ ſervitutius, ut ſæpiùs repetitum eſt.

Poſtremò non obſtat, quòd Clericus depoſitus ſecundùm 35
Navarr. non poſſit cogi redire ad dignitatem, & locum, quē tenebat, antequam deponeretur. Siquidem hoc ideò eſt, quia per depoſitionem ſolvitur vinculum ſpiritualis conjugii inter Prælatum, & Eccleſiam, ut eſt text. *in c. inter corporalia, ſup. de translat. Epiſc. verſ. Non enim humana.* At per expulſionem ab Ordine Religioſus non abſolvitur à vinculo ſuæ profeſſionis, ut conſtat ex dictis, præſertim *n.6.* & 33.

QUÆRO, poſito decreto Sacræ Congregationis Con- 36
cilii edito ſub Pio IV. & Procuratoribus Ordinum intimato, quo prohibetur, ne quis regularium impoſterum ejiciatur à Monaſterio etiamſi ſit incorrigibilis, ſed peccantes à Superioribus ignominia, & carcere caſtigentur, & acriùs etiam ſi opus fuerit pro modo delictorum puniantur, an perſiſtendum ſit in decretis, non obſtantibus regularium oppoſitionibus.

Videntur maximi ponderis, quæ è regularibus objiciun- 37
tur, ſed facilè diluuntur omnia, ſi hæc materia ejectionis ſeu expulſionis religioſorum intelligatur juxta mentem Sacrorum Canonum, non autem eo modo, quo eam accipiunt regulares. Nam ex juris diſpoſitione quotieſcumque permittitur, ut regulares ejiciantur, hoc eſt intelligendum de illa ejectione, quæ fit à ſocietate, & conſortio aliorum regularium; non autem de expulſione à Monaſterio, ſeu à Religione, quemadmodum regulares intelligunt.

Quæ

Quæ concluſio ſatis colligitur ex Conſtitutione Gregorii IX. hic relata, quæ dum mandat hujuſmodi ejectos annuatim perquiri, neceſſariò ſupponit de cætero illos non poſſe ejici, itaut extra loca ipſorum vagentur, ſed tantum ne ſtent cum aliis; alioquin inutilis eſſet circuitus, ut cogendi eſſent Superiores Regulares ad recipiendos ejectos incorrigibiles, ſi ſtatim poſſent eos iterum è monaſterio ejicere: quod conſiderat Archid. *in cap. Pervenit* 27. *q.*1. Et abſurdum eſſet cogere Superiores ad illos recipiendos, qui etiam ſi eſſent in Monaſterio, eſſent tamen expellendi. Præcipit ergo Gregorius, ut expulſi de cætero ita recipiantur, ut ampliùs ab Ordine expelli non poſſint, ſed in locis competentibus intra idem, vel aliud monaſterium detineantur ad agendam pœnitentiam, ut patet *in verſ. Quod ſi hoc*. Quod clariùs probatur communi intelligentia *ad c. Cùm in Eccleſiis, de major. & obed.* in illis verbis; Alioquin de fratrum conſortio penitùs excludatur; non enim dixit incorrigibiles excludi debere à monaſterio, ſed à conſortio, ita ut non ſtent cum aliis, ſed recludantur in locis competentibus, ut hìc præcipitur, ad agendam pœnitentiam. Atque ita, ut dicunt ibi Petr. de Sampſon. & Abb. Antiq *ſub num.*4. nota eſt ſenſus, ut ipſi à monaſterio excludantur, aliàs volenti vagari facile eſſet ſe facere inobedientem, quod eſſet prorſus abſurdum; ſed tantùm ut excludantur à conſortio aliorum, ut cum aliis non comedant in refectorio, vel in dormitorio non jaceant, ſed in eodem monaſterio detrudantur in carcerem. Et ſequitur ibidem Joann. Andr. *n.*9. Herinc. Boich. *nu.*15. Bellam. *poſt princ. in verb. Conſortio, & num.*4. Butr. *num.*19. *&* 20. Cardin. *num.*5. *in* 7. *oppoſitione*, Anchar. *num.*6. Imol. *nu.*8. Joan. de Anan. *n.*4. & Abb. *in ult. notab.* ubi ait eos non debere excludi à monaſterio, quia aliàs daretur materia vagandi, & volens excludi à monaſterio faceret ſe inobedientem, & ſic daretur occaſio mali; & idem dixit *in c. Cùm ad monaſterium de ſtat. Monach. num.*13. *in fin.* his verbis:
38 (Credo quòd hodiè non habet locum hæc expulſio à monaſterio (præcipiebatur enim ab Innoc. III. ut propietarius è monaſterio ejiceretur) ſed ſit procedendum, prout dicitur *in d. cap. fin. de regular.* nam illud cap. fuit poſterius, cùm ſit Gregorii IX. & providet circa ejectos, & fugitivos, ut ſaltem caſu quo licita eſt expulſio deputentur tales in ergaſtulo intra ſepta monaſterii, ne detur occaſio vagandi.)

Eandem ſententiam ſecutus eſt Henr. ex mente Guilel. in *c. Dilectus de ſimon.* quem refert in hæc verba (Religioſi graviter delinquentes, non de facto è monaſterio debent ejici, ſed in carceres recludi, & ſic è conſortio aliorum fratrum detrudi 27. *q.*1. *cap. Impudicas, & c. Si cuſtos, & c. Si quis ſacro, & infr. eodem cap. Quoniam*. Et ſic intelliguntur jura dicentia Monachum fore de ovili, & de Monaſterio ejiciendum, ſcilicet à conſortio, & communione aliorum, *ſupra eo major. & obed. c. Cùm in Eccleſiis de ſtatu Monach. c. Eam quæ.* Nec obſtat 45. *diſt. c. Sed illud*; quia de ſæculari debet hoc intelligi.) Hæc Guiliel.

Sed & Archid. *in d. c. Pervenit* 27. *q.*1. aſſerit hanc ſententiam eſſe veriorem, & tutiorem, quàm illam, quæ vult, ut auctoritate judiciali benè poſſit excludi monachus in totum à monaſterio.

Ex quibus patet jura loquentia de expulſione Regularium non eſſe accipienda de expulſione à monaſterio, ſeu ab ordine, itaut in ſæculo vivant; ſed à communione, & commercio aliorum regularium tantùm.

Et hoc modo intelligendo ſacros Canones minimè videntur obſtare, quæ in contrarium afferuntur à regularibus: dicunt enim expulſionem eſſe maximè neceſſariam
39 in religionibus, quia ſicut ex vi naturæ corpora naturalia humores noxios expellunt, ut benè valeant; ita & myſtico religionis corpori licere debet ſe expurgare rebellium Monachorum expulſione, ut reipublicæ ſalus conſervetur; quemadmodum Eccleſia aliquos è Clero per degradationem dejicit, ne cæteris graviùs noceant; màlum enim dicunt auferendum, ne modicum fermetum tòtam maſſam corrumpat: quam rationem conſiderat contra Monachos contumaces D. Thom. *quodlib.* 12. *q. ultima*.

At reſpondetur has omnes, & conſimiles rationes quibus infra *n.*8. *& ſeq.* eò ſolùm reſpicere, ut regulares ſegregentur ab aliorum commercio, ne cæteros inficiant, quod nos utique admittimus: non autem ut ejiciantur ab Ordine, & ad ſæculum revertantur.

Proſp. Fagnan. in III. Lib. Decretal.

Et hoc indicant verba Regulæ S. Auguſtini; ſic enim ſe
40 habent: *Convictus verò ſecundum Præpoſiti, vel etiam Preſbyteri, ad cujus diſpenſationem pertinet, arbitrium, debet emendatoriam ſubire vindictam, quam ſi ferre recuſaverit, etiamſi ipſe non abſceſſerit, de veſtra ſocietate projiciatur; non enim hoc fit crudeliter, ſed miſericorditer, ne contagione peſtifera plurimos perdat.* Notanda enim ſunt illa verba: *De veſtra ſocietate projiciatur*, quæ ſatis oſtendunt incorrigibilem non eſſe ejiciendum è Monaſterio, ſed à commercio, & ſocietate dumtaxat.

Et de hac ſeparatione à ſocietate etiam loquitur text. in *cap. Ecce* 24. *q.*3. in hæc verba: *Crimina, ſi ipſis criminoſis confiteri nolentibus, undecumque claruerint, quæcumque non fuerint patientiæ leni medicamento ſanata, veluti igne quodam piæ increpationis urenda ſunt, & curanda. Quod ſi nec ſic quidem æquanimiter ſuſtinentis, ac piè increpantis medela proceſſerit, in eis, qui diu portati, & ſalubriter objurgati corrigi noluerint, tamquam putres corporis partes debent ferro excommunicationis abſcindi, ne ſicut caro morbis emortua, ſi abſciſſa non fuerit, ſalutem reliquæ carnis putredinis ſuæ contagione corrumpit; ita iſti qui emendari deſpiciunt, & in ſuo morbo perſiſtunt, ſi moribus depravatis in Sanctorum ſocietate permanſerint, eos ex ſimplo ſuæ perditionis inficiant.* Hæc ibi. Quod ipſum apertiùs docuit Archid. *in d. c. Pervenit* 27. *q.*1. his verbis (Eſt enim ejicienda ab ovili ovis morbida, ne inficiat ſanas oves, 45. *diſt. c. Sed illud extr. de ſtat. Monach. c. Ea quæ* §. 1. ſecundum Hoſt. Tu dic vim faciendam in eo, quod ibi dicit, De fratrum conſortio penitùs excludatis; ſic ſup. eod. *Impudicos*, non enim dicit de monaſterio ejiciendus, quia etiam ejecti eſſent revocandi, *extr. de reg c. ult.* ſed excluduntur à conſortio ideſt non ſtent cum aliis fratribus in Capitulo, Refectorio, & ſimilibus, ſed in aliquo arcto loco ponantur ad pœnitentiam peragendam. Ne ergo intelligas, quòd à monaſterio excludantur omninò, ita quòd evagari poſſint. Et quod dixi credo tutius, & verius, ut hìc colligitur manifeſtè.) Hactenus verba Archid. quæ ad litteram tranſtulit ibi Card. Bellarm. *in gloſ. in verb. Compellendus*, adjiciens, eamdem ſententiam tenere Jo. & Petr. in decret. *Cùm in Eccleſiis, de Major. & obed.*

Incontinentia verò, quæ ſequuntur ex crebra Regularium expulſione extra monaſterium notoria ſunt. Nam quotieſcumque aliquis Religioſus vult excutere jugum religionis, delinquit ſtudiosè, & facit ſe inobedientem, & incorrigibilem, ut hoc modo ad ſæculum revertatur; atque ita loco pœnæ ex ſua iniquitate conſequitur premium, quod optat, liberationis à Religione.

Et quamvis improbis regularibus pateat etiam via fu- 41
giendi à Religione, & apoſtatandi; tamen hanc viam non ita libenter arripiunt, quia apoſtatæ non ſunt tuti in ſæculo, neque à ſuperioribus Regularibus, neque ab Epiſcopis. Unde qui volunt ſe eximere à religione, potiùs eligunt viam expulſionis, ut ita ſecurè in ſæculo degere poſſint. Superiores verò ſunt adeò faciles ad expulſionem, quaſi hoc modo expurgent ordinem, & ſe eximant à moleſtiis, ut jam religiones ferè omnes videantur redactæ ad inſtar religionis Societatis Jeſu, quæ hoc habet ex peculiari inſtituto; in quos proptereà meritò invehit Navarr. *comment.* 3. *de regular. n.*46. *verſ. Quæ omnia ſunt quotidiana*.

Incredibile eſt autem dictu, quàm ſcandalosè vivant ex- 42
pulſi, & quanta cum ignominia Eccleſiaſtici ordinis, & quãtum detrahant famæ religionis, à qua ejecti ſunt, adeò ut proptereà etiamſi de jure res dubia videtur, abs re tamen non eſſet, ut Sanctiſſimus decerneret, ne de cætero quiſquã ejiceretur, etiamſi eſſet incorrigibilis, ſed tantum puniretur intra clauſtra ignominia, & carcere, aut etiã graviori pena pro modo culpæ, juxta antiquam declarationem S. Congr.

Revera tamen negari non poteſt, quin ſit valdè grave religionibus perpetuò detinere intra clauſtra Monochos
incorrigibiles. Prætereà de expulſione ab Ordine ſatis cla- 43
rè loquitur Regula S. Benedicti, licèt Conſtitutio Gregorii IX. de qua hìc, tamquam poſterior, ſuſtulerit diſpoſitionem regulæ, ut patet ex dictis ſupra *numer.* 21. *& ſeq.* Nam in rubrica de his qui ſæpiùs correcti non emendaverint, cap. 28. ſic ſe habet: *Si quis frater frequenter correptus pro qualibet culpa, ſi etiam excommunicatus non emendaverit, acrior ei accedat correctio, ideſt, ut verberum vindicta in eum procedat. Quod ſi nec ita ſe correxerit, aut fortè (quod abſit) in ſuperbiam elatus etiam de-*

fendere voluerit opera ſua; *tunc Abbas faciat quod ſapiens Medicus. Si exhibuit fomenta, ſi unguenta adhortationum, ſi medicamenta ſcripturarum divinarum, ſi ad ultimum uſtionem excommunicationis, vel plagas virgarum, jam ſi viderit nihil ſuam prævalere induſtriam: adhibeat etiam, quod maius eſt, Eccleſiæ, & omnium fratrum pro eo orationem, ut Dominus qui omnia poteſt operetur ſalutem circa infirmum fratrem. Quod ſi nec iſto modo ſanatus fuerit; tunc jam utatur Abbas ferro abſciſſionis, ut ait Apoſtol. Auferte malum ex vobis*. Et iterum: *Infidelis ſi diſcedit, diſcedat, ne una ovis morbida omnem gregem contaminet.*

Rurſus in rubrica ſi debeant fratres iterùm recipi de monaſterio exeuntes, cap. 29. *Frater qui proprio vitio egreditur, aut projicitur de monaſterio, ſi reverti voluerit, ſpondeat priùs omnem emendationem vitii, pro quo egreſſus eſt, & hic in ultimo gradu recipiatur, ut ex hoc eius humilitas comprobetur. Quod ſi denuò exierit, uſque tertiò recipiatur. Jam vero poſtea ſciat omnem ſibi reverſionis aditum denegari.* Hactenus verba Regulæ S. Benedicti, Cum quibus conſentiunt etiam verba Regulæ S. Baſilii in rubr. quomodo ſit procedendum contra eos, qui poſt trinam emendationem non ſunt emendati, c. 5. Et de ejectione a religione ſimiliter apertè loquuntur D. Th. *d. quodlib. 12. art. ult.* & D. Bonaventura *in regula S. Franciſci q. 14.* Conſtitutio autem Gregorii IX. de qua hìc, nunquam potuit uſu recipi à Religionibus.

Itaque ſi permittenda ſit regularium incorrigibilium ejectio ab Ordine, juxta diſpoſitionem antiquorum Canonum, deliberandum erit de præſcribenda ratione in ejuſmodi expulſionibus obſervanda.

44 Porrò rationes, quibus Ordines regulares probant expulſionem eſſe neceſſariam, ſunt ferè infraſcriptæ.

Ratio prima; juxta ipſam naturæ legem, animantium corpora expellunt humores noxios, ut benè valeant; cui naturæ legi medicina famulatur, dum purgativa medicamenta porrigit. Quod autem natura, & ars in corporibus naturalibus efficiunt, hoc recta gubernatio in hominum cœtibus, qui ut corpora quædam communia ſunt, præſtare ſolet, dum quadam Reipublicæ purgatione ſceleratos aliquot in exilium pellit, ut juxta naturalis luminis ductum, eique adjunctam poſitivi juris quaſi artem, protervorum relatione, Reipublicæ ſalus conſervetur. Eſt ergo naturali rationi conſonum, ut Monaſticorum Ordinum corpora rebellium expulſione purgentur.

Ratio ſecunda; myſticum Eccleſiæ corpus non ratione dumtaxat naturali, ſed ſupernaturali quoque lumine ductum, aliquos è Clero per degradationem expellit, ne ſtatu ampliùs abutantur, & graviùs noceant. Ergo proportione ſervata nobilis Eccleſiæ pars, hoc eſt ſtatus Monaſticus naturali ac ſupernaturali ratione motus poterit, ac debebit ſibi conſulere iis expulſis, qui jam graviter nocere cœperunt.

Ratio tertia; experientia conſtat eos, qui in clauſtris delinquunt, pejores evadere ſolere ſæcularibus reis, quod S. Auguſtinus obſervavit. Si ergo pejores evadunt, minuſque proinde ſpei de reſipiſcentia ſupereſt, cùm interim graviùs noceant: profectò communi ſtatus monaſtici bono per expulſionis remedium opem ferre oportebit.

45 Ratio quarta; crimina tam fœda, & contagioſa interdum a depravatis jam Monachis committuntur, ut niſi per expulſionis remedium ignis extingueretur, brevi ſana membra depaſceret, & illuſtrium Ordinum candorem defloraret: qua in re expertis fides habenda eſt. Si ergo periculum tantum ſanctorum etiam Monachorum clauſtris imminet, omninò aſſerendum videtur depravatos illos expelli debere.

Ratio quinta; multis experimentis deprehenſum eſt, carcerem, qui præter expulſionem unicum ingruentium malorum remedium eſſe videtur, ſi diuturnus ſit, qualem depravati illi merentur, monaſtici ſtatus corpori vehementer nocere. Primò, quia non deeſt confœderatus aliquis, cujus adjutorio noxii evadunt. Secundò, quia intolerabile videtur bonis Monachis ſe carceris cuſtodes ad prolixium præſertim tempus fieri, cùm à ſæculo ad clauſtrum divinis rebus vacaturi confugerint. Tertiò, quia res celari nequit; & intra dies paucos unius Monachi in carcerem detruſi occaſione, omnes ſcandalum patiuntur, novitii avertuntur, profeſſi terrentur. Quartò, quia imago gravium peccatorum, quæ ab incluſis perpetrata eſſe certò ſupponitur, ſimplices ac mites omnes Monachos malè vexat, cùm talia in clauſtris accidere ne ſuſpicarentur quidem, niſi diuturnus carcer id perſuaderet.

Ratio ſexta, nemo ab Ordinibus monaſticis benè inſtitutis, ab iis præſertim, in quibus cuſtodia legum & ſpiritus vigent, expellitur, niſi priùs adhibito omnis charitatis officio, ſcilicet multiplici admonitione, blanditiis, terroribus, minis, verberibus, carceris incluſione, prorogatione temporis ad emendationis experimentum, aliiſq; remediis ſæpè repetitis. Cùm ergo hæc omnia præmittantur, nec ſuperſit aliud remedium, quàm expulſio; profectò illa ut extremo remedio in extremo morbo utendum eſt.

Ratio ſeptima; quò monaſticus Ordo auſterior, & obſervantior eſt, eò quoque certius eſt aliquos perfectione tanta degeneraturos, & bonorum communitati perniciem machinaturos, quod in ordinibus jam laxis, & inclinatis non æquè contingit, cùm ibi licentiùs vivatur. Si ergo res ita ſe habet, & in Sanctorum Collegiis unus, vel alter Judas diſciplinam Monaſticam protervè rejicit, aliiſque innoxiis abſque correctionis ſpe ſcandalum præbet; quid ſupereſt, niſi ut expellatur?

Ratio octava; Religionum Patriarchæ, qui Spiritu divino afflati creduntur, expulſionem probarunt, ut patet ex regulis S. Auguſtini, & S. Benedicti. Quod auctoritate graviſſimorum ſcriptorum qui regulas expoſuerunt confirmari poteſt. Huc etiam accedit aliorum ſcriptorum gravis auctoritas. Si ergo Monaſticæ diſciplinæ inſtitutoribus, & tot viris ſapientiſſimis expulſio probata fuit; benè erit ea uti, quandoquidem ſuppetunt eædem rationes, quæ viros tantos in hanc ſententiam impulerunt. 46

Ratio nona; S. Thom. *quodl. 12. art. ultim.* quærens utrum aliquis Religioſus expelli debeat propter peccatum de Religone, concludit debere expelli, ſi ſit contumax, & corrigi nolit, quoniam ſecundùm Apoſtolum, auferendum eſt malum, ne modicum fermentum, &c. ſin minùs, debere ſequeſtrari in carcere, vel alio modo. Ex ſententia ergo D. Thomæ expulſio Monachorum incorrigibilium commendanda eſt. 47

Ratio decima; ex jure ipſo contumacium Monachorum expulſio deducitur, cùm in c. ult. de regul. tamquam certum ſupponatur, aliquos a Monaſticis Ordinibus ejici abſque diſtinctione ulla, quod de juſtè ejectis, ſive expulſis tantùm juxta germanum ſenſum accipi debet. Nimirum expulſio ut naturæ ipſi, ita juri, quod naturali lumini repugnare nequit, conſentanea eſt.

Nec videntur obſtare, ut regulares aſſerunt, nonnulla, quæ adverſus tradita objiciuntur.

Objicitur enim primò, ſi Ordinibus Monaſticis expulſio permittatur, multos licentiæ cupidos auſuros illa, ob quæ brevi expellantur. Verùm res hæc non uſque adeò timenda videtur, cùm antequam flagitioſi expellantur, multa ſatis acria pati cogantur, & infamiæ notam contrahant; experientiaque ipſa docuit, iſtos ita depravatos moræ impatientes eſſe; malleque per certam apoſtaſiam quantocyùs recedere, quàm expulſionis incertæ tempus expectare. 48

Objicitur ſecundò, expulſos in ſæculo liberiùs peccaturos, & Eccleſiam gravi ſcandalo offenſuros. Verùm quanto gravius damnum infertur Eccleſiæ, ſi una è nobilioribus ejus partibus, hoc eſt Ordo Monaſticus multo ſudore reformatus, brevi deformetur, ut rationes allatæ perſuadere videntur, quàm ſi per expulſos aliquot, qui eo ipſo quòd expulſi ſunt, inſcriptum infame geſtant, ſcandala nonnulla præbeantur, quibus Epiſcopi, aut judices ſæculares ab Epiſcopis invocati occurrere poſſunt? Quartò eſt gravius Eccleſiæ ſcandalum, vel unus Ordo defloratus, quàm pauci protervi veſte Monaſtica exuti, & per provincias varias diſperſi? Quàm autem brevi perfectio Monaſtica collabatur, niſi accuratiſſimè occaſiones ruinæ præcidantur, nemo niſi expertus crederet. 49

Objicitur tertiò, facilitas expulſionis. Cæterùm non eſt reprehendenda ut facilis expulſio, quam tot prudentiæ, & charitatis officia in ratione ſexta ſuperiùs enumerata, & ſerpentis mali experimenta ſine ſpe correctionis antecedunt. Nec facilitatem expulſionis arguit numerus expulſorum auctior uno tempore, quàm alio, ſi revera prædicta charitatis officia, & experimenta præcedunt; præſertim cum Dei gratia Ordines multi reformati tunc floreant, quorum mores Apoſtolicos multi degeneres ferre detrectant.

Obji-

Objicitur quartò, annua requiſitio expulſorum *in cap. ult. de regul. injuncta*. Sed antiqua jam conſuetudo contraria prævaluit. Nec mirum, cùm lupos ab ovili depulſos iterùm admittere periculoſiſſimum ſit, præſertim cùm experientia conſtet expulſos aut numquam, aut rariſſimè ita reſipiſcere, ut non potiùs officiant, quàm proficiant: præterquam quòd vix reperitur expulſus, qui eò redire velit, ubi eum omnes tamquam proditorem intuentur; quod patienter, ac perſeveranter ferre, paucorum, & ſanè fortium virorum eſt, quales expulſos non eſſe prudenter creditur.

50 Objicitur quintò, expulſionis cauſam eſſe graviſſimam, & accuratiùs quàm fortè conſuevit, diſcutiendam eſſe; ac propterea ad Tribunal altius avocari debere. Verùm res hæc multa circumſpectione indiget. Primò, quia remedium differtur, & contagioſa peccata, ob quæ fertur expulſionis ſententia, Serpunt. Secundò, quia ſi cauſa à monaſticis ordinibus ad curiam avocatur occaſione recognoſcendi proceſſus factos, & multas circumſtantias perquirendi, lites orientur in annos prorogandæ. Tertiò, quia ordines monaſtici ſanctiores, paucorum delinquentium occaſione obſcurabuntur, publicatis criminibus, quæ ſecretiùs puniri poſſent. Quartò, quia cum cauſæ cognitio aliquibus tandem committenda ſit, vix reperiri poſſe videntur, qui res monaſticas æquè habeant exploratas, ac Generalis, & quatuor Definitores pii, ac docti, qui legalia ſuarum regularum, ſive conſtitutionum remedia priùs adhibent; & tandem officio coacti, ad expulſionis remedium communis ſalutis cauſa recurrunt.

51 Ad expulſionis utilitatem dignè æſtimandam mirificè conducunt verba S. Bonaventuræ *q.14. in regula S. Franciſci*, ubi ſic ait: *Si exceſſus graves fuerint, & notorii, quòd alii ejus exemplo poſſint infici, ſi retineatur in ordine, & extranei ſcandalizentur, quod talis in ordine ſuſtineretur; tum propter auferendum ſcandalum, tum propter corruptionem ordinis præcavendam, debet ejici prævaricator voti, & pacti ſui*. Et paulò poſt in eodem *cap. Si autem allegatur quod miſero eſt miſeratio adhibenda, ut iterùm recipiatur in ordinem; dici poteſt: Crudelis eſt miſeratio, unde plures, & meliores graviter offenduntur*. Et paulò poſt in eod. c. *Sedes Apoſtol. quæ jus ſuum unicuique ſervat, & vel ordinem in ſua puritate perſiſtere, non cogit ordinem tenere illos, quorum converſatio nociva eſſet in ordine, quia tunc puniret innocentes, & reos foveret, & occaſionem daret ordinis corruptioni per tales peſtiferos, ſi eos recipi opporteret*. Hæc S. Bonav. Licèt ergo expulſi multi vagentur, & in ſtatu monaſtico priùs ſacris Ordinibus initiati poſt expulſionem ſordidam vitam inopiæ cauſa ducant; graſſanti malo non ita ſuccurendum eſt, ut quod ſanum, & purum in ſtatu monaſtico perſtat, contagio vitietur, multòque plura, & pejora in poſterum ſcandala oriantur, dum quod in Eccleſia floret, citò marceſcit.

52 Cùm die 13. Januarii 1624. in S. Cong. Concil. cui interfuerunt S.R.E. Cardinales A Monte, Millinus, S. Suſannæ, de Zollero, Roma, Cajetanus, de Torres, & Boncompagnus, S. D. N. juſſu actum eſſet de Regularibus ejectis, & fugitivis, & in ſpecie an perſiſtendum eſſet in decreto hac de re edito à S. Congregatione Concilii, ſub Pio IV. & Procuratoribus Ordinum intimato; Cajetanus oſtendit multis rationibus, & authoritatibus decretum illud eſſe ſacris Canonibus conſentaneum, & ſententiam dixit ut in voto ſuperiùs relato, *n.36.* cui eſt initium, *Poſito decreto &c.*

Millinus ſimiliter ait S. Congregationis decretum, & remedium caſtigationis incorrigibilium intra clauſtra eſſe juridicum: nam ſi ex Conſtitutione Gregorii IX. *in c. fin. de Regul.* Superiores regulares tenentur ſuos ejectos incorrigibiles requirere, & ad monaſterium reducere: ergo longè minùs debent illos è monaſterio ejicere; ſatius enim eſſet illos non admittere, quàm admiſſos poſteà expllere; & Canoniſtæ intelligunt ejectionem in caſibus permiſſis faciendam eſſe à ſocietate; & commercio, ne reliqui inficiantur non autem à monaſterio ſeu ab ordine.

Sed in contrarium extat regula S. Benedicti, quæ ſatis clarè permittit omnimodam expulſionem incorrigibilium extra religionem; & regula S. Auguſtini, quamvis utatur illis verbis, *De veſtra ſocietate projiciatur*, tamen de abſoluta expulſione, & projectione à monaſterio illam intelligunt Cardinalis, & alii interpretes; quo etiam modo accipit expulſionem S. Bonaventura. Et quamvis Gregorius

IX. *in d. c. fin.* contrarium ſtatuerit, & correxerit Conſtitutiones præcedentes, ut advertunt DD. & in ſpecie Panor. *in c. Cum ad monaſterium nu. 13. de ſtat. Monach.* tamen decretum illud Gregorii numquam fuit uſu receptum, & revera in practica eſt difficilimum obſervatu. Quippè cùm hoc dubium fuiſſet in S Congregatione propoſitum ſub Pio IV. Cardinalis Vitellius allegavit Bullam Clementis V. & Alciatus poſteà dixit ſe neſcire, an illud decretum fuiſſet intimatum Procuratoribus Ordinum, licèt intimatum fuiſſe multò poſt teſtatus fuerit Cardinalis Carafa. A
S. Congregatione quoque Epiſcoporum, & Regularium 53
emanavit ſimile decretum; & tamen nec Conſtitutio Gregorii, nec utriuſque Congregationis decreta practicari potuerunt. Et religioſi Societatis Jeſu ſe in ſua puritate conſervarunt ferè non alio potiori remedio, quàm poteſtate dimittendi quoslibet non profeſſos, quam res magni momenti ad Societatis puritatem, & conſervationem retinendam dixit Gregor. XIV. *in Conſtitut.* 10. *incipien. Eccleſiæ Catholicæ*, §. 19. *in Bullar. tom.2. pag.* 698. Itaque hoc religionum commune bonum aliis privatis reſpectibus preferri debet; nam & Xenophon laudat Oſtraciſmum, quo civitates antiquæ, quæ populari ſtatu regebantur, ad tempus
relegare ſolebant eos qui ſuperexcellere videbantur, non 54
ad criminis improbitatem caſtigandam, ſed ad potentiam moderandam, de quo per Ariſt. 3. Polit. *c.* 9. Quantò igitur faciliùs abjiciendi ſunt mali, ne perdant, atque inficiant bonos? Præſertim verò quia mali & incorrigibiles regulares dum diu inviti detinentur, in deſperationem adducuntur, ſeque ipſos damnant, & religionis undequaque perturbant tranquillitatem remedium ergaſtulorum bonum quidem eſt, ſed tamen experientia docuit, regulares, dum diu carceribus mancipati detinentur, religionem inquietare, & multos avocare à Choro, ac divinis officiis recitandis, ita ut Superiores aut nimio diſpendio, aut cuſtodiæ difficultate, aut tædio tandem diuturnæ carcerationis affecti,
vel illos dimittant, vel ſinant aufugere. Unde ex carcere
non modò illi meliores non efficiuntur, ſed ſæpè etiam la- 55
buntur in apoſtaſiam.

Dices: Si ejectio permittatur, hinc apperitur via, qua 56
exibunt quamplurimi; mali enim regulares ſtudioſè delinquent, ut ſæculum revertantur: at non eſt ita; raròenim id accidit, quia ſic delinquentibus multa accidunt mala, carceres, ignominiæ, & alia plura, antequam expellantur: multa etiam mala illis ſubſequuntur poſt ejectionem, nimirum perpetua infamia, ſuſpenſio ab ordinum miniſterio, difficultas quærendi victum, & alia id genus; ac præterea etiamſi hæc via aperiretur, tamen hoc minus malum eſſet, quàm humores noxios intra ſepta nutriendo, bonos ſubjicere periculo contagionis, & ſtatum religionum perturbare.

Quam ſententiam Patres unanimiter ſequuti, cenſuerunt ad alia remedia confugiendum eſſe, ac deliberandum quibus modis ſit comprimenda Superiorum facilitas in expulſionibus faciendis, & minuendus numerus ejectorum.

Et primò omiſſis capitibus quoad apoſtatas, & fugitivos,
de quibus agi poterit in alia Congr. fuit ſtabilitum, ut inno- 57
varentur decreta Clementis VIII. ad regularium reformationem ſpectantia.

De qua tamen innovatione multi regulares conqueſti ſunt, eo quòd d. decreta multa contineant, quæ hactenus uſu recipi non potuerunt. Tamen S. Congregatio ſemper perſtitit in ſententia, ut ea decreta innovarentur.

Tantùm fuit dubitatum, an ex dictis decretis eſſet exci- 58
piendum caput illud, quo novitii jubentur priùs approbari ab Ordinariis locorum. Regulares enim de hoc graviter, & meritò conqueruntur, & nonnulli aſſerunt ſe ab illius obſervantia fuiſſe oretenus liberatos à Paulo V. Et de hoc capite poſſet in præſentia deliberari.

Secundò, ſtabilitum eſt, ut in poſterum è Religionibus 59
nullus ex regularibus ejici poſſit, niſi ſit verè incorrigibilis; verè autem incorrigibilis minimè cenſeatur, niſi præter ea, quæ à ſacris Canonibus, & Religionum ſtatutis hac in re præſcripta ſunt, unius etiam anni ſpatio in jejunio, & pœnitentia probetur in carceribus; quo elapſo ſi nihilominus non reſipuerit, ejici tandem poſſit, ſed à Generali tan- 60
tùm, adhibitis aliquibus Patribus gravioribus in generali Capitulo eligendis, tumque nonniſi inſtituto ſecundùm eorum ſtylum, & conſtitutiones proceſſu, & plenè

61 probatis cauſis expulſionis. Hoc caput placuit Sacr. Congregationi, quia Patres non putarunt expedire, ut Conjudices à Generali deputentur, ne alioquin cauſa graviſſimâ expulſionis unius Generalis voto terminari videretur. Valdè tamen dubitatum eſt, qua ratione fieri poſſit, ut ſex deputari à Capitulo, qui fortè eligentur ex diverſis provinciis, cùm Generali convenire poſſint adeò frequenter, ut expulſionum cauſas, prout neceſſitas exegerit, expedire valeant: aliquibus propterea exiſtimantibus electionem fieri debere à Generali unà cum Diffinitoribus, aliis verò unà cum Aſſiſtentibus, & aliis diverſa opinantibus. Unde in eam ſententiam tandem ab omnibus itum eſt, ut de his conjudicibus Generali aſſignandis audirentur Superiores Religionum, & res iterùm proponeretur.

Superiores auditi mediante perſona Procuratoris Barnabitarum, cui munus tractandi hoc negotium ab aliis Procuratoribus Religionum injunctum eſt, dicunt, quatenus non placeat S. Congreg. ut conjudices eligantur à Generali, difficilè poſſe reperiri formulam eligendi illos in Capitulo generali, quæ congruat omnibus Religionibus: nam aliqui Ordines non habent Diffinitores, alii non habent Aſſiſtentes; ideòque tutius exiſtimant, ut ſimpliciter ſtatuatur ejectionem fieri debere à Generali unà cum ſex, vel quatuor Patribus à Capitulo eligendis. Unumquodque enim Capitulum cogitabit de eligendis iis, qui cum Generali commodè convenire poſſint, quoties opus fuerit; & tutius eſſet, ut id relinquatur generali Capitulo cujuſque Ordinis, quàm ut S. Congreg. præſcribatur.

Huic decreto poſſet addi, ut donec celebretur generale Capitulum, ſi quempiam ex juſtis, & neceſſariis cauſis expellere oportebit, hac prima vice, & uſque ad proximum generale Capitulum dumtaxat, ejectio fieri poſſit à Generali de conſilio, & aſſenſu ſex Patrum ab eodem Generali eligendorum:

62 Sic verò ejecti in habitu clericali incedant, atque Ordinariorum juriſdictioni, & obedientiæ ſubſint, juxta decretum Concil. Meldenſis *cap. 59.* quod habetur *tom. 6. Conciliorum pag.* 410. in hæc verba: *Ut Monachus de monaſterio ſine conſultu, vel præſentia Epiſcopi, aut Vicarii ejus ad hoc regulariter deductus non ejiciatur, cujus diſpoſitione, & authoritate de cætero vita, & converſatio ejecti, ne perditus perpetuò fiat, ſi aliquo modo ſalvari poteſt, ordinari debet, atque decerni.*

63 Antequam hoc caput fuiſſet ſtabilitum, Congr. cenſuerat ſtatuendum, ut incorrigibiles ante expulſionem detinerentur in carcere per biennium. Sed reclamantibus regularibus, hoc tempus redactum fuit ad ſpatium unius anni.

64 Tertiò ſtabilitum eſt, ut Superiores religionum nemini ex regularibus expulſis litteras teſtimoniales concedant, illos ad Sedem Apoſtolicam rejicientes, vel jubentes aliam ingredi Religionem.

Hoc caput fuit appoſitum, quia Superiores abſque legitimis cauſis ſæpè ejiciunt regulares, & ad juſtificandam ſententiam expulſionis, ſolent concedere dictas litteras teſtimoniales.

65 Quartò, ut ejecti extra religionem ſint perpetuò ſuſpenſi ab exercitio ordinum.

66 Quoad hoc caput videtur deliberandum, an legitimè expulſis ſit præſcribenda aliqua ratio ſe ſuſtentandi, cùm celebrandi facultas illis adimatur, ne alioquin adducantur in deſperationem.

Tutius fortè videtur nullam eis rationem præſcribere, quia in hanc neceſſitatem incidunt ex proprio delicto, exemplo clericorum, qui poſt irregularitatem ex homicidio voluntario contractam, abſque diſpenſatione faciunt ſe ad ſacros Ordines promoveri: quamvis enim egeſtate laborent, & ſint in anguſtia; tamen Sedes Apoſtolica cum illis diſpenſare non conſuevit. Ad hoc *c. 1. ibi gloſſ. fin. de ætat. & qual. & l. Bona fides, ff. Depoſiti*, & quod notat. gloſ. in Extravag. *Injunctæ in verb. Suſpenſi de elect.* Deindè quia vivendi in ſæculo difficultate deterriti, regulares non delinquent ad hunc finem, ut expellantur.

Ac demum quia expulſi ob anguſtias, quas patiuntur in ſæculo, fortè reſipiſcent, & emendati curabunt ad ſuam religionem redire. Felix autem eſt neceſſitas, quæ ad meliora compellit, ut ait Auguſtinus relatus à gl. in Clem. 1. *in verb. Seipſum de reliq. & venerat. Sanctorum.* Quòd ſi in anguſtiis quoque obſtinatiores perſeverent in ſæculo, jam non ſunt digni, cùm quibus à Sede Apoſtolica miſericorditer agatur, quia impœnitentes ſunt. Ideòque abs re non eſſet addere huic capiti, ut admitteretur Ordinariis locorum facultas dictam ſuſpenſionem relaxandi: licèt verè eam non habeant, ut patet ex dictis ſupra *nu.* 10. Hac enim ratione dabitur expulſis occaſio adeundi Sedem Apoſtolicam, quæ ſemper paternè conabitur illos ad religionem reducere.

Quintò, concluſum eſt in ſuperioribus Congregat. ut 67
Regulares delinquentes triremium pœnam non afficiantur, niſi ejuſmodi ſint crimina, quæ hoc ſupplicio in perpetuum ſint vindicanda: tuncque ad triremes ne relegentur, niſi in perpetuum. Quòd ſi delicti qualitas leviorem pœnam exigat tunc intra clauſtra condignè coerceantur; proindèque unaquæque Religio privatos habeat carceres in qualibet ſaltem provincia. S. Congregatio ſic ſtatuendùm duxit, quia regulares tranſmiſſi ad triremes ad tempus, eo lapſo redeunt ad religionem multò nequiores quàm anteà, & alios ſuis corruptis moribus contaminant, & omnes afficiunt graviſſimo ſcandalo.

Verumtamen hoc caput valdè ægrè ferunt Regulares: & quamvis Congreg. ſemel atque iterùm ita cenſuerit; nihilominus Paulus V. dixit de hoc maturè deliberandum.

Habet hoc decretum in practica duas difficultates.

Prima, quia pœna triremium etiam ad tempus eſt formidabilis Regularibus; & hac ſublata, Religioſi multò faciliùs perpetrabunt ea crimina, pro quibus non venit irro- 68
ganda pœna triremium, niſi ad tempus; & tamen ea crimina graviſſima ſunt, quia pœna ordinaria triremium ad vitam non infligitur Regularibus, niſi in caſibus, in quibus laici afficiuntur ultimo ſupplicio.

Secunda difficultas eſt, quia pro crimine, pro quo v. gr. eſſet irroganda Regulari pœna triremium ad quinque annos Regularis intra clauſtra non eſſet puniendus minori pena, quàm carceris per totidem annos, aut multò plures. At experientia docuit penam carceris nimis longi non eſſe obſervabilem in Religionibus, quia Superiores, aut nimio diſpendio, aut cuſtodiæ difficultate, aut divinorum officiorum perturbatione, aut tædio diuturnæ carcerationis affecti, tandem illos dimittunt, vel ſinunt aufugere, & qui ſic fugerunt, in Apoſtaſiam, ac ſæpè etiam in hæreſim deſperationis cauſa labuntur. Itaque hoc caput triremium videtur valdè periculoſum: licèt fortè præponderare videantur damna, quæ Religionibus inferuntur à Regularibus, cùm redeunt à triremibus ad Monaſterium.

Sextò, & ultimò, determinatum eſt, ut innovetur Con-
ſtitutio Greg. IX. relata *in c. fin. de Regul.* qua ſtatuitur, ut Su- 69
periores teneantur quotannis requirere ſuos ejectos, & fugitivos, eoſque ad Religionem reducere; & præterea, ut declaretur *d. c. fin.* habere locum etiam in his, qui juſtè, ac diffinitivè expulſi fuerint, contra Navarri ſententiam.

Hæc conſtitutio re vera nunquam fuit uſu recepta.

Regulares petunt, ut hoc caput vel expungatur, vel declaretur habere locum, dummodò in expulſo adſit ſpes evidens emendationis, ex litteris ſaltem teſtimonialibus Ordinarii. Quod ultimum videtur illis concedendum. Nam ſi Superioribus permittatur ſervatis ſervandis incorrigibiles ejicere, multò magis eſt eis permittendum eoſdem incorrigibiles non admittere; turpiùs enim ejiciuntur, quàm non admittunt; & alioquin ad quid permittendi eſſent ejicere incorrigibiles ſi paulò poſt tenerentur illos rurſus recipere, imò etiam requirere, & ad monaſterium reducere?

Videntur ergo ita demum cogendi ad reductionem hujuſmodi, ſi appareat expulſos emendatos fuiſſe, aut ſit ſpes evidens emendationis. Hæc quoad Regulares ejectos, & incorrigibiles.

Quo verò ad apoſtatas, & fugitivos, inter decreta, quæ 70
hac de re fuerunt in præteritis Congregationibus firmata unum eſt tenoris infraſcripti, videlicet.

Ut Apoſtatandi opportunitas Regularibus præripiatur, ſtatuit, ut de cætero licentia ad religionē arctiorem tranſeundi, nulli concedatur, niſi concedenti legitimè conſtet eam religionem paratam eſſe illum recipere, qui licentiam petit, tuncque Regularis rectà ſe transferat ad arctiorem.

Hoc caput ſupponit neceſſariū eſſe, ut concedatur licentia tranſeundi ad arctiorem; & tamen hoc minimè verum eſt, quia ſufficit licentia petita, licèt non obtenta, *c. Licet de Regul.*

Regul. Abb *conſ. 95. per tot. lib.* Unde hoc caput aut videtur delendum, aut ſtatuendum, ut deinceps nemini liceat etiam ad arctiorem tranſire, niſi de Superioris licentia petita, atque obtenta.

Quod fortè eſſet valdè utile Religionibus; ſæpiùs enim Angelus Satanæ transformat ſe in Angelum lucis, & Religioſi temeritate, vel levitate animi, non zelo ſanctioris vitæ moventur ad tranſeundum, ut legitur in eodem *c. Licèt*, & experientia docuit tranſeuntes ad arctiorem, etiam ad Carthuſianos, aut rarò, aut numquam proficere in Regulari diſciplina. Sed quia obſtat diſpoſitio *d. cap. Licet*, cui derogandum non videtur ob rationes in eo expreſſas; hoc caput ita aptandum eſſet: Nullus de cætero permittatur ad ſtrictiorem tranſire, niſi priùs Superiori legitimè conſtiterit, eam religionem paratam eſſe illum recipere, qui licentiam petit.

71 Deindè omiſſis aliis ſtabilitum eſt, ut ſi Apoſtatæ citra montes infra quatuor, ultra montes verò infra octo menſes à præſentis decreti publicatione inchoandos ſua ſpontè ad ſuam quiſque religionem redierint, tum pœnarum omnium ipſis prohptereà infligendarum remiſſionem, atque impunitatem aſſequantur, ſuperioreſque benignè illos teneantur recipere, & paterna charitate complecti.

Hoc etiam caput ægrè fertur à Regularibus; qui proptereà petunt, ut renſtringatur ad pœnas tantùm, quas poſitivas appellant, & ut ita redeuntes ſaltem debeant in Capitulo, vel coram Superiore culpam fateri, atque emendationem polliceri. Quod ſatis videtur rationabile, & minùs per hoc derogabitur decretali Gregorii IX. *in d. cap. fin. de Reg.* quo diſponitur, ut tam ejecti, quàm apoſtatæ ſeu fugitivi recipiantur in monaſterium ſalva ordinis diſciplina, hoc eſt (ut ibi explicat gloſſ. & DD.) impoſita illis pœnitentia ſecundum quòd Regula illius ordinis requirit, & præcipit. Libuit hìc ſubnectere decreta ipſa de Regularibus apoſtatis & ejectis me Secretario compilata in S. Congreg. Conc. ut ex illorum inſpectione intelligi poſſit, quid in præmiſſis ſenſerit Sedes Apoſtolica.

DECRETA S. CONGREGATIONIS Concilii.

De Regularibus Apoſtatis, & Ejectis.

SAcra Congr. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum, Regularium ejectorum, & fugitivorum ſtatui conſulere, illorumque ſcandala ſubmovere, & ſuccreſcentem numerum frangere operæ pretium exiſtimans, auditis Religionem Superioribus, reque diligentiſſimè perpenſa, communicato etiam conſilio cum S. D. N. Urbano VIII. atque ex peculiari Sanctitatis ſuæ facultate, infraſſcripta Decreta edidit.

Ac primò, ut infecta ſemina, è quibus pravi ejuſmodi fructus potiſſimùm prodeunt, deinceps ne ſerantur in vinea Domini, cenſuit eſſe innovandas, & Sanctiſſimi authoritate innovat Conſtitutiones, & decreta generalia ſan. mem. Clem. VIII. ad Regularium reformationem, ac Novitiorum receptionem, profeſſionem, atque inſtitutionem ſpectantia, diſtrictèque præcipit Generalibus atque aliis omnibus Ordinum Superioribus, ut illa exactè obſervent, atque ut obſerventur efficiant, ſub pœnis ſtatutis in iiſdem Conſtitutionibus. A quibus tamen excipiendum cenſuit caput illud, quo decernitur, ne in conventibus, ſeu monaſteriis ad Novitios recipiendos hactenus deſignatis, & approbatis, ſeu impoſterum deſignandis, & approbandis, Novitii ad habitum ullatenùs recipi poſſint, niſi priùs à Congregatione reformationis Apoſtolicæ, vel à propriis locorum Ordinariis expreſsè, & nominatim approbati fuerint. A cujus quidem decreti obſervatione S. Congreg. juſtis de cauſis cenſuit Regulares eſſe abſolvendos, prout authoritate Sanctiſſimi Domini Noſtri abſolvit, atque exemit.

Deindè, ut apoſtatandi opportunitas Regularibus præripiatur, ſtatuit, ut de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem tranſire, niſi priùs Superiori legitimè conſtiterit, eam Religionem paratam eſſe illum recipere, qui licentiam petit, tumque regularis rectè ſe transferat ad arctiorem. Quod ut re ipſa adimpleatur, idem Superior omni ſtudio, ac diligentia invigilet.

Proſp. Fagnan. in III. Lib. Decretal.

Rurſus ſtatuit, ut fugitivi, & Apoſtatæ, ſive habitum regularem deferant, ſive non, poſſint, ac debeant ab Epiſcopo loci, ubi moram trahunt, in carceres conjici, ac Superioribus Regularibus conſignari, ſecundum regularia inſtituta puniendi, utque ipſi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad religionem reducere, atque efficere, ut apprehendantur, ſalva tamen in omnibus facultate Ordinariis locorum attributa decreto Conc. *c. 3. ſeſſ. 6.* Quòd ſi Apoſtatæ hujuſmodi citra montes infra quatuor, ultra montes verò infra octo menſes à præſentis Decreti publicatione inchoandos, ſua ſpontè ad ſuam quiſque Religionem redierit, tum pœnarum omnium ipſius propter apoſtaſiam inflictarum, aut infligendarum remiſſionem, atque impunitatem aſſequantur; ita tamen ut debeant à Superiore abſolutionem humiliter petere, & coram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri: Superior verò è contra benignè illos teneatur excipere, ab hujuſmodi pœnis abſolvere, & paterna charitate complecti.

Adhæc ut in poſterum è Religionibus nullus legitimè profeſſus ejici poſſit, niſi ſit verè incorrigibilis; verè autem incorrigibilis minimè cenſeatur, niſi non ſolùm concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris communis diſpoſitione requiruntur, ſublatis hac in parte Statutis, & Conſtitutionibus cujuſque religionis, & ordinis, etiam à Sede Apoſtolica approbatis, & confirmatis, verùm etiam unius anni ſpatio in jejunio, & penitentia probetur in carceribus, proindeque unaquæque religio privatos habeat carceres in qualibet ſaltem provincia. Elapſo autem anno ſi nihilominus non reſipuerit, ſed animo indurato in ſua pervicacia perſeveraverit, ne contagione peſtifera plurimos perdat, tamquam pecus morbida, ac membrum putre ejici tandem poſſit, ſed ab ipſomet Generali tantùm, de conſilio & aſſenſu ſex Patrum ex gravioribus Religionis eligendis in ſingulis Capitulis, vel Congreg. Generalibus; tumque nonniſi inſtructo ſecundum eorum ſtylum, & Conſtitutiones proceſſu, & plenè probatis cauſis expulſionis ad S. Canonum præſcriptum. Intereà tamen uſque ad primum Generale Capitulum, ſeu Congregationem proximè celebrandam, ſi quempiam ex juſtis, & neceſſariis cauſis expellere oportebit, ejecto fieri poſſit à Generali cum conſilio, & aſſenſu ſex Patrum, ut ſupra, quos idemmet Generalis eligere debeat infra quatuor menſes à præſentis Decreti publicatione; ſervata tamen in reliquis forma ſuperiùs præſcripta. Sic verò ejecti, quandiù non redierint ad religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinarii loci juriſdictioni, & obedientiæ ſubſint, proindèque Generalis illicò expulſionis ſententiam eidem Ordinario notificare teneatur. Cæterùm S. Congr. religionum Superiores ſeriò admonet, ac per Jeſu Chriſti viſcera obteſtatur, ut memores paternæ charitatis, & manſuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, ut lucrentur animas fratrum ſuorum ferè in profundum malorum delapſas, antequam graviſſimum, atque extremum expulſionis remedium experiantur. Idque eò magis, quòd ſubditorum ſanguinem, qui ex malò negligentium, & ſui officii immemorum Prælatorum regimine peribunt, Dominus noſter Jeſu Chriſtus in ſupremo Dei judicio de eorumdem Prælatorum manibus ſit requiſiturus.

Prætereà ſtatuit, ut iidem Superiores nemini ex religioſis expulſis litteras teſtimoniales concedant, illos ad Sedem Apoſtolicam rejicientes, vel jubentes aliam ingredi religionem.

Item ut ejecti extra Religionem degentes, ſint perpetuò ſuſpenſi ab exercitio Ordinum, ſublata Ordinariis locorum facultate dictam ſuſpenſionem relaxandi, aut moderandi.

Ac poſtremò cenſuit, eſſe innovandam, & ſuæ Beatitudinis authoritate innovat Conſtitutionem fel. rec Gregorii IX. relatam in cap. fin. extra de regul. ac proptereà declarat, eam Conſtitutionem in iis quoque vendicare ſibi locum, Servandamque eſſe, qui juſtè, diffinitivèque ac juris ordine ſervato expulſi fuerint; dummodò tamen in expulſis hujſmodi ſubſit ſpes evidens emendationis ex litteris ſaltem teſtimonialibus Ordinarii, cujus conſcientiam in his litteris concedendis S. Congr. ſeriò oneravit.

Ne qua verò difficultas in ſupraſcriptis decretis, & ordinationibus exequendis ſuboriatur, Sacr. Congreg. Sanctiſſimo Domino Noſtro annuente, atq; approbante, univerſis

Generalibus, Provincialibus, Commiſſariis, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Guardianis, Vicariis, & quibuſcumque aliis Superioribus quorumcumque Ordinum, vel Congregationum, Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium ubique locorum exiſtentium, injungit, ſerioque mandat, ut illa diligenter obſervent, atque obſervari procurent in omnibus Cœnobiis, ac Monaſteriis, Collegiis ac Domibus quorumcumque Monachorum, ac Regularium ubique locorum exiſtentibus, efficiantque, ut tam Decreta ſupradicta fel. rec. Clem. VIII. quam præſentes Ordinationes in ſingulis ejuſmodi locis bis ſaltem in anno legantur in publica menſa.

Si quis verò ipſorum adverſus ea, quæ ſuperiùs præſcripta ſunt, vel eorum aliquid, quoquomodo facere, vel moliri præſumpſerit, ipſo facto pænam incurrat privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vociſque activæ, & paſſivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa impoſterum obtinenda, pœnaque hujuſmodi ſit Sanctitati ſuæ, ac Sedi Apoſtolicæ reſervata, iiſdem Superioribus, etiam Generalibus & Protectoribus, illam moderandi, ſeu relaxandi poteſtate penitùs interdicta; & nihilominus ſit irritum, & inane quicquid ſecus à quoquam actum extiterit. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Monaſteriorum, Conventuum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcumque, necnon illorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, vel conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis, etiam in corpore juris clauſis, aut ex cauſa, vel titulo oneroſo, vel in limine fundationis conceſſis, etiam Mari Magno, ſeu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet; tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quibus quoad ea, quæ ſupradictis quomodolibet adverſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expresſè, Sanctitatis ſuæ authoritate derogat, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Dat. Romæ die 21. Septembris 1624.

C. Card. de Torres.

Locus † Sigilli.

Proſp. Fagnanus S. Congr. Secr.

Decreta generalia fel. rec. Clem. Papæ VIII.

De novitiis ad habitum Regularem, & profeſſionem non admittendis, niſi in Conventibus deſignandis.

CLEMENS PAPA VIII.

REgularis diſciplinæ reſtitutioni, pro qua potiſſimùm juxta noſtri muneris debitum laborare non deſiſtimus, illud in primis magnum impedimentum afferre quotidiano uſu compertum eſt, quòd in omnibus Conventibus, iis præſertim, qui majori reformatione indigent, ſinguli ad Religionem venientes, paſſim recipiuntur. Unde fit, ut quò magis Nos variis Conſtitutionibus malè affectas radices amputare ſtudemus, eò magis in dies depravata, infructuoſaque ejuſmodi noviter profitentium germina ſuccreſcant. Cui quidem malo occurrere volentes, præſenti Decreto ſtatuimus, directèque præcipimus omnibus Generalibus, Provincialibus, Commiſſariis, Miniſtris cæteriſque Superioribus Conventuum intra Italiæ, & Inſularum adjacentium fines exiſtentium quibuſcumque, & quorumcumque Ordinum Mendicantium, ut de cætero neminem ſub quovis prætextu, aut colore ad habitum Regularem admittant, niſi in Conventibus authoritate noſtra propediem in unaquaque provincia deſigandis. Inſuper ſancimus, ut quoad ejuſmodi Conventus, ut præfertur, per Nos deputati non fuerint, omnes præfatorum Ordinum Superiores à receptione quorumcumque Novitiorum, ſive ad habitum, ſive ad profeſſionem, omninò abſtineant. Superior, qui hujus Decreti tranſgreſſor extiterit, ipſo facto pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vociſque activæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia impoſterum obtinenda, ſe noverit incurriſſe, ac aliis etiam pœnis arbitrio noſtro ſubjaceat. Receptiones verò, & profeſſiones quaslibet eorum, qui contra hujuſmodi Decretum noſtrum admiſſi fuerint, nullas, & irritas ex nunc decernimus & declaramus, Privilegiis, Statutis, & conſuetudinibus quibuſcumque in contrarium minimè obſtantibus. Dat. Romæ die 12. Martii 1596.

Renovatio & ampliatio ejuſdem Decreti.

De Novitiis ad habitum regularem non recipiendis, niſi in monaſteriis, & locis deſignandis.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter D. Clem. Divina providentia Papa VIII. cùm jam dudum animadverteret collapſæ Regularis Diſciplinę Inſtitutioni, pro qua potiſſimùm, juxta ſui muneris debitum, vigilare, ac laborare non deſiſtit, illud in primis magnum impedimentum afferre, quòd in omnibus Monaſteriis, & Conventibus, iiſque præſertim qui majori indigent reformatione, ſinguli ad Religionem profitendam accedentes, paſſim, ac ſine delectu recipiuntur, ac inde fieri, ut quò magis variis Conſtitutionibus malè affectas radices evellere ſtudet, eò magis infructuoſa noviter profitentium germina quotidiè ſuccreſcant: cùmque ob zelum, ac deſiderium, quo tenetur Sanctitas Sua omnes Regulares ad vetus ſuæ cujuſque religionis inſtitutum redigendi, diſtrictè prohibuerit, ne quis in certis Monachorum, & Mendicantium Ordinibus ad ſuſcipiendùm habitum religionis admitteretur, profitereturve, quouſque monaſteria, & Conventus aliquot deſtinarentur, in quibus poſſet commodiùs regularis obſervantia, ſecundum reformationem à Sanctitate Sua inſtitutam, introduci: quia tamen non obſtante tali prohibitione, cognovit nonnullos fuiſſe, vel ſub colore facultatis, & licentiæ à Sanctitate Sua obtentæ, vel quia talis prohibitio ad illorum notitia non pervenerit, receptos, & admiſſos, præter mentis ſuæ ſenſum; idcircò huic malo proſpicere volens, ne licentiarum, ac facultatum hujuſmodi ſubreptione, ac prætextu, Decretum Sanctitatis Suæ irritum reddatur; nunc denuò diſtrictè præcipit, ac mandat omnibus Generalibus, Provincialibus, Commiſſariis, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, & Guardianis quibuſcumque, cęteriſque Superioribus Conventuum, Monaſteriorum, ac Domorum, quocumque nomine appellentur, intra Italiam, & Inſularum adjacentium fines exiſtentium, quorumcumque Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium (exceptis tamen Carthuſianorum, Fratrum Minorum de ſtrictiori obſervantia; necnon Cappuccinorum S. Franciſci, Reformatorum S. Dominici, Diſcalceatorùm Ordinis Carmelitarum, necnon Fratrum Congregat. Fullienſis, Ciſtercienſis Ordinis, ac Eremitarum Eremi Camaldulenſis, & Montis Coronę, Clericorum Regularium Theatinorum, Societatis Jeſu, San. Pauli Decollati, & aliorum de Somaſcha, Miniſtrorum infirmorum, reſpectivè Ordinibus, Societatibus, ſeu Congregationibus nuncupatis, quæ etiam antea exceperat, & nunc iterùm excipiendo, voluit prohibitionem hanc ad illa nullo modo extendi) ne ſub cujuſvis licentiæ, & facultatis impetratæ, vel impetrandæ obtentu, niſi per litteras in forma Brevis dumtaxat, & non aliàs, quemquam ad habitum regularem ſuſcipiendum, nec etiam converſos, niſi in Conventibus, Monaſteriis, & Do-

& Domibus, authoritate ejuſdem S. D. N. propediem in unaquaque provincia deſignandis, recipere, aut receptos ad profeſſionem admittere ullo modo audeant. Quinimò contra primam prohibitionem Sanctitatis ſuæ receptos, etiam ſi imperfectum habitum, aut ſine capucio gerant, poſt præſentis Decreti in Romana Curia publicationem, omninò ejicere debeant.

Superiorem autem, qui hujus Decreti tranſgreſſor extiterit, ipſo facto pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocis activæ & paſſivæ, & perpetuę inhabilitatis ad alia impoſterum obtinenda, eo ipſo incurrere voluit, ac decrevit, & aliis etiam pœnis arbitrio Sanctitatis Suæ imponendis ſubjacere.

Receptiones verò, & profeſſiones quaslibet eorum, qui contra hujuſmodi Decretum admiſſi fuerint, nullas, & irritas eſſe ad quemcumque effectum ex nunc decernit, & declarat.

Hoc autem Decretum noluit Sanctitas Sua eos Ordines comprehendere, qui Conventus, Domos, & Monaſteria à ſe probata pro Novitiorum receptione, & educatione, hactenus permiſſione ſua conſtituerint.

Cæteras verò licentias, ſive particulares, ſive generales quæ in hanc diem effectum non ſunt ſortitæ, revocat, & annullat.

Vult autem Decretum hoc ſuum in ſolitis locis Urbis publicatum, ita prædictorum ſingulos afficere, ac ſi cuilibet perſonaliter fuiſſet intimatum, privilegiis, ſtatutis, & Conſtitutionibus quibuſcumque in contrarium minimè obſtantibus.

Dat. Romæ apud S. Marcum die 20. Menſis Junii 1599.

Decreta pro reformatione Regularium, tam Monachorum, quàm Mendicantium cujuſcumque Ordinis, & inſtituti.

CLEMENS PAPA VIII.

3 NUllus omninò prætextu cujuſcumque privilegii, vel ſuperioritatis, etiam Generalatus, à ſervitio Chori cenſeatur immunis, niſi pro tempore quo quis in proprii officii munere actu fuerit occupatus. Cùm Lectoribus autem, & Prædicatoribus Superiores iis tantùm diebus, quibus eos legere, aut prædicare contigerit, diſpenſare poſſint. Idem quoque præſtare valeant cum ęgrotis, & ſtudiorum cauſa legitimè impeditis. In eos verò, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, ſalutari pœnitentia Superiores animadvertant ad præſcriptum Regulæ, & Conſtitutionum, alimenti etiam, ſi opus fuerit, ſubtractione.

Lectio Sacræ Scripturæ, vel caſuum conſcientiæ bis in hebdomada præſcriptis diebus in ſingulis Monaſteriis, & Conventibus habeatur, ad quam Fratres omnes conveniant, eaque abſoluta, mutua collatione circa explicatam doctrinam ſeſe utiliter exerceant.

Quòd Triden. Concilii Decreta de paupertatis voto cuſtodiendo fideliùs obſerventur, præcipitur, ut nullus ex fratribus, etiam ſi Superior ſit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, cenſus, eleemoſynas, ſive ex concionibus, ſive ex lectionibus, aut pro Miſſis, tam in propria Eccleſia, quàm ubicumque celebrandis, aliovè ipſorum juſto labore, & cauſa, & quocumque nomine acquiſita, etiam ſi ſubſidia conſanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus poſſidere poſſit: ſed ea omnia ſtatim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quò communis inde victus, & veſtitus omnibus ſuppeditari poſſit.

4 Neque Superioribus, quicumque illi ſint, ullo pacto liceat eiſdem fratribus, aut eorum alicui bona ſtabilia, etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commodum, etiam depoſiti, aut cuſtodiæ nomine concedere.

5 Eorum verò, quæ ad neceſſitatem conceſſa erunt, nullus quicquam poſſideat ut proprium, neque ut proprio utatur.

6 Qui in præmiſſorum aliquo deliquerit, pœnas, nedum à Concilio Tridentino præſcriptas, ſed alias quoque multò graviores, ſuperiorum arbitrio imponendas, incurrat.

Nulla quorumcumque ſuperiorum diſpenſatio, nulla 7
licentia, quantum ad bona immobilia, vel mobilia fratres excuſare poſſit, quo minùs culpæ, & pœnæ ab ejuſdem Concilii Decretis impoſitæ, & ipſo facto incurrendæ obnoxii ſint, etiamſi ſuperiores aſſeverent hujuſmodi diſpenſationes, aut licentias concedere poſſe, quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus.

Fratrum veſtitus, & ſupellex cellarum ex communi pe- 8
cunia comparetur, & omninò uniformis ſit fratrum, & quorumcumque Superiorum, ſtatuique paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat: ita ut nihil ſuperflui admittatur: nihil etiam, quod ſit neceſſarium, alicui denegetur.

Quæcumque Fratrum veſtes, ſive laneæ, ſive lineæ, om- 9
niſque alia ſupellex in aliquem commodum Conventus locum deferantur, ibique ab uno, vel duobus fratribus huic muneri deputatis diligenter cuſtodiantur, ut inde ſuperioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, ſubminiſtrari opportunè poſſint.

Omnes etiam ſuperiores, quicumque illi ſint, eodem pa- 10
ne, eodem vino, eodemque obſonio, ſive eadem [ut ajunt) pitantia, in communi menſa prima, vel ſecunda, niſi infirmitatis cauſa impediti fuerint, veſcantur; neque ſingulare aliquid, quo privatim quiſque in cibum utatur, ullo modo afferri poſſit: ſi quis in ea re peccaverit, nihil ea die alimenti percipiat, niſi panem, & aquam.

Superiores omnes, etiam Generalis, qui redditus, aut 11
præſtationes peculiares ratione officiorum habent, eorum accepta, & expenſa in libro diſtincto fideliter, & diligenter adnotari curent, neque in alios uſus, quàm ratione officii ſui neceſſarios, quicquam expendant. Cùm verò contigerit ipſos in aliquo conventu commorari, eam pecuniæ quantitatem in commune conferant, ex qua ſibi, & iis, qui ſecum erunt, victus ad præſcriptum Regulæ, & Conſtitutionum ſuppeditetur.

Nullus ex Superioribus locorum, adminiſtrationem bo- 12
norum, aut aliarum rerum, diſpenſationemque pecuniarum, & redditų̃um ſui conventus, etiam nomine conventus per ſeipſum habere, ſive exercere poſſit; ſed univerſum id onus tribus fratribus ejuſdem conventus à Generali ita demandetur, ut unus rerum, & bonorum, reddituumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat: alter tamquam depoſitarius, pecunias, ac cætera ab illo collecta, & exacta fideliter aſſervet: alius de pecuniis, & rebus à Depoſitario acceptis Priori, & Fratribus, ac Conventui univerſo de neceſſariis, mandantes tamen ipſo Priore, non ſecundum proprium affectum, ſed juxta charitatis regulam, veluti bonus diſpenſator provideat, officiorum hujuſmodi confuſione penitùs interdicta.

Cæterùm hi tres tam impenſi, quàm accepti ſingulis 13
menſibus Superiori locali, adhibitis etiam duobus, vel tribus fratribus ejuſdem conventus probatioribus, rerumque uſu peritis, rationem reddant: deindè ipſimet rurſus, præſentibus Priore, & peritis prædictis, Generali, cùm advenerit: denique ipſe Generalis, in quolibet proximo Capitulo Generali ſaltem coram tribus judicibus, ab ipſo Capitulo ad hoc conſtitutis, illorum omnium, univerſamque ſuæ adminiſtrationis tam publicæ, quàm privatę rationem reddere teneatur; cujus etiam exemplum authenticum ex actis Capituli deſcribatur, ad hoc, ut ad omne mandatum noſtrum, vel Sedis Apoſtolicæ, Romam tranſmitti poſſit.

In unoquoque Conventu, fratrum is tantùm dein- 14
ceps conſtituatur, & impoſterum retineatur numerus, qui ex redditibus illius propriis, vel ex communibus conſuetis, vel etiam ſingulorum eleemoſynis, aliiſve quibuſcumque obventionibus in commune (ut præfertur) conferendis commodè poſſit ſuſtentari: redditus verò, & ſupradicta omnia in communi loco, ac tuto diligenter aſſerventur.

Superioribus autem, ne Concilii Tridentini, aut hæc 15
noſtra Decreta declarare, interpretari, aut relaxare ullo modo poſſint, omninò interdicimus, & prohibemus, decernentes irritum, &c. Si quis autem contra præſumpſerit attentare, is, eo ipſo omni gradu, officioque privatus, & ad ea perpetuò inhabilis exiſtat.

Nullus, niſi actu legat, vel prædicet, aliquo ſui gradus 16
privilegio gaudeat.

Si alicui ex neceſſaria cauſa, Generalis judicio probanda, 17

ſocius ex eodem Ordine, qui illi miniſtret, concedendus erit; is niſi vigeſimumquintum agat annum, & qui communi ſervitio ſit deputatus, non concedatur,& ſi commodè fieri poteſt, ſit laicus converſus.

18 Ut omnis ſcandalorum, & vagationis occaſio tollatur, Conventus clauſura perpetuò, ac diligenter ſervetur; ac propterea à Superiore janitor conſtituatur, qui diligentia, ac morum integritate maximè commendetur: is januæ cuſtodiendæ ſemper aſſiſtat, eamque nemini fratrum aperiat, niſi ſocium, & exeundi licentiam obtinuerit.

19 Nullus à Conventu egredi audeat, niſi ex cauſa, & cum ſocio, licentiaque ſingulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore, qui non aliter eam concedat, niſi cauſa probata,ſociumque exituro adjungat,non petentis rogatu,ſed arbitrio ſuo,neque eumdem ſæpiùs.Licentiæ verò generales exeundi,nulli omninò concedantur.

20 Contravenientes autem pœna gravi, etiam carceris, ad Superioris arbitrium plectantur;eamdem etiam janitor ſubeat, ſi ſciens exeundi facultatem fecerit.

21 Cùm autem quis in Conventum revertitur, Superiorem iterùm adibit, benedictionem recepturus, qui à ſocio itineris rationem, & quid rei actum ſit, diligenter perquirat.

22 Nullos fratres Romam venire Superiores permittant,niſi priùs à Generali, vel Protectore dumtaxat licentiam in ſcriptis impetraverint.

23 Si quis autem ſine hujuſmodi facultate Romam venire præſumpſerit, voce activa, vel paſſiva biennio privatus exiſtat, ſubiturus etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pœnas. Quæ item omnia adverſus eos, qui ſupradictos admiſerint, & receperint, ſine ulla exceptione locum habeant.

24 Habeat Superior clavem ita fabrefactam, ut cùm ſibi videbitur cellas omnes reſerare poſſit, & propterea nullus cellam, etiam noctu ita claudat, quin ſemper à Superiore poſſit aperiri.

25 In medio Dormitorii totam noctem lampas colluceat.

26 Nullus etiam Superior cellas ſive in clauſtro, ſive alibi ſeparatas à communi dormitorio habeat; ſed unuſquiſque unica cella, eadem cum cæteris aliorum fratrum conjuncta,nudis omninò parietibus,ac lecto,& menſa humilibus, uniformique ſupellectili (ut præfertur) quemadmodum religioſos decet, contentus ſit: poſſit tamen Generalis alcui ex Superioribus conventuum, ſi eorum muneris, & officii neceſſitatem id exigere cognoverit, alteram etiam cellam concedere.

27 Cellæ ſive ædiculæ quæ extra dormitorium ſeparatim ſunt ad officinas, aut aliàs ad communem uſum, & commoditatem conventus redigantur.

28 Sigillatim ſuo quiſque lecto cubet, neque ullibi duo in eodem lecto dormire poſſint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt.

29 In privatis cellis nulli camini permittantur: ſed omnes obſtruantur ſtatim, cardinibus etiam è parietibus convulſis, ut res illa non ad tempus facta, ſed perpetuò duratura videatur,cellis tamen Generalis aut alterius Superioris ac Prædicatoris exceptis.

30 Conventus feneſtræ omnes, quæ in vias publicas, aut in vicinas laicorum ædes proſpiciunt, muro ita obſtruantur, ut omninò iis proſpectus impediatur.

31 Valetudinarium in ſingulis conventibus certo, ac ſalubriori loco conſtituatur, quod pro loci ſitu, ac fratrum numero, quoad fieri poterit, commodiſſimum eſſe poſſit, in quo fratres omnes, cùm ægrotabunt, curentur, nec inde niſi recuperata ſanitate abire permittantur. Qui verò infirmorum curæ præpoſiti ſunt, omni ſedulitate, ac charitate operam ſuam præſtabunt,ac curabunt,ne quid ægrotis omninò deſit quod ad ſanitatem recuperandam pertineat.

32 Ineatur ratio, qua, ſublatis licentiis, ac facultatibus hactenus quibuſcumque conceſſis, degentes extra Conventus clauſtra, ad ea quamprimùm revocentur, nec de cætero, niſi ex graviſſima cauſa à Sede Apoſtolica probanda, hujuſmodi facultates concedi poſſint.

33 Nulli impoſterum ad habitum, aut profeſſionem admittantur, niſi in Conventibus per Sedem Apoſtolicam in qualibet provincia deputandis.

34 Curent Superiores, ut conſtitutio interdicens largitiones munerum, & præſcribens hoſpitalitatis formam, ab omnibus in quolibet Conventu inviolabiliter obſervetur.

Ut omnis officiorum ambitus occaſio præcludatur, caveant omnes à directa, vel indirecta vocum, ſeu ſuffragiorum procuratione, tam pro ſe ipſis, quàm pro aliis, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris præſertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, ſeu alibi. Quicumque ſecus fecerint, præter alias pœnas,& cenſuras hactenus contra hujuſmodi ambientes inflictas, quas in ſuo robore permanere volumus, in pœnam privationis officiorum, quæ obtinent, eo ipſo incidant, & ad futura quæcumque pariter inhabiles habeantur, ſuper quo cum eis diſpenſari à nemine poſſit, niſi à Nobis, vel ſucceſſoribus noſtris, & pro qualitate culparum graviùs etiam plectantur. Porrò ſupradictas omnes pœnas ad complices, ac ſimpliciter ſcientes, & non revelantes extendimus. 35

In Superiorum, & Officialium omnium electionibus forma præſcripta à S.Conc.Trid.& Ordinis conſtitutionibus inviolabiliter ſervetur, jurentque Electores ſecundum veritatem cujuſque conſcientiæ probiores, ac magis idoneos ſe electuros, ac propterea priuſquam ad electionem deveniatur, in primis & ante omnia prælegantur conſtitutiones de qualitate, & requiſitis eligendorum. Ad officia, gradus, & Prælaturas illi præcipuè eligantur, qui poſſint, & conſueverint regulas Ordinis, & Conſtitutiones obſervare, præſertim quæ pertinent ad ſervitium Chori, ac veſtitum, ac victum communem. 36

Eligantur in Capitulo Generali, vel Provinciali aliquot graves, & periti ex fratribus cujuslibet provinciæ, ſaltem tres, qui admittendos ad prædicationem verbi Dei,vel ad audiendas confeſſiones etiam ipſorum fratrum, ac Lectores publicos diligenter ſimul examinent, priuſquam probentur, & ad hujuſmodi miniſteria admittantur. Horum etiam curæ ſit examinare, & probare, tam quoad doctrinam, quàm quoad mores, promovendos ad quoſcumque Ordines, in quo ſervetur decretum Congregationis interpretum S. Concilii Tridentini, hac de cauſa nuper editum, & promulgatum. 37

Illud porrò Superiores omnes in Domino admonemus, ut memores ſint rationis quam in noviſſimo die reddituri ſunt pro grege ſibi commiſſo; ac propterea omni ſtudio invigilent, ut quæ in eorumdem Ordinum Regulis, & Conſtitutionibus de oratione mentali, ſilentio, jejuniis, capitulo culparum, aliiſque ſpiritualibus exercitiis prudenter, ac piè ſancita ſunt, ea omnia, & ſingula, ad unguem obſerventur, intelligantque ſuper his veluti fundamentis omnium Religionum ædificia conſtruenda, & amplianda eſſe; quæ ut faciliorem exitum ſortiantur, & fructus uberiores in animis fratrum producant, valdè opportunum erit, ſi in quolibet Conventu, ſingulis hebdomadis habeatur ſermo de religioſa diſciplina, regularique obſervantia. 38

Quo verò omnia ordinatè peragantur, appendatur tabella in loco conſpicuo uniuſcujuſque Conventus, in qua diſtinctè adnotetur, quid ſingulis horis cujuſque diei quilibet frater præſtare debeat, ut certo quoque ſigno præmonitus, majori animi præparatione ſuo muneri ſatisfacere poſſit. Quæ Ordinis Conſtitutiones his Decretis non adverſantur, inviolatè cuſtodiendæ erunt. 39

Quibus horum Decretorum Capitibus certa pœna præſcripta non eſt, arbitrio Generalis, vel alterius immediati Superioris infligatur. Ut autem hæc Decreta (donec alia, quæ pleniorem reformationem facient, edantur) ab omnibus obſervari poſſint, diſtrictè præcipimus Generalibus, ac omnibus aliis quibuſcumque Superioribus, ad quos hoc ſpectat, ut curent, ac efficiant, ea omnia inter alias eorumdem Ordinum Conſtitutiones perpetuò valituras redigi, interdicta omninò eorum ſingulis facultate illas declarandi, & adverſus eas unquam diſpenſandi; alioquin ſciant ſe in pœnam Generalatus, & officiorum privationis, ac inhabilitatis perpetuè ad alia quoque munera ipſo facto, & ſine ulla exceptione reſpectivè incidiſſe. 40

Ne verò prætextu dilatæ publicationis eorum obſervatio quoquomodo differri poſſit, aut impediri, volumus, ut poſt illorum publicationem in Conventu, vel monaſterio cujuſlibet Ordinis de Urbe factam, Generalem, alioſque Ordinum Superiores, cæteroſque quoſcumque fratres præſentes, 41

ſentes ſtatim: reliquos verò abſentes citra montes, unius menſis, ultra montes, trium menſium ſpatio ita arctent, ac ſi eorum ſingulis perſonaliter intimata fuiſſet.

42 Inſuper mandamus, quod Generales in ſingulis Conventibus citra montes, unius menſis, ultra verò montes, trium menſium curſu Decreta ſupradicta publicari faciant, ſub pœna privationis Generalatus, aliiſque arbitrio noſtro imponendis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 25. menſis Junii 1599.

DEcretum illud, quo Fratres Romam petere cum Generalis, & Protectoris licentia dumtaxat permiſſum eſt, Sanctitas Sua extendi ad Provincialem decrevit, itaut Provincialis ipſe ex cauſa communi totius provinciȩ dumtaxat facultatem hujuſmodi facere valeat, declaravitque pœnam privationis vocis activæ, & paſſivæ contrafacientibus inflictam, Sanctitati Suȩ reſervatam eſſe, interdicta omninò eorum Superioribus ſingulis, etiam Generali, ac Protectori, facultate illam moderandi, ac relaxandi. Datum Romæ die 20 Martii 1601.

Decretum fel. rec. Clementis Papæ VIII. ſuper caſuum reſervatione ab omnibus Regularium Superioribus obſervandum.

SAnctiſſimus Dominus noſter, qui jam pridem accuratè perpendit, ac re ipſa competit, quod reſervatio facultatis abſolvendi Religioſos pœnitentes à peccatis quibuſdam gravioribus, niſi Superiores admodum prudenter, ac moderatè illa utantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori ſuo conſcientiȩ maculas detegere formidant, adducere poſſet in æternæ damnationis periculum, & ſpiritualis remedii deſperationem; ideò, ut huic malo Sanctitas Sua opportunè proſpiceret, decrevit, ut nemo ex Regularium Superioribus peccatorum abſolutiones ſibi reſervet, exceptis iis, quæ ſequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout ſubditorum utilitati expedire prudenter in in Domino judicaverint.

Veneficia, Incantationes, Sortilegia.

Apoſtaſia à Religione, ſive habitu dimiſſo, ſive retento, quando eò pervenerit, ut extra ſepta Monaſterii, ſeu Conventus fiat egreſſio. Nocturna ac furtiva è Monaſterio, ſeu Conventu egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta.

Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. Juramentum falſum in judicio regulari, ſeu legitimo.

Procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſequuto.

Falſificatio manus, aut ſigilli Officialium Monaſterii, aut Conventus. Furtum de rebus Monaſterii, ſeu Conventus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.

Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus.

Occiſio, aut vulneratio, ſeu gravis percuſſio cujuſque perſonæ.

Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio litterarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

Si quo aliud præterea peccatum grave pro Religionis conſervatione, aut pro conſcientiæ puritate reſervandum videbitur id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in provincia, matura diſcuſſione, & conſenſu.

Non liceat Superioribus Regularium confeſſiones ſubditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſervatum admiſerint, aut ipſimet ſubditi ſpontè, ac proprio motu id ab iis petierint.

Superiores in ſingulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confeſſarios, pro ſubditorum numero majori, vel minori iique ſint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui à non reſervatis eos abſolvent, ac quibus etiam reſervatorum abſolutio committatur, quando caſus occurrerit, in quo eam debere committi ipſe in primis Confeſſarius judicaverit.

Tam Superiores pro tempore exiſtentes, quàm Confeſſarii, qui ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.

Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graves quibuſdam peccatis, etiam non reſervatis, à Confeſſariis imponendas, quæ ſubditos ab hujuſmodi perpetrandis cohibere poſſint.

Atque ita per quoſcumque Regularium Superiores, quicumque illi ſint, obſervari mandavit. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac cujuſvis Concilii, etiam generalis, Decretis, necnon conſuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore obſervatis, aut regulis in generalibus, ſeu provincialibus Capitulis editis, ſtatutis, & Conſtitutionibus etiam Apoſtolica auctoritate confirmatis, privilegiis indultis, & conceſſionibus quorumcumque, quorum tenores hìc pro expreſſis haberi voluit, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum die 26. menſis Maji, Anno Domini 1593.

Sanctitas Sua deinceps declaravit, & declarat, ut ſi hujuſmodi Regularium Confeſſariis caſus alicujus reſervati facultatem petentibus Superior dare noluerit, poſſint nihilominùs Confeſſarii illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, abſolvere.

Formula concedendi facultatem pro Novitiis ad regularem habitum recipiendis in Monaſteriis, & locis deſignatis.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Clemens Divina providentia Papa VIII. cùm regularem diſciplinam reſtituere, atque in priſtinum ſtatum revocare maximè cuperet, Regulareſque omnes, vitam, moreſque ſuos ad rationem ejus inſtituti, quod quiſque profeſſus eſſet, ita componere, ut quæ ad votorum vim habitum, victumque communem pertinent, ea potiſſimùm ſinguli religioſiſſimè obſervarent, generali Decreto, quod de Menſe Junii editum, tertia Julii anni 1599. promulgatum fuit, Ordinum religioſorum Superioribus (nonnullis exceptis prohibuit, ne aut Novitios reciperent, aut quemquam ad profeſſionem ante admitterent, quàm à Sanctitate Sua monaſteria aliquot ad eam rem præſcripta eſſent, in quibus obſervantia regularis vigeret. Nunc verò eadem Sanctitas Sua à locorum etiam Ordinariis, quibus id muneris demandaverat certior facta in infraſcriptis monaſteriis, & Conventibus Ordinis N. præfinitum eſſe numerum dumtaxat eorum, qui vel ipſius monaſteriis cenſibus, vel conſuetis eleemoſynis ſuſtentari ibi commodè poſſunt, atque in iis omnia fideliter obſervari, quæ ſunt cum illorum profeſſionis perfectione conjuncta, nempè caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ vota, unà cum cæteris decretis particularibus, vel inſtituti ipſius, vel Pontificiis etiam ad victum, veſtitumque communem ſpectantibus [ipſo Decreto, ut ſupra, edito, & promulgato, nequaquam obſtante) poteſtatem facit Superiori ejuſdem Ordinis Novitiatus in infraſcriptis monaſteriis, & Conventibus erigendi, novitios recipiendi: educandi, atque profeſſionem admittendi, modo tamen id ad præſcriptum inſtructionis juſſu Suæ Sanctitatis editum, neque alio modo fiat. Quoniam verò ea eſt Suæ Sanctitatis mens, & voluntas, ut in monaſteriis, & Conventibus, ad alendos novitios præfinitis regularis obſervantia perpetuò retineatur mandat, & præcipit, ut in ipſis præſcriptus jam perſonarum numerus in poſterum ſervetur, nulluſque omninò ſuperior cujuſvis conditionis, perſonarum, & noviriorum numerum augere præſumat, ea pœna propoſita, ut in omnibus privatis officiis, vocis activæ, & paſſivȩ jus omne amittat. Vult deniquc Sanctitas Sua hujuſmodi facultatem per Congreg. reformationis Apoſtolicæ hoc Decreto Secretarii manu ſubſcripto concedi, non obſtante Decreto ut ſuprà promulgato. Datum Romæ, die, &c. Præſcribitur verò numerus Sacerdotum....Clericorum......Converſorum item.

N. Viſitationis, & Reformationis Apoſtolicæ Secr.

Decre-

Decretum ſuper forma recipiendi Novitios Regularium ad habitum, & profeſſionem.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Clemens Divina providentia Papa VIII. qui aliàs pro regularis diſciplinæ reſtitutione, ſingulis Regularium Ordinibus (quibuſdam exceptis) prohibuit, ne ad regularem habitum novitios in poſterum reciperent, receptoſve ad profeſſionem admitterent, quouſque in aliquibus cujuſvis Ordinis monaſteriis, ſeu Conventibus (in quibus novitiatus pro recipiendis, & educandis novitiis deſignarentur, & approbarentur) ad ejus, quam profeſſi ſunt, regulæ præſcriptum, vitam, moreſque reſtituerent, & componerent, certior deinde factus quoſdam omnium ferè Ordinum Conventus, ſeu monaſteria ad priſtinam illam regularem vivendi formam, & diſciplinam, quam diutiùs deſideraverat, fuiſſe redacta, in eiſdem monaſteriis, & Conventibus, ut Novitiatus erigi, novitiique recipi poſſent (ſub certis tamen legibus, ac ea præſertim, ut licentia à Congregatione reformationis Apoſtolicæ priùs obtenta eſſet) conceſſit, & ad illa deſignavit, & approbavit. Nunc volens, ut ea, quæ pro novitiorum receptione, & inſtitutione, de mandato Sanctitatis Suæ præſcripta fuerunt, impoſterùm accuratiùs, & exactiùs obſerventur, ultra formam traditam in conſtitutionibus fel. rec. Sixti Papæ V. & etiam Sanctitatis Suæ ſuper receptione novitiorum, decrevit, ac præſentis Decreti virtute mandavit, ne in Conventibus, ſeu monaſteriis ad novitios recipiendos, de Sanctitatis Suæ, ſeu dictæ Congregationis reformationis licentia hactenùs deſignatis, & approbatis, ſeu impoſterùm deſignandis, & approbandis, novitii ad habitum recipi ullatenùs poſſint, vel admitti, niſi priùs ab ipſa Congregatione, vel à propriis locorum Ordinariis, aut ab illis, in quorum diœceſi novitiatus exiſtunt, in quibus novitii recipiendi fuerint, expreſsè, & nominatim novitii ipſi recipiendi approbati fuerint, & ut recipi, & admitti poſſint, licentiam in ſcriptis (gratis tamen in omnibus, etiam quoad ſcripturam, concedendam,) obtinuerint. Monet autem Sanctitas Sua eoſdem Ordinarios omnem curam, & diligentiam adhibere, ut circa ætatem conditionem, educationem, ſcientiam, vitam, & mores, cæteraſque qualitates in ipſis novitiis requiſitas, obſerventur inſtitutiones pro illis recipiendis ab eadem Congregatione reformationis factæ, & publicatæ, neque aliter, nec alio modo aliquem ad habitum recipi permittant; Ordinariorum ipſorum conſcientiam onerando, ſi quempiam approbaverint, vel admitti permiſerint, qui non ſit idoneus, & juxta conſtitutiones, & inſtitutiones prædictas, approbandus, & admittendus. Firmis nihilominùs remanentibus pœnis omnibus contra Superiores quorumcumque Ordinum, qui in admittendis ad habitum, & profeſſionem novitiis formam conſtitutionum, & inſtitutionum prædictarum non ſervaverint, aut novitium aliquem quantumvis idoneum, & approbatum, in quovis alio Conventu & loco, ſeu monaſterio, præterquam in hactenùs à Sua Sanctitate, vel à dicta Congregatione deſignatis, & approbatis, ſeu impoſterum deſignandis, & approbandis, vel ultra numerum in eorum ſingulis præſcriptum, ſeu præſcribendum receperint, vel admiſerint: ſeu aliàs præmiſſis quovis modo contrafecerint. Irritum ex nunc, & inane decernens quicquid ſecus, vel aliàs quavis auctoritate à quovis geſtum, vel attentatum fuerit. Non obſtantibus quibuſcumque, &c. Datum Romæ apud S. Petrum die 19. Maji 1602. Pontificatus ejuſdem S. D. N. Anno undecimo.

Inſtitutiones ſuper receptione, & educatione Novitiorum Religioſorum in monaſteriis, & conventibus deſignatis, vel deſignandis, Clementis ejuſdem juſſu editæ.

CUm ad regularem diſciplinam in ſingulis Religioſorum monaſteriis, propagandam, Novitiorum inſtitutio maximè utilis ſit, ac neceſſaria, & nihil ad gravem illam, ac laudatiſſimam priſcorum Patrum vivendi rationem relaxandam, majorem vim habuiſſe compertum ſit, quàm vel nimiam in recipiendis novitiis facilitatem ſupra numerum, quem capere, atque alere monaſteria ipſa poſſent, vel negligentiam in probando, & examinando eorum ſpiritu, an verè eſſet ex Deo, atque ex præcipuo deſiderio illi inſerviendi, vel denique incuriam in eis educandis, atque inſtituendis. Idcircò, ut hujuſmodi incommodo deinceps occurratur præcipitur omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, ut in recipiendis novitiis, & in eorum inſtitutione, atque educatione, nec non in magiſtri, & aliorum miniſtrorum electione, præter alia, quæ in ſacris Canonibus, ac Decretis, præſertim Concil. Trid. Pontificiis, & cujuſcumque Ordinis, aut inſtituti conſtitutionibus continetur, tam in aliàs deſignatis, quàm nunc, & impoſterum ad hoc deſignandis monaſteriis, & conventibus, hæc quæ ſequuntur, inviolatè obſervari, & exequi perpetuò curent.

Primùm, quod attinet ad novitiorum recipiendorum formam, ultra diligentem perquiſitionem quæ habenda erit de uniuſcujuſque natalibus corporis habitudine, moribus, & vita anteacta, ac præcipuè eorum, qui decimumſextum ætatis ſuæ annum excedent, an criminoſi, an ære alieno gravati, vel reddendæ alicujus adminiſtrationis rationi obnoxii ſint, juxta formam conſtitutionis fel. rec. Sixti V. & moderationum ſubſecutarum: illud etiam Superiores ad quos ſpectabit, ſedulò perquirant, ut quibus in monaſteriis, & conventibus, ex Apoſtolica facultate novitiatus fuerint inſtituti, in iis ad Religionem nullus impoſterùm admittatur, qui & ex honeſtis parentibus natus non ſit, & conditiones ſacris Canonibus, Summorumque Pontificum conſtitutionibus præſcriptas non habeat, juxta Decretum ſuper forma recipiendi novitios, die 19. Maji 1602. editum.

Quiſque recipiendus in aliquo Ordine Regulari, etiam Mendicantium, in ea ſit ætate conſtitutus, quam ejus Ordinis, in quo recipietur, regularia inſtituta, & ordinationes requirunt; eam verò literarum ſcientiam calleat, aut illius addiſcendæ ſpem indubiam præſeferat, ut minores, & ſuis temporibus, majores Ordines, juxta Decreta Sacri Concilii Trident. ſuſcipere valeat. Sed ſi quis annum vigeſimum quintum excedens ad habitum regularem admitti poſtulaverit, & talis eruditionis expers inventus fuerit, in Converſorum tantùm, quibus litterarum ſcientia non eſt neceſſaria, numerum referatur: ipſi autem Converſi non recipiantur ante vigeſimum ætatis ſuæ annum, & niſi ſaltem præcipua Doctrinæ Chriſtianæ capita noverint.

Demùm Superiores diligenter exquirant, quo ſpiritu, quia mente, ac voluntate id regularis vitæ genus elegerint, quem ſibi finem propoſuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & ut Deo liberiùs famulari poſſint, an potiùs levitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animo ducantur, & an eorum parentes ope, & ſubſidio ipſorum indigentes deſtituantur.

Provideant quoque, ut omnes, etiam converſi recipiendi, priuſquam ad habitum regularem admittantur, ab iis quibus munus hoc incumbit, de regula, quam profeſſuri ſunt tribus votis eſſentialibus, ſtatuque regulari, & aliis cujuſque Ordinis peculiaribus inſtitutis, & conſtitutionibus diligenter inſtruantur. Et quia quarundam Religionum moris eſt, nedum Converſos ad profeſſionem admittendos; verùm & Oblatos, ut vocant, recipere, circa ipſorum Oblatorum receptionem unaquæque religio ſuas peculiares Conſtitutiones, ſpecialiaque inſtituta obſervare teneatur.

Statim atque Novitii ad habitum recepti, & in locum Novitiatus introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confeſſionem totius anteactæ vitæ conſcientiam diſcutiant, & expurgent.

Quod verò ad loci qualitatem uniuſcujuſque Novitiatus ſpectat, locus hujuſmodi propria clauſura ab ea parte Conventus, & Monaſterii, in qua degunt Profeſſi, ſegregatus ſit, atque diſtinctus, habeatque tot ad dormiendum cellulas ſeparatas, quot erunt numero Novitii, vel dormitorium ita capax, ut pro ſingulis ſinguli lectuli commodè ſterni poſſint, quo etiam cellula, vel certus ac determinatus locus pro Magiſtro, ejuſque ſocio reperiatur.

In eo etiam, præter alias communes commoditates, aptus locus adſit ad ſpirituales collationes, ſeu conferentias faciendas, ac lectiones, inſtructioneſque Magiſtri audiendas, & in quem hiemis tempore ad calefaciendum ſe igne communi recipiant.

Orato-

Oratorium inſuper, ſeu Capella, ſi commodè fieri poterit, ad Novitios in ſpiritualibus, præſertim in cęremoniis, Eccleſiaſticiſque functionibus exercendos.

Hortus quoque peculiaris ad honeſtam recreationem, benè concluſus, atque munitus adſit; ſin minus, horum cæteris Fratribus communem recreationis tempore ingrediantur. Ipſis verò Novitiis ibi commorantibus, curabit Magiſter cum loci Superioris auctoritate (ſi opus fuerit) ne in eumdem quiſquam alius ingrediatur.

Ad hujuſmodi locum Novitiatus nemini ejuſdem, vel alterius Ordinis regulari etiam Conventus, & Monaſterii officiali, ullo unquam tempore ſub quovis prætextu aditus pateat, præterquàm Magiſtro, ejuſqe ſocio, ac etiam Monaſterii, aut Conventus Superiori, ſi quandocumque ingrediendum ſibi neceſſariò exiſtimaverit; quo tamen caſu aliquem ſemper ex ſenioribus conventus, vel Monaſterii Patribus ſocium aſſumat.

Hujus loci clauſuræ clavis apud Magiſtrum ſemper aſſervetur, illique ſoli liceat ex gravi tantùm cauſa ingreſſum illuc alicui permittere: ſi quis autem Novitiorum quempiam alloqui voluerit, Magiſtro præſente, & non aliter alloquatur.

Novitiorum Magiſtro ſocius, ſi per Novitiorum inſtruendorum multitudinem neceſſarius fuerit, vita, & moribus (quoad fieri poterit) conſimiles deputetur, qui in his, quæ ad Novitiatus regimen ſpectant, dicto Magiſtro immediatè ſubjectus exiſtat; eliganturque tam Magiſter, quàm ſocius per Provinciale Capitulum, per triennium ad minùs onus hujuſmodi ſubituri. Quòd ſi aliquo caſu extra tempus capitulare nova loca Novitiatus concedi contingat, tunc electionem Magiſtri Novitiorum, & ſocii hujuſmodi in his novis locis per Generalem, vel Provincialem, ſeu Miniſtrum, aut eorum Viſitatores, ſeu Vicarios, de Diffinitorum tamen, vel graviorum aliorum Patrum conſenſu fieri permittatur: idemque ſervetur, ſi intra triennium, alterum, vel utrumque urgenti aliqua de caſu ex illis locis amoveri, vel mori contigerit, in cujus, vel quorum locum alii conſimiles ſubrogari debeant.

Tam Novitiorum Magiſter, quam ſocius ab iis omnibus officiis, oneribuſque vacationem habeant, quæ Novitiorum curam, & regimen impedire valeant. Ipſe Magiſter ſacerdotali ordine ſit initiatus, ac in quinto ſaltem ſupra trigeſimum ætatis ſuæ anno conſtitutus, & per decennium à profeſſione emiſſa in religione perſtiterit: ſocius verò trigeſimum annum excedat, ſintque ambo doctrina, & quantum per Superiorum diligentiam, & vires fieri poterit, vitæ etiam anteactæ exemplo præſtantes, orationis prætereà, & mortificationis operibus addicti, prudentia, charitateque referti, non ſine affabilitate graves, zelum Dei cum manſuetudine præ ſe ferentes; ab omni cordis, ac animi perturbatione, iræ præſertim, & indignationis, quæ in ſe, & erga alios charitatem impedire conſueverunt, quàm longiſſimè alieni; & tales demum qui in omnibus ſeipſos bonorum operum exemplum præbeant, ut ii, qui eorum curæ ſubſunt, illos non tam metuant, quàm revereantur, nec illis unquam detrahere quicquam poſſint.

Habeat etiam Magiſter plenam, & abſolutam poteſtatem circa Novitiorum inſtitutionem, ac Novitiatus regimen, ita ut in illis nemini (Viſitatoribus, ac Superioribus majoribus, vel etiam localibus exceptis) quovis colore ſe ingerere liceat.

Curam adibeat diligentem, ut Novitii omnes in regulari diſciplina ſedulò exerceatur, agnoſcantque præcipuè divinæ, qua digni facti ſunt, vocationis præſtantiam, & excellentiam, quæ vera ſit atque perfecta votorum ſolemnium, & quàm neceſſaria cujuſque Ordinis Conſtitutionum obſervantia, modum in oratione, tum vocali, tum mentali, fructuosè perſiſtendi, illicitas paſſiones, & vitia (ad quæ natura per peccatum labefacta omni tempore prona eſt, atque proclivis) per ſenſum cuſtodiam, & mortificationem cohibendi, auſteritatem, jejunia, cilicia, diſciplinas, conſcientiæ puritatem, crebram illius diſcuſſionem, Sacramentorum frequentiam, confeſſionis præſertim, quæ bis ſaltem ſingulis menſibus fiat, per aperitionem quotidianam motuum internorum, cordis, & tentationum manifeſtationem, per exercitium humilitatis circa viliora miniſteria, per modeſtiam in omnibus actionibus, diuturnumque ſilentium.

Quilibet Novitius bis quotidiè orationi mentali, & vocali incumbat, unuſquiſque ſecundùm propriam capacitatem, & ordinem ſibi à Magiſtro præſcriptum, ac pluries in die propriam conſcientiam unuſquiſque examinare contendat. Ipſi autem Magiſtro ſoli Novitiorum confeſſiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori, etiam locali, ſi ita expedire judicaverit, vel per ſeipſum, vel per alium ab eo deputandum, ſemel, aut bis in anno eorumdem Novitiorum confeſſiones audire.

Quotidiè Miſſæ ſacrificio interſint, & ſtatutis horis in Choro, nocturnis, diurniſque divinis Officiis aſſiſtant.

Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant, vel ſcribant res ſpirituales, modeſtam animi recreationem interponat, quæ in ſolitario loco, & commodo extra Novitiatum ſemel in hebdomada, vel in alternis ſaltem hebdomadibus longior ſtatuatur, fiatque ſemper Magiſtro præſente, vel ſocio, qui multum invigilent, ne duo ab aliis commorentur disjuncti, atque eo tempore, cujuſque, in quæ natura feratur, propenſionem ſcrutentur.

Non liceat eis, durante Novitiatus, & probationis tempore, una cum Profeſſis, niſi in Choro, in Eccleſia tempore Officiorum, in proceſſionibus, aut in Cœnaculo cauſa refectionis commorari, nec permittatur eis Profeſſos domo exeuntes comitari.

Pro communibus, & propriis cujuſque neceſſitatibus, quæ accidere poſſunt, unus ex Novitiis ipſis, ætate, moribuſque provectior deputeretur, qui abſente ſocio, Magiſtro permittente, omnia, prout opus fuerit, agat, cui etiam januæ cuſtodia, & rerum leviores momenti proviſio intra Novitiatum committi poterit.

Cùm autem, licèt Clericorum benè inſtituendorum cura debeat eſſe præcipua, Converſorum tamen religioſa inſtructio non ſit prætermittenda, quin potiùs æquanimiter amplexanda; quandoquidem ſatis exploratum eſt, iſtorum etiam, cùm regulam profiteantur eamdem, perfectam educationem, tum religioni decorem, & ornamentum, tum aliis Chriſti fidelibus ædificationem, exemplum, atque utilitatem afferre: Converſis ipſis à Clericorum Novitiatu ſeparatus ad dormiendum locus (quantum commodè fieri poterit) aſſignari præcipitur. Illi tamen hac ſeparatione non obſtante Magiſtro Novitiorum, ſeu Superioribus Monaſteriorum, & Conventuum, juxta cujuſque Ordinis Statuta, & Conſtitutiones ſubditi eſſe, & obedientiam præſtare debebunt, à quo non tantùm circa corporalia obſequia probandi, & exercendi, verùm etiam, pro eorum capacitate, & commoditate, de ſpiritualibus, præſertim de modo mentaliter orandi, diligenter inſtruendi erunt; quod ut commodiùs fiat, ad Capitula, & ſpirituales Conciones, quæ per Magiſtros Novitiis fieri ſolent, accerſiri debeant, & in Eccleſiis ſtatutis horis conveniant, niſi tunc in ſuis officiis actualiter occupati fuerint.

Tempore verò probationis elapſo, ii tantùm, qui non ſolùm religioſæ perfectionis capaces, ſed ad laborem corporalem apti, novo, ac diligenti examine reperti fuerint (dummodò ætatis ſuæ annum, quoad Clericos decimumſextum, quo verò ad Converſos, vigeſimumprimum excesserint) ad profeſſionem admittantur. Sed qui ad Converſorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum ſtatum tranſire, etiam durante tempore probationis, non poſſint.

Superior cujuslibet Conventus, in quo Novitiatus fuerit conſtitutus, particularem librum habeat, in quo uniuſcujuſque Novitii profeſſio regiſtretur, illamque Novitius profeſſus propria manu, & duo teſtes, qui præſentes fuerint, ſubſcribant.

Converſus verò litterarum ignarus, profeſſus, in eorundem teſtium, qui ſubſcripſerint, præſentia, propria manu ſignum Crucis apponat, aſſerveturque liber, & cuſtodiatur in Archivio, ubi ſcripturæ ad Monaſterium, ſeu Conventum pertinentes reponi conſueverunt.

Quia verò in quibuſdam Ordinibus filiationis uſus eſt receptus, declaratur, quòd licèt decretum ſit, ut Novitiis educandis certa Monaſteria, aut Conventus deſignata quilibet Ordo habere debeat; licitum tamen ſit Superioribus Monaſteriorum, & Conventuum hujuſmodi Ordinum, in quibus filiationis uſus receptus eſt, eos quos prænarratis

narratis qualitatibus ſuffultos repererint, in ſuorum locorum filios juxta cujuſque Ordinis conſtitutiones adſcribere, ſicque adſcriptos, cùm juxta præſentes inſtitutiones, & aliàs ſervatis ſervandis ad Ordinem recepti fuerint, ad loca Novitiatuum cum teſtimonialibus litteris tranſmittere, ubi tamquam dictorum Conventuum, ſeu Monaſteriorum filii, eorumdem nomine, & inſtantia recipi, ac in Novitiatu probari, & deinde antequam ad eadem monaſteria, ſeu Conventus filationis hujuſmodi remittantur, in profeſſorio ad perfectionem, ut præmiſſum eſt exerceri debebunt.

Porrò, ne loca unius Monaſterii, ſeu Conventus ab alio præoccupentur, Capituli generalis, aut provincialis partes erunt, numerum præſcribere pro omnibus, eam ſimiliter rationem circa alimentorum contributionem, ſi opus fuerit, inire, ac ſingulis Conventibus, & Monaſteriis præſcibere, quæ magis expedire videbitur.

Ut autem Novitii jam in Profeſſorum numerum, ſicut præmittitur, recepti meliùs in bono ſpiritu regularíſque diſciplinæ obſervantia ſtabiliantur, & confirmentur, mandatur; ut ſtatim poſt profeſſionem emiſſam, ſi in Conventibus, aut Monaſteriis pro Novitiatibus aſſignatis locus adeſſe rit ſecundi Novitiatus, ſive Profeſſorii ab ea, quæ Novitiorum eſt, atque antiquorum Profeſſorum habitatione diſtinctus, & ſegregatus, ibi collocentur, ſi Monaſterium, aut Conventus eos alere queat; ſin minùs, in alium commodiorem Conventum, aut Monaſterium transferantur, in quo is locus cum requiſitis ad Novitiatum ſupranarratis reperiatur, vel accommodetur, aut de novo conſtruatur.

Ab hoc tamen illæ Religiones excipiuntur, quæ ſuarum conſtitutionum, ſeu inſtitutorum vigore majoris temporis curſu novos profeſſos intra novitiatum detinere conſueſcunt, quibus in hac parte non derogatur; illis tamen permittitur, ut prædictis earum conſtitutionibus non obſtantibus, idipſum facere poſſint, ſi id rationi, ac religioni magis expedire dijudicaverint; quibus in locis degant ſub regulis, & modo vivendi adhuc arctiori, quàm ſervent antiquiores profeſſi, ita quòd in negotiis monaſteriorum, aut conventuum non ſe intromittere, nec communibus tractatibus intereſſe, neque alicujus exterioris obedientiæ officium exercere debeant, ibique permaneat, quo uſque ad ætatem ſacris Ordinibus ſuſcipiendis ſufficientem devenerint, vel ſaltem per trienium poſt profeſſionem; quo etiam tempore poterunt, quinimò & debebunt litterarum ſtudiis operam navare ſub directione, ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus novitiorum Magiſtrum præditum eſſe oportere dictum eſt.

Declaratur tamen, quòd propter præmiſſa non cenſeatur conceſſa licentia recipiendi novitios, niſi in locis novitiatu deſignatis, aut impoſterùm deſignandis, & pro numero dumtaxat in eorum ſingulis preſcripto, vel preſcribendo.

Denique ſi illi qui inter Religoſos gradu, & ordine Superiores ſunt, & alii, ad quos ſpectat, in prædictis omnibus, vel eorum aliquo delinquerint, ſeu quovis modo contrafecerint, officiorum omnium, quæ tunc obtinebunt, privationem, gravioreſque pro modo admiſſæ culpæ pœnas, ſe ſubituros certò ſciant, Datum Romæ apud S. Petrum die 19. Martii 1603.

Ant. Seneca, Reform. Apoſt. Secret.

Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimoquarto, Indictione ſeptima, Pontificatus autem Sanctiſſimi Domini N. D. Urbani Divina providentia Papæ VIII. anno ejus ſecundo, die vero vigeſima ſexta menſis Octobris, ſupradicta Decreta tamen Sacræ Congregationis Concilii, quamſan. mem. Clemen. VIII. affixa, & publicata fuerunt ad Valvas Baſilicarum Sancti Joannis Lateranen. & Principis Apoſtolorum, necnon in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per nos Camillum Fundatum, & Julium Marzitellium Curſores Sanctiſſimi.

Brandimartes Latinus pro Magiſtro DD. Curſ.

DE CONVERSIONE CONJUGATORUM.

Alexander III. Ubergen. Epiſcopo.

CAPUT I.

PRæterea, utrùm laicus uxoratus, qui præſentibus Sacerdotibus, & Monachis; ignorante Epiſcopo, de licentia & permiſſione uxoris, Monaſterium ingreſſus profeſſionem fecit, uxore in ſæculari habitu remanente, nec tranſeunte ad religionem, aut perpetuam continentiam vovente, ab Epiſcopo ſuo poſſit ad torum revocari uxoris; an illa compellenda ſit continentiam obſervare? Dicimus, quòd niſi uxor ad religionem tranſierit, aut perpetuò caſtitatem ſervare promiſerit, vir poteſt & debet de Monaſterio revocari.

SUMMARIUM.

1 *Profeſſus de uxoris licentia poteſt, & debet è monaſterio revocari, ſi uxor ſit ſuſpecta, & continentiam non promiſerit.*
2 *Secus ſi promiſerit continentiam, ſive ſit ſuſpecta, ſive non.*
3 *Uxor juvenis, quæ dedit viro licentiam profitendi, & caſtitatem vovit, an cogenda ſit non ſolùm ingredi monaſterium, ſed etiam profeſſionem emittere.*
4 *Profiteri, an, & quando aliquis præcisè cogi poſſit.*
5 *Uxor quæ dedit viro licentiam ingrediendi religionem, ſed caſtitatem non vovit, an poſſit directè virum repetere, & ille propria authoritate exire, & num. ſeqq.*
Et quid ſi ſit juris conſcia, n. 7. verſ. Prædictam concluſionem.
6 *Judex in materia peccati ex officio providere poteſt, ubi clauditur os agenti.*
7 *Maritus, cujus profeſſio non tenet, peccat, ſi ſe ab uxore alienet, aut ei cauſam adulterandi præbeat.*
8 *Votum religionis emiſſum à conjuge de licentia alterius non ſolemnizatur, niſi votum remanentis in ſæculo ſit perpetuum; ſecus, ſi temporale durante vita ingreſſi.*
9 *Uxor ſenex & non ſuſpecta ut poſſit in ſæculo remanere cum ſimplici voto caſtitatis, & vir ad religionem tranſire, an requiratur licentia Epiſcopi, & n. ſeqq. uſque ad n. 17.*
10 *Diſſimulatio aliquando accipitur pro approbatione.*
11 *Matrimonii ſeparatio non poteſt fieri ſine authoritate Eccleſiæ, & n. 13. & ſeqq.*
12 *Profeſſio facta à conjuge de licentia alterius caſtitatem voventis, tenet, etiamſine Epiſcopi licentia.*
13 *Conjux tranſire non debet ad religionem altero in ſæculo remanente cum voto caſtitatis ſine licentia Epiſcopo.*
14 *Uxor quando dicatur ſenex, & ſterilis, ad hoc ut poſſit in ſæculo remanere cum voto caſtitatis relinquitur arbitrio Epiſcopi, & num. ſeq.*

In-

15 *Intellectus cap.* Si vir. & uxor., 26. q. 2.
16 *Actus contra juris prohibitionem valet, ſi idem vel alia jura dicant factum valere.*
17 *Epiſcopus non poteſt concedere licentiam uxori, cujus vir ad religionem tranſivit, ingrediendi monaſterium Monialium, & ibi degendi cum ſimplici voto caſtitatis, & n. ſeq. uſque in finem.*
18 *Epiſcopus ita demum poteſt concedere licentiam ingrediendi ſepta monaſterii Monialium, ſi cauſa ſit neceſſaria, & reſpiciat monaſterium ipſum, non autem perſonam ingredientis.*
19 *Monaſteria Monialium ingredientes de Epiſcopi licentia ex cauſis litium matrimonialium, adulteriorum, & aliis hujuſmodi, incidunt in excommunicationem.*
20 *Licentiæ ingrediendi monaſteria Monialium pro mulieribus conjugatis, an & quommodo à Sede Apoſtolica concedatur.*

1 PRæterea. Si vir de uxoris licentia profitetur, & ipſa uxor ſuſpecta nec continentiam vovet, nec religionem ingreditur, Epiſcopus virum uxori reſtituet. Hoc dicit ſecundùm Joan. Andr. cum quo conſentiunt Butr. Cardin. Anchar. & Abb. Sed ſecundùm Joan. de Anan. hoc intendit juxta verum intellectum: Si vir ſine licentia Diœceſani profitetur, & ipſa uxor ſit juvenis, & ſuſpecta, non continentiam vovet, nec religionem ingreditur, Epiſcopus virum uxori reſtituet. Et ſic Joan. de Anan. videtur fundare reſtitutionem viri in omiſſione licentiæ Diœceſani: tamen non eſt recedendum ab intellectu Joan. Andr. & communi, quia Epiſcopi licentia non requiritur de neceſſitate, & ad validandum ingreſſum, ſed de honeſtate tantùm, ut ingreſſus ſit licitus, ut dicam infra *in ult. notab.* Communis diviſio. Secunda ibi *Dicimus.*

2 Nota primò ex illis verbis, *Nec perpetuam caſtitatem voventè*, quòd ſi uxor, de cujus licentia maritus profeſſionem emiſit, continentiam vovit, vir ejus non poteſt de Monaſterio revocari. Quod habet locum, ſive uxor ſit ſenex, & non ſuſpecta de incontinentia; ſive ſit juvenis: & ſuſpecta: utroque enim caſu tenet irrevocabiliter ingreſſus viri. Sed in hoc eſt differentia ſecundùm Hoſtien. *hic in fin.* quòd ſi uxor ſenex ſit, & non ſuſpecta, poteſt in ſæculo remanere, ut ex textus in *cap. Cùm ſis*, & ibi dixi *inf. eod.* Sed ſi ſit juvenis, & ſit ſuſpecta, cogenda eſt monaſterium ingredi.

3 In hoc tamen diſcrepant Innoc. & Hoſtien. quòd Innoc. cenſet hoc ſecundo caſu uxorem eſſe cogendam intrare monaſterium, non quidem ut fiat Monacha, & monialiter vivat, ſed ut cuſtodiatur à vagatione, & refrenetur, ne luxuriari poſſit. Ad hoc *cap. Uxoratus, in fin. infr. eodem*, & idem notat ipſemet Innoc. infrà in *cap. Significavit*; ſed Hoſtienſ. tenet uxorem ſuſpectam, poſtquam licentiam dedit, & continentiam vovit, cogendam eſſe ad ſolemnem profeſſionem; idque probat duplici ratione. Prima eſt, quia jura non admittunt hujuſmodi commixtionem non profeſſorum cum profeſſis, *cap. Clerici, & cap. Vidua ſupra tit. proxim.* Secunda eſt, quia uxor, quæ licentiam dedit, non peccavit, ut debeat poni in ergaſtulo ſicut dicitur in *cap. De lapſis. 16. q. 6. in cap. Si quis reſipuerit, 27. q. 1. & in cap. Gaudemus, infr eod.*

4 Nec obſtat, ſi dicatur: Sicut nemo præcisè cogitur ordinari, *cap. Quæris, de ætat. & qualit.* ita nec præcisè cogitur profiteri, arg. *cap. Integritas*, 32. *qu.* 1. quia reſpondet Hoſtienſ. hoc procedere in eo, cui non eſt quod imputetur: alioquin cogitur non ſolum monaſterium ingredi, ſed & profeſſionem emittere, *cap. Fraternitatibus*, 32. *diſt. & d. cap. Gaudemus.* Præterea uxor ab initio non cogitur profeſſionem emittere, niſi cauſativè, videlicet, ut viri ingreſſus ſit validus. In ipſa ergo eſt ab initio, utrum ad hoc velit ſe adſtringere. Cenſetur autem ſe tacitè adſtrinxiſſe, ex quo marito licentiam dedit, & vovit; & propter hoc recepta eſt illius profeſſio. Unde niſi id ſervet, ad quod tacitè ſe obligavit, peccat, & ideò eſt cogenda, arg. *l. Sicut, Cod. de act. & obligat.* nec ejus profeſſio dicetur abſolutè involuntaria, cùm habeat fundamentum in radice taciti conſenſus præexiſtentibus. Cùm opinione Hoſtienſ. quæ ante eum fuit Trancredi, tranſeunt *hic* Butr. *n.* 10. Anchar. *nu.* 3. *& in cap. Singnificavit, infra eod.* Jo. Andr. *num.* 4. Butr. *eod. num.* Cardin. *num.* 2. & alii communiter, & pro ea ſunt textus aperti non cavillando in *d. cap. Cum ſis*, §. 1. *& in d. cap. Significavit*, §. *fin.* eamque pluribus rationibus confirmat gloſſ. in eodem *cap. Significavit.* Et quamvis gloſ. ipſa poſtmodùm videatur inclinare, ut talis juvenis ſuſpecta, quæ vovit, non ſit cogenda ad religionem tranſire, ſed vir debeat illi reſtitui officio judicis: hoc tamen eſt verum, quando mulier dedit licentiam viro, ſed non vovit contientiam; cùm enim vovit, eſt vera prima pars illius gloſſæ, quòd ſit præcisè cogenda, ut hìc declarat Petrus de Anchar. *num.* 3. Sed Joan. Calder. conciliat opiniones fœdere diſtinctionis, videlicet, aut uxor, quæ dedit viro licentiam profitendi, & ſimpliciter vovit continentiam, erat juris conſcia, & compellitur profiteri, *cap. Qui uxorem*, 33. *q.* 5. aut erat juris inſcia: & tunc compellitur eſſe in monaſterio, ſed non profiteri, arg. *l. Cum de indebito, ff. de probat.* Et hæc Calder. diſtinctio placet *hic* Abb. Panorm. *num.* 8. *verſ. Joan. Calder. dicit*, & noviſſimè Baſilio Pontio *de imped. matrim. cap.* 9. §. 1. *verſ. Sed quid.*

Secundò nota, ad petitionem conjugis non voventis, de cujus licentia aliter conjux ingreſſus eſt religionem, non 5
revocari ingreſſum, ſed ſolo judicis officio, ut concludunt *hìc* Butr. *num.* 4. & Abb. *num.* 8. & ſic nota quòd in materia 6
peccati ubi clauditur os agenti judex ex officio providere poteſt. Ad hoc *cap. Ad noſtram, de jur. jur. & cap. Novit. de judic.* Sed in hoc oppoſitum tenet Innoc. in *cap. Quidam, num.* 3. *infra eod.* ubi tamen reſidet in hac opinione quòd non ſolùm remanens in ſæculo poſſit repetere conjugem ingredientem monaſterium, ſed etiam ipſe ingrediens poſſit petere conjugem in ſæculo remanentem: & movetur duabus rationibus. Prima eſt, quia unus conjugum vovere non poteſt ſine altero, ac ſi voveat, Promiſſum ſolvere non poteſt, *cap. Una ſola*, 33. *q.* 5. Secunda 7
eſt, quia cùm ejus ingreſſus non teneat, peccat, ſi ſe ab uxore alienet, vel ſi ei cauſam adulterandi præbeat, *c. Si tu*, 17. *qu.* 2. *cap. Veniens, ſupra tit. proximo.* Idque intelligit Innoc. procedere, etiamſi de voluntate conjugis, non tamen voventis intraſſet, cùm prædictæ rationes æquè vigeant, cùm tranſit ea invita, vel non vovente. Licèt ſubdat tutius eſſe, ut reductio ad conjugem fiat officio judicis, quàm ad petitionem conjugis. Eamdem opinionem tenet Vincent. infra in *cap. Significavit*, & ſequuntur *hìc* Joan. Andr. & Anchar. ambo *nu.* 3. Similiter refert Abb. Antiq. *hic nu.* 2. Petrum Magiſtrum ſuum tenuiſſe, quòd ingreſſus religionem de voluntate conjugis poterat exire etiam authoritate propria, niſi qui remanſit in ſæculo vellet ſe ad continentiam obligare. Nam cùm hìc dicatur, ut ingreſſus poſſit, & debeat de monaſterio revocari, ſi ipſe voluerit coactionem prævenire, & facere de neceſſitate virtutem, non videt, cur non poſſit. Non tamen egreſſus poterit debitum exigere, d. *cap. Quidam, infrà eodem.* Ita Abb. Antiq. cum quo tranſeunt Joan. Andr. & Anch. proximè citati.

Prædictam concluſionem, quòd maritus revocari poſſit ex monaſterio, non obſtante quòd profeſſus fuerit licentia uxoris non voventis, limitant aliqui, & præſertim Abb. *hic num.* 4. *verſ. Ego putarem*, ut non procedat, ſi uxor fuiſſet certificata, ſeu fuiſſet juris conſcia, quia tunc dando licentiam videretur tacitè continentiam vovere, & ſic non revocaretur ingreſſus mariti. Ratio eſt, quia qui vult unum, cenſetur velle omne id, per quod pervenitur ad illud, *cap. Prudentiam, de offic. de leg. l. Ad rem nobilem, & l. Ad legatum, ff. de Procur.* facit *cap. Vidua, ſupra tit. prox.* Sed ingreſſus mariti non poteſt irrevocabiliter fieri, niſi uxor voveat continentiam, *cap. Cùm ſis, infra eodem.* Ergo dando licentiam marito ingrediendi, videtur tacitè vovere. Ad hoc allegatur *cap. Qui uxorem*, 33. *quæſt.* 5. *d. cap. Veniens*, gloſſ. *in cap. Seriatim, in verb. Poſt mortem*, 32. *diſt.* & gloſſ. *in cap. Ex part. il primo, in ver. Conſentientem*, & ibi Abb. *num.* 4. *& 8. infra eod.* Item gloſ. *in cap. Agathoſa, in verb. Vel ipſa, in fin.* 27. *qu.* 7. Roſell. *in verb. Impedimentum*, 2. *in prino.* Tabien. *in ver. Matrimonium*, 1. *q.* 3. *n.* 4. Silveſt. *ver. Matrimonium*, 8. *q.* 12. *verſ. Quartum*, Sot. *in* 4. *diſt.* 27. *qu.* 8. *art.* 4. *col. penult.* & ex modernis Herinq. *in ſumm. lib.* 11. *cap.* 8. §. 9. & Sanchez *de matrim. lib.* 7. *diſp.* 33. *num.* 14. & videtur hæc opinio ſatis rationabilis, ſed tamen multùm reſtringit hanc litteram, quæ generaliter loquitur, & non fundat ſe in ignorantia uxoris, ſed in eo quòd caſtitatem non promiſit.

Præ-

Præterea ſi uxor juris conſcia dando licentiam marito profitendi cenſetur tacitè vovere, hinc ſequeretur, ut ſi eſſet juvenis, teneretur etiam monaſterium ingredi, vel ut compeſceretur à vagatione, ſecundum opinionem Innocentii, vel ut ſolemnem profeſſionem emitteret, ſecundùm opinionem Hoſtien. de qua ſupra *in primo notab.* cum uxor juvenis viro ad religionem migrante non poſſit in ſæculo remanere propter periculum fornicationis, ut in d. *c. Cùm ſis, & in cap. Uxoratus, infra eodem*. Quod tamen eſſet ſatis durum; & vix Doctores ad perpetuam clauſuram arctant mulierem, quæ expreſſo caſtitatis voto ſe obſtrinxit. In hoc tamen videntur convenire, ut mulier in dubio præſumatur juris ingnara, niſi probetur certificata. Ad quod induco litteram d. *cap. Cùm ſis, infra eod. Cùm ſis*, inquit, *præditus ſcientia litterarum, ignorare non debes Sanctorum Patrum conſtitutioni eſſe contrarium, ut vir uxore ſua, aut uxor viro ſuo non aſſumente religionis habitum debeat ad religionem tranſire*. Atque ita improbatur ibi ignorantia propter ſcientiam litterarum: ergo rudibus & imperitis, ſicuti ſunt mulieres, milites, agricultores, & alii de quibus in d. *l. Cùm de indebito*, permiſſum eſt illam conſtitutionem ignorare. Unde regulariter ſecus eſſet in maſculo, d. *c. Qui uxorem*, 33. *quæſt*. 5. & declarat *hic* Abb. *in fin.*

8 Tertiò nota, votum profeſſionis emiſſum à conjuge de licentia alterius conjugis non ſolemnizari, niſi altero religionem ingrediente, aut perpetuæ caſtitatis votum emittente; & ſic videtur non ſufficere votum temporale, quamdiu vixerit ingreſſus, ſecundum Anton. de Butr. *hic n*.3.

9 Ultimò nota ibi, *Ignorante Epiſcopo*, conjugatum non debere ingredi religionem, & profiteri ſine licentia Diœceſani, de quo tamen dic ut in ſequenti quæſtione.

Lucius propoſuerat ingredi Religionem Capuccinorum, & uxor conſentiebat, & monaſterium Monialium S. Claræ intrare parata erat, & in eo quoad viveret perſeverare cum ſimplici voto caſtitatis; ſed cùm eſſet quinquagenaria, ſolemniter profiteri non intendebat. Quæſitum eſt, an Epiſcopus poſſet impertiri licentiam Lucio tranſeundi ad Religionem, & uxori monaſterium intrandi cum ſimplici promiſſione continentiæ.

Hæc quæſtio duas habet inſpectiones. Prima eſt, an uxor in quinquageſimo ætatis anno dicenda ſit ſenex, & non ſuſpecta de incontinentia, adeò ut cum voto caſtitatis remanere poſſit in ſæculo; & hanc partem pleniſſimè examino infra in d. *cap. Cum ſis*. Secunda inſpectio eſt, quatenùs ſit ſenex, & non ſuſpecta, & continentiam voveat, an Epiſcopus prædictis conjugibus poſſit concedere licentiam petitam.

Et hæc inſpectio ſimiliter habet duas partes. Altera eſt, an ad hoc ut maritus tranſire poſſit ad religionem, & uxor non ſuſpecta in ſæculo remanere cum ſimplici caſtitatis promiſſione, requiratur licentia Diœceſani. Altera eſt, an Epiſcopus dare poſſit licentiam uxori monaſterium ingrediendi, non ut ibi ſit monialis, nec Regularem vitam ducat; ſed perpetuò degat in habitu ſæculari voto caſtitatis obſtricta.

Quoad primam partem putant nonnulli, ad hoc ut uxor ſenex, & non ſuſpecta poſſit in ſæculo remanere, & vir ejus ad religionem migrare, præter votum caſtitatis deſiderar. etiam licentiam Epiſcopi, per text. in *c. Si vir & uxor*, 27. *q*.2. ubi diſponitur, ut ſi vir, & uxor divertere pro ſola religioſa inter ſe conſenſerint vita, nullatenùs ſine Epiſcopi conſcientia fiat; & pro hac parte facit text. in d. *cap.*

10 *Cùm ſis*, dum dicit, Epiſcopum poſſe diſſimulare, ut ſi uxor ſit ſenex, & ſterilis, ea in ſæculo remanente & caſtitatem promittente, ad religionem tranſeat vir ejuſdem. Verba enim illa, *Diſſimulare poteris*, intelliguntur ibi à gloſ. & DD. de diſſimulatione approbationis. Ad idem videtur textus hìc, dum ponderat profeſſionem fuiſſe emiſſam ab altero ex conjugibus Epiſcopo ignorante.

11 Quæ ponderatio inepta eſſet, ſi Epiſcopi ſcientia aut conſenſus non requireretur. Atque ita hunc textum ad hoc expendunt Butr. *num*.2. *&* 5. & Abb. *num*.3. addentes rationem, quia cùm agatur de diſſolutione matrimonii quoad thorum, non debet hoc fieri ſine licentia Epiſcopi, c... *De conjangu. & affinit. cap. Significavit*, ibi, *Vices Archiepiſcopi, &c. infr. eod.* Et huic opinioni videtur adhærere gl. *hic in ver. Revocati*, dum ait; (Si talis eſt uxor, quæ non poſſit eſſe in ſæculo ſine ſuſpicione fornicationis, non ſufficit ſola licentia uxoris, ad hoc ut vir tranſire poſſit ad religionem, niſi & ipſa convertatur. Si verò ſenex eſt, ſufficit ſola licentia, interveniente Epiſcopi authoritate, & ipſa voveat.) Idem tenet Hoſt. in d. *c. Cum ſis*, *n*.3. *in verb. Permittas*, dicens: (Nam ſine te, qui es Epiſcopus, non poſſunt alia expediri,) ut notatur in *c. Significavit, infr. eod. in c*.2. *& c. Continebatur de deſponſ. impub.*

Tu diſtingue: Aut quæritur, an licentia Epiſcopi requiratur ad validitatem profeſſionis, & quidquid dixerit Majolus *de Irregular. lib*. 1. *cap*. 4. *num*. 5. tenendum eſt ingreſſum valere, licèt Epiſcopi licentia non præceſſerit: nam nec Clerici requirunt aſſenſum Epiſcopi ut neceſſarium, *cap. Duæ*, 19. *qu*.2. & ibi notant Vincent. & Joan. Andr. *hic in princ.* Et probatur efficaciter in hoc textu, ubi profeſſio facta fuit à marito de licentia uxoris ignorante Epiſcopo; & tamen in fine diſponitur, ut maritus ita demum poſſit, ac debeat è monaſterio revocari, ſi uxor non promiſerit caſtitatem. Ergo ſi caſtitatem promiſerit, maritus revocari non poterit, & ingreſſus valebit non obſtante Epiſcopi ignorantia. Idem deducitur ex *cap. Uxoratus, infr. eod.* ubi nulla ſit mentio de licentia Epiſcopi; imò inſcriptio directa eſt Prioribus, & Fratribus S. Joannis. Et hanc partem poſt Hugonem, & Laurentium tenent in d. *c. Si vir, & uxor*, 27. *q*.2. gloſ. *in verb. Conſcientia*, Archid. & Bellam. & tradunt *hic* Joan. Andr. *n*.1. Butr. *num*. 5. Cardin *qu*. 2. Feder. de Sen. *conſ*.37. *Caſus talis eſt*, *n*.2. ubi ait, quod hic dicitur de authoritate Epiſcopi, vel Vicarii, non eſſe de ſubſtantia; nam ſine ipſa valebit profeſſio alio remanente in ſæculo, & vovente; quem refert, & ſequitur *hic* Anchar. *num*.3. *verſ. Et hoc videtur tenere*, & Abb. *n*.3. *verſ. Sequitur etiam*. Idem notat Præpoſ. *in c. Seriatim*, *num*. 4. 32. *diſt.* ubi etiam allegat Abbatem in *cap. Uxoratus, infr. eod.* Et de conſuetudine non obſervari, ut petatur ejuſmodi licentia, teſtantur Vicent. Joan. Andr. & Card. ſupracitati. Quod etiam innuit gloſ. in d. *cap. Si vir, & uxor, in ver. Conſcientia*, dum ait: *Hoc generaliter obtinet, ut ſemper authoritate Eccleſiæ fiat ſeparatio*; ſi tamen ſine authoritate Epiſcopi iſtud fiat, tenet, ut generaliter interpretatur conſuetudo. 12

Aut quæritur, an licentia Epiſcopi requiratur de honeſtate; & tenendum eſt requiri ſecundùm Vincent. in d. *cap. Duæ ſunt*, Innoc. *hic in princ.* Hoſt. *nu*.1. *in verb. Ignorante*, qui ſupplet verbum *Maximè*, & ſequuntur Joan. Andr. Butr. Cardin. Abb. & alii proximè citati. Ratio eſt, ut inquit Abb. *num*.3. quia cùm per ingreſſum religionis alterius conjugis contingat matrimonii conſummati quoad thorum ſeparatio, non debet hoc fieri, cùm ſit ſacramentum in Eccleſia Dei, ſine licentia Epiſcopi. Quam rationem etiam perpendit gloſ. præalleg. in d. *cap. Si vir, & uxor*, dum dicit, hoc generaliter obtinere, ut ſemper authoritate Eccleſiæ fiat ſeparatio. 13

Præterea ad hoc ut valeat profeſſio mariti, requiritur, ut uxor remanens in ſæculo ſit ita ſenex, & ſterilis, ut non ſit ſuſpecta de incontinentia, juxta text. in *cap. Cum ſis*, *infr. eod.* Quando autem mulier ad hunc effectum dicatur ſenex, jura non præſcripſerunt. Et ſterilitas quamvis ut plurimum contingat mulieribus in quinquageſimo anno, *l. Si major quinquagenaria*, *C. de legit. hæred. l. Si ſterilis*, & ibi gloſ. *in ver. Quinquaginta*, *ff. de act. empti*. Raphael Fulgoſ. *conſ*. 212 *Quædam mulier*, *col*. 3. *verſ. In primo videtur*; tamen aliquando concipiunt etiam poſt quinquageſimum, ut de mulieribus Peruſinis teſtantur Bald. *conſ*.437. *Titius habebat Seiam*, *num*.9. *lib*.5. & Angel. *in d. l. Si major*. Tota igitur hæc materia relinquitur arbitrio Epiſcopi, perſpecta ætate, complexione, fecunditate, ac temperantia uxoris remanentis in ſæculo, ut poſt multa concluſimus in d. *cap. Cum ſis, in fin.* Et conſequenter priuſquam Diœceſanus ſingulas circumſtantias examinaverit, & arbitratus fuerit mulierem poſſe in ſæculo morari ſine periculo fornicationis, licere non debet viro ad religionem tranſire: quod apertè tenet *hic* Butr. *num*.5. dicens: (Quia agitur de diſſolutione matrimonii, quod ſpectat ad Epiſcopum, eſt examinare cauſam, an ſcilicet alter remanens in ſæculo dicatur tranſire dies ſuos, an non, & an poſſit honeſtè ſine altero remanere in ſæculo ſine ſuſpicione turpitudinis; ideò requiritur præſentia Epiſcopi, quia arbitrari ſpectat ad ipſum, & ideò ſatis neceſſaria videtur mihi hæc ſolemnitas in conjugato, cùm agatur de diſſolvendo matrimonio, quod debet fieri authoritate Epiſcopi, ne 14

con-

contingat, ut oppoſitum declaret; & ſic jam ſervare feci: ſed ne hoc poſtea revocaretur in dubium, tutius foret ex officio aliquid ſuper hoc interloqui.) Hæc Butr. Qui tamen ſubdit, ſi daretur ingreſſus religionis ſine Epiſcopi licentia, & conſtaret notoriè perſonam remanentem non eſſe ſuſpectam, teneret ingreſſus, quia impoſſibile eſt, ut Epiſcopus aliter declaret.

15 Et inhærendo ſupradictæ diſtinctioni non obſtant, quin potiùs favent jura in contrarium adducta; nam quod dicitur in *d. c. Si vir, & uxor*, 27. q. 2. procedit de conſilio, non autem de præcepto; ſecundùm gl. ibi, *in verſ. Conſcientia*, Archid. & Bellam. Prætereà ſubdit gl. illum text. poſſe intelligi in eo caſu, cùm conjuges volunt conſtruere monaſterium, in quo ſe convertant: id enim fieri non debet ſine authoritate Epiſcopi, *c. Nemo, de conſecr. diſt.* 1, & hodie ſtatutum eſt, ſeu potiùs innovatum decreto Concil. Trid. *in c. 3. ſeſſ. 25. de regul.* cui intellectui valdè conſonat litera: nam poſt illa verba, *Nullatenus ſine Epiſcopi conſcientia fiat*, immediatè ſubnectitur, *ut ab eo ſingulariter proviſo conſtituantur loco*.

Similiter ponderatio, quæ fit in hac decretali, quòd profeſſio facta fuerit ignorante Epiſcopo, intelligitur de honeſtate, & congruentia, ſecundùm Jo. Andr. & alios præallegatos *num.* 12. Nam eodem contextu ponuntur illa verba, *Præſentibus Sacerdotibus, & Monachis, Epiſcopo ignorante*; & ſic potiùs ibi narratur factum, ut advertit Abb. *n.* 2. & hæ ſolemnitates, vel exhibitæ, vel omiſſæ modicum faciunt, ex quo conſtat de profeſſione, ſecundùm Innoc. *hic in princ.* cujus dictum ſequuntur Jo. Andr. Card. & alii. De honeſtate itidem habet locum approbatio Epiſcopi, quæ elicitur ex d. *c. Uxoratus, infra eod.* ibi, *Diſſimulare poteris*.

16 Accedit, quòd etſi canones expreſsè prohiberent tranſitum conjugis ad religionem ſine authoritate Epiſcopi, tamen cùm non procedant ulteriùs irritando profeſſionem, & ex alio canone profeſſio facta etiam Epiſcopo ignorante declaretur valida, ut hìc deciditur in fine, ſequitur, ut actus factus contra legis prohibitionem non ſit nullus. Hæc eſt theorica Jo. Andr. *in c. Ad Apoſtolicam, nu.* 3. *ſupra tit. proxim.* quam ibi approbant Butr. *nu.* 8. Card. *item n.* 8. *in* 7. *oppoſit.* Henric. Boich. *circa med.* & alii communiter; habet enim locum eo caſu regula illius textus: Multa fieri prohibentur, quæ tamen ſi fiant, obtinent roboris firmitatem.

17 Quoad ſecundam partem dicendum eſt, Epiſcopum nullatenus poſſe impertiri licentiam uxori monaſterium Monialium ingrediendi, atque ibi perpetuò degendi abſque ſolemni profeſſione; quia Sacri Canones improbant hujuſmodi commixtionem non profeſſorum cum profeſſis, *cap. Pervenit, il 2. 18. q. 2. c. Ut Clerici, & c. Vidua, ſupr. tit. prox. c.* 16. *verſ. Finito, ſeſſ. 25. de regul.* Conc. Trid. & notat Hoſt. *hìc n.* 5. & Anch. *nu.* 3. *& in c. Significavit, inf. eod.* Jo. Andr. *n.* 4. & Butr. *eod. num.* & Card. *n.* 2. Item decreto *c.* 5. *ejuſdem ſeſſionis*, ſtatutum eſt, ut ingredi intra ſepta monaſterii nemini liceat, cujuſcumque conditionis, ſexus, vel ætatis fuerit, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda.

18 Et quamvis in Conſtitutione Bonif. VIII. quæ incipit, *Periculoſo de ſtat. Regul. lib.* 6. permittatur ſæcularibus, ut ingredi poſſint clauſuram monaſteriorum Monialium de illius ad quem pertinuerit, ſpeciali licentia, idemque permittatur in *d. c. 5. ſeſſ. 25. de regular.* ibi, *Sine Epiſcopi, vel Superioris licentia in ſcriptis obtenta*: tamen in *d. c. Periculoſo*, adjicitur conditio, *Si rationabilis, & manifeſta cauſa exiſtat*. Et in *d. c.* 5. immediatè ſubjungitur; *Dare autem tantùm Epiſcopus, vel Superior licentiam debet in caſibus neceſſariis*. Hæc autem neceſſitas ex ſententia S. Congr. Conc. debet reſpicere monaſterium ipſum, non perſonam ingredientis. Neque enim Sanctimonialium monaſteria inſtituta ſunt, ut ſæcularium commoditatibus, ſeù indigentiis ſubſerviant, *d. c. Pervenit, il 2. 18. q. 2.*

19 Ac proptereà cùm in diœceſi Salamantina conſueviſſent Epiſcopi concedere licentiam mulieribus ingrediendi monaſteria, in eiſque commorandi tum gratia commoditatis, tum ob cauſas urgentes, ut puta litium matrimonialium, adulteriorum, ac diſſenſionum inter viros, & uxores, ac his ſimilium, cùm alia loca non extarent, in quibus majori cum ſecuritate morari poſſent: & quæſiviſſet Epiſcopus, an ejuſmodi licentias ſibi concedere liceret. Die 19. Februarii 1604. Sac. Congregat. reſpondit non licere ullo modo Epiſcopis, vel permittere, vel licentiam concedere mulieribus, ut ex cauſis ſupra narratis Monialium monaſteria ingrediantur; imò ingredientes incidere in excommunicationem decreto Concilii, atque Summorum Pontificum Conſtitutionibus impoſitam; quòd ſi aliquis caſus acciderit, propter quem expedire videatur concedere talem licentiam, eam obtinendam eſſe à Sede Apoſtolica.

20 Porrò pro monaſteriis Italiæ, & Inſularum adjacentium, ejuſmodi licentiæ conceduntur à S. Congr. Regularium; ultra montes verò per literas Sanctiſſimi in forma Brevis, ſed nonniſi raro, & ex gravi cauſa, & committitur Ordinario loci, ut ſi videbitur, ponat mulierem in aliquo monaſterio, cujus tamen Conſtitutiones expreſsè non repugnent, de conſenſu Abbatiſſæ, & Monialium, & Miniſtri Provincialis, aut alterius Superioris earum: ſola autem ingrediatur ſine ullis prorsùs ancillis, & non exeat, niſi cùm videbitur; vitam, & clauſuram obſervet eo modo, quo Moniales ipſæ, & tamdiù ibi maneat, quamdiù Ordinarius cauſam allegatam durare cognoverit.

DE CONVERSIONE CONJUGATORUM.

Idem Alexander III. Salernitano Archiepiſcopo.

CAPUT II.

VErùm poſt conſenſum legitimum de præſenti, licitum eſt alteri, altero etiam repugnante, eligere Monaſterium, (ſicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt) dummodò carnalis commiſtio non intervenerit inter eos: & alteri remanenti (ſi commonitus continentiam ſervare noluerit) licitum eſt ad ſecunda vota tranſire. Quia cùm non fuiſſent una caro ſimul effecti, ſatis poteſt unus ad Deum tranſire, & alter in ſæculo remanere.

S U M M A R I U M.

1 *COnjux ante matrimonium conſummatum poteſt altero invito Religionem ingredi; ſed remanens in ſæculo, poteſt ad ſecunda vota tranſire.*

2 *Matrimonium ratum non conſummatum dirimitur per ſolemnem profeſſionem alterius conjugum.*

3 *Non autem per ſuſceptionem Sacri Ordinis.*

4 *Matrimonium ex carnali copula confirmatur.*

5 *Copula carnalis quamvis nihil addat ſubſtantiæ matrimonii, tamen addit quoad multa, ut hic.*

6 *Diſpenſatio an ſit concedenda, ut matrimonium ratum diſſolvatur per vota ſimplicia à viro emittenda in religione Societatis Jeſu, & n. ſeqq. uſque in fin.*

7 *Matrimonium ratum non diſſolvitur per vota ſimplicia.*

8 *Papa diſpenſat in matrimonio rato non conſummato ex gravi cauſa.*

9 *Et an ingreſſus in religionem Societatis Jeſu ſit cauſa ſufficiens, & num. ſeq.*

Et quid de promotione ad Epiſcopatum, & n. 12.

10 *Conjux religionem ingreſſurus cautionem præſtare debet, quod vel religionem profiteri, vel ad conjugium redire debeat infra duos menſes, & num. ſeqq.*

11 *Et quid poſt Concil. Trident.*

13 *Frigiditatis impedimentum perpetuum dirimit matrimonium.*

14 *Et ſi ſuperveniat poſt matrimonium ratum, an ſit juſta cauſa diſpenſandi ſuper eo.*

1 VErùm. Ante matrimonium conſummatum poteſt alter conjugum, etiam altero invito, religionem ingredi; ſed remanens in ſæculo poteſt ad ſecunda vota tranſire. Hoc dicit Joan. Andr. Butr. Card. Anchar. Abb. & Joan. de Anan. Primò ponit dictum. Secundò ipſius rationem, ibi, *Quia*.

2 Nota primò ex textu caſum notabilem, in quo diſſolvitur vinculum matrimonii contracti per verba de præſenti, ſcilicet per ingreſſum religionis, & ſolemnem profeſſionem in ea emiſſam, dummodò carnali copula non ſit conſummatum, quia cùm non fuerint una caro ſimul effecti, ſatis poteſt unus ad Deum tranſire, & alter in ſæculo remanere, ut in littera concordat, *cap. Deſponſatam*, 27. *qu.* 2. *cap. Ex publico, & cap. Ex parte, il ſecondo, infra eod. & in auth. de Sanctiſs. Epiſcopus*, §. *Sponſalibus quoque*, ibi: Si verò conſtante adhuc matrimonio, aut vir ſolus, aut uxor ſola intraverit monaſterium, ſolvatur matrimonium, *collat.* 9. & hìc notat gloſ. *ultim.* Innoc. *in ver. Satis poteſt*, ibi: Et credimus primi matrimonii vinculum penitùs frangi, & Abb. *n.* 8. dicens hanc opinionem à Doctoribus communiter teneri: licèt antiqui ſuper hoc variaverint, ut plenè notatur, ut in d. *cap. Deſponſatam*, in gloſ. *un.* 27. *q* 2. Hodie hoc eſt de fide, ut in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *de reformat. matrim. canon.* 6. *Si quis dixerit matrimonium ratum non conſummatum per ſolemnem religionis profeſſionem alterius conjugum non dirimi, anathema ſit.*

An autem idem juris ſit, ſi vir ad ſacros Ordines promo-
3 veatur, olim erat controverſum, ut differit gloſ. in *cap. unico, in verb. Sacri Ordinis, de vot. lib.* 6. Sed hodie hoc eſt expeditum in Extravag. Joan. XXII. *Altercationis antiquæ eod. tit.* quæ declarat ſpeciale eſſe in religionis ingreſſu, ut matrimonium ratum diſſolvatur; ſecùs verò in ſuſceptione ſacri Ordinis, quia hoc non reperitur jure cautum, nec per aliquem Sanctorum fuit unquam attentatum; unde ſi vir de facto ordinaretur, characterem quidem reciperet, ſed tamen compelleretur inſtante conjuge matrimonium conſummare, ut ibi deciditur, & firmat gloſſ. in d. *cap. unico*, & Abb. *hìc num.* 2. de quo ſcripſi pleniùs in *cap. Conjugatus, infr. eod.*

Secundò nota ibi, *Dummodò carnalis commixtio non in-*
4 *terveneri inter eos*, ex carnali copula matrimonium confirmari, ſecundum Abb. *hìc num.* 3. Quamvis enim quoad
5 ſubſtantiam matrimonii coitus nihil addat, *cap. Sufficiat*, 27 *quæſt.* 2. *l. Nuptias, ff. de reg. jur.* addit tamen quoad quædam. Primò ſcilicet quoad bigamiam, *cap. Debitum, ſupra de bigam.* Secundò, quoad ſignificatum, de quo ibi habetur. Tertiò, quoad impedimentum religionis ingreſſum, ut hic ſecundum Goffred. Quartò, quoad bonum prolis, *l. Liberorum, ff. de verb. ſignificat.* Quintò, quia multis modis per ipſum firmatur matrimonium, *ut cap. Tua, infra de ſponſalibus*, ſecundùm Hoſt. *hìc num.* 2. *in fine*, & Joan. Andr. *num.* 3. Adde ſeptimò, quia ſuper matrimonio conſummato non diſpenſat Eccleſia: nam quos Deus conjunxit, homo non ſeparat, *Matth.* 19. *cap. Quos Deus, &c. An quod*, 33. *quæſt.* 2. *cap. Ad limina*, 30. *quæſt.* 1. *cap. Quantò, ſupra de translat. Epiſcop.* Sed benè diſpenſat ſuper matrimonio rato non conſummato, ut notatur in *cap. Ex publico, infra eodem*, & dicam infra *num.* 8.

Ex facto quæſitum eſt, an concedenda ſit diſpenſatio,
6 ut matrimonium ratum non conſummatum diſſolvatur per vota ſimplicia à viro emittenda in Religione Societ. Jeſu.

Carolus Anton. Bononienſis die 13. Octobr. anno 1621. contraxit matrimonium per verba de præſenti cum Urſula, & infra bimeſtre ante conſummatum matrimonium recipit ſe in religionem Societatis Jeſu, in qua animo ſuſcipiendi habitum regularem in habitu ſæculari permanſit de licentia Sanctiſſimi D. N. tunc Archiepiſcopi Bononienſis, qui ſemel atque iterùm bimeſtre tempus ad ingrediendum religionem, de quo *in cap. Ex publico, infra eod.* ad totum hunc menſem Aprilis prorogavit, cùm 7
tempus hujuſmodi ſit arbitrarium judici, ſecundùm gloſ. *ibi in verb. infra duorum.* Sed quia ex Conſtitutione Gregorii XIII. *Aſcendente Domino*, tria vota Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, quæ poſt biennium in prædicta religione emittuntur, licèt ſubſtantialia ſint, non tamen ſunt ſolemnia, ſed ſimplicia, per quæ non dirimitur matrimonium ratum, ſicut dirimitur per ſolemnem profeſſionem, ut hic, & in concordantibus ſupracitatis *in primo notab.* & in puncto tenent quatuor authores ex ipſa Societate, videlicet Vaſquez *in* 1. 2. *q.* 96. *art.* 4. *diſput.* 165. *cap.* 10. Henriq. *in Summa lib.* 11. *cap.* 8. *nu.* 7. Sanchez *de matrim. lib.* 2. *diſput.* 8. *num.* 6. *& ſuper Decalog. tom.* 2 *lib.* 5. *cap.* 1. *numer.* 29. & Ribadeneira *in lib. de Societ. inſtitut. cap.* 19. §. *El primer es*; propterea Orator ſupplicat, ut Sanctitas Sua ex gratia dignetur ejuſmodi matrimonium dirimere, poſtquam expletis annis probationis in dicta religione vota ſimplicia emiſerit; præſertim quia obſtetrix deputata à Sanctiſſimo, facta inſpectione coram matrona retulit, Urſulam eſſe nimis arctam, & virum de propria impotentia plurimùm hæſitare.

Etſi dubitandum non ſit, quominus Summum Pontifex 8
diſpenſare poſſit ſuper matrimonio rato non conſummato, juxta communem Canoniſtarum ſententiam in *cap. Ex publico, infra eod.* & re ipſa Pontifices ſæpè diſpenſaverint, ut referunt Navarr. *in Manual. cap.* 22. *nu.* 21. & Cajetan. *in opuſc. tom.* 1. *tract.* 28. *de matirm. quæſt. unic.* & aliquando etiam ex ſententia Sacræ Congregationis Concilii: tamen illud etiam abſolutum eſt, hujuſmodi diſpenſationem abſque juſta, & gravi cauſa non eſſe concedendam: unde, ut refert Petr. de Sampſone *in d. cap. Ex publico*, cùm quidam Princeps petiiſſet ab Innoc. III. ut diſſolveret matrimonium non conſummatum, & Pontifex reſpondiſſet, ſe non poſſe; poſteà Principe allegante auctoritatem gloſſæ Vincentii in d. *cap. Ex publico*, Innocentius reſpondit; Maledictus qui te docuit: & quamvis Petrus non explicet, cur maledixerit docenti; tamen Abb. *ibidem ſub num.* 24. aſſerit id fortè factum fuiſſe, quia ſine maxima cauſa non debet Papa hoc facere: & in *cap. Ex parte il ſecondo, infra eodem*, idem Abb. *num.* 3. ait Papam non poſſe matrimonium ratum diſſolvere, niſi ex cauſa in jure expreſſa, vel omninò ſimili. Cæterùm cauſa 9
ingreſſus in Religionem Societatis Jeſu eſt voluntaria, nec gravis, ſeu maxima appellari poteſt. Item non eſt expreſſa in jure, nec omninò ſimilis, cùm longè aliud ſit vota ſimplicia emittere, ut notatur in *cap. unico, de voto lib.* 6. & Orator poteſt aliam eligere ex religionibus approbatis. Præſertim verò quia jura à religione ingredi volente 10
jubent recipi ſufficientem cautionem, quòd vel religionem profiteri, vel ad conjugum redire debeat infra ſpatium duorum menſium, juxta practicam d. *cap. Ex publico*, ut prudenter hoc caſu fuit obſervatum. Hoc autem 11
duorum menſium ſpatium, quod hodie extenditur ad annum propter decretum Tridentini Concilii *cap.* 15. *ſeſſ.* 25. *de Regul.* præfixum eſt à ſacris Canonibus, ne fiat injuria remanenti in ſæculo, ne tamdiu neceſsè habeat expectare & à copula abſtinere, ut ait Joan. de Anan. in eodem *cap Ex publico, num.* 6. Quod cùm ita ſit, juſtum non videtur ut concedatur diſpenſatio oratori ad ingrediendam religionem Societatis Jeſu, in qua vota ſimplicia nonniſi poſt biennium emitti ſolent; neque enim juſtum eſt, vel tutum uxorem tamdiù invitam continere, & in periculum incontinentiæ adduci. Propterea enim de jure communi Epiſcopus non debebat ingredienti religionem dare tempus probationis, niſi maritus conſentiret, ut notat ibi gloſſ. *in verb. infra duorum*, Innoc. *propè fin.* & Joan. Andr. *in gloſ. Nunquid, col.* 1. ubi ait Principem tempus probationis reſtringere ex cauſa, quia carnis ſtimulis non poteſt conjux reſiſtere.

Ad hæc Thomas Sanchez è Societate Jeſu *de matrimo-* 12
nio diſput. 16. *lib.* 2. *num.* 8. cenſet non eſſe juſtam cauſam diſpenſandi ſuper matrimonio rato non conſummato, ut vir tranſeat ad Epiſcopatum, niſi valdè neceſſarium eſſet ad bonum

bonum commune illum in Epiſcopum promovere; & tamen votum ſolemnizatur per ſacri Ordinis ſuſceptionem, ſicut per profeſſionem regularem, *d. c. unico, de voto, lib. 6.* ergo longè minus licebit diſpenſare, ut matrimonium diſſolvatur per tranſitum ad religionem, in qua finito probationis biennio vota non ſolemnizantur.

13 Porrò ſi mulier, aut vir habuiſſent impedimentum perpetuum frigiditatis, matrimonium ab initio fuiſſet nullum, *cap. Fraternitatis, de frigid. & malefic.* Sed ſi tale impedimentum poſt matrimonium, & ante copulam ſuperveniſſet; hęc fortè juſta eſſet cauſa concedendi diſpenſationem ſuper matrimonio rato, ſecundùm Alciat. *reſp. 21. n. 7. &* 8. quem refert & ſequitur Menoch. *de præſumpt. lib. 2. præſumpt. 10. n. 44* Sed ſterilitas, ſeu impotentia, cujus meminit Orator in ſupplici libello, eſſet priùs concludenter probanda ad ſacrorum Canonum præſcriptum.

DE CONVERSIONE CONJUGATORUM.

Idem Alexander III. Exonen. Epiſcopo.

CAPUT IV.

CUm ſis præditus ſcientia litterarum, ignorare non debes, ſanctorum Patrum conſtitutioni eſſe contrarium, ut vir uxore ſua, aut uxor viro ejus non aſſumente religionis habitum, debeat ad religionem tranſire: & infrà. Inde eſt quod auctoritate Apoſtolica prohibemus, ne in Epiſcopatu tuo virum vel uxorem (niſi uterque ad religionem migraverit) tranſire permittas. Verùm ſi ita uxor ſenex eſt & ſterilis, quòd ſine ſuſpicione poſſit eſſe in ſæculo, diſſimulare poteris, ut in ea in ſæculo remanente, & caſtitatem promittente, ad religionem tranſeat vir ejuſdem.

SUMMARIUM.

1 *Maritus ad Religionem tranſire non poteſt, niſi & uxor tranſeat, vel non ſuſpecta caſtitatem promittat.*

2 *Ignorantia juris non eſt probabilis in juriſperito.*

3 *Profeſſio unius conjugis non valet, niſi uterque profiteatur, aut remanens in ſæculo caſtitatem voveat, & careat periculo incontinentiæ.*

4 *Conjux non adulter poteſt religionem profiteri, licèt remanens in ſæculo ſit juvenis, & caſtitatem non promittat.*

5 *Matrimonium conſummatum, per adulterium, vel profeſſionem alteriùs conjugis non ſolvitur quoad vinculum.*

6 *Mors civilis an & quando æquiparetur naturali.*

7 *Uxor in qua ætate dicatur ſenex ad hoc ut cum ſimplici caſtitatis voto poſſit in ſæculo remanere, & maritus ad religionem tranſire, uſque in fin.*

8 *Uxor ut poſſit in ſæculo remanere, viro ad religionem migrante, debet eſſe ita ſenex, ut non ſit ſuſpecta de incontinentia.*

9 *Libidinis labes quæ in juventute contrahitur, in ſenectute frequentiùs expiatur, ſed non ſemper.*

10 *Incontinentiæ periculum oritur ex hoc ſolo quod conjux ſit juvenis.*

11 *Senectus quid ſit.*

12 *Senectutis initium aliter conſtituendum eſt quo ad univerſam hominis ſpeciem, & aliter quo ad ſingulos homines, de quorum ſenectute agitur.*

13 *Senectus in univerſum quando incipiat, variæ referuntur ſententiæ.*

14 *Ætates hominum quot ſint, & qualiter diſtinguantur.*

15 *Ætas virilitatis, & ſenectutis non determinatur à jure generaliter quo ad omnes; ætas augmenti ſecus, & cur.*

26 *Senilis ætas pro materiæ diverſitate vario modo à jure præſcribitur.*

17 *Senectus quo ad ſingulares homines an & quomodo probetur ex aſpectu corporis.*

18 *Canicies quale indicium ſit ſenectutis.*

19 *Puer ſeptem annorum capite admodùm cano apud Cardinalem Paleottum.*

20 *Senis centum annorum mirabile exemplum à Hieronymo recenſetur.*

21 *Senes qui dicantur, arbitrio judicis relinquitur in caſibus, in quibus nulla ætas præfinita eſt.*
Senior quandoque eſt aliquis in quinquageſimo anno, quàm alius in ſexageſimo, ibid.

22 *Arbitrium in ſenectute dijudicanda qualiter ſit regulandum.*

23 *Senex ante quinquageſimum annum ut quis dicatur, non reperitur jure cautum.*

24 *Septuagenarii indiſtinctè dicuntur ſenes, nec quoad eos eſt locus arbitrio judicis.*

25 *Senes octuagenarii non excuſantur à perſonaliter comparendo, ſi ſint robuſti.*

26 *Ætates hominum ſecundum ſubjectam materiam diverſimodè limitantur, & terminantur.*

27 *Uxor in qua ætate judicanda ſit ſenex, ut poſſit in ſæculo remanere cum voto ſimplici caſtitatis, jura non præſcripſerunt.*

28 *Dicitur ſenex, & non ſuſpecta, ſi ſit ſexagenaria juxta opinionem Soti.*
Contrarium, num. 45. uſque ad num. 82. & præſertim num. 65.

29 *Juvenis dicitur quis ante ſexageſimum annum quoad hoc ut poſſit cum eo ſuper inceſtu diſpenſari, & n. 73. verſ.* Et ex his patet.

30 *Abbatiſſa in qua ætate ſit eligenda, & n. 74.*

31 *Vidua an poſſit eligi in Abbatiſſam, & n. 76.*

32 *Senex ſexagenarii an excuſentur à jejunio, & num. 78. & ſeq.*

33 *Senilis corporis ſtatus ex levi momento in morbum decidit.*

34 *Senes ſexagenarii non includuntur in exceptione Bullæ Cruciatæ ab indulto veſcendi lacticiniis, & n. 95.*

35 *Vita in calore ſita eſt.*

36 *Mulieres ſunt viris frigidiores.*

37 *Uxor quinquagenaria poteſt in ſæculo remanere cum voto ſimplici caſtitatis, ſecundum opinionem Sanchez.*
Contrarium, num. 82.

37 *Lex Julia Poppeja prohibens viris poſt ſaxageſimum annum, & mulieribus poſt quinquageſimum nuptias contrahere, à quibus, & cur fuerit abrogata, & nu. 65. verſ.* Et hæc fuit ratio.

39 *Matrimonium poſt pubertatem in quacumque ætate contrahi poteſt.*

40 *Potentia generandi in maſculis, & fœminis, in quam uſque ætatem protendatur, & num. 65.*

41 *Mulier non dicitur ſtudere procreationi liberorum à quinquaginta annis ſupra.*

42 *Liberta quinquagenaria non tenetur ad operas.*

43 *Teſtes an dicantur ſenes in quinquageſimo anno quoad hoc ut examinari poſſint ad æternam rei memoriam, & n. 88.*

44 *Mulieres quinquagenariæ etiam robuſtæ non tenentur ad jejunia Eccleſiæ.*
Contrarium, n. 89.

45 *Senectus, & ſterilitas copulativè requiruntur ad hoc ut uxor poſſit remanere in ſæculo cum voto ſimplici caſtitatis.*

46 Sterilitas ratione naturæ non aufert incontinentiæ ſuſpicionem, & n. ſeq.
47 Mulieres natura ſteriles ſunt præceteris libidinoſæ.
48 Mulieres natura produxit ad generandum, & infixit eis concupiſcentiam, & deſiderium matrimonii.
49 Pudor eſt mulieribus nuptiarum præmio non habere.
50 Mulieres in qua ætate incipiant eſſe ſteriles.
51 Cornelia è Scipionum familia poſt ſexageſimum ſecundum annum Voluſium Saturnum peperit.
52 Mulierum exempla, quæ poſt quinquageſimum annum conceperunt, & n. ſeqq.
53 Partus quinquagenariæ mirabilis eſt quia rarus, ſed non miraculoſus, n. ſeqq. & n. 63. & 64.
54 Federici Imperatoris mater quinquagenaria publicè voluit parere, & cur.
55 Sterilis à natura, & major quinquagenaria æquiparantur.
56 Iura conſtituuntur ex iis, quæ frequentiùs accidunt. Declaratur, n. 60. & ſeq.
57 Argumentum à communiter accidentibus valet.
58 Lex de miraculoſis non fertur. Declaratur, nu. 64.
59 Vivere præſumitur, qui non probatur mortuus, niſi poſt annum centeſimum.
60 Intellectus l. Jura, cum tribus ſeqq. ff. de legibus, & n. ſeqq.
61 Legislatores non contemnunt ea, quæ præter naturam contingunt, licèt rarò. Filii tergemini in utero eſſe à jure præſumuntur, ibid.
62 Filius natus octavo menſe, an ſuccedat, & hæreditatem tranſmittat.
63 Leges non aptantur ad ea quæ ſemel tantùm, aut bis poſſunt contingere, verſ. Reſpondet ſecundò.
64 Miraculum propriè quid ſit, & quæ requirantur de ratione miraculi.
65 Viris juris præſumptione uſque ad ſexageſimum annum poſſunt progenerare; ideòque antea eam ætatem non carent ſuſpicione incontinentiæ.
66 Niſi contrarium apparet, in quo judicis arbitrium verſabitur.
67 Virorum exempla, qui poſt octuageſimum annum liberos procreantur.
58 Major annis ſeptuaginta an poſſit maſculos procreare.
69 Filius an potiùs præſumatur natus ex patre ſeptuagenario, quàm ex adulterio.
70 Sterilitas mulierum præcurrit juris præſumptione ſterilitatem virorum annis decem, & ſecundum Philoſophos annis viginti.
71 Ætas congrua nubendi quæ ſit ex ſententia Ariſtotelis.
72 Eliſabeth conceptio miraculoſa.
73 Chriſti conceptio ex Spiritu Sancto fuit miraculum miraculorum.
74 Intellectus c. Juvenculas, 20. q. 1.
75 Senes vividi gubernationi ſunt aptiſſimi.
76 Intellectus cap. Quomodo, 31. q. 1. Mulieres ſexagenariæ Apoſtolorum tempore eligebantur propter prædicationis officium, ut eis pannos lavarent, & inſervirent, ibidem.
77 Corrupta indecorum eſt, ut præſit virginibus.
78 Senes in qua ætate à jejunio excuſentur, non eſt à jure determinatum.
79 Senectus ſola non excuſat à jejunio Eccleſiæ, niſi adſit aliqua ſenilis infirmitas.
80 Opinio Cajetani, & Navarri circa jejunium ſenum expenditur.
81 Minores tertio ſeptennio non tenentur jejunia Eccleſiæ obſervare.
82 Senectutis initium ut minimum conſtituitur in quinquageſimo anno.
83 Senectus ſola non ſufficit, ut abſit incontinentiæ periculum, ſed deſideratur aliquis ſenectutis progreſſus.
84 Præſumitur quis continentiam ſervaturus ratione antiquæ ætatis, etiamſi tempore juventutis caſtitatem non ſervaverit.
85 Major quinquagenaria, quæ concepit in quinquageſimo anno, non vacat à periculo incontinentiæ.
86 Senectus, & ſterilitas non ſufficiunt ad hoc, ut uxor remanere poſſit in ſæculo, ſi aliundè appareat de illius intemperantia.
87 Uxor de cujus licentia maritus profeſſionem emiſit, ſi ſit ſuſpecta de incontinentia, & caſtitatem promiſerit, an ſit cogenda ingredi Monaſterium, ut cuſtodiatur à vagatione, an verò ut ſolemniter profiteatur.
88 Teſtes in dominio Mediolanenſi dicuntur ſenes in ſexageſimo anno, quoad examen ad æternam rei memoriam.
89 Opinio Sanchez; quæ excuſat mulieres quinquagenarias à jejunio Eccleſiæ, refellitur.
90 Opinio ſi ſpeculativè ſit verè probabilis, eſt etiam tuta practicè.
91 Senes diu jejunium ferre non poſſunt, ſed egent cibo crebro, & modico ex ſententia Hippocratis. Procedit in decrepitis, & ſenio confectis tantùm, ibidem.
92 Mors in extrema ſenectute ſine dolore.
93 Senes non decrepiti facillimè jejunium ferunt.
94 Senes ſeptuagenarios, non ſexagenarios, excuſat à jejunio Eccleſiæ communis opinio.
95 Ætas quæ in viris eſt ſexagenaria, incongruè dicitur quinquagenaria in mulieribus quoad effectum jejunii.
96 Mulieres faciliùs jejunium tolerant quàm viri, & cur.
97 Mulierum exempla, quæ ſine ullo cibo diu vixerunt.
98 Jejunantes ſine corporis detrimento, imò & cum utilitate utuntur modica refectione loco cœnæ.
99 Uxori ante quinquageſimum annum licentia remanendi in ſæculo non eſt concedenda; poſt annum verò quinquageſimum concedi poteſt arbitrio Epiſcopi, & quomodo ejus arbitrium regulari debeat.

Cum ſis. Uxoratus ad religionem tranſire non poteſt 1
niſi & uxor tranſeat, vel niſi de incontinentia non ſit
ſuſpecta, & caſtitatem promittat. Hoc dicit. Primò ponitur ratio. Secundò deciſio, ibi, *Inde eſt*. Ex principio
litteræ, *Cùm ſis præditus ſcientia litterarum*.

Nota primò, juris ignorantiam non eſſe probabilem in 2
juriſperito: turpe enim eſt nobili, & Patritio ignorare jura,
in quibus verſatur, *l. 2. §. Servus, ff. de orig. jur.* ſed turpius
eſt Epiſcopo canones ignorare, *cap. Vel non eſt compos, de
temp. ordin. c. Omnes* 38. *diſt.* de quo ſcripſi *in c. 1. ſupr. de
Summ. Trinit. & fid. Cathol.*

Secundò nota non valere religionis ingreſſum alteriùs 3
conjugis, niſi aut uterque religionem ingrediatur, aut remanens in ſæculo caſtitatem voveat, & careat periculo in-
continentiæ. Quod tamen fallit ſecundùm Innoc. & alios 4
hìc, ſi propter adulterium lata ſit ſententia divortii: quia
tunc conjux innocens poteſt religionem ſolemniter profiteri, licèt remanens in ſæculo ſit juvenis, & continentiam
non promiſerit. Et in his terminis loquitur tex. *in c. Agathoſa* 27. *quæſt.* 2. Ratio eſt, quia eo caſu conjux propter 5
adulterium eſt ſolutus à ſervitute alteriùs, *c. Conſtitutus,
& c. Gaudemus, infrà eod.* Cæterum quamvis ſic profeſſus
ſit mortuus mundo, *c. Placuit* 16. *quæſt.* 1. non tamen durante vita naturali illius poterit alter conjux matrimonium contrahere, ut probatur *in c. Licitè* 32. *q.* 7 juncto tex.
hic. Nam *in d. c. Licitè*, patet matrimonium per adulterium conjugis non ſolvi quoad vinculum: quod hodie diffinitum eſt a Tridentina Synodo *in can. 7. ſeſſ. 24. de Sacram. Matrim.* Et ex hoc textu colligitur matrimonium
non ſolvi per ingreſſum religionis, ex quo fuit conſummatum; & ſic nota caſum ſecundum Goffred. in quo mors ci- 6
vilis non æquiparatur naturali, contra id, quod habetur
in l. Deo nobis, C. de Epiſc. & Cleric. de quo tamen dic,
ut per Hoſtien. Joan. Andr. Butr. Anchar. Cardin. & Abb.
hìc, & per Dyn. *in l. Ex ea parte, §. In inſulam, de verbor. obligat.* Joan. Andr. *in cap. Suſceptum, de reſcript. lib.*
6. Bart. Bald. & DD. *in l. Gallus, §. Et quid ſit tantum, ff.
de liber. & poſth.*

QUÆRO, in qua ætate uxor dicatur ſenex ad hoc, ut 7
cum ſimplici caſtitatis voto poſſit in ſæculo remanere, &
maritus aliquam ex Religionibus approbatis ſolemniter
profiteri valeat.

Dubitationi cauſam præbuit quidam Lucius, qui cupiebat ingredi Religionem Fratrum Capuccinorum, uxorque aſſentiebatur, & in Monaſterio Monialium S. Franciſci quamdiu viveret morari, & perpetuam caſtitatem vovere parata erat; ſed profiteri ob ingraveſcentẽ ętatem annorum quinquaginta, & infirmam valetudinem non intendebat.

debet. Quæſitum eſt an eſſet annuendum prædictis conjugibus ſupplicantibus, ut uxor ſimplici caſtitatis voto adſtricta Monaſterium ingredi, & vir Religionem Capuccinorum ſolemniter profiteri poſſet.

8 In hac quæſtione ſupponendum eſt pro conſtanti ex Sacrorum Canonum præſcripto duo eſſe neceſſaria ad hoc, ut uxor poſt matrimonium conſummatum cum ſimplici caſtitatis voto poſſit in ſęculo permanere, viro ad Religionem tranſeunte. Alterum, ut ſit ſenex, alterum, ut non ſit ſuſpecta de incontinentia. Jura ſunt clara hìc *in verſ. Verùm, ſi ita ſenex eſt uxor, in c. Significavit*, ibi, *Si eſt talis ætatis, de qua ſuſpicio haberi non poſſit, & in c. Ad Apoſtolicam, inf. eod.* ubi Innocent. III. primo conſtituit regulam dicens: [Cum vir, & uxor una caro ſint per copulam conjugalem effecti, nec una pars converti poſſit ad Dominum, & altera remanere; profectò non eſt alter conjugum recipiendus ad obſervantiam regularem]. Deinde ſubjicit limitationem: [Niſi reliquus forte ſit ejus ętatis, ut ſine ſuſpicione incontinentiæ valeat in ſeculo remanere]. Atque ita hęc duo debere copulativè concurrere, ſentit gl. *in cap. ſeqq. in ver. Continentiam*, Hoſt. *hic n.* 4. & expreſſiùs Card. *in* 2. *oppoſ.* & Butr. *in d. c. Uxoratus n.* 1. Ac propterea, ſi uxor

9 eſſet quidem ſenex, ſed tamen appareret ſuſpecta de incontinentia, non eſſet ei annuendum, ut remaneret in ſæculo cum voto ſimplici caſtitatis, ut per Innoc. *in d. c. Significavit*, Card. *ubi ſuprà*, & Silveſt. *in ver. Divortium qu.* 13. *num.* 16. *verſ. Tertio ex conſenſu alterius*. Quamvis enim libidinis labes, quæ nonnunquam in juventute contrahitur in ſenectute frequentiùs expietur, ut legitur *in cap. Cum in juventute, de præſumpt.* hoc tamen non eſt perpetuum, ut ibi notat gloſſ. Frequentiùs, inquit, non tamen ſemper. Nam difficilè continentiam ſervat, qui illicito ſe concubitu maculare non metuit, §. *Quod verè* 34. *diſt.*

10 Idemque obſervandum eſſet in caſu converſo, ſi mulier careret incontinentię ſuſpicione inſpectis honeſtis ejus moribus, ſed tamen non eſſet ſenex; quia canones initio citati non requirunt ſimpliciter, ut abſit timor fornicationis, ſed ponderant ætatem ſenilem, atque ita exigunt, ut ceſſet hujuſmodi periculum ex cauſa ſenectutis, ut notant infra *in c. Proximo*, Hoſt. Jo. And. & Butr. *in fin.* Card. *q.* 4. & Abb. *n.* 4. Eſſet enim valdè periculoſum, ut uxor juvenis viro aſſueta utcumque honeſta tamdiu moraretur in ſeculo, cùm juventus ſit ſemper expoſita variis incontinentię caſibus; ideòque Butr. infr. *in c. Proximo, in fin.* Non video, inquit, ſi mulier eſt juvenis, qualiter non ſit ſuſpecta, quia mulieres ſunt volubiles, ut rota. Quapropter ex hoc ſolo, quod conjux remanés in ſęculo ſit juvenis, quoad hunc effectum oritur incontinentię ſuſpicio: idque ſatis probatur *in c. Epiſcopus* 77. *diſt.* ubi ſic ſtatuitur: Si conjugati juvenes conſenſerint ordinari, etiam eorum voluntas ita requirenda eſt, ut ſequeſtrato manſionis cubiculo, religione promiſſa, poſteàquam pariter converſi fuerint, ordinentur. Qui tex. licèt variè à Doctoribus exponatur: tamen ſecundum Prępoſ. *in c. Si ſe* 28. *diſt.* non cavillando litteram efficaciter probat uxorem juvenem debere ad religionem tranſire, ſi maritus ad Sacros Ordines promoveri velit, ut latiùs dicam infra in *c. Proximo num.* 9. Ergo idem dicendum, ſi maritus velit profiteri religionem. Quo argumento utuntur Hoſt. Joan. Andr. & alii proximè citati. Cùm igitur Sac. Canones requirant, ut uxor remanens in ſæculo ſit ita ſenex, ut ſit immunis à ſuſpicione incontinentię, inveſtigandum eſt, in qua ætate ad hunc effectum dijudicanda ſit ſenex. Ad cujus rei evidentiam abs re non erit aliqua præmittere de ſenectute in genere, ac de ſenectutis initio, & progreſſu.

11 Primùm igitur, ut inquit Cardin. Paleott. *de bono ſeneſt. p.* 1. *col.* 2. *in fin.* receptum eſt apud omnes, noviſſimum illud temporis intervallum, quod exactis cæteris vitę ſuperioris gradibus uſque ad mortem ſupereſt, ſenectutem vocari tamquam extremum humanę vitę actum, quem Cicero appellat *Occaſum vitæ*, & S. Th. *Ultimam ætatem hominis, in* 4. *diſt.* 43. *art.* 3. *q.* 2. Eſt autem ſenectus frigidum, & ſiccum corporis temperamentum, annorum multitudinis ratione proveniens, ut diffiniunt Medici, quos ſuppreſſo nomine refert Card. Paleott *loc. cit.* Diffinitio eſt Galeni *lib.* 5. *de ſanit. tuen. c.* 9. *claſſ.* 2. cui non abſimilis eſt alia, quæ affertur in lib. diffinitionum Platoni aſcripto, videlicet: *Senectus eſt imminutio animalis à tempore contingens*; necnon alia, quę habetur in lib. diffinitionum Medicarum, qui Galeno tribuitur, *in lib.* 6. *Iſagog. Senectus eſt ætas, in qua diminuitur animal.* Quod ipſum innuit Ariſt. *de juventute, & ſenectute c.* 13. dum ait: *Juventus eſt prima refrigerativæ augmentatio; ſenectus autem hujus decrementum. Et quæ in plantis vocatur ariditas, in animalibus vocatur ſenectus.*

Verùm quo tempore homines incidant in hujuſmodi temperamentum, Medici dixerunt non poſse certa ratione præſcribi ob magnam varietatem, quam ſolent homines ex aliis, atque aliis cauſis contrahere; ſicut non præſcribitur *in cap.* 1. neque *in c. Niſi cum pridem*, §. *Alia de renunt.* & propterea initium ſenectutis aliter docuerunt conſtituendum eſſe quoad univerſam hominis ſpeciem, & aliter quoad ſingulos homines, de quorum ſenectute agitur. 12

Et quidem in univerſum quoad humanam ſpeciem, ut refert Menoch. *de arbit. judic. lib.* 2. *cent.* 1. *caſ.* 59. *n.* 1. Hippocrates arbitratus eſt ſenem dici à quadrageſimo ętatis anno uſque ad quinquageſimumſextum, Servius Tullius ſenes judicavit poſt exactum annum quadrageſimumſextum, Varo poſt quadrageſimumquintum, Galen. *lib.* 5. *de ſanit. tuen. c. ult. claſſ.* 2. relatus à Bracheo Turonenſi *in l. Pueri n.* 9. *de verb. ſignif.* ętatem ſenilem tripartitò dividit. Primam appellat viridem, aliàs crudam ſenectutem, & hęc à Menochio potiùs quam à Galeno concluditur ab anno quinquageſimo in ſexageſimum. Secunda quam propriè ſenectutis nomen habere voluit, incipit in ſexageſimo, & definit in ſeptuageſimum. Tertia decrepita, quę conficit quod reliquum eſt ætatis. Licet Paleott. *loc. cit.* generaliter afferat Medicos à quinquageſimo anno uſque ad ſexageſimum ſenectutem protraxiſse. 13

Iſidorus *lib.* 6. *Etym.* & poſt eum Archid. *in c. Unico n.* 2. *de Cleric. ægrot. lib.* 6. & Jo. Andr. *in proœmio ejuſdem compilationis num.* 22. ſic diſtinguunt ſeptem ætates hominum. Prima eſt Infantia, quæ durat uſque ad ſeptimum annum, ut *l.* 1. *ff. de adminiſtr. tutor.* de qua *in l. Si infanti, C. de vir. deliber.* Secunda exinde uſque annum decimumquartum eſt Pueritia, ſic dicta, quia pura eſt, necdum ad gignendum apta, de qua habetur *in c. Pueri* 1. *q.* 1. *in c. In veteri* 77. *diſt. & in c. Indecorum, de ætat. & qualit.* Tertia ætas eſt Adoleſcentia, ſeu Pubertas, de qua *in c. Puberes, de deſpon. impub.* & hæc protenditur uſque ed vigeſimumquintum annum, *l.* 1. *in fin. ff. de minor.* Quarta eſt Juventus, de qua in *c. Juvenis, in princ. de ſponſal.* & hæc ſecundùm eos concluditur in quinquageſimo anno. Quinta eſt Virilitas, ideſt gravitas, quæ eſt declinatio à juventute in ſenectutem, quæ initium ſumit ab anno quinquageſimo, & definit in quinquageſimonono, cujus fit mentio *in c. Petiiſti* 7. *q.* 1. Sexta eſt ſenectus, quæ nullo determinato annorum numero finitur. Senium verò eſt ultima pars, ſenectutis, & hanc appellat ætatem quieſcentium, Joan. Andr. *ubi ſupra*, de qua *in l. Senium, C. qui teſtam. fac. poſſ.* 14

Sed gloſs. *in proœm. Sexti, in ver. Perfectus*, ſex tantùm ætates aſſignans poſt infantiam, pueritiam, & adoleſcentiam: Quarta, inquit, eſt juventus, vel virilis ætas ab anno vigeſimoquinto uſque ad quinquageſimum. Quinta ſenectus uſque ad ſeptuageſimum. Sexta abinde, & dicitur ſenium, aliarum ætatum terminus.

Accurſius *in l. Hæreditatum, in gl. à prima ætate, ff. ad l. Falcid.* quatuor tantùm ætates conſtituit, videlicet impubertatem uſque ad duodecimum, vel decimumquartum annum, *l. penult. C. de impub. & aliis ſubſtit.* adoleſcentiam uſque ad vigeſimumquintum, *l. Non aliter in fin. de legat.* 3. juventutem exinde uſque ad quadrageſimum, *d. l. Non aliter in fin.* abindè ſenectutem, vel ſenium, ut *l. Maiores, ff. de jur. immun.* Receptior tamen videtur ſententia gl. pręallegatæ *in proœm. Sexti*, quam ibi dicunt eſse tenendam Jo. Andr. *n.* 22. & Gemin. *in gl. in ver. Perfectus*, & ſequuntur Grammat. *dec.* 34. *in princ.* Joan. de Anan. *in rubr. de delict. puer. col.* 1. Afflict. *in Commentariis ad Conſtitutiones Napolitanas lib.* 2. *rubr.* 37. *in fin.* Abb. *in c. Quoniam frequenter*, *n.* 18. *verſ. Illud etiam conſiderandum, ut lit. non conteſt.* ubi per illam gl. tenet ſenectutem incipere à quinquageſimo anno, eò quòd juventus incipiat à vigeſimoquinto, & duret uſque ad quinquageſimum.

Verùm etſi leges præſcripſerint, quot anni requirantur ad Infantiam, Pueritiam, Adoleſcentiam, & Juventutem, ut in juribus præallegatis: tamen generaliter quoad omnes nullibi reperitur determinatum, quot anni exigantur ad virilitatem, & multò minùs ad ſenectutem, ut patet *in ead. l. Non aliter, §. fin. de legat.* 3. Rationem diverſitatis aſſignat eleganter Cajetan. *in* 2. 2. *qu.* 147. *art.* 4. *verſ. Ad primum*: 15

[Senectus, inquit, non eſt evidenter omnibus una, ſicut ętas augmenti; quoniam ętas augmenti determinatur ab ortu, qui certus eſt; ętas verò ſenectutis à naturali occaſu, qui incertus eſt. Sunt enim quidam ſexagenarii ita fortes, ut alii quadragenarii, & unus altero habet multò plures circulationes cœleſtes, propter quod contingit fortè aliquem eſſe ſenem in trigeſimo, aliquem in quadrageſimo, vel aliquo
16 hujuſmodi anno.] Itaque pro materię diverſitate jura aliter, atq; aliter ętatem ſenilem præſcripſerunt, ut notat gl. *in d. l. Non aliter, in ver. Seniores*, & latiùs patebit infrà *n. 26.*

17 Sed quoad ſingulares homines, de quorum ſenectute agitur, ſolent nonnulli æſtimare ſenectutem ab exteriori corporis ſpecie, videlicet à rugis, vultu, ſeu cutis ariditate atque aliis hujuſmodi ſignis, & pręcipuè à canitie, Tiraqu *l. 6.*
18 *Connub. n. 7.* Quorum opinioni ſuffragatur text. *in c. Magnæ, de vot.* ibi, Ætatis in te ſeneſcentis defectus, atque canities vix labores, & dolores ſuos tolerare poſſunt. Item text. *in Auth. de q. §. Si verò vitæ occaſione*, ibi, *Corporum eorum ſtatum qualis quis eſt inſpicere*, & §. *Si verò alicui*, ibi, *Læſos autem, aut læſa ſcorpore, aut canitie graves, hos ſine moleſtia eſſe jubemus.* Per quem textum Angelus ibi *circa fin.* & Bar 1. *in l. Similiter*, per text. ibi *nu. 6. C. de mendicant. valid. lib. 11.* dicunt ſenectutem probari per aſpectum corporis adinſtar minoris ætatis, juxta *l. Minor vigintiquinque annorum ex aſpectu, ff. de minor.* & ſequuntur Grammat. *dec. 48. n. 19.* & Menoch. *de arbitr. judic. lib. 2. cent. 2. caſ. 117. n. 2. verſ. Id quod non modò.*

Verum hęc conjectura nec perpetua, nec prorſus certa eſt; cum multi ętate adhuc florentes feſtinam, ac prematuram gerant canitiem, qui præcani dicuntur, qualem ſe fuiſſe Horat. Poeta ſcribit, & de quibus Boet. *de conſolat. in princip.*

Intempeſtivi funduntur vertice cani.

19 Unde refert Plinius, in Albania gigni quoſdam à pueritia ſtatim canos, & Paleott. *in tract. de bon. ſenect. p. 1. col. 2. in fin.* narrat ſibi ad urbem redeunti apud Faliſcum occurriſſe puerum ſeptem annorum Trajanum nomine vultu ſucci pleno, rubicundo, & hilari, ſed capite admodùm cano, omnibus, qui illic aderant, admirantibus. Sed & Ariſt. ſcribit *lib. 4. de hiſtor. anim. c. 11.* nonnullis pilos dum egrotarent incanuiſſe, quibus in bonam valetudinem reſtitutis nigri enati fuerunt canis defluxis. Ratio autem, cur canities non ſit conſtans ſenectutis indicium, ea eſſe poteſt, quia ut illic docet Ariſtot. canities non provenit ex ariditate, ſicut ſenectus; ſed cutis vitio, quod vitiliginem appellamus, pili omnes producuntur cani.

Et è converſo ſunt alii qui matura jam, & occidua ętate amœnam adhuc faciem retinent, & levem cutem, capillumque nigrum, ſeu flavum, qualem Palladius ſcribit fuiſſe Abbatem Or in monte Nitrię, qui cùm eſſet nonaginta an-
20 norum, erat vultu nitido, & alacri: & ut alia exempla omittamus, mirabile eſt quod ponit Hieron. ad Paul. Concord. de homine centeſimum annum agente, ait enim: *Oculi puro lumine vigent, pedes imprimunt certa veſtigia, auditus penetrabilis, dentes candidi, vox ſonora, corpus ſolidum, & ſucci plenum, cani cum rubore diſcrepant, vires cum ætate diſſentiunt, non memoriæ tenacitatem, ut in plerisque cernimus, antiquior ſenecta diſſolvit, non calidi acumen ingenii frigidus ſanguis obtundit, non contractam rugis faciem arata frons, non denique tremulæ manus per curvos ceræ tramites ſtylum ducit.*

Quamobrem cùm hæc conjectura, quæ in ſenectute dijudicanda ſumitur ex aſpectu corporis, ſit admodum fallax ad formandum judicium de ſenectutis initio videtur ſic di-
21 ſtinguendum cum Menochio: Nam aut verſamur in caſibus in quibus certa ętas reperitur à jure præſcripta; & tunc manifeſtum eſt ſingulos eſſe habendos pro ſenibus in ea ętate, quam leges preſcripſerunt, ut *in l. 1. & l. fin. C. qui ætat. ſe excuſ. lib. 10. & in l. Majores ff. de jur. immun. cum ſimil.* Aut verſamur in caſibus, in quibus nulla certa ętas à jure præfinita eſt; & tunc communiter tenetur opinio Innoc. *in c. Quoniam frequenter n. 3. ut lit. non conteſt.* videlicet, an quis dicatur ſenex, necne, relinquendum eſſe arbitrio judicis, conſiderata cujuſque complexione. Nam quandoque aliquis eſt ſenior in quinquageſimo anno, quàm alius in ſexageſimo. Ita Innoc. quem ibi ſequuntur Hoſt. Joan. Andr. Abb. Soccin. Felin. & alii omnes, Barbat. *conſ. 22. col. 3. lib. 3.* Florian. *in l. Aquilia, ſi delectum, ff. ad l. Aquil.*

22 Cæterùm cum adhuc incertum, ſit qua ratione ejuſmodi arbitrium ſit regulandum, ante omnia obſervandum eſt Doctores convenire in duabus propoſitionibus. Prima eſt 23
neminem poſſe appellari ſenem ad quemcumque effectum ante quinquageſimum annum, quia nullibi id reperitur jure cautum. Et quamvis ante illud tempus aliquis poſſit incidere in temperamentum frigidum, & ſiccum ex aliquo accidenti; non tamen propterea ſenex dicendus erit, quia ad ſenectutem inducendam requiritur, ut temperamentum illud proveniat ratione ætatis, & non aliundè, ut dictum eſt ſuprà *n. 11.*

Nec refert, quod gloſ. *in l. Hæreditatum, in ver. à prima ætat. ff. ad l. Falcid.* dicat juventutem protendi à vigeſimo quinto uſque ad quadrageſimum annum, & abindè ſenectutem, vel ſenium, ut per text. *in l. Non aliter, in fin. de legat.* quia Accurſius ibi quoad hoc videtur locutus ex capite ſuo, nam illa lex hoc non dicit. Tantum enim quęrit, à qua ętate juvenes legati, & in quam intelligi debeant; & reſpondet exiſtimari poſse eum juvenem, qui adoleſcentis exceſſiſſet ętatem, quoad inciperet inter ſeniores numerari. Cęterùm in qua ætate quis numeretur inter ſeniores, lex non aperit. Unde ille tex. communiter ſic ſummatur: Quilibet juvenis dicitur qui inter ſeniores non numeratur.

Secunda concluſio eſt. Poſt annum ſeptuageſimum qui- 24
libet dicitur ſenex, Abb *in c. Quoniam frequenter, n. 18. ut lit. non conteſt.* ubi ait, in ſeptuagenariis & ſupra non eſse locum arbitrio judicis, an dicantur ſenes, necne, cum in tali ętate valdè propriè dicantur ſenes, & à ſeptuageſimo anno incipiat ſenium, quod eſt aliarum ętatum terminus, & quantumcumque quis ſit benè complexionatus in ea ętate, timere debet mortem, & ſequitur Alber. *in diction. in verſ. Senex.* Unde meritò Cardanus contradicentium Medicorum *lib. 2. contr. 1. tract. 5.* dicebat ſupra annum ſeptuageſimum in omnibus convenire, ut ętas pro deplorata habeatur. Itaque judicis arbitrium regulariter concluditur à quinquageſimo anno uſque in ſeptuageſimum.

Nec refragatur, quod ſenes octuagenarii eſse debeant 25
quoad hoc, ut non teneantur perſonaliter comparere, Rota *dec. 9. de judic. aliàs 222.* incip. *Senes videlicet octuagenarii in nov.* Siquidem ad ejuſmodi excuſationem ſola ſenectus non ſufficit, ſed copulativè requiritur, ut quis ſit ſenex, & valetudinarius; alioquin ſenex cujuſcumque ſit ætatis, ſi aliàs ſit robuſtus, non excuſatur, ut ibi per Rotam.

Deinde in arbitrio regulando à quinquageſimo uſque ad 26
ſeptuageſimum obſervanda eſt diligenter materia, de qua agitur; non enim ęqualiter omnes infra hoc ſpatium exiſtimandi ſunt ſenes: nam ætates hominum ſecundùm ſubjectam materiam vario modo limitantur, & terminantur, ut tradit gloſs. præalleg. *in d. l. Hæreditatum*, & ibi remiſſivè Bart. *ff. ad l. Falcid. & in l. 1. §. Pueritiam, ff. de poſtul.* Cyn. & Alber. *in l. infanti, C. de jur. delib.* Felin. *in c. Cum vigeſimum col. fin. de offic. deleg.* Pariſ. *conſ. 19. nu. 25. vol. 2.* Et de ſenectute tradunt in ſpecie gloſ. & Joan. de Platea *in l. 1. Cod. qui ætate lib. 10.* Pariſ. *loc. cit.* & dictum eſt ſupra *num. 16.*

In caſu autem de quo agitur, ut ad propoſitam quæſtio- 27
nem propriùs accedamus, jura non determinant præcisè, in qua ætate uxor cenſenda ſit ſenes ad effectum, ut careat ſuſpicione incontinentiæ, & remanere poſſit in ſęculo cum voto ſimplici caſtitatis, marito ad religionem migrante; nec quemquam reperi ex Claſſicis Canoniſtis id explicitè aſserentem, tantùm enim generaliter affirmant uxorem debere eſse ſenem, & non ſuſpectam.

Inter modernos verò Theologos duæ ſunt ſententiæ. 28

Prima eſt Soti *in 4. diſtin. 27. q. 1. art. 4. col. 12. §. Præterea*, exiſtimantis ad hunc effectum mulierem dici ſenem, quando eſt ſexagenaria, & eum ſecutus eſt Corduba *in ſumma q. 178. verſ. Emperò ſi el matrimonio.* Et quidem alii ex recentioribus relati à Sanch. *de matr. lib. 7. diſp. 32. n. 15.*

Quorum ſententiæ ſuffragatur primò, quòd ante ſexa- 29
geſimum annum quis dicitur juvenis, quoad effectum, ut cum eò poſſit inſuper inceſtu diſpenſari propter periculum incontinentiæ, ut cenſet Corduba *lib. 1. ſui Quæſtionarii q. 12. art. 1. col. 5. §. Secundum dictum.*

Deinde pro eadem ſententia facit tex. *in c. Juvenculas 20.* 30
q. 1. ubi Greg. ait; *Juvenculas fieri Abbatiſſas vehementiſſimè prohibemus. Nullã igitur fraternitas tua niſi ſexagenariam virginem cujus vita hoc, atque mores exegerint, velari permittat.* Quo textu patet virgines reputari juvenculas ad illum effectum ante ſexageſimum annum & Turrecrem.

ibi

ibi in prin. In hac ętate, inquit, extinctus eſt fomes libidinis

31 Tertiò ad idem facit text. *in c. Quomodo* 31. *q.* 1. ubi refertur illud Apoſtoli *ad Tim.* 5. Vidua eligatur non minor ſexaginta annorum. Præfinitio enim hujus ætatis ibi non fundatur in prudentia, ſeu maturitate conſilii, quia vidua cujuſcumque ſit ætatis non poteſt eligi, ut præſit Monaſterio, ſeu ut paſcatur ab Eccleſia, ut declarat ibi gloſſ. *in ver. Eligatur*, cum qua tranſeunt Laurent. & Archid. Videtur ergo requiri, ut ſit ſexagenaria, quia vidua marito aſſueta ante illam ætatem non videtur ita eſſe à periculo incontinentiæ immunis, ut poſſit cum Clericis convivere.

32 Demùm adduci poteſt pro hac ſententia, quòd ſexagenarii reputantur ſenes quoad hoc, ut excuſentur à jejunio, ſecundum Cajet. *in* 2. 2. *q.* 147. *art.* 4. §. *Ad primum*, & Greg. de Valent. *in* 2. 2. *diſp* 9. *q.* 2. *punct.* 5. *col.* 2. Et hanc eſſe communem opinionem affirmat Sanchez *de matrim. lib.* 7. *diſp.* 32. *n.* 15 & Leſſius *lib.* 4. *de juſt. & jur. cap.* 2. *de jejun.* dicens in hoc omnes convenire, ut ſexagenarii ordinariè excuſentur; hac enim ætate eſt media ſenectus juxta medicos, in qua natura facilè inedia, & repletione graviter læditur, & præcipitatur. Idque indiſtinctè nulla habita ratione, an ſint vegetes, & robuſti, necne, ſecundùm Sanch. qui ad hoc allegat Angles in Floribus *in c. De jejun. q.* 6. *diffin.* 6. *fol.* 407 Emman. Sà *in ſumm. in ver.* [illegible] *n.* 9. quia in ea ætate
33 vires jam deficiunt, & in proximo eſt interitus. Et quia ſanitas ſenum non eſt firma, ſed fallax, & incerta, ſecundum Galen. *lib.* 5. *de ſanit. tuen pag.* 7. ubi ait ſenilem corporis ſtatum ex levi momento in morbum decidere, ac proindè curandum eſſe in victu eadem ratione, qua convaleſcentes.

34 Hinc S. Pius V. & Pontifices ſucceſſores, dum in Bulla Cruciatæ negant Clericis, & regularibus facultatem veſcendi lacticiniis, excipiunt ſexagenarios, per hoc inſinuantes rationi conſentaneum eſſe, ut in ea ætate imbecillitati naturæ conſulatur.

35 Quę omnia longè magis vendicant ſibi locum in mulieribus ſexagenariis; nam vita in calore ſita eſt, ſecundum Ariſt. *in problem. ſect.* 3. *problem.* 22. eò quòd anima tamdiù corpus informet, quamdiù in ea vitæ munia obire poteſt, præcipuus verò vitalium functionum adminiſter eſt calor.
36 At fœminæ ſunt viris frigidiores; ideòque citiùs creſcunt, ætate florent, & ſenectute macerantur, ut per Ariſtot. *loc. cit.* Quod etiam docuit Albert Magnus *in lib.* 12. *de animal. c. ult.* relatus à Tiraquell. *l.* 1. *Connubial. nu.* 57. dicens mulieres citiùs creſcere, compleri, ac ſeneſcere, & notatur *in c. Puberes, & c. Continebatur, de deſponſ. inpuber.*

37 Secunda ſententia eſt Thom. Sanch. *de matrim. lib.* 7 *diſp.* 32. *n.* 16. qui arbitratur ad hunc effectum non eamdem ætatem ad ſenectutem eſſe præſcribendam in fæminis, atque in maſculis, cùm fæminę ſint viris frigidiores; ideòque virum ſexagenarium quoad hoc eſſe dijudicandum ſenem, & fæminam quinquagenariam, quia in ea ætate tam viris, quàm mulieribus accidit communiter ſterilitas, & calor juvenilis ferè extinctus eſt, & propterea ceſſat incontinentiæ ſuſpicio; & pro hac ſententia adduci poteſt.

38 Primò, quòd *l. Julia Poppeja*, cautum fuerat, ne vir major annis ſexaginta, vel mulier annis quinquaginta nuptias contraherent tamquam ad generandum inhabiles. Et quamvis eam legem omnium primus abrogaverit Claudius Cæſar, ut refert Suetonius *in vita Claudii Cæſaris c.* 13. ac deinde Juſtinianus *in l. Sancimus, C. de nupt.* tamen hæc
39 abrogatio non idcircò facta eſt, quòd major quinquagenaria poſſit concipere, ſed quia matrimonium contrahi poteſt propter ſeipſum, etiamſi liberi procreari non poſſint, ut illic Bald. adnotavit, & Socin. jun. *conſ.* 35. *Viſa n.* 34. *lib.* 2. & fuſiùs Pariſ. *conſ.* 29. *Cato n.* 73. *vol.* 2.

40 Secundò, pro eadem ſententia adduci poteſt text. *in l. Si minor, Cod. de legit. hæred.* & quod per illum text. not. gloſſ. *in l. Si paterfamilias, §. fin. in verb. Sexaginta, ff. de adopt.* ubi referens, in qua ætate ad varios effectus quis dicatur
41 ſenex, in fine dicit ſic: (Mulier non dicitur ſtudere procreationi liberorum à quinquaginta annis ſupra.) Et idem tradit Fulgoſ. *conſ.* 212. *Quædam mulier colum.* 3. *verſ. In primo videtur*, ubi ait potentiam generandi in maſculis durare uſque ad annum ſexageſimum; in fæminis verò uſque ad annum quinquageſimum.

42 Tertiò adducitur pro eadem ſententia, quòd liberta quinquagenaria non tenetur ad operas, *leg. Liberta, ff. de oper. libert.* quam ad propoſitum noſtrum allegat Albert. *in dict. l. Si major, C. de legit. hæredit.*

Quartò, facit pro eadem ſententia quod notat Innoc. 43
in c. Quoniam frequenter num. 3. *ut lit. non conteſt.* ubi determinat ſenes dici poſt quinquageſimum annum quoad hoc, ut ad æternam rei memoriam examinari poſſint, quia, inquit, recipiuntur timore mortis, ne cum eis pariter pereat probatio veritatis; & ſatis probabiliter poteſt timeri de morte cujuſque ſecundum naturam inferiorum cauſarum poſtquam pervenit ad annum quinquageſimum, & cum Innoc. tranſeunt ibi Hoſt. Jo. Andr. & plerique alii.

Denique pro hac ſententia adduci poteſt, quod notat 44
idemmet Sanch. *de matrim. d. diſp.* 32. *n.* 17. *ver. Sed ſupereſt*, ubi affirmat ex opinione, quam dicit eſſe ſpeculativè probabilem, mulieres quinquagenarias etiam robuſtas indiſtinctè à jejunio excuſari; motus, quia ætas, quę in viris eſt ſexagenaria, in fæminis eſt quinquagenaria, cùm citiùs ſeneſcant, & viribus deficiant, quàm viri; & propterea in mulieribus ſexagenariis dicit vigere eamdem rationem modici, & frequentioris cibi, quæ viget in maſculis ſexagenariis, ne toto cibo ad naturam neceſſario ſimul ſumpto ſenilis ille calor ſuffocetur.

Verùm his non obſtantibus exiſtimo neutri ex his opi- 45
nionibus eſſe adhęrendum: & pro veritate obſervanda ſunt verba hujus decretalis, quę ſic ſe habent: *Si ita uxor ſenex eſt, & ſterilis, quòd ſine ſuſpicione poſſit eſſe in ſæculo, diſſimulare poteris, ut ea in ſæculo remanente, & caſtitatem promittente, ad religionem tranſeat vir ejuſdem* Ubi pondera, adhoc ut uxor poſſit eſſe in ſæculo ſine ſuſpicione incontinentię, duo copulativè deſiderari. Alterum ut ſit ſenex, alterum ut ſit ſterilis, quod clarè hìc advertit Cardin. *nu.* 3. *in* 3. *oppoſitione*, dicens: (In textu ponuntur duo conjunctivè, quòd ſit ſenex, & ſterilis, itaut poſſit eſſe in ſeculo ſine ſuſpicione.) Unde patet ſolam ſenectutem ſine ſterilitate ad hoc non ſufficere. Similiter ſola ſterilitas ſine ſenectute non ſufficit; non enim ſequitur: ſterilis; ergo continens, ut 46
inquit Card. *eod. n.* 3. ubi poſt Jo. Andr. exemplificat in meretricibus. Quinimò juvenes ſteriles ſunt præcæteris mu- 47
lieribus libidinoſę, ut per Tiraquell *l.* 9. *Connub. n.* 21 Unde Hippocr *lib.* 1. *de mulier. morb.* ſcribit mulieres partus immemores benè coloratas, & viriles eſſe Quamobrem ſterilitas hìc intelligitur ratione ętatis, non ratione naturę, ut notat gloſſ. *in ver. Sterilis*, & Hoſtien. *n.* 4. dicens: (Et ſterilis, intelligas tu ratione ſenectutis, quaſi dicat, ſi proceſſerit in diebus ſuis, itaut ſit matrona, annoſa, honeſta, & matura: multę enim naturaliter ſunt ſteriles, ſed juvenes magis appetunt, quàm etiam illę, quę matres fiunt; imò & quandoque impeditur conceptus, ut dicunt Phyſici, propter nimium appetitum.) Hęc ille, & ſequuntur hìc Jo. Andr. *n.* 5. & Butr. *in fin.*

Quę cùm ita ſint, hanc determinationem non aliundè deducendam putarem, quàm ex illa qualitate, quam ponderare videtur ipſemet Pontifex hìc, videlicet ut tunc mulier à ſe omnem per ętatis beneficium abjecerit incontinentię ſuſpicionem, cùm pervenit ad eam ętatem, in qua non poteſt ampliùs concipere: nec putet quis hanc determinationem imaginariam, ſeu voluntariam fuiſſe; imò enim ex natura ipſa deducta eſt. Scimus enim fęminis à natura inditum eſſe maximum, ac vehemens deſiderium ſo- 48
bolis, *l. Ambiguitates, C. de indict. viduit. tollen.* & ob id dediſſe materiam generandi avidiſſimam, ut ex Medicorum ſententia tradit Tiraquell. *de legibus Connub. lib.* [illegible] 21. Ideòque Bald. *in d. l. Ambiguitates n.* 3 (Natura, inquit, produxit mulieres ad generandum, & inſiſit eis concupiſcentiam, & deſiderium matrimonii.) Idem dicit Paul. de Caſtr. 49
conſ. 148. *ex facto, in princ. verſ. Nec eſt* [illegible] *lib.* 6. Quare pudor eſt fęminis nuptiarum premia non habere, *c. Pudor* 32. *q.* 2. Et magnum premium mulieribus eſt concipere, & conceptum tueri, *l. Quæritur, §. Si mulier, ff. de ædilit. edict.* Unde ſequitur, ut quamdiu mulier ſenex non caret potentia generandi, non poſſit dici ab appetentia coitus, & fornicationis periculo libera.

Itaq; punctus difficultatis ad hoc reſtringitur, in qua ętate 50
mulier reddatur ſterilis, ſeu ad concipiendum inhabilis. Hęc autem deciſio à Philoſophis petenda eſt, & precipuè ab his, qui artem medicam profitentur, juxta text. *in l. Septimo menſe*, ubi Bart. Bald. & DD. *not. ff. de ſtat. hom.* Socin. *dict. conſ.* 35. *nu* 9. *lib.* 2. Et quidem Ariſtot. *lib.* 5 *de hiſtor. animal. cap.* 14. *Mulier*, inquit, *uſque ad quinquageſimum ſcilicet poteſt generare, verum id rarò; paucis enim*

proles in eo ætatis tempore procreata eſt, ſed magna ex parte maribus quintus & ſexageſimus annus finis progenerandi eſt, fœminis quintus & quadrageſimus: & lib. 7. Politic. cap. 16. ait: *Finis gignendi ut plurimum viris eſt ſeptuageſimus annus, mulieribus autem quinquageſimus.* Cæterùm aliter locu-
51 tus videtur idem Ariſtot. *lib. 7. de hiſtor. animal. c. 6. in princip.* ubi etiam ſeptuagenarios generaſſe affirmat, & in mulieribus ſatis tritum eſt exemplum, adductum à Plinio *lib. 2. natural. hiſtor. cap. 14.* de Cornelia è Scipionum familia, quæ poſt ſexageſimum ſecundum annum Voluſium
52 Saturnum peperit: & alia exempla recenſet Codronchius Medicus Imolen. *in lib. 6. de Methodo teſtificandi c. 16.* & multò plura Schenckius *Obſervationum Medicarum rararum lib. 4. tit. de concept.*

53 Et ex Juſperitis Bald. *in d. l. Si major, Cod. de legit. hæred.* (Etiam quinquagenaria, inquit, poteſt parere legitimum partum, & ex legitimo matrimonio, nec eſt miraculum, ſed raro contingens.) Et idem Bald. *conſ.* 437. Titius habebat Sejam in uxorem, quæ cùm eſſet ætatis annorum quinquaginta, aſſeruit ſe eſſe gravidam, *lib. 5. nu. 9.* ſic ait: (Secundum curſum naturæ in hac ætate, id eſt quinquaginta annorum, ut ſupra in themate, mulieres non concipiunt, licèt aliquando contrarium eveniat, ut in Domino Alberto de Guidalottis de Peruſio, quem Domina Nobilis Betta anno quinquageſimo complecto concepit.) Cujus exempli meminit etiam Pariſ. *d. conſ. 29. n. 21. vol. 2.* Quinimò Angel. in eadem *l. Si major.* (Ego, inquit, in Peruſio vidi plures majores quinquaginta annis parere filios, & credo quòd ſubtilitas aeris hoc operetur.) Idem ſentit gloſſ. *in l. Si ſterilis, in ver. Quinquaginta, ff. de action. emption.* dum dixit eſſe præſumptionem juris, ut mulier poſt quinquageſimum annum non poſſit concipere; non dixit id non poſſe contingere, ſed in dubio non præſumi. Et ita etiam per illam gloſſam ſcripſit Raphael Fulgoſ. *d. conſ. 212. in 3. col. verſ. In primo videtur.*

54 Sed objicies; etſi major quinquagenaria poſſit parere, hoc tamen rarum eſt, ut mirabile reputetur, *d. leg. Si major quinquagenaria, C. de legit. hæred.* Quo loco ſcribit Angel. Federicum Imperatorem natum fuiſſe ex quinquagenaria Monacha profeſſa, & ex diſpenſatione Summi Pontificis de Monaſterio extracta, eamque publicè, omnibuſque videntibus parere voluiſſe, ut partus ſuppoſiti omnem ſuſpicionem excluderet, teſtantur Pariſ. *d. conſ. 29. nu. 46. lib. 2.* Socin ſen. *conſ. 126. n. 2. lib. 3.* Menoch. *de arbitr. judic. lib. 2.*
55 *centur. 1. caſu 89. n. 60.* Et propterea mulier ſterilis à natura, & major quinquagenaria æquiparantur, ut eſt textus *in d. l. Si ſterilis,* ubi qui vendidit partum ex ancilla naſciturum, qui tamen naſci non poterat, vel quia ancilla erat ſterilis, vel major annis quinquaginta, cùm id emptor ignoraverit, tenetur illi ad intereſſe; ubi gloſſ. *in ver. Quinquaginta,* dicit majorem quinquagenaria à jure ſterilem præſumi, & ſi
56 contra fiat, eſſe miraculum. Idemque affirmat Tiraquell. *l. 6. Connub. nu. 22.* At jura ex iis, quæ fortè uno aliquo caſu accidere poſſunt, non conſtituuntur, *l. Jura conſtitui, & l. Ex iis, ff. de legib.* Nam ad ea potiùs debet aptari jus, quæ & frequenter, & facilè, quàm quæ perraro eveniunt, *l. Nam ad ea, ff. eodem.* Quæ verò ſemel, aut bis accidunt, contemnunt Legislatores, ut dicitur *in l. ſeqq.* Ergo hic canon qui de ſterilibus per ætatem loquitur, eſt intelligendus de illis tantùm mulieribus, quę ut plurimum ſunt ſteriles, quales
57 ſunt quę quinquageſimum annum excedunt: valet enim argumentum à ſolitis communiter accidentibus, *leg. Certi conditio, §. Si nummos,* & ibi notant DD. *ff. ſi cert. petat. & leg. Si prius, §. 1. ff. de aqua pluv. arcen. cum concor.* Ita enim præſumitur contigiſſe, ſicut communiter, & frequenter ſolet accidere, gloſſ. Bald. & DD. *in l. Neque natales, C. de prob.* Et in propoſito tradit Bald. *conſ. 74. Verba, colum. 2. in fin. vol. 1.* Socin. jun. *d. conſ. 35. n. 23. & ſeqq. lib. 2. & in l. Gallus, in princ. ff. de liber. & poſth.* Pariſ. *d. conſ. 29. n. 5. vol. 2.*

58 Præterea in his, quæ raro fiunt, miraculum dicitur, ut in *Auth. de Conſul. in 2. col. circa med. collat. 4.* Et miraculoſis non ſolet eſſe lex, ut inquit Bald. *in d. l. Jura conſtitui, ff. de*
59 *legib.* Et propterea præſumptio illa, quod quis præſumatur vivere, niſi probetur mortuus, non procedit ſupra centum annos, quoniam raro poſt illam ætatem quis reperitur vivus. Paul. de Caſtr. *in d. l. Jura,* Socin. *d. conſ. 35. n. 23.*

60 Cæterum reſpondetur 1. *dict. l. Jura cum tribus ſeqq.* eſſe intelligendas de actibus humanis, qui contingunt præter hominum opinionem, non autem de his qui accidunt pręter naturam, ut optimè deducit Budæus, qui ad hoc ponderat verbum Grecum, quo utitur Theophraſtus *in d. l. Jura, & in d. l. Quoniam,* & ſequitur Bonavent. *de partu octomeſtri lib. 9. c. 1. 3.* Etenim quæ præter naturam contingunt, utique non contemnunt Legislatores. Ideòque Paulus *in l.* 61
Antiqui, ff. Si par hæreditatis pet. relatis exemplis mulierum, quarum aliæ ternos, aliæ quaternos, & nonnullę ſeptenos filios uno partu ediderunt, tandem concludit: (Prudentiſſimè Juris authores medietatem quamdam ſecuti ſunt, ut quod fieri non rarò admodùm poſſet, intueretur; id eſt quia fieri poterat, ut tergemini naſcerentur, quartam partem ſuperſtiti filio aſſignaverunt: ecce ſecundùm naturalem curſum mulieres communiter unicum pariunt, rarò geminos, rariùs tergeminos, & nihilominùs prudentes Legumlatores ex hoc, quod tam rarò præter naturam contingit, jus conſtituerunt,) & concordat text. *in l. Sed etſi reſtituatur, §. fin. ff. de judic.*

Similiter quamvis octavo menſe perfectus partus naſci 62
non poſſit, ut notat. *in l. Septimo menſe, ff. de ſtat. homin.* tamen natus, licèt illicò deceſſerit, ſuccedit, & hæreditatem tranſmittit, *l. pen. Cod. de poſt. hæred. inſtitut.* & conſuluit Bald. *conſ. 128. vol. 1* Ratio eſt, quia nati in octavo menſe aliquando poſſunt vivere, licèt rariſſimè, ut author eſt Averroes *lib. 4. de generat. animal.* S. Thom. *in opuſc. de facto c. 28.* Frater Ægid. Roman. *in lib. de form. corpor. humani c. 16.* & ideò Legislatores hanc prolem non negligunt. Et idem de nato in quinto, vel ſexto menſe ſcripſit Angel. *in l. Quod dicitur, ff. de liber. & poſthum.* Licèt Socin. ſen. *d. conſ. 126. per tot. lib. 3.* multis relatis pleniſſimè conſuluerit, partum octimeſtrem naturaliter vivere non poſſe; & ideò nec ſuccedere, nec hæreditatem tranſmittere.

Sed propriùs ad rem noſtram, *in d. l. Si major, C. de legit.* 63
hæred. ſuper partu majoris quinquagenariæ jus conſtituitur his verbis: (Sancimus, licèt mirabilis partus inveniatur, & rarò contingat, nihil tamen eorum, quæ probabiliter à natura noſcuntur eſſe producta, reſpui; ſed omne jus, quod ex quacumque lege liberis præſtitum eſt, hoc metum atque immutilatum hujuſmodi filiis, vel filiabus ſervari in omnibus ſucceſſionibus, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato, & ſummatim non abſimiles aliis fiant, quos ſimiles natura effecit.) Et ita ad *l. Jura conſtitui cum ſeqq.* reſpondit Socin. jun. *d. conſ. 35. n. 27. vol. 2,* & Pariſ. *conſ. 29. n. 19. vol. 2.* dicens poſſibile eſſe, ut major quinquagenaria pariat; & ideò legem iſto caſu providere ad ea, quæ rarò accidunt, ex eo quia naturaliter poſſunt contingere.

Reſpondet ſecundò ad prædicta jura Alber. *in dict. leg. Si major,* his verbis: (Partus mulieris majoris quinquaginta annorum mirabilis eſt, quia rarò contingit, & ea quę rarò contingunt, dicuntur mirabilia; ſed de iſtis rarò contingentibus non debent fieri jura, *l. Nam ad ea, ff. de leg.* Hoc verū ſi ſemel tantùm, aut bis poſſet contingere.) Hęc Albericus.

Unde patet non obſtare, quòd de miraculoſis jura non 64
conſtituantur, quandoquidem hoc procedit, vel in his, quæ bis, aut ſemel tantùm contingunt, ſecundùm Alberic. proximè cit. aut in his, quę verè ſunt miraculoſa, ut in exemplo quod ponit gloſſ. *in l. Ex his, ff. de legibus,* de Lazaro reſuſcitato, an ſcilicet debuerit rumpere teſtamentum, quod priùs fecerat, & bona hæredibus auferre. At verò partus majoris quinquagenariæ nec tam rarus eſt, ut ex dictis apparet, nec miraculoſus, ut dixit Baldus ſuprà c. *in d. l. Si major.* Et ideò gloſſ. quę *in d. l. Si ſterilis, ff. de action. emption.* dicit eſſe miraculum, loquitur hyperbolicè, & impropriè, prout etiam loquitur textus *in Auth. de Conſul. §. 2.* ibi, *In iis enim, quæ rarò fiunt, miraculum eſt.* Nam miracula propriè ſunt ſupra naturam, S. Thom. *in 2. 2. q. 178 art. 1. ad 3.* ut in exemplis, quæ ponuntur *in c. Revera, de conſecr. diſt. 2.* & de ratione miraculi tria requiruntur, ſcilicet eſſe arduum, id eſt ſupra virtutem naturæ creatæ agentis; præter ſpem naturę, id eſt, ut non habeat ad illud naturalem ordinem, ſed ordinem obedientialem; & ut ſit inſolitum, id eſt præter modum ejus conſuetum, idem S. Th. *in 1. part. q. 105. art. 7. ad 2.* & quatuor requiſita ad eſſe miraculi ponit Archid. *in cap. Teneamus nu. 2. 1. q. 1.* poſt Goffred. & Hoſtien. *in c. Venerabilis, de teſtib.* Quinimò partum majoris quinquagenariæ nedum non eſſe miraculoſum, ſed nec haberi pro monſtruoſo oſtendit Codronchius Medicus in præall. *lib. de Methodo teſtificandi c. 16.*

Ex his conſtat opinionem Soti, quod ante annum ſexageſimū non ceſſet ſuſpicio incontinentiæ, poſſe procedere 65
in

in viris tantùm; ipſi enim juris præſumptione poſſunt progenerare uſque ad ſexageſimum annum, & non ultra, ut probat tex. *in l. Si paterfamilias, §. fin. ff. de adopt.* inducendo eum, ut per Pariſ. *conſ. 29. n. 31. vol 2.* & per illum tex tenet Alber. *in d. l. Si major, C. de legit hæred.* Fulg. *d. conſ. 212.* & Soc. *d. conſ. 35. vol. 2.* Et hæc fuit ratio, quare olim vir major ſexagenario non poſſet nuptias contrahere, *l. penult. C. de nupt.* ut obſervant Alber. & Fulg. *ubi ſup.* Et quamvis dicta prohibitio abrogata fuerit, non tamen fuit abrogata, ſeu correcta illius ratio, ut rectè deducit Par. *d. con. 29. n. 73.*

66 Itaque ſexagenarii cenſentur immunes à periculo incontinentię, niſi contrarium appareat, in quo judicis arbitrium verſabitur uſque ad annum ſeptuageſimum. Nam ex Philoſophorum ſententia finis gignendi ut plurimum viris eſt ſeptuageſimus annus, ut dictum eſt ſupra *n. 50.* & uſque ad ſeptuageſimum generant qui ſexageſimum exceſſerunt, idque tamquam communiſſimum tradit Ariſt. *lib. 7. de hiſtor. animal. cap. 6. in princ.* dicens: *Mares plurimi ad ſexageſimum generant, quem ſi exceſſerint, ad ſeptuageſimum uſque procedunt.*

67 Quinimò etiam ultra ſeptuageſimum annum deberet hoc caſu protendi judicis arbitrium, ſi conſtaret de filiorum procreatione poſt illam ętatem. Referunt enim Æneas Pius *in Europa c. 25.* & poſt eum Tiraquell. *l. 6. Connub. n. 22.* exempla virorum, qui in octuageſimoſexto, octuageſi-
68 mooctavo, & nonageſimo anno liberos procrearunt. Et quod magis eſt, Avenzoar *ſui Theifr. lib. 2. tract. 3. c. 1.* narrat viros noñullos centum annis majores, nedum generaſſe, ſed ampliùs etiam generaſſe maſculos, contra Ariſtotelem, qui ut inquit Avenz. voluit nullum poſſe maſculum generare poſt ſeptuageſimum annum. Quam Ariſtotelis ſententiam pluribus impugnat Joubertus li. 2. Errorum popularium *c. 2.* probans ſenem ſeptuaginta annis majorem
69 poſſe etiam maſculos procreare, licèt Fulg. *d. conſ. 212.* & Pariſ. *d. conſ. 29. lib. 6.* latè conſuluerint filium natum etiam in figura matrimonii non obſtante tractatu, & nominatione parentum non cenſeri generatum ex parte ſeptuagenario, utpotè ad coeundum inhabili, ſed potius ex adulterio. Quod an verum ſit, judicent alii; nam hic non eſt caſus noſter.

70 At verò aliud dicendum eſt de mulieribus, nulla enim eſt ratio; quare in hoc debeant pari paſſu cum viris ambulare, ut putat Soto, cùm ſterilitas, ex qua ſuſpicionem incontinentiæ ſacri Canones metiuntur, fęminis contingat in quinquageſimo anno, & ſic præcurrat annis decem ex ſententia Juriſconſultorum, ut clarè conſtat ex *l. Sancimus, C. de nupt & ex d. l. Si major, juncta l. Si Paterfamil. §. fin.*
71 *ff. de adopt* & annis viginti ſecundùm Ariſt ſuper cit. Qui propterea *lib. 6 Polit. c. 16.* docuit congruere puellas nuptui tradere circa ętatem annorum ſeptem, & triginta; in hoc enim tempore, inquit, vigentibus corporibus conjungentur, ac procedente tempore ſimul aptè deſinent procreare poſſe, id eſt uxor in quinquageſimo anno, & vir in ſeptuageſimo.

72 Nec refragatur, quòd Eliſabeth Mater S. Joannis Baptiſtæ conceperit poſt annum ſexageſimum, ut ſacra teſtatur pagina. Siquidem conceptio ejus miraculo tribuenda eſt, tum quia erat non ſolum ſenex, ſed etiam ſterilis natura, ut innuunt verba illa Lucæ 1. *Nam & ipſa concepit filium in ſenectute ſua, & hic menſis ſextus eſt illi, quæ vocatur ſterilis*; tum propter rationem, quę ſubnectitur: *Quia non eſt im-*
73 *poſſibile apud Deum omne verbum*; quę ratio non congrueret, niſi conceptio Eliſabeth fuiſſet ex virtute divina: tum denique, quia Gabriel ut ſuaderet Beatiſ. Virgini Conceptionē Chriſti ex Spiritu ſancto, quod eſt miraculum miraculorũ, ut inquit D. Th. *in 3. diſt. 3. q. 2. ar. 2.* non eſt putandus ſumpſiſſe exemplũ niſi à miraculo, quia à conceptione naturali incongruè ſummo miraculo fidē adſtruere potuiſſet.

Et ex his patet reſponſio ad primum argumentum: nam
74 doctrina Cordubę, quòd ante ſexageſimũ annum quis dicatur juvenis, quo ad hoc ut poſſit cum eo diſpenſari ſuper inceſtu, admitti ad ſummũ poteſt in maſculis, qui uſque ad ſexageſimum annum poſſunt liberos procreare; non autem in fœminis, què ut plurimum ſunt ſteriles in quinquageſimo.

Non obſtat text. *in cap. Juvenculas 20. q. 1.* quia in Abba-
75 tiſſa non tantùm pręſcribitur ætas ſexaginta annorum, quia in ea ętate extinctus eſt fomes libidinis, ſed etiam quia tunc præcipuè viget prudentia, quæ ad regendas Sanctimoniales requiritur, argum. *c. Niſi cum pridem, §. Alia verò* ibi, *Moralis maturitas* [quę in ſenſibus eſſe ſolet) *ipſum in ſuo ſuadet officio permanere, ſuprà de renunc.* ſenes enim vividi gubernationi ſunt aptiſſimi, ut Hieronymus docet *in epiſt. ad Nepotian.* & Archid. *in c. Tanta 86. diſt.* & etiam quia in ea ætate magis fervet ſpiritus devotionis, *cap. 1. eod. tit. de renunc.* ibi. *Urgente deorſum conditione corporea, fervor ſpiritus in ſublimiora conſcendit.* Præterea gloſ. *in d. c. Juvenculas, in ver. Sexagenaria*, dicit hoc poſſe intelligi de ſexagenaria, non ætate, ſed perfectione continentiæ. Ergo perfectio continentiæ ſecundum gl. poteſt contingere etiam ante ſexageſimum annum.

Ac demùm *in c. Indemnitatibus, de elect. lib. 6* ſtatutum eſt, ut in Abbatiſſam, aut Prioriſſam, ubi per Prioriſſam Monaſterium gubernatur, de cætero non eligatur aliqua, niſi triginta annos compleverit. Et ex decreto Conc. Tridentini *cap. 7. ſeſſ. 25. de regular.* non minor eligenda eſt, quàm annorum quadraginta, & quæ octo annis poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter vixerit. Ac ſi his qualitatibus ibi non reperiatur, quę ſaltem trigeſimum annum ętatis, & quintum profeſſionis exceſſerit. Quod incongruè ſancitum fuiſſet, ſi Abbatiſſa eligenda eſſet tantummodò in ea ætate, in qua timor incontinentiæ ceſſat.

Non obſtat text. *in c. Quomodo 31. q. 1.* quia procedit in 76
electione ſexagenariæ ad miniſterium Eccleſię, & loquitur ſecundum tempora Apoſtolorum, qui propter prædicationem habebant vetulas ſexagenarias, ut eis pannos lavarent, & inſervirent, ut poſt Aug. Laur. ibi explicat Archidiac. propè finem, & Turrecrem. *n. 5. in ver. Eligatur.* Itaque præfixio illa ætatis ſexaginta annorum facta fuit, ne ex illarum commercio cum Clercis aliqua ſiniſtra ſuſpicio orietur, ut ibi per Turrecrm. Accedit, quòd ille textus intelligitur etiam à Doctoribus de electione ſexagenarię in Prelatione, ut notat Turrecr. *in eod. ver. Eligatur*, & littera ſonat. Non enim deſunt qui putant viduam eligi poſſe in Abbatiſſam, per tex. *in c. Nemo Presbyter, in fin. 78. diſt.* ut per Archid. & Bellam. *in d. c Juvenculas*; & ſecundum hunc intellectum præfixio ætatis *in d. c. Quomodo*, fundatur præcipuè in maturitate conſilii, ut reſponſum eſt ſuprà proximè ad *d. c. Juvenculas*. Magis tamen placet primus intellectus gloſſ. quia ſecundum veriorem opinionem, pro qua eſt tex. *in eod. c. Juvencul.* non cavillando litteram, & quam etiam ſervat S. Congregat. vidua eligi non poteſt in Abbatiſſam.
Indecorum enim eſſet, ut corrupta pręeſſet virginibus, ut 77
dicunt ibi Archid. & Bellam. Nec ſecundum eos obſtat tex. *in d. c. Nemo Presbyter*, quia palea eſt. Hanc quęſtionem plenè examino *in c. Meminimus, infrà de accuſat.*

Mon obſtat denique, quòd ſexagenarii tam maſculi, 78
quam fœminæ indiſtinctè ſint immunes à jejunio. Imò enim ex veriori, & frequentiùs recepta opinione, in ſenibus nullum tempus determinatum eſt, in quo ab obligatione jejunii abſolvantur. Unde excuſari poſſunt dumtaxat 79
eo modo, quo infirmi, & debiles, in quibus eſt eadem ratio, ſecundum Innoc. *in rubr. de obſerv. jejun. nu. 2. verſ. Et idem dicimus in ſenibus*, & Archid. *in c. Pronunciandum n. 6. verſ. Et idem dicit de ſenibus, de conſecr. diſt. 3.* & expreſſiùs tenet Richar. de Media Villa *in 4. diſt. 15. art. 3. q. 4.* S. Anton. *in 2. p. tit. 6. c. 2. § 6.* Roſella *in ver. Jejunium n. 15.* Tabien. *in eod. ver. n. 18.* Silveſt. *itidem nu. 18. verſ. Secundum in ſenibus*, ubi etiam allegat Aſtenſem. Et ex recentioribus Medina *in ſuo inſtruct. in c. De jejunio q. de his qui ad jejun. tenen.* & Azor. *inſtit. moral. p. 1. lib. 7. c. 17. alias 27.* de cauſis quibus aliqui à jejunii lege eximuntur, ubi affirmat ex communi omnium ſententia, nihil eſſe de hac re à lege, & jure conſtitutum; ideòque ſenes, dum firmo, ac valido corpore ſunt, jejunium ſervare debere, eamque ętatem non prębere juſtam excuſationem, niſi adſit etiam aliqua ſenilis ętatis infirmitas. Nec diſſentit Cajet. *in 2. 2. q. 147.*
art. 4. circa ſolutionem ad 2 verſ. Quoad primum, ait enim 80
[non eſſe determinatum tempus, quando homines excuſentur à jejunio, quia quãdoque ſexagenarii ſunt ita fortes, ſicut alii quadragenarii.] Et formaliter loquendo, quandocumque quis eſt verè ſenex, ad jejunium non tenetur, quia natura aſt adeò debilis in ſene, ut non poſſit multùm ſimul cibum digerere; & propterea egent frequenti alimento bono, & modico, ſicut infirmi; licet poſtea Cajet. ſubdat [communiter videri hoc accidere anno ſexageſimo ętatis, cùm ſcriptum ſit: Dies annorum noſtrorum ſeptuaginta anni; & quod veteraſcit, & ſeneſcit, propè interitũ eſt, ut dicitur ad *Hebr. 8.* & ideò ſexagenarii ſunt cōmuniter propè na-

turalem interitum, ac per hoc ſenes. Unde niſi evidenter conſtet, quòd poſſint alimentum pro jejunio opportunum digerere, & tolerare, non debent ad jejunium conari, ſed debilitati quam ſentiunt ſubvenire frequenti cibo bono, & modico, quoniam ſenectus morbus eſt incurabilis.] Hęc Cajetanus, quem referunt, & ſequuntur Gregor. de Valentia in 2. 2. *diſp. q. 2. punct. 5. col. 2.* § *Impotentia*, Leſſius *lib. 4. de juſt. & jur. c. 2. de jejun. dubitat. 6. n. 41.* & alii moderni. Sed & Navarr. *in Manual. c. 21. n. 16.* quamvis affirmet ſenes ſexagenarios eximi à lege jejunii ſecundum communem, ſubdit tamen ſanctum Thom. de hoc nihil dixiſſe, & meritò, quia ut ait Cajet. in *Summ. in verb. Jejunium cap. 3.* alii aliis citiùs fiunt ad id impotentes; & id arbitrio prudendis, aut Superioris id reliquendum eſt arg. *l. 1. ff. de jur. deliber. cap. De cauſis, de offic. deleg.* Ita Navarrus adiiciens ſeptuageſimum annum agentem perindè poſſe jejunare, ac cum ageret ſexageſimum, imò & quinquageſimum.

Quo loco omittendum non eſt, quod ait Azor. ubi ſupra, videlicet Navarr. dum teſtatur ex communi ſententia ſexagenarios eſſe à jejuniis exemptos, fortaſſis voluiſſe dicere ſeptuagenarios, quia communis opinio ſeptuagenarios, non ſexagenarios excipit: & idem putat dicendum eſſe de authoritate Cajetani, quia dum dicit eos qui ſunt ſexaginta annorum, plerumque ſenes eſſe, & id probat, quia ſcriptum eſt: Dies annorum noſtrorum ſeptuaginta anni; utique videtur, ſicut & Navarrus, ſeptuagenarios potiùs, quam ſexagenarios à jejunio eximere. Addo, quòd cùm Cajetanus loquatur de ſenibus, quorum natura eſt adeò debilis, ut non poſſint multum ſimul cibum digerere, & ideò egent frequenti alimento bono, & modico; videtur reſpexiſſe ad Aphoriſm. 14. Hippocratis qui idem dicit. At locus hic Hippocratis non habet locum niſi in decrepitis, & conſtitutis in ultimo ſenio, ut dicetur infrà *n. 91.*

Accedit, quod generaliter Baſilius de jejun. 2. *Nemo*, inquit, *jejunantium numeroſe ſubducat, in quo & generationes cunctæ, ſexus, ætas, & ordo includuntur.* Sed & Turrecrem. *in c. Jejunia n. 10. de conſecr. diſt. 5.* quamvis recenſeat octo genera perſonarum, quæ ab obſervatione jejunii eximuntur: tamen inter hos non meminit ſenum, ſentiens propterea cum D. Thoma, & Innocentio ſenes non excuſari, niſi quatenus ſunt infirmi, & debiles, juxta text. in *c. Quadrageſima, eod. diſt.* ibi, *Niſi quem infirmitas impedierit, & in c. Jejunio, de conſecr. diſt. 3.*

Quamobrem cùm articulus exemptionis à jejunio in ſexagenariis nulla certa lege ſit diffinitus, & inter Doctores admodum controverſus, ex hoc principio incerto, ac dubio non poteſt deduci concluſio certa ad deciſionem quæſtionis noſtræ.

Sed quidquid ſit in jejunio, certè in caſu præſenti, in quo non imbecillitas virium, ſed impotentia coeundi ſpectanda eſt, ut hìc in textu, manifeſtum videtur non requiri in mulieribus annum ſexagenarium, cùm multò ante illis
81 contingat per ætatem ſterilitas, ut ex dictis conſtat. Præterea non valere illationem, Exemptus eſt quis à jejunio ergo & à periculo incontinentiæ. Inde apparet evidenter, quòd ætas pubertatis abſque dubio expoſita eſt hujuſmodi periculo, ut omnes notant infrà *in c. prox.* Et tamen puberes quamdiu ſunt in ſtatu augmenti, quod ut in pluribus eſt uſque ad finem tertii ſeptennii, id eſt anni vigeſimiprimi, non tenentur ad Eccleſiaſtica jejunia, ut docet Div. Thomas in 2. 2. *q. 147. art. 4. ad 2.* quem ibi Cajetan. & cæteri ſequuntur, Petr. de Palude *in 4. diſt. 15.* Archid. *in c. Pronunciandum, n. 6. de conſecr. diſt. 3.* Abb. *in rubr. de obſerv. jejun. n. 7.* Turrecrem. *in d. c. Jejunia n. 10. de conſecrat. diſt. 5.* Navarr. *in Manual. c. 21 n. 16.* Et hęc eſt veritas, & communis opinio, ut inquit Silveſt. *in ver. Jejunium n. 18. verſ. Sextò quæritur.*

82 Sed nec ſecunda opinio Sanch. quod mulieres careant incontinentiæ periculo, quando ſunt quinquagenariæ, videtur ita generaliter admittenda: nam cùm ſenectus nec in maſculis, nec in fœminis jure noſtro conſideretur ante annum quinquageſimum, ut per DD. *in c. fin. ut lit. non conteſt.* & patet ex dictis *numer. 23.* ſi ſola ætas quinquaginta annorum, quæ ut minimum requiritur ad ſenectutis initium, excluderet omnem ſuſpicionem incontinentiæ, fruſtra textus hìc præter ſenectutem exigeret etiam ſterilitatem, quia in expreſſione ſenectutis neceſſariò excluditur ætas quinquaginta annorum.

Præterea expendenda eſt illa dictio, *Ita*: non enim ca- 83
non requirit tantummodò, ut uxor ſit ſenex, ſed addit, ita ſenex, &c. apertè innuens per hoc non ſufficere initium ſenectutis, quod contingit in quinquageſimo anno, ſed amplius deſiderari aliquem ſenectutis progreſſum, ut abſit incontinentiæ periculum. Facit tex. *in c. Fraternitatis 34. diſt.*
ibi, *Et ætas iſtius futuræ incontinentiæ ſuſpicionem auferre dignoſcitur*, ubi Præpoſ. *in 5. notab.* dicit, [Ratione antiquę ætatis præſumi quem continentiam ſervaturum, licèt tempore juventutis caſtitatem non ſervaverit.] 84

Ad hæc quamvis in quinquageſimo anno mulieres prę- 85
ſumantur ſteriles, quia rarò in ea ætate concipiunt; tamen aliquando contrarium accidit, ut oſtenſum eſt ſupra *n. 50.* Finge ergo uxorem peperiſſe in quinquageſimo anno, ut in matre Federici Imperatoris, aut concepiſſe poſt exactum annum quinquageſimum, ut in exemplo relato à Bald. *in dict. conſ. 437. lib. 5.* & in aliis, quæ Peruſii acciderunt, teſte Angelo *in d. l. Si major, C. de legit. hæred.* certè his caſibus non eſſet concedenda licentia uxori morandi in ſæculo in quinquageſimoprimo, aut quinquageſimoſecundo, quia ex prole paulò ante ſuſcepta appareret eam adhuc poſſe concipere, ac proindè in ipſa extinctum non eſſe fomitem concupiſcentiæ.

Demum finge uxorem aliquam eſſe quidem quinquage- 86
nariam, & ſterilem, ſed tamen inhoneſtam vitam ducere, quod non rarò contingit: profectò neque huic danda eſſet licentia remanendi in ſeculo, quia ſenectus, & ſterilitas non ſufficiunt, ſi aliundè appareat de intemperantia uxoris, ut oſtenſum eſt ſupra *n. 8 & ſeqq.* Facit quod notat Innoc. *in c. 1. ſub n. 1. in ver. Servare, ſuprà eod.* ubi ait uxorem, 87
de cujus licentia maritus profeſſionem emiſit, ſi ſit ſuſpecta de incontinentia, & caſtitatem promiſerit, cogendam eſſe Monaſterium intrare, non quidem ut profiteatur, ſed ut compeſcatur à vagatione, & cuſtodiatur, ne luxuriari poſſit. Quinimò eam eſſe cogendam ad ſolemnem profeſſionem, pluribus probat ibi Hoſtien. cum quo videntur alii tranſire, ut ibi pleniùs ſcripſi.

Et per hoc patet reſponſio ad primum, & ſecundum argumentum contrarium, quod mulieres quinquagenariæ cenſeantur inhabiles ad concipiendum.

Non obſtat tertium, quod liberta quinquagenaria non teneatur ad operas, quia in ea exemptione non conſideratur periculum fornicationis, & ideò non eſt ſimile.

Et eodem modo reſpondetur ad quartum, quòd teſtes di- 88
cantur ſenes in quinquageſimo anno, quoad examen ad æternam rei memoriam, quia nec eo caſu conſideratur hujuſmodi periculum, ſed timor mortis dumtaxat, ut ibi per Innoc. Pręterquam quòd Abb. *in eod. c. Quoniam frequenter n. 28.* dicit hunc veriſimilem timorem vario modo contingere ſecundum diverſitatem complexionum: & ideò relinqui judicis arbitrio, qui illum judicabit ſenem uſque ad ſeptuageſimum annum, ubi hunc veriſimilem timorem concipiet. Adde quòd in dominio Mediolanenſi ſenex quo ad prędictum effectum dicitur, qui annum ſexageſimum agit, ex Conſtitutione *in tit. de probat. c. 1.* ut refert Menoch. *de arbitr. judic. lib. 2. cent. 1. caſ. 59. in fin.*

Non obſtat ultimum, quòd mulieres quinquagenariæ 89
etiã vegetes, & robuſtę non teneantur ad jejunia Eccleſiæ.

Primò enim reſpondetur non valere illationem ab exemptione à jejunio ad liberationem à periculo incontinentię, ut dixi ſupra *n. 81.*

Deinde reſpondetur contrarium tenere unanimiter omnes Doctores: ſolus enim Thomas Sanchez primus hanc opinionem exemptionis quinquagenariæ à jejunio in medium attulit, ut ipſemet fatetur; qui propterea ſubdit illam eſſe quidem ſpeculativè probabilem, ſed non eſſe tutam in praxi. Sed certè ſi eſſet probabilis ſpeculativè, eſ- 90
ſet etiam tuta in practica; quia intellectus practicus nihil eſt aliud, quam extenſio intellectus ſpeculativi, ut docet D. Th. *in 1. part. q. 79. art. 11.* & dixi *in tract. de opin. probabili*, quem poſui *in c. Ne innitaris n. 99. & ſeqq. ſupr. de conſtitut.* Veritas tamen eſt hujuſmodi ſententiam nec ſpeculativè quidem eſſe probabilem; fatemur enim eſſe verum quod ait Hippocrates *Aphor. 14. Senes diu jejunium ferre non poſſunt, eo quòd ſi unica vice totum alimentum ad vitam neceſſarium aſſumerent, eorum calor, qui in extremo debilitatus eſt, ac perexiguus, ſuffocaretur; & ideò egent cibo crebro, & modico.*

Verùm hæc Hippocratis authoritas nullatenùs applicari 91
poteſt

poteſt mulieribus quinquagenariis, præſertim validis, & robuſtis, de quibus loquitur Sanch. in ſua opinione; ſed procedit in decrepitis, & ſeniò confectis tantùm, quorum calor penè extinctus. Et de his Galen. ibi *in Comment.* dicit: *Tale patiuntur ſenes, quale lucernis penè extinctis accidit, quæ continuam exigunt olei ſuffectionem; multam autem, & ſubitam ſimul nequeunt ſuſtinere.* Et de his Ariſtot, *in lib. de*
92 *juvent. & ſeneſt. c.* 14. *Propterea*, inquit, *quod paucum eſt calidum, velut plurimum evaporatum in multitudine vitæ, ſi qua utique intenſio fiat particulæ, citò extinguitur, quemadmodum pauca, & momentanea in ipſo flamma exiſtente propter parvum motum extinguitur; Quapropter & ſine dolore eſt, quæ in ſenibus mors; nulla enim violenta ipſis paſſione contingente moriuntur, ſed inſenſibilis animæ abſolutio fit omninò.* At verò in ſenibus non decrepitis locum habet præce-
93 dens Aphoriſmus Hippocratis 13. videlicet, *Senes facillimè jejunium ferunt*, ut ibi in Comment. declarant Galen. & Philoth. aſſerentes poſteriorem hanc Hippocratis ſententiam non promiſcuè de quibuſvis ſenibus eſſe intelligendam, ſed de illis tantùm, qui extremam ſenectutem non attingunt. Idemque ſentit Hollerius, qui Hippocratis verbum, *Gerontes*, vertit, ſenes non decrepitos.

94 Et in terminis excuſationis à jejunio Eccleſiæ ita declarat Richard. de Media Villa *in 4. diſt.* 15. *art.* 3. *q.* 4. dicens ad jejunium non obligari nimium ſenes, id eſt decrepitos, quia propter debilitatem caloris indigent crebiò refici, cujuſmodi ſunt regulariter, qui 70. annum compleverunt, ſecundum Medicos. Et eum refert, & ſequitur Silv. *in ver. Jejunium*, *n.* 18. *verſ. Ricardus tamen.* Idemque tradunt S. Antonin. Roſell. & Tabiena relati ſupra *n.* 79. Et ex modernis Azor. ibidem citatus, qui de communi teſtatur, & Tolet. *in ſum. lib.* 6. *c.* 4. *n.* 2.

95 Præterea non eſt admittenda ea doctrina, quòd ætas, quæ in viris eſt ſexagenaria, in fœminis ſit quinquagenaria quoad jejunium; ſiquidem DD. hanc differentiam non conſtituunt, nec probatur jure. Et contrarium colligitur ex Bulla Cruciatæ, quæ ab exceptione Eccleſiaſticorum, & quarumlibet perſonarum regularium ab indulto veſcendi lacticiniis, excludit perſonas ſexagenarias, nulla habita diſtinctione ſexus. Nec valet reſponſio Sanch. quòd propterea in caſu Bullæ à pari procedant mares, & fœminæ, quia Pontifices in eo caſu certam ætatem tam viris, quàm mulieribus præfixerunt. Etenim ætatem illam ſummi Pontifices irrationabiliter omnibus præfixiſſent, ſi naturaliter inter maſculos, & fœminas in materia jujunii conſtituenda eſſet differentia 10. annorum: atqui abſurdum eſt Pontifices maximos id contra naturalem rationem ſanxiſſe.

96 Nec refragatur, quod mulieres ſint viris frigidiores; quoniam hinc potiùs infertur, ut ſint magis obſtrictæ ad jejunandum; nam ex caloris debelitate major pituita, & crudorum humorum copia generatur; & propterea jejunium faciliùs ferunt; modico enim cibo diutiùs ſuſtentantur, minùſque ſentiunt detrimenti ex inedia, quàm viri, quibus calor edax alimento deficiente humidum radicale depaſcit. Et hæc eſt ratio, ob quam multò plures fœminæ, quàm viri, viſæ ſunt, quæ naturaliter longum ſervaverunt jejunium. Nam ex Alberto Magno plures ſex, ſeptem, & 97
pluribus menſibus vixerunt ſine ullo externo alimento. Imò relatum eſt à Dyno Medico, ut inquit Mercurial. *lib.* 3. *practic, c.* 7. mulierem quamdam ſuo tempore fuiſſe, quæ ſeptem annis ſine ullo appetitu, & cibis vixerat. Et quod eſt admirabilius; Conciliator *diff.* 112. *propè finem*, *Certificatum.* inquit, *mihi per fidelem ſocium Joannem de Corceo Normandiæ cum aliis quàm multis dicentem illic extare mulierem, quæ amodò per ſpatium 36. annorum nihil aſſumpſit.*

Accedit, quòd cùm in jejuniis jam ubique receptus ſit 98
uſus refectionis loco cœnæ, certè alimento licèt modico in refectione aſſumpto ſenes, & præſertim mulieres quinquagenariæ facilè poſſunt jejunium protrahere in ſequentem diem abſque ullo corporali detrimento, quin potiùs cum utilitate. Hinc enim, ſi qua ſuperfluitas cumulata fuerit, per cœnæ ommiſſionem, vel à natura ipſa facilè accidere poteſt, ut rectificetur, & in optimum alimentum convertatur, prout in indigentiis natura ipſa facere conſuevit; vel ſaltem evincatur, & per inſenſibilem tranſpirationem, vel aliàs ex corpore expellatur, ut dicunt Medici.

Nec obſtat, ſi dicatur; Si prædicta ratio attendenda eſſet, ſeptuagenarii quoque tenerentur ad jejunia Eccleſiæ, cum ipſi magis abundent flegmatibus, & humoribus crudis; & tamen communis ſententia eos excuſat. Etenim, ut ex dictis conſtat, in decrepitis, & conſtitutis in extremo ſenio diverſa eſt ratio, cùm eorum calor ferè abſumptus indigeat crebra alimenti ſuffectione.

Concludendo exiſtimo licentiam morandi in ſeculo cum 99
voto ſimplici continentiæ, viro religionem profitente, nullo modo eſſe concedendam uxori ante 50. annum, quia in ea ætate deficit utraque qualitas requiſita in hac decretali. Neque enim ſenex dici poteſt, cùm jure noſtro ante 50. annum non incipiat ſenectus, ut patet ex dictis *nu.* 23. & conſequenter nec poteſt dici ſterilis ea ſterilitate, quæ provenit ex ſenectute.

Sed nec poſt annum 50. puto ejuſmodi licentiam concedendam eſſe indiſtinctè, ut habet ſecunda opinio; ſed ſpectandum eſſe robur, & temperamentum corporis; item honeſtatem, & temperantiam vitæ; propterea qualitatem regionis, alicubi enim mulieres non rarò concipiunt etiam poſt 50. annum, ut de Peruſinis teſtes ſunt Bald. & Ang. præalleg. *n.* 53. Præcipua autem ratio habenda erit, quantum temporis interceſſerit ab ultimo partu; non enim æquè judicanda eſſet libera à fomite libidinis illa major quinquagenaria, quæ peperit in 50 anno, atque illa, quæ deſiit parere in 40 ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſupra *nu.* 85. Quæ omnia cùm non omnibus mulieribus æqualiter contingant, arbitrio, & prudentia Epiſcopi, ſingulis circumſtantiis diligenter perſpectis, dijudicandum erit, an prædicta licentia ſit concedenda, vel deneganda, ut tenet Ant. de Butr. *in c.* 1. *n.* 5. *ſupra eod.*

DE CONVERSIONE CONJUGATORUM.

Idem Alexander III. Strigon. & Colon. Archiepiſcopo.

CAPUT V.

CONjugatus; & infrà. Nullus conjugatorum eſt ad ſacros ordines promovendus, niſi ab uxore continentiam profitente fuerit abſolutus.

SUMMARIUM.

1 *COnjugatus non eſt ordinandus ad ſacros ordines, niſi uxor continentiam promittat.*

2 *Quod ſi ordinari ſe fecerit, an uxor teneatur Religionem profiteri, aut ſaltem cogi poſſit ad permanendum in clauſura alicujus Monaſterii Monialium in habitu ſæculari, ut vitentur ſcandala, & nu. ſeq. uſq. in fin.*

3 *Profeſſio tacita nunquam inducitur per delationem habitus Novitiorum diſtincti ab habitu profeſſorum diſtinctione patenti.*

4 *Novitius ante habitum Profeſſorum ſuſceptum poteſt liberè redire ad ſæculum, niſi appareat eum voluiſſe vitam mutare, quod in dubio non præſumitur.*

5 *Novitius per delationem annalem habitus indiſtincti cenſetur tacitè profeſſus præſumptione juris, & de*

& de jure, niſi aliter fuerit proteſtatus.

6 *Profeſſio tacita de jure communi non inducitur quoad impuberes per annalem habitus delationem, ſi habitus ſit diſtinctus diſtinctione latenti, ſecus quoad puberes.*

7 *Idem ſi habitus ſit indiſtinctiſſimus.*

8 *Uxor cenſetur ſe ad caſtitatem obligare, ſi vir de ejus licentia ſacros Ordines ſuſcipiat.*

9 *Et quid ſi uxor ignoraverit quoad hoc juris diſpoſitionem.*

10 *Uxor de cujus licentia vir ad ſacros Ordines aſcendit, ſi ſit juvenis, ſive ſit ſuſpecta de incontinentia, ſive non, tenetur Religionem ſolemniter profiteri; ſecus ſi ſit ſenex, & non ſuſpecta, quia ſufficit votum caſtitatis in ſeculo.*

11 *Intellectus c. Epiſcopis, 77. diſt.*

12 *Epiſcopi licentia an requiratur ad hoc, ut vir poſſit ad ſacros Ordines promoveri, & uxor Religionem ingredi.*

13 *Conjugatus non poteſt ad ſacros Ordines aſcendere abſque uxoris licentia, etiamſi matrimonium non fuerit conſummatum; ac ſi aſcendat, revocari poteſt ab uxore, & tenetur ei debitum reddere, ſed exigere non poteſt, & n. ſeq.*

14 *Conjux invita uxore ordinatus, poteſt ab ea revocari etiam poſt ſententiam divortii.*

15 *Uxor innocens an poſt thori ſeparationem habeat jus petendi, ut ſibi vir reconcilietur.*

16 *Uxor, quæ ſciens viri ordinationem tacuit, & diſſimulavit uſque ad divortii ſententiam, videtur ei licentiam dediſſe, & juri ſuo renuntiaſſe.*

17 *Conjux non poteſt ad ſacros Ordines aſcendere uxore id ignorante, & non conſentiente, etiamſi præceſſerit ſententia divortii.*

18 *Uxor, cujus vir ſacris Ordinibus eſt initiatus ipſa ignorante, induci debet, ſed cogi non poteſt ad profeſſionem emittendam, aut ad perſeverandum in clauſura.*

1 C*Onjugatus*. Conjugatus non eſt ordinandus ad ſacros Ordines, niſi uxor continentiam promittat. Hoc dicit. Ex facto quæſitum eſt, ſi conjugatus ad ſacros Ordines promoveri ſe fecerit, an uxor teneatur Religionem ſolemniter profiteri, aut ſaltem cogi poſſit ad perſeverandum in clauſura alicujus Monaſterii Monialium in habitu ſæculari, ut vitentur ſcandala.

Catharina Ceſia poſt divortium cum Marchione Julio de Ruvere ejus marito, de licentia Greg. XV. ingreſſa eſt Monaſterium S. Ægidii Urbis, ut ibi profeſſionem emitteret, & habitum Novitiarum detulit per duos annos. Interim Marchio in Presbyterum ordinatus eſt. Mox Catharina exivit è Monaſterio, ut iter in Germaniam pararet; donavit enim 30. m. ſcutorum pro Monaſterio in illis partibus conſtruendo: ſed juſſa à Sanctiſſimo in Monaſterium rediit. Intendit nunc iterùm exire, ut creditur, in Germaniam profectura. Princeps Sancti Angeli ejus frater petit ordinari, ut ſoror in clauſura permaneat ejuſdem, vel alterius Monaſterii.

2 Pro dubii ſolutione duo articuli videntur examinandi. Primus, an uxor ſit cogenda ad clauſuram tamquam profeſſa. Secundus, an ſit cogenda ad eam clauſuram ob ſacros Ordines à marito ſuſceptos, & ad vitanda ſcandala.

3 Quoad primum perquirendum eſſet, an in dicto Monaſterio habitus Novitiarum ſit diſtinctus ab habitu Profeſſarum diſtinctione patenti in colore, ſciſſura, vel forma, an non; ſi enim diſtinctus ſit, & ipſa non aſſumpſerit habitum, qui profeſſis dari conſuevit, non eſt locus tacitæ profeſſioni, Clem. *Eos, de regul.* quantocumque tempore ſteterit in Religione, Innoc. *in cap. Ex parte, in princ. verſ. Hic non erant diſtincti habitus, eod. tit.* Unde Abb. Antiq. *in c. Conſulti n. 3. eod.* dicit ſe vidiſſe litteras Papales abſolutionis conceſſas cuidam Monacho, qui talem habitum detulerat ferè per decem annos, ut refertur per gloſſ. in d. Clem. *Eos, in ver. Deinceps.*

4 Neque obſtat text. *in c. Statuimus de Regul.* ubi Novitius ante habitum profeſſorum ſuſceptum dicitur poſſe redire ad ſæculum, niſi evidenter appareat, quòd abſolutè voluerit vitam mutare, & in Religione perpetuò Domino deſervire. Nam aut ſumus infra annum probationis; & ille textus non habet locum poſt Conc. Trid. quo profeſſio etiam expreſſa ante annum expletum non tenet, *c. 15. ſeſſ. 25. de regul.* Aut ſumus poſt annum; & tunc procedit quidem ille text. quia quod non mutatur, &c. ita ut quamvis habitus ſit patenter diſtinctus, & Novitius retineat habitum Novitiorum, adhuc tamen cenſeatur profeſſus, ſi elapſo anno evidenter appareat eum voluiſſe vitam mutare. Sed tamen hoc in dubio non præſumitur, ut deciditur *in d. c. Statuimus*, & tradunt ibi gl. & DD. communiter. Signa autem evidentia mutationis recenſentur per Joan. Andr. ibi. Hoc caſu de his ſignis non videtur conſtare, quòd enim ingreſſa fuerit Monaſterium, quòd habitum Novitiorum ſuſceperit, quòd petierit, & obtinuerit licentiam profitendi, etiam invito viro, quòd de bonis propriis diſpoſuerit, ſolùm indicant propoſitum futurum profitendi, ſed non demonſtrant præſentem ſtatus mutationem, aliàs omnis Novitius elapſo anno diceretur profeſſus, quamvis habitum profeſſorum non ſuſciperet, quia unuſquiſque habitum Novitiorum ſuſcipit animo profitendi Religionem, poſtquam eam probaverit; & tamen profeſſio non inducitur habitu non mutato, niſi evidentia ſigna, &c. ut in d. Clem. *Eos, & in c. Statuimus.*

Sin autem habitus in dicto Monaſterio ſit indiſtinctus, 5
id eſt communis tam Novitiis, quàm Profeſſis, tunc uxor per delationem hujuſmodi habitus ultra annum eſt tacitè profeſſa præſumptione juris, & de jure, quæ non admittit probationem in contrarium, text. *eſt in c. 1. §. fin.* ubi omnes notant, *de regul. lib. 6* & d. Clem. *Eos. eod. tit.* gl. *in d. c. Ex part. in verb. Per annum*, niſi fuerit proteſtata ante annum expletum, quia contra præſumptionem juris, & de jure admittitur hoc caſu probatio per proteſtationem præcedentem, ut ſentiunt *in d. c. 1.* Joan. Monachus *in verb. Præſumitur*, Prob. *in Addit.* Gemin. & Anchar. gloſ. *in d. c. Ex part. in ver. Per annum*, & ibi communiter Canoniſtæ, & in d. Clem. *Eos.*

Sed & ſi habitus ſit diſtinctus tantùm diſtinctione laten- 6
ti, ut benedictione, idem eſt ac ſi eſſet indiſtinctus quoad puberes. Nam *c. Statuimus*, correctum eſt in hoc per Clem. *Eos*, ubi ibi per gloſſ. *in ver. Deinceps*, & Card. *num. 2. &* 7
3. Quod procedit etiamſi habitus ſit indiſtinctiſſimus, ideſt communis Profeſſis, Novitiis, & aliis ibi communem vitam ducentibus, quia quoad puberes inducitur tacita profeſſio per delationem annalem, non ſecus ac ſi habitus indiſtinctus eſſet, licèt ſecus ſit quoad impuberes, ut ſtatuitur *in d. cap. 1. §. fin. de regul. lib. 6.* Quamdiu tamen non appareat de hujuſmodi tacita profeſſione, ſive ex delatione habitus, ſive ex aliis ſignis evidentibus, uxor ex hoc capite non videtur cogenda ad perpetuam clauſuram, *cap. Ad noſtram, c. Super eo, c. Ad Apoſtolicam, & c. Conſulti, de regul. c. Non ſolùm, & c. fin. eod. tit. lib. 6.*

Quoad ſecundum articulum (quæ eſt materia hujus De- 8
cretalis) tres caſus videntur diſtinguendi: nam aut uxor expreſsè conſenſit, ut vir ſuſciperet ſacros Ordines, aut expreſsè contradixit, aut neutrum præſtitit expreſsè, ſed tacuit, & diſſimulavit.

Primo caſu ex hoc ſolo, quòd expreſsè conſenſerit, ſeu licentiam dederit viro ſacros Ordines ſuſcipiendi, cenſetur ſe voto caſtitatis adſtrinxiſſe, & caret uſu conjugii, ſecundùm Cardinalem hìc, *in fin.* per hunc text. Gemin. *in cap. Quia ſunt ad fin.* & ibi etiam Turrecrem. *num. 4. 28. diſt.* S. Antonin. *in 3. part. tit. 1. cap. 8. ad fin.* Silveſtr. *in verb. Matrimonium 8. qu. 12. verſ. Tertium*, & docet S. Thom. *in 4. diſtinct. 37. quæſt. 1. art. 2. ad 2.* in quo conſentiunt omnes tam Theologi, quàm Canoniſtæ. Et quamvis gl. *in cap.* 9
Seriatim, in verb. Poſt mortem 32. diſt. limitet hanc concluſionem, ut procedat, ſi uxor ſciverit quoad hoc juris diſpoſitionem, ſecus ſi ignoraverit; ejuſque diſtinctioni adhærent Henric. Boich. *in cap. Uxoratus num. 12. infr. eod.* Angel. *in ver. Matrimonium 4. num. 9. & ex recent.* Sanch. *de matrim. lib. 7. diſp. 39. nu. 12.* Aliter tamen in hoc loquitur S. Bonav. *in 4. diſt. 37. in expoſ. litteræ*, ubi ait: *Si uxor conſentiat viro, ut Ordinem ſacrum ſuſcipiat, vel ut Religionem ingrediatur, in conſpectu perſonæ, per quam ſecundùm formam Eccleſiæ poſſet fieri divortium; ipſa obligatur ad continentiam perpetuam cum viro, qui eſt eadem caro cum ipſa; nec excuſatur per juris ignorantiam.* Hæc S. Bonaventura, quem refert, & ſequitur Præp. *in d. c. Seriatim, n. 5. diſt. 32.* Et ſanè cùm corpus viri, ut ibi ponderat Præpoſitus, per ſacrorum Ordinum ſuſceptionem Deo fuerit perpetuò dedicatum de uxoris licentia, ejuſque votum ſolemnizatum, juxta *c. Unico, de voto lib. 6.* abſurdum, & ſcandaloſum eſſet, ut uxor vellet marito ſacris initiato carnaliter com-

commiſceri hoc prætextu, quòd ignoraverit ſe propterea ex juris diſpoſitione voto continentiæ obſtrictam eſſe.

10 Suppoſita autem hujuſmodi licentia, & conſenſu, uxor non ſolùm cenſetur ſe obligaſſe ad caſtitatem ſervandam in ſæculo, verùm etiam cùm ſit juvenis, cogi poteſt Religionem ingredi, & ſolemniter profiteri. Nam etiamſi magna ſit altercatio inter DD. an uxor de cujus conſenſu vir ad ſacros Ordines eſt promotus, teneatur ſolemnem profeſſionem in Monaſterio emittere, ut hìc in gloſ. 2. verior tamen, ac tutior ſententia eſt, ſi mulier ſit ſenex, & non ſuſpecta de incontinentia, ſufficere votum ſimplex caſtitatis in ſæculo: ſin autem ſit ſuſpecta de incontinentia, aut ſi ſit juvenis, ut hoc caſu, ſive ſit ſuſpecta, ſive non deſiderari ſolemnem profeſſionem; quod clarè conſtat ex Concilio 11 Agathenſi *c. 16. & 17.* relato *in c. Epiſcopus*, *77. diſt.* cujus hæc ſunt verba: *Sanè ſi conjugati juvenes conſenſerint ordinari, etiam uxorum voluntas ita requirenda eſt, ut ſequeſtrato manſionis cubiculo, Religione promiſſa, poſteàquam pariter converſi fuerint, ordinentur.* Nec refert, quòd gl. *ibi in ver. Religione*, & Turrecr. exponant ver. illud, *Religione*, id eſt caſtitate, & Hugo, Archid. & Præp. pro Religioſa continentia, & verſ. illud, *Converſi*, exponatur ab Archid. id eſt, ad pœnitentiam. Nam hujuſmodi expoſitiones inferunt vim literæ. Unde Præpoſ. *in c. Si te*, *col. 2. in princ. verſ. Opinio Hoſt. 28. diſt.* dicit (pro hac opinione eſſe caſum non cavillando litteram *in d. c. Epiſcop.* ubi text. vult, ut ſi ſit juvenis, debeat tranſire ad religionem, & expoſitio gl. Religionem, id eſt, caſtitatem, ut dicit Præp. eſt deſtructio text. nec text. ibi diſtinguit, an ſit ſuſpecta, vel non, ſed ponderat tantùm, an ſit juvenis; unde ex quo eſt juvenis, non debet remanere in ſæculo.) Hæc Præp. qui cum hac ſententia dicit tranſire Card. & Gemin. necnon Ant. de Butr. & Panorm. in hac Decretali, & fuit opinio Hoſt. *hic ad fin.* ubi validiſſimam reddit rationem, quia ſicut uxor profitentis, quæ eſt juvenis, compellitur tranſire ad religionem, ut eſt caſus *in cap. Cùm ſis*, *ſup. eod.* & infrà in *c. Uxoratus*, & *cap. Ad Apoſtolicam*; ita & multò fortiùs uxor ordinandi, quia vir faciliùs poterit poſteà viſitare illam, ſi remaneat in ſæculo, quam potuiſſet, ſi tranſiiſſet ad religionem, & accedens ad uxorem fortem non habebit repulſam. Vix autem fieri poteſt, ut uxor juvenis viro aſſueta ex illius viſitatione non adducatur in periculum incontinentiæ, *c. Literas*, *de fil. Presbyt. c. 1. & c. Clericos*, *de cohab. Cler. & mulier.* Unde cùm major ſit ratio in uxore Clerici ſæcularis, quàm in uxore profitentis, ideò idem jus erit in utroque. Ita Hoſt. cujus opinionem dicit propterea eſſe veriorem Præpoſ. *in d. c. Si te*, *col. 2. verſ. Opinio Hoſt. 28. diſt.* quam etiam ſequitur Ant. de Butr. *hic in fin. verſ. Sed mihi plus placet*, ubi reprobata diſt. Jo. Andr. inter juvenem de incontinentia ſuſpectam, & juvenem non ſuſpectam; Non video, inquit, ſi mulier ſit juvenis, qualiter non ſit ſuſpecta, quia mulieres ſunt volubiles, ut rota. Idem Jo. de Anan. *n. 1. circa fin. verſ. Ego neſcio ſi poſſet inveniri mulier juvenis, & non ſuſpecta.* Et hæc ſententia ſecundum Præp. ubi ſupra eſt etiam de mente S. Th. *in 4. diſt. 37. q. 1. art. 2. ad 2.* ubi ait, *Uxorem, de cujus licentia vir Ordinem ſacrum ſuſcepit, teneri perpetuam continentiam vovere; non tamen teneri religionem ingredi, ſi ſibi non timeat de incontinentiæ periculo.* Cujus doctrinam in hunc ſenſum intelligit, & receptam dicit Navar. *in Manuali c. 22. n. 52. in fin.*

12 Addunt quidam, adhoc ut vir poſſit ad ſacros Ordines aſcendere, & uxor religionem ingredi, præter conſenſum conjugum deſiderari etiam licentiam Epiſcopi, per text. in *cap. Si vir & uxor divertere pro ſola religioſa inter ſe conſenſerint vita, nullatenus ſine Epiſcopi conſcientia fiat*, *27. q. 2.* Verum hoc non eſſe in precepto, ſed de honeſtate tantùm, poſt Hug. & Laur. tradit ibi Archid *nu. 1. ſuper verb. Fiat*, Bellam. *n. 1.* Innoc. *in c. 1. in gl. 1 ſup. eod.* & alii, quos ibi retuli *n. 15.* & de conſuetudine obſervari, ut prædicta licentia non petatur, teſtantur ubi ſupra, Joann. Andr. & Card.

Itaque ſi hoc caſu conſtaret maritum ſuſcepiſſe Ordines ſacros de conſenſu uxoris, etiam abſque licentia Epiſcopi, utique ipſa ſive ſciens, ſive ignorans juris diſpoſitionem, non ſolùm obſtricta eſſet ad ſervandum perpetuum continentiæ votum, ſed etiam cùm ſit juvenis, cogenda eſſet ad religionem tranſire. Verùm de hujuſmodi conſenſu hactenùs nihil apparuit; & quamdiù de eo non conſtat concludenter, non videtur cogenda ad jugum Monaſticæ ſervitutis, ut inferiùs dicetur *in 3. caſu*. Et graviter corripiendus eſſet Epiſcopus, qui ſibi non conſtito de hujuſmodi conſenſu, maritum ad ſacros Ordines promoviſſet contra præſcriptum ſacrorum Canonum, & vir incidiſſet in pœnas Extravag. *Antiquæ de voto.*

13 Secundo caſu explorati juris eſt uxorem cogi non poſſe ad profeſſionem in Monaſterio emittendam, quia conjugatus non poteſt ad Ordines ſacros promoveri abſque uxoris licentia, ut hìc patet etiamſi matrimonium non fuiſſet conſummatum, ut in d. Extrav. *Antiquæ de voto.* Ac ſi ordinatur ea contradicente, poteſt ab uxore revocari, & tenetur ei debitum reddere, licèt exigere non poſſit, d. Extrav. *Antiquæ*, & ibi gl. ult. Item gl. *in c. Agathoſa*, *in ver. Debeas 27. q. 2.* D. Th. *in 4. diſt. 37. q. 1. art. 2. ad 1.* Petr. de Palude *q. 1. ar. 1. n. 9.* S. Anton. *3. p. tit. 1. c. 8. ad fin.* Silv. *in ver. Matrimonium*, *8. q 12.* Navar *in Manuali c. 22. n. 53.* Quinimò idem juris eſſe in uxore, quæ cùm mortua crederetur, illius maritus fuit in Papam electus, & conſecratus, tradit gl. *in c. Si quis pecunia*, *in verb. Non Apoſtolicus*, *diſt. 79.* & ibi Archid. *ad fin.* Jo. Andr. Butr. Anchar. & Abb. hic. Ratio eſt, quia vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier, ſecundùm d. ult. gl. in d. Extr. *Antiquæ*. Et quia quod ſuum erat, ſcilicet debitum exigere, maritus vovere potuit, ſed non alienum, ſcilicet non reddere *c. Vna*, *33. qu. 5.* quam rationem aſſignat gl. *in d. c. Agathoſa in ver. Debet 27. q. 2.*

14 Quę concluſio procedit non obſtante ſententia divortii, quæ hoc caſu proponitur lata inter virum, & uxorem: adhuc enim vir, qui uxore invita aſcendit ad ſacros Ordines, poteſt ab ea revocari, & tenetur ei debitum reddere, quamvis non poſſit exigere, ut poſt Laur. tenet gl. *in c. Ex literis*, *in ver. Reddere de divort.* Goffred. *in ſumma tit. de Conver. conjug. n. 8.* D. Ant. *3. p. tit. 1. c. 21. §. 6. verſ. Effectus accuſationis*, Aſten. *in ſumma 2. p. libr 9. tit. 11. art. 5. in fin. & tit. 33. art. 3. caſu 6.* Silv. *in ver. Divortium q. 10. & in ver. Matrimonium 9. q. 11.* Ratio eſt, quia poſt thori ſeparationem poteſt uxor innocens cogere maritum, ut ſibi reconcilietur, ſecundùm gl. *in d. c. Ex literis*, quam communiter ubi DD. ſequuntur. Et quamvis hæc ampliatio non tranſeat abſque contradictionem, & contrarium teneat Hugo relatus à gl. *ubi ſupr.* ac præterà multi eam limitent, ut non procedant, quando poſt latam divortii ſententiam 15 uxor innocens ſæpiùs monita renuit conjugem ſibi reconciliare exiſtimantes eo caſu licere marito ſtatum mutare, & ad ſacros Ordines aſcendere, vel profiteri etiam invita uxore, ut *in c. Gaudemus inf. eod.* tradunt Hoſt & Jo. And. *n. 3.* Butr. *ad fin.* Card. *q. 1.* Anch. *n. 2.* tamen in præſentia non eſt opus ejuſmodi articulos diſcutere, quia non conſtat uxorem contradixiſſe ordinationi mariti: quinimò ſupponitur eam ignoraſſe, ut dicetur *in 3. caſu*

Tertio caſu, id eſt, quando uxor nec expreſsè conſenſit, nec contradixit ordinationi mariti, ſed tacuit ſimpliciter; iterùm ſubdiſtinguendum eſt, nam aut ſcivit maritum velle aſcendere ad ſacros Ordines, & tamen tacuit, & diſſimulavit, aut ignoravit. 16 Si ſcivit, cùm hoc caſu ſupponatur præceſſiſſe ſententiam divortii inter virum, & uxorem, videtur licuiſſe marito ſtatum mutare, & ad ſacros Ordines aſcendere abſque uxoris licentia. Ratio eſt, quia cum uxor id ſciverit, & non contradixerit, ſed diſſimulaverit uſque ad divortii ſententiam, videtur licentiam dediſſe, ac juri ſuo renuntiaſſe, arg. *c. Agathoſa 27. q. 2.* & tradunt D. Anton. *in 3. p. tit. 1. c. 21. §. 6. verſ. Effectus accuſationis*, Jo. de Friburgo *in ſum. Confeſſ. lib. 4. tit 22. q. 14.* Silv. *in ver. Matrimon. 9. q. 11.* Tabien. *Matrimonium 4. q. 5. n. 6.* Verùm ex deductis non apparet de ſcientia uxoris; & quamdiù illa non probetur, præſumitur ignorantia, ut in regula præſumitur, *de reg. iur. lib. 6.* Unde ex hoc capite non videtur cogenda ad Monaſterium.

17 Si autem ignoraverit viri promotionem, ut ſupponitur in facto, non obſtante ſententia divortii, ut proponitur lata, minimè licuit marito ad ſacros Ordines aſcendere abſque uxoris licentia. Ratio eſt, quia cùm uxor innocens habeat jus petendi, ut ſibi maritus reconcilietur, non licet marito ſtatum mutare abſque beneplacito uxoris, ne juri illi acquiſito inferat præjudicium. Sic docent S. Th. *in 4. diſt. 35 q. unic. art. 6. ad 3.* S. Bonav. *ead. diſt. art. unico q. 5. ad 2.* Roſella *in ver. Divortium n. 11.* Silv. *eod. ver. q. 10. & in ver. Matrimonium 9. q. 11.*

Quæ

18 Quæ cùm ita ſint, durum videtur uxorem, quatenus non ſit tacitè profeſſa, invitam compellere ad ſolemnem profeſſionem in Monaſterio emittendam: nam etſi obtinuerit licentiam ingrediendi religionem, datus eſt tamen illi annus probationis in ſubſidium fragilitatis humanæ à SS. Patribus inſtitutus. *c. Ad Apoſtolicam, ſup. de reg. c. Non ſolum, eod. tit. lib. 6.* Unde quæ fortè religionis auſteritatem ferre non potuit, iniquum videtur, ut eidem perpetuò alligetur invita, ut per Oldrad. *conſ. 96.* incip. *Numquid Monachum poſſit includere Papa contra ſuam voluntatem.* Satis enim inutile eſt, ut coacta ſervitia Deo præſtentur, *c. Illud, 20. q. 1.* Et quamvis in caſibus à jure permiſſis poſſit quis cogi ad ingrediendam Monaſterium, ut innuit *c. 18. ſeſſ. 25. de reg.* Conc. Trid. puta propter delictum, juxta *c. Lapſis 16. q. 6.* vel ſi infantes à parentibus offerantur, *ut 20. qu. 1 per tot.* tamen nemo invitus cogitur profiteri. In regulæ enim obſervatione gravitas eſt, & labor, ut inquit gl. *in c. Ad noſtram, in ver. Ante conſummationem, de regul.* & ſervitus Monachalis humana ſervitute diſtrictior eſt, *c. Multos 54. diſt.* Abb. *conſ. 8. Videtur in princ. verſ. Cenſetur enim lib. 1.* Imò Nav. *conſ. 59. n. 2. de reg* dicit non poſſe Summum Pontificem tam grandia præcipere, arg. *c. Integritas 32. q. 1. & c. Geſta* juncta gl. in ver. *Creſcere 74 diſt.* Et eſt ratio, quia cùm conſenſus in matrimonio tam carnali, quàm ſpirituali exigatur jure naturali, & divino, ab Eccleſia ſuppleri non poteſt, *c. Præſens 20. q. 3. c. Licèt de reg.* Abb. *in c. Venerabilem n. 21. Qui filii ſint legit.* Silv. *in ver. Religio 3. n. 12.* Quare qui ſine juſta cauſa offenſionis cauſa ſunt intromiſſi, niſi volentes non tenentur, quia quod non petunt, non obſervant; ideòque tales conſiderandi ſunt magis peccata committere, quàm plangere, ut legitur in Synodo Eugenii II. *c. 32.* relàto in *c. Sicut, ead. cauſ. & qu.*

Quod ſi dicas; Uxor cogetur eſſe in Monaſterio abſque profeſſione; ergo Monaſterium egit ei carcer, & pœna ubi non eſt culpa, contra *c. Si Compromiſſarius, §. fin. de elect.* & contra naturalem rationem. Præterea cum ſe voto caſtitatis expreſsè, aut tacitè non adſtrinxerit, & obedierit præcepto Apoſt. *ad Corint. 7. Propter fornicationem unuſquiſq; ſuam uxorē, & unaquæq; virum ſuum habeat, &, Nolite, fraudare invicem, niſi fortè ex conſen. & ad tempus, c. Sicut, §. His ita reſpōdetur 32 q. 2.* & melius ei fuerit nubere, quam uri, ſecundùm Apoſtolum, ibid. iniquum eſſet, ut abſque facto, & culpa ſua privaretur jure conjugii, quod ad concupiſcentiæ remedium juſto titulo acquiſivit. Idcircò enim à ſacris Canonibus ſtatutum eſt, ut vir, qui ſine uxoris conſenſu ad religionem tranſivit, aut ſacris eſt initiatus, poſſit ab ea quandocumque revocari ad conſortium conjugale ut *in c. 1. & 2. & ferè per tot. hunc titul.* nec ſcilicet illius converſio uxori relictę in ſęculo fieri poſſit perditionis occaſio, ut legitur *in d. c. Agathoſa 27. qu. 2.* Ita ut propterea Abb. *in c. Quidam in 1. not. n. 2. ſup. eod.* dixerit, uxorem poſſe vendicare maritum, adjecta etiam conditione de jure divino. Imò in d. Extrav. *Antiquæ de voto*, vir, qui poſt ſponſalia de præſenti abſque licentia ſponſæ aliquem ex ſacris Ordinibus ſuſcepit, jubetur ſponſa ejus inſtante compelli per cenſuram Eccleſiaſticam ab Epiſcopo Diœceſano contractum matrimonium conſummare.

Neque verò hac in re ulla habenda erit ratio ſcandali, ſi quod inde exoriretur, quia eſſet Phariſæorum, non puſillorum, & ideò non timendum, *Matth. 15.* & tradit Navar. *conſ. 87. de regul.* & D. Th. *in 2. 2. q. 43. art. ult.*

Placeret, ut uxor, etiam nomine Sanctiſſimi admoneretur, & induceretur ad religionem profitendam, vel ſaltem ad perſeverandum in clauſura alicujus Monaſterii in habitu ſęculari, juxta conſ. gloſ. *in d. c. Si quis pecunia in ver. Non Apoſtolicus, 79. diſt.* Quod ſi nulla ratione induci queat, quamdiù non probetur aut tacitam profeſſionem emiſiſſe, ſecundùm ea, quæ dicta ſunt *n. 3. & ſeq.* aut licentiam dediſſe viro ad ſacros Ordines aſcendendi, juxta dicta *n. 6. & ſeq.* aut ſaltem ſciviſſe illius aſcenſum, & non contradixiſſe, juxta *num. 15.* nullatenùs videtur cogenda, cùm invitæ non ſit continentia indicenda, *c. Ante triennium*, ibi: Durum mihi, atque incompetens videtur, ut qui uſum ejuſdem continentiæ non invenit, neque caſtitatem ante promiſit compellatur ab uxore ſua ſeparari atque per hoc [quod abſit] deteriùs cadat, *31. diſt.* nec Monaſterium debeat eſſe loco carceris ei, quæ nihil peccavit, & eſt potiùs digna commiſeratione.

DE CONVERSIONE CONJUGATORUM.

Idem Alexander III. Brixien. Epiſcopo.

CAPUT VII.

EX publico inſtrumento nobis innotuit, quòd cùm Veroneñ. Epiſcopus cauſam matrimonii, quæ inter A. virum & M. mulierem vertebatur, ſuſcepiſſet terminandam, judiciali ſententia matrimonium approbavit: & eidem mulieri præcepit, ut ad virum rediens, exiberet eidem conjugalem affectum: quod cùm renueret, fuit vinculo excommunications adſtricta. Cæterùm quia licèt à præfato viro deſponſata fuerit, adhuc tamen (ſicut aſſerit) ab ipſo eſt incognita: Mandamus, quatenùs ſi prædictus vir ipſam carnaliter non cognoverit, & eadem ad religionem tranſire voluerit, recepta ab eà ſufficienti cautione, quod vel ad religionem tranſire, vel ad virum ſuum redire infra duorum menſium ſpatium debeat ipſam à ſententia, qua tenetur, abſolvas: ita quòd ſi ad religionem tranſierit, uterque reſtituat alteri, quod ab eo noſcitur recepiſſe: & infrà. Sanè quòd Dominus in Evangelio dicit, non licere viro niſi ob cauſam fornicationis uxorem ſuam dimittere, intelligendum eſt, ſecundùm interpretationem ſacri eloquii, de his quorum matrimonium carnali copula eſt conſummatum, ſine qua conſummari non poteſt.

S U M M A R I U M.

1 *SPonſa de præſenti non cognita, quæ dicit religionem ingredi velle, compellitur infra certum tempus religionem profiteri, vel adhærere marito, & num. 10.*

2 *Cauſæ matrimonialis tractatus, & cognitio ad Epiſcopum pertinent.*

3 *Sponſa de præſenti poteſt compelli per cenſuras Eccleſiaſticas ad matrimonium conſummandum, & mutuam cohabitationem.*

4 *Et cogi poteſt præcisè, & adduci ad domum viri.*

5 *Coitus primus inter conjuges non eſt gratuitus.*

6 *Sponſus etiam ſi fieret Papa, nec aliàs religionem intraret, teneretur matrimonium conſummare.*

7 *Uxor non cognita etiam invito viro poteſt ad religionem tranſire, licèt inter eos diſcordia præceſſerit.*

8 *Excommunicatus pro manifeſta offenſa non abſolvitur cum cautione, ſed ſatisfactione præmiſſa, niſi ſatisfactio concernat ſpiritualia, & n. ſeq.*

9 *Profeſſio fieri non debet ab excommunicato, ſed facta tenet.*

10 *Sponſa de præſenti volens ad religionem tranſire, præſtare*

ſtare debet cautionem ſaltem juratoriam, quòd infra duos menſes tranſibit, vel adhærebit marito.
Et quæ ſint rationes, n. 13.

11 *Et an hoc tempus duorum menſium detur ad profitendum, an verò ad ingrediendum religionem, & nu. ſeqq. uſque ad nu. 27.*

13 *Matrimonium ratum non ſolvitur per ingreſſum religionis, niſi ſequuta profeſſione.*

15 *Copula carnalis complet tranſlationem corporis unius conjugis in poteſtatem alterius, & uterque intrat in poteſtatem ſibi traditæ poteſtatis, & n. 51.*

16 *Sponſa de præſenti ingrediens religionem ſine licentia ſponſi, non habet niſi duos menſes ad profitendum; ſed ſi cum licentia, habet integrum annum, quo elapſo intelligitur tacitè profeſſa.*
Et quid in Ordinibus Mendicantium, n. 19.
Et quid poſt Concilium Tridentinum, num. 24. & num. 36.

17 *Sponſa ingrediens religionem ſine licentia viri, an lapſis duobus menſibus tacitè profeſſa intelligatur.*

18 *Matrimonium non conſummatum ſolvitur per profeſſionem tacitam ſicut per expreſſam, & n. 37.*

20 *Conjuges in multis caſibus ſine culpa, ſed non ſine cauſa continere coguntur.*

21 *Uxor tenetur maritum cruce ſignatum expectare quantiſcumque annis abfuerit, licèt voto peregrinationis mariti non conſenſerit.*

22 *Sponſa ingrediens religionem non Mendicantem ſine licentia viri, de jure cenſetur anno probationis renuntiare.*

23 *Matrimonium poſt lapſum eſt in remedium concupiſcentiæ.*

24 *Anno probationis etiam in Ordinibus non Mendicantium poſt Concilium Tridentinum renuntiari non poteſt.*

25 *Decretum irritans in aliqua diſpoſitione appoſitum, operatur, ut pars non poſſit illi renuntiare.*

26 *Bimeſtre tempus, quod datur conjugi ad intrandam religionem, currit à die præfixionis factæ à judice.*

27 *Sponſa de præſenti, ſi fuerit violenter cognita à marito, an poſſit ipſo invito ad religionem tranſire, latè diſcutitur, ut n. ſeqq. uſque in fin.*

28 *Delinquens non debet eſſe melioris conditionis, quàm non delinquens, & n. 43.*

29 *Corrupta violenter perdit virginitatem, non tamen ejus beneficium quantum ad Deum, & n. 55.*

31 *Lex promotionis reſpicit factum, non voluntatem, & num. 54.*

32 *Sponſus de præſenti an licitè poſſit ſponſam rapere, & vi corrumpere.*
Quid ſi ſponſa non excipiat ſe velle ad religionem tranſire, n. 33.
Et quid ſi excipiat, ſed lapſi ſint duo menſes, vel annus probationis, n. 35. & 36.
Et quid ſi tempus hujuſmodi nondum ſit elapſum, num. 38.

33 *Maritus peccat vim inferendo ſponſæ, niſi priùs adhibeat diligentias ad eam diſponendam.*

34 *Exceptio regulariter non prodeſt, niſi opponatur.*

38 *Sponſus, qui infra bimeſtre ſponſam de præſenti violenter cognoſcit, multipliciter delinquit, & n. ſeqq. uſque ad n. 45.*

39 *Sponſa per vim deflorata perdit privilegium virginitatis, & conſequenter conſecrationis, & aureolæ, & num. 55.*

40 *Religioſam licèt non profeſſam opprimens eſt ſacrilegus, & excommunicatus.*

41 *Et impediendo religionis propoſitum eſt excommunicandus.*

42 *Maritus rapiens, & vi corrumpens uxorem non incidit in Conſtitutionem,* Si quis in tanta, *ſed aliter punitur.*

44 *Satis datio vitiosè præſtita non dicitur præſtita.*

45 *Sponſa de præſenti cognita à marito per coactionem conditionalẽ non poteſt eo invito ad religionem tranſire.*

46 *Matrimonii conſummatio requirit conſenſum ſaltem incluſum in coactione conditionali, & n. 49.*

47 *Caro non poteſt dici corrupta, niſi mens priùs corrupta fuerit.*

48 *Corpus mulierum non vis maculat, ſed voluntas.*

49 *Matrimonium conſummatum repræſentat unionem Chriſti cùm Eccleſia per carnem, & ſortitur effectum à jure divino, & indiſſolubilitatem.*

50 *Sacrum omne quod eſt, vel alterius rei ſignum, illius debet eſſe ſimile.*

51 *Ad matrimonii conſummationem requiruntur conſenſus animorum, & commixtio corporum.*

52 *Vis præciſa impedit conſummationem matrimonii tam ſpiritualis, quam carnalis,*

53 *Vir, & mulier per copulam fornicariam non efficiuntur una caro.*

55 *Corrupta violenter inter virginis conſecrari non poteſt.*

E*X Publico.* Sponſa de præſenti non cognita, quæ dicit 1
religionem ingredi velle, compellitur infra certum
tempus religionem profiteri, vel adhærere marito; hoc
dicit Jo. Andr. Butr. Card. Anchar. Abb. & Jo. de Anan.
Prima pars narrat factum. Secunda, ibi, *Cæterum*, mulieri
petenti dat judicem. Tertia ſolvit obſtaculum, ibi,
Sanè.

Nota primò, ibi, *Cùm Veronenſis Epiſcopus*, tractatum, 2
& cognitionem cauſæ matrimonialis ad Epiſcopum pertinere.
Ad hoc Concilium Trident. *ſeſſ.* 24. *c.* 20. §. *Ad hæc*,
de quo dic ut ſcripſi *in cap. Accedentibus, à nu. 2. infrà de
exceſſ. Prælat.*

Secundò nota, ibi, *Quod cùm renueret, fuit vinculo ex-* 3
communicationis aſtricta, ſponſam de præſenti poſſe compelli
per cenſuram Eccleſiaſticam ad matrimonium conſummandum,
& mutuam cohabitationem. Ad idem *c. Litteras, §. Porrò de reſtit. ſpoliat. & c. Inquiſitioni de ſenten.
excommun.* quinimò cogi poteſt præcisè, & adduci ad domum
viri, ut concludit Abbas *in d. c. Litteras, n. 29.* dicens 4
Ita conſuluiſſe Cardinalem. Et ſic primus coitus non eſt
gratuitus, quia ſtatim poſt conſenſum mutuum de præſenti 5
tenetur reddere debitum, ut notat gloſſ. 2. *in c. Conjuges 27.
q. 2* Goffred & Hoſtienſ. hìc *n. 4.* Cardin. *in 2. notab* & Abbas
n. 1. Quinimò ut inquiunt Archid. & Bellam. *in c. Deſponſa-* 6
tam n. 4. ead. cauſ. & qu. ſi Papa fieret, nec aliàs intraret religionem,
teneretur matrimonium conſummare, quia ex
quo matrimonium tenuit, conſummari debet; & ad hoc eſt
compellendus is, qui renuit, niſi intra tempus religionem
intraverit, *ut in hoc cap.* nulla alia exceptione obſtante, ut
patet *in c. 2. de conjug. leproſor.* Ad quod etiam facit *c. Ex
parte, il ſecondo, §. Porrò infra eod.* ibi, niſi ſe voto adſtrinxerit
ad obſervantiam regularem, quem ſolum caſum
excipit illa littera ſecundùm Archid. *ubi ſupra.*

Tertiò nota, ibi, *Si prædictus vir eam carnaliter non* 7
cognoverit, ante matrimonium conſummatum licere uxori
etiam viro invito ad religionem tranſire, licèt inter eos
diſcordia præceſſerit; & ſic non poteſt objici uxori, quòd
hoc faciat levitatis cauſa, ſicut poteſt objici Monacho de
una ad aliam religionem tranſire volenti, *ut c. Licèt, ſupra
de Regular.* & benè hìc per Abb. *in 4. not.*

Quartò nota, ibi, *Sufficienti cautione*, excommunicatum 8
pro manifeſta offenſa in ſpiritualibus abſolvi cum cautione.
Et ſic limita text. *in cap. Ex parte in fin. de verbor. ſignific. &
in cap. Venerabilis, de ſentent. excomm. lib. 6.* ubi patet excommunicatum
pro manifeſta contumacia non debere ab- 9
ſolvi cum cautione, ſed ſatisfactione præmiſſa. Hæc enim
jura limitantur communiter à DD ut non procedant, quando
implementum ſatisfactionis, & purgatio contumaciæ
concernit ſpiritualia, prout contingit in caſu hujus Decretalis,
quia non erat honeſtum, ut hæc mulier excomunicata
pro manifeſta contumacia intraret religionem, licèt
profeſſio valeret, ut eſt textus notab. *in cap. Cùm illorum,
de ſentent. excommunicat.* Collige igitur regulam, quòd ubicumque
excommunicatus debet exercere aliquid ſpirituale,
poteſt abſolvi ante ſatisfactionem, ne contingat eum
excommunicationis vinculo innodatum ſpiritualia attentare.
Quæ declaratio fuit Abb. Antiq. hìc *nu. 1.* & eam poſteà
ſequuti ſunt Joan. Andr. *num. 3. circ. med. verſ. Et notatur
per hoc*, Butr. *num. 5.* Cardin. *nu. 2.* Anchar. *nu. 8.* & Abb.
Siculus *num. 11. verſ. Sed contra hoc.* Eamdem declarationem
poſuit Innoc *in c. Pro illorum num. 5. de præben.* cum
quo concordant ibi Abb. Antiq. *n. 3.* Hoſt. *n. 8.* Jo. Andr. *n. 15.*
& DD. communiter.

Ultimò nota, ibi, *Ad virum ſuum redire infrà duorum* 10
menſium ſpatium, quòd viro petente, ut ſibi uxor exhibeat
ma-

maritalem affectum, & reddat debitum conjugale, & uxore excipiente ſe velle ad religionem tranſire, debet uxor præſtare ſufficientem cautionem, quòd infra duorum menſium ſpatium vel ad religionem tranſibit, vel ad virum ſuum redibit, ut littera. Et licèt aliàs nomine ſufficientis cautionis intelligatur datis pignoribus, vel fidejuſſoribus, *l. Si Mandato*, *§.ult.ff. Mandat.* tamen ſi uxor non poſſet præſtare niſi juratoria, judex deberet eam admittere, ut eſt textus *in c. Per veſtras infra de donat. inter virum, & uxor.* & in auth. *Generaliter, C.de Epiſc.& Cler.* & in regula *Ad impoſſibile, de regul.jur.lib 6.* & concludunt hìc Hoſt. *n.* 3. Abb. Antiq *n.*1. Abb. Siculus *n.*11. & alii communiter, & ſentit gloſſ. *in ver. Sufficienti*, dicens in hoc caſu id eſſe arbitrarium judici per *c. Quamquam 24. diſt.* & adde quod in propoſito ſcripſi *in c. Odoardus n.69. ſupra de ſolut.*

11 Sed hìc incidit dubitatio, numquid hic terminus duorum menſium aſſignetur conjugi ad profitendum, an verò ad ingrediendum religionem.

12 In hoc articulo tres ſunt ſcribentium opiniones. Prima opinio eſt Innoc. hìc *in verb. Duorum*, qui tenet hunc terminum non dari ſponſæ ad deliberandum, an velit redire ad ſponſum, vel tranſire ad religionem, ſed ad religionem probandam, itaut non habeat ampliùs tempus probationis, ſed lapſis duobus menſibus ſtatim profiteri cogatur, licèt Epiſcopus ex cauſa poſſit hunc terminum prorogare, & reſtringere. Rationem reddit Ancharan. hìc *nu.* 4. quia cùm hoc ſpatium duorum menſium hìc detur ad tranſeundum ad religionem, hujuſmodi tranſitus debet intelligi cum effectu, videlicet ut ingrediatur, & profiteatur: nam per ſimplicem ingreſſum non eſſet ſponſo plenè conſultum, qui fortan juvenis eſt, nec poteſt diutiùs expectare, & continere. Et hæc cauſa fortè movit Pontificem ad reſtringendum terminum unius anni, qui regulariter datur ad religionem probandam, ut *in cap. Ad Apoſtolicam ſupra de regular.* Similiter

13 Abb. hìc *num.* 11. *circa finem*, *verſ. Et adverte*, dicit hunc terminum duorum menſium non dari ſolùm ad intrandum religionem, ſed etiam ad profitendum, quia textus debet intelligi de ingreſſu religionis cum effectu, aliàs non eſſet ſufficienter proviſum ſponſo, cùm non poſſit tranſire ad ſecundas nuptias, niſi ſponſa profitente, quia ante illius profeſſionem non diſſolvitur matrimonium, ut notatur *in cap. Sanè ſup. eod.* & ſubdit hoc apertè ſentire gloſſam hìc, quam notant, & communiter tenent Doctores. Idem firmant Jo. Andr. *in cap. Quæ contra jus num.* 12. *verſ. Sed dices de regul. jur. lib. 6.* & poſt eum Henric. Boich. *in cap. Uxoratus num.4.eod.verſ.infr.eod.* Gemin. *in cap.fin.num.*8. & ibi etiam Præpoſit. *n.4.circa med.verſ. Procedunt præmiſſa 55. diſtin.* Summa Tabiena *in verb. Matrimonium* 3. *verſ. Quod tempus*, & Navarr. dicens communem *in Manuali cap. 16. n.27.*

14 Secunda opinio primæ oppoſita eſt Hoſtienſis hìc *num.*4. *in ver. Infrà duorum*, qui tenet tempus bimeſtre dari ad deliberandum de religionis ingreſſu, non autem ad profitendum, & dicit opinionem Innocentii eſſe contra hunc textum, qui non loquitur de profeſſione, ſed de tranſitu ad religionem; nec ſibi placet, ut uxor ſtatim elapſis duobus menſibus profiteri cogatur, imò ſecundum eum habebit annum integrum ad probandum religionem, & profitendum, qui ſine magna & urgenti cauſa à judice arctari non poteſt. Et cum hac opinione, quam recitat ultimo loco, videtur tranſire Anton. de Butr. hìc *n.*12. & eam probant Sanct. Antonin. 3. *part, tit.*1. *cap.*21. §.1. Summa Armilla *in verb. Divortium num.*5. Petrus de Palud. *in 4 ſentent. diſtinct.*27. *q.*

15 3. *art.* 2. *concluſ.* 2. *num.*14. Sotus *eadem diſtin.* 27. *q.*1. *art.* 4. *verſ. At verò ſi infra*, & veriorem dicit Thom. Sanchez *de matrim. lib. 2. q. 24. num.* 4. & communem Baſilius Pontius *in tit. de diſſolut. vinculi, & divort. cap.*9. Et videtur ex mente D. Thom. *in* 4. *ſent. diſt.*27. *q.* 1. *art.*3. *quæſt.* 2. *ad ſecundum*; ait enim: *Ante carnalem copulam non eſt omninò translatum corpus unius ſub poteſtate alterius, ſed ſub conditione, ſi interea alter conjugum ad frugem melioris vitæ non convolet: ſed per carnalem copulam completur d. translatio, quia tunc intrat uterque in corporalem poſſeſſionem ſibi traditæ poteſtatis; unde etiam ante carnalem copulam non ſtatim tenetur reddere debitum poſt matrimonium contractum per verba de præſenti, ſed datur ei tempus duorum menſium propter tria; Primò, ut interim poſſit deliberare de tranſeundo ad religionem; Secundò, ut præparentur quæ ſunt neceſſaria ad ſolemnitatem nuptiarum; Tertiò ne vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpiravit dilectam.* Hæc S. Thomas.

Tertia opinio media ſic diſtinguit: Aut ſponſa tranſit ad 16
religionem ſine licentia ſponſi, & non habebit tempus probationis niſi duorum menſium; & in hoc primo caſu intelligitur hoc cap. Aut tranſit de illius voluntate, & ſponſus tenetur expectare uſquequò ſit elapſus annus probationis, quia ex quo aſſenſum præbuit ingreſſui, videtur conſenſiſſe, ut habeat tempus ordinarium. Ita diſtinxit gloſſa unica *in c. Deſponſatam 27. quæſt.*2. quam gloſſ. approbant Goffred. & Philipp. *in cap Conſului de regular.* & poſt eos Archidiac. & Bellamer. *in d. cap. Deſponſatam in princip.* & ſentit gloſſ. hìc *in verb. infra duorum*, dum ait: (Uxori tranſeunti ad religionem non dabit Epiſcopus tempus probationis, niſi maritus conſentiat.] Et ſatis eſt, ut conſentiat ingreſſui, ut dicunt quidam, quos tacito nomine recenſet Joan. Andr. hìc *num.8. circa. fin. verſ. Et ibi conſentiat.* Et concordant hìc 17
Cardin. *in 6.q.* ubi concludit, ceſſante conſenſu mariti, tempus duorum menſium dari uxori, non ſimpliciter ad deliberandum, ſed ad ingrediendum cum effectu, ita ut elapſis duobus menſibus cogatur uxor non profeſſa redire ad virum, & non rediens excommunicabitur: & Petrus de Anchar. *nu.*10. ubi advertit textum noſtrum loqui in caſu, in quo ſponſus petebat ſponſam, & contradicebat ingreſſui, quo caſu annalis dilatio coarctatur ad duos menſes, ut in littera. Si autem ſponſus conſenſiſſet ingreſſui, tunc ſponſa haberet probationis annum, quo elapſo intelligeretur tacitè profeſſa, *c. Statuimus, ſupra de regular.* Ita Anchar. qui ampliùs putat etiam in primo caſu, in quo ſponſus contradicit ingreſſui, elapſis duobus menſibus poſt ingreſſum induci profeſſionem tacitam, quaſi per aſſumptionem habitus cum perſeverantia profeſſio inducatur, ſicut per lapſum anni, ut ſic dilatio ex cauſa limitata eumdem producat effectum, quem dilatio integra, arg. *l. Sive pars, C. de dilation.* quod eſt contra Innocent. Card. & alios ſupracitatos, *n.* 12: qui dicunt elapſis duobus menſibus ſponſam eſſe compellendam per excommunicationem, ut vel profiteatur, vel ad virum redeat; & ſic ſupponunt eam non eſſe tacitè profeſſam, aliàs non poſſet cogi ad virum redire, quia matrimonium non conſummatum ſolvitur per profeſſionem tacitam, ſicut per expreſſam, ut eſt text. clarus in Extrav. 18
Antiquæ J an XXII. circa fin. de voto. Eamdem diſtinctionem ſequitur Joan. Brunellus *de ſponſalib. concluſ.* 3. *nu.*2. *inter tractatus communes, vol.*16. *fol.*32.

Sed nos credimus has opiniones omnes in terminis juris 19
communis eſſe conjungendas, & diſtinguendum inter Ordines Mendicantium, & non Mendicantium: Nam ſi alter conjugum velit ingredi religionem Mendicantium, habebit annum integrum ad profitendum, ſive alter conſentiat ingreſſui, ſive non. Et in hoc caſu putamus veram eſſe ſecundam opinionem Hoſtienſ. & ſequacium, de qua ſupra *n.*14. quia annus probationis in Ordinibus Mendicantium etiam de jure breviari, ſeu reſtringi non poteſt, ut eſt text. *in cap. Non ſolùm de regular. lib.*6. & ob hanc rationem Jo. de Anan. hìc *num.*6. dubitat de veritate opinionis Innocentii in Religionibus Mendicantium. Quare cùm text. noſter det duos menſes ſponſæ, ut tranſeat ad religionem, intelligam hæc verba ſecundùm propriam ſignificationem de ipſo ingreſſu, non autem de profeſſione, ut vitetur juris correctio *ad cap. Cùm expediat de elect. lib.*6 Nec obſtat, quòd 20
per hanc annalem expectationem conjux qui remanet in ſeculo; ſubſit periculo lapſus carnis, Quia tu reſponde ut notatur *in cap. Quoniam frequenter*, §. *Porrò*, *verſ. Si autem, ſupr. ut lit. non conteſt.* ibi, Eo nequaquam obſtante quòd de lapſu carnis poſſet opponi, quoniam in conjugio multi caſus occurrunt, in quibus conjuges ſine culpa, ſed non ſine cauſa continere coguntur; & plures ibi enumerat gloſſ. 21
in verb. Multi caſus. Et ultra illos maritum Cruce ſignatum tenetur mulier expectare quantiſcumque annis abſuerit, licèt voto peregrinationis mariti non præbuerit aſſenſum, ut eſt text. *in cap. Ex multa*, §. *In tanta*, *infra de voto*: Ergo multò fortiùs tenetur per annum expectare ingredientem religionem, cùm hoc votum vincat illud peregrinationis, *cap. Scripturæ, eodem tit.* quod conſiderat Joan. Brunell. *de ſponſal. d. concluſ.*30. *num.*2. *verſ. Nec obſtat, quòd per illam exceptionem.* Sin autem ſponſa tranſire velit ad Ordinem 22
non Mendicantiū, tunc ſi remanens in ſeculo non conſentiat ingreſſus, cogetur illa infra duos menſes profiteri, quia cùm voluerit religionem ingredi, & religio eam recipere, ſpon-

ſponſo contradicente, cenſetur uterque renuntiaſſe anno
probationis, quod fieri poterat de jure in Ordinibus non
Mendicantium, cap. Ad Apoſtolicum, & cap. Statuimus,
23 de Regular. juncto d. cap. Non ſolum, eodem tit. lib. 6. Et
cùm valdè ſit veriſimilie Summum Pontificem voluiſſe co-
arctare annum probationis ad duos menſes favore ſponſi,
ut advertunt DD. duorum eſſet eum, qui fortè juvenis eſt,
expectare debere per 14. menſes, duos ſcilicet, qui dantur
ſponſæ ad ingrediendum, & duodecim qui dantur ad profi-
tendum: & ex quo ad hoc nulla nos compellit neceſſitas,
24 cùm annus probationis ex cauſa reſtringi poſſit in Ordini-
bus Mendicantium, ut dictum eſt: inconveniens eſſet
eum adducere in periculum incontinentiæ, cum matrimo-
nium poſt lapſum ſit in remedium concupiſcentię, & in ſub-
ſidium fragilitatis humanæ, cap. Nuptiarum 27. q. 1. c. Quic-
quid 32. q. 2. gloſſ. in Extravag. Antiqua, Jo. XXII. in verb.
Efficax de voto; nam ſecundùm Apoſtolum 1. ad Corinth.
7. Propter fornicationem unuſquiſque ſuam uxorem habet, &
unaquæque ſuum virum habeat; & infrà, Quod ſi non conti-
nent, nubant, melius eſt enim nubere, quàm uri, cap. Sicut, §.
His, ita reſpondetur 32. q. 2. Optimè facit textus in cap. 1.
cum multis ſeq. 32. q. 5. Si verò ſponſus conſenſerit ingreſſui,
tunc non eſt inconveniens, ut expectet, donec labatur in-
teger annus probationis: nam quilibet renuntiare valet ei,
quod pro ſe noſcitur introductum, d. cap. Statuimus ſupra
de Regular. Ad hoc cap. Nolle, ibi, Niſi amborum conſenſu
30. q. 1. & cap. Quod Deo pari 32. q. 5 cum ſimilibus. Facit
regula l. 1. § Uſque adeo, ff. de injur. & l. Nemo videtur,
ff. de regul. jur.

Sed hodie ceſſant hujuſmodi diſtinctiones, quia ex Con-
cilio Tridentino ſeſſ. 25. de Regular. cap. 15. juncto cap.
22. in quacumque religione tam Mendicantium, quàm
non Mendicantium nulla eſt profeſſio facta ante annum
probationis expletum: ac proindè ex Sacræ Congregationis
25 ſententia anno probationis ampliùs renuntiari non poteſt;
ea enim eſt natura decreti irritantis in aliqua diſpoſitione
appoſiti, ut pars non poſſit tali diſpoſitioni renuntiare, ca.
Dilecto circa fin. verſ. Niſi fortè de præbend. & ibi notat gloſ.
in verb. Hujuſmodi clauſula, Hoſtien. num. 14 in eodem ver.
& apertiùs Abb. d. n. 14. gloſſ. in cap. Diſpendia, in ver. Pro-
ceſſus de reſcriptis lib. 6. & alii, quos copiosè cumulat An-
ton. Gabr. commun. concluſ. lib. 6. in tit. de clauſ. concluſ. 3. nu.
18. Quare ſive maritus conſentiat ingreſſui, ſive contra-
dicat, uxor non cognita habebit annum integrum ad pro
bandam religionem, nec antea poterit validè profeſſionem
emittere; Concilium enim cenſetur revocare voluiſſe
quicquid jure antiquo de breviori tempore probationis
conſtitutum erat; quod etiam advertit noviſſimè Baſil. Pon-
tius de matr. in tit. de diſſolution vincul. & divort. cap. 9. nu.
2 verſ. Idque hodiè multò magis, ubi etiam refert duas de-
clarationes Sac. Congregationis.

26 Non tamen admittimus quod ibi ait D. Baſilius, duos
menſes eſſe computandos de jure à die contracti conjugii:
imò enim ex communi Canoniſtarum ſententia computa-
ri debent à die præfixionis factæ à judice, ut notat gloſſ. hìc
in ver. Infra duorum, Hoſtien. n. 4. in eodem verb. Card. q. 7.
& reliqui omnes, & ſatis colligitur ex hoc textu, dum
mandat Epiſcopo, ut recipiat ab uxore ſufficientem cau-
tionem, quòd infra duos menſes vel ad religionem tranſibit,
vel ad virum redibit: ex hoc enim patet ad hoc prærequiri
miniſterium hominis: ac proinde terminum non poſſe cur-
rere ipſo jure à die celebrati matrimonii, ſed à die præfi-
xionis termini, arg. l. Quamdiu, la ſeconda, ff. de acqui-
rend. hæredit. cum ſimilibus, ut dixi in cap. Cùm ſit ars nu.
45. & 46. de ætat. & qualit.

27 Ulteriùs dubitatur, cùm hìc textus dicat ſponſam de præ-
ſenti poſſe ad religionem tranſire, ſi ſponſus eam carnaliter
non cognoverit; quid ſi eam cognoverit violenter?

28 In hoc quoque articulo ſunt variæ opiniones Doctorum,
de quibus per Jo. Andr. in regul. quæ contra eius de regul. jur.
lib. 6. in Mercurialib. ubi poſt prolixam diſputationem vi-
detur ſequi opinionem Bartholomæi Brixienſis in quæſtion.
Dominical. 80. incipient. Aliquis per verba de præſenti, inter
tractatus communes vol. 17. fol. 48. qui tenuit ſponſam vi op-
preſſam ingredi poſſe religionem invito ſponſo, ne delin-
quens ſit melioris conditionis quàm non delinquens, c.
Eum qui de præben. lib. 6. l. Non fraudantur, § Nemo, ff. de
reg. jur. l. Servus, ff. Quod vi aut clam. Idem voluit gloſſ. in c.
Si Evangelica 55. diſtinct. & ibi Archidiac. num. 6. Gemin.
num. 7. & 8 & Præpoſ. num. 4. Anton. de Butr. in cap. Verum
num. 3. & ibi etiam Abbas num. 9. & Joan. de Anan. num. 4.
ſupra eodem, Felin. in cap. Cauſam quæ, num. 4. in fin. de
probationib. Angel. in verb. Matrimonium 3. num. 7. Silveſt.
in verb. Divortium q. 5. Angel. de Peruſio in l. 1. §. Removet
num. 2. ff. de poſtulando, ubi ait, corruptam violenter per- 29
dere virginitatem, licèt non ejus beneficium quantum ad
Deum, Hyppol. de Marſil. in l. 1. §. Præterea nu. 15. ff. de
quæſtionibus.

Contrarium voluit Hoſtien. in ſumma hoc tit. §. Et utrum 30
poſſit exire, verſ. Quid ſi virgo, ubi quærit, quid ſi virgo erat,
& dum properabat ad Monaſterium ingrediendi cauſa, ma-
ritus eam ſequutus eſt, & violenter defloravit; ipſa verò
cùm evaſiſſet, nihilominùs intravit? certè, ut ipſe ait, red-
denda eſt marito, qui jure ſuo uſus eſt, argumen. cap. Cùm
Eccleſia Vulterana, in fi. ſupra de electïon. Neque enim ideò
quia coacta fuit mulier prima nocte, & invita cognita, ma-
trimonium non conſummatum judicabo, quia negari non
poteſt, quin una caro effecti ſint Sacramento matrimonii
præcedente, cap. Ad Apoſtolicam infra eod. cap. Si Paulus
32. quæſt. 5. & ex quo cognoſcitur, præſumitur conſentire, c.
Inſuper, qui matrim. accuſar. poſſ. Nec obſtat quòd perindè
ſit, ac ſi non fuiſſet cognita, cap. 1. cum quatuor cap. ſeqq. 32.
q. 5. quoniam illa ſunt intelligenda quantum ad ſalvationem
animæ, ſecundùm Hoſtien. & concordant Joan. de Ancona
in ſumma hoc tit. §. Quid ſi virgo, & Henric. Boich. dicens
hoc verius videri, in cap. Uxoratus num. 3. infra eodem, &
Silveſter in ver. Luxuria, quæſt. 6. num. 6. verſ. Adde ex
Hoſtien. Fr. Jacobus, & Guido in ſuis diſputationibus rela-
ti à Jo Andr. in d. reg. Quæ contra in princip. Joan de Deo
relatus à Butr. in cap. Verum num. 3. ſupra eodem. Idem vo-
luit Bald. in cap. penult. num. 8. de probationib. ubi ait: (Si
puella eſt cognita etiam per vim, non poteſt ſuum ſpoliare
maritum contraria vi, & propria auctoritate, nec poſt in-
gredi Monaſterium, quia gloria virginitatis non eſt in ipſa.)
Ad hoc facit ſecundùm Barthol Brixienſem, quia lex pro-
motionis reſpicit factum, non voluntatem, c. Si quis non
natus 15 q. 1.

Ideòque quantum ad legem promotionis nihil prodeſt 31
ei, qui oculum invitus amiſit, d. c. Si Evangelica, 15.
diſtin. Unde à ſimili ſola carnis commixtio videtur ſpectan-
da. Idem tenuerunt Petrus de Palude in 4. ſentent. diſtinct.
28. q. 3. col. 4. Durand. ibidem diſtinct 27. quæſt. 2. S. Anton.
in 3. part. tit 6 cap. 21. § 1. & Ægyd. de Eghindelbertis, in
q. 3 poſt diſputationes Pauli de Eleazariis, cum quibus vi-
detur tranſire Covarr. in Epitome de ſponſalib. 2 part. relect.
c. 7. § 4. num. 10. Sotus in 4. diſtinct. 27. q. 1. art. 4. verſ. Quid
autem juris.

In hoc opinionum conflictu tu conſidera; nam utriuſque
partis auctores vim conſtituunt in hoc, quòd ſponſus extor-
quendo copulam violenter delinquit, vel non delinquit:
quandoquidem Barthol. Brixien. auctor primæ opinionis
fundat eam in hoc, quòd ſponſus delinquat opprimendo
ſponſam volentem ingredi Monaſterium; & ideò liceat
ſponſæ vi defloratæ ad religionem tranſire, quemadmodum
liceret, ſi ſponſus eam non cognoviſſet, ne melioris ſit con-
ditionis delinquens, quàm non delinquens. Contra verò
Hoſt author opinionis contrariæ dicit ſponſam properan-
tem ad religionem, & vi corruptam, eſſe reddendam ma-
rito, qui uſus eſt jure ſuo. Itaque ſolutio quæſtionis vide- 32
tur pendere ab inſpectione, an ſponſus de præſenti habeat
jus extorquendi debitum à ſponſa invita.

In qua dubitatione ego pro veritate exiſtimo tres caſus 33
eſſe diſtinguendos. Primus eſt, quando ſponſa non dicit ſe
velle ad religionem tranſire, aut de ingreſſu religionis de-
liberare, ſed ſimpliciter renuit matrimonium conſumare,
vel aliam cauſam allegat, quàm tranſitus ad religionem,
veluti quòd non intendit virginitatem amittere: & hoc pri-
mo caſu vir poſt adhibitas diligentias ad eam diſponendam
poteſt etiam ſine peccato eam rapere & vi corrumpere. Di-
xi poſt adhibitas diligentias, quia aliàs peccaret vim infe-
rendo, S. Thomas in 2. 2. q. 154. artic. 7. ad 4. quem ita intelli-
git, & declarat Silveſter in verb. Luxuria nu. 6. verſ. Dicit
tamen Sanctus Thomas. Ratio hujus concluſionis eſt, quia
ut ſupra diximus in ſecundo notabili, primus coitus eſt ex
debito, & non gratuitus, & ſponſa poſt conſenſum mutuum
de præſenti tenetur ſtatim reddere debitum petenti; &
quamvis habeat exceptionem uſque ad duos menſes ad de-
liberandum de religionis ingreſſu, juxta practicam hujus 34
De-

Decretalis, ut ait gloſſ. *in cap. Conjuges, in verb. Prima* 27. *qu.*2. tamen cùm hujuſmodi exceptionem non alleget, vel ea uti nolit, perinde eſt, ac ſi eam non haberet; regulare enim eſt, ut exceptio non proſit, niſi apponatur, *ut inſtitut. de exception. per tot.* & notat Bartol. *in l. Eum, qui ita, §. Qui ita num.*4.*verſ. Moveo tibi unum dubium, ff. de verbor. oblig.* quem ibi alii ſequuntur, & in hac ſpecie firmat Bald. *in l. unica num.*24. *C. de raptu virginum*, ubi concludit maritum, qui rapit uxorem non cognitam carnaliter, ita demum poſſe puniri, ſi appareant ſigna, quòd ipſa volebat monachari, aliàs ſecus. Et cum hac diſtinctione dicit debere intelligi opiniones Doctorum, & ſequitur Salycet. *in d. l. unic. num.* 9. Joan. de Anan. *in cap. fin. num.* 4. *de raptor.* Covarr. *in Epitom. de ſponſalib. part.*2.*cap.*7.§ 4. *nu.*11. dicens non eſſe puniendum ſponſum, qui ſponſam de præſenti per vim cognovit, & rapuit, niſi ipſa præcogitaverit, & tractaverit de religionis ingreſſu, Sotus *in* 4.*ſent. diſt.*27.*q.*1. *art.*4 *verſ. Quid autem juris*: & ſupponunt omnes ſupra allegati in ſummario textus, dum loquuntur de ſponſa, quę dicit ſe velle religionem ingredi; quaſi oppoſitum ſentiant ſi id non dicat, quicquid contra ſcripſerit Thom. Sanch. *de matrim. lib.*2. *diſput.* 22. *n.* 16. Quare ſi uxor poſt copulam vi extortam hoc caſu ad religionem tranſiret, & profiteretur, eſſet reddenda marito, qui uſus eſt jure ſuo, ſecundùm opinionem Hoſt. quia matrimonium verè & legitimè fuit conſummatum, juxta text. *in c. Quidam, ſupra eod.* & infra *in c. Accedens*.

35 Secundus caſus eſt, quando marito volenti copulam extorquere uxor opponit quidem exceptionem ingreſſus religionis, ſed tamen lapſum eſt bimeſtre, vel aliud tempus arbitrarium, quod ex præſcripto hujus Decretali aſſignatur conjugi volenti ad religionem tranſire: & tunc maritus utique poteſt cogere uxorem ad matrimonium conſummandum, eamque reluctantem vi deflorare, quia utitur jure ſuo, & per copulam etiam vi extortam hoc caſu matrimonium conſummatur, adeò ut neutri conjugum liceat amodò altero invito ad religionem tranſire. Neque hoc caſu intrat opinio Bartholom. Brixienſis, & ſequacium, quia ſupponunt maritum delinquere vim inferendo, quod non contingit in hac ſpecie, ſed potiùs intrat contraria opinio Hoſtien. qui ſupponit maritum jure ſuo uti copulam extorquendo; unde jure optimo Jo. Andr. *in d. regul. Quæ contra nu.*12.*verſ. Poſſet dici etiam de regul. jur. lib.*6. ait, quæſtionem non dubiam dici poſſe, quando poſt aſſignationem duorum menſium, vel temporis arbitrarii fieret talis oppreſſio ante omnem profeſſionem, quaſi tunc licitè potuerit ſponſus copulam exigere ab invita; & cum Jo. Andr. conſentiunt Butr. Abb. Jo. de Anan. & alii ſupra citati, *n.*28. Henric. Boich. *in c. Uxoratus n.*4. *infr. eod.*

36 Cæterùm adverte, quia quod dictum eſt de tempore duorum menſium, vendicat ſibi locum, ſi ſponſa nondum intraverit Monaſterium: tunc enim lapſis duobus menſibus ut ſupra aſſignatis, licebit ſponſo jure ſuo uti per prædicta. Verùm ſi ſponſa religionem intraverit, tunc non ſufficit, ut lapſi ſint duo menſes, ſed ſponſus expectare debet, ut labatur integer annus requiſitus ad profeſſionem emittendam, per ea, quæ dicta ſunt ſupra *nu.* 24. eoque tranſacto

37 poterit eam repetere, & è Monaſterio egreſſam vi deflorare, dummodò tamen expreſsè vel tacitè profeſſionem non emiſerit: nam per ea ſolvitur vinculum matrimonii nondũ conſummati, ut eſt textus in Extravag. *Antiquæ, in fin. de voto*, & rapiens, & vi corrumpens ſic profeſsam puniendus eſt, *ut cap. Si quis rapuerit*, 27. *q.* 1. *& cap. Si quis non dicam* 36. *q.* 1. & in propoſito poſt Hoſtien. notat Joan. Andr. *in d. reg. Quæ contra n.* 11. *verſ. Fatetur*: quod ſecus ſi poſt tempus, *& n.* 12. ubi hunc caſum ſimiliter inter non dubios recenſet.

38 Tertius caſus eſt, quando ſponſa excipit ſe velle religionem ingredi, & nondum elapſum eſt tempus duorum menſium, vel aliud arbitrarium ut ſupra aſſignatum, aut ſi ipſa jam ingreſsa eſt religionem, adhuc tamen eſt infra annum probationis: & in hoc tertio caſu vir abſque dubio delinquit, quia ſponſam contra jus, & vitioſè opprimit: nam ſi non fuiſset oppreſsa, ſuo jure poterat debitum denegare, ſive dicamus primum coitum fuiſse gratuitum, ſive dicamus competere ſponſæ exceptionem temporis ad tranſeun-

39 dum ad religionem, ſecundum ea, quæ notantur *in c. Conjuges* 27. *q.* 1. Deliquit ergo ſponſus privando illam privilegio virginitatis, & per conſequens conſecrationis, & aureolæ, ut notatur *in cap. Revera, & cap. ille* 32. *quæſt.* 5. non enim habebit illum fulgorem in corpore, quem ſpecialiter habebunt ſolæ virgines, ut inquit Archid. *in ſumma eadem cauſ. & quæſt. num.*2. *circa fin. in verb. Aureola*. Item deliquit petendo plus cauſa, vel tempore, *ut cap. unic. de plus petition.* & fuit amator ardentior in uxorem, *cap. Origo* 32. *q.*4. item ſacrilegus, & excommunicatus opprimendo religioſam, licèt non profeſſam, *c. Religioſo, de ſentent. excomm. lib.*6. item excommunicandus impediendo reli- 40
gionis, & caſtitatis propoſitum, *cap. fin.* 32. *quæſt.*2. *ad hoc cap. Multos* 54. *diſt.* item quia jus ſibi dixit in re propria, 41
contra id quod habetur *in cap. Placuit* 16. *qu.*6. *& in l. Nullus, C. de judic.* item quia jure beneficium mulieri, quæ non ſolùm verbo, ſed facto ſuam voluntatem oſtenderat, auferre non debuit, *c. Indultum*, cum concordantibus *de regul. jur. lib.*6. & quamvis non puniatur ut raptor, nec in- 42
cidat in Conſtitutionem *Si quis in tanta*, ut notatur *in cap.* 2. 36. *q.* 1. puniri tamen debet ut tranſgreſſor legis prohibentis, ne quis rapiat ſponſam propriam, *l. Unica, C. de rapt. virg.* Nam ſic eſt in matrimonio ſpirituali, quia non debet ſponſus ſuam ſponſam, vel beneficium rapere violenter, *cap. Eum qui de præbend. lib.*6.

Itaque cùm multipliciter deliquerit, intrat motivum 43
Bartholomæi Brixienſ. & ſequacium, quòd non debeat eſſe melioris conditionis, quàm non delinquens, ut in juribus ſupracitatis, *n.*28. ne pro pęna, quam meruit, conſequatur privilegium, *c. Si vere, de ſentent. excomm.* quin potiùs eſt propter ſui odium repellendus: aliàs daretur occaſio malignandi, contra id, quod habetur *in c. Legi* 16 *q.*1. *& c. Quanto, in fin. de divort.* & conſequeretur indirectè, quod directè non poſſet conſequi, contra id, quod notatur *in c. Tuæ, de procurat. & in c. Cùm quid una, de reg. jur. lib.*6. & audiretur ſuam turpitudinem allegans, contra *c. Cùm ſuper de conceſſ. præbend. & in c. Inter dilectos de donat.* Unde hoc caſu non eſt locus opinioni Hoſt. & ſequacium, quia ſupponunt maritum uti jure ſuo, & non delinquere vim inferendo, cujus oppoſitum contingit, quando ſponſa violenter corrumpitur infra tempus eidem competens ad ingrediendum Religionem, vel profitendum, ut ex dictis conſtat; & conſequenter copula non legitimè extorta non erit ſponſę impedimento, quin poſſit Religionem ingredi, & ſolemniter profiteri, quia cùm contra jus, & vitioſè oppreſſa fuerit, quoad facientem id habetur pro non facto, ut in dicta regula, *Quæ contra jus*, cum concordantibus, de quibus ibi in gloſ. 1. & arg. *l. Quoties, ff. qui ſatiſdat. cogant.* ubi ſi ſa- 44
tiſdatio ſit præſtita vitioſè, non dicitur præſtita.

Declara tamen concluſionem ut ſupra firmatam, ut lo- 45
cum ſibi vendicet, dummodò ſponſa per coactionem non conditionalem, ſeu per metum, ſed per coactionem præciſam, & abſolutè oppreſſa fuerit: nam conſenſus potiſſimè in matrimonio requiritur: ſed matrimonium non eſt perfe- 46
ctum, niſi per copulam: ergo copula requirit conſenſum ſaltem incluſum in coactione conditionali, ut notatur *in c. Merita* 15. *quæſt.* 1. patiens autem coactionem abſolutam nihil agit, *cap. Sacris, quod met. cauſ.* & hæc ratio multùm movit Joan. Andr. *in dict. regul. Quæ contra jus, in fin.* Ad 47
hoc facit ſecundum Barthol. Brixienſ. *in d. quæſt.*80. *num.* 1. quia caro non poteſt dici corrupta, niſi mens priùs corrupta 48
fuerit, *d. cap. Revera* 32. *q.*5. Item corpus mulierum non vis maculat, ſed voluntas, *cap. Propoſito, & cap. De pudicitia, verſ. Corpus, eadem cauſa, & quæſtione*. Cùm ergo hæc mulier jure, factove corrupta non debeat reputari, adhuc quaſi incorrupta poterit Religionem profiteri. Item ſi ab alio quàm à marito vi oppreſſa fuiſſet, maritus hoc ei imputare non poſſet, *ut l. Vim paſſa, ff. de adulter.* Ergo multò minùs imputare ei debet quod ipſe fecit. Demùm matrimo- 49
nium conſummatum repræſentat unionem Chriſti cum Eccleſia per carnem; & ſortitur effectum à jure divino, & indiſſolubilitatem, *cap. Deinde* 26. *diſt. cap. Cùm ſocietas* 27. *q.*2. *cap. Debitum de bigam. & cap. Unico de voto lib.*6. Ergo 50
per eam ſolam copulam conſummatur, quæ poteſt hanc unionem repræſentare, quia omne quod eſt ſacrum, vel alterius rei ſignum, illius debet eſſe ſimile, *cap. Signum eſt, & ca. Species de conſecrat. diſt.*2. ſed talis eſt ſola copula voluntaria, cùm unio Chriſti voluntaria fuerit, S. Thom. *in* 3 *par. q.* 1. *art.* 2. ergo per ſolam copulam voluntariam matrimo- 51
nium conſummatur; & ſic duo requiruntur ad confirmationem matrimonii, conſenſus animorum, & commixtio corporum, quæ firmat, & perficit, *cap. In omni* 27. *quæſt.*2.

Item

52 Item vis præciſa, & abſoluta impedit conſummationem matrimonii ſpir.tualis, arg. *c. De Judæis, 45. diſt. & c. Majores de Bapt. & c. Geſta*, 74. *diſt.* ergo fortiùs impedire debet conſummationem matrimonii carnalis, in quo ceſſare debet omnis coactio, *c. Cum locum*, *de ſponſ.* & probatur à contrario ſenſu *in c. Inſuper*, *Qui matrim. accuſ. poſſ.* nam ſi requiritur, ut ſemel copulæ carnali conſenſerit, utique ſi non conſenſit, ceſſat matrimonium, *c. Continebatur*, ibi, De ſuo aſſenſu deſponſata, vel cognita, *de deſponſ. impub.* Non enim videtur communicaſſe corpus ſuum, ex quo per vim fuit cognita. Unde intrat ratio *c. Verum*, *ſup. eodem*, ibi, *Quia cum non fuiſſent una caro ſimul effecti, ſatis poteſt unus ad Deum tranſire, & alter in ſæculo manere.*

53 Non obſtat, quòd ex copula violenta oriatur affinitas, *ut c. Diſcretionem, inf. de eo qui cogn. conſang. uxor. ſuæ.* Quoniam non propterea efficiuntur una caro, ut notant gloſ. *in c. In eo fornicator*, *in ver. Erunt*, 32. q.2. Quod patet, quia in illa Decretali copula fuit illicitè, & iniquè extorta, cùm mulier eſſet alteri viro matrimonialiter copulata; & ſic per copulam non potuerunt effici una caro, etiamſi fuiſſet voluntaria, cùm ibi non eſſet matrimonium, *ut c. Verum*, *ſup. eod. c. Lex divinæ conſtitutionis*, 27. q.2. & colligitur ex *cap. Agathoſa*, *ead. cauſ. & quæſt.* Ergo non eſt bona ratiocinatio: Copula violenta parit affinitatem: Ergo per eam vir, & uxor efficiuntur una caro, & matrimonium conſummatur.

Denique non obſtant jura, quæ dicunt factum attendi; 54
quoniam ponunt caſus ſpeciales propter defectum Sacramenti, *ut c. Ille*, 32. *q.*5. vel propter prærogativam Ordinum, *ut in c. ult.* 55. *diſt.* nam lex promotionis conſiderat factum, non voluntatem, *c. fin.* 15. *q.*1. Et ob hanc rationem per vim oppreſſa non poterit inter virgines conſecrari, quia virginitas ablata eſt, & per coactionem præciſam inhabilitat eam quantum ad hoc, ut eſt text. *in c. Acutius*, 26. *qu.*5. *& in d. c. Ille* 32. *qu.*5. & iſto caſu verificatur 55
argumentum allegatum in contrarium per Archidiaconum *in d. c. fin.* 55. *diſt.* ut ibi expreſsè declarat Gemin. *num.* 8. *verſ. Iſtam diſtinctionem*, & Præpoſitus *n.*4. *circa finem*, *verſ. iſtam diffinitionem*. Sed hujuſmodi cauſæ, quæ vigent in conſecratione, hìc ceſſant; quia licèt oppreſſa non poſſit inter virgines conſecrari, poteſt tamen profiteri, cùm in profeſſione potiùs attendatur voluntas, quàm factum, ſecundùm Jo. Andr. in d. Regula *Quæ contra num.* 11. *de regul. jur. lib.*6.

DE CONVERSIONE CONJUGATORUM.

Urbanus III. Priori Sanctæ Crucis.

C A P U T IX.

EX parte Abbatis S. Petri ad audientiam noſtram pervenit, quò cùm D. in infirmitatè poſitus, conſentiente uxore, votum vovens caſtitatis, monachalem habitum ſuſcepiſſet, poſtmodum liberatus uxorem retinuit, & aliam, ea defuncta, ſibi temerè copulavit. Quia verò licèt prædictus D. uxore ſua remanente in ſæculo, de jure ad religionem nequiverit proficiſci, ea tamen ſublata de medio, votum ſine ſalutis ſuæ periculo non potuit violare: Mandamus, quatenus ſi verum eſt, quod aſſeritur, prædictum D. per excommunicationem compellas, ut mulieres dimiſſa ad ſuum monaſterium revertatur, ſub regulari habitu de cætero Domino ſerviturus.

S U M M A R I U M.

1 *SPonſalia de præſenti per Religionis profeſſionem, non per propoſitum caſtitatis ſervanda in ſæculo diſſolvuntur.*

2 *Matrimonium non conſummatum an ſolvi poſſit per Papam ex alia cauſa, quam in jure expreſſa, vel omninò ſimili.*

3 *Statuta prædeceſſorum à ſucceſſoribus cuſtodiri debent.*

4 *Papæ poteſtas duplex.*

5 *Eccleſia poteſt conſtituere, ut matrimonium ratum diſſolvatur, ſi alter conjugum labatur in hæreſim.*

Secus ſi matrimonium ſit conſummatum, n.9.

6 *Circa matrimonium ratum latiſſimè patet Papæ poteſtas.*

7 *Papa poteſt diſſolvere matrimonium non conſummatum tam per viam ſtatuti, quàm diſpenſationis.*

8 *Matrimonium ratum quo jure diſſolvatur per ſolemnem profeſſionem alterius conjugis.*

9 *Matrimonium infidelium licèt ſit verum matrimonium, tamen non eſt Sacramentum.*

10 *Matrimonium ratum ſolvitur ex conſtitutione Eccleſiæ, conjuge ad fidem converſo, ſi infidelis noluerit ei cohabitare, aut non ſine contumelia Creatoris.*

11 *Matrimonium fidelium eſt Sacramentum, & poſt copulam ab Eccleſia ſolvi non poteſt.*

12 *Diſpenſandum an ſit cum nobili conjugata, ut in Domo Turris Speculorum Urbis emittat tria vota ſubſtantialia in manibus Delegati Apoſtolici, ita ut per hanc profeſſionem ſolvatur matrimonium non conſummatum, & n. ſeq. uſque in fin.*

13 *Voti ſolemnitas eſt de jure poſitivo.*

14 *Matrimonium ratum non diſſolvitur per ſuſceptionem ſacri Ordinis, ſed per ſolemnem profeſſionem.*

15 *Profeſſio conjugis ut dirimat matrimonium ratum non conſummatum, tria requiruntur.*

16 *Monaſterium Turris Speculorum Urbis non eſt regulare, neque in eo emittuntur, niſi duo vota perſeverantiæ, & obedientiæ.*

17 *Papa an poſſit ſtatuere, ut profeſſio emiſſa in domo ſæculari dirimat matrimonium ratum non conſummatum & n. ſeq. uſque ad n.20.*

19 *Profeſſio regularis non dicitur, niſi adſit conſenſus Religionis recipientis.*

Papa an poſſit ſtatuere, ut matrimonium ratum diſſolvatur per ſecundum conſummatum, & n. ſeq.

20 *Diſpenſatio ſuper matrimonio rato quibus ex cauſis ſit concedenda.*

21 *Frigiditas viri, tranſitus ad cœlibatum an ſint juſta cauſa diſpenſandi ſuper matrimonio rato.*

22 *Matrimonium ratum non diſſolvitur ex voto, quod emittunt Tertiariæ, & Urſulinæ.*

Nec eremiticæ vitæ profeſſione, aut votis, quæ in Societate Jeſu emittuntur à coadjutoribus formatis, ibidem.

23 *Matrimonium ratum cur diſſolvatur per ſolemnem profeſſionem, non autem per vota ſimplicia.*

24 *Et an diſſolvatur per ingreſſum domus leproſorum.*

25 *Odium inter conjuges exortum an ſit juſta cauſa diſpenſandi ſuper rato.*

26 *Diſpenſationem ſuper matrimonio rato non conſummato quæ debeant præcedere.*

27 *Profeſſio Regularis dicitur, quo quis incorporatur alicui ex Religionibus approbatis, etiamſi fiat in domo ſæculari.*

1 EX *parte*, il 2. Per Religionis profeſſionem, non per propoſitum caſtitatis ſervandæ in ſæculo, diſſolvuntur ſponſalia de præſenti. Hoc dicit Communis diviſio. Secunda ibi, *Nos autem*, quæ tria facit. Primò contra ſolutionem allegat. Secundò, ſolvit, ibi, *Nos autem*. Tertiò, ſolutionem determinat, ibi, *Porrò*.

2 Nota ex hac Decretali *in verſ. Nos autem*, argumentum optimum ſecundùm Abb. *num.* 3. quòd matrimonium contractum per verba de præſenti, etiam carnali copula nondum conſummatum, non poteſt diſſolvi niſi in caſibus à jure expreſſis; ponderando literam ibi, *Nullo caſu*, junctò *verſic. Nolentes*. Unde infert Abb. ut Papa non poſſit matrimonium ratum diſſolvere niſi ex cauſa expreſſa in jure, vel omninò ſimili. Sed certè hæc littera hoc non probat, quia Papa non dicit, *Nos non valentes* à prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis declinare; ſed *Nolentes*. Et ſic non fundat ſe in impotentia, ſed in voluntate, quia ni-
3 mirum decet Rom. Pontificem prædeceſſorum ſuorum voluntatem, & ſtatuta cuſtodire, *cap. Juſtitiæ*, 25. *quæſt.* 1. *cap. Deceſſorum*, & *cap. Si ea deſtruerem*, 25. *quæſt.* 2. non tamen ad id adſtringitur, *cap. Innotuit*, §. *Quamvis autem*, *de elect. cap. ultim de reſcript. lib.* 6. §. *His ita*, 25. *quæſt.* 1. *l. Digna vox*, *Cod. de legib.* S. Thom. *in* 1. 2. *quæſt.*
4 94. *art.* 5. *ad* 3. Unde opinio Abbatis ſalvari poteſt tantummodò in poteſtate Papæ ordinaria, quæ ſcilicet ſequitur ordinem juris poſitivi, & regulariter ad limites diſpoſitionis illius, ut per Gemin. *conſil.* 53. *Pro reſponſione*, *in princ. verſ. Quædam eſt poteſtas ordinata*: non autem in poteſtate ſuprema, ſeu abſoluta, ſecundùm quam Papa eſt ſupra omne jus poſitivum, *cap. Propoſuit*, *de conceſſ. præbend.* & *dict.* § *His ita*, S. Thomas *quodlib.* 4. *artic.* 13. Gemin. *dict. conſil.* 53. *in princ. verſ. Quædam eſt poteſtas ſuprema*.

5 Et propterea Hoſtien. *hic num* 3. *in verb. Fieret hæreticus*, cenſet Eccleſiam poſſe conſtituere, ut matrimonium diſſolvatur, ſi alter conjugum labatur in hæreſim, ſicuti conſtituit, ut diſſolvatur matrimonium etiam conſummatum, ſi unus ex duobus infidelibus convertatur ad fidem, *ut in cap. Gaudemus*, *de divort.* maximè ſi in caſu, de quo loquitur hæc decretalis, matrimonium conſummatum non eſſet: nam quare aliud cenſeatur in fidelibus, aliud in infidelibus, non eſt rationem diverſitatis reddere, niſi ex cauſa ratificationis, quæ canonica, ſive Eccleſiaſtica conſtitutione confirmatur, *ut in cap. Quanto*, *de divort.* ſupra quam tamen Papa poſitus eſt, *d. cap. Propoſuit*, *de conceſſ. præb. cap. Significaſti*, §. 1. *de elect.* Ita Hoſtien. quem totidem ferè verbis ſequitur hic Joann. Andr. *in ver.*
6 *Fieret hæreticus*, *num.* 3. Quorum quidem opinionem arbitror veram eſſe, ſi matrimonium ſit tantummodò ratum, quia circa illud latiſſimè patet Papæ poteſtas, ut poſt Alan. dixit gloſs. fin. *in cap. Ex publico*, *ſupra eodem*, licèt in aſſignanda ratione hujus Apoſtolicæ poteſtatis non conveniant inter ſe Canoniſtæ, de quo latè diſſerit Turrecrem.
7 *in cap. Sunt qui dicunt*, *num.* 4. 27. *quæſt.* 2. Et propterea diſſolvi poteſt à Papa non ſolùm per viam ſtatuti, ut notat gloſs. præallegata, Henric. Boich. *in cap. fin. num* 4. *infra de ſponſa duorum*, Ancharan. *conſil.* 409. *Viſo*, & *diligenter inſpecto num.* 3. & *in cap.* 1. *n.* 2. *de voto*, *in* 6. & ibi omnes: ſed etiam per viam particularis diſpenſationis, ſecundùm opinionem Canoniſtarum, quam ſervat Eccleſia Romana, ut dixi *in dict. cap. Ex publico*. Ideòque matrimonium per ſolemnem profeſſionem alterius conjugis ſolvi-
8 tur, ut hic dicitur. Idque non jure divino, ſed Eccleſiaſtico, cùm ſolemnitas voti ſit ex ſola conſtitutione Eccleſiæ inventa, dicit textus *in cap. unic. de voto lib.* 6. & tenet in *d. cap. Ex publico*, Hoſtienſis *in verb. Conſummatum*, Jo. Andr. *num.* 9. & Butr. *num.* 16. Mich. Medina *de ſacror. hominum continentia*, *lib.* 5. *cap.* 87. & *ſequ.* Vaſquez *in* 1. 2. *diſp.* 165. *cap.* 7. licèt hoc caſu matrimonium ſolvi jure divino poſitivo cenſeant Scot. Victor. Sot. Corduba, & alii apud Baſil. Pontium *de impedim. matrim. c.* 19. §. 2. *ver. Sed mihi*. Quinimò mirabile verbum dicit Hoſtienſ. *in d. cap. Ex publico*, videlicet (de conſenſu utriuſque conjugum, ſcilicet ſponſi, & ſponſæ, Papam poſſe ex poteſtate abſoluta diſſolvere matrimonium, nulla alia cauſa exiſtente; ſed ex poteſtate ordinaria poſſe tantùm ex cauſa illud diſſolvere,) ut hic. Et idem dicendum eſt ſecundùm eumdem in ſimili caſu. Sed contrarium tenendum eſt, ſi matri-
9 monium ſit carnali copula conſummatum. Et miror quòd Hoſtienſ. dixerit non eſſe ratione diverſitatis inter matrimonium infidelium, & fidelium. Imò enim matrimonium infidelium quamvis ſit verum matrimonium, *cap. De infidelibus*, *de conſanguin.* & *affinitat.* tamen non eſt Sacramentum, ſed merus contractus deficiente Baptiſmo, qui eſt janua, & fundamentum omnium Sacramentorum *cap. fin. de Presbity. non baptiz. cap. Præter*, §. *Verum*, 23. *diſtinct.* Unde non mirum, ſi potuerit ſolvi ab Eccleſia, etiamſi fuerit carnali copula conſummatum, poſteà quàm infidelis declaraverit ſe aut nullo modo, aut non ſine contumelia Creatoris velle cum converſo ad fidem cohabitare, *cap. Si infideli*, 28. *quæſt.* 2. *cap. Quanto*, & *cap. Gaudemus*, *de divortio*, & notat gloſſ. *hic in ver. Ratum conjugium*. At verò inter fideles matrimonium 10
fuit elevatum à Chriſto in Sacramentum, *ut in d. c. Quantò*. Et propterea poſteàquam per conjugalem copulam effecti ſunt una caro, ab Eccleſia ampliùs diſſolvi non poteſt, quia *Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet*, gloſ. *fin. in d. cap. Ex publico*, *ſupra eodem*, Henrich. Boich *in d. cap. fin. num.* 4. Turrecrem. *in d. cap. Sunt qui dicunt*, *num.* 4. 27. *quæſt.* 2. Doctores *in d. cap. ultim.* ubi in ſpecie Franc. *in* 3. *notab. de voto*, *in* 6. Et hæc eſt ratio, cur ſeparatio matrimo- 11
nii non cadat ſub diſpenſatione in novo teſtamento, ſicut in veteri, ut docet S. Thom. *in* 4. *diſt.* 44. *q.* 2. *art.* 2. *q.* 1. *ad tertium*.

QUÆRO, an ſit diſpenſandum cum nobili muliere con- 12
jugata, ut in domo Turris Speculorum Urbis emittat tria vota ſubſtantialia in manibus Abbatis à Sede Apoſtolica delegati; ita ut ex hujuſmodi profeſſione diſſolvatur matrimonium ratum, non conſummatum.

An ve timor frigiditatis viri, tranſitus ad cœlibatum, & odium inter conjuges ſit juſta cauſa matrimonium ratum diſſolvendi.

Advocati hujus cauſæ fatentur, per profeſſionem, quæ conſuevit emitti in domo, ſeu monaſterio Turris Speculorum, de rigore canonico matrimonium ratum non diſſolvi ipſo jure, ſed eſſe opus, ut à Sede Apoſtolica diſſolvatur, & ſupplicant pro gratia.

Dicunt autem, diſſolutionem hujus vinculi poſſe fieri duobus modis. Primò ſi Summus Pontifex indulgeat conjugi, ut in manibus Delegati Apoſtolici remittat tria vota ſubſtantialia, & obſervantiam regulæ Sancti Benedicti, quemadmodum obſervatur in dicto monaſterio, & declaret illa vota cenſeri ſolemnia, ad affectum dirimendi matrimonium ratum. Deinde dicunt hoc fieri poſſe Pontificia diſpenſatione, pro qua plures cauſas afferunt.

Quoad primum modum etſi ſolemnitas voti à ſola con- 13
ſtitutione Eccleſiæ dependeat, *cap. un. de voto in* 6. tamen ad diſſolvendum matrimonium ratum non ſufficit, ut votum ſit ſolemne; alioquin dirimeretur matrimonium etiam per votum, quod juxta d. c. un. ex ſuſceptione ſacri Ordinis ſolemnizatur, cujus contrarium ſtatuitur in Ex- 14
trav. Joan. XXII. *Antiquæ*, *eod. tit.* ſed requiritur, ut votum ſit ſolemne per emiſſionem profeſſionis regularis, *cap. Verum*, & *c. Ex publico*, *ſupra eod.* quia non per propoſitum caſtitatis ſervandæ in ſæculo diſſolvuntur ſponſalia de præſenti; ſed per religionis profeſſionem, ut hic dicitur. Unde ait gl. per hunc text. *in* §. *Ecce*, *in verb. Solitudinem*, *in fin.* 27. *q.* 2. ſi quis in propria domo vellet religioſam vitam ducere, talis Religio non diſſolvit ſponſalia. Et de ſolemni religionis profeſſione loquitur Conc. Trid. *c.* 6. *ſeſſ.* 24. *de doctr. matrimon. Si quis dixerit matrimonium ratum non conſummatum per ſolemnem religionis profeſſionem alterius conjugum non dirimi*, *anathema ſit*. Ad hanc autem 15
profeſſionem tria ſubſtantialia requiruntur, de quibus in *c. Ad Apoſtolicam*, *de regul.* & *in c. Cum ad monaſterium*, *de ſtat. Monach.* Primum, ut emittantur tria vota Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ. Et hoc primum hoc caſu poterit concurrere, ſi Summus Pontifex indulgeat mulieri, ut prædicta vota emittat, quamvis in d. monaſterio ab aliis oblatis non emittatur niſi votum obedientiæ, & perpetuæ ſtabilitatis in prædicto monaſterio vivendi, ut per Navar. *conſ.* 6. *n.* 9. *de voto*. Secundum requiſitum eſt, ut hæc vota emittantur in manibus habentis poteſtatem incorporandi Religioni, juxta text. *in c. Porrectum*, ubi Innoc. Abb. & cæteri not. *de regul. cum concord.* Et hoc requiſitum ſimiliter poteſt ſuppleri à Sede Apoſtolica per ſpecialem delegationem Abbati S. Pauli, vel alteri, cui magis placuerit,

ut notatur per DD. *in d. c. Porrectam*, *& in c. Inſinuante*, *qui Cler. vel vov.* & per Navarr. *conſ.89. de regul.* Tertium requiſitum eſt, ut fiat hæc profeſſio in aliqua religione à Sede Apoſtolica approbata, *c.1. de voto, in 6.* Hoc tertium
16 requiſitum deficit, quia dictum monaſterium non eſt regulare, ut per Navarr. *d.conſ.6. de voto*. Nec videtur poſſe ſuppleri, quia dicta mulier non vult incorporari alicui religioni, ſed vult eſſe ſæcularis in prædicta domo. Non videtur autem jure noſtro poſſe decerni, ut profeſſio emiſſa in domo ſæculari abſque incorporatione alicui de religionibus approbatis cenſeatur regularis ad effectum dirimendi matrimonium, ex tribus fundamentis.

17 Primum eſt, quia videtur implicare contraditionem, ut hęc mulier ſit regularis, & non ſit incorporata alicui ex religionibus approbatis, *c.1. de relig. domib. lib.6. & c.fin. infra eod. tit.* ſed ſit membrum regulare, & capite ſæculari: eſſet enim veluti monſtrum, & quædam perplexitas, quæ non poteſt in eſſe produci, ut eleganter ſcribit Oldrad. *conſ.172.* incipit in corpore, *Quia omnes, à n.5. uſq. in fin.* Unde Lap. Abb. in Clem.1. *de privil.* verbum illud, *Religioſi*, exponit, ideſt Religionis per Sedem Apoſtolicam approbatæ, aliàs non eſſent religioſi. Unde non videtur ſuper hoc de jure poſſe concedi diſpenſatio, cùm de ſubſtantia voti religionis ad effectum ſolvendi matrimonium ratum ſit, ut ſolemnizetur per profeſſionem emiſſam in aliqua ex religionibus approbatis, ad præſcriptum *d. c. un. de voto, in 6.* Et propterea gl. *in d. cap. Cùm ad Monaſterium, de ſtat. Monach. in verb. Abdicatio*, reddens rationem, cur Papa non poſſit diſpenſare, ut Monachus habeat proprium, dicit hoc ideò eſſe, quia abdicatio proprietatis eſt de ſubſtantia monachatus: quod indicant verba illa text. *Adeò annexa eſt regulæ monachali*. Quod & docuit D.Th. *in 2 2.q.88. art.11.*

18 Secundum fundamentum, ad hoc ut quis efficiatur regularis, requiritur neceſſariò conſenſus non ſolùm Novitii, ſed etiam religionis, quia profeſſio eſt contractus reciprocus, & ultrò citròque obligatorius, *c. Ad Apoſtolicam*, *& c. Porrectum, de regul.* Gemin. & Franc. *in d.c.unic.* Navar. *conſ.26. in princ. de regul.* Non videtur ergo ſtatui poſſe, ut emittatur ab uxore profeſſio regularis, niſi aliqua ſit religio, quæ aſſenſum præbeat, & illi obligetur. Hoc autem caſu nulla religio obligabitur, ſed ſolùm mulieres oblatæ, & ſæculares Turris Speculorum: cùm præſertim ante profeſſionem requiratur, ut Novitius per annum probet auſteritatem religionis, & religio mores Novitii, tam ex præſcripto Sacrorum Canonum, *ut in d.c. Ad Apoſtolicam, c. Non ſolùm, & c. Conſtitutionem, de regul. in 6.* quàm ex decreto Conc. Trid. *cap.15. ſeſſ.25. de regul.* quod hoc caſu non poterit verificari.

19 Tertium fundamentum, profeſſio quam emitteret dicta mulier, revera non eſſet profeſſio religionis ſecundùm Canones. Unde ſi Sedes Apoſtolica ſtatueret, ut per illam profeſſionem dirimeretur matrimonium, daretur novus modus matrimonium diſſolvendi, ideſt per profeſſionem emiſſam in domo ſæculari, abſque ulla incorporatione alicui religioni à Sede Apoſtolica approbatæ.

20 Hoc autem maximè dubium eſt, an jure fieri poſſit, ſicuti multi cenſent Summum Pontificem non poſſe ſtatuere, ut matrimonium ratum diſſolvatur poſt conſummatum, ut poſt Covar. & alios Sanch. *lib.2. diſp.14. n.4.* de quo tamen vide Turrecr. *in c. Sunt qui dicunt, n.4. 27. q.2.* Et quamvis non deeſſet poteſtas; hoc tamen indultum eſſet novum, & ſine exemplo. In hac autem graviſſima materia magnoperè videtur cavendum à novitatibus.

21 Recurrunt ergo advocati ad ſecundum modum, ideſt ad diſpenſationem. De poteſtate jam non dubitatur; prævaluit enim opinio Canoniſtarum, *ut in c. Ex publico*, & ibi dixi ſupra eodem. Difficultas in cauſis verſatur; debent enim eſse admodùm graves.

Prima cauſa, quam adducunt Advocati, eſt timor fragilitatis viri: allegant Sanch. *de matrim. lib.2. diſp.16. n.2.* Sed hæc cauſa eſt omninò inſufficiens. Et Sanch. & alii ab eo relati loquuntur de frigiditate poſt matrimonium contractum, non autem de timore frigiditatis; alioquin inventus eſset modus ſtatim diſsolvendi matrimonium, & inutilis eſset habitatio triennalis, & alia juris remedia, de quibus *in c. Fraternitatis, & c. Laudabilem, de frigid. & malef.*

22 Secunda ratio, tranſitus ad cœlibatum, & ſtatum perfectiorem. Sed neque hæc ſufficiens eſt alioquin omnes Tertiariæ, ſeu Mantellatæ, vel Urſulinæ poſsent obtinere diſpenſationem, cùm tamen earum votis matrimonium non dirimatur, ſecundum Abb. *in d. c. Ex publico, & hic in ult. not. n.6. verſ. Ex hoc infero*, quia etſi habeant certam regulam à Sede Apoſtolica approbatam; tamen, ut hìc patet, non ſufficit recipere velum, & ſervare continentiam; ſed oportet, ut quis ſe adſtringat ad certam religionem approbatam, ubi ſcilicet emittuntur tria vota ſubſtantialia religionis. Ad hoc quod habetur in Extravag. *Antiqua*, Jo: XXII. ubi clarius hoc eſt expreſsum. Hujuſmodi autem Mantellatæ non ſunt ſtricto modo religioſæ, cùm non voveant tria ſubſtantialia, nec propriè dicuntur habere regulam, ſed quemdam modum vivendi, ut in ſimili dicit gloſ. notab. in Clem 1. *in verb. Obedientiam, de relig. domib.* & latiùs idem Abbas *in rubr. ſupr. de regul.* Hinc fit, ut profeſſione vitæ eremiticæ matrimonium ratum non diſsolvatur, Sotus *de juſt. & jur. lib.7. qu.5. art.3.* & notatur *in §. Ecce, 27. qu.2.* Hinc etiam fit, ut non dirimatur per tria vota ſubſtantialia, quæ emittuntur à coadjutoribus formatis in Societate Jeſu; ſunt enim ſimplicia, quamvis publicè emittantur, ut declaravit Greg. XIII. in Conſtitutione, *Aſcendente Domino, edita 8. Kalendas Junii* 1584. & cenſent quatuor ejuſdem Societatis Patres, videlicet Vaſquez *in 1.2. q.96. art.4. diſp.165. c.10.* Henriq. *lib.11. de matrim. c.8.* Petrus Ribadeneira *in lib. de Societ. Inſtit. c.19. §.1.* & Sanch. *de matrim. lib.2. diſp.18. n.6.* Et quamvis Advocati dicant ſufficere cauſam expreſsam in Canone, vel illi ſimilem; tamen ad hoc requiritur omnimoda ſimilitudo, Abb. hìc *n.4.* dum ait Papam non poſse diſsolvere matrimonium, niſi ex cauſa in jure expreſsa, vel omninò ſibi ſimili. De quo tamen dixi ſupra *in 1. not. n.2.* At profeſſio in monaſterio, de quo agitur, nullo modo habet hanc omnimodam ſimilitudinem cum profeſſione ſolemni, quia vota ſimplicia non æquiparantur ſolemnibus, *ut in d. c. unic. in fin.* illa enim continent ſolam promiſſionem verbalem; hæc verò
continent etiam realem traditionem. Et hæc eſt cauſa, pro- 23
pter quam ratum diſsolvitur per ſolemnem profeſſionem, non autem per vota ſimplicia, ſecundùm D.Th. *in 4. ſent. diſtin.38. q.1. art.2. ad 3.* & Covar. *in Epit. de ſponſ. p.2. c.7. §.4. num.7.*

Nec obſtat, quòd per profeſſionem emiſsam ab aliquibus Tertiariis ratum diſsolvatur ſecundùm Sanchez allegatum: nam reſpondetur hoc eſse verum de Tertiariis, quæ emittunt vota ſubſtantialia in religione approbata, & ſunt veræ Moniales, ſecundùm declarationem Sixti V.

Ultimò adducunt Advocati doctrinam Hoſtien. hic *numer.15.* quòd per ingreſsum domus leproſorum matrimo- 24
nium diſsolvatur; ſed tamen Hoſtienſis non figit pedes, & dicit conſulendum Papam. Et certè ejus opinio vera non eſt, & reprobatur à Jo. Andr. & aliis communiter. Unde in ea nullum poteſt fieri fundamentum pro diſpenſatione.

Oretenùs deducunt Advocati odium, quod inter conju- 25
ges emerſit, propter quam cauſam dicitur diſpenſaſse Eugen IV. & ſcandala, quæ probabiliter timeri poſsunt; qua de re extat inſignis doctrina Cajet. *1. tom. opuſc. tractat.38.* Verùm hæc doctrina aliàs habita eſt pro admodum dubia, niſi ſubſit timor publicarum actionum. Et in Conc. Trid. *c.5. ſeſſ.24. de doct. matrim.* diffinitum eſt, ut *ſi quis dixerit propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem, matrimonii vinculum poſſe diſſolvi, anathema ſit*: quod aliquando fuit intellectum etiam de matrimonio rato; & ſacra Pœnitentiaria in ſimili cauſa, in qua graviores cauſæ concurrebant, fuit diviſa. Et re vera in omnibus illis caſibus frigiditatis viri, vel mulieris, & maleficii, de quibus *in tit. de frigid. & malef. & de ſponſa duor.* concurrebant illæ cauſæ jurgii, & diſſidii inter cunjuges, præſertim ubi ſecunda uxor fuerat cognita, & remanebat diffamata, & prolem ſuſtulerat: & tamen Canones ſemper jubent prima conjugia reddintegrari. Itaque tutius videtur, ut nobilis hæc mulier ingrediatur aliquod monaſtrium ex religionibus approbatis: nam cùm velit jam ſpontè tria vota ſubſtantialia profiteri in perpetuum, & ſuppoſita hac voluntate habeamus modum canonicè diſsolvendi matrimonium ratum non conſummatum per ſolemnem profeſſionem, privatus affectus ipſius mulieris volentis ingredi domum ſæcularem non videtur juſta cauſa diſpeſationis in hac graviſſima materia. Et interea multa accidere poterunt ob-

ob quæ diſpenſatio non ſit neceſſaria; ut ſi matrimonium declaretur nullum ex impedimento frigiditatis, ſeu maleficii juxta *c. Fraternitatis, & c. Laudabilem, de frig. & malef.* vel dementiæ viri, juxta *c. Dilectus, de ſponſ.* aut ſi vir liberetur ab utroque morbo, & uxor veriſimiliter non curet amplius ab eo divertere; aut quid ſimile contingat. Unde diſpenſatio propter exemplum quantum fieri poteſt videtur differenda, & ſolùm concedenda cùm neceſſitas impulerit.

26 Quatenùs placeret Sanctiſſimo concedere diſpenſationem, tria eſſent præmittenda. Primum probatio matrimonii non conſummati, ad ſacrorum Canonum præſcriptum. Secundum expreſſio, & cumulatio cauſæ profeſſionis in dicto Monaſterio cum aliis cauſis, præſertim diſſidii, odii implacabilis, & inimicitiarum. Tertium ſupplicatio utriuſque conjugis: nam ad inſtantiam unius tantùm non conſueverunt matrimonia diſſolvi.

27 Porrò ceſſabit omnis difficultas, ſi oratrix conſentiat ſe incorporari religionis S. Benedicti; poterit enim eo caſu Sanctiſſimus illi indulgere, ut ingredi valeat domum religioſam Turris Speculorum, in eaque emittere tria vota ſubſtantialia, & ſolemnem profeſſionem religionis prædictæ S. Benedicti, ſub cujus regula Oblatæ dictæ domus vivunt, in manibus Delegati Apoſtolici, qui eam nomine hujus S. Sedis acceptet, atque oratricem Ordini S. Benedicti incorporet ad effectum, ut perpetuò in eadem domo remaneat ſub obedientia illius Præſidentis, & Superiorum, & etiam ad effectum, ut matrimonium inter oratricem, & comitem ejus virum contractum, ſed non conſummatum, diſſolvatur, ipſeque comes ad alia vota tranſire poſſit. Neque enim eſt novum ut valeat profeſſio ſolemniter emiſſa in domo privata in manibus habentis facultatem incorporandi religioni a Sede Apoſtolica approbatæ, ut eſt tex. *in c. Inſinuante, Qui Cler. vel vov.* ubi deciditur validam eſſe profeſſionem regularem emiſſam à quadam muliere in manibus Fratris Ordinis S. Auguſtini, cum hoc ut in domo propria cum omni ſubſtantia ſua remaneret. Atque ibi poſt gl. Innoc. & alios notat Abb. *n.* 5. & concordat tex. *in c. De Viduis, il* 1. 27. *q.* 1. ubi gl. *in ver. proprius*, ait eſſe votum ſolemne, licèt in ſua domo emiſſa fuerit profeſſio. Ad idem eſt text. ſingularis hìc ubi Innoc. III. reſpondet matrimonium mulieris cum viro leproſo contractum, ſed non conſummatum, fuiſſe diſſolutum per profeſſionem emiſſam ab eadem muliere coram duobus Abbatibus in domo propria; qui text. videtur decidere caſum, de quo agitur.

Brevi expediendo addenda eſſet clauſula infraſcripta, videlicet: *Cæterùm per præmiſſa, ipſius monaſterii, ſeu domus religioſæ ſtatum in reliquis, & quoad alias oblatas alterare, aut quomodolibet immutare non intendimus.*

DE VOTO, ET VOTI REDEMPTIONE.

Alexander III. Magiſtro A. de Mandeforde.

CAPUT III.

LIteraturam tuam: & infrà. Cùm ex quadam minutione, nimio fuiſſes mortis pavore perterritus, hæc verba protuliſti: Non diù hìc morabor: proponens in animo, quòd religionis habitum eſſes aliquando ſuſcepturus: & infrà. Tibi igitur reſpondemus, quòd ſi plus non eſt in voto proceſſum, tranſgreſſor judicari non poteris, ſi non impleas quod dixiſti.

1 L*Itteraturam*. Simpliciter proponens religionem ingredi, licèt non ingrediatur, non eſt reus voti. Hoc dicit ſecundùm Jo. Andr. Butr. Cardin. Anch. & Jo. de Anan. Sed generaliùs poteſt ſic ſummari ſecundum Abb. Ex ſola conceptione boni explicandi non obligatur quis ad bonum conceptum exequendum. Hoc intendit, & eſt notabilis, & ſingularis deciſio. Primò, conſultatio; ſecundò, reſpoſio, ibi, *Tibi*.

Pro intelligentia hujus text. vide quod ſcripſi in *c. Conſulti, n.* 15. & 20. *de regul.*

DE VOTO.

Innocentius III. Cantuarienſi Archiepiſcopo.

CAPUT VIII.

QUod ſuper his: & infrà. Quæſiviſti de his, qui pro ſuccurſu Terræ Sanctæ ſigno Crucis aſſumpto, propter infirmitatem, vel paupertatem, vel aliam juſtam cauſam, votum non poſſunt utiliter adimplere, cùm ſine diſtinctione receperis in mandatis, ut eos qui ſignum Crucis aſſumptum abjecerunt, ad reſumptionem ipſius, & executionem voti compellas. Nos autem inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quòd debiles & inopes magis illuc in defectum, quàm ad profectum accedunt; cum iſti pugnare non poſſint, & illi mendicare cogantur: niſi fortè ſint nobiles & magnates, qui ſuis ſecum expenſis bellatores adducant: vel artifices & agricolæ, qui de laboribus ſuis ſibi poſſint acquirere neceſſaria, & terræ ſubſidia miniſtrare: quamvis non multi talium, propter brevitatem poſſeſſionum, & paucitatem inhabitantium, ibi ſint opportuni. Unde credimus diſtinguendum inter illos qui temporalem, & eos qui perpetuam impedimenti cauſam creduntur habere; quòd primis indulgenda eſt dilatio, ſecundis autem eſt redemptio injungenda; ac rerum facultate penſata, quas poſſunt; aut quas facturi eſſent expenſas, perſonarum prætereà compenſato labore, in ſubſidium Terræ ſanctæ tranſmittant, exequentes per alios, quod per ſe nequeunt adimplere. Rurſus inter illos, qui pro defeſione Terræ ſanctæ, votum peregrinationis emittunt, & eos quibus pro ſatisfactione ſuorum criminum, iter peregrinationis injungitur, credimus diſtinguendum; quòd circa primos, plus Terræ ſanctæ ſuccurſus; & circa ſecundos, plus labor itineris ſecundùm intentionem voventis, vel pœnitentis debet attendi. Unde ſi quis hoc modo vovet tam eſt inutilis ad pugnandum, quamvis habilis ſit ad eundum, melius eſt redimere votum, quàm expenſas conſumere: quod & de pœnitente, qui propter debilitatem non poteſt iter injun-

ctæ

ctæ peregrinationis implere, ſanè valet intelligi: non autem de illo, qui quamvis ſit impotens ad bellandum, potens tamen eſt ad eumdum: & infrà. De mulieribus autem hoc credimus obſervandum, ut quæ remanere noluerint, viros ſuos ſequantur: cæteræ verò (niſi fortè ſint divites, quæ ſecum in ſuis expenſis poſſint ducere bellatores) votum redimant, quod voverunt.

1 QUod ſuper his. Impedito ad tempus exequi votum ultramarinum, conceditur dilatio: perpetuo verò impedito indicitur redemptio in eo, quod magis expediat Terræ Sanctæ. Hoc dicit ſecundùm omnes, & eſt pars *cap. Quod ſuper his*, *ſupra de fid. inſtrument.* Communis diviſio; ſecunda, ibi, *Nos autem*, quę primò dat generalem doctrinam; ſecundò ponit duplicem diſtinctionem; prima ibi, *Unde credimus*; ſecunda ibi, *Rurſus*: tertiò ſolvit ſecundam quæſtionem de conſultatione deciſam, Joan. Andr.

Tractat hic Innoc. III. an Papa poteſtatem habeat ſuper infideles etiam Principes. Nos de hoc articulo egimus latiſſimè in *c. Canonum ſtatuta*, *à nu.* 64. *ſupra de Conſtitut.* ubi retulimus verba ipſa Innocentii: ibi plenè videas.

DE STATU MONACHORUM, & Canonicarum Regularium.

Ex Concilio Lateranen.

CAPUT II.

MOnachi non pretio recipiantur in Monaſterio, nec peculium permittantur habere: nec ſinguli per villas & oppida, per quaſcumque Parochiales ponantur Eccleſias; ſed in majori conventu, aut cum aliquibus Fratribus maneant: nec ſoli inter ſæculares homines ſpiritualium hoſtium conflictum expectent, Salomone dicente: Væ ſoli, quia cùm ceciderit, non eſt qui ſublevet eum. Si quis autem exactus pro ſua receptione aliquid dederit, ad ſacros Ordines non aſcendat: is verò qui eum receperit, officii ſuſpenſione mulctetur. Qui verò peculium habuerit, niſi ab Abbate fuerit ei pro injuncta adminiſtratione permiſſum, à communione removeatur altaris: & qui in extremis cum peculio inventus fuerit, & dignè non pœnituerit; nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres accipiat ſepulturam: quod etiam de univerſis Religioſis præcipimus obſervari. Abbas autem, qui diligenter iſta non caverit, officii ſui jacturam ſe noverit incurſurum. Prioratus quoque ſeu Obedientiæ premi donatione nulli tradantur; alioquin dantes & accipientes, à miniſterio fiant Eccleſiaſtico alieni. Priores autem cùm in Eccleſiis conventualibus, per erectionem Capitulorum ſuorum canonicè fuerint inſtituti, niſi pro manifeſta & rationabili cauſa non mutentur; videlicet, ſi fuerint dilapidatores, ſi incontinenter vixerint, aut tale aliquid egerint, pro quo amovendi meritò videantur; aut ſi etiam pro neceſſitate majoris officii, de conſilio fratrum fuerint transferendi.

SUMMARIUM.

1 *REgularibus utriuſque ſexus an liceat habere annuos redditus nomine Conventus, ac de ſuorum Superiorum licentia, & ad eorum nutum, & n. ſeqq. uſque in fin.*

2 *Proprium eſt duplicis generis.*
Peculii, ſeu admiſtrationis bonorum ſtabilium tres ſunt ſpecies, & quæ illarum ſit prohibita à Concilio Tridentino, ſecundùm opinionem Navarri, ibidem.

3 *Regularis, cui conceditur à Superiore adminiſtratio alicujus villæ cum onere ſolvendi certam portionem monaſterio, an poſſit de reſiduo diſponere in ſuos uſus ſine proprietatis vitio, & n. 49. & ſeqq.*

4 *Adminiſtratio bonorum ſtabilium an poſſit per Generalem Ordinis concedi alicui regulari ad vitam, & an liceat eidem Generali, vel ſucceſſori illam revocare, & n. 20. & 25.*

5 *Canonicorum regularium, vel Monachorum Hiſpaniæ ſtatus, quibus ſolvuntur annuæ portiones, quas vocant privilegiatas, an ſit improbatus à jure, vel à Concilio Tridentino, & n. 62.*

6 *Fratres Commendatarii Sancti Spiritus in Saxia an poſſint diſponere ultra victum, & veſtitum de fructibus ſuarum Commendarum.*

7 *Opiniones nonnullorum Theologorum circa peculium regularium referuntur, & n. ſeq.*
Confutantur in terminis juris communis, à n. 13. uſque ad n. 44. & in terminis Concilii Tridentini, à n. 44. uſque in finem.

8 *Regularis etiam non officialis poteſt habere peculium non ſuperfluum, ſeu annuos redditus ad ſuos honeſtos uſus de Superiorum licentia, & dependenter ab eorum voluntate.*
Contrarium, à numer. 44. uſque in finem.

9 *Peculium regulari conceſſum, vel ſimpliciter, vel cum facultate adminiſtrandi liberè, prout ei videbitur, & placebit, an intelligatur in uſus laicos, & ad arbitrium boni viri, & num. 26.*

10 *Regularibus de jure communi non permittitur habere peculium, ſeu annuos redditus, vel bonorum ſtabilium adminiſtrationem.*

11 *Pœna in regulares proprietarios à jure communi ſtatuta quæ ſit.*

12 *Papa an poſſit cum Monacho ſuper proprietate, vel libera peculii adminiſtratione diſpenſare.*

13 *Aut facere de Monacho non Monachum.*

14 *Conſuetudo etiam immemorabilis non excuſat Monachum à tranſgreſſione voti paupertatis.*

15 *Neceſſitas niſi ſit extrema non excuſat a vitio proprietatis regularem, qui aliquid celat Superiori, aut detinet eo invito.*

16 *Regularem poſſe habere peculii adminiſtrationem in uſus licitos de licentia Abbatis, quibus fundamentis probetur de jure communi, uſque ad n. 44.*

17 *Monachus, & ſervus quoad acquiſitionem bonorum æquiparantur.*
Monachus conniventibus oculis Superioris poteſt habere quaſi proprium, ſicut ſervus, ibidem, & numero 21.
Contrarium, num. 22.

18 *Monachus non dicitur proprietarius, qui nihil celat Abbati, & eſt paratus totum dimittere ad illius nutum.*
Contrarium, numero 47.

19 *Monachis Eccleſiæ Cathanien. licet accipere à monaſterio annuam proviſionem ſcutorum quinquaginta.*
Contrarium, num. 62.

21 *Legatum factum Monacho, ut nihil quæratur monaſterio, an valeat, & num. 24. & 47.*

22 *Argumentum de ſervo ad Monachum non procedit, ubi contrarium reperitur in jure expreſſum.*

23 *Servitus Monachalis diſtrictior eſt quàm ſæcularis.*

27 *Regularis datus executor ad diſtribuendum, non dicitur habere bonorum adminiſtrationem.*

28 *Intellectus cap.* Inſinuante, Qui cler. vel voven. *& num.* 31.

29 *Monachus an ex taciturnitate, & patientia Abbatis poſſit habere peculii adminiſtrationem, & num. ſeq.*

30 *Monachus an poſſit facere eleemoſynam de rebus monaſterii ex permiſſione Abbatis, & num.* 32.

31 *Regularis ſicut eſt incapax proprietatis, ita & uſusfructus, vel uſus juris, & num.* 42.

33 *Conſtitutio, vel conſuetudo monaſterii, ſecundùm quam datur certum quid annuum Monacho pro veſtitu, an valeat, & n. ſeq. & n.* 62.

34 *Statutum, ut pro indumento Moniales habeant lucrum manuum ſuarum validum eſt.*

Contrarium, n. 62. *& ſeq.*

35 *Regulares Capellani Papæ recipiunt de ſervitiis portionem, ut alii, ſed teſtari non poſſunt.*

36 *Intellectus cap.* Cùm ad monaſterium, §. Tales, de ſtatu Monach.

37 *Dictio,* nec, *negat, & copulat præcedentia cum ſuis qualitatibus.*

38 *Obedientia, ideſt Prioratus, vel adminiſtratio Eccleſiæ.*

39 *Intellectus hujus cap. & n.* 42.

40 *Adminiſtratio peculii non poteſt per Abbatem concedi ſimplici Monacho, ſed officiali temporali dumtaxat, & num.* 52.

41 *Ut regularis habeat beneficium ad nutum amovibile in titulum; non repugnat voto paupertatis, ne Concil. Trident.*

Adminiſtrator cum libera poteſtate diſponendi de fructibus dicitur habere uſumfructum, n. 43. *verſ.* Ratio diverſitatis.

43 *Officialis dicitur adminiſtrator in utilitatem monaſterii, nec poteſt de fructibus diſponere.*

44 *Concilium Tridentinum quid ſtatuerit circa regularium proprietatem, num. ſeq. uſque ad* 67.

45 *Regularibus prohibetur à Concilio Tridentino non ſolum proprietas, & poſſeſſio quorumcumque bonorum, ſed etiam nuda detentio etiam nomine Conventus.*

46 *Mobilium uſus non permittitur Regularibus à Concilio antequam Superiori tradantur, & Conventui incorporentur.*

48 *Adminiſtratio bonorum ſtabilium non permittitur à Concilio niſi officialibus temporalibus monaſterii, & num.* 74.

49 *Adminiſtratio peculii etiam dependenter à voluntate ſuperiorum, & ad eorum nutum prohibita eſt à Concil. Trident. Regularibus non officialibus, & n. ſeq. uſque ad* 54. *& n.* 72.

50 *Regularibus non licet habere uſum ſuperfluum bonorum mobilium etiam de licentia Superioris, & dependenter ab illius voluntate, ac nutu.*

51 *Regulares tenentes mobilia ſuperflua, aut immobilia, à culpa, vel à pœna ipſo facto incurrenda non excuſantur propter diſpenſationem Superiorum.*

52 *Prælatis aſſerentibus ſe poſſe concedere licentiam tenendi mobilia ſuperflua, aut immobilia quæcumque, fides non eſt adhibenda, & n.* 69.

53 *Dictio,* autem, *eſt adverſativa præcedentium, & in caſu contrario retinet idem thema præcedens.*

54 *Regularibus non licet ex diſpenſatione ſuperiorum habere adminiſtrationem peculii etiam in uſus licitos, & num.* 56.

55 *Regularis habens adminiſtrationem cum facultate diſponendi de fructibus in quoſcumque uſus, dicitur habere uſumfructum.*

57 *Indefinita legis æquipollet univerſali etiam in odioſis.*

58 *Præſertim ſi ſit negativè concepta.*

59 *Peculii etiam non ſuperflui adminiſtratio interdicta eſt Regularibus à Concil. Trident.*

60 *Regulares tenentur vitam inſtituere, & formare ad præſcriptum Regulæ, quam profeſſi ſunt, etiam antequam monaſterium, vel Religio ipſa à Superioribus inſtituatur, vel reformetur.*

61 *Monialis non poteſt ſibi reſervare pecuniam annuam pro ſuis neceſſitatibus, ſed pecunia ipſa non obſtante reſervatione monaſterio acquiritur.*

62 *Monialibus non licet annuos cenſus emere nomine ſuo, aut monaſterii, nec pecunias monaſterio dare ad hoc ut aliquam ſummam quotannis inde percipiant pro ſuis neceſſitatibus, etiam monaſterii nomine, & ad nutum Abbatiſſæ.*

63 *Monialibus non permittitur, ut pecunias aſſervent in propriis ſcriniolis intus arcam, cujus clavis ſit penes Abbatiſſam.*

64 *Monialibus vitam communem non ſervantibus interdicitur receptio puellarum ad habitum, & profeſſionem, & n.* 66.

65 *Monialibus communem vitam ſuſcipientibus quomodo conſulatur à Congregatione Regularium.*

66 *Monialibus non viventibus in communi quibus cautelis indulgeatur, ut poſſint annuas proviſiones recipere.*

67 *Decreta Clementis VIII. circa Regularium proprietatem expenduntur, & conferuntur cum* c. 2. ſeſſ. 25. de regul. *Concil. Trident. & n. ſeq.*

70 *Differentia inter bona propria monaſterii, & aliunde quæſita à Regularibus, rejicitur à Concil. Trident. & decretis Clementis VIII.*

71 *Bona undecumque à Regularibus acquiſita, cum cæteris monaſterii bonis confundi debent, ut communis inde victus omnibus ſuppeditetur.*

73 *Regularibus non poſſunt concedi à Superioribus bona ſtabilia etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commendam, etiam depoſiti, aut cuſtodiæ nomine.*

74 *Superiores regulares non poſſunt habere adminiſtrationem temporalem bonorum monaſterii.*

Adminiſtratio temporalis bonorum monaſterii à Clemente VIII. tribus officialibus demandatur, ideſt exactori, depoſitario, & diſpenſatori, ibidem.

75 *Regulares non excuſantur ab obſervantia decretorum Clementis VIII. hoc prætextu quòd uſu recepta non fuerint.*

76 *Regularibus non licet interpretari decretum cap.* 2. *ſeſſ.* 25. *de Regul.*

M*Onachi.* Hæc Conſtitutio communiter non ſummatur, quia continet plura dicta, quę brevius in 1
compendium redigi non poſſunt, ut per gloſſ. Joan. Andr. & Anton. de Butr. tamen comprehendendo ſubſtantiam ſecundùm Abbatem ſic poteſt ſummari: Monachi non debent poni ſinguli per Parochias. Hoc primò. Si pro Monachatu aliqud detur, receptus à ſacris Ordinibus prohibetur, & recipiens ab officio ſuſpenditur. Hoc ſecundò. Monachus habens peculium ſine licentia Abbatis, ab altaris communione removetur, & ſic decedens ſepultura, & Fratrum communione privatur. Hoc tertiò. Si pecunia conferatur pro habendo aliquod officium in monaſterio, dans, & recipiens deponuntur. Hoc quartò. In Prioratibus Conventualibus per electionem inſtituti non ſunt removendi ſine cauſa rationabili: & de cauſa rationabili tria ponit exempla, & hoc dicit uſque ad finem. Atque ita quinque ſunt dicta. Secundùm ibi, *Si quis*. Tertium ibi, *Qui verò*. Quartum ibi, *Prioratus*, Quintum ibi, *Priores*. Joan. Andr. & Butr. dividunt in tres partes, ut per eos.

Nota primò, Monachos non debere ſolos per villas, & oppida habitare, & ſigna litteram contra ſolitarios, de quo plura *hìc* per Joan. Andr. *n.* 3.

Secundò nota, Monachum non debere conſtitui ſine ſocio ſui Ordinis in Eccleſia Parochiali. Quod intelligit Abbas *nu.* 3. quando Eccleſia Parochialis eſt monaſterio ſubjecta, ita ut Monachus prętereà non deſinat eſſe obedientialis monaſterii; ſecus. ſi religioſus promoveatur tamquam quilibet Clericus ſæcularis ad Eccleſiam Parochialem. Tunc enim cùm deſinat eſſe Monachus monaſterii, nec ullam habeat ampliùs communionem cum illo, ut in *c. Ne pro cujuslibet*, 16. *q.* 1. non tenetur Abbas ei dare ſocium. Allegat gloſ. notab. in Clem. *Ne in agro*, §. *ad hæc, in verb. Ad clauſtrum, hoc tit.* Hodie an hoc ſit verum, & an

Regulares præfici poſſint Parochialibus Eccleſiis, dicam plenè in *cap. Quod Dei timorem, infra eodem.*

Tertiò nota, pœnam aſſumpti ad Monachatum per ſimoniam; qui irregularis efficitur. Unde colligunt Joan. Andr. *n.*5. & Cardin. *in* §. *Si quis*, *n.*1. poſt Petr. de Sampione, & Abb. Antiq. irregularitatem quoad ordines contrahi pro ſimonia commiſſa etiam in ſimplici beneficio. Quod intelligit Butr. *n.*4. de irregularitate lata.

Quartò, nota permittendum non eſſe, ut Monachus habeat peculium, niſi pro injuncta ſibi adminiſtratione, de hoc latiſſimè in quæſtione ſequenti, & præſertim *num.*39. *&* 42.

Contingit ſæpè, & in aliquibus Monaſterriis tam virorum, quàm mulierum novitii in actu renuntiationis bonorum ad favorem monaſterii, vel in actu profeſſionis reſervent ſibi annuos redditus, ſeu annuam proviſionem pro ſuis religioſis neceſſitatibus: & in aliis monaſteriis item accidit frequenter, ut cenſus annui, ſeu bona ſtabilia relinquantur Monaſterio etiam titulo inſtitutionis à parentibus, vel conſanguineis alicujus regularis, eo tenore adjecto, ut ſuperiores concedere debeant eidem regulari adminiſtrationem dictorum cenſuum, ſeu bonorum ſtabilium, ita ut idem poſſit convertere illorum redditus in ſuos honeſtos uſus. In aliis verò ſervatur, ut regulares pecunias ex prædicatione, ſeu lectione, aut aliunde quæſitas tribuant monaſterio, ad hoc ut ex ea emantur cenſus perpetui, quorum redditus quotannis aſſignari debeant eidem Regulari pro ſuis neceſſitatibus. In aliis denique uſu receptum eſt, ut ex redditibus Conventus unicuique ex fratribus vel ſororibus aſſignetur ſingulis annis certa portio ſive in pecunia, ſive in aliis ſpeciebus, ad hoc ut ex ea paret ſibi neceſſaria ad vitam, nec monaſterium eis aliquid ultra præſtare, nec ipſi accepti rationem reddere teneantur. Ex facto quæſitum eſt, an in his, & ſimilibus caſibus liceat regularibus utriuſque ſexus habere prædictos annuos redditus, ſeu proviſiones annuas vel bonorum ſtabilium adminiſtrationem, ſeu peculium non ſuperfluum nomine Conventus, ac de ſuorum Superiorum licentia, & dependenter ab eorum voluntate, ac nutu, adeò ut ſint immunes à culpa, & pœna, de qua in *c.*2. *ſeſſ.*25. *de Regular.* Conc. Trident.

Quod ad extirpandam Regularium proprietatem providè ſancitum eſſe decreto d. *cap.* 2. *ſeſſ.*25. *de Regul.* in ſenſus tam varios, & à mente ſanctæ Synodi alienos detorſerunt ſcriptores moderni, ut ferè ad nihilum redactum videatur.

2 Siquidem primus fortè omnium Navarrus in Comment. *cap. Non dicatis*, 12. *q.*2. *num.*47. ut evitet diſpoſitionem d. *cap.*2. præmittit proprium eſſe duplicis generis: alterum quoad verum dominium, & proprietatem, quale habent homines ſæculares: alterum quoad liberam adminiſtrationem, quale habent beneficiati, quod alio modo dicitur peculium in Rubr. *de pecul. Clericor.* Deinde præmittit proprium ſecundi generis in tres ſpecies ſubdiſtingui. Primæ ſpeciei proprium eſt, quod datur ad adminiſtrandum in utilitatem, & damnum concedentis tantùm, quare eſt quod conceditur officialibus monaſterii, & obedientiariis. Proprium ſecundæ ſpeciei eſt, quod datur in utilitatem & damnum accipientis cum facultate diſponendi de eo in ſuos honeſtos, & pios uſus tantùm. Proprium tertiæ ſpeciei eſt, quod datur in commodum, vel damnum accipientis cum facultate diſponendi pro libitu in quoſcumque uſus etiam profanos. Quibus præmiſſis, decretum d. *c.*2. *in prin.* dum diſponit, ut nemini Regularium liceat bona immobilia tamquam propria poſſidere, Navarr. dicit eſſe intelligendum de proprio tantùm primi generis, & in effectu eſſe gloſſ. in d. *cap. Non dicatis*, quatenùs habet proprium nemini Regularium eſſe permittendum, & *cap. Cum ad monaſterium*, *in princ. infr. eod.* quatenus prohibet, ne quis Monachorum proprium aliquo modo poſſideat. Unde ſicut prædicti Canones intelliguntur à Doctoribus de proprio primi generis: ita & Concil. eſſe intelligendum, quod venit ad illorum declarationem. Dum verò Concilium *in princ. d. cap.*2. ſubjungit, ut nemini Regularium liceat prædicta bona poſſidere etiam nomine Conventus; Navarrus putat id eſſe intelligendum de proprio ſecundi generis tertiæ ſpeciei, etiam ſecundæ, videlicèt ſine juſta cauſa conceſſo. Movetur, quia Concilium Lateranenſe in hoc *cap.* dum ſtatuit, ut Monachi peculium non permittantur habere, intelligitur, de peculio, quod habet Monachus, vel cum libera diſponendi facultate, vel cum facultate diſponendi in ſuos honeſtos uſus, ſine juſta cauſa conceſſa, & ſic de peculio ſecundi generis tertiæ ſpeciei; & ideò eodem modo eſſe intelligendum decretum Concil. Trident. ne videatur contradicere Conc. Lateranenſi, cùm expediat jura juribus concordare. Ita Navarr. qui tamen decipitur tam circa intellectum Concilii Lateranenſi, quàm Trident. ut inferiùs demonſtrabitur *num.* 39. *&* 44. Rurſus Concilium Tridentinum ubi ſupra dum ſecundo loco ſubjicit: *Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commendam*: putat Navarr. nil novi juris inducere, ſed ſolùm continere declarationem principii d. *cap. Cùm ad monaſterium*, §. *Tales*, atque ita non prohiberi ea parte decreti niſi illam adminiſtrationem, quæ conceditur Regulari cum facultate liberè diſponendi, quod eſt peculium tertiæ ſpeciei; vel adminiſtrationem cum facultate diſponendi in ſuos uſus ſine juſta cauſa conceſſa, quod eſt peculium ſecundæ ſpeciei.

Eumdem intellectum dat Navarr. ad verba quæ tertio loco ſubſequuntur in *d. cap.* 2. *ſeſſ.* 25. *de regul.* ibi, *Adminiſtratio autem bonorum monaſteriorum, ſive conventuum ad ſolos officiales eorumdem ad nutum ſuperiorum amovibiles pertineat*: exiſtimat non enim Navarrus, & malè hoc loco & proximè præcedenti Concilium non prohibere adminiſtrationem illam, quæ conceditur Regularibus non Officialibus ex juſta cauſa cum facultate diſponendi in ſuos honeſtos, & pios uſus; ſed tantùm prohibere adminiſtrationem peculii tertiæ ſpeciei, & ſecundæ, quando conceditur ſine juſta cauſa: nec in his aliud fundamentum adducit, quàm quòd Concilium ita ſit interpretandum, ut juri communi non deroget, ſed potiùs conſentiat cum illius diſpoſitione. Sed in hoc quoque fallitur tam quoad intellectum juris communis, quàm decreti Concilii, ut ſimiliter patebit inferiùs eodem *num.* 39. *&* 44. Ex his cenſet Navarrus & malè in *Comm. d. cap. Non* 3
dicatis, 12. *qu.* 1. *num.* 41. ſi regulari tradatur peculium non ad illud adminiſtrandum in ſolam utilitatem monaſterii, ſed quaſi locatum, ut cùm alicui Regulari traditur aliqua villa, vel domus cum ſuis bonis adminiſtranda ea lege, ut certam portionem ſolvat monaſterio; tunc poſſe eum ſoluta penſione diſponere de reſiduo ſicut poſſet Prælatus, ſine ullo proprietatis vitio, non obſtante decreto Concil. in d. *c.*2. ut poſteà concludit *num.*47. proximè citato, & *num.* 50. Quinimò *conſ.* 17. incipien. *Generalis*, *de ſtat.* 4
Monach. conſuluit, & peſſimè Generalem Ordinis Sancti Auguſtini, de conſenſu Prioris, & Conventus Sancti Auguſtini potuiſſe licitè concedere Eccleſiam illi unitam cum quodam horto, & aliis ad eam pertinentibus cuidam Fratri ſui Ordinis ad vitam ejus, ea lege, ut ſolveret certos cenſus annuos monaſterio debitos, bona melioraret, & celebraret quaſdam miſſas, &c. nec licere eidem Generali, aut ſucceſſori dictam adminiſtrationem ſine juſta cauſa revocare abſque peccato etiam mortali. Quibus etiam 5
fundamentis in *cap. Nullam*, *num.*25. 18. *quæſt.*2. latiſſimè defendit non eſſe à jure, aut à Concilio Tridentino improbatum ſtatum Canonicorum Regularium, quorum Ordinem & ipſe profeſſus fuerat, vel Monachorum Hiſpaniæ, quibus certa portio panis, vini, & reliquorum neceſſariorum pro victu, & certa quantitas pecuniæ pro veſtitu diſtribuitur, alibi per portiunculas quotidianas, alibi per portiones menſtruas, vel annuas, ita ut nihil ultra teneantur eis Eccleſiæ, & monaſteria ob ullam neceſſitatem ſuppeditare, nec ipſi è converſo teneantur eis reſiduum reddere, dummodò illud in ſuos honeſtos, vel pios uſus convertant.

Amplius idem Navarr. *conſ.*13. *Quæſitum eſt, de ſtat. Mo-* 6
nachor. ſimiliter pluribus tuetur Fratres Commendatarios S. Spiritus in Saxia poſſe diſponere ultra victum, & veſtitum de fructibus ſuarum Commendarum, nec teneri quod ſupereſt reſtituere præceptori Hoſpitalis: & *num.*25. ſubdit in tota Eccleſia Chriſtiana id ſervare omnes Religioſos habentes beneficia regularia ſive in titulum, ſive in commendam, & ſe vidiſſe ita practicari in Canonicis Regularibus Hiſpaniæ, & Galliæ, & in Commendis, & Prioratibus Ordinis S. Joannis Hieroſolym. de Spata, Alcantara, & Calatrava; licèt hoc loco loquatur in terminis juris communis, nec meminerit Concilii Tridentini.

7 Porrò quamvis ſupradictam Navarri ſententiam, & intel-
lectum ad Concilium Tridentinum jam reprobaverit Sacra
Congregatio Cardinalium ejuſdem Concilii interpretum;
tamen illam ſecuti ſunt poſteà plerique ex Recentioribus
8 exiſtimantes Concilium non obſtare, quin ſimplex regula-
ris poſſit habere peculium, ſeu annuos redditus ad ſuos
honeſtos uſus de Superiorum licentia, & dependenter ab
eorum voluntate; ſed tantùm prohibere peculia ſuper-
flua, & non licita, & independentia à voluntate Supe-
riorum; adjicientes idipſum anteà ſtatutum fuiſſe à jure
communi *in hoc cap. & cap. Cum ad monaſterium, infra
eodem*, inter quos recenſentur præcipuè Jacob. de Graffis
*in ſuis deciſ. part.*1. *lib.*3. *cap.*5. *num.*53. Fulv. Pacian. *conſ.*
36. *num.*99. *tom.*1. Joan. à Cruce *de ſtat. relig. lib.* 1. *cap.*3.
*dub.*2. Sanchez *in Summ. tom.* 2. *lib.*7. *cap.* 22. *num.*11. Ce-
nedo *de paupert. relig. dub.*9. *num.*4. & Rodriq. *de Regul.
quæſt.*126. *art.*4. *verſ. Neque his obſtat, & infra ad finem*,
ibi: Neque eſt intentio Concilii novas obligationes adde-
re antiquis, Auguſtin. Barboſ. *hic num.* 3. & alii quos
noviſſimè conquiſivit ſtudioſus laxiorum opinionum ſe-
lector Antoninus Diana *reſolut. moral. tract.*6. *de paupert.
relig. reſolut.* 32. ubi ampliùs confidenter adjicit in peculio
religioſorum ſpectandam eſſe perſonarum qualitatem, &
alias circumſtantias, adeò ut aliquando non ſint con-
demnandi multi religioſi ampliſſimos redditus poſſiden-
tes, ut quia Prælatus, vel Magiſter Ordinis, aut quia
regula ſit relaxata, & paupertas eo modo intellecta ex con-
ſuetudine; aut quia religioſus habens peculium applicat
aliquam illius partem in utilitatem monaſterii; aut de-
mum quia religioſus ille multa comparavit monaſterio;
quæ omnia ferè ad litteram idem author tranſtulit ex San-
chez *in ſumm. tom.* 2. *lib.* 7. *c.* 22. *num.*18. Addit idem San-
chez *d. c.* 22. *num.* 11. hanc ſententiam, ideſt regularem
poſſe retinere peculium de conſenſu Superioris, etiam in
terminis Concilii, non ſolùm eſſe veriorem, ſed etiam
in omnibus virorum, & monialium conventibus uſu re-
ceptam. Et Emanuel Rodriq. *de Regul. d. quæſt.* 126. *art.*4.
verſ. Neque his obſtat Concil. Trident. Si contrarium in-
quit, daremus, eſſet condemnare ad peccatum mortale
9 omnes Moniales. Et idem juris eſſe, ſi adminiſtratio pecu-
lii conceſſa ſit ſimpliciter, & indeterminatè, quia intelli-
gitur in uſus licitos, cenſet Navarr. *de reſtitut. lib* 3. *part.*
3. *cap. in nova edit. dub.*1. *n.*166. *& ſeqq. coroll.* 3. & San-
chez *in Summ. d cap.*22. *num.*12. Quinimò idem eſſe, ſi pe-
culium conceſſum fuerit Monacho cum facultate admini-
ſtrandi liberè, & prout ſibi videbitur, & placebit, quia hæc
verba reſtringuntur ad arbitrium boni viri, cenſet idem
Sanch. *in Summ. cap.*17. *verſ. Atque hoc modo credo*, & ju-
ſtam cauſam permittendi, ut Regularis habeat adminiſtra-
tionem annui redditus, eſſe, ſi ex illius perſona monaſterio
pauperi ingens commodum inferatur, affirmat Sanchez in
dicto *cap.*22. *num.*18 *verſ. Aut multa bona*, *& num.*24. ubi
ait: (Si vir, aut fœmina ditiſſima in aliquo monaſterio
egente non aliter profiteri velint, quam reſervato ſibi pecu-
lio: quippè id licebit, ut ſuis divitiis egeſtati illius monaſte-
rii ſubveniant.) Quin etiam Pacian. addit d. *conſ.*36. *n.*93.
& 95. in tantum licere Monacho ex permiſſione Abbatis
habere peculium, ut ſi eodem peculio fuerit per Abbatem
ſpoliatus, poſſit reſtitutionem petere: quod & Navarr.
ſenſit d. *conſ.*14. *n.*15. *de ſtat. Monach.*

Hæc, atque alia plura reperiuntur apud recentiores,
quæ cùm videantur evertere Tridentinæ Synodi diſpoſitio-
nem de religioſa paupertate, & facilè poſſint adducere tam
Superiores regulares, quàm ſubditos in periculum ſalutis;
pro veritate diſpiciendum eſt primò, quid circa peculium
religioſorum ſanxerit jus commune; ſecundò, an aliquid,
& quid addiderit Concil. Tridentinum.

10 Quoad primam inſpectionem, de jure communi pro re-
gula conſtituitur, ut nemini Regularium liceat habere pe-
culium, ſeu annuos redditus, vel bonorum ſtabilium ad-
miniſtrationem, quia hæc includunt proprium reſpectu
dominii, quod opponitur eſſentialiter voto paupertatis,
cap. Nolo, cap. Non dicatis, 12. *q.*2. *cap. Quanto, de off.
Ordin. cap. Abbates*, 18. *quæſt.*2. quod eſt deſumptum ex Con-
cilio primo Aurelianenſi *cap.*2. ibi, *Quod ſi quis peculiare
aliquid habere preſumpſerit, & cap. Joannes*, ibi: Nec eo-
rum aliquem peculiare quidquam habere, *de reg.* & in hoc
text. ibi: Nec peculium permittantur habere. Idem diſtri-
ctiùs, & ut inquit Silv. *in verb. Religio*, 6. *n.*7. præcepto
terribili prohibet Innoc. III. in *cap. Cum ad monaſterium,
infra eod.* ubi etiam addit pœnam proprietarii, ut ſcilicet
ſubterretur extra monaſterium in ſterquilinio in ſignum
perditionis, nempè quia deceſſit in peccato mortali, ut
ibi explicat Butr. Et quoad hanc pœnam concordat text.
hic. Alia pœna habetur in *cap. De lapſis*, 16. *q.*7. *& in cap.
Si quis*, 16. *qu.*1. Eodem reſpiciunt tam jura, quæ dicunt
Monachos teſtari non poſſe, ut in d. *cap. Nolo, in fin.* 12.
*q.*1. *cap. Quia ingredientibus*, 19. *q.*3. & auth. *Ingreſſi, C.
de ſacroſ. Eccleſ.* ibi, *Nec ergo de his teſtentur, utpotè nec
domini rerum*, quàm jura, quæ dicunt: Quidquid acqui- 11
rit Monachus, acquirit monaſterio, ut in præcitat *cap. Ab-
bates, & c. Quia ingredientibus, cap. unic.* 18, *q.*1. *& cap.
In præſentia, de probat. cum concord.*

Quod adeò verùm eſt, ut neque ex permiſſione, ſeu 12
indulgentia, vel diſpenſatione cujuſvis Superioris fas ſit
Regularibus habere peculium, ut clarè conſtat ex text. hic
in princ. quòd non prohibet ſimpliciter, ne regulares ha-
beant peculium, ſed ne peculium permittantur habere,
ponderando illud verbum, *Permittantur*, quod ad Superio-
res refertur. Ratio eſt quam adducit text. in d. *cap. Cum ad
monaſterium*, his verbis: Nec æſtimet Abb. quòd ſuper ha-
benda proprietate poſſit cum aliquo Monacho diſpenſare,
quia abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeò
eſt annexa regulæ monachali, ut contra eam nec Summus
Pontifex poſſit licentiam indulgere, Per quem text. Abb. 13
*hic num.*4. dicit nec Abb. imò nec Papam poſſe diſpenſare,
ut Monachus habeat peculii adminiſtrationem ad libitum,
licèt de Monacho Papa poſſit facere non Monachum, ſe-
cundùm opinionem Vincentii, & Joan. ut per gloſ. in
d. *cap. Cùm ad monaſterium, in verbo Abdicato*. Et ſecun-
dùm hoc ſalvantur ibi dicta per Innoc. Etenim ſententia
S. Thomæ in 2. 2. *qu.*88. *art.*11. communiter ab Eccleſia
non tenetur, ut latè per Joan. Andr. in *cap. Semel Deo,
de regul. jur. lib.*6. *in Mercur.* Quibus conſequitur, ut nec 14
conſuetudo etiam immemorabilis excuſet Monachum à
proprietate, nam cùm adverſetur juri naturali, & divino
juxta illud Pſalmi 75. *Vovete domiro, & reddite*, relatum
in *cap. Magnæ, de voto*, non conſuetudo, ſed corruptela
dicenda eſt, *cap. Mala, cap. Fruſtra*, 8. *diſt. c. fin.* ubi no-
tatur *de conſuet.*

Et ſi non valet in hoc diſpenſatio, vel licentia expreſſa,
ut in d. §. *Nec æſtimet Abbas*, longè minùs debet valere
conſuetudo, quæ non nititur niſi tacito conſenſu Princi-
pis, *l. De quibus, ff. de leg.* gloſſ. & DD. in d. *cap. fin. de
conſuet.* Quinimò ex ſententia Sac. Congregat. nec ne- 15
ceſſitas niſi ſit extrema excuſat à vitio proprietatis regula-
rem, qui aliquid celat Superiori, aut detinet eo invito.
Quærebatur enim, an cum neceſſaria à Superiore etiam
requiſito ideò denegantur, quia monaſterii facultates
non ſuppetunt, liceat Regularibus clam, vel eo invito il-
la ſibi comparare, ſeu retinere: Sacra Congregatio reſ-
pondit licere, ſi præciſa neceſſitas ſit ad individui ſuſtenta-
tionem: cæterum communem penuriam ab omnibus
perpetiendam, uſque adeò ut ſi quid privatim alicui de-
latum, vel ab ipſo partum fuerit, id tunc ad Superiorem
recta deferri oporteat, qui ex eo primò ſuccurrat ejus ne-
ceſſitati, cujus intuitu illud obvenerit, ſi peculiari ali-
qua neceſſitate ultra communem prematur; reliquum
Conventui incorporetur, & in communem cedat utilita-
tem. Quippè præciſa hæc, ſeu extrema neceſſitas, cùm ſit
de jure naturæ nullis ſubeſt legibus; & ideò excuſata regulæ
tranſgreſſione etiam FF. Minores S. Franciſci, qui arctiſ-
ſimam profitentur paupertatem, ut eſt text. in *cap. Exiit,
§. Porrò, de verb. ſignif. lib.*6. ibi: *Nec ipſis Fratribus ju-
re Poli in extrema neceſſitatis articulo ad providendum ſu-
ſtentationi naturæ via omnibus extrema neceſſitate detentis
conceſſa præcluditur, cum ab omni lege extrema neceſſitas ſit
exempta.*

Regulam ut ſupra firmatam *n.*10. videlicet nemini regu- 16
larium licere de jure communi habere peculium, ſeu an-
nuos redditus, vel bonorum ſtabilium adminiſtrationem,
multi ex Doctoribus limitant, ut procedat tantùm in admi-
niſtratione peculii libera cum facultate diſponendi ad li-
bitum in quoſcumque uſus, non autem in adminiſtratione
quam habent Regulares in uſus licitos de Abbatis licentia;
& moventur potiſſimum quinque fundamentis.

Primum fundamentum deducitur à ſervo, cùm ſervus, 17
& Monachus quoad bonorum acquiſitionem æquiparen-
tur;

tur; uterque enim eſt incapax proprietatis, & ſicut Mona-
chus acquirit monaſterio, ita ſervus acquirit domino, *cap.*
Exiit, §. *Ad hæc cum Fratres de verbor. ſignif. in 6.* & no-
tat Innoc. *in c. In præſentia de prob. & in cap. Cùm olim, il*
ſecondo, de privil. & Bart. *in l. Si communi ſervus, ff. de*
ſtipulat. ſervor. Facit text. *in l. Placet, ff. de acquir. hæred.*
in l. Si adoptavero, ff. de procur. & in l. Arrogato, ff.
de adopt. Sed ſervus ex conceſſione domini poteſt habere
peculii liberam adminiſtrationem, *l. Quam Tuberonis, ff. de*
pecul. Ergo & Monachus ex conceſſione Abbatis. Atque
hoc argumento Bald. *in l. 1. col. 6. C. de his quæ pœn. nom.*
concludit Monachum permiſſu Superioris conniventibus
oculis poſſe habere quaſi proprium, ſicut ſervus; quod et-
iam tradit Joan. Andr. *in c. Non eſt obligatorium de regul. jur.*
18 *in 6.* Et propterea idem Joan. Andr. *in c. Cùm ad monaſte-*
rium col. 4. in verb. Proprietate infra eodem: (Nec, inquit,
videtur dici proprietas, quando de quantitate, & qualita-
te nihil celat Abbati, nec ſine ipſius conſcientia aliquid re-
cipit, vel expendit, paratus totum reddere, & dimittere ad
juſſum Abbatis.) Hæc Joan. Andr. qui tamen ſubdit, quia
res periculoſa eſt, & invidiæ, & exempli mali cauſa, Hoſt.
conſulere Abbati, ut niſi ex magna, & evidenti cau-
ſa talem licentiam non det; & Butr. *ibidem n. 11.* (De
permiſſione, inquit, Abbatis poſſunt tenere pecuniam
nomine Abbatis, parati tamen reſignare, quando volet
Abbas, *ut in reg. 38. c. 1.* & non debent ſine licentia Abba-
tis expendere. Unde non licet aliquid eis habere quod
Abbas non dederit, aut permiſerit. Unde nec unam lit-
teram ab extra recipere poſſunt ſine licentia Abbatis; imò
19 nec cappam ſuam poſſident.) Hæc Butrius. Et eodem ar-
gum. Abbas *conſ. 88. Videtur num. 6. verſ. Nam & ſer-*
vus lib. 1. ex facto reſpondit Monachos Eccleſiæ Catha-
nienſis, quibus ex antiqua Eccleſiæ ordinatione dabantur
pro neceſſariis quinquaginta ſcuta, rectè, & ſine peccato be-
nè adminiſtrando dictam proviſionem capere potuiſſe,
quamdiù patiebatur Epiſcopus, qui erat loco Abbatis. Et in
alio caſu idem Abb. *conſ. 44. Ad deciſionem num. 4. verſ. Et*
20 *in hac conceſſione lib. 2.* Ampliùs Navarr. *conſ. 14. num. 13.*
de ſtat. Monach. audacter reſpondit non licere Generali S.
Auguſtini, abſque peccato etiam mortali revocare ſine juſta
cauſa adminiſtrationem bonorum ſtabilium, quam conceſ-
ſerat ad vitam cuidam Fratri ſui Ordinis, & fas eſſe ei-
dem Fratri ſuper hoc querelam ad Papam deferre, quia;
inquit, ſicut dominus obligari poteſt ſervo naturali ob-
ligatione deſcendente à pacto, vel contractu, *l. Natu-*
raliter, & l. Si id quod, ff. de cond. indeb. ita etiam Prælatus
21 poteſt obligari Monacho, ut in præfatis ll. tradunt ſcriben-
tes, & Panorm. *conſ. 104. vol. 1.* Quinimò Bart. eodem
ductus argum *in auth. Excipitur, C. de bon. quæ libe.* for-
mat hanc quæſtionem: Pone quòd aliquid relinquatur Mo-
nacho ſub hac conditione, ut non quæratur monaſterio;
an valeat tale relictum. Et videtur primò quòd non, quia
continet impoſſibilitatem, & repugnantiam quandam;
nam Monachus non poteſt habere aliquid, ſed totum eſt
monaſterii, *12. quæſt. 1. c. Nolo, & c. Non dicatis, & in auth.*
Ingreſſi, C. de ſacroſ. Eccleſ. Unde dicere quòd ſit Mona-
chi, & non quæratur monaſterio, eſt contradictio quædam
in ſeipſo, & quædam perplexitas, quæ habet vitiare con-
tractum, & legatum, *ut l. Sit Titius, ff. de cond. inſtit.*
& l. Ubi repugnantia, ff. de regul. jur. In contrarium con-
cludit ibi Bart. dicens, prædicta verba, (ut nihil acquiratur
monaſterio,) eſſe intelligenda reſpectu utilitatis, non au-
tem reſpectu juris: & eſt ſenſus, ut monaſterium illum pa-
tiatur habere eo modo, quo poteſt, ſcilicet conniventibus
oculis, ſicut diximus in ſervo, qui poteſt aliquid habere
conniventibus oculis domini, *ut l. 4. de manumiſſ.* & ſic
nihil quæratur monaſterio, ſcilicet facto. Sic ergo fit im-
propriatio verborum, ut relictum valeat, & Monacho ac-
quiratur libera ſine proprietate adminiſtratio, Bartol. refert,
& ſequitur Abbas *d. conſ. 44. n. 1. lib. 2. & conſ. 63. Ut veritas*
n. 7. in fin. eod. lib.

22 Cæterùm hoc argumentum de ſervo ad Monachum
hoc caſu non videtur urgere, quia non procedit, ubi con-
trarium reperitur in jure expreſſum, ut declarat Abbas *in*
cap. De uxore, de ſepult. Quamvis autem ſervus liberam
peculii adminiſtrationem poſſit habere, ſi ei ſpecialiter con-
cedatur à domino, ut legitur *in d. l. Cùm Tuberonis*; cer-
tum eſt tamen Monachum non poſſe habere adminiſtra-
tionem ad libitum ſuum ex diſpenſatione Abbatis; imò
nec Papæ, ſecundum Abb. hìc *num. 4.* Quinimò nec ad-
miniſtrationem dependentem à Superiore, niſi ſit officia-
lis temporalis monaſterii: ut eſt text. hìc ſecundum com-
munem intellectum de quo infra *num. 39. & 42.* Ad hæc
ſervus ex permiſſione domini poteſt habere aliquid proprii
d. l. 4. de manum. At cùm Monacho non poteſt Abbas ſuper
proprietate diſpenſare, *d. cap. Cùm ad monaſterium, §. Ta-*
les de ſtat. Monach. Item ut ſervus nihil ſibi acquirat, jure ci-
vili ſtatutum eſt in favorem domini. Unde poteſt dominus
in hoc favori ſuo renuntiare, *d. l. Quam Tuberonis. & ex*
regul. l. Si quis in conſcribendo, C. de pact. nam & poſſet
eum in totum à ſervitute liberare, *l. 1. & toto titul. ff. de*
manum. cum duob. tit. ſeq. At abdicatio proprietatis, ad quam
Monachus ſe aſtrinxit voto ſolemni, eſt de jure naturali
divino, *c. Magnæ de vot.* ac propterea Abbas ſuper eo diſ-
penſare non poteſt, *d. §. Tales.* Sicut nec poteſt Monachum
etiam incorrigibilem à jugo Monaſticæ ſervitutis abſolve-
re, *c. fin. de regul.* ubi Abbas & Doctores, & idem Abbas *in*
cap. Quod à te, de cleric. conjug. Diſtrictior ergo quoad 23
hoc eſt ſervitus Monachalis, quàm ſæcularis, *cap. Multos*
54. diſtinct. Abbas *d. conſ. 88. in princ. verſ. Cenſetur enim*
lib. 1. & magis aſtrictus eſt monaſterio Religioſus, quam
ſervus domino, ut per eumdem Abbatem *in d. cap. Cùm ad*
monaſterium. Sed & Bartoli doctrina in d. authent. *Exci-* 24
pitur, vix defendi poteſt, & eam multum temperat Abbas
in d. §. Tales num 8. nam quotieſcumque legatur regulari
incapaci ſub modo illicito, non fit verborum impropriatio,
ſed legatum ipſum vitiatur. Caſus eſt *in cap. Exiit, qui ſe-*
minat, §. Ad hæc, quia Fratribus de verb. ſignif. in 6. Præte-
rea inquiro, an monaſterium non obſtante ea conditione
poſſit auferre Monacho legatario commoditatem, vel uſum
facti bonorum legatorum; an non poſſit Si dixeris poſſe ad
ſui libitum revocare; hoc eſt contra mentem teſtatoris,
qui noluit, ut quidquam acquireretur monaſterio, ſaltem
de facto, ſecundum Bartol. interpretationem: Si dixeris 25
non poſſe auferre: hoc eſt contra *cap. Abbates 18. q. 2. & d.*
cap. Cùm ad monaſterium, § Tales infra eodem, & Clem. 1.
verſ. Licèt Priores de ſuppl. negl. Præl. Quod adeò verum
eſt, ut ſi Abbas promiſerit Monacho ſuo dare ſingulis an-
nis certam penſionem, nihilominus poſſit ejuſmodi pro-
miſſionem revocare, niſi fuerit per Sedem Apoſtolicam
confirmata, ut per Jo. de Imol. Abb. & DD. *in cap. Niſi*
eſſent viri providi de præb. & per eumdem Abb. *in d. c. Cùm*
ad monaſterium num. 11. ubi infert, (ut ſi Abbas concedat
Priori obedientiario, ſeu mandatario, ut ad vitam teneat
Prioratum, ſeu adminiſtrationem ſibi conceſſam; poteſt
nihilominus revocare, quia non poteſt Abbas ſibi imponere
legem, nec venire contra diſpoſitionem illius §. *Tales*, quia
labefactaretur vis voti Obedientiæ, quod eſt unum de tribus
ſubſtantialibus regulæ: imò tenet revocatio, etiamſi Abbas
juraſſet non revocare, licèt incidat in perjurium, ſecundum
Jo. Andr. *in c. Non eſt obligatorium de regul. jur. in 6.*) Hæc
Abbas, qui addit ſe ita in quæſtione facti reſpondiſſe. Dicen-
dum eſt igitur eam conditionem tamquam turpem, & impoſ-
ſibilem aut vitiare legatum, aut haberi pro non adjecta, jux-
ta ea quæ notantur per gloſſ. & DD. *in cap. fin. de cond. appo-*
ſit. quod ultimum tenet idem Bart. *in l. Lucius, §. Tres hære-*
des, ff. ad Trebell.

Secundum fundamentum deducitur *ex cap. Religioſus* 26
de teſtam. in 6. quo textu primo loco motus Abbas *d.*
conſ. 44. Ad deciſionem lib. 2. conſuluit valere relictum fa-
ctum cuidam regulari diſtribuendum, prout ei videbitur,
& placebit, quia, inquit, bona non fuerunt ſimpliciter
relicta dicto Fratri tamquam proprietario, ſed per eum or-
dinanda, & diſtribuenda, ut ſibi videbitur, & placebit;
quo caſu valet relictum factum Monacho, cum cenſeatur
quodammodo adminiſtrator & diſtributor bonorum. Quod
ipſum tenuit Bald. *in l. fin. num. 9. & ſeq. C. de action. empt.*
Sed contrarium verius docuit idem Abb. hìc *num. 4.* nam
text. *in d. cap. Religioſus*, non lquitur de adminiſtratore
bonorum, ſed de nudo executore; non enim prohibetur
religioſus eſſe executor ultimæ voluntatis de ſui Superioris
licentia, ut ibi & in Clem. *Religioſis de teſtam.* ſed non
propterea dicitur habere bonorum adminiſtrationem, ſed
nudum miniſterium dumtaxat, nec poteſt ſibi aliquid com-
modi ex eo relicto percipere; nam ſi perciperet, jam non
eſſet executor, ſed legatarius, *l. Si quis Titio, ff. de leg. 2.* &
adnotarunt Bald. *conſ. 482. Quia dictus vocatus lib. 4.* Feder.
de Sen. *conſ. 56. Domine Franciſce, verſ. Secundò quæritur*

in

in princ. & Angel. *conſ.129. Bona dicti Teſtatoris, verſ. Quia igitur.*

28 Tertium fundamentum deſumitur *ex cap. Inſinuante*, cum ibi notatis per gloſſ. & Innoc. *Qui cler. vel vov.* quem textum dicit ad hoc irrefragabilem Navarr. *in cap. Non dicatis num.46. 12. q.1.* & ſingularem Abb. *in d. conſ.44. lib.2. num.3. & 4.* Cujus hæc ſunt verba: (Nam Abb. poteſt

29 Monacho dare licentiam plenè adminiſtrandi certa bona, *ut in d.cap. Religioſus, & in d.cap.Cùm ad monaſterium, & in text. hic*, & quod utrobique notatur. Probatur magis ſpecificè, & ſingulariter *in d. cap. Inſinuante*, juncta gloſſ. & in hac conceſſione non requiritur expreſſus conſenſus Superioris, ſed ſufficit tacitus. Et quia Superior ſic eum habere illam adminiſtrationem videt, & tacet, ut probatur in ſervo *in l. Quam Tuberonis, ff. de pecul. & in d. l. ff. de manum.* Satis ſentit Bartol. *in dict. auth. Excipitur*, ubi dixit ſufficere, quòd monaſterium patiatur conniventi-

30 bus oculis illum habere meliori modo quo poteſt.) Hæc Abb. Et taciturnitatem ſuperioris hoc caſu haberi pro conſenſu videtur etiam ſenſiſſe D. Thom. 2. 2. *qu.32. art.8. ad primum*, ubi ait: Monachus ſi habet diſpenſationem à Prælato commiſſam, poteſt eleemoſynas facere de rebus monaſterii, ſecundum quod ſibi eſt commiſſum: Si verò non habet diſpenſationem, quia nihil proprium habet, tunc non poteſt facere eleemoſynam ſine licentia, vel expreſsè habita, vel probabiliter præſumpta, & ſequitur Navarr. *in d. c. Non dicatis n.52.* poſt Turrecrem. *ibid. art. 8.*

31 Sed certè text. *in d. cap. Inſinuante*, nihil facit, quia tantùm declarat validam eſſe profeſſionem, quam fecit quædam mulier in manibus Fratris Ordinis S. Auguſtini, eo tenore adjecto, ut in domo propria cum omni ſubſtantia ſua remaneret. Unde ex eo textu ſolùm colligi poteſt profeſſionem non vitiari ex pacto reſervationis bonorum; ſed an ejuſmodi pactum validum ſit, vel potiùs tamquam turpe habeatur pro non adjecto, textus non declarat; & maxima eſt in hoc opinionum varietas, tam *in d.cap. Inſinuante*, quàm *in cap fin. de cond. appoſ. & in auth. Ingreſſi, C. de Sacroſ. Eccleſ.* ut per Navarr. *in d.cap. Non dicatis n. 46. 12. q.1.* Nec urget ponderatio ejuſdem Navarri, quòd cùm dicta mulier permittatur in domo propria permanere, ſicut *& in cap. de Viduis 27. q.1.* neceſſariò etiam ei permittatur ſubſtantiæ ſuæ adminiſtratio, ſine qua vivere non poſſet. Reſpondetur enim nullibi conſtare de hac permiſſione permanendi in domo propria, cùm prædicta jura hoc non dicant, & quatenus conſtaret, non tamen hinc liceret inferre, ut illi permiſſa eſſet adminiſtratio ſubſtantię ſuæ; quæ vitæ neceſſaria poſſent ei ſubminiſtrari à monaſterio, vel Ordine, cui bona per profeſſionem ſunt acquiſita, eaque ratio eſſet incunda, per quam illius neceſſitatibus conſultum eſſet, & religioſa paupertas non violaretur. Et quamvis gloſſ. *in verb. Ut in domo propria*, exponat verba illa, *In domo propria cum omni ſua ſubſtantia*, ideſt cum uſufructu ſubſtantiæ ante Monachatum, ut de uſufructu illarum rerum victum, & veſtitum haberet in vita ſua: tamen in hoc opinio gloſſ. non poſt ſalvari, quia regularis ſicut eſt incapax proprietatis, ita & uſufructus, vel uſus juris, Clement. *Exivi, §. proinde de verb. ſignif.* & Extravag. Joan. XXII. *Ad conditorem eod. tit.* & clarè deciditur à Concil. Trid. *in cap. 2. ſeſſ.25. de regul. verſ. Nec deinceps etiam ad uſumfructum, vel uſum.* Ratio eſt, quia dominium fructuum, quod habet uſufructuarius, opponitur eſſentialiter voto paupertatis, ut inferiùs dicetur *num 42. verſ. Ratio diverſitatis.* Et patet ex dictis *ſup. num 10.* Quòd ſi gloſſ. intelligat uſumfructum pro uſu facti, ut videtur declarare in fine, ſeu de uſufructu impropriè pro uſu, & commoditate, juxta text. *in l.1.* & ibi gloſſ. *in ver. Fructus, ff. ad Trebell. & in cap. Exiit, §. Ad hæc, verſ. Quorum uſumfructum ſcilicet ordinibus, vel fratribus ipſis licet habere de verb. ſignif. in 6.* gloſſ. rectè loquitur, quia Monachus ſicut & ſervus eſt capax hujuſmodi uſus, *ut in d.cap. Exiit, §. Inſuper, & d. Extrav. Ad conditorem*, Navarr. *in cap. Non dicatis num. 10. 12. q.1.* Sed hic uſus facti nihil habet commune cum adminiſtratione peculii, ut declarat Calder *conſ.2. de regul. verſ. Profeſſi poſſint.* Doctrina autem D. Thom. non obſtat, quia in primo membro dum dicit Monachum habentem diſpenſationem poſſe facere eleemoſynam, intelligi debet vel de Monacho Officiali, vel de eo qui habet præciſam commiſſionem ad diſtribuendum in pauperes, juxta text. *in cap. Religioſus de teſtam. in 6.* ut ſatis innuunt verba illa, *Poteſt eleemoſynas facere de rebus monaſterii, ſecundum quod ſibi eſt commiſſum.* Et ita etiam intelligendus eſt text. in Clem. 2. §. *Sed & tales de, vita & honeſt. Cleric.* Nam ibi religioſus habens adminiſtrationem ideò facit eleemoſynam de epithogio, ideſt, ut illic exponitur, tabardo foderato, quia per dictam 32 decretalem ei ſpecialiter committitur, ut illud det pauperibus. In ſecundo autem membro S. Thomas expreſsè loquitur de ſimplici Monacho, qui nullam habet adminiſtrationem, & hic poteſt nihilominus accipere aliquid de rebus monaſterii, & in eleemoſynam dare de licentia Abbatis expreſſa, vel probabiliter præſumpta, quod nihil habet commune cum caſu noſtro. Ad *c. de Viduis 27. q.1.* alio modo reſpondet Hoſt. hìc.

Quartum fundamentum ſumitur ex *cap. Cùm ad Monaſterium, §. Tales, infra eod.* quem textum allegat Abb. *in d. conſ.44. num.4. lib.2.* ad probandum poſſe Abbatem dare licentiam Monacho plenè adminiſtrandi certa bona. Et *in eodem cap. Cùm ad Monaſterium*, idem Abb. per illum text. determinat licitam eſſe conſtitutionem, vel conſuetu- 33 dinem, qua Religioſis certum quid annuum pro veſtitu traditur, quod etiam dixit in aliis locis à Decio relatis *in cap. Edoceri num.5. de reſcript.* Quod ipſum ante eum ſenſit Joan. Andr. *in cap. Non eſt obligatorium de reg. jur. in 6.* ubi ait valere ſtatutum juſta ſaltem de cauſa factum, ut Monaſterium præbeat ſolum victum Monialibus, & pro veſtitu habeant ea, quæ labore manuum ſuarum lucrantur; & 34 idem Joan. Andr. *in d. cap. Cùm ad Monaſterium col.4. in verb. Diſpenſare*, poſt Guil. Naſ. Doctorem antiquum: (Curia Romana, inquit, ſcit, & tolerat, quòd Regularibus taxetur aliquid pro veſtimentis, vel dentur ad id cer- 35 tæ penſiones. Unde & Reglares Capellani Papæ de ſervitiis ita recipiunt portionem, ſicut alii. Teſtari tamen de his non poſſunt, quaſi proprietarii.) Et infra (Et idem de Monialibus, quæ à Monaſterio habent ſolum victum, & à parentibus, vel de ſuo lucro habent indumenta; aliàs ſepelirentur in morte cum eis in ſterquilinio.) Hæc Jo. Andr. quem totidem verbis ſequuntur ibi Butr. *n.2.* & Abb. *num. 8.*

Sed certè, nec textus *in d. §. Tales*, videtur probare id, 36 ad quod eum allegant multi ex Doctoribus, ideſt licere ſimplici monacho de Abbatis licentia ad tempus habere peculii adminiſtrationem. Verba enim textus ſic ſe habent: *Tales autem ad agenda officia monaſterii deputentur, qui fideles fuerint, & diſcreti.* Et in hac prima parte certum eſt decretalem non loqui de ſimplici Monacho, ſed de officiali dumtaxat. Unde Joan. Andr. ibi, *col.3. in verb. Diſcreti*, exemplificat in Cellerario. Deinde immediatè ſubdit text. *Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò poſſidenda tamquam in ſua ſibi vita locetur, ſed cum opportuerit amoveri, ſine contradictione qualibet revocetur.* Et in hac ſecunda parte decretalis ſimiliter non eſt intelligenda de ſimplici Monacho, ſed de Officiali, ut Procuratore, Syndico, Cellerario, & ſimilibus, quorum ſuperiùs immediatè meminerat, prout illam intelligit Butr. *num.11.* dum exemplificat in adminiſtratore, qui non ſibi, ſed aliis poſſidet, juxta textum hìc, idque ſatis indicant verba illa, *Nec alicui*, ideſt alicui ex prædictis, ponderando particulam, *Nec*, quæ negat, & copulat præcedentia cum ſuis qualitatibus, *l. Quidam*, & ibi gloſſ. *pen. ff. de vulg. & l. Si* 37 *quis ſtipulatus, ff. de verbor. oblig.* Baldus *conſ.467. Caſus talis eſt, num.2. lib.5.* & de cujus natura eſt jungere, ſeu continuare, & negare, Angel. Aretin. *conſ.89. Pro deciſione num.7.* & Signorol. *conſ.208. Factum ſic ſe habet n.3. verſ. Præterea nec reſolvitur uſque in fin.* ubi ait, cenſeri repetita præcedentia in ſequentibus per dictionem, *Nec*, copulatis. Senſus igitur illius decretalis videtur eſſe hujuſmodi, videlicet: Procuratores vel alii officiales pro adminiſtratione bonorum monaſterii nullatenus conſtituantur perpetui, ne videantur eſſe quaſi conductores ad vitam, ſed ſint amovibiles ad nutum Abbatis; hoc enim importat verbum illud, *Obedientia*, quæ alio nomine hìc appellatur 38 injuncta adminiſtratio, & Jo. Andr. exponit, *Obedientia*, ideſt prioratus, vel certa adminiſtratio Eccleſiæ, & Butr. *num 6.* pro Prioratu Monachali, ex vi obedientiæ. Unde in hunc ſenſum textus ille concordat cum hoc capite, quod ſimiliter non habet locum niſi in Monachis officialibus, ut inferiùs dicetur; & cum Clement. 1. *de ſuppl. neglig. Præl.*

quæ

quæ ſimiliter loquitur in adminiſtratoribus Officialibus, ſeu Rectoribus, & in *verſ. Licet Priores*, nihilominus ſtatuit, ut adminiſtratores hujuſmodi liberè poſſint ad clauſtrum revocari, ubi gloſſ. *in verb. Cùm oportuerit*, pro concordant. allegat text. *in d. §. Tales*. Ad idem textus *in cap. Per tuas in fin. de Simon.* Prætereà *d. §. Tales*, non probat licere regularibus habere adminiſtrationem ad nutum, niſi à contrario ſenſu, nam ex eo quòd prohibeat adminiſtrationem ad vitam, à contrario ſenſu videtur inferri, ut illam permittat ad tempus. At hoc argumentum deſumi non poteſt ad correctionem hujus textus, quòd non permittit adminiſtrationem ad tempus, niſi officialibus monaſterii, ut mox dicemus. Ita declarat gloſ. *in c. Significaſti de for. compet.* & Gemin. *in cap. Cum Epiſcopus col. 3. verſ. Et ad textum allegatum in contrarium de offic. ordin. in 6.*

Ultimum ergo, & præcipuum fundamentum deducitur ex decreto Lateranenſis Concilii hìc relato, circa cujus tamen intellectum non conveniunt Doctores in illis ver-
39 bis: *Qui verò peculium habuerit, niſi ab Abbate fuerit ei pro injuncta adminiſtratione permiſſum, à communione*
40 *removeatur altaris*. Quidam enim arbitrati ſunt ex permiſſione Abbatis abſolutè licere etiam ſimplici Monacho habere adminiſtrationem bonorum ſtabilium, fundantes ſe in verbis illis, *Niſi ab Abbate, &c.* Quam opinionem ſecuti ſunt multi ex legiſtis in auth. *Ingreſſi, C. de Sacroſ. Eccleſ.* quos tacito nomine refert Joan. Andr. in loco inferiùs citando. Unde Rota *diverſ. deciſ. 772. num. 2. part. 1* dum decidit Prioratum Religionis S. Spiritus potuiſſe conferri in titulum Fratri prædicti Ordinis juxta litteras Pauli
41 II. & Sixti IV. (Non enim, inquit, repugnat voto paupertatis habere peculium ex permiſſu Superioris, c. 2. ubi Abb. *n. 4. de ſtat. Monach.* Silv. *in ver. Religio 6. num. 7. verſ. Sin autem*, quia cum hæc beneficia ſint ad nutum amovibilia, is qui ea obtinet eſt ſemper paratus dimittere, quando ſuperior voluerit, & ſic non repugnat voto paupertatis.) Et infra. (Et hinc eſt quòd Regulares poſſunt diſponere de fructibus beneficiorum ſæcularium, ut per Navarr. *in c. Non dicatis n. 42. 12. q. 1.* & in *Apolog. Mon. q. 80. n. 4. & 6.* poſt Card. *in Clem. 2. §. Sed & tales in 1. not. de vit. & honeſt. Cler. & in Clem. Gratiæ col. pen. ad fin. verſ. Quod interrogatus in q. facti de reſcript.* (Hactenus verba Deciſionis, cum quam videtur conſentire deciſio prima de pœnis in antiq. & idem in Monialibus repetit *dec. 217. n. 12. p. 2. diverſ.*

Nec quoad beneficia, quæ in titulum Regularibus conceduntur, videtur diſſentire S. Congr. Concilii: declaravit enim dignitates, & officia quæ dantur in titulum, non comprehendi decreto *c. 2. ſeſſ. 25. de reg.* quemadmodum nec olim comprehendebantur in decreto Conc. Lateran. de quo hìc, ut eſt text. in Clem. 1. *de ſuppl. neglig. Prælat.* quem ad hoc ponderat Navarr. *in conſ. 13. quæſitum eſt nu. 5. de ſtat. Monach.*

42 Sed profectò hic canon longè alium habet ſenſum. Nam illa verba, *Niſi ab Abbate fuerit ei pro injuncta adminiſtratione permiſſum*, hoc tantùm important, ut bonorum ſtabilium adminiſtrationem habere poſſint officiales monaſterii ad nutum amovibiles, atque ita explicarunt plures Claſſici Doctor. verba, (pro injuncta adminiſtratione.) Nam gloſſa in figuratione caſus: *Nota*, inquit, *concedi peculium ex cauſa adminiſtrationis*, quæ verba gloſſe ſic explicanda videntur: non enim dicit concedi in adminiſtrationem, ſed cauſa adminiſtrationis, nempè propter officium adminiſtrandi, quia officialis eſt conventus ſeu monaſterii, & Innoc. hìc exemplificat in officialibus, puta veſtiariis, vel eleemoſynariis, & eum ſequitur Abbas Antiq. *in princip. in verb. Adminiſtratione*, & fuſiùs Hoſt. dum dixit non comprehendi, niſi officiales pro adminiſtratione temporalium deputatos. Idem Jo. Andr. *in verſ. Niſi ab Abbate*, dicens, Monachum poſſe habere adminiſtrationem ex conceſſione Abbatis, ſi ejus adminiſtratio verſetur circa temporalia, ut quia eleemoſynarius, cellerarius, vel alius habens ſimile officium; ſecus autem eſſe, ſi ejus officium verſetur tantùm circa ſpiritualia, ut ſi ſit Prior clauſtralis, Sacriſta, vel quis alius audiens confeſſiones, vel tantùm vacans obſervantiæ regulæ; & ſequitur totidem verbis Anchar. *nu. 2.* Butrius idipſum affirmavit, inquiens, Non in utilitatem propriam habentes adminiſtrationem, ſed monaſterii. Et Cardin. *in §. Qui verò num. 1.* ubi ait; (Nota quòd Monachus poteſt habere peculium ex permiſſu Abbatis pro injuncta adminiſtratione, ut in textu; & expone, quia Abbas commiſit ſibi adminiſtrationem, ex qua regenda peculium habere liceat: aliàs enim non poſſet Abbas diſpenſare: & poteſt poni exemplum de adminiſtratione, ut quia Eleemoſynarius, Veſtiarius, vel Cellerarius, vel in alio officio, ex quo habet recipere, & in uſus monaſterii expendere, ſive ſit pecunia, ſive ſit aliud; & tunc potiùs ipſa adminiſtratio habet proprium, quàm ipſe Monachus. Secus ſi eſſet adminiſtratio, cujus ratione haberet tantùm circa ſpiritualia intendere, ut Prior clauſtralis, vel quivis alius audiens Confeſſiones; quia tunc non licet ex hac cauſa habere peculium. (Hæc Card. Idem Jo. de Anan. quidquid dicant alii DD. Ratio diverſitatis inter ſimplicem Monachum, & officialem temporalem monaſterii ea eſt, quia ſimplex Monachus habens adminiſtrationem bonorum ſtabilium cum facultate convertendi fructus in uſus licitos, verè, & in effectu dici poteſt uſufructuarius bonorum; nam cum poſſit de fructibus diſponere, dicitur habere jus utendi, & fruendi, & ſic uſumfructum, l. 1. *ff. de uſufr. l. 1. C. eod.* & utrobique gloſſa 1. *inſtit. eod. tit. in princ.* Nec refert quòd non poſſit de illis diſponere niſi in honeſtos uſus: nam nec clerici ſæculares poſſunt erogare fructus ſuperfluos beneficiorum ſuorum, niſi in uſus pios, ut dicemus infra *num. 59.* & tamen in vita dicuntur uſufructuarii, gloſſ. *in c. Præſenti in verb. Reſervati de offic. Ordin. libr. 6.* quàm à toto mundo allegari dicit Barb. *in c. fin. de pecul. cleric.* Et eſt communis opinio, ut teſtatur Calder. *conſ. 264. aliàs 2 de rebus Eccleſiæ non alienand.* Vel certè Monachus habens adminiſtrationem bonorum ſtabilium cum facultate fructus erogandi in uſus licitos dici poteſt uſusfructuarius qualificatus ad inſtar beneficiati ſecularis, ſecundum Præp. *in ſumm. 44. diſt. num. 4. verſ. Exindè uſus*, ut etiam dicemus infrà *prædicto num. 59. verſ. Et ſaltem ſi vera eſſet*. Et ſimiliter nihil refert quòd adminiſtratio poſſit eidem auferri ad nutum Abbatis; ſi quidem hoc non tollit, quin durante adminiſtratione habeat jus utendi, & fruendi. Undè propriè dici poteſt uſufructuarius ad beneplacitum, gloſ. 1. *in l. 4.* & gl. 1. *in l. Via, ff. de ſervit.* & gloſſ. 1. *& 2. in l. Cum uſusfructus ff. de uſufructu legato.* Quapropter titulus adminiſtrationis nihil eſt aliud, quàm palliamentum quoddam ad cohoneſtandum proprium; verè enim uſusfructuarius eſt dominus fructuum, *l. Arboribus, ff. de uſufruct. gloſſ. in l. Potior, §. penult. in verb. Utendi, ff. Qui potiores in pign. habeantur.* Ideòque Monachus eſt incapax uſusfructus non ſecus ac dominii, *Clem. Exivi, § Proindè de verb. ſignific.* & dictum eſt ſupra *n. 31.* At ſecus eſt in officiali monaſterii 43
quia is dicitur adminiſtrator in utilitatem monaſterii dumtaxat, nec poteſt de fructibus diſponere, ſed omnia acquirit, & lucratur monaſterio, quia omnis opera regularis eſt monaſterio debita, cui ſe cum omnibus ſuis per profeſſionem tradidit *cap. In præſentia de probat. auth. Ingreſſi, C. de Sacroſ. Eccleſ.* Navarr. *in c. Non dicatis n. 40. in fin. & n. 47. verſ. Quod proprium ſecundi generis 12. q. 1.* Rationem differentiæ implicitè aſſignat Butr. *in d. c. Cum ad monaſterium n. 11.* & Abb. hìc *n. 4.* Itaque Concilium Lateran. I. conſtituit hìc regulam negativam, ibi: *Nec peculium permittantur habere*; peculium, ideſt patrimonium, ut ibi per Anchar. & Jo. de Anan *in princ.* Deindè imponit pœnam contrafacientibus in illis verbis: *Qui verò peculium habuerit, à communione removeatur Altaris, & qui in extremis cum peculio inventus fuerit, & dignè non pœnituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter Fratres accipiat ſepulturam*. Tertiò limitat ſupradictam regulam, ut non procedat in officialibus, per dictionem illam, *Niſi*, quæ exceptionem importat, Feder. de Sen. *conſ. 80. Factum eſt tale nu. 2. verſ. Item non obſtat.* Exceptio autem infirmat regulam in contrarium in omnibus aliis, qui non ſunt officiales, *c. Nonne de præſumpt.* Bald. *conſ. 331. Caſus eſt talis. verſ. Super ſecundo ib. 1.* Ex quibus apparet hunc poſteriorè intellectum eſſe magis conſonum litteræ, ac menti Concilii Lateran. & probari etiam à gravioribus Canoniſtis, & conſequenter jure communi inſpecto, fas non eſſe regularibus non officialibus habere peculium, ſeu annuos proventus, vel adminiſtrationem bonorum ſtabilium etiam ex diſpenſatione Superiorum, & dependenter ab eorum voluntate, & nutu. Hæc de prima inſpectione.

Quoad ſecundam inſpectionem, quia ob varios Doctorum

rum intellectus ad hanc decretalem, & ad *c. Cum ad monaſterium infra eod.* res dubia videri poterat. Supervenit Concil. Tridentin. quod in *d. cap. 2. ſeſſ. 25. de Regul.* has omnes altercationes dirimit apertiſſima deciſione.

44 Primò enim diſponit, ut nemini Regularium tam virorum, quàm mulierem liceat bona immobilia, vel mobilia cujuſcumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquiſita, tamquam propria, aut etiam nomine conventus poſſidere, vel tenere; ſed ea ſtatim Superiori tradantur, conventique incorporentur. Ponderanda ſunt

45 ſingula verba, cùm nullum ſit poſitum abſque myſterio. Et quidem in illis verbis, *Tamquam propria*, Concilium prohibet proprium ſtrictè ſumptum reſpectu dominii, juxta text. *in c. Volumus* 18. *q.* 4. & notat gloſſ. *in l. Interdum, ff. de acquirend. poſſeſſ.* in quo concordat cum jure antiquo *in d. c. Non dicatis*, & aliis juribus relatis ſupra *num.* 10. in verbo autem, *Poſſidere*, prohibet poſſeſſionem, & uſum quatenus ſunt nomina juris, juxta text. *in l.* 1. cum ibi notatis per Bart. & DD. *& in l. Poſſeſſio quoque*, §. *Qui in aliena, ff. de acquirend. poſſeſſ. & in l. In noxa, ff. de noxal. cap. Ad hæc, & cap. Ut noſtrum de offic. Archid.* & notatur per gloſſam & DD. *in cap. Cùm noſtris, de conceſſ. præbend.* Demum in ver. *Tenere*, prohibet nudam detentionem, vel uſum facti, juxta *cap. De his* 30. *qu.* 1. *l. Stipulatio iſta*, §. *Hoc quoque de verb. oblig.* Felin. *in cap. Cauſam col.* 5. *in fin. de præſcript.* Tria ergo ibi prohibet Concilium, ideſt dominium, poſſeſſionem, & nudam detentionem bonorum tam mobilium, quàm immobilium. Pondera nunc illa verba, *Aut etiam nomine conventus*, quę irrefragabiliter convincunt Regularibus etiam nomine conventus, & ſic dependenter à Superiore prohibitam eſſe non ſolùm proprietatem, & poſſeſſionem, vel uſum ju-

46 ris, ſed etiam nudam detentionem, vel uſum facti. Nec alicui abſurdum videri debet, quòd hoc loco derogetur Regularibus uſus facti bonorum mobilium, contra text. in Clem. *Exivi*, §. *Proindè de verbor. ſignificat.* & Extravag. *Ad conditorem eod. tit.* & contra naturalem rationem, Calder. *conſ.* 2. *de Reg.* Siquidem Concil. antequam concedatur Regularibus uſus facti bonorum mobilium, ad eradicandum omnem affectum proprietatis præcipit, ut non ſolùm omnia Superiori tradantur, quod etiam ſtatutum fuerat in *d. c. Cum ad monaſterium*, ibi, *Totum incontinenti reſignet*, & ibi, *Sed Abbati, vel Priori, vel Cellerario aſſignetur:* ſed etiam ut conventui incorporentur. Et poſt hanc incorporationem tantùm *in fin. ejuſdem c.* 2. jubet, ut mobilium uſum Superiores permittant, nihilque, quod ſit neceſſarium, eis denegetur. Et in hoc Concil. addidit juri

47 antiquo, quatenus hanc incorporationem non requireret. Unde patet non eſſe ampliùs locum opinioni Hoſt. Jo. Andr. & Butr. *in c. Cum ad monaſterium inf. eod.* & Silveſt. *in ver. Religio* 6. *n.* 7. aſſerentium Monachum non eſſe proprietarium, quando de qualitate, & quantitate nil celat Abbati, nec ſine ipſius conſcientia aliquid recipit, vel expendit, paratus totum reddere, & dimittere ad juſſum Abbatis. Etenim cùm etiam tunc Hoſt. & Jo. Andr. hoc periculoſum & ſcandaloſum exiſtimarent, S. Synodus tutiorem partem amplexa, non fuit contenta, ut regularis nil celaret Abbati, & eſſet paratus dimittere, ſed ampliùs voluit ut omnia actualiter dimitterentur, traderenturque Superiori, & incorporarentur conventui. Addidit Clem. VIII. ut etiam confunderentur cum reliquis bonis monaſterii; quo communis inde victus, & veſtitus omnibus ſuppeditari poſſet, ut inferiùs patebit *n.* 71. Quapropter nec ampliùs admitti poteſt doctrina Bart. & aliorum, qui dixerunt legatum factum ſub conditione, ut nihil quæratur monaſterio ita eſſe intelligendum, ut nihil monaſterio acquiratur de facto, & quoad commoditatem; ſed permittendum ſit, ut Monachus habeat liberam legati adminiſtrationem, ut dixi ſupra *n.* 21. Jam enim conſtat omnia eſſe actualiter conſignanda, & ut ſupra confundenda pro com-

48 munibus neceſſitatibus. Deinde quia aliquibus videri poterat per ſupradictam Concilii diſpoſitionem non fuiſſe ſublatam adminaſtrationem ad nutum Superioris, de qua fit mentio in juribus præallegatis, & præcipuè hic & infra *in c. Cum ad monaſterium in Clem.* 2. §. *Sed tales de vit. & honeſt. de cler.* & ſæpè alibi. idcircò Conc. 2. loco diſponit, ut infra, videlicet: (Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere, etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commendam: adminiſtratio autem bonorum monaſteriorum, ſeu conventuum ſolos officiales eorumdem ad nutũ amovibiles pertineat.) Hoc loco Concilium expreſſè approbat intellectum gloſſ. Innoc Hoſt. Jo. Andr. & aliorum hic, ſecundùm quem diſponitur, ut adminiſtratio bonorum ſtabilium nulli Regularium permittatur, niſi officialibus monaſterii ad nutum amovibilibus, quod perinde eſt ac ſi dixiſſet, *Nullus Monachorum peculium permittatur habere, niſi fuerit ei pro injuncta adminiſtratione permiſſum*, quæ ſunt verba Concil. Lateranenſ. hic. Et ſtudioſè Patres uſi ſunt verbis illis, *Nec deinceps liceat, &c.* quæ ſunt apta importare tam juris novi editionem, quàm antiqui declarationem, juxta ea quæ notantur *in c. Cum tu de uſur. & in c.* 1. ubi in ſpecie Philipp. Prob. ad Jo. Monach. *de priv. lib.* 6. itaut proptereà ſit ſenſus: Sive ex præſcripto ſacrorum Canonum prohibitum eſſet Regularibus non officialibus habere adminiſtrationem bonorum ſtabilium, ſive id liceret, ſive res dubia eſſet: de cætero tamen id non liceat. Atque ita ſive Concilium innovaverit, ſeu declaraverit antiquam prohibitionem, ſive novam prohibitionem ediderit: utcumque res ſe habeat, verum eſt, adminiſtrationem hujuſmodi nonniſi officialibus monaſterii eſſe permiſſam. Valdè autem inepta 49

eſt illorum interpretatio, qui aſſerunt Concilium hoc loco non prohibere adminiſtrationem, quam habent Regulares dependenter à voluntate ſuorum Superiorum. Siquidem verba Concilii non diriguntur in ſubditos, ſed in Superiores tantùm, ibi: *Nec deinceps liceat Superioribus*. Unde cùm improbetur adminiſtratio illa, quæ conceditur à Superioribus; ſequitur evidenter, ut propriè improbetur adminiſtratio, quam habent Regulares dependenter à voluntate eorumdem Superiorum: nam ſi Superioribus non licet concedere alicui adminiſtrationem ſtabilium: ergo 50

non pendet ab eorum voluntate efficere adminiſtrationem licitam, vel illicitam; ſicut videmus uſum ſuperfluum bonorum mobilium non fieri licitum ex eo quòd Regularis dicat: Ego teneo immobilia ſuperflua dependenter à voluntate meorum Superiorum, & ad eorum nutum: quia Superiores non habent ſuper hoc diſpenſandi facultatem, ut per Calder. *conſ.* 2. *verſ. Ultra neceſſitatem de reg.* & nuper reſpondit S. Congr. Concilii à Generali Ord. Carmelitarum conſulta: cenſuit enim Regulares præter ſupellectilem, quæ ſtatui paupertatis Regularis convenit, non poſſe de licentia ſuorum Superiorum regularium alia bona mobilia ſuperflua, & dependenter a voluntate eorumdem Superiorum, & ad ſolum uſum proprium poſſidere, ſeu retinere. quod & multò antea declaraverat; nam cùm fuerit dubitatum, an diſpenſatione inferiorum à Summo Pontifice liceat Regularibus poſſidere, vel tenere agros, annuos redditus, aliaque bona immobilia, vel mobilia ſuperflua, non obſtante decreto *c.* 2. *ſeſſ.* 25. *de regul.* S. Congre- 51

gatio cenſuit non licere. Item conſulta, an propter talem diſpenſationem, ſeu licentiam Superiorum poſſidentes, vel tenentes immobilia, vel mobilia ſuperflua à culpa, vel à pœna excuſentur: reſpondit non excuſari neque à culpa, neque à pœna ipſo facto incurrenda. Item an Superioribus 52

aſſeverantibus hujuſmodi ſe licentias poſſe concedere, fides adhibenda ſit? S. Congregatio cenſuit non eſſe adhibendam. Prætereà Concilium Tridentinum inhærendo Concilio Lateranenſi, conſtituit primò regulam negativam in illis verbis: *Nec liceat Superiori bona ſtabilia alicui Regulari concedere in adminiſtrationem.* Deinde à prædicta Regula Concilium excipit tantùm officiales ad nutum, ibi, *Adminiſtratio autem ad ſolos officiales ad nutum amovibiles pertineat.* Si autem Concilium in dicta regula negativa non prohibuiſſet ſimplici Monacho adminiſtrationem ad nutum; regula non differret ab exceptione, quia eodem modo eſſet permiſſa adminiſtratio ad nutum ſimplici Monacho, atque officiali monaſterii, quod eſſet abſurdum; tum quia de natura exceptionis eſt, ut ſit contra regulam, eam vitiet in caſibus exceptis, *l. In his, l. Quòd verò, & l. Jus ſingulare, ff. de legib. lib.* 1. ubi gloſ. & DD. *ff. de regul. jur.* tum quia alias non congrueret illa dictio, *Autem*, quę eſt adverſativa præcedentium, Baldus *conſ.* 416. *Super eo quod num.* 4. *verſ. Pro hoc etiam fortius lib.* 3. & de cujus 53

natura eſt, ut in caſu contrario retineat idem thema præcedens. Unde ſi dicatur, Scholares legunt, Petrus autem currit intelligitur de Petro Scholare. Ita Bart. *in l. Maritus*, §. *fin.* per gloſ. ibi, *ff. de adult.* Alex. *conſ.* 117. *Viſo titulo n.* 17. *&* 18.

& 18. verſ. Non obſtat lib.6. & conſ.249. Perſpectis num. 5. *lib 6. & conſ.9. Attentis num.*4. *lib.*7. tum denique quia Concilium incongruè dixiſſet, Ad ſolos officiales, ſi tam officialibus, quam ſimplicibus Monachis permiſiſſet adminiſtrationem ad nutum Superiorum: nam dictio illa, *Ad ſolos*, eſt excluſiva aliorum omnium, qui officiales non ſunt, Bald. *conſ.* 331. *in quæſt. quæ vertitur numer.* 2. *lib.* 3. & ſpecialis hæc exceptio firmat regulam in contrarium in omnibus aliis caſibus non exceptis, *l. Nam quod liquide*, §. *fin. ff. de pœn. leg. vulg.* Cùm ergo Conſilium conſtituat manifeſtum differentiam inter hos duos caſus, & adminiſtrationem permittat ſolis officialibus ad nutum: hinc neceſſariò ſequitur, ut illam prohibeat cæteris omnibus non officialibus etiam ad nutum amovibilibus: facit reg. *l. Cum Prætor, ff. de judic. l. Maritus, Cod. de procur. c. Nonne de præſumpt. cum ſimil.* Et confirmatur, quia cùm in regula interdicatur adminiſtratio cuilibet regulari, & mox excipiatur ſola adminiſtratio, quæ conceditur officialibus ad nutum, hoc manifeſtè innuit hujuſmodi adminiſtrationem ad nutum etiam in regula fuiſſe comprehenſam, quia aliàs exceptio non eſſet de regula, & eſſet inepta, *ut in dict.* §. *fin.* & declarat *gloſ. in cap.* 1. *in ver. Vel extra de appellat. lib.6.* Lap. Gem. & DD. *in cap. Qui ad agendum*, §.1. *de Procur. eod lib.*

54 Et eodem modo nullatenus congruit alia Navarri interpretatio, quòd Concilium prohibeat tantùm adminiſtrationem tertiæ ſpeciei, id eſt quæ conceditur regulari diſponendi pro libito in quoſcumque uſus etiam profanos. Obſervandum eſt enim Concilium prohibere conceſſionem bonorum immobilium, etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commendam. Et quidem in verbis, Ad uſumfructum, interdixit adminiſ-

55 trationem illa, de qua Navarr. loquitur. Quiſquis enim habet adminiſtrationem cum facultate erogandi fructus in quoſcumque uſus pro libito ſuæ voluntatis, is propriè dicitur habere uſumfructum, licèt revocabiliter ad nutum, cùm habeat jus utendi, & fruendi rebus monaſterii ſalva rerum ſubſtantia, & tamquam dominus fructuum poſſit illos vendere, donare, &c. quamdiu ſuperior adminiſtrationem non revocaverit, ad not. *in l.* 1. *ff. de uſufr.* cùm aliis ſuperius allegatis *num.* 42. & declarat Sylveſt. *in ver. Religio 6. num.* 7. *verſ. Secundum ſi quid a Prælato.* Inquiro ergo; Si Concilium, ut putat Navarrus, tantùm ſuſtuliſſet hanc conceſſionem ad uſumfructum, quid aliud operentur ſequentia verba, *Vel uſum adminiſtrationem, aut commendam*? Dicendum eſt igitur, Concilium prohibuiſſe quamcumque ſpeciem adminiſtrationis, ne alioquin nugatoriè, & ſine ullo effectu in re graviſſima ea verba inculcaverit more Tabellionum in clauſulis generalibus, *ad cap. Si Papa de privil. in* 6. cùm præſertim illa poſuerit tamquam diverſa, ut conſtat ex dictionibus disjunctivis, *Vel Aut*, quæ tam verba, quàm ſenſus disjungunt, *gloſ. penult. in leg.*4. *Cod. de verb.*

56 *oblig.* Sed nec alius Navarri intellectus poteſt admitti, quòd *in dict.* §. *Nec deinceps*, non prohibeatur adminiſtratio, quæ conceditur regularibus ad uſus licitos, & ex juſta cauſa; ſiquidem cum Concilium prohibeat ge-

57 neraliter, & indefinitè adminiſtrationem bonorum immobilium, non eſt privati hominis illam reſtringere, ac limitare ad eam tantùm adminiſtrationem, quæ datur in uſus illicitos, & ex injuſta cauſa. Quin potiùs verbum, Adminiſtrationis, indefinitè prolatum, generaliter, & indefinitè eſt intelligendum, *cap. Si Romanorum* 19. *dist. cap. Quia circa infra de privil.* facit textus *in l. De pretio, ff. de Publician. in rem. act. & in leg. Non diſtinguemus, ff. de arbitr.* indefinita enim æquippollet univerſali, *d. cap. Quia circa*, etiam in odioſis, cùm ſit indefi-

58 nita legis, ut notat Bart. *in l.* 1. §. *Sed etſi num.* 3. *ff. de ventr. in poſſeſſ. mittend.* cùm præſertim indefinita Concilii *in dict.* §. *Nec deinceps*, ſit negativè concepta, *leg. Non eſt ſine liberis, ff. de verb. ſignificat.* Bald. *in Auth. Sed ſi quis num.* 6. *Cod. de ſecund. nupt.* Cravetta *conſ.* 809. *Plura excutienda num.*4. *verſ. Quinto potens.* Præterea ſi Concilium non prohibuiſſet niſi adminiſtrationem, quæ conceditur regularibus ad uſus illicitos, & ex caſa injuſta; ſequeretur, ut nulla eſſet differentia inter ſimplices Monachos, & officiales. Etenim nec officialibus poteſt concedi adminiſtratio fructuum bonorum monaſterii ad uſus illicitos, ſed in utilitatem monaſterii tantùm, ut declarant Butr. & Abbas hic. Sed conſequens eſt falſum, quia inter hos Concilium apertam differentiam conſtituit, ut oſtenſum eſt ſupra *num.* 52. *verſ. Præterea, & num.* 53 ergo & antecedens. Ac poſtremò adminiſtratio ad uſus illicitos, ut ad commeſſationes, ebrietates, & impudicitias, &c. nulli Eccleſiaſtico, imò nulli mortalium permiſſa eſt. Valdè autem abſurdum eſt prohibitionem à Concilio editam in ſpecie ad Regularium reformationem uſque adeò reſtringere, ut nihil aliud videatur Regularibus interdixiſſe, quam quod univerſis fidelibus etiam laicis reperitur à jure interdictum. Facit textus *in cap. Duo ſunt genera* 12. *quæſt.*1. ubi referuntur verba illa Hieronymi: *Aliud vero genus eſt Chriſtianorum, ut ſunt laici. His licet temporalia poſſidere, ſed nonniſi ad uſum.* Hæc ibi. Et ſaltem ſi vera eſſet Navarri interpretatio, ſequeretur hoc inconveniens, ut quoad facultatem diſponendi de redditibus Eccleſiaſticis nulla eſſet differentia inter Clericos ſæculares, & regulares. Certum eſt enim beneficiatos ſæculares non poſſe fructus ſuperfluos beneficiorum ſuorum inſumere in uſus profanos, ſed teneri eos pauperibus erogare, ſive præcepto juſtitiæ ſecundùm opinionem Archid. *in Summ.* 44. *diſt.* quæ communis eſt, ut teſtatur Major. *in* 4. *diſt.* 24. *quæſt.*17. ſive precepto charitatis, juxta ſententiam D. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 185. *art.* 2. *eo quodlib.* 6 *artic.*12. quam tuentur Præpoſ. *in Summ.* 44. *diſt.* à *num.* 2. Covarr. *in cap. Cum in officiis de teſtament num.* 3. & Sarnien. *de reddit. Eccleſiaſt. part.*2. *cap.*2. *& part.*4. *cap.*1. *&* 2. Et propterea Præpoſ. *ubi ſup. num.* 4. *verſ. Exinde uſus*, dixit beneficia obtienentes non eſſe ex toto uſufructuarios, quia non habent liberam facultatem, ſicut uſufructuarii meri; ſed eſſe uſufructuarios qualificatos, quia tenentur redditus ſuperfluos diſtribuere in alimoniam pauperum, & contrafacietes peccant mortaliter, quod conſtat *ex cap. Clericos, ap. Paſtor. & cap. ſ. q.* 1. *qu.*2. *ex c. Illi autem, ap. Epiſcopus il ſecondo, & cap. fi.* 12 *quæſt.*1. 59 *cum concord.* Et ex his tollitur etiam abſonus intellectus eorum, qui dicunt à Concilio *in d.* §. *Nec deinceps*, non prohiberi niſi adminiſtrationem, vel peculium ſuperfluum. Præſertim quia Concilium, ubi voluit prohibere ſuperflua, expreſſit, ut paulò inferiùs in eodem *c.*2. §. *Mobilium verò uſum.* Ergo eodem modo expreſſiſſet, in adminiſtratione, ſi ſuperflua tantùm prohibere voluiſſet *leg. un.* §. *Sin autem ad deficientis, Cod. de caduc. toll. & cap. Ad audientiam de decim.* Ad hæc *cum in d.* §. *Mobilium*, expreſsè prohibeatur uſus ſuperfluus bonorum mobilium, fruſtratorium fuiſſet in precedenti §. *Nec deinceps*, prohibere peculium ſuperfluum; quia per prohibitionem uſus ſuperflui mobilium, quod minus eſt, multò magis poterit cenſeri prohibitus uſus ſuperfluus peculii, quod magis eſt, *c. Cùm illorum*, ibi, [Cum majora intelligantur prohibita, quibus vetita ſunt minora,] *de ſent. excomm.*

Concludendum eſt igitur adminiſtrationem bonorum 60 ſtabilium, ſeu peculium ex nulla cauſa, & nullo caſu Regularibus eſſe permiſſam, officialibus dumtaxat exceptis. Facit decretum *cap.* 1. *ſeſſ.* 25. *de regul.* quo præcipitur, ut omnes Regulares tam viri, quàm mulieres ad regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum vitam inſtituant, & componant, & in primis ad obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis eſſentiam, necnon ad communem victum, & veſtitum pertinentia fideliter obſervent. Licèt hoc quoque decretum Navar. videatur evertere, dum affirmat ſubditos Regulares non arctari ad illius obſervantiam, niſi priùs monaſterium, vel Religio ipſa à Superioribus inſtituatur, ac reformetur. Quod certè vim infert litteræ illius decreti, & mentem Concilii deſtruit, quod non præcipit Prælatis, & Superioribus tantùm, ut reforment, ſed Regularibus omnibus, ut ipſimet ad præſcriptum regulæ vitam inſtituant.

Hæc omnia multò clariora apparebunt ex declarationibus ſæpiùs editis à S. Congreg. Concilii in caſibus contingentibus: nam in cauſa Panormitana cùm quædam Monialis præter dotem monaſterio tributam ſibi reſervaſſet ſcuta quinquaginta annua pro ſuis neceſſitatibus, atque indigentiis, petiit ſibi fieri facultatem illa erogandi in uſus prædictos: S. Congreg. cenſuit hanc pecuniam annuam non obſtante reſervatione jam quæſitam eſſe 61

mona-

monaſterio; ideòque deferendam eſſe rectà ad manus Abbatiſſæ, quæ primum proſpiciat neceſſitatibus monialis oratricis, & quod reliquum fuerit, in uſus totius mo-
62 naſterii convertat. Prætereà in cauſa Neapolitana propoſitum fuit S. Congregationi dubium ut infra conceptum. In aliquibus monaſteriis nonnullæ Moniales cenſus, & annuos quoſdam redditus, & proventus, ſeu fructus percipiunt ſub diverſis contractuum ſpeciebus: nam aliquæ in ipſarum perſona emerunt certos redditus à perſonis laicis: aliquæ ab aliis Monialibus, aliquæ ab ipſis monaſteriis: aliæ verò dederunt pecuniam monaſterio, ut ex earum pecuniis fieret emptio nomine monaſterii ad rationem ſeptem, vel octo, pro centenario, & Abbatiſſæ dabant ipſis Monialibus illos redditus, quos ex dictis emptionibus exigebant ſingulis annis. Aliquæ monaſteriis, ſeu eorum Superioribus certas pecuniarum ſummas manualiter pro indigentiis monaſterii dederunt pacto adjecto, vel etiam tacita conventione adhibita, ut monaſterium, ſeu Abbatiſſa certos redditus ad rationem tot pro centenario eorum vita durante concedat. Quæritur, an Moniales prædictæ in hujuſmodi caſibus incurrant in pœnas per Concilium Tridentinum *ſeſſ.25. cap.2. de regular.* in proprietarios inflictas, etiamſi de licentia Abbatiſſæ, & ad Abbatiſſæ nutum, vel conventus, ſeu monaſterii nomine percipiant: Sac. Congregatio cenſuit in nullo ſupradictorum caſuum licere Moniales dictos fructus, ſeu redditus percipere, & ſi perceperint, incidere in pœnas *d. cap.2. ſeſſ.25. de regul.* Neque ab hujuſmodi pœnis excuſari ob licentiam Abbatiſſæ, quæ eam d. Concilii decreto in ſupradictis caſibus concedere quidem prohibetur, ſed debet ex ſuo munere ex monaſterii redditibus, vel eleemoſynis Monialium neceſſitatibus in dies ſubvenire. Ex quibus declarationibus apparet non eſſe amplius locum opinioni Jo. Andr. *in reg. Non eſt obligatorium*, Calder. *conſ.2. de regul.* & Abbas *conſ.88. part.1.* exiſtimantium licere profeſſo de licentia Superioris Prælati accipere aliquam annualem proviſionem à conventu, vel à provincia, puta ſcutorum decem, ut exemplificat Jo. Andr. vel quinquaginta, ut inquiunt Calder. & Abb. perſolvendam pro veſtibus, & aliis perſonalibus neceſſitatibus.

Item nec opinioni Navarri *in d. cap. Nullam num.25. 18. q.2.* aſſerentis licere Canonicis regularibus Hiſpaniarum accipere annuatim à monaſteriis portiones illas, quas vocant privilegiatas: nam quidquid eſſet de jure communi, jam poſt Concilium conſtat non licere Superioribus ejuſmodi annuas proviſiones cuiquam aſſignare, aut perſolvere, ſed debere eos in dies, & pro re nata ſingulorum neceſſitatibus proſpicere; præſertim verò quia etiam in terminis juris communis contra Navarrum ſtat authoritas Innocent. *in cap. Dilectus il primo in fin. de præb.* ibi: *Niſi eſſent regulares; qui nec proprium poſſunt habere*, 12. *quæſt. 1. cap. Non dicatis*; & ideò nec portiones diſtinctas. Et quamvis Innoc. ſubdat, Alii contra; hoc tamen non tollit, quin prima dicatur ſua opinio, ut declarat Decius *in cap. 1. de conſtit. propè fin.* & Jaſon. *in l. Si idem cum eodem*, *§. fin. num.3. ff. de juriſdict. omn. judic.* Item contra eumdem Navarr. eſt authoritas Theodoreti, quem refert, & ſequitur Carthuſianus *opuſc. de reform. Clauſtr. toto art.13. 14. & 15.* Sed & vir graviſſimus Jo. Gerſon. *in libello edito contra proprietarios in prima parte*, itidem oppoſitum docuit viginti novem argumentis deſumptis ex regula S. Auguſtini; *& in ſecunda* circiter quindecim deſumptis ex ſacris litteris, & juris Pontificii decretis; licèt non ſatis conſtet, an hic libellus ſit tribuendus Gerſoni, ut legitur in
63 illius præfatione. Ad hæc cùm Archiepiſcopus Urbini retuliſſet S. Congregationi ſe non potuiſſe adducere Moniales cujuſdam monaſterii ad ſuſcipiendam exactam vitam communem; ideòque illis propoſuiſſe, ut fieret communis arca, cujus clavis penes Abbatiſſam exiſteret, & intùs eam aptarentur tot ſcriniola, quot eſſent Moniales, itaut unaquæque haberet claviculam ſcrinioli ſui, & in eo aſſervaret pecuniam ex laboritio, vel aliunde partam, quæ in ipſius tantùm, & non in alterius neceſſitates erogari deberet arbitrio Abbatiſſæ: Sacr. Congregatio hoc temperamentum ludicrum exiſtimavit, ac repugnans decreto dict. cap.2. quod jubet, ut omnia Superiori tradantur, Conventuique incorporentur; ideòque mandavit Archiepiſcopo, ut quamdiù Moniales communem vitam non ſuſciperent, interdicerent illis receptionem puellarum ad habitum, & profeſſionem. Et generaliter tam Sacr. Con- 64
gregatio Concilii, quàm Sacra Congregatio Epiſcoporum, ac Regularium hanc receptionem prohibuit in pluribus monaſteriis Monialium, in quibus ex relationibus Epiſcoporum intellexit communem vitam non ſervari. Imò cùm in ſpecie id prohibuiſſet in quodam monaſterio Lycienſi, & puella quæ in eo habitum novitiorum ſuſceperat ante prohibitionem S. Congregationis, iterùm, ac tertiò petiiſſet ſe ad profeſſionem admitti, offerens ſe communem vitam exactè obſervaturam, quin & redditus monaſterii pauperis aucturam: S. Congre- 65
gatio ſemper abnuit, periculoſum exiſtimans profiteri in monaſterio, in quo Moniales omnes erant proprietariæ. Plures quoque ordinationes ad vitam communem inſtituendam, conſervandamque fecit Congr. Regularium in decretis editis die 2. Julii 1589. pro reformatione Monialium civitatis Neapolis, & Salerni. Et quamvis inter 66
cætera fragilitati ſextus indulgendo diſpoſuerit, ut in monaſteriis, in quibus in eam uſque diem retinebantur proviſiones, & non omnia in commune conferebantur, concederetur licentia accipiendi aliquam ſubventionem pro religioſis neceſſitatibus de manibus Depoſitariæ, ſeu Abbatiſsæ, atque ad illius nutum, & quæ ſupereſſent Abbatiſſa erogare teneretur in communes uſus monaſterii; ac Ordinarii, ſive Superioris monaſterii quotannis exigerent rationem à Depoſitaria, & Abbatiſſa de hujuſmodi proviſionibus, & in eas tranſgredientes graviter animadverterent: nihilominùs poſteà facta relatione Clementi VIII. die 6. Maji 1600. Sanct. Sua addidit, ut Moniales tenerentur præſtationes omnes ipſis aſſignatas Superioribus fideliter notificare, & conſignare in certo libro notandas, & per communes officiales monaſterii exigendas, ad hoc ut in uſum ipſarum Monialium pro ſingularum religioſis neceſſitatibus de mandato Abbatiſsæ per miniſtros publicos, & communes monaſterii in totum, vel pro parte, ut opus eſſet, quotannis erogarentur.

Accedunt prædictis decreta Clementis VIII. edita ad 67
Regularium reformationem, quæ vel declarando Concilium Trident. vel illi addendo ad firmiorem obſervantiam, ſatis clarè ſuſtulerunt corruptelas, & opiniones initio relatas, in hæc verba: *Quo Tridentini Concilii de-* 68
creta de paupertatis voto cuſtodiendo fidelius obſerventur, præcipitur, ut nullus ex Fratribus etiamſi ſuperior ſit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, cenſus, eleemoſynas, ſive ex concionibus, ſive ex lectionibus, aut pro Miſſis tam in propria Eccleſia, quàm ubique celebrandis, aliove ipſorum juſto labore, & cauſa, & quocumque nomine acquiſita, etiamſi ſubſidia conſanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tamquam propria, aut etiam nomine conventus poſſidere poſſit; ſed ea omnia ſtatim Superiori tradantur, conventuique incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quo communis inde victus, & veſtitus omnibus ſuppeditari poſſit. Neque Superioribus quicumque illi ſint ullo pacto liceat eiſdem Fratribus, aut eorum alicui bona ſtabilia etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commendam etiam depoſiti, aut cuſtodiæ nomine concedere. Et infra: *Nulla quorumcumque Superiorum diſpenſatio, nulla licentia quantum ab bona immobilia, vel immobilia Fratres ex-* 69
cuſare poſſit, quominus culpæ, & pœnæ ab ejuſdem Concilii decretis impoſitæ, & ipſo facto incurrendæ obnoxii ſint, etiamſi Superiores aſſeverent hujuſmodi diſpenſationes, aut licentias concedere poſſe; quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus. Et paulò poſt: *Nullus ex Superioribus adminiſtrationem bonorum, ac aliarum rerum, diſpenſationemque pecuniarum, & redditaum ſui conventus etiam nomine conventus per ſeipſum habere, ſive exercere poſſit: ſed univerſum id onus tribus Fratribus ejuſdem conventus à Generali ita demandetur, ut unus rerum, & bonorum, redditumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat; alter tamquam depoſitarius pecunias, & cætera ab illo collecta, & exacta fideliter aſſervet; alius de pecuniis, & rebus à depoſitario acceptis Priori, & Fratribus, ac conventui univerſo de neceſſariis, mandante tamen ipſo Priore, non ſecundum proprium affectum, ſed juxta Charitatis, regulam, veluti bonus diſpenſator provideat;*

offi-

officiorum hujuſmodi confuſione penitùs interdicta.

His decretis explicantur ſingula verba Tridentini Concilii *c 2. ſeſſ. 25. de regular.* Nam quod Concilium in princ. illius text. generaliter ait: *Bona immobilia, vel mobilia, cujuſcumq; qualitatis fuerint;* Clemens magis ſpecifica expreſſione adjecit: *Aut pecuniam, proventus, cenſus, eleemoſynas, &c.* Quibus verbis ſatis clarè improbavit abuſum quarto loco relatum in themate quæſtion. Canonicorum Regularium, quibus annuæ portiones, ſeu proviſiones aſſignantur ex bonis monaſterii. Item quod Concilium dixit: *Quovis modo acquiſita;* Clemens explicat, ſive ex concionibus, ſive ex lectionibus, aut pro miſſis celebrandis, aliove ipſorum juſto labore, & cauſa, & quocumque nomine acquiſita, etiamſi ſubſidia conſanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerunt. Quibus verbis ſimiliter damnantur apertè primus, ſecundus, & tertius abuſus in themate relati illorum monaſteriorum, in quibus aſſignantur alicui Regulari annui redditus, ſive relicti à conſanguineis, ſive ſibi reſervati ante profeſſionem, ſive empti
70 ex pecuniis ex prædicationibus, vel aliunde quæſitis. Unde etiam patet ſublatam eſſe differentiam, quam nonnulli ex DD. *in cap. Cùm ad monaſterium infra eodem*, conſtituebant inter bona propria monaſterii, & bona quæ Regularis ſibi reſervat in actu profeſſionis, vel aliunde acquirit: hæc enim differentia nec jure probatur, cùm omnia illicò monaſterio acquirantur, adeò ut nec momento temporis poſſint penes Monachum conſiſtere, ut ſcripſit Abbas *hic n.8.* & declaravit S. Congregatio Concilii in ſupradicta cauſa
71 Panormitana. Item quod Concilium præcipit: [Sed ſtatim ea Superiori tradantur, conventuique incorporentur:] Clemens declarando de qua incorporatione ea verba ſint intelligenda explicat. [Atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis, & proventibus confundantur, quo communis inde victus, & veſtitus omnibus ſuppeditari poſſit.] Etenim ut Regulares omnem affectum proprietatis deponerent, voluit ut omnia ita confundarentur, ut ab eis diſcerni, ac ſeparari ampliùs non poſſent. Ex qua quidem confuſione eodem modo improbantur abuſus omnes initio propoſiti: jam enim conſtat nemini regularium aſſignari poſſe annuas portiones, ſeu redditus annuos: cùm omnia ita confundi debeant, ut vitæ neceſſaria communiter omnibus inde miniſtrari valeant. Atque ita ceſſant opiniones Doctorum, qui *in c. Edoceri de reſcr.* per illum textum ſcripſerunt poſſe Abbatem cum conſenſu Capituli dividere redditus Monaſterii, & ordinare, ut ſingulis Monachis detur certa quantitas pecuniæ pro veſtimentis, & aliis eorum neceſſitatibus, ut ibi per Decium *n.17.* & in deciſione bonorum monaſterii de Roncevale; latiſſimè per Navarr. in *d.*
72 *c. Nullam à n.8. 18. q.2.* Item dum Concilium diſponit, ut nemini Regularium liceat bona immobilia, vel mobilia tamquam propria, aùt etiam nomine conventus poſſidere, vel tenere; ne quiſpiam arbitrari poſſet ea verba eſſe intelligenda de bonis, quæ Regularis tenet ſine licentia Superioris; Clemens hanc difficultatem ſuſtulit, dicens: *Nulla quorumcumque Superiorum diſpenſatio, nulla licentia quantum ad bona immobilia, vel mobilia Fratres excuſare poſſit, quominus culpæ, & pœnæ ab ejuſdem Concilii decreti impoſitæ, & ipſo facto incurrendæ obnoxii ſint etiamſi ſuperiores aſſeverent ſe illas concedere poſſe.* Et his verbis ſimiliter improbantur opiniones illorum, qui aſſerunt Regulares excuſari à proprietate, cum habent peculium de licentia Superioris, & dependenter ab eorum voluntate, & nutu: jam enim patet non pendere à voluntate, & diſpenſatione Superiorum, quin omnia ſint confundenda cum cæteris bonis monaſterii pro communibus neceſſitatibus. Rurſus ubi Concilium *d. c.2. in §. Nec deinceps*, dixit: *Ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commendam;* Clemens addidit: *Etiam depoſiti, aut cuſtodiæ nomine:* ut intelligatur etiam adminiſtrationem illam, quæ datur concedentis gratia, ſeu in utilitatem monaſterii, eſſe prohibitam Regularibus non officialibus: ex natura enim depoſiti eſt, ut fiat gratia concedentis tantùm, ut notant Bart. & DD in *l. Quod Nerva ff. Depoſiti.* Ad hæc quod ibidem ſimpliciter ait Concilium. *Nec licet Superioribus bona ſtabilia alicui regulari concedere:* Clemens, ut omnes omninò comprehendat, expreſſiùs inquit, *Nec Superioribus, quicumque illi ſint, ullo pacto liceat eiſdem Fratribus, vel eorum alicui.* Ac demum 74
quod ait Concilium: *Adminiſtratio autem bonorum ad ſolos officiales pertineat;* Clemens in §. *Nullus*, declarat nomine officialium non intelligi Superiores locorum, ſed tres miniſtros dumtaxat, nempè Exactorem, Depoſitarium, & Diſpenſatorem. Quo loco Clemens expreſsè approbat opinionem Hoſtien. Jo. Andr. & aliorum hic, qui dixerunt adminiſtrationem bonorum Monaſterii poſſe demandari officialibus temporalibus tantùm, puta Eleemoſynario, Cellerario, & aliis hujuſmodi; non autem illis, quorum officium verſatur circa ſpiritualia, puta Priori Clauſtrali, vel Sacriſtæ, ut dixi ſupra *n.42.* Unde etiam ſublata eſt diſpoſitio *C. Edoceri de reſcript.* & aliorum jurium quatenùs diſponebant, ut adminiſtratio bonorum monaſterii ad Abbatem pertineret, ut ibi per Decium *n.17.* & per Navarr. in *d. c. Nullam à n.18. q.2.*

Neque verò hoc caſu, quod nonnunquam temerè fieri 75
ſolet, objici poteſt quòd decreta Clementis non ſint in uſu; ſiquidem omninò ceſſat hoc ſubterfugium, cùm decreta ipſa fuerint poſteà innovata à Paulò V item à Greg. XV. in *decretis de apoſtat. & eject.* & nuper à S. D.N. Urb. VIII. *in decretis de celeb. Miſſ.* explorati enim juris eſt, contra decreta Apoſtolica non uſum minimè ſuffragari, niſi ſit temporis annorum quadraginta cum ſcientia, & patientia Papæ, ut notat Præpoſ. in §. *Leges n.3. 4 diſt.* & ſæpiùs reſolvit Rota, ut patet *deciſ.197. n.3. & 4. & deciſ.213. n.2. & deciſ.221. n. 4. part.1. & deciſ.387. n.6. part.3. recent.* Et adde quod ſcripſi in *c.1. à n.47. uſque in fin. de tregu. & pace.*

Concludendum eſt igitur, nemini prorſus Regularium tam virorum, quàm mulierum, cujuſcumque qualitatis & conditionis exiſtat, niſi ſit officialis, fas eſſe etiam nomine conventus habere annuos redditus, ſeu proviſiones annuas, vel bonorum ſtabilium adminiſtrationem, aut peculium, etiamſi illud non ſit ſuperfluum, ſed ad neceſſarios, honeſtos, & pios uſus, à Superiore ex quacumque cauſa conceſſum, & dependenter ab ejus voluntate, & nutu nec quemquam excuſari lethali culpa, & pœna proprietarii inflicta ex quavis conſuetudine monaſterii, vel religionis, aut ex varietate ſeu probabilitate opinionum, aut alio quovis prætextu, vel cauſa. Et religioſis tam Prælatis, quàm ſubditis cavendum eſſe ab hujuſmodi palliamentis, quia Deus non irridetur, *ad Galat. c.6. c. Erubeſcant 32. diſt. c. Humanæ 22. q.5. c. Tua nos de ſimon. & cap. In civitate de uſur.* Et eò magis quia S. Congregatio conſulta an liceat Regularibus interpretari decretum *cap.2. ſeſſ.25. de regul.* reſpondit non licere.

Ad dubium ut ſupra conceptum n.1. Sacra Congregatio 76
reſpondit negativè, videlicet in nullo ex ſuprascriptis caſibus licere regularibus utriuſque ſexus habere prædictos annuos redditus, ſeu proviſiones annuas, vel bonorum ſtabilium adminiſtrationem, ſeu peculium non ſuperfluum nomine conventus, ac de ſuorum Superiorum licentia, & dependenter ab eorum voluntate, ac nutu: alioquin non eſſe immunes à culpa, & pœna, de qua in *d. c.2. ſeſſ.25. de regul.*

D,E

DE STATU MONACHORUM.

Alexander III. Abbatibus & Conventibus Ciſtercien. Ordinis:

CAPUT III.

Recolentes, qualiter hæc ſancta plantatio, & infrà. Dolentes dicimus, quòd etſi non ab omnibus; neque in omnibus, à pleriſque tamen & in pluribus, ab illa ſancta inſtitutione dicitur declinatum, intantum, ut aliqui ex vobis primæ inſtitutionis obliti, contra ordinis veſtri regulam, villas, & Eccleſias, & Altari poſſident; fidelitates, & hominia benignè ſuſcipiunt, juſtitiarias, & tributarias tenent: & infrà. Ideòque precibus & monitis exhortamur, quatenùs domus illæ quæ à prima ſui origine in ipſo ordine ſunt fundatæ, & conſtitutis terminis ſint contentæ: & infrà. Si enim relictis originalibus ordinis inſtitutis, ad communia volueritis aliorum Monaſteriorum jura divertere, oportebit vos communi jure cenſeri; quia dignum eſt, ut qui ſimilem cum aliis vitam ſuſcipiunt, ſimilem ſentiant in legibus diſciplinam. Cæterùm domus illæ, quæ de aliis inſtitutionibus ad veſtrum ordinem ſe tranſtulerint, veſtris omninò ſe ſatagant uſibus conformare; & relictis poſſeſſionibus, vel etiam commutatis, quas inſtitutio veſtra non recipit, ſic ſe in omnibus religioni veſtræ coaptent, ut quemadmodum gaudent ſe in ſocietatem ordinis, & habitus idemnitatem aſſumptas, ſic etiam in paupertate ſæcularium rerum ſe lætentur veſtris inſtitutionibus conformatas.

SUMMARIUM.

1 *Domus religioſa aggregata Ciſtercienſibus eorum mores ſervare tenetur.*
2 *Monachi Ciſtercienſes tenentur regulam obſervare ſecundùm originalia inſtituta, & n.8.*
3 *Conſilio, & verbis hortatoriis parendum eſt, ſi materia ſit de præcepto.*
4 *Regulares utriuſque ſexus tenentur ad obſervantiam regulæ ſecundùm primævam inſtitutionem, circumſcriptis privilegiis Apoſtolicis, & n.8.*
5 *Prælati regulares poſſunt inducere reformationem juxta ipſorum inſtituta, ſi eorum monaſteria ſint relaxata, & regula collapſa, & ad illam omnes obligare, & n.ſeqq.*
6 *Regulares profitentur regulam, non conſuetudinem.*
7 *Papa poteſt religioſis etiam ſtrictiorem vitam indicere, quàm eorum regula exigat.*
8 *Item poteſt primævum rigorem regulæ mitigare.*
9 *Regulares in ſubſtantialibus regulæ tenentur ſe conformare cum originalibus inſtitutis, licèt religio ipſa à Superioribus non reformetur.*
10 *Et quæ ſint ſubſtantialia regulæ.*
11 *Domus religioſa poteſt ex toto ſe transferre ad religionem arctiorem alterius Ordinis.*
12 *Moniales Tertiariæ an poſſint collegialiter tranſire ad ſtrictiorem ordinem de licentia Provincialis Miniſtri, remanente eodem ſuperiorem & conventu.*
13 *Juramentum à Canonicis Inſularum præſtitum de non impedienda translatione eorum Eccleſia ad ordinem Ciſtercienſem valet in eorum præjudicium.*
14 *Hoſpitalari poſſunt in præjudicium ſuum ſe, & domum ſuam alteri religioſæ domui ſubjicere, & n.46. verſ. Ad tertium, & n.ſeq.*
15 *Regularium perſonæ totius conventus an poſſint ad ſtrictiorem ordinem ſe transferre licentia petita, licèt non obtenta, & n.17. 24. & ſeq.*
16 *Monaſterium unum poteſt alteri aggregari, & univi ordinaria authoritate.*
Contrarium, n.24. & ſeqq.
17 *Intellectus c. Licèt de regul. n.20. & 28.*
19 *Moniales de jure communi poſſunt ad ſtrictiorem religionem tranſire licentia petita, licèt non obtenta.*
19 *Et quid poſt Concilium Tridentinum, & Bullam S. Pii V. de clauſura Monialium, & n.48.*
20 *Spiritus Dei ubi eſt, ibi libertas.*
Declaratur, n.48. verſ. Ad confirmationem.
21 *Monialium tranſitus ab una ad aliud monaſterium in quibus caſibus permittantur ex Bulla Urbani IV.*
22 *Bulla Urbani IV. ſuper tranſitu Monialium an ſit ſublata à Concilio Tridentino, & Conſtitutione S. Pii V. num.49.*
23 *Tranſlationem unius conventus ad alium fieri poſſe de licentia Ordinarii, qui Authores ſenſerint.*
24 *Intellectus c. un. de relig. domib. lib.6. n.32.*
25 *Argumentum de parte ad totum, vel de ſingulis ad univerſos, multoties vacat.*
26 *Collegio Judæorum, vel aliàs illicito legari non poteſt, ſingularibus perſonis ſecùs.*
27 *Appellatio generalis à quacumque gravamine non tenet.*
28 *Tranſitus ad ſtrictiorem religionem cur faciliùs permittatur ſingularibus perſonis, quàm conventui, vel ordini.*
29 *Unio omnium beneficiorum ſimplicium diœceſis facta ſeminario ab Epiſcopo non valet.*
30 *Rex alienare, ſeu donare non poteſt in præjudicium regni ſui, & contra Regis honorem.*
31 *Majores Eccleſiæ cauſæ ad Romanam Eccleſiam ſunt referendæ.*
32 *Concilium Lugdunenſe de tranſitu totius conventus, vel ordinis, an habeat locum in ordinibus non revocatis.*
33 *Religio una non poteſt ad aliam religionem etiam ſtrictiorem tranſire ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ, & n. ſeqq.*
34 *Religionem novam ſolus Papa poteſt approbare, ſeu confirmare.*
35 *Solemnitas eadem quæ requiritur ad conſtructionem actus, requiritur ad illius deſtructionem.*
Epiſcopi, & Prælati regulares ſupprimere non poſſunt religionem à Sede Apoſtolica approbatam, ibid.
36 *Unio tranſlativa dicitur incorporatio, quæ æquiparatur alluvioni.*
37 *Cum aliquid prohibetur, cenſetur prohibitum omne id per quod pervenitur ad illud.*
38 *Monachus tranſlatus ad aliam religionem, nihil habet commune cum prima.*
39 *Regularis tranſlatus à religione Fratrum Minorum ad tertium Ordinem S. Franciſci, recuperat jus ſuccedendi in bonis ſibi poſt tranſlationem delatis.*
40 *Regulares ſubjiciuntur Superioribus illius religionis, ad quàm canonicè ſunt tranſlati.*
41 *Monaſterium fundationibus Epiſcopi, vel Prælati Regulares derogare non poſſunt.*
42 *Epiſcopi etiam pro una vice, & de patroni conſenſu diſpenſare nequeunt contra legem in fundatione beneficii.*
43 *Monaſterium venit beneficii appellatione.*
44 *Fratres S. Dominici, & Servorum mutare poſſunt ſuas Conſtitutiones, ſed non originalia inſtituta religionis.*
45 *Commutatio voluntatum fieri non poteſt ab inferiori à Principe, etiam in melius.*
46 *Legatum diſtribuendum in uſum pauperum applicari non poteſt presbytero pro Miſſis celebrandis.*
47 *Unio, ſeu aggregatio unius conventus quatenus fieri poſſit ſine*

ſine authoritate Papæ, non tamen fieri potest multorum Conventuum, vel omnium, & cur.

48 *Monialibus licentia ſe transferendi ad aliud Monaſterium quibus conditionibus concedatur.*

49 *Epiſcopus transferre non poteſt Monialem ab uno ad aliud Monaſterium ex cauſa furoris, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ.*

50 *Prælatus Regularis concedens licentiam Moniali tendenti ad epidemiam exeundi è Monaſterio, incidit in excommunicationem.*

51 *Monialis poſt Bullam S. Pii V. educi non poteſt ex uno Monaſterio, ut præfici poſſit in Abbatiſſam alterius.*

52 *Bulla S. Pii V. cur non ſuſtulerit facultatem reducendi Moniales ad Monaſteria intra urbes.*

53 *Regularis non cogitur invitus ad arctiorem Religionem tranſire, niſi propter demerita.*

54 *Monialibus an liceat egredi clauſura in caſu inevitabilis, & periculoſæ neceſſitatis.*

1 RECOLENTES. Monet Ciſtercienſes, ut ſevent regulam ſecundùm primævam inſtitutionem; hoc dicit primò: & domus Religioſa aggregata Ciſtercienſibus eorum mores ſervare tenetur; hoc dicit ſecundò. Dividitur in quatuor partes ſecundum Goffred. Hoſt. & Jo. Andr. In prima deciſione Ordo Ciſtercienſium ſecundum antiqua tempora multipliciter cōmendatur. In ſecunda conſideratis modernis temporibus reprehenditur, In tertia Monachi Ciſtercienſes, ut terminis ſuis antiquis contenti ſint, admonentur. In quarta qualiter domus, quæ Ciſtercienſibus ſe ſubjiciunt, ſe eiſdem conformare debeant, inſtruuntur. Secunda ibi, *Dolentes*. Tertia ibi, *Ideòque*. Quarta ibi, *Cæterum*.

2 Nota primò *in verſ. Ideoque*, Monachos Ciſtercienſes teneri regulam obſervare ſecundum originalia inſtituta: nam etſi textus utatur verbis hortatoriis, ibi, *Precibus, & monitis exhortamur*; tamen huic conſilio parendum eſt ſe-

3 cundum Hoſtien. *in ver. Exhortamur n.*8. & Cardin. *n.*4. & ſic verba hortatoria, cùm materia propter votum ſit de præcepto, non excludunt obligationem, *c. Rogo*, juncta gloſ. 11. *q.*3. *& c.*1. *de teſtib.* ubi gloſſ. *in ver. Hortamur*, exponit, id eſt, præcipimus. Ad idem text. *in cap. Ad aures*, & ibi optima gloſſ. *in ver. Conſilio de ætat. & qualitat.* & ſcripſi latiùs *in c.*1. *n.* 44. *de Conſtit.*

4 Quod autem hìc dicitur in ſpecie de ordine Ciſtercienſi, generaliter hodie ſtatutum eſt de omnibus Religionibus decreto Concilii Trid. *in c.*1. *ſeſſ.*25. *de Regular.* ubi diſertis verbis præcipitur, ut (omnes Regulares tam viri, quàm fœminæ ad regulæ quam profeſſi ſunt, præſcriptum, vitam inſtituant, & componant; atque in primis, quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, ac ſi quæ alia ſunt alicujus regulæ, & ordinis peculiaria vota, & præcepta, ad eorum reſpectivè eſſentiam, nec non ad communem victum, & veſtitum conſer-

5 vanda pertinentia fideliter obſervent.) Et quamvis controvertant Doctores, ſi reducatur Monaſterium ad primum rigorem regulæ, priſtinamque ſeveritatem inibi exiſtentes, an præcisè compellantur ſervare illam reformationem, & Oldrad. *conſ.*96. tenuerit non poſſe præcisè compelli: tamen contraria opinio eſt communis, quam tenet Innoc. *in c. Super eo, ſupra de regul.* & ibi Jo. Andr. Butr. Card. & Abbas. Idem Abb. plenè *in cap. Ad noſtram n.*4. & ibi latè Felin. *n.*4. *&* 5. Dec. *n.*5. *&* 6 & Prepoſ. *n.*9. *de appell.* Butr. *in c. Cùm cauſam n.*14. *&* 15. *de elect.* Alvarez Pelag. *de plant. Eccleſ.*

6 *lib.*2. *cap.*8. *col.*4 Pro qua eſt optimus textus *in d. c. Cùm cauſam in fin.* ut ibi dixi *in octavo notab.* poſt Butr. *d. n.*14. & Jo. de Anan. *nu.*4. Rationem aſſignat Abb. *in d. c. Ad noſtram*, quia per profeſſionem renuntiarunt propriæ voluntati, &, ut dicit Summa Aſten. *tit.*47. *de Regular. art.*3. *in* 7 *q.* profitentes profitentur regulam, non conſuetudinem, & proptereà ad regulæ obſervantiam compelli poſſunt. Eidem ſententiæ adhæſit Joan. Monach. *in c.*1. *n.*7. *de regular. lib.*6. & ibi latè Prob. *n.*14. *& ſeq.* qui teſtatur de communi, eamque uti veram, & communem amplexa eſt Rota *deciſ.*216. *par.*2. *diverſ. per tot.* & præſertim *n.*7. *& ſeqq.*

Demùm eamdem ſententiam probavit Sac. Congregatio Concilii; cenſuit enim poſſe Superiores Regularium inducere reformationem juxta ipſorum inſtituta, ſi eorum Monaſteria ſint relaxata & regula collapſa, & ad illam omnes

7 obligare, ut colligitur in fine *d. ca.*1. *ſeſſ.*25. *de regular.* Quæ multò clariùs procedunt in Summo Pontifice, qui poteſt Religioſis etiam ſtrictiorem vitam inducere, quàm eorum regula exigat, ut per DD. *in d. c. Super eo de regular. & c. Ad noſtram de appell.* Sicut Bonifacius VIII. indixit univerſis Monialibus clauſuram perpetuam, *ut in c. Periculoſo de ſtatu Regular. lib.*6. innovato a Concilio Trid. *in c.*5. *ſeſſ.*25. *de regul.* & S. Pius V. in Conſtitut. de Monialium clauſura, quæ incipit, *Decori*, ad eam clauſuræ legem adſtrinxit etiam Santimoniales illas, quæ ex fundatione Monaſterii ad eam non tenebantur; & Clemens VIII. *in Decretis de reformat. regular.* in pluribus eos reſtrinxit ultra præſcriptum regulæ. Quod factum eſt etiam in decretis S. Congreg. Concilii *de Regular. Apoſtat. & eject.* non ita pridem editis juſſu Sanctiſſimi D. N. Urbani VIII. Neque in his poſſunt Religioſi reſiſtere, quia ut formaliter dicit textus *in c. Si Religioſus de elect. lib.* 6. eorum arbitrium non ex ſua (cùm vel nolle non habeant) ſed ex illius, quem vice Dei ſupra caput ſuum poſuerunt, & cujus imperio ſe ſubjecerunt, voluntate dependet: concordat *c. Religioſus de Teſtamen. & c. fin. de Sepultur. eod. lib. & c. Non dicatis* 12. *q.*1.

Quemadmodum autem poteſt Sedes Apoſtolica arctiorem vitam indicere, ita & primævum rigorem regulæ, & 8
aſperitatem mitigare, ſicut Monachi Ciſtercienſes, de quibus loquitur hæc decretalis, ex indultis Apoſtolicis poſſunt habere caſtra, villas, molendina, poſſeſſiones, cenſus, juriſdictiones, & jura, ut refert Rodriq. *Quæſt. Regular. to* 3. *q.*75. *art.* 1. Sed circumſcriptis privilegiis Apoſtolicis, Religioſi omnes, ſaltem in ſubſtantialibus regulæ, tenentur ſe confor- 9
mare cū originalibus inſtitutis, licèt religio ipſa non reformetur, quidquid contra ſcripſerit Nav. *in d. c. Non dicatis.* Nam Concilium *in d. c.*1. *ſeſſ.*25. *de regular.* non dirigit verba in Superiores, quemadmodum fecit, quando voluit arctare illos tantùm, & non ſubditos, *ut in c* 8. 10. *&* 20. *ejuſdem ſeſſionis*, & ſæpè alibi: ſed loquitur de regularibus per dictionem illam univerſalem, *Omnes*, quæ neminem excludit, *c. Si Romanorum* 19. *diſt. l.*3. *ff. de off. Præſid.* eiſque præcipit, ut ad præſcriptum regulæ, quam profeſſi ſunt, vitam inſtituant: unde hoc decretum reſtringere ad Prælatos tantùm, nihil eſt aliud, quàm litteræ vim inferre, & mentem Concilii labefactare; cum præſertim ex ſententia S. Congregationis in his, quæ ſunt contra ſubſtantialia regulæ, Religioſi non excuſentur conſuetudine, quę potiùs corruptela dicenda eſt, ut dixi plenè *in c.*2. *ſupra eod* Quæ quidem ſubſtantia- 10
lia, ultra peculiaria cujuſque Religionis vota & precepta, de quibus *in d. c.*1. tandem ad tria vota caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ rediguntur, & hæc tria traditur Chriſtus indicaſſe adoleſcenti *Matth.*19. Vendere enim omnia paupertas eſt, ſequi Chriſtum obedientia, & caſtitas; non enim ſequitur qui non obedit; ſic non ſequitur qui non imitatur: unde & caſtitatem ſervare oportet, ſicut & ille ſervavit. Et cùm finis regularis vitę ſit contemplatio, quomodo fieri poterit, ut poſſit quis contemplari, & Evangelicam doctrinam amplecti ſine caſtitate? Quoniam ut legitur *Joan. Epiſt.*1. *c.*2. *Omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.*

Secundò nota ex illis verbis Decretalis: *Domus illæ, quæ de aliis inſtitutionibus ad veſtrum ordinem ſe tranſtulerint*, 11
Domum Religioſam poſſe ex toto ſe transferre ad Religionem arctiorem alterius Ordinis, ut hìc colligunt Ant. de Butr. *n.*4. Jo. de Anan. *eod. n.* & Abb. *n.*2. Cujus autem authoritate id fieri poſſit, aut debeat, & an ſufficiat licentia petita, licèt non obtenta, dicam plenè in ſequenti quæſtione.

Extant in Belgio plurima Sanctimonialium Monaſteria 12
vulgò Griſearum ſororum tertii Ordinis S. Franciſci nuncupata, quæ etſi in communi vivant, & tria Religionis eſſentialia vota emittant; clauſuram tamen non ſervant. Harum Monialium cura ferè communiter incumbit Miniſtris Provincialibus FF. Minorum S. Franciſci reſpectivè in ſuis Provinciis ſive regularis, ſive ſtrictioris obſervantiæ, qui ſeriò pro earum reformatione, & maximè clauſura laborant. Quod ut efficaciùs facere poſſint, aliqui dictorum Provincialium his Monialibus tranſitum ad alios ſtrictiores Ordines tam efficaciter ſuaſerunt, ut aliqui dictarum Monialium integri Conventus ſuum primævum inſtitutum deſerentes liberè amplexati ſint alios Ordines à diverſis fundatricibus fundatos, qui arctioris ſunt inſtituti, nempè Annuntiatarū, à B. Joanna Regina Galliæ, & Conceptionis B. Mariæ. Qui diverſi Ordines diverſum etiam habent vivendi modum, diverſum officium divinum, cùm priùs ad officium B. Mariæ tenerentur, nunc verò ad Romanum, denique

alia vota, & diverſum omninò à primo habitum, & aliam profeſſionem poſt noviriatus annum, remanente ſolo Superiore, & Conventu eodem.

QUÆRO, an Superiores Ordinis Minorum poſſint hujuſmodi tranſitum permittere ad aliam Religionem arctiorem, etiam non mutato Conventu, nec Superiore, & illam novam profeſſionem cum mutatione habitus, ſua propria, & ordinaria authoritate recipere: an verò ad id Summi Pontificis requiratur aſſenſus, cùm Monaſteria hujuſmodi piorum eleemoſynis fundata, & dotata fuerint pro Tertiariis S. Franciſci.

Et quidem poſſe Superiores Ordinis hunc tranſitum permittere ſua ordinaria authoritate videtur ſuaderi primò ex hac decretali, ibi: *Si enim relictis originalibus ordinis inſtitutis ad communia volueritis aliorum Monaſteriorum jura divertere*, & ibi. *Cæterùm domus illæ, quæ de aliis inſtitutionibus ad veſtrum ordinem ſe tranſtulerint*; nulla enim mentio hic fit de authoritate Apoſtolica, & verba illa, *Si volueritis*, & verba, *Se tranſtulerint*, potiùs inſinuant translationem pendere à libera voluntate Congregationis Monachorum.

Secundò, ad idem adducitur textus *in c. Cùm dilectus, ſup. de his quæ vi, met. cauſ.* ubi deciditur valere votum, & juramentum, quod præſtiterunt Canonici Inſularum, de non
13 impedienda translatione Eccleſię ipſorum ad Ordinem Ciſtercienſem, ubi gloſ. *in ver. Eccleſia*, notat hujuſmodi translationem fuiſſe validam quantum ad ipſos, licèt non quantùm ad Epiſcopum, cùm facta fuerit eo inconſulto, cui propterea nullum fit præjudicium, ſed habebit jura Epiſcopalia ſua ſicut conſuevit, *ut in c. Quia Monaſterium, de relig. dom.* & ſic ſecundùm gloſ. nullo reſpectu ad hanc translationem requiritur authoritas Papæ; & ita hunc textum ad hoc allegant ſimpliciter Butr. & Abb. ſupra citati *in 2 notab.*

Tertiò, idem ſuadetur *ex c. Inter dilectos de donat.* ubi
14 clarè deciditur poſſe Hoſpitalarios in præjudicium ſuum ſe & domum ſuam alteri Religioſæ domui ſubjicere, & donare: & dum in fine additur, nullum præjudicium hinc generari Diœceſano Epiſcopo, hoc indicat eo conſentiente ſubjectionem, & donationem valere in omnibus, nec opus eſſe authoritate Sedis Apoſtolicæ.

Quartò, idem probatur *in cap. Olim il primo, ſupra de re-*
15 *ſtit. ſpoliat.* ubi patet ſubjectionem, quam Fratres Humiliati de ſe, & ſuis fecerant magiſtro, & Fratribus militiæ Templi ſub conditione, *Si complaceret Epiſcopo*, fuiſſe validam; ubi Innoc. *n.4. in verb. Conditione*, dicit ſimpliciter prædictos Fratres Humiliatos benè poſſe ſe dare, ſeu transferre, cùm arctior ſit religio, allegat *c. Licèt, de Regular.* & ita in translatione perſonarum totius domus Religioſæ Innocentius videtur velle, ut ſufficiat licentia petita, licèt non obtenta. Quod apertiùs ibi tenet Hoſtien. *n.11.* dicens, benè licuiſſe Fratribus Humiliatis tranſire ad arctiorem, ſecundùm Innocen. idque verum eſſe quoad perſonas ſuas petita licentia, licèt non obtenta, juxta textum *in d. cap. Licet.* Regulam tamen, ut ipſe ait, in ipſo loco inſtitutam, vel habitum, vel ſtatum antiquum ejuſdem loci mutare, vel locum aliis ſubjicere ſine authoritate Epiſcopi non poſſunt, nec Epiſcopus debet talibus conſentire ſine conſilio Capituli ſui, *cap. 2. de ſuppl. neglig. Prælat.* cum concord. de quibus per eum; niſi hoc fieret Papa authorizante, arg. *cap. Fraternitati, de Cler. non reſid. c. Ad audientiam il ſecondo, de Eccleſ. ædific. & cap. Excommunicamus, §. Quia verò, de Hæret.* Ita Hoſt. quem totidem verbis ſequuntur ibid. Joan. Andr. *n.29.* Bellam. *n.20. verſ. Nono opponitur*, Butr. *nu.31.* Imola *n.7.* Anch. & Abb. *n.12.*

Quintò, adducitur textus *in c. Sicut unire, de exceſſ. Prælat.* ubi apparet unum Monaſterium poſſe alteri aggregari,
16 & uniri ordinaria authoritate; hac tamen diſtinctione. Nam aut Monaſterium ſubeſt Epiſcopo; & poteſt uniri Monaſterio, etiam alterius ordinis, authoritate Diœceſani, ut ibi clarè deciditur, de conſenſu tamen Capituli, & adhibitis ſolemnitatibus requiſitis in alienatione bonorum Eccleſię, ut per Calderin *conſ. 266. alias 4. de reb. Eccl. non alien.* Hoſt. *in c. 2. n. 2. in verb. Potius occaſione conceſſionis, de ſuppl. negl. Prælator.* Aut ſubeſt Superioribus Regularibus, & aggregari poteſt illorum authoritate, ut illic probatur à contrario ſenſu: nam propterea improbatur unio Prioratus facta à Prelato regulari inconſulto Diœceſano, quia Prioratus ille erat eidem Diœceſano ſubjectus: ergo ſi fuiſſet exemptus, potuiſſet fieri aggregatio ſine illius conſenſu, ut ibi notat gloſ. *in verb. In tua Diœceſi.*

Sextò, idem ſuadetur ex generali regula *c. Licèt de regul.* 17
nam ſi licet cuilibet Religioſo in ſingulari tranſire ad ordinem ſtrictiorem licentia petita, licèt non obtenta; cur non liceat omnibus? ſi uni, cur non decem? ſi decem, cur non toti Monaſterio? cùm idem juris eſſe debeat de toto quoad totum, ac de parte quoad partem, *l. Quæ, de tota*, & ibi gloſ. 1. Bart. & DD. *ff. de rei vendic.* Præſertim verò quia de Religioſis tranſeuntibus in plurali loquitur text. *in c. Cùm ſingula, §. Prohibemus, de præb. lib. 6.* & de virginibus in commu- 18
ni Concilium Triburienſe *c. 26.* in hęc verba: *Virgines Sacræ ſi pro lucra animæ ſuæ propter diſtrictiorem vitam ad aliud Monaſterium pergere diſpoſuerint, ibidemq; commanere decreverint, Sancta Synodus concedit*, refertur *in c. Vigines 20. q. 4.* & ita licere Monialibus ad arctiorem Religionem tranſire, tradit ibi gl. *in ver. Virgines*, ſentiens id eis licere licentia petita, licèt non obtenta, dum allegat text. *in d. c. Licèt.* Idem tenet gl. *in c. Unico in princ. in ver. Perpetua, de ſtatu Regular. lib. 6.* & ibi Anch. & Gemin. ambo *n.1.* Silveſt. *in ver. Religio 7. q. 16. in ſecundo dicto.* Socin. Sen. *conſ. 222 Præſens conſultatio per totum vol. 2.* Decian. *conſ. 20. & circumſcript a n. 13. vol. 1.* Quinimò prædictum can. Virgines, ho- 19
die non fuiſſe correctum per Concilium Tridentinum *in c. 5. ſeſſ. 25 de Regular.* ſicut ſecundum gl. prealleg. non fuit correctus *per d. c. unicum* à Concilio innovatum, imò nec fuiſſe correctum per Conſt. S. Pii V. ſuper clauſura Monialium, opinantur Navarr. *in c. Statuimus, 19. q. 3. in 4. notab. num. 48. & conſ. 5. nu. 3. verſ. Secundò quod non pridem, de ſtatu Monach.* Rodriq. *quæſt. Regular. tom. 3. q. 52. art. 6.* & Sanch. *in Decal. tom. 2. lib. 6. c. 7. ſub. nu. 6.*

Et confirmatur, quia facultas tranſeundi *in d. c. Licèt*, 20
fundatur in ea ratione, quòd ubi Spiritus Dei eſt, ibi libertas; & qui Spiritu Dei aguntur, non ſunt ſub lege, quia lex non eſt poſita juſto; & propterea Religioſus impediri non debet quin ad meliorem frugem tranſmigret, & ſanctioris vitæ propoſitum liberè adimpleat. Hæc autem ratio æquè viget in omnibus in communi, atque in ſingulis in particulari: ergo in utroque caſu idem jus ſtatuendum eſt, Clem. 2. *de Teſtib.* gloſſ. fin. *in cap. Nihil, de elect.*

Ultimò, pro hac parte affertur Conſtitutio Urbani IV. 21
ſuper inſtitutione ſecundæ regulę S. Clarę, edita 15 Kalend. Novemb. ejus Pontificatus anno tertio, quæ incipit, *Beata Clara*: & habetur in Bullario novo *to. 1. pag. 100.* ubi primò ſtatuitur, ut profitentes hanc regulam omni tempore vitæ ſuę clauſuram firmiter ſervare teneantur: & mox excipiuntur aliqui caſus, quorum ultimus eſt: Niſi de mandato, aut authorit. Cardinalis, cui à Sede Apoſtolica generaliter fuerit iſte Ordo commiſſus, Monaſterio primo rationabili cauſa relicto totus Conventus ad Monaſterium aliud ſe transferret. Quę quidem facultas hodie competit Miniſtris Provincialibus, qui in locum Protectoris ſuffecti ſunt, ut habetur in monumentis Ord. FF. Minor. in ſecunda impreſſione *fol. 213.* & in Supplem. *fol. 72.* prout refert privilegiorum Collector in Compendio in verb. *Clauſura Monialium*, §. 5. Et eamdem facultatem non fuiſſe ſublatam à Conc. Trid. 22
in d. c. 5. ſeſſ. 25. aut Conſtitutione S. Pii V. ſuper clauſura Monialium, quæ incipit, *Decori*, edita Kal. Febr. 1569 tradit noviſſimè Frater Ludov. Miranda *in Manuali Prælat. to. 1. in tract. de Monial. q. 3. art. 3. verſ. Quantum verò attinet ad ſextum*: eò quòd hic caſus concernat bonum, & utilitatem totius Monaſterii, ſive Communitatis; quin verò & quandoque pertinere poſſit ad utilitatem totius religionis, ut Monaſteria ex uno in alium locum transferantur. Quam ob cauſam Conc. Trid. *in d. c. 5* præcipit, ut ſanctimonialium Monaſteria extra mænia urbis, vel oppidi conſtituta, ab Epiſcopo, & aliis Superioribus, ſi ita videbitur expedire, ad nova, vel antiqua Monaſteria intra urbes vel oppida frequentia reducantur.

Quare hanc opinionem, videlicet poſſe integrum Con- 23
ventum, ſeu domum Religioſam ex toto ſe transferre ad arctiorem Ordinem authoritate Ordinarii, tenet in puncto Feder. de Senis *conſ. 29. Quidam volens n. 1. verſ. Plus dico*, ubi conſuluit, ſi ſint duo Monaſteria, in quorum altero Moniales ex aliqua cauſa non poſſent honeſtè vivere, aut ſine penuria, debere Prelatum utriuſq; Monaſterii Moniales ex illo educere ad aliud Monaſterium, ubi poſſint vitam honeſtam ducere, & abſque penuria, utrumque Monaſterium ad tempus, vel in perpetuum uniendo: & loquitur in terminis Monialium S. Claræ, & Provincialis Miniſtri. Idem tenet Gui-

Guidopapa *conſ.* 134. *num.* 4. *verſ. Secundò præmitto*, Abb. hìc *num.* 2. dicens domum Religioſam poſſe ex toto ſe transferre ad religionem arctiorem [alterius Ordinis, authoritate tamen Superioris interveniente, puta Epiſcopi, *per ca. Sicut unire de exceſſ. Prælator.* Qui tamen textus loquitur de unione duorum Monaſteriorum. Sed ubi non fieret tranſitus cum unione, ſed Religioſi omnes alicujus Conventus vellent ſe transferre ad arctiorem Ordinem, tunc Superioris authoritatem non requiri, ſed ſufficere licentiam petitam, licèt non obtentam, docent Hoſtien. Joan. Andr. & omnes *in cap. Olim il primo, de reſtit. ſpoliat.* quos retulimus ſupra *n.* 15. & eſt de mente gloſſ. *in cap. Inter dilectos, in ver. Adjudicare, de donat.* & Joan. de Anan. hìc *in ultimo notab.* dum ait unam Eccleſiam etiam alterius religionis, & habitus, poſſe cum Clericis ſuis ſe transferre ad regulam ſtrictiorem, ſicut etiam perſona, *in cap. Licèt de Regul.* & ſimpliciter ſufficere licentiam petitam, ex recentioribus tenent Gregorius Lopez *l. 9. in verb. Religioſos tit. 7. part. 1.* Rodrig. *quæſt. regul. tom.* 3. *q.* 52. *art.* 6. ubi allegat Franciſcum Marc. *q.* 965. *aliàs eſt* 963. *num.* 4. *part.* 1. & ſequitur Thom. Sanch licèt prædicta non alleget, *in Decalogo lib. 6. cap. 7. nu.* 7. Unde hanc ſententiam videntur amplecti antiqui, & moderni Doctores.

24 Verùm etſi hæc valdè urgere videantur, illis tamen non obſtantibus, exiſtimo ſecundum ea, quæ proponuntur in themate, hunc tranſitum fieri non poſſe ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ.

Moveor primò per textum *in cap. Unico*, §. *fin. de relig. domib. lib.* 6. ubi Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi ſic ſtatuit; *Ad hæc perſonis ordinum, ad quos conſtitutio præſens extenditur, tranſeundi ad reliquos ordines approbatos licentiam concedimus generalem, ita quòd nullus Ordo ad alium, vel Conventus ad Conventum ſe, ac loca ſua totaliter transferat Sedis ejuſdem ſuper hoc permiſſione ſpecialiter non obtenta.* Ecce igitur textum apertum, in quo tranſitus Conventus, vel ordinis ad aliam Religionem totaliter fieri non poteſt ſine licentia, & conſenſu Eccleſiæ Romanæ, unde

25 gloſſ. *in verb. Totaliter*: (Nota, inquit, non idem in toto quoad totum, quod in parte quoad partem: totus ergo ordo, vel Conventus ipſius Ordinis ad alium ordinem, vel Conventum ſe transferre non poterit,) ubi etiam notat Guilel. licere ſingulariter, quod non licet univerſaliter; ſimiliter Jo. Monach. ibi *n.* 9. notat permitti tranſitum ſpecialem, non generalem, & ſequitur Jo. Andr. *n.* 4. in gloſſ. ult. Gemin. *in* §. *Ad hæc, in princ.* ubi generaliter tradit faciliùs dari licentiam tranſeundi perſonæ ſingulari, quàm univerſitati: & ſic non ſemper idem juris eſſe de toto quoad totum, quod de parte quo ad partem.

26 Quod pluribus exemplis confirmari poteſt: nam videmus Collegio Judæorum, vel aliàs illicito legari non poſſe: & tamen ſingularibus perſonis Collegii licitè legatur, *l. Cùm Senatus, ff. de reb. dub. l. 1. C. de Judæis.* Quæ jura ad propoſitum noſtrum allegant Guiel. & Joan. Andr. *ubi ſupra.* Item generalis ratio caſuum fortuitorum non valet in judiciis; ſecus ſi ſpecialiter exprimantur, *l. Sed etſi quis*, §. *Quæſitum, ff. Si quis cantion.* ſecundùm Jo. Monach. Item valet

27 appellatio ſpecialis, ſi cauſa probabilis exprimatur, *c. Ut debitus, ſupra de appellat.* & tamen generaliter interpoſita ſuper omni cauſa, quæ aliquo tempore poſſet moveri, non tenet, *c. Inter cætera eod. tit.* ubi gloſ. *in ver. Appellationem*, pariter notat non valere, aut licere in genere quod valet, aut licet in ſpecie, & allegat concor. Alia jura ad hoc allegat Franciſ. Boattin. & poſt eum Jo. Andr. *loc. cit. c. Relatum il 2. de teſtam. cap. Ad audientiam, de cler. non reſid. & cap. Apoſtolicæ, de donat.* Argumentum igitur de parte ad totum, vel de ſpecie ad genus generaliter non procedit, ubi eſt dare rationem diverſitatis, ut per DD. *in l. Quæ de tota, ff. de rei vendicat.*

28 Et ex his tollitur fundamentum deſumptum *ex cap. Licèt de Regular. & ex cap. Virgines* 20. *q.* 4. quia illa jura loquuntur de ſingularibus perſonis tranſeuntibus, non de univerſa Congregatione, vel Ordine. Inter hæc autem magna viget ratio diverſitatis: nam per translationem totalem univerſitatis, vel Ordinis decoloratur, vel annihilatur religio ipſa, quod non contingit per translationem ſingularium perſo-

29 narum. Et propterea in ſimili quamvis Epiſcopus poſſit unire unam, vel duas Eccleſias, *cap. Sicut unire, de exceſſ. Prælator.* non tamen unire poteſt omnes, quia ſic collationes, & jura ſuæ menſæ Epiſcopalis evacuaret prodigalitate quadam; ut Oldrad. inquit *conſ.* 262. *In quæſtione num.* 2 *verſ. Præterea dato.* Cujus ſententiam aliàs ſequuta eſt Sac. Congregatio Concilii: nam conſulta ab Epiſcopo Bellunen. an unio omnium beneficiorum ſimplicium diœceſis facta ſeminario ſit valida: reſpondit non eſſe validam. Et ob eam- 30 dem rationem quamvis Rex poſſit validè alienare, & donare, *cap. Abbate, de re judic. lib.* 6. Oldrad. *conſ.* 94. *Eleganter circa fin. num.* 23. *verſ. Sed quid in caſu præſenti*; tamen ſecus eſt, ſi alienatio regnum diminueret, aut graviter læderet dignitatem, textus eſt, qui de Rege Hungariæ loquitur, *in cap. Intellecto, de jurejur.* notat Bart. *in l. Prohibere*, §. *Plenè, ff. Quod vi aut clam.* Bald. *conſ.* 159. *Super eo num.* 3. *verſ. Et hæc vera ſunt, & nu.* 7. *verſ. Inſuper præſupponendum lib.* 3. Oldrad. *ubi ſupra*, & multò magis ſi alienatio evacuaret, vel annihilaret jura, & ſtatum regni, ut per Abb. qui loquitur in Rege Franciæ, *in conſ.* 3. Nitar. *col.* 18. *& ſeq. lib.* 2. & Paulus de Caſtro *conſ.* 70. *Quia fruſtra num.* 6. *verſ. Sed poſito lib.* 1. ubi de Rege Poloniæ. Quippè ex totali translatione Univerſitatis Conventus ſuppreſſi enormiter læduntur, ut per Feder. de Sen. *conſ.* 29. *Quidam volens nu.* 2. *verſ. Præſuppoſito*, & per translationem totius Ordinis religio ipſa evacuatur, & annihilatur: unde rei gravitas efficit, ut translatio hujuſmodi ſit Sedi Apoſtolicæ reſervata, *ut in d.* §. *Ad hæc.* Majores enim Ec- 31 cleſiæ cauſæ ad Romanam Eccleſiam ſunt referendæ, *cap. Majores. de Baptiſm. cap. Dudum* 3. *q.* 6. *& cap.* 1. *de translat. Epiſcoporum.*

32 Nec obſtat, quòd Boattinus relatus à Jo. Andr. *in d. cap. Unico num.* 4. dicat ibi eſſe caſuale, ut non poſſit tota domus Religioſa, quod poteſt pars illius, & Petr. de Anchar. *ibid. num.* 2 ſimiliter teneat illud eſſe ſpeciale in Ordinibus, qui in ſeipſis debent deficere, ſed in aliis Ordinibus poſſe totum Conventum ſe transferre ad arctiorem authoritate Epiſcopi cum Capituli conſenſu. Id inquam non obſtat, quia ut formaliter dicunt *in cap. 1. ſupra de Pact.* Hoſtien. *num.* 4. & Joan. Andr. *num.* 8. cum caſus ſpeciales non ſint recipiendi, niſi ratio ſpecialitatis reddatur, ut notatur *in cap. Si quando de reſcript.* reddant rationem ſpecialitatis de prædictis ſufficientem, & ſic eis adhæreamus: aliàs enim ad ſpecialitatem confugere, dicit eſſe refugium miſerorum, gloſſa magna circa princip. *in l. Filium quem habentem, Cod. famil. erciſcun.* Quam tamen rationem afferre non poſſunt, imò contrarium ſic oſtendo: nam ab Ordinibus, qui in ſeipſis debent deficere, licet tranſire etiam ad æqualem, vel laxiorem, quia text. *in d. cap. Unico*, §. *fin. de Relig. domib. lib.* 6. dicit, Licentiam concedimus generalem, & ibi hoc notant Archid. Joan. Andr. Gemin. & alii; & tamen hoc non licet in aliis Ordinibus, *cap. Licèt de Regular.* Concil. Tridentinum *c.* 19. *ſeſſ.* 25. *de Regul.* Et ſic faciliùs datur tranſitus à primò dictis Ordinibus, quàm ab aliis approbatis. Et ratio eſt manifeſta, quia de Ordinibus, qui debent deficere, Eccleſia non eſt ampliùs ſolicita, quin potiùs optat, ut ſuperſtites illorum reliquiæ quantocyùs extinguantur; & propterea concedit illorum perſonis liberam facultatem tranſeundi ad quamcumque Religionem ex approbatis, etiam minorem: ergo ſi in hujuſmodi ordinibus, à quibus tranſitus faciliùs permittitur, non poteſt integer ordo ad alium ordinem, vel Conventum ſe ac loca ſua totaliter transferre ſine Apoſtolica authoritate, ut ibi deciditur, longè minùs id facere poterunt alii ordines, vel Conventus: non enim intelligo, qua ratione perſonis ordinum revocatorum non liceat collegialiter ſe transferre ad alias Religiones ſine licentia Papæ, & tamen hoc liceat collegialiter perſonis aliorum ordinum non revocatorum, quibus quidem perſonis ſingulariter tranſitus difficiliùs permittitur: unde ex majoritate rationis, & à fortiori exiſtimo Canonem Concilii Lugdunenſis *in d.* §. *fi.* habere locum etiam in ordinibus non revocatis. Ad hoc *cap. Conſtitutionem de Regu. lib.* 6. ubi Conſtitutionem Innocentianam, quæ prohibet Converſorum profeſſionem recipi ante annum probationis elapſum, Alexand. IV. ad Fratrum Predicatorum, & Minorum Ordines declaravit extendi; & Bonifacius VIII. pari ſimilitudine rationis inductis declarationem eamdem ad aliorum Mendicantium Ordines prorogavit: ubi pondera Bonifacium non prorogaſſe Conſtitutionem, ſed declarationem ob rationis identitatem; ergo Conſtitutio, quæ de aliquibus ordinibus loquitur, habet locum etiam in aliis, in quibus viget eadem ratio. Quod tenet Petr. de Tuderto poſt *conſ.* 25. Federic. de Sen. cujus opinionis fuit etiam Lapus Abb. ad conſultationem Federici

in 8. reſponſione data Federico, in conſilio ejuſdem Federici 88.

33 Moveor ſecundò, quia ſi liceret conventui, vel Congregationi ex toto ſe transferre ad aliam religionem ſtrictiorem ſine licentia Summi Pontificis, utique idem liceret integro ordini, ſeu religioni: Non enim eſt dare rationem diverſitatis, cur liceat uni, duobus, vel pluribus conventibus, aut uni, vel pluribus Provinciis; & non liceat omnibus. Imò quoad beneplacitum Apoſtolicum translatio integri ordinis, & unius Conventus æquiparantur *in d. ca. ult. §. fin. de relig. domib. lib. 6.* Sed conſequens eſt falſum, quia integer ordo nullo caſu poteſt ſe ad alium ordinem transferre ſine authoritate Romani Pontificis: ergo & antecedens. Mi-
34 nor probatur, quia ſolùs Papa poteſt novum ordinem, ſeu religionem approbare, ſeu confirmare, *cap. Unico, de voto, lib. 6.* & ibi notat gloſſ. *in ver. Per Sedem Apoſtolicam, cap. fin. de relig. domib. & d. cap. unico*, ubi Franc. *n. 1. in 3. notab.*
35 *eodem tit. lib. 6.* Ergo ſolus Papa poteſt ordinem, ſeu religionem approbatam infirmare, vel ſupprimere; ſicut fecit Gregorius X. *in d. cap. Unico.* Nihil enim tam naturale eſt, quàm eo genere quodque diſſolvere, quo colligatum eſt, *l. Nihil tam naturale, & l. Ferè, la ſeconda, ff. de reg. jur.* Bald. *conſ. 28. Super eo, n. 1. verſ. Nam regula generalis eſt quod prout quodque producitur, ſic reſolvitur, lib. 3.* & Dominus par jus, & ſolvendi eſſe voluit, & ligandi, qui utrumque pari conditione permiſit, dicit textus *in cap. Verbum de pœnit. diſt. 1.* & eadem ſolemnitas quæ requiritur ad conſtructionem actus, requiritur ad illius deſtructionem, Roman. *conſ. 65. Viſo themate n. 2. verſ. Hoc enim, & conſ. 116. Viſis in princ.* Epiſcopi autem, & Prælati regulares poteſtatem non habent ſupprimendi religionem à Sede Apoſtolica approbatam, quia inferior jura Superioris infringere, ſeu relaxare non poteſt, *c. Inferior 21. diſt. cap. Cùm inferior de major. & obed.* Clem. *ne Romani, de elect.* & eſt expreſſum *in cap. Inſtitutionis 25. quæſt. 2.* ſecundum Archid. *in c. Licèt*
36 *Canon. n. 3. verſ. Et ibi aſſertivè dixit de elect. lib. 6.* Sed per hujuſmodi totalem translationem, & aggregationem ordo aggregatus remanet ſuppreſſus, & translatus in corpus, & naturam religionis, cui eſt aggregatus, ſeu incorporatus, ut colligitur ex hac decretali in *verſ. Si enim relictis*, ibi, *Communi jure cenſeri*, & clariùs ibi, *In ſocietatem ordinis, & habitus identitatem aſſumptas*, & tenet gloſ. *in verb. Coaptent*, Collectar. *verſ. Sed hic loquitur de adhærentia per modum aggregationis*, & Feder. de Sen. *conſ. 29. Quidam volens*, Calderin. *conſ. 275. verſ. Confirmatur, ratio aliàs 13. de reb. Eccleſ. non alien.* Unio enim translativa dicitur incorporatio, quæ æquiparatur alluvioni, ut dicit Angel. *conſ. 247. Punctus Papa univit*, ubi loquitur de unione Monaſterio S. Pontiani Monaſterii Montis Oliveti Lucanæ diœceſis Ergo
37 hæc translatio extinctiva, ſeu ſuppreſſiva religionis translatæ fieri non poteſt ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ. Et confirmatur, quia cùm aliquid prohibetur, cenſetur prohibitum omne id, per quod pervenitur ad illud, *l. Oratio, ff. de ſponſal.* Feder. de Sen. *conſ. 163. Super invocatione num. 4.* & hanc dicit eſſe regulam Signorol. *conſ. 160. n. 4.* & ideò prohibita electione prohibetur poſtulatio, quia per eam pervenitur ad electionem, quæ eſt illi conjuncta, *c. In cauſis de elect.* Abbas *conſ. 65. Ad deciſionem n. 3. verſ. Circa quartum lib. 2.* & interdicto matrimonio cenſentur interdicta ſponſalia, per quæ ad matrimonium pervenitur, *d. l. Oratio*, Abb. *ubi ſupra*, & prohibitus alienare, cenſetur prohibitus quoſcumque actus facere, quibus alienatio illa ſequi poſſet, Bald. *in l. Quoties, la prima n. 1. C. de fideicomm.* Sed per totalem translationem, & ſuppreſſionem Conventuum perveniri poteſt ad ſuppreſſionem totius religionis, vel ordinis, quod eſt prohibitum, ut oſtenſum eſt ſupra: ergo hæc totalis translatio, & ſuppreſſio itidem prohibita eſt.

38 Moveor tertiò, quia ſi poſſunt Moniales collegialiter tranſire ad arctiorem ordinem licentia petita, licèt non obtenta, hinc eſſet aperta via, qua Sanctimoniales omnes poſſent ſe eximere à juriſdictione Epiſcoporum, & ſe ſubjicere Superioribus Regularibus. Quandoquidem poſſent petere licentiam tranſeundi ab Ordinario, eoque licentiam denegante, liberè tranſire, juxta terminos *d. c. Licèt, de regul.* & per hanc translationem remanerent liberatæ à Superioritate Epiſcopi: hæc enim eſt natura translationis, ut Monachus translatus, nihil habeat commune cum prima Religione, à qua transfertur, ut conſtat ex Concilio Chalcedonenſi *in cap. Si quis jam translatus 21. quæſt. 2.* & definat eſſe filius primæ Religionis, ut inquit gloſſ. *in cap. Statutum, in ver. Reſtituat in fin. 18. q. 1.* Ob quam rationem S. Congregatio 39
aliàs declaravit Regularem ex indulto Apoſtolico à Religione Fratrum Minorum de Obſervantia ad tertium Ordinem S. Franciſci ex legitima cauſa translatum, recuperare jus ſuccedendi in bonis ſibi ex teſtamento, vel ab inteſtato poſt translationem delatis, & acquirere ſecundæ Religioni; 40
& ſic Congregatio Monialium poſt Canonicam translationem remaneret aggregata, & incorporata ſecundæ Religioni, ut dictum eſt in præcedenti argum. *nu. 36.* & conſequenter ſubjecta eſſet tantummodò Prælatis ſecundæ Religionis. Quod colligitur etiam ex hoc textu ibi: *Si enim relictis originalibus inſtitutis ad communia volueritis aliorum Monaſteriorum jura divertere, oportebit vos communi jure cenſeri.* Nec non ibi: *Domus illæ, quæ de aliis inſtitutionibus ad veſtrorum ordinem ſe tranſtulerint, veſtris omninò ſe ſatagant uſibus conformare; & ſic in omnibus Religioni veſtræ coaptent, ut quemadmodum gaudent ſe in ſocietatem Ordinis, & habitus identitatem aſſumptas, ſic etiam ſe lætentur veſtris inſtitutionibus conformatas.* Quæ quidem verba toties geminata, univerſalia, & prementia, neceſſariò ſupponunt Monachos translatos ſubjici debere ſuperiori Ordinis, cui per translationem uniti, & incorporati reperiuntur: cùm enim omnes ſint effecti unum corpus, non debent duplici jure cenſeri: ut dicit gloſſa *in ver. Communi jure*, per textum *in cap. Cognovimus, in fin. 12. quæſt. 2. & cap. Cum in tua, ſupra de decim.* Imò eſſet veluti monſtrum, ut unum Corpus ſubeſſet diverſis Capitibus, *c. Quoniam in pleriſque ſupra de offic. ordinar.* Præterquamquòd ſi à Monachis ſingularibus licet arguere ad univerſos, ut contendunt adverſarii; certè abſonum eſſet, ac ferè impoſſibile, ut ſingularis Monachus tranſiens ad Religionem ſtrictiorem juxta *d. c. Licèt*, non ſubeſſet Superioribus illius Religionis. Quomodo enim poſſet in practica obſervari, ut Religioſus ille in aliorum ſocietatem aſſumptus communem Superiorem non recognoſceret, cùm dignum ſit, ut qui ſimilem cum aliis vitam ſuſcipiunt, communem ſentiant in legibus diſciplinam, ut hic in text. Demum de translatis hoc eſt expreſſum in decreto Concilii Tridentini *c. 11. ſeſſ. 14.* ibi: *Ut in ordine ipſo, ad quem transfertur, ſub ſui Superioris obedientia in clauſtro perpetuò maneat.* Et per conſequens idem dicendum eſſet in Conventu, ſeu Congregatione Monialium poſt Canonicam translationem. Hoc autem eſſe inconveniens, ut Monialibus univerſis liberum ſit ſubtrahere ſe à cura, & regimine Epiſcoporum, & Regularibus ſe ſupponere, tam notum eſt, ut probatione non egeat: ergo inconveniens eſt etiam id ex quo ſequitur, nempè ut liberum ſit Congregationibus Monialium ad arctiorem ordinem tranſire licentia petita, licèt non obtenta.

Moveor ultimò, quia Monaſteria Monialium, de qui- 41
bus agitur, ex largitionibus fidelium ſupponuntur inſtituta, & fundata fuiſſe ſub regula tertii Ordinis S. Franciſci. Huic autem legi fundationis Epiſcopi, vel Prælati regulares derogare non poſſunt ſtatuendo, ut deinceps Monaſteria ſint ſub regula alterius ordinis, & ſub alia invocatione, ſeu titulo, & Moniales novum habitum induant, & aliam profeſſionem emittant diverſam à primæva inſtitutione: hæc enim fieri non poſſunt ſine commutatione voluntatum, quæ Sedi Apoſtolicæ tantùm eſt reſervata, ut in Clem. *Quia contingit, de relig. domib.* & ibi notat gloſ. *in verb. Sedis Apoſtolicæ*, & Abb. *num. 3. verſ. Solus Papa.* Idem probatur in decreto Concilii Tridentini *in cap. 6. ſeſſ. 22.* & de fundationibus eſt 42
expreſſum *in c. 5. ſeſſ. 25. de reformat.* ubi ſtatuitur, ut quando ex beneficiorum quorumcumque erectione, ſeu fundatione qualitates aliquæ requiruntur, ſeu certa illis onera ſunt injuncta, eis non derogetur. Super quo decreto S. Congregatio Concilii conſulta, an Epiſcopus pro una vice diſpenſare poſſit contra legem in fundatione beneficii, accedente Patronorum conſenſu, juxta tradita per Doctores *in c. Cùm acceſſiſſent de Conſt.* reſpondit non poſſe, & *d. cap. 5.* ſuſtuliſſe 43
facultatem, de qua per Doctores *in d. cap. Cùm acceſſiſſent.* Appellatione autem beneficiorum, cùm Concilium utatur dictione illa univerſali, *Quorumcumque*, quæ nihil excludit *cap. Solitæ, de major. & obedien.* & materia ſit favorabilis, *l. 1. C. de ſacroſ. Eccleſ.* etiam Monaſteria continentur, *cap. Cùm inter de re judic.* Calder. *conſ. 293. nu. 7. verſ. Item verba generalia, aliàs 1. de rer. permut.* Unde ſecundùm 44
Joan. Andr. *in cap. Sanè de regular. in Novell.* quem refert, & ſequitur Anchar. *conſ. 32. Præmittenda ſunt num. 1. verſ. Ul-*

Ulteriùs etiam premittendum eſt, quamvis Fratres Servorum,&S. Dominici,qui ſunt ſub regula S. Auguſtini,poſſint recedere ab illis Conſtitutionibus, quas ultra regulam induxerunt:non tamen recedere poſſunt à regula, & ab inſtitutis originalibus fundationis. Quinimò adeò illibatè cuſtodiri ſolet lex fundationis à Sede Apoſtolica,ut nec Concilium Tridentinum illi unquam derogaverit, niſi in duobus caſibus, in quibus pro Eccleſiarum Cathedralium, & Religionum reformatione neceſſarium fuit tollere privilegia,etiam in limine fundationis,nempè *in c.ult.ſeſſ.25.de regul.& in c.6 ſeſſ.25.de reform.* Privilegia enim hujuſmodi ſunt ex titulo oneroſo, & ex pacto,& conventione, quibus vix Summus Pontifex ſolet derogare,*c.Significatum*,& ibi dixi poſt Innoc.& Hoſt.& alios *ſupr.de præb.* Quamobrem cùm Monaſteria hęc in Belgio ab initio fuerint fundata ſub regula tertii Ordinis S. Franciſci,non intelligo,qua authoritate poſſit Provincialis Miniſter dictam fundationem immutare, & à primævis, & originalibus inſtitutis recedere derogando voluntati piorum fundatorum,qui fortè prædictam regulam elegerunt ob peculiarem affectum ſeu devotionem erga illam,vel ob aliam ſpecialem cauſam.

45 Nec refert, quòd mutatio fiat in melius tranſeundo à laxiori ad ſtrictiorem vitam: etenim nec in melius fieri poteſt commutatio voluntatis ſine authoritate Sedis Apoſtolicę,ut tradit Card. in d.Clem. *Quia contingit n. 11.de relig. domib.* ubi format hanc quæſtionem: Teſtator diſpoſuit, ut erigeretur Hoſpitale per executores in fundo ſuo, & dotaretur ad uſum pauperum; executores volunt authoritate Diœceſani facere Eccleſiam religioſorum;an poſſint?& refert Joan. Andr. cum quibuſdam aliis conſuluiſſe pro parte affirmativa hoc fundamento,quia qui melius, & magis facit,non facit aliud, ſed idem; plus autem eſt Eccleſiam religioſorum facere, quàm Hoſpitale. Facit *c. Scripturæ de voto, & c. Plus de reg. jur. lib. 6.* Contrarium tamen determinat ibi Card. per litteram d. Clem.& quia voluntas defuncti pro lege ſervanda eſt,*c. Ultima voluntas, 13. qu. 2. c. Tua de teſtam. cap. Cùm Marthæ de celebr. Miſſar.* nec plus hoc caſu continet minus,*c. Cui de non Sacerdotali, & cap. Cùm in illis de præbend. lib. 6.* & dicit in hoc reſidere Laud.& ad id,quod dicitur; Qui melius, & magis facit &c. reſpondet procedere, quando minus continetur ſub majori, prout loquitur *d. c. Scripturæ*, aliàs ſecus, ut per eum.

46 Idem tenet ibi Imol. *qu. 9.* Abb. *in c. Tua nos num. 4. ſupra de teſtam.* Rochus de Curte *in tract. de jur. patr. in verb. Conſtruxit num. 22. & 23.* Et ob hanc rationem panem in uſum pauperum diſtribuendum ex præſcripto teſtatoris non poſſe per inferiorem à Papa applicari Presbytero pro Miſſis celebrandis, licèt hoc ſit melius,fuit deciſum in Capella Tholoſana,ut *in dec 26.per c. Nos quidem de teſtam.* per d.Clem. *Quia contingit de relig. domib per §. Si quis ædificationem in authent. de Eccleſ. tit. collat. 9. per l. Si quis ad declinandam, §. penult. C. de Epiſc. & Cler.* In caſu autem propoſito tertius Ordo S. Franciſci, quod eſt minus, non continetur ſub ordine Annunciatarum, aut Conceptionis B. Mariæ,quod eſt plus;ſed ordines ſunt omninò diverſi,ut ſupponitur in themate.

Non obſtant contraria. Ad primum enim deſumptum ex hac decretali, reſpondetur textum non aperire, qua authoritate fuerit facta tranſlatio. Et ſupponendum eſt fuiſſe factam Canonicè,& ſic authoritate Sedis Apoſtolicæ,cùm aliàs non ſit Canonica, ut in ſuperioribus probatum eſt. Nec adverſantur verba, *Si volueritis*, & *ſe tranſtulerint*, quia non excludunt authoritatem Superioris, ſed ſolùm probant tranſitum fieri non poſſe ſine voluntate, & conſenſu tranſeuntium: nemo enim invitus cogitur ad arctiorem ordinem migrare, gloſſ. *in c. Geſta, in verb. Creſcere 74. diſt. gl. 2. in c. pen. 32. qu. 1.*

Ad ſecundum reſpondet gloſſ. *in fin.* in eodem *c. Cùm dilectus, de iis quæ vi, met. cauſ.* videlicet Canonicos ibi non ſubjeciſſe Eccleſiam Ordini Ciſtercienſi, ſed tantùm ſeipſos perſonaliter obligaſſe ad ſervandam illorum regulam. Benè autem potuerunt promittere non impedire tranſlationem Eccleſiæ ſuæ ad Ordinem Ciſtercienſem, faciendam ab illis, ad quos pertinet.

Ad tertium, quartum, & quintum reſpondetur hodie ſtandum eſſe diſpoſitioni Conc. Lugdunenſis *in d §. Adhæc* quo prohibetur tranſitus unius Conventus, vel Ordinis ſine authoritate Sedis Apoſtolicę,licèt jura antiqua viderentur hoc permittere Diœceſano; ut in contrariis. Præterea quatenus jura antiqua non ſint correcta per *d. c. Unicum*, ex notatis per gloſ. *in c. Conſtitutionum in verb. Prorogamus de regu. lib. 6.* tamen ſunt declaranda,ut non procedant, ubi agitur de commutatione voluntatis, ut in caſu præſenti. Hęc enim fieri non poteſt etiam in melius ſine authoritate Eccleſiæ Romanæ, ut oſtenſum eſt ſupra in ultimo fundamento pro hac parte. Ulteriùs jura antiqua intelligi poſ- 47
ſunt procedere in tranſlatione, ſeu aggregatione unius conventus tantùm, non autem multorum, vel omnium. Nam text. *in d. c. Inter dilectos*, expreſsè loquitur de Hoſpitalaris S. Allucii,qui hoſpitale ipſum ſuppoſuerunt Hoſpitalariis S. Sepulchri,*& c. olim. il 1. de reſtit. ſpol.* itidem loquitur de Fratribus Humilitatis Domus Calventię, qui ſe, & ſua ſubjecerunt Fratribus Militię Templi, *& c. Sicut unire, de exceſſ. Prælat.* de unione Monaſterii Grandenſis facta Monaſt. de Accato. Ab unione autem,&ſuppreſſione unius Monaſterii non licet inferre ad unionem,&ſuppreſſionem multorum,vel omnium, quia per ſuppreſſionem multorũ decoloratur, ſeu deformatur tota religio, quę per diſmembrationem ſcinditur, & enormiter lęditur; & per ſuppreſſionem omnium religio ipſa ex toto extinguitur, & annihilatur: quod inferioribus non permittitur ſine authoritate Summi Pontificis,ut probatum eſt ſupra *num. 28. & ſeqq.*

Ad ſextum, nempè *ad c. Licet de Regul. & c. Virgines, 20. qu. 4.* patet reſponſio ex dictis ſupra in primo fundamento
pro hac ſententia *n. 24. & ſeqq.* Præterea facultas, quam de 48
jure communi habebat Moniales tranſeundi ad ſtrictiorem religionem licentia petita, licèt non obtenta, juxta gloſſ. *in d. c. Virgines*, & alios ſupracitatos *n. 18.* ſublata fuit per Conſtitutionem S. Pii V. *Decori*, ſuper clauſura Monialium:quidquid perperam ſcripſerint in contrarium Navar. Rodrig.& Sanch. *cit. eod. n. 18.* contra quos tenet Azor. *to. 1. inſtit. moral. lib. 13. c. 8. q. 1.* & ita ſæpiùs declaravit S. Congregatio tam Concil. quàm Epiſcoporum,& Regularium, quæ etiam tranſeundi licentiam non concedit,niſi adjectis conditionibus infraſcriptis,videlicet: Dummodò Superiorum primi Monaſterii, & Monialium transferendarum accedat aſſenſus, & non anteà ab eodem Monaſterio Moniales egrediantur, quàm conſtet ſecundum paratum eſſe illas recipere,& in eo capitulariter, & per ſecreta ſuffragia recipiantur: ut dotem à cęteris Monialibus preſtari ſolitam perſolvant; ipſaque tranſlatio conſanguineis, gravibuſque matronis,& his deficientibus,aliis piis,honeſtiſque perſonis concomitantibus fiat, atque ab uno ad aliud Monaſterium abſque diverticulo rheda clauſa, vel ſaltem earumdem Monialium oris parte velata, & ea modeſtia, qua ſponſas Chriſti decet, rectà procedatur,nullibique pernoctetur, niſi hoſpitii cauſa apud honeſtas perſonas, vel ubi Monaſteria Monialium repererint, apud eaſdem Moniales,quas Ordinarii loci accedente licentia,benevolas invenerint receptrices; ac demum omnis eis ſpes ad primum Monaſterium redeundi preſenti decreto penitùs cenſeatur ablata. Et ita multoties vidi obſervatum. Aliquando etiam dictum fuit tranſlationem faciendam eſſe de conſenſu proximiorum conſanguineorum,id eſt parentum, fratrum, & ſororum Monialium transferendarum, ut in caſu Januen. die 13. Julii 1607. Ad confirmationem reſpondet ſingulariter Innocentius III. *in c. Niſi cum pridem*, §. *Verum, verſ. Sed dices; Spiritus ubi vult ſpirat*, ſupra eodem.

Ad ultimum reſpondetur Conſtitutionem Urbani IV. in 49
omnibus illis caſibus,in quibus indulget,ut Moniales tranſire poſſint ab uno ad aliud Monaſterium,fuiſſe abrogatam per poſteriorem Conſtitutionẽ S. Pii V. de clauſura Monialium; & ita ſępiùs fuit reſolutum: & in hoc d[illegible] Miranda, qui contrarium tenet; unde cùm eſſet ab Epiſcopo tranſlata Monialis à ſuo ad aliud Monaſteriũ,& in eo propter furorem manere nõ poſſet,nec Monialibus parere vellet,& conſangunei petiiſſent,ut eam domi expenſis Monaſterii retinere poſſent: S. Congr. Conc. cenſuit ſcribendum Epiſcopo non potuiſſe eum abſque Sedis Apoſtolicę [illegible]entia illam transferre ad aliud Monaſterium ex Conſtitutione S. Pii V. propterea jubeat & curet eam reduci ad ſuum Monaſterium,& cęteris Monialibus parere, adhibitis etiã vinculis, ſi opus fuerit. Rurſus cùm eſſet dubitatũ, an Monaſterium de Xixena ſitum in loco paludoſo,propter quem aer ſit inſalubris,& periculoſę infirmitates Moniales invadunt,comprehenderunt in prędicta Bulla S. Pii V. de clauſura Monialium,adeò ut Moniales exire nõ poſſent ad curandas iſtas infirmitates: Sac. Congr. cenſuit comprehendi

hoc Monaſterium in Bulla S.Pii V.licèt adjecerit,hunc caſum dignum eſſe proviſione ſpeciali, ut quę infirmitatibus illis propter aeris intemperiem premuntur,poſſint de conſilio utriuſque Medici, & licentia Superioris exire; & ita
50 Sanctiſſimus annuit. Et aliàs cùm Monialis obtinuiſſet à Superiore regulari licentiam ab Ordinario approbatam exeundi è Monaſterio cauſa curandi morbum epidimiæ,& extra illud per ſex menſes commorandi; & lapſo ſex menſium termino, cùm longiori ad curationem opus eſſet, petiiſſet,ut terminus ex diſpenſatione Apoſtolica ſibi prorogaretur: S. Cong.cenſuit oratricem, ſi verè laborat morbo epidimię, non indigere diſpenſatione Apoſtolica, quia eſt caſus exceptus in Conſtitutione S.Pii V.Quòd ſi infirmitas tendat ad epidimiam, ut dicitur in licentia per Superiorem Moniali conceſſa, non potuiſſe talem licentiam concedi, & eum qui conceſſit incidiſſe in excommunicationem.

51 Quinimò etiam facultas Epiſcopo attributa ex decreto *c. 7.ſeſſ.25.de regul.* fuit ſublata per eamdem Conſtitutionem, ut Gregorius XIII. declaravit. Nam cùm Generalis S. Auguſtini dubitaret,an poſt Bullam S.Pii V.de egreſſu Monialium, liceat de Monaſterio ad Monaſterium Monialem transferre, ut in eo,ad quod transfertur;Abbatiſſæ munere fungatur: Sac.Congreg. dixit referendum Sanctiſſimo,qui cenſuit Bullam corrigere decretum Concil. *c.7.ſeſſ. 25.de regul.* & ideò ex illò decreto non licere ampliùs extrahere Moniales de Monaſterio pro conſtituenda Abbatiſſa in alio,niſi obtenta ſpeciali licentia à Sede Apoſtolica.

Item ex decreto Pauli V. publicato à Sac. Congregatione Epiſcoporum, & Regularium ſub die 22. Decembris 1617. ac intimato Procuratoribus Generalibus Ordinum, non poſſunt Moniales quacumque occaſione transferri de Monaſterio ad Monaſterium ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ toties quoties obtinenda, neque ratione Prioratus vel alterius officii, quibuſcumque in contrarium non obſtantibus: ut teſtatur Caſtellin. tunc Procurator Ordinis Prædicatorum, *in tract. de elect. c. 17. n. 5.*

52 Nec prędictis adverſatur conſideratio, quòd Extr. S. Pii V. non ſuſtulerit facultatem Epiſcopo tributam *in d. c. 5. ſeſſ. 25. de regul.* Siquidem illa non eſt propriè translatio,ſed potiùs reductio ad Monaſteria intra mœnia: & propterea Conc. non utitur verbo, *Transferantur*, ſed, *Reducantur*. Ac preterea in eo caſu ſubeſt ſpecialis ratio, cur Bulla non correxerit Concil. videlicet ne Sanctimoniales extra mœnia malorum hominum prædæ,& aliis facinoribus ſine ulla ſępè cuſtodia remaneant expoſitæ. Ob quam quidem publicam neceſſitatem totius Monaſterii S. Synodus non permittit ſimpliciter,ſed præcipit reductionem,ſi ita videbitur expedire, ideſt ſi vigeant memorata pericula, & reductio
congruè, & tutò fieri poſſit. At verò tranſitus ad ſtrictio- 53
rem regulam nulli regularium præcipitur niſi propter demerita, juxta *c. De lapſis, 16. qu. 6.* cùm res ſit magis voti, quàm præcepti, ſecundum gl. prælleg. *in c. Geſta in verb. Creſcere 74. diſt. ing. 2. in c. pen. 32. qu. 1.* Conceſſa igitur ob neceſſitatem non debent trahi in argumentum, niſi ob eamdem vel majorem neceſſitatem, *c. In argument. de reg. jur. lib. 6.* Unde meritò à S. Congr. ſępiùs reſponſum fuit facultatem tranſeundi ad Monaſterium ſtrictioris ordinis fuiſſe Monialibus ademptam ex prędicta S. Pii V. Conſtitutione, ut diximus in reſponſione præcedenti.

In primo caſu dumtaxat Bulla Urbani IV. non corrigitur 54
per d. Bullam S. Pii V. videlicet, quando ſuperveniret inevitabilis, & periculoſa neceſſitas, ſicut exuſtionis ignis (qui caſus eſt hodie exceptus in Extrav. S. Pii V.) & incurſus hoſtilis, & conſimilis. Quod intellige, dummodò neceſſitas ſit extrema, & egrediantur ſaltem authoritate Epiſcopi, ſi ulteriorem dilationem res non patiatur; quid enim ſi Monaſterium aquarum inundatione mergeretur, aut irreparabilis totius Monaſterii ruina proxima immineret; expectanda ne eſſet licentia ab Urbe, an potiùs ſuccurrendum Monialibus pereuntibus? Ad hoc *c. Exiit qui ſeminat, §. Porrò de verb. ſignif. lib. 6.* ibi: (Nec ipſis Fratribus jure poli in extremę neceſſitatis articulo ad providendum ſuſtentationi naturæ via omnibus extrema neceſſitate detentis conceſſa pręcluditur, cùm ab omni lege extrema neceſſitas ſit exempta.) Sed extra hunc caſum translatio Monialium ab uno ad aliud Monaſterium fieri non poteſt niſi authoritate Apoſtolica. Unde magnoperè cavendum eſt à doctrina quorumdam modernorum Theologorum, qui ſcripſerunt Moniales exire poſſe à Monaſterio non ſolùm in tribus caſibus magni incedii, epidimiæ, & lepræ, juxta Bullam S. Pii V. ſed etiam dum imminet probabile periculum gravis, ac diuturni morbi, inter quos Bonac. *in tract. de legib. diſp. 1. q. 1. punct. 1. n. 29.* & alii noviſſimè apud Dian. *reſol. mor. lib. 1. tract. 15. reſ. 13.* qui ampliùs affirmat non obſtare declarationem S. Congr. ab eo relatam, quia de illa non conſtat authenticè; quod advertendum duximus propter periculum cenſurarum, licèt quod pertinet ad rem præſentem, hæc indagatio ferè inutilis videatur, quia Moniales de quibus agitur, in ſuo tranſitu non egrediuntur clauſuram, quin potiùs ad eam reducuntur, ſed tantummodò in eodem Monaſterio mutant primævum inſtitutum, habitum, & invocationem, ſeu titulum contra legem fundationis: quod credimus fieri non poſſe ſine authoritate Romani Pontificis ex ſupradictis.

DE STATU MONACHORUM.

Innocentius III. V. Plebano S. Gavinii.

CAPUT VII.

QUòd Dei timorem præ oculis habeas, ex fructibus tuis colligitur evidenter, cùm opera, quæ facis, teſtimonium perhibeant veritati. Sanè quondam deſiderans ad frugem melioris vitæ tranſire, officium Plebani reſignans, coram fratribus S. Victoris Bononien. promiſſionem de tua converſione feciſti, neque profeſſionem ſolemnem emittens, neque habitum religionis aſſumens: ſed Parochiani plebis ejuſdem attendentes, te laudabiliter præfuiſſe, à Florentino Epiſcopo impetraverunt, ut miniſtrares ibidem: hoc etiam P. Presbyter Cardinalis tunc Apoſtolicæ ſedis legatus proponitur annuiſſe, quod jam dicti Parochiani à nobis ratum haberi, ſuppliciter poſtularunt, præſertim cùm de licentia Prioris S. Victoris noſcaris hactenùs id feciſſe. Licèt autem in Lateranen. Concilio de Monachis caveatur, ne ſinguli per villas, & oppida, per quaſcumque parochiales ponantur Eccleſias, & cætera: quia tamen iſtud de Canonicis regularibus ſpecialiter non cavetur, qui etſi à ſanctorum Monachorum conſortio non putentur ſejuncti, regulæ tamen inſerviunt laxiori; & per antiquos Canones etiam Monachi poſſunt ad Eccleſiarum Parochialium regimen in Presbyteros ordinari, ex quo debent prædicationis officium (quod privilegiatum eſt) exercere: ſic annuendum duximus poſtulatis, ut exercens Plebani officium (ſi commodè fieri poterit) unum Canonicum regnlarem tecum habeas ad cautelam: cujus in his quæ Dei ſunt, & regularis obſervantiæ, tam conſortio, quàm ſolatio perfruaris.

SUM-

S U M M A R I U M.

1 *Canonicus Regularis poteſt præfici Parochiali etiam ſæculari cum ſocio ſui Ordinis, ſi commodè fieri poſſit.*
2 *Cauſa per effectum cognoſcitur & demonſtratur, & per exteriora de interioribus judicatur.*
3 *Scire propriè quid ſit.*
4 *Scire aliquid per cauſas intrinſecas rei eſt perfectiùs ſcire, quàm per cauſas extrinſecas.*
5 *Canonici Regulares, & Monachi æquiparantur.*
6 *Monachi in quibus differant à Canonicis Regularibus, & num. ſeqq.*
7 *Monachus parochiali Eccleſiæ præfectus, an & quando teneatur ſecum habere ſocium ſui Ordinis.*
8 *Canonici Regulares quando, & a quibus inſtituti, & num. ſeqq.*
9 *Canonicorum Begularium Religio in proceſſionibus, & aliis actibus publicis præcedit omnes alias Religiones.*
10 *Præpoſiti Canonicorum Regularium an infra annum ad Sacerdotium promoveri debeant ſicut Priores Conventuales ex Conſtitutione Clem. V.*
Monachorum appellatione an veniant Canonici Regulares, ibid. & n. ſeq.
11 *Argumentum à ſimili, vel ab identitate rationis, non habet locum in his, quæ exorbitant à jure communi.*
12 *Monachi de jure communi an poſſint aſſumi ad regimen Parochialium Eccleſiarum ſine diſpenſatione.*
13 *Canonici Regulares hodie an poſſint præfici Parochialibus Eccleſiis ſæcularibus, & n. ſeqq.*
14 *Vicarius perpetuus ſæcularis deputari poteſt ab Epiſcopo in Parochialibus unitis etiam Monaſteriis Canonicorum Regularium ex Concilio Tridentino, & num. ſeqq.*
15 *Regulares ad alios ordines tranſlati, etiamſi Canonici Regulares ſint, ex Conc. Trid. prohibentur inſtitui in Parochialibus Eccleſiis.*
16 *Canonici Regulares etiam ad tempus prohibentur aſſumi ad curam animarum ex decreto Greg. XIII.*
17 *Regulares quorumcumque ordinum præfici non poſſunt curæ animarum perſonarum ſæcularium ſine diſpenſatione Apoſtolica, quæ non conceditur niſi inſtante Epiſcopo pro neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ.*
18 *Item obtinere non poſſunt præbendas in Collegiata Canonicorum ſæcularium, nec beneficia ſimplicia ſæcularia etiam ex diſpenſatione Epiſcopi.*
19 *Canonici Regulares de jure communi ſunt incapaces beneficiorum ſimplicium ſæcularium.*
20 *Commendatarius Prioratus Canonicorum Regularium, cui animarum cura perſonarum ſæcularium incumbit, an teneatur in d. Prioratu reſidere, & curam animarum per ſeipſum exercere, & num. ſeqq. uſque in fin.*
21 *Vicarii amovibilis deputatio arguit curam eſſe penes deputantem, ſi deputans ſit ſæcularis, ſecus ſi regularis.*
22 *Priores non ſunt intitulati, ſed obedientiarii; ideòque non ſunt Curati, nec ſponſi Eccleſiæ.*
Prioratus Canonicorum regularium ſunt in duplici differentia.

Q*Uod Dei timorem*. Canonicus Regularis poteſt præ-
1 fici Eccleſiæ Parochiali etiam ſæculari, ſed debet ſo-
cium ſui Ordinis ſecum habere, ſi commodè fieri poſſit.
Hoc dicit ſecundùm omnes. Et poteſt dividi in tres partes.
In prima exordium. In ſecunda facti narratio, & ſupplicatio.
In tertia ſupplicationis admiſſio cum duplici motivo.
Secunda ibi, *Sanè*. Tertia, ibi, *Licèt*.

Nota primò ex principio litteræ, cauſam per effectum de-
2 clarari, & demonſtrari, & ſic per exteriora de interioribus judicari. Ad idem *c. Ex ſtudiis de præſumpt.* Clem. *Exivi*, §. *Cupientes*, *verſ. Cùm enim*, & ibi Card. *in 2. notab. n. 10. de verb. ſignif. l. Lex quæ*, *C. de adminiſt. tutor.* Unde *Matth. 7. Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*, *c. 2. de reg. jur.* Et ut Hieronym. inquit relatus hìc à Jo. Andr. *n. 2.* Ex pomorum dulcedine generoſi ſeminis arbor agnoſcitur. Adde Bald. *in c. Dudum*, *il 2. n. 31. ſupra de elect.* ubi ait ab effectu eſſe locum demonſtrativum, & ſufficere ad intelligentiam rei intelligere effectum, licèt quis neſciat diffinire, quod pertinet ad ſolum ſapientem, & intelligentem medulam, & apicem rationis, alleg. not. *in l. Stipulatio iſta*, §. *Ibi quoque*, *ff. de verb. oblig.* Propriè tamen ſcire, 3
ſecundum Philoſophum, eſt rem per cauſam cognoſcere, propter quam res eſt, & non contingit aliter ſe habere. Eſt text. ſecundum Bart. & Bald. *in l. Pupillus*, *ff. de acquirend.*
hæred. & in cap. Occidit. 23. q. 8. ſecundum Jo. Monach *in* 4
proœm. Sexti. Et ſcire aliquid per cauſas intrinſecas rei eſt perfectius ſcire, quàm per cauſas extrinſecas, ut per D. Th. *in 1. ſent. diſt. 45. art. 3. ad 5.*

Secundò nota in ver. *Licèt autem*, Canonicos Regulares 5
non putari ſejunctos à Monachorum conſortio: in multis enim æquiparantur, *c. Præſens Clericus 20. q. 3.* ubi pariter expectant mercedem, *c. Non magnoperè. & c. Super ſpecula*, *Ne Cler. vel Monach.* ubi pariter prohibentur audire leges vel Phyſicam, *c. Ex parte de poſtulan.* ubi pariter prohibentur poſtulare, niſi pro utilitate Eccleſiæ, vel ſui Monaſterii, *c. in ſingulis infra eod.* ubi pariter celebrant Capitulum Provinciale. Et generaliter conveniunt in ſubſtantialibus Regulæ, ſcilicet obedientia, *c. Cùm in Eccleſiis*, *de major. & obed.* abdicatione proprii, ſupra *in c. prox. & caſtitate*, *c. unic. de voto lib. 6.* item in communi menſa, & dormitorio, *c. Quoniam*, *de vita*, *& honeſt. Cler.* Signor. de Homod. *conſ. 148. In exceptione, in princ.* adeò ut propterea Hoſt. *inf. in c. prox. n. 2. & 7.* & poſt eum Card. *hic in 1. q. nu. 10.* dicant Canonicos Regulares, & Monachos in
omnibus æquiparari, niſi in exceptis. Differunt autem in 6
pluribus, & in hac Decretali habes tres differentias. Prima eſt generalis; quia Canonici Regulares regulæ inſerviunt laxiori. Secunda eſt ſpecialis, quæ ex præcedenti deducitur: nam Monachi præfici non poſſunt Parochialibus Eccleſiis ſęcularibus propter prohibitionem Conc. Lateranenſis ſecundùm unum intellectum; Canonici Regulares ſecus, quia cùm inſerviant laxiori regulæ, in prædicta prohibitione non includuntur, ut hìc dicitur in verſ. *Qui tamen*. Sed de hoc dicam pleniùs *in ſeq. quæſt.*

Tertia eſt, quam ponit hìc gl. magna *in verb. Regimen*, 7
quia Monachus Parochiali Eccleſiæ præfectus tenetur habere ſocios ſecum ſui ordinis, ut *in c. Monachi*, *ſupra eod. & in c. fin. de Capell. Monach.* Sed Canonici Regulares ad hoc non tenentur, niſi commodè poſſint, ut hìc dicitur. In hoc tamen gloſ. in Clem. 1. §. *Ad hæc*, *in verb. Ad clauſtrum hoc tit.* dicit jura, quę tractant de Monachis, ne ſoli maneant in Capellis, de clauſtralibus intelligi, ut patet ibi, *& in d. c. fin. de Capell. Monach.* Si ergo Monachus eſt perpetuò inſtitutus ad curam populi, & ſic nihil habet commune cum Monaſterio, *c. Ne pro cujuslibet*, 16. *q.* 1 ſocium non tenet; & ſubdit ita ſervari de facto, nec rationem occurrere, quare Abbas talem Monachum ſuo clauſtrali Monacho ſociare debeat. Sed obedientiarius, qui clauſtralis eſt, & ſolo nutu Abbatis revocatur ad clauſtrum, non debet eſſe ſolus, ut cum ſocio aliqualem ſtabilitatem clauſtri ſervet. Et idem dicit de Regulari Canonico. Quam gloſſ. diſtinctionem ſequuntur ibi Jo. Andr. *n. 17.* Card. *n. 1. in 4.*
oppoſit. Anchar. *num. 32. qu. 26.* & Abbas *ſupr. in c. Mona-* 8
chi, *num. 3.* & ibi dixi *in 3. notab.* Quarta differentia eſt, quia Monachi fundatores, & inſtitutores habent Benedictum, & Baſilium, quorum Regulam profitentur, ut *in c. Pernicioſam 16. q. 2.* Card. *num. 4 in 7. notab.* Sed Canonici Regulares fuerunt ab initio naſcentis Eccleſiæ, ut patet ex Conſtitutione Benedicti XII. quæ incipit, *Ad Decorem Eccleſiæ*, edita idibus Maji, Pontificatus anno quinto, in Bull. *tom. 1. pag. 196.* ubi legitur Religionem Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini à Chriſti Religioſis diſcipulis in primitiva Eccleſia ſacris inſtitutionibus ſtabilitam. Eos enim Alexandriæ Sanctus Marcus inſtituit, ut per Colleg. Paduan. *conſ. 2.* quod habetur poſt Conſil. Cardin. Zabarell. *num. 13 14. & 15. & ſeq.* & Caccialup. *conſ.*
4. poſt Conſilium ejuſdem Cardin. *num. 5, & ſeq* Et propte- 9
reà in proceſſionibus, & aliis publicis actibus hæc Religio præcedit omnes alias Religiones, & primum locum obtinet immediatè poſt Clerum ſæcularem, ut declaravit S. Pius V. in Conſtitutione, *Cum ex Ordinum* 1570. 10. Calend. Januarii in Bullar. *tom. 2. pagina* 324. in hæc verba: *Univerſi Canonici Regulares Ordinis S. Auguſtini Congregationis Lateranenſis, qui ab Apoſtolis originem traxerunt, quique ab eodem S. Auguſtino eorum Reformatore, iterùm per reformationis viam mundo geniti, meritò præten-*

dere poſſunt ſe omnes alias perſonas Eccleſiaſticas tam ſæculares, quàm Regulares in proceſſionibus, & aliis actibus publicis præcedere debere. Cùm tamen non liceat membra à Capite ſeparare, &c. Canonicos prædictos ſtatim ipſum Clerum ſæcularem non exemptum ſubſequi, dum ipſi ſubſequendo præcedunt; dum verò præcedendo præcedunt, illum immediatè ſequi debere declaramus. Et eodem modo cum controverſia ſuper præcedentia inter prædictos Canonicos, & Congregationem Caſſinenſem diu ventilata fuiſſet, & in Concilio Tridentino renovata; cumque tres Cardinales à Pio IV. deputati retuliſſent ſe comperiſſe ex pluribus litteris Apoſtolicis, diverſiſque aliis documentis, rationibus, & probationibus, ipſos Canonicos fuiſſe, & eſſe de illis Clericis à Sancto Auguſtino, quinimò à Sanctis Apoſtolis inſtitutis; idem S. Pius V. ipſis Canonicis præcedentiam adjudicavit in Conſtitutione Sedis Apoſtolicæ, 18. Febr. 1564. in Bullar. *tom.* 2 *pag.* 106. licèt Caccialupus *d. conſ.* 4. *num.* 2. dicit eos fuiſſe inſtitutos tempore Beati Auguſtini, & ortum habuiſſe à Nazaræis, quibus committebantur Sancta Sanctorum, allegans Joan. de Deo in ſuo opuſculo de diſpenſat. & addens ſub dubio aliquos ab eo relatos *n.* 39. tenere originem duxiſſe à Ruffo, ſeu Ivone apud Francos tempore Ludovici Imperatoris, & in Italia propè Mediolanum ex præcepto Alexandri, & *num.* 50. appellatam fuiſſe Congregationem Friſonariam, ſeu Friſonem, & pleniùs *in fin. conſ. num.* 59. ubi de multiplici eorum origine.

10 Regulariter tamen, ut prædiximus, Monachi, & Canonici Regulares eodem jure cenſentur. Unde quamvis Feder. de Sen. *conſ.* 25. *Caſus talis eſt: Quidam fuit promotus*; conſuluerit Conſtitutionem Clem. V. in Clem. 1. § *Cæterum de ſtat. Monach* qua ſtatuitur, ut Priores Conventuales infra annum ad Sacerdotium promoveri debeant, non habere locum in Præpoſitis Canonicorum Regularium, cùm de ipſis non loquatur, ſed de Monachis, & pro parte plurimùm ſtringat hæc decretalis, ubi ponderatur idcircò Canonicos Regulares non comprehendi in prohibitione Concilii Lateranenſis, quia in illa de Canonicis Regularibus, qui regulæ inſerviunt laxiori, ſpecialiter non cavetur; tamen ejus conſilium refellit Petr. de Tuderto, cujus dictum habetur inſertum poſt idem conſilium Federici, eo quòd licèt Conſtitutio illa loquatur de Monachis, tamen idem intelligendum in Canonicis Regularibus, cùm idem jus regulariter ſit in utriſque, & allegat text. hìc, & *c. Dictum* 81. *diſt.* Nec obſtat ſecundum eum, quòd Conſtitutio, quæ loquitur de aliquo Ordine Mendicantium, non porrigatur ad alium Ordinem, in quo non ſit eadem ratio, ut notatur *in c. Conſtitutionem, de regul. lib.* 6. Quia illud intelligitur quando expreſsè de aliquo ordine loquitur, cujus appellatione alii ordines nòn veniunt: ſecus ubi generaliter loquitur de Monachis, quia tunc omnes veniunt, etiam Canonici Regulares, cùm ipſorum Monachorum appellatione prædicti Canonici contineantur, ut in juribus præallegatis. Et ejuſdem opinionis fuit Lap. Abb. ad conſultationem Feder. *in* 8. *reſp.* data Federico in conſilio ejuſdem Feder 88. Verùm hęc reſponſio Petri de Tuderto non placuit Federico, quia dicta Conſtitutio ſolùm habet locum in Monachis nigris; unde ibi dicit, Ordinis, ſeu religionis hujuſmodi. Et quamvis jura generaliter loquentia de Monachis ut religioſis habeant locum in Canonicis Regularibus, tamen jura generaliter prodita circa Monachos nigros, in Canonicis Regularibus locum non habent: & argumentum à ſimili, vel ab identitate rationis non habet locum in his,

11 quæ exorbitant à jure communi. Ad hoc gl. notab. *in d. cap. Conſtitutionem, in verb. Prorogamus de regul. lib.* 6. gl. *in c. Quæ à jure de reg. jur. eod. lib.* & Bait. in Extrav. *Qui ſint rebelles, c. Tranſi n.* 3. Et in hoc tandem reſidet Feder. cujus conſilio etiam ſe ſubſcripſit Jo. Andr.

12 Tertiò nota ex illis verbis, *Et per antiquos Canones etiam Monachi poſſunt ad Eccleſiarum Parochialium regimen in Presbyteros ordinari*, Monachos de jure communi aſſumi poſſe ad regimen parochialium Eccleſiarum. Et ſigna caſum, in quo poſſunt aſſumi, ſcilicet propter officium prædicandi, quod in multis eſt privilegiatum, & ſpecialiter in hoc, ſecundùm Hoſt. hìc, *n.* 8. & *in ſum. hoc tit.* § *Utrum populum*, qui allegat *ad hoc c.* 1. & 2. 58 *diſt.* & *c. Quorumdam* 74 *diſt.* Idem tenent Jo. Andr. & Paul. in Clem. 1. *in gl. in verb. Sæculare de elect.* Cæterùm in hoc maxima eſt inter DD. varietas opinionum, quas recenſet Ant. de Butr. *in cap. Monachi. n.* 16. *ſup eod.* & Rota *dec.* 262. incip. *In religioſo, alias* 5. *de jur patr. in novis*, videtur reſidere in hac ſententia, ut in Monacho aſſumendo ad curam animarum hodie ſicut olim neceſſaria ſit diſpenſatio, & fortè Papalis propter celebre Concilium Lateranenſe *in d. c. Monachi*, contra quod Epiſcopi diſpenſare non poſſunt. Communiter tamen tenetur Monachum de jure ex cauſa utilitatis de Abbatis conſenſu ab Epiſcopo promoveri poſſe ad parochialem Eccleſiam ſine diſpenſatione, dummodò cum eo habitet alius ſaltem Monachus, ut hìc per gl. *in verb Regimen*, Hoſt. *n.* 8. poſt Hug. Bertrand. & Goffred. quos citat Jo. Andr. *n.* 14. Henrich. Boich. *n.* 15 Butr. *n.* 11. Card. *n* 11. *qu.* 2. Anchar. *n.* 6. & 11. Jo. de Anan. *n.* 6. 8. & 9. Fedr. de Sen. *conſ.* 136. *Factum tale eſt per tot.* Roch. de Curt. *de jurepatr. in verb. Honorificum qu.* 4. *num.* 8. Lambert. *eod. tract. lib.* 2. *p.* 1. *q* 7. *art.* 19 *à num.* 13 & de communi opinione teſtatur Abb. *hic num.* 7. Quod tamen intellige, ſi parochiales ſint à Monaſterio diſtinctæ; ſecus ſi cura incumbat ipſi Monaſterio, quia tunc Monachus nullo modo præfici poteſt curæ animarum perſonarum ſæcularium, ſed cura ipſa exerceri debet per Presbyterum ſæcularem, ut eſt text. *in c.* 1. & ibi ſcripſi pleniſſimè, *infra de Capell. Monach.* Verùm an hæc procedant poſt Conc. Trid. dicam in proxima quæſtione.

QUÆRO, an hodie ſit locus diſpoſitioni hujus Decretalis, adeò ut Canonici Regulares præfici poſſint parochialibus Eccleſiis etiam ſæcularibus cum ſocio ſui ordinis, ſi commodè fieri poſſit. 13

Congregatio Lateranenſis Canonicorum Regularium propoſuit olim S. Congreg. Conc. ſe in civitate Cremonæ habere Monaſterium S. Petri de Pado, cui unitæ ſunt plures parochiales, ex quarum fructibus alitur magna familia tam Sacerdotum, quàm Clericorum juvenum, qui velut in ſeminario quodam bonas litteras edocentur. Inſuper novam à fundamentis ædificat Eccleſiam magno ſumptu. Solvit etiam perplures taxas ſibi à Congr. impoſitas, quarum ſumma excedit ducatorum mille. His non obſtantibus Car. Borromæus in viſitatione d. Civitatis decrevit Vicarium perpetuum in una dictarum Eccleſiarum pro ſæculari Preſbytero, amoto Parocho regulari; quod tendit in maximum Monaſterii damnum, quando longè minori expenſa vivunt regulares in dictis parochialibus. Unde non poterunt poſtea, ſi Vicarii ſæculares erunt, tot onera perferre. Et propterea S. Congr. adierunt pro remedio, dicentes de jure communi licere obtinere beneficia ſæcularia Curata Canonicis Regularibus abſque diſpenſatione Papæ, vel Epiſcopi, nec licere Epiſcopo amovere eorum Vicarios Regulares ab ipſis in dictis parochialibus deputatos, quæ eis ſunt pleno jure etiam quoad ſpiritualia ſubjectæ. Die 14

27. Octobris 1575. Congregatio publica cenſuit dicendum partibus, ut informent S. Congreg. ut videatur de jure: quia jure veteri Canonici Regulares ſunt capaces parochialium ſæcularium, *c. Quod Dei timorem*, & ibi gl. *in ver. Regimen de ſtatu Monach.* & Concil. non prohibuit, quin Canonici Regulares poſſint uti hoc jure veteri, & habere parochiales, niſi quando tranſlati, *c.* 11. *ſeſſ.* 14. Sed videtur obſtare *cap.* 7. *ſeſſ.* 7. quando agitur de unitis, quia vult provideri curæ earum per Vicarios ab Epiſcopo deputandos. Et ita Congregatio intellexerat tempore S. Pii V. Item S. Pius V. in Bulla 47. indulſerat omnibus regularibus nominationem Vicarii perpetui cum approbatione Epiſcopi; & Mendicantibus, & Canonicis Regularibus indulſit, ut unitis poſſent nominare ex ſe ipſis non Vicarios perpetuos, ſed amovibiles; & Regulares Monachi idem poſſunt: ſed nominant unum ex iis Vicarium amovibilem, approbatum priùs ab Epiſcopo, cum aliis quatuor Monachis. Sed Bulla S. Pii V. redacta eſt ad terminos Conc. unde ſi jure non poſſunt, agendum cum Sanctiſſimo pro gratia; exemplo S. Pii V. Deinde eadem Congreg. generalis cenſuit referendum Sanctiſſimo, Canonicos Regulares jure veteri eſſe capaces Eccleſiarum parochialium, *d. c. Quod Dei timorem*, & à Conc. id non caveri, niſi quando tranſlati, *d. c.* 11. *ſeſſ.* 14. Tamen obſtare, quòd in unitis, quando eriguntur Vicariæ perpetuæ, eſt in arbitrio Epiſcopi apponere eos, vel alios. Item S. Pius V. indulſit, ut poſſent Canonici Regulares, & Mendicantes nominare unum ex ſuis, qui prævio examine eſſet Vicarius amovibilis nutu Superiorum. Sed hæc Bulla S. Pii V. redacta eſt ad terminos Concilii: tamen pro eis facit jus vetus. 15

Die

Die 2. Decembris 1575. Sanctitas ſua, audita relatione, viſa eſt ſentire Concilium *cap. 7. ſeſſ. 7.* non ita clarè dare arbitrium Ordinario ponendi quos velit Vicarios perpetuos, etiam ad excluſionem regularium, qui aliàs idonei eſſent. Tamen poſteà inclinabat in ſententiam illam, ut Ordinarius haberet & hoc arbitrium, ut aliàs Congregatio ſenſerat. Et licèt Bulla S. Pii V. aliud ſtatuerit; tamen quia eſt redacta ad terminos Concilii, videbatur perſiſtere in iſta reductione. Nihilominus cum audiviſſet regulares perpeti multa damna ex impenſis faciendis in ſæcularibus Vicariis, mandavit, ut ſi Monaſterium non erat valdè pingue, ſcriberentur litteræ ad Cardinalem S. Praxedis, viſum eſſe Sanctiſſimo, ut ſi ex regularibus inveniatur aliquis idoneus ad hanc curam exercendam, eum aſſumat potiùs, quàm ſæcularem, & Vicarium amovibilem conſtituat arbitrio Superiorum ſuorum. Id tamen non per viam conſtitutionis generalis, ſed per ſpecialem proviſionem in hoc caſu,

16 & per privatas litteras. Poſteà verò generaliter fuit quęſitum, an Canonici Regulares de licentia ſui Generalis poſſint aſſumere curam animarum, tam ad tempus, quam perpetuò. Die 8. Julii 1581. Sanctiſſimus D. N. Gregorius XIII. noluit licere iſtis regularibus etiam de licentia ſui Generalis abſque permiſſu Summi Pontificis aſſumere curam etiam ad tempus, multòque minùs beneficium Curatum in titulum; ita reperi adnotatum in libris publicis S. Congregationis *c. 18. ſeſſ. 24. pag. 99.* Et ſubinde cum Canonici Regulares Lateranenſes peterent, ut ſibi liceret cum licentia ſui Generalis obtinere beneficia curata in titulum, vel ad tempus, & res à Congregatione delata eſſet ad Sanctiſſimum, Sanctitas ſua abnuit.

17 Ex his patet, Canonicos Regulares hac decretali non obſtante hodiè aſſumi non poſſe ad regimen Parochialium Eccleſiarum abſque diſpenſatione Romani Pontificis.

Unde infertur primò ut multò minus aſſumi poſſint ad curam animarum perſonarum ſæcularium regulares aliorum ordinum: nam in Canonicis Regularibus ex multorum ſententia ſpeciale erat, ut poſſent præfici Parochialibus ſæcularibus, quia regulæ inſerviunt laxiori; & proptereà non comprehendebantur in prohibitione Concilii Lateranenſis, ut hìc deciditur. Quare ſi Canonicis Regularibus non licet ampliùs obtinere Parochiales in titulum, vel ad tempus, propter decretum Gregorii XIII. longè minùs id licebit aliis regularibus ſtrictiorum ordinum. Hinc cùm fuerit quæſitum, an regularis poſſit præfici curæ animarum ab Epiſcopo ſine diſpenſatione Apoſtolica: Sac. Congregatio Concilii cenſuit non poſſe, niſi accedente diſpenſatione, quæ non videtur concedenda, niſi inſtante Epiſcopo pro neceſſitate, vel utilitate Eccleſię. Et aliàs conſulta, an Eccleſiæ Parochiali ex neceſſitate; nempè ob penuriam Sacerdotum, regularis perpetuò poſſit pręfici: reſpondit permittit poſſe; itaut deducto victu, quod reliquum fuerit redditüum, in utilitatem Eccleſię, & pauperum convertatur. Ob id autem neceſſariam eſſe hodiè diſpenſationem, contra opinionem antiquorum Doctorum, quòd ita de ſtylo ſervari conſuevit. Quod ſi magis placuerit Sanctiſſimo, poſſe quod petitur ad tempus concedi, quoad ſcilicet Epiſcopus providerit de Clerico ſęculari: nihil tamen concedendum, niſi inſtante Epiſcopo pro neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ.

18 Infertur ſecundò, ut regulares multò minùs obtinere poſſint beneficia ſæcularia non curata, puta Canonicatum in Collegiata Eccleſia ſęculari, aut beneficium ſimplex: id enim etiam jure veteri prohibitum erat, ut eſt expreſſum *in c. Super eo, de regular.* ibi, *Nec amplius in Eccleſiis ſæcularibus debent aſſumi, ne contra votum, quod Domino fecerunt, venire probentur, & in c. Placuit 16. q. 1.* ibi, *Nec ad Eccleſias ſæculares tranſire.* Et de prębenda in Eccleſia Collegiata Canonicorum ſæcularium tenent Hoſt. *in ſumma hoc tit. §. Utrum populum*, Joan. Calder hìc, & poſt eum Cardin. *in 5 quaſt. n. 14. verſ. Si autem aſſumitur ad Canoniam*, quia homines diſparis profeſſionis non debent ſimul in eiſdem Eccleſiis ſociari, *c. In nova 16. q. 7.* Ad hoc Clement. 2. *de elect.* Neque obſtat *c. Quorundam 74. diſt.* quia Eccleſia Siracuſana, ad quam tranſivit ibi Monachus, erat etiam Monachorum, ut ibi notatur. Neque hoc caſu valet Epiſcopi diſpenſatio ſecundum Cardinalem. Et de Eccleſia non Collegiata, ſeu beneficio ſimpli tradit Federic. de Sen. *conſ. 136. Factum tale eſt ſub nu. 3. verſ. Sed fortiùs obſtat*, Joan. Calder. & Cardin. *ubi ſupr.* Et ita ſecundùm Cardinalem intelliguntur textus *in cap. Si cupis, & c. Alia, cum duobus ſeqq. 16. q. 1.* & probatur *in d. c. Super, eo de regul. & in Clem. 1.* ibi, *Clericis ſæcularibus*, ſecundùm Jo. And. & Paul. *de ſupplen. neglig. Prælator.* & in hac decretali à contrario ſenſu. Ceſſat enim in his beneficiis ratio curę animarum, propter quam regulares jure veteri poterant ad Eccleſias ſæculares aſſumi, ſecundum Card. Item promotus ad ſimplex remanet Monachus clauſtralis; & ſic alteratur ſtatus beneficii, quod fieri non debet *cap. 1. §. Ad hoc cum ſua gloſſa ſuprà eod.* ut per Feder. de Sen. *dict. conſ. 136. ad finem.* Et ita etiam in Canonico Regulari aliàs re- 19
ſpondit Greg. XIII. nam cùm dubitaretur, an Canonicus Regularis eſſet capax beneficii ſimplicis: Sac. Congregatio dixit videri incapacem, quia *cap. Quod Dei timorem*, loquitur de Parochiali; agendum tamen cum Sanctiſſimo. Die 23. Julii 1578. Sanctitas ſua dixit, licèt Tridentinum Concilium non prohibuiſſet regulares obtinere ſæculare beneficium, & Concilium Lateranenſe ſub Leone ad concordata tantùm reſtringeretur; tamen jus commune obſtare, quod nonniſi in Parochialibus diſpenſat, *d. c. Quod Dei timorem.* Hìc autem agitur de ſimplici.

Ex facto quæſitum eſt, an Clemens obtinens in Com- 20
mendam Prioratum S Joannis Ordinis S. Auguſtini Canonicorum Regularium Aquen. diœceſis, cui animarum cura perſonarum ſæcularium incumbit, teneatur in dicto Prioratu reſidere, & curam animarum per ſeipſum exercere.

Jam S. Congregatio Concilii declaravit Commendatarios non teneri reſidere, ſi animarum cura Sacramentalis ſoli Conventui incumbat, non autem perſonæ Commendatarii: quam declarationem ad ſe relatam approbavit Gregor. XIII. ut ſcripſi latè *in c. 1. infrà, de Capell. Monach.* In Commendis autem Ordinis S. Baſilii, vel S. Benedicti, cura indiſtinctè dicitur incumbere Monaſteriis, quia Monachi in eis degentes in Congregatione prohibentur curam populi exercere, ut eſt textus *in d. c. 1.* & ibi notant Butr. Abb. & communiter Doctores. Valet enim argumentum, Monachi ſunt incapaces curæ: ergo cura ipſis non incumbit, ſed Conventui, ut hoc notat Abb. *n. 5.* Mandoſ. *conſ. 20. nu. 9.* Rota *in recent. deciſ 153. num. 2. in fin. par. 2.* Atque ita cum cura animarum ante Commendam non incumberet Abbati titulari, nec poſteà dicenda eſt incumbere Commendatario, qui in locum Abbatis eſt ſubrogatus, cùm Commenda non mutet ſtatum beneficii, Gemin. *conſil. 8. n. 8 verſ. Quia non eſt neceſſe*, Sarnen. *in reg. de infirm. q. 13.* & ſæpiùs decidit Rota. Ideòque in Commendis dictorum Ordinum multoties reſpondit Sac. Congr. Commendatarios non teneri reſidere, ſed curam eſſe per Preſbyteros ſæculares exercendam.

Verùm hoc argumentum non procedit in Canonicis regularibus, cujus ordinis eſt Prioratus, de quo agitur, quia ipſi de jure pręfici poſſunt Eccleſiis Parochialibus, ut eſt caſus in hoc cap. ubi decretum Lateran. Concilii, quòd Monachi prohibentur præfici Parochialibus Eccleſiis, declaratur non habere locum in Canonicis regularibus, qui quamvis à Sanctorum Monachorum conſortio non putentur ſejuncti, regulæ tamen inſerviunt laxiori. Unde hoc caſu opus eſt, ut Commendatarius probet curam eſſe penes Conventum ex aliquo alio capite: nam cùm non adſit in Canonicis regularibus incapacitas, quæ arguat curam eſſe penès Conventum, non penès ipſos; probatio ex hoc capite non relevat, cùm non concludat perneceſſe, *c. In præſentia*, & ibi Dec. *in 13. notab. ſup. de probat.* Rota *dec. 160. n. 8. & deciſ. 226. n. 2. part. 1. recent.* Gregor. XV. *dec. 162. n. 9.*

Quamobrem Commendatarius ad probandum anima- 21
rum curam ante Commendam non incubuiſſe Priori, & Canonicis, ſed conventui, adducit privilegium Sixti IV. & Julii II. quibus indulgetur, ut Congregatio Canonicorum Lateranenſium, ſeu illius Canonici per ſe, aut per Preſbyteros ſęculares, vel regulares ad ipſorum nutus deputandos, & amovibiles, animarum curam Parochianorum Eccleſiarum Parochialium hujuſmodi exercere poſſint, & valeant. Ex hoc autem quod Prior poſſit curam per alium exercere, rectè infertur, ut Prior non ſit Curatus, ut in terminis de Priore regulari tradit Cardin. *in Clem. Ne in agro, § Cæterùm, in ſecunda oppoſit.* poſt Paul. ibi, *de ſtatu Monach.* per textum *in cap. Super eo, de præben. lib. 6.*

Et quamvis aliàs deputatio Vicarii amovibilis arguat curam

tam eſſe penes deputantem, ut jam cenſuit S. Congregatio, & eſt *dec.* Beſignetti 21. *n.* 2. *de præben.* Tamen hoc procedit in Presbyteris ſæcularibus, non autem in regularibus. Deputatio enim Vicarii amovibilis potiùs arguit curam eſſe penes Eccleſiam, & Conventum, ut per Cardin. *loc. cit.* & ſatis conſtat ex decretó Tridentini Concilii *c.* 11. *ſeſſ.* 25. *de regular.*

22 Deindè hoc probat Commendatarius, quia Priores olim non erant perpetui, neque intitulati in hujuſmodi Prioratibus, ſed potiùs obedientiarii, & clauſtrales, juxta *dict. Clemen. Ne in agro*: ergo non erant Curati, aut ſponſi Eccleſiæ; etenim ad hoc requiritur, ut ſint perpetui, ut notat gloſſ. *in Clem. Dudum*, § *Statuimus*, *in verb. Impendant*, *de ſepultur.* & ibi Cardin. *in* §. *Ac deinde n.* 9. Vitalin. *in* §. *Verum n.* 3. Mandoſ. *in reg.* 20. *q.* 2. *num.* 4. & alii relati à Gonzal. *ad regulam de menſibus in gloſſ.* 6. *n.* 40. 36. 42. 93. *&* 97.

23 Unde cùm pura penes illorum perſonas non eſſet, neque penes Vicarios amovibiles, neceſſariò ſequitur, ut eſſet penes Eccleſiam, vel Conventum; quo caſu intrat declaratio S. Congr. relata ſuperiùs, ut Commendatarius reſidere non teneatur, cùm cura perſonę ipſius non incumbat.

Cæterum adhuc ſupereſt difficultas, quia in dicta Religione Prioratus ſunt in duplici differentia; quidam ſunt Conventuales, & in his cura poteſt etiam per alios exerceri, juxta indultum Sixti IV. & Julii II. & locum habent omnia ſupradicta.

Quidam vero ſunt Prioratus Nuncupati, & hi conferuntur in titulum Canonicis regularibus, qui tenentur reſidere, & curam per ſeipſos exercere ad præſcriptum hujus decretalis. Orator autem nondum docuit ſuum Prioratum eſſe Conventualem, niſi ex conjectura quod centum ab hinc annis illius Prior acceſſit ad Capitulum generale. Sed ubi concludenter probaſſet hanc conventualitatem, poſſet reſponderi, eum non teneri in Prioratu reſidere, quamvis habeat curam perſonarum ſęcularium, ſed curam ipſam eſſe exercendam per Presbyterum ſæcularem ab Ordinario approbandum.

DE STATU MONACHORUM.

Idem Innocentius III. Abbati, & Conventui Sublacen.

CAPUT VI.

CUm ad Monaſterium Sublacen. & infra. Firmiter inhibuimus, ne quis de cætero Monachorum, lineis camiſiis uteretur: & infrà. Prohibemus quoque diſtrictè in virtute obedientiæ, & ſub obteſtatione divini judicii, ne quis Monachorum proprium aliquo modo poſſideat: ſed ſi quis aliquid habeat proprii, totum incontinenti reſignet. Si verò poſt hoc, proprietatem aliquam fuerit deprehenſus habere, regulari monitione præmiſſa, de Monaſterio expellatur, nec recipiatur ulteriùs, niſi pœniteat ſecundum Monaſticam diſciplinam. Quod ſi proprietas apud quempiam inventa fuerit in morte, ipſa cum eo in ſignum perditionis, extra Monaſterium in ſterquilinio ſubterretur, ſecundum quod beatus Gregorius narrat in Dialogo ſe feciſſe: unde ſi quidquam alicui fuerit ſpecialiter deſtinatum, non præſumat illud accipere, ſed Abbati, vel Priori, vel Cellerario aſſignetur. In oratorio verò, refectorio, & dormitorio continuum ſemper ſilentium obſervetur: in clauſtro quoque certis horis, & locis, ſecundùm antiquam conſuetudinem Monaſterii, laudabiliter obſervatam. In refectorio verò nullus omninò carne veſcatur. Nec in quibuſdam ſolemnitatibus (ſicut aliquando fieri conſuevit) Conventus exeat cum Abbate, paucis ibi relictis, ut extra refectorium edant carnes: cum illis diebus præcipuè regularis diſciplina ſit ſtudioſus obſervanda: Sed nec extra refectorium, niſi in infirmitorio, eſum carnium credant ſibi licere. Quamquam ex indulgentia poſſit Abbas interdum aliquos fratrum, nunc hos, nunc illos (prout neceſſitas poſtulaverit) advocare, ipſoſque ſecum in camera ſua meliùs, & pleniùs exhibere. Porrò debiles & infirmi, qui minutione indigent, vel aliqua medicina, non ſeorſum in cameris, ſed omnes in infirmitorio, quæ neceſſaria fuerint ſibi tam in carnibus, quàm in aliis, recipiant competenter. Quod ſi quis eorum debilis fuerit, aut etiam delicatus, ut non poſſit communibus cibis eſſe contentus: ſic ei provideatur ſine ſcandalo aliorum, ut ſi Abbas, vel Prior voluerit in refectorio miſericordiam facere ſpecialem, cibum aliquem competentem non ante illum, ſed ante ſe faciat apportari, de quo ipſe illi faciat pitantiam pro ſuſtentatione naturæ, Tales autem ad agenda officia Monaſterii deputentur, qui fideles fuerint & diſcreti. Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò poſſidenda, tamquam in ſua ſibi vita locetur; ſed cùm opportuerit amoveri, ſine contradictione qualibet revocetur: Prior autem præ cæteris poſt Abbatem, potens ſit in opere & ſermone, ut exemplo vitæ, verboque doctrinæ fratres ſuos & inſtruere poſſit in bono, & à malo etiam revocare: zelum Religionis habens ſecundum conſcientiam, ut delinquentes corripiat & caſtiget, obedientes foveat & confortet. Abbas verò (cui omnes in omnibus reverenter obediant) quantò frequentiùs poterit, ſit cum fratribus in Conventu, vigilem curam & diligentem ſolicitudinem gerens de omnibus, ut de officio ſibi commiſſo dignam Deo poſſit reddere rationem. Quod ſi prævaricator ordinis fuerit, aut contemptor, ſeu negligens, aut remiſſus, pro certo ſe noverit non ſolùm ab officio deponendum, ſed & alio modo ſecundum regulam caſtigandum: cum offenſa non ſolùm propria, verùm etiam aliena, de ſuis manibus requiratur. Nec æſtimet Abbas, quod ſupèr habenda proprietate poſſit cum aliquo Monacho diſpenſare: quia abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis adeò eſt annexa regulæ Monachali, ut contra eam nec ſummus Pontifex poſſit licentiam indulgere.

SUMMARIUM.

1 *Monachi uti non debent lineis camiſiis, quibus tamen uti poſſunt Canonici Regulares.*
2 *Canonici regulares veſcuntur carnibus, Monachi ſecus, niſi in caſibus, ut n. 20.*
3 *Regularis non poteſt aliquid etiam minimum poſſidere tamquam proprium, ſed totum debet incontinenti reſignare Prælato ſuo, alioquin mortaliter peccat, & n. ſeqq. uſque ad n. 12.*
4 *Verba, in virtute ſanctæ obedientiæ, ſunt præceptiva, & de neceſſitate ſalutis.*
5 *Verba, ſub obteſtatione divini judicii, oſtendunt tranſgreſſorem eſſe rerum culpa lethalis.*
6 *Voti obſervantia eſt de jure divino, & ejus tranſgreſſio ſemper eſt mortalis.*
7 *Regularis deprehenſus in vita aliquam proprietatem habere, canonica monitione præmiſſa expellitur à Monaſterio, & in aliud arctius detruditur, & ab altaris miniſterio, removetur.*
8 *Regularis deprehenſus in morte habere proprietatem, debet cum ipſa ſubterrari extra Monaſterium in ſterquilinio in ſigno perditionis, n. 12.*
Nec pro ipſo orandum, n. 10.
9 *Monachus proprietarius in Aegypto ſubterratus fuit in ſterquilinio cum verbis,* Pecunia tua, &c.
11 *Regularis, qui in mortis articulo non reſignavit proprium, non debet in Cœmeterio ſepeliri, & de facto ſepultus exhumari debet, ſi ſine ſcandalo fieri poteſt.*
12 *Religioſi proprietas non debet tota cum ipſo ſubterrari, ſed aliqua pars illius.*
13 *Sed inventa in vita debet converti in utilitatem Eccleſiæ.*
14 *Regularis non debet munus licèt minimum ſibi oblatum accipere, ſed illud rectà eſt deferendam ad manus Superioris.*
15 *Et hodiè debet incorporari, & confundi cum reliquis boni Monaſterii.*
16 *Si regulari legetur fundus, itaut habeat uſumfructum, poterit illum habere ſecundùm opinionem Vincentii.*
Contrarium.
18 *Abbas poteſt ſuper regula diſpenſare quantum ad eſum carnium, & in aliis caſibus hic expreſſis.*
19 *Sed contra.*
20 *Monachi debiles, & infirmi, & qui minutione, vel medicina indigent, poſſunt veſci carnibus in infirmitorio tantùm.*
21 *Sanguinem minuens die 13. Februarii non morietur illo anno ex febrili diſtemperantia.*
22 *Et quid poſt Kalendarium Gregorianum.*
23 *Priores an poſſint amoveri ad nutum Abbatis ſine ulla cauſa, & n. ſeqq. uſque ad n. 43.*
Quid in Prioribus Conventualibus canonicè electis, & confirmatis n. 24.
Et quid in Prioribus minoribus, ſeu manualibus, n. 26. & ſeqq. uſque ad n. 43.
24 *Priores electi, & confirmati de jure ſunt perpetui, nec amoveri poſſunt, niſi ex cauſa, & juris ordine ſervato.*
25 *Sufficiunt tamen leviores cauſæ.*
27 *Obedientia, id eſt Prioratus, vel officium certam habens adminiſtrationem.*
28 *Priores naturales non confirmantur, ſed ſunt ad nutum Abbatis amovibiles.*
29 *Officium nullum præter Abbatis in Monaſterio eſt perpetuum.*
30 *Beneficia regularium ex ſui natura ſunt manualia.*
31 *Priores manuales an poſſint per Abbatem amoveri ſine ulla cauſa, & n. ſeqq. uſque ad n. 43.*
32 *Monachus ſi ex malitia removetur à loco, quem Abbas ei deputavit, poteſt officium Superioris implorare.*
33 *Præpoſitus, qui eſt ſecundus poſt Abbatem, poteſt ab eo removeri, ſi quater admonitus ſe non emendaverit.*
34 *Liberè, id eſt ſine cauſa, & pro libito voluntatis.*
35 *Monachus ſpoliatus officio, vel beneficio manuali ſine juſta cauſa, non poteſt agere interdicto recuperandæ contra ſpoliatorem.*
36 *Monachi ſunt obedientiarii.*
37 *Prior manualis poteſt amoveri ſine cauſa, etiamſi Abbas numquam uſus fuerit tali facultate.*
Conſuetudo in actibus merè facultativis non inducitur per non uſum, ibid.
38 *Vicarii temporales in Eccleſia curata, & ſæculari poſſunt ſine cauſa amoveri.*
39 *Vicarii amovibiles à Capitulo deputati pro exercitio curæ, & ab Ordinario approbati poſſunt amoveri à Capitulo ad nutum Capituli, non autem ab Ordinario, niſi ex legitima cauſa.*
40 *Prior manualis ſi per Abbatem amoveatur ex malitia, apud Superiorem Abbatis poteſt querelam deponere, & Superior debet eum audire.*
41 *Et amotio cenſetur facta ex malitia, ſi ſubſit præſumptio alicujus odii.*
42 *Odium, ſeu malevolentia in dubio non præſumitur.*
43 *Papa an poſſit diſpenſare cum Monacho, ut habeat proprium, vel uxorem ducat, latè diſcutitur, ut n. ſeqq. uſque in fin.*
44 *Caſtitatis cuſtodia, & abdicatio proprietatis ſunt eſſentialiter annexa regulæ Monachali, & num. 49. & 58.*
45 *Papa in multis præter articulos fidei diſpenſare non poteſt.*
46 *Papa diſpenſare non poteſt in voto ſolemni continentiæ etiam propter multitudinis bonum, ſecundùm opinionem D. Thomæ.*
Contrarium, n. 56. & 61.
47 *Sanctificatum ſemel Domino non poteſt per Eccleſiæ authoritatem in alios uſus commutari.*
Declaratur, n. 71. & 73.
48 *Voti ſolemnitas conſiſtit in quadam conſecratione, ſeu benedictione voventis.*
49 *Papa diſpenſat in voto continentiæ ſolemnizato per ſuſceptionem ſacri Ordinis.*
50 *Periculis humanis obviandum eſt per res humanas.*
51 *Profeſſi ſunt mortui mundo, nec ſunt vocandi ad vitam humanam occaſione, cujuſcumque eventus.*
Contrarium, n. 61.
52 *Matthæus Apoſtolus dicitur noluiſſe diſpenſare cum Iphigenia Moniali, ut nubere poſſet Regi, propter bonum fidei.*
Sed vide, n. 76.
53 *Votum eſt de jure naturali in quo non cadit diſpenſatio.*
Declaratur, n. 74. & 75.
54 *Papa de poteſtate abſoluta poteſt mutare ſubſtantiam rei, & de eo, quod nihil eſt, aliquid facere.*
55 *Deus quo ſenſu intelligatur non poſſe ſuſcitare virginem poſt ruinam.*
56 *Papa ex magna cauſa poteſt diſpenſare cum Monacho ſuper voto continentiæ, & paupertatis.*
Sed ſine hujuſmodi cauſa non poteſt, n. 78. Et quæ ſit magna cauſa, n. 61. 62. & 64.
57 *Caſtitas, & paupertas ſunt annexæ regulæ Monachali de jure poſitivo.*
58 *Monachus nihil aliud eſt quàm ſolitarius, & triſtis.*
59 *Regula omnis Religionis à Romani Pontificis authoritate vires ſumit.*
60 *Papa ſicut Religioni ſubſtantiam approbat, ſic & ipſam tollere poteſt.*
63 *In voto ſemper intelligitur excepta voluntas Dei, & authoritas Papæ*
65 *Voto non poteſt quis ſe deobligare ab eo, in quo alteri tenetur.*
66 *Papa pluries diſpenſavit cum regularibus etiam Sacerdotibus, & Epiſcopis, ut poſſent contrahere matrimonium, ut in exemplis hic poſitis.*
67 *Papa non poteſt facere, ut Monachus habeat uxorem, vel proprium, quamdiu Monachus eſt; ſed benè poteſt ex magna cauſa facere de Monacho non Monachum, & n. 68. & 70.*
68 *Religioſus perſeverans Religioſus, inhabilis eſt ad matrimonium, non ex ſtatuto, ſed ex natura.*
69 *Imperator Federicus natus eſt ex matre Conſtantia quinquagenaria, quæ fuerat Monialis.*

70 *Na-*

70 *Navarri diſtinctio, quod Papa diſpenſare poſſit, ut Monachus uxorem ducat, non autem ut habeat proprium refellitur.*
71 *Conſecratio Sacramentalis per nullum Eccleſiæ Prælatum poteſt auferri; ſecus in aliis conſecrationibus, quæ ſunt de jure poſitivo.*
72 *Conſecratio, ſeu benedictio, in qua conſiſtit ſolemnitas, non eſt Sacramentalis, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ.*
73 *Sacra transferri poſſunt ad alios uſus in articulo neceſſitatis.*
74 *Eccleſia cùm diſpenſat in voto, non diſpenſat in præcepto juris, naturalis, ſed determinat id, quod cadebat ſub obligatione deliberationis humanæ.*
75 *Diſpenſare non eſt legem tollere, ſed ordinare ex cauſa, ne liget eo caſu, quod diſpenſatur.*
77 *Abdiæ Babylonio, & ejus libro, quæ fides ſit adhibenda.*
78 *Papa diſpenſare poteſt contra jus poſitivum etiam ſine ulla cauſa.*
79 *Jus deſtruere poteſt, qui poteſt condere.*
80 *Diſpenſatio in his, quæ ſunt contra votum tacitum, vel expreſſum, & in aliis, quæ ſunt contra Evangelium, non prodeſt, niſi ex cauſa fiat, & peccat diſpenſans, & is cum quo diſpenſatur.*
81 *Diſpenſatio Papæ, ut Monachus habeat proprium, numquam valet, niſi magna cauſa, & vera ſubſit.*
82 *Secus in diſpenſationem, ut matrimonium contrahat, quia tenet, ſi credat bonam diſpenſationem, licèt peccet exigendo debitum.*
83 *Et quæ ſit ratio diverſitatis.*

C*um ad monaſterium*. Dividitur in quinque partes, & diviſio erit loco ſummarii. Primò tractat de veſtibus. Monachorum. Secundò de abdicatione proprietatis, ibi, *Prohibemus*. Tertiò de ſilentio, ibi, *Oratorio*. Quarto de cibis, ibi, *In refectorio*. Quintò de officiis, ibi, *Tales*; & hæc ultima pars primò tractat de officiis in genere. Secundò de Priore clauſtrali, ibi, *Prior*. Tertiò de Abbate, ibi, *Abbas*; & hæc decretalis cum ſequenti innovantur, & obſervari præcipiuntur *in Clem. Ne in agro, in fin. de ſtatu Monach.* Jo. Andr.

1 Nota primò ex principio textus, Monachos uti non debere lineis camiſiis, quibus tamen uti poſſunt Canonici regulares, qui & regulæ inſerviunt laxiori, ut *c. Quod Dei timorem, ſup. eod.* ſecundum Jo. Andr *hìc nu.* 2. Butr. & Anchar. *in* 1. *notab.* Et in hoc ſigna unam differentiam inter Monachos, & Canonicos regulares. Alia differen-
2 tia eſt, quia regulares Canonici veſcuntur carnibus, quod tamen Monachis eſt prohibitum, ut *cap. Carnem, de conſecrat. diſt.* 5. & hìc *in §. Refectorio*, Jo. Andr. *d. nu.* 2. & pondera illa verba, *Nullus omninò carne veſcatur*: nam dictio, *Nullus*, exponitur, id eſt, nec Abbas, nec alius, & dictio, *Omninò*, intelligitur, nec cauſa infirmitatis, nec aliqua alia, ſecundum Hoſt. *n.* 10. *in verb. Nullus*, & Jo. And. *n.* 7. *in eod. verb. Niſi*, ut dicam infrà *n.* 20. Complures alias differentias inter Canonicos regulares, & Monachos ponunt DD. *in d. c. Quod Dei timorem, ſuprà eod.* & ibi dixi *n.* 6. *& ſeqq.*

3 Secundò, nota *in §. Prohibemus*, nullo modo poſſe Religioſum aliquid poſſidere tamquam proprium, quantumcumque illud ſit minimum, ut dicam infrà *in* 4. *notab.* Sed ſi quid habet proprii, debet totum incontinenti reſignare Prælato ſuo, alioquin mortaliter peccat; quod multipliciter probat hæc decretalis. Et primò quia utitur verbis, *Prohibemus diſtrictè*. Lex autem Eccleſiaſtica præceptum, vel prohibitionem continens obligat tranſgreſſores ad peccatum mortale, ut *cap. De his in fin.* 50. *diſtin. cum concordant.* de quibus per Archid. *in d. c. Deteſtanda n.* 3. *&* 4. *de conceſſ. præbend. lib.* 6 & ſcripſi pleniùs *in c. Si quis n.* 38. *&* 39. *ſuprà de reg. & in c. Treguas nu.* 22. *&* 34. *de Tregu. & pace.*

4 Præſertim verò, quia textus non tantùm dicit *Prohibemus diſtrictè*, ſed addit, *In virtute obedientiæ*, quæ verba ſunt præceptiva, de neceſſitate ſalutis, *c.* 1. *de ſepult. lib.* 6. Silveſt. *in verb. Præceptum n.* 2. *verſ. Dico ergo*, ad quod vide quod ſcripſi *in cap. Explicari n.* 9. *infrà de obſervat. je-*
5 *jun.* Item addit verba, *Sub obteſtatione divini judicii*, quæ oſtendunt hujus præcepti tranſgreſſorem à Deo judicandum fore tamquam reum culpæ lethalis. Sic *in c. Periculo-ſo, §. Et quoniam, de ſtatu reg. lib.* 6. *& in c. unic. §. de Judæis, eod. lib.* 6. *cum ſimilib.* Et meritò, quia obſervantia 6
voti eſt de jure naturali Divino, & ejus tranſgreſſio ſemper eſt mortalis, *c. Licèt univerſis, ſuprà de voto*, Jo. And. *in reg. ſemel Deo n.* 3. *de reg. jur. lib.* 6. S. Th. *in* 2. *q.* 88. *art.* 10. *& art.* 3. *in corp.*

Secundò, quia ſi Religioſus fuerit deprehenſus habere 7
aliquem proprietatem, ut quia reperta fuit pecunia in arca, vel quia confeſſus eſt, ſecundum Jo. Andr. *nu.* 3. hæc conſtitutio præcipit, ut canonica monitione præmiſſa, à Monaſterio expellatur, nec ulteriùs recipiatur, niſi pœniteat ſecundum monaſticam diſciplinam; de quo tamen hodiè dic, ut *in c. fin. ſupra de regular.* Addit gloſ. *hìc in verb. Expellatur*, eumdem eſſe in vita removendum etiam ab altaris miniſterio, ut *cap. Monachi, & cap. Super quodam, ſuprà eodem*, vel poſſe detrudi in arctius Monaſterium, ut ſic pœniteat, & proprietatem illam reſtituat, *arg. cap. De lapſis* 16. *q.* 1. *& c. Si quis rapuerit* 27. *quæſt.* 1. Hujuſmodi autem pœnæ nequaquam imponuntur niſi pro culpa mortali, ut in prædictis juribus, & poſt D. Ant. notat Silv. *in verb. Præceptum num.* 3. *verſ. Et ſimiliter ſi imponitur pœna.*

Tertiò, quia Religioſus deprehenſus in morte aliquam 8
proprietatem habere, jubetur hìc ſubterrari cum ſua proprietate extra Monaſterium in ſterquilinio, & hoc in ſignum perditionis, ut dicitur in littera, id eſt damnationis æternæ, quia in mortali peccato deceſſit, ſecundum gloſſ. *hìc in verb. In ſterquilinio*. Et ita B. Gregorius narrat ſe fe- 9
ciſſe *lib.* 4. *Dialogorum c.* 55. ut hìc innuitur, & D. Hieronymus *ad Euſtochium de virginitate littera D.* relatus à Jo. Andr. *hìc num.* 4. *in verb. Gregorius*, refert de Monacho, qui lina texendum centum lucratus, illa reliquit
in morte, & habito conſilio, quidam dicebant illa eſſe 10
tribuenda pauperibus, alii Eccleſiæ, alii parentibus. Sed decreverunt Patres illa cum eo ſubterrari cum verbis, *Pecunia tua ſit tecum in perditione*: ex quo magnus per totam Ægyptum cunctos terror invaſit: concordat text. *in c. Monachi ſuprà eodem*, ibi, *Et qui in extremis cum peculio inventus fuerit, & digne non pœnituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres accipiat ſepulturam*. Quinimò *in c. Super quodam, ſuprà eod.* Regularis Canonicus, qui in articulo 11
mortis non reſignavit proprium, quod latenter habuerat, non ſolùm in cœmeterio ſepeliri, non debet, ſed ſi facto ſepultus fuerit, inde debet exhumari, ſi ſine maximo ſcandalo fieri poterit. Et ita ibi eſt caſus ſecundum Jo. Andr. & omnes in ſummario text. & gloſſ. *in verb. Sepulturam*. Reddit rationem, quia ſcilicet in mortali peccato mortuus eſt.

Tertiò, nota ibi, *Ipſa cum eo*, proprietatem ipſam, quam 12
Monachus fuit deprehenſus habere in morte, ſubterrandam eſſe unà cum ipſo Monacho in ſterquilinio, ut proximè dictum eſt. Hoc malè obſervant Superiores Ordinum, qui proprietatem Monachorum decedentium ſibi appropriant, tamquam ſpolia. Dicunt tamen hìc Hoſtien. *nu.* 7. Joan. Andr. *num.* 4. & Anchar. *nu.* 10. *in* 5. *notab.* non totam proprietatem eſſe ſubterrandam; ut quid enim perditio hæc? ſed partem ipſius dumtaxat, *arg. c.* 2. *ſupra de conſuetud.* & ſatis eſſe, ut cum Monacho ſubterrentur triginta denarii; tanti enim venditus fuit Joſeph, *Geneſis* 37. & tanti Chriſtus, *Matthæi* 27. Idcircò autem textus dicit de 13
proprietate inventa in morte, quia ſi in vita, tunc debet converti in utilitatem Eccleſiæ, ſeu Monaſterii, *c. Quantò de offic. ordinar. & c. Abbates* 18. *qu.* 1. gloſſ. *hìc in verb. In morte.*

Quartò nota ibi, *Quicquam alicui fuerit ſpecialiter deſti-* 14
natum, Monacho non licere aliquid muneris accipere, ſed quicquid ei deſtinatum, aut transmiſſum eſt, Abbati aſſignandum eſſe per illum qui portat, vel per alium, ut hìc per Hoſt. *n.* 8. *in verb. Aſſignetur*, & Jo. Andr. *num.* 6. *in eod. verb.* & ſic rectà deferendum eſt ad manus Superioris, ut clarè probat hæc littera, dum dicit, *Non præſumat illud accipere, ſed Abbati, vel Priori, vel Cellerario aſſignetur*; & ſic Religioſo interdicitur non tantùm ſibi oblata retinere, ſed etiam accipere. Et pondera verbum illud, *Quicquam*, quod verificatur in qualibet re oblata, ſeu tranſmiſſa, quantumvis minima, ſecundum Hoſtien. *n.* 8. *verſ. Vel aliquod munus quantumcumque etiam minimum*, & Joann. Andr. *num.* 4. *in ver. Quicquam*. Ad hoc bonus text. *in cap. Non dicatis*, ibi, *Quicumque autem in tan-tum*

tum progreſſus fuerit malum, ut occultè ab aliquo litteras, vel quodlibet munus accipiat, & c. 12. q. 1. & adde quod ſcripſi in cap. Monachi num. 18. 47. ſuprà eodem, & quod
15 notat Abb. hic num. 2. ubi dicit eſſe quaſi expreſſum hic, quod ſi aliquid legetur, vel donetur religioſo, non debet illud capere ſine licentia ſuperioris, ſed tale donatum, ſeu legatum requiritur Monaſterio Hodie debet cum reliquis bonis Monaſterii incorporari, & confundi, ex Conc. Trid. & decretis Clementis VIII. ut dixi in d. c. Monachi à num.
16 67. Nec audiendus eſt Vincentius hìc relatus à Joan. Andr. num. 5. dum ait; [Quòd ſi quis legat fundum Monacho, itaut habeat uſumfructum, Monachus illum habere debet ad exemplum filiifamilias, qui tametſi quidquid aquirit, acquirat patri quoad uſumfructum, & ſibi quoad proprietatem; tamen ſi ita legetur filio, ut habeat uſumfructum; hoc caſu habebit, ut Authen. Exceptis, C. de bon. quæ liber.]
17 Quoniam hoc ſimile non procedit, quia filiusfamilias eſt capax proprietatis, ut in d. Auth. Exceptis; Monachus autem non, ut hic, & in c. Nolo, & cap. Non dicatis, 12. q. 1. etiam quoad uſumfructum, Clem. Exivi, §. Cupientes, verſ. Verùm, de verbor. ſignificat. Abb. hic n. 1. in fin. Adde quòd hæc opinio hodie reprobatur à Concilio Tridentino in cap. 2. ſeſſ. 25. de regular. ut ſcripſi latiſſimè in prædicta Decretali, Monachi, à num. 44. uſque ad num. 67.

18 Quintò nota ibi, Quamquam ex indulgentia, Abbatem poſſe diſpenſare ſuper regula Monachali quantum ad eſum carnium, ſcilicet extra refectorium, ut hìc, & argum. cap. Carnem, de conſecr. diſt. 5. quemadmodum diſpenſare poteſt in propria cella habenda, c. Monachum 20. q. ult. Item in ordine, c. Cùm N. de eo, qui furt. ordin. ſuſcep. Item cùm eo, qui excommunicatus ordines ſuſcepit, c. Cùm illorum, infra de ſent. excomm. gloſſ. hìc in ver. Indulgentia, Innocen. in princ. Alii tamen dicunt Abbatem non poſſe diſ-
19 penſare ſuper eſu carnium. Nec obſtat hæc littera ibi, Ipſoſque ſecum in camera ſua meliùs, & pleniùs exhibere. Quia non dicit de carnibus, & forſan loquitur de groſſis piſcibus. Et hanc dicit eſſe veritatem, reprobata conſuetudine contraria, Hoſtien. num. 11. in fin. verſ. Unde & dicunt alii; cum quo tranſit Joan. Andr. num. 2. Butr. num. 15. & plerique alii.

20 Sextò nota litteram in verſ. Porrò: nam debiles, & infirmi, & qui minutione, vel aliqua medicina indigent, recipere poſſunt neceſſaria tam in carnibus, quàm in aliis, puta in balneis, famulis, & hujuſmodi, ut in regula Sancti Benedicti c. 36. non tamen ſeorſum in cameris, & multò minùs in refectorio, ſed ſolùm in infirmitorio, ſeu valetudinario.
21 Et quo ad minutionem dicit Vincentius hìc relatus à Joan. Andr num. 11. unum mirabile, videlicet, Qui minuit die 13. Februarii ab initio menſis computando, non morietur illo anno ex febriii diſtemperantia; & hæc eſt ſalubris minutio per Angelum revelata. Et hoc ſervabat Joan. Andr. ſecundùm Abb. hic num. 4. qui tamen ſubdit non indigenti non eſſe id facilè conſulendum, quia ex minutione ſangui-
22 nis minuitur vita ſecundùm traditionem peritorum. Porrò cum hoc anno 1650. in ipſa die 13. Febr. indicaſſem duobus amicis meis dictum Vincentii, & ipſorum alter vellet protinùs hoc remedio uti in perſona neptis ſuę ęgrotantis, alter oppoſuit, quòd ex Kalendario Gregoriano ſubtracti ſunt ab anno decem dies, quibus à Concilio Nicæno uſque ad annum 1582. ęquinoctium vernum à priſtina ſede receſſerat, ut in Conſtitutione 74. Gregorii XIII. quæ incipit, Inter graviſſimas: atque ita cùm odie ignoretur, an dies 13 Februarii ſit illamet, quæ currebat tempore revelationis Angeli, præ incertitudine amicus cœpit hærere, & propoſitum non adimplevit.

23 In §. Tales, QUÆRO, an Priores amoveri poſſint ad nutum Abbatis ſine ulla cauſa.

24 Pro ſolutione quæſtionis diſtinguendum eſt: nam aliqui ſunt Priores Conventuales, qui à Capitulo canonicè eliguntur, & à Superiore confirmantur. Et hi non removentur, niſi ex cauſa, & juris ordine ſervato, textus eſt rotundus in c. Monachi, §. Priores ſuprà eod. cujus hæc ſunt verba: [Priores autem cùm in Eccleſiis Conventualibus per electionem Capitulorum ſuorum canonicè fuerint inſtituti, niſi pro manifeſta, & rationabili cauſa non mutentur, videlicet, ſi fuerint dilapidatores, ſi incontinenter vixerint, aut tale aliquid egerint, pro quo amovendi meritò videantur,] ubi gl. in verb. Non mutentur, dicit hoc intelligi de illis, qui inſtituuntur perpetuò per Canonicam electionem Capituli, & confirmationem Superioris; iſti ſine certa cauſa removeri non debent, quia ſine culpa nemo privari debet jure ſuo, c. Satis perverſum 56. diſtinct. c. Inventum 16. q. 1. c. 1. ſupr. de judic. & cum gl. concordant Innoc. ibi ad fin. in verb. Non mutentur, Hoſtien. num. 5. dicens hujuſmodi Priores perpetuos eſſe, nec eſſe removendos ſine cauſa, & juris ordine non ſervato, Jo. And. num. 12. & communiter DD. licèt etiam canonicè electi poſſint ex levioribus cau- 25
ſis ab adminiſtratione amoveri, ut dicit tex. in c. Per tuas, il primò ad finem infr. de Simon. & hìc notat gloſſ. in verb. Amoveri.

Alii verò ſunt Priores minores, qui per electionem ca- 26
nonicam non creantur, ſed Abbas committit eis adminiſtrationem: & tales ſunt ad nutum ipſius Abbatis amovibiles, ut eſt text. in hoc §. Tales, in illis verbis: [Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò poſſidenda, tanquam in ſua ſibi vita locetur; ſed cùm oportueri. removeri, ſine contradictione aliqua revocetur[Nam verbum, Obe-
dientia, exponitur, id eſt Prioratus, vel officium certam ha- 27
bens adminiſtrationem, ſecundum Hoſt. hic n. 20 in verb. Obedientia, & Ioan. And. n. 13. in e. d. verb. & verba, Cùm oportuerit, exponuntur, id eſt quando Abbati videbitur, in cujus diſpoſitione cuncta conſiſtunt, ut per eumdem Hoſt. d. n. 20. in ver. Oportuerit, & Joan. And. n. 14. Tales igitur 28
Priores non confirmantur, ut c. Ad noſtram, & c. Porrecta, ſupra de confirm. util. Sed ſunt ad nutum Abbatis amovibiles, prout firmat præcitata gl. in d. c. Monachi, in verb. Non mutentur, ſuprà eod. & ibi Innoc. ad fin. in eod. verb. Hoſt. n. 5 dicens Priores minores pro voluntate Abb. hodie mitti poſſe ad Prioratus, & in craſtinum revocari, Jo. Andr. num. 12. verſ. Alii ad voluntatem. Item gloſſ. hic in verb. Perpetuo, Hoſtien. num. 20. in eod. verb. Item gl. hic Cle. 1. in verb. Revocari, poſt med. verſ. Et ſciat, de ſuppl. negl. Prælator & nullus diſcrepat, & de talibus intelligendus eſt Abbas hic n. 5. dum ait: [Nota regulam generalem, 29
quod in Monaſterio præter Abbatem nullum officium eſt perpetuum.] Atque ita hujuſmodi Prioratus & beneficia Regularium ex ſui natura eſſe manualia, per hunc text. 30
firmant Caſſad. dec. 4. num. 3 & deciſ. 12 nu. 9. de præbendis, Milis in repertorio, in verb. Beneficia regular. n. 30. Rebuff. in tract. de pacific. poſſeſſ. n. 280. Jo. de Selva in tract. de benefic. 3. p. q. 67. nu. 1. Mandoſ. in reg. 3. reſervatoria qu. 11. n. 13. Navarr. Comment. 4. de regular. num. 25. verſ. Tertiò, & alii recentiores.

De his igitur Prioribus, qui ſunt ad nutum amovibiles, 31
dubitatur, numquid amoveri poſſint ad libitum Abbatis ſine ulla cauſa. Et quidem Innoc. in cap. Inſinuante ſub n. 2. 32
infrà qui Clerici, vel voventes, videtur fuiſſe in ea ſententia, ut ſine cauſa amoveri non poſſint. Sic enim ait. Et ſi occurreret caſus, in quo Abbas, vel Superior vellent ex malitia removere Monachum à loco, quem ei deputarunt, poſſet ſupplicare Superiori, & Superior eum audire deberet, ad ſimilitudinem ſervi, ut in l. 1. C. de precib. Imper. offerend. & §. Sed & major. inſtit. de his qui ſunt ſui, vel alien. jur. & per hanc Innocent. doctrinam Rebuff. in tract. de pacific. poſſeſſ. n. 275. verſ. Secundum intellige: [Si Abbas, inquit, ſine cauſa amoveat Monachum a Prioratu manuali, poteſt idem Monachus implorare officium Superioris, ut ſine cauſa ex ſola malitia non removeatur. Et hanc opinionem ſequuntur Ultramontani, ut teſtatur Jo. Andr. in c. Cum ſingula num. 1. ſub gloſſ. Ad idem, de præbend. lib. 6. Ejus verba hęc ſunt: [Scire debes, quòd multum apud Ultramontanos viguit hæc opinio, quod Prior manualis, quem ſine cauſa rationabili Abbas removere vult, fortè ex odio, quia detulit, vel quia nepoti vult illud conferre, vel ſimili cauſa non juſta, poteſt apud Superiorem Abbatis de ipſo querelam deponere.] Ejuſdem ſententiæ 33
videtur fuiſſe Hoſtien. hic num. 21. dum ait,] etiam Præpoſitum, qui eſt ſecundus poſt Abbatem in Monaſterio, poſſe ab eo removeri, ſi quater admonitus ſe non emendaverit.] Et mox ſubdit: [Sed caveat Abbas, ne fortè zeli, aut invidiæ flamma urat animam ſuam, quia de omnibus ſuis judiciis redditurus eſt Deo rationem, ut in reg. cap. 65. ante fin. & in fin.] Et ita Hoſt. clarè ſupponit amotionem à Prieoratu, & officio manuali fieri non debere ſine rationabili cauſa.

Sed his non obſtantibus apud Citramontanos communiter tenetur Priores manuales poſſe per Abbatem removeri etiam ſine cauſa, quia expedit, ut nuda voluntate etiam ſine

ſine cauſa poſſit illos ad clauſtrum revocare; ita Joan. And. *in d. cap. Cum ſingula ſub n.2. verſ. Sed apud Italos communiter hoc non recipitur, de præbend. lib.6.* & poſt eum ibi Ant. de Butr. *n.* 5. Anchar. *n.*4. Gemin. *col.2. propè fin. verſ. Sed non recipitur*, & Franc. *n.*5. *verſ. Sed apud Italos*, Dec. *in c. Ad noſtram n.7. verſ. Sed in Italia de confirm. util. vel inutil.* quos in puncto ſequuta fuit Rota in cauſa Aquilana Prioratus 16. Martii 1584. ut *in dec.* 778. *p.*1. *diverſ.* & pro hac opinione videtur textus in hoc *§. Tales*, ibi, *Sine contradictione aliqua revocetur*: nam ut dicunt Hoſtien. *n.* 21. *in verb. Contradictione*, & Joan. And. *n.*15. in talibus non eſt locus contradictioni, nec appellationi, *c. Reprehenſibilis, & c. Cum ſpeciali in fin. ſuprà de appellat. c. Per tuas, in*
34 *fin. infrà de ſimon.* Ad idem videtur textus quaſi expreſſus in Clem. 1. §. *Permiſſa, de ſupplen. negligen. Prælator.* ibi: *Liberè potuit ad clauſtrum, cùm oportuerit, revocari*: nam verb. *Liberè*, idem importat quod ſine cauſa, & pro libito voluntatis, ut *c. Quamvis, de procurat. lib.6.* Bald. *in c.* 1. *n.6. ſuprà de reſcript.* Soccin. ſen. *conſ.* 170. *in præſenti n.*8.
35 *vol.2.* Menoch. alios cumulans *de arbitr. lib.*1. *quæſt.* 8. *à num.*33. & hinc fit, ut regularis per Abbatem ſpoliatus officio, vel beneficio manuali ſine juſta cauſa, minimè poſſit agere interdicto recuperandę contra ſpoliatorem, quia Abbas ſpoliando nullam intulit injuriam, ſed uſus eſt jure ſuo, ut voluit ſingulariter Bald. *in l. Cùm affirmes, in fin. C. de liberali cauſa*, Felin. *in cap. Per tuas num.*4. *de majorit. & obedient.* Rebuff. *de pacific. poſſeſſ. num.* 274. Navarr. *Comment. 2. de Regular. num.* 65. *verſ. Addo octavò, & conſ.*
36 14. *num.* 12. *de ſtatu Monach.* Item Monachi ſunt obedientiarii, *cap. Si Religioſus, de elect. lib.6.* de quo pulchrè per Archidiac. *in c. Sciendum n* 1. 8. *q.*1.

Demum hanc ſententiam in Prioribus Congregationis Montis Virginis, qui ex litteris ſanctę memoriæ Pauli V. ſunt ad nutum amovibiles, probavit Sac. Congregatio ſpecialiter à Sanctiſſimo deputata ſuper ſtatu Regularium die 7. Martii 1650.

37 Ampliatur concluſio ſuperiùs firmata, ut locum habeat non obſtante, quòd Priores manuales non conſueverint revocari, quia cum hoc ſit in facultate Abbatis, ſi non eſt uſus tali facultate, conſuetudo non inducitur, cum in actibus merè facultativis non inducatur conſuetudo, ut in his firmat Abbas *in c. Ad noſtram, n.*11. ubi etiam Dec. *n.6. verſ. Ultimò Abbas concludit, de confirm. utilit. vel inut.* Rebuff. *de pacific. poſſeſſ. num.* 335. quos ſequuta fuit Rota *in præallegat. dec.* 778. *n.*5. *p.*1. *diverſ.*

38 Ampliatur ſecundò etiam in Vicariis temporalibus in Eccleſia curata, & ſeculari, qui poſſunt ſine cauſa removeri, ut tenent *in c. Cùm non ignores de præb.* Innoc. *numer.*2. Hoſt. *n.*8. *&* 9. Joan. Andr. *n.*3. Butr. *n.*5. Cardin. *n.*7. Anchar. *n.*3. *circa med.* & Imol. *n.*4. *poſt med.* Bero *in c. Non ſine mult. n.*10. *de arbitr.* Butr. *conſ.*51. *n.*3 *&* 6. *verſ. Ex quibus & verſ. Item ratio conſ.*262. *n.*4.5. *&* 6. *lib.*3. & latiſſime firmavit Rota *in Hiſpalen. Juris amovendi Curatos die* 20. *Aprilis* 1640. coram R.P.D. Peutingero, quę poſteà fuit confirmata 21. Junii 1641. & rurſus 23. Junii 1642. coram
39 eodem Coccin. *dec.*18. *n.*13. Et eſt ex mente S. Congregationis Concilii, ut in declaratione relata in prædicta deciſ. Rotæ *ſub die* 21. *Junii* tenoris infraſcripti, videlicet, an Vicarii amovibiles deputati ad nutum Capituli pro exercitio curę prævia approbatione Epiſcopi poſſint ab Epiſcopo ſine cauſa amoveri? S. Congregatio cenſuit Vicarios prædictos poſſe à Capitulo amoveri ad nutum Capituli; ab Ordinario verò nonniſi ex cauſa legitima, & probata, propter quam etiamſi perpetui eſſent, amoveri poſſent.

40 Limita nunc propoſitam concluſionem, niſi amotio à Prioratu, vel officio manuali fieret ex malitia quia tunc amotus poſſet Superioris officium implorare, & Superior deberet eum audire; & in hoc caſu loquitur Innocen. Joan. And. & alii pro prima opinione allegati *n.* 32. ut ex eorum verbis apparet; & declarat ipſemet Innoc. *in c. fin. nu.*3. *de offic. Ordin. lib.6.* cum quo concordant ibi Joan. And. *n.*2. Gemin. *n.*9. & Franc. *n.*3. Bellam. *in cap. Porrecta n.6. q.*4. *de confirm. util. vel inutil.* Cardin. in Clem. 1. §. *Præmiſſa n.*4. *de ſupplen. negligen. Præl.* dicens: [Ego puto quòd etſi nulla ſubſit cauſa, dum tamen non ex malitia, tenet revocatio:] Et ſequitur ibid. Imol. *nu.* 44. & Vitalin. *nu.* 3. Milis *in Repertorio in ver. Religioſus n.*4. *verſ. Religioſi, ſi ſint manuales*, Selva *de Benefic. part.*3. *quæſt.*68. *numer.*3. Rota
41 *dict. deciſ.* 778. *num.2. part.* 1. *diverſ.* & fuit reſolutum *in cauſa Burgen. amotionis Magiſtri Capellæ* 11. *Decembris* 1581. coram Blanchetto. Cenſetur autem revocatio facta ex malitia, ſi ſubſit præſumptio alicujus odii, ut poſt Butr. notat Imol. *in d. Clem.* 1. *n.*44. *verſ. Dominus Antonius credidit*, Franc. *in d. c. Cùm ſingula n.*1. *circa med. ver. Sed Imola*, & Rota *d. dec.* 778. *n.*3. & eſt ex mente Jo. And. ut conſtat ex ejus verbis ſuprà relatis, *n.*32. *verſ. Et hanc opinionem*, ibi: *Fortè ex odio, quia detulit.* In dubio, tamen odium, ſeu malevolentia non præſumitur, Alberic. *in L.*
*Injuriarum actio n.*1. *& in §. Si quis per injuriam, ff. de injuriis*: & in his terminis cenſuit Rota in præalleg. *dec. Peutingeri ſub die* 21. *Junii* 1641. *Quoad attinet* 42

In §. *Nec æſtimet Abbas*. QUÆRO, utrum Papa poſſit diſpenſare cum Monacho, ut habeat proprium, vel uxorem ducat. 43

In hoc graviſſimo articulo tres ſunt Doctorum opiniones. Prima opinio eſt eorum, qui abſolutè negant Summum Pontificem poſse ſuper hoc diſpenſare: & pro iſtis videtur textus expreſsus hìc in illis verbis. *Abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia Caſtitatis adeo eſt annexa regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere.* Unde cùm articulus per hanc litteram ſit deciſus, non videtur de eo ulteriùs diſputandum ut dicebat Jo. And. *in reg. Semel Deo n.*1. *verſ. Imo non videtur de reg. jur. lib* 6. & ſimiliter gl. *ultim. hìc*, & Hoſt. *n.*29 ponderantes hanc litteram dicunt: Et ita habes hìc, quod præter articulos fidei multa ſunt, in quibus Papa diſpenſare non poteſt, ſcilicet, ut Monachus proprium habeat, vel votum continentię frangat, &c. Et hoc de plano concedit Tancredus, & Joannes *in c. Sunt quidam*, in gl. *in ver. Apoſtoli in fin.* 25. *q.*1. Bernar *hic in gloſ. in ver. Adeo* Quinimò S. Thom. *in* 2.2. *q.*88. *art.* 11. tenet abſolutè Summum Pontificem diſpenſare non poſse in voto ſolemni caſtitatis etiam propter bonum multitudinis, veluti quando per contractum matrimonium aliquarum perſonarum, quę continentiam voverunt, poſset pax patriæ procurari & deridet Juriſtas, qui ignoranter contrarium dixerunt. Movetur, tum quia hæc decretalis dicit nec Summum Pontificem poſse contra cuſtodiam caſtitatis Monacho licentiam dare; tum quia ut habetur Levitic. ult. illud, quod ſemel ſanctificatum eſt Domino non poteſt in alios uſus commutari. Unde non poteſt aliquis Eccleſiæ Prælatus facere, ut id, quod eſt ſanctificatum, ſanctificationem amittat etiam in rebus inanimatis, puta, ut calix conſecratus deſinat eſse cōſecratus, ſi maneat integer: unde multò minùs poteſt hoc facere aliquis Prælatus, ut homo Deo conſecratus, quamdiu vivit, conſecratus eſse deſiſtat. Solemnitas autem voti conſiſtit in quadam conſecratione, ſeu benedictione voventis; & ideò non poteſt fieri per aliquem Prælatum Eccleſię, ut ille, qui votum ſolemne emiſit, deſiſtat ab eo, ad quod eſt conſecratus, puta, ut ille qui eſt Sacer. non ſit Sacerd. licèt poſſit Prælatus ob aliquam cauſam executionem ordinis inhibere: & ſimili ratione Papa non poteſt facere, ut ille, qui eſt profeſsus religionem, non ſit religioſus; & quamvis poſſit diſpenſare in voto continentiæ ſolemnizato per ſuſceptionem ſacri Ordinis; tamen hoc ideò eſt, quia continentia non eſt Ordini ſacro eſsentialiter annexa, ſed ex ſtatuto Eccleſię: eſt autem debitum continentię eſsentiale ſtatui religionis, per quem homo abrenuntiat ſeculo, totaliter Dei ſervitio mancipatus, quod non poteſt ſimul ſtare cum matrimonio, in quo incumbit neceſſitas procurandæ uxoris, & prolis, & familię, & rerum, quę ad hoc requiruntur: unde Apoſtol. dicit 2. *ad Corinth.* 7. *Qui eſt cum uxore, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt*: unde nomen Monachi ab unitate ſumitur per oppoſitum ad diviſionē prædictam; & ideò in voto ſolemnizato per profeſſionem religionis non poteſt per Eccleſiam diſpenſari: Et rationem aſſignat Decretalis, quia caſtitas eſt annexa regulę Monachali; & ad rationem communis utilitatis, vel neceſſitatis reſpondet, periculis rerum humanarum eſse obviandum per res humanas, non autem per hoc quod res divinę convertantur in uſum humanum. Profeſſi autem ſunt mortui mundo, & vivunt Deo: unde non ſunt revocandi ad vitam humanam occaſione cujuſcumque eventus. Ejuſdem ſententię ſunt Antiſiodorenſis *in ſum. lib.*3. *tract.* 28. *c.*1. *q.*2. Abul. *c.*30. *Num. q.*109. *per totam*, Albert. Magnus *in* 4. *ſent. diſt.*38. *art.*16. *&* 18. Capreol. *in* 4. *diſt.* 33. *q. unic. art.*3. *ante ſolutionem ad primum*, Sot. *de juſt. & jur. lib.*7. *q.*2. *art.*2. *per tot. & in* 4. *ſent. diſt.*38. *q.*2. *art.*2. *concl.*2.

&

& eam cum aliis duabus recitat S. Bonavent. *d. diſt.38. art.*
2. q.3. n.41. & 42. dicens: *Quæ iſtarum trium opinionum ſit*
verior, fateor me neſcire, & ſatis poteſt quælibet ſuſtineri;
ideò nullam aſſero.

52 Huic primæ opinioni valdè etiam ſuffragatur, quod S.
Matthæus Apoſtolus, ut refert Abdias Babylonius in ejus
vita, elegit potiùs mori, quam diſpenſare cum Iphigenia
Virgine Deo dicata, ut contraheret matrimonium cum
Rege promittente converſionem dimidii regni ad fidem, ſi
ipſa ſibi matrimonio copularetur. Cauſa igitur quantum-
cumque magna non videtur ſufficiens ad hanc diſpenſatio-
53 nem juſtificandam. Præſertim verò, quia ut refert Jo. And.
in regul. Semel Deo n.3. de reg. jur. lib.6. votum tenetur eſ-
ſe de jure naturali immutabili, *5. diſt. in princ.* In his autem,
quæ ſunt de lege naturę, & in præceptis divinis non poteſt
per hominem diſpenſari, & pręcipuè in pręceptis primę ta-
bulę, quę odinantur directè ad dilectionem Dei, qui eſt ul-
timus finis pręceptorum. Sed ſecundum hoc implere vo-
tum eſt de lege naturę, & primę tabulę, cum ſit actus latrię:
& concludit hoc argumentum etiam in aliis votis diſpen-
ſari non poſſe: fortiùs ergo in votis ſolemnibus inconti-
nentiæ, & paupertatis.

54 Secunda opinio eſt aliorum, quos tacito nomine recen-
ſet gl. *ult. hìc* & Hoſt. *n.30.* exiſtimantium Papam, quamvis
non poſſit ſuper hujuſmodi votis cum Monacho diſpenſare
de poteſtate ordinaria, & à jure regulata, poſſe tamen de
poteſtate abſoluta, ſeu de poteſtatis plenitudine, ſecundùm
quam poteſt mutare ſubſtantiam rei, ut *l. unica, C. de rei*
uxor. axion. & de eo quod nihil eſt, aliquid facit, *c. Hæc*
quippè, 3. q.6. arg. *c. Revera, de conſecr. diſt.2.* & notatur *in*
55 *c.1. in gloſſ. in verb. Supra de translat. Epiſc.* Obſtant ver-
ba illa tex. noſtri: *Nec Summus Pontifex poſſit licentiam in-*
dulgere, quia ver. *Poſſit*, exponunt, id eſt potentię ſuę non
congruit, ſicut exponitur illud Hieronymi: *Cùm Deus om-*
nia poſſit, ſolum non poteſt ſuſcitare virginem poſt ruinam, c.
Si Paulus 32. q.5. id eſt non congruit potentiæ ſuæ, vel de
ſolito curſu, quia non conſuevit hoc facere, poſſet tamen, ſi
vellet, ut hìc per Hoſtien. *n.31.*

56 Tertia opinio eſt, quòd Papa ſuper voto continentiæ, &
paupertatis quantumcumque ſolemnizato diſpenſare poſſit
ex magna cauſa, & non aliàs: & hanc pluribus tuetur Innoc.
hìc à n.1. uſque in fin. cui ſubſcribunt Abbas Antiq. *in fin. in*
verb. Summus, Hoſt. Jo. And. & communiter DD. ut pate-
bit infra *n.63.* Idem Jo. And. *in reg. Semel Deo, de regul. jur.*
lib.6. ubi prolixè diſputat in utramque partem, & tandem
n.5. concludit cum Innoc. Idque probabilius affirmat ipſe-
met S. Th. *in 4. ſent. q.1. art.4. q.1. ad tertium.*

57 Prima pars concluſionis Innocent. quod ex magna cauſa
poſſit Papa diſpenſare, nititur hoc præcipuo fundamento,
quia caſtitas, & paupertas ſunt annexa ordini, ſeu regulæ
58 Monachali de jure poſitivo; quod ſi probat: nam Mona-
chus nihil aliud eſt, quàm ſolitarius, & triſtis, *c. Placuit, 16.*
q.1. quidquid ergo ultra hoc additum eſt, à conditore juris
impoſitum eſt: & ex hoc patet, ut Innoc. ait, Papam poſſe
diſpenſare cum Monacho, ut habeat proprium, vel conju-
gem, cùm poſſit ordinem, & naturam, quam dedit ordini,
& ſuſtantiam tollere; & cum ipſo tranſeunt totidem verbis
59 Abb. Antiq. *in fine*, Hoſt. *n.27.* & Jo. And. *n.24.* Item ut addit
Hoſt. omnis religionis regula à Summi Pontificis auctori-
60 tate vires ſumit, *c. fin. inf. de relig. domib.* Sicut ergo religio-
nem, & ejus ſubſtantiam approbat, ſic & ipſam tollere po-
teſt, *c. Omnis res*, cum ibi notatis *inf. de reg. juris.*

61 Præterea, ut inquit Innocen. *num.4. in verb. Licentiam*,
quid ſi tota Chriſtianitas, vel etiam aliqua pars ejus eſſet
in periculo, niſi Monachus fieret Rex, fortè quia non eſſet
alius, qui ſciret, vel poſſet aliquod regnum regere, niſi Mo-
nachus? Nonnè dices, quod fiat Rex? Nonnè quilibet de-
bet ſe totum in holocauſtum offerre Deo, ut in eo, quod ei
plus placet, pręeligat ſervire? Sed prę omnibus placet ei, ut
creaturam ſuam rationabilem, & temporalem conſervet,
pro quo etiam ipſe animam ſuam poſuit. Item nonnè pec-
cat, qui minus bonum majori bono pręponit? *c. Licet in fin.*
ſupra de regular. c. Si quis dicat, & c. Vel qui dicit, 11. q.3.
Item communis utilitas pręfertur, *c. Scias, & c. Mutatio-*
nes, 7. qu.1. Item ſi propter communem utilitatem Mona-
chus poteſt fieri Epiſcopus, *d. c. Licet*, & etiam Clericus, ut
cap. Priſcis, 55. diſtinct. cap. Ne pro cujus, 16. quæſt.1. qua-
re non eodem modo Rex? Sed fortè reſpondebit contradi-
ctor: Concedo quod fiat Rex, ſed non habebit proprium,
quia regnum commune eſt, & quod acquiret, regno acqui-
ret, arg. *cap.1. 18. q.1. & cap. Cùm olim, infrà de privil.* Sed 62
contra: Quid ſi non poſſit eſſe ſalva Chriſtianitas, niſi re-
gnum in ſuum proprium accipiat, illud ſuis heredibus relin-
quendum, quia fortè habebat filios, antequam fieret Mona-
chus? Item quid ſi dixerint ei illi, qui poſſunt dare regnum:
Oportet, ut ſi vis habere regnum, accipias hanc Reginam in
uxorem, aliàs dabimus eam infideli, vel tyranno. an ita dili-
ges contemplationem hujus Monachi, & continentiam ho-
minis unius, & ita reputabis Deum crudelem, ut nolit per
proviſionem Vicarii ſui huic Chriſtianitati provideri? Item
Papa fecit Conſtitutionem, ut etiam ille, qui vovit ſimplici-
ter continentiam, ſi matrimonium contrahat, validè con-
trahat, *c. Rurſus, infrà qui cler. vel vovend. c. Gonſalaus, 17.*
q.2. c. Placet, ſupra de converſ. conjugat. quare non eodem
modo poteſt diſpenſare? Item fecit Conſtitut. ut uxor
unius alii nubat, *c. Gaudemus. ff. penult. inf. de divort.* Item
ex Conſtitutione eſt, ut minor 14. annis non poſſit ſe obli-
gare Religioni, *cap. Ad noſtram, ſuprà de regul.* quod eſt
contra jus naturale, quia ſicut puer, ex quo doli capax eſt,
poteſt ſe diabolo obligare, eodem modo & Deo. Item Pa-
pę dicitur, *Quodcumque ligaveris, &c.* Item in quolibet
voto intelligendum eſt, niſi aliter Deo placeat: ſed creden-
dum eſt Deo aliud placere, ſi utilitas ſubeſt, ut contra vo-
tum faciat. Item non intelligitur quis venire contra vo-
tum, qui facit contra illud auctoritate Superioris, qui eſt
Vicarius Jeſu Chriſti, ſicut dicitur in matrimonio, *c. Inter* 63
corporalia, in princ. ſup. de transl. Epiſc. Nec obſtat prędi-
ctis quod dicitur, *Vovete & reddite*: vovere quidem eſt
voluntatis, ſed reddere neceſſitatis: quia benè intelligitur
votum Deo reddere, qui ſe ejus diſpoſitioni committit, &
qui magis ejus beneplacitum facit *c. Magnæ, ſupra de vot.*
Hactenus formalia verba Innoc. quę ferè ad calamum tran-
ſcribunt, & approbant hìc Hoſtien. *n. 31. verſ. Vel hoc non*
poteſt Papa ſine cauſa, ſed ex magna, & Deo magis placente
hoc poſſet; hanc amplector, & infra *eod. num. in verb. Ponti-*
fex, & num. 32. Joan. Andr. *nu. 29.* Henric. Boich. *n.9. &*
10. Butr. *num. 28* Cardin. *§. ult. n. 18.* Anchar. *n.44.* Abb.
num. 20. & Joan. de Anan. *num. 11. verſ. In gl. fi.* & idem
Hoſtien. *in ſumm tit. de vot. §. Qualiter, & cujus nu. 12. &*
in cap.1. num.4. de vot. & ibi etiam Abb. *num.8.* dicens hoc
tenere communiter Canoniſtas, Archid. *in c. Sunt quidam*
25. q.1. n.5. Henrich. Boich. *in cap Rurſus, n.6.* ubi etiam
Card. *num 2. quæſt. 1.* Anchar. *num. 4.* Præpoſ. *num.4. & 7.*
& Alex. de Nevo *num. 12. infrà qui cler. vel voven.* Turre-
crem. *in c. De illo, n.3. & ſeq. diſt. 32.* Stephan. de Gaeta
in repet. c. Ad limina 30. q.1. §.4. q.129. n.353. Joan. And.
in d. c. Semel. Deo n.5. ad fin. verſ. Sed ut ſcripſi, de reg. jur.
lib.6. [Nam ut ipſe ait, ubi votum continentiæ ſolemne 64
eſt impedimentum majoris boni, poterit Papa diſpenſare:
nam bonum multitudinis melius eſt, quàm bonum unius:
poſſet autem per unius continentiam bonum multitudinis
impediri, ut ſi per matrimonium alicujus ſolemniter vo-
ventis etiam Monachi poſſet pax patrię procurari, vel Pa-
tria infidelis ad fidem converti, vel his ſimile, abſit, ut his
caſibus Monacelli continentiam pręferamus tanto bo-
no.] Sed & Sanctus Thom. *in 4. ſenten. diſt. 38. q.1. art.4.*
ad 3. eamdem rationem approbat, dicens: *Si communis uti-*
litas totius Eccleſiæ, aut unius Regni, vel Provinciæ expoſce-
ret, poſſet convenienter & in voto continentiæ, & in voto Re- 65
lig. diſpenſari, quantumcumque eſſet ſolemnizatum; non enim
per votum poſſet ſe homo de obligare ab eo, in quo tenetur alte-
ri. Unde talis poſſet imminere neceſſitas, ut poſſet alicui ju-
ſte prohiberi, ne continentiam, aut Religionem voveret; &
ead. neceſſitate manente poteſt etiam in voto diſpenſari jam
facto. Hęc S. Thom. cum quo concordant ibi Durand. *q.4.*
art.4. concluſ.11. nu.49. Major. *quæſt. 14.* Supplementum
Gabriel. *quæſt.1. art.5. dub. penultim.* S. Antonin. *in 2. par.*
tit.11. cap.2. §.9. & in 3. part. tit. 1. cap.15. §. 3. pleniſſimè
Medina *de ſacror. homin. continentia, c. 21. cum plurib. ſeq.*
Toled. *in ſumm. lib.4. c.18. nu. 5.* Gregor. de Valen. *in 2. 2.*
diſput. 6. quæſt. 6. punct. 7. col. 3. Navarr. *in Manual. c.12.*
n. 77. in fin. & in cap. 7. num.20. de conſecr. diſt.1. & conſ.2.
n.3. de converſ. conjugat. & conſ.12. num. 2. de ſponſal. Co-
varr. *in cap.2. n. 20. & 21. de teſtam.* & alibi paſſim Docto-
res. Ex quibus patet hodie hanc ſententiam eſſe commu-
nem Thelogorum, ac ferè omnium Canoniſtarum, quam
etiam tacitè approbavit Eccleſia Romana, dum ſuper hoc 66
diſpenſavit cum multis Religioſis, prout cum Ramiro
Rege

Rege Aragonum diſpenſatum fuiſſe, ut relicta Religione, & Epiſcopatu, acciperet uxorem, & Regnum atteſtatur Petr. de Palud *in 4. diſt. 28. q. 4. art. 4.* Cajet. *in 2. 2. qu. 88. art. 11. in princ. verſ. Videtur autem pluries*, Lucius Marinęus Siculus *lib. 8. de memorab. Hiſpan. c. ult.* Jo. Vaſę *in Chronic. c. 18.* & de Conſtantia filia Rogerii Regis, quę cum eſſet Sanctimonialis, nupſit Henrico VI. idem Cajet. *ubi ſupra*, & latius dicam infra *nu. 69.* & cum Nicolao Juſtiniano Sacerdote Monacho in monaſterio Sancti Nicolai Ordinis S. Benedicti diſpenſatum fuiſſe ab Alexand. III. ad inſtantiam Venetorum Ducis, referunt Barthol. a S. Fauſto *de teſaur. Religioſ. lib. 3. q. 36. n. 5.* & Pineda *in Monarchia Eccleſiaſt. p. 4. lib. 25. c. 7. §. 1. pag. 84.* & à Gregorio XIII. cum fratre Cardinalis Joyoſæ Gallo Sacerdote profeſſo & Provinciali Ordinis Capuccinorum, ut refert idem Bart. à S. Fauſto *d. q. 36. à n. 8.*

67 Ceterum adverte, quia opinio Innoc. & ſequacium non ita eſt intelligenda, ut monachus quandiu remanet Monachus, ex diſpenſatione Papę ſit ſolutus à voto continentię, & pauppertatis, quia implicat contradictionem, ut quis remaneat Monachus, & non habeat eſſentiam Monachatus, quę conſiſtit in tribus votis ſubſtantialibus, ut hìc nam Monachum facit, ideſt ad eſſe deducit Religionis profeſſio, *ut c. 1. & c. Porrectum, ſupra de Regular.* Non poteſt igitur diſpenſatio Apoſtolica ex cauſa quantumvis gravi efficere, ut quis perſeveret Monachus, & ſit abſolutus à ſubſtantialibus Regulæ. Et hoc intendit hæc Decretalis, dum dicit caſtitatem, & paupertatem adeò eſſe annexam Regulæ monachali, ut contra eam nec Papa poſſit licentiam indulgere; ſenſus enim eſt, Vota ſolemnia ſunt adeò intrinſeca, & eſſentialia ſtatui Monachatus, ut Papa efficere non poſſit, ut quis eodem tempore ſit Monachus, & habeat uxorem, vel proprium, ut declarant Turrecrem. *in c. 1. art. 3. n. 7. in reſponſ. ad 2. 27. q. 1.* Barthol. Socin. *conſ. 92. n. 2. vol. 1.* Richard. de Media Villa *in 4. ſent. diſt. 28. art. 9. q. 1.* Durand.

68 Petr. de Palud. & Gregor. de Valen. *loc. cit.* Baſil. Pont. *de impedim. matrim. c. 1. §. 3. verſ. Sed quamvis*, Card. Cajet. *in 2. 2. q. 88. art. 11. verſ. Sed neutrum horum*, dicens; [Si homo religioſus perſeverat religioſus, inhabilis eſt ad matrimonium, non ex ſtatuto, ſed ex natura, ita quod oppoſitum implicat contradictoria. Oportet ergo aut Religioſitatem

69 ceſſare, aut inhabilitatem manere. Et infra in verſu: *Ad hoc breviter dicitur*, pro hoc intellectu ponderat litteram hujus Decretalis, concludens ex ea non inferri neceſſariò indiſpenſabilitatem voti ſolemnis, ſed ſic, ſcilicet ſtante Monachatu. Et ponderat ad hoc quòd Innoc. III. illius author ſucceſſit immediatè Cęleſtino III. qui diſpenſaverat Conſtantiam filiam Rugerii Regis, uxoremque Henrici VI. quę erat Sanctimonialis in Panormo, & jam quinquagenaria, & ex tali conjugio genuit Federicum II. ut idem Cajetanus refert *d. art. 11. in princ.* & Angel. in *l. Si major quinquagenar. in princ. Cod. de legit. hæred.* eamque publicè, omnibuſque videntibus parere voluiſſe, ut partus ſuppoſiti omnem ſuſpicionem excluderet, teſtantur Pariſ. *conſ. 29. n. 46. lib. 2.* & Soc. Sen. *conſ. 126 n. 2. lib. 3.* Et cùm Innocentium non laterent geſta Cęleſtini in facie totius orbis, à quo etiam Cardinalis creatus fuerat, reſque undique eſſet admiranda propter ętatem quinquagenariam, & ſtatum imperialem, & matrimonium fuiſſet Romę conſummatum: non eſt rationabile, ut voluerit geſta Prędeceſſoris damnare per verba hanc damnationem non ſignificantia. Stat igitur

70 concluſio; quam ponunt Vincentius, & Joannes relati à Bernardo in gl. ult. videlicet Papam non poſſe ſuper voto caſtitatis, & paupertatis cum Monacho diſpenſare, quamdiù Monachus eſt, poſſe tamen ex magna, & juſta cauſa facere de Monacho non Monachum, ut *cap. Quorumdam, 74. diſt.* Quo peracto, in conſequentiam poterit proprium habere, & uxorem ducere.

Nec refert, quòd Navarrus *comment. 2. de regul. num. 17.* quamvis concedat Papam poſſe diſpenſare in voto ſolemni caſtitatis, tamen id neget in ſolemni paupertatis voto, aſſignans rationem diverſitatis, quia matrimonium poteſt eſſe neceſſarium in filio Regis profeſso, ut totius Regni bonum conſervetur & ita poteſt eſse juſta cauſa diſpenſandi, ut uxorem ducat: at non ſic in voto paupertatis, quia Monachus ex diſpenſatione Papæ poteſt eſse Rex cum ſola regni adminiſtratione, nec ulla ſubeſse poteſt neceſſitas, ut habeat dominium; & ideò ex defectu cauſæ non poteſt diſpenſari, ut proprium habeat: reſpondetur enim imò poſse dari caſum, in quo publica ſalus ſalva eſſe non poſſit, niſi ipſum dominium regni in Monachum transferatur, ut preclarè docuit Innocentius, cujus verba habes ſupra *n. 62.*

Ad rationem verò D. Th. *in 2. 2. quæſt. 88. art. 11.* quod nullus Prelatus Eccleſiæ poſſit facere, ut homo ſemel Deo conſecratus, quamdiù vivit, deſinat eſſe conſecratus; reſpondetur id verum eſſe in conſecratione Sacramentali, quę eſt de jure divino, ac proinde omninò indelebilis, ut in Conc. Trid. *ſeſſ. 7. de Sacram. can. 9.* At ſecus eſt in aliis conſecrationibus, quæ ſunt de jure poſitivo, quia per Summum Pontificem auferri poſſunt, ut probat tex. *in l. Continuus, §. Cum quis, ff. de verb. oblig.* quem ita intelligunt Dyn. & Jo. And. *in c. Semel Deo in princ.* & ibi etiam Franc. *n. 1. de reg. jur. lib. 6.* & ideò paſſim videmus per auctoritatem Papę Eccleſias, & loca ſacra in profanos uſus non ſordidos converti, juxta Decretum Concilii Tridentini *in c. 7. in fin ſeſſ. 21.* & in conſecratione ſeu benedictione Abbatis notat Innocentius *in c. Quanto, n. 4. ſupra de conſuetudine.* Quæ latiùs proſequor *in c. Requiſivit, à n. 35. de ordinat. ab Epiſcop.* 71

Conſecratio autem, ſeu benedictio, in qua conſiſtit ſolemnitas voti, non eſt Sacramentalis, nec de jure divino, quia voti ſolemnitas introducta eſt de jure poſitivo, & ex Conſtitutione Eccleſiæ, ut eſt text. *in c. unic. de vot. lib. 6.* Ergo nihil obſtat, quin Summus Pontifex poſſit ſuper ea diſpenſare. Deinde ut egregiè reſpondet Cajetanus *in 2. 2. quæſt. 88. d. art. 12. verſ. Aliter igitur*; ſacra etſi non poſſint paſſim ad alios uſus transferri, poſſunt tamen transferri ad alios uſus in articulo neceſſitatis, ut panes propoſitionis translati ad uſum David, & ſuorum, propter articulum neceſſitatis, ut Dominus expoſuit. Et ad hanc Decretalem in fin. quæ movit S. Thomam ad prædictam diſtinctionem; reſpondet Jo. And. *in d. reg. Semel Deo in fin.* certum eſſe nulla verba Papæ poſſe tollere, vel detrahere poteſtati ſucceſſoris, quia par in parem non habet imperium, *cap. Innotuit*, cum concord. *ſupra de elect.* Sed hæc reſponſio non ſatiſfacit, quia Papa hìc non procedit ſtatuendo, ſed declarando; ideò melius eſt reſpondere, ut dictum eſt ſuprà *num. 69.* 72 73

Ad aliud verò, quod obligatio voti ſit de jure naturæ, ſuper quo non cadit diſpenſatio; ita reſpondet Jo. And. *in d. c. Semel. Deo, n. 1. verſ. Sed ad hoc reſpondetur*, videlicet quando Eccleſia diſpenſat in voto, non diſpenſat in præcepto juris naturalis, vel divini, ſed terminat id, quod cadebat ſub obligat. deliberationis humanæ, quæ non potuit omnia circumſpicere, ſicut etiam diſpenſare contra legem humanam non eſt tollere legem, ſed ordinare ex cauſa, ne liget eo caſu quo diſpenſatur: & ſic non eſt contra. Ad hoc Concil. Trid *ſeſſ. 25. de reform. c. 18.* 74 75

Ultimum denique objectum de S. Matthęo Apoſtolo non obſtat, quia, ut reſpondet Card. Cajet. *in 2. 2. q. 88. art. 11. verſ. Aliter igitur*, fortè non expediebat in exordio naſcentis fidei per talem apparenter irreverentiam, Divinam propagari fidem, quę prędicatione, & ſignis propagãda erat, ſecundum Domini mandatum Marci ult. Præterea Cajet. ait dictum illud ſe non inveniſſe pro authentico, & de Abdia Babylonio illius Authore ita ſcribit Card. Bellarmin. *de Script. Eccleſ.* Abdias Babylonius unus ex diſcipulis Domini fuiſſe dicitur; ſed vitæ Apoſtolorum, quæ ſub nomine ejus circumferuntur, fabulis ſimiliores ſunt, quam verę narrationi: ſed neque ejus Abdię, aut libri ejus ullam in veteribus mentionem invenio. Et ex his abſoluta ſit pars prima concluſionis Innoc. quod Papa ex magna cauſa poſſit diſpenſare, ut Monachus habeat proprium, vel uxorem ducat. 76 77

Secunda verò pars, quod ſcilicet diſpenſare non poſſit ſine juſta, & magna cauſa, probatur ſecundum Innocentium, quia tametſi in diſpenſationibus, quæ fiunt à Papa contra jus poſitivum, ſufficiat ſola voluntas diſpenſatoris etiam ſine cauſa, ſicut apparet in ſtatutis editis de Ordinibus intra certa interſtitia temporum conferendis, *87. diſt. per tot.* & aliis ſimilibus, eo quod cum ſola voluntaria Conſtitutio ſit cauſa, quare aliquid prohibeatur, per conſequens & ſola voluntas contraria cauſa erit, quare prohibitio relaxetur, quia ejus eſt deſtruere jus, qui illud condidit, & interpretari *l. Quod jus, ff. de re jud. cap. Inter alia, infra de ſent. excommunicat.* tamen ſecus eſt in his, quæ ſunt contra votum tacitum, vel expreſſum, & in aliis, quæ ſunt contra Evangelium, quia non prodeſt diſpenſatio, niſi ex cauſa fiat; & quamquam Papa diſpenſet, niſi juſta cauſa ſubſit, peccat & diſpenſans, & is, cum quo diſpenſatur, ſecundum Innoc. 78 79 80

hic

*hic n.*2.Hoſt *n.*31.*in verb. Pontifex*,& Jo. And. *n. ult.* Butr.
81 *n.*28. Anchar. *n.* 24. Abbas *n.* 22. Qui tamen omnes quoad
validitatem diſpenſationis differentiam conſtituunt inter
votum paupertatis,& continentiæ:nam diſpenſatio,ut Monachus habeat proprium,nunquam valet, niſi magna cauſa,
& vera ſubſit; licèt enim Papa poſſit ex cauſa concedere
Monacho, ut peregrinetur, & viaticum ſecum portet,illud
tamen non poſſidebit ſuo nomine,ſed monaſterii; unde nec
82 de eo teſtari poterit: ſed ſi diſpenſetur cum Monacho,ut habeat uxorem,& non adſit neceſſitas, vel utilitas diſpenſandi, ſi tamen contrahat cum aliqua credens bonam diſpenſationem & licitam, tenet matrimonium, licèt ille qui fuit
Monachus, ſemper peccet exigendo debitum, non autem
reddendo, quia verum matrimonium eſt inter eos. Ratio diverſitatis, quia diſpenſatio habendi proprium nemini 83
præjudicat, nec alicui prodeſt, nec obeſt niſi ei, cum
quo diſpenſatur: unde ſi abſit utilitas, vel neceſſitas, non
valet diſpenſatio. At ſecus eſt in matrimonio, ubi diſpenſatio prodeſt, vel præjudicat alii, ſcilicet uxori; ſed nihilominus diſpenſatio non prodeſt Monacho, cum quo fuit
malè diſpenſatum, quin ſemper peccet debitum exigendo;
ita Innocentius, cum quo cæteri tranſeunt.

DE STATU MONACHORUM.

Idem Innocentius III. In Concilio generali.

CAPUT VII.

IN ſingulis regnis ſive provinciis, fiat de triennio in triennium (ſalvo jure diœceſanorum Pontificum) commune Capitulum Abbatum atque Priorum Abbates proprios non habentium, qui non conſueverunt tale Capitulum celebrare: ad quod univerſi conveniant præpeditionem Canonicam non habentes, apud unum de Monaſteriis ad hoc aptum: hoc adhibito moderamine, ut nullus eorum pluſquam ſex evectiones, & octo perſonas adducat. Advocent autem in hujuſmodi novitatis primordiis, duos Ciſtercien. Ordinis vicinos Abbates, ad præſtandum ſibi conſilium, & auxilium opportunum, cùm ſint in hujuſmodi Capitulis celebrandis ex longa conſuetudine plenius informati; qui abſque contradictione duos ſibi de ipſis aſſocient, quos viderint expedire; ac ipſi quatuor præſint Capitulo univerſo, ita quòd ex hoc nullus eorum ſibi auctoritatem Prælationis aſſumat; unde cùm expedierit provida poſſit deliberatione mutari. Hujuſmodi verò Capitulum aliquot certis diebus continuè, juxta morem Ciſtercien. Ordinis celebretur; in quo diligens habeatur tractatus de reformatione ordinis, & obſervantia regulari. Et quod ſtatutum fuerit, illis quatuor approbantibus, inviolabiliter obſervetur omni excuſatione, contradictione, & appellatione remotis; proviſo nihilominùs ubi ſequenti termino debeat Capitulum celebrari. Et qui convenerint, vitam ducant communem, & faciant proportionabiliter ſimul omnes communes expenſas; ita quòd ſi non omnes poterunt in eiſdem, ſaltem plures ſimul in diverſis domibus commorentur. Ordinentur etiam in eodem Capitulo religioſæ ac circumſpectæ perſonæ, qui ſingulas Abbatias ejuſdem Regni ſeu Provinciæ, non ſolùm monachorum, ſed etiam monialium, ſecundùm formam ſibi præfixam, vice noſtra ſtudeant viſitare, corrigentes & reformantes; quæ correctionis & reformationis officio viderint indigere; ita quòd ſi rectorem loci cognoverint ab adminiſtratione penitùs amovendum, denuntient Epiſcopo proprio, ut illum amovere procuret. Quod ſi non fecerit, viſitatores hoc referant ad Apoſtolicæ ſedis examen. Hoc ipſum regulares Canonicos, ſecundùm ordinem ſuum, volumus & præcipimus obſervare. Si verò in hac novitate quidquam difficultatis emerſerit, quod per prædictas perſonas nequeat expediri, ad Apoſtolicæ ſedis judicium abſque ſcandalo referatur; cæteris irrefragabiliter obſervatis, quæ concordi fuerint deliberatione proviſa. Porrò diœceſani Epiſcopi, monaſteria ſibi ſubjecta ita ſtudeant reformare, ut cùm ad ea prædicti viſitatores acceſſerint, plus in illis inveniant quod commendatione, quàm quod correctione ſit dignum: attentiſſimè præcaventes, ne per eos dicta monaſteria indebitis oneribus aggraventur: quia ſicut volumus ſuperiorum jura obſervari, ita inferiores nolumus injurias ſuſtinere. Ad hoc diſtinctè præcipimus tam diœceſanis Epiſcopis, quàm perſonis, quæ præerunt Capitulis celebrandis, ut per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione remota compeſcant advocatos, patronos, vicedominos, rectores & conſules, magnates & milites, ſeu quoſlibet alios, ne monaſteria præſumant offendere in perſonis aut rebus, & ſi forſan offenderint, eos ad ſatisfactionem compellere non omittant, ut liberiùs, & quietiùs Deo valeant famulari.

SUMMARIUM.

1 *Capitulum Provinciale Religioſorum non ſufficit celebrare in fine primi triennii, & ſtatim in principio ſecundi aliud celebrare; ſed inter unum, & aliud debet triennium intercedere.*

2 *Fieri debet ſalvo jure Epiſcopi Diœceſani, n.* 5.

3 *Et tam à religioſis exemptis, quàm non exemptis. Et quid poſt Concilium Tridentinum, n.* 7. *& ſeqq. & num.* 11.

4 *Et convenire debent univeſi Abbates, & Priores Provinciæ ejuſdem ordinis.*

6 *Et malitioſè impedientes, ne Capitula celebrentur, ſententiam excommunicationis incurrunt.*

7 *Monaſteria omnia, quæ ſub immediata Sedis Apoſtolicæ protectione exiſtunt, tenentur ſingulis trienniis ſeſe in Congregationem redire ex Concilio Trident. Proſp. Fagnan. in III. Lib. Decretal.*

8 *Non tamen poſſunt invicem, aut aliis monaſteriis ſe unire, & aggregare, n.* 10.

9 *Monachi monaſterii exempti, & commendati, non poſſunt, Congregationi jam inſtitutæ ſeſe aggregare, ſed tantùm ſe cum aliis monaſteriis in Congregationem redigere ad celebrandum commune Capitulum.*

10 *Congregationis Ordinis S. Benedicti in Belgio erectio cum facultate aggregandi monaſteria non exempta, in Congregat. rerum Conſiſtorialium examinatur.*

11 *Capitula in aliquibus Religionibus, vel Congregationibus Monachorum, an ſit permittendum ut celebrentur ſingulis annis, & Præſides eligantur annales.*

IN *Singulis.* Statuit de Capitulis provincialibus Religio- 1
ſorum celebrandis ſingulis trienniis, de numero perſonarum venientium, de inſtructoribus adhibendis, de Præſidentibus Capitulo, de tractatibus in Capitulo habendis,

de communi vita ducenda, de Viſitatoribus eligendis, & de ipſorū officio: hortatur Diœceſanos ad monaſteriorum reformationem, præcipit patronos, & ſimiles compeſcere ab offenſis monaſteriorum: hoc dicit integra hæc conſtitutio, Jo. Andr. Butr. Card. Anchar. Abb. & Joann de Anan. & ſic dividitur in duodecim partes, quæ per ſe patent.

Nota primò, ibi, *De triennio in triennium*, inter unum, & aliud provinciale Capitulum religioſorum debere eſſe intervallum unius triennii; unde ſecundum Jo. Andr. *hic n.* 2. (non ſufficeret in fine primi facere unum Capitulum provinciale, & ſtatim in principio ſecundi facere aliud, quia id potiùs eſſet facere Capitula de ſexto in ſextum annum, quàm de triennio in triennium; & multo tempore retardari poſſet ſic Ordinis reformatio, & ſic etiam interpretata eſt conſuetudo.) Hæc Jo. Andr. quem totidem verbis ſequuntur hìc Butr. *n.*4. Card. *n.*3. Anchar. *n.*1. Abb. in *1. notab.* & Jo. de Anan. *n.*1.

Et ex hoc notabiliter infero, ut Epiſcopi, qui ex Conſtitutione Sixti V. tenentur ſingulis trienniis, vel quadrienniis, &c. viſitare Beatorum Apoſtolorum limina, nequaquam poſſint, aut debeant infra tempora hujuſmodi quandocumque viſitare, ſed tantùm in ultimo anno triennii, vel quadriennii, &c. alioquin eodem annorum curriculo plures viſitationes inculcarentur, & inter unam, & aliam viſitationem poſſet intercedere ſpatium ſex, vel octo, aut plurium annorum, & multùm retardaretur fructus viſitationis, contra mentem, & verba Conſtitutionis, quæ præcipit, ut Epiſcopi Italiæ tertio, Germaniæ quarto, Africæ quinto, Aſiæ ſexto quoque anno iter ſuſcipiant, & perficiant: quod latiùs proſequor *in c. Ego N. n.*50. *ſup. de jurejur.* Dic ut ibi.

2 Secundò, nota ibi, *Salvo jure Diœceſanorum Pontificum*, Capitula provincialia à regularibus fieri debere ſine præjudicio Diœceſanorum, ſcilicet in viſitationibus, procurationibus, & correctionibus, ut explicat gloſſ. 4. hìc Hoſt. *n.*1. *in verb. Pontificum*, Cardin. *in 1. notab.* & Jo. de Anan. *n.*2. Nam Diœceſani pluries, quàm de triennio in triennium poſſunt viſitare, & Synodum tenere, *c. Sicut olim de accuſat.* ſecundum Goffred. & Hoſtien. *n.* 1. *in verb. Diœceſanorum*, Joann. Andr. *n.*3. & hodiè eſt expreſſum in Concilio Tridentino *ſeſſ.*24. *c.*2. *&* 3. & generaliter ex hoc juriſdictio Epiſcopi non intelligitur enervari, ut patet *inf. eod.* §. *Ordinentur*, ſecundum Hoſtien. *eod. n.*1. *in ver. Pontificum.* Similis præſervatio habetur in *c. Salvo* 9. *q.*3. *in c. Pontifices* 7. *q.*1. *& in c. Dudum ſupra de decimis.*

3 Et hinc collige hoc capitulum loqui de Abbatibus, & Prioribus non exemptis, ſecundum Innoc. in princ. aliàs enim inanis fuiſſet illa præſervatio: ſed Hoſtien. *n.*1. *in verb. Abbatum, atque Priorum*, exponit, id eſt exemptorum, & non exemptorum, *c. Proximum*, §. *Hæc eadem infra eod.* & ſic præſervatio jurium diœceſanorum Pontificum ſtat reſpectu non exemptorum. Hodiè opinio Innoc. videtur approbata à Concilio Tridentino, quod reſtringitur ad Abbates, & Priores exemptos, ut dicam infra *n.*11.

4 Ulimò, nota ibi, *Ad quod univerſi conveniant*, ad Capitula provincialia Regularium debere univerſos convenire Quod ſi intelligatur de Abbatibus, & Prioribus provinciæ cujuſcumque Ordinis, hoc non ſervatur ſecundum Hoſtien. *his num.*1. *in verb. Qui non conſueverunt*, & Joann. Andr. *in verb. Conveniant*; nam Carthuſienſes ſuum, Ciſtercienſes ſuum, Cluniacenſe ſuum celebrant Capitulum per ſe, & ſic de ſingulis, ſecundum eos. Item non habet hodiè conſuetudo, ut hujuſmodi Capitulum faciant religioſi non habentes caput unicum, ſecundum Joann. Andr. *eod. num.*3. licèt ſubdat hodiè plenè proviſum eſſe per Conſtitutionem Benedicti.

5 Porrò decretum hoc Innoc. in generali Concilio editum innovavit, & obſervari præcepit Clemens V. in concilio Viennenſi, ut *in Clem. Ne in agro*, §. *fin. de ſtat. Monach.* licèt mendosè ibi legatur Innocentius IV. & gloſſ. ult. ibi adnotavit deſuetudinem in hoc non juvare, ſed tamen innovationem illam de facto non proficere. Ideòque in Concilio Salisburgenſi ſub Martino V. §.8. ſic legitur; (Item licèt fel. record. Gregor. Papa IX. providè ſtatuerit, ut in ſingulis regnis, ſeu Provinciis Prælati Ordinis Sancti Benedicti de triennio in triennium Capitula Regularia celebrare deberent, & nos idem ſtatutum in provinciali duximus innovandum, quia tamen nullus fructus adhuc ex prædicto ſtatuto, & innovatione; repetita vice decrevimus eadem Capitula celebrari, jure tamen Ordinariorum per omnia ſalvo) *tom.*3. *Conciliorum part.*2. *pag.*99.1. *col.*1. *littera D.* Item Benedictus XII. *Statuimus*, inquit, *& ordinamus, quod in ordine, & religione dict. Monachorum Nigrorum in ſingulis provinciis per Nos inferius deputatis fiat in loco ad hoc deputando de triennio in triennium* (*ſalvo jure Diœceſanorum*) *commune, ſeu Provinciale Capitulum Abbatum, & Priorum Abb. proprios non habentium, aliorumque Priorum Eccleſiarum Cathedralium ipſius ordinis ac religionis. Avenione* 12. *Kalendas Julii anno ſecundo.* Quam quidem ordinationem confirmavit Calliſtus XIII. ſub Datum Romæ kalend. Martii Anno 1455. Idemque ſanxerunt & alii Pontifices; & in Concil. Conſtantienſi decretum fuit, ut ſententiam excommunicationis ipſo facto 6
incurrat quilibet cujuſcumque ſit præeminentiæ, dignitatis, ſtatus, aut conditionis, qui per ſe, vel per alium malitiosè impedierit, quominùs prædicta Capitula liberè valeant celebrari, ut refert Roman. Naz. *in Aſto ineſt incto c,6. per totum.*

Sed noviſſimè Concilium Trident. *in c.*8. *ſeſſ.*25. *de regul.* 7
ſtatuit, ut monaſteria omnia, quæ generalibus Capitulis, aut Epiſcopis non ſubſunt, nec ſuos habent ordinarios regulares viſitatores, ſed ſub immediata Sedis Apoſtolicæ protectione, ac directione regi conſueverunt, teneantur infra annum à die ipſius Concilii, & deinde quolibet triennio ſeſe in Congregationem redigere, juxta formam hujus Capituli.

Adverte ad illa verba, *Seſe in Congregat. redigere*: non 8
enim important, ut monaſteria hujuſmodi poſſint invicem inter ſe, aut aliis Congregationibus jam inſtitutis ſe unire, & aggregare, & unum corpus conſtituere: alioquin Concilium non dixiſſet, infra annum à die præſentis Concilii, & deinde quolibet triennio, quia uniones, & aggregationes hujuſmodi fiunt in perpetuum, nec iterantur de triennio in triennium, ſed ſemel factæ ſemper durant, quamdiu ex legitima cauſa non diſſolvuntur, *c. Expoſuiſti ſupra de præben. c.*1. *Ne ſede vacan.* Concil. Trident *ſeſſ.*7. *c.*6. *& ſeſſ.*21. *c.*5. Petrus de Peruſio *in tract. de revocat. union. qu.*1. *& per tot.* Præterea decretum *d. cap.*8. ſe refert ad hanc Conſtitutionem Innocent. quæ nihil aliud præcipit, quàm ut regulares ſingulis trienniis celebrent Provinciale Capitulum, & nihil ſtatuit de unione, vel aggregatione; & ita intellexit hoc decretum Conc. S. Congreg. illius Interpres, ut in ſubjecta declaratione, videlicet.

An monaſterium à juriſdictione Epiſcopi exemptum, & 9
Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectum, quod ante Conc. publicationem commendatum reperitur, comprehendatur ſub diſpoſitione *c.*8. *ſeſſ.* 25. *de regul.* ut reluctante Commendatario, poſſit ſe in Congregationem redigere, præſuppoſito, quod Commendatario commiſſa fuerit cura, regimen, juriſdictio, & omnimoda adminiſtratio dicti monaſterii perſonas corrigendi, caſtigandi, & viſitandi propria auctoritate. Stante etiam quòd in eodem monaſterio non ſit Prior clauſtralis ejuſdem Ordinis expreſsè profeſſus, qui gregi Regulari præſit.

S. Congreg. Concilii cenſuit hos Monachos non poſſe ſeſe aggregare huic, nec alteri Congregationi jam inſtitutæ, & formatæ; licere tamen eis cum aliis monaſteriis, juxta dictum decretum Concilii, ad formam *cap. In ſingulis de ſtat. Monach.* in Congregationem redigere. Intellexit enim S. Congregatio illa verba: *Et deinde quolibet triennio ſeſe in Congregationem redigere, &c.* quòd debeant de triennio ad triennium iſta monaſteria commune celebrare Capitulum, juxta diſpoſitionem dictæ Conſtitutionis, *In ſingulis.* Item monaſteria commendata *d. c.* 8. comprehendi. Quam Congregationis ſententiam ad ſe relatam Sanctiſſimus probavit, & executioni demandari juſſit.

Hinc cùm Præſes, & Abbates monaſteriorum exempto- 10
rum Ordinis S. Benedicti in Belgio petiiſſent à S.D.N. Innocentio X. confirmationem erectionis in Congregationem quam aſſerebant factam fuiſſe à Gregorio XIII. & ulteriùs ſupplicaſſent pro facultate aggregandi eidem Congregationi alia monaſteria non exempta: die 9. Januarii 1648. S. Congragatio rerum Conſiſtorialium, ad quam Sanct. Sua hoc negotium examinandum rejecit, in primis animadvertit, in vim hujus *c. In ſingulis de ſtat. Monach.* & Concilii Trident. *in d. c.*8. *ſeſſ.*25. *de regul.* minimè licere monaſteriis quibuslibet ſibi aggregare alia monaſteria ejuſdem, vel alterius Ordinis, ſed tantùm ſeſe in Congregationem redigere in ſingulis trienniis, id eſt ſe congregare, & convenire,

nire, ad commune, ſeu Provinciale Capitulum, juxta antiquam reſolutionem Sac. Congreg. Concilii à Summo Pontifice approbatam. Rurſus animadvertit facultatem ſe redi-
11 gendi in Congregationes, ſeu Capitula congregandi, non fuiſſe tributam à Concilio quoad monaſteria non exempta, ſed tantùm quoad illa, quæ Capitulis vel Epiſcopis non ſubſunt, nec ſuos habent Ordinarios Viſitatores, ſed ſub immediata Sedis Apoſtolicæ probatione, & ordinatione exiſtunt, ut verba ipſa tenent. Demum animadvertit prędicta monaſteria exempta in Belgio nequaquam obtinuiſſe à Gregor. XIII confirmationem erectionis in Congregationem cum facultate aggregandi monaſteria itidem exempta ejuſdem Ordinis: ſed tantummodò prævia narratione, quòd ſe redegerant in Congregationem infra annum à fine Concilii Trident. & denique quolibet triennio, obtinuerunt præmiſſa confirmari cum clauſula, quatenùs ſecundum ejuſdem Concilii decreta proceſſiſſent. De erectione autem in Congregationem, vel de aggregatione, nec verbum quidem legitur in litteris Gregorii. Ac proinde S. Congregatio exiſtimavit concedi non poſſe confirmationem erectionis, quæ non extat, & longè minùs facultatem ſibi aggregandi monaſteria non exempta. Nihil tamen horum ſignificandum eſſe Monachis, ſed tamen dicendum Sac. Congregationem velle edoceri à Pronuncio in Belgio de progreſſibus ipſius Congregationis, & inſpicere ordinationes, quas fecerunt, dum ſe redegerunt in Congregationem; ideòque ſcribendum Pronuncio, ut hujuſmodi Ordinationes, & Capitula tranſmittat, & de integro negotio S. Congreg edoceat, auditis etiam Epiſcopis, & aliis quorum intereſt.

12 QUÆRO, cùm hæc conſtitutio diſponat, ut Capitula Religioſorum de triennio in triennium celebrentur, an aliquid ſit immutandum in his Religionibus, vel Congregationibus Monachorum, in quibus Capitula celebrantur ſingulis annis, & Præſides eliguntur annales. Pro ſolutione hìc inſerendas duxi litteras Sac. Congregationis me Secretario ſcriptas ad D. Cardinalem à Lotharingia, quas Franciſcus à Lotharingia, Epiſcopus Verdunen. ſuis litteris aſſeruit è cœlo eſſe dictatas. Sunt autem tenoris, ut ſequitur.

(Semel atque iterùm actum eſt in S. Congregatione de negotiis Monachorum S. Vitonii, & Nidulphi à Sanctiſſimo D.N. præpoſita de decretis, quę Amplitudo V. Illuſtriſſ. in vim facultatis ei attributæ Sanctitatis Suæ litteris in forma Brevis non ita pridem edidit, moxque ad earumdem litterarum præſcriptum Sedis Apoſtolicæ examini, & correctioni ſubjecit. Et quamquam ampliſſimi Patres plurimum in omnibus deferendum putarint Amplitudinis V. Ill. prudentiæ, ac zelo, quam probè intelligunt egiſſe omnia ſolo Religionis bono permotam, aut certè rerum ſtatu ita exigente: noluerunt tamen omittere, quin ei adſignificarent rationum momenta, quæ Decretorum ſaltem aliquot approbationi viſa ſunt difficultatem ingerere. Inter illa affertur primum, quòd Religionum inſtitutis à Sede Apoſtolica approbatis derogare, niſi neceſſitate cogente, vix juſtum, aut tutum exiſtimatur; præcipuum namque Spiritus Sancti lumen effulget Regularium Congregationum Inſtitutionibus. At Congregatio Monachorum, de qua agitur, non modò erecta eſt ad inſtar Caſſinenſis, quæ ab inſtitutione Præſidentes habet annales, ſed ſpeciali etiam decreto bon. mem. Cardinalis à Lotharingia Sedis Apoſtolicæ Legati à primordiis ſuæ erectionis munita, ne Præſidis Officium ultra annum, neve Abbatum, ac Superiorum regimen ultra quinquennium progrediatur. Quod ſanè ſtatutum nedum à Sede Apoſtolica extitit approbatum, verùm etiam ab ipſis Monachis jurejurando firmatum, iis declarationibus adjectis in ipſo die profeſſionis regularis, ut illius obſervatio ſolemni Monachorum voto comprehendi videatur Atqui à Regula, quam quiſque profeſſus eſt, peculiariumque votorum, ac pręceptorum obſervatione non modò non deflecti, ſed ampliùs illa ad veterem, ac regularem diſciplinam inſtaurari vehementer optat, ac præcipit Sacroſancta Tridentina Synodus, à cujus ſaluberrima diſpoſitione, veterum etiam Conciliorum ſanctionibus, & Apoſtolicis decretis roborata vel minimum recedere nulla nos cogit neceſſitas, nulla ſuadet utilitas; quandoquidem ſi Præſides opportuiſſet conſtituere triennales ob exiguum perſonarum habilium numerum ad ejuſmodi munus exercendum, quippè id faciendum fuiſſet initio naſcentis Congregationis. At ubi hæc adolevit, jamque in viridem juventam, ac numeroſam familiam excrevit, minimè verendum, quin ex tot Monachis vel unus ſemper aſſumi poſſit idoneus ad illud obeundum. Neque verò videtur præſtare, ut Pręſides ſint triennales, quàm annales, ut nempè ſint majoris authoritatis, & quę pro bono Congregationis inchoaverint, poſſint faciliùs perficere: nam Congregationem Caſſinenſem, inſtar cujus hæc erecta eſt, ad eam rationem Sedes Apoſtolica inſtituit, ut ſumma rerum agendarum auctoritas non conſiſteret penes Generalem, aut Caput Ordinis, ut in aliis Religionibus, ſed penes Generale Capitulum, ita ut Præſidem obſequendi tantùm, & Capituli ordinationes exequendi maneat neceſſitas. Fortè etiam oportebit, ſi Pręſides ſint triennales, in tertium annum rejicere ipſius Capituli celebrationem, quæ fieri ſolet potiſſimùm ad electionem Præſidis: & tamen quis neget frequentem Capitulorum Congregationem plurimum prodeſſe ad regularem diſciplinam, vel conſervandam, vel ubi collapſa eſt, reparandam? Deinde nondum Congregatio hæc tàm longè, lateque diffuſa eſt, ut non unus vel ſolius anni ſpatio eam perluſtrare, ac ſancita exequi percommodè queat, quando Caſinenſis quæ multò latiùs progreditur, uno tamen annali Præſide optimè gubernatur: quinimò cùm aliquot ab hinc annis conſtitutum eſſet, ut eligeretur triennalis, eam rem in perniciem Congregationis cedentem Sedes Apoſtolica ad primævam formam redintegravit. In Abbatibus quoque, ac Superioribus localibus quinquennii tempus ſatis, ſuperque habetur, itaut illud in longiores moras protelare nil aliud videatur, quàm fovere Monachorum ambitionem, & Abbates veluti perpetuos conſtituere adverſus vetus Congregat. inſtitutum à Romana Sede approbatum, atque ut ſupra firmatum jurejurando. Et quamvis in Decreto prudenter adjectum ſit, ut electio poſt abſolutum quinquennium etiam non tranſacto alio biennio valida ſit, ſi ita ſuaſerit evidens monaſteriorum utilitas, aut neceſſitas, ex ſeptem diffinitoribus quinque judicio approbata: cùm tamen hæc multam habeant latitudinem, inficiandum non eſt, quin hic aperiatur via ambitioſis commentitias, aut affectatas utilitates, aut neceſſitates adſtruendi. Quod ſi hoc decretum de biennali Superiorum vacatione vix ſervari potuit, cùm ſimpliciter, & abſolutè ligabat: quantò faciliùs nunc violabitur, ſi licebit in cauſam violationis obtrudere neceſſitatem, aut utilitatem? Verendum etiam ne Congreg. S. Mauri, quam in Gallia veluti primogenitam Congregatio SS. Vitoni, & Nidulphi nuper effudit, hoc exemplo commoveatur. Verendum itidem, ne id ipſum contingat in Caſinenſi; vix enim eſt, ut cauſam non quærat dominandi libido. Præterea auditur majorem, ac ſaniorem Congregationis partem velle conſtanter adhęrere primævæ Congregationis inſtitutioni, & quamquam Monachi circiter centum dumtaxat, expreſsè hoc videantur declaraſſe, multò tamen plures hoc ipſum cupere, licèt ſe prodere non audeant, quin etiam proditurōs, ſi eorum mens ſecretò, ac liberè exquiratur. Itaque ſi vix Apoſtolica Sede adduci conſuevit, ut vel Religioſis volentibus primævam Religionis inſtitutionem intervertat, aut immutet: quid faciet ipſis invitis, ac reluctantibus? Addunt demum Monachi ſe auditos quidem illic fuiſſe, cùm primum decretum ſimpliciter editum fuit de Superioribus quinquennalibus; at ſecundum poſterius cum limitatione utilitatis, aut neceſſitatis prodiiſſe ipſis neque auditis, neque citatis. Hæc omnia Illuſtriſſimi Patres ad amplitudinem veſtram Illuſtriſſ. deferri juſſerunt, ut illis ſedulò, ac maturè perpenſis dignetur mentem ſuam aperire, & quid facto opus cenſeat, uberiùs explicare: norunt enim avitam illius pietatem, regulariſque diſciplinæ ſtudium, ingenii etiam acumen, atque in rebus gerendis prudentiam, ut propterea illis hæſitandum non ſit, quin ipſa ubi attentè ſingula conſideraverit, aut flectatur S. Congregationis animadverſionibus, aut ea afferat rationum pondera, quibus in illius ſententiam ſe flecti conſultius putent Ampliſſimi Patres. Nos quod ſupereſt, amplitudini veſtræ Illuſtriſſ. proſpera omnia præcamur ex animo, manuſque humillimè deoſculamur. Datum Romæ 16. Januarii 1630.]

DE RELIGIOSIS DOMIBUS, ut Epiſcopo ſint ſubjectæ.

Ex decretis Eugenii Papæ.

CAPUT III.

DE Xenodochiis, & aliis ſimilibus locis, per ſolicitudinem Epiſcoporum, in quorum diœceſi exiſtunt, ad eaſdem utilitates, quibus conſtituta ſunt, ordinentur.

SUMMARIUM.

1 *EPiſcopo ſubſunt omnia loca pia, & ad ejus ſolicitudinem debent ordinari ad uſum deſtinatum.*

2 *Epiſcopus fundat intentionem de jure communi ſuper ſubjectione, adminiſtratione, & ordinatione Hoſpitalium, aliorumque piorum locorum ſuæ Diœceſis.*

3 *Hoſpitale qui dicit exemptum, probare debet ſtatuto in fundatione, vel præſcriptione, aut privilegio.*

4 *Sed poſt Concilium Tridentinum exemptionis privilegium, & conſuetudo etiam immemorabilis non ſuffragantur.*

5 *Hoſpitale Papiæ poteſt ab Epiſcopo viſitari, non obſtante privilegio Nicolai V.*

6 *Xenodochium propriè quid ſit, & de variis hoſpitalium nuncupationibus.*

7 *Hoſpitalium redditus in quibus ſubſint Epiſcopi diſpoſitioni.*

8 *Ordinarii curare debent, ut hoſpitalia quæcumque à ſuis adminiſtratoribus etiam exemptis fideliter, & diligenter gubernentur.*

9 *Item ut eleemoſynæ ab adminiſtratoribus fabricæ expendantur in uſum deſtinatum, & omnia fideliter peragantur.*

10 *Hoſpitalia, & loca pia ita demum ſubſunt viſitationi ordinarii, ſi ſint religioſa, ideſt fundata auctoritate Epiſcopi; aliàs ſecus.*

11 *Religioſum locum nemo poteſt efficere ſine Epiſcopi auctoritate.*

12 *Hoſpitale privatum mortuo patrono ſpectat ad curam Epiſcopi, ut pia voluntas executioni demandetur.*

13 *Hoſpitalis adminiſtratoribus detrectantibus exequi voluntatem fundatoris, jus exequendi ad Epiſcopum devolvitur.*

14 *Hoſpitalium etiam privatorum adminiſtratores tenentur quotannis reddere Epiſcopo rationem adminiſtrationis.*

15 *Hoſpitalia ſub immediata Regum protectione, quæ ex fundatione, vel privilegio, aut conſuetudine non probantur exempta, an poſſint ab Epiſcopo viſitari, & nu. ſeqq. uſque ad n. 30.*

18 *Viſitatio hoſpitalium reſtringitur à Concilio ad caſus à jure conceſſos, jus exigendi rationes non item,*

19 *Hoſpitalia ſub immediata Regum protectione non eximuntur per Concilium Trident. à viſitatione Epiſcopi, ſed præſervatur illorum exemptio.*

20 *Concilii Trident. decretum c. 8. ſeſſ. 22. expenditur.*

21 *Ordinarii juriſdictioni Concilium Trident. nihil detraxit etiam in locis ſub regum protectione exiſtentibus.*

22 *Loca regia ita demum ſunt exempta à viſitatione Epiſcopi, ſi exemptionem juſto titulo acquiſierint.*

23 *Fundatio Eccleſiæ, & hoſpitalis ſub regia protectione non ſpectat ad laicos, ſed ad Sedem Apoſtolicam, vel ad Ordinarium.*

24 *Protectio legitima, & juſta tantùm præſervata eſt à Concilio Tridentino, non autem ea, quæ de facto aſſumitur.*

25 *Regum jura Concilium Trident. præſervavit, ſed nova illis non attribuit.*

26 *Regia protectio de facto à ſæcularibus miniſtris aſſumpta, Ordinarii juriſdictionem non lædit.*

27 *Hoſpitale fundatum ſub juriſdictione Epiſcopi non fit exemptum ex eo, quòd poſtea illius Eccleſia fundetur ſub Regis protectione.*

28 *Monaſterium unitum, & commendatum hoſpitali ſub regia protectione exiſtenti, poteſt ab Ordinario viſitari.*

29 *Unio non præjudicat Epiſcopo, in cujus diœceſi erat Eccleſia unita.*

30 *Hoſpitalia exiſtentia in ſtatu Mediolani non comprehenduntur in exceptione cap. 8. ſeſſ. 22. Concilii Tridentini, niſi quæ expreſsè reperiuntur ſub Regis protectione.*

31 *Epiſcopo viſitare volenti ſi opponatur, quòd hoſpitale ſit ſub regia protectione, cognitio exceptionis non ad judices ſæculares, ſed ad ipſum Epiſcopum pertinet.*

D*E Xenodochiis*. Breve eſt, ſed per alia verba ſic poteſt ſummari ſecundum Abbatem Siculum: Epiſcopo ſubſunt omnia loca pia, & ad ejus ſolicitudinem debent ordinari ad uſum deſtinatum. 1

Nota ex hac Decretali Epiſcopum fundare intentionem de jure communi ſuper ſubjectione, adminiſtratione, & ordinatione hoſpitalium, & omnium piorum locorum ſuæ diœceſi, ut hìc, *& in c. Si quis Epiſcoporum* 16. *q.* 5. *& c.* 2. *qu.* 3. *& c. Omnes Baſilicæ q.* 7. *cap. Conſtitutus cum duobus ſeqq. inf. eod. c.* 1. *cum multis ſeqq.* 10. *q.* 1. & hìc notat gloſſ. 2. Hoſt. *num.* 6. *in ver. Per ſolicitudinem* Cardin. *in* 2. *notab.* Anton. de Butr. *in* 1. *&* 2. *notab.* & Joann. de Anan. *num.* 4. Unde qui dicit hoſpitale, vel locum pium exemptum, probare debet ſtatuto in limine fundationis, vel legitima præſcriptione, vel privilegio Apoſtolico, ut *in Clem. Quia contingit in primo reſponſo de relig. domib.* & ibi gloſ. *in ver. De jure*, & notat hìc Joan. Andr. *n.* 1. *in ver. Epiſcoporum*, Butr. *n.* 3. *verſ. Oppono*, & Cardin. *nu.* 2. *eod. verſ.* 2 3

Verùm hodiè exemptionum privilegia, & conſuetudines non ſuffragantur, utpotè ſublatæ à Concil. Trid. in *c.* 8. *ſeſſ.* 22. quo ſtatutum eſt, ut Epiſcopi habeant jus viſitandi Hoſpitalia, Collegia quæcumque, ac Confraternitates laicorum, & c. eleemoſynas Montis Pietatis, & pia loca omnia, etiamſi prædictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio ſunt munita; non obſtante quacumque conſuetudine etiam immemorabili, privilegio, aut ſtatuto. Ad idem *c.* 15. *ſeſſ* 7. 4

Hinc cùm adminiſtratores Hoſpitalis Papiæ exempti per privilegium Nicolai V. à viſitatione Ordinarii prætenderent ab eo poſt Concilium viſitari non poſſe, nec coram eo teneri reddere adminiſtrationis ſuæ rationem; S. Congregatio ab his hac de re conſulta cenſuit, non obſtantibus allegatis pro adminiſtratoribus hoſpitalis, jus viſitandi dictum hoſpitale, & exigendi redditionem rationum ab ejus adminiſtratoribus competere Epiſcopo tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegato ex decreto Concilii *ſeſſ.* 22. *c.* 8. *&* 9. Et ratio eſt, quia *d. cap.* 8. tollit privilegium Nicolai V. quoad viſitationem, & licèt dicat, in caſibus à jure conceſſis; hoc tamen non impedit, cùm de jure communi Epiſcopus viſitare poſſit hoſpitalia ſublato privilegio, *c. De Xenodochiis de relig. domib. & Clement. Quia contingit, eod. tit.* Quod verò attinet ad redditionem rationum, de qua in c. 9. exceptus eſt ſolus caſus, quando in fundatione cautum eſſet, ut non redderentur Ordinario; ſed in Bulla Nicolai V. in qua fit fundamentum, nulla mentio habetur cui ſit reddenda ratio, vel non reddenda. 5

Itaque niſi aliud cautum ſit lege fundationis, Hoſpitalia hujuſmodi ſubſunt viſitationi, & diſpoſitioni Epiſcopi, & omnia comprehenduntur ſub dictione, *Xenodochiis*, hìc poſita, ſecundum Hoſtien. *n.* 1. Propriè tamen dicitur Xenodochium locus in quo peregrini ſuſcipiuntur; licèt alii dicant 6

Xeno-

Xenodochium eſſe locum ſenum, & debilium, ut verbum ſonat, *arg. cap. Oratorium* 42. *diſt. Inſtit. de donat.* §. *Eſt & aliud*, *& cap. Cleros* 21. *diſt.* Orphanotrophium verò dicitur locus, in quo pueri utroque parente orbati educantur. Brephotrophium, in quo pauperes aluntur. Noſocomium, ubi ægroti tenentur, & curantur. Gerocomium, in quo ſenes valetudinarii ſuſtentantur. De his habetur *in cap. Si quis omnem* 1. *q.* 7. *in l. Illud*, ubi gloſſa ſingula hæc nomina explicat, *& in l. fin. C. de Sacroſanct. Eccleſ. in rubr. l. Orphanotrophos*, *& l. Omnia oratoria*, *C. de Epiſc. & Cler. in c. Tributum*, §. *Quamvis* 23. *q.* 8. *in Auth. de reb. Eccleſ. non alien.* §. 1. *collat.* 9. *& de Eccleſ. tit.* §. *fin. eadem collat.*

7 Conclude igitur hæc omnia eſſe ſub manu Epiſcopi, & ad illius diſpoſitionem pertinere, ut hìc in textu, non quidem ut ad Epiſcopum ſpectet dominium reddituum; neque enim ſubſunt talia Epiſcopo quoad temporalia, ut ea poſſit ſibi applicare, *c. Venerabilis de except. c. Quia* 10. *qu.* 3. de hoc *in c. Cùm vos de offic. ordin.* ſed ut illorum redditus curet expendendos in uſus, ad quos ſunt deputati, ut in dicta Clem. *Quia contingit*, ſecundum Innocen. & om-
8 nes hìc. Compellet ergo Epiſcopus Parochialem Sacerdotem, ut hoſpitalitatem ſervet, & hoſpitalarios domorum pauperum, ut recipiant pauperes; & idem in ſimilibus, ut inquit Joan. Andr. hìc *num.* 3. *in verb. Pertinent*, Butr. *num.* 4 & Cardin. *in* 3. *notab.* & patet ex decreto *dict. cap.* 8. *ſeſſ.* 22. ibi: *Ac omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum ſalutem, ſeu pauperes ſuſtentandos inſtituta ſunt, ipſi (id eſt Epiſcopi) ex officio ſuo juxta ſacrorum Canonum ſtatuta cognoſcant, & exequantur.* Idem patet *in cap.* 15. *ſeſſ.* 7. ubi habetur: *Curent Ordinarii, ut hoſpitalia quæcumque à ſuis adminiſtratoribus quocumque illi nomine cenſeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter, & diligenter gubernentur, conſtitutionis Concilii Viennenſis,*
9 *quæ incipit: Quia contingit: forma ſervata.* Unde orta dubitatione, an curare Epiſcopus debeat ut eleemoſynæ ab adminiſtratoribus fabricæ in eum uſum, in quem deſtinatæ fuerunt, & pro quo offeruntur, convertantur, & ut id efficiatur, ordinare quæcumque ipſi viſa fuerint expedire: Sac. Congregatio ejuſdem Concilii interpres cenſuit, cùm tales adminiſtratores teneantur quotannis reddere rationem Ordinario juxta *c.* 9. *ſeſſ.* 22. pertinere ad Epiſcopum providere, ut fideliter omnia peragantur, & ne qua fraus interveniat in expendendis introitibus, & proventibus, & quæcumque ipſi expedire pro ſua prudentia videbuntur, ordinare

10 Declara modò hanc concluſionem, ut procedat, dummodò hoſpitalia, & loca hujuſmodi ſint religioſa, id eſt fundata auctoritate Epiſcopi, *ut in cap. proximo, infra eodem.* Aliàs enim Diœceſanus non debet ſe in illis ingerere, ſed patronus hoſpitalis ad libitum diſponit, *ut in cap. Inter dilectos*, & ibi per Innocen. *de donat.* & notat Abb. hìc *num.*
11 *verſ.* 3. *Numquid autem*: nam etſi quilibet pro libito voluntatis poſſit erigere Hoſpitale; non tamen erit locus religioſus, nec gaudebit immunitate Eccleſiaſtica, nec inter loca Eccleſiaſtica computabitur, niſi Epiſcopi authoritas interceſſerit, *ut in d. cap. Proximo*, & notat Cardin. hìc *nu.* 9. *verſ. Nono quæro.* Nec quidquam novi circa hoc ſtatuit Concilium Tridentinum *in d. c.* 8. *ſeſſ.* 22. imò reſtringitur ad limites juris, ut patet ibi, In caſibus à Jure conceſſis, & in fine, ibi, Juxta Sacrorum Canonum ſtatuta, & fuſiùs dixi in eodem *cap. Proximo nu.* 54. *infr. eod.* Unde quemadmodum de jure communi ejuſmodi hoſpitalia non religioſa viſitationi, ac juriſdictioni Epiſcopi non ſuberant, ita nec poſt Concilium.

12 Hoc tamen fallit in tribus caſibus. Primus eſt mortuo Patrono: tunc enim etiamſi locus non ſit religioſus, tamen ſpectat ad curam, & ſolicitudinem Epiſcopi, ut pia voluntas defuncti executioni demandetur, de quo videtur teſtus in Auth. *de Eccleſ. tit.* §. *Si quis autem pro redemptione cum ſeq.* Quamobrem etſi hoſpitale hujuſmodi non teneatur Epiſcopo Diœceſano in Epiſcopalibus reſpondere, tamen Epiſcopus habere debet curam ipſius, cùm locus ſit pius, ut hìc per Abb. *n.* 3. *verſ. Quod puto verum.*

13 Fallit ſecundò in executoribus negligentibus adimplere voluntatem defuncti, quia tunc devolvitur ad Epiſcopum poteſtas illos compellendi, iiſque poſt legitimam admonitionem detrectantibus, etiam exequendi, textus eſt *in d. c. Tua nobis*, & ibi dixi, *de teſtam.*

Fallit tertiò quoad rationes ab adminiſtratoribus exigendas, quia etſi Hoſpitalia, & loca prædicta non ſint erecta authoritate Epiſcopi, & ſic non ſint religioſa; tamen cùm ad uſum pium ſint deſtinata, dicuntur pia; & poteſt Epiſcopus compellere executores ad reddendas ſibi quotannis rationes adminiſtrationis, niſi ſecus in eorum inſtitutione, & ordinatione cautum fuerit, ex decreto Concilii Tridentini *in c.* 9. *ſeſſ.* 22. quod S. Congregatio declaravit habere locum etiam in Hoſpitalibus laicalibus, ut ſcripſi pleniùs *in c. Proximo à num.* 10. *infr. eod.* 14

QUÆRO, an hodie ſtantibus decretis Concilii Triden. *c.* 8. *& 9. ſeſſ.* 22. hoſpitalia ſub immediata Regum protectione exiſtentia, quę ex lege fundationis, aut ex privilegio Apoſtolico, vel conſuetudine non probantur exempta à viſitatione, & juriſdictione Epiſcopi Diœceſani, poſſit idem Epiſcopus viſitare, & ab illorum adminiſtratoribus rationes adminiſtrationis exigere. 15

Contigit hic caſus in hoſpitali pauperum ſenum Neapolis: nam anno 1625. Ordinarii authoritate erectum fuit prædictum hoſpitale, & in ipſa erectione cautum fuit inter cætera, ut illud tamquam opus ſpirituale, & dicatum ad cultum divinum, eſſet ſub protectione, & obedientia Ordinarii, itaut poſſet illud ſuo arbitrio viſitare, ad hoc ut omnia fideliter adminiſtrarentur; ut patet ex tribus capitulis fundationis. Et ſucceſſivè Cardinalis Aquaviva tunc Archiepiſcopus Neapolitanus dictum hoſpitale ordinaria authoritate viſitavit, & nonnulla decreta edidit, licèt morte præventus viſitationem non perfecerit: poſt cujus obitum Miniſtri Hoſpitalis pro expeditione quarumdam litium ad illud pertinentium adierunt Proregem, atque ab eo obtinuerunt ſibi in judicem deputari Conſiliarium Palermum, qui poſteà mutato titulo anno 1607 alium in Prętorem dicti hoſpitalis nominavit. 16

Deindè anno 1608. quia hoſpitale propriam Eccleſiam non habebat, ſed tantùm altare in Eccleſia S. Nicolai; iidem Miniſtri, ſeu Confratres majori parte ex eleemoſynis de licentia Archiepiſcopi conquiſitis, ac partim etiam à ſe elargitis, propriam Eccleſiam fundarunt ſub invocatione S. Onuphrii, & primus lapis, in quo litteris inſculptum erat, quemadmodum dicta Eccleſia conſtruebatur ſub protectione Regis Philippi, projectus fuit in fundamentis populo acclamante, Vivat Rex. Ab eo tempore Proreges dicti Hoſpitalis protectores, & adminiſtratores deputarunt, iidemque adminiſtratores ſimiliter deputarunt officiales, Capellanos, Confeſſores, & Prædicatores in dicta Eccleſia.

Sed à duobus circiter annis cùm Cardinalis Caraſa vellet hoſpitale viſitare, atque ab adminiſtratoribus rationes adminiſtrationis exigere, ipſi objecerunt ſe non teneri ex decreto Concilii Tridentini *cap.* 8. *ſeſſ.* 22. eo quòd hoſpitale erectum fuiſſet ſub immediata Regis protectione. Quamobrem his poſitis conſulta eſt Sacr. Congregatio Concilii.

An poſſit Cardinalis Archiepiſcopus dictum hoſpitale viſitare, & ab adminiſtratoribus rationes adminiſtrationis exigere. 17

Videtur reſpondendum poſſe. Nam quoad jus exigendi rationes, quamvis hoſpitale eſſet ſub immediata Regis protectione, hoc tamen non obſtaret Archiepiſcopo, quominus illas exigere poſſet; ſed tantùm obſtaret, quominus poſſet viſitare. Ratio eſt, quia exceptio locorum quæ ſub immediata Regum protectione ſunt, non legitur niſi in *cap.* 8. *ſeſſ.* 22. & in eo decreto non agitur, niſi de jure viſitandi.

At verò *in cap. ſeq.* ubi agitur de rationibus Ordinario reddendis, dicta exceptio non reperitur; imò ibi excipitur unus tantùm caſus, id eſt cùm ſecus expreſsè cautum fuit in fundatione. Quæ exceptio firmat regulam in contrarium in caſibus non exceptis, *l. Nam quod liquidè*, §. *fin. ff. de pœna legata*, *& c.* 2. *de* [illegible] *cum ſimil.*

Et confirmatur, quia Concilium magnam conſtituit differentiam inter jus viſitandi, & jus exigendi rationes. Nam *in cap.* 8. ubi agit de jure viſitandi, reſtringit ſe ad diſpoſitionem juris communis, ut patet ibi: *In caſibus a jure conceſſis*, & infra ibi: *Juxta Sacrorum Canonum ſtatuta.* Sed *in cap.* 9. ubi tractat de jure exigendi rationes, indiſtinctè, & generaliter loquitur. Ideòque Sac. Congregatio ſępiùs reſpondit Ordinarium non habere authoritatem viſitandi Hoſpitalia, niſi in caſibus à jure expreſſis. At verò 18

rationes adminiſtrationis licere illi exigere nulla habita ratione juris communis,

Ex quo patet Concilium ampliorem facultatem tribuiſſe Epiſcopis in rationibus exigendis, quàm in viſitatione piorum locorum. Ideòque non mirum, ſi quoad viſitationem exceperit loca ſub Regis protectione exiſtentia, ſed illa non exceperit quoad reddendas rationes. Atque ita ob ſupraſcriptas rationes olim declaravit S. Congregatio.

19 Quo verò ad jus viſitandi, etſi Concilium exceperit loca, quæ ſub immediata Regis protectione exiſtunt, tamen non ſufficit probare regiam protectionem, niſi etiam probetur legitima exemptio à juriſdictione ordinarii. Ratio eſt, quia Concilium *dict. cap.* 8. noluit tribuere novam exemptionem locis ſub Regis protectione exiſtentibus, ſed tantùm preſervare, ſi quam priùs habebant, juxta text. *in c. ult. in princ. de offic. Deleg. in 6. & c. Ne aliqui, verſ.*
20 *Illis quæ regibus, de privil. eodem lib.* Obſervandum eſt enim decretum *d. c.* 8. dum diſponit, ut Epiſcopi habeant jus viſitandi hoſpitalia in caſibus à jure conceſſis, etiamſi exemptionis privilegio ſint munita, reſtituere Epiſcopis illud jus viſitandi, quod erat illis per Sacros Canones attributum, & poſteà ademptum per poſteriores exemptiones. Atque ita Concilium ſtatuit tantummodò, ut exemptiones non obſtent, quominus Epiſcopi viſitare poſſint hoſpitalia in caſibus conceſſis à jure communi. Unde cùm in hac regula loquatur de hoſpitalibus exemptis, cenſeri debet de iiſdem diſpoſuiſſe etiam in exceptione illa, Non tamen quæ ſub immediata Regum protectione ſunt, quia alioquin exceptio non eſſet de regula, & eſſet inepta, Lap. Gemin. & DD. *in c. Qui ad agendum, §. 1. de Procurat.* Aleſand. & Jaſ. *in l. fin. ff. Quod quiſque jur.* Atque ita in hanc ſententiam ſæpiùs reſpondit Sac. Congregatio Concilii;
21 nam cùm aliquando quæſitum eſſet, an præſuppoſita exceptione *d. cap.* 8. intentio Concilii fuerit juriſdictioni Ordinarii penitùs derogare, eamque in totum ab ipſo Ordinario abdicare in locis, quæ ſunt ſub Regum immediata protectione; Sac. Congregat. reſpondit decreto ipſius Concilii nequaquam fuiſſe juriſdictioni Ordinarii in aliquo derogatum, aut detractum etiam in locis, quæ ſub im-
22 mediata Regum protectione exiſtunt; ſed ex decreto. *d. c.* 8. ita demum eſſe immunia ab Ordinarii viſitatione, ſi hanc immunitatem legitimo, juſtoque titulo acquiſierint, eo quòd Concilium non exemerit à viſitatione Ordinariorum loca, quę alioquin iiſdem Ordinariis ſubjiciebantur, ſed tantùm quę exempta jam erant, noluit ſubjicere Epiſcoporum viſitationi, quemadmodum ſubjecit alia loca pia ad Regum protectionem non ſpectantia.

Itaque cùm hoc caſu Miniſtri hoſpitalis non doceant de exemptione quoad hoc, parum refert, an ſint ſub protectione Regis, necne.

Verùm hoc caſu res videtur clarior, quia nec docetur de hujuſmodi protectione: idque quoad hoſpitale eſt certum, cùm ab initio erectum fuerit ſub protectione, & obedientia Archiepiſcopi, & ſemel fuerit ab eo viſitatum, ut initio diximus. Unde ipſe habet fundatam intentionem tam de jure communi, ut in hac Decretali, & in aliis juribus ſupra citatis *in 1. notab. num.* 2. Feder. de Sen. *conſ.* 3. *Quæſtio talis eſt*, quàm ex lege fundationis, & quaſi poſſeſſione inde ſequuta.

23 Neque obſtat, quòd dicta Eccleſia ut ſupra ſub Regis protectione conſtructa fuerit; quia reſpondetur hoc ſimiliter non probari niſi ex inſcriptione laicorum facta in primo lapide, & ex populi acclamatione. At neque ad laicos, neque ad populum ſpectat Eccleſiam, & hoſpitale conſtruere ſub protectione Regia, ſed tantùm ad Sedem Apoſtolicam, vel ad Ordinarium, *c. Nemo de conſecr. diſt.* 1. *c. Placuit*. *q.* 2. gloſſ. in Clem. *Quia contigit in verb. Altare de relig. domib.* Vincent. & Tancred. relati à Cardin. *in c. prox. n.* 5. *infra eodem.*

24 Ideòque olim S. Congregatio cenſuit ſolam legitimam atque juſtam protectionem dicti Concilii decreto exceptam, ac præſervatam eſſe, non autem eam, quæ de facto vendicatur, aut aſſumitur. Siquidem Concilium ſicut id re-
25 gibus detulit, ut eorum jura hac in re imminuere noluerit; ita nec illis quidquam adjecit, aut conceſſit in præjudicium Ordinariæ juriſdictionis.

26 Et ex his tolluntur etiam deputationes, quas fecerunt Proreges, & Miniſtri dicti Hoſpitalis. Patet enim ex ſupradictis, eos ſolùm de facto hanc ſibi protectionem vindicaſſe. Unde nihil propterea detractum eſt juriſdictioni Ordinarii, ut in puncto conſuluit Gabr. *conſ.* 195. *per tot. lib.* 2.

Quibus accedit, quòd quamvis probaretur protectio 27 juſto titulo acquiſita; illa tamen prodeſſet fortè quoad Eccleſiam ſub hac protectione ędificatam, ſed non quoad Hoſpitale, quod longè priùs fundatum, & erectum fuerat ſub juriſdictione Archiepiſcopi: nam ad illud non extenderetur protectio Regis, *c. Ex ore, de privil.* ac ſi extenderetur, tamen non eſſet immediata, ut requirit Concilium, cùm ante illam præceſſerit protectio Ordinarii, ut per Gabr. *d. conſ.* 195. *n.* 6. *& ſeq.*

Hinc cùm fuerit quæſitum, an Epiſcopus poſſit viſitare 28 Monaſterium S. Mariæ unitum, & commendatum hoſpitali Incurabilium, & providere, ne monaſterium in ſpiritualibus, & temporalibus detrimentum patiatur, cùm hoſpitale prædictum ſub regis immediata protectione exiſtens viſitari non poſſit; locus autem unitus aſſumat privilegia illius, cui facta eſt unio: S. Congr. cenſuit poſſe. Tum quia eſt in unione clauſula, *Proviſione dictum monaſterium aliqua detrimenta patiatur.* Tum quia per unionem non fit præju- 29 dicium Diœceſano, in cujus diœceſi erat Eccleſia unita, juxta text. *in c. Cum dilecta de confirm. util. vel inutil. & c. Quia monaſterium ſupra eod.*

Ulteriùs QUÆRO, an decretum Concilii Tridentini 30 *in d. cap.* 8. *ſeſſ.* 22. excipiens à viſitatione Epiſcoporum hoſpitalia, quæ ſunt ſub immediata protectione Regum, comprehendat ea quæ ſunt in ſtatu Mediolani ſubjecto Regi Catholico.

De hoc dubio olim conſuluerunt S. Concilii Congreg. Præſes, & Senatus Regius Provinciæ Mediolanen. & fuit reſponſum non comprehendere, niſi quæ expreſsè reperiuntur ſub Regis protectione. Quinimò multi, qui interfuerunt Trid. Concilio, retulerunt Cardinali Carafæ mentem Patrum fuiſſe illa tantùm hoſpitalia excipere, quorum Reges, & Principes ſunt Moderatores, & Magni Magiſtri, ut illius manu reperitur adnotatum in libris publicis S. Congregationis.

Quòd ſi Epiſcopo hoſpitale viſitare volenti opponatur 31 exceptio, quòd ſub immediata Regum protectione exiſtat, non ad ſecularem judicem, ſed ad ipſummet Epiſcopum talis exceptionis cognitionem, & diffinitionem pertinere cenſuit S. Congregatio.

In confirmationem eorum, quæ ſuperiùs dicta ſunt de hoſpitalibus ſub protectione regia exiſtentibus, quę ſpeciali exemptionis privilegio non ſunt munita, libet hìc ſubnectere votum bonæ mem. Manzanedi Rotæ Auditoris Hiſpani, qui occaſione viſitationis Eccleſiæ, & hoſpitalis SS. Jacobi, & Ildefonſi de Urbe Nationis Hiſpanicæ à Pontifice conſultus, hunc in modum reſpondit.

(Noſtrum hoſpitale non poteſt ſe excuſare à S. Viſitatione recipienda, cùm comprehendatur ſub diſpoſitione Sacr. Concilii Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 8. *& ſeq.* Nec exemptum dici poteſt, ex quo prætenditur exiſtere ſub immediata protectione Potentiſſimi Regis noſtri, quam protectionem immediatam nec in fundatione, nec alibi video: nam ſi conſideramus hoſpitale noſtrum uti opus pium, & ſacrum à Regibus ædificatum, juxta text. *in cap. Boni Principis* 96. *diſt.* certum eſt, quòd non potuit ædificari ſine conſenſu Summi Pontificis, cui tantummodò, & locorum Ordinariis ſimilem conſenſum præſtari competit, ut probatur *in cap. Quicumque* 16. *qu.* 1. deſumpto ex Concil. Vormacenſi his verbis: *Quicumque voluerit in ſua proprietate Eccleſiam ædificare, & conſenſum, & voluntatem Epiſcopi habuerit, in cujus Parochia eſt, licitum ſit, & cap. Lator.* 16. *q.* 15. *& in cap. Quidam,* deſumpto ex Concil. Chalcedonenſi 18. *q.* 2. his verbis. *Placuit igitur neminem aut ædificare, aut conſtruere monaſteria, aut Oratorii domum ſine conſenſu ipſius civitatis Epiſcopi, & text. in cap. Placuit* 1. *qu.* 2. *& cap. Nemo, & in cap. Baſilicas, & in cap. Eccleſias, de conſecr. diſt.* 1. *& text in c. Ad audientiam, & in cap. fin. de Eccleſ. ædific. & in c. Auctoritatem eod. tit. in* 6. *& in c.* 1. *de exceſſ. Prælat. eod. tit.* Quod etiam Juſtinianus diſpoſuit *in novell.* 5. *in princ. & in novell.* 131. *verſ. Nemo oratorium, &c.* & ultra Ordinarios in ſupracitatis locis tradunt Turrecrem. *in d. c. Nemo nu.* 5. Abbas *in c. Nobis num.* 2. *de jure patronat.* & Greg. Lop. *in l.* 1. *gloſ.* 5. *tit.* 10. *par.* 1. Et ratio principalis eſt, quia Summus Pontifex, vel Ordinarius,

ante-

antequam ad licentiam concedendam, & conſenſum præſtandum procedant, opus eſt, ut habeant conſiderationem ad proventus, ad cuſtodiam, cuſtodumque ſtipendia, quos ſtatuit qui ædificare deſiderat, & quòd dotatio ſufficiat pro cultu divino in illa Eccleſia, ſeu hoſpitali, & miniſterio miniſtrantibus, & pro oneribus ſolvendis, ad text. *c. Piæ mentis* 16. *q.* 7. Cùm aliàs Summus Pontifex, vel Epiſcopus, ſi ſine dotatione permiſiſſet Eccleſiam, vel hoſpitale ædificari, teneretur de proprio illam dotare exemplo ordinatorum ſine titulo, quos tenetur alere, vel de beneficio eis providere, *c. Epiſcopus de præbend.* Et ideò ſi ante conſtructionem Eccleſiæ, vel hoſpitalis opus eſt omnia prædicta examinare, illorumque examen ſpectat ad Summum Pontificem, vel Ordinarium, ſatis rationi congruit ſtabilire, prout Sacrum Concilium ſtabilitum habet, quòd poſt conſtructionem debeat dicta Eccleſia, vel hoſpitale viſitari quandocumque ad effectum, ut onera ſolvantur, & debita ſuſtentatio ſubminiſtretur, & adminiſtratores tam eccleſiaſtici, quàm laici debeant rationem reddere eorum adminiſtrationis, *ut in d. ſeſſ.* 22. *c.* 8. *&* 9. expreſsè cavetur.

Si verò conſideratur noſtrum hoſpitale ut domus laicalis pro pauperibus recipiendis, & infirmorum gubernio, quę domus licèt largo modo dicatur religioſa reſpectu operis pii, non tamen gaudebit Eccleſiaſtica libertate, immunitate, & aliis Eccleſiaſticis privilegiis; & tunc in illis conſtructione non eſt neceſſaria licentia ſeu conſenſus Apoſtolicus; ita diſtinguit Hoſtienſis *in ſerm. titul. de Regular.* §. *Quis ſit regularis, verſ. Quid de ruſticis, & verſ. Nota, & in verſ. Quis poſſit fundare*. Eamdem diſtinctionem faciunt Lambert. *de jure patronat. part.* 1. *lib.* 1. *art.* 3. *q.* 2. *principali num.* 4. quam ſimiliter tenet etiam Pal. de Cittada *eod. tract.* 3. *part. n.* 7.

Sed ſic eſt, quòd hoſpitale noſtrum gaudet libertate, immunitate, & aliis privilegiis Eccleſiaſticis, ex juribus ſupra allegatis, & non potuit ædificari ſine licentia, & conſenſu Apoſtolico, neceſſariò dicendum venit, quòd non comprehenditur ſub exemptione *cap.* 8 *d. ſeſſ.* 22. S. Concilii Tridentini, cùm verè, & realiter non exiſtat ſub immediata protectione Suę Majeſtatis noſtri Potentiſſimi Regis, prout requiritur in d. S. Concil. ad effectum exemptionis prædictæ, & immediata Regis protectio dicitur illa, quæ non habet aliquam dependentiam ab Eccleſia, conſiderando verbum illud, *Immediatè*. Conſidero etiam, quòd viſitatio fit à Summo Pontifice, & ejus nomine in Urbe omnibus locis piis, & neſcio videre, qualiter hoſpitale noſtrum velit ſe eximere ab illa recipienda ſub prætextu Regiæ protectionis, quæ, etiamſi hoſpitale non eſſet locus pius Eccleſiaſticus, non poſſet in urbe Roma dici immediata, ut Sac. Concilium requirit, in qua tam Eccleſiaſtica, quàm profana exiſtunt immediatè ſub Pontificia juriſdictione: ſed de hoc opus non eſt diſputare, cùm verè, & realiter hoſpitale noſtrum ſit locus pius, & Eccleſiaſticus, & ſit immediatè ſub poteſtate, & juriſdictione Summi Pontificis: ipſe enim eſt verus adminiſtrator omnium Eccleſiarum, & rerum earum, & communis Rector, vel Princeps in bonis ſubditorum, *ut in c. Sicut venire*, & ibi Bartol. *de exceſſ. Prælat. per text. in cap. Multiplici de decim.* & latiſſimè noſter gloſſator Gregor. Lopez *in l.* 5. *tit.* 5. *par.* 1. *gloſſ.* 21.

Et in omnem caſum quamvis iſta Regia protectio debeat haberi in conſideratione, & de ea evidenter conſtet, non poteſt dici niſi protectio generalis, quæ non eximit perſonas, nec res à poteſtate Ordinarii, ut eſt text. expreſſus *in c. Ex parte il ſecondo de privil.* ubi omnes, & eſt caſus ſingularis apud Gemin. *in conſ.* 81. & hoc caſu videtur potiùs recommendatio, quàm protectio, per quam etiamſi in ſignum recognitionis ſolvatur cenſus, non tamen locus, & perſona recommendata eximitur à poteſtate, & juriſdictione ejus, cui de jure ſubeſt, text. *in c. Recepimus, & in d. c. Ex parte, de privil. & in c. Si Papa eod. tit. in* 6. Gemin. *ubi ſupra n.* 2. *verſ. Nam recommendatus*. Unde ſi Summus Pontifex *in d. c. Ex parte* decernit, quòd exiſtentes ſub generali protectione ipſius, & Sedis Apoſtolicæ, non eximantur à poteſtate Ordinarii: quantò magis concludendum venit, quòd exiſtentes ſub generali protectione Regię non ſint exempti à poteſtate Summi Pontificis, cui cedunt Imperatores, & Reges, ex adductis per Jo. Garz. *de nobilit. & exempt. Hiſpaniæ, gl.* 48. §. 3. *n.* 4. *&* 8.

DE RELIGIOSIS DOMIBUS.

Urbanus III. Ariminenſi Epiſcopo.

CAPUT IV.

AD hæc: & infrà. Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quòd ſi locus ad hoſpitalitatis uſum, & pauperum proviſionem fuerit (ſicut moris eſt) auctoritate Pontificis deſtinatus, cùm ſit Religioſus, non debet mundanis uſibus deputari: ſicut de veſtibus, & ligneis vaſis, & aliis utenſilibus ad cultum Religionis per Pontificem deputatis, antiqua conſuetudo indubitanter obſervat, & venerabilium Patrum edocent ſanctiones.

SUMMARIUM.

1 *Locus deputatus authoritate Epiſcopi ad Hoſpitalitatis uſum religioſus eſt, & ad mundanos uſus redire non debet.*

2 *Hoſpitale quilibet etiam laicus poteſt ſibi conſtruere in domo propria, ſed non erit religioſum, niſi fuerit fundatum authoritate Epiſcopi.*

3 *Locus fit religioſus, licèt non ſacer de jure civili, ſi mortuus inferatur etiam in ſolo alieno.*

4 *Secus de jure canonico.*

5 *Religioſum eſt quidquid eſt ſacrum, ſed non è converſo.*

6 *Hoſpitalia, & loca pia an ſubſint viſitationi, & juriſdictioni Epiſcopi diœceſani, & n. ſeq. uſque ad n.* 59.

7 *Hoſpitalia auctoritate Epiſcopi fundata ſubſunt illius viſitationi.*

8 *Idem in aliis locis piis.*

9 *Hoſpitalia, & alia pia loca viſitari poſſunt ab Epiſcopo tam per ſeipſum, quàm per Vicarium, ſeu alios viſitatores.*

10 *Etiamſi illorum cura ad laicos pertineat, & nu. ſeq. & num.* 27.

11 *Hoſpitalium adminiſtratores, imò & Rectores eſſe poſſunt non tantùm clerici, ſed etiam laici.*

12 *Judices ſæculares non prohibentur à Concilio Tridentino viſitare hoſpitalia, confraternitates, eleemoſynas, & alia pia loca; ſi aliàs eis hoc jus viſitandi legitimè competat.*

13 *Confraternitas laicorum, & hoſpitale ei adjunctum viſitari poteſt ab Epiſcopo, ſed eleemoſynarum diſtributio relinquenda eſt confraternitati, ſi benè utatur.*

14 *Schola, ſeu domus hoſpitalis S. Mariæ Mediolanen. viſitari poteſt ab Archiepiſcopo.*

15 *Hoſpitalia, & loca pia ſubjunt viſitationi Epiſcopi etiamſi illorum adminiſtratores laici à Principe deputentur.*

16 *Reges ſicut dignitatis altitudine præeminent, ita potioris prærogativa gratiæ ſunt attollendi.*

17 *Hoſpitale majus Eugubin. viſitari poteſt ab Epiſcopo, licèt ex privilegio à ſeptem laicis a Duce Urbini confirmandis gubernetur.*

18 *Hoſpitalia ſubſunt viſitationi Epiſcopi, licèt ſint ſub cura Univerſitatum.*
19 *Magiſter artium gaudens privilegiis Univerſitatis Oſcen. cogi poteſt ab Epiſcopo ad exhibitionem, & executionem teſtamenti, in quo ſunt legata pia ab ipſo ſolvenda.*
20 *Viſitare poteſt Epiſcopus hoſpitalia, & loca pia ſuæ diœceſi, etiamſi exemptionis privilegio ſint munita.*
21 *Inquiſitionis Officiales in Regno Siciliæ ab Epiſcopo cogi poſſunt ſolvere legata pia, non obſtantibus allegatis exemptionibus.*
22 *Abſolvere poteſt Epiſcopus, quos de jure communi, vel ex Concilio Tridentino poteſt excommunicare.*
23 *Cauſa ſuper viſitatione hoſpitalis Plateæ Nili Neapolis committitur in Rota ſine retardatione viſitationis Ordinarii.*
24 *Conſuetudo immemorabilis, vel ſtatutum non obſtant, quominus Epiſcopus viſitare poſſit hoſpitalia, & loca pia ſuæ diœceſis.*
25 *Epiſcopus in viſitatione hoſpitalium, & piorum locorum poteſt ſtatuere, quæ ad rectam adminiſtrationem pertinent.*
26 *Hoſpitalium adminiſtratio, Rectoriſque & Miniſtrorum deputatio de jure communi ad Epiſcopum pertinet.*
27 *Ex conſuetudine tamen, vel privilegio poteſt competere etiam laicis.*
28 *Mulier an poſſit præfici curæ hoſpitalis.*
29 *Regimen ex ſui natura eſt officium virile.*
30 *Mulierem decet ſubeſſe non præeſſe.*
31 *Adminiſtratores hoſpitalium, & piorum locorum cogi poſſunt quotannis ab Epiſcopo ad reddendam rationem adminiſtrationis.*
32 *Non obſtante contraria conſuetudine etiam immemorabili, & n. ſeqq.*
33 *Adminiſtratores fabricæ majoris Eccleſiæ Cremonen. qualiter rationes adminiſtrationis Epiſcopo reddere teneantur.*
34 *Conſuetudine ſimpliciter ſublata, an, & quando cenſeatur ſublata immemorabilis, & n. 36.*
35 *Adminiſtratores hoſpitalis Corduben. tenentur reddere rationem adminiſtrationis Epiſcopo, non obſtante privilegio immemorabili, & ſententia ſuper his lata.*
36 *Sententia declaratoria nullum jus tribuit.*
37 *Adminiſtratores tenentur librum rationum deferre ad Epiſcopum, & in domo ejus rationem reddere.*
38 *Ordinarius debet rationibus intereſſe illis diebus, quibus ex privilegio, conſuetudine, vel conſtitutione reddenda eſt ratio.*
39 *Non tamen dum horæ canonicæ recitantur.*
40 *Item adhiberi debet, etiamſi aliis ad id deputatis ratio reddenda ſit.*
41 *Et tam in ratione reddenda, quàm in liberatione facienda.*
42 *Et ejus votum connumerari debet cum voto cæterorum in abſolvendo, vel condemnando.*
43 *Hoſpitalia, & alia loca pia, quæ ſunt ſub immediata Regum protectione, ab Epiſcopo viſitari nequeunt ſine illorum licentia.*
44 *Epiſcopus viſitare non poteſt hoſpitalia, & loca pia ex lege fundationis exempta, nec rationes exigere, & num. 38.*
45 *Et in fundatione ſufficit Diœceſani conſenſus.*
46 *Epiſcopus cogere poteſt adminiſtratores ad voluntatem fundatoris exequendam non obſtante contraria lege fundationis, & n. ſeqq.*
47 *Hoſpitalia, & alia pia loca Militarium Ordinum, & aliorum religioſorum, Epiſcopus nec viſitare poteſt, nec rationes adminiſtrationis exigere.*
48 *Abbates, Abbatiſſæ, & Præpoſiti monaſteria in titulum obtinentes, vel habentes adminiſtrationem Eccleſiarum ſuarum, non tenentur reddere rationes Epiſcopo.*
49 *Fratres, & adminiſtratores hoſpitalium B. Joannis Dei tenentur ſingulis annis reddere Ordinario rationem adminiſtrationis.*
50 *Religioſi an præfici poſſint hoſpitalibus.*
51 *Hoſpitale conſtructum ſine authoritate Epiſcopi non eſt religioſum, ſeu Eccleſiaſticum, nec ſubeſt illius viſitationi.*
52 *Oratorium cuilibet privato licet conſtruere in domo propria, dummodò non habeat formam Eccleſiæ, nec ibi celebrentur Miſſæ.*
53 *Hoſpitale ſine authoritate Epiſcopi fundatum an poſſit ad profanos uſus reduci.*
54 *Ordinarius non habet auctoritatem viſitandi hoſpitalia, neque confraternitates, quæ à laicis reguntur, niſi in caſibus à jure expreſſis.*
55 *Hoſpitale privatum eſt locus pius, & mortuo patrono ſpectat ad ſolicitudinem Epiſcopi, ut voluntas fundatoris executioni demandetur.*
56 *Hoſpitale fundatum ſine auctoritate Epiſcopi eſt privatum: poteſt tamen ab ipſo viſitari in iis tantùm, quæ ad obſervandam voluntatem fundatoris pertinent.*
57 *Epiſcopus poteſt exigere rationes ab adminiſtratoribus omnium piorum locorum etiam merè laicorum, & in caſibus à jure non conceſſis.*
58 *Niſi ſecus in fundatione expreſsè cautum fuerit.*
59 *Adminiſtratores piorum locorum etiam privatorum malè adminiſtrantes cogi poſſunt ab Epiſcopo rationes reddere, & exequi voluntatem fundatoris non obſtante ipſius prohibitione.*
60 *Adminiſtratores, qui piorum locorum redditus in ſuos uſus convertunt, incidunt in excommunicationem Papæ reſervatam.*
61 *Univerſitas, ſeu illius officiales, qui pecunias ad Eccleſiam ſpectantes eidem Univerſitati mutuarunt ad emendam annonam, an inciderint in excommunicationem c. 11. ſeſſ. 22. Concilii Tridentini, & numer. ſeq. uſque in fin.*
62 *Excommunicationis pœna induci non debet, niſi in caſibus in jure expreſſis.*
63 *Relativum*, quis, *Univerſitatem non comprehendit.*
64 *Univerſitas eſt perſona ficta, ſeu repræſentativa.*
65 *Civitas non comprehenditur ſub diſpoſitione c. Felicis, de pœn. in 6.*
66 *Excommunicatio prohibetur ferri in univerſitatem.*
67 *Converſum in uſum, & utilitatem propriè non dicitur quod reſtitui debet.*
68 *Excommunicatio juris ſemper ſupponit peccatum mortale.*
69 *Statutum univerſitatis in favorem Eccleſiæ editum an ab ipſa revocari poſſit.*
70 *Conſuetudo an excuſet à pœna excommunicationis.*
71 *Verbum*, præſumant, *non verificatur in his, qui ex ſimplicitate aliquid contra legem faciunt.*
72 *Intellectus* l. Pomponius, §. Ex facto, ff. de acquir. poſſeſſ.
73 *Furtum an committat qui re aliena utitur ad alium uſum, quàm dominus conſenſerit.*

A*Dhac.* Locus deputatus auctoritate Epiſcopi ad hoſ- 1
pitalitatis uſum religioſus eſt, & ad mundanos uſus redire non debet. Hoc dicit. Primò deciſa conſultatio. Secundò reſponſio, ibi, *Inquiſitioni*: quam probat per ſimile, ibi, *Sicut*.

Nota ex hac Decretali, ad hoc ut hoſpitale ſit Religio- 2
ſum, oportere; ut ſit fundatum authoritate Pontificis. Ratio eſt, quia etſi quilibet etiam laicus poſſit conſtruere hoſpitale in domo propria ſine auctoritate Epiſcopi, *cap. 1. de empt. & vendit.* tamen ſine Epiſcopo non poteſt facere locum Religioſum, *l. In tantùm*, §. *Sacræ*, *ff. de rer. diviſ. & l. 3. §. Si quis in ſepulchro dolo malo, ff. de ſepulc. viol.* & hìc notant gloſſa prima, Innoc. Hoſt. & Joan. Andr omnes *in princ.* Butr. *in 1. notab.* Abb. *n. 2.* & alii communiter.

Nec refragatur, quòd privatus mortuum inferendo etiam 3
in ſolo alieno de conſenſu domini locum faciat religioſum, licèt non ſacrum, *l. 2. C. de relig. & ſumpt. funer. inſtit. de rer. diviſ. §. Religioſum*; & è converſo locus hujuſmodi per extumulationem deſinat eſſe religioſus, *l. Cùm in diverſis, ff. eod.* Etenim hoc vendicat ſibi locum de jure civili, 4
non

non autem de jure canonico, ut eſt caſus hìc. Ad idem *cap. In eccleſiaſtico*, 13. *quæſt.*2. ubi gloſſ. *fin.* (Terra, inquit, fit ſacra, vel religioſa auctoritate Pontificis, non ex eo quòd mortuus infertur ad locum,) ut *extra, de relig. domib. cap. Ad hæc*; ſed ſecundùm legem ſecus eſt: nam ſi transfertur corpus ad alium locum, deſinit locus eſſe religioſus, vel etiam ſi capitur ab hoſtibus, ut *ff. de relig. l. Cum in diverſis, & l. Cum loca*; ita gloſſ. quam ſequuntur Lauren. Archid. Bellam. & Turrecrem. ibidem: item Innoc. in *cap. Abolendæ, ſupra de ſepultur.* Anton. de Butr. *hic num.* 5. & Abb. *num.*2. & ſecundùm gloſſam
5 prælleg. & Butr. quidquid eſt ſacrum, eſt religioſum, ſed non convertitur: ubi enim mortuus infertur, fit religioſus, ſed non ſacer, ut in d. *l. In tantum, ff. de rer. diviſ.*

6 QUÆRO generaliter, an hoſpitalia, & loca pia ſubſint viſitationi, & juriſdictioni Epiſcopi, in cujus diœceſi ſunt ſita.

Pro pleniori notitia, & explicatione materiæ conſtituendę ſunt duæ concluſiones principales cum ſuis ampliationibus, & limitationibus.

7 Prima concluſio eſt affirmativa, videlicet: Hoſpitalia auctoritate Epiſcopi erecta ſubſunt viſitationi Epiſcopi Diœceſani. Hæc concluſio probatur *hic in cap. præced.* & ibi dixi in primo notab. & de viſitatione eſt expreſſum in decreto Concilii Trid. *c.*8. *ſeſſ.*22.

8 Ampliatur primò hæc concluſio, ut procedat non tantùm in hoſpitalibus, ſed etiam in aliis locis piis in diœceſi Epiſcopi conſiſtentibus, ut patet in *cap. proximo ſupra eod.* ibi, Et aliis ſimilibus locis; per quam litteram gloſſa 2. & alii dicunt manifeſtum eſſe etiam monaſteria, & alia loca religioſa de jure communi ad Epiſcopum loci pertinere, ut ibi fuſiùs adnotavi *nu.*2. & expreſſiùs apparet ex decreto d. *cap.* 8. *ſeſſ.* 22. ubi ſtatutum eſt, ut Epiſcopi habeant jus viſitandi non ſolùm hoſpitalia, ſed etiam collegia quæcumque ac confraternitates laicorum etiam, quas ſcholas, ſive quocumque alio nomine vocant, eleemoſynas Montis Pietatis, ſive Charitatis, & pia loca omnia, quomodocumque nuncupentur.

9 Ampliatur ſecundò eadem concluſio ex ſententia Sac. Congreg. Concilii, ut Epiſcopus viſitare poſſit hoſpitalia, & loca hujuſmodi tam per ſeipſum, quam per vicarium, ſeu alios viſitatores, juxta text. in Clem. *Quia contingit*, *in primo reſponſo*, ibi, *Per ſe ipſos, vel alios impleant*, *de relig. domib.*

10 Ampliatur tertiò, ut habeat locum, etiamſi cura hoſpitalium, & piorum locorum ad laicos pertineat; ſi quidem non
11 ſolùm clerici, ſed etiam laici poſſunt eſſe adminiſtratores, imò & rectores hoſpitalium, ut in *c. præced.* tenent Doctores, & in ſpecie Abb. *n.*4. gloſſ. in d. Clem. *Quia contingit*, *in verb. Sæcularibus*, & hodie eſt expreſſum in decreto Concilii Tridentini d. *c.*8. *ſeſſ.* 22. ibi, *Etiamſi prædictorum locorum cura ad laicos pertineat*.

12 Quinimò etiam jus viſitandi hoſpitalia, & alia pia loca poteſt ad laicos pertinere, ut S. Congregatio declaravit: nam Vicario Feretrano poſtulanti, an judices ſæculares habeant jus viſitandi hoſpitalia, confraternitates, eleemoſynas, & alia pia loca, quorum cura ad laicos pertinet; & illa cognoſcendi, & exequendi, non obſtante quod ex Concilii Tridentini decreto, *cap.* 8. *ſeſſ.* 22. Epiſcopi ad hoc munus obeundum ſint à Sede Apoſtolica delegati: reſpondit Concilium *cap.* 8. non prohibere, quominùs judices ſæculares poſſint viſitare hujuſmodi hoſpitalia, dummodò aliàs eis hoc jus viſitandi legitimè competat. Hoſpitalia igitur, & loca hujuſmodi Epiſcopus viſitare poteſt, etiamſi illorum cura, gubernatio, & viſitatio ad laicos pertineat.

13 Unde cùm Epiſcopus Lucenſis prætendens ſibi licere viſitare confraternitatem Sancti Michaelis ejuſdem civitatis, etſi à laicis gubernaretur, qui ſententiam ſuper hoc à Delegato Sixti V. obtinuerunt, poſtulaſſet hoc à Sac. Congr. Concilii declarari: reſponſum eſt Epiſcopum poſſe hanc confraternitatem viſitare ex *cap.* 8. *ſeſſ.* 22. adminiſtrationem autem confraternitatis, & præſertim hoſpitalis ei adjuncti relinquendam confraternitati, & Officialibus ab ea deputatis, juxta ſententiam latam à Delegato Sixti V. Redditus autem, & erogationem eleemoſynarum, ſi in certos uſus deſtinatæ ſunt, non debere, nec poſſe Epiſcopum in alios uſus convertere. Si verò diſtributio eſt arbitraria confraternitati, & benè utatur confraternitas iſta, ſuo arbitrio permittat ſic Epiſcopus; aliàs provideat, prout meliùs expedire videbitur.

Rurſus confratres hoſpitalis S. Mariæ Mediolanenſ. præ- 14
tendebant ſe non poſſe ab Ordinario viſitari, nec ei teneri reddere ſuæ adminiſtrationis rationem, allegantes Scholam, ſeu domum dicti hoſpitalis nullum altare, vel campanile habere, nulla eccleſiaſtica immunitate ejus bona gaudere, pro ejus litibus judices laicos adiri, officiales ab ipſis confratribus deputari, in alienationibus bonorum, & contractibus hoſpitalis nullam ſolemnitatem adhiberi quæ adhibenda eſt, cùm bona eccleſiaſtica diſtrahuntur; à principio à laicis eſſe fundatum, & à tempore immemorabili eſſe eos quaſi profeſſione omnes actus exercendi ſine Epiſcopi auctoritate, & ideò nullo modo ejus juriſdictioni, aut viſitationi ſubjacere. Archiepiſcopus autem illud viſitare prætendens, ac ſibi reddi adminiſtrationis rationem, allegabat omnes hujus hoſpitalis redditus conſiſtere in legatis teſtatorum relictis cum onere diſtribuendi pauperibus, & Miſſas celebrandi; & idcircò à ſe eſſe viſitandum, ut videret, num piæ teſtatorum voluntates in aliquo fraudarentur. S. Congragatio cenſuit Archiepiſcopum poſſe viſitare, & exigere rationis redditionem ab adminiſtratoribus iſtius hoſpitalis. Et præſuppoſito de conſuetudine reddi rationem certis perſonis deputatis; Archiepiſcopum unà cum ejuſmodi perſonis auctoritatem habere exigendi hanc redditionem rationis, & ſuam ſententiam dicendi.

Ampliatur quartò, ut hoſpitalia poſſint ab Epiſcopo vi- 15
ſitari, etiamſi illorum adminiſtratores, & miniſtri laici à
Principe deputentur, vel confirmentur: nam decretum 16
d. *cap.*8. *ſeſſ.*22. excipit à viſitatione Epiſcopi illam tantùm hoſpitalia, quæ ſunt ſub immediata Regum protectione; quæ exceptio firmat regulam in contrarium in aliis Principibus, in quibus non viget tanta ratio, quanta in ipſis regibus propter ſublimitatem dignitatis, ad hoc *cap. fin. de offic. deleg. lib.*6. ibi, *Regibus, & Reginis, qui ſicut dignitatis altitudine præeminent, ſic prærogativa gratiæ ipſos convenit anteferri*. Simile in *cap. Ne aliqui, verſ. Illis quæ Regibus, de privileg. eod. lib.* & in Extravag. *Execrabilis*, §. *Nos itaque, de præbend.* Et quando Concilium voluit præſervare jura aliorum Principum, expreſſit, ut fecit in *cap.*9. *ſeſſ.* 25. ibi: *Exceptis aliis, quæ ad Imperatorem, & Reges, ſeu Regna poſſidentes, alioſque ſublimes, ac ſupremos Principes jura imperii in dominiis ſuis habentes pertinent*.

Unde cùm Eugubini cives obtinuiſſent à Sede Apoſtoli- 17
ca hoſpitale majus dictæ civitatis per ſeptem cives quotannis eligendos, & à Duce Urbini confirmandos gubernari; petiit Epiſcopus Eugubinus, an ſibi liceret dictum Hoſpitale liberè viſitare, & ſub ejus nomine ea ordinare etiam puniendo, quæ ad ejus utilitatem neceſſaria viderentur: S. Congreg. reſpondit, ex *cap.*8. *ſeſſ.* 22. licere Epiſcopo viſitare, & ea cognoſcere, & exequi, quæ in d. *cap.* 8. continentur.

Ampliatur quintò, etiamſi hoſpitalia, & alia ejuſmodi 18
loca ſint ſub cura univerſitatum: apocrypha enim eſt deciſio S. Congregationis, quam in oppoſitum allegat Auguſtin. Barboſa: nam Concilium in d. *cap.* 8. excipit tantùm hoſpitalia ſub Regum protectione, ut proximè dictum eſt & in illis verbis, *Etiamſi illorum cura ad laicos pertineat*, ſatis clarè includit etiam univerſitates: præſertim quia ubi voluit univerſitates præſervare, diſertis verbis expreſſit, ut fecit in *c.* 5. *in fin. ſeſſ.* 14. *& in d. cap.* 9. *verſ. Exceptis*, *ſeſſ.*25. Quod cùm non fecerit in d. *cap.* 8. cenſetur noluiſſe, arg. *cap.* 2. *de translat. & l. un.* §. *Sin autem ad deficientis*, *C. de caduc. toll. cum ſimil.* & ita ſæpiùs, S. Congregatio declaravit, ut patet in ſpecie in deciſione relata in præcedenti ampliatione.

Quemadmodùm verò hoſpitalia, quæ ab univerſitatibus gubernantur, ſubſunt viſitationi Epiſcopi; ita & illorum Rectores univerſitatum privilegiis gaudentes. Unde 19
propoſito dubio, an Epiſcopus poſſit cogere magiſtrum artium gaudentem privilegiis univerſitatis Oſcen ad exhibendum teſtamentum, in quo ſunt legata pia ab ipſo ſolvenda, & eumdem ad executionem compellere: S. Congreg. cenſuit utrumque poſſe.

Ampliatur ſextò ſupradicta concluſio, ut habeat locum 20
etiamſi Hoſpitalia, & loca pia exemptionis privilegio ſint
mu-

munita: nam nihilominùs Epiſcopus poteſt illa viſitare, & alia facere, quæ habentur in d. *cap. 8. ſeſſ.* 22. ut patet in Clem. *Quia contingit*, *in* 1. *reſp.* ibi: *Etiamſi pia loca prædicta exemptionis privilegio munita conſiſtant*, *de relig. domib.* innovata à Concil. Trident. *in cap.* 15. *ſeſſ.* 7. ubi dicitur: *Curent ordinarii, ut hoſpitalia quæcumque à ſuis adminiſtratoribus, quocumque illi nomine cenſeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter, & diligenter gubernentur*. Eadem derogatio habetur in d. *c.* 8. ibi: *Atque eadem pia loca*, *& in fin.* ibi, *Non obſtante privilegio*, & ita ſæpiùs cenſuit Sacra Congregatio, ut dixi in *cap. præcedenti*, *num.* 8.

Et aliàs cùm conqueſtus eſſet Epiſcopus Pacten. quòd of-
21 ficiales Inquiſitionis in Regno Siciliæ, cùm tenerentur ſolvere legata pia, effugerent forum Epiſcopi tamquam officiales S. Officii: Reſponſum eſt Epiſcopum poſſe eos compellere ad ſolutionem non obſtantibus allegatis exemptionibus. Et poſteà cùm idem Epiſcopus obtinuiſſet facultatem
22 eos, ſi minùs parere vellent, excommunicandi, dubitavit, an etiam haberet facultatem obſolvendi. Et reſponſum, habere in illis caſibus, in quibus ex Concilio, vel jure communi habet facultatem excommunicandi.

23 Item Rectoribus hoſpitalis Plateæ Nidi Neapolis petentibus committi cauſam ſuper viſitatione ipſius hoſpitalis cùm ipſi prætenderent ab Ordinario viſitari non poſſe, à cujus viſitatione, & juriſdictione à Sede Apoſtolica fuerat exemptum, ad petitionem Cardinalis Brancatii, qui illud reædificaverat: S. Congreg. cenſuit cauſam committendam in Rota cum clauſula, ſine retardatione viſitationis Ordinarii.

24 Ampliatur ſeptimò, ut Epiſcopus viſitare poſſit non obſtante contraria conſuetudine etiam immemorabili, vel ſtatuto; his enim ſicut & privilegio expreſsè derogatur in d. *cap. 8. in fin. ſeſſ.* 22. Quinimò hoc vendicat ſibi locum etiamſi ſimul concurrant privilegium, immemorabilis, & ſententia declaratoria, ut patebit infra in duodecima ampliatione *n.* 36.

25 Ampliatur octavò, ut Epiſcopus ſicut habet jus viſitandi hoſpitalia, & loca hujuſmodi, ita etiam habeat poteſtatem curandi, ut à ſuis adminiſtratoribus fideliter, & diligenter gubernentur, ſervata forma dictæ Clementinæ *Quia contingit*, ut in decreto Concilii Tridentini *cap.* 15. *ſeſſ.* 7. Item cognoſcendi, & exequendi omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum ſalutem, ſeu pauperes ſuſtentandos inſtituta ſunt, ut habetur in d. *c.* 8.

Hinc orta lite inter Epiſcopum Narnien. & Adminiſtratores hoſpitalis Sanctiſs. Trinitatis ſuper viſitatione, ac ſtatutorum reformatione, quam Epiſcopus facere poſſe prætendebat circa ſtatum, & adminiſtrationem dicti hoſpitalis à laicis erecti, & ſemper ab eis ſine Epiſcopi interventu adminiſtrari; cùm ad ſedandam controverſiam adiiſſent S. Congreg. Concilii: reſponſum poſſe Epiſcopum viſitare, & viſitando ea ſtatuere, quæ ad bonam adminiſtrationem pertinent, maximè ex quo ipſi deputati negligentes fuerint in providendo abuſibus; reſervata tamen diſcuſſione ſingulorum ſtatutorum, quæ Epiſcopus facit, ſi fortè in eis modum exceſſerit.

26 Ampliatur nonò, ut Epiſcopus de jure communi fundet intentionem non ſolùm ſuper viſitatione hoſpitalium, & piorum locorum, ſed etiam ſuper illorum adminiſtratione, & ordinatione, Rectoriſque, & cæterorum officialium deputatione, ut probatur in *cap. prox. ſupra eodem*, ubi hoc tenent Hoſtien. Joan. Andr. & cæteri omnes, ut ibi dixi *num.* 2. & in ſpecie Butr. *num.* 2. (Nota, inquit, argumentum, quòd ſuper creatione adminiſtratoris, vel rectoris hoſpitalis Epiſcopus fundat intentum de jure communi: inferior ergo ſe non intromittit; & ſic hoſpitalia ſunt in adminiſtratione Eccleſiæ, eo quòd ſunt hoſpitalia.) Hæc ille. Cæterùm, ſi ex conſuetudine legitimè
27 præſcripta, vel privilegio Apoſtolico inferiores Epiſcopo habeant adminiſtrationem, & deputationem officialium, hæc facultas non eſt ſublata à Concilio, quin potiùs præſervata etiam quoad laicos in d. *cap.* 8. *ſeſſ.* 22. ibi, *Etiamſi illorum cura ad laicos pertineat*, ut fuſiùs oſtenſum eſt ſupra in 3. 4. 5. ampliatione. Unde etiam poſt Concilium poteſt laicis competere adminiſtratio, & cura hoſpitalium, & piorum locorum, ſed privilegium, vel conſuetudo eis non ſuffragabitur, quominùs viſitationem Epiſcopi ſubire, eique rationes adminiſtrationis reddere teneantur, ut patebit *in ſeqq. ampliationibus*. Quòd ſi quæras, an mulier 28
poſſit præfici curæ hoſpitalis, Lap. de Caſtilione relatus à Cardin. in *cap. Præced. quæſt.* 5. *num.* 6. tenet poſſe, nam quandoque hoſpitalia ſubjiciuntur Abbatiſſis, licèt ſubdat hoſpitale à viris regi conſuetum fœminæ demandari non poſſe, nec è converſo; *cap. Cùm de beneficio, de præbend. lib.* 6. In oppoſitum eſt littera d. Clement. *Quia contingit*, 29
§. 1. *de Relig. domibus*, ibi, *Sed eorum gubernatio viris providis, idoneis, & boni teſtimonii committatur*: & hoc placet Cardinali ubi ſupra, quia regimen ex natura eſt officium virile; mulierem autem decet ſubeſſe, non 30
præeſſe, §. *Tria*, 3. *q.* 7. *c. Dilecti*, & quod ibi notatur, *de arbitr. & cap. Ex parte, de appellat.* Quod tamen limitat, niſi eſſet hoſpitale mulierum, vel ex ſpeciali cauſa hoc eis permitteretur.

Ampliatur decimò ſupradicta concluſio, ut non ſolùm poſſit Epiſcopus hoſpitalia, & loca hujuſmodi viſitare: ſed 31
etiam ſingulis annis ab illorum adminiſtratoribus rationes adminiſtrationis exigere, ut per Cardin. in Clem. 1. *n.* 14. *de teſtament.* Imola in Clem. *Quia contingit*, *num* 7. *de Relig. domib.* Joan. Franciſcus Pavin. *de viſitat. q.* 5. 2. *part. n.* 42. & hodie eſt expreſſum in decreto Concilii Tridentin. *cap.* 9. *ſeſſ.* 22. Imò fortiùs hoc; quia major authoritas competit Epiſcopo quoad exigendas rationes, quàm quoad jus viſitandi, ut patebit infrà in ſecunda concluſione negativa in tertia fallentia *num.* 57.

Ampliatur undecimò, ut Epiſcopus rationem admini- 32
ſtrationis exigere poſſit non obſtante contraria conſuetudine etiam immemorabili: nam etſi Concilium Tridentinum in d. *cap.* 9. *ſeſſ.* 22. ſimpliciter tollat conſuetudinem; tamen eo decreto etiam immemorabilem ſublatam eſſe optimis rationibus deduxit Sac. Congregatio in cauſa Cremonen. Nam cùm adminiſtratores fabricæ majoris Eccle- 33
ſiæ ejuſdem civitatis declarari poſtulaſſent, an poſſent viſitari ab Ordinario, eique rationem reddere tenerentur eorum adminiſtrationis; Sac. Congregatio cenſuit, quod ad caput viſitationis attinet, de quo in *ſeſſ.* 22. *cap.* 8. non expedire nunc procedere ad ulteriorem declarationem. Quod verò ſpectat ad caput redditionis rationum adminiſtrationis fabricæ, locum habere ultimam partem *cap.* 9. *ſeſſ.* 22. cum illa interpretatione aliàs data, ut Epiſcopus adhibitis aliis deputatis habeat votum deciſivum, ut poſſit in ſua domo jubere rationes reddi, & convocare deputatos. Et hac declaratione ſenſit Sac. Congregatio, quòd li- 34
cèt civitas alleget immemorabilem, & dato quòd de ea liquidò conſtaret, & quamquam *cap.* 9. *ſeſſ.* 22. tollat ſolùm quaſcumque conſuetudines, non exprimendo immemorabilem, quo caſu immemorabilis non cenſetur ſublata, ut alias Congregatio decrevit: tamen ex quo *cap.* 9. firmat regulã, quòd reddantur rationes Ordinario, excipiendo unum tantùm caſum, niſi in inſtitutione fabricæ ſecus expreſsè cautum eſſet, ſublata cenſetur: quia talia verba non poſſunt convenire immemorabili, quia cùm in ea nulla verba expreſſa legi poſſint, cùm conſiſtat in præſumptionibus, impoſſibile eſt dicere, quòd cautum ſit expreſsè per immemorabilem. Et exceptio hæc ſola dicitur firmare regulam in caſibus non exceptuatis. Ergo regula habebit locum etiam in immemorabili, tantò magis in eo caſu, in quo Epiſcopus adjungit ſibi alios deputatos; quia ſi dicamus non habere locum, quando adeſt conſuetudo immemorabilis, numquam procederet; quia clerum eſt ante Concilium Epiſcopum numquam fuiſſe adhibitum ea forma, quam Concilium requirit. Unde cùm ſit nova forma inducta à Concilio, non conſideratur immemorabilis præcedens, ut dicitur in forma examinis per concurſum, *ſeſſ.* 24. *cap.* 18.

Ampliatur duodecimò, ut poſſit Epiſcopus hujuſmodi 35
rationes exigere ab adminiſtratoribus, etiamſi ſimul concurrant privilegium, contraria conſuetudo etiam immemorabilis, & ſententia declaratoria ſuper his lata, ut Sac. Congregatio declaravit: nam orta lite inter Eqiſcopum, & adminiſtratores hoſpitalis Corduben. ſuper redditione rationum hoſpitalis, Epiſcopus pro ſe allegabat decretum Concilii; adminiſtratores verò ſententias, privilegia, & conſuetudinem immemorabilem. Sacra Congregatio cenſuit licere Epiſcopo non obſtante ſententia, conſuetudine immemorabili, & privilegio dictum Hoſpitale viſitare: nam privilegium eſt ſublatum per Concilium; ſententia verò eſt declaratoria, quæ nullum jus tribuit, quia cum 36
ſim-

ſimplici conſuetudine quadraginta annorum non poſſint ſe laici adminiſtratores eximere à redditione rationum, per Clem. *Quia contingit*, quæ illas tollit, ſequitur Concilium *c. 9. ſeſſ. 22.* derogans conſuetudini, ut aliquid operetur intelligendum eſſe de immemorabili, Tiraqu. *de retract. convent. n. 25.*

37 Ampliatur decimotertiò, ut adminiſtratores teneantur librum rationum deferre ad Epiſcopum, & in domo ejus rationem reddere, ut cenſuit Sacr. Congregatio in cauſa hoſpitalis civitatis Sarzanen. necnon in cauſa Fabricæ Cre-
38 monen. de qua ſupra in undecima ampliatione. Cæterum conſulta, an Ordinarius ad exactionem rationis debet intervenire illis ſtatis diebus, quibus ex privilegio, conſuetudine, vel conſtitutione reddenda eſt ratio: reſpondit de-
39 bere. Aliàs tamen dixit *in una Civitaten. die 5. Februarii 1593.* nec Epiſcopum, nec Capitulum rationem adminiſtrationis exigere debere tempore, quo recitantur horæ Canonicæ.

40 Ampliatur decimoquartò, ut etiamſi ex conſuetudine, aut privilegio, aut ex conſtitutione aliqua loci aliis ad id deputatis ratio reddenda ſit, nihilominùs cùm iis adhiberi debeat etiam Ordinarius, ut diſertis verbis ſtatuitur in fine d. *cap. 9. ſeſſ. 22.* Atque ita privilegium, conſuetudo, aut conſtitutio, quibus alteri quàm Epiſcopo reddenda eſt ratio, non ſunt quidem funditùs ſublata à Concilio, ſed modificata, ut locum habeant non privativè ad Epiſcopum, ſed cumulativè, Felin in *c. Paſtoralis, in 3. & 5. limitat. de offic. ordinar.* & ita reſcripſit S. Congregatio ad ſan. mem. Cardinalem Borromæum ſub *die 7. Februarii 1575.*

41 Ampliatur decimoquintò, ut quemadmodùm Epiſcopus unà cum deputatis adhiberi debet in ratione reddenda ita etiam ſit adhibendus in liberatione facienda. Unde in cauſa olim vertente inter Epiſcopum Cremonen. ſuper fabrica Eccleſiæ majoris ejuſdem civitatis, cùm Santiſſimus ex voto S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum declaraſſet per hæc formalia verba: Decrevit ut Epiſcopus Cremonenſis pro tempore exiſtens adhibeatur in reddenda ratione de fabrica cum aliis ad id deputatis juxta tenorem, & formam dicti decreti *ſeſſ. 22. cap. 9.* contigit dubitari, an viſis per prædictum Epiſcopum, & deputatos ipſos ſingulis annis computis, & rationibus, eſſet adhibendus idem Epiſcopus in liberatione ipſa facienda, ut ipſe exiſtimabat mentis fuiſſe Sanctitatis Suæ, & DD. Cardinalium, vel an ſufficeret, ut interveniret in reddenda ratione, ſed deinde liberatio fieret per deputatos ſolos, ut anteà fieri conſueverat; & reſponſum eſt non ſufficere liberationem fieri per deputatos, ſed adhibendum eſſe Ordinarium.

42 Porrò ex ſententia Sac. Congregationis Epiſcopus habet votum abſolvendi, & condemnandi cum cæteris deputatis, & ipſius votum connumerari debet cum voto cæterorum, quorum major pars votorum condemnat, vel abſolvit.

43 Nunc fallit primò concluſio ſuperiùs firmata in hoſpitalibus, & aliis locis piis, quæ ſub immediata Regum protectione exiſtunt. Hæc enim ab Epiſcopo viſitari non poſſunt ſine illorum licentia, ut expreſsè diſponitur in decreto Concilii Tridentini *cap. 8. ſeſſ. 22.* Verùm quomodo hoc ſit intelligendum, ſcripſi latiſſimè in *cap. præced. à num. 15. uſque in finem*, ibi videas.

44 Fallit ſecundò, ſi lege fundationis cautum ſit, ut hoſpitale, vel locus pius non ſubſit Epiſcopo. Tunc enim Epiſcopus non poteſt ſe ingerere, ut colligitur ex Clement. *Quia contingit*, §. 1. *de Relig. domib.* ibi, *Vel ſtatuto in ipſorum fundatione locorum appoſito*. Et tenet in *cap. præced.* Joan. Andr. fusè Cardin. *hic in 3. quæſt.* & hodie ex expreſſum in decreto Concilii Tridentini *cap. 9. ſeſſ. 22.* ibi, *Niſi ſecus fortè in inſtitutione, & ordinatione talis Eccleſiæ, ſeu fabricæ expreſsè cautum eſſet*. Quo decreto cùm Epiſcopus excludatur à rationibus exigendis, multò fortiùs excluditur à viſitatione, quia amplior facultas Epiſcopo tribuitur à Concilio in rationibus exigendis, quàm in viſitatione, de qua loquitur c. 8. immediatè præcedens, ut patebit infra *numero 57.*

Ideòque cùm Adminiſtratores Hoſpitalis Jeſu Chriſti oppidi de Utrera Hiſpalen. diœceſis à juriſdictione Ordinarii exempti tam ex tenore fundationis, quàm ex privilegiis, & confirmationibus Sedis Apoſtolicæ, quæ fierint, an dictum hoſpitale poſſit ab Epiſcopo viſitari vigore decretorum Tridentini Concilii; Sac. Congregatio cenſuit, ſi exprimatur in ſupplici libello, in fundatione expreſsè cautum eſſe, ne viſitet Ordinarius, & adeſt confirmatio Apoſtolica, talem fundationem non eſſe ſublatam à decreto Concilii, & idem reſpondit in alia Oſtunen.

Quamvis autem S. Congregat. in prædicta declaratio- 45
ne meminerit confirmationis Apoſtolicæ; tamen hoc ideò fecit, quia ſic contigit in facto, non quia neceſſe ſit, ut ſtatutum fundationis excludens Hoſpitale à viſitatione Epiſcopi approbetur à Summo Pontifice; quoniam ad hoc ſufficit Diœceſani conſenſus, ut tenet gloſſa communiter approbata in d. Clem. *Quia contingit in 1. reſponſo, in ver. Appoſito*, per textum *in cap. Cum dilectus, ſupra de conſuet.* ubi hoc notat gloſſa *in verb. Conſtitutum, verſ. Satis tamen credo*, Compoſtell. Hoſtien. Joan. Andr. & omnes, fusè Lambertin. *de jurepatr. lib. 1. par. 1. art. 1. qu. 9. numero 52.*

Cæterùm ſi Rector, vel miniſtri hoſpitalis, aut loci pii 46
perperam adminiſtrarent, aut redditus non converterent in uſus, ad quos ſunt deputati; tunc poſſet Epiſcopus rationes exigere, & adminiſtratores compellere ad piam voluntatem fundatoris exequendam, non obſtante contraria lege fundationis, textus eſt *in cap. Tua nobis*, & ibi plenè adnotavi, *de teſtam. & patebit infra num.....*

Fallit tertiò in hoſpitalibus, & aliis locis piis Milita- 47
rium Ordinum, & aliorum religioſorum. Hæc enim Epiſcopus nec viſitare poteſt, nec à regularibus rationes adminiſtrationis exigere, tam ex diſpoſitione juris communis, ut in d. Clement. *Quia contingit*, §. *Præmiſſa, de Relig. domib.* ubi hoc eſt expreſſum; quàm ex decreto Concilii Tridentini in d. *cap. 9. ſeſſ. 22.* quod de ſæcularibus, non de regularibus loquitur. Hinc quibuſdam Abbatibus 48
Burgen. quærentibus, an *cap. 9. ſeſſ. 22.* comprehenderet eos, ac Abbatiſſas, & Præpoſitos monaſteria ſua in titulum obtinentes, contra regularia eorum inſtituta, ac liberam adminiſtrandi rationem, & immemorabilem conſuetudinem: Sac. Congregatio cenſuit non comprehendere, quia *cap. 9. ſeſſ. 22.* loquitur de adminiſtratoribus fabricæ tantùm, & non loquitur de regularibus, ſed de ſæcularibus.

Et rurſus conſulta, an Abbates, Abbatiſſæ, & Præpoſiti regulares, qui habent liberam adminiſtrationem ſuarum Eccleſiarum ex immemorabili conſuetudine, teneantur reddere rationem fabricarum ſuarum Eccleſiarum Epiſcopo vigore decreti *c. 9. ſeſſ. 22.* reſpondit non teneri.

Hoc tamen ſublimita, ut non procedat in hoſpitalibus 49
Religionis B. Joannis Dei, quia nedum hoſpitalia, ſed & religio ipſa tam ex lege fundationis, quàm ex Conſtitutionibus Apoſtolicis ſubeſt juriſdictioni Ordinarii loci, & fratres tenentur ſingulis annis eidem Ordinario reddere rationem adminiſtrationis hoſpitalium, ut ſcripſi plenè *in c. Tuarum, num. 25. infra de privileg.* Quòd ſi generaliter 50
quæras, an religioſi poſſint præfici hoſpitalibus, gloſſa tenet non poſſe in d. Clem. *Quia contingit, in ver. Sæcularibus*, quia non reperitur permiſſum Monachis accipere beneficia niſi curata, *cap. Super eo, de regular.* Quare ſi hoſpitale non eſt curatum, religioſus ei præfici non poteſt. Et ita etiam reſpondit Feder. de Senis *conſ. 29.* & tenet Paul. in d. Clem. *Quia contingit*, qui tamen hoc limitat, niſi ſit hoſpitale alicujus religionis. Sed Lap. de Caſtillion. *in repet. cap. prox. ſupra eod.* diſtinguit, an religio ſit inſtituta ad hoſpitalitatem, ut S. Antonii Viennenſis, & Cruciferorum, & tunc poteſt religioſus inſtitui, quia nihil obſtat: an verò religio non ſit inſtituta ad hoſpitalitatem: & tunc ſubdiſtinguit; nam aut hoſpitale eſt annexum Eccleſiæ curatæ; & religioſus poteſt præfici, quia attenditur ipſa Eccleſia, quæ eſt principalis, *cap. Extirpandæ, §. Qui verò, de præbend. & c. Super eo, eod. tit. lib. 6.* aut hoſpitale non eſt annexum; & tunc religioſus ei præfici non poteſt, & vera eſt gloſſa in d. Clem. Et hanc diſtinctionem Lapi ſequitur Cardin. *in cap. præced. nu . 4. qu. 3.* ſubdens converſos ſubjici eiſdem prohibitionibus, quibus Monachi, *cap. Dubium, de ſentent. excommun.* ſicut & oblatos, *cap. Tuarum, & cap. Ut privilegia*, & quod utrobique notatur, *de privileg.*

Secunda concluſio negativa eſt: Hoſpitale ædificatum, 51
vel ordinatum ſine auctoritate Epiſcopi non efficitur religioſum, vel Eccleſiaſticum, & ideò non ſubeſt viſitationi, & ju-

& juriſdictione Epiſcopi Diœceſani. Hæc concluſio probatur apertè hìc à contrario ſenſu, & ita per hanc decretalem firmant hic Innoc. Hoſtien. Jo. Andr. Butr. Cardin. Abb. & alii communiter, Hoſtien. *in ſumma de regul* §. 1. *verſ. Quid de ruſticis*, & Specul. *de ſtatu reg. verſ.* 36. Rota apud Farinac. *dec.* 30. *num.* 8. *part. recent.* Calder. *conſ.* 352. *aliàs* 23. *de teſtam.* ubi dicit, Hoſpitale ſine auctoritate Epiſcopi fundatum eſſe locum merè profanum: & idem ſcripſit Bald. *in conſ.* 319. *Præmittendum eſt, circa princ. verſ. Debebit ergo, lib.* 5. *& conſ.* 5. *Quidam cives, poſt med. libro* 3. & hujuſmodi hoſpitalia conſtructa ſine Diœceſani conſenſu non ſubeſſe Epiſcopo conſuluerunt etiam Cardin. *conſ.* 121. *per totum*, maximè *num.* 2. Paul. de Caſtro *conſ.* 351. *Quæritur, lib.* 2. plenè Roman. *conſ.* 477. *n.* 14. *& ſeq.* ubi *n.* 5. inferit conſilium præallegatum Calder. qui idem tenet.

52 Ampliatur primò hæc ſecunda concluſio, ut habeat locum, etiamſi hoſpitale hujuſmodi ſit cum oratorio: nam etſi Vincent. & Tancred. hìc relati à Cardinali *nu.* 5. dicant ad conſtruendum hoſpitale cum Oratorio neceſſarium eſſe Epiſcopi conſenſum: tamen oppoſitum ſentit Innocent. quia unicuique privato licet habere oratorium in domo propria, dummodò non habeat formam eccleſiæ, nec ibi celebrentur Miſſæ, *c. Unicuique, & c. Clericos, de conſecr. diſt.* 1. & eſt textus expreſſus ſecundùm unum intellectum *in cap. Inter dilectos, de donat.* ut *hìc* per Abb. *num.* 6. & dixi latiſſimè *in cap. In his, infrà de privileg.*

53 Ampliatur ſecundò, ut in tantum privatus poſſit ſibi conſtruere hoſpitale in domo propria ſine authoritate Epiſcopi, ut etiam poſſit tractu temporis lectos inde amovere, & hoſpitale ad uſus profanos reducere. Ad hoc dict. *c. Inter dilectos*, & quod ibi notat Innocent. latè Cardin. *conſ.* 121. *num.* 3. Paul. de Caſtro *d. conſ.* 351. *in princ. libr.* 1. Quod tamen intelligit Abb. *hìc nu.* 4. ut procedat quoad eum tantum, qui Hoſpitale ædificavit, ſeu ordinavit. Sed eo mortuo non putat poſſe hoſpitale in uſus profanos converti per text. in Auth. *de Eccleſ. tit.* §. *Si quis ædificationem*. Et hanc diſtinctionem aliàs probavit S. Congr. Concilii, ut dixi in c...

54 Ampliatur tertiò eadem concluſio, ut procedat non tantùm in hoſpitalibus, ſed etiam in omnibus piis locis, quæ niſi conſtructa fuerint auctoritate Epiſcopi non ſubſunt illius viſitationi: nam etſi decreto Conc. *c. 8. ſeſſ.* 22. ſtatutum fuerit, ut Epiſcopi habeant jus viſitandi omnia pia loca, etiamſi illorum cura ad laicos pertineat; tamen ibi adjiciuntur verba: *In caſibus à jure conceſſis*, necnon illa, *Juxta ſacrorum canonum ſtatuta*, quæ reſtringunt diſpoſitionem ad limites juris communis. Unde ſicut loca pia non religioſa, ſeu Eccleſiaſtica non ſubſunt Epiſcopo de jure communi, ut hic; ita nec poſt Concil. Unde in declarationibus generalibus S. Congr. Concil. ad *c.* 8. reperitur infraſcripta videlicet: *Ordinarius non habet auctoritatem viſitandi hoſpitalia, neque confraternitas, quæ à laicis reguntur niſi in caſibus à jure expreſſis, & c. 8. ſeſſ.* 22. Conc. Trid. intelligitur, & habet locum ſolummodò in caſibus à jure communi permiſſis.

55 Fallit nunc hæc ſecunda concluſio pluribus modis. Et primò fallit mortuo patrono hoſpitalis, quia licèt locus non ſit religioſus, tamen cùm fuerit cauſa pietatis inſtitutus, dicitur locus pius, & ideò ſpectat ad ſolicitudinem Epiſcopi, ut pia fundatoris voluntas executioni demandetur, de quo videtur textus *in auth. de Eccleſ. tit.* §. *Si quis autem pro redemptione*, & tenet Abb. *in c. prox. ſupr. eod. n.* 3. *verſ. Quod puto verum*, Roman. *conſ.* 447. *n.* 2 Paul. de Caſtro *conſ.* 167. *nu.* 4. *uſque in fin. lib.* 2. Gabriel. *commun. concl. tit. de pia cauſa concl. n.* 2. *verſ. In contrarium*, Menoch. *de recuperan. remed.* 15. *n.* 22. 23. 36. *&* 37. quidquid contra ſcripſerit Angel. *conſ.* 117. *col.* 2. *verſ. Sed dubitari, uſque in fin.* Cujus opinio videtur hodie reprobata ex decreto Concilii Tridentini *cap.* 9. *ſeſſ.* 22. ut ex ſequentibus patebit.

56 Fallit ſecundò, ſi Epiſcopus intendat viſitare hoſpitale, ad hoc ut videat, an impleatur mens teſtatoris, *c. Tua nobis, de teſtam.* Feder. de Sen. *conſ.* 11. *num.* 3. ubi dicit, (Si dubium ſit, an in conſtructione hoſpitalis intervenerit auctoritas Epiſcopi, necne, præſumi interveniſſe, ſi habeat ſigna loci Eccleſiaſtici. Et nihilominùs etiamſi certum eſſet eam non interveniſſe, tamen cùm ibi degentes ſint perſonæ miſerabiles, cenſetur eſſe ſub protectione Eccleſiæ, ut *in c.* 1. *de Eccleſ. ædific.* & ibi per gloſ. & Innoc. qui dicit collegium leproſorum videri religioſum. Unde ad ſolicitudinem Epiſcopi pertinere videre, inquirere, viſitare, ne bona illius deputata ad uſum miſerabilium conſummentur; maximè cùm bona præſumantur proveniſſe ex largitionibus, & eleemoſynis fidelium.) Hæc Feder. quem multoties ſequuta eſt Sacra Congregatio Concilii. Et in ſpecie, Teſtator quidam Tervilii juſſit, ut ex ſuis bonis hoſpitale erigeretur, in quo exerceretur pauperum hoſpitalitas à duobus hominibus ab Univerſitate Tervilii huic adminiſtrationi præficiendis. Hoſpitali ita erecto abſque ullo Epiſcopi interventu verè, vel præſumptivè, adminiſtratores ſunt ab Univerſitate quotannis conſtituti, qui tranſacto adminiſtrationis tempore, aliis electis adminiſtratoribus futuri anni rationem reddunt adminiſtrationis, numquam adhibito Ordinario, qui nec etiam hoſpitale ipſum unquam viſitavit. Cardinalis Borromæus illud viſitare prætendens tranſmiſit monitorium deputatis adminiſtratoribus, ac recuſantes, & appellantes excommunicavit, & hoſpitalis ſcripturas ſequeſtravit. His omnibus in S. Congreg. deductis, & propoſitis, reſponſum eſt hoſpitale hoc eſſe privatum; poſſe tamen ex decreto Concilii *ſeſſ.* 22. illud viſitare, corrigere, & reformare in iis tantùm, ad quæ obſervandam voluntatem fundatoris pertinent.

57 Fallit tertiò quoad rationes adminiſtrationis exigendas. Nam etſi hoſpitalia, & alia hujuſmodi loca ſine auctoritate Epiſcopi conſtructa ſint privata, non autem religioſa, ſeu Eccleſiaſtica; tamen cùm ſit loca pia, poteſt Epiſcopus ab illorum adminiſtratoribus rationes adminiſtrationis exigere, non quidem de jure communi, ſed ex Conc. Trid. in d. *c.* 9. *ſeſſ.* 22. Nam decretum illud non reſtringitur ad caſus à jure conceſſos, ſicut reſtringitur *c.* 8. immediatè præcedens quoad jus viſitandi; ſed loquitur generaliter, & indiſtinctè, & excipit tantummodò caſum, cùm in fundatione cautum eſt, ut Epiſcopus non poſſit rationes adminiſtrationis exigere. Unde prædictum *c.* 9. habere locum etiam in caſibus non permiſſis à jure, ſæpiùs reſpondit S. Congr. & in ſpecie ita reſolvit in caſu Tervilii Mediolanenſ. diœceſis, ut in præcedenti fallentia: nam etſi declaravit hoſpitale illud eſſe privatum, utpotè conſtructum ſine auctoritate Epiſcopi diœceſani; tamen declaravit Cardin. Archiepiſcopum ex d. *c.* 9. *ſeſſ.* 22. auctoritatem habere exigendi redditionem rationis ab illius adminiſtratoribus, unà tamen cùm illis deputatis, quibus ex conſuetudine ratio reddenda eſt.

Ampliùs idem Cardinalis S. Praxedis petiit declarari, an per *c.* 9. *ſeſſ.* 22. Concilii Tridentini liceat Ordinariis exigere rationem ab adminiſtratoribus piorum locorum merè laicorum, & privatorum; & licèt ex mente dicti decreti quod abſolutè, & ſine ulla diſtinctione loquitur, pro Ordinariis crederet reſpondendum; tamen cautiùs agendo declarationem S. Congr. expectare voluit: Sac. Congregatio cenſuit *cap.* 8. *ſeſſ.* 22. intelligi etiam in caſibus à jure non expreſſis. Et aliàs generaliter declaravit decretum d. *c.* 9. habere locum etiam extra viſitationem, & in caſibus à jure non expreſſis, & licere Epiſcopis exigere rationem ab adminiſtratoribus de omnibus locis piis, etiam locorum merè laicorum, & privatorum, vel publicorum, generaliter, ſive Eccleſiaſtica ſint, ſive profana, ſine ulla diſtinctione.

Hoc tamen ſibi limita, ut non procedat, ſi ex lege fundationis Epiſcopus eſſet excluſus à facultate exigendi rationes. Hanc enim fundationem Concil. Trident. non ſuſtulit, imò expreſsè præſervavit in d. *c.* 9. *ſeſſ.* 22. ibi, *Niſi ſecus forte in inſtitutione, & ordinatione talis Eccleſiæ, ſeu fabricæ expreſsè cautum eſſet*, ideſt niſi in fundatione eſſet diſpoſitum, ut ratio adminiſtrationis nec Ordinario eſſet reddenda: hoc enim inſinuat verbum, *Expreſsè*, prout illud intellexit S. Congr. 58

Verumtamen ſi adminiſtratores hoſpitalis, vel alterius pii loci etiam ſine Ordinarii auctoritate fundati, eſſent negligentes in exequenda pia voluntate fundatoris, aut infideliter adminiſtrarent, poſſet Epiſcopus rationes exigere, eoſque compellere ad exequendam fundatori voluntatem, etiamſi fundator hoc prohibuiſſet, ut eſt caſus *in c. Tua nobis de teſtam. & in auth. de Eccleſ. tit.* §. *Si quis autem pro redemptione*, & ita ſæpiùs declaravit Sac. Congregatio, ut ſcripſi plenè in prædicta 59

&a decretali, *Tua nobis, in 4. notab. à numer. 12. uſque ad num.* 18.

60 Quòd ſi quæras, quam pœnam incurrant adminiſtratores, qui Eccleſiarum, hoſpitalium, aliorumque piorum locorum redditus, qui in miniſtrorum, & pauperum neceſſitates converti debent, in ſuos uſus convertere, & uſurpare præſumunt?. Reſpondeo, tamdiù ſubjacent anathemati, quamdiù redditus, quos occupaverint, integrè reſtituerint, ac deinde à Romano Pontifice abſolutionem obtinuerint, ut diſertis verbis ſtatuitur in decreto Concil. Trid. *c.*11.*ſeſs*.22.

61 QUÆRO de quæſtione facti. Poſito ſtatuto Univerſitatis, ad quam ſpectat adminiſtratio bonorum Eccleſiæ circa converſionem reddituum in Eccleſiæ utilitatem, & circa reddendas rationes adminiſtrationis; an Univerſitas prædicta, ſeu illius officiales, qui pecunias ad Eccleſiam ſpectantes mutuaverunt eidem Univerſitati ad emendam annonam, aliaſque illius indigentias ſublevandas, inciderint in excommunicationem *capit.*11.*ſeſſ.*22. Concil. Trident.

62 Videtur reſpondendum excommunicationem, de qua in Conc. Trid. *ſeſſ.*22.*c.*11. non comprehendere nedum Univerſitatem ipſam, ſed nec illius officiales, præmiſſa concluſione gl. 1. in Clem. 1. *de conſang. & affin.* videlicet in materia excommunicationis ſtrictè procedendum, nec faciendam extenſionem; & cum ſit pœna privans hominem tot bonis, non debere induci niſi in caſibus in jure expreſſis, ex gl. *pen. c. fin. de jurepatr.*

63 Et quidem quod ad communitatem ipſam ſpectat, eam ſub diſpoſitione dicti *c.*11. non comprehendi, ſuadetur, ponderando Conc. loqui per verbum, *Si quem*, quod extenditur ad Univerſitatem, Abb. *in c. Novit, n.2. de his quæ fiunt à Prælat. ſine conſenſu Capit.* Ratio eſt, quia hoc relativum, *quis, quem*, refertur ad hominem, ut notat Alciatus in *l.1. ff. de verb. ſignif.* ſeu ad perſonam, ut ante ipſum adno-
64 tavit Card. in Clem. 1. *q.1. de elect.* Sed communitas, ſeu univerſitas non eſt niſi perſona ficta, & repræſentata, *leg. Mortuo*, & ibi gl. *ff. de fidejuſſ.* Ergo in materia ſtricta, ſub hoc relativo, *quis*, non venit univerſitas, *l.* 3. §. *Hæc verba; ff. de negot. geſt.* ut etiam tradit Rebuff. *d. l.1. in ult. fallen. 1. regulæ.*

65 Quibus adjicitur, quòd Conc. dicto relativo, *Si quem*, perſonam repræſentanti addit hanc qualitatem, clericorum, ſeu laicorum, quæ qualitates cùm non conveniant univerſitati, ſequitur, ut nec ſub decreto comprehendantur, ut in ſimili ſcripſit Card. in d. Clem. 1. *de conſagu. & affinit.*

66 Deinde hoc ipſum ſuadetur, quia jura canonica prohibent, ne in univerſitatem excommunicatio proferatur, *c. Romana*, § *In univerſitatem, de ſent. excom. in* 6. Ergo non eſt veriſimile, ut Conc. voluerit d. *c.*11. eamdem excommunicationi ſupponere, nec etiam ſecundùm modos traditos à DD. in d. *c. Romana.* Unde quamvis excommunicari poſſit univerſitas à Papa, vel Concilio, ut fusè probavi in *c. Reſponſo à n.75. infra de ſent. excom.* non tamen inde ſequitur, ut eadem in hoc caſu à Concilio excommunicationi ſupponatur: imò potiùs dicendum eſt Concilium noluiſſe univerſitates ſubjicere huic excommunicationi; tum ex ſupradictis; tum quia recipere debet interpretationem paſſivam à jure communi, ad l.2. cum ibi notatis per Bald. *C. de noxal.*

Quod attinet ad particulares delinquentes, ut ſunt ipſi officiales, idem reſpondendum videtur ex infraſcriptis. Primò, quia dicti officiales nihil horum fecerunt, quibus Concilium excommunicationis pœnam annectit: nam Conc. excommunicat tantùm illos, qui bona, & obventiones Eccleſiarum, & piorum locorum in proprios uſus convertendo uſurpare præſumunt. Quæ verba cùm non conveniant caſui propoſito, ſequitur ut nec diſpoſitio ſit eidem applicanda, *l.4.* §. *Toties*, & ibi gl. *ff. de damn. infect.* Nam etiamſi dicti officiales mutuaverint communitati pecunias ad annonam emendam, ad aliaſque ejuſdem indigentias ſublevandas: tamen quia ita mutuatæ fuerunt, ut communitas teneretur eaſdem reſtituere, prout fecit; propter hoc nec communitas, nec predicti officiales dicuntur obventiones ad Eccleſiam ſpectantes ita ſibi uſurpaſſe, ut in
67 ſuos converterint uſus. Quod enim debet reſtitui, non dicitur propriè in mei uſum, utilitatemve converſum, *leg. Si pro parte*, §. *Verſum autem, ff. de in rem verſo*, ubi gl. adducit concordantes. Facit *l. Non videtur cepiſſe, & l. Non videtur quiſpiam id capere, ff. de reg. jur.* Videtur enim Concilium voluiſſe excommunicare, qui prædicta bona ſibi ipſis appropriare præſumunt, *c. Quia Sacerdotes*, 11. *quæſt.*1.

Secundò, excommunicatio juris ſemper ſupponit pec- 68
catum mortale adeſſe, adeò niſi adſit, nec ibi habeat locum jus excommunicans, *c. Nemo Epiſcoporum*, 11.*q.*3. ibi: *Anathema eſt æternæ mortis damnatio, & nonniſi pro mortali debet imponi crimine*, Navar. *in Manuali c.27. n.9.* Prędicti autem officiales non videntur mortaliter peccaſſe; ſiquidem nuiverſitati laicorum poteſt demandari adminiſtratio ſimilium oblationum, modò eas ſibi ipſis non vendicent, ſed in pios uſus convertant, ut per Dec. *conſ.*148. Et fuiſſe Univerſitati ſic demandatum, ſatis præſumitur ex antiquiſſima obſervantia ſubſequuta, ut per Dec. loc. cit. Unde cùm ſaltem mortaliter non peccaverint dicti officiales, neque ipſi, neque alii ex Univerſitate excommunicationi prædictæ cenſetur ſuppoſiti.

Nec obſtat, quòd imò peccaverint, dum dictum ſtatutum, 69
quod uti juſtum in utilitatem Eccleſiæ factum ab ipſis revocari non potuit, ex Dec. *in c. Eccleſia S. Mariæ, in princ. de Conſtit.* non ſervaverunt. Nam reſponderi poteſt primò fortè d. regulam procedere in his, quæ ſunt conceſſa Eccleſiæ in vim privilegii, ſeu contractus; non autem, ſi ſint conceſſa in vim legis, vel ſtatuti, ut fuit in caſu noſtro, Abb. *in c. Novit, n.25. de judic.* Sed quia oppoſitum tenet ibi Innoc. *n.6.* Archid. *in c. Quicumque*, 11. *q.*1. Jo. Andr. in *c. Conſtitutus, infr. eod.* & alii plerique.

Reſpondetur ſecundò eamdem regulam procedere, quando ſtatutum jam habuit effectum; ſecus ſi non habuit, puta quia non fuit uſu receptum, quia non obligat, *c. In iſtis* 4. *diſt. c.*1. ubi gl. & DD. *de tregu. & pac.* Unde nec opus eſt ut agatur de illius revocatione, cùm per non uſum ſit abrogatum, ut in *d. c. In iſtis*, §. *Leges*, ubi id notant gloſſ. & Doctores.

Tertiò, eſto prædictis officialibus non licuiſſet prædicta 70
facere, cùm non haberent verè dictam facultatem, & factum ipſorum eſſet in ſe damnabile, attamen prædicta conſuetudo eos excuſaret ſaltem ab excommunicationis pęna, ex his fusè cumulat Tiraq. *de pœnis conſ.*42.

Quartò, etſi prædicta officiales non excuſarent, adhuc 71
tamen ipſi eximerentur à pœna excommunicationis Concilii, quod non excommunicat quoſvis, ſed præſumentes tantùm, per quod verbum, ut notat Card. communiter receptus in Clem. 1. *qu.39. de privil.* qui ex ſimplicitate aliquid faciunt contra legem excommunicantem, excuſantur; quod autem prædicti homines ſupradicta ex ſimplicitate, & bona fide fecerint, vel ex eo patet, quòd omnia prædicta publicè fecerunt. Cui doctrinæ ſi addantur, quæ ponit Tiraquel. *ubi ſup. a conſ.*43. dum vult omnem cauſam etiam non rationabilem excuſare: concludetur prædictos homines excuſandos, qui ſicut ſimplices, juris ignari, ac tamquam pecudes, eos, qui præcedebant, bona fide incitati, ſubſequuti ſunt. Non obſtat id quod ex Ang. Imola, & Plot. contra prædictos adducitur ad probandum eoſdem fuiſſe prædones ac doloſos, ſeu fures, qui hujuſmodi 72
pœnas effugere non poſſunt: nam reſpondetur prædictas authoritates, quæ fundantur ſuper *l. Pomponius*, § *Ex facto, ff. acqu. poſſ.* intelligi debere non de omni adminiſtratore, qui res ſibi commiſſas in ſuos convertit uſus; ſed de illo qui clam, & per fraudem voluit decipere, & fraudare ſuos principales. Et ita probat ille textus, ac etiam Imola, qui cum aliis adductis ita eſt intelligendus. Prædicti autem officiales eſto in aliis deliquiſſent; non tamen voluerunt defraudare ratione adminiſtrationis, ſuper qua fraude, & occulta deceptione fundat ſe Juriſconſultus in d. §. *Ex ratione.* Peæterea quatenus etiam fuiſſent prædones quoad aliquid; tamen non ſequitur, ut ſint tales, quales Concilium excommunicat.

Quòd ſi adhuc inſtetur, imò ipſos officiales fuiſſe fures, 73
dum dictis pecuniis in alium finem, & ad alium effectum uſi fuerunt, quàm eſſet is, ob quem penès ipſos dictę pecunię deponebantur, cùm à ratione uſus fiat furtum, *inſtit. de furt. in princ.* §. *Furtum autem.*

Reſpondetur primò Concilium non excommunicare eos, qui peccant circa uſum rei, ſalva remanente re; ſed eos, qui ſibiipſis eam appropriant privando Eccleſiam ipſa re.

Se-

Secundò, reſpondetur ea loca procedere in eo, qui fraudulenter re aliena utitur, ut ibi habet text. & notat gloſ. *in verb. Frauduloſa*, quæ infert, ut ſi hoc faceret quis non fraudulosè, ſed bona fide, putans ſibi licere, vel domino non diſpliciturum; non committeret furtum, prout fuit in caſu noſtro; quippè potuerunt credere dicti officiales Eccleſiam interrogatam permiſſuram, ut dictam pecuniam otioſam darent communitati egenti.

Quibus accedit, quòd prædicta videntur fortè procedere in illo uſu, qui eſt pretio æſtimabilis, ut colligitur ex gl. in *verſ. Uſus*.

Poſtremò tametſi ratione abuſus furtum commiſiſſent, non tamen propterea in excommunicationem incidiſſent: nam S. Congr. aliàs declaravit eos, qui tamquam fures bona Eccleſiarum ſurripiunt, non incidere in pœnam d. *c.11.* ſed ad juris præſcriptum eſſe puniendos. Ex quibus dicti homines videntur ſimpliciter admonendi, ut de cætero cautiùs agant, & à ſimilibus abſtineant.

DE RELIGIOSIS DOMIBUS.

Innocentius III. Conſtantinopolitano Patriarchæ.

CAPUT V.

INter quatuor: & infrà. Quamdiù Monaſteria per regulares remanere potuerint ordinata, non ſunt ad ſæculares clericos transferenda. Sed ſi regulares defuerint, propter eorum defectum, in eis ſæculares clerici poterunt ordinari.

SUMMARIUM.

1 *Religioſus locus debet reformari de Religioſis dumtaxat, non de ſæcularibus, niſi in defectu religioſorum.*

2 *Monaſterium regularium, nullus citra Papam poteſt ad ſtatum ſæcularem reducere, etiamſi in eo regularis diſciplina ſit collapſa; ſed reformari debet per ipſoſmet regulares.*

3 *Quod locum habet tam in Monaſteriis Monachorum, quam Canonicorum regularium, & aliorum religioſorum.*

4 *Monaſterium reduci poteſt ad ſtatum ſæcularem, cùm non reperiuntur regulares, qui poſſint illud reformare.*

5 *Et qui gradus in hoc ſint ſervandi.*

6 *Monachi præminent in contemplatione, Clerici in prærogativa officiorum.*

7 *Monaſterii S. Victoris Maſſilien. ſæcularizatio denegatur in Sacra Congregatione rerum Conſiſtorialium.*

8 *Otho Imperator monetur ab Apoſtolo, ne monaſterium S. Pauli de urbe ad ſtatum ſæcularem reducat.*

9 *Monaſterio S. Vincentii Meten. Ordinis S. Benedicti ſæcularizatio denegatur.*

10 *Arces, propugnacula, & hoſpitationes militum non ſunt juſta cauſa ſæcularizandi monaſteria regularium.*

11 *Monaſteria, in quibus ali non poſſunt tot Religioſi, quot ſufficiant pro regulari obſervantia, ſtatim transferri poſſunt ad ſtatum ſæcularem.*

1 *INter quatuor*. Locus religioſus debet reformari de religioſis dumtaxat, non de ſæcularibus, niſi in defectu religioſorum. Hoc dicit, Jo. Andr. Butr. Card. Abb. & Jo. de Anan. Diſtinguit duo membra, & ſecundum proſequitur ibi, *Sed ſi*, & pars hujus *c. Inter quatuor, de cler. peregr. de major. & obed. & de cler. non reſid.*

Nota ex hoc text. regulam, & caſum ab eo exceptum.

2 Regula eſt, quòd nullus citra Papam poteſt monaſterium regularium ad ſtatum ſæcularem reducere, etiamſi in eo regularis diſciplina ſit collapſa; ſed reformari debet per ipſoſmet regulares, ut in prima parte text. concordat *c. Pervenit*, il 2. 18. *q. 2. c. Quæ ſemel dedicata ſunt monaſteria*, 19. *q.* 3. *c. Relatum*, *Ne Cler. vel Monach. c. Poſſeſſiones, de rebus Eccl. non alien. & c. Ea quæ, de ſtat. Monach.* hìc alleg. in gloſ. unica.

Rationem hujus regulæ aſſignant nonnulli, quia quę ſemel Deo ſunt conſecrata, mundanis uſibus deputari non debent, ut legitur, & notatur in *c. Ad hæc, ſupra eodem*. Sed hæc ratio non placet Hoſtienſi *hic n. 2.* Quia clerici ſæculares non ſunt inſacrati, imò ſunt Dei milites, *c. Eò libentius, de ſerv. non ordin.* Ratio igitur eſt, ne in via Dei, in qua de virtute in virtutem aſcendendum eſt, fiat deſcenſus, ſed potiùs aſcenſus, *l. Ut gradatim, ff. de muner. & honor. c. Legimus, in fin.* 93. *diſt.* cum concord. hic allegatis per Hoſtien. *in princ.* cum quo tranſeunt Jo. Andr. *n.* 1. Abb. in 1. *not.* & alii communiter. Et cùm ratio generalis 3 ſit ad omnes regulares, conſequens eſt, ut propoſita regula locum habeat non tantùm in Monaſteriis Monachorùm, de quibus loquitur hæc Decretalis, ſed etiam Canonicorum Regularium, & aliorum religioſorum, prout firmant Hoſt. & Jo. Andr. *loc. cit.* Card. *n.* 2. & Jo. de Anan. *in* 1. *notab.* Caſus à regula exceptus eſt, cùm regulares non reperiuntur, qui poſſint monaſterium reformare; 4 tunc enim poteſt reduci ad ſtatum ſæcularem, ut patet in litera ibi, *Sed ſi regulares defuerint*, & notant Abb. *hic n.* 1. *verſ. Caſus exceptus*, Jo. Andr. Butr. Card. & omnes *in ſummario text.*

Oportet tamen in hoc ſervare certos gradus, cùm hæc li- 5 tera indefinitè dicat, *Quandiu per regulares*: ut ſcilicet reformetur locus religioſus per regulares ejuſdem monaſterii. Secundò, in eorum defectum per regulares diſtrictioris vitæ aliorum monaſteriorum ejuſdem ordinis. Tertiò, iiſdem deficientibus deveniatur ad regulares alterius ordinis; & ad extremum in defectum omnium regularium inſtituantur ibi clerici ſæculares, quia neceſſitas legem non habet. Et in hoc ultimo caſu ſervanda erit exceptio hìc poſita in 2. membro: quem ordinem poſuit hìc gloſ. unic. & Hoſtien. *num.* 2. *in verb. Defectum*, & diſtinctiùs Joan. Andr. *eod. num. in verb. Ordinari*, Butr. *num.* 5. Card. *in fin.* Abb. *nu.* 1. *verſ. Oportet tamen*; & Joan. de Anan. *n.* 2. *verſ. Et conſidero*, Henric. Boich. *in c. Ad audientiam, il* 2. *de Eccleſ. ædificand. circa med. verſ. Aut quæris utrum è contra.*

Nec obſtat, ſi dicatur: Monaſterium videtur potiùs debere, & poſſe converti in Eccleſiam ſæcularem, quàm è converſò: nam cœtus clericorum præeminet, *c. Legi*, 7. *q.* 1. Quoniam ſecundùm Laurentium uterque præeminet 6 aliis diverſis reſpectibus: nam Monachi præeminent in contemplatione, clerici in prærogativa officiorum, ut notat Archidiac. *in cap. Si Epiſcopus unam*, 12. *qu.* 2. *num.* 2. & ſequitur Henric. Boich. *in dict. capit. Ad audientiam, in fin.*

Et per prædicta, in Sac. Congregatione rerum Conſiſto- 7 rialium habita die 17. Decembris 1648. rejecta fuit ſupplicatio Monachorum monaſterii S. Victoris Maſſilienſis Ordinis Sancti Benedicti, qui petebant ſæcularizationem dicti monaſterii, & reductionem Monachorum ad ſtatum Canonicorum ſæcularium: nam etſi in eo monaſtica diſciplina plurimùm eſſet collapſa, tamen cùm dicatur

eſſe

eſſe caput Congregationis, & inter cæteras Abbatias, & Prioratus à ſe dependentes habeat quatuor monaſteria aggregata,& unita Congregationi S. Mauri ejuſdem Ordinis, in qua benedicente Domino regularis obſervantia præclarè, & mirificè per totam Galliam inſtaurata eſt; & ſic non deſint Monachi ejuſdem Ordinis, qui poſſint hujuſmodi monaſterium reformare, non eſt ullatenùs ad ſæculares clericos transferendum, ut hìc patet, & in concordantibus ſupracitat. *n.*2. Quòd ſi per Monachos ejuſdem Ordinis reformari non poſſet, tunc illis ejectis fratres alterius Ordinis in illud eſſent inducendi, ut labores impiorũ juſti edant, dicit tex. in *d.c. Relatum ne cler. vel monach.* nec clerici ſæculares eſſent in eo inſtituendi, niſi in defectum omnium Regularium, ſecundùm gradus, quos ſupra diſtinximus *n.* 5.

8 Fuit etiam ponderatum, quod refert Card. Baron. *ad annum Chriſti* 996. in hæc verba: (Contigit ipſo in tempore ut Imperator Otho III. ad quorumdam ſuggeſtionem Monachos pravè degentes in Eccleſia, & monaſterio S. Pauli de Urbe expellere cogitaret, ut Canonicos in eodem loco ſervituros, prout ei ſuggeſtum fuerat, ſubſtitueret. Cùm hoc appeteret implere decretum, apparuit ei noctu per viſum Beatiſſimus Apoſtolus Paulus, atque eumdem Imperatorem hujuſmodi monere curavit: Si verè, inquit, zelus divinæ ſervitutis optimi operis te adurit, vide, ne hujus propoſiti inſtitutum præſumas in Monachis immutare expellendis; non enim expedit cujuſque Eccleſiaſtici Ordinis quamvis ex parte depravati, propoſitum unquam abjici, ſeu immutari; in eo namque unuſquiſque judicandus eſt, in quo ſe primò vovit Deo ſervire; reemendari enim tantùm licet corrupto cuique in eadem propriæ vocationis ſorte. Taliter monitus Imperator retulit ſuis, quæ audierat ab Apoſtolo, curamque agens qualiter eorum inſtitutum, ſcilicet Monachorum, quiviſſet in melius reformare, non expellere à loco) Hæc Baronius.

9 Demum omiſſis aliis ponderatum fuit exemplum monaſterii S. Vincentii Metenſis civitatis Ordinis S. Benedicti, de quo in literis fel. recor. Urb. VIII. tenoris infraſcripti videlicet; (Expoſitum nobis nuper fuit pro parte dilecti filii moderni Præſidentis, & Viſitatoris Congregationis SS. Vittoni, & Nidulphi Ordinis S. Benedicti, quòd Monachorum monaſterii S. Vincentii Metenſis civitatis ejuſdem Ordinis eouſque devenit morum relaxatio, ac vita ſcandaloſa, ut Religioſæ obſervantiæ immemores ſæcularem ſtatum anhelare, illumque à Sede Apoſtolica poſtulare non erubuerint, maximo cum ſcandalo totiùs civitatis, cum gravi diſpendio temporali, & ſpirituali monaſteriorum dictæ Civitatis, & Ordinis in hoc intereſſe habentis, & contra mentem fundatoris dicti monaſterii, quibus, & aliis gravioribus cauſis mota Sedes Apoſtolica præfatam ſæcularitatem hujuſmodi eis denegavit. Quia verò indecens eſt habitum geſtare religioſum, & diſſimilem ab eo vitam ducere: idcircò Præſidens, & Viſitator præfatus de dictorum Monachorum ſalute, regulari obſervantia, ac rei divinæ augmento ſolicitus, laudabilem vitæ reformationem ad inſtar aliorum in primò dictum monaſterium noſtro, & ſedis miniſterio introduci cupiens, Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut ſupra præmiſſis, ut infra de benignitate Apoſtolica opportunè providere dignaremur. Nos igitur dicti Præſidentis, & Viſitatoris votis, quantum cum Domino poſſumus, annuere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpoſitorum conſilio, Fraternitati tuæ frater Epiſcopo, qui, ut accepimus, venerabilis fratris Epiſcopi Metenſis Suffraganeus in præſens exiſtis, ac diſcretioni veſtræ filii Cantor, & Archidiacone, & veſtrum cuilibet per præſentes committimus, & mandamus, ut prædictum monaſterium S. Vincentii Metenſis, ejuſque religioſos auctoritate noſtra omni appellatione remota viſitetis, ſeu aliquis veſtrum viſitet cum facultate illos citandi ad comparendum coram vobis, aut veſtrum quolibet, ſub excommunicationis, privationis officiorum, & dignitatum, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, examinandi abuſus, & vitam ſcandaloſam corrigendi, & in dicto monaſterio S. Vincentii Metenſis propoſitam reformationem introducendi, prout in monaſteriis SS. Arnulphi, & Clementis ejuſmodi civitatis introducta reperitur. Si verò prior, & Monachi profeſſi præfati monaſterii reformationem hujuſmodi admittere renuerint, vos, & veſtrum quilibet Religioſos reformatos Congregationis prædictæ SS. Vittoni, & Nidulphi in poſſeſſionem dicti monaſterii omniumque bonorum, & redditũm menſæ Conventualis illius, quam ab Abbatiali nunc ſeparatam Monachi dicti monaſterii S. Vincentii poſſident, immittatis, ſeu quilibet veſtrum immitat, Monachoſque ipſam reformationem recipere recuſantes ab eodem monaſterio dimittatis, ſeu quilibet veſtrum dimittat, ſuſcepto per eos habitu Clericorum ſæcularium, ac ſingulis eorum arbitrio veſtro congrua fructuum portione aſſignata pro illorum ſuſtentatione illorum vita durante; Novitios verò juxta eamdem reformationem, profeſſionem emittere faciatis, ſeu quilibet veſtrum faciat, vel ſi renuerint, è monaſterio ejiciatis, ſeu quilibet veſtrum ejiciat; mandantes propterea in virtute ſanctæ obedientiæ Monachis dicti monaſterii S. Vincentii Metenſis, illiuſque Superioribus, & perſonis quibuſcumque, ut vobis, & cuilibet veſtrum in præmiſſis omnibus, & ſingulis promptè pareant, & obediant, veſtraque ſalubria monita, & mandata ſuſcipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent, alioquin ſententiam, ſive pœnam, quam ritè tuleritis, ſeu ſtatueritis, ſeu quilibet veſtrum tulerit, ſeu ſtatuerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Volumus autem, ut ſi quæ graviora in hujuſmodi viſitatione reperietis, ſeu aliquis veſtrum repererit, necnon informationes omnes deſuper ſumendas, ſub veſtro, vel cujuslibet veſtrum ſigillo clauſas ad Nos quamprimum diligenter transmittatis, ſeu aliquis veſtrũ tranſmittat, & quidquid in illis ſtatuendum fuerit, matura conſideratione adhibita determinabimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii S. Vincentii Metenſis, & Ordinis prædictorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis monaſterio S. Vincentii Metenſis, illiuſque Monachis, Superioribus, & perſonis prædictis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibuſque; & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, & aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, illorum omnium tenores præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœceſis ſub Annulo Piſcatoris die 13. Octobris 1634. Pontificatus noſtri anno duodecimo.)

Nec viſæ fuerunt relevantes rationes per Monachos adductæ. Nam quoad propugnacula, & turres, & hoſpitationes militum in eodem monaſterio, multa ſunt alia monaſteria quæ ſubjacent huic incommodo, & in individuo in Congr. S. Mauri extant monaſteria S. Michaelis in periculo maris in Normandia, S. Andreæ de Villanova è regione Avenionis, & S. Honorati Lerinenſis in Provincia, & in Congregatione SS Vittoni, & Nidulphi ejuſdem Ordinis eſt monaſterium S. Vittoni in Civitate Verdunen. intùs quod conſtructa eſt arx, quam appellant la Cittadella, & Monachi ſeorſim habitant in ſuo clauſtro. Unde ſic fieri poterit in monaſterio S. Victoris, cùm habeat ampla ædificia Nec talis videtur juſta cauſa illud reducendi ad ſtatum ſæcularem, cùm præſertim hoc inſigne ſit monaſterium, & ſupra mille annos erectum, & in eo requieſcat corpus B. Pontificis Urbani V. Monachi ejuſdem monaſterii, qui in ibi ſepeliri voluit in habitu monaſtico; & ſæculariȥatio à centum annis, & ampliùs à Monachis petita, fuit ſemper denegata per Sedem Apoſtolicam. Item verendum eſſet, ne hoc exemplo aliquando regulares eamdem ſedem inquietarent pro ſimilibus ſæculariȥationibus obtinendis. Olim ſimiliter petebatur, ut in monaſterio S. Dionyſii Pariſienſis ejuſdem Ordinis plurimùm depravati Canonici ſæculares inſtituerentur, ſed tamdem eò per monachos Congregationis S. Mauri regularis vita obſervantia, & reformatio exactè introducta eſt cum ædificatione totius Galliæ.

Limita nunc notabiliter regulam ſuperiùs propoſitam *n.* 2. qua firmatũ eſt monaſteria non eſſe transferenda ad Clericos ſæculares, ſed eſſe reformanda per ipſoſmet regulares ejuſdem, vel alterius Ordinis, ut locum non habeat in monaſteriis, in quibus vel ob reddituum tenuitatem, vel ob aëris intem-

intemperiem, vel ob infeſtationes flagitioſorum hominum, vel aliam ob cauſam actu non ſuſtentantur, nec ſuſtentari poſſunt tot Religioſi, quot ſufficiant ad obſervantiam Regularis diſciplinæ. Talia enim monaſteria, cùm ſint incapacia reformationis, ſtatim transferri poſſunt ad ſtatum ſæcularem, nec ſervandi ſunt gradus, de quibus ſupra *n.* 5. ut plenè probavimus in *c. Relatum, à n.* 8. *uſque ad n.* 21. *infra Ne Cler. vel Monach.* & propterea ſan. me. Innoc. X. ſuppreſſit, & ad ſtatum ſæcularem reduxit parvos ejuſmodi conventus in tota Italia, & Inſulis adjacentibus, ut in ejus Bulla, quæ incipit, *Inſtaurandæ*, edita anno 1652. idibus Octobris, cujus tenorem unà cum hiſtoria totius rei geſtæ retulimus in prædicta Decretali, *Relatum*, *à n.* 41. *uſque in fin.*

CONſtitutus. Eccleſia ſita in diœceſi Epiſcopi, tenetur 1
ei in Epiſcopalibus reſpondere, niſi appareant remiſſa; & poteſt Epiſcopus remittendo ſpiritualia cenſum ſibi retinere. Hoc dicit ſecundùm Joan. Andr. Collect. Bellam. Butr. Cardinal. Ancharan Abb. & Joan. de Anan. & ſunt duæ partes. In prima facti, vel cauſæ narratio. In ſecunda ipſius diffinitio, ibi, *Cùm autem*. Prima ſubdivitur in tres, in quarum prima actoris petitio: in ſecunda, ibi, *Verùm*, reorum defenſio: in tertia, ibi, *Cæterùm*, actoris replicatio; & eſt pars *cap. Conſtitutus, infra de pœn.*

Pro intelligentia hujus text. vide quod ſcripſi in *c. Cùm pridem*, *n.* 38. *ſupra de pact.*

DE RELIGIOSIS DOMIBUS.

Idem Innocentius III.

CAPUT VIII.

CUm dilectus filius: & infrà. Quia cauſa non poterat in noſtra præſentia terminari, cùm Nuntius monaſterii ſuper procuratione, vel ratihabitione literas non haberet, eam veſtro duximus examini committendam: Mandantes, quatenus ſi conſtiterit Abbatem, ad Sedem Apoſtolicam, antequam Epiſcopus in eum ſuſpenſionis, vel excommunicationis, & in Monaſterium interdicti ſententias tulerit, legitimè appellaſſe, vel Monaſterium à juriſdictione Epiſcopi ejuſdem exemptum: eo non obſtante, quòd Abbas ab eo circumventus, præter Fratrum ſuorum aſſenſum, ei obedientiam repromiſit (cùm fraus & dolus ei patrocinari non debeant) judicetis illas ſententias non tenere: Quòd ſi Abbas in exemptionis probatione defecerit, nec legitima ſe poterit præſcriptione tueri: licèt probet ſe ante prædictas ſententias appellaſſe, nihilominùs tamen Monaſterium judicetis Aurien. Eccleſiæ ſubjacere, in cujus eſt diœceſi fundatum. Similiter eo in probatione appellationis deficiente, ſi vobis conſtiterit de exemptione, vel legitima præſcriptione, tam Abbatem, quàm Monaſterium, ab impetitione Epiſcopi abſolvatis.

S U M M A R I U M.

1 *MOnaſterium ſubjectum eſt Epiſcopo, in cujus diœceſi ſitum eſt, niſi probetur exemptum, & numer.* 12.
2 *Nuncius, & Procurator in quibus differant.*
3 *Nuncius ſimplex non admittitur ad agendum, vel defendendum.*
4 *Procurator ſi faciat aliquid ut Nuncius, non valet, quod agitur.*
5 *Et factum à Nuncio an poſſit validari ratihabitione.*
6 *Nuncius eſt veluti organum, & pica domini ſui.*
7 *Et confert verba in perſonam domini, eique acquirit directè.*
8 *Subſtituere prohibitus poteſt explicare per Nuncium.*
9 *Procurator ſubſtantiat contractum in ſe, licèt procuratorio nomine, & domino cedere tenetur.*
10 *Sententia cenſuræ lata poſt appellationem etiam extrajudicialiter interpoſitam eſt ipſo jure nulla.*
11 *Sententia in exemptum lata non valet ex defectu juriſdictionis.*
12 *Diœceſis tota eſt unum corpus, cujus caput eſt Epiſcopus.*
13 *A capite non decet membra diſcedere.*
14 *Exemptionem monaſterii allegans, probare debet, dummodò ante Epiſcopus probaverit illud intra ſuæ diœceſis fines exiſtere.*
16 *Praxis procedendi, cùm controvertitur inter Epiſcopum & inferiorem, ad quem ſpectet juriſdictio in aliquo territorio.*
17 *Monaſteria ferè omnia in Congregationem redacta exempta ſunt à juriſdictione Epiſcopi etiam in tribus caſibus c. Volentes, de privil. in 6.*
18 *Niſi illis cura animarum immineat perſonarum ſæcularium.*
19 *Abbatia de Balneo an ſit nullius diœceſis, vel exempta, & an Epiſcopus Burgi S. Sepulchri poſſit jure Ordinario illam viſitare, & num. ſeq. uſque in finem.*
20 *Status dictæ Abbatiæ conſideratur juxta tria tempora.*
21 *Nullius diœceſis ſtatus non conſtituitur, niſi procedatur per viam diſmembrationis territorii.*
22 *Pontificalia in aliena diœceſi ab Epiſcopo exerceri non poſſunt.*
23 *Territorium proprium non fit inferioris Prælati, niſi tam ipſe, quàm Clerus, & populus eximatur à juriſdictione Epiſcopi.*
24 *Cenſus ſolutio ſubjectionem arguit.*
25 *Cauſæ matrimoniales exigunt majores Judices, nec ſunt tractandæ ab inferioribus Prælatis ſine ſpeciali conceſſione.*
26 *Prælatus inferior non conſtituitur in ſtatu nullius diœceſis, niſi habeat in loco omnimodam juriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi, excluſo Epiſcopo.*
27 *Et ſit liberatus etiam à jure reverentiali.*
28 *Enuntiativæ infra centum annos non dicuntur antiquæ, nec probant ſaltem contra tertium.*
29 *Enuntiativæ eliduntur contrariis præſumptionibus.*
30 *Res inter alios acta inducit ſaltem præſumptionem contra tertium.*
31 *Et ſecundùm aliquos facit ſemiplenam probationem.*
32 *Eccleſiæ Regulares Curatæ, in quibus viget regularis obſervantia, viſitari non poſſunt ab Epiſcopo jure delegato, ſed jure ordinario tantum.*
33 *Viſitare poteſt Epiſcopus proximior, ut Sedis Apoſtolicæ delegatus, Eccleſias nullius diœceſis ſæculares, non autem regulares.*
34 *Viſitatio cenſetur facta jure ordinario, quando fieri non poteſt jure delegato.*
36 *Caſtrum de Balneo exemptum eſt à juriſdictione Epiſcopi Burgi S. Sepulchri.*

36 *Juriſ-*

36 *Juriſdictio Epiſcopalis ex quibus cenſeatur translata in inferiorem Prælatum privativè ad Epiſcopum.*
37 *Dictio*, omnimodè, *quid importet.*
38 *Reſervatio in aliquibus arguit conceſſionem in reliquis.*
39 *Juriſdictio in favorem certarum perſonarum cenſetur tributa privativè, non autem cumulativè.*
40 *Idem in juriſdictione acquiſita per præſcriptionem.*
41 *Monaſterium curatum exemptum viſitari poteſt ab Epiſcopo jure ordinario in concernentibus curam animarum.*
42 *Concilium Trident. tribuit juriſdictionem Epiſcopis tamquam Apoſtolicæ Sedis delegatis, ubi voluit exemptorum privilegia vulnerare.*
43 *Viſitari poſſunt ab Epiſcopo Eccleſiæ ſæculares exemptæ etiam curatæ, & à monaſterio dependentes, vel unitæ; ſed jure delegato tantùm.*
Idem expreſsè ab Epiſcopo declarandum, ibid.
44 *Viſitari cur poſſint jure Ordinario monaſteria curata; ſæculares verò Eccleſiæ exemptæ jure delegato.*
45 *Gravatus in uno, in alio relevatur.*
46 *Epiſcopus viſitans Eccleſias Monaſterio Caſinenſi unitas an ſit admittendus ad viſitationem plenariam.*

1 CUm *dilectus*. Monaſterium ſubjectum eſt Epiſcopo;
in cujus diœceſi ſitum eſt, niſi probetur exemptum.
Hoc dicit quoad titulum. Et tres habet partes ſecundum
Hoſtienſem. In prima inſtruitur delegatus, qualiter ſuper
ſententiis pronuntiet. In 2. & 3. qualiter pronunciare debeat
ſuper ſubjectionem. Secunda, ibi, *Quod ſi*. Tertia, ibi,
Similiter.
2 Nota primò, ex illis verbis, [Cùm Nuntius Monaſterii ſu-
per procuratione litteras non haberet,] inter Nuntium, &
Procuratorem hanc eſſe differentiam, quòd Nuntius dici-
tur, qui mandatum non habet; Procurator verò, qui aliena
negotia mandato domini adminiſtrat, ut *l. 1. ff. de Procur.*
ſecundum Card. *hic in 1. notab.* Unde ſimplex Nuntius non
3 admittitur ad agendum, arg. *c. 1. ſupra de Procurator.* &
c. Cum dilecti, de dolo, & contum. & notat gloſſ. in *c. Bonæ,
il primo, in ver. Nuntium*, & ibi etiam Hoſtienſ. *num. 30. in*
4 *eodem verb.* & Jo. Andr. *n. 54. de elect.* Et ſi ille, qui eſt Pro-
curator, fecit ut Nuntius, non valet quod agitur, ut *l. Mul-
tum, C. Si quis alter, vel ſibi, & l. Eum qui, §. Julianus, ff. de
conſtitut. pecun.* & notat Bart. *in l. Qui autem, §. Conſtituere,*
5 *num. 5. ff. eod.* Nec validatur ratihabitione quod geſſit Nun-
tius, ſi mandatum non præceſſit, ut ex mente Petri refert
Cyn. *in d. l. Multum*, & Bartol. *in d. § Conſtituere, num. 6.* Et
hoc tenent communiter omnes Doctores excepto Jacobo
de Arena, ut Bald. teſtatur *in d. l. Multum, num.* 8. ubi *n.* 10.
13. & 15. hanc partem latiſſimè tuetur. Porrò, ut inquit
6 gloſſ. in *l. Et licèt*, per illum textum, *ff. de conſtitut. pecun.* &
Bart. *in d. §. Conſtituere, num* 3. Nuntius eſt quoddam orga-
num, quo mediante vadit vox unius ad alium ſicut per epi-
ſtolam: & ſicut aliquis loqueretur per picam aliquam, ſeu
boccinam, & hoc modo vocem ſuam ad alium transfer-
7 ret. Unde fit, ut non quæratur nuntio, & per nuntium do-
mino, ſed directè quæratur domino, cùm nuntius confe-
rat verba in perſonam domini, ut ibi per Bart. *in 3. & 4.*
8 *notab.* Undè prohibitus ſubſtinere, poteſt nihilominùs ex-
plicare per nuntium, ut not Bald. *in rubr. C. de exercit. act.*
Eaſdem differentias ponit gl. *in d. l. Multum in verb. Potes*
ubi dicit: Nuntius eſt veluti pica, & organum domini, &
in perſona domini debet verba contractus concipere. Et ita
domino quærit per ſeipſum, non per alium, & concipit
verba ſic, Vendis illi, ut in *d. §. Conſtituere*. Si autem eſt
9 procurator, tunc verba contractus debet concipere in ſua
perſona, & ſibi quærit, ut *l. Qui aliena in fine, C. ſi quis
alteri, vel ſibi*; ſed domino cedere tenetur, ut *l. Poſſeſſio
quoque, §. Et ſi poſſeſſio, ff. de acquirend. poſſeſſione.* Procura-
tor enim ſubſtantiat contractum in ſe, licèt procuratorio
nomine, ut Bald. inquit in *d. l. Multum, n.* 10. ubi *à n.* 17. has
differentias inter nuntium, & procuratorem latè proſequi-
tur, & Angel. poſt eum in *conſ.* 44. incip. *Pater quidam circa
med. verſ. Et pro hoc potiſſimè facit.*
10 Secundò nota, ibi, *Judicetis illas ſententias non tenere*,
duos, caſus in quibus ſententia cenſuræ eſt ipſo jure nulla
ſecundum Hoſtien. *ſub num. 1. verſ. Item habes hic duos ca-
ſus*; Butr. & Cardin. ambo *in 2. & 4. notab.* Abb. *in 1. & 2.
notab.* & Joan. de Anan. *n.* 3. Primus eſt, cùm ſententia fertur
poſt appellationem legitimè interpoſitam, etiam extrajudi-
cialiter, concordat *cap. Dilecti, il primo, ſupra de appellat.
cap. Cum contingat, de offic. deleg. cap. Per tuas, & cap. Licet,
de ſentent. excomm. lib. 6.* Unde Abb. *n. 2. in 1. notab.* docet
bonam practicam, ut ſubditus, qui timet, ne injuſtè ex-
communicetur a Superiore, extrajudicialiter appellet à
gravamine veriſimiliter futuro. Secundus caſus nullitatis 11
eſt, cùm ſententia fertur contra exemptum, etiamſi nulla
præceſſerit exempti appellatio, cùm textus loquatur alter-
nativè: nam per exemptionem ſubditus eripitur à juriſdi-
ctione Superioris, arg. *cap. Quia frater*, 16. *q.* 1. ſecundum
Abb. *hic num.* 3. Atque ita ſententia eſt nulla ipſo jure ex de-
fectu juriſdictionis tamquam lata à non ſuo judice, *cap. At
ſi clerici, de judic. cap. 3. de conſuet.* & ſcripſi in *cap. Tua-
rum, num. 46. infra, de privileg.* & fuſiùs in *cap. Quod ſuper
his, ſupra de major. & obed.* Alii caſus nullitatis excommu-
nicationis notantur in *cap. Præſenti, de ſentent. excomm.
lib. 6.*
Ultimò nota, Monaſteria de jure communi eſſe Epiſcopo 12
ſubjecta, in cujus diœceſi exiſtunt, quamdiù ex privilegio,
vel canonica præſcriptione non probentur exempta, ut hìc
eſt caſus ſecundùm Jo. Andr. Butr. Cardin. & omnes: con-
cordat text. *in cap. Abbate*, ubi gloſ. *in ver. Epiſcoporum, &
in cap. Monaſteria*, 18. *q.* 2. *in cap. Tua nobis*, ubi Dec. *n.* 16.
de confirm. util. vel inutil. cùm aliis allegatis per Hoſtien. in
*cap. de Xenodochiis, ſub num. 6. in ver. Per ſolicitudinem, ſu-
pra eod.* & reſolvit Rota *dec. 78. num* 1. *part... diverſ.* Tota
enim diœceſis eſt unum corpus, cujus caput eſt Epiſcopus
cap. Scire debes, 7. *q.* 1. *cap. Quoniam in pleriſque, §. Prohibe-
mus, ſupra de off. ordin.* Non decet autem a capite membra 13
diſcedere, *cap. Cum non liceat, ſupra de præſcript. c. 1. 12. diſt.
cap. Celebritatem, de conſec. diſt.* 3. & in Authen. *de Eccleſ.
tit. in princ.* Unde cùm Epiſcopus de jure habeat intentio- 14
nem fundatam ſuper juriſdictione ſpirituali in omnibus
Eccleſiis, & locis piis tam ſæcularibus, quàm regularibus,
quæ intra ſuæ diœceſis fines conſiſtunt, ut in *d. c. de Xenodo-
chiis, & in cap. Conſtitutus, & c. Cùm venerabilis, ſupra eod.*
cum aliis præallegatis, ei, qui dicit monaſterium exem-
ptum, onus probandi incumbit, *cap. Ex ore de privileg. cap.
Cùm olim, de præſcript.* cùm concord. Adverte tamen, quia 15
ante omnia Epiſcopus probare debet Eccleſiam, ſeu locum
religioſum, de cujus ſubjectione agitur intra ſuæ diœceſis
fines exiſtere; alioquin Eccleſia poſſet excipere: Quoad te
liberas ædes habeo.
Sed probata exiſtentia intra fines, illicò ſuccedit aſſiſten-
tia juris communis pro Epiſcopo, ut in juribus ſupracita- 16
tis: & ita obſervat Rota; nam cùm controvertitur inter
Epiſcopum, & inferiorem Prælatum ſuper juriſdictione
ſpirituali in aliquo territorio, mandat, ut priùs probetur ex
parte Epiſcopi, an territorium illud ſit intra fines ſuæ diœ-
ceſis, ut in *Anconitana Bonorum, ſeu Attentatorum 6. No-
vembris* 1562. coram Oradino, & in *Syracuſana Abbatiſ-
ſatus die 1. Decembris* 1597. coram Corduba; & in *Lucenſi,
ſeu nullius juriſdictionis 4. Maji* 1598. coram Cardinali Se-
raph. in impreſſis *dec.* 1278. & in practica Epiſcopi conſue-
verunt probare in Rota exiſtentiam intra fines, eaque pro-
bata adeunt Sac. Congregationem Concilii, à qua ſtatim
obtinent declarationem ſuper viſitatione, cognitione cau-
ſarum matrimonalium, & criminalium, licentia prædican-
di, approbatione ad confeſſiones, & aliis id genus, donec
inferior ſtatum nullius diœceſis, vel juriſdictionem ſpiritua-
lem, & temporalem in clerum, & populum probaverit per
tres ſententias conformes, vel unicam, quæ in rem judica-
tam tranſierit, ut ſcripſi plenius in *cap. Cum olim, à num.* 36.
ſuprà de præſcript. Hodie Monaſteria ferè omnia ſaltem in 17
Congregationem redacta ad præſcriptum *c. In ſingulis, in-
fra, de ſtat. Monach.* & Concilii Tridentini *cap. 8. ſeſſ. 25. de
Regular.* exempta ſunt à juriſdictione Epiſcopi Diœceſani
etiam in tribus caſibus exceptis in *cap. Volentes, de privil.
lib. 6.* ut dixi latiſſimè in *cap. Tuarum, infra eodem tit.* niſi 18
Monaſteriis cura animarum incumbat perſonarum ſæcula-
rium; quia tunc ſubſunt Epiſcopo, in cujus Diœceſi ſita
ſunt, in his, quæ dictam curam, & Sacramentorum admi-
niſtrationem concernunt, ex decreto Concilii Trid. *cap.* 11.
ſeſſ. 25. de Regular. Quòd pleniùs hodie ſancitum eſt in
Conſtitutione Gregorii XV. *de exempt. privil.* ut dixi *in c.
Cum capella, de privil.*
Ex facto quæſitum eſt, an Abbatia, ſeu Monaſterium de 19
Balneo ſit nullius diœceſis, vel exemptum; & an Epiſcopo

Burgi S.Sepulchri competat jure ordinario facultas illud viſitandi una cum Eccleſiis eidem ſubjectis.

20 Status hujus Eccleſiæ, qui colligitur ex ſcripturis exhibitis, poteſt conſiderari juxta tria tempora. Primum eſt ante erectionem Burgi S.Sepulchri in Epiſcopatum. Et in hoc ſtatu manifeſtum eſt dictam Eccleſiam numquam fuiſſe diœceſis Burgi S. Sepulchri, quæ nondum erat in rerum natura; ideòque in litteris erectionis oppidum de Balneo dicitur eſſe nullius diœceſis. Secundum tempus eſt ab anno 1520. quo tempore Leo X. erexit Burgum in Cathedralem, uſque ad concordiam poſteà initam anno 1581. inter Archintum Epiſcopum Burgi, & Abbatem Monaſterii de Balneo, & a Gregorio XIII. confirmatam: in quo ſtatu non videtur dubitandum, quominus dicta Eccleſia fuerit in diœceſi Burgi S. Sepulchri: nam Leo X. in litteris erectionis Epiſcopatus attribuit illi pro diœceſi caſtrum de Balneo unà cum ſuis Eccleſiis, his verbis: *Necnon caſtrum Sanctæ Mariæ in Balneo nullius diœceſis, & ſingulas Parochiales Eccleſias prædictas cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Eccleſiæ S. Sepulchri, & illius menſæ pro illius diſtrictu, & diœceſi, necnon omnes, & ſingulos Clericos ſæculares, & Ordinum quorumvis Religioſos pro Clero, incolaſque & habitatores dictarum civitatis, & diœceſis perpetuo applicamus*. Tertium tempus eſt à concordia prædicta, ſeu illius confirmatione uſque in præſentem diem. Et in hoc ſtatu quamvis res non ſit adeò clara, veriùs tamen videtur Eccleſiam de Balneo remanſiſſe in diœceſi S. Sepulchri, quemadmodùm erat ante concordiam.

21 Primò, quia etſi Epiſcopus ad extinguendas lites, quæ ſibi cum Abbate ſuper juriſdictione intercedebant, tranſegerit ut ad Abbatem pertineret omnimoda juriſdictio; tamen non proceſſit in concordia per viam diſmembrationis territorii, quod requiritur ad conſtituendum ſtatum nullius diœceſis, ad notata per Jo. Andr. *in c. Nimis, de jurejuran.* & per Abb. *in c. Cùm contingat n.*18. *de foro compet.*

22 Secundò, quia Epiſcopus retinuit ſibi facultatem in dicto Caſtro Pontificalia exercendi, Eccleſias reconciliandi, & Chriſma conferendi. Ergo locus remanſit in ſua diœceſi, cùm hujuſmodi munia non poſſint ab Epiſcopo in aliena diœceſi exerceri, Clem. *Archiepiſcopo, de privil.* Vitalin. in Clem. 1. *n.* 17. *de foro compet.* & hodie ſtatutum eſt decreto Concilii Tridentini *c.*5. *ſeſſ.*6.

23 Tertiò, quia etſi Epiſcopus in concordia tribuerit Abbati omnimodam juriſdictionem; tamen nec ipſum Abbatem, nec locum, nec fortaſſe populum exemit à juriſdictione Epiſcopali: & tamen ad conſtituendum Prælatum in proprio territorio requiritur, ut tam ipſe Prælatus, quam Clerus, & Populus eximatur à juriſdictione Epiſcopi, ut tradit in ſpecie Gemin poſt Jo. de S. Georg. *in cap.* 2. *col.* 4. *verſ. Quæro an inferiores Prælati habeant territorium*, atque ibi etiam Anchar. *ſub num.*10. *verſ. Si verò per privilegium, de Conſt. lib.*6.

24 Quartò, quia in recognitionem juriſdictionis Abbati attributæ tranſactum eſt, ut ſolveretur Epiſcopo annuus cenſus duarum librarum ceræ. Solutio autem cenſus ſubjectionem arguit, ut eſt textus *in c.* 2. *de cenſib. & in c. Recepimus* ubi not. *de privil.* Mil. *in repert. in verb. Epiſcopus*, probat ſubjectionem Eccleſiæ.

Quintò, Epiſcopus attribuit juriſdictionem Abbatis his verbis: *Idem Reverendiſſimus Epiſcopus omnimodam juriſdictionem, ac illius merum, & mixtum ſpirituale dominium, & poteſtatem eidem, illiuſque ſucceſſoribus Epiſcopis in caſtro, necnon Monaſterio hjuſmodi forſan attributis, & ſi quæ ſibi competant pro faciliori Epiſcopi, & caſtri hujuſmodi habitatorum commoditate tam in audiendis, & judicandis, quam in exequendis tam civilibus, quam criminalibus cauſis per Abbatem exercendis conceſſit, &c.* Quæ

25 verba cum videantur reſtricta ad cauſas civiles, profanas, & criminales, non videntur comprehendere cauſas matrimoniales, quæ majores judices exigunt, *c. penult. verſ. In matrimoniali, ſuprà de integr. reſtit. c.*1. *infrà de conſang. & affinit.* nec ſine ſpeciali conceſſione ab inferioribus Prælatis cognoſci poſſunt, ut eſt textus *in c. Accedentibus, infrà de exceſſ. Prælator.* egentque ſpeciali expreſſione, cùm ſint graves, ut per DD. *in cap. Cauſam matrimonii, de offic. deleg.* Et tamen ad conſtituendum inferiorem in propria diœceſi requiritur translatio omnimodæ juriſdictionis Epiſcopalis, vel quaſi excluſo Epiſcopo, ut notat gloſ. in Clem. 1. §. *Volumus, in verb. Diœceſanis*, quam ſequuntur illic communiter DD. *de foro compet.* & confert decretum Concilii *c.*20. *verſ. Ad hæc ſeſſ.*24.

Ultimò conſuevit dici tunc demùm inferiorem intelligi conſtitutum in ſtatu nullius diœceſis, ſi nulla in parte Epiſcopi authoritatem recognoſcat, itaut à jure etiam reverentiali liberatus exiſtat, de quo eſt plena Rotæ deciſio apud Ach. ll. *deciſ.*14. Et tamen Epiſcopus Archintus non ſolùm in conventione reſervat ſibi authoritatem inſtituendi, ac deſtituendi, quoad vixerit, in omnibus beneficiis dicti oppidi exceptis manualibus, item ſacros Ordines conferendi, Eccleſias, & Cæmeteria reconciliandi, calices, & patenas benedicendi, Chriſma, Oleum ſanctum, & Cathechumenorum, & cætera Pontificalia officia, & munera exercendi; ſed ampliùs etiam in executione dictæ concordiæ Abbas Nicolao Epiſcopo, qui immediatè ſucceſſit Epiſcopo Archinto, obtulit ſe, & ſucceſſores ſuos paratos eumdem Epiſcopum, & ſucceſſores ſemper in dicto Monaſterio benignè recipere, ac debita per ſe, & Monachos in divinis, & aliis prout decet obſequia præſtare, quæ omnia abſque dubio excludunt ſtatum nullius diœceſis, *cap. Conquerente, de offic. ordinar. c. Ex frequentibus, de inſtitut. c. Perlectis*, §. *Ad Epiſcopum*, 25. *diſt.* 27

Nec prædictis obſtat, quòd Monaſterium nonnunquam nullius diœceſis enunciatum reperiatur: nam advertendum eſt plures enunciativas ex his, quæ dantur, emanaſſe ante erectionem Burgi S. Sepulchri in Epiſcopatum, & ſic percutiunt primum ſtatum, in quo dicta Eccleſia erat nullius diœceſis. Cujus ſpeciei eſt enunciativa Calliſti III. Item alia Leonis X. quæ refertur à Puteo *dec.* 360. *in princip. & in fin. lib.* 1. Habet enim reſpectum ad tempus, quo Leo X. univit Monaſterium de Balneo Congregationi Camaldulenſi, quod tempus præceſſit erectionem Burgi in Epiſcopatum. Et hoc modo etiam reſpondendum ad litteras Innocentii II. ſuper juriſdictione dicti caſtri, confirmatas à Cœleſtino III & Alexandro IV. Poſt erectionem verò in Epiſcopatum, quo tempore dictum caſtrum effectum fuit diœceſis S.Sepulchri, dantur duæ enunciativæ Nicolai Epiſcopi S.Sepulchri, quibus dictum caſtrum enunciatur nullius diœceſis. Item aliquot ſimiles enunciativæ in litteris dimiſſoriis Epiſcopi Feſulani, & Cuſini. Item enunciativæ Clementis VII. S. Pii V. & Gregorii XIII. Quarum tamen 28
enunciativarum illæ, quæ a Sede Apoſtolica emanarunt, habent clauſulam, *Sicut accepimus*, & nulla excedit metam centum annorum. Imò pleræque emanarunt ab anno 1570. Unde non dicuntur antiquæ, ſecundùm opinionem Innocentii *in cap. Veniens, de verbor. ſignif. lib.*6. quam dicit communem Cravett. *de antiq. tempor. in princ. num.*4. Ideòque non probant ſaltem contra tertium, ut latiſſimè proſequitur in eodem tractatu Cravett. *part.* 1. §. *Propoſitum noſtrum, per tot.* Præſertim cùm ex litteris erectionis, & ex 29
tenore concordiæ conſtet de falſitate enunciati. Receditur enim à præſumptione, quæ inducitur ex verbis enunciativis, quotieſcumque in contrarium urgent fortiores præſumptiones, ut declarat Aret. *in cap. Per tuas, de probat. & conſ.* 13. *col. fin. verſ. Præterea iſta confeſſio*, & Cravett. *loc. cit. n.* 57. Quæ enunciativæ magis, etiam eliduntur ex laudo lato à Cardinalibus S. Severinæ, & Lancellato, qui contra Epiſcopum Sarſinaten. pronunciavit dictum caſtrum eſſe juriſdictionis Epiſcopi S. Sepulchri, & quamvis 30
Abbas in eo judicio citatus non fuerit, tamen res inter alios acta inducit ſaltem præſumptionem contra tertium, ut per gloſſ. & DD. *in leg. Si duo patroni, ff. de jurejur.* Et multi 31
tenent facere ſemiplenam probationem, ut per Cravett. *ibid. num.*23 & 29.

Rurſus conquaſſantur dictæ enunciativæ etiam ex viſitationibus, & aliis actibus juriſdictionalibus Epiſcoporum S.Sepulchri, cujuſmodi ſunt monitoria ad finem revelationis, executionis diſpenſationum matrimonialium, Parochialium Eccleſiarum concurſum, & acceſſus Abbatum pro tempore ad Synodum Epiſcopi, quæ omnia ad Epiſcopum non pertinerent, ſi dictum caſtrum nullius diœceſis exiſteret, *d. c. Conquerente, & c. Cùm Epiſcopus, de offic. ordinar. lib.*6. Nec dicatur viſitationes cenſeri factas authori- 32
tate delegata, quia reſpondetur Epiſcopum non poſſe viſitare Eccleſias regulares, in quibus viget regularis obſervantia, niſi jure ordinario, ad præſcriptum *cap* 11. *ſeſſ.*25. *de Regular.* ut latiùs patebit inferiùs: nam decretum Concilii *c.*9. *ſeſſ.*24. quo tribuitur Epiſcopo proximiori facultas vi- 33
ſitan-

ſitandi authoritate Apoſtolica Eccleſias nullius diœceſis, reſtringitur ad Eccleſias ſæclares tantùm, ut patet in littera, nec habet locum in regularibus, ut ſæpiùs cenſuit S. Con-
34 gregatio ejuſdem Concilii interpres. Cùm ergo Epiſcopi dictam Eccleſiam viſitaverint, cenſentur illam viſitaſſe tamquam diœceſani, cùm alio jure non poſſint, ut in terminis tradit Feder. de Sen. *conſ.* 195. *n.* 5.

Non obſtat, quòd Abbates olim conceſſerint litteras dimiſſorias, Synodum congregaverint, & juriſdictionem exercuerint; nam ex his non concluditur ſtatus nullius diœceſis, ut ſuperiùs dictum eſt, ſed ſolùm juriſdictio, quæ non poteſt negari, quin competat Abbati in vim prædictæ concordiæ à Sede Apoſtolica confirmatæ. Et quamvis aliquot teſtes olim examinati ad inſtantiam Abbatis deponant dictum caſtrum eſſe nullius diœceſis: non tamen intelligunt quid importet nullius diœceſis exiſtere; neque hujus dicti cauſam ſufficientem reddunt, & convincuntur de mendacio ex verbis tranſactionis, & aliis ſupradictis.

35 Cæterùm etſi dictum caſtrum non ſit nullius diœceſis, videtur tamen exemptum cum ſuis Eccleſiis à juriſdictione Epiſcopi; quod probatur ex eadem concordia inita anno
36 1581. inter Epiſcopum, & Abbatem: nam cùm Epiſcopus ſub Sedis Apoſtolicæ beneplacito tranſtulit in Abbatem omnimodam juriſdictionem in dicto caſtro, utique cenſetur illam tranſtuliſſe privativè, & non cumulativè, ex tribus fundamentis.

37 Primum eſt, quia Epiſcopus tranſtulit in Abbatem juriſdictionem adjecta dictione, *Omnimodam*; item merum, & mixtum, & ſpirituale dominium; ergo cenſetur tranſtuliſſe privativè. Si enim cumulativè ſibi retinuiſſe, Abbas ab Epiſcopo præventus nullam poſſet juriſdictionem exercere: & ſic Epiſcopus in eum omnimodam juriſdictionem non tranſtuliſſet, contra naturam illius dictionis, *Omnimodam*, quæ univerſalis eſt, & comprehendit omnia, *ut inſtitut. quib. mod. juſpatr. poteſt. ſolv. in princ. verſ. Nam mortuo*, Dec. *conſ.* 35. *num.* 47. *lib.* 2.

38 Secundum, quia Epiſcopus dum tranſtulit juriſdictionem, ſibi retinuit tantùm ea, quę ſunt Ordinis, & facultatem Pontificalia exercendi, & in beneficiis inſtituendi. Ergo in reliquis ſibi juriſdictionem non retinuit: reſervatio enim, & exceptio in uno arguit conceſſionem in alio, *c. Qualis, verſ. Quod enim de uno negatur*, 25. *diſt. l. Cum Prætor*, *ff. de judic.* Bart. *in l. Quæſitum*, *§. Denique*, *ff. de fund. inſtruct.*

39 Tertium, quia Epiſcopus declarat ſe transferre juriſdictionem in Abbatem pro commoditatem tam Epiſcoporum, quàm habitatorum dicti caſtri in audiendis, judicandis, & exequendis cauſis, ne citra Alpes avocarentur: juriſdictio autem tributa in favorem certarum perſonarum cenſetur attributa privativè, non cumulativè, ſi redundet in illarum favorem, ut ſit privativa; ut hoc caſu, in quo parum prodeſſet incolis juriſdictio Abbati attributa, ſi nihilominus ipſi cogerentur in Curia Epiſcopi cauſas agere; atque ita declarat Felin. *in c. Paſtoralis col.* 3. *in* 5. *limit. de off. ord.* & Afflict. *dec.* 41. *num.* 3. *verſ. Ut in ſimili*, *uſque in fin.* ubi citat Bald. & alios, & plures cumulat ibi Urſill. eamdem deciſionem ſequutus.

Quæ omnia multò clariora fiunt ex obſervantia ſubſequuta, *ad l. Si de interpretatione*, *ff. de legib. & c. Cum dilectus, de conſuet.* Nam Epiſcopi, quod conſtet, nullam juriſdictionem exercuerunt in dicto caſtro præter eam, quam ſibi reſervarunt in concordia, & eam, quæ non poteſt exerceri ab exemptis, veluti concurſus inſtituere, ut in decreto Concilii Tridentini *cap.* 18. *ſeſſ.* 24. & monitoria ad finem revela-
40 tionis decernere, *ut in cap.* 3. *ſeſſ.* 25. Contra verò Abbas in reliquis ſemper omnimodam juriſdictionem illic dicitur exercuiſſe privativè ad Epiſcopum: juriſdictio autem per præſcriptionem acquiſita, in dubio cenſetur privativa, *cap. Auditis*, & ibi Abb. *in* 3. *col. ſub n.* 7. *verſ. Aliud etiam ſingulare, & c. Cùm olim, de præſcript.* & idem Abbas *in cap. Irrefragabili*, *in princ. de offic. ord. &* Felin. *in d. c. Paſtoralis n* 5. *in* 8. *limit.* Quod indubitanter verum eſt, quando inferior ſolus exercuit, non autem Epiſcopus, ut ſcripſi latiſſimè in *d. c. Auditis*.

Quibus ita ſe habentibus, ad ſecundam partem dubii vi- 41
detur reſpondendum, quòd pertinet ad Eccleſiam Abbatialem S. Mariæ, Epiſcopum S. Sepulchri poſſe quidem illam viſitare jure ordinario, ſed in his tantùm, quæ curam animarum, & Sacramentorum admidiſtrationem concernunt; alias verò Eccleſias poſſe viſitare in omnibus, ſed authoritate delegata dumtaxat.

Prima pars probatur decreto Conc. Trident. *in c.* 11. *ſeſſ.* 42
25. *de Regular.* ubi in monaſteriis, ſeu domibus, quibus imminet animarum cura perſonarum ſæcularium, tam ſæculares, quam regulares hujuſmodi curam exercentes ſubjiciuntur immediatè viſitationi, juriſdictioni, & correctioni Epiſcopi, in cujus diœceſi ſita ſunt, in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent: verba enim illa, *Subſint immediatè juriſdictioni Epiſcopi, in cujus diœceſi ſita ſunt*, indicant Concilium de juriſdictione ordinaria loquutum fuiſſe; ideòque ibi non ſunt appoſita verba, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati, ut conſuevit Concilium apponere, ubi noluit privilegia exemptorum vulnerare, ſed delegatam juriſdictionem attribuere, *ut in c.* 3. *ſeſſ.* 6. *c.* 8. *ſeſſ.* 7. *c.* 4. *ſeſſ.* 14. *c.* 8. *ſeſſ* 21. *c.* 9. *ſeſſ.* 24. & ſæpè alibi, & ſcripſi plenè *in c. Tuarum*, *infrà de privil.* Ideòque jam Sacra Congregatio reſpondit facultatem viſitandi juxta d. c. 11. competere Epiſcopo ordinaria authoritate.

Secunda verò pars, id eſt poſſe Epiſcopum viſitare quoad 43
omnia Eccleſias ſæculares à dicto Monaſterio dependentes ſive curatas, ſive non, ſed tamquam delegatum Sedis Apoſtolicę, & non aliàs probatur decreto *c.* 8. *ſeſſ.* 7. in illis verbis: *Locorum Ordinarii Eccleſias quomodolibet exemptas authoritate Apoſtolica ſingulis annis viſitare teneantur, & opportunis juris remediis providere, ut quæ reparatione indigent, reparentur, & cura animarum, ſi qua illis immineat, aliiſque debitis obſequiis minimè defraudentur.* Ad hoc ergo, ut Epiſcopus prohibeatur jure ordinario viſitare, non requiritur ſtatus nullius diœceſis, juxta *cap.* 9 *ſeſſ.* 24. ſed ſatis eſt ſola exemptio ab Epiſcopi juriſdictione. Ideòque cùm de hoc olim actum eſſet in S. Congregatione Concilii quoad Eccleſias ſæculares curatas exemptas Monaſteriis Caſſinenſibus unitas, vel ſubjectas; Congregatio re diligenter examinata cenſuit licere Epiſcopis dictas Eccleſias viſitare ſed delegata tantùm authoritate, idque expreſsè ab eis declarandum.

Quod ſi quæratur, cur Concilium vulneraverit privile- 44
gia Regularium, concedendo Epiſcopis facultatem viſitandi illorum Monaſteria authoritate ordinaria, cum tamen ſæculares Eccleſias exemptas non permiſerit viſitare, niſi authoritate delegata.

Poterit reſponderi hoc ideò factum fuiſſe, quia Monaſteria regularium noluit viſitari poſſe, niſi in iis quæ ad dictam curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent. At verò Eccleſias ſæculares voluit poſſe vi- 45
ſitari etiam in aliis, quæ ad curam animarum non ſpectant. Unde cùm has magis gravaverit, quàm Monaſteria Regularium, voluit etiam relevare in hoc, ut viſitari non poſſent, niſi authoritate Apoſtolica, arg. *l.* 2. *in fin. C. de his, qui ante apert. tabul. & l. final. C. de inſtitut. & ſubſtitut. l. Qui libertinus, ff. de oper. libert. l. Quid ergo, ff. de iis qui not. infam.* Præſertim verò, quia quoad curam animarum non attribuit Epiſcopo ſolam facultatem viſitandi, ſed etiam examinandi Curatores, & alios, quos authoritate ordinaria ab Epiſcopis abſolvi oportebat, *c. Cum ſatis de offic. Archid.* Quam interpretationem videtur olim ſequuta Sacra Congregatio in eadem cauſa Caſſinenſi. Nam poſteàquam declaravit Epiſcopum non poſſe viſitare Eccleſias ſæculares Congregationi Caſſinenſi unitas niſi authoritate delegata; poſteà conſulta, an Epiſcopi eſſent admittendi ad viſitationem plenariam, an verò tantùm quoad ea, quæ concernunt curam: reſpondit eſſe admittendos ad viſitationem plenariam, præterquàm in locis, in quibus viget regularis obſervantia, & cura imminet Eccleſiæ Monaſterii, juxta *c.* 11. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* tunc enim reſtringitur viſitatio ad ea, quæ concernunt curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem.

DE CAPELLIS MONACHORUM, & aliorum Religioſorum.

Urbanus III.

CAPUT I.

IN Eccleſiis ubi Monachi habitant, populus per Monachum non regatur; ſed Capellanus, qui populum regat, ab Epiſcopo per conſilium Monachorum inſtituatur: Ita ut ex ſolius Epiſcopi arbitrio, tam ordinatio ejus, quàm depoſitio, & totius vitæ pendeat converſatio.

SUMMARIUM.

1 *COmmendatarii Monaſteriorum S. Benedicti, vel S. Baſilii, quibus cura animarum incumbit, an teneantur perſonaliter reſidere, & curam per ſeipſos exercere, & n. ſeqq. uſque in fin.*
Commendatarius Monaſterii, cui imminet juriſdictio temporalis tantùm, non tenetur ſacris initiari, nec reſidere, ibid.
2 *Commendatarius, cui juriſdictio ſpiritualis incumbit in foro contentioſo, an arctetur ad ſacros ordines ſuſcipiendos, & perſonaliter reſidendum.*
3 *Juriſdictio ſpiritualis in foro contentioſo an efficiat propriè Monaſterium Curatum.*
4 *Commendatarius, cui incumbit cura animarum in foro pœnitentiali, an teneatur ordines ſacros ſuſcipere, & reſidere, & num. ſeqq. uſque in fin.*
5 *Commendatarii hodie habentur pro veris titularibus, & num. 22.*
6 *Commendatarii Monaſteriorum non ſunt cogendi ſacros ordines ſuſcipere, nec reſidere, ſi cura animarum Sacramentalis incumbat Eccleſiæ, vel Monaſterio, non autem perſonæ Commendatarii.*
7 *Monachi prohibentur curam animarum exercere.*
8 *Abbas Monaſterii, cui cura animarum perſonarum ſæcularium incumbit, ob non promotionem infra annum non incidit in pœnam* c. Licèt canon, de elect. lib. 6.
9 *Monachi de jure communi an poſſint præfici Parochialibus ſæcularibus.*
10 *Monachus clauſtralis non poteſt aſſumi ad curam populi Monaſterio incumbentem, & cur.*
11 *Monachus ſine Monaſterio caret vita, ſicut piſcis ſine aqua.*
Intellectus Abbatis ad hunc textum refellitur, ibid. verſ. Sed objicies.
12 *Abbas Monaſterii curati an habeat ſaltem curam habitualem.*
13 *Poſſibile non dicitur quod fieri non poteſt abſque diſpenſatione.*
14 *Cura habitualis an & quando obliget ad reſidentiam.*
15 *Cura animarum in Monaſterio, ubi eſt Congregatio Monachorum, non incumbit Abbati, & Monachis, ſed Monaſterio, ſeu Eccleſiæ ipſorum.*
16 *Commenda non mutat ſtatum beneficii.*
17 *Commenda ceſſante per obitum Commendatarii beneficium non vacat per obitum, ſed eo modo, quo vacabat ante Commendam.*
18 *Abbatia Commendata nullius diœceſis non poteſt viſitari à proximiori Epiſcopo.*
19 *Commenda non eſt verè titulus.*
20 *Commendatarius non eſt propriè Prælatus, ſed quaſi depoſitarius.*
21 *Poſſidens nomine alieno non poteſt præſcribere, nec novum ſtatum beneficio imprimere.*
Diſpenſationes matrimoniales committuntur Abbati nullius Diœceſis, ſed non Commendatario, quia non eſt Abbas, ibid. verſ. Et aliàs.
22 *Abbates titulares in Synodis, & aliis functionibus præcedunt Commendatariis.*
23 *Commendatarius ſubrogatus eſt in locum Abbatis titularis etiam quoad jura perſonalia.*
24 *Beneficia regularia commendata, quibus cura animarum incumbit, non ſubjacent formæ examinis per concurſũ.*
25 *Vicarius amovibilis an arguat curã eſſe penes deputante.*
26 *In Monaſteriis à prima inſtitutione curatis cura exerceri debet per Vicarios ad nutum amovibiles.*
27 *Reſidentia eorum qui deſervire non tenentur, inanis, & num. 28.*
29 *Conſuetudo non reſidendi in Monaſteriis commendatis arguit curam animarum non incumbere ipſis Commendatariis.*
30 *Actus, qui referri poteſt ad bonum, & malum, in dubio referri debet ad bonum.*

I*N Eccleſiis.* Ad curam populi Monaſterio incumbentem non Monachi, ſed ſæculares Clerici præficiuntur, & Epiſcopis ſubſunt. Hoc dicit. Breve eſt, & unicam habet ſtructuram; & ideò non dividitur ſecundùm Joan. Andr. & Butr ſed ſecundùm Cardin. & Abb. Primò ponit dictum. Secundò ampliat, ibi, *Ita ut*.

Nota primò, quamvis Monachi de jure communi præfici poſſint Parochialibus Eccleſiis ſecularibus, *ut in c. Quod Dei timorem*, ſcilicet *tit.* 2. tamen nec decens eſſe, nec poſſibile de jure communi, ut Monachus clauſtralis perficiatur curæ incumbenti Eccleſię regulari. De hoc latiùs infra *n.* 7. Quod tamen ſecundùm Joan. Andr *hic n.* 6. *in* 1. *gloſſa* Cardin. *n.* 1. malè ſervatur. Imò videmus in Monaſteriis habentibus curam populi, Monachos clauſtrales ad mandatum Abbatis, vel Epiſcopi circuire Parochiam, & miniſtrare populo Sacramenta; & Petr. de Anchar. *n.* 1. refert ſe ita vidiſſe obſervari Venetiis in Monaſterio S. Gregorii habēre Parochiam. Et fortè ad hanc obſervantiam, ſeu potiùs ad indulta Apoſtolica reſpiciens Concilium Tridentinum *in c.* 11. *ſeſſ* 25. *de Regular.* ſtatuit, ut Monaſteriis, ſeu domibus, quibus imminet animarum cura perſonarum ſæcularium, tam regulares, quam ſæculares hujuſmodi curam exercentes ſubſint juriſdictioni Epiſcopi Diœceſani in his, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent; & ſic admittit Concilium eſſe poſſibile, ut Regulares exerceant curam populi Monaſteriis incumbentem, contra text. hìc. In hoc enim caſu loquitur hoc decretum Concilii, quando ſcilicet cura imminet ipſo Monaſterio. Nam de Parochialibus Monaſterio unitis loquitur *c.* 7. *ſeſſ.* 7.

Secundò nota, in Monaſteriis ubi Monachi vivunt in Congregatione, curam populi non incumbere Abbati, vel Monachis, ſed ipſi Eccleſiæ, vel Monaſterio: quod patet hìc. Nam ſi cura incumberet Abbati, & Monachis, non adſtringerentur ad eam exercendam per Presbyterum ſæcularem, ut deciditur in textu, ſed deberent, aut ſaltem poſſent ipſi per ſe illam exercere, ut in Clem. *Ne in agro*, §. *Cæterùm, de ſtatu Monachor.* de quo infrà *n.* 7. & 15. Unde infertur, ut Commendatarii Monaſteriorum non teneantur per ſeipſos exercere curam animarum Monaſterio imminentem, & conſequenter nec perſonaliter reſidere, aut ſacros ordines ſuſcipere. Nam cùm ipſi Commendatarii ſuffecti ſint in locum Abbatis Titularis; quemadmodùm Abbas non obſtringitur ad hujuſmodi curam exercendam per ſeipſum, ita nec Commendatarius, per regulam, *Subrogatorum*. Nec refragatur decretum Concilii Tridentini *in cap.* 2. *ſeſſ.* 6. quia non arctat quoſcumque Commendatarios ad perſonalem reſidentiam, ſed illos tantùm qui in Commendam obtinent beneficia perſonalem reſidentiam exigentia de jure, ſeu conſuetudine. Decretum verò *cap.* 8. *ſeſſ.* 21. tantummodò præcipit, ut cura animarum, ſi quæ monaſteriis commendatis, vel eorum annexis immineat, rectè exerceatur, nec aperit à quibus perſonis id præſtari debeat, ſæcularibus ſcilicet, an regularibus; de quo tamen articulo dicam latiſſimè in quæſtione proxima.

QUÆ-

1 QUÆRO igitur, poſito Tridentini Concilii decreto *in d. c. 2. ſeſſ. 6.* an Commendatarii monaſteriorum Ordinis S. Benedicti, vel S. Baſilii, in quibus cura animarum incumbit perſonarum ſæcularium, teneantur perſonaliter reſidere, & curam hujuſmodi per ſeipſos exercere.

Pro clariori queſtionis ſolutione duo caſus ſunt diſtinguendi.

Primus eſt, cùm cura monaſterio, vel Commendatario incumbens eſt juriſdictionalis. Et hoc primo caſu ſi juriſdictio ſit tantùm temporalis, certum eſt monaſteria hujuſmodi, ſeu Abbatias, vel Prioratus haberi pro beneficiis ſimplicibus; & propterea Commendatarios non teneri initiari ſacris, nec perſonaliter reſidere; gloſſ. *in extravag. Execrabilis, in verb. Viſitare, de præb.*

2 Si verò juriſdictio in foro contentioſo ſit ſpiritualis, & Commendatarius illam actu exerceat, ſive in Conventum, ſive in illius ſubditos ſeculares, ut excommunicare, interdicere, abſolvere, ſuſpendere, viſitare, inquirere, & alia, de quibus per gloſſ. in d. extravag. tunc propoſito olim articu-
3 lo in S. Congregatione Concilii die 27. Octobris 1575. ex undecim Cardinalibus ſex dixerunt Commendatarios non teneri Sacros ordines ſuſcipere, nec reſidere, quia tunc monaſterium non dicitur propriè curatum, ſed ex larga ſignificatione, ut notant Innoc. Jo. Andr. Butr. Abb. & DD. *in c. Dudum, il ſecondo, de elect.* gloſſ. *in Clem. Dudum, de ſepultur.* ubi quòd habens jus excommunicandi, non habet curam animarum, Innoc. & alii *in cap. Cum ſatis, de offic. Archid. & in cap. De multa, de præbend.* Staphil. *de ſtat. & qualitat. n. 20.* Unus Cardinalis Senonenſis ait, quidquid ſit de jure in Galliis, Commendatarios eſſe cogendos à Sanctiſſimo. Reliqui verò quatuor ſenſerunt teneri, per textum *in d. c. Dudum, il ſecondo, §. Licèt, verſ. Sed cum in jure,* ibi: *Evidenter apparet, quòd curam animarum habet, de elect.* Ita ponderat Abb. *ibid. n. 7. & 8.* & quamvis *n. 7.* dubitet non eſſe propriè curatum, & idem aſſerat Jo. Andr. Butr. & Apoſt. ad Abb. tamen textus *in d. c. Dudum,* clarus eſt, & clarior *in c. Super eo, de præbend. in 6. & in d. extravag. Execrabilis in fin.* ad quem textum non videntur reſpexiſſe DD. ſed reſpexit Card. *in Clem. 1. q. 20. de offic. Vicar.* ubi citat dictam extravag. Quamobrem ſi cura juriſdictionis ſpiritualis efficit beneficium curatum: ergo intrat diſpoſitio *Clement. Ne in agro, §. Cæterum, de ſtat. Monachor.*

Tandem omnes cenſuerunt excepto Cardinali Alciato Commendatarios non teneri reſidere ex Concilio, ita ut teneantur illis pœnis, de quibus *in c. 1. ſeſſ. 23.* ſed tamen teneri reſidere de jure veteri, ad terminos *d. cap. Super eo, de præb. in 6. de cap. Dudum, §. Licèt,* ut extravag. *Execrabilis, §. Quantum autem,* ad quod jus verus videtur Concilium reſpexiſſe *in cap. 2. ſeſſ. 6.* ut ſcilicet ſi aliquis Commendatarius reperiatur habere illam juriſdictionem, de qua ibi, poſſit cogi reſidere, prout ante Concilium poterat: & hanc poſteriorem S. Congregationis ſententiam Greg. XIII. ad ſe relatam approbavit.

4 Secundus caſus, ad quem propriè reſtringitur quæſtio ſuperiùs propoſita, eſt, cùm cura animarum monaſterio, vel Commendatario incumbens eſt Sacramentalis, & in foro pœnitentiali, & hoc caſu regula conſtituitur contra Commendatarios, ut ſcilicet teneantur initiari ſacris, & perſo-
5 naliter reſidere. Quod conſtat tum ex *c. Nemo de elect. in 6.* tum quia Commendatarii hodiè pro veris titularibus habentur tam in Galliis, quàm extra: & jura omnia de Abbatibus, & Prioribus loquentia habent etiam locum in hiſce Commendatariis, Prob. ad Monach. *in d. c. Nemo, nu. 11. & 23. d. de elect. in 6.* Rebuff. *in tract. de pacif. poſſeſ. n. 47.* Caſſan. *in conſuet. Burgund. rubr. 9. §. 9.* & Gomes *de infir. reſign. q. 13. n. 7. de Triennali, q. 5. nu. 11. de publ. reſign. q. 4. nu. 29.* & de idiomat. e, *qu. 5. n. 6.* Sed veri Titulares Prioratuum, & aliorum hujuſmodi beneficiorum regularium curam animarum Sacramentalem habentium obligantur ad ſacros ordines ſuſcipiendos, & ad perſonaliter reſidendum, *d. Clement. Ne in agro, §. Cæterum, de ſtatu Monach.* Ergo & Commendatarii.

6 Verùm hæc regula declaratur procedere, ſi cura animarum incumbat perſonæ ipſius commendatarii, ſecus verò ſi incumbat monaſterio, vel Conventui, quia tunc nec ad ordines ſuſcipiendos, nec ad reſidentiam tenetur; quemadmodum re diligenter examinata, ac Greg. XIII. approbante, ſimiliter reſpondit S. Congr. Concilii.

Solutio igitur præſentis quæſtionis pendet ab inſpectione, an hoc caſu cura animarum incumbat perſonæ ipſius Commendatarii, vel potiùs Eccleſiæ, ſeu monaſterio.

Et quidem cùm dubium proponatur de monaſteriis Ordinis S. Benedicti, & S. Baſilii, manifeſtum videtur curam non Commendatariis, ſed monaſteriis incumbere. Nam inſpecto tempore quo monaſteria hæc nondum cæperant commendari, ſed adhuc ibi erant Abbates, & Monachi, manifeſtum eſt curam non fuiſſe penes Abbatem & Monachos, ſed penes Eccleſiam, vel Monaſterium tantùm, quia Monachi viventes in Congregatione, ex eorum inſtituto 7
prohibentur de jure curam animarum perſonarum ſæcularium exercere, text. eſt clarus hìc *in c. un. eod. tit. lib. 6. cap. 1. cum pluribus ſeqq. 16. q. 1.*

Et propterea non habet locum contra Abbatem diſpoſi- 8
tio *c. Licèt canon. de elect. in 6.* privans omni jure obtinentes beneficia curata non promotos infra annum, ut per Jo. Monachum *ibid. n. 6.* Vital. *in Clem. un. nu. 24. de offic. Vicar.* Rebuff. *in praxi tit. de non promotis infr. annum, n. 28.*

Neque obſtant text. *in c. Poſtos, c. in parochia, & c. Vos autem, 16. q. 1.* nam reſpondetur dicta jura procedere in Parochialibus ſecularibus à monaſterio diſtinctis, de quibus quia Concilium Lateranenſe *in c. Monachi, de ſtat. Monac.* ſtatuit, ne Monachi ſinguli per villas, & oppida per quaſcumque Parochiales ponantur Eccleſias; DD. admodum ſe torquent in intellectu dictorum canonum. Quidam enim putant Monachum de jure communi promoveri poſſe ad Parochialem Eccleſiam ſæcularem abſque diſpenſatione, dummodò cum eo habitet alius ſaltem Monachus, juxta text. *in d. c. Monachi, & c. Quod Dei timorem,* ubi ita communiter teneri teſtatur Abb. *n. 6. verſ. Aut eſt curata.* Alii verò cenſent Monachos de jure communi præfici non poſſe prædictis Parochialibus, niſi diſpenſativè ex cauſa neceſſitatis, ideſt in defectum Clericorum ſæcularium, juxta text. *in c. Cum pro utilitate, & c. Qui verè,* ibi: *Niſi fortè jubeantur propter urgentes neceſſitates, 16. q. 1. & c. p. Pr. ſcis, 55. diſt.* & hanc opinionem ſequitur gloſſ. Joannis *in dict. c. In parochia, in ver. Cum Diaconum,* eamque latè tenetur Abb. *hic ſub nu. 4. verſ. In gloſſ.* Alii ut Vincentius, dicunt de jure communi Monachum non poſſe aſſumi ad Parochialem Eccleſiam gubernandam etiam ex cauſa neceſſitatis, quamvis olim propter neceſſitatem, & defectum Clericorum ſæcularium antiqui Canones ex diſpenſatione permitterent Monachos ad Eccleſias aſſumi; quod hodiè ceſſat, cum Clerici ſeculares non deſint. Alii demum alia ſentiunt, quorum opiniones referunt Antonius de Butr. *in d. c. Monachi, n. 16.* & plura hac de re habentur *in deciſ. Rotæ 254.* relata à Panormit. *in d. c. Quod Dei timorem, nu. 7. de ſtatu Monach.* Aliàs eſt *deciſ. 262. incip. in religioſo, & eſt ſupra de jure patr. in nov.*

Verùm hæc opinionum varietas, ut diximus, procedit 10
tantùm in Parochialibus ſæcularibus à monaſterio diſtinctis. At verò ſi cura populi incumbat ipſi monaſterio ubi eſt Congregatio Monachorum, ut in caſu de quo agitur, conveniunt omnes Monachum clauſtralem non poſſe ad eam curam aſſumi, quia de hoc eſt textus clarus hìc, quem ita intelligunt gloſſ. & DD. ut per Butr. *n. 6. verſ. Oppono.*

Non obſtat, ſi dicatur: Si in Eccleſiis ſæcularibus à monaſterio diſtinctis Monachus præfici poteſt curæ ſaltem cum ſocio ordinis, ut *in d. c. Monachi, & c. Quod Dei timorem ſcilicet de ſtat. Monach.* fortiùs debet poſſe aſſumi, & curam exercere in proprio monaſterio, cùm hoc caſu concurrat favor Eccleſiæ, & cura animarum, & habeat nedum ſocium, ſed ſocios. Item magis obligatur Monaſterio ſuo, quàm Eccleſiæ ſæculari. Ergo longè magis eſt cenſendus idoneus ad curam imminentem proprio monaſterio, quàm Eccleſiæ foris ſitæ.

Id inquam non obſtat; nam ut Monachus clauſtralis præ- 11
fici poſſit curæ monaſterio incumbenti, peculiarem habet rationem, ne ſcilicet inter illos de Congregatione notetur diverſitas, & regulariter viventes habeant occaſionem vagandi circumeundo Parochiam, ut ait hìc Butr. *in 2. notab.* poſt gloſſ. *in verb. Monachos,* neve habent materiam viſitandi domos mulierum pro confeſſionibus, & aliis, ſecundam Abba. *n. 6.* Unde Eugenius Papa: Nullus, inquit, Monachorum præſumat pœnitentiam dare, neque baptizare, neque infirmũ viſitare, neque mortuum ſepelire, neque ad Eccleſiam ſecularem tranſire. Sit clauſtro ſuo contentus, quia ſicut piſcis ſine aqua caret vita, ita ſine Monaſterio Monachus. Sedet itaque ſolitarius, & taceat, quia mun-

do mortuus eſt, Deo autem vivit. Agnoſcat nomen ſuum; *Monos* enim Græcè, Latinè eſt unus; *Achos* Græcè, Latinè triſtem ſonat; inde dicitur Monachus unus triſtis. Sedeat ergo triſtis, & officio ſuo vacet, ut infertur *in cap. Placet* 16. *quæſt.* 1. Quæ prohibitio habetur etiam in Nicæna Synodo relata *in cap.* 1 *eadem cauſa, & qu. in cap. Monachus, & cap. Alia cauſa*, ubi refertur illud S.Hieronymi: (Monachus non docentis, ſed plangentis habet officium; & alia cauſa eſt Monachorum, alia Clericorum: Clerici paſcunt oves, ego paſcor.)

Sed objicies: major videtur indecentia, ut Monachus eximatur à Monaſterio, & degat inter ſæculares, quàm ut exiſtens in Monaſterio exerceat curam nomine Collegii: nec per hoc notatur diverſitas, quamvis facit cujus nomine fit, ut *in c. Cùm quis, de ſent excomm. lib. 6. & in c. Cùm veniſſent, de inſtit.* Quibus fundamentis Abb. *hic nu.* 5. *verſ. Sed ego non poſſum*, dicit ſe non poſſe concipere, quomodo hæc facilis ratio, ne ſcilicet in Congregatione notetur diverſitas, ſit ſufficiens ad impediendum privilegium tributum curæ; & propterea dat novum intellectum ad hunc textum, ut ſcilicet procedat ſecundùm jura antiqua, & conſiderato mero ſtatu religioſorum. Nam regulariter Monachus ſecundum eum non debet præfici curæ etiam Eccleſiæ ſæcularis, ſed propter neceſſitatem fuit inſtitutum, ut poſſet præfici; & ita proprié debet intelligi hæc decretalis: ſed in defectum ſæcularium ſatis poteſt ſuſtentari primus intellectus gloſſæ, ut ſcilicet Monachus præfici poſſit curæ, ſi eligatur à populo, & ab Epiſcopo inſtituatur.

Cæterùm ſalvando communem intellectum reſponderi poteſt, imò magis indecens eſſe, ut per ſingulos dies exeat è Monaſterio, & circumeat Parochiam Monachus vivens in Congregatione, quàm ut ſemel tantùm Monachus eximatur à clauſtro, & præficiatur Parochiali ſæculari, ſicut videmus magis repugnare Sac. Canonibus, ut Monachus quamdiù remanet Monachus ſit ſolutus à voto paupertatis vel caſtitatis, quàm ut prorſus eximatur à regula, & de Monacho efficiatur non Monachus: unde ſecundùm opinionem Vincentii, & Jo. in hoc ſecundo caſu diſpenſat Papa, non autem in primo, ut notatur *in cap. Cùm ad Monaſterium, in ult. gloſſ. de ſtat Monach.* Item quamvis per fictionem, ſeu intellectum juris omnes Monachi cenſeantur exercere curam, eò quòd exerceatur per Monachum nomine totius Collegii, & ſecundùm hoc non videatur inter eos eſſe diverſitas; tamen veritate inſpecta negari non poteſt quin inducatur difformitas in vita Monaſtica, quia revera unus tantùm vagatur, & diſcurrit inter ſæculares: reliqui verò vivunt in clauſtro, in ſilentio, & ſolitudine; quod repugnat S. Canonibus, qui dignum eſt, ut qui ſimilem cùm aliis vitam ſuſcipiunt, ſimilem ſentiant in legibus diſciplinam, ut *in c. Recolentes inf. de ſtatu Monach.* Neque hæc ratio eſt levis, ſeu facilis, ut dicit Abb. imò eſt gravis, & fortis, quia abſonum eſt, ut Monachus in clauſtro cum cæteris convivat, & eorum uſibus, & inſtitutionibus ſe non conformet, ut ibi, *Turpis eſt enim omnis pars, quæ ſuo non congruit univerſo, c. Quæ contra mores* 8. *diſt.* Hoſt. *in d. c. Recolentes n.* 12. Preſertim verò, quia cùm Monachus ad curam exercenda non debeat ſolus exire, ſed cum ſocio ſui ordinis, ut *in d. c. Monachi, & c. Quod Dei timorem, de ſtatu Monach. & in c. fin. infra eodem*, poſſet modò unum, & modò alium ſibi ſocium adjungere; quod eſſet occaſio illis de Congregatione vagandi extra clauſtra, & domos mulierum viſitandi: unde plurimùm relaxari poſſet rigor Monaſticæ diſciplinæ: nec favor curæ in hoc debet attendi, quia æquè benè, & magis congruè poteſt illi ſatisfieri per Presbyterum ſæcularem, ut hìc. Tene igitur in Monaſteriis ubi eſt Congregatio Monachorum, curam populi non incumbere Abbati, vel ipſorum Collegio, ſed Eccleſiæ, ſeu Monaſterio; & propterea exercendam eſſe per Clericum ſæcularem non autem per Monachum: & ita intellige hunc textum, prout DD. communiter intelligunt.

12 Quòd ſi inſiſtas, ſaltem penes Abbatem reſidere curam habitualem, cujus ratione obligatur ad reſidentiam, ut in Parochiali habitu cenſent Innoc. Abb. Antiq Calderin. Jo. Andr. Anchar. & Imol. *in c. de multa, de præb.* Archid. & alii *in c. Licèt canon, de elect. in* 6.

Reſpondetur primò hanc aſſertionẽ, quòd cura habitualis ſit penes Abbatẽ, nec jure, nec ratione ulla probari poſſe: quia cùm Abbates, & Monachi clauſtrales numquam habuerint curam actu, nec habere poſſint ob illorum incapacitatem, fruſtrà eſſet potentia numquam reducibilis ad actum Hoſt. *in Summa, de pœnit. & remiſſ. §. Cui*, Bald. *conſ.* 377. *quæſtio ſubtilis eſt n.* 4. *verſ. Quandoque ſignificat. lib.* 3. 13
Nec refert, quòd reduci poſſit ad actum ex diſpenſatione Apoſtolica, quia quod poteſt per diſpenſationem, dicitur fieri non poſſe, ut poſt Innoc. *in c. Paſtoralis, de cauſa poſſeſ. & propriet.* in puncto de quo agitur, tradit Abb. *in d. cap. Quod Dei timorem n.* 8. *verſ. Item adduco, de ſtatu Monachor.* & propterea Butr. *hic in* 2. *nota.* dicit nec decens eſſe, nec poſſibile de jure communi, ut Monachus in Congregatione præficiatur curæ ſubjectæ Eccleſiæ regulari.

Deindè reſpondetur, contra doctrinam Innoc. & alio- 14
rum *loc. cit.* ſentire gloſſ. Hoſt. & Butr. qui teſtatur de communi *in d. c. De multa.* Quapropter in hoc opinionum conflictu S Congregatio aliàs approbavit ſententiam mediam Collectarii *in d. c. De multa nu.* 6. quam & Rota ſæpiùs ſequuta eſt, diſtinguentis, an ſubſit ſpes, ut habitus curæ brevi reducatur ad actum per reverſionem Parochianorum, an non; ut primo caſu teneatur Parochus ad reſidentiam, in ſecundo non teneatur; atque ita, in ſpecie reſpondit in cauſa cujuſdam Parochi Illerden. diœceſis. Sed & Gregorius XIII. dum olim reſpondit ſecundum ſententiam Cancellariæ appellatione Parochialis comprehendi etiam illam, quæ tantùm habitu ſit, eam rationem reddidit, quoniam in horas ſingulas poteſt fieri actu, ſi revertantur Parochiani. At certum eſt nos verſari in primo caſu: ſiquidem nulla ſubeſt, nec ſubeſſe poteſt ſpes, ut habitus curæ ad actum reducatur ſtante juris prohibitione, & incapacitate Monachorum clauſtralium exercendi curam animarum Monaſterio incumbentem.

Certum eſt igitur ante commendam, quo tempore in 15
Monaſterio erat Congregatio Monachorum, curam non fuiſſe penes Abbatem, & Monachos, ſed penes Monaſterium; idque expreſsè adnotavit Abb. *hic num.* 6. his verbis: (Nam cura animarum, non eſt collata ipſi Collegio Monachorum, cùm ſint ibi; non ut exerceant curam, ſed regulariter vivant: unde cura eſt potiùs Eccleſiæ ipſorum) ſequitur Mandoſ. *conſ.* 20. *num.* 9. & Rota *in recent. deciſ.* 53. *n.* 2. *in fin. part.* 2.

Atque hinc neceſſariò ſequitur, ut idem ſit dicendum 16
poſteàquam Monaſterium fuit commendatum, quia commenda ſtatum beneficii non mutat, Sarnen. *in reg. de infir. q.* 13. Put. *deciſ.* 25. *lib.* 1. Caſſad. *dec.* 5. *de privil. num.* 2. Rota *dec.* 587. *n.* 2. *& dec.* 4. *part.* 4. *diverſ.*

Quod adeò verum eſt, ut etiamſi per mille annos benefi- 17
cium fuerit commendatum, ſemper tamen remanſerit in eo ſtatu, in quo erat ante commendam, eaque ceſſante non dicatur vacare per obitum, ſed duret antiqua vacatio, quæ erat tempore primæ commendæ, Gemin. poſt Feder. de Sen. quem citat *conſ.* 8. *n.* 8. *verſ. Quia non eſt neceſſe.*

Et ob hanc rationem S. Congregatio aliàs reſpondit Ar- 18
chiepiſcopum Urbinaten. tamquam proximiorem poſſe quidem viſitare Eccleſias territorii Abbatiæ Caſtri Durantis nullius Diœceſis, ſed Abbatiam ipſam, quæ regularis eſt, non poſſe Archiepiſcopum viſitare, utcumque perſonis ſæcularibus commendari conſueverit; nimirum quia Epiſcopus ex *c.* 9. *ſeſſ.* 24. poteſt viſitare Eccleſias nullius diœceſis ſeculares tantùm, non autem regulares, & per commendam ſtatus regularis Abbatiæ immutatus non fuit.

Et propter eamdem rationem Sac. Congregatio conſulta, an facultas uniendi beneficia ſeminario, quam habet Ordinarius vigore *c.* 18. *ſeſſ.* 23. ſe extendat ad beneficia regularia Conventu tamen carentia, & in commendam tradi ſolita: reſpondit non ſe extendere, quia ſcilicet per commendam non deſierunt eſſe regularia.

Hujus concluſionis ratio eſt, quia commenda non eſt 19
verè, & propriè titulus, *c. Quiplures* 21. *q.* 1. ubi eſt text. quòd nemo duas Eccleſias in titulum tenere poteſt, tamen poteſt
unam in titulum, & aliam in commendam, & ita notat ibi 20
gloſſ. Hugo, & Laurentius. Nec Commendatarios dicitur propriè Prælatus, ſed quaſi depoſitarius, & non habet proprietatem, nec poſſidet nomine proprio, Rom. *conſ.* 350. *In caſu*, Soccin. *conſ.* 32. *n.* 7 *lib.* 1. Inter Commendatarium, & Eccleſiam non contrahitur matrimonium, ſicut inter Eccleſiam, & Abbatem, Gemin. *d. conſ.* 8. *n.* 5. Et propterea tamquam poſſidens nomine alieno, nullo umquam tempore poteſt præſcribere, aut novum ſtatum beneficio imprimere, *cap. Si diligenti*, ubi Joann. Andr. & Abb. notant *de præſcrip.*

Ideò-

Ideòque non intrat diſpoſitio *c. Cum de beneficio*, *de præben. in 6.* quia ille textus procedit in vero titulari, qui proprio nomine poſſidet, ut colligitur ex illis verbis: Sæcularibus Clericis inſtitutis in eo Rectoribus, & illic declarat gloſ. Archid. Jo. Monach. Jo. Andr. ac cæteri.

Et quamvis Commendæ noſtri temporis ſint adinſtar titulorum, & jura omnia de titularibus loquentia habeant locum in his commendatariis, ut per Caſſanæum qui examinat formulas *in Comment. conſuet. Burgund.* & dictum eſt ſupra; id tamen procedit potiùs per extenſionem, & ex veriſimili mẽte, cùm materia ex favorabilis, quàm ex proprietate, cùm verè Commendatarii non poſſideant, nec habeant titulum; ita declarat Rota *deciſ. 760. lib. 3. p. 3. diverſ.*

Et certè cùm etiam Monaſteria, in quibus viget regularis obſervantia, dentur in commendam perpetuam, ut colligitur ex *c. 20. ſeſſ. 25. de regular.* & patet hodiè in Monaſteriis Cryptæ Ferratæ Ordinis S. Baſilii, Farfenſi, & Sublacenſi Ordinis S. Benedicti, & Foſſæ Novæ Ordinis Ciſtercienſis, quæ Cardinalibus ſunt commendata; utique ſi præter Abbatem etiam Commendatarius eſſet ibi Prælatus, in ea-
22 dem Eccleſia, vel Monaſterio eſſent duo capita, contra text. *in cap. In Apibus*, *7. quæſt. 1. & cap. Quoniam in plerisque 5. de offic. Ordin.* Et propterea Abbates tamquam Prælatos, & Sponſos Eccleſiæ in Synodis, & aliis publicis functionibus procedere Commendatariis cenſuit Sacra Congreg. Et aliàs cùm Cardinalis Vercellen. obtinens in Commendam duas Abbatias habentes temporalem, & ſpiritualem juriſdictionem, & jura Epiſcopalia cum totali exemptione à juriſdictione Ordinariorum, adiiſſet S. Congregationem, ut ſibi committerentur executiones litterarum Apoſtolicarum: Congregatio cenſuit verbum faciendum cùm Sanctiſſimo, qui abnuit, eam rationem adducens, quia privilegia ſunt conceſſa Abbatibus, ipſe autem eſt commendatarius, & ex ſtylo Concilii commenda, & titulus accipiuntur tamquam diverſa, ut patet *in cap. 4. ſeſſ. 7. & cap. 17. ſeſſ. 24.* Ideòque de reſidentia Commendatariorum quaſi in decretis generalibus ſuper reſidentia aliorum titularium non eſſent incluſi, Patres ediderunt ſpeciale decretum *in cap. 2. ſeſſ. 6.*

Hæc igitur concluſio, quòd commenda etiam ſecundùm formulas hodiernas non mutet ſtatum beneficii, veriſſima eſt, & receptiſſima tam apud ſcribentes, quàm in S. Congregatione, & in Rota. Et propterea hinc neceſſariò infertur, ut cura animarum non reſideat penès Commendatarium, ſicut non reſidebat penès Abbatem, in cujus locum Commendatarius eſt ſubrogatus.

Quòd ſi urgeas: idcircò ante commendam curam non incumbebat Abbati, quia repugnabat ejus ſtatui curam animarum exercere, ut dictum eſt ſupra; hoc autem impedimentum ceſſat poſt commendam, quia Commendatarius tamquam ſæcularis non prohibetur curam animarum exercere per ſeipſum: ergo & diſpoſitio ceſſare debet; quam rationem in puncto conſideravit Rota coram Cardinali Mil-
23 lino in Tudertina Prioratus. Reſpondetur hanc rationem impedimenti ceſſantis, hoc caſu non valere, quia cùm Commendatarius ſucceſſerit in locum titularis incapacis curæ animarum, non habetur ratio capacitatis ipſius Commendatarii, ſeu Abbatis dumtaxat, cujus vices Commendatarius gerit, per regulam ſubrogatorum, quæ procedit etiam quoad jura perſonalia, juxta text. *in l. fin.* ubi Bart. *d. c. proxim. ſacr. ſcrin li. 12.*

24 Exemplum clarum patet in concurſu; nam Monaſteria, quibus cura animarum incumbit, non ſubjacent huic formæ, quia quæ præſcribuntur à Concilio *in cap. 18. ſeſſ. 24. de edictis proponendis*, & de quibuſcumque addere volentibus, obſervari non poſſunt inter regulares tamquam Prælatis obedientiarios; tamen quamvis hæc ratio ceſſet, cum Monaſteria commendantur Clericis ſæcularibus, inter quos ſervari poteſt forma Concilii; nihilominùs S. Congregatio articulo diligenter diſcuſſo in cauſa Tudertina Prioratus hanc rationem Rotæ infirmam exiſtimavit, cenſuitque eo caſu non requiri hanc formam examinis per cõcurſum: quam deciſionem approbavit Clemen. VIII. Similiter S. Congreg. nulla habita ratione impedimenti ceſſantis aliàs declaravit Commendatarium Monaſterii curam animarum habentis, quam exercet per Clericos ſæculares, non poſſe cogi accedere ad Synodum diœceſanam Epiſcopi, ſed ſat eſſe, ut ad eam mittat Clericum qui curam exerceat: ergo eodem modo quamvis in Commendatariis ceſſat ratio incapacitatis curæ; tamen quia commenda ſtatum non mutat, Commendatarius obſtringi non debet ad onus exercendi curam, ad quod titularis non tenebatur: nam jura loquentia de Monachis, habent etiam locum in hujuſmodi Commendatariis, Prob. *in d. c. Nemo*, *n. 10. & 23. de elect. in 6.* & dictum eſt ſupra.

Præterquamquòd deciſio Rotæ loquitur in terminis longè diverſis, videlicet in commenda Parochialis, ſeu Prioratus à Monaſterio diſtincti, juxta text. *in c. Nemo de elect. in 6.* atque ita in caſu deciſionis cura incumbebat Priori, unde non procedit niſi in caſu, in quo etiam beneficium quod commendatur, ſi conferretur in titulum, privilegiis cogi poſſet ad curam animarum per ſeipſum exercendam.

Non obſtat, quòd cùm in dictis Monaſteriis cura animarum plerumque exerceatur per Vicarios ad nutum amovibiles, id arguat curam eſſe penès deputantem, & ſic penès Commendatarium, ad quem jus deputandi pertinet, ſicut pertinebat ad Abbatem in Eccleſia ſibi pleno jure ſubjecta juxta diſtinctionem Archid. *in cap. de Capellis*, *16. quæſt. 2.* Hoſt. Jo. Andr. & Butr. hìc. Reſpondetur enim id non procedere in deputante, qui ſit prohibitus curam exercere, ſicuti eſt Abbas per jura ſuperiùs allegata: vel ſuccedit prohibito, ſicut eſt Commendatarius. Præſertim verò quia Innoc. IX. olim Cardinalis SS Quatuor adnotatum reliquit *in c. 5. & 8. ſeſſ. 7.* Concilii Tridentini, in Monaſteriis à prima inſtitutione curatis habere locum diſpoſitionem *c. 11. ſeſſ. 25. de regular.* ut cura per Vicarium amovibilem exerceri poſſit, & teſtatur ita per S. Congreg. fuiſſe reſolutum. Unde patet ex eo quòd Vicarius ſit amovibilis, non benè inferri ut cura non incumbat Monaſterio.

Cùm igitur ex prædictis liqueat evidenter curam animarum incumbere Monaſterio, non autem illius Abbati, ac proinde nec Commendatario qui in Abbatis locum ſucceſſit, neceſſariò ſequitur, ut intret deciſio S. Congregat. ſuperiùs relata *n. 6.* atque à Gregorio XIII. approbata, ut ſcilicet Commendatarii non teneantur reſidere. Inanis enim eſſet reſidentia eorum qui deſervire non tenentur, *cap. Quia nonnulli*, *& c. Conquerenti de Cler. non reſid.* Card. Turrecr. *in c. Proventu n. 2. 7. q. 1.* Jo. Andr. *in d. c. Licet Canon, n. 4. de elect. in 6.* Abb. *in cap. Non liceat, n. 8. de Cler. non reſid.* Gigas *de reſidentia Epiſcopi c. 3. n. 3.*

Quibus accedit communis obſervantia. Nam ejuſmodi Monaſteria paſſim commendantur Cardinalibus, & Prælatis, qui non reſident, nec Curam exercent per ſeipſos. Quod arguit curam ei non incumbere, ut per gloſſ. *in Clem. Dudum*, *§. Statuimus, in verb. Impendant. de Sepultur.* & ibi Cardin. *in §. Ac inde, n. 9.* Vitalin. *in §. Verum, n. 3. & ſeq.* Abb. *in cap. Dudum il ſecondo num. 8. & 9. de elect. & in cap. De multa num. 24. de præben.* Dec. *in cap. Ad aures*, *n. 19. de reſcript. verſ. Et curatum*, latè Sarnen. *in regul. 1. de Idiomate, qu. 11.* Nam illi quibus hujuſmodi cura incumbit, tenentur deſervire per ſe ipſos, cùm ſit electa induſtria perſonæ, *cap. Cùm ſit de ætat. & qualit.* Archid. *in cap. Sacerdotibus, 11. qu. 1.* Abb. *in d. cap. Non liceat*, *n. 8.* Dec. *in cap. Cùm omnes, in ſecunda lect. in 1. notab. de conſtit.*

Alioquin præſumeremus delictum in omnibus Commendatariis, in Ordinariis, & Viſitatoribus Apoſtolicis, qui 28
hoc viderunt, permiſerunt, & approbarunt; cum tamen ubi actus poteſt referri ad bonum, & malum, & ad cauſam permiſſam, vel non improbatam ſemper referri debeat ad bonum & præſumatur legitimè factum, *l. Merito*, *ff. pro Socio* Abb. *in d. c. Non liceat de Cler. non reſid.* Dec. *in c. In præſentia*, *n. 52. de probat.*

Ex quibus omnibus videtur poſſe generaliter reſponderi ſi Monaſteria ſint ordinis S. Benedicti, vel S. Baſilii, & dentur in commendam: quamvis habeant curam animarum perſonarum ſæcularium, Commendatorios non teneri in eis reſidere, aut curam animarum per ſe ipſos exercere, ſed eam curam eſſe per Vicarios Preſbyteros ſæculares exercendam, quemadmodum in aliquibus caſibus particularibus jam reſpondit S. Congreg. & præſertim in cauſa inter Epiſcopum, & Commendatarium Monaſterii S. Benedicti Terræ Gualdi Nucerinæ Diœceſis. Et ita reſponſum.

DE CAPELLIS MONACHORUM.

Honorius III. Epiſcopo Venetenſi.

C A P U T III.

EX parte tua fuit propoſitum: & infrà. Abbas & Conventus Riven. Veneten. diœceſis occaſione litterarum Apoſtolicæ ſedis aſſerunt ſibi eſſe conceſſum, ut in ſingulis ipſorum Prioratibus ſinguli Monachi commorentur, ſi pluribus non ſuppetunt facultates eorumdem. Cùm autem id obviet Lateranenſi Concilio, de quo nulla mentio eſt in litteris antedictis: Fraternitati tuæ breviter reſpondemus, quòd hujuſmodi litteras ab Apoſtolica ſede non credimus emanaſſe. Quòd ſi per occupationem forſitan emanaverint, nolumus per hoc derogari Concilio ſupradicto.

S U M M A R I U M.

1 *COnſtitutio edita à Papa in Concilio an dicatur Conciliaris, quo ad hoc ut contraria reſcripta, vel privilegia non valeant, niſi Concilio fuerit derogatum, & n. ſeq. uſque in finem.*

2 *Conſtitutionibus Papæ vel decretalibus Epiſtolis in privilegiis non eſt opus ullatenus, derogare & in reſcriptis ſufficit derogatio generalis.*
Declaratur, n.21.

3 *Privilegium eſt lex privata, & contra jus commune, & ex ſui natura derogat legi.*
Clauſula derogatoria, Non obſtante, *non requiritur quando Princeps reſcribit per viam privilegii, ibid. verſ. Ac propterea.*

4 *Reſcriptum contra legem regulariter non valet, non tamen requiritur ſpecialis derogatio, ſed ſufficit Generalis, niſi lex ſit Conciliaris.*

5 *Conſtitutiones editæ à Papa in Concilio appellantur ſimpliciter Conſtitutiones Papæ.*
Contrarium, n.1. Declaratur, n.21.

6 *Epiſcopi non habent facultatem diſponendi contra Conſtitutiones Conciliares, ſicut nec legati.*

7 *Secus ſi Conſtitutiones ſint editæ à Papa in Concilio.*
Contrarium, n.22.

8 *Concilia generalia habent tacitè Clauſulam annullativam eorum, quæ in contrarium fiunt, & n.26.*

9 *Concilio generali in contrariis reſcriptis, & privilegiis cur debeat ſpecialiter derogari.*

10 *Concilium unde dictum.*

11 *Humani moris eſt illum vereri, cujus voluntate nunc erigitur, nunc deprimitur.*

12 *Papæ ſententia prævalet, diſcrepantibus ſententiis inter Papam, & Concilium.*

13 *Intellectus c. Nonnulli de reſcript. n.26.*

14 *Conſtitutionibus Conciliaribus debet ſpecialiter derogari in contrariis privilegiis, & litteris gratiæ, & n.27.*

15 *Canones editi à Papa in Concilio dicuntur Conciliares quoad effectum derogationis, & n. ſeq.*

16 *Intellectus c. Eam te, de ætat. & qualit.*

17 *Conſtitutiones editæ à Papa, & concilio ſimul ſunt majoris authoritatis, quam Conſtitutiones ſolius Concilii.*

18 *Collatio Apoſtolica facta pupillo coram Papa exiſtenti de dignitate Cathedralis Eccleſiæ non tenet, niſi in litteris fuerit derogatum contrariis Conſtitutionibus editis à Papa in Concilio.*

19 *Privilegium exemptionis à decimis prædialibus conceſſum Religioſis ſocietatis Jeſu abſque derogatione cap. Nuper, de decimis, validatur à Gregorio XIII.*

20 *Conſtitutio edita à Papa Sacro approbante Concilio dicitur Conciliaris.*

21 *Conſtitutiones in Concilio edendæ ſunt nomine Papæ, & ab ipſo tamquam digniori, & principaliori ſunt denominandæ.*

22 *Cardinalium cœtus diſpenſare non poteſt contra Conſtitutiones editas à Papa in generali Concilio.*

23 *Epiſcopus diſpenſare non poteſt cum ſibi ſubdito vero bigamo ad primam tonſuram, & beneficia ſimplicia.*

24 *Papæ præſentia in generali Concilio patrum libertatem non minuit in ſententiis proferendis.*
Viennenſis Concilii tractatus ad clamorem Jo. Andreæ, ibid.

25 *Conſtitutio edita à Papa contradicente Concilio valet, ſed non eſt Conciliaris, nec eget ſpeciali derogatione in contrariis reſcriptis, & privilegiis.*

26 *Verborum inculcatio etiam ſuperflua admittitur ad tollendam ſophiſticam malignorum interpretationem.*

E*X parte.* Non valet reſcriptum impetratum per Mo- 1
nachos, ut ſoli remaneant in Capellis, ſi de Laternenſi Concilio non faciat mentionem. Hoc dicit, Dividitur in duas partes, in prima ponitur conſultatio, in ſecunda reſponſio, ibi, *Cùm autem.*

Nota primò, Monachos non debere ſingulos in prioratibus, ſeu Capellis commorari, ut hìc, & infra *in c. proximo*, etiamſi facultates Monaſterii pluribus alendis non ſuppetant, ut *in verſ. Si pluribus.* Nec obſtat *c.1. ſupra de inſtitut.* quia loquitur in Conventualibus, qui non debent in Monaſteriis conſtitui in majori numero, quam redditus Monaſterii patiantur; concordat Concilium Tridentinum *in cap.3. verſ. In prædictis, ſeſſ.25 de regular.* Item non obſtat *cap. Authoritate, de inſtit. & c. Quoniam de vita, & honeſt. Cleric.* quia hæc jura loquuntur in Clericis ſæcularibus, qui in Eccleſiis inſtitui non debent ultra modum facultatum, ſecundum Hoſt. *hìc n.1.*

Secundò, nota ibi, *Nulla mentio*, Litteras Apoſtolicas contra generalem Concilium non valere, niſi Concilii fiat mentio: & in hoc eſt textus apertus hìc, qui non habetur alibi ita clarè. Ad idem *cap. Eam te ſupra de ætat. & qualit.* & eſt receptiſſima omnium ſententia, ut dicam infra *num 14.*

QUÆRO, an conſtitutio edita à Papa in Concilio dicatur Conciliaris quo ad effectum, ut contraria reſcripta, vel privilegia Apoſtolica non valeant niſi Concilio fuerit ſpecialiter, & expreſsè derogatum.

Hæc inveſtigatio ad multa prodeſſe poteſt in practica: nam ferè innumeræ ſunt decretales editæ à ſummis Pontificibus in Conciliis generalibus, & in ſpecie conſtitutiones pleræque inſertæ in Clementinis tribuuntur Clementi V. in generali Concilio Viennenſi, & ſeptuaginta capita Concilii Lateran. IV. in corpore juris clauſa ferè omnia tribuuntur Innoc. III. in generali Concilio, ut *in c.1. in inſcript.* & ibi dixi *in princ. ſupr. de ſumma Trinit. & fid. Cath. in c. Quidam de renunc. in c. Ut debitus, cum duob. c. ſeqq. infra de appell.* & paſſim alibi. Unde plurimùm intereſt ſcire, an reſcripta, indulta, & privilegia, quæ aliquando ex juſtis cauſis conceduntur à Sede Apoſtolica contra hujuſmodi decretales, ſint irrita ex defectu ſpecialis derogationis.

Opinioni negativæ videtur adhærere Dec. *in c.1. de judic.* ubi poſteà quàm in principio firmavit conſtitutionem cenſeri Conciliarem, quando editur immediatè à Concilio generali, ſecus verò ſi edatur à Papa in Concilio, *n.8.* dicit hanc inveſtigationem non eſſe ſine effectu, quia conſtitutioni Concilii non ita de facili dorogatur; non enim tollitur Summo Pontifice per clauſulam generalem, *Non obſtante*, ut eſt dictum notab. Archid. *in c.1. de conſtit. lib.6.* Sentit ergo Decius conſtitutionem editam à Papa in Concilio non cenſeri Conciliarem quoad effectum derogationis. Idem ante eum apertiùs tenet Cardin. *in Clem.1. col.3 verſ. Tertio quæro, de cenſib.* ubi poſt Lapſum concludit valere privilegiũ conceſsum Religioſis contra dictam Clementinam, licèt de illa non faciat mentionem; ſecus ſi daretur privilegium religioſis Medicantibus, contra *cap. unicum, de exceſſ. Prælat. lib.6.* non facta mentione de illo Capitulo, quia non

tene-

generet; & hoc quia ibi exprimitur, ut in privilegiis, &
conceſſionibus Apoſtolicis debeat fieri plena, & expreſſa
mentio illius prohibitionis. Atque ita Lap. & Card. cenſent
illi Clementinæ, quæ edita fuit à Clem. V. in Conc. Vien-
nenſi, non eſſe derogandum in privilegiis, ſicuti eſt dero-
gandum Conſtitutionibus habentibus clauſulam derogato-
riam ad contrarias futuras diſpoſitiones; quamvis revera
Lap. & Card. non conſiderent dictam Clementinam tam-
quam editam à Papa in Concilio, neque ad id advertant,
ſed illam conſiderent tamquam jus commune, dum ſubdunt
privilegia derogare juri communi, etiam non facta de ipſo
mentione.

2 Probari poteſt primò hæc ſententia, quia Conſtitutioni-
bus Papæ, vel Decretalibus Epiſtolis in privilegiis Apoſto-
licis non eſt opus ullatenùs derogare: & in reſcriptis, & li-
teris gratiæ ſufficit derogatio generalis. Sed Conſtitutiones
editæ à Papa in Concilio ſunt Conſtitutiones Papæ: ergo
illis non eſt opus, ut ſupra, ſpecialiter derogare.

3 Major patet quoad primam partem, quia privilegium
eſt lex privata, & contra jus commune, *c. Privilegia*, 3.
diſt. gl 1. *in c.* 1. & gl. fin. *in c. fin. ſupra de reſcript.* & ſic de
ſui natura derogat legi, & debet aliquid operari ultra jus
commune, etiamſi non exprimat, *c. In his de privil. c. Ab-
bati, verſ. Quia cum privilegium, de verbor. ſignificat.* gloſſ.
fin. *in c. fin. de translat. Epiſcop.* & gloſſ. *in cap. Cauſam in
ver. Præcedat de reſcript.* Ac propterea, quando Princeps
reſcribit per viam privilegii, non eſſe neceſſariam clauſu-
lam derogatoriam, *Non obſtante*, ſcripſit Hoſtien. *in ſum-
ma in tit. de reſcript. §. Quas vires in 4. col. verſ. Sed poteſt
diſtingui*, Jo. Andr. & Gemin. *in c. unico, de exceſſ. Præ-
lat. lib.6.* Card. poſt Lap. in d. Clem. *unica in 3. q. de cenſib.*
Mil. *in repert. in verb. Privilegium in 3. col.* Item tenet Bald.
*in l. Item Lappilli in 2. col. n.8. verſ. Ego dico, ff. de rer. di-
viſ.* dicens eo ipſo, quòd Princeps vocat ipſum privilegium,
& bullatur bulla privilegiorum, non eſſe neceſſariam aliam
clauſulam, quia ſatis apparet eum velle infringere jus com-
mune, per *l. Quidam conſulebant, ff. de re jud.* & dictum
Baldi ſequuntur Martin. Laud. *in tract. de privil.* §. 39. &
Felin. *in c. Nonnulli, n.*11. *verſ. Fallit ſecundò prædicta
regula de reſcript.*

4 Quo verò ad ſecundam partem ejuſdem propoſitionis
quamvis reſcriptum contra legem etiam non habentem
clauſulam derogatoriam regulariter non valeat, ſicut pro
regula ſupponunt Jo. Andr. Gemin. & Anchar. *in d. c. uni-
co de exceſſ. Prælat. lib.6.* & Felin. *in d. c. Nonnulli n.9. ver.
Secunda regula*; tamen in eis non requiritur derogatio ſpe-
cialis, ſed ſufficit generalis, non obſtante aliqua lege in
contrarium, niſi lex eſſet Conciliaris, quia requireretur
ſpecialis derogatio. Ita poſt Archid. quem citat *in cap.1. de
conſtit. lib.6.* tradit Bald. *in l. Humanum, n.1. verſ. Tertiò
nota, C. de legib.* Jo. Andr *in d. c. unico*, & alii plures rela-
ti à Felin. *in d. c. Nonnulli, n.10. verſ. Fallit novem modis,
de reſcript.*

5 Minor probatur *in c. Statutum, de elect. lib.6. ubi c. Li-
cèt canon, eod. tit. & lib.* editum à Gregorio X. in Concil.
Lugdunenſi, appellatur ſimpliciter ſtatutum Greg. X. Ad
idem eſt text. *in d. c. Licèt canon*, ubi canon editus ab Alex.
III. in Conc. Lateranenſi relatus *in c Cùm in cunctis, de elect.*
dicitur ſimiliter canon editus ab Alexandro III. abſque ulla
Concilii mentione: & idem habetur *in c.4. ſeſſ.7.* Concil.
Trid. ubi conſtitutio *c. De multa, de præb.* quæ ut patet ex
illius inſcriptione edita fuit ab Innocentio III. in Concilio
generali, appellatur conſtitutio Innocentii, nulla facta
mentione Concilii.

Quinimò quamvis Conſtitutiones ferè univerſæ inſertæ
in Clementinis editę fuerint in generali Concilio Viennen-
ſi, & nonnullæ ipſarum inſcribantur, *Clemens V. in Conc.
Viennenſi*, & nonnullæ, *Idem in eodem*; tamen pleræque
inſcribuntur ſimpliciter per dictionem, *Idem*: & in ſpe-
cie ſic inſcribitur, Clem. *Quia contingit, de reg. domib.*
licèt in corpore dicatur edita hoc ſacro Concilio approban-
te: ergo conſtitutiones editæ à Papa in Concilio ſunt ſim-
pliciter, & abſolutè conſtitutiones Papæ.

6 Secundò principaliter probatur eadem ſententia, quia
Epiſcopi facultatem non habent diſpenſandi contra conſti-
tutiones Conciliares, gl *in c. Cùm dilectus, in verb. In æta-
te*, & ibi Abb. *in 5. col. n.10. de elect.* gloſſ. *in c. Quiſquis in
verb. Fiat, eodem tit.* idem Abbas *in c. Significaſti, in 2.
col. eod. & in cap. At ſi clerici, §. De adulteriis, infr. hoc
tit.* Felin. *in c. Nonnulli, n.3. de reſcript. Quemadmodum
nec legatus, c. Dilectus, il 1. infra de præb.* juncto *cap.2. de
conceſſ. præben.* Felin. *ubi ſupra.* Sed contra conſtitutiones
editas à Papa in generali Concilio, Epiſcopi ex urgenti 7
cauſa poſſunt diſpenſare, ut per Felinum *in c.1. n.5. ver. Ex
quo colligi poteſt, infra de ſponſ.* & Decian. *in cap.1. n.9. de
judic.* Ergo conſtitutiones editæ à Papa in generali Conci- 8
lio non cenſentur Conciliares quoad effectum diſpenſatio-
nis, & conſequenter neque ad effectum derogationis. Et-
enim tam impotentia diſpenſandi, quàm neceſſitas dero-
gandi provenit ex eo, quia Concilia generalia habent taci-
tè clauſulam annullativam eorum, quæ in contrariam fiunt,
Archid. *in c.1. in verb. Noſcatur, in fin.* ibi: *Vel dic plenius
de Conſtit. lib.6.* Bald. *in l. Humanum, in 3. not. C. de legib.*
Oldrad. *conſ.326. Quod articuli, & conſ.*328. Ad idem Fe-
lin. poſt alios *in d. cap. Nonnulli, n.2. verſ. Et nota quod om-
nis Conſtitutio, de reſcript.*

Tertiò generalibus Conciliis in contrariis privilegiis, & 9
literis gratiæ debet ſpecialiter derogari ob rationem matu-
ritatis, & ponderis, quam in ſe habere præſumuntur Con-
ſtitutiones originatæ à Concilio propter concurſum multa-
rum ſententiarum, in idem *c. De quibus, 20. diſt. & c. Pru-
dentiam*, cum ibi notat. *de offic. deleg.* Oldrad. *d. conſ.326.
n.1.* Dicitur enim Concilium a *con*, & *cilium*, quia ibi om- 10
nes congregantur, ut conveniant, ſicut cilia oculorum
dum clauduntur conveniunt, ſecundum Hug. & Archid.
in c. Canones, n.1. 15. diſt. At hæc ratio, ut obſervat Felin. 11
in d. c.1. n.5. verſ. Ex quo colligi poteſt, de ſponſ. ceſſat in his,
quæ à Summo Pontifice proponuntur in Concilio, in qui-
bus non videtur eſſe tanta maturitas, & libertas ad delibe-
randum, tum ob illius reverentiam, *c.1 16. qu.2.* ibi: *Hu-
mani moris eſt illum vereri, cujus judicio, & voluntate nunc
erigitur, nunc deprimitur*; & *c.1. 8. q.2.* ibi: *Voluntatibus
obedire reverentiam exigere compellitur*: notat Innocen. &
Bald. *in c. Quod ſuper his, de major. & obed.* Tum quia di- 12
ſcrepantibus ſententiis inter Papam, & Concilium, præ-
valet ſententia Papæ, gloſſ. *in cap. In iſtis, 4. diſt. in verb.
Judicent*, gloſſ. *in c. Quodcumque, 24. q.1* Felin. *in c.1. n.1.
de pact. & in c.1. num.14. in 3. ampl. de Conſt.* & dixi latiùs
in d. c.1. de pact.

Ultimò pro hac ſententia videtur tex. *in d. c. Nonnulli, de* 13
reſcript. ubi ſtatuitur, ut non valeant reſcripta, quæ à Sede
Apoſtolica impetrantur a partibus contra illam Conſtitu-
tionem de duabus dietis editam ab Innoc. III. in generali
Concilio, niſi ejuſdem conſtitutionis fecerunt expreſſam
mentionem. Hæc enim clauſula eſſet ſuperflua, ſi Conſtitu-
tio ex hoc ipſo, quòd edita eſſet in Concilio generali, habe-
ret clauſulam derogatoriam ad contratias futuras diſpoſi-
tiones Atque ita hunc tex. licèt ad alium effectum, expendit
ibi Felin. *ſub n.31. verſ. Tertiò, quod ſi illud eſſet verum.*

Sed his non obſtantibus adhæreo contrariæ opinioni ex
fundamentis infraſcriptis.

Et primò, quia Conſtitutionibus Concilii generalis in 14
contrariis reſcriptis, & privilegiis Apoſtolicis debet expreſ-
ſè, & ſpecialiter derogari, alioquin non valent, text eſt hìc,
ubi notat gl. *in verſ. Nulla mentio*, & fuit ſententia Archid.
in d. c. de Conſtit. lib.6. in verb. Noſcatur, ſub n.2. quem ibi
ſequuntur Jo. Monach. Jo. Andr. Gemin. Ancharan & alii
communiter, imò totus mundus, ut inquit Felin. *in d. cap.
Nonnulli, n.3. de reſcript.* non quidem ex defectu poteſta-
tis, ſed voluntatis, ut notat Gemin. *in d. c.1. in 6. col. verſ.
Ego credo*, Oldrad. *conſ.326. n.4. & conſ.328. n.1.* Felin. *in
d. c. Nonnulli, n.5. in 6. ampl.* & ibi latiùs ſcripſi *n 34. &*
44 Sed Conſtitutiones editæ à Papa in Conc. dicuntur Con- 15
ſtitutiones Concilii generalis: ergo illis debet expreſſè, &
ſpecialiter derogari.

Probatur minor per textum *in c. Innotuit, de elect.* in illis
verbis: *Canon Lateranenſis Concilii ab Alexandro Præde-
ceſſore noſtro editus*, quæ oſtendunt Canonem editum à
Papa in Concilio appellari Canonem Concilii. Idem aper-
tiùs probatur *in c. Eccleſia veſtra, il ſecondo, eod. tit.* ubi
conſtitutio edita ad Innoc. III. in Concilio generali, *c. 24.*
de qua *in c. Quia propter, de elect.* appellatur ſtatutum ge-
neralis Concilii, nulla facta mentione Pontificis, ut ibi: *Sta-
tutum Generalis Concilii*, id eſt *d. c. Quia propter*, ſecun-
dum expoſitionem gloſſ. & DD. Ad idem ſunt text. *in cap.
Quamquam, & in c. Si cui, eodem tit. lib.6.* cum concord.
Quinimò Conſtitutio Clem. *Ut ii, de ætat. & qualit.* tri-
buitur ſimpliciter Clementi V. abſque mentione Concilii,
ut

ut patet ex illius ſuprascriptione; & in corpore ſimiliter de Concilio nulla fit mentio, & nihilominùs, quia fuit edita in Concilio Viennenſi, Tridentina Synodus illam innovat & ſimpliciter appellat Conſtitutionem Concil. abſque ulla Pontificis mentione, *in cap.4.ſeſſ.22.* ibi: *Juxta conſtitutionem Concilii Viennenſis*, quæ incipit, *Ut ii*, & eodem modo appellat Clem. *Quia contingit*, *de relig. domib. in c. ult. ſeſſ.7. & in cap.8. ſeſſ.25.* Et propterea Hoſtienſ. *in cap. Cum laicis*, *de reb. Eccleſ. non alienad.* dicit illud Capitulum eſſe Concilium generale, & ideò obſervandum ſicut Evangelium, juxta *c. Sicut* 15. *diſt.* & tamen fuit editum ab Innocent.III. Sacri approbatione Concilii, ut illic patet in fine.

16 Secundò pro hac ſententia videtur text.ni fallor, irrefragabilis *in cap. Eam te*, *de ætat. & qualit.* ubi inhibetur, ut etiam litterarum Apoſtolicarum obtentu ad regimen Eccleſiarum non inſtituantur, non habentes qualitates a Concil. requiſitas. Pondero enim primò verbum, *Concilio*, quod ſecundum gl. & DD. refertur ad conſtitutionem, *c. Cum in cunctis*, *de elect.* quæ edita fuit ab Alex. III. in Concilio Lateranenſi, ut conſtat ex illius inſcriptione; & tamen idem Alexander illius conditor *in d. c. Eam te*, illam appellat ſimpliciter Concilium. Deinde, & fortiùs pondero verba illa, *Literarum noſtrarum obtentu*, quæ claré oſtendunt non valere literas Apoſtolicas contra Concilium, ut ex eo textu DD. communiter colligunt. Ergo ſi pro Concilio intelligitur ibi Decretal. *Cum in cunctis*, quæ edita fuit à Papa in Concilio, ut ſupra proximè dictum eſt: neceſſariò ſequitur, ut literæ Apoſtolicæ non valeant contra Conſtitutionem editam à Summo Pontifice in Concilio; intellige, niſi Concilio fuerit ſpecialiter derogatum, juxta text. *in d. c. Nonnulli*, & ibi Felin.*n.2. de reſcript. in c. fin. eod. tit. lib. 6. & in c.unic.* ubi Jo. Andr. Gemin. & DD. *de exceſſ. Prælat.eod.lib.* Non enim negatur potentia derogandi, ut inquit Gemin. *in c.1. col.6.verſ. Ego credo*, *de Conſtit.lib.6.*

17 Tertiò probatur hæc ſententia, quia præſentia Romani Pontificis non minuit, ſed auget robur, & authoritatem decretis, quæ fiunt in generali Concilio, arg. *c. Significaſti*, *de elect.* Majoris enim authoritatis ſunt conſtitutiones Papæ cum Concilio, quàm conſtitutiones ſolius Concilii, ut not. *in c. Cum dilectus*, *eodem tit.* & patet ex traditis per Abbatem *in cap.1. in ultim.not. ſupra de pact.* & per Fellin.*in cap.1. num.4. verſ. Et ideò Dominus Abbas*, *infra de ſponſ.* Ergo ſi decretis à ſolo Concilio editis oportet ſpecialiter derogare, ut oſtenſum eſt ſupra, multò magis derogari debet decretis editis à Papa, & Concilio ſimul, facit textus *in cap. Medicamentum*, *de pœnit.diſtinct.1. & in cap.1. ſupra de treug. & pace*, & quod notat Alex. *conſ.245. aliàs ultim. n.4 in fin. & n.5 lib.6.* ubi quamvis ſolus pupillus, vel ſolus tutor non poſſit compromittere validè; tamen hoc non procedit, ſi compromiſſum fiat ab utroque, quia magis operatur actus amborum, quàm alterius alioquin inducta ad majorem firmitatem actus, operarentur ejus infirmationem contra regul. *l.Legata inutiliter*, *ff. de adimend. leg.* & notata per eumdem Alex. *conſ.79. n.8. verſ. Circa ſeptimum*, *lib.* 1.

18 Poſtremò tenet hanc ſétentiam Oldrad.*d.conſ.*326. *Quod articuli*, ubi latè conſuluit nullam eſſe collationem Apoſtolicam de dignitate Eccleſiæ Rothomagenſis factam pupillo coram Papa exiſtenti, contra *c.Cum in Cunctis*, *de elect.* editum ab Alex.III. in Conc. Lateranenſi, & contra *c. Nihil*, §. *Epiſcopi eodem*, & *c. Grave*, *de præb.* edita ab Innoc.III. in generali Concilio, cùm in literis non fuiſſet eiſdem conſtitutionibus expreſsè derogatum, quia, inquit, cum per ſacra Concilia fuerit introductum, ut perſonatus, & dignitates Eccleſiaſticis perſonis talem defectum patientibus non conferantur, ut in prædictis juribus non ſufficit proponi Papam etiam ſcienter feciſſe contra Concilia, niſi in litteris gratiæ contineatur expreſsè, quod id fecit non obſtantibus Conciliis ſupradictis: & paulò poſt ſubnectit rationem, quia præſumi non poteſt, ut Dominus Papa juri nedum publico, ſed quaſi divino cum ſolemnitate, videlicet in ſacris generalibus Conciliis promulgato, ſub tali taciturnitate voluerit derogare. Sentit ergo Oldrad. Conſtitutiones editas à Pontificibus Maximis in Generalibus Conciliis, cenſeri Conciliares ad effectum derogationis, licèt non tangat in individuo punctum, quod editæ fuerint non immediatè à Concilio, ſed à Papa in Concilio. Idem tenet Jo. de Anan. *conſ.95. Viſis*, & *diligenter conſideratis*, ubi reſpondit non valere reſcriptum habilitans ſpurium, & inceſtuoſum ad ſucceſſionem, niſi faciat expreſſam mentionem Conſtitutionis editæ ab Innoc. III. in generali Concilio, de qua *in c.Cum inhib.* in *de clandeſt.deſponſ.* & cum eo tranſit Felin. *in d.c. Nonnulli*, *num.3.verſ.Et propter dictum de reſcript.* Et eodem modo Rota Romana ſæpiùs decidit pri- 19
vilegium exemptionis à decimis prædialibus non valere, niſi facta fuerit expreſſa mentio Concilii generalis, idest Conſtitutionis, *c. Nuper de decimis*, editæ ab Innocentio in generali Concilio ut *dec.* 122.*p.1. diverſ.* & apud Cardin. Seraph. *dec.*1380. *n.*3. Et propterea cùm Religioſi Societatis Jeſu obtinuiſſent a Paulo III. & Pio IV. indultum exemptionis à decimis etiam prædialibus, & Præpoſitus generalis dubitaret literas Apoſtolicas de ſubreptionis, ac nullitatis vitio notari poſſe, eo quòd in eis facta non eſſet expreſſa, & ſpecifica mentio de Conſtitutione Innoc. Papæ III. in Concilio generali ſuper decimis edita, quæ incipit, *Nuper*; Gregorius III eidem Societati conceſſit, ut prædictę literę valerent perinde, ac ſi in illis de Conſtitutione Innoc. Prædeceſſoris, ſeu Concilii generalis hujuſmodi ſpecifica, & expreſſa mentio facta, eique ſpecialiter, & expreſsè derogatum fuiſſet, ut patet in Conſtitutione, quæ incipit, *Paſtoralis officii*, *edita die* 1. *Januarii* 1578.*in Bullar.tom.2.pag.*421. Et in individuo Conſtitutionem editam 20
à Papa approbante Concilium, ad effectum derogationis eſſe habendam pro Conciliari, reſpondit Gemin.*conſ.*44.*Dominus noſter Papa Martinus num.*3. ubi ſic ait: (An Papa, qui non intendit tollere Conſtitutiones Concilii Conſtantienſis, nec contra illas facere, dicatur contra facere, ſi concedit novam exemptionem non ſervata forma illius Conſtitutionis: & dico quòd Papa non debet facere contra Conſtitutiones Concilii; nam prima pars illius Conſtitutionis, quæ continet revocationem exemptionum, fuit facta per Papam ſacro approbante Concilio, ut ibi patet *circa fin.verſ. Sacro*, *&c.* unde reſpectu iſtius partis dici debet Conciliaris; quia omnia noſtra facimus, quibus authoritatem impartimur, *cap.Si Apoſtolica*, & *c.Si eum*, *de præb. lib.6. & l.1.C. de veter.jur. enucl.*) Hæc Gemin.

Nec contrarium tenet Jo. Mon. *in c.Ubi periculum*, *n.2. in verb.Concilio, de elect.* Non enim dicit hæc verba, *Sacro approbante Concilio*, non probare Conſtitutionem fuiſſe editam in Concilio, prout illum referunt Gemin. *ibi in fin. verſ.Quæro ultim.an hæc Conſtitutio fuerit edita in Concilio*, & Felin.*in cap.1.num.7. in fin.verſ.Et unum nota*, *de ſponſ.* Etenim verba Jo. Monach. hæc ſunt: (Gregorius conſenſum Cardinalium in hoc caſu non habuit, ſed approbationem Prælatorum exiſtentium in Concilio requiſivit, & habuit;) & ita fideliter eum refert Joan. Andr. *num.* 2. *in ver. Approbante.* Quia ampliùs miratur de Guil. qui dixit prædictam Conſtitutionem, *Ubi periculum*, *cap. Licèt extra eod. & cap.Si Canonici, de off. ordin.lib.6.* edita fuiſſe per Concil. Quia licet de ultimo poſſit verum dicere, cum non habeat illa verba, *Approbante Concilio*, tamen de aliis non. Itaque Jo. Mon. & Jo. Andr. tantummodò ſentiunt Conſtitutionem editam approbante Concilio non cenſeri editam à Concilio, quod & nos affirmamus; quia hoc caſu Conſtitutio editur nomine Papæ, non autem Concilii. Sed non dicunt Conſtitutionem non eſſe editam in Concilio, quia contrarium apparet ex eodemmet *cap.Ubi periculi*, quod etſi fuerit editum Concilio approbante, tamen inſcribitur, *Gregorius X. in generali Concilio Lugdunenſi.* Et eodem modo inſcribuntur, *cap.Cum laicis, de reb. Eccleſ. non alien. c.Antiqua, de privil. cap.Sacro approbante Concilio, de ſent. excomm.* & alia complura. Idemque apertiùs convincitur ex Conc. Trident. *cap.ult.ſeſſ. 7. & cap. 8. ſeſſ.25.* ubi Clem. *Quia contingit, de relig. domib.* edita hoc Sacro Concilio approbante, appellatur ſimpliciter Conſtitutio Concilii, ibi: *Conſtitutionis Concilii Viennenſis*, *quæ incipit*, *Quia contingit.* Unde meritò Hoſtien. dicit *d. cap. Cum laicis*, eſſe Concilium generale, ut dictum eſt ſupra, *num.15. verſ.Et propterea Hoſt.*

Nec obſtant fundamenta in contrarium adducta. Ad 21
primum enim reſpondetur declarando majorem propoſitionem. Quod enim dicitur Conſtitutionibus Apoſtolicis nullatenùs eſſe derogandum in contrariis privilegiis, & in reſcriptis ſufficere generalem derogationem, procedit, ſi Conſtitutiones ſint ſolius Papæ, ut ſunt Epiſtolæ Decretales & Extravagantes, ut per Gemin.*d.conſ.44.num.3.* & ita procedunt

cedunt jura, & authoritates in contrarium adducte. At Con-
ſtitutiones editæ à Papa in Concilio non ſunt Conſtitutio-
nes ſolius Papæ, ſed Papæ & Conc. ſimul. Et quamvis ſę-
pè appellentur ſimpliciter Conſtitutiones Papæ, ut in juri-
bus citatis *n.* 5. hoc tamen procedit ſolùm reſpectu deno-
minationis: fateor enim Conſtitutiones in Concilio, cui
Papa præſidet nomine Papæ edendas eſſe, & ab eo tam-
quam digniori, & principaliori eſſe denominandas, niſi
ipſe ex humilitate conſentiat, ut tribuantur Concilio, ut
dixi latè *in c.* 1. *ſup. de pact.* Sed hinc non ſequitur, quin ſint
Conſtitutiones Conciliares, quia ad hoc ſatis eſt, ut in il-
larum editione Conc. quoque concurrat quoquomodo, ſi-
ve præſtando authoritatem, ſive approbationem, ſive con-
ſenſum; ſive conſilium, ſecundum ea quę ſcripſi *in d. c.* 1.
in princ. & patet ex dictis *ſup. n.* 15. *ſeqq.*

22 Ad ſecundum reſpondetur negando Epiſcopos poſſe diſ-
penſare contra Conſtitutiones editas à Summo Pontifice
in Concil. generali. Contrarium enim colligitur ex Clem.
Ne Romani, *de elect.* ubi reprobatur opinio, quæ adſtrue-
bat cœtum Cardinalium poſſe diſpenſare contra Conſtit.
editam à Gregor. X. in Conc. Lugdunenſi. Et ita tenet gl.
in Clem. 1 *in ver. Eligatur, eod. tit.* per quam Abb. affirmat
Epiſcopum non diſpenſare contra Concilium, id eſt con-
tra Conſtitut. editam à Papa in Concilio, de qua text. lo-
quitur; & per hæc Felin. dicit ſe non audere primam opi-
nionem firmare *in d. c.* 1. *n.* 5. *verſ. Sed in contrarium*, *de
ſponſ.* Addo text. ad quem ſi Felin. advertiſſet, à priori ſen-
tentia liberiùs diſceſſiſſet, text. inquam, in Extrav. *S. Ro-
mana Jo. XXII. de relig. domib.* ibi enim expreſsè deciditur
Epiſcopos non poſſe diſpenſare contra Concilium, ut in
verſ. *Quidam autem*, ibi: *Quos nec eis* (id eſt Epiſcopis)
*vel eorum Superioribus concedere licuit contra formam Con-
cilii generalis*; & tamen pro Concilio generali intelligit
Conſtitutionem, *c. Ne nimia*, *ſup. tit. prox.* quæ non fuit
edita immediatè à Concilio, ſed ab Innoc. III. in Concilio
generali, ut ex illius inſcriptione apparet.

23 Hinc etiam S. Congr. Conc. declaravit Epiſcopum non
poſſe diſpenſare cum ſibi ſubdito vero bigamo ad primam
tonſuram, & beneficia ſimplicia, cum hoc adverſetur ge-
nerali Conc. Lugdunenſi, ut *in c. unico*, *de bigam. lib.* 6. &
tamen nec illa Conſtitutio emanavit à Concilio immedia-
tè, ſed edita fuit in Concilio à Gregorio X. ut pariter con-
ſtat ex illius ſupraſcriptione.

An autem magna ex cauſa Epiſcopi poſſint diſpenſare
contra generale Concilium, non eſt præſentis indaginis,
ſed dixi *in cap. fin. numer.* 3. *&* 11. *uſque in fin. ſupra de fil.
presbyt.*

24 Ad tertium reſpondetur, imò pręſentiam Romani Pon-
tificis in Concilio nullo modo minuere omnimodam li-
bertatem, quam Epiſcopi habent proferendi ſententiam;
& ex actis Conciliorum conſtat etiam eo præſente articu-
los fuiſſe ſumma cum maturitate, & deliberatione diſcuſ-
ſos; & Epiſcopos quotieſcumque oportuit, aut libuit, libe-
rè contradixiſſe. Et in ſpecie refert Jo. And. *in c. Inter cæte-
ra*, *n.* 13. *de off. ordin.* ſe pluries clamaſſe in tantum, quòd
factus fuit ſermo in Concilio Viennenſi, ut Curia Roma-
na reciperet vigeſimam redituum Clericorum totius or-
bis ad ſuſtentationem Papæ, & Cardinalium; & nihil exi-
gi, vel recipi poſſet pro ſervitiis Prælatorum, quos promo-
vet, exceptis taxatis ſalariis laborantium, puta ſcripto-
rum, & ſimilium; & tunc provideret Legatis, & Nunciis,
quos mittit de predicta quota, & abſtineret ab exactione
fructuum primi anni exactionibus decimarum, & ſimili-
bus, quæ tunc pullulabant: ſed prælati exiſtentes in Con-
cilio deliberaverunt non facere. Et ſubjicit rationem, quæ
multum adſtruit libertatem Patrum in Concilio, quam ta-
men conſultò omittimus. Dictum Jo. Andr. refert, &
valdè exaggerat Card. *ibi circa med.* Abb. *n.* 3. & Bellam. *ad
fin.* In Concilio item Florentino, in quo præſedit Eug. IV.
apparentes Græcorum contradictiones; & tamen inter
cætera agebatur de articulo, quo nihil magis intererat Eu-
genii. Nam ex erroribus Græcorum unus erat præcipuus,
quòd Eccleſia Orientalis, & Conſtantinopolitana non eſ-
ſet ſub Eccleſia Romana, nec Patriarcha Conſtantinopo-
litanus eſſet inferior Romano Pontifice; & idipſum con-
ſtat ex hiſtoria, & Actis Conc. Conſtantienſis, in quo præ-
ſedit Martinus V. & in Concilio Lateranenſi noviſſimo in
præcipuo articulo abrogationis pragmaticæ ſanctionis,
quam Leo X. meritò urgebat, eo quòd Romani Pontificis
libertati, & authoritati enormiter detraheret, non defuit,
qui contradiceret, ut patet *ſeſſ.* 11. *tom.* 9. *Conc. pag.* 154.
col. 1. *litt. F.* Quæ multò magis vendicant ſibi locum ſtan-
te antiqua, licèt irrationabili, & erronea altercatione de
Primatu, & Superioritate inter Papam, & Concil. circa
quam Platina in vita Jo. XXIII. relatus à Felin. *in c. Non-
nulli n.* 3. *ver. Sed pro majoritate Papæ*, *de reſcript.* dicit
fuiſſe deciſum in Conc. Conſtantienſi, Concilium genera-
le legitimè congregatum habere ſtatim poteſtatem à Chri-
ſto; quo fundamento conceſſo; aſſerebant Summum Pon-
tificem eidem ſubjici. Quamvis hoc decretum nullum, at-
que irritum fuerit ex defectu poteſtatis, ut dixi *in c. Signi-
ficaſti ſup. de elect.* ubi etiam retuli deciſionem, cujus me-
minit Platina, & Felin. *loc. cit.*

Nec refert, quòd in varietate opinionum prævaleat ſen- 25
tentia Romani Pontificis. Nam ſi Pontifex decernat con-
tradicente Conc. decretum illud erit quidem validum, ut
patet ex dictis *n.* 1. ſed non erit Conciliare, & ideò non
erit opus illi ſpecialiter derogare in contrariis privilegiis,
& litteris gratię, ſecundum ea, quæ dicta ſunt ſupra in pri-
mo argumento contrario, *num.* 1. Quòd ſi Conc. tandem
conſentiat Pontifici, jam conſtitutio erit quidem Concilia-
liaris, ſed potiùs edita cum majori deliberatione propter
conflictum opinionum, arg. *l. fin.* §. *mixta*, *ff. de muner. &
honor.* & Extrav. *Quia nonnumquam*, Jo. XXII. *verſ. Nos
autem attendentes*, *de verb. ſignif.* cum concord. de quibus
ibi per gloſſ. *in verb. Aperitur*, *& in verb. Diſputare*; &
conſequenter illi multò magis erit derogandum, quàm ſi
à Concilio tantùm edita fuiſſet.

Ad ultimum reſpondetur clauſulam derogatoriam *in d.* 26
c. Nonnulli de reſcript. fuiſſe appoſitam ad abundantiorem
cautelam: non enim eſt novum in jure, ut aliquando ex-
primantur, ea, quę tacitè inſunt, ad majorem declaratio-
nem, ut eſt text. *in c. Quamquam* 23. *diſt.* & notat Cald.
conſ. 221. *n.* 2. *verſ. Ad idem facit*, *alias* 1. *de Cler. non re-
ſid.* Ideòque inculcatio verborum admittitur etiam ſuper-
flua ad tollendam ſophiſticam malignorum interpretatio-
nem, ſecundùm Jaſ. *in l. Eum*, §. *Te & Titium n.* 4. *verſ.* 27
Sed adverte, *ff. de verb. oblig.* Præſertim verò, quia quam-
vis opinio illa, quòd Concilia generalia tacitè habeant
clauſulam derogatoriam ad ſequentes contrarias diſpoſi-
tiones, in ſe vera ſit, & ferè ab omnibus recepta; tamen in
contrarium videtur ſtare authoritas Innoc. *in d. c. pen. in
eodem*, ejuſque ſententiam veriorem putat Felin. *in d. c.
Nonnulli ſub n.* 3. *verſ. Sed non videtur verum de reſcr.* Un-
de inutilis non fuit expreſſio illius clauſulæ ad evitandas
DD. controverſias. Et propterea ex ſtylo in privilegiis,
& reſcriptis pręclictę Conſtitutionis de duabus dicetis
ſemper conſuevit ſpecialiter derogari. Poſt hęc reperi Do-
minos de Rota in cauſa Ulixbonen. Decimar. 5. Novem.
1574. coram Robuſterio diſputaſſe ex profeſſo hunc arti-
culum, an Conſtitutio *c. Nuper de decim.* edita ab Innoc.
II. in generali Concilio dicatur Papalis, vel Conciliaris ad
effectum, ut requiratur derogatio; & re maturè diſcuſſa
reſolviſſe dominos eſſe Conciliarem ad effectum prædi-
ctum, & moti fuerunt ferè ex fundamentis, quæ ſuperiùs
tetigimus, ut videre eſt *dec.* 123. *p.* 1. *diverſ.*

DE JUREPATRONATUS.

Ex Concilio Mediolanenſi.

CAPUT I.

PErlatum eſt: & infrà. Nobis viſum eſt, quòd Eccleſia inter hæredes patroni dividi non debeat. Et ſi ſimultates inter eos ſurrexerint propter quas ſacerdos ſuo ibi officio canonicè fungi non poſſit: ſi aliter provideri non poterit, præcipiatur ab Epiſcopo, ut nullo modo ibi Miſſarum ſolemnia celebrentur, donec ad concordiam redeant, & Eccleſia ſacerdotem canonicè habeat, qui liberè ſuum Miniſterium valeat exercere.

SUMMARIUM.

1 *OB patronorum diſcordiam ceſſat Eccleſia à Divinis, tolluntur inde reliquiæ, & oſtia clauduntur.*

2 *Jus patronatus inter hæredes dividi non poteſt.*
Declaratur, ut n. 3. & ſeqq.

3 *Patroni inter ſe convenire non poſſunt, unus habeat patronatum in una parte Eccleſiæ, alius in alia.*

4 *Nec fructus, & poſſeſſiones Eccleſiæ poſſunt inter ſe dividere.*

5 *Poſſunt tamen inter ſe paſciſci de Rectore alternis vicibus præſentando.*

6 *Etiam ſine conſenſu Epiſcopi.*

7 *Item ſi habeant plures patronatus convenire poſſunt, ut unus præſentet in una Eccleſia, & alius in alia.*

8 *Jus patronatus eſt individuum, & eſt inſolidum penes unumquemque hæredem.*

9 *Etiamſi ex diverſis, & inæqualibus partibus ſint hæredes.*

10 *Incorporalia dividi non poſſunt.*

11 *Jus patronatus alicubi ex conſuetudine dividitur per uncias.*

12 *Jus patronatus eſt tranſitorium etiam ad extraneos hæredes.*

13 *Non tantùm maſculos, ſed etiam fœminas.*

14 *Licèt fuerit inſtitutum per modum majoratus.*

15 *Jus patronatus gentilitium an extincta familia tranſeat ad extraneos hæredes, & n. ſeqq. uſque in fin.*

16 *Jus patronatus conceſſum filiis videtur denegatum extraneis hanc qualitatem non habentibus,*
Contrarium, n. 19.
Declaratur, n. 23. & 26.

17 *Relictum filiis maſculis, in eorum defectum non tranſit ad fœminas, ſed Eccleſia remanet libera.*
Contrarium, n. 19.
Declaratur, n. 23. & 26.

18 *Conceſſum univerſitati non poteſt transferri in eos, qui ſunt extra univerſitatem, & n. 27.*

19 *Proviſio hominis regulariter non tollit proviſionem juris communis in eodem caſu.*

20 *Caſus omiſſus in fideicommiſſo relinquitur diſpoſitioni juris communis.*

21 *Proviſio legis quotieſcumque facta eſt in defectum proviſionis hominis, tunc ſilet lex, ubi loquitur homo.*

22 *Proviſio hominis non facit ceſſare proviſionem legis etiam ſpecialis, & extraordinaria, quando concurrunt circa diverſa.*

23 *Juspatronatus reſervatum illis de familia taxativè, ad extraneos hæredes non tranſit.*

24 *Patronus in fundatione Eccleſiæ poteſt remittere jus patronatus in totum, aut pro parte, prout ei libuerit.*

25 *Jus patronatus conceſſum illis de familia ſine taxatione, in eorum defectum tranſit ad hæredes extraneos, non ex proviſione hominis, ſed ex proviſione legis.*

P*Erlatum*. Propter diſcordiam patronorum ceſſat Eccleſia à Divinis, tolluntur inde reliquiæ, & oſtia clauduntur. Hoc dicit cum *c. ſeq.* ſecundum Joan. Andr. Butr. Card. Anch. & Imol. Sed per ſe ſic ſummari poteſt: Jus patronatus eſt individuum inter hæredes patroni; & ſi ob eorum ſimultates Rector Eccleſiæ non poſſit ſuo officio fungi, & aliter Eccleſiæ provideri nequeat, ceſſandum eſt à divinis, donec patroni ad concordiam redeant. Dividitur, ut per Jo. Andr. & de intellectu hujus capituli Patronis diſcordantibus vide plenam gl. *in c. Si plures in verb. Auferri* 16. *q.* 7. 1

Nota primò ex principio text. jus patronatus inter hæredes dividi non poſſe. Quod tripliciter poteſt intelligi ſecundùm Jo. Andr. *hic n.* 2. Butr. *n.* 5. & Abb. *n.* 6. Primò ſcilicet, ut patroni inter ſe convenire non poſſint, ut unus habeat patronatum in una parte Eccleſiæ, alius in alia: & hunc intellectum poſuit Vinc. & magis conſonat antiquæ, quæ ſic ſe habet: [Relatum eſt ad S. Synodum, quòd inter hæredes etiam Eccleſiæ in rebus propriis conſtitutæ dividantur, & tanta per eamdem diviſionem ſimultas oriatur, ut de altari tres partes, fiant, & ſingulæ partes ſingulos habeant Presbyteros; quod ſine diſcordia, & ſimultate nullo modo fieri poteſt; unde nobis viſum eſt, quòd hujuſmodi Eccleſiæ inter hæredes dividi non debeant.] Refertur ab Ant. Aug. *in* 1. *Collect. decret. lib.* 3. *tit.* 33. *c.* 1. Secundò poteſt intelligi, ut fructus, & poſſeſſiones Eccleſiæ nequeant patroni inter ſe dividere: & hic intellectus fuit Petr. de Sampſ. & Abb. Antiq. Tertiò intelligi poteſt, ut ipſummet jus patronatus dividi non poſſit inter hæredes, potuit intellexit Hoſt. & quilibet intellectus eſt in ſe bonus, ſecundùm Abb. *d. n.* 6 2 3 4

Ceterùm hoc intelligas quoad ſubſtantiam juriſpatronatus, non autem quoad ejus pertinentias: nam patroni benè poſſunt inter ſe paſciſci de Rectore ab eis alternis vicibus præſentando, arg. *l. Quoties, ff. de uſufr. & l. Via, in fin. de ſervit.* & hic tenent gloſ. 1. Tancr. Vinc. Philipp. & Goffred. Licèt Innoc. in hoc vacillaverit: aliquando enim abſolutè improbavit hujuſmodi conventionem in juribus Eccleſiæ, ut *hic n.* 1. *verſ. Hoc tamen nobis non placet*: aliàs verò exiſtimavit patronos poſſe ſic convenire de conſenſu tamen Diœceſani, & non aliàs, *ut in c. Querimoniam poſt princ. in verb. Et viciſſitudines, inf. eod.* Sed hodie prima opinio gloſſæ eſt approbata: & utraque opinio Innoc. reprobata in Clem. 2. *verſ. Et ut facilius, de jurepatr.* & ibi notat gl. *in ver. Et ut*. 5 6

Quòd ſi patroni habeant plures patronatus, eodem modo poſſunt adinvicem convenire, ut unus præſentet in una Eccleſia, & alius in alia, ut ſic quemadmodum permittitur diviſio ratione temporis in præſentando alternis vicibus, ita, & ratione loci, ſecundum Ant. de Butr. hìc *n.* 5. & Abb. *n.* 6. *verſ. Et ſi habent*. 7

At verò ipſum jus patronatus eſt individuum, ut hìc patet, & eſt inſolidum penes unumquemque heredum: & hoc ideò eſt, quia cùm ſit res ſimplex, & indiviſibilis pervenit ad quemlibet heredem inſolidum, etiamſi ex diverſis, & inæqualiqus partibus ſint heredes, arg. *l. Via, ff. de ſervit. l. Si ſepulchrum, C. de relig. & ſumpt. funer. l.* 1. *§. Si uſufructus, ff. ad l. Falcid. & l. Uſus, ff. de uſu, & habit.* 8 9

Incorporalia enim dividi non poſſunt, *c. Nibil*, 7. *q.* 1. & ita hic firmant gloſſ. 1. Innoc. *num.* 1. Hoſt. *in princ. & n.* 1. & Abb. *num.* 6. dicens hanc opinionem tenere communiter Doctores. 10

Goffre-

11 Goffredus tamen refert in quibuſdam locis, ſicut Neapoli jus patronatus dividi per uncias; & aſſerit illam conſuetudinem poſſe excuſari, quaſi ejuſmodi diviſiones non fiant reſpectu juriſpatronatus, ſed reſpectu patronorum, ſecundum quos hæredes ſucceſſerunt patrono uni, vel pluribus; & non reſpectu portionum, quas contulerunt Eccleſiam conſtruendo, vel dotando: & poteſt eſſe aliqua utilitas harum diviſionum, ut Eccleſia in alendo, & in honoribus magis teneatur ei, à quo plus recepit: ſed actus præſentandi communis erit omnibus; & cum his dictis Goffred. tranſit hìc ſimpliciter Jo. Andr. *n.*10.

12 Secundò, nota ibi, *Inter hæredes patroni*, Jus patronatus eſſe tranſitorium ad quoſcumque hæredes, & ſic etiam ad extraneos, cùm hæc littera de hæredibus indiſtinctè loquatur, Abb. hìc *n.*2. gloſſ. unic. *in cap. Conſiderandum* 16. *q.*7. Cardin. *in Clem. fin. in* 6. *q.* & ibi etiam Anchar. *n.*7. & Imol. *n.*15. *de jurepatr.* Aretinus *in c. Significavit*, *col.*3. *de teſtib.* Covar. alios referens *var. reſol. lib.*2. *c.*18. *n.*6. Card. Seraph. *dec.*364. *n.*3.

13 Quinimò non tantùm tranſit in hæredes maſculos, ſed etiam in fœminas. Jura enim in hac materia juriſpatronatus inter maſculum, & fœminam non diſtinguunt, Imola poſt Paulum de Leazer. *in d. Clem. fin n.*15. *verſ. Idem dicit Paulus*, Abb. hìc *n.*3. *& conſ.*54. *Videtur primò*, *n.*4. *verſ. Nec eſt diſtinguendum lib.*1. Roch. de Curt. *in tract. de jurepatr. in verb. Competens*, *n.*1. *& in verb. Ipſe velis q.*6. Lambert. *in eod. tract.* 2. *part. lib.*1. *in ſecunda quæſtione princ. art.*14. Facit *c. fin. ſup. de conceſſ. præb. & c. Ex litteris infra eod.* Etiamſi
14 jus patronatus fuerit inſtitutum per modum majoratus, ita ut deveniat ad unum tantum, ſcilicet majorem natu, ſeu primogenitum: nam nihilominùs ſuccedunt fœminæ, niſi expreſsè ſint excluſæ, Covar. *pract. quæſt. cap.*38. *n.*13. Molin. *de Hiſpan. primog. lib.*1. *cap.*1. *n.*26. *&* 27. *& lib.*3. *c.*6. *n.*41. *& cap.*7. *n.*19. Nicol. Garz. *de benef. par.*5. *c.*9. *n.*145.

15 QUÆRO, an juſpatronatus gentilitium, id eſt reſervatum illis de familia; & agnatione fundatoris, extincta agnatione ſit tranſitorium ad extraneos hæredes.

16 Ad partem negativam inducitur authoritas Baldi *conſ.*400. circa primum, *n.*1. *&* 2. *vol.*2. ubi conſuluit, jus patronatus conceſſum filiis poſt eorum obitum non tranſire ad extraneos hæredes, ea præcipuè motus ratione, quòd cùm jus patronatus fuerit à fundatore conceſſum filiis, videtur denegatum extraneis hanc qualitatem non habentibus, arg. *l. Cùm Prætor, ff. de judic.* & in authent. *de non alien.* §. *Emphyteuſim.* Et in iiſdem ferè terminis Gemin. *conſ.*45. *Deſcendo*
17 *per ordinem n.*70. *in* 3. *dubio*, reſpondit, jus patronatus relictum filiis maſculis, in eorum defectum non tranſire ad fœminas, ſed extingui, & Eccleſiam remanere liberam. Nempè quia expreſſio maſculorum cenſetur facta ad excluſionem fœminarum: ergo eodem modo expreſſio illorum de familia hoc caſu cenſetur facta ad excluſionem aliorum hanc qualitatem non habentium. Ad idem facit Card. *conſ.*48. *Quidam nobiles n.*1. & Rocch. de Curt. *in tract. de jurepatr. in verb. Ipſe velis q.*33. *in fin.*

18 Et confirmatur exemplo juriſpatronatus conceſſi univerſitati, quod non poteſt transferri in eos qui ſunt extra univerſitatem, Lambertin. *in tract. hujus titul. part.*1. *lib.*1. *in* 2. *q. princip. art.*9. *n.*12.

19 Ad contarium ſic arguitur: Proviſio hominis regulariter non tollit proviſionem juris communis in eodem caſu, *l. Si cum dotem in princ.* & ibi Bart. *col.*1. *in fin. ff. ſol. matr. l. Extraneus*, *ff. de condict. ob cauſ. l.*4. §. *Si ex conjunctione*, ibi: Cùm acceſſerit aliquid rei judicatæ, non videtur à re judicata receſſum, *ff. de re judic.* Jo Andr. *in addit. ad Specul. in tit. de locat.* §. *Nunc aliqua*, *verſ.*35. cum aliis allegatis per Ant. Gabr. *commun. concluſ. de reg. jur. concl.*8. *n.*4. Sed jus patronatus ex proviſione juris communis eſt tranſitorium ad extraneos hæredes, ut hic patet, & notat Jo Andr. *in c. Cùm ſæculum n.*6. *infr. eod.* & dictum eſt ſupra *in* 2. *notab. num.*12. Ergo proviſio hominis in reſervando jus patronatus illis de familia non tollit, quin illis deficientibus, ex proviſione legis ad extraneos hæredes tranſeat. Quo potiſſimùm fundamento pro hac parte plenè conſuluit Petr. de Anchar. *conſ.*81. *Prima facie videretur*, *per totum*, & ante eum Calderin. *conſ.*4. *Titius habens de jure patronatus*, ubi ſimiliter eſt caſus, & ſequuntur Rocch. de Curt. *in tract. hujus tit. in ver. Competens n.*2. *verſ. Et præmiſſam*, dicens ſe non reperiſse aliquem tenentem contrarium, Curt. Jun. *conſ.*257. *n.*2. *& conſ.*323. *n.*2. *lib.*3. Pariſ. *conſ.*48. *n.*11. *&* 21. *lib.*4. Dec *conſ.*149. *n.*2. Caſſad. *deciſ.*1. *n.*3. *de jurepatr.* & hanc opinionem Ancharani eſſe communem, & veram magiſtraliter deducunt DD. de Rota coram Robuſterio *in cauſa Cremonen. juriſpatronatus*, *deciſ.*385. *per tot. p.*1. *diverſ.*

Facit etiam pro hac parte, quòd quando in fideicommiſſo 20
aliquis caſus eſt omiſſus, relinquitur depoſitioni juris communis, *l. Commodiſſimè*, *ff. de liber. & poſthum. & d. l. Si cum dotem*, *ff. ſolut. matrim.* ſed caſus deficientis familiæ fuit à teſtatore omiſſus: ergo juris communis diſpoſitioni eſt relinquendus, quo cautum eſt, ut jus patronatus tranſeat ad extraneos hæredes. Sic enim proviſio hominis convenit cum proviſione legis, & utraque ſervatur in ſuo caſu, videlicet proviſio hominis, quamdiù ſuperſtes erit aliquis de
familia; proviſio autem legis, ubi familia defecerit. Quotieſ- 21
cumque autem proviſio legis facta eſt in defectum proviſionis hominis, tunc fit lex, ubi loquitur homo: ſed ubi ex diverſo fonte & nova radice, procedit lex, ut formaliter
inquit Bald. *in l. Certi juris num.*1. .... *C. Locati*: nec proviſio 22
hominis facit ceſſare proviſionem legis etiam ſpecialis, & extraordinariæ, quando concurrunt circa diverſa, Bart. *in d. l. Si cum dotem*, *& in l. Si conſtante*, *ff. ſolut. matr.* Rota *d. deciſ.*385. *n.*5.

Pro ſolutione videtur ſic diſtinguendum: Aut fundator 23
voluit jus patronatus eſſe illorum de familia taxativè, ita ut ad eos tantùm pertineat, non autem ad eorum hæredes: & tunc jus patronatus ad hæredes extraneos minimè tranſit, ſed extinctum remanet extincta agnatione, & Eccleſia fit libera; & in hoc caſu loquuntur Card. & Rocch. initio quæ-
ſtionis allegati, prout eos declarat Pariſ. *conſ.*48. *n.*6. *lib.*4 Po- 24
teſt enim patronus in fundatione Eccleſiæ remittere jus Patronatus in totum, vel pro parte, & limitativè illud inducere in præjudicium deſcendentium, vel extraneorum hæredum, prout ei libuerit, *c. Significavit de teſtib. cap.*1. *de jurepatr. lib.*6. ubi Archidiac. & alii.

Aut jus patronatus fuit conceſſum illis de familia ſimplici- 25
ter, ac ſine ulla taxatione: & hoc caſu tranſit etiam ad extraneos hæredes, non ex proviſione hominis, ſed ex proviſione legis, cui proviſio hominis non adverſatur; & procedunt rationes adductæ pro ſecunda opinione, quidquid in oppoſitum tenuerint Bald. & Gemin. initio citati, qui loquuntur contra communem.

Ex quibus patet etiam reſponſio ad objecta: ſed nihilomi- 26
nùs ſingillatim reſpondendo, non obſtat, quòd jus patronatus fuerit reſervatum illis de familia, quoniam verba illa ſtant demonſtrativè ſecundùm Calder. & Anchar. *loc. cit.* & quatenus taxationem aliquam importarent, illa tamen intelligitur durante familia, non autem ea deficiente, ut ex dictis conſtat.

Rurſus non obſtat ſimile de jurepatronatus univerſitatis: 27
quia ſimilitudo in hoc conſiſtit, quòd quamdiù ſuperſunt aliqui de familia, non admittuntur extranei: ſed familia extincta, caſus à fundatore omiſſus regulari debet juxta juris diſpoſitionem; & in hoc non procedit ſimile univerſitatis, ſeu Collegii, quorum non datur hæres, vel ſucceſſor, ſicut datur ultimo de familia.

Et ita in terminis reſolvit Rot. *in d. cauſa Cremonen. juriſpatr. die* 6 *Junii* 1578. coram Card. Seraph. ut in ejus impreſſis *dec.*364. quæ poſteà fuit confirmata ſub die 21. Novemb. ejuſdem anni, *ut dec.*378. & concordant allegatæ *dec. Robuſterii* 385. *par.* 1. *diverſ.* & Caſſad. *dec.*1. *n.* 3. *de jurepatr.* & hæc eſt veritas.

DE JUREPATRONATUS.

Ex Concilio Lateranenſi.

CAPUT III.

QUoniam in quibuſdam locis fundatores Eccleſiarum, aut hæredes eorum, poteſtate, in qua eos Eccleſia hucuſque ſuſtinuit, abutuntur; & cùm una Eccleſia unius debeat eſſe rectoris, pro ſua defenſione plurimos repræſentant: Præſenti decreto ſtatuimus, ut ſi fortè in plures partes fundatorum ſe vota diviſerint, ille præficiatur Eccleſiæ, qui majoribus juvatur meritis, & plurimorum eligitur, & approbatur aſſenſu. Si autem hoc ſine ſcandalo eſſe nequiverit, ordinet Antiſtes Eccleſiam, ſicut meliùs eam ſecundùm Deum viderit ordinandam. Et idipſum etiam faciat, ſi de jurepatronatus quæſtio emerſerit inter aliquos, & cui competat, infra quatuor menſes non fuerit diffinitum.

SUMMARIUM.

1 *PAtronis diſcordantibus præficiendus eſt præſentatus, qui plures habet voces.*

2 *Juspatronatus ex fundatione acquiritur: quòd ſi plures ſint fundatores, omnes efficiuntur patroni.*

3 *Juspatronatus eſt tranſmiſſibile ad quoſcumque hæredes.*

4 *Ex fundatione, vel dotatione non acquiritur mero jure, ſed ex gratia, & conceſſione Eccleſiæ.*

5 *Eccleſiæ etiam per laicos fundatæ cum dotibus ſuis olim ad ordinationem pertinebant Epiſcoporum.*

9 *Jurispatronatus origo, & prærogativæ, & n.31.*

7 *Patroni quidquid juris habent in Eccleſia, totum ex gratia procedit, & de ſpeciali gratia tolleratur.*

9 *Laicus circumſcripta diſpenſatione Eccleſiæ, non eſt capax jurispatronatus, quod eſt ſpirituali annexum.*

9 *Papa ſi velit, poteſt liberè diſponere de beneficiis patronatus laicorum etiam invitis patronis,*

10 *Sed non expedit, ut ſic diſponat, ne laici à fundationibus retrahantur.*

11 *Papa non cenſetur velle patronatui laicorum derogare, niſi hoc exprimat.*

12 *Jurispatronatus conceſſio poſteàquam redacta eſt in corpore juris, non dicitur gratia, ſed juſtitia.*

13 *Præſentatio facta à majori parte patronorum, etiam reſpectu minoris valida eſt, licèt non ſit facta à majori parte omnium.*

14 *Patronus unus ex duobus poteſt alterum præſentare, licèt ex duobus eligentibus unus non poſſit alium eligere.*

15 *Præſentatus à pluribus in diſcordia patronorum præferendus eſt, ſi ſit idoneus, licèt alius præſentatus ſit dignior.*

16 *Jus conferendi Eccleſiam liberè ad Epiſcopum devolvitur, ſi quæſtio ſuper patronatu laicali infra quadrimeſtre, aut Eccleſiaſtico infra ſemeſtre non fuerit terminata.*

17 *Sive quæſtio ſit ſuper quaſi poſſeſſione præſentandi, ſive ſuper proprietate.*

18 *Quod procedit, ſi quæſtio inter compatronos vertatur; ſecus ſi inter Epiſcopum, & patronum, quia tunc Oeconomus deputabitur.*

19 *Item ſecus ſi lis vertatur inter ipſos præſentatos, aut inter patronos, & præſentatos.*

20 *Item ſecus ſi quæſtio ſit ſuper indoneitate præſentati, aut patroni concordare non poſſint in perſona præſentanda.*

21 *Eligendi poteſtas ad Superiorem non devolvitur, licèt quæſtio ſuper jure eligendi infra tempus ad eligendum præfixum non fuerit diffinita.*

22 *Jus præſentandi in multis differt à jure eligendi.*

23 *Juspatronatus an acquiratur ex ſola fundatione, an verò etiam requiratur conſtructio, & dotatio Eccleſiæ, & n. ſeq. uſque ad n.50.*

24 *Fundare quid ſit.*

25 *Conſtructionis nomine includitur etiam fundatio.*

26 *Fundans non efficitur patronus, ſi nemo alius Eccleſiam conſtruat, & dotet; nec conſtruens, ſi nemo alius dotem aſſignet; nec dotans, ſi nullus Eccleſiam fundet, & conſtruat, contra Lambertinum, & n. ſeqq. uſque ad n.49.*

27 *Dos modica non efficit quem patronum.*

28 *Juspatronatus ex tribus cauſis acquiritur. Declaratur, n.49.*

29 *Patronus efficitur qui Eccleſiã de non eſſe deducit ad eſſe. Declaratur, n.46.*

30 *Eccleſia, vel Baſilica appellari non poteſt, niſi in conſtructione ſit eò uſque proceſſum, ut poſſint ibi divina officia celebrari.*

31 *Juspatronatus quid ſit.*

32 *Juspatronatus amittitur, ſi Eccleſia funditùs deſtruatur, & n.56. & 58.*

33 *Retentio faciliùs datur, quàm nova acquiſitio.*

34 *Eccleſia ædificari non debet, niſi prius aſſignenter quæ neceſſaria ſunt pro luminaribus, pro cuſtodia, & pro ſtipendiis miniſtrorum.*

35 *Et de facto conſtructa ſine dotis aſſignatione conſecrari non debet, niſi prius fundator illam dotet.*

36 *Conſecrans Eccleſiam indotatam tenetur eam competenter dotare.*

37 *Et in defectum Epiſcopi conſecrantis tenetur fundator.*

38 *Fundator, qui compulſus Eccleſiam dotat, an ex fundatione efficiatur patronus.*

39 *Commodum non debet quis conſequi ex eo, quod facit invitus.*

40 *Dotans Eccleſiam priùs fundatam, & conſtructam de conſenſu Diœceſani, juspatronatus acquirit.*
Et fingitur ab initio eam dotaſſe, n.48.

41 *Juspatronatus eſt individuum, & ſemel quæſitum ex una cauſa, non poteſt ex alia cauſa acquiri.*

42 *Meum ex una cauſa, ex alia meum fieri non poteſt, niſi deſinat eſſe meum.*

43 *Ex præſentatione ſecunda non poteſt alicui jus competere, ſi competat ex prima.*

44 *Matrimonium carnale vel ſpirituale conſtare non poteſt ex conſenſibus iteratis.*

45 *Juspatronatus quomodo intelligatur acquiri ex tribus cauſis alternativè, & n.49.*

47 *Eccleſiæ ſine ſubſtantia rerum deſerviri non poteſt.*

48 *Dotis conſtitutio de Diœceſani conſenſu retrotrahitur ad tempus fundationis, & conſtructionis Eccleſiæ.*

49 *Juspatronatus acquiritur, ſi unus det fundum, alius Eccleſiam conſtruat, & alius aſſignet dotem, & omnes in ſolidum efficiuntur patroni.*

50 *Juspatronatus an acquiratur ex reædificatione, ſeu refectione Eccleſiæ, & n. ſeqq. uſque ad n.61.*
Quid ſi Eccleſia non ſit funditùs deſtructa, n.52.
Et quid ſi à fundamentis ſit diruta, ita ut egeat nova conſecratione.
Et quid ſi reædificetur ex iiſdem cæmentis, n.58.

51 *Servitutem non recipit, quod humani juris eſſe deſiit.*

53 *Reædificans Eccleſiam funditùs dirutam ſine Diœceſani conſenſu non efficitur patronus.*

54 *Eccleſiam conſtructam reædificare favorabilius eſt; quàm de novo conſtruere.*

55 *Eccleſia per totalem deſtructionem remanet execrata.*

56 *Juspatronatus per totalem deſtructionem Eccleſiæ radicitùs amittitur, & n.58.*

57 *Pa-*

57 *Patronus antiquus requirendus eſt, & præferendus extraneo in reædificatione Eccleſiæ dirutæ.*

58 *Obligatio ſemel extincta in perpetuum non reviviſcit.*

59 *Juspatronatus Eccleſiæ, quæ dotem, vel fundum amiſit, acquiritur ei, qui de novo dotat, aut fundat, non autem patrono antiquo.*

60 *Juspatronatus ſurgens ex dotatione, vel fundatione, non amittitur ex ſola deſtructione Eccleſiæ, eaque reædificata erunt tres patroni ex diverſis cauſis.*

61 *Gratificari an poſſit Epiſcopus alteri ex præſentatis in diſcordia, an verò teneatur inſtituere digniorem remiſſivè.*

62 *Concurſus an requiratur in Parochiali Eccleſia, quam Epiſcopus confert jure devoluto ob lapſum temporis patrono laico ad præſentandum præfixi remiſſivè.*

1 QUoniam. Si patroni diſcordant, ille præficietur, ſi ſit
idoneus, qui plurium patronorum voces habet, ſi
hoc ſine ſcandalo eſſe non poteſt; vel ſi patroni intra tempus debitum non præſentant, Epiſcopus ordinabit Eccleſiam. Hoc dicit. Et dividitur in duas partes. In prima ponit abuſum patronorum, qui fuit Conſtitutionis cauſa. In ſecunda conſtitutionem, ibi, *Præſenti*, & hæc ſecunda ſubdividitur in tres, prout ſunt tria dicta. Secunda, ibi, *Si autem*. Tertia, ibi, *Et idipſum*.

2 Nota primò, ibi, *Fundatores*, Juspatronatus acquiri ex
fundatione Eccleſiæ, ut hìc, *& in c. Filiis 16. q. 7. in c. Conſuluit, & in cap. Nobis, infra eod.* Quòd ſi plures ſint fundatores, omnes efficiuntur patroni, *ut notatur in c. 1. ſupra eod.* & per Butr. hìc *n. 2.* Sed hoc fuſiùs explicabitur infra in prima quæſtione.

3 Secundò nota, ibi, *Aut hæredes eorum*, Juspatronatus
eſſe tranſmiſſibile ad quoſcumque hæredes, & ſic jure hæreditario deferri, concordat textus *in cap. 1. ſupra eod.* & in Clem. 2. *eod. tit.* & tenet gloſſ. *in cap. Conſiderandum, in verb. cohæredes 16. q. 7.* Feder. de Sen. *conſ. 111. Quæſtio talis eſt num. 9. verſ. Sed contra videtur*, dicens ita communiter notari per omnes *in c. Cùm ſæculum infra eodem*, & in d. Clem. 2. Butr. hìc *n. 3.* De communi etiam teſtantur Cardinal. Abb. Aretin. & alii apud Covarr. *variar. reſol. lib. 2. cap. 18. n. 6.*

4 Tertiò nota, ibi, *Suſtinuit*, fundatoribus Eccleſiarum jus-
patronatus acquiri, non ex mero jure, ſed ex gratia, & permiſſione quadam, & tolerantia Eccleſiæ, ut hìc, *& in c. Si quis Epiſcoporum*, ibi, *Hæc gratia reſervetur, 16. q. 5.* & hìc notat Hoſt. *n. 5. in verb. Suſtinuit*, Jo. Andr. *n. 2.* Butr. *n. 4.* Abb. *in 1. notab.* & reliqui omnes.

5 Nam, ut inquit Gemin. *conſ. 45.* incipien. *Deſcendo per
ordinem, in princ.* laici de jure antiquo in Eccleſiis etiam per eos ædificatis, vel dotatis nullum jus habeant, ſed ſtatum Eccleſiæ ipſæ cum dotibus ſuis ad ordinationem pertinebant Epiſcoporum, *cap. Decretum, cap. Regenda, & cap. Noverint 10. quæſt. 1.* & notatur *in cap. Piæ mentis 16. q. 7.*

6 Verùm tempore ſuccedente conſtituit Eccleſiæ, ut ipſi pa-
troni haberent in Eccleſiis certa jura, videlicet jus defenſionis, *ut in cap. Filiis 16. q. 7.* de quo per Cardin. *conſ. 123. num. 5.* Item honorem proceſſionis, *ut in d. cap. Piæ mentis eadem cauſa, & quæſtione, & in cap. Nobis, infra eodem.* Item jus alimentationis, *ut d. cap. Nobis.* Item jus præſentandi, *ut cap. Decernimus 16. q. 7.* Et hæc laicis conceſſit Eccleſia, ut ad fundandas, & dotandas Eccleſias inducerentur, ut notat Hugo *in d. cap. Piæ mentis*, Goffred. *in c. Sacroſancta, de elect.* & gloſſ. ult. *in Clem. fin. poſt med. verſ.*
7 *Et fuit forte motivum, de reſcript.* Quamobrem quidquid
juris habent patroni in Eccleſia, totum ex gratia procedit, & de ſpeciali gratia toleratur. Hoc ipſum firmat idem Gemin. *conſ. 50. Quæritur an Epiſcopus in princ.* Petr. de Anchar. *conſ. 113. Jura quæ loquuntur in princip.* Bellam *conſ. 10. Factum eſt tale Joan. num. 10. in fin. verſ. Nec obſtat quòd fundator*, & Abb. *conſ. 59. Attingam, colum. 2. num. 3. verſ.*
8 *Item præſuppoſito, lib. 2.* Ratio, eſt quia cùm juspatronatus
ſit ſpirituale, vel ſpirituali annexum, *cap. Quanto de judic.* de juris rigore, & circumſcripta diſpenſatione, & privilegio Eccleſiæ, laicus ejuſmodi juris capax non eſt, *c. Decernimus, eod. tit.* & eſt ſimile *in c. Prohibemus, ſupra de Decim. & in c. Cùm Apoſtolica de his quæ fiunt à Præl.* Quam rationem adducunt hìc Hoſtien. Joan. Andr. & alii ſupra citati, *n. 4.* & Abb. *d. conſ. 59. eodem num. & verſ. Et in ſua q. 5.* in-
cipien. *Augerio col. 5. num. 3. & ſeq. verſ. Ego autem.* Cùm 9
igitur juspatronatus quot laici in Eccleſiis habent, gratioſum ſit, eoſque Eccleſia in tali poteſtate ex gratia ſuſtineat, ut hìc dicitur: hinc inferunt Hoſtien. Joan. Andr. & Abb. ut Papa ſi velit, poſſit liberè conferre beneficia jurispatronatus laicorum, etiam invitis patronis, ut notatur *in cap. Cum dilectus, in gloſſ. in verb. Præſentare infra eod. & in cap. Dilectus de offic. leg. in gloſſ. in verb. Conceſſione*, quæ dicit hanc poteſtatem ſoli principi competere, non autem legato, & in Clem. 2. in gloſſ. *in verb. Apoſtolicis, de præbend.* & per Archid. *in cap. Filiis 16. qu. 7. & in cap. Hortamur 81. diſt.*
Non tamen expedit, ut Papa liberè diſponat de Eccleſiis ju- 10
rispatronatus, ne laici à fundationibus retrahantur, ſecun-
dùm Hoſtien. hìc *n. 5.* & Joan. Andr. *n. 2.* Unde fit, ut quam- 11
vis poſſit, non tamen cenſeatur velle patronatui laicorum derogare, niſi hoc exprimat, ſecundùm gloſſ. prælleg. in d. Clem. 2. Gemin. *conſ. 38. Pro clariori, n. 13. verſ. Ex iis ergo patet*, & Felin. *in tract. Quando litter. Apoſtol. præjudic. patron. in princ.* Quinimò Hoſtien. *in d. cap. Dilectus ſub n. 5. de offic. legati*, teſtatur ſe vidiſſe litteras per Papam ſcriptas Prælatis Angliæ continentes hanc ſuam proteſtationem quòd quando ſcribit pro aliquo beneficiando, non eſt intentionis ſuæ, ut conferatur ei Eccleſia aliqua, in qua laicus obtineat juspatronatus. Unde, ut inquit Lap. *alleg. 96.* incipien. *Beneficia vacantia n. 3. verſ. Nec obſta*... non diſputatur hìc de potentia Papæ, quia planum eſt quòd poteſt, ſi vult; ſed diſputatur de ejus intentione, an velle præſumatur hoc non expreſſo; & dicitur non præſumi propter rationes prædictas; & nimiam cupiditatem in collatione oſtenderent Prælati Eccleſiaſtici, ſi ſuo jure laicos privarent, potiſſimè cùm reſervato jure laicorum plus habeant in confirmatione, & inſtitutione quam laici in præſentatione. Hæc Lapus. Et adde
Feder. de Sen. *conſ. 234. Super primo puncto n. 3. verſ. Non ob-* 12
ſtat 16. q. 5. ubi ait, habendo reſpectu ad jura antiquiſſima, nempè *ad c. Decretum, & c. Noverint 10. q. 1.* conceſſionem jurispatronatus fuiſſe gratioſam; ſed hodie cùm per jura nova fuerit redacta in corpore juris, amodò non dici gratiam, ſed juſtitiam, ſeu jus commune.

Quartò nota, ibi, *Et plurimorum approbatur aſſenſu*, præ- 13
ſentationem factam à majori parte patronorum, etiam reſpectu minoris validam eſſe, licèt non ſit facta à majori parte omnium, ut quia decem erant patroni, & quinque præſentarunt Cajum, tres Titium, & duo Sempronium; præfertur enim Cajus præſentatus à quinque: & ita intrepidè eſſe tenendum per hanc decretalem, dicunt Jo. Andr. *n. 3.* & Card. *in 6. q. n. 9.* poſt Vincent. & Bernard. Compoſtellan. qui hoc notant *in c. Eccleſia il primo, ſupra de elect.* Rota *dec. 568. n. 2.* apud Farinac. *part. 1. recent.* Nec obſtat text. *in d. c. Eccleſia*, quia loquitur in electione, quæ fit ab aliquibus, ut à Collegio, & propterea non ſufficit, ut quis eligatur à pluribus partium comparatione minorum, ſed requiritur major pars Collegii. Facit quod notatur *in c. Cùm omnes, ſu-*
pra de conſtitut. At ſecus eſt in præſentatione, ut hìc. Unde 14
infert Jo. Andr. *eod. n. 3.* ut ſi duo ſint patroni, unus poſſit alterum præſentare, licèt ex duobus eligentibus unus non poſſit alium eligere.

Quintò nota, ibi, *Qui majoribus juvatur meritis*, ad hoc 15
ut præſentatus in diſcordia patronorum ſit præferendus, duo videri neceſſaria, videlicet ut ſit dignior, & habeat plures voces; & ita videtur innuere hæc littera, & notant Abbas Antiq. *in princ.* & Butr. *in 4. notab.* Sed nihilominùs communiter tenetur ſufficere, ut præſentatus à pluribus ſit idoneus, licèt alius ſit dignior; atque ita ſufficit major pars, licèt illa non ſit ſanior; & fit comparatio numeri ad numerum, non autem zeli ad zelum, aut meriti ad meritum, ut hìc firmat gloſſa *in verb. Majoribus*, Hoſtien. *n. 5. in verb. Eligitur*, Roch. de Curte, *in tract. de jurepatron. in verb. Honorificum q. 15. & 58.* Lambert. *in eod. tr. lib. 2. q. 4. art. 2. & 3.* Et hanc partem hodie non obſcurè approbavit Conc. Trid. *in c. 18. ſeſſ. 24.* Nam etſi in parochialibus liberæ collationis, & jurispatronatus Eccleſiaſtici juſſerit digniorem eſſe eligendum: tamen in Eccleſiis jurispatronatus laicorum voluit ſatis eſſe, ut præſentatus ab examinatoribus Synodalibus examinetur, & idoneus repertus admittatur, ut ibi *in verſ. Quod ſi juspatronatus.*

Ultimò nota ex fine litteræ, jus ordinandi Eccleſiam ad 16
Epiſcopum devolvi, cùm quæſtio ſuper patronatu infra quadrimeſtre non fuit terminata, ſi juspatronatus ſit laicorum, ut hìc, *& in c. Cùm propter infra eod.* vel infra ſemeſtre, ſi ſit

17 Eccleſiaſticum, *ut in c. Eam te, infr.* Quod procedit, ſive quæſtio ſit ſuper quaſi poſſeſſione præſentandi, ut infra *in c. Conſultationibus:* ſive ſuper proprietate, nec aliquis ſit in poſſeſſione, ſecundum Innoc. *in verb. De jurepatr.*

Ex his collige unum, quod prima facie videtur mirabile ſecundum Abb. *in cap. Cùm propter in 1. notab. infra eodem,* ut ſcilicet non valenti preſentare propter impedimentum litis, currat tempus ad præſentandum contra juris regulas: nam tempora hujuſmodi non currunt niſi negligentibus, ut legitur, & notatur *in cap. Ne pro defectu, ſupra de elect. & in cap. de conceſſ. prabend.* negligens autem dici non poteſt is, qui agit, *l. Contra majores, C. de inoffic. teſtam.* Joan.
18 Andr. hic *n.7. verſ. Sed obſtat.* Unde hanc Conſtitutionem declarat primò, ut procedat, ſi quæſtio ſuper patronatu vertatur inter compatronos, & propter illorum diſcordiam non fuerit deciſa infra tempus à jure præfixum, in quibus terminis loquitur hæc decretalis. Secus ſi contentio ſit inter Epiſcopum, & patronum, puta quia Epiſcopus prætendat Eccleſiam eſſe liberæ collationis, & patronus aſſerat eſſe de jurepatronatus; tunc enim tempus ad præſentandum non currit patrono, ut præfertur, impedito, nec Epiſcopus ordinabit Eccleſiam, ſed ponet ibi Oeconomum, quouſque quæſtio fuerit terminata, ut legitur, & notatur *in c. Cum vos, ſup. de offic. ord.* ſecundùm Hoſt. *hìc n.7. verſ. Et hoc eſt verum*, & Abb. *n.7.*

19 Declara ſecundò, ut procedat, ſi contentio hujuſmodi ſit inter compatronos, prout loquitur hæc littera: ſecus ſi inter præſentatos, ut reſolvit Rota *dec.586. n.7.* apud Farinac. *in Collect. 1. noviſſimar.* Et idem dicendum ſi lis vertatur inter patronos, & præſentatos; quia non habet locum devolutio, de qua hìc, ſecundum Jo. Andr. *in d. c. Cùm vos, n.2. verſ. Unde jura, de offic. ordin.* Butr. *ibid. n.7. verſ. Jura ergo,* & Imol. *n.7. verſ. Nec obſtat,* Lap. *alleg. 78. n.15.* Rota apud Farinac. *dec.81. in fin. par.1. rec.*

21 Declara tertiò, ut procedat, ſi contentio ſit ſuper patronatu: ſecus ſi ſuper idoneitate perſonæ; quia non intrat hæc devolutio, ut poſt Jo. Andr. tenet Abb. *hìc num.7.* Et idem dicendum ſi patroni non poſſent inter ſe concordare de perſona præſentanda, quia tunc haberet locum diſpoſitio *cap. Nulla ſupra de conceſſ. prabend.* ut ſcilicet ſex menſibus expectari debeat, ſecundum Innocent. *hìc n.1. in verb. Ordinet.*

Declara ultimò, ut locum habeat tantummodo in quæſtione juris præſentandi, non autem juris eligendi: nam ſi inter electores contendatur de poteſtate eligendi, & quæſtio non terminetur infra tempus præfixum ad eligendum, poteſtas liberè ordinandi Eccleſiam ad Superiorem non devolvitur, quia non eſt quod imputetur electoribus, cùm per eos non ſtet quominus eligant, ſed propter litem ſibi motam. Unde cùm contrarium non ſit ſtatutum, niſi ſuper præſentatione, ut hìc, non debemus hoc jus extendere ad contentionem ſuper electione: ita probat textus *in c.2. de in integr. reſtit.* ubi diu ſuper jure eligendi certatum fuit; & tamen eligendi poteſtas non fuit ad Superiorem devoluta, ut concludunt hìc Hoſt. & Jo. Andr. ambo *n.7. verſ. Sed nec in hoc*
22 *caſu,* & Abb. *n.6.* Præſertim verò quia inter jus præſentandi, & jus eligendi conſiderari poteſt multiplex ratio diverſitatis: nam præſentatio innititur gratiæ, ut dixi ſupra *in 3. notab.* electio verò juri communi, *ut c.1. ſup. de elect.* Præterea jus pinguius habent electores quàm præſentatores, ut colligitur ex gloſſ. *1. in c. Quantò 63. diſt. juncto c. Quod autem infra eod.* Ac demum de modico patronorum præjudicio agitur, ſi lite pendente alius ab Epiſcopo inſtituatur; ſed electoribus ex devolutione fieret magnum præjudicium quia fortè haberent quem non vellent, aut non expediret habere unde meritò aliud ſtatuitur cùm controvertitur de jure præſentandi, & aliud cùm de jure eligendi, ut benè per Abbatem *d. n.6.*

23 QUÆRO, an ex ſola fundatione acquiratur juſpatronatus; an verò etiam requiratur conſtructio & dotatio.

24 Ad evidentiam præmitto fundare Eccleſiam ſtrictè ſumpto vocabulo nihil aliud eſſe, quàm fundum dare, ubi Eccleſia eſt conſtruenda, textus eſt *in c. Abbatem il ſecondo*, ibi. *Et poſſeſſionis dominus 18. q.2. & in c. Nobis,* ubi Jo. Andr. & alii notant, *infra eod.* Sed in latiori ſignificatione, & communi uſu loquendi dicuntur fundare etiam qui conſtruunt, ut probatur *in d. c. Nobis, & in c. Nos quidem*, juncta expoſitione Jo. Andr. ibi *de teſtam.* & declarant Roch. de Curte *in tract. de jurepatr. in verb. Eccleſiam fundavit in 1. q.* & Paul. de Cittadin. *in eod. tract. in 3. quæſt. principali art.11.* Unde Concil. Trid. *in c.9. ſeſſ.25.* dum ſtatuit titulum juriſpatronatus eſſe ex fundatione, vel dotatione; ſub nomine fundationis comprehendit etiam conſtructionem, ſeu ædificationem Eccleſiæ; ſicut etiam comprehendit gloſſ. *in c. Generali, in verb. Fundatione, de elect. lib.6.* & notat Abb. *in c. Ad audientiam il primo, in 3. notab. ſupra de Eccleſ. ædifican.* & eodem modo ſub nomine conſtructionis includitur funda- 25
tio, *ut in c. Filiis 16. q.7.*

Quibus præmiſſis, ad propoſitam quæſtionem reſponde- 26
tur duabus concluſionibus.

Prima concluſio eſt. Juſpatronatus non acquiritur, niſi hæc tria copulativè concurrant, videlicet fundi collatio, Eccleſiæ conſtructio, & dotatio authoritate Diœceſani. Hæc concluſio eſt Abbatis *in conſ.106. Prius juxta ordinem num.2. verſ. Sed his non obſtantibus, & verſ. Præterea lib. 2.* ubi firmat ex cauſa fundationis, conſtructionis & dotationis poſſe effici tres patronos unius Eccleſiæ, ſi in his tribus ſimul concurrant; aliàs ſecus: inducit ad hoc gloſſ. *ſingular. in cap. Quicumque in verb. Aliquid 16. quæſt.7.* quæ 27
dicit ex modica dote quem non effici patronum: ergo multò minus ſi nullam dotem contulerit: & ſic ſecundum Abb. vult illa gloſſ. ut ex ſola fundatione, & conſtructione ſine aſſignatione dotis competentis non acquiratur juſpatronatus.

Verùm Lambertin. *in tract. hujus titul. lib.1. part.1. in 3. quæſt. principali num.2. verſ. Eſt benè verum*, latè refellit doctrinam Abbatis. Primò quia illa gloſſ. non loquitur de eo, qui Eccleſiam conſtruxit, ſed de eo qui contulit modicam dotem Eccleſiæ jam conſtructæ, qui abſque dubio non efficitur patronus ratione dotis inſufficientis. Deinde quia jura inferiùs vitanda in ſecunda concluſione, dum diſponunt de acquiſitione juriſpatronatus, loquuntur alternativè, videlicet ex cauſa fundationis, vel conſtructionis, vel dotationis, & conſequenter non requirunt, ut omnia ſimul concurrant. Ac demum pro hac parte inducit Innocent. *in rubr. hujus tit.* ubi videtur ſentire ex ſola fundatione, vel conſtructione quem effici patronum, quia deduxit Eccleſiam de non eſſe ad eſſe, licèt dotem non contulerit, ut ibi latiùs per Lambertinum, qui ex his concludit, juſpatronatus acquiri ex ſola fundi collatione, vel ædificatione Eccleſiæ, etiamſi nec ipſe, nec alius dotem aſſignaverit. Ego exiſtimo propoſitum concluſionem eſſe veram, & Lambertinum hallucinari.

Moveor primò ex authoritate ipſius Innocentii *in rubr.* 28
hujus tit. n.2. ubi determinat juſpatronatus tribus ex cauſis acquiri, ſcilicet Eccleſiæ conſtructione, Eccleſiæ dotatione, & territorii ad Eccleſiam fundandam collatione, & quemlibet iſtorum patronum eſſe, & rectè ſic vocari, quia ſicut pater filium, ita patronus rem, id eſt Eccleſiam de non eſſe 29
deducit ad eſſe. Et mox ſubdit: Non enim poteſt fieri Eccleſia, niſi fundus, ubi fiat, aſſignetur, & ibi Eccleſia ædificetur, & ante fundationem dos aſſignetur, *ut c. Nemo, de conſecr. diſt.1.* Sentit ergo Innoc. non poſſe quem effici patronum, niſi Eccleſiam de non eſſe deducat ad eſſe, & Eccleſiam fieri, ſeu quod idem eſt ad eſſe deduci non poſſe, niſi ſimul fundus conferatur, Eccleſia ædificetur, & ante fundationem dos aſſignetur, & Innoc. ſequuntur *in c.1. ſupra eod.* Hoſtien. *n.4.* & Jo. Andr. *n.8.*

Moveor ſecundò, quia ex eo quòd quis aſſignet fundum pro Eccleſia ædificanda, ſi nec ipſe, nec alius illam ædificet, Eccleſia non poteſt dici in eſſe producta, ut patet ad ſenſum, & probatur *in d. c. Nemo de conſecr. diſt.1.* Ergo fieri non poteſt, ut ex ſola fundi collatione quis efficiatur patronus, & acquirit jus patronandi in Eccleſia, quæ non eſt in rerum natura, quia impoſſibile eſt prædicari de non ente, ut inquit Angel. *conſ.390. Chariſſime frater n.1.* Quinimò, ut inquit Feder. de Sen. *conſ.129. Caſus talis eſt n.2.* (Si in opere Eccle- 30
ſiæ, ſeu Capellæ non ſit tantum proceſſum, ut poſſint ibi divina officia celebrari; non poteſt adhuc Eccleſia, vel baſilica appellari, quia non ſunt ibi ſubſtantialia; & ſic cùm non poſſit ibi adhiberi conſecratio Eccleſiæ, non poteſt dici Eccleſia, quæ non eſt in rerum natura) Hæc Feder.

Moveor tertiò, quia juſpatronatus eſt jus honorificum, 31
oneroſum, & utile, alicui in Eccleſia competens pro eo quòd de Diœceſani conſenſu illam fundavit, dotavit, vel conſtruxit ipſe, vel is, à quo juſtam cauſam habet: ut diffinit Joan. Andr. rejectis antiquorum diffinitionibus, *ſup. in rubr. hujus tit. n.3. verſ. Si jus igitur ſine calumnia.* Cujus diffinitionem

poſteà

poſteà probarunt omnes, & latiſſimè explicarunt, Roch. de
Curte, Cæſ. Lambert. & alii, qui de hoc titulo tractatus
ediderunt. Verba autem hujus diffinitionis nullatenus ve-
rificari poſſunt, niſi Eccleſia ſimul ſit fundata, conſtructa &
dotata. Patet, quia verbum illud, *Honorificum*, importat, ut
patronus honorificentiùs in Eccleſia recipiatur, & ſtudioſè
ei à miniſtris Eccleſię deſerviatur, & in proceſſione prę aliis
honoretur, *c. Piæ, & c. Frigentius*, 16. q. 7. ſecundum In-
noc. *in hac rubr. n.* 3. Quomodo autem poterit honorificen-
tiùs recipi in Eccleſia nondum ędificata? aut qui miniſtri ſi-
ne ſtipendio in pauperes eſſe poterunt, qui patrono de-
ſerviant? Similiter verbum, *Onerosum*, deſignat, ut patronus
teneatur Eccleſiam ab impugnatione defendere, & de re-
bus Eccleſię ſolicitudinem gerere, ne fraudentur, *c. Conſti-
tutum*, 16. *q.* 1. *& c. Filiis*, *q.* 7. Quod pariter ſupponit Eccle-
ſiam jam conſtructam, & dotatam fuiſſe. Item illud ver-
bum, *Utile*, importat, ut ſi patronus perveniat ad egeſtatem,
alatur de bonis Eccleſiæ, *c. Quicumque*, 16. *c.* 7. & notat In-
noc. *loc. cit.* At quomodo ali poſſet ex bonis Eccleſiæ, quæ
dotem non haberet? cùm preſertim alimenta non ſit patro-
no preſtanda niſi ex proventibus, quę Eccleſię ſuperſunt, §.
ult. ad fin. 25. *q.* 2. & not. gl. *in d. c. Quicumque, in verb. Ad
inopiam* Cùm igitur verba diffinitionis juſpatronatus nullo
modo conveniant ei, qui dedit fundum, nullo alio Eccle-
ſiam conſtruente, & dotante; nec ei, qui conſtruxit, ſi nec
ipſe, nec alius dotem aſſignavit: conſequens eſt, ut nec
competat diffinitum, ut *l.* 1. § *Dolum*, *ff. de dolo*, *c. Cum
cauſam*, *inf. de raptor.* & notant gl. Hoſt. Jo. And. Card. &
alii *in rubr. ſup. de ſumma Trinit. & fide Cathol.*

Moveor quartò, quia juſpatronat. jam acquiſitum amit-
32 titur, ſi Eccleſia funditùs deſtruatur, *c. De fabrica*, *de con-
ſecr. diſt.* 1. & latius patebit infra in 2. q. Item perditur dote
penitùs perempta, ut poſt alios fusè probat Lambert. *in
tract. hujus tit. lib.* 1. *p.* 1. *in* 6. *q. princ. art.* 3. *n.* 13. *& lib.* 3. *in*
7. *q. princ. art.* 1. *n.* 1. Ergo multò fortiùs non acquiritur, ſi
33 Eccleſia nondum ſit conſtructa, & dotata; quia facilius da-
tur retentio, quàm nova acquiſitio, *l. Per retentionem*, *C.
de uſufr. & l.* 2. & ibi Bald. *in* 3. *not. C. de fideicom.* & tur-
piùs ejicitur, quàm non admittitur hoſpes, ut dicit tex. in
c. Quemadmodum, *ſuprà de jurejur.*

Moveor quintò, quia jura prohibent Eccleſiam ædifica-
34 ri, niſi priùs aſſignentur, quę neceſſaria ſunt pro luminari-
bus, pro cuſtodia, & pro ſtipendiis miniſtrorum, *c. Ne-
mo*, *de conſecr. diſt.* 1. & in auth. *Ut null. ædific. orat. dom.
in rubro*, *& nigro*, & notat gloſſ. *in c. Quicumque*, 15. *q.* 7.
fusè Lambert. *in hoc tract. lib.* 1. *par.* 5. *in* 5. *q. princ. art.* 10.
Quinimò ante ipſam fundationem dos aſſignari debet, ſe-
cundùm Innocentium *ſupra in rubr. n.* 3. & Card. *n.* 4. *in* 5.
q. Ergo abſurdum eſt, ut de facto conſtruens Eccleſiam ſi-
ne dote, ex facto per jus damnato conſequatur præmium,
& gratiam juſpatronatus, unde potiùs deberet pœnam me-
reri, *c. Legi*, 16. *q.* 1. *l. Sive hæreditaria*, *ff. de negot. geſt.*
gloſſa *in cap. Quod ob gratiam*, *ad finem*; *de regul. juris
in* 6.

35 Moveor ultimò, quia etſi Eccleſia conſtrui non debeat
ante dotis aſſignationem, ut in *d. cap. Nemo*, *de conſecr.
diſt.* 1. tamen de facto conſtruatur, conſecrari non debet
niſi priùs fundator illam dotet, ut ſunt jura clara *in cap.
Piæ mentis*, *& in cap. Frigentius*, 16. *q.* 7. *& in cap. Pla-
cuit*, 1. *q.* 2. & tradit Lambertin. *in præcitata quæſt.* 5 *ar-
36 tic.* 18. Quod ſi contra juris diſpoſitionem Eccleſia eſſet
fundata, & conſecrata ſine competenti dote: conſecra-
tor teneretur eam dotare, ut tenet gloſſa unica communi-
ter approbata in *cap. Cum ſicut ſupra*, *de conſecrat. Eccleſ.
vel altar.* exemplo Epiſcopi, qui ordinans aliquem ſine
titulo tenetur illi de ſuo providere, *c.* 2. *cap. Epiſcopus*, *&
37 c. Cùm ſecundùm*, *ſupra de præben.* & in defectum Epiſcopi
conſecrantis, ut dicit illa gloſſa, fundator dotabit eam,
& poterit ad hoc compelli argum. d *cap. Piæ mentis*, 16.
q. 7 *& l. Qui liberos*, *ff. de ritu nupt.* quod latiùs proſequi-
tur Lambertin. *d. art.* 18. *in princ. verſ. Si autem Eccleſia.*
38 In eo autem caſu, in quo fundator compellitur ad dotan-
dum, de rigore juris ex dotatione non efficitur patronus,
ut videtur tenere Jo. And. *in rub. hujus tit.* ſecundùm Car-
din. *ibi in* 6. *n.* 5. *verſ. Et ex hoc videtur*, ſicut non detra-
39 hit Trebellianicam, qui compulſus adiit, ut reſtituat,
ut *l. Nam quod*, §. *Qui compulſus*, *ff. ad Trebell.* & generali-
ter non debet quis commodum conſequi ex eo, quod facit
invitus; *cap. Quàm præpoſterum*, *cum concord.* de quibus ibi
Proſp. Fagnan. in III. Lib. Decretal.

in gloſſa *ult.* 13. *q.* 2. gloſſ. *penult. in cap. Ad fidem*, 23. *q.* 5.
licet Cardin. ſubdat æquius eſſe, ut efficiatur patronus; de
quo plenius per Lambertin. *lib.* 1. *p.* 1. *in* 3. *quæſt. principali
num.* 4. *verſ. Unum tamen reperi.* Ergo Doctores ſupponunt
pro indubitato eum, qui de facto fundavit, & conſtruxit Ec-
cleſiam ſine aſſignatione dotis non acquiſiviſſe juſpatrona-
tus; alias enim ineptum fuiſſet inquirere, an dotans ex ne-
ceſſitate efficeretur patronus, ſi jam patronus eſſet ex fun-
datione, & conſtructione præcedenti. Et quidquid ſit de il- 40
lo, qui compulſus contulit dotem Eccleſiæ jam fundatæ;
certè negari non poteſt, quin efficiatur patronus, ſi illam
conferat ſponte, prout concludit Innocent. & Card. *ſup. in
rubr.* & idem Cardin. *hic num.* 7. & Abbas *num.* 9. & Lam-
bert. *lib.* 1. *par.* 1. *in* 3. *qu. principali art.* 1. Ergo neceſſe eſt
fateri ex ſola fundatione, & conſtructione eum non acqui-
ſiviſſe juſpatronatus; nam ſi acquiſiviſſet, quidquid dicat
Lambert. *d. q.* 3. *num.* 4. *verſ. Sed ad hoc poteſt reſpondere*;
utique ex dotatione non potuiſſet illud de novo acquirere 41
cùm juſpatronatus ſit individuum, & ſemel quæſitum ex
una cauſa, non poſſit ex alia acquiri argum. *l. Viæ*, *ff. de
ſervit. l. Si ſepulchrum*, *C. de relig. & ſumptibus funer. l.* 1.
ff. ad Falcid. l. Uſus, *ff. de uſu*, *& habit.* incorporalia enim
dividi non poſſunt, *cap. Nihil*, 7. *qu.* 1. & notat Hoſtienſ.
in cap. 1. *nu.* 1. *ſup. eod.* & Archid. *in c.* 1. *poſt princ. eod. tit.
lib.* 6. & Bald. *in c. Quanto*, *de judic.* & quod meum eſt ex
una cauſa, ex alia meum fieri non poteſt, niſi deſinat eſſe 42
meum ut, *c. Inter dilectos*, §. *Cæterùm*, *de fide inſtrum. l.* 3. §.
Ex pluribus, *ff. de acquir. poſſeſſ. & l. Cum res*, *C. de contra-
hend. empt.* Abb. *conſ.* 3. Nitar. *col.* 2. *in princ. verſ. Item quod
meum eſt*, *lib.* 2. Soccin. *reg.* 25. *Dominus ſemel. ampliùs effici
non poteſt* Facit tex. *in cap. Ut quis duas*, *de elect. lib.* 6. &
quod notat Lap. *alleg.* 8. *per totam*, præſertim *num.* 4. ubi
dicit, ex ſecunda præſentatione non poſſe alicui jus compe- 43
tere, ſi competit ex prima, quia quod meum eſt ex una
cauſa, &c. & matrimonium carnale, ſicut ſpirituale, con- 44
ſtare non poſſe ex conſenſibus iteratis, quia cum ſit indivi-
duum, aut ex primo conſenſu tenuit, & ſic nihil addit ſe-
cundus, aut non tenuit, & poteſt conſiſtere ex ſecundo,
allegat gloſſ. *in cap. fin. de tranſlat. Epiſcop.* & Jo. And. hoc
dicentem *in addit. ad Speculat. in tit. de reſcript.* §. *Ratione
autem cauſæ*, *verſ. Item obtentum eſt.*

Non obſtant jura, quæ dicunt juſpatronatus poſſe ac- 45
quiri ex pluribus cauſis alternativè; quoniam loquuntur
in caſu ſecundæ concluſionis, de qua infrà *num.* 49. id-
eſt, cùm unus dat fundum, alius conſtruit, & alius aſſi-
gnat dotem; nam unuſquiſque alternativè ex una cauſa
efficitur patronus. Sed hinc non ſequitur, quin reſpectu
Eccleſiæ debeant ſimul concurrere fundatio, conſtructio,
& dotatio.

Item non obſtat, quod ex ſola fundatione, & conſtru- 46
ctione Eccleſia de non eſſe deducatur ad eſſe, ac proindè
fundans, & conſtruens efficiatur patronus, ut ex Innoc.
prolixè deducit Lambert. Nam reſpondetur Eccleſiam de-
duci quidem ad eſſe etiam dote nondum aſſignata, ſed in-
completè, & contra juris prohibitionem; unde ex tali
fundatione, & conſtructione, patronatus, & jus præſen-
tandi Rectorem non acquiritur, quia ſine ſubſtantia rerum 47
non poteſt Eccleſiæ deſerviri, ut *c. Si quis obiecerit*, 1. *q.* 3.
& fuit dictum Innocentii *ſupra in rubr. num.* 2. *verſ. Poſſet
tamen dici*, & Hoſtien. *in cap. nu.* 4. *verſ. Poteſt tamen di-
ci contrarium*, *ſup. eod.* & patet ex dictis Fed. de Sen. *ſupra-
citati num.* 30.

Et ex his conſiderationibus, ad quas Lambertinus non 48
advertit, arbitror concludendum, ex ſola fundatione
non acquiri juſpatronatus, ſi nemo alius Eccleſiam con-
ſtruat, & dotet; neque ſola conſtructione, ſi nemo alius
dotem aſſignet; neque ex collatione dotis, ſi nullus Ec-
cleſiam fundet, & conſtruat; ſed hæc tria debere copula- 49
tivè concurrere ab initio: quod intelligo verè, ſeu per
juris fictionem; nam ſi à principio, licèt malè ſine dote
fuiſſet fundata, & ædificata, & conſecrata Eccleſia, qui
poſteà illam dotaret de diœceſani conſenſu, patronus eſſet,
quia favore Eccleſię fingeretur actus iſte præceſſiſſe, ut
formaliter inquit Joan. Andr. *in d. cap.* 1. *n.* 8. *verſic. Poteſt
tamen dici*, & ſic conſtitutio dotis retrotrahitur, & Eccle-
ſia videtur dotata ante conſecrationem, ſicut in matrimo-
nio, *c. Tanta*, *Qui fil. ſint legit.* & per Abb. *hic n.* 9. *in fin.*
quidquid contra ſcripſerit idem Abb. *in præalleg. conſ.* 106.
n. 2. *lib.* 2.

49 Secunda concluſio eſt. Ad acquirendum juſpatronatus non requiritur, ut una,& eadem perſona fundet,conſtruat, & dotet Eccleſiam; ſed ſatis eſt, ut unus det fundum, alius ædificet, & alius aſſignet dotem de conſenſu Diœceſani, & omnes in ſolidum efficiuntur patroni. Probatur hæc concluſio ex *c. Piæ mentis*, *c. Frigentias*, *c. Quicumque*, *& c. Filius*, 16. *q.* 7. *ex c. Abbatem*, *il* 2. 18. *q.* 2. *& c. Nobis*, *infra eod.* & ex Conc. Trid. *c.*9. *ſeſſ.* 25. quibus in locis prædicti modi acquirendi juſpatronatus ponuntur tamquam diverſi, & cum dictione alternativa in medio, & conſequenter non requiritur omnium concurſus, ſed ex quolibet ipſorum juſpatronatus acquiritur, *c. Inter cæteras*, *ſupra de reſcr. & reg. In alternativis,de reg. jur. in* 6. & ita intelligi debet gl. 1. *in c. Piæ mentis*, dum firmat juſpatronatus acquiri ex tribus cauſis, & recitat verſum:

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus,

Idem apertiùs tenet Innoc. *ſupra in rubr.* dum primò ponit hos tres modos acquirendi patronatum, & poſteà ſubdit: Quilibet autem ipſorum patronus eſt. Idipſum clarè voluit Archid. *in c.*1. *poſt princ. de jurepatr. lib.*6. ubi ait poſſe effici plures patronos ex diverſis cauſis, puta quia unus eſt patronus ex fundi datione, alter ex dotatione, alter ex conſtructione; ſequitur Card. *ſuprà in rubr. in* 4. *qu. & conſ.* 122. *Quidam habens quoddam feudum*, *col.*2. *verſ. Ad quod reſpondeo*, Abb. *conſ.* 39. *Quidam Dominus Jacobus poſt. princ. lib.*2. & alii apud Lambert. aſſerentem hanc eſſe communem omnium DD. ſententiam, *in tract. hujus tit. lib.*1. *p.*1. *in* 3. *q. princ. art.*1. *num.*1.

50 Secundò QUÆRO, an ex reædificatione, ſeu refectione Eccleſiæ acquiratur juſpatronatus.

Negat Laurent. & poſt eum Innoc. *hic in princ. arg. leg. Prætor*, *§. Vicinales*, *ff. ne quid in loco publ. melius dixiſſent*, *§. Viarum*, *ver. Vicinales*, ubi vicinalis via dicitur privata, ſi ab initio facta ſit à privatis; publica, ſi ſolum reficiatur expenſis privatorum; atque ita quod publicum eſt, ex ſim-

51 plici refectione non deſinit eſſe publicum. Inducunt etiam rationem, quia quod humani juris eſſe deſiit, ſervitutem non recipit, *l. Caveri*, *ff. Commun. præd. & arg. c. Ad hæc*, *in fin. ſupra de relig. domib. cum ſuis concord.*

52 Verùm gloſſa Bern. *hic in verb. Fundatores*, diſtinguit ſic: Aut Eccleſia non eſt funditùs deſtructa, & ex refectione, ſeu reparatione juſpatronatus non acquiritur. Et in hoc caſu vera eſt opinio Laur. de qua ſupra. Aut Eccleſia

53 eſt prorſus diruta, ita ut egeat nova conſecratione, juxta text. *in c. De fabrica*, *de conſecr. diſt.* 1. & hoc 2. caſu, aut quis Eccleſiam reædificat ſine conſenſu Epiſcopi Diœceſani, & nullum jus acquirit, *arg. l. Uſufructuarius*, *ff. de uſufruct.* ubi patet uſufructuarium non poſſe immutare formam rei, etiamſi aliàs non poſſit uti. Et eſt expreſſum in auth. *Ut nulla fabric. orat. dom.* §.1. *collat.* 5. Nam quemadmodum à principio non licet Eccleſiam conſtruere ſine conſenſu Epiſcopi, ut in *c. Nemo de conſecr. diſt.* 1. ita nec poſteà illam reædificare, ut acquiratur juſpatronatus, ut benè per Abb. hìc *n.*8. Aut Eccleſiam prorſus dirutam reædificat de Diœceſani conſenſu;& acquirit juſpatronatus, quia perinde eſt, ac ſi Eccleſiam ab initio conſtruxiſſet, *c. Conſuluit*, *infra de Judæis*, ubi habetur favorabilius eſſe reædi-

54 ficare conſtructam, quàm de novo conſtruere, & eſt caſus

55 in d. auth. *Ut null. fabr. orat. dom.* §.1. Per totalem enim deſtructionem Eccleſia remanſit execrata, *d. c. De fabr. de conſecr. diſt.* 1. *c. Propoſuiſti*, *& c. In ligneis*, *de conſecrat. Eccl. vel altar.* ſecundùm Jo. Andr. *ſupr. in rubr. n.*3. *verſ. Sed non placet hæc reprehenſio*; & prior patronus, qui per primam ædificationem Eccleſiæ acquiſivit juſpatronatus,

56 per totalem illius deſtructionem radicitùs ipſum jus amiſit, ut tenet Bern. *hic in fin.* 1. *gl.* & Hoſt. per eum, *nu.*3. Jo. And. *n.*12. Henr. Boich. *propè fin. ver. Prior. verò patronus*, Card. *q.*3. & reliqui omnes. Æquum tamen eſt, ut antequam Epiſcopus extraneo de conſenſu ſuo ædificare 57 volenti conſentiat, antiquum patronum ſuper hoc requirat, & ipſum cuilibet extraneo præferat, arg. *c. Cum Apoſtolica*, *de his quæ fiunt à Præl. c. Potuit*, *de locat. & cond. & c. Ad hæc in fin. de offic. Archid.* ſecundùm Hoſt. & alios præallegatos, & concordat, quod notat idem Hoſt. *in cap. Nobis*, *infra eod.* Supradictam gloſſ. diſtinctionem probarunt hìc Trancred. Hoſt. Jo. Andr. & Henr. Boich. *loc. cit.* & Abb. *n.*1. *&* 11. Staphil. *de lit. grat. tit. de mod. & form. impetr.* §. *Sequitur videre n.*6. Burat. *conſ.*310. *à n.* 3. *vol.* 3. Lambert. *de jurepatr. lib.*1. *part.*1. *in* 6. *q. princ. art.*3. Menoch. *conſ.* 90. *ſub n.* 24. *&* 25. Rota *dec.* 306. *à n.*3. *diverſ.* & apud Card. Seraph. *dec.* 555. *n.*2.

Procedit autem hæc concluſio, etiamſi reædificatio fiat 58 ex iiſdem cæmentis, ſeu materia; adhuc enim reædificans de Diœceſani conſenſu acquirit juſpatronatus, non autem ille, qui ab initio illam conſtruxit, & per totalem deſtructionem deſiit eſſe patronus, ut proximè dictum eſt. Nam obligatio ſemel extincta in perpetuum non reviviſcit, *leg. Qui res*, §. *Aream*, *ff. de ſolut. & c. Quæris de conſecr. diſt.* 4. Ad hoc tex. optimus *in l. Quid tamen*, §. *penult. ff. quib. mod. uſusfr. amitt.* ubi ſi navis fuerit per partes refecta, durat uſusfructus: ſed ſi ex toto deſtructa fuerit, & poſteà reſtaurata, licèt ex eiſdem tabulis, uſusfructus extinctus eſt; ſicut ſi domus ex iiſdem cæmentis, ligniſque fuerit reſtituta, uſusfructus extinguitur: & pro hac parte poſt multa concludit gl.1. *hic verſ. Item quid ſi reædificata eſt*, Hoſt. *n.*2. *in eod. verſ.* Butr. *n.*16. Card. *n.*7. *in* 3. *q.* Abb. *n.*11. & plerique alii. Neque obſtant jura contraria allegata in gl. ex quibus arguitur Eccleſiam reædificatam cenſeri eamdem Eccleſiam, & loco prioris ſuccedere. Quoniam loquuntur in eo caſu, in quo ſemper remanet materia, ut reſpondet Jo. Cald. & poſt eum Card. *ubi ſuprà*.

Rurſus procedit eadem concluſio non ſolùm in jurepa- 59 tronatus ſurgente propter ædificium, ſed etiam propter dotem, vel fundum. Nam quemadmodum, ſi Eccleſia ſit à fundamentis deſtructa, ex reædificatione alteriùs etiam ex iiſdem cæmentis antiquus patronus non recuperat juſpatronatus: eodem modo ſi dos, vel fundus omninò pereat, antiquus patronus ex nova dotatione, vel fundatione non recuperat juſpatronatus; ſed illud acquirit, qui novam dotem, vel fundum aſſignat, ut benè per Card. *nu.*7. *in fine*, *verſ. Procedit autem hæc quæſtio*. Fateor tamen patrona- 60 tum ſurgentem ex dotatione, vel fundatione, non amitti ex ſola deſtructione Eccleſiæ. Nam ſi dos ſalva ſit, aut fundus, etiam deſtructa Eccleſia; qui dotavit, vel fundavit, remanebit patronus, & ita poſt Eccleſiam reædificatam erunt tres patroni ex diverſis cauſis, ſecundùm Abb. *n.*11. *verſ. Ego intelligo*, qui ad hoc inducit regulam, *§. Affinitatis*, *inſtit. de nupt.*

Tertiò, cùm hìc dicatur in diſcordia patronorum eſſe 61 præferendum præſentatum à majori parte, ſi ſit idoneus; inveſtigandum eſſet, quid juris ſit, ſi patroni ſint pares in præſentando, an ſcilicet inter præſentatos inſtituendus ſit dignior, an verò ſit locus gratificationi Epiſcopi. Sed hanc materiam plenè examino in *c. Cùm autem*, *infr. eod. in* 1. *&* 2. *q. à n.*20. *uſque in fin.*

Quartò, cùm ſimiliter hìc dicatur jus ordinandi Eccle- 62 ſiam ad Epiſcopum devolvi, ſi quæſtio ſuper patronatu inter compatronos laicos non fuit deciſa infra quatuor menſes ad præſentandum præfixos; quærendum eſſet, numquid Epiſcopus parochialem Eccleſiam juriſpatronatus laicorum conferens de jure devoluto, teneatur ſervare formam examinis per concurſum præſcriptam à Conc. in *d. c.*18. in parochialibus liberæ collationis. Sed de hoc quoque articulo latè diſſervi in *c. Cum propter*, *in* 1. *q. n.*7. *infra eod.*

DE-

DE JUREPATRONATUS.

Alexander III. Herſorden. Epiſcopo & Abbati de Forde.

CAPUT VII.

EX litteris J. Salabrien. Epiſcopi accepimus, quòd defuncta perſona Eccleſiæ de Laton. G. miles, qui villam in qua Eccleſia ſita eſt, à Monaſterio de Vinton. ad firmam tenebat, ad eamque vacantem, G. clericum prædicto Epiſcopo præſentavit: poſtmodum Abbatiſſa prædicti Monaſterii alium præſentavit eidem, ad Eccleſiam ſupraſcriptam: quo nolente præſentatum ab ea recipere, apud Cantuarienſem Archiepiſcopum, gravem de Epiſcopo depoſuit quæſtionem: & infra. Mandamus, quatenus ſi vobis conſtiterit, quòd præfacto militi præſcripta villa fuerit, non excepto jurepatronatus, ad firmam conceſſa: vel antequam de jurepatronatus inter Abbatiſſam, & militem controverſia eſſet ſuborta, præfatus G. in præſcripta Eccleſia per Epiſcopum, ad præſentationem militis inſtitutus fuiſſet: ei (dummodò aliàs ſit idoneus) adjudicetis Eccleſiam; ita quod ſi Abbatiſſa obtineat adverſus militem, illi de temporalibus debeat reſpondere.

SUMMARIUM.

1 *Juſpatronatus conſiſtens in aliqua univerſitate temporalium tranſit cum ipſa univerſitate, & numer. 3. & 35.*
2 *Etiamſi univerſitas tranſeat tantùm quoad utile dominium, & n. 11. & 15.*
Niſi juſpatronatus ſpecificè ſit exceptum, num. 2. & 17. verſ. Limitatio regulæ.
3 *Juſpatronatus tranſit in quemcumque cum univerſitate, cui adhæret, etiam ſine auctoritate Epiſcopi, & num. 45.*
4 *Villa eſt quid univerſale, & n. 23. 25. & 38.*
5 *Juſpatronatus prohibetur transferri per contractum non gratuitum, niſi talis contractus celebretur ſuper aliqua univerſitate, & n. 45.*
6 *Jus ſepulchri accedit emptioni univerſitatis.*
7 *Decimæ, & alia jura merè ſpiritualia cum univerſitate non tranſeunt.*
8 *Donans Epiſcopus villam cum omnibus, quæ illic habet non transfert jura ſpiritualia.*
9 *Decimæ in generali donatione includuntur.*
10 *Niſi tale jus donetur Eccleſiæ, quod habeat in ſe temporalia, & ſpiritualia jura, ut præbenda.*
12 *Ad firmam dare, ideſt ad annuum cenſum concedere, ſeu locare etiam ad longum tempus, & nu. ſeq.*
13 *Jus præſentandi non tranſit in conductorem villæ ad modicum tempus.*
14 *Conductor ad modicum tempus nullum dominium habet, nec poſſeſſionem, ſed nudam detentionem.*
15 *Juſpatronatus ut tranſeat cum univerſitate, non ſufficit civilis, vel naturalis poſſeſſio, ſed omninò requiritur, ut univerſitas transferatur quoad dominium directum, vel utile.*
16 *Juſpatronatus non tranſit in creditorem, qui tenet villam pignori obligatam.*
17 *Præſentatio eſt fructus jurisſpatronatus.*
18 *Juſpatronatus quando dicatur tranſire cum univerſitate & n. ſeq uſque in fin.*
19 *Quid ſi quis vendat fundum, vel palatium, intra cujus fines Eccleſiam habet, numquid juſpatronatus tranſeat in emptorem.*
Et quid ſi ſit talis fundus, qui univerſitatem conſtituat, num. 21.
Et quid ſi quis vendat omnia jura, quæ habet in aliqua villa, & n. 47.
Et quid ſi vendat omnia bona, quæ habet in tali loco, num. 24.
Et quid ſi dicat ſimpliciter, vendo omnia bona mea, n. 27. & 50.
Et quid ſi dicat, vendo omnia bona mea, jura, & actiones, n. 33. & ſeqq. uſque ad n. 53.
Et quid ſi vendat hæreditatem, n. 36. & 53.
20 *Jus ſepulchri, ad quod non patet additus, niſi per fundum, tranſit in emptorem ipſius fundi.*
23 *Juſpatronatus ut veniat in contractu non gratuito, ſequitur, ut res, quæ alienatur, ſit talis, quæ ſine expreſſione univerſitatem, vel juſpatronatus in ſe contineat, & num. 40.*
Univerſitas verbalis reſolvitur in ſingularitates, ibid. & n 25. & 39.
Realis ſecus, n. 41.
26 *Juſpatronatus ut tranſeat cum univerſitate, requiritur ut univerſitas ſit realis, non verbalis, & num. 48.*
28 *Bonorum appellatio univerſitatem continet, ſicut hæreditas, & n. 29. 46. & 56.*
30 *Bonorum appellatione veniunt etiam jura, & actiones.*
31 *Præſertim ſi adſit dictio univerſalis,* Omnia.
32 *Etiam in materia odioſa, ut confiſcationis bonorum omnium.*
34 *Rotæ deciſio in Lucana juriſpatr. refertur, expenditur n. 47. & ſeqq. uſque ad n. 53.*
36 *Juſpatronatus tranſit ad hæredes quoſcumque mediante titulo univerſali hæredis.*
37 *Item tranſit in emptorem hæreditatis.*
38 *Juſpatronatus non tranſit mediante venditione, ſeu ceſſione etiam omnium bonorum, jurium, & actionum, niſi ſub dicta ceſſione tale quid univerſale verè comprehendatur, cui juſpatronatus adhereat.*
Contrarium, n. 44. & ſeqq. uſque ad n. 53.
42 *Juſpatronatus particulariter donari poteſt de conſenſu Ordinarii.*
43 *Juſpatronatus non poteſt dici de bonis laici.*
45 *Juſpatronatus tranſit cum univerſitate temporalium ſine conſenſu Epiſcopi, ſive contractus ſit gratuitus, ſive non.*
47 *Bonorum omnium, ac jurium appellatio non continet univerſitatem, quando eſt reſtricta ad certum locum, aliàs ſecus, & n. ſeq.*
48 *Univerſitas quando dicatur verbalis, & quando realis.*
49 *Juſpatronatus tranſit cum hæreditate vendita, etiamſi in ea nil aliud ſit, quam juſpatronatus.*
50 *Mea, hæc dictio eſt dominii ſignificativa.*
51 *Patronus non eſt dominus juriſpatronatus niſi abuſivè.*
52 *Juſpatronatus tranſit cum uiverſitate non miniſterio hominis, ſed miniſterio juris tamquam acceſſorium rei venditæ.*
53 *Hæreditas eſt quid univerſum.*
54 *Juſpatronatus competens filiis, & ſucceſſoribus, dicitur translatum per ceſſionem à filio factam de omni jure, quod in hæreditate habebat.*
55 *Juſpatronatus venit in legato omnium bonorum.*
56 *Legatum omnium bonorum intelligitur univerſale.*
57 *Juſpatronatus magis competit uſufructuariæ omnium bonorum, quam hæredum.*
58 *Præſcribens univerſitatem, an præſcribat juſpatronatus ei immixtum.*

59 *Juſpatronatus an tranſeat, ſi exprimatur in venditione univerſitatis, & n.ſeq. uſque in fin.*
Quid ſi exprimatur declarativè, n.61.
Et quid ſi conjunctivè, ibid. & n.62.
Et quid ſi vendatur villa cum jurepatronatus, nu.63. & num.ſeqq.
Et quid ſi vendatur villa, & juſpatronatus, numer.64.
Patronus in fine inſtrumenti venditionis univerſitatis fateri poteſt ſe deſiiſſe eſſe patronum.

1 EX *litteris*, Juſpatronatus conſiſtens in aliqua univerſi-
tate temporalium tranſit cum ipſa univerſitate, etiam-
ſi univerſitas tranſeat tantùm quoad utile dominium, ni-
ſi juſpatronatus ſpecificè ſit exceptum; hoc dicit Joann.
2 Andr. Butr. Cardin. Anchar. Imol. Abb. Joan. de Anan. &
Bero. & eſt caſus notabilis, & quotidie allegatur ſecundùm
Abbat. Dividitur in duas partes. In prima ponitur querela
Epiſcopi. In ſecunda dantur ei judices, & inſtruuntur
quomodo debeant diffinire, ibi: *Mandamus*, Joan.
Andr.

Nota ex textu regularem cum ampliatione, & limita-
tione.

3 Regula eſt: Juſpatronatus tranſit in quemcumque cum
univerſitate temporalium, cui adhæret, etiam ſine auctori-
tate Epiſcopi, ut patet in text. ibi, *Si vobis conſtiterit,*
4 *quod præfacto militi præſcripta villa, &c.* nam villa eſt quid
univerſale, ut *l. Pupillus*, §. *Territorium*, *ff. de verb. ſi-
gnif.* ſecundùm Innoc. Hoſt. & omnes hìc, & per hanc li-
teram notat Abb. in *c. Illud*, *nu.4. inf. eod.* Feder. de Senis
conſ.225. Si opinio, *n.1.* & Lambert. *in tract. de jurepatron.
lib.1. p.2. in 2.q. princ. art.2. & 3. & in 5.q. princ. art.11. n.3.*
Mantic. *dec.140. n.2.* Rota *dec.207. num.16. p.6. rec.* Et ſic
5 quamvis contractus non gratuitus prohibeatur ſuper jure-
patronatus, ut *c. Quia Clerici*, *ſupr. eod.* tamen ſi hujuſ-
modi contractus non gratuitus celebretur ſuper aliqua
univerſitate temporalium, juſpatronatus in ea conſiſtens
tranſit ex illo titulo non gratuito, quia contractus videtur
initus ſuper rebus temporalibus, & non ſuper jurepatrona-
tus, quod tranſit acceſſoriè, & non principaliter, ut hìc per
Abb. *in 1. not.* Et hanc regulam ponunt hìc gl. poſt caſum,
Innoc. *num.2. verſ. Nam hoc*, & *verſ. Si tamen ſit aliquod
jus univerſale*, Hoſt. *n.4. in verſ. Non excepto*, & *n.5. ver.
Nam ad hoc*, Jo. Andr. Card. & omnes *in ſumm. tex.* Co-
var. *var. reſol. lib.2. c.18. num.8.* Lambert. & Mantica *locis
ſupra cit.*

6 Et quod dictum eſt de jurepatronatus, idem intelligas de
jure ſepulchri, quod à laicis poſſidetur: accedit enim em-
ptioni univerſitatis, ut *l. In modicis*, *ff. de contrah. empt.*
& *l. Si mercede*, §. *Si eum fundum*, *ff. de act. empt.* ſecun-
dùm Innoc. *hic n.1. in verb. Non excepto*; cujus opinio com-
munis eſt, teſte Covar. *var. reſ. lib.1. c.13. nu.3.* Lambert.
7 *in tract. hujus tit. p.2. lib.1. in 5.q. princ. art.5.* Secus autem
eſt in decimis, & aliis juribus merè ſpiritualibus quia non
tranſeunt cum univerſitate: & eſt ratio diverſitatis, quia
cum juſpatronatus non ſit merè ſpirituale, & non eſt mi-
rum ſi annectatur temporalibus. Sed decimę, & alia jura hu-
8 juſmodi merè ſpiritualia cum in nullo communicent tem-
poralibus, conſequens eſt, ut nec eis annecti poſſint, nec
cum univerſitate ipſorum tranſire valeant, etiamſi dicatur,
Vendo, vel dono villam cum omnibus juribus ſuis, quia
ſpiritualia non ſunt jura temporalia. Quinimò etiamſi E-
piſcopus diceret, Dono tibi villam, & omnia jura, quę illic
habeo, non tamen intelligeretur donare decimas, & alia
merè ſpiritualia, quia hoc nomen univerſale, *Omnia*, refer-
ri non debet ad ea, quę ſunt penitùs alterius juris, vel natu-
rę, quam ea, quę principaliter donantur, prout eſt hoc caſu.
Certum eſt enim merè ſpiritualia eſſe prorsùs alterius juris,
9 quàm temporalia. Quocirca ſi vult decimas donare, expreſ-
ſam de illis mentionem faciat, alioquin in generali dona-
tione non includuntur. Ita Innoc. hìc *nu.1.* cum quo tran-
ſeunt Abb. Antiq. *n.2.* Hoſt. *n.4. verſ. Secus in decimis*, Jo.
10 And. *nu.3. eod. verſ.* Butr. *n.6. ver. Sed non tranſit*, & *alii
comm.* Fatetur tamen Innoc. & cęteri poſt eum, ut ſi tale ſit
jus, quod pariter habeat in ſe & temporalia, & ſpiritualia ju-
ra ut eſt prębenda, quę quandoque habet & poſſeſſiones, &
decimas, & donetur alii Eccleſię; tunc jura omnia, ſcilicet
temporalia, & ſpiritualia, ſimul transferantur; quia nimi-
rùm omnia ſpiritualia ſunt, & ſpiritualibus annexa.

Ampliatio regulæ eſt, ut locum habeat, etiamſi univer- 11
ſitas tranſierit ſolummodò quoad utile dominium; adhuc
enim cum ipſa tranſit juſpatronatus, veluti ſi talem con-
tractum inter ſe partes celebraverint, per quem utile do-
minium tranſierit in conductorem, puta emphyteuſim,
vel locationem ad longum tempus; ut innuit litera hujus 12
textus, ibi: *Fuerit ad firmam conceſſa*: nam etſi verba, *Ad
firmam*, exponantur, ideſt ad annuum cenſum, ſecun-
dùm Joan. Andr. *in cap.2. de locat.* & regulariter importent
locationem ad modicum tempus, ut in *dict. cap.2.* & in
aliis inductis per Bero. hìc *num.1.* tamen ſicut locatio, ita
& conceſſio ad firmam pro ſubjecta materia eſt apta im-
portare etiam locationem perpetuam, ſeu ad longum tem-
pus, prout importat hìc; aliàs enim ſi locatio fuiſſet ad 13
modicum tempus, conductor villæ non potuiſſet præſen-
tare, quoniam ita demum juſpatronatus tranſit cum uni-
verſitate, ſi univerſitas transferatur quoad dominium di-
rectum, vel utile. Ex locatione autem ad modicum tem- 14
pus nullum dominium, imò nec naturalis poſſeſſio tranſ-
fertur in conductorem, ſed nuda detentatio, & jus perci-
piendi fructus, ut notatur in *l. Si ut certum*, §. *Si duobus*,
ff. Commodat. & *in l.3.* §. *Ex contrario*, *ff. de acquir. poſſ.*
& per Cardin. in Clement.1. §. *Verùm*, *in 2. quæſt. de re-
bus Eccleſ. non alienand.* & Bero. *hic num.2.* Præterquam
quòd nec civilis, nec naturalis poſſeſſio ad hoc ſufficeret, 15
quia omninò requiritur translatio dominii directi, vel uti-
lis, ut hìc patet, & in *c. Cùm Bertoldus*; *ſupra de re judic.*
& notat Bero. *hic num.43.* concordat *cap. Cum ſæculum*,
infrà eodem, ibi: *Cùm ratione feudorum emptorum, aliter-
ve acquiſitorum juſpatronatus in Eccleſiis parochialibus ac-
quiſieritis*: ubi hoc tenet gloſſ. 1. communiter approbata,
& firmant hìc Innocen. *in princ.* Abb. *num.5. verſ. Sed in
contractu locationis*, Joan. Andr. Butr. Cardin. & omnes
in ſummario text. Bero *numer.1.* dicens Doctores ita com-
muniter intelligere hunc text. & *num.42.* ubi hunc intelle-
ctum pluribus comprobat, & dicit eſſe veriorem, Paulus
de Caſtro *conſ.262. Venerabilis vir*, *n.2. volum.1.* Roch.
de Curte *in tract. hujus tit. in verb. Ipſe velis*, *qu.26. num.
57. in fin.* Lambertin. *in eod. tract. art.2. qu.8. princ. part.
1. lib.1.*

Quo fit, ut ſecus ſit dicendum in eo, qui tenet villam pi- 16
gnori obligatam: nam in creditorem non tranſit juſpatro-
natus, ut legitur, & notatur *in d. c. Cum Bertoldus reſp.1.
& §. fin.* nimirùm quia in eum nec directum, nec utile do-
minium rei pignoratæ transfertur: & ita hìc tenet gl.1. In-
noc. *in princ. verſ. Secus in creditorem*, Hoſt. *n.4.* & com-
muniter DD. Aliam rationem reddit Abbas *n.5.* quia ſcili-
cet creditor tenetur reſtituere fructus omnes, quos perci-
pit ex re pignorata, ut in *c. Cum contra*, *ſupra de pignor.*
& *in c.1. infra de uſur.* ſed ſi creditor præſentaret, & ſe-
queretur pręſentati inſtitutio, non poſſet illum fructum
reſtituere, ſcilicet præſentationem, quæ eſt fructus ju- 17
riſpatronatus, ut notant Innocentius, Butr. Abb. & alii
in *c. Conſultationibus*; *infra eodem gloſſ. ult.* & DD. *d. c. Cum
Bertoldus, de re judicat.* Rota *deciſ.10. de jurepatronat. in
novis*, & ſic lucraretur fructum illum contra naturam pi-
gnoris, cùm mutuum debeat eſſe gratuitum, *c. Conſuluit,
de uſur.*

Limitatio regulæ eſt, niſi juſpatronatus fuerit nomina-
tim exceptum; tunc enim minimè tranſit cum univerſita-
te, ut patet in textu, ibi, *Non excepto jurepatronatus*; &
notant omnes *in ſummario*, & *verb. Non excepto*, gl.1. &
Doctores *in c. Cum ſæculum*, *infra eodem*, Lambert. *de ju-
repatr. p.2. lib.1. in 5. qu. princ. art.11. nu.3. verſ. Niſi juſ-
patronatus.*

Nec pro explicatione textus inquirendum eſt, quando 18
juſpatronatus dicatur tranſire cum univerſitate.

Et primò QUÆRO, ſi quis vendat fundum, vel pa- 19
latium, intra cujus fines Eccleſiam habeat, numquid juſ-
patronatus tranſeat in emptorem? Reſpondeo non tranſi-
re, quia juſpatronatus titulo venditionis transferri non
poteſt, niſi cum univerſitate, juxta communem intelle-
ctum hujus capituli, & *d. cap. Cùm ſæculum infra eodem*;
fundus autem, vel palatium non eſt univerſitas, & ita hic
firmant Innoc. *num.3.* Hoſtien. *num.7.* Jo. Andr. *n.3. verſ.
Quid ſi quis habeat Eccleſiam*, Abb. *num.14.* quorum opi-
nio communis eſt, ut teſtantur idem Abb. *in ſua quæſt.5.*
incipien. *Augerius*, *num.5.* Roch. de Curte *in tract. de ju-
repatr. in verb. Ipſe velis*, *q.23.* Lambertin. *in eodem tract.
part.2.*

part. 2. lib. 1. q. 5 art. 17. etiam Covarr. var. reſ. lib. 1. c. 13. n. 3. confert quod notat Bald. in l. fin. col. pen. n. 58. verſ. Idem ſi habeo, C. de dict. D. Adrian. toll. ubi quòd ſi dono tibi fundum meum, in quo Eccleſia ſita eſt, non venit Eccleſia, quia non eſt ejuſdem rationis, & conditionis, cujus dictum ſequitur Rota dec. 1252. n. 4. p. 3. libr. 3. diverſ. & originaliter tenuit Innoc. hic n. 3.

20 Non obſtat textus in l. Si mercedem, §. 1. ff. de action. empt. ubi, ſi vendidiſti fundum, in quo ſepulchrum habuiſti, cui non patet aditus ex via publica, ſed per ipſum privatum fundum, jus ſepulchri tranſit in emptorem; per quem textum idem eſſe in jurepatronatus tradiderunt ibi Bartol. & Paul. de Caſtro Roman. Singular. 6. Silveſter in verb. Juſpatronatus, q. 5. Henrich. Boich. & Cardin. hic numer. 18. & 19. & idem Cardin. in cap. Cum ſæculum, num. 5. verſ. Quoad quæſtionem, infra eodem, Abb. d. q. 5. num. 5.

Quoniam, ut reſpondit Innoc. hic n. 3. aliud eſt in jure ſepulchri, aliud in jurepatronatus, quia ſepulchrum cùm nihil valeat, niſi venditor ad illud portetur, & in eo ſepeliatur eſſet illi prorſus inutile, ſi emptor fundi ingreſſum prohiberet, cùm ad illud non pateat aditus, niſi per fundum. At ſecus eſt in jurepatronatus, quia venditor illo uti poteſt præſentando, quamvis Eccleſiam non ingrediatur. Sequitur Abb. hic n. 14. verſ. Nec obſtant, Covarr. var. reſ. lib. 1. c. 13. n. 3. verſ. Non obſtat ratio.

21 Conclude igitur vendito fundo non venire juſpatronatus per ſupradicta, niſi ſive ad Eccleſiam pateat aditus per ipſum fundum, ſive non; prout ex diſtinctione Abb. d. q. 5. n. 5. & Roman. d. ſingular. 6. poſt mult. concludit Lambert. in tract. hujus tit part. 2. lib. 1. in 5. q. princ. art. 16. n. 2. propè finem, verſ. Ergo hanc limitationem: niſi tamen eſſet talis fundus, qui univerſitatem conſtitueret, juxta leg. Cum fundus, ff. de leg. 2. & eſt text. ſecundùm inductionem Cardin. in cap. Cum Bertoldus, ſupra de re judic. nam curia illa, de qua text. loquitur, fundus eſt univerſitatem conſtituens. Unde non mirum, ſi juſpatronatus tranſierit in emptorem. Quo fit, ut ſi quis haberet fundum, quem Hiſpani appellant, Herediamiento, intra cujus fines haberet juſpatronatus; vendito fundo juſpatronatus hujuſmodi benè tranſiret in emptorem, ut per Covarr. d. nu. 3. verſ. Tertiò.

22 Secundò QUÆRO, ſi quis vendat omnia jura, quæ habet in aliqua villa, in qua certos tamen fundos habeat, vel certa jura numquid in tali venditione tranſeat juſpatronatus.

23 Reſpondeo non tranſire, ſi villa non ſit ſua; nam ad hoc ut tranſeat, oportet, ut res, quæ venditur, ſit talis quæ etſi ſine expreſſione univerſitatem, vel juſpatronatus in ſe contineat, ſicut eſt villa, vel caſtrum, quæ in ſe continent juriſdictionem, honorem, & juſpatronatus; ſed cùm dico, Vendo tibi omnia jura, hæc univerſalis reſolvendâ in ſingulares, idest, Vendo tibi hoc, & illud. Cùm autem juſpatronatus vendi non poſſit, ſub hac generali venditione nullatenùs comprehenditur. Ita formaliter Innocent. hic num. 2. cui conſentiunt Hoſtienſ. numer. 5. verſ. Sed quid ſi quis obliget, Joan. Andr. num. 3. verſ. Dixit etiam Innoc. Henric. Boich. n. 3. Butr. n. 6. verſ. Tertia reg. Cardinal. num. 16. quæſt. 11. Anchar. num. 11. Abb. eodem numer. Bero. n. 55.

24 Tertiò QUÆRO, ſi quis donet, aut vendat omnia bona, quæ habet in tali loco, numquid juriſpatronatus veniat in hoc contractu. Reſpondeo ſub diſtinctione: nam aut ille, qui donat, vel vendit omnia bona, quę habet in tali loco, reperitur ita habere univerſitatem, puta villam, vel caſtrum, & tunc in tali contractu utique venit juſpatronatus, ex quo univerſitas ibi reperitur, quæ juſpatronatus includit, ut hic & in cap. Cum ſæculum, infr. eodem. Aut in tali loco quis nullam habet univerſitatem, ſed aliqua bona particularia dumtaxat: & hoc caſu non venit juſpatronatus, quia non reperitur ibi aliqua univerſitas, cum qua tranſire poſſit. Ita diſtinguit Decius in cap. Sedes, n. 8. ſupra de reſcript. & eſt ex mente Innoc. hic num. 2. dum dicit in venditione omnium jurium, quæ aliquis habet in tali villa, non venire juſpatronatus, ſi villa non ſit ſua, quia tunc non eſt ibi aliqua univerſitas: oppoſitum ſentiens, ſi ſit dominus villæ, quia tunc cenſetur vendidiſſe univerſitatem, cùm qua benè tranſit juſpatronatus, ut dixi in præcedenti quæſtione.

Et per hoc cùm N. vendidiſſet omnia bona, quæ habebat in dominio Januen. arbitratus ſum in tali contractu non tranſiiſſe juriſpatronatus Capellæ, quod eidem competebat in Parochiali Eccleſia Sarzanen. diœceſis, quia 25 cùm in dominio Januenſi nullam haberet univerſitatem, cùm qua tranſire poſſet juſpatronatus, puta villam, caſtrum, vel feudum talis venditio non fuit univerſalis, ſed particularis, verbis generalibus concepta, quæ reſolvitur ſuas ſingularitates, perinde ac ſi dictum fuiſſet, Vendo talem, & talem fundum, quos habeo in ditione Januenſi, ſecundùm Innoc & alios. citat. in hac, & in præcedenti quęſtione: & hęc eſt communis opinio, in qua paucis exceptis omnes conveniunt, & deducit Lambert. in tract. hujus tit. p. 2. q. 5. art. 13. quam etiam plures ſequuta eſt Rota, ut dec. 1152. p. 3. diverſ. Pur. dec. 351. n. 1. verſ. Sed quia erat particularis, lib. 1. Seraph. dec. 725. Quamvis enim venditio facta fuiſſet verbis generalibus; hęc tamen gene- 26 ralitas reſtricta fuit ad certa loca, & ratione hujus reſtrictivæ non fuit univerſalis. Ad hoc autem, ut in venditione univerſitatis veniat juſpatronatus, requiritur, ut univerſitas ſit realis, non verbalis, ut inquit Federic. de Sen. conſ. 225. Si opinio n. 2.

Quartò QUÆRO, an in venditione omnium bonorum veniat juſpatronatus.

Doctores non conveniunt. Nam Abb. hic n. 12. quamvis dicat Innoc. & Jo. And. ſentire in venditione omnium 28 bonorum ſuorum non venire juſpatronatus; tamen ipſe tenet contrarium per text. in l. Bonorum, la ſeconda, ff. de verbor. ſignif. ubi dicitur: Bonorum appellatio, ſicut hæreditatis univerſitatem quamdam, ac jus ſucceſſionis, & non ſingulares res demonſtrat, ſequitur Felin. in c. Cauſam, nu. 8. ſupra de præſcript. & eſt communis opinio, ut inquit Decius conſ. 127. Plura dubia, num. 3. verſ. Sed ad iſta. Verùm ipſemet Decius in cap. Sedes, n. 7. verſ. Et idem ſi dicitur, ſibi parum conſtans, teſtatur communem opinionem eſſe contra Abb. Nec obſtat text. in d. l. Bonorum, 29 quia ut reſpondet Dec. loco proximè cit. n. 8. verſ. Non obſtat, loquitur quando quis reperitur habere univerſitatem, ad quam dicta verba referuntur, non autem quando quis haberet ſolum bona particularia, ut hoc caſu.

Sed tu adverte, quia appellatione bonorum veniunt etiam jura, & actiones, l. Bonorum, la prima, in fin. ff. 30 de verb. ſignificat. Abb. conſ. 43. Videtur primo, numer. 3. lib. 1. Cravett. conſ. 213. Ad primum quæſitum, num. 6. Tiraquell. in l. Si unquam, in verb. Bona nu. 8. & 9. C. de revocan. donat. ubi ferè innumeros citat, & num. 10. aſſerit ita omnes tenere exceptis paucis, quos ibi adducit. Præſertim, ſi adſit dictio univerſalis, Omnia, ut in caſu hujus 31 quæſtionis. Tunc enim abſque dubio jura, & actiones includuntur, ut idem Tiraquell. tradit de retract. lign. §. 1. gloſſ. 7. nu. 20. & ſeq. etiam in materia odioſa, ut confiſ- 32 cationis bonorum omnium: quia veniunt jura & actiones activæ, & paſſivæ, Imol. conſ. 35. In caſu præmiſſo n. 24. verſ. in contrarium facit: unde cùm paria ſint vendere omnia bona, ac vendere omnia bona, jura & actiones: ſolutio propoſitæ quæſtionis pendet omninò ab his, quę ſtatum dicam in quæſtione ſeq.

Quintò igitur QUÆRO, ſi quis dicat, Vendo omnia 33 mea bona, jura, & actiones, an ex tali contractu juſpatronatus tranſeat in emptorem? Solutio. Aut venditor habet in bonis ſuis aliquam univerſitatem, puta caſtrum, villam vel feudum: & tunc nemo dubitat, quin juſpatronatus tranſeat cum tali univerſitate, per ea, quę dicta ſunt ſupra in 3. q. Aut hujuſmodi univerſitatem non habet, & res non tranſit ſine magna difficultate: Doctores enim non 34 videntur convenire, & Rota ipſa variavit; aliquando enim cenſuit hujuſmodi venditione non tranſire juriſpatronatus, ut in Lucana juriſpatronatus die 6. Novembris 1598. coram Litta cujus hęc ſunt verba: Domini tenuerunt, quòd juſpatronatus, de quo agitur, non tranſivit in Michaelem vigore ceſſionis factæ per Nicolaum q. Lazzari de Guiniſiis anno 1439. ad favorem Domini Michaelis, de quo in ſumm. Alexandri Guiniſii ſub nu. 1. ea moti ratione, quia 35 licèt vigore ceſſionis, & alienationis, quæ fit ex titulo univerſali, tranſeat juſpatronatus, ut tradunt Lambertin. de jurepatronatu lib. 1. part. 2. artic. 7. quæſt. 5. principali num. 4. Molin. de primog. lib. 1. cap. 24. num. 7. & ſeq. Doct. in cap. Ex litteris, ubi Abb. in 1. notab. & in

cap.Cum ſæculum de jurepatron. Decius *conſ.*127.*num.* 1.*&*
*num.*2.*qui ad med.dict. num.* teſtatur de communi: & tran-
36 ſeat ad quoſcumque heredes mediante titulo univerſali he-
redis, ut per Covarruv. *lib.* 2 .*var.cap.* 18.*num.*6.Jaſon.*in*
*l.*1.*num.* 71. *ff. de leg.*1. *& in l. Venia*, *num.*2.*C.de in jus voc.*
ubi etiam Decius *num.*2.Tiraquell. *de primog. qu.* 36. Paul.
Fuſc.*ſingul.*114.*littera l.de commu-i.*Gigas *conſ.*50. *num.* 3.
Jo.Fabian.*in rubr.inſtit.de rerum diverſ.nu.* 2. Bart. Amada
lib. 8.*tit.* 13.*part.* 1.*gloſſ.* 4.*num.*2.*fol.*106.Didac.Perez. *lib.*
37 1.*tit.*6.*lib.*1.*pag.* 139.*in gloſſ.de van.ſucceden. &c.* Et ſimili-
ter tranſeat in emptorem hæredis, ut tenet Covarr. *lib.* 1.
*var.cap.*13 *num.*3.*& lib.*2. *cap.* 18. *num.*81. Bernard. Diaz.
*in reg.*401.Paul. Fuſc.*ſingul.* 115.*littera l.* Abb. *in c. Querelam*, *de Simon. num.* 4. ubi Anan. *num.* 6. & Felin.*num.*3.
verſ. in gloſſ. verb. Non potui, Roch. de Curt. *de jurepatr. in verb. Ipſe, vel is, num.* 46 Emanuel Coſta *cap. Si pater*,
in 2. *part.in verb.Trebell.num.*7. latè Petr. Omoz tract. *de contract.in tit.de emption.& vendit.n.*41. *verſ. Sed quæro* ,
38 Paul. de Cittadinis *de jurepatron. quæſt.* 1. *num.* 11. Non per hoc tranſit mediante venditione, ſeu ceſſione etiam omnium bonorum, jurium, & actionum verbis generalibus, & univerſalibus facta, niſi ſub dicta ceſſione tale quid univerſale verè comprehendatur, cui adhæreat ipſum juſpatronatus, ut puta villa, caſtrum, hæreditas, feudum, vel quid ſimile, ut benè declarat Innoc. *in d. cap. Ex litteris*, *n.* 2. quem ſequitur Hoſtienſ.*n.* 5. *verſ. Sed quid ſi quis obliget, vel vendat*, Jo.Andr.*num.* 3. *verſ. Dixit etiam Innocentius*, Boich.*num.*3. Card. Zabarell.*num.* 16. *quæſt.* 11. Butr. *num.* 6. *verſ. Tertia regula*, Anchar. *n.* 11.Bero *num.* 55.*de jurepatr.*Feder. de Sen.*conſ.*225.*num.* 2. Bald. *conſ.* 32. *lib.*1.Decius *in cap.Sedes, de reſcript. num.* 7.*in fin. & num. ſeq.*qui de communi cum aliis hìc per informantes relatis,
39 quos brevitatis gratia non refero. Et rationem hujus concluſionis poſt Innoc. Ancharan. & alios ubi ſupra aſſignat Bald *conſ.* 1. *num.* 5.*lib.*3. Et eſt, quia quando fit ceſſio, vel alienatio univerſalis reſpectu verborum tantùm, tunc talis univerſalitas reſolvitur in ſingularitates, & non plus importat generalis illa expreſſio, quàm enumeratio ſpecierum. Et ideò ſicut juſpatronatus de per ſe vendi non
40 poteſt, *cap. De iure, de jurepatron.* ita etiam non poteſt vendi ſub iſta univerſalitate verbali: aliàs fieret fraus legi, cùm ille qui nihil haberet, quàm juſpatronatus, aut parum plus, poſſet ſub prætexto venditionis univerſalis om-
41 nium bonorum ipſum juſpatronatus vendere. At ſecus eſt, quando fit ceſſio, vel alienatio univerſalis reſpectu rei, ut quia fiat venditio de hæreditate, de curia, de feudo, de caſtro, & de ſimilibus, quæ ſub ſe verè univerſitatem continent. Et ratio differentiæ eſt, quia cùm talis univerſitas non reſolvatur in ſingularitates, ad textum in *l.*1.*Cod.de evict.* non mirum, ſi cum ea tranſit juſpatronatus, cùm de per ſe hoc caſu non dicatur vendi, ſed potiùs in quandam neceſſariam conſequentiam rei venditæ, cui adhæret: & multa in conſequentiam neceſſariam permittuntur fieri, quæ principaliter prohibentur, vulg. *l.*1.*ff. de auct. tutor.* Hancque opinionem videtur ſequuta Rota apud AA. ut habetur *in dec. diverſ.* 1152. *lib.* 3.*part.*3.dum ibi concluditur in ceſſione omnium jurium non fuiſſe comprehenſum juſpatronatus, ea ratione,quia ceſſio fuit generalis verbalis,quę reſolvebatur in ſuas ſpecies, & non univerſalis ratione rei, prout requiritur. Et licèt Abb d... *Ex litteris*,*n.*11.& alii qui eum ſequuntur, contrarium teneant, & ſignanter Decius qui in hoc parum conſtans eſt, in *dict. conſ.* 127. attamen ſententia Innocentii, quam nuper, & aliàs amplexa fuit Rota, & auctoritate plurium, & quidem graviſſimorum virorum,& firmiori ratione fulcita
42 videtur. Nec deciſio Putei 351.*lib.* 2 in aliquo repugnat, cùm & donatio particularis juriſpatronatus accedente conſenſu Ordinarii fieri poſſit,ut per Lambert. *de jurepatr.* 2 *p.lib.*1.*q.*1 *princ.art.*1.*&* 2.

43 Ultra quod in caſu de quo agitur eò faciliùs admitti debet ea ſententia; tum quia ceſſio prædicta eſt de bonis omnibus ipſius Nicolai, & tamen juſpatronatus non poteſt dici de bonis laici ad effectum prædictum, Bald. *conſ.* 335. *num.* 2.*verſ. Ad evidentiam*, *lib.*1. benè Put. *d. deciſ.* 351. *in fin.* tum etiam quia cedens, & ceſſionarius voluerunt bona, & jura data in ſolutum haberi pro deſignatis, nominatis, & ſpecificatis per eorum nomina, confinia, & vocabula. Ex quibus verbis manifeſtè conſtat non fuiſſe factam ceſſionem tamquam de univerſo, ſed tamquam de rebus particularibus, quo caſu non ambigitur juſpatronatus non comprehendi. Ad illud autem, quòd deducebatur per informantes pro Alexandro Guiniſio circa præſentationes poſt dictam ceſſionem factas in executione illius tantum temporis ſpatium, quo pretendi poteſt Michaeli, & deſcendentibus illius fuiſſe, ſi non vigore dictæ ceſſionis, ſaltem mediante præſcriptione acquiſitum juſpræſentandi: fuit reſponſum non eſſe præſentis ſpeculationis,ſed de eo in alia poſitione particulariter agendum eſſe, Hactenùs verba deciſionis.

Contrariam opinionem, ideſt in venditione omnium 44
bonorum,jurium,&actionum venire juſpatronatus,tenuerunt Deias *conſ.* 127. *Plura dubia*, *n.* 2. *& n.* 3.*verſ. Sed ad iſta*, ubi firmat in conceſſione bonorum,ac jurium tranſire etiam juſpatronatus, Put. *dec.* 351.*n.*1.*lib.*2.Seraph. *deciſ.* 725. ubi reſolvit in donatione omnium, & quorumcumque bonorum mobilium, & immobilium, jurium, & actionum ſimiliter venire etiam juſpatronatus, Rota *in rec.dec.*207.*n.*11. 12. 13.*&* 16.*p.*6.

Et quamvis præcitatæ deciſiones loquantur in terminis 45
donationis: tamen non fundant ſe in eo, quòd donatio facta fuerit de conſenſu Diœceſani; tunc enim quæſtio eſſet de indubitabili, cùm juſpatronatus donari poſſit etiam particulariter, & nominatim accedente Ordinarii conſenſu, ut ſupponit Rota in prædicta deciſione litteræ;ſed fundant ſe in eo, quòd donatio omnium bonorum, jurium, & actionum univerſitatem continet, cum qua indiſtinctè tranſit juſpatronatus abſque conſenſu Ordinarii, ſive contractus ſit gratuitus, ſive non, ut oſtenſum eſt ſupra *nu.* 3. Quinimò *in d. deciſ.* 207. *num.* 14. *&* 15. diſertis verbis dicitur non obſtare, quòd in donatione non intervenerit conſenſus Ordinarii, ſine quo juſpatronatus donari non poteſt, quia hoc procedit in particulari donatione; ſecus autem eſt in donatione univerſali omnium bonorum, & jurium,in qua conſenſus Ordinarii minimè requiritur. Eidem ſententiæ adſcribi poſſunt authores omnes, qui in fortioribus terminis voluerunt, ut ſi quis dicat: Vendo tibi omnia bona mea, nulla facta mentione jurium, & actionum, nihilominùs veniat juſpatronatus, inter quos Abb. *hìc num.* 12. Felin. *cap. Cauſam*, *num.* 8. *de præſcript.* & Decius, qui de communi teſtatur *d.conſ.*127.*n.* 3.*verſ. Sed ad iſta*.

Et hanc ſecundam opinionem ego puto veriorem, & in 46
practica amplectendam. Tum quia negeri non poteſt, quin appellatio omnium bonorum, jurium, & actionum univerſitatem quandam deſignet, ut à fortiori probatur in *d.l.Bonorum*, *la ſeconda*, *ff. de verb. ſignific.* Nam intellectus Decii, de quo ſupra *num.* 29. divinat, cùm ille text. generaliter loquatur;ac proinde inevitabiliter probat hanc opinionem, ut inquit Roch. de Curt. *in tract. hujus tit.in verb. Ipſe, vel is*. Tum quia ſupraſcripta Deciſio Lucana juriſpatronatus præcipuè nititur auctoritate Innocentii *hic num.* 2. qui tamen non loquitur in venditione omnium bonorum, vel jurium ſimpliciter, & abſolutè, ut in caſu quæſtionis propoſitæ,ſed in venditione omnium jurium reſtituta ad certum locum; ſic enim ait: (Si quis obliget, aut vendat omnia jura, quæ habet in aliqua villa, cùm non ſit ſua, ſed ibi certos tantùm fundos habeat, vel certa jura, numquid in tali contractu tranſit juſpatronatus? Reſp. non.) Hæc Innoc. qui, ut vides, loquitur in venditione omnium jurium reſtricta ad certum locum, unde trahi non poteſt ad caſum noſtrum; quia magis univerſum eſt vendere omnia bona, jura, & actiones ſimpliciter, & abſolutè, quàm vendere omnia, ſeu omnia jura, quæ quis habet in tali villa, cum primum ſit totum, ſecundum verò pars. Neque hoc caſu valet argumentum à toto ad partem, cùm rationes ſint diverſæ, nempè quia cum univerſitate tranſit juſpatronatus, cùm non univerſo non tranſit, ut inquit Lambert.in. *de jurepatron. part.*2.*lib.* 1. *in* 5. *q. principali art.* 14. *num* 4.*ver.Conſidero tertiò*, licèt Abb. *hic num.* 12.dicat,& malè, Innocent. & Jo. Andr. ſentire, ut ſi quis vendat omnia bona ſua, non tranſeat juſpatronatus: quod dictum Abbatis multis errandi cauſam præbuit, qui ad verba Innocentii non adverterunt. Nec verum eſt, quod dicitur in d. *deciſ.* Seraphin. 725. *num.* 1. *verſ. Sed contrarium*, nempè doctrinam Innocent. non eſſe receptam; imò enim in ſuo caſu, ideſt in venditione omnium jurium limitata ad certum locum, ſeu villam ſequaces habet Hoſtien. Joan. Andr. Butr. & alios complures

plures in deciſ. Littæ allegatos. Quinimò cum ipſo paucis exceptis conveniunt omnes, & ipſamet Rota, ut dixi ſupra *in 2. q. num. 23.*

47 Concludo igitur, in venditione omnium jurium & actionum ſine ulla limitatione loci abſque dubio tranſire juſpatronatus, etiamſi venditor in ſuis locis nullam habeat univerſitatem, puta villam, vel caſtrum, quia ipſa bona, jura, & actiones ſunt univerſitas, ſicut peculium, & hæreditas,
48 *ut l. Item*, §. *Non ſolum, ff. de petition. hæredit.* Nec talis dicitur univerſitas verbalis, quæ reſolvitur in ſingularitates, ut dicitur in deciſione Littæ; imò eſt realis, cum qua benè tranſit juſpatronatus. Et ideò non obſtat Bald. *conſ.* 1. *n.* 5. *lib.* 3. in dec. allegatus, imò declarat mentem Innoc. juxta explicationem noſtram per hęc formalia verba: [Dicit Innoc. quod cum re certa, puta cum fundo Botriano non tranſeunt jura mixta, ſicut eſt juſpatronatus; ſed cum univerſitate diſtinguit: Aut eſt quid univerſale ratione ſigni univerſalis, aut ratione rei univerſalis. Primo caſu, ut cum dico: Vendo omnes poſſeſſiones talis villę, & jura, quę ibi habeo, non tranſit juſpatronatus. Secundo caſu tranſit, ut nomine hæreditatis.] Hæc Bald. qui ut vides, intelligit univerſitatem ratione ſignis univerſalis, quando eſt reſtricta ad certum locum: ratione verò rei univerſalis, quando nullis finibus circumſcribitur, ſicut hæreditas, *l.* 3. *§. Hæ-*
49 *reditatis, ff. de bon. poſſ.* Rurſus non obſtat motivum, quod juſpatronatus per ſe vendi non poſſet, & ſi tranſiret cum iſta univerſitate, poſſet fieri fraus legi, cùm ille qui nihil haberet in bonis quàm juſpatronatus, vel parum plus, poſſet ſub prætextu venditionis omnium bonorum, ac jurium ſibi competentium vendere ipſum juſpatronatus. Nam reſpondetur hanc conſiderationem non eſſe attendendam, quando venditur ipſa univerſitas realis; alioquin ſequeretur, ut ſi aliquis venderet hæreditatem ad ſe delatam, in qua nihil aliud eſſet niſi unicum juſpatronatus, cum tali hereditate ipſum juſpatronatus non tranſiret. Sed abſit, ut tales ſubtilitates ſecundùm Canones conſiderentur, ut ait Feder. de Sen. *conſ.* 225. *Si opinio, n.* 2. *verſ. Et non eſt dubium, quod ille qui ſolum juſpatronatus habet.* Sicut igitur hæc conſideratio non attenditur in venditione hæreditatis, ita nec in venditione omnium bonorum, quia ita continet univerſitatem venditio omnium bonorum, ſicut venditio hæreditatis, ut voluit Baldus *in l.* 1. *n.* 7. *Cod. de bon. liber.* & Abbas *hic n.* 12. & conſtat ex jam dictis.

50 Demum non obſtat Doctrina Baldi *in l. fin. nu.* 59. *C. de edict. D. Adr. toll.* ubi determinat; ut ſi quis dicat: Dono tibi omnia jura mea, non tranſeat juſpatronatus, quia dictio, *Mea*, eſt dominii ſignificativa, *l. Quintus* §. *Argen-*
51 *to ff. de aur. & de arg. legat.* Sed patronus non eſt dominus abuſivè, ut *l. Tale*, §. *fin. ff. de hæredit. inſtit.* Et idem ſi dicat: Omnia jura quæ habeo: nam ſermo iſte generalis per ſuas ſpecies intelligitur, *ut l. Si chorus, ff. de legat.* 3. Sed in ſpeciebus dinumerandis non poteſt dinumerari juſpatronatus, quare non includitur. Sequitur Lambert. *de jurepatr. p.* 2. *lib.* 1. *in* 5. *q. princ. art.* 14. *n.* 5. *verſ. Tertius caſus.*

Id inquam non obſtat, quia hæc doctrina non eſt vera, cùm ſe fundet in illa particula, *Mea*, quę nihil facit, ut deducit Rebuff. *in d. l. Bonorum, la ſeconda, ff. de verb. ſign.* & alii, quos ſequitur Rota apud Card. Seraph. *d. dec.* 725. *n.* 1. *verſ. Neque opinio Lambertini.*

52 Ad rationem Baldi poſset reſponderi nihil obſtare, quòd illud pronomen, *Mea*, ſit dominii ſignificativum, & patronus non ſit dominus; quia dictio, *Mea*, non refertur ad juſpatronatus, alioquin contractus eſset ſimoniacus, cum juſpatronatus per ſe vendi non poſſit, *c. Quia clerici*, & ibi gl. *ult. ſupra eodem & infra c. De jure*; ſed refertur ad ipſam univerſitatem, cum qua non miniſterio hominis, ſed miniſterio juris tranſit juſpatronatus tamquam acceſſorium, & in quandam neceſſariam conſequentiam rei venditę, cui adhæret, ut dicitur in deciſ. Littæ. Et quemadmodum, ſi quis dicat, Vendo tibi villam meam, illud pronomen, *Meam*, non impedit tranſitum juſpatronatus, ut hìc admittunt Innoc. & omnes: ita nec impedire debet, ſi dicat: Vendo omnia bona mea, quia neutro caſu tranſit ex vi pronomis, *Mea*, ſed ex vi univerſitatis, cui accedit.

Præterea inepta videtur differentia, quam conſtituit Roch. *ubi ſupra*, inter venditionem omnium bonorum factam ſimpliciter, & factam cum illa dictione, *Mea*. Quoniam ad praxim deduci non poteſt, ut quis vendat univerſaliter omnia bona, niſi ea demonſtret per illud pronomen, *Mea*, vel aliud æquipollens, ut animadvertit Lambert. *d. q.* 5. *art.* 14. *verſ. Conſidera ſextò.*

Sextò QUÆRO, an vendita hæreditate tranſeat juſpatronatus. 53

Reſpondeo tranſire, quia hęreditas eſt quid univerſum, ut in *d. l. Bonorum, la ſeconda, ff. de verb. ſignif. & in l. Hæreditas, & l. Item*, §. *Non ſolum, ff. de petit. hæred.* & ita communiter tenetur, ut dicit Abbas *hic n.* 13. Ideòque 54
juſpatronatus competens filiis, & ſucceſſoribus, dicitur tranſlatum cum univerſitate per ceſſionem à filio factam de omni jure, quod in hæreditate habebat, Achill. de Graſſ. *deciſ.* 9. *de jurepatr.*

Septimò QUÆRO, an juſpatronatus veniat in legato 55
omnium bonorum.

Reſpondeo affirmativè, quia hujuſmodi legatum intelli- 56
gitur univerſale, *l. Quoties*, §. *ult. ff. de uſufr.* juncta *l. Cogi, in princ. cum l. præced. ff. ad Trebellian. & l. Uxori meæ,*
ff. de uſufr. legat. Ideòque juſpræſentandi magis pertinet ad 57
uxorem relictam uſufructuariam omnium bonorum, quàm ad hæredem, ut poſt prolixam diſputationem concludit Lambertin. *de jurepatr. p.* 2. *lib.* 1. *q.* 10. *principali art.* 3. ubi etiam *nu.* 22. *verſ. Poſſet etiam dici cum ſeq.* refert Anton. Corſ. qui poſteà fuit Rotę Auditor, & Chriſtophorum Albam Juriſconſultos primarios legentes in ſtudio Patavino ita conſuluiſſe; & in civitate Calabrię ſic judicatum fuiſſe: & eum ſequuta fuit Rota coram Cardin. Mantica, *dec.* 140.

An autem præſcribens univerſitatem bonorum præſcri- 58
bat juſpatronatus ei immixtum, plenè examinat Felin. in *d. c. Cauſam, n.* 8. *de præſcriptione.*

Octavò, & ultimo QUÆRO pro complemento mate- 59
riæ, an tranſeat juſpatronatus, cùm venditur talis univerſitas, cum qua de jure tranſiret, ſi in hujuſmodi venditione juſpatronatus exprimatur: veluti, ſi vendatur caſtrum cum omni juriſdictione, & jurepatronatus.

Joan. Andr. in *cap. unic. num.* 1. *verſ. Quærò, de quo dubitari vidi, infr. eodem lib.* 6. diſputat latiſſimè hanc quęſtionem in utramque partem, & *num.* 3. *verſ. Item audivi*, refert, pro parte affirmativa fuiſſe in Curia ſententiatum in venditione, quam fecerat Capitulum Herbipolen. Decano & Capitulum S. Stephani Moguntini de villa Ingilem, exprimendo Curiam, agros, vineas decimas, cenſus juſpatronatus cum omnibus juribus; &c. Sed nihilominùs 60
eodem *n.* 3. *verſ. Propter quæ*, conſuluit tamquam certum, ut numqnam fiat expreſſio juriſpatronatus venditioni conjuncta, & per quam dici poſſit illud expreſsè venditum; ſed in fine inſtrumenti fateatur venditor ſe deſiiſſe eſse patronum, & omne poſſeſſionis commodum, & animum depoſuiſſe.

Gemin. verò in *d. c. unico*, referendo Jo. Card. dicit poſ- 61
ſe concludi ſub hac diſtinctione, videlicet aut expreſſio fit declarativè, ut vendo villam cum omnibus juribus, id eſt juriſdictione, jurepatronatus &c. & tunc tranſit, quia talis declaratio non inducit novam, vel ſingularem venditionem, arg *l. Hæredes palam, ff. de teſtam.* Aut expreſſio 62
fit non declarativè, ſed conjunctivè, ut Vendo villam, & juſpatronatus: & hoc caſus juſpatronatus non tranſit, ex notat. per Jo. Andr. *ubi ſupra* Addit. Franc. *in eod. c. unico num.* 3. *verſ. Sed imò* quod etſi expreſſio juriſpatrona- 63
tus fiat continuativè, tamen ſi fiat eo modo, quo tacitè ineſt, ita ut appareat illud non venire principaliter, ſed acceſſoriè, velut, ſi vendatur caſtrum cum jurepatronatus; &
tunc tranſeat, cùm acceſſoriè veniat. Fatetur tamen hoc 64
pendere ab inſpectione, an dictio, *Eum*, conjungat principaliter, an acceſſoriè. Abb. Marian. Soccin. & alii in *c. Querelam, de ſim.* diſtinguunt, an dicatur, Vendo caſtrum cum jurepatronatus, vel Vendo caſtrum, & juſpatronatus, ut in primo caſu tranſeant cum univerſitate; in ſecundo autem non: ſed hanc diſtinctionem reprobat ibi Felin. *in ultim. col.* concludens neutro caſu juſpatronatus tranſire in emptorem: & hanc opinionem ſequitur, & validiſſimis fundamentis comprobat Lambert. *de jurepatr.* 2. *p. lib.* 1. *in* 5. *q. princ. art.* 20. *num.* 12. *uſque in fin. art.* quę & mihi magis placet, tum quia conformior eſt dictis Jo. And. tum quia firmioribus rationibus fulcitur; tum demum quia tutior eſt propter periculum ſimoniæ, & ideò in dubio amplectenda, *c. Juvenis, infra de ſponſ. & c. ad Audientiam, de homicid. cum concordant.*

DE JUREPATRONATUS.

Idem Alexander III. Abbati ſancti Alberti.

CAPUT XIX.

Conſultationibus: & infra. Si aliquis clericus ab ordinario judice in Eccleſia fuerit inſtitutus ad præſentationem illius, qui ejuſdem Eccleſiæ credebatur eſſe patronus, & poſteà juſpatronatus alius evicerit in judicio, inſtitutus non debet ab ipſa propter hoc removeri, ſi tempore præſentationis ſuæ, ille qui eum præſentavit, juſpatronatus Eccleſiæ poſſidebat: cum ex hoc ei, qui de jure debet habere, nullum in poſterum præjudicium generetur. Si verò non poſſidebat, ſed tantùm credebatur eſſe patronus, cùm non eſſet, poterit ab eadem Eccleſia removeri.

SUMMARIUM.

1 *Præſentandi poteſtatem conferunt poſſeſſio, & communis credulitas, & n.* 3.

2 *Inſtitutus ad præſentationem ejus, qui tunc juſpatronatus poſſidebat, & credebatur patronus, non removetur, licèt illud jus ab eo poſteà evincatur.*

3 *Geſta non ſuſtinentur ex titulo putativo, & communi errore, niſi concurrat poſſeſſio, vel quaſi.*

Præſentatio ut ſit valida, non requiritur, ut præſentans ſit patronus, ſed ſatis eſt, ut tempore præſentationis ſit in quaſi poſſeſſione præſentandi, & communiter reputetur patronus, ibidem, & num. 4. *& num.* 14.

*Et quid poſt Concilium Tridentinum, num.*8. *& ſeq. uſque in fin.*

5 *Præſentatio eſt fructus juſpatronatus.*

6 *Fructus pertinent ad bonæ fidei poſſeſſorem, non ad proprietarium.*

7 *Collatio facta ab exiſtente in quaſi poſſeſſione conferendi ſuſtinetur, licèt jus conferendi non habeat.*

8 *Juriſpatronatus titulus hodie probari debet ad præſcriptum Concil. Trident. nec ſufficit poſſeſſio præſentandi, & n. ſeqq.*

9 *Tridentinum Concilium circa probationem juriſpatronatus locum habet tam in petitorio, quam in poſſeſſorio.*

10 *Patronus poteſt à ſua quaſi poſſeſſione repelli, niſi patronatum probaverit juxta formam Concilii, etiamſi Ordinarius poſt Concilium admiſiſſet præſentationem ſine cauſæ cognitione.*

11 *Etiamſi patronus probaverit ſe per quadraginta annos præſentaſſe.*

12 *Juſpatronatus non probatur ex præſcriptione, niſi illa ſit immemorabilis.*

13 *Ad immemorabilem conficiendam computari debent anni elapſi uſque ad tempus controverſiæ motæ.*

15 *Præſentatus à bonæ fidei poſſeſſore, de jure communi debet inſtitui, & præferri præſentato à proprietario, ſecus ex Concil. Trident.*

16 *Niſi agatur de ſola pertinentia juriſpatronatus inter præſentatos, quia tunc Concilium non intrat, & præfertur præſentatus à poſſidente.*

17 *Præſentandi quaſi poſſeſſio ex unico etiam actu acquiritur.*

1 *Conſultationibus.* Poſſeſſio, & communis credulitas poteſtatem conferunt præſentandi. Hoc dicit ſecundùm Abb. Antiq. & Joan. de Anan. Vel aliter ſecundùm Joan. Andr. & alios poſt eum: Inſtitutus ad præſentationem ejus, qui tunc juſpatronatus Eccleſiæ poſſidebat, removeri non debet, licèt illud jus ab eo poſtmodum evincatur; ſecus, ſi non poſſidebat, ſed tantùm credebatur eſſe patronus, Dividitur in duas partes; ſecunda ibi, *Si verò.*

2 Nota primò ex priori parte textus, duo eſſe neceſſaria, ad hoc ut ſuſtineatur inſtitutio ad præſentationem ejus qui patronus non eſt, videlicet, ut communiter reputetur patronus, & ſit in poſſeſſione præſentandi, prout hìc notant gloſ. 1. Hoſt. *num.*1. *in verb. Credebatur*, Abb. Antiq. & Joan. de Anan. uterque in ſummario. Et hinc collige notabilem limitationem *ad l. Barbarius, ff. de offic. Prætor.* 3
& ad conſimilia jura, quæ diſponunt geſta à non habente poteſtatem, ſuſtineri ex titulo putativo, & communi errore; procedunt enim, dummodò cum communi errore concurrat poſſeſſio, vel quaſi proprietatis, ſeu poteſtatis, & ita poſt Innoc. ſingulariter limitant prædicta jura, Anton. de Butr. *hic num.*4. Abb. *in* 2. *not.* & Joan. de Anan. *num.*2. Alias declarationes ad *d. l. Barbarius*, poſui *in cap. Quod à prædeceſſore, infra de ſchiſmat. & in cap. Super eo de crimine falſi.*

Secundò nota ibi, *Juſpatronatus Eccleſiæ poſſidebat*, ad 4
validitatem præſentationis non requiri, ut præſentans habeat titulum, & proprietarium juriſpatronatus, ſed ſatis eſſe, ut tempore actus præſentationis ſit in quaſi poſſeſſione juris præſentandi; & ad hoc communiter allegatur hoc capitulum ſecundùm Anton. de Butr. *in primo notab.* Et 5
ratio hujus deciſionis eſt, quia præſentatio eſt fructus juriſpatronatus, *cap. Ex litteris, ſupra eodem.* Fructus au- 6
tem pertinent ad bonæ fidei poſseſsorem, non ad proprietarium, *cap. Gravis, ſupra de reſtit. ſpoliat. & §. Si quis à non domino, inſtitut. de rer. diviſ.* Unde quamvis poſteà juſpatronatus ab alio evincatur, tamen inſtitutus ad præſentationem bonæ fidei poſseſsoris non removetur, ut in textu: quia factum legitimè non retractatur, etiamſi devenerit ad caſum, à quo incipere non potuit, *cap. Præcepta*, 55. *diſt. & l.* 2. *ff. de itin. actuque privat.* & ita hìc notat Innoc. *in verb. Poſſidebat*, cui Hoſt. *num.*3. *in eod. ver.* Joan. Andr. *num.* 2. Abb. *in* 1. *not. & numer.*3. *verſ. Sed ratio decidendi*, Joan. de Anan. *num.* 1. & cæteri ſubſcribunt. Et idem juris eſt in quaſi poſseſſione eligendi, ut eſt 7
caſus *in cap. Querelam, ſupra de elect.* Abb. *hic num.* 2. & in quaſi poſseſſione juris conferendi, ut *cap. Cum olim, ſupra de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* & tradit Bald. *conſ.* 437. incipien. *Ex quo Abbas, in princ. lib.*2. & Rota *deciſ.*308. *n.* 6. *part.* 1. *recent.*

QUÆRUNT hic Doctores, an exiſtens bona fide in quaſi poſseſſione juriſpatronatus, ſi ſibi moveatur quæſtio ſuper proprietate, pergere poſſit in ſua quaſi poſseſſione præſentandi etiam poſt litem conteſtatam: anve ſic præſentatus ſit inſtituendus, ut latè proſequitur Innocentius *in eodem verb. Poſſidebat*, Hoſtien. & Joan. Andr. *loc. cit.* & reliqui poſt eos.

Verùm hujuſmodi quæſtiones, & conſimiles hodie ſunt 8
fermè inutiles, & ideò illas non proſequor, quia diſpoſitio hujus decretalis hac in parte corrigitur à Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 9. ubi ſtatuitur, ut [titulus juriſpatronatus ſit ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico documento, & aliis jure requiſitis oſtendatur, ſive etiam ex multiplicatis præſentationibus ſupra hominum memoriam, aliàſve ſecundum juris diſpoſitionem. In iis verò perſonis, vel univerſitatibus, in quibus id jus plerumque ex uſurpatione potiùs quæſitum præſumi ſolet; immemorabilis non aliter ſuffragetur, quam ſi præter reliqua ad eam neceſsaria præſentationes etiam continuatæ non minori ſaltem, quàm quinquaginta annorum ſpatio, quæ omnes effectum ſortitæ ſunt, authenticis ſcripturis probentur.

tur. Reliqui patronatus omnes, & privilegia conceſſa tam in vim patronatus, quam alio quocumque jure nominandi, eligendi, & præſentandi, exceptis iis, quæ ad ſupremos Principes pertinent, vel in favorem generalium ſtudiorum conceſſa ſunt, in totum prorſus abrogata, & irrita cum quaſi poſſeſſione inde ſequuta intelligantur.)

9 Ponderanda enim ſunt hæc poſteriora verba, *Cum quaſi poſſeſſione inde ſequuta*, quæ apertè oſtendunt ad validitatem præſentationis, vel inſtitutionis non ſufficere, ut præſentans communiter reputetur patronus, & ſit in quaſi poſſeſſione juris præſentandi, niſi doceat de titulo, & proprietate juris patronatus ad preſcriptum Concilii; cujus contrarium ſtatuitur hìc, *& in d.c. Querelam de elect.* Unde Sac. Congreg. Cardinalium ejuſdem Concilii Interpretum aliàs cenſuit decretum *d.c.9. ſeſſ.25.* circa probationem juris patronatus, habere locum etiam in petitorio, & in poſſeſſorio: ideòque admittendam non eſſe præſentationem, nec præſentati inſtitutionem faciendam eſſe, niſi probato priùs jure
10 patronatus ad præſcriptum ejuſdem Concilii. Imò etiam ſi poſt Conc. Ordinarius admiſiſſet præſentationem ſimpliciter, & abſque cauſæ cognitione, poſſe prætenſum patronum à ſua quaſi poſſeſſione repelli, niſi patronatum legitimè probaverit, juxta formam Concilii: quod etiam decidit Rota in Volaterrana Capellaniæ 18. Aprilis 1595. coram Cardinali Blanchetto relata à Nicolao Garzia *de benef. part.*
11 *5. cap. 5. n.* 139 Quin etiam cùm eſſet quæſitum, an ſi quis probaverit ſe per quadraginta annos præſentaſſe, & in poſſeſſione, vel quaſi præſentandi fuiſſe, admitti debeat ad præſentandum, non obſtante decreto Concilii Tridentini *c.9. ſeſſ.25.* ibi, *Aliaſve ſecundum juris diſpoſitionem*: Sac.
12 Congregatio cenſuit non debere admitti, atque illa verba, *Aliaſve ſecundum juris, &c.* ita intelligenda eſſe, ut non reſpiciant tempus, de quo jam expreſsè Concilium diſpo-
13 ſuit, & voluit eſſe immemorabile; ſed reſpiciant alias cauſas, & alios modos, quibus ſecundum jus vetus probari poteſt jus patronatus. Item cenſuit ad conficiendum antiquiſſimum temporis curſum, qui hominum memoriam excedat, computandos eſſe annos elapſos uſque ad terminum controverſiæ moræ, & non tantùm tempus decurſum uſq; ad publicationem Concilii. Rurſus propoſito dubio, an aſſerenti ſibi competere jus patronatus ex dotatione, ſeu fundatione; neceſſe ſit ipſum documentum dotationis, ſeu fundationis exhibere: an verò ſatis ſit, ſi una, aut altera præſentatione de anno 1554. & 1551. quæ effectum ſortitæ fuerint, oſtendatur enuntiatum fuiſſe competere ſibi jus patro-
14 natus ex dotatione, vel fundatione: Die 26. Januarii 1581. reſponſum eſt, non eſſe ſatis. Ex his patet hodie deferendum non eſſe Authoribus, qui ſcripſerunt exiſtentem in quaſi poſſeſſione juris patronatus, ſeu præſentandi, validè præſentare, & ejus præſentationem eſſe admittendam, ita ut inſtitutio ſequi debeat, licèt titulus juris patronatus non oſtendatur; inter quos Oldrad. *conſ.* 212. incipit, *Thema quæſtionis n.2. verſ. Et dato*, Lap. *allegat. 95. in fin.* Duenn. *reg.* 282. Covarr. *pract. quæſt. c* 14. *nu.2. verſ. Tertium, &c.* 36. *n* 5. *verſ. Quinto col.2.* Navarr. *conſ.* 19. *in tit. de præben. in antiq.* Mantica *deciſ.86, n.1.* Rota *deciſ.* 224. *nu.* 1. *part.* 1.
15 *rec.* Quemadmodum nec deferendum eſt aliis qui dixerunt, cùm duo ſunt præſentati, unus ab exiſtente in poſſeſſione præſentandi, alter verò ab habente proprietatem juris patronatus, inſtituendum eſſe præſentatum à bonæ fidei poſſeſſore, Feder. de Sen. *conſ.* 234. *incip. Super primo puncto nu.3. verſ. Sed in caſu propoſito*, Oldrad. *d. conſ.* 312. Cardin. *conſ.* 69. *Quoad dubium ſub n.4.* Abb. hìc *in ult. notab. & conſ.* 54. *Videtur primo n.2. vol.1.* Decius *conſ.* 117. *Et pro tenui facultate ſub n. verſ. Et in tali præſentatione, & conſ.* 134 *in 1. dubio*, Mandoſ. *conſ.* 41 *in cauſa Auſculana n.4.*

His, inquam, Authoribus hodie non eſt deferendum: nam plerique ipſorum ſcripſerunt ante Concilium Trident. qui verò ſcripſerunt poſteà, loquuntur in terminis juris communis, allegantes hoc c. *Conſultationibus, & c. Querelam de elect.* nec reſpexerunt ad diſpoſitionem Concilii, cùm de illo nullam fecerint mentionem. Tene igitur hodie præſentationem non eſſe admittendam, nec præſentatum inſtituendum, quantumcumq; præſentans ſit in quaſi poſſeſſione præſentandi, niſi priùs legitimè doceat de titulo, & proprietate juris patronatus, juxta formam a Concilio præſcriptam *in d.c. 9.* & ex duobus præſentatis præferendum eſſe preſentatum à proprietario, non autem preſentatum ab eo, qui poſſidet ſine titulo: quod etiam poſt Concil. obſervat Nicolaus Garzia *de benef. par. 5. c. 5. n.* 137.

Admonendi tamen ſumus, diſpoſitionem Concilii locum 16
non habere, ſi quæſtio ſit ſuper pertinentia juris patronatus inter plures præſentatos: puta quia vacante beneficio Ordinarius cognovit de jure patronatus, & ſervatis ſervandis pronuntiavit de eo conſtare ad præſcriptum Concilii, & ſententia juſtificatur ex actis, & ſic non controvertitur ampliùs de titulo, & proprietate juris patronatus; ſed ſolùm vertitur quæſtio inter duos, vel plures præſentatos, ad quem ex præſentantibus jus præſentandi pertineat, veluti ſi controvertatur, quis eorum ſucceſſerit in jure patronatus; & tunc non intrat decretum Concilii, cùm illi jam ſatisfactum fuerit per verificationem patronatus juxta formam ibi præſcriptam; ſed ſervari debet hoc capitulum, & c. *Querelam de elect.* ideòque inter præſentatos preferendus eſt præſentatus ab eo, qui eſt in pacifica, & immediata poſſeſſione juris præſentandi; & ita reſolvit Rota in Tiraſonen. juris præſentandi 16. Octob. 1592. coram Blanchetto impreſſa apud Garz. *de benefic. in ult. part. cap. 2. n.* 241. & in Piſana Capellaniæ 20. Maji 1594. coram eodem Blanchetto, ubi inter cætera Domini dixerunt, ſententiam de partibus in ea cauſa latam eſſe confirmandam: cùm enim indubitatum ſit hanc Capellaniam eſſe de jure patronatus, & ſolùm controvertatur pertinentia illius ad effectum, de quo agitur, attenditur ſolùm quaſi poſſeſſio, *c. Conſultationibus, de jurepatronatus*: & infra dixerunt non obſtare, quòd quaſi poſſeſſio non debeat attendi poſt Concil. Trid. niſi fuerit adhibita cauſæ cognitio juxta deciſionem S. Congreg. quia deciſio procedit, quando eſt controverſia ſuper libertate beneficii, ſecus quando agitur inter præſentatos ſuper pertinentia juris patronatus; nam hoc caſu Concilium nihil innovat, ut apud eumdem Garziam *par. 5 ca 5. n.* 141. Idipſum reſolvit eadem Rota in Pampilonen. Vicariæ de Ataun. 12. Maji 1595. coram Penia, in qua cenſuerunt Domini præſentatum à Philippo de Lezeano eſſe inſtituendum, & præferendum præſentato ab incolis, cum non agatur de canonizatione juris patronatus, nec Ordinarius ſe opponat, ſed tantùm agatur quis ex præſentatis veniat inſtituendus; & ad hunc effectum ſatisfit, iſtos de Lezeano, & eorum domum, & 17
familiam eſſe in quaſi poſſeſſione præſentandi, quæ ex unico etiam actu acquiritur: præferenda enim eſt præſentatio illius, qui reperitur in quaſi poſſeſſione, & ſtatus ultimus eſt attendendus: allegant *hoc cap. Conſultationibus cum aliis, &c.* ut latiùs apud eumdem Garz. *dict. cap.* 5. *num.* 142.

DE JUREPATRONATUS.

Lucius III. Norvicen. Epiſcopo.

CAPUT XXIV.

CUm autem advocatus clericum idoneum Epiſcopo præſentaverit, & poſtulaverit poſtmodum eo non refutato alium æquè idoneum in eadem Eccleſia admitti: quis eorum alteri præferatur, judicio Epiſcopi credimus relinquendum, ſi laicus fuerit cui jus competit præſentandi. Verùm ſi collegium, vel Eccleſiaſtica perſona præſentationem haberet, qui prior eſt tempore, jure potior eſſe videtur.

SUMMARIUM.

1 *PAtronatus laicus uno præſentato poteſt alium præſentare: clericus hoc non poteſt.*
2 *Gratificatio datur Epiſcopo inter plures ſucceſſivè præſentatos à Patrono laico, ſed inter præſentatos ab Eccleſiaſtico potior eſt primò præſentatus.*
3 *Advocatus ſumitur pro patrono, & jus advocationis pro jure patronatus.*
4 *Patronus tenetur Eccleſiam tueri ab omnibus oppreſſionibus.*
5 *Patronus laicus poteſt duos præſentare ſucceſſivis temporibus, & plures ſimul eo modo, ut Epiſcopus alterum eligat, & admittat.*
6 *Patronus laicus poteſt ſecundum præſentare accumulativè, non autem ex toto, recedendo à primo.*
7 *Et præſentatio ſimpliciter facta de ſecundo intelligitur facta cumulativè, non privativè.*
8 *Patronus laicus poteſt ſemel tantùm variare.*
9 *Niſi prima præſentatio ſit nulla, quia tunc poteſt præſentare tertium, accumulando eum ſecundo, & num. ſeqq.*
10 *Patronus poteſt ex toto recedere à prima præſentatione invalida, & n. 24.*
11 *Præſentatio nulla in numero præſentationum non computatur.*
12 *Patronus laicus an poſſit recedere à præſentatione facta de indigno, & alium præſentare.*
13 *Cap.* I. Ut lit. pendent. l. 6. *an habeat locum in duobus præſentatis.*
14 *Gratificari poteſt Epiſcopus alteri ex præſentatis à patrono laico, ſi merita ſint æqualia, & n. 20.*
15 *Patronus Eccleſiaſticus non poteſt variare præſentando alium etiam accumulativè.*
15 *Spiritualia debent eſſe firmiora.*
17 *Sacerdotis verbum aut ſacrum, aut ſacrilegum.*
18 *Præſentatio clerici patroni habet vim electionis.*
19 *Præſentio ſecunda patroni eccleſiaſtici non tenet, prima non caſſata.*
20 *Epiſcopus an inter plures præſentatos à patronis laicis teneantur inſtituere digniorem, an verò poſſit alteri gratificari, & n. ſeq. uſque ad n. 30. & n. 31.*
Quid ſi duo ſint præſentati à duobus patronis, vel à duabus partibus patronorum, n. 22. uſque ad nu. 29. Et quid ſi duo ſimul, aut ſucceſſivis temporibus ſint præſentati ab eodem patrono, n. 29.
21 *Judicii verbum ſapit diſcretionem, & arbitrium boni viri.*
23 *Præſentatio de duobus facta à pari numero patronorum non valet, & neutri acquiritur jus petendi inſtitutionem.*
24 *Et poſſunt patroni aliam præſentationem facere, etiam ex toto recedendo à prima.*
25 *Epiſcopus inter duos præſentatos à duobus patronis laicis poteſt alteri gratificari, imò & de extraneo providere ſi lapſi ſint quatuor menſes.*
26 *Idem ſi patroni ab initio promiſerint non variare.*
Aut conſenſerint, ut Epiſcopus habeat gratificationem, num. 28.
27 *Patroni laici non poſſunt recedere à promiſſione de non variando, maximè ſi ſit jurata.*
29 *Inſtitutio de digno, omiſſo digniore inter duos præſentatos à patrono laico, quamvis à principio fieri non debeat, tamen facta tenet, & nu. 33.*
30 *Declaratur.*
31 *Deciſio S. Congregationis Concilii, quò in Parochialibus patronatus laicorum non requiratur forma examinis per concurſum, an habeat locum quando plures à patrono laico ſunt præſentati, & n. ſeq. uſque in fin.*
32 *Patroni laici an teneantur præſentare digniorem.*

C*Um autem.* Laicus patronus uno præſentato poteſt 1
alium præſentare, Clericus hoc non poteſt. Hoc dicit ſecundùm Jo. Andr. Çard. Anchar. & Jo. de Anan. Vel
aliter ſecundùm Ant. de Butr. Laicus patronus uno præſentato poteſt alium accumulare, Clericus non. Vel ſpecialiùs ſecundum Abb In pluribus ſucceſſivè præſentatis à 2
patrono laico Epiſcopo datur gratificatio; ſed in præſentatis à perſona eccleſiaſtica potior eſt primò præſentatus. Partes per ſe patent. Secunda ibi, *Verùm.*

Nota primò, advocatum ſumi pro patrono, ut exponunt 3
Innoc. Hoſtien. Joan. Andr. & Cardin. omnes *in princip.* Sicut jus advocationis ſumitur pro jure patronatus, ut ſupra *in cap. prox.* & ibi per Hoſt *in princ. in verb. Advocationis.* Propterea autem dicitur advocatus, 4
ſeu defenſor, ut idem Hoſtien. ait *in ſumma hujus tit. in §. Quid competat in 2. col. verſ. Sequitur prædicta,* quia tenetur pro viribus eccleſiam ab omnibus oppreſſionibus defendere, *cap. Filiis, & cap. Decernimus* 16. *q.* 7. Idem notat Gayl *in repet. cap. fin. in* 18. *col. de elect. lib.* 6. dicens patronum habere onus defendendi, & tuendi eccleſiam, & ideò dici habere advocatiam, ſeu guardiam, *ut in cap. Præterea, ſupra eodem,* & ſequitur Lambertin. alios cumulans, *in tract. hujus tit. lib.* 3. *in* 3. *qu. princ. art.* 1.

Secundò nota ibi, *Poſtmodum,* patronum laicum poſſe 5
duos præſentare ſucceſſivis temporibus; & hanc eſſe communem omnium Doctorum ſententiam, teſtatur Lambertin. *in tract. hujus tit. lib.* 2. *part.* 2. *in* 3. *quæſt. princ. art.* 21. *num.* 4. Quòd ſi poteſt ſucceſſivis temporibus, ergo multò magis poteſt ſimul præſentare plures à principio, ut ſcilicet Epiſcopus alterum eligat, & admittat, Clem. *Plures, §. fin. de jure patron.* ſecundùm Joan. Andr. hìc *in verb. Poſtmodum,* Cardin. *in princip.* & Anchar. *in* 3. *notab.* gloſſa, Card. Anchar. & Imola poſt antiquos *in d. §. fi.* An autem ille textus vendicet ſibi locum etiam in patrono Eccleſiaſtico, ſunt opiniones; vide Lambertin. *in eodem tract. lib.* 2. *part.* 2. *in* 3. *quæſtione princip. art.* 6. & latiùs *art.* 7.

Tertiò nota ibi, *Eo non refutato,* patronum laicum poſſe 6
variare præſentando ſecundùm, non abſolutè, ſed accumulativè: non enim poteſt ex toto primum refutare; quod non obſcurè probatur hìc ſecundùm Joan. Andr. *num.* 6. *verſ. In gl.* 1. & Abb *num.* 2. Nam ſi poſſet ex toto recedere à priori, non daretur facultas Epiſcopo illum inſtituendi. Cujus contrarium hìc deciditur, cùm detur illi optio inſtituendi quem maluerit. Sed tu adverte, quia hìc intellectus non videtur ſufficienter deduci ex hac littera. Nam hìc recitatur factum patroni, qui præſentavit ſecundum primo non refutato. Et ſuppoſita hac præſentatione accumulativa, textus decidit eſſe locum gratificationi Epiſcopi: Sed quid juris ſit, ſi patronus præſentaſſet ſecundum refutando primum, an ei hoc licitum eſſet, anve eo caſu

Epiſ-

Epiſcopus haberet gratificationem, nec ne, textus non determinat, & gloſſ. 1. ſentit patronum laicum poſſe variare etiam recedendo à primo, ad exemplum illius, qui plures conſtituit procuratores diverſis temporibus, *l. Si quis cum procuratorio*, *§. ult. ff. de procurator. & cap. Non injuſtè*, *ſupra de procurat.* Quod etiam tenuit Goffred. *in ſumma hujus tit. in 2. col. verſ. Sed ſi laicus*. Sed nihilominus primum intellectum communiter probarunt Doctores, nempè Hoſtienſ. *num.* 1. Jo. Andr. *ubi ſupra*, Butr. *nu.* 2. *&* 7. Cardin. *num.* 3. Anchar. *eodem num.* Abb. *d. num.* 2. & Jo. de Anan. *num.* 1. Idem voluit Jo. Andr. *in reg. In re communi in fine quæſt. de regul. jur. lib. 6. in Mercurial.* Jo. Calder. *conſ. 9. Hoc tit.* Archid. *in cap. unico in 2. col. verſ. Verum infrà eod. libr.* 6. Henrich. Boich. *in cap. Paſtoralis circa finem verſ. Unde hæc quæſtio infra eod.* Roch. de Curte *in hoc tractat. in verb. Honorificum in princ. 9. quæſt.* Nec diſſentit Goffred. *loco cit.* nam etſi primò dixerit cum gloſſa patronum per ſecundam præſentationem recedere à prima; tamen poſteà ſubdit: Et tunc videtur arbitrio Epiſcopi relinquendum, quis eorum alteri præferatur. Et ita Goffred. videtur à priori ſententia recedere. Nam ſi relinquitur arbitrio Epiſcopi, quis ex duobus præſentatis inſtituatur: ergo prima præſentatio non fuit revocata; alioquin Epiſcopus non poſſet primum inſtituere. Ac demum hanc opinionem amplectitur omnis ſchola Canoniſtarum, & Legiſtarum, in hac materia loquentium, ut aliis relatis teſtatur Lambertin. *in hoc tractat. lib. 2. part. 2. in 7. quæſt. princip. art. 21. num.* 4.

Ratio hujus concluſionis eſt ſecundùm Hoſt. cui cæteri ſuſbcripſerunt, quia quod à patrono fit, non eſt ratum donec Epiſcopus admittat, *ut cap. Quod autem primo reſponſo*, *ſupra eodem*; & ſic eſt locus pœnitentiæ quoad patronum, non quoad Diœceſanum, qui poteſt quem maluerit inſtituere, & alterutri gratificari authoritate hujus capituli.

7 Itaque poteſt patronus laicus variare non recedendo à primo, ſed accumulando. Quòd ſi ſimpliciter præſentaverit, ſecundum, nec expreſſerit, an privativè, vel cumulativè, nec aliunde appareat eum voluiſſe à priori præſentatione reſilire, tunc cenſetur voluiſſe uti facultate ſibi attributa ex diſpoſitione juris, & præſentaſſe cumulativè, non privativè, ut ſic actus potiùs valeat, quàm pereat, ut contra Lapum *allegat.* 78. incipien. *Vacaverat Eccleſia*, pluribus probant Roch. *in tract. hujus tit. verb. Honorificum quæſt.* 13. & Lambertin. *in eodem tract. libr. 2. part. 2. in 3. quæſt. princip. art.* 22. licèt Lapus loquatur in eo caſu, in quo patronus laicus præſentavit ſecundum, non ſimpliciter, ſed narrando, ſe velle variare, ideſt à prima præſentatione recedere; unde non contradicit.

8 Non tamen intelligas, ut patronus laicus accumulando poſſit variare toties, quoties voluerit, ſed ſemel tantùm nam jura loquuntur de duobus ſucceſſivè, & non de pluribus, ut patet ex hac littera ibi, *Alium æquè idoneum præſentavit*, nec non ibi, *Quis eorum alteri præferatur*, *ut cap. Quod autem ſupra eod. & infra ex cap. Cum dilectus*, *& c. Paſtoralis*, & efficaciter probat Jo. Calder. *conſ.* 16. *An laicus*, *hoc tit.* Roch. *in hoc tract. q.* 10. Lambertin. *in pralleg. qu. 3. art.* 23. Franciſc. Marc *dec.* 478. *poſt num. 6. part.* 1. & Navarr. *in cap. Placuit num.* 167. *& ſeqq. de pœnit. diſt.* 7.

9 Sed hoc ultimum limita, ut non procedat, ſi prima
præſentatio eſſet nulla, veluti ſi facta eſſet coram non
habente poteſtatem inſtituendi, quia tunc ſicut patro-
10 nus poteſt præſentare ſecundum ex toto, recedendo à
primo, *arg. cap. Cum laici*, *ſupra eodem*, per quem textum ita tenet Abbas *in cap. ſuper gloſ. in verb. Placere ſupr. de judic.* & Roch. *in tract. hujus tit. in verb. Honorificum q. 9. verſ. Tertia ſuboritur quæſtio*; eodem modo poteſt
11 præſentare tertium accumulando cum ſecundo. Prima enim præſentatio nulla in numero præſentationum non computatur; & ſic ſecunda præſentatio erit prima: quia non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum, *cap. Quod autem ſupra eodem*, *cap. Bonæ*, *il* 'ſecondo, *& cap. Congregato*, *de elect.* & in hac ſpecie tradit Lambertin. *in hoc tract. lib. 2. par. 2. in 7. q. principali art. 21. num. 6. verſ. Ex quibus dicerem unum novum*.

Quæ limitatio procedit, etiamſi patronus laicus primo 12
loco præſentaverit indignum; quia ſi teneamus ex hoc eum non eſſe privatum pro illa vice facultate præſentandi, ſecundùm opinionem Jo. Andr. & Cardin. *in c. Cùm vos*, *ſupra de offic. ordin.* poterit facere ſecundam præſentationem ex toto, recedendo à prima: item poterit facere tertiam accumulando eam ſecundæ, ut ex dictis conſtat. Si verò teneamus contrariam opinionem Hoſt. quam tuetur, & veriſſimam dicit Abb. *in d. cap. Cùm vos num.* 5. tunc ut dicunt hic Hoſtien. *num.* 1. Joan. Andr. & Cardin. *num.* 3. ſi primus præſentatus eſt minus idoneus & ſecundus idoneus, meritò pœnitet patronum, *arg. l. Nonnumquam*, *ff. de collat. bonor.* Sed & meritò tunc Diœceſanus admittit ſecundum repulſo primo, qui tamquam male meritus dignus eſt, qui publica egeſtate laboret, *ut l. Bona fides*, *ff. Depoſiti*, & eo caſu Epiſcopus admittendo ſecundum intelligitur facere gratiam patrono. Nam ex quo patronus præſentavit indignum, poſſet Epiſcopus jure ſuo Eccleſiam ordinare, ut in auth. *de Sanctiſſ. Epiſc. §. Si quis oratorii domum collat.* 9. & notatur *in d. c. Cum vos de offic. ordinar.*

An autem lite pendente inter preſentatos liceat patrono 13
collitigantem præſentare, & ſic an *c. 1. Ut lit. penden. lib.* 6. habet locum in duobus præſentatis, vide ibi per Joan. Andr. & DD. Roch *in tract. hujus tit. in verb. Honorificum q.* 23. Lambertin. *in eodem tract lib. 1. part. 2. in 6. quæſtione principali art.* 12. Covarr. *practicar. quæſt. c. 36. nu.* 7. *verſ. Tertiò quandoque*, & Rota apud Farinac. *deciſ.* 216. *n. 7. p. 1. recent.*

Quartò nota ibi, *Æquè idoneum*, ita demum eſſe locum 14
gratificationi Epiſcopi inter plures preſentatos à patrono laico, ſi merita ſint æqualia. Secus ergo ſi unus ſit dignior altero. Sed an, & quando hoc ſit verum, latiùs dicam infra in prima quæſtione.

Ultimò nota, patrono eccleſiaſtico non eſſe licitum va- 15
riare alium preſentando etiam accumulativè, ut hic eſt caſus *in verſ. Verùm ſi collegium*. Ratio autem diverſitatis, cur id liceat patrono laico, & non Eccleſiaſtico, multiplex à Doctoribus aſſignatur. Gloſſa penultima dicit hoc ideò eſſe, quia Clerici patroni pinguius jus habent, quàm laici, arg. *c. Si quis Epiſcoporum* 16. *qu.* 5. ideſt ex præſentatione Clerici plus juris tribuitur præſentato quàm ex præſentatione laici, ut explicat Cardin *n. 4. verſ. Quæro
quæ eſt ratio*, & patebit infra *numer.* 18. Deinde dicit 16
gloſſa hoc ſtatutum eſſe in odium Clericorum, quibus variatio eſt interdicta. Sed hoc nihil eſt. Imò ſecundum Hoſt. *nu.* 2. hoc potiùs ſtatutum eſt in favorem Clericorum, quia per hoc cœtus Clericorum tamquam ſpiritualis declaratur dignior, quàm laicorum tamquam temporalis: nam ſpiritualia debent eſſe firmiora, *ut cap. 2. de transl. Epiſc.* & facit Clem. *Cum illuſio de renunt.* Unde pactio, ſive locutio, vel dictum etiam cujuſcumque firmius eſt, ſi agatur in foro Eccleſiæ, ut notatur *in c. 1. & 3. de pactis*. Ad
quod conferunt illa verba Pſalmi, *Quæ procedunt de la-* 17
biis meis non faciam irrita, *cap. Pſalmiſta 23. diſt.* Et quod
ait Beatus Bernardus, *Verbum Sacerdotis*, *aut ſacrum*, 18
aut ſacrilegum. Vel formaliùs ſecundum Innocen. hic *in* 19
fine, idcircò Clericis variatio eſt interdicta, quia illorum preſentatio vim habet electionis; quod numquam tradas oblivioni. Unde infert Hoſt. *num.* 6. ut ſicut non tenet ſecunda electio, prima non caſſata, *cap. Conſecravimus*, *& cap. Auditis*, *ſupra de elect.* ita nec ſecunda preſentatio Clerici, de quo per Compoſtell. *in c. Capitulum n. 61 de reſcript.* & in his conſentiunt hic Jo. Andr. *numer.* 7. Butr. *num.* 9. Cardin. *ubi ſupra*, Anchar. *numer.* 5.
& Abb. *n.* 7. 20

QUÆRO, an inter plures preſentatos à patronis laicis Epiſcopus teneatur inſtituere digniorem, an verò poſſit alteri gratificari.

Gloſſa hìc *in ver. Judicio Epiſcopi*, dicit tunc eſſe locum gratificationi, cùm dubitatur, quis potior ſit in jure, vel cum aliquis non poteſt ſubvenire utrique, ut hic *& in l. Si quis in gravi*, *§. Si cum omnes*, *ff. ad Syllan.* aliàs ſecus, ut hic in fine *in l. Plerumque*, *C. de dilat. & in l. Generaliter*, *Quid ergo*, *ff. de fideicomm. libert.* Ergo ſentit gloſſa ita demum inter plures preſentatos poſſe Epiſcopum alteri gratificari, ſi res ſit dubia, & ſic merita ſint equalia. Secus ergo ſi unus ſit dignior altero. Quod apertiùs tenet Abb. *n.* 5. per text. *in cap. Si fortè 63. diſt.* ubi ſi vota eligentium

ſint

ſint paria, Metropolitani judicio præferendus eſt is, qui
21 majoribus ſtudiis juvatur, & meritis. Item *per cap. Quoniam ſupra eodem*, ubi in diſcordia patronorum præfertur, qui majoribus juvatur meritis, & plurimorum approbatur aſſenſu. Item per hanc litteram, dum ponderat, quod ſecundo præſentatus erat æquè idoneus. Secus ergo ſi fuiſſet magis idoneus. Et ex his infert Abbas, ut ſi dignior poſtergaretur, appellare poſſet ab irrationabili Epiſcopi judicio: nam præelectio committitur hic judicio Epiſcopi tamquam boni viri, cùm verbum, *Judicium*, ſapiat diſcretionem, & boni viri eſt arbitrium, ut legitur, & notatur *in c. 2. ſupra de corp. vitiat. & in l. Fideicommiſſa*, §. *Quamquam*, *ff. de legat.* 3. & Abb. ſequuntur Paul. de Cittadin. *in hoc tract. in 6. p. q. 6.* & Rocch. de Curte, qui latè hanc partem tuetur *in verb. Honorificum in 15. qu.*

Sed oppoſitum tenent hìc Hoſtien. *in princip.* Jo. Andr. *num.* 2. Cardin. *num.* 4. *in 3. oppoſit.* qui exponunt verba, *Æquè idoneum*, ſcilicet non in quantitate idoneitatis, ſed in qualitate: ſufficit enim, ut non ſit malus, ut notatur *in c. Quoniam in gloſ. in ver. Qui majoribus ſup. eod.* Ad hoc *c. Monaſterium in fine*, & ibi gloſ. ul. 16. q. 7. & ſequuntur hìc Ant. de Butr. *n.* 3. Petr. de Anchar. *n.* 4. & Jo. de Anan. *n.* 2. Addunt Jo. Andr. & Card. illud verbum *Æquè*, aliàs in textu non reperiri.

22 Pro ſolutione duo caſus videntur diſtinguendi. Primus eſt, cùm duo ſunt preſentati à duobus patronis, vel à duabus partibus patronorum, eò quòd una pars præſentavit unum, altera alterum. Secundus eſt, cùm duo ſimul, aut ſucceſſivis temporibus ſunt à patrono laico cumulativè præſentati. Quos caſus recenſet tamquam diverſos Lambertin. *in tract. hujus tit. lib. 2. par. 2. in 7. q. principali art. 26. num. 3. & 4.*

In primo membro Jo. Andr. hìc *num.* 3. poſt eum Card. *num.* 4. & Abb. *nu.* 8. dicunt ex duobus præſentatis à duobus patronis Epiſcopum poſſe alteri gratificari, atque ità non diverſificant hunc caſum ab eo, in quo plures ſunt præſentati cumulativè. Sed reverà non loquuntur explicitè in eo caſu in quo unus ex præſentatis eſt dignior altero; quin potiùs videntur ſupponere eos eſſe æquè idoneos, cùm ſumant argumentum ab hoc capitulo, quod de talibus loquitur: & in hoc caſu etiam loquitur Innocen. *in cap. 1. in fine ſupra eodem*, quem Abb. allegat ubi ſupra: ait enim, patronis diſcordantibus, ſi merita præſentatorum ſint paria, eſſe locum gratificationi, juxta textum hìc. Sed expreſſius idem Cardinal. in Clem. *Plures in princip. in 4. col* dicit. Si duo patroni præſentant duos, eſſe admittendum magis idoneum: Si autem æqualiter ſunt idonei, locum eſſe gratificationi, allegat notata *in c. 1. ſupra eod.* Quam opinionem clarè etiam tenet ibi Joan. de Imola, & eſt ex mente gloſſæ 1. *in cap. Si plures 16. q. 7.* quę apertè dicit in diſcordia patronorum Epiſcopum teneri eligere digniorem, ſi ſine ſcandalo id fieri poſſit; ſi verò præſentati ſint pares meritis, Epiſcopum poſſe gratiam facere cui velit. Et hanc partem pluribus probant Roch. *in hoc tract. in verb. Honorificum in 15. quæſt.* & Lambertinus *d. art. 26.* ea præcipuè ratione, quia hoc caſu Epiſcopus eſt Judex inter duos præſentatos: Ergo juſtitiam miniſtrare debet: alioquin non diceretur Judex, *c. Forus de verbor. ſignificat.* Sed utique juſtitiam non miniſtraret, ſi minùs dignum pręeligeret poſthabito digniori. Et ſic putant hoc habere locum in utroque foro, ita ut etiam liceat poſtpoſito appellare; ſed pręcipuè in foro conſcientię, ex notatis *in c. Conſtitutis ſupra de appell.*

Verùm Petr. de Anchar. hìc *num.* 4. & poſt eum Joan. de Anan. *n* 2. dicunt opinionem Joan. Andr. quòd inter duos præſentatos à duobus patronis ſit locus gratificationi, non eſſe veram, quia ſi patroni ſint diſcordes, aliter providetur, quàm per gratificationem, ut *in cap. 1. 2. & 3. ſupra eodem.*

23 Tu adverte, quia cùm duo ſunt præſentati à pluribus patronis in pari numero, neutri acquiritur jus præſentandi inſtitutionem, cùm ad hoc requiratur, ut præſentatio ſit facta à majori parte patronorum, textus eſt clarus *in cap. Quoniam*, & ibi dixi *in 4. notab. ſup. eod.* Quo fit ut Epiſcopus minimè teneatur digniorem inſtituere, quia ad hoc requiritur, ut preſentatus in diſcordia patronorum non ſolùm majoribus juvetur meritis ſed etiam plurimorum approbetur aſſenſu, quę ſunt verba *d. cap. Quoniam*: unde patet ſuſtineri non poſſe quod dixerunt Roch. & Lambertin. ſupracitati, videlicet ex duobus preſentatis à duobus patronis Epiſcopum teneri inſtituere magis idoneum. Imò enim, ut ait Gaſpar. de Calderin. hìc, forte poſſet Epiſcopus de alio providere, *ut cap. Eam te, cap. Si verò, & dict. c. Quoniam ſupra eodem.* Ergo fortiùs poteſt gratificari alteri ex præſentatis: quod placet Cardin. hìc *num.* 4. Quia, inquit, ex quo neuter præſentatorum eſt præſentatus à pluribus neutra præſentatio tenet, arg. *d. c. Quoniam, à contrario.* Sed hoc ultimum de proviſione extranei, & gratificatione non tranſit abſque difficultate; quia licèt præſentatio in pari numero patronorum non valeat, 24
tamen non propterea jus ordinandi Eccleſiam devolvitur ad Epiſcopum, niſi lapſum ſit quadrimeſtre patronis laicis à jure præfixum, *ut in d. cap. Quoniam in fine, & in cap. Cùm propter infrà eodem.* Imò infrà dictum tempus ſtante nullitate primæ præſentationis licitum eſt patronis laicis variare, & aliam præſentationem facere, etiam ex toto recedendo à prima, *cap. Cùm laici ſupra eodem*, & dixi ſupra *in 3. notab. verſ. Sed hoc ultimum num. 9.* Unde concluderem inter duos præſentatos à duobus patronis Epiſcopum 25
non ſolùm non teneri digniorem inſtituere, ſed nec poſſe alteri eorum gratificari, & multò minus de extraneo providere, niſi in duobus caſibus. Primus eſt ſi lapſi ſint quatuor menſes; quia tunc cùm præſentatio illa non valeat, jus conferendi eſt ad Epiſcopum liberè devolutum. Unde cùm ſit in facultate ipſis de extraneo providere, multò magis poteſt, ſi voluerit, alteri ex præſentatis gratificari; & in hoc caſu procedat opinio Gaſp. Calder. & Card. Secundus eſt cùm patroni ab initio promiſerunt non variare, 26
nec alium præſentare: nam contra talem promiſſionem venire non poſſunt; cùm à jure non ſit reprobata, ut Clem. 27
Plures, in fine hoc titul. Et firmat Lap. *allegat. 78. Vacaverat Eccleſia, num. 6. verſ. Item quia ſecundum præſ. ppoſita*, præſertim ſi ſit juramento vallata, ut per Lambertin. *lib. 2. part. 2. in 7. quæſt. principali art.* 18. Unde hoc caſu 28
abſque dubio licebit Epiſcopo alteri ex præſentatis gratificari etiamſi lapſi non ſint quatuor menſes; nam & licebit de extraneo providere, ſecundùm Calderin. & Cardinal. Et idem eſſet ſi patroni conſentirent, ut Epiſcopus haberet gratificationem, & fortè in hoc caſu loquuntur Innoc. Jo. Andr. & alii præallegati. Aliàs non video quomodo durante adhuc quadrimeſtri Epiſcopus poſſit inſtituere alterum ex duobus nulliter præſentatis, & præripere patronis jus quod habent recedendi à prima præſentatione invalida, & alium præſentandi. Nec obſtat textus *in cap. Venerabilem*, §. *Quod autem, de elect.* quia loquitur in eo caſu, in quo electores diſcordes ſunt moniti, & expectati.

In ſecundo membro principali, cùm ſcilicet duo ſimul, aut ſucceſſivis temporibus ſunt ab eodem patrono cumulativè præſentati, juxta terminos hujus *cap. & Clem. Plures, eodem tit.* exiſtimo veram eſſe diſtinctionem, quam ponunt Doctores, per illum textum *in cap. Conſtitutis, ſupra de appell.* ut ſcilicet à principio non ſit locus gratificationi, ſed Epiſcopus omninò teneatur præeligere digniorem, adeò ut peccet contra juſtitiam diſtributivam eligendo minùs dignum: nam ante electionem omnia jura clamant meliorem, & ſanctiorem eſſe eligendum, *cap. Licèt ergo, 8. quæſt. 1. cum concordan.* de quibus per gloſſ. *in cap. 2. in verb. Sanctiones, de offic. cuſtod.* ſed poſt factum ſuſtineatur electio de digno, omiſſo digniori, nec liceat poſthabito appellare, ut litium occaſiones amputentur. Quam diſtinctionem probarunt S. Th. & alii, quos retuli *in c. Cùm dilectus, num. 19. ſupra de conſuetud.* & 29
in terminis noſtris eam probavit Dec. *in conſ. 129. Pro tenui, in princ. 2. col.* ubi vult, ut quamvis dignior ſit inſtituendus inter plures cumulativè præſentatos, tamen hoc procedat ante factum, ſed poſt factum valeat inſtitutio de digno, omiſſo digniore, & eum ſequitur Lambertin. *in hoc tractatu lib. 2. part. 2. in 7. quæſt. principali, art. 26. num 4. & ſeqq.* qui tamen limitat, niſi alter ex præſentatis 30
ante inſtitutionem allegaſſet ſe digniorem, idque ſe probaturum obtuliſſet, & à futura inſtitutione appellaſſet; quia tunc non teneret inſtitutio etiam in foro judiciali ſecundùm eum *nu.* 5. & Abb. hìc per notata *in cap. Paſtoralis, infra eodem.*

Succeſſivè QUÆRO, an deciſio Sacr. Congregationis Concilii, qua declaratum fuit in Parochialibus de jure 31
patro-

patronatus laicorum non requiri formam examinis per concurſum à Concilio Trident. præſcriptam, *cap.* 18. *ſeſſ.* 24. vendicet ſibi locum, quando plures à patrono laico ſunt præſentati.

Jam cenſuit Sac. Congregatio ſpeciale eſſe in jure patronatus laicorum, ut non requiratur ejuſmodi concurſus qualis ex Concil. & Conſtitutione S. Pii V. neceſſarius eſt in proviſionibus Parochialium liberis, nec non illis, quæ de jurepatronatus Eccleſiaſtico exiſtunt; his enim vacantibus proponuntur edicta ad vocandos quoſcumque etiam extraneos, nedum præſentatos. Et ſecundum hunc intellectum ad propoſitam conſultationem videtur reſpondendum, non eſſe inſtituendum concurſum, in quo liberum ſit etiam aliis non præſentatis dare nomina, ut examinentur, prout loquitur Concilium Trident. *in d. cap.* 18. *in verb. Liberum ſeſſ.* 24. nam ſi hujuſmodi concurſus non fit, quando unus tantùm à patrono laico præſentatur, juxta declarationem aliàs editam; multò minus videtur neceſſarius, quando plures præſentantur, ex quibus faciliùs poteſt Epiſcopus idoneum, vel magis idoneum eligere; & ſecundum hunc ſenſum declaratio Sacr. Congreg. procedit etiam quando ſunt plures præſentati, cùm nec eo caſu proponi debeat edictum ad vocandos quoſcumque, qui volent examinari. Sed remanet dubium, an ſaltem omnes præſentati debeant examinari ad effectum, ut ex illis Epiſcopus eligat digniorem, quem inſtituere teneatur. Et quamvis propriè non dicatur concurſus, de quo Concilium intelligitur; nihilominus ut ſatisfiat dubitationi etiam quoad hanc partem.

Præmittendum eſt, in illa diſputatione, an de jure communi ex pluribus à patrono laico cumulativè præſentatis teneatur Epiſcopus digniorem eligere, vel liberum ſit cui velit gratificari, de qua per Doctores hìc, *& in Clem. Plures eod. tit.* non deeſſe authores pro utraque ſententia. Nam Dec. *conſ.* 129. dicit communem opinionem eſſe cum Jo. Andr. hìc, ut inſtitutio facta de minùs idoneo valeat, quaſi id relinquatur judicio, & conſcientiæ Epiſcopi, qui dummodò idoneum eligat, gratificari poteſt, ſecundum eum, intelligendo, verbum, *Aequè*, hìc poſitum verificari non in quantitate bonitatis, ſed tantùm in qualitate, ut latiùs explicavimus præcedenti quæſtione *n.* 21. *verſ. Sed oppoſitum*. Et hanc opinionem ſequuta eſt Rota coram D. Bravo, reprobata opinione Abbatis ſentientis Epiſcopum teneri digniorem inſtituere, & ab inſtitutione minùs idonei appellari poſſe, juxta notata *in c. Paſtoralis inf. eod.* Veruntamen opinio Abbatis, quam alii ſequuntur relati per Lambertin. *in tract. de jurepatr. lib.* 2. *part.* 2. *in* 7. *qu. principali art.* 26 videtur magis congruere rationi, & menti Concilii Trid. imò & textui noſtro, qui permittit electionem judicio Epiſcopi eo caſu, in quo ſunt plures æquè idonei; ergo data inæqualitate meritorum non eſt locus gratificationi.

Cæterùm quidquid ſit de jure communi, in cujus terminis advertendum eſt, communem opinionem, de qua Dec. teſtatur, procedere, quando alter ex patronis præſentat unum, & alter alium; quem caſum uti diverſum à præſenti diſtinguit Lambertin. *ubi ſupra*, & nos diſtinximus in quæſtione præcedenti *num.* 22. certè hoc caſu ex mente Concilii, & Bullæ S. Pii V. videtur dicendum, ex pluribus præſentatis digniorem eſſe inſtituendum. Et cùm de cujuſquam meritis, & idonietate non poſſit niſi per examen judicari, propterea omnes præſentatos examini ſubjiciendos eſſe, planè intentio Concil. colligitur tum ex modo, quem præſcribit ſervandum in collatione parochialium, qui alio non tendit, quàm ut parochiales nonniſi dignioribus conferantur; tum quia illis caſibus, quibus electio competit Epiſcopo, ſemper decernit digniorem eligi debere; ibi, *Ex hiſque Epiſcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit, atque illi, & non alteri collatio fiat*. Quin etiam illud idem diſponit, quando electio ſpectat ad patronum eccleſiaſticum. Et quamvis ubi Eccleſiæ 32 ſunt de jure patronatus laicorum, noluerit aſtringere patronos ad præſentandum plures, neque ad præſentandum digniorem, cùm aliàs dubitarent Doctores, an in foro conſcientiæ ipſi patroni tenerentur perquirere, & præſentare digniorem ex pluribus, quos poſſent præſentare, ut latiſſimè per Lambertin. *in hoc tract lib.* 1. *part.* 2. *in* 10. *qu. princip. art.* 3. ideòque ſatisfiat Concilio, ſi idoneus præſentetur: ſi tamen contingat, ut plures præſententur, quod eſt Eccleſiæ utilius, veriſimile non eſt Concilium reliquiſſe Epiſcopo liberum arbitrium eligendi minùs dignum, cùm eſſet eo caſu favor patroni, & ratio, ne retrahantur laici à fundatione, & dotatione Eccleſiarum, ob quam declaratum eſt non requiri concurſum, ne ſcilicet laici compellantur plures præſentare, neve extranei concurrentes, quippè magis digni judicati, ipſis præferantur. Imò verò patroni quotieſcumque plures præſentant, cenſendi ſunt ea mente id facere, ut dignior ex illis eligatur.

Conſtitutio S. Pii V. adhuc apertiùs proteſtatur mentis ſuæ eſſe, ut Parochiales non ſolùm dignis, ſed magis idoneis conferantur. Ac propterea concedit appellationem à mala electione Ordinarii, & velut rejecto licere ad novum examen provocare ipſum prælectum coram Judice appellationis.

Quamvis autem Conſtitutio videatur intelligenda, cùm 33 juxta formam Concilii faciendum eſt examen per concurſum; ratio tamen dictat idem juris eſſe hoc caſu ex præſumpta mente legis.

Quamobrem ad dubium reſponderi poteſt, declarationem S. Congreg. non excludere hunc concurſum, ſed ex mente Concilii, & Conſtitutionis omnes præſentatos examinandos eſſe, eumque inſtituendum eſſe, quem ex cæteris approbatis magis idoneum ad Eccleſiam gubernandam Epiſcopus judicaverit.

Cæterùm an inſtitutio de minùs digno facta hoc caſu irrita ſit, & an quod diſponitur de appellatione, habeat locum in propoſita ſpecie, videtur maturiùs deliberandum. Et ita reſponſum Rotæ de hac dubitatione conſulenti.

DE JUREPATRONATUS.

Clemens III.

CAPUT XXV.

NObis fuit: & infrà. Inquiſitioni tuæ tale damus reſponſum, quòd ſi quis Eccleſiam cum aſſenſu diœceſani conſtruxit, ex eo juſpatronatus acquirit. Cæterùm in conventuali Eccleſia, non electioni prælati faciendæ, ſed jam factæ, honeſtiùs patroni poſtulatur aſſenſus, niſi aliter de ſua juriſdictione obtineat, ut partes ſuas interponere debeat electioni tractandæ. Secus tamen eſt in Capella; in qua unus presbyter à patrono eligitur, & pro inſtitutione habenda, loci Epiſcopo præſentatur. Pro fundatione quoque Eccleſiæ honor proceſſionis fundatori ſervatur: & ſi ad inopiam vergat, ab Eccleſia illi modeſtè ſuccurritur, ſicut in ſacris eſt Canonibus inſtitutum.

SUM-

S U M M A R I U M.

1 *Jus patronatus acquiritur ex conſtructione Eccleſiæ facta de conſenſu Epiſcopi.*
Etiamſi conſtruens explicitè jus patronatus ſibi non reſervaverit, dummodò expreſsè illud non remiſerit, num.4.
2 *Patronus non eligit Prælatum in Conventuali Eccleſia, ſed in capella ſic, n.14.& 28.*
3 *Patrono debetur proceſſionis honor, & alimentatur ab Eccleſia, ſi vergat ad inopiam, num.17.& 25. cum ſeqq.*
5 *Mulier Eccleſiam conſtruens de Diœceſani conſenſu acquirit jus patronatus.*
6 Si quis, *verbum tam maſculos, quàm fœminas complectitur ex propria ſignificatione.*
7 *Judæus, vel Paganus non acquirit jus patronatus, ſi Eccleſiam fundet, vel conſtruat.*
Tenetur tamen eam dotare, n.9.
8 *Judæus, vel Paganus puerum baptizans, aut levans de ſacro fonte, non contrahit cognationem ſpiritualem.*
10 *Hæreticus baptizando, aut levando de ſacro fonte acquirit cognationem ſpiritualem, ſed Eccleſiam conſtruendo non acquirit patronatum.*
11 *Jus patronatus an veniat in confiſcatione bonorum.*
12 *Excommunicatus Eccleſiam conſtruens de conſenſu Epiſcopi, quamvis non debuerit admitti, tamen efficitur patronus, ſed exercitium non habebit ante abſolutionem.*
14 *Jus patronatus, ſeu præſentandi Prælatum in Eccleſiâ Conventuali, ſeu Collegiata, non acquiritur ex fundatione, vel conſtructione Eccleſiæ, ſine privilegio Apoſtolico.*
15 *Eccleſiæ Conventualis appellatione comprehenditur omnis collegiata.*
16 *Collegiata Eccleſia quæ dicatur, remiſſivè.*
17 *Patrono debetur proceſſionis honor, & jus conſequendi alimenta ab Eccleſia ſi ad inopiam deveniat.*
18 *Patronus an in Eccleſia juris patronatus in ſeſſionibus, & aliis actibus temporali domino loci ſit præferendus, & n.ſeqq. uſque in fin.*
19 *Patrono triplex jus competit in Eccleſia patronata, utile, oneroſum, & honorificum.*
20 *Jus honorificum in quibus conſiſtat, num.25.*
21 *Honorari præ cæteris debet, qui majorem habet juriſdictionem, n.24.& 30.*
22 *Dominus temporalis, ſi Superiorem non recognoſcit, æquiparatur principi; ſi recognoſcit, Præſidi.*
23 *Læſæ majeſtatis crimen committitur etiam à conſpirantibus in Baronem.*
24 *Barones etiam extra locum Baroniæ præferuntur nobilibus juriſdictionem non habentibus.*
25 *Honor proceſſionis qui debetur patrono, quotuplex, & num.ſeqq.*
26 *Patrono ad Eccleſiam venienti an, & quouſque Clerici obviam exire teneantur.*
27 *Patronus in ſeſſionibus, & aliis actibus, an ſit cæteris præferendus, n.29.*
28 *Patrono debetur honor proceſſionis, id eſt præſentationis, num.29.*
30 *Pariamenti domini quamvis primam Sedem obtineant, hoc tamen non intelligitur reſpectu Conſiliariorum, qui in eos habent juriſdictionem.*
31 *Rector Eccleſiæ præ aliis honorari debet.*
32 *Sublimes perſonæ quibus verbis à jure comprehendi conſueverunt.*

1 NObis. Ex conſtructione Eccleſiæ facta de conſenſu Epiſcopi acquiritur jus patronatus. Hoc dicit primò, Patronus non eligit prælatum in Conventuali Eccle-
2 ſia, ſed in Capella ſic. Hoc ſecundò, Patrono debetur pro-
3 ceſſionis honor, & alimentatur ab Eccleſia, ſi vergat ad inopiam. Hoc tertiò, Jo. Andr. Butr. Card. Anchar. Abb. & Jo. de Anan. Et ſunt tria dicta. Secunda, ibi, *Cæterum*. Tertia, ibi, *Pro fundatione*.
4 Nota primò, ibi, *Si quis Eccleſiam cum aſſenſu Diœceſani conſtruxit*, ex conſtructione Eccleſiæ acquiri jus patronatus conſtruenti, dummodò tamen id faciat de conſenſu Epiſcopi Diœceſani, ut hìc eſt caſus ſecundùm omnes in ſummario text. Quod locum habet, etiamſi in conſtructione, vel fundatione Eccleſiæ jus patronatus ſibi explicitè non reſervaverit, quia nihilominùs ei acquiritur juris miniſterio, dummodò expreſsè illud non remiſerit, *ut cap. Significavit de teſtibus*, & ſatis probat hæc littera, quæ ſimpliciter dicit jus patronatus acquiri ex ipſa conſtructione, nec ullam facit mentionem reſervationis. Et ita declarant Jo.Andr.Bald.Butr.Cardin.Imol.Abb.Aretin.& Felin.in *d.cap.Significavit*, Archid.Jo.Andr.Gemin.& Franc. in *cap.1.de jure patron.lib.6.* Roch. de Curte *in hoc tract. in verb. Eccleſiam fundavit qu.8.num.12* latè Lambertin. *eodem tract.lib.1.qu.2.art.4.& eodem lib.part.1.5.art.2.quæſtionis principalis num.12.* Rota *deciſ.167.num.4.part.2.diverſ.* ubi atteſtatur hanc eſſe receptiſſimam concluſionem; *& in recen.deciſ.421.num.2.part.2.* An autem ad hoc ſufficiat ſola conſtructio Eccleſiæ, an verò etiam requiratur fundatio, & dotatio, dic ut plenè ſcripſi in *cap. Quoniam à num.23.uſque ad num.50.ſupra eodem*. Item pondera latitudinem illius verbi, *Si quis*; ex hoc enim infertur ad 5
quæſtionem, numquid mulier, infidelis, hæreticus, vel excommunicatus acquirat jus patronatus ex conſtructione Eccleſiæ.

De muliere concluditur affirmativè, quia verbum hoc, 6
Si quis, tam maſculos, quàm fœminas complectitur, dicit textus *in l.1.ff.de verb.ſignificat.* ubi Bart. *n.2.verſ. Ego dico*, ponderando verbum *Complectitur*, dicit hoc non contingere ex interpretatione extenſiva, ſed ex propria ſignificatione, *c. Generali*, & ibi gloſ. 1. Jo. Monach. & Canoniſtæ, *de elect.lib.6.& cap.Si quis ſuadente 17.qu.4.* juncto *c. Mulieres de ſent. excomm. eod.lib.* Ad hoc inducitur bonus textus *in c.fin.de conceſſ. præbend.* ubi fit mentio juris patronatus Comitiſſæ Flandren. *& in cap. Ex litteris ſupra eod. & in cap.Quoniam inveſtituras*, & ibi gloſ. *in ver. Vel fœmina 16.q.7.* cum ſimilibus, ut per Abb. *in c. Cùm ſæculum n.4.ſupra eod.* & hìc firmat Jo. Andr. *n.2. in fin.in verb. Si quis*: cum quo cæteri concordant, ut dicam infra *n.13.* Calder. *conſ.1.hoc tit.* Rocch. *de jure patr. in verb. Competens q.1.* Lambert. *in eod.tract.1.part.lib.1.q.7.art.2.nu.30.* Caſſad. *deciſ.1.de jure patron.*

De infideli Judæo, vel Pagano dic contra, quia verbum 7
Si quis, exponitur, id eſt fidelis, ſecundum Joan.Andr. hìc *num.3.* Unde infidelis ex conſtructione, vel fundatione Eccleſiæ juſpatronatus non acquirit, *ut cap. Piæ mentis in fin.c.Quicumque in princ. & c. Frigentius in fin.16.qu.7.* ubi gloſ. *in verb. Qui Chriſtianis*, dicit: Ergo Judæus non effi- 8
ceretur patronus, licèt fundaret aliquam Eccleſiam; & eſt ſimile in cognatione ſpirituali, quam infidelis non acquirit, ſi puerum baptizet, aut levet de ſacro fonte, ut firmat Jo.Andr. *in c.Ex eo n.1.5.& 8.de reg.jur.lib.6.* Si tamen 9
Paganus, vel Judæus de facto fundaret Eccleſiam, teneretur eam dotare, ſicut tenetur dotare filiam ad fidem converſam, & Eccleſia eſſet liberæ collationis, ut probat Lambert. *part.1.lib.1.q.5.art.8.n.1.& 2.*

De hæretico idem dicendum, quia etſi cognationem 10
ſpiritualem acquirat, ut notat Jo. Andr. *in d. cap. Ex eo n.3.verſ.Dicit Palmerius de reg.jur.lib.6.* tamen patronatum non acquirit, quia cùm ejus bona ipſo jure ſint confiſcata, *c. Cùm ſecundum de hæret.lib.6.* utique de ſuo dare non poteſt fundum, dotem, vel ædificium. Facit *cap.2.§.fin. eod. tit.* Et quatenùs etiam eſſet patronus, tamen illud jus 11
confiſcatum eſſet, ſecundum Jo. Andr. *hìc num.3.verſ. De hæretico*. Facit *cap.Maximum 1.q.7.* Et nota hoc dictum, quia jus patronatus tranſit cum confiſcatione bonorum, ut hìc per Abb. *n.2.verſ. de hæret.* Sed quo ad hoc tu vide DD. de Rota in Lucana juriſdictionis coram Coccino *deciſ.232.& deciſ.298.& deciſ.351.* quibus in locis diſtinguitur, an confiſcatio facta fuerit per judicem laicum, an per Eccleſiaſticum.

De excommunicato autem dicit Jo.And. *hìc num.3. verſ.* 12
De excommunicato, malè feciſſe Epiſcopum, qui eum admiſit; ſed tamen ſi Epiſcopi conſenſu Eccleſiam conſtruxit, patronus erit, ſed exercitium non habebit ante abſolutionem, *c. Cùm dilectus, de conſuetudine*: nam cùm religionem profiteatur, matrimonium contrahat, & alia faciat, quæ enumerantur à Jo. Andr. *in cap. Dolo facit in ſecunda parte quæſtionis, verſ. 3. de reg. jur. lib.6.* ergo & juspatronatus acquirit: & facit quod notatur *in c. Veritatis, de dolo, & contumacia, & in cap. Decernimus de ſent. excom.* in

in novella, & cum excommunicato liceat Eccleſiam ingredi ad audiendum verbum Dei, & orandum, *cap. Reſponſo de*
13 *ſent. excomm.* Ergo etiam licebit Eccleſiam conſtruere. Facit *c. Quoniam de ſent. excomm. lib. 6.* Commendabile enim eſt ædificare templum Dei, *c. Aurum* 12 *q.* 2. Itaque mulier Eccleſiam conſtruens de Diœceſani conſenſu, acquirit jus patronatus habitu, & actu: Infidelis, & hæreticus neque habitu, neque actu: excommunicatus habitu tantùm, ſed non actu ante abſolutionem: & cum his dictis Jo. Andr. concordant hìc Collectar. *n.* 4. *&* 5. Henric. Boich. *n.* 1. *in fi. verſ. Qui etiam dicit, & n.* 2. *&* 3. Butr. *n.* 9. 10. *&* 11. Card. *n.* 7. 8. *&* 9. Anchar. *in* 1. *not.* Abb. *n.* 3. & Jo. de Anan. *n.* 3. *&* 4.

14 Secundò nota ibi, *In conventuali Eccleſia*, ex conſtructione Eccleſiæ conventualis, ſeu collegiatæ etiam de Diœceſani conſenſu non acquiri conſtruenti jus patronatus, ſeu præſentandi Prælatum abſque privilegio Apoſtolico, ut hìc *& in c. Hinc eſt etiam* 16. *q.* 1. Put *deciſ.* 366. *nu.* 4. *& ſeqq. lib.* 2. Rota *deciſ.* 421. *n.* 2. *part.* 2. *recen.* Quod locum habet, ſive Eccleſia Collegiata ſit ſæcularis, ſive regularis, juxt. text. *in*
15 *Clem. Ut ii de ætat. & qualit.* Nam ſub nomine Eccleſiæ conventualis, de qua loquitur iſta littera, comprehenditur etiam Eccleſia Collegiata, licet de conſuetudine hoc verbum referatur ad Eccleſias religioſorum, ut hìc per Abb. *n.* 3. *in* 2.
16 *notab.* Quæ autem dicatur Eccleſia Conventualis, ſeu Collegiata, vide hìc pulchrè per Hoſt. *n.* 2 & Jo. Andr. *n.* 8. 22. *&* 24. & per Innoc. *in c. Poſtul in princ. inf. eod.*

17 Ultimò nota ex textu tria jura, quæ acquiruntur patrono in acquiſitione juris patronatus. Primum eſt jus poteſtatis præſentandi; ſecundum eſt honorificentia proceſſionis: tertium eſt jus conſequendi alimenta ab Eccleſia, ſi ad inopiam deveniat, ut hìc per Butr. & Abb. *in ult. notab.* Primum eſt planum, de 3. vide Rochum de Curte *in tract. hujus tituli in verb. Utile à n.* 1. latiſſimè Lambertin. *in eod. tract. lib.* 3. *in* 3. *quæſt. princip. art.* 1. *cum pluribus ſeq. uſque ad art.* 16. Surd. *de aliment. tit.* 1. *q.* 54. *per tot.* & Rot. *deciſ* 494 *part.* 4. *diverſ. & in recent. deciſ.* 454. *part.* 2.

18 Quo ad ſecundum, ultra ea quæ tradunt Doctores hìc, & Roch. de Curte *in hoc tract. in ver. Honorificum.* Quæro, an patronus in Eccleſia juris patronatus in ſeſſionibus, & aliis actibus temporali domino loci præferri debeat.

19 Pro patrono contra dominum temporalem videntur ſentire DD. ſupra *in hac Rubrica*, & poſt Hoſtien. Lambert.
20 *in tract. de jure patr. in princip. tertii libri*, dum ſcribunt patrono ſimplex jus in Eccleſia patronata competere, nempè jus utile, oneroſum, & honorificum: & omittendo alia duo jura, quæ ad præſentem quæſtionem non pertinent, jus honorificum in eo conſiſtere, ut patronus primus in proceſſionibus incedat, & præ cæteris laicis in Eccleſia patronata honoretur: quod etiam tradunt hìc DD. Idque habere locum nedum in proceſſionibus, ſed etiam in ſeſſionibus, & aliis quibuſcumque actibus, notant Hoſtien. *n.* 3. Jo Andr. *n.* 15 Butr. *n.* 21. & alii communiter: & quamvis de domino temporali mentionem non faciant; cùm tamen illi non diſtinguant, nec nos diſtinguere debemus, *l. De pretio, ff. de public. cum vulgar.*

21 Contrarium tamen verius videtur, nempè temporalem dominium loci etiam in patronata Eccleſia patrono præcedere debere; cùm enim in cæteros juriſdictionem contentioſam habeat, ſequitur, ut longè major ei, quàm cæteris, præſertim ſibi ſubditis, honor debeatur; magis namque honorari debet, qui majorem habet juriſdictionem, Abb *conſ.*
22 21. *num.* 1. *lib.* 1. per text. *in c. Statuimus*, §. *fin.* 17 *diſt.* At dominus loci contentioſam, & perpetuam habet juriſdictionem, itaut ſi ſuperiorem non recognoſcat, æquiparetur Principi; ſi verò recognoſcat, Præſidi, Caſſan. poſt Jaſon. *in Catalog. Glor. Mund. in* 5. *part. conſider.* 52. Ergo adinſtar Principis, vel Præſidis omnibus aliis, & conſequenter
23 etiam Eccleſiæ patrono debeat anteferri. Imò etiam ſi eſſet ex Baronibus, qui limitatam valdè juriſdictionem habent, omnibus tamen aliis præferendus eſſet, cum dicatur habere majeſtatem, & ſubditi in eum conſpirantes crimen læſæ majeſtatis committant, Archid. *in c. Felicis n.* 13. *in verb. læſæ Majeſtatis de pœn. lib.* 6. Ægid Bellon. *conſil.* 15. Quinimò
24 Barones præ aliis honorantur non ſolùm in locis eorum juriſdictioni ſubjectis, ſed etiam ratione Baroniæ, & vaſſallorum quos habent, & ubique cæteris nobilibus juriſdictionem non habentibus præponuntur, Caſſan. *d.* 5. *p. conſid.* 56.

25 Non obſtat contrarium; nam reſpondetur Doctores vario modo intelligere honorem proceſſionis, de quo loquitur *hoc cap.* ut hìc per Hoſtien. *nu.* 3. Joan Andr. *n.* 15. Butr. *n.* 21. Card. *in* §. *Pro fundatione nu.* 4. *verſ. Quæro qualis eſt honor proceſſionis, qui debetur Patrono, n.* 14. Abb. *nu.* 5. *verſ. Nota tria jura*, & Joan. de Anan. *n.* 9. Quidam enim dicunt 26
honorem proceſſionis in hoc conſiſtere, ut Patrono ad Eccleſiam venienti proceſſionaliter occurratur, dummodò tamen ſit talis, & tantus, puta Rex vel magnus Princeps. Explicant Anchar. Abb. & Jo. de Anan. in Duce Venetiarum Patrono Venerabilis Eccleſiæ Sancti Marci, cui obviam exeunt Primicerius, & Canonici. Quod ſervari poteſt ſecundum Jo. Andr. uſque ad ambitum Eccleſiæ; non autem uſque ad portas Civitatis, quia fieri debet tantùm Papæ, vel Cardinali, ſecundum Anton. de Butr. Item ſi ſæpiùs hoc eveniret, fieri non deberet, ſed ſolùm quando rarò, ſecundum 27
eum. Quidam dicunt, honorem proceſſionis conſiſtere in hoc, ut patronus primum locum teneat in proceſſionibus, vel in Eccleſia, vel inter laicos, ſecundum Hoſt. & ſedebit juxta Prælatum, ſecundum Joan. de Anan. Alii verò dicunt 28
proceſſionem hìc poni pro præſentatione, ut notatur *in cap. Piæ mentis* in gloſ. 1. *ver. Sunt autem tria* 16. *quæſt.* 7. quia in præſentatione patronus procedit ad Epiſcopum cum eo, quem præſentat in Eccleſia non Collegiata, vel in præbenda Collegiatæ, *c. fin. ſupra de conceſſ. præben.* Primum placet Cardinali; primum & ſecundum Anton. de Butr. licèt fortè Codex ſit mendoſus, quia ponderata illius ratione, videtur potiùs probare tertium; ſed utrumque videtur poſſe ſuſtineri, ut dicit Abbas; & omnia tria ſimul complectitur Innoc. *ſupra in hac rubrica n.* 3. *verſ. Item honor*, ubi ait, ex patronatu provenire honorem, quia patronus honorificentiùs recipitur, & ſtudioſè ei ſervitur, & in proceſſione præ aliis honoratur, *c. Piæ mentis, & c. Frigentius* 16. *q.* 7. Et ſi Eccleſia non eſſet Collegiata, præſentat ibi Sacerdotem, *c. Decernimus ead. cauſ. & qu.* Unde Hoſt. & Cardin. ſupracitati ponunt verſus:

Patrono debetur honor, onus, emolumentum:
Præſentet, præſit, defendat, alatur egenus.

In 3. tamen intellectu, quòd proceſſio ponatur hìc pro præſentatione, videntur reſidere Hoſt. Jo Andr. & Jo. de Anan. *in locis ſupracit.* cùm eum ponant ultimo loco. Honor igitur proceſſionis eſt quem habet patronus in præſentando Rectorem, vel Clericum, quia ſine præſentatione non poteſt Epiſcopus regulariter inſtitutionem facere: quod latiſſimè proſequitur Roch. de Curte *in tract. hujus tituli in ver. honorificum à num.* 1. *uſque ad num.* 98. Et quamvis opinio, quòd patronus ſit aliis præferendus, videatur communis, tamen fundata eſt *in d. c. Piæ mentis, & cap. Frigentius* 16. *q.* 7. & in hoc cap. qui textus non probant communem opinionem: nam *in cap. Piæ mentis, & cap. Frigentius*, dicitur 29
præter proceſſionis aditum, qui omni Chriſtiano debetur, nihil proprii juris in Eccleſia patronata patrono reſervari: quibus verbis nihil præcipui patrono tribuitur, quod cæteris quoq; Chriſtianis non competat. Hoc autem c. quamvis apertiùs exprimat fundatori proceſſionis honorem reſervari, tamen cùm diſponat in materia antiqua, debet recipere declarationem à Canonibus de eadem materia loquentibus, *ut l.* 2. *C. de Noxal. l. In contractibus*, §. *Præterea*, *Cod. de non numer. pecun.* Petr. Brixien. *in Repert. in verb. Interpretatio, verſ. Lex noviter*, Jaſ. *in l Sciendum in princ. ff. Qui ſatiſdare cogantur*; quare dum text. reſervat patrono honorem proceſſionis, hæc verba, ut non pugnent cum *c. Piæ mentis, & c. Frigentius*, quibus probatur patronum in patronata Eccleſia nihil habere præcipui, non ſunt intelligenda quoad hoc, ut patronus aliis in proceſſionibus præferatur; ſed de honore præſentationis, qui debetur omni Chriſtiano Eccleſiam fundanti, non autem infideli, prout ex illis juribus deducunt gloſſ. Jo. Andr. & communiter DD. ſupracitati *n.* 7.

Secundò reſpondetur, quod DD. generaliter tradunt, 30
ſcilicet patronum præ aliis laicis honorari debere, eſſe ſic accipiendum, ut non contineat evidentem abſurditatem: & ſic ut ei non debeatur honor major quàm domino temporali, qui in eum habet juriſdictionem, ut in ſimili docet Boer *de auctor. magni conſilii num.* 48. ubi tradit privilegium Dominorum Parlamenti, ut primam ſedem obtineant, & ſi generaliter loquatur, non eſſe intelligendum reſpectu Conſiliariorum, qui in Dominos parlamenti habent juriſdictionem. Sic etiam etſi 31
Rector Eccleſiæ in ſua Parochia præ aliis honorari debeat, Caſſan. *dict. part. conſider.* 81. hoc tamen non

ita

ita intelligendum eſt, ut præferatur Epiſcopo, qui omnibus ſuis Diœceſanis præeminet; ut notatur *in cap. Socia*
32 *litæ de major. & obed.* Et ſanè dominus temporalis erat ſpeciali nota dignus. Quòd ſi jura voluiſſent patronum in patronata Eccleſia temporali domino loci præferri, id utique vel expreſſiſſent, vel uſa fuiſſent verbis univerſalibus, ut puta, cujuſcumque gradus, conditionis, præeminentiæ, & ſimilibus: ita enim Canonicæ ſanctiones loqui conſueverunt, cum etiam ſublimes perſonas comprehendere voluerunt, ut obſervat Gomes *in proœm. Regul. Cancell. part. 4. num. 1. & 2.* Barbat. *conſ. 23. num. 8. in 1. vol.*

DE JUREPATRONATUS.

Innocentius III. Conventren. Epiſcopo.

CAPUT XXVII.

Cum propter diſcordias laicorum: & infrà. Fraternitati tuæ mandamus, quatenus ſi de jurepatronatus quæſtio emerſerit inter aliquos, & (ab eo) cui competit, infrà quatuor menſes non fuerit diffinitum, ex tunc Eccleſiam ipſam de perſona non differas idonea ordinare: ita quòd illi ex hoc non debeat in poſterum præjudicium generari, qui jus evicerit patronatus.

SUMMARIUM.

1 *Patroni laici ſi ad Eccleſiam vacantem intra quatuor menſes non præſentant, Epiſcopus ordinabit Eccleſiam, & n. 9.*

2 *Patronus laicus habet quadrimeſtre tempus ad præſentandum, Eccleſiaſticus verò ſemeſtre, etiamſi patronatum à laico acquiſiverit.*

3 *Tempus ad præſentandum præfixum currit etiam patronis non volentibus præſentare propter litis impedimentum.*

4 *Et an currat patronis ignorantibus.*

5 *Quæſtio ſuper patronatu laicali infra quatuor, ſuper Eccleſiaſtico infra ſex menſes eſt decidenda.*

6 *Temporis curſus ubi non fundatur ſuper negligentia, ad Superiorem devolvitur ipſum jus, non autem modus ordinandi Eccleſiam.*

7 *Concurſus an requiratur in parochialibus patronatus laicorum, quarum collatio ob lapſum tempus ad præſentandum præfixum, ad Epiſcopum eſt liberè devoluta, & n. ſeqq. uſque ad n. 13.*

8 *Concurſus non requiritur in parochialibus ad Sedem Apoſtolicam devolutis ob lapſum temporis Epiſcopo ad providendum præfixi.*

10 *Concurſus fieri debet inter plures ab eodem patrono laico ad parochialem vacantem cumulativè præſentatos.*

11 *Tempus Epiſcopo præfixum ad nominandum clericos idoneos, vel edictum apponendi in parochialibus devolutis, quando incipiat.*

12 *Et quid in bimeſtri Epiſcopis præfixo ad inſtituendum ex Bulla S. Pii V. patronis non præſentibus infra legitima tempora.*

13 *Patronus laicus, & Eccleſiaſticus in quibus differant, & n. ſeq. uſque ad nu. 21.*

14 *Patronus laicus præſentans ſcienter idignum an privetur ea vice jure præſentandi, ſicut patronus Eccleſiaſticus.*

15 *Præſentari poteſt clericus per Rectorem Eccleſiæ ad titulum beneficii, etiam invito patrono laico.*

16 *Et quid invito patrono Eccleſiaſtico.*

17 *Jus patronatus donari poteſt perſonæ Eccleſiaſticæ ſine diœceſani conſenſu, ſed non ſæculari.*

18 *Collecta ſi imponatur Epiſcopo pro ſe, & clericis patronis pro ſe, Eccleſia debet contribuire ſimul cum clericis, non autem cum Epiſcopo.*

19 *Parochialium juris patronatus Eccleſiaſtici proviſio qua forma fieri debeat ex Concilio Tridentino.*

20 *Et quid in parochialibus juris patronatus laicorum.*

21 *Concurſus à Concilio Tridentino præſcriptus in parochialibus juris patronatus Eccleſiaſtici, an ſit etiam obſervandus in parochialibus patronatus, partim Eccleſiaſtici, partim laicalis, & num. ſeq. uſque ad num. 39.*

Et quid in parochialibus juris patronatus quod origine erat totum laicale, ſed pro duabus tertiis partibus ex donatione laicorum effectum poſtea fuit Eccleſiaſticum, num. 39. num. ſeq. uſque ad num. 74. & num. 80.

22 *Jus patronatus mixtum regulatur ut Eccleſiaſticum quando Eccleſiæ, vel perſonæ Eccleſiaſticæ magis prodeſt.*

Declaratur, nu. 37.

23 *Collatio beneficii reſervati facta per Papam abſque derogatione juris patronatus, habet locum etiam ſi beneficium pertineat ad præſentationem clerici, & laici ſimul.*

Contrarium, nu. 32.

24 *Magis dignum trahit ad ſe minus dignum, ubi eſt favor magis digni, ut trahat, & non trahatur, & nu. 33.*

25 *Juri patronatus merè laicali Papa indiſtinctè derogat pro meditate, mixto derogat in totum; beneficia verò patronatus Eccleſiaſtici confert abſque ulla derogatione, n. 30. & 38.*

26 *Jus patronatus mixtum cùm dubitatur an ſit laicale, vel Eccleſiaſticum, attendenda eſt qualitas magis privilegiata, & magis favens patronatui, n. 30.*

27 *Privilegiati naturam ſortitur non privilegiatus, propter communionem, n. 41.*

28 *Jus patronatus mixtum cenſetur totum Eccleſiaſticum quo ad præſcriptionem.*

29 *Item quoad tempus præfixum ad præſentandum.*

30 *Sed quoad derogationem cenſetur totum laicale.*

Item quoad reſervationem, n. 32.

31 *Legatus de latere poteſt conferre beneficia patronatus Eccleſiaſtici, non autem mixti, nu. 51.*

32 *Regulæ reſervatoriæ non intrant in beneficiis patronatus mixti.*

34 *Concurſus eſt præjudicialis patronis, quorum libertas in præſentando reſtringitur, nu. 37.*

35 *Laicus propter mixturam clerici non debet privari jure ſuo, n. 42.*

36 *Mixtum aſſumit naturam ſpeciei, per quam juri alterius minus derogatur, n. 42.*

40 *Jus patronatus origine laicale, ſi ex donatione laicorum tranſeat in Eccleſiam, efficitur Eccleſiaſticum.*

41 *Jus patronatus mixtum quoad formam examinis per concurſum cur cenſeatur potiùs laicale, quàm Eccleſiaſticum.*

43 *Laici à fundatione Eccleſiarum non ſunt retrahendi.*

44 *Mixtum ex duabus naturis aſſumit ſibi naturam à potentiori, & digniori.*

Decla-

Declaratur, num.65.

45 *Pars major trahit minorem, & n.50.*
Declaratur, n.66.

46 *Jus patronatus conceſſum ex augmento dotis non cenſetur mixtum ex cauſa oneroſa, & privilegio, ſed abſolutè ex privilegio.*
Et quæſit ratio, n.67.

47 *Jus patronatus competens univerſitati ſcholarium dicitur Eccleſiaſticum, ſi in ea ſint plures Clerici, quàm laici, & è converſo.*
Declaratur, n.70.

48 *Univerſitas, in qua ſunt plures laici, quàm Clerici cenſetur laicalis, & ſubjicitur foro ſæculari, & num.70.*

49 *Jus patronatus ex dotatione bonorum laicalium, & Eccleſiaſticorum, quale cenſeatur, & n.71.*

50 *Patrono laico habenti unam vocem an inferatur præjudicium ex concurſu, ſi Eccleſia compatrona habeat duas voces, & n.72.*

52 *Juri patronatus etiam Eccleſiaſtico quandoque derogatur, licèt derogatio non ſit neceſſaria.*

53 *Compromiſſum de cauſa Eccleſiaſtica fieri poteſt in duos laicos ob adjunctionem unius Clerici.*

54 *Excommunicatorum corpora non ſunt exhumanda, ſi à fidelibus diſcerni non poſſint.*

55 *Oleo non conſecrato ſi modicum conſecratum miſceatur, totum fit conſecratum.*

56 *Appellatio unius prodeſt omnibus, ſi defenſio ſit communis, & eadem ratio vincendi.*

57 *Privilegium unius in dividuis trahitur ad omnes.*

58 *Cauſa individua plurium laicorum, & unius Clerici agi debet coram Eccleſiaſtico.*

59 *Præſentatio unius tantùm ex compatronis omnium poſſeſſione conſervat, & n.73.*

60 *Præfertur inter, plures, qui certat de damno evitando.*

61 *Patrono laico præjudicari non debet ex donatione patronatus facta Eccleſiæ à compatronis.*

62 *Jus patronatus eſt penes omnes patronos in ſolidum.*

63 *Jus patronatus plurimum laicorum, & unius Clerici cenſetur Eccleſiaſticum, ſi hoc magis proſit patronatui.*

64 *Cancellaria derogat patronatui mixto minus laici, & plurimum Clericorum, & non dat de reſervato.*

65 *In mixtis naturalibus indifferenter attenditur quod potentiùs agit, in mixtis juris quod eſt favorabilius.*

67 *Dotis augmentum non ſufficit ad acquiſitionem juris patronatus, ſed requiritur totalis dotatio.*

68 *Jus patronatus poteſt acquiri ex ſolo privilegio Apoſtolico.*

69 *Mixtionem non efficiunt multa paucis, & magna parvis appoſita, & mixtio eorum non eſt, quæ ſunt diverſi generis.*

73 *Patrono Eccleſiaſtico non præſentante infra legitima tempora, inſtituendus eſt præſentatus à patrono laico.*

74 *In jure patronatus mixto ſeptem officialium laicorum nomine univerſitatis laicalis, & trium Eccleſiaſticorum privato nomine præſentantium, an requirantur probationes quas exigit Concilium Tridentinum in potentatibus, & n.ſeq. uſque in fin.*

75 *Mixtum aſſumit naturam ſimplicis, quod facit actum valere, & eſt favorabilius.*

76 *Qualitatibus duabus concurrentibus, quæ diverſam habent naturam, attenditur illa, quæ magis favet juri communi.*

77 *Jus patronatus de jure communi probatur ex immemorabili etiam in perſonis potentibus, & univerſitatibus.*

78 *Jus patronatus univerſitatis de jure communi an præſumatur ex uſurpatione, & n.87.*

79 *Parochiani in Italia cœperunt jus patronatus uſurpare propter receſſum Curiæ.*

80 *Concurſus non requiritur in Parochiali juris patronatus pro una parte laicalis, & pro duabus Eccleſiaſtici.*

81 *Mixtum aſſumit naturam ejus ſimplicis, per quod jus conſortis conſervatur.*

82 *Jus patronatus mixtum æquali portione univerſitatis & familiæ privatæ, non requirit probationes à Concilio Tridentino præſcriptas in potentatibus.*

83 *Jus patronatus pro majori parte univerſitatis non præſumitur ex uſurpatione, & n.ſeq. uſque in fin.*

84 *Præſcriptio juris patronatus contra privatum non improbatur à jure.*

85 *Uſurpatio juris patronatus, quæ in univerſitate præſumitur, privatis perſonis nocere non debet.*

86 *Immemorabilis eſt infinita, & capit omne tempus.*

1 CUm propter. *Si patroni laici ad Eccleſiam vacantem intra quatuor menſes non præſentant, Epiſcopus ordinabit Eccleſiam. Vel ſic: Si quæſtio juris patronatus laicalis non diffinitur infra quatuor menſes, Epiſcopus ordinabit Eccleſiam ſine præjudicio evincentis. Hoc dicit. Primò ponit dictum. Secundò ſubjicit proteſtationem, ibi* Ita quod.

2 Nota primò, patronos laicos habere quadrimeſtre tempus ad præſentandum: nam de talibus loquitur hæc littera, ut patet ex parte deciſa, ibi, *Laicorum*, id eſt patronorum, ut exponunt Hoſtien. & Jo. Andr. Et hæc eſt unde diferentia inter ipſos, & patronos Eccleſiaſticos, qui habent ſemeſtre, etiamſi jus patronatus à laico acquiſierint, ut eſt caſus *in c. Unico, §. Verum infra eod. lib.6.* Perplures alias differentias habebis infra in ſecunda quæſtione.

3 Secundò nota tempus, ut præfertur, præfixum ad præſentandum, currere etiam patronis non valentibus præſentare propter litis impedimentum: quod primo intuitu videtur mirabile, ſecundum Abb. *in 1. notab.* & contra juris regulam, *ut c. Quia diverſitatem, ſup. de conceſſ. Præbend. & c. Ne pro defectu, cum concord.* de quibus ibi per gloſſ. *in verb. Impedimento de elect.* An autem quo hìc ſtatuitur in impedimentis, habeat locum in patronis ignorantibus, Doctores 4 non conveniunt Abb. *n.2. & 3.* concludit non habere locum; quia regulariter tempus præfixum ad eligendum, vel conferendum non currit ignoranti, *ut d.c. Quia diverſitatem*, & dicit ſe reperiſſe poſtmodum ita tenere Feder. de Sen. *conſ.* 124. aliàs eſt *conſ.* 120. & incipit, *Caſus talis eſt n.*: ſed re vera Federicus loquitur de patrono impedito, nõ autem ignorante, & tex. *in d.c. Quia diverſitatem*, pariformiter diſponit de patronis impeditis, ac de ignorantibus. Item allegat Jo. Andr. *in cap.2. de ſupplen. neglig. Prælat.* qui *n.10. in verb. Ex tunc*, ſimpliciter ait ſemeſtre tempus ad præſentandum currere à die notitię; & ita Abbas reprobat Petr. de Anchar. contrarium tenentem, hìc *n.2.* ſed illum tuetur, & motivis Abbatis reſpondet Jo. de Anan. illius auditor, *n.3.*

5 Tertiò, nota quæſtionem ſuper patronatu laicali eſſe terminandam infra quatuor menſes, ut hìc, *& in c. Quoniam ſupra eod.* cùm tamen quæſtio ſuper patronatu Eccleſiaſticò infra ſemeſtre ſit decidenda, *ut in cap. Eam te*, ubi omnes notant, *ſupra eodem*. Ratio differentiæ eſt, quia patronus laicus habet quadrimeſtre tempus ad præſentandum, ut dictum eſt *in 1. not.* & proptereà litis deciſio non expectatur ultra quatuor menſes; Eccleſiaſticus verò habet ſex menſes, & ideò exitus litis expectatur uſque ad lapſum ſex menſium, ut ſic utroque caſu reguletur à termino ad præſentandum præfixo, ut per Abb. *nu.4. verſ. in gloſſ.2.* Ad quod tamen vide plures declarationes, quas poſui *in d. c. Quoniam in ult. notab.*

6 Ultimò nota, ubi curſus temporis non fundatur ſuper negligentia, ad ſuperiorem devolvi ipſum jus ordinandi Eccleſiam, non autem modum ordinandi, quia Epiſcopus non tenebitur inſtituere ad præſentationem patronorum, ſed poterit liberè Eccleſiam conferre, ut hìc per But. *in 2. notab.* & Jo. de Anan. *n.1.* licèt ex devolutione, & libera collatione hujuſmodi nullum præjudicium patronis generetur in futuris vacationibus, ut hìc deciditur in fine.

7 QUÆRO, an Epiſcopus Parochialem Eccleſiam juris patronatus laicorum conferens jure devoluto, eo quòd patroni infra quatuor menſes non pręſentaverint, aut quęſtio ſuper patronatu infra dictum tempus non fuerit deciſa, teneatur ſervare formam examinis per concurſum a Concil. Trid. præſcriptam, *c.18. ſeſſ.24.* in Parochialibus liberę collationis. Quod eſt quærere, poſita deciſione S. Congreg. qua declaratum fuit Parochiales juris patronatus laicorum non ſubjacere concurſui, an idem procedat in hujuſmodi Parochialibus, quarum collatio ob lapſum tempus patronis lai-

cis ad præſentandum à jure ſtatutum, ad Epiſcopum eſt liberè devoluta.

Tria ſunt quæ aliquale dubium facere videntur. Primum quia cum Parochiales juris patronatus laicorum ſtatim cùm vacant non ſubſint formæ concurſus, nec patronis præſentatio auferatur; licèt patronus poſteà non præſentaverit, & collatio ad Epiſcopum pertineat, videntur permanere in libertate, ut concurſui non ſubjaceant, ex eorum primordiali natura, quæ ſemper eſt attendenda, *l. Aſſumptio in princ. ff. ad municipal. & de incol. cum ſimil.* Secundum, quia in hujuſmodi Parochialibus non poſſunt habere locum verba Concilii inducentis formam concurſus: nam Concilium *c.* 18, *ſeſſ.* 24. mandat Epiſcopo, ut poſt vacationem infra decem dies, vel aliud tempus à ſe præſcribendum idoneos aliquot Clericos nominet, cum his, quę ſequuntur. Quę ſine dubio obſervari non poſſunt in his Parochialibus in quibus poſt vacationem intra quadrimeſtre tempus competens patronis laicis ad præſentandum juxta hoc Capitulum, *& in c.* 1. *§ Verum infra eod. lib.* 6. nihil licet Epiſcopo attentare, quod ad dictum Parochialium concurſum pertineat.

8 Tertium, quia in Parochialibus, quarum collatio ad Epiſcopum pertinet, lapſo tempore ſemeſtri à die vacationis, & non facta electione magis idonei, collatio devolvitur ad Sedem Apoſtolicam; & Epiſcopus concurſum ampliùs inſtituere non poteſt, juxta Conſtitutionem S. Pii V. quæ incipit, *In conferendis*, in Bullar. *tom.* 2. *pag.* 219.

9 Sed his non obſtantibus veriùs eſſe videtur in hujuſmodi Parochialibus d. tempore lapſo, & non facta præſentatione, concurſum eſſe ab Epiſcopo inſtituendum. Nam cùm ob non factam in tempore præſentationem, collatio ſit ad Epiſcopum liberè devoluta, ut hìc, *& in c. Quoniam, & c. Si verò ſupra eodem*, in hoc caſu habent locum & verba, & ratio Concilii. Verba quidem, quia Concilium loquitur de Parochialibus vacantibus conferendis. Ratio, quia expedit animarum ſaluti hujuſmodi Parochiales per magis idoneos gubernari, quæ eſt ratio à Concilio expreſſa in princ. *d. cap.* 18

Non obſtat, quòd hæ Parochiales cum vacant non ſubjaceant concurſui. Quia id procedit, donec durat tempus patronis præfixum ad præſentandum, ne illis præjudicetur, & laici à fundationibus retrahantur. juxta notata *in cap.* 2. *in gloſſ. in verb. Collatio, de præbend. lib.* 6. *in c. Dilectus ſup. de offic. leg. & in c. Proximo infra eod.* Quæ ratio poſt tempus lapſum, præſentatione non ſequuta, omninò ceſſat; cum tempus lapſum abſorbuerit jus patroni laici, & illud in Epiſcopum tranſtulerit, ut hìc, & in concordantibus ſupra allegatis. Unde patrono non præjudicatur non obſervando formam concurſus, cui ſecundum præſentem Parochialis ſtatum locus eſſe poteſt.

10 Et ad hoc optimè facit deciſio Sac. Congregationis, quæ Rotæ conſulenti, an inter plures ab eodem patrono laico ad Parochialem vacantem cumulativè præſentatos eſſe deberet locus concurſui: Reſpondit debere Ex qua deciſione colligitur etiam in his Parochialibus ſervandam eſſe formam concurſus, ubi illa ſine præjudicio patroni obſervari poteſt.

11 Similiter non obſtat, quòd in hujuſmodi Parochialibus non poſſit Epiſcopus intra decem dies idoneos Clericos nominare, vel edictum apponere. Quia reſpondetur id tempus incipere à die, quo ad Epiſcopum devoluta fuerit collatio, & ceſſaverit impedimentum, *c.* 2. *cap. Quia diverſitatem*, & ibi gloſſ *in verb. Intra ſex. de conceſſ. Præb. gl.* 1. *in c. Cùm acceſſiſſent de Conſtit.* & ſic forma ad unguem poterit obſervari.

12 Quæ reſponſio etiam ſatisfacit Conſtitut. S. Pii V. quia tempus bimeſtre inſtitutioni Epiſcopi, & devolutioni ad Sedem Apoſtolicam præfixum, incipere debet à die lapſi termini ad præſentandum, cùm ante illud tempus nihil ſit quod Epiſcopo imperari poſſit, qui non poteſt illud coarctare, Felin. *in cap. Bertoldus num.* 122. *de re judic.* & ſic ante illud tempus non eſt locus Conſtitutioni inducenti devolutionem ob negligentiam Epiſcopi, ut patet ex ejus lectura. Facit text. *in c. Super eo de appell. & in d. cap. Quia diverſitatem*, & quod notat gloſſ. *in c. Sæpè in verb. Careat de Appellat.*

Prædicta tamen ita temperanda videntur, ut Epiſcopus ſi velit conferre Parochialem poſt dictum tempus abſque pręſentatione lapſum, teneatur ſervare formam examinis per concurſum. Et ita deciſum à S. Congr. Conc. 29. Novem. 1600. nempè faciendum eſſe concurſum pro Parochiali juris patronatus laicalis, cujus proviſio ob negligentiam patroni non pręſentātis intra quadrimeſtre devolvitur ad Epiſcopum. Cæterùm an poſſit etiam lapſo tempore admittere præſentationem patroni laici ex gratia, juxta opinionem Gayl. & Card. quos refert, & ſequitur Lambertin. *in tract. de jure patr. in* 2. *p.* 2. *lib. in* 27. *art.* 1. *quæſt. princ. pag.* 273. determinare nunc non eſt opus.

Secundò QUÆRO generaliter, in quibus differant pa- 13
tronus laicus, & Eccleſiaſticus.

Complures differentias recenſent hìc Hoſt. in princ. Jo: Andr. *n.* 2. Henric. Boich. in princ. Butr. *n.* 4. Card. *nu.* 2. Anchar. *n.* 4. & Jo. de Anan. ambo *n.* 5. quæ his carminibus continentur.

Clericus, & laicus diſtant per plura patroni:
Pœnitet, & tempus, ſubjectio, pœnaque forſan:
Et ratio, titulus, donum conjungitur iſtis.

Pœnitet, quia laicus poteſt variare, & alium præſentare, ſed non Eccleſiaſticus, ut legitur, & notatur *in cap. Cùm autem* ſupra eodem. *Et tempus*, quia laicus habet quatuor menſes ad præſentandum, Eccleſiaſticus ſex, ut dixi ſupra *in* 1. *notab. Subjectio*; magis enim adſtrictus eſt poteſtati Eccleſiæ patronus Eccleſiaſticus, quàm laicus, reſpectu collationis, & derogationis, ut patet in eo, quod legitur, & notatur infra *in c. proxim & in cap. Dilectus ſupra de offic.*
leg. Pœnaque forſan: nam patronus Eccleſiaſticus præſen- 14
tando ſcienter indignum privatur ea vice poteſtate præſentandi, *ut in c.* 2. *de ſupplen. neglig. Prælat.* laicus verò non, ſecundùm quoſdam, Hoſtien. & Henric. Boich. idem in patrono laico, & probatur ſecundum eos in Auth. *Ut Clerici, qui recedunt*, *§. fin. Collat.* 5. *& de Sanctiſſ. Epiſc. §. Si quis Oratorii domum collat.* 9. *& de Eccleſ. tit. §. Si quis ædificationem in fin. collat.* 9. Idem tenet Innocentius *in c. Propoſuit, de filiis Presbyter.* Et hanc opinionem contra Jo. Andr. Butr. & Card. latè tuetur, & veriſſimam dicit Abbas *in c. Cùm vos n.* 5. *ſupra de offic. ordin.* ubi etiam pro hac parte allegat Rotæ *dec.* 205. & Bart. *in l. Cùm quidam, ff. de leg.* 2. Sed quia in hoc articulo ſunt opiniones, idcircò dicitur, Pęnaque forſan. *Et ratio*, quia patrono Eccleſiaſtico redditur ratio de temporalibus, *ut in c. Ex litteris in fin. ſupra eod. & in cap. Cùm & plantare, §. in Eccleſiis, inf. de privileg.* non autem patrono laico, cùm hoc non reperiatur jure cautum. Neuter tamen illorum debet ſe ingerere in perceptione fructuum, alioquin incidunt in pœnas à Concilio Tridentino inflictas *in cap.* 9. *verſ. Patroni autem ſeſſ.* 25. *Ti-*
tulus, quia invito patrono laico præſentatur Clericus ad ti- 15
tulum beneficii per ipſum Rectorem, *ut in cap. Poſtulaſti*,
cum ibi notatis, *infra eod.* ſecus invito Epiſcopo patrono, 16
ut ibi in gloſſ. 1. Idem videtur in alio patrono Eccleſiaſtico, de quo tamen dic, ut ibi per Cardin. & Abbat *Donum* quia jus patronatus poteſt donari perſonæ Eccleſiaſticæ ſine conſenſu Epiſcopi; ſed non ſæculari, *ut in c. Illud ſupra*
eodem. Hæc tamen differentia quamvis communiter à Do- 17
ctoribus aſſignetùr; tamen non eſt propria ad diſtinguendum inter patronum Eccleſiaſticum, & patronum laicum: nam nec patronus Eccleſiaſticus poteſt donare jus patronatus laico ſine Diœceſani conſenſu, *ut in cap. Significaſti, & cap. Ex inſinuatione ſupra eodem*, & advertit Card hìc *n.* 2. *in fin.* Supradictis ſeptem differentiis Abbas hìc ad finem addit octavam; quia patronus Eccleſiaſticus habet cuſtodiam Eccleſiæ vacantis, & non ſæcularis, *ut in cap. Bonæ de ap-*
pellat. Item dicit novam differentiam colligi poſſe ex dictis 18
Innoc. *in d. c. Cùm & plantare de privileg.* Nam ſi imponatur collecta Epiſcopo per ſe, & Clericis patronis pro ſe, Eccleſia debet conferre, & contribuere ſimul cum Clericis, non autem cum Epiſcopo, ut ibi per Innoc. *n.* 3. *verſ. Hac ratione videtur*: & ita Eccleſia patronata debet patronum Clericum in hujuſmodi oneribus adjuvare, ſecundùm Abb. qui tamen ſuccinctè, & obſcurè loquitur. Fortè intellexit Eccleſiam teneri ſublevare à collecta ut ſupra impoſita patronos Clericos, ſecundùm Innocent. ſed non patronos lai-
cos, cùm hoc non reperiatur jure cautum. Hodie decima 19
differentia habetur in decreto Concilii Trid. *c.* 18. *ſeſſ.* 24. in proviſione Parochialium Eccleſiarū. Nam ſi Eccleſia ſit juris patronatus Eccleſiaſtici, ac inſtitutio ad Epiſcopum, & non alium pertineat; patronus eligit digniorem inter probatos ab examinatoribus, eumq; pręſentat Epiſcopo, ut ab ipſo inſtituatur. Cum verò inſtitutio facienda eſt ab alio, quàm ab Epiſcopo; tunc Epiſcopus ſolus ex dignis eligit digniorē,

quem

quem patronus ei præſentat, ad quem ſpectat inſtitutio.
20 Sed ſi Eccleſia ſit juris patronatus laicorum, patronus præ-
ſentat quem maluerit; & ſic præſentatus examinari debet
ab examinatoribus deputatis, & ab Epiſcopo inſtitui, ſi ido-
neus repertus fuerit.

21 Tertiò QUÆRO, an forma examinis per concurſum
obſervanda in Parochialibus juris patronatus Eccleſiaſtici
ex decreto Concilii Trident. *d. cap.18 ſeſſ.24. verſ. Si verò*
obſervari etiam debeat in Parochialibus juris patronatus
partim Eccleſiaſtici, & partim laicalis.

Cùm relatum fuerit S. D N. antiquam deciſionem in S.
Congreg. editam, qua declaratum fuit in Parochialibus pa-
tronatus mixti obſervandum eſſe formam examinis per
concurſum, diverſas pati difficultates: Sanctitas ſua man-
davit, ut idem articulus in ead. Congregatione iterum di-
22 ſcuteretur. Cùm hoc dubium tunc fuiſſet propoſitum ad
probandum in hujuſmodi parochialibus obſervandam eſſe
d. formam examinis per concurſum, allegabatur Felin. *in
tract. quan. litt. Apoſtol. noc. patr. Eccleſ. n.6. propè finem*, ubi
concludit patronatum mixtum regulari tamquam ſi eſſet
totus Eccleſiaſticus, cùm Eccleſię vel perſonę Eccleſiaſticę
magis prodeſt; magis autem prodeſt Eccleſiæ, ut ſervatur
forma examinis per concurſum quia hoc pacto dignior, &
magis idoneus ei præficitur, *ut in d. c. 18. in princ. ſeſſ. 24.*
Ergo atendenda eſt qualitas Eccleſiaſticitatis, ut forma con-
curſus obſervetur.

23 Id confirmari potuiſſet deciſione Rotæ, quæ à nonnullis
perperam allegabatur, 265 *tit. de grat. & jure patron. in an-
tiquis*, aliàs eſt *deciſ. 46. in tit. de Præb.* In ea enim deciditur
ut quamvis in beneficiis de jure patronatus laicorum non
intret reſervatio, de qua *in c. Licèt de præbend. in 6.* tamen
collatio facta per Papam de beneficio vacante in Curia abſ-
que derogatione juris patronatus vendicet ſibi locum, et-
iamſi beneficium ſpectet ſimul ad præſentationem Clerici,
& laici; quam deciſionem ſequitur Staphil. *in tract. de litte-
ris grat. tit. de modo, & form. impetrand. §. Jus patron. n.3. quo-
modo probetur*, Æneas de Falcon. *in tract. de reſervat. q. 4.
effect. 14.* & Ferret. *conſ. 132. n.4.* Fundamentum deciſionis
eſt, quia magis dignum trahit ad ſe minùs dignum, *cap. Per*
24 *tuas, de arbitrar. l.1. ff. de verbor. ſignif. cum ſimil.* Aliud fun-
damentum adducit Æneas de Falcon. *loc. cit.* argumento
ſumpto ab uſu patrisfamilias, & à ſtylo Curiæ videlicet
25 quia Papa paſſim, & indiſtinctè derogat patronatui mixto
in totum: quòd ſi tale juspatronatus judicaretur laicale, non
derogaret niſi pro medietate. Ergo ſtylus Curiæ videtur
interpretari tale jus patronatus magis pro Clericali, quàm
laicali, ex quo in totum derogat.

26 Contrarium tamen verius eſſe videtur: nam cùm quæri-
tur, an patronatus mixtus, laicalis, vel Eccleſiaſticus cenſeri
debeat, ea eſt receptiſſima diſtinctio, ut attendatur illa qua-
litas, quæ in caſu, de quo quæritur, eſt magis privilegiata, &
magis favet patronatui, Feder. de Sen. *conſ. 65. n.2.* qui ab
omnibus ad id allegatur, licèt non ita explicitè id dicat, Fe-
lin. *in tract. quan. litter. Apoſt. n.6.* Lambert. *de iure patr. 1.
quæſt. princ. lib.1. part.1. art.7. n.4. & 26.* Jo. de Sel. *in tract. de
benef. part.2. q.3. n.47.* Put. *deciſ. 157. n.6. lib.3.* Covarr. *pract.
quæſt. c.36. n.5. verſ. Tertiò opportunè*, ubi teſtatur hanc eſſe
communem opinionem.

27 Et ratio eſt, quam tradit gloſſ. ab omnibus approbata *in
c.1. in verb. Eccleſiaſticus, de iurepatron. in 6.* quòd propter
communionem non privilegiatus ſortitur naturam privile-
giati, juxta textum *in l. Si communem, ff. quemadm. ſerv.*
28 *amitt.* Et ideò ſi agatur de præſcriptione patronatus mixti,
in qua Eccleſia eſt magis privilegiata, quàm laicus, cenſetur
patronatus totus Eccleſiaſticus, ut requiratur ad ejus præ-
ſcriptionem idem tempus, quod requiritur contra Eccle-
ſiam, ut poſt Goffred. tradit Joan. An dr. quem ibi omnes ſe-
29 quuntur, *in d. c. 1. de jurepatron. in 6. propè finem.* Similiter
cùm patronus laicus habeat ad præſentandum quadrime-
ſtre, Eccleſiaſticus ſemeſtre, ſi mixtus ſit patronatus, uter-
que patronus habebit ſemeſtre, quia hoc caſu melior eſt
conditio patronatus Eccleſiaſtici, quàm laicalis, textus eſt
30 *in d. c.1. in fin.* ubi gloſſ. & cæteri Doctores. E converſo au-
tem ſi verſemur in materia, in qua jus patronatus laicorum
ſit firmius & magis privilegiatum, quàm Eccleſiaſticum,
patronatus mixtus ex utroque totus cenſetur laicalis. Et
ideò cùm in materia derogationis potentior ſit patronatus
31 laicalis, quàm Eccleſiaſticus, *c. Dilectus*, ubi Doctores *ſup. de
offic. Legati* quamvis Legatus de latere poſſit conferre bene-
ficia juris patronatus Eccleſiaſtici, ut ibi dicitur: non tamen
poterit conferre, quæ ſunt patronatus mixti, quia in hoc
reputantur, ac ſi eſſent patronatus ex toto laicales, Feder. de
Sen. *d. conſ. 65. nu.1.* ubi teſtatur hanc eſſe communiorem
opinionem, quam contrariam, Abb. *in c. fin. infra eod.* ubi
ſimiliter ait hoc eſſe commune dictum, Felinus *d. n.6.* Roch.
de Curte, *in tract. de jure patronatus, in verb. Jus, in 7. quæſt.
n.23.* Jo. de Selv. *ubi ſupra*, Puteus *d. deciſ. nu. 2.* Rebuff. *in
tract. nominat. q.15. n.6.* Achil. *deciſ. 306. n.3.* ubi Anchar.
in hanc ſententiam citat Simonett. *in tract. de reſervat. q.3.*
ubi teſtatur ita ſervari. Sic etiam cùm collatio Papę de bene-
ficio reſervato abſque derogatione comprehendat illud,
quod eſt de jure patronatus Eccleſiaſtico, non autem laico-
rum, & intret etiam regula reſervatoria octo menſium, ſi 32
beneficium fuerit patronatus mixti, cenſetur totus laicalis.
Hanc opinionem tenuit Rota citata per Felin. *d. n. 6.* licèt 33
non reperiatur, Caſſad. *deciſ. 5. de jurpatron. n 9.* Rebuff. *d. q.
15. n.6.* Puteus *d. deciſ. 157. in fin.* ubi ex mente Doctorum,
quos ſuperiùs retulimus, declarat regulam, *Magis dignum
trahit ad ſe minùs dignum*, procedere ubi eſt favor magis
digni ut trahat, & non trahatur.

Itaque cùm nos verſemur in materia præjudiciali patro- 34
natui, nempè in concurſu, qui ſi obſervetur in beneficiis
Patronatus mixti, infertur præjudicium patronis, quorum
libertas in præſentando reſtringitur; & cùm in hac parte jus
laicorum ſit potentius, & magis privilegiatum, quia Conci-
lium beneficia de jure patronatus laicorum concurſui non
ſubjecit: ſequitur, ut patronatus mixtus quoad concurſum
pro conſervanda patronorum libertate debeat reputari, ac
ſi totus eſſet laicalis. Neq; enim propter mixturam Clerici 35
debet laicus privari jure ſuo, Abb. Joan. de Selv. & alii ſupra
citati. Et cùm hoc caſu patronatus ſit mixtus, & compoſi-
tus, debet aſſumere naturam illius ſpeciei, per quam juri al- 36
terius minus derogatur, ut in propoſito perpendit Rebuff.
q.15. n.7.

Neque obſtat, quòd Felin. *in locis ſupracit.* ſentiat atten- 37
di qualitatem Eccleſiaſticitatis, quando magis prodeſt Ec-
cleſiæ, vel Eccleſiaſticæ perſonę. Nam inde non infertur, ut
Eccleſia patronatus mixti debeat conferri per concurſum,
quaſi ei melius provideatur. Quia Felin. non loquitur de
utilitate Eccleſiæ, ad quam fit præſentatio, ſed de utilitate
Eccleſię habentis jus, præſentandi, cujus jus magis præſerva-
tur excluſo, quàm admiſſo concurſu. Rurſus non obſtat 38
fundamentum Ænææ de Falc. de quo ſupra *n.25.* quoniam,
ut reſpondet Puteus in præallegat. *deciſ. 157. n 4.* Papa quan-
do jus patronatus eſt merè laicum ſemper derogat pro me-
dietate, quando eſt mixtum non vult admittere; & pro par-
te Clerici non eſt neceſſaria derogatio. Ideò cùm remaneat 39
pars laici, quæ indiget derogatione, derogat in totum. De-
ciſio Rotæ ſupracitata ſimiliter non obſtat; tum quia non
utitur validis rationibus; tum quia contra eam eſt commu-
nis opinio, quam etiam eadem Rota antiqua ſequuta eſt te-
ſte Felino *ubi ſup.* & poſteà apud Caſſad. *d. deciſ. 7.* & Puteus
loc. cit. Ideòque non erit mirum S. Congregationem de ve-
teri ſententia decedere, cùm & Rota in hac re à ſe ipſa diſ-
crepaverit. Et ita reſolutum. Et S. Congregationis ſenten-
tiam Sanctiſſimus ad ſe relatam approbavit. Unde caven-
dum eſt hodie à declarationibus, quas refert Garzia *in tract.
de benef. part.9. c.2. n.278.*

Quartò QUÆRO, poſita poſteriori deciſione S. Con- 40
gregationis Concilii à Sanctiſſimo approbata, qua declara-
tum fuit in inſtitutionem Parochialium Eccleſiarum juris
patronatus partim Eccleſiaſtici, partim laicalis, non eſſe
obſervandam formam examinis per concurſum.

An idem ſic dicendum de Parochialibus juris patrona-
tus, quod origine erat totum laicale, ſed pro duabus tertiis
partibus ex dotatione laicorum effectum fuit poſteà Eccle-
ſiaſticum.

Propoſito hoc dubio menſe Decembris 1616. Sacr. Con-
gregatio non dubitavit, quin jus patronatus origine laicale
immutaverit naturam, & effectum fuerit in omnibus Eccle-
ſiaſticum, ſi donatione, vel alio legitimo titulo tranſierit in
Eccleſiam: extant enim hac de re jura apertè *in c. unico, §.
fin. de jurpatr. in 6. & in c. Dilectus il terzo, ſupra de Præb.*
& utrobique notant gloſſ. & Doctores. Covar. *practicarum
quæſtionum cap.36. num5. verſ. Illa.* Seraphin. *deciſ. 1420.
in pricip.* Sed in reliquis ob varias Patrum ſententias juſſit
iterùm examinari, an deciſio de Parochialibus juris patro-
natus mixti abſque concurſu conferendis habeat locum in

patronatu pro tertia tantùm parte laicali, & pro duabus Eccleſiaſtico.

Cujus quæſtionis ſolutio videtur pendere à ratione, ob quam in patronatibus mixtis prævalet qualitas magis favens patronatui, ſive illa ſit laicalis, ſive Eccleſiaſtica: nam ſi conſtiterit eam rationem habere locum in mixtura etiam inæquali, erit reſpondendum non requiri concurſum in patronatu majori parte Eccleſiaſtico, ſicut non requiritur in mixto æquali portione. Sicut è converſo ſi conſtiterit dictam rationem non habere locum, niſi in mixtura æquali, reſpondendum erit Parochialem patronatus majori parte Eccleſiaſtici, per concurſum eſſe conferendam ob mixturæ inæqualitatem.

41 Ratio autem, cur in mixto prævaleat qualitas, quæ magis favet patronatui, eſt duplex, ut fuſiùs explicavimus in quæſtione præcedenti à n.27. Altera deſumpta *ex l. Si communem, ff. Quemadmodum ſervit. amitt.* ubi ſi non privilegiatus in materia individua concurrat cum privilegiato, illius privilegio utitur: quam rationem in his terminis aſſignat gloſſ. *in d.c. Unico, in verb. Eccleſiaſticus de jure patronatus in 6.* & pluribus exornant Alex. *conſ.* 122. *n.*16. *& ſeqq. lib.*4. & Jaſon. *in l. Si emancipati n.*6. *& ſeq. C. de collat.*

42 Altera ratio deſumpta *ex c. Sacris de ſepult.* ubi in præjudicialibus mixtum aſſumit naturam ejus, ſimplicis, per quod jus alterius non tollitur. Cui regulæ non poteſt dari contraria inſtantia, ut ait Lambertin. *de jurepatr. lib.* 3. *par.*2. *q.*1. *art.*9. *& ſeq. & q.*9. *art.*8. *n.*2. Gabriel. *conſ.*197. *nu.*7. *verſ. Item aſſume*, & Menoch. *de præſump. lib.*3. *q.*90. *n.*18. Atque ita ob mixturam Clerici non debet laicus privari jure ſuo, Abb. *in d.c. Sacris*, & Selv. *de benef. part.*3. *q.*11. *ſub nu.*69.

43 Cui alia ratio conſequitur, ne ſcilicet laici detrahuntur ab Eccleſiis fundandis, quam dicit potiſſimam in hac materia Selv. *loc. cit.* poſt gloſſ. magnam *in fin.* & Hoſtienſ. *n.*10. *in c. Cum dilectus infr. eod.* In priori ratione patronus certat de lucro, vel favore ex perſona ſocii acquirendo: in poſteriori de damno vitando, quod à ſocio pateretur, ſi illius qualitas prævaleret.

Has autem rationes damni vitandi, & favoris conſequendi ex perſona compatroni non habere locum, nec eſſe attendendas in patronatu inæqualis mixturæ, primo intuitu videntur ſuadere infraſcripta.

44 Et primò ad hoc adducitur text. *in l. Quæritur, ff. de ſtat. hom.* ubi etſi virilis conditio magis proſit, hermophroditus tamen æſtimatur fœminei ſexus, ſi magis in eo incaleſcat. Ergo ſimiliter quamvis quoad concurſum magis proſit patronis qualitas laicalis, patronatus tamen cenſeri debet Eccleſiaſticæ qualitatis, ſi in ea prævaleat ratione majoris partis: nam, ut ait Socinus per illum textum *in cap.*1. *nu.*7. *de foro competen.* in mixtis minor pars, licèt dignior, accedit majori, & mixtum à ſuo potentiori judicatur, quia attenditur quod potentiùs agit: quod ipſum repetit poſt Alexand. *in l.*2. *num.* 8. *ff. de verborum obligat.* Grabiel. *conſ.* 50. *num.* 6. *volum.* 1. Idque proculdubiò procedit in mixtis inſeparabilibus, ſeu individuis, ut eſt jus patronatus, Ang. 347. *Quidam Manuel. nu.*2. *verſ. Et ubi non ſunt ſeparabilia.* Unde in propoſito dicit Abb. *in c. De jure in* 1. *notab. verſ. Item ex hoc, ſupra eod.* mixtum ex duabus naturis aſſumere ſibi naturam à potentiori, & digniori; ac proindè committi ſimoniam in jure patronatus, quod eſt partim ſpirituale, & partim temporale, perindè atque in merè ſpiritualibus: & ſequitur Lambert. *in hoc tract. lib.*1. *part.*2. *in* 4. *quæſt. princ. art.*3. *n.*2.

45 Secundò, adducitur textus *in l. Quod major, ff. ad municip.* ubi abſolutè major pars trahit minorem, nec diſtinguitur, an obſit, vel proſit, Feder. de Sen. *conſ.*1. *in princip. verſ. Hoc præſuppoſito*: ad idem textus *in l. Aliud, §. Refertur, ff. de regul. jur. in l. Si nemo, §.*1. *ff. de teſtam. tut.* cum multis ſimilibus: pars enim in mixtis accreſcit toto, minus majori, & ignobilis nobiliori, *l. Sed ſi rem, §.*1. *& l. Quicquid, §. fin. ff. de acquirendo rerum dominio*: & hanc regulam procedere etiam in præjudicium minoris partis, eſt textus *in l. fin. §.*1. *C. Qui bonis cedere poſſ. cum concordandibus*, de quibus per gloſſ. *in d. l. Quod major*, ad idem *cap. Sedes, de reſcript. c. Cum inter il terzo, & cap. Cum dudum il primo de electione.*

46 Tertiò, adducitur doctrina Socini *conſ.*87. *n.*12. *lib.*3. ubi reſpondit jus patronatus conceſſum ex augmento dotis nõ dici mixtum ex cauſa oneroſa, & privilegio, ſed cenſeri omninò ex privilegio: & ſequitur Rota *diverſ. deciſ.* 57. *n.*17. *part.*1. Atque ita in patronatu prævalet qualitas, quæ nocet, ſi ſit potentior.

Quartò, jus patronatus competens univerſitati ſcholarium dicitur Eccleſiaſticum, ſi ibi ſint plures Clerici, quam 47
laici & è converſo, Jo. de Lign. *in c. Dilectus, il* 3, *de præben.* Felin. *in c. Ex litteris col.*1. *de Conſtit.* quos refert, & ſequitur Creſcent. *deciſ.*3. *de jure patron.* & Lambert. *in tractat. hujus tit. lib.*1. *p.*1. *in* 1. *quæſt. princ. art.*7. *n.*3. *&* 4. Sicut uni- 48
verſitas, in qua ſunt plures laici, quàm Clerici, cenſetur laicalis, & ſubjicitur foro ſeculari, Innoc. *in c. Dilecta de exceſſ. Prælat.* Bart. *in l. fin. col.*3. *ff. de Colleg. illic.* Abb. *in c. Cùm ab Eccleſiarum, col.*2. *de offic. ordin.* & ita tenent omnes, ut Decimus teſtatur *in d. c. Ex litteris ſub n.*20. *&* 21. Unde patet ad cognoſcendum, an jus patronatus ſit laicale, vel Eccleſiaſticum, non eſſe attendendam qualitatem quæ prodeſt, ſed qualitatem quæ in numero prævalet.

Quintò, allegatur Conſ. ferè in terminis Pariſ. 128. *n.*11. 49
& 12 *vol.* 4. ubi conſuluit jus patronatus dotatione mixta partim ex bonis laicalibus, partim Eccleſiaſticis, cenſeri Eccleſiaſticum etiam ad effectum derogationis, ſi bona Eccleſiaſtica ſint majoris valoris: adducit in argum. notat *in l. Ariſto, ff. de donat. & in l.*1. *ff. de æſtimator. action. cum conc.*

Ex quibus videtur colligi rationem gloſſ. *in cap.*1. *de jure patr. in* 6. quòd propter communionem non privilegiatus ſortiatur naturam privilegiati; & rationem Abbatis *in c. fin. infra eodem*, quòd propter mixturam Clericorum laici jure ſuo privari non debeant, non habere locum, quoties Clerici partibus inæqualibus concurrunt cum laico quia tunc trahunt, non trahuntur, ob qualitatem prædominantem.

Sextò, hæc clarius videntur procedere in caſu hoc parti- 50
culari, in quo patrono laico nullum infertur conſiderabile præjudicium, quia major pars vocum, quam Eccleſia obtinet, ſatis eſt præſentato ad inſtitutionem obtinendam, *cap. Quoniam, ſup. eod.* nec laicus poteſt alicui ex patronis Eccleſiaſticis accedere, cùm jus patronatus de quo agitur ſit penes unam, & eamdem Eccleſiam, ſeu Congregationem pro duabus partibus; ita proinde nec damnum, nec utilitatem aliquam ex præſentatione ſentiat qui tertiam tantùm obtinet partem in patronatu, quia velit nolit tenetur ſequi Eccleſiam præſentantem.

Ultimò, hanc ſententiam recenſet inter alias Petr. de Anchar. *hic propè finem*, dicens jus patronatus mixtum debere judicari Eccleſiaſticum, vel ſeculare reſpectu portionum ita ut habens majorem partem in dicto jure, & jus potentius præferatur. Et apertè eam ſequitur Gambar. *in tract. de* 51
*Auctoritate Legati à latere, lib.*3. *ſub n.*388. *verſ. Fallit tamen*: ubi concludit legatum de latere etſi non habeat facultatem conferendi Eccleſias juris patronatus mixti, poſſet tamen conferre, ſi Clerici habeant plures voces quam laici. Pro eadem allegatur Creſcentius *dec.*3. *de jur. patr.* ubi aſſerit: (Si in caſu illo quatuor laici haberent ſeparatim unuſquiſque unam vocem, & Præpoſitus unam aliam, poſſet jus patronatus dici laicorum: & inter alios allegat not. per Jo. de Lignan. *in d.c. Dilectus, il* 3. *de præbendis*, qui dicit jus patronatus competens Univerſitati, in qua ſint plures Clerici, quàm laici, dici Eccleſiaſticum, & contra.) Atque ita Creſcentius, quamvis obiter, apertè tamen videtur ſentire jus patronatus mixtum judicari ex majori parte patronorum. Idem, licèt obiter, dicitur ſenſiſſe Rota cor. Cardinali Cavallerio, Neque aliud videtur cenſuiſſe Covarr. *pract. q.c.*36. *n.*5. *verſ. Quod ſi jus part* nam paulò ante ibidem docuit jus patronatus æqualis mixturæ ad effectum derogationis cenſeri laicale; ac deinde ſubdit. Quòd ſi jus patronatus ad laicum unum & duos Clericos pertineat, poſſet admitti hujus patronatus derogatio, quia major pars, quæ in præſentatione jura potiora obtinet, hujus conditionis eſt, ut derogationem admittere teneatur. Videtur itaque Covarr. conſtituere differẽtiam inter jus patronatus mixtum, cujus patroni utrinque ſunt pares numero, & inter id, cujus pars major eſt Clericorum, ita ut illud laicale, hoc verò Eccleſiaſticum cenſeatur.
Neque verò ex eo, quòd ait patronos Eccleſiaſticos teneri 52
derogationem admittere, videtur poſſe inferri, ut ſit laicale, quia etiã patronatui merè Eccleſiaſtico quandoque derogatur, licèt derogatio nõ ſit neceſſaria, Mandoſ. *in prax. ſignat. grat. in verb. Derogationes juris patronat. verſ. Juris patron. Clericorum.* Ex recentioribus verò idem probant Conzal. *ad regul.*8. *Cancell. in groſ.*18. *ſub n.*15. Azor. qui ſimpliciter refert Covarr. *inſtitut. moral. part.* 2. *lib.*6. *c.*23. *verſ. Sed quid ſi jus patronatus ad duos Eccleſiaſticos, & unum laicum* per-

pertineat, & Granut. ad Simonet. de reſerv. q.9.n.8.& nonnulli alii. In quam ſententiam videntur etiam afferri poſſe DD. omnes, qui cenſent jus patronatus indiſtinctè cenſeri Eccleſiaſticum, ſi ſit mixtum æqualiter laicorum, & Clericorum; quia magis dignum, &c. Hi enim à fortiori ſentiunt patronatum eſſe Eccleſiaſticum, ſi major pars ſit Clericorum, inter quos recenſentur, Rota in antiq. dec. 266. incip. Nota quòd Papa, & alii quamplures apud Ferretr. conſ. 132.n.4.verſ. Contrarium, & Covar. loc.cit.

53 Sed his non obſtantibus contraria opinio eſt verior, pro qua affertur 1.tex. in c. Per tuas, de arbitr. ubi duo laici, in quos compromitti non poteſt de cauſa Eccleſiaſtica, fiunt habiles propter adjunctionem unius Clerici, quem text. ad hoc aureum dicit, Felin. in c.1.ſub num.1.poſt medium de præſcript.

54 Secundò, text. in d. c. Sacris de ſepult. ubi ſi cadavera excommunicatorum à fidelibus diſcerni non poſſint, exhumari non debent; quia, inquit, expedire non credimus, ut cum excommunicatorum oſſibus corpora extumulentur fidelium.

55 Tertiò, c. Quod in dubiis de conſecr. Eccl. vel altar. ubi ſi oleo non conſecrato modicum conſecratum miſceatur, totum fit conſecratum.

56 Quartò, tex. in l. Si quis ſeparatim, §. fin. ff. de appell. ubi unius appellatio omnibus prodeſt, ſi defenſio communis ſit, & eadem ratio vincendi: & concorbat l.1.& 2. C. unus ex pluribus appell. quemadmodum reſcriptum ab uno impetratum, ratione communionis omnibus ſuffragatur, l.1. C. de diverſ. reſcrip. Aym. conſ.45. Quidam n.2.& prodeſt omnibus victoria unius, l. Loci, §. Si fundus, ff. Si ſervit. vind. ubi gl. in verb. Proderit, dicit eſſe mirabile, quod proſit, ſed non noceat, ut l. Si communi, ff. eod.

57 Et generaliter in individuis privilegium uni ex ſociis conceſſum trahitur ad omnes, ſecundùm gl. fin. in d.l.2.C. de diverſ. reſcript. & in leg fin. C. de muner. & honor. lib. 1. Ideòque reſtitutio competens uni ex minoribus extenditur etiam ad majores litis conſortes, gl.fin. in l. unica, C. Si in communi ead. cauſ. Afflict. dec. 213. per tot. & alia congerit Alex. conſ. 122. ſub n. 16. verſ. Et judicio meo lib.4. & Lambert. de jure patron. lib.1 p. 1.q. 1. art. 7. ſub nu. 5. verſ. Hoc ſi conſideratur. Et prorogatio fatalium unius ex conſortibus excuſat alios à deſertione, Joan. de Tanis dec. 22. quem refert & ſequitur Lancellot. de attent. p.2.c.15. ampl. 11. num. 3.

58 Similiter cauſa individua plurium laicorum, & unius Clerici agi debet coram judice Eccleſiaſtico, ut notat Bart. in l. Præcipimus, §. eod. obſervando, n.2. C. de appell. Alex. loc.cit. Ant. de Prato veteri in l.1. in fin. ff. quæ ſententiæ ſine appell. reſcind. Boſ. in pract. crim. tit. de foro compet. nu. 106. in fin. & alii apud Clar. in §. fin. q 36. n.46. verſ. Evenit plerumque: & unius minor in inſeparabilibus trahit majores etiamſi plures ad ſuum forum, Soc. conſ.82. nu.10. lib.3. Si-
59 cut etiam ex præſentatione unius tantùm ex compatronis omnium poſſeſſio conſervatur, Abb conſ. 55. Videtur primò, col. 2. verſ. Nec obſtat ſi dicatur lib. 1. & in c. Cùm Eccleſia col. 3. de cauſa poſſ. & propriet. Ferrer conſ.132.n.3.p.1. Ratio eſt, quia in individuis jus retinetur ex perſona alterius, ut de jure patronatus tradit Gemin. in c. unico, §. fin. de jure patron. in 6.

Atque ex his patet in mixtis prævalere qualitatem magis faventem, & per quam jus alterius non læditur ex communione, etiamſi qualitates contrariæ ſint numero plures, quia jura in materia mixturæ non conſtituunt differentiam an magis dignum ſit in majori quantitate, vel numero, ſed ſolùm an ſit mixtum cum minùs digno, ut ait Lamber. lib. 1.p.1.q.1.art.7.ſub n. 5.verſ. Poteſt etiam dici. Ergo in mixtura unius laici, & plurium Clericorum, præferri debet ad excluſionem concurſus patronus laicus; tum quia hac ratione ejus favor aliis Clericis compatronis communicatur tum quia ipſe non privatur præſentandi libertate ſibi competente ex titulo oneroſo fundationis, vel dotationis; præ-
60 fertur enim inter plures, qui certat de damno vitando, Anchar. conſ.37. ſub n.2. verſ. Cùm dictus Laurentius.

61 Præſertim quia jus patronatus, de quo agitur, non eſt Eccleſiaſticum origine, quo caſu fortè patronus ſibi imputare deberet, quòd unà cum Eccleſiaſticis, qui ſubjacent concurſui, fundaſſet, ac dotaſſet; ſed à principio totum erat laicale & poſteà ex donatione compatronorum laicorum effectū eſt pro duabus partibus Eccleſiaſticum abſque illius conſenſu. Unde æquum non eſt, ut nulla ejus culpa privetur præſentandi libertate: quam rationem conſiderat Rota dec.524. n.7.8. & 9 p.1. diverſ.

Et confirmatur, quia jus patronatus eſt in ſolidum penes 62
omnes patronos, ſive ſint ex pluribus cauſis patroni, ſive ex una, eademque cauſa, c.1. & ibi gl. ſupra eod. Unde non eſt habenda ratio, an ſint plures numero, vel pauciores, ut advertit Lambert. loc.cit.

Quamobrem hanc opinionem in caſu contrario, cùm 63
ſcilicet ſunt plures laici, & unus Clericus, attendendam eſſe qualitatem Eccleſiaſticam, ſi illa magis faveat patronatui; atque ita jus patronatus mixtum non ex numero vocum, ſed ex qualitate, quæ prodeſt, judicari debere; probat Roch. in verb. Jus, num.16. & Lambert. d. art.7. per tot. ubi aſſerit hanc quæſtionem eſſe indubitabilem.

Et in propriis terminis ita tenet idem Lambert. p.3. lib.2. q.9. art.9. ſub n.3. verſ. Et ex hac regula, ubi oſtendit jus patronatus unius laici, & plurium Clericorum cenſeri laicale ad effectum derogationis; & Legatum de latere non poſſe conferre, ſicut non poteſt beneficia patronatus merè laicalis, aut mixti æquali portione.

Quibus accedit, quòd ex ſtylo Cancellariæ conſuevit de- 64
rogari juri patronatus mixto, etiam ſi patroni Eccleſiaſtici ſint numero plures, & non intrant reſervationes, etiamſi unus ſit laicus, & viginti Clerici, ut egomet comperi ex libris publicis, qui in Dataria aſſervantur. Atque ita Cancellaria, quæ eſt Organum Papæ, reputat jus patronatus laicale ex mixtura unius laici tantùm, in his quæ proſunt patronatui, etiamſi patroni Eccleſiaſtici ſint multò plures. Cui ſtylo principaliter innixa hanc ſententiam probavit S. Congr. Conc. in caſu propoſito.

Non obſtant argumenta contraria. Ad primum enim re- 65
ſpondetur, in mixtis naturalibus ſemper, & indiſtinctè prævalere, quod eſt potentius, ſive proſit, ſive obſit. Ratio eſt, quia in his non habent locum fictiones, ſed agentia neceſſariò operantur ſecundum eorum activitatem, ideòque neceſſe eſt prævalere id, quod validiùs agit, ut in exemplo hermaphoroditi, de quo in d.l. Quæritur, de ſtat. hom. & in aliis conſimilibus. At ſecus eſt in mixtione, quæ fit juris miniſterio, quia prævalet, quod eſt favorabilius, licèt ſit in pauciori numero, vel quantitate, ut patet in exemplis olei conſecrati, appellationis, præſentationis, & aliis, de quibus ſupra à n. 55. Jus enim fingit illud ex ſimplicibus eſſe potentius, ac dignius, quod magis prodeſt, & jus alterius non lædit; & ſecundum hoc contrarium argumentum poteſt in oppoſitum retorqueri: nam ſi mixtum ex duabus naturis aſſumit ſibi naturam à potentiori, ac digniori: ergo in patronatu mixto unius laici, & plurium Eccleſiaſticorum, quoad formam examinis per concurſum prævalere debet laicus; quia æſtimatur potentior, ac dignior, ex quo conſervat ſibi, & communicat patronis Eccleſiaſticis facultatem liberè præſentandi; idque utilius eſt patronatui, ut patet ex dictis in præcedenti quæſtione n.34. & 37. & in hac ipſa n. 59.

Ad ſecundum reſpondetur, regulam illam, quòd pars 66
major trahat minorem, & alias conſimiles, recipere declarationem ex aliis juribus, ut procedant, quando eſt favor majoris partis, ut trahat, & non trahatur, ut apud Put. in præalleg. dec.157. lib.3. & dictum eſt ſupra nu.33. & ita eſt in electionibus, & aliis actibus Univerſitatum; nam favor eſt majoris partis ut trahat, & non trahatur: & ideò prævalet factum à majori parte etiam in præjudicium minoris, ut in c. Cum inter il 3 de elect. & in aliis alleg. At in caſu præſenti favor eſt patronorum Eccleſiaſticorum, ut trahantur à patrono laico, & illius privilegio utantur in libertate præſentandi, quæ illis reſtringeretur, ſi qualitas Eccleſiaſtica prævaleret, ut proximè dictum eſt. 67

Ad tertium reſpondetur, augmentum dotis non eſſe cauſam efficientem, ſeu productivam juris patronatus; quia ad hoc requiritur totalis donatio, ut not. gl. in c. Quicumque in verb. Aliquid, 16. qu.7. Lambert. in hoc tract. lib.1. par. 1. in
5. quæſt. princ. art.12. num.1. & Rota diverſ. deciſ. 457. nu. 18. 68
part.1. At ſolum indultum Apoſtolicum per ſe ſufficit, Abb. conſ.28. in cauſa, in princ. lib.2. Rota deciſ.304. par.2. diverſ. & dotis augmentum non eſt niſi cauſa motiva, ſeu impulſiva conceſſionis privilegii. Unde non mirum, ſi jus patronatus non dicatur mixtum ex augmento dotis, & privilegio
ſed ex privilegio tantùm: nam ut habetur lib.1. de generat. & 69
corrupt. c.7. mixtionem non efficiunt multa paucis, & magna parvis appoſita; & mixtio eorum non eſt, quæ non ſunt ejuſ-

ejuſdem generis, ad hod *l. Hoc amplius*, §. *Alphenus*, *ff. de damn. infect.* & notat Petr. Brix. *in repert. in ver. Mixtum.* At ex cauſa fundationis, conſtructionis, vel dotationis omnes concurrunt in illius productione, & in ſolidum efficiuntur patroni, gl. 1. *in c. Piæ mentis*, 16. *q.* 7. Lambert. poſt alios *in hoc tract. lib.* 1. *p.* 1. *in* 3. *q. princ. art.* 1. *nu.* 1. & ſcripſi latè *in c. Quoniam nu.* 49. *ſup. eod.* Unde in mixtura unius patroni laici, & plurium Clericorum, prævalere debet qualitas laicalis, quæ magis proficit. Ubi enim duæ cauſæ ſimul miſcentur, attenditur illa, quæ prodeſt, *l.* 1 §. *Veteres*, *verſ. Si ex parte*, *ff. de acquir. poſſ.*

70 Ad quartum reſpondetur doctrinam illam, quòd jus patronatus Univerſitatis ſcolarium, & Univerſitas mixta judicetur ex pluralitate Clericorum, vel laicorum, poſſe non incongruè declarari, ut vendicet ſibi locum in his tantùm, in quibus eſt favor major, ut trahat, & non trahatur; aliàs ſecus, ut conſtat ex ponderationibus, de quibus ſupra à *n.* 13. & in quæſtione præcedenti à *n.* 26.

71 Ad quintum reſpondetur, quicquid ſit de veritate illius doctrinæ, aliud juris eſſe cùm jus patronatus eſt mixtum ex bonis laicalibus, & Eccleſiaſticis, unus tamen eſt patronus; aliud ubi eſt mixtum ex pluribus patronis Clericis, & laicis: nam in primo caſu, ſi bona Eccleſiaſtica ſint majoris valoris, fortè admitti poteſt doctrina Pariſii, ut jus patronatus Eccleſiaſticum cenſeatur: imputet enim ſibi qui plus contulit ex bonis Eccleſiaſticis, quàm laicalibus: ceſſat enim ratio in eo caſu, ne laici retrahantur ab Eccleſiis fundandis. Sed in ſecundo caſu cenſeri debet laicale ad effectum derogationis, cùm præſertim in hac ſpecie laicus non fundaverit cum Eccleſia, ſed cum patronis laicis. Unde nihil eſt, quod illi imputetur, ut ſuperiùs tetigimus *nu.* 61. Et hanc differentiam, licèt non explicet rationem diverſitatis, conſtituit idemmet Pariſ. in allegato *conſ.* 128. *n.* 12. *lib.* 4. Atque ita ſentit in mixtura laicorum, & clericorum prævalere qualitatem laicalem, quando magis prodeſt patronatui, etiamſi plures ſint Clerici, quàm Laici. Unde ipſe potuiſſet potiùs allegari pro hac parte.

72 Ad ultimam conſiderationem reſpondetur æquum non eſſe, ut patrono laico ex mixtura Eccleſiæ patronæ inferatur præjudicium in libertate præſentandi, licèt effectus præſentationis ſit incertus. Præſertim quia, etſi duæ voces, quas habet Eccleſia, abſorbeant, quam habet laicus: tamen facilè poteſt contingere, ut ipſe adducat patronum Eccleſiaſticum ad conſentiendum ſuæ præſentationi.
73 Prætereà ſi Eccleſiaſticus nollet, aut negligeret præſentare infra ſemeſtre, inſtituendus eſſet præſentatus infra legitima tempora à patrono laico, & ex ejus præſentatione omnium poſſeſſio conſervaretur, Abb. *conſ.* 54. *Videtur primo nu.* 3. *verſ. Nec obſtat ſi dicatur lib.* 1. poſt Feder. de Sen quem citat *conſ.* 97. *in ult. art.* fortè eſt *conſ.* 65. quod incipit, *Infra ſcripta quæſtiones in fin.* Quod non contingeret; ſi jus patronatus æſtimaretur Eccleſiaſticum, atque ita hoc jus preriperetur patrono laico ex mixtura Eccleſiæ, contra regulas ſuperiùs firmatas *n.* 41.

Demum non obſtant authores in contrarium adducti: nam Petr. de Anch. & deciſio Creſcentii intelligi poſſunt in eo caſu, in quo eſt favor majoris partis, ut trahat, & non trahatur, aliàs ſecus. Præterquam quòd Rota obiter loquitur, & non figit pedes: Gambara, & Moderni, non nituntur validis rationibus, eiſque præter Lambert. qui patronatus materiam uberiùs, & profundiùs examinavit, opponitur præcipuè ſtylus, & praxis Cancellariæ. Opinio autem aſſerentium jus patronatus mixtum indiſtinctè cenſeri Eccleſiaſticum, quia magis dignum, &c. non eſt vera, & communiter reprobatur à DD. ut fusè oſtenſum eſt in præcedenti quæſtione à *num.* 26. *uſque ad num.* 39.

74 Quintò QUÆRO, utrum in jure patronatus mixto ſeptem officialium laicorum nomine univerſitatis laicalis, & trium Eccleſiaſticorum privato nomine præſentantium requirantur ampliores illæ probationes, quas exigit Conc. Trid. decreto *c.* 9. *ſeſſ.* 25. in iis perſonis, vel univerſitatibus, in quibus id jus plerumque ex uſurpatione quæſitum præſumi ſolet.

Jus patronatus, de quo agitur, tam reſpectu univerſitatis, quàm privatorum, dicitur derivare ab eodem fonte, & titulo cujuſdam 'conceſſionis Ordinarii Pampilonenſis uſque ab anno 1496. ad cujus preſcriptum tam ſeptem Officiales, quàm tres Eccleſiaſtici unanimiter hactenùs preſentarunt. Unde cùm omnium patronorum probationes ſint adeò conjunctæ, & connexæ, ut altera ſine altera nullam faciat probationem; ideòque in hac mixtura propter inſeparabilitatem applicatio uni extremo ſit neceſſariò facienda: gravis, & difficilis quæſtio eſt, cujuſnam ſimplicis naturam jus hoc mixtum ſortiri debeat. In qua tamen dubitatione probabilius videtur ſortiri naturam patronatus privatorum, ita ut non requirantur ampliores illæ probationes, quas Conc. exigit in perſonis, vel univerſitatibus, in quibus uſurpatio præſumitur.

75 Primò, quia cùm ſimplicia ſint inter ſe contraria, & ſub ſimplicibus contineri non poteſt caſus mixtus; tunc mixtum aſſumit naturam illius ſimplicis, quod facit actum valere, & quod eſt favorabilius, *l.* 3. §. *Et generaliter*, *ff. de eo quod certo loco*, Jaſ. *in l.* 2. *n.* 5. *ver. Ultra ſcribentes*, *ff. de verb. oblig.* Sed perſona privata, ejuſque probationes, ſi ſufficiant, faciunt, ut actus valeat etiam pro univerſitate, idque magis utrique eſt favorabile. Ergo hoc mixtum aſſumit naturam patronatus perſonæ privatæ. Quòd ſi dicatur, imò magis eſſe favorabile Eccleſiæ, ut requirantur ampliores probationes, ut faciliùs liberetur à ſervitute patronatus. Reſpondetur hoc caſu favorem, vel odium non conſiderari reſpectu Eccleſiæ, ſed reſpectu perſonarum, in quibus diverſa diſpoſitio a lege eſt introducta, adeò ut prævaleat illud ſimplex, quod magis favet perſonis, de quibus agitur in diſpoſitione, & per quod favor conſortis alteri conſorti communicatur, *l. Si communem*, *ff. quemadmodum ſervitus amittatur*, ubi DD. multa ſimilia congerunt, & patet ex dictis ſupr. *n.* 37. & 41. At non eſt dubium, favorabilius eſſe utrique, ſi privata perſona ſuum faciliorem probandi modum univerſitati communicet, quàm ſi univerſitas propter ſuum odium etiam privatæ perſonæ in hac probatione officiat.

76 Secundò, cùm duæ qualitates concurrunt, quarum quælibet diverſam habet juris diſpoſitionem, attenditur illa pars, quę magis favet juri communi, Bald. *in l. Si quis Decurio*, *n.* 5. *C. de falſ.* Anch. *Repet. Canonum ſtatuta*, *ver. Quæro*, *de ſtatuto*, *de Conſtit.* Alex. *in conſ.* 100. *Ex inſpectione dictorum ſtatutorum circa fin. lib.* 3. quos refert, & ſequitur Jaſ. *loc. cit. n.* 7.
77 At ſi ſufficiat probatio privatæ perſonæ, certum eſt minùs derogari juri communi, ex cujus diſpoſitione ad probandum patronatum ſufficit immemorabilis etiam in potentibus, & univerſitatibus, Put. *dec.* 58. *lib.* 1. cenſuit Rota in cauſ. Sabinen. beneficiorum coram Clem. VIII. 15. Decemb. 1581. quæ habetur in impreſſis *dec.* 199. *p.* 2. *diverſ.* Ergo attendenda eſt in hac mixtura probatio perſonæ privatæ, quę conſentanea eſt juri communi, non autem univerſitatis, quæ oneratur nova probatione præter jus commune.
78 Imò hæc præſumptio uſurpationis in univerſitate non ſatis jure probatur, cùm Butr. citatus *in c. Dilectus*, *de off. deleg.* qui ad id citatur à Gabr. *conſ.* 92. *lib.* 1. *n.* 2. Menoch. *lib.* 2. *de præſumpt.* 90. *d. n.* 2. id non dicunt, & Specul. *lib.* 4. *tit. de jur. patron. ver. Et nota*,
79 teſtantur tantùm Parochianos in Italia cœpiſſe jus præſentandi uſurpare, propter receſſum Curiæ. Ac propterea Achil. *dec.* 317. *alias* 4. *de jur. part.* dixit hanc præſumptionem procedere tantùm in Italia, & etiam jure non probari. Verùm utcumque res ſe habeat, ſatis eſt ut minùs derogetur juri communi, ſi familia privata non oneretur duriori probatione propter admixtionem univeſitatis.

Tertiò, in patronatu mixto Eccleſiaſticorum, & laicorum ſemper ſumitur interpretatio, ut ſit Eccleſiaſticus, vel laicalis, prout magis prodeſt patronatui; & ideò ubi agitur de tempore patronis conceſſo ad præſentandum, cùm Eccleſiaſtici habeant beneficium longioris temporis, patronatus cenſetur totus Eccleſiaſticus; at ubi agitur de derogatione, cùm patronus laicalis ſit firmior, cenſetur totus laicalis, ut latè oſtenſum eſt ſupra *in* 3. *q.* à *n.* 26. Quinimò Cancellaria, quæ non dat de reſervato in patronatu Eccleſiaſtico, conſuevit tamen derogare juri patronatus mixto, etiamſi patronus laicus ſit unus, & Eccleſiaſtici viginti, aut plures, ut ſimiliter dictum eſt ſupra *n.* 64.
80 Et S. Congr. Conc. re diligenter examinata, jam cenſuit jus patronatus mixtum laicorum pro una parte, Eccleſiaſticorum pro duabus cenſeri laicale, quoad hoc ut non requiratur forma examinis per concurſum, ut in præcedenti quæſtione. Ita in propoſito in hac mixtura perſonæ privatæ cum potenti, etiamſi potens plures habeat voces, totus patronatus cenſeri debet privatorum, cùm hoc pacto patronatus conſervetur, qui aliàs everteretur.

81 Quartò, caſus mixtus aſſumit naturam ejus ſimplicis, per quod jus conſortis conſervatur, Calderin. *conſ.* 22. *de*

Præ-

Præben. quam regulam plurimis exemplis exornat Felin. *in c.* 1. *n.* 6. *aa med. verſ. Et dixit de præſc.* & fuſiùs dictum eſt ſupra *n.* 27. 36. & 41. At per familiam privatam, quæ immemorabilem probavit, ſervatur jus utriuſque; per univerſitatem verò, ſi defecerit in aliqua probatione, jus utriuſque perimitur. Ergo hoc mixtum aſſumit in naturam perſonæ privatæ.

82 Ultimò hanc opinionem in jure patronatus mixto æquali portione univerſitatis, & privatorum ſæpiùs ſequuta eſt Rota, & in ſpecie apud Achill. *dec.* 4. *de jurepatron. ſub n.* 2. *verſ. Tamen*, & in cauſa Aurien. Parochialis 5. Decem. 1605. coram Manzan. quæ habetur impreſſa *in rec. deciſ.* 154. *p.* 2. in Feſulana juris patron. 8. Februar. 1610. coram Caval. ut *dec.* 219. *p.* 1. *rec.* & in Pampilon. juris patron. 24.

83 Maji 1613. coram Pamphilio, & in propriis terminis etiamſi juspatronatus ſit univerſitatis pro majori parte non tamen præſumi ex uſurpatione, tradit Menoch. *lib.* 3. *præſump.* 90. *ſub nu.* 15. *verſ. Non eſt omittendum*, & reſolvit Rota in cauſa Firmana Altaris de Doriis 15. Februar. 1610. coram Lugdunenſ. & in impreſſis *dec.* 224. *p.* 1. & *dec.* 255. *par.* 2. *rec.* Rationes autem, quibus movetur, præcipuè ſunt infraſcriptæ.

Ratio prima; quia ſi univerſitas acquiſiviſſet jus patronatus uſurpatione, non fuiſſet paſſa, ut alii compatroni unà id jus acquirerent, nec eos admiſiſſet, ſed ipſa totum uſurpaſſet. Unde ſequitur, ut vel jus patronatus non uſurpaverit, ſed juſto titulo acquiſierit unà cum privatis perſo-

84 nis, vel ſaltem illud non uſurpaverit Eccleſiæ, ſed potiùs præſcripſerit contra privatos, quod non improbatur à jure Abb. *in c. Querelam n.* 9. *de elect.* Rota *diverſ. p.* 1. *dec.* 229. Idque in hac cauſa eſt ſatis conſiderabile; quia cum tres privati habeant tres voces, reliqui verò ſeptem; ſæpè poteſt dari caſus, ut major pars univerſitatis vincatur à minori, ſi illi adhæreant tres privati; puta ſi quatuor laici præſentent unum, tres verò unà cum tribus Eccleſiaſticis alium: nam præfertur præſentatus à tribus laicis, & tribus Eccleſiaſticis tamquam à majori parte.

85 Ratio ſecunda deciſionum eſt, quia uſurpatio, quæ in ſola univerſitate præſumitur, privatis perſonis nocere non debet, cùm æquum non ſit, ut in re individua quis patiatur detrimentum ratione ſocietatis, Gemin. *in cap. unico in fine de jurepatr. in* 6. & Abb. *in c. Dilectus nu.* 5. *de offic. leg.* Rota *dec.* 574. *n.* 10. *p.* 1. *diverſ.*

Ratio tertia, quia etſi univerſitas ſuccumberet in probatione jurispatronatus, non ideò tamen Eccleſia eſſet libera, quia nihilominùs remaneret ſub ſervitute patronatus privatorum. Unde quoad libertatem Eccleſiæ parùm refert præſumptio uſurpationis.

86 Neque obſtat, quòd hæc ratio non procedat hoc caſu, in quo cum probationes utriuſque ſimplicis ſint commixtæ, & inſeparabiles; ſublato jure univerſitatis, tollitur etiam jus privatorum, cùm Eccleſia non poſſit eſſe pro parte libera, & pro parte ſerva.

Nam reſpondetur, quamvis ex illa conceſſione Ordinarii Pampilonenſis videantur probationes utriuſque partis eſſe individuæ, nihilominus hoc non excludere, quin privati poſſint etiam aliunde haurire ſuas probationes: & jam petunt ſe admitti ad probandam immemorabilem, quæ ſi probabitur, ſimul conſtabit etiam jus privatorum cœpiſſe ante illam conceſſionem, cùm immemorabilis ſit infinita, & capiat omne tempus, Rota in cauſa Placent. decimarum 29. Maji 1587. coram Bubalo, & in Comen. decimarum 10. Aprilis 1596. coram Orano.

Ultimò hanc opinionem videtur jam approbaſſe S. Congreg. Conc. in cauſa illa Feſulana juris patronatus: nam ex novem Cardinalibus, excepto Platto, & Camerino, qui contrarium ſenſerunt, & Nazareth, qui rem dubiam, & periculoſam exiſtimavit; reliqui omnes cenſuerunt in jurepatronatus hoc mixto univerſitatis, & privatorum non requiri probationes, quas requirit Conc. ubi viget præſumptio uſurpationis. Quod & prius deciſum fuerat in cauſa Aurien. ut in declaratione infraſcripta, videlicet: Parochialis Eccleſia de Paolo Aurien. diœceſis prætenditur de jure patronatus Parochianorum dictæ Eccleſiæ pro quarta parte, item trium familiarium aliorum laicorum nobilium extra Parochiam commorantium ex aliis duabus, necnon unius Monaſterii monialium pro reliqua parte. Supplicatur declarari, an hujuſmodi patronatu ratione mixturæ requiratur probatio, de qua *in c.* 9. *ſeſſ.* 25. ejuſdem Conc. *verſ. In iis verò perſonis*, vel ſufficiat probatio, de qua ſupra in *eod. cap. verſ. Ut igitur*. Die 15. Maji 1603. S. Congr. cenſuit ſufficere eam probationem, quæ requiritur in perſonis, in quibus non præſumitur uſurpatio.

Supereſt nunc reſpondere ad nonnullas contrariæ partis oppoſitiones, quæ magis urgere videntur.

Et primò non obſtat, quòd jus patronatus ſit indiviſibile, & in caſu indiviſibili potentiùs trahat ad ſe minùs potens, *l. Quæretur*, ubi Bart. *n.* 3. *ff. de ſtat. hom.* & magis dignum trahat ad ſe minùs dignum: quia ratione, ſi privatus habeat rem communem cum Eccleſia, utitur jure Eccleſiæ, ut requiratur longior præſcriptio, quæ neceſſaria eſt contra Eccleſiam, Dec. *conſ.* 88. *n.* 25. *lib.* 2. Potentiorem autem eſſe univerſitatem, & digniorem perſona, & familia privata non eſt dubitandum.

Reſpondetur enim eam regulam, ut potentius trahat minùs potens, vel magis dignum trahat minùs dignum, procedere, ubi eſt favor potentioris, ut trahat, & non trahatur; ſecus autem eſt, cum eſt favor potentioris, & dignioris, ut trahatur, & non trahat: ita ex mente DD. declarat Put. *dec.* 157. *in fin.* & aliàs perpendit S. Congr. in jurepatronatus partim Eccleſiaſtico, partim laicali, ut fusè oſtenſum eſt ſupra *in* 3. *q.* At in caſu noſtro negari non poteſt Univerſitatis, quæ potentior, & dignior eſt, favorem eſſe, ut trahatur à perſona privata ad faciliorem probationem, non autem ut illam trahat ad difficiliorem. Ergo, &c.

Non obſtat ſecundò, quòd ſi admitteremus hanc opinionem, diſpoſitio Conc. redderetur eluſoria, quia Univerſitates, & aliæ perſonæ, in quibus præſumitur uſurpatio, ſemper poſſent aſſumere in ſui conſortium perſonam privatam, ut hoc pacto à graviori illo onere, quod illis Conc. impoſuit, relevarentur.

Nam reſpondetur hanc fraudem nullo modo eſſe veriſimilem, quia cùm in principio præſentationum hæc admiſſio privatę perſonę in nihilo ſuffragetur Univerſitati, imò illius jus diminuat, nec ſuffragari poſſit, niſi ut cùm de patronatu erit controverſia, probatio ſit levior, ſequeretur Univerſitatem hoc fine cepiſſe admittere perſonam privatam, ut inde ad centum annos patronatus probatio facilior exiſteret; quod præſumere, quàm ſit abſurdum, nemo non videt.

Secundò reſpondetur rationem, propter quam Univerſitas, & alii potentes uſurpaſſe præſumuntur, eam præcipuè eſſe, quòd Epiſcopi non ſint auſi illis contradicere, Put. *dec.* 87
57. *in fin. lib.* 1. At hæc ratio non militat, cùm admiſcetur perſona privata; quia ſi Epiſcopus non audet contradicere Univerſitati, cur non audebit contradicere perſonæ privatæ? præſertim cùm Eccleſiæ interſit patronos non eſſe plures, & Epiſcopi regulariter ſint infenſi patronatibus.

Ac demum reſpondetur in caſu hoc Pampilonenſi actus ſimultaneos præſentationum cœpiſſe longè ante Conc. publicationem, quo tempore Univerſitas non poterat divinare futuram diſpoſitionem Conc. per quam arctari deberet ad duriorem probationem, quàm de jure communi requireretur. Unde hoc principium omninò excludit præſumptionem, quòd Univerſitas aſciverit perſonam privatam hoc fine, ut eximeretur à duriore probatione.

Circumſcripto enim Conc. etiam in Univerſitate ſatis erat immemorabilis, ut dictum eſt ſupra *n.* 77. Quare inveriſimile eſt, ut univerſitas ad ſe liberandum à futura probatione, quam ignorabat, voluerit ſibi inferre hoc præſens, & certum præjudicium, amittendo, partem ſui patronatus per aſſumptionem privati.

Non obſtat tertiò, quòd alia ratio, propter quam in Univerſitate viget præſumptio uſurpationis, ſit, quia non tam facilè univerſus populus ſolet convenire ad conſtruendam Eccleſiam, ſed tantùm elargiri eleemoſynas abſque animo acquirendi jus patronatus, Creſcent. *dec.* 1. *in fine de jurepatr.* Quæ quidem ratio non ceſſat propter adjunctionem privatæ perſonæ, imò augetur inveriſimilitudo, quòd tot convenerint ad Eccleſiam ædificandam, quia per admiſſionem privati augetur numerus ędificantium, & multiplicantur patroni. Reſpondetur enim hāc rationem, quamvis fortè habeat locum quoad populum; tamen nō militare quoad perſonam privatam, in qua nulla eſt inveriſimilitudo, ut Eccleſiam fundaverit, aut conſtruxerit. Unde cum in hoc mixto inſeparabili ſimplicia habeant diverſam rationem applicatio potius facienda eſt perſonæ privatæ ad excluſionem uſurpationis, cùm hæc ratio magis faveat patronatui, faciat actum valere, ſit magis conformis diſpoſitioni

juris communis, & jus conſortis non lædat, ut ſuperiùs dictum eſt.

Reſpondetur ſecundò, quamvis non ſit veriſimile, ut tam multi conſpiraverint ad Eccleſiam ædificandam, tamen hoc caſu hanc rationem non arguere uſurpationem Univerſitatis contra Eccleſiam, ſed potiùs præſcriptionem contra privatam perſonam, quam non fuiſſet paſſa ſecum præſentare, niſi ſciviſſet eidem competere jus patronatus.

Non obſtat quartò, quòd in mixto inſeparabili, & individuo, ſicuti eſt jus patronatus, major pars prævaleat minori, juxta *l. Quod major, ff. ad municip.* & videtur deciſio Creſcent. 3. *num.* 1. *de jurr patron.* In præſenti autem patronatu Univerſitas ſeptem habet vota, privati tres tantùm. Unde velint nolint tenentur accedere Univerſitati.

Reſpondetur enim ſimiliter id habere locum, ſi favor ſit majoris partis, ut trahat, & non trahatur; alioquin prævalet minor pars, ut patet in patronatu laicorum, & Eccleſiaſticorum, quod cenſetur laicale ad effectum, ut non ſubſit reſervationi Apoſtolicæ, nec formæ examinis per concurſum, etiamſi laici ſint numero pauciores, quàm Eccleſiaſtici, quemadmodum obſervat Cancellaria, & cenſuit S. Congr. Conc. ut latiſſimè oſtenſum eſt in quæſtione præcedenti. Hoc autem caſu favor eſt Univeſitatis habentis majorem partem patronatus, ut trahatur à privatis habentibus minorem, ne aliàs gravetur onere durioris probationis. Et ita reſolutum 8. Auguſti 1620.

DE JUREPATRONATUS.

Idem Innocentius III. Aurien Epiſcopo:

CAPUT XXX.

POſtulaſti per Sedem Apoſtolicam edoceri, ut cùm rectores parochialium Eccleſiarum quoſdam præſentent ad ſuarum Eccleſiarum titulos ordinandos, utrùm electio talium ad ipſos rectores pertineat, vel etiam ad patronos: & ſi in his patronorum non eſt requirendus aſſenſus, utrùm jus illis ſalvum maneat eligendi; ut cùm ipſas Eccleſias vacare contigerit, intitulati hujuſmodi non ſint aliis præferendi? Ad quod breviter reſpondemus, quòd per intitulationem hujuſmodi, nullum patronis præjudicium generatur, quin poſſint alios ad illas Eccleſias, cùm vacaverint, præſentare: niſi de patronorum proceſſiſſent aſſenſu.

SUMMARIUM.

1 *PAtronus poteſt præſentare ad Eccleſiam vacantem non obſtante, quòd ipſo non conſentiente alius ad præſentationem Rectoris ad titulum Eccleſiæ fuerit ordinatus.*

2 *Eccleſia ex quibus probetur Collegiata, & n.* 13. *uſq. ad* 18.

3 *Eccleſia non poteſt fieri Collegiata ſine conſenſu patroni, & aliorum, qui ex mutatione ſtatus illius læderentur.*

4 *Eccleſia cùm dubitatur an ſit Collegiata, Clerici, vel patronus manutenenentur in ea poſſeſſione, in qua repe- riuntur.*

5 *Collegii jus, & quaſi poſſeſſio ex quibus colligatur, & num.* 17

6 *Collegii jus de jure communi habent Eccleſiæ Cathedrales, & Regulares, quæ ad Congregationem tenendam ſufficienter ſunt dotatæ, & quæ in communi vivunt.*

7 *Collegii jus in uno retinetur.*

8 *In Collegiata Eeccleſia, ſi omnes de Collegio ſint mortui, eliget Epiſcopus non nomine ſuo, ſed nomine Eccleſiæ.*

9 *Electio, & collatio præbendarum in Collegiata Eccleſia ex fundatione, privilegio, vel conſuetudine poteſt pertinere ad Epiſcopum, vel alios Clericos.*

10 *Eccleſia de Saponaria Marſicen. Diœceſis an ſit Collegiata, & n.* 13. *uſque ad n.* 18.

11 *Et an electio Archipresbyteri in dicta Eccleſia pertineat ad Collegium, & n.* 18.

12 *An ve juriſdictio civilis, criminalis, & mixta in Clericos ejuſdem Eccleſiæ ſpectet ad Archipresbyterum, & generaliter, & n.* 20.

14 *Enuntiativæ inſtrumentorum in antiquis probant Eccleſiam eſſe Collegiatam ſaltem præſumptivè, quamdiù non probatur oppoſitum.*

17 *Fama, & communis reputatio in antiquis probant Eccleſiam eſſe Collegiatam.*

18 *Electio in Collegiata Eccleſia de jure communi pertinet ad Collegium.*

19 *In eligendi jure attenditur uſus, & conſuetudo per teſtes probata.*

20 *Juriſdictio civilis, criminalis, & mixta poteſt acquiri ab inferiori Prælato ex immemorabili præſcriptione, quam Conc. Trid. non ſuſtulit.*

Juriſdictio ex præſcriptione regulariter cenſetur acquiſita privativè ad Epiſcopum.

POſtulaſti. Si ad præſentationem Rectoris ad titulum Eccleſię fuerit aliquis ordinatus, nihilominùs patronus 1
qui nō conſenſit ad ipſam, cùm vacabit, poterit præſentare. Hoc dicit ſecundùm Jo And. & omnes: & ſunt duæ partes; in prima co ſultatio, in ſecunda reſponſio, ibi, *Ad quod.*

Quærit hìc Innoc. in principio, ex quibus probetur Eccleſiam eſſe Conventualem, ſeu Collegiatam, & habere jura 2
Eccleſiæ Collegiatæ. Et concludit dicens hoc probari per privilegium, quod eam conſtituit Collegiatam, & dat ei jus Collegii, *l.* 3. *verſ. in ſumma, ff. de Colleg. illicit. c. Porrò, inf. de privil.* Quòd ſi privilegium non appareat, & conſtet in ſui fundatione ordinatum fuiſſe, ut ibi eſſent tres Clerici, vel plures tamquam Collegium, vel pro tot fuiſſe dotatam, tunc ſimiliter Collegiata cenſebitur, arg. *c.* 1. ubi de hoc, ſupra *de elect.* & expreſſiùs *in c. Cum dilectus*, §. *Dictus, de conſuet. in c.* 9. *q.* 1. *in c. Nemo de conſecr. diſt.* 1. *in c. Placuit*, 1. *q.* 2 *& in c. Quanto infra de cenſib.* Sin autem conſtet fuiſſe ordinatum in fundatione, ut non haberet jus Collegii, ſed patronus haberet præſentationem, vel ut eſſet ibi unus tantùm, vel duo Clerici; tunc non cenſebitur jure Collegiatę, & ſic poteſt intelligi *c. Ut quiſque Presbyter, ſupra de vita, & honeſt. Cler.* & ſic loquitur *c. Pia mentis, & c. ſeq.* 16. *q.* 7. *& in hoc tit. quaſi per tot.*

In quo caſu ſi contingat, ut plures Clerici in ea con- 3
gregentur, non tamen habebunt jus Collegii, niſi patronus conſentiat, & omnes alii, qui ex mutatione ſtatus hujuſmodi læderentur, arg. *hujus cap. & c. Nobis, ſupra eodem, c. Monaſterium, c. Rationis, & c. Si quis vult* 16. *q.* 7. & expreſſius in eo, quod legitur, & notatur *in cap. Dilecta, infra de exceſſ. Prælat. & in c. Ad hæc*, §. *fin. ſupra de offic. Archid.* Ubi verò non apparet, qualiter Eccleſia fuerit inſtituta, & ſic de jure Collegii dubitatur: tunc ſi Clerici ſint 4
in poſſeſſione juris Collegii, & manutenendi erunt in ſua quaſi poſſeſſione, quouſque aliud probetur, *c. Cùm veniſſent, ſupra de inſtitut. c.* 2. *de reſtitut. in integrum, cap. Conſultationibus, ſupra eodem, cap. Ex literis, de probat. l. Lite ordinata, Cod. de liberal. cauſ. l. Ordinata, ff. eodem:* & è converſo, ſi patronus, vel alius ſit in quaſi poſſeſſione faciendi in ea ſicut in Eccleſia non Collegiata, ſimiliter defendetur in tali poſſeſſione, quouſque aliud probetur, & in hoc eſt jus expreſſum *in d. c. Dilecta, de exceſſ. Præl* ubi de hoc ita Innoc. cujus verba ferè ad calamum tranſcripſerunt

in

in c. Nobis ſupra eodem, Hoſtien. *nu.* Joann. Andr. *num.* 2. 22. *&* 24. & Abb. *num.*8.

5 Signa autem, ex quibus deprehenditur jus, ſeu quaſi poſſeſſio Collegii, ſunt infraſcripta, videlicet ſigillum, & uſus ſigilli, *cap. Significavit*, *ſupra de appelat.* non enim ſufficeret ſigillum ſine uſu, Rota *deciſ.*354. *num.*15. *part.*4. *tom.* 2. *recent.* Item tractatus communis, *cap. Tertio loco*, *de probat.* & dicam infrà *num.* 15. Item arca communis, *l.*1. *ff. Quid cujuſque univerſ. nom.* ſcilicet deputata ad conſervanda jura ipſius Collegii, ut per Rotam *deciſ.* 136. *nu.* 16. *part.* 6. *recent.* Item refectorium commune, & dormitorium, *c. Cùm ad Monaſterium ſupra de ſtatu Monachor. c. Quoniam*, §. *fin. de vita, & honeſtat. Clericor.* Item communis fraternitas, & ſimilia, *c. Inter dilectus*, *ſupra de donat.* Quæ ſigna enumerat Hoſtien. *in d. c. Nobis n.*2. *circa medium*, *verſ. Et notandum*, *ſupra eodem*, & poſt eum Jo. Andr. *ibid. num.* 11. & communiter omnes Doctores: & quamvis neceſſarium non ſit, ut hujuſmodi ſigna, & conjecturæ ſimul concurrant, ut voluit Rota coram Cardinali Matinc. *dec.*175. *&* *dec.* 215. *nu.*1. nihilominùs debent illa concurrere, ex quibus poſſit veriſimiliter, & quaſi perneceſsè argui Collegialitas: & prout idem Mantica ponderat, ſigillum, arca communis, ſtatuta propria, quæ ut à privatis Congregationibus exerceri, aut haberi nequeunt, non autem aliæ conjecturę debent admitti; quę æquivocè, & poſſibiliter inferunt Collegialitatem, ut formaliter dixit Rota *deciſ.*56. *n.*6. *&* 7. *part.*5. *recent.*

6 Cæterùm adverte, quia quidquid ſuperiùs fuerit diſtinctum, ad dignoſcendum jus Collegii, quædam ſunt Eccleſiæ, quæ ex juris communis diſpoſitione jus Collegii intelliguntur habere, ſicut ſunt omnes Eccleſiæ Cathedrales, & etiam Regulares, quæ ad congregationem tenendam ſufficienter ſunt dotatæ, & quæ in communi vivunt, ut poteſt colligi ex *c. Ne pro defectu*, *ſupra de elect.* ex *c. Monachis* §. *fin. de ſtatu Monachor.* ex *c. Cum dilectus*, *de conſuetud.* & ex *c. Quoniam de vita, & honeſt. Clericor.* & tales poſſunt habere ſigillum, & arcam communem, ut *in c. Significavit*, *de appellatione.* Quod ergo ſupradictum eſt, de aliis inferioribus Eccleſiis debet intelligi, ſecundùm Hoſtien. *in d. c. Nobis n.* 2, *ante medium*, *verſ. Quidquid etiam.* & Jo. Andr. *n.*10. cum quibus cæteri concordant.

7 Ex quo autem conſtat de jure Collegii, etiamſi in Collegiata non remaneat niſi unus Clericus, nihilominùs habebit jura Collegiatæ, & in illo uno jus Collegii retinebitur, *leg. Sicut municipium*, *in fin. ff. Quod cujuſque univerſ. nom.*

8 Quòd ſi ille quoque Clericus, qui ſupererat, moriatur, eo caſu jus eligendi alium Clericum ſpectabit ad Epiſcopum diœceſanum, qui non nomine ſuo, ſed nomine Eccleſię eligit, *arg. cap. Si fortè* 65. *diſt.* ſecundum Innoc. *hic nu.* 1. *verſ. Item ſi in Collegiata non remaneat*, & Hoſtien. *in d. c. Nobis num.*2. *verſ. Ex quo autem*: qui etiam fatentur Epi-

9 ſcopos, & alios Clericos poſſe habere & electiones, & collationes præbendarum, ac dignitatum in Eccleſiis Collegiatis, vel quia ſic conſtitutum fuit à principio, vel ex privilegio, ſive conſuetudine ſpeciali, *cap. Cùm dilectus*, *ſupra de conſuetudine*, *c. Abbate*, *ad finem*, *infrà de verborum ſignificat. c. Accedentibus*, *de exceſſ. Prælator. c. Ea noſcitur*, *ſupra de his, quæ fiunt à Prælatis*, *c. Conſideravimus*, *& cap. Bonæ, il primo*, *de elect.* & ſcripſi *in cap.*1. *eod. tit.* ubi latiſſimè de hac materia juris eligendi, & in Eccleſiis Collegiatis.

10 Juxta prædicta quęſitum eſt in S. Congregatione Conci-

11 lii, primò, an Eccleſia S. Antonini de Saponaria Marſicen. diœceſis ſit Collegiata: ſecundò, an electio archiepresby-

12 teri in dicta Eccleſia pertineat ad Collegium: tertiò, an juriſdictio civilis, criminalis, & mixta in Clericos ejuſdem Eccleſiæ ſpectet ad Archipresbyterum, & quatenùs ſpectet, an privativè ad Epiſcopum.

13 Ad primum videtur reſpondendum, Eccleſiam prædictam fuiſſe, & eſſe Collegiatam: nam in hac materia, cùm non conſtat de privilegio, vel primæva erectione Eccleſiæ in Collegiatam, recurritur ad conjecturas, & ſigna, ut hìc per Innocen. *in princ.* & alios ſupracitatos *n.*2. *&* 5. Barbat *conſ.* 27. *n.* 3. *lib.* 1. in cauſa Brixien. S. Nazarii coram Penia, quæ refertur *in deciſ.*673. *nu.*2. *verſ. Ex quibus p.* 1. *recent.* Multa verò hìc concurrunt pro jure Collegii.

14 Primò enim id colligitur ex decem, & octo inſtrumetis antiquiſſimis S. Congregationi exhibitis, quorum nonnulla excedunt ducentos, ac trecentos annos, quæ Eccleſiam hanc Collegiatam nominant: & cùm verſemur in antiquiſſimis, licèt enunciativè loquantur, probant ſaltem præſumptivè, quamdiù non probatur contrarium, ut in puncto reſpondit Alex. *conſ.*75 *Viſi, ac ponderatis n.*3. *lib.*4. & Tiberius Decianus *conſ.*6. *Ad primum videtur n.*7. *lib.*2. & tenuit Rota in cauſa Aſculana Abbatiæ 17. Martii 1586. coram Orano. Præſertim cum in tribus ex prædictis inſtrumentis ſint enunciativæ ipſius Epiſcopi Marſicen. vel ejus Vicarii, qui prędictam Eccleſiam non appellaſſent Collegiatam, niſi talis fuiſſet, ex quo de eorum præjudicio in electione ad Collegium ſpectante agebatur, ut ponderavit Rota *dec.*12. *de jurepatr. in novis*, Palleott. *deciſ.*23. Nec ad- 15
verſatur præallegata *deciſ.*673. *part.*1. *recent.* quia enunciativæ illius Collegiatæ erant infra centum annos, ut ibi dicitur *n.*1. Secundò, idem deducitur ex communi tractatu, & capitulariter facta congregatione ad ſonum campanellæ pro expediendis negotiis communibus, ut enunciatur in uno ex prædictis inſtrumentis: hujuſmodi enim tractatum inter ſigna Eccleſię Collegiatę recenſent Hoſt. & alii ſupracitati *n.*5. per textum *in c. Tertio loco, de appellat.* Cardin. *in Clem.*2. *n.*10. *de ætat. & qualit.* Barbat. *conſ.*17. *n.*37. *in fin. lib.*1. Alex. *conſ.*75. *n.*2. *lib.*4. Tertiò, hoc ipſum ſuadetur ex 16
arca, & ſigillo communi, ut deponunt omnes teſtes in hac cauſa examinati: nam hæc quoq; inter præcipua ſigna Collegiatæ Eccleſiæ enumerant DD. ſupra allegati *eodem n.* 5. Item gloſ. 1. *in c. Dilecta*, *verſ. Item Collegium*, *de exceſſ. Prælator.* & ibi etiam Jo. Andr. *in fin.* Abb *n.*1. *&* 2. *verſ. Fatetur autem*, & communiter DD. Card. Seraph. *deciſ.* 752. *nu.* 1. Gregor. XV. *deciſ.*482. *n.*4.

Confirmantur prædicta ex atteſtationibus quatuor te- 17
ſtium, qui deponunt Eccleſiam hanc ab immemorabili tempore fuiſſe habitam, & reputatam, haberique, & reputari pro Collegiata; & reddunt ſufficientem rationem, exprimentes ſigillum commune, & alia ſigna: nam & ſola fama in antiquis probat Collegiatam, ut inquit Decianus *dict. conſ.*6. *nu.*8. poſt Alex. *conſ.*75. *nu.*3. *in fin.* ex Innoc. *in c. Veniens*, *& in cap. Quid per Novale*, *de verbor. ſignific.* & in his terminis tenuit Rota coram Gregor. XV. *dec.*482. *n.*5. Quibus accedit ſententia lata anno 1578. qua pronunciatum fuit hanc prędictam Eccleſiam S. Antonini fuiſſe, & eſſe Collegiatam, quæ quidem ſententia cùm in rem judicatam tranſierit, pro veritate habetur, vulgata *l. Res judicata*, *ff. de re judicata cum ſuis concord.* Itaque cùm Eccleſia 18
hujuſmodi ſit Collegiata, hinc ſuo marte fluit reſolutio ſecundi dubii, ut electio Archipresbyteri pertineat ad Collegium ipſius Eccleſiæ, & ſola confirmatio ad Epiſcopum, *c.* 1. & ibi dixi *nu.*1. *& ſeqq. ſupra de elect.* Abb *in c. Nobis nu.*8. *ſupra eodem*, *& in cap. Venerabilis num.* 45. ubi etiam Decius *n.* 142. *de except.* Biſignet. *deciſ.* 8. *n.*4. *ac præben.* Gemin. *in cap.* 1. *col.* 2. *verſ. Ad hoc*, & ibi etiam Præpoſ. *col.*6. *verſ. Aut igitur* 21. *diſt.* Joan. de Selva *in tract. de benefic. in* 2. *part. q.*22. *nu.* 14. & in terminis quòd electio Archi- 19
presbyteri in Collegiata Eccleſia ſpectet ad Collegium, eſt textus *in c. Significaverunt*, *de except.* Quinimò etiam ceſſante juris diſpoſitione, conſtat de jure Clericorum prædictæ Eccleſiæ ex teſtibus, qui benè deponunt de viſu, & auditu à majoribus per tempus immemorabile, ſolum Capitulum, & Clerum ſemper in omnibus vacationibus elegiſſe Archipresbyteros, & Epiſcopum confirmaſſe; in jure enim eligendi attenditur uſus, & conſuetudo per teſtes probata, *c. Cum Eccleſia Vulterana*, *verſ. Cum per teſtes*, ubi Abbas poſt alios *nu.*10. *de elect. cap. Cum dilectus*, *de conſuetud. c. Abbate in fin. de verbor. ſignific.* Rota *dec.*11. *n.*2. *de conſuet. in antiq.* Quod etiam comprobat electio confirmata ab Epiſcopo anno 1482. & alia confirmata ab ejus Vicario generali anno 1547. præſertim cùm in illis confirmationibus tam Epiſcopus, quàm Vicarius aſſeruerint electionem Archipresbyteri ad Capitulum antiquiſſima conſuetudine pertinere, Rota *deciſ.*12. *de jurepatron. in novis.*

Ad tertium dubium videtur reſpondendum, juriſdictio- 20
nem in Clericos dictæ Eccleſiæ ad Archipresbyterum pertinere, quia teſtes clarè deponunt de viſu, & auditu à majoribus ab immemorabili tempore Archipresbyterum cognoviſſe de cauſis criminalibus, civilibus, & mixtis, condemnando, abſolvendo, & componendo, ſcientibus, & non contradicentibus Epiſcopis, & per conſequens juriſdictionem præſcripſiſſe, *cap. Auditis* ubi omnes, *de præſcript. c.*1. *eod. tit. lib.*6. *c. Cum perſona*, *de privileg. eod. lib.* Bart. *in l.*4. *nu.*4. *in fin. ff. Uti poſſidetis*, & de Archipresbyteri juriſdi-

riſdictione contra Epiſcopum fuit deciſum in Rota in cauſa Vulterrana juriſdictionis 15. Aprilis 1584. coram Orano. Accedentibus maximè antiquiſſimis ſcripturis continentibus actus juriſdictionales, videlicet proceſſus coram Archipresbyteris confectos, facit Pariſ. *conſ*. 34. *n*. 36. *lib*. 4. Neque enim eſt dubitandum, quin Archipresbyter, vel alius inferior Epiſcopo poſſit nedum in civilibus juriſdictionem, ſed etiam merum, mixtumque Imperium puniendi, excommunicandi, coercendi in criminalibus, & mixtis cauſis in Canonicos, & Clericos Collegiatæ Eccleſię præſcribere, Rota *deciſ. 2. de præſcript. in novis*, Calder. *conſ. 2. eod. tit*. Felin. *in d. cap. Auditis n*. 2. Abb. *in cap. Cùm contingat num*. 10. *&* 18. *de foro compet*. Nec obſtat Concilium Tridentinum *ſeſſ*. 24. *de reformat. cap*. 20. §. *Ad hæc*, quo cavetur, ut cauſæ criminales, & matrimoniales non inferiorum judicio, ſed Epiſcopi tantùm examini, & juriſdictioni relinquantur. Quoniam Concilium ibi non ſuſtulit immemorabilem conſuetudinem, ut re diligenter diſcuſſa, aliàs cenſuit Sac. Congregatio ejuſdem Concilii interpres: hoc autem caſu immemorabilem conſuetudinem probant teſtes cum requiſitis gloſſæ *ult. in dict. cap*. 1. *de præſcript. lib*. 6. An autem ju- 21
riſdictio hæc Archipresbytero competat privativè ad Epiſcopum, regula eſt, juriſdictionem inferiori acquiſitam ex conſuetudine, vel præſcriptione, competere in dubio privativè ad Epiſcopum, vel alium Superiorem, ut firmant Abb. *in c. Paſtoralis n. 7. verſ. Quoad ſecundum*, & Felinus ibi poſt eum *in 8. limitat. de offic. ordin*. & idem Abbas in præalleg. *cap. Auditis n. 7. verſ. Aliud & ſingulare, de præſcript*. Si tamen ex adverſo probaretur Epiſcopos eodem tempore exercuiſſe actus juriſdictionales in prædictis cauſis, tunc ingens eſſet controverſia, an juriſdictio inter Epiſcopum, & Archipresbyterum eſſet cumulativa, an verò potiùs Epiſcopi actus interrupiſſent præſcriptionem Archipresbyteri, per ea, quæ tradit Pariſ. *in d. c. Auditis*, & aliàs in S. Congregatione latè deducta fuerunt in cauſa juriſdictionis inter Epiſcopum Burgi S. Donini, & Præpoſitum Buxeti: de quo articulo dic, ut ſcripſi latiſſimè in prædicta decretali, *Auditis à n. 2. uſque ad n. 19.*

DE CENSIBUS, EXACTIONIBUS, & Procurationibus.

Gregorius Conſtantino Epiſcopo:

CAPUT IV.

LIcèt multùm: & infrà. Dixit quoque prædictus cæcus, quòd ad collectas inter alios pariter compellatur: quod fieri non permittas, quia eum, quem cæcitas ſua gravat, inhumanum eſt nimis in collectione affligere; cui debuerat ex collectis, ſi eſſet neceſſitas, miſereri.

S U M M A R I U M.

1 *CÆcus ad collectas cogi non debet.*
2 *Cæcus eſt perſona miſerabilis, & peccatum eſt inhumanitatis eum affligere in ſolutione collectæ, & num. 12. & ſeqq.*
3 *Afflictis non eſt addenda afflictio, & n. 12. & ſeqq.*
4 *Cæco inopia laboranti ſubveniendum eſt per impoſitionem collectæ.*
5 *Pauper quamvis directè agere non poſſit contra divitem, ut ſibi ſubveniat; poteſt tamen judicis Eccleſiaſtici officium implorare, ut eum compellat.*
6 *Jus Canonicum an potuerit ſtatuere, ut cæcus laicus ad collectas cogi non debeat etiam in terris Imperii, & n. 12 & 21. uſque ad n. 29.*
7 *Eccleſia juriſdictionem exercet etiam in laicos, ubi agitur de violentia, & peccato, & n. 13. & 14.*
8 *Cæcus eſt de foro Eccleſiæ tanquam miſerabilis perſona.*
9 *Cæcus non pauper an ad collectas teneatur, & de quo cæco intelligatur hoc capitulum, & n. ſeqq. uſq; ad n. 15.*
10 *Pauperes ad collectas non ſunt cogenda.*
11 *Declaratur.*
13 *Miſericordia quid ſit.*
14 *Miſericordiam non impendentes conſtitutis in miſeria dicuntur negare Chriſtum, qui miſericordia eſt.*
15 *Cæcus non pauper à quibus collectis ſit immunis, & nu. ſeqq. uſque in fin.*
16 *Monoculus à muneribus non excuſatur.*
17 *Surdus, & mutus ab oneribus civilibus ſunt immunes, non autem à muneribus patrimonialibus.*
Declaratur, n. 24.
18 *Debilitas corporis excuſat à muneribus perſonalibus, quæ corpore, non quæ conſilio adimpletur, & n. 23.*
16 *Collecta, quæ imponitur perſonis pro rebus, eſt munus patrimoniale.*
20 *Miſerabiles perſonæ immunes ſunt ab oneribus perſonalibus, & realibus extraordinariis, non autem ab ordinariis.*
21 *Et an jus canonicum in hoc diſcrepet à jure civili, & n. ſeqq. uſque ad n. 25.*
22 *Canones à legibus diſcrepantes in materia civili, & inter laicos ſervari debent in terris Eccleſiæ, non autem in terris Imperii.*
23 *Cæcus ſi ſit ſapiens, cogi poteſt ire ad Concilium, & conſulere.*
24 *Immunitas à muneribus publicis includit extraordinaria tantùm, nec porrigitur ad ordinaria.*
25 *Jus canonicum ubi aliquid reperitur expreſsè deciſum, quod jure civili ſit dubium, ſervari debet deciſio juris canonici etiam in foro civili.*
26 *Jus canonicum prævalet juri civili etiam in terris Imperii, ubi agitur de naturali æquitate.*
27 *Item ubi rigor juris civilis induceret iniquum.*
28 *Item in cauſis miſerabilium perſonarum.*
29 *Munera ordinaria quæ ſint, & quæ extraordinaria, & n. ſeqq. uſque in fin.*
30 *Collecta an ſit munus extraordinarium, & an ex ſtatuto inferiorum poſſit fieri ordinarium.*

L*Icet*. Cæcus ad collectas cogi non debet. Hoc dicit ſe- 1
cundùm communem, & veriorem intellectum, ut dicam infrà in 1. quæſt. ſed ſecundum alium intellectum hoc intendit: Cæcus & pauper ad collectas non tenetur. Dividitur in duas partes. In prima ponitur cæci conqueſtio; in ſecunda proviſio, ibi, *Quod fieri*.

Nota primò, ibi, *Inhumanum eſt nimis*; cæcum eſſe perſo- 2
nam miſerabilem, & peccatum eſſe inhumanitatis eum affligere in ſolutione collectæ. Vetus Codex Tarraconen. habet, *Inhumanitatis eſt*, ut refert Anton. Auguſt. *in notis ad primam Collect. Decretal. lib. 2. tit. 9. de reſtit. ſpoliat. c. 7.* & exponitur hìc inhumanitas pro feritate, & crudelitate, prout hanc ipſam litteram exponit Albertus de Roſate *in dictionario in verb. Humanitas*, & ſenſit gloſſa ad textum relata *in Clem. Quia contingit, poſt princ. in verb. Inhumaniter, de relig. domib.* de quo pleniùs infra *n. 12. & ſeqq.*

Secundò, nota, ibi, *Affligere*, non eſſe addendam affli- 3
ctionem afflictis, concordant *cap 1. de Cleric. ægrot. cap. Cùm percuſſio 7. q. 1. cap. Indicas 3. q. 9.* & hìc notat gloſſa *in verb. Miſereri*, & Hoſtienſis *n. 2.* & latiùs dicam infrà *d. n. 12. & ſeqq.*

Ultimò, nota, ibi, *Cui debuerat ex collectis*, cæco inopia
laboranti ſubveniendum eſſe per impoſitionem collectę. Et 4

ita

5 ita eſt hìc textus valdè notabilis, quia ad hoc non conſuevit allegari, pro opinione gloſ. *in cap. Sicut, in verb. Eſurientium 47. diſt.* quod pauper, quamvis directè agere non poſſit contra divitem, ut ſibi, ſubveniat; poteſt tamen eum denunciare, & implorare officium judicis Eccleſiaſtici, ut illum compellat ad conferendum, *c. Dilectiſſimis 12. q. 1.* nam ſi quando fames, & penuria, & rerum omnium egeſtas opprimit mundum, ſciamus hoc ex ira Dei deſcendere, qui in pauperibus, ſi non accipiant eleemoſynam, fraudari ſe loquitur, dicit text. *in c. Revertimini, 16. q. 1.* Nemo enim ab eleemoſyna excuſatur, cùm omnes admoneantur, ut conferant non habenti, *c. In ſingulis 86. diſt.* Idem firmat Speculator *in tit. de inſtrument. edit.* §. *Nunc vero aliqua, verſ. Sexageſimo ſeptimo,* Abb. *in c. Si quis de fur.* Guglielm. Roville *in tract. de juſt. & jur. in tit. de divite ſine eleemoſyna*
6 *n. 8. inter tract. commu. tom. 1. pag. 35.* Oppono; iſte cęcus erat laicus, & agebatur hìc de negotio merè temporali executionis collectæ: ergo ut inquit gloſ. 1. & Hoſt. *nu. 2. in verb. Quod fieri,* quid ad Papam de iſto cæco, cùm hæc temporalia ad ſæcularem judicem pertineant mero jure? *c. Cauſam, quæ, il ſecondo, qui filii ſint legitimi, & c. Quo jure, 8. diſt.* Hinc Petrus Antibolus *in tract. de muner.* §. *2. n. 28. inter tract. commun. to. 1. pag. 60.* audacter carpit hanc decretalem, quod voluerit ſe immiſcere in iſtis ponendo falcem in meſſem philoſophiæ legalis, & ſeipſam non intelligens pręceperit defendi cęcum, ut ad collectam pariter cum aliis non teneatur, ut latiùs dicam infrà *in 1. q. nu. 9. verſ. Præterea.*

Ad hanc difficultatem ſubmovendam dantur à gloſſa, & Doctoribus plures ſolutiones. Prima ſolutio eſt, quòd hìc cæcus eſſet de juriſdictione temporali Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, cujus Epiſcopo Gregorius reſcribit, & gravaretur ab hominibus illius Eccleſiæ, ut videtur colligi ex *c. 1. ſupra de reſtitut. ſpoliat.* cujus hoc cap. eſt pars. Ibi enim hic idem cęcus fuerat ſpoliatus ab hominibus ejuſdem Eccleſię, unde jure merito poterat ad Papam habere recurſum, *ut cap. Si duobus ſupra de appellation.* & ita ſolvunt Hoſt. *hìc num. 1.* Jo. Andr. *num. 4.* & Butr. *in fine.* Et propterea Petrus Antibolus *ubi ſup. n. 29.* reſtringit hunc textum ad ea tantùm loca, quæ ſubſunt Eccleſiæ temporaliter, per ea, quæ habentur *in c. Novit ſupra de judic.* in textu, & in prima gloſſa, *& in Auth. Quomodo oportet Epiſcop. in princip. coll. 1.* & notatur *in cap. Cùm eſſes, ſupra de teſtam.* & probatur ſecundum eum *in cap. Relatum, eodem titul.* Sed hæc ſolutio divinat, ut fatetur Cardinalis *num. 1.* quia nullibi apparet hunc cæcum fuiſſe ſubjectum Eccleſiæ in temporalibus, *& in d. c. 1.* tantùm dicitur, Philagrio cęco campum fuiſſe occupatum ab Eccleſiæ hominibus, qui contendebant illum eſſe de proprietate Eccleſiæ. Sed an perſona cæci ſubeſſet eidem Eccleſiæ in temporalibus, necne, textus non dicit; unde nec nos dicere debemus. Præterea hæc decretalis non eſt Gregorii IX. prout inſcribitur, nec Gregorii VII. ut adnotavit Contius, nec dirigitur Epiſcopo Conſtantinopolitano, ut dixerunt nonnulli ex Canonibus noſtris; ſed ex *lib. 7. epiſt. 126. ſive 130.* quæ poſtrema eſt ejus libri regiſtri Beati Gregorii ſcribendum eſt, *Gregorio Conſtantio Epiſcopo Mediolanenſi,* ut obſervat Ant. Auguſt. *in notat. ad primam Collectionem decret, lib. 2. tit. 9. de reſtitut. ſpoliat. c. 7.* Nullibi autem edocemur Eccleſiam Mediolanenſem tunc temporis exercuiſſe temporalem juriſdictionem in Civitate Januenſi, quam Philagrius incolebat, ut in prima collect. decretalium. Secunda
7 ſolutio eſt Vincentii aſſerentis hìc agi de violentia, & peccato, & hoc reſpectu Eccleſiam benè potuiſſe in hoc ſe ingerere, ut legitur, & notatur *in dict. c. Novit, de judic.* & arg. *c. Relatum, 10. q. 1.* Quomodo autem peccatum eſſet, & violentia cæcum adſtringere unà cùm reliquis habitatoribus ad ſolutionem collectę, plenè dicam infrà *in 1. q. n. 23. & ſeq.* Tertia ſolutio eſt, quòd cæcus ſit perſona mi-
8 ſerabilis, & ideò de foro Eccleſiæ, ut *c. 1. & 2. 87. diſt.* & notatur *in c. Significantibus,* in gloſ. *1. ſupra de offic. deleg.* Quæ ſolutio ſatis colligitur ex hac littera, ibi, *Inhumanum eſt nimis,* necnon, ibi, *Miſereri.* Nam miſerabiles perſonæ dicuntur omnes, quibus natura movetur ad miſerandum propter fortunæ injuriam, ut per Azor. *in ſumm. C. quando Imperator inter pupill. & vid. n. 4.* Rebuff. *in tract. de ſentent. proviſion. art. 3. in gloſſ. fin.* & Steph. Aufrer. ad Guidopap. *dec. 566. in ver. Miſerabiles:* unde hanc ſolutionem cum ſecunda ponit hìc gloſſa 1. & Hoſtien. *num. 1.* & eſt ex mente Innoc. *in verb. Cæcitas,* dum dicit: (Nota cęcos defendendos per Eccleſiam,) & allegat *cap. Deſolatis, 8. diſt.* ſed fortè eſt *c. Defenſionis, 87. diſt.* & conſentiunt Butr. Anchar. Abb. & alii. Et ex his patet Antibolum temerè aſſeruiſſe Eccleſiam hoc caſu poſuiſſe falcem in meſſem alienam, de quo latiùs dicam infrà *in 1. qu. num. 12. & ſeqq. & in ſecunda à nu. 21. uſque ad num. 29.* Sed in quibus caſibus perſonæ miſerabiles, & maximè ſecus ſubſint juriſdictioni Eccleſię, ſcripſi plenè in prædicta decretali, *Significantibus.*

QUÆRO, utrum cæcus non pauper ad collectas te- 9
neatur.

Solutio quæſtionis pendet ab intellectu hujus cap. quod legitur dupliciter, uno ſcilicet modo, ut intelligatur de cæco, qui etiam ſit pauper; & huic lecturæ, quæ magis placet Cardinali in princip. videtur ſuffragari text. in *c. 1. ſupra de reſtit. ſpoliator.* ad quod hoc cap. venit con innativè; nam ut ibi dicitur, hic idem cæcus Philagrius fuerat ſpoliatus, & ſic remanſerat pauper. Similiter eidem lecturæ videtur ſuffragari hæc littera *in verb. Miſereri.* Nec obſtant illa verba, *Si eſſet neceſſitas,* quæ videntur importare, ut tunc temporis non eſſet in neceſſitate conſtitutus. Quandoquidem verba illa intelligi poſſunt de neceſſitate mendicitatis; & ideò ſubdit, *Miſereri,* ſcilicet miſeratione, per quam præſtantur eleemoſynæ; & ſic idem cæcus non erat mendicus, adeòut illi ſubveniendum foret ex collectione eleemoſynarum; erat tamen pauper, & conſequenter immunis à collectis. Sed ſecluſa paupertate non dicitur perſona miſerabilis, & ideò tenetur ad collectas etiam perſonales; neque excuſatur niſi à muneribus perſonalibus, quę ipſe per ſe obire non poteſt, ut concludit Cardin. *hìc nu. 2. in ſecunda oppoſit.* & fuſiùs *in dict. c. Significantibus, q. 6. de offic. delegat.* Similiter de cæco paupere intelligit hanc litteram Proſdocimus de Comitibus *de differentia utriuſque juris n. 144.* Præterea verba legis ad intellectum iniquitatis trahi non debent, cùm lex debeat eſſe juſta, *c. Erit autem lex, 4. diſt.* At traherentur, ſi hoc caſu intelligerentur de cæco divite; nam ut ait Petrus Antibolus *in dict. tract. de muneribus in 3. part. princip. num. 30.* ſi cęcus ſit dives homo, & locuples, eritne ęquum, ut ipſe ſit immunis à collecta in gravamen aliorum collectorum? certè non, imò iniquum. Ad quod optimè facit ſecundum eum, *l. Semper,* §. *1. ff. de jure immunit.* Quòd ſi objiciatur Eccleſia tenetur cæcum protegere: reſpondet; Protegat eum ſecundum jus, non autem contra jus; nam ſequeretur maxima iniquitas. Alio modo legitur hoc capitulum, ut intelligatur de cæco non paupere. Hac lectura communiter recipitur à Doctoribus, & mihi videtur verior ex conſiderationibus infraſcriptis. Primò enim textus fundat deciſionem ſuam non in ratione paupertatis, ſed cæcitatis, dicens. Quia inhumanum eſt nimis in collectione affligere eum, quem cæcitas gravat, & non dixit, eum, quem paupertas gravat. Quod ipſum evidentiùs colligitur ex clauſula integra regiſtri Beati Gregorii, unde hæc decretalis ſumpta eſt; ſic enim ſe habet: *Licèt multùm fraternitatem veſtram ad ſervandam ſibi juſtitiam Philagrii portitoris præſentium flagellum cæcitatis invitet; verumtamen quia ad reſtituenda, quæ ſibi præiudicialiter aſſerit detineri, per Nos vos voluit fieri promptiores, præſentia ad vos ſcripta prævidimus dirigenda.* Hæc ibi: Ex quibus verbis patet Beatum Gregorium conſtituiſſe fundamentum juriſdictionis, & juſtitiam cæci in ſolo flagello cæcitatis, non autem in paupertate. Refertur ab Anton. Auguſt. *in no-*
tis ad præalleg. c. 7 Præterea ſi textus intelligeretur de cęco 10
paupere, ejus deciſio eſſet de indubitabili. Certum eſt enim pauperem, & inopem excuſari à collectis, ut notat Baldus *in Authent. defuncto num. 12. Cod. ad Tertyllian.* & Gigas *in tract. de penſionib. q. 80. nu. 3.* Anton. de Butr. *in repert. ſuo in verb. Collecta,* Franciſcus Lucan. *in tract. de fiſco in 3. part. princip. num. 7. inter tract. commun. tomo 11. pag. 8.* Ergo adjungendo paupertati qualitatem cæcitatis, decidiſſet caſum indubitabilem, contra textum *in l. Labeo, ff. de edict.* Item qualitas cæcitatis, cui ſoli hæc deciſio innititur, ſupervacuè adjecta fuiſſet, & qualitas paupertatis incautè prætermiſſa, quod non eſt dicendum. Ad hæc textus primò præcipit ſimpliciter, & abſolutè, ut cęcus ad collectas non compellatur: & mox ſubdit, ei ſubveniendum fore ex collectis, ſi eſſet neceſſitas; atque ita exigit ut cæcus ſit pauper, & in neceſſitate conſtitutus, in ſecundo

tan-

tantùm caſu, in quo deberet imponi collecta pro illius ſubventione; non autem in primo caſu, cùm agitur de illo gravando in ſolutione collectæ, argum. *l. Cùm prætor, ff. de judic. & c. Nonnè, de præſumpt. cum ſimilib.* Ac præterea ſi Pontifex in primo caſu egiſſet de cæco egeſtate laboranti, non ſubjunxiſſet poſteà in ſecundo caſu conditionem illam, ſi eſſet neceſſitas, quæ apertè ſupponit cæcum tunc temporis non fuiſſe pauperem, & in neceſſitate conſtitutum, ut probat textus notabilis *in l. Cum certus, ff. de trit. vino, & oleo legato.* Neque his refragatur conſideratio Card. quòd iſte cæcus eſſet pauper, ſed non mendicus, & conditio illa, *Si eſſet neceſſitas,* referri debeat ad neceſſitatem mendicitatis, ita ut ſit ſenſus, ſi cæcus eſſet in neceſſitate conſtitutus, & mendicus miſerendum illi eſſet ex collectis; ſed quia non erat mendicus, ſed tamen pauper, ad collectas non tenebatur. Quandoquidem hæc conſideratio Cardinalis ſupponit cæcum tunc temporis fuiſſe pauperem, non tamen in neceſſitate conſtitutum, &
11 nihilominus fuiſſe immunem à collectis. Quod ſtare non poteſt, quia ſola paupertas abſque neceſſitate illum non exemiſſet ab onere ſolutionis: nam illi tantùm pauperes, quorum nota paupertas, & illi, qui dietim laborant pro victu quærendo, ad collectas non tenentur, ut inquit Petr. de Ubald. *in tract. de collectis num. 9.* & idem voluit Bald. *in Authen. Defuncto num. 12. Cod. ad Tertyll.* ubi ait [Pauperes, quorum opera vix ſufficit ad alimenta, non debere concurrere ad onus impoſitionis collectæ] allegat gloſſam *ult. in l. Omnes, la prima, C. de Annon. & tribut. lib. 10.* & eum ſequitur Alex. *in l. 4. n. 17 ff. de re judic.* Oportet igitur, ut pauper ad hoc, ut excuſetur à collectis, in neceſſitate victus ſit conſtitutus, ad hoc, textus optimus *in l. Cura, §. Inopes,* ibi, *Ipſa non habendi neceſſitatem non ſuſtinent, ff. de muner. & honor.* cujus contrarium ſupponit illa conditio, ſi eſſet neceſſitas; & conſequenter fateri oportet textum in primo caſu eſſe intelligendum de cęco non paupere, quia licèt non ſit poſitus in neceſſitate, tamen propter cæcitatem ipſam ad collectas non tenetur. Quibus accedit, quòd iſte cæcus Philagrius habeat campum, quo fuerat ſpoliatus, ut patet *in c. 1. ſup. de reſtit. ſpoliat.* item habebat ſervos, nam poſt illius capitis verba agitur de ſervis ejuſdem Philagrii ab Eccleſia Dertonenſi occupatis ut refertur ab Ant. Auguſt. *lib. 3. in notis ad d. c. 7.* Unde ex eo, quòd campus fuerit illi occupatus, non rectè infertur, ut remanſerit pauper, quia neceſſe eſt plura alia bona eum habuiſſe, cùm alioquin fructus unius campi non fuiſſent ſatis ad ſuam, & ſervorum ſuſtentationem. Quod inde etiam evidentiùs colligitur, quòd idem Philagrius renunciavit poſſeſſorio, & conſenſit ut ageretur de cauſa proprietatis, ut legitur *in d. c. 7.* At non eſt veriſimile, ut renunciaſſet ſpolio, ſi omnia bona ei fuiſſent violenter ablata, quin potiùs ante omnia procuraſſet ſe redintegrari, ut ex illis vivere poſſet, arg. *l. Necare, ff. de liber. agnoſ. & c. Paſce, 86. diſt.* Concluditur ergo cæcum à collectis eſſe immunem, ſive ſit pauper, ſive ſit locuples, & hanc decretalem eſſe indiſtinctè intelligendam, prout eam intelligunt Abbas Antiquus *in princ.* Hoſtien. *num. 3.* Joann. Andr. Collectar. & Joann. de Anan. omnes *num. 2.* Henric. Boich. Anton. de Butr. & Anchar. omnes *num. 1.* & idemmet Cardin. fatetur ſecundum quoque intellectum poſſe ſuſtineri. Non obſtat, quòd cæcus dives non ſit perſona miſerabilis; quia hoc eſt falſum, ut fusè probavi *in d. c. Significantibus in 2. quæſt. de offic. delegat.* Rurſus non obſtat ini-
12 quitas, quàm temerè obtrudit Antibolus huic decretali, & per conſequens Beato Gregorio Magno, quem fortè ignoravit fuiſſe illius conditorem: nam reſpondetur hanc iniquitatem nec jure ullo, nec ratione probari, & de juſtitia hujus conſtitutionis liquet manifeſtè, quia fundatur in naturali æquitate, cum natura ipſa dictet inhumanum eſſe afflictum flagello cęcitatis, talliis, & impoſitionibus vexare, & magis affligere, quæ ratio exprimitur hìc, & in proœmio epiſtolæ ipſius Gregorii, ut dixi ſupra *numer. 9.* Et quamvis pars cæci accreſcat aliis; tamen ſicut hæc ratio non conſideratur in paupere, ut *in dict. §. Inopes,* ita nec in cæco, quia uterque jure ſuo utitur, *c. Cùm Eccleſia Vulterana, ſupra de elect. l. 1. & l. Injuriarum, §.*
13 *1. ff. de injur.* Quinimò hoc eſt culpa, & divina offenſa, ut dicit text. cum ſua gloſ. *in c. Cùm percuſſio 7. q. 1.* Eſt enim peccatum contra miſericordiam, quę eſt compaſſio alienę miſeriæ in corde, quia ſi poſſumus ſubvenire compellimur, ut declarat S. Th. *in 1. p. q. 21. art. 3. & in 2. 2. q. 30. art. 1.* Atque ita Eccleſia, quæ cęcum relevat à gravamine collectarum non protegit eum contra jus, imò ſecundum jus, id eſt ratione, quia lex eſt omne quod ratione conſiſtit, *c. Conſuetudo, 1. diſt.* Item non protegit eum contra jus, quia jus civile non adverſatur, ut clarè patebit infrà *nu. 23.* & quatenùs adverſaretur, tamen contra rigorem juris civilis ſtandum eſſet juri Canonico in hac materia pietatis, & miſerabilium perſonar. ut ſimiliter patebit infrà *n. 26. & ſeqq.* Unde injuriæ illatę miſerabilibus exaggerantur, quia ma- 14
gis opponuntur miſericordiæ, & nocumenta ſunt eis graviora, quia non habent relevantem, ut idem S. Th. docet *in 2. 2. q. 65. art. 4. ad 2.* Igitur jure meritò Eccleſia potuit, & debuit huic cæco officium ſuum impertiri, ſecundùm ea, leguntur, & notantur *in c. Novit ſup. de judic.* præcepto enim divino tenetur miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, ut in decreto Conc. Trident. *c. 1. in princ. ſeſſ. 23.* & qui conſtitutis in miſeria non impendit miſericordiam, dicitur negare Chriſtum, qui miſericordia eſt, *c. Omnis, 7. q. 1.*

Secundò QUÆRO, à quibus collectis cæcus non pau- 15
per ſit immunis.

Proponitur hæc quæſtio de cæco, ideſt utroque lumine 16
orbato: nam ſi unum tantùm amiſiſſet, nulla frueretur immunitate, ut *in l. Luminibus, C. qui morb. ſe excuſant,* & expreſſiùs *in l. un.* & ibi gloſ. *in verb. Utriuſque, C. eod. lib. 10.* Anchar. & Jo. de Anan. *in princ.* Item proponitur de cæco non paupere, aliàs enim eſſet de indubitabili, ut patet ex dictis ſupra *n. 10.*

Quibus præhabitis gloſſ. ultima videtur reſtringere hoc 17
capitulum ad collectas perſonales, dum ait eos, qui morbo laborant à muneribus perſonalibus excuſari, ut *l. 1. & 2. Cod. qui morb. ſe excuſ. lib. 10.* Sed apertiùs hoc tenet Innoc. qui exponit verbum, *Collectas,* ideſt perſonales: ſecus de realibus; & quamvis nihil alleget, tamen pro ejus opinione videtur textus cum gloſſ. *in l. Honores, ff. de Decurion.* ubi ſurdus, & mutus ſi in totum non audiant, aut non loquantur, ab oneribus civilibus excuſantur, non autem à muneribus, & gloſſ. exponit *verb. Muneribus,* ſcilicet patrimonialibus; ſed à perſonalibus benè excuſantur & allegat textum, qui de cæco loquitur in dicta lege prima: & eſt ſimile in majoribus quinquagintaquinque annorum, qui ad munera perſonalia non tenentur, ut *l. Manifeſti, Cod. qui ætat. ſe excuſ. lib. 10.* & tamen à patrimonialibus non ſunt immunes, ut *l. Neque tempore, Cod. de muner. patrim. eod. lib.* Item eſt ſimile in compluribus aliis caſibus, quos cumulat Petr. Antibol. *in præalleg. tract. de muner. in 3. part. principali nu. 22.* Rurſus pro hac opinione videtur textus apertus *in l. 2. §. Corporis ff. de vacat. muner.* ubi text. dicit: *Corporis debilitas eorum munerum ex-*
cuſationem præſtat, quæ tantùm corpore implenda ſunt. Cæ- 18
terùm quæ conſilio prudentis viri, vel patrimonio ſufficientis in honore obiri poſſunt, non remittuntur. Hæc ibi. Non eſt autem ambigendum, quin cæcitas ſit debilitas corporis; quinimò, ut inquit Lucas de Penna *in d. l. 1. num. 4. Cod. qui morb. ſe excuſ. lib. 10.* totius humani corporis debilitas eſt oculos perdidiſſe. Faciunt text. *in l. 2. & 4. C. de muner. patrim. eod. lib.* dum dicunt onera patrimoniorum ab omnibus eſſe ſubeunda, & in eis non ſuffragari immunitatem à publicis muneribus. Eamdem opinionem amplectitur Lucas de Penna *in d. l. 1. nu. 6.* ubi allegat textum noſtrum, dicens hìc apertè probari cęcum non compelli, ut cum aliis contribuat in collectis; & non ſubdit, quòd eſt intelligendum, ubi collectę reſpicerent merè perſonam. De perſonalibus etiam intelligit hanc litteram Franciſc. Lucan. *in tract. de fiſco in tit. de immunitate collectar. n. 8. inter tract. comm. tom. 11. fol. 10.* Et ex prædictis conſequitur, 19
ut cùm collectę, quæ hodiè fiunt, exigantur de patrimonio, & ſic contributio collecta non ſit munus patrimoniale, quod imponitur perſonis pro rebus, ut *l. Reſcripto, §. Sciendum, ff. de muner. & honorib.* cæcus à collectis hujuſmodi nullam habeat immunitatem, ut per Antib. *loc. cit.*

Verùm Hoſtien. *hìc num. 3.* concludit cæcum, & alias 20
perſonas miſerabiles eſſe immunes non ſolum à perſonalibus, ſed ab omnibus extraordinariis etiam realibus, arg. *cap. Indicatum, 89. diſt. l. unic. C. de ſuperindict. & l. unic. C. de vacat. muner. public. lib. 11.* à realibus autem ordinariis non ſunt immunes; unde ſi teneant aliquam terram cenſualem, vel tributariam, cenſum, vel tributum ſolvere debent,

bent, *c. Si quis laicus*, 16. q. 1. *c. Convenior*, & *c. Tributum*, 23. q. 8. quamvis piè faciat dominus, ſi paupertate oppreſſo hoc remittat, arg. *c. Propter ſterilitatem, ſup. de locato*, ita Hoſt. que totidem verbis referunt, & ſequuntur Jo. Andr. Collect. & Jo. de Anan. omnes *n. 2.* Henric. Boich. Butr. & Anchar. omnes *n. 1.* Et pro hac opinione, quæ ut vides magis communiter recipitur à Doctoribus, facit littera hujus Decretalis, quę generaliter præcipit, ut cæcus ad collectas non compellatur, nec diſtinguit perſonales à realibus: ergo nec nos diſtinguere debemus, *l. De pretio, ff. de Publician. in rem act. & l. Non diſtinguemus, ff. de arbitr. cum vulgar.*

21 Sed dices: Hoc caſu diſcrepat jus civile à jure Canonico, quia de jure civili utroque lumine captus à perſonalibus oneribus, quæ corpore, non autem quæ animo explicantur, habet excuſationem, maximè à futuris; non autem a realibus, ut oſtenſum eſt ſupra *n. 17. & ſeqq.* de jure Canonico ſecus, quia non ſolùm habet excuſationem à perſonalibus, quę complentur, & finiunt tempore, ſed etiam à realibus, ſive patrimonialibus, juxta text. hìc in ſui generalitate. Et hanc differentiam inter jus Cæſareum, & Pontificium conſtituit Proſdocimus de Comit. *De differentia utriuſque juris num.*
22 144. inter tractatus communes *tom. 1. pag. 171.* At ubi lex diſcrepat à Canone, in terris Imperii obſervandum eſt jus civile, in terris Eccleſiæ jus Canonicum, *c. Relatum, il primo de teſtam. c. Si duobus, §. Denique ſupra de appellat.* ubi text. cum concordant. de quibus ibi in gloſſ. *ult.* Unde hanc decretalem ad loca Eccleſiæ ſubjecta in temporalibus reſtringit Petr. Antibol. ut dictum eſt ſupra *n. 6.*

23 Huic objectioni reſpondeo de jure civili nullibi reperiri expreſsè diſpoſitum, ut cæcus teneatur ad onera realia, quæ extra ordinem imponuntur: nam textus *in l. 1. C. Qui morbo ſe excuſant. lib. 10. & in l. 2. §. Corporis, ff. de vac. muner.* tantùm decidunt cæcum teneri ad munera perſonalia quę conſilio, non autem ad ea quæ corpore implenda ſunt. Unde ut ait gloſſ. *in d. l. 1. in verb. Perſonalium*, cæcus à conſilio, vel patrocinio non excuſatur, quia ingenio pollet, cui viſu natura negavit; & ſecundùm Jo. de Anan. *hic n. 4.* ſi ſit ſapiens cogi poterit ire ad Concil. & conſulere: nam & quidam Philoſophi excæcaverunt ſe, ut meliùs ſpecularentur; & Romani in rebus arduis, vel noctu conſilia inibant, vel ſi interdiu, claudebant feneſtras, & oſtia, ut ibi eſſet obſcuritas: nam
24 magna lux mentis cogitationem diſgregat. Alia verò jura, quæ inducuntur ex adverſo, hoc non probant, ſi benè advertantur. Etenim dum decidunt, ſurdum, & mutum, ſenem, aut debilem non habere à muneribus patrimonialibus excuſationem, & onera patrimonialia ab omnibus eſſe ſubeunda, congruè poſſunt, & debet intelligi de oneribus patrimonialibus ordinariis, à quibus fatentur Canoniſtę, nec cęcum habere immunitatem; non autem de extraordinariis ut probat text. *l. unic. C. de vacat. muner. publ. lib. 10.* ubi expreſſum eſt vacationem à muneribus publicis comprehendere extraordinaria munera dumtaxat, nec porrigi ad ordinaria, à quibus nullus habet excuſationem. Unde ut ibi dicit gloſſ. 1. extraordinarias collationes dumtaxat evitat, ordinarias verò recuſare non poteſt, qualia ſunt omnia patrimonialia ordinaria, ut ibi, *& in l. In honoribus, §. Qui muneris, & l. Hi qui, ff. de vacat. muner.* à patrimonialibus enim nemo ſe excuſat, ut *l. 2 cum concord. & l. Qui immunitatem, C. de muner. patrim. lib. 10.* Ad idem tex. *in l. 1. C. de indict. eod. lib.* ubi dicitur à munere indictionis, quod imponitur perſonis pro patrimonio, non excuſari eos, qui à publicis muneribus vacationem habent. Et redditur ratio, quia indictio munus ordinarium eſt. Hinc eſt, ut conductores, ſeu emphyteutę rerum privatarum Principis excuſentur ab extraordinariis, ut *l. 1. in 2. reſponſ. C. de privileg. domib. Auguſt. lib. 11. cum concord.* ibi allegat. non autem ab ordinariis, ut *l. fin. C. de collat. fund. fiſcal. eod. lib.* Hinc etiam fit, ut Eccleſiæ ab extraordinariis habeant immunitatem, ab ordinariis non, ut *l. Placet, C. de ſacroſ. Eccleſ.* concurrentibus tamen requiſitis, de quibus pleniſſimè per Rotam in cauſa Alben. Gabellæ *dec. 339. p. 6. rec.* Hinc demum fit, ut Epiſcopi, & Clerici excuſentur ab extraordinariis tantùm, ſed ab ordinariis non item, ut *l. 1. & l. de his, C. de Epiſc. & Cler. l. Munerum, §. Patrimoniorum, ff. de munerib. & honorib.* Intellige juxta notata in præalleg. deciſ. & per Canoniſtas *in c. fin.* ubi in ſpecie Butr. *n. 10.* Imol. *n. 16.* Anchar. *n. 7.* & Abb. *n. 12. ſup. de vita, & honeſtat. Clericor.* Ergo ſimiliter jura, quæ dicunt ſurdum, & mutum, & alios conſimiles non habere excuſationem à muneribus patrimonialibus, intelligi debent de ordinariis tantùm, non autem de extraordinariis. Præterquamquòd reſponderi poſſet, leges præallegatas, quæ de muneribus patrimonialibus diſponit, non loqui in ſpecie de cæco, ſed de ſurdo, muto, ſene, & aliis prędictis, in quibus non viget tanta ratio pietatis, & humanitatis, quanta viget in cæco, cùm flagello cæcitatis nulla alia corporalis ægritudo æquari poſſit, ut ſcripſi plenè *in c. Significantibus, in ſecunda quæſt. ſup. de offic. deleg.* Quamobrem cùm jure civili non ſit cautum expreſ- 25
sè, ut cæcus teneatur ad munera patrimonii extraordinaria, & res ſaltem ſit dubia; ſuccedit communis theorica, quòd ubi in jure Canonico reperitur aliquid deciſum, de quo dubitatur in jure civili, tunc deciſio juris Canonici ſervanda eſt etiam in foro civili. Quam theoricam ponit Romanus *conſ. 176. Iſtæ ſunt reſponſiones n. 12.* dicens, hanc eſſe Doctorum omnium ſententiam, *in c. 1. de oper. nov. nuntiat.* ubi hoc exprimit littera, & probatur ex generalitate textus in Auth. *Ut Clerici apud propr. Epiſcop.* & in Auth. *de Eccleſ. tit. in princ. & §. Hinc colligitur, 2. q. 2. & c. Si in adjutorium, 10. diſt.* Eamdem theoricam docuit Angel. *conſ. 217. In cauſa accuſationis n. 3. ver. Non obſtat*, ubi propterea infert, ut cùm jus civile non ſtatuat expreſsè, ut non liceat appellare ſine cauſa ab interlocutoria; ſed tantùm ſtatuat, ut liceat appellare, quamvis cauſa non exprimatur; & jus Canonicum hoc limitet diſtinguendo dummodò appelletur à diffinitiva, non autem ab interlocutoria; ſervandum ſit jus civile ubique locorum, & in utroque foro: ſequitur Marant. *in praxi in 3. p. n. 73.* Eodem igitur modo cùm leges civiles, quę adſtringunt ſupradictos ad ſubeunda onera patrimonialia, non loquantur explicitè de muneribus extraordinariis, nec de perſona cęci; ſervanda erit ubique diſpoſitio hujus decretalis, quæ declarat cæcum non teneri ad collectas, & ſecundum communem intellectum Canoniſtarum intelligitur etiam de realibus, cùm loquatur generaliter, & indiſtinctè; licèt Canoniſtę, ut jus Canonicum concordent cum jure civili, hanc generalitatem limitent, & reſtringat, ut non procedat in collectis ordinariis, à quibus de jure civili nullus habet excuſationem. Quibus accedit, quòd data etiam contrarietate juris civilis, & canonici, nihilominùs cum hoc
caſu agatur de naturali æquitate, prævalet jus canonicum 26
etiam in terris Imperii, ut tradit Bald. *conſ. 8. Punctus quæſt. in princ. verſ. Modò quæritur lib. 3.* Marant. *ubi ſuprà n. 76.* & Clar. *in §. Emphyteuſis q. 8. in fin.* & idem ubi juris civilis rigor induceret iniquum, prout induceret, ſi cæcum ad collectas adſtringeret, cùm tex. hìc dicat id nimis eſſe inhumanum, ita Jo. de Anan. *in conſ. 80. Viſis & intellectis n. 2. propè finem, verſ. Circa verò aliud dubium.* Ac demum ubi in cau- 27
ſis miſerabilium perſonarum canon aliquid ſtatuit contra jus civile, ſervari debet canon in illa materia etiam in foro
civili, ut deciditur *in c. Clerici, ſuprà de judic.* Anton. de 28
Butr. *n. 12.* & Jo. de Imol. *n. 2.* quos ſequitur Felin. reputans hoc ſingulare, *in c. In cauſis n. 1. verſ. Et dicunt ſingulariter ſupra de teſtibus*, & conſentit Maranta *ubi ſup.* Super eſt
nunc, ut pro complemento materiæ inveſtigemus, quæ ſint 29
munera ordinaria, & quæ extraordinaria. Et quidem Petr. de Anchar. *hic n. 3.* licèt corruptè legatur, & Jo. de Anan. *n. 2.* poſt Bart. *in l. Hi qui n. 5. ff. de jur. immunit.* dicunt munera ordinaria eſſe, quæ imponuntur à Principe, vel à lege, ut *l. 1. C. de vacat. muner. public. lib. 10.* Et ideò collectæ, quæ imponuntur à lege municipali, ſecundùm eos dicuntur munera ordinaria. Et idem de his, quæ Clericis imponuntur à
Papa, & laicus ab Imperatore. Secus de his, quæ imponun- 30
tur per Officiales civitatis, puta decem de Baliva, ſeu Regulatores, quia hæc ſunt munera extraordinaria, ut *l. In honoribus, §. Qui muneris, ff. de vacat. muner. & d. l. unica.* Tu adverte, quia Guliel. de Cuneo *in l. Neminem, C. de ſacroſanct. Eccleſ.* dicit munus ordinarium eſſe quod habet certam, & determinatam præſtationem: extraordinaria verò, quæ quandoque per accidens inducuntur, *l. Seio, §. Medico, ff. de ann. legat.* Sed huic theoricæ videtur contradicere *d. l. un.* quæ eſt clavis in materia, dum expreſsè diffinit, munera ordinaria eſſe quæ lege, vel ſenatuſconſulto, vel conſtitutione Principis injunguntur. Unde per contrarium extraordinaria ſunt reliqua omnia, quæ lege, vel ſenatuſconſulto, aut conſtitutione Principis non ſunt injuncta, ut notatur in *l. 1.* in gl. *in verb. Officia, C. de agricol. & cenſit. lib. 10.* & plenè declarat Petr. Antibol. *in tract. de muner. in §. 3. de 2. diviſ. numer 9. inter tract. commun. tom. 11. pag. 64.* Verùm ut advertit Bart. *in l. 1. C. de mulier. & in quo loco lib. 10.* ubi plenè examinat hanc materiam, illa lex concordat cum dicto Gulielm,

Gulielm,

lielm. quia quando munus imponitur lege, vel conſtitutione perpetua, ex neceſſitate habet certam, invariabilem, & ordinariam præſtationem, quod non contingit in his, quæ interdum per accidens imponuntur, cùm talia certam, & ordinariam præſtationem non habeant, & ſequitur Gemin. *in conſ.116. Quia prædicti n.2.* Ad hoc igitur, ut munus dicatur ordinarium, non ſufficit indicatur à Principe, ut dicunt Anchar. & Anania, ſed oportet, ut indicatur lege, vel conſtitutione, & ſic ut ſit invariabile, & perpetuum. Unde munus extraordinarium eſt, quod a Principe indicitur, quia natus eſt ſibi filius, vel quia uxorem duxit, ut notatur *in leg. Placet, C. de Sacroſ. Eccleſ.* & idem eſſet, ſi fieret novus miles, vel ſi filiam nuptui traderet, aut Papam viſeret, vel quid ſimile: cùm enim per accidens, non autem lege, ſenatuſconſulto, aut conſtitutione Principis injungantur, extraordinaria ſunt, ut *in d.l.un.* & per Antib. *ubi ſup. n.* 20. Qua ratione ſubſidium quod frequenter poſtulatur a Principe, extraordinarium dicitur. Eodem modo munus, quod imponitur extra ordinem propter publicam utilitatem, extraordinarium eſt, ut notat Innoc. *in c. Non minus, ſuper gloſſ. in verb. Prohibemus, infra de immunit. Eccleſ.* qui idem dicit de munere injuncto ad inſtructionem itinerum, & pontium. In ſpecie autem collectas, quæ imponuntur perſonæ pro rebus, munera extraordinaria eſſe, cùm certam, & determinatam præſtationem non habeant, firmant: Gemin. *d. conſ.* 116. *n.*2. plenè Joan. de Imol. *conſ.*48. *In caſu præmiſſo*, Aretin. *conſ.*132. *In cauſa, quæ vertitur, in princ.* & Alex. *conſ.*68. *Viſo in princip. lib.*2. quibus adde Baldum *conſ.* 112 *De generali n.6. verſ. Quoddam eſt munus lib.* 2. qui dicit collectam eſſe munus repentinum, & extraordinarium, quod pro neceſſitatibus temporum variatur, & eſt quandoque magnum quandoque parvum, quandoque nullum. Quod tamen intellige, niſi collecta ex ſtatuto, vel conſtitutione eſſet effecta ordinaria, quod fieri poteſt, ut *l.* 1. *C. de indict. lib.*10. dummodò tamen hoc fiat lege, ſenatuſconſulto, vel conſtitutione Principis. Aliàs enim ſtatutum inferiorum facere non poteſt, ut collecta ſit munus ordinarium, ut declarat Baldus *d.conſ.*112. *n.*6. *verſ. Præterea ſtatutum.*

DE CENSIBUS.

Innocentius III. Spoletano Epiſcopo.

CAPUT XX.

OLim cauſam, quam adverſus Clericos plebis Rupinæ, ſuper ſynodatico proponebas, Tudertin. Epiſcopo & collegis ſuis commiſimus terminandam: coram quibus ex parte tua fuit propoſitum, quòd cùm iidem Clerici prædeceſſoribus tuis tres in feſto Nativitatis, & tres in feſto Reſurrectionis Dominicæ pro ſynodatico ſolverint denarios Papien. nunc tantùm tres Lucenſes pro ſingulis denariis Papien. perſolvebant, cùm tamen unus denarius Papien. valeat ſex Lucen. unde petebas eos ad Papien. ſolutionem compelli: cùm & ſi tu Lucen. primo anno receperis, ſemper tamen jus tuum poſtmodùm fueris proteſtatus: & infrà. Cùm igitur conſtet, quòd Papien. olim pro ſynodatico ſolvebantur; quod ex eo etiam ſequitur, quòd Lucen. ſoluti ſunt poſtmodùm pro eiſdem, cùm ex dictis teſtium, & confeſſione advocati alterius partis non revocata, poſtmodùm appareat evidenter, quòd tempore L. prædeceſſoris tui pro ſynodatico, Papienſis fuit moneta ſoluta, & à tempore dicti L. nonniſi triginta ſex annorum; ad plus, tempus effluxerit, & ſit legitimè comprobatum, quod tres Lucenſes, qui pro uno Papien. poſt mortem ipſius L. ſolvebantur, quinque vel ſex valebant ex illis, qui hodie ſunt in uſu: intelligentes ex hoc, quòd per monetæ declinationem accidit, ut uſque ad tempus tuum Lucen. dati fuerint pro ſynodatico, ſicut erant in uſu: procuratorem adverſæ partis nomine Clericorum plebis prædictæ, tibi ad ſolutionem denariorum Papienſium, vel æſtimationem eorum, pro ſynodatico, per diffinitivam ſententiam condemnamus.

SUMMARIUM.

1 *CEnſus ſolvendi ſunt ad antiquam monetam, in qua inſtituti fuerint, & n.* 2.
Niſi ſit in alterius monetæ ſolutione præſcriptum, n. 1. *& num.* 14. *ſeqq.*
3 *Monetæ valor alteratur intrinſecè, vel extrinſecè.*
4 *Monetæ valor cum alteratur intrinſecè, fieri debet ſolutio ex antiqua moneta, ſi extet; ſin minus, ad illius æſtimationem.*
Amplia primo, ſi monetæ valor fuerit auctus, ſive imminutus, num. 6.
Amplia ſecundo, etiamſi creditor per plures vices receperit ſolutionem in aliena moneta, n. 7.
Amplia tertiò, etiamſi illam receperit ſine ulla proteſtatione, num. 8.
Amplia quartò, etiam in ultima voluntate, n. 9.
Amplia quintò, etiam in penſione, n. 12.
Amplia ſextò, ex quacumque diſpoſitione debitum fuerit contractum, n. 13.
Limita, niſi fuerit in alterius monetæ ſolutione præſcriptum, n. 14. *& ſeqq.*
5 *Æſtimatio licèt non fuerit petita in libello, tamen quando aliquid dari, vel tradi eſt in obligatione, Judex poteſt condemnare ad rem, vel ad illius æſtimationem.*
Legatum florenorum ſolvi debet ad rationem monetæ, quæ currebat tempore conditi teſtamenti.
6 *Idem in legato annuo.*
11 *Solutio fieri debet ad monetam currentem tempore ſolutionis, quando obligatio eſt incerta.*
12 *Penſio, ſi valor monetæ alteretur intrinſecè, ſolvi debet de pecunia, quæ currebat tempore reſervationis.*
15 *Præſcriptio inducitur tam pro debitore, quàm pro creditore, ſi ſoluta fuerit moneta unius ſpeciei ſpatio longiſſimi temporis.*
16 *Cenſus præſcribi non poteſt.*
17 *Quod verum eſt in totum, ſed in parte ſecus.*
18 *Niſi debitor ſit in mala fide ſolvendo denarios Papienſes pro Lucenſibus.*
19 *Præſcriptio ſolutionis in aliena moneta procedit non obſtante proteſtatione creditoris.*
20 *Proteſtatio non interrumpit præſcriptionem niſi in caſibus, &c.*
21 *Præſcriptio cenſus in alia moneta contra Eccleſiam debet eſſe quadragenaria; contra privatum ſufficit triginta annorum.*
22 *Monetæ valor ſi alteretur extrinſecè, fieri debet ſolutio habito reſpectu ad valorem monetæ ſecundùm tempus ſolutionis.*
23 *In æſtimatione valoris inſpicitur tempus ſolutionis.*
24 *Moneta quando fuit taxata ab initio, in ſolutione attenditur valor taxatus.*
25 *Æſtimatio facit venditionem.*

Olim.

1 OLim. Solvendi ſunt cenſus ad antiquam monetam, in qua inſtituti fuerint, niſi ſit in alterius monetę ſolutione præſcriptum. Hoc dicit ſecundùm omnes, & eſt caſus valdè notabilis, ſecundùm Abb. Primò narrat factum. Secundò decidit, exprimendo motiva, ibi, *Cum igitur*.

2 Nota ex hac Decretali ſolutionem cenſus faciendam eſſe ad antiquam monetam, quæ currebat tempore inſtitutionis. Et ita hìc eſt caſus ad litteram, ſecundùm Joan. Andr. Butr. Card. Anchar. Abb. & Jo. de Anan. in ſumm. text. Ca-
3 ſtill. *conſ.* 35. *n.* 12. Sed quia in hac materia ingens eſt opinionum varietas, ut patet ex cumulatis per Ant. Gabriel. *comm. concl. lib.* 3. *de ſolut. concluſ.* 1. *cum pluribus ſeqq.* Pro clariori explicatione diſtinguendi ſunt duo caſus principales. Primus eſt, quando valor, ſeu bonitas monetæ alteratur intrinſecè ob alterationem materiæ, ſeu ligæ, vel ponderis. Secundus eſt, quando valor, ſeu bonitas monetæ alteratur extrinſecè, eò quòd eodem pondere, materia & liga manentibus alteratur monetæ valor ob Principis voluntatem, vel aliam cauſam extrinſecam, vel accidentalem, ut plenè notatur *in c. Quanto, ſupra de jurejur.* & per Legiſtas *in l. Cùm quid ff. Si certum petatur*, & per Anchar. *hic in* 6. *notab.*

4 In primo caſu, id eſt cùm bonitas, ſeu valor monetæ alteratur extrinſecè, hæc ſit concluſio, videlicet ſolutionem debiti pecuniarii faciendam eſſe ex moneta antiqua, quæ ſcilicet currebat tempore debiti contracti, ſi inveniatur non autem ex nova, quæ modò eſt in uſu: ſi verò non inveniatur antiqua, tunc faciendam eſſe ſolutionem ad illius æſtimationem, id eſt ex nova, quæ æquivaleat antiquæ. Ita Innoc. *hìc in princ.* Hoſt. *nu.* 1. *in verb. Ad Papienſ.* Abb. Antiq. & Jo. Andr. ambo *num.* 3. Abb. Sicul. *num.* 4. & alii communiter, Hoſt. *in c. Quanto num.* 4. *verſ. Quid ergo ſi Mercator, de jurejur.* & ibi Jo. Andr. *n.* 6. *verſ. Quærit autem Hoſtien.* Butr. *num.* 12. *verſ. Secundus quando*, Anchar. *num.* 10. *verſ. Quarto quæro*, Imol. *num.* 18. *verſ. Circa tertium*, & Abb. *num.* 12. *verſ. Venio ad ſecundum*, ubi aſſerit ita communiter teneri per Canoniſtas, & Legiſtas, Bart. *in l. Paulus, la prima num* 6. *verſ. Quæro quid ſi moneta eſt mutata, ff. de ſolut.* Bald. *in l. Acceptam num.* 45. *in* 17. *q. Cod. de uſur.* Bertrand. dicens communem *in conſ.* 3. 12. *in princip. vol.* 1. & alii plures apud Gabriel *commun. concluſ. lib.* 3. *de ſolut. col.* 1. *n.* 1.

Ratio hujus concluſionis eſt, quia moneta ipſa antiqua erat in obligatione, ac etiam in condemnatione, ut per Innoc. *in princ.* Abb. Antiq. *n.* 3. Hoſt. *n.* 17. *in verb. Denariorum Papienſium*, Jo. Andr. *n.* 5. Bart. *in l. Si quis ſtipulatus n.* 3. *ff. de ſolut.* Bald. *conſ.* 213. *n.* 2. *vol.* 5. Rota *deciſ.* 149. *nu.* 4. *part.* 2. *recent.*

5 Et clarè probatur in hac Decretali: nam denarii Papienſes pro ſynodatico erant in obligatione, & de illis ab ipſo fuit facta petitio, ut patet ibi: (Unde petebas eos ad Papienſium ſolutionem compelli.) Et Pontifex per diffinitivam ſententiam condemnavit Clericos ad ſolutionem Papien. vel ad æſtimationem eorum, ut patet in fin. tex. quia ſcilicet Papienſes non reperiebantur: alioquin fatua fuiſſet ſententia, quæ, cùm res peteretur, & præſtari poſſet, in æſtimationem condemnaret, ut *l. fin. C. de fideicomm. libert.* & obſtaret *l. Ut fundus, ff. comm divid. & c. Cùm dilectus, §. final. de ordin. cognit.* Non enim placet expoſitio Hoſt. *hic n.* 1. *in verb. Compelli*, ſupplentis litteram, & dicentis hìc fuiſſe petitam alternativè ſolutionem Papienſium, vel eorum æſtimationem. Quoniam hoc eſt divinare, cùm in petione Epiſcopi nulla mentio de æſtimatione facta fuerit, ſecundum Abb. *hic nu.* 5. Hìc igitur fuerunt petiti Papienſes ſimpliciter, & quia non extabant, etiam ad eorum æſtimationem fuit facta condemnatio: nec ſententia fuit inepta, quia quando aliquid dari, vel tradi eſt in obligatione, ſatis eſt in libello illud petere; & ſi haberi non poteſt. Judex poteſt condemnare ad illud, quod eſt in obligatione tradendum, vel ad illius æſtimationem, licèt æſtimatio non fuerit petita in libello, ut notat Bart. *in l. Stipulationes non dividuntur in fin. ff. de verbor. obligat.* quod dicit valdè notandum Abb. *hic nu* 5. Et eſt ſimile in eo qui agit ex empto ad rem venditam: nam res in obligatione eſt, *l. Ex empto in* 1. *reſpoſo, ff. de act. empt.* & ideò res ipſa venit in condemnatione, ut ibi, ſed venditor liberatur præſtando intereſſe, *l.* 1. *ff. eod.* ſicut liberatur hìc debitor præſtando æſtimationem, ſecundùm Innoc. *hic in princ.* Hoſt. *n.* 1. *in verb. Ad Papien. & num.* 7. *in verb. Denariorum Papienſium*, & Joan. Andr. *num.* 3. & 5.

6 Amplia primò concluſionem ſuperiùs firmatam, ut locum habeat, ſive antiquę monetę valor fuerit intrinſecè auctus, ſive imminutus; utroque enim caſu ſi moneta ipſa antiqua non reperiatur, fieri debet ſolutio ad illius ęſtimationem, nulla habita ratione augmenti, vel dimunitionis, gloſſ. *ult.* hìc dicens per hoc ſolvi quęſtionem dominicalem Bartolemæi Brixienſis 23. incipien. *Cùm ad Monaſterium*, quod ad antiquam monetam, & menſuram antiquam facienda eſt ſolutio, ſive nova ſit melior, ut *c. Quanto, ſupra de jurejur.* & eſt expreſſum *in c. Cùm Canonicis, infra eod.* ſive ſit deterior, ut in hoc cap. Et cum gloſſ. tranſeunt hìc Innoc. poſt med *in verb. Papien.* arg. ad veterem, Hoſt. *in fin.* Abb. Antiq. *in princ.* dicens ſecundum monetam antiquitùs conſtitutam perſolvendum eſſe annuum cenſum, ſive ſit minorata, ut hìc (ſcilicet intrinſecè) ſive majorata, ut *c. Cùm Canonicis, infrà eod.* Bald. *conſ.* 499. *Quæſtio iſta n.* 2. *verſ. Et è contra ſi moneta parva eſſet ingroſſata, non propterea creſceret præſtatio, vol.* 1. & alii apud Anton. Gabriel. *lib.* 3. *de ſolut. concluſ.* 1. *num.* 18. & 19.

7 Amplia ſecundò, etiamſi creditor per plures vices receperit ſolutionem cenſus in alia moneta ab illa, in qua fuit inſtitutus, ut patet in hoc cap. ubi Epiſcopus receperat denarios Lucenſes ſpatio trignita annorum, & nihilominùs ſibi non præjudicavit in Papienſibus, cùm præſcriptio non eſſet completa, ut latiùs dicetur infra in prima limitatione.

8 Amplia tertiò, etiamſi creditor receperit novam monetam ſimpliciter, ac ſine ulla proteſtatione, quia nihilominùs ſibi non præjudicat in antqiua, ut hìc ſenſit Innoc. qui exponens litteram *in verb. Proteſtatus*, dicit idem eſſe, ſi proteſtatus non eſſet, & ſequitur Hoſtien. *n.* 2.

9 Amplia quartò, etiamſi in ultima voluntate: nam ſi teſtator legavit centum florenos, & poſteà tamdiu ſupervixit, ut intrinſecè mutata fuerit moneta, ſolvendum eſt legatum ad rationem monetæ, quæ currebat tempore conditi teſtamenti, ut ex facto reſpondit Oldradus *conſ.* 31. *Thema tale* 10
eſt, quia condens: Ideòque legatum annuum debetur juxta æſtimationem monetæ, quæ erat in uſu tempore facti legati, quando eſt facta mutatio in bonitate intrinſeca, ſecundùm veriorem, & magis communem opinionem, de qua latè per Albertum Brunum *in tract. de augm. in ult. concluſ. princ. & in* 6. *declarat.* Signorol. *conſ.* 74. *per totum*, Aret. *conſ.* 84. *Diligenter in princ.* Corn. *conſ.* 24. *in* 4. *conſultat. in fin. lib.* 1. *& conſ.* 181 *lib.* 2. *& conſ.* 109. *in princ. lib.* 4. ubi atteſtatur hanc eſſe communem ferè omnium ſententiam, Soccin. *conſ.* 298. *Pro fundamento lib.* 2. *qui num.* 1. *verſ. Ubi dicit Abbas*, ſimiliter teſtatur hanc ſententiam tenere omnes tam Legiſtas, quàm Canoniſtas. Et quamvis Romanus *conſ.* 123. *Circa primum in princ. & num.* 1. *col.* 2. *verſ. Præmiſſis tamen*, tenuerit in debito ex teſtamento ſolvendam eſſe monetam currentem tempore ſolutionis, non autem tempore conditi teſtamenti, per textum, de quo dicit Oldradum non fuiſſe recordatum *in l. Cùm certum*, ibi, *Pretium præſentis temporis, ff. de aur. & arg. leg.* tamen ille tex. ju- 11
dicio meo parum facit, quia loquitur in eo caſu, in quo certa ſpecies pecuniæ non fuit deſignata, ſed certum auri, vel argenti pondus legatum. Quotieſcumque autem obligatio eſt incerta quoad pecuniam, veluti ſi promitto ſolvere centum, nec dico, in auro, ſed ſimpliciter, ſcuta centum, ſemper ſolutio facienda eſt ad monetam currentem tempore ſolutionis, ut notat Bald. *conſ.* 407. *Super facto Domini n.* 1. *verſ. In contrarium lib.* 5. Caſtellin. *conſ.* 35. *num.* 9. Unde non recedas à communi opinione.

12 Amplia quintò, etiam in penſione, quin ſi moneta erat vilis, & augeatur intrinſecè, ſolutio fieri debet de illa pecunia vili, quæ currebat tempore reſervationis, vel de nova, habito reſpectu ad valorem illius vilis monetæ, & idem in caſu converſo, ſi valor intrinſecus monetæ antiquę diminuatur, Oldrad. *conſ.* 250. *Factum tale eſt*, Bonifac. *n.* 1. *verſ. Ad primam quæſtionem.*

13 Ampliatur ſextò, generaliter ex quacumque diſpoſitione debitum fuerit contractum, quia ſolutio fieri debet de moneta, quæ currebat tempore debiti contracti, aut ſi non extet, de moneta, quæ modò eſt in uſu, ad æſtimationem tamen monetæ antiquæ, Abb. *hic nu.* 4. & *conſ.* 56. *Quod ſolutio, in princ. & per tot. lib.* 2. Bald. *conſ.* 499. *Cum vobis nu.* 1. *verſ Quæſtio iſta, vol.* 1. ubi quòd in omni contractu, & obligatione attenditur valor intrinſecus monetę tempore contractus, Gemin *conſ.* 137. *Quia aliàs, in princ. verſ. Item iſta mutatio*, pleniſſimè Signorolus *conſ.* 74. *Quæſt. talis, per tot.*

Limi-

14 Limita nunc propoſitam concluſionem, niſi fuerit in al-
terius monetæ ſolutione præſcriptum, ut patet à contrario
ſenſu in hoc c. ibi, *Nonniſi triginta ſex annorum ad plus tem-
pus effluxerit*. Per hoc enim innuit, ut ſi effluxiſſet tempus
annorum quadraginta, benè præſcriptum eſſet in ſolutione
alterius monetæ: & ita ex hac littera deducit gloſſ. *in verb.
Nonniſi trigintaſex*, Innoc. *circa fin. in verb. Papien.* Abb.
Antiq. *n.*1. Jo. Andr. *n.* 10. & idem Jo. Andr. Butr. Anchar.
& omnes ſupra *in ſumm. text.* Bald. *conſ. ult. quod eſt conſ.*
15 500. *n.*2. *lib.*1. Hinc collige, ut ſi creditor recipiat unam ſpe-
ciem pecuniæ loco alterius longiſſimo tempore, non cogi-
tur debitor in futurum ſolvere de pecunia primæ ſpeciei.
Nam ſi hic ſolviſſet denarios Lucenſes pro Papienſibus ſpa-
tio quadraginta annorum, non cogeretur poſteà ſolvere Pa-
pienſes. Quod eſt mirabile, ſecundùm Innoc. *hic in fin.* ut
ſolutio ejuſdem rei pro utroque præſcriptionem inducat,
ſcilicet pro Epiſcopo, ne cogatur recipere Papienſes, & pro
plebe, ne cogatur eos ſolvere, ſed Lucenſes, ut ſic eadem
præſcriptio obligationem inducat in una ſpecie, & libera-
tionem in alia, de quo hic pleniùs per Anchar. *in oppoſit. n.*8.

16 Verùm Hoſt. *hic n.* 4. *in verb. Et à tempore*, tenuit hoc
caſu non currere præſcriptionem, quia ſicut cenſus præ-
ſcribi non poteſt, *l. Malè agitur*, *& l. Competit*, *C. de præ-
ſcript* 30. *annorum*; ita nec illius diminutio, ſaltem ab eo, qui
malam fidem habet, prout hìc, ſecundùm eum arg. *c. Conſti-
tutus*, & patet *in c. final. de præſcript.* & cùm Hoſt. concor-
dat. Archid. *in c. Relata*, *in gloſſ. Adde dicas quod in tali*,
10. *q.*1. & Signorolus *conſ.*74. *per tot.* maximè *n.*12. *& ſeqq.*

Sed communiter tenetur oppoſitum, ut ex dictis con-
17 ſtat, & teſtatur Abb. *hic n.* 6. Nec obſtat motivum, quòd
cenſus præſcribi non poſſit; quia verum eſt in totum, ſed
ſecus in parte, exemplo decimarum, ut hìc benè per Hen-
ric. Boich. *num.* 2.

18 Vel certè ſecundùm eumdem Henric. *d. n.*2. concilia opi-
niones hac diſtinctione, videlicet aut iſti Clerici ſolvebant
denarios Lucenſes nomine, & loco Papienſium; & num-
quam præſcribere poſſunt, cùm habeant malam fidem; & ita
poteſt intelligi vera opinio Hoſt. Aut ſolvebant eos tantùm
pro Lucenſibus, non credentes ſe alios debere; & hoc caſu
potuerunt præſcribere, cùm bonam fidem habeant; & ita
poteſt intelligi opinio gloſſæ, & ſequacium: & adde Ga-
briel. *commun. concluſ. lib.*3. *de ſolut. concluſ.* 1. *n.* 28.

Procedit autem hæc præſcriptio, licèt creditor recipi-
19 endo cenſus in alia moneta, jus ſuum ſemper proteſtatus
fuerit: nam præſcriptio currit, & completur non obſtan-
te tali proteſtatione, ut probat hìc text. ibi, *Jus tuum fueris
proteſtatus*, juncto verſ. *Nonniſi trigintaſex annorum*: in-
nuens per hoc, ut ſi præſcriptio fuiſſet completa, hujuſmo-
di proteſtatio minimè profuiſſet; & ita ex hac littera de-
ducit gloſſ. 1. & 3. Innoc. *in verb. Proteſtatus*, Abb. Antiq.
*n.*1. *eod. verb.* Hoſt. *n.* 2. reddentes rationem, quia prote-
20 ſtatio non interrumpit præſcriptionem, niſi in caſibus,
c. Paſtoralis in fin. ſup. de offic. Ordinar. & l. Ut perfectius,
C. de Annal. except. quæ eſt canonizata in §. *penult. verſ.
Is autem cui res præſcribitur*, 16. *q.* 3.

Cæterùm quod dictum eſt de præſcriptione 40. annorum, 21
intelligas verum in Eccleſia, juxta terminos hujus decre-
talis. At in privato ſufficit præſcriptio minoris temporis,
& ſic ut per triginta annos ſemper facta fuerit ſolutio ad ra-
tionem monetæ currentis tempore ſolutionis; ita gloſſ. *in
c. Conquerente*, *in verb. Solidos*, *ſupra de offic. Ordinar.*
Hoſt. *in ſumma de decimis*, §. *Ex quibus*, *col* 1. *verſ. Quod ſi
moneta*, & alii plures apud Gabriel. *d. concluſ.* 1. *n.*25.

In ſecundo caſu principali, id eſt cùm valor antiquæ mo- 22
netæ alteratur extrinſecè, ſtatuenda eſt concluſio primæ
oppoſita, videlicet ſolutionem eſſe faciendam habito reſ-
pectu ad valorem monetæ, ſecundùm tempus ſolutionis,
gloſſ. *in c. Quis ignorat*, *in verb. Noſtro*, 32. *q.* 4. Docto-
res *in c. Quanto*, *ſupra de jurejur.* & eſt communis opinio,
ut atteſtatur Franc. Aretin. *conſ.* 11. *n.* 3. Marian. Soccin.
conſ. 101. *num.*1. *& n.* 12. *vol.*3. Boer. *dec.* 327. *nu.* 4. *verſ.
Iſta communis*, Covarr. *de collat. veter. numiſm. c.*7. §. *unic.
concl.* 8. *ſub n.* 5. quam etiam ſequitur Bart. *in l. Paulus*, *la
prima in fin. ff. de ſolut.* Bald. *conſ.* 213. *punctus quæſtionis n.*
1. *vol.* 5. & alii plures congeſti ab Anton. Gabriel. *comm.
concl. lib.*3. *de ſolut. concl.*2. *n.*1. eamque ſequuta eſt Rota
in cauſa Bononien. de Paleottis die 1. *Julii* 1605. *cor. Man-
zanedo*, *ut in recent. deciſ.* 149. *per totam maximè num.* 5.
*p.*2. ubi etiam *n.* 8. pro hac communi concluſione inducit
textum *in d. l. Cùm quid*, *ff. Si certum petatur*, *& num.* 6.
Rationem aſſignat; tum quia hoc caſu bonitas monetæ in- 23
trinſeca non mutatur, ſed tantùm bonitas extrinſeca, id
eſt valor: in æſtimatione autem valoris inſpicitur tempus
ſolutionis, *d. l. Cùm quid*, *& l. Vinum*, *ff. Si certum peta-
tur*, *& d. l. Paulus*, *ff. de ſolut.* & hoc pro regula tradit Franc.
Aret. *d. conſ.*11. *n.*3. quem ſequitur Boer. *ubi ſupra*. Ad idem
eſt *conſ.* Bald. 269. *Super eo circa fin. vol.* 2. & Gemin. *conſ.*
137. *Quia alias num.*1. Tum quia, quando valor monetæ
antiquæ fuit diminutus, ſatis eſt ſolvere ipſam monetam
antiquam, licèt id redundet in damnum creditoris; ut fa-
tentur omnes *in d. l. Cum quid*, *ff. Si cert. petat.* ubi in ſpe-
cie Soccin. *concluſ.*3. & Hieron. Gabriel. *conſ* 164. *Civitas
ſupra qua n.*4. *vol.*1. Sicut igitur diminutio cedit in incom-
modum creditoris, ita & augmentum cedere debet in ip-
ſius commodum, ad regulam, *Qui ſentit commodum*, *de
regul. jur. lib.*6. *& l. Secundum naturam*, *ff. eod.* & tradunt
Boer. *ubi ſupra n.* 3. *verſ. Quia ſicut diminutio*, & Franc.
Aret. *conſ.* 84. *in princ.* & Covarr. qui communem dicit,
de collat. veter. numiſmat c. 7. §. *unic. concl.* 4. *ſub n.* 3.

Fallit hæc ſecunda concluſio, quando moneta ab initio 24
fuit taxata puta aureum, ad eam rationem, ut 75 conſti-
tuant libram: tunc enim attenditur valor taxatus, Bald.
conſ 499. *Quæſtio iſta n.*1. *verſ. Sed hoc non obſtante lib.*1. *&
conſ. ult. quod eſt* 500 *per tot. eodem lib.* Qui hoc ſublimitat
niſi præſcripta ſit ſolutio in alia moneta. Ratio limitationis
eſt, quia æſtimatio facit venditionem, *l. Plerumque*, §. *Si 25
ante cum ſeqq. ff. de jure dot. l. Si æſtimatis*, *& l. Quoties C. eo-
dem*; & ideò debet reddi illa æſtimatio, & non major, vel
minor, Bald. *conſ.* 339. *Punctus quæſtionis talis eſt*, *vol.*2.
Boer. *dec.*327. *n.*10.

DE CENSIBUS.

Idem Innocentius III. Prior S. Stephani.

CAPUT XXI.

CUm venerabilis frater noſter Faven. Epiſcopus: & infrà. Cognovimus: quòd præfatus Epiſcopus ſpallas quas ab eadem Eccleſia tam ipſe, quàm prædeceſſores ſui recipere conſueverant, Eccleſię prefatæ remiſit: & ſtatuit, quòd aliud ei ſervitium non imponeret, ſibi & Eccleſię ſuæ annuatim trium librarum cereo penſionis nomine reſervato. Quia ergo viſitationi annexa eſt procuratio, & Epiſcopus ratione Epiſcopalis jurisdictionis, quam habeat in ea, teneatur cauſa correctionis Eccleſiam viſitare prefatam; nec intelligatur quaſi novum imponi, quod ab ipſa fundatione de communi fuerat jure impoſitum: Decernimus, quod idem Epiſcopus, cùm ad ipſam Eccleſiam cauſa correctionis acceſſerit, moderatam ab ea procurationem recipiat bis in anno; ſed nihil aliud præter penſionem, & procurationes præſcriptas ab eadem Eccleſia, exigere vel extorquere præſumat.

S U M-

SUMMARIUM.

1 *EPiſcopus remittens Eccleſiæ ſervitia, quæ ſibi debebat pro annua penſione, & ſtatuens, ut aliud ſervitium non imponatur, procurationem non intelligitur remiſiſſe.*
2 *Procuratio eſt viſitationi annexa.*
3 *Viſitatio ab Epiſcopo ſemel tantùm in anno eſt facienda niſi utilitas, vel neceſſitas aliud poſtulaverit.*
4 *Epiſcopus in viſitatione ſuæ Cathedralis an teneatur ſibi adjungere aliquos ejuſdem Eccleſiæ Canonicos.*
5 Solus, *dictio eſt excluſiva aliorum.*
6 *Includit tamen connexa.*
Solus Epiſcopus intelligitur cum Capitulo, ubi materia inter Epiſcopum, & Capitulum eſt ſimultanea, ibid.
7 *Præcedentia magis influunt in ſequentia, quàm è converſo.*
8 *Epiſcopus in viſitatione Capituli ſuæ Cathedralis poteſt aſſumere ſibi quos velit adjunctos, etiam extra gremium Capituli.*

1 C*Um Venerabilis*. Epiſcopus remittens Eccleſiæ ſervitia, quæ ſibi debebat pro annua penſione, & ſtatuens, ut aliud ſervitium non imponatur, procurationem non intelligitur remiſiſſe. Hoc dicit ſecundùm Jo. Andr. & omnes.

2 In textu ibi, *Bis in anno*. Nota Epiſcopum poſſe bis in
anno procurationem recipere, & ſic poſſe Eccleſias ſibi
ſubjectas correctionis cauſa non ſemel tantùm, ſed bis in
anno viſitare: nam ſi poteſt in anno exigere duas procurationes, ergo & duas viſitationes facere, cùm viſitationi an-
3 nexa ſit procuratio, ut dicitur in littera. Sed obſtat text.
in c. Mandamus, ſupra de offic. Archid. ubi prohibetur viſitatio pluries in anno, niſi fortè talis cauſa emerſerit, propter quam oporteat ſæpiùs viſitare. Sta contrario; nam ſemel tantùm in anno, & non pluries eſt viſitandum, niſi nova cauſa emerſerit, ut ibi, *& in c. Decrevimus*, ibi, Et annuis vicibus diœceſes ab Epiſcopo viſitentur, 10. *qu.* 1. *& in c. Epiſcopum*, ibi, Per cunctas diœceſes parochiaſque ſuas per ſingulos annos ire oportet, *ead. cauſ. & quæſt. & in c. Conquerente, ſupra de offic. Ordinarii*, ubi inter jura Epiſcopalia recenſentur annua viſitatio, & Concilio Tridentino *ſeſſ.* 7. *cap.* 8. ibi, Singulis annis viſitare teneantur. Textum autem noſtrum intelligas ſecundum determinationem *d. c. Mandamus, de offic. Archid.* ut ſcilicet etiam bis in anno poſſit Epiſcopus viſitare, & procurationem exigere, ſi utilitas, vel neceſſitas iteratam viſitationem expoſcat: & ita etiam intelligas *c. Viſitandi*, ibi, *Quoties placuerit, & c. ſeq.* 17. *q.* 2. ubi dicitur non ſemel, ſed ſæpiùs in anno Epiſcopi viſitent, id eſt ſi opus fuerit, prout hæc jura conciliat gloſ. *hìc in verbo Bis in anno*. Item gloſſ. *in d. cap. Mandamus in verb. Sæpiùs viſitare de offic. Archidiac.* Item gloſſ. *in d. cap. Viſitandi*, quæ intelligit verba illa, *Quoties placuerit*, id eſt cùm utilitas, vel neceſſitas exigit. Ex Concilio autem Trident. Epiſcopus poteſt Capitulum ſuæ Cathedralis Eccleſiæ viſitare toties quoties opus fuerit, ut ſtatuitur *c.* 4. *ſeſſ.* 6. De viſitatione diœceſis vide quod habetur *in c.* 3. *ſeſſ.* 24. & quod ſcripſi *in c. Conquerente n.* 34. *de Offic. Ordin.*

Cæterùm etſi ſuperiùs firmatum ſit, Epiſcoum poſſe per hunc textum bis in anno recipere procurationem; tamen Epiſcoporum Congreg. in una Larinen. 10. Junii 1586. decrevit licere quidem Epiſcopo ex cauſa viſitare pluries in anno, ſed vetuit accipere procurationes in quibuſcumque viſitationibus intra annum, excepta prima.

4 Sed hìc incidenter QUÆRO, cùm decreto *d. c.* 4. *ſeſſ.* 6.
cautum ſit, ut Capitula Cathedralium Eccleſiarum nullis privilegiis tueri ſe poſſint, quo minus ab Epiſcopo per ſeipſum ſolum, vel illis, quibus ſibi videbitur adjunctis, juxta canonicas ſanctiones toties quoties opus fuerit viſitari valeant, numquid Epiſcopus in viſitatione ſui Capituli teneatur ſibi adjungere aliquos ejuſdem Eccleſiæ Canonicos.

Videtur reſpondendum non teneri: nam Conſtitutionibus Canonicis non cavetur, ut Epiſcopus in viſitatione ſui Capituli Eccleſiæ Cathedralis aſſumat ſecum Canonicos ejuſdem Eccleſię, quin potiùs contrarium habetur in Extravag. Bonifacii VIII. *Debent, de offic. Ordin.* inter communes. Jura autem adducta per Abbatem *in c. Ut juxta eod. tit.* intelligenda ſunt ubi Prælatus viſitat alia loca à Capitulo ſuo, in quibus diverſa ratio eſt, cur Epiſcopus aſſumat Canonicos, ut per gloſſam in dict. Extravag. *Debent, in verb. Re-*
ligioſa. Et quatenùs expreſsè id jure cautum reperiretur, ta- 5
men Concilium *in d. c.* 4. diſertis verbis indulſit Epiſcopis, ut
poſſent per ſeipſos ſolos viſitare ſuarum Cathedralium Capitula, quæ dictio, *Solos*, eſt excluſiva aliorum, *l. His ſolis, C. de revocand. donationibus, cap. Ego ſolis 9. diſt.* cum ſimili-
bus, ut per Card. Seraph. *dec.* 720. *n.* 6. Quòd ſi dicatur: Imò 6
includit connexa, unde ſolus Epiſcopus intelligitur cum Capitulo, Archid. *in c.* 2. *de accuſat. lib.* 6. & ex illo Baldus in *l.* 1. *n.* 4. *de bonorum poſſeſſ. contra Tabul.* advertendum eſt id procedere, ubi materia communis eſt, & ſimul à Capitulo, & Epiſcopo explicanda: viſitatio autem Capituli ſpectat ad Epiſcopum; & ſi in ea Capitulares adhiberentur, ſuſpecti eſſent; & conſuetudo contraria reprobatur in d. Extravag. *Debent*. Præterea Concilium ulteriùs proceſſit permittendo Epiſcopis, ut per ſeipſos ſolos, vel illis, quibus ſibi videbitur adjunctis, viſitent: ergo cùm dixit ſolos, excluſit quoſcumque ipſi non elegerint. Ad hæc Concilium *in c.* 6. *ſeſſ.* 25. ſpecialiter providet, ut Epiſcopus qui extra viſitationem procedere vult contra Capitulares, procedat cùm adjunctis à Capitulo electis: ergo ſenſit eum non teneri aliquos ſibi aſſumere in viſitatione, arg. *c. Nonne de præſump.* & arguendo à ſpeciali, vel à contrario ſenſu.

Non obſtant illa verba, *Juxta canonicas ſanctiones*: quia intelligenda ſunt, ut limitent arbitrium Epiſcoporum circa adjunctos quos ſibi in viſitatione poſſunt aſſumere: nec enim plurimos aſſumere debent, ne ſint oneroſi Capitulis, ſed debent eſſe contenti duobus, vel tribus clericis, ut expreſsè dicitur in dict. Extravag. *Debent*, & per Abbatem in
d. c. Ut juxta, & ibi dixi *num.* 10. *de offic Ordin.* Et videtur 7
omninò Concilium inhærere prædictæ Extravag Bonifacii VIII. Poteſt etiam dicta modificatio, juxta canonicas ſanctiones, referri ad immediatè ſequentia, ibi, *Toties quoties opus fuerit corrigi, &c.* cùm præcedentia magis influant in
ſequentia, quàm è converſo, *l. Quiſquis, ff. de legat.* Et Epiſ- 8
copum ſolum poſſe viſitare Capitulum ſuæ Cathedralis Eccleſiæ, excluſis quibuſvis Canonicis, ſenſit Sac. Congreg. Concilii in cauſa Seguntina, cùm prætendentibus Canonicis, ut Epiſcopus volens ſibi aliquos adjunctos aſſumere de ipſo Capitulo, monere teneretur: Reſpondit, imò Epiſcopum poſſe ex Concilio *ſeſs.* 6. *cap.* 4. in actu viſitationis aſſumere ſibi quos velit adjunctos etiam extra gremium Capituli.

Idemque videtur ſenſiſſe, quoties reſcripſit decretum Concilii de adjunctis non habere locum niſi in Capitulis exemptis. Si enim ſemper teneretur aſſumere adjunctos de Capitulo, fruſtra fieret diſtinctio inter exempta, & non exempta. Nec dicatur illud decretum intelligi extra viſitationem: Quia Concilium *dict. c.* 6. *ſeſſ.* 25. illud, quod ſtatutum fuerat *d. c.* 4. *ſeſſ.* 6. in viſitatione, ampliat extra viſitatione cùm illa modificatione: & his adde quod dixi in *c. Ut juxta n.* 37. *& ſeq. de offic. Ordin.* ubi habes propoſiti dubii reſolutionem à Gregorio XIII. approbatam, rejecta Rotæ interpretatione.

DE CENSIBUS.

Idem Innocentius III. In Concilio generali.

CAPUT XXIII.

PRocurationes, quæ ratione viſitationis debentur Epiſcopis, vel Archidiaconis, vel quibuslibet aliis, etiam Apoſtolicæ ſedis Legatis, aut Nuntiis, abſque manifeſta & neceſſaria cauſa nullatenùs exigantur, niſi quando perſonaliter officium viſitationis impendunt; & tunc evectionum, & perſonarum mediocritatem obſervent, in Lateranen. Concilio diffinitam: hoc adhibito moderamine circa Legatos & Nuntios Apoſtolicæ ſedis, ut cùm oportuerit eos apud aliquem locum moram facere neceſſariam, (ne locus ille propter illos nimiùm aggravetur) procurationes recipiant moderatas ab aliis Eccleſiis, vel perſonis, quæ nondum fuerant de ſuis procurationibus aggravatæ, ita quòd numerus procurationum numerum dierum, quibus hujuſmodi moram fecerint, non excedat, & cùm aliqua non ſuffecerit per ſeipſam, duæ vel plures conjungantur in unam. Porrò viſitationis officium exercentes, non quærant quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti; prædicationi, & cohortationi; correctioni, & reformationi vacando, ut fructum referant, qui non perit. Qui autem contra hoc venire tentaverit, & quod accepit, reddat, & Eccleſiæ quam taliter aggravavit, tantumdem impendat.

SUMMARIUM.

1 *PRocurandi ſunt Prælati, cum perſonaliter viſitant: ſecus ſi per alium, n.6.*

2 *Legati, & Nuncii Papæ pro his diebus tantùm, quibus moram trahunt, procurari debent.*

3 *Procuratio ratione viſitationis debetur etiam Archidiaconis, & aliis inferioribus Prælatis.*

4 *Declaratur.*

5 *Legati & Nuncii Apoſtolici habent jus viſitandi, & exigendi procurationem ratione viſitationis debitam.*

6 *Procurationis non debet recipere beneficium, qui non facit viſitationis officium.*

7 *Viſitationem non licet Epiſcopis alteri demandare, niſi fuerint legitimè impediti*

8 *Archidiaconi, Decani, & alii inferiores viſitare debent per ſeipſos aſſumpto Notario de conſenſu Epiſcopi.*

9 *Nec hodiè poſſunt viſitare per alios etiam in caſu legitimi impedimenti.*

10 *Archidiacono per alium viſitare volenti prohibere poteſt Epiſcopus, non obſtante, quòd ab immemorabili per alium viſitaverit.*

11 *Capitula exempta Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum nequeunt ab Epiſcopis viſitari niſi per ſeipſos.*

12 *Procuratio non debetur Epiſcopo, cùm per alium viſitat, ſed ipſi viſitanti.*

13 *Procurationem an poſſit Epiſcopus per alium viſitans recipere à volente.*

14 *Indultum recipiendi procurationem denegatur Epiſcopo, qui morbo correptus inchoatam viſitationem per alium abſolvere intendebat.*

15 *Viſitatores contenti eſſe debent modeſto equitatu, famulatuque.*

16 *Nec vecturæ, aut ferraturæ equorum eis debentur, ſed tantummodo victus pro equis.*

17 *Nec ſi equi moriantur poſſunt alios emere, aut expenſas itineris recuperare.*

18 *Procurationum numerus commenſurandus eſt numero dierum, in quibus munus viſitationis impenditur.*

19 *Procuratio ſi ab una Eccleſia integrè ſolvi non poſſit, an liceat Epiſcopo plures Eccleſias conjungere ad unam procurationem ſolvendam, & n.ſeq.*

20 *Procuratio ab Eccleſiis pauperibus non eſt recipienda etiam ſi gratis offeratur.*

21 *Viſitationum omnium ſcopus quis ſit.*

22 *Procurationem indebitè exigentes tenentur duplum reſtituere infra menſem Eccleſiæ gravatæ, & n.ſeqq.*

23 *Intellctus c. Quoniam 18. diſt. & n.ſeqq.*

24 *Munera etiam ſponte oblata in viſitatione recipientes maledictionem incurrunt, à qua non liberantur, niſi duplum reſtituant.*

25 *Concuſſionis crimen punitur in quadruplum.*

26 *Archiepiſcopus, qui aliquid aufert ex bonis Epiſcopi accedentis ad provinciale Concilium, pœna quadrupli eſt puniendus.*

27 *Excommunicatio lata ab Epiſcopo in Abbatem, qui eum viſitare volentem renuit recipere, & procurare, appellationemque interpoſuit, an valeat, & n. ſeqq. uſq. in fin.*

28 *Quid ſi Epiſcopus ſit in quaſi poſſeſſione viſitandi.*
Et quid ſi non ſit in ejuſmodi quaſi poſſeſſione, n.37.
Et quid ſi de quaſi poſſeſſione ſit dubium, n.38.
Et quid ſi monaſterium ſit in aliena diœceſi, n.93.
Et quid ſi non agatur de viſitatione, ſed de aliis juribus Epiſcopo competentibus, n.40.
Vel de conſervatione temporalis poſſeſſionis, n.44.
Et an hæc procedant in his tantùm, quæ notoria ſunt, num. 47.

29 *Epiſcopus tueri poteſt poſſeſſionem ſuam armis materialibus, & ſpiritualibus, n.44.*

30 *Excommunicatio eſt mucro Epiſcopi.*

31 *Poſſeſſor non tenetur in præjudicium ſui juris appellationem admittere, aut probationes exemptionis recipere.*

32 *Epiſcopus excommunicans rebelles pro conſervatione ſuæ poſſeſſionis non procedit ut judex, ſed ut pars, n.40.*
Declaratur, n.49.

33 *Poſſeſſionem ſuam poteſt Epiſcopus excommunicatione tueri etiam lite pendente coram Papa, vel Metropolitano.*

34 *Excommunicatio lata ab Epiſcopo in rebelles pro conſervatione ſuæ poſſeſſionis tenet, etiamſi cauſæ cognitio, & monitio non præceſſerit.*
Declaratur, n.49.

35 *Epiſcopus prudenter agit, ſi tamquam pars, & non tamquam judex procedat pro ſuo jure tuendo.*

36 *Monitio non requiritur, ubi apparet de contumacia manifeſta.*

37 *Epiſcopus, qui excommunicat exemptum renuentem viſitari, non eſt puniendus, niſi appareat de illius malitia, vel craſſa ignorantia.*

41 *Epiſcopus in cauſa Eccleſiæ ſuæ judex eſſe non debet, ſi commodum veniat ſibi applicandum, n.43.*
Fallit conſentiente adverſario, & alio procuratore conſtituto ab Epiſcopo ad cauſam defendendam, n.47.
Imò ſatis eſt, ut non recuſetur, n.48.

42 *Intellectus c. Cùm perſonæ, de privil. lib.6.*

44 *Poſſeſſionem ſuam Epiſcopus dimittere non tenetur, quantumcumque ſubditus contradicat, & de jure ſuo probationes offerat.*

45 *Poſſeſſor poteſt etiam armis reſiſtere Epiſcopo violento.*

46 *Quamvis de proprietate liqueat.*

49 *Excommunicandi jus non competit non prælato.*

P*Rocurationes.* Prælati tunc ſunt procurandi, cùm perſonaliter viſitant; & debent tunc Concilium Lateranenſe ſervare, & prædicationi, correctioni, & reformationi vacare. Legati, & Nuncii Papæ pro his diebus tantùm, qui- 1 2

quibus moram trahunt procurari debent. Contra hanc Conſtitutionem exactum Eccleſiæ gravatæ reſtituitur duplicatum. Hoc dicit: Et ſunt tres partes. Prima prohibet. Secunda docet ibi, *Porrò*. Tertia punit, ibi, *Qui autem*.

3 Nota primò, ibi, *Archidiaconis, vel quibuslibet aliis*, procurationem ratione viſitationis deberi non tantùm Epiſcopis, & ſuperioribus viſitantibus; ſed etiam Archidiaconis, & aliis inferioribus Prælatis. Quod intellige 4 ſecundum Abb. *n.*2. dummodò habeant Eccleſias ſibi ſubjectas ex privilegio, vel alio jure ſpeciali, ad hoc *c. Mandamus*, juncta gloſ.1. *ſupra de offic. Archid.* & Conc. Trident. *c.*3. *verſ. Archidiaconi ſeſſ.*24. Nam de jure communi Eccleſiæ ſoli Epiſcopi ſunt ſubjectæ, *c. Omnes Baſilicæ* 16. *q.* 7. *c. Regenda* 10. *qu.*1. *& c. Venerabilis, ſupra de relig. domib.* de Archiepiſcopis autem viſitantibus provinciam, & de Viſitatoribus à Capitulo deputatis, vide quod ſtatuitur à Concil. *in d. cap.*3. *verſ. A Metropolitanis, & verſ. Viſitatores autem*.

5 Secundò, nota, Sedis Apoſtol. Legatos, & Nuncios habere jus viſitandi, & procurationem exigendi ratione viſitationis debitam, *ut hic in princ. & in c.*2. *de offic. legat. l.*6.

6 Tertiò, nota ibi, *Niſi quando perſonaliter*, Prælatis per alium viſitantibus procurationem non deberi, ſed tantummodò cùm viſitant per ſeipſos, ut hic eſt caſus ſecundùm omnes: nam, ut inquit Hoſt. *in princ.* qui non facit viſitationis officium, non debet recipere procurationis beneficium, argum. *c. Diverſis fallaciis, ſupra de clericis conjugatis, c. Cùm ſecundùm de præben. c. Si quis amodo* 81. *diſt. c. Generaliter* 16. *qu.*1. *& c. fin. de reſcript. lib.*6. concordat textus *in c. Felicis infra eod. lib.*6. *& in cap. Si Epiſcopus de offic. Ordinar. eod. lib.* ibi, (Epiſcopus cùm perſonaliter non viſitat, nihil prorſus ab his, qui per illum, quem deputat, fuerint viſitati, exigere poterit, aut debebit,) & textus in Extravag. *Vas electionis, de cenſibus*, ſupponit id Epiſcopus licere tantummodò ex privilegio Papæ, in illis verbis; (Si verò præfati Archiepiſcopi, Prælati, & aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ ex privilegio Apoſtolico per alios viſitare, & procurationes recipere valeant.) Unde & Sac. Congreg. Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum aliàs cenſuit, concordiam Auctoritate Apoſtolica ſub Paulo IV. ſan. mem. inter Epiſcopum, & Clerum confirmatam, ut Epiſcopo per ſe viſitanti centum vigintiquinque ſcuta, per alium verò nonaginta ſex perſolverentur à Clero, omninò ab Epiſcopo ſervandam, nec quicquam ampliùs pro procuratione, quàm pecuniam taxatam exigendum. Hactenus verba declarationis. Sed ſine privilegio nihil poſſunt recipere, aliàs contra facientes puniuntur, ut ait gloſſa in præallegata Extravag. *in verb. Ex privilegio*.

7 Quartò, nota, ibi, *Abſque manifeſta, & neceſſaria cauſa*, Prælatos teneri perſonaliter viſitare, nec poſſe id munus alteri committere, niſi ex evidenti, & neceſſaria cauſa: ita enim intelligitur iſta littera ſecundum Collect. *n.*2. Et quidem gloſſa in *verb. Perſonaliter*, & Hoſtien. *n.* 2. *in verb. Officium*, exemplificant in eo caſu, in quo Epiſcopus ipſe intereſſe non poteſt propter latam, & diffuſam diœceſim, & idem in caſu alterius legitimi impedimenti, *ut leg. & not. in c. Inter cætera ſupra de offic. Ordinar.* & eſt textus *in cap. Epiſcopum* 10. *q.*1 ibi, (Quod ſi ipſe aut languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus id explere nequiverit, presbyteros probabiles, aut Diaconos mittat, &c.) Hodiè hoc apertiùs eſt expreſſum à Concilio Tridentino in præcitato *c.*3. *in princ. ſeſſ.*24. ubi (Patriarchæ, Primates, Metropolitani, & Epiſcopi jubentur propriam Diœceſim viſitare per ſeipſos, aut ſi legitimè impediti fuerint, per ſuum Generalem Vicarium, aut Viſitatorem: quòd ſi quotannis totam propter ejus latitudinem viſitare non poterunt, 8 ſaltem majorem ejus partem, ita tamen, ut tota biennio per ſe, vel Viſitatores ſuos compleatur, viſitare non prætermittant. Archidiaconi autem, Decani, & alii inferiores in iis Eccleſiis, ubi hactenus viſitationem legitimè exercere conſueverunt, debeant quidem aſſumpto Notario de conſenſu Epiſcopi per ſe ipſos tantùm ibidem viſitare.) Hæc 9 ibi. Unde quod ſtatuitur in hac Decretali à contrario ſenſu, ut ex manifeſta, & neceſſaria cauſa liceat per alium viſitare, approbatur à Concilio quoad Epiſcopos & illis Superiores; quo verò ad Archidiaconos, & alios inferiores corrigitur, quia iſtis abſolutè viſitare non licet, niſi per ſe ipſos, etiam in caſu legitimi impedimenti, ut clarè oſtendit adverſativa illa, *Archidiaconi autem*, necnon taxativa, *Per ſeipſos tantum*. Quod eſt valdè notabile: & poteſt eſſe ratio diverſitatis, quia Diœceſis remaneret ſine viſitatione ſi Epiſcopus impeditus non poſſet per alium viſitare. At loca inferiori ſubjecta, ſi exempta ſint, poterunt nihilominus auctoritate Apoſtolica viſitari ab Epiſcopo Diœceſano *ex c.*8. *ſeſſ.*7. ſi verò nullius Diœceſis, ab Epiſcopo viciniore ſimiliter tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegato, *ex c.*9. *ſeſſ.*24. Quare Archidiacono ſuum Archidiaconatum per alium viſitare 10 volenti, ex Sac. Congreg. ſententia prohibere poterit Epiſcopus, non obſtante, quòd ex immemorabili conſuetudine ipſe, & ſui Prædeceſſores per alium viſitaverint.

Adverte tamen, quia etſi propriam Diœceſim Epiſcopi 11 poſſint viſitare per alium, ſi legitimè ſint impediti, ut dictum eſt: tamen Capitula Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum, quæ exemptione, vel alio ſpeciali jure ſe tuentur adverſus Epiſcopi juriſdictionem, viſitare non poſſunt niſi per ſeipſos ad præſcriptum *c.*4. *ſeſſ.*7. *& c.*6. *in princ. ſeſſ.* 25. Unde cùm Epiſcopus Paleatin. dubitaret, an poſſet viſitare Collegiatam exemptam in ſua Diœceſi exiſtentem, & an per ſuum Generalem Vicarium: Sac. Congreg. Concilii cenſuit poſſe viſitare, *ex c.*3. *ſeſſ.*24. & quidem per ſuum Generalem Vicarium, vel Viſitatorem, ſi legitimè fuerit impeditus, niſi quatenùs exempta eſſet, quo caſu per ſeipſum viſitare teneretur, juxta *c.*4. *ſeſſ.*6.

Rurſus adverte, quia cum Epiſcopus legitimè impeditus 12 propriam diœceſim per alium viſitat, procuratio illi non debetur, ſed viſitanti, ut notat gloſſ. *in c. Felicis in verb. Officio inf. eod. lib.* 6. ubi ait, (Prælatos tunc tantùm poſſe pro ſuis victualibus à viſitatis pecuniam recipere, cùm perſonaliter viſitant: cùm autem per alios, non ipſi, ſed illi victualia, vel pecuniam pro eis recipient.) Idem notatur *in d. c. Inter cætera de offic. Ordin.* & tenet hìc Hoſtien. *num.*2. *in verb. Officium*. Et quamvis Jo. Andr. *in d. d. c. Felicis, circa* 13 *medium verb. Hodiè*, videatur tenere Epiſcopum viſitantem per alium poſſe recipere pecuniam à volente, ſicut cùm perſonaliter viſitat, quia eſt eadem ratio: tamen illa littera contradicit ſecundum Archid. *n.*1. qui ponderando verbum *Perſonaliter*, Per hoc, inquit, demonſtratur, quòd quando per alium viſitat, tunc ille tantùm, qui viſitat, recipiet moderatam procurationem, *ut cap. Si Epiſcopus de offic. Ordin. eod. lib.* & ſequitur Collect. *hic n.*2. *verſ. Quod ſi Epiſcopus:* quod multò clariùs procedit hodiè, quia ex Concil. Trid. *in d. c.*3. *ſeſſ.*24. Procuratio debetur viſitantibus pro temporis tantùm neceſſitate, & non ultra. Unde cùm Epiſcopus 14 Elven. propter ægritudinem in viſitatione diœceſis contractam non poſſet inchoatam viſitationem per ſeipſum perficere abſque evidenti vitæ periculo, cùm eſſet annorum ſexagintaquinque; & propterea petiiſſet à Sac. Congregatione Concilii, ut ſibi tribueretur facultas alium ad id munus idoneum deputandi, & nihilominus ſibi procurationem percipiendi, ac ſi perſonaliter viſitaret: Die 23. Novembris 1613. Sacra Congregatio ponderatis juribus ſuperiùs citatis cenſuit non eſſe Epiſcopo concedendum, ut ſibi procurationem percipiat, cùm perſonaliter ipſe non viſitat.

Quintò, nota ibi, *Evectionum & perſonarum mediocritatem obſervent*, 15 Epiſcopos in viſitatione debere eſſe contentos modeſto equitatu, famulatuque, ne ſcilicet inutilibus ſumptibus cuiquam graves, oneroſive ſint: concordat Concilium Lateranenſ. *in c. Cum Apoſtolus ſupra eod.* & Tridentinum *in d. cap.* 3. *verſ. Ideoque ſeſſ.*24. Vecturas autem 16 equorum, vel ferraturas Sac. Congregatio cenſuit viſitantibus non deberi, ſed tantummodo victum pro equis. 17 Similiter, ut inquit formaliter Innocent. *hic in princ.* ſi equi moriantur, & viſitans velit alios emere, vel etiam expenſas velit recuperare, quas fecit in eundo ad locum, quem modò viſitat, vel alia conſimilia, hæc omnia patent ultra computationem iſtarum procurationum ad dies, ideſt hoc eſſet contra mentem hujus Decretalis, quia horum computatio excederet procurationem ad dies hìc præfinitam, prout Innocen. verba interpretatur Hoſtien. *n.*3. & ſequuntur totidem verbis Abb. Antiq. *n.*1. Jo. Andr. *n.*4. & Cardin. *in* 4. *notab.*

Sextò, nota numerum procurationum eſſe commenſu- 18 randum numero dierum, in quibus munus viſitationis impenditur, ut hìc patet *in verſ. Ita quòd numerus procurationum*, & notat Butr. & Cardin. ambo *n.*2.

Septimò, nota ibi, *Duæ, vel plures*, argumentum optimum, 19 quòd ſi una Eccleſia non poſſit integrè Epiſcopum procurare, licet Epiſcopo plures Eccleſias ad unam procurationem

ſolvendam congregare; concordat c. Cum inſtantia, ſupra
eod. & tenet Joan. in c. Illud, in gl. unica, & in c. Inter cætera,
in gloſ. ult. in fin. n. 10. qu. 3. Bernard. in cap. Cum Apoſtolus,
ſupra eod. Innoc. & Hoſtien. in c. Conquerente ſupra de offic.
20 ordinar. Contrarium notat Archid. in c. Romana n. 1. ſuper
verb. De pluribus, infra eod. lib. 6. ubi miratur de ſententia
dictorum Patrum; quia hæc non videtur juſta cauſa talis
communis convocationis; nam ſi Epiſcopus poteſt accede-
re ad locum cujuſque Eccleſiæ, debet hoc facere, ut patet
ibi, & in d. c. Conquerente in verſ. Ita quod cum, &c. quòd ſi
Eccleſia ſit pauper, tunc nihil exiget, ſed ſuis expenſis vi-
ſitabit, ut eſt expreſſum in c. Placuit 1. q. 2. etiamſi gratis offe-
ratur, cùm paupertas excuſet, cap. Cavendum autem 10.
qu. 2. c. Cùm Apoſtolus in fine ſupra eodem, & cap. Statutum, §.
Proviſurus in fin. de reſcript. lib. 6. Nec obſtat ſecundum
Archid. hæc Decretalis, & c. Cùm inſtantia ſupra eod. quo-
niam non loquuntur de Epiſcopis viſitantibus quoad con-
tributionem, ſed de Legatis, vel Nunciis Sed. Apoſtol. non
tamen viſitantibus: nos verò loquimur de Epiſcopis viſi-
tantibus, qui debent recipere procurationem à locis viſi-
tatis dumtaxat, ut in d. cap. Romana, §. Deinde in fin. & c. Fe-
licis de cenſ. lib. 6. Ita Archid. quem ibi refert, & ſequitur Jo.
Andr. num. 11. in gloſſ. Loca, & Anchar. in 5. notab. Sed pri-
mam ſententiam putat eſſe veriorem Collectar. hic num. 4.
quia Innoc. & alii ſupra citati non dicunt paupertatem eſſe
juſtam cauſam convocandi populum unius Eccleſiæ ad
aliam; ſed uniendi plures in una procuratione, impenſo
nihilominus debito viſitationis officio, ut hìc. Non vide-
tur tamen recedendum à ſecunda opinione Archid. quia
cùm Eccleſias egeſtate laborantes Epiſcopus teneatur ſum-
ptibus propriis viſitare, ſi dum viſitat Eccleſiam pauperem
reciperet procurationem ab aliis Eccleſiis conflatam, uti-
que Eccleſiam illam non viſitaret ſumptibus propriis, ſed
magis ſumptibus aliarum Eccleſiarum, contra jura ſupra
citata ab Archid. & vide quod ſcripſi in c. Venerabili nu. 33.
& ſeq. inf. eod.

21 Octavò, nota, in §. Porrò, circa quæ inſiſtere debeat offi-
cium Viſitatoris, ad idem cap. Romana, § Sanè, inf. eod. lib.
6. & Concilium Trident. ſeſſ. 24. c. 3. ubi viſitationum om-
nium dicitur præcipuus eſſe ſcopus, ſanam orthodoxam-
que doctrinam expulſis hæreſibus inducere, bonos mores
tueri, pravos corrigere, Populum cohortationibus, &
admonitionibus ad Religionem, pacem, innocentiamque
accendere.

22 Ultimò, nota ibi, Tantumdem impendat, Prælatos exigen-
tes procurationem, cùm perſonaliter non viſitant, non
tantùm teneri ſic exactum reſtituere Eccleſiis gravatis, ſed
etiam tantumdem in pœnam tranſgreſſionum. Qui ergo ſic
gravat Eccleſiam in procuratione, punitur in duplum, ut
hìc patet, & concordat c. Exigit infra eod. lib. 6. quod in-
novatur, & ampliatur à Concilio Tridentino in cap. 3. §.
Quod ſi quiſquam ſeſſ. 24. ubi ſtatuitur, ut ſi quis in caſibus
ibi expreſſis aliquid amplius accipere præſumpſerit, is præ-
ter dupli reſtitutionem intra menſem faciendam, aliis
etiam pœnis juxta d. c. Exigit, necnon & aliis pœnis in
Synodo Provinciali arbitrio Synodi abſque ulla ſpe veniæ
mulctetur.

23 Non obſtat textus in cap. Quoniam 18. diſt. ubi imponi-
tur pœna quadrupli: nam à gloſ. & Doctoribus dantur plu-
24 res ſolutiones. Prima ſolutio eſt gloſſ. ultim. hìc, quæ aſ-
ſerit illum textum procedere in Prælato, qui gravat Eccle-
ſias in xeniis. Sed hæc ſolutio communiter reprehenditur
à DD. quia eſt contra textum in c. Roman. § Procurationes
in fin. infra eod. lib. 6. ubi de Prælato, qui in viſitatione ac-
cipit xenia, ſeu munera etiam ſponte oblata, ſtatuitur, ut
maledictionem incurrat, à qua numquam liberetur, niſi
duplum reſtituat. Idemque habetur in d. c. Exigit, & in dict.
c. 3. ſeſſ. 24.

25 Secunda ſolutio eſt gloſ. fin. in d. c. Quoniam, & Hoſtien.
hic num. 4. in verb. Tantumdem. Jo. Andr. n. 11. Collect. n. 4.
& Butr. in fin. qui aſſerunt pœnam quadrupli habere locum
in Prælato, qui per vim, vel conceſſionem aliquid extorquet
argum. in Auth. Ut judices ſine quoquo ſuffragio, §. Sic igitur,
& §. Neceſſitatem, utrobique in fin. Hæc ſolutio eſt in ſe ve-
ra; quia crimen concuſſionis punitur pœna quadrupli, ut eſt
text. in c. Sancimus 1. q. 7. ſed divinat, ad text. in dict. cap.
26 Quoniam, ſecundum Card. hic n. 8. in 2. oppoſ. Tertia igitur,
& vera ſolutio eſt ejuſdem Cardinal. quòd ille tex. loquatur
in alio caſu, videlicet in Archiepiſcopo, qui aliquid aufert
Epiſcopo ex bonis, quæ ſecum defert, dum accedit ad Pro-
vinciale Concilium, prout ſonat illa littera. Sed quod ſpe-
ctat ad procurationem, Eccleſia hunc rigorem quadrupli
non admiſit, ut legitur & notat. in c. Fraternitas 12. q. 2. &
per Collect. hic n. 4. in verb. Tantumdem. Non obſtat tex. in
c. Quia plerique infra de immunitate Eccleſ. ubi exactum
non reſtituitur Eccleſiæ, ſed pauperibus: quia ſolvitur, ut
ibi in gloſſa in verb. Pauperibus.

QUÆRO de notabili, & quotidiana quæſtione facti, 27
videlicet Epiſcopus Eduen. acceſſit ad monaſterium S. Mar-
tini in ſua Diœceſi ſitum, mandans Abbati, & Conventui, ut
pararent ſe ad ipſum recipiendum, & procurandum, quia
intendebat eos viſitare. Abbas oppoſuit exemptionem à ju-
riſdictione Epiſcopi, & appellavit ad Sedem Apoſtolicam, ſi
quoquomodo in hoc gravaretur, obtulitque ſe probaturum
exemptionem ſuam coram ipſo Epiſcopo, vel ſi ei magis
placeret coram Papa. Sed Epiſcopus his non obſtantibus ex-
communicavit Abbatem, & interdixit Conventum. Dein-
de Abbas egit coram Papa de injuſta excommunicatione,
vel potiùs nulla, petiitque ſed ad cautelam abſolvi. Dubita-
tur, an contradictione, & appellatione Abbatis non obſtan-
te, poſſit Epiſcopus viſitare, & procurationem exigere: an-
ve ſententia excommunicationis, & interdicti, ut præfer-
tur, lata ab Epiſcopo, ſit valida, necne; & quatenùs ſit nul-
la an Epiſcopus ſit puniendus.

Propoſuit hanc quæſtionem Innocentius, prout contigit
in Curia ſuo tempore, in c. Venerabili inf. eod. in ſua gl. non
minùs celebri, quàm obſcura & involuta, quam hìc reaſſu-
mit Hoſtienſ. & proſequuntur ibi Jo. Andr. & Ancharan.
Sed meliùs quàm cæteri illam diſtinguit ibidem Anton. de
Butr. in novem caſus à n. 8. uſque in fin. quos in compendium
illic redigit, licèt minùs perfectè, Jo. de Anan. n. 3. verſ. Inno-
centius ponit hic magnam gloſſam. Sed Abbas ibid. n. 2. verſ.
Ult. ſcias, & poſt eum Marian. Socin. in tract. de viſitat. lib.
3. q. 14. n. 16. verſ. Sed juxta materiam, tribus tantùm caſibus
materiam perſtringunt, quibus & ipſe adhærebo, adjectis
nonnullis declarationibus, licèt materia videatur hodiè ex-
pedita in c. Cùm perſonæ de privil. lib. 6.

Pro ſolutione igitur quæſtionis propoſitæ diſtinguo tres 28
caſus. Aut Epiſcopus erat in quaſi poſſeſſione viſitandi, &
de hoc conſtabat. Aut non erat in hujuſmodi quaſi poſſeſ-
ſione, & de hoc ſimiliter conſtabat. Aut erat dubium, an eſ-
ſet in quaſi poſſeſſione, necne.

In primo caſu concludit Innoc. Epiſcopum viſitare poſſe, 29
& exigere procurationem, quantumcumque contradicat, &
appellat Abbas: quòd ſi pertinaciter renuat, ſicut poſſet
Epiſcopus tueri poſſeſſionem ſuam armis materialibus, ut
notatur in c. 1. infra de immunitat. Eccleſiarum, ita & mul-
tò fortiùs illam tueri poterit armis ſpiritualibus, ut c. Cùm
ex officiis ſupra de præſcription. c. Cùm nuper infra eod. & c.
Dilecto, §. Et quidem de ſent. excom. lib. 6. ubi hoc eſt expreſ-
ſum, ſcilicet excommunicatione quæ eſt mucro Epiſcopi,
c. Viſis 16. q. 2. c. Corripiantur 24. qu. 3. Concil. Trid. c. 3. in 30
princ. ſeſſ. 25. de reform. & valebit excommunicatio.

Ratio eſt, quia cùm Epiſcopus ſit in quaſi poſſeſſione, non 31
tenetur in præjudicium ſui juris appellationem admittere,
nec probationem exemptionis recipere: nam de cauſa ſuæ
menſæ, nec ut judex, nec ut arbiter poſſet cognoſcere, ſecun-
dum Innoc. Ideòque hoc caſu non procedit ut judex, ſed ut 32
pars pro ſui juris conſervatione; ac proinde probationis
oblatio non juſtificat appellationem, ut habetur in cap.
Interpoſita ſupra de appellat. & in c. Cùm inter Canonicos de
elect. Neque enim per negationem, vel prohibitionem aut
appellationem alterius tenetur quis prætermittere, quin jure
ſuo utatur, ut c. 1. ſupra ut lit. pendent. c. Significante de ap-
pellationib. c. Conſultationibus de jurepatronat. l. Si fundum,
C. de rei vendicat. & notatur in c. Dilectus ſup. de maior. &
obedient. Nam etſi Abb. in judicio coram Papa, vel Metro- 33
politano provocaret in libertatem, quin etiam etſi Epiſco-
pus contra ipſum Abbatem interdictum Ut poſſidetis propo-
neret; nihilominus lite pendente adhuc liceret eidem Epiſ-
copo pergere in ſua poſſeſſione, & rebelles excommunica-
tione percellere, dummodò reipſa poſſideret, d. c. 1. Ut lite
penden. Et per hoc patet reſponſio ad jura, quæ dicunt ſen- 34
tentiam excommunicationis ferendam non eſſe ſine cauſa
cognitione, & monitione, ut c. Nemo 2. q. 1. c. Sacro infra de
ſent. excomm. & c. 1. eod. tit. lib. 6. quoniam vendicant ſibi lo-
cum, quando Epiſcopus procedit ut Judex, non autem quan-
do procedit ut pars, & tamquam ille, qui jure ſuo utitur,

ut

ut hoc caſu, tunc enim etiam ſine cauſę cognitione, & monitione tenet excommunicatio, *ut c. Si Sacerdos ſupra de off. ordin. c. Romana, §. Caveant infra de ſent. excomm. & c. Quidam* 5. q. 1. Nam & ſecundum jura civilia licet unicuique jus ſibi dicere in his caſibus, & in quibuſdam aliis qui notantur, *C. quando liceat jus ſibi dicere*, & per Hoſtien. *in ſumma de re judicata ſub rub. de ſent. excom. §. Quis debet ſub §. Proprius Ordinarius, verſ. Fallit.* Quo fit, ut ſecundùm
35 Innocentium prudenter agat Epiſcopus, ſi tamquam pars, & non tamquam judex procedat, quia ſic non adſtringitur ad juris ordinem ſervandum. Prætereà hoc pacto ſe reum conſtituit, & conſervat, & adverſarium actorem facit, quem oportet conqueri de injuſta excommunicatione, vel nulla, *ut c. Cùm contingat de offic. legat. & c. Ad reprimendum de offic. ordin.* & ita in dubio abſolvetur Epiſcopus, ut legitur & notatur *in c. fin. ſupra de re judicat. in cap. Ex litteris de probat. & in cap. 1. ſupra ut Eccleſiaſtica beneficia.* Accedit
36 quòd cùm Abbas dixerit ſe nolle viſitationem recipere, non eſt neceſſaria monitio, quia ex hoc probatur illius contumacia manifeſta; non enim in omninò certis, ſed incertis opus eſt conjecturis *l. Continuus, ff. de verb. oblig. & l. Contumacia, ff. de re judicata*, ſecundùm Hoſtien. ad quod faciunt optimè jura *in c. Potuit de locato, & in c. Ab eo de appellation. l. 6. & in c. Venerabilibus, §. Secus de ſententia*
37 *excomm. eod. lib.* In ſecundo caſu, ideſt cùm Epiſcopus non eſt in quaſi poſſeſſione viſitandi, & de hoc conſtat, licèt Innocentius hoc membrum non proſequatur *in d. c. Venerabili inf. eod.* ſed attingat *in c. Ex parte, il primo, de verb. ſign.* ſecundùm Doctores ſpectabitur tempus appellationis, & illius exitus. Et quidem ſi conſtabit Abbatem eſſe exemptum non valebit ſententia, ex his, quę leguntur, & notantur *in c. Cùm dilectus de relig. domib.* non tamen Epiſcopus erit puniendus de injuſta, vel nulla excommunicatione, ar-
38 gum. *c. Ex litteris ſupra de offic. deleg.* potuit enim duci probabili errore propter juris communis aſſiſtentiam; niſi appareat de illius malitia, vel craſſa ignorantia, ſecundùm Innoc. In tertio caſu, ideſt cùm dubitatur, an Epiſcopus ſit in quaſi poſſeſſione, necne, ſimiliter concludunt DD. validitatem cenſurę pendere à futuro eventu: nam ſi apparebit Epiſcopum non fuiſſe in quaſi poſſeſſione viſitandi tempore excommunicationis, & Abbatem eſſe exemptum, non tenebit ſententia. Interea tamen ſtabitur ſententię Epiſcopi, quouſque contrarium fuerit probatum. Ita in effectu in tribus caſibus ſupraſcriptis concludit Innoc. in ſua prolixa gl. quam poſuit *in d. c. Venerabili infr. eod.* cum quo tranſeunt ibi Joan. Andr. Butr. Card. Anch. Abbas & Joan. de Anan. & Marian. Soc. *loc. cit.*

39 Extenditur primò ſupradicta diſtinctio, ut locum habeat etiamſi monaſterium, quod Epiſcopus intendit viſitare, ſitum ſit in aliena Diœceſi; quia ſi in veritate ſit in quaſi poſſeſſione viſitationis, idque probaverit coram Superiore, rata manebit excommunicationis ſententia; ſed ſi hoc non probaverit, præſumptio erit contra ipſum, quòd malè ſententiam tulerit: hoc autem non contingit, ſi monaſterium exiſtat in ſua Diœceſi, quia tunc præſumptio ſtat pro Epiſcopo, ſecundùm Innoc. *ubi ſup. num. 4. in fin. verſ. Idem dicendum videtur*, Butr. *n. 10. col. 4. verſ. Octavus caſus*, Abb. *n. 2. verſ. Secundo caſu*, & Mar. Soc. *d. qu. 14. n. 16. verſ. Secundo vero caſu.*

40 Extenditur ſecundò prædicta diſtinctio, ut procedat non ſolùm in viſitatione, & procuratione, ſed etiam in aliis juribus Epiſcopo competentibus, ſecundùm Innoc. in prædicta decretali *Venerabili n. 5. col. ult. verſ. Sed alii dicunt, & fortè melius.* Nam ſi ſubditus, qui allegat exemptionem, in
41 continenti oſtendat privilegium ſuum, vel aliam legitimam exceptionem probet, poterit Epiſcopus inſpicere, non quidem ut judicet, quia in cauſa ſuæ menſæ judex eſſe non debet, *c. 14. q. 4. c. Forus, §. In omni inf. de verb. ſign. & C. Ne quis in ſua cauſa jus ſibi dicat, in rubr. & nigr.* atque ita non eſt jus in exhibendo, vel non exhibendo probationes, cùm nec teneatur ſubditus illas exibere, nec Epiſcopus recipere, ut prædixi: ſed tantùm poterit Epiſcopus tamquam privatus videre ut ſe inſtruat. Et ita procedit textus *in c.* 42
Cùm perſonæ de privil. lib. 6.: nam in caſu illius Decretalis Epiſcopus procedit ad inſpectionem privilegii non ut judex; licèt gloſſa ibi aliter ſentiat, ſecundùm Abb. *in d. cap. Venerabili n. 3. in fin.* & Marian. Socin. *de viſit. lib. 3. q. 14. n. 16. in fin.* Et quamvis Epiſcopus aliàs poſſit eſſe judex in cauſa ſuæ Eccleſiæ: tamen ſecus eſt, ſi commodum veniat 43
ſibi applicandum ex his, quæ notantur *in l. De jure, ff. ad Municipal.* & in Clem. *Si una de rebus Eccleſ. non alien.* ut per Abb. *ubi infra in fin.*

Extenditur tertiò eadem diſtinctio, ut locum ſibi vendicet etiam in conſervatione corporalis poſſeſſionis, ſecundùm Innoc. *loco proximè citato.* Quandoquidem quod Epiſcopus juſtè poſſidet, dimittere non tenetur, quandocumque, & qualitercumque alius contradicat, & de jure ſuo probationes offerat, veluti ſi fundum aliquem poſſideat, velitque fructus colligere, & alius ſe opponat dicens: Domini, ne colligatis fructus, quia meus eſt fundus, & ego poſſideo, idque coram vobis me offero probaturum: utique ob talem contradictionem, Epiſcopus poſſeſſionem non dimittet, ſed poterit nihilominùs fructus colligere, & excommunicare opponentem, ſi ipſum in poſſeſſione ſua perturbet, vel inquietet. Secus autem eſſet, ſi non 44
poſſideret Epiſcopus, licèt fundi proprietas ad Epiſcopum 45
pertineret; tunc enim liceret poſſeſſori contradicere & appellare, imò & cum armis reſiſtere Epiſcopo violento. Et eſt ratio in utroque, quia poſſeſſor non eſt de poſſeſſione ſua violenter dejiciendus, ſed eam tueri poteſt, & vim vi repellere, *ut in l. 1. in C. de rei vendic. c. Cum olim §. Sed & ſua ſupra de reſtit. ſpoliat.* Nec refert, quòd de proprietate li- 46
queat; quia nihilominus eam per vim recuperare non licet, *l. Si quis in tantam, C. unde vi, l. Extat, ff. quod met. cauſ. c. Placuit 16. q. 6.* nec res poſſeſſa ab alio, quamvis injuſtè eſt per violentiam occupanda: alioquin etiam prædo eſt reſtituendus, *c. In litteris de reſt. ſpoliat.* 47

Temperat tamen diſtinctionem ſuperiùs firmatam cum ſuis extenſionibus, Hoſtien. hìc *nu. 8. col. ult. verſ. Quamvis autem omnia prædicta*, ubi poſteaquam retulit gloſſam integram Innoc. dicit eam non eſſe uſquequaque admittendam. Tum quia Epiſcopus poteſt eſſe judex etiam in cauſa Epiſcopalis menſæ de conſenſu adverſarii alio procura- 48
tore conſtituto ab Epiſcopo ad cauſam proſequendam, & defendendam, ut legitur & notatur *in c. fin. ſupra de juram. calum.* Imò ſatis eſt, ut non recuſetur, ut notat idem Hoſt. *in ſumma de appell. ſub rubr. de recuſ. §. 1. verſ. Idem eſt, & §. fin. verſ. Puto, & ſeqq.* Hoc autem caſu iſte Abbas non recuſavit Epiſcopum, quin potiùs conſenſit, petiitque ut de exemptione cognoſceret, ut patet ex themate quæſtio- 49
nis. Tum quia non eſt juri conſonum, ut Epiſcopus petat aliquid tamquam pars, & excommunicet renuentem; quandoquidem aut excommunicat ut pars, & tamquam privatus, & non tenet ſententia, quia ut privatus excommunicare non poteſt nec enim jus fulminandi cenſuras competit non Prelato, *c. Nova infra de pœnit. & remiſſ. & c. Quæſivit ſupra de his quæ fiunt à maior. p. c.* aut excommunicat tamquam judex, & ſententia ſimiliter eſt nulla, cùm cauſę cognitio, & monitio non præceſſerit, ut patet ex juribus ſupra citatis *n. 34.* Concludit ergo Hoſt. poſſe Epiſcopum petere in iis, quæ notoria ſunt, & tamquam Epiſcopum excommunicare, quod innuit etiam Innoc. quia tunc non excommunicat ut judex, ſed ut exequutor, de quo *in d. c. Ex parte de verb. ſignif.* Secus autem eſt in iis, quæ non ſunt notoria. Ita Hoſtien. qui tandem remittit ad ea, quæ notavit in *d. c. fin. de juram. calum. & in c. Inſuper de teſtib. in verb. Inſtituatur*, & illius verba ad calamum tranſcribunt, & probare videntur *in d. c. Venerabili inf. eod.* Jo. Andr. *n. 11. verſ. Quamvis autem*, & Butr. *in fin.* & ad prædicta vide Lapum *alleg. 73.* quæ incipit, *Prælatus Regularis*, Jo. Andr. Gemin. & Fran. *in c. Dilecto de ſent. excomm. lib. 6.* & Cov. *in c. Alma mater 1. part. §. 9. n. 6. eod. tit. & libro.*

DE CENSIBUS.

Honorius III. de Tiro & Joſaphat Abbatibus.

CAPUT XXIV.

VEnerabili fratre noſtro Cenomanen. Epiſcopo accepimus conquerente, quòd cùm cauſa, quæ inter ipſum ex parte una, & Abbatem & Conventum de Cultura ex altera, ſuper procurationibus, quas ab eis petit idem Epiſcopus, noſcitur agitari, vobis fuerit ab Apoſtolica ſede commiſſa: dicti Abbas & Conventus, ex eo fruſtrari intentionem ejuſdem Epiſcopi moliuntur, quòd eorum monaſterium in Cenomanenſi villa ſitum eſſe dignoſcitur, & ipſi procurationem hactenus non ſolverunt: & infrà. Diſcretioni veſtræ mandamus, quatenus niſi aliud rationabile oſtenderint, vos eos ad exhibendum eam, ſicut jus dictaverit, compellatis.

SUMMARIUM.

1 *PRocuratio debetur Epiſcopo ab Eccleſiis etiam Civitatis, licèt ipſum numquam procuraverint, & num.* 14. *&* 24.

2 *Epiſcopus de jure communi fundat intentionem ſuper jure viſitandi monaſteria ſuæ diœceſis, & exigendi ab illis procurationem.*

3 *Monaſteria tam mendicantium, quàm non mendicantium, ex privilegiis Apoſtolicis exempta ſunt à viſitatione, & juriſdictione Epiſcopi.*

4 *Et quid ſi ſint commendata.*

5 *Procuratio eſt viſitationi annexa, & num. ſeq. & num.* 23.

Fallit, num. 30.

6 *Commendatarii tenentur procurare viſitatorem Apoſtolicum, à quo poſſunt viſitari.*

7 *Villæ appellatione quandoque venit Civitas, & numer. ſeq.*

8 *Villa propriè quid ſit.*

9 *Procuratio de jure communi debetur Epiſcopo, etiam cùm viſitat Eccleſias ſuæ civitatis.*

Secus poſt Concilium Tridentinum, numer. 14. 15. *&* 38.

10 *Expenſæ, quas domi ſuæ quis feciſſet, non repetuntur, & num.* 12.

11 *Intellectus,* c. Charitatem 12. q. 2. *& n.* 13.

14 *In viſitatione victualia non ſunt Epiſcopo miniſtranda niſi pro temporis neceſſitate.*

15 *Procuratio poſt Concilium Tridentinum non debetur Epiſcopo viſitanti Eccleſiam Cathedralem, aut Clerum, ſeu loca pia civitatis, & numero* 38.

16 *Cathedraticum non eſt ſublatum à Concil. Trid. non tamen ſolvi debet in viſitatione, ſed extra, & in Synodi celebratione.*

17 *Canonica portio, quæ ex relictis piis jure debetur Epiſcopo, præſervata eſt à Conc. Trid.*

18 *Conſuetudo exigendi trigeſimam ex relictis piis in viſitatione teſtamentorum ſervanda eſt. Secus ſi in teſtamentis nullum eſſet relictum pium.*

19 *Epiſcopo accedenti ad conferendum Chriſma, Populus, vel Clerus non tenetur victualia præſtare.*

20 *Procuratio ratione viſitationis debita de jure communi à ſubdito non eſt præſcriptibilis.*

21 *Secus in procuratione ratione conſuetudinis, pacti, vel privilegii.*

22 *Item ſecus in præſcriptione, quæ fit nomine alterius.*

Item ſecus eſt poſt Concilium Tridentinum numero 24.

23 *Jus viſitandi eſt publicum utilitate, & authoritate, & ideò impræſcriptibile.*

24 *Conſuetudo locorum, vel Provinciarum, in quibus nihil ſolvitur Epiſcopo viſitanti, poſt Concilium Trid. eſt obſervanda.*

25 *Et quid ſi conſuetudo non ſit generalis in loco, vel Provincia, ſed una tantùm, vel altera Eccleſia Epiſcopum non procuraverit, & num. ſeq. uſque ad nu.* 29.

26 *Conſuetudo in quo differat à præſcriptione, & numer.* 28.

27 *Loci appellatione quid veniat.*

28 *Onera ſimul juncta faciliùs comportantur.*

29 *Conſuetudo non ſolvendi procurationem Epiſcopo viſitanti, qualiter, & coram quo ſit probanda.*

30 *Procuratio in tribus caſibus hìc expreſſis non eſt annexa viſitationi.*

31 *Exempti à procuratione pecuniaria non videntur exempti à procuratione in victualibus, ſed tantùm ab indebita extorſione.*

32 *Exemptione revocata à viſitatione, an cenſeatur revocata exemptio à procuratione.*

33 *Paupertas excuſat à procuratione, & n. ſeq.*

34 *Procuratio an debeatur Epiſcopo viſitandi hoſpitalia pauperum infirmorum, & num. ſeq. uſque in fin.*

35 *Sportulæ à paupere non ſunt exigendæ.*

36 *Viſitatores quomodo ſe debeant gerere in victualibus accipiendis.*

37 *Hoſpitalium redditus univerſi in uſum pauperum infirmorum ſunt erogandi, & n.* 39. *&* 42.

39 *Hoſpitalium miniſtris ex redditibus ipſorum merces eſt perſolvenda, aliàs non tenentur inſervire, & num.* 40.

41 *Hoſpitalium miniſtris quod erogatur, in uſum pauperum erogari intelligitur.*

VEnerabili. Eccleſia etiam civitatis procurare tenetur Epiſcopum viſitantem, licèt ipſum numquam procuraverit. Hoc dicit. Et eſt capitulum celebre propter inſignem gloſſam, quam hic poſuit Innocent. in materia valdè utili, & quotidiana, ut infra attingam *num.* 43. Dividitur in duas partes, Primò ponit querelam Epiſcopi. Secundò judicium inſtructionem, ibi, *Diſcretioni veſtræ.* 1

Nota primò ibi, *Fruſtrari intentionem Epiſcopi moliuntur.* Epiſcopum de jure communi fundare intentionem ſuper jure viſitandi monaſteria, in ſua diœceſi exiſtentia, & ſuper jure exigendi ab illis procurationem, concordat *cap. Cùm olim, & cap. Sopitæ ſupra eodem, & infra, cap. Cùm nuper, cap. De Xenodochiis, & cap. Dilectus de relig. domib.* & hìc notant Jacob. Philipp. & Goffred. Item gloſſ. 1. Innoc. *col.* 1. *verſ. Epiſcopus autem,* Hoſtien. *in princip. in verſ. Cenomanenſi Villa,* & Butr. *in notab.* Abb. *conſ.* 26. *Videtur in princ. verſ. Circa ſecundum lib.* 2. ubi hoc extendit etiam ad monaſteria monialium. Sed hodie Monaſteria ferè omnia Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium exempta ſunt à viſitatione, & quacumque juriſdictione Epiſcopi diœceſani, ut ſcripſi plenè *in c. Tuarum infrà de privileg.* niſi ſint commendata, & in eis non vigeat regularis obſervantia, quia tunc monaſteria ipſa, & eorum Commendatarii viſitari poſſunt ab Epiſcopo loci tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato, dummodò ſui Ordinis Capitibus non ſubſint, ut in decreto Concilii Tridentini *cap.* 8. *ſeſſ.* 21. juncto *cap.* 20. *ſeſſ.* 25. *de regul.* & conſequenter tenentur Epiſcopo viſitanti ſolvere pro- 2 3 4

5 procurationem, quæ viſitationi eſt annexa, & c. *Cùm venerabilis*, §.1. *ſupra eod.* Hinc cùm Epiſcopus Papien. petiiſ-
6 ſet declarari à S.Congregatione Cardinalium ejuſdem Concilii Interpretum, an Commendatarii ſeparata habentes ſua jura ab Eccleſia, & monaſterio, in quo degunt regulares propriam menſam, & curam animarum habentes, teneantur contribuere ſolutioni victualium pro Viſitatore Apoſtolico: reſponſum eſt videndas facultates Viſitatoris Apoſtolici, quia licèt alias S.Congregatio cenſuerit poſſe Commendatarios viſitari à Viſitatore Apoſtolico, tutius tamen erit inſpicere facultates, quia ſi ex facultatibus poterit viſitare Commendatarios, palam erit eos teneri contribuere, quod à viſitatis eſt ſolvendum.

7 Secundò nota ibi, *Cenomanenſi villa*, appellatione villæ interdum venire civitatem, ſecundùm Hoſtien. *in princip.*
8 *in verb. In Cenomanenſi villa*, Butr. *in* 3. *notab.* & Card. *num.*3. Quod tamen verum eſt impropriè, & in latiori ſignificatione, ſecundùm Abb. *num.*1. Nam ex proprietate vocabuli villa dicitur locus ruralis, vel unitas familiarum aliquot, ſeu ædificiorum, quæ muris non cingitur, ſed vallis, unde fortè denominationem ſumpſit, ut per Abb *d.num.*1. & notat gloſſ. *in l. Titia*, §. *Lucius in verb. Villa*, *ff. de legat.*2. & Bart. in Extravag. *Qui ſint rebelles*, *n.*3. de quo plenè per Joan Andr. *in c. Si civitas de ſentent. excomm. lib.*6. Villa tamen in Francia ex communi uſu loquendi idem eſt, quod Civitas, ut teſtantur Bart. Cardin. & Abb. *loc. cit.*

9 Tertiò nota in eodem verb. *Villa*, Epiſcopum habere jus exigendi procurationem non modò cùm viſitat Eccleſias, & loca diœceſis, verùm etiam cùm viſitat Eccleſias ſuæ Civitatis, ut hìc eſt caſus, quem neſcio alibi, ſecundùm Abb. Antiq. Joan. Andr. Collectar. & omnes *in princ.*
10 & in ſpecie notant Butr. *num.*2. & Abbas *in* 1. *notab.* Quod eſt notatu dignum, quia primo intuitu contrarium videbatur dicendum: nam ex civitate facile erat Epiſcopo peracta viſitatione ad domum ſuam redire, & ibi comedere, ſecundum Goffred. nec debebat petere quod domi erat expenſurus, quamvis non viſitaret, *ut cap. Cùm ab omni*, *ſupra de vita*, *honeſtat. cleric. cap. Cùm pro cauſa*, *de procurat. cap. Ut præteritæ*, *de elect.* & *cap. Procurationes*, *ſupra eod.*
11 Rurſus dicit Canon Viſitatores eſſe procurandos, cùm per non ſuæ civitatis Parochias fatigantur, *ut cap. Charitatem*, §. *Viſitatores* 12. *q.* 2. Ergo à contrario non ſunt procurandi, cùm fatigantur per Parochias ſuæ civitatis; ſed ratio decidendi contrarium fuit ſecundùm Hoſtien. quia dignum eſt, ut qui ſpiritualia ſeminat, & temporalia metat, 1. *ad Corinth.* 9. §. *His ita* 13. *q.* 1. & *cap. Cùm ex officii de præſcript.* Unde procuratio eſt viſitationi annexa, *cap. Cùm venerabilis*, §.1. *ſupra eod.* Hæc autem ratio æquè viget in viſitatione civitatis, atque diœceſis, ita Hoſtien. *hìc in*
12 *princ. verſ. Tu dicas quod pro Monachis*, Joan. Andr. *num.* 15. Cardin. *num.* 3. Anchar. *num.*4. & Abb. *num.*2. Non obſtant jura in contrarium adducta, quia loquuntur de expenſis factis occaſione negotiorum, quæ tunc demum repetuntur, cùm intereſt: ſed procuratio debetur ratione officii, etſi non interſit, ut oſtenſum eſt ſupra. Item non ob-
13 ſtat *d.cap. Charitatem* 12. *quæſt.*2. quia non loquitur de viſitatione, quæ incumbit Epiſcopo ratione officii, ſed de viſitatione menſæ Epiſcopalis ſede vacante, ubi quidam clerici in propria civitate habentes hoſpitia debent illam gratis juvare, cùm non interſit ipſorum: quòd ſi trahantur extra, providebitur eis, ne obſequium ſit ipſis damnoſum, ut ibi dicitur in fine. Sed in viſitatione Epiſcopi conſideratur officium, & non intereſſe, ut prædixi: & ideò exhibenda eſt illi procuratio, etiam cùm
14 viſitat Eccleſias civitatis, ut hìc deciditur. Hodie dic ſecus, quia jure noviſſimo Concilii Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 3. *meritò monentur Epiſcopi, & alii, ad quos viſitatio ſpectat, ut modeſto ſint contenti equitatu, ne inutilibus ſumptibus cuiquam graves, oneroſivè ſint, neve ipſi, aut quiſquam ſuorum quidquam procurationis cauſa pro viſitatione etiam teſtamentorum ad pios uſus, præter id, quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine nec pecuniam, nec munus quodcumque ſit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant, non obſtante quacumque conſuetudine etiam immemorabili, exceptis tamen victualibus, quæ ſibi, ac ſuis frugaliter, moderatèque pro temporis tantùm neceſſitate, & non ultra erunt miniſtranda.* Hæc ibi. Dum igitur viſitant Eccleſias civitatis, non ſunt procu-

randi, quia ceſſat illa neceſſitas temporis, quam Concilium præcisè ad hoc requirit, cùm viſitatione expleta, poſſint domi ſuæ victum ſumere; & hanc ſenten- 15
tiam jampridem probavit Sac. Congreg. ejuſdem Concilii interpres: nam dubitante Epiſcopo Tarenti, an in viſitatione poſſet exigere procurationem a Canonicis Cathedralis Eccleſiæ, cenſuit *cap.* 3. *ſeſſ.* 24. dum de victualibus ſubminiſtrandis diſponit, non habere locum in viſitatione Cathedralis Eccleſiæ, ſed diœceſis tantùm, ibi, *Equitatu*; ibi, *Pro temporis neceſſitate*, *&c.* Sed & aliàs cenſuit nullam deberi procurationem Epiſcopo viſitanti clerum civitatis, ubi ſita eſt Cathedra. Verumtamen quærenti, an Concilium *cap.* 3. *ſeſſ.* 24. *verſ. In-* 16
terimque cenſeatur ſuſtuliſſe Cathedraticum, quod ſingulis annis tam in viſitatione, quam extra exigi conſuevit ab Ordinario: reſpondit Concilium nequaquam ſuſtuliſſe Cathedraticum; ſed illud non ſolvendum in viſitatione, ſed extra, & in Synodi celebratione. Hunc articu- 17
lum plenè examinavi *in cap. Conquerente*, *in prima quæſtione ſupra de offic. Ordinar.* Quemadmodum autem Concilium eò loci non ſuſtulit Cathedraticum, ita nec Canonicam portionem, quin potiùs eam præſervavit in illis verbis: Præter id, quod ex relictis piis jure debetur: videlicet *ex cap. officii*, & *cap. Requiſiſti ſupra de teſtam.* 18
Unde cùm extaret conſuetudo in Eccleſia Tiraſonen. exigendi trigeſimam ex relictis piis ratione viſitationis teſtamentorum, & fuiſſet dubitatum, an poſt Concilium eſſet obſervanda: Sac.Congregatio cenſuit eſse obſervandam. Secus ſi in teſtamentis nullum eſset relictum pium. Cæterùm orta dubitatione, an Epiſcopo accedenti ad Sacra- 19
mentum Chriſmatis conferendum populus, vel Clerus teneatur ſubminiſtrare victualia: S.Congregatio cenſuit non teneri.

Quartò nota ibi, *Procurationem hactenus non ſolverunt*, 20
procurationem ratione viſitationis debitam non eſse à ſubdito præſcriptibilem, ut hìc patet expreſsè: nam ut vides, hoc monaſterium numquam procuravit Epiſcopum, & tamen compellitur ad procurationem exhibendam: concordat *cap. Cùm inſtantia ſupra eodem*, & *cap. Cùm ex officii de præſcript.* & hìc notant gloſſ. 2. Innocent. *num.* 6. Hoſtienſ. *num.* 1. *in verb. Et ipſi*. Butr. *in* 4. *notab.* Cardin. *num.*1. Anchar. & Abb. ambo *in* 2. *notab.* & idem Abb. in Clem. *Cum ſit num.* 2. *de cenſib.* Lap. *allegat.* 30. *num.*9. *verſ. Licet tamen procuratio*, Calder. *conſ.*86. *circa med. verſ. In talibus aliàs* 6. *de offic. deleg.* 21
Dixi ratione viſitationis debitam, quia aliæ tres ſpecies procurationis, videlicet quæ debetur ratione conſuetudinis, aut ratione pacti, vel privilegii, ſunt præſcriptibiles ſecundùm Hoſtien. *in cap. Procurationes in princip.* 22
ſupra eodem. Item dixi, à ſubdito, quia alius Prælatus contra Epiſcopum benè poteſt procurationem præſcribere, ſicut & viſitationem, ut eſt textus *in d. cap. Cùm ex officii*, & tenent hìc Doctores cum gloſſ. 2. & Calder. *conſ.*453. *aliàs* 11. *in princip. de cenſib.* & *conſ.*452. *aliàs* 10. *eodem tit.* Prima ratio, cur adverſus Epiſcopum hujuſ- 23
modi præſcriptio non currat, eſt quia cùm procuratio, ut prædixi, ſit annexa viſitationi, quemadmodum jus viſitandi numquam præſcribitur, *d. cap. Cùm ex officii*: ita nec jus exigendi procurationem, quia de connexis idem judicium, ut dicitur in illa decretali, *Cùm ex officii*: & notat Abb *conſ.* 26. *in princip. verſ. Circa ſecundum lib.*6. Secunda ratio, quia ſi propter conſuetudinem, vel præſcriptionem Epiſcopi gratis debent munus viſitationis impendere, verendum eſſet, ne viſitationem negligerent, argum. *dict. cap. Cùm ex officii in fin.* Hoc autem conſtat eſſe abſurdum, quia jus iterandi viſitationem eſt publicum utilitate, & authoritate, *cap. Si diligenti ſup. de foro comp.* & conſuetudo in talibus non eſt toleranda, *cap. Nos conſuetudinem* 12. *diſt.* Ita Innoc. hìc *n.*6.

Sed hodie hoc corrigitur à Concilio Tridentino *in* 24
*dict. cap.*3. §. *In iis verò ſeſſ.*24. ubi diſertis verbis ſtatuitur, ut in iis locis, ſeu provinciis, ubi conſuetudo eſt, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud à Viſitatoribus accipiatur, ſed omnia gratis fiant, ibi id obſervetur, & in verſ. ſequent. infligitur tranſgreſſoribus pœna.

Sed hìc incidit dubitatio, quid ſi conſuetudo non ſolven- 25
di procurationem non ſit generalis in loco, vel provincia,

ſed una tantùm, vel altera Eccleſia Epiſcopum non procuraverit, an nihilominùs liceat Epiſcopo ab Eccleſia illa procurationem exigere.

26 Videtur reſpondendum licere: nam Concilium in dict. §. *in iis* non loquitur de præſcriptione, ſed de conſuetudine; ad eſſe autem conſuetudinis requiritur, ut ſit generalis in loco, cùm ſit jus non ſcriptum univerſaliter conſtitutum, *ut l. De quibus, ff. de legib. inſtit. de jur. natur. §. Ex non ſcripto, cap. Conſuetud.* 1. *diſtin.* & notabiliter declarat Azo. *in ſumma cap. Quæ ſit longa conſuetudo*, Bart. poſt Cyn. *in l.* 2. *num.* 11. *&* 12. *C. eodem tit.* Alexand. *conſ.* 173. *Viſo num.* 7. *lib.* 6. & hæc eſt una ex ſubſtantialibus differentiis inter conſuetudinem, & præſcriptionem, quæ ex conſenſu ſingulari inducitur, ut notat gloſſ. *ult. cap. fin. ſuprà de conſuetud.* Bart. *d. num.* 11. & Abb. *conſ.* 18. *Primo quòd communitas col.* 4. *verſ. Non obſtat ſub num.* 7. *lib.* 2. Neque à conſuetudine, quæ favorabilis eſt, licet inferre præſcriptionem, quæ eſt odioſa, ut notat Collect. *in cap.*
27 *Cùm contingat num.* 1. *ſuprà de decim.* & Bero *conſ.* 115. *num.* 37. *lib.* 1. Item verba illa, *In iis locis, ſeu provovinciis ubi conſuetudo eſt &c.* non adaptantur ad obſervantiam unius, vel alterius Eccleſiæ, argum. *cap. Novit.* 12. *diſt. l. Omnes*, ibi, *Aut provinciam, ut locum, aut religionem, C. de Epiſcop. & Cleric.* Facit quòd notat gloſſ. *in cap.* 1. *verb. Singularium de Conſtitut. lib.* 6. Item illa dictio, *Seu*, quæ non eſt propriè alternativa, ſed ponitur inter ea, quæ ſunt ejuſdem generis, ut notatur per Doctores *in cap. Inter cæteras*, & ibi plenè dixi *ſupra de reſcript.* oſtendit Concilium accepiſſe locum non pro Eccleſia particulari, ſeu loco loci, ſed pro diœceſi, aut oppido: alioquin ſi locum intellexiſſet pro Eccleſia, incongruè dixiſſet in loco, ſeu provincia. Item eo caſu non poſſent verificari illa verba univerſalia Concilii, Ut gratis omnia fiant, ſi aliqua Eccleſia loci procurationem ſolveret, *cap. Si Roma-*
28 *norum* 19. *diſtin.* Præterea non eſt credendum Concilium voluiſſe præſervare præſcriptionem unius Eccleſiæ in præjudicium alterius, cui accreſceret onus ſolvendi integram procurationem, argum. *cap. Cùm M. in princip. ſupra de Conſtitut. & cap. fin.* ibi, *Quantoque inter pauciores, &c. de conceſſ. præbend. lib.* 6. ad hoc *cap. Cùm cauſam ſupra de præben.* & meliùs *cap. Procurationes, verſ. Hoc adhibito moderamine ſupra eod.* nam onera ſimul juncta faciliùs comportantur, *cap. Gaudentes ſuprà de præſcript.* cùm aliis in propoſito adductis per Hoſtien. *in d. cap. Procurationes n.* 4. Dicam, ergo reſpectu talis præſcriptionis hanc decretalem non eſſe correctam, *cap. Cùm expediat de elect. lib.* 6. Quòd enim non mutatur, &c. *l. Sancimus, C. de teſtam. & l. Præcipimus in fin. C. de appellat.* In hoc tamen non audeo quidquam firmare, quia nihil reperio deciſum, & conſulo, ut reſolutio petatur a S. Congregatione, cujus eſt Concilium interpretari.

29 Illud tamen adverto circa hujuſmodi conſuetudinem negativam, quam Concilium præſervat, non ſolvendi procurationem; quia de hoc ut de tali conſuetudine dicatur conſtare, ex ipſius Congregationis ſententia non ſufficit, ut viſitati numquam Epiſcopum procuraverint, ſed probari oportet Epiſcopum petiiſſe procurationem, & viſitatos detrectaſſe illam ſolvere, & poſteà Epiſcopum per longum tempus acquiſiviſſe, prout requiritur in facultativis, & declarat Cyn. *in l.* 2. *C. Quæ ſit longa conſuetudo*, Bald. *conſ.* 201. *Caſus eſt talis num* 1. *lib.* 2. Abb. *d. conſ.* 18. *col. penult. verſ. Oportet ergo lib.* 2. & alibi paſſim Doctores. Hanc autem conſuetudinem S. Congregatio dixit probandam eſſe coram Metropolitano, ut notavi *in c. Procurationes in fin. ſup. eod.*

30 Ultimò nota ibi, *Niſi aliud rationabile oſtendatur*, poſſe aliquando legitimam cauſam ſubeſſe, cur procuratio non debeatur Epiſcopo viſitanti, & ſic non ſemper procuratio eſt viſitationi annexa. Gloſſ. ult. Hoſt. *num.* 1. *in verb. Et ipſi*, Butr. *num.* 5. & alii poſt eos exemplificant in tribus
31 caſibus. Primus eſt, cùm Eccleſiæ habent ſuper hoc ſpeciale privilegium à Sede Apoſtolica, *ut cap. Cùm inſtantia ſupra eodem*, Dixit tamen Sacr. Congregatio Concilii regulares exemptos à procuratione pecuniaria nō videri exemptos à procuratione in victualibus, ſed tantùm ab indebi-
32 ta extorſione, habuitque pro valdè dubia deciſionem Rotæ, quòd revocata exemptione à viſitatione non cenſeatur revocata exemptio à Procuratione, juſſitque ſuaderi partibus, ut iterum adirent Rotam. Secundus caſus eſt, cùm allegatur præſcriptio non a ſubdito, ſed nomine alterius Prælati, *ut cap. Cum ex officii, de præſcript.* Tertius eſt, Cùm 33
Eccleſiæ tanta paupertate laborant, ut Epiſcopum procurare non poſſint *cap. Odoardus de ſolut.* tunc enim tenetur Prælatus ſuis ſumptibus explere viſitationis Officium, argum. *cap. Cætenaum, & cap. Placuit* 10 *q.* 3. *& c. Jam nunc* 28. *q.* 1. & notat Hoſtien. *in cap. Procurationis n.* 4. & poſt eum Joan. Andr. *ibidem num.* 6. *in verb. Vel plures*, Butr. *num.* 5. Card. *n.* 3. & alii communiter. De quo tamen dic latiùs, ut in quæſt. ſeq.

QUÆRO, an Epiſcopo viſitanti hoſpitalia pauperum infirmorum debeatur procuratio, necne Die 18. Novembris 1623. in Sacra Congregatione Concilii, cui interfuerunt Sac. Romanæ Eccleſiæ Cardinales à Monte, Millinus, Mutus, S. Suſannæ, De Zolleris, Roma, Cajetanus, S. Sever. De Torres, & Boncompagnus, cùm propoſitum fuiſſet ſupraſcriptum dubium, Cajetanus cenſuit procurationem non deberi, ductus rationibus, & authoritatibus expreſſis in voto, quod incipit, *Propoſito hoc dubio*, & in ſpecie ponderavit textum *in cap. Statutum, §. Inſuper de reſcr. lib.* 6. ibi, *Sed & ubi notabiliter fuerit pauperes, etiam pro expenſis nil prorſus exigat ab eiſdem*. Item ponderavit verbum textus *in cap. Placuit* 1. *q.* 2. ibi, *Si verò aut* 35
paupertas illum, aut neceſſitas retinent nihil exigatur ab illo. Per quem textum gloſſ. agens de procuratione *in cap. Cùm inſtantia in verb. Prægravari, ſupra eodem*: [Imò, inquit, à paupere non debet exigere, quia nec Judex exigit ſportulas à pauperibus, in Auth. *de Mandat. Princip. §. Si tibi quoque coll.* 3. nec etiam tenuis vitæ homines ſub 36
adventu officialium injuriis affici debent, *ff. de offic. Præſid. l. Illicita, §.* 2. *ſupra eodem cap. Ea quæ*. Dabitur enim Epiſcopis lac ad bibendum, ut dicit Joannes *in cap. Illud* 10. *q.* 3. Ne rubentibus buccis prædicent jejuniorum doctrinam 35. *diſt. cap. Sexta die*, nec bibant ultra tertiam vicem 44. *diſt.* In illa palea, quando & Comedent lardum, vel carnes cum aceto, *C. de erogat. milit. ann. l.* 1. *lib.* 12.] Hactenus verba gl. Nec putavit referre, quòd quædam hoſpitalia 37
ampliſſimos habeant redditus; nam cùm omnes erogari debeant in uſus pauperum, juxta Clem. *Quia contingit de relig. domib.* ſi qua in parte ex detractione procurationis minuerentur procuratio per indirectum exigeretur à pauperibus ipſis, qui tamen ad victualia non tenentur ſecundùm prædictam gloſſam, quam ibi ſequuntur Hoſtien. Joan. Andr. Anchar. Abb. & communiter Doctores, Archidiaconus alios referens *in cap. Romana n.* 1. *in verb. De pluribus de cenſib. lib.* 6. & in ſpecie de hoſpitalibus infirmorum, & leproſorum, hoc tenent in d. Clem. *Quia contingit*, Cardin. *num.* 18. Imol. *num.* 23. *ad fin.* & Bonifacius Vitalin. *num.* 94 ubi concludunt hoſpitalia hujuſmodi quamvis poſſint viſitari, tamen non teneri ad procurationem, quia omnia ſunt conſumenda in alimenta Rectorum, & pauperum, ut in dict. Clem. Idem firmat Lap. de Caſtellione *in ſuo tract. de Hoſpital. num.* 48. inter tractatus communes *tom.* 15. *pag.* 336. (Quia ſicut, inquit Epiſcopus debet viſitare Eccleſiam non obſtante paupertate, & nihil exiget iſto caſu, ut notatur *in cap. Romana, §.* 1. *de Cenſib. lib* 6. ita & Hoſpitale, & nihil exiget, cùm pauper intelligatur, ſed curabit, ut pauperibus erogetur.) Sequitur Silveſt. *in verb. Hoſpitale n.* 16. *verſ. Sed veriùs*. Millinus eamdem ſententiam ſequutus dixit rem claram, cùm univerſi hoſpitalium redditus ex dict. Clem. *Quia contingit*, ſint expendendi in uſum pauperum attulit etiam authoritatem Cardin. *in cap. Cum R mana, de Simon.* & aliquot recentiores, qui teſtantur hanc opinionem eſſe communem, & ita fuiſſe reſolutum. Addidit etiam pro hac parte multam æquitatem, ut magis conſulatur pauperibus, ac miſerabilibus infirmis, quorum Epiſcopi præcepto divino tenentur paternam curam gerere, ut habetur *in c.* 1. *in princ. ſeſſ.* 23. Concil. Tridentini. Mutus dixit, ſi agatur 38
de hoſpitalibus in Civitate exiſtentibus, rem eſſe extra omnem dubitationem, quia Epiſcopo viſitanti Eccleſias, & pia loca Civitatis, poſt decretum Concilii *c.* 3. *ſeſſ.* 24. procuratio non debetur, licèt aliud eſſet de jure communi, *c. Venerabili de cenſib.* Sed ſi agatur de hoſpitalibus extra Civitatem 39
quamvis negativa opinio communis ſit, ubi tamen rem dubiam videri, quia omnes fundantur in d. Clem. *Quia contingit de rel. dom.* quæ tamen non decernit explicitè procurationem nō deberi, ſed duo tantùm ſtatuit, id eſt hoſpitalia infirmorum deberi viſitari, & eorū redditus eſſe in uſum pauperum expendendos. Hanc autem ſecundam partem ait non exclu-

excludere procurationem, quia ſtant ſimul, ut redditus ſint inſumendi in uſum pauperum, & tamen ex iis procuratio debeatur, quemadmodùm videmus hanc rationem, quòd ſint expendendi in uſum pauperum, non obſtare, quominùs inde aliqua portio detrahatur pro miniſtris juxta diſpoſitionem d. Clem. ſed tamen dixit ſe ſentire cùm communi. S. Suſannæ dixit Feder. de Sen. *conſ.*3. *aliàs* 111. *n.*5. conſuluiſſe deberi procurationem Epiſcopo hoſpitalia infirmorum viſitandi, & rationes eſſe contra communem; quia non ſequitur: Bona hoſpitalium ſunt deſtinata in uſum pauperum: ergo ex his non debetur procuratio; & alioquin ſequeretur, ut procuratio ferè nullo caſu ſolvenda eſſet, cùm bona omnia Eccleſiaſtica ſint in aliquem uſum deſtinata, & in ſpecie redditus beneficiorum partim pro fabrica, & partim pro pauperibus. Unde quamvis bona ex largitione fidelium in hunc uſum ſint deſtinata, hoc tamen eſſe intelligendum cùm oneribus annexis. De Zolleris inclinavit & ipſe contra communem: addidit Epiſcopos vix viſitaturos abſque procuratione, eamque moderatè ſolvendam eſſe habita ratione paupertatis locorum, ut in *cap. Cùm Apoſtolus*, *in fin. de cenſ.* & eſt expreſſum in *cap. Conquerente*, ibi (Non ampliùs procurationis nomine requiras ab eis, niſi quantum penſatus facultatibus moderatè poterunt exhibere, *de offic. Ordin.*) Neque id ſibi inconveniens videri. Roma adhæſit opinioni negativæ quam dixit communem eſſe, neque obſtare rationem Cardinalis S. Suſannæ, quòd etiam redditus beneficiorum ſint in uſum pauperum expendendi: quia non omnes, ut patet in *cap. Vobis*, *& c. Conceſſio*, *cùm quatuor ſeqq.* 12. *quæſt.*2. At in hoſpitalibus de bonis omnibus extat particularis deſtinatio. Prætereà dos in oſpitalibus non videtur ab initio fuiſſe aſſignata pro talibus oneribus, ſicut aſſignatur Eccleſiis, ut formaliter inquit Card. in d. Clem. *Quia contingit*, *n.*18. & Imol. *num.*23. *circa fin.* Dixit etiam non obſtare textum in d. *cap. Conquerente*, *de offic. ordinar.* quoniam loquitur de Eccleſiis, quæ non ſunt pœnitùs impotens, ſed aliquid conferre poſſunt penſatus facultatibus, licèt ad totam procurationem Epiſcopo faciendam non ſufficiant, ut obſervat Archid. *in cap. Romana*, *col.* 3. *verſ. Prædicta vero decretalis*, *de Cenſib. lib.*6. Sed hoſpitalia nihil de ſuo poſſunt conferri, cùm omnia ſint pauperum. Sancti Severini ſenſit contra communem, eo quòd Doctores, qui dicunt Epiſcopum hoſpitalia viſitantem non eſſe procurandum, moventur potiſſimùm tribus rationibus. Prima eſt, quia hoc non requiritur jure cautum: hanc rationem dixit ſibi non placere, quia procurati annexa eſt viſitationi, *c. Cùm venerabilis*, *Cenſibus*, *& cap. Cùm ex officii*, *de præſcript.* & ſtandum eſt regulæ, quamdiù non probetur exceptio. Secunda ratio, quia omnia ſunt eroganda in uſum deſtniatum: 40
quæ ſimiliter ſibi viſa eſt non concludens; quia fructus omnes piorum locorum ſunt expendendi in uſus deſtinatos; & tamen ex his detrahitur procuratio. Tertia ratio eſt, quia paupertas excuſat à ſolutione procurationis. Quod tamen ait procedere, ſi paupertas ſit magna. Quòd non accidit in omnibus hoſpitalibus, ſed in aliquibus tantùm. Quàm ſententiam & Boncompagnus ſequutus eſt. De Torres probavit contrarium, & communem opinionem, reſpon- 41
ditque ad rationem Cardinalis Muti, idcircò ſolvenda eſſe ſalaria miniſtrorum, non obſtante deſtinatione in uſum pauperum, quia miniſtri aliàs non tenentur pauperibus inſervire, ac miniſtrare. Ideòque ſolutio eſt abſolutè neceſſaria, & quòd pro ipſis erogatur, in uſum pauperum erogari intelligitur. At ſecus eſt in procuratione, quia Epſcopus tenetur viſitare ſtante paupertate etiam abſque procuratione, d. *cap. Placuit*, 1. *q.*2. & prohptereà quod in cauſam hanc ſolvitur, non poteſt dici erogatum in uſum pauperum, ſicut miniſtrorum ſtipendia. Nec dicit habendam eſſe rationem, an redditus hoſpitalis ſint pingues, an tenues, cùm omnes ſint deſtinati in uſum pauperum, & quidquid detrahitur, pauperibus ipſis detrahi intelligatur. A monte idem cenſuit. Itaque Patres majori parte exiſtimarunt procurationem non deberi. Omnes tamen dixerunt articulum eſſe iterùm proponendum, ac videndum de veritate communis opinionis.

De celebri gloſſa Innocentii in materia excommunicationis ab Epiſcopo fulminatæ in Abbatem renuentem admittere, & procurare ipſum viſitantem, egi poſt Hoſtien. in *c. Procurationes*, *ſupra eod.* ubi plenè videas.

DE CENSIBUS.

Gregorius IX.

CAPUT XXVII.

AUthoritate præſentium inhibemus, ne quis pro eo quòd in oratoriis, quæ in grangiis veſtris habetis, interdum aliqui veſtrum celebrant, procurationes, quæ ratione viſitationis debentur, à vobis exigere, vel extorquere præſumat.

SUMMARIUM.

1 *PRocuratio non debentur propter privatam Oratorium.*

2 *Oratoria privata non ſunt ſub poteſtate Epiſcopi quoad viſitationem, & procurationem, & n.*29.

3 *Oratorium, vel hoſpitale non probatur eſſe publicum ex eo tantùm, quòd interdum ibi celebretur.*

4 *Niſi actus celebrationis ſit publicus.*

5 *Oratorium, & Eccleſia in quo differant, & n.*27.

6 *Oratoria privata non gaudent immunitate Eccleſiæ, nec poſſunt ibi publicè teneri, aut pulſari campanæ, nec Miſſa celebrari, & quod hodie eſt Oratorium, cras poterit eſſe Camera, & n.*27.

7 *De jure poteſt ibi celebrari de licentia Epiſcopi, qui tamen non debet eam concedere in magnis feſtivitatibus.*

*Et quid poſt Concilium Tridentinum, & num.*9. 17. *& ſeqq.*

8 *Oratorium an poſſit deſtrui authoritate Epiſcopi, ſi honeſtè non teneatur.*

10 *Commiſſarius Cruciatæ an poſſit concedere licentiam celebrandi in Oratoriis domeſticis, an verò hæc facultas ſit Papæ reſervata, & n. ſeqq. uſque in finem.*

11 *Oratorium publicum quid differat à domeſtico.*

12 *Oratorium publicum tam de jure Canonico, quàm civili conſtrui non poteſt ſine authoritate Epiſcopi.*

13 *Oratorium domeſticum unicuique fidelium licèt habere in domo ſua, & ibi orare, ſed Miſſa celebrare non licet, & n.*16.

17 *Tridentini Concilii Decretum circa Oratoria expenditur.*

18 *Miſſam celebrandi licentia in oratoriis privatis non poteſt concedi ab Epiſcopo, ſed petenda eſt à Sede Apoſtolica.*

19 *Domus Principis, Arces, & Palatia, in quibus Barone juriſdictionem exercent, comprehenduntur in prohibitione Trident. Concilii de Miſſa in privatis domibus non celebranda.*

20 *Miſſa in domo privata ad hoc, ut infirmus pro viatico communicetur, celebrari non poteſt de licentia Epiſcopi.*

32 *Indultum audiendi Miſſam in domo propria ſublatum eſt à Conc. Trident.*

22 *Li-*

22 *Licentia celebrandi in Oratoriis privatis quibus conditionibus concedi conſueverit à Sacra Congregatione Concilii.*

23 *Epiſcopus poteſt concedere licentiam celebrandi in Oratoriis publicis.*

24 *Oratorium, ut publicum cenſeatur, debet habere oſtium immediatè reſpondens in viam publicam ſine ullo aditu, vel proſpectu è loco privato.*

25 *Oratoria, quæ in monaſteriis, & hoſpitalibus Eccleſiaſticis conſtructa ſunt, cenſentur publica.*

26 *Oratoria pro infirmaria Monialium qualiter concedantur à Sede Apoſtolica.*

27 *Oratorii privati appellatione ex Bulla Cruciatæ non venit domeſticum, ſed publicum, quod privatum appellatur ad differentiam Eccleſiæ conſecratæ.*

28 *Subjecta talia ſunt, qualia prædicata demonſtrant.*

29 *Oratoria publica poſſunt viſitari ab Epiſcopo, non autem privata.*

30 *Bulla Cruciatæ interpretari debet, ut minùs deroget juri communi, & Concilio Tridentino, quàm fieri poteſt.*

1 A*Uctoritate*. Propter privatum Oratorium procuratio non debetur. Hoc dicit: ſecundùm Jo. Andr. & omnes. Non dividitur.

2 Nota primò ibi, *Procurationes, quæ ratione viſitationis debentur*, privata Oratoria non eſſe ſub poteſtate Epiſcopi quoad jus exigendi procurationem, & conſequenter nec quoad jus viſitandi, quia procuratio de jure eſt annexa viſitationi, *cap. Cum venerabilis*, §. 1. *ſupra eodem*, *cap. Cùm ex officii*, *de præſcriptionibus*, gloſſ. 1. *in regul. Odia*, *de regul. jur. lib.6.* Nec poteſt eſſe annexum ſine ſuo principali, *cap. Et quod diximus*, 16. *quæſt.7.* gloſſ. 1. *in reg. Acceſſorium, de regul. jur. lib.6.* Anchar. *conſ.* 394. *Dubium eſt num.3.* Propterea igitur nihil eſt procurationis nomine exigendum, quia nihil eſt ibi viſitandum, ut dicunt Vincentius, & Goffredus, & poſt eos Hoſtienſis *hic num.1.* & notat Abb. *in 1. notab.*

3 Secundò nota ibi, *interdum aliqui veſtrum celebrant*, in privatis Oratoriis quandoque Miſſas celebrari, & ſic actus celebrationis non infert pernecceſſariò, ut locus ſit publicus, quod nota ſecundùm Anton. de Butr. *hic in 3. notab.* & Abb. *num.1.* quia facit pro hoſpitalibus, in quibus interdum celebratur. Nam ex hoc ſola non concluditur hoſpitale eſſe religioſum, quia non probat hoc eſſe, quod ab hoc contingit abeſſe, *l. Neque Natales*, *C. de probationi-*
4 *bus*, & *cap. de Translat. Epiſcopi*. Sed hoc intellige ſecundùm eos, niſi actus celebrandi ſit publicus, ita ut omnes indifferenter admittantur, ut nontat Archid. in *cap. Nemo*, *n.3. de conſecrat. diſt.1.*

5 QUÆRO, quæ ſit differentia inter Oratorium & Eccleſiam? Solutio, dic ſecundùm Innoc. hic *poſt med. verſ. Eccleſia*, Hoſtien. *num.4.* Joan. Andr. *eod. num.* Anchar. *num.2.* & Abb. *num.3.* Eccleſia dicitur, ubi ſtatuta eſt certa dos pro Sacerdote, & Clericis ibi deſervientibus, & pro allis Eccleſiæ neceſſitatibus, dict. *cap. Nemo de conſecrat. diſt.1.* *cap. Sicut*, *infra de conſecrat. Eccleſ. vel Altar.* Oratorium verò dicitur quod non eſt dotatum, nec eſt ædificatum ad Miſſam celebrandam, ſed tantummodò ad orandum, *cap. Unicuique de conſecrat. diſt.1.* & in Auth.
6 *Ut nullus fabr. orat. dom.* §. 1. Quare etſi hodie ſit Oratorium, cras poterit fieri camera, cum non ſit locus Deo dicatus, ſecundùm Hoſtien. *hic*, & Joan. Andr *num.2.* Unde in hujuſmodi Oratoriis non poſſunt publicè teneri, aut pulſari Campanæ, *cap. Patentibus*, *infra de privilegiis*, nec gaudent immunitate Eccleſiæ, ut contra Goffredum notat Hoſtienſis *hic num.2. verſ. Et quamvis Goffredus*, Jo. Andr. *eod. num.* Abb. *num.4.* & ſcripſi pleniùs in *cap. Eccleſiæ*, *num.... infra de immunit. Eccleſ.* & infra ſubjiciam,
7 *num.14. & 15.* Nec ibi licitum eſt Miſſas celebrare, ut in juribus proximè citatis. Dixit tamen Innoc. & poſt eum Hoſtien. *hic num.* 4. & Joan. Andr. *eodem num.* poſſe in eis quandoque celebrari de licentia Epiſcopi, qui tamen non debet eam concedere in magnis feſtivitatibus, *cap. Clricos*, & *cap. Si quis extra parochias*, *de conſecr. diſt.1.*
8 Quinimò fatetur idem Innocentius hìc poſt medium, quòd ſi hi, quorum ſunt oratoria, non teneant ea honeſtè, nec faciant ibi celebrari, poterit Epiſcopus ea deſtruere, *cap. Omnes*, *il primo*, & *c. ſeq. de conſecrat. diſt.1.* Sed hoc verum putant Hoſtien. *num.2. propè finem*, *verſ. Hoc intelligas*, & Joan. Andr. *num.3. verſ. Quod verum putat*, dummodò fuerint dedicata, & authoritate Pontificis ædificata
ad celebrandum, aliàs contra, ut dictum eſt ſupra. Ve- 9
rùm quoad celebrationem Miſſæ poſt Concilium Trident. hæc non procedunt, ut dixi in *cap. In his*, *de privileg.* & infra ſubjiciam *n.17. & ſeq.*

Ulterius QUÆRO, utrum in vim Bullæ Cruciatæ 10
Commiſſarius impertiri poſſit licentiam celebrandi Miſſam in Oratoriis domeſticis ab Ordinario viſitandis, & approbandis, an verò hæc facultas ſit Sedis Apoſtolicæ reſervata?

Pro ſolutione primò ſupponenda eſt diſtinctio inter pu- 11
blica, & domeſtica oratoria; publica enim non poſſunt
conſtrui ſine authoritate Epiſcopi, Concilium Calcedon. 12
can.4. relatum in *cap. Quidam*, 18. *quæſt.2.* Placuit igitur neminem aut ædificare, aut conſtruere monaſteria, aut oratorii domum ſine conſcientia ipſius civitatis Epiſcopi. Quod eſt etiam de jure civili, ut in Auth Ut nullus fabricet oratorii domos præter voluntatem Epiſcopi, & ut deputet priùs, quæ circa decentiam, & ſtatum in fabricando oratoria ſufficiant. Et in nigro. Sancimus nulli licentiam eſſe neque Eccleſiam, neque orationis domum incipere ædificare, antequam Deo amabilis Epiſcopus Crucem figat.
At in domeſticis authoritas Epiſcopi non requiritur, Con- 13
cil. Aurelian. *cap.3.* relatum in *cap. Unicuique de conſecrat. diſt.* Unicuique fidelium in domo ſua oratorium licet habere, & ibi orare.

Hanc primam differentiam ponit Cardin. Zabarella *conſ.11. Pro enucleatione*, & Lapus *allegat.41. Quæritur de tribus*, *num.2.* Butr. *conſ.19. Quia hic agitur*, *num.19.* Quintil. Mandoſ. *in reg. de Annal. quæſt.17. num.9. verſ. Oratoria aliqui in duo genera dividunt*. Hinc reſultat ſecunda differentia: nam publicum eſt Eccleſiaſticum, domeſticum verò profanum: ideòque illud poteſt viſitari ab Epiſcopo, Innocentuis, & Doctores *hic*: domeſticum non poteſt, ut hìc eſt caſus, ſecundùm ea, quæ dixi ſupra in *1. notab.* In illo licet habere campanas, *cap. Nimis iniqua de exceſſ. Prælator.* ſecus in hoc, *cap. Patentibus de privileg.* ubi de Templariis, & Hoſpitalariis, Butr. *d. conſ.19.*
num.19. Illa gaudent immunitate, hæc non, Paulus de 14
Caſtro *conſ.167 Præſuppoſita num.4. lib.2.* Romanus latè *conſ.477. in caſu propoſito num.2. & ſeq.* & dictum eſt ſupra *num.6.*

Demum in illis etiam de jure communi poterat celebra- 15
ri exceptis majoribus ſolemnitatibus, Concilium Agath. *cap.2. cap. Si quis de conſecrat. diſt.1.* Si quis in agro oratorium habere voluerit, ut ibi Miſſas audiat, permittimus; Paſcha verò, & Natali Domini, nonniſi in civitatibus, ſive parochiis audiant: & patet ex dictis ſupra *num.7.*

Contra in domeſticis, dictũ Concil. Aurelian. (Unicuique 16
fidelium in domo ſua oratorium licèt habere, & ibi orare: Miſſas autem ibi celbrare non licet.) De quo habetur alius titulus in Auth (Ut in privatis domibus ſacra myſteria non fiant,) & in nigro: (interdicimus omnibus in domibus ſuis habere quaſdam quaſi orationum domos, & in his ſacra celebrare myſteria; ſed ſolius orationis gratia hoc eis permittimus.)

Hanc differentiam clarè conſtituit Trident. Concilium *c.* 17
unico ſeſſ.22. de obſerv. & evit. ibi: *Neve patiantur privatis in domibus, & omninò extra Eccleſias, & ad divinum tantùm cultum dedicata oratoria ab Epiſcopis viſitanda, & approbanda, ſacrificium Miſſæ peragi*: ibi enim Concilium duo facit, primò vetat Miſſam celebrari privatis in domibus; deinde ſimiliter vetat, ne id fiat in locis, quæ ſunt omninò extra Eccleſiam, & extra oratoria ad divinum tantùm cultum dedicata, ab Ordinario deſignanda, & viſitanda ex quibus colligitur Concilium agnoviſſe hanc differentiam inter oratoria domeſtica, & publica; & domeſtica eſſe illa, quæ aut ſunt in privatis domibus, aut extra Eccleſiam, ſeu extra oratoria dedicata ad cultum divinum, & in his abſolutè prohibuiſſe Miſſæ ſacrificium fieri etiam Epiſcopo permittente, & in hoc ſublatam eſſe antiquam Canoniſtarum altercationem: publica verò eſſe illa, quæ extra privatas domos ad divinum tantùm cultum ſunt, dedicata, & deſigata ab Ordinario, ideſt Ordinarii authoritate conſtructa, de quibus per Cardin. dict. *conſ.11. num.5. in fin. verſ. Et pro prædictis*. Et in his permiſiſſe

Miſſas

Miſſas celebrari, prævia tamen viſitatione, ſeu approbatione Ordinarii.

18 Porrò quoad oratoria domeſtica S. Congreg. aliàs conſulta, utrum Epiſcopus attento Concilii Tridentini decreto in oratoriis exiſtentibus in domibus privatorum celebrandi Miſſas licentiam ex cauſa concedere poſſit; cenſuit non poſſe, ſed hanc licentiam petendam eſſe à Sede Apoſtolica, prout poſt Concil. Trident. hactenùs obſervatum eſt. Et propterea juſſu Pauli V. me Secretario dedit litteras circulares ad univerſos Epiſcopos, quibus declaravit hanc facultatem illis non competere, eiſque injunxit, ut ſi quas licentias à ſe ipſis, vel à ſuis Anteceſſoribus con-
19 ceſſas reperiſſent, nullas, & irritas decernerent. Item cum dubitatum eſſet, in domo Principis poſſet Miſſa celebrari, quaſi non veniat appellatione domus privatæ; ſic etiam de Arcibus, & Palatiis Baronum, ubi exercent juriſdictionem: S. Congr. reſpondit comprehendi dicto decre-
20 to Concilii hujuſmodi loca. Et cum Cardinalis Legatus Portugalliæ petiiſſet, ut poſſet concedere licentiam celebrandi Miſſam in domo privata decenter accomodata cum infirmus aliquis pro viatico deberet communicari; & hoc quia in illis regionibus ſunt multa loca adeò diſperſa: & remota à parochiis, ut non ſine maximo incommodo poſſit Euchariſtiæ Sacramentum commodè ferri: S Congr.
21 reſpondit non eſſe concedendum. Quin etiam cùm Agneſia, & Terſia de Cuſman dubitaſſent, an indultum audiendi Miſſas in propria earum domo ſibi per Paulum III. conceſſum, per Concilium fuiſſe ſublatum: S. Congreg. cenſuit eſſe ſublatum: conceſſit eis tamen, ut Miſſas in illa domo audirent in oratorio tantùm ab Ordinario ap-
22 probando. A quo ita ejuſmodi licentiæ celebrandi in oratoriis domeſticis conſueverunt olim obtineri ab eadem Congreg. Conc. in qua etiam ſtabilitæ fuerunt conditiones, & a Sanctiſſimo approbatæ, quibus illæ deinceps eſſe concedendæ, nempè

Primò, ut oratorium conſtituatur in loco decenti, & clauſo, viſiteturque & approbetur ab Ordinario.

Secundò, ut facultas hæc non concedatur niſi viris, aut fœminis primariis morbo, aut alia cauſa impeditis, ne ad Eccleſiam accedant.

Tertiò, in die Paſchatis teneatur is, cui conceditur, adire parochialem Eccleſiam.

Quartò, ut id concedatur ſine præjudicio jurium parochialium.

Quintò, ut qui ibidem Miſſas audierint, non liberentur ab obligatione accedendi diebus de præcepto ad Eccleſiam pro Miſſis audiendis, præter eos famulos, & famulas tantum qui ſervitio domini, cui facultas conceditur fuerint neceſſarii.

Quibus de mandato Pauli V. aliæ etiam conditiones fuerunt adjectæ in Congregatione oratoriorum.

23 At verò de oratoriis publicis S. Congreg. ſæpiùs declaravit eſſe in facultate Epiſcopi, ubi illa viſitaverit, ac divino cultui peragendo apta, ac decedentia eſſe comperit, licentiam impertiri, ut in eis ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium celebrari valeat. Et oratoria publica cenſuit
24 eſſe, cùm habent oſtium, quod immediatè reſpondet in viam publicam, & nullum habent aditum, vel proſpectum à loco privato etiamſi in privato ſolo conſtructa ſint, aut parietes habeant cùm ædibus privatorum communes. I-
25 tem publica cenſuit eſſe illa, quæ in locis publicis conſtructa reperiuntur, veluti in monaſteriis, & hoſpitalibus Eccleſiaſticis, licèt quoad monaſteria Monialium Congregatio ipſa hanc licentiam aliquando impertita fuerit pro
26 oratorio in eorum infirmaria conſtructo cum clauſulis, *Dummodò oratorium viſitetur, & approbetur ab Ordinario, & ita conſtruatur, ut ſeparatum à loco Infirmariæ, & clauſum maneat, nec aperiatur, niſi quando Miſſa ibi erit celebranda, & arbitrio Ordinarii ſic aperiatur, ut Moniales infirmæ poſſint videre, & audire Miſſam eo dumtaxat die, quo ſacram Euchariſtiam ſumere voluerint*. His poſitis, quicquid contra ſenſerit Ludovic. Lopez *in ſuo inſtructo-*
27 *rio, c. 6 de Bull.* videtur reſpondendum, Cruciatam, dum dat facultatem celebrandi in oratoriis etiam tempore interdicti, nequaquà eſſe intelligendam de oratoriis domeſticis.

Primò, quia etſi loquatur de oratoriis privatis, hæc tamen qualificat per verba illa: *Ad divinum tantum cultum dedicatis*; quæ quidem qualitas minimè congruit oratoriis domeſticis, quæ ſunt omninò profana, & hodie ſunt oratoria, cras camera, Gloſſa in Clem. *Quia contingit, in verb. Altare, de relig. domib.* Cardin. *d. conſ.* 11. *nu.* 12 Paul de Caſtro *conſ.* 167. *Præſuppoſita, in fin. lib.* 2. Roman. *conſ.* 477. *In caſu propoſito, num.* 5. & dictum eſt ſupra *nu.* 6. Sed congruit tantùm oratoriis publicis, quæ ſacris miniſteriis dedicantur auctoritate Epiſcopi; nam locus quilibet conſecratus divino obſequio eſt Sanctum Sanctorum Domino, *c. Nulli*, 12. *qu.* 2. *c. Mancipia, de rer. permut.* quæ jura ad propoſitum noſtrum adducit Card. *d. conſ.* 11. *in princ. n.* 1. *verſ. Primò quidem;* qualia ſunt oratoria Hoſpitalium, & Confraternitatum. *c. Ad hæc, de religioſis domibus, cap. Quidam*, 18. *qu.* 2. *c. Nemo de conſecr. diſt.* 1. Lapus *d. allegat.* 41. Calder. *conſ.* 352. *An Epiſcopus, aliàs* 23. *de teſtam.* Neque verò huic interpretationi repugnant verba illa Bullæ, *In privatis oratoriis*: nam quamvis oratoria dicata ad divinum cultum verè dicantur publica, ſi conſiderentur ad differentiam illorum, quæ quilibet privatus ſine Epiſcopi auctoritate ſibi conſtruit intra domeſticos parietes; tamen appellari poſſunt privata, ſi conſiderentur ad differentiam Eccleſiarum, à quibus differunt, quia Eccleſiæ dotantur, non oratoria, ut per Cardin. *eod conſ.* 11. *num.* 10. Anton. de Butr. *d. conſ.* 19. *num.* 19. Rota *dec.* 508. *p.* 1 *diverſ.* Covarr. *in c. Alma Mater, in* 2. *p. relect.* §. 4. *n.* 2. & fusè declarat Quintilianus Mandoſius *in reg. de Annali q.* 17. *n.* 7. *& ſeq.* & conſtat ex dictis ſupra *in* 1. *qu. n.* 5. Unde cùm privatum oratorium ſecundùm latitudinem vocabuli dicatur omne, quod non eſt Eccleſia, ſive illud ſit in ſe publicum, ſive domeſticum; ſecundùm Mandoſ *d. nu.* 7. Bulla addendo illa verba, *Ad divinum tantùm cultum dedicatis*, ſatis declaravit, ſe non intellexiſſe, de privatis, prout contradiſtinguuntur à publicis, ſed de privatis, prout contradi- 28
ſtinguuntur ab Eccleſia. Nam talia ſunt ſubjecta, qualia prædicata demonſtrant, *l. Qui vinum, ff. de vin. trit. & oleo legat.* Oldrad. *conſ.* 80. incipien. *Talia ſunt ſubjecta*, Anchar. *conſ.* 65. *Pro clariori n.* 5.

Et confirmatur ponderando ſubſequentia verba Bullæ: 29
Ab Ordinario viſitandis, & approbandis, quæ ſimiliter non applicantur niſi publicis: nam publica tantùm poſſunt viſitari, ſecus domeſtica, ut in hoc c. & dixi ſupr. in 1. *not.*

Obſervandum eſt etiam, Bullam hac in parte loqui per eademmet verba, quibus loquitur Concil. *in d.* §. *Neque patiantur*. Sed decretum Concilii in illis verbis, *Ad divinum tantum cultum, &c.* non habet locum niſi in oratoriis publicis, ut oſtenſum eſt ſupra. Ergo nec Bulla quæ verba ſua à Concilium mutuavit, *l.* 2. *C. de Noxal. l. Juris gentium*, § *Si paciſcar, ff. de pactis*, juncta *l. Tranſigere*, ubi gloſ. *magna, C. de tranſact.* Bart. & DD. in *l. Sciendum, ff. Qui ſatiſdare cogantur*. Alioquin verba Bullæ, *Ad divinum cultum dedicatis*, eſſent inania, & nihil operarentur. Atque ita in terminis Bullæ Cruciatæ declarat Henriqu. *de indulgent. lib.* 7. *n.* 4. *litt. K.*

Prætereà Bulla debet interpretari, ut minùs deroget juri 30
communi, & Concilio, quàm fieri poſſit, *cap. Paſtoralis, de privileg. c.* 1. §. *Numquid, eod. tit. lib.* 6. ubi Gemin. *in* 1. *not.* Sed ſi intelligatur, ut det licentiam celebrandi in oratorio domeſtico, & in tempore interdicti, corrigit in duobus. Eſt enim contra Concilium quoad oratoria, & contra jus commune tam quoad interdictum, *cap. Alma Mater, de ſent. excommun. libr.* 6. quàm quoad oratoria, ut in juribus *n.* 13. allegatis. Ergo ſatis eſt, ut in uno corrigat jus commune, *c. In his de privil.* Unde hanc theoricam DD. communiter deſumunt, & pluribus comprobat Suarez *lib.* 8. *de leg. c.* 14

Et confirmatur, quia etſi propter præſervationem Pontificiæ authoritatis, de qua *in c. ult. ſeſſ.* 25 non requiratur, ut Tridentino Concilio ſpecialiter derogetur, ut requiritur in aliis Conciliis generalibus, juxta text. in *cap. Ex parte, de Capell. Monach.* neceſſe eſt tamen, ut Papa expreſsè ſtatuat contrarium ejus, quod Concilium diſponit, ut ſæpiùs declaravit S. Congregatio ejuſdem Concilii interpres, ut patet ex motu proprio S. Pii V. ut dixi *in cap. Nulla, num.* 69 *ſupra de conceſſ. præbend.* At bulla tantum abeſt, ut expreſsè ſtatuat contrarium ejus, quod ſtatuit Concilium, ut potiùs diſponat illud idem, quod Concilium diſponit cùm iiſdem verbis utatur, ut dictum eſt ſupra.

Non obſtat particula implicativa, *Etiam*, quia implicat ſuppoſitivè, ut indultis veſcendi carnibus etiam temporibus

ribus jejuniorum, & quadrageſimę, & celebrandi ante lucem. Dum ergo concedit licentiam celebrandi etiam tempore interdicti, ſupponit licentiam celebrandi in Oratorio aliis temporibus. Id autem dupliciter poteſt contingere, vel quia ſit publicum, vel quia adſit privilegium Sed. Apoſtol.

Dicendum ergo, aut Bullam loqui de publicis, vel de domeſticis cum ſuppoſitione privilegii; debet enim ſupponere terminos habiles. Atque hunc intellectum ad Bullam videtur ſequi Henriq. *loc. cit.* & ita olim declaravit S. Congreg. Conc. cenſuit enim Commiſſarium Cruciatæ non habere facultatem concedendi licentiam celebrandi in Oratoriis domeſticis, ſed tantùm in Oratoriis publicis ad divinum cultum dedicatis.

His accedit obſervantia ſubſequuta tam quoad Commiſſarios, quàm quoad Papam. Quoad commiſſarios, quia numquam uſi ſunt hac facultate; nec eſt veriſimile uſos non fuiſſe, ſi habuiſſent. Et Archiepiſcopus Toletanus revocavit conceſſiones, quas fecerat in vim Bullæ, & declaravit eas Pontifici reſervatas.

Quoad Papam, quia concedit licentiam cum multis clauſulis, & moderationibus, quarum ſuperiùs meminimus *n.* 22. & cum magna difficultate. Quod eſſet ridiculum ſi unicuique liceret ex Bulla Oratorium habere. Et augetur abſurdum, quia ſine licentia Commiſſarii id omnibus liceret etiam infimę conditionis, mediantibus duobus regalibus; nullibi enim in Bulla fit mentio de licentia Commiſſarii, niſi quoad indultum celebrandi ante lucem.

Ultimò, cauſa impulſiva, quę movit Paulum V. ad revocandas licentias celebrandi in ejuſmodi Oratoriis, fuit quoniam relati fuerunt graves abuſus, qui in hac materia irrepſerant, & præſertim quòd Mauri, & Chriſtiani novi in eis abutebantur Sacramento, & committebant deteſtanda ſacrilegia. Unde ſi adeſſet hæc facultas, tamen expediret revocare, ac *d. c. Suggeſtum, de decimis*.

DE CENSIBUS, EXACTIONIBUS, & Procurationibus.

Cap. Auctoritate.

DISCEPTATIO DE GRANGIIS, & earum Oratoriis.

SUMMARIUM.

1 *Grangiæ, & earum privata Oratoria, an ab Epiſcopo viſitari poſſint, ſi pertineant ad aliquod Monaſterium juriſdictioni Epiſcopi ſubjectum, in vim Decreti Innoc. X. & n. ſeqq. uſque ad n.* 27.

2 *Grangiarum duæ ſunt ſpecies, & n.* 18.

3 *Et de quibus Grangiis intelligantur Conſtitutio, & Decretum Innocentii X. & Litteræ Circulares Congregationis, & n.* 18. *&* 20.

4 Cap. Auctoritate de cenſibus *refertur, & expenditur, n.* 5. *&* 6. *& n.* 15.

5 *Procuratio ratione viſitationis propter privatum Oratorium non debetur, & n.* 15.

6 *Viſitationi annexa eſt procuratio.*

7 *Epiſcopus poteſt tantummodò viſitare Eccleſias, loca Religioſa, & loca pia, & n.* 24.

8 *Grangiæ primæ ſpeciei ſunt loca merè temporalia, & profana, & n.* 15.

9 *Oratorium privatum non eſt Eccleſia, nec locus Religioſus, nec pius, & n ſeqq. uſque ad n.* 16.

Licèt in eo quandoque celebretur, n. 12. *& n.* 15.

10 *Eccleſia quæ dicatur, & in quo differat ab Oratorio.*

11 *Hoſpitale non fundatum auctoritate Epiſcopi viſitari non poteſt, licèt in eo ſit Oratorium privatum, & num.* 15.

14 *Viſitatio inſtituta eſt ad correctionem, & n. ſeq.*

15 *Referuntur verba Authorum dicentium Grangias, & earum privata Oratoria ab Epiſcopo viſitari non poſſe, licèt quandoque in iis celebretur.*

16 *Argumenta contraria proponuntur, & ſolvuntur, & n. ſeqq. uſque ad n.* 27.

17 *Monaſteria de jure ſubſunt Epiſcopi: ſed illorum Grangiæ, & privata Oratoria non viſitantur.*

Viſitationi Epiſcopi ſubſunt parvi Conventus non ſuppreſſi ex Decreto Innoc. X. non autem illorum Grangiæ, & privata Oratoria, & quæ ſit ratio diverſitatis, ibidem, & n. 18.

19 *Declarationes Congregationis de Capellis Grangiarum ab Epiſcopo viſitandis quomodo ſint intelligendæ, & n. ſeqq. uſque ad n.* 21.

21 *Capellæ idem ſunt quod Domus Religioſæ.*

22 *Oratoria publica, quæ ſint.*

23 *Grangiæ, & earum privata Oratoria, an expediat ſtatuere, ut ab Epiſcopo viſitentur, & n.* 24.

25 *Epiſcopus an poſſit accedere ad privatum Oratorium, ut videat, an teneatur honeſtè.*

26 *Converſi, & Monachi in Grangiis degentes qualiter, & quando ſubſint juriſdictioni, ac viſitationi Epiſcopi.*

27 *Conſtitutio Innoc. X. ſuper extinctione parvorum Conventuum, eorumque reductione ad ſtatum ſæcularem refertur.*

28 *Litteræ Circulares Congregationis ſuper ſtatu Regularium circa ſuppreſſionem, & applicationem parvorum Conventuum, referuntur.*

29 *Litteræ Circulares ejuſdem Congr. circa Grangias Monaſteriorum referuntur.*

30 *Decretum Innoc. X. ſuper ſubiectione nonnullorum Conventuum Juriſdictioni Ordinarii loci, refertur.*

31 *Declarationes Congregationis ſuper ſtatu Regularium ad dictum Decretum, referuntur.*

32 *Decretum Alex. VII. prohibens Epiſcopis viſitantibus parvos Conventus, ne procurationem accipiant, refertur.*

33 *Decretum Congregat. ſuper ſtatu Regularium circa Vicarias Parochialium in Grangiis Monaſteriorum, refertur.*

Utrum Grangiæ, in quibus non degunt Monachi, ſed Converſi pro agrorum cultura, earumque privata Oratoria viſitari poſſint ab Epiſcopo Diœceſano, ſi pertineant ad aliquem Conventum juriſdictioni Epiſcopi ſubjectum, in vim Decreti fel. rec. Innocentii X. quod incipit, *Ut in parvis*. 1

Ad evidentiam pręmittendum eſt duas eſſe ſpecies Grangiarum ad Monaſteria pertinentium. Quædam enim ſunt Grangiæ ſtrictè, & propriè ſumptæ, & de quibus intelliguntur Canones, cùm ſimpliciter de Grangiis loquuntur, *ut cap. ult. de cenſ. cap. Patentibus de privileg.* Extravag. *unica de decimis inter communes cum ſimilibus*; & tales Grangiæ nihil ſunt aliud, quàm domus rurales ſeu prædia ruſtica ſub proprietate, & dominio alicujus Monaſterii, in quibus non conſueverunt morari Monachi, ſed Converſi tantùm pro agris colendis, nec in eis ulla eſt Eccleſia; aut publicum Oratorium auctoritate Epiſcopi conſtructum, ſed tantummodò Oratorium privatum ad orandum, licèt ibi quandoque aliqui Monachi celebrent de licentia Epiſcopi. Et hujuſmodi Grangiæ non ſunt loca publica, nec ſacra, nec religioſa, quinimò nec pia, ſed privata, temporalia, & profana, ut infrà uberiùs explicabitur. Et in multis Hiſpanię locis vocantur *Rura*, ut notat Covarr. qui etiam ponit vocabuli etymologiam, ſeu alluſionem cum Gloſ. marginali *in d. cap. ult. de cenſib.* & in Regno Neapolitano dicuntur *Maſſariæ*, & in Agro Romano *Caſalia*: & prædia, ſeu poſſeſſiones appellantur à Federico de Senis, qui de his Grangiis plenè 2

tractat

tractat *in conſ.*151. Thema tale eſt Monaſterii S. Galgani, nec tales tenentur lege Diœceſana, ut notat Innoc. *in cap.* 1. *num.*5. *de ſtat. Monach.* & poſt eum Hoſt. *ibidem numer.* 4. *poſt medium verſ. Excipiuntur*. Nec de his Grangiis loquuntur Conſtitutio Innocentii X. quæ incipit, *Inſtaurandæ*, nec ejus decretum initio citatum, quod incipit, *Ut in parvis*, ut mox dicemus. Et de Grangiis hujus primæ ſpeciei propriè, & ſtrictè ſumptis proponitur præſens quæſtio.

Aliæ verò ſunt Grangiæ impropriè, & largè ſumptæ, quæ in ſumma nihil aliud ſunt, quàm Conventus, ſeu domus regulares dependentes ab aliquo Monaſterio principali, quæ latiori ſignificatione appellantur illius Grangiæ, vel quia ſunt illi unitæ perpetuò, & acceſſoriè, & ſic ſunt veluti illius prædia, ſeu membra, ut per Oldrad. *conſ.*257. *Factum tale eſt*, *n.*15. *verſ. Fundata igitur*, Rota *dec.*370. *aliàs* 11. *de reb. Eccl. non alien. in Antiq.* Et tales ſunt Prioratus dependentes à Monaſteriis, de quibus loquitur textus *in c. fin. de Capell. Monach.* & de his loquuntur Conſtit. *Inſtaurandæ*, & decretum, *Ut in parvis*, Innoc. X. ut ſtatim patebit.

3 Sed obſervandum eſt Grangias hujus ſecundæ ſpeciei eſſe in duplici differentia.

Quædam enim ſunt ſuppreſſæ in præcitata Conſtitutione Innocentii, cùm enim in Ordinibus Regularium plurimi eſſent Conventus, in quibus ob redditùum tenuitatem ſuſtentari non poterant Religioſi in numero ſufficienti ad obſervantiam Regularis diſciplinæ, Pontifex ex cauſis expreſſis in proœmio Conſtitutionis operæpretium duxit illos ſupprimere, & ſæcularizare, etiam ſi eſſent Grangiæ, ideſt etiam ſi tales Conventus dependerent ab aliquo Monaſterio, & eſſent illius membra quemadmodum fecit verbis infraſcriptis: *Motu proprio &c. omnes, & ſingulos Conventus quorumcumque Monachorum, ac Regularium virorum &c. cujuſcumque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, etiam ſi illis animarum cura perſonarum Sæcularium incumbit, ſintve hoſpitia, vel Grangiæ, ſeu alterius Monaſterii membra &c. in literis ab eadem Congregatione propediem expediendis nominatim exprimendos, in quibus ob parvum numerum Religioſorum regularis diſciplina juxta peculiaria cujuſvis Ordinis inſtituta ſervari non poteſt, authoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò extinguimus, ſupprimimus, & abolemus &c. illoſque ab omni proprietate, dominio, ſuperioritate, juriſdictione, ac alio quocumque jure Regularium eximimus & totaliter liberamus, & omnem conventualitatem, titulum, eſſentiam, ac denominationem regularem in eis pœnitùs extinguentes, illos ad ſtatum ſæcularem reducimus*. Hactenùs verba Conſtitutionis. Ex quibus liquidò conſtat Pontificem ſuppreſſiſſe hos parvos Conventus, & illos ad ſtatum ſæcularem redduxiſſe, etiam ſi ſint Grangiæ, vel alterius Monaſterii membra. Atque ita ut locum habeat ſuppreſſio, & ſæcularizatio Grangiarum, neceſſariò requiritur, ut ſint Conventus, qui ſint Grangiæ, ſeu membra alicujus Monaſterii, & ab illo dependeant, juxta textum *in dict. cap. final. de Capell. Monach.*

Idemque patet evidenter ex litteris circularibus ad præſcriptum memoratæ Conſtitutionis à S. Congreg. datis ad ſingulos Procuratores Generales cujuſque Religionis ſub die 10. Decembris 1652. & in ſpecie ad Procuratorem generalem Congregationis Caſſinenſis in hæc verba: *Nella Bolla di N. S. novamente publicata ſopra l'eſtinzione, è ſuppreſſione de' piccoli Conventi, ſono anche compreſi li membri, è le grangie di coteſta Congregatione Caſſinenſe, dove per il poco numero de' Religioſi non può ſecondo il ſuo inſtituto oſſervarſi la diſciplina regolare, ancorchè habiano anneſſa la cura dell' Anime, ò ſiano Parochiali, e ſpecialmente l' infraſcritte, cioe S. Maria di Nazaro di niuna Dioceſe, S. Maria di Civitella, e S. Angelo di Liprignano, S. Maria di Fontevivo della Dioceſe di Parma, S. Barbara nella Città di Ravenna unite à S. Paolo di Roma &c.*

Quod ipſum conſtat ex aliis literis circularibus ſub eadem forma datis ad alios Procuratores Ordinum. Nam Grangiæ omnes in illis nominatim expreſſæ nihil ſunt aliud, quam parvi Conventus ſuppreſſi cum ſua Eccleſia uniti alicui Mnaſterio principali, ſeu ab illo dependentes, ut habetur in Regiſtris Sac. Congregationis. Quo fit, ut nec Bulla Innocentii, nec literæ circulares adaptari poſſint ad Grangias ſtrictè, & propriè ſumptas primæ ſpeciei: non enim in illis potuiſſet ſupprimi, & extingui regularitas, quam numquam habuerunt, cum privatio ſupponat habitum; nec reduci potuiſſent ad ſtatum ſæcularem, cùm ſemper fuerint loca ſæcularia, & profana. Nec Superiores Regulares in illis ullam habuerunt juriſdictionem, à qua oportuiſſet illas eximere, nec eas Pontifex cenſendus eſt voluiſſe abdicare à dominio, & proprietate Regularium; nec talibus congruunt verba illa: *Etiam ſi illis animarum cura perſonarum ſæcularium incumbat*, cùm non habeant populum, nec Eccleſiam, ſed privatum Oratorium dumtaxat: minùſque illis conveniunt ſequentia verba: *In quibus ob parvum numerum Religioſorum regularis diſciplina ſervari non poteſt*, cùm in eis non conſueverint morari Presbyteri, vel Clerici profeſſi, ſed ſolùm Converſi pro cultura agrorum ſine aliqua obſervantia regularis diſciplinæ, ut dictum eſt ſupra in prima ſpecie harum Grangiarum *num.*3. Unde jure optimo S. Congregatio ſuper ſtatu Regularium jam cenſuit in his Grangiis primæ ſpeciei Conſtitutionem Innocentianam nihil novi juris induxiſſe.

Aliæ verò Grangiæ hujus ſecundæ ſpeciei non ſunt ſuppreſſæ, eo quòd tempore, quo edita fuit Conſtitutio, habebant redditus ſufficientes ad ſuſtentandos, & reipſa ſuſtentabant ſex ſaltem Religioſos, & ideò Papa noluit eas ſupprimere; ſed tamen quia multi erant Conventus, in quibus & ſi præfixus fuiſſet numerus Religioſorum ſufficiens ad obſervantiam regularis diſciplinæ, & idcircò in ſuppreſſione antedicta non fuerint comprehenſi: nihilominùs ſive ob redditùum diminutionem, ſive ob Superiorum incuriam, vel malam adminiſtrationem, ſive ob carentiam Religioſorum, aut aeris intemperiem, vel quacumque aliam ob cauſam prædictus numerus cum effectu in eis non alebatur cum gravi detrimento regularis obſervantiæ: Pontifex Innocentius intendens huic malo remedium adhibere, omnes, & ſingulos ejuſmodi Conventus, ut præfertur, non ſuppreſſos, cujuſcumque ſint Ordinis &c. aut Grangiæ, ſeu membra alterius Monaſterii exiſtentes intra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium, in quibus tunc non alebantur, vel quandocumque actu non alentur, ſaltem ſex Religioſi probatæ vitæ, quorum ad minùs quatuor ſint Sacerdotes maturæ ætatis, viſitationi, correctioni, & omnimodæ juriſdictionis Ordinarii loci, ut Sedis Apoſtolicæ delegati plenè in omnibus ſubjectos eſſe ſtatuit, decrevit, & declaravit. Quæ ſunt formalia verba Decreti, *Ut in parvis*, ab Innocentio editi die decima Februarii 1654. §. *Inſuper*. Ex quibus conſtat evidenter decretum loqui de illis tantùm Grangiis, quæ ſunt Conventus regulares cum ſua Eccleſia alicui Monaſterio uniti, & ab eo dependentes, ſeu illius membra: unde nullatenùs adaptari poſſunt ad Grangias ſtrictè, & propriè ſumptas primæ ſpeciei, quæ nec ſunt, nec umquam fuerunt Conventus regulares, nec habent Eccleſiam, ſed tantummodò privatum Oratorium, nec in eis aluntur Monachi pro obſervantia regularis diſciplinæ, ſed ſolùm Converſi pro agrorum cultura.

4 Cùm igitur in Grangiis iſtis primæ ſpeciei nec locum habeat Conſtitutio Innocentii nec literæ circulares Congregationis, nec decretum, *Ut in parvis*, de his poponitur præſens quæſtio, videlicet.

Utrùm Grangiæ, in quibus non degunt Monachi, ſed Converſi pro argrorum cultura, earumque privata Oratoria viſitari poſſint ab Epiſcopo Diœceſano, ſi pertineant ad aliquem Conventum juriſdictioni Epiſcopo ſubjectum in vim decreti fel. rec. Innocentii X. quod incipit, *Ut in parvis*.

Hanc quæſtionem decidit textus *in capit. Auctoritate*, quod eſt *cap. ulimum de cenſibus*, ubi Gregorius Nonus, *Auctoritate*, inquit, *præſentium inhibemus, ne quis pro eo, quod in oratoriis, quæ in Grangiis veſtris habetis, interdum aliqui veſtrum celebrant, procurationes, quæ ratione viſitationis debentur, à nobis exigere, vel extorquere præſumat*.

5 Quem textum ſic ſummant Joan. Adr. Butr. Ancharan & Joan. de Anan. Propter privatum Oratorium procuratio non debetur: Cardin. verò & Abbas ſummant ſic: Propter privatum Oratorium procuratio ratione viſitationis non debetur. Sed ſecundùm Gloſſam in figuratione

caſus

caſus hoc dicit: *Religioſi, licèt aliquando celebrent in Oratoriis, quæ in Grangiis ſuis habent, propter hoc ratione viſitationis procurationis exhibere non debent.*

Hoc ipſum inhibuerat Honorius III. in ſua compilatione *de Capel. Monach. c.2.* ut referunt Jo. Andr. & Cardin. *in d. c. ult. in princip. in ver. Inhibemus.*

6 Dum autem Gregorius Nonus in eadem Decretali prohibet, ne Prælatus propter privatum Oratorium Grangiarum, in quo aliqui Religioſi interdum celebrant, exigat procurationem ratione viſitationis; in neceſſariam conſequentiam prohibet, ne Prælatus ibi faciat viſitationem, quia de jure communi non eſt dari viſitationem ſine procuratione, cùm procuratio ſit viſitationi annexa, & unum ſine altero eſſe non poſſit, ut *c. Cum venerabilis, §. quia ergo de cenſibus.* Quod adeò verum eſt, ut contra procurationem nec valeat præſcriptio, ut eſt textus *in cap. Cum ex officii de præſcript.* ubi de Archiepiſcopo Senonen. Monaſterium Monachorum viſitante ſic legitur: *Cùm procurationem ſibi debitam poſtularet, ipſi eam inhumaniter negaverunt, ad ſui negationis defenſionem hoc ſolùm allegantes, quod non meminerint ſe procurationem hujuſmodi Prædeceſſoribus ejuſdem Archiepiſcopi exolviſſe, nec ab eis aliquando fuiſſe petitam: Nos igitur præmiſſam allegationem eorum nullam penitùs reputantes, cum contra procurationem quæ ratione viſitationis debetur, præſcribi nequiverit, quem admodum nec contra viſitationem ipſam poteſt aliquo modo præſcribi, &c. mandamus, &c. quia ſecundùm Apoſtolum, Qui ſpiritualia ſeminat, non eſt magnum ſi metat carnalia, cum nemo cogatur ſuis ſtipendiis militare, &c.* Hactenùs verba textus.

Quibus ſtantibus, ad rem noſtram ſic formatur argumentum. Quicumque poteſt viſitare, poteſt etiam exigere procurationem, quæ ratione viſitationis debetur, ut *in d. §. Quia ergo, & in d. c. Cum ex officii.* Sed Epiſcopus propter privatum Oratorium, quod habent Religioſi in ſuis Grangiis, non poteſt exigere procurationem, quæ ratione viſitationis debetur, ut eſt caſus literalis *in d. c. Vult de cenſibus.* Ergo Epiſcopus non poteſt Grangias, & illarum privatum Oratorium viſitare. Vel aliter ſic: Si Epiſcopus poſſet viſitare Grangias, & illarum privatum Oratorium, ſequeretur, ut etiam poſſet exigere procurationem debitam ratione viſitationis, cùm de jure communi non poſſit dari viſitatio ſine procuratione, *ut in præcitato §. Quia ergo, & c. Cum ex officii.* Sed conſequens eſt falſum, quia Epiſcopus propter privatum Oratorium Grangiarum non poteſt exigere procurationem debitam ratione viſitationis, ut deciditur *in d. c. Vult de cenſ.* Ergo & antecedens. Unde præallegata Decretalis Gregorii inevitabiliter probat, Grangias Regularium, & illarum privata Oratoria, licèt Religioſi interdum in eis celebrent, ab Epiſcopo viſitari non poſſe.

Quæ concluſio duplicem habet rationem.

7 Prima ratio eſt, quia Epiſcopus in ſua Diœceſi poteſt tantummodò viſitare Eccleſias, loca religioſa, & loca pia, ut legitur in *c. 1. de cenſ. lib. 6.* & in Conc. Trid. *c. 8 ſeſſ. 22.* & notant *in d. c. ult. de cenſ.* Card. *ante n. 1. verſ. Viſitantur*

8 *enim*, & Abb. *in 1. not.* Grangiæ autem, & illarum privata Oratoria nec ſunt Eccleſiæ, nec loca religioſa, nec loca pia.

De Grangiis hoc eſt manifeſtum, quia ſunt loca merè temporalia, & profana, nihil ſpiritualitatis habentia, ſecundùm Collect. *in d. c. ult. poſt in princ.* & fuſiùs explicabitur *infra n. 15. verſ. Jo. Gaufredus, & n. 17.*

9 De privato autem Oratorio ſimiliter patet, quia neque eſt Eccleſia, neque locus religioſus, nec locus pius.

10 Quòd non ſit Eccleſia, patet evidenter, quia inquit Hoſt. *in d. c. ult. de cenſ. n. 4.* (Eccleſia dicitur ubi certa dos ſtatuta eſt pro Sacerdote, & Clericis, qui ibi ſerviant, & pro aliis Eccleſiæ neceſſitatibus, *c. Nemo, de conſecr. diſtin. 1. c. Cum ſicut de conſecr. Eccl. vel altar.* Oratorium verò dicitur, quod non eſt dotatum, nec eſt ædificatum ad miſſam celebrandam, ſed ad orandum tantùm, *c. Unicuique, de conſecr. diſt. 1.*) ita Hoſt. *in d. c. ult. de cenſ. n. 4.* qui ferè ad calamum tranſtulit verba Innocent. & concordat ibi Jo. Andr. *n. 4.* Et quòd tale Oratorium non ſit Eccleſia, nec veniat Eccleſiæ appellatione, per text. *in d. c. ult.* tradunt Decius *conſ. 148. n. 1. vol. 1.* Paulus Fuſc. *de viſitat. lib. 2. c. 12.* Sanchez *de matrim. lib. 9. diſp. 15. num. 39.* & Stephan. Coſta *in c. Is cui num. 19. de ſent. excomm. lib. 6. Repeten. tom. 5. pag. 445.* qui ad hoc allegat textum *in c. Patentibus de privileg.*

Quòd autem Oratorium non ſit locus religioſus, ſimiliter patet, quia non eſt erectum auctoritate Epiſcopi, prout requiritur ad hoc, ut locus ſit Religioſus, *cap. De Xenochiis de Relig. domib.* Unde nec gaudet immunitate, ſecundùm Innoc. *in c. Inter dilectos num. 2. de donat.* & Hoſt. *in d. c. ult. ſub num. 2. verſ. Et eſt ratio*, (quia inquit, non intelligitur dedicatum Deo, nec cenſetur locus religioſus, vel ſacer; unde & ſi hodie eſt Oratorium, cras fieri poterit Camera.) Et ſequuntur ibidem Joan. And. *num. 2.* & pleriq; alii. Et quamvis jure communi inſpecto poſſit in eo quandoque celebrari de licentia Epiſcopi, *c. Clericos, & c. Si quis extra Parochias de conſecrat. diſt. 1.* ex hoc tamen non concluditur perneceſſe, ut locus ſit publicus & religioſus, ut probatur *in d. cap. ult. de cenſib.* & ibi notant Joan. de Anan. *num. 2.* & Abb. *in 1. notab. verſ. Item nota*, quorum verba inferiùs ad literam referemus *ſub num. 15.* Quo ſit, ut miſſam ibi audientes diebus feſtis, præcepto Eccleſiæ non ſatisfaciant, *cap. in his cum ibi notatis de privil.* nec poſſit ibi teneri Campana publica, ut eſt caſus *in cap. Patentibus eodem tit.* & notat Roch. de Curte *in tract. de Jurepatr. in ver. Conſtruxit quæſt. 19. num. 27. tract. comm. tom. 15. fol. 364.* 11 12

Demum quòd hujuſmodi Oratorium non ſit locus pius, probatur *in cap. 1. de cenſibus lib. 6. juncto d. cap. ult.* ut ibi declarat Abbas *in 1. notab.* 13

Et eſt ſimile in Hoſpitali, quod non eſt fundatum auctoritate Epiſcopi; non enim poteſt Epiſcopus illud viſitare, licèt in eo ſit Oratorium privatum, ut probat textus *in cap. Ad hæc de Relig. domib.* ubi hoc firmat Innoc. Hoſt. Joan. Andr. Butr. Card. Abb. & alii communiter, & nos pleniùs ibi ſcripſimus *n. 51. & 52.*

Secunda ratio eſt, quia viſitatio inſtituta eſt ad correctionem, *c. Procurationes, §. Porrò de cenſib.* In privato autem Oratorio nullus eſt Clericus ordinatus ad celebrandum, qui poſſit corrigi, ut dicunt *in d. cap. ult.* Gloſſ. Innoc. & alii inferiùs citandi *num. 15.* Ergo tale Oratorium, cùm deficiat finis viſitationis, viſitari non poteſt. 14

Senſus igitur Gregorii Noni in prædicta Decretali ultima de cenſibus talis eſt: Quia in his Grangiis, & earum privatis Oratoriis nulla fit viſitatio, idcircò prohibemus ne Prælatus ab illis exigat, vel extorqueat procurationem, quæ ratione viſitationis debetur. Et ita intelligunt illum textum Canoniſtæ omnes, quorum verba hìc ad litteram fideliter referemus. 15

Gloſſa ibidem *in verbo Ratione viſitationis*, ſic ait: [Talis procuratio non præſtatur, niſi quando perſonaliter viſitant locum cauſa correctionis. Sed in Grangiis iſtis nulla fit viſitatio, licèt ibi quandoque Monachi celebrent; ſed ad caput accedit Prælatus cauſa viſitationis, & infrà: Et ibi non conſueverunt morari Monachi, ſed Converſi, cauſa colendi agros ſuos; & ita cùm nulla fiat viſitatio, nulla propter hoc, quòd ibi aliquando celebrant, debet præſtari procuratio.)

Innocent. *in princ.* (Nullus, inquit, ordinatus eſt ibi ad celebrandum, nec eſt ordinatum, ut ibi celebretur ordinatè, ſed tantùm ordinatum erat, ut eſſet ibi locus, ubi quilibet poſſet orare; nam tunc cùm nullus eſſet Ordinarius, vel Vicarius Clericus hujus oratorii, nec eſſet, qui vitari poſſet ratione Oratorii.)

Abb. Antiq. *n. 2.* (Scire debes, quòd quandoque aliqua fiunt Oratoria, non ut ibi regulariter celebretur, ſed tantùm ut quandoque poſſint ibi aliqui celebrare, ſicut faciunt ſcholares Pariſiis, multi milites in Francia, & aliis Terris) & infrà: (Et qui nullus eſt ibi, qui viſitari poſſit, numquam eſt procuratio exigenda.)

Hoſt. *in princ. in verb. Oratoriis*, (Cùm Populum non habeant, neque Curam, ideò non ſunt viſitanda, ut hìc dicit, cùm ibi non ſint Clerici conſtituti. Cùm igitur non ſit ibi Populus nec Clerici eſſe debeant, non eſt ibi viſitatio facienda, per conſequens nec procuratio exigenda, quia viſitatio fit cauſa correctionis, cui annexa eſt procuratio. Cùm igitur ibi nihil ſit viſitandum, nihil eſt procurationis nomine exigendum, ſecundùm Vincent. & Goffredum; & *infra n. 4. in verſ. Viſitationis*: Quia non fit ibi viſitatio, ſed cultura tantùm, & fructuum congregatio: viſitatio autem fiet in capite, ſcilicet in Monaſterio, cui ſubeſt.)

Joan-

Joan. Andr. *n.*3. (Nullus eſt ibi ordinatus ad continuam celebrationem, licèt ſit locus ordinatus ad orandum; & ſic non eſt ibi Rector, qui ratione hujus Oratorii debeat viſitari.)

Jo. Gaufredus, aliàs Collect. *in princ.* (Oratoria non tenentur ad procurationem, quæ quiſque in domo ſua erigere poteſt: & intelligitur ſecundùm Abbatem (*ideſt Antiquum*) de Oratoriis, quæ non habent certum miniſtrum, & in quibus regulariter non celebratur; ſi enim haberent certum Miniſtrum, non video quare Epiſcopus non teneatur viſitare) & infrà : (Aliqui Religioſi, maximè Monachi albi habent aliquas Grangias, in quibus nihil ſpiritualitatis eſt, ſed omninò temporale; & licèt forſan aliquas Capellas, vel Oratoria habeant, tamen ſunt ibi per modum acceſſorii.)

Antonius de Butr. *n.*2. (Nota 2. quòd Oratoria privata non ſunt Epiſcopo ſubjecta, ut habeat poteſtatem de his circa illa ad libitum diſponendi. Et ſimiliter dixi vobis de Hoſpitalibus privatis. Unde ad hoc, ut Oratorium, & Hoſpitale ſubjiciantur Epiſcopi poteſtati, exigitur, quod ſint publica.)

Card. *n.*2. *verſ. Quintò quæro.* (Innocentius intelligit, quòd nullus ordinatus erat, nec ordinatum erat, quòd ibi ordinatè celebraretur, ſed tantùm, quòd ibi eſſet locus, in quo quilibet poſſet orare : quo caſu cùm nullus ſit Ordinarius, vel Vicarius Clericus hujus Ordinarii, non debet viſitari.)

Petrus de Anchar. *n.*1. (Nota primò, quòd licèt in Oratoriis quandoque celebretur, non per hoc tamen procuratio per Epiſcopum, exigetur,) & infra *n.*5. (Ultimò intelligit Innocentius hunc text. de Oratorio, in quo non eſt aliquis Rector conſtitutus, ſed quandoque Abbas mittit unum, quandoque alium. Et hoc importat, quod dicit textus, *Aliqui veſtrum*. Si verò ibi eſſet deputatus aliquis, qui perpetuò deſerviret, non videt Innocentius, quare non poſſet Epiſcopus viſitare, & procurationem ſuam exigere.)

Jo. de Anan. *n.*2. (Nota, quòd licèt aliquando in Oratoriis celebretur, non tamen propter hoc exigitur procuratio per Epiſcopum. Et ſic tantùm ab Eccleſiis publicis intitulatis, & conſecratis procuratio ratione viſitationis exigi poteſt. Et ex hoc collige, quòd Oratoria non ſunt Epiſcopo ſubjecta, ut habeat circa illa ad libitum poteſtatem diſponendi. Simile dicimus de Hoſpitalibus. Unde ad hoc ut Hoſpitalia, & Cantoria ſint ſubjecta Epiſcopo, neceſſe eſt, ut ſint publica; & ut ſint ſubjecta Epiſcopis, non ſufficit docere aliquando Divina celebrari, & ſic actus celebrandi non eſt ſignum neceſſariò concludens Eccleſiam fore publicam.)

Abb. Panormit. *in princ.* (Nota primò, quòd Oratoria privata non ſunt ſub poteſtate Epiſcopi, ſaltem quoad jus viſitandi, & procurationem exigendi. Et ex hoc, & ex textu nota, quòd loca publica, vel religioſa ſunt viſitanda dumtaxat, ad hoc *c.*1. §.1. *de cenſ. lib.*6. ubi bonus textus, nam ibi dicitur, quòd loca pia Epiſcopus poteſt viſitare. Ex illo textu unito iſti infertur, quòd appellatione pii loci non venit Oratorium privatum. Item nota ibi celebrant interdum, quòd actus celebrationis neceſſariò non concludit locum eſſe publicum; quod nota, nam facit pro iſtis hoſpitalibus, in quibus interdum celebratur, ut ex hoc ſolo non concludatur hoſpitale eſſe religioſum, quia non probat hoc eſſe, quod ab hoc contingit abeſſe; quod intelligo, niſi actus celebrandi ſit publicus, & omnes indifferenter admittantur, ut notat Archidiac. *in c. Nemo de conſecr. diſt.*1.)

Vivian. *in Rationale Juris Pontificii in d. c. ultim. de cenſ.* (Quia, inquit, hujuſmodi procuratio non præſtatur, niſi cùm Prælatus viſitat locum cauſa correctionis. Et quoniam in Grangiis iſtis, ſive Oratoriis nulla ſit viſitatio, licèt ibi quandoque Monachi celebrent, ſed ad caput accedit Prælatus cauſa viſitationis: & ibi non conſueverunt morari monachi, ſed Converſi cauſa colendi agros ſuos : ideò cùm nulla fiat viſitatio, nulla propter hoc, quòd ibi aliquando celebratur, debet præſtari procuratio, *ut in textu.*)

Quibus addimus Th. Sanchez *de matrim. lib.*9. *diſp.*15. *n.*39. cujus hæc ſunt verba : (Gravius autem dubium eſt de Oratoriis: & quidem ſi de Oratoriis ſtrictè loquamur, & quæ propriè talia dicuntur, qualia ſunt Hoſpitalium, & Eremitoriorum, quædam Eccleſiæ privata auctoritate abſque Epiſcopi licentia erectæ, & alia in domibus privatis fundata, conſtat apud omnes ea minimè eſſe loca religioſa, nec Eccleſiæ nomine comprehendi, quia poſſunt ad nutum fundatoris ad profanos uſus redire, quamquam ex Epiſcopi licentia in eis celebretur. Et ita colligitur *ex c. fin. de cenſ.* ubi deciditur Oratoria privata non ſubeſſe Epiſcopi poteſtati quoad jus viſitandi, procurationemque exigendi.)

Patet igitur ex præmiſſis juxta unanimem Canoniſtarum ſententiam, in prævallegato *c. ult. de cenſ.* efficaciter probari Grangias, & illarum privata Oratoria non eſse ab Epiſcopo viſitanda.

Sed contra prædicta opponitur primò, quòd DD. præ- 16
allegati loquuntur in puris terminis juris communis, nec vendicant ſibi locum in noſtro ſpeciali caſu; nam præſens quæſtio proponitur de Oratoriis Grangiarum dependentium ab aliquo Conventu ſubjecto Epiſcopo in vim decreti Innocent. X. incipientis, *Ut in parvis*, Hoc autem Decretum verbis prægnantibus, & geminatis ſupponit parvos Conventus plenè in omnibus viſitationi, correctioni, & omnimodæ juriſdictioni Epiſcopi ut Sedis Apoſtolicæ delegati. Si igitur Epiſcopus plenam habet facultatem viſitandi principalem Conventum, & caput, cur non habeat pariter facultatem viſitandi Grangias, & earum Oratoria, quæ ſunt illius membra, cùm omnia membra caput ſequantur? *ad Epheſ.* 4. *c. Non decet* 12. *diſt.* & acceſsorium ſequatur naturam ſui principalis? *ut in Regula Sexti Acceſſorium.*

Huic oppoſitioni reſpondet Gloſſa *in d. c. ult. de cenſ.* 17
dum ait: (In iſtis Grangiis nulla ſit viſitatio, ſed Prælatus viſitationis cauſa accedit ad caput, ideſt ad Conventum, cui ſubſunt,) ſecundùm Hoſtienſ. *ibi dict. num.*4. & ſic Epiſcopus viſitat caput, ſed non viſitat membra. Idque probatur efficaciter *in eodem cap. ult.* Nam Monaſterium, de quo ille textus loquitur erat omninò ſubjectum Epiſcopo, ſicut ſunt Monaſteria omnia de jure communi, ut eſt caſus *in c. p. Cùm dilectus de Relig. Domibus*, & ibi notant *in Summario*, Joann. Andr. Butr. Cardin. & omnes, & reſolvit Rota *deciſ.*78. *num.* 1. *part.*1. *diverſ.* atque ita Epiſcopus abſque dubio poterat illum viſitare, & tamen viſitare non poterat Grangias, & privata Oratoria illius membra, ut ex communi ſcribentium ſententia abundè probatum eſt ſupra. Non eſt igitur bona conſequentia, Epiſcopus poteſt viſitare principalem Conventum, & caput ex preællegato Decreto Innocentii, ergo & Grangias, & earum Oratoria ejuſdem Conventus membra, inter hæc enim magna eſt ratio diverſitatis, quia Conventus eſt locus ſacer, & Religioſus cum Eccleſia, Campanali, & publicis campanis, & ſunt ibi Monachi, ſeu Religioſi, qui poſſint corrigi; unde nil mirum, ſi ſubeſt viſitationi, correctioni, & juriſdictioni Epiſcopi, ut in memorato Decreto Innocentii, & probatur *in cap.*1. §.1. *de cenſib. lib.*6. At Grangiæ, & illarum privata Oratoria non ſunt loca ſacra, nec religioſa, imò nec pia, ut ſupra eſt oſtenſum, præſertim *num.*8. *& ſequen.* nec ſunt ibi perſonæ ordinatæ, quæ poſſint corrigi, ſecundùm Innocent. & omnes ſupra citatos *num.*15. Ideòque nec ſunt in poteſtate Epiſcopi, ut dicunt Anton. de Butr. Joan. de Anan. & Abbas relati *ſub eodem num.*15. Non igitur mirum, ſi tamquam loca merè temporalia, & profana à Prælato viſitari non poſſint; nec eſt novum in jure, ut caput, & membra diverſo jure cenſeantur, quoad jus viſitandi, ut patet *in cap. Ex ore de privileg.* ubi Prælatus viſitat caput, & non membra. Quapropter quoad juridiſctionem in Conventibus Regularium, & illorum Grangiis pari paſſu ambulant jus commune, & decretum Innocentii, niſi quòd de jure communi Epiſcopus in Conventibus habet juriſdictionem ordinariam, & ex decreto Innocent. delegatam. Nec refert, quod in Decreto hujuſmodi juriſdictio ſit collata Epiſcopo verbis prægnantibus, & geminatis, quia nihilominùs eſt cumulativa cum Superioribus Regularibus, ut reſpondit S. Congr. ſuper ſtatu Regularium in declarationibus impreſſis ad dictum decretum, *Ut in parvis*, *in* 11. *declarat.* & tamen etiam ſi eſſet privativa, & major, quàm competat Epiſcopo de jure communi, numquam extenderetur ad Grangias, & illarum privata Oratoria per ſupradicta.

Opponitur ſecundò in Conſtitut. Innoc. X. quæ incipit, 18
In-

Inſtaurandæ, diſertis verbis exprimuntur Grangiæ, ſeu alterius Monaſterii membra. Et tales eximuntur ab omni ſuperioritate, juriſdictione, ac alio quocumque jure Regularium, & ad ſtatum ſæcularem reducuntur ſublatis exemptionibus, & conſequenter conſtituuntur ſub juriſdictione ordinaria Epiſcopi, juxta text. *in c. Omnes Baſilicæ 16. q. 7. cum multis ſimil.* de quibus ibi in gl. unica. Et in Decreto ejuſdem Pontificis incip. *Ut in parvis*, ſimiliter ſunt expreſſæ Grangiæ, ſeu membra alterius Monaſterii, & tales apertis verbis plenè in omnibus ſubjiciuntur viſitationi, correctioni, & omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci. Fruſtra ergo nunc diſputamus, an Grangiæ, & illarum Oratoria viſitari poſſint ab Epiſcopo, cum habeamus legem apertè, & clarè hoc diſponentem, quæ non obſtante contraria Conſtitut. Greg. IX. *in d. cap. ult. de cenſib.* tamquam poſterior omninò ſervanda eſt, *ut c. 1. de Conſtit. lib. 6. cum concordantib.* de quibus ibi per gloſſam *in ver. Revocare*.

Reſpondetur breviter, Conſtitutionem Innocentii, & decretum, *Ut in parvis*, loqui tantùm de Grangiis ſecundæ ſpeciei, nempè de Prioratibus, & parvis Conventibus unitis alicui Monaſterio principali, ſeu ab eo dependentibus, juxta textum *in dict. cap. final. de Capell. Monach.* qui propter hujuſmodi unionem, ac dependentiam largè ſumpto vocabulo dicuntur illius Grangiæ ſeu membra, ut pleniſſimè probatum eſt ſupra in evidentialibus *num. 2. verſic. Aliæ verò ſunt Grangiæ*. Tales enim cùm ſint loca ſacra, & religioſa, cum Eccleſia, Clauſtro, & Campanili, proculduio viſitari poſſunt, ac debent ab Epiſcopo *ut in c. 1. §. 1. de cenſib. lib. 6.* & in Conc. Trid. *cap. 8. ſeſſ. 22.* Et quidem, ſi ſint ſuppreſſæ, cùm ex Bulla Innocentii exemptæ fuerint à juriſdictione, & ſuperioritate Regularium, & ad ſtatum ſæcularem redactæ, viſitari poſſunt ab Epiſcopo jure ordinario; ſi verò non ſint ſuppreſſæ, jure delelegato, ex præcitato Decreto, *Ut in parvis*. Sed quæſtio noſtra non proponitur de his Grangiis, ſecundæ ſpeciei, ſed de Grangiis, quæ ſunt loca ruralia, & merè temporalia, & profana, de quibus abundè actum eſt ſupra in evidentialibus *num. 2.* unde objectum non obſtat.

19 Opponitur tertiò. Inter declarationes dictis Decreti Innocentii X. à Sacra Congregatione ſuper ſtatu Regularium editas, atque ab Alexandro VII. approbatas, extant quinta, ſexta, & ſeptima tenoris infraſcripti, videlicèt: Quintò, an Eccleſiæ dictorum Conventuum, & Capellæ Grangiarum, in quibus degunt Converſi pro agrorum cultura, ab Epiſcopo viſitari poſſint. Sextò, an ipſæ Grangiæ, & Converſi in eis degentes ſubſint viſitationi Epiſcopi. Septimò, quid in Eccleſiis, ſeu Capellis Grangiarum, in quibus nullus degit Converſus, an ſimiliter ſubſint Epiſcopi viſitationi. Ad ſupraſcripta dubia S. Congr. reſpondit, ut ſequitur, videlicet, *Ad quintum Poſſe. Ad ſextum, Subeſſe. Ad ſepimum, itidem Subeſſe.* Cùm igitur præſens quæſtio in præmiſſis declarationibus à Pontifice approbatis appareat deciſa, non videtur de illa ulteriùs diſputandum.

20 At reſpondetur prædictas declarationes eſſe intelligendas de Eccleſiis, & Capellis publicis dumtaxat, non autem de Oratoriis privatis: quod clarè oſtenditur triplici motivo.

Primum eſt, & quidem meo judicio fortiſſimum, quia declarationes illæ emanarunt ad decidendas dubitationes extortas ſuper intelligentia memorati Decreti, ut demonſtrat illarum titulus, ſeu Rubrica, quæ ſic inſcribitur, *Declarationes Decreti ſanctæ memoriæ Innocentii Papæ X. ſuper ſubjectione nonullorum Conventuum juriſidictioni Ordinarii loci, à Sac. Congregatione ſuper ſtatu Regularium editæ, atque à Sanctiſſimo Domino Noſtro Alexandro Papa Septimo approbatæ.* Idemque patet ex initio earumdem declarationum in hæc verba: *Propoſito Decreto fol. rec. Innocentii Papæ X. ſuper ſubjectione nonnullorum Conventuum correctioni, viſitationi, & omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati, contingit dubitari de infraſcriptis.* Hoc autem Decretum nuſquam loquitur de Grangiis primæ ſpeciei, quæ ſunt loca ruralia, & merè temporalia cum privato Oratorio, nec de his ullum facit verbum: ſed loquitur ſolùm de Grangiis ſecundæ ſpeciei, nempè de Conventibus non ſuppreſſis, in quibus non habitant ſex ſaltem Religioſi, & hos ſubjicit juriſdictioni Ordinarii loci, etiam ſi ſint Grangiæ, ſeu membra alterius Monaſterii. Et ſic loquitur de Grangiis, quæ ſunt Conventus formales cum Eccleſia, & Campanili, ut fusè oſtenſum eſt ſupra in evidentialibus *num. 2. §. Aliæ verò Grangiæ*; nullus enim eſt ex his Conventibus non ſuppreſſis, qui non habeat Eccleſiam, ſeu Capellam publicam. Dum ergo Sacra Congregatio declarat Eccleſias Conventuum, & Capellas Grangiarum ſubeſſe viſitationi Epiſcopi, neceſſariò intelligi debet de Eccleſiis, & Capellis publicis, quæ reperiuntur in iſtis Grangiis ſecundæ ſpeciei, de quibus Decretum loquitur. Rubrica enim declarat materiam nigri eſſe illius naturæ, cujus eſt rubrum, Gloſſ. *in cap. 1. in verb. Conſervatores, in princ. & in cap. Si ſuper gratia, in ver. Principalis, verſ. Sed executor, de offic. deleg. lib. 6.* Cùm præſertim non ſolùm in Rubrica, ſed etiam in nigro ipſarum declarationum fiat reſtrictio illarum ad parvos Conventus juriſdictioni Epiſcopi ſubjectos in vim Decreti Innocentii.

Nec refragatur, quòd quinta declaratio loquatur de Capellis Grangiarum, in quibus degunt Converſi pro agrorum cultura, & ſeptima de Grangiis, in quibus nullus degit Converſus. Quoniam ex hoc non ſequitur, ut hæ duæ declarationes intelligi debeant de Grangiis ruralibus primæ ſpeciei. Obſervandum eſt enim multos eſſe Conventus non ſuppreſſos, qui ſunt Grangiæ, ſeu membra alicujus Monaſterii, quive in dies rediguntur ad inopiam propter bella, inundationes aquarum, terræmotus, ſterilitates, vel alios caſus fortuitos, & Superiores Regulares minuunt in illis numerum Religioſorum, & relinquunt unum, vel duos Converſos pro agrorum cultura, & aliquando etiam hujuſmodi Conventus claudunt in totum, vel ob aeris intemperiem, vel per aliquot annos ad augendos redditus, vel pro fabrica perficienda, prout ſunt aliqui in Congregatione Monachorum Cœleſtinorum, & in aliis Religionibus: & tales Conventus, qui largè appellantur Grangiæ, non propterea deſinunt eſſe Conventus, & loca ſacra, & Religioſa cùm ſuis Eccleſiis, ſeu Capellis, ſicut erant ab initio, licèt in eis degant aliqui Converſi tantùm pro agris colendis, aut nullus etiam remaneat Converſus. Unde abſque dubio tales Conventus ſubſunt viſitationi Epiſcopi vigore Decreti Papæ Innocentii, & de talibus Grangiis ſecundæ ſpeciei, & earum Eccleſiis, & Capellis debent intelligi declarationes Congregationis, cùm de illis tantùm loquatur ipſum Decretum, ad cujus declarationem emanarunt Reſolutiones; non autem de Grangiis ruralibus primæ ſpeciei, quæ non ſunt, nec unquam fuerunt Conventus, & de quibus decretum non loquitur.

Secundum motivum eſt, quia Capellæ idem ſunt, quod 21
domus religioſæ, ut notat Abbas *in Rubrica de Capell. Monach.* quinimò Eccleſiæ ipſæ appellantur Capellæ, *ut in c. Cùm Capella, & in cap. Ex ore, de privileg. cum multis ſimilibus*: atque ita cùm hujuſmodi Capellæ ſint loca ſacra, & religioſa, proculdubio ab Epiſcopò ſunt viſitandæ, *ut in c. 1. §. 1. de cenſibus lib. 6.* & in Concilio Tridentino *cap. 8. ſeſs. 22.* & de talibus intelligi debent declarationes Congregationis; non autem de Oratoriis privatis Grangiarum, quæ non ſunt loca ſacra, nec religioſa, nec pia, ut ſupra dictum eſt. Et confirmatur ponderando verba ſeptimi dubii ſuperiùs relati, ibi: *Quid in Eccleſiis ſeu Capellis Grangiarum, in quibus nullus degit Converſus;* nam dictio, *Seu*, ponitur inter ſynonyma, & idem importantia, Clement. *Si Romanus, de præbend.* Clement. *2. de vita, & honeſt. Cleric.* Clement. *1. de cenſibus*, Gemin. *conſ. 115. incipien. ſuper dubio num. 7.* unde patet Congregationem pro eodem habuiſſe Eccleſias, & Cappellas, ſeu publica Oratoria; & meritò, quia talia paſſim nuncupantur Eccleſiæ, nec differunt niſi reſpectu conſecrationis *cap. Omnes Baſilicæ, de conſecrat. diſt. 1.*
ſunt enim publica Oratoria, quæ auctoritate Epiſcopi ſunt 22
erecta, in quibus eſt Rector, vel perſona ibi ordinata ad celebrandum, & publicè celebratur, ſecundùm Innocen. Hoſtien & alios *in d. cap. ult. de cenſ.* quorum verba ſuperiùs retulimus *num. 15.* & quæ habent oſtium immediatè reſpondens in viam publicam, nullum aditum, vel proſpectum in locum privatum, ex ſententia S. Congregationis Concilii; & talibus Oratoriis publicis verificari poteſt verbum, *Capellæ*, de quo loquuntur declarationes ante-

atedictæ; hæc enim dumtaxat, non autem privata Oratoria poſſunt ab Epiſcopo viſitari, ut tenent omnes *in d.c. ultimo* ſupracitati *nu.*15. & patet ex Decreto Concilii Tridentini *de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ ſeſſ.*22. *verſ. Neve patiantur*, ibi, *Et ad divinum tantùm cultum dedicata Oratoria, ab eiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda.*

Tertium motivum eſt, quia ſi declarationes hujuſmodi, quòd Epiſcopus poſſet viſitare Capellas Grangiarum, intelligerentur de Oratoriis privatis, pugnarent de directo cum decretali Gregorii Noni *in d. cap. ultimo de cenſib.* & illam corrigerent, cùm in ea interdicatur Epiſcopo talis viſitatio, ut pleniſſimè in ſuperioribus probatum eſt; hoc autem eſſet abſonum, cùm correctio hujuſmodi ſit vitanda, & expediat jura juribus concordare, *cap. Cùm expediat, de elect. lib.*6. *cum ſimilibus*, ut per Romanum *conſ.*104.*n.*1. *poſt medium, verſ. Hoc autem probatur.*

23 Opponitur quartò, quòd quamvis rurales Grangiæ, & illarum privata Oratoria viſitari non poſſint, videtur tamen expedire, ut ſedes Apoſtolica ſtatuat ſuo peculiari decreto, ut viſitentur, ut per Hoſtienſem *in d.c. ult. num.*4. *de cenſib.* ubi poſtquam dixit (in Grangiis non fieri viſitationem, ſed culturam tantùm,) mox ſubjungit; (Sed quis habet curam ibi inhabitantium? Reſpondeo, de fratribus profeſſis planum eſt, quia Abbas, vel cui hoc committit, & Epiſcopus, ſub quo habitant, niſi forſan ſint exempti, *cap. volentes*, §. *in eos autem, de privileg. lib.*6. Quid igitur de familia, ſcilicet ſæcularibus, & laicis bubulcis, ſervientibus, & ſimilibus? Utique timeo, ne multi periclitentur, quia nec proprio Sacerdoti, nec illi, ſub quo habitant, de licentia proprii Epiſcopi confitentur; ſed quandoque Monachis, qui in tales nullam habent penitùs poteſtatem. Ergo in his per Sedem Apoſtolicam aliter providendum, ex quo non vult, quòd loca talia viſitentur: per hoc tamen poteſt colligi argumentum efficax, quòd viſitanda eſſent.) Hactenùs verba Hoſtienſis.

24 Sed reſpondetur, opinionem Hoſtienſis non placere Joan. Andreæ ibidem in fine, quia, inquit, ſecundùm hoc, idem poteſt dici de omnibus privatis, & ipſorum familia. Concordat Butrius *nu.* 13. dicens, quia ſi per hoc tales eſſent viſitandi, ſequeretur, quòd quilibet Laicus cum familia ſua eſſet viſitandus, quod non eſt dicendum, quia iſta non convertuntur, debet quis accipere ſacramenta, ergo & viſitari debet. Et ſequitur Cardinalis ante numerum primum, ubi ſic ait: (Dicit Joan. Andr. quòd ſecundùm hoc ultimum (loquitur de verbis Hoſtienſis) poſſet argui de omnibus privatis, & ipſorum familia, quòd viſitari deberent, quod eſt abſonum, nec placet; viſitentur enim per Prælatos Eccleſiaſticos ſolùm loca Eccleſiaſtica, & familiæ Eccleſiaſticæ; mercenarii enim non cenſentur de familia, *cap. Per exemptionem, & c. Licèt, verſ. Non ſic, de privileg. lib.*6.)

25 Opponitur quintò, quidquid ſit de viſitatione privati Oratorii, ſaltem non videtur dubitandum, quominùs Epiſcopus poſſit ad illud accedere, ut videat, an teneatur honeſtè, & providere, ut opus fuerit: ita enim docuit Innocentius *in dict. cap. ult. de cenſib. poſt principium*, cujus hæc ſunt verba: (Fatemur tamen, quòd ſi ii, quorum ſunt Oratoria, non teneant ea honeſtè, nec faciant ibi celebrari, poterit Epiſcopus ea deſtruere, *de conſecr. diſtin.*1. *cap. Omnes Baſilicæ, & c. ſeqq.*) & ſequitur ibidem Abb. Antiquus *nu.*2. & Abbas Siculus in fine, ubi ſic ait: (Et credo, quòd licèt Epiſcopus non poſſit viſitare hujuſmodi Oratoria, ut hic; tamen poſſet ad illa accedere, ut videat, quomodo ſe habeant, & ſi præter formam juris conſtructa ſint, & an honeſtè tractentur, ut ſuprà, ſecundùm Innocentium.)

Reſpondetur opinionem Innocentii habere locum in illis tantùm Oratoriis, quę ſunt Deo dicata, & auctoritate Pontificis ædificata ad celebrandum; aliàs contra: ita formaliter declarat ibidem Hoſt. *num.*2 *circa finem*, cum quo tranſeunt Joan. Andr. *num.*3 *verſ. Dicit tamen*, Anton. de Butrio *nu.*8. & Card. *nu* 2. *in* 5. *quæſt. verſ. Si tamen habentes.* Ad privata ergo Oratoria non conſtructa auctoritate Epiſcopi ad celebrandum non poteſt Epiſcopus accedere, ut videat, an teneantur honeſtè, ſecundùm opinionem Hoſtienſis, & ſequacium, quæ fortè eſt de jure verior.

Sed pro concordia dici poſſet opinionem Innocentii, & Abbatis procedere, quando præcedit accuſatio, vel denuntiatio, aut fama publica, quòd Oratorium inhoneſtè teneatur: tunc enim Prælatus poteſt procedere ſuper crimine in judicio accuſationis, vel denuntiationis, aut inquiſitionis, ſecundùm ea, quæ leguntur, & notantur *in cap. Qualiter, & quando, il ſecondo de accuſat.* & ſic poteſt accedere ad Oratorium, ut videat, an conſtet de corpore delicti, ſicut ex hac cauſa accedere poteſt ad domum cujuslibet privati: opinionem verò Hoſtien. & ſequacium vendicare ſibi locum, quando Epiſcopus ſine ullo præcedente judicio vult accedere ad Oratorium, ut videat, an teneatur honeſtè, vel non; tunc enim accedere non poteſt, quia locus non eſt erectus auctoritate Epiſcopi, neque eſt ſacer, neque religioſus, neque piùs, ac proinde poteſtati Epiſcopi minimè eſt ſubjectus, ut ſæpiùs repetitum eſt.

Verùm quicquid ſit de veritate prædictarum opinionum, explorati juris eſt hujuſmodi acceſſum Epiſcopi ad privatum Oratorium non fieri ex cauſa viſitationis: Innocentius enim, & Abbàs, qui concedunt acceſſum, abſolutè excludunt viſitationem: unde illorum ſententia impedire non debet, quominùs reſolvendum ſit Grangias, & illarum privata Oratoria ab Epiſcopo viſitari non poſſe.

Opponitur ſextò & ultimò, Grangiæ Rurales primæ 26
ſpeciei, de quibus nunc agimus, ſaltem videntur viſitari poſſe propter Converſos, qui in eis habitant pro agrorum cultura, ex decreto Sacri Concilii Tridentini *cap.* 3. *ſeſſ.* 6.

Reſpondetur non valere conſequentiam, Converſi in Grangiis degentes viſitari poſſunt, ergo & ipſæ Grangiæ, Inter hæc enim maxima eſt ratio diverſitatis, nam Converſi ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, gloſſ. 1. *in cap. Duo ſunt*, 12. q.3. & gloſſ. 2. *in cap. Ut lex*, 27. q.1. & ex toto tranſlati in forum Eccleſiæ, habentque immunitatem Eccleſiaſticam, & qui eos percutiunt, incidunt in excommunicationem Canonis, *Si quis ſuadente*, ut *cap. Non dubium*, & ibi gloſ. 1. & 2. & Doctores communiter *de ſent. excomm.* Unde nil mirum, ſi à Prælato viſitari, & corrigi poſſunt, ac debent *c. Irrefragabili, & c. Licèt de offic. Ordinar.* At Grangiæ rurales, de quibus eſt quæſtio, non ſunt loca Eccleſiaſtica, ſed merè temporalia, & profana, ut pluribus oſtenſum eſt ſuprà in evidentialibus in principio, *& n.* 8 *&* 15. ac propterea mirum non eſt, ſi viſitari non poſſunt. Et hanc differentiam poſuerunt Hoſt. & alii ſuperiùs relati *in* 4. *oppoſitione*, dum dixerunt planum eſſe, quòd fratres profeſſi in Grangiis degentes ſunt ſub cura Abbatis, & Epiſcopi; ſed loca talia, & eorum familia, bubulci, & ſervientes viſitari non poſſunt, quia poteſtati Epiſcopi non ſubſunt: unde oppoſitio de juriſdictione Epiſcopi in Converſos ad rem præſentem non pertinet.

Sed nihilominùs ut ſciatur, an & quando Converſi, & Monachi degentes in Grangiis ſubſint juriſdictioni Epiſcopi, duo caſus ſunt diſtinguendi.

Primus caſus eſt de Converſis degentibus in Grangiis ſecundæ ſpeciei, id eſt in Conventibus, ſeu Prioratibus dependentibus ab aliquo Monaſterio; & hoc primo caſu ſubdiſtingue: nam aut Conventus, & Prioratus hujuſmodi ſunt ſuppreſſi ex Bulla, *Inſtaurandæ*, Innocentii Decimi, aut non. Si ſunt ſuppreſſi, proculdubio Converſi in eis degentes ſubſunt juriſdictioni Epiſcopi, quia tales Conventus licèt ſint Grangiæ alterius Monaſterii, in Bulla ſeparantur ab omni ſuperioritate, juriſdictione, & alio quocumque jure Regularium, & extincta in eis regularitate, ad ſtatum ſæcularem reducuntur, ut fuſiùs dictum eſt ſuprà *n.*3. unde cùm Converſi in eis degentes habitent extra clauſtra, proculdubio, ſi delinquant, viſitari, puniri, & corrigi poſſunt ab Epiſcopo tamquam Sedis Apoſtolicę delegato in vim pręcitati decreti Concilii Trid. *c.*3. *ſeſſ.*6. Nec refragantur litteræ circulares S. Congregationis, quia tales Conventus anteà ſuppreſſi; & ſæcularizati, per hujuſmodi litteras non fuerunt redacti ad ſtatum regularem, ut aliàs probavimus, & noviſſimè ut audio declaravit S. Congregatio Concilii.

Si verò hujuſmodi Conventus ex prædicta Bulla non ſunt ſuppreſſi, tunc Monachi, & Converſi in eis degentes, jure communi inſpecto viſitari, & corrigi non poſſunt ab Epiſcopo Diœceſano, niſi in defectum Abbatis, ut probatur *in cap. final. de Capell. Monach.* Nam ibi eſt

eſt caſus, quòd Epiſcopus compellit Abbatem, ut revocet Monachos ad clauſtrum Monaſterii à Prioratibus ab eo dependentibus, vel eis ſocios adjungat, & ibidem notat Abbas *nu. 1. in hæc verba*: (Nota quòd correctio Monachorum primo loco ſpectat ad Abbatem, non autem concurrit Epiſcopus cum Abbate, ut ſit locus perventioni: nam ut hic vides, Papa mandat Archiepiſcopo, non ut ipſe compellat Monachos, ſed Abbates, ut per eos Monachi revocentur: ſed in defectum Abbatis poterit Epiſcopus ſupplere, *in cap. Quanto, de off. ordin.*] Hactenùs verba Abbatis. Unde patet ex diſpoſitione juris communis juriſdictionem Epiſcopi in Monachos, & Converſos degentes in his Prioratibus, & Grangiis, non eſſe cumulativam cum Prælatis Regularibus, ſed ſubſidiariam in defectum Abbatis.

Cæterùm quicquid ſit de jure communi, hodie ſecus dicendum eſt, quia in prædicto Decreto Innocentii X. incipien. *Ut in parvis*, ſubjiciuntur viſitationi, correctioni, & omnimodæ juriſdictioni Epiſcopi tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati omnes parvi Conventus non ſuppreſſi, etiam ſi ſint Grangiæ, vel alterius Monaſterii membra, non obſtantibus exemptionibus, & privilegiis, quibus in eo decreto ampliſſimè derogatur; & juriſdictio Epiſcopi in hujuſmodi Conventibus eſt cumulativa cum Superioribus Regularibus, & eſt locus præventioni, ut cenſuit hæc Sacra Congregatio in declarationibus impreſſis in reſponſione ad 11. *& 12. dubium*. Atque ita juriſdictio, quam habet Epiſcopus jure delegato in Regulares degentes in hujuſmodi parvis Conventibus, & Grangiis non ſuppreſſis, ex Bulla Innocentii non eſt ampliùs ſubſidiaria, ſed cumulativa cum juriſdictione ordinaria Prælatorum Regularium, & remanet correcta diſpoſitio juris communis *in d. c. final. de Capell. Monach.*

Secundus caſus eſt in Grangiis merè laicalibus, de quibus inſtituta eſt præſens diſputatio. Et hoc caſu cùm hujuſmodi Grangiæ non ſint loca regularia, & clauſtralia, ſed merè ſæcularia, & profana, planum eſt Converſos in eis commorantes uti degentes extra clauſtra, nullius privilegii prætextu tutos cenſeri, quominùs, ſi deliquerint, ab Ordinario loci tamquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica delegato, ſecundùm Canonicas ſanctiones viſitari, puniri, & corrigi valeant, quæ ſunt formalia verba Concilii Tridentini *in d. cap. 3. ſeſſ. 6.*

Itaque ex omnibus ut ſupra deductis, ac ponderatis, ad propoſitam quæſtionem, ſalvo ſaniori judicio, credimus poſſe reſponderi.

Grangias, in quibus non degunt Monachi, ſed Converſi pro agrorum cultura, earumque privata Oratoria ab Epiſcopo Diœceſano viſitari non poſſe, licèt pertineant ad aliquem Conventum juriſdictioni Epiſcopi ſubjectum in vim prædicti Decreti, *Ut in parvis*. Cæterùm Converſos in ipſis degentes, ſi delinquant, viſitari, puniri, & corrigi poſſe ab Epiſcopo tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato, ad præſcriptum Sacri Concilii Tridentini *d. c. 3 ſeſſ. 6.*

P. Fagnanus.

Conſtitutio fel. rec. Innocentii Papæ Decimi ſuper extinctione, & ſuppreſſione parvorum Conventuum, eorumque ad ſtatum ſæcularem reductione, & bonorum applicatione, ac prohibitione erigendi nova loca Regularia in Italia, & Inſulis adjacentibus.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

INſtaurandæ regularis diſciplinæ opus multis laboribus, ac vigiliis à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris jampridem aſſumptum, nobis in dies magis, magiſque cogitantibus, cur ad optatum finem hucuſque perduci non potuerit, totque ſaluberrima decreta, & ordinationes ferè in irritum ceciderint: illa tandem præcipua ſeſe obtulit originis cauſa, quòd Religiones quamplures ex parvis Conventibus, ac domibus magna ex parte conſtant, in quibus ſive ob reddit□uum, & eleemoſynarum tenuitatem, ſive ob aeris intemperiem, ſive alia ob cauſam non aluntur, nec ali poſſunt tot Religioſi, quot ad peragendum ritè divinum cultum, & regularia munia ex cujuſque Ordinis præſcripto ſunt neceſſarii. Etenim in tam exiguo numero ibi degentes, nec divinum officium nocturnum pariter, & diurnum in Choro celebrare, nec orationi mentali, ac ſpiritualibus collationibus, & exercitiis, ac ſtudiis in commune vacare, ac ſilentium, clauſuram, vitam communem, cæteraſque inſtitutiones ſervare poſſunt, quæ ad tria principalia vota ordinantur, & ſine quibus conſiſtere vix poſſunt regularis vitæ baſes, & fundamenta. Quamobrem otio immerſi nullum Religioſæ vitæ ſpecimen præſeferunt, ſoli incedunt per Urbes, & loca, cùm ſæcularibus vagantur, ac mundanis negotiis ſe involvunt. Indeque fit, ut ibi collocari renuant Religioſi probatæ vitæ, ac diſciplinæ, & Superiores cogantur illic familiam conſtituere ex fratribus vitæ laxioris, qui loci licentia pejores fiunt: & ſi quando ad Cœnobia, ſeu Monaſteria regularis obſervantiæ revocantur, a clauſtro, quaſi a ſqualore carceris abhorrentes, vix adduci poſſunt, ut communem ſervent in moribus diſciplinam, atque aliorum inſtitutionibus ſe conforment, quin potiùs cæteros avertunt, vel certè reddunt ſuo exemplo ſegniores. Unde relaxationes derivantur in ordines, & ſenſim invaleſcunt in ipſarum Religionum dedecus, & ruinam. Prætereà (quod dolentes referimus) ad hujuſmodi Conventus, præſertim in locis infrequentibus, & ſolitariis, tamquam ad aſylum facinoroſi homines, & Curiæ contumaces, vel proſcripti in dies confugiunt, ibique loci immunitate freti turpiter, ac diſſolutè viventes, atque inde in tempore exeuntes, graviora perpetrant flagitia cum maximo Populi ſcandalo. Cùmque Conventus, ſive loca parva hujuſmodi in effrænatam quaſi excreverint multitudinem, hinc licet omnibus intelligere, quæcumque reformationis remedia caſſa fore, & irrita, quandiù non fuerint à Religionibus abſciſſa. Quæ poteſt enim ſpes eſſe corpus languidum, & infirmum ad ſalutem reducendi, ſi magna illius pars eſt curationis incapax? quin potiùs reliquam partem inficit, atque contaminat. Hæc quippè ſunt zizania, quæ cùm jam creverint uſque ad meſſem, ſunt in faſciculos alliganda, & à Religionum tritico ſeparanda. Hæ ſunt vulpes parvulæ, quæ demoliuntur vineas. Hoc eſt fermentum, quod totam maſſam corrumpit. Quæ omnia, atque alia plura pro Paſtorali noſtra ſolicitudine diù, multùmque animo revolventes, ut ſacræ Religiones in multitudinem latiùs incremento fecunditatis per univerſam Eccleſiam diffuſæ, à vepribus, & ſpinis emundatæ urbes germinent fructus: Nos etiam ab ipſiſmet Religionum Superioribus reformationem zelantibus crebris precibus interpellati, & frequentibus Populorum querimoniis permoti ſalutare remedium adhibere conſulta ordinatione decrevimus. Itaque de voto Congregationis aliquorum Venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum ſuper ſtatu Regularium à nobis deputatæ, cui hoc negotium ſedulò, ac maturè examinandum commiſimus, motu proprio, certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes & ſingulos Conventus quorumcumque Monachorum, ac Regularium virorum bona immobilia poſſidentium, vel non poſſidentium, cujuſcumque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & cujuſvis alterius Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, etiam ſi illis animarum cura perſonarum ſæcularium incumbat, ſintve Hoſpitalia, vel Grangiæ, ſeu alterius Monaſterii membra, exiſtentes intra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium, in litteris ab eadem Congregatione propediem expediendis nominatim exprimendos, in quibus ob parvum numerum Religioſorum regularis diſciplina juxta peculiaria cujuſque Ordinis Inſtituta ſervari non poteſt, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò extinguimus, ſupprimimus, & abolemus unà cum omnibus eorum dignitatibus, officiis, ac miniſteriis, illoſque ab omni proprietate, dominio, ſuperioritate, juriſdictione, ac alio quocumque jure Regularium eximimus, & totaliter liberamus, omnemque Conventualita-

litatem, titulum, eſſentiam, ac denominationem regularem in eis penitus extinguentes, illos ad ſtatum ſæcularem reducimus. Reſervata tamen ipſi Congregationi facultate conſervandi Religionibus aliquem ex Conventibus expreſſis in memoratis litteris, ſi hoc ex aliqua rationabili cauſa expedire judicaverit: ſalvis etiam juribus, quæ Fundatoribus Conventuum ſic ſuppreſſorum, vel aliis ex ſacrorum Canonum præſcripto, vel ex privilegio Apoſtolico quomodolibet competunt. Quocirca dilectis filiis quorumcumque Regularium Superioribus, tam Generalibus, quàm Provincialibus, & localibus, quocumque nomine, ac titulo nuncupentur, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipimus, & mandamus, ut ſinguli, ad quos pertinet, infra terminum ſex menſium inchoandum à die præſentationis litterarum à prædicta Congregatione, ut præmittitur, expediendarum faciendæ in Romana Curia Procuratori Generali cujuſque Ordinis, vel Congregationis, aut Societatis, dimittant realiter, & cum effectu coram Ordinariis locorum ſub teſtimonio publico eidem Congregationi per eoſdem Superiores Regulares exhibendo poſſeſſionem corporalem Conventuum in eiſdem litteris expreſſorum; & reſervata eis facultate ſecum aſportandi profanam tantùm, non autem ſacram ſupellectilem, Religioſos inde amoveant, atque in aliis Monaſteriis ejuſdem Ordinis, vel Congregationis, aut Societatis collocent: alioquin pœnas privationis vocis activæ, & paſſivæ, necnon dignitatum, & officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, & perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia in poſterum obtinenda, ipſo facto abſque alia declaratione incurrant. Eoque termino elapſo non liceat Regularibus in Eccleſiis dictorum Conventuum Miſſas, & divina officia celebrare, confeſſiones ſacramentales audire, vel alia Sacramenta adminiſtrare, ac functiones Parochiales exercere, aut verbum Dei prædicare, vel mortuos ſepellire. Quod ſi ſecus egerint, eo ipſo Eccleſiæ remaneant ſuppoſitæ Eccleſiaſtico interdicto. Et nihilominus locorum Ordinarii, ubi per litteras ipſius Congregationis fuerint requiſiti, Religioſos rebelles, & refractarios à prædictis Conventibus ejiciant, etiam invocato, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio: & exinde Eccleſiarum, Domorum, bonorumque omnium ad Conventus ſic ſuppreſſos quomodolibet pertinentium regimen, curam, cuſtodiam, & adminiſtrationem ſuſcipiant, curentque ut ex eorum redditibus, & proventibus univerſis in primis, & ante omnia impleantur onera Miſſarum, tam hucuſque non celebratarum, quàm in poſterum celebrandarum, & alia quæcumque ex lege fundationis, aut largitione fidelium, vel aliàs quomodolibet eis incumbentia, quibus nullo modo derogare intendimus, & cura animarum, ſi qua illis immineat, per Presbyteros ſæculares idoneos ab ipſis Ordinariis approbandos laudabiliter exerceatur, Eccleſiæque debito non fraudentur ſervitio. Cæterùm intendentes de prædictis bonis, quotquot ſuperfuerint oneribus ut ſupra detractis, ſalubriter providere, eorumdem tenore præſentium bona hujuſmodi applicamus, & applicata eſſe decernimus, & declaramus piis uſibus in eiſdemmet locis, ubi ſiti ſunt Conventus, iiſque non indigentibus, in aliis locis ejuſdem Diœceſis juxta deſignationem, & partitionem, quàm eadem Congregatio, ſingulorum Epiſcoporum cum ſuis Capitulis ſententia priùs audita, & plena totius negotii relatione habita, de mandato noſtro faciet in ſuis litteris ad eoſdem Epiſcopos ſcribendis, & in Cancellaria Epiſcopali regiſtrandis ad perpetuam rei memoriam. Verùm quia parum eſt mala præcidere, niſi etiam malorum cauſa, & radix evellatur, Conſtitutiones fel. record. Bonifacii VIII. quæ incipit, *Cum ex eo*, necnon Clementis VIII. incipien. *Quoniam ad inſtitutam*, aliorumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum ſuper erectione novorum Conventuum editas earumdem tenore innovantes, illiſque addentes, hoc perpetuò prohibemus edicto, ne deinceps aliquis Regularium Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & cujuſvis alterius Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, in aliqua Civitate, Caſtro, Villa, ſeu loco ad habitandum Domos, vel loca quęcumque de novo recipere, ſeu Monaſteria, Conventus, vel Collegia incipere, vel fundare præſumat abſque Sedis Apoſtolicæ licèntia ſpeciali plenam, & expreſſam faciente de prohibitione hujuſmodi mentionem in ſcriptis, & gratis concedenda, prævia examinatione Congregationis negotiis Epiſcoporum, ac Regularium præpoſitæ: ſi ſecus egerint, eo ipſo incurrant pęnas privationis, & inhabilitatis, ut ſupra inflictas: & nihilominùs receptiones, & fundationes, & erectiones ſint ipſo jure nullæ, & invalidæ; & Domus, ac loca ipſa, & perſonæ in eis degentes omnimodæ juriſdictionis, viſitationi, & correctioni Ordinarii loci plenè in omnibus ſubjaceant. Intendimus autem in præmiſſis etiam ultra Italiam, & Inſulas adjacentes, prout expedire viderimus, providere. Decernentes præſentes litteras etiam ex eo, quòd Superiores Regulares, & cæteri quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, & auditi fuerint, nullo unquam tempore de ſubreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, in excogitato, ac ſubſtantiali, ſive etiam ex eo, quòd in præmiſſis, ſeu eorum aliquo ſolemnitates, & quævis alia ſervanda, & adimplenda ſervata, & adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite à jure, vel facto, & ſtatuto, vel conſuetudine aliqua reſultante, ſeu etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, aut quocumque alio colore etiam in corpore juris clauſo, ſeu occaſione, vel cauſa quantumvis juſta, rationabili, & privilegiata etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmiſſorum neceſſariò exprimenda foret, aut quòd de voluntate noſtra, hujuſmodi, & aliis ſuperiùs expreſſis, ſeu relatis nihil ullibi appareret, ſeu aliter probari poſſet, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adverſus illas reſtitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, facti, gratiæ, vel juſtitiæ remedium impetrari, ſeu quomodolibet conceſſo, & impetrato quempiam uti, ſeu ſe juvare in judicio, vel extra poſſe, neque ipſas præſentes ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus prò tempore quomodolibet faciendis comprehendi; ſed ſemper ab illis exceptas, perpetuòque validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac per omnes, & ſingulos, ad quos ſpectat, & quomodolibet ſpectabit in futurum, inviolabiliter obſervari. Sicque, & non aliter in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Sacri Palatii Apoſtolici Auditores, necnon Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos & Nuntios, ac alios quavis auctoritate, & poteſtate fungentes nunc, & pro tempore exiſtentes in quavis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi facultate judicari, & diffiniri debere; irritum quoq; & inane decernentes, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus quatenùs opus ſit, Regula noſtra de non tollendo jure quæſito, aliiſque Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, cæteriſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis etiam in Conciliis generalibus editis, etiam ſpecialiter in favorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Societatum, & cujuſvis alterius Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, & Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcumque, necnon illorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, vel conſuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis etiam ex cauſa, & titulo oneroſo, vel in limine fundationis, & in Mari magno, ſeu Bulla aurea, aut aliter nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & cùm quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis etiam motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, & quorumvis aliorum Principum, & perſonarum quacumque Eccleſia-

ſtica, vel ſæculari dignitate fulgentium, ſeu eorum intuitu, & contemplatione, ac etiam conſiſtorialiter, & alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis quoad ea, quæ præſentibus quomodolibet adverſantur, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, individua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut quævis exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitùs omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, motu, ſcientia, deliberatione, ac poteſtatis plenitudine paribus ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quòd præſentes litteræ in valvis Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in Acie Campi Floræ de eadem Urbe publicentur, & affigantur, quæ poſtquam affixæ, & publicatæ fuerint, omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perindè arctent, & afficiant, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent. Quòdque earumdem preſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ ordinationis, extinctionis, ſuppreſſionis, abolitionis, exemptionis, liberationis, reductionis, præcepti, mandati, intentionis, reſervationis, applicationis, declarationis, prohibitionis, derogationis, ac voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo, Idib. Octobris, Pontificatus Noſtri Anno Nono.

Hi. Datarius.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Viſa de Curia N. Humbretus.

G. Gualterius. C. Bailly.

Anno à Nativitate D. N. JESU Chriſti 1652. Indictione quinta, Pontificatus Sanctiſs. in Chriſto Patris, & D. N. D. Innocentii Divina Providentia Papæ X. Anno ejus nono, die verò 22. menſis Octobris, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit in Eccleſiæ Lateranen. ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ Valvis, ac in acie Campi Floræ, & in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Hieronymum Maſcellam S. D. N. PP. Curſ.

Pro Mag. Curſ. Laurentius Barbgionus.

28 *Lettera circolare della Sacra Congregazione ſopra lo ſtato de Regolari ſcritta a' Veſcovi d'Italia, e dell' Iſole adjacenti intorno alla ſuppreſſione, & applicatione de' piccoli Conventi.*

IN eſſecutione della Conſtituzione di Noſtro Signore, che viene quì aggiunta, la S. Congregazione deputata da Sua Santità ſopra lo ſtato de Regolari hà dichiarato, che in coteſta Dioceſe rimangono ſuppreſſi li Conventi infraſcritti, cioè, &c. Et intendendo appreſſo di ripartire i loro beni in uſi pii nell' iſteſſi luoghi, ove i Conventi ſono ſituati, & non avendo quelli di biſogno, in altri luoghi dell' iſteſſa Dioceſe, con la relazione, e parere di V. S. e del Capitolo di coteſta ſua Cathedrale, come ſi ordina nella medeſima Conſtituzione. Dovrà perciò V. S. conſultare con il detto ſuo Capitolo, & unitamente eſaminare con ogni più eſqueſita diligenza, in quali uſi pii ſia bene di fare il ſudetto ripartimento, con aver particolari riguardo alla tenuità delle Chieſe Parochiali, alla deputazione de' Coadjutori per la cura dell' Anime, e de Capellani per la celebrazione delle Meſſe, al mantenimento del Seminario, degl' Oſpitali, de' Monaſterii di Monache, ed altri, che ſtimaſſero di maggior gloria di Dio, e benefizio ſpirituale dell' Anime, con eſprimere diſtintamente a Convento per Convento la forma del ripartimento, e diſtribuzione, che giudicheranno doverſi fare in ciaſcheduno delli uſi pii ſopraccennati, e ne traſmetta poi quanto prima la relazione in ſcrittura fermata da lei, e dal medeſimo ſuo Capitolo, che a queſto effetto, e per maggior ſuo lume ſe le mandano quì uniti li ſtati di detti Conventi già traſmeſſi à queſta Sacra Congregazione da i Regolari medeſimi, della verità, e ſuſſiſtenza de' quali ſarà ancor bene, che V. S. s' informi eſtragiudizialmente per poter dar la ſua relazione più ſicura, & aggiuſtata alla ſanta mente di Sua Beatitudine, con avviſar ancora ſe coſtì vi ſiano altri Conventi oltre li ſopranominati, ne' quali attualmente non ſi mantengono, nè ſi poſſano mantenere tanti Religioſi, che baſtino per l' oſſervanza della diſciplina Regolare. Eſeguiſca il tutto con quella pontualità, & accuratezza, che richiede l' importanza di un tanto affare, e che la Sacra Congregazione ſi promette dal ſuo buon zelo, e ſingolar divozione a queſta Santa Sede. Dio là proſperi.

Di Roma a' 10. di Decembre 1652.

Lettera circolare della Sacra Congregazione ſopra lo ſtato de' Regolari ſcritta a' Veſcovi d' Italia, e dell' Iſole adjacenti intorno a' Membri, e Grangie de Monaſterii. 29

NElla Bolla di Noſtro Signore nuovamente publicata ſopra l' eſtenzione, e ſuppreſſione de piccoli Conventi ſono anche compreſi li Membri de' Monaſterii, e le Grangie eſiſtenti in coteſta Dioceſe, dove per il poco numero de Religioſi non può ſecondo i proprii Inſtituti delle Religioni oſſervarſi la diſciplina Regolare, ancorche habbiano anneſſa la cura dell' Anime, o ſiano Parochiali, e ſpecialmente l' infraſcritte, cioè, &c. E però dovendo i Superiori Regolari rimovere dalli Membri, Grangie, e Parochiali tanto eſpreſſe di ſopra, quanto da ogn' altra ſimile non eſpreſſa li Religioſi che vi dimorano, e collocarli ne' Monaſterii di oſſervanza: La Sacra Congregazione deputata da Sua Beatitudine ſopra lo ſtato de' Regolari a ordinato, che io ſcriva a V. S. che per l' avvenire non permetta, che in detti Membri, Grangie, e Parochiali habiti alcun Sacerdote, o Chierico profeſſo, permettendo ſolo la Santità Sua, che i Superiori Regolari quando non habbiano perſone ſecolari idonee, e fedeli di loro ſodisfazione, delle quali poſſano ſervirſi per la cura, & amminiſtrazione di quei beni, liberamente poſſano in ciò valerſi dell' opera de' loro Converſi, o Laici profeſſi di buon eſempio fino ad altr' ordine di Sua Beatitudine, e con queſto, che nelle Chieſe, o Capelle di detti Membri, e Grangie, dove fin' hora è ſtato ſolito di celebrarſi la Meſſa, vi facciano celebrare anche per l' avvenire almeno le Domeniche, e feſte di Precetto da Sacerdoti Secolari, ed anche da Regolari, purche non pernottino fuori de' Monaſterii. Parimente nelle Grangie, e Membri, che in qualunque modo hanno anneſſa la cura dell' anime, e ſono Parochiali, non vole la Santità di Noſtro Signore, che detta Cura ſi eſerciti in modo alcuno da Regolari, ma che V. S. deputi a tal effetto Sacerdoti Secolari idonei in Vicarii amovibili, o perpetui, come a lei parerà più eſpediente per il buon governo delle Chieſe da nominarſi da' Superiori de' Monaſterii, a' quali le dette Grangie, e Membri s' appartengono, e da approvarſi da V. S. con l' aſſegnamento di una congrua porzione a ſuo arbitrio ſopra i frutti de gl' iſteſſi Membri, o Grangie, conforme alla diſpoſizione del Sacro Concilio di Trento. Non intende però Sua Santità, che dalla detta eſtinzione, e ſuppreſſione, nel poſſeſſo, e proprietà de' beni, ed altre ragioni di eſſi Membri, e Grangie ſia generato alcun pregiudizio a i loro Monaſterii principali, a' quali di ragione ſi devino; ma che detratta la detta congrua, e ſodisfatto a' peſi delle Meſſe, ed altri oblighi, che vi ſaranno, il rimanente reſti a commodo, ed utilità de' Monaſterii ſudetti. Significo il tutto a V. S. perche non manchi di adempire le ſue parti in eſſecuzione dell' ordine, e ſanta mente di Sua Beatitudine. E Dio la proſperi.

Di Roma a' 30. di Maggio 1653.

De-

30 *Decretum fel. rec. Innocentii Papæ Decimi ſuper ſubjectione nonnullorum Conventuum Iuriſdictioni Ordinarii Loci, tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati.*

UT in parvis Regularium Virorum Conventibus, à Sanctiſſimo Domino Noſtro Innocentio Papa X in Conſtitutione, quæ incipit, *Inſtauranda*, primum ſuppreſſis, ac deindè ad ipſius Conſtitutionis limites ob rationabiles cauſas in priſtinum ſtatum regularem reſtitutis, & ipſis Religionibus denuò conceſſis, piè, & religioſè vivatur, ac regularia inſtituta, quò exactiùs fieri poteſt, obſerventur: Sanctitas ſua ex ſententia Sacræ Congregationis ſuper ſtatu Regularium omnes, & ſingulos Conventus hujuſmodi ſic, ut præfertur, reſtitutos, & conceſſos, in litteris ab eadem Sac. Congregatione expediendis nominatim exprimendos, ac perſonas tam Regulares, quàm ſeculares in eis degentes viſitationi, correctioni, & omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci, tamquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica delegati, præſentis Decreti tenore plenè in omnibus ſubjecit, ac ſubjectos eſſe declaravit, donec ipſorum redditus eouſque adaucti fuerint, ut in eis commodè ſuſtentari valeant, & cum effectu ſuſtentententur duodecim Religioſi ad Apoſtolicorum Decretorum præſcriptum; idque eidem Sacræ Congregationi legitimè conſtiterit, & ejus Decreto in ſingulis contingentibus caſibus declaratum fuerit, & non aliter. Intereà verò voluit Sanctitas Sua, ut in eorum ſingulis ali debeant, & re ipſa alantur ſex ſaltem Religioſi probatæ vitæ, ex quibus quatuor ad minùs ſint Sacerdotes maturæ ætatis: alioquin gratia reſtitutionis, & conceſſionis hujuſmodi nulla ſit, & invalida, & Ordinarii locorum in illis exequi poſſint, ac debeant ea omnia, quæ in aliis Conventibus itidem ſuppreſſis per eamdem Conſtitutionem ipſis demandantur, perindè ac ſi gratia prædictæ reſtitutionis, & conceſſionis non emanaſſet. Inſuper quia multi Conventus, in quibus & ſi præfixus fuerit numerus Religioſorum ſufficiens ad obſervantiam regularis diſciplinę, & idcircò in ſuppreſſione antedicta non fuerint comprehenſi, nihilominùs ſive ob redditimum diminutionem, ſive ob Superiorem incuriam, vel malam adminiſtrationem, ſive ob carentiam Religioſorum, aut aeris intemperiem, vel quamcumque aliam ob cauſam prædictus numerus cum effectu in eis non alitur cum gravi detrimento regularis obſervantiæ: Sanctitas Sua intendens huic malo remedium adhibere, omnes, & ſingulos ejuſmodi Conventus, ut præfertur, non ſuppreſſos, cujuſcumque ſint Ordinis tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationis, & inſtituti, etiam Societatis JESU, aut Grangiæ, ſeu membra alterius Monaſterii, exiſtentes intra fines Italiæ, & inſularum adjacentium, in quibus non aluntur, vel quandocumque actu non alentur ſaltem ſex Religioſi itidem probatæ vitæ, quorum ad minùs quatuor ut ſupra ſint Sacerdotes maturæ ætatis, eidem viſitationi, correctioni, & omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci ſimiliter ut Sedis Apoſtolicæ delegati plenè in omnibus præſentis pariter Decreti vigore ſubjectos eſſe ſtatuit, decrevit, & declaravit. Cæterùm quoad Conventus cùm pauciori numero, quàm duodecim Religioſorum, erectos poſt diem 21 Junii 1625. & illorum ſubjectionem loci Ordinario, Sanctitas Sua voluit in ſuo robore permanere Decretum ſanct. mem. Urbani Octavi juſſu editum, cui per præmiſſa aliquatenus derogari non intendit. Et prædicta omnia, & ſingula in præſenti Decreto ſtatuta, & ordinata voluit plenarium ſortiri effectum, & executioni mandari non obſtantibus omnibus, & ſingulis, quæ in antedicta Conſtitutione voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ die 10. Februarii 1654.

B. Card. Spada.

Loco † Sigilli.

Proſper Fagnanus S. Congr. Secr.

Anno à Nativitate D. N. JESU Chriſti 1654. Indictione ſeptima, Pontificatus autem Sanctiſs. in Chriſto Patris, & D. N. D. Innocentii Divina Providentia Papæ X. die verò menſis Februarii, ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit in Eccleſiæ Lateranen. ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ valvis, ac in acie Campi floræ, & in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Petrum Paulum Deſiderium Apoſt. Curſorem.

Pro D. Mag. Cur. Joſeph Marcheratus Curſ.

Proſp. Fagnan. in III. Lib. Decretal.

Declarationes Decreti fel. rec. Innocentii Papæ Decimi ſuper ſubjectione nonnullorum Conventuum Iuriſdictioni Ordinarii Loci à Sacra Congregatione ſuper ſtatu Regularium editæ, atque à ſanct. mem. Alexandro Papa Septimo approbatæ. 31

POſito Decreto fel. rec. Innocentii Papæ Decimi ſuper ſubjectione nonnullorum Conventuum correctioni, viſitationi, & omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, contingit dubitari de infraſcriptis.

1 An Epiſcopus in Conventibus ſuæ juriſdictioni ſubjectis poſſit Abbates, Priores, Guardianos, & alios Superiores locales deputare, & familiam conſtituere.

2 An poſſit Epiſcopus à prædictis Conventibus Religioſos amovere.

3 An Regulares eorumdem Conventuum compelli poſſint ab Epiſcopo ad exhibendos libros introitus, & exitus, & reddendas rationes adminiſtrationis.

4 An Epiſcopus in eiſdem Conventibus ſe ingerere poſſit in his, quæ regularem diſciplinam concernunt.

5 An Eccleſiæ dictorum Conventuum, & Capellæ Grangiarum, in quibus degunt Converſi pro agrorum cultura, ab Epiſcopo viſitari poſſint.

6 An ipſæ Grangiæ, & Converſi in eis degentes ſubſint viſitationi Epiſcopi.

7 Quid in Eccleſiis, ſeu Capellis Grangiarum, in quibus nullus degit Converſus, an ſimiliter ſubſint Epiſcopi viſitationi.

8 An liceat Epiſcopo viſitare Conventus tam ſuppreſſos, & poſteà reſtitutos, quàm non ſuppreſſos, ad effectum cognoſcendi, an in illis re ipſa alantur ſex Religioſi.

9 An Epiſcopus viſitans hujuſmodi Conventus ſuæ juriſdictioni ſuppoſitos, aut perſonas in eis degentes, poſſit à viſitatis procurationem exigere in victualibus, vel in pecunia.

10 An juriſdictio Ordinariis locorum tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatis attributa in ſupradicto Decreto competat Vicariis generalibus Epiſcoporum, necnon Abbatibus, & aliis inferioribus Prælatis proprium Territorium, ac juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus.

11 An Provinciales, & alii Superiores Regulares poſſint ejuſmodi Conventus juriſdictioni Ordinarii ſubjectos & Religioſos in illis degentes viſitare, corrigere, & punire, omnemque juriſdictionem in eos exercere, ſicut poterant ante dictum Decretum.

12 Si ſuperior Regularis in cauſa prævenerit contra ſubditum degentem in aliquo ex eiſdem Conventibus Ordinario ſubjectis, fabricando proceſſum, vel eum carceri mancipando, an Epiſcopus poſſit hujuſmodi cauſam reaſſumere, ac Superiori inhibere.

13 Si è converſo Epiſcopus prævenerit in cauſa contra Religioſum in tali Conventu commorantem, an Superiori Regulari eo caſu liceat illum amovere, & in alio Conventu collocare; & ſi de facto collocaverit, an nihilominus Epiſcopus poſſit cauſam proſequi, ac Religioſum ſic amotum revocare ad primum Conventum.

14 Si Provincialis, vel Superior localis voluerit aliquem ex Fratribus à tali Conventu removere, an Epiſcopus prohibere poſſit.

15 Si à Conventu primùm ſuppreſſo, ac deindè Religioni reſtituto abſint ex aliqua rationabili cauſa, & ad breve tempus unus, vel plures ex numero ſex Religioſorum ibi degentium, an gratia reſtitutionis ſit nulla, & Conventus remaneat ſuppreſſus ut priùs.

16 Quid ſi à Conventu non ſuppreſſo ſimiliter ex cauſa rationabili, & ad modicum tempus abſit aliquis è ſex Religioſis ibi exiſtentibus, an durante tali abſentia, Conventus ſubjaceat juriſdictioni Ordinarii.

17 An Religioſo illo redeunte, vel aliàs impleto numero

mero ſex Religioſorum, Conventus recuperet priſtinam exemptionem.

18 Si gratia reſtitutionis Conventus ſuppreſſi reddatur nulla ex eo, quòd in illo ad formam Decreti cum effectu non alantur ſex Religioſi; & poſteà contingat, ut ejuſmodi numerus impleatur, an gratia reſtitutionis Conventus reviviſcat.

19 Ad hoc, ut gratia reſtitutionis ſit nulla, & Conventus denuò remaneat ſuppreſſus, propterea quòd in eo non ſuſtententur ſex Religioſi, an debeat præcedere declaratoria Epiſcopi ſuper facto, prævia cauſæ cognitione.

20 An ab hujuſmodi declaratoria liceat Regularibus ad Sedem Apoſtolicam appellare, ad effectum tam devolutivum, quàm ſuſpenſivum.

21 Cùm ex Decreti præſcripto quatuor Sacerdotes in his Conventibus degentes debeant eſſe maturæ ætatis, quenam dicatur ad hunc effectum ætas matura.

Sacra Congregatio ſuper ſtatu Regularium ad ſingula dubia ſuperiùs propoſita hunc in modum reſpondit, videlicet.

AD 1. Non poſſe.

Ad 2. Poſſe ex rationabili cauſa, commonito tamen priùs Superiore Regulari, ad quem pertinet, ut eoſdem Religioſos aſſignet in aliis Conventibus.

Ad 3. Poſſe compelli.

Ad 4. Poſſe.

Ad 5. Poſſe.

Ad 6. Subeſſe.

Ad 7. Itidem ſubeſſe.

Ad 8. Minimè licere, antequam aliundè conſtet de fundamento intentionis Epiſcopi in deficientia numeri conſtituto.

Ad 9. Expedire, ut Sanctiſſimus Dominus Noſter decernat, & declaret non licere Epiſcopo tales Conventus viſitanti quicquam accipere procurationis nomine.

Ad 10. Competere.

Ad 11. Poſſe ſicut priùs, non tamen privativè ad Epiſcopum.

Ad 12. Non poſſe, niſi ex juſta cauſa, veluti cùm videt Superiorem Regularem ex odio, vel amore, cupiditate, vel metu, aut ex nimia ſeveritate, vel indulgentia quid duriùs, aut remiſſiùs conſtituere, quàm cauſa depoſcit; in quo ipſius Epiſcopi conſcientia oneratur.

Ad 13. Non licere Superiori Regulari Religioſum ab Epiſcopo inquiſitum à loco amovere, & ſi amotus fuerit, poſſe Epiſcopum cauſam proſequi, & illum quibuſcumque remediis revocare, etiam invocato auxilio Ordinarii, & brachio ſæculari, ſi opus fuerit, cujuſcumque loci, in quo Religioſus ille reperiatur.

Ad 14. Non poſſe

Ad 15. Gratiam ob id non eſſe nullam, ceſſante omni fraude, nec Conventum remanere ſuppreſſum.

Ad 16. Subjacere durante abſentia.

Ad 17. Recuperare.

Ad 18. Non reviviſcere.

Ad 19. Debere ita præcedere, nec ante declaratoriam licere Epiſcopo Conventus poſſeſſionem apprehendere, aut Religioſos inde expellere.

Ad 20. Licere ad effectum devolutivum tantùm, non autem ſuſpenſivum.

Ad 21. Ætatem maturam dici ad hunc effectum completo anno quadrageſimo.

Declarationes ſupraſcriptas Sanctiſſimus Dominus Noſter ad ſe relatas approbavit, & ab omnibus, ad quos pertinet, obſervari præcepit, contrariis quibuſcumque non obſtantibus.

Datum Romæ die 17. Julii 1655.

B. Card. Spada.

Loco † Sigilli.

Proſper Fagnanus S. Congreg. Secr.

Anno à Nativitate D. N. JESU Chriſti 1655. Indictione octava, Pontificatus autem Sanctiſſ. in Chriſti Patris, & D. N. D. Alexandri Divina providentia Papæ ſeptimi anno ejus primo, die verò ſexta menſis Auguſti, ſupradictas Declarationes affixas, & publicatas fuiſſe in Eccleſia Lateranen. & Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ Valvis, ac in acie Campi Floræ, & in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Laurentium Lazzonium Apoſtolicum Curſorem.

Pro D. Mag. Curſorum A. Caſtruccius

Decretum ſanct. mem. Alexandri VII. prohibens Epiſcopis Viſitantibus parvos Regularium Conventus, ne aliquid accipiant procurationis nomine, 32

CUm Sacra Congregatio ſuper ſtatu Regularium aliàs conſulta, an Epiſcopus viſitans parvos Conventus ſuæ juriſdictionis ſuppoſitos, aut perſonas in eis degentes ad præſcriptum Decreti ſanct. mem. Innocentii X. quod incipit, *Ut parvis*, poſſit à viſitatis procurationem exigere in victualibus, vel in pecunia; dixerit expedire, ut Sanctiſſimus Dominus Noſter decernat, & declaret non licere Epiſcopo tales Conventus viſitanti quicquam accipere procurationis nomine: Sanctitas Sua Congregationis ſententia audita, eam expreſsè approbavit, noluitque licere Epiſcopis hujuſmodi Conventus viſitantibus aliquid accipere procurationis nomine, ſeu in pecunia, ſeu in victualibus; & ita obſervari præcepit, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis etiam in corpore Juris clauſis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ die 25. Junii 1664.

M. A. Card. Franciottus.

Loco † Sigilli.

Proſper Fagnanus Secr.

Decretum Sacræ Congregationis ſuper ſtatu Regularium circa Vicarias Parochialium in Grangiis Monaſteriorum. 33

AD dirimendas controverſias, quæ circa Vicarios curam animarum exercentes in ſuppreſſis Grangiis Monaſteriorum, & circa congruam ipſis Vicariis aſſignandam, inter Superiores Regulares, & locorum Ordinarios in dies oriuntur occaſione Conſtitutionis fel. rec. Innocentii X. incipien. *Inſtauranda*, & litterarum circularium deſuper emanatarum ſub die 30. Maji 1653. Sacra Congregatio ſuper ſtatu Regularium, Sanctiſſimo Domino Noſtro approbante, præſenti Decreto ſtatuit, ut in poſterum minimè liceat ipſis Ordinariis locorum ex quavis cauſa, vel prætextu, aut quæſito colore Vicarias perpetuas ab eis, vel eorum Prædeceſſoribus in prædictis ſuppreſſis Grangiis conſtitutas facere amovibiles, nec viceverſa conſtitutas amovibiles facere perpetuas, abſque licentia ipſius Sacræ Congregationis; nec congruam portionem, quam ſemel Vicariis perpetuis, vel amovibilibus earumdem Grangiarum ſive in quantitate, aut quota fructuum, ſive in pecunia numerata, ſive alia re ſtabili ipſi Ordinarii, vel eorum Prædeceſſores ſemel conſtituerint, ſeu aſſignaverint, quoquomodo augere, vel minuere, aut immutare, Sacra ipſa Congregatione inconſulta decernens irritum, & inane, ſi ſecus ab iis ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Ac ſimiliter Superioribus Regularibus minimè fas ſit cum ipſis Vicariis jam deputatis, ſeu deinceps deputandis publicas, aut ſecretas pactiones, ſeu conventiones inire ſuper diminutione, aut alteratione, ſeu variatione dictæ congruæ, eaſque pactiones, ſeu conventiones, tamquam de ſimoniaca labe, atque avaritia ſuſpectas, Sacra Congregatio omninò rejicit, atque interdicit, eoſque qui contrafecerint, pœnis adverſus ſimoniacos editis teneri decernit, contrariis quibuſcumque non obſtantibus.

Datum Romæ die 8. Octobris 1670.

V. Card. Carpineus.

Loco † Sigilli.

Proſper Fagnanus Secr.

Die

Die 25. Octobris 1670. ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ, in acie Campi Floræ, & in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Carolum Franceſchinum Sanctiſſ. D. N. Papæ Curſorem.

Joſeph Pizzardus M. Curſorum.

DECLARATIONES.

Sacræ Congregationis ſuper ſtatu Regularium circa juriſdictionem Ordinarii in Grangiis Monaſteriorum, illarumque Eccleſiis, & publicis Oratoriis.

POſita Conſtitutione fel. rec. Innocentii Decimi, quæ incipit, *Inſtaurandæ*, necnon illius Decreto incipiente, *Ut in parvis*, contingit dubitari de infraſcriptis.

Primò. An Grangiæ ex dicta Conſtitutione Innocentii ſuppreſſæ, & ad ſtatum ſæcularem reductæ, illarumque Eccleſiæ, & publica Oratoria poſſint ab Ordinario viſitari.

II. Et quatenùs poſſint, an hoc jus Ordinario competat privativè quoad Superiores Regulares, an verò cumulativè cum ipſis.

III. Et quid ſi prædictis Eccleſiis cura animarum incumbat.

IV. An Superiores Regulares poſſint in dictis Eccleſiis curam animarum habentibus nominare Vicarios ad curam animarum exercendam, eoſque ad nutum amovere.

V. An Grangiæ, ſeu membra alicujus Monaſterii numquam ſuppreſſa, in quibus non degunt ſaltem ſex Religioſi, ſubſint Juriſdictioni, ac Viſitationi Ordinarii loci privativè, an cumulativè cum Superioribus Regularibus.

Die 11. Septembris 1670. Sacra Congregatio ſuper Statu Regularium ad ſingula dubia ſuperiùs propoſita in hunc modum reſpondit, videlicet

Ad primum. Grangias, ut præfertur, ſuppreſſas, & ad ſtatum Sæcularem reductas, illarumque Eccleſias, publica Oratoria poſſe ab Ordinario viſitari, dummodò in iis Grangiis, quarum proprietas fuit reſervata, vel reſtituta principalibus Monaſteriis, idem Ordinarius nullo modo ſe ingerat in temporalibus.

Ad ſecundum. Quoad Eccleſias, & Oratoria publica jus viſitandi competere Ordinario privativè; quoad Converſos autem in eis degentes cumulativè, Ordinario ſcilicet jure delegato ad formam S. Concilii Tridentini, Regularibus verò jure ordinario.

Ad tertium. Itidem quoad Eccleſias dictarum Grangiarum curam animarum habentes jus viſitandi Ordinario competere privativè: ſed quoad Converſos in eis degentes hoc jus competere cumulativè, nempè Ordinario tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato, Regularibus verò auctoritate ordinaria.

Ad quartum. Superiores Regulares poſſe hujuſmodi Vicarios nominare, & illos ad nutum amovere, ſi Ordinarius loci ab initio illos deputaverit amovibiles.

Ad quintum. Grangias, ſeu Membra alicujus Monaſterii numquam ſuppreſſa, in quibus non degunt ſaltem ſex Religioſi, ſubeſſe juriſdictioni, ac Viſitationi Ordinarii loci, ac Superiorum Regularium cumulativè, videlicet Ordinario tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegato ex prædicto Decreto, *Ut in parvis*, Regularibus autem jure ordinario.

V. Card. Carpineus.

P. Fagnanus Secr.

DECLARATIONES.

Sacræ Congregationis ſuper ſtatu Regularium circa juriſdictionem Epiſcopi in parvis Conventibus.

EPiſcopus viſitavit Conventum ſuæ juriſdictioni ſubjectum in vim Decreti fel. rec. Innocentii Decimi incipientis, *Ut in parvis*. propterea quòd tunc temporis ibi non erant de familia, nec re ipſa alebantur ſex Religioſi. Sed poſt abſolutam viſitationem, ſine ulla fraude a Superioribus Regularibus in eodem Conventu adaucta eſt familia, & impletus numerus ſex Religioſorum, ſicque Conventus exemptionem recuperavit, juxta declarationes Sac. Congregationis ſuper ſtatu Regularium, nempè decimam ſextam, & decimam ſeptimam inter impreſſas.

Hoc poſito. conſulitur Sacra Congregatio de infraſcriptis.

Primò. An poſt exemptionem, ut præfertur, recuperatam Epiſcopus poſſit hujuſmodi Conventum viſitare ad effectum, ut videat, an ordinationes, & decreta ab ipſo edita in viſitatione præcedenti fuerint adimpleta, nec ne.

II. Anve poſſit decreta non adimpleta exequi, & pro illorum executione pœnas adjicere, & aggravare.

III. Et quatenùs poſſit, an hæc facultas, quæ ex dicto Decreto, *Ut in parvis*, competit Epiſcopo tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato, expiret lapſo integro anno à die publicationis Decretorum.

IV. An Epiſcopus poſt exemptionem à Conventu recuperatam poſſit condemnare, & punire etiam pœna corporis afflictiva Religioſum, qui pro delicto in curia Epiſcopali fuerat inquiſitus, & carceri mancipatus eo tempore, quo Conventus erat juriſdictioni Epiſcopi ſubjectus.

Die 19. Novembris 1671. S. Congregatio ſuper ſtatu Regularium ad ſingula dubia ſuperiùs propoſita reſpondit, ut ſequitur, videlicet.

Ad primum. Poſteaquàm Conventus exemptionem recuperavit, Epiſcopum nequaquam poſſe illum viſitare etiam ad effectum, ut videat, an decreta edita in præcedenti viſitatione fuerint executioni mandata.

Ad ſecundum. Itidem non poſſe poſt hujſmodi exemptionem decreta non adimpleta exequi, minùſque pęnas adjicere, & aggravare pro illorum executione.

Ad tertium. Juriſdictionem ex dicto Decreto, *Ut in parvis*, Epiſcopo attributam in Conventu non habente Religioſorum numerum ibi præſcriptum, expirare eo ipſo, quòd Conventus ob familiam ſine fraude adauctum, & impletum numerum Religioſorum præfixum exemptionem recuperavit.

Ad quartum. Cùm contra dictum Religioſum non ſolùm cauſa, ſed etiam perſona ſit præventa eo tempore, quo Conventus erat ſubjectus juriſdictioni Epiſcopi, & exemptio ſuperveniens non invenerit eum liberum, utique Epiſcopum tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatum poſſe hujuſmodi cauſam tempore habili inchoatam proſequi etiam poſt exemptionem, & eumdem Religioſum condemnare, & punire etiam pęna corporis afflictiva.

V. Card. Carpineus.

P. Fagnanus Secr.

DE CONSECRATIONE ECCLESIÆ, vel Altaris.

Gregorius IX. Aſtoricen. Epiſcopo.

CAPUT IX.

AQua per Epiſcopum benedicta, Eccleſiam reconciliari poſſe per alium Epiſcopum non negamus, per Sacerdotes ſimplices hoc fieri de cætero prohibentes. non obſtante conſuetudine provinciæ Brachareñ. (quæ dicenda eſt potiùs corruptela) quia licèt Epiſcopus committere valeat quæ juriſdictionis exiſtunt; quæ ordinis tamen Epiſcopalis ſunt, non poteſt inferioris gradus Clericis demandare. Quod autem mandantibus Epiſcopis, ſuper reconciliatione factum eſt hactenus per eoſdem, miſericorditer toleramus.

SUMMARIUM.

1 *Eccleſia polluta per Sacerdotem ſimplicem reconciliari non poteſt, etiam ſi aqua fuerit per Epiſcopum benedicta.*
2 *Delegeri poſſunt ab Epiſcopo Clericis etiam minoribus quæ ſunt juriſdictionis, non autem quæ ſunt ordinis.*
3 *Conſuetudo poteſt plurimum in his quæ ſunt juriſdictionis, ſed in his quæ ſunt ordinis nihil poteſt.*
4 *Juriſdictio ſive ordinaria, ſive delegata ſolo verbo committitur, & revocatur; poteſtas ordinis ſecus.*
5 *Papa poteſt committere quæ ſunt ordinis etiam non Epiſcopo.*
6 *Reconciliatio Eccleſiæ pollutæ, ſi ſit conſecrata, non facilè committitur à Papa ſimplicibus Sacerdotibus.*
7 *Epiſcopatus eſt ordo.*
8 *Abbates Presbyteri, & benedicti de Epiſcopi conſenſu, vel cum ſpecialibus ejus dimiſſoriis, an poſſint tonſuram, & minores ordines conferre ſæcularibus eidem Epiſcopo ſubjectis, & n. ſeq. uſque ad n. 20.*
9 *Congregationis Concilii declaratio à quorumdam impugnationibus vindicatur.*
10 *Poteſtas duplex requiritur ad ordines conferendos.*
11 *Abbas Presbyter, & benedictus quoad non ſubditos caret poteſtate juriſdictionis, ſed non poteſtate ordinis, & ideò ordinando illos imprimit characterem, & num. ſeqq.*
12 *Concilii Tridentini decretum in cap. 10. ſeſſ. 23. expenditur.*
13 *Epiſcopi titulares poſſunt ordines conferre de licentia Epiſcopi Diœceſani.*
14 *Epiſcopus poteſt alteri Epiſcopo ea quæ ſunt ordinis demandare.*
15 *Abbas invitatus poteſt tonſuram, & minores ordines conferre etiam ſubditis alterius Monaſterii.*
16 *Lex nova diſponens in materia antiqua recipit interpretationes, & limitationes, quas materia ab antiquis legibus recipiebat.*
17 *Rotæ deciſio de Abbatibus ordinantibus ſæculares cum dimiſſoriis Epiſcopi expenditur.*
18 *Abbas qui ſine Epiſcopi conſenſu contulit tonſuram, & minores ordines regularibus alterius Religionis dimiſſis à ſuis Superioribus, incidit in pœnam ſuſpenſionis ab exercitio Pontificalium, & ſic ordinati ſunt ſuſpenſi ab executione ordinum.*
19 *Ordinati à non habente poteſtatem non ſunt ſuſpenſi, ſed iterùm ordinandi.*
20 *Degradatio Clericorum an poſſit demandari ab Epiſcopo Abbatibus Presbyteris, & benedictis.*
21 *Degradatio eſt ordinis Epiſcopalis. Mucro ſpiritualis eſt duplex.*
22 *Depoſitio ab ordine ad eum ſpectat, ad quem ſpectat ordinatio.*
23 *Declaratur, num. ſeqq.*
24 *Spiritualia faciliùs conſtruuntur, quàm deſtruuntur.*
25 *In degradatione Presbyteri olim ſex Epiſcopi erant adhibēdi, tres in degradatione Diaconi, vel Subdiaconi.*
26 *Depoſitio verbalis ab ordinibus etiam ſacris fieri poteſt ab Epiſcopo tam per ſeipſum, quàm per ejus generalem Vicarium.*
27 *Degradatio ſolemnis fieri poteſt ab Epiſcopo per ſeipſum adhibitis tamen ſex Abbatibus uſum mitræ, & baculi habentibus.*
28 *Vel aliis perſonis Eccleſiaſticis etiam non diœceſanis, ſi Abbates commodè intereſſe non poſſint, & n. 33.*
29 *Degradatio poſt Concilium Tridentinum fieri poteſt ab Epiſcopo aliis Epiſcopis non adhibitis, non ſolùm in caſu hæreſis, ſed etiam in aliis criminibus in quibus ad actualem degradationem ſit procedendum.*
30 *Laici quantumvis graves non poſſunt hodie degradationi aſſiſtere, ſicut poterant de jure communi in caſu hæreſis.*
31 *Prælati regulares ordinum mendicantium non dicuntur in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti quoad hoc, ut poſſint actuali degradationi aſſiſtere.*
32 *Abbates non debent intereſſe examini, vel proceſſui degradationis, ſed tantùm actuali degradationi aſſiſtere ut aſſeſſores.*

A *Qua*. Eccleſia polluta, per Sacerdotem ſimplicem re- 1 conciliari non poteſt, etiamſi aqua fuerit per Epiſcopum benedicta. Hoc dicit, & tria facit. Ponit dictum; damnat contrariam conſuetudinem, cauſam reddens, & ſubdit præteriti tolerantiam. Secunda, ibi, *Non obſtante*. Tertia, ibi, *Quod autem*.

Nota ex hac decretali inſignem regulam in materia de- 2 legationis, videlicet ea quæ juriſdictionis exiſtunt, etiam minoribus Clericis ab Epiſcopo demandari poſſe, ut cognoſcere de cauſis, judicare, inſtituere, beneficia conferre, & omnia alia quæ aſſecutus eſt Epiſcopus in confirmatione, *c. Tranſmiſſam, ſupra de elect.* nihil enim habet Epiſcopus quod ſit meri imperii, quod non ſit delegabile, ut ait gloſ. in *cap. Pervenit, 95. diſt.* quam dicit ſingularem Abb. *hic n. 3.* Ea verò quę ſunt ordinis Epiſcopalis, committi non poſſunt ab Epiſcopo Clericis inferioris gradus, id eſt non Epiſcopis, ut conſecratio Virginum, ordinatio Clericorum, conſecratio Eccleſiarum, & ſimilia, de quibus in *c. Quamvis, 68. diſt.* Ita hanc regulam ponit textus hìc, & gloſ. *in d. c. Pervenit, propè finem*, Anton. de Butr. *hic n. 3. & 4.* Petr. de Anchar. *num. 4.* & Abb. *nu. 2.* Similem regulam ponunt Docto- 3 res, & in ſpecie Butr. *n. 12. in cap. Quantò, ſupra de conſuet.* id eſt conſuetudinem poſſe plurimum in his quæ ſunt juriſdictionis, ſed in his quæ ſunt ordinis nihil poſſe. Unde hìc conſuetudo qua ſimplices Sacerdotes de mandato Epiſcopi reconciliabant Eccleſias pollutas, improbatur tamquam corruptela. Et ſic cenſetur ſublata, etiamſi ſit temporis, cujus initii non extet memoria in contrarium, ut ſcripſi plenè in *eod. c. Quanto*. Rationem verò differentię, cur ea quę ſunt 4 juriſdictionis poſſint inferioribus delegari ab Epiſcopo, non autem ea quæ ſunt ordinis, optimè aſſignat gloſ. *hic in ver. Juriſdictionis*, quia ſcilicet juriſdictio ſola voluntate, & verbo committitur, ſive delegata fuerit, ſive ordinaria, & revocatur, *c. Super quæſtionum, §. Intentioni, & §. Porrò, ſup. de off. deleg. l. Judicium, ff. de judic.* Collatio verò Sacramentorum non confertur ſola voluntate, vel verbo, imò facto opus eſt, quia neceſſaria eſt viſibilis unctio, & exterior, quæ eſt ſignum interioris unctionis in corde, *c. Unico, ſupra de Sacr. Unct.* quæ perpetua eſt, & amitti non poteſt, licèt executio quandoque ſuſpendatur, *cap. Quod quidam, verſ. Si fortè militiæ, 1. quæſt. 1.* Et hoc innuit Abb. Antiq. *hic num. 1.*

dum

dum dicit, licèt ea quæ ſunt juriſdictionis poſſit Epiſcopus inferioribus demandare, non tamen ea, quæ oſſibus Epiſcoporum inhærent; quæ ſcilicet non ſola voluntate, aut verbo, ſed per conſecrationem conferuntur, & Hoſt. *n.*3. dum reddit rationem hujus differentiæ, quia ordo, inquit, non per commiſſionem, ſed per manus impoſitionem transfertur, *d.c. unico ſup. de Sacram. Unct. & c. fin. de Sacram. non iteran.* Hoc ipſum docuit S. Thomas in 2. 2. *q.*39. *art.*3. dicens poteſtatem Sacramentalem eſſe, quæ per aliquam conſecrationem confertur: & hanc remanere in homine qui eam per conſecrationem eſt adeptus, quamdiù vivit; poteſtatem verò juriſdictionalem eſſe, quę ex ſimplici injunctione hominis confertur, & ideò non immobiliter adhæret.

5 Procedunt tamen hæc in Epiſcopo, qui non poteſt ea, quæ ordinis Epiſcopalis ſunt, demandare, niſi conſtituto in ordine Epiſcopali; Papa verò poteſt ea committere etiam inferioribus Sacerdotibus, ut de minoribus ordinibus patet *in c. Quoniam 69. diſt. in c. Cum contingat, de ætat. & qual. & in c. Abbates de previl. in 6.* De Sacramento Chriſmatis eſt text. *in d.c. Pervenit 95 diſt.* & tradunt omnes *in c. Quanto, ſupra de conſuet.* & dixi latè *in d. c. unico, §. Per*
6 *frontis, ſupra de Sac. Unct.* Et de reconciliatione Eccleſiæ pollutæ, tradit hìc Innoc. ubi dicit ſe ante audiviſſe Papam pluribus Epiſcopis indulſiſſe, ut per ſimplices Sacerdotes poſſent reconciliare Eccleſias, aqua tamen priùs per Epiſcopum benedicta. Verùm Clemens Papa IV. ut ſubdit Hoſt. in fine, hoc de facili non concedebat, niſi de Eccleſiis nondum conſecratis; de quo remittit ad id, quod legitur, & notatur infr. *in c. prox.* An autem Papa poſſit committere non Epiſcopo, ut conferat ordines ſacros, dixi *in d. c. Quanto, n.4. de conſuet.*

7 Secundò nota Epiſcopatum eſſe ordinem, ut hìc patet *in verbis Ordinis Epiſcopalis.* Unde ſecundum Hoſt. *n.*2. taceant qui dicunt in Eccleſia Dei non eſſe niſi ſeptem ordines: nam & tonſura ordo eſt, & Epiſcopatus ordo eſt, ut hìc apertè probatur de Epiſcopali. De prima tonſura, & de omnibus aliis probatur, & notatur plenè in *c. Cum contingat, ſupra de ætat. & qualit.* Hæc eſt unanimis Canoniſtarum ferè omnium ſententia, à qua tamen diſcrepant Theologi, qui tenent primam tonſuram, & Epiſcopatum non eſſe ordines propriè. De tonſura ſcripſi latiſſimè *in d. c. Cum contingat*, & de Epiſcopatu *in cap. 1. de ordinat. ab Epiſ.*

8 QUÆRO, an Epiſcopus poſſit committere Abbati Presbytero, & benedicto, ut primam tonſuram, & minores ordines conferat ſæcularibus ipſius Epiſcopi juriſdictioni ſubjectis.

Hanc dubitationem jam pridem ſuſtulit S. Congr. Conc. in cauſa Bononien. cenſuit enim Abbates poſtquam ordinem Sacerdotalem, & munus benedictionis ſuſceperint, poſſe tonſuram, & minores ordines ſæcularibus Epiſcopi juriſdictioni ſubjectis conferre, ſi modò ipſius Epiſcopi conſenſus accedat, iique pro ſe quiſque ab eodem Epiſcopo literas dimiſſorias impetraverint; ita ut ſatis non ſit id generatim ab Epiſcopo fuiſſe conceſſum, ſed hac ſemper conceſſione ſingulis opus ſit. Poſſe itidem eoſdem ordines conferre aliis regularibus, qui litteras dimiſſorias ſpeciales ſuorum Superiorum, necnon ſpecialem conſenſum Epiſcopi loci habuerint: ac præterea aliis ſæcularibus ſubditis aliorum Epiſcoporum, dum tamen & ipſi attulerint ſpeciales dimiſſorias ſuorum Ordinariorum, & conſenſum ſpecialem Epiſcopi loci.

9 Verùm hujus declarationis veritatem in dubium revocant moderni Collect. *in c. Cùm contingat, ſupra ætat. & qualit.* eamque impugnant hoc fundamento, quòd cum decreto Conc. Trid. in *c. 10. ſeſſ.*23. [ſtatutum ſit, ut Abbatibus, &c. non liceat impoſterum cuiquam, qui regularis ſubditus ſibi non ſit, tonſuram, vel minores ordines conferre, nec literas dimiſſorias aliquibus Clericis ſecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedere, &c. non obſtantibus quibuſvis privilegiis, præſcriptionibus, aut conſuetudinibus etiam immemorabilibus:] ſupradicta deciſio videatur pugnare cum illis verbis Concilii, [cuiquam qui regularis ſubditus ſibi non ſit.] Quæ verba dicunt excludere ſæculares etiam ſubjectos Abbatibus, & in quos ipſi Abbates habent ordinariam juriſdictionem, & multò magis ſubditos alterius habentes literas dimiſſorias ad recipiendos ordines etiam ab ipſis Abbatibus. Et ob eamdem rationem dicunt prædicta verba excludere regulares non ſibi ſubditos, etiamſi ſpeciales dimiſſorias ſuorum Superior. & ſpecialem conſenſum Epiſcopi loci obtinuerint, quia neque in hoc caſu aſſerunt eam deciſionem ſuſtineri poſſe, cum Concilium exigat, ut is cui Abbas vult ordines conferre, ſit regularis ſibi ſubditus.

Sed his non obſtantibus tu adhæreas deciſioni, quia habetur in libris publicis S. Congr. ſuper *c. 5. ſeſſ. 6.* Unde de illius veritate ambigi non poteſt, & refertur etiam, licèt corruptè, ab Azor. *inſtit. moral. p. 1. lib. 12. c. 2. q. 1.* & Stephan. Quaranta *in ſumm. Bull. verb. Ordo, verſ. Abbati-*
bus. Et quod ſpectat ad decretum Conc. *in d. c. 10. ſeſſ. 23.* 10
obſerva diligenter ad Ordines conferendos requiri duplicem poteſtatem, videlicet poteſtatem ordinis, quæ per aliquam conſecrationem confertur, & poteſtatem juriſdictionis, quæ confertur ſimplici voluntate, & verbo, *c. 2. 9. q. 2. c. Nullus de Paroch.* gloſ. *hic in verb. Juriſdictionis*, & declarat S. Thomas *in 2. 2. q. 39. art.* 3. Ordinis poteſtatem aſſequuntur Abbates in actu ſolemnis benedictionis, quia benedictio hujuſmodi largo modo dicitur conſecratio: & id proportionabiliter præſtat Abbatibus, quod conſecratio Epiſcopis, ut dicit Butr. *in d. c. Cùm contingat in 3. notab num. 6.* & Felin. *in cap. Inter Monaſterium in princ. de re judic.* Intellige ſecundùm ea, quæ dixi *in c. 1. in 2. notab. de ſupplen. neglig. Prælat.* Poteſtatem verò juriſdictionis accipiunt Abbates in actu confirmationis etiam ante ſuſceptum munus benedictionis, *c. Noſtri, de elect.* gloſ. *in d. c. 1. in ver. Subſtitutos*, Oldrad. *conſ. 14 num. 4. & ſeq.* Felin. *in c. Meminimus in princ. de accuſ.* Utriuſque poteſtatis fit mentio *in d. c. Quoniam, 69. diſtinct. & in d. c. Cùm contingat, de ætat. & qual.* De poteſtate ordinis ibi: *Dummodò ipſis ab Epiſcopo ſecundum morem proficiendorum Abbatum manus impoſitio facta noſcatur*, ideſt fuerint ſolemniter benedicti, ut illic gloſ. & DD. interpretantur. De poteſtate juriſdictionis ibi: *Solummodò in proprio Monaſterio faciendi*, id eſt non in extraneo, ut exponit Hoſt. *n.6. in verb. In proprio Monaſterio*, gl. *in d. c. Abbates, in ver. Convolaverint, de privil. in 6.* Specul. *tit. de privil. n.*5. Ea enim verba oſtendunt poteſtatem ordinis, quam Abbates Presbyteri accipiunt in ſolemni benedictione, non debere in actum exire niſi quoad Monachos ſui Monaſterii, adde vel quoad ſæculares in quos habent Eccleſiaſticam, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem, juxta textum *in d. c. Abbates.* Poteſtas quidem ordinis ſpectat ad validitatem ordinationis: nam ſine illa nihil confertur, *c. Presbyteris 68. diſt.* gl. *præalleg. hic in verb. Juriſdictionis*, Lap. *alleg.* 138. *n.*5. cùm umbra quædam oſtendatur in opere, veritas autem non ſubeat in effectu; dicit text. *in c. Quanto, ſupra de conſuet.* Poteſtas verò juriſdictionis ad eſſentiam ordinationis non pertinet, ſed ad illius exercitium, ſeu executionem, & legitimum uſum ejus, *c. 1. & 3. 71. diſt.* quia ſcilicet poteſtas ordinis non debet exire in exactum, niſi, ſecundum
quod movetur à poteſtate ſuperiori, S. Thomas *ubi ſup.* Un- 11
de Abbas, ſi ſit Presbyter, & benedictus, ordinando ſibi non ſubditum characterem imprimit, ſed ordinis executionem non confert, quia ſcilicet non deeſt illi poteſtas ordinis, ſed tantùm poteſtas juriſdictionis, ut poſt Boattin. tenet gl. penult. & DD. *in d. c. Abbates, de privil. in 6.* Archid. Turrecrem. & Præp. *in d. c. Quoniam 69. diſt.* Jo. And. & alii *in d. c. Cùm contingat ſupr. de ætat. & qualit.* At ſi Sacerdotalem ordinem, ac munus benedictionis non ſuſce-
perit, ordinando nihil confert, quia deeſt illi poteſtas or- 12
dinis, *d. c. Quanto de conſuet. & not. in c. Cùm conting.* Hoſtien. Jo. Andr. Butr. Abb. & cæteri omnes, Bertacch. *in tract. de Epiſc. lib. 3. p. 2. n. 9.* Silv. *in verb. Ordo, 3. ſub n. 2. verſ. Simplices verò Abbates*, Rebuff. *in praxi tit. de Cler. & à quib. & quom. n.*14. Dùm verò Conc. *in d. c. 10. ſeſſ.* 23. ſtatuit, ut Abbatibus non liceat tonſuram, vel minores ordines conferre cuiquam, qui regularis ſubditus ſibi non ſit, ademit quidam Abbatibus authoritatem; ſeu poteſtatem juriſdictionis, quàm habebant ad ordines ritè, & rectè conferendos reſpectu ſæcularium etiam ſibi ſubjectorum & ita in hoc derogavit diſpoſitioni *dict. cap. Abbates*, ſed non ademit, aut limitavit ipſam poteſtatem ordinis, quia hæc poteſtas tamquam indiviſibilis non recipit reſtrictionem, nec poteſt pro parte auferri, & pro parte non, ut latiſſimè probavi *in c. 1. ſupra de ſupplen. neglig. Prælator.* Et propterea Abbas benedictus ordinando regulares ſibi non ſubditos, aut ſæculares etiam poſt Concilium imprimit,

cha-

characterem, rationem ſcilicet abſolutę poteſtatis ordinis, quam ex conceſſione ſeptimæ ſynodi accepit in impoſitione manuum, licèt non conferat ordinis executionem ob ademptam ſibi à Concilio authoritatem, ſeu juriſdictionem quoad non ſubditos regulares, ita ut proindè ſic tonſurati non debeant iterùm tonſurari ut ſæpiùs reſpondit S. Congreg. Conc. cujus declarationes complures retuli *in d. c. 1.* Itaque Abbas Presbyter & benedictus reſpectu regularium ſibi non ſubditorum, aut reſpectu ſæcularium caret tantummodò juriſdictione propter Concilii prohibitionem, ſed poteſtate ordinis non caret. Defectum autem juriſdictionis ſupplet Epiſcopus, qui Abbati impertitur licentiam ordinandi ſuos diœceſanos, aut per ſpecialem conſenſum, aut per literas dimiſſorias ipſi Abbati directas, juxta relatam S. Congregat. declarationem. Ergo cùm hoc caſu non deficiat Abbatibus poteſtas ordinis, nec poteſtas juriſdictionis, conſequens eſt, ut ordines ab ipſis ritè, & rectè conferri valeant.

Nec obſtant verba illa *d. c. 10.* [Cuiquam qui regularis ſubditus ſibi non ſit.] Quandoquidem Concilium ibi ſuſtulit facultatem ordinandi ſæculares, quam Abbates habebant, vel jure ordinario ratione quaſi Epiſcopalis juriſdictionis, vel ex indulto Sedis Apoſtolicæ, juxta textum in *d. c. Abbates, de privil. in 6.* ſed non eam, quam conſequi poſſe ex licentia, vel delegatione Epiſcopi diœceſani. Ratio eſt, quia decretum illud fuit editum in favorem ipſius Epiſcopi diœceſani, ut patet illis verbis: [Sed horum omnium ordinatio ad Epiſcopos, intra quorum diœceſis fines exiſtunt, pertineat:] & conſequenter diœceſano licere debet in hoc favori ſuo renuntiare, & conſentire, ut ſibi ſubjecti ab alieno Antiſtite promoveantur, *c. 1. 2. 3. &*
13 *per tot. 71. diſt. c. Lugdunenſis 9. q. 2. c. 8. ſeſſ. 23.* Conc. Trident. Simile in Epiſcopis Titularibus, qui etſi prohibeantur à Conc. *in c. 2. ſeſſ. 14.* quemquam ordinare, etiam in locis nullius diœceſis: tamen de Epiſcopi diœceſani conſenſu benè ordinare poſſunt, quia ſcilicet non carent poteſtate ordinis, quam in conſecratione acceperunt, *c. Tranſmiſſam; de elect.* Et quamvis careant poteſtate juriſdictionis, cùm ſubditos non habeant, tamquam Clero, & populo carentes, ut dicitur *in d. c. 2.* tamen hujus poteſtatis defectus benè ſuppleri poteſt per conſenſum Epiſcopi diœceſani, cujus intereſt; ut aliàs fuit reſponſum, & praxis obſervat: nam & hodie videmus in diœceſis Oſtienſi, & Sabinen. & alibi Pontificalia, & alia quæ ſunt ordinis exerceri ab Epiſcopis Titularibus in partibus infidelium, quos Cardinales Epiſcopi in ſuffraganeos aſſumpſerunt ad præſcri-
14 ptum Conc. Lateranenſis ſub Leone X. *ſeſſ. 9. de Card.* Eamdem rationem optimè aſſignat gl. *hic in verb. Juriſdictionis,* dicens, Unus Epiſcopus alii Ediſcopo poteſt ea, quæ ſunt ordinis, demandare, & per hujuſmodi demandationem nihil ei committit, cùm ipſe Epiſcopus habeat ea, quæ miniſterium conſecrationis deſiderant, & ei deeſt tantùm authorithas; quia in alienam meſſem falcem mittere non debet niſi de voluntate, & mandato illius, cujus eſt diœceſis *c. Scriptum eſt 6. q. 3.*

15 Accedit, quòd Conc. *in d. c. 10. ſeſſ. 23.* dum prohibet Abbatibus, ne tonſuram, vel minores ordines conferant, niſi ſuis ſubditis regularibus, concordat cum juris communis diſpoſitione: nam hoc ipſum priùs ſtatutum fuerat *in dict. c. Quoniam 69. diſt. & in d. c. Cùm contingat, de ætat. & qualit.* per illa verba, *Solummodò in proprio Monaſterio faciendi*, ideſt in ſui Monaſterii Monachos, non autem extraneos, ut dixi ſupra verſ. *Utriuſque poteſtatis:* & tamen non obſtante prohibitione ſeptimæ Synodi, de qua in prędictis juribus, Abbas ſi fuiſſet invitatus potuiſſet tonſuram, & minores ordines conferre etiam Monachis alterius Monaſterii, & ſic regularibus ſibi non ſubditis, ut *in d. c. Quoniam*, tradit gl. *in verb. Monaſterio*, Archid. *n. 5. in gloſſ. Sed & Monachos*, Turrecr. *n. 5* & Præp. *nu. 1.* per text. *in d. c. Lugdunenſis 9. q. 2.* Idem tenent *in d. c. Cùm contingat*, Henric. Boich. & Jo. de Anan. ambo *in princ.* Bellam. *n. 2.*
16 & omnes Ergo eodem modo id Abbatibus licere debet hodie, ſi fuerint ab Epiſcopo invitati, non obſtante prohibitione Conc. Trid. nam lex nova diſponens in materia antiqua recipit interpretationes, & limitationes, quas materia ab antiquis legibus recipiebat, *l. In contractibus, §. Præterea, C. de non numer. pecun.* gl. Bart. & DD. *in l. Sciendum ff. Qui ſatiſd. cog.*

Non obſtat, quòd in Rota de mandato Clementis VIII. propoſito hoc dubio, videlicet, an Abbates, qui habent facultatem conferendi tonſuram, vel minores ordines ſubditis ſibi regularibus, poſſint ſtante decreto Conc. Trid. *c. 10. ſeſſ. 23.* tonſuram, vel minores ordines conferre perſonis ſęcularibus habentibus litteras dimiſſorias a ſuis Ordinariis: re maturè diſcuſsa reſolutum fuerit, non poſse, ut patet in dec. Card. Seraph. 985. Etenim hæc deciſio, ut ſalvari poſſit, videtur intelligenda de ſęcularibus habentibus literas dimiſsorias generales cuicumque Antiſtiti directas; non autem de habentibus ſpeciales directas ipſis Abbatibus: nam ſi intelligeretur hoc ſecundo modo, pugnaret ex diametro cum declaratione S. Congregat. & ſuſtineri non poſſet; ſupponit enim Abbates Presbyteros, & benedictos carere poteſtate conferendi tonſuram, & minores ordines perſonis ſæcularibus; & arguit hoc modo: Quemadmodum Papa non poteſt dare licentiam ei, qui ordinatus non eſt, conferendi ordines ſacros, ut tradit Innoc. *in c. Quanto de conſuet.* cùm nemo det id quod non habet; ita neque per dimiſſorias ſuas poteſt Epiſcopus dare facultatem ei, quia ea facultate ex diſpoſitione Conc. caret. Sed hoc ſuppoſitum eſt falſum, quia Abbates hujuſmodi etiam reſpectu ſæcularium non carent poteſtate ordinis, ſed tantùm poteſtate juriſdictionis, ideòque ordinando illos etiam abſque dimiſſoriis Epiſcopi diœceſani imprimunt characterem, licèt non conferant ordinis executionem ob ademptam ſibi à Concilio juriſdictionem, ut abundè oſtenſum eſt ſupra: hunc autem juriſdictionis defectum ſupplere poteſt Epiſcopus quoad ejus ſubditos, conſentiendo, ut ordinari valeant à prædictis Abbatibus ordinis poteſtatem habentibus, ut ſimiliter patet ex dictis. Nec proptereà, ut dicit Rota, prohibitio Concilii redditur ſuperflua. Siquidem in hoc operatur effectum ſuum, quia ſuſtulit facultatem, quàm priùs habebant Abbates, ordinandi ſine dimiſſoriis Epiſcopi perſonas ſeculares, in quas habebant Eccleſiaſticam, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem, juxta tex. *in d. cap. Abbates, de privil. in 6.* cujus diſpoſitioni Conc. derogavit, ut eademmet Rota fatetur in prædicta deciſione. Item ſuſtulit privilegia, & indulta Sedis Apoſtolicæ, quæ ante Conc. ſuper hoc habebant nonnulli Abbates, ut in-
nuit illa decretalis, ibi: *Niſi ei id competat. ex pleno præfatæ* 17
Sedis indulto: unde extendi non debet ad ulteriorem correctionem juris communis, arg. *c. Cum expediat, de elect. in 6.*

Standum eſt igitur declarationi Sac. Congregationis, quæ authoritatem habet à Sede Apoſtolica Concil. Tridentinum authoritativè interpretandi privativè quoad omnes, ut dixi latiſſimè *in cap. Cùm veniſſent, ſupra de judic. in quæſt.* an & quibus liceat Tridentini Concilii decreta interpretari, *& in cap. final. de conſtitut. in quæſt.* an declarationes Sac. Congregationis Concilii habeant legis authoritatem.

Et eò magis, quia hujuſmodi declarationi etiam poſtea 18
adhæſit eadem Congr. Siquidem fuit quæſitum, an Abbas S. Mariæ de Succurſu Ordinis Montis Oliveti potuerit in loco, in quo juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habet in Parochos, & Parochianos, conferre minores ordines tribus regularibus Ordinis Sancti Auguſtini, à ſuis Superioribus ad hunc effectum dimiſſis. Et S. Congr. cenſuit non obſtare, quòd Abbas non ſit benedictus, cùm ex privilegio Julii II. habeatur in omnibus pro benedicto; ſed non licuiſſe illi conferre minores ordines dictis regularibus, proptereà quòd non aderat conſenſus Epiſcopi loci, ut habetur *in c. ult. ſeſſ. 6.* ut aliàs decretum à S. Congr. in caſu Pononien. Non tamen incidiſſe in pœnam decreti *d. c. 10 in fin.* quia loquitur in Epiſcopis nullius, neque in pœnam *c. 8. ſeſſ. 23.* quia loquitur, quando ſine teſtimonio Ordinarii loci contuliſſet ordines, juxta *c. Eos, & c. fin. de tempor. ordin. in 6.* ſed in pœnam *c. fin. ſeſſ. 6.* quia ſine licentia Ordinarii loci contulit ordines. Et quamvis *d. c.* loquatur in Epiſcopo; tamen Sacr. Congregatio cenſuit multò magis habere locum in Abbate: & cùm ſimpliciter *dict. cap.* dicat ſuſpenſum ab exercitio Pontificalium, intelligi abſolutè, non autem per annum dumtaxat, quia quando voluit ſuſpendi per annum tantùm, expreſſit, ut *d. c. 2. & d. cap. 8.* & ſic Abbas iſte erit tantùm ſuſpenſus ab exercitio illorum actuum quos Pontificali dignitate, & authoritate exercuit, nempè à collatione ordinum, & ſimilium, non autem cenſebitur ſuſpenſus à divinis, quæ ut Religioſus Sacerdos celebrare poterat. Unde conſequens erit, ut ſi po-

ſteà

ſteà celebravit, non ideò effectus ſit irregularis; tamen indigeat rehabilitatione ad exercitia Pontificalium, à quibus fuit ſuſpenſus. Item erit advertendum ad ordinatos quia, & ipſi, ſunt ſuſpenſi ab executione ordinum, & ſi celebrarint, ſunt irregulares, & indigent diſpeſatione.

19 Ex qua declaratione, quod ſpectat ad rem prçſentem, duo colliguntur. Primum eſt licere Abbatibus benedictis, vel habentibus privilegium perinde, ac ſi eſſent benedicti, conferre minores ordines perſonis ſæcularibus, aut regularibus ſibi aliàs non ſubditis, ſi modò habeant litteras dimiſſorias ſpeciales à proprio Epiſcopo. Propterea enim prædictus Abbas Olivetanus ordinando regulares alterius ordinis incidit in pœnam ſuſpenſionis ab exercitio Pontificalium, quia defuit conſenſus Epiſcopi Diœceſani, ut dixit S. Cong. Ergo ſi Epiſcopus conſenſiſſet, Abb. in nullam pœnam incidiſſet, quia eſt caſus deciſionis Bononien.

Alterum eſt ordinationem non ſubditorum factam ab hujuſmodi Abbatibus etiam ſine dimiſſoriis proprii Epiſcopi non eſſe irritam: nam regulares S. Auguſtini à dicto Abbate ordinatos, S. Congr. dixit eſſe ſuſpenſos ab executione ordinum; ergo character fuit impreſſus. Nam ſi impreſſus non fuiſſet ex defectu poteſtatis in ordinãte, ſic promoti non fuiſſent ſuſpenſi, ſed potius iterum ordinandi, *cap. Chorepiſcopi, c. Quamvis, & c. Presbyteri, 86. diſtin. c. Nihil 7. q. 1.* Hoſt. Io. Andr. & omnes *in c. unic.* & ibi dixi *n. 6. ſupra de Sacr. Unct.* Henric. Boich. poſt alios *in c. fin. de Sacram. non iteran.* & ita Abbates hujuſmodi etiam poſt Concilium non carent prorſus, ut putavit Rota, poteſtate ordinandi ſeculares aut regulares ſibi non ſubditos. Hanc materiam latiùs proſequor *in c. 1. de ſuppl. negl. Præl. in quæſt.* an Prælatus inferior ſæcularis habens privilegium poſt Concilium conferendi tonſuram, & minores ordines certis perſonis dumtaxat, ordinando alios, quàm in literis deſignatos, imprimat characterem, necnè. Poſt hæc ſcripta emanavit à S. Congreg. Conc. infraſcripta declaratio, quç eſt originaliter in libro memorialium *pag.* 407. videlicet

In cauſa Cathanien. Juris conferendi Ordines minores inter Epiſcopum Cathanien. ex una, & Monachos ordinis S. Benedicti Congregationis Caſſinenſis, ac alios ex altera; diç 23. Novemb. 1641. S. Congr. &c. utraque parte informante ore, & ſcriptis, ac rationibus hic inde deductis maturè examinatis, inhærendo deciſioni Rotæ Rom. ſub die 27. Aprilis 1592. coram bo. mem. Card. Seraph. de ordine fel. record. Clem. VIII. factæ, nec non declarationibus ejuſdem S. Congr. dictæ deciſioni conformibus ſubſequutis, cenſuit, improbata opinione contraria, Abbates Regulares benedictos ejuſdem Congregationis Caſſinenſis, ſeu alterius Congregationis, vel Ordinis, aut inſtituti, habentes etiam jura Epiſcopalia, ſeu quaſi Epiſcopalia, uſumque Mitræ, baculi, & benedicendi, ac facultatem primam tonſuram, & minores Ordines conferendi, non poſſe dictam primam tonſuram, nec alios Ordines minores, niſi ſuis ſubditis Regularibus conferre, non autem Regularibus alterius Congregationis, Ordinis, vel inſtituti, etiamſi habeant literas dimiſſorias ſuorum Superiorum, & conſenſum Ordinariorum, intra quorum diœceſum fines ipſi Regulares ordinandi exiſtant: & multò minùs perſonis ſæcularibus etiam habentibus literas dimiſſorias à ſuis Ordinariis. Ac proptereà inhibuit Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Prælatis inferioribus, ut in futurum concedere non audeant ſupradictas literas dimiſſorias hujuſmodi Abbatibus directas, nec ab iſtis recipi. Quòd ſi ſecus fiat, tam concedentes, quàm ordinantes à collatione Ordinum ſuſpenſi remaneant, præter alias pœnas arbitrio ejuſdem Congr. reſervatas.

Et iterùm propoſitis dubiis, an Abbates Regulares benedicti habentes jura quaſi Epiſcopalia primam tonſuram, aut minores Ordines poſſint conferre ſecularibus Clericis, Epiſcopis juriſdictioni ſubjectis, ſi modò ipſius Epiſcopi conſenſus accedat: itidem, an prædicti Abbates poſſint Regularibus alterius Ordinis, qui literas dimiſſoriales ſuorum Superiorum Regularium, & conſenſum Epiſcopi loci habuerint prædictam tonſuram, & minores Ordines conferre.

Die 10. Maji 1658. S. Congreg. Conc. ad utrumque dubium reſpondit, non poſſe.

Secundò QUÆRO, an degradatio poſſit ab Epiſcopo demandari Abbatibus Presbyteris, & ſolemniter benedictis. 20

Reſpondeo non poſſe, quia degradatio eſt ordinis Epiſcopalis, *c. Degradatio de pœn. lib. 6. & not. in c. Cùm non ab homine de jud.* Hoſt. *in c. Dilectus, & c. Irrefragabili, de offic. ordin.* DD. *in c. Cùm contingat*, ubi in ſpecie Collect. *n. 3. de foro compet.* Ea verò quç ordinis Epiſcopalis exiſtunt non poſſunt Clericis inferioris gradus, id eſt non Epiſcopis demandari, ut hìc patet, & dixi ſupra *in 1. not.* Unde, ut dicebat Archid. *in c. Dilecto n. 1. in verb. Mucrone, de ſent. excom. lib. 6.* duplex eſt mucro ſpiritualis, alius diſciplinans, ſeu medicinalis, ut excommunicatio, qui non ad punitionem, ſed ad correctionem tantum vibratur: alius eradicans, ſive mortalis, ut degradatio, qui non tantùm ad correctionem, ſed etiam ad punitionem infligitur & hic eſt mucro Epiſcopi ſpecialiſſimus; unde nullus non ordinatus in Epiſcopum, ipſum vibrare poteſt. Quod dictum Archid. ſequuntur Jo. And. *in c. 1. n. 4 in ver. Cùm ab omni mucrone*, & Anch. *n. 2. in 5. not. de homicid. lib. 6.* 21

Nec obſtat, ſi dicatur hujuſmodi Abbat. poteſt ab Epiſcopo committi, ut minores ordines conferant, ut oſtenſum eſt in prçcedenti quæſtione: ergo videtur etiam eis committi poſſe, ut ordines auferant per degradationem, quia ejus eſt deponere, cujus eſt ordinare, *c. Nullus primas 9. q. c. 3. de Paroch.* Hoſt. *in d. c. Cùm contingat n. 2.* & Jo. Andr. *n. 10. verſ. Quod dic de foro compet.* 22

Nam reſpondetur, in ordinibus conferendis Abb. benedictos fuiſſe ſpecialiter privilegiatos à ſeptima Synodo, ut *in c. Quoniam 69. diſt.* At non fuerunt privilegiati in ordinibus auferendis, nec licet arguere ab ordinatione ad degradationem: quia ſpiritualia faciliùs conſtruuntur, quàm deſtruuntur, ut in hac ipſa materia degradationis inquit gl. *in d. c. Degradatio, in verb. Canonibus de pœn. in 6.* Unde Epiſcopus ſolus Ordinem conferre poteſt, ſolus auferre non poteſt, dicit textus *in c. fin. 15. q. 7.* Nam in degradatione Presbyteri ſex Epiſcopi ſunt adhibendi, & tres in degradatione Diaconi, vel Subdiaconi, Conc. Agathenſe *c. 1. d. c. fin. c. Si quis, c. Felix, & c. Si autem, ead. cauſ. & q.* gloſ. præalleg. gloſ. *1. in c. 1 de hæret. in 6.* Abb. *in c. Non. poteſt de re judic.* Silveſt. *in verb. Degradatio num* 1. Hodie decreto Conc. Trid. *in c. 4. ſeſſ. 13.* ſtatutum eſt, ut adverſus Clericos etiam in ſacris ordinibus conſtitutos, ad condemnationem, necnon verbalem depoſitionem procedere poſſit Epiſcopus tam per ſe ipſum, quàm per illius Vicarium in ſpiritualibus generalem; ad actualem verò atque ſolemnem degradationem, per ſeipſum etiam non adhibito numero Epiſcoporum à Sacris Canonibus prçfinito, adhibitis, tamen, & in hoc ſibi aſſiſtentibus totidem Abbatibus, uſum Mitræ, & baculi ex privilegio Apoſtolico habentibus, ſi in civitate, aut in diœceſi reperiri, & commodè intereſſe poſſint alioquin aliis perſonis in Eccleſiaſt. dignitate conſtitutis, quæ ætate graves, ac juris ſcientia commendabiles exiſtant. 23 24 25 26 27 28

Quo decreto corrigitur *d. c. Degradatio, de pœn. in 6.* Sed ampliatur *c. 1. de hæret. eod. lib.* Primò in eo, ut non ſolum Epiſcopus per ſe ipſe, ſed ejus quoque Vicarius poſſit ad verbalem degradationem procedere. Deinde ut non ſolùm in caſu hæreſis, ſed etiam in omnibus in quibus ad actualem degradationem procedendum ſit. Declaratur etiam eo decreto *d. c. 1.* ut debeant aſſiſtere totidem Abbates uſum mitræ, & baculi, ut ſupra habentes, quot Epiſcopi requirebantur. Nam in dicta Decretali numerus non erat præfixus. Demum ampliatur in eo, ut ſi commodè in civitate, vel diœceſi reperiri non poſſint, ſufficiantur viri in eorum locum in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti. Unde ſi eſſent laici quantumvis graves, ac juris ſcientia commendabiles, non poſſent aſſiſtere, qui tamen poterant ex *d. c. 1.* 29 30

Appellatione autem perſonarum Eccleſiaſticarum, de quibus Concilium loquitur Prælatos regularium Mendicantium non comprehendi dixit S. Congreg. cùm non habeant nomen dignitatis; & Abbates non debere intereſſe examinationi, vel proceſſui, ſed tantùm poſſe ſolemni, & actuali degradationi aſſiſtere, ut aſſeſſores, & poſſe Ordinarium alias perſonas in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutas etiam non diœceſanas adhibere. 31 32

DE

DE CELEBRATIONE MISSARUM, ET SACRAMENTO Euchariſtiæ, & divinis officiis.

Ex Concilio Agathen:

CAPUT I.

PResbyter manè, matutinali officio expleto, penſum ſervitutis ſuæ, videlicet Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperamque perſolvat: ita tamen, ut horis competentibus, juxta, poſſibilitatem, aut à ſe, aut à ſcholaribus publicè compleantur. Deinde peractis horis, & infirmis viſitatis, ſi voluerit, exeat, ad opus rurale jejunus, ut iterùm neceſſitatibus peregrinorum, & hoſpitum, ſive diverſorum commeantium, infirmorum atque defunctorum ſuccurrere poſſit, uſque ad ſtatutam horam, pro temporis qualitate, Propheta dicente: Septies in die laudem dixi tibi; qui ſeptenarius numerus à nobis impletur, ſi Matutini, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Veſperæ, & Completorii tempore, noſtræ ſervitutis officia perſolvamus; nam de nocturnis vigiliis idem ipſe Propheta ait: Media nocte ſurgebam, & cætera. Ergo his temporibus laudes Creatori noſtro, ſuper judicia ſuæ juſtitiæ referamus.

SUMMARIUM.

1 *Horas canonicas dicere tenetur Presbyter horis debitis, ei tamen ex cauſa permittitur, ut manè illas dicat uſque ad veſperam incluſivè.*
2 *Matutinum debet inchoari media nocte, & expleri manè.*
3 *Poteſt tamen dici de ſerò ex cauſa, aliàs ſecus.*
4 *Horæ Canonicæ ex aliqua rationabili cauſa poſſunt inſimul dici uſque ad veſperam incluſivè.*
5 *In horis Canonicis dicendis ſatius eſt prævenire, quàm præveniri.*
6 *Ceſſante legitimo impedimento, horis debitis ſunt perſolvendæ, itaut hora Officii reſpondeat horæ diei.*
Eremitæ miraculum, cui Angelus interdum deferebat uvas acerbas, interdum maturas, interdum marcidas, n. 8.
7 *Debitor non poteſt prævenire tempus ſolutionis, quando dilatio appoſita eſt creditoris gratia.*
9 *Agriculturæ operam dare Presbytero non eſt prohibitum.*
10 *Horæ Canonicæ an ſint ſeptem, vel octo.*
11 *Vigiliæ nocturnæ, quæ ſint, & quot, & quibus temporibus dicantur.*
12 *Horas Canonicas dicere, qui teneantur, & n. ſeqq. uſque ad n. 30.*
13 *Quid in Presbyteris.*
14 *Et quid in Diaconis, & Subdiaconis, & n. 19.*
Et quid in Clericis Minorum ordinum beneficiatis, n. 17. & n. ſeqq. uſque ad n. 26.
Et quid in non beneficiatis, n. 26. & n. ſeq.
Et quid in Clericis profeſſis, n. 28.
15 *Presbyteri nomen largè comprehendit etiam Diaconos, & Subdiaconos.*
Sed non alios Clericos, niſi vulgariter proferatur, n. 27.
16 *Horas Canonicas omittentes Clericis in ſacris etiam non beneficiati graviter peccant, & puniuntur ex Concilio Provinciali Mediolanenſi, & n. 25.*
18 *Clerici in ſacris, & in minoribus beneficiati, in multis æquiparantur.*
19 *Horas Canonicas an Clerici in ſacris, vel in minoribus beneficiati teneantur dicere de jure divino.*
20 *Quilibet Clericus habens officium cum cura, & ſine cura, ſi poſt ſex menſes officium divinum non dixerit, fructus ſuos non facit pro rata omiſſionis, & temporis, & beneficio privari poteſt ex Concilio Lateranenſi.*
21 *Et quomodo hæc rata ſit accipienda ex Bulla S. Pii V. Bulla S. Pii V. contra recitantes divinum officium refertur, ibid. & n. ſeqq.*
22 *Horas Canonicas qui primis ſex menſibus poſt obtentum beneficium non dicit, graviter peccat.*
23 *Horas Canonicas tenentur dicere etiam obtinentes præſtimonia, vel alia beneficia nullum ſervitium requirentia.*
24 *Penſionarii tenentur dicere officium parvum B. Mariæ Virginis, aliàs pro rata fructus ſuos non faciunt.*
25 *Ab horis Canonicis dicendis non excuſatur, qui febri vel adverſa valetudine leviter laborat.*
26 *Clerici in minoribus non beneficiati an teneantur ad horas Canonicas, & n. ſeqq.*
27 *Novitii non tenentur ad horas Canonicas, ſed ad aliquid indeterminatum.*
28 *Ad horas Canonicas tenentur profeſſi Clerici etiam in ordinibus minoribus conſtituti.*
29 *Fallit in Clericis Societatis Jeſu.*
30 *Officium B. Mariæ Virginis, ac Defunctorum an ex præcepto recitare teneantur Monachi S. Bernardi Hiſpaniarum Ordinis Ciſtercienſis, & n. ſeq. uſque in fin.*
31 *Breviario Monaſtico reformato utentes gaudent iiſdem privilegiis, quibus gaudent utentes Breviario Romano.*
32 *Bulla S. Pii V. ſuper Breviario Romano quoad officium B. Mariæ Virginis expenditur, & n. ſeq. uſque in fin.*
Officium B. Mariæ Virginis, ac Defunctorum, &c. qui ad præſcriptum rubricarum non dicunt, & pſallunt, non peccant, ibid.
33 *Officium B. Mariæ Virginis an eſſet in præcepto ante Bullam S. Pii V. & n. ſeqq.*
34 *Obligatio prædicti officii unde initium ſumpſerit.*
35 *Officium B. Mariæ Virginis eſt in præcepto, ſi ita ſe habeat Eccleſiæ, vel Monaſterii conſuetudo.* 1
36 *Conſtitutio nova non tollit ſpeciales locorum conſuetudines, vel ſtatuta.*

P*Resbyter*. Habet multa dicta, & legitur variè, & ideò communiter non ſummatur. Sed ſecundum intellectum qui videtur communis, ſic ſummari, poteſt ſecun- 2
dum Card. & Abb. Presbyter tenetur horis debitis dicere horas Canonicas, ei tamen ex cauſa permittitur, ut manè illas dicat uſque ad Veſperam incluſivè; & habetur paucis immutatis *in c. Presbyt. 91. diſt.* ubi Archid. *in princ.* dicit: *Hic c.* habetur hìc pro palea, ſed pro grano ponitur extra *de celebr. Miſſar. c.* 1. Dividitur in tres partes. In 1. præcipit, ut officium dicatur horis debitis. In 2. ſpecificat cauſam, propter, quam permittitur anticipatio, ibi, *Deinde*, In 3. concludit, ibi, *Ergo*.

Nota 1. ibi, *Manè*, Matutinum eſſe complendum manè, & ſic ante ortum ſolis, ſecundum Abb. hìc *in 1. not.* debet tamen inchoari à media nocte; & ideò infrà ſequitur in litera, *Media nocte ſurgebam*; ſecundum Hoſt. *n.* 4. Jo. And. *in princ.* & Anch. *in 1. not.* Sed certè ut obſervat Abb. ubi ſupra, ſi matutinum inchoetur media nocte, non poterit expleri manè quia in eo recitando tantum temporis non inſumitur; niſi fortè ſervaretur conſuetudo quorumdam Religioſorum, qui media nocte incipiunt matutinum & recitant uſque ad laudes, & poſteà incipiunt laudes paulò ante diluculum, & explentur manè, id eſt hora

diei

diei prima. Sic enim optimè ſervatur quod dicitur in textu
3 ſecundum eum. Verumtamen de ſero matutinum dicere propter honeſtarum occupationum neceſſitatem non eſt malum, quia melius eſt Deo laudes debitas præveniendo reddere, & alia honeſta officia poſtmodum explere, quàm ſi per unum aliud impediatur: ſed ſi hoc fieret ad quietiùs vacandum ſomno, & voluptati, non eſſet abſque peccato, Ita S.Thomas quodl.5 *in fin.* Silveſt. *in ver. Hora,n.*10.*verſ. Tertiam.*

4 Secundò nota ibi, *Primam, Tertiam,* ex aliqua rationabili cauſa[veluti ſi Clerico exeundum ſit ad opus rurale]horas Canonicas poſſe inſimul perſolvi uſque ad veſperam incluſivè, ut in litera, ſecundùm Hoſt.*n.*4. *in verb.Veſperamque*, Cardin. & Abb. *in ſummario textus.* Concilium eſt,ut horæ omnes ſimul dicantur, ne ſupervenientibus occupationibus aliqua Hora omittatur, ut hìc per gl.1. Innoc. *n.* 4.*verſ. Hoc autem quod dicit*, & Abb. Antiq *in princ.* & hoc ſervat Papa quoad Horas ſimul dicendas uſque ad Sextam & quandoque uſq; ad Nonam incluſivè, nec non Cardinales,& Epiſcopi ex magna parte, ut Hoſt. teſtatur hìc *in*
5 *princ.*Idque ob eam rationem,quia horis perſolutis oportet eos multis negotiis vagare, & ſatius eſt prævenire, quàm præveniri:nam ſecundum Hugon.Primum providentia,ſecundum verò negligentia eſt: cùm preſertim prima pars diei ſit aptior, & devotior, quàm ſuprema.Ad hoc *l.*2.*§.un. ff. de verbor.ſignific.*ſecundum Hoſt.cum quo tranſeunt Jo. And.*n.*10. & Abbas *n.*3. *verſ. Nota benè gloſſam.*

6 Tertiò nota, ibi, *Horis competentibus*, ceſſantibus occupationibus, vel alio legitimo impedimento horas Canonicas eſſe dicendas horis congruis, ſeu competentibus, ita ſcilicet ut hora officii reſpondeat horę diei,non quidem reciprocè,ſed gradatim,adeò ut Matutinum dicatur in nocte, Prima in diluculo, & ſic de aliis horis, ut legitur, & notatur *in c.*2. *in* 1.*reſponſ.ſupra de offic. Archipresb.* & hìc notant Hoſt. *nu.*10. *verſ. Et dic horis competentibus*, Henric. Boich. *n.*3.& Abbas *n.*3. *col.*3. *circa med. verſ. Sed dicunt.*
7 Non igitur in dicendo poteſt Presbyter tempus anticipare, nec poſtponere, quia hęc diviſio pro momenta dierum facta eſt ad honorem Dei, cui officium impenditur, non autem ipſius Sacerdotis. Quotieſcumque autem dilatio eſt appoſita creditoris gratia, non poteſt debitor prævenire tempus in ſolutione, *ut l. Eum, qui aliàs incipit, Labeo, ff. de ann.legat. & l. Qui Romæ de verbor. oblig.* ſecundum Anchar. hìc *n.*3. & 4. Unde ut hìc refert Joan. Andr. *n.* 11. &
8 poſt eum Anchar.*n.*6.& Abb.*n.*3. fertur miraculosè de quodam Sancto Eremita,quem Angelus deficientibus eleemoſynis paſcebat, eique interdum deferebat uvas acerbas, interdum marcidas: interrogatus Angelus ab Eremita, quænam eſſet hujus diverſitatis cauſa: reſpondit ſe accerbas deferre, cum horas recitando præveniebat, maturas cum congruo tempore recitabat, marcidas cùm nimis tardabat; & hoc ideò, ut ſubdit Joan. And. quia Eremita occupationibus involutus non erat.

9 Quartò nota ibi, *Exeat ad opus rurale*, Presbyteris eſſe permiſſum agriculturæ operam navare; ut hìc, *& in cap. Clericus victum 91.diſt. & in c. Numquam, de conſecr.diſt.* 5. Quod tamen intellige ſecundùm ea, quæ plenè notavi *in c.*1.*n.*25.*& ſeqq. & n.*46. *uſque ad n.*52. *infr. Ne Cleric. vel Monach.*

10 Quinto nota ibi, *Septenarius numerus*, expleatur, Horas Canonicas eſſe numero ſeptem, & non plures, nec pauciores, ut hic patet, & notat gloſſ. fin. Hoſtien. *num.*4. *in verb. Veſperamque, & num.*24. Joan. Andr. *nu.* 2. Henric. Boich. *num.*2.*in* 3. *quæſt.* Butr *num.* 8. Abb. *colum.*1. *in fin. verſ. Sed tunc non ſepties*, & alii communiter, Sotus *de juſtit. & jure lib.*10. *qu.*5. *art.* 4. Suar. *de relig. tom.* 2. *tract.* 4. *lib.*4.*cap.*6. *num.*6.Non deſunt tamen qui ſentiant horas Canonicas eſſe octo, Matutinum à Laudibus diſtinguentes, Navarrus *de hor. Canon. cap.*3. *num.*27. poſt S. Anton. & in hac ſententia fuit Archid. *in c. Presbyter 91. diſtinct.* ſeparando Matutinum per illam authoritatem, *Media nocte ſurgebam, &c.* ab aliis ſeptem horis, de quibus ait Propheta, *Septies in die, &c.* Sed certè hoc jure non probatur ſecundùm Abbatem *loco citato*, & in oppoſitum clarè ſtat littera hujus decretalis, quæ dicit ſeptenarium numerum impleri perſolvendo Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperam, & Completorium; & ita ſub hora Matutini complectitur etiam Laudes, cum de illis nullam faciat mentionem.

Ultimò nota ibi, *Nocturnis*, Vigilias nocturnas appella- 11
ri, quæ in nocte perſolvuntur; cùm de illis intelligatur authoritas, *Media nocte ſurgebam*, ut dicitur in textu,& innuit etymologia vocabuli; dicuntur enim Nocturna, quia explentur nocte,& dicuntur Vigiliæ,quia dum recitantur, vigilandum eſt, non torpendum, ut inquit Hoſtien. hìc *n.* 28. & Joan. Andr. *n.*7. *verſ. Et dicit Hoſtienſis*, & pro Vigiliis nocturnis, ſeu officio nocturno Archid. *in d. c. Presbyter num.*1. intelligit Matutinum; pro officio autem diurno ſex Laudes, id eſt Primam, Tertiam,Sextam, Nonam, Veſperas, & Completorium. Sed Hoſtienſ. hìc *n.*26. dicit Vigilias nocturnas hìc poni in plurali, quia ſunt numero tres, videlicet Matutinum, quod dicitur media nocte; Prima, quę ſecundum hoc dicenda eſt diluculo, licet aliqui illam dicant illicò poſt Matutinum,quæcumque ſit illa hora, ſicut ſervat Capella Pontificia; & Completorium, quod in crepuſculo dicendum eſt,vel paulò poſt, licèt Eccleſia Gallicana ipſum dicat ſtatim poſt Veſperas. Tertia verò Sexta, Nona, & Veſperæ ſunt horæ diurnæ ſecundùm Hoſtienſ. quem totidem verbis hìc refert, & ſequitur Joan. And. *n.*7. Henric. Boich. *nu.*3. *verſ. Unde tres propriè.* Nec diſſentit Archid. *in d.c. Presbyter col.*1. *in fin. verſ. Et nota*, dum ait ex Beda, Eccleſiam traxiſſe exemplum conveniendi octies inter diem, & noctem ad horas dicendas, à Judęis qui tempore Eſdrę ad audiendam legem octies conveniebant quater in die, & quater in nocte. Cur autem Eccleſia hęc horarum tempora determinaverit, & præcipua opera Chriſti,& alia in ſingulis hujuſmodi horis præclarè geſta, & in futurum peragenda, egregiè commemorat ibi Archid. *col.*1. *ferè per totam.*

QUÆRO generaliter, qui ad horas Canonicas tenean- 12
tur.

Certùm eſt primò,cunctis Presbyteris etiam non benefi- 13
ciatis horas Canonicas eſſe in precepto:nam de Presbytero expreſsè loquitur hęc decretalis, eamque generaliter de Presbyteris omnibus eſſe intelligendam dicit Hoſt. hìc *in princ.* & in hoc gl. ult. & omnes conveniunt, ut teſtatur Abbas *n.*4. *verſ. Ideò adverte, & verſ. Secundus caſus*, *Summa* Tabien. *in verſ. Horæ Canonicæ n.*1. *in* 1. *q.*

Deindè certùm eſt, ad horas Canonicas ſimiliter teneri 14
Diaconos,& Subdiaconos,licèt beneficium Eccleſiaſticum
non habeant: nam Presbyteri nomen hìc ſumitur largè, ut 15
comprehendat omnes Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, & eſt ſimile *in c.* 1. *in fin. ſupra de bigamis, & in c.*2. *in princ. de cohabit. Cler. & mulier.* & ita hìc firmant Hoſt. *n.*2. & Abbas Antiq. *n.*1. dicens Clericos in ſacris ad hoc teneri ratione Ordinis:& quamvis ſubdat Petrum de Sampſone Magiſtrum ſuum in ea fuiſſe opinione, ut ratione Ordinis nemo teneatur ad horas Canonicas,arg. *c. Illud,& c. ult.*92.*diſt.* hoc tamen nemo ſequitur, & oppoſitum tenent hìc Jo. Andr. *n.*12. *in verb. Presbyter*, Henric. Boich.*n.*5.& communiter Doctores, ut Abb. teſtatur *loc.cit.*Imò ab hoc nullus diſcrepat, ut aſſerunt Hoſt. *n.* 3. & Jo. Andr. *ubi ſup.* & conſentit S.Th. quodl. 6. *q.*5. *art.*8. & Summiſtæ omnes *in verb Horæ.*

Quibus accedit, quod in Concilio Provinciali Mediola- 16
nenſi I. *in tit. de Canon. Hor. non intermitt.* §. *Malitiæ, to.*4. *Concil. p.*2. *pag.*371.*col.*2.*lit. E.* ſtatutum eſt ut infra videlicet: Qui verò initiati beneficium Eccleſiaſticū non habent, ſi divinum pretermiſerint officium, preter grave peccatum quod committunt, graviter etiam ab Epiſcopis in eos animadvertatur. Hæc ibi, & adde quod dicam infra *n.* 25.

Tertiò, manifeſtum eſt ad horas Canonicas teneri Cleri- 17
cos omnes in minoribus ordinibus conſtitutos, beneficium aliquod Eccleſiaſticum obtinentes: nam Clerici in ſacris,&
Clerici in minoribus beneficiati aliàs equiparantur, ut legi- 18
tur, & notatur *in cap.* 1. *ſupra de poſtulan.* Sed conſtituti in ſacris proculdubio tenentur ad horas, ut ſupra proximè oſtenſum eſt: ergo multò fortiùs Clerici minores beneficiati, arg. *cap. Cum ſecundum, ſupra de præben. c. Quod à te, & c. Diverſis de Clericis conjug.* ſecundùm Hoſtien. hìc *n.*3. Joan. Andr. *num.*12. *in verb. Presbyter*, & in hoc ſimiliter S. Thom. *ubi ſupra*, & Doctores omnes conveniunt, ut di-
cunt Abb. & Tabiena *locis citatis*. Quinimò ratione ſacri 19
ordinis Clerici tenentur ad horas dicendas de jure divino poſitivo, ſecundùm illud Pſalm. 138. *Septies in die laudem dixi tibi*, ut hìc per Abbat. *nu.*2. Clerici autem beneficiati, & ſic viventes de patrimonio Crucifixi, ad hoc tenentur de jure divino naturali, arg. *d.c. Cum ſecundum*, adeò ut Sum-

Summus Pontifex nequeat ſuper hoc diſpenſare, ut tenet Tabiena *in verb. Horæ Canonicæ in* 15. *quæſt.* & Angel. *in eod. verb. q.*6.

20 Porrò Leo X. in Conſtitutione ſeptima, quæ incipit, *Supernæ diſpoſitionis arbitrio*, edita in generali Concilio Lateranenſi, §.38. in Bullar. *to.*1. *pag.* 477. ſtatuit, ut quilibet habens beneficium cum cura,& ſine cura,ſi poſt ſex menſes ab obtento beneficio divinum Officium non dixerit, legitimo ceſſante impedimento, beneficiorum ſuorum fructus ſuos non faciat pro rata omiſſionis recitationis officii, & temporis; ſed eos tamquam injuſtè perceptos in fabricas hujuſmodi beneficiorum vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur. Si verò ultra dictum tempus in ſimili negligentia contumaciter permanſerit, legitima monitione præcedente, beneficio ipſo privetur, cùm propter officium detur beneficium. Intelligatur autem officium omittere quoad hoc, ut beneficio privari poſſit, qui per quindecim dies illud bis ſaltem non dixerit. Deo tamen ultra præmiſſa de dicta omiſſione redditurus rationem. Quæ pœna in habentibus plura beneficia reiterabilis toties ſit, quoties contrafacere convincantur. Hæc ibi.

21 Et quoniam animi ſuſpicione multi augebantur, cujuſmodi ratę prędictę ratio eſſet habenda, Pius V. *in ſua Conſt.* 135. incip. *ex proximo* in Bullar. *tom.*2. *pag.* 347. ſtatuit primò, ut qui Horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiſerit,omnes beneficii,ſeu beneficiorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidiè dividerentur: qui verò Matutinum, tantùm dimidiam: qui cæteras omnes horas, ultra dimidiam: qui horarum ſingulas, ſextam partem fructuum ejuſdem diei amittat.

Secundò, ibi, *Tametſi*, hanc pœnam amiſſionis fructuum voluit habere locum, etiam aliquis adſtrictus Choro prætendat ex conſuetudine,ſtatuto,vel fundatione ſe lucrifeciſſe fructus, & diſtributiones ex ſola præſentia in Choro abſque eo, quòd Horas Canonicas recitaverit: amittit enim ratam ſuperiùs præfinitam,præter amiſſionem fructuum,& diſtributionum.

22 Tertiò, ibi, *Item illæ*, adjecit,ut qui primis ſex menſibus ceſſante legitimo impedimento officium non dixerit, intelligat ſe grave peccatum admiſiſſe.

23 Quartò, ibi, *Declarantes*, præmiſſa locum habere declaravit etiam in obtinentibus præſtimonia, præſtimoniales portiones, & qualiacumque alia beneficia etiam nullum omninò ſervitium habentia.

24 Ultimò, ibi, *At quicumque*, decrevit, ut quicumque penſionem, fructus, aut alias res Eccleſiaſticas ut Clericus percipit, modo prędicto obligatus ſit ad dicendum officium parvum B. Mariæ Virginis & penſionum, fructuum, rerumque ipſarum amiſſioni obnoxius. Ad hanc Bullam vide notationes Navarri *in Manuali c.*25. *n.*122. *verſ. Decimotertio peccat mortaliter, & in Enchrid. de orat.c.*7. & quod ſcripſi *in c. Conquerente n.*8. *ſupra de Cleric. non reſid.*

25 Et ad prædictorum coroborationem adde Provinciale Concilium Mediolanenſe quartum, *p.* 3. *in tit. de vita, & honeſt. Cleric.* §. *Sacerdos,tom.*4. *Concil.p.*2. *pag.* 468. *col.*1. *ad fin.* ubi ſic legitur: [Sacerdos, Clericuſque ſacris initiatus, aut Eccleſiaſticum beneficium obtinens,Horarum Canonicarum officio cum adſtrictus ſit, meminerit ſe febri, morbove aliquo, vel adverſa valetudine leviter aliquando laborantem, non juſtam propterea excuſationem habere, quamobrem illud intermittat,omittatve. Itaque ſi quando corporis infirmitate affectus eſt,ipſe pro ſua conſcientia rectè videat quid pręſtare poſſit, ac ne omittendo graviter peccet, & beneficii, quod habet, fructus ſuos non faciat.] Hæc de Sacerdotibus, & Clericis tam in ſacris, quàm beneficium, vel penſionem obtinentibus.

26 De reliquis autem Clercis, ſcilicet minorum Ordinum non beneficiatis, non conveniunt Doctores, an ad Horas Canonicas obligentur: nam gloſſ. ult. hìc generaliter dicit non tantùm Presbyteros, ſed etiam alios Clericos ad hoc teneri, argum. *c. Cùm ſecundum de præbend.* Non tamen aperit, an hoc intellexerit de Clericis minorum Ordinum etiam non beneficiatis; ſed apertiùs hoc videtur ſenſiſſe Innocentius hìc *in princ.* ſic enim ait: [Quilibet Clericus etiam in non ſacris ordinibus conſtitutus omni die debet dicere officia divina vel audire, argum. *c. Clericus victum*, *c.fin.*91. *diſt. & cap.fin.*92. *diſt.* In Eccleſiam autem omnes Clerici Ejuſdem Eccleſiæ debent convenire, ut eam officient,ut hìc, *& in d. c.fin.*92. *diſt.*&, *Qui altari, & c.d.c. Cum ſecundum.*] Hæc Innoc. qui, ut vides, diſtinguit Clericos in Eccleſia beneficiatos ab aliis Clericis, & ſentit omnes quidem teneri, ſed beneficiatos teneri in Eccleſia, ubi habent beneficia. Abbas verò *n.*7 quamvis afferat Doctores ſentire Clericos minorum Ordinum non beneficiatos non teneri ad horas,& ita ſe habere generalem conſuetudinem, quæ non dicentem excuſat, arg. *c. Cùm dilectus, de conſuet.* tamen ut ipſe formaliter ſubjungit: De mente juris divini, & humani credo quòd ſit oppoſitum: nam eo ipſo quòd quis promovetur ad ordines, aſſumitur in ſortem Domini, & transfert ſe in Deum, & in Eccleſiam: unde eximitur à poteſtate ſæculari, *ut c. Cùm non ab homine ſupra de judic.* optimè facit *c. Cùm portio, cum cap. præced.* 12. *q.* Nam ut quiſque Clericus debet vivere de patrimonio Chriſti, vel ſaltem Epiſcopus tenetur providere, *c.*2. *c. Epiſcopus, & d. c. Cùm ſecundum, de præb.* ita &c. Idem videtur ex mente S.Th. *d. quodl.*6. *q.*5. *art.*8. *in corpore*; ait enim: [Clericus ex hoc ipſo quod eſt Clericus, & præcipuè in ſacris ordinibus conſtitutus, tenetur dicere Horas Canonicas.] Videntur enim tales ſpecialiter eſſe aſſumpti ad laudem divinam, ſecundum illud Iſaiæ 42. *Omnem, qui invocat nomen meum, in laudem meam creavi illum.* Videtur tamen loqui de Clericis beneficiatis, ut patet ex his, quæ immediatè ſequuntur, & ex themate quæſtionis.

Contrarium puto verum. Primò quia hoc cap. loquitur de Presbytero, & de ipſo intelligit authoritatem illam, *Septies in die, &c.* Et quamvis Presyteri appellatione largè ſumpto vocabulo, veniant etiam Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti,ut dictum eſt ſupra *n.*15. tamen non veniunt conſtituti in minoribus, niſi vulgari idiomate proferatur: quo caſu poteſt ſumi ad differentiam laici, ut cenſuit Rota *dec.* 226. *n.*3. *p.*2. *recent.* Facit textus *in cap. Tribus de conſecr. diſtinct.* 2 Nec dicatur, ſecundùm hoc etiam Clerici minorum Ordinum beneficiati exempti eſſent ab horis dicendis, cùm nec ipſi comprehendantur appellatione Presbyteri; nam reſpondeo hos non teneri ex vi nominis Presbyteri, de quo textus loquitur; ſed quia aliàs æquiparantur Clericis ſacrorum Ordinum, *ut c.*1. *de poſtuland.* ſecundum Hoſt. & maximè quia cùm vivant de altari,tenentur ex juſtitia altari inſervire, arg. *d. c. Cum ſecundum, de præben.* Quæ ratio non viget in aliis Clericis;nam Eccleſia Romana non conſuevit cogere Epiſcopos ad providendum, niſi ordinatis ad ſacros Ordines, ut ait gl. 1. *in fin. in d. c.* 2. *de præb.* & hos tantùm vetuit ſine ſufficienti titulo ordinari Trid. Synodus *in c.*2. *ſeſſ.*21. 27

Secundò, quia Clerici in minoribus poſſunt redire ad ſęculum: ob quam rationem nec Novitii tenentur ad Horas Canonicas, ſed tantùm ad aliquid indeterminatum, ut per Silveſt. *in verb. Hora, n.*3. *verſ. Sextò*, & Tabien. *in verb. Horæ Canonicæ*, §.5.

Tertiò, quia Conſtitutiones Apoſtolicæ, Concilia, & Doctores tam S. Theologiæ, quàm juris Pontificii non arctant Clericos ad divinum officium recitandum,niſi ſint in ſacris, vel beneficiati, & ita ab hujuſmodi onere eximunt minores Clericos beneficia non obtinentes, *ad l. Cum Prætor, ff. de judic. & c. Nonne, de præſumpt.*

Quartò,quia ex præcitata Bull.Pii V. obtinentes penſiones ut Clerici obligantur tantummodò ad dicendum officium parvum B.Mariæ Virginis:ergo ad officium divinum Clerici non tenentur, licèt penſiones obtineant, & longè minùs ſi eas non obtineant.

Quintò, quia generalis conſuetudo habet, ut tales non teneantur: & hujuſmodi conſuetudo valida eſt, ſecundum Abb. At non eſſet valida ſi eſſet contra mentem juris divini, *ut c.fin.ſupra de conſuetud.*

Sextò, quia eſſet importabile onus, ut puer ſeptem annorum, qui poteſt prima tonſura initiari, *c. In ſingulis* 77. *diſt.* gl. *in c. Nullus,in verb. Infanti de tempor. ordin. lib.*6. quive per hoc dicitur in ſortem Domini aſſumptus, *c. Cleros* 22. *diſt. c. Duo ſunt* 12. *q.*1. illicò adſtrictus eſſet ad Divinum Officium recitandum.Quinimò cum in promovendis ad primam tonſuram Concil. Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.*4. hoc tantùm exigat, ut fidei rudimenta edocti ſciant legere, & ſcribere, nec requirat, ut linguam latinam intelligant, prout requirit in promovendis ad alios Ordines *in cap.*11. *&* 13. *ejuſdem ſeſſionis*, utique in neceſſariam conſequentiam amitti debet, ut ſic tonſurati non teneantur ad Horas Canonicas: quãdoquidem qui linguam latinam non callent, nec rubricas intelligere, nec officium valent ordina-

dinare, *cap. Sedulò*, 38. *diſtinct. cap. fin. ſupra de ætat. & qualit.*

Et hanc partem, ſcilicet Clericos in minoribus non beneficiatos minimè teneri ad horas dicendas, poſt Petr. de Palud tenet Silv. *in verb. Hora, n.3. verſ. Quinam*, dicens opinionem Abbatis nullo jure probari, & tantùm eos teneri ad aliquid indeterminatum ex ipſa honeſtate juris naturalis; &
28 ſequitur Tabien. *in verb. Horæ Canonicæ*, §.5. Hactenus de Clericis ſæcularibus. Clerici autem profeſſi licèt non ſint in ſacris, tamen tenentur ad Horas Canonicas ex receptiſſima omium ſententia, ut atteſtatur Silveſt. *ubi ſupra n.3. verſ. Sextum.* Idque optimis fundamentis probat Tabien. *loc. cit.* §.4. ſubdens ex conſuetudine, & ex regula ab Eccleſia confirmata Religiones omnes habere, ut illarum Clerici profeſſi dicant Horas.

29 Hoc tamen fallit in Societate Jeſu, quę hoc habet ex peculiari inſtituto, ut ſoli Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti, quamvis beneficia Eccleſiaſtica, aut eorum redditus non habeant, teneantur ſinguli privatim, ac particulariter, & non communiter ad dicendum Officium ſecundùm Eccleſię ritum, ut in Coſtitutione Pauli III. *in cap. Regimini militantis Eccleſiæ*, §.12. *in Bullar. tom.* 1. *pag.* 654.

30 Ex facto quæſitum eſt, an Monachi S. Bernardi de Obſervantia Hiſpaniarum Ciſterciensis Ordinis, teneantur ex præcepto ad recitationem officii B. Mariæ Virginis, ac Defunctorum.

Etſi Monachi prædicti ab ipſius Congregationis fundatione quotidiè recitare conſueverint Officium parvum B. Mariæ, & diebus ferialibus Officium Defunctorum, atque ad hoc lege, ſeu conſuetudine obligati cenſeantur ſub gravis peccati reatu: nunc tamen nonnulli ejuſdem Congreg. Monachi contendunt ſe exemptos eſſe ab ea obligatione, ſi in privatis precibus utantur Breviario Monaſtico Benedictino juſſu Pauli V. reformato, & edito; & nituntur hoc uno fun-
31 damento, quia idem Paulus V. in Conſtitutione approbationis dicti Breviarii Monaſtici ſtatuit, ut infra videlicet *Cæterùm ut prædicti religioſi ad Breviarium, & libros Choreales, ut præfertur, reformatos unanimiter recipiendos eò alacrius inducantur, quò ſpiritualibus etiam donis ſe magis refertos eſſe compererint, etiam providere volentes: omnibus, & ſingulis prædictis religioſis, ut Breviarum hujuſmodi recitando, eadem privilegia, gratias & indulgentias, ac peccatorum remiſſiones conſequantur; quæ felic. record. S. Pius V. recitantibus Breviarum Romanum conceſſit, authoritate, & tenore prædictis indulgemus.*

32 Inter cętera autem privilegia conceſſa recitantibus Breviarium Romanum dicti Monachi unum dicunt eſſe, ut ad recitationem Officii parvi B. Mariæ Virginis, & Defunctorum non teneantur. Quod dicunt probari ex infraſcriptis verbis Conſtitut. S. Pii V. videlicet, *Quod verò in rubricis noſtri hujus Officii præſcribitur, quibus diebus Officium B. Mariæ ſemper Virginis, & defunctorum, item ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, & Graduales dici; ac pſalli oporteat; Nos propter varia hujus vitæ negotia multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præſcriptione removendum duximus.* Quemadmodum ergo, dicunt ipſi, ex privilegio S. Pii V. recitantes Breviarum Romanum non tenentur ex præcepto recitare Officium B. Marię, ita nec recitantes Breviarium Benedictinum, quibus à Paulo V. communicata ſunt omnia privilegia conceſſa recitantibus Breviarum Romanum: hæc enim eſt natura adęquationis hujuſmodi *ut l.* 1. *ff. de legat* 1. *l. unic. C. de rei uxor. act. c. Miramur*, *ſupr. de ſerv. non ordin. c. Non ſolùm de regul. lib.6. cum ſimil.* ut per Butr. *conſ.*19. *Quia hìc agitur de poteſtate, n.* 3. *verſ. Item ſecundò.*

Cæterùm univerſa Monachorum Congregat. prædictis pauciſſimis tantùm exceptis, defendit antiquam obligationem in honorem Beatiſſimæ Virginis. Quare cùm ſupplicaſſet S.D.N. pro declaratione, Sanctitas Sua hanc controverſiam ad Sacram Congregationem Concil. decidendam rejecit.

33 De obligatione recitandi Officium parvum B. Marię, ac Defunctorum, Doctores multùm torquebantur ante dictam S. Pii V. Conſtitut. Quidam enim circumſcripta particulari conſuetudine, arbitrabantur ſolas Horas Canonicas eſſe ſub pręcepto, non autem Officium B. M. aut Defunctorum: quod originaliter voluit Gulielmus de Monte Laud. in Cle. 1. *de Celebr. Miſſar.* quem ibi ſequuntur Card. Anch. Imol. item Jo. de Lign *in tract. de Horis Canon. q. ult.*

Quidam verò cenſuerunt, omnes qui tenentur ad Horas 34
Canonicas, teneri ex præcepto etiam ad Officium B. Marię: qui tamen diſſentiunt in origine obligationis; alii enim aſſerunt id ſancitum fuiſſe olim peculiari decreto Concilii Claramontani, ſub Urbano II. Quod probat Navarr. *in tract. de Horis Canon.* & alii recentiores. Porrò in vita Urbani II. quæ habetur *to.*3. *Conc, p.*2. *pag.*408. *col.*1. *circa fin.* ſic legitur: *Hoc Pontifice authore Horariæ illæ preces, quæ vulgo B. M. Virg. & Dei Genetricis Officium appellari conſueverunt, non tantùm à Clericis, ſed etiam à laicis pro auxilio contra Saracenos obtinendo recitari cœperunt.* Hæc ibi; & plura hac de re habentur infra in notis ad Conc. Claramontanum, *pag* 420. *colum.* 2. *Littera B. verſ. Ad quod promerendum.* Alii verò dicunt hanc obligationem ſumpſiſſe initium non ex jure ſcripto, ſed ex conſuetudine, quę poſteà ubique inolevit, ita ut apud omnes vim legis habeat; quam ſententiam amplectitur Vitalin. in d. Clem. 1. *nu.*95. reprobata Gulielmi opinione, quam dicit multùm detrahere devotioni B. Mariæ, & ſuffragiis Mortuorum. Idem ſentit Abb. hìc *nu.*6. ſubdens id eſſe in præcepto ex radice antiquorum Patrum, & traditione Eccleſiæ, licèt ſcriptum non reperiatur; & ſequitur Silveſt. *in verb. Hora num.*6. & Sot. *lib.*10. *de juſtit. & jur. qu.*5. *art.* 4. ubi ait hanc conſuetudinem recitandi Officium B. Marię ex pietate, & devotione, qua Sanctiſſima Virgo digniſſima erat, adeò invaluiſſe, ut nullus Doctorum aut SS. Patrum negare audeat vim habere præcepti.

Hanc altercationem videtur voluiſſe dirimere S. Pius V. in d. Conſtitutione, non quidem per modum conceſſionis alicujus privilegii recitantibus Officium Breviarii Romani, ſed ſimpliciter & abſolutè removendo periculum peccati ab his, qui illud non recitarent juxta Rubricarum præſcriptum. Hæc autem remotio peccati, & obligationis nullo modo videtur pertinere ad obligationem, quam habent Monachi S. Bernar. Primò, quia ipſi non tenentur ſolùm in vim generalis conſuetudinis, ſeu juris ſcripti, de quo erat priùs controverſia, an vim haberet pręcepti: ſed in vim particularis conſuetudinis, & inſtituti ſui Ordinis, quod initium ſumpſit à fundatione ipſiuſmet Congr. quam quidem ſpecialem obligationem non eſt veriſimile, ut Sanctiſſimus ille Pontifex voluerit abrogare. Etenim de valore particularis conſuetudinis olim nulla erat controverſia inter Do- 35
ctores, ſed omnes unanimiter in locis ſuperiùs citatis conveniebant in hoc, ut recitatio Officii eſſet in pręcepto, ſi ita ſe haberet Eccleſię, aut Monaſterii conſuetudo. Atque ita loquitur Gul. in d. Clem. 1. quem cæteri ſequuntur.

Præſertim quia mens Pii V. colligitur ex alia parte ejuſdem Conſtitutionis, ubi ejuſmodi conſuetudines præſervat, his verbis: Hoc autem concedimus ſine præjudicio ſanctæ conſuetudinis illarum Eccleſiarum, quibus Officium parvum B. Marię ſemper Virginis in Choro dici conſueverat, ita ut in ipſis Eccleſiis ſervetur ipſa laudabilis, & ſancta conſuetudo celebrandi more ſolito prædictum Officium.

Sed & ratio illa Conſtitutionis. *Nos propter hujus vitæ negotia multorum occupationibus indulgentes, &c.* non videtur convenire Monachis Clauſtralibus, qui à negotiis, & occupationibus mundanis ſunt prorſus ſegregati, & in ſolitudine poſiti, faciliùs poſſunt orationibus, ac Divinis precibus vacare, *c. Placuit, & c. Si cupis* 16. *q.* 1.

Generaliter autem licèt Romanus Pontifex conſtitutio- 36
nem condendo poſteriorem, priorem, quamvis de ipſa mentionem non faciat, revocare noſcatur; quia tamen locorum ſpecialium, & perſonarum ſingularium conſuetudines, & ſtatuta, cùm ſint facti, & in facto conſiſtant, poteſt probabiliter ignorare, ipſis, dum tamen ſint rationabilia, per Conſtitutionem à ſe noviter editam, niſi expreſsè caveatur in ipſa, non intelligitur in aliquo derogare: hìc eſt textus ad litteram *in c.* 1. *de Conſtitut. lib.*6. per quem Archid. *col.* 3. *in verb. Expreſsè*, & poſt eum gloſſ. fin. notat fuiſſe reprobatam opinionem Hoſt. qui in ſumma *de Conven.* §. *Et de virtute, verſ. Sed ſpecialis*, contrarium ſenſerat; & approbatam ſententiam Innoc. *in c.* 1. *de reſcript.* Unde hanc concluſionem, id eſt per novam Conſtitutionem non tolli ſpecialium locorum conſuetudines, vel ſtatuta, firmant *in dict. cap.*1. *Conſtitut. lib.*6. Archid. Joan. Monach. Joan. Andr. Gemin. & cæteri omnes, & *in cap. Nonnulli, de reſcript.* niſi Princeps hoc intendat; ſed in dubio non videtur hoc velle: & ita procedit text. *in l. Jul.* §. *Divus, ff. de ſepulcr. viol.*

viol. ut ibi declarat gloſſ. quam communiter tenemus, ut Bartol. dicit, & Petrus de Anchar. *in d. c. 1. n. 10. verſ. Undecimo oppono.*

Sed quatenus etiam uſus Breviarii Romani omnes liberaſſet ab obligatione Officii B.M. non tamen eſſent liberati utentes Breviario Benedictino; nam etſi utentibus hoc Breviario Paulus V. conceſſerit omnia privilegia, gratias, & indulgentias conceſſas recitantibus Breviarium Romanum: tamen hęc verba non videntur importare liberationem ab officio B. Mariæ. Neque huic liberationi conveniunt, quin potiùs repugnant illa verba Conſtitutionis Pauli V. *Quò ſpiritualibus etiam donis magis refertos eſſe compererint.*

DE CELEBRATIONE MISSARUM.

Ex Concilio Triburien.

C A P U T II.

QUidam laicorum habent in conſuetudine, ut per ſingulos dies audiant Evangelium: In principio erat Verbum: & Miſſas peculiares; hoc eſt, de ſancta Trinitate, & de ſancto Michaele; & ideò ſancitum eſt in eodem Concilio, ut ulteriùs hoc non fiat, niſi ſuo tempore, & niſi aliquis velit propter reverentiam ſanctæ Trinitatis, non pro alia devotione audire. Sed ſi voluerint, ut ſibi Miſſæ cantentur, de eodem die Miſſas audiant, pro ſalute vivorum, & etiam defunctorum.

S U M M A R I U M.

1 *Miſſa de feria propter Miſſam ſpecialem dimittenda non eſt.*
Declaratur, num. ſeqq.
2 *Miſſam peculiarem audiens in diebus feſtis, an ſatiſfaciat præcepto Eccleſiæ, & n. ſeqq. uſque ad n. 7.*
3 *Miſſas peculiares, ſeu votivas an, & qualiter quis prohibeatur audire in diebus feſtis.*
4 *Superſtitiones aliquot referuntur audientium Evangelium,* In principio erat Verbum, *vel Miſſas peculiares.*
5 *Sacrificium altaris ſoli Deo offerendum eſt, qui ſolus adorandus eſt latria.*
6 *Sancti orationes non exaudiunt, ſed apud Deum pro nobis interpellant.*
8 *Miſſæ votivæ ex Miſſali Romano dici poſſunt pro arbitrio Sacerdotum quocumque die officium non eſt duplex, aut Dominica; id tamen paſſim fieri non debet.*
9 *Miſſa pro defunctis poteſt dici peculiaris.*
Miſſa votiva pro ſponſo, & ſponſa non dicitur in Dominicis, & feſtis diebus, ibid. verſ. Cavendum.
10 *Miſſam de uno Sancto quotidiè celebrare non licet.*
11 *Miſſa etiam de officio currenti dicenda eſt pro ſalute vivorum, & defunctorum, & n. 34.*
12 *Miſſa celebrans de S. Maria dicitur celebrare pro defunctis, & è converſo.*
13 *Miſſa defunctorum an ſit dicenda ad conſequendam indulgentiam altari privilegiato conceſſam, an verò ſufficiat aliam Miſſam dicere, & num. ſeqq. uſque in fin.*
14 *Privilegii tenor inſpiciendus eſt ad dignoſcendum, an pro liberatione animæ à Purgatorio requiratur Miſſa* de Requiem.
15 *Indulgentias animæ defunctorum non conſequuntur à Sacerdote celebrante, ſed à Pontifice concedente per modum ſuffragii.*
16 *Indulgentia non acquiritur, niſi conditio ſub qua conceditur, adimpleatur.*
17 *Mens Papæ ſecundùm Canones interpretanda eſt.*
18 *Miſſa pro defuncto an idem importet quod Miſſa* de Requiem, *& n. 23. 30. & 34.*
19 *Miſſa* de Requiem *cur ab Eccleſia inſtituta.*
20 *Miſſa* de Requiem *magis ſuffragatur animæ defunctorum, quam Miſſa de feſto, vel de feria.*
Declaratur, n. 31. & ſeqq.
21 *Miſſar. ſuffragia mortuis tripliciter applicari poſſunt.*
22 *Medium cenſetur electum, quod rei gerendæ magis eſt idoneum.*
24 *Altare privilegiatum conceditur ipſi Eccleſiæ.*
25 *Mortui ſolvuntur à pœnis Purgatorii ad inſtar libertatis per debiti ſolutionem, ſive ex bonis liberandi, ſive alterius.*
26 *Indulgentiarum materia eſt favorabilis.*
27 *Indulgentia pro defunctis non eſt privilegium, ſed beneficium nulli noxium, & latè interpretandum.*
28 *Indulgentiæ tantùm valent, quantùm ſonant.*
29 *Electio in dubio eſt debitoris.*
32 *Miſſa ex parte ſacrificii æquè prodeſt mortuis de quocumque dicatur. Et quia ex parte orationum.*
33 *Libertas ſi detur ſervienti per annum, acquiritur in biſſexto, ſi ſerviat per dies 365.*
35 *Miraculum Paſchaſii celebrantis in Capella Columnæ intus Eccleſiam Sanctæ Praxedis.*

QUidam. Propter Miſſam ſpecialem Miſſa de feria di- 1
mittenda non eſt. Hoc dicit ſecundùm Jo. Andr. cui
cæteri conſentiunt. Dividitur in duas partes. In prima po-
nitur exceſſus. In ſecunda proviſio, ibi, *Ideò.*
Nota primò, quod dictum eſt in ſummario, videlicet pro-
pter Miſſam peculiarem, ſeu votivam, non eſſe dimitten-
dam Miſſam de feria ſeu de officio occurrente. Non enim
tranſgrediendi ſunt termini, quos poſuerunt Patres noſtri,
c. 1. de ſepult. Quod nonnulli opinantur uſque adeò verum 2
eſse, ut audientes Miſſam peculiarem in diebus feſtis, vel il-
lam celebrantes, non ſatisfaciant pręcepto Eccleſię de Miſ-
ſa audienda, quia Miſsa, quę pręcipitur, eſt Miſſa de feſto, vel
quę ſecundùm Officium debet dici, ita Ang. *in verb. Miſ. n.*
33. *& in verb. Feria n.* 42. licèt ſubdat, audientes propter
ignorantiam excuſari, ſed non celebrantes, arg. *c. Etiam hoc* 3
attendendum, de conſecr. diſt. 1. Allegatur etiam pro hac ſen-
tentia Alex. de Ales *in ſum. lib.* 2. & Aſten. *lib. 4. tit. 16. q. 2.*
Contrarium firmat S. Antonin. *in 2 p. tit. 9. c. 10. §. 1. verſ.*
Quartum dubium, quia tex. *in c. Miſſas*, hoc non dicit, ſed
indiſtinctè loquitur; ideòque non tenetur quis audire Miſ-
ſam propriam ex neceſſitate, ſed tantummodò ex congruita-
te; & ſecundùm hanc congruentiam, ut ipſe ait, loquitur
hoc capitulum. Neque enim mulierculę, & idiotę ſcire
poſſunt, an Miſsa ſit propria, & oportere, hoc ſemper ſciſci-
tari, nimis eſset laborioſū; & ſequuntur Roſel. *in ver. Miſſa,*
§. 14. Silveſt. *Miſſa* 2. § 4 Tabien. *in eod. verb. n.* 38. Sot. *in*
4. diſt. 13. q. 1. art. 1. verſ. Quod autem & Nav. *conſ* 9. inci-
pien. *Ex conc. n. 7. de Celeb. Miſſar.* Quod & mihi videtur
veriùs, *& ad hoc c.* reſpondeo, hìc non improbari conſuetu-
dinem dimittendi Miſsam de officio currente propter Miſ-
ſam peculiarem; ſed tantummodò reprehendi ſuperſtitio- 4
ſam Religionem illorum, qui Miſsam de ſancta Trinitate,
vel de ſancto Michaele pro nullo feſto præteribant, quaſi
non viderentur audire Miſsam, niſi illas audirēt, ſecundum
Hoſt. *in verb. Per ſingulos dies*, & Card. *n. 1. in eod. verb.* vel
qui credebant in illa die, in qua audiebant Evangelium, *In*
principio erat verbum, aut Miſsas memoratas, ſe ſine pœni-
tentia non poſse decedere, quam ſuperſtitionem habent ve-
tulę, ut dicunt Abb. Antiq. *in verb. Audiant*, Jo. And & Car-
din. ambo *in ver. Evangelium*, & Abb. Sicul *in 1. notab.* &
proptereà tex. admittit, ut quis audire poſſit Miſsam ſpecia-
lem, ſeu votivam, dummodò id faciat propter reverentiam
S. Trinitatis, & non pro alia devotione, quaſi dicat, licitum
eſt

eſt dimittere miſſam de die, & audire miſsas votivas, dummodò id non fiat propter aliquam ſpecialitatem, quaſi iſtæ meliores ſint aliis, ſecundùm gloſſ. fin. & Hoſtien. *n.* 1. puta quia magis proſint ad uberiores ſegetes impetrandas, vel quid ſimile, ut explicat Innoc. *in verb. Pro alia*, Hoſtien. *n.* 5. *in verb. Non pro alia*, Jo. Andr. *n.* 2. *in ver. Devotione*, & Card. *in* 1. *q.* Unde Abb. *conſ.* 99. *Videtur* 1. *num.* 3. *verſ. Idem probare videtur*, *lib.* 2. diſertis verbis aſſerit hoc capitulum, ſi benè ponderetur, non prohibere ſimpliciter Miſſas peculiares; imò permittere, dummodò fiat ex bona devotione, & non ex ſuperſtitione, ut quidam faciebant credentes propter illas habere meliores ſegetes. Vel dic hìc improbari illorum abuſum, qui tantam devotionem figebant in ſanctum, cujus Miſſam audiebant, ut crederent illum poſſe ipſorum preces exaudire magis, quàm ſi audirent Miſſam ob reverentiam Dei. Sicut refert hìc Hoſt. de aliquibus, qui credebant, ſe magis dejerare per Dominam noſtram, quàm per Deum; & nuper mihi renuntiatum eſt de quadam vetula, quæ cùm audiviſſet puerperam com-
5 mendantem Deo parvulum tunc natum, *Filiola mea*, inquit, *non Deo*, *ſed potiùs S. Carolo*. Porrò ut inquit Innoc. etiam Miſſa de S. Michaele dicenda eſt in honorem SS. Trinitatis, quoniam ſoli Deo ſacrificium altaris offerendum eſt, qui ſe hoſtiam obtulit pro nobis. Ipſe enim ſolus adorandus eſt latria, qui ſolus poteſt per ſe orationes exau-
6 dire: Sancti autem apud Deum pro nobis interpellant. Ita Innoc. quem totidem verbis ſequuntur Hoſt. Jo. Andr. & reliqui omnes. Ad hoc Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *de invocatione*, *veneratione*, *&c.* Et vide quod notatur per Joan. Andr. in Clem. *unica in gloſ. magna in* 4. *membro*, *de reliq. & vener. Sanctorum*.

Concludo igitur neminem obligari in diebus feſtis ad audiendam Miſſam propriam illius diei, ſeu de officio currenti, ſed ſatisfacere præcepto Eccleſiæ audiendo quamlibet
7 Miſſam peculiarem, ſeu votivam. Reſpectu celebrantis major eſt difficultas, nam, ut inquit S. Antonin. *loco præallegato*, reprenſibile utique multùm videtur, etſi non damnabile, dimittere proprias occurrentes propter Miſſas defunctorum, vel alias ad inſtantiam laicorum ſine cauſa multùm urgenti. Docendus eſt enim populus, non ſequendus, *cap. Docendus*, 22. *diſt.* Quinimò eſt mortale ſecundùm aliquos, quos ſuppreſſo nomine refert Silveſt. *in ver. Miſſa*, 2. §. 4. Sed & Ang. *ubi ſup.* dicit Miſſam eſſe celebrandam de eo, de quo officium fit, adeò ut Miſſam peculiarem dicens, ideſt ſpecialem de aliquo Sancto, non ſatisfaciat præcepto de audienda Miſſa; & quamvis audientes ex ignorantia excuſentur, non tamen celebrantes, arg. *c. Et hoc attendendum*, *de conſecr. diſt.* 1. Hæc ex illo. Sed certè de jure communi hoc non videtur eſſe in præcepto; quia hæc decretalis, in qua ſola fundari poteſt obligatio celebrandi Miſſam de officio currente, alium habet ſenſum, ut ſuperiùs explicatum eſt à *nu.* 3. ac præterea non loquitur de celebrantibus, ſed de audientibus. Unde ſi quam obligationem induceret, utique illam induceret reſpectu audientium, quos tamen conſtat ad id non obligari, ut habet generalis conſuetudo teſte Navar. *d. conſ.* 9. *n.* 7. *de celebr. Miſſar.* Unde meliùs Silv. *in verb. Miſſa*, 1. §. 4. affirmat prædicta eſſe intelligenda ad benè eſſe, non de neceſſitate, quia nec Abbas hìc dicit non ſatisfieri præcepto, nec Clem. 1. *de celebrat. Miſſar.* dicit aliquid de præceptis. Id ipſum tenent Roſella *in verb. Miſſa*, §. 14. Tabiena *in eod. verb. n.* 48. & Navar. *in Manuali Hiſpano*, *c.* 27. *n.* 7.

Non obſtat *d. c. Et hoc attendendum*, *de conſecr. diſt.* 1. ubi patet Sacerdotes, & populum in diebus ſolemnibus debere in unum convenire ad publicam Miſſam audiendam nam & ille textus poteſt intelligi de congruo, & nihilominùs illi derogatum eſt ubique ex contraria conſuetudine, & præſertim in Urbe, ut Navar. teſtatur *in præallegat. conſ.* 9. *n.* 7. *de celebr. Miſſar.*

8 Cæterùm opinio Angeli videtur hodie approbata in novo Miſſali Romano in Rubrica *de Miſſis votivis S. Mariæ*, *& aliis*, § 3. ubi ſic legitur: *Miſſæ omnes votivæ in Miſſis privatis dici poſſunt pro arbitrio Sacerdotum quocumq; die officium non eſt duplex*, *aut dominica*, *cum commemoratione ejus*, *de quo factum eſt officium*, *& commemoratione item feſti ſimplicis*, *ſi de aliquo occurrat eo die fieri commemorationem; id verò paſſim non fiat*, *niſi rationabili de cauſa & quoad fieri poteſt Miſſa cum officio conveniat*. Hæc
9 ibi. Et conſonat alia rubrica *de Miſſis defunctorum*, §. 2. *in fin.* ubi cavetur, ut Miſſæ privatæ pro defunctis quocumque die dici poſſint præterquam in feſtis duplicibus, & Dominicis diebus: nam & Miſſa pro defunctis dicitur peculiaris ſecundùm Archid. *in cap. Viſum*, *de conſecr. diſt.* 1. & Abb. *conſ.* 99. *Videtur primò n.* 1. *lib.* 2. Unde quidquid dicant alii hodie conſtat nulli Sacerdotum licere in Dominicis diebus, & feſtis duplicibus maximè de præcepto celebrare Miſſam peculiarem, ſeu votivam, vel de Requiem; Rubricæ enim Miſſalis ſunt in præcepto, ut ſcripſi *in c. Cum creatura*, *num.* 29. *infra eod.* Fateor tamen in illis caſibus, in quibus Miſſa pro defunctis dici poteſt in feſtis duplicibus, puta in Anniverſario pro defunctis, vel in die depoſitionis defuncti, ut dixi in prædicta Decretali *Cum creatura*, *n.* 23. *&* 26. tunc Sacerdotes eam celebrantes ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de Miſſa audienda in diebus feſtivis, cùm id faciant lege permittente, *cap. Qui peccat*, 23 *quæſt.* 4 *& l. Gracchos*, *ff ad l. Jul. de Adulter.* Cavendum eſt tamen à modernis Collectoribus hìc, dum ex Julio Lavorio *de Indulgen. part.* 2. *cap.* 30 *numer.* 105. affirmant in diebus feſtis poſſe celebrari Miſſas votivas ex urgenti cauſa, veluti pro benedictione nuptiarum, & ſimilibus; hoc enim eſt contra rubricam Miſſalis, quæ ponitur ante Miſſam pro ſponſo, & ſponſa, ubi cavetur, ut ſi benedictio nuptiarum facienda ſit die Dominica, vel alio die feſto dicatur Miſſa de Dominica, vel feſto cum commemoratione ſequentis Miſſæ pro ſponſo, & ſponſa, & reliquis, quæ pro communione, & complemento benedictionis in ea habentur.

Secundò nota, ibi, *Per ſingulos dies*, non eſſe licitum 10
quotidie celebrare Miſſam de uno Sancto, ut hìc notant Butr. *in* 1. *notab.* & Abb. *d. conſ.* 99. *numer.* 4. *& lib.* 2 Quod adeò verum eſt, ut nec pacto, vel ſtatuto adſtringi poſſit præbendatus ad celebrandum ſingulis diebus de uno ſancto, ut eſt textus *in cap. Significatum*, & ibi dixi *in* 3 *not. ſupra de præben.* & notat Abb. in præalleg. *conſ.* 99. *num.* 1. *verſ. Secundò*, *& numer.* 4. *verſ. Ex his patet*. Nec obſtat textus *in cap. Et hoc attendendum*, *de conſecr. diſt.* 1. quia ſecundùm Abb. *d. num.* 4. non prohibet, quin potiùs permittit Miſſas peculiares privatas, dummodò per eas populus à Miſſa ſolemni non abſtrahatur. Contrarium firmat Navarr. *dict. conſ.* 9. *num.* 7. *de celebr. Miſſar.* ubi aſſerit licere in diebus quamvis ſolemnibus dicere Miſſas peculiares de vivis, ut videmus in tota Chriſtiana Eccleſia ſervari, *& num.* 8. reſpondet ad textum *in d. cap. Significatum*. Sed quidquid dicat, prima opinio approbatur in Miſſali Romano, ubi patet Miſſas peculiares, ſeu votivas tam de vivis, quàm de mortuis non eſſe celebrandas in feſtis duplicibus, & Dominicis diebus, ut dixi in præced. notab. *nu.* 8. & conſequenter non licet Sacerdoti celebrare quotidie de uno Sancto.

Tertiò, nota ex fine textus Miſſam de officio currente 11
dicendum eſſe non tantùm pro ſalute vivorum, ſed & defunctorum, ut hìc, *& in c. Viſum de conſecr. diſt.* 1. quaſi celebrando pro vivis celebretur etiam pro mortuis, ſecundùm Jo. Andr. *n.* 3. *in verb. Defunctorum*, & Card. *n.* 1. *in*
eod. ver. Unde ut dicebat Hugo de S. Theodorico, Cardina- 12
lis ipſe celebrando de Domina noſtra ſciebat ſe celebrare pro defunctis, & celebrando pro defunctis ſciebat ſe celebrare de Domina noſtra. Cujus dictum refert Hoſtien. *in fin.* & ſecundum eum ſatis comprobatur *hìc*, *& in cap. Si quotieſcumque de conſecrat. diſt.* 2. Id autem perficitur ab univerſa Eccleſia per preces in ſecundo Memento, ut innuit textus *in d. cap. Viſum*, in illis verbis, *Loco competenti*, quæ exponuntur à gloſſa, ideſt in ſecreta Miſſæ, & ab Archid. & Turrecrem. in ſecundo Memento, in quo dicitur, *Ipſis Domine*, *& omnibus in Chriſto quieſcentibus*, *&c.* & cenſ. Sac. Congregatio Concilii in terminis *c.* 4 *ſeſs.* 25. ut dixi *in cap. cum creatura*, *n.* 19 *infr. eod.*

QUÆRO, an ad conſequendam indulgentiam à Sum- 13
mo Pontifice altaribus privilegiatis conceſſam neceſſe ſit in eis Miſſam defunctorum celebrare; an verò ſufficiat aliam Miſſam dicere, cum alioquin in diebus feſtivis, in quibus juxta novum Miſſale non poteſt celebrari Miſſa defunctorum, non ſuffragaretur hæc indulgentia animabus Purgatorii.

Præmittendum primò, verba privilegii, cujus occaſio- 14
ne dubitatur, quæſtioni debuiſſe inferri, ut eiſdem inſpectis poſſet congruum dari reſponſum, prout jubetur fieri *in c. Porrò de priv.* & eſt ex mente D. Thom. *in* 4. *diſt.* 45. *q.* 2. *art.* 3. *q.* 2. Vidi enim privilegia diverſis concepta verbis, ut au-

audivi, privilegium conceſſum in Eccleſia S. Petri ad altare S. Andreæ videtur reſtrictum ad celebrandum de Requiē.

Secundò præmittendum, poſſe ſupponi hoc privilegium fuiſſe conceptnm ſub verbis, quibus ut plurimum hæc privilegia concedi conſueverunt, quæ ſolent eſſe infraſcripta, videlicet: *Concedimus, ut quoties Miſſa ad prædictum altare celebrabitur pro anima cujuſcumque fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ipſa de theſauro Eccleſiæ indulgen. conſequatur.*

15 Tertiò præmittendum, celebrantem non dare, nec acquirere dictæ animæ indulgentiam; ſed Pontificem ipſum illi animæ, pro qua præſtabitur hoc requiſitum opus, indulgentiam per modum ſuffragii concedere, ut denotant verba præmiſſa, & notant ſępè Doctores, ut Palud. in 4. *diſt.* 20. *q.* 4. *art.* 3. *concluſ.* 6. Cordub. *de indulgent. q.* 26. Nam cùm conceſſio indulgentiæ quantum attinet ad præſentem quæſtionem fit actus ſuperioritatis, quam quis habet diſpenſandi theſaurum Eccleſiæ, quæ reſidet taxata in Epiſcopis, & plenè in ſummo Pontifice, ſecundùm D. Thomam *in* 4. *diſt.* 20. *quæſt.* 1. *art.* 4 *quæſt.* 3. qui celebrat, de Eccleſiæ communibus bonis ſolvit pro defuncto opus, ac veluti pretium à Pontifice requiſitum, quo ſoluto Pontifex indulgentiam largitur, ſeu concedit, & hoc per modum ſuffragii.

Quartò, præmittendum ex Paludano *d. art.* 3. *concluſ.* 2. & Cordub. *quæſt.* 33. poſt D. Thom. *in addit. ad* 3. *part.*
16 *qu.* 27. *art.* 3. *& in* 4. *diſt.* 20. *quæſt.* 1. *art.* 5. *quæſt.* 3. Indulgentiam non obtineri, niſi adimpleatur conditio, ſub qua indulgentia conceditur. Addunt dicti Palud. & Cordub. non ſufficere partem requiſitorum adimplere, ſed totum adimplendum eſſe, Navar. *in Miſcell. de orat. num.* 128. *& de Jubil. notab.* 32. *num.* 49. facit *c. Si pro te*, ubi gloſſ. *fin. de reſcript. lib.* 6.

Ex prędictis infertur, dubitationis reſolutionem pendere ex intentione Pontificis concedentis, ſecundùm quam prout ipſe intendit, anima ipſa liberabitur, vel non, argum. *l. Cum hæres*, §. 1. *ff. de ſtat. liber.* & docet S. Thomas *in* 4. *diſt.* 20. *quæſt.* 1. *art.* 5. *quæſt.* 3. *ad* 2. Erit igitur inquirendum quænam, fuerit, vel ſit ipſius mens, *c. Cum veniſſent*, ubi Felin. latè *de judic.* Quæ quidem mentis declaratio fieri poterit etiam à Pontifice ſucceſſore, ut per Oldrad. *conſ.* 237. *Factum tale eſt*, *n.* 2. *verſ. Hæc autem interpretatio Domini Nicolai*, & Riminald. jun. *conſ.* 481. *n.* 67. *&* 68. Nam etſi poteſtas interpretandi cohæreat perſonæ, & in alium non tranſeat, ſecundùm Innoc. *in c. fin. de ſucceſs. ab inteſt.* & Felin. *in d. c. Cum veniſſent*, *num.* 2. *de judic.* tamen ſucceſſor idem cenſetur cum prædeceſſore, & una eſt, dignitas, ut inquit Oldrad. *loc. cit.* Quòd ſi hoc non poſſet coram ab ipſo obtineri, tunc quænam fuerit ejus mens conjecturis eſt indagandum, *l. In conditionibus*, *ff. de cond. & demonſtr.* Et quidem in caſu propoſito requiri miſſam de Requiem, ex infraſcriptis videtur elici poſſe.

17 Primò, verba dubia à ſummo Pontifice prolata, ſecundùm Canones ſunt interpretanda, *c. Eccleſia veſtra*, *il* 2. *de elect.* Calder. *conſ.* 187. *aliàs* 2. *de præſumpt.* Felin. *in cap. Cauſam*, *n.* 16. *verſ. Quarta declaratio de reſcriptis*. Sed hæc, vel ſimilia verba, *Celebretur Miſſa pro defunctis*, in
18 ſacris Canonibus intelliguntur de miſſa de Requiem, *cap. Sufficit*, *de conſecr. diſt.* 1. ibi, *Quidam tamen pro defuncto unam Miſſam faciunt, & alteram de die*: ubi illa verba, *Miſſam pro defuncto*, idem important, quod miſſa de Requiem. Idem colligitur ex *c. Certum*, juncta gloſſ. 3. & gloſſ. fin. *eadem diſt. & ex c. Cum creatura*, & ibi gl. *eod. tit. infra eod.*

19 Secundò, ſuffragatur text. *in c. Quicumque*, 26. *q.* 5. ubi habetur, miſſam de Requiem inſtitutam eſſe ſpecialiter ab Eccleſia in ſubſidium, & ſuffragium animarum defunctorum, cui ſi addatur regula cōmunis, de qua in *l. Plenum*, §. *Equitii*, *ff. de uſu, & habit.* quæ habet verba intelligenda eſſe ſecundùm propriam conditionem illius, de quo agitur; ſequitur, ut in materia noſtra, quę emanavit ad utilitatem defunctorum, verbum *Miſſa*, intelligatur de illa, quæ peculiariter pro eorumdem ſuffragio fuit ab Eccleſia ipſa inſtituta.

20 Tertiò, certum eſt, miſſam de Requiem ad hoc præcipuè inſtitutam fuiſſe, ut ſic ſatisfieret pœnæ debitæ ab his, qui in Purgatorio exiſtunt, *c. Quicumque Sacerdotum*, 26. *q.* 1. eamque plus defunctis ſuffragaturam; ex D. Thom. in 4. *diſt.* 45. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 5. quàm miſſam de Sancto, ſeu de feſto, vel de feria: quod etiam probat Navar. *conſ.* 9. *de celebr. Miſſar.* ubi *n.* 1. ſic ait: (Quamvis triplex ſit modus 21
applicandi mortuis miſſarum ſuffragia, ſcilicet per intentionem, per memoriam, quæ fit in decima parte Canonis Miſſæ, quæ incipit *Memento etiam*, & per Collectas expreſſas in ipſa miſſa; ut colligitur ex *c. Cum gravia*, *cap. Non æſtimemus*, *& c. Animæ*, 13. *q.* 2. & aliis multis, adjuncto *c. Viſum*, *de conſecr. diſt.* 1. nihilominùs major, & melior eſt per totam ipſam miſſam pro defunctis: & infra *n.* 5. Miſſa, inquit, pro defunctis, cęteris paribus magis prodeſt defuncto, quàm miſſa de Sancto, vel feria. Ergo etiam collecta miſsæ de defunctis magis proderit, quàm collecta miſsæ de vivis, arg. *l. Quæ de tota*, *ff. de rei vendic. & cap. Paſtoralis*, §. *Item ſi totum*, *ff. de offic. deleg.*) Hæc Navar. Et ſucceſſivè ſequitur eamdem eſse magis proportionatam effectui, qui intenditur, qui eſt liberatio animæ à pœnis Purgatorii. Arguitur nunc ſic. In dubio illud medium 22
videtur electum, quod rei gerendæ magis idoneum eſt, argum. *l. Quoties*, *ff. de reg. jur.* Itemque illud, per quod plenius ei, cui benefacere volumus, providetur, arg. *l.* 3. *ff. de milit. teſtam. c. Super hoc*, *de renuntiat.* Sed hujuſmodi eſt miſsa de Requiem: Ergo ipſa à Pontifice plus quàm aliæ intenta, & requiſita videtur.

Quartò, adducitur Abb. *conſ.* 99. incip. *Videtur primò*, *vol.* 23
2. qui caſu legati facti per hæc verba: (Quòd omni die poſt mortem ejus pro anima ipſius teſtatoris in perpetuum celebrari deberet triginta miſsæ mortuorum per triginta Preſbyteros;) concludit miſsas debere dici de Requiem, quia talis præſumitur mens teſtatoris ex illis verbis, ibi, (Pro anima ipſius teſtatoris:) & ibi, (Miſſæ mortuorum:) ex quibus verbis colligi poteſt penes Abbatem idem importare miſſam pro anima defuncti, quod miſſa mortuorum: qui Abb. ſubdit (miſſam de Requiem ſaltem privatam poſſe dici omni die, etiamſi ſit dies feſtus.) Ex quibus reſpondetur ad argumentum, quod pro contraria parte adducitur. Sed his non obſtantibus verior videtur contraria opi- 24
nio; & ante omnia obſervandum eſt, hoc privilegium reſpicere quidem, atque intendere conſolationem animarum defunctorum, ſed intuitu ipſius Eccleſiæ, imò ipſi Eccleſiæ concedi, ut patet ex lectura ſimilium conceſſionum: & inde deducitur, in dubio eam concedentis intentionem eſse præſumendam, per quam Eccleſia ipſa magis decoratur, arg. *d.* §. *Equitii*, *& d. l. Quoties*.

Obſervandum ſecundò, hanc materiam, prout concer- 25
nit liberationem animæ defunctorum à pœnis purgatorii eſse omninò ſimilem illi, de qua per Juriſconſultum *in tit. de ſtat. liber.* Et ſicut libertas ibi ſequitur, ſi fiat quod jubetur ex bonis ſive liberandi, ſive alterius, *d. l.* 3. *in princ.* proportionatè loquendo idem videtur dicendum hoc caſu, argum. *c. Inter corporalia*, *de transl. Epiſc.* & colligitur ex D. Th. *in* 4. *diſt.* 45. *q.* 2. *art.* 3. *q.* 2.

Obſervandum tertiò, hanc materiam, utpotè quæ agit 26
de liberandis animabus à tam dura ſervitute, & cruciatu, eſſe favorabilem, *d. l. Cum hæres*, §. *Item ſi decem*, & alibi ſæpè, *ff. de ſtat. liber.* & tradit Bald. *conſ.* 339. *Caſus talis eſt per totum*, maximè *in fin. lib.* 1.

Obſervandum quartò, hic agi propriè non de privilegio, 27
ſed de beneficio Principis nulli noxio, quod latè interpretandum eſt *c. Olim de verb. ſignif. c. Dileti*, *de donat. cap. Quamvis*, *de præb. lib.* 6. *l. fin. ff. de conſtit. princ.* & in terminis conceſſionis Indulgentiarum reſpondit Roman. *conſ.* 353. *Petitur à me declaratio*, *per tot.* quem refert, & ſequitur Ludov. Bolog. *in tract. de indulgent. col.* 19. *verſ. Levis etiam*, *& valdè utilis*, *n.* 97. Felin. *in ſuo ſerm. de indulg. propè fin.* & Joan. Franc. Pavin. *de off. & poteſt. Capituli ſed. vac. in* 1. *p. q.* 4. *ante fin.*

Obſervandum eſt denique, hic agi de Indulgentiis, quæ 28
ex vulgata regula tantùm valent, quantùm ſonant, gloſ. in *c. Quod autem*, *de pœnit. & remiſs.* dummodò ex parte dantis ſit authoritas, ex parte recipientis charitas, ex parte cauſæ pietas, ut inquit D. Th. *in* 4. *diſt.* 20. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 2.

His ita conſtitutis, cùm privilegii verba nihil aliud requirant, niſi ut ad dictum altare celebretur miſſa pro anima cujuſvis fidelis, utique verba hujuſmodi verificantur etiam in dicente id d. altare miſsam de Sancto, ſi illam integram celebrans offerat pro anima defuncti: ergo & diſpoſitio verificabitur, *l.* 1. §. *His, qui navem*, *ff. de exercit. & leg. Non aliter*, *ff. de leg.* 3. Angel. Aretin. *conſ.* 31. *Viſo ſupradicto*, *num.* 2. & Palud. de Caſtr. *conſ.* 154. *ſuper primo quæſito in princ. lib.* 1.

Secun-

29 . Secundò, per privilegium hoc exigitur tantummodò in genere, ut Miſſa pro defuncto celebretur: ergo electio erit ipſius debitoris, *l. Comprehenſum*, *ff. de contrah. empt.* modò id, quod ſolvitur, ſit integrum, ſeu utile, ut notat ibi gl. facit *inſtit. de legat.* §. *Si generaliter*, & regula *in alternativis*, *de rer. jur. lib. 6. cum ſimil.* Sive igitur ſolvatur Miſſa de Requiem, ſive de Sancto, vel feria, cùm præſtetur id, ad quod quis eſt obligatus, conſequens eſt, ut & liberatio ſequatur, & indulgentia obtineatur, *dict. l. 3. de ſtat. liber.* Et cùm privilegii verba ſint generaliter ſine diſtinctione concepta, non debemus nos ea reſtringere, nec diſtinguere, vulgata *l. De pretio*, *ff. de public. in rem act.* Unde S. Antonin. Silv. & alii ſupracitati *n. 6.* tenent in ſimili ſatisfieri præcepto de audienda Miſſa die feſto, etiamſi audiatur Miſſa de Sancto, vel feria, & non de ipſomet feſto, quia lex tantummodò nos obligat, ut eo die Miſſam in genere audiamus; & tamen eo caſu articulus erat magis dubitabilis: nam dum Eccleſia præcipit, ut audiamus Miſſam die feſto, videtur quodammodò velle, ut audiamus Miſſam ab Eccleſia inſtitutam pro honore dicti feſti, ſeu Sancti; adeò ut propterea Angelus, & alii tenuerint non ſatisfieri præcepto de audienda Miſſa de Officio currenti, ut *dixi eod. n. 6.*

Tertiò, generaliter faciunt adducta in præmiſſis ſuppoſitionibus, videlicet quòd verſemur in materia ex omni parte favorabili, & amplianda. Et pro hac ſententia, licèt non per has rationes, reperi conſuluiſſe Navarr. *conſ. 37.* incip. ***Sanctiſſimus conceſſit, de pœnit. & remiſſ.*** in terminis privilegii conceſſi eo tenore, ut quoties diceretur Miſſa in tali altari pro defuncto, anima illa per modum ſuffragii indulgentiam plenariam conſequeretur.

Nec obſtant contraria; quia ad Capitulum, *Sufficit* reſpondetur ibi ideò illa verba intelligi de Miſſa de Requiem, quia contradiſtinguitur à Miſſa de tempore, vel de Sancto: quæ ratio ceſſat in caſu noſtro, in quo in ſua generalitate

30 relinquuntur, nec alteri ſpeciei opponuntur. Eodem modo reſpondetur ad *d. c. Cum creatura*. Text. verò in *c. Certum, de conſecr. diſt. 1.* confirmat noſtram opinionem: nam volens ibi Pontifex facultatem Miſſas in d. loco non ſacro celebrandi reſtringere ad Miſſas de requiem, non dixit ſimpliciter, Concedimus animabus fidelium ibidem ſepultorum; ſed facultatem celebrandi pro defunctis limitat ad ſacra funeralia, ſeu anniverſaria de Requiem.

Ad ſecundum retorquetur argumentum, & validiùs: nam ut ſupra dictum eſt, privilegium fuit conceſſum loco, ſeu contemplatione loci: unde ſequitur, ut verba debeant intelligi ſecundùm conditionem loci. At loco, ideſt Eccleſiæ magis convenit, ut quando occurrit feſtum, celebretur de feſto, & ſervetur regula beneficii, nec dicatur tunc Miſſa privata de Requiem, ut inſinuatur etiam in hoc cap. & *in d. c. Et hoc attendendum, de conſecr. diſt. 1.* Ergo Summus Pontifex, qui Eccleſiæ dictum privilegium conceſſit, cenſendus eſt noluiſſe illud ita reſtringere, ut illius laudabilis ordo turbetur, inductaque ad unum finem, operentur contrarium: potiùs enim attenditur in hoc id, quod congruit ipſi Eccleſiæ, ad cujus intuitum conceſſum eſt privilegium, quàm quod congruit animæ defuncti, quæ ex hac Miſſa per alterum ejus nomine exhibenda liberationem eſt conſecutura, ut de hoc eſt textus *in l. Labeo*, *eod. tit. de*

31 *ſtat. liber.* Imò & reſpectu ipſarum animarum convenit, ut non fiat dicta reſtrictio, quandoquidem verbis generaliter ſumptis, ſaltem per accidens eiſdem copioſiùs conſulitur, quia faciliùs quotidie poterit pro eis offerri Miſſa, ut liberentur, quàm ſi ſolùm poſſet pro eis offerri Miſſa de Requiem, quæ celebrari non poterit quotidie, vel propter Rubricas Miſſalis, vel propter cuſtodis Eccleſiæ prohibitionem. Addit Navarr. *d. conſ. 37. nu. 2.* frequentiſſimè contingere, ut aliquis moriatur veſpere, vel manè alicujus magni feſti, cujus animæ deſiderant propinqui opitulari, & non poſſent celebrari hujuſmodi Miſſæ, quod eſſet maximum, & præſens remedium. Quæ tamen ratio infirma eſt, quia corpore præſente Miſſa de Requiem quocumque die dici poteſt, præterquam in Paraſceve, & in Paſchate, ut dixi *in c. Cum creatura*, *inf. eod.*

32 . Ad tertium reſpondetur. Etſi Miſſa de Requiem plus proſit defunctis, quàm de feſto; hic tamen defectus modicus eſt, & de facili ſuppletur per majorem devotionem, quam ſolent celebrantes habere, dum de feſto celebrant, ut vult Silveſt. *in verb. Suffragium*, *num. 5.* Et eſt doctrina D. Th. in contrarium citati *in 4. ſent. diſt. 45. q. 2. art. 3. q. 1. ad 5.* cujus hæc ſunt verba: *Miſſæ ſuffragium continet duo, ſcilicet orationes, & ſacrificium: ex parte ſacrificii oblati Miſſa æqualiter prodeſt defuncto de quocumque dicatur, & hoc eſt præcipuum, quod fit in Miſſa, ad hoc c. Utrum, de conſ. diſt. 2. Sed ex parte orationum magis prodeſt illa, in qua ſunt orationes ad hoc determinatæ. Sed tamen iſte defectus recompenſari poteſt per majorem devotionem, vel ejus, qui dicit Miſſam, vel ejus qui facit dici, vel iterùm per interceſſionem Sancti, cujus ſuffragium in Miſſa imploratur.* Hæc S. Th. & ſequitur totidem verbis S. Antonin. *in 1. p. tit. 10. c. 2. §. 3.* & Navar. *d. conſ. 37. nu. 2. de pœnit. & remiſſ.* ubi etiam addit, Miſsam pro defunctis in orationibus minùs valere hoc reſpectu, quia brevior eſt, & celeriùs, minuſque attentè ut plurimùm dicitur, quàm alia. Et quia memoria nova ſancti, & novitas officii devotionem celebrantis adauget, ex qua pendet valor ex opere operantis. Præterea non valet: Miſsa de Requiem plus prodeſt defuncto: Ergo hæc 33
debet offerri in caſu noſtro ad indulgentiam, ſeu liberationem conſequendam: cùm ad illam conſequendam ſufficiat offerri id, quod eſt minus, arg. text *in d. l. Cùm heres*, §. *Stychus*, *ff. de ſtat. liber.* ubi ſi detur libertas ſervo ſervienti per annum, ſi ſervit in biſsextò, in quo duo dies computantur pro uno, *l. Cum biſſextus*, *ff. de verb. ſignif.* ſufficit, ut ſerviat per dies 365. nec cogitur ſervire per dies 366 quos habet dictus annus. Advertendum item eſt, in hoc 3. arg. latere fallaciam, quæ dicitur a ſimpliciter ad ſecundum quid; arguitur enim hoc modo: Exhibitio Miſsæ de Requiem magis prodeſt defuncto de ſe, quàm Miſsa de Sancto: Ergo credendum eſt Pontificem illam exigere, utpotè per quam defuncto magis ſubvenitur. Nam abſolutè loquendo fateor utilius eſse offerre Miſsam de Requiem, quàm de feſto; ſed nego utilius eſse defuncto, ut pro eo offerri poſſit duntaxat Miſsa de Requiem, quàm ut ipſe gaudeat privilegio conſequendi liberationem ex quacumque Miſsa pro ipſo oblata. Quandoquidem hoc ſecundo caſu, ſi Sacerdos non reperiatur, qui pro eo velit, ac poſſit celebrare Miſsam de Requiem, ac fortè reperietur, qui celebret de Sancto, vel de feria. Sed in primo caſu, deficiente Sacerdote, qui velit, aut poſſit Miſsam de Requiem celebrare, defunctus omninò carebit ſuffragio Miſſæ. Quemadmodum utilius quidem eſt ſervo liberto, ut pro ejus liberatione offerantur centum, quàm quinquaginta, at non eſt utilius, imò damnoſius, ſi ſtatuatur, ut ejus liberatio ſi qui non poſſit, niſi offerantur centum; quia difficilius eſt invenire, qui ſolvat centum, quàm qui ſolvat quinquaginta. Unde latiùs patet facultas liberationis, & mitiùs benigniùſque agitur cum defuncto ex opinione noſtra, quàm ex contraria.

Ad doctrinam Abb. *d. conſ. 99.* Reſpondetur Abbatem 34
non ſe fundare ſuper utraque particula ſeparatim, & per ſe tamquam ſingulæ ſufficiant ad inducendam dictam præſumptionem; ſed inniti utrique ſimul junctæ, in quarum altera cùm expreſsè agatur de Miſſis defunctorum, non eſt dubium, quin ſint dicendæ Miſsæ de Requiem, cùm tales requirantur. Etenim aliter Sacerdotes non ſatisfacerent, ut in ſimili notat Silv. *in verſ. Miſſa 1. n. 10.*

Ex quibus videtur concludendum, pro conſequutione liberationis animæ à pœna Purgatorii, ſufficere, ſi pro eadem anima celebretur Miſsa de feſto, vel etiam de feria, imò & votiva de Sancto: nam qui applicat tale ſacrificium defuncto, verè dicitur Miſsam celebraſse pro anima talis defuncti; & hoc ſufficienter probatur hìc in illis verbis: *Sed ſi voluerit, ut ſibi Miſſæ cantentur, de eodem die Miſsas audiant pro ſalute vivorum, & etiam defunctorum.* Ex quibus innuitur, ut qui celebrant Miſsam de feſto, ſi offerunt pro ſalute animæ defuncti, dicantur celebraſse Miſsam pro defuncto, ut latiùs dictum eſt ſupra in 3. *not.* & hoc etiam habet communis uſus loquendi; qui enim petunt Miſsam de Requiem, ſolent dicere, Dicite mihi Miſsam defunctorum. At qui non diſtinguunt inter Miſsam, & Miſsam, ſimpliciter dicunt, Dicite Miſsam pro anima unius mei propinqui; atque ita is poteſt celebrare pro defunctis, qui de feſto miſſam celebrat. Addi etiam poteſt, quod notat Biel. *de Can. Miſsæ, lect. 57 lit. R fol. 527.* ubi etiam ait in Eccleſia Sanctæ 35
Praxedis in Capella Columnæ deſcriptum extare, Paſchaſium conceſſiſe in illo loco celebranti indulgentiam, in hæc verba: *Quicumque celebraverit, vel celebrari fecerit quinque Miſsas pro anima parentis, vel amici exiſtentis in Purgato-*

gatorio, dictus Papa Paſchaſius dat remiſſionem plenariam per modum ſuffragii tali animæ. Ac deinde ſubdit Biel. Cùm poſt Paſchaſius celebraſſet pro nepote d. quinque Miſſas, in ultima Miſſa dum adhuc eſſet ad altare, apparuit ibi Beata Virgo viſibiliter extrahens animam nepotis de Purgatorio. Ex qua narratione videtur aliquo modo conjici Miſſas celebratas fuiſſe de S. Maria: nam ſi celebraſſet de Requiem veriſimiliter potius apparuiſſet Michael Archangelus, cujus adjutorium ſpeciale in ea Miſſa implorari ſolet, &c.

CUm Marthæ, §. *Quæſiviſti*. In Sacramento Altaris aqua cum vino tranſubſtantiatur in ſanguinem. Hoc dicit Abb. Siculus.

Pro intelligentia hujus §. *Quæſiviſti*, vide quod ſcripſi in *c. Ne initiaris n. 274. de Conſtit.*

DE CELEBRATIONE MISSARUM.

Innocentius III. in Concilio Generali.

CAPUT IX.

DOlentes referimus, quòd non ſolùm quidam minores clerici, verùm etiam aliqui Eccleſiarum Prælati, circa comeſſationes ſuperfluas, & fabulationes illicitas (ut de aliis taceamus) ferè medietatem noctis expendunt; & ſomno reſiduum relinquentes, vix ad diurnum concentum avium excitantur, tranſcurrendo undique continua ſyncopa Matutinum. Sicut & alii, qui Miſſarum ſolemnia vix celebrant quater in anno, & (quod deterius eſt) intereſſe contemnunt; & ſi quando dum hæc celebrantur, interſint, chori ſilentium fugientes, intendunt exteriùs collocutionibus laicorum: dumque auditum ad indebitos ſermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad Divina. Hæc igitur & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitùs inhibemus, diſtrictè præcipientes in virtute obedientiæ, ut Divinum officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis Deus dederit, ſtudioſè celebrent pariter, & devotè.

SUMMARIUM.

1 *OFficium nocturnum, & diurnum à Prælatis, & Clericis ſtudioſè, & devotè celebrari debet.*
Et quomodo intelligantur verba, ſtudioſè, & devotè, & n. 39. 40. & 42.
2 *Prælatis Eccleſiaſticis, & præcipuè Papæ dolendum eſt de peccatis, & exceſſibus ſubditorum.*
3 *Ad officium diurnum tenentur Clerici in ſacris, non autem in minoribus ordinibus conſtituti, niſi ſint beneficiati.*
4 *Prælatis, & Clericis reprehenſibile eſt è ſomno non ſurgere ad diurnum concentum avium.*
Aurora unde dicta, ibid.
5 *Chriſtiano indecens eſt, ſi radius ſolis ipſum in lecto dormientem inveniat.*
6 *Horæ Canonicæ ſine ſyncopa celebrari debent.*
7 *Syncopa quid ſit.*
8 *Horas canonicas celebrans cum ſyncopa, quando habeatur pro celebrante ſecundum opinionem Vincentii.*
9 *Non peccat niſi venialiter, ſi ex negligentia aliquam dictionem, aut verſum omittat, nec tenetur ad caput pſalmi propter hoc reverti.*
10 *Nec ſi omittatur pſalmus, ad illum eſt redeundum.*
Non eſſet tamen inconveniens pſalmum prætermiſſum dicere, ſive eſſent in eodem, ſive in alio nocturno, aut in pſalmis veſpertinis, niſi timor ſcandali ſubeſſet.
11 *Negligenter facies opus Dei, quando maledictionem incurrat.*
13 *Sacerdos graviter peccat, ſi Miſſam non celebret ſaltem quater in anno, ſcilicet in præcipuis feſtis.*
14 *Cogi tamen non poteſt ab Epiſcopo ex decreto Concilii Trident. ſed moneri tantùm, ut non impeditus celebret.*
15 *Epiſcopus debet quolibet die Dominico in propria Eccleſia præſens eſſe, & ſaltem ſemel in hebdomada celebrare.*
16 *Nec decet eum tranſire ullam diem, quin Miſſam celebret, vel audiat.*
17 *Officium divinum dicentes, vel Miſſam audientes cum diſtractione voluntaria, an ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ, & n. ſeqq. uſque in fin.*
Quid ſi diſtractio proveniat ex eo, quòd quis ſcienter ſe occupet in actu externo, & incompatibili cum interna attentione, num. 19. & 55.
Et quid ſi proveniat ex ſolo actu interiori, n. 20. & ſeq. uſque in fin.
Referuntur Authores, & fundamenta opinionis affirmativæ, n. 21. & ſeqq. uſque ad n. 33.
18 *Mentis evagatio quotuplex.*
22 *Beneficiatus, qui horas Canonicas recitat cum diſtractione voluntaria, non tenetur ad riſtitutionem fructuum.*
Contrarium, n. 38. & ſeq. maximè n. 57.
23 *Eccleſia non poteſt præcipere, ut officium recitetur, vel Miſſa audiatur cum attentione interna, & nu. ſeq. ad num. 33.*
Contrarium, n. 58.
Declaratur, n. 64.
24 *Cogitationis pœnam nemo patitur.*
Declaratur, n. 64.
25 *Legem ferre non poteſt homo niſi de his, de quibus poteſt judicare. Judicium autem hominis non poteſt eſſe de interioribus motibus, qui latent, & num. ſeqq. uſque ad num. 31.*
Declaratur, n. 64.
26 *Ratam habens percuſſionem Clerici in corde tantùm, non incidit in ſententiam Canonis quoad Eccleſiam militantem.*
Declaratur, n. 64.
27 *Hæreticus, qui non proceſſit in opus externum, ſed hæreſim tenet in corde tantùm; non eſt excommunicatus.*
Contrarium, n. 60.
28 *Occulta per ſe non ſubſunt judicio Eccleſiæ, ſed ſolùm occulta per accidens.*
Contrarium, n. 62.
29 *Diſtractio voluntaria in officio, ſi ſit ſecundùm actum interiorem, eſt quidem gravis, & temeraria, ſed non mortale.*
Contrarium, n. 38. & ſeqq.
30 *Præceptum recitandi horas Canonicas eſt de jure poſitivo, & ideò non refertur niſi ad ea, quæ ſub judicio humano cadere poſſunt.*
31 *In horis divinis ſatis eſt labiis orare, licèt cor divertat ad alia.*
Contrarium, n. 38. & ſeqq.
32 *Oratio dicitur quaſi oris ratio.*
33 *Devotionem internam in Generali Concilium hìc poſuerit*

rit in præcepto. Et expenduntur quatuor intellectus huius capituli, & n. ſeqq. uſque ad nu. 51.

34 *Attentio interna tamquam onus importabile hìc non præcipitur, ſed ſuadetur.*

Contrarium, num. 38. & ſeqq.

Declaratur, num. 68.

35 *Officium ſtudioſè, & devotè non celebrantes, non obligantur ad culpam, ſed ad pœnam ſuſpenſionis.*

36 *Contrarium, & num. 37.*

37 *Præceptum in virtute obedientiæ, vel ſub pœna ſuſpenſionis, abſque dubio obligat tranſgreſſores ad culpam mortalem.*

38 *Officium recitans, vel Miſſam audiens, ſi cor ad Deum non habeat, mortaliter peccat, n. ſeqq. uſque ad n. 51. & num. 55.*

Declaratur, & num. 51. & ſeqq.

39 *Officium debet dici reverenter quantum ad compoſitionem corporis, diſtinctè quantum ad pronunciationem oris, & devotè quantum ad mentis elevationem.*

40 *In officio præcipitur devotio interna, & formalis, quæ eſt donum Dei, non autem ſola externa, & materialis, quam habent etiam Hypocritæ.*

41 *Oratio quid ſit.*

42 *In Oratione duo præcipuè requiruntur, videlicet affectus cordis, & attentio.*

43 *Juſtitia ex opere non conſummatur, niſi etiam voluntas affuerit.*

44 *Officium recitans, vel Miſſam audiens, & aliud cogitans mentitur.*

45 *Officium, ut ſatisfiat præcepto, neceſſe eſt, ut non procedat ex ſola imaginatione, ſed ex deliberatione, quæ attentionem requirit.*

46 *Non tamen oportet, ut in proſecutione officii attentio ſemper duret ſecundùm eſſentiam actus, ſed ſatis eſt, ut duret ſecundùm virtutem, & n. 46. & 68.*

47 *Attentio virtualis intelligitur perdurare, quando aliquis ad officium accedit cum intentione Deo debitum obſequium reddendi, etiamſi in proſecutione mens ad alia rapiatur.*

48 *Niſi tanta fiat evagatio, ut omninò depereat vis primæ intentionis.*

49 *Cor hominis vagum, & mobilius omni mobili.*

50 *Attentio virtualis omninò deperit per voluntariam diſtractionem.*

51 *Diſtractio voluntaria non eſt culpa mortalis, niſi tanta ſit, ut notabilem officii, vel Miſſæ partem abſumat, & num. ſeq. uſque ad num. 57.*

52 *Clericus an peccet, qui dum eſt in officiis, cogitat ſuper aliquo bono ſpirituali, vel temporali.*

53 *Et quid ſi non intelligat quæ ibi dicuntur, vel leguntur.*

54 *Et quid ſi nimiùm fatigatus ſpiritu de aliis cogitet.*

55 *Mentis evagatio in officio quando ſit culpa mortali ex ſententia D. Thomæ.*

56 *Oratio, quæ habet culpam adjunctam, non habet ſuam efficaciam, nec eſt ſatisfactoria.*

58 *Lex Canonica ferri poteſt etiam de actibus omninò occultis, & internis, ex ſententia Canoniſtarum, licèt de illis judicare non poſſit, quamdiu latent.*

59 *Ponderoſus, ideſt qui mente peccat, repellitur à promotione.*

60 *Hæreſis perficitur ex ſola mentis cogitatione.*

61 *Inquiſitor poteſt punire hæreticum mentalem, ſi liqueat de hæreſi per illius confeſſionem.*

62 *Regulares ad Curias Principum accedentes animo nocendi ſunt ipſo facto excommunicati.*

64 *Lex Eccleſiaſtica poteſt ordinare, & cohibere actus internos in quantum obligantur cum exterioribus, & num. ſeqq.*

66 *Permittitur aliquando concomitanter, & ratione connexionis, quod non permittitur principaliter & directè.*

67 *Proponens non jejunare, vel Miſſam non audire, peccat mortaliter, licèt propoſitum non perficiat.*

1 DOlentes. Præcipit Prælatis, & Clericis in virtute obedientiæ ut nocturnum Officium, & diurnum ſtudioſè celebrent & devotè. Et duas habet partes. In prima ponit duplicem exceſſum; in ſecunda prohibet, ibi, *Hæc igitur*: & prima ſubdividitur in duas, prout duo ſunt exceſſus: ſecunda ibi, *Sunt & alii*.

Nota primò ibi, *Dolentes*, Prælatis Eccleſiaſticis, & 2
præcipuè Summo Pontifici dolendum eſſe de peccatis, &
exceſſibus ſubditorum. Unde dicebat Apoſtolus 2. ad Corinth. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* ad hoc *cap. Charitas. de pœnit. diſt. 2. & cap. Cum inſtantia*, & ibi gloſſa 1. *ſupra de cenſibus*.

Secundò nota ibi, *Minores Clerici*, ad divinum offi- 3
cium recitandum teneri etiam clericos minores, intellige, ſi ſint in ſacris ordinibus conſtituti; ponuntur enim hìc minores clerici ad differentiam Prælatorum. At conſtituti in minoribus ad horas Canonicas non tenentur, ut dixi in *cap. 1. ſupra eodem*, quicquid contra ſcripſerit ibi Abbas *num.* 7. vel minores clerici, ſubaudi, & beneficiati, prout hìc ſubaudiunt Hoſtienſ. & Joan. Andr. ambo *in princ.*

Tertiò nota ibi, *Ad divinum concentum*, reprehenſibi- 4
le eſſe Prælatis, & Clericis è ſomno non ſurgere ad diurnum concentum avium, ideſt in Aurora, ſic dicta quaſi avium hora, ſecundùm Hoſtien. *num. 5. in fin. in verb. ad Diurnum concentum*, Joan. Andr. *numer.* 3. & Cardin. *in*
princ. Nam ut ait S. Auguſt. indecens eſt Chriſtiano, ſi ra- 5
dius ſolis ipſum in lecto dormientem inveniat, facit text. *in c. Sunt qui arbitrantur de pœnit. diſt. 1. & in cap. Clericus victum, 91. diſt.* Si quis tamen deditus ſomno tardiùs ad Eccleſiam ſurgat, inter venialia computatur, §. *alias ante fin. 25. diſt.*

Quartò nota ibi, *Continua ſyncopa*, divinum officium 6
dicendum eſſe ſine ſyncopa. Eſt autem ſyncopa idem
quod concilio. Et eſt figura, cùm littera, vel ſyllaba è me- 7
dio dictionis abſcinditur, ut compoſtus pro compoſitus, & virum pro virorum; dicta ſyncopa à verbo græco quod eſt concidere. Quiſquis igitur oſcitanter orando, aut properè pronunciando, aut aliàs præcidit, ſeu devorat verba horarum Canonicarum, is verè dicitur ſyncopare, & violat prohibitionem Concilii Generalis, de
qua hìc. Verumtamen, ut inquit Vincentius *hìc*, & 8
poſt eum Cardin. *nu. 7. in 1. quæſt.* qui cum ſyncopa loquitur horas celebrando, habetur pro celebrante, dummodò intendat dicere quod dicit Eccleſia, & utatur verbis in propria ſignificatione, nec intendat errorem inducere, *cap. Retulerunt, de conſ. diſt.* 4. Quod procedit, ſi breves
ſint ſyncopæ, per quas omittitur pars verbi, ſeu dictio- 9
nis, non tota dictio, ſecundùm eos. Non tamen peccat clericus, ſi ex negligentia aliquam dictionem, aut verſum omittat; nec obſtringitur ad caput pſalmi propter hoc reverti, alias enim poſſet aliquibus ſcandalum generari
ſine magna cauſa. Quinimò etſi omittatur pſalmus, ad il- 10
lum non eſt redeundum ob cauſam prædictam. Ita Innoc. *hic num. 1. verſ. Imò ſi aliquem verſum*. Confiteri tamen debet ſuam negligentiam ſecundùm eum. Atque ita non peccat mortaliter, ſed venialiter tantum, ut explicant Hoſtien. *n. 8. in fin.* & Jo. And *nu.* 5 Nec obſtat illud Hierem.
48. *Maledictus homo, qui facit opus Domini deſidiosè*. Nam 11
ſecundùm Innoc. & alios præcitatos illud intelligitur de accurata, vel lata, & malitioſa negligentia. Nos verò hìc loquimur de levi, vel leviſſima, quæ fortè ex nimia
meditatione, vel contemplatione contingit. Verùm ut 12
Innoc. ſubdit: Si adhuc eſſent in eodem nocturno, vel in pſalmis veſpertinis, quinimò etſi eſſent in alio nocturno, non eſſet inconveniens, ut pſalmum prætermiſſum dicerent, niſi tamen timor ſcandali ſubeſſet. Non enim eſt tanti, unius pſalmi prætermiſſio, ut propterea ſit aliquis ſcandalizandus, argum. *c. Nihil de præſcr.* & cum Innoc. tranſeunt Hoſtien. *hic n.* 10. Joan. Andr. & Butr. ambo *n.* 5. & reliqui omnes.

Quintò nota ibi, *Vis celebrant quater in anno*, nedum 13
Prælatos, ſed ſimplices quoque Sacerdotes graviter peccare, ſi legitimo impedimento ceſſante Miſſam non celebrent ſaltem quater in anno, ſcilicet in præcipuis feſtis. Id quod relatis verbis Ambroſii egregiè probat S. Thom. *in 3. part. qu. 23. art. 10. & in 4. ſent. dist. 13. qu. 1. art. 2.* & ibi etiam Durand. *quæſt. 2.* & Palud. *ead. quæſt. artic.* 1. & conſentit Sotus *de juſtit. & jur. lib. 9. quæſt. 3. art.* 1. Archid. *in cap. Sufficit, num. 1. de conſecr. diſt* 1. Aſten. *lib. 4. tit. 14. art.* 1. Summa Piſana, *in verb. Miſſa*, §. 8.

Summa Confeſſor. lib. 3. tit. 24. quæſt. 125. Armilla *in verb. Communio, num.* 14. *& in verb. Miſſa, num.* 28. Angel. *in eodem verb. n.* 44. Silveſt. *verb. Miſſa primo n.* 7. *verſ. Quartum, circa finem,* & Navarr. *in Manuali cap.* 25. *num.* 88. *verſ. Vigeſimoprimo.* Et quamvis Alexan. de Ales *part.* 4. *q.* 51. *memb.* 2. Cajetanus, Victor & alii nonnulli ſenſerint non eſſe reum mortalis culpæ ſimplicem Sacerdotem, qui omninò abſtinet à conſecratione Euchariſtiæ: prima tamen opinio eſt tutior, licèt Concilium Trident. *in c.* 14. *ſeſſ.* 23. hunc articulum non diffinierit; tantùm enim ait:

14 (Curet Epiſcopus, ut ii (ſcilicet Presbyteri) ſaltem diebus Dominicis, & feſtis ſolemnibus, ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent:) & S. Congregatio ejuſdem Concilii Interpres conſulta, an Epiſcopus ex *d. cap.* 14. *ſeſſ.* 23. *verſ. Curet*, poſſit monere Presbyteros ſub pœnis, & cenſuris, ut legitimè non impediti celebrent: Reſpondit non poſſe, ſed ſolis adhortationibus, & monitionibus utendum

15 eſſe. Hæc quoad ſimplices Sacerdotes. Epiſcopus verò quolibet die Dominico debet in propria Eccleſia præſens eſſe, ut notatur *in c. Te referente, infra eodem*, & ſaltem ſemel in hebdomada celebrare, niſi legitimè ſit impedi-

16 tus, ſecundùm Hoſtien. *hic num.* 11. Quinimò non decet eum tranſire abſque cauſa rationabili ullam diem, quin Miſſam dicat, vel audiat, ut eſt expreſſum in *c. fin. de privil. lib.* 6.

17 QUÆRO, an divinum officium dicentes, vel Miſſam audientes cum diſtratione voluntaria ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ.

18 Ad evidentiam præmitto ex Cardinali Cajtano in 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 13. *in* 2. *notab.* diſtinctionem ſeu evagationem mentis eſſe in duplici differentia. Alia enim eſt involuntaria, veluti cùm ex fragilitate, vel ex impotentia, non autem ex voluntate in proſecutione officii ad alia mens rapitur. Alia eſt voluntaria: & hæc iterùm ſubdividitur: nam quædam eſt ex negligentia, ut cùm quis negligit attendere: quia enim negligentia voluntaria, idcircò & evagatio voluntaria reputatur, & eſt. Quædam verò eſt directè ex induſtria, ut cùm quis explicitè vult non attendere: & de hac ſpecie erit ſermo in præſenti quæſtione. Hoc præmiſſo, pro clariori ſolutione arbitror duos

19 caſus eſſe diſtinguendos. Primus caſus eſt, cùm diſtractio, & evagatio mentis voluntaria provenit ex eo, quòd quis ſcienter ſe occupat in actu externo, & incompatibili cum interna attentione, veluti in ſcribendo, confabulando, dormiendo, & his ſimilibus: & hoc primo caſu conveniunt omnes per hunc textum eſſe culpam lethalem, & præcepto Eccleſiæ non ſatisfieri, ita poſt Petrum de Palude firmat S. Anton. *in* 3. *part. tit.* 13. *cap.* 4. §. 8. *circa finem*; ait enim, *Si evagatio mentis ſit ex hoc quòd aliquis ſcienter ſe occupat in actu exteriori, qui non ſecum patiatur attentionem, videtur eſſe culpa mortalis, & directè contra præceptum Eccleſiæ de celebratione Miſſar. cap. Dolentes, ubi præcipitur, ut officium celebrent ſtudioſè pariter, & devotè. Hoc non obſervant, qui occupantes ſe in actu exteriori ſcienter ſibi attentionem ſubtrahunt.* Hæc ille. Et ſequitur totidem verbis Silveſter *in ver. Hora, num.* 13. *verſ. Tertium*, & eſt ex mente S. Thom. *in* 4. *ſentent. diſtinct.* 15. *quæſt.* 4. *art.* 2. *quæſt.* 4. *ad* 2 dum ait: *Si in aliis ſponte ſe occupat, quæ mentem diſtrahunt, ſicut ſunt exteriora opera, & ad contrarium mens evagetur, etiam culpa mortalis erit* nam verbum, *Ad contrarium*, refertur ad attentionem, cùm ſcilicet ſcienter ſe occupat in actu exteriori incompatibili cum attentione interna, ut explicat Petrus de Palude *ibidem*, & S. Anton. *loc. citato*: & eſt primus intellectus, quem ad hoc cap. poſuerunt Hoſt. *n.* 12. Jo. And. & Butr. ambo *n.* 9. & Cardin. *in* 7. *notab.*

20 Secundus caſus eſt, cùm voluntaria diſtractio, & evagatio mentis non provenit ex eo, quòd quis ſe occupet in aliquo actu externo, qui mentem diſtrahat, ſed ex ſolo

21 actu interiori; & in hoc ſecundo caſu articulus eſt admodùm difficilis, & controverſus; nam permulti ex recentioribus Theologis opinantur obligatum ad recitandum divinum officium non peccare, ſed præcepto Eccleſiæ ſatisfacere recitando illud etiam cum voluntaria diſtractione. Inter quos Ægid. Coninch. *de Sacrament. in* 3. *part. qu.* 83. *art.* 6. *num.* 291. Joan. Valer. *de differen. utriuſque for. in verb. Horæ Canonicæ, differen.* 1. *per totam*, Probabilem dicunt Leſſius *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 2. *num.* 63. *in fin.* Henric. Boich. *in Summa lib.* 9. *cap.* 25. *num.* 5. *in gloſſ. littera P.* & Paulus Layman *in Theolog. moral. lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 10. Idemque de audientibus Miſſam in diebus feſtis 22
tradunt iidem Coninch. *ubi ſupra num.* 297. & Layman *tractat.* 7. *cap.* 3. *num.* 2. Et propterea clericum beneficiatum, qui Horas Canonicas recitat ſine attentione, imò & cum voluntaria diſtractione, non teneri ad reſtitutionem fructuum, cenſuerunt Cardinalis Toletus *in Summa lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 16. Medina *in lib. de oratione quæſt.* 16. Corduba *in quæſt. lib.* 4. *quæſt.* 13. Henric. *in Summa lib.* 9. *cap.* 25. *nu.* 5. Alphonſus à Caſtro *de leg. pœnal. lib.* 2. *cap.* 5. & dicunt probabilem Azor. *Inſtitut. moral. part.* 1. *lib.* 10. *c.* 13. *q.* 8. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 11. *num.* 68. & noviſſimè Diana *reſol. moral. lib.* 10. *tract.* 12. *reſolut.* 1. ubi refert per hanc doctrinam contra communem Doctorum opinionem ſe liberaſſe à reſtitutione quemdam Petrum beneficiatum, qui per ſeptem annos recitavit officium voluntariè ſine debita attentione.

Præcipuum hujus opinionis fundamentum eſt, quia 23
Eccleſia authoritatem non habet præcipiendi, ut divinum officium recitetur, vel Miſſa audiatur cum attentione, ſeu devotione interna. Ad quod facit optimè textus in 24
cap. Erubeſcant, & quod ibi notatur in gloſ. un. 32. *diſt. cap. Nomen* 2. *quæſt.* 1. & alia jura quæ ad hanc partem inducunt, Archid. *in cap. Cum quis num.* 2. *de ſent. excommun. lib.* 6. & gloſſ. in Clem. 1. *in verb. Eo ipſo, de hæret.* nam cogitationis pœnam nemo meretur, ſeu patitur, *l. Cogitationis, ff. de pœn.* quæ eſt canonizata *in cap. Cogitationis, de pœnit. diſtinct.* 1. Ad idem *cap. Conſuluiſti* 2. *quæſt.* 5. ubi dicitur: Occulta, & incognita, illi ſoli ſunt relinquenda, qui ſolus novit corda fidelium hominum; & videtur probari *in §. His ita, verſ. In certa,* 30. *quæſt. ult.* & eſt ex mente S. Thom. 1. 2. *quæſt.* 61. *art.* 4. ubi probans præter leges humanas fuiſſe neceſſarium tradi divinas, ad hunc modum ratiocinatur: *De his poteſt homo legem facere, de* 25
quibus poteſt homo judicare; judicium autem hominis non poteſt eſſe de interioribus motibus, qui latent, ſed ſolum de exterioribus actibus, qui apparent: & tamen ad perfectionem virtutis requiritur, ut in utriſque actibus homo rectus exiſtat: & ideò lex humana non potuit cohibere, & ordinare ſufficienter interiores actus, ſed neceſſarium fuit, quod ad hoc ſuperveniret divina. Hæc S. Thom. Et hinc fit, ut 26
ratam habens percuſſionem clerici in corde tantùm, non incidit in ſententiam Canonis quoad Eccleſiam militantem, ut poſt Hoſtien. *in cap. Mulieres, infra de ſent. excommunicat.* tenet gloſſ. *in verb. ſuo nomine, in d. cap. Cum quis, eodem tit. lib.* 6. cum qua tranſeunt ibi Gemin. Franc. & alii, & Silveſter *in verb. excommunicat.* 7. *num.* 4. Hinc etiam fit, ut excommunicatio lata in hæreticos quan- 27
tumcumque occultos, in *cap. Quod autem*, juncta gloſſ. 1. *& in cap. Achatius*, 24. *quæſt.* 1. *& in cap. Excommunicamus, infra de hær.* non liget illum, qui hæreſim tenet in corde tantùm, & non proceſſit in opus externum, puta ſcribendo, vel aliud faciendo, licèt occultè, ſecundùm Hoſtienſ. in *d. cap. Mulieres*, Petr. de Palud. *in* 4. *diſt.* 13. *q.* 3. *art.* 1. *concluſ.* 8. *num.* 15. Major. *in* 3. *diſt.* 25. *quæſt.* 3. *in fin.* Cajetan. *in Summa in verb. Hæreſis, in fin. & in* 2. 2. *quæſt.* 11. *art.* 3. Sotus *in* 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 2. *art.* 2. *col.* 3. *verſ. Hoc autem ſuppoſito, & art.* 3. *poſt quintam concluſionem, caſu* 1. Navarr. *in d. c. Cogitationis, n.* 8. *&* 10. *de pœnit. diſt.* 1. Covarr. *in reg. Peccatum,* 2. *p. in princip. nu.* 7. Angel. *in ſumma in verb. Hæreticus nu.* 2. Armilla *in verb. Excommunicatio*, inter caſus excommunicationis, *caſu* 9. *in fine*, & Silveſter *in verb. Excommunicatio* 7. *nu.* 3. *&* 4. ubi mordet gloſſ. op- 28
poſitum tenentem in dict. Clement. 1. *in verb. Eo ipſo, de hæret.* quòd Theologalem materiam plenè non intellexerit. Nec obſtant jura inducta ibi per gloſſ. & Archid. in *d. cap. Cum quis, de ſent. excomm. lib.* 6. quia non procedunt in hæretico prorſùs occulto, ſed prout contradiſtinguitur à notorio, ut per Silveſtrum *dict. num.* 4. Vel meliùs illa jura vendicant ſibi locum in occulto per accidens, quod ſcilicet quamvis ſenſibus ſubjaceat, teſtem tamen, vel teſtes non habet; non autem in occulto per ſe, quod ſcilicet ex ſua ratione habet, ut non ſubſit cognitioni ſenſitivæ, ut egregiè explicat Cardinalis Cajetanus *in* 2. 2. *quæſt.* 11. *art.* 4. Nos autem verſamur in occulto per ſe, videlicet in motu animi attentionis internæ, qui proptereà non ſubjacet præcepto humano. Et ita per ſupradictam Theoricam in terminis propoſitæ quæſtionis poſt Durand. 29

in 4.

in 4. diſt. 15. quæſt. 12. & Petrus de Palude *ead. diſt. quæſt. 5.*
art. 2. concluſ. 4. Firmat S. Anton. *in 3. part. tit. 13. c. 4. §. 8.*
circa finem, ubi ait: *Si evagatio mentis eſt advertenter, &*
ſolùm ſecundum actum interiorem, licèt temeraria, & gra-
vis foret; non tamen mortale, niſi propter contemptum, quia
Eccleſia non habet judicare de actibus interioribus merè: pro-
pter quod Miniſter Eccleſiæ, licèt dicendo orationem cogitet
aliud, non videtur tranſgreſſor præcepti, ex naturâ facti.
Quod ante ipſum docuit Umbertus ab eodem relatus,
30 *dict. cap. 4. §. 7.* dicens præceptum recitandi Horas Cano-
nicas eſſe de jure poſitivo, & propterea non referri niſi ad
ea, quæ ſub judicio humano cadere poſſunt, qualia ſunt
quæ exercentur per actus exteriores, non autem per inte-
riores, & conſentit Silveſt. *in verb. Hora, num.* 13. ubi
reprobans intellectum eorum, qui putant eſſe in præcepto
divinum officium recitare devotè, & ſtudioſè juxta tex-
tum hìc; & devotionem referri ad intentionem, & ſtudio-
ſitatem ad modum dicendi: [Attentè, inquit, orare in
Horis Canonicis, non eſt de jure divino, ſed poſitivo:
quod jus poſitivum ad interiora non ſe extendit per ſe, ſed
in quantum colligantur exteriotibus, ad quæ ſe extendit.)
31 Hæc ex illo, facit textus in Clem. I. *de celebrat. Miſſar.*
in illis verbis, *Fructum labiorum ſuorum*, ubi gloſſam *Ex*
hoc, inquit, *arguitur, quòd ſatis eſt labiis ſervire in divi-*
nis horis, licet cor divertat ad alia. Et ita hunc textum ad
hanc partem inducit Collectarius *in c. 1. n. 6. ſupra eodem*, &
S. Anton. *d. §. 7.* Facit etiam ad hoc etymologia orationis:
32 dicitur enim oratio, quaſi oris ratio, ſecundùm Caſſiod.
pſalm. 38. circa fin. relatum à D. Thom. 2. 2. *q.* 83. *art.* 1. &
tenendo hanc opinionem non obſtat hoc capitulum; quia
reſponderi poteſt tripliciter juxta primum, ſecundum, &
tertium intellectum, de quibus infra proximè.
33 Sed præmiſſis minimè obſtantibus verius videtur, volun-
tariè diſtractum præcepto Eccleſiæ non ſatisfacere. Quod
ut evidentiùs appareat, duo ſunt inſpicienda. Primum, an
Concilium generale hìc præcipiat devotionem internam
in divinis officiis celebrandis. Secundum, an potuerit ſic
præcipere.
Quoad primam inſpectionem, quia Doctores intelli-
gunt hoc capitulum quatuor modis, examinandum eſt, quis
intellectus ſit verior.
34 Primus intellectus eſt, quem hìc ſecundo loco ponunt
Hoſtien. *n.* 14. Jo. Andr. & Butr. ambo *n. 9.* & Abb. *circa*
fin. verſ. Secunda opinio, quòd ſcilicet ſolum divinum of-
ficium hìc ſit in præcepto: alia verò, quæ in devotione con-
ſiſtunt, ſuadendo ponantur: & hoc innuit littera ſequens,
dum dicit: Quantum eis Deus dederit, nam, ut formaliter,
inquit Hoſt *n. 19.* per hæc verba appoſuit conſilium, fragi-
litati hominum compatiendo, quaſi dicat, durum eſſe, ut
omnia prædicta in præcepto venirent: præcipimus igitur
ut unuſquiſque, & de nocte, & de die dicat Horas Cano-
nicas. Intentionem autem, & devotionem etſi ipſam ſua-
deamus, eam tamen in præcepto non ponimus, ſed gratiæ
Dei, ſecundùm quòd ipſam dare voluerit, duximus relin-
quendam. Et hunc intellectum teneas, ut ſubdit Hoſtien.
quia benignior eſt, & quia Eccleſia non debet alicui la-
queum injicere, *c. De viduis, il ſecondo*, 27. *q.* 1. nec homi-
nes oneribus importabilibus alligare, *c. Alligant*, 26. *qu.*
ult. & ſequuntur totidem verbis S. Anton. *in 3. part. tit.* 13.
c. 4. §. 7. & ſumm. Roſel. *in verb. Hora*.
Verùm hunc intellectum jure optimo refellit Silveſt. *in*
35 *verb. Hora, n. 14.* Quia ſi hìc præciperetur ſola celebratio
divini officii, nihil prorſus præciperetur: nam quoad Præ-
latos, & clericos in ſacris, ſeu beneficiatos, jam hoc erat
in præcepto, ut *c. fin. 92. diſt. & c. 1. ſupra eodem*. Hoc au-
tem repugnat litteræ, quæ clarè dicit, *Præcipientes*. Præ-
tereà circa omiſſionem officii nullus in text. narratur ex-
ceſſus, ſed ſolummodò circa modum celebrationis. Me-
ritò Concilium non præcipit, ut celebretur ſimpliciter, &
abſolutè, quod ſupervacaneum fuiſſet; ſed ut celebretur
ſtudioſè, & devotè, in quo Prælati, & minores clerici
prævaricabantur, ut in prima parte textus. Nec refragan-
tur illa verba, *Quantum eis Deus dederit*; quia hoc non
tollit, quin homo poſſit non divertere intentionem ſcien-
ter cùm hoc ſit in ſua facultate ex principiis naturæ, quæ
Deus jam dedit, ut ibi per Silveſtrum.
Secundus intellectus eſt, quem ultimo loco recitant, &
ideò probare videntur Hoſtienſ. *n.* 15. Joan. Andr. & Butr.
ambo num. 9. in fin. quòd ſcilicet hoc capitulum non obli-
get ad culpam de novo incurrendam, ſed ad pœnam ſuſpen-
ſionis tantùm, quæ poteſt infligi; & hoc ſatis inſinuavit
dum dixit, ſub pœna ſuſpenſionis.
Sed neque hic intellectus congruit litteræ, quia hæc 36
conſtitutio continet duo, videlicet prohibitionem, & præ-
ceptum, ut fatentur iidemmet Hoſt & Joan. Andr. ambo
in verb. Inhibemus. Prohibitio refertur ad commeſſatio-
nes ſuperfluas, fabulationes illicitas, & conſimilia, quæ
devotionem impediunt, & huic prohibitioni tantùm adri-
citur pœna ſuſpenſionis. Præceptum autem, quod ſubſe-
quitur, de divino officio devotè celebrando, hanc pœnam
non habet. Reſtat igitur, ut neceſſariò ad culpam obliget.
Canonis enim præcipientis tranſgreſſio ex ſui natura eſt
culpa mortalis, *c. Quod præcipitur*, 14. *q.* 1. *c. Nulli fas*, 19.
diſt. & c. Violatores, 25. *q.* 1. Archid. *in c. Deteſtanda, n. 4. de*
conceſſione præbend. lib. 6. dixi *in c. fin. num. 22. ſupra de con-* 37
ſtitut. cùm præſertim præceptum, quod hìc fit à Concilio,
non ſit ſimplex, ſed formale, videlicet in virtute obedien-
tiæ, ut in littera, Silveſt. *in verb. Præceptum, num. 2. verſ.*
Dico, Alphonſ. à Caſtro *de legib. pœnal. lib. 1. cap. 5* Præ-
terquam quòd licèt etiam in 2. præcepto affirmativo eſſet
adjecta pœna; nihilominus cùm pœna hujuſmodi ſit
ſpiritualis, ſcilicet ſuſpenſionis, tantum abeſt, ut exclu-
dat culpam, ut potiùs obliget tranſgreſſores ad pecca-
tum mortale. Ita S. Anton. quem refert & ſequitur Sil-
veſt. *loc cit. num.* 3. *verſ. Et ſimiliter, ſi imponitur pœna ſuſ-*
penſionis.
Tertius intellectus eſt, quem ponit idem Silveſter *in*
verb. Hora, num. 14. verſ. Et ideò dico, aſſerens illum eſſe
ex mente S. Thom. & Petri de Palude in 4. *diſt.* 15. videli-
cet, quòd in hoc cap. præcipiatur devotio quantum ad
actum exteriorem, ut ſcilicet non dicantur horæ operando
manualiter opera impertinentia, aut confabulando, aut
notabiliter ſyncopizando, & hujuſmodi, quæ hìc repre-
henduntur; & ſimiliter quòd præcipiatur devotio quan-
tum ad actum interiorem, ſine quo hic exterior haberi non
poteſt, cujuſmodi eſt velle ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, &
pſallendo velle abſtinere à prædictis; non autem præcipia-
tur attentio, ſine qua prædicta eſſe poſſunt.
Cæterùm huic intellectui apertè refragantur verba illa,
Quantum eis Deus dederit, quæ non adaptantur niſi atten-
tioni internæ, ut inferiùs clarè demonſtrabitur, *num.* 40.
Item refragantur alia fundamenta, de quibus infra *num.* 39.
& ſeqq.
Quartus igitur, & verus intellectus eſt, quòd hìc præ- 38
cipiatur devotio etiam quantum ad attentionem, & actum
internum cordis, non autem actualem, ſed ſecundùm vir-
tutem, ut inferiùs explicabitur. Quem intellectum primo
loco ponunt Hoſt. *num.* 12. Joan. Andr. & Butr. ambo *n. 9.*
Cardin. *in 7. notab.* dicunt enim: Quicumque intereſt Miſſæ,
vel divinum officium recitat, & non habet cor ad Domi-
num, ſed ad exteriora, propter quæ devotio impeditur,
mortaliter peccat, ut hìc patet, *& in c. Quod præcipitur*, 14.
q. 1. Verbum durum eſt, ſic tamen ſcriptum eſt, *cap. Scrip-*
tum, 6. q. 3. l. Proſpexit, ff. Qui, & à quibus.
Hunc intellectum ergo exiſtimo ex ſequentibus confir- 39
mari poſſe, & primò hìc textus tria facit. Prohibet enim
primùm in Divinis officiis intermiſceri fabulas, commeſ-
ſationes, & alia exteriora quæ devotionem impediunt; &
per hanc inhibitionem ſatis firmavit obligationem devo-
tionis externæ quantum ad humiliationem, & compoſitio-
nem corporis, de qua *in c. ubi periculum, §. penult. de elect.*
lib. 6. & per gloſſam in Clem. 1. *in ver. De oratione, in 7.*
membro, de reliq. & venerat. Sanctor. Deinde præcipit,
ut divinum officium celebretur ſtudioſè quantum ad labia,
& pronuntiationem oris, ſcilicet diſtinctè, & ſine ſin-
copa. Tertiò præcipit, ut celebretur devotè. Cùm ergo
jam præcepiſſet devotionem quantum ad humiliationem
corporis, & actus externos, ne hoc verbum *Devotè* ſit
ſuperfluum, ſupereſt, ut referri debeat tantùmmodò ad offi-
cium cordis. Quod ſatis comprobatur ex decreto Conci-
lii Tridentini *cap. 12. verſ. Omnes vero, ſeſſ.* 24 ibi, *Et*
in Choro ad pſallendum inſtituto hymnis, & canticis Dei no-
men reverenter, diſtinctè, devotèque laudare. Quibus
verbis ſatis apertè comprehenduntur illa tria, quæ hìc
injunguntur à Concilio Lateranenſi. Dicitur enim,
reverenter, quantum ad humiliationem, & compoſitio-
nem corporis; diſtinctè, quantum ad oris pronunciationem;
& devotè, quantum ad mentis elevationem. Quod ipſum

perſpicuis verbis habetur in decreto *De obſervandis, & evitandis in celebrat. Miſſ. ſeſſ. 22. verſ. Neminem*, ubi præcipitur Ordinariis Locorum, ut neminem permittant ſacris intereſſe, niſi priùs qui interſunt, decenter compoſito corporis habitu declaraverint ſe mente etiam, ac devoto cordis affectu, non ſolùm corpore adeſſe. Ad idem Concilium Viennenſe in Clem. 1. *de celebrat. Miſſar.* ibi, *Fructum labiorum ſuorum cum puritate conſcientiæ, & animi devotione*, necnon ibi, *Horis debitis devotè pſallatur*. Et Concilium Aquiſgranenſe c. 131. ibi, *Divinum officium humiliter ac devotè perſolvere*, & infra, ibi, *In perſolvendis Divinis laudibus promptiores, & devotiores exiſtant*, *tom. 3. Concil. part. 1. ſect. 2. fol. 250 col. 1.* Et Concilium Mogunt. *in tit. de Hor. Canon.* ibi, *Articulatè, diſtinctè, diſertè, & cum attentione omnia integrè pronuncient*, *tom. 4. Concil. part. 2. fol. 271. col. 1.*

40 Præterea præceptum de officio devotè celebrando hìc fit adjecta modificatione illa, Quantum eis Deus dederit. Hæc autem verba apertè oſtendunt Concilium præcepiſſe devotionem illam, quæ eſt donum Dei, & ſic devotionem formalem, & internam, quæ cùm ſit actus virtutis, S. Th. *in 2. 2. quæſt. 82. art. 1. & qu. 83. art. 3.* Divino indiget auxilio, *cap. ult. de conſecrat. diſt. 4.* non autem nudam devotionem materialem, & apparentem, quam etiam habent hypocritæ, qui oſtendunt ex actu extrinſeco contrarium ejus, quod in mente gerunt, *cap. Quod interrogaſti, 27. diſt. cap. Citius*, & ibi gloſſa 1. *de pœnit. diſt. 2.* de quibus Marc. 7. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me*, & Hieronymus *ſuper Matth. 6. Quia ſtrepitu labiorum benedicunt Dominum, immunda mente veritati interiùs contradicunt.* Et propterea gloſſ. *ult.* benè expoſuit verbum, *Studioſè*, ſcilicet quantum ad officium oris, & verbum, *Devotè*, quantum ad officium cordis, quam expoſitionem ſequuntur etiam Hoſtienſ. *n. 20.* Joan. Andr. *num. 10.* Card. *in princ. in verb. Studioſè*, & Abbas *in 1. notab.*

41 Ad hæc præcipitur ab Eccleſia recitatio divini officii, quæ eſt ſpecies orationis, *cap. 1. ſupra eodem*. Ergo neceſſariò præcipitur etiam interna mentis attentio: Nam oratio eſt aſcenſus mentis in Deum, ut diffinit Damaſcenus *lib. 3. de fide orthodoxa c. 24. & in 3. de Trinit. c. 12.* Theologi *in 4. ſent. diſt. 15.* S. Thom. *in 2. 2. quæſt. 83. art. 13.* Implicat ergo, ut Eccleſia præcipiat orationem, & non præcipiat internam devotionem, & elevationem mentis in Deum, quia à quo removetur diffinitio, removetur & diffinitum, *l. Quintus, la ſeconda, ff. de aur. & argent. legat. & l. Omnis diffinitio, ff. de regul. juris*: unde optimè Caſſianus relatus à gloſſa in Clem. 1. *in verb. Orationes, in 7. membro de reliq. & veneratione Sanctor. Numquam*, inquit, *orat quiſquis etiam flexis genibus, ſi vagatione diſtrahitur.* Et Chryſoſtomus *homilia 1. de Anna*: *Omnes quidem oramus, ſed non omnes in conſpectu Domini; etenim corpore in terra poſtrato, & ore fruſtra delirante, mens ubique per domum, aut forum circumagitur. Quo ore talis poteſt dici quòd oraverit in conſpectu Domini?* Et Bernardus *de interiori domi, cap. 70. Vacantes corpore, & vacantes ubique corde nequaquam merentur videre, quàm dulcis eſt Dominus, neſcientes facere ſabbatum ex ſabbato, & ideo viderunt eam hoſtes, & deriſerunt ſabbata ejus*: & S. Th. *in 2. 2. quæſt. 82 art. 13. ad 3. Si quis ex propoſito in oratione mente evagatur, hoc peccatum eſt, & impedit orationis fructum.* Præcipitur ergo hic effectus cordis & attentio, quæ

42 duo præcipuè in oratione requiruntur, ut notat gloſſa præallegata. Affectus cordis exprimitur per verbum, *Devotè*; attentio mentis per verbum, *Studioſè*. Nam, ut inquit Collectar. *hic num. 2.* hoc verbum, *Studioſè*, non caret myſterio contra illos, qui dum dicunt officium Divinum, aliò animum flectunt; ſtudium enim excludit negligentiam, & evacationem, *cap. 1. in fin. de offic. Primicer.* De affectu cordis patet *in cap. 1. 92. diſt.* ubi dicitur non magis voce, quàm corde pſallendum, & gloſſa ibi *in verb. Voce*, recitat verſus.

Non vox, ſed votum, non chordula muſica, ſed cor:
Non clamans, ſed amans cantat in aure Dei.

Nam ut inquit Auguſt. *Quid prodeſt ſtrepitus labiorum, ſi mutum eſt cor? & ſerm. 6. de verbis Domini: Dolor magnus adverſus fratres noſtros movet, quòd ſic volunt intrare Eccleſiam, ut ibi corpus habeant, alibi cor. Totus intùs eſſe debet. Si intùs eſt quod videt homo, quare foris eſt quod videt Deus?* Ad idem *cap. Sedulo, 32. diſt.* ibi: *Noverint non eſſe vocem ad aures Dei, niſi animi affectum.* De attentione probatur *in c. 2.* ibi: *Attendantur in locis iiſdem attentis præcordiis ſacra ſolemnia, de immunit. Eccleſ. lib. 6. & in cap. Quando de conſecrat. diſt. 1.* ubi ad hoc ponderatur à Cypriano præparatio Sacerdotis in præfatione dicentis, *Surſum corda*, quia nihil tunc animus cogitare debet quàm quod precatur. Juſtitia enim ex opere non conſummatur, 43
niſi etiam voluntas affuerit, *cap. Sicut, 22. quæſt. 5. Et qui* 44
officium recitat, vel Miſſam audit, & aliud cogitat, mentitur, cap. Cavete, eadem cauſ. & quæſt. & notat gloſſ. in *d. cap. Quando*, & Archid. *in d. cap. 2. in verb. Nitentis*, Unde in Concilio Moguntino *in tit. de Hor. Canon.* ſic legitur, *Quid autem voce quidem pſallere, mente autem domum, aut forum circumire, niſi homines fallere, & Deum irridere?* habetur *tomo 4. Concil. part. 2. fol. 271. col. 1.* Ad hoc *cap. Numquam, de conſecrat. diſt. 5.* ibi, *Dicant pſalterium ad verbum; vigil ſenſus ſit, nec vagis cogitationibus patens; corpus pariter & animus tendatur ad Dominum.*

Poſtremò ſecundùm Petr. de Palude *in 4. ſent. diſt. 15.* 45
quæſt. 5. ad officium, ſicut ad quodlibet bonum opus, attentio poteſt dupliciter requiri. Uno modo ut officium ab intentione procedat, & hoc modo in officio requiritur attentio non ſolùm ad meritum, ſed etiam ad evitandum peccatum, & tranſgreſſionem præcepti. Patet, quia præceptum datur hominibus: & ideò oportet, ut non procedat ex ſola imaginatione, quæ communis eſt nobis cùm brutis; ſed ex deliberatione, quæ attentionem requirit. Alio 46
modo, ut attentio continuè concomitetur officium, & ſemper duret. (Aliquis autem actus, ut docet S. Th. *in 1. diſt. 15. quæſt. 4. art. 2. quæſt. 3.* dicitur dupliciter, videlicet, aut ſecundùm eſſentiam, aut ſecundùm virtutem, ſive effectum ſuum, ſicuti motio ejus, qui lapidem projicit, durat per eſſentiam actus, dum manum lapidi movendo apponit; ſed virtus motionis manet, dum lapis ex vi impulſionis primæ movetur; & ſic manere actum in virtute eſt quidam medius modus inter ipſum eſſe in habitu & in actu, quia quod in habitu eſt, neque in virtute, neque per aſſentiam actus eſt, ut idem docet *d. art. 2. quæſt. 4.* Itaque attentio in officio manere debet ſemper ſecundùm virtutem, ſed non requiritur, ut ſemper maneat per eſſentiam actus. Manet 47
autem ſecundùm virtutem, quando aliquis ad officium accedit cum intentione aliquid impetrandi, vel Deo debitum obſequium reddendi, etiam ſi in proſecutione officii mens ad alia rapiatur, niſi tanta fiat evagatio, ut omninò depereat vis primæ intentionis; & ideò oportet, ut frequenter homo cor revocet ad ſe ipſum.) Hæc S. Thomas, & ſequi- 48
tur gloſſ. communiter approbata in Clem. 1. *in verb. Orationes, in 7. membro, verſ. Dicunt tamen Theologi, de reliq. & vener. Sanctor.* S. Anton. *in 3. part. tit. 13. cap. 4. §. 8.* & Silveſt. *in verb. Hora, n. 15.*

Et ex hac theorica arbitror elici poſſe verum, & ger- 49
manum intellectum hujus decretalis, Præcipitur enim devotio, & attentio in officio quantum ad eſſentiam actus, quia tenetur quis ad officium accedere cum intentione ſolvendi penſum, & Deo debitum obſequium reddendi: ſed non præcipitur, ut hæc actualis attentio ſemper duret. Hoc enim, ut dicunt Petrus de Palude, S. Anton. & Silveſt. *loc. cit.* non eſt poſſibile propter evagationem mentis humanæ. Nam, ut ait Boetius *hic* relatus ab Hoſtien. *n. 10.* & Joan. Andr. *n. 6.* (Cùm cor hominis vagum ſit, & mobilius omni mobili, non eſt ſemper adeò fortis homo, ut tales cogitationes evitet.) Unde & multi ſancti viri orando quandoque evagationem mentis patiuntur, ſecundum illud Pſalmi 39. *Cor meum reliquit me*; & propterea textus appoſuit illa verba, *Quantum eis Deus dederit*, indicans per hoc ſe nolle in præcepto ponere, ut actualis attentio ſemper comitetur Divinum officium; ſed Divinæ gratiæ hoc relinquere: poſuit tamen in præcepto attentionem virtualem, quæ ad vitandum peccatum in officio ſemper manere debet, ut ex dicti conſtat.

Hinc autem reſultat propoſitæ quæſtionis ſolutio, nam 50
ſi in officio ad vitandam præcepti tranſgeſſionem, requiritur, ut attentio ſemper duret, non quidem per eſſentiam actus, ſed ſecundùm virtutem: ex hoc neceſſariò ſequitur, ut voluntariè diſtractus, præcepto Eccleſiæ non ſatisfaciat; quia attentionem neceſſariam non habet, nec per actus eſſentiam, cùm actualis attentio, & voluntaria

raria evagatio, & ſic velle attendere, & nolle attendere ſint oppoſita, quæ mutuò ſe expellunt, ut patet 1. *Phyſic. text.* 67. nec ſecundum virtutem, quia virtualis attentio perimitur ex voluntaria diſtractione ad eum modum, quo attentio habitualis per contradictionem, ut eſt textus *in cap. Majores*, §. *fin. de baptiſm.* ubi propterea dormientes, vel amentes, qui priuſquam in ſomnum, vel dementiam incurrerent, contradixerunt, characterem baptiſmi, vel ordinis non recipiunt: quia nimirum cenſetur in eis contradictionis præſuppoſitum perdurare, & ſic non habent intentionem habitualem neceſſariam ad impreſſionem characteris: & ſanè ſicut lapis projectus illicò amittit virtutem primæ motionis, ſi ex contraria vi retundatur, aut obicem inveniat; eodem modo attentio in Divinis officiis perdit virtutem, quam ex prima motione animi ſortita eſt, ſi ſuperveniat actus oppoſitus diſtractionis voluntariæ. Quòd ſi ſecundum S. Thomam ſupra citatum *num.* 48. virtus primæ intentionis omninò deperit per evagationem mentis etiam involuntariam, ſi ſit notabilis: utique multò fortiùs deperit per voluntariam diſtractionem ad exteriora. Ad hoc *d. cap. Majores*, §. *fin. de baptiſm.* & quod notat gloſſ. *in c. Cupientes*, §. *Denique in verb. Conſenſum de elect. lib.* 6.

51 Concludo igitur, quo ad hanc primam inſpectionem Concilium præcepiſſe hìc devotionem internam, ac proindè voluntariè diſtractum ad exteriora non ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, ſed mortaliter peccare, dummodò tamen diſtractio ſit tanta, ut officii, vel Miſſæ notabilem partem abſumat. Et ita videtur concludere Abbas hìc *in fin.* ubi quærens, an non dicentes officium ſtudioſè, & devotè peccent mortaliter, relatis tribus opinionibus, de quibus ſupra à *num.* 33. tandem reſolvit quantitatem reatus conſiderandam ex qualitate, & quantitate contemptus, & negligentiæ. Idipſum ſenſit Innocentius *num.* 3. ubi quærens

52 numquid peccet Clericus, qui dum eſt in officiis, cogitat ſuper aliquo bono ſpirituali, vel temporali: reſolvit eum non debere, dum eſt in officiis, intendere, niſi circa ea quæ ibi dicunt, vel leguntur, niſi neceſſitas, quæ dilationem non patitur, cogat ipſum de aliis cogitare, arg. *cap. Quod non eſt licitum, infra de regul. jur.* Atque ita ſecundum Innocent. peccat Clericus, qui in Divinis Officiis voluntariè diſtrahitur, non ſolùm cogitando aliquid indifferens, ſed etiam quod magis eſt, cogitando aliquid bonum ſpirituale, vel temporale; & eum totidem verbis ſequuntur Hoſtien. *num.* 10 *verſ. Sed numquid peccat clericus*, & Joan. Andr. *n.* 6. & fuit ſententia Hugonis de Sancto Victore *in lib. Quo ſtudio orandus ſit Deus*, relati à Divo Thoma *in* 4. *ſent. diſt.* 15. *q.* 4. *art.* 2. *q.* 4 *in* 2. *argum. contrario*, ait enim: (Si cùm orationem fundimus, aliud quodlibet in corde verſamus, etiamſi illud bonum ſit, à culpa liberi non ſumus.) Circa quod tamen ne erres, vide Cajet. in 2.2. *qu.* 83. *art.* 13. *in* 1. *dubio*.

53 Similiter idem Innocen. paulò infrà *in verſ. Sed numquid* firmat non peccare clericum, qui eſt in Divinis Officiis, ſi quod dicit ibi non intelligat, dummodò cor ſuum ad Deum habeat, & ei pſallat. Et idem repetunt Hoſtien. *num.* 8. Jo. Andr. *nu.* 5. Butr. *num.* 4. Cardin. *in* 3. *q.* & Anchar. *in fin.* Rurſus Innocen. *d. n.* 3. excuſat clericum à peccato in eo

54 caſu, in quo nimis fatigatus ſpiritu, aliqua præter ea quæ leguntur, vel dicuntur, diceret, aut cogitaret; ſubdit tamen illi cavendum eſſe, ne nimis excedat. Et cum eo tranſeunt Hoſtien. *num.* 10. *verſ. Ideo ſecundum noſtrum*, Joan. Andr. & Butr. ambo *nu.* 6. & Cardin. *in* 9. *quæſt.* Et ita ſecundum Innoc. voluntaria evagatio mentis eſt peccatum etiam in illo, qui eſt fatigatus ſpiritu, ſi multùm perduret. Ejuſdem

55 ſententiæ eſt D. Thomas *in præcit. q.* 4. *ad* 1. ubi ait; *Quando aliquis ex propoſito mentem ad alia diſtrahit in orando, tunc ſine culpa non eſt & præcipuè ſi in aliis ſponte ſe occupet, quæ mentem diſtrahunt, ſicut ſunt exteriora opera; & ſi ad contrarium mens evagetur, etiam culpa mortalis erit. Sicut ſi ſine hoc quod percipiamus mens ad alia evagetur, vel culpa caret, vel pauciſſima culpa eſt, niſi præcedens cogitatio ex qua contingit talis evagatio, in culpa eſſe dicatur.* Quibus verbis oſtendit mentis evagationem in duobus caſibus eſſe culpam mortalem. Primus eſt cùm mens diſtrahitur ad oppoſita attentioni in officio requiſitæ, ſive id contingat ex actu externo incompatibili cum attentione, ſive ex voluntaria diſtractione ad exteriora. Et hoc caſu clarè dicit

56 eſſe mortale. Secundus eſt quando evagatio mentis etiam involuntaria provenit ex præcedenti cogitatione, quæ ſit in culpa. Et quamvis hoc ſecundo caſu S. Doctor non dicat explicitè eſſe culpam lethalem; tamen cùm officium habeat culpam adjunctam, conſequenter non habet ſuam efficaciam, nec eſt ſatisfactorium, ut idem arguit ibidem in 2. *argum. contrario*. Ad hoc textus optimus *in c. In gravibus* 3. *q.* 7. Idipſum apertiùs docuit in 2.2 *q.* 83. *art.* 13. *in reſponſ. ad* 3. dicens: *Si ex propoſito in oratione mens evagatur, hoc peccatum eſt, & impedit orationis fructum.* Et contra hoc dicit Auguſtin. *in* 3. *regul. tom.* 3. *Pſalmis, & hymnis cùm oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertur in ore.* Et Cajetanus ibi clarè *in reſponſione ad* 3. *verſ. Nota ſecundo*: (Evagatio, inquit, ex propoſito ſemper eſt cum peccato, mortali quidem quando ex contemptu, vel ex induſtria in oratione, quæ eſt ſub præcepto, quis in notabili parte evagatur; perindè eſt namque ac ſi illam omitteret.) Hæc ille. Et propterea beneficiatum horas Canonicas reci- 57 tantem cum evagatione mentis voluntaria teneri ad reſtitutionem fructuum, affirmant Navarr. *de oratione c.* 20. *n.* 32. Petrus Navarr. *de reſtit. lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 240. Petrus Lorca *in* 2. *part. tom.* 2. *diſp.* 16. *de legib. membr.* 2. *ad* 5. Suar. *in* 3. *par. tom.* 5. *diſp.* 4. *ſect.* 2. *n.* 26. & *de relig. tom.* 2. *lib.* 4. *c.* 26. *n.* 16. Vaſquez *in opuſc. de benef. c.* 4. §. 1. *dub.* 4. *n.* 104. & alii recentiores.

Circa ſecundam inſpectionem, cùm Eccleſia in tribus 58 Generalibus Conciliis, nempè in Lateranenſi, Viennenſi, & Tridentino, præceperit devotionem internam, ut aliunde oſtenſum eſt ſupra *n.* 38. diſputandum non eſſet, an potuerit ſic præcipere, ſatis eſt enim ut fecerit, nec quæſtio poteſtatis eſt refricanda, *c. Scriptum* 6. *q.* 3. §. *Qui autem in fin.* 17. *q.* 4. ſed nihilominus ut objecto ſatisfiat, dicimus ex communi Canoniſtarum ſententia Eccleſiam habere authoritatem ſtatuendi etiam de actibus omninò occultis, & internis. Ita colligitur ex gloſſa in Clement. 1. *in verb. Eo ipſo de hæret.* quæ conſtanter affirmat per Claves Eccleſiæ militantis ligari poſſe omninò occulta, licèt nominatim de illis non judicet Tribunal Eccleſiæ per jura ibi allegata, & illam gloſſ. ſequitur ibi, & ſingularem appellat Cardinal. *n.* 8. *in* 7. *quæſt.* & Imol. *nu.* 38. dicens Stephanum & Paulum concordare cum illa gloſſ. cum qua etiam concordat Abb. *in proœm. Decretal. in verb. Rex pacificus n.* 6. & *in cap. Extirpandæ*, §. *Qui verò num.* 21. *de præbend.* ubi ſimiliter illam gloſſam dicit ſingularem, *in c. fin. num.* 2. *de hæret.* & *in c.* 2. *num.* 13. *de offic. Ordin.* Felin. *in d. cap. fin.* & *in c. Porro, utrobique in princ. de ſent. excomm.* Idem tenet gloſſa unica *in c. Cogitationis de pœnit diſt.* 1. quæ dicit Canonem, & legem punire voluntatis peccatum; ideòque ponderoſum, ideſt qui mente peccat, repelli promotione, *ut c. Hinc* 59 *etenim, verſ. Ponderoſus* 49 *diſtinct.* Et propterea hæreticum omninò occultum, ſeu mentalem, eſſe excommunicatum, firmat gloſſa prima in ſumma 24. *q.* 1. Goffred. *in ſumma* 60 *tit. de hæret. n.* 2. Baldus *in l. Si quis non dicam rapere nu.* 21. *verſ. Venio ad oppoſitiones, C. de Epiſcop. & cleric.* ubi ait, in hæreſi deliberationem mentis ſufficere ad perpetrationem delicti, eo quòd delictum non requirit aliquid extare, ſed perficitur ex ſola mentis cogitatione. Unde Inquiſitor 61 hæreticæ pravitatis benè puniet illum hæreticum, qui eſt hæreticus in mente, licèt in eo non appareant ſigna hæreſis. Hæc autem potuerunt liquere Inquiſitioni per confeſſionem heretici, quia aliàs non poſset cogitatio mentis, quam ſolus Deus cognovit, probari, ut notatur *in l.* 2. *de interrog. act.* & ſequitur totidem verbis Jo. de Anan. *in c. Si quis Epiſcopus n.* 7. *de hæret.* Felin. *in c.* ... *n.* 7. *de præſumpt.* & *in tractat. Quando conatus puniatur num.* 6. *verſ. Fallit tertiò in* 4. *caſu*, Hippol. de Merſil. *in l. Qui falſum n.* 13. *ff. de falſ.* Burſat. *conſ.* 14. *n.* 5. & 9. Clar. *in Prax.* §. *fin. q.* 91. & Menoch. alios adducens *de arbitr. jud. caſu* 360. *num.* 6. & ex Theol. Adrian. *in* 4. *q.* 4. *de confeſſ.* quæ incipit, *Reſtat nunc inquirere*, §. *Alii probant, verſ. Sed hujus rationis*, & *quodlibet.* 8. *littera G*, Summa Roſella *in verb. Abſolutio* 1. *nu.* 29. & *in verb. Excomm.* 1. *caſ. n.* 1. & *in verb. Hæreticus n.* 14. Albert. *de agnoſc. aſſert. q.* 33. *num.* 27. 29. & 32. & alii recentiores, quorum opinio ſatis probatur in juribus al- 62 legatis in gloſſa præcitata in Clement. 1. *de hæret.* & quamvis ex illis juribus quædam loquantur in occulto per accidens, quod ſenſibus ſubjacet, ſed ex accidenti habet, ut ſi occultum, quia clàm & ſecretò perpetratur, ut ſecreta collocutio cum Cardinalibus in Conclavi exiſtentibus, *c. Ubi periculum*, §. *Nulli etiam de elect. lib.* 6. & occulta occu-

occupatio depoſiti Eccleſiaſtici, *cap. Clericis de immunit. Eccleſiar. eod. lib.* Alia tamen loquuntur etiam in occulto per ſe, ut Clem. 1. §. *Quia vero de ſtat. Monach.* ubi excommunicantur regulares accedentes ad Curias Principum animo nocendi, Clem. *Cupientes*, §. *Qui verò, de pœnis*, *c. Fundamenta*, §. *Quod ſi ſecus de elect. lib. 6.* & d. Clem. 1. *de hæret.* Ex quibus patet, Eccleſiam potuiſſe præcipere in Divinis officiis ſtudium, & devotionem etiam internam, & mentalem, prout præcipit. Similiter ratam habens percuſſionem clerici in corde tantùm, non eſt quidem excommunicatus quoad Eccleſiam militantem, ideſt ab Eccleſia, cui ratihabitio eſt ignota, & non habetur pro excommuni-
63 cato: ſed tamen ligatus eſt quoad Deum. Et ita clavis Eccleſiæ ligat in foro interiori etiam illum, qui peccat in corde tantùm. Ita declarat Hoſtienſis, & alii poſt eum *in d. c.*
64 *Mulieres de ſent. excomm.* Prætereà obſervandum eſt duobus modis poſſe prohiberi actus internos. Uno modò abſolutè, & per ſe, videlicet preſcindendo à quocumque actu exteriori. Et hoc modo ſola lex divina, non autem humana poteſt cohibere, & ordinare interiores motus, qui latent. Et ita procedit theorica S. Thomæ ſupra citati, *n.* 25. Et in hunc ſenſum per auctoritatem Eccleſiæ cogitationis pœnam nemo patitur, ut dicitur *in d. c. Cogitationis de pœnit.*
65 *diſt.* 1. Alio modo poſſunt prohiberi actus interni, in quantum colligantur cum exterioribus; & hoc ſecundo modo etiam lex Eccleſiaſtica poteſt præcipere, & ordinare actus internos, ſicut præcipiendo acceſſum ad Miſſam, præcipit etiam velle accedere, & præcipiendo jejunium, præcipit
66 etiam velle jejunare. Aliquando enim permittitur concomitanter, & ratione connexionis, quod non permittitur principaliter, & directè, *& ut l. Si mandavero, Is cui, ff. mandat.* cum ſimilibus, ut per gloſſ. fin. *in l. Cùm probatio, ff. de probat.* Unde ſi quis in corde ſuo firmiter proponeret Miſ- 67
ſam non audire, vel jejunium frangere, eo ipſo mortaliter peccaret licèt propoſitum non perficeret, ut per Silveſtr. *in verb. Hora nu.* 13 *verſ. Unde præcipiendo* Quando autem Eccleſia præcipit, ut officium ſtudioſè, & devotè celebretur, utique non præcipit attentionem, & motum animi internum abſolutè, & per ſe, ſed in quantum colligatur, & connexionem habet cum externa recitatione officii, & pronuntiatione oris; quæ quidem recitatio & pronuntiatio neceſſariò requirit, & annexam habet elevationem mentis in Deum, & attentionem ſaltem virtualem, ut abundè oſtenſum eſt ſupra, maximè *n.* 41. *&* 46. Ergo præcipiendo actum exteriorem celebrationis officii, præcipit etiam actum interiorem attentionis, ſine quo illud eſſe non poteſt, arg. *l. 2. ff. de juriſd. omn. judic. l. Ad rem mobilem, & l. ad legatum, ff. de procur. cum ſimil.* ut per gloſſ. *in c. Sicut Chriſtus in verb. Poteſt.* 1. *q.* 1.

Non obſtat, quòd Eccleſia non debeat alicui laqueum 68
injicere, nec quemquam oneribus importabilibus alligare, Hoſtien. Quoniam objectum procederet, ſi Eccleſia præciperet in officio attentionem actualem, & continuam; hoc enim eſſet non tantùm importabile, ſed quod magis eſt, impoſſibile, ut dictum eſt ſupra *n.* 49. At non eſt ita, quia ſola virtualis attentio eſt in præcepto, ut ſimiliter oſtenſum eſt ſupra *n.* 46. Ut autem homo ſcienter ad alia ſe non divertat, hoc nullum eſt importabile onus, cùm ſit in ſua facultate ex principiis naturæ, quæ Deus jam dedit, ut tetigit ſupra ex Silveſtr. *in verb. Hora*, *n.* 14.

DE CELEBRATIONE MISSARUM.

Honorius III. Univerſis Eccleſiarum Prælatis.

CAPUT XI.

CUm creatura non habeat quid pro meritis reſpondeat Creatori: & infrà. Mandamus, quatenus nullum in vos torporem negligentiæ obrepere permittatis, quo minus & pro anniverſariis defunctorum, & pro feſto, vel feria, ſecundùm temporum congruentiam, Miſſarum ſolemnia conventualiter celebretis.

SUMMARIUM.

1 *ANniverſarium quid ſit, & n.* 12.

2 *Miſſas duas poteſt rector Eccleſiæ celebrare propter neceſſitatem anniverſarii.*

3 *Miſſa Conventualis una, vel plures, an, & quando celebrari debeant in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis, & n. ſeq. uſque in fin. Quid de jure communi & examinantur quatuor intellectus ad hoc capitulum, à n.* 3. *uſque ad n.* 21.

Quid ex Miſſali Romano, à n. 21. *uſque in fin.*

Miſſæ Conventuales duæ, ſcilicet de feſto, vel feria, & pro anniverſariis defunctorum, in Collegiatis Eccleſiis ſunt celebrandæ, n. 3. *& n.* 23.

4 *Miſſa Conventualis pro defunctis in anniverſario celebrari poteſt etiam in feſto duplici, vel ſemiduplici, & num.* 23.

5 *Miſſa defunctorum corpore præſente omni die celebrari poteſt, præterquam in Paraſceve, & Paſchate.*

6 *Anniverſarium defunctorum ſi occurrat in feſto, fieri debet ſaltem in privato.*

Contrarium, n. 9. *&* 23.

7 *Miſſa Conventualis de feria propter anniverſarium defunctorum non eſt omittenda.*

8 *Canonicis Sarnenſibus ex conventione obſtrictis cantare Miſſam ter in hebdomada denegatur facultas omittendi Miſſam de feria.*

9 *Anniverſario pro defunctis non ſatisfit dicendo Miſſam de feria, & n.* 11. *&* 23.

10 *Suffragia, quæ fiunt à Presbyteris gerentibus perſonam totius Eccleſiæ, proſunt mortuis, etiamſi tales Presbyteri ſint peccatores.*

11 *Miſſa defunctorum cantari debet à beneficiatis juxta legem fundationis, etiam in illis diebus, in quibus ex præſcripto Miſſalis cantatur alia Miſſa pro defunctis.*

12 *Miſſæ duæ Conventuales, ſcilicet pro defunctis, & Officio currente, in Collegiatis Eccleſiis quotidiè ſunt celebrandæ, & contrafacientes peccant, & n.* 15.

Contrarium n. 16. *&* 24.

13 *Miſſa defunctorum præfertur Miſſæ de feria.*

Contrarium n. 24 *&* 26.

14 *Miſſa pro defunctis poteſt celebrari in diebus feſtis etiam ſolemniter.*

Contrarium n. 16.

Declaratur num. 26.

17 *Miſſæ duæ, ideſt pro defunctis, & de feria, quotidiè cantari debent in Eccleſiis Conventualibus.*

Contrarium n. 20. *&* 24.

18 *In Miſſis ſingulis orandum eſt pro defunctis per preces in ſecundo* Memento.

19 *Commemorationi pro defunctis, qui legata pro Miſſis reliquerunt, quomodo ſatisfiat ex ſententia S. Congregationis Concilii.*

21 *Miſſa una Conventualis, id eſt de officio currente, quotidiè celebrari debet in Cathedralibus,*

& Col-

& Collegiatis Eccleſiis.
22 *Fàllit in caſibus hìc enumeratis, in quibus debent cantari duæ Miſſæ.*
23 *Anniverſario occurente in Collegiatis Eccleſiis cantari debent duæ Miſſæ, una pro defunctis, alia de feſto, vel feria.*
Idem in die depoſitionis defuncti, ibid.
24 *Miſſa Conventualis pro defunctis in Eccleſiis Collegiatis non debet dici quotidiè, ſed prima die cujuſque menſis, & feria ſecunda cujuſque hebdomadæ.*
25 *Quòd ſi tunc occurrat feſtum ſimplex, vel feria propriam habens Miſſam, cantari debent duæ Miſſæ.*
26 *Miſſa Conventualis pro defunctis, niſi occurat Anniverſarium, vel tertius dies depoſitiones defuncti, in feſto duplici, vel ſemiduplici celebrari non debet.*
27 *Miſſæ privatæ de* Requiem *dici non poſſunt in feſtis duplicibus, & Dominicis diebus.*
28 *Intellectus* cap. Et hoc attendendum, de conſecr. diſt. 1.
29 *Rubricæ Miſſalis Romani ſervari debent non obſtante quocumque prætextu, & contraria conſuetudine.*
30 *Rubricæ decretalium, & legum ſunt authenticæ, & allegari poſſunt ad deciſionem cauſarum, ſi habeant orationem perfectam.*
31 *Secus in rubricis decreti, & cur.*

C*Um Creatura.* Legitur quadrupliciter, licèt Abbas
1 Antiq. dicat planum eſſe, & Doctores tranſeant ſic-
co pede. Ad intelligentiam pręmittendum eſt ſæpè contin-
gere, ut in aliquibus Eccleſiis ex variis defunctorum reli-
ctis impoſita ſint anniverſaria, ideſt officia, quæ fiunt pro
mortuis anno revoluto à diẹ obitus ipſorum, ut hìc per
gloſſam, & Hoſtien. *nu.* 1. & alicubi appellantur vigilię,
cap. 1. 91. *diſt.* ubi gloſſ. *in verb. Vigiliæ*, exponit, ideſt
mortuorum exequiæ: nam ut inquit Hoſtien. hìc *n.* 3. hi,
quibus pro anniverſario aliquid eſt relictum, ſunt quaſi ex
debito obligati, ſicut aliàs legitur, & notatur *in cap. Paro-
chianos, ſupra de decim.* Neque hoc eſt ſimoniacum, *cap.
Significatum ſupra de præbend. cap. Non eſt dicendus infrà
de voto, & c.* 3. *Ne Prælat. vic. ſuas*: & ſequuntur totidem
2 verbis Joan. Andr. *num.* 2. Butr. & Card. ambo *num.* 3. Et
hęc quidem anniverſaria quandoque imponuntur Capellis
ideſt Eccleſiis Parochialibus, vel aliis Eccleſiis, in quibus
non eſt niſi unicus Sacerdos; quo caſu propter talem ne-
ceſſitatem Presbyter poteſt dicere duas Miſſas *cap. Con-
ſuluiſti ſup. eod.* ſecundùm Hoſt. hìc *n.* 2. *in fin.* cum quo Jo.
Andr. *eod n.* & alii tranſeunt. De his tamen Capellis non
loquitur hoc capitulum, ſed de Eccleſiis Conventualibus,
in quibus plures ſunt Sacerdotes, ut patet ibi, *Conventua-
liter celebretis*; unde ſecundum Hoſt. *eod. num.* 2. locum
habet in Cathedralis, & Collegiatis; idque ſive ſint ſæ-
culares, ſive regulares, ut in Clem. *Ut ii de ætat. & qua-
litat.* & in Clem. 1. §. *Ne igitur de celebr. Miſſar.* in latiori
tamen ſignificatione aliter accipitur anniverſarium, ut di-
cam infrà *n.* 12.

Quibus pręmiſſis primo modo legitur hìc textus, ut lo-
3 cum habeat non generaliter in omnibus Eccleſiis Con-
ventualibus, nec in omnibus diebus, ſed in illis dumtaxat,
quibus contingit, ut ex peculiari obligatione anniverſaria
ſint celebranda, ita ut in illa die, in qua occurrit anniver-
ſarium, celebrari debeant duæ Miſſæ ſolemniter in Con-
ventu, una ſcilicet pro defunctis, & alia de feſto, ſi ocur-
rat feſtum, vel de feria, ſi feria occurrat; & ſecundum hunc
intellectum, de quo pleniùs dicam *infra in* 2. *concluſ. num.*
23. hoc intendit: In Conventualibus Eccleſiis conventua-
liter celebrandæ ſunt Miſſæ de feſto, vel feria, & pro anni-
verſariis defunctorum; prout ſummant Jo. And. Butr. Car-
4 din. & Anch. Et juxtà hanc lecturam nota Miſſam Con-
ventualem pro defunctis in die anniverſario non eſſe præ-
termittendam propter Miſſam Conventualem de feſto, &
ſic habes Miſſam pro defunctis in die anniverſario poſſe
ſolemniter celebrari etiam in diebus feſtis. Simile habe-
5 tur exactis Mediolanenſ. Eccleſiæ *part.* 4. *tit. Inſtruct. ad
fol.* 559. *col.* 2. ubi ſic legitur: Miſſa defunctorum corpore
præſente omni die celebrari poteſt; præterquàm in Para-
ſceve, & Paſchate, quibus diebus non licet corpus ſepultu-
ræ tradere, nec Miſſam pro eo cantare. Secundo modo 6
legitur hic textus, ut in Eccleſiis Conventualibus in il-
lis diebus, in quibus incidit anniverſarium, celebrari de-
beant duę Miſſę, non tamen ambæ collegialiter, ſed una
tantùm ſecundùm exigentiam diei, ita ut ſi occurrat feſtum,
dicatur de feſto ſolemniter in Conventu, & pro defunctis
in ſecreto; ſi occurrat de feria, dicatur de feria privatim,
& Conventualiter pro defunctis: ut ſic verba illa, *Miſſa-
rum ſolemnia Conventualiter celebretis*, regulentur à præ-
cedentibus verbis, ſecundùm temporum cougruentiam,
quaſi dicat, non ſemper conventualiter, ſed prout tulerit
congruentia feſti, vel ferię; & ita videntur intelligere hunc
textum Hoſt. & Jo. Andr. *in princ. in verb. Pro feſto*, Butr.
n. 3. Card. & Anch. ambo *n.* 2. dum dicunt, ſi anniverſa-
rium defunctorum incidat in feſtum, faciendum eſſe ſal-
tem in privato, & Miſſam feſti ſolemniter in Conventu: &
ſi non eſt feſtum, poſſe dici Miſſam anniverſarii ſolemniter
& ferialem in privato: & juxta hanc lecturā ſic poteſt ſum-
mari: In Collegiatis Eccleſiis in die anniverſarii una Miſſa
pro defunctis; & alia de feria, ſi feria occurrat, conventua-
liter ſunt celebrandæ: ſi verò occurrat feſtum, celebrabitur
de feſto Conventualiter, & in privato pro defunctis:
& ſecundum hunc intellectum nota Miſſam de feſto
pręferri Miſſę pro defunctis, quia de feſto celebratur 7
ſolemniter, & pro defunctis in privato. Sed hæc le-
ctura multiplices patitur difficultates. Primo enim non
congruit litteræ, quæ pręcipit, ut celebrentur Miſſa-
rum ſolemnia copulativè pro anniverſario defunctorum,
& pro feſto, vel feria; ac proindè requirit concurſum u-
triuſque copulati, *l. Si quis ita ſtipulatus, ff. de verborum
obligat.* Deindè poſita hac lectura, in diebus ferialibus da-
ta concurrentia anniverſarii non eſſet celebranda Conven-
tualis Miſſa de feria, ſed tantùm pro defunctis, contra ru- 8
bricas Miſſalis Romani, & obſervantiam Collegiatarum
Eccleſiarum. Hinc cum Canonici Cathedralis Sarnenſis
ex conventione cum Epiſcop. à nonaginta annis inita con-
ſuevìſſent ſingulis hebdomadis tres Miſſas canere, videli-
cet feria ſecunda pro defunctis, feria quarta de Angelis, &
feria ſexta de S. Cruce; Epiſcopus ſucceſſor eos compelle-
bat ad canendum quotidiè Miſſam Conventualem præter
ſupradictas. Sed cùm Eccleſia extra habitationes & in lo-
co inſalubris cœli ſita eſſet, & in ea vix decem extarent
Canonici, quorum ſæpè aliquis egrotabat, præterquam
quòd curam habebant animarum: idcircò petierint beni-
gnè ſecum agi, ut ad dictam Miſſam Conventualem non
tenerentur niſi in diebus feſtis. Die 9. Novembris 1613.
Sac. Congregatio Concilii, cenſuit, quod petitur haud
eſſe concedendum. Ergo ex ipſius Congregationis ſenten-
tia propter Miſſam ſolemnem pro defunctis non eſt omit-
tenda Miſſa Conventualis de feria. Præterea obligationi
celebrandi anniverſarium defunctorum non poteſt ſatis- 9
fieri dicendo Miſſam privatam, ut habet hæc ſecunda le-
ctura: quoniam plus ſuffragii capit anima defuncti ex Miſ-
ſa ſolemni in Choro cum interventu plurium Sacerdotum,
quam ex Miſſa privata, ut innuit hæc littera: unde Eccle-
ſia ſolvendo quod minus eſt, liberationem non conſequi-
tur, *l. Si ſtipulatus*, §. *Qui decem debet, ff. de ſolution. l.* 2.
§. 1. & *l. In executione*, §. *Pro parte, ff. de verborum oblig.*
Scotus *in propoſito quodlib.* 20. *in princip.* Cùm præſertim
ſuffragia, quæ fiunt à Presbyteris gerentibus perſonam to- 10
tius eccleſiæ, ut cùm dicunt in Eccleſia exequias mortuo-
rum, proſint mortuis, etiamſi tales Presbyteri ſint pecca-
tores, ut declarat S. Thomas *in* 4. *diſt.* 45. *q.* 2. *art.* 1. *qu.* 3.
& *in* 3 *q.* 82. *art.* 6. unde certus eſt fructus, quem præter
fructum ſacrificii percipiunt mortui ex orationibus Sacer-
dotum in anniverſario. Quo quidem fructu fraudantur,
ſi Miſſa dicatur ab uno tantum demiſſa voce. Demum
quòd loco anniverſarii dicatur Miſſa privata, obſtat decre- 11
tum Concilii Trident *c.* 5. *ſeſſ.* 25. *de reformat.* Unde cùm
olim in inſigni Collegiata Eccleſia S. Petri Caslesenſis Iſ-
pren. diœceſis eſſent fundata tria beneficia, quorum poſ-
ſeſſores ſoliti erant per totum annum viciſſim cantare Miſ-
ſam pro fundatore dictæ Eccleſiæ, & aliis defunctis, di-
ctaque Miſſa, & vigiliæ defunctorum decantari conſuevìſ-
ſent in Choro, quando officium fiebat de feria, vel feſto
ſimplici: quidam Canonici dictæ Eccleſiæ ſub prætextu
quòd in Miſſali Romano caveatur, ut prima die cujuslibet
men-

menſis, & ſecunda feria cujuslibet hebdomadæ non impedita in Collegiatis Eccleſiis dicantur duę Miſſę una pro defunctis, & alia de feria, ſeu feſto ſimplici, prætendebant ſatisfieri dictæ fundationi, ſi Miſſæ, ut præfertur cantari ſolitæ demiſſa voce legerentur. Unde cùm quæſitum eſſet an ſatisfieret, vel potiùs obſtaret *c. 5. ſeſſ. 25.* S. Congregatio Concil. cenſuit Miſſas cantandas eſſe juxta earum fundationem.

12 Tertio modo hîc textus legitur intelligendo anniverſarium in latiori ſignificatione pro officio, quod fit quotidiè pro defunctis; prout intelligunt gloſſa noſtra, Butrius *nu.* 3. & Abb. *conſ. 99. Videtur primo num.* 3. *lib.* 2. ita ut in Conventualibus Eccleſiis quotidiè decantari debeant ſolemniter duæ Miſſæ, una ſcilicet mortuorum, alia de officio currenti, quaſi ex iſto textu inducatur nova obligatio quotidiè celebrandi ſolemniter pro defunctis; nam ut inquiunt Hoſt. *num.* 3. & Jo. Andr. *num.* 2. cùm mortui quaſi ab omnibus tradantur oblivioni, meritò eis hoc ſuum anniverſarium generaliter reſervatur; & ſecundùm hunc intellelectum Abbas ſic ponit ſummarium, quod eſt affixum textui: In Eccleſiis Collegiatis debent celebrari duę Miſſę collegialiter, una pro defunctis, alia ſecundùm exigentiam
13 diei, ut pro feſto ſi feſtum occurrit, vel pro feria ſi feria: & juxta hanc lecturam quam & Nav. ſequitur *conſ. 9 incip. Ex Concilii nu. 6. de celebratione Miſſar.* nota ſecundùm Abb. hîc *in fin.* Miſſam pro defunctis eſſe preferendam Miſſæ de feria, quia Miſſa defunctorum non omittitur propter
14 feſtum, ſicut omittitur Miſſa de feria. Item nota in diebus feſtis poſſe celebrari Miſſam pro defunctis, etiam ſolemniter, prout hoc ex textu deducit Abbas *in præalleg. conſ. 99. num.* 3. *lib.* 2. Item nota peccare Sacerdotes, qui in Colle-
15 giatis Eccleſiis non decantat quotidiè etiam in feſto duas Miſſas Conventuales, ut ſimiliter notat Abbas hîc *in 2. notab.* ponderando verbum, *Mandamus*, ad hoc *c. Quiſquis*
16 *præceptis* 14. *q.* 2. Cæterum ut verbis Silveſtri utar *in verb. Miſſa* 1. *num.* 7. [Communiter hoc non ſervatur; & ideò meliùs dicitur quòd non eſt peccatum: imò dictus intellectus ibi non habetur, nec eſt rationabilis, quia oporteret diebus ſolemnibus celebrare pro mortuis.) Hæc Silveſter.

17 Quarto denique modo legitur hoc capitulum accipiendo ſimiliter anniverſarium largiùs pro officio, quod fit quotidiè pro defunctis, itaut in prædictis Eccleſiis debeant quotidiè celebrari duæ Miſſæ, & quidem ambæ collegialiter, ſi occurrat feria, ideſt una pro mortuis; & alia de feria: ſi verò occurrat feſtum, una celebretur de feſto collegialiter, & alia privatim pro defunctis, ut ſic verba illa textus, *Secundùm temporum congruentiam*, non æqualiter determinent ſubſequentia verba, *Conventualiter celebretis*, ſed juxta exigentiam diei: & ita intelligunt hoc capitulum Hoſt. Jo. Andr. & Butr ſupracit. *in ſecunda lectura*: nam etſi loquantur de anniverſario, tamen hoc nomen uſurpant non pro officio, quod recurrit anno revoluto à die obitus, ſed pro illo, quod ſecundum eos fit quotidiè pro defunctis; & juxta hanc lecturam ſic ſummari poteſt. In Eccleſiis Collegiatis duæ Miſsæ ſunt celebrandæ Conventualiter, una pro defunctis, alia de feria ſi feria occurrat; ſi verò occurrat feſtum, celebrabitur conventualiter de feſto, & pro defunctis in privato.

18 Porrò ſalvari poſſet hæc lectura in ſecundo membro, ſi Miſsa pro defunctis intelligeretur, ideſt pro ſalute defunctorum, juxta textum *in cap.* 2. *ſup. eod.* Jubet enim canon in ſingulis Miſſis orari pro defunctis, *ut in c. penult. de conſecrat. diſt.* 1. Cui præcepto ab univerſa Eccleſia ſatisfit per preces in ſecundo *Memento*, in quo dicitur, *Ipſis Domine, & omnibus in Chriſto quieſcentibus, &c.* ut notat Turrecr. *in d. cap. penult.* poſt Archid. ibi *nu.* 2. & Collect.
19 hi *nu.* 4. *verſ. Sed in qua parte*: & ita S. Congr. Conc. intellexit decretum *cap. 4. ſeſſ.* 25. in illis verbis, *Commemoratio fiat*; cenſuit enim poſse ſatisfieri per intentionem applicationis Miſsarum, per preces in ſecundo *Memento*, & per collectas in illis Miſſis, in quibus collectæ fieri poſſunt. Sed ſi Miſsa pro defunctis intelligatur, ideſt de *Requiem*, hæc quarta lectura non procedit, quia talis Miſsa nec alta, nec demiſsa voce debet dici in diebus feſtis, ut pa-
20 tebit infra in ultima concluſione. Prætereà quoad obligationem celebrandi quotidiè Miſsam Conventualem pro defunctis in diebus ferialibus obſtant ea, quę ex Silveſtro dicta ſunt *in præcedenti lectura n.* 16. & quę dicentur infra *in 3. Concluſione*. Demum hæc lectura non conſonat litteræ hujus decretalis, quę non loquitur de officio quotidiano pro defunctis, ſed de anniverſario, nec de Miſsa privata, ſed de ſolemni, ut dictum eſt ſupra *in 2 lectura n.* 7. Unde ex his conſtat nil certi in hac materia affirmari poſse ex hoc textu ob varietatem lecturarum.

Ego verò pro veritate facio concluſiones infraſcriptas. 21
Prima concluſio eſt: In Cathedralibus, & collegiatis Eccleſiis regulariter cantari debet quotidiè una tantùm Miſſa Conventualis, ſcilicet de officio currente, ideſt de feſto, ſi occurrat feſtum duplex, vel ſemiduplex, aut ſimplex, & de feria, ſi feria occurrat: & hoc innuunt verba textus noſtri: *De feſto, vel feria ſecundum temporum congruentiam*: ad idem *c. Et hoc attendendum. de conſecr. diſt.* 1. & Clem. 1. *de celebr. Miſſar.* ſecundum Silveſt. *in verb. Miſſa* 1. §. 4. & conſonant rubricæ Miſsalis Romani ultimò impreſſi, & communis uſus Eccleſiarum.

Fallit in feriis Quadrageſimæ, quatuor Temporum, Ro- 22
gationum, & Vigiliarum; quia tunc ſi feſtum duplex, vel ſemiduplex, vel octava occurrat, in prædictis Eccleſiis cantantur duę Miſsæ, una de feſto poſt Tertiam, & alia de feria poſt Nonam, ut expreſsè habetur in rubricis Miſsalis *in tit. de feria, & vigilia*, §. 1. & ſic limita iſtum textum, qui alternativè loquitur, ibi, *De feſto vel feria*. Item fallit infra octavam Corporis Chriſti: tunc enim ſi occurrat vigilia, in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis ſimiliter cantantur duæ Miſsę, una de octava poſt Tertiam, alia de vigilia poſt Nonam, ut in eadem rubrica §. 2.

Secunda concluſio: Si in prædictis Eccleſiis contingat 23
anniverſarium defunctorum, cantari debent duæ Miſsæ, una ſcilicet pro defunctis, & alia de feria, ſi occurrat feria, vel de feſto ſi occurrat feſtum. Quòd clarè probat rubrica Miſsalis *in tit. de Miſſ. defunctorum*, §. 2. ubi habetur: In Quadrageſima, toto tempore Paſchali, & quando per annum officium eſt duplex, vel ſemiduplex, non dicitur Miſſa Conventualis pro defunctis, niſi in die depoſitionis defuncti, & in Anniverſario pro defunctis. Ergo anniverſarium non debet fieri in ſecreto, ſi occurrat feſtum, ut dixerunt Hoſt. Jo. Andr. & alii hîc, ſed ſolemniter eſt celebrandum unà cùm Miſsa Conventuali de feſto: nec Miſſa Conventualis de feria debet dici in privato, ut iidem affirmarunt, ſed Conventualiter unà cum anniverſario pro defunctis: & hunc arbitror eſse verum, & germanum intellectum hujus decretalis: non enim loquitur de officio, quod fit quotidiè pro defunctis, ſed de anniverſario: & quia in multis Eccleſiis, quando occurrebat anniverſarium, Presbyteri ſub prætextu, quòd eſsent gravati onere celebrandi Conventualiter pro defunctis, omittebant Miſſam Conventualem de feſto, vel feria: ideò Papa præmiſsa ratione illa, quòd creatura non habet quod pro meriti reſpondeat Creatori, mandat, ut torporem negligentiæ abjiciant, & Miſsam Convent. celebrent non tantùm pro anniverſario defunctorum, ſed etiam de feſto, vel feria: & ſic benè ſummarunt textum Jo. And. & reliqui poſt eum, ut dixi ſupra *in 1. lect. n.* 3.

Tertia concluſio: Miſsa Conventualis pro defunctis, 24
quando non occurrit anniverſarium, vel depoſitio defuncti, in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis non debet celebrari quotidiè, ut habet intellectus Abbatis ad hunc textum, ſed in prima die cujuſque menſis extra Adventum, Quadrageſimam, & tempus Paſchale, non impedita officio duplici, vel ſemiduplici; & in feria ſecunda cujuſque hebdomadę, quemadmodum cavetur in eadem rubrica Miſsalis, *de Miſſis defunctorum*, §. 1. & 2. Dum enim reſtringit obligationem celebrandi ſolemniter pro defunctis ad certos dies, & certa tempora conſequenter illam excludit in aliis arg. *l. Cùm ita legatum, ff. de condit. & demonſtr. l. Maritus, C. de Procur. c. Nonne*, & ibi gloſ. ult. *ſup. de præſumpt.*

Quarta concluſio: Si in prima die cujuſque menſis occur- 25
rat feſtum ſimplex, vel feria, quæ propriam habeat Miſſam, in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis celebrari debent duæ Miſsæ Conventuales, una pro defunctis; & alia de feſto ſimplici, vel feria prædicta. Ita diſertis verbis cavetur in præalleg. rubr. §. 1. Unde palam reprobatur idem intellectus Abbatis aſserentis quotidiè celebrandas eſse in Collegiatis Eccleſiis duas Miſsas Conventual. ſcilicet pro defunctis, & de feſto, vel feria, nam ex Miſsali Roman. reſtringitur hujuſmodi obligatio ad certos dies

dies dumtaxat, ut dictum eſt in concluſione præcedenti.

26 Quinta concluſio. Miſſa Conventualis pro defunct s, niſi occurrat anniverſarium, vel dies depoſitionis defuncti, ut dictum eſt ſupra *n.*23. in feſto duplici vel ſemiduplici celebrari non debet. Patet ex eadem rubr. in *d.* §.1. in qua diſponitur, ut nec in prima die cujuſque menſis dici debeat Miſſa Conventualis pro defunctis; quando illa dies eſt impedita feſto duplici, vel ſemiduplici, ut dictum eſt in 3. *concluſ.* & clariùs patet *ex d. rubr.* §.2. in ea parte, in qua expreſsè diſponitur, ut quando per annum officium eſt duplex, vel ſemiduplex, ut dicatur Miſſa Conventualis pro defunctis, ut ſimiliter dictum eſt ſupra in 2. *concl.*

27 Sexta, & ultima concluſio. In Dominicis, & feſtis duplicibus Miſſa etiam privata pro defunctis, ideſt de *Requiem* non eſt celebranda. Hoc liquet ex præalleg. rubr. Miſſalis, §.2. *in fin.* in qua ſic legitur: *Miſſæ privatæ pro defunctis quocumque die dici poſſunt, præterquam in feſtis duplicibus & Dominicis diebus*; & ſic apertè rebrobatur quarta lectura de qua ſupra *num.* 17. quatenùs habet in diebus feſtis celebrandas eſſe in Collegiatis Eccleſiis duas Miſſas Conven-
28 tualem ſcilicet de feſto, & privatam pro defunctis. Non obſtat textus Auguſtini in *cap. Et hoc attendendum, de conſecrat. diſt.*1. in illis verbis, *In diebus Dominicis, & aliis quibuslibet feſtivitatibus Miſſam, etſi pro defunctis ſit, audierit*. Quæ ex Burchardo integra referuntur ibi ab Archid. *n.*2. & apertè innuunt Miſſam pro defunctis dici poſſe etim in Dominicis, & feſtis duplicibus, ut ex illis deducit Archid. Reſpondetur enim primò, authoritatem S. Auguſtini dum loquitur de Miſſa pro defunctis, non eſſe intelligendam de Miſſa de, *Requiem*, quæ in feſtis duplicibus, & Dominicis diebus non debet dici, ut proximè oſtenſum eſt; ſed de illa, in qua fiunt commemorationes, & collectæ pro defunctis, *ut in cap. penult. de conſecrat. diſt.*1. *& in c.*2. *ſupra eod.* & fuſiùs dictum eſt ſupra *n.*18. Deinde reſpondetur, Auguſtinum ibi non decidere, ut Miſſa defunctorum poſſit dici in Dominicis, & quibuslibet feſtivitatibus; ſed tantùm ſupponere interdum poſſe contingere, ut dici poſſit, & de facto interdum dicatur etiam in prædictis diebus. Hoc autem intelligi debet datis terminis habilibus, argum. *c. unic.* & ibi gloſ. *penult. de ætat. & qualit. lib.*6 id eſt in illis caſibus, in quibus Miſſa de *Requiem* dici non prohibetur, ſcilicet in die anniverſario, vel depoſitionis defuncti ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſupra in 2. *concluſ. nu.* 22. Alioquin ſi verba illa in plena latitudine, ut ſonat, eſſent accipienda, Miſſa de *Requiem* dici poſſet etiam in die Paſchatis, quod eſſet abſurdum, arg. eorum, quæ notat Archid. in *c. Virum n.*2. *de conſecr. diſt.*1. & conſtat ex dictis ſupra *n.*5.
Reſpondetur denique quidquid ſit de intellectu illius text. 29
ſtandum eſſe rubricis Miſſalis. Nam Pius V. in Conſtitutione, *Quia primum*, præcipit, ut in Eccleſiis omnibus, in quibus Miſſa Conventualis alta voce in Choro, aut demiſſa celebrari conſuevit, vel debet, non aliter quam juxta ritum, modum, ac normam, quæ in Miſſali præſcribitur, decantetur, aut recitetur. In ſpecie autem rubricæ Miſſalis, quæ ſenſim abuſu utique demigraverant, in priſtinum reſtitutæ, & quæ non ita captui legentium accommodatæ videbantur, clariùs explicatæ fuerunt juſſu S.D N. Urbani VIII. ut in conſtitutione, *Si quid eſt*; & Sac. Rituum Congregatio renovando decreta aliàs facta, mandavit in omnibus, & per omnia ſervari rubricas Miſſalis Romani, non obſtante quocumque prætextu, & contraria conſuetudine, quam abuſum eſſe declaravit; & facta Sanctiſſimo relatione, Sanctitas ſua annuit, & ab omnibus ubique ſervari, & in Miſſali noviter imprimendo apponi mandavit; & ita hoc decretum, & Conſtitutiones memoratæ habentur
in principio Miſſalis poſtea impreſſi. Et eſt ſimile in rubri- 30
cis Decretalium, quæ authenticantur ſupra, *in proœmio in verb. Utantur*, ut ibi notat Vicentius, & poſt eum Archid. in *c. Quis neſciat, n.* 19. *diſt.* & Specul. *in tit. de diſp. & allegat. ad vocat.* §. *fin. n.*15. Ideòque allegari poſſunt ad deciſionem cauſarum, ſi orationem prefectam habeant, ſecundum Jo. Andr. *ibid in addit* incipien. *Gregorius, litt. K.* & Bellam. qui alios adducit, in *c. Firmiter in prima quæſt. ſupra de Summa Trinit. & Fide cathol.* Idemque de rubricis legum notant Legiſtæ in *l.*1. *ff. cert. petat.* & gloſ. 1 in *cap.*
*Hæc autem verba, de pœnit. diſt.*1. Licèt ſecus ſit de rubri- 31
cis decreti, tum quia alius fuit conditor decretorum, & alius rubricarum, ſcilicet Gratianus; tum quia illæ quandoque falſæ reperiuntur, ut patet *in c. Chartæ* 3. *q* 9. *& in cap. Placuit, il ſecondo* 16. *q.*3. & declarant Speculat. Archid. & alii proximè citati, & ſcripſi pleniùs *in c. Canonum Statuta à n.*40. *ſupra de conſtit.*

DE BAPTISMO, ET EJUS EFFECTU.

Alexander III.

C A P U T I.

SI quis puerum ter in aqua immerſerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen; & non dixerit: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen; non eſt puer baptizatus.

S U M M A R I U M.

1 *BAptizati à Calviniſtis an ſint iterum baptizandi nec ne, & n. ſeq. uſque in fin.*
Baptiſmus qui etiam ab hæreticis datur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, eſt verus baptiſmus, ibid.
2 *Calviniſtarum error circa Sacramentum Baptiſmi.*
3 *Intentio quid ſit.*
4 *Finis intentionis in baptiſmate duplex eſt.*
5 *Baptiſmi effectum quis poteſt intendere implicitè, & explicitè.*
6 *Intentio generalis, ſeu implicita in baptiſmo tripliciter exprimi poteſt.*
7 *Intentio univerſalis in baptiſmate, aut eſt actualis, aut virtualis, aut habitualis.*
8 *Intentio reſpectu effectus proximi & non ſupremi requiritur in baptizante, & ſufficit implicita.*
9 *Baptizare poſſunt in caſu neceſſitatis etiam laici, & mulieres, imo etiam Pagnani, & Heretici, & num.*15.
10 *Baptizati à puero Athanaſio, qui ſe Epiſcopum ſimulaverat, juſſi non fuerunt iterum baptizari.*
11 *Intentio faciendi, quod facit Eccleſia, neceſſaria eſt in baptiſmate.*
*Non autem propter id, quod facit Eccleſia, n.*16.
12 *Baptizati à Donatiſtis, & à Græcis Schiſmaticis, juſſi non ſunt rebaptizari.*
13 *Baptizans cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, licèt credat nihil per baptiſmum conferri, tamen verè baptizat, n* 17.
14 *Fides de neceſſitate in baptizante non requiritur.*
15 *Baptiſmus conferri poteſt etiam à Pagano, & Judæo.*
16 *Baptiſmus non habet efficaciam à miniſtro, ſed à pincipali agente qui eſt Chriſtus.*
17 *Baptizans non requiritur ut ſciat quid ſit baptiſmus,*

mus, vel baptiſmum eſſe Sacramentum.

28 *Calviniſtæ etſi nullam vim tribuant baptiſmo, tamen debitam ſervant materiam, & formam, & neceſſariam habent intentionem ad baptizandum.*

SI *quis puerum.* Se ipſum ſummat, vel ſecundum Anton. de Butr. & Abb. hoc dicit: Licèt puer ſit ter merſus in aqua in nomine Patris, &c. niſi dictum ſit, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, non eſt baptizatus.

1 QUÆRO, an baptizati, *In nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti* à Calviniſtis negantibus baptiſmum Sacramentum eſſe, conferre gratiam, juſtificare, remittere peccatum; & affirmantibus puero jam juſtificato in utero adhiberi tantùm ad ſimplicem quamdam reſignationem; ſint iterùm baptizandi, necne.

Quoniam decreto Concilii Tridentini, *ſeſſ.7. de Baptiſmo can.*4. diffinitum eſt, ut ſi quis dixerit, *Baptiſma, quod etiam ab hæreticis datur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia,*
2 *non eſſe verum baptiſma, anathema ſit*: maximè videtur ambiguum pluribus Doctoribus, an Hæreticorum Calviniſtarum modernorum baptiſmus ſit verus, & an verè baptizent, cùm eis videatur deeſſe intentio etiam univerſalis faciendi quod facit Eccleſia. Nullam enim vim, efficaciam, & virtutem tribuunt baptiſmo, ut aſſerunt *lib.*4. *Inſtitut. Chriſtianæ, cap.* 14. & 15. ex Joann. Calvino, negantque Sacramentum baptiſmi eſſe Sacramentum efficax gratiæ collativum, & peccatorum remiſſivum in puero, quem puerum in utero materno eſſe juſtificatum affirmant, modò à parentibus Chriſtianis procreetur, atque ſi decedat ſine baptiſmo, non minùs ingredi regnum Cœlorum. Cùm itaque intentio ſaltem univerſalis requiratur ad integritatem baptiſmi, quam non videntur habere nec particularem, nec univerſalem, nec formalem, nec virtualem hæretici moderni Calviniſtæ, veriſimile eſt, ut verè non baptizent. Ideòque peroptant Catholici quidam DD. intelligere, an liberum ſit evangelizantibus verbum Domini docere populum fidelem, baptizatos ab ipſis Calviniſtis Hæreticis eſſe denuò baptizandos, quaſi illis deſit tertia pars baptiſmi integralis, ſcilicet intentio.

Pro ſolutione hujus dubitationis, cujus tota vis in eo verſatur, quòd Calviniſtæ intentionem ad baptiſmum requiſitam non habent, duo videnda ſunt. Primò, quænam intentio requiratur in baptizante. Secundò, quam habeant Calviniſtæ. Primum præmiſſis quibuſdam quatuor propoſitionibus explicabimus, ſecundum unica tantùm propoſitione.

3 Circa primum præmittendum eſt primò, intentionem in propoſito nihil aliud ſonare, quàm actum voluntatis, quo voluntas ſuppoſita ordinatione rationis ordinantis aliquid in finem tendit in eum, finem per aliqua media, S. Thom. *in* 1. 2. *quæſt* 12. *art.* 1. *ad* 3. & 4. & probatur in *c. Non fruſtra* 23. *quæſt.*5. *c. Si quandoque in fin.* 15. *qu.*16. *c. Humanæ, cap. Qui pejerare* 22. *qu.*5. & *cap.*1. ubi Archid. *de jure juran. lib.6.*

4 Præmittendum ſecundò, finem intentionis talem in baptiſmate duplicem eſſe poſſe. Primus eſt actus ille baptizandi; ſecundus eſt effectus actualis, qui dicitur finis ejus propter quem ille baptizet, S. Thom. in 4. *diſt.* 6. *quæſt.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad primum*, & communiter omnes DD. in hac materia. Et duplicem hunc finem ineſſe omnibus actionibus humanis docet Ariſtoteles lib. 1. Magnor. Moral. cap.3.

5 Præmittendum tertiò, poſteriorem hunc finem ſimiliter eſſe duplicem, ſupremum ſcilicet & proximum. Supremus eſt facere hominem filium Dei, *c. Ad menſam* 11. *q.*3. & *c. Per aquam de conſecr. diſt.*4 Proximus eſt facere hominem Chriſtianum, ſeu membrum Chriſti, *c. Quidam de Apoſt. & c. Olim,* 8. *q.*1. Ita Scotus *in* 4. *diſt.*6. *q.*5.

Præmittendum quartò, intendere aliquid facere baptizando, quod eſt intendere Baptiſmi effectum, altero ex duobus modis contingere poſſe, primò explicitè, ſecundò implicitè. S. Thom. in 4. *diſt.*6. *q.*1. *art.*3. *qu.*2. *ad primum*. Quam etiam diſtinctionem ponit Riccar. in 4. *diſp.*6. *art.*1. *q.*2. *ad ſecundum*, & Scotus *ubi ſupra* dicens utrumque finem poſſe aliquem intendere bifariam, primò in particulari, ſecundò in univerſali. Et alii DD.

Præmittendum quintò, intentionem hanc generalem, 6
ſeu implicitam, effectum baptiſmi pro fine habentem exprimi poſſe tribus modis. Primò, per hoc quod eſt intendere illud facere quod Chriſtus faciendum inſtituit, ſeu facit Eccleſia, ut habet S. Thom. in. 4. *diſt.*6. *q.*1. *art.*3. *qu.*2. *ad primum*.

Secundò, addendo quod facit Eccleſia Catholica, vel Romana, vel Græca, vel aliquid hujuſmodi.

Tertiò, intendendo quod facit Presbyter, vel Epiſcopus dum baptizat, ſeu aliam in communi, quod faciunt Chriſtiani, Dominicus de Soto in 4. *diſt.*1. *q.*5.

Præmittendum ſextò, intentionem hanc univerſalem, 7
& implicitam, ſive cadat ſuper actum baptizandi, ſive ſuper effectum baptiſmatis, trifariam in baptizante eſſe poſſe, primò actualiter, ſecundò virtualiter, tertiò habitualiter D. Thom. in 4. *diſt.*6. *q.*1. *art.*2. *q.*1. *ad quartum juncta* 3. *part. q.*64. *art.*8. *ad tertium*, ubi quamvis mentionem non faciat niſi de actuali, & habituali; tamen ſub habituali includit etiam virtualem, communicans in vocabulis uſui illius temporis, ut explicat Cajet. Et de triplici hac intentione meminit explicitè Scotus in 4. *d.* 4. *q.*6. §. *Diſtinguitur communiter*, cui poſtea cæteri ſuſcripſerunt. Quam etiam diſtinctionem communiter ponunt DD. in materia de conſecratione, ac de perſolvendis horis canonicis, quæ etiam in dubio propoſito ſupponitur

His prænotatis videtur reſpondendum ad primam partem quæſtionis quatuor propoſitionibus. Et quoniam de actu baptiſmatis nulla eſt dubitatio, eo quòd Calviniſtæ baptizant, atque ideò baptizare intendunt, alioquin non baptizarent: ideò ponimus primam propoſitionem.

Prima igitur eſt propoſitio ex D. Thom. in 4. *diſt.*6. *qu.*1. *art.* 2. *qu.*1. *ad* 4. & 3. *part. q.*64. *art.* 8. *ad* 3. ſecundum expoſitionem Cajet. & communi DD. ſententia: Ad actum illum baptiſmi ſufficit intentio actualis, vel virtualis, ſicut in actu conſecrationis, & in perſolvendis horis canonicis, tradunt Archid. poſt Hugon. in *cap. Solet de conſecr. diſt.*4. Innoc. Hoſt. Jo. Andr. Abb. & alii in *c. Dolentes de celebr. Miſſar.* Card. *in Clem.*1. *n.*7. *eod. tit.* Et quia de hoc non eſt quæſtio per ſe primò, ideò illius probationem omittimus.

Secunda propoſitio eſt: In baptizante requiritur inten- 8
tio reſpectu effectus proximi, ſed non ſupremi; & hæc non explicita, & in particulari, ſed implicita, & in univerſali. Hoc dictum habet tres partes, quæ ſingillatim probantur.

Prima pars, ſcilicet in baptizante requiri intentionem probatur hunc in modum. Primò, quando unus effectus producitur à pluribus cauſis, oportet, ut illæ cauſæ aliquando ſint factæ unum ad invicem; ſed effectus baptiſmi producitur à pluribus cauſis, ſcilicet materia, forma, miniſtro: ergo requiritur, ut illæ cauſæ fiant aliquando unum. Sed hoc fit per intentionem, qua miniſter applicat formam ad materiam, & ſuum miniſterium ad utrumque, & loco totum ad Sacramenti collationem: Ergo intentio eſt neceſſaria Et hæc ratio eſt S. Thom. in 4 *diſt.* 6. *q.*1. *art.*2. *q.*1. per quam concludit non ſolùm requiri intentionem in baptizante ad conſequendum Sacramenti effectum, ſed etiam ad ipſius Sacramenti perceptionem; & conſtat ex *c. Solet*, ubi gloſ. *fin.* & Archid., qui id probat verbis Ambroſii *de conſecrat. diſt.*4. *gloſ. fin. in c. Dedit* 1. *qu.*1. DD. *in c.*1. & *cap. fin. de baptiſm.* Unde hæc ratio valere poteſt etiam pro prima propoſitione. Secundò, probatur, quia cum iſte actus ſit humanus, debet eſſe propter finem intentus, *c. de occidendis, c. Non fruſtra* 23. *q.*5. *c. Ab exordio* 35. *diſt.* & habetur 3. *Ethic.* Dixi propter finem, quia aliàs eſſet caſualis. Dixi intentus quia ſi non intenderetur finis iſte, actus, vel eſſet agentis naturalis, & non à propoſito, vel ſi à propoſito, eſſet fortuitus, ut patet ex 2. *Phyſic.* Et hæc ratio haberi poteſt à Scoto ubi ſuprà, & per has rationes eadem concluſio communiter à DD. probatur.

Secunda pars, ſcilicet reſpectu finis proximi, non autem ſupremi, probatur à Scoto, quia congruum videtur, ut iſte actus differat à quacumque alia humana actione, quod fit ex fine, *cap Quiſquis, cap. Deliciæ, c. Quod dicit* 41. *diſt. d. c. de occidendis* 23. *qu.*5. & *c. Cùm voluntate de ſent. excomm.* Quæ ratio licèt fortè aliquibus non probetur, quia tamen ipſemet dicit illam eſſe probabilem, & congruam, & ſat eſſe, ut ille finis ſit intentus in univerſali,

ſali, quod eſt dicere, ſat eſt intendere, quod intendunt Chriſtiani circa ſuos. Ideò valere poteſt in propoſito.

Tertia, ſcilicet talem intentionem non requiri explicitè & in particulari, ſed ſufficere implicitè, & in univerſali, pro-
9 batur ratione, authoritate, & exemplo. Ratio eſt, quia in Concilio Florentino, in decreto fidei Eugenii IV. in §. *Primum Sacramentum*, definitur in caſu neceſſitatis non ſolùm Sacerdotem, & Diaconum, ſed & laicum, vel mulierem, imò etiam paganum, & hæreticum baptizare poſſe. Sed mulieres, pagani, hæretici, ut plurimum non intendunt illum finem in particulari, & diſtinctè. Vel enim explicitè, & in particulari non cognoſcunt, vel non credunt. Ergo ſatis eſt illum finem intendere implicitè, & in univerſali, prout in alio continetur. Et hoc eſt, quod in decreto fidei citato ſubditur: *Dummodò facere intendant id quod facit Eccleſia*. Quia enim Eccleſia aliquid facit, & illum finem aſſequitur; ideò ex conſequenti, & implicitè intendunt illud facere, ut explicat D. Thomas *d. diſt. 6. qu. 1. art. 3. ad quartum*.

Authoritas eſt S. Thomæ, Riccardi, Hugonis, Scoti, Durandi, & omnium Theologorum in 4. *diſt. 6.* id aſſerentium. Necnon eſt gloſſæ, Archidiaconi, Præpoſiti, & aliorum omnium Canoniſtarum in *c. Spiritus Sanctus* 1. *qu.* 1. qui fundantur in §. *Ecce*, ubi refertur exemplum Alexandri
10 Epiſcopi Alexandriæ, qui cùm poſt Miſſarum ſolemnia vidiſſet ſuper ora maris ludum puerorum imitantium Epiſcopum, & gerentium ea, quæ in Eccleſia geri mos eſt, eos ad ſe perduci jubet, & quid egerint percunctatur: & cùm illi retuliſſent baptizatos fuiſſe quoſdam Catechumenos per puerum Athanaſium, qui ſe Epiſcopum ſimulaverat, ſtatuit, iterari baptiſmum non debere.

Tertia propoſitio eſt: Hæc intentio univerſalis, & implicita ſufficienter exprimitur uno ex tribus modis, qui haben-
11 tur in quinto ſuppoſito. Ita ſcilicet ut intendat facere vel id quod Chriſtus faciendum inſtituit, ſeu facit Eccleſia, etiamſi neque ad Romanam, neque ad Catholicam reſpiciat, imò etiamſi ad illam, quæ Schiſmatica eſt, intentionem dirigat; vel ut intendat facere, quod facit Presbyter, aut quod communiter faciunt, & intendunt Chriſtiani.

Et quidem ſufficere intendere quod facit Eccleſia, omnes Theologi in 4. *diſt. 6.* fatentur, & communiter Canoniſtæ *de conſecrat. diſt. 4.* & pro hoc ſtat littera Concil. Trident. *Can. 4. d. ſeſ. 7. de baptiſm.* ubi diffinitur eſſe verum baptiſma quod etiam ab hæreticis datur, *In nomine Patris, &c.* cum intentione faciendi quod facit Eccleſia.

Quòd autem non oporteat addere, Catholica, vel Roma-
12 na, patet; tum quia hæretici Donatiſtæ (contra quos Auguſtinus) ſolùm in parte Donati dicebant eſſe Eccleſiam; & tamen illos Auguſtinus negavit eſſe rebaptizandos, damnans in hoc Concil. Carthaginenſe ſub Cypriano Martyre Sanctiſſimo, ut habetur in *c. Quomodo de conſecrat. diſt. 4.* Tum quia Græci in Schiſmate ab Eccleſia Romana deficientes ad illam non reſpiciebant, dum baptizabant, nec propterea in unione facta in Concilio Florentino ſub Eugenio IV. ſunt rebaptizati. Et Eccleſia Auguſtinum ſecuta ſanxit hæreticos non eſſe rebaptizandos, *c. Oſtenditur, c. Hi de quibus, c. Nullus autem, c. Sivè hæreticus, de conſecr. diſt. 4.* Quod verò ſufficiat intendere quod facit Presbyter, vel Epiſcopus, vel quod Chriſtiani faciunt, patet in exemplo pueri Athanaſii ſupracitato, & in auctoritatibus ſupra in 2. oppoſitione adductis, atque in ſequenti adducendis.

13 Quarta propoſitio eſt: Habens talem intentionem generalem, atque implicitam, etiamſi opinetur per baptiſmum nihil, conferri, & vanum, ac ſuperſtitioſum quid illud eſſe; imò etiamſi arbitretur illud eſſe truffam (ut Canoniſtæ ajunt) verè baptizat, ac propterea baptizati ab eo, rebaptizari non debent: quod probatur ratione, & auctoritate.

14 Ratio: In baptizante non requiritur de neceſſitate fides, cùm etiam à Pagano, ac Judæo verum baptiſma confera-
15 tur *c. Dedit, c. Oſtendatur, c. Si quis per ignorantiam* 1. *q.* 1. *c. Romanus, & c. Solet de conſecr. diſt. 4. gloſ. 1. in c. pen. de tem-*
16 *por. ordin. & gloſ. 1. in c. 1. de Cleric. non ordin.* & tradunt DD. hìc, eò quòd baptiſmus non habet efficaciam à Miniſtro, ſed à principali agente, qui eſt Chriſtus qui principaliter in Sacramentis operatur, D. Th. in 4. *diſt. 6. q. 1. art. 3. q. 2.* qui generat ſibi filios per fideles & infideles, per Catholicos & hæreticos, ſicuti Jacob per ancillas & liberas: nam Chriſtus eſt qui baptizat; quod & ab Auguſtino non rarò inculcatur, ut patet *in d. c. Dedit c. Etiam, & c. Dominus* 1. *q. 1. in c. Baptiſmus, c. Solent, c. Aliud, & c. Cùm tantum de conſecrat. diſt. 4.* Et quamvis baptiſmus dicatur eſſe Sacramentum fidei in *c. fin. de Presb. non bapt. in c. Nihil de conſecr. diſt. 4.* & in decreto Concilii Trid. *de juſtificat. c. 7. ſeſ. 6.* & conſtet non tam ablutione corporis, quàm fide cordis, ut legitur in *c. Verus de conſecr. diſt. 4.* hoc tamen non ideò dicitur, quòd fides in miniſtro ſit neceſſaria, ſed quia, ut ait gloſſa in *d. c. Nihil in verb.* (Sacramentum in fide Chriſti conſecratur, & in fide Eccleſiæ confertur; vel quia in nomine Trinitatis confertur, quia offerentes, & oblati tenentur credere, & confiteri; vel quia ſignum eſt, quòd ſuſcipiens, fidem habeat, etiamſi non habeat, aliquo impediente.) Hæc gloſ. Item dicitur conſtare fide cordis, quia ſine fide impius per baptiſmum non juſtificatur, *c. Quamvis de conſecr. diſt. 4. c. Majores inf. eod.* Ideòque S. Synodus dum dixit baptiſmum eſſe Sacramentum fidei, protinus addit illa verba: *Sine qua nulli umquam contigit juſtificatio*.

Auctoritates poſt Auguſtinum innumeræ ſunt. Et ex Canoniſtis noſtris hoc tenuit hìc originaliter Innoc. *n.* 8. licèt eum pro ſuo errore falsò citet impius Kemnit. in 2. *par. examinis Conc. Trid.* ut refert Card. Bellarm. *tom. 1. de Sacram. cap. 28. §. Addit Kemnitius, §. Ad authoritatem*.
Verba Innoc. hæc ſunt: (Ad hoc ut aliquis baptizatus ſit, 17
neceſſarium eſt, quòd baptizans intendat baptizare, non tantùm balneare, vel carnes lavare; nec tamen videtur neceſſe quoad effectū baptiſmi, quòd ſciat quid ſit baptiſmus, ſcilicet quòd ibi infundatur gratia, vel quòd ſit Sacramentum: nec etiam oportet quòd credat hoc ipſum, imò etſi contrarium credit, & totum reputat truffam, & deceptionem, tamen baptiſmus ſuum habet effectum. Item non eſt neceſſe, quòd baptizans ſciat quid ſit Eccleſia, neq; quòd gerat in mente facere quod facit Eccleſia; imò ſi contrarium gereret in mente, ſcilicet non facere quod facit Eccleſia; ſed tamen facit quia forma ſervat, nihilominus baptizatus eſt, dummodò baptizare intendat. Unde ſi quis in caſu neceſſitatis conſtitutus, vel etiam ſine neceſſitate vadat ad Saracenum, & dicat, baptiza me, & doceat eum formam, & ille Saracenus baptizet, non credens per immerſionem aliquid fieri, niſi madefactionem, & non intendat eum baptizare, vel etiam madefacere ſecundum intentionem petentis baptiſmum, id eſt ut baptiſmus operetur quidquid operari poteſt, & ipſe baptizans tamquam miniſter conferat, quod alii baptizantes conferunt, licèt non credat ipſum poſſe aliquid operari, verè baptizatus eſt; ſed ſi hoc non intenderet, non baptizaret; nec eſt neceſſe quòd aliquando ſciat, quid in his Eccleſia intelligat, vel etiam quòd ſciat, vel credat Eccleſiam eſſe.) Hactenus Innocentius, cujus verba ferè ad litteram tranſcripſerunt, & ſecuti ſunt hìc Hoſt. *n.* 13. Jo. Andr. *verſ. Hoc autem notandum, col.* 3. Ant. de Butr. *verſ. Quæro an ultra formam verborum,* & Silveſtr. *in verb. Baptiſmus* 3. §. 1. *n.* 2. Idemque probavit Archid. *in c. Solet de conſ. diſt.* 4. (Baptiſma, inquit, quod jocosè, vel etiam mimicè traditur, verè baptiſma eſt, ſi adſit intentio dandi; ſi autem non adſit, non eſt baptiſma ſecundum Hugonem.) quod dic ut plenè notat Innocentius *extra de Baptiſm. c. 1.* & ſequuntur ibi Præpoſitus, & alii communiter, Anch. hìc *n. 2.* dicens: (Non eſt ergo curandum in conferente baptiſmum, quòd malè de eo ſentiat, & truffam, & deceptionem arbitretur, dummodò in forma conſueta conferat, & intendat dare, quod dant alii baptizantes.) Et idem Innocentius in *c. fin. num. 4. inf. eod.* ubi ait: (Poteſt dici quòd etſi baptizans, & baptizatus non crederent in baptiſmo aliquid conferri niſi ſanitatem, dummodò baptizare intenderet, benè eſſet baptizatus. Sed quid ſi non intenderet aliud per lavationem conferri niſi ſanitatem? & tunc idem dicerem, quia baptizare intendunt, licèt malam credulitatem, & intentionem habeant de viribus baptiſmi; ſed ſi non intenderet conferre baptiſmum, ſed quamdam medicinam facere contra infirmitatem, ſed verba formæ exprimeret, tamen non crederem eum baptizatum.) Hæc ille, quem ſimiliter totidem verbis referunt ibi Hoſt. *n.* 7. & Jo. Andr. *col. 1. ver. Quod ſi baptizans, & baptizatus*, Butr. *n. 4. eod. verſ.* Abb. *n.* 5. (Si baptizans, inquit, & baptizatus intendunt baptizare, & baptizari, ſed credunt quòd baptiſmus ſolùm proſit ad ſanitatem corporis, & non animæ, numquid conferatur verus baptiſmus? DD. quòd ſic. Satis enim eſt, quòd ſervetur forma tradita ab Eccleſia, & quòd iſti baptizare, & baptizari intendant.) Idem DD. ſupra *cap.* 1. Etiamſi

credant

credant quòd baptiſmus ſit una truffa, dummodò intendant, ut dixi, baptiſmum conferre, eò quòd Spiritus Sanctus ad formam verborum inviſibiliter operatur. Et ex recent. Navarr. *in Manual. cap. 22. de Sacrament. Baptiſm. n.7.* ubi pro hac ſententia adducit textum *in c. Quicumque, cap. A quodam, cap. Conſtat, & cap. Mulier de conſecratione diſt.4.*

Ex Theologis verò idem docuit D. Thomas in 4. *diſt. q.1. art.2.q.2. ad 1. Intentio recta ad baptiſmum requiſita eſt, ut intendat facere, quod facit Eccleſia; non tamen de neceſſitate requiritur, ut faciat propter id quod facit Eccleſia,* Item *art. 3.q.2. ad 1. Quamvis ille qui non credit baptiſmum eſſe Sacramentum, aut habere aliquam ſpiritualem virtutem, non intendat dum baptizat conferre Sacramentum, tamen intendit facere quandoque quod facit Eccleſia, & ſi illud reputet nihil eſſe; & quia Eccleſia aliquid facit, ideò ex conſequenti, & implicitè intendit aliquid facere, quamvis non explicitè.* Hæc S. Thomas. Item Alexand. de Ales in 1. *part.q.16. memb.*4. Richard. *in 4.diſt.6. art.1.q.2. ad 2.* (Sufficit intentio faciendi quod facit Eccleſia in univerſali, etiamſi nihil credat, imò etiamſi credat oppoſitum.) Item Gabr. Biel. in 4. *diſt.6 q.* 1. (etiamſi credat quod nihil efficiat, ſufficit ſi intendat in univerſali.) Item Hugo de S. Victore *lib.2.par.6. c* 13. (Etiamſi ludicrè fiat, dummodò facere intendat, ut patet in Athanaſio.) Item Robert. Aolſcott. in 4. *diſt.* 1. *art.* 8. *ad octavum principale* (Diſtractus vel ludens ſi intendit quod Eccleſia, ſufficit.) Item Jo. Bac. in 4. *diſt. 6. q. 1. art. 2. in fin.* Item Durandus, & reliqui.

18 Quoad ſecundum, ſcilicet, quam intentionem habeant Calviniſtæ, dicendum eſt Calviniſtas nullam quidem vim, atque efficaciam Baptiſmo tribuere, ſed tamen debitam ſervare materiam, ac formam, atque ſufficientem habere ad baptizandum intentionem.

Prima pars, id eſt nullam vim illos Baptiſmo tribuere patet in dubio. Secunda pars, ſcilicet de materia, ac forma, patet, eò quòd aqua naturali, & *In nomine, &c.* ſe debere baptizare putant.

Tertia autem pars, ſcilicet de intentione, patet etiam, quia etiam Calviniſtæ intendunt ſaltem facere quod Chriſtus faciendum inſtituit, ſeu quod faciunt illi qui verum habent Chriſti cultum; putant enim ſe tales eſſe, licèt fallantur; vel certè intendunt facere, quod facit eorum Eccleſia quocumque nomine appelletur, quia putant eorum Eccleſiam verè eſſe membrum Eccleſiæ univerſalis. Hujuſmodi autem intentiones ſufficere, patet ex dictis in tertia propoſitione, quia in illis continetur implicitè, & in univerſali intentio Sacramenti, quod Chriſtus inſtituit, & quod faciunt veri Chriſti cultores, ſeu vera Eccleſia, licèt Calviniſtæ decipiantur in horum cognitione particulari. Quamobrem baptiſmum collatum à Calviniſtis eſſe validum, nec iterandum, tradunt in ſpecie Cardin. Bellar. *tom.1. de Sacram.c.27. §. Sed hoc merum mendacium,* & Vaſq. *diſp.138. c.3. in fin.* Quod ipſum de Eccleſia Geneven. probat idem Bellarm. *loc. cit.* §. *Petes*; hanc autem Calviniſtarum eſſe, & Calvinum pro inſtauratore illius habitum affirmat Jo. Vetus, & Claudius Sanctesius, ut refert Prateolus in *verb. Calviniſtæ.*

Ad argumentum reſpondetur negando aſſumptum, ſcilicet, quòd nullam habeant intentionem: nam quoad actum, habent: quod patet, quia baptizant; quoad effectum, habent eam, quæ ſufficit, ut patet ex tertia, & quarta propoſitione, nec non ex ſecundo articulo quæſtionis: Et cùm inſtant, quia nec virtualem, &c. dicimus eos habere univerſalem implicitè, ac virtualiter, &c.

Itaque ad dubium videtur poſſe reſponderi baptiſmum Calviniſtarum eſſe verum baptiſmum, & ideò baptizatos ab eis non eſſe iterùm baptizandos etiam ſub conditione, ſi baptizati non ſint

Tantùm cæremoniæ ſupplendæ ſunt in baptizatis à Calviniſtis, & in adultis prævia abjuratione, & reconciliatione, *c. Quamvis,* & ibi gloſſ. 1. *c. Hi de quibus,* ubi gloſſ. *fin. c. Si qui, il ſecondo, c. Si re vera, de conſecrat. diſt.*4. *& c. Quidam de Apoſt.*

Quæ tamen omnia ſubjicimus cenſuræ Sedis Apoſtolicæ, à cujus determinatione ne latum quidem unguem diſcedere intendimus.

DE BAPTISMO.

Innocentius III. Arelaten. Archiepiſcopo.

CAPUT III.

MAjores Eccleſiæ cauſas, præſertim articulos fidei contingentes, ad Petri ſedem referendas intelliget, qui eum quærenti Domino, quem diſcipuli dicerent ipſum eſſe, reſpondiſſe notabit: Tu es Chriſtus filius Dei vivi; & pro eo Dominum exoraſſe, ne deficiat fides ejus. Quibuſdam igitur quæſtionibus, quas contra Catholicos hæretici moverant, nos poſtulas reſpondere. Aſſerunt enim parvulis inutiliter baptiſma conferri; quod nituntur probare, illud primò & præcipuè inducentes, quòd cùm ſecundùm verbum Jacobi Apoſtoli dicentis in Epiſtola ſua: Charitas operit multitudinem peccatorum; & juxta illud teſtimonium veritatis in Evangelio de peccatrice, quæ ipſius pedes laverat, perhibentis: Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum: non niſi per charitatem, & in charitate, crimina dimittantur; parvulis, qui nec ſentiunt, nec conſentiunt, & charitatem non habent, quæ ſentientibus & conſentientibus tantùm infunditur, peccatum non dimittitur in baptiſmo: & infrà. Ad id autem taliter reſpondemus, quòd baptiſma circumciſioni ſucceſſit. (Abſit enim, ut in illam damnatam hæreſim incidamus, quæ perperam affirmabat, legem cum Evangelio, & circumciſionem cum baptiſmo ſervandam: quoniam ſecundùm Apoſtolum dicentem ad Galatas: Si circumcidimini, Chriſtus vobis nihil prodeſt.) Cùm ergo circumciſio tam adultis, quàm parvulis ex præcepto Domini conferretur: ne baptiſmus, qui ſucceſſit loco ipſius, & generalior tamen exiſtit, cùm tam viri, quàm fœminæ baptizentur, minoris videatur effectus, tam adultis, quàm parvulis eſt conferendus. Sicut enim ſine diſtinctione qualibet Moſaica lex clamabat: Anima, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, peribit de populo ſuo; ita nunc indiſtinctè vox intonat Evangelica: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum Dei; ab hac generalitate nec ſexum, nec ætatem excludens. Cautè tamen notandum eſt, quantum plus baptiſmus hodiè conferat Chriſtianis, quàm quondam

Judæis circumciſio contuliſſet, dictum eſt in fine prædictæ authoritatis inductæ de veteri lege: Peribit de populo ſuo; in Evangelica verò authoritate ſubjunctum eſt; Non intrabit in regnum Dei quoniam etſi originalis culpa remittebatur per circumciſionis myſterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum Cœlorum, quod uſque ad mortem Chriſti fuit omnibus obſeratum; ſed per Sacramentum Baptiſmi Chriſti ſanguine rubricati culpa remittitur, vitatur periculum, & ad regnum Celorum etiam pervenitur, cujus januam Chriſti ſanguis fidelibus ſuis miſericorditer reſeravit. Abſit enim ut univerſi parvuli pereant, quorum quotidiè tanta multitudo moritur, quin & ipſis miſericos Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad ſalutem. Cæterùm ex vi litteræ ſatis patet, prædictas auctoritates intelligendas eſſe tantummodò de adultis, qui habent multitudinem peccatorum; cum de parvulis non poſſint intelligi, qui peccato tantùm originali tenentur. Similiter & illa auctoritas eſt ſolvenda: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, & cætera: cùm non poſſint credere parvuli, ſed adulti; & ob hoc tota auctoritas hìc intelligenda eſt de adultis, ne ad alios prima, & ad alios ſecunda clauſula referatur: quamvis nonnulli concedant, quòd parvuli credunt, non per uſum, ſed per habitum fidei, quem ſuſcipiunt in baptiſmo; ſicut & alia multa verba, ſecundùm communem uſum loquendi, non ad actum, ſed ad aptitudinem referuntur. Illud verò quod opponentes inducunt, fidem aut charitatem, aliaſque virtutes parvulis, utpotè niſi conſentientibus, non infundi, à pleriſque non conceditur abſolutè, cùm propter hoc inter Doctores Theologos quæſtio referatur; aliis aſſerentibus per virtutem baptiſmi parvulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non conferri; nonnullis dicentibus, dimitti peccatum, & virtutes infundi habentibus illas quoad habitum, non quoad uſum, donec perveniant ad ætatem adultam.

Verùm quidam ex hac ſolutione inveniſſe ſe credunt viam ad alias quæſtiones, argumentantes ex eò, quod dicimus parvulis in baptiſmate peccatum originale dimitti, quòd & adultis dormientibus vel amentibus, peccatum (ſi baptizentur) ratione ſimili dimittatur; cùm enim neutri nec ſentiant tunc, vel conſentiant, dicunt idem in conſimilibus judicandum. Hìc verò dicimus diſtinguendum, quòd peccatum eſt duplex, originale ſcilicet & actuale: originale quod abſque conſenſu contrahitur: actuale quod committitur cum conſenſu. Originale igitur, quod ſine conſenſu contrahitur ſine conſenſu per vim remittitur ſacramenti: actuale verò, quod conſenſu contrahitur, ſine conſenſu minimè relaxatur.

Sed adhuc quæritur, quare non ſaltem originale peccatum amentibus, & dormientibus in baptiſmo, ſicut parvulis, dimittatur? Ad hoc eſt taliter reſpondendum, quod Dominus, qui totum hominem ſalvum fecit in Sabbato, opus imperfectionis non novit: & ob hoc peccata non ex parte, ſed ex toto dimittit. Prætereà pœna originalis peccati eſt carentia viſionis Dei: actualis verò pena peccati, eſt gehennæ perpetuæ cruciatus; unde ſi dimitteretur alicui primum altero non dimiſſo, talis non careret viſione Dei propter originale dimiſſum, & cruciaretur in gehenna perpetuò propter reatum criminis actualis: ſed hæc tamquam incompoſſibilia ſeſe minimè patiuntur, imo ſibi mutuò adverſantur.

Item quæritur, utrum dormientibus & amentibus ſacramenti ſaltem character in baptiſmate imprimatur, ut excitati à ſomno, vel ab ægritudine liberati, non ſint denuò baptizandi. Sunt autem nonnulli, qui dicunt, quod ſacramenta, quæ per ſe ſortiuntur effectum, ut Baptiſmus, & Ordo, cæteraque ſimilia, non ſolùm dormientibus & amentibus, ſed invitis & contradicentibus, & ſi non quantum ad rem, quantum tamen ad characterem conferuntur: cùm non ſolùm parvuli, qui non conſentiunt, ſed & ficti, qui quamvis non ore, corde tamen diſſentiunt, recipiant ſacramentum. Sed opponitur talibus, quod qui fuiſſent inviti, & reluctantes immerſi, ſaltem ratione ſacramenti ad juriſdictionem Eccleſiaſticam pertinerent: unde ad ſervandam regulam fidei Chriſtianæ forent rationabiliter compellendi: verum id eſt religioni Chriſtianæ contrarium, ut ſemper invitus & penitus contradicens, ad recipiendam & ſervandam Chriſtianitatem aliquis compellatur. Propter quod inter invitum & invitum, coactum & coactum, alii non abſurdè diſtinguunt, quòd is, qui in terroribus atque ſuppliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, baptiſmi ſuſcipit ſacramentum, talis (ſicut & is, qui fictè ad baptiſmum accedit) characterem ſuſcipit Chriſtianitatis impreſſum, & ipſe tamquam conditionaliter volens, licèt abſolutè non velit, cogendus eſt ad obſervantiam fidei Chriſtianæ; in quo caſu debet intelligi decretum Concilii Toletani, ubi dicitur, quòd qui jampridem ad Chriſtianitatem coacti ſunt, ſicut factum eſt temporibus religioſiſſimi principis Siſibuti: quia jam conſtat eos ſacramentis divinis aſſociatos, & baptiſmi gratiam ſuſcepiſſe, & chriſmate unctos eſſe, & corporis Domini extitiſſe participes: oportet etiam, ut fidem, quam neceſſitate ſuſceperunt, tenere cogantur: ne nomen Domini blaſphemetur; & fides, quam ſuſceperunt, vilis ac contemptibilis habeatur. Ille verò, qui numquam conſentit, ſed penitus contradicit; nec rem nec characterem ſuſcipit ſacramenti; quia plus eſt expreſsè contradicere, quàm minimè conſentire; ſicut nec ille notam alicujus reatus incurrit, qui contradicens penitùs & reclamans thurificare idolis cogitur violenter. Dormientes autem & amentes, ſi priuſquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione perſiſterent: quia in eis intelligitur contradictionis propoſitum perdurare; & ſi fuerint ſic immerſi, characterem non ſuſcipiunt ſacramenti: ſecus autem ſi priùs Catechumeni extitiſſent, & habuiſſent propoſitum baptizandi; unde tales, in neceſſitatis articulo, conſuevit Eccleſia baptizare. Tunc ergo characterem ſacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obſiſtentem.

S U M M A R I U M.

1 BAptiſmus utiliter confertur parvulis, licèt per actum non credant, nec intelligant; & remittitur eis peccatum originale, & n.40.

2 Cauſæ majores, & præſertim fidei ſpectant ad Papam privativè quoad omnes.

3 Abbas Panormitanus authoritatis Concilii contra Papam acerrimus propugnator.

4 Papa non poteſt decidere contra ſtatutum Eccleſiæ ſine Concilio.

Contrarium, n.7.

5 Papa poteſt errare in fide, ſed tota Eccleſia errare non poteſt.

Contrarium, n.12.

Declaratur, num.13. & 17. & num. ſeqq. uſque ad numer.24.

6 Fidem Chriſtianam committere arbitrio unius hominis periculoſum.

Declaratur, n.11.

7 Fidei diffinitiones Papa etiam cum Concilio revocare non poteſt, ſed tantùm explicare.

8 Concilii ſtatuta concernentia jus poſitivum poſſunt per Papam tolli, & abrogari, etiam ſine Concilio.

9 Cap. Anaſtaſius 19. diſt. eſt apochryphum, & falsò tribuitur Anaſtaſio.

10 Concilii, & Papæ poteſtas eſt major, quàm ſolius Papæ extenſivè, non autem intenſivè, & n.17.

13 Papa ut homo privatus errare poteſt in fide, quod tamen hactenus per Dei gratiam non legitur contigiſſe.

14 Papæ non dedit Deus impeccabilitatem in agendo; dedit tamen infallibilitatem in definiendo.

15 Symboli nova editio pertinet ad ſolam authoritatem Summi Pontificis.

16 Fides una debet eſſe totius Eccleſiæ.

17 Eccleſiæ judicium in quæſtionibus fidei eſt infallibile, ſi Eccleſia conſideretur, prout eſt unum corpus, cujus caput eſt Papa, & n.21.

18 Secus ſi conſideretur ſeorſim à capite & n. ſeqq.

19 Eccleſia corpus non eſt ſine capite, & omnis à capite defluit in membra poteſtas.

20 Eccleſiæ unum caput eſſe exiſtimantur Chriſtus, & Papa.

22 Eccleſia prout eſt collatio omnium fidelium, non eſt poſſibile, ut in unum conveniat ad determinandum quæſtiones fidei, & n.ſeqq.

23 Concilium non eſt Eccleſia Univerſalis niſi repræſentativè.

24 Concilii judicium in quæſtionibus fidei an, & quibus caſibus ſit infallibile, & n. ſeqq. uſque ad n.37.

Quid ſi Concilium ſit congregatum ſine authoritate Papæ, n.25.

Et quid ſi authoritate Papæ ſit congregatum, & Papa ibi ſit præſens, n.26. & 36.

Et quid ſi Papa ſit abſens, n 27. & 36.

25 Concilium ſine authoritate Papæ congregatum eſt acephalum, ſchiſmatica conventicula, & Synagoga Satanæ.

26 Concilii diffinitiones, cui Papa præſidet, ſunt infallibiles, & n.36.

Aliàs ſecus, niſi poſt confirmationem Apoſtolicam, nu. 28. & 36.

Vel niſi Papa committat Concilio, ut talem articulum ſic diffiniat, n.36.

27 Concilium legitimè congregatum habet poteſtatem ſtatuendi pleno jure, ſed ejus determinationes non ſunt infallibiles, niſi in tribus caſibus, & n.36.

28 Concilium etiam legitimè congregatum errare poteſt, prout aliquando erravit.

30 Concilii Epheſini ſecundi definitiones Leo Papa tamquam hæreticas damnavit.

31 Conciliorum decreta Romani Pontifices olim confirmabant congregata Synodo Prælatorum ſub Patriarchatu Romano, & prævia diligentia examinatione, & n.36.

32 Concilii diffinitiones poſt impartitam illi authoritatem à Papa cenſentur Papales; non tamen infallibiles, niſi in caſibus, ut n. 36.

33 Infallibilitas in determinationibus fidei eſt donum Dei Petro, & ſucceſſoribus datum, quod non eſt alteri communicabile, & n.ſeqq.

34 Gratiæ gratis data, quæ hìc enumerantur, non poſſunt alteri communicari, niſi à Deo.

Donum fidei eſt ſupereminens fidei certitudo ad inſtruendum alios, ibid.

35 Imperium merum, & ea in quibus eligitur induſtria perſonæ, ſubdelegari non poſſunt.

37 Circumciſio, & Baptiſmus, qui circumciſioni ſucceſſit, in quibus conveniant, & in quibus differant, & n.ſeq. uſque ad n.53.

38 Conveniunt primò, quia ſicut olim per Circumciſionem, ita hodie per Baptiſmum remittitur originale peccatum.

39 Et ideò circumciſio non reiterabatur, ſicut nec hodie baptiſmus.

40 Secundò quia ſicut circumciſio tam adultis, quàm parvulis ex præcepto Domini conferebatur; ita hodie baptiſma.

41 Tertiò, quia ſicut olim ſine Circumciſione nullus ſalvari poterat, ita nec hodie ſine Baptiſmo.

42 Differunt primò, quia Babtiſmus tam maſculis, quàm fœminis eſt conferendus; ſed Circumciſio ad fœminas non pertinebat.

Secundò, quia multò plus confert Baptiſmus Chriſtianis, quam olim Circumciſio Judæis, n.47.

Tertiò, quia Baptiſmus eſt ſignificantior, decentior, & facilior Circumciſione, n.50.

Quartò, quia Circumciſio non imprimebat characterem, ſicut nunc imprimit Baptiſmus, n.51.

Quintò, quia Circumciſio conferebat gratiam juſtificantem ex opere operante; nunc verò Baptiſmus illam confert ex opere operato, n.52.

43 Maſculinum concipit fœmininum in lege non tantùm humana, ſed etiam divina.

44 Feminæ in veteri teſtamento non circumcidebantur, ſed 14. die in templum offerebantur, ibique nomen eis imponebatur, & n.ſeq.

45 Circumciſio inſtituta fuit ut ſignum fidei Abrahæ, qui credidit ſe patrem futurum Chriſti ſibi repromiſſi.

46 Baptiſmus continet virtutem Chriſti qui eſt univerſalis cauſa ſalutis omnium, & remiſſionis omnium peccatorum.

47 Judæis quamvis per Circumciſionem damnationis periculum evitarent, tamen non intrabant in regnum Cœlorum, quod fuit omnibus obſeratum uſque ad mortem Chriſti.

48 Baptiſmus ſi tempore Circumciſionis fuiſſet, januam Regni Cœleſtis non aparuiſſet.

49 Circumciſio ſi hodie locum haberet, Paradiſi januas aperiret, ſicut Baptiſmus.

53 In baptiſmo parvulorum infunduntur virtutes Cardinales & morales quoad habitum, licèt non quo ad uſum.

54 Peccatum originale ſine conſenſu contrahitur, & ideò ſine conſenſu dimittitur, ſcilicet parvulis.

55 Actuale verò conſenſu contrahitur, & ideò ſine conſenſu minimè relaxatur.

56 Peccatum originale eſt peccatum naturæ, actuale verò eſt peccatum perſonæ.

57 Peccatum originale non eſt fomes, ſeu pronitas ad peccandum, quæ remanet etiam poſt Baptiſmum.

58 Peccatum originale quid ſit.

59 Languor naturæ dicitur.

60 Amentibus & dormientibus, qui non conſentiunt Baptiſmo, actuale peccatum non dimittitur, nec etiam originale.

61 Peccata Deus non dimittit ex parte, ſed ex toto, & nu.ſeqq.

62 Excommunicationibus pluribus legatus poteſt abſolvi ab una, nec cenſetur à reliquis abſolutus.

63 Peccati originalis pœna eſt carentia viſionis Dei; actualis vero gehennæ perpetuæ cruciatus.

64 Amentes, vel dormientes recipiunt characterem Baptiſmi, ſi priùs propoſitum habuerunt Baptiſmum ſuſcipiendi, aliàs ſecus.

Et baptizari debent in furore, etiamſi contradicant, aut injuriam inferant Sacramento, ibid.

65 Fal-

66 *Fallit in amentibus, qui ante uſum rationis in amentiam inciderunt, qui baptizantur, ſicut parvuli, ex intentione Eccleſiæ.*

66 *Niſi habeant dilucida intervalla.*

67 *Amentes ſunt baptizandi, ſi periculum timeatur; alioquin melius eſt expectare, ut ſint ſanæ mentis.*

68 *In Baptiſmo adultorum requiritur intentio ex parte baptizati ex neceſſitate Sacramenti, adeò ut baptizatus ſine intentione ſit denuò batizandus, & n. ſeq. uſque ad n. 80.*

69 *Sed ſi non conſtet, an habuerit intentionem, eſt rebaptizandus ſub conditione, ſi non eſt baptizatus.*

70 *In Baptiſmo adultorum non requiritur intentio actualis, ſed ſufficit virtualis, & n. ſeq.*

71 *Voluntas ſemel poſita præſumitur ſemper durare, niſi probetur mutata.*

72 *Amentes, vel dormientes, qui numquam conſenſerunt Baptiſmo, vel aliquando conſenſerunt, ſed poſteà contradixerunt, characterem non recipiunt.*

73 *Ficti, qui non ore, ſed corde diſſentiunt, Babtiſmi ſuſcipiunt Sacramentum.*

74 *Et dicuntur ficti, qui apparenter oſtendunt ſe rectam fidem habere, & Sacramentum venerari, & velle ſe Chriſto conformare, & corde diſſentiunt, & nu. ſeqq.*

75 *Ficti quot modis dicantur.*

76 *Ficti accedentes ad Baptiſmum ſuſcipiunt Sacramentum, ſed non effectum Sacramenti.*

77 *Et recedente fictione per cordis contritionem Babtiſmus incipit prodeſſe in remiſſionem peccatorum.*

78 *Intentio baptizati per ſe non requiritur ex neceſſitate Sacramenti, ſed tantùm per accidens, videlicet quando prius contradixit, ſecundùm opinionem Cajetani.*

Sed contra, n. 79.

Characterem tunc Sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obſiſtentem, & n. 76.

79 *Procedit in iis, qui aliquando conſenſerunt, nec poſteà contradicendo obicem poſuerunt.*

80 *Coactio abſoluta conſenſum prorſus evacuat.*

81 *Baptizatus, vel ordinatus per coactionem abſolutam, nec rem, nec characterem recipit Sacramenti, & num. 91.*

82 *Contradicere plus eſt, quàm minimè conſentire.*

Idolis thurificare per vim abſolutam coactus, notam alicujus reatus non incurrit ibid.

83 *Baptizatus, vel ordinatus per vim conditionalem recipit Sacramentum, ſed non rem Sacramenti, & n. ſeqq. & 115.*

84 *Coactus per metum dicitur conditionaliter volens, licèt abſolutè non velit.*

85 *Voluntas coacta voluntas eſt, non tamen abſoluta, ſeu libera.*

86 *Voluntas coacta non ſufficit in actibus, in quibus requiritur omnimoda libertas, ut in matrimonio.*

87 *In electione.*

88 *In dotis Conſtitutione.*

89 *Et in profeſſione.*

90 *Ordinatus coactè ad ordinem Subdiaconatus an teneatur ad continentiam, & numer. ſeq. uſque in finem.*

Quid ſi coactio ſit abſoluta, n. 91.

Et quid ſi coactio ſit conditionalis, ſeu per metum, num. 92.

Quid ſi metus ſit levis, ibid.

Et quid ſi metus ſit cadens in conſtantem virum, numer. 94.

Et quid ſi ordinatus priùs habebat uxorem, nu. 95. & num. 103.

Et quid ſi uxorem non habebat, n. 98.

91 *Ordinatus ad Subdiaconatum per coactionem abſolutam non tenetur continere, quia nec recepit characterem.*

92 *Metus levis, ſeu vanus non attenditur etiam in actibus, in quibus requiritur omnimoda libertas.*

93 *Et dicitur metus vanus, quem conſtans vir timere non debet.*

95 *Ordinari non poteſt conjugatus ad ſacros ordines in præjudicium uxoris.*

96 *Etiamſi matrimonium non ſit conſummatum.*

97 *Et uxor continentiam promittat.*

97 *Baptizatus per vim conditionalem compellitur ad obſervantiam fidei, & illius ſequelam, & n. 109.*

100 *Ordinato per metum non ſuccurritur actione, quod metus cauſa, quia contra impreſſionem characteris reſtitutio dari non poteſt.*

101 *Continentia eſt res voti, non præcepti, nec debet eſſe niſi voluntaria, & n. 105.*

102 *Ordinatus ad ſacros per vim conditionalem, niſi contineat, privilegiis clericalibus non gaudet.*

103 *Ordinatus ad Subdiaconatum per vim, & metum, non tenetur continere, licet uxorem non habeat, ſecundum opinionem, quam ultimò firmavit Rota, & nu. ſeqq. uſque ad n. 113. & ſervat Cancellaria, & Pœnitentiaria, num. 108.*

104 *Metus cadens in conſtantem virum eſt juſta cauſa diſpenſandi cum Subdiacono ad matrimonium contrahendum.*

105 *Actus omnis requirens voluntatem ſpontaneam, ſeu liberam, ſi fiat per voluntatem coactam, non valet.*

Continentia requirit libertatem à coactione, ibidem.

106 *Puer ordinatus ad ſacros non tenetur continere.*

107 *Metus ſicut annullat votum continentiæ expreſſum, ita & tacitum, ſeu annexum ordini.*

109 *Baptiſmo eſt naturaliter, & eſſentialiter annexa obligatio profitendi fidem.*

110 *Ordini ſacro non eſt annexa obligatio continendi eſſentialiter, ſeu naturaliter, ſed tantùm accidentaliter ex ſtatuto Eccleſiæ.*

111 *Subdiaconis olim licebat matrimonium contrahere.*

112 *Ordinatus ad Subdiaconatum per vim conditionalem tenetur vivere ſecundùm eſſentiam Subdiaconatus ſed non ſecundùm illius accidentia.*

113 *Toletani Concilii decretum de iis, qui poſt aſſumpta Eccleſiaſticarum dignitatum officia ad conjugia redeunt, expenditur, & n. ſeqq.*

114 *Metus, & violentia purgantur per liberum conſenſum ſupervenientem.*

116 *Ordinatus ad ſacros per metum provenientem ab intrinſeco, & cauſis naturalibus, tenetur continentiam ſervare.*

117 *Invitus, & penitùs contradicens, nec Sacramentum recipit, nec rem Sacramenti.*

118 *Opinio probabilis à Concilio approbata deſinit eſſe opinio, & efficitur lex neceſſario tenenda.*

Majores. Sacramentum Baptiſmi utiliter confertur parvulis, licèt per actum non credant, nec intelligant; & remittitur eis peccatum originale: adultis verò amentibus, & dormientibus, etſi baptizentur, non dimittitur actuale, nec etiam originale; imò nec character imprimitur, niſi priùs habuiſſent propoſitum baptizandi, id eſt Babptiſmum ſuſcipiendi. Hoc dicit integra hęc Decretalis, ſecundum Jo. Andr. cum quo cæteri concordant. Dividitur ut per eum, & eſt dogmatica, decidens magnas fidei quæſtiones. 1

Nota primò ex principio textus in majoribus Eccleſiæ cauſis, & præcipuè in concernentibus articulos fidei, Papam eſſe judicem privativè quoad omnes: concordat *cap. Multis, & c. Huic ſoli ſedi 17. diſt. c. Præceptis 12. diſt. c. Quoties 24. q. 1. c. Ut debitus*, in extremis verbis *de appellat. cap. Per venerabilem, Qui filii ſint legitimi, & c. Quamvis de election. lib. 6. cum ſimil.* & docet S. Thomas infra citandus *nu.* 15. & de his in primis intelligitur Tridentina Synodus *in cap. 20. ſeſſ. 24.* in illis verbis: *Ab his excipiantur cauſæ, quæ juxta Canonicas ſanctiones apud Sedem Apoſtolicam ſunt tractandæ*; ut plures celebres Juris conſulti, & Sacri Palatii Apoſtolici Auditores olim reſponderunt ex auctoritate Sanctiſſimi à S. Congregat. conſulti, ut dixi in *c. Licet à n. 30. maximè n. 37. ſupra de for. compet.* An autem hujuſmodi cauſę ſint ad Sedem Apoſtolicam referendę ex divina inſtitutione, an verò ex vi reſervationum Apoſtolicarum, & quę ſint majores cauſę; an ve Epiſcopi exceptis diffinitionibus fidei, & ceſſantibus reſervationibus 2

Apoſtolicis, tantam habeant poteſtatem in ſuis Diœceſibus
quantam habet Summus Pontifex in Eccleſia univerſali,
ſcripſi plenè *in c. Pernicioſam, à n.28. uſque ad n.72. maximè n.56 ſupra de offic. ordin.*

3 Illud tantùm hoc loco admonendi ſumus, nempè cavendum
eſſe ab aſſertionibus Abbatis hìc *in 1. & 2. notab.* Is
enim cùm in depreſſionem Romani Pontificis unà cum
Ludovico Romano pro viribus conatus fuiſſet extollere
authoritatem Concil. in ſchiſmate Baſileen. in quo etiam
Pſeudocardinalis à Felici Antipapa creatus fuerat, ut dixi
in c. Significaſti n.49. & 56. ſup. de elect. ubique hoc recita-
4 bat, quod biberat: quare hìc ſumpta occaſione ex mate-
ria Decretalis, aſſerit, Papam non poſse decidere contra
aliquod ſtatutum Eccleſiæ ſine Concilio; & ita intelligit
textum *in cap. Anaſtaſius 19. diſtinct.* & ibi gloſs. *in verb.
Concilio*, quæ videtur velle, ut Papa in cauſa fidei teneatur
Concilium requirere, & in tali cauſa Concilium ſit ſupra
Papam; & ſubnectit Abbas rationem, quia ubi in cauſa fi-
5 dei conſtat de judicio totius Eccleſiæ, Papa non poteſt ali-
quid decernere contra ſtatutum Eccleſię, quia poſset Papa
eſse hæreticus, & ſic errare in fide, *c. Si Papa 40. diſt.* ſed
tota Eccleſia errare non poteſt *ut c. A recta*, & ibi gloſs. 1.
6 24. q. 1. Cui addi poteſt Archid. *in d. c. Anaſtaſius n.2. in fin.*
dicens; Nimis periculoſum erat fidem noſtram committe-
re arbitrio unius hominis: & eum ſequitur Mar. Mantua *in
7 tract. de Concilio n. 162.* inter tract. commun. *to. 2. fol.86.*
Verùm hæc aſsertio eſt erronea, primò in eo, in quo dicit
Papam non poſse decidere ſine Concilio contra ſtatutum
Eccleſię: nam aut ſtatuta hujuſmodi ſunt diffinitiones fidei;
& tunc Papa etiam cum Concilio non poteſt illas revocare
quia aliàs convinceretur erraſse; quod eſt impoſſibile, ut eſt
textus formalis *in cap. Sunt quidam 25. q. 1. & in c. Sicut in
fin.* & ibi gloſs. ult. 15. *diſtinct.* ſed poteſt tantùm explicare,
ut per D. Thom. in 2. 2. *q. 1. art. 10. ad ſecundum* & Au-
8 guſt. Triumph. *in ſumma de poteſt. Eccleſ. qu.10. art.3.* Aut
ſunt ſtatuta juris poſitivi, & ad mores pertinentia; & tunc
poteſt illa tollere, & abrogare etiam ſine Concilio, *c. Cuncta per mundum il primo 9. q. 3.* ibi: *Apoſtol. Sedes ſine ulla
Synodo præcedente, & ſolvendi quos ſynodus iniquè damnaverat,
& damnandi nulla exiſtente ſynodo, quos oportuit,
habuit facultatem.* Concilia enim non poſſunt ſtatuendo
præfigere legem Papæ, ſed Papa è converſo benè conſtringit
Concilium, cùm illius ſtatuta immutet, & corrigat, *c.
Significaſti*, ubi hoc fatetur ipſemet Abbas *n.3* poſt Jo. And.
n.10. de election. c. Statutum de reſcript. lib.6 & notat gloſ.
in cap. Ubi periculum in verb. Concilio, de election. eod. lib.
quam pluribus confirmat Cardinal. Turrecrem. *in ſumm.
de Eccleſia lib.3. c.24 & c.44.* & propterea ſtandum eſt ſen-
tentię Papę; ſi contradicat Eccleſiæ, vel Concilio, etiam
in materia dogmatum, ut docet S. Th. in 2. 2. *q. 5. art. 10.*
& ſcripſi pleniùs in prædicta Decretali *Significaſti nu.11.*
9 poſt Jo. And. ibi, *in verb. Robur. n.9.* & alios complures.
Non obſtat tex. *in d. c. Anaſtaſius 19. diſt.* quia eſt apocry-
phus, & falsò tribuitur Anaſtaſio, ut convincitur ex notis,
quę habentur immediatè poſt *d. c. In verb. Anaſtaſius.* Nec
10 ſimiliter obſtat gl. ibi poſita *in verb. Concilio*, quia non di-
cit in cauſis fidei Concilium eſſe ſupra Papam, ſed dicit: Sy-
nodus ſimul cum Papa eſt major, quàm Papa ſolus, & illud
verbum, *Major*, debet intelligi extenſivè, non autem in-
tenſivę, ut ibi notat gl. marginalis ex Cajetan. *Apologiæ p 2.
c.13. ad 6.* & Turrecrem. *in Summa de Eccleſia lib.3. c.64.*
Dum verò gl. dicit, ubi de fide agitur, Papam teneri requi-
rere Concilium, in hoc eſt manifeſtè erronea, ut ex dictis
conſtat, & probavi latiſſimè, *in d. c. Significaſti, à n.11. de
11 election.* Nec contradicit Archid. *loc. cit.* quia in d. illo non
figit pedes, imò arguit contra, tum per *cap. Hæc eſt fides 24.
q. 1.* tum quia Synodus cauſam fidei Papæ committit, *ut c.
Nunc autem 11. diſt.* & ceſſat ratio periculi ob aſſiſtentiam
Spiritus Sancti in diffinitionibus fidei, *ut in d. c. Hæc eſt fides, in c. A recta 24. q. 1.*

12 Deindè aſſertio Abbatis eſt erronea in eo, in quo dicit
Papam poſſe errare in fide, & ideò in cauſis fidei non poſſe
ſtatuere contra ſententiam Concilii; ſed Eccleſiam errare
13 non poſſe. Quoniam etſi in fide Papa errare poſſit ut homo
privatus [quod tamen per Dei gratiam nec in Beato Mar-
cellino nec in alio quoquam Romano Pontifice hactenus
legitur contigiſſe, ut ſcripſi *in d. cap. Significaſti nu 68. &
ſeq. de election.*] tamen quia non puri hominis, ſed veri Dei
vicem gerit hìc in terris, ut dicit tex. *in c. Quantò, de tranſlat. Epiſcop.* idcircò errare non poteſt, quando diffinit ex
Cathedra tamquam Magiſter, & caput Eccleſiæ; quia licèt 14
Deus ei non dederit impeccabilitatem in agendo, *c. Non
nos*, & ibi gl. penult. 4. *diſtinct.* dedit tamen infallibilitatem
in diffiniendo, ut hìc, *& in d. c. Hæc eſt fides 24. q. 1.* & egre-
giè docet D. Thom. in 2. 2. *q. 1. art. 10. in corp.* dicens: *Ad* 15
*illius authoritatem pertinet editio Symboli, ad cujus authoritatem
pertinet finaliter determinare ea quæ ſunt fidei, ut ab
omnibus inconcuſſa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad authoritatem
Summi Pontificis, ad quem majores, & difficiliores
Eccleſiæ quæſtiones referuntur, ut dicitur in decreto diſt.
17. c. Multis; unde & Dominus Lucæ 22. Petro dixit, quem
Summum Pontificem conſtituit; Ergo pro te rogavi Petre, ut
non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma
fratres tuos. Et hujus ratio eſt, quia una fides debet totius Eccleſiæ,
ſecundum illud 1. ad Corinth. 1. Idipſum dicatis omnes,
& non ſint in vobis ſchiſmata: quod ſervari non poſſet, ni-
ſi quæſt. fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ec-* 16
*cleſiæ præeſt, & ſic ejus ſententia à tota Eccleſia firmiter teneatur;
& ideò ad ſolam authoritatem Summi Pontificis pertinet
nova editio Symboli, ſicut & omnia alia, quæ pertinent
ad totam Eccleſiam.* Hæc S. Thomas, quod pluribus Sanctorum
Patrum teſtimoniis confirmat Auguſt. Triumphus
de poteſt. Eccleſia, q. 10. art. 1. 2. & 3. q. 11. per totam. E
contra verò Eccleſia, ſi conſideretur, prout eſt unum cor- 17
pus, cujus caput eſt Papa, *ut in c. Quodcumque 24. quæſt. 1.*
tunc proculdubio in quæſtionibus fidei judicium Eccleſiæ
eſt infallibile, quia Papa eſt qui diffinit unà cum Eccleſia, ut
dixi *in c. 1. à n.38. uſque ad n.65. ſupra de pactis* & tunc po-
teſtas Papæ cum Eccleſia major eſt extenſivè, quam ſolius
Papæ, ut tetigi ſupra *num.10.* & hoc ſenſu verum eſt, quod
Abb. dicit hìc *in 2. notab.* Eccleſiam totam errare non poſ-
ſe quia Chriſtus oravit pro Petro, id eſt pro tota Eccl. in per-
ſona Petri, ſed pro Petro principaliter tamquam pro capite,
& probatur *in d. c. Pudenda 24. qu. 1.* Sin autem accipiatur 18
Eccleſia ſeorſim à Papa, utique tunc diffiniendi nullam ha-
bet poteſtatem, quia eſt corpus acephalum, *c. Submittitur
21. diſtinct* Imò non eſt corpus Eccleſię ſine capite, & om- 19
nis ex capite defluit in membra poteſtas, ut diſertis verbis
ait Pius II. in Conſtitutione, quę incipit, *In omnibus agentes*,
edita 6. Kalen. Maji 1463. in Bullar. *to. 1. pag.322.* Ad
hoc *c. Non deeſt. 12. diſt. c. Quamvis 21. diſt. c. Omnes 22.
diſt. & c. Fundamenta de elect. lib.6.* Nec refragatur, quod 20
Eccleſia caput ſit Chriſtus, ſecundùm Apoſt. *ad Coloſſ. 1. &
ad Epheſ. 1.* Quia non propterea Eccleſia dicitur corpus
monſtruoſum, quaſi habens duo capita; quandoquidem
Chriſtus, & Papa unum caput eſſe exiſtimantur ut Extra-
vag. *Unam Sanctam, & major. & obedien.* & multis com-
probat Card. Alban. *de poteſt. Papæ & Concilii, in 2. p. nu.
152.* Rurſus nil refert, quod Chriſtus dixerit Apoſtolis, &
Eccleſiæ: *Accipite Spiritum Sanctum, &c. Joann. 20. &
Matth. ultim. cap. Ita Dominus 19. diſtinct. §. 1. 24. q. 1. cap.
Innovi 21. diſtinct.* quoniam ibi erat etiam Petrus ut Papa,
& caput Eccleſiæ: & ita etiam intelligi debet, quod ait gl. 1.
in cap. A recta 24. q. 2. item gloſſ. *in cap. Ita Dominus, in
verb. Nec portæ 19. diſt.* & DD. alibi, videlicet Eccleſiam
non poſſe errare, quia à Spiritu Sancto gubernatur, qui eſt
Spiritus veritatis, ſicut promiſit Dominus Jo. 16. *Cùm venerit
Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*; & Ac- 21
tor. 15. inquiunt Apoſtoli, *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis.*
Hæ namque, & conſimiles authoritates intelliguntur
de Eccleſia cum ſuo Capite, & de Apoſtolis cum Petro A-
poſtolorum Principe, lege Turrecr. *in c. Sancta Romana n.
1. 15. diſt* Ideòq; cum B. Auguſtin. contra Epiſtolam Mani-
chęi *to.6. c.5.* dixerit: *Ego autem non crederem Evangelio,
ſi non crederem Eccleſiæ*; ex loco infert Auguſt. Triumph.
de poteſtat. Eccl. q.10. art. 1 verſ. In contrarium: Ex man-
dato ergo Papę, qui eſt caput Eccleſiæ, illa, quę ſunt fidei,
roborantur, & terminantur. Adde, quod ſi poteſtas diffi- 22
niendi in concernentibus fidem data fuiſſet Eccleſię; prout
eſt cœtus, & collectio omnium fidelium, profectò cùm non
ſit poſſibile, ut tota Chriſtianitas, niſi in ſuo capite, in unum
conveniat ad diffiniendum quæſtiones fidei, hujuſmodi po-
teſtas fuiſſet vana; & fruſtatoria tamquam non reducibilis
ad actum, ut patet *in 2. Phyſicor. c 2. tex.62* Quod impium
eſſet ſentire. Concilium verò non eſt Eccleſia univerſalis,
niſi repræſentativè: ſed Eccleſiæ univerſalis eſt collectio 23
omnium fidelium, ut Abb. inquit *in c. Significaſti n. 3. verſ.
Quia dico quod licèt Concilium Generale de election.*

Quod

24 Quòd ſi nihilominùs urgeas, infallibilitatem diffiniendi
fuiſſe datam Concilio, ut in *c. Sicut diſt.* adhuc oſtenditur
hoc eſſe falſum; nam aut Concilium eſt congregatum
ſine authoritate Papæ, & eſt acephalum, ut dicit text. in *d.
cap. Subnectitur 21. diſtinct.* nec ullam diffiniendi, vel ſtatuendi
habet poteſtatem, quin potiùs dicitur Conciliabu-
25 lum, *cap. Multi 17. diſt.* ſchiſmatica conventicula, &
ſynagoga Satanæ, ut legitur in Bulla indictionis Conc. Lateran.
ſub Julio II. in *princ. tom. 4. Concil. p. 2. pag. 14. col. 1.*
& in eodem Concilio ſub Leone X. *ſeſſ. 1. eod. tom. pag. 20.
col. 2.* & in Bulla Pii II. ſupra citata *nu. 19.* & latiſſimè comprobat
Cardin. Alban. *in tract. de poteſt. Papæ, & Concilii
26 p. 2. à num. 188. uſque ad num. 220.* Aut Concilium eſt congregatum
Papæ auctoritate: & tunc ſi Papa ibi præſideat,
res eſt extra omne dubium, ut conſtat ex dictis ſupra *nu.
17.* In hoc caſu intelligendi ſunt, qui dicunt generale Concilium
in ſpectantibus ad fidem, & mores, errare non poſ-
27 ſe, ut Mar. Mantica *de Concilio num. 157. in fin.* Aut Papa
eſt abſens: & tunc quamvis Concilium, utpotè legitimè
congregatum, poteſtatem habeat in ſpiritualibus pleno jure,
ut notant Innoc. Hoſtien. & alii *in c. Ex tranmiſſa, de
elect.* Caſtaldin. de Boncompagn. *de poteſt. Papæ n. 75.* inter
28 tract. communes *tom. 14. fol. 352.* tamen ejus judicium non
eſt infallibile, niſi poſt confirmationem Romani Pontificis,
ut infra *n. 32. & 36.* quia Chriſtus non pro Apoſtolorum
Concilio, ſed pro Petro rogavit, ut non deficeret fi-
29 des ejus, ut dictum eſt ſupra *n. 15. & 16.* Unde Concilium
errare poteſt, prout aliàs erravit, ut *c. De puellis, & cap.
Placuit*, juncto, *c. Dria 36. q. 2.* & notat Abb. *in c. Significaſti,
n. 3. de elect.* Card. Turrecrem. *in c. Anaſtaſius in fin.
19. diſt.* & Card. Alban. *de poteſt. Papæ, & Concilii in 2.
part. num. 107.*
30 Ideòque licèt univerſale Conc. Epheſinum II. extirpandæ
hæreſis gratia fuerit legitima authoritate inchoatum;
nihilominùs Leo Papa minimè probavit ipſius Concilii
diffinitiones: imò illas in ſequenti Concilio Chalcedonenſi
tamquàm hæreticas damnavit, ut refert idem Turrecrem.
in *Summa de Eccleſia lib. 2. c. 100.* Unde mos fuit
31 Romanorum Pontificum, cum confirmaturi eſſent decreta
Conciliorum Univerſalium, quibus perſonaliter non
interfuerant, congregare Synodum Prælatorum, qui
erant ſub Patriarchatu Romano, & ibidem prævia diligenti
examinatione illa confirmabant, ſicut legitur de
Beato Silveſtro, cùm decreta Concilii Nicæni approbaſſet,
ut notat Turrecrem ubi ſupra
32 Nec prædictis adverſatur, quòd cùm omnia Concilia
per Romani Pontificis authoritatem celebrentur, ut legitur
in *d. c. Significaſti circa fin. verſ. Cùm omnia Concilia de
elect.* illorum diffinitiones poſt impartitam eis authoritatem
cenſeri debeant Papales, & conſequenter infallibiles,
*c. Si Apoſtolicæ, c. Si eum, & c. Hi qui in fin. de præb. lib. 6.
c. Cùm aliquibus, de reſcript. eod. lib.* quia omnia noſtra facimus,
quibus authoritatem impartimur, *l. 1. §. Sed neque
C. de veter. jur. enuclean.* & qui per alium facit &c *cap. Qui
per alium, de reg. jur. lib. 6.*
Nam reſpondetur prædictas regulas procedere in his
tantùm, quæ ex ſui natura poſſunt alteri delegari, ſecundùm
ea quæ leguntur, & notantur *in l. 1. ff. de offic. ejus, &
33 in d. regul. Qui per alium.* At infallibilitas in determinationibus
fidei non eſt hujuſmodi, quia fuit divinitùs collata
ipſi Petro, & ex Petri perſona illius ſucceſſoribus, ut hìc
34 in text. & in concordan. ſupracitatis *nu. 14. & ſeqq.* Dona
autem Dei, & gratiæ gratis datæ, videlicet ſermo Sapientiæ,
ſermo Scientiæ, Fides (id eſt ſupereminens fidei
certitudo ad inſtruendum alios) gratia ſanitatum, operatio
virtutum, prophetia, diſcretio ſpirituum, genera linguarum,
& interpretatio ſermonum, non ſunt alteri communicabiles,
quia ſunt immediatè à Deo, ſecundùm Apoſtol.
1. ad Corinth. 12. & docet S. Thomas in *1. 2. qu. 111.
art. 4. in corp. ad 2. & ad 4.* Hujuſmodi enim habitus nonniſi
à Deo infunduntur, ſicut dicitur de omnibus virtutibus
gratuitis, ut idem docet ibidem *q. 51. art. 4. in corp.* Et propterea
Chriſtus non contulit Petro hanc gratiam certitudinis
infallibilis immediatè à ſe ipſo, ſed eam precibus impetravit;
non enim dixit, Non deficiet fides tua, ſed dixit,
Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua: per hoc apertè
inſinuans donum infallibilitatis non eſſe ab homine, ſed
35 à ſolo Deo. Conferunt, quæ dicunt Juriſtæ de mero imperio,
quod delegari non poteſt, ut *in dict. leg. 1. ff. de*

off. ejus, Angel. Aret. *conſil. 137. num. 13. verſ. Multò minùs
cum ſeqq.* & de actibus, in quibus electa eſt induſtria perſonæ,
qui per alium impleri nequeunt, *leg. Inter artifices,
ff. de ſolut.* Bald. *conſ. 166. Proponitur in fin. lib. 5.* nec alteri
poſſunt ſubdelegari, Roman. *conſil. 330. circa 1. nu. 4. verſ.
Tertio quia*, Alex. *conſil. 218. Viſis verbis num. 8. verſ. Nec
prædictis obſtat lib. 2*
Concluditur ergo; ſalva determinatione Eccleſiæ, Concilium 36
univerſale non habere hanc certitudinem infallibilem,
ita ut illius diffinitiones ſint habendæ pro articulis fidei,
niſi in tribus caſibus. Primus eſt, cùm Papa eſt præſens
in Concilio, ſecundùm ea, quę dicta ſunt ſupra *n. 26.* Secundus
eſt, cùm Papa committit Concilio, ut talem articulum
ſic, vel ſic definiat. Tertius eſt, cùm Papa previa examinatione
Canones Concilii Apoſtolica auctoritate confirmat
& ab omnibus Chriſti fidelibus ſuſcipiendos, ac ſervandos
eſſe decernit, ut moris eſt, & in ſpecie ſervavit Pius IV. in
confirmatione Conc. Trid. ut in ejus Bulla incipien. *Benedictus
Deus 7. Kal. Februarii 1563. in §. Cùm autem ipſa
ſancta Synodus*, & de Conciliis univerſalibus à Summo
Pontifice confirmatis, loquitur text. *in c. Sicut in fin. 15. diſt.*
In his enim tribus caſibus infallibilitas non eſt immediatè
à Concilio, ſed à Summo Pontifice præſente, vel committente,
aut confirmante, ad hoc *c. Si Apoſtolicæ, de præb. lib. 6*
& quod ſcripſi *in d. c. 1. n. 38. ſupra de pactis.*
Secundò nota *in §. Ad id autem*, in quibus conveniant,
& in quibus differant Circumciſio, & Baptiſmus, qui Circumciſioni 37
ſucceſſit.
Conveniunt enim primò, quia ſicut in veteri teſtamento 38
per Circumciſionem remittebatur originale peccatum,
quia vicem baptiſmi ſupplebat, ut hìc. *& in c. Quod autem
apud, & c. Ex quo, de conſecr. diſt. 4.* S. Thom. *in 3. par. q. 70.
art. 4. in corp.* ita in lege Evangelica originalis culpa dimittitur
per baptiſmum, ut in text. & in Concilio Trident.
*ſeſſ. 5. de peccato originali can. ult. Si quis per Jeſu Chriſti
Domini noſtri gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum
originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli
totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet,
ſed illud dicit tantum radi, aut non imputari*; *anathema ſit.*
Et hæc eſt ratio, cur Circumciſio olim non reiterabatur,
ſicut nec hodie baptiſmus, nempè quia cauſa ejus, id eſt originale
peccatum iterari non poterat, S. Thom. *in 4. ſentent.* 39
diſt. 1. q. 2. art. 4. q. 1. ad 2.
Conveniunt ſecundò, quia ſicut olim Circumciſio tam
adultis, quàm parvulis ex præcepto Domini conferebatur; 40
ſic hodie baptiſma tam adultis, quàm parvulis eſt conferendum,
ut hìc in littera, concordat Concilium Tridentinum
*ſeſſ. 25. in decreto de peccato originali can. 4. & ſeſſ. 7.
de Baptiſmo can. 12. 13. & 14.*
Conveniunt tertiò, quia ſicut ſine Circumciſione tunc
nullus ſalvari poterat lege Moſaica indiſtinctè clamante 41
Geneſ. 2. *Anima, cujus præputii caro circumciſa non fuerit,
peribit de populo ſuo*; ita nunc nemo poteſt ſine Baptiſmo
ſalvari, cùm indiſtinctè vox intonet Evangelica, Joan. 3.
*Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non
intrabit in Regnum Dei.*
Differunt autem primò, quia, ut hìc dicitur, Baptiſmus
eſt generalior Circumciſione; ſiquidem hodie ex neceſſitate 42
medii tam maſculi, quàm fœminæ baptizari debent, cùm
Chriſtus dixerit, *Niſi quis renatus fuerit, &c.* ab hac generalitate
nec ſexum, nec ętatem excludens, ut hìc in littera;
imò includens, quia dum dixit, *Niſi quis renatus fuerit, &c.* 43
per verb. illud, *Quis*, tam maſculos, quàm fęminas comprehendit,
ut hìc in gl. *in ver. Ætatem excludens*: & ex hoc, &
ex text. collige maſculinum concipere fœmininū non tantùm
in lege humana, ut *l. 2 ff. de verb. ſign. l. Si ita, ff. de leg. 2.
c. Si quis ſuadente 17. q. 4.* juncto *c. Mulieres, de ſent. excom.*
ſed etiam in lege divina, & ita eſt hìc text. apertus ſecundùm
Abb. *n. 3. verſ. Item nota hic textum.* At verò Circumciſio 44
in veteri Teſtamento ad fęminas non pertinebat, Geneſ
34. ſed offerebantur in Templum 14. die tantùm, ibique
nomen eis imponebatur, ut Levit. 12. gloſ. *hìc in verb. Fœminæ*,
& Hoſtien. *n. 9. circa fin. in verb. Quam fœminæ* Rationem
differentiæ aſſignat D. Th. in *3. par. 70. art. 2. ad 4.* 45
videlicet, quia Circumciſio inſtituta fuit ut ſignum fidei
Abrahæ, qui credidit ſe patrem futurum Chriſti ſibi repromiſſi;
& ideò convenienter ſolis maribus competebat.
Peccatum etiam originale, contra quod ſpecialiter
Circumciſio ordinabatur, à patre trahitur, non à ma-

46 tre. Sed baptiſmus continet virtutem Chriſti, qui eſt univerſalis cauſa ſalutis omnium,& remiſſionis omnium peccatorum.

47 Differunt ſecundò,quia multò plus confert hodie Baptiſmus Chriſtianis, quàm olim Circumciſio Judęis, ut hic *in §.Cautè tamen:* quia etſi originalis culpa remittebatur Judęis per Circumciſionis Myſterium,&damnationis periculum vitabatur: non tamen perveniebatur ad Regnum cœlorum; quod fuit omnibus obſervatum uſque ad mortem Chriſti:ſed per Sacramentum Baptiſmi deletur culpa,vitatur periculum, & ad Regnum cœlorum pervenitur, ut hic
48 in text.*& in cap.Per aquam de conſecrat.diſtinct.*4. Hæc tamen differentia accidentalis eſt, quia, ut inquit S.Th. *in 4.ſentent.diſt.*1.*qu.* 2. *art.* 4. *qu.* 2. *ad* 3. *Per circumciſionem auferebatur impedimentum,quod erat ex parte perſonæ,abla-*
49 *to peccato originali, prout erat infectio hujus perſonæ: adhuc tamen manebat impedimentum ex parte totius naturæ; nondum ſoluto pretio per paſſionem Chriſti; & ideò per accidens erat quòd januam regni cœleſtis non aperiebat, quia ſi etiam Baptiſmus eamdem, quantum in ſe eſt, gratiam conferens, quam modò confert,eo tempore fuiſſet, januam non aperuiſſet, & ſi modo Circumciſio locum haberet, januam aperiret.* Hęc ibi: & idem docuit *in* 3. *part. qu.*70.*art.*4.*ad* 4.

50 Differunt etiam ſecundum Hoſt. *hic nu.*9. *in verb. Cum generaliter*, quia Baptiſmus non modò eſt generalior, & efficacior,quàm Circumciſio,ut ſupra *in* 1. *&* 2. *differentia*: ſed etiam ſignificantior, ut *in cap. Debitum, ſupra de bigam.* Item decentior,ut per ſe patet. Item facilior, quia in baptiſmo non effunditur ſanguis, ſicut in Circumciſione, ubi tertio die graviſſimus vulnerum dolor eſt,*Geneſ.* 34. &
51 ſequitur Jo. Andr. *n.* 5. *in ver.Generalior*. His adde, quòd Circumciſio olim non imprimebat in anima ſpiritualem characterem,ut probat S.Thom. *in 4 ſentent. diſtinct.*1.*q.*2. *art.* 4. *qu.* 1. *ad ſecundum,& in* 3 *p. q.* 63.*art.* 1. *ad tertium.* Sed Baptiſmus imprimit characterem incorporantem hominem Chriſto,&copioſiorem gratiam confert,quam Circumciſio,ut per eumdem *in* 3.*part.qu.* 70. *art.* 4. *in corp. ad*
52 *finem.* Rurſus Circumciſio conferebat gratiam juſtificantem ex opere operante tantùm,id eſt,in quantum erat fidei ſignum de paſſione Chriſti futura; non autem ex opere operato, id eſt ex virtute Circumciſionis, ut idem docuit *in* 3.*par.q.*62.*art.*6.*ad* 3.*& q.* 70.*art.*4.*ad* 1.*& in* 4.*ſent.diſt.* 2.*q.*1.*art.*4.*q.* 4. *ad* 2. At Baptiſmus gratiam confert ex opere operato, id eſt ex ſua virtute, ut inſtrumentum Paſſionis Chriſti jam perfectæ, ut per eum *d. q.* 70. *art.*4. *in corp. ad fin.*

53 Tertiò nota *in §. Illud verò*, ſecundùm hæc tempora inter DD.Theologos duas extitiſſe opiniones in articulo,an in Baptiſmo parvulorum infundantur virtutes. Sed hodie approbata eſt ultima opinio hic relata tamquam probabilior ideſt infundi virtutes, & cardinales, & morales quoad habitum,licèt non quoad uſum,ut in Clem. *unica*, §. *fin. de Summa Trinit.* & per Butr. hic *n.* 10. Et ita inter opiniones diſcrepantes eligenda eſt probabilior,prout illum tex. cum aliis pluribus ad hoc ponderavi *in c.Ne innitaris, ſupra de Conſtit.*

54 Quartò nota *in §. Verùm*, duplex eſſe peccatum, originale ſcilicet, & actuale; originale ſine conſenſu contrahi-
55 tur,& ideò ſine conſenſu dimittitur,(c.parvulis;actuale ve-
56 rò conſenſu contrahitur,& ideò ſine conſenſu minimè relaxatur, ut in littera. Illud eſt peccatum naturæ: hoc verò peccatum perſonæ,ut per D Th. *in* 1. *part. qu.* 100. *art.* 1. *in corp. & in* 1. 2. *q.* 81. *art.* 1. *in corp.* & *q.*82.*art.* 1. *ad* 2.*& in* 3. *p. q.*8.*art.*5.*ad* 1.& ſæpè alibi.

57 Innocentius hic *n.*1. recitat Petrum Lombardum Magiſtrum ſententiarum in ea fuiſſe opinione ut peccatum originale ſit ipſa pronitas ad peccandum, quæ etiam dicitur concupiſcentia, & fomes. Sed hanc opinionem reprobat, quia pronitas hujuſmodi remanet etiam poſt Baptiſmum, & ſubdit propter hoc convenire omnes, ut peccatum originale non ſit fomes, nec pronitas peccati, ſed quædam macula animæ annexa fomiti, quæ quidem macula in Ba-
58 ptiſmo deletur: ſed quia illa macula annexa eſt fomiti, ideò aliquando fomes, ſive illa pronitas dicitur originale peccatum; quod latiùs proſequere, ut per eum, & adde B.Th. *in* 1. 2. *q* 82. *art.* 1. *in corp.* ubi quòd peccatum originale eſt quædam inordinata diſpoſitio proveniens ex diſſolutione illius harmoniæ, in qua conſiſtebat ratio originalis juſtitiæ: ſicut etiam ægritudo corporalis eſt quædam inordinata diſpoſitio corporis, ſecundùm quam ſolvitur æqualitas, in qua conſiſtit ratio ſanitatis: unde peccatum originale languor naturæ dicitur. Et vide Conc. Trid. *ſeſſ.*5. 59 *in Decreto de peccato originali.*

Quintò nota *in §. Sed adhuc*, adultis amentibus,& dormientibus, 60 qui non conſentiunt Baptiſmo, actuale peccatum non dimitti, nec etiam originale. Duas rationes in- 61 vincibiles habes in text. Prima ratio eſt, quia Deus opus imperfectionis non novit,& ob hoc peccata non ex parte, ſed ex toto dimittit, concordat *c. Regenerante de conſecr. diſt.*4.*& c. Sunt plures de pœnit.diſt.* 3. Non obſtat, quòd li- 62 gatus pluribus excommunicationibus poſſit abſolvi ab una,& non cenſeatur à reliquis abſolutus, *c.Cum pro cauſa de ſent.excom.c.Si quem,* §. *Prævaricator, verſ.Si crimina plura* 2.*q.*3.Quoniam,ut reſpondet Butr. *hic in* §. *Verum n.*8. excommunicatio eſt actus humanus, qui ut plurimum ſine perfectione eſt: ſed abſolutio à peccato eſt actus divinus, qui non debet eſſe abſque perfectione; meritò numquam poteſt quis liberari ab uno peccato, quin liberetur ab omnibus, ut hic in text. & notat Abb. *n.* 1.

Secunda ratio eſt, quia pœna originalis peccati eſt carentia 63 viſionis Dei; actualis verò eſt gehennæ perpetuæ cruciatus. Unde ſi dimitteretur alicui primum altero non dimiſſo,talis non careret viſione Dei propter originale dimiſſum, & cruciaretur in gehenna perpetuò propter reatum criminis actualis. Sed hæc ſibi mutuò adverſantur,ut hic in litera.

Sextò nota *in §. Item quæritur*, amentes, vel dormientes, 64 ſi ante dementiam, vel dormitionem propoſitum habuerunt Baptiſmum ſuſcipiendi, characterem ſuſcipere: ſecùs ſi priùs hujuſmodi propoſitum non habuerunt,prout hic eſt expreſſa diffinitio Apoſtolica, & docet S. Thom. *in* 3. *p. q.* 68. *art.*12.*in corp verſ. Alii vero*, dicens tales eſſe judicandos ſecundùm voluntatem,quam habuerunt dum ſanæ mentis exiſterent: & ideò ſi tunc apparuit in eis voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum, debere illis exhiberi in furia, & amentia conſtitutis, etiamſi tunc actu contradicant;quinimò etianſi oporteat eos ligari, vel etiamſi in uriam inferant Sacramento, ut per Silveſtrum *in ver. Baptiſmus*, 4. *qu.* 2. *num.* 3.

Hoc tamen declara, ut procedat in amentibus, qui ex 65 ſana mente, quam habuerunt priùs, in amentiam inciderunt; ſecùs verò in iis,qui a nativitate ſunt tales, nec habent aliqua dilucida intervalla, nec in eis apparet aliquis uſus rationis: de talibus enim idem eſt judicium, quod de parvulis,quia nullo peccato gravantur, niſi originali, *c.Indicas*,2.*q.*9.& hic notat gloſſ. *in ver. Perdurare*, Hoſt. *n.*41. & Butr. *num.* 10. ideòque baptizantur ex intentione Eccleſiæ, ſicut ex actu Eccleſiæ credunt, & pœnitent. Si 66 verò habeant dilucida intervalla, in quibus rectâ ratione uti poſſunt; ſi tunc baptizari voluerint,baptizari poterunt etiam in amentia conſtituti. Verumtamen tunc debet eis 67 Sacramentum conferri, ſi periculum timetur: nam, ut hic dicitur circa finem, tales in neceſſitatis articulo conſuevit Eccleſia baptizare: alioquin melius eſt,ut tempus expectetur, in quo ſint ſanæ mentis, ad hoc, ut devotiùs ſuſcipiant Sacramentum. Ita S. Th. *in* 3. *p. q.* 68. *art.*12.*in corp.* Silv. *in verb. Baptiſmus* 4.*n.*3.Greg. de Valen. *tom.*4.*diſp.*4. *q.* 3. *punct.* 2. *circa finem*, *verſ. Ad quartum*, & quoad habentes dilucida intervalla,adde,quod ſcripſi ex ſententia S. Congreg. Conc. *in c. Tuæ literæ num.* 80. *infr. de Cler. per ſalt. promot.*

Et ex his collige,in adultis,qui ſunt ſanę mentis,ex parte 68 baptizati intentionem requiri ex neceſſitate Sacramenti, quod eſt contra gl. *in c. Solet, in verſ. Implorandum, de conſec. diſt.* 4. quæ incautè dixit, baptizatum recipere Sacramentum,qualemcumque habeat intentionem,dummodò miniſter intendat baptizare;& ſic requirit intentionem ex parte miniſtri tantùm, non autem ex parte baptizati: quod etiam ſenſit gl. *hic verb. Perdurare*. Sed has gl. dicit erroneas Sot. *in* 4. *ſent. diſt.*5 *q.unica art.* 7. Et, ut prædixi, eſt hic aperta diffinitio in oppoſitum, ut patet ibi, *Dormientes autem, & amentes, ſi priuſquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione perſiſterent, quia in eis intelligitur contradictionis propoſitum perdurare, etſi fuerint ſic immerſi, characterem non ſuſcipiunt Sacramenti. Secus autem, ſi priùs Catechumeni extitiſſent, & habuiſſent propoſitum baptizandi.* Ex quibus verbis cõſtat evidẽter bapti- 69 zati conſenſum,ſeu propoſitũ neceſſariò prærequiri ad hoc

ut

ut character Sacramentalis imprimatur: alioquin fruſtra tex. appoſuiſſet conditionem illam, *Siprius*, &c. Atque ita docent expreſsè Alex. de Ales *in* 4.*p.q.*18. *memb.*1. Scot. *in* 4.*ſent. diſt.*4. q.2. S. Bonaventura *ead. diſt.*4. *art.*2. *qu.*1. Durand. *ibid.q.*7. Richard. *diſt.*6. *art.*3. q.3. Petr. de Palude *eadem diſtinct. qu.*2. Sotus *diſtinct.*5. *qu. unic. art.*7. Silveſtr. *in verb. Baptiſm.* 4. q. 14. & eſt ſententia S. Thomæ, licèt ejus verba ſatis clara Cajetan. in alium ſenſum detorqueat, *in* 3. *part. quæſt.*68. *art.*7. *in corp. & in reſp. ad ſecundum*, ubi ſic ait: [Quod ſi in adulto deeſt intentio ſuſcipiendi Sacramentum, eſſet rebaptizandus: ſi tamen hoc non coſtaret, eſſet dicendum: Si non es baptizatus, ego te baptizo.]

70 Cæterum adverte, quia in adultis non requiritur intentio actualis, ut evidenter hìc probatur; nam dormientes, & amentes, qui priùs habuerunt propoſitum ſuſcipiendi baptiſmum, characterem ſuſcipiunt Sacramenti, ut in litera; & tamen actualem intentionem non habent. Licèt qui baptizatur, ſtudioſè curare debeat, ut etiam actualem intentionem adhibeat. Sed hoc non eſt totaliter poſitum in hominis poteſtate, quia præter intentionem, cùm homo vult multùm intendere, incipit alia cogitare, ſecundum illud Pſalm. 139. *Cor meum dereliquit me.* S. Th. *in* 3. *p.q.*64. *art.*8. *ad* 3. *in fin.* Sufficit ergo in baptizato intentio virtua-
71 lis. Quo fit, ut ſi amentes, vel dormientes, ante dementiam, vel dormitionem baptizari voluerint, nec poſteà contradixerint, characterem recipiant: quia conſenſus, quem ſemel habuerunt, adhoc durat virtute, cùm voluntas ſemel poſita ſemper durare præſumatur, niſi probetur mutata, *cap. Perlatum, ſupra de his quæ vi met. cauſ.* & hìc notat gl. *in verb. Perdurare* Hoſt. *n.*40. *in eod. verb.* Butr. *n.*9. & alii communiter, & fusè explicat Cajet. *in* 3. *p.* D.Th.
72 *q.*68. *art.*12. *concl.*2. Sed è converſò, ſi numquam conſenſerunt, ſed poſteà contradixerunt, non recipiunt Sacramentum, quia intelligitur in eis contradictionis propoſitum perdurare, ut hìc *& in c. A nobis, il* 2. *infr. de ſent. excom.* & ſic deeſt in eis intentio virtualis, utpotè evacuata per ſupervenientem diſſenſum, ideòque characterem non ſuſcipiunt Chriſtianitatis impreſſum, ut hìc in litera, & docet D.Th. *in* 3.*p.d.q.*68 quę etiam eſt communis aliorum ſententia, ut refert Greg. de Valentia *tom.*4. *diſput.* 4. *q.*3. *punct.*2. *ver. Ad quartum*, quam etiam hìc tenent communiter Canoniſtæ.

73 Non obſtat, quod dicitur de fictis, qui quamvis non ore, corde tamen diſſentiunt, & Baptiſmi recipiunt Sacramentum, ut hìc patet, *in cap. Sicut ficti*, 1. *qu.* 1. *& in c. Solet, de conſecr. diſt.*4. quoniam ficti non dicuntur, qui volun-
74 tatem non habens ſuſcipiendi baptiſmum; non enim text. dixit fictos, qui corde diſſentiunt Baptiſmo, ſed ſimpliciter qui corde diſſentiunt. Unde dicuntur ficti, qui apparenter oſtendunt ſe rectam fidem Chriſti habere, & Sacramentum venerari, & velle ſe Chriſto conformare, & velle à peccato recedere, & tamen corde diſſentiunt. Unde cuicumq; peccato mortali vult homo inhęrere ſi ad baptiſmum accederet, fictus eſſet; ita S. Th. *in* 3.*p. q.*69. *art.*9 *ad*
75 3. Pręterea ut ibi dicitur in corp. quatuor modis, ſecundùm Auguſt. dicitur aliquis fictus. Uno modo ille, qui non credit, cùm tamen Baptiſmus ſit fidei Sacramentum. Alio modo per hoc, quòd contemnit ipſum Sacramentum. Tertio modo per hoc, quòd aliter celebrat Sacramentum non ſervans ritum Eccleſiæ. Quarto modo per hoc, quòd indevo-
76 tè accedit. Et hi ſuſcipiunt quidem Sacramentum, cùm intendant illud ſuſcipere, ſed non effectum Sacramenti, cùm
77 charitatem non habeant. Ideòque recedente illa fictione per cordis contritionem, baptiſmus ſine alia iteratione incipit prodeſſe in remiſſionem peccatorum, ut eſt tex. *in c. Tunc valere, de conſecr. diſt.*4. & hìc notat præcit. gloſ. *in verb. Perdurare in fin.* & de his loquitur hæc decretalis, & jura prærallegata; non autem de fictis, quibus deeſt intentio ſuſcipiendi baptiſmum.

78 Rurſus non obſtat, quòd tunc characterem Sacramentalis imprimat operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obſiſtentem, ut hìc concluditur in fine. Quibus verbis innixus Card. Cajet. *in* 3.*p.q.* 68.*art.*7.*col.*5.*ver. His excurſis*, opinatus eſt in adultis minimè requiri per ſe voluntatem ſuſcipiendi baptiſmum ex neceſſitate Sacramenti, ſed tantùm per accidens in aliquo caſu, videlicet cum quis habuiſſet priùs voluntatem contrariam, quia tunc ad eam excludendam, & irritandam deberet conſentire in baptiſ-

mum; ſecus verò ſi numquam conſenſiſſet, nec diſſenſiſſet poſitivè, ſed habuiſſet ſe merè negativè, quia hoc caſu, ſi baptizaretur, characterem ſuſciperet, eò quòd in tali non eſſet reperire obicem voluntatis contrariæ, ſecundum eum.

79 Id inquam non obſtat, quoniam prædicta verba referri debent ad quæſtionem ibi paulò ante determinatam de amentibus, & dormientibus, qui characterem ſuſcipiunt, ſi priùs habuerunt propoſitum ſuſcipiendi baptiſmum, nec poſteà contradixerunt. Hi namque Sacramentum recipiunt per rationem in littera expreſſam, quia ſcilicet characterem Sacramentalis imprimit operatio, cùm non inveniat obicem voluntatis contrariæ obſiſtentem, nempè quia ſemel conſenſerunt, nec poſteà contradicendo obicem poſuerunt. At nullatenus referri debent ad eum, qui numquam conſenſit, quia in tali licèt non adſit obex contrarię voluntatis, quia numquam diſſenſit poſitivè; tamen deeſt intentio, & voluntas neceſſaria ad Sacramentum ſuſcipiendum. Unde Cajetani opinionem meritò refellunt Sot. *in* 4. *ſent. d. diſt.* 5. *q. unic. art.* 7. & Gregor. de Valentia *part.*4. *d. diſp.*4. *q.*3. *punct.*2. *verſ. Sic etiam & opinionem.*

80 Ultimò nota *in eodem* §. differentiam inter coactionem pręciſam, & conditionalem: Nam pręciſa coactio conſenſum prorſus evacuat, ita ut ſic coactus dicatur potiùs pati,
81 quàm agere, ut *c. Sacris ſupra de his, quæ vi met. cauſ.* Unde ſi baptizetur, vel ordinetur, nec rem nec characterem ſuſcipit Sacramenti, ut in text. veluti cùm aliquis reclamans immergitur violenter: ut per D.Thom. *in* 4. *ſent. diſt.*6.*q.*1. *art.*2. *q.*3. *in corp.* vel ſecundum Jo.And. *in d.c. Sacris n.*15. *verſ. Exemplum*, ſi Judęum vel Paganum Chriſtiani veſtibus exuant, ad fontem portent, & baptizent: vel ſi heretici per eumdem modum rebaptizent Chriſtianum: vel ſi detineatur Acolythus invitus coram Epiſcopo, per quem fit Subdiaconus, ut *c. Conſtat*, 1.*q.*1. Quia plus eſt expreſsè con-
82 tradicere, quàm minimè conſentire, Sicut nec ille notam alicujus reatus incurrit, qui contradicens penitùs, & reclamans thurificare idolis cogitur violenter, ut hìc dicitur in verſ. *Ille verò*: videlicet aperiendo manum ipſius imponendo grana thuris, & demum ipſam manum reſolvendo ſuper prunas, quę ſunt ante idolum, ut *c. Presbyteros* 50 *diſt.*
83 Coactus verò conditionaliter, id eſt qui terroribus, atq; ſuppliciis attrahitur, & ne detrimentum incurrat, Babtiſmi, vel Ordinis ſuſcipit Sacramentum, utique characterem recipit, quia talis coactio, ſeu vis compulſiva non evacuat prorſus, ſed attenuat conſenſum, ut dicitur in *d. c. Sacris ſup. de his, quæ vi met. cauſ.* Quod enim fit per metum, magis habet
84 rationem voluntarii, quàm involuntarii, ut declarat S.Th. *in* 1.2. *q.*6. *art.*6. *in corp. & in reſp. ad* 3. *& in* 4. *ſent. diſt.*29. *q.*1. *art.*1. & fuſius dixi in prędicta Decretali, *Sacris*, *à n.*17. *uſq. ad n.*25. Licèt talis rem non ſuſcipiat Sacramenti, ut per eumdem *in* 4. *diſt* 6. *q.* 1. *art.* 2. *q.*3. *in corp.* Quippe ſic
85 coactus dicitur conditionaliter volens, licèt abſolutè non velit, ut hìc in littera: quia coacta voluntas, voluntas eſt; voluit enim facere, quia voluit vivere, ut Auguſtin. ait *in cap. A marito*, 15. *q.*1. licèt non ſit voluntas abſoluta,
86 ſeu libera, ſecundùm Abb. *hic in* 2. *not.* ex hoc inferentem, ut in actu, in quo requiritur abſoluta voluntas, ut in matrimonio, ubi requiritur omnimoda libertas, *c. Cùm locum de ſponſal.* voluntas coacta non ſufficiat, *c. Significavit, de eo, qui duxit in matrim.* & tenet gloſſ. *penult. in c. Veniens de ſponſal.* & plleniùs *in cap. Abbas*, in gloſſ. *unic. ante medium, de his quæ vi met. cauſ.* quam dicit communiter receptam Cæſar. de Graſſ. *dec.* 20. *aliàs* 2. *n.* 5. *eod. tit.* ſubdens
87 idem eſſe in electione meticuloſa, *c. Ubi periculum*, §. *Cæterùm de elect. lib.* 6.
88 & in dote metu conſtituta, *l. Si mulier*, §. *Si dos ff. quod met. cauſ.*

89 Et idem dicendum in profeſſione, quia nullus tonderi debet, id eſt Monachus fieri, niſi ſpontanea voluntate, ut *c.*1. *ſupra de regul.* & dic ſpontanea, id eſt libera, & non coacta ut *in cap. Perlatum, ſup. quod met. cauſ.* Unde profeſſio emiſſa per metum eſt ipſo jure nulla, *c. Præſens Clericus* 23. *q.*3. & ſcripſi plenè *in d. c.*1. *à n.*22. poſt gloſs. ult. ibi Butr. *n.*2. & 10. Anchar. *num.*2. Abb. *n.*1. & Joan. de Anan. *n.* 5. Caſus autem, in quibus requiritur voluntas libera, enumerat gloſſ. *magna, in c. Inter cætera*, 22. *q.*4.

90 QUÆRO, an coactè promotus ad ordinem Subdiaconatus, ad continentiam teneatur.

In hac quæſtione, ut clara à dubiis ſegregętur, diſtinguendum eſt inter coactum abſolutè, ſeu pręciſè, & coactum conditionaliter, ſeu cauſativè, prout diſtinguitur *in hoc* §.

Item quæritur, & in c. Sacris ſup. de his quæ vi met. cauſ. & per D. Thom. *in 4. ſent. diſt. 29. quæſt.* 1. *art.* 1. & dixi ſupra *num.* 80.

91 Et quidem abſolutè coactum (videlicet in cujus manu violenter attracta Epiſcopus ponit Calicem vacuum cum patena vacua ſuperpoſita, & debitam verborum formam proferens, invitum, repugnantemque ordinat Subdiaconum, ut *c. Conſtat*, 1. *q.* 1.) planum eſt non teneri ad continentiam. quia talis nec characterem ſuſcipit Sacramenti, ut *c. Presbyteros*, 51. *diſt.* & eſt aperta determinatio Apoſtolica *in hoc §.* ubi hoc tenent omnes, *& in d. c. Sacris*, ut tetigi ſupra *in ult. notab.*

92 Conditionaliter autem coactus, id eſt qui metu inducitur ad ſacrum ordinem ſuſcipiendum, ſi quidem metus ſit vanus, ſeu levis, nullum eſt dubium, quin ad continentiam teneatur, quia etiam in actibus in quibus requiritur plena libertas, ut in matrimonio, *cap. Cùm locum de ſponſ.* & in voto, *c.* 1. *de regul.* & dixi ſupra *n.* 86. *& ſeqq.* talis metus

93 non attenditur, ut *c. Cùm dilectus* & ibi plenè notatur *de his, quæ vi met. cauſ.* Calder. *conſ.* 463. *aliàs unico in fin. qui*

94 *Cler. vel vov.* & dicitur vanus, quem conſtans vir timere non debet, *l. Metum & l. ſequ. ff. quod met. cauſ.* Bellam. *conſ.* 9. *n.* 12. Si verò ſit metus mortis, vel cruciatus corporis, vel aliàs cadens in conſtantem virum, juxta text. *in d. c. Cùm dilectus* juncta gloſſ. *in verb. Metum mortis*; tunc

95 iterùm ſubdiſtinguendum: nam aut ſic ordinatus uxorem priùs habebat, aut non habebat. In 1. caſu conveniunt DD. ut non teneatur continere quoad uſum illius matrimonii, licèt characterem ſuſceperit, ut hìc patet, & dixi ſupra in *ult. not.* tum quia eſſet contra naturalem rationem arctare eum ad continentiam ſervandam, qui in remedium concupiſcentiæ ſe matrimonio copulavit, & ſacrum ordinem ſuſcepit invitus, §. *Is ita* 32. *q.* 2. gl. in Extravag. Jo. XXII. *Antiquæ in verb. Efficax de voto*; tum quia talis ordinari non potuit in præjudicium uxoris, *c. Conjugatus infra de converſ. conjugat.* & in hoc conveniunt authores utriuſque

96 ſententiæ inferiùs citandi, 99. *& n.* 102 Quod locum habet, etiamſi matrimonium non ſit conſummatum, ut per Abb. *in hoc §. Item quæritur, n.* 7 *verſ. Si tamen iſte habuiſ-*

97 *ſet uxorem.* Rurſus locum habet, etiamſi uxor continentiam promittat, ut tenet Goffred. *in ſumm. de ætat. & qualit. n.* 11. *verſ. Circa hanc*, Hoſt. *in ſumm. eod. tit. num.* 5. *verſ. Sed numquid conditionaliter*, S. Anton. *in ſumm.* 3. *p. tit.* 14. *c.* 16. §. 18. *propè fin. verſ. De ſic coacto ad ordinem*, Silv. *in ver. Ordo*, 4. *ſub n.* 1. *verſ. Et ſecundò*, Tabien. *in verb. Ordo*, 2. *n.* 12. Piſanel. *cum ſupplemento in ver. Ordinatus*, 1. *verſ. Utrum coactè ordinatus*, Archid. *in c. De Judæis, in fin.* 45. *diſt.* & eſt communis opinio, quam etiam probavit Rota, ut dicam infra *n.* 103. licèt Card. in Clem. *Generale*, §. *fin. n.* 14. *verſ. Decimò quæro, de ætat. & qual.* teneat indiſtinctè ordinatum per vim cauſativam ad continentiam teneri.

98 In ſecundo autem caſu, id eſt cùm ordinatus per metum priùs non habebat uxorem, ardua eſt quæſtio, an teneatur voto continentiæ, necne.

Prima opinio eſt eorum, qui affirmant hunc teneri, & cogi poſſe ad continentiam ſervandam, hoc præcipuè fundamento, quia quemadmodum ſuſcipiens Baptiſmum per vim conditionalem compellitur ad obſervantiam fidei, & ipſius ſequelam, ut determinatur *in hoc §. & in c. De Judæis*, 45. *diſt.* ita & Ordinem ſuſcipiens debet compelli ad obſervantiam Ordinis, & ſequelam ipſius, & ſic ad continentiam, quæ ſacro Ordini eſt annexa, *c. Aliter* 31. *diſt. c. A*

96 *multis, ſupra de ætat. & qualit.* & hanc partem tenuerunt Goffred. Hoſt. Archid. & alii ſupracitati *n.* 97. Jo. And. hìc *in fin.* Henric. Boich. *num.* 5. qui benè declarat opinionem Joannis, & dum ultimo loco refert opinionem Goffredi, & Raymund. videtur eam ſequi, Butr. *in hoc §. Item quæritur n.* 7. dum ſimiliter recitat ultimo loco opinionem Goffredi, Card. *in eod. § verſ. Quæro ſi conditionaliter*: nam etſi videatur probare opinionem gloſſæ, tamen ut ipſe ait, opinio Goffredi eſt honeſtior, Abb. *in eod. §. n.* 7 ſubdens,

100 quòd DD. communiter videntur tenere contra opinionem Joannis, & quòd hìc eſt caſus, in quo metum paſſo non ſuccurritur per actionem, *quod metus cauſa*, quia contra impreſſionem characteris, cum ſit indelebilis, reſtitutio dari non debet, nec poteſt, maximè cùm iſte dici poſſit ad meliora invitatus, ut in ſimili notatur *in c. Cùm dilectus, in gloſ. in verb. Ad fatuitatem, de his, quæ vi metus cauſ.* Idem firmant Raymund. *in ſumm. de ætat. & qual.* Card. in d. Clem. *Generale, in fin. eod. tit.* Stephan. de Gaet. *in repet. c. Ad limina*, 30. *q.* 1. §. 3. *qu.* 19. *nu.* 96. Alberic. *in Dictionar. in verb. Ordo, verſ. Utrum coactè ordinatus*, & ex Theologis Petr. de Palude *in 4. ſent. diſt.* 38. *q.* 3. *art.* 4. *concluſ.* 6. *n.* 28. & Sot. *de juſt. & jure lib.* 7. *q* 2. *art.* 5. *in ſolut. ad ult. argum.*

Secunda opinio primæ oppoſita eſt Joannis gloſſatoris in 101
c. Ubi iſta, in verb. Honorem 74. *diſt.* qui tenuit ordinatum ad ſacros Ordines per metum, qui cadit in conſtantem virum, non teneri ad continentiam, ea ratione, quia integritas eſt res voti, non præcepti, *c. Integritas* 32. *qu.* 1. & continentia non debet eſſe niſi voluntaria, *c. Ante triennium* 31. *diſt. & c. Præſens* 20. *q.* 3. licèt ſubdat ſic coactum 102
ad continentiam teneri cauſativè, ſcilicet ſi velit uti privilegiis Clericalibus, quibus aliàs frui non poteſt: & opinionem Joannis probarunt *in d. c. Ubi*, Hugo, & Archidiac. *in fin.* Gemin. *ibid. in fin.* Cald. *conſ.* 1. *in fin. Qui Cleric. vel voven.* Vitalin. in Clem. *fin. n.* 30. *&* 31. *de ætat. & qual.* ubi ſentire videtur ſic coactum non teneri continentiam ſervare, licèt aſſignet rationem, qui coactè ordinatus non recipit characterem, quæ ratio eſt falſa, ut dictum eſt ſuprà *n.* 83. Imol. *in c. Joannes, nu.* 21. *de Cler. conjugat. & in c. Sacris num.* 7. *de his, quæ vi met. cauſ.* Aſten. *in ſumma Confeſſorum, tit. de ætat. & qualit. q.* 50. *&* 51. Turrecrem. *in ſumm.* 74. *diſtinct. art.* 2. *ad fin.* dum recitat ultimo loco Raymundum dicentem hanc opinionem eſſe potiorem, ac benigniorem, & ideò tenendam, Præp. *ibid. nu.* 2. Idem firmant hìc gloſ. *in verſ. Conditionaliter*, Hoſtien. *nu.* 38. *in eod. verſ.* Henric. Boich. *n.* 7. *in fin.* Cardin. *num.* 1. *quæſt.* 1. Roſell. *in verſ. Ordo* 3. *num.* 6. Angel. *Ordo* 3. *num. ul.* Navar. *in Manuali cap.* 22. *num.* 51. *ad fin. & n.* 52. *& lib.* 1. *conſ. in tit. de his, quæ vi met. cauſ. conſ.* 2. *n.* 1. *&* 3. *conſ.* 4. *num.* 4. *& ſeqq. & conſ.* 5 *nu.* 2. Gregor. Lopez. *in l.* 32. *in verb. Que le tomara, tit.* 6. *par.* 1. & ex Theolog. Riccard. *in 4. diſt.* 25. *art.* 4. *qu.* 2. *ad* 3. dum ait, continentiam non eſſe annexam Ordini ſacro, niſi quoad eos, qui voluntariè illum ſuſcipiunt, & apertiùs Major. *in 4. diſtin.* 24. *q.* 2 *in ſolut. ad* 5. Sotus *in 4. diſtinct.* 25. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 3. *verſ. Hinc autem emergit*, Henriquez *in ſumma lib.* 10. *de Sacram. Ordinis c.* 14. *num.* 3. *& lib.* 12. *de matrim. c.* 3. *nu.* 9. *in Commento litera Q* & plerique alii ex modernis, & hanc reſtatur eſſe communem opinionem Petr. Ravennas, licèt ipſe contrarium ſentiat, *in compend. Jur. Canon. in tit. de Baptiſm.*

Hic caſus aliàs contingit in Rota in cauſa Valentina nul- 103
litatis ſuſceptionis Ordinis Subdiaconat. cor. Cæſ. de Graſs. & propoſito dubio, an promotus ad ordinem Subdiaconatus per vim, & metum, qui cadere poterat in conſtantem virum, teneatur ad illius, & continentiæ obſervationem, ita ut uxorem ducere non poſſit, alio ſibi impedimento non obſtante: poſt prolixam examinationem ſub die 15. Januar 1575. Domini tenuerunt ordinatum ad ſubdiaconatum per vim conditionalem non teneri ad continentiam, ſi quis habebat uxorem: ſed ſi non habebat, teneri juxta diſtinctionem Goffr. & ſequacium, de qua ſupra *n.* 97. Et quia Subdiaconus, de quo tunc agebatur, non erat uxoratus, 104
dixerunt tutius fore, ut peteret diſpenſationem à Papa ad matrimonium contrahendum, & metum hujuſmodi juſtam cauſam præbere illam concedendi, ex Navar. *in Manual fol.* 330. ut ſic viam tutiorem eligeret, ut latiùs apud eumdem Cæſar. de Graſſ. *dec.* 19. *aliàs* 1. *in tit. de his quæ vi met. cauſ.*

Verùm poſteà ſub die 22. Martii ejuſdem anni cauſa iterùm propoſita, & articulo diligentiùs diſcuſſo Rota reſolvit promotum ad Subdiaconatum per vim conditionalem non teneri continentiam ſervare, licèt uxorem non habebat, juxta ſecundam opinionem Jo. & ſequacium. Moti fuerunt 105
Domini tum ex ratione illa irrefragabili, quòd omnis actus requirens voluntatem non ſimplicem, ſed liberam, ac ſpontaneam, qualis eſt continentia, quæ requirit libertatem à coactione, *d. c. Integritas* 23. *q.* 1. ſi fiat coactè, ſive per voluntatem coactam, non valet, *c. Notificaſti*, cum gloſſ. *communi in verb. Licentiam* 33. *q.* 5. Abb. *in c. Cùm locum, ſub num.* 6. *de ſponſal.* tum arguendo à voto expreſſo ad ta- 106
citum annexum ordini; nam puer ordinatus in Subdiaconum ante uſum rationis non tenetur continere, quia ſicut non poteſt ſe obligare ad votum expreſsè, ita nec tacitè, ſecundùm Innocent. *in c. Vel non eſt compos, ſub numer.* 1.
de

107 *de tempor.ordin.* & alios in deciſ.allegat.ergo ſimiliter ſicut
metus annullat votum expreſſum, *cap.1. de voto, cap. Perla-
tum, & cap. Cùm dilectus, de his quæ vi met. cauſ.* ita & taci-
tum, ſeu annexum ordini; tum arguendo ab abſurdo, quia
ſi quis in ordine expreſsè voveret caſtitatem, quod ſolet ab
Epiſcopis exigi in ordinando, per *c. Quamquam*, & ibi latè
Turrecrem. *nu.2. diſt.* 23. metus vitiaret votum expreſſum
per ſupradicta, & tamen non vitiaret tacitum, in quo vi-
detur ineſſe minoratio obligationis, vel ſaltem par, & ęqua-
lis, non major, ad regulam *Expreſſa nocent*: tum denique,
108 quia ita ſe habet ſtylus, & obſervantia tum Cancellariæ, tum
Pœnitentiariæ, ut atteſtantur authores citati *in d.n.9. & 27.*
cùm enim in hoc articulo authores ſint tam varii, & nihil
certi in jure ſit cautum, meritò attendi debet ſtylus, & ob-
ſervantia ſubſequuta, ad *l. Si de interpretatione, ff. de legibus.*
109 Nec procedit ſimilitudo inter coactè baptizatum, & coa-
ctè ordinatum: nam baptizatus per metum, idcircò tene-
tur vivere ut Chriſtianus, & fidem Catholicam profiteri,
ut *in d. cap. de Judæis*, 45. *diſt* quia Sacramento Baptiſma-
110 tis eſt eſſentialiter, & naturaliter anneza obligatio profi-
tendi fidem. At verò obligatio continendi non eſt annexa
ordini Subdiaconatus eſſentialiter, ſeu naturaliter, ſed
111 tantùm accidentaliter ex ſtatuto Eccleſiæ. Fuit enim tem-
pus, quando Subdiacono licebat contrahere matrimonium,
cap. Placuit, 32. *diſt. cap. Ante triennium*, 31. *diſt.* & argùm.
cap. A multis, de ætat. & qualit. Unde cùm Subdiaconatus,
& obligatio continentiæ non ſint jure naturæ, vel divino
inſeparabiliter annexa, ſed jure tantùm humano conjun-
cta: meritò per metum, qui humana reſcindit, & non
divina, licèt non impediatur eſſentia Sacramenti Ordinis,
& impreſſio characteris, quæ eſt divina, impeditur tamen
112 conjunctio continentiæ, quæ eſt humana. Cujus rei in-
conſideratio fuit in cauſa, ut Goffred. Abb. & ſequaces
contrariam partem errandi tenuerint, non advertentes ex
antecedente ordinis illud quidem ſequi, ut ordinatus in
Subdiaconum per vim conditionalem teneatur ſecundum
naturam, & eſſentiam Subdiaconatus vivere, ſed non ſe-
cundum illius accidentia, quæ per metum vitiantur, ut
ex dictis conſtat: & ex hoc etiam patet ſolutio ad objecta,
quòd Subdiaconus per metum promotus ſit verus Subdia-
conus, & quòd de annexis idem ſit judicium, ut benè ibi per
Rotam *nu. 24. & 25.*
113 Prædictis tamen videtur obſtare decretum Concilii To-
let. VIII. *cap.7. de his, qui poſt aſſumpta Eccleſiaſticorum di-
gnitatum officia, ad conjugia redeunt, tom.2. Concil. part.2.
pag.491. col.1.* cujus hæc ſunt verba: *Quoſdam enim aut
eventu neceſſitatum, aut metu periculorum adeptos fuiſſe no-
vimus Eccleſiaſticarum officia dignitatum: & quoniam cùm
illis hæc imponerentur, id ſibi fieri noluiſſe teſtati ſunt, id-
circò hæc ſpernunt, atque ad priſtina pertentant conjugia, mo-
reſque redire, tam nequiter cœleſtia jura ſolventes, quàm
prompti ſæculi extant illecebris inhiantes; & infra ad fi-
nem: Quòd ſi quis poſt hoc perennis diſpoſitionis edictum non
ſinceriter ſacris inhæſerit cultibus, & abjiciens à ſe gratiam,
quam accepit, relabatur ad conjugium, & c. mox omni eccle-
ſiaſtici ordinis dignitate privetur, & ut Apoſtata à S. Eccle-
ſiæ liminibus, & ſocietate fidelium habeatur prorſus exclu-
ſus, Monaſterii clauſtris, donec adiverit, ſub pœnitentia
retrudendus.* Hæc ibi, unde patet ordinatum per metum,
etiamſi uxorem habeat, prohiberi ad conjugia redire.
At reſpondetur primò, hoc decretum poſſe intelligi de 114
his, qui liberè poſteà ratificaverunt ſuſceptum ordinem:
nam metus, & violentia purgantur per liberum conſenſum
ſupervenientem, ut per Hoſtien. *hìc nu.38 in verb. Condi-
tionaliter*, Joan. Andr. *in fin.* Henric. Boich. *nu.7. in fin.* &
Butr. *nu* 8. Quod colligitur tum ex illis verbis: *Et cùm hæc
ſibi imponerentur, ſe noluiſſe teſtati ſunt*; quaſi dicat, no-
luerunt, quidem ab initio, ſed poſtea conſenſerunt: nec-
non ex verbis ſequentibus: *Et abjiciens à ſe gratiam, quam
accepit*; nam qui metu ordinantur, Sacramentum quidem 115
ſuſcipiunt, non gratiam, ſeu rem Sacramenti, ut patet
ex dictis ſupra *n.84.* Tum quia gravitas pęnæ quam impo-
nit Concilium, non congruit coactè ordinatis, nec po-
tuiſſet Concilium prohibere ſic ordinato, ne rediret ad
priſtinum conjugium in præjudicium uxoris non conſen-
tientis, ut dictum eſt ſupra *n.95.*
Deindè poſſet reſponderi Concilium loqui de metu pro- 116
veniente ab intrinſeco, & cauſis naturalibus, veluti ſi quis
neceſſitate victus, vel aliquo impulſus periculo, puta mor-
tis ex infirmitate imminentis, Ordinem ſacrum ſuſceperit,
ut innuunt verba illa, (Aut eventu neceſſitatum, aut me-
tu periculorum,) talis enim proculdubio tenetur continen-
tiam ſervare, ut *c. Sicut, il ſecondo, de regular.* & probavi
in c. Si quis à n.81. eod. tit.
Nec refragantur huic intellectui ſequentia verba, *No- 117
luiſſe teſtati ſunt*, quoniam intelligi debent de voluntate
conditionali proveniente ex illo metu, non autem de vo-
luntate abſoluta. Abſurdum enim fuiſſet tales ad contien-
tiam compellere; quia ut legitur in fine hujus capituli, qui
numquam conſentit, ſed penitùs contradicit, nec rem,
nec characterem ſuſcipit Sacramenti.
Alium intellectum ad Concilium Toletanum poſuit Th. 118
Sanchez *de matrim. lib..... diſp.29. in fin.* nempè Concilium
ſequutum fuiſſe primam opinionem valdè probabilem. Sed
hoc ſtare non poteſt. Tum quia in conjugato, de quo Con-
cilium loquitur, opinio obligans ad continentiam non eſt
probabilis; cùm oppoſitum teneant authores utriuſque
ſententiæ. Tum quia ſi Concilium elegiſſet opinionem
valdè probabilem, tunc jam non eſſet opinio, ſed lex ne-
ceſſariò tenenda, ut eſt text. *in Clem. unica*, §. *fin.* & ibi no-
tat gloſſ. *ult.* communiter approbata, *de Summa Trinita-
te, & fide Catholica.*

DE PRESBYTERO NON BAPTIZATO.

Innocentius III. Ferrarien. Epiſcopo.

C A P U T III.

VEniens ad Apoſtolicam Sedem J. lator præſentium, nobis expoſuit, quòd cùm ad gradum Sacerdotii aſcendiſſet, comperit tandem, quòd non fuerit ſecundum formam Evangelii baptizatus, unde nos eum ritè fecimus baptizari. Cùmque ſuper ordinibus fuiſſet diutiùs diſputatum, quidam in eam declinaverunt ſententiam, ut cùm baptiſmus ſit fundamentum omnium Sacramentorum, ante ſuſceptionem baptiſmi non ſuſcipiatur aliud Sacramentum; quoniam ubi fundamentum non eſt, ſuprædificari non poteſt. Porrò è contrà videri poſſet: nam cùm quis non ſolùm per Sacramentum fidei, ſed per fidem etiam Sacramenti; efficiatur proculdubio membrum Chriſti: & qui Chriſtum habet per fidem, etiam ſi baptiſmum non habeat, habet utique fundamentum, præter quod aliud poni non poteſt, quod eſt Chriſtus Jeſus: ſuperædificare poſſe videtur, ſicut ſalutifera opera, ſic & quælibet Eccleſiaſtica Sacramenta: cùm illud non ſit generaliter verum, neque de novis, neque de veteribus Sacramentis, quòd baptiſmus ſit fundamentum illorum: quoniam & Sacramentum conjugii, & Euchariſtiæ, à non baptizatis recipi poteſt. Præterà Sacramentum ordinis non ſolùm Pontificalis, ſed Sacerdotalis etiam & Levitici ex inſtitutione ſua præceſſit baptiſmum: per quod forſitan videtur, quòd ante baptiſmum hujuſmo-

di

di ordines poſſent ritè conferri, maximè his qui baptizati eſſe creduntur. Quia verò in Concilio apud Compendium legitur conſtitutum, quòd ſi quis in Presbyterum ordinatus, deprehenderit ſe non eſſe baptizatum, baptizetur, & iterùm ordinetur: Nos circa latorem præſentium, hoc dubitabili caſu, quod tutius eſt ſequentes; mandamus, quatenùs ipſum per ſingulos ordines, uſque ad Sacerdotium promovere procures, & permittas eum in Sacerdotio miniſtrare: quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur eſſe factum; nec malè de Sacramento ſentitur, cùm illud non Religionis contemptus, ſed articulus neceſſitatis excludit. Et certè de illo, qui natus de Chriſtianis parentibus], & inter Chriſtianos eſt fideliter converſatus, tam violenter præſumitur, quòd fuerit baptizatus, ut hæc præſumptio pro certitudine ſit habenda, donec evidentiſſimis forſitan argumentis contrarium probaretur.

V*Eniens*. Summa hujus Decretalis habetur *in cap. 1. ſup. eod.* Vel ſummari poteſt ſic: Non baptizatus ordinari non poteſt, & ſi de facto ordinetur, non recipit Ordinis characterem, licèt credatur baptizatus. Hoc dicit Abb. Siculus. Primò ponit de Baptiſmo tradito ei, qui non fuerat ritè baptizatus: ſecunda, ibi, *Cùmque circa ordinem*, allegat pro, & contra: tertia, ibi, *Quia verò*, diffinit.

Pro intelligentia hujus textus vide quod ſcripſi *in cap. Ne innitaris n. 245. de conſtitut.*

DE RELIQUIIS, ET VENERATIONE SANCTORUM.

Alexander III.

CAPUT I.

AUdivimus, quòd quidam inter vos diabolica fraude decepti, hominem quemdam in potatione & ebrietate occiſum, quaſi ſanctum (more infidelium) venerantur: cùm vix pro talibus in ebrietatibus peremptis, Eccleſia permittat orare; dicit enim Apoſtolus: Ebrioſi regnum Dei non poſſidebunt. Illum ergo non præſumatis de cætero colere, cùm etiam ſi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipſum pro ſancto, abſque auctoritate Romanæ Eccleſiæ, venerari.

SUMMARIUM.

1 *PRo ſancto aliquem venerari non licet ſine licentia Papæ, etiamſi in vita feciſſet miracula, & numer. 20.*
Declaratur, num. 18.
2 *Canonizare quid ſit.*
3 *Canonizari ut quis poſſit, quæ ſint inquirenda, & probanda.*
4 *Miracula ſola ad aliquem canonizandum non ſufficiunt, & nu. ſeqq. uſque ad nu. 14.*
5 *Miracula quandoque fiunt etiam per malos, & peccatores, n. 7. & 10.*
6 *Magi Pharaonis an & quæ miracula operati fuerint.*
7 *Antichriſtus numquid faciet aliqua vera miracula?*
8 *Miraculum poteſt eſſe mendax tripliciter.*
9 *Fides præ cæteris virtutibus in miraculis operatur.*
10 *Fidem maximam quis poteſt habere ſine charitate, itaut illius virtute faciat miracula.*
11 *Fides ſine charitate pro canonizandis adultis non ſufficit.*
12 *Charitas ſola dividit inter filios Regni, & inter filios perditionis æternæ.*
13 *Ad canonizationem an ſufficiat excellentia vitæ ſine miraculis.*
14 *Pueri baptizati, & ſtatim mortui non ſunt canonizandi, & eſt ſpeciale in Innocentibus, ut pro Sanctis colantur.*
15 *Ad canonizationem Sanctorum qua maturitate, & conſilio, quove ordine ſit procedendum.*
16 *In Martyribus canonizandis non requiritur examinatio, ſicut in Confeſſoribus.*
Canonizandi modus qui nunc ſervatur, in primitiva Eccleſia non ſervabatur, & cur, ibid.
17 *Canonizationis quis ſit effectus.*
18 *Preces porrigere alicui defuncto, quem quis credebat virum probum, eumque ſecretè venerari, non eſt prohibitum.*
19 *Reverentia duplex.*
20 *Canonizatio eſt unum ex ſpecialibus Papæ reſervatis, & nu. ſeqq. uſque ad n. 28.*
21 *Nec fieri poteſt ab Epiſcopo in ſua diœceſi, & cur, & numer. ſeqq.*
22 *Canonizatus conſtituitur omnibus communiter adorandus.*
23 *Feſta Sanctorum non omnia, ubique ſunt veneranda.*
24 *Sancti plures coluntur in una tantum Eccleſia, vel Provincia.*
25 *Carolus Magnus ex tolerantia Romanæ Eccleſiæ colitur ut Sanctus in ſola ſua Capella Acquiſgrani.*
26 *Calix. & Chriſma ab Epiſcopo conſecrata, quocumque portentur, ſunt ab omnibus veneranda.*
27 *Canonizatio Sanctorum eſt una ex majoribus cauſis, quæ inter Chriſtianos proponi poſſit.*
28 *In Canonizatione alicujus Sancti ſi Eccleſia erraret, quod non eſt credendum, Deus tamen acceptaret preces in illius honorem porrectas.*
29 *In fide Chriſti omnia purgantur.*
30 *Eccleſia vix orat pro occiſo in ebreiate.*
31 *Vix quod ſit, tamen ſit.*
32 *Ebrietas quot modis accipiatur, & quando ſit peccatum, & n. 39. & 63.*
33 *Inebriare aliquem an liceat ad detegendum aliquod ſecretum concernens publicam ſalutem, ut proditionis patriæ, vel conjurationis in Principem, & nu. ſeqq. uſque in finem.*
34 *Ebrietatis peculiare vitium eſt, ſecretum nullum cuſtodire, num. ſeqq. & n. 45.*
35 *Ebrietas quæ mala producat, & n. 55. & 64.*
36 *In vino veritas, nu. 45.*
37 *Ebrietas voluntaria non eſt intrinſecè mala.*
Contrarium, n. 63.
38 *Ebrietas formalis, vel materialis quando dicatur, n. 65.*
39 *Ebrietas incœpit à Noe, qui primus plantavit vineam.*
40 *Voluntas ſpecificatur ab objecto.*
41 *Ebrietas licita eſt ad evitandam ſævitiam Tyranni.*
Contrarium, n. 67.
42 *Judex ob publicam ſalutem poteſt recedere à jure communi.*
Contrarium, n. 69.
Declaratur, n. 49. & 70.
43 *Princeps poteſt manu regia cauſas cognoſcere, & terminare, omiſſo rigore judiciario.*

44 *Princeps præ aliis publicam ſalutem tueri debet.*
45 *Tortura adeo purgantur indicia, ut reus puram veritatem dixiſſe cenſeatur.*
47 *Tortura ſine novis indiciis repeti non debet.*
48 *Remedio extraordinario uti licet, quando per ordinarium non eſt ſufficienter conſultum.*
49 *Dummodò tamen extraordinarium non ſit à jure improbatum.*
50 *Remedium juris quando ſuppetit, non eſt recurrendum ad remedium facti.*
51 *Tortura inuſitato tormenti genere inferenda non eſt.*
52 *Torqueri nemo poteſt, niſi legitimis præcedentibus indiciis.*
53 *Etiam pro crimine læſæ majeſtatis, & proditionis patriæ.*
54 *Et de mandato Principis.*
55 *Ebrietatis tortura gravior eſt, quàm tortura conſueta.*
56 *Remedio quolibet utendum eſt ad eum tantùm finem, ad quem eſt introductum, n. 65. & 67.*
57 *Ebrii teſtimonium non valet, & num. ſeqq.*
58 *Teſtes de honeſtate examinari non debent, niſi jejuni.*
59 *Teſtis non juratus non probat.*
60 *Papa diſpenſare non poteſt, ut teſtis deponat ſine juramento, eique fid s adhibeatur.*
61 *Ad probandum quis non debet admitti, quod probatum non relevat.*
62 *Ebrii quandoque effutiunt falſa.*
63 *Ebrioſi Regnum Dei non poſſidebunt.*
64 *Ebrietas eſt mater omnium flagitiorum.*
65 *Ebrietas cur ſit licita ad valetudinem corporalem, non autem ad ſalutem Reipublicæ, vel ad evitandam ſævitiam Tyranni, & num. 67.*
66 *Moralia recipiunt ſpeciem non ab his, quæ per accidens eveniunt, ſed ab eo, quod eſt primò, & per ſe intentum.*
68 *Defenſio propriæ vitæ præponitur defenſioni patriæ, & parentum.*
71 *Princeps eſt ſolutus legibus humanis, ſed non lege naturali, & divina.*

1 A*Udivimus*. Sine Papæ licentia non licet aliquem ve-
nerari pro ſancto. Hoc dicit ſecundum Jo. Andr. &
omnes poſt eum. Primò, exceſſum narrat. Secundò, im-
probat, ibi, *Cùm vix*. Tertiò, prohibet, ibi, *Illum ergo*.
Quia hìc tractant Doctores materiam Canonizationis
Sanctorum, ad evidentiam præmittenda ſunt quatuor.
Primum, quid ſit Canonizatio. Secundum, quis ſit Canoni-
zandus. Tertius, quo ordine ad Cano izationem ſit pro-
cedendum. Quartus, quis ſit Canonizationis effectus.
Circa primum, Canonizare eſt aliquem Sanctum per
2 Papam catalogo aliorum Sanctorum adſcribere, & publi-
cè, ac ſolemniter, canonicè, ac regulariter declarare,
diffinire, ac ſtatuere, ut tamquam Sanctus ab omnibus ho-
noretur, & pro ipſo ſicut pro aliis Sanctis ejuſdem condi-
tionis certa die annuatim ſolemne officium celebretur. Ita
Hoſtien. *hìc n.* 3. qui ſic ſupplet deſcriptionem Innocent. *in
princp.* & ſequuntur Joann. Andr. *nu.* 2. Butr. *n.* 4. & Abbas
n. 5. Vel dic ſecundum Auguſtin. *Triumph. de poteſt. Eccl.
qu.* 14. *art.* 1. *in corpor.* & S. Antonin. *in* 3. *part. tit.* 22 *c.* 5. §.
5. Sanctum aliquem Canonizare non eſt aliud, quàm ſan-
ctitatem alicujus venerandam, & approbandam manife-
ſtare propter fidem Eccleſiæ ejus opera imitantis, & be-
neficia recipientis.
Circa ſecundum, Canonizari poteſt is tantùm, de cujus
3 fide, & excellentia vitæ, & miraculis per probationes con-
ſtat, *c. Venerabili*, *ſupra de teſtib.* & oportet tantam eſſe
vitæ excellentiam, ac talia eſſe miracula, ut excedant vi-
res, & potentiam naturæ. Nec ſufficit una tantùm excellen-
tia vitę, imò multę; & continuę requiruntur. Ita Innocen.
hìc num. 1. qui ſingula hæc requiſita egregiè probat, indu-
cens ad hoc authoritatem Eccleſiaſt. 44 *Laudemus viros
glorioſos, &c.* eique per omnia ſubſcribunt Hoſt. *ſub nu.* 5.
verſ. Hoc autem ſecundum Dominum noſtrum, & *nu.* 6. Jo.
Andr. *nu.* 4. Butr. *nu.* 7. *verſ. Et ulteriùs*, Cardin & Anch.
ambo *n.* 5. quibus adde Hoſtien. *in c. Venerabile n.* 2. *ſupra
de teſt.* ubi ait, ad Canonizandum Sanctos inquirendum
eſſe, an ei de quo canonizando agitur, anteacta vita teſti-
monium prębeat pro laboribus multis, moribus caſtis,
actibus ſtrenuis, *c. Miramur*, 61. *diſt.* oportet enim hoc prę-
ſenti teſtificatione prędicari, & bonę famę pręconiis non
taceri, *c. Quatuor*, 12. *q.* 2. In primis autem quęri debet de
ſimplicitate, & humilitate, quia *Deus ſuperbis reſiſtit, humi-
libus autem dat gratiam*, Jacob. *c.* 4. Item debet inquiri, an in
vita perſecutiones paſſus fuerit, *c. Omnis*, & *c. Ibi adunati*,
7. *q.* 1. & an paſſus fuerit ex charitate, *c. Vide*, 1. *q.* 1. Ita Hoſt.
cujus verba ad calamum tranſcripſit gloſſ. *in c. unico circa
med. infra eodem lib.* 6. & S. Antonin. in 3. *part. tit.* 12. *c.* 8. §.
1. Sola igitur miracula, ut prædixi, ad aliquem canoni-
zandum non ſufficiunt ſine virtutibus, & vitæ excellentia; 4
quod multiplicem habet rationem.
Prima ratio eſt, quia quandoque etiam per malos, &
peccatores fiunt miracula, *c. Teneamus*, 1. *q.* 1. Hoſtien. *hìc* 5
in princ. Abb. *n.* 4. & plerique alii. Unde & Magi Pharao-
nis tria operata ſunt miracula, ut ait gloſſ. *ult. in d. c. Te-* 6
neamus; nam virgas in ſerpentes converterunt, aquam in
ſanguinem, & fecerunt aquam ranis ebullire, ſicut Moyſes.
Sed tu adverte, quia illa verè non fuerunt miracula, ſed
magica pręſtigia, ut legitur *in c. Nec mirum*, 26. *qu.* 5. Ideò-
que Innoc. *hìc num.* 1. *verſ. Non ſufficiunt miracula*, non
dixit Magos illos feciſſe miracula, ſed feciſſe multa, quę vi-
debantur ultra vires naturæ. Admittunt tamen Theologi
etiam per malos Chriſtianos quandoque miracula fieri, ut 7
per D. Thom. in 2. 2. *q* 8. *ad tertium*. Quinimò etiam Anti-
chriſtus faciet aliqua vera miracula quoad naturam rei vir-
tute Dęmonum, licèt falſa quoad rationem miraculi, &
ad decipiendum, ut idem docet *d. q.* 17. *art.* 1. *ad ſecundum*:
& de his miraculis, quæ fiunt per malos, conſule Auguſtin.
Triumph. de poteſt. Eccleſ. qu. 15. *art* 4. Item miracula quan-
doque fiunt ex ſcientia, & non ex dono Dei, quandoq; ex
dono Dei, & non ex merito vitę, ut in Regibus Francię, ſe-
cundũ Anton. de Butr. *in c. Venerabili n.* 1. *verſ. Nec ſufficiũt
miracula*, *ſupr. de teſt.* Non igitur mirum, ſi miracula ſatis
non ſint ad hoc, ut quis Sanctorum numero adſcribatur.
Secunda ratio, quia hinc facilè poſſent decipi fideles, ſi-
cut in hoc cap. dicuntur diabolica fraude decipi, qui ut 8
ſanctum venerabantur hominem quendam in potatione,
& ebrietate occiſum. Miraculum enim poteſt eſſe men-
dax tripliciter. Primò, ſcilicet, quia deficit à ratione facti,
ut in præſtigiis. Secundò, quia deficit à ratione miraculi.
Tertiò, quia deficit à fine Dei, ut in malis Chriſtianis,
S. Thom. 2. *Theſſalon.* 2. *lect.* 2. *in fin. G.* Et in his multi va-
riis figmentis, & falſis documentis decipiuntur, ut legi-
tur *in c. Prox.* §. *fin. infra eodem*.
Tertia ratio, quia fides præ cæteris virtutibus in mira- 9
culis operatur, ſecundum illud Matth. 17. 19. *Si habueritis
fidem ſicut granum ſinapis, dicetis huic monti. Tranſi hinc il-
luc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis*, Hoſtien. *hìc* 10
nu. 6. Joann. Andr. *nu.* 4. *verſ. Fides etiam*: adeòut aliqui
propter fidem, quam habent, operentur miracula etiam
ſine charitate, juxta illud Apoſt. 1. ad Corinth. 13. 2. *Et ſi
habuero omnem fidem, itaut montes transferam, charitatem
autem non habuero, nihil ſum*, & tranſumptivè habetur in
c. Solet, de conſecr. diſt. 4. Abbas *hìc n.* 14. adjiciens hoc ſem-
per notandum, quia poteſt haberi fides maxima, itaut ejus
virtute faciat miracula ſine charitate. Fides autem ſine
charitate non ſufficit in adultis canonizandis, quia ſine 11
operibus mortua eſt, Jacob. 2. Jo. Andr. *hìc n.* 4. *verſ. In adul-
tis autem*. Quinimò, ut inquit Auguſtin. *to.* 3. 15. *de Trinit.
cap* 18. ſola charitas dividit inter filios Regni æterni, & in- 12
ter filios perditionis: unde ſi per charitatem quis inter San-
ctos enumeratur: ergo ſine charitate quis inter Sanctos
annumerari non poteſt. Ita arguit Auguſt. Triumph. *de po-
teſt. Eccl. q.* 14. *art.* 4 *in* 1. *arg. contrario*.
Ultima ratio, quia ut habetur Matth. 7 22. *Multi di-
cent mihi in illa die: Nonnè in nomine tuo Dæmonia ejeci-
mus, &c.* & tamen Dominus reſpondebit eis: *Numquam no-
vi vos*, Inn. *hìc n.* 1. *verſ. Non ſufficiunt miracula*. E contra 13
verò excellentiam vitæ ſine miraculis putat Innocen. ſuffi-
cere quoad virtutem, licèt dicat Eccleſiam non debere ta-
les canonizare, ea ratione, quia in ſecreto potuerunt laxio-
rem vitam ducere, ut per eum *num.* 1. *verſ. Vitam tamen*,
cum quo tranſeunt Hoſtien. *nu.* 6. *verſ. Licet autem*, Joan.
Andr. *nu.* 4. *circa fin. eod. verſ.* Butr. *n* 7. *ad fin.* Cardin. *nu.* 5.
verſ. Dicit tamen, Abb. *in c. Venerabilem num.* 1. *verſ. Non
enim ſufficit*, *ſupra de teſtib.* ubi ait, vitam ſine miraculis
non ſufficere ad canonizationem obtinendam, ſed benè

ad

ad finem beatitudinis: nam ad eſſe ſanctitatis miracula neceſſariò non requiruntur. Tu dicas hoc eſſe expreſſum in Conſtitutione Gregorii IX. incip. *Cùm dicat Dominus*, edita die prima Junii 1232. §. 3. *in Bullar. tom.* 1. *pag.* 43. cujus hæc ſunt verba: *Licet ad hoc, ut aliquis ſanctus ſit apud Dominum in Eccleſia triumphante, ſola ſufficiat finalis perſeverantia, juxta illud: Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ; ad hoc tamen ut ſanctus habeatur apud homines in Eccleſia militante, duo ſunt neceſſaria, virtus morum, & veritas ſignorum, merita videlicet, & miracula, ut hæc, & illa ſibi adinvicem conteſtentur, cùm nec merita ſine miraculis, nec miracula ſine meritis plenè ſufficiant ad perhibendum inter homines teſtimonium ſanctitatis*. Hæc ibi.

14 Ex his infertur, ut pueri baptizati, & ſtatim mortui non ſint canonizandi, quia nec multam gloriam cum eis fecit Dominus ſua magnificentia. Et eſt ſpeciale in Innocentibus, ut pro ſanctis colantur, quia vice Chriſti mortui ſunt, ſecundùm Innoc. *num.* 3. *verſ. Ex prædictis apparet*, & Hoſt. *num.* 10. *verſ. Apparet ex prædictis*, quibus cæteri ſubſcribunt.

15 Circa tertium, qua maturitate, & conſilio, quove ordine ad canonizationem ſit procedendum, diſtinctè, & præclarè hìc explicat Hoſtien. *nu.* 3. *verſ. Ad hanc autem*, ubi ex ordine recenſet decem actus ad canonizationem præambulos; undecimo loco ſententiam ipſam canonizationis, & definitionis Summi Pontificis; duodecimo quæ canonizationem ſubſequuntur: quę ſingula huc non transfero, quia ab ipſo peti poſſunt, & Joann. And. *num.* 3. & Butr. *nu.* 5. & S. Antonin. *in* 3. *part. tit.* 22. *cap.* 5. §. 5. qui
16 illius verba ferè ad calamum tranſcripſere. Subdit tamen Hoſtien. prædictum ordinem non ſemper ad unguem obſervatum fuiſſe, & maximè quando agebatur de martyrizatis pro fide. Tales autem conſueverunt faciliùs, & leviùs expediri. Imò, ut inquit Auguſt. Triumph. *de poteſt. Eccleſ. qu.* 14. *art.* 1. *ad ſecundum*, in primitiva Eccleſia non ſervabatur modus canonizandi, qui nunc ſervatur. Propter duo. Primò, quia illi Sancti ut plurimum erant martyres, in quibus non requirebatur talis examinatio, ſicut requiritur in Confeſſoribus, ut idem probat *q.* 16. *art.* 3. Secundò, ex fervore fidei naſcentis Eccleſiæ, & ex meritis Chriſti, & Apoſtolorum, miracula, & alia opera ſic erant evidentia, ut nulla poſſent tergiverſatione celari. De modo autem nunc ſervando in canonizatione Sanctorum, conſule eumdem *qu.* 16. *per tot.* & cur nullus Patrum veteris teſtamenti fuerit à Papa canonizatus; vide S. Antonin. *in* 3 *par. tit.* 22. *c.* 5. §. 5 *circa fin. verſ. Sciendum*.

17 Circa quartum, breviter dicendum Canonizationis effectum eſſe, quia per eam canonizatus conſequitur, ut à cunctis fidelibus colatur pro Sancto, & Eccleſia pro ipſo, ſicut pro Sancto, ſolemniter officium celebret, & ipſe in Litaniis inter Sanctos publicè adnumeretur, ſecundum illud Eccleſiaſt. 44 *Sapientiam ipſorum narrent populi, & laudem eorum annunciet Eccleſia*. Ita Innoc. *hìc nu.* 3. cui Hoſtien. *ſub num.* 10. *verſ. Verùm ſecundùm Dominum noſtrum*, & reliqui adſtipulantur, gloſſ. magna *circa medium*
18 *verſ. Hoc autem conſequitur in c. un. infra eod. lib.* 6. Quamquam etiam, ut idem Innoc. ſubdit *num* 4. & alii poſt eum, quilibet poſſit preces porrigere alicui defuncto, quem credebat virum probum, ut apud Deum intercedat; ut dicam infrà *in c. Proximo n.* 11. tamen pro illo fas non eſt ſolemne officium celebrare, aut preces publicas fundere, ut hìc.
19 Tu dicas ſecundum Auguſtin. Triumph. *de poteſt. Eccleſ. qu.* 14 *art.* 1. *ad primum*, duplicem eſſe reverentiam: quædam eſt univerſaliter injuncta, quædam verò voluntariè, & particulariter aſſumpta. Prima reverentia ſolùm honorandi ſunt ſancti per Eccleſiam Canonizati. Sed ſecunda reverentia poſſunt honorari alii ſecundùm particularem devotionem uniuſcujuſque. Et vide Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *de invocat. & vener. reliq. ſanctor.* & Card. Bellarm. *lib.* 1. *de ſanct. c.* 10.

20 Quibus præmiſſis venio ad notabilia; & primò nota ibi, abſque auctoritate Romanæ Eccleſiæ non licere aliquem publicè venerari pro ſancto abſque authoritate Romani Pontificis, etiamſi in vita feciſſet miracula, ut hìc eſt caſus ſecundum Abb. Antiq. & omnes, & notant Butr. *num.* 3. & Abbas Siculus *in* 2. *notab.* Atque ita Sanctorum Canonizatio eſt unum ex ſpecialibus Papæ reſervatis, ut notatur *in c. Quod translationem, in gloſſ. ult. ſupra de offic. legati*, ſecundum Hoſtien. *hìc num.* 13. *in verb. Abſque authoritate*, Joann. Andr. *num.* 6. *verb. Authoritate*, Cardin. *in* 2. *notab.* & Anchar. *n.* 4 Idem firmant Auguſt. Triumph. *de poteſt. Eccleſ. qu.* 14. *art.* 1. Cardin. Turrecrem. *in cap.* 1. *nu.* 22. *de conſecr. diſt.* 3. S. Antonin. *in Summa part.* 3 *tit.* 22. *c.* 5. §. 5. Troil. Malvet. in *tract. de Canoniz. Sanctorum nu.* 5. *& ſeqq.* Cardin. Bellarm. *de Sanct. beatitud. tomo* 1. *par.* 2. *lib.*
1. *c.* 8. & alibi paſſim Doctores; & conſequenter hæc fa- 21
cultas nulli Epiſcoporum competit ſecundum Innocen. & omnes hìc, & Auguſtin. Triumph. *d. q.* 14. *n.* 4.
Rationem 22
reddit Innoc. *nu.* 2. quia cùm per canonizationem ſanctus conſtituatur omnibus adorandus, & nullus omnibus præſit niſi Papa, qui immediatè eſt ordinarius cunctorum fidelium, *c. Cuncta per mundum, & c. Per principalem* 9. *q.* 3. conſequens eſt, ut Papa ſolus hanc univerſalem adorationem poſſit omnibus fidelibus indicere. Nam & cuilibet alteri poſſent reſpondere non ſubditi. Extra territorium jus dicenti impunè non paretur, *l. fin. ff. de juriſdict. omn. judic. c. Ut animar. de conſtit. lib.* 6. & hanc rationem Innocentii approbant hìc Abb. Antiq. *n.* 2. Joann. Andr. *n.* 5. Butr. *n.* 7. Cardin. *n.* 6. & Anch. *in ult. q.* Card. Turrecrem. *in c.* 1. *n.* 2. *de conſecr. diſt.* 3. Nec valet ſi dicas: Id licere debet cuilibet Epiſcopo ſaltem in ſua diœceſi, ut videtur expreſſum in *c. fin. in* 1. *reſponſ. ſupra de feriis*, ibi, *Cæteriſque ſolemnitatibus quas ſinguli Epiſcopi in ſuis Civitatibus cum Clero, & Populo duxerint ſolemniter venerandas, & in c.* 1. *verſ. Et illæ feſtivitate, de conſec. diſt.* 3. nam, ut reſpondet Innocentius, ex quo ſanctus eſt, non ſolùm ab aliquibus, ſed ab omnibus, nec ſolùm in una Eccleſia, ſed in omnibus eſt communiter venerandus; alioquin incideremus in illam reprehenſionem, qua Apoſtolus 1. ad Corinthios 1. redarguit quoſdam dicentes: *Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Chriſti*.

Nec obſtant jura in contrarium adducta: Quia, ut re- 23
ſpondet Hoſtien. *hìc n.* 8. & Joann. Andr. *n.* 6. *in verb. Romani Pontificis*, debent intelligi de ſanctis antiquitùs approbatis; non enim omnium Sanctorum, & ſingulorum feſta coluntur ubique. Imò aliquod feſtum in una diœceſi colitur, & non in alia.

Ceterùm prædictam Innocentii rationem impugnat hìc 24
Hoſtien. *nu.* 9. Tum quia multi ſunt etiam per Sedem Apoſtolicam canonizati, qui in una tantùm Eccleſia, ſeu Provincia coluntur. Et in ſpecie Carolus Magnus ex toleran- 25
tia Romanæ Eccleſiæ tamquam ſanctus colitur in ſola ſua Capella Aquiſgrani, non autem in aliis Eccleſiis, & pulchra illius miracula recenſentur in hiſtoria Specular. *lib.*
25. *c.* 5 ut hìc refert Joann. Andr. *nu.* 5. Tum quia non eſt 26
bona conſequentia: ſanctus eſt ubique venerandus: ergo Epiſcopus non poteſt in ſua diœceſi ſanctum canonizare, quia etiam calix, & chriſma ab Epiſcopo conſecrata, quocumque portentur, ſunt ab omnibus veneranda, & hæreticus ab Epiſcopo condemnatus ab omnibus fidelibus vitari debet, ut legitur, & notatur *in c. Ad abolendam*, *& in c. Excommunicamus*, *il primo*, *infra de hæred.* facit text. *in c.* 1. & quod ibi dixi *in* 4. *notab. ſupra de tregu. & pace*, & tamen ſi Epiſcopus vellet hoc dicere, ſeu præcipere non ſubditis, poſſet ei reſponderi: Extra Territorium jus dicenti, &c. Quare ipſe Hoſtien. *n.* 10. affirmat multiplicem rationem reddi poſſe, cur Sanctorum canonizatio ſpectet ad ſolum Romanum Pontificem.

Primò, ſcilicet, quia hæc eſt una de majoribus cauſis, 27
quæ inter Chriſtianos proponi poſſit. Majores autem cauſæ ad Sedem Apoſtolicam ſunt referendæ, *c. Majores, in princ. ſupra de Baptiſm.* Secundò, quia miracula attribuuntur fidei, ut dictum eſt ſupra *n.* 9 Hæc igitur quæſtio cùm ſit de fidei, ſpectat ad diffinitionem ſolius Papæ, *c. Quoties*, 24. *q.* 1. Tertiò, quia ad Summum Pontificem pertinet declarare dubium ſcripturarum, *c. Per venerabilem*, § *Rationibus, qui fil. ſint legit. c.* 1. *ſupra de feud.* Ergo multò fortiùs dubium ſanctitatis, quia circa majora majus periculum vertitur, & ideò cautiùs eſt agendum, *c. Ubi periculum, de elect. lib.* 6. Quartò, ne populum decipi contingat ob multorum Epiſcoporum ſimplicitatem, ut hìc, *& in c. Prox. infra eodem*. Quintò, ne contingat in infinitum ſanctos multiplicari, & ſic devotionem frigeſcere, ac ſanctitatem vileſcere, *c. Epiſcopi*, 80. *diſt.* Omnis autem infinitas, ſed hæc præcipuè eſt vitanda, *c. Cùm in multis*, *de reſcript. lib.* 6. Ita Hoſtien. à quo prædictas rationes mutuavit gloſſa magna in *c. unic. infrà eodem lib.* 6. cùm qua tranſeunt ibi Gemin. & Franc. Aliam rationem addit Auguſt.

guſt. Triumph. *de poteſt. Eccleſ. qu.* 14 *art.* 1. *in corp.* videlicet quia ſicut ſolius Chriſti eſt homines ſanctificare, & ſanctos facere, juxta illud Levit. 21. *Ego ſanctus ſum Dominus, qui ſanctifico vos*: ita eſt ſolius Papæ, qui Vicarius eſt Chriſti, hominum ſanctitatem manifeſtare, & approbare. Similiter ſicut ſolus Papa eſt caput totius Eccleſiæ, ita ad ipſum ſolum ſpectat membris Eccleſiæ mandare, ut aliquem colant ut Sanctum. Ulteriùs, ſicut opera, quæ ſanctitati alicujus teſtimonium perhibent, fidei Eccleſiæ innituntur; ita ad illum pertinet hujuſmodi Sanctum canonizare, ad quem pertinet quæſtiones fidei determinare. Quod quidem planum eſt ſpectare ad Summum Pontificem, *ut in dict. cap. Quoties*, 24. *quæſt.* 1.

28 Cæterùm ſi Eccleſia in hujuſmodi Canonizatione erraret, quod non eſt credendum; tamen preces in honorem talis porrectas Deus acceptaret, ut inquit Innoc. *hic n.* 14. & Hoſtien. *n.* 10. *circa fin. verſ. Quid ſi Eccleſia*, & gloſſ. *in c. unic. in ver. Sedis Apoſtolicæ ante med. verſ. Et ſi Eccleſia*
29 *infrà eod. lib.* 6. Omnia enim in fide Chriſti purgantur, *cap. Veſtra in* 1. *reſponſ. ad fin. ſup. de vita, & honeſt. Clericor. & mulier* & eſto veritas canonizationis deficeret, tamen non deficit fides, *cap. Debitum*, §. 1. *ad fin. ſupra de Baptiſmo, & c.* 2. & 3. *ad fin. de Presbyt. non baptiz.*

Sed tu adverte, quia hæc quæſtio ſupponit Eccleſiam poſſe errare in canonizatione ſanctorum. Quod tacitè admittit Innocen & fatentur expreſſe gloſſa, & Hoſt. *locis citatis*, dum dicunt hunc caſum poſſe accidere, per textum *in cap. A nobis, il ſecondo in* 1. *reſponſ. infrà de ſent. excomm.*

Sed contrarium tenent multi, & præcipuè S. Thom. *in quodl.* 9. *art. ult.* Quare de hac controverſia dic, ut plenè ſcripſi *in cap. Venerabili à num.* 10. *uſque in fin. ſupra de teſtib.*

30 In gloſſa prima, nota ebrietatem non ſemper eſſe peccatum mortale. Quod non obſcurè inſinuat littera hujus capituli, dum dicit vix orandum eſſe pro eo, qui in ebrietate occiſus eſt: nam ſi ſit veniale peccatum, pro tali orat Eccleſia, *cap. Pro obeuntibus*, 13. *qu.* 2. & ita quod vix fit, tamen
31 fit, *l. Vix. ff. de judic. ca.* 2. *de cognat. ſpiritual. lib.* 6. At quando mortale peccatum eſt, pro eo qui illud commiſit, & ſine pœnitentia objit, nullatenùs eſt orandum, *cap. Neque*, 88. *diſt. c. Cyprianus*, 21. *qu.* 3. *cap. Placuit*, 23. *q.* 5. Tunc autem gloſſa dicit ebrietatem eſſe peccatum mortale, quando eſt aſſidua, alioquin eſſe tantùm veniale, ut 25. *diſtinct.* §. *Alias, verſ. Et quamvis Apoſtolus, & verſ. Quæ autem ſunt minuta*, & ſequitur Hoſtien. *hic nu.* 12. dicens ſecundùm hanc diſtinctionem eſſe intelligendum *cap. Epiſcopus*, 25. *diſt. cap. Nullus, de conſecr. diſtin.* 5. & *cap. A crapula, de vita, & honeſt. Cle-*
32 *ricor.* Verùm alio modo diſtinguebat Vincentius *in d. c. A crapula*, cum quo tranſeunt hic Jo. Andr. *nu.* 8. *verſ. Dicebat*, Butr. *nu.* 6. *verſ. Quando autem*, & Anchar. *num.* 3. videlicet ebrietas in quantum eſt qualitas, quæ ineſt homini, qui facilè inebriatur, fortè ex debili cerebro, non eſt peccatum; in quantum verò eſt paſſio, ut quia jacet vino ſepultus, itidem non eſt peccatum; nec putat talem excommunicatum, ſi tunc percuteret Clericum, *c. Sane*, 15. *qu.* 1. In quantum autem eſt actus, ſi eſt aſſiduus (non dico aſſiduus quod idem iteretur, ſed quia ſimiles præcedunt,) tunc eſt mortale. Idem in illo, qui ſe ſcienter inebriat. Si verò ignoranter, ut quia ab uxore decipitur, vel ignorat vini potentiam, tunc peccat venialiter.

33 Quæro, an liceat aliquem inebriare ad detegendum aliquod ſecretum concernens publicam ſalutem, puta proditionis patriæ, vel conjurationis in Principem.

34 Ad evidentiam propoſitæ quæſtionis, quam non reperi ab aliquo excitatam, ſupponendum eſt tam ex ſacris litteris, quàm ex Patrum, & aliorum ſcriptorum teſtimonio, hoc peculiare vitium tribui ebrietati, quòd ſecretum nullum
35 cuſtodiat: nam Proverbior. 31. legitur, *Nullum ſecretum eſt ubi regnat ebrietas*, & Auguſtin. *Epiſt. ad Sacras Virgines: Ebrius*, inquit, *vultu dejecto, ſupinus accumbit, & ſui omninò neſcius, ſpectaculum ſe convivio præbet, & nihil conſequitur ſanum: nullo alio cogente, præter vinum, cordis ſui arcana patefacit, & amicorum ſibi commiſſa ſecreta in medium prodit*; & Bernard. *in lib. de contempt. mundi: Quid turpius ebrioſo? cui fœtor in ore, tremor in corpore, qui promit ſtulta, pandit occulta, cui mens alienatur, facies transformatur; ibi nullum eſt ſecretum, ubi regnat ebrietas.* Item Seneca *Epiſt.* 28. *Mero onerati, quemadmodum non retinent cibum vino redundante, ita nec ſecretum: quod ſuum eſt, & aliorum pariter effundunt*, & infrà: *Ebrio nemo ſecretum ſermonem committat*, & *Epiſt.* 85. *Certè detegit omne vitium ebrietas, & incedit: ubi poſſedit animum nimia vis vini, quidquid male latebat, detegit, vel emergit.* Similiter Virgil. *de Vin. & Vener.*

Multos cæcus amor cogit ſecreta fateri;
Arcanum demens detegit ebrietas.

& Horat. *lib.* 1. *Epiſtol.*

Quid non ebrietas deſignat? operta recludit.
Fœcundi calices quem non fecere diſertum?

Hinc Æſchines dicere ſolebat ſpeculum formæ eſſe æs, vinum autem animi: inſinuans nil tam ſecretum eſſe animo noſtro inſculptum, quod homo ebrius non effutiat. Sed & 36
Plinius *lib.* 15. *cap.* 22. ſcriptum reliquit, vinum uſque adeò mentis arcana prodere, ut mortifera etiam inter pocula loquantur homines, & ne per jugulum quidem redituras voces contineant, vulgòque, inquit, *veritas attributa eſt vino*; unde etiam prodiit adagium illud: *In vino veritas*; item illud: *Non audivi verum, niſi à tribus hominum generibus, pueris, ebriis, & inſanis*, ut refert Paul. Manut. *in Adagiis*; necnon illud Græcorum apud Plutarch. *in opuſc. de garrulis*: *Quod in corde ſobrii, id in lingua ebrii.* Quæ cùm ita ſint, ſi contra aliquem ſuborta ſit ſuſpicio, quòd ſit conſcius proditionis, vel machinationis occultæ in Principem, aut Regnum, contingit dubitari, an ad eam detegendam fas ſit illum inebriare, præſertim ſi veritas aliter haberi non poſſit.

Ad partem affirmativam arguitur primò, quia ebrietas 37
non videtur intrinſecè mala: aliquando enim, & ex aliqua circumſtantia poteſt eſſe ſine peccato. Ideòque ſecun- 38
dùm Cardin. Cajetan. *in* 2. 2. *quæſt.* 150. *art.* 2. *in reſponſ. ad* 3. ebrietas ſcienter non ex delectatione potus, ſed propter medicinam eſt licita, ſi medicinæ ars diſponat ebrietatem eſſe neceſſariam ad evacuationem, ſeu curam illius infirmitatis, quia in illo caſu non eſt ebrietas formaliter, ſed materialiter tantùm, cùm non ſit ex delectatione in potu vini: & idem firmat abſolutè Marian. Soccin. *in c. Si conſtiterit nu.* 20. *de accuſat.* ubi refert inſignem Medicum ſuo tempore ægrotum quemdam à periculoſo morbo liberaſſe frequenti ebrietate, ut ſcripſi pleniùs *in c. A crapula n.* 33. *ſup. de vit. & honeſt. Clericor.* Si igitur licita eſt ebrietas pro ſalute privata corporis naturalis, longè magis videtur licita pro ſalute corporis myſtici totius Civitatis, vel Regni, argum. Auth. *Res quæ, verſ. Ea enim, quæ communiter omnibus proſunt, C. comm. de legat. c. Scias*, 7. *q.* 1. gloſſ. & DD. *in c. Bonæ il primo, ſupra de poſtul. Prælat.* Hoc enim caſu nec reſpectu ebrii, 39
nec reſpectu inebriantis videtur ebrietas formaliter. Non reſpectu ebrii, qui fortè ebriatur ignorans potentiam vini, ſicut Noe, qui primus vineam plantavit, dedit naturam, ſed ignoravit potentiam, & vinum nec ſuo pepercit authori, ut legitur *in c. Sexto die*, §. *In principio*, 35. *diſtin.* Ad idem *c. Inebriaverunt*, 15. *qu.* 1. Unde talis non peccat, ut per D. Thomam *in* 2. 2. *q.* 150. *art.* 2. & Archid. *in d. c. Sexto die n.* 9. Vel certè ſi inebriatur voluntariè, non tamen ex voluptate, & concupiſcentia vini, ſed ut pareat Principi ſic præcipienti: & ſic ebrietas reſpectu ebrii non eſt formalis, arg. *c.* 1. 15. *qu.* 6. Sed nec reſpectu inebriantis, quia principaliter non intendit ebrietatem, ſed revelationem ſecreti, quæ licita eſt: voluntas enim ſpecificatur ab objecto, *c. Cum vo-* 40
luntate, infrà de ſent. excom. l. Qui injuria, in princ. ff. de furt.

Secundò, idem ſuaderi poteſt, quia licita eſt ebrietas ad 41
evitandam ſævitiam tyranni pro ſecuritate vitæ propriæ, ſecundùm opinionem Martini relati à Cajetano *loco citato*. Ergo ſimiliter licita erit pro ſecuritate Regni, aut Reipublicæ, argum. *l. De pupillo*, § *Si quis rivos*, ibi, *cùm publicæ ſalutis, & ſecuritatis interſit*; *ff. de nov. oper. nunc. cum concord.* de quibus ibi per gloſſ. *in verb. Securitatis*, ad hoc *l. Ut vim*, juncta *l. præcedenti*, *ff. de juſtit. & jur.*

Tertiò, id conſtare videtur, quia tametſi ad eruendam à 42
reis, vel teſtibus veritatem certi modi ſint à legibus præfiniti, videlicet rigoroſum examen, quæſtiones, ſeu tormenta, ut *in tit. ff. & Cod. de qu.* tamen ſi hujuſmodi remedia non ſufficiant, non videtur illicitum pro communi ſecuritate confugere ad remedium ebrietatis, quia ob publicam ſalutem receditur à jure communi, ut eſt textus *in d. l. De pupillo*, §. *Si quis rivos, ff. de novi oper. nunc.* Unde Magiſtratus propter metum periculi, vel ſcandali poteſt leges tranſgredi, ut notat Baldus *in l. Si quis filio*, §. *Hi autem nu.* 4. *ff. de injuſt. teſtament.* & excuſatur in ſyndicatu, qui ob multorum ſalutem tranſgreditur ſtatuta, ut idem ſcripſit *in l. Ob-*

Obſervare in 10.*q.ff.de off. Proconſ.*& dixi pleniùs *in c. Ca-*
*nonum ſtatuta n.*108. *& ſeqq.ſuprà de conſtit.*
43 Quartò, quatenùs id non liceat judici, qui poteſtatem
non habet tranſgrediendi leges, ſecundùm ea, quæ ſcripſi *in*
*d.c.Canonum ſtatuta nu.*114.*uſque in fin.*tamen non videtur
negandum, quin id liceat Principi, qui legibus ſuis, vel præ-
deceſſorum non adſtringitur, *l.Princeps,ff.de legib.§.Sed &*
*quod Principi,inſtit.de jur. natur.*Poteſt enim Princeps ma-
nu regia cauſas cognoſcere, & terminare omiſſo rigore ju-
diciario, ut notat Bart. in Extravag *ad reprimendum,in ver-*
*bo Videbitur, in fin.*Et poteſt judicare ſecundum propriam,
& particularem conſcientiam adverſus ea, quæ in judicio
ſunt allegata, & probata, ob eam rationem, quia poteſta-
tem habet legis condendæ, & conditas abrogandi, ut
firmant Cyn. Bart. & alii *in l.1.C.Ut quæ deſ.Advoc.*Albert.
in l.Illicitas, §.Veritas, ff. de offic. Præſid. Felin. *in c.Paſto-*
*ralis, §.Qua verò nu.*23.*verſ.Secundo limita, ſuprà de offic.*
deleg. Quare cùm modus procedendi ad eruendam à reis,
vel teſtibus veritatem ſit præſcriptus a lege poſitiva, non
44 videtur dubitandum, quin ſupremus Princeps, qui eſt ſu-
pra omne jus poſitivum, poſſit illam legem tollere, vel
ſaltem ſuper ea diſpenſare utendo ebrietatis remedio ex
cauſa publicæ ſalutis, quam Princeps præ aliis tueri debet,
*l.*3. *ff.de offic. Præfect. Vigil.* Cùm præſertim id novum non
45 videatur: nam celebre eſt Apophthegma cujuſdam Perſæ,
qui negavit tormentis opus eſſe ad exquirendum verum, eo
quia vino rectiùs eliciatur: quod approbans Horat. *lib.* 3.
Carm. Ode 21. *ait:*

Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro: tu ſapientium
Curas, & arcanum jocoſo
Conſilium retegis Lyæo.

Et in arte poetica.

Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborent,
An ſit amicitiæ dignus.

46 Sed præmiſſis non obſtantibus, dicendum eſt minimè li-
cere ob prædictam cauſam aliquem inebriare.

Primò, quia aut contra eum extant legitima indicia,
quòd ſit conjurationis conſcius, vel particeps, aut non. Si
extant, ad exquirendum verum utendum eſt contra ipſum
remediis præſcriptis à jure: debet enim ſubjici torturæ, ut
*l.*1. *ff. de q. & l. Miles, §. oportet, C.eodem,* gloſſa, & Docto-
res *in c. Cum contemplatione, infrà de regul.jur.*Quam ſi ſu-
ſtinuerit, jam purgavit indicia, & quidquid depoſuit, di-
citur eſſe pura veritas, ſecundùm communem, & ubique
gentium ſervatam opinionem, de qua per Alber. *in rubr.C.*
*de quæſt.nu.n.9 & in C.Edictum n.*2. *ff.eodem*, & alios apud
Jul. Clar. *in Pract. Crim.§ fin. q.*64. *verſ.Illata reo tortura.*
47 Unde iniquum eſſet eum torquere iterùm, & cruciare
ebrietate, ex notatis per Bart. *in l.fin. in princ. ff. de quæſt.*
Petrus de Bellapert. & Salyc. *in l. Si quis adulterii, C.de*
adulter. & Alex. *in l.Unius, §. Reus, in verb.Nec confitetur,*
ff. de q. Ebrietas enim eſt ſpecies torturæ, ſecundùm illud
Ovidii *lib.*1. *Epiſt. ad Gell.*

Commiſſus reteges & vino tortus, & ira.

necnon illud Hora. *Et torquere mero*, ut dixi ſupra *n.*45. &
Aſſeſſores, qui ſine novis indiciis tormenta repetunt, nec
Deum, nec leges habent præ oculis, ut inquit Cyn. *in l.*
fin. n 8. *in fin. C. de quæſt.* latè Hippol. de Marſil. *in l. Repeti*
*n.*6. *& ſeqq. ff. eodem.*
48 Nec dicatur hoc caſu, in quo urgent indicia contra ali-
quem, poſſe Principem relicto remedio ordinario torturæ,
ab initio adhibere extraordinarium remedium ebrietatis, ſi
cognoſcat aliter ſecuritati publicæ non eſſe ſufficienter
conſultum, argum. *l.Qui bona fide, §.Si quis opus*, ubi Bart.
*n.*2. *verſ. Aut per ordinarium, ff. de damn. infect.*
Quoniam hoc procedit, dummodò extraordinarium re-
49 medium non ſit à jure improbatum, ut efficaciter probat
textus *in c.Conſuluiſti*, 2. *q.* 5. ubi Stephanus Papa repro-
bans judicium purgationis vulgaris; *Ferri*, inquit, *can-*
dentis, vel aquæ ferventis examinatione confeſſionem extor-
queri à quolibet, ſacri non cenſent Canones, & quod San-
ctorum Patrum documento ſancitum non eſt, ſuperſtitioſa ad-
inventione non eſt præſumendum; ſpontanea enim confeſſione,
vel teſtium approbatione publicata, debita, habito præ oculis
Dei timore, commiſſa ſunt regimini noſtro judicare. Occul-
ta vero, & incognita illi ſunt relinquenda, qui ſolus novit
50 *corda fidelium hominum.* Hæc ibi. Quandiu ergo ſuppetit
remedium juris, non eſt recurrendum ad remedium facti,
l. Negantes, C. de action. & oblig. l. Extant, ff. Quod met.
*cauſ.*Roman. *conſ.*71. *Viſis dubiis num.*6.Et quamvis adſint 51
legitima contra reum indicia, non tamen ſine gravi pec-
cato uti licet inuſitato hoc tormenti genere, ſed ſolito
tantùm, & conſueto, ut notat Bald. *in l.1.nu.*4.*C.de emen-*
dat.ſervor. Brun. *in tract. de indit. & tortur. in* 2. *part. q.*2.
*num.*7. & alii apud Proſper. Farinac. *in eodem tract. q.*38. *n.*
55. *& ſeqq.*
Aut non extant indicia, & ſimiliter non licet eum ine- 52
briare, & torquere vino, argum. *d. l.*1. *& l. Maritus, & l.*
Unius, §. In ea cauſa, & l.fin. ff. de q. & d. c.Cùm in contem-
platione, & notat Bald. *in l.*2. *n.*4. *C. Quor. appellat.*Hippol.
de Marſil. *ſingul.*17. incipit, *Ad torturam deveniri non po-*
*teſt, in princ.*Quod procedit etiam in crimine læſæ majeſta- 53
tis, *l.Si quis alicui*, & ibi gloſſ *in verb.Convictus*. Cyn. Bald.
Salyc. & alii communiter, *C.ad leg.Jul.Majeſt.*& in prodi-
tione patriæ, ut per Angel. *de malefic. in ver. Chi hai tradito*
*la tua patria, in princ.nu.*1. etiamſi Princeps hoc mandave- 54
rit, ut colligitur ex Grammat. *Voto* 32. *n.*9. ubi teſtatur ſe
reſpondiſſe Cardinali Columnæ Proregi Neapolis, nec re-
gia authoritate ipſum mandare poſſe hominem torqueri,
contra quem non extabant indicia ſufficientia ad torturam:
& eodem modo affirmat ſe reſpondiſſe Afflictus Regi Fe-
derico, ut refert Clar. *in §.fin.q.*64.*verſ.Dixi quoque*, & Car-
rer. alios adducens *in Pract. Crim. in* 2. *tract. de indit. &*
tortur.verſ.Circa quartum, qualiter & quando ad torturam
deveniatur, *nu.* 12. Quòd ſi inferri non poteſt tortura con- 55
ſueta, longè minùs tortura ebrietatis, quæ gravior eſt: nam
illa torquet corpus, hæc verò corpus, & animam; unde
Galen. relatus à Luca de Penna *in rubr. C. de legat. lib.* 10.
n. 12. *verſ. E contra* (Ebrietas, inquit, obvolvit memo-
riam, evacuat ſenſum, denigrat mentem, confundit in-
tellectum, concitat libidinem, involvit linguam, impe-
dit ſermonem, corrumpit ſanguinem, obtundit viſum,
perturbat venas, obturbat auditum, infirmat nervos, com-
primit ſenſum, reſolvit viſcera, onerat cerebrum, debili-
tat memoriam, aufert fortitudinem, excitat ſomnum, ob-
durat animum, maculat corpus, & hominem ſuo coinqui-
nat vitio, ac ſine honore facit alienum.) Hæc ille. Et pro-
lixiùs quæ, & quanta mala ex ebrietate proveniant, com-
memorat Philo Hebræus *de plant.vin.Noe*, Clem Alexand.
*lib.*2.*Pedagog.cap.*2.*per tot.* & ex Juris peritis Lucas de Pen-
na *in l.1.nu.*7.*C.derogat. milit. annona lib.*12. & Tiraquell.
*ad leg.Connjubal.l.*9 *à num.*203. & patet ex dictis ſupra *nu.*
35. & ex dicendis infra *num.*64.
Secundò idem ſuadetur, quia ebrietas non eſt ordinata 56
ad revelandum ſecretum, ſed revelatio contingit per acci-
dens, quia ebrius perdit uſum rationis, ſecundùm quam
ſecretum occultabat, *c.Venter* 35.*diſt.& cap. Sanè*, 15. *q.*1.
Unde Marcus Tullius in Topicis inter ea, quæ certam fa-
ciunt fidem, commemorat ſomnum, imprudentiam, vi-
nolentiam, inſaniam. Quodlibet autem remedio utendum
eſt ad eum tantùm finem, ad quem eſt introductum, ut no-
tatur *in cap.In quæſtionis ſuper gloſſ.*2.*infrà, de accuſat.*text.
cum gloſſ. *in cap.Quia contingit, ſupra de relig.domib.* Petr.
Brixien. *in repert.in ver. Remedium.*
Tertiò, idem deducitur, quia revelatio ſecreti, quam 57
quis faceret, dum laborat ebrietate, nullius eſſet momen-
ti, cùm ebrii teſtimonium non valeat, *c.Sanè, & cap.Ine-*
briaverunt, 15.*q.*1. & notant *in c.1.ſupra de teſt.* Bald. *in fin.*
Dec. *num.*22. & communiter Doctores, Rota *deciſ.*45.*num.*
22.*p.*6.*recent.* Quinimò jura diſponunt, ne quis teſtimo-
nium dicat niſi jejunus, ut *in d.c.*1. Et quamvis gloſſ. *fin.* 58
ibi, Bald. *in fin.* & Doctores dicant illud eſſe conſilium, &
non præceptum, nec ſervari de conſuetudine: nihilominùs
oſtendit, quàm longè abeſſe debeat ebrietas ab eo, qui te-
ſtimonium perhibet. Prætereà ebrius hoc caſu de ſecreto 59
conjurationis deponeret non juratus, ac proinde nulla fi-
des ei eſſet adhibenda, quia in juramento conſiſtit ſubſtan-
tia depoſitionis, *l.Jurisjurandi, C. de teſt. cap. Nuper no-*
bis. eod. tit. Rota *deciſ.* 18. *num.*12. *p.* 7. *recent.* adeò ut pro-
pterea nec Princeps ſupremus diſpenſare poſſit, ut teſtis de-
ponat non juratus, eique ſic deponenti fides adhibeatur.
Quod in Summo Pontifice tenuerunt Auguſtin. Triumph. 60
*de poteſt. Eccleſ. q.*55.*art.*4. inducens ad hoc authoritatem
Apoſtoli dicentis *ad Hæbreos* 6. Homines per majores ſuos
jurant, & omnis controverſiæ eorum ad confirmationem
veritatis finis eſt juramentum; Felin. *in c.Conſtitutus n.*16.

de

de reſcript. Joan. Crot. *in tractatu de teſtibus part.7. num.4.* Roland. à Valle *conſ. 8. Sententia nu. 14. lib.4.* Deferre autem juramentum mediante ebrietate eſſet non tam impium, quàm fruſtratorium, quia ebrius, qui non eſt mentis compos, moveri non poſſet ad veritatem aperiendam jurisjurandi religione, juxta textum *in d.l. Jurisjurandi, C. de*
61 *teſtibus.* Quare cùm revelatio ebrii irrita ſit, tam ex defectu uſus rationis, quàm juramenti, conſequens eſt, ut nullo modo fas ſit adhibere hoc medium ebrietatis ad revelandum ſecretum, quod revelatum non relevaret, *ut l. Ad probationem, C. de probat.* Caſſador. *deciſ. 2. de dilat.* Caputaq. *deciſ. 68. part.3.* Rota *in recent. deciſ.31. n.8. part.7.*

62 Quartò poſſet probabiliter contingere, ut ebrius in exilio mentis nominaret aliquos uti complices conjurationis, aut proditionis, qui tamen verè culpabiles non eſſent. Ergo illius depoſitio, quæ in nihilo prodeſſe poteſt, ut patet ex dictis in præcedenti fundamento à nu.57. & multis noceret nullatenùs extorqueri debet mediante ebrietate. Ad hoc bonus textus *in cap. Denique, 14. q.5.* & quod notat gloſ. *in l. Fluminum, §. 1. in verc. Provinciæ, ff. de damn. infect.* & Jacob. de Arena *in l.1. in fin. ff. de aqua pluv. arcen.*

Aſſumptum probatur, quia ut de ebrio legitur *Proverb.23. Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur perverſa: & eris ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator, amiſſo clavo: & dices: Verberaverunt me, ſed non dolui; traxerunt me, & ego non ſenſi; quando evigilabo, & rurſus vina reperiam?* Item *Iſa. 28. Sacerdos & Propheta neſcierunt præ ebrietate, abſorpti ſunt à vino, erraverunt in ebrietate, neſcierunt videntem, & ignoraverunt judicium,* & Job.12. *Errare faciet eos quaſi ebrios.* Unde meritò Bernard. *in lib. de contemptu mundi* dixit, ebrium ſtulta promere, eumque neſcire quid loquatur; dicit text. *in d. cap. Sane, 15. quæſt. 1.*

Quintò idem ſuaderi poteſt, quia aut Princeps vel Magiſtratus intendit aliquem inebriare invitum, & reluctantem; aut volentem & conſentientem. Et quidem primum non licere, ſatis ſuperque oſtenſum eſt in præcedentibus fundamentis, & dicam infra *n.63.* Sed nec ſecundum licere ſatis convincitur ex eo, quia cùm ille poſſit ultrò prodere veritatem, & arcanum conjurationis liberè fateri, ſtultum planè eſſet, ſi ſe inebriaret ad hoc ut poſteà temulentus, & uſu rationis privatus veritatem aperiret. Non enim eget hoc medio illicito, qui meliùs poteſt verum prodere, dum eſt ſanæ mentis, ut ex ſe patet. Unde ſcienter ſe inebriando, cùm nulla cauſa, vel neceſſitas eum excuſet, mortaliter peccat, quia ebrietas voluntaria ſemper eſt culpa lethalis, ut patebit in ſequenti fundamento; & conſequenter peccat etiam Princeps, vel Magiſtratus qui eum inducit ad mortale peccatum: nam & qui peccat, & qui peccanti conſentit, uterque reus eſt, *cap. Ita corporis, 11. quæſt.1.* & ſi quis alterius errori conſenſerit, & illi conſilium dederit, ſciat ſe cum illo ſimili modo judicandum culpabilem, *c. Qui conſentit, ead. cauſ. & quæſt. c. Notum ſit, in fin. 2. q.1.*

63 Ultimò omiſſis aliis, hoc ipſum evidenter oſtenditur, quià ebrietas voluntaria intrinſecè, & ſecundum ſe eſt illicita, & mala; dicit enim Apoſtolus 1. ad Corinth. 6. *Neque ebrioſi regnum Dei poſſidebunt,* & Prov. 23. *Ne intuearis vinum quando flaveſcit, cùm ſplenduerit in vitro color ejus: ingreditur blandè, ſed in noviſſimo mordebit ut coluber, & ſicut regulus venena diffundet,* & Prov.23.29.30. & 31. *Cui væ? cui rixæ? cui foveæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, & ſtudent calcibus epotandis?* & Iſa. 5. *Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperam, ut vino æſtuetis,* & v.22. *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem:* Nam illud, *Væ*, eſt comminatio pęnæ æternæ, quæ non fit niſi pro mortali peccato, ut *c. Væ qui dicis, 11. q.3. & c. Væ eis de pœnitentia, diſt.4.* & in puncto notat Turrecr. *in c. Sexto die n.6. 35. diſt.* Sed & Augu-
64 ſtinus in epiſtol. ad ſacras Virgines: *Ebrietas,* inquit, *eſt flagitiorum omnium mater, culparumque materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, ſubverſio ſenſus, tempeſtas linguæ, procella corporis, naufragium caſtitatis, amiſſio temporis, inſania voluntaria, ignominioſus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honeſtatis infamia, animæ corruptela,* & infrà: *Ebrietas in utroque ſexu cuncta mala appetit, & nefanda committit,* & ut ait Apoſtolus, Regna cęleſtia appetentibus denegat; & idem Auguſtinus *in Epiſt. 182. Ebrietas eſt blandus dæmon, dulce venenum, ſuave peccatum, quam qui habet, ſeipſum non habet, quam qui facit, peccatum non facit, ſed totus eſt peccatum.* Et procedunt hæc, quamvis ebrietas non ſit aſſidua: nam nihilominùs ſemper eſt mortale peccatum, ſi ſit voluntaria, ut ex ſententia D. Thomæ, & Cajetani *in 2.2. q.150. art.2.* Archidiac. *in d. cap. Sexto die, n.9.* & Turrecrem. *n.8. 35. diſt.* & aliorum, probavi latiſſimè in *c. A crapula, à n.24. uſque ad n.33. ſuprà de vita & honeſtate Clericorum,* & fuit opinio Vincentii, ut tetigi ſupra, *n.32.* Quamobrem licèt ex revelatione ebrii prodiret commune bonum Reipublicę, tamen nefas eſſet uti hoc medio ebrietatis, quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona, ut in hac ſpecie ſcripſit Cajet. *dict. art 2. ad tertium, verſ. Ad alterum verò.* Et qui inebriat, ipſe quoque inebriabitur, *Prov.11.* & ſecundùm Auguſt. *epiſt.182. Quicumque ad bibendum pronus fuerit, vel convivio alios ſuos adjuvabit pro ſe, ut & pro ipſis in die judicii reus erit.*

Non obſtant contraria. Ad primum enim reſpondetur, non valere illationem: Ebrietas eſt licita ad vomitum provocandum, & recuperandam corporis valetudinem; ergo etiam eſt licita ad detegendum ſecretum pro ſalute civitatis, aut regni. Nam in primo caſu potus in ordine ad pro- 65
prium, & proximum finem valetudinis non eſt immoderatus, ſi medicinæ ars tantam vini copiam requirat ad provocandum vomitum, & morbum depellendum. Unde ebrietas tunc non eſt peccatum, quia eſt per accidens, & non provenit ex inordinata concupiſcentia vini cum cognitione potentię illius ad inebriandum, quæ eſt ratio formalis ebrietatis, ut declarat Cajet. *in 2.2. q.150. d. art.2. ad 3. verſ. Ad alterum verò:* in ſecundo autem caſu potus non ordinatur per ſe ad revelationem ſecreti, vel ad ſalutem Reipublicę, ſed proprius, & proximus illius finis eſt ebrietas, & revelatio poſteà contingit per accidens, ut tetigi ſuprà *n.56.* Moralia autem 66
recipiunt ſpeciem non ab his, quæ per accidens eveniunt; ſed ab eo, quod eſt primò, & per ſe intentum, ut in propoſito docet S. Thomas *d. art 2.* & Arch. *in c. Sexto die n.9. 35 diſt.* Quare hoc ſecundo caſu ebrietas eſt formalis, & ſic intrinſecè mala, ut conſtat ex dictis ſupra in *ult. fundam. n.63.*

Ad ſecundum reſpondetur, doctrinam illam Martini, 67
quòd licita ſit ebrietas ad evitandam ſęvitiam Tyranni, non eſſe tutam, eamque poſt Cajetan. *loc. cit.* plenè confutavi in *d. cap. A crapula, à nu.37. uſque in fin. ſupra de vit. & honeſt. Cleric.* Unde hinc potiùs ſumi poteſt validum fundamentum pro hac parte: nam ſi non licet ſe inebriare ad evitandam mortem proprii corporis à tyranno imminentem, ob eam rationem, quia proprius, & proximus finis immoderati potus eo caſu eſt ebrietas, & evitatio mortis eſt per accidens: Ergo ob eamdem cauſam multò minùs licita erit 68
ebrietas ad hoc, ut ex ea ſequatur revelatio conjurationis, & ex revelatione liberatio Reipublicæ. Quia jure naturæ magis adſtringimur ad tutelam proprii corporis, quàm ad tutelam patriæ, vel parentum, ut probat text. in Clem. *Si furioſus,* juncta gloſ. *in ver. Suum, de homicid.* & ſcripſi plenè in *c. Petito, eod. tit.*

Ad tertium reſpondetur, imò ſecundùm veriorem ſen- 69
tentiam Judici non licere leges tranſgredi, etiam ob publicam ſalutem, ut latè deduxi in *cap. Canonum ſtatuta, à nu. 114. uſque in fin. de Conſtitut.* Et quatenus id liceret, non 70
tamen fas eſſet uti mediis ex ſui natura illicitis, & malis, ſicut eſt ebrietas.

Ad quartum, omiſſa reſponſione, quòd Princeps, quamvis 71
ſit ſolutus legibus vi coactiva, illis tamen adſtringitur vi directiva rationis, ut probavi latiſſimè in *d.c. Canonum ſtatuta, à n 57. uſque ad n.64.* Reſpondeo, Principem eſſe ſolutum legibus humanis, ſed non lege naturali & divina, *c. Sunt quidam, 25. q.1. c. Si is qui præſt, 10. q.3. & c. Quæ contra, 8. diſt.* cum multis ſimilibus: ebrietatem verò lex Dei, & naturæ vetat, ut conſtat ex dictis ſupra *n.63. & ſeq.*

DE RELIQUIIS, ET VENERATIONE SANCTORUM.

Innocentius III. in Concilio generali.

C A P U T II.

CUm ex eo, quòd quidam Sanctorum reliquias exponunt venales, & eas paſſim oſtendunt, Chriſtianæ religioni detractum ſit ſæpiùs: ne in poſterum detrahatur, præſenti decreto ſtatuimus, ut antiquæ reliquiæ amodò extra capſam nullatenùs oſtendantur, nec exponantur venales. Inventas autem de novo, nemo publicè venerari præſumat, niſi priùs auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ. Prælati verò non permittant eos, qui ad eorum Eccleſias cauſa venerationis accedunt, variis figmentis, aut falſis documentis decipi, ſicut in pleriſque locis occaſione quæſtus fieri conſuevit.

S U M M A R I U M.

1 *Reliquias vendere, vel paſſim oſtendere, aut de novo inventas ſine licentia Papæ venerari non licet.*

2 *Sacræ res non ſunt in dominio alicujus, nec recipiunt æſtimationem.*

3 *Spiritualia vendens, capitale crimen cum ſimonia committit.*

4 *Reliquiæ non debent extra capſam oſtendi, præſertim quæſtus cauſa.*

5 *Reliquias novas an, & quando venerari liceat ſine licentia Papæ.*
Et quid poſt Concilium Trid. n.6. & ſeqq.

6 *Reliquias non canonizati an hodie poſſit Epiſcopus recognoſcere, & approbare, & num. ſeqq. uſque ad num.* 10.

7 *Miracula nova non canonizati admitti non debent, niſi recognoſcente, & approbante Epiſcopo, & n.9.*
Qui tamen debet negotium inſtructum ad Sedem Apoſtolicam tranſmittere, & ejus reſponſum expectare, num. 10.

8 *Determinatio una reſpiciens duo determinabilia, debet utrumque pariter determinare.*

9 *Niſi in uno diverſa ſit ratio, quàm in altero, & numer.* 21.
Vel niſi aliàs induceretur juris correctio, num. 22.

11 *Reliquias novas Sancti non canonizati ſecreto venerari, ſeu ad illas devotionem habere, non eſt prohibitum.*

12 *Reliquiæ portari poſſunt ſuſpenſæ ad collum, dummodò id fiat ex fiducia Dei, & Sanctorum, non autem ſuperſtitioſè.*

13 *Quæſtorum fraudes, & figmenta varia.*

14 *Corpora Sanctorum an Epiſcopus poſſit de Eccleſia ad Eccleſiam transferre ſine authoritate Papæ, & nu. ſeqq. uſque ad num.29.*

15 *Reliquiæ transferri poſſunt Epiſcopi authoritate.*

16 *Intellectus cap.* Corpora Sanctorum, de conſecrat. diſt. 1. *& num. ſeq.*

17 *Corpora Sanctorum injuſſu Principis non ſunt transferenda.*

18 *Translatio reliquiarum, & corporum Sanctorum fieri non debet authoritate Principis ſæcularis.*

19 *Conſilium in ſpiritualibus à laicis petere, non eſt prohibitum.*

20 *Conſilium petere qui tenetur, illud ſequi non cogitur.*

23 *Conſilium, & conſenſus ſibi invicem compatiuntur.*

24 *Corporum defunctorum translatio cur legibus imperialibus interdicta.*

25 *Corpora excommunicatorum, & hæreticorum exhumari debent.*

26 *Sepulchrum tangere olim non licebat, etiam reficiendi cauſa.*

27 *Gladius uterque reſtitutus Sacerdotibus, ab Ethnicis Principibus uſurpatus.*

28 *Reliquiarum translationem cur Concilium Moguntinum fieri decreverit authoritate Epiſcoporum.*

29 *Corpora Sanctorum transferre an poſſit Epiſcopus ſine Capituli conſenſu.*

30 *Capitulum majoris Eccleſiæ aliquando Concilium appellatur.*

31 *Corpora Sanctorum de loco ad locum ſine juſta cauſa transferri non debent.*

32 *Translatio reliquiarum eſt ſpecies alienationis.*

33 *Aquilejenſis Concilii decretum de translatione Sanctorum corporum, & reliquiarum refertur.*

34 *Corpora Sanctorum transferens ſine legitima licentia qualiter ſit puniendus.*

35 *Pœna eſt arbitraria judici, ubi à jure non reperitur determinata.*

36 *Delictum transferentis Sanctorum corpora cui aſſimiletur.*

37 *Extravagans* Ambitioſæ *locum habet in alienantibus res temporales, non autem ſpirituales.*

CUm ex eo. Sanctorum reliquias vendere, vel paſſim oſtendere, aut de novo inventas ſine licentia Papæ venerari non licet. Hoc dicit. Et tria facit. Primò ponit duplicem exceſſum, quem ſecundò prohibet, diſtinguendo inter veteres, & novas reliquias, ibi, *Præſenti*. Tertiò fraudes per Prælatos cohiberi præcipit, ibi, *Prælati*. 1

Nota primò, ibi, *Exponunt venales*, Sanctorum reliquias vendi non poſſe, ut hìc, *& in l. Nemo, Cod. de ſacr. ſanct. Eccleſ.* Idque duplici ratione. Altera eſt, quia res ſacræ, quales ſunt reliquiæ, non ſunt in dominio alicujus, nec recipiunt pretii æſtimationem, *l. Sacra loca, §. ult ff. de rer. diviſ.* & conſequenter vendi non poſſunt, quia ſine pretio venditio non conſiſtit, *l.2. §. Sine pretio, ff de contrah. empt. & §. Item pretium inſtitut. de emption. & vendition.* Altera ratio eſt, quia ſpiritualia, & ſpiritualibus annexa non poſſunt vendi ſine labe ſimoniæ, *c. Quærelam infra de ſimon. cap. De jure ſupra de jurepatr.* Imò qui ſpirituale vendit, capitale crimen cum ſimonia committit, *cap. Qui ſtudet* 1. *quæſt.* 1. *gloſ.* 1. *hìc*, Hoſt. *in princ.* Butr. *n.8.* & Abb. *in* 1. *notab.* 2 3

Secundò nota, ibi, *Extra capſam*, antiquas reliquias non debere extra capſam oſtendi, ne Chriſtianæ religioni detrahatur, ut dicitur in littera. Ex hoc enim ſecundum Hoſt. *n.5.* Jo. Andr. *num.1. in verb. Extra capſam*, Butr. *num.* 3. & Abb. *in 2. not.* dectractores ſumunt occaſionem obloquendi, & blaſphemandi; nam videntes oſſa nuda, ut verbis Hoſtien. utar, dicunt, truffæ ſunt,; ſi enim Sanctus eſſet, non eſſet ſic conſumptus; non advertentes ad illud quod generaliter omnibus dictum eſt, Geneſis 3. *Cinis es, & in cinerem reverteris.* Aliam rationem habes infra *n.28. in fin.* Maximè autem procedit hæc prohibitio, ſi reliquiæ è capſa extrahantur quæſtus gratia, ut largiores fiant oblationes; qui enim hoc faciunt, poſſunt dici venales, ſicut & mulier fatua, & advocatus, & pugil, cùm paſſim ſe offerunt pecuniæ cauſa, ſecundùm Hoſt. *nu. 6. in verb. Nec exponantur, & n. 7.* Jo. Andr. *nu. 2. in eod. verb.* Butr. *nu.4.* Cardin. Anch. & Abb. *omnes in* 1. *notab.* Hæc enim eſt quædam larga venditio ſecundum Abb. Quo autem modo, ſeu forma, quove ordine ac decentia Sanctorum reliquiæ ſint populo exhibendæ, explicat præclarè Concilium Aquilejenſe primum *in tit. de reliq. Sanctor. tom.4. Concil. part.2. fol.* 584. *col.2.* Subdit tamen. Hoſt. *n.10. in verb. Auctoritate*, hoc minùs benè ſervari, quia ſtatuta omnia frangit avaritia, & inſolentia Clericorum; quod eſſet corrigendum. Facit *c.1. in fin. ſupra de decim.* Ad hoc Conc. Trid. *ſeſſ.25. de invocat. venerat. & reliq. Sanctor. &c. circa finem*, ibi, *In reliquiarum veneratione* 4

omnis

omnis turpis quæſtus eliminetur. Et Concilium Aquilejen. *loco citato*, *litt. F.*

Quemadmodum autem fas non eſt veteres reliquias extra capſam oſtendere, aut venales habere, ut hîc dicitur; ita nec licet illas transferre ſine licentia Papæ, ſecundum Hoſtien. *n.6. in verb. Nec exponuntur*, & Joan. Andr. *num.2.* Sed hoc latiſſimè examinabitur *infra in 1. quæſt.*

5 Tertiò nota ibi, *Inventas autem de novo*, nemini licere reliquias de novo inventas publicè venerari ſine auctoritate Romanis Pontificis, ut hic eſt caſus ſecundum omnes. Quod intellige de reliquiis omninò novis: nam ſi eſſent antiquæ, licèt de novo inventæ, non eſſet locus huic prohibitioni, ſecundum Jo. Andr. *hic num.3.* & Butr. *n. 5.* & hoc verum, ſi certum ſit illas eſſe reliquias Sancti antiquitùs approbati, puta ſi cum eis inventa eſſet ſcriptura, ſeu documentum authenticum de hoc fidem faciens, ſecundum Hoſtien. *n.9. in verb. De novo*: ſecus ſi eſſet dubium, quia tunc ſine auctoritate Papæ illas colere non liceret, ut per Abb. *n.1. verſ. Sed dictum gloſſæ*, qui ita intelligit hunc textum.

6 Neque verò hæc diſtinctio inter reliquias veteres de novo inventas & reliquias omninò novas videtur hodiè ſublata à Concilio Tridentino *ſeſſ.25. de invocat. venerat. & reliq. Sanctor.* ubi ſtatuitur novas reliquias non eſſe recipiendas, niſi recognoſcente, & approbante Epiſcopo, qui ſimulatque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in conſilium Theologis, & aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati, & pietati conſentanea judicaverit. Quandoquidem Concilii diſpoſitio videtur intelligenda de reliquiis de novo inventis, quæ ſunt alicujus Sancti antiquitùs approbati, non autem de omninò novis, ut ſic recipiat interpretationem paſſivam à jure communi, ac *l.2. Cod. de noval.* & non corrigat hanc decretalem; expedit enim jura juribus concordare, *dict. cap. Cum expediat de election. lib.6.* Præſertim verò, quia ſi Epiſcopus poſſet publicæ venerationi exponere novas reliquias non canonizati, utique hoc modo per indirectum poſſet in ſua diœceſi etiam Sanctos canonizare, & unicuique liceret de licentia ſolius Epiſcopi aliquem venerari pro Sancto, contra text. in *cap. prox. ſupra eod.* contra unanimem Doctorum ſententiam, & inveteratam conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ, ut ibi dixi *in 1. notab.*

7 Sed dices: Conſilium ſub unica verborum conceptione determinat nulla admittenda eſſe nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, niſi recognoſcente, & approbante Epiſcopo: Sed reſpectu miraculorum Sacra Congregatio ejuſdem Concilii interpres conſulta, an hæc diſpoſitio, quæ videtur admodum univerſalis, intelligenda ſit de miraculis perſonæ etiam non canonizatæ, an verò de miraculis Sanctorum canonizatorum duntaxat: Reſpondit de omnibus eſſe intelligendum: Ergo ſimiliter reſpectu, reliquiarum intelligi debet de omnibus reliquiis etiam Sancti non canonizati; quia una determinatio reſ-

8 piciens duo determinabilia, debet utrumque æqualiter determinare, *l. Jam hoc jure*, *§. Si de ſi*, & ibi Bart. *n.1. ff. de vulg. & pupillar. l. fin. C. de ſent.* Decius in *c. Novit. n.56. ſupra de judic.*

9 At reſpondetur dictam regulam dupliciter limitari, primò enim non procedit, quando in uno ex determinabilibus eſt diverſa ratio, quam in altero, *l.2.* & ibi gloſſ. *1. ff. de offic. Proconſul. & legat* & ita eam limitat Imola in *leg. Cajus in 3. colum. ff. ſolut. matrim.* & Pomat. in addit. ad Butr. in *leg. Si quis major. col.2. in verb. Et hoc not. verſ. Eo quia una determinatio, Cod. de tranſact.* Et quamvis hanc limitationem in diſpoſitione hominis revocet in dubium Alexand. ubique in *dict. leg. Jam hoc jure*, & poſt eum Jaſon. *ibi*, *num.11. in 2. limit.* tamen eam admittunt in diſpoſitione legis. Secundò non procedit prædicta regula, quando aliàs induceretur correctio juris, ut dicam infra *n.22.* Utraque autem limitatio concurrit in caſu præſenti, quandoquidem verſamur in diſpoſitione legis Conciliaris. Et longè diverſa eſt ratio inter nova miracula, & novas reliquias: nam de jure communi poteſt Epiſcopus inquirere, ac teſtes recipere ſuper miraculis, & vita alicujus canonizandi, *ut l.* & notat, in *cap. Venerabilis, ſupra de teſtibus*. Unde intelligendo decretum Concilii generaliter de novis miraculis tam Sancti jam canonizati, quàm canonizandi, nulla ſequitur abſurditas, aut juris correctio. At verò quoad reliquias ſi Concilium intelligeretur de omninò novis, corrigeretur jus vetus, & ſequerentur abſurda, quorum ſuperiùs meminimus.

Præterea ex eo, quòd Epiſcopus recognoſcat miracula alicujus canonizandi, non ideò licet eum venerari pro Sancto, *ut cap. pr. x. ſupra eod.* quia miracula quandoque fiunt etiam per malos, *cap. Teneamus 1. q.1. gloſſ. 1. in cap. Venerabili ſupra de teſtibus*, & ſic Epiſcopus per hoc nihil novum in Eccleſia ſtatuit. At ſecus eſſet, ſi approbaret reliquias alicujus nondum canonizati, quia ſic Sanctum novum in Eccleſia introduceret; & tamen Concilium circa finem decreti præallegati Epiſcoporum facultatem in recognoſcendis novis reliquiis limitat in hæc verba, videlicet. Ita tamen, ut nihil inconſulto Sanctiſs. Rom. Pontifice novum, aut in Eccleſia hactenus inuſitatum decernatur. Teneas igitur, neque de jure communi, neque ex Concilio Trident licere Epiſcopo approbare reliquias omninò novas, id eſt Sancti antiquitùs non approbati: quidquid contra ſcripſerint Moderni Collectores.

Adde, quod hodiè ex decreto ſan. mem. Urbani VIII. 10
die 13. Martii 1625. edito in generali Congregatione S. Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis, ac relato per eoſdem modernos *hic num. 6.* quamvis Ordinarii locorum poſſint recognoſcere, & approbare miracula alicujus, qui Martyrii fama, vel Sanctitatis opinione celebris è vita migravit: tamen ne quid novum, ac inordinatum in re tam gravi committatur, jubentur negotium inſtructum ad Sedem Apoſtolicam tranſmittere, ejuſque reſponſum expectare.

Quartò nota ibi, *Nemo publicè venerari præſumat*, à 11
contrario ſenſu non eſſe prohibitum in ſecreto venerari reliquias de novo inventas alicujus Sancti ab Eccleſia nondum canonizati, ſeu ad illas devotionem habere, prout hic notat Hoſtien. *n.10.* Joann. Andr. *n.3.* Butr. *n.6.* & reliqui omnes, de quo *in cap. unic. infra eodem lib.6.* & poſt Innocent. & alios dixi ſupra in *cap. proxim. num. 18.* Unde nec videtur prohibitum hujuſ- 12
modi reliquias geſtare ad collum ſuſpenſas; æquè enim licet occultam hanc devotionem habere ad has novas, ſicut ad antiquas reliquias, ut proximè dictum eſt. De antiquis autem hoc licere author eſt S. Thomas in 2. 2. *quæſt.96. art.4. ad tertium, juncto arg. contrario*, ubi docet reliquias Sanctorum, vel divina verba licitè portari ſuſpenſa ad collum, ſi portentur ex fiducia Dei, & Sanctorum, quorum ſunt reliquiæ: ſecus ſi attenderetur aliquid aliud vanum, quod non pertineret ad reverentiam Dei, & Sanctorum, quia eſſet ſuperſtitioſum, & illicitum: ſequitur S. Anton. in 3. *part. tit.12. cap.8. in princip. verſ. Item portare reliquias*, Silveſter. poſt alios *in verb. Reliquiæ num.4.* Navarr. *in Manual. cap.11. numer.35. in fin.*

Ultimò nota ibi, *Prælati verò non permittant*, ad 13
Prælatorum officium pertinere pravos quæſtorum abuſus corrigere, ne fidelis populus variis illorum figmentis, & falſis documentis decipiatur. Ad hoc Concil. Tridentin. *c.9. ſeſſ.21.* & multas illorum fraudes commemorat hîc Hoſtien. *n.11.* & alii poſt eum, & vide quod ſcripſi in *c. Tuarum n.2. infra de privil.*

QUÆRO, an Epiſcopo abſque Sedis Apoſtolicæ autho- 14
ritate ſaltem de ſui Capituli conſenſu liceat Sanctorum corpora de Eccleſia ad Eccleſiam transferre.

Authoritate Epiſcopali citra ſcientiam Sedis Apoſto- 15
licæ translationem reliquiarum, vel corporum Sanctorum fieri poſſe, affirmat Angel. in *verb. Reliquiæ n.1.* quem ſequitur Silveſtr. nam etſi eum non nominet, tranſtulit tamen ejus verba in ſumma in *verb. Reliquiæ num.3.* & Armilla in *verb. Reliquiæ*, & Tabien. *in eodem verb.* Et pro hac opinione adduci poteſt irrefragabile fundamentum ex regula, quæ habet, poſſe Epiſcopum in ſua diœceſi quæcumque Conditor canonis ſibi expreſsè non reſervavit, *cap. Nuper, de ſentent. excom. munic.* ubi gloſſ. in *verb. Retinuit*, *& cap. Clerici*, *§. de adulteriis de judic.* ubi per gloſſ. & Doctores hoc axioma explicatum eſt. At hic caſus non recenſetur inter reſervatos eminentiæ Sedis Apoſtolicæ, licèt Speculator enumeret *89. in Rubr. de legat §. Nunc extendendum*, & Hoſtien. *61. in ſumm. de offic. legat*

Nec obſtat authoritas gloſſ. Jo. *in c. Corpora Sanctorum*, 16

de conſecrat. diſt. 1. in verb. Principis, ubi exponit verbum Principis ideſt Papæ. Unde elici videtur, id fieri non poſſe ſine Papæ licentia; quod ſentit Hoſt. *in ſumm. tit. de reliq. & vener. Sanct.* & alii qui ſcribunt ſuper *d. c. Corpora*, & idem Hoſt. *hic num. 6. in verb. Nec exponantur*, & Jo. Andr. *n. 2.* Paulus de Caſtro in *leg. Idem Julianus*, *quæ eſt 41. §. Conſtant, de legat. 1. n. 9.* & Franciſcus Aretin. *ibid. in fin.* dicentes id eſſe verum etiam de aliis corporibus defunctorum. Id, inquam, non obſtat, quia dicta expoſitio eſt ſatis aliena à verbis dicti canonis, ſicut eſt etiam aliàs ſimilis explicatio gloſ. quæ expoſuit textum in *l. final. C. de relig. & ſumpt. funer. Auguſti affatibus*, id eſt Papæ. Et hoc
17 eſſe verum jura juribus declarando, comprobatur, quia Concilium Moguntinum non ſtatuit aliquid novi, ſed idem, quod antiquis legibus, & jure gentium priùs, & ſanctionibus Imperatorum & Gentilium, & Chriſtianorum fuerat ordinatum, ut corpora quorumcumque defunctorum non transferrentur injuſſu Principis, *ut in l. fin. Cod. de religioſ. & ſumpt fun.* quæ fuerat lata anno Domini 388. per Imperatores Valentinianum, Theodoſium, & Arcadium, quoniam ne fortè poſſet controverti, an dicta diſpoſitio traheretur ad corpora Sanctorum, ſtatuit dictum Concilium idem, quod in *l. Oſſa, & d. l. fin.* ſcilicet, ut id non attentaretur ſine licentia Epiſcoporum, vel ſine juſſu Principis, & Imperatoris. Dicta autem jura, ſcilicet *l. Oſſa, & l. fin.* ſuper quibus fundat ſe gloſſa nullo modo patiuntur gloſſæ intellectum, cùm Ulpianus conditor *d. l. Oſſa*, fuerit Ethnicus, & Imperatores in illis verbis, *Auguſti affatibus*, nulla ratione de Papa ſenſiſſe videri poſſint, cùm ipſa verba repugnent: & eadem gloſſa Decreti parùm ſibi conſtans idem verbum *Principis*, quod habetur in *c. Diffinivit 17. q. 4. in fin.* expoſuit, Principis, ideſt judicis Eccleſiaſtici, cùm verba ſimiliter concepta eſſent de Principe temporali, & ſæculari; & ſi inſpiceretur prototypon, ſeu originale Concilii Moguntini primi in cap. 51. unde deſumpſerunt & Gratian. & Ivo, & Buccardus hunc canonem, fortaſsè reperiretur tunc ab Eccleſia nihil aliud actum fuiſſe, quàm ut ſanctio prohibens transferri corpora profana, etiam in corporibus ſacris obſervaretur. Et mirum eſt gloſſam civilem in *d. leg. fin. Cod. de Relig.* incidiſſe in hanc expoſitionem, dum *in leg. fin. ff. de mort. infer.* expoſuit verb. *Pontificis*, in materia translationis corporum defunctorum, id eſt Epiſcopi, qui in talibus ſuum exercet officium, & *in l. Hæreditas, ff. de petit. hæreditatis in fin.* expoſuit verba, *Principali, ſeu Pontificali authoritate*, Principis, vel Papæ ſeu Epiſcopi, & *in l. 2. §. Tamen Divus Marcus, ff. de ſepulc. violat. cenſ.* translationem fieri permiſſu Principum, quæ gloſſæ expoſitio corroborat opinionem pro Epiſcopo.

18 Porrò à legibus Imperialibus hoc tantùm diſcrepat Concilium Moguntinum, quòd illæ loquuntur de juſſu Principis, hoc verò de conſilio tantùm. Id quod ea habeat rationem, quia cùm actus translationis reliquiarum, & Sanctorum corporum ſit ſpiritualis, fieri non debet authoritate, ac juſſu Imperatoris, cui nulla eſt de rebus ſpiritualibus diſponendi facultas, §. 1. 96. *diſt.* & habetur 10. *diſt per to-*
19 *tam, c. Judicatum 86. diſt. & cap. Solitæ de major. & obed.* At conſilium in his peti etiam à laicis ſacri Canones non repugnant, *cap. Ad noſtram de conſuetudin.* Neque enim conſilium eſt neceſſitatis, ſed voluntatis, *c. ult. §. Quod præci-*
20 *pitur 14. qu. 1.* Ideòque qui tenetur conſilium petere, illud tamen ſequi non cogitur, *c. 1. de Cappell. Monach. c. Cum olim de arbitr. gloſ. in c. Cum in veteri in verb. Expectatum de elect.* & ſæpiùs in ſimilibus caſibus reſpondit S. Congregatio Concilii.

21 Neque obſtat, quòd cùm textus *dict cap. Sanctorum*, loquatur de conſilio Principis, vel Epiſcoporum, quemadmodum reſpectu Epiſcoporum importat conſenſum, ſecundum gloſſ. in *cap. 1. §. final. in verb. Cum conſilio, Ne ſede vacant. lib. 6.* ita & reſpectu Principis, ex regula *l. Jam hoc jure, §. Sed ſi ff. de vulgar. & pupillar.* Nam reſpondetur eam regulam non procedere, quando determinabilia diverſam habent rationem, ut habet hoc caſu Princeps laicus ob ejus incapacitatem. Ita colligitur *ex c. Cum Marthæ in princ. de celebrat. Miſſar. DD. in c. Translato de conſtitut.* & dictum eſt ſupra *n. 9.*

22 Quemadmodum nec procedit dicta regula, quando aliàs juris correctio induceretur, ut declarat Bald. in *c. Inter cæteras de reſcript.* & Abb. in *d. cap. Translato, circa finem.* Sicut induceretur hoc caſu, nam cum reliquiarum translatio fieri non poſſit ſine authoritate Epiſcopi: ſi verbum, *Conſilium*, reſpectu Epiſcoporum ſtaret in propria ſignificatione, corrigerentur jura, quæ conſenſum requirunt. Præterquamquòd etſi verbum illud importaret verum, & proprium conſilium etiam reſpectu Epiſcoporum; ſatis tamen eſt, ut neceſſitas exigendi Epiſcoporum conſenſum eliciatur ex aliis juribus: cùm conſilium, & conſenſus ſibi invicem compatiantur, *ut in c. Cum in veteri*, ubi gloſ. in *verb. Expectatum de elect.* Præterea obſervandum eſt accuratè verbum illud, *Conſilio*, fuiſſe appoſitum reſpectu Principis tantùm: reſpectu autem Epiſcoporum fuiſſe oppoſitum verbum *Licentia*, quod habetur ibi in fin. & refertur tam ad Epiſcopos, quàm ad Synodum, *cap. Secundo requiris ſupr. de appell.* Unde ſenſus eſt: Corpora Sanctorum non transferantur ſine conſilio Principis, vel licentia Epiſcoporum, ſanctæque Synodi: & ſic ceſſat omnis difficultas, quia utrumque verbum retinet propriam ſignificationem.

Sed etſi expoſitio gloſsæ in *dict. cap. Corpora*, admitte- 23
retur, non tamen ex ea inferretur, ut hujuſmodi translatio competeretur ſoli Papæ, quia nec ipſa, nec ejus ſectatores hoc affirmant; nec ſi affirmarent, eſset verum, quia idem canon contradiceret, & repugnaret, cùm in ultima parte det facultatem Epiſcopis expreſsè; loquitur enim alternativè ibi, Sine conſilio Principis, vel Epiſcoporum: ex quo ſequitur, ut non competat ſoli Papæ, ſed Papæ, & Epiſcopis, videlicet Papæ in univerſo orbe, & Epiſcopis in ſua cuique diœceſi, ut exponunt gloſs. præallegatæ, & affirmant Summiſtæ citati ſupra *n. 15.* Ideòque Hugon. & poſt eum Turrecrem. in *d. c. Corpora n. 2.* Silveſt. in *verb. Reliquiæ qu. 3.* dicunt ad Papam, vel ad Epiſcopos hoc jus pertinere: & tamen eſt verum quod Piſanella affirmat in *verb. Reliquiæ*, id eſt decretum prædicti Concilii admittere generalem diſpoſitionem legum Imperatorum, quibus cautum erat, ut hæc facultas pertineret etiam ad alios, quàm ad Principem.

Nec obſtat ratio, quam inducunt ſcribentes in *c. prox. ſupra eod.* cur Papa tantùm competat facultas canonizandi Sanctos, juxta text. ibi, *Et in cap. Venerabili de teſtibus*, ſcilicet, quia feſtum & officium illorum celebrandum eſt ab omnibus; & propterea idem ſit dicendum de traslatione. Nam reſpondetur feſtum translationis celebrari in Eccleſia particulari: Epiſcopus autem ſicut ſtatuere poteſt, ut feſtum aliquod celebretur in particulari Eccleſia; ita etiam poteſt conſtituere, ut celebretur feſtum in honorem alicujus Sancti, cujus corpus, vel notabiles reliquiæ ſint in illa Eccleſia, & loco particulari, ut firmant communiter Doctores in *d. c. prox.* & ibi dixi *n. 23.* & conſequenter etiam translationem poteſt facere ſine Papæ authoritate.

Minùs refragatur id quod ſancitum eſt in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. in decreto de invocat. & vener. Sanct.* Quia per illud tantum abeſt, ut aliquid detrahatur Epiſcoporum authoritati, ut potiùs videatur augeri illorum facultas quoad recognoſcendas, & approbandas novas reliquias, quæ de jure communi non ita clarè eis competebat, ut patet in hac decretali, & dictum eſt ſupra *n. 5. & ſeq.*

Opportunum eſset inveſtigare cauſam cur ita diſpoſi- 24
tum ſit circa translationem; cauſa enim non parùm conducit ad comprobandam, quam ſequimur, opinionem. Quippè ratio legum Imperialium expreſsa eſt in *l. Oſſa, ff. de reliq. & ſumpt. funer.* Erat enim injuria, & pro tali
æſtimabatur, ut cadaver humanum ſemel effoderetur. Un- 25
de etiam apud Eccleſiam receptum eſt, ut in ignominiam exhumentur corpora excommunicatorum, & hæreticorum, in Decretali, *Sacris, de ſepult. cum ſimil.* Item in *l. Divi*
fratres, eod. tit. cavetur, ne juſtæ ſepulturæ traditum, id eſt 26
terra conditum corpus inquietetur, & ne ex levi cauſa corpora, quæ quieſcebant, huc illucque aſportentur: & ideò ſine Principis licentia fas non erat, vel ſaltem Præſidis provinciæ, *leg. 1. eodem tit. de religioſ. & dict. leg. Divi fratres, & leg. Si quis autem, ff. eodem.* Item erat probibitum etiam Religionis cauſa, ob quam nec permiſſum erat ſepulchrum tangere etiam reficiendi ſtudio: erat enim vio-
lare ſepulchrum, *ut in l. fin. ff. de mort. infer.* Unde ad curam 27
Pontificum gentilium ſpectabat idem permittere, vel etiam ad Principem, qui etiam Pontificiam dignitatem exercebat:

cebat: quod hodiè commutatum eſt, quia Principi gladius tantùm temporalis Sacerdotibus verò uterque datus eſt; imò uterque reſtitutus eſt, cùm uterque malè uſurpatus eſſet ab Ethnicis Principibus, ut in Extravag. Bonifac. VIII. *Unam ſanctam, de major. & obedien.* Hæc de gentilitate.

28 Sed quoad Concilium, crederem duplici cauſa id inſtitutum; primò, ut honorificentiùs majori culto adhibito fieret translatio, & major cura adhiberetur; ut cautè ad id procederetur, ne extraherentur in publicum oſſa extra capſam, ſeu arculam: quod videtur deſumptum *ex d. l. Divi fratres*, ad vitandum periculum ſupponendi alias falſas reliquia, quibus populus deciperetur, ut legitur & notatur in hac decretali; & ideò id transferendi munus providentiſſimè Epiſcopo eſt tributum.

29 Sed majus dubium eſt, an Epiſcopus id poſſit ſine conſenſu Capituli ſuæ Eccleſiæ: & quamvis Archidiac. *in d. c. Corpora, de conſecr. diſt.* 1. Silveſt. & Armill. ſupracitati *n.* 15. videantur hanc facultatem Epiſcopo abſolutè attribuere per disjunctivam, *Vel*; tamen contrarium videtur verius, tum ratione rei, quæ gravis eſt, unde ſecundùm omnes regulas, *c.* 1. *& tot. tit. ſup. de iis, quæ fiunt à Prælat ſine conſenſu Capituli*. Epiſcopus tenetur ad hoc capitulum ſuum convocare, & audire, ita ut ſine ejus collaudatione nihil validè facere poſſit, maximè quia ſumus in materia alienationis quodammodo rerum Eccleſiæ: tum quia *d. c. Corpora*, quando agit 30 de Principe, nihil addit; at quando agit de Epiſcopo, ei per copulativam, *Que*, annectit Sanctæ Synodi licentiam; quam Synodum Petr. de Sampſ. Hugo, Archidiac. Bellam. & Turrecrem. exponunt pro clericis Majoris Eccleſiæ, & ſic Capituli Cathedralis, quod aliquando appellatur Concilium, *ut c. Placuit* 12. *q.* 2. Unde alii DD. cum loquuntur de Epiſcopi auctoritate in hac materia, addunt etiam Synodi licentiam copulativè, ut eſt videre apud Summ. Confeſſor. *lib.* 1. *tit.* 14. *q.* 24. quæ eſt tertia ſub rubricella de reliq. Alberic. de Roſate *in Dictionario in verb. Reliquiæ, §. ult. ad med.* Sum- 31 ma Baptiſtina, & Roſellæ ſupplementum *d. verb. Reliquiæ*: ex quibus videtur concludendum, Epiſcopum ſine licentia Summi Pontificis, cum conſenſu tamen ſui Capituli poſſe Sanctorum corpora transferre de loco ad locum, licèt id ſine juſta cauſa, quarum; aliquas ponit Turrecr. *in d. c. Corpo-* 32 *ra q.* 3. facere non debeat; & fortè etiam non teneat hæc translatio facta ſine cauſa, cùm ſit ſpecies alienationis, cùm corpus, quod aliquo modo ad unam ſpectabat Eccleſiam, alteri tradatur: unde non tenet alienatio, *c. Sine exceptione* 12. *q.* 2. *cum ſimil.*

Nec obſtat Staphil. *de Brevib.* qui poſtquam *n.* 42. dixit quando datur licentia extrahendi reliquias ex Capella monaſterii S. Anaſtaſii, addi clauſulam, *Et de licentia Commendatarii*: & ad hoc facere *c. Corpora de conſecr. diſt.* 1. ubi dicitur: Nemini licere corpora Sanctorum de loco ad locum transferre ſine conſenſu Papæ: quoniam non ob id excludit licentiam Epiſcopi, quam ipſe impertiri poteſt, *ex eodem c. Corpora*.

Cæterùm etſi putem ſupradictum intellectum ad illum 33 text. eſſe verum, & germanum; fateor tamen expoſitionem gloſſæ præbuiſſe materiam pleriſque exiſtimandi translationem Sanctorum corporum eſſe Sedi Apoſtolicæ reſervatam; adeò ut in Concilio Aquilejen. I. *in tit. de reliq. Sanctor.* cautum reperiatur ut infra, videlicet: Corpora Sanctorum transferri quidem non poſſunt ſine Sedis Apoſtolicæ licentia: Reliquiæ inſignes de loco ad locum transferri ita demum poterunt, ſi Epiſcopus decretum in Archivio Epiſcopali, & libro particulari ſervandum ad rei geſtæ perpetuam memoriam fecerit, cur id fieri permiſerit, *to.* 4. *Conciliorum part.* 2. *fol.* 585. *col.* 1. Et quamvis illud Concilium ſit Provinciale, & non confirmatum à Sede Apoſtolica, ideòque extra provinciam non habeat vim canonis, ut ſcripſi in *c. Canonum ſtatuta, n.* 14. *ſupra de conſtitut.* eſt tamen magnæ auctoritatis, cùm fuerit recognitum, & emendatum à S. Congregatione Concilii ad præſcriptum Conſtitutionis Sixti V. ſuper inſtitutione ejuſdem Congregationis.

Sed quatenus dicta translatio non poſſit fieri ſine auctori- 34 tate Apoſtolica, dubitatur qua pœna eſſet puniendus, qui hujuſmodi corpora ſine tali licentia transferret. Reſpondetur conſiderandum, an ſubſit cauſa excuſationis dolum excludens, ad *l.* 3. *§. Prima verba, ff. de ſepult. viol. ex reg. gloſſæ in l. Plagii, in verb. Juſta C. ad legem Flaviam, de Plag.* Quòd ſi 35 nulla cauſa adducatur, cùm in jure certa nõ reperiatur huic facto annexa pœna arbitrio judicis erit imponenda, argum. *c. De cauſis, in fin. de offic. deleg. & c. Sicut dignum, de homicid.* Sed quia in arbitrariis ex ſimilibus proceditur, *l. non poſſunt, ff. de legib.* videndum erit propterea cui delicto hoc aſſimiletur: & quidem non videtur ſimile ei, qui cadaver ſpoliavit, de quo in *d. l.* 3. *§. Adverſus, ff. de ſepult. viol.* nec ei, qui violando ſepulchrum corpus eruit, de quo in *l.* 4. *& l. fin. C. eod.* cùm in caſu noſtro ceſſet modus injurioſus, ſeu violentæ, & injurioſæ ſpoliationis: nec eſt ſimile vero ſacrilegio, quia rei furtum facere noluit; unde videtur potiùs ſimile alienanti res Eccleſiaſticas, ut elici poteſt ex Abb. in *c. Nullus, in princip. de jur. patr.* & Calder. *in conſ.* 1. *de Baptiſm.* ubi ſimile dicit de eo, qui jus baptizandi alii confert Eccleſiæ: & tamen hunc cenſet indiſtinctè non incidere in excommunicationem latam contra alienantes res Eccleſiæ per Extravag. Pauli II. *Ambitioſæ, de reb. Eccleſ. non alien.* quæ loquitur de alienantibus res temporales Eccleſiæ, non autem ſpirituales; quia cum d. cap. excommunicatio ſit latæ ſententiæ, ad alium caſum non poteſt per judicem extendi, ſaltem pro delicto jam perpetrato: quia non poteſt judex per ſuam extenſionem facere ut qui non erat excommunicatus, ſit modò excommunicatus ſine novo delicto. Unde videtur pœna eſſe omninò imponenda arbitrio judicis, ſecundum regulam *d. c. De cauſis*.

DE OBSERVATIONE JEJUNIORUM.

Innocentius III. Bracharenſi Archiepiſcopo.

CAPUT II.

CONſilium noſtrum: & infrà. Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quòd omnium Apoſtolorum vigiliæ ſunt in obſervatione jejunii celebrandæ, præter vigilias Apoſtolorum Philippi & Jacobi, & beati Joannis Evangeliſtæ: quoniam ipſorum ſolemnitas infra ſolemnitatem Paſchalem, iſtius autem infra Natalem Domini celebratur. Jejunium etiam apud nos in Adventu Domini agitur. Sanctorum quoque vigiliæ, quorum feſtivitates oportet ſecunda feria celebrari, in præcedenti ſunt Sabbato jejunandæ. De feſtivitate verò beati Bartholomæi Apoſtoli, de cujus celebratione dubietas oritur apud quoſdam: Reſpondemus, quòd in hoc conſuetudinem tuæ regionis obſerves: & infrà. Cùm autem quæſieris, quæ ſit illis pœnitentia injungenda, qui diebus Quadrageſimalibus quo tempore tantæ famis inedia ingruebat, quòd magna pars populi propter inopiam annonæ periret, carnes comedere ſunt coacti: Reſpondemus, quòd in tali articulo illos non credimus puniendos: preces tamen Domino pro illis, & cum illis effundas, ne ipſis aliquatenùs imputetur: quia bonarum mentium eſt, ibi timere culpam, ubi culpa minimè reperitur. Item de illis, qui pro-

pter debilitatem in Sabbato carnes ſumunt, quod in partibus tuis nullatenùs fieri conſuevit, cùm hoc ab aliis moleſtè feratur, & oriatur inde illis occaſio detrahendi: Reſpondemus, quòd ſuper hoc conſuetudinem tuæ regionis facias obſervari, ſic tamen quòd debilibus & infirmis propter hoc periculum non emergat. Præterea de illis, qui in Quadrageſima, vel in aliis jejuniis ſolemnibus infirmantur, & petunt ſibi eſum carnium indulgeri; Reſpondemus, quòd cùm non ſubjaceat legi neceſſitas, deſiderium infirmorum, cùm urgens neceſſitas exiſtit, ſupportare potes, & debes, ut majus in eis periculum evitetur.

S U M M A R I U M.

1 *Vigiliæ omnium Apoſtolorum ſunt in præcepto, præter vigilias Apoſtolorum Philippi & Jacobi, & Joannis Evangeliſtæ.*
2 *Nec valet contraria conſuetudo Gallicana.*
3 *Carnium eſus in Quadrageſima ægrotis eſt indulgendus.*
4 *Carthuſienſium ſtatus, qui languentibus in extrema neceſſitate carnes non concedunt, an ſit periculoſus, & num. ſeqq.*
5 *Carnium eſus an aliquo caſu ſit neceſſarius ad liberandum infirmum à mortis periculo.*
6 *Carnibus non veſcebantur homines in prima ætate, ideſt ante diluvium.*
7 *Juramentum, & votum non ligant, cum ſine interitu ſalutis corporalis ſervari non poſſunt.*
8 *Carnibus in Quadrageſima veſci non licet, etiam ex legitima cauſa, ſine licentia Epiſcopi.*
Et quid ſi cauſa ſit urgens, n.10.
9 *Referendarii in Quadrageſima ovis, & lacticiniis, & de conſilio utriuſque Medici carnibus veſci poſſunt.*
10 *Jejunium an, & quando quis poſſit ſolvere propria auctoritate.*
11 *Quid ſi cauſa ſit evidens.*
12 *Et quid ſi dubia ſit.*
13 *Et quid ſubſit periculum ſcandali.*
14 *In jejunio an ex juſta cauſa diſpenſare poſſit proprius Sacerdos.*
15 *Conſuetudo an in jejuniis ſit ſervanda, & n. ſeq. uſque in finem.*
Quid in conſuetudine jejunii inductiva, n.16.
Quid in jejunii translativa, n.30.
Et quid in jejunii relaxativa, n....
16 *Jejunium quid ſit.*
17 *Jejunia conſuetudinaria ſervanda ſunt à diœceſanis, & indigenis, perinde atque indicta ab Epiſcopo.*
18 *Epiſcopus indicere debet obſervantiam conſuetudinis inducentis jejunium, vel abſtinentiam à carnibus in ſua diœceſi.*
19 *Carnium abſtinentia ſecluſa conſuetudine in ſola die Veneris per totam hebdomadam eſt in præcepto.*
20 *Carnes comedere in Sabbato eſt mortale, ubi non eſt conſuetudo comedendi; alias ſecus.*
21 *Carnium eſus apud Græcos in die Sabbati eſt tolerandus, ubi ſine ſcandalo fieri poteſt.*
22 *Intellectus c. Sabbato, de conſecr. diſt.3. & c. Quia dies, diſt.5.*
23 *Jejunium in ſexta feria non eſt ex præcepto, ſed ex conſilio tantum.*
24 *Jejunium in Adventu Domini non eſt in præcepto; niſi hoc habeat conſuetudo.*
25 *Idem in vigiliis Rogationum.*
26 *Conſuetudo in jejuniis non extenditur de loco ad locum.*
27 *Nec de uno ad aliud genus perſonarum.*
Conſuetudo laicorum in jejuniis non ligat clericos, nec clericorum ſæcularium religioſos, ibid.
28 *Conſuetudo de una in aliam diem ex rationabili cauſa jejunium transferens ſervanda eſt.*
29 *Conſuetudo regionis ſervari debet in colenda feſtivitate S. Bartholomæi.*
30 *Idem in feſtivitate B. Margaritæ.*
31 *Jejunium propter magnam loci ſolemnitatem poteſt authoritate Epiſcopi in aliam diem transferri.*
32 *In Gallia ubi ſunt Eccleſiæ S. Quintini, non jejunatur in vigilia omnium Sanctorum, ſed tertia præcedenti die.*
33 *Peregrini, & viatores in jejuniis, & abſtinentia à carnibus debent ſe conformare conſuetudini loci, ubi reperiuntur.*
Contrarium, n.37.
Declaratur, n.38.
34 *Cathaloni, & Francigenæ, qui in ſuis partibus ſolent veſci carnibus in die Sabbati, peccant, ſi alibi veſcantur ubi non eſt ſolitum, n.40.*
35 *Idem in Mediolanenſibus, qui alibi comedunt carnes in diebus Carniſprivii.*
36 *Et in Caſtellanis qui in Sabbato veſcuntur extremis, vel interioribus partibus animalium in Luſitania, & Navarra, ubi non eſt conſuetum.*
37 *Intellectus c. Illa, 12. diſt.*
38 *Exteri in jejuniis tenentur ſervare conſuetudinem loci ſi eò venerint animo habitandi, alias ſecus, ſecluſo ſcandalo.*
39 *Scolares, & Peregrini ligantur conſuetudinibus loci, ubi moram trahunt.*
40 *Cathaloni exiſtentes in ſtudio Tholoſano peccant, ſi juxta conſutudinem Cathaloniæ veſcantur carnibus in Sabbato, ſed non è converſo.*
41 *Habitatio de præſenti ſufficit ad ſortiendum forum pœnitentialem, nec requiritur domicilium.*
42 *Viatores non ſortiuntur forum loci, per quem tranſeunt.*
43 *Nec dicuntur moraliter in eo eſſe.*
44 *Conſuetudo jejunii relaxativa valida eſt, ſi ſit generalis in tota Eccleſia.*
45 *Conſuetudo particularis ex rationabilis cauſa poteſt in partem jejunium relaxare, ſeu interpretari quoad horam, collationem, & cibos, n. ſeq.*
46 *Jejunia de integritate quæ ſint.*
47 *Jejunium ſolvitur ex geminata comeſtione.*
48 *Secus ſi aliquid ſumatur pro collatione ſerotina magis ad ſuſtentationem naturæ quàm ad delicias.*
49 *Et refellitur quorumdam opinio circa collationem in vigilia Natalis Domini.*
50 *Hora comedendi in diebus jejunii quæ ſit de conſuetudine.*
51 *Et quæ jure ſcripto.*
52 *Cur in quadrageſima ſit hora Veſperarum.*
53 *Dies ſictè expletus dicitur poſt veſperas.*
54 *Ovis, & lacticiniis veſci licet in jejuniis extra Quadrageſimam, niſi obſtet conſuetudo.*
55 *Conſuetudo quæ in totum relaxat jejunium, an valeat.*
56 *Quid in jejuniis ſolemnibus.*
57 *Et quid in aliis ſolemnibus.*
58 *Jejunia, quæ à ſingulis Diœceſanis per ſingulas Diœceſes indicuntur, ab omnibus ſubditis ſunt ſervanda.*

Conſilium. Doctores non ſummant propter varia dicta, quæ ſatis per ſe ſunt clara. Dividitur in ſeptem partes, quæ patent per ſeptem diſtinctos §§. 1

Nota primò ex principio litteræ, jejunium eſſe in præcepto in vigiliis omnium Apoſtolorum, hoc eſt duodecim, quos enumerat gloſſa in *c. unico in verb. Duodeno de reliq. & vener. Sanct. lib.6.* præterquam in duabus vigiliis hic exceptis, Apoſtolorum ſcilicet Philippi & Jacobi, & Joannis Evangeliſtæ, ob rationem in littera expreſſam; & hoc non obſtantibus Gallicanis verſibus, quos hic recitat gloſſa 1. videlicet

Petrus, & Andreas, Paulus cum Simone, Judas,
Ut jejunemus nos admonet, atque Matthæus.

Nulla enim eſt ratio diverſitatis inter hos, & alios Apoſtolos; & cùm omnes fuerint pares merito pari etiam cultu ſunt venerandi, ſecundùm Abb. hic *num.4.* ut eorum ſit æqualis feſtivitas, quorum æqualis eſt ſanctitas, *cap. Scire 70. diſt.* Joan. Andr. *hic n.8. in gloſ.1.* & Cardin. *num. 2. verſ. Oppono.* Ad hoc *d. c. unico de reliq. & vener. Sanctor. in 6.* 2

Neque

Neque enim in his ſolemnibus jejuniis quidquam operatur conſuetudo, cùm ſit irrationabilis, ut latiùs dicam infra *n*... *& in c. ſeq. n*... .

3 Secundò nota *in §. Item de illis*, eſum carnium in Quadrageſima ægrotis eſſe indulgendum; & pondera rationem in textu expreſſam, videlicet ut debilibus & infirmis propter abſtinentiam à carnibus periculum non emergat. Quam litteram inducunt quidam contra Monachos Carthuſianos, quorum ſtatum eſſerunt eſſe periculoſum ex defectu charitatis, quia languentibus in extrema neceſſitate carnes non concedunt: & Hoſtienſ. *num.* 5. *in verb. Ad alias*, redarguit illos qui infirmis non compatiuntur more Carthuſienſium. Sed illorum ſtatum, ut hìc recitat Joan. Andr. *num.* 3. efficaciter tuetur Magiſter Arnaldus de Villa Nova ſummus Medicus, & Theologus, proſequendo verbum illud Pſalmi 68. *Adverſus me loquebantur, qui ſedebant in porta, &c.* ſubinducens illud Cantici 5. *Percuſſerunt me, vulneraverunt me, & tulerunt pallium meum;* & illis in propoſito coaptatis, probat oppugnantium doctrinam eſſe phantaſticam, & falſam; imò & hæreſim ſapere. Falſitas patet, quia qui ſe obligat ad illud ſtatutum Ordinis, hoc facit ex amore Dei. Sed illa charitas eſt ſuprema, quæ Deum reſpicit per objectum. Ergo quod fit propter Deum, & non in odium proximi, non poteſt dici contra charitatem. Quod autem dixit hæreſim ſapere, probat, quia adverſatur approbationi, & tolerantiæ Romanæ Eccleſiæ, & fingit novum dogma in pertinentibus ad utilem ſtatum fidelium, ponendo languentes quandoque non poſſe à mortis periculo ſine eſu carnium liberari, & ſic ad vitæ longitudinem eſum carnium neceſſarium: [nam, ut ipſe ait, virtus vitalis deficit aut propter malitiam morbi illam reſolventis, aut propter defectum alimenti, per quod habet conſervari, vel reſtaurari.] Primò caſu probat auctoritate Hippocratis dicentis: [Si deficientibus præ furia morbi cibus exhibeatur, ſuffocationis, vel alterius vexationis gravamine ſuperaddito, coguntur vitam finire celeriùs.] Deficientibus autem propter penuriam alimenti ſi denegetur cibus, & medicationi ſubdantur, expirant velociùs tabefacti. Unde fit, ut deficienti propter morbi magnitudinem non proſint, ſed obſint carnes. Deficientibus verò propter alimenti penuriam proſint. Sed probat plus competere vinum mediocre, maximè aromaticum, & vitellos ovorum mediocriter molles; quia velociſſima digeſtione convertuntur in laudabilem, & multum ſanguinem, & quaſi ſine fœcibus. Carnibus autem, & cæteris alimentis aliqua prædictarum conditionum deeſt. Concludit ergo adverſarios moveri, aut ex invidia, aut ex animi paſſione, aut ex ignorantia phyſicæ, ſecundùm quam ad virtutem vitalem, vel cognitivam magis competunt ſupradicta, quàm carnes. Licèt fateatur ad confortandam virtutem motivam magis convenire carnes. Sed dicit inducendo Galenum confortationem virtutis motivæ non eſſe in ægris neceſſariam, quia modicùm egent ipſius operatione. Ergo nec egent neceſſariò eſu carnium. Demum ſubdit in Sacra Scriptura non reperiri eſum carnium infirmis neceſſarium; quòd tamen de vino legitur 1. ad Timoth. 5. *c. Et ſi Chriſtus ad fin. ſupra de jurejur.* Item ad Romanos 14. *Qui infirmus eſt, olus manducet*, non dixit carnes. Item Pſalm. 103. *Vinum lætificat cor hominis, & panis confirmat illud*; cor autem eſt principium materiæ virtutis vitalis, quæ confortatur per cordis lætitiam. Inducit quoque exempla Chriſti, quem multi etiam infirmi ſequebantur, ut à langeoribus ſanarentur, *Lucæ* 6. Quibus tamen egentibus alimento, quia tribus diebus jejunaverant, paravit non carnes, ſed piſces. *Marci* 8. Similiter nec David illi Amalachitæ, qui tribus diebus, & noctibus non comederat, 1. *Reg.* 30. Item virtute deficiente propter penuriam cibi eſum carnium non eſſe neceſſarium confirmat experientia: nam videmus in ipſo Ordine octuagenarios, & centenarios mundorum ſenſuum. Item in prima ætate, ideſt uſque ad Diluvium, diutiùs vixerunt homines, quàm in aliis ætatibus; & tamen non veſcebantur carnibus, ſed terra naſcentibus, *Geneſ.* 3. *ad fin.* ibi, *Comedes herbas terræ*. Ad Noe autem dixit poſt diluvium, *c.* 9. *Omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum*, *c. Ab exordio* 35. *diſt.* quod eſt Hieronymi *contra Jovinian. lib.* 1. Et ſubjicit Joan. Andr. ſe hunc libellum ita in compendium redegiſſe, quia etiam ſuo tempore quamplures notabilis ſtatus amicis ſuis Carthuſienſibus, apud quos eſt vera religio, detrahere conabantur; & illius verba ad litteram hìc referunt, & ſequuntur Anton. de Butr. *n.* 10. Card. *in §. Item de illis n.* 2. & Jo. de Anan. *in c. Sicut ex litterarum n.* 2. *infr. de homicid.* & conſentit hìc Petr. de Anchar. *n.* 4. *in ult. not.*

4

5

6

Verùm Abbas *in c. Si verò num.* 2. *verſ. Et per hoc dicerem ſupra de jurejur.* [Si, inquit, à peritis medicis diceretur Fratrem Carthuſien. Ordinis non poſſe aliter mortem evadere, niſi per eſum carnium, non obſtante regula, ſeu voto, deberet carnes comedere.] Sicut enim juramentum non ligat propter periculum mortis, *c. fin.* 22. *q.* 4. ita nec votum, cum paribus paſſibus ambulent, ut notatur *in c.* 1. *eadem cauſ. & qu. in c. Debitores de jurejur. in c. Licèt*, *& in cap. Magnæ de voto*. Et quamvis mox fateatur Arnaldum de villa Nova ſummum, & quaſi divinum Medicum in tractatu hac de re edito concludere vitam poſſe reſtaurari ſine eſu carnium; ſubdit tamen: Si ex circumſtantiis Medici dicerent contrarium, procederet primum dictum. Item poſſet contingere, ut ova infirmo eſſent faſtidio, & horrori, itaut non poſſet illa ſumere, ut pluribus accidit; quo caſu in dubio hoc eſſet tenendum: quoniam neceſſitas excuſat ab omni præcepto, ut hìc in textu, qui etiam non obſcurè ſupponit hanc neceſſitatem in propoſito eſſe poſſibilem. Unde concluſio eſt, juramentum, & votum non eſſe ſervandum, cùm ſine interitu ſalutis corporalis ſervari non poteſt, prout etiam concludit gloſſa 1. *in d. c. Si verò*. Itaque, ut verbis Silveſtri utar *in verb. Juramentum* 4. *n.* 10. *verſ. Ex prædictis*, Abbas Carthuſienſes indiſtinctè non reprobat, ſed tantùm in caſu; & judicio meo benè dicit. 7

Ultimò nota *in §. Prætereà*, non debere quem veſci carnibus in Quadrageſima, & ſolemnibus jejuniis ſine licentia Epiſcopi, etiamſi legitima cauſa ſubſit eas comedendi, puta infirmitas, ſeu debilitas; ejuſmodi enim licentia exigitur, quia multi poſſent ægritudinem fingere, & inter infirmitatem & infirmitatem eſt diſtinguendum, ſicut inter coactum & coactum, *ut in c. Majores*, §. *Propter quod ſupra de Baptiſm.* ſecundùm Hoſtien. hìc *nu.* 5. *in verb. Sic tamen*, Joan. Andr. *num.* 4. Butr. *nu.* 10. *in fin.* & Abb. *nu.* 5. Tu dic apertè hoc ſancitum eſſe in Concil. Toletano VIII. *c.* 9. in hæc verba: *Quiſquis abſque inevitabili neceſſitate, atque fragilitatis evidenti languore, ſeu etiam ætatis impoſſibilitate diebus Quadrageſimæ eſum carnium præſumpſerit attentare, non ſolùm reus erit Reſurrectionis Dominicæ, verùm etiam alienus ab eiuſdem diei ſancta communione, & hoc illi cumuletur ad pœnam, ut ipſius anni tempore ab omni eſu carnium abſtineat gulam, quia ſacris diebus abſtinentiæ oblitus eſt diſciplinam. Illi verò, quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut neceſſitas arctat, non ante prohibita violare præſumant, quàm à Sacerdote permiſſum accipiant*, refertur ab Yvone *part.* 15. *cap.* 89. *& tom.* 2. *Concil. part.* 2. *pag.* 492. Porrò in indultis veſcendi carnibus conſuevit apponi clauſula, *De conſilio utriuſque Medici*, ut in indulto Referendariorum utriuſque Signaturæ, de quo in Conſtitutione Pauli III. *Debita*, *in* §. 17. ibi, *Quadrageſimalibus, & aliis temporibus, quibus eſus carnium, ovorum, caſei, & lacticiniorum de jure, vel conſuetudine eſt prohibitus, eiſdem ovis, caſeo, butyro, & aliis lacticiniis, ac de utriuſque Medici conſilio carnibus abſque conſcientiæ ſcrupulo uti, frui, & veſci, &c.* in Bullar. *tom.* 1. *pag.* 560. Verumtamen ſi cauſa eſſet urgens, non peccaret, qui ſine licentia carnibus veſceretur, ut hìc patet *in §. Cum autem*, & tenet Abbas *num.* 4. *in ultim. notab.* Confert textus *in l.* 1. *in princip.* ibi, *Nam interdum locus, vel tempus non patitur plenius deliberandi conſilium*, *ff. de exercit. act.* & quod dixi *in c. Relatum à num.* 33. *ſupra de Cler. non reſiden.* Pleniùs tamen in hoc diſtinguit Silveſtr. *in ver. Jejunium num.* 20. *verſ. Tertium*, tradens regulam, quam dicit ſervandam eſſe ex mente omnium Doctorum: nam aut certum eſt quem jejunare non poſſe ex cauſæ evidentia; & tunc poteſt propria auctoritate jejunium dimittere: aut eſt dubium; & conſulendus eſt vir bonus, & peritus, puta medicus, aut confeſſor, vel alius, & ſi illius judicio cauſa ſit evidens, ſimiliter poteſt jejunium frangi propria auctoritate: nam & eo caſu cauſa evidens dici poteſt. Sin autem idem peritus ſit dubius, tunc oportet adire Superiorem, qui declarare poteſt authoritativè diſpenſando in dubio. Verùm ſi ſubeſſet periculum ſcandali, etiam ſtante cauſa evidenti, petenda eſſet diſ- 8 9 10 11 12 13

14 diſpenſatio. In hujuſmodi autem diſpenſatione Superior eſt
Epiſcopus tantùm, nec ſufficit licentia ſimplicis Sacerdo-
tis etiam ex juſta cauſa, ſecundùm Hoſt. hìc, niſi ſumma
neceſſitas immineret, ita ut ſine periculo ad Epiſcopum
recurſus haberi non poſſet, licèt S. Thom. *in 4. diſt. 15. qu. 3. art. 2. q. 4 ad tertium*, teneat ſacerdotem poſſe diſpenſa-
re; ſed Canoniſtæ contra per hanc Decretalem.

15 QUÆRO generaliter, utrùm in jejuniis ſervanda ſit
conſuetudo.

Pro clariori ſolutione puto tres caſus eſſe diſtinguen-
dos. Aut enim conſuetudo eſt jejunii inductiva, aut eſt
jejunii tranſlativa, aut jejunii relaxativa.

16 In primo caſu abſque dubio ſervanda eſt conſuetudo, *c. Illa 12. diſt.* & Præpoſ. *num. 5. & c. Utinam 76. diſt.* nam,
ut inquit Innoc. communiter receptus in rubrica, aliàs *in c. 1. nu. 2. verſ. Tertium jejunium, ſupra eodem*, jejunium
eſt abſtinentia victus ſecundùm ordinationem Eccleſiæ, ſi-
17 ve ſcripto, ſive conſuetudine approbatum. Unde Petr. de
Palude *in 4. diſt. 15.* apud Silveſtr. *in verb. Jejunium n. 7.* di-
cit ad jejunia conſuetudinaria ipſam conſuetudinem liga-
re, etiamſi ſcriptura non dicat, arg. *c. In his rebus 11. diſt.*
Ideòque ſi in aliqua diœceſi conſueverint certo die jejuna-
re, hoc jejunium ſervandum eſſe à diœceſanis, & indigenis,
18 ſicut ſi Epiſcopus jejunium indiceret. Quod clarè probatur
hìc *in §. Item de illis*, ubi Pontifex conſultus de illis, qui car-
nes comedunt in Sabbato, reſpondit: Super hoc con-
ſuetudinem tuæ regionis facias obſervari. Unde per hanc
litteram Epiſcopum Diœceſanum indicere debere obſer-
vantiam conſuetudinis inducentis jejunium, ſeu abſtinen-
tiam à carnibus in ſua Diœceſi, docent Hoſt. *in ver. Con-
ſuetudinem, & nu. 5. in verb. Sic tamen*, Butr. *n. 6.* Card. *in §. Item de illis n. 1.* & reliqui.

19 Hinc infertur primò, ut abſtinentia à carnibus circum-
ſcripta conſuetudine in ſola die veneris per totam hebdo-
madam ſit in præcepto, *ut in c. De eſu carnium*, & quod ibi
20 notatur, *de conſecr. diſt. 3.* At comedere carnes in Sabba-
to eſt mortale, ubi non eſt conſuetum, *ut in c. Quia dies de conſecrat. diſt. 5.* non autem ubi eſt conſuetudo come-
dendi, ut in Francia, Catalonia, & aliis partibus, quia
ſtatur conſuetudini, *ut in d. c. Illa autem 12. diſt.* & conclu-
dit Abb. hìc *in 1. notab.* & Silveſter *in verb. Jejunium nu. 28.*
21 *verſ. Tertium*. Unde & apud Græcos tolerandus eſt uſus
carnium in die Sabbati, ubi ſine ſcandalo fieri poteſt, in lo-
cis tamen ipſorum, inter eos tantùm, ut cavetur in Con-
ſtitutione Clementis VIII. pro inſtructione ſuper aliquibus
ritibus Græcorum edita 31. Auguſt. 1595. *in §. 6. in Bullar.*
22 *tomo 3. pag. 47.* Nec obſtat textus *in cap. Sabbato de conſe-
cratione diſtinct. 3.* per quem textum Gloſſa hìc *in verb. In Sabbato*, dicit non debere carnes comedi in die Sabbati;
Quoniam loquitur de conſilio, ſicut cavetur de die Mer-
curii, ſecundum Abbat. & Silveſtr. *locis citatis*. Unde
Archidiac. ibi, quem cæteri ſequuntur, exponit verbum,
Non debemus, de honeſto, non de præcepto. Rurſus non
obſtat textus *in c. Quia dies, de conſecr. diſt. 5.* ubi dici-
tur: Quicumque ſe Chriſtianæ religionis participem eſſe
deſiderat, ab eſu carnium eadem die (ſcilicet Sabbati)
abſtineat. Etenim eodem modo Gregorius VII. eo loci non
loquitur de præcepto, ſed de conſilio, ut probat littera ibi,
Admonemus, & notat gloſſa *in eodem verb.* & Silveſt.
ubi ſupra, niſi ſit conſuetudo, ut abſtineant, ut ibi per
gloſſam.

23 An autem ſexta feria non ſolùm abſtinentia à carnibus,
ſed etiam jejunium ſit in præcepto, Doctores non conve-
niunt. Sed communiter tenetur jejunium non eſſe ex præ-
cepto, ſed ex conſilio tantùm, prout de communi teſtatur
Abb. *in c. ſeq. num. 1.* & notat Innoc. *in rubr.* aliàs *in c. 1. ſupra eod.*

24 Infertur ſecundò, ut quamvis in Adventu Domini
ex præcepto non ſit jejunandum, ut hìc eſt textus qua-
ſi expreſſus *in §. Jejunium*, ſecundum Abb. *ante num. 1.*
poſt Innocent. *ubi ſupra num. 3.* quidquid dixerit Butr. hìc
num. 2. tamen ſecus ſit, ſi hoc habeat conſuetudo. Unde
Pontifex hìc dicit: Tamen apud nos jejunatur, quaſi dicat,
Habemus hoc de conſuetudine; ſuper hoc autem nullum
ſtatutum facimus, nec aliquem adſtringimus, ſed quilibet
conſuetudinem ſuam ſervet, ut formaliter inquit Hoſtien.
hìc *num. 4. in verb. Apud nos*, cujus dictum ſequuntur
Joann. Andr. *num. 1. in eodem verſ.* Cardin. *num. 3.* Collect.
25 *num. 4.* & Abb. *ante num. 1. verſ. Unde hic Papa*. Et
quod dictum eſt de Adventu, idem intellige de Vigiliis
Rogationum, in quibus conſuetudo ſervanda eſt, ut nota-
tur *in c. Rogationes de conſec. diſt. 3.* & per Abb. *in rubr. ſupra eodem num. 6. in fine, verſ. Item dubitatur de vigiliis Rogationum*.

Adverte tamen, quia in hujuſmodi conſuetudinibus non 26
ſit extenſio de loco ad locum, adeò ut nec conſuetudo pe-
culiaris Eccleſiæ Romanæ ſit neceſſariò obſervanda in
aliis locis, ut notat gloſſa *in c. 1. in verb. Docuit, de Sum-
ma Trinit. l. 6.* & Abbas hìc *num. 1.* & probatur *in cap. Illa 12. diſtinct.*

Rurſus adverte, quia in his conſuetudinibus nec ſit ex- 27
tenſio de uno ad aliud genus perſonarum; ideòque conſue-
tudo laicorum non ligat Clericos, nec Clericorum ſæcu-
larium religioſos, quia diſtincti ſunt modi abſtinentiæ in-
ter hos tres ſtatus, & plures abſtinentias habent Clerici,
quàm laici; & religioſi, quàm clerici ſæculares. Unde
non oportet, ut ad eorum jejunia ligentur, quorum etiam
conſuetudinibus à ſuis jejuniis non abſolvuntur, ſecundùm
regulam juris, Quem non honoro, nec onero. Ita Silveſt.
in d. verb. Jejunium num. 7. Et hæc de conſuetudine jejunii
inductiva.

In ſecundo autem caſu principali, id eſt in conſuetudine 28
jejunii tranſlativa, conclude ſervandam eſſe conſuetudi-
nem, ſecundùm quam jejunium in certa die ab Eccle-
ſia indictum, in aliam diem ex rationabili cauſa tranſla-
tum eſt, ut hìc per Hoſtien. *num. 4. in verb. de cujus*, &
probatur *in §. de feſtivitate*, ubi eſt expreſſum in colenda 29
feſtivitate S. Bartholomæi, & conſequenter in ejus vigilia
ſervandam eſſe regionis conſuetudinem; hoc enim ex
rationabili cauſa introductum eſt: nam cum die 24. Au-
guſti fuerit excoriatus, & die ſequenti obierit, alicubi
colitur dies martyrii, alicubi verò, ut Romæ, dies obitus;
ſecundum Petrum de Sampſone, Abb. Antiq. & Hoſt.
ubi ſupra, Collectar. *num. 1.* & Joan. Andr. *eodem num.* 30
in verb. Bartolomæi, qui adducit ſimile de feſtivitate B. Mar-
garitæ, cujus feſtum diverſis diebus colitur propter ſui di-
verſa martyria: nam ſecundùm eum apud Bononienſes
celebratur die 13. Julii, vel die 14. ſecundùm Anton.
de Butr. *num. 9.* Subdit tamen Joan. Andr. ſe reperiſ-
ſe in Specul. Hiſtor. *lib. 14. c. 2.* coli debere die 20.
Julii, & ita colitur Romæ, & Patavii, ut refert Car-
din. *nu. 4. in fin.*

Et hic collige, propter magnam loci ſolemnitatem in 31
die jejunii contingentem licitè fieri tranſlationem, ſeu
commutationem jejunii in diem præcedentem auctorita-
te Epiſcopi, ad eum modum, quo feſtum Nativitatis Do-
mini. Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis, vel alicujus Apo-
ſtolorum, ſi contingat feria ſecunda, non jejunatur in
die Dominico, ſed in Sabbato præcedenti, ut eſt ca-
ſus *in c. prox. ſupra eodem*, & ita tenet Innoc. *ſupr.* 32
in rubr. aliàs *in c. 1. num. 3.* ubi refert in quibuſdam
locis Franciæ, ſcilicet, ubi ſunt Eccleſiæ Sancti Quin-
tini, non jejunari in vigilia omnium Sanctorum, ſed
tertia præcedenti die, & ſequitur Abbas hìc *in 2. not.*
Præpoſ. *in c. Denique nu. 23. in fine 4. diſt.* & Silveſt.
in verb. Jejunium nu. 19.

Hinc etiam, & ex textu collige peregrinos, & viatores 33
in jejuniis, & abſtinentia à carnibus debere ſe conforma-
re conſuetudini loci, ubi reperiuntur, & ad hoc per Diœce-
ſanos compelli poſſe, ut hic patet, & eſt optimus textus *in dict. cap. Illa 12. diſt.* ubi Auguſtinus: *Nec diſciplina
ulla eſt in his melior gravi prudentique Chriſtiano, quàm
ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quam-
cumque fortè devenerit.* & infra: *Mater mea Mediola-
num me conſecuta invenit Eccleſiam Sabbato non jejunan-
tem, cœperat fluctuare quid ageret. Tunc ego conſului hac
de re beatiſſimæ memoriæ virum Ambroſium, & ille ait:
Cùm Romam venio, jejuno Sabbato; cùm Mediolani
ſum, non jejuno. Sic etiam tu ad quàm fortè Eccleſiam ve-
neris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo,
nec quemquam tibi;* ubi gloſſa in verb. *Societatem*, refert
illud vulgatum.

Si fueris Romæ, Romano vivito more,
Et ſi ſis alibi, vivito ſicut ibi.

Et pro hac parte concludit Abb. hìc *in fine*, ſubdens pro- 34
pterea peccare Cathalonos, qui comedunt in his partibus
carnes in die Sabbati, licèt illis in eorum partibus licitè ve-
ſcantur. Quod ante ipſum docuit Card. in Clem. *Dignum*

q. 5.

q.5.de celebr. Miſſar. & ſequitur Silv. *ubi ſupra n.*28. dicens:
Qui carnes in die Sabbati in ſuis partibus comedere con-
ſueverunt, ut in Francia, & Cathalonia, comedendo in par-
tibus aliis, ubi hoc non eſt conſuetum, ſecundum Dire-
ctorium peccant, *ut in c. Quia dies de conſecr. diſt.*4. *& c. Illa*
35 12. *diſt.* à contrario ſenſu. Et idem dicendum de Mediola-
nenſibus, qui in aliis locis comedunt carnes in diebus carnis
privii. De quo tamen vide Chriſtophor. Port. *in §. Sed quod*
Principi, in fin. inſtit. de jure nat. ubi etiam proſequitur, quid
in Scholaribus, qui Mediolani reperiuntur eo tempore, quo
Mediolanenſes ex privilegio S. Ambroſii veſcuntur carni-
bus. De quo privilegio latiùs dicam in cap. ſeq. *n..*

36 Idipſum ſenſit Navarr. *in man. c.*28. *n.*120. *verſ. Sextò*
ubi dicit peccare eum, qui veſcitur carnibus, vel alio cibo
vetito in aliqua regione, etiam eo tempore, quo licet ei veſci
in ſua; ſicut è converſo non peccat veſcendo eis in regione,
quam tranſit, vel in qua moratur, licèt in ſua id ei non lice-
ret, Navarrus enim, & Luſitanus, veſcentes in Caſtella die
Sabbati extremis, vel interioribus partibus animalium non
peccant, licèt in ſuis terris id eis non liceret Caſtellanus
autem idem faciens in Luſitania, vel Navarra peccaret.
Hæc Navarrus, & conſentit illius auditor Covarr. *lib.*4. *va-*
*riar. reſol. c.*20. *n.*8. *in fin.*

37 Contrarium opinionem, id eſt peregrinos, & viatores
ceſſante ſcandalo non teneri in jejuniis, & abſtinentia à car-
nibus ſe conformare conſuetudini loci, ad quem divertunt,
tenet Archid. poſt Hug. *in d. c. Illa in fine* 12. *diſt.* Bellam. *n.*2.
Turrecr. *n.*2. *in ver. Liberas*, & Præpoſ. *n.*6. *verſ. Nota quod*
peregrinus. Dicunt enim extraneos, qui ad tempus vivunt
inter illos, qui talem habent conſuetudinem, debere illam
obſervare, & ſi non obſervando generent ſcandalum. Quod
ſatis innuit littera, ibi, *Si cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec*
quemquam tibi. Ait enim Apoſt. 1. ad Corint. 7. *Si ſcandali-*
zavero fratrem meum, non manducabo carnes in æternum.
Vel certè ille textus loquitur de conſilio, & perſuaſione, ſe-
cundum Hoſtien. relatum ab Archid. *ubi ſup.* Et complures
Thelogos pro hac ſententia noviſſimè citat Thom. Sanch.
*de matrim. lib.*3. *diſp.*18. *n.*6. Pro qua præcipuè allegatur tex.
in eod. c. Illa 12. *diſt.* in illis verbis: *Alia verò, quæ per loca*
terrarum, regioneſque variantur, ſicut eſt quòd alii jejunant
Sabbato, alii non, &c. totum hoc genus rerum liberas habet
obſervationes. Sed profectò alius videtur ſenſus Auguſtini
in eo canone: nam primò docet obſervandas eſſe traditiones
quæ in tota Eccleſia obſervantur. Unde dum immediatè
ſubdit: *Aliæ verò quæ per regiones variantur, liberas ha-*
beant obſervationes, non videtur intellexiſſe liberum eſſe
unicuique ſpeciales conſuetudines obſervare, vel non ob-
ſervare; alioquin conſuetudines locales non eſſent ab inco-
lis obſervandæ, contra textum hìc. Sed dixit, *liberas*, id eſt
ſine peccato, itaut ſi ſenſus: illa quæ ex generali conſuetu-
dine recepta ſunt, ab omnibus ſevari debent; ſed illa, quæ
ex conſuetudine particulari ſunt alicubi introducta, ut co-
medere carnes in Sabbato, poſſunt obſervari liberè, & abſ-
que divinæ majeſtatis offenſa: & hoc ſenſu liberas habent
obſervationes, quia illas obſervantes non peccant. Sed hinc
non ſequitur, ut illas obſervare non teneantur. Vel certè in-
tellexit, *liberas*, id eſt quoad extraneos, qui non tenentur il-
las obſervare, niſi illuc divertant, ut innuunt ſequentia ver-
ba, & declarat Turrecr. *n.*2.

38 In hac varietate placet diſtinctio Gloſsæ *in d. c. Illa in ver.*
Veneris, ubi dicit referre, an peregrini ſint moraturi, vel
citò receſsuri, id eſt an venerint animo habitandi, an verò
recedendi, ut primo caſu teneantur ſervare conſuetudinem
loci, ubi moram trahunt; in ſecundo autem non, ſecluſo
ſcandalo, ut explicat Gloſsa *in c. Quæ contra in ver. Aut Pe-*
regrini 8. *diſt.* Quam diſtinctionem ſequitur *in d. c. Illa*, Ar-
chid. *n.*1. *in verb. Serva*, Turrecr. *n* 2. ubi verb. illa, *Libe-*
ras habet obſervationes, exponit, id eſt quantum ad extra-
neos, quia apud eos libera eſt hujuſmodi obſervantia, niſi
veniant moraturi, vel niſi non obſervando generent ſcan-
dalum. Nec diſsentit Prepoſ. *n.*6. dum ſequitur Archid. quoad
eos, qui veniunt animo non permanendi. Eodem modo di-
ſtinguit Silveſt. *in verb. jejunium n.*7. ubi poſt Paludan. tenet
ad jejunia conſuetudinaria teneri indigenas, & diœceſanos:
alienigenas verò, ſi veniant animo habitandi, ex tunc ligari
jejunio conſuetudinario, ſicut & ſcripto. Si autem tran-
ſeant ſolùm, non ligari conſuetudinibus, & ſtatutis terræ
licèt in comedendo cavere debeant à ſcandalo; nam *Si eſca*
fratrem meum, &c.

Primum membrum diſtinctionis Gloſſæ, videlicet de ex- 39
teris, & peregrinis, qui in loco ſunt moraturi, probatur
in d. c. Quæ contra mores 8. *diſt.* ibi, *Nulla civis, aut pere-*
grini libidine violetur. Per quem textum Speculat. *in rubr.*
*de Conſtit. n.*7. dicit evidenter probari, ſcholares, & peregri-
nos ligari conſuetudinibus loci ubi moram trahunt. Unde
benè Cardin. in Clem. 2. *in* 5. *quæſt. de celebr. Miſſ.* ſcripſit
Cathalonos exiſtentes in ſtudio Tholoſano peccare, ſi contra 40
conſuetudinem Cathalonię veſcantur carnibus in Sabbato,
juxta conſuetudinem patriæ, & conſentit Imol. *ibid. col.* 2.

Et quamvis gloſſa præalleg. *in d. c. Quæ contra*, dicat ſolos 41
perpetuò habitantes obligari lege civitatis, ut *l. Debitor, ff.*
de pignor. tamen illud verbum *Perpetuò*, plerique ex Docto-
ribus non ponunt, ſed ſimpliciter exigunt, ut habeant ani-
mum habitandi, vel ut ſint moraturi, quod in idem recidit;
& ad ſortiendam Prochiam, ſeu forum Pœnitentialem non
requiritur trãslatio domicilii, vel animus perpetuò illic per-
manendi, ſed ſufficit ſola habitatio de præſenti, ſecundum
opinionem Feder. de Sen. *conſ.* 254. *incipien. Quæſtio ſubſe-*
quens, quam pluribus tuetur Anchar. *in cap. De uxore n.*1.
de Sepultur. & eam commendat Abb. *in c. Extirpandæ, §. Qui*
*verò num.*11. *de præben.* & magis communem dicit *in cap.*
*Omnis utriuſque n.*23. *de Pœnit. & remiſſ.* Quam etiam ſe-
quuta eſt S. Congregatio Concilii, ut ſcripſi *in c. fin. ſupra de*
Paroch. ubi hunc articulum valdè à Doctoribus controver-
ſum plenè examino.

Secundum verò diſtinctionis membrum, ſcilicet de illis 42
qui ſtatim ſunt receſſuri, & ſic de tranſeuntibus, clarè proba-
tur per text. *in l. Hæres abſens, §. Proinde, ff. de judic.* ubi pa-
tet viatores non ſortiri forum loci, per quem tranſeunt; &
ſubnectitur ratio, quia duriſſimum eſt, quotquot locis quis
navigans, aut iter faciens delatus eſt, tot locis ſe defendere.
Circa quod vide quod ſcripſi *in c. fin. ſupra de foro competen.*
Item facit pro hac parte, quia qui tranſit, aut brevi tempore
divertit ad aliquem locum, non dicitur moraliter in eo eſſe, 43
*l. Quæſitum, §. fin. & l. Si ita, ff. de legat.*3. *Nam & ego, de*
verbor. ſignif. & c. Ad noſtram de regular. ubi Gloſſa *in ver.*
Statim, dat concordantes. Confert decretum Concilii Trid.
*in c.*1. *ſeſſ.*23. ibi, *Quoniam qui aliquantiſper tantum abſunt,*
ex veteri Canonum ſententia non videntur abeſſe. Ad idem
textus *in c. Is qui de Sepultur. lib.*6. ubi qui ad villam ruralem
ſe transfert recreationis cauſa, vel ut ruralia exerceat, non
efficitur ibi parochianus, & notat Card. in Clem. 2. *n.*8. ubi
etiam Vitalin. *n.*29. *de privileg.*

In tertio denique, & ultimo caſu principali, id eſt, in 44
conſuetudine jejunii relaxativa, diſtingue: aut conſuetu-
do eſt univerſalis in tota Eccleſia; aut eſt particularis in ali-
qua regione, vel loco. Si conſuetudo ſit univerſalis, illa pro-
culdubio ſervanda eſt, tex. eſt *in d. c. Illa*, 12. *diſt.* ibi, *Et*
ſi quid aliud tali occurrerit, quod ſervetur ab univerſa, qua-
cumque ſe diffudit Eccleſia; & tenet gloſſ. communiter ap-
probata *in cap. Proximo, in ver. Conſuetudinem, infra eo-*
dem. Conſuetudo enim Eccleſiæ univerſalis tamquam lex
ſervanda eſt, *cap. Pernicioſus, ſup. de celebr. Miſſar.* Et eſt
ratio, quia illa, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus,
quæ quidem toto orbe terrarum obſervantur, datur intelligi
vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis commendata,
atque ſtatuta retineri: quæ ſunt verba text. *in d. c. Illa*, &
ibi notat Archid. *in princip.* & inde fit, ut illi, qui nec voto,
nec regulari obſervantia ſunt adſtricti, in ſexta feria, ſit fe-
ſtum Nativitatis Dominicæ die ipſo venire contigerit,
carnibus propter feſti excellentiam veſci poſſint, ſecundùm
conſuetudinem Eccleſiæ generalis, ut eſt caſus *in cap.*
prox. infr. eodem. Confert decretum Conc. Trid. *de Canoni-*
*cis ſcripturis, ſeſſ.*4. ubi S. Synodus traditiones vel tamquam
oretenus à Chriſto, vel à Spiritu Sancto dictatas, & conti-
nua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſervatas, pari pie-
tatis affectu, ac reverentia ſuſcipit, ac veneratur. Ad idem
*ſeſſ.*13. *de Sanctiſſ. Euchar. Sacrm. cap.*8. ibi: Qui mos
tamquam ex traditione Apoſtolica deſcendens, jure, ac me-
ritò retineri debet.

Sin autem conſuetudo ſit particularis in aliqua regio- 45
ne, vel loco, iterum ſubdiſtinguenda ſunt duo membra.
Primum eſt, cum conſuetudo non relaxat jejunium in to-
tum, ſed in partem dumtaxa. Et in hoc primo membro
cùm de integritate jejunii ſecundùm Richar. *in* 4. apud Sil-
veſt. *in verb. Jeiunium n.*9. tria ſint, videlicèt comeſtio uni-
ca, determinata hora comedendi, & abſtinentia à carnibus: 46
item ovis, & lacticiniis in Quadrageſima: in his omnibus

aliquid poteſt rationabilis conſuetudo, ut tenet Abb. *rubr. ſup. eod.n.*4. ubi quod dixit Hoſt. hìc, videlicet conſuetudinem nihil poſſe in jejuniis ſolemnibus, declarat pocedere quando conſuetudo ex toto vult illud tollere. Secus, ſi interpretetur, qualiter ſit explendum jejunium, puta quoad collationem, horam, cibos, & hujuſmodi; quia conſuetudo eſt optima legum interpres, *c. Cùm dilectus de conſuet.* & ſequitur Silveſt. *in verb. Jejunium n.*8. Dummodò tamen hujuſmodi conſuetudo ex rationabili, & honeſta cauſa introducta ſit, non autem ut homines attendant ventri, & gaudiis temporalibus, ut per Abb. *in c. ſeq. n.*3.

47 Hinc infertur primò, ut quamvis geminata comeſtio in die jejunium ſolvat, eò quòd univerſalis Eccleſiæ conſuetudo, quæ pro lege habenda eſt, ſic obtinuit, ut ſemel tantùm comedatur, ut tenet Goffred. & communiter Theologi *in* 4. *diſt.*15. teſte Silveſtro *in verb. J junium n.*9. & probat Abb.
48 *in rubr. n.*3. inducens ad hoc *c. Quadrageſima de conſecr. diſt.* 5. *& c. Sint tibi diſt.*4. tamen ſecundum eum aliquid ſumere pro collatione ſerotina magis ad ſuſtentionem naturæ, quàm ad delicias, non eſt peccatum, nec jejunium frangitur, dummodò hoc fiat temperatè, ſecundùm conſuetudinem loci, de quo vide pleniùs per Silveſtr. *ubi ſup. n.*10. *verſ. Tertium de collatione ſerotina*; licèt non defuerint ex recentio-
49 ribus, qui in hac materia uſque adeò laxaverint habenas, ut ſcripſerint in vigilia Nativitatis Domini propter conſuetudinem licere pro refectione ſerotina comedere uſque ad ſexdecim uncias panis, & dulciariorum. inter quos Facundez *præcept.*4. *lib.*1. *c.*4. *n.*19. Quinimò Medina *in* 1. *par. Inſtrct. de confeſſ. c.*14. §.10. *verſ. Donde ſi ſigue*, ampliùs putavit licere ex pane & fructibus ſumere quantum libuerit.

Sed profectò hoc non eſſet jejunium moderari, ſeu interpretari; ſed prorſus ſolvere, ac deſtruere. Unde conſuetudo hujuſmodi in tam ſolemni jejunio dicenda eſſet potiùs corruptela, ut patebit *inf. in* 2. *membro*.

50 Infertur ſecundò, ut ſimiliter quoad horam prandii in diebus jejunii conſuetudo ſit lex, & ſtatum Eccleſiæ: & hoc ſecundùm omnes eſt, ut hora nona comedatur, teſte Silv. *in verb. Jejunium n.* 12. Sed quia hora nona dicitur, & in principio, & in fine, S.Th. *in*.4. *diſt.*15. *q.*3. *art.*3. *q.*3. videtur velle, ut in omni jejunio prandendum ſit hora nona completa, ideſt, hora tertia poſt meridiem, ut explicat Silveſtr. *ubi ſupra n.*11 *&* 12. Cæterùm Petr. de Palude, cui adhæret Silveſt. ibid. aſſerit hoc verum eſſe tantummodò quoad jejunium Quadrageſimale; in aliis verò dicit licitum eſſe prandere in principio Nonæ, id eſt, in meridie. Sed quia hujuſmodi lex eſt conſuetudo proptereà, ut ipſi dicunt, conſuetudini ſtandum eſt populi Dei, ut in meridie non per Aſtrolabium, ſed groſſo modo computato comedatur, *ut in c. In his*, 11. *diſt.* Quod etiam docuit S. Th. *loc. cit.* & per eum Turrecrem. *in d. c. Solent n.*2. *verſ. Reſpondeo dicendum*, *&*
51 *in verb. Hora de conſecr. diſt.*1. Jure tamen ſcripto nulla hora eſt determinata comedendi in die jejunii, niſi hora veſperarum tempore quadrageſimali, ut eſt tex. *in d. c. Solent*, & tenent Abb. *in rubr. ſup. eod. n.*2. & Silv. *ubi ſupra num.*12.
52 Rationem egregiè aſſignant Petr. & Hugo, & poſt eos Archid. *in d. c. Solent*, & Abb. *ubi ſup.* quia ſcilicet jejunium Quadrageſimę majoris celebramus ad imitationem Chriſti; & quia Chriſtus jejunavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus nihil comedens, deberemus & nos toto illo tempore jejunare, nulla die, vel hora comedentes, ſi natura pateretur humana. Sed quia hoc non eſt poſſibile in humanis præter divinum miraculum, ſtatuit Eccleſia, ut ſaltem per omnes quadraginta dies fictè ſumptos fideles jejunarent: nam poſt veſperas expletas dies fictè expletus dicitur, 53
cùm aliud officium diurnum non ſuperſit, ut latiùs per Arch. *ubi ſup.* quem totidem verbis ſequitur ibi Bellam. *n.*2. *verſ. Sed quare hoc ſic ſtatuitur*, & Turrecrem. *n.*2. *in verſ. Hora*, *verſ. Dicit autem Hugo*.

Infertur tertiò, ut extra Quadrageſimam in diebus jejunii 54
liceat veſci ovis, & lacticiniis, ſi hoc habeat conſuetudo, ut eſt notabile dictum Arch. *in d. c. Rogationes de conſecr. diſt.*3. quem ſeqitur Abb. *ſupra in rubr. n* 5. *verſ. Sed vide notabile dictum*, ſubdens hanc videri laudabilem conſuetudinem, pręſertim in civitatibus, ubi non eſt copia piſcium, ut Senis.

Jure tamen ſcripto, quamvis Goffredus in definitione jejunii comprehendat abſtinentiam à carnibus, & trahentibus ſementinam originem à carnibus, ut ob ovis, lacte, & caſeo, *c. Denique* 4. *diſt.* idemque videatur ſentire Innoc. *ſupra in rubr.* dum dicit, ex cauſa, puta propter penuriam piſcium ſtatuit poſſe, ut liceat uti iſtis lacticiniis, licèt utentes extra Quadrageſimam ſecundum eum non frangant jejunium, ſed peccent: veritas tamen eſt eſum lacticiniorum non eſſe ab Eccleſia vetitum, niſi in Quadrageſima: nam *d. c. Denique* 4. *diſt.* quod facit mentionem de his lacticiniis, loquitur de jejuniis Quadrageſimalibus. Sed in aliis jejuniis nullus textus ſpecificè de hoc diſponit; & ſic tranſeunt communiter Doctores, ut Abb. teſtatur *ſupra in rubr. num.*5. & ſequitur Silveſt. *in verb. Jejunium n.*15. dicens eſum ovorum, & lacticiniorum interdictum eſſe in Quadrageſima, *ut in d. c. Denique*, non autem in aliis, ſecundùm Th. Petr. de Palude, & communiter Doctores; niſi hoc habeat conſuetudo quam ubique ſervandam in jejuniis dixerunt Auguſtinus, & Ambroſius *in c. Illa* 12. *diſt. & in c. Utinam* 76. *diſt.* Unde in omnibus jejuniis præter Quadrageſimam hæc comedi poſſunt, ubi conſuetudo habet, ut comedantur.

Secundum membrum ſuperiùs propoſitum eſt, cùm con- 55
ſuetudo relaxat, & ſolvit jejunium in totum: & ſunt opiniones: nam gloſſ. hìc, quam propter ejus authoritatem dicit eſſe mente tenendam Abb. *n.*6. *verſ. Sed nota gloſſ.* ſentit conſuetudinem hanc jejunii relaxativam validam eſſe. Idemque ſentit Hoſt. *in ſumm. hoc tit.* §. *Quando jejunandum*. Verùm idem Hoſt. hìc *n.*2. *verſ Teneas tamen primam*, retractat quod ſcripſit in ſumma; ait enim eſſe quædam jejunia ſolemnia, in quibus contraria conſuetudo non operatur, ſicut Quadrageſimæ, & Quatuor temporum, & feſtivitatum præcipuarum. Et hoc dictum Hoſt. ſequuntur hìc Jo. Andr. *n.*8. Butr. *n.*12. Card. *n.*2. & reliqui omnes. De communi Præpoſ. *in c. Denique n.*23. *diſt.* In aliis autem habet locum conſuetudo, niſi Prælatus aliud injungat, ut idem Hoſt. notat poſt Innoc. *in rubr. ſupra eod. verſ. Sunt autem jejunia indicta neceſſaria*, *& verſ. Ad hæc*, & ſecundum hoc dicit eſſe intelligendum quod ſcripſit in ſumma. Jejunia enim, quæ à ſingulis diœceſanis per ſingulas diœceſes inducuntur, ab omnibus ſubditis ſunt ſervanda, *c.*1. *ad fin. de conſecr. diſt.*4. *c. Jejunia diſt.*5. & notant Hoſt. hìc *n.*5. *in ver. & aliis ſolemnibus jejuniis*, Jo. Andr. *n.*4. *in fin. in eod. verb.* Butr. *n.*4. *&* 11. Anchar. *n.*3. *in* 4. *not.* & Card. *in* §. *Præterea n.*1. De hac tamen conſuetudine jejunii relaxativa dicam pleniùs *in c. ſeq.* in quæſtione, an ex conſuetudine immemorabili in populo Mediolanenſi potuerit præſcribi contra numerum quadraginta duorum dierum Quadrageſimæ ab Eccleſia inſtitutum.

DE OBSERVATIONE JEJUNIORUM.

Honorius III. Pragen. Epiſcopo.

CAPUT III.

EXplicari per ſedem Apoſtolicam poſtulaſti: & infrà. Reſpondemus, quòd illi, qui nec voto, nec regulari obſervantia ſunt adſtricti, in ſexta feria, ſi feſtum Nativitatis Dominicæ die ipſo venire contigerit, carnibus propter feſti excellentiam veſci poſſunt ſecundùm conſuetudinem Eccleſiæ generalis. Nec tamen hi reprehendendi ſunt, qui ob devotionem voluerunt abſtinere.

SUMMARIUM.

1 *CArnibus veſci licet, ſi feſtum Nativitatis contingat in ſexta feria, exceptis profeſſis, & voventibus.*

2 *Regulares in ſexta feria an teneantur à carnibus abſtinere ex voto, an ex regula, & num. ſeq. uſque ad num.* 11.

3 *Et an, & quando teneantur ex voto ad obſervantias regulares.*

4 *Regula Prædicatorum non obligat tranſgreſſores ad aliquam culpam, neque mortalem, neque venialem, ſed tantùm ad pœnam taxatam, & n.*9.

5 *Religioſi ad quæ obligentur ultra Communia Chriſtianorum vincula.*

6 *Fratres Minores obligantur ex voto profeſſionis ad omnia, quæ in regula ipſis ſub verbis obligatoriis indicuntur.*

7 *Et in ſpecie ad jejunandum in ſextis feriis.*

8 *Votum in dubio intelligitur de ſimplici.*

9 *Præcepta regulæ ex ſui natura obligant ad mortale.*

10 *Obligatio numquam inducitur, ubi conſtat de menti legis obligare nolentis*

11 *Carnibus veſci non poſſunt in die Nativitatis Domini, qui voverunt illas numquam comedere.*

12 *Vovens abſtinere à carnibus in ſextis feriis, an teneatur abſtinere, ſi ea die occurrat feſtum Nativitatis, & num. ſeq. uſque ad n.*30.

13 *Votum debet intelligi, ut non ſit inutile, ſed aliquid operetur, & n.*20. *&* 22.

14 *In voto magis attenditur intentio voventis, quàm verba.*

15 *Vovens abſtinentiam à carnibus in die, in qua pervenerit ad locum peregrinationis, vel in qua occurret ſalutatio Virginis, tenetur abſtinere etiam in Dominica Reſurrectionis.*

16 *Votum abſtinentiæ à carnibus in die Veneris, an obliget in die Nativitatis, ubi non apparet de intentione voventis, & n.*34.

17 *Et quid ſi votum fuerit emiſſum in memoriam Paſſionis Domini.*

18 *Diebus feſtis licet non tantùm ſpiritualiter, ſed etiam corporaliter honeſtè lætari in cibis, & veſtibus.*

19 *Authoritas legis, vel Superioris in juramento, & voto ſemper intelligitur excepta.*

20 *Votum abſtinentiæ à carnibus in die Veneris, niſi comprehendat diem Nativitatis, eſt deriſorium.*

*Contrarium, n.*22.

21 *Statutum eſt nullum, ſi diſponat idem quod jus commune.*

22 *Voto ſe adſtringere ad id, quod eſt in præcepto, non eſt inutile.*

23 *Funiculus duplex difficiliùs rumpitur.*

24 *Vovens abſtinere à carnibus in diebus aliàs permiſſis tenetur abſtinere etiam in die Nativitatis.*

25 *In voto non fit extenſio de caſu ad caſum.*

26 *Legis intellectus referri debet ad caſum frequentiùs contingentem.*

27 *Jejunare vovens in ſextis feriis, tenetur etiam in die Natalis Domini.*

28 *Conſuetudo univerſalis Eccleſiæ cenſetur traxiſse originem ex traditionibus Apoſtolorum, vel ex Generalibus Conciliis.*

29 *Conſuetudo poteſt jejunium modificare, ſi ex rationabili cauſa ſit introducta, non autem, ut homines intendant ventri.*

30 *Mediolanenſes an potuerint præſcribere contra numerum quadraginta duorum dierum Quadrageſimæ ab Eccleſia inſtitutum, & num. ſeq. uſque in finem.*

31 *Quadrageſima ratione jejunii eſt de jure divino, ratione temporis ex traditione Apoſtolorum.*

32 *Quadrageſima quot habeat hebdomadas.*

33 *Quadrageſima nulla reperitur, quæ ſaltem quadraginta duos dies non habeat, & n.*42.

34 *Quadrageſima in Eccleſia Orientali, in qua non jejunatur Sabbato, incipit in Quinquageſima.*

Quadrageſimæ quadraginta duorum dierum, qua utitur Eccleſia Romana, additi fuerunt alii quatuor, ibidem.

Mediolanenſis Eccleſia hos quatuor dies non admiſit, num 37.

35 *Quadrageſima S. Ambroſii quæ ſit, & n.*39.

36 *Quadrageſima eſt decima pars totius anni, inſtituta, ut decima temporis Deo redderetur.*

37 *Mediolanenſes, qui in baptiſmate puerorum pedes lavant aqua conſecrata, excuſantur ob authoritatem Ambroſii.*

48 *Quadrageſima Mediolanenſis Eccleſiæ in quo differat à Quadrageſima Eccleſiæ Romanæ.*

39 *Conſuetudo præſertim jejunii relaxativa, ut tollat legem, debet eſſe rationabilis, & legitimæ præſcripta, & num.*43.

40 *Ratione legis manente, non conſuetudo legem, ſed lex conſuetudinem vincit.*

41 *Conſuetudo irrationabilis, & impræſcriptibilis eſt, quæ diſcrepat ab inteſtato univerſalis Eccleſiæ, aut quæ eſt contra Eccleſiaſticam diſciplinam.*

42 *quadrageſimam totam violavit, qui unam diem abſtinendo prætermiſit.*

43 *Conſuetudo requirit patientiam cum voluntate Principis, cuius eſt legem abrogare.*

44 *Privilegium in materia non veriſimili præſumitur falſum, & ſubreptitium.*

45 *Car.* Denique 4 diſt. *non eſt B. Gregorii, licet ſub illius nomine referatur.*

46 *Crimina ſunt ſuſtinenda ratione ſcandali, vel ſchiſmatis.*

47 *Conſuetudo in delictis excuſat multitudinem à pœna temporali, ſed non gehennali.*

E*Xplicari*. Si feſtum Nativitatis contingat in ſexta fe- 1
ria, licitum eſt carnes comedere, exceptis profeſſis: & voventibus. Hoc dicit. Communis diviſio. Deciſa conſultatio, & reſponſio. Secunda ibi, *Reſpondemus*.

Nota 1. ibi, *Nec voto, nec regulari obſervantia*, Regu- 2
larem non teneri a carnibus abſtinere ex voto, ſed ex
regula, ſecundùm Abb. *h. n.*3. *n* 3. *n tab.* Quidicit hinc 3
colligi argumentum optimum Religioſum non teneri ex voto ad omnia, quæ continentur in regulari obſervantia: ſed votum verſatur dumtaxat circa tria ſubſtantialia regulæ, de quibus *in cap. Cum ad monaſterium, in fin. de*

fin. de ſtatu Monach. & in hac opinione dicit fuiſſe B. Thomam, & Archid. *in c.1. 27. q.1.*

4 Sed de doctrina Abbatis ego valdè dubito: nam aut regula non obligat tranſgreſſores ad aliquam culpam, ut in religione Fratrum Prædicatorum, in qua ſimiles tranſgreſſiones non obligant ad culpam neque mortalem, neque venialem, ſed ſolùm ad pœnam taxatam ſuſtinendam, teſte D. Thoma *in 2. 2. quæſt. 186. art. 9. ad 1.* & tunc certum eſt religioſis licere abſque peccato veſci carnibus in die Nativitatis Domini, *cap. Quiſquis præceptis, §. Quod præcipitur, 14. quæſt.1. & cap. Denique, §. Hæc etſi legibus: 4. diſt.* Neque hoc caſu habet locum exceptio, de qua hìc, quia loquitur tantummodò de his, qui ad abſtinentiam obligantur ex voto, vel ex regula, ut probat littera, ibi, *Aſtricti*. Aut regula obligat tranſgreſſores ad culpam, prout regulariter contingit, ſi utatur verbis præceptivis, vel æquipollentibus, ut in juribus ſupracitatis; & notat Abbas *in cap. Nam concupiſcentiam, num.2. verſ. Et tunc aut lex loquitur per verba præceptiva, ſupra de Conſtitutionibus:* & dicendum eſt religioſos teneri ad obſervantiam regulæ ex vi voti obedientiæ: quia qui reſiſtit regulæ, Superiori reſiſtit, & ſic Deo, *cap. Qui reſiſtit, cap. Si Dominus, & cap. Julianus, 11. quæſt.3.* & notat Abbas *loco citato*. Quid enim refert, an Superior oretenus, aut ſcripto aliquid præcipiat? Et hujus ſententiæ eſt apertè Divus
5 Thomas *ubi ſupra*. Nam in corpore docet tranſgreſſionem regulæ in his, quæ pertinent ad exterius exercitium, ſicuti ſunt omnes exteriores obſervantiæ, obligare ad mortale indiſtinctè in concernentibus principaliter tria vota ſubſtantialia, ſcilicet paupertatis, continentiæ, & obedientiæ; in aliis verò, quæ ad prædicta ordinantur, obligare ad mortale in duobus caſibus, videlicet propter contemptum, vel propter præceptum, ſive oretenus à Prælato factum, ſive in regula expreſſum: Quia, inquit, hoc eſſet facere contra obedientiæ votum. Et in reſponſione ad primum ait: *Ille qui profitetur regulam, non vovet ſervare omnia, quæ ſunt in regula; ſed vovet regularem vitam, quæ eſſentialiter conſiſtit in tribus prædictis: unde & in quibuſdam religionibus cautius aliqui profitentur non quidem regulam, ſed vivere ſecundum regulam, ideſt tendere ad hoc ut aliquis mores ſuos informet ſecundum regulam, ſicut ſecundum quoddam exemplar. Et hoc tollitur per contemptum. In quibuſdam autem religionibus adhuc cautius profitentur obedientiam ſecundum regulam, ita quòd profeſſioni non contrariatur, niſi id, quod eſt contra præceptum regulæ. Tranſgreſſio verò, vel omiſſio aliorum obligat ſolùm ad peccatum veniale, quia hujuſmodi diſpoſitiones ſunt ad principalia vota. Peccatum autem veniale eſt diſpoſitio ad mortale in quantum impedit ea, quibus aliquis diſponitur ad obſervanda principalia præcepta legis Chriſti, quæ ſunt præcepta Charitatis.* Hæc S. Thomas, quem totidem verbis ſequitur Archid. *in cap.1. num.2. 27. quæſt.1.* & ipſemet Abbas *in cap. Nam concupiſcentiam, num.4. verſ. Nec obſtat ſi dicatur, ſupra de conſtit.* atque ita S. Doctor ſentit manifeſtè tranſgreſſionem obſervantiarum, quæ præcipiuntur in regula, contrariari profeſſioni, & voto ſolemni obedientiæ. Unde Cajetanus poſt princip. notat Religioſos omnes ultra communia vincula omnium Chriſtianorum teneri etiam ad tria Religionis vota, item ad præcepta facta à regula, vel Prælato, quæ tamen ſub voto obedientiæ comprehen-
6 duntur, & ad contemptum. Præterea contra Abbatem allego textum expreſſum *in cap. Exiit, §. In primis, verſ. Ad omnia, de verbor. ſignif. lib. 6.* ubi Nicolaus III. diſertis verbis declarat Fratres Minores obligari ex voto profeſſionis ad omnia, quæ in eadem regula ipſis ſub verbis obli-
7 gatoriis indicuntur. Et Clemens V. in Clement. *Exivi, in §. Item quia eodem tit.* commemorans quæ illa ſint, recenſet in ſpecie obligationem jejunandi in ſextis feriis. Quamobrem verum non eſt quod dicit Abbas, Religioſum non teneri ex voto à carnibus abſtinere, ſed ex regula: imò enim quiſquis tenetur ex regula, tenetur itidem
8 ex profeſſione, & voto ſolemni obedientiæ. Neque obſtat hæc decretalis, quia dum excipit adſtrictos ex voto, poteſt intelligi de voto ſimplici, prout in dubio intelligi ſolet, ſecundum ea, quæ notantur *in cap. Rurſus, & cap. Meminimus, Qui Cleric. vel vovend.* & per Brixien. in verbo *Votum*: dum verò excipit adſtrictos ex regula, intelligitur de adſtrictis ex voto ſolemni, & ſic nulla eſt ſuperfluitas. Ad hoc *d. cap. Meminimus, cap. Veniens, & c. Rurſus, eod. tit.*

Salvari poſſet dictum Abbatis in eo caſu, in quo regula jejunium præſcribens in ſexta feria non obligaret ad culpam mortalem, ſed ad venialem dumtaxat. Tunc enim Regulares, ſi in illa die incideret feſtum Nativitatis, tenerentur jejunare ex regula, non autem ex voto, ſecundùm D. Thomam *loco cit.*

Adverte etiam ad id, quod ex D. Thoma ſuperiùs di- 9
ctum eſt, videlicet Fratres Prædicatores ex ſimilibus tranſgreſſionibus non obligari ad culpam neque mortalem, neque venialem: hoc enim non provenit ex eo, quòd præcepta regulæ ex ſui natura non obligent ad mortalem reatum, juxta textum in d. Clement. *Exivi, §. Item quia, de verbor. ſignific.* ſed quia Conſtitutionibus Ordinis ita cautum eſt, videlicet: *Ut igitur unitati, & paci totius Ordinis provideamus, volumus, & declaramus, ut regula noſtra, & Conſtitutiones noſtræ non obligent nos ad culpam, niſi propter præceptum, vel contemptum. Præceptum autem in Regula nullum, niſi quod de natura ſua eſt ratione trium votorum, vel divinæ, aut Eccleſiaſticæ legis, contineri volumus, & declaramus. Et idem in Conſtitutionibus, niſi ubi ponitur ſententia excommunicationis, aut formaliter exprimitur per verbum, Præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ. Et hoc idem in ordinationibus, & Prælatorum verbis, & litteris intelligi volumus.* Hæc ibi. Non igitur mirum, ſi 10
Regula, & Conſtitutiones prædicti Ordinis non obligent ad culpam; quia ubicumque conſtat de mente legis obligare nolentis, numquam inducitur obligatio, ut declarat Abbas *in d. cap. Nam concupiſcentiam, num. 2. verſ. Diſtinguo ſic, quòd aut certum eſt de mente legis, ſupra de Conſtitutionibus.*

Secundò, nota in eodem *verſ. Exceptis*, eos, qui ge- 11
neraliter voverunt numquam veſci carnibus, non poſſe illis veſci in die Nativitatis Domini. Rationem reddit gloſſ.1. *hìc*, quia quæ ſine conditione voventur, ſine conditione ſolvuntur, *cap. ult. 32. quæſt. ult.* Nam ex quo in voto emiſſo nihil exceperunt, generaliter tenentur, arg. *cap. Quia circa, de privil. & l. Si ſervitus, ff. de ſervit. urban. prædior.* Atque ita gloſſa intelligit exceptionem hìc poſitam in eo, qui vovit generaliter carnes numquam comedere. Et in hoc conveniunt omnes, ut teſtatur Abbas *num.3. verſ. In gloſſa 1.*

Sed valdè controverſum eſt, quid juris ſit in illo, qui 12
ſpecialiter vovit abſtinere à carnibus in die Veneris, numquid talis poſſit eas comedere, ſi in illa die occurrat feſtum Natalis Domini? Abbas *hìc num.3. verſ. Sed præcedens opinio*, concludit hunc teneri abſtinere etiam in die Nativitatis. Et hanc opinionem dicit eſſe veriorem, & in eam inclinare Moderniores, tum ob rationem gloſſæ: quia qui generaliter vovit, tenetur abſtinere in qualibet ſexta feria: tum quia, ut ipſe ait, ſi intelligeretur votum de eſu illicito, 13
ille voviſſet Deo de vento. Unde ut videatur Deo aliquid offerre, debet intelligi quòd abſtinebit feria ſexta, etiamſi alias licitè poſſent carnes comedi. Nam diſpoſitio debet ſemper intelligi, ut non ſit inutilis, ſed ut aliquid operetur, *cap. Abbate, infra de verbor. ſignificat. & l. Quoties, de verbor. oblig.* Sed ſi votum prædictum referretur ad eſum illicitum, de nihilo ſerviret Deo illud votum, arg. *l. Qui his, ff. eod.* ergo debet generaliter intelligi, ut comprehendat etiam eſum licitum. Idem videtur ſentire Silveſter in ver. *Jejunium, in 10. q. num.27.*

Sed oppoſitum tenet Joan. Andr. *hìc num.4.* in gloſ. 1. nam ſecundum eum, licèt tutum ſit hoc tenere, quod dicit gloſſa, tamen ſi quis vovit non comedere carnes in ſexta feria, occurrente eo die feſto Nativitatis, comedere poterit, niſi etiam eum caſum in voto includere intendiſſet, ut ſic illud votum intelligatur de eſu non licito, allegat *cap. Petitio, & cap. Ad noſtram, il terzo, de jurejur. cap. Super quibuſdam, de verbor. ſignif. & l. Adigere, §. ult. ff. de jurepatr.* Et quod hìc dicitur de voto, Joan. Andr. intelligit de eo, qui vovit numquam comedere carnes. Et idem putat, ſi voviſſet non comedere die aliàs permiſſo, & tunc feſtum occurreret; nam & eo caſu locus eſſet gloſſæ. Ita Joan. Andr. quem hìc referunt, & ſequuntur Henr. Boich. *num. 1. & 2.* Anton. de Butr. *num. 4.* Petrus de Anchar. *num.3.* licèt eum reprobet Cardinal. *num.3.* quia, inquit, hodie, ex quo emanavit iſtud Capitulum, quicumque voveret non comedere certa die, puta ſexta feria, vel die, qua venerit Salutatio Virginis, ſi ea die venerit Nativitas, tenebitur ſervare votum, ex

quo

quo non excepit hunc caſum, Regula *Contra eum*, *lib. 6.*

Poſſet ſic diſtingui; Aut vovens non comedere carnes in ſextis feriis, intendit comprehendere etiam diem Nativitatis, & extra dubium eſt hunc teneri abſtinere etiam in illa ſexta feria, in qua occurrit Nativitas, quia eatenùs quis adſtringitur voto, quatenus intendit, & non ultra, *leg. Obligationem*, *ff. de action. & obligat. c. Litteratu-*
14 *ram*, & ibi gloſſ. 1. *ſupra de voto*. Magis enim in voto attenditur intentio voventis, quàm verba, *cap. Super eo*, §. *Rurſus*, *eod. tit.* Et idem puto, ſi habitualiter intendiſſet ſe obligare ad abſtinentiam à carnibus etiam in die Nativitatis, ut quia, ſi hoc memoriæ occurriſſet, ita deliberaſſet, ut declarat Silveſter *in verb. Jejunium*, *quæſt.* 10. *num. 27. verſ. Ego diſtinguo*. Ad hoc *l. Cùm in teſtamento*, *ff. de rebus dub. & l. Tale pactum*, §. *fin. cum concord.* de quibus ibi per gloſſ. *final. in fin. ff. de pact.* Et multò magis, ſi tacitè ſe obligaſſet ad abſtinentiam etiam in die Nativitatis, puta quia in illa die, quæ contingit in ſexta feria, carnes comedit, & ſibi accidit aliquid ſiniſtrum; & ideò vovit in omnibus ſextis feriis à carnibus abſtinere.
15 Idemque dicendum eſſet, ſi voluiſſet, abſtinere in die, in qua perveniet ad locum peregrinationis, ſecundum exemplum Joan. Andr. *hìc in princ. in verb. Voto*. Nam ſi pervenerit ad locum deſtinatum in die Dominico, imò, & in Paſchate Reſurrectionis: utique teneretur abſtinere. Et idem eſſet, ſi voluiſſet per annum abſtinere in die, in qua occurreret Salutatio Virginis, ſecundùm exemplum Cardinalis; nam ſi hoc feſtum contingeret in die Dominico, abſque dubio teneretur abſtinere, etiam in Dominica Reſurrectionis.
16 Non igitur apparet ratio, cùr non item teneatur in die Nativitatis. Quòd ſi de intentione voventis, nec expreſsè, nec tacitè appareret, tunc recurrendum eſſet ad cauſam, qua motus fuit ad vovendum. Nam ſi voviſſet abſtinentiam à carnibus in die Veneris, quia pluries comederat, & voluit præcepto Eccleſię addere etiam obligationem voti, ut hoc vinculo ſe à peccato cohiberet; hoc caſu non videtùr ſe voluiſſe adſtringere ad abſtinentiam in die Nativitatis; quia illa die nullum eſt peccatum veſci carnibus in ſexta feria, ut hic patet. Et ſic ceſſat ratio motiva, propter
17 quam vovit, argum. *cap. Etſi Chriſtus*, *ad finem*, *ſupra de jurejuran.* Idemque arbitror dicendum in eo, qui vovit abſtinere à carnibus in ſextis feriis in memoriam Dominicę paſſionis. Veriſimiliter enim non videtur ſe voluiſſe adſtringere ad abſtinentiam in die Nativitatis, ſed potiùs ſe conformare cum conſuetudine Eccleſiæ univerſalis, quæ licèt indeſinenter recolat memoriam paſſionis Domini; tamen in feſto Nativitatis indulget fidelibus eſum carnium
18 ob tantæ feſtivitatis venerationem, ut hìc patet: Nam propter excellentiam diei detrahitur abſtinentiæ, & macerationi carnis. Unde colligunt Doctores, in diebus feſtis licere non tantùm ſpiritualiter, ſed etiam corporaliter honeſtè lætari in cibis, & veſtibus, ut in ſpecie hìc no-
19 tat Abb. *num. 2.* & Silveſt. *in verb. Jejunium*, *num. 27. verſ. Ex quibus elici poteſt*. Quamobrem ſicut in juramento intelligitur exceptus authoritas Eccleſiæ, & legis, *capit. Conſtitutus*, à contrario ſenſu, *de reſcript. cap. Venientes*, *de jurejuran.* Bald. *conſ. 29. num. 2. in fine*, *verſ. Nam ſicut in juramento*, *lib. 1*, ita & in voto, ut præfertur, emiſſo, *cap. Non eſt voti*, *ſupra de voto*, gloſſa *unica in cap. Deus qui*, *ſupra de vita*, *& honeſtat. Clericor.* Hoſtienſ. *in cap. Rurſus*, *infra ne Cleric. vel Monach.* Ad quod optimè faciunt jura per Jo. Andr. allegata, de quibus ſupra *num. 13. verſ. Sed oppoſitum*.
20 Neque obſtat, quòd ſecundùm Petr. de Anchar. *hìc in 3. notab.* cum abſtinentia à carnibus in die Veneris ſit in pręcepto, votum ſuper hoc emiſſum videatur deriſorium, cùm non poſſit augere effectum obligationis contractæ ex juris diſpoſitione, ut *l. Creditori*, *ff. de leg. 1. & l. Qui bis*,
21 *ff. de verbor. obligat.* Sicut ſtatutum eſt nullum, ſi diſponat idem quod jus commune, ut notatur *in cap. 1. de Conſtit. lib. 6.* Ac propterea, ut votum aliquid operetur præter jus commune, includere debeat etiam diem Nativitatis. Nam reſpondetur, ceſſare hanc difficultatem, ſi intelligamus hunc textum procedere in eo tantùm caſu, in quo vovit numquam carnes comedere, juxta intellectum Joan. Andr. talis enim proculdubio ſe adſtringit ad abſtinentiam ultra jus commune, atque ita votum non eſt inutile.

Quod ſi loquamur in eo, qui in ſpecie vovit abſtinentiam à carnibus in die Veneris, tunc reſpondeo non eſſe inutile ut quis ſe voto adſtringat ad id, ad quod tenetur ex præcepto Dei, vel Eccleſiæ. 22

Quod optimè explicat Cardin. Cajetanus in 2. 2. *quæſt.* 185. *art. 9. verſ. Dubium circa hanc litteram*, ait enim: (Quemadmodùm id quòd cadit ſub jure poſitivo communi, ſi in regula ſtatuatur, obligatur illius profeſſor duplici vinculo, ſcilicet juris Canonici, & propriæ regulæ ad id ſervandum, verbi gratia, ſi in regula inducuntur inter alia jejunia etiam illa; quæ ſunt ab Eccleſia inſtituta, tenetur Religioſus ille jejunare non ſolùm ex Eccleſiæ ſtatuto, ſed & ex ſuæ regulæ mandato: ita ſi præcepta Dei, vel naturalis juris in regula ſtatuantur ſervanda, tenetur profeſſor illius regulæ ex duplici capite ad illa præcepta ſervanda, ſcilicet ex divino jure, & ex ſua regula. Non enim inconvenit præceptum à jure iterum præcipi alio jure, vel judice, ut patet.) Hæc illæ.

Præterea non eſt inutile, ut aliquando quis voveat abſtinentiam à carnibus in diebus aliàs prohibitis. Nam aliquis abſtinet à peccato propter votum, qui non abſtinet propter præceptum. Ideòque pœnitenti, qui in peccatum aliquod frequentiùs labitur, providus Sacerdos quandoque ſuadet cum fructu, ut voveat ad tempus, ut vel ſic ſe à lapſu compeſcat.

Unde non ſubſiſtit, quod dicit Abbas hunc vovere Deo 23
de vento, quia funiculus duplex difficilius rumpitur, *c. 1. de tregu. & pace*, & duo vincula magis ſtringunt, quàm unum, *§. Affinitatis inſtitut. de nupt.* Authen. *Itaque*, *C. de commun. de ſucceſſ. cum ſimil.*

Quòd ſi neque ex cauſa impulſiva, neque ex aliis cir- 24
cumſtantiis, & conjecturis diſcerni poſſit, an vovens non veſci carnibus in ſexta feria intenderit ſe adſtringere ad abſtinentiam in die Nativitatis, nec ne, ſed res prorſus dubia ſit: tunc exiſtimo veriorem eſſe opinionem Joan. Andr. ut ſcilicet textus noſter procedat in eo tantùm, qui generaliter vovit numquam carnes comedere; non autem in eo qui vovit eas non comedere in ſextis feriis. Conſidero enim inter hos duos caſus eſſe evidentem rationem diverſitatis. Nam qui vovit generaliter numquam veſci carnibus, utique voluit privare ſe libertate illas comedendi etiam in diebus aliàs permiſſis. Unde cùm ex vi ſuæ obligationis teneatur ab illis abſtinere etiam in Dominica Reſurrectionis, non eſt ratio, cur ſimiliter non teneatur in die Nativitatis æqualiter enim permittit Eccleſia eſum carnium in Paſchate, atque in Nativitate. Unde DD. dicunt eum, qui vovit abſtinere à carnibus in omnibus quintis feriis, teneri, utique abſtinere, etiamſi in die Jovis occurrat feſtum Nativitatis.

Quod apertè ſentit Jo. Andr. *nu. 4.* in gloſ. 1. *verſ. Idem* 25
puto. At verò qui vovit ſpecialiter abſtinere à carnibus in die Veneris, vovit abſtinentiam in illis diebus, in quibus ex prohibitione Eccleſiæ interdictus eſt eſus carnium: ergo non cenſetur voviſſe abſtinentiam in die Nativitatis, quia in illa die, etiamſi ſit feria ſexta, eſus carnium non eſt ab Eccleſia interdictus. Nam enim eſt facienda extenſio ex ſextis feriis aliàs prohibitis ad ſextam feriam Nativitatis ab Eccleſiam permiſſam, cùm in voto non debeat fieri extenſio de caſu ad caſum, ut notatur *in c. non ſolum de regular. lib. 6.* & probatur *in c. Litterarum*, *ſupra de voto*. Et in dubio credendum eſt futurum fuiſſe, ut vovens excepiſſet diem Nativitatis, ſi memorię occurriſſet, ut ſic cum Eccleſiæ uſu ſe conformaret, & non eſſet ſingularis in ſua familia, ut videtur advertiſſe Molina *tomo 2. de juſtit. diſp. 272. col. 2. verſ. Exempla ſunt*. Præterea frequenter acci- 26
dit, ut quis generaliter voveat numquam edere carnes, ut patet in Carthuſianis, & Minimis S. Franciſci de Paula. At vix reperietur, ut regula præcipiat in ſpecie abſtinentiam à carnibus in die Veneris; hoc enim ferè eſſet ridiculum, cùm non tantùm Religioſis profeſſis, ſed omnibus Chriſtianis in ea die ſit eſus carnium interdictus. Item rariſſimè accidit, ut quis voto ſe adſtringat ad carnes non edendas in die Veneris, & ferè hic caſus vix poteſt contingere, niſi in eo, qui aliquando edit, & propterea vult ſe à lapſu coercere, addita voti obligatione. Ergo hìc canon adapta debet ad primum caſum, qui frequenter accidit, *l. Nam ad ea*, *ff. de legibus*, non autem ad ſecundum, qui aut perrarò, aut numquam continget. Nam ex iis, quæ fortè uno aliquo caſu accidere poſſunt, jura

non

non conſtituuntur. Imò quæ ſemel, aut bis accidunt, contemnunt legiſlatores, ut *l. Ex iis, & l. Quoniam, ff.*
27 *eod.* Ex his apparet fortè aliud dicendum eſſe in his qui ex voto, ſeu ex regula tenentur jejunare in omnibus ſextis feriis, ut Fratres Minores. Hi enim voto ſunt adſtricti ad id, ad quod de jure non tenentur, cùm jejunium in ſexta feria non ſit in præcepto, ut dixi *in cap. præc. num.* 23. & conſequenter ſunt adſtricti etiam ad jejunium in die Natalis Domini, cùm quoad jejunium non ſit differentia inter illam diem, & alias ſextas ferias. Atque ita in eo, qui in ſextis feriis vovit jejunare, tenent Palud. *in* 4. *diſt.* 38. *q.* 3. *art.* 4. *num.* 26. Navarr. *in Summa Hiſpana, c.* 28. *addit. ad num.* 27. *cap.* 21. & alii apud Sanchez *in Summa tomo* 1. *lib.* 4. *cap.* 11. *n.* 61.

28 Ultimò nota ibi, *Secundùm conſuetudinem Eccleſiæ generalis*, valere conſuetudinem in relaxatione jejunii: quod dicit mente tenendum Abbas *hic nu.* 3. ſubdens hunc textum optimè facere pro gloſſa in cap. præcedenti, & contra dictum Hoſtienſis ibi. Sed tu adverte, quia textus hic loquitur in conſuetudine univerſalis Eccleſiæ, quę cenſetur traxiſſe originem vel ex traditionibus Apoſtolorum, vel ex decretis Conciliorum generalium, ut legitur in *cap. Illa*, ubi Archid. & omnes notant, 12. *diſt.* Unde non mirum, ſi tamquam lex ubique ſervanda ſit, *c. Pernitioſus, ſupra de celebrat. Miſſar.*

29 Quòd ſi conſuetudo ſit localis, tunc ſubdiſtingue. Quędam enim eſt conſuetudo, quæ non relaxat jejunium in totum, ſed illud modificat, & interpretatur quoad horam, qualitatem ciborum, & unicam comeſtionem. Et hæc valida eſt, ſi ex honeſta, & rationabili cauſa ſit introducta: non autem, ut homines intendant ventri, & gaudiis temporalibus, ut dixi plenè *in c. præced. n.* 46. Quędam verò eſt conſuetudo, quæ in totum ſolvit jejunium: & in hac ſunt opiniones, quas recitavi in eodem *c. præced. num.* 55. Abbas ibi, *n.* 5. diſtinguit, an Papa ſciat, & tolleret, necne. Hic verò *n.* 3. ponit aliam diſtinctionem, videlicet, an conſuetudo habeat in ſe cauſam rationabilem, & honeſtam, an non: Sed tu dic latiùs, ut in *quæſt. ſeq. præſertim à n.* 39.

30 QUÆRO, an ex conſuetudine immemorabili in Populo Mediolanenſ. potuerit præſcribi contra numerum 42. dierum Quadrageſimæ ab Eccleſia inſtitutum, ita ut non poſſint Mediolanenſes compelli ad inchoandum jejunium, ſive abſtinentiam die Dominico, qui præcedit feriam ſecundam, quæ ex prędicta conſuetudine ipſis eſt initium quadrageſimæ continentis dies 41.

31 In hoc dubio ſupponendum eſt primò, Quadrageſimam ratione jejunii eſſe de jure divino, ratione temporis eſſe ex traditione Apoſtolorum, ut per multos Canones antiquos, & dicta SS. Patrum docet Martin. Ajala *de tradit. p.* 3. *de jejunio, & quadrageſ.* & Card. Varmenſis de cæremon. à tempore ſumptis c. 1.

32 Supponendum eſt ſecundò, Quadrageſimam habere aut ſex, aut ſeptem hebdomadas, ut tradit Caſſianus *in collation. de remiſſion. Quadrageſimæ.* Nam illi, qui jejunant
33 ſeptem hebdomadis, ſubtrahunt abſtinentiæ ſeptem dies Dominicos, & ſex dies Sabbati: qui verò ſex hebdomadis, ſex dies Dominicos, ut B. Gregorius docet *homil.* 16. tractans de numero dierum Quadrageſimæ, ita ut non ſit reperire Quadrageſimam, quę ſaltem non habeat quadraginta duos dies. Eccleſia ſiquidem Orientalis, in qua non
34 jejunatur Sabbato, incipit Quadrageſimam in Quinquageſima; & ſic continet ſeptem hebdomadas. Eccleſia verò Romana ſervat numerum quadraginta duorum dierum, quibus, ut idem Gregorius tradit *de conſecratione, diſt.* 5. *can. Quadrageſimæ*, additi fuerunt quatuor alii dies.

35 Supponendum eſt tertiò, Quadrageſimam Sancti Ambroſii fuiſſe quadraginta duorum dierum, & incœpiſſe à die Dominico, ut ex ipſo habetur *ſerm.* 23. & 25. ait enim *in ſermon.* 23. *Sanctæ Quadrageſimæ rationem, cujus hodie initium celebramus.* Qui dies per ſequentem ſermonem probatur fuiſſe Dominicus, dum inquit, *Retinent adhuc ſenſus veſtri, Fratres, nos hoc ſuperiore Dominica prædicaſſe.* In utroque autem ſermone explicat, cur Quadrageſima habeat quadraginta duos dies, cujus figuram
36 quadraginta duas illas manſiones dicit habuiſſe. Quin etiam Decius Doctor Mediolanenſis in *c. Ad audientiam, de reſcrip. num.* 20. habet hęc verba: Quadrageſima inſtituta fuit, ut decima temporis Deo redderetur, quæ eſt in triginta ſex diebus, prout eſt Quadrageſima exceptis diebus Dominicis, & ulteriùs additi ſunt quatuor dies, & ſic ſunt quadraginta ad imitationem Chriſti, qui quadraginta diebus jejunavit,) *can. Quadrageſima, diſt.* 5. Quod fuſiùs ante eum explicat Gemin. *conſ.* 37. *n.* 2. *verſ. De hoc eſt.* Mox ſubdit Decius (Eccleſia verò Mediolanenſis non 37
accepit illos quatuor dies.) Hæc ille. Et in hoc Mediolanenſes excuſari poſſunt ob auctoritatem Ambroſii. Quemadmodùm etſi pedes eorum, qui baptizantur prohibeantur lavari in Concilio Elibertitano, *cap.* 48. relato in *cap. Emendari*, 1. *quæſt.* 1. tamen excuſantur Mediolanenſes, qui Ambroſii auctoritate puerorum pedes lavant aqua conſecrata, ut ait ibi gloſſ. *in verb. Lavandi ſunt.* Cùm 38
igitur Quadrageſima Ambroſiana differat ſolùm in quatuor diebus à Quadrageſima quam Romana ſervat Eccleſia: ſequitur, ut quadraginta duos dies contineat, & incipiat in ipſo die Dominico; ut oſtenſum eſt ex eodem Sancto, & teſtatur etiam Divus Gregorius *in d. homil.* 16.

His ſuppoſitis ad dubium videtur negativè reſponden- 39
dum. Nam conſuetudo, ut tollat legem, debet eſſe rationabilis, *cap. fin.* ubi Abb. *nu.* 4. *de conſuetud.* gloſ. *unic. in c.* 1. *eod. tit.* per illum textum, Felin. *in c. Cum ex officii, de præſcript.* Aym. *conſ.* 96. *num.* 3. Anton. Gabr. *lib.* 5. *de præſcript. concluſ.* 1. *num.* 36. alios congerens. Quod maximè eſt verum in conſuetudine jejunii relaxativa, ut hic per Abb. *nu.* 3. Talis autem non eſt hæc conſuetudo, cùm nulla ratio ſit, cur eo die, quo non modò Eccleſia Mediolanenſis, ſed tota ab Oriente uſque ad Occidentem Eccleſia incipit officium Quadrageſimale, & luget peccata, ut inquit Caſſianus *in ſupraſcript. collation.* ſolus populus Mediolanenſis intemperantiæ indulgeat. Ergo cum 40
prorſus ſit contra rationem, ut tanta deformitas publicè in Eccleſia appareat; ſequitur ut talis conſuetudo non poſſit tollere legem maximè rationabilem. Quinimò cùm maneat ratio eadem, ut inquit D. Thomas *in* 1. 2. *quæſt.* 97. *art.* 3. *ad* 2. propter quam prima lex utilis erat; non conſuetudo legem, ſed lex conſuetudinem vincit. Quamobrem in ſolemnibus jejuniis, præſertim Quadrageſimæ, conſuetudinem abſolutè nihil poſſe, docuit Hoſt. *in c. præced. num.* 2. retractans quod priùs ſcripſerat in ſumma: quem ibi ſequuti ſunt Joan. Andr. *num.* 8. Butr. *num.* 12. Cardin. *num.* 2. & alii frequentiori calculo. Et ita communiter teneri teſtatur Præpoſ. *in cap. Denique, numer.* 23. 4. *diſt.*

Præterea illa conſuetudo dicitur irrationabilis, & nullo 41
tempore pręſcribi poteſt, quę eſt contra Eccleſiaſticam diſciplinam, *c. Cùm inter, de conſuetud.* Felin. *in c. Accedentes, n.* 6. *verſ. Fallit* 4. *de præſcript.* Balb. *in tract. de præſcript. in prima parte ſextæ partis principalis, n.* 7.

Sed hujuſmodi conſuetudo non modò ſimplici diſcipli- 42
nę Eccleſiaſticę, ſed & ipſi Apoſtolorum traditioni adverſatur, ut oſtenſum eſt ſupra in ſecundo ſuppoſito, cùm non detur ſpecies Quadrageſimæ, quę habeat dies 41. & Ambroſius in eodem ſermone de Quadrageſima dicat: *Si quiſquam unam diem abſtinendo prætermiſerit, totam Quadrageſimam violavit, & propter modici temporis cibum, magnum fructum laboris amiſit*: & ſi ſolvitur jejunium uno die, tota Quadragèſima inhonoratur, *c. Non liceat, de conſecr. diſt.* 3 *& c. Non oportet, ead. diſt.* Ergo talis conſuetudo præſcribi non potuit.

Altera conditio ad hoc ut conſuetudo immemorabilis 43
poſſit legem abrogare, vel in totum, vel in partem, eſt, ut ſit legitimè præſcripta, Abb. *in d. c. fin. nu.* 4. *de conſuet.* & requiritur patientia cum volũtate Principis, cujus eſt legem abrogare. Innoc. *in rubr. de conſuetud.* Felin. alios allegans *in c. Cum ex officii, num.* 8. *de præſcript.* Aym. *conſ.* 96. *num.* 7. Silveſt. *in verb. Jejunium, num.* 8. Nec ſola tolerantia ſufficit, ut ex ea colligi poſſit conſenſus Principis; multa enim tolerantur, quæ ſi in judicium deducerentur, non deberent tolerari, *c. Cùm jam dudum, in fin. de præbend.* Sed in propoſita conſuetudine non poteſt oſtendi Summi Pontificis voluntas, qui ſemper reclamat per Prædicatores, ut in ſpecie teſtatur Silv. *ubi ſupra* his verbis: (Ego verò primam limitationem approbo, quando conſuetudo eſt irrationabilis; ſecundam (hoc eſt, quoad interpretationem jejunii, qualiter ſit explendum (concurrentibus duobus. Primò, quòd Papa ſileret ſine reclamatione; ſecus ubi reclamaret per Prædicatores: ſicut ubique facit

facit de jejunio Quadrageſimæ, quod a minore parte fidelium ſervatur: & tamen conſuetudo non excuſat. Secundò, quòd conſuetudo talis ſit apud timoratos, & non eos, qui non jejunant, credentes tamen & ſcientes ſe jejunio obligatos, quia non eſt conſuetudo, ſed corruptela.] Hæc Silveſter. At in caſu noſtro Papa ſemper reclamat per Prædicatores contra non obſervantes præcepta Eccleſiaſtica, nec apparet Mediolani omnes etiam timoratæ conſcientiæ hoc modo jejunaſſe, ſed potiùs contrarium ex Decr. ſupracit. Ergo talis conſuetudo cùm non ſit legitimè præſcripta, non debet obtinere adverſus inſtituta univerſalis Eccleſiæ, Eccleſiaſticam diſciplinam, & traditiones Apoſtolorum.

44 Non obſtat, quòd habens conſuetudinem immemorabilem poſſit allegare privilegium, *c.1* ubi DD *de præſcript. in 6.* quia quando allegatur privilegium in materia non veriſimili, præſumitur falſum, & ſubreptitium, Felin. *in c. Cùm ex officii, n. 13. de præſcript.*

Nec obſtat Can. *Denique, diſt.4.* Primò, quia ex illis verbis clarè non habetur, de qua Dominica loquatur. Deinde

45 allegatur nomine Gregorii, & tamen non reperitur uſquam tale dictum apud ipſum. Imò repugnat expreſsè verbis Gregorii ſupra relatis *Hom.16.* Sed neque ex illis verbis *c. Denique*, poteſt colligi voluntas, & conſenſus Papæ.

46 Demùm prædictus Canon ubique probat conſuetudinem illam veſcendi carnibus in Dominica Quadrageſimæ eſſe corruptelam, & populos, qui hea dimoveri non poterant, mortaliter peccare. Et quamvis dicat cum venia ſuo ingenio relinquendos eſſe, tamen, ut inquit gl. in ver. *Venia*, hoc debet intelligi de venia pœnæ, non de venia culpæ; tolerat enim Gregorius illud crimen veſcendi carnibus in Dominica Carniſprivii propter periculum ſchiſmatis, vel ſcandali. Unde non eſt dicendum, quòd ignoſcatur eis, licèt non puniat eos propter multitudinem, vel ſcandalum. Suſtinenda enim ſunt crimina ratione ſcandali, vel ſchiſmatis, ut *24. q.4. c. Non poteſt*, & ratione multitudinis, ut *50 diſt. c. Ut conſtitueretur*. Hæc ibi, & in verb. *Conſuetudine.* gloſ. dicit, conſuetudinem hujuſmodi excuſare à pœna temporali, ut ibi, ſed non à gehennali. Imò enim conſuetudo non minuit peccatum, ſed auget, *c. Schiſma, 24. q.1. cap. Flagitia, 32. q.7. c. Non ſatis de ſimon* & ſequuntur ibi Archid. Bellam. Turrecr. & Præpoſ.

Ultimò non obſtat, quod legitur in recentioribus Homiliariis, Dominica Carniſprivii: & tamen ſequitur in *cap. Quadrageſimæ*. Et quòd in Breviariis, & Miſſalibus Eccleſiæ Mediolanenſis prima Dominica Quadrageſimæ appellatur, quæ eſt ſecunda juxta noſtram ſententiam. Tum quia inſcriptiones hujuſmodi procedunt ſuppoſita corruptela inducta poſt Ambroſium. Tum etiam quia cùm ille dies ſit primus, non appellaretur prima Dominica Quadrageſimæ, ſed potiùs Dominica in capite jejunii Quadrageſimæ.

DE ECCLESIIS ÆDIFICANDIS, vel reparandis.

Alexander III. Eboracen. Archiepiſcopo.

CAPUT III.

AD audientiam noſtram noveris perveniſſe, quòd villa, quæ dicitur H. tantum perhibetur ab Eccleſia parochiali diſtare, ut tempore hiemali cùm pluviæ inundant, non poſſint parochiani ſine magna difficultate ipſam adire: unde non valent congruo tempore Eccleſiaſticis officiis interreſſe. Quia igitur dicta Eccleſia ita dicitur redditibus abundare, quòd præter illius villæ proventus miniſter illius convenienter valeat ſuſtentationem habere: Mandamus quatenùs ſi res ita ſe habet, Eccleſiam ibi ædifices, & in ea Sacerdotem, ſublato appellationis obſtaculo, ad præſentationem rectoris Eccleſiæ majoris, cum canonico fundatoris aſſenſu inſtituas, ad ſuſtentationem ſuam ejuſdem villæ obventiones Eccleſiaſticas percepturum; providens tamen, ut competens in ea honor pro facultate loci, matrici Eccleſiæ ſervetur: quod quidem fieri poſſe videtur, cùm ejuſdem villæ dominus viginti acras terræ frugiferæ velit ad uſus Sacerdotis conferre. Si verò perſona matricis Eccleſiæ virum idoneum præſentare diſtulerit, vel opus illud voluerit impedire, tu nihilominùs facias idem opus ad perfectionem deduci, & virum bonum appellationis ceſſante diffugio inſtituere non omittas.

SUMMARIUM.

1 *Eccleſia nova poteſt in parochia ædificari propter nimiam diſtantiam parochialis, eique certa portio aſſignari ex redditibus Eccleſiæ antiquæ.*

2 *Poſſumus id ſolùm, quod commodè poſſumus.*

3 *Horis congruis non accedens ad actum explicandum non cenſetur idem intereſſe.*

4 *Parochia nova erigi non poteſt ex redditibus Eccleſiæ, cui non ſuperſunt neceſſaria ad ſuſtentationem Rectoris.*

5 *Parochiani cogi poſſunt ſubminiſtrare, quæ ſufficiant ad vitam novi Parochi ſuſtentandam, ſi Eccleſia matrix redditibus non abundet.*

6 *Et quid ſi Parochiani ſint pauperes, & n. ſeq.*

7 *Eccleſia parochialis quandoque erigi poteſt ſine dote.*

8 *Parochialis noviter erecta quem honorem debeat impendere matrici Eccleſiæ.*

9 *Et in quibus eidem remaneat ſubjecta, & n. ſeq.*

10 *Eccleſia nulla præter Cathedralem fundat intentionem ſuper ſubjectione alterius Eccleſiæ etiam fundatæ infra limites parochiæ ſuæ.*

11 *Parochia nova erigi poteſt ab Epiſcopo infra limites parochiæ alterius, etiam invito Rectore.*

12 *Appellari non poteſt ab erectione novæ parochiæ ad effectum ſuſpenſivum, ſed devolutivum tantum.*

13 *Parochia nova ut erigi poſſit ab Epiſcopo infra limites alterius parochiæ, quæ requirantur, & n. ſeq. uſque in fin.*

14 *Parochialis Eccleſia in alterius parochia regulariter ædificari non debet.*

15 *Fallit legitima ſubſiſtente cauſa, ibid.*

16 *Et cauſa juſta eſt magna difficultas Parochianorum accedendi ad Eccleſiam matricem, & n.23.*

17 *Non tamen requiritur, ut aliquis deceſſerit ſine Sacramentis.*

18 *Parochiæ amplitudo an ſit juſta cauſa erigendi novam parochiam.*

19 *Et quid ſi intra populum alicujus villæ, & parochialem intercedat flumen, quod tranſmeari non poſſit.*

20 *Parochialis ſi intra civitatem ſita ſit, quibus remediis conſulendum ſit Parochianis extra civitatem exiſtentibus.*

21 *Regulares, quibus conceſſa eſt Parochialis intra civitatem, cogi poſſunt ab Epiſcopo ad Conſtruendam Capellam extra civitatem, eique inſerviendum per ſeipſos, vel Capellanum amovibilem.*

22 *Parochialis nova conſtrui poteſt ob neceſſitatem leproſorum, ſine gravi tamen præjudicio Parochialis antiquæ.*

24 *Parochia erigi non poteſt ex ſola cauſa, quod populus ſit valdè numeroſus, ſed tunc cogendus eſt Rector ſibi coadjutores adjungere.*

25 *A parochia antiqua non poteſt Epiſcopus loco erectionis novæ parochiæ aliquam partem populi ſeparare, & alteri commodiori applicare.*

26 *Nec duas Parochias unire.*

27 *Vicarias duas perpetuas in parochiali Epiſcopus erigere non poteſt ex eo, quòd populus ſit valdè numeroſus.*

28 *Parochia ut erigi poſſit, quot incolæ ſint neceſſarii.*

29 *Parochia erigi non poteſt niſi citato Rectore Eccleſiæ matricis, & aliis quorum intereſt, & n. ſeq.*

30 *Parochiæ erectio ſi nulla ſit ex defectu citationis, non tamen prohibetur Epiſcopus, ſi cauſa ſubſit, iterum ad erectionem procedere.*

31 *Parachiali erigendæ infra limites alterius parochiæ quo ordine ſit procedendum in aſſignatione dotis, & num. ſeq.*

32 *Parochiali erigendæ aſſignari poſſunt redditus Eccleſiæ matricis, etiamſi ſit Cathedralis, non autem aliarum Eccleſiarum.*

33 *Pro parochia noviter erigenda poteſt Epiſcopus facere unionem beneficiorum, ſi alii redditus non ſuppetant.*

34 *Et quid de Canonicatibus habentibus curam animarum annexam in alia Eccleſia non Collegiata.*

35 *Juſpotronatus Eccleſiæ noviter ædificatæ infra limites alterius parochiæ, quibus ſit reſervandum.*

36 *Patroni plures eſſe poſſunt unius Eccleſiæ ex cauſa fundationis, vel dotationis, etiamſi inæqualiter dotaverint, & n. ſeq.*

37 *Acra quid ſit.*

38 *Eccleſia matrix, ex cujus obventionibus erigitur nova parochia, efficitur patrona ſimul cum alio dotante.*

39 *Eccleſia matrix non acquirit juſpatronatus in Eccleſia fundata intra ſuos limites, niſi de ſuo aliquid contulerit, quamvis oblationes futuræ dicantur eſſe loco dotis.*

40 *Capella ſi intra Eccleſiam ædificetur, & ab alio dotetur, Eccleſia efficitur patrona.*

41 *Mandatum ſpeciale requiritur ad erigendam novam Parochiam.*

42 *Ad parochiæ erectionem Epiſcopus an procedere debeat authoritate ordinaria, vel delegata.*

43 *Parochias novas concurrentibus requiſitis poſſunt Epiſcopi erigere etiam in parochiis Regularium, & Ordinum Militarium.*

44 *Regulares Eccleſias ob Sacramentorum neceſſitatem non poſſunt Epiſcopi in parochia es erigere.*

45 *Appellatio ab Epiſcopo procedente authoritate delegata in eo caſu, in quo uti poterat etiam authoritate ordinaria, ad quem ſit interponenda, & n. ſeq. uſque ad num. 49.*

Et quid ſi procedere non poterat authoritate ordinaria, num. 47.

46 *Poteſtas delegata cur ſit Epiſcopis per Conc. Trid attributa.*

48 *Appellatio ab erectione parochialis facta ab Epiſcopo infra limites parochiæ regularibus ſubjectæ interponi non poteſt niſi ad Papam.*

49 *In parochia erigenda an Epiſcopus teneatur adhibere conſilium, vel conſenſum Capituli, & n. ſeqq. uſque ad num. 55.*

50 *Quid de jure communi.*

Et quid ex Conc Trid. n. 52. & 54.

51 *In parochiæ diſmembratione requiritur tractatus.*

53 *In unionibus, & aliis actibus, quæ fiunt authoritate delegata, non requiritur Capituli conſenſus.*

Declaratur, n. 54.

54 *Capituli conſenſus non requiritur, ſi nova parochia ab Epiſcopo erigatur in parochia Regularibus ſubjecta.*

55 *Decimæ ad Eccleſiam matricem pertinentes an tranſeant ipſo jure in parochialem noviter erectam infra illius limites.*

56 *Eccleſiæ quæ noviter in parochialem erigitur, an Epiſcopus in vim Conc. Trid poſſit unire aliquem ex Canonicatibus Eccleſiæ, matricis, & n. ſeqq.*

57 *Uniendis facultas non venit in generali diſpoſitione.*

58 *Tituli non ſunt ab Epiſcopi transferendi ab una ad aliam Eccleſiam ſine magna cauſa.*

59 *Parochiæ ex juſta cauſa poſſunt dividi etiam invitis Clericis.*

A*D audientiam.* Propter nimiam diſtantiam Eccleſiæ 1
poteſt nova Eccleſia in illius parochia conſtrui, eique certa portio aſſignari ex redditibus Eccleſiæ antiquæ. Hoc dicit. Dividitur in duas partes. In prima ponit facti narrationem. In ſecunda proviſionem, ibi, *Quia igitur.* Quæ primò providet quando rector conſentit. Secundò, quando diſſentit, ibi, *Si vero.*

Nota primò ibi, *Sine magna difficultate*, hanc eſſe ju- 1
ſtam cauſam dividendi parochiam, & novam Eccleſiam infra illius limites conſtruendi, ſi Parochiani ad Eccleſiam antiquam ſine magna difficultate accedere nequeunt pro Sacramẽtis percipiendis, & divinis officiis audiendis. Et quod hìc dicitur, *Sine magna difficultate*, Conc. Trid. dixit, *Sine magno incommodo, in c. 4. ſeſſ. 21.* & meritò; nam illud ſolum poſſumus, quod commodè poſſumus, ut *l. Nepos, Proculo, ff. de verb ſignif. c. fin. ſupra de dilat c. Quia propter, de elect. c. fin. §. pen. de procur.* gl. *in c. Faciat, in ver. Non poteſt, in fin. 22. q. 2.* & hìc notant Hoſt. *in princ. in ver. Sine magna difficultate*, Jo. Andr. *n. 2.* Butr. *n. 4.* Cardin *n. 2.* & Anchar. *in 2. not.* Sive autem hæc difficultas adeundi Eccleſiam matricem proveniat ex diſtantia loci, ſive ex alia cauſa nihil refert, ut dicam infra *in 1. q. n. 18.*

Secundò nota ibi, *Congruo tempore*, eum, qui congruo 3
tempore non accedit ad actum explicandum, non cenſeri eidem actui intereſſe, arg. *c. Conſuluit, §. 1. ſupra de offic. deleg.* ſecundum Hoſt. *hic in princ.* Jo Andr. *n. 2.* Butr. *n. 4.* omnes *in ver. Congruo tempore*, & Card. *in 2. not.* Quod facit contra Canonicos, qui accedunt ad chorum poſt officium inchoatum; & contra eos, qui ad Miſſam cœptam veniunt diebus feſtis, ut præcepto Eccleſiæ non ſatisfaciant. De quo tamen dic, ut per Innoc. *in c. Dolentes, ad fin. ver. Item ſi aliquis non interfuit, ſupra de celebr. Miſſar.* per Archid. *in c. Miſſas, de conſecr. diſt. 1.* & Silveſt. *in ver. Miſſa, 2. n. 1. verſ. Dicitur quartò.*

Tertiò nota ibi, *Convenienter valeat ſuſtentationem ha-* 4
bere, non eſſe locum erectioni novæ parochiæ ex redditibus Eccleſiæ antiquæ, niſi Eccleſiæ matrix adeò redditibus abundet, ut ejus Rector abſque proventibus novæ Eccleſiæ aſſignatis competenter valeat ſuſtentari, *ut hic & in c. Bonæ rei, 12. q. 2. c. Quicumque, 16. q. 1. c. Eccleſiæ, ſupra de decim. & c. proximo, ſupra eod.* Quamobrem ſi Rector matricis Eccleſiæ egeret redditibus ſibi ſubtractis, illius cauſa potior habenda eſſet, arg. *c. 1. ſup. de paroch.* cum aliis hic allegatis per Hoſt. *n. 3. in verb. Obventiones, verſ. Sed quid ſi antiquus Rector*, & Butr. *n. 10.* nam agris ſuis ſitientibus, alieni non ſunt irrigandi, *l. Præſes, C. de ſervit* & ita concludunt hìc gl. in ver. *Convenienter*, Hoſt. *n. 3.* Jo. Andr. *num. 7. in gl. 2.* Butr. *num. 4. in ver. Abundare*, & Anchar. *in 3. notab.*

Verum hanc concluſionem limitat ibidem Hoſtien. & 5
gloſſam corrigit in eo caſu in quo niſi fieret erectio novæ parochiæ, animarum periculum immineret, puta quia parochiani decederent ſine confeſſione, & aliis Eccleſiæ Sacramentis: tunc enim putat novam parochiam eſſe ab Epiſcopo erigendam, etiamſi Eccleſia matrix redditibus non abundet; nam rebus animæ ſunt præferendæ, ut notatur *in c. Extirpandæ, §. Cum igitur, ſupra de præben. & c. 1. de pignor* Sed tu adverte, quia gloſſa habuit optimum intellectum relata ad textum; non enim negat, quin ſit facienda erectio ubi periculum imminet animarum, ſed ſentit illam non eſſe faciendam ex redditibus Eccleſiæ antiquę, quando hujuſmodi redditibus non ſufficiunt ad ſuſtentationem Rectoris, & ſic gloſſa non diſcrepat à ſententia Hoſtienſis. Dic ergo in hoc caſu, in quo Eccleſia antiqua nihil habet præter neceſſariam ſuſtentionem, & ſubeſt periculum animarum, cogendum eſſe ab Epiſcopo ſubjectum parochiæ populum, ut presbytero inſtituendo neceſſaria miniſtret, argum. *c. Cum ſit Romana, de Simon.* & ex-

& expreſsè cautum eſt decreto Concilii Tridentini *cap.* 4. *ſeſſ.* 21. ubi innovatur hoc cap. & ſtatuitur, ut ſi neceſsè fuerit, compellere poſſit Epiſcopus populum ea ſubminiſtrare, quæ ſufficiant ad vitam ipſius Sacerdotis ſuſtentandam, facit *cap.* 7. *ſeſſ.* 21. ibi, *In illorum defectum Parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant*, *& cap.* 13. *ſeſſ.* 24. in illis verbis: *Per Parochianorum ſymbola, aut collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione, tantum redigatur, quod pro Rectoris, aut parochiæ neceſſitate decen-*
6 *ter ſufficiat*. Hæc ibi. Sin autem paupertas Parochianos excuſet, cogat Epiſcopus Abbatem, vel Præpoſitum, cui parochia illa in temporalibus ſubeſt, ad ſuppeditanda vitæ neceſſaria Sacerdoti inſtituendo, *ut c. Sanctorum, verſic. Si quæ tamen capellæ*, 70. *diſt. & c. Extirpandæ*, §. *Cum igitur, ſupra de præb.* Quòd ſi & illos excuſet inopia, provideat Epiſcopus ex menſa ſua, argum. *c. fin. infra eodem, & c. Inter cætera, ſupra de offic. Ordin.* Ad hoc enim tenetur Epiſcopus, ſi commodè poteſt, *ut c.* 2. 16. *qu* 3. *c. Præcipimus, & c. Eccleſiaſticum*, 12. *q.* 1. *c. Regenda, & per tot.*
7 10. *q.* 1. *& cap. Epiſcopus habeat poteſtatem*, 10. *q.* 2. Ad extremum, ſi neque id fieri poſſit, & egeſtate omnes laborent, novus Parochus propriis manibus ex artificio victum ſibi quærat, *c. Clericus*, 1. *&* 2. 91. *diſt.* & ſic dabitur caſus, in quo parochialis Eccleſia conſtrui poterit ſine dote, cùm ſcilicet urget neceſſitas, & alia ratio non ſuppetit: quod nota ſingulariter ſecundùm Abb. *hic num.* 7. ad limitationem *cap. Nemo, de conſecr. diſt.* 1. prohibentis Eccleſiam ædificari ſine competenti dote. Itaque ſecundum ordinem ſuperiùs propoſitum procedendum erit ab Epiſcopo in aſſignatione redditnum pro ſuſtentatione Rectoris novæ parochiæ, prout concludunt hìc Hoſtien. *num.* 3. Joan. Andr. *num.* 7. *in gloſſ.* 2. Butr. *num.* 9. Cardin. *num.* 5. *in* 2. *quæſt.* Ancharan. *num.* 5 *in* 1. *quæſt.* & Abb. *num.* 7. Et aliàs declaravit Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum. Cenſuit enim in terminis Concilii aſſignationem faciendam ex fructibus ad Eccleſiam matricem pertinentibus; & ſi ii non ſufficiant, tunc demùm populum compellendum eſſe; quòd ſi nec ipſe ob paupertatem compelli poſſit, Epiſcopum de ſuo dare debere.

8 Quartò nota, ibi, *Competens in ea honor*, Eccleſiam conſtructam infra limites alterius Parochiæ teneri aliquem honorem impendere matrici Eccleſiæ, ſcilicet annuum cenſum in ſignum ſubjectionis, arg. *c. Omnis anima, ſupra de cenſib.* moderandum tamen arbitrio Epiſcopi, arg. *cap. De cauſis, ſupra de offic. delegat.* ſecundum gloſſ. hìc *in verb. Honor*. Vel dic, Clericos Eccleſiæ noviter ædificatæ teneri majorem Eccleſiam adire pro Baptiſmo, Scrutinio, Capitulo, & conſimilibus, vel ſolvere illa jura, quæ Capellæ debent Eccleſiæ matrici, *ut c.* 2. *de Capell. Monach. & c. His, quæ de major. & obedien.* ſecundum Innocent. & Abb. Antiq *in verb. Honor*, Hoſt. *num.* 3. *in verb. Provideas tamen*, Joan. Andr. *num.* 10. Butr. *num.* 12. Anchar. *in* 5. *notab.* & Abb. *num.* 6. vel certè antiquæ Eccleſiæ reſervabitur ſepultura, *ut cap. Traſmiſſa, de præſcript.* & tenent Joan. Andr. *dict. num.* 10. *& in cap. Certificari, de*
9 *ſepultur.* Cæterùm adverte, quia dum gloſſa dicit hujuſmodi honorem deberi antiquę Eccleſię in ſignum ſubjectionis, hæc ratio eſt falſa, & nullo jure probatur ſecundùm Abbatem *num.* 8. imò hìc textus probat oppoſitum: nam reſervando majori Eccleſiæ patronatum, & competentem honorem pro facultate loci, in reliquis videtur illam Capel-
10 lam eripere à poteſtate Rectoris antiquæ Eccleſiæ. Prætereà nulla Eccleſia præter Cathedralem fundat intentionem de jure communi ſuper ſubjectione alterius Eccleſiæ etiam fundatæ infra limites parochiæ ſuæ. Quamobrem Eccleſia intendens ſibi vendicare jus in aliam Eccleſiam, ea eatenus obtinebit, quatenùs probabit ſibi competere ex jure ſpeciali. Ad quod dicit eſſe textum, & communem Doctorum theoricam *in cap. Dilectus, de Capell. Monach.* Pro opinione Abbatis allego §. *Sicut duo*, poſt *c. Præcipimus*, 16. *qu.* 1. ubi baptiſmales, & parochiales Eccleſias Epiſcopus dicitur poſſe dividere de conſenſu Clericorum ſuorum, & mox ſubjungitur: Quod cùm factum fuerit, illa pars populi, quæ novis Eccleſiis ſupponitur, a jure prioris Eccleſiæ abſolvitur: ubi gloſſa dicit novam Eccleſiam ſolutam eſſe à jure prioris Eccleſiæ. Itaque verius videtur, excepto patronatu, & competenti honore, jura ſubjectionis non deberi Eccleſiæ matrici, niſi in quantum Epiſcopus prædicta jura illi reſervaverit in limine erectionis. Quod clarius procedit hodie poſt Concil. Trid. ut inferiùs patebit *num.* 55.

Quintò nota, in verſ. *Si verò*, procedi poſſe ex cauſa hìc 11
expreſſa ad erectionem novæ parochiæ etiam invito, & contradicente Rectore matricis Eccleſiæ, quamvis id cedat illi in diminutionem honoris, & commodi temporalis, ut hic patet expreſsè in illis verbis: *Si perſona matricis Eccleſiæ opus illud voluerit impedire, tu nihilominùs facias idem opus ad perfectionem deduci, & virum bonum, appellationis ceſſante diffugio, inſtituere non omittas*: & firmant Hoſtienſis *num.* 3. *in ver. Obventiones*, Joan. Andr. & Butr. ambo *num.* 7 Anchar. *in* 6. *notab.* & Abb. *num.* 16. Cardinal *conſ.* 8. *Quidam Syndicus*, *num.* 3. *verſ. Dico tamen.* Verum gloſſ. ult. *in c.* 2. 99. *diſt.* ſentit hoc fieri non poſſe invito Rectore, niſi per Papam, vel de illius mandato, prout hoc factum fuit. Idem tenet gloſſ. *hìc in ver. Obedientes*, dicens hoc Pontificem feciſſe de plenitudine poteſtatis propter animarum periculum quod imminebat, & quia præter proventus illius villæ Rector majoris Eccleſiæ poterat competenter ſuſtentari. Sed Epiſcopus hoc facere non poſſet, niſi de conſenſu Rectoris matricis Eccleſiæ, *ut cap. Eccleſiæ, & c. Quicumque*, 16. *qu.* 1. quia non poteſt jura illius Eccleſiæ dare alteri, *c.* 1. *de reb. Eccl. non alien.* & arg. *c. Conſtitutum, & c. Præcipimus*, §. *Si duo*, *ead. cauſ. & qu.* Quapropter dicebat Vincentius, hìc removeri appellationem, quia fit ex mandato Papæ; ſed ſi fieret ab Epiſcopo, liceret appellare, ut refert Card. in 4. *notab.*

Sed hujuſmodi controverſiam ſuſtulit jus noviſſimum Conc Trid. *in d. c.* 4. *ſeſſ.* 21 ubi diſertis verbis ſtatuitur, ut Epiſcopi in Eccleſiis parochialibus, vel baptiſmalibus, in quibus ob locorum diſtantiam, ſive difficultatem, parochiani ſine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & divina officia audienda accedere non poſſunt, novas parochias etiam invitis Rectoribus juxta formam Conſtitutionis Alexandri III quæ incipit, *Ad audientiam*, conſtituere poſſint, & Sacerdotibus noviter præficiendis competentem portionem aſſignare ex fructibus ad Eccleſiam matricem quomodocumque pertinentibus. Quo decreto clarè corrigitur opinio gloſſæ, & approbatur opinio Hoſt. nam, ut vides, ex Concilio poſſunt Epiſcopi novas parochias erigere, & Sacerdotibus de novo præficiendis certam portionem aſſignare ex redditibus Eccleſiæ antiquæ etiam invitis Rectoribus.

Similiter eo decreto corrigitur opinio Vinc. ſentientis, 12
non removeri appellationem, cùm nova parochia erigitur authoritate Epiſcopi: nam cùm Concilium det Epiſcopis facultatem erigendi ad præſcriptum hujus decretalis, & hìc tollatur appellationis obſtaculum, utique ex hoc manifeſtè liquet, Epiſcopum poſſe hoc caſu procedere appellatione remota. Quæ tamen clauſula non impediret appellationem ad effectum devolutivum, ſed ſuſpenſivum dumtaxat, ut eſt textus *in c. Paſtoralis*, *verſ. Sed ſi appellans*, *ſupra de appell.* & eſt communis opinio, ut ibi teſtantur Abb. *n.* 12. & Præpoſ. *n.* 6.

QUÆRO, generaliter quæ requirantur ad hoc, ut no- 13
va parochia erigi poſſit ab Epiſcopo intra limites alterius parochiæ.

Reſpondeo, multa eſſe neceſſaria, quorum ſi vel alte- 14
rum deficiat, erectio non ſuſtinetur. Et quidem ante omnia requiritur juſta cauſa, de qua conſtet legitimè: nam regula eſt, ut parochialis Eccleſiæ in alterius Parochia ædificari non debeat, *ut c. Eccleſiæ, & c. Quicumque*,
16. *quæſt.* Sed hæc regula fallit, legitima ſubſiſtente cau- 15
ſa, ut apertè probatur hìc: nam Pontifex primò narrat cauſam erectionis, deinde præcipit erectionem fieri adjecta clauſula, *Si res ita ſe habet*. Ergo cauſa ſubſiſtente, eaque probata, & non aliàs permittitur erectio. Ad hoc *c. Præſenti*, §. *Locà*, *de præbend. lib.* 6. & deducunt hìc Anton. de Butr. & Abb. ambo *in* 1. *nota*. & Rebuff. *in praxi benefic. in* 1. *part. in tit. de erect. in curat. ve. Parochial. num.* 2. & ante eos gloſſ. ult. *in cap. Nulli*, 99. *diſt.* eſt enim hujuſmodi erectio, & diſmembratio a Parochia antiqua inſtar alienationis jurium Eccleſiæ, quæ ſine cauſa fieri non debet, *ut cap.* 1. *de rebus Eccleſ. non alienan. lib.* 6. Abbas *ubi ſupra*, Achil. *deciſ. unic. de rebus Eccleſ. non alienan.* Rota *dec.* 1. *eodem tit. in nov. & dec.* 68. *num.* 1. *part.* 7. *recent.*

Præ-

16 Præcipua autem cauſa, quæ juſtificat erectionem novæ Parochiæ, eſt magna difficultas, ſeu magnum incommodum Parochianorum adeundi Eccleſiam matricem ad percipienda Sacramenta, & divina officia audienda, ut hic patet expreſsè, & in præalleg. decreto Concil. Tridentini, *c.4. ſeſſ.21.* & tenet hìc gloſſ.1. Innoc. & Hoſtien. ambo in
17 *princ. in ver. Sine magna difficultate*, & alii ſupracitati in *1.notab.* Aliqualis ergo incommoditas non ſufficit ſecundùm Abb. *hìc n.7.* Non tamen requiritur, ut Parochiani aliquando deceſſerint ſine Sacramentis. Neque id exigunt Hoſtien. Abb. & Doctores. Sed tantummodò hujuſmodi caſus mentionem faciunt per modum exempli. Unde ſatis eſt ad validitatem erectionis, ut immineat periculum, ne ſic decedant; neque hujuſmodi eventus eſt expectandus, quin potiùs præveniendum ne contingat, cùm ſatius ſit occurrere in tempore, quàm poſt exitum vindicare, ſeu poſt vulneratam cauſam remedium quærere, dicit textus *in l.1. C. quand. lic. ſine jud. & in l. ultim. ad finem, C. In quibus cauſ. in integr. reſtit. non eſt neceſſ.* Et ita cenſuit Sacr. Congregatio Concilii, videlicet pro erectione novæ Parochiæ non eſſe expectandum, ut Parochiani abſque Sacramentis deceſſerint. Quod benè nota, quia frequenter audivi Pa-
18 rochorum querelas, quòd Epiſcopi proceſſerint ad erectionem novæ Parochiæ, abſque eo quòd ullus ex Parochianis umquam obierit ſine Sacramentis. Porrò ad hanc difficultatem accedendi ad Eccleſiam matricem pro ſuſcipiendis Sacramentis, & divinis officiis andiendis, aliæ cauſæ omnes inducuntur. Unde infertur primò, ut diſtantia loci ab Eccleſia parochiali ſit juſta cauſa novam parochiam erigendi, ut hìc eſt caſus, & in *d. c.4.* Et quamvis Joann. Andr Card. Abb. & alii in ſumma hujus text. videantur ad hoc exigere nimiam diſtantiam; verè tamen magna longinquitas, & viarum diſcrimen non requiritur, ut obſervat Ant. de Butr. *n.3. in ver. Diſtare.* Sed ſolùm requiritur talis, ut propterea parochianis ſine magno incommodo non pateat acceſſus ad majorem Eccleſiam, ut hìc patet, & tenent Domini de Rota *dec. 484. n.2. p.1. rec.* Sufficit ergo pro cauſa diviſionis, ut Parochia Eccleſiæ antiquæ ſit adeò ampla ut populus præſertim adverſis temporibus non poſſit ſine magno incommodo illuc horis congruis ad divina officia confluere, ſecundùm Abb. *num.3.* Atque ita ob diſtantiam loci permittitur, quod aliàs non permitteretur, ut notat gloſ.1. *in c. Et temporis*, 16. q.1. & eſt in ſimile in *l. Cùm poſt ſententiam, C. de appell. & in l. Si longius, ff. de judic. in c. Cum longè*, 63 *diſt. in c. Si quis extra, de conſecr. diſt.* . *& in c. Quoniam quidem*, 18. *diſt.* Quanta autem debeat eſſe hujuſmodi diſtantia, ſeu parochiæ amplitudo, ad hoc ut parochiani dicantur non poſſe ſine magno incommodo ad Eccleſiam accedere, cùm jure diffinitum non ſit, judicis arbitrio relinquitur, *c. De cauſis, ſupra de offic. deleg.* & tenet Menoch. *de arbitr. Jud. cent.5. caſu* 497. *num.*4. Ad quod vide bonam gloſſam *in cap. ult. in ver. Longo*, 80. *diſt.*

19 Infertur ſecundò, ut ſimiliter juſta ſit erectionis cauſa, ſi inter populum alicujus villæ, & parochialem, torrens, vel flumen aliquid intercedant, quæ nec pontem habeant, nec vado tranſiri poſſint, *ut l. Flumine interveniente, ff. de ſervit. ruſtic. præd.* præſertim hiemali tempore cùm pluviæ inundant, juxta text. hìc. Quæ cauſa ſufficiens eſt etiam ſine diſtantia loci. Undecumque enim proveniat magna difficultas percipiendi Sacramenta, dicitur ſubeſſe juſta cauſa erigendi novam Parochiam, ut ex dictis patet. Ideòque Conc. Trid. *in d. c.4. ſeſſ.21.* alternativè loquitur, ibi: Ob locorum diſtantiam, ſive difficultatem; ita ut propterea alterutrum ſufficiat, *c. Inter cæteras, ſupra de reſcript. cum ſuis concord.*

20 Infertur tertiò, ut eodem modo juſta ſit cauſa erigendi novam parochiam in caſu allegationis Lap. *alleg.66.* incip. *Quoddam monaſterium, per totam*, ubi proponit monaſterium S. Ambroſii, cui cura imminebat perſonarum ſæcularium, fuiſſe incluſum intra mœnia civitatis Florentiæ, & aliquot familias eidem curæ ſubjectas extra ambitum civitatis remanſiſſe; unde contigit, ut iidem ruſtici ſine maxima difficultate, & incommoda nequiverint divina Officia audire, & Eccleſiaſtica Sacramenta percipere, cùm fores dictæ civitatis ſingulis diebus ante noctis tenebras claudantur, & ſic clauſæ remaneant, nec ulli aperiantur uſque ad claram lucem ſequentis diei. Quapropter non poterat Capellanus præſtò eſſe Sacramentis adminiſtrandis in caſibus repentinis infirmitatis, vel mortis, præſertim parturientibus. Præterquam quòd Parochiani degentes extra cum ſuis mulieribus, & familia, ruſticis, & adjectis veſtibus induti non poterant cum debita conſolatione diebus feſtis ad Eccleſiam confluere, & cum civibus divitibus, & pretioſis veſtibus amictis ſe amiſcere; ſed potiùs riſui, & deluſioni patebant ob fortunæ, & morum diſparitatem, quibus ſæpiſſimè à divinis retrahantur. Lapus hac de re conſultus propoſuit duo potiſſimùm remedia. Primum, videlicet, ut ſi parochialis prædicta habeat in villa aliquas obventiones, ſine quibus ejus Rector poſſit commodè ſuſtentari, & reperiatur aliquis, qui velit novam Eccleſiam fundare, & obventiones illas competenter augere, Epiſcopus erigat novam parochiam, eique aſſignet ejuſmodi obventiones, cum dicto augmento, & rectorem in ipſa inſtituat, qui gerat curam incolarum extra mœnia exiſtentium. Quod dicit probari ad literam in hac decretali, & ſubdit propoſitas cauſas eſſe plures, & urgentiores illis, quas hìc conſideravit Pontifex.

Ideòque erectionem fieri poſſe ab Epiſcopo etiam invito Rectore Eccleſiæ matricis, cùm non habeat juſtam cauſam contradicendi. Alterum remedium eſt, ut rector majoris Eccleſiæ, ſi redditibus abundet, novam capellam fundet in dicta villa, & eam dotet pro ſuſtentatione unius Sacerdotis ibidem deputandi, & conſtituat ipſam capellam manualem matricis Eccleſiæ, ita ut illius Capellanus ſit ad ejus nutum amovibilis, de quibus manualibus notatur in Clem. *un. de ſuppl. neglig. Prælat. & in c. Cum ſingula, de præb. lib.* 6. Utrumque remedium aliàs probavit S. Congregat. Concilii; cenſuit enim Parochianis, qui cùm ſint diſperſi extra civitatem, & parochialem Eccleſiam intra civitatem ſitam habeant, etiam ob locorum diſtantiam, ſeu difficultatem patiuntur incommoda in percipiendis Sacramentis, & in divinis Officiis audiendis, ſuccurendum eſſe remedio *c.4. ſeſſ.21.* Item cenſuit ad providendum neceſſitati Parochianorum extra civitatem exiſtentium, quorum parochialis eſt intra civitatem, novam Capellam extra civitatem eſſe erigendam, quæ non ſit Eccleſia ipſa per ſe, ſed in proprietate matricis Eccleſiæ, in qua conſtituatur Sacerdos amovibilis ab Ordinario approbatus, qui adminiſtret Sacramenta illis, qui ſunt extra civitatem, ad quos non poteſt Parochus in nocte, quia portæ civitatis clauduntur, accedere; quod eſt unum ex remediis Lapi *alleg.66.* Poſſe
tamen eſſe locum etiam aliis remediis ad præſcriptum ſa- 21
crorum Canonum. Rurſus in cauſa Novarien. cenſuit Epiſcopum poſſe compellere Regulares, quibus conceſſa fuit parochialis Eccleſia civitatis Novarien. ad erigendam novam capellam extra civitatem, ubi plures familiæ ſub dicta cura exiſtunt, cui capellæ poſſunt vel per ſeipſos prævia Ordinarii approbatione inſervire, vel per Capellanum ad nutum amovibilem.

Infertur quartò, ut ſimiliter legitima ſit cauſa conſtruen- 22
di novam Parochialem neceſſitas leproſorum, ſine gravi tamen præjudicium Parochialis antiquæ, ut legitur, & notatur *in c. proximo, ſupra eod.* ſecundùm Hoſt. *hìc n.1. verſ. Et eſt alia cauſa*, & pleniùs *in ſumma eod. tit. § fin.*

Et ex prædictis collige, in effectu unicam eſſe cauſam 23
erigendi novam parochiam, videlicet magnam difficultatem accedendi ad Eccleſiam matricem pro Sacramentis percipiendis, & divinis officiis audiendis: nam aliæ cauſæ, videlicet diſtantia loci, flumina intermedia, portæ civitatis clauſæ, neceſſitas leproſorum, & ad alia id genus impedimenta in tantùm juſtificant erectionem, in quantùm pariunt difficultates hujuſmodi; aliàs ſecùs, ut ex jam dictis conſtat.

Verumtamen gloſ. ultim. *in cap. Nulli*, 99. *diſt.* adducit 24
aliam cauſam conſtruendi novam Eccleſiam in parochia antiqua, videlicet cùm multitudo fidelium excrevit: & movetur argum. illius textus, ibi, *Niſi aliqua gens deinceps ad fidem convertatur, cui neceſſe ſit propter multitudinem eorum primatem conſtitui:* & cum illa gloſſa ſimpliciter tranſeunt ibi Gemin. & Præpoſit. ambo *in fin.* Ad idem textus *in cap. Præcipimus*, 16. *quæſt.*1. quo præcipitur, ut ubi multitudo fidelium excrevit, ibi ordinentur Epiſcopi. Tu dic contra: quoniam hoc caſu nova parochia non debet erigi, ſed utendum eſt remedio Concil. Tridentini *d. cap.4. in princip. ſeſſ.21.* ubi ſtatuitur, *ut Epiſcopi etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis Delegati in omnibus Eccleſiis parochialibus, vel baptiſmalibus, in quibus populus ita nu-*

mero-

meroſus ſit, ut unus rector non poſſit ſufficere Eccleſiaſticis Sacramentis miniſtrandis, & cultui divino peragendo; cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, ſibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot ſufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum. Hæc ibi. Unde S. Congregatio ejuſdem Concilii Interpretes jampridem cenſuit ex ea ſola cauſa, quòd populus alicujus parochiæ adeò ſit numeroſus, ut unus Rector non poſſit ſufficere Sacramentis miniſtrandis, & cultui divino peragendo, minimè quidem licere Ordinario novam parochiam erigere, niſi & alia concurrant, quæ exprimuntur in Conſtitutione Alexandri III. quę incipit, *Ad audientiam*, & innovatur decreto Concilii *c.4. ſeſſ.21. verſ. In iis verò.* Sed ob magnum hujuſmodi numerum debere Ordinarium uti remedio *d. cap.4. in princip.* ſcilicet cogendo Rectores, ut ſibi Sacerdotes adjungant, quot ſufficiant ad Sacramenta exhibenda,
25 & cultum divinum celebrandum. An autem quibus in caſibus ex decreto Concilii *ſeſs.21. c.4.* poteſt Epiſcopus novas parochias erigere, poſſit etiam locò erectionis faciendæ certam partem populi ſeparare ab antiqua parochia, & alteri commodiori applicare, ſi vel exiguus numerus populi, vel inopia, vel alia cauſa impediat erigi novam parochiam. Re-
26 ſponſum eſt non poſſe ex decreto Conc. Item reſponſum, ex eo decreto non licere Epiſcopo parochias unire, ſed tan-
27 tùm novas conſtituere. Item reſponſum, non potuiſſe Epiſcopum erigere in Eccleſia parochiali duas Vicarias perpetuas, eò quòd populus eſſet numeroſus. Hactenus de cauſa.

28 Secundò principaliter ad erectionem novæ parochiæ requiritur, ut in illa parte parochiæ antiquæ, ubi nova parochia eſt erigenda, ſit competens numerus parochianorum. Et quidem Rot. *dec.*380. *n.*8. *&* 29. *p.*5. *rec.* videtur tenere ad hoc non ſufficere quatuor domos, & duodecim animas aptas ad communionem, per *c. Unio* 10. *q.* 3. Sed certè ille textus magis innuit, ut ſufficiant decem animæ ait enim, *Eccleſia, quæ uſque ad decem habuerit mancipia, ſuper ſe habeat Sacerdotem: quæ verò minus decem mancipia habuerit, aliis conjungatur Eccleſiis.* Hæc ibi. Et meritò, quia decem faciunt plebem, ut ait ibi gloſ. *in ver. Mancipia.* Item Concilium Tridentinum *d. c.*4. *ſeſſ.*21. videtur requirere, ut nova parochia habeat populum, ut patet ibi, Compellere poſſit populum. At decem homines populum faciunt, ut notat gloſ. 1. *in c.*1. *de elect.* & Bart. in *l. Prætor, la ſeconda, n.*4. *ff. de vi bonor. rapt.* Inſuper adverte ne decipiaris, quia dum Rota ad hoc requirit ſufficientem numerum animarum, quæ ſint aptæ ad communionem, hæc aptitudo non eſt neceſſaria, quia uſum rationis habentes, tametſi non ſint apti ad communionem, tenentur tamen ſemel in anno confiteri proprio Sacerdoti, & Miſſam audire Dominicis, & feſtis diebus, eiſque dari debet Sacra Unctio: Baptiſmus verò etiam parvulis. Ergo ſi parochiæ incolæ ad Eccleſiam ſine magna difficultate ad hujuſmodi Sacramenta recipienda, & divina audienda accedere nequeant, ſive ſint ad communionem apti, ſive non, ſuccurendum eſt eis remedio hujus cap.

29 Tertiò principaliter requiritur ad erectionem novæ parochiæ, ut citetur Rector matricis Eccleſiæ: nam etſi erectio fieri poſſit etiam ipſo invito, ut oſtenſum eſt ſupra *in* 5. *notab.* tamen non poteſt fieri niſi eodem citato, & requiſito, *ut cap. Multis conſiliis, & c. Felix, & cap. ſeq.* 16. *quæſt.* 1. & tenet gloſ. *fin. in cap. Nulli* 99. *diſtinct.* & Lap. *alleg.* 66. *n.*3. *verſ. Debet tamen requiri*: & jam cenſuit S. Congregatio ad erectionem novę parochiæ non eſſe procedendum aliter, quàm citato Rectore parochialis, intra cujus fines nova parochia fuerit erigenda; & erectionem omiſſa hujuſmodi citatione ab Ordinario factam nullius momenti exi-
30 ſtere. Nec tantùm Rectoris Eccleſiæ, ſed etiam aliorum omnium, quorum intereſt, prærequiritur citatio. Unde quærenti, an requiratur conſenſus Rectoris, vel Commendatoris, aut Magni Magiſtri ad erigendam novam parochiam infra limites parochialis ſubjectæ Ordini S. Jo. Hieroſolymitani: reſponſum eſt ad erectionem poſſe procedi etiam invito Rectore, dum tamen præceſſerit citatio tam ipſius, quàm omnium aliorum, quorum intereſt. Cæterùm etſi nulla videatur erectio ob defectum citationis, tamen ſi cauſæ erigendi ſubeſſent, licere Epiſcopo de novo erigere; ideò ſcribendum viciniori Epiſcopo, ut ſe inſtruat de cauſis, quæ ſi ſuberunt, peti poterit confirmatio à Sanctiſſimo, licèt poſtea in caſu illo reſolutum fuerit erectionem eſſe nullam defectu citationis, nec cauſas ſubeſſe.

Quartò principaliter requiritur, ut erectio novæ Parochiæ fiat ab Epiſcopo de capituli conſilio, vel conſenſu, ut plenè dicam infra in tertia quæſtione.

Quintò principaliter requiritur, ut Eccleſiæ noviter con- 31
ſtruendæ dos competens aſſignetur, *ut c. Nemo de conſecr. diſt.*1. Et jam cenſuit Sacra Congregatio in erectione novarum Parochiarum priùs cogitandum de dote. Et quidem 32
ſi aliquis reperiatur, qui velit eam ex bonis propriis competenter dotare, omnia erunt plana: alioquin in conſtitutione dotis hoc ordine erit procedendum. Primò enim competens portio pro ſuſtentatione Rectoris aſſignanda erit ab Epiſcopo ex redditibus ad matricem Eccleſiam quomodocumque pertinentibus, *ut d. c.*4. *ſeſſ.*21. Idque ex ſententia S. Congregationis procedit, etiamſi Eccleſia matrix eſſet Cathedralis, & quæcumque matrix; & poſſe aſſignari portionem ex redditibus illius matricis dumtaxat, non autem ex aliis Eccleſiis; quòd ſi redditus hujuſmodi inſufficientes ſint, nec ſit aliquis, qui velit illos augere, cogendus erit Abbas, vel Præpoſitus, cui Parochialis illa ſubeſt in temporalibus, & in eorum defectum populus ea ſubminiſtrare, quæ ad vitam Rectoris ſuſtentandam ſufficiant. Si populus inopia laboret, tenebitur Epiſcopus ex menſa ſua. Demum ſi nimia egeſtas omnes excuſet, Sacerdos novæ Eccleſiæ præficiendus propriis manibus victum ſibi comparabit, prout hæc omnia fusè explicavimus *ſuprà in* 3. *notab. nu.*4. *uſque ad n.*8. Poſſe etiam Epiſcopum facere beneficiorum 33
unionem pro nova Parochia in terminis Concilii erigenda, ſi non ſint fructus, vel obventiones, ex quibus deduci poſſit portio, ex voto Sac. Congregationis Concilii dixit ſanct. mem. Gregorius XIII. Et cùm dubitaretur, an Ordi- 34
narius in erectione Parochialis Eccleſiæ facta juxta formam Concilii Tridentini *c.*4. *ſeſſ.*21. potuiſſet vigore ejuſdem Concilii unire eidem Eccleſię in actu ipſius erectionis unum ex quatuor Canonicatibus habentibus curam animarum annexam exiſtentem in alia Eccleſia non Collegiata, quæ erat Parochialis loci, in quo nova Parochia fuit erecta: affirmativè reſpondit S. Congregatio. De aſſignatione autem decimarum ad matricem Eccleſiam ſpectantium dicam infrà *in* 4. *quæſt.*

Sextò principaliter requiritur in erectione novæ Paro- 35
chiæ, ut juſpatronatus, & præſentandi Sacerdotem noviter inſtituendum reſervetur illis, quibus de jure: & quidem ſi reperiatur aliquis, qui velit Eccleſiam fundare, & ſufficienter dotare, planum erit juſpatronatus eidem fore reſervandum; quinimò ad eum pertinebit ipſo jure etiam ſine alia Epiſcopi reſervatione, ut eſt text. *in c. Significavit*, ubi Jo. Andr. Bald. Butr. & alii notant *ſupra de teſtib.* & eſt receptiſſima concluſio, ut dicunt Domini de Rota *deciſ.*167. *nu.*4. *p.*2. *diverſ.* Similiter ſi nova Eccleſia fuerit dotata ex redditibus ad matricem Eccleſiam pertinentibus, planum erit jus præſentandi Sacerdotem pertinere ad Rectorem matricis Eccleſiæ, ut probat hæc littera, ibi, *Ad præſentationem Rectoris Eccleſiæ majoris.* Sed nihilominùs etiam fundator Eccleſiæ noviter ædificatæ habebit juſpatronatus, ut hìc concludunt gloſ.3. *in fin.* Innoc. *in ver. Fundatoris*, Abb. Antiq. *n.*1. Hoſt. *n.*3. *in verb. Ad præſentationem.* Jo. Andr. *n.*3. *in verb. Fundatoris*, Butr. *n.*5. Card. *n.*4 *in* 1. *oppoſit.* Anchar. *in* 4. *notab.* & Abb. *n.* 9. qui teſtatur hanc opinionem com- 36
muniter teneri. Atque ita ſecundùm eos duo erunt patroni Parochialis noviter erectæ, videlicet Eccleſia matrix ex cauſa dotationis, quia ex propriis bonis eam dotavit; & fundator ex cauſa fundationis, ſi tantummodò fundum dedit, & ex cauſa fundationis, & dotationis, ſi ſimul dedit fundum, & dotis reſiduum, prout fecit in caſu hujus decretalis dominus villæ, qui pro dotis reſiduo dedit viginti acras ter-
ræ frugiferæ, (& dic acras, id eſt jugera, & eſt vulgare An- 37
glorum; & jugerum habet octo ſtaria triginta ſex tabularum ad perticam pedis Luitprandi, quę habet duodecim pedes trium ſemiſſium, & trium digitorum, ut per Anton Auguſt. *in notis ad primam collationem Decret. tit.*35. *de Eccleſ. ædifican. c.*1. & vide *c.*5. *Qui fil. ſint legit. in eadem collect.* in parte deciſa, ubi fit mentio de acris quadraginta. Galli appellant harpentum, Itali bubulcam, ſecundùm Hoſtien. & Jo. Andr.) & ad prædicta vide gl. notab. *in Summa in fin.* 63. *diſt.* quæ vult, ut quamvis fundatores Eccleſiæ æqualiter non contribuerint ad dotationem ipſius, tamen omnes efficiantur patroni, & ita ſit patronus ille qui dedit modicum, ſicut eſt ille qui dedit multum. Quod tamen limita, & declara, dummodò omnibus ſimul conflatis Eccleſia,

remaneat competenter dotata. Secus ſi dos non fuerit integra, ut tenet gloſ. *in c. Quicumque*, 16. *q*.7. quam multùm
38 extollit Abb. hìc *n*. 4. *in* 3. *notab*. Et hanc ſententiam aliàs probavit S. Congreg. Conc. Cenſuit enim donationem obventionum ad matricem Eccleſiam pertinentium, ſi alius concurrat ad dotationem Eccleſię noviter ædificatę, efficere Eccleſiam matricem patronam ſimul cum alio dotante.

39 Verùm ſi Eccleſia matrix ex propriis redditibus nihil contulerit, ambigui juris eſt, an acquirat juriſpatronatus Eccleſiæ in ſua Parochia ædificatæ. Innoc. *in c. Cùm venerabilis de except.* ſenſit majorem Eccleſiam acquirere juſpatronatus indiſtinctè, & eum ſequitur Jo. Andr. *in c.* 1. *de Capell. Monach. lib.* 6. Sed oppoſitum concludit Abb. hìc *n*. 9. Quia nullus alius textus præter hunc reperitur in jure, qui tractet de hac materia. Unde in hoc tantùm fundari poteſt opinio DD. Sed hic textus hoc non probat ſimpliciter, quia loquitur in eo tantùm caſu, in quo Eccleſia matrix ex propriis redditibus aliquid contulit pro erectione novæ Parochiæ. Ergo ſi nihil contulerit, non efficitur patrona, cùm hoc nullo jure probetur. Imò contrarium videtur probari, arg. *c. prox. ſupr. eod.* ubi agitur de Eccleſia conſtructa in alterius Parochia, & tamen non reſervatur patronatus antiquæ Eccleſiæ, quæ de ſuo nihil contulit. Accedit, quòd patronatus non acquiritur niſi ex fundatione, vel conſtructione, aut dotatione, ut notat gloſ. *in cap. Piæ mentis*, 16. *qu*.7. & eſt receptiſſima omnium concluſio. Sed ex conſtitutione Eccleſiæ infra limites Parochiæ dumtaxat Eccleſia matrix non dat fundum, quia loci proprietatem non habet, nec ſumptus ad conſtructionem, nec dotem ponit. Ergo patronatum non acquirit, & facit *c. Quoniam de jurepatr.* Opinio Abbatis vera eſt, eamque probavit olim S. Congregatio Concilii; declaravit enim matricem Eccleſiam non acquirere juſpatronatus in Eccleſia fundata intra ſuos limites, niſi de ſuo aliquid contulerit, non obſtante quòd oblationes futuræ dicantur eſſe loco dotis.

40 Sed objicies. Si Capella intus Eccleſiam ædificetur, & ab alio competenter dotetur, Eccleſia acquirit juſpatronatus in ipſa Capella, ut hìc firmat Abb. *n*.11. dicens hanc quæſtionem ſe hactenus non reperiſſe ab alio tactam, plenè Lambertin. *in tract. de jurepatr. in* 1. *p*.2. *lib. in* 2. *q. principali, art.* 15. *n*.1. & 2. Ergo idem dicendum de Eccleſia ædificata infra limites alterius Parochię, licèt Eccleſia matrix nihil contulerit. Solutio. Dic diverſam eſſe rationem inter utrumque caſum: nam quæſtione Abbatis negari non poteſt, quin Eccleſia antiqua ponat fundum, cùm in ſua proprietate, & ſolo fuerit Capella ædificata, unde ex cauſa fundationis benè acquirit juſpatronatus, *ut d. c. Quoniam, de jurepatr. cum concord.* & not. *in d. c. Piæ mentis*, 16. *q*.7. Sed Eccleſia matrix non ponit fundum, cùm parochia non ſit de illius proprietate, ut ſuperiùs dictum eſt.

Septimò, principaliter requiritur, ut matrici Eccleſiæ pro qualitate loci in parochiali noviter erecta præter patronatum competens honor ſervetur, ut hìc dicitur *in verſ. Providens tamen*. In quibus autem ejuſmodi honor conſiſtat abundè oſtenſum eſt *ſupra in* 4. *not.*

41 Octavò, principaliter requiritur, ut novam Parochiam Epiſcopus erigat ipſe per ſe, vel per ſuum generalem Vicarium ad id ſpeciale mandatum habentem, ut probat text. *in c. Nemo*, juncta gloſ. *in ver. Veniat per ſe, de conſecr. diſt.* 1. & jampridem viſa eſt ſentire S. Congr. Concilii in caſu parochialis Eccleſiæ ſub titulo S. Franciſcæ Romanæ extra mœnia civitatis Mediolanenſis erectæ à Vicario Cardinalis Archiepiſcopi, licèt in eo caſu inclinaverit ſpeciale mandatum præſumi, cùm Eccleſia ipſa jam eſſet erecta in parochialem, & in ea quaſi poſſeſſione exiſteret; ac propterea dicenti Vicarium non habuiſſe ſpeciale mandatum, onus probandi incumbere, cùm hæc negativa eſſet fundamentum ſuæ intentionis, ex Put. *dec.* 78. *lib.* 2. & aliis cumulatis ab Anton. Gabr. *Commun. concluſ. in tit. de probat. concl.* 6. *ar.* 1.

42 Demum cùm ex Concilio Trident. Epiſcopus procedere poſſit ad erectionem novæ parochiæ etiam uti Sedis Apoſtolicæ delegatus, ſit cautus, ut vel in decreto exprimat ſe procedere utraque poteſtate, ordinaria ſcilicet, & delegata: nam ſi non valebit ex una, valebit ex altera, & abundans cautela non nocebit, nec vitiabit adjectio ſupervacua: vel procedat ſimpliciter nulla facta expreſſione authoritatis delegatæ, vel ordinariæ: nam duplicem poteſtatem habens cenſetur ea uſus, quæ facit actum valere. Vel demum exprimat ſe uti poteſtate delegata, ſi procedat contra exemptos, alioquin ſi procederet jure ordinario, cùm in eo caſu non habeat, niſi poteſtatem delegatam, erectio non valeret, prout hæc omnia latè comprobat Feder. de Sen. *conſ*.130. *Factum tale eſt: Quædam domus*, & Rot. *deciſ.* 96. *part.* 2. *diverſ.* poſt Bald. & Anchar. in deciſ. allegatos. Licèt clauſula, *Omni meliori modo*, ſalvaret erectionem, ex gloſ. *in l.* 1. *in ver. Conſentiant, in fin. ff. de judic.* & ſcripſi pleniùs *in c. Ex parte*, *n*. 36. & 37. *ſupra de arbitr.*

His omnibus obſervatis, & cauſa cognita in proceſſum redactis, tutò poterit Epiſcopus procedere ad erectionem novæ Parochiæ, etiam in Parochiis exemptorum: nam cùm in hoc vota Cardinalium in S. Congregatione eſſent diviſa Sanctiſſimus reſpondit, facultatem erigendi novas Parochias, & aſſignandi portionem novis Parochiis, attributam Epiſcopis habere locum etiam in Parochiis Regularium, & S. Congregatio exinde cenſuit, concurrentibus requiſitis poſſe erigi novam Parochiam ab Epiſcopo etiam in Eccleſiis Ordinum Militarium. Sed Epiſcopo quærenti, an liceret ob gravem Sacramentorum neceſſitatem erigere Eccleſiam regularem in Parochialem? reſponſum, Congregationem ejus eſſe ſententiæ, ut cura animarum à prædeceſſore applicata Eccleſiæ regulari applicetur ſæculari. 43 44

Secundò QUÆRO. Si Epiſcopus proceſſerit ad erectionem novæ Parochiæ ad præſcriptum Concilii Tridentini *cap*.4. *ſeſſ*.21. vel aliud fecerit tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, quod tamen jure ordinario facere poterat, & ab illius decreto appelletur, an rectà adire poſſit Metropolitanum, an verò neceſſariò appellandum ſit ad Summum Pontificem. 45

Dic breviter, in omni caſu poſſe appellari ad Papam omiſſo medio, *cap. Ad Romanam*, 2. *quæſt*.6. gloſſ. *in c.* 1. *in verb. Legationis*, & ibi Doctores *ſupra de offic. legat.* & *in c. Romani, in princip. in verb. Ad curiam, de appellat. lib.* 6. & notant Reſtaur. Cald. *in tract. de Imperat. q.* 95. *num.* 1. Nepos de monte Albano *in tract. de except. except.* 24. *n*.12. Villadieg. *de legat. quæſt*.8. *num*.38. Sed nihilominus regulariter à ſententia Epiſcopi appellantur ad Metropolitanum, *c. Duo, ſupra de offic. Ordin.* & *d. c. Ad Romanam*, 2. *q.* 6. & notat Baptiſta à S. Blaſio *in tract. de contradict. leg.* & *Canon. n*.153. Hieronym. Zannetin. *de diff. jur. canon.* & *civil. n*.69. Quod locum habet etiamſi Epiſcopus proceſſerit tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus: hujuſmodi enim authoritas attributa eſt Epiſcopis, ut firmiori jure procedere valeant contra exemptos Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectos; & quia ex authoritate delegata exemptiones non violantur, ut notat Abbas *in c. Grave*, *n*. 1. & 5. *de offic Ordin.* non autem ut per hoc tollatur jus commune, per quod appellationes deferunt Metropolitanis; legum enim correctio vitanda eſt, vulgat. jurib. & ita cenſuit Sacr. Congregatio Concilii *die* 7 *Julii* 1575. Intellige tamen hanc reſolutionem obtinere, quando Epiſcopus poteſt utroque jure procedere, ſcilicet ordinario, & delegato, ut in caſu erectionis novæ Parochiæ; nam cùm Epiſcopus poſſet eam erigere authoritate Ordinaria ex diſpoſitione hujus cap. ſecundum communem opinionem, de qua *ſupra in* 5. *notab.* nihilominus ex decreto Concilii Tridentini *in d. cap.* 4. *in princip. ſeſſ.* 21. poteſt hoc facere etiam uti Sedis Apoſtolicę delegatus: meritò in hoc, & ſimilibus caſibus appellari poteſt etiam ad Metropolitanum. Secus autem eſt quando Epiſcopus non poteſt procedere ordinario jure, puta contra exemptos, contra quos procedere non poteſt, niſi tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, ut in caſu *cap*.3. *ſeſſ*.6. *in cap.* 4. *ſeſſ*.14. *in cap.* 9. *ſeſſ.* 21. & alibi ſæpè; tunc enim appellari non poteſt niſi ad Papam: & ita ſupraſcriptam reſolutionem poſteà declaravit eademmet S. Congregatio. Nam propoſito dubio, an cùm Epiſcopi procedunt uti Sedis Apoſtolicæ Delegati in cauſis, quæ ſub eorum ordinaria juriſdictione non comprehenduntur, poſſit ad alium, quàm ad Sedem Apoſtolicam appellari; Sac. Congregatio cenſuit non poſſe, neque ex hoc inferioribus judicibus ullum fieri præjudicium: ſed quando juriſdictio delegata cumulatur cum ordinaria, Epiſcopum non poſſe hujuſmodi delegationis prætextu declinare juriſdictionem Metropolitani in caſibus illis in quibus ante Concilium tamquam Ordinarius poterat uti eodem jure, eademque poteſtate. 46 47

Et hinc notabiliter infero, ut ſi Epiſcopus erigat novam Parochiam infra limites Parochiæ regularibus ſubjectæ, quod poteſt ſecundum ea, quæ dicta ſunt *ſupra n*. 43. tunc ſi gravet, appellari non poterit ad Metropolitanum; quia 48

cùm

cùm contra exemptos non potuerit procedere, niſi jure delegato, neceſſariò appellandum erit ad Summum Pontificem delegantem, ut *cap. Super quæſtionem, ſupra de off. deleg. cap. Licèt in corrigendis, de off. Ordin.* & tradit Marian. Soccin. *conſ.* 83. *Pro clariori nu.* 5. *& per tot. lib.* 4. Intellige ad effectum devolutivum, non ſuſpenſivum, cùm in caſu hujus cap. appellatio ſit inhibita, ut dixi ſuprà *nu.* 12. & ad prædicta vide quod ſcripſi *in cap. Studuiſti num.* 28. 46. *&* 47. *ſupra de off. Legat.*

49 Tertiò QUÆRO, an Epiſcopus in nova Parochia intra fines Parochię alterius erigenda teneatur adhibere conſilium, vel conſenſum Capituli.

50 Hoſt. *hic n.* 2. *ver. Non eſt tamen hoc*, & Joan. Andr. *eodem n. in verſ. Hoc tamen faciat*, tenent Epiſcopum debere hoc facere de Capituli conſilio, per *c. Paſtoralis, ſupra de donat.* & conſentiunt Butr. Card. & alii. Sed certè ille text. exigit conſenſum, ut patet in extremis verbis, ibi, *Conſenſus eſt ſui Capituli requirendus*, ubi hoc tenet gloſſ. *ult.* & Jo. Andr. *in addit. ad Specul. in tit. de decimis littera D. in verb. Unica, circa finem additionis, verſ. Secundus eſt*; & meritò, quia cùm hæc diviſio Parochiæ, & diſmembratiò redituum ad matricem Eccleſiam pertinentium ſit inſtar alienationis rerum Eccleſiæ, ut dixi ſupra *nu.* 15. ſine Capituli conſenſu fieri non poteſt, ut *c. Cùm nos, c. Tua, & cap. Paſtoralis, ſupra de his, quæ fiunt à Prælatis, & cap. Dudum, de rebus Eccleſ. non alienan. lib.* 6. Prętereà in Eccleſiis ad invicem uniendis neceſſarius eſt Capituli conſenſus, Clem. *Si una, eod. tit. & cap. Paſtoralis in fine, ſupra de donat.* Ergo & in Parochiis dividendis, argum. *cap.* 1. *infrà de reg. jur. l. Hæredes palam, §. Si quis poſt, ff. de teſtament. cum ſimilib.* ut per Ro-
51 man. *conſ.* 65. *Viſo themate num.* 2. Idcircò autem Hoſtien. & alii requirunt conſilium Capituli, quia in diſmembratione Parochię pręcedere debet tractatus, ut reſolvit Rot. *deciſ.* 1. *de rebus Eccleſ. non alienan. in nov.* Unde in conſilio includunt etiam conſenſum. Simile *in cap.* 1. *ſuprà de foro compet.* ubi dixi *in* 4. *notab.* poſt Petrum de Anchar. *in* 3. *notab.* Et ad prædicta vide Archid. *in cap. Præcipimus nu.* 4. *in verb. Cùm conſenſu*, 16. *qu.* 1. Hæc procedunt inſpecta juris com-
52 munis diſpoſitione. Sed ex jure noviſſimo Concilii Tridentini res eſt magis ambigua. Ratio dubitandi oritur ex decreto *d. cap.* 4. *ſeſſ.* 21. ubi facultas conſtituendi novas Parochias tribuitur Epiſcopis etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis: clauſula enim illa, quæ habetur in princ. textus cenſetur repetita *in §. In iis verò*, qui venit continuativè ad præcedentia, ut aliàs fuit reſolutum. At quando Epiſcopus
53 procedit tamquam delegatus Apoſtolicę Sedis, non requiritur Capituli conſenſus, ut concludit Ægid. Bellam. *dec.* 514. incip. *Concluſio quòd in unione*: ubi reſolvit in unione facienda per Legatum de latere non exigi conſenſum Capituli etiamſi fiat unio Epiſcopali dignitati; quoniam etſi poteſtas Epiſcopi propter conjunctionem, quæ eſt inter ipſum, & Capitulum ſuæ Eccleſiæ, ſit arctata ad conſenſum, vel conſilium hujuſmodi adhibendum, ut *c. Novit de his, quæ fiunt à Prælat.* & d. Clem. *Si una*; tamen in Legato, qui cum Capitulo hujuſmodi unionem non habet, hoc non reperitur jure cautum: quam deciſionem in Legato habente à Sede Apoſtolica ſpecialem authoritatem uniendi, ſequitur Marian. Soccin. *in cap. Sicut unire in* 6. *art. princ. col.* 14. *n.* 105. *infrà de exceſſ. Prælat.* quia ſicut Sedes Apoſtolica non tenetur requirere conſenſum alicujus inferioris, ita nec Legatus, qui vices illius obtinet.

Similiter cùm *in cap. Ad audientiam, infrà eod.* tribuatur Canonico electo in Epiſcopum facultas uniendi Eccleſiam, cujus fuerat Canonicus, Monaſterio regulari, dummodò Epiſcopus conſentiret: quærunt ibi Joan. Andr. *n.* 5. Card. & Anchar. ambo *in* 1. *oppoſit.* & Abb. *in fin.* quid operetur hoc indultum, cùm ſine illo poſſet unio fieri authoritate Epiſcopi: & reſpondent hujuſmodi delegationem hoc inter cætera operari, ut conſenſus Capituli non exigatur. Eodem igitur modo ſi Epiſcopus novam Parochiam erigat authoritate delegata ſibi à Concilio tributa, non videtur egere Capituli conſenſu. In contrarium facit, quia decretum *d. c.* 4. quamvis tribuat Epiſcopis poteſtatem delegatam, tamen diſertis verbis exprimit, ut ea poteſtate uti poſſint juxta formam Conſtitutionis Alexandri III. quæ incipit, *Ad audientiam*, & ſic videtur ſe reſtringere ad formam juris communis. Sed de jure communi in erectione novæ Parochiæ adhibendus eſt conſenſus Capituli, ut oſtenſum eſt ſupra *n.* 50. Ergo hujuſmodi conſenſus erit adhibendus, etiamſi fiat erectio authoritate delegata: & eſt ſimile *in c.* 5. *ſeſſ.* 21. ubi tribuitur Epiſcopis etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis facultas faciendi uniones Parochialium Eccleſiarum; & tamen quia ibi expreſſum eſt, ut uniones hujuſmodi fieri debeant juxta formam juris, ex Sacræ Congregationis ſententia requiritur Capituli conſenſus, prout requiritur de jure, ut in dict. Clem. *Si una.* Quid dicendum? Cùm Epiſcopus hoc caſu duplicem habeat poteſtatem, 54
unam ſcilicet ordinariam, quæ illi competit ex diſpoſitione hujus decretalis, eique non fuit adempta à Concilio: alteram verò delegatam, quæ illi tribuitur *in d. cap.* 4. & accumulatur poteſtati ordinarię per illa verba: *Etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis delegati*, ponderando particulam, *Etiam*, quę eſt augmentativa, & implicativa pręcedentium; videtur ſic diſtinguendum: aut in erectione novæ Parochię Epiſcopus procedit jure delegato in eo caſu, in quo jure ordinario nō poteſt procedere, puta quia erectionem facit in Parochia ſubjecta regularibus exemptis, ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſupra *n.* 43. hoc caſu exiſtimo non requiri conſenſum Capituli, per rationes adductas à Bellamera, & Mariano Socino locis citatis. Capitulum enim hoc caſu nō poteſt conqueri, quòd ſe inconſulto fuerit proceſsum ad erectionem, cùm Papa, cujus vices gerit delegatus, ad illius conſenſum requirendum non adſtringatur, argum. *l.* 1. §. *Qui mandatum, ff. de offic. ejus, cui mand. eſt juriſdict.* Aut procedit ad erectionem authoritate ordinaria in eo, caſu, in quo poteſt jure, ordinario, puta in Parochia non exempta; & tunc cenſeo neceſſarium eſſe conſenſum Capituli, ſicut erat ex jure veteri, cujus diſpoſitionem hac in parte Concilium Tridentinum non ſuſtulit; nam quod non mutatur, &c. *l. Sancimus, C. de teſtam. & l. Præcipimus, C. de appell.* Et hanc diſtinctionem in Legato de latere probavit in effectu Marian. Socin. *in d. cap. Sicut unire, n.* 105. ut ſcilicet ſi procedat jure ordinario legationis, teneatur adhibere Capituli conſenſum eſt eum modum, quo Ordinarius tenebatur; ſecus ſi procedat ſpeciaali jure delegationis; & eamdem diſtinctionem probavit S. Congregatio in materia appellationis interponendæ ad Metropolitanum, vel ad Sedem Apoſtolicam, ut dixi in quæſt. præced. *num.* 46. *&* 48.

Quartò QUÆRO, an Decimæ ad Eccleſiam matricem pertinentes tranſeant ipſo jure in Eccleſiam Parochialem noviter erectam infra illius limites. 55

Hæc quæſtio inſpecta juris communis diſpoſitione eſt admodùm difficilis ob varietatem opinionum, quas recenſet Joan. Andr. *in addit. ad Speculat. in tit. de Decim. litt. D. in verb. Unica*, Gloſſ. Hoſtien. & alii *hìc in verb. Obventiones*, & Doctores *in cap. Cùm contingat*, & ibi dixi *à nu.* 31. *infra, de decim.* licèt opinio Calder. quòd decimæ prædiales debeantur Parochiali noviter ædificatæ, videatur magis communis, & ſervetur in Rota. Verùm hanc difficultatem diſſolvit Tridentina Synodus in ſæpiùs alleg. *cap* 4. *ſeſſ.* 21. ubi ſtatuit, ut Sacerdotibus, qui novis Eccleſiis erunt præficiendi, competens aſſignetur portio arbitrio Epiſcopi ex fructibus ad Eccleſiam matricem quomodocumque pertinentibus. Quę verba apertè excludunt tranſitum decimarum prædialium ipſo jure in novam Parochialem, prout eis ſingillatim perpenſis probavi latiſſimè in prædicta decretali, *Cùm contingat*, *à num.* 43. *uſque ad num.* 52.

Quintò QUÆRO, an Eccleſiæ, quæ noviter in Parochialem erigitur, poſſit Epiſcopus unire aliquem ex Canonicatibus Eccleſiæ matricis in vim Concilii Tridentini *c.* 4. *ſeſſ.* 21. 56

Decretum *d. cap.* 4. nihil de unione dicit, nec ſub illis verbis: (Sacerdotibus, qui de novo erunt Eccleſiis noviter erectis præficiendi, competens aſſignetur portio ex fructibus ad Eccleſiam matricem pertinentibus:) debet includi facultas ſupprimendi Canonicatus Eccleſiæ matricis, & illos uniendi Eccleſiæ noviter erectę; quia facultas uniēdi debet ſpecialiter exprimi, nec venit ſub generali diſpoſitione, ut ex Innoc. *in c. Ad hæc, ſup. de offic. Arch.* tradit Gem. *conſ.* 38. *pro clariori, n.* 10. & pluribus comprobant Pariſ. *conſ.* 41. *ex his, quæ in facto, n.* 1. *lib.* 4 & Rebuff. *in Praxi Benef. in forma Vicariatus, n.* 101. & cùm erectiones novarum Eccleſiarum debeant fieri cum minori præjudicio antiquarum Eccleſiarum, quàm fieri poſſit, ex traditis per Butr. *hìc nu.* 10. credendum nō eſt Concilium voluiſſe ab Eccleſiis antiquis ſubtrahi poſſe non ſolùm partem redituū, ſed etiam titulos beneficiorum, & numerum miniſtrorum diminui, quod tēderet in diminutionem Divini cultus, *c. penult. de conſtit.* 57

& in damnum quoque Parochianorum, quibus expedit
58 plures habere Sacerdotes, qui Miſſas, & divina officia celebrent, & Sacramenta miniſtrent; nec ſine magna cauſa debet Epiſcopus ex una Eccleſia ad alteram titulos transferre, Oldrad. *conſ.260.Quod unio n.2.verſ. Tertia ratio*. Et Lapus *allegat.66.* conſultus, quomodo eſſet providendum Eccleſię Parochiali noviter ob neceſſitatem erectę, nihil dixit de unione, ſed aliis modis non præjudicalibus, Bertrand. verò *in conſ.36. vol.2.p.1.* loquitur de Eccleſia Paarochiali noviter erecta, & ſenſit illi providendum eſſe per ſubtractionem oblationũ, & decimarũ Eccleſiæ matricis in caſu, quo Curatus Eccleſię antiquę, & ejus Vicarius ex redditibus reſtantibus ſe ſuſtentare poſſint; & ſic ſupponit ex proviſione facienda miniſtris novę Eccclesię ſtatũ antiquum, & numerum miniſtrorum Eccleſiæ antiquæ alterandum non eſſe;
Quod comprobatur ex eo, quod ſcribit Card. *inc. Avaritia,* 59
in fin. ubi etiam Butr *n.7.* & Imol. *col. 1. in fin. de prabend.* videlicet ex juxta cauſa Parochias poſſe dividi etiã invitis Clericis, cùm hoc tamen ut congruã ſuſtentationẽ habeant, id quod ſupponit numerum Clericorum Eccleſiæ antiquæ non eſſe reſtringendum. Nec quidquam facit quòd Concilium *in c.ſeqq.* Epiſcopis ex cauſa ibi tradita facultatẽ uniendi tribuat, quia loquitur de Eccleſiis jam erectis. Item loquitur de unionibus in caſibus à jure permiſſis, inter quos hic, de quo agitur, connumerari non poteſt. Prętereà eſt differentia inter fructus, & Canonicat. *c. Cùm M. Ferrarien, de Conſtitut.* & ideò verba ipſa Conc. *in d.c.4.* diſponentia de fructibus matricis, ad Canonicatus extendi non debent.

DE IMMUNITATE ECCLESIARUM, Cœmeterii, & rerum ad eas pertinentium.

Gregorius Archiepiſcopo Tricen.

CAPUT II.

PErvenit: & infrà. Frateruitas tua nullum per noſtræ, vel Eccleſiæ ſuæ nomen, aut alio modo, excuſari à murorum vigiliis patiatur, ſed omnes ad hoc generaliter compellantur: quatenus cunctis vigilantibus, meliùs valeat civitatis cuſtodia procurari.

SUMMARIUM.

1 *AD murorum cuſtodiam tempore magnæ neceſſitatis tenentur etiam exiſtentes ſub protectione Romanæ Eccleſiæ.*
2 *Item exempti, ac Sedi, Apoſtolicæ immediatè ſubjecti.*
3 *Item Eccleſiarum Rectores.*
4 *Compelli tamen debent per ſuos judices, non per ſæcularem poteſtatem.*
5 *Senes majores annorum ſeptuaginta ſunt immunes ab excubiis.*
6 *Si tamen ſint divites tenentur mittere alium pro ſe.*
7 *Excubiæ fieri debent viciſſim, & ſucceſſivè, niſi tanta ſit neceſſitas, ut oporteat omnes ſimul adeſſe.*
8 *Patriam quilibet tenetur defendere, & pro ejus defenſione excuſatur pater occidens filium.*
9 *Clerici an teneantur ad cuſtodiam murorum civitatis perindè ac laici, & n. ſeqq uſque in fin.*
Et quid in Clericis primæ tonſuræ, n.14.
Et quid in Clericis conjugatis, n.16.
10 *Ietellectus quatuor hujus cap & nn. ſeqq.*
11 *Decretales debent eſſe communes, nec facilè judicari debent locales.*
12 *Ad murorum cuſtodiam inſtante neceſſitate tenentur homines Eccleſiarum, ut mancipia, ruſtici, & ſimiles.*
13 *Ad murorum vigilias ut Clerici teneantur, quæ neceſſitas requiratur.*
14 *Clerici etiam primæ tonſuræ gaudent immunitate à muneribus realibus, & perſonalibus.*
15 *Etiamſi habitum, vel tonſuram non deferant, niſi tertiò moniti, contumaces extiterint.*
16 *Clerici conjugati non bigami habitum, & tonſuram deferentes gaudent privilegio fori, & canonis, non autem immunitate à muneribus.*
17 *Clerici an teneantur ad refectionem murorũ civitatis.*

P*Eervenit.* Legitur quatuor modis, ut dicam infra *n.10.* & ideò congruè ſummari non poteſt, ſed ſecundùm intellectum Abbatis hoc intendit: Tempore magnæ neceſſitatis non debet aliquis excuſari à murorum ſive civitatis cuſtodia. Primò ponit dictum. Secundò rationem, ibi, *Quatenus*.
1 Nota primò ibi, *Per noſtra*, à murorum cuſtodia, ſi magna ſubſit neceſſitas, quemquam non excuſari, etiam ſub prætextu quòd ſit ſub protectione Romanę Eccleſiæ, prout
2 intelligit hanc literam Hoſt. hìc *in prin.* Quinimò attentari poſſet ad id teneri etiam exemptos, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectos. Tales enim videntur eſſe homines Eccleſiæ Romanæ, de quibus loquitur hìc Papa in illis verbis, *Per noſtræ.* Unde Abb. Antiq. ſic ſummat hanc Decretalem, videlicet: Homines Eccleſiæ Romanæ, vel alterius Eccleſię à cuſtodia civitatis minimè ſunt immunes. Eccleſię Romanę, id eſt, eidem ſubjecti, vel ad jus illius, aut ſimpliciter ad eam pertinentes. Quęlibet enim ex his formis privilegium exemptionis confertur, *ut c. Si Papa, §.1. de priv. lib.6.* Hoc tamen eſſet intelligendum, niſi ſuper hoc eſſent ſpecialiter exempti, vel privilegium haberet clauſulas adeò urgentes, ut eſſet aptum comprehendere etiam immunitatem ab oneribus perſonalibus, prout hunc tex. limitant Domini de Rota *deciſ.72.n.7.p.1.rec.* & colligitur ex gloſſa hìc *in verb. Omnes*, dum limitat hunc textum in ſenibus, qui ab hujuſmodi oneribus ſpecialem habent immunitatem in corpore juris clauſam, ut dicam infrà *n.5.*
Secundò nota, ad cuſtodiam murorum, vel civitatis teneri 3
etiam Eccleſiarum Rectores ut probat litera ibi, *Vel Eccleſiæ ſuæ* Nam Eccleſia non dicitur eſſe hominum ipſius, imò homines ſunt Eccleſiæ, *c. Eccleſiarum ſervos 12.q.2. & l.1. C. de Epiſc. & Cler.* Sed Eccleſia dicitur propriè ipſius Rectoris ratione juriſdictionis, quam habet in ipſa, ut probatur *in c. Si tibi abſenti, de prabend lib.6.* ſecundùm Abbat. hìc *n.3. Et plus puto*.
Tertiò nota ibi, *Compellantur*, Clericos, & alios de juriſ- 4
dictione Eccleſię exiſtentes, ad cuſtodiam civitatis compellendos eſſe per judicem Eccleſiaſticum, non per ſęcularem poteſtatem, *c. Non minus, inf. eod.* Propterea enim hìc textus dirigitur Epiſcopo, eique injungitur, ut non patiatur quemquam excuſari à vigiliis murorum, ſed omnes generaliter compellantur, id eſt, per ipſum; & ita in hac ſpecie firmat Hoſt. *ſumm. §. A quibus, verſ. Materiæ*, dicens Clericos ad murorum cuſtodiam poſſe per Epiſcopum, non per Judicem ſæcularem adiſtringi, & conſentit Butr. hìc *n.5.* ibi, *Pracepto Epiſcopi*, & apertiùs Abbas *n.3. verſ. Sed adverte*, & Bellam. *conſ.46.* incip. *Et primo, in princ.*
In gloſſa, *Omnes*, nota ſenes eſſe immunes ab excubiis,
ſeu vigiliis murorum. Intellige, ſi annum ſeptuageſimum 5
exceſſerint, *ut l. Si ultra, C. de decur. lib.10.* ſecundùm Hoſtien. hìc *n.2. in verb. Patiatur*, Butr. *n.5. verſ. Eadem gloſſa.* Item intellige, niſi aliàs ſint divites; quia tunc non excuſan-
tur omninò, ſed debent mittere alium pro ſe, *l. Sextum de-* 6
cimum, §. Corporis, ff. de vacat. muner. & l. Semper, ff. de jur. immunit. & tenet Franc. Lucan. *de fiſc. & ejus privil. p.3. n.28. inter tract. comm. tom.11. fol.10.* & vide quod ſcripſi *in c. Cum ſis, infra de converſ. conjug.*
In gloſſa ultima obſerva ordinem faciendi excubias; de- 7
bent enim fieri non ab omnibus ſimul, ſed viciſſim, & ſuc-

ſucceſſivè, niſi tantum periculum immineret, ut oporteret ſimul omnes adeſſe: expedit enim Reipublicæ plures habere defenſores, *l. Nam Reipublicæ, ff. de nov. oper. nunciat. l.* 1. 2. *&* 3. *ff. de offic. Præfect. vigil.* & cum hac gloſſa Vincentii tranſeunt hic Hoſt. *n.* 7. & Jo. Andr. *n.* 5. Item ſecundùm eos quilibet tenetur, juxta dictum Sapientis, patriam defendere, *c. Fortitudo*, 23. *q.* 3. *& c. Omni tempore q. ult.* pro cujus defenſione excuſatur pater occidens, ut *l. Minimè, ff. de relig. & ſumpt. funer.* Unde Poeta.

Præferre patriam liberis Regem decet.

9 QUÆRO generaliter, an Clerici teneantur ad cuſtodiam murorum civitatis perindè, ac laici.

Regulariter Clerici non tenentur ad cuſtodiam murorum civitatis, etiam contra piratas maritimos, ne ab orationibus, & Divinis Officiis avocentur, cùm militum Chriſti ſit Chriſto ſervire; militum verò ſeculi, ſeculo ut eſt textus in *c. Reprehenſibile*, 23. *qu.* 8. Ad idem *c. Non minus, in-*
10 *frà eodem*, ubi generaliter videntur Clerici excuſari à gravaminibus publicis. Sed quia hìc diſponitur omnes generaliter teneri ad cuſtodiam murorum, ut cunctis vigilantibus meliùs valeat civitas cuſtodiri: Doctores videntes regulam eſſe in contrarium, variè hunc textum interpretati ſunt. Quidam enim dixerunt Decretalem procedere in civitatibus, quę ſunt de temporali dominio Eccleſiæ, ſicut hæc Terracinę, cujus Epiſcopo Papa ſcribit, ut fatentur hìc ferè omnes, & patet *ex lib.* 7. *epiſt.* 20. *indic.* 1. *Regiſtri B. Gregorii*, ubi ſic legitur: *Gregorius Epiſcopus Agnello Epiſcopo*, & in margine eſt adnotantum, *Terracinenſi.* Mendosè enim ex Contio, & aliis ſcriptum eſt, *Archiepiſcopo Tricenſi*, ut obſervat Anton. Auguſtin. *in notis ad primam collectam Decretal. lib.* 3. *tit.* 36. *c.* 2. Et hunc intellectum poſuerunt hic Hoſtien. & Jo. Andr. ambo *n.* 1. & videtur probare Butr. in 1. *notab.* & apertiùs Calder. *conſ.* 444. *Statuta nu.* 2. *verſ. Tamen quandoque teneatur*, aliàs 2. *de cenſib.* & ſic non obſtant jura in contrarium adducta.

11 Verumtamen hæc prima lectura à DD. non recipitur, quia textus loquitur indiſtinctè, & ratio eſt communis ad omnes civitates, & loca, & Decretales debent eſſe communes, nec facilè judicari debent locales, ſecundùm Card. *hìc nu.* 3. *in* 3. *oppoſitione*, & Abb. *nu.* 3. ad hoc *c. Canonum ſtatuta, ſupra de conſtitut.* & quod ibi dixi *n.* 15. poſt Hoſt. Joan. Andr. & alios. Quidam verò intellexerunt, quod hic dicitur, locum habere, cùm infideles maritimas Urbes direptionibus expoſitas infeſtant: Nam temporibus hujus Decretalis Saraceni impugnabant oras maritimas. Unde cùm Terracinæ civitas ſit juxta mare, propter commune, & improviſum periculum quod timebatur, & quotidiè imminebat, noluit Pontifex aliquem à vigiliis murorum excuſari: & hunc dicit eſſe verum intellectum, Hoſt. *nu.* 1. cum quo tranſeunt Jo. Andr. *eod. n.* Henric. Boich. *n.* 2. *ad fin.* Anton. de Butr. Anchar. & Joan. de Anan. omnes *n.* 1. Archid. in *c. Eccleſiarum ſervos nu.* 3. 12. *q.* 2. Bellam. *conſ.* 47. *incip. & primo verſ. Super ſecundo*, quod eſt Oliverii Maligemmę tunc Rotæ Auditoris: ad hoc *c. Igitur, c. Scire, & c. ſeqq.* 23. *qu.* 8. Sed & hæc lectura nimis reſtringit generalitatem hujus Decretalis, ſecundùm Cardin. *n.* 3 *verſ. Tertiò legi poteſt*, & fortè alia fuit mens Hoſtienſis, ut deducam infrà in 4. *lectura nu.* 12. *verſ. Alii demum.*

12 Alii autem opinati ſunt hunc text. de Clericis apertè non loquentem, ſed tantùm de Eccleſia mentionem facientem, non eſſe intelligendum de Clericis, ſed de hominibus Eccleſiæ, puta mancipiis, & ruſticis, qui licèt non debeant regulariter angariari, *c. Eccleſiarum ſervos*, 12. *q.* 2. *& l.* 1. & ibi per Bart. *Cod. de Epiſcop. & Cleric.* tamen ad cuſtodiam ob publicam utilitatem compelli debent, ut hìc; unde gloſ. 1 & Hoſtien. *in princip.* exponunt litteram, ibi, *Nullum*, ſcilicet de hominibus Eccleſię & conſentit Abb. Antiq. *in princip.* & huic lecturæ videtur clarè adhæſiſſe Hoſt. *in ſumma hujus tituli*, §. *A quibus*, *verſ. Materiæ*, dum dixit, inſtante neceſſitate homines Eccleſiæ non excuſari à cuſtodia civitatis, ut hìc; Clericos autem non debere in hoc gravari, niſi magna eſſet neceſſitas. Hunc tamen intellectum refellit Abbas *hìc ſub nu.* 3. *verſ. Et plus puto*, & meritò, quia textus non obſcurè loquitur de Clericis in illis verbis, *Vel Eccleſiæ ſuæ*: nam Eccleſia propriè dicitur ipſius Rectoris ratione juriſdictionis, ut deduxi ſupra in 2. *notab.* Unde ſecundùm eum hæc littera debet generaliter intelligi tam de hominibus Eccleſiæ, quàm de Clericis.

Alii demùm, & meliùs exiſtimarunt hanc decretalem eſſe intelligendam generaliter, ut tam homines Eccleſiæ, quàm Clerici teneantur ad vigiliam murorum, quoties ſubeſt magna neceſſitas, & quandocumque imminet periculum invaſionis terræ ab hoſtibus etiam non infidelibus & hoc non obſcurè ſenſit Innoc. hic, dum dixit, quod hìc dicitur, habere locum, & eſſe ſpeciale, ubi timor eſt communis, & ſubitus, & improviſus, nec ullam mentionem fecit de Saracenis, ſeu infidelibus; quod cogit me credere hanc etiam fuiſſe mentem Hoſt. *nu.* 1. Nam quamvis dicat tunc tẽporis oras maritimas infeſtari à Saracenis, & ideò Papam noluiſſe, ut aliquis excuſaretur à cuſtodia: non tamen per hoc reſtrinxit ſe ad caſum, in quo civitas impugnetur ab infidelibus, ſed factum narravit ad eum modum, quo tunc occurrebat. Idem tamen veriſimiliter dixiſſet ob rationis identitatem, ſi periculum contigiſſet ab hoſtibus non infidelibus, quod ex eo patet, quia Hoſt. dicit hunc eſſe verum intellectum ſecundùm D N. ſcilicet Innoc. & tamen Innoc. non reſtringit ſe ad Saracenos, ſed generaliter loquitur, ubi timor eſt communis, & repentinus; & ita Hoſtien. & ſequaces ſunt apertè pro hac lectura; & ferè omnes loquuntur de Saracenis per modum exempli. Eamdem opinionem tenuit gloſſ. *ult. in d. c. Eccleſiarum ſervos*, 12. *qu.* 2. dum generaliter dixit tam Clericos, quam eorum mancipia teneri ad onera civitatis, ſi ſubſit magna neceſſitas. Quam gloſſam ad propoſitum hìc allegat Henric. Boich. *n.* 2. & ſequitur Butr. *n.* 5. ubi Goffred. in eamdem ſententiam citat Hoſt. in *ſumma hujus tit* §. *A quibus verſ. Materiæ*, Innocen. in *c. Non minus n.* 5. *in fin.* & ibi etiam Jo. Andr. *n.* 8. *infrà eodem.* Angel. in *verb. Immunitas nu.* 34. Et explicitè Clericos teneri ad cuſtodiam civitatis, quotieſcumque imminet periculum impugnationis etiam ab hoſtibus non infidelibus, cenſuerunt hìc Card. *n.* 3. *in* 3. *oppoſ. verſ. Tertio legi poteſt*, & Abbas *n.* 3. *verſ. Sed certè.* Quamobrem dubitari non poteſt; quin hæc lectura ſit communis ferè omnium Doctorum: nam prima, & tertia, quaſi nullos habent ſectatores, & authores tertię ab hac ultima non diſſentiunt, ut ſupra proximè deductum eſt. Oportet tamen, ut neceſſitas nonſolùm ſit talis, quæ poſtulet murorum cuſtodiam; ſed 13
etiam quę requirat omninò, ut Clerici tali munere fungantur, eò quòd ſine eis non poſſint commodè mænia cuſtodiri per laicos, ut per Abbatem *hìc n.* 6. Angel. *d. n.* 34. Nattam *conſ.* 280. *incip. de jur commun. nu.* 6. *propè fin. verſ. intelligo tamen*, Ripam *in tra. de peſte, tit. de remed. ad conſerv. ubert. n.* 224. ubi dat generalem doctrinam, quòd exempti teneantur ad excubias, & cuſtodiam, quando magnum ſubeſt periculum, ut ſine auxilio exemptorum locus facilè cuſtodiri non poſſit; & conferunt quę ſcripſi in *c. Petitio n.* 4. *&* 14. *infrà de homic.* An autem hæc neceſſitas ſit talis, necne, ad Epiſcopum pertinet judicare, ſecundùm Ant. Butr. & Angel. *locis ſupracit.* & ab ipſo tantùm Clerici poſſunt diſtringi, non autem à judicibus ſæcularibus, ut dixi ſupra in 3. *notab.*

Ex quibus ad propoſitum dubium videtur reſpondendum, Clericos non teneri, niſi tanta neceſſitas judicio Epiſcopi ſubeſſet, ut à ſolis laicis abſque Clericorum auxilio mænia facilè cuſtodiri non poſſent.

Ampliatur hæc concluſio, ut locum habeat etiam in 14
Clericis primæ tonſuræ: nam jura exemptionem Clericis tribuentia à muneribus realibus, & perſonalibus, etiam Clericos primę tonſurę comprehendunt, ut notat gloſſa in *c. ult. in verb. Tonſuram*, *de tempor. ordinat. lib.* 6. & eſt communis opinio, ut teſtatur Covarr *pract. quæſt. cap.* 31. *num.*
9. Et quamvis idem Covarr. ex aliquorum ſententia ſubjiciat id verum eſſe, quando veſtes Clericales, & tonſuram 15
deferunt: tamen verius eſt Clericos primæ tonſuræ non privari privilegiis à jure Canonico ſibi tributis propter dimiſſionem habitus, vel tonſuræ Clericalis, niſi tertiò moniti in contumaciam inciderint, juxta text. in *c. ult. ſupra de vit. & honeſt. Cleric.* & ibi notat Imol. in 1. *col.* & poſt eum Covarr *d. num.* *propè fin.* & de communi atteſtatur Alexan. *conſ.* 8. *Videtur num.* 2. *lib.* 1. ubi egregiè hanc materiam declarat Rolan. à Valle *conſ.* 4. *In cauſa n.* 31. *vol.* 1. Et quamvis Concilium Trident. *c.* 6. *ſeſſ.* 23. voluerit ejuſmodi Clericum non gaudere privilegio fori, niſi Clericalem habitum, & tonſuram deferens, alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviat, vel beneficium Eccleſiaſticum habeat: tamen diſpoſitio Concilii procedit quoad privilegium fori dumtaxat, de quo loquitur; ſed quoad cætera privilegia nihil novi juris induxit, ut jamdudum declaravit S. Congregatio ejuſdem Concilii Interpres.

Limita nunc propoſitam concluſionem, ut non procedat in Clericis conjugatis; nam tales, quamvis gaudeant privilegio fori,& canonis,ſi duxerint unicam,& virginem & in habitu,& tonſura incedant: cæteris tamen privilegiis clericalibus minimè potiuntur,ut in *c. un. de Cleric. conjug. lib.6.* innovato per Concilium Trident, *d.c.6.ſeſſ.*23. Ideòque immunitatis privilegio quoad munera non fruuntur, ac proindè ad cuſtodiam murorum tenentur non ſecus, ac laici, gloſſ.in *dict. c.un. in ver.Cæteris*, & ibi omnes. Abb. in *cap. Ex parte,in* 1.*notab.ſupra de Cleric.conjugat.* Covar. qui alios adducit,& de communi teſtatur,*pract. quæſt.c.*31. *num.*9.

Secundò QUÆRO, an Clerici teneantur ad refectionem murorum civitatis.

Refert hic Henric. Boich. *num.* 3. ſe vidiſſe induci hanc Decretalem in Parlamento Franciæ per cives Rhemenſes contra Clerum illius civitatis, quem petebant compelli ad contribuendum cum eis in refectione murorum propter timorem Bavari, qui velle Regnum Francię invadere dicebatur: ad hoc *l. Ad instructiones, C.de ſacroſ. Eccleſ. l. Ad portus,C.de oper.publ.& leg.final.Cod. de quib. munerib. nem. lic.ſe excuſar.lib.*10. ſed Joannes tenet contra cives in *cap. Juxta*, *il ſecondo* 16.*quæſt.*1. dicens, illam legem ad inſtructiones eſſe correctam; ſed dato quòd Clerici poſſent ad hoc compelli, non tamen per brachium ſeculare: ad quod benè facit, *c. Constantinus*, *in verſ. Eccleſiis in fin.* 96. *diſt.* Pro civibus etiam allegabatur, *c. Cùm ad verum*, 96.*diſt. c. Magnum*, 11.*quæſt.*1.*& cap. Convenior*, 23. *quæſt.* 8. ſed parum faciunt. Contra cives facit etiam textus in *c. Gravem*, *in fin. infra de ſentent. excommunic.* & in hoc reſidet ubi ſupra Henric. Boich. Ego dico,illam legem, *Ad instructionem*, quæ nominatim ſtatuit contra Eccleſiam, fuiſſe nullam ab initio ex defectu poteſtatis,per text.in *c.Eccleſia S.Mariæ*,& ibi plenè ſcripſi *à nu.* 17. poſt Abb.*nu.*10.*verſ. Ad primum,ſupra de conſtit.*Et in ſpecie hoc de illa lege adnotavit ibi Dec.*num.*42.& Barbat.*conſ.*1. *lib.* 3. *& conſ.* 29. *lib.*4.& tenet gloſſ. in *d.c.Juxta*, aliàs eſt ſub *c.Generaliter*, §. *Novorum*, *in verb. Collationibus*, 16.*qu.*1.Jo. Andr.*in c. Non minus n.*14.& poſt eum Butr. *n.*10.Abb.*num.*18.*&* 20. & ibi dixi *n.*50.*infrà eod.* Calder. *conſ.*2. incip. *Statuto Peruſino n.* 3.*verſ. Reperio, de cenſib.* Aliæ verò leges pro civibus allegatę non loquuntur nominatim de Clericis,vel Eccleſiis; & ideò ad perſonas Eccleſiaſticas, aut earum bona in earum præjudicium non extenduntur,prout eſt conſors ferè omnium juris civilis, & canonici Interpretum determinatio,ut dixi in prędicta Decretali,*Eccleſia Sanctæ Mariæ num.*2. poſt Joan.de Lignan.Butr.Anchar. Imol.Abb.& alios plurimos.

DE IMMUNITATE ECCLESIARUM.

Ex Concilio Lateranen.

CAPUT IV.

NOn minus: & infrà. In diverſis mundi partibus Conſules Civitatum & Rectores, necnon & alii qui poteſtatem habere videntur, tot onera frequenter imponunt Eccleſiis, ut deterioris conditionis factum ſub eis Sacerdotium videatur, quàm ſub Pharaone fuerit, qui legis divinæ notitiam non habebat. Ille quidem omnibus aliis ſervituti ſubactis, Sacerdotes & poſſeſſiones eorum, in priſtina libertate dimiſit, & eis alimoniam de publico adminiſtravit: iſti verò onera ſua ferè univerſa imponunt Eccleſiis, & tot angariis eas affligunt, ut eis quod Jeremias deplorat competere videatur: Princeps Provinciarum facta eſt ſub tributo. Sive quidem foſſata, ſive expeditiones, ſeu alia quælibet ſibi arbitrentur agenda, de bonis Eccleſiarum & Clericorum & pauperum Chriſti uſibus deputatis volunt ferè cuncta compleri. Juriſdictionem etiam & auctoritatem Prælatorum ita evacuant, ut nihil poteſtatis eis in ſuis videatur hominibus remanſiſſe. Quocirca ſub anathematis diſtrictione fieri de cæteto talia prohibemus: niſi Epiſcopus & Clerus tantam neceſſitatem, vel utilitatem aſpexerint, ut abſque ulla exactione ad relevandas communes utilitates vel neceſſitates, ubi laicorum non ſuppetunt facultates, ſubſidia per Eccleſias exiſtiment conferenda. Si autem conſules aut alii de cætero iſta commiſerint, & commoniti deſiſtere noluerint, tam ipſi, quàm fautores eorum, excommunicationi ſe noverint ſubjacere: nec communioni reddantur, donec ſatisfactionem fecerint competentem.

SUMMARIUM.

1 *Laici collectas imponentes Eccleſiis, vel Clericis, vel juriſdictionem illorum uſurpantes,ſi moniti non deſiſtant, excommunicati ſunt cum ſuis fautoribus, num.* 33. *&* 36.

2 *Poteſt tamen Epiſcopus cum Clero eis in neceſſitate præbere ſubſidia.*

3 *Collectam imponentes Eccleſiis, vel Clericis excommunicati ſunt, etiamſi Imperiali, vel Regali dignitate præfulgeant*, *n.* 36.

4 *Bona Clericorum de jure divino immunia ſunt à collectis, & impoſitionibus laicorum.*

5 *Angariis Eccleſiæ, & Eccleſiaſticæ perſonæ affligi non debent, & n. ſeqq.*

6 *Angariæ, & per-angariæ quæ dicantur, & in quo differant.*

7 *Clerici cum eorum familia immunes ſunt ab angariis, & perangariis, niſi pro vigiliis murorum, & ratione feudi.*

8 *Bona Eccleſiarum quoad fundationem,manſum vel dotem Eccleſiæ,immunia ſunt à tributis, & oneribus laicalibus,etiam privatis, & anteà impoſitis.*

9 *Bona tranſeunt ad Eccleſiam cum oneribus anteà impoſitis, dummodo hujusmodi onera ſint vera, realia, perpetua, & invariabilia.*

10 *Bona poſtquam ſunt effecta Eccleſiæ, immunia ſunt à tributis,& oneribus laicalibus de novo imponendis.*

11 *Principes laici facere non poſſunt omnia prædia tributaria, itaut cùm devenerint ad Eccleſias, obnoxia ſint collectis poſtea imponendis.*

12 *Clerici tenentur ad onera,quæ ratione quadam naturali ipſis rebus incumbunt,ut reficere iter ante domum, & purgare puteum neceſſarium toti viciniæ.*

13 *Et vicini poſſunt hoc caſu propria authoritate collectam indicere.*

14 *Clerici, & eorum mancipia,& coloni ad ſordida munera non tenentur, & n. ſeqq.*

15 *Munera ſordida quæ ſint.*

16 *Bona patrimonialia Clericorum, & bona Eccleſiarum quoad immunitatem à collectis à pari procedunt.*

17 *Bona Religioſorum,& bona Hoſpitalium immunia ſunt à collectis, & impoſitionibus laicalibus, n.* 19.

18 *Pauperum appellatione veniunt etiam Clerici.*

20 *Verba*, Sub anathematis diſtrictione, *non important canonem latæ ſententiæ, & n.ſeqq.*

21 *Secus in verbis*, Excommunicationi te noveris ſubjacere.

22 *Clerici ut licitè ſolvant collectas, & impoſitiones laicorum,ſex requiruntur, & n.ſeqq. uſque ad nu.* 33.

Pri-

Primò, deliberatio Epiſcopi, & Cleri, n. 23.
Secundò, magna neceſſitas, vel utilitas, n. 25.
Tertio, ut hæc neceſſitas, vel utilitas ſit communis, tam laicorum, quam clericorum, n. 26.
Quartò, ut laicorum facultates non ſuppetant, n. 30.
Quintò, ut contributio fiat ſine ulla exactione laicali.
Sextò, ut Romanus Pontifex conſulatur, n. 32. & 52.

23 *Collectam pro ſubſidio laicorum Epiſcopus imponere non poteſt clericis ſine conſenſu Cleri.*
24 *Nec ſufficit conſenſus Capituli.*
25 *Neceſſitas, vel utilitas quanta eſſe debeat ad hoc, ut clerici licitè ſolvant collectam pro ſubſidio laicorum, pendet ex arbitrio Epiſcopi, & Cleri dijudicare.*
26 *Collectam Clerici nec tenentur, nec poſſunt ſolvere ad relevandas neceſſitates, vel utilitates laicorum tantùm.*
Sed ubi verſatur neceſſitas, vel utilitas laicorum ſimul, & clericorum, poſſunt clerici illam ſolvere concurrentibus aliis requiſitis, ibid. & n. ſeq.
27 *Intellectus hujus c. in ver. Communes.*
28 *Joſeph Prorex Pharaonis ſubjecit eidem, ac tributariam fecit univerſam terram Ægypti, præter Sacerdotum, quæ libera ab hac conditione fuit.*
29 *Exemplum declarat diſpoſitionem de ſimilibus eſſe intelligendam.*
31 *Clerici nullo caſu ad collectam ſunt compellendi per ſæcularem, ſed per Eccleſiaſticum judicem, de cujus foro ſunt perſonæ, licèt res ſint de foro laicali.*
33 *Laici collectantes Eccleſias, vel Clericos, aut Prælatorum juriſdictionem impedientes, non ſunt excommunicati ex hoc cap. niſi poſt canonicam monitionem ſe non correxerint.*
34 *Et ſufficit unica monitio.*
Sed hodiè ex Bulla Cœnæ ſunt excommunicati ipſo jure, num. 36.
35 *Pedagia exigentes à clericis incidunt in excommunicationem latæ ſententiæ.*
37 *Abſolutio ab excommunicatione, quam incurrunt laici collectantes Eccleſias, hodiè eſt Papæ reſervata.*
38 *Clerici an teneantur ad contributionem gabellæ pro annona civitatis impoſitæ, & n. ſeqq. uſque ad n. 55.*
39 *Pietas nulla major, quàm pauperes, & patriam ſublevare.*
40 *Clerici ſunt membra Reipublicæ.*
Declaratur, n. 49.
41 *Clerici tenentur ad inſtructionem viarum, & pontium.*
Contrarium, n. 50.
42 *Clerici tenentur contribuere pro conſtruendis, vel inſtaurandis muris, fontibus, & ſimilibus ad communem utilitatem ſpectantibus.*
Contrarium, n. 50.
43 *Clerici tenentur ad collectam impoſitam ad redimendam vexationem, & incurſionem hoſtium, patriam depredari volentium.*
Contrarium, n. 45. verſ. Contraria opinio, & n. ſeqq.
44 *Clerici tenentur contribuere, ubi agitur de communi utilitate laicorum, & clericorum.*
Contrarium, n. 45. verſ. Contraria opinio.
45 *Collectam tenentur ſolvere omnes, qui gravari poterant oneribus, in quorum locum collecta ſucceſſit.*
46 *Laici non tenentur ad impoſitiones clericorum, niſi reſpiciant communes neceſſitates, vel utilitates.*
47 *Bona Eccleſiarum ſunt deputata publico uſui ſpirituali; laicorum verò pro uſu Reipublicæ mundanæ.*
48 *Authores utriuſque opinionis expenduntur.*
Conciliantur, n. 54.
49 *Clerici quas ob cauſas non teneantur ſubire onera Reipublicæ laicalis, & n. 61.*
50 *Leges civiles in præjudicium Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum non valent, n. 53. & 59.*
51 *Nec cenſentur canonizatæ, licèt aliquæ reperiantur inſertæ à Gratiano in volumine Decreti.*
55 *Clerici an teneantur contribuere ad collectas, quæ fiunt propter peſtem in locis, ubi peſtis graſſatur, & n. ſeqq. uſque in fin.*
56 *Ad collectas, quæ ob peſtem imponuntur, de jure Civili tenentur etiam habentes exemptionem generalem ab oneribus perſonalibus, realibus, & mixtis.*
Secus de jure canonico, n. 58.
57 *L. Ad inſtructionem, C. de ſacroſ. Eccleſ. non fuit correcta per Auth. Item nulla, de Epiſc. & Clericis.*
60 *Argumentum de bello ad peſtem validum eſt.*
61 *Peſtis eſt bellum Dei, in quo magis pugnant Clerici, quam Laici.*

Non minus. Laici collectas imponentes Eccleſiis, vel Clericis, vel juriſdictionem illorum uſurpantes, ſi moniti non deſiſtant, excommunicati ſunt cum ſuis fautoribus: poteſt tamen Epiſcopus cum Clero eis in neceſſitate præbere ſubſidia. Hoc dicit ſecundum Joan. Andr. cui Butr. Card. Anchar. Abb. & omnes conſentiunt. Dividitur in duas partes. Prima narrat, & aggravat horrendam oppreſſionem Eccleſiæ, quam faciebant poteſtates ſæculares. Secunda, providet, ibi, *Quocirca*: & hæc tria facit. Primò, comminatur pœnam. Secundò, ponit caſum permiſſum. Tertiò, pœnam comminatam imponit. 1 2

Nota primò, ibi, *Et alii qui poteſtatem habere videntur*, non tantùm Conſules, & Rectores civitatum, ſeu Magiſtratus inferiores collectantes Eccleſias, vel Clericos, incidere in pœnam hìc ſtatutam; ſed etiam alias poteſtates ſæculares, ac Principes: de talibus enim intelligitur hæc littera, quaſi dicat: Propter jura Imperii hanc poteſtatem habere videntur; ſed verè non habent, quia abutuntur, ſecundum Hoſtien. Joann. Andr. & Cardin. omnes in *princip.* Butr. *n.* 2. ſimile in *cap. Ea quæ*, ibi, *Id quod videmini habere*, *ſupra de cenſib.* Vel dic, poteſtatem habent de facto, ſed non de jure, ut exponit gloſ. notab. in *c. Si tributum*, *in verb. Poteſtatem*, 11. *q.* 1. Hoc eſt expreſſum in Bulla Cœnæ Domini, §. 18. ibi, *Etiamſi Imperiali, vel Regali præfulgeat dignitate*. 3

Secundò, nota, ibi, *In priſtina libertate dimiſit*, non tantùm Sacerdotes, & Clericos, ſed etiam eorum poſſeſſiones, & bona de jure Divino eſſe immunia a collectis, & impoſitionibus laicorum, ut hìc probatur evidenter, licèt DD. non advertant: nam hìc non dicitur de Pharaone, quod Sacerdotibus immunitatem conceſſerit, ſed quod Sacerdotibus, & eorum poſſeſſiones in priſtina libertate dimiſerit, quamvis divinæ legis notitiam non haberet, & ſic præſervavit immunitatem eis competentem ex lege Divina, & ante omnem humanam conſtitutionem. Ad hoc text. opt. in *l. Sancimus*, ibi, *Competens prærogativa cœleſti favore conſervetur*, *C. de ſacroſ. Eccleſ.* & text. clar. in *c.* 1. *de cenſib. lib.* 6. ibi, *Eccleſiæ Eccleſiaſticæ perſonæ, ac res ipſorum non ſolum jure humano, quinimò & divino à ſæcularium exactionibus ſunt immunes*, & probatur *Gen.* 47. ex 1. *Eſdr. c.* 7. *n.* 3. Matth. 17. adjuncta ibi expoſitione Hieronymi, & Auguſtini, ut fusè deducit Rota, licèt text. noſtrum ut ſup. non ponderet in Alben. Gabellæ, ſeu onerum 28. Junii 1630. coram Merlino, quæ habetur in impreſſis *deciſ.* 339. *part.* 6. *recent.* ubi egregiè firmatur, hujuſmodi immunitatem competere perſonis Eccleſiaſticis, earumque bonis jure non tantùm Civili, & Canonico, ſed etiam Divino: quam deciſionem poſtea ſequuta eſt eadem Rota coram Coccino in cauſa Barcinon. exemptionis 20. Junii 1636. & cum ea paſſim tranſit S. Congreg. Immunitatis Eccleſiaſt. ut refertur in argumento illius deciſionis, & hæc eſt unanimis Canoniſtarum ſententia, ut ſcripſi in *c. Eccleſia Sanctæ Mariæ n.* 15. *ſupra de conſtitut.* 4

Tertiò, nota, ibi, *Angariis*, Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas non debere affligi angariis. Idem ſancitur in Conſtitutione Federici Imperatoris, ut in *Auth. Item nulla*, *C. de Epiſc. & Cler.* & in corpore, unde ſumitur, ibi, *Angarias, vel perangarias Eccleſiis, vel aliis piis locis, aut Eccleſiaſticis perſonis imponere præſumant*. Dicunt autem Angariæ munera, ſeu obſequia perſonalia propriis ſumptibus præſtita: Perangariæ autem, ubi perſona ſervit ſumptibus alienis: & eſt angaria munus purum, & merum; perangaria verò mixtum, *leg. Munerum*, *ff. de muner. & honor.* De quibus tamen differentiis conſule Alciatum *in adnot. ad* 12. *librum cod. tit. de Præpoſ. Sacr. Cubic.* & noviſſimè Lexicon Jo. Calvini in *ver. Angaria*, poſt Bart. & Legiſtas in *leg. Neminem*, *C. de ſacroſ. Eccleſ.* & ab his Clerici omnes cum eorum familia libri ſunt, *l.* 1. *&* 2. *& leg. Presbyteros*, *C. de Epiſc. & Cleric. & cap. Quia cognovimus* 10. *q.* 4. gloſ. *hic in ver. Angariis*, Innoc. *n.* 3. Hoſt. *n.* 4. Joan. Andr. *n.* 6. *&* 13. Henric. Boic. *n.* 4. Butr. *n.* 9 *verſ. Et ab illis*, Car. in 3. *not.* & Abb. *n.* 10. niſi in caſu, ſcilicet pro vigiliis murorum, ſive civitatis, ut in *c. Pervenit*, & ibi dixi *ſup. eod.* & niſi ratio- 5 6 7

ne feudari aliud ſit dicendum, *c. Solitæ*, §.1. *verſ. Quod autem, ſupra de majorit. & obed.* ſecundùm Hoſt. *hic n.* 5.
8 Quartò nota, ibi, *Princeps, Provinciarum facta eſt ſub tributo*; Eccleſiam, & illius prædia non teneri ad tributa, &
alia onera realia laicorum. Nam verbum, *Princeps*, exponitur, id eſt Eccleſia, ſecundùm Hoſt. *hic n.* 5. *in fin.* concordat
c. Secundum, *c. Convenior*, & *c. Quamvis*, 23.*q.*8. Sed quia
contradicunt jura, in *c. Tributum, eadem cauſ. & q.* in *c. Si
tributum*, & *in c. Magnum*, 11. *qu.* 1. ideò pro concordia
ſic diſtinguo: Aut quæritur de bonis, quæ uſibus Eccleſiaſticis dedicantur quoad fundationem, vel manſum, aut cemeterium, vel domos, vel hortos juxta poſitos, aut dotem
Eccleſiæ; & hæc indiſtinctè ſunt immunia ab omnibus tributis, & oneribus laicalibus, arg. *c.* 1. *ſupra de cenſ. & c.* 2.
de Eccleſ. ædific. & ſic intellige primas concordantias, ſecundùm gloſſ. *hic in verb. Sub tributo*, Goffred. & Innoc.
in princ. verſ. Solutio, & n. 5 & 6. Hoſt. *n.*6. *eod. verſ.* Jo. Andr.
*n.*8. *verſ. Ab his autem*, Henric Boich. *n.* 1. & Butr. *n.* 3. Idem
tenuit gloſſ. 1. *in d. c. Si tributum*, Archid. in *c. De his*, 16.*q.*1.
Cardin. in *Clement.* 1. *in* 18. *verſ. Munera rerum, de vit. &
honeſt. Clericor.* & nullus diſcrepat. Quod vendicat ſibi locum in oneribus nedum publicis, & regiis; ſed quod magis
eſt, etiam privatis, & antea impoſitis, ob ſpecialem eorumdem bonorum ſanctitatem, ut habetur in *d. c. Secundum*, 23.
*q.*8. & pluribus relatis tenet Rota in *præalleg. dec.*339. *n.*40.
*part.*6. *recent.*
9 Aut quæritur de aliis bonis, quæ aliis titulis, vel cauſis ad
Eccleſiam pervenerunt; & tunc refert, an agitur de oneribus impoſitis, antequam bona hujuſmodi in Eccleſiam
tranſirent; an verò de impoſitis eo tempore, quo bona jam
facta erant Eccleſiæ. Primo caſu bona, & prædia hujuſmodi tranſeunt ad Eccleſiam cum ſuo onere, ſecundum gloſſ.
Innoc. & alios proximè citatos, & Abb. *hic n.*16. *verſ. Sed
ego diſtinguendo*, & probatur in *d. c. Tributum*, 23.*q.*8. ibi,
*De exterioribus Eccleſiæ, quod conſtitutum eſt antiquitus, per
ſolvendum eſt.* Dixit enim, antiquitùs, id eſt, antequam
prædia pervenerint ad Eccleſiam, & *in c. Si tributum*, &
ibi Turrecr. 11. *q.*1.
Sed hoc intelligas tu, dummodò copulativè infraſcripta
omnia concurrant, videlicet ut onera ſint vera, & realia
id eſt ipſis fundis infixa, & impoſita bonis propter bona;
item ut ſint perpetua, certa, & invariabilia, ut tenent communiter DD. in *c.* 1. *infra eod. lib.*6 maximè Gemin. *num.*9.
Turrec. in *c. Si tributum, verſ. Alia verò*, 11.*q.*1. & firmavit.
Rota in Brunduſina Gabellæ 13. Februarii 1604. coram Penia. Quam deciſionem ut magiſtralem in hac materia paſſim amplectitur S. Congr. ſuper controverſiis juriſdictionalibus, ut aſſeritur in *præcitata dec.*339. *part.*6. *recent.*
10 In ſecundo autem caſu, ideſt, cum agitur de oneribus
impoſitis eo tempore, quo bona jam ſunt effecta Eccleſiæ,
certum eſt ab hujuſmodi oneribus Eccleſiam eſſe prorſus
immunem, & in hoc caſu loquitur hoc cap. Damnat enim
horrendam oppreſſionem, quam faciebant poteſtates ſæculares in diverſis mundi partibus, imponentes univerſa ferè
onera Eccleſiis, & bonis ipſarum; & ſic loquitur de impoſitione onerum ſuper bonis, quæ jam erant in dominio, &
proprietate Eccleſiæ; quam diſtinctionem ſequitur Bald. in
*l. Placet n.*10. *verſ. Poſtquam autem res facta eſt Eccleſiæ, C.
11 de ſacroſ. Eccl.* Abb. *hic n.*16. *verſ. Sed ego diſtinguendo, &
verſ. Ad alia autem onera*, & Rot. in *d. dec.*339. *nu.*41. Et
quamvis Bart. in *l. Reſcripto, §. fin. nu.* 5. *ff. de minor.* teneat
poſſe Principes laicos efficere tributaria, & affecta omnia
prædia eorum territorii, itaut cùm poſteà ad Eccleſias pervenerint obnoxia ſint collectis poſteà imponendis; tamen
ejus cautela eſt falſa, & contra immunitatem Eccleſiæ, &
ab omnibus communiter reprobata, ut poſt Bald. *loco cit.*
copiosè deducit Rota in *ead. dec.*44. & *ſeqq.*
12 Fallit hæc concluſio in oneribus, quæ ratione naturali ipſis rebus incumbunt, ut reficere iter ante domum, *l.* 1. *ff. de
via publica refic.* Bart. in *l. Adminiſtrationem n.*3. *C. de ſacr.
Eccl.* Bart. Cæpol. in *tract. de ſervit. ruſtic. tit. de via q.*25. &
tenet Abb. *hic n.*16 *verſ. Idem dico.* Idemq; dicendum in purgatione putei neceſſarii toti viciniæ, in qua ſita eſt Eccleſia,
ex notat. per Specul. in *tit. de cenſ. §. Nunc dicendum. ver. Itē
pone quoad vicinia*, & Alberic. in *l. Cùm uſusfructus, ff. de uſu-
13 fruct.* & tenet Abb. *ubi ſup.* Quinimò hoc caſu poſſunt vicini
propria authoritate collectā indicere, *l.* 1. §. *Vicinales, ff. Ne
quid in loc. publ.* ſecundùm Anchar. *hic*, quem refert, & ſequitur Decian. *conſ.*14. *Dubitatur an Clerici n.*21. & 22. *lib.* 1.

Quintò, nota ibi, *Foſſata*, Eccleſias, & Eccleſiaſticas perſona ad ſordida munera non teneri, prout hìc ponitur exem- 14
plum de foſſatis, quod eſt munus ſordidum ſecundum Hoſt.
*n.*8. *in ver. Foſſata*, Jo. Andr. Butr. & Cardin. omnes *n.*3. &
ſunt munera ſordida ſervitia, ut calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, cuſtodiæ balneorum, & ſimilia, de quibus habentur 15
multa exempla in *l. Munerum*, uſque ad §. *Patrimoniorum,
ff. de muner. & honor. & in l. Maximarum, C. de excuſat.
munerum lib.*10. & hæc non ſubdit Eccleſia, *c. Generaliter*,
§. *Novarum*, 16. *q.*1. & *l. Placet, C. de ſacroſ. Eccl.* ne ſcilicet prædia uſibus cœleſtium ſecretorum dedicata, ſordidorum munerum fæce vexentur, ut ibi dicitur, & hìc notant
Innocent. *n.*2 Hoſtien. *n.*7. Joan. Andr. *n.*5. Henric. Boich.
*n.*2. Butr. & Card. ambo *n.*9. Anchar. *n.*4. & Abb *n.*14. *verſ.
Quædam verò munera*, Guliel. de Monte Laud. in *Clem.* 1.
ſuper verb. In rebus, & ibi etiam Cardin. in 18. *quæſt. de vita, & honeſt. Cleric.* & alibi paſſim Doctores. Quinimò hac
immunitate potiuntur nedum Eccleſiæ, & Clerici, ſed etiam eorum mancipia, & coloni, ut eſt expreſſum in juribus præalleg. & tenet Abb. *loc. cit.*
Sextò nota ibi, *De bonis Eccleſiarum, & Clericorum*, quo- 16
ad immunitatem à collectis, & impoſitionibus laicalibus,
pari paſſu ambulare bona Eccleſiarum, & bona patrimonialia Clericorum, Hoſtien. hic *n.* 8. Butr. *n.*3. Cardin. *n.*4.
& Anchar. 2. *notab.* Abb in *c.* 1. *nu.*3. *verſ. Fateor tamen*,
poſt Butr. *ibi n.*5. & Imol. *nu.* 1. *ſupra de conſuetud.* Rota in
*præalleg. dec.*339. *n.*23. *part.*6. *recent.* de quo dic, ut notatur
in *c. fin. ſupra de vita, & honeſt. Cleric.* De aliis autem differentiis inter bona Eccleſiarum, & Clericorum, item de differentiis inter bona, ad quorum titulum Clerici ſunt ornati, & alia bona patrimonialia, vide quod ſcripſi in *c. Epiſcopus à n.*35. *ſupra de præbend.*
Septimò, nota ibi, *Et pauperum Chriſti uſibus deputatis*, 17
bona Religioſorum eſſe immunia à collectis, & oneribus
laicalibus, ſecundum Hoſt. *n* 9. Jo. Andr. *n.* 3. *in verb. Pauperum*, & Cardin. *n.*5. qui exponunt verba, pauperum Chriſti, id eſt Religioſorum, qui omnia reliquerunt pro Chriſto,
ut *cap. Nimis in qua, & cap. Nimis prava, infrà de exceſſ.
Prælat.* Vel ſecundùm eos Clerici omnes pauperes appel- 18
lantùr, *l. Privilegia, C. de ſacroſ. Eccl.* Nam & quidquid habent, pauperum eſt, *c. Quia quicquid*, 16.*q.*1. ſed tanta eſt ambitio ipſorum, ut quantumcumque habeant, nihil reputent
ſe habere *cap. Quia in tantum, & cap. Avaritia, ſupra de
præbend.* Verùm litera hunc poſteriorem intellectum non
recipit, quia copula, *Et*, inſinuat alios eſſe Clericos, alios
pauperes Chriſti, ad gloſſ. in Extravag. *Suſcepti, in ver.
Vel electio, de elect.* In uno tamen Terraconen. & apud Guliel. particula *Et*, non legitur, ut refert Anton. Auguſt. in
*notis ad primam Collect. Decretal. lib.*3. *tit.*36. *cap.*4. Poſſet
& tertio loco hæc littera non incongruè intelligit de Hoſpi- 19
talibus, quorum bona pauperum Chriſti uſibus ſunt deputata, ut in *Clement. Quia contingit, de Religioſ. domib.* hæc
enim, ſicut & bona Eccleſiarum, collectari non poſſunt,
ut *l. Omni, C. de Epiſcop. & Cleric.* Anton. de Butr. *conſ.*40.
*Statuto civitatis n.*2.
Octavò, nota ibi, *Sub anathematis diſtrictione*, hæc verba 20
non importare canonem latæ ſententiæ, ſed ferendæ. Quod 21
evidenter probatur hìc: nam cùm textus paulò infrà excommunicet per illa verba, *Excommunicationi ſe noverint ſubjacere*, quæ important excommunicationem ipſo jure, ut
hìc per Butr. *n.*9. Cardin. *n.*7. & Abb. in *ult. notab.* hoc apertè ſupponit pœnam excommunicationis anteà fuiſſe comminatam, non autem inflictam, ut advertit Jo. Andr. in diviſione text. cum quo Butr. Card. Anchar. Abb. & alii tranſeunt. Sed Hoſtien. contra *n.* 9. dicens prædicta verba eſſe
latæ ſententiæ, cui ſuffragatur *c.* 1. *De locato, c. Cùm eſſet, de
teſtam. c. Relatum, de jure patr. c.* 1. *de pignor. & c. Salonitanæ, 61. diſt.* Sed primum verius, ſecundum Jo. Andr. *hic n.*4.
Butr. *n.*5. Cardin. in 8. *notab.* & ipſummet Hoſt. ſibi contrarium *n.*12. *in ver. Commoniti.* Ad hoc *c.* 1. & ibi gloſſ. *ult.
de ſagitar.* Generaliter autem ut ſcias, quæ ſint verba latæ
ſententiæ, vel ferendæ, conſule Felinum caſus plurimos cumulantem in *c. Rodulph. à n.* 24. *ſupra de reſcriptis.*
Nonò nota in *verſ. Niſi*, & obſerva diligenter plura eſſe 22
neceſſaria ad hoc, ut Clerici licitè ſolvant collectas, & impoſitiones laicorum.
Primò enim requiritur, ut Epiſcopus ſimul & Clerus ſu- 23
per hoc deliberent, & conſentiant, ut patet ex littera, ibi,
Epiſcopus, & Clerus. Unde hoc non poteſt Epiſcopus ſine
Cle-

Clero, nec Clerus ſine Epiſcopo; cum copula, *Et*, in textu Poſita requirat concurſum utriuſque copulati, *l. Si quis iſta ſtipulatus*, & ibi Bart. *ff. de verb. oblig.* Ideoque Butr. hic *n. 6.* Nota, inquit, caſum in quo Epiſcopus in diœceſi ſua non poteſt aliquid agere ſine conſenſu Cleri, id eſt, quando agitur de collecta imponenda pro ſubſidio laicorum: & in hoc conveniunt Jo. Andr. Card. Abb. & omnes ſupra in ſummario text dum dicunt, Epiſcopus cum Clero, &c. & probatur apertiùs *in c. Adverſus inf. eod.* ubi refertur diſpoſitio hujus Canonis, & text. dicit, Epiſcopus ſimul cum
24 Clericis. Quo fit, ut nec cum Capitulo Epiſcopus id poſſit, quia in tangentibus totum Clerum non ſufficit Epiſcopum habere conſenſum ſui Capituli; ſed oportet, ut interveniat conſenſus Cleri, facit Clem. 1. *& 2. de cenſ.* & hic tenet Abb. *num.* 5.

25 Secundò requiritur, ut evidens utilitas, vel neceſſitas ſubſit, ut probatur ex verbis textus, ibi, *Tantam neceſſitatem, vel utilitatem aſpexerint*, ut hìc per Butr. *n.* 8. & Card. *in 9. not.* Imò cùm text. dicat, *Tantam*, non ſufficit quælibet neceſſitas, ſed requiritur maxima, ſecundum Abb. *hic n. 5. ver. Secundo requiritur*, & pendet ex arbitrio Epiſcopi cùm Clericis hoc judicare, cùm text dicat, *Aſpexerint*, ut hìc notat gl. *in ver. Tantam*, concordat *c. Adverſus, infr. eod.* ibi, *Tantam neceſſitatem, vel utilitatem perſpexerit.*

26 Tertiò requiritur, ut hujuſmodi neceſſitas, vel utilitas ſit communis, videlicet tam laicorum, quàm Clericorum, ut probatur in litera ibi, *Ad relevandas communes utilitates, vel neceſſitates*, quæ verba reperiuntur etiam *in d. cap. Adverſus*. Non enim eſt audiendus Petr. de Anch. hìc *n. 8.* qui putavit hæc jura loqui in eo tantùm caſu, in quo laici pro communibus neceſſitatibus ſuis dumtaxat volunt, ut Clerici contribuant, ut colligit ex litera ibi, *Iſti vero onera ſua*: & ibi, *Qualibet ſibi arbitrentur*: necnon ibi, *Communes utilitates*, ſcilicet laicorum tantùm; non autem ubi verſatur utilitas communis tam laicorum, quàm Clericorum, quia tunc non habent locum iſta capitula, ſecundum eum. Unde dat generalem doctrinam, quòd ubicumque tractatur de communi utilitate laicorum, & Clericorum ſimul, & permixtim Clerici teneantur contribuere ſimul cum laicis, puta ad aggeres, qui fiunt juxta mare, vel flumina propter timorem inundationis agrorum, ad evitandum rapinas, incendia, captivitates, & alia his ſimilia. Quandoquidem Anchar. opinionem uberrimè atque optimis fundamentis confutat, & objectis reſpondet Abb. hìc *n. 18. verſ. Ego in hac civitate Senarum*, evidenter oſtendens hæc Capitula eſſe neceſſariò intelligenda, ubi neceſſitates ſunt Clericis, & Laicis communes, & nihilominùs ad eas relevandas Clericos non modò non teneri contribuere ſed nec poſſe ſubſidia conferre niſi concurrentibus requiſitis hujus cap. *& d. c. Adverſus*, ſubdens hanc opinionem habere ſequaces utriuſque juris illuminatores, nec ab illa eſſe recedendum in practica, pro qua etiam aſſerit ſe conſuluiſſe in civitate Senarum; & habetur illius reſponſum *in 2.*
27 *par. conſ.* 3. Sed præter conſiderationes Abbatis, quòd hic text. in verb. *Communes*, debeat neceſſariò intelligi de neceſſitatibus communibus tam Clericis, quàm Laicis, ego ſic
28 oſtendo evidenter. Nam text. ad demonſtrandam Clericorum immunitatem à collectis Laicorum utitur Hiſtoria *Geneſ. 47.* ubi Joſeph Prorex Pharaonis pre magnitudine famis ſubjecit ipſi, ac tributariam fecit univerſam terram Ægypti, præter terram Sacerdotum, quæ libera ab hac con-
29 ditione fuit. Ecce igitur agebatur tunc de neceſſitate, quæ procul dubio erat communis & Sacerdotibus, & Laicis; nam ut legitur in ſacro textu in toto orbe panis deerat, & oppreſſerat fames terram, maximè Ægypti; & nihilominùs Sacerdotes fuerunt in priſtina libertate dimiſſi. Ergo his text. qui hujuſmodi exemplo innititur, neceſſariò intelligi debet procedere, ubi neceſſitas eſt communis ſimul Laicorum & Clericorum, non autem Laicorum tantùm, ut malè intelligit Anchar. Exemplum enim declarat diſpoſitionem de ſimilibus eſſe intelligendam, *l. 1. §. Quod vulgò, ff. de vi, & vi armat.* & notat Bart. *in l. Scire, §. Oportet, il 2. n. 7. ff. de excuſat. tutor.*

30 Quartò requiritur, ut ad relevandas communes utilitates, vel neceſſitates; Laicorum facultates non ſufficiant, ut conſtat ex illis verbis textus; Ubi Laicorum non ſuppetunt facultates: quæ repetuntur etiam *in c. Adverſus infra eod.* Et ita Clerici non concurrunt, niſi in ſubſidium, ut hìc per Abb. *n. 4. verſ. Tertiò*, & conſentiunt omnes. Rationem aſſignat egregiè idem Abbas *hic numer. 18. verſ. Probatur quartò*. Et eſt ſimile quod poſui *in c. Pervenit, num. 13. ſupra eod.*

Quintò requiritur, ut contributio ab Eccleſiaſticis fiat 31
ſponte, & ſine aliqua exactione, vel compulſione, ut probat litera ibi, *Abſque ulla exactione*, & alia littera, quæ habet, *Abſque ulla coactione*: ſic enim habent vetus Gregoriana compilatio, Concilium Lateranen. Gulielin. & unus Tarraconen. ut refert Ant. Aug. *in notis ad 1. collect. Decret. lib. 3. tit. 36. c. 4.* Et intellige, ſine una coactione, ſcilicet laicali, prout exponit Hoſt. *n. 2. in verb. Coactione*. Ad hoc enim Clerici non ſunt per Secularem, ſed per Eccleſiaſticum Judicem, de cujus foro ſunt perſonæ, licèt res ſint de foro laici, compellendi, ut formaliter inquit idem Hoſtienſis *num. 11.* Jo. Andr. *nu. 8. in fin.* & ſequuntur alii: & propterea *in d. c. Adverſus, infra eodem*, cautum eſt, ut laici humiliter, & cum gratiarum actione recipiant ſubſidia, quæ Clerici duxerint conferenda: quæ verba excludunt apertè quamcumque exactionem, & coactionem judicis ſæcularis.

His quinque requiſitis addi debet ſextum à Concilio ge- 32
nerali ſub Innoc. III. inductum in præalleg. *c. Adverſus*, videlicet, ut Romanus Pontifex priùs conſulatur; alias enim Clerici non debent communibus neceſſitatibus ſubvenire, etiamſi laicorum facultates non ſuppetant, ut ibi eſt caſus ſecundùm omnes, & dicam infra *n. 52.*

Decimò nota ibi, *commoniti deſiſtere noluerint*, hoc ju- 33
re inſpecto Concilii Lateranenſis, laicos collectantes Eccleſias, vel Clericos, aut Prælatorum juriſdictionem impedientes non incidere in excommunicationem latæ ſententiæ, niſi priùs fuerint moniti, & poſt Canonicam monitionem ſe non correxerint, ut hìc patet, & notant gl. *in verb. Commoniti*, Hoſt. *n. 12. in eod. verb.* Abb. *n. 7.* & cæteri omnes. Nec requiritur hoc caſu trina monitio, ſed ſuf- 34
ficit unica, præſertim quia hic Canon editus eſt in favorem Eccleſiarum, & odium Tyrannorum, quorum aliqui adeò ſunt terribiles, ut nec facile ſit eos tertiò monere: nam ſtatim atque monentur, appellant, nec audent Epiſcopi cenſuras fulminare, timentes forſan plura perdere: unde providè cavetur, ut ſufficiat una monitio, ſecundùm Hoſt. *ubi ſup.* cui conſentiunt Jo. And. *n. 10.* Butr. *nu. 8. in verb. Commoniti*, Anch. *in. not.* Abb. *n. 6.* & alii communiter, licèt Abb. Antiq. requirat trinam.

Non obſtat *c. Clericos, §. Nos igitur, infr. eod. lib. 6.* ubi laici exigentes collectas ab Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis, & illorum fautores ipſo facto excommunicantur. Etenim Conſtitutio illa Bonif. VIII. cum ſua declaratione fuit revocata per Clem. V. in Concilio Viennenſi, ut in Clem. 1. *de immun. Eccleſ.*

Item non obſtat *c. Quamquam de cenſib. lib. 6.* quoniam 35
non loquitur in imponentibus collectas; ſed in exigentibus pedagia, qui ſunt ipſo facto excommunicati, ut ibi, & in Clem. *Præſenti, eod. tit.* & notat Abb. *hic n. 7.*

Sed hodie ex Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi con- 36
ſuevit, *§. 18.* exigentes, vel imponentes collectas ab Eccleſiis, vel perſonis Eccleſiaſticis, etiamſi Imperiali, vel Regali dignitate præfulgeant, ſunt eo ipſo excommunicati: ac ſimiliter impedientes Prelatos, quò minùs ſua juriſdictione utantur, excommunicati ſunt per Decretalem, *Quoniam, inf. eod. lib. 6.* & per Bullam Cœnæ, §. 16. Unde hoc cap. tam quoad collectas, quàm quoad juriſdictionem reſpectu monitionis ſervari non debet.

Ultimò nota ibi, *Nec communioni reddantur*, abſolutio- 37
nem ab excommunicatione, in quam incidunt laici collectantes Eccleſias, non eſſe Sedi Apoſtolicæ reſervatam, cùm conditor hujus Canonis illam ſibi non retinuerit, *c. Nuper inf. de ſent. excom.* Hoſt. *hic in fin.* Hodie dic contra, non ex *c. Clericis, inf. eod. lib. 6.* quod eſt correctum per Clem. 1. *eod. tit.* ſed ex Bulla Cœnæ, §. 22.

QUÆRO, an Clerici teneantur ad contributionem ga- 38
bellæ pro annona civitatis impoſitæ.

Cauſa, propter quam impoſita eſt hujuſmodi gabella, re- 39
ſpicit pietatem, & communem utilitatem: nulla eſt enim major pietas, quàm pauperes, & patriam ſublevare, *cap. Fortitudo, c. Non inferenda, 23. qu. 3* & cùm Clerici ſint 40
membra Reipublicæ, *c. Duo ſunt genera 12. quæſt. 1.* Bald. *conſ. 241. Verba Capituli in fin. vol. 3.* Oldrad. *conſ. 32. Quæſtio eſt utrum Sacerdos cenſeri poſſit, ac debeat de univerſitate per tot.* naturalis ratio poſtulat, ut Reipublicæ indigen-

genti opem ferant; utilitas itidem eſt communis, cùm ex vilitate annonæ tam Clerici, quàm Laici commodum ſint ſenſuri: unde videntur etiam Clerici teneri ad contributiones. Primò, quia æquum eſt eos ſentire onus, qui commodum ſentiunt, *Clem. 1. de cenſ. l. Secundum naturam, ff.*
41 *de reg. jur.* Quam rationem ſæpè ad hoc propoſitum DD. inculcant. Secundò, per text. *in l. Ad inſtructionem, Cod. de Sacroſ. Eccl.* quo probatur Eccleſiam teneri ad inſtructionem viarum, & pontium, quia ex eis etiam Clerici commodum reportant. Itemque videtur probari *in c. 2. ſupra*
42 *eod. & in hoc cap.* in illis verbis, *Ad relevandas communes utilitates*, quæ repetuntur *in cap. Adverſus inf. eod.* Tertiò eſt communis opinio Legiſtarum *in d. l. Ad inſtructionem*, ubi Cyn. Dyn. Oldrad. Iacob. de Aren. & poſt eos Alberic. *n. 3.* & Bald. ibid. contra gloſ. tenent pro conſtruendis, vel inſtaurandis muris, fontibus, & ſimilibus ad communem utilitatem ſpectantibus, promiſcuè teneri tam Clericos,
43 quàm Laicos; quam opinionem ſequutus eſt Bart. *in l. Nullus, C. de curſu public. lib. 12* dum ex illo textu notat Clericos teneri ad collectam impoſitam ad redimendam vexationem & incurſionem hoſtium, qui patriam deprædari volebant: & opinio Bart. communiter approbatur, Rip. poſt Jaſ. *in reſp. 168. nu. 7.* cum prædictis concordant Guid. Pap. *q. 78. n. 1.* Bald. *conſ. 246. & 312. in 3. vol.* Jacob. de Alchiarot. Parpal. Corn. Bertand. Alex. citati per Decian. *conſ. 14. n. 16. vol. 1.* ubi de communi teſtatur Barb. *conſ. 1. colum. 28. propè med. vol. 3.* ubi etiam de communi Alciat. *in d. l. Ad*
44 *inſtructionem, in ver. Itinerum.* Imò hęc videtur etiam communis opinio Canoniſtarum, quam tenuit Petr. de Anch. *hic num. 8.* qui tradit generalem doctrinam, quòd ubicumque tractatur de communi utilitate Clericorum, & Laicorum, etiam Clerici contribuere tenentur, & pro hac parte idem Anchar. conſuluit, ejuſque conſ. ſe ſubſcripſerunt Ant. de Butr. & Bart. de Salyc. ſe tamen ſubjicientes judicio S. R. E. ut refert hìc Jo. de Anan. *nu. 10 & 11.* & fuit originaliter opinio Philippi, & aliorum quatuor DD. antiquorum, quos ſequi videtur Archid. *in c. Juxta ſanctiorem 16. q. 1. circa medium*, Innoc. & Cardin. hic, Bernard. relat. per Albert. *in d. l. Ad inſtructionem, num. 3.* & de communi teſtatur Barbat. *in loco ſupracit.* Rip. *reſp. 167. num. 5.* Decian. *d. num. 19.*

45 Cùm ergo Clerici teneantur contribuere in communibus neceſſitatibus, & utilitatibus, ſequitur, ut obligati ſint ad ſolutionem gabellæ, quę pro talibus neceſſitatibus imponitur: nam ad collectam tenentur omnes illi, qui oneribus, in quorum locum collecta ſucceſſit, gravari poterant, Rip. *d. reſp. n. 4.* Natt. *conſ. 311. n. 4. propè fin.*

Contraria opinio, ideſt Clericos non teneri pro gabella impoſita ex cauſa prædicta, probatur primò in hoc cap. ubi agitur de communibus utilitatibus, & neceſſitatibus Laicorum, & Clericorum, & in ſpecie de neceſſitate annonæ, ut oſtenſum eſt ſupra *n. 26. & 27.* & nihilominùs prohibetur quicquam exigi à Clericis, niſi cum conditionibus ibi poſitis, & *in c. Adverſus, infr. eod* ſcilicet Epiſcopo, & Clero approbante, & ubi Laicorum facultates non ſufficiunt, abſque ulla exactione laicali, ac Romano Pontifice priùs conſulto.

Secundò, quia exemptio conceſſa Clericis, tam jure divino, ut dixi ſupra *in 2. not.* quàm jure humano, *per c. 1. ſupr. eod. l. Placet, C. de Sacroſ. Eccl. c. Quamquam, de cenſib. lib. 6.* & Clem. *Præſenti, eod. tit.* Auth. *Nulla Communitas, C. de Epiſc. & Cler.* redderunt eluſoria, & Clerici eodem jure cum Laicis cenſerentur, ſi tenerentur contribuere ob
46 communes neceſſitates. Nam ad impoſitiones Clericorum Laici quoque non tenentur, niſi recipiant communes neceſſitates, vel utilitates, Imol. *in c. Romana, de cenſ. lib. 6.* quem refert Dec. *in loco ſupracit.* Ergo niſi dicamus Clericos non teneri, etiam cùm utilitas eſt communis, tot jura exemptionem Clericis tribuentia erunt ſupervacanea, & nulla erit differentia inter Clericos, & Laicos.

47 Tertiò, bona Eccleſiarum ſunt deputata publico uſui ſpirituali *d. l. placet, C. de Sacroſ. Eccl.* & ideò Laici, quorum utilitas principaliter conſiſtit in Republica mundana, debent ſubire onera Reipublicæ mundanæ: bona verò Eccleſiarum, quæ ſunt Dei, debent tantùm deſervire publico uſui
48 ſpirituali, Clem 2. *Quia contingit de relig. domib.* Hanc ſententiam his, & aliis rationibus diligentiſſimè tuetur Abb. *conſ. 3. Caſus ſuper quo, vol. 1.* quod inſerit ad verbum hic *n. 18.* cujus fundamentis adde, quod dixi *n. 27.* Nec deſunt auctoritates, quæ opponantur authoritatibus ſupra in contrarium relatis: nam pro hac ſententia citatur gloſ. penult. *in d. l. Ad inſtructionem relat.* per Abb *ubi ſup. n. 2.* & Bart. *eod. num.* quæ dicitur ſentire Clericos non teneri conferre ad conſtructionem murorum civitatis. Item pro hac parte adducitur Bart. *in d. l. Ad inſtructionem n. 3.* dum tenet *d. l. Ad inſtructionem*, eſſe correctam, aut ſaltem declaratam per Auth. *Item nulla Communitas, C. de Epiſ. & Cler.* ſubdens, ſi eſt onus reale, ut puta quia ſtatuitur quemlibet debere reficere viam ante domum ſuam, Eccleſiam teneri: ſi verò eſt onus, quod imponitur perſonæ pro rebus, ut pro faciendo viam, vel pontem, & non teneri Eccleſiam; & ſic etiam in caſu, in quo utilitas eſt communis: Allegatur etiam gloſſa juris Canonici *in c. Generaliter, §. Novarum, in ver. Collationibus, 16. q. 1.* quę tenet *d. l. Ad inſtructionem*, quæ gravat Clericos pro utilitate communi, non valere, cum gl. ſentit Jo. Monach. relatus per Alber. *d. l. Ad inſtructionem n. 3.* Hoſt. *in ſumm. tit. de immunitat. Eccl. §. Quibus muneribus, verſ. Ego puto*, Anton. de Butr. (licèt pro contraria ſententia citetur à Deciano) *in hoc cap. Non minus n. 10.* Jo. Andr. hic *n. 14* quem refert, & ſequitur Abb. *in d. conſ.* ubi dicit, neminem auſurum ab hac opinione in practica diſcedere, quam tenent utriuſque juris illuminatores. Et hanc eſſe communem opinionem Canoniſtarum teſtantur Ang qui Jo. de Lignan. pro hac parte citat in ver. *Immunitas num. 33.* & Silv. *Immunitas, primo num. 20.*

Ex præmiſſis patet utramque opinionem rationibus, & authoritatibus eſſe munitam, nec deeſſe DD hinc inde de communi atteſtantes. Verùm cùm non ſit ſtandum DD. de communi opinione atteſtantibus, utriuſque opinionis authores ponderandi ſunt, ut appareat, quæ ſit verè communis opinio tam apud Doctores juris civilis, quàm Canonici.

Quo ad DD. juris civilis non videtur dubitandum, quò minus communis opinio ſit contra Clericos, ut patet ex Authoribus ſupra citatis, & preſertim Dyn. Cyn. Bald. Jacob. de Aren. Alber. Guid. Pap. Corn. & aliis congeſtis per Dec. *d. conſ. 14. n. 19. vol. 1.* præſertim quia gloſſa juris civilis, & Bart. ſupra pro Clericis citati, revera pro negativa numerari nō poſſunt: nam quoad gl. etſi citetur à Bart. Albert. & aliis *in d. l. Ad inſtructionē*, pro ea opinione, quòd Clerici non teneantur ad refectionem murorum; tamen non comperio gloſſam id tenere, imò ibidem inſinuat contrarium; quærit enim, an Clerici teneantur ad reficiendos muros civitatis, & non dat expreſſam ſolutionem, ſed refert ſe ad ea, quæ habentur *in l. fin. Cod. qui muner. ſe excuſ. lib. 10.* In quo textu cùm Imperator diſponat neminem excipiendum eſſe à conſtructione murorum, quamvis perſonali dignitate præfulgeat, ſequitur, ut gloſſ. ad illam legem ſe referens, ſentiat etiam Clericos teneri. Unde mirum eſt Doctores aliter gloſſam citare, niſi dixeris gloſſam ſe non referre ad textum *in d. l. fin.* ſed ad illud, quod ibi dixit in gloſ. 1. ubi tenuit pro Eccleſia. Vel niſi fortè gloſſa, quam ipſi citant, eſſet Joannis antiqui gloſſatoris, qua ſublata, fuerit poſteà reſtituta gloſſa Accurſii illi contraria. Quod ita ſe habere ſuadet conjectura deſumpta ex verbis Anton. de Butr. hìc *num. 20.* ubi refert in noſtra quæſtione Joannem ſentire, quòd Clerici non teneantur: Accurſium verò eſſe in contraria ſententia; licèt credam Butr. intelexiſſe de Joan. Theutonico Decreti Gloſſatore, qui hoc tenuit *in d. cap. Generaliter, §. Novarum, in verb. Collationibus 16 quæſt. 1.* Verùm etſi gloſſa *in dict. l. Ad inſtructionem*, pro Clericis ſentiret; tamen non poſſet haberi ratio authoritatis gloſſæ, cùm *in l. Placet, C. eod. in verb. Munerum*, ſentiat contrarium: ibi enim cùm dixiſſet Eccleſiaſticos non teneri ad angarias, & perangarias, ſubdit, niſi imponatur cauſa neceſſitatis, & utilitatis publicæ; & ſic gloſſa vel non dicit id, ad quod allegatur, vel contraria loquitur, & ita nihil ponderis habet in noſtra quæſtione: Bart. quoque quamvis *in l. Ad inſtructionem*, teneat opinionem favorabilem Eccleſiæ, tamen *in l. Nullus ſupracit.* contrarium ſentit. Unde cùm gloſſa, & Bart. pro Eccleſia, parum, aut nihil faciant, videtur conſtare apud DD. juris civilis non ſolùm opinionem affirmativam eſſe communem, ſed nullum ferè habere contradictorem.

Quoad Canoniſtas item ſententia affimativa videtur magis communis, cum pro ea ſtent Bern. Archid. citans alios quatuor DD. antiquos, Innoc. Card. Anchr. Joan. de Anan.

Anan. & Barbat. ſupracit. & Turrecr Franc. & alii allegati per Decian. *in d. conſ.* 14. *n.* 19

Ex his autem, qui tenent negativam, gl. juris Canonici *in d. §. Novarum*, non videtur eſſe alicujus ponderis, cùm illi adverſetur alia gloſ. *hic in verb. Relevandas;* ſed neque Hoſt. quia etſi in ſumma teneat opinionem negativam, tamen in lectura tenet affirmativam, *ſcilicet in hoc c.* Unde pro hac opinione videntur ſolùm numerandi Jo. And. Ant. de Butr. Jo. Mon. Ang. & Silv.

Mihi circumſcriptis authoritatibus in puncto juris verior videtur opinio favens Eccleſiæ, per rationes ſuperiùs adductas, & alias quas tradit Abbas *d. conſ.* 3. quibus neminem video ſufficienter reſpondiſſe: & quamvis Dec. dicat Barbat. reſpondere rationibus Abbatis; tamen ſi rectè perpendatur, minimè eis reſpondet; quia Barbatia conſuluit in caſu, quo res erant affectæ onere reali gabellæ, antequam ad Eccleſiam pervenirent: & quamvis teneat contra Abbatem, etiam cùm agitur de novo onere imponendo; hoc tamen non facit ad caſum, de quo erat conſultus.

49 Ad rationes autem, quibus adverſa opinio fulcitur, facilis eſt reſponſio: nam quoad primam, quamvis Clerici ſint membra Reipublicæ, tamen cùm omnia membra non eumdem actum habeant, ut Apoſt. ait *ad Rom.* 12. Clerici tenentur quidem ſubvenire Reipublicæ indigenti, & patriam ſublevare, ſed in præcipuo eorum actu, & miniſterio, *c. Singula 86. diſt.* ideſt in divinorum officiorum celebratione, in predicatione Verbi Dei, in Sacramentorum adminiſtratione, & aliis hujuſmodi, quorum ratione divino, & humano jure exempti fuerunt ab exactionibus ſecularibus *d. c. Quamquam de cenſ. lib. 6. c. 1. & 3. ſup. eod. cum concord.* Et quemadmodum laici, quamvis, & ipſi ſint membra corporis myſtici Eccleſiæ, non tamen tenentur præſtare Epiſcopo Cathedraticum, vel charitativum ſubſidium, aut procurationem, vel ſimilia onera obire, quæ ad Eccleſiaſticos ſpectant, *c. Conquerente*, ubi not. *de off. Ord.* Abb. *conſ. 26. Videtur primò n. 3. verſ. Item dico lib. 2. & eod. conſ. 3. in princ. in 1. & 2. dub.* ita è converſò nec Eccleſiaſtici ſubire debent onera ſæcularibus incumbentia; qua quidem ratione tametſi laici teneantur ſumere arma pro defenſione patriæ ab hoſtibus obſeſſæ, *l. Ex hoc jure*, ubi notatur, *ff. de juſt. & jur.* tamen Clericis in propria perſona pugnare non licet etiam pro patriæ defenſione, *c. Petitio*, & DD. *de homi.* S. Th. *in 2. 2. q. 4. art. 2. ad 2.* quia Cleri eorum arma ſunt lacrymæ, *c. Cleric. qui in quacumque 23 q. 8.* & eorum officium reddit eos inhabiles ad pugnandum, *c. Ex multo in fin. de vot.* Alioquin ſi Clerici ex eo, quòd ſint Reipublicæ membra, tenerentur univerſa Reipublicæ onera perinde ac laici ſubire; longè deterioris eſſent conditionis, quàm laici ipſi, quia præter contributiones, ad quas laici tenentur, obſtricti etiam eſſent ad onera, ac ſubſidia Epiſcopo, atque Eccleſiæ debita, atque ad alia ſpiritualia, à quibus laici immunes exiſtunt. Unde etiam ceſſat objectum de onere cum commodo jungendo, quia Clerici etſi onera gabellarum non ſentiant, gravantur, tamen aliis oneribus ſpiritualis regiminis, cui deſtinata ſunt bona Eccleſiarum; & ita ſi gravantur in uno, æquum eſt ut in alio releventur.

50 Ad ſecundum reſpondetur optimè per Abb. text. *d. l. Ad inſtructionem* & alios ſimiles conditos à ſæcularibus Principibus non valere in prejudicium Eccleſiæ, ad tradita *in c. Eccleſia S. Mariæ, de Conſtitut.* preſertim cùm de Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis expreſſam mentionem faciant; quo caſu ſunt nullæ ex defectu poteſtatis, DD. *in d. Eccleſia S. Mariæ;* quæ reſponſio eſt apertè Jo. Andr. *hic n.* 14. dicentis: (Non video, quòd lex non ſolùm Digeſtorum, ſed etiam Codicis, & Authenticorum poſſit conſtringere Eccleſias ad talia;) remittit ad id, quod dixi *in c. Conſtitutus*, ſuper gl. *Hoc ideo, de relig. domib.* & ſequitur hic Ant. de Butr. *n.* 10. & Abb. *n.* 18 & 20. dicens hanc eſſe communem theoricam *in c. fin. de ſolut. & in d. c. Eccleſia S. Mariæ*, ubi plenè dixi *à n.* 17. poſt Dec. *n.* 42. & adde quod dixi ſupra *n.* 17. & quod dicam infra *n.* 53 & 59.

51 Nec verum eſt, quod ait Dec. *d. conſ.* 14. *n.* 20. videlicet text. *in d. l. Placet, C. de Sacroſ. Eccl.* per quem datur immunitas Eccleſ. à collectis, & excipiuntur communes neceſſitates, eſſe approbatum *in c. Placet 16. q. 1.* Quandoquidem cùm illa lex ſolùm fuerit volumini Decreti inſerta à Gratian. non aliam habet authoritatem, quàm priùs habebat, ut notat Jo. Andr. *in c. 2. nu. 24. ſup. de reſcript.* & in Addit. ad Specul. *in tit. de appell. §. In quibus, verſ. Sed pone:* nam illæ tantùm leges cenſentur canonizatæ, quæ à Papa Canonibus inſeruntur ut *in c. In primis*, & ibi notat gl. *in verb. Capitali 2. q. 1.* Jo. Andr. *in d. c. 2. n* 25. quem DD. ibi communiter ſequuntur, Prep. *in proœm. Decret. n. 2.* poſt Arch. *in c. Quicumque 11 q. 1.* Rota *dec. 35. n. 59. p. 5. rec.* Itaque opinio affirmativa nititur majoribus authoritatibus; negativa autem melioribus rationibus. Et ideò videtur amplectenda opinio favorabilis Eccleſiæ, quæ etiam authoritatibus non caret, ad text. *in l. Sunt perſonæ, ff. de relig. & ſumpt. funer.* ita tamen eam moderando, ut Clerici non teneantur ad hujuſmodi gabellas, niſi infraſcripta concurrerent, videlicet deliberatio Epiſcopi, & Clerici evidens utilitas, & neceſſitas tam laicorum, quàm Clericorum; ut laicorum facultates non ſupperat; ut exactio non fiat à judice ſæculari, & ut obtenta ſit licentia à Romano Pontifice. Quæ opinio cum his requiſitis probatur irrefragabiliter, non cavillando literam, in hoc c. & *in c. Adverſus inf. eod.* ut latè deduxi ſupra *in 9. not. à n. 22. uſque ad n.* 33. & ita declarant hic Ant. de Butr. *n.* 8. Abb. *n.* 5. & Jo. de Anan. *n.* 3 cum quibus conveniunt omnes ſupracitati DD. dicentes Eccleſias non teneri.

Imò ex his, qui allegantur pro opinione affirmativa, 52 multi dicunt Rom. Pontific. eſſe conſuluendum, ut hic *n.* 8. Philipp. quem ſequi videtur Arch *d. c. Juxta ſanctionem propè fin.* Hugo, & Goffred. relati ab eodem Arch. *in c. Placet*, 16. *q.* 1. ubi cùm text. prohibeat quidquam exigi à Clericis præter Canonicam illationem, interpretantur ea verba Canonicam illationem, cùm ſit contributio pro neceſſitate, & utilitate, *juxta c. Adverſus inf. eod.* & ſic conſulto Rom. Pontif. ut ibi text. ille requirit, Jo. And. & Jo. de Anan. hic *n.* 3. Cald. *conſ. 2. incip. Statuto Peruſino n. 3. ver. Reperio de cenſ.* dicens poſt Jo. And. nulla lege Digeſtorum, 53 vel Codicis potuiſſe ad hoc adſtringi Eccleſias; ideòque ſi ſi tanta eſſet neceſſitas, vel pietas, quæ ſuaderet contributionem fieri per Clerum, conſulendum eſſe priùs Rom. Pontificem, Jo. Monach. relatus per Alber. *in d. l. Ad inſtructionem n.* 3 Hoſt. *in ſumma in tit. de immun. Eccleſ. §. Quibus muner. verſ. Ego puto.* Itaque ut concludamus, ex ſupraſcriptis conſtat crebriorem opinionem eſſe tam apud Canoniſtas, quàm Legiſtas, Eccleſiam teneri; ſed eſſe conſulendum Romanum Pontif. id enim ſentiunt etiam multi ex his, qui putant Eccleſiam teneri, qui ſi conjugantur cum his, qui putant Eccleſiam non teneri, erit proculdubio hæc ſententia receptiſſima, ut inconſulto Rom. Pontifice non teneatur Eccleſia.

Quinimò ſi rectè expendatur Authores ſuperiùs relati, 54 videntur omnes in unam ſententiam convenire. Nam Legiſtæ, & Canoniſtæ illi, qui aſſerunt Clericos teneri, etſi generaliter loquantur, non tamen excludunt requiſita ad id neceſſaria, cùm de illis nullam faciant mentionem. Quando enim dicunt Clericos teneri contribuere pro communi neceſſitate, vel utilitate, cùm non explicent, ad quem ſpectet hujus neceſſitatis, vel utilitatis cognitio, hic caſus ab aliis pretermiſſus ſuppleri debet juxta tenorem hujus textus diſponentis eam cognitionem ad Epiſcopum, & Clericum pertinere, conſulto tamen Rom. Pont. *juxta d. c. Adverſus.* Et ſimiliter cùm Authores hujus ſententiæ non explicent, qualis, & quanta debeat eſſe neceſſitas, vel utilitas ſupradicta, ſaniori interpretationi intelligi debent, & reſtringi ad limites hujus c. ut ſcilicet ita demum intelligatur eadem neceſſitas, vel utilitas concurrere, ſi laicorum facultates non ſuppetant. Et ita in ſpecie obſervat accuratè Abb. *hic n. 18. circa fin.* dicens (Profectò ſi quis ponderat gl. iſtius *c. in verb. Ad relevandas*, non ſentit opinionem, quam prima fronte ſentire videtur. Nam illa gl. eſt hic poſita ſuper caſu excepto, ſcilicet quando Epiſcopus, & Clerus inſpicientes neceſſitatem, vel utilitatem laicorum, & Clericorum, voluit abſque coactione aliqua ſubſidia elargiri. Unde gl. iſta voluit potiùs exemplificare de hac neceſſitate, vel utilitate communi, quàm ponere caſum exceptum à diſpoſitione iſtius c.) Hæc Abb. Itaque Authores contra Eccleſiam conſtituunt quidem regulam affirmativam, id eſt Clericos teneri; quæ tamen intelligenda eſt recipere limitationem ſimiliter affirmativam, id eſt ſi concurrant dictorum Canonum requiſita; ne alioquin videantur decidere contra expreſſam illorum determinationem. E contra verò Authores pro Eccleſia conſtituunt regulam negativam, id eſt, Clericos non teneri; ſed hanc regulam deinde limitant

itidem

itidem negativè, ſcilicet niſi concurrant requiſita per Canones ſupracitatos. Quamobrem ſi conjungantur regulæ, & limitationes utrinque conſtitutæ ab utriuſque ſententiæ authoribus, liquidò conſtabit eos in effectu concordes eſſe. Idem enim eſt aſſerere Clericos non teneri, ſi concurrant requiſita, atque aſſerere Clericos teneri, niſi requiſita concurrant. Nam etſi diſſentiant in regula, conſentiunt tamen in limitatione quę illorum traditiones unit, & conciliat ad formam hujus Decretalis, *& c. Adverſus inf. eod.* & hoc modo intelligendo DD. ſupra allegata opinio pro Eccleſia ferè non habet contradictorem, quam etiam in praxi ſæpè vidimus obſervatam in graviſſimis caſibus.

55 Secundò QUÆRO, an Clerici teneantur, & cogi poſſint ad collectas, quę fiunt propter peſtem in locis, ubi peſtis graſſatur.

56 Videtur reſpondendum non teneri: nam etſi Ripa *in tract. de peſte tit. de remed. ad conſerv. ubert. n.* 229. quæſtione ad partes diſputata concludat ad collectas, quę ob peſtem imponuntur, teneri etiam habentes exemptionem generalem ab oneribus perſonalibus, realibus, & mixtis, dummodò tamen urgeat neceſſitas, & reſpectu Clericorum compulſio fiat ab Ordinariis Eccleſiaſticis; eique ſubſcribat Dec. *conſ.* 14. *n.* 24. *lib.* 1. tamen decidit articulum in terminis juris civilis tantum, & nititur hoc precipuo fundamento, quòd ubi agitur principaliter de utilitate publica tam laicorum, quàm Eccleſiaſticorum, Clerici tenentur concurrere, per text. *in l.* 1. *C. ut nem. lic. in empt. ſpec.*
57 *ſe excuſ. lib.* 10. *in l.* 2. *C. quibus muner. nem lic. ſe excuſ. eod. lib. & in l. Ad inſtructionem, C. de Sacroſ. Eccl.* quam ſecundùm communem opinionem dicit non fuiſſe correctam per Auth. *Item nulla, C. de Epiſc. & Cler.*

58 Verùm ſecundùm diſpoſitionem ſacrorum Canonum, quæ ſola attendi debet in hac materia immunitatis Eccleſiaſticæ à collectis, & oneribus laicalibus, non ſufficit communis utilitas laicorum, & Clericorum; ſed prætereà requiritur, ut laicorum facultates non ſuppetant, ut Epiſcopus cum Clero ſuper hoc deliberet, Roman. Pontifex, conſulatur, & exactio fiat per Ordinarium Eccleſiaſticum, ut patet in hoc c. *& d. c. Adverſus inf. eod.* & latè deductum eſt ſupra *in 9. not. à n. 22. uſq. ad n. 33. & n. 45. verſ. Contraria opinio.* Et ad fundamentum de communi utilitate ſatis reſponſum eſt *n.* 26. & 40. Itaque DD. qui ſentiunt ſolam communem utilitatem ſufficere ad hoc, ut Eccleſiaſtici ab Ordinar. locorum cogi poſſunt ad collectas pro neceſſitatibus publicis inductas hallucinantur, quod pertinet
59 ad juris Canonici diſpoſitionem. Nec obſtant jura civilia in contrarium adducta. Quoniam leges illæ, ſicut, & aliæ Imperiales, quę ſtatuunt in res, & perſonas Eccleſiaſticas, præſertim adimendo, vel limitando immunitatem illis jure Divino, vel Conſtitutione Eccleſiaſtica attributam, non valent ex defectu juriſdictionis, ſecundùm communem theoricam *in c. Eccleſia S. Mariæ, ſupra de Conſtit. & in c. fin. de ſolut.* ut teſtatur Abbas hic *n.* 20. & fuſiùs dixi ſupra *n.* 50.

Similiter non obſtat argumentum de bello ad peſtem,
quo utitur Ripa, quoniam in oppoſitum retorquetur: 60
nam quemadmodum Clerici non tenentur contribuere tempore belli, aut famis, in quibus terminis loquitur hoc cap. ita nec tempore peſtis ex ipſa vi equiparationis, quàm facit Ripa *ubi ſup. n.* 230. *& in prælud. n.* 9. poſt Bart. *in leg. Naturaliter, ff. de uſucap. & in leg. 1. ff. de bon. poſſ. ex teſtam. milit.*

Prætereà conſiderandum eſt, ſi ullo unquam tempore 61
Clerici potiri debent privilegio immunitatis à collectis, id potiſſimùm eſſe, cùm peſtis graſſatur, quia ipſi ſunt, qui tunc ferunt pondus diei, & æſtus, & exponunt ſe evidenti mortis periculo, curam animarum exercendo, Sacramenta infectis labe adminiſtrando, cadavera ſepeliendo, & his ſimilia peragendo; itaut ſi gaudent exemptione tempore belli, multò magis gaudere debent tempore epidimiæ, quia dum bellum ingruit, laici pugnant, Eccleſiaſtici quieſcunt: at dum graſſatur peſtis, Eccleſiaſtici ſunt, qui pugnant laicis quieſcentibus. Peſtis enim eſt Bellum Dei, ut notant Bart. & ſcribentes *in l. Naturaliter, ff. de uſucap.* Butr. Abb. & Felin. *in c. Ex tranſmiſſa, de præſcr.* & Ripa *in tract. de peſte in prælud. nu.* 8. Exempla ſunt recentia in civitatibus Mediolani, Parmæ, & aliis non ita pridem peſtilentia infectis, ubi Parochi Regulares, & Sacerdotes ferè omnes obierunt. Itaque concurrunt Eccleſiaſtici cum ſuis oneribus tempore peſtis, nempè jejuniis, orationibus, Divinis Officiis, & Sacramentorum adminiſtrationibus, & his prẹſidiis ipſi primò civitatem cuſtodiunt, & hanc ob cauſam immunitatis privilegio donati ſunt, *c. Quamquam de cenſib. libr.* 6. & dictum eſt ſupra *n.* 49. & ſic ceſſat hoc caſu antiqua querela laicorum, quòd Eccleſiæ de die in diem ditantur, & laici ab oneribus ſtrangulantur, cùm Eccleſiæ non ſubeant onera perſonalia, nec mixta, nec aliqua extraordinaria, *l. Placet, C. de Sacroſ. Eccl.* & Auth. *Item nulla, C. de Epiſc. & Cler.* prout exorditur Bald. *conſ.* 246 *libr.* 3. relatus à Ripa *in d. titul. de remed. ad conſerv. ubert. n.* 234.

His etiam accedit, quod in caſu quęſtionis propoſitę nihil poteſt generaliter decerni; quia cùm una ex conditionibus requiſitis ad contributionem Eccleſiaſticorum ſit, ut laicorum facultates non ſuppetant, ut oſtenſum eſt ſupra *n.* 30 certum eſt non unam omnium civitatum, & populorum eſſe fortunam, cùm alii divitiis affluant, alii premantur egeſtate.

Quamobrem reſpondendum videtur Eccleſiaſticos non eſſe cogendos ad hujuſmodi contributionem, cùm non teneantur niſi volentes. Quòd ſi prævio tractatu, & deliberatione Epiſcopi, & Cleri, aſſenſum, præſtiterint, tunc Rom. Pontificem eſſe conſulendum: & ita reſolutum ex omnium ſententia in Congregatione habita coram Eminentiſſimo D. Card. Ginetio, cui interfuerunt RR. PP. DD. Epiſcopus Ripanus, Datarius Maraldus, Fagnanus, Paulutius Theologus, & Confeſſarius Sanctiſſ. 20. Septembris 1630.

DE IMMUNITATE ECCLESIARUM.

Innocentius III. Illuſtri Regi Scotiæ:

CAPUT VI.

INter alia: & infrà. Tuis quæſtionibus reſpondentes juxta ſacrorum ſtatuta Canonum, & traditione legum civilium, ita duximus diſtinguendum: quòd fugiens ad Eccleſiam, aut liber, aut ſervus exiſtit. Si liber quandocumque gravia maleficia perpetraverit, non eſt violenter ab Eccleſia extrahendus: nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam, ſed rectores Eccleſiarum ſibi obtinere debent membra & vitam. Super hoc tamen, quòd iniquè fecit, eſt aliàs legitimè puniendus. Et hoc verum eſt, niſi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum, qui dum itinera frequentata, vel publicas ſtratas obſidet aggreſſionis inſidiis, ab Eccleſia extrahi poteſt, impunitate non præſtita, ſecundùm Canonicas ſanctiones. Si verò ſervus fuerit, qui confugerit ad Eccleſiam, poſtquam de impunitate ſua, dominus ejus Clericis juramentum præſtiterit, ad ſervitium domini ſui redire compellitur etiam invitus: alioquin à domino poterit occupari.

S U M-

SUMMARIUM.

1 Malefactor fugiens ad Eccleſiam, immunitate gaudet, niſi in duobus caſibus: ſervus verò reſtituitur domino de ipſius impunitate juranti, & n. 10.

2 Leges civiles ſtatuentes ſuper immunitate Eccleſiæ quandoque allegantur à Papa in dubiis decidendis.
Et per hoc cenſentur canonizatæ, & non dicuntur ampliùs leges civiles, ſed Canones, n. 6.

3 Leges Imperatorum, ac Principum ſtatuentes nominatim de Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis, ac bonis eorum, ſunt invalidæ ex defectu poteſtatis, & n. 64.

4 Etiamſi redundent in favorem, & commodum Eccleſiarum, & diſponant in materia, in qua contrarium non reperitur ſtatutum de jure Canonico.

5 Eccleſia non poteſt etiam ſpontè ſe ſubmittere ſuperioritati, ac legibus Imperatoris.

7 Leges Imperatorum, dummodò non offendant, ſunt cum Canonibus permiſcendæ.

8 Immunitate Eccleſiaſtica reus ad Eccleſiam confugiens non eſt privandus propter quamcumque criminis atrocitatem.

9 Immunitatis privilegium, quod conſequitur liber homo ad Eccleſiam confugiens, in quibus conſiſtat, & nu. ſeqq. uſque ad n. 20

10 Reus ſi indebitè extrahatur ab Eccleſia, poteſt petere ſe eidem reſtitui.

11 Confugiens ad Eccleſiam damnari non poteſt ad mortem, vel aliam pœnam corporis afflictivam, & n. 17.

12 Judices ſæculares in perniciem animarum ſuarum proferunt ſententias capitales, vel corporis afflictivas in confugientes ad Eccleſias, vel ibi reſidentes, & num. ſeqq.

13 Confugiens ad Eccleſiam non poteſt criminaliter accuſari.
Nec in carcerem conjici, num. 19.

14 Poteſt tamen detrudi in Monaſterium ad agendam pœnitentiam, & num. 66.

15 Quod declara, & n. 96.

16 Item poteſt puniri pœna pecuniaria, & num. ſeq.
Item pœna exilii, num. 18.

17 Componere eſt pro damno dato, vel offenſa, vel injuria pecuniariter ſatisfacere.

20 Principes, & Prælati qualiter delinquant circa immunitatem Eccleſiaſticam.

21 Latro publicus immunitate Eccleſiæ non gaudet, & num. 49.

22 Et dicitur publicus latro, qui palàm, & publicè furatur.

23 Et idem eſt quod graſſator viarum.

24 Et tales occidere licet ſine pœna, & etiam ſine peccato.

25 Non tamen ſine irregularitate, niſi pro neceſſaria vitæ defenſione.

26 Item in tales omni die jus redditur.

27 Depopulator nocturnus agrorum non gaudet immunitate Eccleſiaſtica.

28 Et quis dicatur depopulator.

29 Immunitate Eccleſiæ non gaudet committens in ipſa Eccleſia homicidium, vel mutilationem membri, & num. 47.

30 Item nec aſſaſſinus, qui tamen extrahi non poteſt, niſi per judicem Eccleſiaſticum, & num. 99.

31 Item nec homicida proditorius, & num. 49. & 54.

32 Item nec hæreticus.

33 Item nec reus læſæ Majeſtatis in perſonam ipſiuſmet Principis.

34 Exceptio non firmat regulam in caſibus exceptis, quando alii caſus excipiuntur à jure, & n. 38.

35 Etiamſi exceptio ſit cum dictione taxativa.

36 Immunitate Eccleſiaſtica de jure civili non gaudent homicidæ, adulteri, & raptores virginum.

37 Secus de jure Canonico, cui ſtandum eſt, & n. ſeq.

38 Lex civilis non potuit reſtringere immunitatem Eccleſiæ, Dei ordinatione, & Canonicis ſanctionibus conſtitutam, & n. 64.

39 Immunitate Eccleſiaſtica gaudent fures.

40 Sacrilegi.

41 Blaſphemi.

42 Excommunicati.

43 Banniti.

44 Tranſeuntes per Eccleſiam, dum ad ſupplicium ducuntur, & n. 85. & 91.

45 Homicidæ animo deliberato, ſeu ex propoſito, an gaudeant immunitate Eccleſiaſtica.

46 Italia omnium provinciarum domina.

48 Intellectus cap. 1. de homicid.

49 Homicidium per inſidias exponitur, ideſt, proditoriè, & ſub ſpecie amicitiæ.

50 Homicida proditorius eſt, qui veneno aliquem necat.

51 Immunitate Eccleſiaſtica gaudent rei in omnibus caſibus non exceptis in Bulla Greg. XIV. etiamſi in illis ſit eadem, vel major ratio, quàm in exceptis, & n. 55.

52 Et quid in terminis juris communis.

53 Exceptio non excludit caſus ſimiles exceptis.

54 Immunitate Eccleſiæ non gaudet homicida inſidioſus, etiamſi non ſit publicus latro.

56 Immunitate Eccleſiaſtica an gaudeat delinquens in ipſa Eccleſia.

57 Et quid in confugiente ad Eccleſiam pro debito civili, & num. ſeq. & 81.

58 Mercatores, & campſores, qui in fraudem decoquendo creditores fallunt, in Hiſpania publici latrones appellantur.

59 Judæi, vel Pagani an gaudeant immunitate Eccleſiæ, & n. ſeqq uſque ad n. 65.

60 Judæorum ſepulchra gaudent immunitate.

61 Immunitatis privilegium non conceditur intuitu perſonarum, ſed propter honorem, & reverentiam, quæ locis ſacris, & divino cultui debetur, & n. 84.

62 Judæi ſub defenſione, & protectione Romanæ Eccleſiæ recepti ſunt.

63 Gentiles in lege veteri ſignificantur nomine advenarum, & peregrinorum, quando ponuntur ad differentiam filiorum Iſrael.

65 Confugiens ad Eccleſiam an in caſibus non exceptis poſſit extrahi per judicem Eccleſiaſticum, & n. ſeqq.

67 Eccleſia non præſumitur quem privilegiaſſe contra ſe.

68 Verba univerſalia negativa includunt etiam Eccleſiaſticos.

69 Impugnare non debet is, qui defendere debet, & n 85.

70 Clerici, & Religioſi an gaudeant immunitate Eccleſiæ, itaut non poſſint per judicem proprium inde violenter extrahi, latè diſcutitur, ut num. ſeqq. uſque ad num. 99.

71 Partem negativam qui Authores tenuerint.

72 Ejus fundamenta, & num. ſeqq. uſque ad n. 80.
Partis affirmativæ Authores, n. 78.
Ejus fundamenta, num. 80. & ſeqq.
Reſponſio ad objecta, num 84 & ſeqq.

73 Religioſi ſecundùm eorum inſtituta, & jura communia poſſunt per ſuperiorem in Monaſterio coerceri, verberari, & in carcerem detrudi, & num. 77.
Nec per hoc violatur Eccleſiæ immunitas, n. 93.

74 Epiſcopus judicat in Eccleſiis, vel in Palatio ſuo, & quandoque damnat Clericum ad perpetuum carcerem, quandoque ad verbera.

75 Clerici pro honeſtate Eccleſiæ debent in ea verberari per Clericum, & non per laicum, & num. 95.

76 Clerici debent eſſe ſancti, & in ſuis actibus relucere.

79 Conſuetudo favens immunitati Eccleſiæ, tamquam pia eſt attendenda.

81 In domo propria nullus debet capi.

82 Privilegia locis conceſſa extenduntur ad omnes perſonas ibi exiſtentes, ſive forenſes, ſive extraneas.

83 Epiſcopus tenetur omnes confugientes ad Eccleſiam, & præcipuè Clericos defendere.

85 Immunitas conceditur non ſolùm confugientibus ad Eccleſiam, ſed etiam in ea reſidentibus, nec attenditur qua intentione ad eam ſe contulerint, & n. 86.

87 Immunitatis privilegio non poteſt reus renunciare, permittendo ſe capi in Eccleſia.

88 Privilegio Eccleſiæ nemo poteſt renunciare.

89 Privilegio in favorem duorum conceſſo alter altero invito renunciare non poteſt.

90 Immunitas Eccleſiæ non violatur, ſi confugiens ad eam ſe offerat juſtitiæ, & ſponte exeat.

93 Re-

93 *Religioſi quando ab uno Monaſterio in aliud arctius detruduntur, Eccleſiæ immunitas non violatur.*

94 *Conſuetudo præjudicalis immunitati Eccleſiæ, eſt nulla, & impræſcriptibilis etiam per tempus immemorabile.*

96 *Clericus ad Eccleſiam confugiens in illis caſibus, in quibus non gaudet immunitate, an poſſit extrahi per judicem ſæcularem, an verò ſit extrahendus per judicem Eccleſiaſticum tantùm, & n. ſeqq.*

Et quid ex Bulla Gregorii XIV. n. 100.

97 *Eccleſia non eſt de territorio Principis ſæcularis.*

98 *Nec habet territorium niſi in his, quæ pertinent ad forum Eccleſiaſticum.*

99 *Judex laicus non poteſt in Eccleſia ullam juriſdictionem exercere.*

100 *Immunitas Eccleſiaſtica violatur etiam per violentam extractionem rerum ab Eccleſiis, & locis immunibus.*

101 *Et extrahentes ſunt ſacrilegi, & excommunicandi.*

102 *Non tamen incidunt in excommunicationem Bullæ Gregorii XIV.*

103 *Sed ſi abſtractio fiat auctoritativè, incidunt in excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini.*

104 *Formula litterarum S. Congregationis immunitatis pro extrahendis rebus in Eccleſiam delatis ad evitandam exeutionem mandati.*

1 I*Nter alia.* Malefactor fugiens ad Eccleſiam immunitate gaudet, niſi in duobus caſibus: ſervus verò reſtituitur domino de ipſius impunitate juranti. Hoc dicit Joan. Andr. Butr. Cardin. Anchar. & Jo. de Anan. Sed latiùs, & notabiliùs ſecundùm Abbatem ſummatur ſic: Reus criminis ad Eccleſiam fugiens non eſt violenter ab ea extrahendus, nec debet ampliùs prætextu criminis commiſſi damnari ad mortem, vel ad aliam pœnam corporalem; eſt tamen aliter legitimè puniendus. Fallit in duobus caſibus hìc expreſſis. Hoc dicit primò. Servus fugiens ad Eccleſiam timore domini ſui, eſt domino de ejus impunitate juranti reſtituendus; hoc dicit ſecundò: & ſic duo ſunt dicta: ſecundum ibi, *Si verò.*

2 Nota primò ibi, *Et traditione legum civilium.* Papam in dubiis decidendis hìc allegare legem civilem ſtatuentem ſuper immunitate Eccleſiæ, ad idem *c. Id conſtituimus* 17. *q.* 4. *c. Ex antiqui* 54. *diſt. c.* 1. *de juram. calum.* cum plurimis concordantibus congeſtis à Felino *in cap. Eccleſia S. Mariæ n.*38. *ſup. de Conſtit.* Quod videtur mirabile, quia
3 leges Imperatorum ac Principum ſtatuentes nominatim de Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis, ac bonis earum, ponunt falcem in meſſem alienam, & ſunt invalidæ ex defectu poteſtatis, ſecundùm communes theoricas *in d. c. Eccleſia*, ubi in ſpecie Abbas *in Lectura n.*10. *verſ. Ad primum dico*, Felin. *n.*4. *verſ. Recipit autem prædicta regula*, in prima limit. & Dec. *n.*91. Etiamſi redundent in favorem, & commo-
4 dum Eccleſiarum, & diſponant in materia, in qua contrarium non reperiatur ſtatutum de jure Canonico, ut plenè ſcripſi *in c. Quæ in Eccleſiarum, in* 5. *&* 7. *ampliat. n.*26. & 30. *de Conſtit.* Et augetur difficultas, quia Eccleſia non po-
5 teſt etiam ſpontè ſe ſubmittere ſuperioritati, ac legibus Imperatoris, ut notat Jo. Andr. *in d. cap. Eccleſia S. Mariæ n.*5. *verſ. Ille verò, qui eſt ſuper omnes forum*; & probavi *in c. Significaſti, à n.*71. *de elect.* Quomodò ergo Papa hìc
6 utitur lege civili diſponente in materia Eccleſiaſtica? Pro ſolutione adverte, quia lex civilis inſerta Canoni, & ſic canonizata, non dicitur ampliùs lex civilis, ſed mutat nomen, & dicitur Canon, ut notat gloſſ. *in cap. In primis, in verb. Capituli* 2. *q.* 1. quem ſequitur aliis relatis Felin. *in c.* 1. *in* 1. *notab. ſupra de præſumpt.* quia omnia noſtra facimus, &c. *l.* 1. §. *Sed neque, C. de veter. jur. enuclean.*
7 *c. Si Apoſtolicæ, de Præben. lib.* 6. *cum concord.* Alias verò leges Imperatorum, dummodò non offendant, ſunt cum Canonibus permiſcendæ, ut hìc patet, *& in c.* 1. *infra de nov. oper. nunciat. & in c.* 1. *& per tot.* 10. *diſt.* ſecundùm Oſtien. hìc *in princip. in ver. Canonum*, Jo. Andr. *n.* 2. & Abbas *in* 1. *notab.*

8 Secundò nota ibi, *Quantumcumque gravia maleficia perpetravit*, reum confugientem ad Eccleſiam non eſſe privandum immunitate Eccleſiaſtica propter quamcumque criminis atrocitatem, ut in text. & notant Butr. *n.*4. Anchar. *num.*2. & Abb. *in* 1. *notab.* & hìc junge quæ dicam infrà *in* 6. *notab.*

Tertiò nota ibi, *Non eſt ab Eccleſia violenter abſtrahendus, nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam*, 9
immunitatis privilegium, quod conſequitur liber homo ad Eccleſiam confugiens, conſiſtere potiſſimùm in duobus, ſecundùm Abbatem hìc *n.* 3. & 9. *verſ. Si verò nullo modo.*
Primum eſt, ut inde violenter extrahi non poſſit, ut hìc, 10
& in c. Reum 17. *q.*4. Unde ſi de facto, & per vim indebitè extractus fuerit, de jure poteſt petere, ut reſtituatur priſtinæ libertati, cùm ea fuerit de facto privatus, ut notat Bart. *in l. Præſenti n.*5. *C. de his, qui ad Eccleſiam confug.* & ante eum Oldrad. *conſ.*154. *Quidam deliquit n.*4. *in fin.* dicens abſtractum reſtituendum eſſe Eccleſiæ, ſicut in aliis reſtitutoriis judiciis, *ut cap. Sæpè, ſupra de reſtit. ſpoliat.* & ſequitur Abb. hìc *n.* 26. qui ad hoc allegat textum apertum *in c. Minor* 17. *q.*4. ubi evidenter colligitur Eccleſiam debere per excommunicationem compellere extrahentem ad reſtitutionem: & concordat Vitalin. in Clem. 1. *n.* 85. *de pœ-*
nit. & remiſſ. Alterum, in quo conſiſtit privilegium immu- 11
nitatis, eſt, ut fugiens ad Eccleſiam per judicem damnari non poſſit ad mortem, vel aliam pœnam, ſcilicet corporalem, ſeu cum ſanguinis effuſione, ut infrà innuitur, ibi, *Membra, & vitam*, concordat *d. c. Reum, & cap. Id conſtituimus* 17. *q.* 4. ibi. *De morte, & debilitate, & omni pœnarum genere ſint ſecuri, & c. De raptoribus* 36. *q.* 1. ibi, *Mortis, vel pœnarum impunitate conceſſa*, ubi gloſſ. 1. exponit *ver. Pœnarum*, ſcilicet corporalium, à quibus liberatur auctoritate Canonum: & hìc notat Innoc. qui in ver. *Ad pœnam*, addit corporalem, & exponit, ideſt, ſanguinis effuſionem, & conſentiunt Hoſt. *n.* 1. *in d. ver. ad pœnam*; & Jo. Andr. *n.* 3. *in eodem verb.*

Quod eſt contra judices, qui in reos ad Eccleſiam con- 12
fugientes, & ibi commorantes proferunt ſententias capitales, vel corporis afflictivas: hoc enim eſt contra textum hìc, *& in d. cap. Reum*; nam verba illa, *Nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam*, non poſſunt intelligi de executione ipſius ſententiæ, quia indubitatum eſt in ipſa Eccleſia humanum ſanguinem effundi non poſſe, *cap. Reos* 23. *q.* 5. *c. Cum Eccleſia Dei, ſuprà eod. & c.* 2. *eodem tit. lib.* 6. Facit *c. In Archiepiſcopatu de raptor. & c. Sententiam, Ne Cleric. vel Monach.* Sed ſunt intelligenda de ipſa ſententiæ prolatione, ſeu condemnatione, ut innuit *verb. Da-*
mnari. Et ita reum ſuper eo, quod commiſit, omninò 13
non poſſe de cætero criminaliter accuſari, quia aliàs modica eſſet immunitas, poſt Goffred. tenent hìc Hoſtien. *n.* 1. Jo. Andr. *n.* 8. *verſ. Accuſari verò*, Anchar. *in* 2. *notab.* & plerique alii, gloſſ. *in d. c. Reum, in verb. Vel ad mortem* 17. *q.* 4. Archid. *ibid. n.* 2. *& in d. cap. De raptoribus nu.*3. 39. *q.* 1. Oldrad. *conſ.* 154. *Quidam deliquit num.* 4. *verſ. Et*
ſecundum Goffred. Quod benè nota, quia judices laici hoc 14
non ſervant in perniciem animarum ſuarum. Dicunt tamen Innoc. Hoſtien. & Joan. Andr. locis proximè citatis reum confugientem ad Eccleſiam poſſe detrudi in Monaſterium ad agendam pœnitentiam, arg. *cap. Si Epiſcopus*
50. *diſtinct.* Auth. *Sed de novo jure, C. de adulter.* dummo- 15
dò tamen inviti ab Eccleſia non extrahantur, ut hìc per Abb. *n.*12. *verſ. Sed circa duo poteſt dubitari*, & adde quod dicam *infrà n.* 96.

(Advertitur, Sacram Congregationem Immunitatis in cauſa Mantuana 10. Septembris 1629. cenſuiſſe judicem etiam laicum poſſe procedere contra confugientem ad locum immunem prout juris in contumacia. Et in Januen. die 9. Octobr. 1629. Nicolaum de Valle reſtituendum eſſe Eccleſiæ, ſed judicem laicum poſſe contra illum ad pœnam exilii, & ad alias in contumaciam procedere.)

Quartò nota ibi, *Super hoc tamen, quod iniquè fecit, eſt* 16
alias legitimè puniendus; confugientem ad Eccleſiam, quãvis damnari non poſſit pœna mortis, vel alia corporali, poſſe tamen puniri alia pęna, videlicet pecuniaria, concordat *c. Id conſtituimus, & c. Reum*, ibi, *Tamen legitimè componat,*
quod iniquè fecit, 17. *q.* 4. ubi Archid. *n* 3. dicit.: (Eſt enim 17
componere, pro damno dato, vel offenſa, vel injuria pecuniariter ſatisfacere.] Et fuit opinio Hugonis relati ab Arch. *in d. c. Reum n.*2. ubi ait, ſecurè tenendum eſſe, quòd omnis pœna corporalis, ſcilicet mortis, & membrorum, & verberum debet remitti ex toto, ſed tenetur ad pęnam pecuniariam, ſecundùm quòd injuriam, vel damnum intulit: idem notat gloſſ. *in d. c. Reum in verb. Vel ad mortem*, dicens hoc eſſe privilegium Eccleſiæ, ut talis amodò nec vitam, nec membrum perdat, ſed pecuniariter ſatisfaciat, Archid. *in d.*

cap.

*cap. De raptoribus n.*3.36. *q.* 1. & hìc firmant gloſſ. *in verb. Puniendus*, Innoc. *in eod. verb.* Jo. Andr. *n.*8. *verſ. In gloſſa pecuniariter*, Abb. *n.* 3. *in fin. verſ. Poteſt ergo*, & reliqui omnes.

18 Item puniri poterit pœna exilii, ſecundùm Hoſtien. hìc
*n.*1. *in fin. in verb. Puniendus*: numquam tamen erit in car-
19 cerem detrudendus, ut dicit Innoc. hìc *circa medium, in ver. Puniendum*, & Hoſt. *ubi ſuprà*.

20 Verumtamen, ut notabiliter ait idem Hoſtien. *n.*1. *in fin. verſ. Attamen*, circa hoc delinquunt Principes, & Prælati. Principes, qua ſi reus exit Eccleſia ponendo pedes extra, protinùs eum capiunt; & ſi non exit, ipſum tenent obſeſſum, requiem, & veſtem, & victualia denegantes, contra Canones, *c. Sicut antiquitas*, *c. Frater*, & *c. Minor* 17. q. 4. *c. Reos* 23. *qu.* 5. & contra legem, quæ tales dicit læſæ Majeſtatis crimine irretitos, *l. Præſenti in* 1. *reſp.* §. 1. *C. de his, qui ad Eccleſiam confugiunt*. Prælati verò in hoc delinquunt, quia quantumcumque gravia confugiens cōmiſerit, ipſum tamen in totum ſalvare nituntur, ita ut nullam pœnam etiā pecuniariam patiatur, contra hoc, quod hìc dicitur, & contra juſtitiam, quæ eſt ſummum bonum, *c. Devotiſſimam* 12. *q.* 2. Optat autem Hoſt. ut in his, & aliis utrique ſuis terminis ſint contenti, *c.* 1. *de ſepultur.* & ſequitur totidem verbis Jo. Andr. hìc *n.*5. *in ver. Aliàs*, & cæteri omnes.

21 Quintò nota *in verſ. Niſi*, duos caſus exceptos, in quibus reus ad Eccleſiam confugiens nō gaudet illius immunitate. Primus eſt, ſi fuerit publicus latro, ut hìc, & *in c. Sicut anti-*
22 *quitus*, ibi, *Niſi publicus latro fuerit* 17. q. 4. Dicitur autem publicus latro, qui palam, & publicè furatur, ut ſunt piratæ, & qui publicæ ſtant in ſtratis, vel qui arcem habent, vel caſtrum, & diſrobant homines tranſeuntes; quæ ſunt formalia verba Abbatis hìc *n.*5. *verſ. Dicitur autem*. Concordat *Conſtitutio* 7. *Gregorii XIV. de immunitate Eccleſiæ*, qua incipit, *Cùm aliàs nonnulli*, *in* §. 3. ibi, *Si fuerint publici la-*
23 *trones, viarum que graſſatores, qui itinera frequentata, vel publicas ſtratis obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur.* Porrò viarum graſſatores pro famoſis latronibus intelligit lex Regia *penult. tit.* 11. *par.* 1. Covarr. *lib.* 2. *var. reſol.*
24 *c.*20. *n.*13. *ver. Decimonono*. Et tales ſine pęna occidere licet, & etiam ſine peccato, *c. Cum homo* 23. *q.* 5. *l.* 1. *C. quan. lic. unicuique ſine judic. gloſſ. penult.* hìc Hoſtien. *n.*2. & alii com-
25 muniter: non tamen ſine irregularitate, ut notatur *in c. Interfeciſti*, & *in c. ſeq. infra de homicid.* niſi pro neceſſaria vi-
26 tæ defenſione, ut in Clem. *Si furioſus*, *eod. tit.* Item in tales omni die jus redditur, *ut l. Provinciarum*, *C. de feris*, Jo. Andr. hìc *n.*6. Card. *n.*2.

27 Secundus caſus exceptus eſt, ſi fuerit nocturnus depopulator agrorum, ut hìc in littera, concordat præallegata *Conſtitutio* 7. *Gregor. XV. in d.* §. 3. ibi, *Aut depopulatores agro-*
28 *rum*. Dicitur autem nocturnus depopulator agrorum, quia in nocte ſegetes deſtruit, dum ibi ſe abſcondit, vel latet; vel pręter homicidia, vel rapinas, quas facit in ſtrata, comburit, & deſtruit agros eorum, qui ei non ſerviunt, quæ ſunt verba Innoc. hìc *poſt med. in verb. Nocturnus*, cum quo concordat Hoſt. *n.*3. *in ver. Populatur*, Jo. Andr. *n.*9. Butr. *n.*7. Card. *n.*3. & reliqui omnes, Oldrad. *d. conſ.*154. *Quidam deliquit n.*2. ubi ait, depopulatorem propriè dici, qui agros alienos nocturnus deſtructor accedit, *ut l.* 1. *C. quando lic. unicuique ſine jud. ſe vind.* & dicitur depopulator, id eſt, devaſtator fructuum in argis pendentium, ſecundùm Vincen. hìc Jo. Andr. Butr. & Cardin. *loc. cit.* Itaque in his duobus caſibus rei ad Eccleſiam confugientes non gaudent illius immunitate: & hæc eſt unanimis omnium Cononiſtarum ſententia, ut poſt alios atteſtatur Iulius Clarus *in prax. crim.* §. *fin. q.*30. *verſ. Quæro numquid generaliter omnes*. Quòd ſi quæras cur publicus latro, & depopulator potiùs extrahantur ab Eccleſia, quàm alius malefactor, qui fortè eſt deterior. Reſpondet gloſſ. ult. *in fin. in c. fin. infra eod.* quia magis intereſt illos punire, quàm alios malefactores, ex quo pluribus exitia cogitant, quàm alii, *cap. Eſt injuſta* 23. *q.* 4. Concordat Hoſtien. hìc *n.*4. *in verb. Qui*, & Abbas *nu.*21. *verſ. Unde allego aliam rationem*.

29 Verumtamen præter duos caſus hìc exceptos, ſunt & alii caſus excepti per alios Canones, in quibus rei non gaudent immunitate Eccleſiæ.

Primus eſt *in c. ult. infra eod.* videlicet in eo, qui ſub ſpe immunitatis in Eccleſiis homicidia vel mutilationes membrorum committit: non enim debet ab Eccleſia defendi qui Eccleſiam violat, arg. *c. De viro* 12. *q.* 2. *cap. An ſit ſupra de appell.* ſecundum Innoc. hìc *propè fin. verſ. Item etiam poteſt dici*, Hoſt. *n.*4. *verſ. Si dicas*. Hic caſus hodie eſt etiam exceptus in prædicta *Conſtitutione* 7. *Gregor. XIV. in eod.* §. 3. ibi: *Quive homicidia, & mutilationes membrorum in prædictis Eccleſiis, earumve cœmeteriis committere non verentur*.

Secundus eſt in aſſaſſinio, qui etiam cùm ſuis bonis mun- 30
danis omnibus tamquam Chriſtianæ Religionis æmulus à toto Chriſtiano populo perpetuò diffidatus eſt, ut legitur in *c. Pro humani de homicid. lib.* 6. Et ideò ſi ad Eccleſiam confugiat, non eſt tutus illius immunitate, ſed poteſt inde extrahi per quemcumque judicem ſęcularem: & hæc eſt crebrior apud omnes recepta opinio, ut dicit Plaza *in c.*19. *n.* 24. & Julius Clarus *in* §. *Aſſaſſinorum*, *verſ. Item licet*. Hodie hic caſus reperitur etiam exceptus in dicta Bulla 7. *Gregor. XIV. in* §. 3. ibi, *Aut aſſaſſinii*. Extractio tamen nullatenus fieri poteſt à Curia ſæculari, ut dicam infra *in ult. quæſt.*

Tertius caſus exceptus eſt in homicidio proditorio, qui 31
abſque dubio immunitate Eccleſię non gaudet: de hoc enim intelligitur text. *in c.* 1. *in ver. Per inſidias*, *de homicid.* & declarat Alex. *in conſ.*145. *Viſo themate n.*5. *lib.* 7. & eſt communis opinio, ut inquit Covar. *lib.* 2. *var. reſul. c.*20. *n.*7. ſubdens eam eſſe conſuetudinem Chriſtiani orbis admodùm receptam: & alii plures, quos cumulat Jul. Clarus *in d.* §. *fin. q.*30. *verſ. Scias tamen quod hæc concluſio*. Hic quoque caſus hodie reperitur nominatim exceptus in prædicta Conſtitutione Gregorii XIV. *d.* §. 3. ibi, *Aut qui proditoriè proximum ſum occiderint*.

Quartus caſus eſt in hæretico, qui ſi ad Eccleſiam confu- 32
giat, non gaudet illius immunitate, gl. in Auth. *de mandat. Princip.* §. *Publicorum*, *in verb. Cogentur ad fin.* Remig. *de immunit. Eccleſ. Fallent.*18. Gondiſalv. *de hæret. q.*11. Navarr. *in Manuali cap.*25. *n.*20. *gloſſ. pragm. ſanctio de interdictis indifferenter non imponendis*, *n.*5. *pag.*25. *à tergo*, dicens id cautum eſſe in Extravagantibus Martini IV. & Joannis XXII. directis Inquiſitoribus Francię, quę, cuſtodiuntur in chartas Regias, in quibus habetur, quòd ſi hæreticus, Judæus converſus, vel apoſtata fugiant ad Eccleſiam, non ut ad remedium ſalutare, ſed evitandæ pęnæ cauſa, dicti Inquiſitores poſſunt eos ab Eccleſia extrahere: ſequitur Boer. *deciſ.* 110. *n.* 6. Conſtitutio Joannis XXII. relativa ſimilis Conſtitutionis Martini IV. habetur in Bullar. *tom.* 1. *pag.* 153. Hic caſus generaliter exicipitur in eadem Conſtitutione 7. *Gregorii XIV. d.* §. 3. ibi, *Vel hæreſis*.

Quintus caſus eſt in reo læſæ majeſtatis, qui ſimiliter po- 33
teſt ab Eccleſia extrahi, arg. *l. Ad beſtias*, *ff. de pœnis*, & *l. Si hominem*, *ff. Mandati*: & quamvis Boſſ. *in practica tit. de captura*, *n.*32. dicat concluſum fuiſſe in Senatu, de jure nec pro crimine lęſę majeſtatis poſſe reum capi in Eccleſia, quia per hoc c. quantumcumque gravia quis delicta perpetraverit, tamen eſt ſecurus, niſi in duobus caſibus hic exceptis, qui nec ad ſimiles, nec ad majores extenduntur, ſecundùm Doct. nihilominùs hæc opinio non obſervatur in practica, ut inquit Clar. *in* §. *fin. q.*30. *ver. Quæro numquid generaliter*, *in fin.* Hanc dubitationem ſuſtulit præcitata Conſtitutio Gregorii XIV. quæ hunc caſum excipit nominatim, ibi, *Aut læſæ majeſtatis in perſonam ipſiuſmet Principis rei*.

Itaque ſecundùm Canones, cum quibus concordat pręal-
legata Conſtitutio Gregor. XIV. ſeptem duntaxat ſunt ca- 34
ſus, in quibus rei ad Eccleſiam confugientes illius immunitate non gaudent. Nec mireris, quia etſi duo tantùm hìc excipiantur, tamen exceptio non firmat regulam, quando alii caſus ſunt excepti à jure, ſed in caſibus non exceptis ſuppletur à jure communi, ut hìc notat Abb. *n.*15. qui ad hoc allegat text. in *c. Ad Audientiam*, cum ibi notatis, *ſupra de cler. non reſid.* Item gloſſ. & Bart. in *l. Servi*, *ff. de uſucap.* ubi notanter volunt, quòd ſi unum jus ponit regulam, & excipit
aliquem caſum cum dictione taxativa, nihilominus exci- 35
piuntur alii caſus, quin in alia parte juris reperiuntur excepti: ad idem bonus text. juncta gloſſ. 1. in *c. Quoniam frequenter*, *in* 1. *reſp. ſupra*, *ut lite non conteſt.*

Non me latet legem civilem plures perſonas excipere, 36
quę Eccleſiaſtica immunitate non gaudent, videlicet homicidas, adulteros & raptores virginum, ut in Auth. *de mandat. Princ.* § *Sed neque*, *verſ. Neque autem homicidis*. Verùm 37
lex illa corrigitur ſecundùm omnes, ut dicit Hoſt. hìc *n.* 1. nam & raptoribus virginum Canon pręſtat immunitatem, ut in *c. De raptoribus*, 36 *q.* 1. Stabimus ergo Canoni, & non legi, cui per Canonem eſt derogatum, ut dicit gloſſ. 2. in *c. Sicut antiquitus*, 17. *q.* 4. Item gloſ. hìc *in verb. Niſi publicus latro*,

latro,Innoc.circa med.verſ. Lex plures excipit,&alii com-
muniter,Imola in Clem.1.n.11.verſ.Et in hoc ſtatur Cano-
ni,q c legi gem,de pœnit. & remiſſ.
38 Rurſus Eccleſiæ immunitatem,Dei ordinatione, & Ca-
nonicis ſanctionibus conſtitutam,ſicut legitur in Concilio
Trident.ſ.20.c.25.non potuit lex civilis ullatenus reſtrin-
gere, ſeu limitare, ut ſolidiſſimis fundamentis latè probat
Abb.hìc n.15.verſ.Et quamquam iſta videantur,& n.16.&
17. concludens indubitanter ſtandum eſſe ſuper iſta immu-
nitate diſpoſitionibus Canonum cum ſuis caſibus dumtaxat
exceptis,& ita communiter teneri atteſtatur Angel.in ſum-
ma in verbo. Immunitas n.17.in fin & Silveſt. in verb.Immu-
nitas 3. in 1.q. nu. 2. Et hanc diſpoſitionem juris Canonici
eſſe conſuetudine approbatam atteſtatur Jo. Faber.in §.Sed
hoc tempore poſt n.2.inſtitut.qui ſunt ſui,vel alieni jur.quam
refert Alex.conſ. 145. Viſo themate, & his quæ eleganter
n.4.lib.7 ubi in contingentia facti ita conſuluit, & n.10.at-
teſtatur hanc eſſe communem opinionem, & ſequitur Jul.
Clar. in pract. crimin.§.fin.q.30.verſ. Quæro numquid gene-
raliter omnes.
39 Ergo in reliquis caſibus per Canones non exceptis firma-
tur regula in contrarium, ut dixit Dyn.in rubr. de reg. jur.
lib.6.& habetur in l.Quæſitum, §.Deniq; ff.de fund.inſtruct.
in l. Nam quod liquidè,§.fin.ff. de pœna legata, & in c.2.de
conjug. leproſorum, cum ſimil. Unde reliquos omnes tuetur
Eccleſia,ſive ſint fures, nam famoſum dumtaxat latronem
hìc Canon excipit,innuens aliud eſſe in ſimplici fure,Oldr.
d.conſ.154.n.2. Belluga in ſpecul. princip.§. Sed quia nu.13.
Covarruv. lib.2. var. reſol.cap.20.n.13.verſ. Decimonono,
Julius Clar.in praxi crimin. §.fin.q.30.verſ.Quæro,an fures
40 gaudeant immunitate Eccleſiæ, ſive ſacrilegi, Navarr.in
41 Manuali cap.25.n.19.verſ.Gaudet etiam, ſive blaſphemi,
Navarr.ibid.n.20. verſ.Quod noſtro judicio,ſive excommu-
nicati,qui gaudent immunitate non propter ſe, ſed propter
honorem Eccleſiæ,Gulielm.de Monte Laudun. in Clem.1.
de pœnit. & remiſſ. quem ibi ſequuntur Anchar.n.50.Imola
42 n.11.in 2.q.verſ. Quinimò etiam excommunicatus, & Vita-
lin. n. 9. Boer. dicens communem, deciſ.110.n.7. Remig.
de immunit. Eccleſ. in 19.fallent. n.1.Jul. Clarus in §.fin. d.
q. 30. verſ. Quæro etiam numquid excommunicati, dicens
propter honorem Dei ab hac opinione non eſſe in practica
43 recedendum; ſive ſint proſcripti, ſeu banniti, vel conde-
mnati etiam capitaliter,Clar.ibid.ver. Scias autem,Navar.
44 d.cap.25. n.19. ad fin. verſ. Exules item,ſive banniti,etiamſi
dum ad ſupplicium dicuntur, tranſeant per Eccleſiam, vel
cœmeterium, & eſt communis opinio, ut atteſtantur Re-
mig. in loco prealleg in 30.fallentia, Caſſanæus, dicens ita
ſe vidiſſe in facto judicari ſuper conſuetudine Burgundiæ
fol.55.n. 121. quem refert Boer. deciſ 110. poſt n.8. & Clar.
loco proximè citato.
45 Sed hìc QUÆRO,an homicida ex propoſito, ſeu animo
deliberato gaudeat privilegio immunitatis Eccleſiaſticæ.
Reſpondeo gaudere ſecundùm communes opiniones,
quas ſervari aſſerit Alex.in conſ.145 .Viſo themate n.4.6. &
46 11. lib.7. & quamvis contrarium teneat Practica Papienſis
in forma inquiſitionis in ver.Hæc eſt quædam inquiſitio n.31.
in fine, dicit contrarium prudenter ſervari in Italia, quæ eſt
omnium provinciarum domina,quæ reſidet in Monarchia,
& in qua eſt omnis virtus ſcientiarum,& fructuum affluen-
tia,& locorum, & civitatum pulchritudo, & magna copia,
prout eum refert Remig.de immunit.Eccleſ.fol 6 & Alciat.
de præſumpt.in 3.reg præſumpt.33. n.4. Hoc tamen commu-
niter reprobari affirmant Socin.in cap.1.n.3. infra de homi-
cid. & Boſſ. in pract. crim. tit. de captura n.21. & meritò,
47 quia ſolum homicidium ex propoſito in Eccleſia commiſ-
ſum ſub ſpe immunitatis excipitur in c. ult. infr. eod. Ergo
per locum à ſpeciali in homicidio extra Eccleſiam, licèt ex
propoſito, aliud eſt dicendum, ut benè per Abbatem hìc
n.17 & 18.
48 Non obſtant verba illa cap. 1. de homicid. Si quis per in-
duſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab alta-
ri meo evelles eum, ut moriatur. Nam ut reſpondet Abbas
d. num.8. ille textus eſt legis veteris, nempè Exodi cap. 21.
& habet multos intellectus, ut ibi notatur; & intelligen-
do eum in terminis noſtris, Ab altari evelles eum, id eſt ab
Eccleſia extrahes, ut immunitate non gaudeat, procedit ſe-
cundùm antiqua tempora, quia altaria veteris teſtamenti
non gaudebant illa immunitate, qua hodie gaudent noſtra.
Sed hæc reſponſio non ſatisfacit, quia non ſine myſterio
Papa inſeruit text. legis veteris in compilatione Decreta-
lium, cùm præſertim præcepta illa judicialia veteris teſta-
menti fuerint evacuata per Adventum Chriſti, ut docet S.
Thomas in 1. 2. q. 103. art. 4. & q. 104. art. 3 Sicut nec ſa-
tisfacit alia reſponſio Abbatis,quòd ille textus intelligi de-
beat in homicidio commiſſo in Eccleſia juxta terminos
dict.c.fin.inf. eod.quoniam verba illius cap. hanc reſtrictio- 49
nem non patiuntur. Meliùs igitur reſponderi poteſt illum
textum non loqui abſolutè de homicidio ex propoſito, ſed
cùm qualitate proditionis:requirit enim copulativè,ut fue-
rit commiſſum per induſtriam, & per inſidias, id eſt prodi-
toriè, quod eſt, quando aliud verbis, & aliud mente gerit,
& ſub ſpecie amicitiæ proximum necat,ut optimè declarat
Alexand. conſ. 145. Viſo themate n.5. lib.7. quo fit, ut dica-
tur proditorius homicida, qui aliquem necat veneno, ut 50
per Decanum in tract.crim.cap.28.num.19. Talis ergo non
gaudet immunitate Eccleſię,ut dictum eſt ſupra n.31. At ſe-
cus eſt in homicida ex propoſito ſine qualitate proditionis,
& in hunc ſenſum accipiendi ſunt Innocen. & DD. infra ci-
tandi,n.54. Remig. de immunit. Eccleſ. in 13.fallent. Mill.
in pract.crimin.fol. 31. num.19. & Clar.in §.fin. q.30.verſ.
Hoc autem multò magis,qui ſcripſerunt ſecundùm commu-
nem opinionem, quæ in practica obſervatur, homicidam
ex inſidiis non gaudere immunitate Eccleſiaſtica. Nec ob-
ſtat conſuetudo contraria, quia tamquam præjudicialis Ec-
cleſiaſticæ immunitati eſt nulla, & impræſcriptibilis,ut pa-
tebit infra n.94.
Hodie ceſſat omnis difficultas, quia in ſæpiùs citata Con- 51
ſtitutitione Gregorii XIV. de immunit. Eccleſ. excipiuntur
homicidia in tribus caſibus dumtaxat, ut patet in illis ver-
bis: Qui homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Ec-
cleſiis earumve cœmeteriis committere non verentur,aut qui
proditoriè proximum ſuum occiderint, aut aſſaſſini, & in §.
pręcedenti revocantur facultates extrahendi reos ab Eccle-
ſiis,& locis ſacris,& religioſis, aliaſve in caſibus à jure per-
miſſis, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono,
pace, & quiete publica, & ex cauſis æquipollentibus caſi-
bus in jure expreſſis, atque ex paritate, indentitate, aut ma-
joritate rationis extenſis. Ergo ab homicidio patrato in Ec-
cleſia, aut cum qualitate proditionis, vel aſſaſſinii non per-
mittitur extenſio ad homicidium ex propoſito, cùm præ-
ſertim illa ſint graviora,& gravioribus ſuppliciis puniantur
ut patet in l. Fallaciter, ubi gloſſa in verb. Prodita, C. de
abolition.& in cap.Pro humani de homicidio lib.6 Et ſic ho- 52
die ceſſant etiam opiniones illorum, qui arbitrati ſunt in
terminis juris communis etiam in aliis caſibus conſimilibus 53
malefactores ab Eccleſiis extrahi poſſe, eo quòd exceptio,
de qua in hoc cap. ibi, Niſi publicus latro fuerit, vel noctur-
nus depopulator agrorum, non excludat caſus ſimiles, imò
omnia ſimilia& æquiparata exceptis cenſeantur exceptua-
ta, ſecundum gloſſ. ſingularem in l.1. in verb.Judicati, C.
de condict.indeb. & Abb.in c.Quoniam frequenter n.6.verſ.
Si ergo eadem ratio,ſupra ut lite non conteſt. & in cap. Cùm
omnes n.7. verſ. Dominus Antonius videtur hìc velle, de
conſtit.ubi pro illa gloſſa allegat caſum in c. Cùm dilecta de
confirmat.util.vel inutil.& ſequitur Alex.conſ. 130. In cauſa
n. 4. in fin.verſ. Nec etiam videtur obſtare lib. 4. cujus opi- 54
nionis videtur fuiſſe Innocen. hìc poteſt med. in verb. Qui,
nam,ut ipſe ait:(Quicumque inſidioſè offendit,etiamſi pu-
blicus latro,vel depopulator agrorum non ſit; hoc privile-
gio non gaudet;quia nō debet gaudere privilegio, qui com-
mittit in legem,)c.Quia infra de uſur. Quòd ſi objicias,qua-
re igitur Decretalis fecit mentionem de his duobus generi-
bus hominum? Reſpondet Innoc. quia de his ſemper præ-
ſumitur,quòd inſidioſè fecerint, arg.l. Qui ſemiſſes, ff. de
uſur.c.1. & 3.ſupra de præſumpt. de aliis verò id non præſu-
mitur, niſi aliud probetur,l. Quoties,§. Qui dolo,ff. de prob.
l.Ut vim,ff.de juſt. & jur.& cum eo tranſeunt Hoſtien. n.4.
poſt med. verſ. Si dicas,& Jo. Andr. n.6. circa fin. eod. verſ.
Sed ut prædixi hodie ceſſant hujuſmodi opiniones,quia ex 55
Conſt.Gregor.non eſt licita extenſio ad caſus ſimiles etiam
ex paritate, vel identitate, aut majoritate rationis, quod
etiam in terminis juris communis tenuit Boſſius ſupracita-
tus n.33. Adde quòd opinionem Innoc.& ſequacium validis
fundamentis reprobat Abb. hìc n. 20. circa fin. verſ. Sed ex
alio mihi non placet.
Secundò QUÆRO, an immunitas Ecccleſiæ ſuffrage- 56
tur iis, qui in ipſa Ecccleſia delinquunt. In caſu homicidii,
vel mutilationis membri nulla eſt dubitatio propter deciſ.

cap.

cap. ult. infra eod. & conſtit. Greg. XIV. de immun. Eccl. ſed in aliis caſibus ſunt opiniones: tu tamen dicas, ut plenè ſcripſi in *d. c. ult. à n. 2. uſque in fin.*

57 Tertiò QUÆRO, an fugiens ad Eccleſiam pro debito civili gaudeat illius immunitate, ut inde extrahi non poſſit invitus. Reſpondeo gaudere, ut probat hoc *cap.* quod generaliter prohibet invitos extrahi, & excipit duos caſus dumtaxat, ad idem *cap. Minor, & cap. Si quis contumax, 17. quæſt. 4.* & clariùs probatur *in l. Præſenti, Codic. de his qui ad Eccleſiam confugiunt*, Abbas *hic num. 22.*
58 & Joan. de Anan. *num. 8.* Oldrad. *conſil. 54. An fugiens pro debito ad Eccleſiam, in princip.* Navarr. *in Manuali cap. 25. num. 19. in princip. circa med. verſic. Et mercator, qui decoxit*, Boer. *dec. 215. num. 7.* licèt oppoſitum ſentiat in decoctis, vulgò fallitis, in quos acriter invehit, *num. 5. & 6.* Covarr. *lib. 2. variar. reſolut. cap. 20. numer. 14. verſ. Nec Jaſonis argumentatio*, ubi ait ſententiam Jaſonis, qui *in l. Vinum, num. 5. ff. Si certum petatur*, dixit, fugientem pro debito civili ad Eccleſiam poſſe inde abduci, fortaſſe admitti poſſe apud Hiſpanos in Mercatoribus, & Campſoribus, qui maximo Reipublicæ diſpendio ex pecuniis, & rebus alienis, dum negotiationem quæſtuariam exercent, operam uſuris, & fœnoribus ſtrenuè dantes, lautè & opiparè viventes, decocti tamdem verſuram faciunt, & ad Eccleſiam fugientes creditores omnes miſerè fallunt, quod graviſſimum crimen eſt, & ob id famoſi latrones appellantur. Sed quicquid dicant iſti, res hodie eſt expedita per *conſtit. Greg. XIV. in §. 2.* ibi, *Aut fraudulentis decoctoribus.*

59 Quartò QUÆRO, an Judæi, vel Pagani gaudeant immunitate Eccleſiæ.

Gloſſa *hic in ver. Extrahendus*, tenet etiam Judæos gaudere immunitate Eccleſiaſtica, dummodò ſimulatio abſit, ideſt, ut velit verè, & non ſimulatè effici Chriſtianus, per textum in *l. 1. Cod. de his qui ad Eccleſ. confug.* & cum gloſ. concordant hìc Innocen. *poſt princ. verſ. Idem in Judæo*, Hoſtien. *num. 1. in verb. Ab Eccleſia, & infr. eod. num. in fin. verſ. Et hoc verum*, Jo. Andr. *nu. 8. verſ. in gloſ. 3.* Butr. *num. 16.* Card. *num. 5.* & Joan. de Anan. *num. 7.* Archil. poſt Hugon. *in cap. Diffinivit, numer. 1. 17. quæſt. 14.* Guliel. de Monte Laud. in Clement. 1. *de pœnit. & remiſſ.* quem ibi ſequuntur Anchar. *num. 5.* Imol. *num. 11. in 2. qu. verſ. Quinimò etiam Judæos*, & Vitalin. *num. 80.* Boer. *deciſ. 110. num. 4.* & cum gloſſ. noſtra tranſire communiter Doctores fatetur Abbas hìc *num. 6.* Hanc etiam ſententiam videri fortaſſe frequentiori Auctorum calculo receptam dicit Covar. *var. reſol. lib. 2. cap. 20. num. 11. verſ. 13.* eamque prævaluiſſe coram Regia Cæſarea Majeſtate Caroli V. cùm apud eumdem hoc negotium ventilaretur ad conſultatio-
60 nem Epiſcoporum Indiarum, refert noviſſimè Mar. Ital. *in tract. de immunit. Eccleſ. cap. 3. §. 3. num. 32.* nec mirum, quia etiam eorum ſepulchra gaudent immunitate, *c. Sicut, infra de Judæis*, ſecundùm Vinc. hìc, Jo. Andr. Butr. & Card. *loc. cit.*

Et quamvis contrariam opinionem, ideſt Judæos, & Paganos non gaudere immunitate Eccleſiaſtica, teneant gloſſ. Cyn. Bart. Salicet. & omnes in *d. l. 1. Cod. de his, qui ad Eccleſ. confug.* & idem Cynus *in l. Præſenti, in 1. q. Cod. eod.* Oldrad. *conſ. 54. An fugiens, num. 3.* eamque communem dicat Marſil. in *l. Ex ſenatuſconſulto, num. 7. & ſeqq. ff. ad l. Cornel. de ſicar.* & magis communem, & veriorem Jul. Clar. *in §. fin. quæſt. 30. verſ. Præterea quæro, numquid Judæi*; hoc tamen intelligendum eſt, quando Judæi fugiunt ad Eccleſiam cum ſimulatione fingentes ſe velle effici Chriſtianos. Sed ſi abſque ſimulatione, tunc etiam Judæi, & infideles gaudere debent, ut declarat Jo. de Anan. *hic n. 7. ver. Quod intelligitur*, & ſic opiniones concordant, licèt Abbas hìc *num. 6.* dicat veriorem eſſe opinionem gloſſ. in *dict. l. 1. C. de his qui ad Eccleſ. confug.* quòd etiam ceſſante ſimulatione non gaudet Judæus hac immunitate, quia illa lex inducit præſumptionem juris, & de jure contra ſimulationem; ex quo enim Judæus reatu aliquo, vel ære alieno gravatus fuit ad Eccleſiam, & dicit ſe velle fieri Chriſtianum, præſumitur violenter hoc facere in fraudem; nec debet recipi probatio in contrarium, quia lex illa præſumendo fraudem ſtatuit, ut priùs non ſuſcipiantur, quàm debita univerſa reddiderint, vel fuerint innocentia demonſtrata purgati.

Tu verò dicas indiſtinctè Judæos, & Paganos ad Eccleſiam confugientes etiam timore pœnarum, non autem zelo fidei, vel religionis, non poſſe inde abſtrahi invitos, ut firmant Butr. Card. Gul. de Monte Laud. Anch. Imol. pro prima opinione allegati, Silv. *in ſumma in verb. Immunitas, 3. n. 2. in 3. q. verſ. Primum Judæus, & verſ. Secundum de pagano*, Jo. de Fantuc. & Archid. *in cap. Diffinivit ſanctum Concilium, ut nullus fugiens, &c. 16. q. 4.* ubi primò arguit, quòd Judæus, vel Paganus confugiens ad Eccleſiam non gaudeat tali privilegio, quia non debet Eccleſia præſtare patrocinium ei, qui ſemper vult, & nititur eam impugnare, *cap. Diſpar, 23. q. 8.* ſed hoc non obſtante determinat contrarium, tum quia Canones generaliter loquuntur, ut nullus fugiens ad Eccleſiam debeat inde extrahi, niſi publicus latro, & depopulator agrorum, ut hìc, & in concordantibus; tum quia privilegium immunitatis non conce- 61
ditur intuitu perſonarum, ſed propter honorem, & reverentiam, quæ locis ſacris, & Divino cultui debetur, *l. Præſenti, verſ. Ipſis ſervata loci reverentia, C. de his, qui ad Eccl. confug. c. Reum, c. Frater, & d. c. Diffinivit, 17. q. 4.* 62
tum denique quia Judæi ſub defenſione, & protectione Romanæ Eccleſiæ recepti ſunt, *c. Sicut, infra de Judæis.*

His adde, quòd hæc opinio fulcitur etiam auctoritate 63
legis veteris; nam ut legitur *Num c. 35.* de ipſis urbibus, quæ ad fugitivorum ſubſidia ſeparantur, tres erant trans Jordanem, & tres in terra Canaam tam filiis Iſrael, quàm advenis, & peregrinis, ut confugeret ad eos, qui nolens ſanguinem fudiſſet; idemque habetur Joſue *c. 20.* Patet autem advenarum, & peregrinorum appellatione in Sacra pagina ſignificari Gentiles, quoties ponuntur ad differentiam filiorum Iſrael, ut *Reg. 3. c. 8. lit. E. Exodi c. 12. Levit. c. 17. 19. & 24.* Si igitur apud Hebræos fruebantur immunitate etiam infideles, longè magis frui debent hodie in Eccleſia Chriſtianorum, in qua eſt translata lex, & Sacerdotium in formam excellentiorem, *c. Tranſlato*, & ibi omnes, *ſupra de Conſtit.* Unde Abb hìc *n. 18.* dicit, Altaria veteris Teſtamenti non gaudere illa immunitate, qua hodie
gaudent noſtra. Opinio verò contraria nititur tantummo- 64
dò auctoritate text. *in d. l. 1. C. de his qui ad Eccleſ. confug.* cujus tamen nulla ratio habenda eſt, quia ponit falcem in meſſem alienam; non enim civilis authoritas poteſt ſtatuere nominatim de Eccleſiis, & locis ſacris, etiamſi contrarium non reperiatur ſtatutum de jure canonico, & lex civilis redundet in favorem ipſius Eccleſiæ, ut oſtenſum eſt ſupra *n. 3.* Ergo longè minùs poteſt lex civilis in Eccleſiam ſtatuere, illius immunitatem reſtringendo, aut limitando, ut dictum eſt ſupra *n. 38.* & benè obſervat Abbas *hic nu. 15. verſ. Et quamquam iſta videantur, & n. 16. & 17.* licèt poſteà ad hęc non adverterit in quæſtione de Judæo. Demum hæc opinio videtur de plano procedere poſt Gregorianam Conſtitutionem, quæ de laicis loquitur ſimpliciter, non diſtinguens, an fideles, vel infideles; & certos tantùm caſus excipit, & reliquos excludit, etiamſi in eis concurrat paritas, identitas, vel majoritas rationis, ut oſtenſum eſt ſupra *num. 51.*

Quintò QUÆRO, an Judex Eccleſiaſticus poſſit con- 65
fugientem ad Eccleſiam in quocumque caſu inde abſtrahere? quod eſt quærere, an immunitas in caſibus non exceptis ſuffragetur confugientibus ad Eccleſiam reſpectu judicis laici dumtaxat, an verò etiam reſpectu judicis Eccleſiaſtici? Innocent. *hic in verb. Ad pœnam*, dicit, reum 66
confugientem ad Eccleſiam poſſe detrudi in monaſterium ad pœnitentiam peragendam: & per hoc videtur ſentire benè poſſe inde abſtrahi per judicem Eccleſiaſticum, & puniri Eccleſiaſtica pęna. Et pro hac parte facit, quia contra ſæculares poteſtates, non contra Eccleſiaſticas videtur hæc immunitas adinventa, ut patet in *cap. Frater, 17. quæſt. 4.* ibi: *Quod nec Poteſtatibus quidem, vel Principibus unquam licuit perpetrare, ut hominem in ſanctuariis conſtitutum, &c. & in cap. Diffinivit, eadem cauſa, & quæſt.* ubi violans Eccleſię immunitatem puniri jubetur ſeveritate regia; ergo de laicis loquitur. Præterea Eccleſia non pręſumitur quem privilegiaſſe contra ſe, *cap. Cum inſtantia,* 67
ſupra de cenſibus. Item confugienti ad Eccleſiam debetur immunitas quoad hoc, ut ad mortem, vel membri obtruncationem damnari non poſſit, ut hìc, & in *capit. de raptoribus, 36. quæſt. 1.* Hanc autem pœnam judex Eccleſiaſticus non imponit, *cap. Novimus, in fin. de verb. ſignif.* Verùm Joan. Andr. *hic num. 4.* non putat Innocentium habuiſſe hunc ſenſum; unde concludit ipſe abſtractionem

violentam etiam per judicem Eccleſiaſticum, vel dominium Eccleſiaſticum etiam de ſ bdito, vel ſervo fieri non
68 poſſe. Movetur, quia leges, & Canones prohibentes extrahi reos ab Eccleſiis, loquuntur per verba univerſalia, negativa, ut patet in *l.2.* ibi: *Nemini licere ad ſacroſanctas Eccleſias confugientes abducere, Cod. de his, qui ad Eccleſ. confug. & in c. Reum*, 17. *quæſt.* 4. ibi *Reum ad Eccleſiam confugientem nemo abſtrahere audeat, & in d.c. Diffinivit eadem cauſ. & quæſt.* ubi dicitur: *Diffinivit Sanctum Concilium, ut nullus audeat confugientes ad Eccleſias, vel reſidentes inde abſtrahere*: univerſale autem negativum
69 etiam Eccleſiaſticos includit. Et pro hac parte facit text. *in cap. unico, infra de natis ex lib ventr.* Non enim debet ille impugnare, qui defendere debet, *cap. Conquerente, in princ. ſupra de reſtitut. ſpoliat.* Et patere legem, quam tu ipſe tuleris, *cap. Cum omnes, ſupra de conſtit.* Et ad objectum, quòd Eccleſiaſticus judex non imponat pœnam mortis, vel obtruncationis, reſpondet Joan. And. *nu.* 5. hanc Decretalem loqui de omni pœna, & apertiùs loquitur, *c. Id conſtituimus*, 17. *q.* 4. ubi cavetur de omni pœnarum genere. Unde quamvis pœna mortis, & obtruncationis ponatur hìc reſpectu judicis laici; aliæ tamen penę ponuntur etiam reſpectu judicis Eccleſiaſtici: nec gl. Innocentii loquitur de pęna, ſed de pœnitentia; & concordat gl. 1. in d. *c. De raptoribus*, ibi, *Sed & publica pœnitentia mulctatur*, 36. *quæſt.* 1. & cum opinione Joan. And. tranſeunt hìc Collect. *n.*16. Butr. *n.*11. Cardin. in 6. *q. n.*7. Anchar *in ult. q. num.* 9. & Abb. *n.*11. & 12. Hodie videtur ceſſare hæc difficultas, quia Gregoriana Conſtitutio *de immunit. Eccl. in* § 4. ſtatuit, ut in caſibus ibi exceptis dumtaxat extractio fiat de licentia ſoliùs Epiſcopi, vel ejus Officialis, cum interventu perſonæ Eccleſiaſticę ab eo auctoritatem habentis: ergo in aliis caſibus non exceptis, nec de licentia Epiſcopi, vel illius authoritate extractio fieri poterit.

70 Sextò QUÆRO, an clerici, & religioſi gaudeant immunitate Eccleſiaſtica, ita ut non poſſint per judicem proprium ab Eccleſia violenter extrahi in caſibus, in quibus laici extrahi non poſſunt.

71 Abbas hìc *nu.*13. dicit Doctores hìc non attingere hanc quæſtionem: nam Joann. Andr. nullam facit mentionem de clericis, vel religioſis fugientibus ad Eccleſiam, vel in ea exiſtentibus, ut dictum eſt in pręcedenti queſtione. Ipſe autem Abbas tenet hanc immunitatem eis non prodeſſe, quin poſſint auctoritate judicis Eccleſiaſtici ab Eccleſiis extrahi, & ad carceres duci, & puniri; ejuſque opinionem ſequuti ſunt poſteà Silveſt. *in ſumma, in ver. Immunitas*, 3. *num.*2. *in* 3. *quæſt. verſ. Tertiam, clerici & religioſi hac immunitate non gaudent*, Joann. Barber. *in ſuo Juris Viatorio, in tit. de violatoribus immunitat.* dicens clericum, qui diſciplinæ fugiendæ cauſa ad Eccleſiam confugit, poſſe extrahi, & cum eo tranſit Boer. *dec.* 109. *num.*3. *verſ. Et Joann. Barber.* Idem tenet Gulielm. de Monte Lauduno in Clement. 1. *de pœnit. & remiſſ.* ubi querit, numquid Epiſcopus, vel ejus officialis poſſit clericum homicidam extrahere de Eccleſia, & ponere eum in Monaſterio ad agendam pœnitentiam, & concludit poſſe, cum Innoc. hìc in *ver. Ad pœnam*, dummodò carcer non ſit nimis arctus, aut perpetuus: & cum eo tranſit ibi Anchar. *n.*8. & Imol. *n.*13. dum ultimo loco recitat opinionem Joan. de Lignano dicentis opinionem Innocen. eſſe veriorem, Mayner. in *l. Nemo, n.*31. *fol.*251. *colum.* 1. *ff. de regul. jur.* Guttier. *pract. par.*3. *q.*3. *num.*3. Suarez. *de relig. to.* 1. *lib.*3. *in tit. de perſon. quæ gaudent templ. immun. & de pace, tom.* 1. *cap.*3. §. 3. *nu.* 141 & quidam alii ex junioribus,
72 Movetur Abbas primò auctoritate gl. primę in *c. Nullus*, 17. *q.* 4. quæ in fine videtur dicere Epiſcopum, vel Magiſtrum ex cauſa odii non debere Clericum, vel diſcipulum ab Eccleſia expellere: ergo à contrario, ceſſante odio, id poterunt.

Secundò movetur Abb. quia civilis lex non facit apertè mentionem de clericis, & ſi faceret, non valeret in prejudicium juriſdictionis Eccleſiaſticæ, juxta notata per Innoc. in *c. Nuper, de teſtib.* Canones verò quamvis indiſtinctè loquantur, tamen videntur reſpexiſſe ad laicos tantùm, ut innuit litera hujus textus, ibi, *Sed Rectores Eccleſiarum ſibi obtinere debent membra, & vitam*; & ita judices Eccleſiaſtici hoc impetrare debent à ſæculari poteſtate: quod non poteſt verificari in clericis, qui ſæculari poteſtati non ſubſunt, ſed eorum proviſio ſpectat ad ipſos Eccleſiarum Rectores, ideſt Epiſcopos, & alios Prælatos, *c. Cùm ab Eccleſiarum, ſupra de offic. Ordin.*

Tertiò, dicit Abbas hoc probari apertiſſima ratione, pręſertim in religioſis, qui raró, aut numquam exeunt clauſtra monaſterii, *cap. Placuit, il* 2. 16. *q.* 1. & ſecundùm eorum inſtituta, & jura communia poſſunt per Superiorem in monaſterio coerceri, verberari, & in carcerem detrudi, & ſi opus fuerit, etiam de monaſterio expelli, & in aliis arctioribus recludi, ut legitur, & not. in *c. Univerſitatis; de ſent. excommun. & in c. fin. de regular. & in c. Delapſis*, 16. *quæſt.*6. *& in cap Dilectus, il* 2. *de ſimon.* Et idem patet 73
in clericis reſpectu Epiſcoporum: nam Epiſcopus judicat in Eccleſiis, *cap. Præceptum*, 2. *quæſt.*2. vel in palatio ſuo, *cap. Quafronte, de appellat.* & in ſententia quandoque damnat ad perpetuum carcerem, quandoque ad verbera, ut *cap. Tuæ, de pœnis, cap. Novimus de verb. ſignific. cap.* 1. *de calum. cap.* 1. *in fin.* 22. *quæſt.* 5. *& cap Illi qui*, 5 *q.*5. & notatur *diſt.* 45. in ſumma. Durum autem eſſet, ut in Eccleſia non poſſent capi, arceri, & verberari. Imò pro 74
honeſtate Eccleſię debent verberari in Eccleſia, & per clericum, non autem per laicum, ut in *c. Univerſitatis, de ſent. excomm.* 75

Quartò, movetur Abbas, quia ſi clerici gaudent hac immunitate Eccleſiaſtica, hoc tenderet non ad decorem, ſed 76
ad maximum dedecus Eccleſię, cùm videretur velle defendere facinora clericorum, qui debent eſſe ſancti, & in ſuis actibus relucere, ut in *c. Oportet. Sacerdotes.* 81. *diſt.* Cùm præſertim multi ſint clerici, qui nihil habent de patrimonio; ac proinde cùm pecuniariter puniri nequeant, eorum delicta remanerent impunita.

Quintò, allegat jura in Clem. 1. *verſ. Si qui vero contra* 77
præmiſſa, de privil. & in c. Non ſolùm de regular. lib. 6. ubi religioſi delinquentes in religione jubentur ſubjici gravibus pœnis.

Sextò, ut ultimò movetur Abbas, quia cùm clerici præſertim in communi viventes, & religioſi frequenter delinquant in Eccleſia, vel infra triginta, vel quadraginta paſſus, ſequeretur, ut numquam, aut raró pro delictis hujuſmodi poſſent puniri, ſi ab Eccleſia extrahi non poſſent, contra *c.* 2. *& cap. Cum illorum, de ſent. excommun. cum ſimil.* & concludit Abb. ſe putare hæc veriſſima, quæ tamen relinquit conſuetudini, quam dicit in hoc multùm eſſe attendendam, ut hìc notat Innoc & de conſuetudine hoc ſervari, ut clerici non gaudeant immunitate Eccleſiæ, ſed inde abſtrahantur à ſuis judicibus Eccleſiaſticis, atteſtantur Bernard Diaz *in pract. crimin. canon. cap.* 115. Covarr. *variar. reſolut lib.* 2. *cap.* 20. *numer.*16. Remig. *de Immun. Fall.* 71. Jul. Clar. *d.* §. *fin. quæſt.*30. *verſ Ulteriùs quæro.*

Neque verò huic ſententiæ refragatur, quin potiùs favet Conſtitut. 7. Greg. XIV. *de immun. Eccl.* quia nullam facit mentionem de clericis, imò de laicis nominatim loquitur ut patet in §.3. ibi, *Ut laicis ad Eccleſias, locaque ſacra, & religioſa confugientibus*; nec non ibi, *Ut laicos in caſibus prædictis delinquentes, & in* §.4. ibi, *Laicum aliquem, & in* §. 5. ibi *Quodque delinquentes laici prædicti*; nam verſ. *Laici*, toties in Conſtitutione repetitum, non debet cenſeri appoſitum ſupervacuè, & ſine myſterio aliquid operandi, ad *l.* 1. *in fin.* cum ibi notatis in gloſſ. ultim. *verſ. Item nota hic, ff. ad municip. & l. Si quando, ff. de legat.* 1. *cum ſimil.*

Sed his non obſtantibus tu primùm adverte: nam Abbas ſupponit Doctores hanc quæſtionem hìc non attingere, & Joann. Andr. non loqui de clericis, vel religioſis; 78
ſed certè Jo. Andr. *n.*4. ſpecialiter quærit, an judex Eccleſiaſticus poſſit ab Eccleſia ſervum, vel ſubditum ſuum, & ſic clericum extrahere: & ejus rationes concludunt tam in clerico, quàm in laico, ut patet ex dictis ſupra in 5. *q.* Rurſus etiam clericos gaudere immunitate Eccleſiaſtica, tenet Cardin. in Clement. 1. *num.*9. *in* 7. *quæſt. de pœnit. & remiſſ.* ubi firmat Epiſcopum, vel alium officialem Eccleſiaſticum non poſſe ab Eccleſia extrahere clericum homicidam, nec eum detrudere in monaſterium ad pœnitentiam peragendam: & ita apertè ſentit immunitatem Eccleſiaſticam ſuffragari etiam clericis reſpectu judicis Eccleſiaſtici; & fuit originaliter opinio Genzelini in dict. Clementin. 1. ubi contra Innocent. & Gulielm. de Monte Lauduno tenet, Epiſcopum, vel ejus officialem minimè poſſe clericum dam-

damnatum abſtrahere ab Eccleſia, & in monaſterium detrudere; quia ſecundùm eum hoc nullo jure cavetur. Item quia Epiſcopus tenetur fugientem ad Eccleſiam intra Eccleſiam defendere: ergo non poterit extrahere: & eum ſequitur ibi etiam Vitalin. *num.* 70. ubi reprobata opinio-
79 ne Innocentii, dicit, practicari, ut nemo invitus de Eccleſia extrahatur, ne dum pro delicto, imò nec pro debito pecuniario, propter immunitatem Eccleſiæ, & hanc conſuetudinem veluti piam favore Eccleſiæ ſervandam eſſe, *cap. Ad Apoſtolicam*, *de Simon. cap. Super eo de cognat. ſpirit. cum ſimil.* & notat Innocent. hìc: & mox concludit idem Vitalinus ſpecialem, & abſolutam proviſionem eſſe in hoc cap. ſuper non extractione confugientis, ſive ſit nobilis, vel ignobilis, ſive pauper, vel dives, juvenis, aut ſenex, Clericus, vel laicus, criminoſus, vel æri alieno ſuppoſitus. Idem tenet Roman. *conſil.* 227. *Spectabilis Domine Collateralis*, *per totum*, ubi in facti contingentia conſuluit, quemdam Presbyterum captum in clauſtro Eccleſiæ gaudere immunitate Eccleſiaſtica, ac propterea fuiſſe relaxandum: & quia ex adverſo dicebatur, quòd immunitas Eccleſiæ prodeſſet laicis dumtaxat, non autem Clericis: idem Romanus in *conſil* 134. *Advertendum*, reſpondit hoc eſſe falſiſſimum, & pluribus probat hoc privilegium commune eſſe tam Clerico, quàm laico, & eum ſequitur ibi Mandoſ. in Addit. poſt Ludov. Bologn. quem citat in *tract. de indulgent. col.* 3. *verſ. Hoc etiam probatur*, Remig. *in tract. de immunit. Eccl. fall.* 21. & opinionem Romani magis communem eſſe affirmat Bernard. Diaz *in pract. crimin. cap.* 115. relatus à Covar. *var. reſolut. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 16. & Jul. Clar. *in praxi crimin. §. fin. qu.* 30 *verſ. Ulterius quæro*, eamque dicit de jure veriorem Tiberius Decian. *in tract. crimin. tom.* 2. *lib.* 6. *c.* 26. *tit. de caſibus*, *qui reſpiciunt perſonas confugientium ad Eccleſiam*, *num.* 21. *verſic. Puto ego*. Plenè Joann. Viſchis *de immun. num.* 3. ubi ſic ait: (Stat ergo regula, & vera concluſio, quòd Judex etiam Eccleſiaſticus non poteſt fugientem ad Eccleſiam invitum etiam ſubditum ſuum, ſive Clericum, ſive laicum extrahere, nec pęnam corporis afflictivam imponere,) & *nu.* 9. *& ſeq.* diluit argum. Abbatis, & *num.* 72. concludit nec Judicem Eccleſiaſticum etiam diſciplinæ cauſa poſſe Clericum ab Eccleſia extrahere, & ſequuntur plures alii ex junioribus relati à Modernis Collectoribus hìc.

80 Nititur hæc ſecunda opinio infraſcriptis fundamentis, quæ abſque dubio ſolidiora, ac firmiora ſunt.

Primum fundamentum eſt Romani d. *conſ.* 234. *in princ.* & Vitalini in d Clem. 1. *n.* 70. *de pœnit. & remiſſ.* quia canones prohibentes extrahi reos ab Eccleſiis loquuntur generaliter, non diſtinguendo Clericum à laico, ut hìc, & in concord. *ſupra cit. num.* 68. ergo generaliter de omnibus ſunt intelligendi, *leg. De pretio*, *ff. de public. in rem action. cum ſimil.*

81 Secundum fundamentum eſt ejuſdem Romani ubi ſupra quia major ratio eſt in Clerico, ut in Eccleſia capi non poſſit, quàm in Laico, cùm Clericis domus propria quodammodò Eccleſia ſit; in domo autem propria neminem capi permiſſum eſt, *l. Plerique*, *ff. de in jus vocan. l. Nemo de domo*, *ff. de reg. jur.*

82 Tertium, & præcipuum fundamentum ex eodem Romano, & ex aliis deſumptum eſt, quia hoc privilegium, ut nullus ab Eccleſia poſſit extrahi invitus, eſt conceſſum loco ipſius Eccleſiæ, quod probant jura allegata in 4. *q. nu.* 61. & conſtat ex proœmio hujus conſtitutionis, quę refertur integra ab Antonio Auguſtino *in* 3. *Collect. Decretal. lib.* 3. *tit.* 32. *c. Unico*, ibi, *Et pro reverentia ſacri loci debitas pœnas valeant evitare*. Ergo ſuffragatur cuilibet in Eccleſia exiſtenti, ſive ſit Clericus, ſive laicus, facit in ſimili, quod notat Bart. in *l. fin. C. de teſtam. & in leg. Cunctos Populos. C. de Summa Trin. & fide Cathol.* & Bald *in l. Si non ſpeciali, C. de teſtam.* dicentes privilegia locis conceſſa ad omnes perſonas ibi exiſtentes extendi, ad forenſes, & extraneos.

83 Quartum fundamentum deſumitur ex Genzelino ſupra cit. in Clem. 1. *de pœnit. & remiſſ.* & ex Jo. Andr. hìc *nu.* 4. quia Epiſcopus tenetur omnes ad Eccleſiam confugientes, & præcipuè clericos defendere: ergo non poterit eos extrahere, quia non debet ille impugnare, qui defendere debet, *c. Conquerente*, *in princ. ſupra de reſt. ſpol.* Ad hoc *c. Unicum in fin. de nat. ex liber. ventr. infr.* ibi, *Durum eſt enim*, *ut ſi alii pro mercede libertates tribuunt*, *ab Eccleſia*, *à qua tueri debent*, *revocentur*, cum concord. de quibus in gloſ. ult.

Quintum fundamentum deſumitur ex hac Decretali, ubi excipiuntur ſolummodò latrones publici, & nocturni depopulatores agrorum: ergo in aliis omnibus ſive ſint Clerici, ſive laici firmatur regula in contrarium, ut conſtat ex dictis ſupra *nu.* 39.

Sextum, & ultimum fundamentum aliis omiſſis deſumitur ab abſurdo: nam ex contrario ſequeretur, ut Clerici eſſent deterioris conditionis, quàm laici, imò pejoris, quàm Judæi, & pagani, qui tamen hoc privilegio gaudent, ſecundùm veriorem, & magis communem opinionem, ut concluſum eſt ſupra in 4. *qu.* Et retenta hac opi- 84
nione uti veriori, & magis communi non obſtant argumenta contraria.

Ad primum enim, nempè ad gl. 1. in *c. Nullus Clericorum*, 17. *qu.* 4. reſpondetur eam non dicere id, ad quod allegatur, niſi fortè per argumentum à contrario ſenſu, quod tamen ſumere non licet ab auctoritate gl. quæ probabilis eſt, præſertim ad reſtrictionem juris communis, ad not. per Joan. Andr. *in c. Publicato*, *n.* 18 *de elect.*

Ad ſecundum patet reſponſio ex dictis in præcedenti, quæſt. *num.* 69. *verſ. Et ad objectum*, & ex dictis Vitalin. in Clem. 1. *num.* 70. *circa fin. verſ. Nec obſtat dictum cap. Inter alia.*

Ad tertium, in quo ferè conſiſtit tota difficultas pręſen- 85
tis diſputationis, reſpondent nonnulli, Religioſos ad Eccleſiam, vel palatium Epiſcopi adductos, vel ſponte ibi comparentes, ut ſe in judicio defendant, illuc non confugere eo animo, ut ſint tuti in Eccleſia, vel loco immuni. Unde nil mirum, ſi Eccleſiæ immunitate non gaudent. Ad quod facit optimè, quod notat Vital. in d. Clem. 1. *nu.* 87. *de pœnit. & remiſſ. in quæſt.* an violetur immunitas, ſi captus per Eccleſiam deducatur, & inde invitus abſtrahatur: ubi concludit his verbis: (Attende, quia iſte non confugit ad Eccleſiam, & ſic non debet gaudere.)

Verùm hęc reſponſio videtur convellere immunitatem 86
Eccleſiaſticam, quia non tantùm confugientibus ad Eccleſiam, ſed etiam in ea reſidentibus hoc privilegium eſt conceſſum, ut in *cap. Diffinivit*: 17. *qu.* 4. ibi, *Vel reſidentes inde abſtrahere*, *aut quodcumque nocibilitatis*, *vel damni*, *ſeu ſpolii reſidentibus in loco ſancto inferre*: nec attenditur, qua intentione quis ad Eccleſiam ſe contulerit, ſed ſatis eſt, ut modò intendat gaudere illius immunitate, ut dictum eſt ſupra *in* 4. *quæſt. de Judæo*, *numer.* 60. *verſ. Tu verò dicas*.
Quinimò etiamſi vellet expreſsè renuntiare privilegio im- 87
munitatis, & permitteret ſe capi in Eccleſia; tamen ſi ibi caperetur, non obſtante illius conſenſu violaretur Eccleſiæ immunitas, quia privilegium eſt conceſſum Eccleſiæ, 88
cui ex captura irrogatur injuria, ut conſtat ex dictis ſupra *num.* 61. *&* 64. & privilegio Eccleſiæ nemo poteſt renunciare, argum. *cap. Contingit*, *il* 1. *infra de ſent. excomm.* & quatenus immunitas eſſet etiam conceſſa intuitu per- 89
ſonæ: tamen generale eſt, ut privilegio in favorem duorum conceſſo alter altero invito renuntiare non poſſit, *cap. Ad Apoſtolicam*, & ibi gloſ. *in verb. Monaſterii*, Hoſtienſ. *num.* 4. *in fin. verſ. Sed & ex hoc*, *& num.* 8. Butr. *nu* 3. & Abbas *num.* 10. *ſupra de regul.* unde ſi velit non gaudere, 90
exeat ſponte Eccleſia, quod benè poteſt. Nam ut dicit Gulielm. de Monte Laud. & poſt eum Vitalin. in dict. Clement. 1. *num.* 85. *de pœnit. & remiſſ.* ſi confugiens ſponte ſe offerat Juſtitiæ, & de Eccleſia ſponte exeat, non cenſetur violata immunitas; non reſpectu confugientis, quia beneficio immunitatis ſolùm gaudet, qui eam petit, & appetit, & volenti non poteſt fieri dolus, vel injuria, *l. Cum donationis*, *C. de tranſactionibus*: nec reſpectu Eccleſiæ, quia cum non fuerit extractus, ſed ſponte receſſerit, non fuit immunitas violata, & ſic nec Eccleſia injuriata, argum. *l. Quod dictum*, *ff. de pactis*, & ita intelligas quod notant Goffred. & Hoſt. en. *in c. p. ult. num.* 2. *infra eodem*, ubi quærunt, quid ſi aliquis volentem de loco immunitatis extrahat, & ſic extractum vel ad mortem, vel ad mutilationem membrorum condemnet, numquid eſt offenſa Eccleſia? Et reſpondent non, quia ſola violentia punitur, ut hìc, & idem tenuit Hugo *in cap. Diffinivit*, 17. *qu.* 4. & Archid. *in cap Reum*, *nu.* 1. *ead. cauſ. & quæſt.* arg. *cap. ſeq.* ibi, *Reluctantem*, & concordant in *d. c. ult. infra eod.* Jo. Andr. *num.* 2. Butr. *num.* 4.

Proſp. Fagnan. in III. Lib. Decretal.

 & Col-

91 & Collect. *n.* 2. Unde ſi quis ductus ad Eccleſiam, vel ad Palatium Epiſcopi, vel ſponte ibi comparens ad ſubjiciendum ſe axamini, vel ſe defendendum, diceret: Ego nolo hinc exire, ſed volo frui Eccleſiæ immunitate; utique abſtrahi non poſſet invitus, ſicut dicitur de eo, qui dum ad ſupplicium ducitur, tranſit per Eccleſiam: nam talis non confugit ad Eccleſiam, ſed ducitur nihil cogitans de immunitate, & tamen quia dum ibi exiſtit, intendit gaudere, non poteſt amodò invitus extrahi, ſecundùm magis communem opinionem, de qua ſupra *n.* 44. *&* 88.

92 Igitur & meliùs argumento Abbatis arbitror ſic poſſe reſponderi. Religioſi poſſunt puniri, & carcerari intra clauſtra, neque per hoc Eccleſiæ, vel monaſterii immunitas violatur, quia à loco immuni non extrahuntur: & jura canonica ſolùm prohibent reos ab Eccleſiis abſtrahi, ut hìc, & in concordantibus ſupra citatis *in* 3. *not.* Caſtigare autem clericos, aut moderatè verberare etiam in Eccleſia correctionis, vel diſciplinæ cauſa non eſt prohibitum, ut notat gloſſa in *cap. Nullus clericorum*, 17. *quæſt.* 4. & fatetur ipſe Abbas in ſuo argumento contrario, dummodò non ſequatur mors, vel mutilatio, ut hìc patet, & in *cap. Reum*, 17. *quæſt.* 4. & notat Vitalin. in Clement. 1. *num.* 17. *de pœnit. & remiſſ.*

93 Quando autem religioſi ex uno monaſterio in aliud arctius detruduntur, quamvis extrahantur inviti, tamen loci immunitas non violatur; tum quia hoc fit canone permittente, *cap. Qui peccat*, 23. *quæſt.* 4. tum quia ab uno monaſterio, & loco immuni deducuntur ad aliud ſimiliter immune: & ita ſalva ſemper remanet Eccleſiæ immunitas; quod clarè explicat Vitalin. in d. Clem. 1. *num.* 71. *de pœnit. & remiſſ.* per hæc formalia verba; (Et ſic ſalvo opinionem Innocentii, quòd contra taliter confugientem poteſt procedi, & inquiri, & condemnatoria fulminari per judicem Eccleſiaſticum, & tunc in carcerem detrudendus eſt, ut pęnam luat. Unde in aliquem locum ſi ſit infra dictam Eccleſiam, aut ſepta ejuſdem, detrudetur loco carceris; alias extrahatur, & detrudetur in monaſterium aliquod, ut ibi ſit incarceratus; nec per hoc infringetur Eccleſiæ immunitas, quia de Eccleſia non extrahitur, ut ad locum privatum deportetur, ſed ad monaſterium, & ſic de Eccleſia non extrahitur, cùm in Eccleſia continuè maneat. Per hoc enim, quòd confugit, non debet eſſe delictum impunitum.) Hæc Vitalin. Et idem dicendum de Clericis ſæcularibus, qui poſſunt caſtigari, & carceri mancipari intra ſepta Eccleſiæ, vel ad pęnitentiam in monaſterium detrudi per judicem Eccleſiaſticum; & ſic de loco immuni ad alium immunem. Per hoc enim Eccleſiæ immunitas non infringitur, ut dictum eſt; unde ceſſat abſurdum Abbatis, quia delicta non remanent impunita.

Ad quartum patet reſponſio ex dictis in reſponſione pręcedenti. Item Eccleſia non tuebitur facinora clericorum, quia in criminibus exceptis poterit eos extrahere, & in non exceptis coercere cenſuris, ac pœnis Eccleſiaſticis, aut pecuniariis, ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſupra in 3. *notab. num* 16.

Ad quintum, & ſextum ſatis ſuperque reſponſum eſt ſupra in reſponſione ad tertium, & quartum argumentum.

94 Conſuetudo autem contraria, cùm ſit præjudicialis immunitati Eccleſiaſticæ, non pia, neque laudabilis, ſed abuſus, & corruptela dicenda eſt: & ideò eſt nulla, & impræſcriptibilis, etiam ſi eſſet tanti temporis, cujus initii non eſſet memoria, *c. Cum terra*, & ibi dixi *n.* 6. *&* 7. *de elect. c. Cum cauſa, de ſent. & re judic. c. Illa autem, verſ. Quod enim*, 12. *diſt. & c. Cum inter, de conſuet.* Quod de plano procedit poſt Bullam Urb. VIII. *Romanus Pontifex*, editam 5. *Junii* 1641. per quam ſublata eſt quæcumque conſuetudo præjudicialis libertati, & immunitati Eccleſiaſticæ, etiamſi ſit immemorabilis, & cum ea concurrat fama privilegii, ut ſcripſi plenè in *c. Conſuetudines nu.* 59. *&* 74. *ſupra de conſuet.*

95 Ad ponderationem Conſtitutionis Gregor. XIV. *de immunitat. Eccleſiarum*, reſpondetur Conſtitutionem illam fuiſſe editam contra Principes ſæculares, qui plura indulta, & privilegia extrahendi delinquentes ab Eccleſiis à Sede Apoſtolica impetrarunt, & illis abutebantur, ut patet ex verbis proemii: & quia vigore hujuſmodi indultorum Principes nullam auctoritatem poterant ſibi vendicare in Clericos, utpotè exemptos ab illorum juriſdictione, ſed tantùm in laicos ſibi ſubjectos; propterea Conſtitutio de laicis tantùm, & non de clericis mentionem fecit. Sed hinc non ſequitur, ut Clerici non gaudeant immunitate in illis caſibus, in quibus gaudent laici. Imò major eſt ratio in Clericis, ut conſtat ex dictis ſupra *in* 2. *fundamento, num.* 83.

Septimò QUÆRO, an in caſibus, quibus laici ad Eccleſiam confugientes non gaudent illius immunitate, extractio fieri debeat per judicem Eccleſiaſticum, an verò per judicem laicum. Abb. *hic num.* 29. format hanc quæſtionem, ſed in ſolutione decidit ſolummodò ad quem ſpectet punitio delicti intra vel extra Eccleſiam perpetrati, & nihil dicit de extractione delinquentis. Cynus verò in *l. Præſenti, num.* 2. *in* 2. *quæſt. C. de his qui ad Eccleſiam confug.* diſtinguit ſic: Aut talis deliquit in Eccleſia, & tunc eſt de juriſdictione Eccleſiaſtica, & punietur per judicem ſuum, non per ſæcularem: Aut deliquit extra Eccleſiam, & tunc extrahetur per judicem laicum. 96

Sed tù rejecta hac diſtinctione dicas nullo caſu extractionem fieri poſſe per judicem ſæcularem, quia Eccleſia non eſt de territorio Principis ſæcularis, *cap. Poſtulaſti*, cum ibi not. *de for. compet. & c. Rex debet.* 23. *quæſt.* 5. Abb. *d. num.* 29. *verſ. Credo quòd non*, ubi dicit Eccleſiam non habere territorium, niſi reſpectu eorum quæ ſunt, ſeu pertinent ad forum Eccleſiaſticum, nec eſt ſubdita judici ſæculari, ſed Eccleſiaſtico tantùm, ut *l.* 2. *C. de Summ. Trinit. cap. Miror*, 17. *quæſt.* 4. *cap. Eccleſia S. Mariæ, de Conſtit. cum pluribus concord.* Paulo de Caſtro *in l. Si quis in hoc genus, num.* 3. *C. de Epiſcopis, & Cler.* Ergo judex laicus non poteſt in Eccleſia ullam juriſdictionem exercere, delinquentes inde extrahendo, quia ſic exerceret juriſdictionem extra territorium, *l. fin. ff. de juriſdict. omnium judic. cap. Ut animarum de Conſtitut. lib.* 6. & in Eccleſiam ſibi non ſubditam, *cap. An nobis, il primo, infra de ſentent. excomm. & d. cap. Ut animarum.* Unde non evaderet pęnas violantis immunitatem Eccleſiaſticam, Dei ordinatione, & canonicis ſanctionibus conſtitutam, ut in Concilio Tridentino *c.* 20. *ſeſſ.* 25. 97 98 99

Hodie hoc eſt expeditum per Conſtitutionem allegatam Greg. XIV. *de immun. Eccleſ.* nam *in* §. 2. *verſ. Sed univerſis*, diſponitur, *Ut Epiſcopi, & Eccleſiarum Prælati tam ſæculares, quàm regulares, qui confugientes ad Eccleſias aliquod ex criminibus exceptis judicio ſuo commiſiſſe videbuntur, quando à Curia ſæculari fuerint requiſiti, curare debeant, ut eidem Curiæ tradantur, & conſignentur*, & in § 4 diſertis verbis ſtatuitur, *Ut Curia ſæcularis, ejuſque judices, & officiales ab Eccleſiis, monaſteriis, locisque ſacris laicum aliquem delinquentem in aliquo ex caſibus ibi exceptis ſine expreſſa licentia Epiſcopi, vel ejus officialis, & cum interventu perſonæ Eccleſiaſticæ ab eo auctoritatem habentis capere, extrahere, aut incarcerare non poſſint, niſi eo caſu, quo ipſe Epiſcopus, & dictæ perſonæ Eccleſiaſticæ requiſitæ illos in delictis ibi expreſſis culpabiles tradere, aut capturæ, & carcerationi intervenire, & aſſiſtere recuſaverint; tuncque reverentiæ Eccleſiæ, & locis ſacris debitæ memores prædictos delinquentes minori quo id fieri poterit, cum ſcandalo, & tumultu extrahere curent*, & in §. 2. ſtatuitur, *Ut ſic à Curia ſæculari extracti ad carceres Curiæ Eccleſiaſticæ reponi, & inibi ſub tuto, & firmo carcere, & opportuna cuſtodia data illis, ſi opus fuerit, per Curiam ſæcularem detineri debeant, nec inde extrahi, Curiæque ſæculari prædictæ conſignari, nec tradi poſſint, niſi cognito priùs per Epiſcopum, ſeu ab eo deputatum, an verè crimina ſuperiùs expreſſa commiſerint: tuncque demum de mandato Epiſcopi per judicem Eccleſiaſticum Curiæ ſæculari quacumque appellatione poſtpoſita conſignentur.* 100

Octavò. & ultimò QUÆRO, an violetur immunitas Eccleſiaſtica per violentam extractionem rerum ab Eccleſiis, & locis immunibus, adeò ut extrahentes incidant in excommunicationem Bullæ Greg. XIV.

Palàm eſt immunitatem violari non tantùm per extractionem perſonarum, ſed etiam rerum, ut eſt text. in *cap. Sicut antiquitus*, 16. *qu.* 4 ibi: *Aut perſonam hominis, vel bona ejus inde ſubtraxerit, & in c. Quiſquis, eadem cauſ. & quæſt.* ibi: *Vel domus, quæ intra prædictos paſſus fuerit, aliquid inde diripiendo, vel auferendo*, & infrà ibi: *Aliqua inde abſtulerit*, nec non infrà ibi: *Depoſita, vel alia qualibet exinde abſtrahunt, damnum novies componant, & immunitatem tripliciter.* Item ſic abſtrahentes ſacrilegi judicantur, *cap. Si fortè, & cap. Qui rapit*, 17. *qu.* 4. Commiti- 101

mittitur enim ſacrilegium auferendo ſacrum de ſacro , vel non ſacrum de ſacro , ſive ſacrum de non ſacro, ut legitur in d. *cap. Quiſquis*.

Verùm etſi tales, ut violatores immunitatis, & ſacrilegii de jure communi , niſi emendent, ſint excommunicandi , ut in d. *c. Sicut antiquitùs*, 17. *qu*. 4. & notat gloſſ. in *c. Conqueſti, in verb. Excommunicatos nuntietis, de ſentent. excommu.* & ſcripſi pleniùs in *c. Cum pro cauſa, à n. 6. eod. titul.* tamen non videntur incidere in cenſuras Bullæ Gregorii XIV. quia hæc loquitur de extrahentibus perſonas , nec debet extendi ad eos, qui extrahunt res; tum quia appellatione perſonarum non veniunt res, ut *inſtit. de jure naturali, §. final. & de rer. diviſ. in princ.* Unde cùm extrahentibus res non adaptentur verba Conſtitutionis, conſequenter nec ejus diſpoſitio adaptari debet, *l. 4. §. Toties, ff. de damno infecto , cum ſimil.* Tum quia Conſtitutio pœnalis eſt , & exorbitans à jure communi; & ideò de caſu ad caſum non extendenda , etiam ex majoritate rationis: textus eſt notabilis in *l. Sed ſciendum , ff. Ad legem Pompejam de Parricid.* quem ad hoc ponderat Aretin. *in c. Cum non ab homine , n. 59. circa fin. de judic.* Facit gloſſ. in *c. Ut hi , in verb. Ejuſdem, de ætat. & qualit.* Tum quia non viget tanta ratio in extrahentibus res , quanta in extrahentibus perſonas : imò qui perſonas violenter abſtrahunt , plus delinquunt, quia inferunt injuriam loco ſacro , & perſonę ſimul *c. Miror* , 17. *qu*. 4. & ideò plus puniuntur , *c. Non afferamus*, 24. *qu*. 1. *c. Quæſivit , de his quæ fiunt à majori parte Capituli , c. ult. in fine , de exceſſ. Prælat.*

Cave tamen, quia ſi abſtractio bonorum fieret auctoritativè per miniſtros Curię, vel de mandato judicis, ſeu Magiſtratus ſæcularis, tam abſtrahentes, quàm mandantes , quamvis non inciderent in pęnas Conſtitutionis Gregorianę, quę ut prędixi de perſonis, & non de rebus loquitur : tamen inciderent in excommunicationem Bullę Cœne Domini §. 17. latam in uſurpatores juriſdictionis ad Sadem Apoſtolicam, vel quaſcumque Eccleſiaſticas perſonas ratione Eccleſiarum pertinentis. Sive enim facultas dandi licentiam abſtrahendi res à locis immunibus ſpectet ad Sedem Apoſtolicam, ſive ad Epiſcopum, juxta text. *in c. Quiſquis*, 17 *q*. 4. ibi: *Si quis domum Dei violaverit, & aliqua ſine licentia illius, cui commiſſa eſſe dignoſcitur* (id eſt Prælati, ſecundùm gloſ. in figuratione caſus) *inde abſtulerit, &c* utroque caſu Eccleſiaſticam juriſdictionem uſurpat: & ideò incidit in illud caput Bullæ Cęnæ Domini. Facit textus in *c. 1. ſupra eodem*, & hìc junge quæ dixi ſupra *n. 97. cum duobus ſeqq.*

Porrò pro abſtrahendis rebus à locis immunibus licentię expediri ſolent per litteras Sac. Congregationis Immunitatis Ordinario directas ſub formula infraſcripta , videlicet: *Supponendoſi per parte di N. di haver ottenuto mandato eſſecutivo contro li beni, & mobili d. N. qual mandato non puol fare eſſeguire per eſſer ſtati traſportati detti mobili nella Chieſa, &c. acciò ſia rimoſſo il pregiuditio publico, e conſervata l' Immunità Eccleſiaſtica, potra V. S. col mezo de' Miniſtri Eccleſiaſtici far eſtraere dalla ſudetta Chieſa , ò altro luogo immune le dette robbe , e quelle con inventario conſegnare à Giudice competente , affinche ſopra di eſſe ſi poſſa eſſeguire quello ſarà di giuſtitia , concedendoſele con la preſente dalla Santità di Noſtro Signore la facoltà in ciò neceſſaria .*

DE IMMUNITATE ECCLESIARUM.

Gregorius IX. Aſtoricen. Epiſcopo.

C A P U T IX.

ECcleſiæ, in qua divina myſteria celebrantur , licèt adhuc non extiterit conſecrata , nullo jure privilegium immunitatis adimitur : quia obſequiis divinis dedicata , nullius eſt temerariis auſibus profananda .

S U M M A R I U M.

1 *ECcleſia non conſecrata, in qua divina celebrantur , gaudent immunitate , & n. 5.*

2 *Eccleſiæ appellatione venit etiam non conſecrata .*

3 *Baſilica propriè quæ dicitur , & n. ſeqq.*

4 *Monachus appellatur poſt profeſſionem .*

5 *Eccleſia non conſecrata gaudet immunitate , etiamſi divina officia ibi nondum fuerint celebrata , & nu. 8. & 10.*

6 *Eccleſia non conſecrata eodem privilegio gaudet quo conſecrata .*

7 *Et cùm fundata eſt , ſpectat ad ordinationem Epiſcopi & eſt locus devotus , religioſus .*

9 *Statuta Præfecti urbis ſalvant confugientes ad ipſam .*

10 *Conſuetudo favens immunitati Eccleſiæ tamquam pia ſervanda eſt .*

11 *Eccleſia interdicta gaudet privilegio immunitatis .*
Idem in Eccleſia polluta , n. 13.

12 *Clericus ſuſpenſus , interdictus, vel excommunicatus retinet privilegium fori , & canonis .*

14 *Eccleſia deſtructa gaudet immunitate , dummodò ſubſit ſpes reædificationis, & auctoritate Epiſcopi deſtructa non fuerit .*

15 *Atrium , & porticus Eccleſiæ adhærens immunitate gaudet .*

16 *Immunitas in majori Eccleſia ad 40. paſſus extenditur circumquaque , in minoribus verò Eccleſiis , vel capellis ad 30.*

17 *Niſi Eccleſiæ minores, vel capellæ ſint in caſtellis .*

18 *Eccleſia gaudet immunitate per circuitum quadraginta , vel triginta paſſuum , etiamſi cœmeterium minori ſpatium perſtringatur .*

19 *Niſi infra dictos paſſus alia domus laicorum interponatur , & n. 30.*
Quid ſervetur de conſuetudine .

21 *Cœmeterium , & Eccleſia gaudent eodem privilegio, & uno violato , cenſetur & aliud violatum .*

22 *Immunitatem violat , qui ſtans extra cœmeterium trahit illum , qui ſtat intus , per partem pallii quæ manet exteriùs .*

23 *Oratoria, quæ in domibus privatorum ſunt, gaudent immunitate, ſi auctoritate Epiſcopi ſint conſtructa .*
Aliàs ſecus , n. 25.

24 *Oratorium auctoritate Epiſcopi ædificatum , eſt publicum , & religioſum , nec poteſt ad humanos uſus deputari .*

26 *Privatum verò hodie eſt oratorium , & cras poteſt eſſe camera .*

27 *Hoſpitalia gaudent immunitate , ſi conſtructa ſint auctoritate Epiſcopi .*

28 *Monaſteria , & domus religioſæ gaudent immunitate .*

29 *Palatium Epiſcopi immunitate gaudet, quamvis ſit extra fines Eccleſiæ, vel ultra quadraginta paſſus, & in eo non ſit capella .*
Et quid in palatio inferioris Prælati , n. 35. & 36.

31 *Familia Epiſcopi gaudet privilegio fori , licèt ſit ſæcularis .*

32 *Palatia Cardinalium an gaudeant immunitate .*

33 *Et quid in Urbe .*

34 *Franchitias in Urbe prohibuit Julius III. etiam quoad omnes Principes , & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales .*

35 *Archimandritæ Meſſanen. palatium etiam conductitium non fixum, & habens Eccleſiam conjunctam in civitate Meſſanen. gaudet immunitate Eccleſiaſtica ſtante legitima conſuetudine.*

37 *Familiares Archimandritæ gaudent privilegio fori ſtante etiam conſuetudine.*

38 *Archimandrita in civitate Meſſanen. degens poteſt Magiſtratus coercere cenſuris ſuam juriſdictionem turbantes.*

1 ECcleſiæ. Eccleſia non conſecrata, in qua Divina celebrantur, gaudet immunitate. Hoc dicit ſecundùm Jon. Andr. Butr. Anchar. Abb. & Jo. de Anan. & ſunt duæ partes. Prima ponit dictum, ſecunda rationem ibi, *Quia*.

2 Nota primò ex principio text. Eccleſiæ appellatione ve-
3 nire Eccleſiam, licèt nondum extiterit conſecrata. Sed Abbas *hic num.* 2. dicit hoc verum eſſe latè ſumpto vocabulo: nam ſtrictè & propriè antequam conſecretur, non appellatur Eccleſia, ſed Baſilica; poſt conſecrationem verò aſſumit nomen Eccleſiæ. Ad quod vide bonum text. cum gloſ. 1. in *c.* 1. ibi, *Ad Baſilicam, quæ dedicanda eſt*, *ſupra de relig. domib.* ubi Hoſt. *num.* 1. poſt d. gloſ. primam exponit verbum *Dedicanda*, ideſt, conſecranda; nam tunc demum poſtquam eſt conſecrata, propriè appellatur Eccleſia, anteà verò Baſilica eſt, ſicut electus in conſecratione ſua aſſumit nomen Epiſcopi, *ut cap. fin. ſupra de translat. Epiſc.* & Archiepiſcopus in receptione Pallii, nomen Ar-
4 chiepiſcopale, *cap. Niſi ſpecialis, ſupra de uſu pallii*, & Monachus nomen Monachi, cùm profeſſionem facit, quia tunc dedicatur Deo, *c. Virginibus, & c. Si quis ſacro*, 27. *quæſt.* 1. *& c. Conſtitutus, ſupra de converſ. conjugat.* & cum Hoſtienſ. concordant in dict. *c.* 1. Joan. Andr. *numer.* 3. Butr. *in* 1. *notab. & num.* 8. *verſ. Et dicit gloſſ.* & Abbas *num.* 1. *in* 3. *notab.* & idem Abbas *ſupra in rubr. de conſecr. Eccleſ. vel altar. numer.* 2. Joan. de Viſch. *in repetit. cap. Diffinivit*, 17. *quæſt.* 4. Soccin. *in tract. de immun. Eccleſ.* inter tractatus communes *tom.* 2. *fol.* 135. Verùm etſi cum his tranſeant communiter Doctores, tamen jure non videntur probari, quia ſicut Eccleſia dicitur etiam ante conſecrationem, ut hic patet, & in *cap. fin. ſupra de conſecrat. Eccleſ. vel altar. & c. Eccleſiam, de conſecr. diſt.* 1. ita & nomen Baſilicæ indifferenter, & promiſcuè refertur ad quaſcumque Eccleſias, ſive conſecratas, ſive non, ut *c. Omnes Baſilicæ*, 16. *qu.* 7. *c. Perlectis, §. Ad Primicerium, & §. Ad Theſaurarium*, 25. *diſt. c. Si quis per ſuperbiam*, 30. *diſt.*

Unde verius puto Eccleſiam, & Baſilicam eſſe ſynonyma, ut probatur in *c. ult. ſupra de Eccleſ. ædific.* ubi text. pro eod. accipit Eccleſiarum erectionem, ac Baſilicarum inſtitutionem, & in *c. Non oportet, il ſecondo*, ibi, *In Eccleſiis ſeu Baſilicis*, 42. *diſt.* ubi Archid. *num.* 1. (Baſilica, inquit, dicitur Palatium Regis: inde dicitur Baſilica quælibet Eccleſia, quæ eſt domus, & palatium ſummi Regis, & æterni] & ita Archid. accipit nomen Baſilicæ pro quacumque Eccleſia: non diſtinguitur, an ſit conſecrata necne, & ſequitur ibi Bellam. *in princ.* & Turrecrem. *n.* 1. & gloſſ. in extravag. *Antiquorum, in verb. Baſilica, de pœnit. & remiſſ.* nec diſſentit Laurentius relatus ibi ab Archid. dum ait Baſilicam dici à baſe, eò quòd ſit fundamentum omnium Eccleſiarum, vel dicitur Baſilica, ſive regalis, quia ab Regi regum miniſtratur, ſecundùm Archid. Alii verò dicunt Cathedrales Eccleſias tantùm appellari Baſilicas, quia hujuſmodi Eccleſiis conſueverunt reges fundare, & ditare, & in hac opinione fuit Hugo, ut referunt Archidiac. & Turrecrem. *ubi ſupra*. Hinc Patriarchales Eccleſiæ in Urbe appellantur Baſilicæ de quibus & præcipuè de Lateranenſi, & Principis Apoſtolorum ambigi non poteſt, quin fuerint conſecratæ, cùm illarum conſecrationis officium in univerſa Eccleſia celebretur, & de Baſilica Principis Apoſtolorum fit mentio in dict. extravag. *Antiquorum, de pœnit. & remiſſ.* ubi gloſſa exponit verbum Baſilicam, ideſt Eccleſiam: nam propriè eſt domus regia, vel palatium Regis, ſed per translationem dicitur Eccleſia, quia eſt palatium Summi Regis. Idem patet ex conſtitutione prima Gregorii XI. quæ incipit *Super univerſas orbis Eccleſias*, edita ſuper præeminentia Eccleſiæ Lateranenſis in Bullar. *tomo* 1. *pag.* 220. ibi: *Inter omnes urbis, & orbis Eccleſias, aut Baſilicas; etiam ſuper Eccleſiam ſeu Baſilicam Principis Apoſtolorum de Urbe ſupremum locum tenere*, &c. & ex alia Conſtitutione 94. S. Pii V. incip. *Infirma ævi conditio*, confirmatoria prædictæ Conſtitutionis Gregor. XI. in Bullar. *tomo* 2. *pag.* 296. ubi plures fit mentio Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & de Baſilca Lateranenſi patet ex libro Pontificali Damaſi Papæ *in libello de munificentia Conſtantini, tomo* 1 *concil. part.* 1. *pag.* 214. *col.* 1. ubi ſic legitur: *Hujus temporibus* (ſcilicet Beati Silveſtri) *fecit Conſtantinus Auguſtus Baſilicas iſtas, quas & ornavit, Baſilicam Conſtantinianam*, &c. & infra *pag.* 215. *col.* 1. *Eodem tempore Conſtantinus Auguſtus fecit Baſilicam Beato Petro Apoſtolo in Templo Appollinis.* Similiter Eccleſia Sanctorum duodecim Apoſtolorum Urbis Baſilica appellatur, ut in *c. Cùm olim, il primo, infra de privilegiis.* Ideòque Cardinales Presbyteri inſcribuntur omnes cum titulo præter unum, qui inſcribitur Baſilicæ Duodecim Apoſtolorum Presbyter, ut ibi notat Hoſtienſ. *n.* 1. *in verb. Baſilicæ*, & Joan. Andr. *nu.* 3. *in eod. verb.* Et patet ex Conſtitutione Sixti V. *Religioſa*, §. 2 in Bullar. *tomo* 2. *pag* 562. De antiqua acceptione Baſilicæ vide text. in *l. Pediculis, §. Item cum quæreretur*, cum gloſ. *in verb. Baſilica, ff. de aur. & arg. leg. & in leg. Inter ſtipulantem, §. Sacra, ff. de verb. oblig.*

Secundò nota ex textu, immunitatis privilegium compe- 5
tere etiam Eccleſiæ non conſecratæ, ut hìc eſt caſus ſecundùm omnes, & notat Innoc. in *c. Inter alia in princ. in verb. Ad Eccleſiam, ſupra eod.* gloſſ. 1. *in c. ult. ſupra de conſecratione Eccleſiæ, vel altar.* Sanctus Raymundus *in Summa eod. tit.* Joan. de Friburgh. *in Summ. Confeſſ. rubr. de immunit. Eccleſ.* in quæſtione, utrum Eccleſiæ, Goffr. *in Summ. eodem tit. §. Hoc privilegium*, Gulielm. de Monte Lauduno in Clem. 1. *in gloſſ.* 2. *de pœnit. & remiſſ.* Henrich. Boich. in hoc cap. *nu.* 3. & nullus diſcre-
pat. Nam Eccleſia non conſecrata eodem privilegio gau- 6
det, quo & conſecrata, *c. final.* & ibi gloſſ. 1. *ſupra de conſecrat. Eccleſ. vel altar. cap. Eccleſiam de conſecrat.*
diſt. 1. Hoſtienſ. *hìc poſt prin. in verb. Adimitur*, & cùm 7
fundata eſt, ſpectat ad ordinationem Epiſcopi, etiam antequam conſecretur, & eſt locus devotus, & religioſus, *c. Præcepta*, 12. *qu.* 1. ſecundùm Archid. in *c. Noverint, nu.* 1. *ead. cauſ. & qu.* & Collect. *hìc nu.* 1. *verſ. Unde notat Archid.*

Sed dubitatur, numquid ante conſecrationem hoc privi- 8
legium habeat, ſi Divina officia ibi nondum fuerint celebrata: & quidem cùm text. loquatur de Eccleſia non conſecrata, in qua Divina myſteria celebrantur; gloſ. 1. arguit à contrario ſenſu, quòd ſi adhuc ibi non ſunt Divina officia celebrata, non gaudeat privilegio immunitatis, & rationem reddit, quia nondum plenè dedicata videtur divinis obſequiis: & cùm gloſſ. videtur conſentire Abbas Antiq. *in princ.* dum ſic format caſum: Qui confugit ad non conſecratam Eccleſiam, defenditur ab illa, dummodò ibi Divina officia fuerint celebrata; & hanc partem probaſſe videtur Clemens Papa IV. qui mandavit, ut effractores Capellæ Sancti Clementis Trecen. in qua jam celebrabantur Divina, etſi nondum conſecrata eſſet, denuntiarentur excommunicati, ac ſi conſecrata fuiſſet, ut refert Hoſt. *hìc ante n.* 1. *verſ. Dominus tamen Clemens, & in c. ult. nu.* 7. *ſupra de conſecr. Eccleſ. vel altar.*

Contrarium tamen determinat idem Hoſt. hic in princ. quia ſufficit, ut locus ſit dedicatus Deo auctoritate Pontificis primarium lapidem imponentis, ut ſequentia innuunt, ibi, *Qui obſequiis Divinis dedicata nullius eſt temerariis auſibus profananda*, argum. *c. Ad hæc, ſupra de relig. domib.* Neque obſtant verba illa textus, *In qua Divina myſteria celebrantur*, quoniam exponi debent, ideſt celebrari poſſunt, cùm ad hoc apta ſit; non enim tantum conſideranda eſt celebratio Divinorum, quantum dedicatio Deo ſolemniter facta, ut in text. nec multum inſpicienda eſt celebratio Divinorum: quod patet in privato oratorio, de quo in 8. ampliatione. Inducit etiam Hoſt. quod dicam infrà in 11. *ampliat.* de Palatio Epiſcopi, & de Eccleſia interdicta, in qua Divina officia non celebrantur, ut infra in 2. *Ampliatione*. Item ſtatuta Præfecti urbis ſal-
vat, ut *§. fin. inſtitut. de his, qui ſunt ſui, vel alien. iur.* ergo 9
fortiùs locus Deo dedicatus ut *hìc, & in §. Nullus, inſtit. de rerum diviſ.* & multò fortiùs etiam ſine aliqua comparatione ipſum corpus Chriſti, & cum Hoſtien per omnia concordant Joan. Andr. *num.* 4. *verſ. in gloſſ.* 1. Collectar.

num. 1.

num. 1. verſ. Sufficit quòd locus, Henrich. Boich. num. 3. in fin. verſ. Et licet. Bernardus Butr. num. 6. Cardin. in 1. quæſt. Anchar. num. 4. Abbas num. 5. & Joan. de Anan. num. 2. in fin. Genzelin. Gulielm. de Monte Laudun. & Jo. de Lignan. in Clem. 1. de pœnit. & remiſſ. Covarr. lib. 2. var. reſol. quæſt. 20. num. 4. dicens ita frequentiore interpretum conſenſu receptum eſſe, & Remig. in tract. de immunit. Eccleſ. fol. 15. ubi ſimiliter ait communiter teneri, & ſequitur Jul. Clar. in pract. crim. §. fin. quæſt. 30. verſ.
10 Quæro, ſi conſtructa. Et ab hac opinione communi non recedas, cùm etiam ſervetur de conſuetud. ut poſt Vitalin. atteſtatur Remig. loco citato. Quæ conſuetudo tamquam pia ſervanda eſt, cap. Ad Apoſtolicam, de ſimon. cap. Super eo, de cognat. ſpiritual. & notant Innoc. & Hoſtien. in dict. cap. Inter alia, in verb. Ad Eccleſiam. Pro qua etiam multùm ſtringit ratio dedicationis, in qua ſola ſe fundat deciſio hujus decretalis, ut benè hic per Abb. d. num. 5. verſ. Facit judicio meo multum ratio litteræ, & Joan. de Viſch. in tract. de immunit. Eccleſ. num. 46. Stat igitur regula, quòd Eccleſia non conſecrata gaudet privilegio immunitatis; & hæc regula ampliatur primò, etiamſi adhuc non fuerint ibi celebrata divina myſteria, ut ex dictis conſtat.

11 Ampliatur ſecundò, etiamſi Eccleſia ſit interdicta, quia nihilominùs retinet hoc privilegium ad inſtar clerici inter-
12 dicti, ſuſpenſi, vel excommunicati, qui retinent privilegium immunitatis circa manum injectionem, & circa forum, cap. Dictum, 81. diſt. ſecundùm Goffred. & Vincent. hic, & concordat Hoſtienſ. num. 3. reddens rationem, quia Deus, in cujus honorem datur immunitas, in aliquo non deliquit, cap. Quæſivit, de his, quæ fiunt à major. part. cap. & ſatis affligitur ex eo, quòd ſibi debitum penſum ſubtrahitur, cap. 1. de celebratione Miſſar. nec eſt addenda afflictio afflicto, cap. Cùm percuſſio, 7 quæſt. 1. Quod latiùs proſequitur idem Hoſtien. in ſumma eod. tit. §. In quantum, verſ. Sed numquid hoc privilegium, & ſequuntur hic Joan. Andr. n. 2. Collectar. in princ. Butr. nu. 4. Card. nu 5. Anchar. n. 3 Joan. de Anan. eod. num. Archid. in c. Uxor, num. 2. 17. quæſt. 4. Et ita ſequuntur communiter Doctores, ut dicit Abbas hic num. 8. & Joan. de Viſch. de immunit. Eccleſ. num. 49. Summa Angelica, in verb. Immunitas, quæſt. 27. & Julius Clarus d. §. fin. qu. 30. verſ. idem dicendum eſt.

13 Ampliatur tertiò, etiamſi Eccleſia ſi polluta, ut videtur ſentire gloſſ. 1. & Abb. num. 6. in cap. fin. ſupra de conſecr. Eccleſ. vel Altar. & tenet Remig. in tract. de immun. Eccleſ. in 4 ampliat.

14 Ampliatur quartò, etiam in Eccleſia deſtructa, dummodò tamen ſine auctoritate Superioris deſtructa fuerit, & ſubſit ſpes refectionis: ſecus verò ſi deſtructa eſſet Superioris auctoritate, & ſpes reædificationis non ſubeſſet, quia tunc privilegio immunitatis non gauderet: & hæc eſt communis opinio, ut atteſtatur Remig. de immunit. Eccleſ. fol. 92. in 20. ampliat. & Clarus d. quæſt. 30. verſ. Majus eſt dubium, & pro hac diſtinctione vide quod ſcripſi poſt Innoc. in cap. Cum ex injuncto, in ult. notab. infra de nov. oper. nunc.

15 Ampliatur quintò, etiam in atrio Eccleſiæ, ſeu porticibus Eccleſiæ adhærentibus, ut eſt text. in cap. Si quis contumax, ibi: De atrio Eccleſiæ, vel de porticibus quolibet modo Eccleſiæ adhærentibus per vim abſtraxerit, 17. quæſt. 4. & notat Joan. Andr. in cap. Inter alia, nu. 30. ſupra eod. qui ex hoc infert, ut pœna inſultantis ad domum habeat locum etiam in inſultantibus ad porticum, de quo in Speculat. de injuriis, verſ. Pone in ſtatuto, & ſequitur Abb. hic nu. 10. verſ. Idem dic quoad porticus, & Joan. de Viſch. de immunit. Eccleſ. n. 60.

16 Ampliatur ſextò, ut privilegium immunitatis non reſtringatur ad portas, aut parietes, vel atrium Eccleſiæ tantùm, ſed per quadraginta paſſus in majori Eccleſia, & per 30. in capellis, vel minoribus Eccleſiis extendatur circumquaque, ut eſt diffinitum in cap. Sicut Antiquitus, & in cap. Diffinivit, 17. quæſt. 4. & utrobique notant gloſſ. Archidiac. & omnes, Hoſtienſ. in cap. Inter alia, num. 2. & ibi etiam Jo. Andr. n. 7. Abb. in ult. notab. Felin. num. 2. & Marian. Soccin. num. 10. ſupra eodem, Turrecremata in cap. Cum devotiſſimam, num. 4. & ibi etiam Præpoſitus num. 2. 12. q. 2.

17 Cæterùm quod dictum eſt de immunitate triginta paſſuum in Eccleſiis minoribus, non habet locum in Eccleſiis, ſeu capellis, quæ ſunt infra ambitum caſtellorum. Tales enim non habent immunitatem, niſi quantum tangunt parietes Eccleſiæ, capit. Quiſquis, & capit. Queſti, 17. quæſt. 4. Et eſt ratio, quia propter loci anguſtiam hoc obſervari non poteſt, cùm aliquando cœmeterium ſeu immunitas Eccleſiæ abſorbeat totum Caſtrum, gloſ. 1. in dict. cap. Sicut Antiquitùs, Abbas hic num. 10. Joan. de Viſch. de immunitat. Eccleſ. num. 57. in 8. notab.

Et quamvis Archid. in dict. cap. Si quis contumax, 18
dicat prædictos paſſus deſignatos eſſe pro cœmeterio, idemque videatur ſentire Abbas hic dict. numer. 10. dum quærit, an Eccleſia gaudeat immunitate, quatenùs cingitur muris, & non ultra: & reſpondet hanc immunitatem habere cum ſuo cœmeterio, & Eccleſiam majorem habere circuitum quadraginta paſſuum, & capellas, vel minores Eccleſias 30. tamen verius videtur, etiamſi cœmeterium in ſpatio minori perſtringatur circa aliquam Eccleſiam, nihilominùs immunitatem Eccleſiæ extendi ad ſpatium prædictorum paſſuum, dum- 19
modò infra ipſos paſſus nulla alia domus extranea, id eſt, laicorum interponantur, per text. in dict. cap. Diffinivit 17. quæſt. 4 ſecundùm Joan. de Viſch. ubi ſupra num. 59. Nec obſtat text. in cap. Quiſquis ead. cauſ. & quæſt. ibi: Vel domos, quæ intra præfatos paſſus fuerint: quoniam intelligitur de domibus clericorum, ut ibi notat gloſſ. in verb. Vel domos.

Non deſunt tamen qui affirment hanc immunitatem 40. 20
vel 30. paſſuum uſu non obſervari, ut Igneus in l. 1. in princ. num. 58. ff. ad Syllanian. quem refert Remig. de immunit. Eccleſ. fol. 52. in 6. ampliation. Clarus in §. fin. q. 30. verſ. Hinc eſt, ubi dicit non eſſe ab hac communi conſuetudine recedendum, præterquàm in domibus Eccleſiæ cohærentibus. Sed certè Sacra Congregatio Immunitatis indiſtinctè ſervari jubet immunitatem per circuitum dictorum paſſuum, ſaltem in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis: & ſi qua extaret conſuetudo contraria, de illius juribus poſſet meritò dubitari, per ea, quæ ſcripſi in cap. Inter alia nu. 49. ſupra eod.

Ampliatur ſeptimò, in cœmeterio: nam Eccleſia & cœ- 21
meterium gaudent eodem privilegio, & uno violato cenſetur & aliud violatum, ut notat Archidiac. in cap. Si quis contumax, per illum textum, num. 2. & 3. 17. qu. 4. Facit textus in cap. Cum Eccleſia, ibi, In Eccleſiis, vel cœmeteriis, ſupra eodem, ubi gloſſ. in verb. cœmeteriis, ſimiliter dicit: Quæ eodem privilegio gaudent cum Eccleſiis. Ad idem c. fin. ibi, In ipſis Eccleſiis, vel earum cœmeteriis, infra eod. Unde hæc rubrica inſcribitur de immunit. Eccleſ. & Cœmet.

Hinc ſi quis ſtans extra cœmeterium trahat eum, qui 22
ſtat intùs, per partem pallii, quæ manet exteriùs, dicitur violare immunitatem Eccleſiæ ſecundum Vincen. in cap. ſeq. cum quo concord. ibi Butr. num. 4. Card. in 1. qu. nu. 3. & Abbas num. 10. Nam & qui ſic traheret clericum, incideret in Canonem, ut in cap. Nuper infra de ſent. excomm.

Ampliatur octavò, etiam in oratoriis, quæ in domi- 23
bus privatorum habentur: nam & ipſa gaudent privilegio immunitatis, dummodò auctoritate Epiſcopi ſint conſtructa, ut tenet Vincent. hic relatus à Jo. Andr. n. 1. in fin. allegat cap. Si hoſpitale de Eccleſ. ædifican. & ſequuntur Butr. hic num. 3. Cardin. in 2. quæſt. Anchar. num. 2. Abbas n. 7. verſ. Utrum autem: ubi enim intercedit Epiſcopi au- 24
ctoritas, oratorium eſt publicum, & religioſum, nec poteſt ampliùs ad humanos uſus deputari, argum. cap. Ad hoc ſupra de relig. domibus, ſecundùm Abb. in c. ult. nu. 4. de cenſib. Et de his oratoriis vide quæ plenè notavi in cap. In his infra de privil. Secus verò ſi hujuſmodi oratoria non ſint conſtructa auctoritate Epiſcopi, & ita intelligi debent Doctores, qui ſimpliciter dicunt privata ora- 25
toria non gaudere immunitate, inter quos Goffred. hìc per cap. Unicuique, & cap. ſeq. de conſecrat. diſt. 1 & per §. Si quis in ſua domo, & §. Si vero, in authen de Eccleſ. tit. & per cap. ult. ſupra de cenſib. cum quo tranſit Hoſtienſ. hic poſt princ. verſ. Unde oratoria privatorum, Henrich. Boich. num. 2. in fin. Archid. in cap. Uxor num. 3. 17. quæſt. 4. Collectar. in cap. Inter alia numer. 11. ſupra eod. Abbas in d. cap. ult. num. 4. ſupra de cenſibus, ubi ait, 26
hujuſ-

hujuſmodi oratoria non gaudere immunitate Eccleſiaſtica, & hanc eſſe communem concluſionem, cùm ſint loca privata: nam hodie poteſt eſſe oratorium, quod cras erit camera ad voluntatem domini, & eum ſequuntur Remig. *de immunitate Eccleſ. fol.26.n.*10.& Clarus *in §. fi.d.q.*30.*verſ. Sed quid dicendum in oratoriis*, & dicitur cenſuiſſe S.Congregatio Epiſcoporum die 27. Novembris 1617. & Sac. Congregatio Immunitatis menſe Decembris 1631.

27 Ampliatur nonò in hoſpitalibus, nam privilegia omnia conceſſa Eccleſiis ad hoſpitalia extenduntur, *l. Omnia, C. de Epiſc.& Cler.* Abbas *hic n.*6.& tenet Archid. *in c. Diffinivit, n.*1. *in verb. In loco ſancto*, 16. *quæſt.* 4. per Authent. *de Eccleſ. tit. in princ.& §. Ad hoc*. Quod tamen intellige, ſi auctoritate Epiſcopi ſint constructa: aliàs ſecus, ut notat Innoc. *in c. Cum inter dilectos, n.* 4. *ſupra de donation.* Abb. *hic n.* 7. *& in cap. ult. n.*4. *de cenſibus*, Jo. de Viſch. *de immunit. Eccleſ. n* 48. *verſ. Et placet Panormitano*.

28 Ampliatur decimò in monaſteriis,& domibus religioſis, ut *c. Quiſquis, in fin.* 17. *quæſt.*4. ubi dicitur: (Si qui monaſteria, & loca Deo dicata, & Eccleſias infringunt, & depoſita, vel alia quælibet exinde abſtrahunt, damnum novies componant, & immunitatem tripliciter: & velut ſacrilegi, canonicæ ſententiæ ſubigantur,) & notat Archid. *in d. cap. Diffinivit, num.* 1. *in verb. In loco ſancto, eadem cauſa, & quæſt.* ubi dicit nec de hoſpitali, nec de domo religioſa quem extrahi debere, Jo. de Viſch. *d. num.* 48. & patet *ex Conſtitut.* 7. *Gregor. XIV. de immunit. Eccleſ. in §.*2. ibi: *Ab Eccleſiis, monaſteriis, ſacellis, domibus regularibus, locisve ſacris, aut religioſis*.

29 Ampliatur undecimò, in domo, ſeu palatio Epiſcopi, quod ſimiliter gaudet privilegio immunitatis, ut concludunt DD. per text. in *cap. Id conſtituimus*, ibi: *Et ab Eccleſiæ atriis, vel domo Epiſcopi reos abſtrahere omninò non liceat*, 17. *quæſt.*4. Et quamvis nonnulli, quos tacito nomine recenſet Innoc. *in cap. Inter alia, poſt princ. verſ. Item dicunt quidam, ſupra eod.* intelligant hoc verum eſſe, ſi palatium ſit infra fines Eccleſiæ, vel infra quadraginta paſſus per *c. Epiſcopus*, ibi: *Hoſpitium quoque non longè ab Eccleſia habeat*, 41. *diſt. & c. Epiſcopus*, ibi: *Eccleſiæ, cui proximus fuit, de conſecrat. diſt.*3. & alii, ut Hugo relatus à Jo. Andr. *in d. cap. Inter alia, n* 2. *in verb. Ad Eccleſiam*, dicant palatium Epiſcopi tunc ſolummodò gaudere hoc privilegio, cùm in eo eſt capella: tamen communiter tenetur illud gaudere hoc privilegio indiſtinctè, etiamſi ſit extra 40. paſſus præfinitos, *in cap. Sicut antiquitùs*, 17. *q.* 4. Et ità concludit gloſſ. 1. *in cap. Id conſtituimus, eadem cauſ. & quæſt.* cum qua concordant ibi Archid. Bellam.& Turrecrem. Hoſtien. *in d. cap. Inter alia, in princ in verb. Ad Eccleſiam*, ubi hoc probat validiſſima ratione, quia aliàs palatium Epiſcopi nullum privilegium haberet: nam & domus, quæ infra prædictos fines exiſtunt, hoc privilegio gaudent indiſtinctè, ut

30 *c. Quiſquis*, 17. *q.*4. & concordant *in d. cap. Inter alia*, Collectar. *num.* 10. dicens hoc tenendum, Butr. *num.* 9. Cardinal. *num.*6. & Abb. *num.*30. ubi ait de hoc non poſſe dubitari; & idem Abbas *hic n.*9. ubi approbat primam opinionem 31
gloſſæ ſimpliciter, cùm text. *in d. cap. Id conſtituimus*, indiſtinctè loquatur: unde in ſimili ſecundùm eum & familia Epiſcopi gaudet privilegio fori, licèt ſit ſæcularis, ut *in cap. fin.* cum ibi notatis, *de offic. Archid.* dixi *in c. Nullus n.*23. *ſupra de foro competent.* Item cùm hæc materia ſit favorabilis, non debet reſtringi text. *in d. c. Id conſtituimus*, ſed potiùs ampliari, *c. Odia, de reg. jur. lib.*6. Et hanc opinionem Hoſtien. eſſe communiter receptam atteſtantur Barbat. *conſ.* 33. *num.* 7. *lib.* 4. Remig. *de immunit. Eccleſ. fol.* 70. *in* 15. *ampliat* Covarr. *var. reſol. lib.*2. *c.*20. *num.* 5. *in fin.* & Clarus *in §. fin. d. qu.* 30. *verſ. Scias etiam*, licèt ſubdat cum Covar. ſed non benè, contrariam opinionem praxi forenſi frequenti omnium uſu receptam eſſe.

Ampliatur duodecimò, in domibus S. R. E. Cardinalium: nam ſicut delinquentes non poſſunt extrahi ab Eccleſia, & palatio Epiſcopi, ita neque à domibus & palatiis Cardinalium; & ita hodie conſuetudo communis obſervat teſte Manfredo *in tract. de Card. cap.*8. *in* 18. *privil.* & Jul Clar. *in §. final. d. quæſt.* 39. *verſ. Item adde*. Sic & privilegium altaris viatici Epiſcopis, & eorum Superioribus conceſſum *in cap. final. de privileg. lib.* 6. competit etiam Cardinalibus, ut ſcripſi in *cap. Ne pro dilatione, nu.* 46. *de pœnit. & remiſſ.* Et idem de privil. eligendi ſibi Confeſſorem, de quo in d. *cap. Ne pro dilatione*, & ibi etiam dixi *a num.* 31. *uſque in fin.* 32

Verumtamen hoc debet intelligi extra urbem Romam, nam in ea hoc non ſervatur, ut atteſtatur Cardin. Tuſch. *in verb. Eccleſia, concluſ.* 9. *n.* 12. & alii hìc relati à Modern. Collect. *n.*13. Extat hac de re Conſtitutio 17. Julii III. contra franchitias in Urbe retinentes, in Bullar. *tom.*1. *pag.*710. 33
qua cavetur, ut judicibus cauſarum capitalium, & quibuſcumque aliis juſtitiæ Præfectis, & miniſtris quæcumque viæ, & plateæ, ædes, & domus ad requirendos, capiendos, & debitis pœnis afficiendos facineroſos homines diu, noctuque liberæ, & apertæ ſunt; idque locum habeat non ſolùm in Baronibus, Domicellis, Comitibus, Ducibus, & Principum Oratoribus; ſed etiam in Epiſcopis, Archiepiſcopis, Patriarchis, & S. R. E. Cardinalibus. 34

Ampliatur ultimò, etiam in palatio inferioris Prælati juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentis, dummodò tamen 35
ita ſe habeat conſuetudo; tunc enim gaudet privilegio immunitatis, alias ſecus, quia dictum *cap. Id conſtituimus*, 17. 36
*q.*4. loquitur de domo Epiſcopi, & non de domo Prælati inferioris. Ideòque S. Congreg. Immunitatis *die* 6. *Novembris* 1634. reſolvit primum palatium Archimandritale etiam conductitium non fixum, & habens Eccleſiam conjunctam in civitate Meſſanen. gaudere immunitate Eccleſiaſtica, ſtante legitima conſuetudine. Secundò, familiares Ar- 37
chimandritæ gaudere privilegio fori ſtante etiam conſuetudine. Tertiò, Archimandritam in civitate Meſſanæ de- 38
gentem poſſe Magiſtratus coercere cenſuris ob ſuam juriſdictionem turbatam: & die 27 *Martii* 1645. eadem Congregatio Immunitatis ſtetit in deciſis.

DE IMMUNITATE ECCLESIARUM.

Idem Gregorius IX. Toletano & Compoſtellano Archiepiſcopis.

CAPUT X.

IMmunitatem Eccleſiaſticam: & infrà, Nonnulli impunitatem ſuorum exceſſuum, per defenſionem Eccleſiæ obtinere ſperantes, homicidia & mutilationes membrorum, in ipſis Eccleſiis, vel earum cœmeteriis committere non verentur: qui, niſi per Eccleſiam, ad quam confugiunt, crederent ſe defendi, nullatenùs fuerant commiſſuri: & infrà. Cùm in eo, in quo delinquit, puniri quis debeat: & fruſtrà legis auxilium invocet, qui committit in legem; mandamus, quatenùs publicè nuntietis, tales non debere gaudere immunitatis privilegio, quo faciunt ſe in indignos.

S U M M A R I U M.

1 *COEmeterium gaudet immunitate Eccleſiaſtica.*
2 *Immunitas an ſuffragetur delinquentibus in ipſa Eccleſia, & n. ſeqq. uſque in fin.*
3 *Intellectus varii hujus cap. & num. ſeqq. uſque ad num. 28.*
4 *Immunitate non gaudet commitens homicidium, vel mutilationem membri in Eccleſia, vel illius cœmeterio.*
Etiam ex improviſo, & non ſub ſpe immunitatis, ſecundum opinionem, quæ hodie eſt approbata, n. 28.
5 *Immunitate gaudent indiſtinctè committentes in Eccleſia ſacrilegium, homicidium, vel aliud crimen, juxta ſecundam opinionem Goffredi, quæ reprobatur quoad homicidium, n. 6.*
7 *Ob criminis immunitatem receditur à communibus regulis juris.*
8 *Immunitate non gaudent committentes in Eccleſia adulterium, raptum, furtum, vel aliud crimen, ſecundùm aliam opinionem, & n. ſeqq.*
Quæ rebrobatur, n. 20. & 28.
9 *Puniri quis debet in eo, in quo delinquit, & n. 17.*
10 *Fruſtra legis auxilium invocat, qui committit in legem, & num. 17.*
10 *Ratio legis ubicumque eſt generalior dicto, ad latitudinem rationis extenditur ipſa diſpoſitio.*
12 *Extenſio non fit in pœnalibus ex identitate rationis.*
13 *Fallit, quando agitur de puniendis delictis.*
14 *Item fallit, quando ratio eſt expreſſa in lege.*
Et quid ſi lex ſimul ſit pœnalis, & exorbitans, & minuat Eccleſiæ immunitatem, n 31.
15 *Immunitate non gaudet ſecundùm aliquos delinquens in una Eccleſia, & ad aliam confugiens.*
16 *Idem in eo, qui ſemel deliquit in Eccleſia, iterum delinquit extra Eccleſiam, & poſteà ad Eccleſiam confugit.*
17 *Immunitate non gaudent graviter in Eccleſia delinquentes, etiam ſine ſpe immunitatis conſequendæ.*
Contrarium, n. 20. & 28.
18 *Ceſſante una ex duabus rationibus finalibus, non ceſſat legis diſpoſitio.*
19 *Sacrilegium æquè committitur auferendo de Eccleſia rem ſacram, vel non ſacram, & & inter hæc nulla eſt differentia quoad immunitatem.*
21 *Peccare nemo debet ſub ſpe veniæ.*
22 *Peccatum in Spiritum Sanctum eſt peccatum obſtinationis.*
23 *Immunitate non gaudent, qui ſub ſpe immunitatis in Eccleſiis delinquunt, ſecundùm tertiam opinionem, & n. ſeqq.*
Quæ reprobatur, n. 28.
Et quando dicantur delinquere ſub ſpe immunitatis, num. 25.
24 *Delinquentes propè Eccleſiam animo ad eam confugiendi ſecundùm aliquos non gaudent immunitate.*
Sed contra, n. 28.
25 *Delinquens ex propoſito in Eccleſia præſumitur hoc feciſſe ſub ſpe immunitatis præſumptione juris; & de jure.*
26 *Subveniretur tamen ei, ſi probaretur hoc non feciſſe ſub ſpe immunitatis.*
27 *Immunitate non gaudet committens homicidium, vel mutilationem membri in Eccleſia ſub ſpe immunitatis aliàs ſecus, ſecundum quartam opinionem, quæ hodie reprobatur, & n. ſeqq.*
28 *Homicidia, vel mutilationes membrorum in Eccleſia commitens, etiam in pura rixa, & ſine ſpe immunitatis conſequendæ, ex Bulla Gregorii XIV. immunitate non gaudet.*
29 *Conſtitutio nova recipit interpretationem paſſivam à jure antiquo, dummodo ſit clarum, & non habens varios intellectus.*
30 *Quod multipliciter intelligitur, illius veritas ignoratur.*

I*Mmunitatem*. Summatur ut dicam infra *in 3. lectura num.* 23. & ſunt tres partes, Prima ponit dictum. Secunda rationem, ibi, *Cùm in eo*. Tertia, mandatum, ibi, *Mandamus*.

In textu, ibi, *Vel eorum cœmeteriis*. Nota non tantùm 1
Eccleſiam, ſed etiam illius cœmeterium immunitate
gaudere, Hoſt. hìc *num.* 1. *in verb. Eccleſiis*, Anchar.
num. 2. Abb. *num.* 4. & ſcripſi pleniùs *in cap. Eccleſiæ n.* 21.
ſupra eod.

QUÆRO generaliter, an immunitas Eccleſiæ ſuffrage- 2
tur illis, quin ipſa Eccleſia delinquunt.

Solutio pendet ab intellectu hujus text. qui legitur mul- 3
tipliciter. Quidam enim intelligunt illius deciſionem ſtri-
ctè in caſu ſolius homicidii, & mutilationis membri, prout
ſonat littera, ibi: *Homicidia, vel mutilationes membrorum
in ipſis Eccleſiis, vel earum cœmeteriis committere non ve-
rentur*: & hos non tuetur Eccleſia, ut in textu. Ergo per lo-
cum à ſpeciali, qui alia delicta ibi committunt, privilegio
immunitatis juvantur; & hunc intellectum tenet gloſ or-
dinaria, & ſingularis *in c. Frater, & Corepiſcopus in verb.* 4
Ab omnibus 17. *quæſt.* 4. quam dicit eſſe tenendam, cum
nullum habeat contradictorem, Ludovicus Rom. *conſ.* 234.
Advertundum num. 2. Imo Goffred. *in ſumm. hujus titul.* §.
Sed quæritur tenet indiſtinctè, committentes ſacrilegium 5
homicidium, vel aliud crimen in Eccleſia, gaudere immu-
nitate, & rationem reddit; quia ſi Eccleſia repelleret eos,
videretur eſſe auctrix ſanguinis; & quia Eccleſiis, & Eccle-
ſiaſticis perſonis ſanctitas ignoſcendi gloriam derelinquit,
l. Si quis in hoc genus, C. de Epiſcopis, & Cleric. & cum
Goffredo videtur tranſire Archidiaconus *in d. cap. Frater*
n. 4. Sed reſpectu homicidii, & mutilationis dictum Gof- 6
fredi eſt contra textum hìc unde Cardinalis *nu.* 2 *circa fin.*
verſ. Sed quia, dicit, & benè hoc c. loqui ſolùm in homi-
cidio, vel mutilatione, & ideò poſſe reſtringi, ut locum
non habeat in alio caſu; ſed ſtet regula, quòd ſit locus im-
munitati extra duos caſus, de quibus *in cap. Inter alia, ſu-
pra eodem*, ſcilicet publici latronis, & depopulatoris agro-
rum, & ſic ait ſalvari poſſe opinionem Goffredi, & hanc
opinionem eſſe mitiorem; pro qua facit, quia cum hoc 7
cap. deviet à communibus regulis juris, & ſit odioſum, de-
bet reſtringi quantum fieri poteſt & ſic non extenditur ex-
tra caſum expreſſum, arg. *cap. Pœna de pœnit. diſt.* 1. *& c.
Odia de regul. iur. lib.* 6 Item in immunitate delicti ſemper
receditur à communibus regulis juris, *ut l. in Aut facta in
fin. ff. de pœnis.*

Quidam verò putant hunc text. habere locum etiam in 8
adulterio, raptu virginum, furto, & in aliis quibuſcum-
que gravibus delictis; quia etſi loquatur in ſpeciali caſu ho-
micidii, & mutilationis membri: tamen illius ratio genera-
lis eſt ad omnia delicta ſaltem enormia, ut patet ibi: *Cùm* 9
*in eo, in quo delinquit, puniri quis debeat: & fruſtrà legis
auxilium invocet, qui committit in legem*; non enim ad ſup-
plicandum debet admitti, ubi committere ſacrilegium non 10
expavit, ut dicitur *in d. cap. Frater* 17. *quæſt.* 4. *& c. ſeq.*
Et non debent invenire munimen in loco, quem per ſcelus
deſpexerunt, ut in Auth. *ut nec. mat. & aviæ*, §. *Quia ve-
rò ita comperiuntur*, unde hoc cap. fuit deſumptum: qua- 11
re ſuccedit regula, quod ubicumque ratio legis, vel Cano-
nis eſt generalior dicto, ſeu diſpoſito, tunc ad latitudinem
rationis extenditur ipſa diſpoſitio, tex. eſt *in l. Regula*, §. *fin.*
& ibi Bart. & Bald. notant, *ff. de jur. & facti ignorantia*,
gloſſ in Auth. *Caſſa in verb. Per Italiam, C. de Sacroſanct.
Eccleſ. in l.* 1. *in verb. Illyricanas, C. Qui mun. vel præſtat.
nemin. lic. ſe excuſ. lib.* 10. & in Clement. 1. *in verb. Præſi-
dentes de reſcript.* Roman. *conſ* 174. *Ampliſſimè Doctor*,
num. 3. & in terminis noſtris Abb. hìc *num.* 9. *verſ. Et ſa-
tis poſſet dici*. Nec obſtat, quòd in pœnalibus non ſit fa- 12
cienda extenſio ex identitate rationis, ſecundùm opinio-
nem magis communem, de qua latè per Jaſon. *in l. Cùm
quidam col* 2. *& ſeq. ff. de liber. & poſthum.* Quoniam hoc 13
verum non eſt, quando agitur de puniendis delictis: tunc
enim materia dicitur favorabilis, & expediens Reipublicę,
l. Ita vulneratus, *ff. Ad l. g. Aquilin.* & proptereà fieri de-
bet extenſio, ut per Roman. *conſ.* 105. *Viſo themate num.*
3. Jaſ. *d. l. Cùm quidam in* 4. *limitat.* Aym. *de antiq. tem-
por. in* 4. *part. num* 96. Rurſus id non procedit, quando 14
ratio eſt expreſſa, ut in textu noſtro; tunc enim etiam in
pęnalibus fit extenſio ex identitate rationis Alex. *in l. Cum
mulier. in* 5. *notab. ff. ſolut. matr.* Jaſ. *in d. l. Cum quidam in* 5.
limit.

limitat. & Aym. alios citans ubi ſupra *num.* 107. Quamobrem delinquentes graviter in Eccleſia indiſtinctè excludi ab immunitatis privilegio, ſentiunt hìc Abbas Antiq. *in princip.* Hoſtien. *n.* 1. *in* 1. *in verb. Homicida*, Anchar. *in* 1. *notab.* Abbas Siculus *num.* 9. *verſ. Et ſatis poſſet dici*, Collectar. *n.* 1. *verſ. Sed Hoſt.* dicens hoc tenere Innocentium, Hoſtien. & Doctores juris Canonici, & civilis, Raymundus *in ſumma hujus tituli*, Jo. Monach. *in cap.* 2. *num* 3. *infra eod. lib.* 6. ubi ſic ait: [Si autem in Eccleſia, vel Cœmeterio delinquatur, numquam committens habet ibi immunitatem;] & cum eo ſimpliciter tranſit ibi Joan. Andr. *n.* 4. *in verb. Exercitent.* Quinimò in hoc paſſim omnes convenire affirmant Covarr. *variar. reſol. lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 15. *verſ. Vigeſimoprimo, & verſ. Vigeſimoſecundò*, & Julius Clar. *in praxi criminal.* §. *fin. q.* 30. *verſ. Item quæro*, & in ſacrilegio, & furto in Eccleſia commiſſo tenent quidam, quos tacito nomine recenſet gloſſ. *in d. cap. Frater in ver. Ab omnibus* 16. *q.* 4. & contra Goffredum firmat Hoſt. hìc *num.* 3. *in fin. verſ. Quid ergo ſi quis committat furtum in Eccleſia*, reddens rationem, quia furtum numquam committitur bona intentione, & cum eo tranſeunt ſimpliciter Joan. Andr. *num* 5. *verſ. Per prædicta patet*, & Butr. *n.* 6. *verſ. Per prædicta*: item Hoſt. Angel. de Caſtro inter conſilia Pauli de Caſtro ſui patris *in conſ.* 458. *Viſo caſu propoſito num.* 1. *in fin. vol.* 2 dicens textum noſtrum habere locum non ſolùm in homicidis, & mutilantibus, ſed etiam in furantibus in Eccleſia, & ita hìc communiter notari: & eum ſequitur Clar. *ubi ſuprà*, licèt eum aliter referat Covarr. *var. reſol. lib.* 2. *d. cap.* 20. *nu.* 15. *verſ. Vigeſimoquinto*, & generaliter in quocumque delicto in Eccleſia commiſſo, etiamſi non interveniat homicidium, vel membri mutilatio, quicquid dixerit Cardin contra quem eſt communis opinio, atteſtatur Remig. *de immunit. Eccleſ. in* 3. *fallent. num.* 5. & Clar. *ubi ſupra*, Et pro hac opinione de jure civili eſt textus clarus in Authen. *ut lic. matr. & aviæ*, §. *His quoque*, *verſ. Quia vero ita comperiuntur*, ibi: *Non enim debent hujuſmodi perſonæ in venerabili loco munimen habere, quem ipſi per ſcelus proprium deſpexerunt*: & infra: *Quomodo illis, qui in ipſa Eccleſia tale ſcelus ſtuduerint perpetrare, permittimus aliquod auxilium ex Eccleſiaſticis terminis invenire? Sed omnibus modis judicibus eos tradi, & pœnam ſuſtinere quâ digni ſunt, qui ſanctiſſima loca violare præſumunt. Quis enim ibi delinquit, ubi ſalutem petat?* Et in homicidio, raptu virginum, & adulterio in loco ſacro commiſſis eſt expreſſum in Auth. *de mandat. princ.* §. *Neque autem*.

15 Quod adeò verum eſt ſecundùm aliquos, ut ſi quis in una Eccleſia delinquat, & deindè ad aliam Eccleſia confugiat, non defendatur ab hac ſecunda Eccleſiam, ut gaudeat ejus immunitate: & eſt communis opinio, ut ait Remig. *in tractat. hujus titul. fol.* 123. *in* 11. *fallentia num.* 2. Cum enim una ſit per totum orbem univerſalis Eccleſia, *c. Loquitur Dominus* 23. *q.* 1. cum ſuis concordantibus; qui facit injuriam uni particulari Eccleſiæ, omnes offendiſſe videtur; ut per eum, quem ſequitur Clarus *in* §. *fin. d. qu.* 30. *verſ. Sed ſi aliquis*: & quamvis Silveſt. *in ſumm. in ver. Immunitas* 3. *q.* 2. *verſ. Tertium eſt*, dicat de conſuetudine apud aliquos contrarium ſervari: tamen ut ait Clar. *ubi ſup.* apud Senatum Mediolanenſem communis opinio ſervaretur in practica.

16 Quinimò ſecundùm alios, qui ſemel deliquit in Eccleſia, ſi iterùm delinquat extra Eccleſiam, & poſt delictum ad Eccleſiam confugiat, non debet ejus immunitate gaudere: & ita in facti contingentia deciſum fuit per Capell. Tholoſ. *ut deciſ.* 422. *Item fuit quæſitum, an ſit aliquis.*

17 Procedit autem ſupradicta opinio Abbatis Antiqui, & ſequacium, in quibuſcumque gravibus criminibus in Eccleſia quomodolibet perpetratis etiam ſine ſpe, & fiducia conſequendi immunitatem; quia hic textus allegat in deciſione duas rationes finales, quæ ſatis militant hoc caſu. Prima eſt, quia in eo debet quis puniri, in quo deliquit. Secunda, quia fruſtra legis auxilium invocat, qui committit in legem: quaſi dicat, ex quo deliquit in Eccleſia, & per conſequens contra Eccleſiam, non debet occaſione Eccleſiæ aliquod commodum reportare. Hujuſmodi enim rationes vendicant ſibi locum etiam in eo, qui non deliquit ſub ſpe veniæ. Prima autem ratio, de qua in princip. c. non fuit finalis, ſed impulſiva, qua ceſſante non ceſſat diſpoſitio *l.* 1. §. *Sextum*, cum gloſſ. *in verb. Cauſam*, *ff. de poſtulan.* Et quatenus eſſet finalis, tum ex quo adſunt duæ aliæ finales, & illarum quælibet per ſe ſufficit, ceſſante una non ceſſat legis diſpoſitio, *ut in* §. *Affinitatis inſtitut. de nuptiis*: ita Abb. hìc *num.* 8. *verſ. Sed mihi non multum placet*; cujus intellectum dicit veriſſimum, & ſervandum Covarr. *var. reſolut. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 15. *verſ. Vigeſimoſecundo*, poſt Aufrerium, quem citat in allegata *deciſ.* 422. Capell. Tholoſ. 18

19 Rurſus etſi nonnulli reſpectu furti diſtinguant, an quis furetur in Eccleſia rem ſacram, vel profanam, ut primus tamquam ſacrilegus non gaudeat, ſecundus verò ſic, ut noviſſimè Mar. Ital. *de Immunit lib* 1. *cap* 5. §. 3. *numer.* 75. & Farinac. *in eodem tract. num.* 217. tamen hæc diſtinctio non placet, quia ſacrilegium æquè committitur auferendo ſacrum de ſacro, atque auferendo non ſacrum de ſacro, ut eſt text. *in c. Quiſquis* 17. *q.* 4. Et quamvis lex civilis dicat hoc ſecundo caſu non committi ſacrilegium, ſed furtum, *ut l. Divi*, *ff Ad legem Jul. pec.* tamen illud non tenet, ut ait gloſſ. *in dict. cap. Quiſquis in verb. Non ſacrum*; item gloſſ. unica *in fin. in d. l. Divi*. Rurſus ratio, quam reddit Hoſtien. videlicet quia furtum numquam poteſt fieri bona intentione, eſt nimis tenuis, ut inquit Collect. hic *nu.* 1. *in fin.*

20 Tertii dicunt hanc Decretalem vendicare ſibi locum non tantùm in homicidio, & mutilatione, ſed etiam in aliis omnibus delictis gravibus; dummodò tamen perpetrata fuerint ſub ſpe immunitatis: & huic lecturę ſuffragatur hęc littera, ibi, *Nonnulli impunitatem ſuorum exceſſuum per defenſionem Eccleſiæ obtinere ſperantes*: necnon ibi: *Qui niſi per Eccleſiam ad quam confugiunt; crederent ſe defendi, nullatenus fuerant commiſſuri.* Et ſic textus loquitur de illis, qui ex induſtria ſe conferunt ad delinquendum in Eccleſia, ut ibi ſi[illegible]; & tales non gaudent immunitate, quia nemo ſub ſpe veniæ peccare debet, *cap. Illud in fin. de Cler. excomm. miniſt.* & *cap. Quomodo quis de conſecrat. diſt.* 4. Non eſt ergo his ſubveniendum, neque parcendum; quia facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi, *cap. Eſt injuſta* 23. *q.* [illegible] *cap. Ut clericorum ſupra de vita, & honeſtat. clericor.* Imò voluerunt quidam hoc eſſe peccatum in Spiritum Sanctum, dicente Scriptura: *Maledictus homo qui peccat in ſpe.* Dic tamen propriè peccatum in Spiritum Sanctum eſſe peccatum obſtinationis, quod nec remittitur in hoc ſæculo nec in futuro, *cap. Qualis* 25. *diſt. c. Sciendum de pœnit. diſt.* 2 & hic declarat Abbas *in* 1 *notab.* Et hunc intellectum poſuit hìc Butr. *in* 1. *notab.* & idem Abbas *in cap. Inter alia num.* 21. *ſupra eodem* quem dicit eſſe communem Remig. *de immunit. in* 3. *fallentia nu.* 3. & eum probarunt Joan. Andr. Butr. Card. Anchar. Imol. Abb. & Jo. de Anan. qui propterea ſic ſummant hanc Decretalem, videlicet; Qui ſub ſpe immunitatis in Eccleſiis; vel Cœmeteriis delinquunt, immunitate non gaudent. 21 22 23

24 Quinimò nonnulli hoc extendunt etiam ad eos, qui propè Eccleſiam delinquunt animo ad eam confugiendi, inter quos Hoſtien. *in ſumma hujus tituli*, §. *In quantum num.* 8. Anchar. hìc *nu.* 3. *verſ. Quid ergo ſi non in Eccleſia*, Henric. Boich. *in cap. Eccleſiæ n.* 11. *ſupra eodem*, & alii quos refert, & ſequitur Remig. *ubi ſupr. in* 2. *fallentia.* Navarr. *in manuali cap.* 25. *n.* 22. *verſ. Neque qui propè Eccleſiam delinquit*, Covarr. *ver. reſolut. lib.* 2, *cap.* 20. *n.* 14. *verſ. Vigeſimoſexto*.

25 Quòd ſi quęras, quando quis dicatur delinquere in Eccleſia ſub ſpe immunitatis, ita ut aliàs delictum non commiſiſſet: reſpondetur, eo ipſo quòd deliberatè, & ex propoſito in Eccleſia delictum committit, præſumitur ſub ſpe immunitatis hoc feciſſe, & hæc eſt præſumptio juris, & de jure, quę non admittit probationem in contrarium; nam etſi de hoc non conſtet, & delinquens ejus voluntatis non eſſet; nihilominus locum habent cauſæ in textu expreſſæ, ibi: *Cùm in eo*, & ibi: *Fruſtra legis auxilium*, quę finales fuerunt hujus ſtatuti. Ita notabiliter Hoſt. hìc *nu.* 2. *in ver. Quæ niſi & in verb. Cum in eo*, Joan. Andr. *eodem num. in verb. Nullatenus*, & *num.* 5. *verſ. in gloſſ. ult.* Collect. *nu.* 1. *poſt medium*, *verſ. Sed poteſt dici*, Butr. *num.* 4. *verſ. Quid ſi non faciat*, Cardin *n.* 4. *in* 3. *quæſt.* Anchar. *nu* 4. & communiter DD. ut Abbas teſtatur *n.* 8. *verſ. Videtur tamen poſteà dicere*. Subdit tamen Hoſt. ubi ſupra poſt Goffr. delinquenti in Eccleſia ſubveniendum fore, ſi probaretur hoc feciſſe 26

ciſſe non ſub ſpe immunitatis, puta nullas habebant inimicitias, ſed ex verbis ibidem inter eos de novo ortis ad homicidia pervenerunt& cum Hoſt. concordant Jo. And *n.2.* Butr. *n. 4. in fin. verſ. Subvenitur*, & *n. 5. circa fin. verſ. Hoſt. dicit*, & Cardin. *n. 4. in 3. q. & n. 6.* & hanc dicit eſſe communem opinionem Remig. *in tract. hujus tit. fallent. 3. n. 3.* quamvis, ut inquit Clarus *in d. §. fin. q. 30. verſ. Item quæro*, apud Senatum Mediolani hoc non poſſet in practica obtineri; quia ſemper vidit indiſtinctè obſervari, ut qui in Eccleſia delinquit, reputetur indignus, ut ejus immunitate ſe defendat.

27 Quarti dicunt hoc c. habere locum, prout loquitur, ſolùm in homicidio, & mutilatione: non tamen indiſtinctè, ſed in eo tãtùm caſu, in quo delicta hujuſmodi committuntur ſub ſpe immunitatis conſequendæ: & in hac opinione fuit Card. *hìc nu. 6. verſ. Aut ergo*: ait enim. Aut conſtat, quòd ex propoſito deliquerunt in Eccleſia ſperantes immunitatem, eò quòd aliàs non erant commiſſuri: & non gaudent immunitate, ut hìc. Quod tamen intellige in ſuo caſu tantùm homicidii, & mutilationis. Aut conſtat, quòd aliàs erant commiſſuri: & gaudent per hanc litteram.

28 Sed hodiè has controverſias omnes non obſcurè ſuſtulit Gregoriana Conſtitutio *de immun. Eccl.* quę declaravit delinquentes numquam extrahi poſſe ab Eccleſia, niſi in caſibus ibi exceptis, & inter hos recenſet committentes homicidium, & mutilationem membri in ipſa Eccleſia; nec diſtinguit, an id faciant ſub ſpe conſequendę immunitatis, an

29 non; nec ullam reddit rationem, ſed ſimpliciter, & abſolutè illum caſum excipit. Nec obſtat, ſi dicatur, Conſtitutio nova ſuperveniens in materia diſpoſita per leges antiquas, quamvis generaliter loquatur, tamen recipit omnes interpretationes, & limitationes, quas materia ab antiquis legibus recipiebat, *l. in contractibus*, *§. Præterea, C. de non numer. pecun.* Jaſ. *in l. Sciendum in princ. ff. Qui ſatis dar. cogan.* Caſtillion. dicens DD. omnes ita tenere, *in conſ. 10. In facto n. 5. verſ. Ad teſtamentum.* Unde quemadmodum hęc Decretalis, quamvis loquatur tantùm de homicidio, & mutilatione: tamen ob rationem generalem in ea expreſſam, à pleriſque extenditur etiam ad alia delicta, ut dictum eſt ſupra *n. 11.* ita & Gregoriana Conſtitutio ſit extendenda: hęc enim eſt interpretatio paſſiva, quę in omni materia admittitur, *l. 2.* & ibi Bart. *in princ. C. de Noxal. l. Juris gratiam, §. Si paciſcar ff. de pactis*. Id inquam non obſtat, nam prętérquamquòd hęc theorica procedit, quando jus antiquum eſt clarum, & inconcuſſum, non autem quando eſt controverſum, & plures habet intellectus, prout habet hæc Decretalis, ex his, quæ notat Bart. *in l. In ambiguo n. 2 ff. de rebus dub.* & Felin. *in c. 1. circa fin. de Conſtit.* Nam quod multipliciter intelligitur, illius veritas ignoratur, ut ex Boetio 30
dicit Baldus *in l. Nec quicquam, §. Ubi decretum in princ. ff. de offic. Proconſul. & Legat.* Reſpondetur ceſſare omnem difficultatem, quia Bulla Greg. prohibet fieri extenſionem ad caſus in ea non expreſſos etiam ex identitate, vel majoritate rationis, ut dixi *in c. Inter alia n. 51. & 55. ſup. eod.* Unde ab homicidio, vel mutilatione manifeſtum eſt hodiè non poſſe fieri extenſionem ad adulteria, raptus virginum, & alia delicta in Eccleſiis perpetrata; & ſic corrigitur, quod habetur in auth. *de mandato Princip. §. Neque autem*, & in auth. *Ut liceat matr. & aviæ, §. His quoque, verſ. Quia vero ita comperiuntur*; licèt fortè ſecus eſt [illegible] terminis hujus c. ſecundùm Hoſt. hìc *n. 1. in verb. Homicida*. Itaque remanet hodie approbata prima opinio, de qua ſupra *n. 4.* ſcilicet non quodcumque delictum in Eccleſia patratum, ſed ſolum homicidium, & membri mutilatio excludat à privilegio immunitatis, ſive hæc commiſſa fuerint animo deliberato, & ex propoſito, ſive in pura rixa ex improviſo ſuborta, & ſive ſub ſpe immunitatis, ſive non, cùm Conſtitutio non diſtinguat.

Adde, quòd cùm hæc lex ſimul ſit pœnalis, & exorbitans 31
non debet fieri extenſio de caſu ad caſum, *l. Sed ſciendum, ad legem Pompeiam, de parricid.* Item quamvis aliàs extenſio fieret, tamen fieri non poteſt ubicumque agitur de adimenda immunitate, Dei ordinatione Eccleſiis attributa, ut dixi *in cap. Cùm non ab homine n. 53. 54. & num. 81. & 82.* poſt Aretin. ibi *nu. 60. & 61. ſupra de judiciis.*

NE CLERICI, VEL MONACHI SÆCULARIBUS negotiis ſe immiſceant.

Ex Concilio Moguntino.

C A P U T I.

MUlta ſunt negotia ſæcularia; de quibus pauca perſtringemus, ad quæ pertinet omnis carnalis concupiſcentia. Quidquid plus juſto appetit homo, turpe lucrum eſt: Munera injuſta accipere, vel etiam dare: Pro aliquo ſæculari quæſtu, pretio aliquem conducere: Contentiones, vel lites, vel rixas amare: In placitis ſæcularibus diſputare, excepta defenſione orfanorum, aut viduarum: Conductores ſæcularium rerum, aut procuratores eſſe: Turpis verbi, vel facti eſſe joculatorem, vel jocum ſæcularem diligere: Aleas amare: Ornamentum inconveniens propoſito ſuo quærere: In deliciis vivere velle: Gulam, & ebrietatem ſequi: Pondera injuſta, vel menſuras habere: Negotium injuſtum exercere. Nec tamen juſtum negotium eſt contradicendum propter neceſſitates diverſas. quia legimus ſanctos Apoſtolos negotiatos fuiſſe & in regula beati Benedicti præcipitur provideri, per quorum manus negotia monaſterii procurentur. Canes & aves ſequi ad venandum, & omnibus quibuslibet cauſis ſuperfluis intereſſe. Ecce talia, & his ſimilia, miniſtris altaris Domini, necnon & Monachis omninò contradicimus; de quibus ait Apoſtolus: Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus.

S U M M A R I U M.

1 *EXempli cauſa ſunt pauca exprimenda.*
2 *Pauca dicuntur reſpectivè ſecundum ſubjectam materiam.*
3 *Conducere aliquem pretio pro aliquo ſæculari quæſtu, an & quando Clericis, vel Monachis liceat.*
4 *Contentiones, lites, & rixæ in quibus differant.*
5 *Clerici patrocinari poſſunt pro defenſione miſerabilium perſonarum, ſed tamen gratis.*
6 *Conducere res ſæcularium Clericis non licet, niſi cogente neceſſitate, & n. 29. & 43.*
7 *Canonicis prohibendum, ne Eccleſiæ bona conducant, & locationes ſunt irritæ.*
8 *Conductori laico ſi Clericus ſuccedat jure hæreditario, poteſt in conductione remanere uſque ad præfinitum tempus locationis.*
9 *Negotiationem etiam juſtam extra caſum neceſſitatis Clerico exercere non licet, & n. 46.*
10 *Clauſula generalis ſubſequens aliquibus ſpecificatis*

omnia

omnia comprehendit.

11 *Negotiatio eſt Clericis prohibita de jure Divino, & contrafacientes mortaliter peccant.*

12 *Negotium, & negotiatio quid ſit.*

13 *Negotium quotuplex, & quod ſit Clericis interdictum, n.ſeqq. uſque ad n. 52.*

14 *Negotiatio alia mundialis, alia ſpiritualis, alia temporalis.*

15 *Negotium ſæculari dicitur tribus modis.*

16 *Clerici in cauſa ſanguinis non poſſunt eſſe Advocati etiam pro reo.*

17 *Cauſæ matrimonii legitimitatis, juris patronatus decimarum, & hujuſmodi, judicando tractari non poſſunt, niſi à Clericis.*

18 *Negotium ſæculare accipitur largè, ſtrictè, & ſtrictiſſimè, & n. ſeqq.*

19 *Negotium ſæculare prout provenit ex carnali concupiſcentia non frænata ratione, eſt omnibus prohibitum, ſed præcipuè Clericis, & n.78.*

20 *Officium nullum Clerici poſſunt habere in republica ſæculari.*

21 *Univerſitatem ſæcularem Clerici non conſtituunt.*

22 *Laici vacare debent Reipublicæ mundanæ, Clerici verò Reipublicæ ſpirituali, & n.90.*

23 *Negotiatio propriè ſumpta in quo differat ab artificio.*

24 *Negotiatio, ſeu mercatura quamvis ſit permiſſa laicis, tamen Clericis, omninò prohibetur, & n.51. & 59.*

25 *Artificium Clericis, & Monachis eſt permiſſum, ſi neceſſitas ſubſit, & non ſordidè exerceatur, & n. ſeqq. uſque ad n. 44.*

26 *Clericus artificiolo, vel agricultura ſibi victum paret.*

27 *Monachi S. Baſilii ex peculiari ſuæ regulæ inſtituto ad victum propriis manibus parandum ſaltem in communi tenentur.*

28 *Et agrigultura quatenus eis permittatur.*

29 *Clerici alienarum poſſeſſionum conductores, vel adminiſtratores eſſe non poſſunt avaritiæ cauſa: ſecus, ad ſui, & ſuorum ſuſtentationem, & n. 43.*

30 *Clerici locare poſſunt animalia, quæ habent ex decimis, vel ſucceſſione, aut aliàs ſibi data, & eorum fructus vendere, & n.44.*

31 *Item ſi habent paſcua, poſſunt emere animalia, ut illa depaſcant ad ſuſtentationem ſuam, ſuorum, & pauperum, & n.35.*

32 *Secus ſi emant, ut tradant ad crementum.*

33 *Item ad ſui, & ſuorum ſuſtentationem poſſunt emere, equi pullum nutriendum, & tabulam pingendam, ut carius vendant.*

34 *Item poſſunt agros ſuos opera laicorum colere abſque reatu illicitæ negotiationis, & n.38.*

35 *Item poſſunt pro eiuſdem culturæ uſu boves, & alia animalia neceſſaria coemere, illorumque fœtus juſto pretio, atque honeſta ratione vendere, & num. 39.*

36 *Item in terris ubi habent quercus, poſſunt ſuos emere, eoſque alere, ac pro ſua, & familiæ ſuſtentatione vendere, dummodò ea, &c. & n.40.*

37 *Item poſſunt arborum folia in eorum bonis exiſtentium laico concedere ad medietatem lucri ex bombicibus provenientis, & n.41.*

42 *Item poſſunt ſuarum arborum foliis arti ſericæ operam dare pro ſua, & familiæ ſuſtentatione, cum perſonis tamen non ſuſpectis, & de licentia Epiſcopi.*

43 *Item poſſunt ob ſuam, ſuæque familiæ neceſſitatem terras Eccleſiaſticorum conducere, non autem laicorum, niſi ex mera præciſè neceſſitate.*

45 *Agriculturæ artem in agro Romano Clerici ex Bulla Clementis Octavi tam per ſe, quàm per alios exercere poſſunt in caſalis propriis, & non conductis.*

46 *Artificio an Clericis vacare liceat extra caſum neceſſitatis, & n.ſeqq. uſque ad n. 52.*

47 *Artificium eſt licitum Clericis, & Monachis ad victum quærendum, ad otium tollendum, ad concupiſcentiam refrænandam, & ad eleemoſynas faciendas.*

Non autem ad purum lucrum, n.51. & n. 53.

48 *Enthuſiaſtarum error ab Auguſtino damnatus.*

49 *Manualia opera intelliguntur omnia humana officia, ſive manibus, ſive pedibus, ſive lingua fiant.*

50 *Eleemoſynam parare etiam propriis manibus laborando tenentur ex præcepto Clerici, & laici, ut ſubveniant extremè indigenti.*

51 *Negotiatio, ſeu mercatura, nec laicis eſt licita, niſi ad aliquem finem honeſtum, vel neceſſarium.*

52 *Negotiatio aliàs licita an, & quibus modis fieri poſſit illicita, & n.ſeqq. uſque ad n.77.*

53 *Negotiatio propter avaritiam, vel alium malum finem eſt culpa venialis, vel mortalis, prout eſt ille finis.*

54 *Negotiatio eſt opus ſervile, quod exerceri non poteſt in Dominicis, & feſtis diebus.*

55 *Niſi in nundinis permiſſis, dummodò Divina non ommittantur.*

56 *Negotiationes maximè nundinarum in Eccleſiis, & cœmeteriis ſunt illicitæ.*

57 *Supellectilia in locis ſacris aſſervari non debent, niſi fortè ad tempus urgente neceſſitate.*

58 *Negotiatio redditur illicita ex loco ſuſpecta, & inhoneſto.*

60 *Negotiatio fit illicita ex materia, quæ nec per ſe, nec cum admixto poteſt eſſe utilis.*

In venenis an licita ſit negotiatio, ibid.

61 *Colores an liceat mercari ad colorandam mulierem, vel virum, & n. ſeqq.*

62 *Facies naturalis ſine peccato alterari non poteſt, & n. ſeqq.*

63 *Opus Dei eſt quod naſcitur, Diaboli, quod mutatur.*

64 *Fucatio ex ſui natura eſt illicita, & prohiberi poteſt per ſtatutum Epiſcopi.*

65 *Non tamen eſt peccatum mortale, niſi fiat propter laſciviam, vel in Dei contemptum.*

66 *Oculos ſtibio depingere non licet.*

67 *Turpitudinem corporis ex ægritudine provenientem occultare licet, pulchritudinem fingere non licet.*

68 *Mulierum honeſtus, pretioſus, & placitus ornatus ſine pictura, ut viris ſuis magis placeant, non reprobatur.*

69 *Sed ſi fiat ad provocandum alios ad laſciviam, eſt mortale peccatum.*

70 *Si verò ex levitate, aut vanitate, non ſemper eſt mortale, ſed quandoque veniale*

71 *Emere totum frumentum, vel merces omnes nemini licet, ut coactis aliis a ſe emere, vendat ſuo arbitratu.*

72 *Tempore tamen ubertatis poteſt quis multa victualia emere, ut abundet tempore egeſtatis.*

73 *Vel ut aliis poſſit vendere pretio tunc currenti, dummodo, hoc faciat, ne in terra ſua victualia deficiant.*

74 *Secus ſi vendat cariùs.*

75 *Societatem iniens cum negotiatore, quem ſcit malæ conſcientiæ, tenetur eam diſſolvere, ſi commode poteſt aliàs proteſtari debet.*

76 *Negotiationem exercens per ſe licitam, ſed ex accidenti illicitam, an teneatur reſtituere lucrum inde perceptum.*

77 *Negotiatio quibus Clericis ſit interdicta, & n.ſeqq. uſque in finem.*

Quid in Clericis in ſacris, n.79.

Et quid in Clericis minorum ordinum beneficiatis, num.80.

Et quid in non beneficiatis, num.81. & nu.ſeqq. uſque in fin.

82 *Clerici minorum ordinum, ſi competens beneficium non habeant, an poſſint eſſe Advocati in foro ſæculari, & n.96.*

83 *Negotiatio eſt Clericis omnibus prohibita, ſi habeant, unde commodè vivere poſſint, ſive ex beneficio, ſive aliundè, & n.ſeqq. uſque in fin.*

84 *Negotiatorem Clericorum quaſi quandam peſtem fuge.*

85 Nullus *eſt dictio univerſalis negativa, quæ reſtrictio-*

ctionem non patitur.

86 *Venatio omnibus ſervis Dei interdicitur.*

87 *Negotiatio quas ob cauſas ſit Clericis interdicta.*

88 *Clerici primæ tonſuræ etiam non beneficiati dicuntur milites Dei.*

89 *Et coronam habent ab inſtitutione Eccleſiæ, antequam, eſſent tituli beneficiales.*

90 *Nec ſunt de corpore Reipublicæ mundanæ, ſed Eccleſiaſticæ.*

91 *Negotiatio ut plurimum ſine mendacio, & perjurio exerceri non poteſt.*

92 *Miniſtri altaris Domini ſunt non tantùm Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, ſed etiam inferiores Clerici.*

93 *Ordo quilibet, prout eſt Sacramentum, ordinatur ad Sacramentum Euchariſtiæ, & n. ſeq*

94 *Acolytus ſuggeſta pro Euchariſtia, & calices Diaconis præparat.*

95 *Miniſteria ſacrorum Ordinum ab Oſtiariatu ad Diaconatum jubentur à Concilio Tridentino exerceri per conſtitutos in dictis ordinibus.*

96 *Intellectus c. 1. de poſtul.*

Conditio reſpiciens unum, & derminatum finem, poteſt adimpleri per æquipolens, ibid.

97 *Spolia ex Bulla Pii IV. fiunt de bonis Clericorum, ex illicita negotiatione acquiſitis.*

98 *Spoliis ex Bulla S. Pii V. non ſubjacent bona Clericorum, quorum beneficia, vel penſiones non excedunt ducatos triginta, dummodo ab illicita negotiatione abſtinuerint.*

99 *Penſio non dicitur beneficium.*

100 *Spoliis ex Bulla Pauli V. non ſubjacent bona Clericorum in Urbe, vel infra decem milliaria decedentium, etiam ſub prætextu, vel cauſa illicitæ negotiationis.*

1 MUlta. Concilium enumerat multa ſæcularia negotia, à quibus jubet Clericos, & Monachos abſtinere, & alias non dividitur.

Nota primò, ibi, *De quibus pauca perſtringamus*, exempli cauſa eſſe pauca exprimenda, *cap. Unum orarium*, §. *Criminis autem appellatio 25. diſtinct.* cum aliis hìc allegatis in gloſſ. 1. & per Hoſt. *num. 4. in ver. Pauca perſtringamus*. Quinimo exempli gratia ſufficit unum exprimere *ut leg. Ita vulneratus, §. ult. ff. ad leg. Aquil.* & tamen quatuoredcim hìc fuerunt expreſſa, & ſic nota quatuordecim poſſe dici pauca, ſecundùm Hoſtien. *ubi ſupra*, & Jo.
2 Andr. *num. 1. in ver. Pauca* Sed dicendum eſt ſecundum Abb. *in 1. notab. ver. Pauca*, hic fuiſſe poſitum reſpectivè ad negotia ſæcularia quæ ſunt innumera. Unde reſpectu ipſorum, & pro ſubjecta materia, congruè quatuordecim pauca dici poſſunt: nam reſpectivè etiam viginti quatuor millia dicuntur pauca, *ut in c. Diſciplina 45. diſt.* & adde quod de hac dictione ſcripſi *in c. Ut juxta n. 32. de offic. Ordin.*

3 Secundò, nota ibi, *Pro ſæculari quæſtu*, non eſſe licitum Clericis, vel Monachis pretio quemquam conducere pro aliquo ſæculari quæſtu, ut in littera; ſed gloſ. *in ver. Conducere*, intelligit, & benè hoc verum eſſe, ſi fiat conductio ad peccandum, quod non licet etiam ſæcularibus, *ut c. Si ad peccatum 22. q. 4.* vel ſi fiat pro quæſtu ſæculari Clericis prohibito, quod ſimiliter nec per ſe, nec per alium licet, *cap. Negotiatorem, & cap. Fornicarii 88. diſt.* idem Hoſtien. *hic num. 2. in ver. Conducere*: aliàs licitè conduci poteſt Sacerdos, vel illius opera, *ut c. ult. infrà, Ne Præl. vic. ſuas*, niſi ſit Prælatus, *c. 1. & 2. eod. tit.* ſecundùm Vincent. & Tancred. cum quibus hìc tranſit Jo. Andr. *n. 2.*

4 Tertiò, nota ibi, *Contentiones*, differentiam inter contentiones, lites, & rixas: nam contentiones conſiſtunt in verbis; lites in judiciis; rixæ in factis, & percuſſionibus ad invicem, ſecundum Petr. de Sampſone, & Abbat. Antiq. *hic in princ.* Joann. Andr. *num. 2.* Butr. *num. 3.* & Abb. Sicul. *num. 4.* Qui tamen addit lites referri poſſe ad contentiones etiam extrajudiciales, *ut in c. Sæpè in fin. de appellat.*

5 Quartò nota ibi, *Orphanorum, aut viduarum*, Clericos poſſe patrocinari pro defenſione miſerabilium perſonarum, ut hìc, *& in c. 1. ſupra de poſtulan.* Hoc tamen debent gratis pręſtare, quia id eis permittitur tantummodò ex pietate, *ut in c. ultimo eodem tit.* ſecundum Petr. hìc, Joan. Andr. *n. 2.* Anchar. *n. 3.* & Abb. *n. 4.* Et hinc collige orphanos, viduas, & alias perſonas miſerabiles eſſe ſub protectione Eccleſiæ, ut hìc notat gloſ. in figuratione caſus, de quo dic, ut ſcripſi latiſſimè in *c. Significantibus ſupra de off. Deleg.*

Quintò, nota ibi, *Conductores*, Clericis non eſſe licitum res ſæculares conducere: ut hìc eſt expreſſum, *& in c. Credo, & c. Cyprianus 21 q. 3. & in Auth. de ſanctiſſ. Epiſc.* 6
§. *Aliam*, niſi neceſſitate cogente, ut notat gloſſ. in *Summa 21. qu. 3.* & cenſuit Sacr. Congregatio Concilii, ut dicam infra *n. 43.*

Quæ ampliùs cenſuit, prohibendos eſſe Canonicos, ne 7
Eccleſiæ bona conducant; tum quia negotiarentur lucri cauſa; tum quia diſtraherentur à ſervitio Eccleſiæ; & locationes factas, eſſe irritas. Si tamen Clerici jure hæredi- 8
tario ſuccederent conductori laico, poſſent in conductione remanere uſque ad præfinitum tempus locationis, argum. text. in *l. Decurio, ff de Decur.* ubi notabiliter ſic legitur; [Decurio, qui prohibetur conducere quædam, ſi jure ſucceſſerit in conductione, remanent in ea; quod & in omnibus ſimilibus eſt obſervandum;] & ita hìc tenent gloſſ. in *ver. Conductores*, Hoſtien. *num. 7. in eodem ver.* Joan. And. *num. 5. in gloſſ. Si tamen*, Butr. *num. 4. verſ. Quare prohibentur*, Anchar. *n. 5.* & Abb. *nu. 8.* Ad idem text. in *l. 1. §. Sed etſi jure hereditario*, & quo ibi notat Bart. *nu. 1. ff. ad leg. Cornel. de falſ.*

Sextò, nota ibi, *Non tamen juſtum negotium*, Clerico non 9
licere extra caſum neceſſitatis etiam juſtam negotiationem exercere: concordat *c. Fornicari 88. diſt.* & notat Abb. *num. 6* In caſu autem neceſſitatis licet, ut hìc eſt expreſſum. Sed hoc intellige, cùm operatur propriis manibus, ſeu emit materiam, ut eam reducat ad aliquam formam, *ut cap. Si Clericus victum 91. diſt. cap. Nunquam, de conſecrat. diſt. 5.* & hìc declarant Butr. *n. 2.* & Abb. *d. nu. 6.* & idem Abbas in *cap. Secundum num. 1. infra eodem*, & Silveſt. *in ver. Clericus 3. num. 1. verſ. Igitur clerico negotiari non licet*, & Redoan. *de ſpol. q. 2. n. 45. & ſeq.* & latiùs dicam infrà *n. 46.*

Septimò, nota ibi, *Ecce talia, & his ſimilia*, argumen- 10
tum optimum, quòd aliquibus ſpecificatis generalis clauſula ſubſequens omnia comprehendit: ad hoc *cap. Qui ad agendum, de Procur. lib. 6.* & notant hìc Hoſtien. *num. 7. in verb. Ecce talia*, Joann. Andr. *num. 4* Anchar. in *7. notab.* Facit *cap. Sedes ſupra de reſcript. & c. unic. de Commod*

Ultimò, nota ibi, *De quibus ait Apoſtolus*, negotiatio- 11
nem eſſe Clericis, & Monachis prohibitam ſecundùm verbum Apoſtoli, & ſic de jure Divino, *cap. Sunt quidam 25. q. 1.* conſequenter contrafacientes mortaliter peccare, *cap. Quiſquis præceptis 14. q. 1. cap. Quæ contra mores 8. diſt. dict. cap. Sunt quidam, cap. final. ſupra de conſuetud.* dixi *in c. num. 42. de tregu. & pace.* Sed etſi hoc eſſet ex lege poſitiva, tamen cùm Concilium hìc procedat prohibendo, & reſiſtendo, ut patet ibi, *Omnino contradicimus*, utique illius tranſgreſſio eſt culpa lethalis, ut notat Archid. in *cap. Deteſtanda num. 4. de conceſſ. prebend. lib. 6.* Et ſcripſi plenè *in d. cap. 1. num. 22.* poſt Hoſtien. ibi, *num. 7. & 9. in verb. Periculo*, & Abbas in *2. notab.* Et confirmatur, quia clerici negotiatores, ſi moniti non deſtiterint, ſunt excommunicandi, *ut in cap. Secundum infra eodem.* Excommunicatio autem non fertur niſi pro mortali peccato, *c. Nemo Epiſcoporum 11. q. 3.* Et ita per hanc rationem clericum negotiatorem mortaliter peccare, poſt Petr. de Palude, & S. Antonin. tradit Silveſter. in *verb. Clericus 3. num. 3.*

Venio ad quæſtiones; & primò QUÆRO, quid ſit 12
negotium, ſeu negotiatio. Breviter Iſidoro authore in *lib. 18. Etymol. cap. 15.* Negotium dictum eſt, quaſi negans otium, ut refertur in *c. Forus, § Negotium*, & ibi gloſſa *in verb. Negotium de verborum ſignificat* Unde ex ipſa vi nominis importat privationem otii, & ſignificat actum omnem, cui otium repugnat; & in communi diffinitur eſſe actus humanus practicus, qui vulgò exercitium dicitur, ſecundum Silveſt. in *verb. Negotium in princip.* Specialiter autem, ut nunc principaliter intendimus, eſt commutatio, vel permutatio lucrativa, id eſt ad lucrum ordinata, ut idem Silveſter diffinivit *ubi ſupra*: nec differunt ne-

gotiatio,

gotiatio ſecundum eum, niſi antequam concretum & abſtractum, ſicut juſtum, & juſtitia, æquum, & æquitas. Unde negotium, & negotiatio promiſcuè uſurpantur, *ut in l. 3. ff. de negot. geſt. cum ſimil.* Alias tamen negotium in cauſis, negotiatio in commerciis dicitur, ut legitur in *d. c. Forus*, §. *Negotium*.

13 Secundò QUÆRO, quotuplex ſit negotium, & quod ſit Clericis interdictum.

Tametſi negotia ſint innummera, cùm plura ſint, quàm vocabula, *ut l. Natura, ff. de præſcript. verb.* & hic per Jo. Andr. *num. 1. in verb. Negotia*, tamen ad certa genera
14 reducuntur. Unde S. Antonin. in *2. part. tit. 1. cap. 16. ante §. 1. verſ. Sciendum*, dixit triplex eſſe genus negotiationis. Prima eſt mundialis, & ſceleſta, & ideò cavenda. Secunda ſpiritualis, & honeſta, & ideò exercenda. Tertia temporalis, & modeſta, & ideò permittenda: & unum
15 quodque membrum latè proſequitur. Sed quod pertinet ad ſecularia negotia, de quibus agitur *in hoc cap. & infra eodem per tot.* Innocent. *hic in princ.* & poſt eum Hoſtien. *n. 2.* & Joann. Andr. *ſupra in rubr. eod. num.* dixerunt negotium ſeculare dici tribus modis. Primò enim dicitur ſeculare negotium quilibet actus ſæcularium rerum, de quibus hìc plures enumerantur: & ab his, ſi ſint illicita, & turpia; proculdubio clerici omnes abſtinere debent. Secundò negotium ſeculare dicitur judicium de rebus ſæcularibus: & hoc tractare poſſunt Clerici omnes inter clericos tantùm, *ut c. Sicut enim, §. Ex his 11. quæſt.* Tertiò di-
16 citur ſeculare negotium quod eſt ſæcularium hominum, & inter ſæculares: & ex his negotiis aliqua ſunt criminalia, aliqua civilia. Criminalia ubi agitur de ſanguine, ſunt clericis interdicta, *c. Sententiam infra eodem*, adeò ut nec pro reo poſſint eſſe Advocati, ut notatur per Hoſtien. in *c. Ad audientiam, §. fin. inf. de homicidio*. Ex civilibus verò ali-
17 qua ſpectant ad forum Eccleſiæ tantùm ut cauſa matrimonii, & legitimitatis, *c. Tuam ſupra de ord. cog. cap. Lator, infra qui fil. ſint legit.* Juris patronatus, *c. Quanto ſup. de jud. Decimarum, c. Quoniam, & c. A nobis de decimis*, & talia judicando tractant clerici tantùm & non alii, ut in juribus præalleg. Aliqua verò ſunt principaliter de foro ſæculari: & in his non licet clericis ſe immiſcere, niſi in caſibus, ut notatur in *c. Cùm ſit generale, & cap. Ex tenore ſupra de foro competent.* Alio modo ſæcularia negotia diſtinxit gloſſa *in Summa 21. quæſt. 3.* quæ judicio Abbatis
18 *ſupra in rubr. ante med.* materiam plenè evacuat. Sed ipſe Abb. ibi utitur alia diſtinctione: nam ſecundùm eum ſæculare negotium ſumi poteſt largè & ſtrictè. Et quidem largè dicitur ſæculare negotium quidquid provenit ex carnali concupiſcentia non ſubjecta fræno rationis: & hoc innuit littera hujus textus *in princ.* Dicitur autem negotium ſæculare, quia per illud omninò vivitur ſæculariter, ideſt ſecundùm ſæculum, & mundum, ſeu carnem; non autem ſecundùm Deum, & ſpiritum: & hæc prohibentur etiam laicis, ut patet ex multis, quæ hìc enumerantur,
19 ſed præcipuè clericis. Strictè verò accipitur ſæculare negotium, ut comprehendat quidquid pertinet ad rempublicam mundanam, & ſæculares homines; & hoc quamvis permiſſum ſit laicis, tamen clericis eſt interdictum, *ut c. For-*
20 *nicari 88. diſt. & l. Placet, Cod. de Epiſc. & Cleric.* ubi clerici nihil commune habere dicuntur cum publicis actionibus, vel ad Curiam pertinentibus, cujus corpori non ſunt annexi; atque ita nullum officium poſſunt habere in Republica ſæculari, ut ibi probatur, *& in hoc cap. & in c. Reprehenſibile 23. q. 8. & cap. Eos 23. q. 3.* & notat Anchar. *in c. Sicut te num. 1. ver. Quærit gloſſ. infra eod.* & adde In-
21 nocent. in *cap. Dilectus num. 9. de exceſſib. Prælat.* ubi ait clericos non conſtituere univerſitatem ſæcularem? unde vacare debent Reipublicæ ſpirituali, laici verò reipubli-
22 cæ temporali, *arg. cap. Duo ſunt genera 1. q. 1. c. Convenior, & d. cap. Reprehenſibile 23. qu. 8. cap. Duo ſunt 96. diſt. & c. Solitæ de major. & obedient.* Confert text. *in leg. Conſulta Divalia, C. de teſtam.* ubi ſcriptum legitur abſurdum eſſe, ſi promiſcuis actibus rerum turbentur officia, & alii creditum alius ſubtrahat; & præcipuè clericis, quibus opprobrium eſt, ſi ſe peritos velint diſceptationum forenſium oſtendere. Sequitur ſupradictam diſtinctionem Silveſter in *verb. Clericus num. 1.* ſed illi addit tertium membrum, quod Abbas omiſerat. Dicit enim ſæculare negotium ter-
23 tio loco ſumi ſtrictiſſimè pro exercitio mercatoris, ſeu negotiatoris, de quo loquitur textus in *c. Forus de verb. ſignif.* ibi, *Negotiatio in commerciis dicitur, ubi aliquid datur ut majora lucrentur.*

Sed ego hoc tertium genus negotii ſæcularis ſubdiſtinguo in duas ſpecies, videlicet in negotiationem propriè ſumptam, & artificium, de quibus Gratianus diverſas conſcripſit diſtinctiones; nam de negotiatione egit in *diſt. 88.* de artificio verò *in diſt. 91.* quas ſpecies non obſcurè diſtinxit Sanct. Thom. in *2. 2. quæſt. 187.* Nam de negotiatione formavit articulum ſecundum, an liceat Monachis negotiari, de artificio verò articulum tertium, an Monachi teneantur propriis manibus laborare. Negotiatio propriè dicitur, cùm emitur res, ut omninò integra, & immutata cariùs vendatur, ita ut ex ſola tranſmutatione de perſona in perſonam ſequatur lucrum: Artificium verò dicitur, cùm emitur res, ut inde habeatur materia ad operandum propriis manibus, eamque reducendi ad aliam formam: habetur in *c. Ejiciens 88. diſt.* ubi dicitur: *Quicumque rem comparat non ut ipſam rem integram, & immutatam vendat, ſed ut materia ſibi ſit inde aliquid operandi, ille non eſt negotiator: qui autem comparat rem, ut illam ipſam integram, & immutatam dando lucretur, ille eſt mercator, qui de templo Dei ejicitur.* Hæc ibi, & notant gloſſ. Butr. Abb. & alii proximè citandi, & Anchar. *in cap. Secundum inſtituta in 1. notab. infr. eodem.*

Negotiatio propriè ſumpta quamvis ſit permiſſa laicis, 24
tamen Clericis, & Monachis omninò prohibetur, *ut hic & 88. diſt.* per totam, & præſertim in *c. Fornicari*, ubi dicitur: *Antequam quis Eccleſiaſticus ſit, licet ei negotiari, facto jam non licet*, & notat gloſſ. *1. in cap. Canonum 14. q. 4.* Butr. *hìc num. 2. verſ. Solutio*, & Abbas *num. 6. verſ. Intellige; & num. 10. verſ. Sed illicitum eſt*, Silveſter in *verb. Clericus 3. num. 1. verſ. Tertio adde, & num. 2.* & Tabien. ſimiliter *in verb. Clericus 3. verſ. Tertio*. Artifi- 25
cium verò ſi neceſſitas ſubſit proculdubio Clericis, & Monachis eſt permiſſum: unde *in d. cap. Clericis, il 1. 91. diſt.* 26
ſic legitur, *Clericus victum, & veſtimentum ſibi artificiolo, vel agricultura abſque officii ſui detrimento paret, & in c. ſeqq. Clericus quamtumlibet verbo Dei eruditus artificiolo victum quærat.* Unde ibi præcipitur, ut omnes Clerici, qui ad operandum invalidi ſunt, & artificiola, & litteras diſcant; & de Monachis Hieronymus *ad Ruſticum Monachum de vivendi forma: Cur*, inquit, *tu in uſus tuos ceſſura non præparas? Vel fiſcellam texe junco, vel caniſtrum lentis plecte viminibus; ſarriatur humus; areolæ æquo limite dividantur, in quibus cum olerum jacta fuerint ſemina, vel plantæ per ordinem poſitæ, aquæ ducantur irriguæ*, & infra: *Inſerantur infructuoſæ arbores gemmis, vel ſurculis, ut parvo poſt tempore laboris tui dulcia poma decerpas. Apum fabricare alvearia, ad quas te mittunt Salomonis proverbia, & Monaſteriorum ordinem, ac regiam diſciplinam in parvis diſce corporibus: texantur & lina capiendis piſcibus: ſcribantur libri, ut & manus operetur cibum, & animus lectione ſaturetur.* Hæc Hieronymus & refertur *in c. Numquam de conſecr. diſt. 5.* & ibi immediatè ſubnectit: *Aegyptiorum Monaſteria hunc morem tenere, ut nullam abſque operis labore ſuſcipiant.*

Hodie in diœceſi Hiſpalenſi Monaſteria Eremi del Tar- 27
don Ordinis S. Baſilii ſervant hoc laudabile inſtitutum vivendi ex labore manuum ſuarum, de quibus Clemens VIII. in ſuis litteris ſub datum Tuſculi ſub annulo Piſcatoris die 23. Septembris 1603. Pontificatus ſui anno duodecimo c. 4. ſic ait: *Quærendi victus ſolertia (ut verb. S. Baſilii de Inſtitutionibus Monachorum, ſermone 1. referamus,) his qui in hujuſmodi vitæ genere degunt, ea maximè conveniens judicanda eſt, quæ præſcripta eſt ab Apoſtolo, nimirum ut manibus laborantes panem ſuum honeſtè manducent: ex quo & aliis dicti Patris locis declaramus, Monachos Sancti Baſilii ex peculiari ſuæ regulæ inſtituto ad victum propriis manibus parandum, ſaltem in communi teneri. Atque ita juxta præſentis reformationis ſtatuta jubemus obſervari in illis artibus quas etiam S. Baſilius concedit, præcipuè quæ intra domum exerceri poſſunt, velut texendi, plectendi, ſuendi, ſarciendi, & aliis ſecundùm locorum & temporum exigentiam. Cum autem S. Baſilius agriculturam, quia ea facillimè res*
ad uſum neceſſariæ haberi poſſunt, concedat, modo ea neque à 28
vicinis, neque ab accolis tumultus afferat, aut turbas; nos eamdem ad frumentum, vinum, mel, oleum, & cæteros agri fructus comparandos permittimus. Hæc ibi.

Simi-

29 Similiter clerici poſſunt recipere poſſeſſiones excolen-
das ad quartam, vel quintam partem, & hujuſmodi, aut
eas conducere ad ſuſtentationem ſui & ſuorum, argum. *c.
Pervenit* 86. *diſt.* ubi Clerici & Monachi prohibentur pro-
pter turpis lucri gratiam alienarum poſſeſſionum condu-
ctores eſſe, vel ſubſtantiarum ſæcularium gubernationes
ſuſcipere avaritiæ cauſa: ubi gloſ. ponderans verbum *Ava-
ritiæ*, dixit. Nam propter neceſſitatem benè poſſunt, *ut
c.* 2. 91. *diſt.* & tenent Hoſt. Abb. & alii in *c. Secundum in
fin. eod.* quos ſequitur Silveſt. in *ver. Clericus* 3 *n.* 2. *verſ. Po-
teſt etiam recipere poſſeſſiones.*
30 Rurſus poſſunt locare animalia, ut oves, & boves; ſci-
licet ſi habeant ex decimis, vel ſucceſſione, aut alias ſibi da-
ta: aut ſi habeant paſcua multa, & emant animalia, ut
31 illa depaſcant, ad ſuſtentationem ſuam, ſuorum, & pau-
perum. Secus ſi emerent, ut traderent ad crementum,
32 vel aliud agerent in fraudem negotiationis; ut poſt gloſs.
præalleg. Raymun. in Summ. Confeſs. tradit Redoan.
de Spol. q. 2. Silveſt. *dict. num.* 2. *verſ. Poteſt etiam locare*,
33 ubi etiam addit licere Clericis, ſcilicet ad ſuſtentationem
ſui, & ſuorum; rem emere (eamque melioratam cariùs
vendere, puta, equi pullum nutriendum, vel tabulam ut
imaginem pingat quia in talibus non eſt negotiatio pro-
priè, ſed artificium, ut notatur in *c. Canonum*, in gloſsa
un. 14. *q.* 4. *& in cap. Numquam de conſecrat. diſt.* 5. per Ar-
chid. in *cap. Clericus victum* 91. *diſt.* & Joann. Friburg. *In
Summa Confeſſ. lib.* 2. *tit.* 7. *qu.* 41. *& tit.* 8. *q.* 2. *&* 3. Quæ
34 omnia comprobantur ex infraſcriptis reſolutionibus Sac.
Congregationis Cardinalium Tridentini Concilii Inter-
pretum me Secretario editis; videlicet, Presbyteri, & Cle-
rici Terræ Maidæ Neocaſtren. Diœceſis, qui ut plurimum
ob loci, perſonarum, ac temporum qualitatem, aliquam
ex infraſcriptis rationibus ad neceſsariam ſui & fami-
liæ ſuſtentationem coguntur quærere, ad obviandum
vexationibus Commiſsariorum, petunt ut declaretur, an
liceat eis hæc facere abſque reatu illicitæ negotiatio-
nis.
Primò, an liceat eis terras patrimoniales, & benefi-
ciales per laicos colere?
35 Secundò, an pro neceſsario culturæ uſu poſſint eme-
re boves, & alia animalia, & fœtus illorum ven-
dere?
36 Tertiò, an ii, qui in propriis terris habent quer-
cus, & caſtaneas, quarum fructibus ſues veſcuntur, poſ-
ſint ſues emere, eoſque alere, & pro familiæ ſuſtentatione
vendere?
37 Quartò, an iidem Clerici cum foliis ſuarum arborum
poſſint in propriis ædibus arti ſericę operam dare, vel idem
opus alteri ad medietatem committere, ut in illis partibus
fieri conſuevit.
38 Sacr. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini in-
terpretum ad primum cenſuit licere Clericis agros benefi-
ciorum, & patrimoniorum ſuorum opera laicorum colere
abſque reatu illicitæ negotiationis
39 Ad ſecundum, poſse ſimiliter Clericos pro ejuſdem cul-
turæ uſu boves, & alia animalia neceſsaria coemere, illo-
rum fœtus juſto pretio, atque honeſta ratione vendere, nec
propterea eos prohibitę negotiationis prętextu vexari poſ-
ſe, aut debere.
40 Ad tertium itidem, poſse pro ſua, & familiæ ſuſtenta-
tione, dummodò tamen in emendis, alendis, ſeu diſtra-
hendis ſuibus nihil ſordidum, aut indecens Ordini clericali
exerceant.
41 Ad quartum, licere Clerico arborum in propriis bonis
exiſtentium folia alicui laico concedere eo pacto, ut lu-
crum, quod ex bombicibus proveniet, inter utrumque
42 dividatur; ac pariter eidem licere earumdem arborum fo-
liis per ſeipſum, abſque officii ſui dumtaxat detrimento, ac
pro ſua, & familiæ ſuſtentatione, arti ſericæ operam dare,
dum tamen in artificio hujuſmodi perſonas non ſuſpectas
adhibeat, & quoad hoc Epiſcopi licentiam, quæ gratis de-
tur, obtineat.
43 Sed & poſteà, id eſt die 21. Auguſti 1627. ad exemplum
prędictarum declarationum eadem S. Congregatio cenſuit
Clericos pauperes ob ſuam ſuæque familiæ neceſſitatem
poſſe terras Eccleſiaſticorum conducere abſque reatu illi-
citæ negotiationis: bona verò laicorum non poſſe, niſi
ex mera præciſè neceſſitate.
44 Item cenſuit poſſe retinere, & locare boves, oves & alia
animalia, quæ habent ex ſucceſſione, vel decimis, necnon
fructus illorum vendere abſque crimine illicitæ negotia-
tionis.
Porrò in territorio; & diſtrictu Urbis, necnon in La- 45
tii, Campanię, & Maritimæ Provinciis ex Bulla Clementis
VIII. *Inter multiplices*, §. 5. *in Bullar. to.* 3. *pag.* 102. Clerici
in caſalibus tamen propriis, & non conductis, poſſunt ar-
tem agriculturæ per ſeſe, vel alios exercere, & exerceri fa-
cere; nec eis, vel eorum hæredibus per Cameram Apoſto-
licam, ſeu illius miniſtros objici, aut imputari poteſt, quòd
illicitam negotiationem fecerint, aut ſpoliis ſubjaceant; &
ars prædicta ipſis Clericis in eorum caſalibus licita, & per-
miſſa declaratur.
Ex prædictis liquet Clericos poſſe dare operam negotia-
tioni illius ſpeciei, quæ dicitur artificium, & propriis ma-
nibus laborare, ſi ſubſit neceſſitas; & in hoc conveniunt
omnes, dummodò nihil ſordidum exerceant, per ea quæ
leguntur, & notantur *in Clem.* 1. *de vita, & honeſtate Cle-
ricorum*. Seb dubium eſt, numquid eis hoc liceat ceſſante 46
neceſſitate: Affirmat S. Antonin. *in* 3. *part. tit.* 13. *cap.* 2. §.
2. dum tamen propterea non deſinit ab officio divino, *ut* 91.
diſt. per totam, *& cap. Numquam de Conſecrat. diſt.* 5. Se-
quitur noviſſimè Prax. Epiſcopalis, *c.* 63. *de cler. negotiat.
num.* 3. & videtur ex mente gloſsæ *in cap. Canonum* 14. *q.* 4.
nam cùm text. ibi dicat: *Quicumque in Clero eſſe voluerit,
emendi vilius, vel vendendi carius ſtudio non utatur*, gloſ.
exponit verbum *Vendendi*, [ſcilicet in eadem forma, ſed
in rudi materia poſſunt emere corium, & chartas, & inde
facere ſotulares, & libros *ut cap.* 1. 21. *q.* 1. *& cap. Cleri-
cus* 91. *diſt.* nec eſt negotiatio, ſeu artificium.) Hactenus
verba gloſſæ, quæ, ut vides, ſe non reſtringunt ad caſum
neceſſitatis. Sed in oppoſitum videtur hoc capitulum, ubi
habemus juſtum negotium non eſſe Clericis contradicen-
dum propter neceſſitatem; & juſtum negotium exponitur,
ſcilicet artificium operando propriis manibus, prout ex-
ponunt Butr. Abb. & Silv. ſupra cit in 6. *not.* Item contra vi-
detur textus in *d. c. Clericus victum* 21. *diſt.* ubi permittitur
Clerico victum ſibi quærere artificiolo abſque officii ſui
dumtaxat detrimento; & ita ad hoc duo requirit, videlicet
ut victum paret, & ab officio non deſit. Obſtant etiam ſu-
praſcriptæ reſolutiones Sac. Congregationis, quæ non con-
cedunt Clericos poſſe artificio vacare, niſi ob ſuam, vel
ſuorum neceſſitatem.
Sed ego materiam altiùs exordiendo, ex mente S. Tho- 47
mæ in 2. 2. *q.* 187. *art.* 3. aſſero, laborem manualem ad qua-
tuor ordinari. Primò, & principaliter ad victum quæren-
dum, unde primò homini dictum eſt: *In ſudore vultus tui
veſceris pane tuo*: & in Pſalmo 127. *Labores manuum tua-
rum, quia manducabis*: & ſecundum hoc dubitandum non
eſt, quin Clericis, & Monachis liceat operari manibus
propriis. Ait enim Apoſtolus Actor. 20. *Ad ea, quæ mihi
opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſ-
tæ*: & habetur tranſumptivè in *c.* 1. *in fin* 21. *qu.* 1. *& in c.
Cùm Apoſtolus, ſupra de cenſibus*, & fuſiùs oſtenſum eſt ſu- 48
pra *n.* 25. Unde error Enthuſiaſtarum dicentium nullum la-
borem manuum Monachis eſſe licitum, etiam ſuſtentandę
vitæ cauſa, ſed orationi ſemper illis eſſe inſiſtendum; meri-
tò damnatur ab Auguſtino in *lib. de oper. Monachor.* nam in
principio illius libri teſtatur ſe ibi loquuturum contra hu-
juſmodi errorem, qui Carthagine oriebatur. Sub opere 49
autem manuali intelliguntur omnia humana officia; ex qui-
bus homines licitè victum lucrantur, ſive manibus, ſive pe-
dibus, ſive lingua fiant. Cùm enim manus ſit organum or-
ganorum, per opus manuum omnis operatio intelligitur,
de qua aliquis licitè poteſt victum lucrari, ut per D. Thom.
d. art. 3. *in corp. verſ. Sciendum tamen.*
Secundò, labor manualis ordinatur ad tollendum
otium, ex quo multa mala oriuntur; unde dicitur Eccl.
33. *Mitte ſervum tuum in operationem ne vacet, mul-
tam enim malitiam docuit otioſitas.* Et ad hunc finem ſimi-
liter certum eſt licere Clericis, & Monachis operari ma-
nibus propriis; unde Hieronymus *ad Ruſticum Mona-
chum*: *Fac*, inquit, *aliquid operis, ut ſemper te Diabolus
inveniat occupatum*, ut refertur *in c. Numquam de conſecr.
diſt.* 5.
Tertiò, ordinatur labor manualis ad concupiſcentiæ re-
frænationem, in quantum per hoc maceratur corpus; unde
2. ad Corinth. 6. *In laboribus, in jejuniis, in vigiliis, in ca-
ſtitate*: & eodem modo ſecundum hoc Clericis, & Mona-
chis

chis labor manualis proculdubio eſt laudabilis: unde in monaſteriis Ægypti nullus ſuſcipiebatur abſque opere, & labore, non tam propter victus neceſſitatem, quàm propter animæ ſalutem, ne vagarentur pernicioſis cogitationibus, ut legitur in *d. c. Numquam, de conſecr. diſt. 5.*

50 Quartò, labor manualis ordinatur ad eleemoſynas faciendas; unde dicitur ad Epheſ. 4. *Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret operando manibus ſuis, quod bonum eſt, ut habeat, unde tribuat neceſſitatem patienti.* Et ad hunc finem labor manualis non tantùm eſt Clericis, & Monachis permiſſus, arg. *cap. Decrevit* 88. *diſt. c. Pervenit verſ. Niſi fortè* 86. *diſt.* ſed in aliquo caſu cadit etiam ſub præcepto, ſecundùm D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 187. *d. art.* 3. *in corpore ad fin.* videlicet ſi ex neceſſitate eleemoſynam facere tenerentur, nec aliunde poſſent habere, unde pauperibus ſubvenirent, quia in hoc caſu obligarentur Monachi, & ſæculares: ad hoc *cap. Paſce* 86. *diſt. c. Immolans ad fin.* 14. *q.* 5. *& l. Necare, ff. de liber. agnoſcen.* Ex prædictis collige laborem manualem non eſſe permiſſum Clericis, vel Monachis, ſi ordinetur ad lucrum tantùm, itaut ultimus finis ſit lucrum: & ita intellige hoc capitulum, dum permittit eis juſtum negotium, ſcilicet artificium, propter
51 diverſas neceſſitates, ut ſatis oſtenſum eſt ſupra *n.* 9. *& n.* 46. *verſ. Sed in oppoſitum:* & meritò, quia negotiatio quamvis ſit permiſſa laicis, *ut c. Fornicari* 87. *diſt.* tamen hoc habet locum, ſi ordinatur ad aliquem finem honeſtum, vel neceſſarium; ſecus ſi ad merum lucrum, ut egregiè probat S. Th. in 2. 2. *quæſt.* 77. *art.* 4. quem refert, & ſequitur Abb. *hic num* 10. *verſ. Et prædictis videtur*, & Silveſt. in *verb. Negotium n.* 1.

52 Tertiò QUÆRO, an negotiatio aliàs licita poſſit aliquando fieri illicita.

Solvit Innoc. *hic num.* 3. dicens negotiationes honeſtas
53 poſſe fieri inhoneſtas quadrupliciter. Primò ex cauſa, ſeu fine, cùm ſcilicet ſit propter avaritiam, ideſt improbam cupiditatem divitiarum, vel alium malum finem, *c. Quicumque* 14. *qu.* 4. & tunc eſt peccatum veniale, vel mortale ad eum modum, quo eſt ille finis, ut per Silveſt. in *verb. Negotiatio n.* 2.

54 Secundò ex tempore, puta in Dominicis, & feſtis diebus de præcepto, in quibus non eſt licita negotiatio, cùm ſit opus ſervile, *c.* 1. *& fin. ſupra de fer.* Quod tamen fal-
55 lit in nundinis, quæ fiunt Superiore ſciente, & tolerante, dummodò per hoc divina non omittantur; ſecus ſi nundinæ eſſent prohibitæ, ſecundùm Petr. de Palud. relatum à Silveſt. *eodem numer.* 2. *verſ. Tertiò ex tempore.* Item ſecus in mercatibus, ut eſt textus *in cap.* 1. *ſupra de fer.* licèt ex prava conſuetudine contrarium ſervetur, ut ibi atteſtatur Hoſtien. *num.* 2. *in verb. Illicito*, & Joan. Andr. *n.* 3.

56 Tertiò ex loco, ut in Eccleſia, in qua nec judicandum eſt, nec negotiandum: unde & Dominus ementes, & vendentes ejecit de templo, Jo. 2. Ad hoc *cap. Et hoc diximus* 16. *quæſt.* 8. *& cap.* 2. *verſ. Ceſſent in Eccleſiis, eorumque cœmeteriis negotiationes, & præcipuè nundinarum, & cap.*
57 *de Immun. Eccleſ. lib.* 6. imò ſecundùm Hoſtien. *hic nu.* 8. *verſ. Tertio*, nec ſupellectibilia ſunt ibi ponenda, niſi fortè ad tempus urgente neceſſitate, de quo dic, ut legitur, & notatur in *cap.* 1. *& cap. Eccleſia ſup. de Immun. Eccleſ. & in c. de Cuſtod. Euchar.* An autem, & quando negotiari in Eccleſia ſit culpa lethalis, conſule Silveſt. in *verb. Negotium num.* 2. *verſ. Quartò* Similiter ex loco ſuſpecto, & in-
58 honeſto redditur illicita negotiatio, *leg. Si cum dies, § Si arbiter, verſ. Si in aliquem locum inhoneſtum, ff. de arbitr.* ſicut & converſatio, *c. In omnibus* 81. *diſt. & c. Si quis ſacro* 27. *q.* 1. Silveſt. *ubi ſupra.*

59 Quartò ex perſona, puta ſi ſit Clericus, & à fortiori ſi religioſus, *ut in c. Fornicari, & cap. Negotiatorem Clericum* 88. *diſt. & in hoc c. & infra eod. per tot.* & abundè oſtenſum eſt in præcedenti quæſtione.

60 Quintò ex re, ſua materia. Sunt enim aliqua, in quibus nullo modo licita eſt negotiatio, ut in his, quæ nec per ſe, nec cum admixto poſſunt eſſe utilia, ſicut ſunt aliqua venena, *leg. Quod ſæpè, §. Veneni mali, ff. de contrah. empt. l. Qui venenum, ff. de verb. ſignif. & l. Certè, §.* 1. *ff. famil. herciſc.* In veneno igitur, quod poteſt eſſe utile cum admixto, vel etiam in puro pro feris beſtiis occidendis, licita eſt negotiatio: ſicut & in gladiis ad ſui defenſionem, & in coloribus ad colorandam mulierem, vel etiam virum pro bono ita Innoc. hic *n.* 3. cujus theoricam per omnia ſequitur 61
hic Hoſt. *n.* 8. Abb. Antiq. *n.* 1. & Abb. Sicul. *n.* 11. *& ſup. in rubric.* Jo. And. *n.* 3. Butr. Card. & Anchar. omnes *n.* 2. præterquam quoad illud, quod aſſerit de coloribus pro colorandis mulieribus, & maximè viris, quod nullo modo placet Hoſtien hìc *n.* 9. & Jo Andr. *ſupra in rubr. nu.* 4. Cuili- 62
bet enim ſufficere debet pictura, quam Deus in illius facie naturaliter poſuit, & vix poteſt fieri ſine injuria Creatoris, ſi aliam ſuperponat, ſicut de iteratione Sacramenti characterem imprimentis dicitur in *cap. Oſtenditur de conſecr. diſt.* 4 *& cap. Quidam* 1. *q.* 1. & facit optimè, quod idem Hoſt. notat in *Summa de Sacram. non iteran. §. Et quæ ſunt iteranda, verſ. Sed quid eſt facere injuriam Sacramento*; & quod ſcripſi in *c. Statuimus num.* 52. *ſupr. de ſuppl. neglig. Præl.* Quamobrem Eccleſ. 4. *Ne accipias faciem adverſus faciem tuam*, ſcilicet faciem picturæ adverſus faciem naturalem; & contra faciens timere poteſt illud Joel. 2. *Omnis vultus redigetur in ollam*, ideſt vultus depictus in ollam infernalem. Hinc Didymus Brachmanorum Rex ad Alexandrum loquens de fœminis ſuis, quæ minimè ornabantur, ſic ait: *Quis poteſt opus naturæ corrigere? quod ſi fiat, aut infructuoſum eſt, quia vivitur, aut criminoſum, quia præſumitur.* Et Cyprianus *de diſciplina, & habitu virginum*, dicit: *Opus* 63
Dei eſt quod naſcitur, Diaboli quod mutatur. Et in libro *de habitu virginum incipien. Diſciplina Cuſtos poſt med. Non virgines tantùm, aut viduas, ſed & nuptas puto, & omnes omninò fœminas admonendas, quod opus Dei, & facturam ejus; & plaſma adulterare nullo modo debeant adhibito flavo colore, vel nigro pulvere, vel rubore, aut quolibet lineamenta nativa corrumpente medicamine.* Et poſteà ſubdit: *Manus Deo inferunt, quando illud, quod ille formavit, reformare contendunt: impugnatio eſt iſta divini operis, prævaricatio eſt veritatis. Deum videre non poteris, quando oculi tui non ſunt, quos Deus fecit, ſed quos Diabolus infecit: de inimico tuo compta cum illo pariter arſura.*

Et hanc ſententiam Hoſt. & Jo. Andr. probant Collect. 64
hic nu. 4. *& ſupra in rubr.* Butr. *n.* 2. Cardin. & Anchar. *ambo n.* 3. Abb. *hic n.* 11. & idem Jo. Andr. *in reg. Ea quæ à n.* 8. *in Mercur. lib.* 6. ubi; ait [Fucationem ex ſui natura eſſe malam;] & ideò poſſe per ſtatutum Epiſcopi prohiberi, nec marito contrarium præcipienti teneri uxorem obedire. Quod fuſiùs proſequitur Alber. de Roſate in 2. *par. Statut. circa fin. q.* 201. *col.* 3. & his adde D. Th. in 2. 2. *qu.* 169. *art.* 2. *ad ſecundum*, ubi ait: [Mulierum fucatio, de qua Cyprianus loquitur ubi ſupra, eſt quædam ſpecies fictionis, quæ non poteſt eſſe ſine peccato: unde Auguſtin. dixit in *epiſt.* 73. *ante med. tomo* 2. Fucari figmentis, quò rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia eſt: non tamen ſemper talis fucatio eſt cum peccato mortali, ſed ſo- 65
lùm quando ſit propter laſciviam, vel Dei contemptum, in quibus caſibus loquitur Cyprianus.] Hæc S. Th. Sic Jezabel 66
introitu Jehu audito depinxit oculos ſuos ſtibio, ut legitur Reg 4. *cap.* 9. 30. Item Ezechiel. 23. 40. *Circumliniſti ſtibio oculos tuos, & ornata es mundo muliebri*, & infra 44. *Et ingreſſi ſunt ad eam quaſi mulierem meretricem*

Cæterùm adverte, quia ut S. Doctor ſubjicit, aliud eſt 67
fingere pulchritudinem, & aliud occultare turpitudinem ex aliqua cauſa provenientem, puta ægritudine, vel aliquo hujuſmodi; hoc enim eſt licitum, quia ſecundum Apoſt. 1. ad Corinth. 12. *Quæ putamus ignobiliora membra corporis eſſe, his honorem abundantiorem circumdamus.* Quo fit, ut fortè non peccaverit quidam ex Proceribus, qui cùm morbo gallico tabeſceret, oſtro pingebat pallentes genas, de quo ſan. mem. Urbanus VIII. feſtivè fertur dixiſſe: *Foris minio pictus Ibero, intus autem Gallico.*

Non tamen Hoſtien. hic *num* 9. & ſequaces reprobant 68
honeſtum, pretioſum, & placitum, ornatum mulierum ſine pictura; ſi propterea ſe ornaverint, ut viris ſuis magis placeant: ſed ſi ut aliorum oculos ad ſe trahant, eſt illicitum, & mortale, *c. Ne ſolo tactu, & c. ſeqq.* 32. *qu.* 5. Unde Chryſoſt. *Mulier ſi ſe decoraverit, & vocaverit ad ſe oculos hominum, etiamſi plagam non intulerit, vindictam dabit extremam; venenum enim obtulit, etſi nullus qui bibat inventus ſit:* & concordat B. Th. in 2. 2. *qu.* 169. *d. art.* 2. *in corp.* ubi docet mulierem conjugatam poſſe abſque peccato ſe ornare, ut viro ſuo placeat: ſed non conjugatas mor- 69
taliter peccare, ſi ſe ornent ea intentione, ut viros provocent ad laſciviam, ſi autem ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter jactantiam quamdam,

non

non ſemper eſſe peccatum mortale, ſed quandoque veniale.

71 Sextò, ultra prædicta, negotiatio aliàs licita, fieri poteſt illicita ex commercio, cùm ſcilicet illud eſt Reipublicæ damnoſum, velut cùm quis totum frumentum, aut omnes merces emit, ut coactis aliis à ſe emere, vendat ſuo arbitratu, ſecundum Silveſt. *in verb. Negotium n.2. verſ. Sextò*. Ad hoc quod legitur, & notatur *in Rubr. & in l. unic. C. de*
72 *Monopol.* Verùm tempore fertilitatis poteſt quis multa victualia emere, ut tempore egeſtatis abundet, exemplo Jo-
73 ſeph in terra Ægypti, *ut Gen.41.* Quinimò hoc licet non tantùm pro uſu proprio, ſed etiam ut aliis poſſit vendere eo pretio, quo tunc vendetur ab aliis, dummodò tamen hoc faciat eo tantùm fine, ne in terra ſua victualia deficiant, puta, quia videbat homines propter abundantiam victualia hujuſmodi ad exteras gentes transferre, vel diſſipare, vel in iis cuſtodiendis debitam curam vel diligentiam non adhibe-
74 re: alioquin ſi nulla utilitate penſata emant, ut vendant cariùs, peccant omnes, ut legitur, & notatur *in cap.1. de empt. & vendit.* ſed graviùs Clerici, quàm laici, *cap. Quicumque 14. q.4.* Ita Innoc. hìc *num.2.* cui conſentiunt Hoſtien. *n.7. in verb. Propter neceſſitates*, Jo. Andr. *n.3. in verb. Neceſſitates*, Butr. *n.4.* Card. *n.2.* Anchar. *n.5.* & Abb. *n.9.* dicens cum dicto Innocentii tranſire communiter Doctores.

75 Septimò, demum negotiatio fieri poteſt illicita ex conſortio. Unde qui cum negotiatore, quem ſcit malæ conſcientiæ, ſocietatem inivit, tenetur eam diſſolvere, ſi commodè poteſt: aliàs proteſtari debet ſe non intendere de illicitis lucris participare, arg. *c. Error, & c. Facientes 82. diſt.* Ita S. Anton. *in 2. part. tit.1. cap. 16. §. 2. poſt med. verſ. Si quis etiam Societatem*, & poſt eum Silveſt. *in verb. Negotium n.2. verſ. Septimò*.

76 Sed hìc incidit dubitatio, numquid exercens negotiationem aliàs licitam, ſed aliquo ex ſupraſcriptis modis illicitam, teneatur lucrum inde ſuſceptum reſtituere? Abb. hìc *n. 11. verſ. Sed circa primum* reſolvit teneri, per ea, quæ dixit poſt Innoc. *in cap. Quia plerique num.34. ſupra de immunit. Eccleſ.* Tu verò dicas non eſſe in præcepto, ut lucrum per hos modos quæſitum reſtituatur, aut pauperibus detur, licèt ſit conſilium, ſecundùm Doctores, niſi injuſtitia committatur pluris vendendo, aut minoris emendo, vel niſi ſit cauſa excreſcentiæ pretii emendo totum aliquid, ut cariùs venderet, quia tunc tenetur læſis reficere damnum propterea illatum: fuit enim cauſa damni alterius injuſtè, ut benè per S. Antonin. *in 2. part. tit.1. cap.16. §.2. circa med. verſ. & in quatuor caſibus*, & Silveſt. *ubi ſupra*, *§. Non eſt autem neceſſarium*, & vide Cajetanum reſtitutionis materiam ex principiis explicantem in *2.2. q.62. art.6.*

77 Quartò, QUÆRO, quibus Clericis interdicta ſit negotiatio.

78 Si negotia ſæcularia accipiantur in latiori ſignificatione, prout proveniunt ex carnali concupiſcentia, res eſt extra dubium, quia talia indiſtinctè ſunt omnibus prohibita tam Clericis, quàm laicis, ſed maximè Clericis, ut hìc patet: nam appetere plus juſto pretio, hæc & ſimilia indubitanter interdicta ſunt omnibus, ſecundum Abbatem hìc *n.12. verſ. Ego dicerem*.

79 Verùm ſi negotia ſæcularia ſumantur ſtrictè pro commutatione lucrativa, ſeu mercatura, quæ permiſſa eſt laicis, ſed prohibita Eccleſiaſticis, *ut in cap. Fornicari 88. diſtin.* tunc quoad Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos conveniunt omnes negotiationem eſſe prohibitam; de hoc enim eſt caſus apertus hìc in illis verbis: *Ecce talia, & his ſimilia Miniſtris Altaris Domini omninò contradicimus*, quæ verba proculdubiò includunt Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, *cap. Tribus, & cap. ſeq. de conſecr. diſt.2.* ut hìc per Hoſt. *num.7. in fin. in verb. Miniſtris*, cum quo alii tranſeunt, ad idem *cap.1.* ibi, *in Subdiaconatu*, & ſupra, ubi gloſſ.1. *verſ. De iis, qui ſunt in majoribus ſupra de poſtuland. & cap. Sicut te*, & quod ibi notant Innoc. & alii *in ver. Sacris infra hoc tit. & cap.3. 88. diſt.* ubi dicitur: *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus nequaquam ſæculares cura aſſumat.*

80 Quo verò ad Clericos Minorum Ordinum, ſiquidem habeant competens beneficium Eccleſiaſticum, ſimiliter concordant Doctores non licere illis negotiari, per textum *in d. cap.1.* ibi, *In ordinibus quoque minoribus, ſi ſtipendiis Eccleſiaſticis ſuſtententur, de poſtulan.* & hìc firmant *loco cit.*

Jo. Andr. *num.4. in verb. Miniſtris*, Butr. *eodem num.4. verſ. Quæro an omnibus*, & Abb. *num.13.* & conferunt quæ de officio Tabellionatus ſcripſi *in d. cap. Sicut te num 26. infra eod.*

Sed ſi Clerici in minoribus Ordinibus competens benefi- 81
cium non habeant, articulus eſt valdè dubitabilis: nam Hoſtienſ. & Joan. Andr. proximè citati videntur tenere hanc probationem reſtringi ad Clericos in minoribus beneficiatos dumtaxat, & apertiùs hoc tenet Abb. *num.12. in fin.* dicens, Clericis in minoribus non beneficiatis minimè prohiberi negotia ſæcularia aliàs licita. Moventur 82
omnes per *d. cap.1. ſupra de poſtulan.* ubi Clerici in minoribus prohibentur eſſe Advocati in foro ſæculari, ſi ſtipendiis Eccleſiaſticis ſuſtententur. Ergo à contrario ſenſu, ſi hujuſmodi ſtipendia, & ſic beneficium non habeant, utique poſſunt, & ita ibi notat gloſſ.1. & communiter DD.

Verùm Anton. de Butr. hìc *n.4. verſ Quæro an omnibus*, 83
putat hanc prohibitionem extendi ad Clericos in minoribus etiam non beneficiatos, quia ſi gaudere volunt privilegio Eccleſiaſtico, abſtinere debent ab his, quæ non decent propoſitum Clericale, *ut cap. fin. de vit. & honeſt. Clericor.* Tu verò dicas, Clericis omnibus etiam minorum Ordinum prohibitam eſſe negotiationem, ſi congruam habeant ſuſtentationem, ſive ex beneficio Eccleſiaſtico, ſive ex bonis patrimonialibus.

Quod probo ponderando primò hanc rubricam, quæ 84
indefinitè loquitur de Clericis, & complura capitula damnant Clericos negotiatiores, nec diſtinguunt, an ſint beneficiati, necne, *ut cap.1. 14. q.4. cap. Negotiatorem Clericum quaſi quamdam peſtem fuge, & per tot. 88. diſt.* Ergo indiſtinctè & generaliter de omnibus Clericis ſunt intelligenda, *cap. Si Romanorum 19. diſtinct. cum concord.* & notat gloſſ.1. *in cap 2. de præbend.* Et eò magis, quia *in* 85
cap.1. eadem diſtinct. ſic legitur: *Decrevit S. Synodus nullum deinceps Clericum poſſeſſiones conducere, aut negotiis ſæcularibus ſe miſcere.* Dictio autem, *Nullum*, cùm ſit univerſalis negativa, utique non admittit reſtrictionem ad Clericos beneficiatos, ad gloſſ. in Clem. 1. *in verb. Nullius, de præbend.* Rom. *conſ. 199. num. 2.* & Cravett. *conſ. 809. num.4. verſ. Sextò, & conſ. 294. num.5.* Ad idem textus *in cap.1. 14. quæſt.4.* ubi dicitur, *Noverint Clerici ab omni cujuslibet negotiationis ingenio, vel cupiditate ceſſandum: quod ſi ceſſare noluerint, in quocumque gradu ſint poſiti, mox à Clericalibus officiis abſtinere cogantur:* nam dictio illa effrænata, *Quocumque*, ſimiliter nullam patitur reſtrictionem, *cap. Solitæ*, & ibi gloſſ. ult. *ſupra de major. & obed.* Archid. *in cap. Si tibi abſenti, col.2. in verb. Quicumque de præbend. lib.6.*

Secundò, pondero textum *in cap. Fornicari 88. diſtinct.* ubi dicitur: *Antequam Eccleſiaſticus quis ſit, licet ei negotiari; facto jam non licet.* Sed per ſolum Clericatum quis efficitur Eccleſiaſticus, & de foro Eccleſiæ, licèt beneficium non ſit adeptus, ut patebit infrà *n.90.* Ergo eidem negotiari non licet.

Tertiò, ad idem pondero textum *in cap. 2. infra de Cleri-* 86
co venatore, ubi venatio, quæ in hoc *cap. 2. circa fin.* connumeratur inter negotia ſæcularia, omnibus ſervis Dei interdicitur. Servi autem Dei dicuntur quicumque in ſortem Domini vocantur: & ſic Clericali charactere inſigniti, etiam non beneficiati, *cap. Duo ſunt 12. q.1. c. Cleros, & cap. Clericos 21. diſt.* & notant *in d. cap. 2.* gloſſ. un. & Hoſtien. *n.2.* & plerique alii.

Et confirmatur, quia Concilium Trident. *in c.1. ſeſſ. 22.* dum innovat Summorum Pontificum, & Conciliorum ſanctiones de ſæcularibus negotiis fugiendis, loquitur de Clericis in ſortem Domini vocatis. Quæ quidem verba, ut prædixi, conveniunt omnibus Clericis, etiam primæ tonſuræ, & beneficium non habentibus.

Quartò, argumentor à ratione ceſſante: nam Clericus indulgetur, ut poſſint eſſe Advocati in foro ſæculari propter neceſſitatem ſuſtentationis, *d. c.1. de poſtul.* ſed hæc neceſſitas ceſſat, ſive ex beneficio, ſive aliundè ſuſtententur, *c. Epiſcopus in fin. de præben.* ergo & indultum ceſſare debet, *cap. Quod ex neceſſitate 1. q.1.*

Quintò, conſidera rationes, ob quas Clerici prohiben- 87
tur negotiari; præcipua enim ratio eſt, quæ ponitur in hoc capitulo, videlicet, quia ſecundum verbum Apoſtoli nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus; hæc autem 88

Verba utique comprehendunt etiam Clericos non beneficiatos, quia cùm primùm quis Clericali tonſura initiatur Dei ſeu cœleſtis militiæ miles efficitur, ut text. *in cap. Chriſtianis* 11.*quæſt.*1.*in cap. Degradatio*, *de præbend. lib.*6. & ſcripſi pleniùs *in c.Cum contingat num.* 29.*ſupra de ætat.*
89 *& qualit.* Secunda ratio eſt, quia Clerici ſunt ex illo genere Chriſtianorum, quod mancipatum divino officio, & deditum contemplationi & orationi, ab omni ſtrepitu temporalium ceſſare convenit, quæ ſunt verba text. *in c. Duo ſunt genera* 12.*q.*1. Ex hoc autem genere proculdubio ſunt Clerici primæ tonſuræ etiam non beneficiati; quod inde convincitur manifeſtè, quia cùm tonſurantur, deponunt capillos, & tondentur in ſignum ſuperfluæ curæ temporalium, & hanc coronam habent ab inſtitutore Eccleſiæ, ut ibi ſubjungitur: & ſic multò antequam erecti fuiſſent tituli beneficiales, ut probavi latiſſimè *in c.Si quis ſanè n* 16.*ſupra de pecul.Cle-*
90 *ric.* Tertia ratio, quia Clerici non ſunt de corpore Reipublicæ mundanæ, ſed Eccleſiaſticæ, *l.Placet, C.de Epiſc.& Cler.* *& cap. Fornicari* 88.*diſt.* Et propterea non decet eos vacare negotiis mundanæ reipublicæ, cujus corpori non ſunt annexi, ut per Abbatem *ſupr. in rubr. circa med. verſ. Secundò poteſt*, & dictum eſt ſupra *n.*30.*& ſeqq.* Dubitari autem non poteſt, quin minores Clerici etiam non beneficiati ſint de corpore reipublicæ Eccleſiaſticæ, & de foro Eccleſiæ, *cap. Nullus Clericus, & per tot.* 11.*q.*1.*cap. Quiſquis* 17.*q.*4. Idcoque Concil. Trident. declarans fori privilegium *in cap.*6. *ſeſſ.*23. loquitur alternativè, ibi, ***Beneficium Eccleſiaſticum habeat, vel habitum, & tonſuram deferens alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi inſerviat.*** Et ita ſufficit clericatus cum prædictis requiſitis etiam ſine beneficio, ut ſæpius cenſuit S.Congregatio ejuſdem Concilii Interpres. Quarta ratio, quia Clerici à divinis officiis quibus jugiter vacare debent, per ſæcularia negotia diſtrahuntur, *c. Numquam de Conſecrat.diſtin.*5.*cap.fin.* ibi, ***Sæcularibus potiùs negotiationibus, quàm divinis officiis intendunt***, *ſupra de vita & honeſt. Clericor.& c.Clericus il primo*, ibi, ***Abſque officii ſui detrimento*** 91.*diſt.* Certum eſt autem etiam Clericos primæ tonſuræ, licèt beneficiati non ſint, per ſæculares curas avocari à divinis officiis, quibus & ipſi ſunt addicti, ut clarè probatur *in d.c.Duo ſunt* 12.*quæſt.*1. Ideòque S.Tridentina Synodus *in c.*16.*ſeſſ.*23. innovans canonem ſextæ Synodi Chalcedonenſis ſtatuit, ut nullus in poſterum ordinetur, qui illi Eccleſiæ, aut pio loco, pro cujus neceſſitate vel utilitate aſſumitur, non adſcribatur, ubi ſuis fungatur muneribus, nec
91 incertis vagetur ſedibus, &c. Quinta Ratio, quæ ſimiliter æquè viget in Clericis beneficiatis, ac non beneficiatis, eſt, quia negotiatio ut plurimum ſine mendacio, & perjurio exerceri non poteſt, *c. Ejiciens* 88.*diſt. c.Qualitas*, *& cap. Negotium, de pœnit.diſt.*5.*gloſſ. in Summa circa fin.*14. *qu.*3. Joan.Andr. *in c.*1. *num.*2. *ſupra de ſer.*

92 Non obſtat, quòd prohibitio negotiationis in hac Decretali fiat Miniſtris Altaris Domini, quales non videntur eſſe, niſi Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, *ut in c.Tribus*, *de Conſecr.diſt.*2. ubi Clemens Papa; (Tribus gradibus, inquit, commiſſa ſunt Sacramenta Divinorum Secretorum, id eſt Presbytero, Diacono, & miniſtro) nempè Subdiacono, ut gloſſ. DD. interpretantur.

93 Nam reſpondeo etiam inferiores Clericos eſſe miniſtros altaris Domini, licèt non ita proximos, & immediatos, ſicut Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi: nam generaliter omnis Ordo prout eſt Sacramentum, ordinatur ſpiritualiter ad Sacramentum Euchariſtiæ, *c. Perlectis* 25.*diſt.* Concil. Trident.*ſeſſ.* 23. *de Sacram. Ordin. cap.*2. *& can* 2. & docet S. Thom. *in* 4.*diſt.*24.*quæſt.*3.*art.*2.*quæſt.*2. Et diſtinctio omnis graduum, & ordinum eſt propter altaris ſacrificium, in quo eſt conſummatio omnis divini cultus, Turrecrem. *in cap.*
94 *Cleros n.*16.*verſ. Secundò ſic* 21.*diſtinct.* & in ſpecie Acolythus ſuggeſta pro Euchariſtia, & Calices Diaconis præparat, *ut in d.cap. Perlectis*, §. *Ad Acholytum.* Neque verò ad eſſe ordinis Eccleſiaſticis, & Sacramentalis requiritur, ut habeat miniſterium cooperativum in ipſo actu conſecrationis Euchariſtiæ; ſed ſatis eſt, ut vel quoad ipſum Sacramentum, vel quoad ſuſcipientes cooperetur, præparando, ſicut clarè patet in minoribus ordinibus, *d.c.Perlectis*, *& c.*
95 *Acolytus cum trib.ſeqq.* 23. *diſt.* quæ ſunt formalia verba Præpoſ. *in d. c. Cleros n.*4.*verſ. Non enim* 21.*diſt.* & declarat S.Th. *in* 4.*diſt.* 24. *q.*2. *art.*1. *q.*2.*verſ. Et ideò aliter dicendum*, ubi latè proſequitur, quomodo miniſtri ſinguli cooperentur mediatè, vel immediatè, vel in ordine ad ipſum Sacramentum, vel in ordine ad ſuſcipientes. Sed & Conc.Trid. *in c.*17.*ſeſſ.*23. iteriò præcipit, ut ſingula ſacrorum Ordinum miniſteria ab Oſtiariatu ad Diaconatum nonniſi per conſtitutos in dictis Ordinibus exerceantur. Ex quibus patet verba hujus decretalis de miniſtris altaris Domini utique congruere etiam Clericis minorum Ordinum; & eò magis, quia textus declarat de quibus miniſtris intellexerit, dum ſubjunxit: De quibus ait Apoſtolus, ***Nemo militans Deo, &c.*** Quæ verba conveniunt etiam Clericis primæ tonſuræ, ut oſtenſum eſt ſupra *n.*87.*&* 88.

Non obſtat *d. cap.*1. *de Poſtul.* ubi Clerici in minoribus 96
prohibentur eſſe Advocati in foro ſæculari, ſi ſtipendiis Eccleſiaſticis ſuſtententur.

Nam primò reſponderi poteſt, inde non eſt licitum arguere, ut ſi talibus ſtipendiis non ſuſtententur, poſſint eſſe Advocati: quia argumentum à contrario ſenſu non procedit, quando ipſius argumenti contrarium reperitur in jure expreſſum, Jo.Andr. *in c.Publicato n.*18.*de elect.* prout reperitur hoc caſu, ut patet in juribus ſupra ponderatis *n.*83.*& ſeqq.* Deindè reſpondetur illum textum eò tantùm reſpexiſſe, ut Clerici judiciis ſæcularibus ſe non immiſceant, niſi ex cauſa neceſſitatis, vel pietatis. Et quamvis adjecerit verba illa, ***ſtipendiis Eccleſiaſticis***; tamen hoc ideò videtur feciſſe, quia de jure etiam ad minores Ordines quis promoveri non debet ſine titulo, ut eſt caſus *in cap. Non liceat*, & ibi notat gloſſ. 1. & Abbas *n.*1. *&* 2. *ſupra de præbend.* & ſic reſpexit ad id, quod de jure eſſe debet. Sed tamen idem dicendum eſt, ſi aliundè habeant ſuſtentationem, quia cùm conditio illa, ***Si ſtipendiis Eccleſiaſticis ſuſtententur***, reſpiciat unum & determinatum finem, ſcilicet ut non indigeant, utique adimpletur per æquipollens, *ut in l.ult.*§.*fin.ff. Mand.* & notat Bald. *conſ.*51. *Titius vendidit num.*1. *lib.*1. Ad hoc bonus text. *in cap. Epiſcopus il terzo de præbend.* ibi: ***Niſi talis ordinatus de ſua, vel de paterna hæreditate ſubſidium vitæ poſſit habere.*** Et eſt ex mente Hoſtienſ. & aliorum quos retuli *in cap.Sicut te, n.*28.*infra eodem*, ubi omninò videas. Ac demum reſponderi poteſt illam Decretalem eſſe intelligendam in caſu de quo loquitur, in quo videtur eſſe aliqua ſpecialis ratio permiſſionis quoad minores Clericos non beneficiatos, quia munus advocationis eſt valdè utile Reipublicæ: nam advocati non minùs proſunt humano generi, quàm ſi præliis, atque vulneribus patriam parenteſque ſalvarent; ut dicitur *in l.Advocati, C.de Advocat. diverſ. jud.* Et facit quod not. gloſſ. *in l.*1. §. *Hoc edicto*, *in verb. Certis perſonis*, *ff.de poſtulan.* & Abbas *in c. ult. n.*1. *eod.tit.* Ab officio igitur Advocationis non videtur inferendum ad alia negotiationum genera, quæ non ad publicam utilitatem, ſed ad privatum lucrum ordinantur, *cap.Secundum inſtituta infra eod.* Quæ differentia eſt ex mente Silveſt. *in verb.Clericus* 3.*n.*1. *verſ.Clerico igitur*, *junct. verſ. Nec ſecundo*, & hìc junge quæ de Clericis minorum Ordinum habentibus, unde vivant, non ex beneficio, ſed ex patrimonio, circa prohibitum Tabellionatus exercitium ſcripſi *in c. Sicut te n.*27.*& ſeq. infra eod.*

Quæ opinio, ſi vera eſt in terminis juris communis, pro- 97
fectò redditur fermè indubitabilis ex nonnullis Conſtitutionibus Summorum Pontificum.

Nam Pius IV. in Bulla 19. incipien. ***Decens eſſe cenſentes***, in Bullar. *tom.*2.*pag.*29. declarat bona quæcumque ex illicita negotiatione acquiſita per quoſvis Clericos tam ſæculares, quàm regulares etiam in ſacris Ordinibus conſtitutos cujuſcumque ſtatus, ordinis & conditionis fuerint, tamquam ſpolia ad Cameram Apoſtolicam pertinere. Pondera verba, ***Etiam in ſacris***: necnon verba, ***Cujuſcumque ordinis***: quæ implicant, & includunt etiam Clericos in minoribus Ordinibus conſtitutos. Item pondera verba univerſalia, & geminata, ***Quoſcumque Clericos Cujuſcumque ſtatus, &c.*** quæ non patiuntur reſtrictionem ad beneficiatos, ex his quæ plenè tradit Aym. *conſ.*294. *Verba tranſactionis n.*1.*per tot.*

Item S.Pius V. in Bulla 42.incip. ***Romani Pontificis***, in Bul- 98
lar. *tom.*2.*pag.*238. ſtatuit, ut à quibuſvis Presbyteris, & Clericis, quorum beneficia, vel penſiones non excendunt valorem annuum triginta ducatorum auri de Camera, nullum ſpolium exigi poſſit, dummodò tamen ſe ab illicita negotiatione, & à ſacris Canonibus prohibita abſtinuerint. Ergo Clericus habens penſionem etiam infra ducatos tri- 99
ginta, tenetur ab illicita negotiatione abſtinere; alioquin ſubjacet ſpolio: & tamen habens penſionem non dicitur habere beneficium, cùm Conſtitutio loquatur alternativè de bene-

beneficio, vel de penſione: & ſic falſa eſt opinio Hoſtienſis & ſequacium, quòd minores Clerici non beneficiati poſſint negotiari.

100 Item Paulus V. in Conſtitutione 14. quæ incipit, *In eminenti*, Bullar. *tom.3.pag.199.* indulſit curialibus, incolis, & originariis Urbis etiam Clericis, & in ſacris Presbyteratus ordinibus conſtitutis in ipſa Urbe, & intra decem milliaria, ut de eorum bonis ibidem exiſtentibus non fiat ſpolium, etiam ſub prætextu, ſeu cauſa illicitæ negotiationis. Certum eſt autem hoc indultum competere etiam Clericis minorum ordinum non beneficiatis, ut praxis obſervat: ergo circumſcripto indulto poſſet eis fieri ſpolium ex cauſa illicitæ negotiationis.

Et ita ſervatur de conſuetudine; nam Commiſſarii, & Collectores ſpoliorum quotidiè procedunt ex capite illicitæ negotiationis contra Clericos, tam in ſacris, quam in minoribus ordinibus conſtitutos, ſive beneficium Eccleſiaſticum habeant, ſive non.

NE CLERICI, VEL MONACHI.

Alexander III. in Concilio Turonen.

CAPUT III.

NOn magnoperè antiqui hoſtis invidia: & infrà. Inde nimirum eſt, quòd in Angelum lucis ſe more ſolito transfigurans, ſub obtentu languentium fratrum conſulendi corporibus, & Eccleſiaſtica negotia fideliùs pertractandi, regulares quoſdam ad legendas leges & confeſſiones phyſicales ponderandas, de clauſtris ſuis educit. Unde ne occaſione ſcientiæ, ſpirituales viri mundanis rurſus actionibus involvantur: Statuimus, ut nulli omninò poſt votum religionis, & poſt factam in aliquo loco religioſo profeſſionem, ad phyſicam legesve mundanas legendas permittantur exire. Si verò exierint, & ad clauſtrum ſuum infra duorum menſium ſpatium non redierint, ſicut excommunicati ab omnibus evitentur: & in nulla cauſa, ſi patrocinium præſtare voluerint, audiantur: reverſi autem in choro, capitulo, menſa, & cæteris ultimi fratrum exiſtant, & (niſi fortè ex miſericordia ſedis Apoſtolicæ) totius ſpem promotionis amittant.

S U M M A R I U M.

1 *Religioſi exeuntes ad audiendas leges, vel Phyſicam, niſi infra duos menſes ad clauſtrum redeant, excommunicati ſunt, & alias pœnas incurrunt, de quibus hìc.*
2 *Phyſica, id eſt medicina.*
3 *Regularis in ſæculo admiſſus in Collegium Doctorum utriuſque Juris, an de ſui ſuperioris licentia in eo intereſſe, & ſuffragari valeat, & n.ſeqq.uſque in fin.*
4 *Inobedientia regularis excluditur ex licentia Prælati petita, & obtenta.*
5 *Religioſus non eſt proprietarius, qui emolumenta Collegii non ſibi, ſed Monaſterio lucratur.*
6 *Monachus ad utilitatem Monaſterii eſt capax donationis, legati, & hæreditatis tam ex teſtamento, quàm ab inteſtato, & n.23.*
7 *Conciliaris materia dicitur, quæ continetur in Canonibus à Concilio Trident. innovatis.*
8 *Regularis qui in ſæculo Juri civili operam dedit, de ſui Superioris licentia promoveri poteſt ad gradum Doctoratus.*
9 *Negotia ſæcularia æquè prohibentur ſacerdotibus ſæcularibus, ac regularibus.*
10 *Presbyteri ſæculares poſſunt eſſe de collegio Doctorum Juris civilis.*
11 *Collegium, in quo ſunt pariformiter Clerici, & laici, in dubio cenſetur Eccleſiaſticum.*
12 *Collegium Doctorum utriuſque juris quale cenſeatur.*
13 *Jus Canonicum eſt potentius, ac dignius jure Civili.*
14 *Regulares poſſunt eſſe de Collegio Eccleſiaſtico, ſeu Doctorum Juris Canonici.*
15 *Theologia appellatione venit etiam ſcientia Canonica.*
16 *Regulares non habent velle, aut nolle, ſed ſunt mortui mundo, & ſervo æquiparantur.*
17 *Declaratur, & n.22.*
18 *Regularis ex ſui Superioris licentia poteſt poſtulare pro ſui Monaſterii utilitate.*
19 *Item poteſt eſſe procurator pro amico ſui Monaſterii etiam laico.*
20 *Præparantis, & præparati idem eſt judicium.*
21 *Et judex cauſæ præparantis eſt judex cauſæ præparatæ.*
22 *Regulares retinent generis nobilitatem, jus ſanguinis, ſuitatis, & Civitatis.*
24 *Regulares in materia favorabili veniunt Clericorum appellatione.*
25 *Religioſus ex ſententia D.Thomæ poteſt eſſe de Collegio ſæcularium Magiſtrorum.*
26 *Intellectus* cap. In nona actione 16.q.7.
Profeſſionis diverſæ homines an, & quando poſſint in eodem officio ſociari, ibid.
27 *De Collegiis diverſis an, & quando quis eſſe poſſit.*
28 *Pariſienſium quorumdam error, qui ſtatum Religioſorum mendicantium damnatum aſſerebant, confutatur à D.Thoma in Opuſculo juſſu Clementis IV. edito, & ab eodem approbato.*

Proſp. Fagnan. in III. Lib. Decretal.

N*On magnoperè.* Religioſi profeſſi exeuntes ad audiendas 1
leges, aut phyſicam, niſi infra duos menſes ad clauſtrum redeant, excommunicati ſunt, & in nulla cauſa patrocinari poſſunt, & in choro, Capitulo, & cæteris erunt ultimi, & ſine diſpenſatione Papæ non promoventur. Hoc dicit; & expone phyſicam, id eſt medicinam, prout Doctores 2
intelligunt, & colligitur ex littera ibi, *Sub obtentu languentium fratrum conſulendi corporibus*, ad hoc *c. Ad aures*, ibi, *In arte phyſica, de ætat. & qual.* Dividitur in tres partes. Primò ponit factum reprehenſibile. Secundò id fieri prohibet, ibi, *Unde ne*. Tertiò quadruplicem pœnam imponit, ibi, *Si verò exierint*. Deſumpta eſt hæc Conſtitutio ex Canone nono Concilii ab Alexandro III. Turonis habiti anno 1163. quo Victor Antipapa, ejuſque fautores ſchiſmatici judicio 17. Cardinalium, & 124. Epiſcoporum excommunicati fuerunt: de hoc *in c. 1.* & ibi per gl. 1. *inf. de Schiſm.* Refertur hæc ipſa Conſtitutio, declaratur, & extenditur ab Honorio III. *in c. Super ſpecula infra eod.* ubi ibi plenè dixi: item declaratur à Bonifacio VIII. *in cap.1.eod.tit. lib.6.*

Hic QUÆRO præter alios: Suppoſito quòd in Collegio Doctorum utriuſque juris ex præſcripto litterarum Apoſtolicarum tam laici, quàm Clerici admitti poſſint: item poſito decreto Concilii Trid. *c.1.ſeſſ.22 & c.1. & 2.ſeſſ.25. de regul.*
An Doctor in ſæculo ſemel in ipſum Collegium admiſſus, 3
ſi poſteà Religionem capacem bonorum in communi profiteatur, ex ſui Superioris licentia eidem Collegio intereſſe, atque in eo ſuffragari valeat.

Cùm nuper hoc dubium fuiſſet in Sac. Congregatione Concilii propoſitum, quod pertinet ad *c.1. & 2.ſeſſ.25. de regular.* contra regulares inobedientes, & proprietarios: S. Congregatio cenſuit decreta illa non obſtare regulari, quominùs ad dict. Collegium accedere, atque in eo ſuffragari queat: nam inobedientia tollitur ex licentia Superioris peti- 4
ta, & obtenta, *c. Religioſus, de teſtamen. lib.6.* & Clem. *Religioſis eodem titulo*: & vitium proprietatis excluditur ex eo, 5

quòd emolumenta inde provenientia religioſus non ſibi,ſed Monaſterio lucratur, *cap. Cum ad Monaſterium*, §. *Prohibemus ſupra de ſtat. Monachor. cum ſuis concordantibus*. Un-
6 de videmus ad utilitatem Monaſterii Monachum eſſe capacem donationis, legati, & hæreditatis tam ex teſtamento, quàm ab inteſtato, ut in Auth. *de Sanctis Epiſcop.* §. *Sed & hoc præſenti, coll.9. Auth. Niſi rogati, C. ad Trebell. l. Deo nobis*, §. 1. *C. de Epiſcopis, & Clericis, & c. In præſentia cum materia, ſupra de probat.* Et quoad hoc cùm nulla alia ſubſit difficultas, non videtur eſſe opus uberiori diſputatione. Sed
7 quod ſpectat *ad c. 1. ſeſſ.22.* S. Congregatio tametſi majori parte exiſtimaverit petendam eſſe dubii ſolutionem à jure communi, cùm Concilium ibi nihil novi ſtatuat, ſed tantùm innovet ſacros Canones contra Clericos ſæcularibus negotiis ſe immiſcentes: tamen quia hæc admiſſio in Collegium, ſi prohibetur à ſacris Canonibus, utique etiam prohibetur à Concilio illos innovante, ſecundùm theoricam Aretini *conſ.36. Videtur n.18.* idcircò operæ pretium putavit hunc articulum diligenter examinare. Difficultas igitur huc tantùm vertitur, an ex ſacrorum Canonum diſpoſitione Regularis de licentia Superioris in dictum Collegium utriuſque juris admitti, & ſuffragari poſſit.

Ad quod videtur affirmativè reſpondendum; nam duobus modis potiſſimùm jus commune videri poteſt obſtare regulari, quo minùs poſſit admitti: id eſt aut ex parte ipſius admiſſionis, quæ veluti negotium ſæculare cenſeri debeat religioſis interdicta: aut ex parte ipſius regularis, qui cùm ſit mortuus mundo, perdiderit per profeſſionem jus illud, quod in ſeculo acquiſierat intereſſendi Collegio, atque in eo ſuffragium ferendi: ſed neutro modo jus commune obſtat; & quidem non ex parte admiſſionis in Collegium; quia etſi regularibus tamquam ſæculare negotium prohibeatur auditio juris civilis, ut hìc, juncta declaratione *c. Super ſpecula infra eod.* tamen hæc prohibitio uti pœnalis ad alios caſus non extenditur, ut clarè probatur *in cap. Unico eod. tit. lib.6.* & ſcripſi pleniùs in prædicta Decretali *Super ſpecula à n.13. uſque ad num.18.* unde videmus eam non habere locum in docentibus, ſeu interpretantibus leges civiles, ut patebit
8 infra *n.19.* Et ob eamdem rationem qui in ſæculo juris civilis ſtudio operam dedit, non prohibetur ex ſui Superioris licentia promoveri ad gradum Doctoratus ejuſdem juris, ut pluribus reſpondit Calder. *conſ.2. An Abbas, de Mag.* & ſequitur Felin. *in c. Cùm dilecta n.19. de reſcript.* Unde quemadmodum prohibitus audire leges non cenſetur prohibitus obtinere gradum Doctoratus in jure civili, ſed poteſt Collegium ingredi pro hujuſmodi gradu adipiſcendo: ita nec debet cenſeri prohibitus eumdem gradum aliis conferre, & ad hunc effectum Collegio intereſſe, cùm minor videatur ratio prohibitionis in collatione gradus activa, quàm paſſiva, argumento textus *in cap. Si celebrat, de Cler. excomm. miniſtr.*

9 Ad hæc, negotia ſæcularia, & in ſpecie auditio juris civilis æquè prohibetur ſacerdotibus ſæcularibus, atque regularibus, ut patet *in d. c. Super ſpecula infra eodem*: ſed ingreſ-
10 ſus in Collegium utriuſque juris non prohibetur ſacerdotibus ſæcularibus: ergo nec regularibus. Minor probatur non ſolùm ex fundatione hujus Collegii, in quo ex forma litterarum Apoſtolicarum etiam Presbyteri, & Epiſcopi admitti poſſunt: ſed etiam ex diſpoſitione juris communis; quia prohibitio *d. c. Super ſpecula*, cùm loquatur in ſuo ſpeciali caſu audientium leges civiles, extendi non debet ad hunc caſum admiſſionis in Collegium Doctorum juris civilis tamquam diverſum, *ad l. Papinianus exuli, ff. de minoribus, & l. fin. ff. de calumniat. cum ſimil. & deducitur ex d. c. Unico, inf. eod. lib.6.* & ita in his terminis presbyteros ſæculares de jure communi non prohiberi in hujuſmodi Collegium admitti, reſpondit Alvar. *conſ.30. lib.2. tom.1.* ſecundùm novam impreſſionem.

11 Quibus accedit, quòd hoc Collegium cùm ſit mixtum pariter Clericorum, & laicorum, in dubio cenſeri debet Eccleſiaſticum, quia magis dignum trahit ad ſe minùs dignum, *c. Quanto, de Judiciis*, juxta doctrina Bart. *in l. fin. n.15. ff. de Colleg.* illic, quam ſequitur Abb. *in cap. Ex litteris n.3. de Conſtit.* Silveſt. *in verb. Collegium in princ.* & Covarr. *pract. quæſt. cap.36. n.5. verſ. Tertiò*; quod abſque dubio procedit, ubi eſt favor magis digni, ut trahat, & non trahatur, ut in hac ſpecie, Put. *deciſ.157. n.6. lib.3.* Imò eo caſu præfertur magis dignum, etiamſi minùs dignum excedat in quantitate, vel numero, ut ſcripſi latiſſimè *in c. Cùm propter à n.35. uſque ad n.74. ſupra de Jurepatr.* & probatur *in cap. Per tuas de Arbitr.* ubi patet poſſe compromitti de re ſpirituali in duos laicos propter adjunctionem unius Clerici, & in aliis concordantibus ibi poſitis.

Rurſus cùm Collegium hoc mixtum ſit Doctorum juris 12
Canonici, & juris civilis, videtur eſſe Collegium Canoniſtarum; quia mixtum ex duabus naturis aſſumit ſibi naturam à potentiori, & digniori, ut notat Abbas per illum text. *in c. De jure in 1. not. verſ. Item ex hoc, de Jurepatron.* & Lambert. poſt eum *in tractatu illius tituli lib.1. par.2. in 4 q. princ. art.3. num.2.* Nec dubitari poteſt, quin jus Pontificium 13
ſit potentius, ac dignius Jure Cæſareo, *ut in cap.1.* cùm ibi notatis per Hoſtien. *num.1. in ver. Adjuvantur*, Joan. Andr. *n.2.* & Doctores *infra de novi operis nuntiatione*. Quod 14
cùm ita ſit, quatenus etiam religioſi de jure prohiberentur eſſe de Collegio laicali, ſeu Doctorum juris civilis, & hoc intelligeretur eſſe negotium ſæculare Clericis regularibus interdictum, quod negatur: tamen non prohibentur eſſe de Collegio Eccleſiaſtico Doctorum juris Canonici; alioquin nec eſſe poſſent de Collegio ſacræ Theologiæ, contra rationem expreſſam *in d. c. Super ſpecula, verſ. Quia verò Theologiæ ſtudium cupimus ampliari infr. eod.* & contra text. *in c. penult. & cap. fin. infra de Magiſtris*. Quinimò Theologiæ 15
appellatione, de qua loquitur prædicta Decretalis, *Super ſpecula*, venit etiam ſcientia Canonica, ut ibi notat Abbas *n.7.* facit text. *in cap. Qualiter, & quando il ſecondo de accuſat. in c. Nimis de jurejurand. & in cap.1.* cum ibi notat. *de Juram. calumn.*

Sed neque ex parte ipſius regularis videtur prohibita hu- 16
juſmodi admiſſio in Collegium Doctorum juris civilis; nam etſi religioſus non habeat velle, aut nolle, *cap. Quorundam, & c. Si religioſus, de elect. lib.6.* habeaturque pro mortuo, *c. Placuit il ſecondo 16. q.1. cap. Cùm dilecta*, & ibi Felin. *n.15. ſupra de reſcript.* & ſervo æquiparetur, *c. Exiit, qui ſeminat*, §. *Ad hæc cum fratres de verbor. ſignif. lib.6.* & notat Innoc. *in c. Cùm olim, il ſecondo infra de Privilegiis*; tamen hu- 17
juſmodi regulæ, & aliæ conſimiles procedunt, ſi religioſus conſideretur quantum in ſe eſt, præſcindendo à Prælati ſui auctoritate: ſecùs autem ſi conſideretur in ordine ad ſuperiorem, ac ſuppoſita ejus licentia, ut probatur *in c. Religioſus, de teſtam. in 6. & in Clem. Religioſis eod. tit.* ubi religioſus executor ab aliquo deputatus non poteſt, cùm velle, vel nolle non habeat, hujuſmodi officium ſuſcipere, niſi à Superiore ſuo petita ſuper hoc licentia, & obtenta.

Unde videmus religioſum, licèt ſit mortuus mundo, 18
multa tamen negotia gerere poſſe de licentia Prælati; nam & poſtulare poteſt pro ſui Monaſterii utilitate, *cap.2. de Poſtul.* Quinimò & pro amico Monaſterii, etiam laico, poteſt 19
eſſe procurator, ut poſt Innocen. & alios tradit Ludovic. Roman. *ſingul.278.* & in ſpecie poteſt adipiſci gradum doctoratus in jure civili, ut ſuperiùs diximus *num.8.* Rurſus poteſt docere jus civile, ſecundùm opinionem Abbatis in *dict. cap. Super ſpecula num.16. infra eodem*, ubi concludit, (Prohibitionem, de qua hìc, eſſe intelligendam de audientibus tantùm, ſeu ſtudentibus: legentes autem non putat incurrere has pœnas, quia verba illis non conveniunt; & à verbis Conſtitutionis pœnalis non eſt recedendum, præſertim quia in eis non procedit ratio, quæ militat in addiſcentibus; nam addiſcens, ut ipſe ait, videtur moveri malo zelo, ſcilicet ut involvatur rurſus actionibus mundanis in patrocinando, & ſimilibus: ſed ille, qui priùs ſcientiam iſtam didicitam docet, non facit, ut involvatur actionibus mundanis; imò communicat aliis ſcientiam in ſe bonam, & neceſſariam ad regimen orbis.) Hæc ille. Neque huic opinioni adverſatur littera hujus textus, ibi, *Ad legendas legem, vel phyſicam*: quia Papa *in d. cap. Super ſpecula*, intellixit, & declaravit hæc verba de audientibus, non autem de legentibus, ſeu docentibus. Et ſententiæ Abbatis adhærent ex recentioribus, Navarr. *in manual. cap.27. nu.116. in fin.* Tolet. *in ſumm. lib.1. c.38. n.6.* & latiùs Suarez *tom.5. in 3. part. diſput.23. ſect.3. n.17.* Hunc articulum diffuſè examino *in d. c. Super ſpecula, à n.18. uſque ad n.21. & n.37. uſque ad n.45.* Ex eo autem, quòd regularibus non ſit prohibitum docere jus civile, ſequitur, ut nec etiam ſit prohibitum ſuffragari pro gradu ejus facultatis adipiſcendo: et- 20
enim qui poteſt præparare ad gradum doctoratus docendo, poteſt etiam ſuum miniſterium impertiri in eo gradu conſequendo, cùm idem jus ſit in præparato, quod in præparante, *l. In argento, & l. Si uxori*, §. *fin. ff. de auro, & argento leg.*

& è

21 & èconverſo, ut *in l. 3. §. 1. ff. de liber. exhib.* Ideòque vide-
mus judicem cauſæ præparantis eſſe judicem cauſæ prepa-
ratæ, ut notat Bald. *in l. Ordinarii col. 2. C. de rei ven.* & Fe-
lin poſt eum *in c. Parochianos n. 5. inf. de ſent. excom.* facit
text. *in l. Quominus, ff. de fluminibus, & in l. 1. §. Cœpiſſe,*
22 *ff. de pollicit.* Deinde conſiderandum eſt propoſitiones illas
quòd regularis ſit mortuus mundo, non habeat velle, vel
nolle, & his ſimiles, vindicare ſibi locum in his tantùm ne-
gotiis, quæ ſolis laicis conveniunt, non autem in his, quæ
competunt promiſcuè tam laicis, quàm Clericis. Ideòque
regularis retinet generis nobilitatem, Bal. *in c. Cùm in ma-
giſtrum de elect.* item jus ſanguinis, Abb *in c. Quia nos n. 2.
de teſt.* item jus ſuitatis, Alex. *in l. Sub conditione in 2. not.
ff. de liber & poſth.* item jus Civitatis, Bart. *in l. 1. n. 10. ff. ad*
23 *municip.* omneque jus ſuccedendi de jure civili. Et ideò po-
ſteàquam *in l. Deo nobis C. de Epiſc. & Cler.* dictum fue-
rat religioſos eſſe mundo mortuos, ſtatim *in §. 1.* decerni-
tur, eos habere jus ſuccedendi in beneficium Religionis.
At jus ſuccedendi ad collegium, atque in eo ſuffragandi
competit communiter tam Clericis, quàm laicis, tum de ju-
re communi, tum ex fundatione collegii, de quo agitur,
ut ſępiùs repetitum eſt: ergo quoad hoc non habent locum
24 regulæ, quòd regularis ſit mundo mortuus, & aliæ hujuſ-
modi. Præterquam quòd cùm ex tenore literarum Apoſto-
licarum in hoc collegium admitti poſſint etiam Clerici,
imò & Epiſcopi, cenſentur vocati etiam regulares, qui in
materia favorabili veniunt Clericorum appellatione, *cap.
Duo ſunt genera 12. q. 1.* & notat Abb. *in rub. de vit. & honeſt.
Cler. nu. 15.*
25 Ultimò hanc opinionem videtur apertè ſequi D. Thom.
opuſc. 19. de perfect. vitæ ſpirit. c. 3. ubi ex profeſſo quærit, an
religioſus licitè poſſit eſſe de collegio ſæcularium magi-
ſtrorum, & determinat poſſe dę ſuorum Superiorum licen-
tia; & pluribus rationibus confutat errorem quorumdam
Pariſienſium, qui contrarium aſſerebant.
26 Nec ſecundùm eum obſtat text. *in c. In nova actione, 16.
q. 7.* ubi cavetur, ut in uno eodemque officio non debeat eſſe
diſpar profeſſio; eò quòd cohęrere, & conjungi non poſſint
quibus ſtudia, & vota ſunt diverſa; quod etiam lege divina
prohibetur, dicente Moyſe Deut. 22. *Non arabis in bove ſi-
mul, & aſino,* id eſt, homines diverſæ profeſſionis in uno
officio ſimul non ſociabis, ut exponitur *in d. c. In nova.* Si-
quidem hoc procedit quantum ad illud, in quo diverſifi-
cantur, veluti ut laici, & Clerici ſocientur in his, quæ perti-
nent tantùm ad officium Clerici, ſeu ut religioſi communi-
cent laicis in illo, in quo ſæculares à religioſis diverſifi-
cantur, ſecundùm illud ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo,
implicat ſe negotiis ſæcularibus.* At Collegium, de quo agi-
tur eſt religioſis, & ſęculaaibus commune, & in eo adunan-
tur homines ad hoc, in quo religioſi, & ſæculares non di-
ſtinguuntur, ut ex pręd ctis patet: ergo nihil obſtat, quomi-
nùs in eo religioſi ſimul, & laici convenire poſſint. Sic re-
ſpondet D. Th. *in d. c. 3. col. 4. verſ. Ad id, quod primò obji-
citur.* Item non obſtat, quòd unus, & idem non poſſit eſſe 27
de diverſis collegiis, niſi fortè per diſpenſationem; mul-
tò igitur minus religioſus, qui eſt de collegio ſuæ religio-
nis, poterit eſſe de collegio ſæcularium magiſtrorum. Hoc
enim debet intelligi de collegiis Eccleſiaſticis perpetuis;
quia unus non poteſt eſſe Canonicus in duabus Eccleſiis
abſque diſpenſatione: unde dicitur 21. q. 1. *Clericus ab in-
ſtanti tempore non numeretur in duabus Eccleſiis.* At non
habet locum in duobus collegiis, quorum unum ſit perpe-
tuum, & aliud temporale: ideòque qui eſt de collegio a-
licujus Civitatis, quandoque eſt ad tempus de collegio
commilitantium in uno exercitu; & qui eſt de collegio a-
licujus familiæ, poteſt ad tempus aliquibus ſociari in ali-
quo hoſpitio: collegium autem magiſtrorum non eſt col-
legium perpetuum, ſed temporale; non enim collegiales
eò conveniunt, ut perpetuò ibi morentur, ſed vadunt, &
redeunt pro libito; ergo nihil prohibet eum, qui eſt de ri-
ligioſo collegio perpetuo, ſimul eſſe de collegio ſcholaſti-
co; ita D Th. *ubi ſupr. verſ. Ad id quod tertiò objicient;*
ubi ad hanc objectionem reſpondet etiam duabus aliis
modis.
Nec eſt omittendum, opuſculum illud ſupponi approba- 28
tum fuiſſe à Sede Apoſtolica, licèt Decretum, ſeu litteras
confirmationis non viderim: nam ut legitur in argumento
ejuſdem opuſculi 19. cùm tempore S. Ludovici Franco-
rum Regis Gulielmus de S. Amore, Sygeriuſque Magiſtri
Pariſienſes, & multi ſequaces in hunc incidiſſent errorem
ut Religioſorum Mendicantium ſtatum damnatum aſſere-
rent, librumque ſacrilegum Clem. IV. obtuliſſent: Ponti-
fex Joanni de Vercellis Magiſtro Ordinis Prædicatorum
dictum librum tranſmiſit, pręcipiens, ut eidem faceret re-
ſponderi per Fratrem Thomam de Aquino, qui cùm eum-
dem librum erroribus plenum inveniſſet, alium ipſe librum
veluti apologiam compoſuit, qui incipit, *Ecce inimici tui
ſonuerunt,* in quo errores hujuſmodi confutavit. Atque
hunc librum Summus Pontifex tamquam verè Catholicum
approbans, librumque contrarium tamquam hæreticum,
& nefarium damnans, ipſius Authores cum complicibus
depoſuit de Cathedra Magiſtratus, eoſque de Pariſienſi ſtu-
dio omni dignitate privavit.
Eamdem opinionem ſequitur Aug. Triumphus *de poteſt.
Eccleſ. q. 105. art. 3.*
Propoſito S. Congregatione Conc. ſupraſcripto dubio;
Reſponſum eſt pro Regulari, ſuppoſita tamen Superioris
licentia, ut in quæſtione, & dummodò emolumenta,
quæ inde proveniunt, cedant in communem Monaſterii
utilitatem.

NE CLERICI, VEL MONACHI.

Idem Alexander III. Londonen. Epiſcopo.

CAPUT VI.

SEcundùm inſtituta prædeceſſorum noſtrorum, ſub interminatione anathematis, prohibemus, ne Monachi, vel Clerici, cauſa lucri negotientur: & ne Monachi à Clericis, vel laicis ſuo nomine firmas habeant: neque laici Eccleſias ad firmam teneant.

SUMMARIUM.

1 *CLericis, vel Monachis non licet lucri cauſa negotiari, & num. 8.*
2 *Monachi nequeunt nomine proprio conductas poſſeſſiones habere, & n. 11.*
Poſſunt tamen nomine Monaſterii, ſi propriæ non ſufficiant, d. n. 11.
3 *Laicis non debet Eccleſia titulo conductionis concedi, & num. 12.*
Declaratur, nu. 14.
4 *Clericus negotiator mortaliter peccat; & ſi monitus non deſiſtat, debet excommunicari.*
5 *Negotiatio, quæ non fit principaliter propter lucrum, non eſt Clericis, vel Monachis interdicta.*
7 *Artificium in quo differat à negotiatione, ſeu mercatura.*
7 *Ferrum ex vena deducere, colare, & diſtinguere, & aliò lucri cauſa aſportare, non eſt negotiatio, ſed artificium, de quo Monachi non tenentur ad gabellam.*
8 *Negotiatio, ſeu mercatura eſt Clericis permiſſa ex cauſa neceſſitatis.*
9 *Si tamen victum ſibi quærere poſſunt artificio, &* labo-

labore manuali, eis negotiari non licet.

10 *Artificium an liceat Clericis, vel Monachis lucri cauſa exercere.*

11 *Clericis non licet aliorum poſſeſſiones conducere, niſi urgente neceſſitate.*

Monachi nequeunt nomine ſuo aliorum poſſeſſiones conducere, etiamſi ſubſit neceſſitas; ſed nomine Monaſterii tantùm, ibid.

12 *Laicis locari non poteſt adminiſtratio Eccleſiæ, nec decimæ, vel obventiones.*

Niſi magna inſtante neceſſitate, n. 14.

13 *Sed bona temporalia, vel mola Eccleſiæ, item fructus decimarum poſſunt eis locari.*

1 SEcundum. Breve eſt: & continet tria dicta, quæ per ſe patent. Sed ſecundum Abbatem ſic ſummari poteſt:
2 Non licet Clericis, vel Monachis lucri cauſa negotiari. Hoc primò. Monachi nequeunt nomine proprio condu-
3 ctas poſſeſſiones habere. Hoc ſecundò. Laicis non debet Eccleſia titulo conductionis concedi. Hoc tertiò.

4 Nota primò ibi, *Sub interminatione anathematis*, Clericum, vel Monachum, qui lucri cauſa negotiatur, eſſe excommunicandum, ſi monitus non deſiſtat; hoc enim important illa verba, *Sub interminatione anathematis prohibemus*, ut notat gl. ult. *in c. unic. inf. de Sagitt. & dixi in c. Non minùs in 8. not. ſup. de immun. Eccleſ.* Et hinc collige tranſgreſſores hujus prohibitionis mortaliter peccare: alioquin percelli non poſſent excommunicatione, quæ non fertur niſi pro culpa lethali, ut *c. Nemo Epiſcoporum 11. q. 3*, & ita per hanc rationem poſt Petr. de Palude, & S. Anton. tenet Silv. *in verb. Clericus 3. n. 3.* & probavi pleniùs *in c. 1. in ult. not. ſup. eod.*

5 Secundò nota ibi, *Cauſa lucri*, à contrario ſenſu negotiationem, quæ non fit lucri cauſa, non eſſe Clericis, vel Monachis interdictam; poſſunt enim vendere, & emere prout eorum neceſſitas exigit, ut hìc in gloſſ. 1. non tamen principaliter propter lucrum, ſecundùm Abb. *n. 1* Ad hoc Clem. *Præſenti, de cenſib. & c. Quamquam*, cum ibi not. per Jo. Andr. *eod. tit. lib. 6.*

6 Negotiari autem, ſeu mercari eſt, rem emptam non mutatam lucri cauſa vendere. At verò rudem materiam parare, & illam per induſtriam, & ſecundùm regulam alicujus profeſſionis, ſeu artis ad aliquam formam deducere, non eſt negotiari, ſeu mercari; nec talia negotiatores, ſeu mercatores faciunt, ſed artifices, qui ſecundùm diverſas ſpecies artificii denominantur, veluti lanifices, textores, aurifices, & conſimiles, ut eſt text. *in c. Ejiciens 88. diſt.* & notat gl. *in ſum. ad fin. 14. q. 3.* Item gl. *un. in c. Canonum 14. q. 4.* Butr *in c. 1. n. 2. verſ. Solutio*, & ibi etiam Abb. *n. 6. ver. Intellige ſup. eod.* & idem Butr. *hìc n. 5.* & Anch. *in 1. not.* Feder. de Sen. *conſ. 207. Nos Briſſolus n. 2. & per tot.* ubi loqui-
7 tur in caſu venæ ferreæ exiſtentis in agro empto à Monachis Ciſtercienſ. qui ferrum inde educebant, colabant, & ſubtiliſſimo artificio, ingenioque ſeparabant, & aliò aſportabant lucri cauſa: & conſuluit Feder. illud eſſe artificium non autem negotiationem, de qua ſolvenda ſit gabella, ſecundum ea, quæ leguntur & not. *in c. fin. ſupr. de vit. & honeſt. Cler.* & ſequuntur illam deciſionem Ferret. *conſ. 145. Quæritur n. 4.* & Epiſc. Montis Mariani *in ſua praxi Archiepiſc. Neap. c. 65. de Cler. negot. n. 3.* Ad quod tamen vide, quæ in oppoſitum congerunt Moderni *in tract. de eff. Cler. eff. 3 num. 107.*

8 Et poſita hac diſtinctione, vertitur in dubium, de qua negotiatione hoc Capitulum intelligatur. Et quidem conveniunt omnes, textum habere locum in negotiatione proprie ſumpta, ſeu mercatura. Hæc enim procul dubio eſt Clericis, & Monachis prohibita, ſi fiat ad lucrum, *c. Fornicari, & per tot. 88. diſt.* Secus ſi ex cauſa neceſſitatis, ut hìc notat gl. 1. & gl. præalleg. *in ſum. 14 q. 3.* In hoc tamen 9
adverte, quia ſi Clericus, vel Monachus poſſet ſibi victum quærere artificio, non liceret ei mercaturam exercere, ceſſante ſcilicet neceſſitate; ſed deberet potiùs propriis manibus laborare, ut *c. Clericus victum, & c. ſeq. 91. diſt. & c. Numquam de conſecr. diſt. 5.* & eſt ex mente D. Th. *in 2. 2. q. 187. art. 3.*

Artificium verò eſſe Clericis, & Monachis permiſſum 10
etiam lucri cauſa non obſcurè ſentit hìc Innoc. *in princ. in verb. Lucri*, ubi limita hanc prohibitionem dicens, (Niſi lucrum proveniat ex opere, vel re ſua:) & eum ſequuntur Abb. Antiq. *in princ.* & Card. *n. 1.*

Verùm Abb. Sicul. *hìc in 1. q. n. 1. verſ. Quinimò*, intelligit, & benè dictum Innocent. quando Clericus operatur propter lucrum ſuadente neceſſitate, ita ut ultimus finis non ſit lucrari, ſed neceſſitati proſpicere: aliàs non debet Clericus, vel Monachus ſolius lucri cauſa artificium exercere; quod ſecundùm eum videtur probare textus, ſi rectè ponderetur, *in d. c. 1. verſ. Nec juſtum negotium ſupr. eod.* Et in hunc ſenſum intelligit præcitatam gloſ. *14. q. 3. in ſum.* dum ait, in cauſa neceſſitatis permiſſum eſſe Clericis negotiari, ſcilicet artificium exercendo, & propriis manibus operando, & ſequitur Redoan. *ne ſpol. q. 2. nu. 45.*

Ego autem ſequutus B. Th. *in 2. 2. q. 187. d. art. 3.* aſſero Clericis, & Monachis licitum eſſe artificium ad victum parandum, ad otium fugiendum, ad concupiſcentiam refrænandam, & ad eleemoſynas faciendas, dum tamen non ſordidè exerceatur, propter ea, quæ habentur in Clem. 1. *de vit. & honeſt. Cler.* Sed ſi exerceatur ad merum lucrum, cenſeo non eſſe licitum, ut plenè probavi *in d. c. 1. in 6. not. & nu. 46. cum plur. ſeq. ſup. eod.* ubi videas. Et præter alios ibi allegatos hoc ſentit Feder. de Sen. *in præall. conſ. 207. n. 3.* ubi admittit Clericis, & religioſis non eſſe licitum artificium, niſi quando propriæ facultates non ſuppetunt, ex notatis *14. q. 3. in fine Summæ.*

Tertiò, nota ex ſecunda parte textus differentiam inter 11
Clericos, & Monachos: nam Clerici poſſunt aliorum poſſeſſiones conducere; quod intellige urgente neceſſitate, ut dixi ſatis *in c. 1. num. 6. 29. & 43. ſupra eadem*: Monachi autem minimè, quia nomine proprio poſſidere non poſſunt, *c. Non dicatis 12. q. 3. cum ſimil.* Nomine tamen Monaſterii prohibentur conducere prædia aliena, ſi propria non ſufficiant; & propterea textus dum prohibet negotiationem in primo dicto, loquitur de Clericis, & Monachis: ſed in ſecundo dicto ubi prohibet conductionem, loquitur de Monachis tantùm, innuens per hoc conductionem Clericis indigentibus non eſſe interdictam, cùm proprium eis liceat poſſidere: & ita hìc declarat Innoc. *in ver. Suo*, Hoſt. *in princ. in verb. Nomine*, Butr. *num. 6.* & alii communiter.

Ultimò nota, quod habetur in tertio dicto, videlicet lai- 12
cos non poſſe ad firmam habere Eccleſias ipſas, ſeu illarum adminiſtrationem. Unde nec decimæ, vel obventiones poſſunt eis locari, ut *c. Veſtra ſup. de locat. & c. Querelam, inf. ne Prælat. vices ſuas*, Hoſt. *hìc in fin.* Sed bona temporalia, 13
vel mola Eccleſiæ, & fructus decimarum benè poſſunt laicis locari, *d. c. Veſtra*, & hìc per Butr. *n. 6.* & Abb. *nu. 2. verſ. Temporalia*. Inſtante tamen neceſſitate poſſet fieri
conceſſio laicis, etiam quoad Eccleſiam, non quidem ut 14
ipſam regant, ſed ut per alios gubernandam procurent, ut firmat Jo. Andr. *in c. Ex ratione nu.... ſup. de ætat. & qual.* quem ſequitur Abb. *d. n. 2. verſ. Inſtante.*

NE-

NE CLERICI, VEL MONACHI.

Idem Alexander III. eidem Londonen. Epiſcopo.

CAPUT VII.

RElatum eſt nobis, quòd Monachi de H. ſæculariter vivunt, & alios exemplo ſuo corrumpunt. Ideòque mandamus, quatenus eos ad obſervantiam regulæ appellatione remota compellas; vel ſi tibi reſtiterint auſu temerario, eis ejectis, fratres alterius Ordinis (ſi non poteſt præſcriptum Monaſterium in ſuo Ordine reformari) in illud inducas: ut labores impiorum juſti edant; & illi tandem rubore perfuſi, ad ſui Ordinis obſervantiam revertantur.

SUMMARIUM.

1 *Monachi incorrigibiles de Monaſterio ſunt expellendi, & Monaſterium reformari debet de Fratribus alterius Ordinis, ſi de Monachis ejuſdem Ordinis reformari non poteſt.*
2 *Exemplum malum Monachorum eſt contagioſum, & alios inficit.*
3 *Maximè ſi proveniat à Prælato.*
4 *Regula eſt in præcepto.*
5 *Declaratur.*
6 *Monaſterium reformari debet de Monachis ejuſdem, vel alterius ordinis, nec transferri debet ad Clericos ſæculares, niſi in defectu regularium.*
Declaratur, n.8.
7 *Eccleſia ſæcularis poteſt fieri ab Epiſcopo regularis, ſed non è converſo, niſi deficientibus regularibus.*
8 *Conventus parvi ſtatim transferri poſſunt ad Clericos ſæculares, nec ſervandi ſunt gradus c. Inter quatuor de relig. domib.*
9 *Conventus, in quibus ali non poteſt competens numerus religioſorum, ſunt incapaces reformationis, ſive id contingat ob redditu um tenuitatem, & n.12. & n.28.*
10 *Sive ob aeris intemperiem.*
11 *Sive ob infeſtationem pravorum hominum.*
13 *Conventus parvi, circumſcriptis exemptionibus, reduci poſſunt ad ſtatum ſæcularem authoritate Epiſcopi.*
14 *Joannis Mauburn. invectiva in parvos Prioratus.*
15 *Generales Ordinum cur abſtinuerint à dimiſſione parvorum Conventuum, & n. ſeqq.*
Bona ſuppreſſorum Conventuum cur non potuerit applicari majoribus Monaſteriis alibi exiſtentibus, ibid. verſ. vel demum quia, & n.29.
16 *Conventus parvi ab Innoc. X. ſuppreſſi in tota Italia, & inſulis adjacentibus, & n.16.*
19 *Et bona ipſorum applicata piis uſibus in iiſdem locis, ubi Conventus exiſtunt, & n.40.*
20 *Papa poteſt applicare bona parvorum Conventuum ſuppreſſorum aliis piis uſibus, etiam de poteſtate ordinaria, & n.36.*
21 *Monaſteria ad quid fundata, & dotata.*
22 *Papa de poteſtate ordinaria non poteſt fundationibus Monaſteriorum derogare, & voluntates commutare.*
23 *Nec teſtamentum, vel contractum, aut aliam piam diſpoſitionem reſcindere.*
Declaratur, n.36.
24 *Privilegium ex cauſa oneroſa tranſit in contractum, qui à Principe revocari non poteſt.*
25 *Papa non eſt propriè dominus bonorum Eccleſiæ.*
26 *Contrarium, & n. ſeqq. uſque ad n.36.*
27 *Papa non poteſt contra alias Eccleſias præſcribere, & cur.*
28 *Papa habet plenitudinem poteſtatis ſingulariter, & univerſaliter in omnibus Eccleſiis.*
29 *Poteſt res, & bona omnium Eccleſiarum orbis adminiſtrare, & diſponere pro libito voluntatis, & num. ſeqq. uſque ad n.36.*
30 *Et facere Monachum teſtabilem de bonis Monaſterio acquiſitis.*
31 *Et iura uni Eccleſiæ auferre, & dare alteri, & n.36.*
32 *Dominium rerum Eccleſiarum propriè loquendo non eſt apud aliquam Eccleſiam particularem, ſed apud Chriſtum, & n.37.*
33 *Papa eſt pater patrum, & cum omni Prælato in poteſtate, & juriſdictione concurrit.*
36 *Papa ex juſta cauſa poteſt rem uni Eccleſiæ auferre, & alteri dare, & ultimas voluntates commutare.*
37 *Bona ſtatim atque ſunt donata Eccleſiæ, ſunt immediatè acquiſita Deo.*
38 *Donans prædium Monaſterio ſub conditione, ut recedentibus Fratribus, prædium redeat ad donantem, illud non recuperat, ſi Fratres recedant de mandato Papæ.*
39 *Teſtatoris prohibitio, ne pia ejus voluntas poſſit per Papam commutari, non tenet.*
40 *Religiones plurimæ, & Monaſteria per Papam ſuppreſſa, & eorum bona aliis piis uſibus applicata referuntur.*
41 *Hiſtoria ſuppreſſionis parvorum Conventuum refertur, & n. ſeqq. uſque in fin.*
42 *Congregatio ſuper ſtatu regularium ab Innocentio X. inſtituta.*
43 *Conſtitutio pro numero perſonarum in ſingulis Monaſteriis præfigendo in Congregatione compilata.*
44 *Refertur.*
45 *Formula deſcribendi ſtatum cujuſque Monaſterii de mandato Congregationis confecta.*
46 *Bulla ſuppreſſionis parvorum Conventuum Italiæ, & inſularum adjacentium in Congregatione compilata.*
47 *Refertur.*
48 *Cauſa ſuppreſſionis.*
49 *Suppreſſio, & reductio ad ſtatum ſæcularem.*
50 *Reſervatio facultatis Congregationis, & præſervatio jurium fundatorum.*
51 *Termini præfixio ad dimittendos Conventus ſuppreſſos coram loci Ordinario.*
52 *Facultas regularium aſportandi profanam ſupellectilem.*
53 *Pœnarum adjectio.*
54 *Prohibitio faciendi Divina in Conventibus ſuppreſſis ſub pœna interdicti.*
55 *Ordinariorum facultas expellendi regulares à Conventibus ſuppreſſis, & cætera.*
56 *Deputatio Sacerdotum ſæcularium ad curam animarum dictis Conſtitutionibus incumbentem.*
57 *Applicatio bonorum.*
58 *Prohibitio erigendi nova loca regularia.*
59 *Declaratio intentionis Papæ providendi extra Italiam. Obſtaculorum remotio, ibid.*
60 *Contrariorum derogatio.*
61 *Archiepiſcopi Gneſnenſis literæ ad Innoc. X. pro extenſione Bullæ, Inſtaurandæ, ad Regnum Poloniæ.*
62 *Literæ Congregationis exprimentes nominatim Conventus ſuppreſſos, & exquirentes Epiſcoporum, & Capitulorum ſententias pro bonis applicandis.*
63 *Relationes applicationis bonorum Conventuum ſuppreſſorum à Papa ad ſe relatas approbavit.*
64 *Literæ circulares ſuper granciis, & membris etiam curatis Monaſteriorum.*
65 *In granciis, & membris Monaſteriorum habitare non poſſunt regulares Sacerdotes, ſed converſi tantùm pro bonorum adminiſtratione.*
66 *Miſſæ in Capellis granciarum quando, & à quibus celebrandæ.*
67 *Cura animarum in granciis, & membris Monaſteriorum exerceri non poteſt per regulares, ſed per Vicarios*

perpetuos, vel amovibiles ab Ordinario deputandos.
Granciarum bona reſervantur ipſarum Monaſteriis, ibidem.

68 *Canonicorum Regularium Lateranenſium granciæ, & parochiales ab Innocentio X. declarantur comprehendi in ejus Bulla, Inſtaurandæ.*

69 *Conventus plurimi primum ſuppreſſi, ac deinde ex rationalibus cauſis à Papa Religionibus reſtituti.*
Regulares de jure facultatem non habent uniendi Eccleſias, etiamſibi pleno jure ſubjectas, ibid. verſ. Præterea.
Unio parvorum Conventuum ejuſdem Religionis in eodem loco exiſtentium, qua lege facta fuerit, ibid.

70 *Decretum Innocentii X. ſuper ſubjectione nonnullorum Conventuum juriſdictioni Ordinarii loci refertur, & num. ſeqq.*

71 *Conventus ſuppreſſi, & poſtea Religionibus reſtituti ſubjiciuntur Ordinario, quamdiu actu non alunt duodecim Religioſos.*

72 *Quòd ſi non alant quatuor Sacerdotes, & duos converſos, gratia reſtitututionis nulla eſt.*

73 *Conventus nunquam ſuppreſſi, in quibus non aluntur ad minus quatuor Sacerdotes, & duo converſi, ſunt ſubjecti juriſdictioni Ordinarii loci.*

74 *Decretum Urbani VIII. ſuper Monaſteriis erectis cùm pauciori numero, quàm duodecim Religoſorum, præſervatur in Decreto Innocentii X. Ut in parvis.*

75 *Licentias recipiendi Novitios Congregatio multis Religionibus conceſſit ante diem 22. Julii 1652. ſed poſteà abſtinuit de mandato Papæ, uſq; ad diem 3. Jul. 1654.*

76 *Licentiam recipiendi Novitios poſt diem 3. Julii 1654. quæ Religiones obtinuerint.*

77 *Decreta S. Congr. ſuper ſtatu regularium pro novitiis recipiendis, & n. ſeqq. uſque in fin.*
Conventus à Congregatione deſignati pro novitiatibus, & profeſſoriis, n. 57.

78 *Licentiæ recipiendi Novitios infra numerum præfixum in qualibet provincia.*

79 *Examen Novitiorum, & n. ſeqq.*

80 *Ætas in novitiis, Clericis, & converſis quæ.*

81 *A novitiis nihil recipiendum, excepto victu, & veſtitu tempore probationis.*

82 *Novitii poſt profeſſionem in profeſſorio ſunt collocandi.*

83 *In novitiatibus, & profeſſoriis Superior, & familia à quibus conſtitui, & amoveri poſſit.*

84 *Vita communis in novitiatibus, & profeſſoriis exactè obſervanda.*

1 R*Elatum.* Monachi incorrigibiles de Monaſterio expellentur, & reformabitur Monaſterium de fratribus alterius Ordinis, ſi de Monachis ejuſdem Ordinis reformari non poteſt. Hoc dicit ſecundum Jo. Andr. cui ſubſcribunt Butr. Card. Anchar. Abb. & Jo. de Anan. & ſunt duæ partes. In prima exceſſus narratur. In ſecunda corrigitur ibi, *Ideòque.*

2 Nota primò ibi *Et alios exemplo ſuo corrumpunt*, malum exemplum Monachorum eſſe contagioſum, & alios inficere: polluitur enim ex uno peccatore populus: & ſic ex una ove morbida univerſus grex inficitur; ſic ex uno fornicante, vel aliud quodcumque ſcelus committente plebs univerſa polluitur, quæ ſunt verba *c. Sed illud* 45. *diſt.* & in exemplum culpa vehemens oſtenditur, quando pro reverentia Ordinis peccator honoratur, dicit text. *in c. Ne-*
3 *mo* 83. *diſt.* Quod maximè procedit, ſi malum exemplum provenit à Prælato; nam ut legitur *in c. Præcipuè* 11. *qu.* 3. *Scire Prælati debent, quòd ſi perverſa unquam perpetrant, tot mortibus digni ſunt, quot ad ſuos ſubditos perditionis exempla tranſmittunt*, confert Conc. Trid. *c.* 1. *ſeſſ.* 22. & *cap* 1. *ſeſſ.* 24.

4 Secundò nota ibi, *Cappellas*, regulam eſſe in præcepto, prout hìc notat Bern. poſt caſum, & in gloſſ. 1. & patet ex Conc. Trid. *ſeſſ* 25. *de regul. c.* 1. ubi præcipitur, ut omnes Regulares tam viri, quàm mulieres ad regulæ, quam profeſſi ſunt præſcriptum vitam inſtituant, & componant; ſed Hoſt. hìc, & Jo. Andr. *n.* 2. Butr. *n.* 4. & Anch. *n.* 3. dicunt hoc verum eſſe indiſtinctè quoad tria ſubſtantialia, de quibus nota-
5 tur *in c. Ex parte ſup. de regul.* & quoad ea, quæ continentur *in c. Cùm Monaſterium, ſup. de ſtat. Monach.* omnia verò alia, quæ habentur in Regula, non putant eſſe in præcepto; alioquin vix unus de quatuor Monachis ſalvaretur. Et ſubdit Jo. Andr. per hoc commendari regulam Prædicatorum, per quam tranſgreſſores Conſtitutionum ad pœnam obligantur, ſed non ad mortale in his, quæ per ſe non ſunt mortalia; de Fratribus autem Minoribus remittit ad Clem. *Exivi* §. *Cùm igitur*, & §. *ſeq. de verb. ſignif.* Sed tu in hoc articulo pleniùs diſtingue, ut optimè hic per Abb. *n.* 6. & adde quod ſcripſi *in c. explicari n.* 4. & *ſeqq. ſup. de obſerv. iejunii.*

Ultimò nota ex textu caſum ſingularem, in quo per Epi- 6
ſcopum poteſt alterari ſtatus Eccleſiæ regularis nam ſi non poteſt reformari de Monachis ejuſdem Ordinis, ut hìc; quid ergo ſi non reperiantur Regulares etiam alterius Ordinis? dicit Jo. And. & Abb. poſt eum *n.* 3. quòd tunc poterunt inſtitui Clerici ſeculares, per *c. Inter quatuor, ſup. de relig. dom.* ubi probatur: in hoc tamē ſervandi ſunt certi gradus. Primò enim Monaſterium reformari debet de regularibus ipſius Monaſterii; ſecundò in defectum eorum, de Religioſis ejuſdem Ordinis; tertiò deveniendum eſt ad Regulares alterius Ordinis; & poſtremò in defectum omnium Regularium, poterunt ibi inſtitui Clerici ſeculares, ut hic per Hoſt. *n.* 3. *in verb. Reformari*, & Abb. *n* 5. ubi ait: (Dic ergo quòd primò debent induci Monachi Monaſterii ad obſervandum ut hìc; & ſi ſint incorrigibiles, debent reformari de Monachis ejuſdem Ordinis, ſi haberi poſſunt, ut hìc; & in defectū debent aſſumi de alio Ordine: omnibus autem deficientibus, 7
recurrendum eſt ad Clericos ſæculares, ut *in d. c. Inter quatuor;* & ſic eſt caſus, in quo poteſt Epiſcopus Eccleſiam regularium reducere ad ſtatum ſæcularem.) Hæc Abb. quos gradus poſuerunt etiam in eodem *c. Inter quatuor*, gl. unic. Hoſt. *n.* 2. *in verb. Defectum*, & diſtinctiùs Jo. Andr. *eod. n. in verb. Ordinarii*, Butr. *n.* 5. Card. *in fin.* Abb. *n.* 1. *ver. Oportet tamen*, & Jo. de Anan. *n.* 2. *verſ. Et conſidera* Quamobrem quamdiù Monaſteria per Regulares remanere potuerint ordinata, non ſunt ad ſæculares Clericos transferrenda, quæ ſunt verba Innoc III. in d. Decretali, *Inter quatuor, de relig. domib.* & ibi plenè ſcripſi. Ad idem text. *in c. Poſſeſſiones*, ibi: *Non debes Eccleſias, in quibus Monachi miniſtrare conſueverunt, Clericis, vel laicis aſſignare, ſupra de reb. Eccl. non alienan.* ſemper enim reformari debet Monaſterium de hominibus ejuſdem profeſſionis, ſi fieri poteſt, ut ait gl. hìc poſt caſum Unde Benedictus XII in Bulla Reformationis Monachorum Ordinis S. Benedicti, quæ incipit, *Summi Magiſtri c.* 34. Bullar. *tom.* 1. *pag.* 195. ſic ſtatuit. *Si aliquod Monaſterium ipſius Ordinis, ſeu Religionis lapſum in Religione, vel obſervantia regulari patiatur, qui per Abbatem, vel alium adminiſtratorem, vel Monachos ejuſdem Monaſterii veriſimiliter reparari non poſſit, authoritate Apoſtolica aſſumantur de alio Monaſterio, in cultu ejuſdem Religionis vigente, Monachi idonei, & ad dictum Monaſterium lapſum patiens traſmittantur, inibi quamdiù expediens fuerit, moraturi, per quos lapſus hujuſmodi reparetur.* Item in Concilio Calcedonenſi c. 24. ſic legitur: *Quæ ſemel dicata ſunt Monaſteria cum conſilio Epiſcoporum, maneant perpetuò Monaſteria, & res, quæ ad ea pertinent, Monaſteriis reſervari oportet, nec poſſe ea ultra fieri ſæcularia habitacula;* refertur *in c. Quæ ſemel* 19. *q.* 3. & concordat *c. penult. il* 2. & *c. Dudum* 18. *qu.* 2. & Conc. Aquiſgranenſ. ſub Greg IV. *c.* 18. Conciliorum *tom.* 3. *p.* 1. *ſect.* 2. *pag.* 32. ibi: *Monaſteria Divinis ſolummodo cultibus dicata non debere ſæcularibus dari, & Canonica prodit auctoritas, & ipſorum deſtructio locorum.* Quinimò Otthoni Imperatori cogitanti expellere Monachos diſſolutè viventes à Monaſterio S. Pauli de Urbe, & ibi Clericos ſæculares inſtituere, apparuit noctu per viſum Beatiſſimus Apoſtolus Paulus, eumque ſeriò admonuit, ut à propoſito deſiſteret, & in propria vocatione reemendaret corruptos, ut refert Card. Baron. *ad annum Chriſti* 996. & dixi latiùs *in d. cap. Inter quatuor, de relig. domib.* Et ex his collige differentiam inter Eccleſiam regularem, & ſæcularem: nam Epiſcopus non poteſt regularem Eccleſiam transferre ad ſtatum ſæcularem, niſi in defectum Regularium ejuſdem, vel alterius Ordinis, ut ſæpius repetitum eſt: at verò Eccleſiam ſæcularem benè poteſt transferre in regularem favore Religionis, ut *in c. Apoſtolicæ, de donat.* & *c. Bonæ rei* 12. *qu.* 2. & *in c. Ad audientiam il* 2. *de Eccl. ædific.* & ibi gl. 2. & Abb. *hic num.* 4.

Declara nunc notabiliter, quod dictum eſt de Monaſterio 8
non transferendo ad Clericos ſæculares, niſi in defectum regularium, ut locum habeat, ſi Monaſterium, in quo regularis obſer-

obſervantia eſt collapſa, ſit tale ut in eo ali poſſint tot Monachi, ſeu Religioſi, quot ſufficiant ad obſervantiam regulariũ inſtitututionum cujuſmodi erat Monaſterium de Breſcia, de quo in hoc cap. & Monaſterium S. Pauli, de quo ſupra proximè: tunc enim non debet ſtatim teduci ad ſtatum ſæcularem, ſed priùs reformari debet ex Moonachis ipſius Monaſterii, aut ejuſdem, aut alterius Ordinis, juxta propoſitam graduationem, & omnibus deficientibus, transferri debet ad Clericos ſæculares, ut in prædicta Dectetali, *Inter quatuor*. Secus verò ſi ob reddituum, & eleemoſynarum tenuitatem Monaſterium actu non alat, nec alere poſſet niſi paucos aliquot Religioſos, puta unum, vel duos Sacerdotes, & unum, vel duos Converſos: tunc enim illicò Eccleſiá regularis poteſt fieri ſæcularis, nec ſervãdi ſunt gradus de quibus
9 ſupra. Ratio eſt, quia impoſſibile eſt, ut reformationem in eo introducant Regulares ejuſdem vel alterius Ordinis, cùm locus ipſe ſit incapax reformationis: non enim poteſt ibi eſſe Chorus, nec ſtudium, nec vitas communis, nec ulla regularis obſervantia, ut plenè habetur in procœmio Bullæ Innocentianæ, inferiùs relatæ *n*.47. Neque huic malo occurri poteſt, ſi regulares illa à Monaſterio expellantur, & totidem in eorum locum ſubrogentur, quemadmodum præcipitur in hoc cap. Quoniam in ſubrogatis eadem eſt cauſa relaxationis: non enim ex vitio perſonarum vivitur ſine Regula, ſed ex vitio loci, qui regulam ſervari non patitur; quippè ſi à Monaſteriolo ejicies duos, vel tres Fratres ibi commorantes, quamvis ſubrogaveris meliores, tamen citò relaxabuntur & iſti, natura loci id operante, ſicut contingit habitantibus in loco aeris inſalubris; nam ſi ſani ſunt, in morbum incidunt; ſi verò infirmi, morbus ingraveſcit, ut *c. Quorundam*, 74. *diſt*. Adde, quòd ſi in aliqua religione extarent exempli gratia, ducenti parvi Conventus, & in quolibet ipſorum nõ degerent niſi tres, vel quatuor Fratres utique ſi haberet locum hæc Decretalis, tales Conventus, expulſis prædictis Fratribus, eſſent reformandi ex Fratribus ejuſdem, vel alterius Ordinis, oporteret educere ex hac, vel alia religione ſexcentos, vel octingentos Fratres ſtrictioris obſervantię, quòd eſſet non minùs rediculum, quam impoſſibile; & nihilominus futurum eſſet, ut ſubrogati in numero tam exiguo ibi degentes, paulatim in eumdem morbum relaxationis inciderent, & iſtis electis, iterùm alii reformati forent ſubrogandi, & daretur proceſſus in infinitum; & licèt accidere poſſit, ut in aliquo parvo Conventu reperiantur interdum aliqui Religioſi devoti, & boni exempli, tamen ſemper verum erit eo non poſſe ibi in numero tam exiguo regularia inſtituta obſervare, ut in *cap. fin. de Capell. Monach*. Nec expectandus eſt lapſus, ſed præcavendus, *cap. Monachi*, ibi, *Nec ſolis ſpiritualium hoſtium conflictum expectent, de ſtat. Monachor*. Melius enim eſt occurrere in tempore, quàm poſt exitum vendicare, *l*. 1 *C. Quando liceat unicuique ſine iudic l. fin. C. quibus*
10 *cauſ. in integr. reſt*. Et quod dictum eſt de reddituum, & eleemoſynarum tenuitate, idem intelligas, ſi ob aliam cauſam in Monaſterio degere non poſſit competens numerus Religioſorum, puta ob aeris intemperiem, juxta textum in *d. c. Quorundam*, 74. *diſt*. quam ob cauſam ſuppreſſus fuit Conventus Congregationis S. Joannis à Carbonaria Ordinis S. Auguſtini, civitatis Carinolæ, in quo propterea degere non conſueverant niſi duo, vel ad ſummum tres Fratres ſine ulla Obſervantia regulari diſciplinę, licèt haberet annuos redditus ducatorum ferè ſexcentorum, qui fuerunt applicati Seminario pro alumnis eidem cœlo aſſuetis, cum ingenti lætitia Epiſcopi Diœceſani, & totius Cleri, & populi; & idem contingit in Conventibus S. Auguſtini, & Minorum Conventualium in oppido Atellæ Melphitan. Diœceſis, qui à Superioribus promptè fuerunt dimiſſi, & à Papa ſuppreſſi: quia etſi redditibus abundarent, tamen ob cœlis gravitatem erant Fratrũ ſepulturæ, nec in eis morari ſolebant niſi duo, vel tres Fratres. Quomodo igitur in tales Conventus induci potuiſſet reformatio ex Fratribus ejuſdem, vel alterius
11 Religionis, juxta hoc cap. Idemque dicendum, ſi Conventus ſit expoſitus deprædationibus, & infeſtationibus pravorum hominum, de quo plurima afferri poſſent exempla, ſed memorabile fuit quod nuper accidit in Conventu Montis Silvani Ordinis Carmelitarum Diœceſis Pennenſis, qui cùm eſſet poſitus inter ſilvas ad ripam fluminis Salini, evaſerat receptaculum flagitioſorum hominum, qui jugiter ibi morabantur tamquam in aſylo, adeòut ex publicis atteſtationibus etiam conſtiterit fuiſſe a latronibus captum quendam inſignem Eccleſiaſticum, ac poſteà redemptum aureis ſeptingentis numeratis ſuper Altari majori; qui ſanè Conventus, etſi pingues haberet proventus, tamen ſupreſſus fuit, & data etiam facultas Epiſcopo, illum profanandi, ac demoliendi, quia erat ſcandalum totius Provinciæ. Quæ quidem facultas data fuit quoque aliquibus aliis Epiſcopis pro Conventibus ſuppreſſis, & eorum Eccleſiis exiſtentibus in locis ſolitariis, & limitrophis, ad quos facinoroſi homines confugere conſueverant. In talibus igitur Conventibus, in quibus 12
ob exiguum Religioſorum numerum regularia inſtituta ſervari non poſſunt, non eſt ſervandus ordo graduationis ſuperiùs propoſitus, tamquam impoſſibilis; ſed illicò poſſunt ſupprimi, & ad ſtatũ ſæcularem reduci, & hoc innuit littera *dicti cap. Inter quatuor, de religioſ. domib*. in illis verbis, *Quãdiu Monaſteria per Regulares remanere potuerint ordinata, non ſunt ad ſæculares Clericos transferenda*; à contrario enim intendit, ut ſi ordinata remanere non potuerint per Regulares, prout contingit in parvis Conventibus, utique ſtatim ſint transferenda ad Clericos ſæculares: & hoc ſimiliter voluit gloſſa *hic* poſt caſum; quæ dum dixit, Monaſterium ſemper reformari debere de hominibus ejuſdem profeſſionis, immediatè adjecit conditionem illam, *Si fieri poſſit*, innuens per hoc à contrario, ut ſi fieri non poſſit, prout accidit in his Conventibus exiguis, non ſit neceſsè dictos gradus ſervari, ſed illicò Clerici ſæculares ſint ibi inſtituendi, quia Canones non jubent expectari exitum impoſſibilẽ, *c. Erit autem lex*, 4. *diſt. l. Titius*, *§. final. ff. de excuſ. Tut. leg. Quæ ſub conditione*, *§. Quoties*, *ff. de condit. inſtit*. Butr. in *l. Si ideo vitio, C. de his quib. ut indig*. & directè hoc tenet gl. 1. in *§. Quæritur*, poſt *c. Statuimus*, 19. *qu*. 3. cujus hæc ſunt verba, (Dicas ergo, quòd de Monaſterio nunquam poteſt fieri ſæcularis Eccleſia, ut hic dicitur, niſi enormiter vivant: tunc poſſunt Monachi removeri, & inſtitui ſæculares Canonici: tamen cum auctoritate Papæ, ut Extravag. *Ne Clericus, vel Monachus*, relacta: vel niſi ita ſit, quod non inveniant aliqui de Ordine illo per quos poſſit locus ordinari, ut extra, *de Relig. domib. Inter*. vel niſi ita ſit, quod aliter non poſſit reformari locus ille, quam per Canonicos, ut extra, *de ſtat. Mo-*
nach. c. Cùm nobis, quæ eſt remota: quinimò circumſcriptis 13
exemptionum privilegiis, quando Monaſterium aliter non poteſt reformari, reduci poteſt ad ſtatum ſæcularem etiam ab Epiſcopo ordinaria authoritate, ut notat Jo. Andr. in *c. Si Epiſcopus*, in gloſſ. 1. 12. *qu*. 2 & concordant Alanus, Tancredus, & Bernardus relati ab Archid. in *c. Statuimus n*. 4. *circa fin*. 15. *q*. 3. & hoc credit ſervandum Joan. And. in *d. c. Inter quatuor*, in gloſſ. 1 *n*. 3. *de Relig. domib*. & eſt de mente gloſſ. 1. ibi in *verb. Ponerentur*, & ſequitur Abb. *hic n*. 5. Neque verò ex hoc aliqua inuitur nota religionibus, quæ per ſe ſanctæ ſunt, & notiſſimum eſt quantum ex Monaſteriis piè inſtitutis, & rectè adminiſtratis in Eccleſia Dei ſplendoris, atque utilitatis oriatur; ut in Conc. Trid. *ſeſſ* 25. *de regular. c*. 1. ſed ſolùm notantur ipſi parvi Conventus qui viris Religioſis, ac zelum Dei habentibus ſemper fuerunt exoſi, quippè qui illarum decori, & utilitati ſemper magnoperè detraxerunt, itaut vulgare ſit apud ipſoſmet Prælatos regulares: Conventus parvi corrumpunt magnos. Unde non immeritò in Bulla Innocentiana appellati ſunt Vulpes parvulæ, quæ demoliuntur vineas; hæc enim verba, quamvis à quibuſdam detractoribus temerè, ac per calumniam, malitiamque traducta fuerint ad Religiones: tamen revera non ad Religiones, ſed ad parvos ipſos Conventus referuntur; imò à Religionibus ipſis contradiſtinguuntur evidentiſſimè: nam in procemio Bullæ Pontifex primò invehitur in parvos Conventus, quòd ſint ſine ulla regulari obſervantia quòd fiant receptacula flagitioſorum, & quod majora Monaſteria inficiant; & poſtea ſubdit immediatè; Hæc quippè ſunt zizania à Religionum tritico ſeparanda (ecce apperta contradiſtinctio Religionum à parvis Conventibus:) Hæ ſunt vulpes parvulæ, (ſcilicet Conventus parvi) quæ demoliuntur vineas, (ſcilicet Religiones:) Hoc eſt fermentum (id eſt parvi Conventus) quod totam maſſam (id eſt Religionem) corrumpit. Et ſanè cum Innoc. animum induxiſſet has parvulas domunculas de medio tollere, & abolere, utique oportebat eum illorum malitiam, & perniciem exprobrare, ſicut moris fuit prædeceſſorum Pontificum, qui cum aliquem ordinem ſupprimere, & extinguere voluerunt, illius quoque abuſus, & corruptelas palam edixerunt, ut videre eſt in procœmio Bullarum extinctionis Ordinis Templariorum, Humiliatorum, SS. Barnabæ, & Ambroſii, & S. Baſilii Armenorum, de quibus infrà *n*.46.

Sed

14 Sed & Joannes Mauburnus Abbas Liuacenſis in Belgio Ord. Canonicorum Regularium vir admodùm pius, & doctus, & ſcriptor antiquus, cujus meminit multa cum laude Poſſevinus in Apparatu ſacro, in Roſeto exercitiorum ſpiritualium *tit.*2.*c.*3.*pag.*45. ſic diſſerit de parvis Conventibus [In parvis Prioratibus (ſi Bernardo, Hugoni, & Umberto creditur) & religio annihilatur defectu obſervantiæ, quæ ibi relaxatur, & meritum obedientiæ imminuitur, & continentia facilè periclitatur; unde tales Prioratus parvi non ſunt niſi religionis diſſipatio, Monachorum proſtribula, & latrocinia Religioſorum. Religio enim ſemper in Congregatione ſervatur in concilio juſtorum, & in adunatione,
15 non in diſperſione.] Hæc ille. Et propterea ipſimet Generales, & capita Ordinum ſæpiùs cogitarunt has regulares domunculas à Religione aſcindere, & in manibus Epiſcoporum dimittere, ad idque obtinuerunt etiam facultatem à Romanis Pontificibus per litteras in forma Brevis, in quibus aſſeruerunt parvos Conventus hujuſmodi obſervantiæ regulares, ac diſciplinæ relaxationem, totiuſque Ordinis dedecus, & ruinam eſſe, ut diſertis verbis legitur in litteris fel. record. Urbani VIII. ad Correctorem Generalem Minimorum S. Franciſci de Paula, ſub datum Romæ die 23. Junii
16 1633. & in aliis pluribus. Sed hac facultate uſi non ſunt, vel quia Conventus hujuſmodi ſolvunt quotannis taxam contributionum capitibus Ordinum pro ſumptibus faciendis ratione officii; quæ quidem contributiones ex illorum dimiſſione remanſiſſent valdè imminutæ, & extenuatæ, niſi repartitæ fuiſſent inter alios Conventus non ſuppreſſos, quod vix fieri potuiſſet ſine Fratrum querela; vel quia noluerunt in ſe concitare odium Provincialium, qui à parvis Conventibus hauriunt multam pecuniam ratione contributionum, & procurationum occaſione viſitationis, & largitionum quas accipiunt à Superioribus localibus, & Fratribus de familia; vel quia conſultius putarunt non perturbare tot Fratres in parvis Conventibus filiationem habentes, & plerumque oriundos ex locis, ubi Conventus ſunt ſiti, quibus ſuppreſſis, à patria perpetuò exularent; vel quia noluerunt pri-
17 vare ſeipſos, & Provinciales juriſdictione, & auctoritate, quam mediantibus his Conventibus habent ferè in ſingulis oppidis, villis, & pagis cujuſque Diœceſis: vel quia tales Conventus alicubi inſerviunt pro hoſpitio Fratribus illac tranſeuntibus occaſione capituli, viſitationis, aut aliam ob cauſam, qui alioquin cogerentur divertere ad cauponem, vel hoſpitem: vel quia ſatius duxerunt hominibus dictorum locorum hanc moleſtiam non exhibere, qui libentius peccata ſua aperiunt Regularibus, quàm proprio Parocho, vel Presbyteris ſæcularibus, ut experientia compertum eſt: vel demum quia cùm in facultatibus ſupprimendi parvos Conventus Romani Pontifices quandoque indulſerint, ut illorum bona applicarentur majoribus Monaſteriis ejuſdem Ordinis, etiam alibi exiſtentibus, iſta applicatio ferè numquam potuit effectum ſortiri populis reclamantibus, & Regulares tandem coacti fuerunt redire ad Conventus dimiſſos, ut ſic vitarentur populorum tumultus; imò accidit aliquando, ut cùm inde aſportarent ſacram, vel profanam ſupellectilem ad majorem Conventum, populus manu armata reſtiterit, & ſupellectilem ablatam ad primum Conventum vi reduxerit. Et ſanè cùm Monaſteria ferè omnia ſint fundata, & dotata ex erogationibus fidelium pro Miſſis celebrandis, & Divinis officiis obeundis in eorum Eccleſiis, ut notat Bellam. *in cap. Per principalem n.*93. *verſ. Et maxime quia bona*, 9. *q.*3. allegabatur eſſe contra Canonicas ſanctiones ſubtrahere populis auxilia ſpiritualia, & Eccleſias relinquere omni cultu, ac veneratione deſtitutas, *ut c. Si quis vultu*, 16. *q.*7. *c. Et temporis*, *in fin.* 16. *q.*1. *c. Extirpandæ*, §. *Quia verò ſupra de præbend.* & eſt expreſſum *in Clem. Ne in agro*, §. *Ad hæc*, *verſ. Monachis locorum*, *de ſtat. Monach.* & advertit Bellam. *loc. cit.*

18 Jure igitur optimo ſan. mem. Innocentius X. quod & à pluribus ejus prædeceſſoribus optatum fuerat, ſuppreſſit, & extinxit parvos Regularium virorum Conventus in tota Italia, & Inſulis adjacentibus, eoſque ad ſtatum ſæcularem reduxit, ut in Bulla inferiùs inſerta *n.*47.

19 Bona verò ipſorum applicavit aliis piis uſibus in iiſdemmet locis, ubi Conventus ſunt ſiti, iiſque non indigentibus, in aliis locis ejuſdem diœceſis.

20 Stante enim impoſſibilitate illos reformandi de Regularibus ejuſdem, vel alterius Ordinis, & neceſſitate eos transferendi ad Clericos ſæculares, ut probatum eſt ſuprà, ſequitur pernecesſè, ut Papa nedum de poteſtate abſoluta, ſeu de plenitudine poteſtatis, ſecundum quam eſt ſupra omne jus humanum poſitivum, *c. Propoſui, de conceſſ. præbend.* ſed etiam de poteſtate ordinaria, & à jure regulata potuerit illorum bona applicare eiſdem Clericis ibi miniſtrantibus, ut ſic viverent de Altari, cui inſerviunt, 1 ad Corinth. 9. *cap. Ex his*, 12. *q.*1. *c. Ex officii*, *de præſcript. c. Cùm ſecundum*, *de præbend.* juſtum namque eſt, ut illi conſequantur ſtipendium, qui pro tempore ſuum commodare reperiuntur obſequium, *c. Charitatem*, 12. *q.*2. *cum concordant.* quas poſui in *c. Si quis ſanè n.*7. *ſup. de pecul. Cleric.* Quemadmodum ſtante poteſtate Papæ, imò & Epiſcopi, expellendi Monachos incorrigibiles a Monaſterio, & illuc introducendi regulares alterius Ordinis reformationis cauſa, juxta gradum ſuperiùs propoſitum *n.*6. pernecesſè conſequitur certa, & inconcuſſa poteſtas aſſignandi eis alimenta ex redditibus Monaſterii, ut labores impiorum juſti edant; quæ ſunt verba hujus Decretalis *in fin.*

Sed objiciunt aliqui: Monaſteria omnia ad hoc fundata, & 21
fidelium erogationibus dotata fuerunt, ut in eis perpetuò manerent regulares, & ex proventibus ſuſtentarentur illorum, non autem ut eſſent habitacula Clericorum ſæcularium, *c. Quæ ſemel*, 19. *q.*3. *c. Pervenit*, *il ſecondo*, *c. Dudum*, 18. *q.*2. *c. Poſſeſſiones*, *de rebus Eccl. non alien.*

His autem fundationibus Papa ſaltem de poteſtate ordi- 22
naria non videtur poſſe derogare, nec voluntates commutare: nam ea, quæ ad certum uſum largitione ſunt deſtinata fidelium, ad illum debent, non ad alium converti, ut legitur *in Clem. Quia contingit*, *in princ. de rel. domib.* & concordat Concilium Trident. *ſeſſ.*25. *de reform. c.*5. unde, ut ait Bald. 23
*conſ.*82. *Factum proponitur n.*1. *lib.*1. illud, quod eſt deputatum pro remedio animæ teſtatoris, contrahentis, vel tertii, in alios uſus auctoritate Principis converti non debet, quia loquendo de rationabili potentia non poteſt Apoſtolicus, vel Imperator reſcindere teſtamentum, vel contractum, vel aliam piam diſpoſitionem. De teſtamento eſt expreſſum jure civili, in *l. Si teſtamentum*, *C. de teſtam* de contractu eſt expreſſum jure civili in *l. Ratas*, *ad hoc*, *C. de reſcindend. vendit.* & *in l. Legatum*, *ff. de uſufruct. legat.* de jure communi eſt expreſſum, quòd non debet permutari ad alium uſum, ſi poteſt converti ad uſum deſtinatum in *c. Quia contingit*, *de relig. domib. in Clem.* & paulò infra rationem reddit, quia talis permutatio, ſeu alteratio voluntatis eſt naturali rationi, & æquitati contraria. Hoc autem maximè videtur proce- 24
dere in illis fundationibus Monaſteriorum, quæ factæ fuerunt ex conceſſione Papæ, quales ſunt fundationes omnes, quæ in Ordinibus Mendicantium factæ fuerunt poſt prohibitionem Bonifacii VIII de qua in *c. un. de exceſſ. Prælat. lib.*6. uſque ad publicationem Concilii Tridentini, quod videtur prohibitionem illam ſuſtuliſſe in *cap.*3. *in fin. ſeſſ.*25. *de regular.* tales enim fundationes cùm ſint ex cauſa oneroſa, tranſierunt in contractum, quia à Papa pro libito voluntatis revocari non poteſt, *cap.*1. *Cùm materia*, *de probat.* ubi poſt alios Berous *n.*16. & 17. Bald. *in leg. Qui ſe patris*, *C. unde liberi*, Alexan. *conſ. ult. à num.*18. *lib.*4. Soccin. ſen. *conſ.*87. *num.*12. *lib.*3. Quæ concluſio ſumitur ex illo 25
principio, quòd Papa non ſit propriè dominus bonorum Eccleſiæ, *cap. Mutationes*, 7. *quæſt.*1. & *cap. Non liceat Papæ*, 12. *qu.*2. & ex Hoſtien. notat Joan. Andr. in *c. Cùm veniſſent n.*7. *de judiciis*, & Gemin. in *c.*1. *col.*2. *in princ. verſ. Quæro, an Papa habeat dominium Eccleſiarum*, *de Summ. Trinit. & fid. Cathol. lib.*6. & eſt de mente S. Thomæ in 2. 2. *q.*63. *art.*2. *ad primum*, dicentis Prælatum Eccleſiaſticum non eſſe dominum ſpiritualium, ut poſſit ea dare pro libito, ſed diſpenſatorem, ſecundùm illud 1. *ad Corinth. Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*; ubi Cajetanus ſub nomine Prælati intelligit includi etiam Papam, & *qu.*43. *art.*8. (Nec Papa, inquit, nec aliquis Prælatus eſt dominus rerum Eccleſiæ, ſed Eccleſia ipſa eſt domina, quia donatores non donant, & transferunt jura ſua in Papam, aut Prælatum, ſed in Eccleſiam Romanam, vel talem. Nec putes propterea quòd Papa habeat plenitudinem poteſtatis Eccleſiaſticæ, ob hoc poſſit de bonis Eccleſiæ diſponere, ſicut poteſt Eccleſia, quoniam plenitudo poteſtatis Eccleſiaſticæ ipſius Papæ intelligitur in ſpiritualibus tantùm, &c. unde tenetur ad reſtitutionem, qui à Papa bona Eccleſiaſtica pro libito Papæ habuerunt, ut ditentur, exaltentur, & magnificentur, ſicut qui ab aliis ſimilia Eccleſiæ bona acceperunt; omnis namque donatio Eccle-

cleſiaſticę rei pietate,vel neceſſitate vacua, non diſtributio ſed diſſipatio eſt à diſpenſatore uſurpata.] Hęc Cajetan. & expreſsè docuit idem S. Th. *in 2. 2. qu. 100. art. 1. ad ſeptimum*, ubi reddens rationem, cur Papa poſſit commitere ſimoniam, dicit; *Quamvis enim res Eccleſiæ ſint ejus, ut ſpiritualis diſpenſatoris, non tamen ſunt ejus ut domini, & poſſeſſoris*, Et fuit hæc doctrina S. Bernardi variis in locis *de conſideratione ad Eugenium Papam*, ſed præcipuè *lib. 4. in fin.* in hæc verba: *Diſpenſatio tibi tradita eſt, non data poſſeſſio; ſi pergis uſurpare & hanc, contradicit tibi qui dicit, Meus eſt orbis terræ, & plenitudo ejus; poſſeſſionem, & dominium cede huic, tu curam illius habe; pars tua hæc, ultra ne extendas manum: & lib. 2.* plurimas allegans S. Scripturæ auctoritates, in *c. 6.* concludit: *Forma Apoſtolica hæc eſt dominatio interdicitur, indicitur adminiſtratio.*

26 Ad hanc objectionem reſponderi poteſt, primò, in hoc articulo pleroſque Canoniſtarum aliter ſentire; nam Archid. in *cap. 1. poſt medium, verſ. Sed licèt ita ſit, de Summ. Trinit.* relatis verbis D. Bernardi ad Eugenium *lib. 4 in fin.* dicentis Eccleſiam Romanam eſſe Eccleſiarum matrem, non dominam, dicit ſic: (Sed quidquid dicat B. Bernardus, Ecccleſia Rom. in Canone domina nuncupatur, 79. *diſt. Oportebat, in princ.*) & Papa hoc dicit, *Eccleſiæ meæ*, 97. *diſt. Eccleſiæ*, quod videtur ad dominium pertinere: de hoc 12. *q. 1. §. ult.* & eum ſequitur totidem verbis Jo. Andr. ibi *nu.* 5. ſimiliter Paulus de Leazar. *in Clem. 1. de Summ. Trinit.* dicit Papam eſſe dominum rerum omnium Eccleſiarum, & eum ſequuntur ibi Cardin. *n. 4* Barbat. *n. 4. 5. & 6.* & Corneus *conſ. 349. Videtur num. 5. vol. 1.* aſſignantes rationem diverſitatis inter Papam; & Imperatorem, qui
27 non eſt propriè dominus rerum privatorum, *l. Benè à Zenone*, juncta gl. *in verb. Omnia Principis, C. de quadrien.*
28 *præſcript.* & propterea Speculator *in tit. de præſcript. nu. 18. verſ. Illud etiam quæritur*, dicit Papam non poſſe contra alias Eccleſias præſcribere: nam omnes Eccleſiæ ſuæ ſunt, quia habet plenitudinem poteſtatis in quamlibet earum, *c. Quiſe ſcit*, 2. *q. 6. c. Nunc verò*, 9. *q. 3. c. Propoſuit, de conceſſ. præbend. d. l. Benè à Zenone, c. Convenior*, 23. *q. 8.* ergo per præſcriptionem nihil acquireret: ſed & Innocentius in *c. Cùm pridem, in verb. Reſignavit, de pact.* dicit Papam habere plenitudinem poteſtatis ſuper omnes Eccleſias ſingulariter, & univerſaliter, *cap. Decreto*, 2. *q. 6.* Item Petr.
29 de Anchar. *in proœm. ſexti, c. Sacroſanctæ n. 3.* tenet, Papam habere latiſſimum arbitrium in rebus Eccleſiaſtic. omnium Eccleſiarum transferendi, & pro libito diſponendi; & aſſignat rationem differentię inter res Eccleſiarum, & res privatorum; & ante eum Bald. illius Preceptor *d. conſ. 24. in princip. lib. 2.* (Papa, inquit, poteſt res, & bona omnium Eccleſiarum Orbis adminiſtrare, & diſponere pro libito voluntatis, præſertim ſubſiſtentibus cauſis; & quod fit ab eo, videtur procedere ab ore Dei, *c. Si omnes*, 19. *diſt.* & idem Bald. *conſ. 175. Papa, ſive Eccleſia Romana lib. 2.* conſuluit pro validitate venditionis bonorum cujuſdam Monaſterii factę per Papam cuidam nobili, & *n. 2.* ſic ait: (Prętereà hic Dominus Papa non vendidit rem alienam, ſed ſuam: nam omnes res Eccleſiarum ſuæ ſunt quoad plenam,
30 & liberam diſpoſitionem.) Item Socc. ſen. *conſ. 13. Præſens concl. vol. 1.* ſimiliter reſpondit Papam poſſe facere Monachum profeſſum teſtabilem, & dare illi facultatem donandi bona Monaſterio acquiſita, & *n. 34.* ſic loquitur:] Nec dicat quiſpiam, quòd Papa non poſſit præjudicare Eccleſiis, vel Monaſteriis ſuper hujuſmodi bonis quoniam hoc eſt manifeſtè falſum, quoniam Papa in beneficiis, & ipſorum bonis habet omnimodam, & abſolutam poteſtatem *c. 2. in princ. de præbend. lib. 6. Clement. 1. Ut lite pendente*, notat gloſ. *9. q. 3. c. Per principalem*, & probatur, 78. *diſt. c. Oportebat, & 97. diſt. Eccleſiæ*, tenet Jo. Andr *in c. 1. de Summ. Trinit. libr. 6.* & poſito quod verum dominium non ſit ſuum, ſecundùm quòd aliqui voluerunt; tamen ipſe habet omnimodam, & abſolutam diſpoſitionem, adminiſtrationem, & diſpenſationem, & poteſt unire Eccleſias, & ſupprimere dignitates, & alteram alteri ſubjicere, & jura unius alteri dare, ut 16. *q. 1. c. Et temporis, & §. Sunt duo, de exceſſ. Prælat. c. Sicut unire, de off. legat. c. Translationem*, ſicut Princeps poteſt de rebus fiſcalibus, *l. Benè à Zenone, C. de quadrien. præſcr.*) Hactenus verba Mariani Socc. Qui-
31 nimò dicunt Lud. Roman. *conſ. 440. circa primum in 1. col. & in 10. col.* & ex illo Corneus *d. conſ. 349. n. 6.* Papam poſſe etiam ſine cauſa jura unius Eccleſiæ auferre, & dare alteri ſi vult, dicentes hoc eſſe expreſſum in *c. Ex multiplici, de Decimis, & in Clem. Dudum, §. Nos de Sepult.* idemque dixerunt *in c. Conſtitutus*, Butr. *n. 7.* & Abb. *n. 16. de Relig. Domib.* & voluit gloſ. *in c. Si gratioſè, in verb. à Romano Pontifice, in fin. de reſcr. lib. 6.* quam ſequitur Decius *conſ. 341. Viſo puncto, nu. 9.* quibus demum addo Paulum de Caſtro
conſ. 288. ſub n. 3. lib. 1. ubi notabiliter ait: [Aut quęritur vel 32
an Papa poſſit auferre alicui Eccleſiæ dominium rei ſuæ, aliquod jus illi quęſitum; & clarum eſt, quòd ſic, ex ſola voluntate, & ſine aliqua cauſa, licèt facere hoc non debeat, per ea, quæ habentur *in c. 1. 22. diſt. & d. c. Conſtitutus, de Relig. Domib. de privil. c. Antiqua:* & ratio eſt, quia dominium rerum Eccleſiaſticarum, propriè loquendo non eſt apud aliquam Eccleſiam particularem, ſed apud Chriſtum, ut notat Innoc. *de cauſ. poſſeſſ. & propriet. c. Cùm ſuper*, cujus Papa eſt Vicarius cum omnimoda poteſtate in terris, eò quia Eccleſia Catholica, cujus Chriſtus eſt caput, eſt una, cujus Principatus eſt apud Eccleſiam Romanam, quæ fuit à Deo immediatè inſtituta; cęterę verò Eccleſiæ tamquam rivuli fuerunt inſtitutæ ab ipſa Romana Eccleſia, ut *d. c. 1. 22. diſt. & 24. q. 1. c. Loquitur*; & ideò quidquid juris eſt apud particulares Eccleſias, eſt etiam apud Papam, qui, ut dixit Jo. Monachus, eſt pater patrum, & cum omni Prælato in poteſtate, & juriſdictione concurrit: unde quando au- 33
fert rem alicui particulari Eccleſiæ, potiùs dicitur auferre adminiſtrationem, quàm dominium, *extra de don. c. 2.* quià dominium eſt potiùs apud ipſum Papam, cùm ſit apud Chriſtum, cujus eſt Vicarius, vel apud Eccleſiam Catholicam, quę eſt una, cujus ipſe eſt Princeps, per illa verba Chriſti ad Petrum: *Paſce oves meas.*] Hactenus verba
Pauli de Caſtro, & eum ſequitur Dec. *d. conſ. 341. n. 8. & 9.* 34
quibus apparet hanc opinionem communiter teneri, quam etiam amplectuntur noviſſimi Domini de Rota apud Merlin. *dec. 775. tom. 2.* ubi reſolvunt Papam eſſe dominum omnium bonorum Eccleſiarum, & habere plenariam diſpoſitionem Jure Monarchico, quod apud eum reſidet in univerſum corpus Eccleſiæ, & ſingula ejus membra: idque confirmant quamplurimis auctoritatibus, & rationibus.
Et idem repetunt in terminis noſtris *dec. 846.* nam cum 35
fel. rec. Clemens VIII. ſæculariza ſſet omnes Eccleſias, & beneficia Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini principatus Cataloniæ, illaque, & illorum proprietatem, & dominium ſuę, ac Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni dumtaxat reſervaſſet, Rota reſolvit hujuſmodi reſervationem intrare etiam ultra regulas Cancellariæ in menſibus non reſervatis; & cùm pars adverſa contenderet reſervationem eſſe intelligendam reſpectu dominii, non autem reſpectu collationis, Rota ibi *n.* 11. refellit hanc interpretationem, quia inquit, etiam ſi Papa expreſsè non reſervaſſet ſibi dominium, & proprietatem Eccleſiarum attamen ipſe Pontifex tamquam caput Eccleſiæ ante ſæcularizationem erat dominus, & ſupremus arbiter dominii, & proprietatis Eccleſiarum, allegat Rot. *dec. 81. n. 9.* & 10. *p. 5. rec.* & a-
lios complures. 36

Sed quidquid ſit de veritate harum opinionum, de quibus poteſt conſuli Card. Bellam. *in c. Cùm ſuper, in 1. q. de cauſ. poſſeſſ. & propr. & in c. Per principalem, in 4. q. princ. 9. q. 3.* ubi hanc materiam latiſſimè, & magiſtraliter proſequitur à *n. 72. uſque ad n.* 100. & Navarr. *in Commentario de Spoliis Clericorum, ſuper cap. Non liceat Papæ in 7. notab. 12. q. 2.*

Reſpondetur 2. dicta Theologorum, de quibus ſupra à *n. 21.* ad caſum præſentem non pertinere; quia Pàpa ad ſuppreſſionem parvorum Conventuum & applicationem bonorum non proceſſit quaſi dominus bonorum Eccleſiaſticorum pro libito voluntatis, & de poteſtate abſoluta, ſed ex juſtis rationabilibus cauſis pro debito ſui paſtoralis officii, & ſecundùm canonicas ſanctiones, ut evidenter oſtendunt rationes expreſſæ in proœmio Bullæ, de qua infra *nu.* 47. & abundè oſtenſum eſt ſupra à *num. 8. uſque ad num.* 21. concurrente autem juſta cauſa, quæ in Papa ſemper preſumitur, ut per Socin. *d. conſ. 13. nu. 35. vol.* . & Merlin. *d. dec. 775.* conveniunt omnes tam Canoniſtę, quàm Theologi, Papam uti ſupremum adminiſtratorem, ac diſpenſatorem bonorum Eccleſiaſticorum, poſſe res uni Eccleſię auferre, & dare alteri, ut tradunt omnes in *c. Quæ in Eccleſiarum, de Conſtit.* poſt gloſſ. *in c. Omnes in verb. Injuſtitia*, 22. *diſt.* & gloſſ. *penult. in c. Duo ſimul de Offic. Ordin.* Bellam. *in d. c. Per principalem, nu. 9.* ubi dicit caſum eſſe in-

dubi-

dubitabilem, quòd Papa cùm juſta & rationabili cauſa res unius Eccleſiæ alteri Eccleſiæ poteſt donare, vel impignorare in perpetuum, vel ad tempus; unde & poteſt ultimas voluntates commutare: nec umquam apud viros Catholicos juſta cauſa ſubſiſtente revocata fuit in dubium hæc Summi Pontificis auctoritas, eamque expreſsè agnovit Viennenſe Concilium, ut *in Clement. Quia contingit, in princ. de Relig. domib.* innovata à Conc. Trident. *ſeſſ. 7. c. ult. & ſeſſ. 25. de refor. c. 8.* nam quamvis ibi caveatur, ut ea, quæ ad certum uſum largitione ſunt deſtinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium converti: tamen ante verbum *Converti*, inſeritur clauſula illa, *Salva quidem Sed. Apoſt. auctoritate*: unde gloſſ. ibi, *in ver. Sed. Apoſtol.* (Nota, inquit, per hanc litteram ſolum Papam alterare poſſe uſum illorum, quæ per fideles donata ſunt, vel relicta,) & concordant ibi Paulus Card. Anchar. & omnes; & firmant Oldrad. *conſ. 61. Cum Regi Franciæ in fin.* Gemin. *conſ. 63. Dubia ſupraſcripta, in princ.* Anchar. *conſ. 282. Pro deciſione in princ.* Abbas *conſ. 15. Duo ſunt n. 3. lib. 2.* Calderin. *conſ. 419. aliàs 3. de Relig. domibus*, Butr. *conſ. 33. in fin. n. 4.* Alex. *conſ. 2. Viſis codicillis n. 19. in fin. verſ. Præterea quocumque jure lib. 1.* & alibi paſſim DD Et ſanè quod ſpectat
37 ad rem præſentem, aut bona fuerint Eccleſiis, vel Monaſteriis donata ſimpliciter, & abſque ulla reſervatione; & ſtatim atque ſunt donata Eccleſiæ, ſunt immediatè acquiſita Deo, ut notat Innoc. *in c. Cùm ſuper nu. 3 de cauſ. poſſeſſ. & propr. & in c. Verùm n. 2. de foro compet.* & proinde ſubſunt omnimodæ diſpoſitioni Romani Pontificis immediati illius Vicarii, & ſupremi adminiſtratoris, ac diſpenſatoris bonorum Eccleſiaſticorum, ut not. omnes *in c. 1. de Summ. Trinit. & fide Cathol. lib. 6. & in Clem. 1 eod. tit. & in Clem. Quia contingint de relig. domibus*, ubi in ſpecie Guliel. de Monte Lauduno, & poſt eum Card. *n. 4.* dicunt Papam eſſe gubernatorem in ſolidum univerſalis Eccleſię, cujus caput eſt Eccleſia Romana, & ita ejus eſt tamquam capitis ad membra ſingula alimenta transfundere, *c. Cuncta per mun-*
38 *dum, & c. Per principalem 9. q. 3.* Aut donata fuerunt ea conditione, vel pacto adjecto, ut recedentibus fratribus, bona redeant ad donantem, vel ejus hæredem: & hoc pactum non comprehendit caſum, quando recedunt de licentia, vel mandato Papæ, qui eſt Summus Princeps, *d. c. Cuncta per mundum 9. q. 3.* & ita in his terminis poſt Jo. de Deo, tenet Jo. Andr. *in c. unic. n. 2. col. 3. ante medium verſ. Sciendum eſt de relig. domibus lib. 6.* Adde, quòd in tali diſpoſitione intelligitur excepta auctoritas Papę, *c. Venientes de jurejurand.* & pactum reſolutivum intrat ſolùm quando fratres recedunt facto ſuo, non autem quando recedunt facto, vel juſſu Principis, *l. Lucius Titius, ff. de evict.* quemadmodum doctrina illa, quòd relicta ad certum uſum non poſſint in alium uſum converti, quando teſtator expreſsè hoc prohibuit, adimendo legatum in eventum contraventionis, juxta text. *in §. Sanctiſſimas, in Auth. de alienat. in Emphyt.* & tradita per Ber. *conſ. 49. lib. 2.* procedit in inferioribus, non autem in Principe, ut notabiliter declarat Bart. *in tract. minor. lib. 2. diſt. 2. c. 13. n. 13.* Petr. de Peruſio *in tract. de Can. port. Epiſc. c. 7. n. 38.* & ſcripſi pleniùs *in c. Nos quidem de te-*
39 *ſtam.* Quòd ſi donator adjeciſſet prohibitionem expreſſam, ne ſua voluntas commutari poſſet etiam per Papam; hęc prohibitio uti repugnans ſupremę Principis poteſtati, tamquam turpis, & impoſſibilis, haberetur pro non adjecta, *l. Si quis ita inſtitutus, l. Quæ ſub conditione, l. Conditiones quæ, & l. Conditionis contra, ff. de condit. inſtit. §. Impoſſibilis, inſtit. de hær. inſtituen.* tenet Imol. *in l. Si alienum in pr. n. 3. ff. eod.* Angel. *in l. Quidam, § Illo n. 2.* & ibi etiam Paul. Caſtro *in fin. C. de neceſſar. ſervor. hær. inſtituen.* Et prohibitione illa non obſtante poſſet Papa hujuſmodi voluntatem commutare etiam ſine cauſa de poteſtate abſoluta, licèt non de rationabili potentia, ut fatetur Ber. *d. conſ. 49.* & ante eum Bald. *in conſ. 82. Factum proponitur n. 1. & 2. libr. 1.* Præterea in edicto prohibitorio de piis voluntatibus in alium uſum non commutandis lex Canonica præſervat, & vult ſalvam eſſe Apoſtol. Sed. auctoritatem, ut in *d. Clem. Quia contingit de relig. domibus*: at nemo poteſt cavere, ne illa lex in ſuo teſtamento locum habeat, *l. Nemo poteſt, ff. de leg. 1. & in Auth. de Eccl. tit. §. Si quis autem pro redemptione coll. 9. & c. Tua nobis ſup. de teſtam.* & ideò ſimilium prohibitionum Romani Pontifices in Signatura Gratiæ nullam rationem habere conſueverunt: & hęc poteſtas ſupponitur tamquam indubitata etiam à Concil. Trid. *c. 5. ſeſſ. 22.*

Quemadmodum nec quiſquam Catholicus auſus un- 40
quam fuit ponere os in cœlum, & in quæſtionem vocare poteſtatem Papæ reducendi ex juſta cauſa regulares Eccleſias ad ſtatum ſæcularem, & illarum bona in alios pios uſus convertendi, de quo eſt caſus in prælleg. *c. Inter quatuor, de relig. domib.* & innumera afferri poſſent exempla harum ſæculariſationum, & valdè inſignis eſt illa, quam fecit Clemens VII. de omnibus Monaſteriis Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini Principatus Cataloniæ, de qua *in dec. Merlini 775.* Et valdè notandum eſt in caſu illo Papam non applicaſſe illorum bona aliis piis uſibus, ſed reſervaſſe ſibi, & Sedi Apoſtolicæ etiam illorum dominium, & proprietatem, ut dixi ſupra *nu. 37.* cùm tamen Innocentius nihil ſibi reſervaverit, ſed bona ſuppreſſorum Conventuum integrè aſſignaverit locis piis, ubi ſiti ſunt Conventus, cum ſumma ejus laude, & ædificatione Chriſtianorum Principum, & populorum; idque ad inſtar Concilii Tridentini *ſeſſ. 25. cap. 3* ibi, *Quæ locis piis ibi exiſtentibus, eo ipſo, quòd exacta fuerint aſſignentur.* Nec ſolùm ſingularia Monaſteria, ſed etiam totam Religionem multoties extinxerunt Romani Antiſtites convertendo illius bona in alios pios uſus, ſicut Clemens V. in Concilio Viennenſi extinxit ordinem Templariorum longè latèque diffuſum, & immenſis ferè opibus auctum, & univerſa illius bona Sedis Apoſtolicæ ordinationi, & diſpoſitioni reſervavit, ut in ejus Conſtitutione 3. incip. *Ad providam*, edita die 10. Maji 1311. in Bullar. *tom. 1. pag. 150.* Et noſtro ſæculo S. Pius V. extinxit Ordin. Fratrem Humiliatorum, & illorum domos, conventus, loca, ſupellectilem, bona, res, actiones & jura, eorumque proprietatem, & dominium ſuæ, & Sed. Apoſt. liberæ diſpoſitioni ſpecialiter, & expreſsè reſervavit: & in ejus Bulla 119. incip. *Quemadmodum*, Bullar. *tom. 2. pag. 328.* Urbanus VIII. extinxit Congregationem Monachorum S. Benedicti Farfen. vulgò *Berrettanti*, & ego confeci minutam Decreti extinctionis, cùm eſſem Secretarius S. Congregat. Epiſcoporum, & Regularium: item extinxit Religionem Fratrum SS. Barnabæ, & Ambroſii, & bona per hujuſmodi ſuppreſſionem vacantia reſervavit adminiſtrationi, & diſpoſitioni Ordinariorum, in quorum diœceſi ſunt ſita, eorumque fructus, ac redditus per eoſdem Ordinarios applicari juſſit in uſus piorum locorum, ubi conventus ipſi & bona exiſtunt, ut in litteris in forma Brevis ſub die 2. Decemb. 1643. & Innoc. X. reduxit ad ſtatum Congregationis ſæcularis Religionem Scholarum piarum Matris Dei, & extinxit Religionem S. Baſilii Armenorum, nec non Clericorum Regularium Boni Jeſu Ravennæ, diſponendo ſimiliter de bonis utriuſque; & noviſſimè extinxit Congregationem de Sturla Canonicorum Regularium S. Georgii in Alga, ſupprimendo tria illius Monaſteria, quę ſupererant, & eorum bona applicando aliis piis uſibus in iiſdemet locis, ubi ſita ſunt Monaſteria. Quinimò Greg. X. in Conc. Lugdunenſi non una tantùm, ſed omnes Religiones Ordinum Mendicantium (quatuor dumtaxat exceptis) etiam Canonicè erectas poſt Conc. generale, de quo *in c. fin. de relig. domibus*, ſuppreſſit, & extinxit, non aliam ob cauſam, quàm ob nimiam illarum diverſitatem, & de bonis earumdem diſpoſuit per hæc formalia verba videlicet: *Nos enim ea diſpoſitioni Sed. Apoſtol. reſervamus in Terræ Sanctæ ſubſidium, vel pauperum, vel alios pios uſus per locorum Ordinar. vel eos, quibus Sedes ipſa commiſerit, convertenda*: ut habetur *in d. c. un. §. Confirmatos de rel. dom. lib. 6.* Quocirca dubitare in hoc de poteſtate Papæ inſtar ſacrilegii obtinet, *l. 2. C. de crim. ſacr. §. Qui autem, poſt c. Si quis ſuadente 17. q. 4.* Gemin. *d. conſ. 3. in princ.* & nihilominus ad abundantiorem cautelam in Bulla fuit appoſita ſequens clauſula præſervativa jurium, videlicet: *Salvis etiam juribus, quæ fundatoribus Conventuum ſuppreſſorum, vel aliis ex ſacrorum Canonum præſcripto, vel ex privilegio Apoſtolico quomodolibet competunt.*

Supereſt nunc, ut referamus hiſtoriam ſuppreſſionis par- 41
vorum Conventuum, quę ſic ſe habet. Cùm fel. record. In-
nocentius Papa X. anno 1649. menſe Martii inſtituiſſet 42
Congregationem nonnullorum S. R. E. Cardinalium, &
Romanæ Curiæ Prælatorum ſuper ſtatu, ſeu reformatio-
ne Regularium: primum omnium in ea deliberatum eſt de 43
præfigendo in ſingulis Monaſteriis numero tot perſonarum, quot ex illorum redditibus abſque penuria ſuſtentari poſſent ad præſcriptum Concilii Arelatenſis *c. 8.* relati *in*
cap.

cap.1. ſuprà de inſtitut. Concil. Trident. *ſeſſ.25. de Regular. cap.3.* & Conſtitutionum Apoſtolicarum. Atque ab omnibus unanimiter in eam ſententiam itum eſt, ut fiat Conſtitutio, qua injungatur Superioribus tam Generalibus, quàm Provincialibus, & localibus quarumcumque Religionum, ut infrà terminum quatuor menſium tranſmittant ſtatum temporalem ſingulorum Monaſteriorum exiſtentiū intra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium ad Procuratorē generalem ſuæ religionis in urbe cōmorantem, qui unà cùm aliis religioſis ad hoc deputandis præfigat in uno quoque Monaſterio eum tantùm numerum, qui ex redditibus propriis, vel conſuetis eleemoſynis congruè poſſit ſuſtentari, eaſque præfixionis infra alios quatuor menſes unà cum ſtatu cujuſque Monaſterii memoratæ Congregationi conſignet; & interim interdicatur iiſdem Superioribus, ne quemquam ad habitum, vel profeſſionem admittant ſub nullitate actus, & excommunicatione latæ ſententię, donec præfixiones ut ſupra exhibitæ fuerint, & ipſi licentiam recipiendi Novitios ab eadem Congregatione obtinuerint. Itaque mandatum eſt mihi, ut minutam Conſtitutionis conficerem, quæ poſteà per manus Cardinalium, ac Prælatorum delata, & à Sanctitate ſua appprobata, tandem edita fuit in hunc, qui ſequitur, tenorem.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

44 INter cætera, quæ ad Regularem diſciplinam inſtaurandam, conſervandamque Sacroſancta Tridentina Synodus ſalubriter decrevit, illud ſemper præcipuum, & maximi momenti habitum eſt, quo injungitur, ut in ſingulis Monaſteriis, & domibus Regularibus is tantùm numerus conſtituatur, & in poſterum conſervetur, qui vel redditibus propriis Monaſteriorum, vel conſuetis eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari. Quapropter ad ejus uſum inducendum fel. rec. Clemens VIII. Paulus V. & Urbanus VIII. Romani Pontifices, Prædeceſſores noſtri, varia decreta ediderunt; ſed quia nihilominùs, ſive ob injuriam temporum, ſive ob Superiorum incuriam, ſive alias ob cauſas illius, executio hucuſque protracta eſt non ſine gravi Monaſteriorum in ſpiritualibus, & temporalibus detrimento, ac religionum jactura: idcircò Nos nequaquam ingorantes, quantum ex Monaſteriis piè inſtitutis, & rectè adminiſtratis in Eccleſia Dei ſplendoris, atque utilitatis oriatur, quantumque dignitati, & commodo Eccleſiaſtici Ordinis detrahat multitudo Religioſorum, quæ ſine delectu ſupra vires Monaſteriorum in Religiones invehitur, ac proindè arbitrati valdè acceptum Deo, ſacriſque Religionibus proficuū fore, ut Decretum tam ſalubre debitæ executioni demandetur: De conſilio nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, ac Dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine tenore præſentium præcipimus, & mandamus omnibus, & ſingulis dilectis filiis Generalibus Commiſſariis, Præſidentibus, Provincialibus, Miniſtris, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Præfectis, Rectoribus, Guardianis, Correctoribus, Vicariis, & quibuſcumque aliis Superioribus Monaſteriorū, Conventuum, Collegiorum, ac Domorum quorumcumque Monachorum, ac Regularium virorum bona immobilia poſſidentium, vel non poſſidentium, cujuſcumque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium Cōgregationis, Societatis, & Inſtituti etiam neceſſariò, & in individuo exprimendi exiſtentium intra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium, ut ſinguli, ad quos pertinet adhibitis duobus, vel tribus Regularibus ſui Ordinis probatioribus, ac rerum uſu peritioribus, bona immobilia, cenſus, redditus, ac proventus omnes Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, ac Domorum Regularium hujuſmodi (etiamſi ſint hoſpitia, vel ab alio Monaſterio dependeant, ſintve illius Granciæ, ſeu membra) ſex annorum immediatè præcedentium habita ratione, ac detracto omni eo quod grandines, ſterilitates reparationes, & alii caſus hujuſmodi abſorbere ſolent, conſuetas item eleemoſynas, & obventiones, item victus, veſtitus, ac medicinalium, & alias quaſcumque tam ordinarias, quàm extraordinarias expenſas, æris quoque alieni, nec non Miſſarum celebrandarum, Fabricę, Sacriſtiæ, annuarum præſtationum, contributionum, ac procurationum, aliave ejuſvis generis onera diligenter, ac maturè recognoſcant, eaque omnia in ſcripturam redigant, exprimentes illius Monaſterii titulum, ſeu denominationem, item capacitatem, ac ſituationem, videlicet in qua diœceſi, & an intra mœnia civitatis, vel oppidi, anve in pagis, ſeu villis, vel in ſilvis, aut nemoribus, & quantum diſtet à locis frequentibus, & populoſis, item à quo tempore fundatum fuerit, quave auctoritate, & cujus ſumptibus, anve, & à quo numerus Religioſorum in eo fuerit aliàs præfixus, & quot ibi Religioſi, & ſervientes in præſenti degant, ſpecificatis uniuſcujuſque nomine, cognomine, & patria; ſcripturamque ſic confectam propria manu ſubſcribant, medio juramento atteſtantes vera eſſe omnia, quæ in ea continentur, conſuetoque ſigillo obſignatam infra quatuor menſes à publicatione præſentiū in hac Alma Urbe noſtra ut infra dicenda cōputandos tranſmittant, ſeu conſignent Procuratori Generali ſui Ordinis in Urbe commoranti, qui unà cum aliquibus gravioribus Religioſis à Congregatione prędictorum Cardinalium, & Prælatorum ad hoc ſpecialiter deputandis, negotio maturè perpenſo ac computatis hujuſmodi redditibus eleemoſynis, & obventionibus univerſis, atque oneribus ut ſupra detractis, ſedulò examinent, quot Religioſi homines, connumeratis etiam Laicis, aliiſque neceſſariis ſervientibus, in unoquoque Monaſterio, Conventu, Collegio, & Domo Regulari, quamvis (ut præmittitur, ſit hoſpitium, ſeu alterius Monaſterii membrum) juxta proprii Inſtituti morem, victum, & veſtitum, ac medicinalia in communi habentes, cōmodè valeant ſuſtentari; omnibuſque diligenter diſcuſſis, familiæ cujuſque Monaſterii, Conventus, Collegii, ac Domus Regularis hujuſmodi in qualibet Provincia, vel Congregatione, certum earum tantum perſonarum numerum præfigat, quæ redditibus, eleemoſynis, & obventionibus ut ſupra competētet ali poſſint, eaſque numeri præfixiones unà cū originalibus ſcripturis ſuper ſtatu cujuſque Monaſterii, ac domus Regularis à Superioribus, ut præfertur, confectis, infra alios quatuor menſes eidem Congregationi Cardinalium, ac Prælatorum exhibeat, ut ab ea recognoſcantur & approbentur. Quòd ſi memorati Superiores, ac Procurator Ordinis intra præfixū terminum prędicta adimplere neglexerint, privationis vocis activæ, & paſſivæ, nec non officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, & inhabilitatis ad illa, vel alia in poſterum obtinenda perpetuam pœnam eo ipſo abſque illa declaratione incurrant, rehabilitatione Nobis, & Sedi Apoſtolicæ reſervata. Intereà verò prohibemus, & interdicimus omnibus, & ſingulis Capitulis, & Cōgregationibus Generalibus, Provincialibus, & Conventualibus, necnon Superioribus tam Generalibus, quàm Provincialibus & localibus antedictis, ne deinceps quemquam ad habitum ſuæ religionis recipiāt, nec jam receptos, aut in poſterum contra hujuſmodi prohibitionem forſan recipiendos ad profeſſionem admittant, donec ſcripturę prædictę, ac præfixiones numeri familię cujuſque Monaſterii, ac domus Regularis hujuſmodi, eidem Congregationi Cardinalium, & Prælatorum realiter, & cum effectu fuerint exhibitæ, ac deindè memorati Superiores licentiam recipiendi ad habitum, & profeſſionem ab eadem Congregatione obtinuerint. Alioquin receptiones tam ad habitum, quàm ad profeſſionem aliter factæ, ſint ipſo jure nullæ, nullamque inducant obligationem ad religionem in ſpecie, vel in genere, aut ad alios quoſcumque effectus. Et nihilominùs contravenientes ſententiam excommunicationis incurrant, à qua per alium, quam per Nos, & Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, niſi in mortis articulo conſtituti abſolvi nō poſſint. Non obſtantibus quoad præmiſſa omnia, & ſingula Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum tam mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Societatum, & cujuſvis alterius Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, & Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcumque, necnon illorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, vel conſuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis etiam ex cauſa, & titulo oneroſo, vel in limine fundationis, etiam in Mari Magno, ſeu Bulla aurea, aut aliter nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritandibus decretis etiā motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam

ad

ad Imperatoris, Regum, ſeu aliorum principum inſtantiam, aut alias quomodolibet etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis quoad ea, quæ præſentibus quomodolibet adverſantur, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus & formis ſpecialis, & individua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut quævis alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi ac ſi de verbo ad verbum nihil penitùs omiſſo; & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quòd præſentes literæ in valvis Eccleſiæ Lateran. & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in Acie Campi Floræ de eadem Urbe publicentur, & affigantur; quæ poſtquam ſic affixæ, & publicatæ fuerint, omnes ſingulos, quos illæ concernunt, perindè arctent & afficiant, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent. Quòdque earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 17. Decembris 1649. Pontificatus, Noſtri Anno ſexto.

Anno à Nativitate D.N. Jeſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo nono, Indictione ſecunda, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N.D. Innocentii Divina providentia Papæ X. anno ſexto, die verò 22. menſis Decembris ſupradictæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Eccleſiæ Lateranen. & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in Acie Campi Floræ per nos Joannem Garziam, & Jacobum Corneliumprælibati Sanctiſſimi D. N. Papæ Curſores.

45 Conſtitutione publicata, ad faciliorem illius executionem confecta eſt formula typis excuſa, & ad Superiores cujuſque Monaſterii tranſmiſſa, in qua Italico idiomate tamquam in tabula monſtratum eſt, quo ordine, quave ratione deſcribendus ſit cujuſque Monaſterii ſtatus.

Porrò infra terminum octo menſium in prædicta Conſtitutione præfixum Regulares omnes cujuſque Ordinis, Congregationis Societatis, & inſtituti ea, qua decet, obedientia paruerunt: nam ex omnibus Italiæ Provinciis, & adjacentium Inſularum exhibitæ fuerunt ſupraſcriptæ originales ſtatum ſingulorum Monaſteriorum continentes, ſubſcriptæ, ac juramento firmatæ unà cum ſummario redditum & expenſarum, ac præfixione familiæ uniuſcujuſque Monaſterii.

Poſthæc Prælati ipſius Congregationis deſignati ponentes religionum plenè retulerunt illarum ſtatum in genere, & ſingulorum Monaſteriorum in ſpecie, juxta methodum per manus delatam.

46 Cùm verò ex hujuſmodi relationibus compertum eſſet multas religiones conſtare ex quampluribus Conventibus, in quibus ob redditum tenuitatem actu non alebantur, nec ali poterant tot religioſi, quot ſufficerent ad obſervantiam regularis diſciplinæ: idcircò in pluribus ſeſſionibus maturè deliberatum fuit de illorum ſuppreſſione, ac redditum applicatione: & facta Sanctiſſimo relatione, Sanctitas ſua probavit Congregationis ſententiam, meque ipſius Cōgregationis Secretarium deputavit die 22. Julii 1652. Itaque pro rei magnitudine tranſmiſi per manus Cardinalium, ac Prælatorum diſtinctis vicibus dubia ſupra ſexaginta, quæ in Congregationibus habitis de mandato Sanctiſſimi per ſingulas hebdomadas fuerunt accuratè diſcuſſa, ex quorum reſolutionibus conflata eſt materia pro compilanda Bulla deſuper edenda. Et cùm nobis ſimiliter demandata eſſet provincia conficiendi illius minutam, tandem Deo adjuvante opus perfecimus, eamque detulimus ad Sanctiſſimū, qui illam propriis manibus excepit, dixitque ſe velle attentiùs eam conſiderare, & poſt paucos dies in audientia inveni Sanctitatem ſuā habere in manibus ipſam minutam, quam me præſente, clara & intelligibili voce de verbo ad verbum perlegit, ac per ſingulas partes expendit, & aliquibus mira prudentia ac providentia adnotatis, eam mihi reſtituit, & nihilominiùs per manus iterùm deferri, & in plena Congregatione diſcuti, & examinari mandavit. Quare minuta fuit in Congregatione cunctis audientibus perlecta, & unanimi conſenſu appprobata, moxque Sanctitatis ſuæ juſſu confecta fuit Bulla, ac ſub plumbo expedicta, & in Archivio Arcis S. Angeli repoſita, ſtatimque typis excuſa, & locis publicis affixa, cujus tenor talis eſt.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.
Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

INſtaurandæ regularis diſciplinæ opus multis laboribus ac 47
vigiliis à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris jam pridem aſſumptum, nobis in dies magis magiſque cogitantibus cur ad optatum finem hucuſque perduci non potuerit, totque ſaluberrima decreta, & ordinationes ferè
in irritum ceciderint: illa tandem præcipua ſeſe obtulit 48
originis cauſa, quòd religione quamplures ex parvis Conventibus ac domibus magna ex parte conſtantur, in quibus ſive ob redditum, & eleemoſynarum tenuitatem, ſive ob aeris intemperiem, ſive aliam ob cauſam non aluntur, nec ali poſſunt tot religioſi, quot ad peragendum ritè divinum cultum & regularia munia ex cujuſque Ordinis præſcripto ſunt neceſſarii: etenim in tam exiguo numero ibi degentes nec divinum officium nocturnum pariter & diurnum in Choro celebrare, nec orationi mentali, ac ſpiritualibus collationibus & exercitiis, ac ſtudiis in communi vacare, nec ſilentiū, clauſuram, vitam communem; cæteraſque inſtitutiones ſervare poſſunt, quę ad tria principalia vota ordinantur, & ſine quibus conſiſtere vix poſſunt regularis vitæ baſes & fundamenta. Quamobrem otio immerſi nullum religioſæ vitæ ſpecimen præſeferunt, ſoli incedunt per Urbes & loca, cum ſæcularibus vagantur, ac mundanis negotiis ſe involvunt. Indeque fit, ut ibi collocari renuant religioſi probatæ vitæ, ac diſciplinæ, & Superiores cogantur illic familiam conſtituere ex fratribus vitæ laxioris, qui loci licentia pejores fiunt; & ſi quando ad cœnobia, ſeu monaſteria regularis obſervantiæ revocantur, à cluſtro quaſi à ſqualore carceris abhorrentes vix adduci poſſunt, ut communem ſervent in moribus diſciplinam, atque aliorum inſtitutionibus ſe conforment, quin potiùs cæteros avertunt, vel certè reddunt ſuo exemplo ſegniores: unde relaxationes derivantur in Ordines, & ſenſim invaleſcunt in ipſarum religionum dedecus & ruinam. Præterea (quod dolentes referimus) ad hujuſmodi Conventus, præſertim in locis infrequentibus, ſolitariis, tamquam ad aſylum facinoroſi homines, & Curiæ contumaces, vel proſcripti in dies confugiunt, ibique loci immunitate freti turpiter & diſſolutè viventes atque inde in tempore exeuntes graviora perpetrant flagitia cum maximo populi ſcandalo. Cumque Conventus, ſive loca parva hujuſmodi in effrænatam quaſi excreverint multitudinem, hinc licet omnibus intelligere quæcumque reformationis remedia caſſa fore & irrita, quamdiù non fuerint à religionibus abſciſſa. Quæ poteſt enim ſpes eſſe corpus languidum & infirmum ad ſalutem reducendi, ſi magna illius pars eſt curationis incapax; quin potiùs reliquam partem inficit, atque contaminat? Hæc quippe ſunt zizania, quæ cùm jam creverint uſque ad meſſem, ſunt in faſciculos alliganda, & à religionum tritico ſeparanda. Hæ ſunt vulpes parvulæ, quæ demoliuntur vineas. Hoc eſt fermentum, quod totam maſſam corrumpit. Quæ omnia, atque alia plura pro paſtorali noſtra ſolicitudine, diù, multumque animo revolventes, ut ſacræ religiones in multitudinem latius incremento fęcunditatis per univerſam Eccleſiam diffuſæ à vepribus, & ſpinis emundatæ uberes germinent fructus: Nos etiam ab ipſiſmet religionum Superioribus reformationem zelantibus crebris precibus interpellati, & frequentibus populorum quærimoniis permoti, ſalutare
remedium adhibere conſulta ordinatione decrevimus. Ita- 49
que de voto Congregionis aliquorum venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum ſuper ſtatu Regularium à Nobis deputatæ, cui hoc negotium ſedulò, ac maturè examinandum commiſſimus, motu proprio, certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſta-
tis

tis plenitudine omnes, & ſingulos Conventus quorumcumque Monachorum, ac Regularium virorum bona immobilia poſſidentium, vel non poſſidentium, cujuſcumque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & cujuſvis alterius inſtituti, etiam Societatis Jeſu, etiamſi illis animarum cura perſonarum ſæcularium incumbat, ſintve hoſpitia, vel Granciæ, ſeu alterius Monaſterii membra exiſtentes intra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium, in litteris ab eadem Congregatione propediem expediendis nominatim exprimendos, in quibus ob parvum numerum Religioſorum regularis diſciplina juxta peculiaria cujuſque Ordinis inſtituta ſervari non poteſt, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò extinguimus, ſupprimimus, & abolemus, unà cum omnibus eorum dignitatibus, officiis, ac miniſteriis, illoſque ab omni proprietate, dominio, ſuperioritate, juriſdictione, ac alio quocumque jure regularium eximimus, & totaliter liberamus, omnemque conventualitatem, titulum, eſſentiam, ac denominationem regularem in eis penitùs extin-
50 guentes, illos ad ſtatum ſæcularem reducimus. Reſervata tamen ipſi Congregationi facultate conſervandi Religionibus aliquem ex Conventibus expreſſis in memoratis litte-
51 ris, ſi hoc ex aliqua rationabili cauſa expedire judicaverit: ſalvis etiam juribus, quæ fundatoribus Conventuum ſic ſuppreſſorum, vel aliis ex ſacrorum Canonum præſcripto, vel ex privilegio Apoſtolico quomodolibet competunt. Quocirca dilectis filiis quorumcumque Regularium Superioribus tam Generalibus, quàm Provincialibus, & localibus, quocumque nomine, ac titulo nuncupentur, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipimus, & mandamus, ut ſinguli ad quos pertinent, infra terminum ſex menſium inchoandum à die præſentationis litterarum à prædicta Congregatione, ut præmittitur, expediendarum faciendæ in Romana Curia Procuratori Generali cujuſque Ordinis, vel Congregationis, aut Societatis, dimittant realiter, & cum effectu coram Ordinariis locorum ſub teſtimonio publico eidem Congregationi per eoſdem Superiores Regulares exhibendo poſſeſſionem corporalem Conventuum in eiſdem
52 litteris expreſſorum; & reſervata eis facultate ſecum aſportandi profanam tantùm, non autem ſacram ſupellectilem,
53 religioſos inde amoveant, atque in aliis Monaſteriis ejuſdem Ordinis, vel Congregationis, aut Societatis collocent: alioquin pœnas privationis vocis activæ, & paſſivæ, necnon dignitatem, & officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, & perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia impoſterum obti-
54 nenda, ipſo facto abſque alia declaratione incurrant. Eoque termino elapſo, non liceat Regularibus in Eccleſiis dictorum Conventuum Miſſas, & divina officia celebrare, confeſſiones ſacramentales audire, vel alia ſacramenta adminiſtrare, ac functiones Parochiales exercere, aut verbum Dei prædicare, vel mortuos ſepelire; quod ſi ſecus egerint, eo ip-
55 ſo Eccleſiæ remaneant ſuppoſitæ Eccleſiaſtico interdicto. Et nihilominus locorum Ordinarii, ubi per litteras ipſius Congregationis fuerint requiſiti, Religioſos rebelles, & refractarios à prædictis Conventibus ejiciant, etiam invocato, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio: & exindè Eccleſiarum, domorum, bonorumque omnium ad Conventus ſic ſuppreſſos quomodolibet pertinentium regimen, curam, cuſtodiam, & adminiſtrationem ſuſcipiant, curentque, ut ex eorum redditibus, & proventibus univerſis in primis, &
56 ante omnia impleantur onera Miſſarum tam hucuſque non celebratarum, quàm in poſterum celebrandarum, & alia quæcumque ex lege fundationis, aut largitione fideliũ, vel aliàs quomodolibet eis incumbentia, quibus nullo modo derogare intendimus; & cura animarum, ſi qua illis immineat, per Presbyteros ſæculares idoneos ab ipſis Ordinariis approbandos laudabiliter exerceatur. Eccleſiæque debi-
57 to non fraudentur ſervitio. Cæterùm intendentes de prædictis bonis, quotquot ſuperfuerint, oneribus ut ſupra detractis, ſalubriter providere, earumdem tenore præſentium bona hujuſmodi applicamus, & applicata eſſe decernimus, & declaramus piis uſibus in eiiſdemmet locis, ubi ſiti ſunt Conventus, iiſque non indigentibus, in aliis locis ejuſdem diœceſis juxta deſignationem, & partitionem, quam eadem Congregatio ſingulorum Epiſcoporum cum ſuis Capitulis, ſententia priùs audita, & plena totius negotii relatione habita de mandato noſtro faciet in ſuis litteris ad eoſdem Epiſcopos ſcribendis, & in Cancellaria Epiſcopali regiſtran-
58 dis ad perpetuam rei memoriam. Verùm quia parum eſt mala præcidere, niſi etiam malorum cauſa, & radix evellatur, Conſtitutiones fel. record. Bonifacii VIII. quæ incipit *Cum ex eo*, necnon Clementis VIII incipien. *Quoniam ad inſtitutam*, aliorumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum ſuper erectione novorum Conventuũ editas earumdem tenores innovantes, illiſque addentes, hoc perpetuò prohibemus edicto, ne deinceps aliquis Regularium Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & cujuſvis alterius inſtituti, etiam Societatis Jeſu, in aliqua civitate, caſtro, villa, ſeu loco ad habitandum domos, vel loca quæcumque de novo recipere, ſeu Monaſteria, Conventus, vel Collegia incipere, vel fundare præſumat abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali plenâ, & expreſſam faciente de prohibitione hujuſmodi mentionem in ſcriptis, & gratis concedenda prævia examinatione Cõgregationis negotiis Epiſcoporum, ac Regularium præpoſitæ; ſi ſecus egerint, eo ipſo incurrant pœnas privationis, & inhabilitatis, ut ſupra inflictas: & nihilominus receptiones, fundationes, & erectiones ſint ipſo jure nullæ, & invalidæ; & domos, ac loca ipſa, & perſonæ in eis degentes omnimodæ juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Ordinarii loci plenè in omnibus ſubjaceant. Intendimus autẽ in præmiſſis etiam ultra Italiam, & Inſulas adjacentes, prout expedire viderimus, providere. Decernentes præſentes litteras etiam ex eo, quòd Superiores Regulares, & cæteri quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, & auditi fuerint, nullo unquam tempore de ſubreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, ac ſubſtantiali, ſive etiam ex eo, quòd in præ- 59
miſſis, ſeu eorum aliquo ſolemnitates, & quævis alia ſervanda, & adimplenda, ſervata, & adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite à jure, vel facto, aut ſtatuto, vel conſuetudine aliqua reſultante, ſeu etiam enormis, enormiſſimæ & totalis læſionis, aut quocumque alio colore etiam in corpore juris clauſo, ſeu occaſione, vel cauſa, quantumvis juſta, rationabili & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmiſſorum neceſſariò exprimenda foret, aut quòd de voluntate noſtra hujuſmodi, & aliis ſuperiùs expreſſis, ſeu relatis nihil ullibi appareret, ſeu aliter probari poſſet, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adverſus illas reſtitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, facti, gratiæ, vel juſtitiæ remedium impetrari, ſeu quomodolibet conceſſo, & impetrato quempiam uti, ſeu ſe juvare in judicio, vel extra poſſe, neque ipſas præſentes ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi; ſed ſemper ab illis exceptas, perpetuòque validas, firmas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac per omnes & ſingulos ad quos ſpectat, & quomodolibet ſpectabit in futurum, inviolabiliter obſervari: ſicque, & non aliter in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Sacri Palatii Apoſtolici Auditores, necnon S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos & Nuncios, ac alios quavis auctoritate, & poteſtate fungentes nunc, & pro tempore exiſtentes in quavis cauſa, & inſtantia, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & diffiniri debere; irritum quoque, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non ob- 60
ſtantibus quatenus opus ſit, regula noſtra de nõ tollendo jure quæſito, aliiſque Cancellariæ Apoſtolicæ regulis cæteriſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis etiam in Conciliis generalibus editis etiam ſpecialiter in favorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Societatum, & cujuſvis alterius inſtituti, etiam Societatis Jeſu, & Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, domorum, ac locorum regularium quorumcumque, necnon illorum roboratis ſtatutis, vel conſuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis & privilegiis etiam ex cauſa, & titulo oneroſo, vel in limine fundationis, & in Mari magno, ſeu Bulla aurea, aut aliter nuncupatis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, & cum

qui-

quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, & quorumvis aliorum Principum, & perſonarum quacumque Eccleſiaſtica, vel ſæculari dignitate fulgentium, ſeu eorum intuitu, & contemplatione, ac etiam conſiſtorialiter, & alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis quoad ea, quæ præſentibus quomodolibet adverſantur, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecailis, individua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut quævis exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitùs omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore premanſuris, motu, ſcientia, deliberatione, ac poteſtatis plentiudine paribus ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quòd præſentes litteræ in valvis Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in Acie Campi Floræ de eadem Urbe publicentur, & affigantur, quæ poſtquam affixæ, & publicatæ fuerint, omnes & ſingulos, quos illæ concernunt, perindè arctent, & afficiant, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent. Quòdque earumdem præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibns adhiberentur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ ordinationis, extinctionis, ſuppreſſionis, abolitionis, exemptionis, liberationis, redutionis, præcepti, mandati, intentionis, reſervationis, applicationis, declarationis, prohibitionis, derogationis, ac voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcèteſimo quinquageſimo ſecundo, Idibus Octobris, Pontificatus Noſtri Anno nono.

Hi. Datarius,

Regiſtrata in Secretaria Brevium.
Viſa de Curia N. Humbertus.

G. Gualterius.

G. Bailly.

Anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti 1652. *Inditione quinta, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Innocentii Divina providentia Papæ X. anno ejus nono, die vero 2 . menſi Octobris ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit in Eccleſiæ Lateranen. ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ valvis, ac in Acie Campi Floræ, & aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Hieronymum Maſcellam Sanctiſſimi D. N. Papæ Curſores.*

Pro Mag. Curſ. Laurentius Barbigionus.

61 His abſolutis, quoniam in ſupraſcripta Bulla, §. *Intendimus autem*, Papa declarat eſſe ſuæ intentionis etiam ultra Italiam opportunè providere: data fuit notitia totius rei geſtæ Nuntiis Apoſtolicis etiam ultra Montes, & Nuncius Colloniæ reſcripſit Germaniam in hoc invidere felicitati Italiæ: & Epiſcopi Poloniæ ſupplicarunt pro extenſione Bullę ad illas diœceſes, ut in litteris Archiepiſcopi Gneſnenſis Regni Poloniæ Primatis ad Innocentium X. infraſcripti tenoris, videlicet.

(*Sanctiſſime, ac Beatiſſime Pater D. D. Clementiſſime.* Poſt oſcula Beatiſſimorum Sanctitatis Veſtræ pedum. Et ſedium æternarum aſſiſtrix Sapientia, & digitus Dei adfuit planè Sanctitati Veſtræ, quando Conſtitutionem de parvis Regularium Conventibus tot ſæculorum molimine in Eccleſia Dei agitatam Sanctitas Veſtra non reſtituebat modò, aut condebat rectiùs ſed in rem, effectumque ipſum duratura jam ſemper deduxit firmitate. Traſmiſſum mandato Sanctitatis Veſtræ ad me exemplum ſingulari excepti lætitia, gratulorque temporibus, ac fortunato omninò Sanctitatis Veſtrę regimini non conceſſam hanc retroactis ſęculis felicitatem, quòd ad intimam rectè conſtituendæ domus Dei radicem Cœleſtis Paterfamilias Beatam Sanctitatis Veſtræ manum feliciter, efficaciterque admoverit. Neque enim in ſolas Religionum familias, eru nque diſciplinam, ſed prava exemplorum contagione, malarumque connexione cauſarum in aliqua Eccleſiæ membra è Conventibus hiſce exiguis maxima latè manare videbamus incommoda, itaut nec Religioſi ipſi, qui Conventus hoſce tuebantur, inficiari ſe id poſſe faterentur. Perſuaſum proindè, certumque habeat Sanctitas Veſtra univerſam Regni hujus Eccleſiam obviis ulnis laudabilem hanc Conſtitutionem excepturam, cujus quanto pridem deſiderio univerſi teneremur, ex Conſtitutionibus Provinciæ hujus Synodalibus, & ex illuſtri Matthæo Joanne Judiki Canonico Gneſnenſi iſtic commorante poterit cognoſcere Sanctitas Veſtra, cui ulteriorem, & quam maximè diuturnam in Eccleſia Dei gubernanda felicitatem à Patre luminum, omniſque boni fonte cum iterato pedum Sanctitatis Veſtræ oſculo humillimè exopto, & apprecor. Datum Lubaviæ die 5. Menſis Januarii 1653. Sanctitatis Veſtræ indignus Servus, Andreas de Leſino Epiſcopus Culmen. & Pomen. Cancellarius R. Archiepiſcopi Geneſnen.)

Verùm Sanctitas Sua ſatius duxit tantiſper ſuperſedere, donec negotium ſuppreſſionis in Italia eſſet omninò abſolutum, & conſummatum.

Itaque biduo poſt publicationem Bullæ S. Congregatio 62
dedit litteras ad ſingulos Priores Generales Religionum in Curia exiſtentes, in quibus nominatim expreſſit parvos Cōventus in illa Religione ſuppreſſos, ut ſic ſatisfieret illis verbis Bullæ: In litteris ab eadem Congregatione propediem expediendis nominatim exprimendos. Et ſubinde die 10. Decembris ejuſdem Anni 1652. ſcripſit literas circulares cum inſertione Bullæ impreſſæ ad unumquemque Epiſcopū in Italia, & Inſulis adjacentibus, in quibus primùm expreſſit itidem nomina Conventuum ſuppreſſorum in illa diœceſi, ac deindè ipſi Epiſcopo commiſit, ut una cum Capitulo ſuæ Cathedrali ad præſcriptum Bullæ referret, quibus piis uſibus exiſtimaret eſſe applicanda bona cujuſque Conventus ſuppreſſi, præcipuamque rationem heberet tenuitatis Parochialium, deputationis Coadjutorum pro cura animarum, & Capellanorum pro Miſſis celebrandis, item manutentionis Seminarii, Hoſpitalium Monaſteriorum Monialium, & conſimilium.

Has autē relationes ab Epiſcopo, & Capitulo ſubſcriptas, 63
obſignataſque ad Sacram Congregationem tráſmiſſas, atque ubi oportuit emendatas, Sanctitas Sua ad ſe relatas approbavit, executionique mandari, & in Cancellaria Epiſcopali regiſtrari præcepit, moxque Decreta hæc applicationis, ac partitionis bonorum unà cum litteris ipſius Congregationis ad ſingulos Epiſcopos tranſmiſſa fuerunt: & ſic pariter ſatisfactum fuit verbis Bullæ, ibi: (Bona hujuſmodi applicamus, & applicata eſſe decernimus, & declaramus piis uſibus in iiſdemmet locis, ubi ſiti ſunt Conventus, iiſque non indigentibus, in aliis locis ejuſdem diœceſis juxta deſignationē, & partitionem, quàm eadem Congregatio ſingulorum Epiſcoporum cum ſuis capitulis ſententia priùs audita, & plenè totius negotii relatione habita de mandato noſtro faciet in ſuis litteris ad eoſdem Epiſcopos ſcribendis, &c.)

Quia verò in dicta Bulla, *inſtaurandæ*, comprehenduntur 64
non modò parvi Coventus, ſed etiam Granciæ, ſeu alterius Monaſterii membra, licèt curam animarum habeant annexam: idcircò de mandato Sanctitatis Suæ datæ fuerunt litteræ tum ad Priores Generales cujuſque Religionis in Cu- 65
ria exiſtentes, tum ad ſingulos Epiſcopos in Italia, & Inſulis adjacentibus, in quibus nominatim exprimuntur hujuſmodi Granciæ, & membra, & mandatur Epiſcopis; ut Regulares Sacerdotes in eis habitare non permittant, ſed pro cuſtodia, & adminiſtratione bonorū deficientibus perſonis ſæcularibus idoneis, ſinàt Regulares uti opera ſuorum Con- 66
verſorum, cum hoc tamen, ut in earum Capellis Miſſæ

juxta

juxtà ſolitum celebrentur ſaltem diebus feſtis per Sacerdotes ſæculares, aut etiam per Regulares, qui tamen in eis non pernoctent. In Curatis verò, ſeu Parochialibus non
67 permittant curam animarum exerceri per Regulares, ſed ad id deputent Sacerdotes ſæculares idoneos in Vicarios perpetuos, vel amovibiles, à Superioribus Regularibus nominandos, cum congrua fructuum portione ipſius Epiſcopi arbitrio aſſignanda ad præſcriptum S. Concilii Tridentini
68 *cap. 7. ſeſſ. 7.* & reliqua ipſarum granciarum, ſeu parochialium bona monaſteriis principalibus dimittant. Et in hac diſpoſitione granciarum, & parochialium Sanctitas Sua declaravit comprehendi etiam Canonicos Regulares Lateranenſes, quos noluit extra clauſtra degere pro cura animarum exercenda, non obſtante diſpoſitione *c. Quod Dei timorem de ſtat. Monach.* & in hanc ſententiam ſcriptæ fuerunt litteræ ad complures Epiſcopos.

69 Quoniam verò in eadem Bulla *Inſtaurandæ*, ſub gravibus pœnis præcipitur Superioribus Regularibus, ut infra terminum ſex menſium inchoandum à die præſentationis litterarum ſuppreſſionis Conventuum dimittant illorum poſſeſſionem corporalem realiter, & cum effectu coram Ordinariis locorum ſub teſtimonio publico, & nihilominus reſervatur ipſi Congregationi facultas conſervandi Religionibus aliquem ex Conventibus expreſſis in memoratis litteris, ſi hoc ex aliqua rationabili cauſa expedire judicaverit: propterea infra terminum ſic præfixum Superiores Religionum ferè omnium ſupplicarunt Sanctiſſimo pro conſervatione, ſeu reſtitutione plurimorum Conventuum, & ex illis Sanctitas ſua multos reduxit ad primævum ſtatum regularem, ac Religionibus reſtituit, quos ſcilicet ex publicis documentis, & Epiſcoporum atteſtationibus cognovit habere ſufficientes redditus pro alendis Religioſis in numero competenti, & populis eſſe valdè utiles in Miſſis, & Divinis officiis celebrandis, & Confeſſionibus audiendis, & præſertim in locis, ubi non ſunt alii Regularium Conventus.

Præterea cùm Superiores Regulares de jure facultatem non habeant uniendi Eccleſias etiam ſibi pleno jure ſubjectas, ut poſt Innocen. & Abb. Antiq. *in c. Sicut unire, de exceſſ. Prælat.* notat gloſſ. *in Clem. Ne in agro*, §. *Ad hæc in ver. Ordinarios de ſtat. Monach.* quando accidit caſus, ut in eadem civitate, vel oppido ſuppreſſi fuerint duo parvi conventus ejuſdem religionis, ad ſupplicationem Regularium, Sanctitas Sua univit minorem Conventum cum omnibus ejus bonis Conventui majori: ſed tamen juſſit vendi domum conventus uniti infra terminum ſex menſium, & pretium inde redactum inveſtiri in tot bonis ſtabilibus ad utilitatem alterius conventus, ut ſic Fratribus adimeretur occaſio redeundi ad conventum minorem, ibique minùs religioſè vivendi cum dedecore ſui Ordinis.

Rurſus quia interdum accidit caſus, ut una Religio, puta S. Dominici, haberet conventum in aliquo loco, in quo alia Religio, puta S. Auguſtini, habebat Conventum ſuppreſſum, & è converſo Religio S. Auguſtini haberet Conventum in alio loco, in quo Religio S. Dominici ſimiliter habebat conventum ſuppreſſum: oblata fuit Superioribus facultas faciendi inter ſe reciprocas uniones, & permutationes dictorum conventuum, itaut Conventus S. Auguſtini ſuppreſſus uniretur conventui S. Dominici ejuſdem loci, & viceverſa Conventus ſuppreſſus S. Dominici uniretur Conventui S. Auguſtini alterius loci. Sed tamen ſive ob anguſtiam temporis, ſive ob diverſitatem diœceſium, & provinciarum, ſive ob raritatem dictorum caſuum, ſive ob inæqualitatem permutationum, vel aliam ob cauſam, Religiones in his non convenerunt, & negotium evanuit.

70 Porrò ut in illis Conventibus, qui ut ſupra religionibus fuerint reſtituti, & in aliis non habentibus numerum ſex Religioſorum vivatur cum debita obſervantia, Sanctitas Sua ſubjecit illos omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati, ut in Decreto, cujus tenor eſt infraſcriptus, videlicet.

71 (Ut in parvis Regularium virorum Conventibus à Sanctiſſ. D. N. Innocentio PP. X in Conſtitutione, quæ incipit *Inſtaurandæ*, primùm ſuppreſſis, ac deinde ad ipſius Conſtitutionis limites ob rationabiles cauſas in priſtinum ſtatum regularem reſtitutis, & ipſis religionibus denuò conceſſis, piè & religioſè vivatur, ac regularia inſtituta quò exactiùs fieri poteſt, obſerventur: Sanctitas Sua ex ſententia Sacræ Congregationis ſuper ſtatu Regularium omnes, & ſingulos Conventus hujuſmodi ſic, ut præfertur, reſtitutos, & conceſſos, in litteris ab eadem Sac. Congregatione expediendis nominatim exprimendos, ac perſonas tam regulares, quam ſæculares in eis degentes viſitationi, correctioni, & omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci, tamquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica delegati, præſentis Decreti tenore plenè in omnibus ſubjecit, ac ſubjectos eſſe declaravit, donec ipſorum redditus eòſque adaucti fuerint, ut in eis commodè ſuſtentari valeant, & cum effectu ſuſtententur duodecim Religioſi ad Apoſtolicorum Decretorum præſcriptum, idque eidem Sac. Congregationi legitimè conſtiterit, & ejus decreto in ſingulis contingentibus caſibus declaratum fuerit, & non aliter. Intereà verò vo- 72
luit Sanctitas Sua, ut in eorum ſingulis ali debeant, & reipſa alantur ſex ſaltem Religioſi probatæ vitæ, ex quibus quatuor ad minùs ſint Sacerdotes maturæ ætatis; alioquin gratia reſtitutionis, & conceſſionis hujuſmodi nulla ſit, & invalida, & Ordinarii locorum in illis exequi poſſint, ac debeant ea omnia, quæ in aliis Conventibus itidem ſuppreſſis per eamdem Conſtitutionem ipſis demandantur, perinde ac ſi gratia prædictæ reſtitutionis, & conceſſionis non emanaſſet. Inſuper quia multi ſunt Conventus, in qui- 73
bus etſi præfixum fuerit numerus Religioſorum ſufficiens ad obſervantiam Regularis diſciplinæ, & idcircò in ſuppreſſione antedicta non fuerint comprehenſi; nihilominùs ſive ob redditiuum diminutionem, ſive ob Superiorum incuriam, vel malam adminiſtrationem, ſive ob carentiam Religioſorum, aut aeris intemperiem, vel quamcumque aliam ob cauſam prædictus numerus cum effectu in eis non alitur cum gravi detrimento regularis obſervantiæ: Sanctitas Sua intendens huic malo remedium adhibere, omnes & ſingulos ejuſmodi Conventus, ut præfertur, non ſuppreſſos, cujuſcumque ſint Ordinis tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationis, & Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, aut granciæ, ſeu membra alterius monaſterii, exiſtentes intra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium, in quibus nunc non aluntur, vel quandocumque actu non alentur ſaltem ſex Religioſi itidem probatæ vitæ, quorum ad minùs quatuor ut ſupra ſint Sacerdotes maturæ ætatis, idem viſitationi, correctioni, & omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci ſimiliter ut Sedis Apoſtolicæ delegati plenè in omnibus præſentis pariter decreti vigore ſubjectos eſſe ſtatuit, decrevit, & declaravit. Cæterùm quo- 74
ad Conventus cum pauciori numero, quàm duodecim religioſorum, erectos poſt diem 21. Junii 1625. & illorum ſubjectionem loci Ordinario, Sanctitas Sua voluit in ſuo robore permanere decretum ſa. me. Urbani VIII. juſſu editum, cui per præmiſſa aliquatenùs derogare non intendit. Et prædicta omnia, & ſingula in preſenti Decreto ſtatuta, & ordinata voluit plenarium ſortiri effectum, & executioni mandari, non obſtantibus omnibus, & ſingulis, quæ in antedicta Conſtitutione voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ die 10. Februarii 1654.

B. Card. Spada.

Loco † Sigilli.

Proſper Fagnanus S. Congreg. Sec.

Anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti 1654. Indictione ſeptima, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Innocentii Divina providentia Papæ X. anno ejus decimo, die verò 21. menſis Februarii, ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit in Eccleſiæ Lateranen. ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ valvis, ac in Acie Campi Floræ & in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Petrum Paulum Deſiderium Apoſt. Curſorem.

Pro D. Magiſtro Curſorum Joſeph Marcheratus Curſor.

Et hoc Decretum illicò tranſmiſſum fuit ad quemlibet Epiſcopum unà cum litteris Congregationis continentibus nomina Conventuum religioni ſuæ reſtitutorum in illa Diœceſi, an autem juriſdictio, ut præfertur, Ordinario attributa in præinſerto Decreto ſit privativa ad ſuperiores regulares, vèl cumulativa, ſcripſi plenè *in c. Quanto ſup. de offic.*

offic. Ordinar. ubi etiam poſui plures alias declarationes ipſius Decreti 42.

75 Ad extremum cùm in Conſtitutione, *Inter cætera*, de qua ſup. *num.* 24. interdictum ſit ſuperioribus regularibus cujuſque Ordinis, ne quemquam ad habitum, vel profeſſionem admittant ſine licentia Sac. Congregationis, poſt præfixionem familiæ in ſingulis Conventibus, ut præfertur, factam, eadem Congregatio dedit licentiam pleriſque religionibus recipiendi novitios intra numerum eis præfixum: ſed poſtea die 22. Julii 1652. Sanctitas Sua de cætero ſuperſederi mandavit in hujuſmodi licentiis concedendis. Ve-
76 rumtamen die 3. Julii 1654. in audientia obtinuit, ut tandem aperiretur oſtium jam diu religionibus clauſum; atque ita Sanctitas Sua benignè annuit, ut expedirentur licentiæ pro multis religionibus recipiendi in Conventibus à Sacra Congregatione de conſenſu Superiorum regularium deſignatis certum numerum novitiorum, cum aliquibus tamen conditionibus, ſeu ordinationibus. Et primi omnium hanc licentiam receperunt Clerici regulares Theatini, moxque Fratres minores, tam de Obſervantia, quàm de Reformat. S. Franciſci, ac deinde Minores Conventuales, cujus formulam habes hìc ſubjectam.

77 Ad propagandam in Ordine Fratrum Minorum Conventualium S. Franciſci regularem obſervantiam, quæ novitiorum inſtitutioni & educationi præcipuè innititur, Sac. Congregatio à Sanctiſſimo D. N. deputata ſuper ſtatu regularium, de mandato Sanctitatis Suæ in ſingulis Italiæ Provinciis ejuſdem Ordinis præſentis Decreti vigore deſignat, ac deputat infraſcriptos Conventus pro novitiatibus & profeſſoriis, videlicet in Provincia Romana pro novitiatu Conventum S. Franciſci Viterbii, & pro profeſſoriis Conventus SS. Apoſtolorum Urbis Romæ, S. Franciſci Ferentini, & S. Caroli Cavis: in Provincia S. Franciſci pro novitiatu Sac. Conventum Aſſiſii, & pro profeſſoriis Conventus S. Franciſci Peruſiæ, S. Fortunati Tuderti, & S. Franciſci Ameliæ: in Provincia Bononienſi pro novitiatu Conventum S. Franciſci Bononiæ, & pro profeſſoriis eumdem Conventum S. Franciſci, necnon Conventus S. Franciſci Ferrariæ, & S. Franciſci Faventiæ: in Provincia Neapolitana pro novitiatu Conventum S. Laurentii Neapolis, & pro profeſſoriis eumdem Conventum S. Laurentii, necnon Conventus S. Franciſci Averſæ, & S. Franciſci Mirabellæ: in Provincia Marchiæ pro novitiatu Conventus S. Franciſci Firmi, & pro profeſſoriis Conventus S. Franciſci Urbini, & S. Franciſci Fani: in Provincia S. Nicolai pro novitiatu Conventum S. Franc. Civitatis Licen. & pro profeſſoriis Conventus S. Franc. Bitunti, & S. Franciſci Andriæ: in Provincia Mediolanenſi pro novitiatu Conventum S. Franciſci Mediolani, & pro profeſſoriis eumdem Conventum S. Franciſci, necnon Conventus S. Franciſci Saroni, & S. Franc. Gallerati: in Provincia Hetruriæ pro novitiatu Conventum S. Crucis Florentiæ, & pro profeſſoriis Conventus S. Franciſci Piſarum, S. Franciſci Senarum, & S. Franciſci Piſtorii: in Provincia Genuenſi pro novitiatu Conventum S. Franciſci Genuæ, & pro profeſſoriis Conventus S. Franciſci Taurini, S. Franciſci Papiæ, & S. Franciſci Caſtri novi: in Provincia S. Bernardini pro novitiatu Conventum S. Franciſci Therami, & pro profeſſoriis Conventus S. Franciſci Aquilæ, & S. Franciſci Sulmonæ: in Provincia Calabriæ pro novitiatu Conventum S. Franciſci Arenæ, & pro profeſſoriis Conventus S. Franciſci Montis Leonis, & S. Franciſci Jeracii: in Provincia S. Angeli pro novitiatu Conventum S. Franc. Iſerniæ, & pro profeſſoriis Conventus S. Franciſci Trojæ, &
78 S. Franciſci Foggiæ. In quolibet autem ex prænominatis Conventibus pro novitiatu, ut præfertur, deſignatis, eadem Sacra Congregatio impertitur licentiam hac vice tantùm recipiendi novitios intra numerum hìc præfixum, nempè in Provincia Romana decem clericos ſeu choriſtas, & duos laicos, ſeu converſos: in Provincia S. Franciſci decem clericos, & duos laicos: in Provincia Bononienſi decem clericos, & duos laicos: in Provincia Neapolitana decem clericos, & duos laicos: in Provincia Marchiæ decem clericos, & duos laicos: in Provincia S. Nicolai decem clericos, & duos laicos: in Provincia Mediolanenſi decem clericos, & duos laicos: in Provincia Etruriæ decem clericos, & duos laicos: in Provincia Genu. decem clericos, & duos laicos: in Provincia Calabriæ ſeptem clericos, & laicum unum: in Provincia S. Bernardi quinque clericos, & laicum unum: in Provincia S. Angeli quinque clericos, & laicum unum: dum tamen hæc, quæ ſequuntur, inviolatè obſerventur. Primum indicatur, & in ſingulis dicta- 79
rum Provinciarum Conventibus publicetur futurum examen, ſeu ſcrutinium eorum, qui ad habitum probationis recipi poſtulaverint, omneſque à Provincialis & diffinitoribus diligenter examinentur, ac per vota ſecreta approbentur, quotquot idonei reperti fuerint natalibus, ætate, vita, & moribus anteactis, litteratura reſpectu clericorum, corporis habitudine, impulſu ſpiritus, aliiſque requiſitis ad præſcriptum Apoſtolicarum Conſtitutionum, ac ſtatutorum Ordinis: non idonei verò rejiciantur, nec aliquis ap- 80
probetur pro clerico, qui decimumquintum, nec pro laico, qui vigeſimum ætatis ſuæ annum non expleverit. Tum deinde hoc examen, ſeu ſcrutinium ſcripto fideliter exaratum, & manu propria cujuſque examinatoris ſubſcriptum, ac juramento firmatum, obſignatumque primo quoque tempore tranſmittatur ad Generalem, qui ſtatim conſultis, atque adhibitis Procuratore generali, ac Patribus gravioribus, qui ei aſſiſtant, ſcrutinium ſic receptum accuratè percurrat, ac per ſingulas partes expendat; ac prætereà tam per ſupradictos, quàm per litteras familiares, & ſecretas inquiſitiones, à Patribus Provinciæ antiquioribus, ac zelum Dei habentibus aſſumendas ſedulò inveſtiget, num adverſus examinatos & approbatos inveniatur aliqua exceptio, anve ipſorum quiſpiam ſit conſanguineus, vel affinis, amicus, aut quoquomodo addictus alicui examinatori, aut alteri ex fratribus Ordinis, & an zelo perfectioris vitæ, & Deo liberiùs in ſancta Religione ſerviendi, an potiùs levitate, aut neceſſitate, vel alio fine inordinato ductus poſtulet admitti. Hiſque peractis, ex omnibus ut ſupra approbatis idem Generalis cum aliis ſupradictis intra numerum novitiorum pro clericis, & laicis in illa Provincia ut ſupra conceſſum, præeligat meliores, habita præſertim ratione indolis, morum, fervoris ſpiritus, acumine ingenii, & conditionis natalium: moxque præelectorum nomina mittat ad Provincialem qui tunc demum, & non prius eoſdem præelectos ad habitum probationis ſuſcipiat, & anno elapſo, ſi eos habiles invenerit, ad profeſſionem admittat, ſub exacta tamen vita communi ad præſcriptum regulæ, non obſtante quavis laxiori conſuetudine, ſeu potiùs corruptela in contrarium introducta, ſervataque forma ſacrorum Canonum Concilii Tridentini, & conſtitutionum Apoſtolicarum, ac præcipuè Decretorum ſan. mem. Clementis Papæ VIII. necnon ſtatutorum prædicti Ordinis. Quòd ſi aliquem ex dictis novitiis ante profeſſionem à religione diſcedere, aut expelli contigerit, alius in ejus locum ſubrogari poſſit, dummodò tamen in omnibus ſervetur forma ſuperiùs præſcripta. Sed & illud omninò cavendum erit, ne à volentibus ingredi religionem pro ipſo ingreſſu, nec poſt ſuſceptum habitum probationis pro ad- 81
miſſione ad profeſſionem, vel alio quocumque prætextu, excepto victu, & veſtitu novitii illius temporis, quo in probatione eſt, ab ipſo, vel ejus parentibus, aut propinquis, vel curatoribus aliquid accipiatur ſub pœnis per Sac. Canones & Tridentinum Concilium ſtatutis. Cæterum ut prædicti novitii poſtquam in profeſſorum numerum, ut præfertur, recepti fuerint, meliùs in bono ſpiritu, regulariſque diſciplinæ obſervantia ſtabilantur & confirmentur, ſtatim poſt profeſſionem emiſſam, ſi in Conventu pro Novitiatu ut ſupra aſſignato locus aderit ſecundi novitiatus, 82
ſeu profeſſorii ab ea, quæ novitiorum eſt, atque antiquorum profeſſorum, habitatione diſtinctus, & ſegregatus, ibi collocentur, ſi Conventus eos alere queat: ſin minùs, transferantur in alium Cōventum ex deſignatis pro profeſſorio, ſeu ſecundo novitiatu, ubi is locus cum requiſitis ad novitiatum ipſum præſcriptis reperiatur, vel accommodetur, aut de novo conſtruatur; ita tamen ut ſi prędicta religio ex ſuarum Conſtitutionum, ſeu inſtitutionum vigore majoris temporis curſu novos profeſſos intra novitiatum detinere conſueſcat, illis in hac parte minimè derogatum eſſe intelligatur: & nihilominùs permittitur ſuperioribus, ut idipſum facere poſſint, ſi rationi ac religioni magis expedire judicaverint. In quo quidem profeſſorio degant ſub regulis, & modo vivendi adhuc ſtrictiori, quàm ſervent antiquiores profeſſi, itaut nec negotiis Conventus ſe intrommittere, nec communibus tractatibus intereſſe, neque alterius exterioris: obedientiæ officium exercere debeant, ibique permaneant, quouſque ad ætatem ſacris Ordinibus ſuſcipiendis

dis

dis ſufficientem pervenerint, vel ſaltem per triennium poſt profeſſionem, quo etiam tempore poterunt, quinimò & debebunt litterarum ſtudiis operam navare ſub directione, & regimine ſuperioris, qui eas qualitates habeat, quibus novitiorum magiſtrum preditum eſſe oportet, quemadmo-
83 dum ipſius Clementis decreto providè ſancitum eſt. Porrò in Conventibus tam pro primo, quàm pro ſecundo novitiatu, ut præmittitur, aſſignatis, nec ſuperior, nec novitiorum magiſter, nec familia religioſorum conſtituatur vel amoveatur, niſi ab ipſomet Generali, conſultis Procuratore generali, ac Patribus gravioribus ei aſſiſtentibus, nec non Provincialibus; ac Diffinitoribus, neque in eis collocentur niſi religioſi graves, devoti, exemplares, & regularis obſervantiæ, ac puritatis regulæ ſtudioſi: præcipuè verò caveatur, ne ibi ponatur aliquis, qui non conſentiat ſervare vitam communem, quæ in prædictis Conventibus ad regulæ præſcriptum exactè obſervetur, indeque amoveantur, qui tam ſanctæ ordinationi contradicere, aut quoquo-
84 modo ſe opponere auſi fuerint. Ad extremum poſtquam novitii in profeſſorum numerum, ut ſupra, cooptati fuerint ſuperiores regulares, ad quos pertinet, illicò S. Congregationem edoceant ſupradicta omnia, & ſingula fuiſſe ad unguem adimpleta, & exequutioni mandata: alioquin pœnas in memoratis Decretis Clementis VIII. fel. rec. ſtatutas ſe ſubituros, ac novas licentias recipiendi Novitios nequaquam fore impetraturos certò ſciant. Non obſtantibus quoad præmiſſa omnia, & ſingula Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon prædicti Ordinis ſtatutis, conſuetudinibus & privilegiis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ die 5. Novembris 1654.

B. Card. Spada.

Loco Sigilli.

P. Fagnanus S. Congr. Secr.

His hucuſque peractis, Innocentius, ſicut Domino placuit, viam univerſæ carnis ingreſſus eſt Romæ die 7. Januarii 1655.

NE CLERICI VEL MONACHI.

Innocentius III. Eſculan. Epiſcopo.

CAPUT VIII.

Sicut te accepimus referente: & infrà. Fraternitati tuæ mandamus, quatenus Clericis in ſacris ordinibus conſtitutis, tabellionatus officium per beneficiorum ſubtractionem, appellatione poſtpoſita, interdicas.

SUMMARIUM.

1 *Clerici in ſacris compellendi ſunt per beneficiorum ſubtractionem, ut deſiſtant à tabellionatus exercitio.*
2 *Veneti olim non habebant uſum tabellionum, ſed Præſbyteri conficiebant inſtrumenta.*
3 *Hodiè ſecus.*
4 *Tabellionatus officium non poteſt Clericis interdici authoritate laicali, ſed Eccleſiaſtica tantùm, n. 5.*
6 *Tabellio factus Clericus non perdit ipſo facto tabellionatus officium.*
7 *Idem ſi fiat Religioſus Decurio vel Advocatus.*
8 *Notarius ipſo jure privatus officio non poteſt validè inſtrumenta conficere.*
9 *Requiritur tamen declaratoria ſuper facto.*
10 *Tabellionatus officium cur non liceat Clericis exercere, & nu. ſeqq.*
11 *Tabellionatus exercitium eſt genus negotiationis, n. 15. Clerici etiam in ſacris, ſi egeant, poſſunt honeſtam negotiationem exercere, ac proinde etiam tabellionatus officium, ut ibid. & nu. 23.*
12 *Juramentum fidelitatis prohibetur Clericus præſtare laico, à quo nihil habet temporale.*
13 *Tabellio eſt ſervus publicus.*
14 *Notariatus eſt vile officium.*
15 *Clerici vacare debent reipublicæ Eccleſiaſticæ, non mundanæ.*
16 *Notarius cùm quis creatur, quæ debeat jurare, & n. ſeqq.*
17 *Notarius requiri ſolet ſub pœna officii, ut inſtrumentum conficiat; quod ſi non fecerit, eſt perjurus.*
18 *Notarius tenetur abbreviaturam, ſeu matricem in ſuo carthulario ponere.*
19 *Juramenti forma à Clemente V. præſcripta in creatione tabellionum, n. 55.*
20 *Tabellionatus officium quibus Clericis interdicatur, & n. ſeqq. uſque ad n. 33.*
21 *Quid in Clericis ſacrorum ordinum beneficiatis.*
22 *Et quid in non beneficiatis, & indigentibus.*
Et quid in Clericis minorum ordinum beneficia obtinentibus, n. 26.
Et quid ſi beneficium non habeant, ſed patrimonium ſufficientes, n. 27. & ſeqq.
Et quid ſi egeant, nu. 28.
24 *Tabellionatus officium an prohibeatur Clericis cauſativè, quatenus velint beneficia retinere, an verò præciſè.*
26 *Argumentum à contrario ſenſu aliquando vacat, n. 29.*
28 *Clericis habentibus unde vivant, ſive ex beneficio, ſive ex patrimonio, negotiari non licet.*
30 *Tabellionatus officium regularibus exercere non licet niſi in cauſa hæreſis, n. 61.*
31 *Privilegium tamen Apoſtolicum ſuper hoc Regularibus conceſſum nullo Tridentini decreto eſt revocatum.*
32 *Tabellio factus Clericus, vel Monachus, poteſt veteres rogationes ſupplere & authenticare.*
33 *Inſtrumenta à Notariis Clericis confecta an valeant, & n. ſeqq. uſque ad n. 42.*
34 *Et quid poſt interdictum notariatus officium, & num. 37.*
35 *Officium cui interdicitur, & executio.*
36 *Interdictum Prætoris non debet eſſe eluſorium.*
37 *Contractus initi cum prodigo poſt judicis interdictum non valent.*
38 *Geſta ratione publici officii non tenent poſt interdictum ſuperioris, n. 40.*
39 *Ignorantia allegari non poteſt, ubi publica emanavit prohibitio.*
41 *Pœnæ appoſitio actui à jure prohibito non confirmat actum contra prohibitionem attentatum.*
42 *Notarii an poſſint creari ab Epiſcopo.*
43 *Notarii creati à Papa, vel Imperatore, poſſunt officium exercere per totum orbem, n. 15.*
44 *Princeps ſolutus poteſt efficere, ut credatur pelli mortuæ.*
46 *Notarios in ſuo regno, vel provincia creare poſſunt Reges, & Principes non recognoſcentes ſuperiorem.*
47 *Item Comites, Barones, & alii feudatarii in ſuis territoriis.*
48 *Item univerſitas, ſeu magiſtratus.*
49 *Item quilibet Prælatus in terris ſuæ juriſdictionis.*

50 *Notarii creati ab Epiſcopo in Regno Franciæ appellantur jurati.*
51 *Notarios creandi authoritas Epiſcopo tributa extra diœceſim non extenditur*, n. 54.
52 *Notarii non poſſunt conficere inſtrumenta extra territorium conſtituentis, niſi de licentia illius, ad cujus juriſdictionem declinant.*
53 *Confecta tamen intra territorium faciunt ubique plenam fidem.*
54 *Notarios creare eſt actus voluntariæ juriſdictionis, & in ſubditos exerceri poteſt etiam extra territorium.*
55 *Notarii creati ab Epiſcopo auctoritate Papæ poſſunt officium exercere ubique terrarum.*
56 *Tabellionatus officium an Clerici exercere poſſint in cauſis Eccleſiaſticis, ſeu ſpiritualibus coram Eccleſiaſtico judice, & n. ſeqq. uſque in fin.*
57 *Notarius laicus non poteſt in ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis inſtrumenta conficere.*
Contrarium, n. 62. *& ſeqq.*
58 *Notarius quandoque accipitur pro ſcriptore.*
59 *Servus non poteſt eſſe notarius.*
60 *Papa, vel Concilium admittendo Clericos ad tabellionatum exercendum, aut officium tribuendo, videtur eos habilitare*, nu. 68.
61 *Tabellionatus officium in cauſa hæreſis exercere poſſunt religioſi, & Clerici etiam in ſacris, & beneficiati.*
63 *Cancellarii, ſeu actuarii Epiſcoporum ubique ſunt laici*
64 *Notariis quibuslibet minus idoneis, aut in officio delinquentibus, Epiſcopi ad tempus, vel in perpetuum prohibere poſſunt ejus officii uſum in ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis.*
65 *Laici ex Concilio Trident. poſſunt eſſe Notarii in negotiis, litibus, & cauſis Eccleſiaſticis ac ſpiritualibus.*
66 *Notariis Epiſcopus prohibere non poteſt exercendi officii uſum in negotiis, & litibus profanis coram judice laico in terris Eccleſiæ.*
67 *Poteſt tamen quoad negotia, & lites locorum piorum à laicis adminiſtratorum.*
68 *Item quoad contractus perſonarum Eccleſiaſticarum ſuper earum bonis patrimonialibus.*

1 SIcut te. Breve eſt, ſed per alia verba ſic ſummari poteſt, ſecundum Abb. Clerici in ſacris compellendi ſunt per beneficiorum ſubtractionem, ut deſiſtant à tabellionatus exercitio.

2 Nota primò hoc cap. contra Venetos ſecundùm Jo. And. hìc in princ. apud quos non eſt uſus tabellionum, ſed Preſbyteri conficiunt inſtrumenta: quod & Hoſtienſ. advertit *n.2.* licèt Petrus de Anchar. *n.9.* eos excuſet, dicens hoc duplici de cauſa introductum. Primò, quia homines ſunt Catholici & devoti erga Presbyteros in hujuſmodi actibus, eiſque maximam habent fidem, nec unquam reperta eſt falſitas in teſtamentis, & actis cauſarum Secundò quia Eccleſiæ ibi communiter ſunt pauperes, nihil habentes, niſi oblationes, & illas exiguas: quam rationem reddit & Cardinalis in princip. adjiciens aliam, nempè, quia Venetis non
3 utuntur ſolemnitatibus legum, ſed ſuis ſtatutis. Sed certè ita erat illis temporibus, verùm poſtea decreto Senatus tempore Principis Gritti Clericis interdictus eſt tabellionatus, & facultas conficiendi inſtrumenta. Unde his temporibus apud Venetos non eſt Eccleſiaſtica perſona quæ hujuſmodi officia exerceat, ut eſt adnotatum in additioni-
4 bus ad Cardin. *ubi ſup. in verb. Inſtrumenta.* Licèt hoc interdictum Clericis fieri non potuerit authoritate ſæculari, ſed Eccleſiaſtica tantùm, ut patet hìc, & in eo quod leg. & notat. *in c. Eccleſia S. Mariæ ſupra de conſtit.*

Secundò nota ibi, *In ſacris*, exercitium tabellionatus
5 eſſe ab Epiſcopo interdicendum clericis in ſacris Ordinibus conſtitutis, ut hìc eſt caſus. An autem hoc vendicet ſibi locum indifferenter in omnibus Clericis in ſacris etiam non beneficiatis, & an in Clericis minorum ordinum, plenè dicam infra in 3. *qu.*

6 Tertiò nota ibi, *Interdicas;* tabellionem per promotionem ad Clericatum non perdere ipſo facto tabellionatus officium, ut hìc probatur ſingulariter ſecundùm Abb. in 1. *notab.* Nam ſi Clericis interdicendum eſt exercitium tabellionatus: ergo per ſupervenientiam Clericatus illud non perdiderunt, ſaltem in habitu: alioquin fruſtra illis fieret interdictio, argum. *l. Decem, ff. de verborum obligat. & c. Ad diſſolvendum infra de deſponſat. impub.* Et idem dicendum ſecundùm Abb. *n.2* in tabellionibus, qui religionem profitentur: non enim propterea amittunt officium, licèt prohi- 7
beantur illud exercere, niſi in cauſa hæreſis, *ut in c. Ut officium, §. Ad conſcribendas de hæretic. lib.6.* Et eſt ſimile in tabellionibus, qui effecti ſunt Decuriones, vel Advocati: nam per ſupervenientiam dignitatis officium non perdunt licèt ab illius exercitio debeant temperare, *ut l. Univerſos, C. de Decurion. lib.* 10. Verumtamen Mediolani indifferenter Advocati illud exercent, ut ibi notat gloſ. *unic. in fin.* & pro opinione Abbatis adduci poſſunt Hoſtien. Jo. Andr. & alii plures infra citandi *nu.*36. qui tenent inſtrumenta confecta à tabellione Clerico etiam poſt interdictum eſſe valida. Hi enim proculdubio ſentiunt, Clericum non deſinere 8
eſſe tabellionem: alioquin non poſſet validè inſtrumenta conficere, ſi prorſùs deſiiſſet eſſe tabellio actu & habitu, *ut l. Si aliquid, C. de ſuſcep.* & Anchar. *lib.*10. & notat Jo. And. *in addit. ad Speculat. in tit. de inſtr. edit. §. Reſtat in addit. incip. Sic ſignavit, &c.* Feder. de Sen. *conſ.*74. *Vetus quærela num.* 3. *verſ. Et licèt ſic communiter*, Alex. *conſ.* 190. *Plura narrata n.* 34. *lib.6.* Niſi dixeris Notarium etiam privatum ipſo jure Notariatus officio, antequam per ſententiam declaretur privatus, poſſe rogare inſtrumenta, & rogata vale- 9
re, ut notatur *in Authent. de tabell. ad fin.* & reſpondit Petr. de Anchar. *in conſ.*287. *Iſte B. n.*3. *verſ. Et licet quis ipſo jure.* Ad hoc *c. Cum ſecundum de hæret. lib. 6. & Clem. fin.* & quod ibi notatur *de cenſ.*

QUÆRO, primò, quæ ſit ratio, cur Clericis non liceat 10
tabellionatus officium exercere.

Hoſtien. hìc *nu.* 1. & poſt eum Joann. Andr. *n.*7. Butrius *nu.*6. *verſ. Rationem autem*, & Card. *n.* 2. multiplicem reddunt rationem.

Prima ratio, quia verendum eſſet, ne etiam in ſævis & crudelibus hoc officio uterentur, ſicut innuitur in integra, relata ab Ant. Auguſt. in *Collect. Decretal. lib.*3. *tit.*18. *c.*1. Quæ ratio militat non tantùm in Clericis conſtitutis in ſacris, de quibus loquitur hæc littera; ſed etiam in aliis omnibus, qui deſiderant promoveri.

Secunda ratio „quia tabellionatus exercitium genus ne- 11
gotiationis eſt: qua ratione ſimiliter conſiderata, hæc prohibitio extenditur ad Clericos etiam in minoribus, dummodò beneficiis Eccleſiaſticis ſuſtententur, nec egeant, *ut c.*1. *de poſtul.* alioquin ſi egerent, licitum eſſet eis negotiari, *c.*1. *ſupra eod.* ac proinde etiam tabellionatum exercere, ſecundùm Jo. Andr. loco proximè citato.

Tertia ratio, quia cùm tabellio ad complura jurejurando adſtringatur, ut dicam in ſequenti quæſtione, ſi uſum officii multùm frequentet, vix evitabit periculum perjurii: *ad hoc c. Quemadmodum ſupra de jurejur.* Et hæc ratio ſimiliter complectitur omnes Clericos indiſtinctè.

Quarta ratio, quæ itidem reſpicit omnes Clericos etiam in ſacris, quia & lex Imperialis præcipit univerſos Decuriones à tabellionatus officio temperare, *ut l. Univerſos, C. de decurion. lib.* 10.

Quinta ratio, quia tabellio jurat fidelitatem ei, à quo 12
conſtituitur, ut dicetur infra *n.*18. *&* 19. Quam quidem fidelitatem Clericus jurare prohibetur laico, à quo nihil tenet temporale, *c. Nimis ſupra de jurejur.*

Verùm Petrus de Anchar. *hìc n.* 1. *verſ. Quærit gloſſa*, di- 13
cit ſupraſcriptas rationes Hoſtien. non multùs urgere: & aliam reddit, videlicet, quia hoc officium eſt publicum authoritate: dicitur enim tabellio ſervus publicus, *ut c.* 2. juncta gloſſa *in verb. Servo publico de uſur. lib. 6. l. Non aliter enim, ff. de adopt. l.*1. *§. Exigere*, cum gloſſ. in *verb. Servus, ff. de Magiſt. conv.* hujuſmodi autem miniſteria ſunt Clericis interdicta, *ut c. Sed nec, & c. Clericis ſup. eod.* Si- 14
militer Abb. *hìc n.*5. affirmat rationes Hoſtienſis neceſſariò non concludentes, & aliquas concludere indifferenter quoad omnes Clericos, & etiam laicos. Unde ipſe rationem aſſignat, quia hoc officium eſt vile, & ſæculare: quod probat Oldrad. *conſ.*75. *Quis poſſit creare n.*2. Calderin. *conſ.* 2. *Spurius Notarius, verſ. Sed his non obſtantibus de fide inſtrumen.* plenè Angelus *conſ.* 284. *Præmitto ad evidentiam in princ.* Clerici autem vacare debent Reipublicæ Eccleſia- 15
ſticæ, & ſpirituali, non autem mundanæ, *c. Reprehenſibile, & c. Convenior* 23. *qu.*8. *& c. Eos* 20. *qu.*3. Placet ſecunda ratio Hoſt. cum qua ferè coincidunt rationes Ancharani, & Abbatis, eamque veriorem dicit gloſſa *hìc poſt princ. verſ. Vel verior eſt illa ratio*, & ſimpliciter veram Cardin. *n.*2.

Se-

16 Secundò QUÆRO, cùm quis conſtituitur tabellio, quę debeat jurare.

Hoſtienſis hìc *nu.* 4. & poſt eum Joan. Andr. *n.* 2. Henric. Boich. *nu.* 3. Butr. *eodem num.* Cardin. *num.* 6. & Anchar. *n.* 8. dicunt tabellionem, quando conſtituitur, ſex jurare conſueviſſe.

17 Primò, quòd de his, quæ videbit, & audiet, & requiſitus fuerit, ſine diminutione veritatis, & commixtione falſitatis conficiet inſtrumentum. Unde ſolet requiri tabellio ſub pœna officii ſui, ut conficiat inſtrumentum requirenti: quod ſi non fecerit, perjurus videbitur; & ſic ejus inſtrumentis de cetero fides non adhibebitur: argum. *c. Teſtimonium ſupra de teſtibus.* Hanc autem requiſitionem quilibet de populo facere poteſt, argum. *l.* 3. *ff. de offic. Præſid. & c. Relatum, il ſecondo de teſtibus*; & propterea tabellio dicitur ſervus publicus, & publica perſona, ut tetigi ſupra *n.* 13. Secundò, quòd ſecreta ſibi injuncta celabit. Tertiò, quòd ſuper uſurario contractu, vel in fraudem uſurarum
18 inito ſcienter nullum conficiet inſtrumentum. Quartò, quòd de omnibus inſtrumentis quæ reddet, protocolla tenebit: quod hodiè ſecundùm Hoſtienſ. hìc *n.* 5. ſic eſt interpretandum de generali conſuetudine approbata, & abbreviaturam in cartulario ſuo ponat. Quintò, quòd fidelis erit illi, à quo conſtituitur, ut ſi ſciret ejus damnum tractari, per ſe, vel nuntium, quantocyùs poterit, revelabit. Sextò, quòd illud officium ſic ſibi injunctum, cupiditate, amore, odio, & timore remotis, per omnia ſecundùm bonam conſcientiam fideliter exequetur.

19 Adde tu quòd Clem. V. compluribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, qui Viennam convenerant ad generale Concilium, conceſſit indultum creandi duos Notarios, eiſque præſcripſit formulam juramenti, quam habes tom. 3. Conciliorum *par.* 2. *pag.* 780. *col.* 2. quæ à ſupraſcripta formula Hoſt. parum diſcrepat, & ferè concordat cum alia, quam ponit Speculat. *in tit. de inſtr. edit.* §. *Reſtat num.* 37. *verſ. Sed quæro quæ forma.*

20 Tertiò QUÆRO, quibus Clericis interdicatur tabellionatus officium.

Pro clariori quæſtionis ſolutione duo membra ſunt diſtinguenda. Primum eſt de Clericis in ſacris Ordinibus conſtitutis; ſecundum de Clericis Minorum Ordinum.

21 Circa primum, ſi clerici in ſacris habeant competens beneficium Eccleſiaſticum, res eſt extra dubium: quia in ipſis verificantur verba omnia hujus Decretalis, ibi, *In ſacris Ordinibus conſtitutis, &c.* necnon ibi, *Per beneficiorum ſubtractionem*, & locum habent rationes omnes ab Hoſtien. & Doctoribus ut ſupra ponderatæ in prima quæſtione. Unde procul dubio eis non licet tabellionatus officium exercere; & in hoc conveniunt omnes.

22 Sed ſi clerici ſacrorum Ordinum careant competenti beneficio, articulus eſt valdè controverſus.

Ad partem negativam, quòd non liceat eis hoc officium exercere, inducitur hæc Decretalis, quæ ſimpliciter loquitur de Clericis in ſacris: nec videtur ſe reſtringere ab beneficiatos reſpectu prohibitionis, ſed tantùm reſpectu pœnæ, itaut ſit ſenſus, ut tabellionatus officium ab Epiſcopo interdici debeat omnibus clericis ſacrorum Ordinum indiſtinctè; per ſubtractionem verò beneficiorum nonniſi beneficia obtinentibus. Item rationes ſuperiùs conſideratę in prima quæſtione conveniunt clericis etiam non beneficiatis, excepta ſecunda. Item gloſſa hìc *poſt princ verſ. Vel verior*, dicit officium hoc extraneum eſſe ab officio Clericorum, ſaltem in Ordine ſacro, maximè ſi competentia beneficia habeant: ſentit igitur gloſſa hoc officium eſſe extraneum à Clericis ſacrorum Ordinum, etiam non beneficiatis, cùm dictio illa implicativa, *Maximè*, deſignet idem in caſu contrario, *c.* 1. *de renunt. gloſſ. in c. Illud in verb. Præſertim de præſumpt.* & eodem modo loquitur Butr. hìc *n.* 6. *verſ. Vel dic*; dicens illicitum eſſe tale officium Clericis in ſacris, quia ſapit genus negotiationis, maximè ſi habeant competens beneficium.

Sed in oppoſitum facit; quia hoc capitulum quamvis apertè non loquatur de Clericis beneficiatis, tamen dum præcipit eis interdici tabellionatus officium per ſubtractionem beneficiorum, ſupponit eos eſſe beneficiatos: Ergo à contrario ſenſu ſi beneficiati non ſint, nec interdi-
23 ctum, nec illius pœna locum habebit. Et eſt ratio, quia Clerici etiam in ſacris ſi competens beneficium non habeant, non prohibentur honeſtam negotiationem exercere, *ut c.* 1. *ſup. eod.* ergo nec eis debet interdici tabellionatus officium. & ita hìc firmant Hoſt. *n.* 1. *verſ. Secunda ratio, & num.* 8. *in verb. Subtractionem*, Jo. Andr. *n.* 4. *In eodem verb.* & Abb. *nu.* 8. *verſ. Mihi placet primum.* Quinimò Hoſt. & Jo. Andr. *ubi ſupra*, tenent hoc officium non prohiberi Clericis ſacrorum Ordinum precisè, ſed cauſativè, ſi velint beneficia retinere, itaut ſit in optione ipſorum, vel officium exercere beneficium dimittendo, vel retinere beneficium à tabellionatu abſtinendo. Simile *in c. Quæris de ætat. & qualit.* 24

Sed hoc dictum non placet Abbati *nu.* 8. *verſ. Sed ſecundum dictum*: quia cùm Clericus in ſacris habeat unde vivat, non debet habere optionem dimittendi beneficium, vel tabellionatum, ſed præcisè cogi debet vivere clericaliter, ex quo eſt in ſacris, arg. *c.* 1. *& c. Clericis ſupr. eod.* Et ad hoc capitulum reſpondet, hìc fuiſſe dictum de beneficiorum ſubtractione in pœnam clericorum, quia non videbatur veriſimile, ut plus appeterent tabellionatum, quàm beneficium ſaltem ſufficiens; unde non debet eis dari optio, arg. eorum, quæ notantur *in c. Si diligenti, de foro compet.* ubi eſt bonus textus in ſimili ſecundùm Abb.

Ego arbitror in hoc articulo non eſſe faciendam vim, an Clericus in ſacris habeat competens beneficium, ſed tantummodò an habeat unde congruè poſſit ſuſtentari, ſive ex beneficio, ſive ex patrimonio: nam ſi poſſet commodè vivere de bonis patrimonialibus, utique non liceret ei negotiari, ac proindè nec tabellionatus officium exercere, quod genus negotiationis eſt: & cùm hoc procedat in clericis minorum Ordinum, ut probabitur infra in ſecundo membro, utique multò magis locum habet in clericis in ſacris, arg. hujus cap. 25

Non obſtat hæc Decretalis, quia fateor clericis beneficium non obtinentibus non poſſe interdici hoc officium per ſubtractionem beneficiorum, poterit tamen interdici per alias pœnas, quæ à ſacris Canonibus, & generalibus Conciliis adverſus clericos negotiatores ſtatuta ſunt, ad hoc Concil. Trident. *c.* 1. *ſeſſ.* 22.

Circa ſecundum, videlicet de Clericis minorum Ordinum, Innoc. hìc ponderans verba textus, quæ præcipiunt tabellionatus officium interdici Clericis in ſacris, arguendo à contrario ſenſu, dicit ſecus non in ſacris; & ita ſentit indiſtinctè hoc officium non eſſe prohibitum Clericis minorum Ordinum, quantumcumque ſint beneficiati; & cum Innoc. conſentiunt Jo. Andr. *n.* 1. *in verb. Sacris*, Butr. *eod. nu. verſ. Quid de clerico*, & Anchar. *in* 1. *notab.* 26

Sed Hoſt. *n.* 1. *verſ. Et ex his patet*, tenet idem juris eſſe in Clericis minorum ordinum, dummodò ſint competenter beneficiati, ad hoc *c.* 1. *ſupra de poſtul.* ubi Clericis minorum Ordinum beneficiatis prohibetur officium poſtulandi; & ita ſecundùm Hoſt. hìc vacat argumentum à contrario, ſimile *in l. Conventiculam, C. de Epiſc. & Cler. & in c. Clericis ſupra eod.* & hanc partem ſequitur Abb. *n.* 7. quia ad hoc capitulum reſpondet, ſacros Ordines hìc accipi largè pro omnibus Ordinibus, qui indubitanter ſunt ſacri, *ut not. in ſumma* 32. *diſt.* Sed certè huic expoſitioni repugnat integra, quæ explicitè loquitur de Subdiaconis, Diaconis, & Sacerdotibus, & hos appellat Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos. Idem firmant Summa Piſanella *in verb. Tabellio n.* 1. Albert. Trotius *de vero & perfecto clerico lib.* 2. *c.* 54. *nu.* 9. inter tractatus communes *vol.* 2. *fol.* 255.

Ego verò, ut tetigi ſupra in primo membro *num.* 25. exiſtimo hanc prohibitionem extendi ad omnes Clericos etiam minorum Ordinum, dummodò ex beneficio, vel patrimonio habeant, undè commodè vivere poſſint. Moveor primò per textum *in c. Ut officium*, §. *Ad conſcribendas, de hæreticis lib.* 6. ubi indulgetur Clericis etiam in ſacris, ut in cauſa hæreſis poſſint tabellionatus officium exercere. Pondera illam dictionem implicativam, *Etiam*, quæ oſtendit hujuſmodi indultum fuiſſe conceſſum etiam Clericis minorum Ordinum: ergo circumſcripto indulto, id eis erat prohibitum; alioquin fruſtratoriè fuiſſet concedere quod eis erat permiſſum à jure, argum. *capit. Abbate de verb. ſignif. & c. In his de privil.* Item ſi ſpeciale eſt favore fidei, ut Clerici in minoribus poſſint uti tabellionatu: ergo in aliis non poſſunt, prout arguit gloſſ. *in d.* §. *Ad conſcribenda in verb. Præmiſſa*, ad idem text. in extravag. *Debent circa fin. de Offic. Ordinar.* ubi conceditur, ut in viſitatione Cathedralis adhiberi poſſit Notarius clericus. Deindè moveor, quia hoc officium eſt publicum, ſæculare, & vile, & ſapit negotiationem, ut dixi ſupra *n.* 13. *& ſeq. & nu.* 23. ergo 27 28

ergo cenſeri debet interdictum omnibus Clericis indiſtin-
ctè, *c. Eos* 20. *qu.* 3. quia nemo militans Deo,&c. *c. Repre-*
henſibile 23.*q*.8. cum concord. Et quamvis neceſſitate co-
gente liceat eis exercere honeſtam negotiationem, *c.* 1.
ſupra eod. tamen hæc ratio neceſſitatis ceſſat, quando con-
gruam habent ſuſtentationem, ſive ex beneficio, ſive ex pa-
trimonio, ad hoc bon. textus *in c. Epiſcopus ſupra de præb.*
ibi; *Niſi talis ordinatus, de ſua, vel paterna hæreditate ſub-*
ſidium vitæ poſſit habere: quod enim pro neceſſitate conce-
ditur, eadem ceſſante, utique ceſſare debet, *c. Quod pro ne-*
ceſſitate 1.*q*.1. & hoc ſentit Hoſt. hìc *n.* 1. *verſ. Secunda ra-*
tio, dum ait, exercitium tabellionatus, cùm ſit genus ne-
gotiationis, interdictum eſſe omnibus Clericis etiam in
minoribus, dummodò beneficiis Eccleſiaſticis ſuſtenten-
tur, nec egeant: ergo ſecundùm Hoſt. qui non egent, ſed ex
patrimonio ſuſtentantur, minimè poſſunt hoc officium e-
xercere; quod etiam intellexit gloſſa hìc, dum dixit hoc offi-
cium eſſe extraneum à Clericis, maximè beneficiatis: quaſi
dicat idem juris eſſe in illis, qui non ex beneficio, ſed ex pa-
trimonio vivunt. Hoc idem cenſuit Arch. *in c. Multorum*
n.1.27.*qu*.2. dum ait, officium tabellionatus quamvis ſit pu-
blicum, ſatis tamen eſſe congruum Clericis, ut ex eo ſibi
poſſint acquirere neceſſaria, *c. Clericus* 91. *diſt.* & eum ſe-
quitur Butr. hic *n*.5. quibus addo Jaſonem *in l.* 1. §. *Hujus ſtu-*
dii n.8, *in* 7. *limit. ff. de juſt. & jure*, ubi limitat concluſio-
nem, quòd Presbyteri, & Clerici non poſſint eſſe tabellio-
nes, ut procedat, quando aliundè habent unde vivant, & ſic
non reſtringit ſe ad beneficium: imò paulò infra expreſsè
ait, hoc habere locum, etiamſi non habeant aliquod benefi-
cium Eccleſiaſticum, & alios adducit. Non obſtat hoc capi-
tulum, quod dum loquitur de Clericis in ſacris, & benefi-
cia obtinentibus, à contrario ſenſu videtur ſecus intellexiſ-
ſe de Clericis in minoribus non habentibus beneficia, ſe-
cundùm Innoc. & Jo. Andr.

Nam reſpondeo hanc prohibitionem fuiſſe factam Cleri-
cis in ſacris, quia ipſi tantùm in civitate illa exercebant of-
ficium tabellionatus, ut patet ex integra, ibi, *Presbyteros,*
& Diaconos, & Subdiaconos, quos ibidem invenit paſſim
tabellionatus officium exercentes; idque ob eam fortè ratio-
nem, quia ſolis Clericis in ſacris populi habebant hanc fi-
dem, ſicut Venetiis hanc ob cauſam ſoli Presbyteri olim
rogabant inſtrumenta, ut dixi ſupra *in* 1. *notab.* & quia Cle-
rici ad ſacros Ordines ſine competenti titulo beneficii non
promoventur, *c. Cùm ſecundum ſupra de Præben.* propterea
Papa ſuppoſuit eos eſſe competenter beneficiatos, eiſque
juſſit interdici tabellionatus officium per privationem be-
29 neficiorum. De Clericis autem minorum Ordinum nihil
cavit, quia talis abuſus quoad ipſos ibi non vigebat ob me-
moratam rationem; unde non ſequitur, ut prohibendo de
Clericis in ſacris, & beneficia habentibus, contrarium in-
tellexerit de Clericis in minoribus non beneficiatis; ſed
tantùm ſequitur, ut hic caſus tamquam omiſſus remanſerit
in diſpoſitione antiquorum Canonum, ſecundum quos
nulli Clericorum non egentium licebat negotiationem
exercere, ut ſupra dixi: & ita verum eſt quod ait Hoſtien.
hìc vacare argumentum à contrario ſenſu, etenim hoc ar-
gumentum non ſumitur, quando illius contrarium repe-
ritur in jure expreſſum, ut notat Joan. Andr. *in c. Publicato*
n. 18. *ſupra de elect.* quod diligenter nota, quia Doctores
noſtri non attingunt.

Extenditur concluſio ſuperiùs firmata, ut locum habeat
30 etiam in regularibus, qui dum eſſent in ſæculo, tabellio-
natus officium habuerunt: nam nec eis licet illud exercere;
tum quia rationes ſupra ponderatæ in 1. quæſt. in Clericis
ſæcularibus æquè militant in regularibus: tum quia ſpecia-
le eſt favore fidei, ut Monachus, qui in ſæculo erat tabellio,
poſſit in cauſa hæreſis hoc officium exercere, *c. Ut officium*,
§. *Ad conſcribendas de hæret. lib.* 6. ergo in aliis caſibus tabe-
lio factus Monachus non poteſt hoc officio uti, ad hoc ex-
travag. *Debent circa medium, verſ. Quos quidem Monachos*
de offic. Ordinar. & ita firmat gloſſ. *in* §. *Ad conſcribendas*
in verb. Præmiſſa, Jo. Andr. hic *n*.4. Butr. *n*.5. Henric. Boich.
n. 3. Cardin. *nu.* 1. *in* 1. *oppoſ.* Calder. *conſ.* 487 *An Abbas*
poſſit alias 2. *num.* 2. *verſ. Ad hoc etiam induco de magiſtr.*
Alex. *conſ.* 133. *ſtatibus num.* 4. *verſ. Hæc probantur lib.* 7.
Albert. Trot. *de vero, & perfecto clerico lib.* 2. *c.* 54. *num.* 9.
& ita S. Congregatio Cardinalium Concilii Trid. Inter-
pretum declaravit, Regulares non poſſe exercere officium
tabellionatus.

Et poſita hac deciſione Prior Monaſterii de Thomat. Or-
dinis Ciſtercienſis habet privilegium à Sede Apoſtolica, ut 31
duo Regulares illius à Priore electi pro rebus ad ipſum
Conventum ſpectantibus, & quę inter eos, ſeu in eiſdem
Conventibus geruntur pro tempore, alium, ſeu alios illius,
vel illorum loco perpetuò creare, eoſque de notariatus, ſeu
tabellionatus officio hujuſmodi per pęnam, & calamare in-
veſtire, recepto ab eis primitùs juramento, quòd officium
ipſum benè, & legaliter exerceant, liberè, & licitè valeant:
quęritur, an Concilium obſtet, quominus hujuſmodi Regu-
lares dicti privilegii vigore tabellionatus officium exerce-
ant eo modo, quo in litteris Apoſtolicis exprimitur: S. Con-
greg. cenſuit non obſtare, atque hujuſmodi privilegium
nullo ejuſdem Concilii Decreto revocatum eſſe.

Cęterùm etſi tabellio factus Clericus, vel Monachus ex- 32
tra prędictos caſus non poſſit novas rogationes aſſumere,
poterit tamen veteres complere, & authenticare, *l. Alie-*
nationes, ff. de Familiæ herciſcundæ, l. 1. §. *Caſum, &* §.
Quamvis autem, ff. de poſtul. l. Nam & Servius, §. *Si vivo*
Titio, ff. de negot. geſt. Ad idem *c. Judæi, il primo, infr. de*
Judæis, & tenent Speculat. *in rubr. de ſtat. Monach. verſ.* 27.
gloſſ. *in d. c. Ut officium*, §. *Ad conſcribendas, in ver. Præ-*
miſſa, de hæret. lib. 6. Calder. *loc. cit.* & Henr. hìc *n*.4. Navar.
comm. 2. *de regular. n.* 42. Covar. *pract. quæſt. c.* 19. *n*.8. *verſ.*
Monachus, Jaſ. *in l.* 1. §. *Hujus ſtudii, n*.8. *verſ. Secundò li-*
mita, ff. de juſt. & jur.

Quartò QUÆRO, an valeant inſtrumenta à Clericis 33
tabellionibus confecta.

Cùm ex hac Decretali interdicendum ſit Clericis tabel- 34
lionatus officium: ergo antequam eis interdicatur, vale-
bunt inſtrumenta, poſteà verò non: ita per hanc litteram
arguit Innoc. hic *in princ.* quem ſequuntur Abb. Antiq. *iti-*
dem in princ. & Collectar. *n.* 1. idem Bart. *conſ*. 61. *Filiusfa-*
miliæ n.1. *lib*.1. & Jaſ. *in d. l.* 1. §. *Hujus ſtudii, n*.8. *verſ. Limi-*
ta antequam, ff. de juſt. & jur. & poteſt eſſe ratio, cur poſt in- 35
terdictum non valeant, quia ex quo interdicitur officium,
ergo & executio, arg. *c. Paſtoralis*, §. 1. *de appell.* ſecundùm
Hoſt. *n.* 8. *in ver. Interdicas*: aliàs interdictum Prætoris fo- 36
ret eluſorium, quod eſſe non debet, *l. Si prætor, ff. de judic. c.*
Commiſſa, §. *Porrò, de elect. lib.* 6.

Tu adverte; nam quoad primum membrum diſtinctionis
cum Innoc. conveniunt omnes, ut ſcilicet ante interdictum
valeant inſtrumenta à Notariis Clericis confecta: idque
procedit, etiam ſi tabellio Clericus conficeret inſtrumenta
in temporalibus; nam etſi à talibus debeat abſtinere, nihilo-
minùs fidem facerent, arg eorum, quæ leg. & not. *in c. Per*
Venerabilem, §. *Rationibus, infra qui filii ſint legitimi*, ſecun-
dùm Hoſt. hic *n*.5. *in fin & n*.7. *verſ. E converſo*, Jo. Andr. *n.*
3. *verſ. Secus eſſet in inſtrumento*, But. *n*.4. *verſ. Secus dicitur*
Anchar. *n*.3. *verſ. Licèt è converſo*, & Card. *n*.8. *in ult. qu.* ubi
aſſerit hoc eſſe ſine dubio.

Verùm quoad ſecundum diſtinctionis membrum, videli-
cet poſt interdictum, quidam diſtinxerunt, an hęc prohibi-
tio pervenerit ad notitiam contrahentium, & tunc inſtru-
menta non valeant; alioquin excuſet probabilis ignorantia
& quamvis tabellio indignè conficiat inſtrumenta quan-
tum ad ſe, non tamen quantum ad alios, qui ignorant, ad
hoc *c.* 1. *&* 2. *ſupra de ordinat. ab Epiſc. & c. ult. de cohabit.*
Cler. & mulier. Sed alii, ut Hoſt. hìc *n*.8. *circa fin. verſ. Tu di-*
cas, Jo. And. *n*.1. *verſ. Tu dic indiſtinctè*, Boich. *in princ.* But.
n.2. *verſ. Jo. Andr. dicit*, & Card. *nu.* 5. tenent indiſtinctè in-
ſtrumenta valere, ſive ante, ſive poſt interdictum confecta
fuerint, licèt conficiens poſt interdictum privari poſſit be-
neficio: nam hæc ſola pœna hìc imponitur: ergo aliam in-
venire non debes, *l. At ſi quis*, §. *Generaliter, ff. de relig. &*
ſumpt. funer. l. 2. § *Non perpetuæ, ff. de ſepulchr. viol.* ſed potiùs
impoſitam mollire, *c. In pœnis de reg. jur. lib.* 6.

Mihi placet diſtinctio, quam hìc ponunt Petr. de Anch. 37
nu.6. *&* 7. & Abb. *num.* 11. & ante eos Speculat. *in tit. de in-*
ſtrum edit. §. *Reſtat n*.29. & ſequuntur Roſella *in verb. Ta-*
bellio nu. 7. Silveſt. *in eod. ver. qu*.3. *dict*.5. & alii, quos re-
fert, & approbat Covarr. *pract. qu. c.* 19. *nu*.8. *verſ. Quod*
ſi Sacerdos, videlicet, aut publicè, & per edicta ſolemni-
ter publicata interdictũ eſt Clericis, ne poſſint inſtrumenta
conficere inter laicos, ita ut hujuſmodi prohibitio cunctis
innotuerit: & tunc non valent inſtrumenta poſteà celebra-
ta; ſicut non valent contractus initi cum prodigo poſt judi-
cis interdictum, *ut l. Is cui bonis, ff. de verb. oblig.* nec tenent 38
geſta ratione publici officii poſt interdictum ſuperioris, ut

in

in cap. Veritatis, *& in cap. fin. de dol. & contum.* & notat Innoc. *in cap. Raynaldus de teſtam.* neque enim poteſt alle-
39 gari tolerantia, ex quo publicè emanavit prohibitio, *ut in cap. Apoſtolicæ, & cap. Illud, de clericor. excomm. miniſtr. & in cap. 2. de Conſtit. lib. 6. & in cap. Quod dilectis 16. diſtinct.* Nec obſtat, ſi dicas hanc prohibitionem hodie omnibus factam eſſe in hac Decretali: quoniam verè hîc nulla fit
40 prohibitio, ſed jubetur fieri per ſuperiorem: magis autem afficit interdictum judicis, quàm legis, & antequam à judice interdictum fiat, Clericus videtur tolerari in officio tabellionatus: unde valere debent geſta ratione publici officii, ut de Decurionibus, & Advocatis hoc officium exercentibus notat Barthol. *in l. Univerſos num. 2. C. de Decurion. lib. 10.* ſin autem interdictum non fuerit palam, & publicè factum; tunc tenet quidem interdictum in præjudicium Clerici, cui factum eſt, itaut propterea beneficio privari poſſit, ut hîc; ſed non quoad partes ignorantes: unde reſ-
41 pectu ipſarum tenebunt geſta ratione publici officii, ut in juribus præallegatis. Non obſtat, quòd conficiens inſtrumenta contra interdictum, puniatur hîc ſola pœna ſubtractionis beneficii, & aliam invenire non liceat, ut in contrario: quoniam ut reſpondet Anchar. pœna appoſita actui à jure prohibito non confirmat actum contra prohibitionem attentatum, ut plenè notat Bart. *in l. Ait Prætor n. 3. ff. de nov. oper. nuntiat.* & Doctores *in l. Non dubium, C. de legib.* & annullatio inſtrumenti propter carentiam fidei non concernit ipſum Clericum tabellionem, ſed partes, quibus prohibitio facta eſt.

42 Quintò QUÆRO, an Epiſcopus poſſit creare tabelliones.

43 Quamvis ſolus Papa, & Imperator poſſint creare Notarios; quia ut credatur pelli animali mortui eſt contra jus,
44 cui ſolus Princeps ſupremus poteſt derogare, ut per Innoc. *in cap. Cùm P. Tabellio num. 1. verſ. Nobis autem videtur aliter ſupra de fide inſtrum.* & Oldrad. *conſ. 75. quis poſſit in*
45 *princ.* tamen hoc intelligitur quoad effectum, ut Notarii, ut præfertur, creati poſſint officium ſuum exercere per totum orbem, ut declarant Domini de Rota *deciſ. 5.... incipien. Inſtrumenta confecta de fide inſtrum. in novis*, & Bellam. *conſ. 42. Dominus Hugo nu. 2. & ſeq. verſ. Circa hæc duo*.

46 Cæterùm in ſuo Regno, vel provincia ſicut Notarios creare poſſunt Reges, & alii Principes non recognoſcentes ſuperiorem, ſecundum Innoc. *loc. cit.* & Oldrad. *d. conſ. 75. in princ. verſ. Videtur talis*, & Felin. dicentem hoc eſſe clarum *in d. cap. Cùm P. Tabellio num. 14.* item Comites,
47 Barones, & alii feudatarii in ſuis territoriis, Bellam. *d. conſ. 42. num. 4. 5. & 6.* & quælibet Univerſitas habens poteſta-
48 tem dandi juriſdictionem ordinariam, ſecundum Hoſt. *in d. cap. Cùm P. Tabellio num. 5.* quem ibi ſequuntur Jo. Andr. *n. 4.* Bellam. *n. 28. & 30.* Butr. *col. 1.* Imol. qui de communi teſtatur *n. 4.* & Felin. *n. 14.* & de magiſtratu probat Bart.
49 *in l. Nec ei, §. 1. num. 6. ff. de adopt.* ita & quilibet Epiſcopus, vel Ordinarius hoc poteſt infra ſuam Diœceſim, arg. *cap. Quoniam contra de probat. cap. Monachus 77. diſt. & c. 1. de ſimon.* ubi ſic firmant Hoſtien. *num. 2.* Joan. Andr. *n. 3.* Bart. *num. 4.* Card. *n. 1.* & Joan. de Anan. *n. 9. ad fin. in ult. not.* & idem Hoſt. hîc *n. 5. verſ. Quid ergo*, Speculat. *in tit. de inſtrum. edit. §. Reſtat n. 22. verſ. Sed quis poteſt*, ubi de quolibet Prælato in terris ſuæ juriſdictionis, Felin. *in d. c. Cum P. n. 14. verſ. Imò refert*, & egregiè probat Oldrad. *in præal-*
50 *leg. conſ. 75. in princ. verſ. Sed Hoſt.* Qui quidem Notarii creati ab Epiſcopo appellantur jurati, & multò ſimiles eſſe in Regno Franciæ atteſtatur Bellam. *d. conſ. 42. n. 2. ver. Circa hæc duo, & n. 3.*

51 Dixi Epiſcopum poſſe tabelliones creare infra ſuam Diœceſim; quia illius authoritas circa hoc officium interpoſita extra Diœceſim non extenditur: quamvis enim officium tabellionatus non tantùm judiciale, ſed extrajudiciale ſit, quia & extra judicium exerceri poteſt; tamen authoritas, & actus conſtituendi, & creandi, judicialis eſt, ad hoc *l. fin. ff. de juriſd. omn. judic. & c. Omnes Baſilic. 16. q. 7.* & ita hîc declarat Hoſt. *n. 6.*

52 Ex hoc infertur, ut ſi illi, qui poteſtatem habent creandi Notarios, creaverint aliquos, non poſſint tales conficere inſtrumenta extra territorium conſtituentis, niſi de licentia illius, ad cujus juriſdictionem declinant, ſecundùm Hoſt. *num. 7. verſ. Quod ego dixi*, & Rota *in præaleg. deciſ.*
53 *5. de fide inſtrum. in novis*; licèt intra territorium confecta faciant ubique locorum plenam fidem, ſecundum Anchar. hîc *num. 3. verſ. Et inferunt iſta dicta*, & Rota *ubi ſupra*, de quo dic ut per Bart. *in l. Cunctos populos num. 35. de ſumm. Trinit. & fide Catholica.* In prædictis tamen aliter loquitur 54
Felin. *in d. c. Cùm P. Tabellio num. 14. in fin. de fide inſtr. ...* ubi ait, actum creandi notarios eſſe voluntariæ juriſdictionis, & ideò quoad ſubditos exerceri poſſe etiam extra territorium, per ea quæ notat Baldus *in l. 2. ff. de offic. Proconſ. & Legat.*

Sed concluſioni ſuperiùs firmatæ videtur obſtare, quòd 55
Clemens V. ad ſupplicationem multorum Archiepiſcoporum, qui Viennam convenerant ad univerſale Concilium, in compenſationem laborum conceſſit facultatem concedendi tabellionatus officium duabus perſonis, quas ad illud poſt diligentem examinationem idoneas reperiſſent, ut *to. 3. Concil. p. 2. pag. 780.* hæc enim indulgentia fuiſſet fruſtratoria, ſi de jure hoc eis competeret, ut arguit gloſſ. 1. *in c. 1. ſupra de reſcript.* nam fruſtra precibus impetratur, quod de jure communi conceditur, *l. 1.* & ibi gloſſ. penult. *c. Quibus non obiic. long. temp. præſcript.*

Sed reſponderi poteſt, ibi conceſſam fuiſſe Epiſcopis facultatem, quam de jure non habebant ſcilicet creandi tabelliones authoritate Papæ, qui ubique terrarum poſſent officium exercere, ſecundum ea, quæ dixi ſupra *n. 43.* quod patet tum ex illis verbis, *Authoritate noſtra*; tum quia præcipitur ibi, *Ut prædicti tabelliones jurent fidelitatem Papæ*, juxta formam *c. Ego N. de jurejur.* & ita indultum non fuit ſuperfluum.

Sextò QUÆRO, an Clerici poſſint in cauſis Eccleſiaſti- 56
cis, ſeu ſpiritualibus coram Eccleſiaſtico judice tabellionatus officium exercere.

Gloſſa un. hîc *verſ. Sed numquid*, movet hanc quæſtionem, & arguit primò ad partem negativam ex hoc c. quod ſimpliciter præcipit hoc officium Clericis interdici, nec diſtinguit, an in cauſis temporalibus, vel Eccleſiaſticis: ergo generaliter, & indiſtinctè eſt intelligendum, *cap. Si Romanorum 19. diſt.* cum concord. in gloſſ. allegatis: deinde arguit in contrarium, per *cap. Quoniam frequenter de probat. & cap. Multor. 27. q. 2.* & nihil determinat; Joannes verò, & Philippus hîc relati per Jo. Andr. *nu. 8.* tenent ſecundam opinionem affirmativam, & idem Goffred. *per c. Quidam 5. q. 1.* ubi Clericus poteſt eſſe Notarius Papæ; item Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum, *ut in d. c. Multorum, & in c. Monachus 77. diſt.* ſequitur Hoſt. hîc *n. 3. verſ. Quid ergo*, per jura alleg. *& per c. 1. de ſimon.* ubi diſponitur, ut non ſolùm Epiſcopus, ſed etiam Notarius debeat cavere à ſimonia quod intelligi debet de Notario ſuo, cui ſcilicet Epiſcopus hoc officium commiſit, & ad hoc deputato: de extraneo enim nulla fuiſſet dubitatio; & in Notario Epiſcopi intelligunt hanc Decretalem Innoc. Hoſt. Jo. Andr. & alii, ut ibi dixi *n. 18.* & hanc partem dicunt eſſe veram Butr. hîc *n. 8.* & veriorem Anchar. *n. 2.*

Pro qua etiam videtur multùm urgere, quòd cùm Epiſco- 57
pi poſſint creare Notarios in ſua Diœceſi, ut ex communi ſententia firmatum eſt in præcedenti quæſt. hoc utique videtur neceſſariò intelligendum de clericis, prout intelligunt Hoſt. & alii, quia cùm Notarius laicus non poſſit in ſpiritualibus, Eccleſiaſticis inſtrumenta conficere, ſecundùm opinionem, quam dicunt eſſe veriorem Hoſt. hîc *n. 6. verſ. Numquid.* Jo. Andr. *n. 3.* Butr. *n. 4.* & Anchar. *ead. num.* neceſſe eſt dare perſonam Eccleſiaſticam, quæ hujuſmodi inſtrumenta conficere poſſit; alioquin actus ſpirituales carerent hoc genere probationis per inſtrumenta, contra text. in Extrav. *Debent circa medium, verſ. Propter quod de offic. Ordinar.* & poteſtas Epiſcoporum creandi tabelliones eſſet planè inanis, & eluſoria, quod eſſe non debet, *c. Commiſſa §. Porrò, de elect. lib. 6.*

Sed contrariam opinionem, id eſt Clericos nec in cauſis 58
Eccleſiaſticis poſſe exercere officium tabellionatus, tenet Vinc. per hanc Decretalem, quæ loquitur indiſtinctè *& ad c. Multorum*, alleg. in gloſſ. reſpondet, Notarium ibi accipi pro ſcriptore, prout accipitur *in l. 3. C. Commun. Deleg.* ubi 59
ſervi notarii quinquaginta ſolidis æſtimantur, & gloſſ. *in verb. Notariis*, exponit, id eſt ſcriptoribus, cùm ſervus non poſſit eſſe Notarius, *ut l. Generali, C. de tabular. li. 10.* Eamdem opinionem amplectitur Speculat. *in tit. de inſtrum. edit. §. Reſtat n. 28.* & Card. hîc *in 1. qu.* dicens hoc dictum Vincentii eſſe communius, & reſpondet *ad d. cap. Quoniam de probat.* alleg. in gloſſ.

60 In hac contrarietate Abb. hìc *n 6. verſ. Ego diſtinguerem*, utitur hanc diſtinctione, videlicet, aut Clerici exercent tabellionatus officium coram Papa, vel in ejus Curia; & debent admitti, præſertim ſi ab ipſo illud obtinuerint: nam Pontifex admittendo, vel officium tribuendo, videtur eos habilitare ad illud exercendum, arg. *l. Idem Vulpians, ff. de excuſat. tutor.* facit quod de Notariis Concilii Trid. dicam infra *n. 68.* Aut hoc officium exercent in alia Curia, vel extra judicium in ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis; & tunc aut habent competentia beneficia, & debent à tabellionatu abſtinere, cum in hoc cap. indiſtinctè id eis prohibeatur, & quia hoc eſt quoddam negotiationis genus Clericis interdictum, ut gloſſ. dicit; aut indigent, & ſunt admittendi, & ſic putat jura diverſa poſſe ad concordiam reduci. Sed contra hanc diſt. Abb. eſt text. *in c. Ut officium, §. Ad conſcribendas de hæret. lib. 6.* inducendo eum, ut ſtatim dicam.

61 Ego indiſtinctè adhæreo ſecundæ opinioni negativæ Vincentii, & ſequacium, quam puto veriſſimam, per text. *in d. § Ad conſcribendas*; nam ibi *conceditur quibuſvis Clericis officium tabellionatus habentibus etiam in ſacris Ordinibus conſtitutis poteſtas exercendi liberè officium ipſum in cauſis fidei, non obſtante ſtatuto contrario Canonis*. Ex quo textu multipliciter conſtat non licere Clericis exercere tabellionatus officium in aliis cauſis ſpiritualibus. Primò, quia hæc poteſtas ibi datur Clericis per modum indulti, ſeu privilegii, ut innuit verb. *Concedentes*: ergo priùs id erat eis interdictum: alioquin quid opus fuiſſet concedere quod jure communi competebat, *leg. 1.* & ibi gloſſ. penult. *C. Quibus non obiic. long. temp. præſcrib.* Secundò, quia ſpeciale eſt in cauſa hæreſis, ut Clerici fungi poſſint tabellionatus officio favore fidei, ut ibi diſponitur: ergo contrarium eſt regulare, *l. Quod verò contra, & l. Jus ſingulare, ff. de legibus*, Car. hìc *n. 3. in fin.* Tertiò, quia hæc indulgentia conceditur ibi Clericis reſtrictivè in cauſis fidei tantùm, ut innuunt illa verba, *Quoad præmiſſa*: ergo in aliis cauſis ſpiritualibus cenſetur eis denegata, gloſſ. *in c. Qualis in verb. Negatur, 25. diſt.* Quartò demum, quia eadem indulgentia datur Clericis in cauſis fidei non obſtante contrario ſtatuto Canonis, & gloſſ. ibi, *in verb. Canonis*, exemplificat per hanc Decretalem, *Sicut te*: ergo hæc Decretalis obſtabat, quominus Clerici poſſent eſſe tabelliones in cauſa hæreſis: alioquin hic Canon non eſſet ſtatutum contrarium, ut ibi dicitur: nec fuiſſet opus illi derogare, cùm derogatio non fiat niſi ad contraria, *c. 1. de Conſtitut. lib. 6. c. Ex parte ſupra de capell. Monach.* Unde jure optimo Gemin. ibi *in 6. not.* ex eo textu notat Religioſos, & Clericos ſæculares etiam in ſacris non poſſe exercere officium tabellionatus, licèt antè fuerint Notarii, etiam in cauſis vertentibus coram judicibus Eccleſiaſticis, ut probat ille textus, dum eis id concedit in caſu illo ſpeciali: quo textu etiam deſtruitur diſtinctio Abbatis, de qua ſupra *n. 60.* quia ibi non diſtinguitur, an Clerici ſint beneficiati, necne, ſed ſimpliciter eis datur hæc poteſtas in cauſis fidei dumtaxat; & quando indigent, poſſunt eſſe tabelliones etiam in cauſis temporalibus, ut patet ex dictis ſupra *n. 11. 23. & 28.* & adde quæ ſcripſi *in c. 1. in 4. quæſt. ſup. eodem.*

62 Nec obſtat, quòd laici non poſſint eſſe tabelliones in cauſis Eccleſiaſticis, ideòque neceſſe ſit dare perſonas Eccleſiaſticas, quæ in eiſdem cauſis hoc officium exerceant, ne alioquin poteſtas Epiſcopor. creandi Notarios ſit fruſtratoria.

Nam reſpondetur negando aſſumptum: imò enim laici poſſunt eſſe tabelliones etiam in cauſis ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis, ut ſcripſi plenè in *c. Quiſquis n. 19. ſupra de elect.* & hæc eſt ipſa veritas, ut inquit Bald. *in c. Decernimus n. 15. ſupra de judic.* & fuit opinio Compoſtellani, & aliorum *in cap. Quia propter de electione*, quam pluribus comprobat, & ab objectis tuetur Abb. hìc *à n. 12.* & veriorem dicit *nu. 17. verſ. An autem laicus*: quæ etiam ſervatur de conſuetudine, ut fatentur Hoſt. & Jo. Andr. ſupra citati *n. 57.* nam ubique locorum Actuarii, ſeu Cancellarii Epiſcoporum ſunt Laici. Et nuper ex decreto Congregationis à Sanctiſſ. D. N. Innocentio X. ablegatus eſt Cancellarius Laicus ad Curiam Archiepiſcopi Beneventani. 63

Demum quoad hoc omnem dubitationem ſuſtulit Concilium Trid. *in c. 10. ſeſſ. 22.* quo tribuitur facultas Epiſcopis, etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, examinandi quoſcumque Notarios, etiamſi Apoſtolica, Imperiali, aut Regia auctoritate creati fuerint, eiſque minùs idoneis repertis, aut in officio delinquentibus prohibendi in perpetuum, aut ad tempus officii ejus uſum in negotiis, litibus, & cauſis Eccleſiaſticis, ac ſpiritualibus. Ergo S. Synodus evidenter ſupponit Notarios Imperiali, vel Regia auctoritate creatos, & ſic Laicos, ante prohibitionem Epiſcopi poſſe hujuſmodi officium exercere, etiam in ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis, cùm privatio ſupponat habitum, *l. Decem, ff. de verb. oblig.* cum concord. & patet ex dictis ſupra *n. 6.* alioquin pœna Concilii eſſet fruſtratoria, contra text. *in c. Commiſſa, §. Porro de elect. lib. 6. & l. Si Prætor, ff. de judiciis*, ut per Hoſt. hìc *n. 8.* Item ex *d. c. 10.* ita demum Notarii prohiberi poſſunt officio uti in ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis, ſi prævio examine reperiantur inhabiles, aut in officio delinquentes. Ergo cæteris hoc intelligitur permiſſum, ex regula, *l. Cùm Prætor, ff. de judic. & c. Nonne de præſumpt.* 64 65

Et eò magis, quia cum dubitaſset Epiſcopus Recanaten. an ex *ſeſſ. 22. c. 10. Cum ex Notariorum, &c.* ibi: *Poſſit Epiſcopis illis non idoneis repertis, &c.* poſset etiam exercendi uſum prohibere in negotiis, & litibus profanis coram judice laico in terris Eccleſiæ: S. Congregatio cenſuit non poſse, quia Concilium loquitur de cauſis Eccleſiaſticis, & ſpiritualibus tantùm: ergo non intellexit de litibus profanis, neque coram laico. 66

Rurſus cùm eſset quæſitum, an facultas prohibendi Notariis minùs idoneis repertis, ne in negotiis, & cauſis Eccleſiaſticis, ac ſpiritualibus ſuum officium exerceant, Epiſcopis tributa Decr. Conc. *c. 10. ſeſſ. 22.* etiam quoad negotia, & lite locorum piorum à laicis adminiſtrat. tributa intelligatur. 67

Item an eadem facultas extendatur ad contractus perſonarum Eccleſiaſticarum, quæ de eorum patrimonialibus bonis conficiuntur; præſertim ſtante conſuetudine, quòd cauſæ hujuſmodi eorum bonorum ratione ad forum Eccleſiaſticum ſpectent.

Die 1. Decembris 1588. S. Congregatio Concilii ad primum cenſuit intelligi tributam.

Ad ſecundum extendi.

Adde, quòd ipſiuſmet Concilii Tridentini duo fuerunt Notarii laicus, & alter Clericus, ut patet ex eorum ſubſcriptionibus, quæ habentur in calce Concilii & hìc junge, quod dixi ſupra n. 60. 68

NE CLERICI VEL MONACHI.

Idem Innocentius III. in Concilio Generali.

CAPUT IX.

SEntentiam ſanguinis nullus clericus dictet, aut proferat; ſed nec ſanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur, interſit. Si quis autem hujuſmodi occaſione ſtatuti, Eccleſiis vel Eccleſiaſticis perſonis aliquod præſumpſerit inferre diſpendium, per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcatur. Nec quiſquam clericus litteras dictet, aut ſcribat pro vindicta ſanguinis deſtinandas. Unde in curiis Principum hæc ſolicitudo non clericis, ſed laicis committatur. Nullus quoque clericus ruptariis, vel balliſtariis, aut hujuſmodi viris ſanguinum præponatur: nec ullam chirurgiæ artem ſubdiaconus, diaconus, vel ſacerdos exerceat, quæ adustionem vel inciſionem inducit: nec quiſquam purgationi aquæ ferventis vel frigidæ, ſeu ferri candentis, ritum cujuslibet benedictionis, aut conſecrationis impendat; ſalvis nihilominùs prohibitionibus de monomachiis ſive duellis anteà promulgatis,

S U M M A R I U M.

1 *CLericis prohibentur omnia illa ex quibus ſequitur vel ſequi poteſt vitæ amiſſio, vel ſanguinis effuſio.*

2 *Clericus nec dictare, nec proferre ſententiam ſanguinis debet, nec quidquam aliud exercere, per quod ad vindictam ſangninis tendatur, nec purgationi vulgari opem ferre.*

3 *Irregulares ſunt teſtes, Judices, Officiales, Aſſeſſores, Advocati, Medici, & Chirurgi conſilium, vel auxilium, aut cauſam præbentes ad mortem, vel membri mutilationem remiſſivè.*

1 S*Ententiam*. Continet plura dicta, & ideò non ſumma-
tur, nec dividitur, Joan. Andr. Sed generaliter ſecun-
dùm Abb. hoc intendit: Clericis prohibentnr omnia illa, ex
quibus ſequitur, vel ſequi poteſt vitæ amiſſio, vel ſangui-
2 nis effuſio Vel ſpecialiùs: Clericus nec dictare, nec pro-
ferre ſententiam ſanguinis debet, nec quidquam aliud exer-
cere, per quod ad vindictam ſanguinis tendatur, nec purga-
tioni vulgari opem præſtare debet. Hoc dicit. Et habet
quatuor dicta principalia, quæ per ſe patent.

In text. ibi, *Vindictam ſanguinis*; ſignatur contrarium in *c. 1. ſupra de homicidio*, ubi refertur lex Exodi: *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur*. Igitur Eccleſia exercet vindictam ſanguinis, cùm lex illa ſit redacta inter Conſtitutiones Canonicas. Solutio. Illud cap. varios habet intellectus, & verbum *Moriatur* multipliciter exponitur, ut ibi dixi à *num. 1. uſque in fin. & in cap. Cum non ab homine, à n. 36. uſque ad num. 47. ſupra de judic.*

Item ſignatur contrarium in, *c. Delatori, ſupra q. ultim.* ubi referuntur verba ex capitulo Hadriani tranſumpta, videlicet, *Delatori lingua capuletur, aut convicto caput amputetur*; & ſic Papa dat jura de pœna ſanguinis, contra id, quod habetur *hic, & in c. His à quibus, 23. q. 8. & in c. 1. & 2. 51. diſt. cum concordant.* Solutio; ut dicit gloſs. in d. *c. Delatori, in verb. Lingua*, ibi docet Papa, quid facere debeat judex ſæcularis. Sed hoc non placet, quia non eſt officium Eccleſiæ inſtruere poteſtatem ſæcularem, ut infligat pęnam mortis, vel mutilationis membri, quin potiùs debet efficaciter intercedere, ut citra mortis periculum ſententiam moderetur, *cap. Novimus, infra de verb. ſignif.* Unde aliter ſolvit Joan. Andr. in d. *cap. 1. num. 1. in fin. de homicid.* dicens illud *cap. Primò ſicut, & cap. Delatori*, fuiſse inſerta in corpore juris, ut ſciantur, non ut ſerventur. Sed magis placet, quod dicunt Laur. & Archid. in d. *cap. Delatori*, videlicet verba *Capuletur*, & *amputetur*, eſse myſticè accipienda, ut plenè ſcripſi in d. *c. 1. n. 4. & ſeqq.*

De irregularitate autem, quam contrahunt teſtes, Judi- 3
ces, Officiales, Aſseſsores, Advocati, & Juriſperiti, Medi-
ci, & Chirurgi, quomodolibet conſilium, vel auxilium, aut
cauſam præbentes ad mortem, vel membri mutilationem,
vide hic plenè per DD. & præſertim per Abb. *à nu. 2. uſque*
in fin. & latiùs per Marian. Soccin. *in cap. Ad audientiam,*
à n. 139. infrà de homicid.

NE CLERICI VEL MONACHI.

Honorius III.

CAPUT X.

SUper ſpecula: & inſta. Contra religioſas perſonas (de clauſtris) exeuntes ad audiendum leges, vel phyſicam, Alexander prædeceſſor noſter olim ſtatuit in Concilio Turonen. ut niſi infra duorum menſium ſpatium ad clauſtrum redierint, ſicut excommunicati ab omnibus evitentur: & in nulla cauſa (ſi patrocinium præſtare voluerint) audiantur. Reverſi autem, in choro, menſa, capitulo, & cæteris, ultimi fratrum exiſtant, & (niſi fortè ex miſericordia ſedis Apoſtolicæ) totius ſpem promotionis amittant. Verùm quia nonnulli ex talibus, propter quorumdam opiniones diverſas, excuſationis aliquid aſſumebant: Nos volentes, ut de cætero ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenùs tam à diœceſanis & capitulis ipſorum, quàm à cæteris Epiſcopis, in quorum diœceſibus in hujuſmodi ſtudent, tales excommunicati, prædictis pœnis obnoxii publicè nuntientur. Quia verò Theologiæ ſtudium cupimus ampliari, ut dilatato ſui tentorii loco, funiculos ſuos faciat longiores, ut ſit fides catholica circumcincta

cincta muro inexpugnabili bellatorum, quibus reſiſtere valeat aſcendentibus ex adverſo: ad Archidiaconos, Diaconos, Plebanos, Præpoſitos, cantores, & alios clericos perſonatus habentes, necnon presbyteros (niſi ab his infra ſpatium præſcriptum deſtiterint) hoc extendi volumus (& mandamus) & appellatione poſtpoſita firmiter obſervari.

S U M M A R I U M.

1 *Excommunicatio latæ ſententiæ an inducatur per hæc verba,* Sicut excommunicatus ab omnibus evitetur, *uſque ad n.* 8.
2 *Declaratio novum jus non inducit.*
3 *Lex declarata erat intelligenda juxta declarationem Principis, etiam antequam declaratio emanaſſet.*
4 *Conſtitutionem implicat eſſe declaratoriam, & non habere locum in præteritum.*
5 *Declaratio Papæ quamvis edita in aliquo ſpeciali caſu facit jus commune quoad omnes.*
6 *Opiniones probabiles excuſant à pœna excommunicationis malè intelligentes Conſtitutionem dubiam.*
7 *Legem canonicam obſcuram malé intelligens non peccat mortaliter, niſi poſt declaratam illius obſcuritatem.*
8 *Religioſi qui in clauſtris audiunt leges, vel medicinam an ſint excommunicati.*
9 *Religioſis potiùs competit lacrymari, lugere, & orare, quàm leges, vel medicinam audire.*
10 *Conſtitutio pœnalis debet potiùs reſtringi, quàm ampliari.*
11 *Religioſus gravius delinquit attentando illicita extra monaſterium, quàm intra illud.*
12 *Presbyteri, & alii hìc prohibiti audientes leges, vel phyſicam in propriis domibus, an incidant in excommunicationem, & n.* 17.
13 *Conſtitutio prohibens perſonis Eccleſiaſticis audire leges, vel medicinam, an ſit odioſa, vel favorabilis, & n. ſeq. uſque ad n.* 18.
14 *Legis diſpoſitio locum habet data aliqua ratione identitatis, ſed non illius pœna.*
15 *Novitii audientes leges, vel phyſicam non incidunt in pœnam excommunicationis.*
16 *Parochi non Presbyteri qui leges audiunt, vel medicinam, non ligantur hanc Conſtitutione, niſi Eccleſiæ fuerint plebaniæ ſub ſe capellas habentes, in quibus inſtituantur clerici perpetui.*
17 *Clerici dignitatem, vel perſonatum habentes, aut Presbyteri excommunicati ſunt poſt duos menſes à die, quo inceperint leges, vel medicinam audire.*
18 *Religioſi, & alii Eccleſiaſtici hìc prohibiti, qui leges vel medicinam legunt, ſeu docent, an ſint excommunicati, & num. ſeq. uſque ad num.* 21. *& num.* 37. *uſque ad num.* 45.
19 *Scientiam prohibitam diſcere, vel docere culpa ſimilis eſt.*
20 *Simoniaca quædam dicuntur quia prohibita, quædam prohibita quia ſimoniaca.*
21 *Lex debet eſſe impoſita rebus, & non verbis.*
22 *Religioſi qui leges, vel medicinam audiunt intra clauſtra non ligantur excommunicatione, ſecus ſi extra.*
23 *Clerici ſæculares prohibiti ligantur ubivis audiant.*
24 *Legales materiæ quamplures in Decretalibus ſunt inſertæ, quarum vix notitia haberi poteſt ſine legali ſapientia.*
25 *Civilis ſcientia eſt pars divinæ, & neceſſaria eſt in Eccleſia Dei ſaltem in temporalibus, & n.* 32.
26 *Roffredus Beneventanus increpatur, quòd irreverenter de Papa loquutus fuerit.*
27 *Canoniſta legales materias difficiles privato ſtudio aſſequi non poteſt.*
28 *Studens per ſeipſum, per ſeipſum ignorat.*
29 *Civilis facultas licèt neceſſaria ad regimen Reipublicæ; tamen exerceri debet per ſuos miniſtros, ideſt Laicos, & Clericos non prohibitos.*
30 *Studium juris civilis ad intelligentiam Canonum Regularibus, aut Clericis ſæcularibus perſonatum habentibus, vel Presbyteris non prohibetur.*
Leges civiles ſacris Canonibus ancillantur, ibidem.
31 *Theologiæ appellatione an comprehendatur ſcientia canonica.*
32 *Religioſi, & alii hìc prohibiti non excuſantur à pœnis hujus Conſtitutionis, eò quòd leges civiles audiant ad intelligentiam Canonum.*
33 *Studentibus juri civili an debeantur fructus Præbendarum in abſentia.*
34 *Beneficiatis non curatis tenetur Ordinarius dare licentiam ſtudendi in publica Univerſitate Theologiæ, vel juri canonico, ſi ſtatus Eccleſiæ patiatur, & minores ſint triginta annis.*
35 *Studium principale juris civilis an ſint permiſſum in Camera Eccleſiaſticis, de quibus in hac Conſtitutione.*
36 *Civilis ſapientiæ laudes à Petro de Ancharano exaratæ.*
37 *Religioſi qui leges, vel phyſicam docent intra clauſtra, non ligantur hac Conſtitutione.*
38 *Et quid ſi extra clauſtra, & num. ſeq. uſque ad num.* 45.
39 *Intellectus* c. Non magnoperè, ſuprà eod.
40 *Lex unde dicta.*
41 *Studere quid ſit.*
42 *Papa ſolus poteſt verba dubia generalium Conciliorum per modum legis interpretari.*
43 *Religioſi cur potiùs prohibeantur leges audire, quàm docere.*
44 *Jura non conſtituuntur ex iis, quæ uno aliquo caſu accidere poſſunt.*
45 *Regulares è clauſtro exeuntes ad audiendas leges, vel medicinam, an ſint excommunicati ipſo facto, an verò poſt lapſum duorum menſium.*
46 *Tempus duorum menſium, quo elapſo Eccleſiaſtici audientes leges, vel medicinam ſunt excommunicati, quando incipiat currere.*
47 *Regulares audientes leges extra monaſterium, ſi certum ſit eos infra duos menſes ad clauſtrum redire non poſſe, an ſtatim ligentur excommunicatione.*
48 *Regulares audientes extra clauſtra leges, vel medicinam, poſt duos menſes à die exitus ſunt excommunicati, licèt anteà eos pœnituerit.*

Super ſpecula. Hæc Decretalis ſecundùm Joan. Andr. & omnes hoc intendit in ſumma: Conſtitutio Turonenſis Concilii puniens Religioſos audientes leges, vel phyſicam, eſt latæ ſententiæ, & incidentes in illam debent per locorum Ordinarios publicari; & extenditur ad habentes dignitates, vel perſonatus, & ad Presbyteros: & pars hujus habetur in *cap. Super ſpecula infra, de magiſtr. & in c. Super ſpecula, de privileg.* Dividitur in quatuor partes. Prima reperit diſpoſitionem Turonenſis Concilii. Secunda commemorat opiniones quæ irrepſerant in illius interpretatione, ibi, *Verùm*. Tertia determinat, ibi, *Nos*. Quarta extendit, ibi, *Quia verò*.

Nota primò, Canonem Turonenſis Concilii imponentem pœnam excommunicationis Religioſis audientibus facultates hìc prohibitas, per illa verba, *Sicut excommunicati ab omnibus evitentur, ut in c. Non magnoperè, ſupra eodem*, eſſe latæ ſententiæ; prout in ſumma hujus textus tenent Joan. Andr. Anton. de Butr. Cardin. Petr. de Anchar. Abbas & cæteri omnes: & ſic collige per hujuſmodi verba, *Sicut excommunicatus ab omnibus evitetur*, prolata à jure, vel ab homine, promulgari excommunicationis ſententiam ipſo jure, ut hic notat Butr. *num.* 1. dicens per hoc decidi quæſtionem, quam de hujuſmodi verbis ponunt Doctores in *cap. Placuit, de Judæis*: ſed contrarium ex diametro ex hoc textu colligit Petr. de Anchar. *num.* 3. *in* 2. *notab.* ubi nota illa verba, *Sicut excommunicatus ab omnibus habeatur*, non importare excommunicationem ipſo jure, ſed per judicem ferri debere, ut patet in verb. *Nos volentes, ut de cætero ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant*? quaſi ante præſentem Conſtitutionem pœna Turonenſis Concilii, quod loquitur per prædicta verba, 1

non

non eſſet latæ ſententiæ, ſed ferendæ. Similiter Abbas *hìc nu.* 1. licèt Anchar. mentionem non faciat, redarguit Butrium, quòd non benè dixerit; quia *c. Non magnopere*, loquebatur per hæc verba; *Sicut excommunicati ab omnibus evitentur*: & tamen inſurgebant opiniones probabiles, an talia verba eſſent latæ ſententiæ. Unde cum articulus eſſet dubius, Papa voluit eum expreſsè declarare, & decide re; ut de cætero tales forent ipſo jure excommunicati: & ſic Papa noluit probabiliter præteritos ligari; & circa intellectum verbi, *De cætero*, remittit ad notata per gl. in *cap. unico, in ver. De cætero, de poſtul. Prælator. lib. 6. & in cap. fin. infra de Sponſa duor.* unde credit per talia verba prolata à jure, vel ab homine non induci indiſtinctè ſententiam ipſo facto, quia Papa ſolum fuit in caſu noſtro illa verba interpretatus; præſertim cùm utatur verbo, *Volentes, ut de cætero*: ex conjecturis autem putat hoc poſſe deprehendi, juxta notata *in c. 1. de Judic. c.* tandem concludit: ſi materia ſubjecta eſt gravis veriſimiliter ponderata, erit Canon latæ ſententiæ; aliter ſecus, arg. Clem. *Exivi de Paradiſo*, §. *Item quia, de verb. ſignific.* ſi autem hæc verba ſint prolata ab homine, conſiderabimus, an proferens eſſet in actu ferendi ſententiam excommunicationis, nec ne, vel quid ſimile.

2 Ego verò exiſtimo Butr. benè dixiſſe, & immeritò per Abbat. reprehendi, quia etſi ante editionem hujus Decretalis potuiſſet eſſe dubium, an hujuſmodi verba importarent excommunicationem ipſo jure, & opiniones probabiles tunc temporis præberent legitimam cauſam excuſationis: tamen Papa hìc declaravit Conſtitutionem Conc. Turonenſis, quæ loquitur per illa verba, eſſe latæ ſententię; & per hanc declarationem novum jus non induxit, ſed tantùm quod priùs latebat, manifeſtavit; hęc enim eſt natura declarationis, *l. Hæredes palam*, §. *Quod verò*, & §. *Sed etſi notam*, *ff. de teſtam.* ubi de hoc eſſe caſum ad litteram dicit Bellam. *dec. 746. col. 2. verſ. Ideò talis dicitur propria declaratio*, & notant Gemin. *conſ. 72. in fine*, & Philipp. Prob. plura cumulans *in addition. ad Monach. in cap. 1. de privileg. in 6.* exemplo ejus qui excutit granum ex ſpicis, qui non novam ſpeciem facit, ſed eam, quæ eſt, detegit, *l. Adeo*, §. *Cum quis*, *ff. de acquiren. rerum domin.* Raphael. Fulgoſ. *conſ. 157. in fine, verſ. Ad ſecundum*, Vitalin. in Clem. *unica*, §. *Nos itaque, num. 22. de jurejuran.* Et proptereà DD. & ipſimet Ancharan. & Abbas ſummantes hanc Decretalem, non dicunt pœnam excommunicationis ipſo jure hìc fuiſſe inflictam, ſed dicunt Conſtitutionem Turonenſis Concilii eſſe latæ ſententię, quia ſcilicet Papa hìc novam pœnam non imponit, ſed jam impoſitam declarat: ex quo ſequitur, ut quamvis ſuper intelligentia Concilii Turonenſis diverſi diverſa opinarentur, verè tamen pœna, de qua ibi erat ipſo jure impoſita etiam ante declarationem hìc factam. Siquidem lex declarata erat intelli-
3 genda juxta declarationem Principis, etiam antequam declaratio emanaſſet. Textus eſt ſingularis, qui hoc efficaciter probat in Authent. *de raptu mulier. quæ raptor. nu. in fine*, ibi: (Tamquam ſi lex noſtra ab initio cum tali interpretatione promulgata fuiſſet;) quem textum ad hoc propoſitum dicit meliorem de jure Felin. *in c. fin. num. 4. in ſecunda fallentia ſupra de Conſtitut.* & tradit gloſſ. *in c. Sicut nobis, in verb. Reſpondemus, de verborum ſignificat.* Ra-
4 tio eſt, quia lex declarans eſſentialiter ineſt legi declaratæ, Oldrad. *conſ. 263. num. 2. & ſeq. verſ. Et advertendum eſt*; & ideò retrotrahitur ad tempus editionis legis declaratæ, & ex eo tempore incipit obligare, ut in Authent. *de fil. ante dotal. inſtrum. nat.* §. 1. & *in l. Aſſe toto, ff. de hæred. inſtitut.* Felin *in d. c. fin. n. 4.* ubi Dec. *n. 44.* dicit implicare contradictionem, & repugnantiam quamdam, ut ſit Conſtitutio declaratoria, & non habeat locum in præteritis.

5 Nec obſtat motivum Abbatis, quòd Papa ſolùm in caſu noſtro ſic fuerit interpretatus verba Concilii Turonen. Quia reſpondetur declarationem Papæ quamvis editam in aliquo ſpeciali caſu, facere jus commune. Caſus eſt in *c. Ex multa de voto*, per quem textum ita docet gloſ. in *c. Ex tua in verb. Conſultationem de filiis Presbyt.* & Felin. *in c. 1. num. 17. de Conſtitut.* unde videmus ſententiam Principis quæ venit ad declarandum aliquod dubium juris, quamvis lata fuerit inter partes, & in eo caſu particulari tamen conſtituere jus generale quoad omnes quia non ſolùm habet vim ſententiæ, ſed etiam generalis ſtatuti, ut eſt textus *in l. fin.* & ibi notat Baldus *num. 1. Cod. de legibus*. Rurſus non obſtant illa verba, *Volumus de cætero*, quæ non videntur congruere Conſtitutioni declaratoriæ, quæ non tantùm reſpicit futura, ſed etiam trahitur ad prę-
terita, ut proximè dictum eſt. Etenim pro ſolutione hujus 6
difficultatis obſervandum eſt, verba Concilii Turonenſis, *Sicut excommunicati ab omnibus evitentur*, fuiſſe dubia propter illud verbum, *Sicut*, quod videbatur ſimilitudinem importare, quaſi non eſſent ipſo jure excommunicati, ut ibi per Joan. Andr. *in verb. Sicut*. Unde diverſæ erant opiniones, quas hic recitant Hoſtienſis & Doctores, & propter hujuſmodi opiniones probabiles Religioſi audientes facultates ibi prohibitas, excuſabantur à pœna excommunicationis, ut hìc notat Cardinalis *num. 1. verſ. in ſecundo notab.* Ad hoc *cap. un. verſ. niſi quando probabiliter dubitatur de poſtul. Prælat. lib. 7.* Papa autem hìc declarans verba dubia illius Conſtitutionis vult, ut Religioſi audientes facultates ibi prohibitas non poſſint prætextu opinionum ſe ampliùs excuſare ab illius obſervantia, ſed de cætero ſint ipſo facto excommunicati. Et dixi, *De cætero*, quia priùs nòn ligabantur; non quod verba Concilii non eſſent latæ ſententiæ, ſed quia ante declarationem Papæ id non erat manifeſtum, & ſic adverbium illud, *De cætero*, retinet propriam naturam, ut non trahatur ad præte-
rita, ut optimè declarat gloſſa præallegata in dict. *c. unico* 7
in ver. De cætero, quia ſcilicet malè intelligens legem Canonicam obſcuram, ac difficilem intellectu, non peccat mortaliter, & conſequenter non eſt excommunicatus, *c. Nemo Epiſcoporum*, 11. q. 3. niſi poſt declaratam illius obſcuritatem, ut inquit Felinus in *cap. Per tuas, il ſecondo, num. 6. verſ. Quinta concluſio, de Simonia*, poſt Innoc. ibi *ad finem*, & Baldus *in l. Ab eo, in 3. col. Cod. Quomodo, & quando Judex*. Concludo igitur hujuſmodi verba, *Sicut excommunicati ab omnibus evitentur*, ſive prolata à jure, ſive ab homine, ſemper fuiſſe latæ, ſententiæ, licèt hoc non fuerit manifeſtum, niſi poſt declarationem, de qua hìc: & conſequenter verum eſſe quod ait Butr. per hanc Decretalem decidi controverſiam, quæ ſuper hoc erat inter Doctores, juxta notata in d. *cap. Placuit, de Judeis*.

Secundò nota ibi, *De clauſtris exeuntes*, ita demum 8
Religioſis ligari hac Conſtitutione, ſi è clauſtris exeant ad audiendas leges, vel medicinam: ſecus ſi non exeant, ſed in clauſtris hęc audiant, ſecundùm Innoc. *hìc in princip.* Quod tamen verum putat Hoſt. quoad verba, *ſed mens contradicere videtur*, argum. infra eod. §. *Quia verò*: putat tamen hoc egere declaratione, & in dubio conſulit, ut Religioſus reputet ſe ligatum, argum. *cap. Illud*, §. *Licèt autem, infra de Cler. excomm. miniſtr.* exitus enim videtur fuiſſe cauſa impulſiva hujus Conſtitutionis, finalis verò ampliatio ſtudii ſacrę Theologię. Et quia prædictæ ſcientiæ Religioſis non congruunt, cùm eis etiam illarum exercitium prohibeatur, *c. 2. ſupra de poſtul. & c. Tua nos*, §. *1. infra de homicid.* quæ ratio eſt expreſſa in d. *c. Non magnopere*, ibi; *Ne occaſione ſcientiæ ſpirituales viri mundanis rurſus actionibus involvantur*; & proptereà hęc Decretalis collocata eſt ſub hac rubrica: nam potiùs eis competit lacrymari, lugere, & orare, *c. 4. & 5. q. 1.* ſecundùm Hoſtienſ. cum quo tranſeunt Joan. Andr. *in princ.* Ant. de Butr. *nu. 6. verſ. Quæro, an habeat*, Cardin. *num. 4. verſ. Item hoc quod hic dicit*, Petrus de Anch. *numer. 2. in 1. notab.*

Et pro hac opinione Hoſtienſis ſecundùm Abbatem *nu.*
13. facit textus hìc in fine, ubi quoad Clericos ſæculares 9
non ponderatur exitus Eccleſiarum: unde in eis dicunt DD. ſpatium duorum menſius computari à tempore, quo incipiunt audire facultates hìc prohibitas: quare ſi ſæcularibus infliguntur pœnę, ubicumque audiant, vel ſtudeant ergo fortiùs idem dicendum in Religioſis quibus principaliter hujuſmodi ſcientię fuerunt interdictæ, ut in d. *c. Non magnoperè, ſup. eod.*

Sed his non obſtantibus Abbas ſequitur primam opinio- 10
nem Innocentii, quia Conſtitutio pœnalis non debet ampliari, ſed potiùs reſtringi, *cap. Cùm in cunctis, de elect.* juncto *cap. Si compromiſſarius, eod. tit. lib. 6.* ſed Canon Concilii Turonenſis, de quo in dicto *cap. Non magnopere*, & hæc Decretalis illum referens loquitur tantùm de Religioſis è clauſtro exeuntibus ad audiendas leges, & non redeuntibus intra ſpatium duorum menſium; ergo illius

illius pœna extendi non debet ad non exeuntes, ſed ſtudentes, vel legentes in monaſterio.

11 Simile in Clement. *Ne in agro*, §, *Quia vero*, *de ſtatu Regular.* præſertim verò quia magis delinquit Religioſus qui è clauſtro exit ex cauſa illicita, & Monaſterium deſerit, arg. *c. Placuit*, 16. *q.* 1. quàm qui rem illicitam intra clauſtra attentat, cùm hoc ultimo caſu committat unum peccatum, & in præcedenti duo; unde meritò pœna ibi fuit magis ſpectanda, arg. *c. Non afferamus*, 24. *q.* 1. *& l. Reſpiciendum*, *ff. de pœnis.*

12 Neque obſtat, quod dictum eſt de ſæcularibus Clericis, quia ipſi non habent Monaſterium, è quo poſſint exire, unde verba Conſtitutionis eis non adaptantur. Prætereà ſecundùm Abb. non eſſet peccatum attentare, quòd etiam Clerici ſeculares evaderent has pœnas, ſi in propriis domibus ſtuderent facultatibus hìc prohibitis: movetur, quia cùm hęc Decretalis in verſ. *Quia vero*, extendat Canonem Concilii Turonenſis ad habentes perſonatus, &c. ut hæc ſit vera extenſio, fieri debet cum omnibus ſuis qualitatibus, & ſic cùm ad illas audiendas exeunt ex propriis laribus, & re ipſa illis dant operam; nam Conſtitutio pœnalis non eſt multùm laxanda maximè cùm ex ſe legalis ſcientia non ſit mala, ſed neceſſaria ad regimen univerſalis Eccleſiæ, ſaltem in temporalibus.

Ut vides, opinio Hoſtienſis videtur communiter teneri ſed opinio Innocentii verior videtur, & pro ea valdè ſtringunt conſiderationes Abbatis, & eam ſequitur Butr. *hìc n.*
13 6. *in fin.* & Collect. *in princ.* Verùm Abbatis motiva videntur confundi per ea, quę idem Hoſtienſis tradit *hìc n.* 3. *in verb. Ampliari*, dum dicit hanc Conſtitutionem non eſſe pœnalem, ut quidam ſomniarunt, ſed favorabilem, cùm non in odium tranſgredientium, ut hìc patet, ſed in favorem Theologię, & fidei, ut ſequitur, fuerit promulgata: ergo non eſt contra ipſam; ſed pro ipſa interpretatio facienda, quia ſumma eſt ratio, quæ pro Religione facit, *l. Sunt perſonæ*, *ff. de relig. & ſumptibus funer.* Quare ratione, ut hìc dicitur, prohibitio, & pœna Turonenſis Concilii ampliatur, & extenditur ad omnes perſonatus habentes, & etiam Presbyteros.

At reſponderi poteſt primò, in Conſtitutione Concilii Turonenſis, quæ de Religioſis loquitur, non exprimi illam rationem ampliationis ſtudii Theologiæ, ſed aliam tantùm videlicèt ne ſpirituales viri mundanis actionibus involvantur; unde cùm ſit odioſa, & pœnalis, debet potiùs reſtringi, quàm ampliari, *cap. Odia*, *& cap. In pœnis*, *de reg. iur. in* 6. *cap. Pœnæ*, *de pœnitent. diſt.* 1 & quod legitur, & notatur *in cap. Statutum*, *de elect. lib.* 6. & in prima parte hujus textus ſimpliciter refertur ſumma illius Conſtitutionis, nec ulla ratio exprimitur: ſed poſteà ratio ampliationis ſtudii Theologiæ exprimitur in ſecunda parte, ubi dicta Conſtitutio extenditur ad Clericos ſæculares, ibi, *Quia verò*. Unde eſto hæc conſtitutio eſſet favorabilis, de quo ſtatim dicam; tamen hoc videretur intelligendum reſpectu ſęcularium dumtaxat, non autem reſpectu Regularium.

Nec licet arguere, ut putat Hoſtienſ. Conſtitutio Concilii hìc extenditur à Papa, ergò eſt favorabilis; quin potiùs hoc probat oppoſitum: nam ſi ſui natura eſſet favorabilis, non fuiſſet opus, ut Papa illam extenderet per novam Conſtitutionem, ſed extenſio fieri debuiſſet per viam declarationis ob rationis identitatem: propterea igitur Papa illam extendit, quia ſine hujuſmodi extenſione tamquam odioſa, & pœnalis fuiſſet ſtrictè intelligenda.

14 Deinde reſpondetur, data aliqua identitate rationis, locum habere legis diſpoſitionem, ſed non illius pœnam, juxta theoricam Jo. Andr. *in cap. Diſpendia*, *de reſcr. lib.* 6. quam ſequitur Abb. *hìc num.* 13. *verſ. Facit quod notat*: unde quatenùs Religioſi ex mente Conſtitutionis prohibeantur leges, & phyſicam audire etiam intra clauſtra, non tamen ſi contraveniant, incidunt in pœnam excommunicationis.

Tertiò reſpondetur Canonem Turonenſis Concilii ad ſummum poſſe dilatari, quatenùs patitur verborum latitudo; ſed non poſſe extendi ad caſus omninò diverſos, & in latiori ſignificatione verborum non comprehenſos, *l.* 4. §. *Toties*, *ff. de damn. infect.* alioquin liceret illum extendere etiam ad Diaconos, & Subdiaconos: nam & in eis conſiderari poteſt ratio ampliationis ſtudii Theologiæ, & ratio prohibitionis immiſcendi ſe negotiis ſæcularibus; quod tamen nemo auderet affirmare. Hinc fit, ut quam- 15
vis novitius dicatur Religioſus, *c. Religioſo*, §. *fin. de ſent. excomm. in* 6. quo textu Arch. dicit corrigi ſententiam Innocentii, qui id negaverat in *c. Statuimus*, *de reg.* tamen hæc prohibitio non habet locum in novitiis; quia etſi loquatur de Religioſis, tamen addit verbum, *Profeſſi*, quod non convenit novitio: lex autem non imprimit effectum ſuum, niſi in illas perſonas, quibus verba legis congruunt & adaptantur, ut Gemin. inquit *conſ.* 88. Innocentius Papa ſub *n.* 4. *verſ. Cùm ergo concurrant*: & propterea Joan. Andr. Butr. Card. & cæteri omnes ſic ſummant, *cap. Non magnoperè*, *ſup. eod.* videlicet, Religioſi profeſſi exeuntes, &c.

Hinc etiam videmus hanc prohibitionem ſecundùm Do- 16
ctores non extendi ad habentes ſimplices parochiales ſine perſonatu, quamdiu non ſint Presbyteri, licèt ſit major ratio in habentibus curam animarum. quàm in perſonatibus curam non habentibus; idque non alia ratione, niſi quia verba textus illis non conveniunt, ut tenent Goffred. Petr. de Sampſ. & Abb. Antiq. *hìc*; & quamvis Bernard. Innoc. & Hoſt. contrarium ſenſerit, tamen Abb. Antiq. *in princ.* in gloſ. *Ad omnes prædictas*, refert ſuper hoc jam emanaſſe interpretationem Apoſtolicam, & illam vidit Gregorius IX. & eſt interpretatus, hanc Conſtitutionem *Super Specula*; Sabbato proximo ante feſtum B. Joannis, non extendi ad Clericos ſimplices curam animarum habentes, niſi eadem Eccleſiæ fuerint Plebaniæ ſub ſe capellas habentes, in quibus inſtituantur Clerici perpetui: hodie hanc determinationem habemus expreſſam *in c.* 1. *hoc tit. lib.* 6. ut mox dicetur.

Demùm reſpondetur, prohibitionem, de qua in hoc textu, nec reſpectu religioſorum, nec reſpectu ſæcularium extendi poſſe etiam ex identitate rationis. hoc probat efficaciter textus in *d. c.* 1. ubi declaratur ſtatutum hoc Honorii III quod Clericis perſonatum habentibus audire leges, vel phyſicam interdicit, non habere locum in habentibus parochiales Eccleſias ratione dictarum Eccleſiarum; & tamen in illis erat major ratiò prohibitionis, quàm in habentibus ſimpliciter perſonatus ſine cura, ut dicit gloſſ. *hìc in verb. Presbyteros*, *circa med. verſ. Major enim ratio eſt*: ergo hæc Conſtitutio ex identitate, imò etiam ex majoritate rationis non extenditur Rationem hujus declarationis reddit gl. ibi, *in verb. Declaramus*, quæ à DD. communiter recipitur, videlicet, quia Decretalis hæc eſt pœnalis & ideò reſtringenda, & ſubdit gloſ. ibi, reprobatam eſſe opinionem Hoſtienſis, qui dixit illam eſſe favorabilem, & ampliandam.

Ex quibus concluditur, Religioſos audientes facultates hìc prohibitas intra monaſterii clauſtra non ligari hac Conſtitutione; puto tamen verum non eſſe quod dixit 17
Abbas non eſſe peccatum attentare, quòd nec Clerici ſęculares ligentur, ſi illas audiant in camera, & non exeant è propriis laribus: & arbitror Abbatem hoc dixiſſe potiùs ad oſtentandam ingenii ſubtilitatem, quàm quòd ita ſenſerit: nam extenſio à Religioſis ad ſæculares hìc non fit ſimpliciter, ſed Papa extendit, & in extenſione præſcribit novam formam, ſtatuendo, ut in excommunicationem incidant, niſi ab his infra præſcriptum ſpatium deſtiterint; & ſic in eis non conſiderat, niſi continuationem, & perſeverantiam in audiendo; & conſequenter ſpatium duorum menſium debet computari ab eo tempore, quo incipiunt audire, prout tenent communiter Doctores: & eò magis quia Clerici ſæculares attentantes illicita extra proprios lares non delinquunt dupliciter, ſeu graviùs ſicut delinquunt regulares, quia illicita attentant extra clauſtra, ut idem Abb. fatetur, & dictum eſt ſupra *n.* 11. unde major eſt ratio prohibitionis in Religioſis exeuntibus è monaſterio, quàm in ſæcularibus exeuntibus à propriis domibus: faciunt Decreta Concilii Tridentini *de regul. degen. & delinquen. extra clau. in c.* 3. *ſeſſ* 6. *de degen. intra clau. & extra ea notoriè*, *& cum ſcandalo delinquentibus*, *in c.* 14. *ſeſſ.* 25. *de reg.*

QUÆRO, an perſonæ Eccleſiaſticæ, hìc prohibitæ 18
poſſint leges, vel medicinam aliis legere.

Hoſtienſis *hìc num* 3. *in verb. Student*, tenet non ſolùm prohiberi auditum, ut hìc in primò reſponſo, ſed etiam lectionem, ut eſt expreſſum in *cap. Non magnoperè*, §. 1. *ſupra eodem*; quinimò & ſtudium, ut hìc patet in verb. *ſtudent*, ſubaudit, principaliter; & de utroque eſt expreſ-

ſum

ſum in c. Super Specula, §. final. in primo reſpoſo, in fine, infra de privileg. Imò tenet Hoſt. nu. 5. verſ. Sed numquid,
19 nec in Camera ſua poſſe perſonas Eccleſiaſticas aliquibus ſociis leges privatim legere, quia culpa ſimilis eſt ſcientiam prohibitam diſcere, vel docere, l. Culpa, C. de maleſ. & mathem. l. 2. Cod. de hæred. Et quamvis quidam dicant prædicta jura loqui de ſcientiis, quæ malæ ſunt in ſe, quia omninò ſunt damnatæ, & ideò prohibitæ; ſecus de ſcientiis, quæ in ſe non ſunt malæ, & ideò ſolummodò audiri
20 non debent, quia prohibitæ: ſicut aliàs quædam dicuntur eſſe ſimoniaca, quia prohibita; quædam prohibita, quia ſimoniaca, ut notatur in c. Ex parte, il primo ſupra de offic. Delegat, tamen quidquid dicant, ſemper verum eſt lectionem prohiberi, & ſtudium, ut ex dictis pa-
21 tet. Talis ergo ſententia non evadet, alioquin lex eſſet impoſita verbis, & non rebus, quod eſſe non debet, l. 2. in fine, Cod. Commun. de legat. nam quidquid ſonent verba juris, tamen de intentione ſemper curandum eſt, cap. Ex multiplici, ſupra de decim. & c. Ad aures, de reſcript. cum ſuis concordant. Sic ergo, ut Hoſtien. concludit n. 6. Perſonæ Eccleſiaſticæ, de quibus hìc, ab auditu harum ſcientiarum, & lectione non ſolùm in ſcholis, ſed in cameris, & principali etiam ſtudio prohibentur: ſequitur Jo. Andr. num. 5. Butr. num. 10. in 6. q. & Card. in princ. & nu. 6. in 7. quæſt.

Tu adverte, quia in his dictis Hoſt. implicantur tres quæſtiones, quæ non omnes una eademque ſolutione ſunt dirimendæ.

22 Prima quæſtio eſt de audientibus facultates hic prohibitas, & in his breviter ſic diſtingue: Aut quæritur de Religioſis, aut de Clericis ſæcularibus. Primo caſu, aut Religioſi audiunt has facultates extra clauſtra, & abſque dubio ſunt ipſo jure excommunicati, ut eſt caſus apertus hic in primo reſponſo: intellige poſt duos menſes à die exitus computandos, ut dicam infra in ſecunda quæſtione principali nu. 45. Si verò illas audiant intra clauſtra, non ligantur, quia cùm hæc Conſtitutio loquatur de exeuntibus, & ſit pœnalis, non debet extendi ad eos, qui non exeunt, ſecundùm Innocen. cujus opinionem veriorem eſſe ſuperiùs oſtendimus in 2. notab. n. 8.

23 Secundo autem caſu manifeſtum eſt, clericos ſæculares habentes dignitates, vel perſonatus, ac etiam Presbyteros ligari hac conſtitutione, ubivis audiant leges, vel medicinam in propriis domibus: nam eis qui regulares non ſunt, & clauſuram non habent, aptari non poſſunt verba illa textus, De clauſtris exeuntes, ut ſimiliter oſtenſum eſt ſupra n. 17.

24 Sed contra literam hujus tex. quo Eccleſiaſtici prohibentur audire leges civiles, fortiter objici poteſt: præcipitur enim nobis ſupra in proœmio §. fin. ut hac compilatione tam in judiciis, quàm in ſcholis omnes utamur. Cùm igitur hoc nobis mandatum ſit, videtur mandatum & omne id, ſine quo hoc expediri non poteſt, c. Præterea, ſupra de offic. deleg. l. fin. ff. de juriſdict. omn. judic. l. Ad rem mobilem, & leg. Ad legatum, ff. de procur. Sed hac compilatione uti non poſſumus, niſi ipſam ſciamus, ſaltem quoad legales materias, & niſi earum notitiam habeamus; ſed nec ſufficientem notitiam habere poſſumus, niſi & ipſas leges audiamus: ergo ſequitur, ut omnes hodie poſſimus audire leges; & ſic per proœmium corrigitur, quod hic dicitur; complura enim legalia in hac compilatione ſunt inſerta, quarum notitia vix, ac ne vix quidem haberi poteſt ſine legali ſapientia. Quæ ut dicunt hìc Doctores cùm coram Canoniſta ventilabuntur, ignorabit penitùs, quæ ſit natura illius actus, & quid in ea veniat ratione moræ, vel culpæ; & ſic ignorabit jura, & erit judex ſine juſtitia contra c. Forus, infra de verb. ſignif. Et de his materiis legalibus loquuntur in ſpecie c. fin. de offic. deleg. cap. fin. de offic. jud. c. fin. de pactis, c. fin. de tranſact. c. Mandato, de procur. cap. fin. Quod metus cauſ. c. penult. & fin. de reſtit. in integr. cap. penult. & fin. de foro compet. & de libelli oblat. per tot. c. unico, de plus petit. cap. fin. de depoſ. c. pen. & fin. de locato, cap. fin. de pignor. cap. fin. de judic. cap. unico, de infant. expoſit. cap. de uſur. de novi oper. nuntiat. per tot. & cap. fin. de injur. & paſſim alibi in his decretalibus reperies materiam legalem, quam aut non debuiſſet author interferere, ſi adeò lex civilis odioſa eſt, aut hanc prohibitionē debuiſſet de medio tollere: turbat enim acumen legentium, & deficere cogit, qui eos à legendis ſæcularibus literis æſtimat prohibendos, c. Turbat, 37. diſt. Præſertim verò, quia civilis ſcientia eſt pars divinæ, 25
ut Doctores dicunt: unde leges dicuntur ſacratiſſimæ, l. Leges ſacratiſſimæ, Cod. de legibus, & alibi dicuntur ſanctiſſimæ, ut in l. 1 ff. de variar. & extraordin. cognit. & per ora Principum Deus dicitur illas promulgaſſe, ut in c. fin. 15. qu. 3. & l. fin. Cod. de præſcript. 30. vel 40. annorum, & locum ſuum neceſſariò obtinent in Eccleſia, ſaltem quoad regimen temporalium, quæ non ſunt contemnenda, c. Videntes, 12. q. 1. & c. Si quis objecerit, 1. q. 3. Unde ut 26
refert hìc Jo. Andr. ſub n. 5. dicebat Roffredus Beneventanus, Papam cùm duobus Conſiliariis hic feciſſe ſicut vulpes faciunt, quæ damnant cera ſa, cum ipſa non poſſint comedere; adjiciens ad regimen Eccleſiæ ſummè neceſſariam eſſe civilem ſcientiam, & ubi de jure tractatur, illam ignorantes ſedere ut teſtes: eum tamen meritò redarguit Card. nu. 3. verſ. Propter hoc dixit Roffredus, & Abb. numer. 17. ad finem, quia honeſtiùs loqui debuiſſet de Papa, qui maximè in promulgandis juribus procedit cum magna maturitate, & propterea cenſetur habere jura in ſcrinio pectoris, c. 1. de conſtit. in 6.

Huic objectioni, Hoſtien. n. 3. ad finem, verſ. Non obſtat, & poſt eum Joan. Andr. numer. 5. verſ. Solutio, & 27
Cardin. num. 3. verſ. Dicit Hoſtienſis, reſpondent non obſtare, quod dictum eſt de juribus legalibus, quæ habentur in hac compilatione, quia ſine principali ſtudio, lectione, & auditu legum per libros legales, qui haberi poſſunt, & gloſſas ſuas, ſufficiens notitia de ipſis haberi poteſt & qui dubitat, quærat; neque enim ligatur, qui de dubiis interrogat, & certiorari deſiderat, dummodò ibi principaliter non ſtudeat; ad hoc cap. final. 37. diſtin. cap. Si habes, 24. qu. 3. cap. un. §. final. ſupra de offic. Primicer. l. Apud Julianum, ff. de fideicommiſſ. libert. Sed certè, ut inquit Anchar. hic n. 5. materias communes, ut eſt materia judiciorum multum communis Canoniſtis, & Legiſtis, benè poterit aſſequi Canoniſta per ſtudium Cameræ, ſed non materiam teſtamentorum difficilem, & illam de verborum obligationibus, & multas alias Canoniſtis ignotas; 28
& refert ſe multoties audiviſſe à Doctore ſuo [idest Baldo] qui per ſeipſum ſtudet, per ſeipſum ignorat. Vox enim viva multùm confert, ut ait Hieron. ſuper proœmio primo Geneſ. & habet neſcio quid latentis energiæ, ut idem dicit epiſt. 36.

Cæterùm etſi hæc prohibitio aliquibus videatur dura, tamen ita lex ſcripta eſt, l. Proſpexit, ff. Qui & à quib. & in manifeſtis non debemus extenuare, quæ ſcripta ſunt, ut dicit hìc Jo. Andr. in fin. Sed nec obſtat ſecundùm Hoſt. & alios præall. quòd civilis ſcientia videatur pars divinæ legis, & neceſſaria ſit ad regimen Reipublicæ: nam etſi hoc 29
verum ſit, tamen per ſuos miniſtros expediri debet, ſcilicet Laicos, & Clericos non prohibitos.

Secunda quæſtio eſt de ſtudentibus. Hoſtien. ut dictum 30
eſt ſupra num. 18. diſtinguit ſtudium non principale à principali. Et quidem ſtudium non principale, quod ſcilicet non fit primariò propter ipſam civilem ſcientiam acquirendam, ſed ad finem meliùs intelligendi Canones, putat non eſſe prohibitum hac Conſtitutione: & in hoc ejus opinionem recipiunt Jo. Andr. Butr. Cardinal. Anchar. Abb. & cæteri omnes; nam ut legitur in cap. 1. de nov. oper. nuntiat. Sacrorum ſtatuta Canonum, Principum Conſtitutionibus adjuvantur, quaſi ſacris Canonibus inſerviant, ut exponit ibi Hoſtien. nu. 1. in verb. Adjuvantur, ſeu ancillentur ſecundùm Joan. Andr. num. 2 & juris canonici ſanctiones juris civilis ſubtilitate decorari ſcripſit Bal ſupra in proœm. Decretali, & in quæſt. de ſchiſmate, quam poſuit poſt rubr. Cod. de edict. D. Adrian. tollend. colum. 1. nu. 3 In ſuffragium, inquit, & interpretationem Canonum poſſumus uti legibus, & debemus, c. Si in adjutorium, 10. diſt. Quoniam juſtiſſimæ leges, & ſacri Canones ex uno utero, vel fonte divino proceſſerunt; unde leges firmantur canonibus, & canonum ambiguitates legibus reſolvuntur, ſicut ex diſcurſu gloſſatorum utriuſque juris luculenter apparet. Hinc dicebat Roman. ſingul. 654. Legiſta ſine canonibus parum valet, Canoniſta ſine legibus nihil.

Et confirmatur, quia etſi Papa in hac prohibitione 31
utatur ratione illa. Quia Theologiæ ſtudium cupimus ampliari; tamen ſecundùm Abb. hic num. 7. ab hoc favore non excluditur ſtudium juris canonici, quia ſcientia canonica

nica eſt pars divinæ, ut dicitur in *c. Qualiter, & quando*, *il 2. de accuſ.* ideòque pluribus in locis jus divinum appellatur, ut in *c. Nimis, de jurejur. & in c.* 1. cum ibi notat. *de juramento calumn.* & conſequenter ſtudium juris civilis quatenùs ſubſervit ſtudio ſacrorum Canonum, non repugnat, quin multùm congruit rationi finali hujus Conſtitutionis. Licèt mihi hoc motivum Abbatis ſit valdè dubium, quia Papa hic conſiderat ſtudium Theologiæ in ordine ad reſiſtendum oppugnatoribus fidei, ut patet ex litera, ibi, *Ut ſit fides Catholica circumcincta muro inexpugnabili bellatorum, qui reſiſtere valeant aſcendentibus ex adverſo*: & ita accipit Theologiam prout objectum eſt fidei, non autem prout ſupponitur ethicæ, & morali Philoſophiæ, ſicut ſcientia canonica, ut per Jo. Monac *in proœmio Sexti*: nam etſi in decretalibus agatur de ſumma Trinitate, de Sacramentis, & aliis ad fidem pertinentibus; tamen juris Pontificii profeſſoribus hæc non proponuntur, ut ea ſpeculativè, vel ex profeſſo in ſcolis legant, aut de illis tamquam de ſuis axiomatibus diſputent, & hæreticos confutent: quia cùm ex articulis fidei deducantur, ut talia ad Theologum pertinent, ut latiùs ſcripſi in *c. Cùm veniſſent, num.* 110. *& ſeq. de judic.* Unde favor ampliationis ſtudii ſacræ Theologiæ non videtur hoc caſu militare in ſacrorum Canonum diſciplina.

32 Quidquid tamen ſit de hoc, vera & concors Canoniſtarum ſententia eſt, ſtudium juris civilis non principaliter, ſed ad ſacrorum Canonum intelligentiam hic non prohiberi, dummodò fiat in Camera, non autem publicè in ſcholis; alioquin caderet ſub prohibitione auditus, in qua prædicta diſtinctio, an fiat obiter, vel principaliter, non adhibetur, ut in præcedenti quæſtione.

33 Hinc S. Congr. Conc. aliàs conſulta, an fructus parochialis Eccleſię receptitiæ Triventinę Diæceſis, qui nonniſi inter pręſentes diſtribuuntur, debeantur Sacerdoti ab eadem Eccleſia quinq; menſes abſenti ſtudiorum cauſa, cùm ſit annorum 35. circiter. Item, an debeantur Diacono ejuſdem Eccleſię ob eamdem cauſam abſenti ætatis annorum circiter viginti trium. Tertiò, an iiſdem debeantur, ſi juri civili ſtuduerint, non autem Canonico, aut Theologiæ. Die 31. Maji 1607. ad primum reſpondit non deberi ei, qui excedit annum trigeſimum. Ad ſecundum deberi. Ad tertium itidem deberi ei, qui trigeſimum non excedit, dummodò juri civili operam dederit cauſa addiſcendi poſteà jus canonicum.

Quæ poſterior reſolutio, ut vides, reſtringitur ad Diaconum, quia ipſe non cadit ſub prohibitione hujus decretalis; ac proinde percipit fructus præbendæ in abſentia, dum ſtudet juri civili ad intelligentiam Canonum; quos non perciperet, ſi juri civili ſtuderet principaliter, quia privilegium de percipiendis fructibus in abſentia non reperitur à jure conceſſum, niſi ſtudentibus Theologię, vel juri canonico, ut *in c. fin. de magiſtr.* & in decreto Concilii Tridenc. *c.* 1. *in fine ſeſſ.* 5. Et quod de jure civili dicit gloſſ. *in c. Cum ex eo, in verb. Litterarum*, & Franc. *in eodem verb. de elect. lib.* 6. videtur intelligendum de his, qui dant operam juri civili non principaliter, ſed ad majorem intelligentiam juris canonici.

34 Unde aliàs S. Congr. cenſuit teneri Ordinarium dare licentiam beneficiatis curam animarum non habentibus, licèt ad reſidentiam adſtringantur, ut ratione ſtudii abeſſe poſſint, dum modò id ſtatus Eccleſiæ patiatur, & in publico, celebrique Gymnaſio Theologiæ, vel ſacris Canonibus ſtudeant, & minores ſint 30. annis. At verò Præsbyteris ejuſmodi licentię vacandi in publica univerſitate ſtudio juris civilis etiam ad intelligentiam Canonum meo tempore ſæpiùs fuerunt denegatæ.

35 Studium verò principale etiam in Camera cenſet Hoſtienſis eſſe prohibitum perſonis Eccleſiaſticis, de quibus hic. Movetur per literam textus, ibi, *Student*; & quia rationes hujus prohibitionis æquè vigent in ſtudentibus principaliter, atque in audientibus: & cum eo conſentiunt Joann. Andr. *num.* 5. Butr. *num.* 10. & Cardin. *num.* 6. *in* 7. *qu.* Verùm Petr. de Ancharan. hic *num.* 4. tenet rationes

36 finales hujus Conſtitutionis non extendi ad ſtudium Cameræ: [Quid enim, inquit, ſi magnus Juriſta promoveatur ad Sacerdotium, vel ad dignitatem; an ſi ſtudebit ligabitur hac pena? renuntiarem Papatui, ſi crederem mihi ſub hac pæna ſtudium legalis ſapientię prohiberi: eſt enim res ſacratiſſima, quæ conſtringit hominum vitas ſub regula pretio numerario non ęſtimanda, ut *l.* 1. *de var. & extraordin. cogn.* nulluſque de ejus ſapore poſſit ferre ſententiam, qui ſuavitatem ejus dulcedinis non guſtavit; & temerarium eſt damnare, quia neſcias.] Hæc ille; cujus ſententiam arbitror eſſe veriorem, quia hæc Conſtitutio in principio loquitur de audientibus leges, nec debet extendi ad eos, qui privatim ſtudent ſine auditu in ſcholis, quia in his non eſt tanta ratio prohibitionis, ſicut in illis: & nihilominùs etiamſi eadem ratio militaret, imò etſi major ratio; tamen cùm hæc Conſtitutio ſit pœnalis, non debet extendi ad caſus in ea non comprehenſos, ut oſtenſum eſt ſupra à *num* 13. *uſque ad num.* 18. Nec obſtat verbum, *Student*, in quo Hoſt. ſe fundat, quia intelligitur de ſtudentibus publicè, & ſic de his qui ſtudent in ſcolis audiendo, ut indicant illa verba: In quorum diæceſibus in hujuſmodi ſtudent; præſertim verò quia textus ibi loquitur de religioſis, qui non ligantur hac Conſtitutione, ſi facultates prohibitas audiant intra clauſtra, ut ſuperiùs probatum eſt: ergo multò minùs ligantur, ſi ibi non audiant, ſed per ſeipſos ſtudeant: & per conſequens illud verbum, *Student*, non poteſt intelligi niſi de his, qui ſtudent extra monaſteria, & ſic de his, qui ſtudendo audiunt in ſcholis.

Tertia quæſtio eſt, an hæc Conſtitutio habeat locum in 37 legentibus, ſeu docentibus leges, vel medicinam: & Hoſtienſis tenet ſimiliter indiſtinctè habere locum per *capit. Non magnoperè, ſupra eod.* cique ſubſcribunt reliqui ferè omnes, ut dictum eſt ſupra *num.* 18. Tu verò dic ſecundùm Abb. *hic num.* 16. Aut religioſus legit in monaſterio proprio, & non incurrit pœnas hic inflictas, quia quatenùs hęc Conſtitutio loqueretur de legentibus ſeu docentibus, de quo ſtatim dicam, tamen reſtringitur ad exeuntes de clauſtris, ut patet ex dictis ſupra *num.* 8. Aut legit 38 extra monaſterium, & tunc ſolutio pendet ab alia inſpectione, videlicet an *c. Non magnoperè, ſupra eodem*, habeat locum in legentibus, ſeu docentibus.

Et quidem Hoſtien. *in ver. Student*, & cum eo Joann. Andr. Butr. & alii ferè omnes ſentiunt, Religioſis prohi- 39 beri etiam lectionem in d. *c. Non magnoperè*, ut dictum eſt ſupra *num.* 18. Idem tenet Joan. Andr. in reg. *Cùm quid, de regul. jur. lib.* 6. licèt in quæſtionis ſolutione videatur hoc reſtringere magis ad Religioſos, quàm ad Clericos ſeculares, quia textus hic de ſæcularibus loquens non repetiit de legentibus, de quibus mentionem fecerat dicto *cap. Non magnoperè*: ſed contrarium tenet *hic* Abb. *numer.* 16. *verſ. Et quamquam videantur hæc ſubtiliter dicta*. ubi probat textum in dicto *cap. Non magnoperè*, non eſſe intelligendum de legentibus, ideſt docentibus, ſed de addi- 40 ſcentibus: unde ponitur ibi verbum, *Legere*, largo modo, quia omnis qui ſtudet, ut proficiat, legit: pro quo aſſerit facere etymologiam vocabuli; nam dicitur lex à legendo, ut ait Iſidor. 5. *etymolog.* & proptereà Ioan. Andr. in *cap. Nemo poteſt de regul. jur. lib* 6. *in mercurial.* hoc apertè deducit ex littera dicto *cap. Non magnoperè*: nam ibi Religioſi dicuntur exire ad audiendum leges, & phyſicam ſub prætextu conſulendi languentum fratrum corporibus, & Eccleſiaſtica negotia fideliùs pertractandi, ut ſic poſſint proficere, & edocti agant prædicta. Hoc etiam aperiùs probat littera hujus decretalis, quæ referens mentem, & quaſi verba illius Conſtitutionis, ubi illa dixit de legentibus, hæc declarando dixit de audientibus: nec verum eſt hic prohiberi auditum, & ibi lectionem, ut putavit Hoſt. de quo Abbas miratur; quia hæc littera venit ad declarationem illius, & in hac parte nihil novi juris induxit: nam ponitur hic ſtudium pro ipſis ſtudentibus, ſcilicet addiſcentibus audiendo ab aliis facultates prohibitas; nam ſtudium magis convenit addiſcentibus, quàm docentibus; ſtudere enim eſt valdè cupere: hinc litterarum ſtudia dicta ſunt à cupiditate lectionum, ut notat Archidiac. in 41 *cap. In nova*, 16. *qu.* 7. unde quod initio hic dixerat de audientibus, poſteà ſubjecit de ſtudentibus, quaſi audientes ſint ſtudentes. Ex quibus concludit Abbas tam *cap. Non magnoperè*, quàm hunc textum tantummodò loqui in audientibus, ſeu docentibus ab aliis addiſcendo, & hos tantùm in pęnas incidere: legentes verò; ideſt docentes, putat non ligari his Conſtitutionibus: nec etiam illos, qui non ſtudent, ut addiſcant, quia verba ipſis non conveniunt; & eò magis, quia in eis non videtur militare ratio, quæ viget in addiſcentibus; nam addiſcens videtur moveri malo zelo,

zelo, ſcilicet ut involvatur rurſus actionibus mundanis in patrocinando, & ſimilibus, ut innuit tex. in d. *c. Non magnoperè;* ſed qui alios docet legalem ſcientiam, quam priùs didicit, actionibus mundanis non involvitur; imò communicat aliis ſcientiam in ſe bonam, & neceſſariam ad regimen orbis. Facit quod notat gl. in Clem. 1. *in verb. Honorem de magiſtr.* Ergo exiſtimo hanc opinionem Abbatis eſſe valdè conſonam veritati, & præter illius conſiderationes moveor, quia Papa in principio hujus textus narrat Concilium Turonenſe olim ſtatuiſſe, ut tamquam excommunicati evitentur Religioſi de clauſtris exeuntes ad audiendas leges, vel phyſicam. Neceſſe eſt igitur, ut Conſtitutio Concilii Turonenſis, quæ habetur in d. *c. Non magnoperè, ſup. eod.* loquatur de Religioſis audientibus, non autem docentibus: alioquin Papa falſum hìc dixiſſet, & haud fideliter retuliſſet illam Conſtitutionem: aut certè illius tenorem ignoraſſet, quod non eſt dicendum, cum habeat omnia jura in ſcrinio pectoris, *c. 1. de Conſtit. in 6.* Unde quamvis verba, ad legendas leges, vel phycam, quæ habentur in d. *c. Non magnoperè*, inſpecto cortice aliud ſonare videantur: tamen intelligi debent de audientibus, & ſic
42 de legentibus audiendo, ſeu addiſcendo, ex quo illa ſic intellexit Romanus Pontifex, qui ſolus authoritatem habet verba Conciliorum per modum legis interpretandi, *c. Non licuit*, 17. *diſt.* ibi, *Sed quoties aliqua de univerſali Synodo in aliquibus dubitatio naſcitur, ad recipiendam de eo, quod non intelligunt, rationem, ad Apoſtolic. Sedem conveniant*, *c. Dilectus, de conceſſ. præb. in* 6. & utrobique gloſ. & DD. notant, gloſſ. in Extravag. *Cùm inter nonnulos, in ver. Declaramus, de verb. ſignif.* Præpoſ. *in c. Sicut n.* 1. 15. *diſtin.* Card. Jacobat. *de Concil. c.* 10. Et propterea Jo. Andr. Butr. Card. Anchar. & reliqui omnes ſic ſummant text. in d. *cap. Non magnoperè*, videlicet, Religioſi profeſſi exeuntes ad audiendas leges, vel phyſicam, niſi infra duos menſes ad clauſtrum redeant, excommunicati ſunt; & ita intelligunt illam literam de audientibus, licèt loquatur de legentibus: unde intellectus Abbatis ad illum text. non eſt ſingularis, ſed communiter approbatus.

43 Deinde moveor, quia ratio ampliationis ſtudii Theologiæ hìc conſiderata non æquè viget in legentibus, atque in audientibus: nam cùm Religioſis prohibeatur auditus legum, non poteſt contingere hic caſus, ut reperiatur aliquis idoneus ad illas docendas, niſi ante ingreſſum Religionis illas didicerit in ſæculo; oportet ergo ut provectus aliquis Juriſta ingrediatur religionem, ibique profiteatur, & tunc jus civile aliis legat, ſeu doceat: qui caſus eſt admodum rarus, argum. *c. Venerabilis*, §. *penult.* cum gloſſ. *in verb.*
44 *Si eminentis, ſupra de præben.* nec impedit ampliationem ſtudii Teologiæ; unde ad illum non cenſetur conditor canonis repexiſſe; nam jura non conſtituuntur ex iis, quæ uno aliquo caſu accidere poſſunt, *l. Jura, & l. Ex iis, ff. de legib*

At ſi pateret via cuilibet Religoſo exeundi ad leges audiendas, hic caſus poſſet multùm frequenter contingere: unde illum potiùs Concilium Turonenſe videtur fuiſſe contemplatum, arg. *l. Nam ad ea, & l. Nam ut ait, ff. eod.* Quòd ſi Religioſi non prohibentur alios docere hujuſmodi facultates, ut probatum eſt ſupra, non obſtante quòd littera d. *c. Non magnoperè*, loquatur de legentibus, multò minùs prohibentur Clerici ſæculares, de quibus hìc, cum hæc littera expreſſè loquatur de audientibus tantùm.

Secundo principaliter QUÆRO, an Religioſi exeun- 45
tes de clauſtris ad audiendas leges, vel phyſicam ſint ipſo facto excommunicati, an verò poſt lapſum duorum menſium.

Innocentius in *c. Non magnoperè, ſup. eod.* tenet Religioſos ſic exeuntes incidere ipſo facto in excommunicationem: & huic opinioni adhæret hìc Hoſtien. *n.* 1. *verſ. Sed hæc gloſſa*: movetur quia duorum menſium ſpatium datur hìc ſæcularibus tantùm, ut in fine textus: at verò Religioſi ſine ulla temporis præfinitione ſunt ipſo facto excommunicati, ut innuit littera, ibi, *Nos volentes, ut de cætero ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant:* ponderando illa verba, *Ipſo facto*, ideſt, non expectatis duobus menſibus præfixis in Canone Concilii Turonenſis, ſed illicò cum primum exeunt, vel, ut inquit Butr. cùm incipiunt ſcalas aſcendere, & in hoc ſecundùm Hoſtienſ. hæc decretalis continet jus novum; propterea enim dicit, *Volentes, ut de cætero.*

Verùm Innoc. hìc tenet contrarium ejus, quod ſenſerat in d. *c. Non magnoperè*, videlicet Religioſos non ligari, niſi poſt lapſum duorum menſium; & fuit opinio Vincentii, & Goffredi, quam ſequitur Jo. Andr. *hic n.* 3. tum quia cùm in d. *c. Non magnoperè*, detur Religioſis hoc ſpatium duorum menſium, hac interpretatione vitatur correctio illius text. *c. Cùm expediat, de elect. in 6. l. Præcipimus, in fine, C. de appell.* tum quia non eſt jus diverſum in Religioſis; imò omnia de eis diſpoſita quoad hunc caſum extenduntur ad Clericos ſæculares.

Et tenendo hanc opinionem, quæ communis, & verior videtur, non obſtant verba illa, *Volentes, ut de cætero*: nam reſponſio patet ex dictis ſupra *n.* 6. & hanc partem ſequitur hìc Abb. Antiq. dicens eam humaniorem, Cardin. *num.* 2.
Anchar. *n.* 6. & Abb. Sicul. *n.* 8. Hoc autem ſpatium duorum 46
menſium in Religioſis computatur à die exitus è Monaſterio, in ſæcularibus autem à die, quo incœperint leges, vel medicinam audire, ut aliis relatis, & reprobatis contrariis opinionibus concludit Abb. *eod. n.* 8.

Succeſſivè QUÆRO, quid ſi tantum de duobus men- 47
ſibus effluxerit, ut certum ſit Religioſos infra præfixum tempus ad clauſtrum redire non poſſe, numquid ſtatim ligentur.

Contra ipſos facit, quia ſi infra certum tempus promiſiſti mihi opus perficere, & tantum tempus fluxit, ut certum ſit opus impleri non poſſe, protinùs agere poſſum ex ſtipulatu, *l. Hoc jure, ff. de verb. oblig.* Sed contrarium determinant hìc Goffred. & Vincent. & poſt eos Abb. Antiq. *nu.* 3. Hoſtien. *n.* 1. *in verb. Redierint*, Butr. *n.* 8. *in* 3. *q.* Cardin. *num.* 6. *in fine.* Moventur tum per textum *in c. Commiſſa, in princ. de elect. lib.* 6. qui optimè hoc probat; tum quia expectandus eſt totius temporis lapſus, quaſi in diem tota obligatio ſit collata, *l. In illa, ff.*
de verb. oblig. & l. Ita ſtipulatus, & l. Inſulam. Lapſis tamen 48
duobus menſibus remanebunt ligati Conſtitutione, etiamſi ante lapſum eos pœnituerit, quia imputandum eſt eis, quòd exierunt, & ſe arctaverunt, arg. *l.* 2. §. *Si quis tamen, ff. Si quis caution. c. Conſuluit*, §. 1. *ſupr. de offic. Deleg. cum ſuis concord.*

Finis tertii Libri Decretalium.

BINDING SECT. JUL 2 4 1969

BX Fagnanus, Prosper
1935 Commentaria in primum
F3 [- quintum] librum Decretalium
t.2-3

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 14 05 16 03 003 7